DONATED FROM THE LIBRARY
OF
Rev. John Edgar, A. M.

12 LIBRARY 0
—OF THE—
Allegheny Theological Seminary,
—OF THE—
UNITED PRESBYTERIAN CHURCH.

Case ...... No. ......

John Edgar
Newburgh N.Y.

JOHAN. PISCATORIS

COMMENTARII

IN

OMNES LIBROS NOVI TESTAMENTI:

Antehac separatim editi: nunc verò in unum volumen collecti.

QUIBUS CONTINENTUR

I. Analysis logica singulorum librorum & capitum.
II. Scholia in singula capita.
III. Observationes locorum doctrinæ è singulis capitibus.

Omnia ante obitum ab authore recognita.

QUIBUS ACCESSIT

Index rerum & verborum accuratissimus atque locupletissimus.

Editio quarta, hinc inde locupletata.

ALLEGHENY U. P.
LIBRARY
No. 7059
Theological Seminary
7059

HERBORNÆ NASSOVIORUM,
M. DC. LVIII.

ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO,

DOMINO VILHELMO-LUDOVICO, COMITI NASSOVIÆ, CATTIMELIBOCORUM, VIANDÆ ET

Decii, domino Beilsteinii &c. Gubernatori Frisiæ, urbis Groningæ, Ummelandiæ, Trentiæ &c. domino suo benignissimo:

Gratiam & pacem à Deo patre per D. N. Jesum Christum precatur

JOHANNES PISCATOR, Professor sacrarum literarum in illustri schola Nassovica Herbornensi.

QUUM libri Novi (quod vocatur) Testamenti, homini Christiano citra
controversiam pernecessarii cognitu sint: confido, operam meam, quam
in illis explicandis per annos jam circiter triginta adhibui, & cum Eccle-
sia per artem typographicam communicavi, omnibus piis quibus illâ uti a *Gen.15. & 17.*
visum fuit, probatam esse. Quum autem commentarii illi mei, qui supe- b *Jer.31.*
rioribus annis per partes ac separatim editi fuerunt, nunc uno volumine *v.31.*
comprehensi in lucem exeant: operæ pretium me facturum puto, si in hac c *Exod.19. & 20.*
istius voluminis ad C.T. præfatione paucis edisseram, quidnam summatim d *Gen.3.*
in omnibus hisce libris contineatur. Hoc autem ipse horum librorum ti- *v.15.*
tulus (quanquam subobscurè) indicat: quo appellantur JESU CHRISTI e *Gen.15. v.7. & c.17.*
D.N. NOVUM TESTAMENTUM. Ubi vocabulo testamenti signifi- *v.8. & c.18.*
catur id quod Græci V.T. interpretes nominarunt διαθήκην: qua quidem voce reddiderunt illi vocem *v.18. & c. 21. v.12. &*
Hebraicam בְּרִית beríth, qua passim fedus significatur. Intelligitur autem hoc loco fedus illud quod *c.22. v.18.*
Deus pepigit cum (*a*) Abrahamo & posteris illius, promittens illis salutem æternam per Christum me- f *Gen.26.*
diatorem. Quod fedus, quatenus per Christum confirmatum est, appellatur (*b*) novum: idq; respectu *v.4.* g *Gen.28.*
veteris illius federis, tum gratuiti seu Evangelici, quod Deus pepigit cum Abrahamo: tum Legalis, *v.14.*
quod pepigit cum populo Israëlitico, recens ex Ægypto per Mosen educto, promulgans ei (*c*) Legem h *Gen.4. v.3. & 4.*
in monte Sinai. Cæterùm promissio illa Dei gratiosa, in federe cum Abrahamo comprehensa, etiam i *Gen.17.*
antea electis à Deo hominibus proposita fuit: & quidem jam inde ab origine mundi, ipsis primis no- *v.10. &*
stris parentibus, Adamo & Evæ, statim post tristem illum ipsorum lapsum, quo per transgressionem *seqq.* k *Exod.25.*
mandati Dei in potestatem Diaboli, à quo se decipi passi fuerant, inciderunt: & mortem tum tempo- *26. & 40.*
ralem corporis, tum spiritualem animæ, tum æternam utriusq; sibi attraxerunt. Neigitur primi nostri l *Exod.25.*
parentes metu æternæ mortis contabescerent, clementissimus Deus consternatos illorum animos *v.10. & seqq.*
promissione servatoris, qui ipsos à potestate Diaboli, ac proinde ab illa morte, liberaturus esset, erexit: m *Exod.28.*
promittens (*d*) *fore ut semen mulieris conterat caput serpentis*. Hanc autem promissionem Deus posterio- n *Lev.16.*
ribus sæculis subinde, quanquam diversis verbis, apud electos suos repetivit: ac inprimis apud sanctos o *Exod.29. v.38. &*
illos patriarchas, (*e*) Abrahamum, (*f*) Isaacum, & (*g*) Jacobum. Nec solùm nudis verbis eam repetivit: *seqq.*
sed etiam compluribus signis illustravit atq; stabilivit. nam præter sacrificia jam inde ab initio in (*h*) fa- p *Lev.4. & 6.*
milia Adami instituta, instituit & Abrahamo atq; posteris illius præcepit (*i*) circumcisionem, ut eis es- q *Lev.11.*
set signum illius federis. Postea verò quàm Abrahami posteros, Israëlitas, ex Ægypto in desertum *v.28. & c.*
eduxisset, plura promissioni illi confirmandæ signa adjecit, instituendo per Mosen multas ac varias *15. ferè per totum.*
cærimonias, ad Christum præfigurandum: puta sacrum (*k*) tabernaculum, (*l*) arcam federis, sacer- a *Gen.17.*
dotem (*m*) summum, sacrificium (*n*) anniversarium, sacrificium (*o*) juge seu quotidianum, sacrificia *v.19. &*
pro (*p*) peccato, denique (*q*) purificationes per ablutionem aquæ. Nec verò solùm signis istis visibili- *c.21. v.12.* b *Gen.49.*
bus promissionem illam suam populo suo illustravit atque confirmavit: sed etiam indicatione specia- *v.10.*
lium quarundam rerum ad Christum pertinentium subinde auxit atque declaravit. c *2. Sam.7.*

Etenim Abrahamo indicavit, Christum nasciturum ex (*a*) Isaaco: duodecim patriarchis per pa- *v.12. & seqq. Item*
rentem ipsorum Jacobum indicavit, illum oriturum è tribu (*b*) Judæ: Davidi regi indicavit, illum na *1. Chron.*
sciturum ex familia (*c*) ipsius: populo Israëlitico per Davidem & alios deinceps prophetas indicavit, *17. v.11. & seqq.*

d Esa.7. illum nasciturum ex (d) virgine, in oppido (e) Bethlehem: vocatum iri ex (f) Ægypto: educatum iri in
v.14. urbe Galilææ (g) Nazareth: ad officium suum propheticum in populo Dei administrandum habitu-
e Mich.5. rum esse (h) præcursorem Eliam, seu vocem (i) clamantis in deserto: prædicaturum esse evangelium
v.2. f Osee.11. in (k) Galilæa, & prædicationem suam multis ac variis atque stupendis (l) miraculis confirmaturum,
v.1. sanando scilicet morbos incurabiles & vitia corporis inemendabilia, idque solo verbo seu imperio:
g Esa.11. v.1.& c.60. præterea ingressurum esse Hierosolymam vectum (m) asino, acclamante populo (n) Hosanna filio
v.21. David: item proditum iri Judæis per unum ex (o) domesticis pro (p) triginta argenteis, proque illis
h Malach.3. postea emtum iri (q) agrum figuli: adhæc reputatum iri inter (r) facinorosos: item (s) flagellatum
i Esa.40. v.3. & (t) crucifixum iri: ac in cruce pendentem ab inimicis suis (u) irrisum iri: item in cruce pendenti præ-
k Esa.9.v.1. bitum iri ad bibendum (x) acetum felle mistum: insuper (y) vestimenta ejus partitum & sortem su-
l Esa.35. v.5. per tunicam ejus jactum iri: corpus ejus (z) à divite ad sepulturam impetratum iri: è sepulchro (aa) re-
m Zach.9. surrecturum (bb) tertio die, (cc) ascensurum in cælum, (dd) sessurum ad dexteram Dei, è cælo (ee) mis-
v.9. surum Spiritum S. in apostolos, per prædicationem illorum & successorum collecturum (ff) eccle-
n Psal.118. v.25. siam tum ex Judæis, tum ex Gentibus: (gg) defensurum illam sub persecutione, & tandem venturum
o Psal.41. ad (hh) judicandum vivos & mortuos.

v.10. Ex his quæ hactenus ad declarandum titulum N. T. disserui, intelligi potest, libros hosce ideo
p Zach.11. v.13. isto titulo insigniri, ut indicetur, in illis doceri, quomodo fedus illud gratiæ per Christum sit confir-
q Ibidem. matum, ac omnino quomodo prophetiæ de Christo, quæ in Mose, psalmis, & prophetis continentur,
r Esa.53. v.12. sint ex parte impletæ, ex parte adhuc impleantur, & ex parte posthac sint implendæ. Docent autem
s Esa.53. isti libri, prophetias illas impletas esse, adhuc impleri, & porrò impletum iri per JESUM illum Nazare-
v.5. num Hierosolymis crucifixum. Id quod deinceps è singulis illis breviter demonstrabo, atque ita sum-
t Psal.22. v.17. mam librorum N.T. indicabo.

u Ibid.v.8. Ac primùm ad primam illam promissionem quod attinet, *Semen mulieris conteret caput serpentis:*
x Psal.69. v.22. illam impletam esse per JESUM, testatur apostolus Johannes, quum dicit: *Ad hoc patefactus est filius*
y Psal 22. *Dei, ut dissolvat opera Diaboli,* 1.Johan.3.v.8. Item apostolus Paulus, quum dicit, *Christum participem fa-*
v.19. *ctum esse carnis & sanguinis, ut per mortem aboleret eum qui mortis imperium habebat, hoc est, Diabolum,*
z Esa.53. Heb.2.v.14. Jam promissionem factam Abrahamo, quòd Christus nasciturus esset ex Isaaco, imple-
v.9. aa Esa.53. tam esse in JESU, testantur duæ evangelistæ, Matthæus & Lucas: quatenus genealogiam ejus per Isaa-
v.11. cum deducunt: Matth.1.v.2. Luc.3.v.34. Porrò prophetiam patriarchæ Jacobi de Christo orituro è
bb Jona 2. tribu Judæ, impletam esse in JESU, testantur iidem evangelistæ, quatenus genealogiam ejus per Ju-
v.1. cc Psal.68. dam deducunt: Matth.1.v.3. Luc.3.v.33. Idem testatur Paulus, Heb.7.v.14. Et Johannes, Apoc.5.v.5.
v.19. Promissionem factam Davidi, quòd Christus oriturus esset ex familia ipsius, impletam esse in JESU:
dd Psal.110. testantur iidem evangelistæ, quatenus genealogiam ejus per Davidem deducunt: Matth.1.v.6. Luc.3.
v.1. ee Joël.2. v.31. Idem testantur appellationes miserorum opem ejus implorantium his verbis, *Miserere nostri, fili*
v.28. *David:* Matth 9.v.27.& cap.15.v.22.& cap.20.v.30.& 31. Marc.10.v.47.& 48. Luc.18.v.38.& 39. Item
ff Psal.110. v.2.3. Esa. acclamatio illa solennis populi Judaici, quum JESUS asino insidens, Hierosolymam ingrederetur,
11.v.6.& seqq. *Hosanna filio David:* Matth.21.v.9.& 15. Idem testatur apostolus Paulus, Rom.1.v.3. 2.Tim.2.v.8. Et
gg Psal.110. apostolus Johannes, Apoc.5.v.5.& cap.22.v.16.

v.6.Dan. Promissionem factam populo Dei per prophetam Esaiam, quòd Christus nasciturus sit ex vir-
12.v.1.Joël. gine, impletam esse in JESU: testantur Matthæus, c.1.v.18. & Lucas, c.1.v.27. Prophetiam de Christo
3.v.12.& seqq. nascituro in oppido Bethlehem, impletam esse in JESU: testantur Matthæus, cap.2.v.1. & Lucas, c.2.
hh Zach. v.4. Prophetiam Oseæ, quòd Christus vocandus sit ex Ægypto, impletam esse in JESU: testatur Mat-
14.v.5. thæus c.2.v.15. Prophetiam Esaiæ, quòd Christus educandus esset in urbe Galilææ Nazareth, impletam esse in JESU: testatur Matthæus c.2.v.23. Prophetiam Malachiæ & Esaiæ de Christi præcursore, impletam esse in JESU: testatur Matthæus c.3.v.3.& c.11.v.14.& c.17.v.12. Item Marcus, c.1.v.2.& 3. Item Lucas, c.3.v.2.& seqq. Necnon Johannes, c.1.v.6.& seqq. Denique Paulus, Act.19.v.4. Prophetiam Esaiæ, quòd Christus prædicaturus esset in Galilæa, impletam esse in JESU: testatur Matthæus c.4.v.12.& seqq. Et Marcus c.1.v.14.38.& 39. Et Lucas c.4.v.14.& seqq. Et Petrus, Act.13.v.36.& 37. Prophetiam Esaiæ de Christi miraculis, impletam esse in JESU: testatur Matthæus cap.4.v.23.& 24. Item à cap.8. deinceps usque ad cap.21. Testantur idem evangelistæ cæteri, ut notum est.

Prophetiam Zachariæ de ingressu Christi regio in urbem Hierosolymam, impletam esse in JESU: testatur Matthæus, c.21.v.7. Et Marcus, c.11.v.1.& seqq. Et Lucas, c.19.v.29.& seqq. Et Johannes c.12.v.14.& 15. Prophetiam psalmi 118. de solenni illa acclamatione quâ populus erga Christum usurus erat, impletam esse in JESU: testantur Matthæus cap.21.v.9. Marcus c.11.v.9. Johannes c.12.v.13.

Prophetiam psalmi 41. quòd Christus Judæis per unum ex domesticis prodendus esset: itemque prophetiam Zachariæ, quòd proditio illa facienda esset pro triginta argenteis, pro quibus emendus sit ager figuli: hanc inquam prophetiam impletam esse in JESU: testatur Matthæus c.26.v.14.15.16.49.& cap.27.v.7. Et Marcus, cap.14.v.10.11. Et Petrus, Act.1.v.16.& seqq. Prophetiam Esaiæ de Christo numerando inter facinorosos, deque eodem flagellando impletam esse in JESU: testatur Matthæus c.27.v.16.17.26.38. Et Marcus c.15.v.27.& 28. Et Lucas c.23.& 33. Et Johannes c.19.v.18. Prophetiam psalmi 22. de Christo crucifigendo, impletam esse in JESU: testatur Matthæus c.27.v.35. Et Marcus c.15.v.25. Et Lucas c.23.v.33. Et Johannes c.19.v.18. Prophetiam de Christi in cruce pendentis irrisione, impletam esse in JESU: testatur Matthæus c.27.v.39.& seqq. Et Marcus c.15.v.20.& seqq. Et Lucas cap.23.v.35.& seqq. Prophetiam psalmi 69. quòd futurum esset ut Christo sitienti bibendum

bendum daretur acetum, impletam esse in Jesu: testatur Matthæus c.27.v.34.& 48. Et Marcus c.15. v.36. Et Johannes cap.19.v.29. Prophetiam psalmi 22. de vestimentis Christi partiendis & sorte super tunicam ejus jaciendâ, implendam esse in Jesu: testatur Matthæus c.27.v.35. Et Marcus c.15.v.24. Et Lucas c.23.v.34. Et Johannes c.19.v.23.

Prophetiam Esaiæ de corpore Christi à divite ad sepulturam impetrando, impletam esse in Jesu: testatur Matthæus c.27.v.58. Et Marcus c.15.v.43. Et Lucas c.23.v.52. Et Johannes c.19.v.38. Prophetiam psalmi 16. & Esa.53. de resurrectione Christi, impletam esse in Jesu: testatur Matthæus c.28. Marcus cap.16. Lucas c.24. Johannes cap.20. Petrus in Actis c.2.v.24. Paulus ibidem c.13.v.30. Item Rom.1.v.4. & 1.Cor.15.v.4. & alibi in suis epistolis. Prophetiam psalmi 68. de ascensione Christi in cælum, impletam esse in Jesu: testatur Marcus c.16.v.19 & Lucas c.24.v.51. item Act.1.v.9. Petrus Act.2.v.33.& 34. Paulus Eph.4.v.8.& seqq.

Prophetiam psalmi 110. de sessione Christi ad dexteram Dei, impletam esse in Jesu: testatur Marcus cap.16.v.19. & Petrus, Act.2.v.33.& c.5.v.31. item 1.Pet.3.v.22. & Paulus Rom.8.v.34. Eph.1. v.20. Col.3.v.1. Heb.1.v.3. & c.8.v.1. & c.10.v.2. & c.12.v.2. Prophetiam Joëlis de missione Spiritus sancti in apostolos, impletam esse in Jesu: testatur Petrus Act.2.v.17. Prophetiam Davidis & Esaiæ de collectione Ecclesiæ per prædicationem apostolorum & aliorum evangelii præconum, impletam esse & adhuc impleri ac deinceps usque ad finem mundi impletum iri in Jesu: testatur Matthæus c.ult.v.ult. Similiter Marcus, & Lucas in Actis per totum librum. Testantur idem epistolæ Pauli & Petri, & Jacobi, & Johannis, ad varias ecclesias scriptæ: nec non Apocalypsis Johannis, continens epistolas ipsius Domini ad septem ecclesias Asiæ. Prophetiam de ecclesiæ defensione, in Jesu impletam esse, adhuc impleri, & deinceps impletum iri: testatur Apocalypsis Johannis. Prophetiam de Christi ad judicium adventu impletum iri in Jesu, testatur Paulus Act.17.v.31. 1.Cor.1.v.8. & cap.15. v.23. 1.Thess.2.v.19.& c.4.v.13.& c.4.v.15.& c.5.v.23. Item 2.Thess.2.v.1.& 8. Item 1.Tim.6.v.14. & 2.Tim.4.v.1.& 8. Testatur & Johannes, 1.Joh.2.v.28.

Atque sic per inductionem partium demonstravi librorum N.T. summam, positam in testificatione impletionis prophetiarum variarum de Christo. Ut autem hanc summam pleniùs ante oculos proponam: ostendam quoque, quomodo libri illi testentur, in Jesu illo Nazareno impletas esse, & ex parte adhuc impleri, varias cærimonias quibus Christus veteri populo fuit præfiguratus. Quas quidem in Jesu impletas esse, & ex parte adhuc impleri, disertè pronuntiat Paulus Coloss.2. v.17. ubi post enumeratas aliquas cærimonias Legales, subjungit: *Quæ sunt umbra rerum futurarum, at corpus est Christi.* Hîc autem primùm occurrit agnus ille paschalis, qui populo Israëlitico ad edendum quotannis à Deo institutus fuit sub tempus eductionis ipsius ex Ægypto: quem agnum fuisse typum Christi, discimus ex verbis Johannis cap.19.v.33.& 36. ubi narrat, domino Jesu in cruce pendenti non esse confracta crura: & addit, istud factum esse *ut impleretur scriptura illa, Non confringetur ullum os ipsius.* quæ scriptura exstat Exod.12.v.46. & de agno paschali propriè sonat. Idem discimus ex verbis Pauli 1.Cor.5. v.7. ubi dicit, *Pascha nostrum pro nobis mactatum est*, nempe *Christus.* Eodem respicere videtur Petrus 1.Pet.1.v.18.& 19. ubi ait, fideles Israëlitas ad quos scribit, redemtos esse ex vana ipsorum conversatione non argento vel auro, sed pretioso sanguine, utpote *agni immaculati & incontaminati*, nempe *Christi.* Considerandum igitur venit, quibus in rebus agnus paschalis Christum præfigurarit: & quomodo figuræ illæ in domino Jesu sint impletæ. Primò agnum illum oportuit esse integrum, id est, expertem omnis vitii, Exod.12.v.5. Per hoc præfigurata fuit integritas seu sanctitas Christi: quam figuram impletam esse in Jesu, testatur Petrus in verbis paulò antè allegatis. Deinde agnum illum oportuit jugulari, Exod.12.v.6. Per hoc præfigurata fuit crucifixio Christi: quam figuram impletam esse in Jesu, testantur tum Petrus tum Paulus in locis citatis. Tertiò, sanguine illius agni oportuit in Ægypto aspergi duos postes & superliminare uniuscujusque domus Israëlitarum: idque in signum angelo percussuro primogenita Ægyptiorum, ut videns sanguinem illum, præteriret, nec quenquam in illis domibus occideret, Exod.12.v.7. & 13. Per hoc fuit præfiguratum, eos quorum corda aspersa fuerint sanguine Christi, per fidem scilicet in illum, tutos esse à morte æterna: quam figuram impletam esse in Jesu, docet Petrus 1.Pet.1.v.2. ubi ait, fideles ad quos scribit, *sanctificatos esse ad obedientiam & aspersionem sanguinis Jesu Christi.* Quartò, carnem agni illius oportuit assari igne, Exod.12.v.8. Per hoc fuit præfiguratum, carnem Christi crucifixum iri ex amore illius maximo erga fideles: quam figuram impletam esse in Jesu, testatur Paulus Gal.2.v.20. ubi de Jesu loquens dicit, *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Quintò, carnem agni illius oportuit edi non crudam, sed assam, Exod.12.v.8.& 9. Per hoc fuit præfiguratum, carnem Christi edendam esse (nimirum fide) quatenus est crucifixa pro nobis: quam figuram impletam esse & adhuc impleri in illis qui credunt in Jesum, ipsemet docet Joh.6.v.51. ubi dicit, *Ego sum panis ille vivificus, qui è cælo descendit. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Sextò, cum carne illius agni comedi oportuit panes azymos, Exod.12.v.8. Per hoc fuit præfiguratum, eos qui in Christum credunt, oportere valedicere malitiæ & nequitiæ, & contrà studere sinceritati & veritati: quam figuram impletam esse & adhuc impleri in illis qui credunt in Jesum, docet Paulus 1.Cor.5.v.7.& 8. ubi dicit, *Pascha nostrum pro nobis mactatum est, nempe Christus. Itaque festum agitemus non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitiæ, sed azymis panibus sinceritatis & veritatis.* Septimò, carnem illius agni oportuit edi cum herbis amaris, Exod.12.v.8. Per hoc fuit præfiguratum, eos qui credunt in Christum, atque ita fide illum comedunt,

subjectos fore cruci seu persequutioni propter confessionem illius: quam figuram impleri quotidie in illis qui credunt in JESUM, docet ipse JESUS Luc.9.v.23. ubi dicit, *Si quis vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Item Paulus, 2.Tim.3.v.12. ubi ait, *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persequutionem patientur.*

Atque hæc dicta sufficiant de typo Christi primo, videlicet agno paschali. Cum quo in significatione generali (puta expiationis peccatorum per Christum) conveniunt agni illi bini qui quotidiè sacrificabantur, alter manè, alter vesperi: quod in scriptura sacrificium juge nominatur: cujus offerendi lex habetur Exod.29.& Num.28. Cujus sacrificii significationem impletam fuisse in JESU, testabatur Johannes Baptista quum illum digito demonstrans, diceret: *Ecce agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi*, Joh.1.v.29. Eandemque impletam in JESU jam esse, testatur Johannes Apostolus in Apocalypsi, ubi Jesum *agnum illum mactatum* semel atque iterum nominat: ut cap.5. v.12. & cap.13.v.8. itemque sanctos martyres *stolas suas in sanguine illius agni lavisse* dicit, cap.7.v.14.

Sed inprimis illustris est typus sacerdotii Christi in sacrificio anniversario, quot quotannis semel in festo expiationis, per summum sacerdotem offerebatur: ut describitur Levit.16. In illo igitur festo summus sacerdos expiaturus peccata tum sua ipsius, tum populi, jugulavit primùm pro se juvencum, & illius sanguinem, vestibus sacris indutus, intulit in sanctum sanctorum; ibique de illo aspersit digito suo tum operculum arcæ federis, tum anteriorem illius partem: deinde jugulavit pro populo hircum, & de sanguine illius eadem egit quæ antea de sanguine juvenci: postremò juvencum illum & hircum extra castra efferri & comburi curavit. Hæ singulæ cærimoniæ præfigurarunt Christum: & in domino JESU impletæ sunt: ut docet apostolus Paulus in epistola ad Hebræos cap.6.7.8.9.& 10. Ac primò per pontificem Leviticum præfiguratum fuisse JESUM, significat apostolus cap.6.v.ult. ubi dicit, *quòd intra velum ingressus sit pro nobis præcursor Jesus, secundùm ordinem Melchisedec pontifex factus in æternum.* Item cap.7.v.26.& 27. ubi de domino JESU loquens dicit: *Talis enim nos decebat pontifex: pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cælis factus: Cui non sit certo die necesse, quemadmodum illis* (nempe Leviticis) *pontificibus, priùs pro peccatis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi. Id enim fecit semel, quum semetipsum obtulit.* Item c.8.v.3. ubi dicit, *Omnis pontifex* (nempe Leviticus) *ad offerenda dona & victimas constituitur: unde necesse fuit, hunc quoque* (Dominum Jesum) *habere quod offerret.* Sed consideremus singulas hujus typi partes distinctè. Pontifex Leviticus expiabat peccata tum sua, tum populi, cærimonialiter: nam (ut ait apostolus) *sanguis taurorum & hircorum non potest auferre peccata*, c.10.v.4. At Christus JESUS expiavit peccata populi Dei, sive electorum hominum, re ipsa: ut passim testatur apostolus in illa ad Hebræos epistola. ut c.9.v.12.13.& 14. ubi dicit, *Neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem, ingressus est semel in sacrarium, æternam redemtionem nactus. Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencæ, aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis puritatem: quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum se ipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad serviendum Deo vivo?* Et v.26. *Nunc semel in consummatione seculorum ad abolendum peccatum per immolationem suiipsius, patefactus est.* Et v.28. *Christus semel oblatus est, ut multorum peccata tolleret.* Item c.10.v.1. *Lex umbram obtinens futurorum bonorum, non expressam formam rerum, iis victimis quas singulis annis easdem assiduè offerunt, nunquam potest accedentes sanctificare.* Et v.11.12.14. *Omnis sacerdos* (nempe Leviticus) *astat certo die operans, & easdem sæpius offerens victimas, quæ nunquam possint auferre peccata: hic verò unâ pro peccatis oblatâ victimâ in perpetuum manente, consedit ad dexteram Dei. Unica enim oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.* Quòd autem pontifex Leviticus, expiaturus peccata populi, priùs expiavit peccata sua ipsius: per hoc præfigurata fuisse videtur Christi pontificis sanctitas; quam apostolus capite 7. verbis suprà recitatis celebrat. Nam sicut pontifex Leviticus ad expiandum cærimonialiter peccata populi non fuisset idoneus, nisi ipse pro sancto fuisset à Deo habitus: ita Christus non fuisset idoneus ad expiandum peccata populi Dei, sive electorum, re ipsâ, nisi fuisset sanctus. quæ ipsa sanctitas præfigurata quoque fuisse videtur per vestes illas sacras pontificis Levitici, pretiosissimas atque splendidissimas: quas eum induere oportuit, quum in sanctum sanctorum ad orandum pro populo ingressurus esset. Jam quòd pontifex Leviticus sanguinem juvenci & hirci intulit in sanctum sanctorum: per hoc præfiguratum fuit, Christum oblatione corporis sui in terris peractâ ingressurum esse in cælum: & ibi in conspectu Dei pro nobis appariturum. Hoc impletum esse in JESU, docet apostolus passim: cap.6.v.ult. *Intra velum præcursor pro nobis ingressus est Jesus.* Et cap.9. v.12. *Neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, æternam redemtionem nactus.* Item v.24. *Non in manufactum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero sacrario respondens: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis.* Et c.10.v.19. *Habemus libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Jesu.* Quo loco & illud notandum, quòd pontifex Leviticus ingressus sanctum sanctorum, ibi constitit ante arcam federis: & operculum illius sanguine victimarum oblatarum aspersit. Qua in re typum Christi fuisse, percipitur ex verbis Pauli tum Rom.3.v.25. tum Heb.4.v.ult. Priore loco dicit, *Quem* (Jesum Christum) *proposuit Deus, ut esset propitiatorium* (ἱλαστήριον) *per fidem in sanguine ipsius.* Ubi per nomen illud ἱλαστήριον respicit ad operculum arcæ federis, tanquam typum: quoniam illud eo nomine à Græcis interpretibus vocatur. Posteriore loco dicit, *Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ &c.* ubi per thronum gratiæ intelligit Christum, & appellatione illâ iterum respicit ad operculum arcæ federis, quippe cui veluti throno insidens Deus inter Cherubim, exaudiebat preces populi per pontificem oblatas. Porrò quòd corpora juvenci & hirci illius, quos pontifex Leviticus jugulaverat

verat ad expiandum peccata tum sua, tum populi, exuri oportuit extra castra: per hoc fuit præfiguratum, Christum passurum extra portam: ut docet apostolus cap. 13. v. 11. & 12. his verbis: *Quorum animalium sanguis infertur pro peccato in sacrarium per pontificem, horum corpora exuruntur extra castra. Quapropter & Jesus, ut sanctificaret populum per proprium sanguinem, passus est extra portam.*

Atque sic ex epistola Pauli ad Hebræos ostendi, quomodo typum Christi sacerdotis gesserit sacerdos Leviticus: puta Aharon & successores illius. Verùm ejusdem typum etiam gessisse veterem illum sacerdotem Melchisedecum, qui vixit temporibus Abrahami: docet idem apostolus in eadem epistola capite septimo, tribus primis versibus: cujus typi membra sex sunt. Primò, Melchisedec fuit simul rex & sacerdos: ita & Christus: sed ille terrenus, hic cælestis. Secundò, Melchisedec ratione nominis fuit rex justitiæ: ita Christus est rex justitiæ verus: quippe qui populo suo justitiam æternam adduxit, teste Daniele. Tertiò, Melchisedec fuit rex urbis Salem, quo vocabulo significatur pax: ita Christus est verus rex pacis: quippe qui reconciliavit nobis Deum. Quartò, Melchisedec fuit sacerdos Dei altissimi: ita Christus est verus sacerdos: quippe qui sacrificio suo verè expiavit peccata populi. Quintò, Melchisedec introducitur in scriptura sine patre, sine matre, denique sine genere, tanquam non habens initium dierum: ita Christus est verè ἀπάτωρ, sine patre, secundùm naturam humanam; itemque verè ἀμήτωρ, sine matre, secundùm naturam divinam. Sextò, Melchisedec introducitur tanquam non habens vitæ finem, sed perpetuo sacerdotio fungens: ita Christus verè æternus sacerdos est: quippe cujus sacrificium semel oblatum æternam vim habet, quique nunc in sanctuario cælesti perpetuò pro nobis intercedit.

Cæterùm ipsa Christi crucifixio, per quam ille corpus suum Deo in sacrificium expiatorium obtulit, præfigurata fuit Israëlitis in deserto agentibus per serpentem illum æneum, quem Moses jussu Dei erexit; id quod Christus ipse docet Joh. 3. v. 14. & 15. ubi dicit: *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita ex altari oportet filium hominis: ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* In quo typo duo hæc potissimùm observanda sunt. Primò, Sicut serpens ille æneus speciem habebat serpentis, sed interim nullo veneno erat infectus: ita Christus, formâ servi acceptâ, similis hominibus peccatoribus factus est, sed absque peccato; imò inter sceleratos numeratus est, de cruce inter duos latrones suspensus. Deinde, sicut Israëlitæ, qui moti mandato ac promissione Dei, serpentem illum æneum de palo suspensum intuebantur, à morsu letali serpentum convalescebant: ita omnes qui moti mandato ac promissione Dei, Christum in cruce suspensum oculis fidei intuentur, convalescunt ac sanantur à vulnere letali, quod antiquus ille serpens, Diabolus, eis per peccatum inflixerat: id est, à morte æternâ liberantur; ut non pereant, sed habeant vitam æternam.

Præter commemoratos typos occurrunt & alii: putà nubes, sub qua profecti sunt Israëlitæ in deserto: mare rubrum per quod transiverunt in deserto: manna quod ederunt: petra deserti, unde profluentem aquam biberunt: quos typos omnes indicat apostolus 1. Corinth. 10. Unum autem ex illis, nempe manna, indicat Christus ipse Johan. 6. Sed quænam fuit singulorum illorum typorum ratio? Hoc paucis edisseram. Paulus ait, *Israëlitas illos baptizatos esse nube & mari.* quibus verbis significat, per nubem illam præfiguratum fuisse sanguinem Christi, quatenus per illius effusionem, cum sensu iræ Dei conjunctam, protegimur contra æstum iræ divinæ, alioqui propter peccata nobis imminentem: quippe quum idipsum nobis testetur baptismus, licet alio modo. Deinde dicit, *Israëlitas illos edisse eandem escam spiritualem,* (quam scilicet & nos edimus in cæna Domini.) item, *bibisse eundem potum spiritualem,* (quem scilicet & nos bibimus in cæna Domini:) ubi per escam spiritualem intelligit manna: per potum verò spiritualem intelligit aquam illam quæ ex petrâ deserti, baculo Mosis percussâ, effluebat, & Israëlitas per desertum sequebatur, ut & ipsi & pecora eorum inde biberent. quod posterius apostolus ibi disertè affirmat. Sed cur manna vocat escam spiritualem, itemque aquam illam potum spiritualem: quum tamen utraq; fuerit res corporalis & terrena? Nempe propter spiritualem seu mysticam significationem. Id quod ipse innuit, quum de petra illa pronuntiat, quòd illa fuerit Christus: *Petra verò illa,* inquit, *erat Christus.* Utique non reipsâ: sed significatione mysticâ, quatenus Christum ut typus præfigurabat. Nam sicut Moses baculo percussit petram illam, & ex eâ percussione profluxerunt aquæ largissimæ, quas biberent Israëlitæ & pecora eorum: sic Deus pater per Judæos percussit & cruci affixit Christum: quâ crucifixione sanguis ejus effusus est, quem biberent fide electi, atque ita remissionem peccatorum & vitam æternam consequerentur. quod ipsum cæna Domini nobis testatur. Porrò sicut aqua illius petræ præfiguravit sanguinem Christi tanquam potum verè spiritualem; sic ejusdem carnem, tanquam escam verè spiritualem, præfiguravit manna, panis ille qui in deserto è cælo pluebat. Id quod tum ex analogia eorum quæ de aqua petræ dicta sunt, per se intelligitur: tum à Christo ipso docetur Joh. 6. ubi Judæis jactantibus, quòd Moses patribus ipsorum in deserto dedisset manna, panem cælestem, ut eo vescerentur, v. 31: respondit, *Amen dico vobis: Non dedit vobis Moses panem illum cælestem: sed pater meus dat vobis panem illum verè cælestem,* v. 32. Et postea declarans, quâ ratione ipse sit panis cælestis, dicit v. 51. *Ego sum panis ille vivificus qui è cælo descendit. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est: quam ego dabo pro mundi vita.*

Cæterùm hi omnes typi quos hactenus commemoravi atque exposui, præfigurarunt Christum ut sacerdotem. Eundem verò ut regem præfigurarunt Josua, David, Salomon, Serubabel. Typum Josuæ innuit Paulus Heb. 4. v. 8. ubi *negat Jesum* (id est, Josuam) *Israëlitas* (quorum dux erat) *in requie collocasse*. Nempe in requie illa vera, quæ continget electis in cælo, ubi requiescent à laboribus suis, fruentes vitâ æternâ. Quo ipso significat apostolus, terram Chanaan fuisse typum cæli seu vitæ æter-

næ: & ficut Josua Israëlitas, devictis Chananæis, introduxit in terram Chanaan, eamque possidendam ac fruendam eis dedit: ita Christum, regem electorum, devictis illorum hostibus, Diabolo & mundo, introducturum eos in cælum ad possidendum illud & fruendum ibi vitâ æternâ. Typum Davidis innuit scriptura, quoties Christum nomine illius appellat. Ut Jerem.30. v.9. ubi in prophetia de regno Christi dicitur, *Servient Jehovæ, deo suo: & Davidi, regi suo, quem excitabo ipsis.* Item, Ezech.34.v.23.& 24. ubi similiter in prophetia de regno Christi dicit Dominus, *Excitabo eis pastorem unum qui pascet eas,* (nempe oves Domini, id est, electos) *servum meum Davidem: ipse pascet eas, & ipse erit eis pastor. Ego verò Jehovah ero eis deus; & servus meus David* erit *princeps in medio eorum.* Quæ ipsa verba repetuntur apud eundem prophetam cap.37. v.24. & 25. Similiter Oseas promittens conversionem Israëlitarum in regno Christi futuram, dicit: *Postea reversi Israëlitæ, quærent* Jehovam *deum suum, & Davidem regem suum &c.* cap.3.v.ult. Jam typus Salomonis proponitur in promissione factâ Davidi per Nathanem 2.Sam.7. v.12. & deinceps: & 1.Chron.22.v.9. & 10. Præfiguravit autem Salomon Christum, quatenus Deus temporibus illius populo suo dedit pacem, unde & nomen illud (quod pacificum sonat) impositum ei fuit. Etenim Christus est author atque conciliator veræ illius pacis inter Deum & nos, & tranquillitatis conscientiæ quæ ex pace illa & reconciliatione cum Deo oritur. Porrò ad Serubabelem quod attinet, principem illum populi Dei post reditum è Babylonia; per illum quoque præfiguratum fuisse Christum, percipitur ex eo, quòd Christus nomine illius significatur apud Haggæum cap.2. in fine, ubi Deus deletionem hostium Christi, & exaltationem illius promittens, inter alia dicit: *Die illo, dictum Jehovæ exercituum, assumam te Sorobabelem, fili Schealtielis, serve mi: (dictum* Jehovæ*) ponamq; te ut annulum signatorium &c.*

Hactenus de typis Christi ut regis. Ad extremum non sunt silentio prætereundi typi ejusdem ut prophetæ, seu doctoris populi Dei. Ubi primùm occurrit Moses: qui Deut.18.v.15. de hac re sic loquitur, *Prophetam è medio tui, è fratribus tuis, sicut ego sum, suscitabit tibi* Jehova *deus tuus: ei auscultate.* Hanc autem prophetiam impletam esse in JESU, testatur Petrus Act.3.v.22. & Paulus Heb.3. v.1. & 2. ubi dicit, *Considerate apostolum & pontificem professionis nostræ, Christum Jesum: fidelem ei qui ipsum constituit: sicut & Moses fidelis fuit in tota domo ipsius.* Deinde præter Mosen etiam propheta Zacharias Christum ut prophetam typicâ quadam actione præfiguravit: quatenus nimirum gestavit, instar pastoris, duo peda: quorum unum nominavit Amœnitatem, alterum Devincientes. quorum illo significavit, Christum prophetam suaviter tractaturum peccatores resipiscentes: altero autem, Christum per evangelii prædicationem devincturum tribus Israëliticas inter sese dissidentes, ita ut fraterno amore sese mutuo complectantur, quicunque ex illis in ipsum crediturì essent. Utrumque autem hoc pedum Zacharias confregit: ad significandum, Christum incredulos Judæos abjecturum. Hic typus proponitur Zach.11.v.7.& deinceps.

Atque hæc sunt quæ mihi Dominus in præsentia dedit ad exponendum summam doctrinæ Novi Testamenti. Nam hortationes ad studium pietatis, quæ præter hanc de Christo JESU, domino ac servatore nostro, doctrinam, in istis libris continentur: appendix quædam illius sunt, & velut corollaria quæ ex illa deducuntur: sicut inprimis percipitur ex verbis Pauli Rom.12. in principio, ubi post doctrinam de Christo copiosè traditam, sic pergit: *Adhortor igitur vos, fratres, per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam &c.* ubi conjunctio οὖν, id est, *Igitur*, deductionem illam (quam dixi) manifestè notat. Idem facit 1.Tim.2.v.1. ubi ait, *Adhortor igitur ante omnia, ut fiant deprecationes, preces &c.* Sic Heb.13.v.12.& 13. quum dixisset, *Jesus, ut sanctificaret populum per proprium sanguinem, passus est extra portam:* continenter annectit, *Exeamus igitur ad eum extra castra, opprobrium ejus portantes.* Similiter Petrus in epistola sua priore, post expositam capite primo doctrinam de Christo, sic pergit capite secundo: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & hypocrises, & invidentias, & omnes obtrectationes: ut recens nati infantes, lac illud sermonis sincerum expetite &c.* Sic cap.4.v.1. *Quum igitur* (inquit) *Christus passus sit pro nobis carne: vos quoque eâdem cogitatione armamini, nempe quòd qui passus est in carne, destitit à peccato &c.* Similiter in epistola posteriore capite tertio, posteaquam tradidit doctrinam de adventu Christi ad judicium, subjungit v.11. *Quum igitur hæc omnia* (nempe cælum & terra) *solvantur: quales oportet esse vos in sanctis conversationibus & officiis pietatis?*

Quæ omnia quum ita sint: Deum oro ut electis suis hanc gratiam dare pergat, ut & doctrinam de Christo JESU, domino ac servatore nostro, ex utroque Testamento, ac inprimis ex Novo, studiosè & efficaciter cognoscant: & per illam sic cognitam tum consolatione perpetuâ fruantur, tum in studium pietatis sedulò incumbant: idque ad nominis Dei gloriam, & salutem ipsorum sempiternam, Amen.

Cæterùm volumen hoc commentariorum meorum Cels. T. inscribere atque dedicare volui, observantiæ erga illam meæ denuò testandæ causâ. Et in hoc proposito me confirmavit, quòd bona me spes tenet, dedicationem hanc C.T. acceptam gratamque fore: quippe quam & scriptis meis delectari, ex ipsamet semel atque iterum intellexi: & singulari benevolentiâ me complecti, tum ex amicis colloquiis, tum ex variis beneficiis abundè cognovi. Quod restat, Deum opt.max.oro, ut C.T. salvam atque incolumem quàm diutissimè conservare velit: ut illa & patriæ parentem fidelem, & illustris scholæ Nassovicæ tutorem benignum, & Frisiæ occidentalis gubernatorem prudentem, porrò agere possit. Perscripsi Herbornæ, 11. Augusti, 1613. ætatis meæ 68.

ANALYSIS LOGICA

EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM:

UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS LOCORUM DOCTRINÆ.

Inserta est etiam passim Refutatio sophismatum ROBERTI BELLARMINI Jesuitæ, quibus dicta quædam corrumpere & ad stabiliendum dogmata Papistica detorquere conatur.

ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO, DOMINO WOLFGANGO AB ISENBURG, COMITI IN BÜDINGEN &c.

DOMINO BENIGNISSIMO,

Gratiam & pacem à Deo patre Domini nostri Jesu Christi.

M*ITTO ad te, illustris ac generose Comes, commentarium meum in sanctum Evangelium secundùm Matthæum: quem meum laborem tribus potissimùm de causis Generositati tuæ acceptum fore confido: videlicet tum propter libri quem explico, præstantiam: tum propter explicationis modum: tum denique propter loci unde illum mitto, & ubi is conceptus ac natus est, celebritatem. Præstantiam libri æstimo, partim ab authore, partim ab ipso argumento, partim ab effectis. Quum enim Evangelium secundùm Matthæum pars sit scripturæ canonicæ novi Testamenti, qua de re nunquam fuit à vera Ecclesiæ dubitatum: planum est, authorem ejus esse Deum, ac proinde authoritatem ejus divinam: quum libri, qui canonici appellantur, omnes sint* θεόπνευστοι, *id est, per arcanam inspirationem Spiritus sancti conscripti. Et ad authoritatem hujus libri omnibus piis commendandam inprimis facit judicium atque sententia S. Apostoli Johannis: qui (ut Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ lib.3. cap.21. ex communi consensu refert*) quum trium Evangelistarum scripta ad cunctos jam, & ad ipsum quoque pervenissent: probavit illa, & testimonium veritatis eis dedit: *Veruntamen quia desiderabat narrationem earum rerum quæ ab initio prædicationis à Christo gestæ sunt: (omnes enim tres ab incarceratione Johannis Baptistæ prædicationem Christi exordiuntur) rogatus à fratribus, cœpit ea quæ ante incarcerationem Johannis à Christo gestæ sunt, itemq; alia quædam quæ à cæteris Evangelistis sunt prætерita, contexere. Nec verò committere debemus, ut authoritatem horum librorum apud nos imminui patiamur ex eo, quòd uspiam inter sese videntur dissentire. Nam etsi primâ fronte sese nonnullis in locis discrepantia aliqua offert: tamen illa per diligentem considerationem circumstantiarum à peritis interpretibus tolli facilè potest. Et certè S. Johannes libris illis nunquam veritatis testimonium dedisset, si quam in rebus ipsis repugnantiam continerent. Potuit sanè Spiritus sanctus sub uno eodemq; penitus & verborum & ordinis contextu tradere gestorum verborumq; Christi salutarem historiam: sed placuit ipsi sub quadam concordissima dissonantia mentes fidelium ad humiliorem & vigilantiorem veritatis investigationem excitare: ut palàm fieret, quatuor Evangelistas non mutuâ conspiratione, sed divinâ inspiratione scripsisse. Et quanquam duo vel tres historiæ Evangelicæ scriptores ad testimonii fidem sufficiebant; quippe quum secundùm legem Dei in ore duorum aut trium testium stabile sit omne verbum: tamen quatuor esse voluit Deus: ut collatio illorum pleniùs & confirmaret & illustraret doctrinæ Evangelicæ veritatem.*

Porrò quum hic liber Deum authorem habeat: illud jam sponte consequitur, eum res maximi momenti, ad verum scilicet Dei cultum & veram atque æternam hominum felicitatem pertinentes, ac (ut uno verbo dicam) res divinas atque spirituales continere. Et certè historia Evangelica quæ hoc libro continetur, historia est omnium summa & (ut ita dicam) historia historiarum: videlicet de incarnatione Filii Dei: de ejusdem incarnati dictis, factis, perpessionibus & consequutâ gloriâ. Quæ res omnes tum per sese maximè admirandæ sunt, tum credentibus & Christum pro servatore suo amplectentibus salutares. Quid enim magis admirandum, quàm quòd Deus factus est homo? quòd summa illa majestas tantopere se demisit, ut indueret formam servi? quòd infinitus ille & invisibilis atque immortalis Dei filius, animam finitam & corpus dimensionibus suis constans in unitatem personæ suæ suscepit, atque ita conspiciendum sese præbuit, & mortem pro salute nostra subiwit? quòd arcanum illud Dei de salute nostra consilium è sinu Patris protulit, & Judæis tanquam minister circumcisionis proprio ore exposuit: idq; singulari cum gratia & authoritate? quòd doctrinam suam miraculis stupendis, iisq; cum salute hominum conjunctis, abundè confirmavit? quòd Scribas & Pharisæos adversantes atque insidiantes sibi liberrimè gravissimeq; propter ipsorum hypocrisin & falsam doctrinam reprehendit? quòd ab illis ad necem deditus, tertio die, sicut prædixerat, propriâ virtute à mortuis resurrexit? quòd Apostolos in universum terrarum orbem, taquam cæli & terræ dominus, ad prædicandum Evangelium & baptizandum credentes legavit? quòd illis spectantibus in cælum ascendit? quòd ubi ad dexteram Dei consedisset, legationem eorum stupendis miraculis, per manus eorum editis, ac insuper arcanâ Spiritus sancti persuasione, obsignavit? atque ita plurimos ab idololatria in qua demersi erant, ad fidem Christianam veramq; religionem convertit, sibiq; absq; ullis armis subjugavit?

Quæ omnia quum valde admiranda sint: non immeritò exclamat Paulus 1.ad Timoth.3.v.ult. Sine controversia magnum est pietatis mysterium: Deus manifestatus est in carne: justificatus est in spiritu: conspectus est ab Angelis: prædicatus est Gentibus: fides illi habita est in mundo: sursum receptus est in gloriam. *Cæterùm omnes illæ Domini Jesu tum actiones tum passiones, in hunc finem à Matthæo cæterisq; Evangelistis narrantur; ut demonstrent, ipsum esse Christum servatorem mundi, personam scilicet à Deo ordinatam ad peragendum triplex munus: Prophetæ nimirum, summi sacerdotis, & regis populi Dei: sicut fuerat jam olim de Christo à Prophetis prædictum: unde etiam testimonia illorum, & præ cæteris singulari diligentiâ Matthæus, in singulis historiæ partibus adducunt. Atque hic quidem finis proximus est: superior verò, cui ille subservit, est salus electorum. Quum utrumq; finem S. Johannes capite vigesimo in fine luculenter indicat.*

Verùm enimverò qui fines Spiritui sancto in Evangelicæ historiæ scriptoribus propositi fuerunt: eosdem quin effectos quoque dederit, & adhuc quotidie det, dubium nullum apud pios esse potest. Quis igitur non libenter & avidè historiam hanc cognoscat: quum tantum inde possit ac debeat exspectare fructum, videlicet salvificam fidem ipsamq; adeò salutem sempiternam? Qui quidem fructus ut huic historiæ proprius est, ita etiam in ea legenda præcipuè quærendus. Nam cæteri fructus qui ex historiarum lectione peti solent, historiæ huic cum aliis, tam profanis quàm sacris, sunt communes: puta honesta quædam animi voluptas ex magnarum & variarum rerum cognitione, & vitæ sapienter instituendæ ac formandæ exemplar. quanquam hi ipsi fructus ex hac historia longè percipiuntur uberiores. Quid enim jucundius piæ menti accidere potest, quàm ipsum Filium Dei, quasi corpore præsentem, loquentem audire, & miracula stupenda edentem cernere? Quod item vitæ sanctæ & omnibus virtutum numeris absolutæ exemplar dari potest perfectius, quàm vita sanctissima Filii Dei apud homines quàm humanissimè viventis? Unde ipsemet illud discipulis suis iterum atque iterum imitandum proponit: Discite à me, *inquit:* quia mitis sum & humilis corde, *Matth.11. Item,* Si quis vult post me venire: abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me, *Matth.16. Et Johan.13. posteaquam discipulorum lavisset pedes, dixit eis:* Intelligitis, quid fecerim vobis? Vos me vocatis, Magister ac Domine: & rectè dicitis: sum enim. Itaque si ego lavi pedes vestros, dominus & magister: vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare. Exemplum enim præbui vobis: ut sicut ego feci vobis, ita & vos faciatis. *Et hoc exemplum Apostoli quoq; imitandum Christianis proposuerunt: ut Paulus ad Philippenses cap.2 ubi exhortatur ad modestiam seu animi demissionem (quam Græci elegante nomine ταπεινοφροσύνην appellant) exemplum Christi proponit: Et 1.Cor.11.* Imitatores mei estote: sicut & ego Christi. *Sic & Petrus 1.epist.cap.2. ubi servos Christianos hortatur ad tolerantiam injuriarum quibus ab heris Ethnicis solebant affici, exemplum Christi profert.*

Sed hæc hactenus de libri quem hoc commentario explano, præstantiâ: quam tum ex authore illius, tum ex ipso argumento, tum denique ex effectis demonstravi. Nunc ut de explicationis meæ modo nonnihil dicam: puto illum studiosis sacrarum literarum duas potissimùm ob res commendabilem videri posse, ob brevitatem & perspicuitatem. Quarum illa in Observationibus locorum doctrinæ præcipuè perspicitur: quos breviter è singulis ferè versiculis annotavi: exceptis nonnullis locis, ubi necessitas horum temporum disputationem paulò prolixiorem desiderare est visa: verbi gratiâ ubi dicta quædam à sophisticis interpretationibus Jesuitæ Bellarmini, propugnatoris Papatus acerrimi, quibus illa ad palliandum errores Papisticos detorquet, vindicantur: item ubi institutio sacræ Domini cœnæ per antithesin variarum depravationum ac superstitionum declaratur. In cæteris verò plerisq; brevi indicatione locorum communium quos vocant, contentus fui: quum reputarem, pleniorem illorum tractationem suum peculiare tempus habere: nempe quum loci doctrinæ Christianæ ex ordine & ex professo in schola nostra explicantur. Quod ipsum ante me magnus ille Theologus Johannes Calvinus fecit. Perspicuitas verò explicationis meæ duabus in rebus est posita: in distincta diversarum explicationis partium expositione, & in justo illarum partium ordine. Partes explicationis meæ sunt tres: Analysis Logica, Scholia, & Observationes locorum doctrinæ. Hæ partes, quæ à plerisq; aliis (quod citra cujusquam contumeliam dictum velim) promiscuè & confusè exponuntur, traduntur à me distinctè; idq; justo, ut opinor, ordine. Etenim in textu aliquo Scripturæ rectè atque utiliter intelligendo primum est, ut genuinum illius sensum teneamus: hunc ostendit Analysis Logica. Proximum est, ut genuino sensu cognito & summâ rei perceptâ, removere possimus impedimenta quæ passim occurrunt, & perfectam intelligentiam remorantur: hisce obstaculis removendis inserviunt Scholia. Postremò quum jam perfectam, quoad ejus fieri potest, alicujus textus intelligentiam sumus adepti: restat ut illam ad nostros usus referamus: hosce usus indicant Observationes locorum doctrinæ. Quos usus ut distinctiùs ac proinde magis perspicuè traderem: visum est referre singulos ad unum aliquod ex quinque illis capitibus quæ Apostolus partim 2.Tim.3. partim Rom.15. commemorat: videlicet διδασκαλίαν, doctrinam: ἔλεγχον, redargutionem: ἐπανόρθωσιν, correctionem: παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, institutionem quæ est in justitia: & παράκλησιν consolationem. Quibus insuper adjeci tum ἐκδικήσεις, id est, dictorum quorundam vindicationes à falsis consequentiis, quas nonnulli ad falsa dogmata stabilienda nectere inde solent: tum etiam ἀποριῶν λύσεις, id est, dubitationum solutiones, ad conciliandum apparentes S. Scripturæ ἀντιλογίας seu contradictiones. Atque hæc paucis dicta sint de explicationis meæ modo.

Postrema causa quæ hunc commentarium acceptiorem G.T. ut spero, redditura est, est ipsa loci, ubi ille natus, celebritas. Celebris enim certè nunc est fama Herbornæ in toto Christiano orbe, tum propter scholam, tum propter typographiam: è quarum illa, per hoc decennium, bene multi prodierunt qui ad gubernacula vel Reipub. vel Ecclesiæ vel Scholæ sunt adhibiti: ex ista autem non pauci, iiq; utilissimi libri, tam in vernacula nostra quàm in Latina lingua, orbi sunt communicati. Et sanè non ita pridem liber hinc prodiit vernaculâ linguâ, à nostro fratre Wilhelmo Ceppero conscriptus, & G.T. inscriptus: quem ut G.T. acceptum fuisse puto; ita meum quoque hunc non ingratum eidem fore spero. Quod ut sperem, præter alias causas illud quoque facit, quòd G.T. bene erga hanc scholam affectam esse, tum recta ratio persuadet: quippe quòd ex numero Præceptorum illius ornatissimum virum Johannem Nobisium ad munus pastoris Ecclesiæ atque inspectoris isthic fungendum jam ante septem annos vocasti: tum verò res ipsa ostendit: quippe quòd jam per aliquot annos bonæ indolis adolescentes liberaliter apud nos ad literas tum humanas tum divinas discendas alis: quorum operâ aliquando in gubernanda vel Republ. vel Ecclesia utaris.

Atque hæc ipsa spes ad librum hunc G.T. inscribendum me adduxit: sed præter illam istud vel inprimis, quòd inscriptione hac publicè volui honorare G.T. propter virtutes Christiano heroë dignas: nimirum quòd puram religionis Christianæ doctrinam, prout illa in sacris literis est tradita, & prout per Dei gratiam in hujus quoque Comitatus Nassovici ecclesiis & scholis sonat, non solùm ipse amplecteris ac profiteris: verùm etiam apud subditos tuos publicè doceri curas: atq; insuper teneram juventutem in scholis, ad hunc usum à G.T. institutis, in eâdem sanâ pietatis doctrina curas fideliter educari: quodq; te erga scholam nostram per munificam collationem in subsidium pauperum studiosorum, quibus præter alios in Communitate victus præbetur, beneficum declarasti.

Quod restat: Deum patrem Domini nostri Jesu Christi oro, ut G.T. cæterosq; pios Comites Religioni repurgatæ in hac regione addictos, quàm diutissimè incolumes tueatur: & scholam nostram, quæ propediem Sigenam transferenda erit, clementer conservet & augeat, ad nominis sui gloriam & Reipub. Christianæ utilitatem, Amen. Herbornæ 24. Augusti.1594.

G. T.

Observantiss.

JOHAN. PISCATOR.

ARGU-

ARGUMENTUM EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM.

LIber hic continet historiam de Jesu Christi ortu, dictis & factis, item perpessionibus & consecutâ gloriâ. Scopus seu finis proximus est, demonstrare, quòd hic Jesus Nazarenus sit Christus, id est, servator mundi. Scopus principalis, cui proximus ille subordinatus est atque inservit, est, adducere electos, qui hanc historiam cogni turi erant, ad fidem in Christum atque ita ad vitam æternam per illam fidem. Atque ab isto fine historia hæc nominata est Evangelium, id est, lætum nuntium. Demonstratio instituta concluditur hoc syllogismo:

Is qui oriturus fuit ex Abrahamo a *& Davide* b: *nasciturus ex virgine* c, *in oppidulo Bethleem* d: *vocandus ex Ægypto* e, *educandus in urbe Galilææ Nazareth* f: *qui ad officium propheticum in populo Dei administrandum habiturus fuit præcursorem Eliam* g *seu vocem clamantis in deserto* h: *qui Evangelium fuit prædicaturus in Galilæa* i, *& prædicationem suam multis ac variis atque stupendis miraculis confirmaturus* k, *sanando scilicet morbos incurabiles & vitia corporis inemendabilia, solo verbo seu imperio: qui Hierosolymam fuit ingressurus insidens asino* l, *acclamante populo, Hosanna filio David* m: *qui prodendus fuit Judæis per unum ex domesticis* n *pro triginta argenteis, pro quibus postea emendus fuit ager figuli* o; *qui reputandus fuit inter facinorosos* p, *flagellandus* q, *crucifigendus* r, *in cruce pendens ab inimicis suis irridendus* ſ: *item cui in cruce pendenti in potum præbendum fuit acetum felle mistum* t, *& vestimenta ejus partienda & sors super tunicam ejus jacienda* u: *cujus corpus à divite ad sepulturam fuit impetrandum* x: *qui tertio die* y *è sepulchro fuit resurrecturus* z, *& postea in cælum ascensurus* *: *is, inquam, in quo commemorata omnia fuerunt eventura, est Christus seu servator mundi.*

a Gen.28.18. b 2.Sam.7.18. c Esa 7.14. d Mich 5.2. e Ose.11.1. f Esa.11.1 & 60.21. g Malach 4.5. h Esa.40.3. i Esa.9.1. k Esa.35.5. l Zach.9.9. m Psal.118.25. n Psal.41.10. o Zach.11.13. p Esa.53.12. q Ibid.v.5. r Psal.22.17. ſ Ibid.v.8. t Psal.69.28 u Psal.22.19. x Esa.53.9. y Jon.2.1. z Esa.53.9. * Psal.68.19.

Atqui Jesus ille Nazarenus, est is in quo commemorata omnia fuerunt eventura. Etenim ortus est ex Abrahamo a *& Davide* b: *natus ex virgine* c, *in oppidulo Bethleem* d: *vocatus ex Ægypto* e: *educatus in urbe Galilææ Nazareth* f: *præcursorem habuit Eliam* g *seu vocem clamantis in deserto* h, *videlicet Johannem Baptistam: prædicavit Evangelium in Galilæa* i, *suamque prædicationem miraculis confirmavit* k, *Hierosolymam ingressus est insidens asino* l, *acclamante populo, Hosanna filio David* m: *proditus fuit Judæis per unum ex domesticis* n *(videlicet Judam Iscariotem) pro triginta argenteis, pro quibus postea emtus fuit ager figuli* o: *præterea reputatus fuit inter facinorosos* p, *flagellatus fuit* q, *crucifixus* r, *in cruce irrisus* ſ, *potus aceti ac fellis ei præbitus* t, *vestimenta ejus partita sunt & sors super tunicam jacta* u; *corpus ejus à divite ad sepulturam impetratum* x: *tertio die* y *è sepulchro resurrexit* z, *& postea in cælum ascendit* *.

a Matth.1.1. b Ibidem. c Ejusd.cap.v.18. d Cap.2.v.1. e Ejusd.cap v.15. f Ejusd.cap.v.23. g Cap.11.v.14.& cap 17.v.12. h Cap.3.v.3. i Cap.4.v.12. k Ejusd cap.v.23.24. Item à cap.8. deinceps usque ad cap.21. l Cap.21.v.7. m Ibid v.9. n Cap.26.v.49. o Cap.27.v.7. p Ejusd.cap.v.17.& 38. q Ibid.v.26. r Ibid.v.35. ſ Ibid.v.39. t Ibid.v.34.47. u Ibid.v.35. x Cap.27.v.58. y Cap.28.v.1. z Ibid.v.6. * Ibid.v.16.& seq.

Ergo Jesus ille Nazarenus, est Christus seu servator mundi.

Hujus syllogismi propositio confirmatur testimoniis Prophetarum: quæ passim in hac historia allegantur. Assumptio verò confirmatur testimonio hujus narrationis: quæ fidem meretur apud omnes bonos: quum scripta sit ab eo qui fuit αὐτόπτης, & historiam suam edidit quum res illæ recens gestæ essent; idque apud eos, apud quos fuerant gestæ: nec tamen mendacii ab illis fuit insimulatus aut convictus.

Partes hujus historiæ sunt potissimùm quinque: videlicet de Jesu Christi 1 ortu, 2 educatione, 3 administratione muneris prophetici, 4 administratione muneris sacerdotalis, & 5 inchoatione regni gloriosi.

1 *Cap.1.& 2.usque ad v.13.* 2 *Cap.2.v.13.& seq.* 3 *A cap.3.usque ad 26.* 4 *Cap.26.& 27.* 5 *Cap.ult.*

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Prima libri pars, quæ est de Christi ortu, continetur capite primo toto & parte secundi, usque ad versum illius decimumtertium. Cæterùm, ortum Jesu *Christi expositurus Matthæus, recenset primùm illius majores, usque ad v.18. Deinde modum conceptionis & nativitatis, inde ad finem capitis. Tum locum ubi natus fuit, cap.2.usque ad v.13. Sunt igitur capitis primi duæ partes: prior, genealogia Christi: posterior, historia nativitatis.*

PARS PRIMA.

Genealogia Christi.

LIber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.

2 Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus.

3 Judas autem genuit Phares & Zaram è Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom autem genuit Aram.

4 Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon.

5 Salmon autem genuit Booz è Rachab. Booz autem genuit Obed è Ruth. Obed autem genuit Jesse.

6 Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Solomonem ex ea quæ *fuerat uxor* Uriæ.

7 Solomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Asam.

8 Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Hoziam.

9 Hozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.

10 Ezechias autem genuit Manassem. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam.

11 Josias autem genuit Jakim. Jakim autem genuit Jechoniam & fratres ejus, *qui fuerunt* tempore deportationis Babylonicæ.

12 Post verò deportationem Babylonicam, Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.

13 Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eljakim. Eljakim autem genuit Azor.

14 Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.

15 Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Matthan. Matthan autem genuit Jacob.

16 Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, ex qua genitus est Jesus ille qui dicitur Christus.

17 Universæ igitur progenies ab Abraham usque ad David, *sunt* progenies quatuordecim: & à David usque ad deportationem Babylonicam, progenies quatuordecim: & à deportatione Babylonica usque ad Christum progenies quatuordecim.

GENEALOGIAM seu recensionem majorum Christi distribuit Evangelista ipse (memoriæ, ut videtur, juvandæ gratiâ) in tres æquales partes, videl. in tres tessaradecades: ut videre est v.17. Ubi notandum, has tessaradecades institutas esse secundùm diversos populi Dei status & insigniores temporum mutationes: nam prima tessaradecas continet patres illos qui in terra promissa vixerunt sine regno: secunda eos qui vixerunt sub regno florente; quod sub Davide cœptum, maximè floruit sub Solomone: tertia eos qui vixerunt sub regno deficiente, ac potiùs sub exiguis regni reliquiis: qui defectus cœpit sub deportatione Babylonica. Initio autem præ cæteris separatim commemorat Davidem & Abrahamum, eò quòd illis Christus singulariter fuerat promissus, tanquam ex ipsis oriturus. Cæterùm prima tessaradecas deducitur ab Abrahamo usque ad Davidem inclusivè: consentitque cum recensione quæ exstat 1. Chron. 1. v. 34. & 1. Chron. 2. v. 1. & deinceps. In hac tessaradecade singulariter notandum, quòd nominatim exprimuntur Thamar & Rachab & Ruth. Quod cur factum videatur, indicabimus in Observationibus locorum doctrinæ. Secunda tessaradecas deducitur à Davide exclusivè usque ad Jechoniam item exclusivè: & consentit cum recensione quæ habetur 1. Chron. 3. v. 5. & deinceps, exceptâ discrepantiâ duplici. Prior est, quòd in Chronicis inter Joramum & Azariam (qui hîc nominatur Ozias) interjecti sunt alii tres: videlicet Achazia, Joas & Amazias: qui hîc tessaradecadis constituendæ gratiâ sunt omissi. Posterior, quòd in Chronicis inter Josiam & Jechoniam interpositus est Joakim: qui itidem hîc est omissus, quanquam in nonnullis codicibus, iisque vetustis (referente D. Bezâ) iste Joakim hîc est insertus. Idque meo judicio rectè: ut nimirum constet tessaradecas, quæ secus manca erit uno membro. Nam ut idem membrum bis sumatur, videlicet Jechonias: ita ut & secundam tessaradecadem finiat & tertiam incipiat, mihi quidem probari non potest: quum Evangelista disertè numeret ter quatuordecim, v. 17. Quare puto, Joakimum rectè huc ex Chronicis inseri. Hîc notandum, quòd nominatim exprimitur uxor Uriæ, cum qua adulterium commiserat David. Cujus rei causa indicabitur in Observationibus. Sed quæritur, quî dicatur v. 11. sive Josias sive Joakim genuisse Jechoniam & *fratres ejus:* quum tamen in sacra historia veteris Testamenti nulla fratrum illius, germanorum quidem, fiat mentio. Respondetur, fratrum appellatione hîc notari propinquos seu sanguine junctos, ex more loquendi in Scriptura usitato. Atque ita Sedechias, quamvis Jechoniæ patruus esset (1. Chron. 3. v. 16. & 17.) tamen frater ejus appellatur 2. Chron. 36. v. 10. Deinde quæritur, quomodo dicatur sive Josias sive Joakim genuisse Jechoniam & fratres ejus *in deportatione Babylonica:* quum tamen durante deportatione omnes agnati Jechoniæ jam vitâ fuerint functi, ut colligitur ex 2. Reg. ult. v. 19. 20. 21. Respondetur, verba illa, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, non regi à verbo ἐγέννησε, sed ab articulo subintellecto, τοὺς: ut significetur, agnatos Jechoniæ eo tempore adhuc superstites fuisse quo cœpit misera illa in Babyloniā deportatio. Etenim verba illa, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, non sunt intelligenda de tempore quo Judæi jam in Babyloniam deportati fuerunt, atque illic captivi vixerunt: sed de illius temporis initio seu de ipso deportandi actu. Id quod manifestè liquet ex eo, quòd Evangelista his verbis non aliquam temporis durationem, sed tantùm aliquem temporis terminum significat, ut ex verbis ipsius liquet. ait enim vers. 17. ἕως τῆς μετοικεσίας: item ἀπὸ τῆς μετοικεσίας. Sicut paulò antè dixerat, ἕως Δαβίδ: item ἀπὸ Δαβίδ. Certum est autem, Jechoniam non vixisse ampliùs post exactos 70. illos annos captivitatis Babylonicæ: quippe qui Babylone mortuus est, secundùm prophetiam Jerem 22. vers. 26. Ergo nomen μετοικεσία non significat tempus quo duravit deportatorum in Babylone commoratio, sed significat ipsum deportandi actum.

Fr. Junius parallelo II

Idem ibid.

Tertia tessaradecas incipit à Jechonia inclusivè, & desinit in ipso Christo: ante quem proximè commemoratur Josephus Mariæ virginis maritus. Sed quæritur, cur majores Christi deducantur ad Josephum, ac non potiùs ad ipsam Mariam: quum tamen Christus, ex hac tantùm, non etiam ex illo fuerit genitus? Quid enim, si Maria aliunde fuisset orta quàm ex familia Davidis? Respondeo: Matthæus in texenda genealogia Christi servivit formam usitatam, recensendo scilicet masculos: & interim præsupposuit & pro certo ac manifesto statuit, quòd Maria mater Christi esset agnata Josephi. Secus enim frustra instituisset hanc genealogiam: id quod de Apostolo Christi statuere absurdum est. Scopus quippe istius genealogiæ est, demonstrare quòd Jesus Mariæ virginis filius, sit ortus ex Davide: id quod statim initio disertè ad demonstrandum sibi proposuit. At hunc scopum non assequitur, nisi Maria fuit agnata Josephi. Præterea Mariam fuisse ortam ex Davide, planum est ex verbis angeli: qui annuntians illi, conceptionem Christi absque opera viri futuram, ait, Dominum Deum daturum illi, sedem David patris sui, Luc. 1. v. 32. Item ex vers. 1. hujus capitis, ubi Christus dicitur filius Davidis.

Collatio cum genealogia Lucæ.

Atque hæc de genealogia Matthæi, consideratâ per se. Jam si instituatur collatio ipsius cum genealogia Lucæ cap. 3. comperitur, illam ab hac differre quatuor modis. Primùm in ordine, quia Matthæus observat ordinem naturalem, descendendo scilicet à patribus ad filios: Lucas verò ordinem hunc invertit, ascendens à filiis ad patres. Deinde differunt in numero capitum. nam Lucas enumerat plures Matthæo. Hic enim incipit ab Abrahamo, at ille desinit demum in Adamo. Tertiò variant in eo, quòd Matthæus post Davidem usque ad Salathielem recenset posteros Salomonis: Lucas verò, Nathanis. Ubi observandum, Salathielem fuisse filium Neri naturalem, nempe ex illo genitum: Jechoniæ verò, legalem, hoc est, qui illi secundùm legem tanquam proximus agnatus in principatu successit: quum ille sine liberis esset exstinctus, & semen Solomonis in ipso. Quartò, à Zorobabele usque ad Josephum maritum Mariæ virginis, uterque diversos (mea quidem opinione) enumerat. Cujus diversitatis ratio videtur esse hæc, quòd alter (nempe Matthæus) majores Josephi: alter verò (nempe Lucas) majores Mariæ recenset. Nam quòd nonnulli sentiunt, enumerari eosdem sub diversis nominibus, ut qui fuerint binomines: non est probabile, tot binomines fuisse: & illi in nominibus istis conciliandis mirè se torquent. Cæterùm hoc loco notandum, Josephum statuendum alterius illorum, Jacobi & Heli, filium naturalem: alterius verò generum: sicut Nohomi suas nurus filias suas appellat, Ruth. 1. v. 11. Quanquam est qui putet, Josephum fuisse filium Jacobi quidem naturalem, Helis verò legalem sive legitimum, hac ratione: quòd quum Helis uxorem duxisset, nullisque ex ea susceptis liberis, saltem maribus, decessisset: ejus frater Jacobus ex levi rationis jure, illius viduam in uxorem duxerit, atque ex ea Josephum virginis Mariæ maritum sustulerit. Sed mihi probabilius est, Josephum fuisse generum Helis, ac proinde Mariam fuisse ejus filiam: quia apparet, Lucæ propositum fuisse, inde ab Adamo usque ad Christum singulas progenies naturali ordine enumerare.

Ut autem hæc quatuor discrimina magis in conspectu sint: utriusque Evangelistæ genealogiam παραλλήλως proponemus.

GENEALOGIA CHRISTI.

In duplici hac genealogia inprimis notanda est causa, cur Lucas genus Christi *à Davide per* Nathanem, *Matthæus verò per* Solomonem *ducat Causa est, quia Lucæ propositum fuit recensere genus præcipuè* naturale: *ut demonstret, quomodo Christus secundùm carnem ex Davide (sicut etiam ex Abrahamo, atque adeò ipso Adamo) ortus sit secundùm promissionem, 2. Sam. 7. v. 12. Itaque inde à primo generis humani parente Adamo exorsus, enumerat singulos progenitores Christi; uno Pedajâ inter Salathielem & Zorobabelem prætermisso. At Matthæo propositum fuit recensere genus præcipuè* legale: *ut ostendat, Christum legitimè in regnum Davidis successisse, secundùm promissionem loco modo citato cum illa altera comprehensam. Itaque à Davide Rege per Solomonem cæterosque deinceps Reges descendit usque ad Jechoniam: qui ultimus Rex fuit, & in quo genus Solomonis fuit exstinctum: quippe quum Jechonias obierit sine liberis, teste Jerem. cap. 22. v. 30. Jechoniæ autem Salathielem tanquam legitimum in principatu successorem subjungit: tum Salathieli Zorobabelem eâdem de causa. Post Zorobabelem autem Lucas quidem progenitores (ut videtur) Mariæ, Matthæus verò Josephi recenset. Porrò ultimum regem fuisse dico Jechoniam, secundùm successionem scilicet legitimam & more populi Dei receptam, atque adeò ordinariam. Nam Sedechias qui simpliciter ultimus fuit, à Nebucadnezare victore suffectus est (præter morem ac ordinem) Jechoniæ adhuc vivente, & Babylonem in exilium abducto, 2. Reg. 24.*

LUCAS cap. 3.

Gen. 5. v. 1. & seq. 1. Chron. 1. v. 1. & seq.

1 ADam
2 Seth
3 Enos
4 Cainan
5 Malaleel
6 Jared
7 Enoch
8 Mathusalah
9 Lamech
10 Noë

Gen. 10. v. 22. & seq.

11 Sem
12 Arphaxad
*13 Cainan
14 Sala
15 Eber
16 Phalec
17 Ragau
18 Saruch
19 Nachor
20 Thara
21 Abraham

1. Chron. 2. v. 1. & seq.

22 Isaac

* *Iste Cainan non extat in Hebræo Gen. 10. v. 24. Sed reperitur in versione Græca: quam Lucas, ut tunc in Ecclesia receptam, secutus videtur: aut certè ab alio quopiam inde est insertus.*

MATTHÆUS cap. 1.

1 Abraham
2 Isaac

23 Jacob

	23 Jacob	3 Jacob	
	24 Judas	4 Judas	
	25 Phares	5 Phares	
	26 Esrom	6 Esrom	
	β 27 Aram	7 β Aram	β *Iste Aram appellatur Ram 1.Chron.2.9. & 10.*
	28 Aminadab	8 Aminadab	
	29 Naasson	9 Naasson	
	30 Salmon	10 Salmon	
	31 Booz	11 Booz	
	32 Obed	12 Obed	
	33 Jessai	13 Jessai	
	34 David	14 David	
1.Chron.3. v.5.	35 Nathan	1 Solomon	*1.Chron.3.v.10. & seq.*
	36 Mattatha	2 Roboam	
	37 Mainan	3 Abia	
	38 Melea	4 Asa	
	39 Eljakim	5 Josaphat	
	40 Jonan	6 Joram	
	41 Joseph	7 γ Ozias	γ *Iste Ozias appellatur Azarias 1.Chron.3.v.12. Et ibidem inter hunc ac praecedentem Joram interponuntur hi tres: Achazias, Joas & Amazias.*
	42 Juda	8 Joatham	
	43 Simeon	9 Achaz	
	44 Levi	10 Ezechias	
	45 Matthat	11 Manasses	
	46 Jorim	12 Amon	
	47 Eliezer	13 Josias	
	48 Jose	14 δ Jakim	δ *Iste Jakim sive Joakim in plerisq; codicibus non reperitur. Veruntamen ad complendam secundam tesseradecadē rectè inseri videtur ex 1.Chron.3.v.15.16.*
	49 Er	1 Jechonias	
	50 Elmodam	2 ε Salathiel	ε *Salathiel filius fuit & Neri & Jechoniæ, sed diversis modis: illius quidem naturalis, ut ex illo genitus: hujus verò legalis, ut cui successit in principatu, tanquam proximus agnatus: quum ille mortuus esset sine liberis, teste Jerem.cap.22.v.30. Consimilis fuit nuper successio Henrici IV. regis Navarræ in regnum Galliæ, extincto sine filiis Henrico III. Valesio.*
	51 Cosam	3 ζ Zorobabel	
	52 Addi	4 η Abiud	
	53 Melchi	5 Eljakim	
	54 Neri	6 Azor	
	ε 55 Salathiel	7 Zadoc	ζ *Inter Zorobabelem & Salathielem interponitur Pedaja 1.Chron.3. v.18. & 19.*
	ζ 56 Zorobabel	8 Achim	η *A Zorobabele usque ad Joseph maritum Mariæ virginis, prorsus diversi ab utroq; Evangelistæ enumerantur: ab altero videlicet majores illius Josephi, ab altero verò (ut videtur) majores ipsius Mariæ: pro qua tamen Josephus, tanquam illius maritus, nominatur: eò quòd genealogiæ ex nominibus virorum contexi solebant. Quòd autem Lucas genealogiam Christi ab Adamo per Nathanem, præterito Solomone, deducit: inde apparet, propositum ei fuisse, singulas progenies inde ab Adamo usque ad Christum ordine naturali enumerare. quare statuendum, eum non præteriisse Mariam, ex qua Christus natus est.*
	η 57 Rhesa	9 Eliud	
	58 Joanna	10 Eleazar	
	59 Juda	11 Matthan	
	60 Joseph	12 Jacob	
	61 Semei	13 ϑ Joseph	
	62 Mathathias	14 Christus.	
	63 Maath		
	64 Naggai		
	65 Essi		
	66 Nahum		
	67 Amos		
	68 Matthathias		ϑ *Joseph hic fuit filius Eli & Jacobi, diversis modis: alterius quidem (puta Jacobi) naturalis: alterius verò (puta Eli) legalis; videlicet per jus affinitatis, nempe gener. qua ratione Nohomi suas nurus filias suas appellat, Ruth.1. vers.11.*
	69 Joseph		
	70 Janna		
	71 Melchi		
	72 Levi		
	73 Matthat		
	74 Eli		
	ϑ 75 Joseph		
	76 Christus.		

De Christi Genealogia Retractatio.

Remelius in timore Domini perpensâ, genealogiam Christi prout à Matthæo & Luca descripta exstat, aliter nunc quàm antea feci, declarandam statuo: nempe ad hunc modum, ut dicatur à Matthæo describi genealogiam Christi naturalem, à Luca verò legalem. Naturalem voco illam quam describit Matthæus; quia quicunque in illa recensentur, ex illis Christus secundùm carnem ortus est, uno Josepho excepto: ut qui non fuerit pater Christi naturalis, sed putativus, Luc.3. v.23. Christus enim conceptus fuit è Spiritu sancto, Matt.1.v.18.20.Luc.1.v.35. Legalem autem voco genealogiam quam describit Lucas, quia Eli qui penultimo loco in ea ponitur, quique è Nathane (non è Salomone) ortus fuit, fuit pater Josephi, mariti matris Christi, legalis: cui scilicet Jacobus naturalis pater Josephi, illum genuit jure levirationis, quum is nullo relicto filio mortuus esset. De quo jure exstat lex Deut.25.v.5. & 6. Porrò quòd hæc ita se habeant, ex iis quæ dicentur liquebit. Ac primò tenendum, Christum ortum esse è Salomone; ac proinde omnes eos qui à Matthæo post Salomonem recensentur, fuisse progenitores Mariæ, matris Christi, naturales: uno Jacobo excepto, ut qui fuerit pater naturalis Josephi mariti ejus. Quòd autem Christus ortus sit è Salomone: patet ex eo, quia Davidi, tanquam ex illo oriundus, fuit promissus: ut videre est 2.Sam.7.v.12.& deinceps, ubi ita legitur: *Quum completi fuerint dies tui, & cubitum iveris cum patribus tuis: excitabo semen tuum post te, quod prodibit è visceribus tuis; & firmabo regnum ejus. Is ædificabit domum nomini meo: & firmabo solium regni ejus usq; in seculum. Ego ero ei pro patre: ipse verò erit mihi pro filio. Qui quum iniquè egerit, corripiam eum virgâ hominum, & plagis filiorum hominum. Benignitas verò mea non recedet ab eo: quemadmodum amovi* illam *à Saule, quem amovi à facie mea. Sed firma* erit *domus tua & regnum tuum usque in seculum coram te: solium tuum* erit *firmum usque in seculum.* His verbis duplicia bona Davidi promittit Deus, corporalia & spiritualia. Et corporalia quidem tria: videlicet nativitatem Salomonis ex ipso, continuationem regni per illum, & ædificationem templi per eundem. Spiritualia verò bona promittit ei duo: videlicet nativitatem Christi ex ipso per Salomonem, & continuationem regni per Christum, sed regni non ampliùs terreni & mundani, verùm spiritualis atq; cælestis. De Salomone res plana est ex ipso eventu: quippe in illo triplex illa promissio impleta est. nam & genitus est è *a* Davide, & regnū Davidis per illum *b* continuatum est, & templum *c* ædificavit. De Christo verò res plana evadit ex collatione verborum angeli Gabrielis, annuntiantis virgini Mariæ conceptionem & nativitatem illius, Luc.2.v.30. & deinceps, ubi ita legitur: *Tunc dixit ei angelus, Ne time Maria: nacta es enim gratiam apud Deum. Et ecce concipies in utero, & paries filium: & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur: dabitq; ei Dominus Deus thronum Davidis patris ipsius: regnabitq; super domum Jacobi in æternum, & regni ejus non erit finis.* His verbis (ut manifestè apparet) angelus respicit ad promissionem illam Davidi factam: unde jam planum evadit, partem illam promissionis de stabilitate regni Davidis usque in sæculum, Christum comprehendere; ut qui & Davidi in regno successerit, & regnum æternum habet. Quod autem de successione hac dico, declaratione eget. nam certum est, regnum Davidis desiisse in Tsidkija, filio Jojakim: qui fuit rex ultimus, à Nebucadnetsare unà cum populo in Babyloniam (2.Reg.ult.) deportatus. Veruntamen genus Salomonis propagatum est per Jojachinum: qui genuit *a* Schealthielem: Schealtiel verò genuit *b* Pedajam: Pedaja *c* Serubbabelem: qui non quidem rex, veruntamen princeps populi Judaici constitutus est *d* à Cyro. Ex illo autem Serubbabele ortus est *e* Christus; qui regnum Davidis ita instauravit ut in meliùs commutârit, nempe è terreno & *f* mundano in spirituale & cæleste. Cæterùm sententiæ de origine Christi è Salomone opponitur, quòd genus illius extinctum sit in Jo-

a *2.Sam.12. v.24.*
b *1.Reg.1. v.32. & seqq.*
c *1.Reg.6. v.ult.*

a *1.Reg.3. v.17.*
b *Ibid.v.18.*
c *Ibid.v.19.*
d *Esr.4. v.4.*
e *Teste Matthao in proposita genealogia.*
f *Joh.18.v.30.*

jachino seu Jechonia: quippe quum is mortuus fuerit absq; liberis, teste Jeremiâ c.22.v.30. quumque Serubbabel, qui princeps populi Judaïci à Cyro constitutus est, non fuerit è posteris Salomonis, sed g Nathanis. Istius objectionis pars prior solvitur hoc modo, quòd apud Jeremiam vox illa עֲרִירִי hharirí, id est, ἄτεκνος, *carens liberis*, non intelligitur propriè & simpliciter, sed metaphoricè & secundùm quid, nempe respectu successionis alicujus è filiis in regnum. nam ita vox illa in textu declaratur, qui sic habet: *Sic ait Jehova, Scribite virum istum*(nempe Conjah: quem Matthæus Jechoniam vocat)*carentem liberis* fore, *virum* qui *non prosperabitur in diebus suis. Nam non prosperabitur è* SEMINE EJUS *vir sedens super solium Davidis, & dominans ampliùs in Juda.* Ex his verbis manifestum est, Jechoniam filios habuisse, quum denuntietur ei fore ut nullus illorum sedeat super solium Davidis, id est, Jechoniæ succedat in regno. Quod ipsum adhuc clariùs patet ex versu præcedente 28, ubi ita legitur: *An idolum contemtum, quod dispergitur, est vir iste Conjah? an vas è quo nulla est delectatio? Cur projecti sunt ipse &* SEMEN EJUS, *ejecti inquam sunt in terram quam non nôrunt?* Quod autem nihilominus dicitur, Jechoniam fore carentem liberis, id declaratur per illa verba, *Nam non prosperabitur è semine ejus vir qui sedeat super solium Davidis*, id est, qui succedat Jechoniæ in regno: quod perinde fuit ac si filiis caruisset.

g Teste Lucâ cap.3.v.27. collato cum v.31.

Jam ad alteram objectionis propositæ partem quod attinet: sciendum est, Serubbabelem qui teste Lucâ fuit è posteris Nathanis, non esse eundem cum illo quem recenset Matthæus: quippe qui fuit è posteris Salomonis: secus enim Christus non fuisset ortus è Salomone: quod tamen suprà demonstratum est. Et fuisse illos diversos, hoc quoque argumento probatur: quòd Serubbabel Lucæ patrem habuit Salathielem filium Neri: quippe quum Lucas(ut manifestè apparet)nullam prorsus generationem omittat. At Serubbabel Matthæi non fuit filius Salathielis filii Neri; sed Pedajæ, filii Salathielis illius qui fuit filius Jechoniæ: ut videre est 1.Chron.3.v.17.18. & 19. Pedajam verò Matthæus, sicut & alios quosdam, omittit: quia sibi præcisè tres tessaradecades recensere proposuit. Quibus omnibus ita positis atque probatis, necesse est statuere, Jacobum quidem, qui in genealogia Matthæi penultimus est, fuisse patrem Josephi naturalem: Elin verò, qui penultimus est in genealogia Lucæ, fuisse ejusdem patrem legalem. Id quod ampliùs sic declaro:

Eli fuit pater Josephi aut naturalis, aut legalis.
Non autem naturalis: Legalis igitur.
Propositio per se patet ex necessaria partium disjunctione.
Assumptio probatur sic:
Si Eli fuit pater Josephi naturalis, sequitur Josephum ortum fuisse ex Nathane.
At Josephus non fuit ortus ex Nathane.
Ergo Eli non fuit pater ejus naturalis.
Propositio connexa probatur ex eo, quòd Eli ortus fuit è Nathane. Syllogismus:
Eli ortus fuit è Nathane.
Josephus(ex hypothesi)*ortus fuit ex Eli.*
Ergo Josephus(ex hypothesi)*ortus fuit è Nathane.*
Assumptio probatur sic:
Si Josephus fuit ortus è Salomone, sequitur non fuisse ortum è Nathane.
At Josephus ortus fuit è Salomone.
Non igitur ortus fuit è Nathane.
Propositio liquet per se: quia impossibile est ut unus idemque homo è duobus fratribus germanis ortus sit: quales fuerunt Salomon & Nathan, 1.Chron.3.v.5.
Assumptio probatur sic:
Jacob ortus fuit è Salomone.
Josephus ortus fuit è Jacobo.
Ergo Josephus ortus fuit è Salomone.
Præmissa utraque probatur testimonio Matthæi.
Hactenus probatum est, Helin fuisse patrem Josephi legalem. Jam quòd Jacob fuerit ejus pater naturalis, sic probatur:
Jacob fuit Josephi pater aut naturalis, aut legalis.
Non autem legalis. Naturalis igitur.
Propositio probatur ex necessaria partium disjunctione.
Assumptio probatur sic:
Si Eli fuit pater Josephi legalis, sequitur Jacobum non fuisse patrem ejus legalem.
At Eli fuit pater Josephi legalis.
Non ergo Jacob pater ejus legalis fuit.
Propositio probatur ex lege Dei de ducenda uxore fratris defuncti sine filio, & filio ex illa ei procreando: quæ exstat Deut.25. v.5. & 6. Ista enim lex non nisi de uno aliquo loquitur, cui filius procreandus sit, ut is hoc modo pater constituatur. Assumptio probata fuit suprà.

SECUNDA PARS.

Historia nativitatis Christi.

18 JESU verò Christi nativitas ita fuit. Nam quum mater ejus Maria desponsa esset Josepho; priusquam ipsi convenissent, inventa est uterum ferre ex S. Sancto.

19 Joseph igitur vir ejus, quum esset justus, & *tamen* nollet eam exemplum facere, voluit eam clàm dimittere.

20 Hæc autem quum cogitasset; ecce angelus Domini in somnio apparuit ei, dicens, Joseph fili David, ne metuito assumere Mariam uxorem tuam. Nam quod in ea genitum est, ex Spiritu sancto est.

21 Pariet autem filium; & vocabis nomen ejus JESUM. Ipse enim servabit populum suum à peccatis ipsius.

22 Porrò totum hoc factum est ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam dicentem,

23 Ecce, virgo quædam uterum feret, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel: quod est, si interpreteris, Nobiscum Deus.

24 Experrectus igitur Joseph ex somno, fecit ut ei imperârat angelus Domini. nam assumsit uxorem suam.

25 Sed non cognovit eam, usque dum peperit filium illum suum primogenitum: vocavitque nomen ejus JESUM.

Hic exponitur modus conceptionis & nativitatis Christi: & ostenditur, conceptum esse à virgine, illæsâ ejus virginitate, idque per singularem operationem Spiritus sancti, creantis nimirum corpus Christi ex virginis semine citra viri cooperationem: ac tum ex eadem illa virgine intacta esse natum. Continentur autem hac narratione quatuor particulæ. Prima est consilium Josephi de Maria matre Domini dimittenda, v.18. & 19. Secunda, impedimentum illi consilio allatum ne effectum daretur: una cum mandato de filii ex Maria nascituri nomine, v.20. & 21. Tertia particula est finis seu usus hujusce rei gestæ, v.22. & 23. Quarta est, obedientia Josephi erga accepta mandata, item continentia ejus erga desponsam sibi uxorem, v.24. & 25.

DE PRIMA PARTICULA.

Initio versus 18. continetur propositio hujus narrationis: ubi vocabulo γεννήσεως, id est, generationis, quo propriè significatur conceptio, duo comprehendi videntur: videl. conceptio in utero matris, & nativitas, qua fœtus in lucem editur. Etenim de conceptione Christi intelligitur verbum γεννηθὲν infra v.20. De nativitate verò ejusdem usurpatur verbum γεννηθέντος in principio capitis sequentis. Deinde narratur consilium Josephi de Maria matre Domini sibi desponsa clam dimittenda. Consilium illud declaratur suis causis. Causæ exponuntur duæ: quarum una hærebat in Maria, aliæ duæ in ipso Josepho. In Maria: quòd ferebat uterum. In Josepho: suspicio vel adulterii vel potiùs vitii ante sponsalia oblati Mariæ, & sua ipsius justitia seu probitas. Hæ causæ ita inter se comparatæ sunt, ut prima fuerit occasio, ac proinde causa per accidens, secundæ. item ut prima & secunda fuerint προκαταρκτικαὶ, irritatrices: tertia verò προηγουμένη, antecedens. Simul autem exponitur modus conceptionis Christi, ad demonstrandum, quòd Maria eum conceperit virgo seu illæsâ virginitate. Hoc ostenditur duobus argumentis. Primùm à circumstantia temporis, quòd videl. Maria uterum tulerit seu gravida fuerit, priusquam Joseph & ipsa convenissent: hoc est, priusquam nuptiæ essent factæ & ipsa domum mariti ducta, denique priusquam cum marito concubuisset. Hinc probabiliter colligitur, Mariam concepisse virginem seu absque viro: præsupponitur enim, fuisse pudicam & castam: id quod ex eo intelligitur, quòd Joseph eam noluit ad judices deferre. Deinde idem certò demonstratur à causa procreante seu autore illius conceptionis, quòd videlicet Maria uterum tulerit ex Spiritu sancto, hoc est, à Spiritu sancto per singularem illius operationem, creantis nimirum ac formantis corpus Christi ex ipsius Mariæ semine, citra cooperationem sive concubitum viri. Porrò consilium Josephi amplificatur à contrario: quòd videlicet noluerit suam sponsam quam adulterii aut vitii oblati suspectam habebat, παραδειγματίσαι, id est, exemplum facere: videl. deferendo eam ad judices, ut illi criminis convictam supplicio capitis adjudicarent: sed quòd voluerit eam clam dimittere seu sponsione liberare, dato videlicet libello repudii, ut more receptum erat: ex lege Deut.24.1.

DE SECUNDA PARTICULA.

Impedimenti allati consilio Josephi indicatur tum author, tum minister, tum modus seu forma. Author fuit Dominus, i.e. Deus: minister, Angelus Domini: modus seu forma, alloquutio in somnio. Cæterùm sermonis Angeli ad Josephum sunt tres partes. Primùm enim dehortatur illum à proposito dimittendi Mariam: additâ ratione quâ suspicionem illius refutat. Deinde indicat quid Maria sit paritura. Tum præcipit, quod nomen filio nascituro debeat imponere: illiusque nominis rationem exponit. Προσφώνησιν amplificat Angelus honorifico titulo, appellans Josephum *filium Davidis*: id quod facit ut innuat, filium ex Maria sponsa atque agnata Josephi nasciturum, fore illum

Davidis

Davidi promissum Messiam seu Christum, qui super populum Dei regnaturus sit in æternum.

DE TERTIA PARTICULA.

Finem seu usum illius rei gestæ indicat Evangelista fuisse, Ut impleretur prophetia Esaiæ de conceptione & nativitate Christi: quam Evangelista recitat ex capite illius septimo.

DE QUARTA PARTICULA.

Obedientia Josephi erga prius Angeli mandatum, ut scilicet Mariam assumat, amplificatur duobus modis. Primùm ab adjuncta temporis circumstantia; quòd statim somno experrectus, mandato illi paruerit: deinde antithesi diversorum, quòd acceperit quidem Mariam ut secum tanquam uxor habitaret; veruntamen à concubitu illius abstinuerit toto illo tempore quo illa Christum in utero gestavit. Quo ipso illius continentia & pia verecundia laudatur.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Liber generationis] βίβλος γενέσεως. *Id est, recensio majorum, quæ usitatè nominatur genealogia. Phrasis Hebræa, cujus exemplum extat Genes. 5. v. 1. quanquam discrimine duplici: nam illic habetur numero plurali,* liber generationum: *deinde per* generationes *illic intelliguntur posteri, dicitur enim,* liber generationum Adami: *& recensentur illic posteri Adami usque ad Noachum. At hic vocabulo* generationis *intelliguntur majores: dicitur enim,* Liber generationis Jesu Christi, *& recensentur majores Christi, initio facto ab Abrahamo. An verò numerus singularis γενέσεως pro plurali γενέσεων irrepserit (id quod facilè fieri potuit) & hic & in versione Græca loci ex Genesi citati, incertum est. Nomen libri Hebræum Sépher, propriè videtur significare recensionem: est enim deductum à verbo Saphár, quod significat numerare: sed per metonymiam adjuncti usurpatur ad significandum librū in quo recensio annotatur: ac tum synecdochicè ad significandum quemvis librum. Generatio autem pro iis qui vel generarunt, ut hic: vel generati sunt, ut in Genesi: per metonymiam effecti vel efficientis dicitur. Etenim generatio ut effectum est generantis: ita efficiens est ejus qui generatur.* Filii David, filii Abraham] υἱοῦ Δαβίδ, υἱοῦ Ἀβραάμ. *Id est, qui Jesus Christus fuit filius & Davidis & Abrahami.* ἀσυνδέτως. *Sic autem esse exponendum, liquet ex Evangelistæ instituto: quippe cui propositum est, utramque hanc sententiam de Christo demonstrare. Alias verba admitterent expositionem aliam, quâ scilicet nomen υἱοῦ posterius conjungeretur cum nomine Δαβίδ: quasi dicatur, Davidem fuisse filium Abrahæ. id quod verum quidem est, sed hoc non voluit dictum Evangelista. Ideo autem separatim duos istos nominat, quòd illis Christus singulariter esset promissus, tanquam ex eis oriturus.*

2 Abraham] Ἀβραάμ. *Hebr.* אַבְרָהָם, *id est, pater excelsus multitudinis. Primò dictus fuit Abrám* אַבְרָם, *id est, pater excelsus: deinde mutatum est ei nomen à Deo, insertâ literâ* ה *sumtâ scilicet ex nomine* הָמוֹן *hamón, quo significatur multitudo: ut nimirum in ipso nomine extaret* μνημόσυνον *promissionis tunc illi factæ, quòd futurus esset pater multitudinis gentium. Vide Genes. 17. v. 5. Cæterùm Græci aspirationem illam in medio vocis non solent exprimere.* Isaac] Ἰσαάκ. *Hebr.* יִצְחָק *Jitzchák, nomine deducto à verbo* צָחַק, *id est, risit: eò quòd annuntiatâ illius nativitate, & pater Abraham & mater Sarah risissent, Gen. 17. v. 17. Gen. c. 18. v. 12. Litera Jod præfixa, characteristica est nominis proprii.* Jacob] Ἰακώβ. *Hebr.* יַעֲקֹב *Jahakób, deductâ voce à nomine* עָקֵב *hakéb, id est, calcaneus: eò quòd in partu calcaneum fratris ex utero prodeuntis manu tenuisset, Gen. 25. 26. Litera Jod præfixa, characteristica est nominis proprii, ut modò in* יִצְחָק. *Sunt tamen quibus videatur desumta ex nomine* יָד *Jad, id est, manus, eò quòd manu tenuisset calcaneum. Hoc nomen Esau scitè detorsit ad notationem diversam, Gen. 27. v. 35. quasi ita dictus sit à supplantando, tanquam à verbo* עָקַב *hakáb, quod significat supplantare.* Judam] Ἰούδαν. *Hebr.* יְהוּדָה *Jehudáh. Sic dictus à verbo* הוֹדָה *hodáh, quod significat confiteri, laudare, celebrare: quia mater, illo nato, dicebat, celebrabo hac vice Jehovam, Genes. 29. v. ult. Litera Jod præfixa, characteristica est nominis proprii: ut in præcedentibus* יִצְחָק יַעֲקֹב. *Sunt tamen qui putent sumtam ex nomine* יְהוָה: *quia nimirum mater dicebat, Celebrabo Jehovam.* Et fratres ejus] καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. *Quærat aliquis: Cur horū fiat mentio; non autē Ismaëlis, qui fuit frater Isaaci; nec Esavi, qui fuit frater Jacobi. Ego puto, per hoc significari, quòd promissio de Christo ad illos, non item ad istos pertinuerit. Erant enim isti segregati à sancta familia Abrahæ & Isaaci, in qua tum inclusa erat Ecclesia.*

3 Phares] Φαρές. *Hebr.* פֶּרֶץ *Phéretz sive Perez: quo nomine significatur ruptura seu eruptio. Sic dictus est, quòd perrumpendo antevertisset in partu fratrem qui prior sese ostendebat manu prolatâ, Gen. 38. vers. penult.* Zara] Ζαρά. *Hebr.* זֶרַח *Dsérach, quo nomine significatur ortus: ac dicitur tum de plantis, tum de Sole. Sic nominatus fuit: quòd in partu prior exortus esset, seseq; ostendisset manu exsertâ, Gen. 38. vers. antepenult.* E Thamar] ἐκ τῆς Θάμαρ. *Ad* τῆς *subaudi* γυναικός: *id est, ex muliere illa cui nomen erat Thamar. Hebr.* תָּמָר *Thamár, qua voce significatur palma. Historiam vide Gen. 38.* Esrom] Ἐσρώμ. *Hebr.* חֶצְרוֹן *Chetzrón. Exponitur sagitta exsultationis.* Aram] Ἀράμ. *Hebr.* רָם *Ram: quod est excelsus.*

4 Aminadab] Ἀμιναδάβ. *Hebr.* עַמִּינָדָב *Hamminadáb: id est, populus meus spontaneus.* Naasson] Ναασσών. *Heb.* נַחְשׁוֹן *Nachschón. quasi dicat, Serpentinus: à* נָחָשׁ *náchasch, quod est serpens seu coluber.* Salmon] Σαλμών. *Hebr.* שַׂלְמָא *Salmá: quod exponitur* Pacificus, *tanquam à* שָׁלוֹם *schalóm, id est, pax.*

5 Booz] Βοόζ. *Hebr.* בֹּעַז *Bóhads: quod sonat,* in fortitudine *seu* robore. E Rachab] ἐκ τῆς Ῥαχάβ. *Ad* τῆς, *subaudi* γυναικός. *Hebr.* רָחָב *Rahháb: id est, latus seu amplus.* Obed] Ὠβήδ. *Hebr.* עוֹבֵד *Hobéd: quod est, servus.* E Ruth] ἐκ τῆς Ῥούθ. *Ad* τῆς *subaudi* γυναικός. *Hebr.* רוּת *Ruth exponitur saturata.* Jesse] Ἰεσσαί. *Latinè quoq; si exprimamus diphthongum, erit Jessai. Et sic Hebraicè est* יִשַׁי *Jischái vel* אִישַׁי *Ischái: quorum prius sonat,* Entia mea: *posterius,* viri mei.

6 David] Δαβίδ. *Hebr.* דָּוִיד *David: id est, dilectus.* Regem] τὸν βασιλέα. *Nomen Regis hic exprimit ad notandum mutationem status publici in populo Dei. Sub Davide enim cœpit legitimum regnum in populo Dei. Matthæo autem propositum fuit; majores Christi distribuere in tres tessaradecades, idq; secundùm diversos populi Dei status.* Solomonem] τὸν Σολομῶντα. *Hebr.* שְׁלֹמֹה Schelomó, *id est, pacificus. Hoc nomen Deus ipse, ut illi imponeretur, patri Davidi præcepit, ratione nominis simul expositâ, quòd nimirum futurus esset vir quietis: quodq; ipse pacem daturus esset in Israële diebus illius, 1. Chron. 22. v. 9.* Ex ea quæ fuerat uxor Uriæ] ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου. *Ad* τῆς *subaudi* γυναικός, *& præterea* γεγονυίας, *tempore præterito plusquamperfecto. Etenim quum David Solomonem ex Bathsabea genuit, non erat illa tunc uxor Uriæ, sed Davidis: ducta videlicet ab illo post Uriæ obitum. Vide 2. Sam. 11. in fine. Cæterùm nomen Urias Hebraicè scribitur* אוּרִיָּה Urijah, *quòd sonat,* Lux mea *est* Jáh, *id est, Jehova.*

7 Roboam] τὸν Ῥοβοάμ. *Hebr.* רְחַבְעָם *Rechabhám: quod est, latus seu amplus in populo. Fuit stultus rex. Vide 1. Reg. 12.* Abia] Ἀβιά. *Hebr.* אֲבִיָּה *abijah: quod est,* Pater meus *est* Jáh. *Nominatur etiam* אֲבִיָּם *abijam: quod sonat, Pater meus maris. Fuit impius. Vide 1. Regum 15.* Asa] τὸν Ἀσά. *Hebr.* אָסָא *asá: fortasse ab* אָסוֹן *asón, quod est noxa seu exitium. Fuit pius. Vide 1. Reg. 15.*

8 Josaphat] Ἰωσαφάτ. *Hebr.* יְהוֹשָׁפָט *Jehoschaphát: id est,* Jehovah *est* judex. *Fuit pius. Vide 2. Chron. 17.* Joram] τὸν Ἰωράμ. *Hebr.* יוֹרָם *Jorám, vel* יְהוֹרָם *Jehorám: id est,* Jehova est excelsus. *Fuit impius. Vide 2. Reg. 8. v. 18.* Oziam] Ὀζίαν. *Hebr.* עֻזִּיָּהוּ *Huzzjáhu: id est,* Robur meum *est* Jáh. *Aliter nominatus fuit* עֲזַרְיָה *Hazárjah: id est,* Auxiliatus *est* Jáh. *Græcis* Ἀζαρίας, *Latinis Azarias. Primò fuit pius: deinde impius. Vide 2. Chron. 26.*

9 Joatham] Ἰωάθαμ. *Hebr.* יוֹתָם *Jothám: quod sonat,* Jehovah *est* integer *seu* perfectus. *Fuit pius: sed cum exceptione. Vide 2. Chron. 27.* Achaz] τὸν Ἀχάζ. *Hebr.* אָחָז *achádz: id est,* apprehendens *seu* possidens. *Fuit impius. Vide 2. Chron. 28. & Esa. 7.* Ezechiam] τὸν Ἐζεκίαν. *Hebr.* חִזְקִיָּהוּ *Chizkijáhu, id est,* Robur meum *est* Jáh. *Fuit pius. Vide 2. Chron. 29. item Esa. 37. & 38.*

10 Manassem] τὸν Μανασσῆ. *Hebr.* מְנַשֶּׁה *menaschéh: quod est,* Oblivisci faciens *seu* oblivionem afferens. *Fuit initiò impius, sed tandem conversus. Vide 2. Chron. 33. Cæterùm quæ de causa hoc nomen filio suo primogenito imposuerit Joseph, vide Gen. 41. v. 51.* Amon] Ἀμών. *Hebr.* אָמוֹן *amón: quod exponitur* educans vel nutritius. *Fuit impius. Vide 2. Chron. 33. v. 22. & 23.* Josiam] Ἰωσίαν. *Hebr.* יֹאשִׁיָּהוּ *joschijáhu: id est,* Ignis meus *est* Jáh. *Fuit pius. Vide 2. Chron. 34. & 35.*

11 Jakim] Ἰακείμ. *Hebr.* יְהוֹיָקִים *Jehojakim: id est,* Jehova *excitabit. Aliter* אֶלְיָקִים *Eljakim: id est, Deus excitabit. Fuit impius. Vide 2. Chron. ult. Hic in plerisq; exemplaribus omittitur: sed in nonnullis reperitur: idq; & convenienter scripturæ 1. Chron. 3. v. 15. & 16. & rectè atq; necessariò ad conficiendum tessaradecadem. nam in eo finitur tessaradecas secunda: quippe quum tertia incipiat à Jechonia, ut manifestum evadet numeranti.* Jechoniam] Ἰεχονίαν. *Hebr.* יְכָנְיָה *Jechonjáh: item* כָּנְיָהוּ *Conjáh, id est,* parabit Jáh. *item* יְהוֹיָכִין *Jehojachin, id est, Jehovah parabit. Fuit impius. Vide 2. Chron. ult.* Et fratres ejus] καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. *Frater Jechoniæ unus nominatur 1. Chron. 3. v. 16. videlicet* Sedechias. *Quæ causa fortasse aliquos movit, ut nomen Jojakimi hic expungerent, ac proinde legerent:* Josias autem

genuit Jechoniam & fratres ejus; *nomine fratrum intelligentes agnatos, videl. paternos, nempe filios Josiæ: qui enumerantur quatuor 1. Chron 3. v. 15. Sed videntur posse hic intelligi alii agnati Jechoniæ, videlicet nepotes ex fratre Sedechia: qui tamen in scriptura non recensentur. Sed sunt qui tradunt, loco citato, videl. 1. Chron. 3. v. 16. Sedechiam recenseri non ut filium Jehojakimi, sed Jechoniæ: filium autem nominari non naturâ, sed legalis successionis jure, ut qui fuerit ejus patruus, ad quod confirmandum citant locum 2. Reg. 24. v. 17. ubi traditur, quòd rex Babyloniæ loco Jechoniæ regem constituerit Mathanjam fratrem illius: & nomen ejus immutaverit, Tzidkijam. Fratrem autem illic exponunt patruum. Sed ego puto, in Chronicis recenseri duos Sedechias: quorum prior numeratur inter filios Josiæ, posterior verò inter filios Jehojakimi: & hunc posteriorem in locum Jechoniæ à rege Babyloniæ suffectum esse: ac proinde propriè in loco citato fratrem nominari. Qui fuerunt* Tempore deportationis] ἐπὶ τῆς μετοικεσίας. *Antè* ἐπὶ *subaudi* τοὺς, *& ad* τοὺς, *ampliùs subaudi* γενομένους: *ut integra oratio sit*, τοὺς ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος γενομένους. *Ne quis putet, ista verba regi à verbo* ἐγέννησε: *ut notetur scil. tempus quo vel Josias vel Jehojakim genuerit Jechoniam & fratres ejus. Id quod repugnaret sacræ historiæ: quæ tradit, sub Jechoniâ rege deportationem Babylonicam esse factam: quippe quum ipse rex Jechonias Babylonem abductus sit. Fieri ergo non potest, ut illo demum tempore sit genitus.* Tempore deportationis Babylonicæ] ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος. *Præpositio* ἐπὶ *notat tempus quo res gesta fuit: ut in illis exemplis: Marc. 2. v. 26. Quomodo ingressus sit domum Dei* ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως *Luc. 3. v. 2.* ἐπὶ ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα, *factum est verbum Domini &c. Act. 11. v. 28. Quæ (fames) etiam fuit* ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος. *Porrò nomen* μετοικεσία *sonat mutationem habitationis: unde vetus interpres vertit transmigrationem, Erasmus demigrationem: quæ ferri possunt. Sed quoniam illa habitationis mutatio non fuit voluntaria, sed coacta: rectiùs nominatur* deportatio, *vel etiam* transportatio. *Nam utroque verbo Latini in hac re utuntur: & hoc quidem Græco magis respondet, sed illud usitatiùs est. Erasmus vertit quoque exilium: non rectè. Nam* μετοικεσία *notat hic ipsum deportandi actum (id est,* τὸν μετοικισμὸν*) non autem tempus quo captivitas illa sive exilium duravit. Id quod vel ex eo judicari potest, quòd vers. seq. dicitur, post illam* μετοικεσίαν, *Jechoniam genuisse Salathielem. At Salathiel in principatu quasi filius successit Jechoniæ non potest exilium illud demum, sed illo adhuc durante: quippe quum captivitas illa demum finem acceperit sub Salathielis successore Zorobabele: sub hoc enim duce Judæi ex permissu Cyri in patriam redierunt: teste Ezra cap. 3. Dicitur autem* μετοικεσία Βαβυλῶνος, *transmigratio seu deportatio Babylonis, phrasi Hebraicâ: pro* ἡ εἰς Βαβυλῶνα, *scil.* γενομένη, *id est, qua Babylonem facta est, seu quâ Babylonem transmigrarunt ac deportati sunt Judæi.*

12 Salathiel] Σαλαθιήλ. *Hebr.* שְׁאַלְתִּיאֵל *Schealthiél, id est, petivi Deum. Hunc dicitur genuisse Jechonias impropriè loquendo: quippe quum Jeremias illi denuntiaverit, carentem liberis fore, cap. 22. v. 30. Dicitur ergo genuisse, per metaphoram, propter jus successionis in principatu, quo Salathiel illi successit. Propriè autem loquendo Salathiel filius fuit Neri, ut docet Lucas cap. 3. v. 27. Successit autem Jechoniæ Salathiel in principatu, sicut nuper in regno Gallico successit Henrico III. Valesio Henricus IV. rex Navarræ.* Zorobabel] τὸν Ζοροβάβελ. *Hebr.* זְרֻבָּבֶל *Zerubbabél: id est, sparsus seu ventilatus Babelem. Hunc dicitur genuisse Salathiel, scil. ut avus. Nam Zorobabel propriè fuit filius Pedajæ: ut videre est 1. Chron. 3. v. 19. Nisi potiùs dicatur genuisse eum ratione successionis in principatu: quum propriè loquendo eum genuerit Pedaja, Salathielis frater. Sic enim legitur 1. Chron. 3. v. 17.*

Filii autem Jechoniæ vincti, Schealthiel filius ejus.

Et Malciram & Pedaja &c.

Sed hic recentiores Bibliorum interpretes in principio vers. 18. suppleverunt, Hujus: dicentes, Hujus autem (videlicet) Schealthielis, Malciram & Pedaja &c. At istud supplementum, μέγα λίαν αἴτημα *videatur. Simpliciùs videtur, ut Pedaja & reliqui numerentur inter filios Jechoniæ, eò quòd fuerunt fratres Schealthielis, qui Jechoniæ tanquam filius in principatu successit. Quòd autem Schealthiel separatim à cæteris numerantur, videtur factum propter excellentiam, eò quòd ipse solus inter fratres Jechoniæ in principatu successit. Sicut ipsi postea successit Zorobabel filius Pedajæ: defunctis scilicet, Malciram & Pedajâ.*

13 Abiud] τὸν Ἀβιούδ. *In sequentibus personis non liquet qui conveniant vel cum iis quæ recensentur in Chronicis: vel cum iis quæ à Luca: quum nomina prorsus diversa sint. Ego sanè apud Lucam inde à Zorobabele usque ad Josephum censeo recenseri diversos ab his qui recensentur à Matthæo: quum omnia nomina diversa sint, uno solo excepto, videl.* Matthat: *cum quo apud Matthæum convenit nomen* Matthan. *Non est autem probabile, istos omnes binomines fuisse: probabiliùs verò, duos ex illis fuisse cognomines. Adi tamen (si placet) Cornelium Bertramum, Lucubrationum Franckthallens. cap. VI. ubi diversas istas nomenclaturas per* διωνυμίαν *(ut sic loquar) conatur conciliare, pag. 91. & sequentibus. Ego puto, à Zorobabele usque ad Josephum apud Matthæum recenseri majores Josephi: apud Lucam verò, majores Mariæ sponsæ Josephi: pro qua tamen ille nominatur, eò quòd genealogiæ ex nominibus virorum contexi solebant. Ut autem ita sentiam, moveor hac potissimùm ratione, quòd video, Lucæ propositum fuisse, recensere genus Christi præcipuè naturale: ut nimirum ostenderet, Christum ortum ex Davide secundùm promissionem 2. Sam. 7. v. 12. Hoc autem illius propositum liquet ex duobus argumentis. Primùm, quod genus Christi ducit inde ab Adamo, primo generis humani parente: deinde, quòd illud deducit à Davide per Nathanem: ex quo Christum ortum esse oportet: quum non sit ortus ex Salomone: quippe quum genus Solomonis in Jechoniâ sit exstinctum. Matthæo verò propositum fuit recensere genus præcipuè legale: ut ostenderet, Christum legitimè successisse in regnum Davidis secundùm alteram promissionem cum superiore comprehensam loco paulò antè citato. Itaq; per Solomonem descendit usq; ad Jechoniam: quum tamen ex Solomone Christus ortus non sit. Sed tamen illi in regno legitimè successit: quia ortus est ex Nathane, ad cujus posteros in Salathiele principatus legitimè translatus est, Jechoniâ Solomonitâ sine liberis exstincto. Nos hic contenti erimus, ipsorum nominum significationem indicare: quum de personis ipsis nihil liquidi è scriptura veteris Testamenti afferre possimus. Igitur Abiud videtur Hebraicè scribendus* אֲבִיהוּד *Abihúd, quod sonat, quasi dicas: pater confessionis seu laudationis.* Eliakim] Ἐλιακείμ. *Hebr.* אֶלְיָקִים *Eljakim: id est, Deus excitabit.* Azor] Ἀζώρ. *Hebr.* עַזּוּר *adsor, id est, adjutor.*

14 Zadoc] Σαδώκ. *Hebr.* צָדוֹק *Zadók: id est, justus.* Achim] Ἀχείμ. *Hebr.* אָחִים *achim: id est, fratres.* Eliud] Ἐλιούδ. *Hebr.* אֱלִיהוּד *Elihúd: id est, Deus laudationis, seu laudandus.*

15 Eleazar] Ἐλεάζαρ. *Hebr.* אֶלְעָזָר *Elhadsár: id est, Deus auxiliator.* Matthan] Ματθάν. *Hebr.* מַתָּן *matthán: id est, donum.* Jacob] Ἰακώβ. *Vide suprà ad vers. 2.*

16 Joseph] Ἰωσήφ. *Hebr.* יוֹסֵף *Joseph, id est, auferens. Rationem hujus nominis impositi Josepho filio Rachelis, vide Gen. 30. v. 23. & 24.* Virum] τὸν ἄνδρα. *Id est, maritum. Synecdoche generis.* Mariæ] Μαρίας. *Hebr.* מִרְיָם *Mirjám: id est, amaritudo maris. Sed alii pronunciarunt* Marjám: *sicut pro Bileám, Balaám.* Ex qua] ἐξ ἧς. *Scil.* Μαρίας *non autem* ἐξ οὗ, *scil.* Ἰωσήφ. *Ut sequentia ampliùs confirmant.* Genitus est] ἐγεννήθη. *Id est, & conceptus & natus seu in lucem editus: nam ad utrumque hoc significandum adhibetur istud verbum in hac ipsa historia: ad prius, infrà v. 20. ad posterius, cap. 2. v. 1.* JESUS] ΙΗΣΟΥΣ. *Hebr.* יֵשׁוּעַ *Jeschúah: id est, Servator. Ratio nominis exponitur infrà v. 21.* Christus] Χριστὸς, *i. e. unctus: à* χρίω, *unde &* χρῖσμα, *unctio: vel potiùs, unguentum. Hebr.* מָשִׁיחַ *maschiahh: quod apud Græcos corruptè* Μεσσίας: *ut Joh. 1. 42.*

17 Universæ igitur progenies &c.] πᾶσαι οὖν αἱ γενεαὶ &c. *Hic observandum, primæ & tertiæ tessaradecadis utrumq; terminum intelligi oportere inclusivè, ita scilicet, ut primus & ultimus in illa tessaradecade connumerentur: at secundæ tessaradecadis uterq; terminus intelligendus est exclusivè, ita scilicet, ut nec primus nec ultimus connumeretur. Id quod planum evadet dinumeranti. Cæterùm nomen* γενεὰ *hic significat hominem genitum unicum: aliàs verò multitudinem hominum uno eodemq; seculo genitorum ac viventium. ut infrà cap. 12. v. 39. Natio mala & adulterina signum requirit. Sic ibid. paulò pòst v. 41. & 42. Et alibi passim.* Ab Abraham usque ad David] ἀπὸ Ἀβραὰμ ἕως Δαβίδ. *Utroque scil. connumerato.* A David usque ad deportationem Babylonicam] ἀπὸ Δαβὶδ ἕως μετοικεσίας Βαβυλῶνος. *Utroq; scil. excluso: tum Davide inquam, tum Jechoniâ. nam illud* usque ad deportationem Babylonicam, *perinde valet atque* usque ad Jechoniam: *ex collatione v. 11.* A deportatione Babylonica usque ad Christum] ἀπὸ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος ἕως τοῦ Χριστοῦ, *id est, à Jechonia usque ad Christum: ut modò expositum. Utroq; scil. incluso seu connumerato.*

18 Nativitas] ἡ γέννησις. *Id est, tum conceptio seu generatio in utero matris, tum nativitas seu partus quo editus est in lucem. Nam utrumq; hac voce comprehendi, liquet tùm ex re ipsa, id est, historia quæ subjicitur: tum vario usu vocabuli in hac eâdem historia. quippe infrà v. 20. de conceptione usurpatur participium* γεννηθὲν: *at cap. 2. v. 1. idem participium* γεννηθέντος, *intelligitur de nativitate seu partu.* Ita fuit] οὕτως ἦν. *scil. sicut sequitur. Id est, ita comparata fuit, seu talis fuit. quasi dicat, singulari modo peracta fuit. quò respicit conjunctio causalis,* γὰρ, *proxime-sequens. Declaratur enim singularis ille modus.* Priusquam ipsi convenissent] πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς. *Hic incipit consequens enuntiati relativi temporis: quod ipsum est bimembre, & membra habet transposita. Syntaxis enim est: Quum Maria esset desponsa Josepho: inventa est uterum ferre, priusquam ipsi convenissent; videlicet in cubile nuptiale seu thalamum: hoc est, priusquam concubuissent concubitu seminis, ut scriptura loquitur. Synecdoche metonymica verecunda. Cujus generis & illa, ubi vir dicitur ingredi ad mulierem: ut Genes. 6. v. 4. ubi filii Dei dicuntur ingressi ad filias hominum. Sic ejusdem libri cap. 16. v. 2. ubi Sara rogat Abrahamū, ut ingrediatur ad ancillam. Et mox v. 4. subjicitur, Et ingressus est ad Hagarem: & illa concepit. Sic alibi passim. Pro hoc Latini phrasi quadam affini dicunt, virum cum muliere congredi,*

gredi, item coire: sed minus verecundè. Phrasi Græcâ plenè usus est Sophocles, ex quo affertur hoc: συνῆλθον τὸ σὸν λέχος: *pro* εἰς τὸ σὸν λέχος: *Conveni in tuum cubile. Sunt tamen qui censeant, verba Matthæi referenda ad contubernium, ac proinde exponendum:* Priusquam ipsi in easdem ædes convenissent. *quam expositionem non reprehendo. Veruntamen illa ipsa accipienda erit* μετωνυμικῶς, *pro eo quod est,* Priusquam concubuissent. *hanc enim expositionem postulat institutum Matthæi: qui vult ostendere, Mariam fuisse gravidam antequam cum viro suo consuevisset: ac proinde Josephum suspicionem concepisse vitii ab alio quopiam viro ei oblati.* Inventa est uterum ferre] εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα. *Id est, deprehensum est seu cognitum indiciis valde probabilibus quòd uterum ferret: videlicet ex tumore ventris, & si qua fuerunt alia indicia. Est autem in verbis,* ἐν γαστρὶ ἔχουσα, *Hellenismus geminus: unus in participio* ἔχουσα, *pro infinitivo* ἔχειν: *alter in ellipsi: nam ad verbum* ἔχειν *hic subauditur* ἔμβρυον *seu* βρέφος, *ut integra oratio sit,* ἐν γαστρὶ ἔχειν ἔμβρυον βρέφος: *id est, in ventre habere fœtum seu infantem. In ventre autem, i.e. seu in utero,* ἐν τῇ κοιλίᾳ: *quo vocabulo utitur Lucas in commemorandis verbis Elisabethæ, inter alia ad Mariam dicentis:* Salîit fœtus cum exultatione in utero meo, *Luc. 1. v. 44. Metonymia subjecti: nam in ventre situs est uterus.* Ex Spiritu sancto] ἐκ πνεύματος ἁγίου. *Hoc annectitur per quandam* ἐπισώρευσιν: *nec pendet hæc clausula à verbo* εὑρέθη: *quippe mysterium hoc hominès latuit: unde necesse fuit ut per Angelum Josepho aperiretur. Ita autem annectitur hæc clausula, quasi præcesserit,* τοῦτο δὲ ἦν: istud autem erat. *Sicut infrà v. 20. loquitur Angelus, dicens; Quod in ea genitum est, ex Spiritu sancto est. Cæterùm* ἐκ *ponitur hic pro* ὑπό, *ad notandum scil. causam procreantem: sicut Rom. 11. v. ultim.* ἐξ αὐτοῦ τὰ πάντα, *pro* ὑπ' αὐτοῦ.

19 Joseph igitur] Ἰωσὴφ δὲ. *Judico positum* δὲ *pro* οὖν: *ex cohærentia sententiarum. quasi dicat, Joseph igitur, quum videret Mariam uterum ferre, & tamen ignoraret illud esse ex Spiritu sancto, putaret verò esse ex aliquo viro: motus justitiâ suâ, voluit eam dimittere.* Justus] δίκαιος. *Vir probus ac pius, justitiæ deditus.* Et tamen nollet] καὶ μὴ θέλων. *Supplevi particulam discretivam,* tamen, *perspicuitatis causâ. Complicantur enim hic duo enuntiata composita: unum discretum,* Qum esset justus, tamen noluit eam (*ut scilicet videbatur justitia postulare*) exemplum facere: *alterum verò, causale seu relativum causæ;* Qum esset justus, voluit eam clam dimittere: *ut scilicet posset nubere ei à quo esset compressa. quasi dicat: Justitia eum impellebat ut sponsam quam gravidam cernebat, ac proinde ab aliquo vitiatam esse suspicabatur, deferret ad judices: ut illi causâ cognitâ & crimine deprehenso, exemplum in ea statuerent, afficiendo scilicet ipsam supplicio capitis ex Dei lege Deut. 22. vers. 20. & sequentibus. Sed quum videret castos illius mores, ac proinde in hanc opinionem magis inclinaret, quòd ex infirmitate humana admisisset virum ante sponsalia secum contracta: cui adhuc posset nubere, si ab ista sponsione esset liberata: mitiorem hanc viam ingredi maluit, ac proinde eam voluit dimittere.* Exemplum facere] παραδειγματίσαι. *Quasi dicas,* Exemplare: *quo verbo hic usus traditur Augustinus. Id est, curare ut exemplum esset omnibus, dum scilicet lueret meritum supplicium. Sic loquitur Terentius in Adelphis Act. 5. scen. 1. ubi Demea Syro servo supplicium interminans, sic ait:* Si meus esses: exemplum omnibus curarem ut esses, *id est, curarem te affici supplicio, omnibus in exemplum. Sic sanè Græcus interpres Bibliorum, speciem supplicii, videlicet suspendium, reddidit isto verbo* παραδειγματίζειν, *Num. 25. vers. 4. nam ubi de primariis populi scortantis Deus ita præcipit Mosi,* Suspende eos Jehovæ: *ibi in Græco legitur,* παραδειγμάτισον αὐτοὺς τῷ κυρίῳ: *id est, exemplum eos facito Jehovæ seu Domino, hoc est, in honorem Domini. Hanc expositionem hoc loco genuinam censeo: quia si judices comperissent, Mariam fuisse ab aliquo viro vitiatam, sive ante sponsalia cum Josepho, sive post: debuissent illam supplicio capitis damnare, ex lege Deut. 22. vers. 20. 21. 22. 23. 24. Alii exponunt,* traducere, infamare, ignominiæ exponere; *Et hujus significationis exemplum affertur ex Plutarcho: qui scripserit, Archilochum obscœnis versibus se ipsum* παραδειγματίζειν, *id est, infamem reddere, seu infamia aut ignominia exponere. Sed ista significatio metaphorica est; metaphorâ ab illis ductâ, qui dum supplicio sive capitis sive alio publicè afficiuntur, hoc ipso aliis exemplum fiunt, id est,* παραδειγματίζονται, *atque adeò infames redduntur. Mihi verò prior illa nativa huc potius quadrare videtur. Syrus reddit,* Publicare: *quod exponunt, propalàm traducere, scilicet criminosis sermonibus. Sed mihi potiùs videtur illo verbo notari publicum supplicium: ut publicare apud Syrum idem sit, quod publico supplicio afficere, aliis videlicet in exemplum.* Clàm] λάθρα. *Id est, Occultè. Non quidem clam Mariâ: hoc enim fuisset deserere uxorem, quod non est hominis justi, qualis hoc loco commendatur Joseph, sed clam judicibus ac proinde populo: id est, ita ut nec judices nec populus rescicerent: id quod futurum fuisset, si illam stupri nomine ad judices detulisset.* Dimittere] ἀπολῦσαι. *Videlicet dato libello repudii ex more, de quo vide Deuter. 24. vers. 1. & infrà cap. 19. vers. 7. & 8. Probabile est autem, dare voluisse talem libellum coram paucis arbitris, puta parentibus aut proximis cognatis intra privatos parietes: quia & existimationi & conscientiæ illius consultum volebat, ut nimirum illegitimus concubitus publicè non innotesceret, & nuptum daretur illi à quo fuisset impregnata, idq; ex lege Dei quæ extat Deut. 22. v. 28. & 29.*

20 Fili David] υἱὸς Δαβίδ. *Pro* υἱὲ Δαβίδ. *Atticismus. item Marci 15. v. 34. qualis in illo Psal. 22. v. 1.* ὁ θεός μου, ὁ θεός μου, &c. *pro quo apud Matth. habetur,* θεέ μου, θεέ μου: *cap. 27. v. 26.* Assumere] παραλαβεῖν. *Assumere hic Latinius puto, quam accipere. Assumere videlicet in contubernium seu in easdem ædes ad cohabitandum.* Mariam] Μαριάμ. *Hoc nomen in sermone Græco variè usurpatur: nunc indeclinabiliter ad formam vocis Hebraicæ, ut hîc: nunc more Græcorum in secunda declinatione, ut suprà vers. 16. & 18.* Uxorem tuam] τὴν γυναῖκά σου. *Ad verbum, mulierem tuam. Synecdoche generis; qualis suprà in vocabulo* ἀνδρός, *vers. 16. Etenim sponsa pro uxore habebatur, ac proinde uxor nominatur Deuter. 22. vers. 24. item Genes. 29. vers. 21. quia scilicet jure jam uxor est, etiamsi nondum accesserit illius juris usus.* Nam quod in ea genitum est] τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθέν. *Periphrasis fœtus ab efficiente & subjecto loco. Græci nominant* τὸ ἔμβρυον, *παρὰ τὸ ἐντὸς βρύειν, eò quòd intus (videlicet in utero matris) scaturiat ac pullulet. Atque hic verbum* γεννᾶσθαι *intelligitur de conceptione.* In ea] ἐν αὐτῇ. *Id est, in utero ejus. Synecdoche integri.* Ex Spiritu sancto est] ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου. *Id est, à Spiritu sancto ortum est, videlicet creante pro sua omnipotentia præter naturæ ordinem ac præter verum seriem, ut quidam veterum dixit. Sic suprà v. 18. Confer item Luc. 1. v. 35. ubi modus hujusce conceptionis per angelum pluribus verbis exponitur. Et quod hîc dicitur,* τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, *illic dicitur,* τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον: *ut nimirum intelligamus, Christum genitum atq; ortum esse non solùm in Maria, videlicet in utero illius: sed etiam ex ipsa, videlicet ex ipsius semine. unde etiam nominatur fructus uteri Mariæ, Luc. 1. v. 42.*

21 Jesum] Ἰησοῦν. *Vocabulo Hebraico, quod Græcè est* Σωτήρ, *Latinè servator.* Populum suum] τὸν λαὸν αὐτοῦ. *Id est, sibi datum à Patre: ut ipse loquitur Johan. 17. Periphrasis electorum. Sic Actor. 18. vers. 10. Populus est mihi multus in hac urbe: ajebat Paulo Dominus de urbe Corintho. Sic Roman. 11. vers. 2. Non abjecit Deus populum suum, quem præcognovit.* A peccatis] ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν. *Ac proinde à morte æterna, tanquam stipendio peccati: atque ita redditâ justitiâ, à morte transferet in vitam. Synecdoche.* Ipsius] αὐτῶν. *In Græco relativum plurale refertur ad nomen singulare collectivum, ex consuetudine Hebræorum. quasi dicas, A peccatis ipsorum: videlicet hominum, ex quibus populus ille Christi constat.*

22 Porrò hoc totum factum est] τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν. *Est qui putet, hîc continuari sermonem Angeli. Sed verba hæc dici ab Evangelista in sua ipsius persona, liquere arbitror ex ipsis. ait enim:* Totum hoc, *scilicet quod modò narravi de Christi conceptione & nomine illi imponendo, quod utrumque Angelus Josepho patefecit, Quòd si Angelus adhuc loquatur, non poterit per præcedentia rectè declarari illud,* Totum hoc factum est. *quia Angelus unam tantùm rem indicavit, quæ jam facta erat; videlicet conceptionem Christi à Spiritu sancto. Præterea formulâ hac,* Ut impleretur &c. *quæ cum præcedentibus verbis cohæret, familiariter utitur Evangelista in sua persona loquens, quum prophetias de Christo prædictas ad ipsa eventa vult accommodare. Vide infrà cap. 2. v. 15. 17. 23. cap. 4. v. 14. &c. Nec videtur Angelis convenire talis recitatio verborum Scripturæ. Magis convenit ut verbis quidem Scripturæ utantur, sed tanquam in sua persona: ut videre est Luc. 1. v. 31. 32. 33.*

23 Ecce, &c.] ἰδοὺ, &c. *Hæc prophetia extat Esa. 7. vers. 14. Cui pronunciandæ occasionem præbuit incredulitas regis Achazi & populi Hierosolymitani, maximæ scilicet partis. Nam quum illi propter conspirationem Syrorum & Israëlitarum, ad Hierosolymam oppugnandam adventantium, consternati essent: Propheta Esaias ad regem à Domino missus, liberationem ei ab illis hostibus promisit, & diffidenti optionem signi (id est, miraculi ad promissionem obsignandam) dedit. Quam quum iste impiè repudiaret, Propheta zelo divino accensus, gravissimis verbis eum increpavit, eaq; occasione ad asserendum propter pios veritatem factæ promissionis, hanc ipsam promissionem de Christo pronuntiavit. Verba Prophetæ sunt ista:* Audite jam domus Davidis: an parva res est præ vobis, fatigare homines: quòd etiam fatigatis Deum meum? Idcircò dat Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo illa concipiet, & pariet filium: & vocabis (*ô virgo*) nomen ejus Himmanuelem. *q. d. Quàm certum est, Deum servaturum promissionem suam Davidi factam de Christo ex posteris ipsius nascituro; cui promissioni omnes verè pii fidem habent, nec ipsi hypocritæ derogare fidem audent: tam certum quoque est, ipsum servaturum promissionem hanc singularem de vobis liberandis à præsentibus hostibus, idq; propter Christum, ut in quo omnes Dei promissiones sunt Etiam & Amen, 2. Cor. 1. vers. 20. Erit autem illa Christi nascituri conceptio verè signum, id est, opus miraculosum: quoniam fiet à virgine, & quoniam filius ille virginis erit simul Deus & homo: id quod significatur nomine Himmanuel, quod est, nobiscum Deus. Hanc puto esse simplicem sententiam verborum Prophetæ: unde apparet,*

nomen Signi hic usurpatum esse per ἀντανάκλασιν, diverso paulum sensu ab illius acceptione in verbis præcedentibus, ubi Propheta Achazo dedit optionem signi. Illic enim significatur, Deum paratum esse ad promissionem Regi factam obsignandam opere aliquo miraculoso in omnium oculos incurrente. At hic jam non significatur tale opus quod in oculos incursurum sit, & quod jamjam sit edendum: sed opus miraculosum illud quidem, atq; adeò miraculorum omnium maximum: veruntamen arcanum, & ad salutem sempiternam omnium piorum necessarium. Deinde & illud perspici potest, obsignationem promissionis regi factæ hic peti ab exemplo promissionis de Christo, per collationem parium. Deus enim tam verax est in una aliqua promissione, quàm in alia. Ecce] ἰδοὺ. Adverbium demonstrandi, adhibitum ad significandum certitudinem rei, & ad excitandum attentionem tanquam in re omnium admiratione digna. Virgo quædam] ἡ παρθένος. Similiter habetur in Hebraico, הָעַלְמָה hahalmáh cum articulo ה. Sunt qui putent, Prophetam expressione hac articuli respicere ad notitiam illius seculi, quasi scilicet jam tum notum fuerit populo Dei, Christum nasciturum ex virgine, idq; secundùm promissionem, factam primis parentibus de semine mulieris contrituro caput serpentis, Genes. 3. v. 15. Sed (quod pace illorum dixerim) in illa promissione nomen mulieris non est intelligendum de muliere aliqua ventura, ac proinde nec de virgine Maria: sed de prima illa nostra matre Heva, ut planum est ex ipso contextu. ait enim ibi Deus serpenti, Inimicitiam pono inter te, & mulierem hanc: similiterque inter semen tuum & semen hujus: hoc conteret tibi caput. Quod si omnino statuendum esset, Prophetam respicere ad aliquam promissionem, qua promissum sit, Christum nasciturum ex virgine: putarem potiùs dicendum, quòd respiciat ad promissionem factam per Jacobum Genes. 49. v. 10. ubi dicit, Non desistet tribus à Jehuda, neque legislator è medio pedum ejus, usq; dum veniat שִׁילֹה schilóh, quod est ad verbum, Secundæ ejus, videlicet Jehudæ, id est, Christus nasciturus ex secundis virginis orituræ ex ipso Jehuda. Sed quia mysterium illud tunc non fuit vulgo notum, simplicius est ut articulus hîc vim habeat ἀόριστον: sicut passim, pro, παρθένος τις. Cæterùm hoc loco muniendi sumus contra falsas glossas Judæorum: qui negant, nomine עַלְמָה halmáh certò hîc significari virginem: quippe quo Prov. 30. v. 19. significetur scortum. Id quod nonnulli eis hactenus concedunt, ut dicant, scortum illic appellari virginem δοξαστικῶς, id est, ex opinione, eò quòd scortum sese impudenter virginem affirmet, sicut ibid. subjungitur. At ego nego in dicto illo per virginem significari scortum. quod ut planum faciam, necesse est ut totum illum locum huc adscribam. Sic igitur ait Salomon: Tria ista sunt occulta à me, imò quatuor hæc non novi; Viam aquilæ in cælo, viam serpentis in rupe, viam navis in alto mari; & viam viri in virgine. Hîc nego nomine virginis intelligendum esse scortum: quippe quum ratio potiundi scorto non sit occulta aut difficilis inventu: sed ratio potiundi honestâ atq; castâ virgine, quæ sub custodia parentum domi continetur, ac rarò in publicum & conspectum hominum prodit. Quod autem statim subjungitur: Ita est via mulieris scortantis: comedit, deinde abstergit os suũ: tum dicit, Non sum operata iniquitatem: hæc verba novam planè ac à superiore diversam sententiam continent: neq; cum illis cohærent. Sicut toto illo capite sententiæ variæ ac prorsus disparatæ congestæ sunt. Quare significatio nativa tum vocis Hebr. עַלְמָה quâ significatur puella abscondita, id est, virgo sub custodia parentum domi detenta, tum vocis Græcæ παρθένος, qua similiter virgo significatur, in utroq; loco retinenda est. Ac proinde rejicienda est glossa Judæorum, qui dicunt nomine עַלְמָה hîc intelligendam esse uxorem ipsius Prophetæ Esaiæ. Quasi verò signum (id est, opus miraculosum) sit, mulierem, præsertim juvenculam, (qualem tunc esse oportuit uxorem Esaiæ; si puella ab ipso vocata est) concipere ex viro! Aut quasi æquum fuerit, à Propheta appellari uxorem suam puellam: ex qua jam filium Schearjaschubum sustulerat, quippe quem tunc secum habebat! Aut quasi nomen Himmanuelis, quod filio illius puellæ tribuendum fuit, competat in filium Prophetæ: quum iste Himmanuel postea c. 8. v. 8. appelletur terræ promissæ dominus! item quum ibid. v. 10. dicatur eâ potentiâ & sapientiâ instructus, ut ipsius consilium & verbum effectum iri supra alia omnia prædicetur. Nec verò Judæos juvat, quòd capite sequente, videlicet octavo, uxor Prophetæ dicitur ex illo concepisse, eiq; peperisse filium. nam primùm illa prophetia ab hac est diversa: deinde filius ille non Himmanuel, sed alio nomine nominandus fuit. Neq; etiam eos juvat, quòd dicunt, absurdum esse, signum peti à re longe-pòst futura: nam id absurdum non esse, docent exempla Scripturæ quàmplurima: ut 1. Sam. 2. v. 24. 1. Reg. 22. v. 25. & 28. 2. Reg. 6. v. 35. Jer. 44. v. 30. Deut. 18. v. 21. 22. Deinde Prophetæ hoc loco non tam est propositum signo confirmare factam Achazo promissionem, quàm exemplo promissionis alterius quæ apud omnes sanos extra controversiam erat posita, de Christo videl. ex posteris Davidis nascituro: quam promissionem dum enuntiat, simul occasione rei præsentis miraculosum illius nativitatis modum indicat, illumq; signum appellat. Uterum feret] ἐν γαστρὶ ἕξει. Ut suprà v. 18. Et vocabis] καὶ καλέσεις. Scil. ô virgo. Apostrophe Prophetæ ad ipsam virginem, cujus fecerat mentionem. Quanquam vox Hebr. וְקָרָאת vekaráth, potiùs in tertia persona fœminini generis constructâ videtur posita, ac proinde vertendum, Et vocabit, scil. ipsa virgo, mater pueri nascituri. Et sanè vetus interpres videtur legisse καὶ καλέσει: ut qui verterit, Et vocabunt: formâ loquendi impersonali: quòd nimirum Hebræi quoq; illâ formulâ interdum impersonaliter uti videantur, ut Esa. 9. v. 6. ubi in Heb. habetur, Et vocavit nomen ejus: Græcus reddidit, καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ: accipiens nimirum illam phrasin impersonaliter, tanquam per ellipsin nominis unusquisque. Sed hoc interest, quòd in formula illa impersonali adhibetur genus masculinum, ita ut dicatur וַיִּקְרָא vajikrá: at hoc loco adhibetur genus fœmininum: dicitur enim וְקָרָאת vekaráth, id est, Et vocabit, scil. virgo illa cujus modò facta mentio. Esse autem vocem Hebræam hîc potiùs accipiendam in persona tertia, quàm in secunda, videtur constare posse ex eo, quòd litera finalis ת non habeat subjectum punctum schevá, quod tamen ad formam secundæ personæ requiritur. Emmanuel] Ἐμμανουήλ. Heb. עִמָּנוּאֵל himmanuél, Nobiscum est Deus, hoc est, Deus manifestatus in carne: ut loquitur Paulus 1. Tim. 3. v. ult. Seu ὁ λόγος (id est, filius ille Dei unigenitus) caro factus est, sicut loquitur Joh. c. 1. v. 14. Notatur igitur ratio personæ admirabilis, videl. personæ θεάνθρωπος. Simul tamen videtur notari personæ hujus officium, quod est, efficere ut Deus sit nobiscum, hoc est, Deum nobis reconciliare & propitium ac faventem reddere. Etenim ut eventus per omnia respondeat prophetiæ: statuendum, nomine Jesu idem notari quod nomine Emmanuel. at nomine Jesu notari officium, ex verbis Angeli planum est. Interim tamen eodem vocabulo connotatur ratio personæ. Etenim nudus homo non potuit officium illud servatoris administrare: necesse igitur fuit, ut ille servator simul esset Deus.

24 Nam assumsit] καὶ παρέλαβε. Conjunctio copulativa valet hîc causalem. nam quod modò dixit verbis generalibus, id jam incipit per partes declarare & quasi probare. Duo enim imperârat Josepho Angelus: è quibus prius est quod narratur hîc.

25 Sed non cognovit] καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν. Hîc conjunctio copulativa valet adversativam, vel potiùs discretivam: discernit enim diversa: ne quis ex eo quòd uxorem assumsit Josephus, colligat quòd etiam eam cognoverit, id est, rem cum ea habuerit. In qua phrasi scripturæ synecdoche generis est verecunda. Intelligitur enim specialis quædam ac singularis cognitio. Usq; dum peperit] ἕως οὗ ἔτεκε. Id est, toto illo tempore quo Maria Christum in utero gestavit. Ex his verbis colligebat olim Helvidius, quòd Joseph Mariam cognovisset postquam illa Christum peperisset. At hoc ex illis verbis non sequi, liquere potest his Scripturæ exemplis. Gen. 28. v. 15. Deus ait Jacobo, Non deseram te, usque dum perfecero quæ loqutus sum tibi. hinc non potest colligi, quòd eum deseruerit, posteaquam illa perfecit. 2. Sam. 6. v. ult. dicitur de Michale filia Saulis, quòd non fuerit illi proles in diem usque mortis suæ. Quis hinc colligat, post diem mortis fuisse illi prolem? in quibus sanè exemplis præteritum ita negatur, ut contrarium futurum non significetur. Veruntamen hoc non est perpetuum: ut intelligi potest ex his exemplis. Infrà c. 2. v. 13 ait Angelus Josepho: Esto illic (videl. in Ægypto) usque dum dixero tibi. quibus sanè verbis innuit; fore ut illi edicat contrarium, nempe ut ex Ægypto in Judæam redeat: id quod & factum fuit, eod. cap. v. 19. & sequentib. Sic ibid. v. 15. Et fuit illic (videl. Joseph cum Jesu in Ægypto) usque ad obitum Herodis. quibus verbis utiq; significatur, post obitum Herodis non ampliùs illic mansisse, sed inde rediisse in Judæam. Psal. 110. v. 1. ait Deus pater Christo: Sede ad dexteram meam, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. significatur, postquam inimici fuerint subjecti, tum Christum traditurum regnum Patri, i. e. non ampliùs ita regnaturum, videl. in medio inimicorum: sicut declarat Apostolus 1. Cor. 15. v. 24. Gen. 27. v. 44. Rebecca præcipit filio Jacobo, ut habitet cum Labane dies paucissimos, usque dum avertatur (inquit) excandescentia fratris tui. quibus certè verbis significabat Rebecca, se sperare futurum ut ira Esavi adversus Jacobum aliquando averteretur, & tunc Jacob à Labane ad parentes reverteretur. Gen. 49. v. 10. Non auferetur sceptrum à Jehuda, &c. usque dum veniat Schilóh, i. e. Christus. His certè verbis innuitur, fore ut quum Christus venerit, sceptrum à Jehuda auferatur. Id quod & factum est, quum scil. Herodes sustulit Sanhedrin, i. e. judices populi Judaici qui omnes erant ex tribu Juda. Quæ quum ita sint: patet ex verbis Matthæi neutrum posse firmiter concludi: nempe, nec quòd post Christum natum Josephus cum Maria concubuerit, nec quòd non concubuerit. Filium illum suum] τὸν υἱὸν αὐτῆς. Nempe sibi à Deo promissum per angelum, & singulari atq; miraculosâ operatione Spiritus S. à se conceptum. Articulus vim habet ἀναφορικὴν. Peperit] ἔτεκε. Scil. verè, ita nimirum ut in partu apertus fuerit uterus, teste Lucâ c. 2. v. 23. Non igitur clauso utero: ut quidam finxerunt, putantes nimirum futurum fuisse ut læderetur Mariæ virginitas, si verè ac naturaliter páreret. At, virginitas non læditur pariendo, sed concumbendo cum viro. Primogenitum] τὸν πρωτότοκον. Ergo, inquiat aliquis, post hunc alios quoq; genuit. At, inquam, istud non sequitur. nam ex more Scripturæ, primogenitus nominatur, qui primus vulvam matris aperuit, sive alii sequantur, sive non. Ratio autem appellationis

est,

est, quòd cui Deus vires dedit concipiendi ac pariendi unum aliquem, illa spem plurium inde concipit. Cujus rei exemplum habemus in Rachela uxore Jacobi, quæ quum peperisset Josephum, dicebat, Addat mihi Jehova filium alterum, Gen.30.v.24. Vocavitque] καὶ ἐκάλεσε. *Scil Joseph Narratur enim hîc altera pars obedientiæ quam Joseph præstitit mandatis Angeli. Confer supr.v.21. Syrus hoc retulit ad Mariam, ut qui hoc loco usus sit verbo generis fœminini* וְקָרַת *vakeráth. Sed alteram expositionem judico veram, propter causam indicatam. Nec tamen interim nego, quin & Maria hoc nomen filio suo imposuerit, quippe quæ & ipsa mandatum hujus rei acceperat ab Angelo, Luc.1.v.31.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

Dei veracitas in promissionibus. 1 Ex parte prima tota. Deus est verax in suis promissionibus; ac proinde quæ promisit, ea suo tempore præstat. Sicut hoc loco ostenditur præstitisse quod promiserat Abrahamo & Davidi de Christo ex ipsis orituro. Quare Dei promissionibus firmiter credamus.

Promissiones Evangelii ad quos pertineant. 2 Ex v.2. Promissiones de redemtione per Christum non pertinent ad omnes homines: quia ne ad illos quidem omnes pertinent qui nati sunt è sanctis patribus: quippe quum non sint ad illos omnes pronuntiatæ. Hæc enim causa est, cur hîc quum Abraham dicitur genuisse Isaacum, omittitur mentio Ismaelis; quem tamen ipsum quoque genuit: item quum Isaac dicitur genuisse Jacobum, omittitur mentio Esavi; quem tamen & ipsum genuit: at ubi dicitur Jacob genuisse Judam, additur, *Et fratres ejus.* quia scil. promissio de redemtione per Christum afferenda, ad illos quoq; pronuntiata fuit. Veruntamen ne ad hos quidem omnes promissio illa pertinuit: sed tantùm ad eos qui ipsam insistentes vestigiis sanctorum patrum, Abrahami, Isaaci & Jacobi, verâ fide sibi applicârunt, id quod monet Apostolus Rom.4. v.12.& c.9.v.6.& deinceps. Errant igitur qui hodie clamant, & magnis clamoribus contendunt, promissiones Evangelicas esse universales, i.e. pertinere ad omnes & singulos homines. Quare ut promissionibus illis freti, solidam consolationem habeamus: necesse est ut illas verâ fide amplectamur: ac proinde ad fidem tum concipiendam tum alendam verbum Dei assiduè audiamus, legamus ac sanctè meditemur.

Christus ad quos pertineat. 3 Ex v.3. Quòd hîc inter majores Christi expressa mentio fit Thamaræ, eo significatur, Christum à Deo donari illis qui ipsum avidè expetunt, ut fecit Thamar: quæ eâ spe quòd esset mater futura Christi, non verita fuit concubitum incestum à Juda per fallaciam surripere. Neque enim ex circumstantiis illius historiæ colligi potest, quòd libidine ducta istud fecerit.

4 Ex v.5. Quòd hîc mentio fit Rachabæ, ea admonemur, Christum suâ gratiâ non dedignari miseros peccatores: qualis fuit Rachab quippe meretrix, teste Scripturâ.

5 Ex eod. vers. Quòd hîc mentio fit Ruthæ, ex eo intelligimus, Christi gratiam pertinere etiam ad Gentes: quum non dedignatus fuerit oriri ex Ruth Moabitide.

6 Ex v.6. Quòd hîc mentio fit uxoris Uriæ, videl. Bathsabææ, cum qua David adulterium commisit; ex eo idem discimus, quod paulò antè est observatum in exemplo Rachabæ.

Cur Servator noster appellatus sit Jesus, item Christus. Quot modis nos servet Christus. 7 Ex v.16. Considerandæ hîc sunt causæ, cur servator noster appellatus sit Jesus, item Christus. Ac Jesus quidem nomine Hebraico, quod Latinè est servator, appellatus est: quia servavit & etiamnum servat populum suum, (id est, electos) à peccatis, infrà v.21. Servat autem duobus modis, merito & efficaciâ. Merito: quia morte suâ meritus est electis apud Deum remissionem peccatorum, ac donationem Spiritus S. & vitæ æternæ. Efficaciâ verò: quia per Spiritum S. & prædicationem Evangelii efficit in illis fidem qua meritum in promissione Evangelii amplectuntur, & ex fide studium serviendi Deo secundum sancta ipsius mandata. Christus autem appellatus est nomine Græco, quo significatur unctus: & est expressum ex Hebræo Maschiach, quod corruptè à Græcis effertur Μεσσίας. Sic autem dictus est à

Officium Christi triplex. triplici officio, videl. Prophetæ, summi sacerdotis & Regis. Etenim olim in populo Dei ex Dei ordinatione, summi sacerdotes & Reges (qui utrique typum gerebant Christi) sacro oleo inungebantur & consecrabantur ad munus suum: de Prophetis verò etsi non legitur quòd quisquam eorum ad munus suum unctus fuerit, tamen Deus quum Eliæ mandaret ut Elisæum in officio prophetico successorem sibi constitueret, ungendi verbo usus est, 1.Reg.19.v.16. Elias verò toga sua illi injecta eum vocavit, ibid.v.19. Cæterùm Prophetæ seu doctoris munere functus est Christus, quum prædicavit Evangelium in Judæa & Galilæa & Samaria. Officio verò summi sacerdotis: quum pro electis oravit, & sese obtulit Patri in cruce. Denique officio regis functus est, & etiamnum fungitur atque in æternum fungetur, quum electos suos per Spiritum sanctum gubernavit, gubernat & gubernaturus est: nec-non illos defendit inde ab ascensione sua in cælum, defendit etiamnum hodie, ac defensurus est usque ad finem mundi: denique eosdem in fine mundi evecturus est ad communionem regni sui æterni.

Conjugii honor. 8 Ex v.18. ex verbis, *Quum mater ejus Maria desponsa esset Josepho.* Quòd Christus nasci voluit ex virgine desponsa, ac proinde in conjugio: id facit ad conjugii honorem, quò pertinet illud Pauli Hebr.13. Conjugium honorabile est inter omnes.

Carnis Christi origo. 9 Ex eod. v. ex verbis, *Inventa est uterum ferre ex Spiritu S.* Cavendus hoc loco error eorum qui putant, carnem Christi conceptam esse non ex semine matris, sed è substantia Spiritus sancti: ac proinde Christum suâ carne per uterum virginis transivisse veluti per canalem, ita ut nihil ex ipsa assumserit. Hic error natus est ex falso intellectu præpositionis ἐκ, id est, *Ex*: quatenus illa accipitur pro nota materiæ. At sciendum, non semper ita accipi: sed interdum poni loco præpositionis ὑπὸ, id est, *à* vel *ab*: ad notandum causam efficientem, ut Rom.11.v.ult. ὅτι ἐξ αὐτοῦ τὰ πάντα: Nam ex eo sunt omnia, id est, ὑπ' αὐτοῦ, ab eo, videlicet, à Deo: ex collatione præcedentium. In eadem autem significatione hîc quoque præpositionem istam poni, manifestum est ex collatione tum verborum Angeli Luc.1.v.35. tum illorum Scripturæ locorum quibus asseritur veritas carnis Christi, ut Luc.1. v.42. Heb.2.v.14.& 17. Rom.1.v.3. Rom.9.v.5. Gal.4.v.4.

Dilectionis exemplum. 10 Ex v.19. In Josepho proponitur nobis illustre exemplum dilectionis tum Dei tum proximi. Etenim dilectione Dei movebatur ille, ut quum desponsam sibi uxorem vel adulterii vel certè stupri suspectam haberet, deferret illam ad judices: ut causâ cognitâ & crimine deprehenso, ex Lege supplicio capitis eam afficerent, atque ita exemplum facerent. Ex altera verò parte movebatur dilectione proximi, ut quum pudicos atque castos sponsæ suæ mores videret, neutri illarum suspicionum ita indulgeret, ut plenam adhiberet fidem, sed potiùs ut rem in suspenso relinqueret: ac proinde ad mitius remedium descenderet, dimissurus illam libello repudii dato coram paucis arbitris: ut si fortè ab aliquo gravidata esset, nubere illi posset. Huc pertinet illud Pauli de charitate pronuntiatum, *Omnia credit, omnia sperat,* 1.Cor.13.v.7.

Bonitatis Dei exemplum. 11 Ex v.20. Proponitur hîc nobis exemplum bonitatis & paternæ curæ Dei erga timentes ipsum: quippe quos, quum ex animi perplexitate à recto declinare incipiunt, maturè erudit atque in viam revocat: sicut videmus hoc loco fecisse Josepho. Quare in timore Dei perpetuò versemur, orantes ut nos regat per Spiritum sanctum. Simile huic videtur exemplum divinitus-prohibiti Abimelechi regis Gerari, ne rem haberet cum Sara uxore Abrahami, Gen.20.

12 Ex v.21. Quot modis Christus nos servet, dictum est suprà ad v.16.

Quòd Jesus sit Christus. 13 Ex v.22.& 23. Jesum in quem credimus, esse Christum: hinc quoque constat, quòd secundùm prophetiam Esaiæ ex virgine natus est.

Christi persona & officium. 14 Ex v.13. Nomine Emmanuel docemur, & qualis persona sit Christus, videlicet Deus & homo: & quale officium gerat, videlicet Deum nobis reconciliandi.

Obedientiæ erga Deum exemplum. 15 Ex vers.24. Proponitur hîc nobis in Josepho exemplum promtitudinis atque alacritatis in obediendo mandatis Dei. Joseph enim quum noctu accepisset mandatum de assumenda uxore, mox experrectus id fecit. Simile huic est exemplum Abrahami: qui accepto mandato de Isaaco filio immolando, manè surgens mox sese ad illud expediendum accinxit, Gen.22.

Castitatis exemplum. 16 Ex v.25. In Josepho proponitur nobis exemplum castitatis è singulari Dei timore profectæ: quòd quum intellexisset, sponsam suam gravidam esse è Spiritu sancto, intactam eam reliquit usque ad partum: ita ut illa pareret virgo.

Mariæ, matris Domini, virginitas an perpetua. 17 Ex eod.v. Cavendum ne temere vel affirmemus vel negemus virginitatem Mariæ perpetuam: quoniam ex verbis Matthæi neutrum potest firmiter concludi. Satis est tenere id quod Matthæus traditum voluit, quòd scilicet Maria Christum pepererit virgo. Quid post Christum natum de illa factum sit, curiosum magis quàm pium est inquirere: quum Scriptura de eo nihil tradat. Peccavit igitur olim Helvidius quidam, quòd ex præsentibus verbis contendit, Mariam post CHRISTUM natum concepisse liberos ex marito Josepho Sed non minùs peccant hodie in contrarium Papistæ, qui perpetuam Mariæ virginitatem pro articulo fidei Ecclesiæ obtrudunt.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Quatuor sunt hujus capitis partes. In prima indicatur locus ubi Christus natus est, usq; ad v.13. In secunda indicatur locus ubi educatus est in infantia, usq; ad v.16. In tertia narratur cades infantium Bethleemiticorum, quæ illis propter Christum accidit, usq; ad v.19. in quarta indicatur locus ubi Christus educatus est puer, usq; ad finem capitis.

PRIMA PARS.

Locus ubi Christus natus est.

QUUM ergo natus esset JESUS in *ea* Bethleem *quæ est* Judææ, temporibus Herodis regis: ecce magi ab Oriente advenerunt Hierosolymam,

2 Dicentes, Ubi est ille *nuper* natus rex Judæorum? Vidimus enim ejus stellam in Oriente, & venimus ut adoremus eum.

3 *His* autem auditis, Herodes rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum eo.

4 Itaque convocatis omnibus principibus sacerdo-

tum & ſcribis populi, percontatus eſt ab eis ubi Chriſtus naſciturus eſſet.

5 At illi dixerunt ei, In *ea* Bethleem *quæ eſt* Judææ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam,

6 Et tu Bethleem terra Juda nequaquam minima es inter duces Juda. ex te enim exibit dux qui paſcet populum illum meum Iſraëlem.

7 Tum Herodes clàm vocatis magis, exquiſivit ab eis quo tempore ſtella apparuiſſet.

8 Et eis Bethleem dimiſſis, dixit, Profecti illuc penitus exquirite de puerulo: poſtquam autem inveneritis, renuntiate mihi: ut & ego veniam & adorem eum.

9 Ipſi verò audito rege, profecti ſunt. & ecce, ſtella quam viderant in Oriente, præibat eis, donec venit ſtetitque ſupra *locum in* quo erat puerulus.

10 Viſâ autem ſtellâ, gaviſi ſunt gaudio magno valde.

11 Et ingreſſi domum, invenerunt puerulum cum Maria matre ipſius, & procidentes adoraverunt eum: apertiſque theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.

12 Et divinitus admoniti in ſomnio, ne reverterentur ad Herodem, per aliam viam regreſſi ſunt in regionem ſuam.

Locum ubi Chriſtus natus eſt, indicaturus, & inde ipſum eſſe Chriſtum demonſtraturus, narrat quomodo ab Oriente Hieroſolymam advenerint magi, & Chriſtum nuper-natum quæſiverint, & Bethlehemi inventum adorarint. Primò autem indicationem loci proponit, ſimulque comprehendit notationem temporis, ac tum de adventu magorum narrare incipit, v.1. Secundò narrat, quibus verbis magi de Chriſto inquiſiverint, v.2. Tertiò addit, quid ex iſtis verbis effectum ſit in Herode & civibus Hieroſolymitanis, v.3. Quartò, commemorat, quid Herodes egerit ut reſciſceret ubi Chriſtus eſſet natus, verſ.4. Quintò, quomodo prophetia de loco ubi Chriſtus erat naſciturus, ſit prolata, v.5.& 6. Sextò, quomodo Herodes inſidias Chriſto ſtruxerit: inquirendo de die quo eſſet natus, & petendo à magis ut de Chriſto invento ſibi renuntiarent, v.7.& 8. Septimò narratur, quomodo magi Chriſtum invenerint, & inventum adorarint, v.9.10.11. Octavò annectitur, quomodo domum reverſi ſint, v.12.

SECUNDA PARS.

Locus ubi educatus infans.

13 Ipſis autem regreſſis, ecce, angelus Domini apparet in ſomnio Joſepho, dicens, Experrectus accipe puerulum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & eſto illic uſque dum dixero tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat puerulum ad eum perdendum.

14 Ille verò experrectus, accepit puerulum & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.

15 Et fuit illic uſque ad obitum Herodis. Ut impleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam, dicentem, Ex Ægypto vocavi filium meum.

Hîc incipit pars libri ſecunda, de Chriſti educatione: de qua nihil aliud traditur, quàm loca ubi fuit educatus, primùm in infantia, de quo hîc: deinde in pueritia, de quo paulò pòſt in capitis parte quarta. Cæterùm indicaturus locum ubi Chriſtus infans educatus eſt, primùm narrat, cujus monitu eò ſit translatus, v.13.& 14. Deinde quamdiu illic ſit detentus, initio v.15. Poſtremò, cur ita fieri oportuerit, reliqua parte ejusd. verſ.

TERTIA PARS.

Cædes infantium Bethleemiticorum.

16 Tum Herodes quum vidiſſet ſe illuſum eſſe à magis, excanduit valde: & miſſis *ſpiculatoribus* interemit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimulis & infrà, ſecundùm tempus quod exquiſierat ex magis.

17 Tunc impletum fuit quod dictum eſt ab Hieremia propheta, dicente,

18 Vox in Rhama audita eſt, lamentatio & fletus & ejulatus multus, Rachel deplorans filios ſuos: & noluit conſolationem admittere, quia non *ſuper*ſunt.

Cædem infantum Bethleemiticorum narraturus, primò indicat ejus authorem & cauſam προκαταρκτικὴν ſeu irritatricem, item προηγουμένην ſive antecedentem, tum inſtrumentalem ſeu miniſtros: præterea infantum illorum ætatem, & cauſam quæ Herodem movit ut illius ætatis infantes Bethleemiticos juſſerit occidi, v.16. Poſtremò exponit cauſam cur ita fieri oportuerit, v.17.& 18.

QUARTA PARS.

Locus ubi Chriſtus educatus eſt puer.

19 Quum autem obiiſſet Herodes; ecce, angelus Domini in ſomnio apparet Joſepho in Ægypto,

20 Dicens, Experrectus accipe puerulum & matrem ejus, & proficiſcere in terram Iſraëlis: Mortui ſunt enim qui quærebant animam puerculi.

21 Ille verò experrectus accepit puerulum & matrem ipſius, & vênit in terram Iſraëlis.

22 Quum autem audiſſet Archelaum regnare in Judæa pro Herode patre ejus, timuit illuc abire: verùm divinitùs admonitus in ſomnio, ſeceſſit in partes Galilææ.

23 Et quum *eò* veniſſet, habitavit in urbe quæ dicitur Nazareth: ut impleretur quod dictum eſt per prophetas, fore ut Nazarenus vocaretur.

Locum indicaturus ubi Chriſtus educatus eſt puer, primùm narrat cujus monitu Chriſtus ex Ægypto in terram Iſraël iterum ſit translatus, v.19.20.21. Deinde cujus monitu translatus ſit Nazaretham, ut illic porrò educaretur, v.22.& initio, v.23. Poſtremò, cur ita fieri oportuerit, reliquâ parte v.23.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Quum ergo natus eſſet Jeſus] τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος. *Hîc* γεννᾶσθαι *eſt naſci. Secus ſupr.c.1.20. Similiter apud Hebræos ambiguum eſt verbum* יָלַד *jalád: quippe quod & gignere & párere ſignificat.* In ea Bethleem *quæ eſt* Judææ] ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας. *Pro,* ἐν Βηθλεὲμ τῇ τῆς Ἰουδαίας. *Scil.* πόλει. *Ellipſis gemina: una, articuli; altera, nominis. Sic autem diſtinguitur hoc oppidum ab altero ejuſdem nominis quod ſitum erat in Galilæa, in tribu Zabulon: cujus fit mentio Joſ.19.v.15. Qua occaſione autem iſthic peperit Maria, quum ordinariè habitaret in urbe Galilææ Nazareth, Luc.1.v.26.27. narrat Lucas c.2.v.1. & deinceps, nempe occaſione edicti Cæſaris Auguſti de profitendo cenſu.* Temporibus] ἐν ἡμέραις. *Ad verb. In diebus. Hebraiſmus.* Herodis] Ἡρῴδου. *Cognomento Aſcalonitæ.* Regis] τοῦ βασιλέως. *ſcilicet Judææ. Luc.1.v.5. Creatus autem fuerat rex à ſenatu Romano, teſte Joſepho Antiquitat. Judaicar. lib.14.c.26.* Ecce] ἰδοὺ. *Particula attentionis, promittens rem admiratione dignam.* Magi] Μάγοι, *id eſt, ſapientes. Vocabulum dicunt eſſe Perſicum. Cic. lib.1. de Divinat. ſic loquitur de magis:* Quod genus ſapientum & doctorum habebatur in Perſis. *Hodie iſto nomine appellantur, qui tractant artes diabolicas. Accidit igitur huic nomini idem quod nomini* Tyranni, *item* Sophiſtæ. *Papiſtæ dicunt, hos magos fuiſſe reges, & quidem numero tres: ac nomina illorum fuiſſe, Caſpar, Melchior & Balthaſar: denique corpora illorum ſepulta eſſe Coloniæ. Sed hæc omnia mera figmenta ſunt. Attamen primum conantur probare ex Pſal.72.v.10. ubi habetur:* Reges Schebæ & Sebæ donarium offerent. *At primùm perperam reſtringunt ad hos magos, quod illic in genere dicitur de nationibus exteris ac remotis. deinde nomina locorum iſtis magis non conveniunt. Etenim Sebæi quidem incoluerunt Arabiam deſertam: Schebæi verò Æthiopiam, id eſt, regionem Auſtralem: at iſti magi venerunt ex Oriente. Numerum verò colligunt ex numero donorum: donarunt enim aurum, thus & myrrham. quaſi verò hinc ſequatur, ſingulos donaſſe hæc ſingula: ac non probabilius ſit, ſingulos triplicia illa munera donaſſe. De nominibus autem & ſepultura quod garriunt, nil niſi impudens figmentum eſt.* Ab Oriente] ἀπὸ ἀνατολῶν. *Ad verb. Ab ortibus ſcilicet Solis. Etenim ſtatuitur ortus Solis triplex: videlicet æquinoctialis, borealis & auſtralis. Ariſtoteles de Mundo. Senſus eſt, ex regione Orientali ſeu quæ ſita eſt Judææ Orientem verſus. Meton. adjuncti.* Advenerunt Hieroſolymam] παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα. *Ad verb. Adfuerunt Hieroſolyma. nam* εἰς *poſitum eſt, pro* ἐν: *&* Ἱεροσόλυμα *poſitum eſt numero ſingulari indeclinabiliter: ut patet ex collatione verſus tertii, ubi habetur,* πᾶσα Ἱεροσόλυμα. *Nomen* Ἱεροσόλυμα *Hebr. eſt* יְרוּשָׁלַםִ Jeruſchaláim, *per ai diphthongum. Aliàs* Ἱερουσαλὴμ, *ex Chaldæo* יְרוּשְׁלֶם *Jeruſchelem. Prior forma ſpeciem aliquam habet numeri dualis, fortaſſis ex eo quòd urbs eſſet* δίπολις, *ſeu diſtributa in duas principes partes, ſuperiorem & inferiorem. Sanè iſtas partes commemorat Joſephus Belli Judaici lib.1. cap.1.*

2 Ille *nuper*-natus] ὁ τεχθεὶς. *Adverbium ſupplevimus ad ſententiæ perfectionem.* Ejus ſtellam] αὐτοῦ τὸν ἀστέρα. *Hoc eſt, ſtellam quâ nativitas ejus nobis eſt à Deo patefacta. Hanc ſtellam fuiſſe novam, & in hoc ipſum à Deo conditam, judicari poteſt è ſingulari ejus motu, qui indicatur infr. v.9. Talis nova ſtella conſpecta fuit noſtro tempore, anno Domini 1572.* In Oriente] ἐν τῇ ἀνατολῇ. *Ad verb. In ortu ſcilicet Solis. Id eſt, in regione Orientali. Meton. adjuncti.* Ut adoremus eum] προσκυνῆσαι αὐτῷ. *Pro* τοῦ προσκυνῆσαι αὐτῷ. *ſcilicet* ἕνεκα. *Ellipſis gemina. Porrò verbum* προσκυνεῖν *hîc regit dativum, more Hebraici verbi* הִשְׁתַּחֲוָה *hiſchtachavéh: cui reſpondet. Aliàs regit accuſativum.*

3 His au-

3 *His* autem auditis] ἀκούσας δὲ. *Subaudi* ταῦτα. *Id est, Quum autem audivisset hæc.* Turbatus est] ἐταράχθη. *Metu scil. amittendi regni.* Et omnis Hierosolyma] καὶ πᾶσα ἱεροσόλυμα. *Scil.* ἐταράχθη, *turbata est, nimirum metu turbarum propter novum regem exoriturarum. Ad nomen* πᾶσα, *subauditur* ἡ πόλις. *Et nomen* ἱεροσόλυμα *positum est numero singulari indeclinabiliter. Sic infr. c.3. v.5.* πᾶσα ἡ Ἰουδαία, *Omnis Judæa. Pro, tota Judæa; tota Hierosolyma. Sic Cæsar de bello Gall. Gallia est omnis divisa in partes tres.*

4 Itaque convocatis] καὶ συναγαγών. *Pro* τοιγαροῦν συναγαγών. *Narratur enim nunc, quid ex illa Herodis perturbatione consecutum sit.* Principibus sacerdotum] τοὺς ἀρχιερεῖς. *Sic nominatur hoc genus 2. Chron. 36. v.14. At 1. Chron. 24. v. 4. nominantur* רָאשִׁים *raschim, capita: id est, primores. Ac ibidem distribuuntur in 24. classes: secundùm numerum posteriorum Eleazaris & Ithamaris.* Scribis populi] γραμματεῖς τοῦ λαοῦ. *Isti Hebraicè nominantur* סוֹפְרִים *sopherim, tanquam à nomine* סֵפֶר *sépher, quod significat librum. Videntur igitur sic dicti qui tractabant libros, videl. libros sacros, Mosis ac Prophetarum: interpretantes illos populo in synagogis, unde Christus ait: scribas sedere in cathedra Mosis, infr. 23. v.2.* Nasciturus esset] γεννᾶται. *Pro* γεννηθήσεται. *Enallage temporis, sed non carens emphasi: nam verbo temporis præsentis respicitur ad scripturam tanquam ante oculos positam, quæ omnibus ætatibus testatur de Christo. Sententia enim est, Quem locum nativitati Christi assignet scriptura. Similis est illa locutio Hebr. 2. v. 16.* Non enim videlicet angelos assumit: sed semen Abrahæ assumit, ἐπιλαμβάνεται. *Scilicet in Scriptura. Id est, Scriptura hoc de Christo testatur omnibus seculis.*

5 At illi] οἱ δὲ. *Pro* αὐτοὶ δὲ. In ea Bethleem &c.] ἐν βηθλεέμ &c. *ut suprà v. 1.* Per Prophetam] διὰ τοῦ προφήτου. *Scil. Micham, cap.5. vers.2.*

Expositio loci Mich.5. v.2. 6 Et tu Bethleem &c.] καὶ σὺ βηθλεέμ &c. *Hæc verba suo tempore pronuntiavit propheta apud populum Dei, ad consolandum illum contra coitionem hostium, Assyriorum ac Babyloniorum; quorum turmæ unicum Christum opponit. quod ut plenius intelligatur, integrum locum huc adscribam Sic igitur ait Propheta:* Nunc turmatim coito, ô turmaria; obsidionem disponens contra nos: Virgâ percutiant in maxilla judicem Jisraëlis. At tu Bethléchem Ephratæ, minima ut sis in millibus Jehudæ; ex te mihi prodibit qui sit dominator in Jisraële. *His verbis Propheta insultat hostibus Assyriis ac Babyloniis: ut qui quantumvis nunc indignè tractent Israëlitas ac hostiliter exagitent: tamen per Christum sint cohibendi. Est igitur istud primò observandum, quòd conjunctio copulativa hîc valet adversativam. Deinde notandum, pronomen* σὺ *rectè scribi cum accentu: quia ponitur emphaticè. quæ emphasis perit, si patiatur* ἔγκλισιν, *ut fit in versione Græca. Tertiò considerandum, quatenus verba Matthæi à verbis Michæ discrepent. nam quin sensu conveniant, dubium videri non debet. Primùm igitur pro eo quod est apud Prophetam,* Bethléchem Ephratæ: *apud Matthæum dicitur, Bethleem terra Juda. quorum utrumq; dicitur ad discrimen alterius Bethlehemi quod situm erat in tribu Zabulonis: hoc autem in tribu Juda. Ephrata autem, cognominatur ab uxore Calebi, cujus mentio fit 1. Chron. 2. v. 19. & sequentib. Deinde quod apud Prophetam dicitur,* Minima ut sis in millibus Jehudæ, ex te *tamen* mihi prodibit qui sit dominator in Jisraële: *id apud Matthæum dicitur,* Nequaquam minima es inter duces Juda: ex te enim exibit dux &c. *Quæ sententiæ primâ fronte videntur discrepare, sed non discrepant; imò prior per posteriorem declaratur. Propheta enim minimam vocat Bethlehemum, ratione splendoris externi ac opum terrenarum: & significat, humilem istam conditionem non impedituram Deum, quò minùs amplissimo honore illud oppidulum afficiat, producendo videl. ex illo Christum. Hinc Scribæ Bethlehemum minimam esse negant, æstimatam nimirum ab hac Dei dignatione. Deniq; Propheta utitur enuntiato discreto: Tametsi sis minima (scil. quoad conditionem externam) tamen ex te prodibit Christus, atq; ita non ampliùs eris minima, sed potiùs hoc quidem respectu maxima. Istud enuntiatum Scribæ resolvunt in enthymema, dicentes, Non es minima (licet scil. videaris esse) ex te enim prodibit Christus. Tertiò quod apud Micham est, in millib. Jehudæ* בְּאַלְפֵי יְהוּדָה *bealphé Jehudah: id apud Matthæum dicitur,* ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, *id est, inter duces Juda. unde Matthæus pro* אַלְפֵי *alphé, videtur legisse* אַלֻּפֵי *alluphé: iisdem scil. literis scriptam vocem, sed diversis punctis. Nisi dicamus, ipsum nomen* אֶלֶף *éleph, id est, mille, interdum poni pro* אַלּוּף *allúph quod est dux. Et sanè recentiores Bibliorum interpretes ita exponunt tum hoc loco Michæ, tum etiam Judic. 6. v. 15. ubi Gedeon ait, Ecce dux meus (*אַלְפִּי *alphi) pauperrimus est inter Menaschitas. Sed Græci in utroq; loco nomen Hebræũ reddiderunt nomine* χιλιάδος, *ad significandum scil. homines mille in unum collectos. Quæ interpretatio mihi quidem nõ temere videtur repudianda. Etenim ex 1. Sam. 10. v. 19. 20. & 21. apparet, singulas tribus populi Israëlitici distributas fuisse in familias: quæ familiæ illic nominantur* אֲלָפִים *alaphim, id est, millia seu chiliades: id quod manifestè colligitur ex collatione v. 20. & 21. cum extremo membro versus 19. Nam quòd illic recentiores nomen* אֲלָפִים *alaphim, interpretati sunt duces: non videtur posse consistere cum eo quod sequitur de deprehenso per sortem Saule: nisi dicamus, Saulem jam antea fuisse unum ex ducibus familiarum. quod nescio an sit probabile, aut possit ex historia sacra demonstrari. Interim verò non pugnat Matthæus cum Michâ. Etenim chilias seu familia, & dux familiæ, inter se consentiunt, ut subjectum & adjunctum. Quartò pro eo quod est apud Micham,* Exibit qui sit dominator (מוֹשֵׁל *moschél)* in Jisraële: *apud Matthæum dicitur,* ἐξελεύσεται ἡγούμενος ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ, Exibit dux qui pascet populum meum Israelem; *verbis diversis ac pluribus, sed eundem sensum habentibus, ut patet.* Terra Juda] γῆ Ἰούδα. *Id est, pars terræ seu regionis Judæ. Synecd. integri.* Dux] ἡγούμενος. *Pro,* ἡγεμών. *Participium loco nominis, more Hebræorum* Pascet] ποιμανεῖ. *Id est, reget, gubernabit. Metaphora à pastoribus ovium: qui propriè dicuntur* ποιμένες. *Sic Homerus quoque suum Agamemnonem vocat* ποιμένα λαῶν, *pastorem populorum. Eodem verbo usus est Paulus Act. 20. v. 28. de gubernatione spirituali per ministerium verbi: ubi ait, Episcopos esse constitutos ad pascendum (*ποιμαίνειν*) Ecclesiam.*

7 Clàm] λάθρα. *Nempe ne quis animadverteret insidias quas struebat Christo.* Quo tempore stella apparuisset] τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος. *Ad verb. tempus apparentis stellæ: i. e. tempus quo stella illa (de qua suprà v. 2.) cœpisset apparere. Sed cur hoc? Nempe ut inde colligeret Christi nati ætatem: idq; in eventum, si fortè magi non renuntiarent de puerulo invento. Sed cur non misit cum eis aliquem ex suis, qui rem omnem cognosceret, & ad se referret? Nempe Deus impedivit, ne hoc illi veniret in mentem: ut solet capere sapientes in astutia ipsorum. Nisi fortasse hac quoq; ratione celare voluit insidias.*

8 De puerulo] περὶ τοῦ παιδίου. **Von dem kindlin.** *Articulus refertur ad sermonem inter ipsos habitum.* Adorem eum] προσκυνήσω αὐτῷ. *At habebat in animo occidere: ut planũ fiet è sequentibus.*

9 Et ecce] καὶ ἰδοὺ. *Particula attentionis ad commendandum mirificam Dei bonitatem erga suos. Hinc autem colligere promtum est, stellam illam ad tempus disparuisse: id quod videtur cœptum fieri, quum pervenerunt in Judæam. Voluit enim ut tunc inquirerent, & quidem Hierosolymæ: ut nimirum res innotesceret Herodi, & illius insidiæ occasionem præberent fugæ Christi in Ægyptum, ad implendum prophetiam de illius ex Ægypto vocatione.* Præibat eis] προῆγεν αὐτούς. *Habebat igitur singularem motum, solis magis pro illo tempore inservientem.* Supra locum in quo] ἐπάνω οὗ. *Pro* ἐπάνω τοῦ τόπου οὗ, *i. e.* ἐν ᾧ. *Vel,* ἐπάνω τῆς οἰκίας οὗ: *supra domum ubi &c. ex collatione vers. 11. Sed præstat subaudire nomen generale* τόπου: *& tamen illud exponere per synecdochen de domo.* Puerulus] τὸ παιδίον. **Das kindlin:** *Articulus refertur ad præcedentem narrationem. q. d. Puerulus ille quem quærebant: id est, Christus.*

10 Gavisi sunt gaudio] ἐχάρησαν χαράν. *Ante* χαρὰν *subauditur* κατά.

11 Ingressi domum] ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν. **Sie giengen in das haus.** *Videl. supra quàm viderant stantem stellam, ex collatione versus 9. Articulus est* ἀναφορικός. Aurum &c.] χρυσὸν &c. *Non dicit, singulos obtulisse ista singula: (neque id est probabile) sed simpliciter dicit, magos illos (quotquot etiam fuerint) obtulisse ista munera. Nec firmum est, quod nonnulli dicunt: eos obtulisse Christo aurum, ut regi: thus, ut sacerdoti: myrrham, ut mortali, cujus corpus aliquando esset sepeliendum: hæc nullo nituntur fundamento. Quare simplicius est dicere, quod hisce muneribus tanquam rebus in ipsorum regione pretiosissimis, voluerint Christum tanquam regem honorare. Atq; talibus muneribus honoravit Jacob Josephum, tanquam dominũ Ægypti, Gen. 43. v. 11.*

12 Divinitus admoniti] χρηματισθέντες. *Videl. divino alloquio seu oraculo. Hinc* χρηματισμός, *divinum responsum seu oraculum, Rom. 11. v. 4.* Ne reverterentur] μὴ ἀνακάμψαι, *i. e.* ἵνα μὴ ἀνακάμψωσι.

13 Ad perdendum] τοῦ ἀπολέσαι. *subaudi* ἕνεκα.

14 Secessit in Ægyptum] *Non quidem rectâ. nam Bethlehemo primùm profecti sunt Hierosolymam ut sisterent Jesum puerulum Domino, ut narratur Luc. 2. v. 22. Deinde Hierosolymâ profecti sunt Nazaretham, ut narratur c. eod. v. 39. Id quod hauddubiè fecit Joseph, ut rem suam domesticam ibi disponeret, & ad iter in Ægyptum sese prepararet. Unde postea revocatus per angelum, rursus Nazaretham cum puerulo & matre ejus reversus est; ut narrat Matthæus c. 2. v. 19. & deinceps.*

15 Usque ad obitum] ἕως τῆς τελευτῆς. *Ad verb. Usq; ad finem, scil. vitæ. Synecd. generis. Hinc* τελευτᾶν, *finire vitam, i. e. mori.* Ut impleretur] ἵνα πληρωθῇ. *Hæc verba non pendent à præcedente verbo* ἦν; *quasi nimirum notetur consilium Josephi quo commoratus sit in Ægypto ad tempus, atque inde rursum exierit. Sed pendent à verbis subintellectis istis,* τοῦτο δὲ γέγονε: *quæ verba in simili sententia exprimuntur suprà c. 1. v. 22. Similis ellipsis erit infrà v. 23.* Per Prophetam] διὰ τοῦ προφήτου. *Scil. Oseam, c. 11. v. 1.* Ex Ægypto &c.] ἐξ Αἰγύπτου &c. *Amplector sententiam Fr. Junii, qui judicat, hæc simpliciter ac propriè dicta de Christo. Adi (si placet) ejus Parallelos. Versus integer apud Prophetam sic sonat:* Quia puer Jisraëlis *est*, ideo diligo eum: & ex Ægypto vocavi filium

meum. *Ubi observandum, nomen antecedens (videl. filii) ex consuetudine Hebræorum postponi. nam regularis collocatio verborū esset hæc: Quia filius meus est puer (i.e. minister) Israëlis (h.e. populi Israëlitici) idcirco diligo eum: & (propter utramq; causam) vocavi eum ex Ægypto: ut scil. in patriam reversus, & Nazarethæ educatus, inde prodiret ad prædicandum Evangelium.*

16 Se illusum esse] ὅτι ἐνεπαίχθη. *Sic quidem suspicabatur Herodes, verba sibi data esse à magis: ut qui non redirent, sicut promiserant: veruntamen illi fidem servaturi fuissent, nisi divino mandato fuissent deterriti: ut percipitur ex v.12. Sententia igitur est, Quum vidisset, magos non reverti ad se, ac proinde suspicaretur illos sibi illusisse. Meton. effic. nam Herodes putabat, voluntatem illudendi esse in causa ut magi non reverterentur.* Et missis spiculatoribus] καὶ ἀποστείλας. *Subaudi, σπεκουλάτορας. qua vox in simili negotio exprimitur à Marco c.6.v.27. Erant autem spiculatores, principum satellites, sic dicti à gerendis spiculis.* A bimulis & infra] ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω. *Post διετοῦς, subaudi παιδὸς. Ad verb. A bimulo & inferius. I. e incipiendo à bimulis & pergendo ad eos qui infra bimatum erant. Potest etiam verti,* A bimatu, *tanquam à nominativo non masculino ὁ διετὴς, sed neutro, τὸ διετὲς, quo modo loquitur Aristot. de Hist. animal. lib. 3. ubi ait,* ἀποβάλλει δὲ τὰ κέρατα μόνον ἔλαφος καθ' ἔτος, ἀρξάμενος ἀπὸ διετοῦς. Secundùm tempus &c.] κατὰ τὸν χρόνον *&c. Hinc perspicitur, Herodem illam infantium cædem distulisse, donec occasionem aliquam seu prætextum in illos sæviendi nactus esset.*

17 Ab Hieremia] ὑπὸ Ἱερεμίου. *Scil. c.31.v.15.*

18 Vox] Φωνὴ. *Videl. vox matrum lamentantium ac deflentium suos pueros à ministris Herodis trucidatos, sicut declarant sequentia. Cæterùm de hujus prophetiæ genuino sensu consule Parallelos Fr. Junii.* In Rhama] ἐν Ῥαμᾷ *Id est, in agro Rama & toto Bethlehemi tractu. Synecd. membri. Rama est nomen urbis, sitæ in tribu Benjaminis: Jos.18.v.25.* Rachel] Ῥαχὴλ. *Pathetica προσωποποιΐα, qua fingitur ipsa Rachel, ut quæ in agro Bethlehemitico sepulta erat, deplorare pueros istos, tanquam ex ipsa ortos. Per Rachelem autem μετωνυμικῶς intelligit matres Bethlehemiticas in vicinia sepulchri Rachelis habitantes. De sepulchro Rachelis vide Gen.35.v.19. & 20. item 1. Sam.10.v.2.* Quia nō supersunt] ὅτι οὐκ εἰσί. *i.e. propterea quòd è medio sublati sunt per ministros Herodis.*

19 Quum autem obiisset] τελευτήσαντος δὲ. *Ad verb. Quum finisset, scil. vitam. Synecd. generis. Obiisse autem ille traditur anno regni sui 37. Christus autem traditur natus esse ante illius mortem annis 4. Unde conficitur, fuisse tunc natum an. 4. & biennium in Ægypto commoratum esse, siquidem bimulus eò est translatus: ut annotavimus supr. v.16.*

20 In terram Israëlis] εἰς γῆν Ἰσραήλ. *Id est, Israëlitarum. Meton. effic. usitatissima.* Qui quærebant animam pueruli] οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου, *i.e. qui quærebant puerulum ad perdendum, ut suprà v.13. Quærere animam, phrasi Hebr. est petere vitam, seu insidiari vitæ. Sic ajebat Elias, Prophetas tuos occiderunt, & ego relictus sum solus: & quærunt animam meam, ut auferant eam: 1. Reg.19.v.10. & 14. Rom.11. v.3. Plurali autem numero significatur Herodes propter copiam ministrorum qui parati erant ad exsequenda illius mandata.*

22 Pro Herode] ἀντὶ Ἡρώδου. *Seu, loco Herodis, videl. jam mortui. Significatur, quòd Herodi in regno successerit.*

23 In urbe] εἰς πόλιν. *Pro ἐν πόλει. Heterosis Hebræa. Sic infrà 4. 13. κατῴκησεν εἰς Καπερναούμ.* Nazareth] Ναζαρέθ. *Syriacè* נְצְרַת *Natzeráth, vel potiùs Notzráth. quod nomen ducitur ab Hebræo* נֵצֶר *nétzer, quo significatur surculus è trunco succiso atq; intermortuo repullulans, & quasi asservato intus succo subolescens: à verbo* נָצַר *natzár, quod significat servare.* Ut impleretur] ὅπως πληρωθῇ. *Subaudi* τοῦτο δὲ γέγονε: *hoc autem factum est, ut suprà v.15.* Per Prophetas] διὰ τῶν προφητῶν. *Videl. per Esaiam, c.11.v.1. & c.60.v.21. & per Zachariam c.6.v.12. Assentior enim clarissimo doctissimoq; viro Fr. Junio, qui Matthæum ad ista loca respicere censet. Quæ quidem loca nos ad hujus loci expositionem huc adscribemus. Igitur Esa.11.v.1. sic legitur,* Prodibit virga è trunco succiso Jesse, & surculus è radicibus ejus efflorescet. *Surculus autem Hebraicè est* נֵצֶר *nétzer: unde dicta urbs Nazareth, & ab illa Christus dictus Ναζωραῖος, qui alibi Ναζαρηνὸς, item ὁ ἀπὸ Ναζαρέθ. Esse autem in illo loco Esaiæ sermonem de Christo, extra controversiam est. Quare sentiendum, prophetam κατὰ τὸ σύζυγον ἢ παρώνυμον, i.e. per nomen conjugatum Nétzer innuere nomen urbis Notzrath, tanquam ab illo denominatum. Alter locus c.60.v.21 sic habet:* Populares tui quotquot erunt justi, in seculum jure hereditario possidebunt terram: ut surculus (nétzer) plantarum mearum opere manuum mearum glorietur. *Hic surculus est Christus Nazarenus, cujus epitheton à loco educationis sumtum Esaias ὑπαινίττεται, i.e. seu obscurè notat. Tertius locus qui extat apud Zachariam, sic habet:* Sic ait Jehova exercituum, dicendo: Ecce virum cujus nomen est GERMEN (Tzémach) qui è loco suo germinabit, & ædificabit templum Jehovæ, *i.e. Christus, germen illud justum, quod Deus Davidi sese excitaturum promisit apud Jeremiam, è loco suo, videl. urbe Nazareth, ubi educabitur, germinabit, i.e. crescet staturâ & sapientiâ apud Deum & homines, atq; inde prodibit ad ædificandum templum Domini per Evangelii prædicationem. Hac expositione stante (ut certè non facilè poterit everti) necesse est ut concidat expositio eorum qui Ναζωραῖον interpretantur Nazaræum, ac putant Matthæum respicere ad Nazaræos V.T. ut qui typum gesserint Christi. Ac alii quidem putant respicere ad Nazaræos illos voluntarios ac votivos, de quibus Num.6. alii verò ad Samsonem Nazaræum natum ex singulari ordinatione Dei. At huic expositioni nec vocabulum, nec res convenit. Nam Nazaræi appellantur* נְזִירִים *nezirim, per literam* ז *Zajin; non autem per* צ *Tzadi: quo modo scribitur hoc loco Syriacum* נָצְרָיָא *notzraja. Et Christus ea fecisse legitur, quæ Nazaræis istis facere non licuit. quippe bibit de vite, mortuos accessit & attigit: & comam non aluisse, verisimile est ex verbis Pauli 1. Cor.11.v.14. & communi Judæorū usu.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 Ex v.1.5.& 6. Observanda est pars argumenti quo demonstratur, Jesum illum Nazarenum esse Christum: videl. quia natus est Bethlehemi, sicut de Christo fuit prædictum per prophetam Mihæam. *Quòd Jesus sit Christus.*

2 Ex v.1, Quærat aliquis, quomodo consentiat hæc historia nati Christi, cum prophetia Patriarchæ Jacobi, Gen. 49. Nam quum Christus hic dicatur esse natus temporibus Herodis regis, i.e. quum Herodes alienigena, nempe Edomæus, rex esset Judææ: videtur sceptrū tunc fuisse à Juda ablatum, contrà quàm fore prædixit Jacobus. Verba enim Jacobi ita habent: *Non auferetur sceptrum à Jehuda, nec legislator è medio pedum ejus, donec veniat Schiloh*, i.e. Christus. Respondeo: Etsi tribus Juda tunc fuit spoliata nomine regio: tamen adhuc habuit regiam aliquam & judicialem authoritatem: quia ex illa tribu constitutum fuit synedrium, i.e. collegium judicum: quorum tanta traditur fuisse autoritas, ut Herodes ab illis ad causam dicendam citatus, vix capitale supplicium effugerit, quia contumaciter se subduxerat. Quos quidem judices omnes paulò pòst Herodes sustulit, teste Josepho, ut scil. nihil prorsus residuum maneret ex stirpe Davidis. Quod ipsum ita futurum, innuebant verba Jacobi, dicentis, *Non auferetur sceptrum à Jehuda, nec legislator è medio pedum ejus, donec veniat Schiloh*, id est, Christus. quasi dicat, At quum ille venerit, mox sceptrum à Jehuda auferetur. *Christi nativitatis tempus secundùm prophetiam patriarchæ Jacobi, Gen. 49.*

3 Ex v.1.2.& 11. In magis proponitur nobis specimen vocationis Gentium jam tum brevi futuræ. Quum autem Deus electos suos vocet per verbum: statuendum est, illos cognitam habuisse prophetiam Dan.9.v.25. ubi tempus adventus Christi accuratè describit. quod tempus quum illi jam propè elapsum animadverterent, ac desiderio Christi cognoscendi tenerentur: Deus hunc illis patefecit per singularem stellam, accommodans sese studiis ipsorum. *Gentium vocatio.*

4 Ex v.2. Quòd Deus istis magis nativitatem Christi patefecit per stellam: in eo perspicimus bonitatem ipsius, quâ fit ut sese nostro captui accommodet. *Bonitas Dei.*

5 Ex v.3. In Herode proponitur nobis imago tyrannorum: qui ad mentionem Evangelii turbantur, metuentes nimirum ne per Evangelii prædicationem minuatur ipsorum potentia. *Tyrannorum ingenium.*

6 Ex eod. v. In civibus Hierosolymitanis proponitur nobis imago ingratitudinis mundi erga Evangelium: cujus lux quum primùm exoriri incipit, mundus turbatur metu turbarum inde exoriturarum. Mavult enim pace terrenâ & commodis corporalibus frui, quàm propter Evangelium per quod pax cælestis & bona spiritualia communicantur, aliquid pati. *Ingratitudo mundi erga Evangeliū.*

7 Ex v.4.7.& 8. Tyranni interdum ad tempus simulant, se teneri studio veræ religionis: sed interim illam unà cum eis qui ipsam profitentur, opprimere moliuntur. Exemplo hîc est Herodes. Sic tempore Zorobabelis, hostes Judæorum volebant unà ædificare templum: eo nimirum consilio, ut illis intermixti personas inter se committerent, & ita opus interverterent, Esr. 4. *Tyrannorum ingenium.*

8 Ex v.5. Quicquid de Christo credimus, de illo testimonium aliquod Scripturæ in promtu habere decet. Sicut hoc loco sacerdotes & scribæ profitentes suam fidem de loco ubi nasciturus erat Christus, mox illud testimonio Scripturæ demonstrant. *Fidei Christi requisitum.*

9 Ex v.6. Verum decus alicujus reipub. (nec non singulorum in ea hominum) consistit in possessione Christi: sicut hoc loco dignitas reipub. Bethlehemiticè, aliàs secundùm carnē exigua, extollitur propter originem Christi ex illa prodituri. Possidetur autem Christus per fidem Evangelii. Huc pertinet illud Jer.9.23. & 24. Ne glorietur sapiens in sapientia sua, neq; glorietur potens in potentia sua, neq; glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, se intelligere & cognoscere me: me esse Jehovam exercentem benignitatem, jus & justitiam in terra. quod dictū citat Paulus 1. Cor.1.v.ult. & 2. Cor.10.v. penult. Similiter ait Jacobus c.1.v.9. Glorietur frater humilis in altitudine sua. *Reipub. decus.*

10 Ex eod. v. Christus est dux populi Dei seu Ecclesiæ. Eam autem pascit ac regit externè quidem verbo Evangelii ac Legis: internè verò per Spiritum sanctum: quippe per quem & in veram verbi intelligentiam & in intellecti verbi fidem atque obedientiam electos adducit. Hic dux præfiguratus olim fuit per Mosen & Josuam, aliosque judices ac reges populi Israëlitici. *Christi regnum.*

11 Ex v.9. Christus non invenitur ductu rationis humanæ, sed patefactionis divinæ. Sicut videmus, magos quum rationis humanæ judicium secuti, Christum quærerent in urbe regia Hierosolyma, eum non invenisse: at tum demum invenerunt, quum verbo *Christi cognitio unde nascatur.*

verbo

verbo Dei, videl. prophetiâ Michææ, edocti, illum quæsiverunt Bethlehemi, ac illò per stellam divinitus oblatam deducti sunt.

Christi cognitio quid ex se pariat. 12 Ex v. 10. Nullâ re magis nos gaudere decet, quàm qum Christum invénimus, sicut videmus fecisse magos. Invenitur autem hodie Christus, quum per doctrinam Evangelii in veram ipsius notitiâ pervenitur. Similis gaudii exempla vide in Zachæo, Luc. 19. v. 6. in Andrea, Joh. 1. v. 42. in Lydia, Actor. 16. v. 15.

Christi adoratio. 13 Ex vers. 11. Exemplo magorum debemus & ipsi Christum adorare: idque non solùm civiliter ut hominem, sicut illi videntur adorasse: sed etiam religiosè ut Deum. Talis adorationis exempla vide in Petro, Luc. 5. v. 8. in illo cæco nato. Joh. 9. v. 38. in Stephano, Act. 7. in fine. Cavendus autem error Ubiquitatiorum: qui volunt religiosè adorari ipsam carnem Christi, quo fit, ut confundant proprietates naturarum in Christo. Etenim adoratio propriè debetur naturæ divinæ, juxta illud: Jehovam Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies.

Eleemosyna. 14 Ex eod. v. Exemplo magorum debemus & ipsi Christo offerre munera. Sed quum ille jam muneribus nostris non egeat; commendarit autem nobis pauperes in ipsum credentes, Matth. 26. v. 11. atque adeò quicquid in hos beneficii contulerimus, eo loco habere velit, ac si in ipsum met benefici fuissemus, Matt. 25. v. 40. restat ut beneficentiam in egenos alacriter exerceamus: unusquisq; pro suis facultatibus. Etenim si priùs adsit promtus animus, acceptus est aliquis pro eo quod habet, nō pro eo quod non habet, 2. Cor. 8. 12. Et vidua illa paupercula, quæ duo minuta in gazophylacium contulerat, judice Christo plus contulit quàm reliqui omnes, qui ut erant divites, contulerant summam majorem, Marc. 12.

Providentiæ Dei exemplum in procurando piis victu. 15 Ex eod. v. Deus providentiâ suâ mirabiliter prospicit inopiæ suorum, ne quid illis desit rerum ad hanc vitam tolerandam necessariarum. Sicut videmus hoc loco prospexisse parentibus Christi, per munera magorum: quum propediem ipsis foret fugiendum in Ægyptum. nam ipsos fuisse pauperes, apparet ex ratione oblationis quam secundùm legem obtulerunt pro Christo, quum eum sisterent Domino in templo, Luc. 2. v. 24. Confer exemplum familiæ Jacobi, Gen. 45. v. 7. & seq. item Eliæ, 1. Reg. 17. & 19. Discamus igitur Deo fidere.

Providentiæ Dei exemplum in piis protegendis. 16 Ex v. 12. Deus providentiâ suâ mirabiliter excubat super eos, quos ex insidiis tyrannorum vult eripere, sicut videmus excubasse super Christum, monendo magos, ne ad Herodem reverterentur: ne scilicet ei innotesceret ubi esset Christus, quem ille quærebat ad necem.

17 Ex v. 13. Hic recurrit eadem observatio quam annotavimus ex v. 12. de providentia Dei excubante super pios, ut ipsos eripiat ex insidiis impiorum: sicut videmus monitum divinitus fuisse Josephum, ut cum Christo fugeret in Ægyptum, atque ita elaberetur è manibus Herodis.

Fuga periculorum. 18 Ex eod. vers. Fugere pericula licet: atq; adeò ne Deum tentemus, fugere illa oportet: nisi quis impediatur officio. Etenim Josepho mandavit Deus, ut cum Christo fugeret propter periculum imminens ab Herode. Similiter & Christus ipse non semel *a* fugit cùm vim apertam tum insidias inimicorum: & Apostolos in tali casu fugere *b* jussit. Et sic Apostolus Paulus *c* fugâ se subduxit ex urbe Damasco, ut elaberetur è manibus regis Aretæ.

a Matth. 12. v. 15. Joh. 7. v. 8. Joh. 1. v. ult. b Matth. 10. v. 23. c 2. Cor. 11. v. 32. 33.

Christi regnum. 19 Ex eod. v. Quòd Christum oportuit servari fugâ, eo admonemur, regnum ejus non esse de hoc mundo: sed in hoc mundo Ecclesiam subjectam esse persecutionibus. Quare quum idem nobis accidit, non est quod murmuremus: sed potiùs lætemur, nos Christo capiti nostro conformari.

Providentia Dei in piis liberandis. 20 Ex eod. v. Deus suâ providentiâ tempora definit, quibus suos à miseriis liberet. Sicut Angelus Josepho præcipit, ut cum Christo in exilio maneat ad certum tempus, quo nimirum Deus illos ab exilio revocare decreverat. Quare in miseriis constituti, tempus liberationis à Deo decretum esse sciamus, illudq; proinde patienter exspectemus. Sic Deus olim præfinivit annos quadringentos, quibus populus ipsius detineretur sub tyrannide Ægyptiorum: Sic præfinivit annos septuaginta, quibus Juda detineretur in exilio Babylonico.

Providentia Dei in piis protegendis. 21 Ex eod. v. Deus consilia tyrannorum contra pios videt: sicut apparet in exemplo Herodis, quem videbat quærere Christum ad perdendum. Quare confidamus, ipsum nos contra hostilia tyrannorum consilia protecturum, eaque nobis maturè patefacturum, ut possimus periculum evitare, sicut monuit Josephum de Herode.

Mediis ad evitandum pericula utendum. 22 Ex v. 14. Providentiâ Dei ac promissionibus de nostri in periculis conservatione ita debemus confidere, ut interim media, quæ ad manum sunt, non negligamus: sed in illis utendis industriam adhibeamus. Sicut Joseph acceptâ promissione per Angelum de conservatione sui ac suorum per fugam in Ægyptū, adhibuit industriam in fuga adornanda, ut qui fugerit nocte: ne scilicet deprehenderetur ac regi inquirenti proderetur. Item ne moram necteret, sed quam celerrimè se subduceret. Simile exemplum vide Actor. 27. ubi Paulus acceptâ per Angelum promissione de conservatione ipsius & reliquorum vectorum è naufragio: impedivit tamen ne nautæ effugerent, inquiens: Nisi isti in navi manserint, vos servari non potestis.

Quòd Jesus sit Christus. 23 Ex v. 15. Observanda pars argumenti, quo demonstratur, Jesum illum Nazarenum in quem credimus, esse Christum: quia scil. Deus illum ex Ægypto vocavit, sicut de Christo prædictum fuerat per Oseam.

Tyrannorum mos. 24 Ex v. 16. Tyranni ut libidinem atque crudelitatem suam satient in iis quos oderunt: ne illis quidem parcunt, à quibus sese læsos non putant. sicut Herodes ut è medio tolleret Christum, quem regno suo interitum allaturum metuebat: non pepercit pueris Bethlehemiticis, à quibus tamen nec læsus erat, nec læsum se iri poterat metuere.

Infanticidiū Herodis cur à Deo permissum. 25 Ex eod. v. Quærat hic aliquis, cur Deus permiserit Herodi ita sævire in innocentes infantes? Respondeo: Etiamsi nullam possemus afferre consilii divini causam, tamen quin justè id permiserit, dubitare nobis non licet. Etenim judicia Dei omnia justa sunt. Et quanquam infantes illi fuerunt innocentes coram hominibus, non tamen coram Deo: quippe coram quo nemo est innocens, ne unius quidem diei, imò ne unius quidem horæ infans. peccàrunt enim omnes in lumbis Adami, ac proinde peccatores nascuntur. Sed Deus quum corporales afflictiones hominibus immittit, non semper id facit ad puniendum ipsorum peccata: sed interdum propter alios fines: puta ad castigandum, & per castigationes adducendum ad resipiscentiam ac salutem, vel ad explorandum fidem & in ea confirmandum, vel ad conformandum eos Christo per martyrium. Atque hæc postrema causa in istis infantibus videtur locum habere. Quo fit ut in isto exemplo imago nobis proponatur conditionis Ecclesiæ in hoc mundo: nempe quòd propter Christum cui tanquam capiti adhæret, subjecta sit persecutionibus. Contra quas quidem persecutiones certissimum hoc solatium habent omnes veri Christiani, fore ut cum Christo, cum quo jám affliguntur, etiam glorificentur ac regnent. *Ecclesiæ conditio in hoc mundo.*

Quòd Jesus sit Christus. 26 Ex v. 17. & 18. Observanda pars argumēti quo demonstratur, Jesum esse Christum: quia scil. propter ipsum interfecti sunt pueri Bethlehemitici, sicut prædictum fuerat per Jeremiam.

Providentia Dei in protegendis piis. 27 Ex v. 19. & 20. Deus suos tempestivè monere solet, ut saluti suæ prospiciant. sicut monuit Josephū de reditu in terram Israël, ubi jam tutò posset habitare. Sic paulò ante obsidionem & eversionem postremam urbis Hierosolymæ, monuit (teste Eusebio) pios ut urbe excederent: cui monitioni obtemperantes illi, contulerunt se in oppidum Pellam, atque ita periculum evaserunt. *Eccles. histor. lib. 3. cap. 5.*

Obedientiæ erga Deum exemplum. 28 Ex v. 21. In Josepho iterum nobis proponitur exemplum promtæ atque alacris obedientiæ erga mandata Dei, sicut supra cap. 1. v. 24. & hoc capite v. 14.

Pericula vitanda. 29 Ex v. 22. In Josepho proponitur nobis exemplum pii metus in declinando periculo. timuit enim se cum Christo puero conferre in Judæam, ne occasionem præberet Archelao filio Herodis hostile aliquid, more patris, contra Christum suscipiendi.

Bonitas Dei erga pios. 30 Ex eod. vers. Deus pios ac timentes sui, quum animis perplexi sunt, tempestivè monet quid facto opus sit: sicut Josephum perplexum, quò se cum puero conferret, monuit de certo loco.

Quòd Jesus sit Christus. 31 Ex v. 32. Observanda pars argumenti quo probatur, Jesum esse Christum: quia scil. educatus est in urbe Nazareth: sicut prædictum fuerat per Prophetas, videl. Esa. 11. v. 1. & cap. 60. v. 21. ubi Christus appellatur Netzer, id est, surculus. item Zachar. 6. v. 12. ubi nominatur Tsémach, id est, Germen, & dicitur germinaturus è loco suo (videl. loco educationis, urbe Nazareth) ad ædificandum templum Jehovæ, prædicatione scilicet Evangelii.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hîc incipit tertia libri pars quæ agit de munere Christi prophetico: ubi primùm narratur præparatio ad illud, ab initio hujus capitis usq; ad v. 12. sequentis: deinde ipsa illius administratio, inde usq; ad c. 26. Cæterùm in præparatione primò narratur, quomodo præparati sint auditores, usq; ad v. 13. hujus capitis: deinde quomodo præparatus sit ipse Christus: idq; partim per solennem seu publicam consecrationem, in altera hujus capitis parte: partim per privatam & arcanam tentationem, in prima parte capitis sequentis. Cæterùm in hoc capite duo narrantur. Primum prædicatio Johannis Baptistæ, quæ auditores præparavit Christo, usq; ad v. 13. Deinde baptizatio Christi: quâ peractâ, consecratus fuit voce Patris & insessione Spiritus S. ad muneris sui functionem.

PARS PRIMA.

Prædicatio Johannis Baptistæ.

Temporibus autem illis advenit Johannes Baptista, prædicans in deserto Judææ.

2 Dicensque, Resipiscite. appropinquavit enim regnum cælorum.

3 Nam hic est ille, de quo dictum est per Esaiam Prophetam, dicentem, Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, complanate semitas ejus.

4 Ipse verò Johannes habebat vestimentum suum è pilis cameli, & zonam pelliceam circum lumbos suos: alimentum autem ejus erat locustæ, & mel sylvestre.

5 Tunc exivit ad eum Hierosolyma, & tota Judæa, totaque *regio* circumjacens Jordani.

6 Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.

7 Quum vidisset autem multos ex Pharisæis & Sadducæis venientes ad baptismum suum, dixit eis, Progenies viperarum, quis vobis præmonstravit quâ effugiatis futuram illam iram?

8 Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ.

9 Et ne putetis *vobis* dicendum apud vosipsos, Patrem habemus Abrahamum: dico enim vobis, Deum posse etiam ex lapidib⁹ istis excitare liberos Abrahamo.

10 Jam verò etiam securis ad radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor non ferens fructum bonum, exciditur, & in ignem abjicitur.

11 Ego quidem baptizo vos aquâ ad resipiscentiam: is verò qui pone me venit, validior me est, cujus non sum dignus qui soleas portem: ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni.

12 Cujus ventilabrum in manu ipsius, & perpurgabit aream suam: & coget triticum suum in horreum, paleam autem exuret igni inexstinguibili.

De prædicatione Johannis ordine narrantur hæc decem. 1. tempus quo illam incepit. 2. locus ubi eam exercuit. 3. summa illius. 4. prophetia Esaiæ de illa. 5. vestitus ipsius. 6. victus. 7. auditores. 8. ritus quo discipulos initiavit Christo. 9 quibus verbis alloquutus sit Phariseos & Sadduceos, reprehendens illorum hypocrisin, exhortans eos ad seriam resipiscentiam; eisque adimens gloriationem de suo ortu. 10. Quomodo testimonium dederit Christo: commendans tum ipsius præstantiam, tum muneris & prophetici & regii administrationem.

PARS SECUNDA.

Baptizatio Christi.

13 Tunc advenit JESUS à Galilæa in Jordanem ad Johannem, ut baptizaretur ab eo.

14 At Johannes obnixè prohibebat eum, dicens, Ego necesse habeo à te baptizari, & tu venis ad me?

15 Respondens autem Jesus dixit ad eum, Sine nunc. ita enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc sinit eum.

16 Et baptizatus Jesus ascendit statim ex aqua, & ecce aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem tanquam columbam, & venientem super ipsum.

17 Et ecce vox è cælis, dicens, Hic est filius ille meus dilectus in quo acquiesco.

De baptizatione Christi narrantur ordine hęc quatuor. 1. quomodo baptismum à Johanne petierit. 2. quomodo Johannes baptizare eum recusarit. 3. quomodo idem Christo instanti cesserit. 4. quid illo baptizato acciderit, seu quomodo tum symbolo visibili Spiritus sancti, tum voce patris cælitus demissâ ad munus prophetæ sit consecratus.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Temporibus autem illis] ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις. *Videl. anno decimoquinto imperii Tiberii Cæsaris, Luc.3.v.1. quum Jesus jam esset educatus atque adolevisset Nazarethæ; imò quum jam esset vir, natus circiter triginta annos: ut colligitur ex collatione sequentium. Etenim paulò post à Johanne fuit baptizatus, infr.16. quo tempore incipiebat esse annorum quasi triginta, Luc.3.v.23.* Advenit] παραγίνεται. *Tempore præsenti. Modus loquendi narrationibus accommodatus: quo simul videtur notari inopinatum quiddam. Sic infrà v.13. Hic loquendi modus Johanni in suo Evangelio familiarissimus est.* Johannes] Ἰωάννης. *Hebr.* יוחנן *Jochanan: pro quo Syri dicunt Juchanan, id est, Jehova gratiam præstitit. Sic nimirum dictus fuit ab argumento suæ prædicationis: quia prædicabat gratiam Dei in Christo jam tum exhibito. De hujus Johannis parentibus, conceptione, nominis impositione, & deniq; insignibus miraculis quæ circa illum acciderunt, vide Lucam cap.1.* Baptista] ὁ βαπτιστής. *Sic cognominatus ad discrimen Johannis Apostoli: idq; ex eo quòd primus baptismum, novi Testamenti sacramentum, administravit.* Prædicans] κηρύσσων. *Videl. accepto speciali mandato, Luc.3.v.2.* In deserto Judææ] ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας. *Non videtur hoc ita accipiendum, quasi se abdiderit in intimas deserti partes, sed videtur se continuisse circa deserti aditum seu partes anteriores: quia Lucas ait, eum venisse in omnem regionem circumjacentem Jordani, Luc.3.v.3. & ibidem habitavit illius pater Zacharias in urbe quadam Juda: ut colligitur ex verbis Luc.1.v.39. & 40. Et sanè Jos. 15.v. 61. sorti tribus Juda assignantur sex civitates in deserto sitæ, quæ & villas suas habuerunt.*

2 Resipiscite] μετανοεῖτε. *Id est, dolentes de admissis peccatis, confugite ad gratiam Dei in Christo, & posthac studete vitæ emendationi. De discrimine inter voces μετάνοιας & μεταμελείας vide annotat. D. Bezæ.* Appropinquavit enim regnum cælorum] ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. *Id est, appropinquavit enim illud tempus quo resipiscentibus & in Christum credentibus clarè annuntiabitur remissio peccatorum propter Christum, ut qui pro illorum peccatis satisfecerit. Per regnum cælorum igitur intelligitur prædicatio Evangelii per quam Christus regnum suum spirituale exercet in electis, & eosdem ad regnum illud cæleste præparat. Hæc expositio confirmatur verbis Christi, dicentis: non surrexisse quidem majorem Prophetam (id est, Ecclesiæ doctorem) Johanne Baptistâ: veruntamen eum qui minimus sit in regno cælorum, majorem esse illo. Est igitur in ista appellatione metonymia effecti. Cælorum autem dicitur hoc regnũ spirituale, quia plenitudo illius continget demum electis quũ translati fuerint in cælũ.*

3 Ille de quo dictum est per Esaiam Prophetam] ὁ ῥηθεὶς ὑπὸ Ἠσαΐου τοῦ προφήτου. *Ad verb. Ille qui dictus est ab Esaia Propheta.* Vox clamantis] φωνὴ βοῶντος. *Totus locus Esaiæ sic habet, ex versione recentiorum:* Voce clamantis. In deserto parate viam Jehovæ, adæquate in solitudine aggerem Deo nostro: omnis vallis attolletur, & omnis mons collisque deprimentur: & abibit quod curvum est in planum, & salebrosa in convallem: ut reveletur gloria Jehovæ, & videant omnis caro pariter; os Jehovæ locutũ esse. *Ex quorum verborum collatione apparet, post verbum* clamantis, *apponendam notam incisi: quum à verbis illis,* In deserto, *incipiat prosopopœia seu verba Johannis Baptistæ per mimesin recitata. Cui distinctioni videtur favere tum ipsa scriptura Hebraica, tum sequentis membri collatio: quippe ubi illa verba,* In deserto, *videntur repeti more prophetico per ista synonyma seu ἰσοδυναμοῦντα,* In solitudine. *Deinde observandum, verba illa,* Voce clamantis, *pendere ac regi ab illis sequentibus,* Omnis vallis attolletur, &c. *Veruntamen Evangelista videtur ista verba,* In deserto, *adjunxisse præcedentibus absq; distinctione, respiciens ad id quod dixerat, Johannem Baptistam prædicasse in deserto. Et hæc distinctio reperitur quoq; apud Lucam c.3 v.4. qui quidem videtur transcripsisse hunc locum ex versione Græca quæ nominatur LXX. ubi eadem distinctio extat. Quin etiam Hebraica accentuũ notæ istam syntaxin videntur admittere. Præterea quum in Græco non sit φωνῇ βοῶντος, casu scil. dativo: sed φωνὴ βοῶντος, casu nominativo; quem etiam Hebræa vox admittit: videtur esse ellipsis verbi* Erit; *sic,* Erit *(id est, veniet)* vox clamantis, *hoc est, Johannes Baptista, per quem Deus clamabit in deserto. In quẽ sensum ipsemet hanc prophetiam sibi accommodat Joh.1.v.13 ubi ait,* Ἐγὼ φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ. *Ego sum vox clamantis in deserto. Ac tum per ἀσύνδετον adjungentur illa verba. Omnis vallis implebitur, &c. Hinc jam liquere potest, duo in istis verbis de Johanne Baptista prædici: primum summam prædicationis ejus ibi,* Parate, &c. *deinde effectum, ibi,* Omnis vallis attolletur. *Quem effectum prædicationis Johannis, Angelus Luc.1.v.16. & 17. exponit his verbis:* Multosque filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. nam ipse præcedet in conspectu ejus, cum spiritu & virtute Eliæ; ut convertat corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam justorum: ut paret Domino populum instructum. Parate viam Domini, &c.] ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, *&c. Id est, Resipiscite, atq; ita præparate corda vestra ad gratiam quam Dominus suo adventu vobis adfert & per Evangelium communicare vult. Metaphora à subditis qui adventante domino viam parant, ut absq; obstaculo aut impedimento possit ingredi.* Complanate] εὐθείας ποιεῖτε. *Ad verb. Rectas facite: seu facite ut sint recta, id est, plana & æquabiles, secundum lineam scil. rectam figuratæ,* schnůrechen. Semitas ejus] τὰς τρίβους αὐτοῦ. *Per quas ei transeundum est.*

4 Ipse verò Johannes] Αὐτὸς δὲ Ἰωάννης. *Appositio πλεοναστική: quia sufficiebat alterutrum, sive pronomen, sive nomen. quanquam expressio nominis videtur addita ad tollendum pronominis ambiguitatem: ne sequentibus nondum animadversis, referretur ad nomen κυρίου proximè præcedens. Sic Germanicè,* Er aber/der Johannes. *Simile exemplum exstat Marc. ult. v.14.* ὕστερον ἀνακειμένοις αὐτοῖς, τοῖς ἕνδεκα, ἐφανερώθη. *Postea discumbentibus ipsis, nempe illis undecim, sese patefecit.* E pilis cameli] ἀπὸ τριχῶν καμήλου. *Id est, è pelle camelæ habente adhuc suos pilos. Synecd. membri. Talis enim fuit vestis Prophetarum: ut videre est de Elia 2.Reg.1.v.8. & de falsis Prophetis, Zach.13.v.4. Errant igitur qui putant, vestem Johannis factam fuisse ex tela contexta è pilis camelorum, quam nostri homines voce à Gallis acceptâ & à camelo deductâ, vocant* schamlot. *Talis quippe vestis est ex genere mollium ac splendidarum: quod genus de Johanne Christus expressè negat infr.11.v.8.* Et zonam pelliceam] καὶ ζώνην δερματίνην. *Tali zonâ sive cingulo accingi quoq; solitus fuit Elias, ut videre est 2.Reg.1.v.8.* Locustæ] ἀκρίδες. *Fuisse locustas cibo in C. iente, patet ex Lev.11.v.22. ubi Israëlitis in cibum permittuntur. Apparet autem, fuisse cibum vilem ac parabilem. Plin. lib.6.c.30. meminit, partem quandam Æthiopum locustis tantùm vivere, fumo & sale duratis in annua alimenta. Et lib.11.c.29. scribit, Parthis has in cibo esse gratas. Sic dictæ sunt Græcis, παρὰ τὸ τὰς ἄκρας τῶν φυτῶν νέμεσθαι, ex eo quòd extrema plantarum depascant.* Mel sylvestre] μέλι ἄγριον. *Hoc genus describitur à Plinio Nat. hist. lib. 11.c.16. his verbis: Tertium genus mellis, minimè probatum, sylvestre: quod ericæum vocant. Convehitur post primos autumni imbres, quum ericæ sola floret in sylvis, ob id arenoso simile.*

5 Exivit

5 Exivit Hierosolyma] ἐξεπορεύετο ἱεροσόλυμα, &c. *Id est, incolæ urbis Hierosolymæ & totius Judææ, &c. Metonymia subjecti: ponitur enim continens pro contento. Est autem nomen ἱεροσόλυμα positum numero singulari, idq; ἀκλίτως: ut suprà 2. 3. Regio* circumjacens] ἡ περίχωρος. *Supple χώρα vel γῆ.*

7 Progenies viperarum] γεννήματα ἐχιδνῶν. *Sic eos vocat, quòd viperas ingenio referrent: juxta proverbium, Mali corvi malum ovum. Porrò de vipera sic scribit Plinius hist. nat. lib. 11. c. 37. Viperæ dentes gingivis conduntur. Hæc eadem prægnans veneno, impresso dentium repulsu virus fundit in morsus. Hæc ille: quæ ad Pharisæos & Sadducæos sic videntur posse accommodari. Sicut viperæ videntur innoxiæ nec ad mordendum aptæ, quum dentes earum condantur gingivis: ita isti videbantur innocentes, quia malitia ipsorum condebatur atq; occultabatur hypocrisi, id est, specie sanctitatis. Deinde sicut vipera prægnans est veneno: sic isti prægnantes erant malitiâ & cupiditate nocendi piis. Deniq; sicut vipera impresso dentium repulsu virus fundit in morsus: sic isti virus maledicentiæ & falsæ doctrinæ fundebant.* Quis vobis præmonstravit quâ effugiatis futuram illam iram?] τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς. *Id est, quâ viâ effugere possitis: τὴν ὁδὸν τοῦ φυγεῖν. Ellipsis. Et φυγεῖν ἀπὸ τῆς ὀργῆς: pro, ἀποφυγεῖν τῆς ὀργῆς: quo modo loquitur Petrus, quum ait, ἀποφυγόντες τῆς φθορᾶς, 2. Pet. 1. v. 4. Et ira pro suppliciis gehennæ ex justa Dei judicio ira immittendis: metonymia efficientis. Articulus autem notat rem omnibus in Dei populo notã & cõfessam.* Quis, &c.] τίς, &c. *Quasi dicat, Miror si quisquã extitit cui rectè monẽti aures præberetis.*

8 Ferte igitur] ποιήσατε οὖν. *q. d. Ut igitur futuram illam iram effugere possitis, seriò resipiscite.*

9 *Vobis* dicendum] λέγειν. *Scilicet* δεῖν ὑμᾶς. Dicendum apud vos ipsos] λέγειν ἐν ἑαυτοῖς. *Id est, in animis vestris, hoc est, cogitandum, Phrasis Hebrææ passim obvia.* Patrem habemus Abrahamum] πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ. *Subintellige: Ac proinde ad nos pertinet promissio vitæ æternæ, facta Abrahamo ac semini ejus. Synecdoche membri metonymica, quâ unà cum causa intelligitur effectum. Estq; hîc tropus in verbis conjunctis, in ipsa scil. phrasi.* Deum posse etiam ex lapidibus, &c. ὅτι δύναται ὁ Θεὸς, &c. *Sententia est: Tametsi secundùm carnem orti estis ex Abrahamo: tamen non estis propterea filii illi Abrahami ad quos pertinet promissio vitæ æternæ. quia hæc ad illos demũ pertinet qui imitantur Abrahami fidem ac pietatem. Nec verò est quòd putetis, Deum fore vanũ in sua promissione, nisi eam impleat in vobis, quum nulli sint alii filii Abrahami. nam Deus potius ex lapidibus istis crearet Abrahamo filios, quàm ut promissionem suam non impleret.*

10 Jam verò etiam securis &c.] ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη, &c. *Allegoria metaphorica, quâ denuntiat Judæis impœnitentibus pœnas divinas. q. d. Deus decrevit brevi perdere ex vobis quotquot ad meam & Christi atq; Apostolorum prædicationem non resipuerint. Intelligit autem pœnas tum temporales tum æternas: quarum illis affici cœperunt; quum Hierosolyma per Romanos est vastata, ipsiq; partim gladio, partim fame perierunt, reliqui verò in exilium dispersi, in quo hodieq; hærent.*

11 Aquâ] ἐν ὕδατι. *Præpositio ἐν redundat ex Hebraismo, ubi est nota causæ instrumentalis.* Ad resipiscentiam] εἰς μετάνοιαν. *Vel, in resipiscentiam. sicut alibi dicuntur homines baptizari in remissionem peccatorum, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, Act. 2. v. 38.* In resipiscentiam *autem, id est, in testimonium resipiscentiæ, ut nimirũ susceptione Baptismi testatum faciatis vos resipuisse & in dies magis ac magis resipiscere velle. Sed simul hîc intelligendum, Johannem baptizasse quoq; in remissionem peccatorum, hoc est, in testimonium remissionis peccatorum, ut nimirum nomine Dei testatum faceret resipiscentibus & in Christum credentibus, peccata ipsis remissa esse propter Christum, agnum illum Dei, tollentem peccatum mundi. Vide Act. 19. v. 4. item Luc. 3. v. 3.* Is verò qui ponè me venit] ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος. *Id est, qui me à tergo sequitur, ut discipulus præceptorem. Vide scholia nostra in Joh. 1. v. 15. Nam adverbium ὀπίσω propriè est loci. Potest tamen per catachresin accipi de tempore: quasi dicat, is qui paulò post me surrecturus est ad docendum.* Validior] ἰσχυρότερος. *Vel robustior. Innuit potentiam Christi divinam, per quam baptizat Spiritu sancto: sicut ipse mox declarat.* Dignus] ἱκανός. *Ad verbum,* sufficiens, *vel,* idoneus. Qui soleas portem] τὰ ὑποδήματα βαστάσαι. *Id est, ut operam servilem aliquam vel vilissimam ei præstem. Synecdoche speciei: eaq; non in una aliqua voce, sed in ipsa phrasi. Quare præceptum illud Rhetoricum, quòd tropus sit in singulis vocibus, non item in conjunctis: non fuerit τοῦ παντός. Plura exempla vide in Rudimentis nostris Rhetoricis. Cæterùm pro hoc apud cæteros Evangelistas habetur,* Non sum dignus ut solvam corrigiam calceamentorum ejus. *Simili synecdoche proverbiali. Nec est pugna inter hæc. nam sensu conveniunt: & potest fieri ut utrumq; dixerit.* Vos] ὑμᾶς. *Id est, vestrûm aliquos: videl. Apostolos, ut planum fiet ex iis quæ mox dicentur. Synecdoche integri.* Baptizabit] βαπτίσει. *Videlicet in die pentecostes. sic enim declarat Christus ipse Act. 1. v. 5. ubi ad hæc Johannis verba respiciens, ait Apostolis:* Johannes quidem baptizavit aquâ: vos autem baptizabimini *(nempe à me)* Spiritu sancto, post dies istos non multos: *id est, post dies decem, ipso scil. die pentecostes: ut planũ evadit ex collatione v. 3. c. 1. & v. 1. c. 2.* Spiritu sancto & igni] ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. *Præpositio ἐν redundat, ut paulò antè. Cæterùm duo hæc intelligi oportet adhibitâ distinctione: nempe Spiritu S. internè: igni verò externè, tanquam illius symbolo. Vide complementũ Act. 2. v. 3. & 4. Confer etiam cap. 10. v. 44. & sequentibus: nec non cap. 19. v. 5. Porrò Spiritus sancti vocabulo ita hîc intelligit donum illud miraculosum, linguarum ac prophetiæ, ut simul innuat donum regenerationis: quod Christus per Spiritum S. confert electis in prædicatione Evangelii, per baptismum verò aqua figurat & obsignat. unde Joh. 1. v. 33. Johannes Baptista narrat, sibi à Deo dictũ esse de Christo.* Hic est qui baptizat Spiritu sancto. *quanquam illic potest statuy enallage temporis: ut dictum sit, ὁ βαπτίζων, pro ὁ βαπτίσων. Etenim ex isto Dei testimonio Johannes hæc verba de Christo pronuntiavit, quæ hîc habentur.*

12 Cujus ventilabrum, &c.] οὗ τὸ πτύον, &c. *Allegoria metaphorica, quâ significantur effecta prædicationis Evangelii. Etenim populum Israëliticum comparat areæ seu tritico purgando in area posito: electos Israëlitas comparat tritico puro, reprobos paleæ: Christum ventilatori; Evangelium ventilabro: Evangelii prædicationem ventilationi seu areæ purgationi: cælum horreo; cruciatus infernales igni inextinguibili: collectionẽ electorum in cælum collectioni tritici in horreum: supplicia infernalia reproborum exustioni paleæ. In summa significat, per prædicationem Evangelii electos Israëlitas collectum iri in cælum ad fruendum gaudio & gloria æterna: reprobos verò ad judicatum iri cruciatibus sempiternis in gehenna sustinendis. Confer Joh. 3. v. 18. & 19. & cap. 9. v. 39. item 2. Cor. 2. v. 15 & 16.*

13 Tunc advenit] τότε παραγίνεται. *Ut suprà v. 1.* A Galilæa] ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας. *Videl. ab urbe Nazareth, ubi fuerat educatus: supr. c. 2. v. ult. Marc. 1. v. 9.* Ut baptizaretur] τοῦ βαπτισθῆναι. *Scil. ἕνεκα. Cur autem baptizari voluerit, significatur paulo-post v. 15.*

14 Obnixè prohibeat] διεκώλυεν. *Adverbii Latini vis est in præpositione Græca διὰ, quæ continetur in verbo διεκώλυεν, quasi dicat, perstitit in instituto prohibendi. Hinc autem perspicitur, quòd Johannes jam tum cœperit Christum agnoscere: idq; haud dubiè per revelationem Spiritus sancti. Quòd autem datum ei fuerat symbolum descendentis Spiritus sancti. unde Christum agnosceret, Joh. 1. v. 33: id non est intelligendum de prima agnitione, sed de confirmatione notitiæ. Sicut Mosi dictum fuit, fore ut cognosceret, se à Jehova missum ad populum Dei ex Ægypto educendum, quum sacrificaturi essent in isto monte, Exod. 3. v. 12.* A te] ὑπὸ σοῦ. *Rectè expresso accentu in pronomine σοῦ, propter emphasin antitheseos. Extra quem casum fortasse locum habet ἔγκλισις, ut scribendum sit ὑπό σου.* Et tu venis &c.] καὶ σὺ ἔρχῃ &c. *Interrogatio habet significationem prohibendi seu dehortandi. q. d. Non igitur debebas venire ad me, baptismi suscipiendi causâ.* Ad me] πρός με. *Scribendum πρὸς μὲ, sine enclisi: propter causam antè dictam.* Sine nunc] ἄφες ἄρτι. *Scil. Fieri id quod peto, nempe βαπτισθῆναί με ὑπὸ σοῦ, baptizare me à te: ex fine vers. 13. Sic utitur verbo* Sinendi *Terentius: ut Andr. act. 1. scen. 1. Sine nunc meo me vivere interea modo. Item act. 5. scen. 5. Sine te hoc exorem. Et verbum hoc* Sino *Græco illo reddidit Plutarchus in problemate Rom. ubi ait,* τὸ δὲ ἀφεῖναι, SINERE, καὶ SINE λέγουσιν ὅταν ἀφεῖναι παρακαλῶσι. Implere omnem justitiam] πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην. *Id est, perficere omne officium utriq; nostrûm à Deo mandatum.* Sinit eum] ἀφίησιν αὐτόν. *Scilicet βαπτίζεσθαι, baptizari: ut paulò antè. Id est, baptizat eum sicut petebat. Sic Marc. 5. v. 19.* οὐκ ἀφῆκεν αὐτόν. *Jesus autem non sivit eum, scilicet ut esset cum ipso, nempe ille è quo ejecerat legionem dæmoniorum.*

16 Ascendit] ἀνέβη. *Ergo descenderat, ac in ipso flumine baptizatus fuerat. Confer Act. 8. & 19.* Ei] αὐτῷ. *Scilicet Johanni: ut liquet ex verbis sequentibus. Confer exemplum Stephani Actor. 7. v. 55. & 56. Vel Ei: id est, suprà eum: scil. Jesum. Sicut Actor. 2. v. 3.* καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς γλῶσσαι. *Et visæ sunt eis linguæ: id est supra eos, scilicet Apostolos.* Et vidit] καὶ εἶδε. *Scil. Johannes: ex collatione* Johan. 1. v. 32. 33. 34. Tanquam columbam] ὡσεὶ περιστεράν. *Id est, Specie corporeâ columbæ: ex collatione Luc. 3. v. 22.* Super ipsum] ἐπ' αὐτόν. *Scilicet Jesum.*

17 Vox è cælis] φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν. *Scil. ἐγένετο. Exstitit, quod verbum exprimunt Marcus & Lucas.* Hic est &c.] οὗτός ἐστιν &c. *Marcus & Lucas habent, Σὺ εἶ &c. Tu es &c. eodem sensu. Nam sive hoc, sive illo modo dictum fuit; utrumq; pertinuit ad Christum populo indicandum. Cæterùm eadem verba iterum pronuntiata fuerunt, quum Dominus transfiguraretur in monte, sed cum ista clausula,* Ipsum audite: *infr. c. 17. v. 5. Quæ clausula si in baptismo Christi non fuit pronuntiata: tamen sententia pronuntiata huc tendit. Ideo enim spectante atq; audiente populo pronuntiat Deus, hunc esse filium illum suum dilectum, in quo ipse acquiescat: ut sciant, hunc sibi esse audiendum.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex tribus primis versibus. Notanda est pars argumenti quo probatur, Jesum illum Nazarenum esse Christum: quia scilicet præcursorem habuit Johannem Baptistam qui suâ prædicatione populum præparavit ad illum excipiendum, secundùm prophetiam Esaiæ cap. 40. Quò etiam pertinet prophetia Malachiæ cap. 3. *Quòd Jesus sit Christus.*

2 Ex vers. 2. & 3. Ad consequendum gratiam Dei, atque ita potiundum regno cælorum necessaria est resipiscentia. hæc autem complectitur tria: quorum primum est displicentia vitæ an- *Resipiscentia seu pœnitentia necessitas, & natura.*

teactæ & innatæ nobis corruptionis: secundum, desiderium gratiæ Dei, qua is & peccata admissa nobis condonet, & corruptionem innatam per Spiritum S. emendet: tertium, serium propositum atque studium posthac sanctè vivendi atq; ita Deo placendi. Horum primum probatur ex eo quòd Johannes ab iis qui se resipuisse profitebantur, postulavit confessionem peccatorum: ut colligitur ex v. 6. Secundum probatur ex dicto Christi infr. c. 5. v. 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Tertium probatur ex verbis Johannis infrà v. 8. ubi ait, *Ferre fructus convenientes resipiscentiæ.*

Evangelii prædicatio. 3 Ex eod. vers. Prædicatio Evangelii in magno pretio habenda est: quum sit organum seu medium quo perducimur in regnum cælorum. hinc est quòd ipsa regnum cælorum nominatur. Confer Rom. 1. v. 16.

Bonitas Dei erga electos. 4 Ex v. 4. In austera illa vita Johannis consideranda est nobis bonitas Dei: qui variis modis utitur ad animos nostros excitandum in contemplationem gratiæ suæ quam nobis per Evangelii ministros annuntiari curat. Etenim hac singulari vitæ Johannis austeritate animos Judæorum torpentes excitare voluit Deus, omniumq; oculos in illum convertere, ut eò diligentiùs attenderent ad ipsius prædicationem. Posteaquam verò animi populi ita præparati fuerunt ad Christum ipsum audiendum, tum Christus quam humanissimè atque familiarissimè inter eos versatus, Evangelium prædicavit. Hinc Christus Judæis exprobrat malitiosam ingratitudinem adversus hanc Dei bonitatem utroque modo erga ipsos declaratam, infr. c. 11. v. 16. & deinceps. Nos igitur bonitatem Dei agnoscamus, sive austeros sive suaves nobis det Evangelii præcones: nam per utrosque salutem nostram quærit.

Vestitus. Cibus. 5 Ex eod. v. Cavenda κακοζηλία Anabaptistarum & monachorum, qui se Johanni Baptistæ similes, i. e. viros sanctos, putant, si utantur vili ac rudi vestitu, vel etiam cibo. Etenim scopus Johannis non fuit ut sanctus appareret; sed ut parêret vocationi Dei, illique sese accommodaret ad populi salutem. Idem sentiendum de κακοζηλίᾳ eremitarum.

Baptismus adultorum. 6 Ex v. 6. 8. & 10. Baptismus nulli adulto conferendus est, nisi priùs ediderit confessionem peccatorum & fidei in Christum, ac præterea promissionem sanctæ vitæ. Hæc enim singula Johannes ab iis quos baptizaturus erat, postulavit. De primo liquet ex v. 6. de secundo ex verbis Pauli Act. 19. v. 4. ubi ait, Johannes quidem baptizavit baptismo resipiscentiæ, dicens populo ut in eum qui venturus erat post ipsum, crederent, hoc est, in Christum Jesum. Conf. Actor. 8. v. 16. & seq. De tertio patet ex v. 8. & 10. quæ sententia specialiter declaratur, & diversis vitæ generibus accommodatur Luc. 3. v. 10. & seq.

Concionatorum seu ministrorum verbi Dei officium. 7 Ex v. 7. 8. & 10. Exemplo Johannis Baptistæ discant concionatores, officii sui esse ut liberè & absque προσωποληψίᾳ reprehendant vitia auditorum. qua tamen in re singuli rationem habere debent mensuræ doni sibi à Deo dati: ne res abeat in κακοζηλίαν, néve quis affectet majorem severitatem quàm ipsi datum est.

Resipiscentia. 8 Ex v. 8. Resipiscentia bonis operibus, veluti fructibus bona arbor, demonstranda est.

Ortus è sanctis parentibus. 9 Ex v. 9. Nemo propterea Deo acceptus est, quòd ortus est è sanctis parentibus; sed ut Deo placeamus, sanctitatem parentum nos imitari oportet. Sic nemo propterea est verus Episcopus seu Ecclesiæ doctor, quòd veris Episcopis ac doctoribus in muneris administratione successit: sed ut sis verus Episcopus, munus Episcopi administrare te oportet, quod describitur à Paulo 1. Tim. 3. & Tit. 1.

Veritas Dei in promissionibus. 10 Ex eod. v. Deus est verax in suis promissionibus, ac potens in iis præstandis. Id perspicitur in promissione factâ Abrahamo: cui promisit, eum fore patrem multitudinis gentium: quæ promissio secundùm carnem & secundùm spiritum impleta fuit. nam secundùm carnem multæ gentes ex Abrahamo ortæ sunt: ut Ismaëlitæ, sive Hagareni, qui hodie Saraceni: Arabes, Syri, Israëlitæ sive Judæi, Edomitæ. Secundùm spiritum verò, quum Judæi quibus fedus gratiæ cum Abrahamo initum, fuit administratum, vestigiis fidei Abrahami non insisterent, sed Christum per incredulitatem rejicerent: in locum illorum vocatæ sunt gentes, & plurimi ex illis fide donati, atque ita filii Abrahami effecti: ut docet Paulus Rom. 10. & 11. Est autem tanta Dei fides & potentia, ut potiùs ex lapidibus filios Abrahamo fuerit excitaturus, quàm promissionem ei factam non servaret. Quare promissionibus Dei firmiter credamus, consideratâ promittentis tum veracitate seu fide, tum potentiâ. Confer Rom. 4. v. 16. & seq. Heb. 6. v. 13. & seq. & 11. v. 19.

Resipiscentia. 11 Ex v. 10. & 12. Resipiscentia non est procrastinanda: sed quum primùm nos Deus per servos suos alloquitur, suscipienda: nisi securi iræ Dei è terra viventium exscindi & in ignem illum inexstinguibilem iræ Dei abjici velimus. Conf. Heb. 3. & 4. per totum.

Baptismus duplex. 12 Ex v. 11. Baptismus duplex est: unus exterior, alter interior. Interior fit per Spiritum sanctum, quatenus is corda electorum regenerat ac renovat, testificando illis quòd à sordibus peccatorum abluti atque purgati sint per sanguinem Christi; & peccatum in eis mortificando. Exterior verò Baptismus fit per aquam: quatenus eâ corpus abluitur ad interiorem illum obsignandum. Est igitur hic interioris illius sacramentum, hoc est, divinum testimonium, quòd Deus interiùs nos eo quo dictum est modo baptizaverit & ampliùs baptizare velit. Hanc distinctionem quidam immeritò reprehendunt: quum nitatur testimonio Johan. Baptistæ. Quod autem Paulus ait, Baptisma esse unum, Eph. 4. 5. intelligit de baptismate externo, quod omnibus credentibus unam eandemque rem obsignat. Conf. 1. Pet. 3. 21.

Efficacia Sacramentorum. 13 Ex eod. v. Cavendum ne ministro verbi adscribamus quod proprium est Christi; videl. baptizare Spiritu sancto, id est, conferre gratiam Dei seu dona gratiæ: videlicet fidem, remissionem peccatorum, regenerationem. Hanc enim actionem Johannes Baptista, fidelis Dei servus, sibi derogat; & Christo in solidum vendicat. Multò minùs efficacia illa Spiritus sancti adscribenda est aquæ, aut saltem cum aqua partienda seu communicanda. Falsum igitur docent qui tradunt, aquam per verbum instituentis Dei acquirere supernaturalem sanctificandi facultatem atq; vim, seu ex institutione habere arcanam virtutem, quæ ad totius hominis internam ablutionem & regenerationem valeat, ac denique baptismum esse organum, regenerationis conferendæ ac fidei donandæ. At nullum, inquam, Sacramentum organum est fidei donandæ: (hæc enim per solum verbi organū donatur, Rom. 10.) Sed Sacramenta sunt organa fidem jam donatam confirmandi: ad hunc enim usum à Deo sunt instituta ac testimonio verbi adjuncta, tanquam sigilla adjunguntur literis ad idipsum pleniùs testificandum quod per literas testatum redditur. Nec verò commemoratum dogma probari potest ex his scripturæ dictis quæ ad ipsum stabiliendum afferuntur. Videlicet Joh. 3. *Nisi quis genitus fuerit ex aquâ & spiritu &c.* Nam aqua hîc non significat aquam baptismi: aliàs salus negaretur omnibus non baptizatis: sed significat ipsum S. S. sicut Christus mox per ἐπεξήγησιν declarat, quum addit: *Et spiritu.* Nec illa ἐπεξήγησις ταυτολογίας crimine damnanda est. Et Christum de solo spiritu illic loqui, patet ex collatione sequentium, ubi eandem sententiam bis repetens, nullam aquæ mentionem facit, sed solius Spiritus, ut quum ait v. 6. *Quod genitum est ex Spiritu, spiritus est.* & vers. 8. *Ita est quisquis genitus est è Spiritu.* Deinde affertur illud Rom. 6. v. 3. *Qui unq; baptizati sumus in Christū Jesum, in mortem ejus baptizati sumus.* At istis verbis nihil amplius docetur, quàm baptismum credentibus (de his enim loquitur Paulus) esse testimonium divinum, quòd Deus in eis fuerit efficax, & porrò efficax esse velit mortificando in eis peccatum per Spiritum S. morte Christi partum. Huic dicto affine est illud Gal. 3. 27. *Quicunq; in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Docet enim, credentes accepisse Baptismum tanquam testimonium divinum, quòd per fidem Christum induerint, sive insiti sint, ac proinde filii Dei sint, ut patet ex collatione versiculi præcedentis. Non autem sentit Apostolus, quòd quicunque baptizantur (sive credentes, sive hypocritæ, sive electi, sive reprobi) eo ipso Christum induant seu fide donentur ac regenerentur. Sanè Simon magus Act. 8. fuit baptizatus: at non fuit regeneratus: quippe quum hypocrisis ejus paulo-pòst sit detecta. Præterea affertur illud Eph. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam lavacro aquæ per verbum.* Respondeo: Certum est, Ecclesiam mundatam esse solo sanguine Christi, 1. Joh. 1. 7. Ergo lavacrum aquæ hîc non significat Baptismum, sed sanguinem Christi μεταφορικῶς. Interim hujus mundationis sacramentum seu divinum testimonium est Baptismus, sicut & verbum evangelii. Et sanè appellatione lavacri aquæ ad baptismum allusisse videtur Apostolus. Adhæc affertur illud Tit. 3. v. 5. *Secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus S.* At, inquam, Apostolus per lavacrū regenerationis non intelligit baptismum: sed ipsam operationem Spiritus S. videl. renovationem cordium: quam comparat partim ablutioni, partim generationi: quia Spiritus S. in cordibus electorum per verbum Evangelii generat fidem ac studium sanctitatis; atque ita illa abluit à peccatis, partim testificādo de peccatorum remissione per sanguinem Christi partâ; partim sordes peccati ex natura abluendo per peccati inhabitantis mortificationem. Quod si maximè concedatur, per lavacrum regenerationis intelligendum Baptismum: tamen non sequetur, illum ex eo sic appellari, quòd regeneratio per ipsum efficiatur, idque vi supernaturali seu virtute arcanâ quam aqua Baptismi in se contineat: sed sic appellari dicendum erit, quia est sacramentum regenerationis, hoc est, divinum testimonium credentibus, quòd Deus ipsos per Spiritum S. regenerârit seu renovârit, ac porrò magis magisque renovare velit. Postremò affertur etiam illud Petri, 1. Pet. 3. 21. & quidem his verbis: *Cujus figura respondens baptismus nos quoq; salvos reddit: QUO NON carnis sordes abjiciantur, sed quo fit ut bona conscientia bene respondeat apud Deum.* At hîc, inquā, sophistica corruptela commissa est in verbis illis, QUO NON: quum dicendū fuerit, NON QUO. Etenim planum est, Petrum ista verba adjungere per prolepsin. Ne quis enim putaret, baptismum illum externum salvos nos facere: adhibet distinctionem, & salutem adscribit baptismo interno, inquiens: οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ &c. q. d. Non externus ille baptismus quo carnis sordes abjiciuntur, nos salvos facit: sed baptismus internus quo fit ut cōscientia bona interroget Deum. Is autem baptismus, est fides in morte & resurrectio-

nem Christi: quam fidem Spiritus S. in nobis efficit per verbum, ac per Baptismum confirmat. Altera autem ista versio, QUO NON &c. salutem adscribit baptismo externo, planè contrà mentem Petri.

Baptismus Johannis an sit idem cum baptismo Christi.

14 Ex eod. v. Quum Johannes dicat, se baptizare in resipiscentiam: Petrus verò Act. 2. v. 38. Hierosolymitanos hortetur ut baptizentur in nomine Christi in remissionem peccatorum: quæritur, an baptismus Johannis & baptismus Christi seu à Christo institutus atq; Apostolis eorumque successoribus mandatus, sit unus & idem: quum videantur habere fines diversos. Respondeo: Utriusq; baptismi finis idem fuit, videl. obsignatio remissionis peccatorum & resipiscentiæ. Etenim Johannes baptizavit nō solùm in resipiscentiam, i. e. resipiscentiæ obsignationem atque obligationem, sed etiam in remissionem peccatorum per Christum: ut manifestum est ex verbis Luc. 3. v. 3. ubi dicitur prædicasse baptismū resipiscentiæ, in remissionem peccatorū. Similiter Apostoli baptizarunt non solùm in remissionem peccatorū, i. e. obsignationem illius: sed etiam in resipiscentiam: ut liquet ex verbis Petri, loco citato dicentis; *Resipiscite, & baptizetur unusquisq; vestrûm*, &c. Discrimen tantùm est in circumstantia temporis: quia Johannes baptizavit in Christum paulo-pòst manifestandum, Act. 19. 4. at Apostoli illorumq; successores baptizarunt & baptizant in Christum jam manifestatum.

Ministrorum verbi Dei officium.

15 Ex eod. v. Exemplo Johannis Baptistæ discant ministri Ecclesiæ non suum ipsorum, sed domini sui Jesu Christi honorem & gloriam quærere. Conf. Joh. 1. v. 20. & c. 3. v. 28. & deinceps.

Sacramentorum ratio.

16 Ex eod. v. In Sacramentis consideranda est analogia seu similitudo inter symbola & res per illa adumbratas: ut in Baptismo inter aquam & sanguinem atq; spiritum Christi. Nam sicut aqua sordes corporis: ita sanguis Christi & Spiritus S. purgant sordes animæ, id est, peccata. Talis quoque analogia est inter ignem quo baptizati sunt Apostoli in die pentecostes, & inter SS. Nam sicut ignis illuminat, calefacit & comburit: ita Spiritus S. per Evangelium illuminat mentes cognitione Dei, accendit corda dilectione Dei & proximi, & exurit pravos affectus.

Ecclesia visibilis.

17 Ex v. 12. Ecclesia in hoc mundo admixtos habet reprobos & hypocritas: sicut triticum in area admixtam habet paleam. Quare errant qui pro Ecclesia nolunt agnoscere cœtum piorum cui impios admixtos vident. Confer infrà cap. 3. parabolam de zizaniis: item de sagena.

Evangelii prædicatio.

18 Ex eod. v. Evangelii prædicatione separantur reprobi ab electis: sicut ventilatione separatur palea à tritico. quod inde accidit, quia electi per Dei gratiam Evangelio credunt: reprobi verò per innatam pravitatem illud rejiciunt: quo fit ut illi nanciscātur jus vitæ æternæ, isti autem adjudicentur morti æternæ. Confer Joh. 3. v. 18. 19. item 2. Cor. 2. v. 15. 16.

Electionis signa.

19 Ex eod. v. Qui per Dei gratiam similes sunt tritico, i. e. tales ut placeant Deo: (id quod fit per fidem, Heb. 11. v. 6. & studium pietatis, Rom. 12. v. 1.) illi certò statuere debent se esse in numero electorum, & suo tempore collectum iri in cælum, velut in horreum. Qui verò similes sunt paleæ, vacui scilicet fide ac studio pietatis, illi quamdiu tales sunt, vitæ æternæ spem habere non possunt, sed manet illos mors æterna. Quare quum sentimus, nos præditos esse fide & studio pietatis, gratias agamus Deo, eundemque oremus ut hæc sua dona nobis augeat.

Christi communio cum fidelibus.

20 Ex v. 13. Quòd Christus voluit baptizari; argumento est, quòd velit communionem habere nobiscum. Habet autem communionem nobiscum, tanquam caput cum membris. quæ res magnam nobis consolationem affert.

Baptismus spiritualis.

21 Ex v. 14. Omnes necesse habemus baptizari à Christo. Baptizat autem ille nos, quum per Spiritum sanctum in nobis efficit & auget fidem ac studium pietatis. Per fidem enim purgantur corda nostra sanguine Christi à peccatis, quatenus illa nobis remittuntur: per studium verò pietatis peccatum inhærens indies magis ac magis expurgatur.

Officii cura.

22 Ex v. 15. Unusquisque diligenter attendere debet, quid sui sit officii ac muneris: eoque intellecto, operam dare ut id ad gloriam Dei & ædificationem Ecclesiæ perficiat.

Personarum divinarum trinitas.

23 Ex v. 16. & 17. Notandum est illustre testimonium de trinitate personarum deitatis. nam quòd sint tria ὑφιστάμενα seu tres ὑποστάσεις: manifestum est è singulorum actionibus & adjunctis. Patris enim vox auditur: filius in assumta carne stat & conspicitur: Spiritus S. in specie columbæ conspicitur descendere & requiescere super Christum. Confer præceptum Christi de baptizando, infr. c. 29. 19. item pronuntiatum Johannis de tribus testibus cælestibus, 1. Joh. 5. v. 7.

Christi mansuetudo.

24 Ex v. 16. Quòd Spiritus sanctus descendit super Christum in specie columbæ; argumento est quòd eum repleverit singulari mansuetudine ac benevolentiâ erga nos. quæ res magnam nobis consolationem affert. Confer infrà cap. 11. v. 28. 29. 30. & cap. 12. v. 18. 19. 20. 21.

Christi deitas.

25 Ex v. 17. Notandum est testimonium illustre de deitate Christi.

Christus audiendus.

26 Ex eod. v. Quum Christus sit filius ille Dei unicè dilectus in quo ipse acquiescit: est igitur nobis audiendus. Confer Matth. 17. v. 5. Heb. 2. v. 3. & c. 3. & 4. per totum, & cap. 12. v. 25.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Superiore capite docuit Evangelista, quomodo Christo ad munus ipsius propheticum preparati sint auditores per Johannem Baptistam: item quomodo ipsemet ad illud praparatus fuerit per solennem consecrationem, quum à Johanne esset baptizatus: nunc deinceps ostendit, quomodo ampliùs fuerit praparatus, per tentationem à diabolo. Sunt autem hujus capitis quatuor partes. In prima narratur, quomodo Christus à diabolo sit tentatus, usq; ad v. 12. In secunda, cur munus suum propheticum administrârit in Galilæa, usq; ad v. 18. In tertia, quomodo vocaverit quatuor discipulos, usq; ad v. 23. In quarta, quomodo cœptam in Galilaa muneris prophetici administrationem continuârit & obsignârit, usq; ad finem.

PARS PRIMA.

Quomodo tentatus à diabolo.

Tunc Jesus subductus fuit in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo.
2 Igitur cùm jejunasset dies quadraginta & noctes quadraginta, postea esuriit.
3 Et quum venisset ad eum tentator, dixit, Si filius es Dei; dic ut isti lapides panes fiant.
4 At ille respondens dixit, Scriptum est, Non è solo pane vivet homo, sed ex omni verbo prodeunte per os Dei.
5 Tunc assumit eum diabolus in sanctam urbem; & statuit eum super pinnas templi;
6 Dicitq; ei, Si filius es Dei, jace te ipsum deorsum: nam scriptum est, Angelis suis mandabit de te, & *ipsi* attolent te in manus, nequando offendas ad lapidem pedem tuum.
7 Dixit ei Jesus, Rursum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.
8 Rursum assumit eum diabolus in montem sublimem valde, & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum.
9 Dicitque ei, Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.
10 Tunc dicit ei Jesus, Abi Satana; scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies.
11 Tunc omittit eum diabolus: & ecce, Angeli accedebant & ministrabant ei.

Narraturus, quomodo Christus fuerit tentatus à diabolo: primò omnium indicat locum ubi illa tentatio fuit peracta, videl. in deserto. ubi simul indicat causam procreantem profectionis in desertum, videl. Spiritum sanctum: & causam finalem quæ Spiritum S. movit ut Christum in desertum expelleret; videl. ut à diabolo illic tentaretur: hæc omnia v. 1. Deinde v. 2. indicat tempus quando illa tentatio à diabolo sit suscepta, videlicet postea quam Christus in deserto fuisset dies quadraginta & totidem noctes: atq; adeò dies quadraginta naturales continuos. Atque ibi simul indicat occasionem quam diabolus arripuit ad Christum tentandum, videl. quum videret illum esurire. Tum v. 3. & deinceps tentationes ipsæ describuntur, numero tres: quarum prima directa fuit ad avertendum Christum à filiali fiducia Dei, v. 3. Secunda, ad inflandum animum ejus temerariâ confidentiâ in protectione Dei, v. 6. Tertia, ad afflandum ejus animo venenum ambitionis atque avaritiæ, v. 8. 9. Singulis autem tentationibus subjicitur responsum Christi, quo sese defendit ac diabolum vicit. Initio autem versus tertii notatur forma seu modus hujusce tentationis, ubi dicitur tentator (hoc est, diabolus) ad Christum venisse, videl. in specie viri. Accidit igitur ista tentatio per colloquium. Ad extremum v. 11. indicatur eventus: quòd videlicet diabolus Christum omiserit, & Angeli accesserint eique ministrarint.

PARS SECUNDA.

Cur prædicârit in Galilæa.

12 Quum audisset autem Jesus, Johannem traditum esse *in custodiam*, rediit in Galilæam.
13 Et relictâ Nazareth, venit & habitavit Capernaumi *urbe* maritimâ, in finibus Zabulon & Nephthalim.
14 Ut impleretur quod dictum est per Esaiam prophetam, dicentem;
15 Terra Zabulon & terra Nephthalim *ad* viam maris secundùm Jordanem, Galilæa gentium:
16 Populus posit' in tenebris, vidit lucem magnam: & positis in regione & umbra mortis, lux exorta est.

17 Ex eo tempore cœpit Jesus prædicare, & dicere; Resipiscite. appropinquavit enim regnum cælorum.

Indicaturus causam cur Christus muneris sui prophetici administrationem, i.e. Evangelii prædicationem exercuerit in Galilæa: primò indicat tempus quo illam ibi incepit, videl. quum Johannes Baptista, ipsius præcursor, conjectus esset in carcerem: ac proinde munere prædicandi non amplius posset fungi. Deinde indicat locum generalem in quem se Christus contulit, prædicationem suam paulo ante in Judæa cœptam continuaturus, videl. Galilæam. Tertiò indicat locum specialem, videl. Capernaumum: idq; per antithesin loci quem reliquit, videl. Nazarethæ, ubi usque ad baptismi sui tempus fuerat educatus, & unà cum parentibus habitaverat. Simul etiam describitur urbis Capernaümi situs. Quartò indicatur causa, cur hæc ita fieri oportuerit. Postremò proponitur prædicationis Christi summa.

TERTIA PARS.

Vocatio quatuor apostolorum.

18 Ambulans autem Jesus ad mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui dicitur Petrus, & Andream fratrem ejus, jacientes rete in mare: (erant enim piscatores)

19 Et dicit eis, Sequimini me, & faciam vos piscatores hominum.

20 Illi verò statim omissis retibus, sequuti sunt eum.

21 Tunc progressus illinc, vidit alios duos fratres, Jacobum filium Zebedæi, & Johannem fratrem ejus, in navigio cum Zebedæo patre suo, sarcientes retia sua: & vocavit eos.

22 Illi autem statim omisso navigio & patre suo, sequuti sunt eum.

Narraturus quomodo Christus vocârit quatuor discipulos, primò indicat locum, ubi illos vocavit, videl. ad mare Galilææ. deinde distinctè narrat, quomodo vocârit duo paria fratrum: primò Simonem & Andream, deinde Jacobum & Johannem. ubi narrat, quid illi egerint, quum vocarentur: & quàm promtè vocanti paruerint, relictis retibus suis.

QUARTA PARS.

Prædicationis in Galilæa continuatio.

23 Et circumiit totam Galilæam Jesus, docens in synagogis ipsorum, & prædicans Evangelium regni. & sanans quemvis morbum, & quemvis languorem in populo.

24 Tunc exiit fama ejus in totam Syriam: & obtulerunt ei omnes malè affectos, variis morbis & cruciatibus detentos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos: sanavitq; eos.

25 Et sequuta est eum turba multa à Galilæa ac Decapoli & Hierosolymis & Judæa, & *regionibus* trans Jordanem *sitis*.

Continuationem prædicationis Christi describit primùm à loco, ubi prædicavit: eoq; tum generali, videlicet totâ Galilæâ: tum speciali, videlicet synagogis. deinde à summa; quòd prædicârit evangelium regni, id est, de ratione consequendi regnum cælorum. tum ab adjuncta obsignatione, per miraculosam scilicet sanationem omnis generis morborum. postremò ab eventis: videlicet famâ de ipso ortâ in tota Syria, & comitatione turbæ ex variis locis.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Tunc] τότε. *Scilicet statim post susceptum baptismum, Marc. 1. v. 12.* Subductus fuit] ἀνήχθη. *Præpositione videtur notari situs deserti, quòd scil. situm sit loco altiore quàm Jordanes fluvius.* A Spiritu] ὑπὸ τοῦ πνεύματος. *Videl. à Spiritu Dei qui super ipsum descenderat in baptismo: suprà c. 2. v. 16. Atque sic expressè ait Lucas,* Jesus autem plenus Spiritu sancto revertit à Jordane, & actus est per illũ Spiritum in desertum, *Luc. 4. v. 1.* Ut tentaretur] πειρασθῆναι. *Pro,* τοῦ πειρασθῆναι *scil.* ἕνεκα. *Id est, ut solicitaretur ad peccandum, videl. externè per suasiones: quibus tamen illius animus non cessit.* Quum jejunasset dies quadraginta &c.] νηστεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα *&c. Sicut olim Moses in monte Legem à Domino accepturus, Exod. 24. v. ult. Deut. 9. v. 9. item Elias antequam à Domino amandaretur, uncturus regem Syris, Israëlitis verò regem & Prophetam: quorum ministerio tota ferè in regnis istis rerum facies fuit mutata, 1. Reg. 19. v. 15. & 16. sicut eruditè observavit Bucerus. Per istud tempus haud dubiè meditatus est Christus prophetias evangelicas per ipsum implendas: ut hac quoque ratione præpararetur ad muneris sui functionem.*

3 Quum venisset ad eum] προσελθὼν αὐτῷ. *Videlicet in specie viri: ut solent angeli, quando hominibus apparent. Sic infrà v. 11. angeli dicuntur accessisse, post discessum Diaboli.* Tentator] ὁ πειράζων. *Participium habet vim nominis, more Hebræorum.* Si filius es Dei &c.] εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ. *Sicut scil tibi persuades, ex voce nuper auditâ, quum baptizareris in Jordane.* Dic &c.] εἰπὲ &c. *Id est, præcipe, manda. Synecdoche generis. Sententia est:*

Si esses filius Dei, non esset tibi pereundum fame: quin potius Deus in gratiam tuam ex lapidibus istis panes faceret.
At pereundũ tibi erit fame: quia quũ esurias, destitueris pane.
Non igitur es filius Dei.

Scopus hujus tentationis est, ut ei excutiat fiduciam filialem erga Deum.

4 Scriptum est, Non è solo, &c.] γέγραπται, Οὐκ ἐπ' ἄρτῳ &c. *Christus negat assumptionem, illiusq; rationem qua continetur isto connexo: Si destitueris pane, moriendum tibi erit fame. hoc connexum Christus negat: & contrarium probat testimonio Mosis Deut. 8. v. 3.* Sed ex omni verbo prodeunte, &c.] ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ, &c. *Verbum* ῥήματι *insertum videtur ἐλλειπτικῶς. Etenim verba ista,* ἐπὶ παντὶ ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ, *ἀσυνδέτως hoc ipsum valet,* ἐπὶ παντὶ ῥήματι Θεοῦ. *In Hebræo habetur: Per omnem egressionem seu exitum oris Jehovæ. Sententia est: Deus in cibandis filiis suis non est alligatus ad cibum ordinarium: sed potest eos alere extra ordinem per res inusitatas, quibus præceperit ut alant, & quas alituras promiserit: sicut olim cibavit populum Israëliticum per man, id est, panem illum cælitus pluentem.*

5 Tunc assumit, &c.] τότε παραλαμβάνει, &c. *Hanc tentationem quæ accidit supra templum, Lucas narrat tertio demum & postremo loco: & contrà, illam quæ accidit supra montem sublimem, narrat loco secundo. Sed illam fuisse ultimam: clarè perspicitur ex eo quod narrat Matthæus, diabolum in illa tentatione victum, missum fecisse Dominum. Idem colligi quoq; potest ex cohærentia hujus tentationis cum prima. quia quum Diabolus videret, Jesum fiduciam suam erga Deum munire testimonio Scripturæ: arripuit hinc occasionem sollicitandi eum ad temerariam confidentiam, & ad id protulit testimonium è Scriptura. In tertia autem tentatione nullum attulit pro sua sententia testimonium Scripturæ: neq; etiam illa tentatio cum prima cohæret, tanquam illi affinis. Statuo igitur, rectum regestæ ordinem observatum esse à Matthæo.* Assumit] παραλαμβάνει. *Id est, assumtũ transfert seu ducit. Sed quomodo? Num paulatim ambulando, an subitò transvehendo? Hoc posterius videtur colligi posse tum ex eo quod mox subjungitur, quòd eum statuerit super pinnas templi. unde liquet, concessam tum fuisse diabolo potestatem in corpus Christi ad illud movendum suo arbitratu. Deinde idem colligitur ex comparatione tentationis sequentis, de qua narrat Lucas, quòd Diabolus Dominum in montem sublimem subduxerit in puncto temporis, Luc. 4. v. 5. Sic enim omnino videntur illius loci verba construenda: quum videatur fieri non potuisse ut in puncto temporis ostensa ei sint omnia regna terræ: quum regna illa circumquaq; sita sint: fieri autem nequeat ut quis simul cernat quæ antè & pòst, nec non quæ ad latera sunt. & probabile est, in illa ostensione intercessisse aliquam moram, ut amplitudine regnorum mundi consideratâ, caperetur illorum possidendorum desiderio. Nec verò surdũ videri debet, Diabolo tantã potestatem cõcessam fuisse in sanctissimum Domini corpus: quum testetur Scriptura, eum tentatum esse per omnia similiter ut nos, excepto peccato, Hebr. 4. v. 15. Quantam verò potestatem Deus concedat interdum Diabolo in corpora sanctorum: docet exemplum Jobi: cujus corpus Satan ulceribus à capite usq; ad calcem miserrimè percussit: & Mariæ Magdalenæ, quæ à septem dæmoniis fuerat obsessa. Id quod certè longè gravius atque horribilius est quàm à Diabolo per aërem vehi.* In sanctam urbem] εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν. *Videlicet Hierosolymam. Periphrasis ab adjuncto adhærente. Sanctitas autem ista posita erat in sancto Dei cultu, quem ibi peragi mandaverat, & in sanctis Dei sermonibus, quos ibi vel per se vel per Prophetas suos pronuntiare solebat.* Super pinnas templi] ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ. *Ad verbum, Super alam templi: Metaphora. Sic autem nominari nonnullis videtur ambitus ille, quo planum templi tectum cingebatur ne quis decideret.*

6 Angelis &c.] ὅτι τοῖς ἀγγέλοις &c. *Particula* ὅτι *servit mimesi seu prosopopœiæ. Lucas addit,* τοῦ διαφυλάξαι σε, *ut custodiant seu conservent te. Veruntamen omittit illa verba,* ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς σου, *in omnibus viis tuis. Unde liquet, diabolum illa in citando isto Psalmi dicto omisisse fallendi causâ.* Attollent te in manus] ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε. *Id est, manibus te gestabunt. Metonymia effecti destinati.*

7 Non tentabis] οὐκ ἐκπειράσεις. *Id est, ne tentato. In Deuteronomio habetur,* Ne tentate, *numero plurali. Sed Christus genus ad speciem accommodat. Et sanè quod illic dictum est universis, dictum est etiam singulis.*

8 Assumit] παραλαμβάνει. *Id est, assumtum transfert, ut suprà v. 5.* Gloriam] τὴν δόξαν. *Id est, amplitudinem seu majestatem,* die herrlichkeit. Adorabis] προσκυνήσεις. *In Deuteronomio habetur, Timebis. Sed Christus illud exponit* μετωνυμικῶς: *nam ex timore seu reverentia animi, adoratio atq; incurvatio corporis proficiscitur.* Soli] μόνῳ. *Hoc in Deuteronom. non exprimitur: veruntamen tacitè intelligitur. Quod ipsum adhuc apertius significatur Deut. 5. v. 8. in secundo præcepto decalogi: quatenus interdicitur*

citur adoratio imaginum omnis generis. Et ratio subjungitur hæc: Quoniam ego Jehóva Deus tuus, sum Deus zelotes. q.d. Mihi soli debetur adoratio: quare illam mihi soli deposco: non possum ferre ut aliis rebus tribuatur.

11 Ministrabant ei] διηκόνουν αὐτῷ. *Scil. afferentes cibum: sicut olim Eliæ, 1. Reg. 19.*

12 Quum audisset autem &c.] ἀκούσας δὲ &c. *Lucas cap. 4. v. 14. historia tentationis continenter subjungit hæc verba;* Et reversus est Jesus in virtute spiritus in Galilæam. *Unde quis posset putare, rectà ex deserto rediisse in Galilæam. Veruntamen diversum significant verba Matthæi hoc loco, quòd nimirum Jesus non rectà ex deserto redierit in Galilæam, sed tum demum, quum audisset Johannem esse traditum: id autem non audierat certè in deserto: sed in iis Judææ locis, ubi versabatur frequentia hominũ: ut percipitur ex cap. 4. Johan. v. 1. 2. & 3. Etenim illic exponitur altera causa, quâ motus Christus in Galilæam rediit, videlicet* quum cognovisset, Pharisæos audisse, ipsum plures discipulos facere & baptizare quam Johannem, *tum enim (ut illic habetur)* reliquit Judæam, & abiit rursum in Galilæam. *Ex quibus verbis percipitur, quòd non tunc primùm redierit in Galilæam: sed tunc* πάλιν, *id est, iterum seu denuò. Etenim redierat jam antea semel: ut percipitur ex Joh. 1. v. 44. & cap. 2. v. 1. & 11. Postea autem rediit in Judæam, ibidem v. 13. Unde jam liquet, ante hunc secundũ reditum Jesu in Galilæam accidisse ea omnia quæ narrantur in Evangelio Johannis à v. 29. capitis primi usq; ad v. 43. capitis 4. Ea autem sunt hæc: Primò venit (vide ex deserto reversus) ad Johannem, & illius testimonio ornatus est, Johan. 1. à v. 29. usq; ad 35. Deinde quum postridie eodem testimonio esset ornatus, secuti sunt Andreas & Simon Petrus in hospitium, ibid. usq; ad v. 44. Tertiò vocavit Philippum, à quo Nathanaël ad ipsum deductus est, ibid usq; ad finem capitis. Quartò ivit unà cum discipulis in Canam Galilææ, & illic in nuptiis ex aqua fecit vinum, cap. 2. usq; ad v. 12. Quintò, paulisper commoratus Capernaümi, ascendit Jerosolymam, & è templo ejecit venditores boum, &c. ibid. usq; ad finem capitis. Sextò colloquium habuit cum Nicodemo, c. 3. usq; ad v. 22. Septimò, ex urbe in ipsum Judææ territorium egressus, baptizavit, baptizante etiamnum Johanne, ibid. usq; ad v. 25. Octavò, Johannes apud discipulos de Jesu baptizante conquerentes, testimoniũ illi reddidit, usq; ad finem capitis. Nonò, Christus transiens per Samariam, ad urbem Sichar, colloquitur cum muliere Samaritana; & pòst in urbem ingressus, commoratur cum Samaritanis biduum. Hisce omnibus gestis, tum demum Jesus iterum rediit in Galilæam: idq; non solùm quòd audisset Johannem esse traditum, id est, ab Herode conjectum in carcerem, ut hoc loco testatur Matthæus: sed etiam quòd cognovisset, Pharisæos audisse, ipsum plures discipulos facere & baptizare quàm Johannem: ut testatur Johannes cap. 4. v. 1. Abiit igitur tunc ex Judæa in Galilæam, partim ad declinandum periculũ quod sibi imminere videbat à Pharisæis: partim ad continuandum in Galilæa prædicationem Evangelii quam illic cœperat Johannes, sed tunc per carcerem continuare prohibeatur. hoc autem colligi potest ex eo, quòd Herodes qui Johannem ad tempus secum habuerat & libenter audiverat, Marc. 6. v. 20. postea autem in carcerẽ conjecerat, ibid. v. 17 fuit tetrarcha Galilææ, Luc. 3. v. 1. quare ibidem suam sedem haud dubiè habuit. Et sanè de Galilæis intelligi oportet quod dicitur infrà cap. 14. Quum vellet Herodes Johannẽ occidere, timebat turbam, quòd eum haberet ut Prophetam.* Johannem traditum esse *in custodiam*] ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη. *Scil.* εἰς φυλακὴν, *in custodiam seu carcerem. idq; ab Herode: propterea quod illi dixerat. Non licet tibi habere uxorem fratris tui: videl. Herodiadem uxorem Philippi tetrarchæ Iturææ & Trachonitidis, Luc. 3. v. 1. Confer infrà cap. 14. v. 3. & 4. & Marc. 6. v. 17. & 18. Sunt autem hæc verba intelligenda.* συνεκδοχικῶς, *per synecdochen scilicet membri metonymicam, quâ ex causâ & unà cum causâ intelligitur effectum, ad hunc modum: Traditum esse in carcerem, ac proinde non posse continuare in Galilæa prædicationem suam.* rediit in Galilæam] ἀνεχώρησεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν. *Vel recessit sive secessit (nempe ex Judæa, Johan. 4. v. 3.) in Galilæam: idque Evangelii prædicandi causâ, ut percipitur ex sequentibus. Fuit autem hic secundus reditus Jesu ex Judæa in Galilæam: ut ostendimus paulo-antè ad initium hujus versus. Sic suprà 2. 12. de magis* ἀνεχώρησαν εἰς τὴν χώραν αὐτῶν, *regressi sunt in regionem suam. Et vers. 14. de Josepho,* ἀνεχώρησεν εἰς Αἴγυπτον, *secessit in Ægyptum. Et v. 22.* ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη τῆς Γαλιλαίας, *secessit in partes Galilææ.*

13 Et relictâ Nazareth] καὶ καταλιπὼν τὴν Ναζαρέθ. *Est qui putet, Jesum tum demum reliquisse Nazaretham, & Capernaümum se contulisse habitandi causâ, postquam Nazarethani ipsum voluerunt præcipitare è monte: quam historiam narrat Lucas cap. 4. v. 16. & deinceps. Sed huic opinioni videtur adversari, quòd Christus illic significabat, se nolle apud Nazarethanos facere miracula quæ illi audiverant facta fuisse in Capernaum, ibidem v. 23. & deinceps. Ex quibus verbis colligere licet, Christum jam antea Capernaümi habitasse, & illic prædicantem atque commorantem subinde miracula edidisse. Cæterùm ad relinquendum Nazaretham patriam videtur motus fuisse popularium suorum ingratitudine: quam eis exprobrat Luc. 4. v. 24. inquiens: Non est Propheta acceptus in patria sua.* Habitavit in Capernaüm] κατῴκησεν εἰς Καπερναούμ. *Pro,* ἐν Καπερναούμ. *Hoc nomen Syrus interpres scribit* כְּפַר־נַחוּם *Kephár-nahhúm.* Urbe maritimâ] τὴν παραθαλασσίαν. *Subaudi,* πόλιν. *Sonat autem* παραθαλάσσια, *sita* παρὰ τὴν θάλασσαν, *juxta mare, videl. quod cognominatur Tiberiadis, item lacus Genesareth. Etenim nomine* maris *Hebræi comprehendunt etiam lacus & fluvios.* In finibus Zabulon & Nephthalim] ἐν ὁρίοις Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλείμ, *id est, duarum illarum tribuum denominatarum à suis illis patribus, filiis Jacobi. nam terra sancta distributa erat duodecim tribubus populi Israëlitici, ut notum est ex libro Josuæ. Porrò de termino tribus Zabulon vide Jos. 19. v. 10. & seq. ubi expressè dicitur, quòd terminus eorum ascendat secundùm mare. de termino autem tribus Naphthali vide ibid. v. 32. & deinceps: ubi inter urbes munitas hujus tribus enumeratur etiam Kinnéreth: unde nomen accepit lacus quem accolebant Naphthalitæ, postea dictus Genesareth. Fuit autem Zebulun (sic enim Hebraicè nominatur) Jacobo natus ex uxore Lea: sic dictus à verbo* זָבַל *dsabál,* cohabitavit: *quia illo nato mater dicebat.* Hac vice cohabitabit mihi (יִזְבְּלֵנִי *jidsbeléni*) vir meus: *ut habetur Genes. 30. v. 20. Naphthali verò natus fuit ex ancilla Rachelæ cui nomen erat Bilha, sic dictus à Rachela, quasi diceret,* Luctationis meæ *filius. quia dicebat, se luctationibus divinis luctatam cum sorore sua (in procreandis scil. liberis) & prævaluisse: ibid. v. 7.*

17 Per Esaiam] διὰ Ἡσαΐου. *Videlicet cap. 9. v. 1. & 2. Quò autem meliùs appareat, quâ ratione Matthæus hunc locum Prophetæ citârit: utriusq; verba huc è regione adscribemus.*

Esa. 9.	Matth. 4.
1 Sed non obscurabitur quæ affecta fuerit angustiâ; quum tempus hoc prius leviùs affecerit terram Zabulonis & terram Nephthali, ac posterius illud affecerit graviùs: viâ maris secundùm Jordanem Galilæa populosa.	15 Terra Zabulonis & terra Nephthali *ad* viam maris; secundùm Jordanem Galilæa gentium.
2 Populus ejus qui ambulant in tenebris, videbunt lucem magnam: super confidentes in terra umbræ lethalis, lux splendebit.	16 Populus qui consedit in tenebris, vidit lucem magnã. & qui consederunt in regione & umbra mortis, lux illis exorta est.

Jam ut appareat, Matthæum verba Esaiæ in genuino sensu citasse: considerandum inprimis, quid illic agat Propheta. Instituit autem consolari pios in regno Israëlis contra calamitates paulò pòst eventuras eis à duobus regibus Assyriæ, Tiglathpilesero & Salmanassaro, quorum ille ab Achazo rege Jehudæ accitus terram Zabulonis & Naphthali, atque adeò Galilæam inferiorem erat depopulaturus, suisq; opibus spoliaturus (quod & fecisse legitur 2. Reg. 15.) iste verò vastaturus erat totum regnum Israëlis, & Israëlem domitum in Assyriam deportaturus. id quod ab illo factum esse traditur 2. Reg. 17. Harum calamitatum priorem significat Esaias his verbis, Quum tempus hoc prius leviùs affecerit terram Zabulonis & terram Naphthali. *posteriorem verò illis.* Ac posterius illud affecerit graviùs. *Contra has igitur calamitates consolatur Propheta pios partim ab illarum cessatione, quòd videlicet sint aliquando desituræ: quum ait,* Sed non obscurabitur quæ affecta fuerit angustiâ. *partim, ac præcipuè, ab exortu novæ lucis videlicet salutis æternæ à Christo ipso per Evangelium annuntiandæ & communicandæ. hoc significat; quum ait:* Populus ejus, *(videl. Galilææ)* qui ambulant in tenebris *(videl. calamitatũ de quibus dictum est)* videbunt lucem magnã, *i.e. experientur lætitiam magnã, videl. à puero illo, de quo ibid. paulò pòst v. 6. subjecit;* Quoniam puer natus est nobis, &c. *Is autem puer est Christus; quem electi ex Galilæis sive Israëlitis agnituri erant per prædicationem Evangelii. Tum eandem sententiam repetens atq; amplificans, adjungit:* Super confidentes in terra umbræ lethalis, lux splendebit. *Nunc videamus, quâ ratione Matthæus hunc locum citarit. Ac primò observandum, omissa ab illo quæ ad ipsius institutum non admodum pertinebant, videl. quæ prædicantur à Propheta de duplici illa angustia atq; calamitate, tum temporis brevi per reges Assyriæ Israëlitis afferendâ.* Deinde pro verbo Ambulandi, *utitur Matthæus verbo* Considendi: *respiciens ad calamitatum illarum diuturnitatem: cujus respectu videri poterant Israëlitæ in illis penitus consedisse & defixi esse. Tum pro* terra umbræ mortis *dicit* regionem & umbram mortis, *per figuram* ἓν διὰ δυοῖν, *eodem sensu. Postremò pro verbo* Splendendi *substituit verbum* Exoriendi, *respiciens ad circumstantiam illius temporis, quo splendor ille lucis Evangelii recens fuerat exortus.*

Adi (si placet) Parallelos Fr. Junii: quem hic ferè sequimur. Inspice quoq; ejusdem annotationes in locum propositum Esaiæ.

15 Terra Zabulon & terra Nephthalim] γῆ Ζαβουλὼν καὶ γῆ Νεφθαλείμ. *Id est, regio Zabulonitarum & Nephthalitarum.* Ad viam maris] ὁδὸν θαλάσσης. *Ante* ὁδὸν, *subaudi* κατὰ: *quasi dicatur,* καθ' ὁδὸν: *scil.* κειμένη, *sita.* Maris] θαλάσσης. *Videlicet, maris Galilææ, ut nominatur paulò post vers. 18. Quod alibi dicitur mare Tiberiadis, item lacus Genesareth. Esse autem hoc mare intelligendum, liquet ex verbis proximè adjunctis, & declarandi atq; determinandi causâ additis, videlicet* πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *id est, secundùm Jordanem. Errant igitur qui hoc exponunt de mari Syrico seu mediterraneo: quorum opinio ex ipsa quoque histo-*

ria refutatur: quum nusquam legantur isti Assyriorum reges, de quibus paulo antè diximus, ad mare usque Syricum cum suis copiis pervenisse: et si Israëlitæ fracti se illorum potestati dediderunt. Atque sic Fr. Junius hunc locum rectè, meo judicio, declarat: sicut & reliqua huc pertinentia: quæ nos ab illo mutuati sumus, & suis locis applicavimus. Secundùm Jordanem] πέραν τοῦ Ἰορδάνου. *Vel, Secus Jordanem. Germanicè,* Am Jordan: *Vel,* Neben dem Jordan. *Vox* πέραν *quæ propriè significat* Trans, *respondet hîc voci Hebraicæ* עֵבֶר *hhéber: quæ &* Trans *&* Cis *significat: ac omnino significat omnem tractum qui fluvio alluitur, aut interfluente aquâ dirimitur: sive ille tractus sit citerior, sive ulterior. Hinc Luc. 8. v. 26. compositum* ἀντιπέραν *significat ripam oppositam. Atque sic hoc loco adverbio* πέραν *notatur ripa citerior, respectu videlicet Judææ ubi Esaias ista dixit.* Galilæa gentium] Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν. *Id est, Galilæa populosissima. Sic nominatur (ut tradit Fr. Junius) Galilæa inferior quæ secundùm Jordanem protenditur, & ad mare Tiberiadis sive lacum Genesareth adjacet, & feracissima regio est, teste Mose Deut. 33. v. 23. ac proinde populosissima. Igitur genitivus,* Gentium, *notat hîc adjunctum inhærens seu contentum: & numerus pluralis notat multitudinem: ita ut Galilæa gentium seu populorum, idem sit quod Galilæa populosissima, id est, in quo multus populus degit. Nec verò novum aut rarum est in Scripturâ, ut nomen* גּוֹי *goi, id est, gens, idem valeat quod* עָם *hhám, hoc est, populus. Alii hunc locum exponunt de Galilæa superiore: quam sic nominari censent, tum quòd Tyriis & Sidoniis esset finitima, tum propter viginti illas urbes, quas Tyriorum regi dedit Salomon, ut refertur 1. Reg. 9. v. 11. Illi igitur per genitivum,* Gentium, *notari putant adjunctum adhærens & extrinsecus circumstans: quasi dicatur, Galilæa cui gentes (videl. Tyrii & Sidonii) vicini sunt. Sed prior expositio mihi quidem vera videtur.*

16 Populus] ὁ λαός. *Videlicet, populus ille Galilææ, cujus modò facta mentio. Articulus igitur est ἀναφορικός. Et sic in Hebræo habetur* הָעָם *habhám.* Positus in tenebris] ὁ καθήμενος ἐν σκότει. *Vel, Sedens in tenebris, hoc est, oppressus calamitatibus gravissimis per Assyrios: ut suprà declaravimus. Metaphora à sensu oculorum, quibus tenebræ molestæ sunt. Cujus metaphoræ exempla passim occurrunt in libro Job, item in Psalmis & Prophetis.* Lucem] φῶς. *Intelligit lætitiam, sive salutem oblatam in Christo, & à Christo, per Evangelium: ut percipitur ex versu sequente: ubi hanc prophetiam velut exponens, ait: Ex eo tempore cœpit Jesus prædicare, &c.* In regione & umbra mortis] ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου. *Id est, in regione umbrosa mortis: ἓν διὰ δυοῖν. Regio autem mortis, sicut & umbra mortis, dicitur ab effectu: videl. mortifera seu lethalis.*

17 Ex eo tempore] ἀπὸ τότε. *Subaudi,* γὰρ, *enim. quia his verbis declarat, quomodo prophetia quam modò recitavit, sit impleta.* Cœpit prædicare] ἤρξατο κηρύσσειν. *Videlicet in Galilæa, ex collatione præcedentium. nam quòd jam antea quoque prædicaverit; sed in Judæa, videtur colligi posse ex eo; quòd jam antea in Judæa baptizaverat: ut intelligi potest ex iis quæ annotavimus suprà ad initium versiculi 12. Neque enim probabile est, Christum baptizasse absque præeunte prædicatione.* Resipiscite, &c.] μετανοεῖτε &c. *Vide suprà scholia ad cap. 3. v. 2.*

18 Ad mare Galilææ] παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας. *Quod aliâs nominatur mare Tiberiadis, idem lacus Genesareth. Phrasis Hebræa. nam Hebræi vocabulo* יָם *jam, id est, maris, etiam lacus & fluvios comprehendunt. Sic lacus asphaltites nominatur mare mortuum.* Simonem] Σίμωνα. *Aliâs scribitur* Συμεών. *Hebr.* שִׁמְעוֹן *Schimhón: à verbo* שָׁמַע *audivit. Ratio nominis quatenus impositum fuit filio Jacobi, exponitur Genes. 29. v. 33. quia scil. mater Lea dixerat:* Audivit Jehova, me esse exosam: ideo dedit mihi etiam hunc. Qui dicitur Petrus] τὸν λεγόμενον Πέτρον. *Syriacè* כֵּאפָא *Kiphá: Latinè lapis. Cognomen hoc impositum illi fuit à Christo, eò quòd fides ejus niteretur petrâ quæ est Christus. Vide Johan. 1. v. 43. & infr. 16. v. 18.* Andream] Ἀνδρέαν. *Videtur esse vox Græca, quasi dicas* ἀνδρεῖον, *id est, virilem seu fortem. Non abhorruisse autem tunc Judæos à nominibus Græcis, quin illa filiis suis imponerent, testantur & alia exempla: ut* φίλιππος, νικόδημος. *Est tamen cui videtur nomen hoc deduci posse ab Hebræo verbo* נָדַר *nadár id est, vovit.* Rete] ἀμφίβληστρον. *Vox Græca valde emphatica est, deducta παρὰ τὸ ἀμφιβάλλειν. Significat igitur instrumentum, quod dum jacitur (videl. in aquam) extremitatibus suis undiquaque æquabiliter delabens, concludit quicquid apprehenderit.* In mare] εἰς τὴν θάλασσαν. *Videl. Galilææ: cujus paulo antè facta mentio. Articulus est ἀναφορικός. Sic Germanicè,* Ins meer.

19 Sequimini me] δεῦτε ὀπίσω μου. *Ad verb. Venite post me. Hebraismus. Hîc observandum, quòd Petrus & Andreas Jesum secuti fuerant jam antea, suâ sponte, ut videre est Johan. 1. v. 35. & seq. Et videntur quoque unà cum aliis discipulis interfuisse nuptiis in Cana Galilææ, Joh. 2. v. 2. & 11. v. 12. Sed postea Jesum sequi desierunt redeuntes ad sua: ut planum evadit, si cum hoc loco comparentur quæ narrantur Johan. 3. v. 22. & cap. 4. v. 2. & 3. videl. quòd Jesus in Judæa baptizaverit operâ discipulorum, ac postea rursum abierit in Galilæam: tunc enim demum hos discipulos vocavit: sicut hîc narratur.* Piscatores hominum] ἁλιεῖς ἀνθρώπων *Id est, Apostolos: qui prædicatione Evangelii capiatis, & in regnum cœlorum colligatis, homines. Periphrasis metaphorica, eleganter ex re præsente desumta per ἀνταναχλασιν, q. d. Vos jam piscamini pisces: faciam ut deinceps piscemini homines: quod nimirum piscationis genus longè est præstantius. Notatur ergò hîc argumentum suasionis ab effectu utili. Quare illud,* καὶ ποιήσω. Et faciam: *idem valet quod,* ποιήσω γὰρ, nam faciam.

20 Illi verò] οἱ δὲ. *Pro* αὐτοὶ δὲ.

21 Jacobum] Ἰάκωβον. *De hoc nomine vide suprà scholia in versum 2. ca. 1.* Zebedæi] τοῦ Ζεβεδαίου. *Syriacè* זַבְדַּי *Zabdái: id est, donatus à verbo* זָבַד *Zabád, donavit.* Johannem] Ἰωάννην. *De hoc nomine vide suprà scholia in v. 1. cap. 3.*

23 Circumiit totam Galilæam] περιῆγεν ὅλην τὴν Γαλιλαίαν. *In Græco videtur esse gemina ellipsis. Integrè enim videtur dicendum sic:* περιῆγεν ἑαυτὸν καθ' ὅλην τὴν Γαλιλαίαν: *circumduxit se per totam Galilæam. Sic certè Græci dicunt* ὑπάγειν, *subducere, scil. se. id est, abire.* In synagogis] ἐν ταῖς συναγωγαῖς. *Id est in domibus ubi congregabantur ad audiendum Legem, ac omnino Scripturam sacram: ut videre est Luc. 4. v. 16. & seq. Nomen* συναγωγὴ *propriè significat congregationem: hîc autem, ut & alibi passim, accipitur per metonymiam adjuncti, pro domo in qua fiebat congregatio. Sic Luc. 7. v. 5. seniores Judæorum de centurione dicunt, Ædificavit nobis* τὴν συναγωγὴν, *synagogam nostram. Primò autem docuit in synagogâ Capernaumi: quippe quò unà cum discipulis illis recens vocatis rectà à mari fuerat ingressus, teste Marco cap. 1. v. 20. & seq. Ibidemque ejecit dæmonium ex obsesso: ac protinus domum Simonis & Andreæ ingressus, febri liberavit socrum Simonis, ibid. v. 29. & seq.* Evangelium regni] τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας. *Id est, Evangelium de regno cœlorum, quo scil. hominibus indicatur ratio consequendi regnum cœlorum. Articulus est emphaticus, notans regnum illud omnium præstantissimum. Genitivus notat subjectum occupans, sive objectum.* Et regnum *pro regno cœlesti, per synecdochen generis,* κατ' ἐξοχήν. Sanans] θεραπεύων. *Pro,* ἰώμενος. *nam* θεραπεύω *propriè significat curare morbum, seu mederi morbo: unde dicta à Galeno* θεραπευτική, *ars medendi. Metonymia effecti destinati. Etenim Christus non curabat morbos adhibitis remediis: sed sanabat illos verbo: id est, jussu seu imperio. Cæterùm hujusce sanationis in Galilæa tunc peractæ exempla specialia duo vide Marc. cap. 1. v. 23. & deinceps: videl. ejectionem dæmonii ex obsesso in synagoga Capernaumi, & sanationem socrus Petri quæ febricitabat.* Quemvis morbum] πᾶσαν νόσον. *I. e. omnis generis morbos,* allerley seuche oder schaden. *Sic mox* πᾶσαν μαλακίαν, *omnem languorem:* allerley schwachheit oder kranckheit. *Nota, nomen quantitatis universalis hîc significare genera, non autè species individuas. Etenim Nazarethæ paucos tantùm ægrotos sanavit, nec voluit ibi tot miracula edere (sanâdis nimirũ male-affectis) quod fecerat Capernaümis teste Marco cap. 6. v. 5. & Luc. cap. 4. v. 13. & seq. Eadem significatione accipitur istud nomen in illo loco Pauli 1. Tim. 2.* Deus vult omnes homines (πάντας ἀνθρώπους) salvos fieri: *id est, omnis generis homines, seu omnium ordinum homines (nempe electos) puta reges seu principes & plebeios, sicut ibidem declaratur; item senes & juvenes, doctos & indoctos &c.* Languorem] μαλακίαν. *Vox Græca propriè significat mollitiem. Videtur ergo hîc usurpari per metonymiam efficientis, quòd languor ex mollitie corporis facilè oriatur.*

24 Fama ejus] ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ. *Ad verbum Auditus ejus. Metonymia adjuncti Hebraica: auditus pro sermone qui auditur. Et simul synecdoche generis. nam per sermonem de Christo, intelligitur sermo de ipsius dictis & factis, qui Latinis uno nomine dicitur fama. Alibi nomen* ἀκοὴ *adhibetur ad significandum sermonem Evangelii: ut Rom. 10. v. 19. Quis credidit sermoni nostro?* τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; *Quo loco genitivus pronominis nomini* ἀκοὴ *subjectus notat causam efficientem, sic,* τῇ ἀκοῇ ἡμῶν, *id est,* τῇ παρ' ἡμῶν: *at hîc idem genitivus notat subjectum occupans seu objectum, sic,* ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ, *id est,* ἡ περὶ αὐτοῦ. In totam Syriam] εἰς ὅλην τὴν Συρίαν. *Hoc nomine videntur hîc comprehendi regiones quæ nominantur v. seq.* Sanavitque] καὶ ἐθεράπευσεν *ut v. præcedente.*

25 Et sequuta est eum turba] καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι. *Aberat quidem Christus Capernaümo in locum desertum ad adorandum: sed turba eum insequebatur & quærebat: quod ipsum Simon cum suis ei annuntiavit, Marc. 1. v. 35. Luc. 4. v. 42.* Et Decapoli] καὶ Δεκαπόλεως. *Sic nominatus fuit tractus à decem urbibus ibi sitis. Traditur autem fuisse regiuncula Galilææ gentium proxima. Cæterum decem illæ urbes quæ isti regioni attribuuntur à Plinio lib. 5. c. 18. non regiunculam aliquam, sed bene amplam regionem comprehendunt. unde illis enumeratis, Plinius subjungit hæc verba:* Intercursant, *inquit,* cinguntque has urbes tetrarchiæ, regionum instar singulæ, & in regna contribuuntur: Trachonitis, Paneas (in qua Cæsarea cum suprà dicto fonte) Abila, Arca, Ampeloëssa, Gabe. Et Hierosolymis & Judeâ] καὶ Ἱεροσολύμων καὶ Ἰουδαίας. *Hierosolymam nominat propter excellentiam tanquam Judææ metropolin. Judææ igitur vocabulo reliquam Judææ partem intelligit. Sic Johan 3. v. 22. dicitur Jesus venisse (videl. abiens ex urbe Hierosolyma, ex collatione præcedentium)* εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν, *in Judæam sive Judaicam terram: seu in Judææ territorium.* Et regionibus trans Jordanem sitis] καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. *Repetenda præpositio* ἀπὸ, *ex primo hujus enumerationis membro,*

membra, videl. illo, ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας. quam quidem præpoſitionẽ Syrus interpres in ſingulis iſtis membris repetiit. Itaq; hic habet וּמִן עֶבְרָא דְיוּרְדְנָן*, id eſt,* Et à tranſitũ Jordanis, *hoc eſt, à regione trans Jordanem ſita. Quare in Græco ante πέραν ſubaudiendus articulus τῆς: quaſi dicatur, καὶ τῆς πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Subaudi, χώρας. Quæ quidem regio ab hoc ſitu (ut opinor) Peræa nominatur à Plinio lib. 5. cap. 14. & pars Judææ eſſe traditur. Sic nomen χώρα ſubauditur ſup. cap. 3. v. 5. ubi dicitur, καὶ πᾶσα ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου. quanquam illic commodiùs ſubaudiri videtur γαῖα vel γῆ, id eſt, terra. quod nomen hîc quoq; ſubaudiri poteſt, ad ſignificandum ſcil. regionem: quo ſenſu nomen* אֶרֶץ*, id eſt, terra apud Hebræos non rarò accipitur: ut Pſal. 105. v. 23.* Peregrinatus eſt Jacob in terra Chami. *quod recurrit v. 27. Eodem ſenſu ibidem nominatur terra Mitzrájim, id eſt, Ægyptiorum: v. 32. 36. Item terra gentium, verſ. 44.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

Tentationibus diaboli quomodo reſiſtendum. 1 Ex parte prima tota. Quòd Chriſtus à diabolo tentatus fuit, eumq; in ſingulis tentationibus vicit: id facit ad noſtram conſolationem duobus modis. Primò quòd ſcimus: ſi contingat ut & nos ſimiliter tentemur, Chriſtum nobis velle opitulari: ut qui afficiatur ſenſu infirmitatum noſtrarum, teſte Apoſtolo Hebr. 2. v. 17. & cap. 4. v. 15. Deinde quòd ſcimus eum nobis opitulari poſſe, ſuggerendo ſcil. per Spiritum ſanctum dicta Scripturæ, quibus & in fide gratiæ Dei confirmemur, & in obedientia mandatorum ejus retineamur.

2 Alia obſervatio item ex parte prima tota. Exemplo Chriſti diſcamus, quibus armis aut telis pugnandum ſit cum diabolo, ut eum poſſimus vincere ac profligare: videlicet verbo Dei ſcripto. Nam ſive tentet nos avertere à filiali fiducia erga Deum: proferenda ſunt dicta quæ teſtantur de paterno Dei erga nos amore atq; cura. Sive tentet nos afflare inani confidentia, aut ambitione, aut avaritiâ aliisve vitiis pugnantibus cum Lege Dei: debemus proferre ſancta Dei præcepta quibus vitia illa vetantur. Confer Eph. 6. v. 13. & deinceps. 1. Pet. 5. v. 9.

Tentationum diaboli origo. 3 Ex v. 1. Quum tentamur à diabolo, fit illud volente Deo. nam ſicut Deus voluit tentari Chriſtum, quippe quem per Spiritum S. expulit in deſertum, ut à diabolo tentaretur: ita vult etiam tentari eos qui in Chriſtum credunt, quippe quos vult conformari Chriſto tanquam membra capiti, tanquam diſcipulos præceptori, tanquam ſervos domino. Vult autem hoc propter ſuam gloriam: quæ illuſtratur ex victoria quam nobis dat contra diabolum. Fidelis eſt enim Deus, qui non ſinit tentari ſuos ſupra id quod poſſunt: ſed præſtat unà cum tentatione etiam evaſionem, ut poſſint ſufferre, 1. Cor. 10. v. 13. Quòd autem Chriſtus nos juſſit orare, ne nos Deus inducat ſeu inferat in tentationem: non hunc habet ſenſum, ut prorſus non tentemur, ſed ne in tentatione ſuccumbamus, verùm ut vincamus.

Jejunium quadrageſimale. 4 Ex v. 2. Stultè ac perverſè agunt Papiſtæ, quum jejunium ſuum qudrageſimale celebranses, putant ſe imitari exemplum Chriſti, ac proinde cultum præſtare Deo, nam quòd exemplum hoc Chriſti non imitentur, manifeſtum eſt ex his: 1. quia Chriſtus per totos quadraginta dies & noctes nihil prorſus edit nec bibit: at illi per quadrageſimam quotidie edunt ac bibunt. 2. quia Chriſtus toto illo tempore non eſuriit: quia expreſsè dicitur, quòd cùm jejunaſſet quadraginta dies ac noctes, poſtea demum eſurierit: at illi in ſua quadrageſima quotidie eſuriunt: quippe quotidie edunt: quod nunquã facerent, niſi fames urgeret: quia ſtudent imitari exemplum Chriſti. 3. Chriſtus non jejunavit per quadraginta dies ex propoſito: ſed partim caſu ita ferente: quia accidit, ut per id tempus non eſuriret: partim neceſſitate ita poſtulante, quia non erat illi cibus ad manum. At Papiſtæ jejunant, ſaltem ex parte, per quadraginta dies, certo propoſito atq; conſilio; videlicet ut imitentur exemplum hoc Chriſti, & ita cultum præſtent Deo. Unde jam liquet alterum, quòd ſcil. agant perverſè: quia ſuperſtitioſè. Etenim Deus illis hanc imitationem aut tale jejunium non præcepit: nec poſſunt affirmare, ſed ad illud agi à Spiritu ſancto. Valet igitur contra ipſos illud Chriſti, ex Eſaia Phariſæis objectum: *Fruſtra me colunt, docentes doctrinas mandata hominum.* Deinde ſi maximè Deus tale jejunium præcepiſſet: tamen ſuperſtitioſè agunt, quum illud obſervant cum opinione meriti, & quaſi jejunium Deo placeat per ſe: quo nomine olim jejunium Judæorum damnavit Deus, ut videre eſt apud Eſa. c. 58. Sicut & in N. T. damnavit illud Chriſtus in Phariſæo illo qui unà cum publicano orabat in templo, Luc. 18. v. 19. & ſeq. Legitimum autem jejunium eſt quod ſuſcipitur precum causâ, quale Deus olim præceperat in feſto expiationis, Levit. 16. v. 29. & c. 23. v. 27.

Cibus. 5 Ex eod. v. Deus poteſt nos in vita ſuſtentare etiam ſine cibo: ut teſtatur exemplum Chriſti, & illi ſimilia, Moſis & Eliæ. Quare ſi accidat ut cibo deſtituamur, fidamus interim Deo, & in paternam ejus providentiam recumbamus.

Chriſti doctrina. 6 Ex eodem verſu. Quòd Chriſtum quadraginta dies ac noctes in deſerto oportuit jejunare, antequam in medium prodiret ac ſurgeret ad docendum: facit ad doctrinam ejus commendandam: ut quam non ab hominibus in ſcholis, ſed à Deo ipſo in arcano ac diuturno receſſu acceperit; ſicut olim Moſes Legem. Quare doctrinam Chriſti tanquam divinam atque cæleſtem amplectamur.

Diaboli apparitiones. 7 Ex v. 3. item ex 5. & 8. Non debet incredibile videri, quòd diabolus aſſumtâ ſpecie hominis, veniat ad homines, & eos alloquatur. Id enim videmus eum feciſſe quum Chriſtum tentaret. Nec minùs hoc credibile videri debet de angelis malis, quàm certum eſt id ſæpiùs factum ab angelis bonis: ut exempla Scripturæ teſtantur. Similiter non debet incredibile videri, quòd homines corripiat, & per aërem vehat. nam videmus hoc feciſſe Chriſto.

Diaboli ſtudium. 8 Ex eod. v. Diabolus intentus eſt in omnes occaſiones tentandi filios Dei, id eſt, ſolicitandi ad peccandum: ſicut hoc loco occaſione famis qua Chriſtus laborabat, uſus eſt ad eum tentandum. Atque hinc eſt, quòd nominatur tentator. Quare vigilemus ac oremus, ne nos aggrediatur incautos & ſecuros, atque ita vincat.

Tentationibus diaboli quomodo reſiſtendum. 9 Ex v. 4. Quum diabolus nos tentat avertere à fiducia filiali erga Deum, ex defectu mediorum ad hujus vitæ conſervationem à Deo ordinatorum: muniamus fidem noſtram dictis Scripturæ quæ teſtantur de potentia Dei, quam exſeruit in conſervandis cultoribus ſuis citra ordinaria illa media: ſicut aluit populum Iſraëliticum in deſerto per totos quadraginta annos abſque frugibus, creando panem in aëre qui dicebatur Man. Talis fiduciæ exemplum proponitur in Joſaphato, 2. Chron. 20. v. 6. & ſeqq. ubi adventante magnâ manu hoſtium, opem Dei implorans, potentiam ejus celebrat, & exemplis rerum apud majores geſtarum confirmat: ac tandem deſinit in hæc verba, *Non eſt in nobis vis obſiſtendi multitudini magnæ iſti invadenti nos: & nos neſcimus quid facturi ſimus: ſed in te defixi ſunt oculi noſtri.* Simul etiam meditandæ divinæ promiſſiones de paterna Dei cura erga nos, & de exauditione precum noſtrarum.

Chriſti humiliatio. 10 Ex v. 5. & 8. Admiranda eſt humiliatio filii Dei, quòd diabolo tantam conceſſit in ſanctiſſimum ſuum corpus poteſtatem, ut illud correptum pro ſua libidine transferret ac ſtatueret. Non minor eſt, imò major, illa humiliatio qua paſſus eſt ſeſe medium ſuſpendi in cruce inter duos latrones. Quare ſi nobis ſimilia eveniant, exemplo Chriſti nos conſolemur.

Diaboli tentationes. 11 Ex v. 3. & 6. inter ſe collatis. Diabolus in hoc elaborat ut homines peccent aut in defectu aut in exceſſu. ut hîc videmus: Quum Chriſtum non poſſet adigere ad defectum fiduciæ erga Deum, id eſt, ad diffidentiam aut deſperationem: conatus eſt illum adducere ad nimiam confidentiam. Nos igitur medium teneamus quod præſcribitur à verbo Dei.

Scripturarum citatio. 12 Ex v. 6. Cavendum ne Scripturas citemus mutilè, aut ſaltem detorqueamus in alienum ſenſum: ſicut hoc loco fecit diabolus. Etenim omiſit illa verba, *In omnibus viis tuis:* atq; ita dictum illud pſalmi detorſit in alienum ſenſum: quaſi ſcil. Deus illic filiis ſuis promitteret protectionem & cuſtodiam angelorum etiam tunc quum illi media ab ipſo ordinata aſpernantur, ac experiri volunt an etiam abſque illis mediis Deus ſeſe couſervare poſſit aut velit. At Deus promittit illic ſuam protectionem iis tantùm qui ambulant in viis ſuis, id eſt, ſibi à Deo præſcriptis: ac proinde mediis à Deo ordinatis obedienter utuntur.

Diabolo ſcripturas allegantí quomodo occurrendum. 13 Ex v. 7. Quum diabolus ad tentandum nos abutitur Scripturâ: nihil tutius eſt quàm illi Scripturam opponere: quia certum eſt Deum ſibiipſi in Scriptura non contradicere. unde neceſſe eſt, Scripturas in falſo ſenſu à diabolo allegari, quum eas adhibet ad perſuadendum nobis ea quæ cum claro Dei verbo pugnant. Ita videmus, Chriſtum hoc loco non diſputare cum diabolo de ſenſu dicti ab illo citati: ſed ſimpliciter illius tentationi opponere clarum Dei præceptum. Interim ſuum eſt tempus & locus fallacias ac ſophiſmata diaboli & organorum ejus detegendi ac diſſolvendi.

Mediis utendum. 14 Ex v. 6. & 7. Qui nolunt uti mediis à Deo ad conſervationem noſtri ordinatis, illi Deum tentant: volentes nimirum experiri an Deus etiam abſque illis mediis ſeſe conſervare poſſit aut velit. Sic faciunt, qui nolunt uti medicamentis quum ægrotant. Item qui negligunt uſum verbi aut Sacramentorum ad confirmandum fidem. Interdum verò tentamus Deum, quum ex incredulitate ac diffidentia præſcribimus ei modum agendi in nobis conſervandis: quomodo Iſraëlitæ tentaverunt Deum in deſerto, quum murmurantes peterent aquam, Exod. 17. Atque hoc genus tentationis exprobrat Judith civibus Beth-coglæ, Judith 8. v. 11. qui ſcil. dixerant ſe urbem hoſtibus tradituros, niſi intra quinque dies Deus ipſis dediſſet aquam.

Tentationibus diaboli quomodo reſiſtendum. 15 Ex v. 7. & 10. Quum diabolus nos ſolicitat ad agendum aliquid quod pugnat cum lege Dei: debemus nos munire meditatione ſanctorum mandatorum Dei quæ in lege continentur.

Pontifex R. filius diaboli. 16 Ex v. 9. Pontificem Romanum eſſe filium diaboli, vel ex eo apparet, quòd vult ut cuncti procidentes ſeſe adorent. Quam adorationem Spiritus S. in Apocalypſi vocat adorationem beſtiæ: Apoc. 13. v. 4. & cap. 14. v. 9. & cap. 20. v. 4.

Adoratio. 17 Ex v. 10. Quum ſolus Deus adorandus ſit: peccant igitur Papiſtæ, qui adorant imagines vel Dei vel ſanctorum, vel etiam ipſos ſanctos defunctos.

Caro Chriſti an adoranda. 18 Ex eod. v. Quum ſolus Deus adorandus ſit: falſum igitur docent qui tradunt, adorandam eſſe carnem Chriſti: quippe quum certum ſit, carnẽ Chriſti non eſſe Deum: licet ſit caro Dei, nempe filii Dei, perſonaliter ei unita. At perſonalis unio divinæ

& humanæ naturæ in Christo, non tollit aut confundit earum proprietates, sed salvas relinquit. Est autem adorabilitas non minus proprietas deitatis quàm omniscientia, omnipotentia, omnipræsentia, æternitas. Adorandus est igitur Deus manifestatus in carne: sed caro ejus adoranda non est. Sicut civiliter adoratur rex in capite gerens coronam vel diadema, sceptrúmve manu tenens: ac interim nec corona vel diadema, nec sceptrum adoratur. Et pii tum demum Christum adorasse leguntur, quum cognoverunt ejus deitatem: ut testantur hæc exempla: Cæci nati, Joh. 9. v. 35. 36. 37. 38. Petri, Luc. 5. v. 8. Illorum qui viderant Jesum ambulantem super mare & illud tranquillitatem, Matth. 14. v. 33. Sanctarum mulierum quæ ipsum quæsierant in sepulchro, Matth. 28. vers. 9. Apostolorum congregatorum in monte quum Christus eis valediceret, ibid. v. 17. Thomæ videntis eum post resurrectionem, Joh. 20. v. 28.

Tentatio cum diabolo. 19 Ex v. 11. Si fortiter pugnabimus cum diabolo per Scripturas, vincemus eum. Huc pertinet illud Jacobi c. 4. v. 7. Resistite diabolo, & fugiet à vobis.

Angelorum ministerium. 20 Ex eodem vers. In casu necessitatis Deus filiis suis necessaria per angelos subministrat. Confer exemplum Eliæ 1. Reg. 19. v. 5. 6.

Ministrorum verbi Dei officium. 21 Ex v. 12. Exemplo Johannis Baptistæ, propter liberè reprehensum Herodem in carcerem conjecti, consolentur sese pii ministri verbi, si propter similem causam officii facti in reprehendendis auditorum vitiis, similia patiantur.

Providentia Dei in dandis Ecclesiæ fidelibus ministris. 22 Ex eod. v. Quum diabolus pio aliquo verbi ministro ablato, Evangelii cursum interrumpere in aliquo loco conatur: non statim omnis spes abjicienda est: quia Deus in locum illius ablati potest sufficere alium qui cœptam verbi administrationem continuet, sicut hoc loco videmus, ablato in Galilæa Johanne Baptistâ, mox successisse Christum.

Piorum doctorum consolatio. 23 Ex v. 13. Exemplo Christi relinquentis patriam Nazaretham, propter popularium videl. ingratitudinem qui ipsum minimè, ut decebat, honorabant: consolentur sese pii doctores, qui propter similem causam patriam relinquere coguntur.

Quòd Jesus sit Christus. 24 Ex v. 14. & seq. Notanda est pars argumenti quo probatur, Jesum illum Nazarenum esse Christum: quia scil. in eo impleta est prophetia Esaiæ de luce Evangelii per Christum offerenda atque communicanda Galilæis.

Evangelij efficacia. 25 Ex v. 16. Evangelium est lux qua & mentes electorum illustrantur verâ cognitione Dei, & corda exhilarantur ex gustu gratiæ Dei per Christum conciliatæ.

26 Ex v. 17. Vide observationes ex v. 2. c. 3.

Ministrorum verbi Dei officium. 27 Ex v. 18. & 21. Quòd Christus ad Apostolatum vocavit duo paria fratrum: argumento est, eum delectari fraternâ ministrorum concordiâ. Hanc igitur ministri omni studio colant. Huc potest accommodari Psal. 123.

Fidei Christiana objectum. 28 Ex v. 18. Fides nostra, exemplo Petri, fundari debet in petra, quæ est Christus, Matth. 16. v. 18.

Mysteria regni calorum quibus pateant. 29 Ex v. 18. 19. 21. Quòd Christus ad Apostolatum delegit piscatores: argumento est, quòd mysteria regni cælorum inprimis patefacere velit humilibus & abjectis in hoc mundo. quare nemo pius propter humilem suam conditionem contristetur. Confer infra c. 11. v. 25. 26. *Confiteor tibi, pater &c.* item 1. Cor. 1. v. 26. & seq. *Videtis vocationem vestram fratres &c.*

Evangelij efficacia. 30 Ex v. 19. Evangelium est quasi rete piscatorium quo capiuntur homines, ut colligantur ex mari hujus mundi in regnum Dei. Confer infra c. 13. parabolam de sagena. item Rom. 1. v. 16.

Christi potentia divina. 31 Ex v. 20. & 22. Quòd quatuor isti piscatores Christum vocantem è vestigio sunt secuti, rebus suis relictis: argumentum est divinæ potentiæ Christi, quâ hominum corda movet atque impellit quò vult. Eandem potentiam exserit in prædicatione Evangelii, per quam efficaciter vocat electos.

Obedientia erga Deum exempla. 32 Ex iisdem versibus. Quocunq; Deus nos vocaverit, promptè debemus sequi, exemplo quatuor istorum discipulorum: etiamsi nobis charissima quæque relinquenda sint, aut etiam difficultates maximæ adeundæ. Confer exemplum Abrahæ, quum vocaretur ex Ur Chaldæorum, Genes. 11. & 12. Item Elisæi prophetæ, 1. Reg 19. v. 19. & seq. Contraria verò exempla proponuntur in Mose, Exod. 3. & 4. in Jeremia Jer. 1. in adolescente illo divite qui rogaverat Christum quid boni faciendum sibi esset ut haberet vitam æternam: infrà c. 19. v. 21. & 22.

Ministrorum verbi Dei officium. 33 Ex v. 13. Sedulitas Christi in obeundo munere suo prophetico omnibus verbi ministris est imitanda. Confer exemplum Pauli, Rom. 15. v. 19. & seq. 1. Cor. 9. vers. 16. item 2. Cor. 11. v. 23. & seq.

Magistratus Christiani officium circa cultum Dei. 34 Ex eod. v. Exemplum Judæorum qui passim in urbibus habuerunt synagogas, imitandum est Christianis magistratibus: ut scil. aperiant scholas Christianas, in quibus bonæ literæ ac inprimis literæ sacræ, juventuti tradantur. Item ut constituant ministerium Ecclesiæ in urbibus & pagis, prout necessitas subditorum videbitur postulare.

Evangelii. 35 Ex eod. v. Evangelium in summo pretio habendum est: quum sit doctrina quæ viam ostendit quâ veniamus in regnum cælorum. hinc enim est, quòd Evangelium regni nominatur: quia de regno cælesti adipiscendo docet.

Omne interdum idem valet quod Omnis generis. 36 Ex eod. v. Imperitè, aut certè iniquè agunt, qui in verbis Pauli 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, reprehendunt expositionem vocabuli OMNES per vocabulum QUOSVIS seu OMNIS GENERIS: atq; interim contendunt, vocabulum illud eo loco intelligendum de SINGULIS: quasi aliter intelligi non possit. At posse intelligi de generibus, ita ut non intelligatur de singulis speciebus individuis: planum est ex præsenti loco, & aliis, ut Luc. 11. v. 42. *Decimatis mentham & rutam & omne olus*, πᾶν λάχανον: id est, quodvis olus, seu omnis generis olus, seu denique omne genus oleris: germanicè, allerley köhl: sicut rectè ibi vertit Lutherus. Etenim enumeratâ unâ atque alterâ specie, per præcisionem adjungit genus universum. Sic Actor. 7. v. 22. *Eruditus est Moses omni sapientiâ Ægyptiorum*. id est, omni genere sapientiæ: puta sapientiâ logicâ, physicâ, astronomicâ, mathematicâ, politicâ. Hinc jam liquet, vocabulum OMNES non necessariò quoties occurrit, accipiendum esse de singulis individuis: sed posse accipi de singulis generibus. Et sanè in loco illo Pauli ita accipiendum, judicari potest tum ex illius loci circumstantia, tum ex collatione aliorum Scripturæ locorum; cum quibus ille locus pugnabit, si de singulis hominibus accipiatur.

Quòd Jesus sit Christus. 37 Ex v. 24. Jesum illum esse Christum, etiam hoc argumento probatur, quòd sanavit omnes generis morbos ac defectus corporis: sicut de Christo prædictum fuit per Esaiam c. 35. v. 5. & 6 cap. 33. v. 4. Confer infrà c. 8. v. 16. 17. & c. 11. v. 2. & seqq.

Christi deitas. 38 Ex eod. v. Ex miraculosa sanatione quâ Christus sanavit omnis generis ægrotos ac male-affectos, probatur ipsius deitas: quoniam nimirum miracula ista fecit propriâ virtute seu potentiâ.

Christus medicus animarum. 39 Ex eodem v. Sicut Christus sanavit morbos corporis: ita animarum quoque medicus est. Unde Pharisæis ægrè ferentibus quòd familiariter versaretur cum publicanis & peccatoribus, adducere: nimirum illos volens ad resipiscentiam sua doctrinâ: dicebat, *Qui valent, non egent medico: sed male-affecti.* Item, *Non veni ut vocarem justos, sed peccatores ad resipiscentiam*: infrà c 9 v. 12. 13.

Christi doctrina studiosè audienda. 40 Ex v. 25. Exemplum turbæ sequentis Christum ad audiendum ipsius doctrinam, nobis imitandum est. Licet autem nobis illum adhuc hodie audire, si audiamus ipsius ministros: secundum illud, *Qui vos audit, me audit.*

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Pergit in narranda administratione muneris Prophetici Christi: ac deinceps per tria capita, quintum, sextum & septimum, recitat sermonem seu concionem quam Christus coram discipulis ad populum habuit in monte. In qua concione multa & varia agit. Atq; in ea quidem parte quæ continetur in hoc capite, agit ista quatuor. Primùm indicat causas procreantes beatitudinis, usq; ad v. 13. Deinde discipulos hortatur ad studium prædicandi verbum Dei & ad studium bonorum operum, usq; ad v. 17. Tum præfatur in expositionem Legis, usq; ad v. 21. Postremò exponit aliquot Legis præcepta, videl. sextum usq; ad v. 27. deinde septimum, usq; ad v. 33. tum tertium, usq; ad v. 38. postea legem de pœna talionis, usq; ad v. 43. postremò præceptum de diligendo proximo, usque ad finem capitis.

PARS PRIMA.

Causa procreantes beatitudinis.

Quum vidisset autem turbam, ascendit in montem: & quum consedisset, adierunt eum discipuli ejus.

2 Tunc aperto ore suo, docebat eos, dicens;

3 Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.

4 Beati qui lugent: quoniam ipsi consolationem accipient.

5 Beati mites: quoniam ipsi hæreditatis jure terram possidebunt.

6 Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.

7 Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.

8 Beati *qui sunt* mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.

9 Beati pacifici: quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.

10 Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.

11 Beati eritis quum conviciati fuerint vobis, & persequuti fuerint, & dixerint quidvis mali adversus vos, mentientes, propter me.

12 Gaudete & exsultate; quoniam merces vestra multa est in cælis. ita enim persequuti fuerunt Prophetas qui fuerunt ante vos.

Vers. 1. & 2. describitur præparatio ad sequentem concionem, quadri-

quadrimembris. nam primò indicatur occasio: videl. conspectus turbæ seu populi qui Christum variis ex locis fuerat secutus, ut narratum est cap. præced v. ult. Deinde auditores: videl. tum ipsa turba, tum discipuli. Tertiò locus quem Christus ad hunc sermonem habendum delegit. videl. moris. Quartò gestus quem in habendo sermone adhibuit: isq; geminus, videl. sessio & apertio oris: qua quidem apertione videntur notari duo, nempe tum alacritas ad dicendum, tum vocis claritas atq; intentio, quò meliùs nimirum à singulis posset exaudiri. Versu tertio incipit ipse sermo: ubi primùm exponuntur variæ causæ procreantes beatitudinis: quarum aliæ sunt hominis beandi adjuncta inhærentia, videl. animi affectiones quædam, usq; ad v. 10. aliæ verò sunt ejusdem adjuncta adhærentia atq; externa, videl. persecutiones & probra, v. 10. & 11. Animi illæ affectiones, rursus duorum sunt generum: quædam enim initiū beatitudinis quod electis in hac vita contingit, antecedunt: quedam sequuntur inchoatam illam beatitudinem, veruntamen antecedunt futuram in altero seculo plenitudinem seu perfectionem. Prioris generis affectiones indicantur tres: Paupertas spiritus, id est; agnitio propriæ injustitiæ, quæ primus est ad beatitudinem gradus, v. 3. Deinde luctus, i. e. dolor propter offensum Deum per nostra peccata, v. 4. Tum fames ac sitis justitiæ, i. e. verum justitiæ seu remissionis peccatorum desiderium, videl. remissionis gratuitæ propter Christum, v. 6. Ex quo quidem desiderio continuò nascitur fides, per quam electi gratiam illam Dei desideratam atq; expetitam gustant, atque ita beari incipiunt. Posterioris generis affectiones indicantur 4. quæ quidem cunctæ ex fide, tanquam fructus ex arbore, nascuntur. Prima est mansuetudo, v. 5. Nam qui fide gustat gratiam Dei erga se, ejus animus incipit mitescere atq; mansuescere erga proximum, ne ab illo offensus, jus suum rigidè velit persequi: sed ut iram compescat & offensas condonet, non autem ulcisci velit. Secunda affectio est misericordia, v. 6. Nam qui per fidem intellexit atque expertus est misericordiam Dei erga se, ejus animus inclinatur quoq; ad misericordiā erga proximum. Tertia affectio est mundities cordis, id est, amor castitatis, v. 8. nam qui per fidem intelligit sanctitatem Dei; cui satisfieri non potuit, nisi sordes peccatorum nostrorum purgarentur sanguine filii ipsius: qui, inquam, hoc intelligit & considerat; is per hoc flectitur ad omnis impuritatis odium, & contrà ad amorem sanctimoniæ atq; castitatis. Quarta affectio est studium pacis atque concordiæ, v. 9. Nam qui fide intelligit, quàm facilem se Deus præbuerit ad pacem nobiscum faciendam per Christum, quum essemus inimici ejus infensissimi: is hac consideratione flectitur ad studium pacis colendæ cum proximo atque inter proximos dissidentes conciliandæ. Atque hæc de animi affectionibus, quæ sunt hominis beandi adjuncta interna, in animo videl. illius inhærentia. Jam externa illa atq; adhærentia adjuncta eam naturam atq; rationem habent, ut primâ fronte videantur beatitudinem hominis impedire atq; corrumpere: adeò ut videri possint non causæ procreantes, sed potiùs corrumpentes illius esse: videl. persecutiones & probra propter Christum, v. 10. & 11. Veruntamen ex accidenti fit, ut illa quoq; ad electorum atq; credentium beatitudinem conferant: idq; tum in hac vita, tum in futura. Nam ad futuram vitam quod attinet, credentibus patienter injurias istas propter Christum tolerantibus promittitur merces multa in cælis, v. 11. Ad hanc verò vitam quod attinet; significatur, Christianos sortem hanc communem habere cum sanctis Prophetis: quæ nimirum magna est ipsorum gloria. Sed longe maxima gloria est, quòd eandem sortem communem habent cum omnium Prophetarum maximo atque sanctissimo, videl. Christo: sicut alibi Scriptura docet. Cæterùm postremæ illius causæ expositionem Christus amplificat porismate seu corollario, quo ex illa deducit exhortationem ad gaudium in injuriis propter ipsum ferendis adhibendum: *Gaudete*, inquiens, *& exsultate*. quam ipsam exhortationem duobus illis argumentis confirmat, in quib. ratio causæ consistit, sicut modò declaravimus: quorum prius continetur ibi, *Quoniam merces vestra &c.* posterius ibi, *Ita enim persecuti &c.*

SECUNDA PARS.

Hortatio ad discipulos.

13 Vos estis sal terræ: quòd si sal insipidum fuerit effectum, quo salietur *ipsum?* Ad nihil valet ampliùs nisi ut abjiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.

14 Vos estis lux mundi. Non potest urbs occultari supra montem sita.

15 Neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub ter modium; sed in candelabrum: & splendet omnibus qui sunt in domo.

16 Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentque patrem vestrum qui est in cælis.

Hîc sermonem convertit ad discipulos, eosque hortatur partim ad studium prædicandi verbum Dei, partim verò ad studium bonorum operum seu sanctæ vitæ. Hanc autem hortationem illustrat similitudine triplici. Etenim discipulos quatenus futuri erant præcones verbi Dei, comparat primùm sali, deinde luci, tū urbi supra montem sitæ. Sali: quia ut sale conditur caro, ne putrescat; item, ut bene sapiat: sic verbo Dei, tum Legis scil. tum Evangelii, animæ nostræ condiuntur, ne putrescant in peccatis, id est, propter peccata in æternum pereant; sed ut bene sapiant, id est, placeant Deo, ac proinde æternâ vitâ donentur. Luci verò comparatur verbum Dei: quia ut Lux solis mundum illustrat, ac facit ut homines res obvias cernant & agnoscant, & ut ambulantes ab obstaculis aut foveis aut locis præruptis sibi caveant: ita verbum Dei illustrat mentes electorum in toto mundo, & facit ut cognoscant tum Deum tum seipsos, & à peccatis quæ in æternum exitium homines præcipitant, sibi caveant. Item sicut lucerna in domo super candelabrum collocata, lucet domesticis, ut sese mutuò agnoscere, & res suas rectè expedire possint: sic verbum Dei lucet domesticis Dei, hoc est, electis, in ecclesiam (quæ domus Dei est) adscitis, ut sese mutuò agnoscant & diligant, & officiis suæ vocationis ex verbi præscripto rectè fungantur. Deniq; urbi supra montem sitæ comparantur præcones verbi: quia quemadmodum talis urbs non potest latere; sed patet omnium aspectui: sic doctrina & vita præconum verbi non potest latere, sed omnibus innotescit, saltem in eodem loco aut non procul habitantibus. Atque sic similitudo ista non ad solam doctrinam, sed etiam ad vitam ministrorum pertinet. Quò etiam accommodat Christus ipse similitudinem secundam, videlicet lucis. huic enim expresse comparat bona opera discipulorum. quo nomine, meâ quidem sententiâ, utrumque comprehendit, & doctrinam inquam & vitam. Etenim utriusque respectu ministri verbi sunt veluti φωςῆρες (ut Apostolus loquitur) prælucentes aliis ad vitam vitæ ineundam. Cæterùm exhortationem institutam confirmat Christus triplici argumento: 1. à fine vocationis discipulorum, ut quos ad hoc ipsum vocaverit, ut sint sal terræ, vers. 13. & lux mundi, vers. 14. & lucerna accensa super candelabrum posita, vers. 15. Deinde ab eventu pernicioso. nisi enim vocationi suæ responderint, saliendo terram, sed fuerint insulsi, id est, ignavi ac proinde Deo insipidi; fore ut tanquam inutiles abjiciantur & conculcentur, id est, æterno exitio pereant, vers. 13. Postremò ab effectis utilibus atque exoptandis. nam si lux ipsorum, videlicet lux tum salvificæ doctrinæ, tum sanctæ vitæ, splenduerit: fore ut homines per utramque ad fidem Christianam adducti salutem æternam consequantur, ac proinde Deum pro ipsius erga se bonitate glorificent, vers. 16. Philip. 2. 15.

TERTIA PARS.

Præfatur in expositionem Legis.

17 Ne existimate me venisse ut dissolvam Legem, aut Prophetas: non veni ut dissolvam, sed ut impleam.

18 Amen quippe dico vobis, Usque dum prætererit cælum & terra, iota unum aut unus apex nequaquam præterierit ex Lege; usque dum omnia facta fuerint.

19 Quisquis igitur solverit unum ex mandatis hisce minimis, & ita docuerit homines; minimus vocabitur in regno cælorum: quisquis autem fecerit & docuerit, iste magnus vocabitur in regno cælorum.

20 Dico enim vobis, Nisi abundaverit vestra justitia plus quàm Scribarum & Pharisæorum, nequaquam ingressuri estis in regnum cælorum.

Quoniam in verbis proximè præcedentibus hortatus fuerat discipulos ad studium bonorum operum: deinceps aggreditur docere, quænam verè bona & Deo placentia opera sint, videl. ea quæ DEUS in Lege præcepit. Sed quoniam Scribæ & Pharisæi Legem falsò interpretabantur, Christus aggreditur veram Legis mentem aperire, & ab illorum corruptelis ac falsis interpretationibus vindicare. Antequam autem id faciat, in expositionem illam suam præfatur. In qua præfatione agit quatuor: quæ singula singulis versiculis continentur. Ac primò vers. 17. removet à se finistram suspicionem Scribarum & Pharisæorum, atque adeò (ut videtur) calumniam quam illi jam tum de ipso videntur sparsisse: quasi scil. afferret genus doctrinæ novum, & Legi atque Prophetis contrarium. Christus igitur hanc suspicionem & calumniam à se removet, quatenus negat se venisse ut Legem aut Prophetas dissolvat: id est, quicquam illis contrarium doceat vel agat; & contra affirmat, se venisse ut eam impleat, id est, & doctrinam Mosis ac Prophetarum doctrinâ suâ confirmet; & vitâ quoque suâ & actionibus, atque adeò etiam perpessionibus illa ipsa præstet, quæ Moses & Prophetæ facienda præceperunt, & Christum facturum atque perpessurum prædixerunt: denique ut filiis Dei in ipsum credentibus atque credituris vires det per Spiritum sanctum, quibus possint veram Legis impletionem inchoare, & suo tempore plenè præstare. Deinde v. 18. affirmationem illam de suo proposito, amplificat expositione secuturi eventus; quatenus affirmat, omnino ita futurum ut ipse Legem impleat. quam ipsam sententiam amplificat quatuor modis.

Primùm asseveratione per exclamationem, ubi ait: *Amen enim dico vobis:* Deinde ab adjuncto tempore quo impletio ista sit duratura, videl. in æternum: ubi ait, *Donec præterierit cælum & terra.* quibus verbis significat: sicut cælum & terra nunquam sint præteritura, hoc est, interitura, ita scil. ut in nihilum redigantur: ita etiam nunquam interituram seu cessaturam impletionem Legis, videl. dilectionem Dei & proximi, quam Deus in Lege præcipuè requirit: sed duraturam in æternum. Tertiò, amplificat sententiam propositam à minori, ubi ait: *Jota unum aut unus apex nequaquam præterierit ex Lege.* quasi dicat: Etiam singula jota, literæ videl. omnium minimæ, nec non singuli apices seu puncta vocalia quibus Lex Dei descripta est, implebuntur: Ergo multò magis implebuntur ipsa Legis præcepta ac promissiones. Hæc amplificatio hyperbolica est: quatenus tribuit literis & punctis impletionem: quum illa propriè loquendo non possint dici impleri seu opere præstari, quum non notent sententias videl. præcepta aut promissiones: sed tantùm ut minima ac prima scripturæ elementa serviant sententiis scribendis. Quartò amplificat sententiam propositam ab adjuncto numero; ubi ait: *Dum omnia facta fuerint.*

Atque hæc de particula hujus loci secunda. Deinceps vers. 19. ex utraque præcedente sententia deducit πόρισμα seu corollarium, quo contemtoribus Legis denuntiat æternum exitium: observatoribus autem vitam æternam. quasi dicat: Quum igitur mihi propositum sit Legem per omnia implere, atque etiam sim impleturus: patet hinc, quanti ego Legem faciam, & quanta sit illius sanctitas, quum eam per omnia oporteat impleri: ac proinde *quisquis solverit unum ex mandatis, &c.* Hoc igitur corollarium continet duas sententias, promissionem scil. & comminationem: promissionem quidem gloriæ & vitæ cælestis, comminationem verò ignominiæ atq; exitii gehennalis. Comminatio præcedit his verbis: *Quisquis igitur solverit unum* (id est, fecerit contra unum) *ex mandatis hisce minimis* (hoc est, quæ Scribis & Pharisæis videntur minima, si comparentur cum ipsorum traditionibus) *& ita docuerit homines** (videl. ut solvant) *minimus vocabitur in regno cælorum*: id est, quo ad receptionem in regnum cælorum, minimi atque adeò nihili æstimabitur, ac proinde ab illo excludetur & in gehennam conjicietur. hoc enim est quod dicit in fine versus sequentis, *Scribas & Pharisæos per suam justitiam non ingressuros in regnum cælorum.* Promissio comminationi illi opposita, enuntiatur his verbis: *Quisquis autem fecerit* (mandata Legis) *& docuerit* (ut alii quoque faciant) *iste magnus vocabitur in regno cælorum*: id est, recipietur in regnum cælorum cum magna sua gloria & felicitate. Atque hæc de particula tertia. Quartò & postremò vers. 20. sententiam pronuntiatæ comminationis declarat exemplo speciali, Scribarum scilicet & Pharisæorum illius temporis: ac proinde justitiâ illorum damnatâ, discipulos ab ipsorum exemplo imitando dehortatur, & contra hortatur ad studium justitiæ majoris, videl. justitiæ veræ qualem Lex præscribit. Argumentum dehortationis addit à tristi eventu: videl. exclusione è regno cælorum.

* *vel, quamvis ita agere docuerit homines.*

QUARTA PARS.

Exponit aliquot Legis præcepta. Ac primùm expositio præcepti sexti.

21 Audistis, dictum fuisse antiquis, Non occîdes: quisquis autem occiderit, tenebitur judicio.

22 Ego verò dico vobis, Quicunque irascitur fratri suo temere; tenebitur judicio: quicunque verò dixerit fratri suo, raca; tenebitur synedrio: quisquis autem dixerit, fatue; tenebitur gehennâ ignis.

23 Igitur si munus tuum attuleris ad altare; & illic memineris, fratrem tuum habere aliquid contra te:

24 Omitte illic munus tuum coram altari, & abi; primùm reconciliator fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum.

25 Esto amicus adversario tuo citò, dum es in via cum eo: ne quando te tradat adversarius judici, & judex te tradat ministro, & in carcerem conjiciaris.

26 Amen dico tibi, nequaquam exibis illinc usque dum reddideris *etiam* ultimum quadrantem.

Hic jam aggreditur Christus expositionem quorundam præceptorum Legis: ac primùm præcepti sexti, Non occîdes. In quo exponendo tria agit. Primùm recitat expositionem Scribarum & Pharisæorum, v. 21. Deinde opponit illi expositionem suam, v. 22. Postremò è sua expositione deducit πόρισμα seu corollarium de concordia cum proximo colenda, versibus reliquis. In expositione Scribarum & Pharisæorum attingit illius commendationem quam isti adhibebant ad illam populo commendandam, videl. ab authoribus quos nominabant *antiquos*, quo vocabulo intelligebant magistros seu doctores ætatis paulo superioris. Expositionem autem ipsam significat subsistere partim in litera, quasi nihil aliud vetetur quàm homicidium quod committitur manu: partim in pœna corporali atq; temporali; quasi præceptum illud hac solâ à Deo sancitum esset. Nam nomine *judicii* intelligi hic consessum judicum civilium irrogantium reis pœnas corporales, percipitur ex collatione versiculi sequentis. Jam suâ expositione monet, præcepto hoc vetari non solùm homicidium quod committitur manu, sed etiam quod corde & ore: hoc est, vitiosum cordis affectum, videl. temerariam atq; injustam iram, & iracunda verba ex tali affectu profusa. Item monet, præceptum hoc à Deo sancitum esse non solùm pœnis corporalibus atque temporalibus, quales irrogantur a judicibus civilibus: sed etiam pœnâ æternâ seu cruciatibus tum animi tum corporis in gehenna, quam pœnam transgressoribus hujus præcepti infert Deus. Cæterùm in exponendis istis rebus quæ hoc præcepto vetantur, Christus facit gradationem Logicam à minoribus ad majora, & à causis ad effecta. Enumerat autē gradus tres tum delictorum tum pœnarum. Delictorum primus gradus est, temeraria ira: secundus convicium levius; quale est apud Hebræos, si quis alterum appellet Raká, vel potius Reká, hoc est, vacuum, scil. cerebro, seu ratione ac mente. Tertius gradus, est convicium gravius: quale est, si quis alterum appellet fatuum seu stultum. Porrò gradus pœnarum sunt hi. Primus earum quæ irrogantur à judicio, hoc est, consessu judicum minore: quales apud Judæos habebantur in oppidis. Secundus earum quæ irrogantur à synedrio, id est, consessu judicum majore atque adeò omnium maximo, qui habebatur in urbe Hierosolyma, constans è LXXII. senioribus: qui consessus institutus fuit jam olim tempore Mosis de consilio Jethronis. Tertius, isque summus gradus, est pœnarum quæ inferuntur à Deo in gehenna seu inferno. Non tamen est putandum, Christum à pœna gehennali duos priores delictorum gradus voluisse excipere atque excludere: sed tantùm significare voluit, esse delictorum gradus, ac proinde etiam pœnarum: item ea quoque delicta quæ Scribæ & Pharisæi pro delictis non habebant, tanta esse, ut pœnas commereantur, & quidem tantas quantas illi ad sola grandiora delicta restringebant. Jam corollarium ex illa Christi expositione deductum, continet hortationem ad concordiam colendam cum proximo. Deductio fit ad hunc modum: Quum igitur Deus in sexto præcepto vetet iram temerariam & odium proximi: tu operam dato, ut cum proximo colas concordiam. Hanc hortationem ampliùs confirmat ab effectis seu eventis tristibus duobus: nisi concordiam colamus. Primum est, quia cultus externus quem Deo præstare volemus, non erit ei acceptus, vers. 24. Alterum, quia Deus, ut justus judex, implacabiles conjiciet in carcerem, id est, in infernum, vers. 25. & 26. Prius argumentum illustrat exemplo cultus legalis, videlicet oblationum sacrarum quæ fiebant in templo apud altare: & πλάσει, id est, fictione casus, quâ fingit accidere, ut is qui oblationem facturus est, recordetur discordiæ suæ cum proximo. Posterius argumentum illustrat similitudine litis civilis, quum quis propter debitum à creditore trahitur ad judicem. Per adversarium igitur intelligit proximum quem offendimus: per judicem intelligit Deum, ad quem proximus propter nostram in odio contumaciam ingemiscit: per ministrum intelligit angelos tum bonos tum malos: per carcerem denique intelligit gehennam seu infernum. Pœnam autem in gehenna lucendam amplificat ab adjuncta duratione, quòd videlicet duratura sit in æternum: ut si quis obæratus perpetuò in carcere teneatur, quum nunquam possit debitum dissolvere.

Expositio præcepti septimi.

27 Audistis, dictum fuisse antiquis, Non mœchaberis.

28 Ego verò dico vobis, Quicunque aspicit mulierem, ut eam concupiscat, jam mœchatus est eam in corde suo.

29 Quòd si oculus tuus dexter facit ut tu offendas; erue eum, & abjice abs te. expedit enim tibi ut pereat unum ex membris tuis, ac non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam.

30 Et, si dextera tua manus facit ut tu offendas; exscinde eam, & abjice abs te. expedit enim tibi ut pereat unum ex membris tuis, ac non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam.

31 Dictum est autem, Quisquis dimiserit uxorem suam, det ei libellum discessionis.

32 Ego verò dico vobis, Quisquis dimiserit uxorem suam, extra rationem scortationis: facit ut ea mœchetur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.

Hic sequitur expositio præcepti septimi: ut primùm recitat Christus expositionem Scribarum & Pharisæorum falsam, hærentem videlicet in proprietate literæ, vers. 27. Deinde opponit expositionem suam veram; quâ monet, septimo præcepto vetari non solùm adulterium externum, quod committitur corpore atque concubitu: sed etiam adulterium internum, quod committitur solo corde; videlicet concupiscentiam seu cupiditatem cum uxore proximi concumbendi, versu 28.

su 28. Tum ex illa sua expositione deducit πόρισμα seu corollarium, quo hortatur ad pravam illam concupiscentiam exstinguendam; addito argumento à tristi effectu contrarii, videlicet supplicio gehennali, vers. 29. & 30. Hanc autem sententiam enuntiat per metonymiam subjecti hyperbolicam, quatenus præcipit ut ipsa corporis membra, in quibus & per quæ concupiscentia illa prava accenditur seseque exserit, amputentur. Illustrat quoque eandem sententiam collatione imparium, quatenus monet, præstare ut corpus mutiletur, quàm integrum in gehennam conjiciatur. Postea recitat aliam partem falsæ expositionis, quasi scilicet septimum præceptum non violetur ab eo qui pertæsus uxoris suæ, quantumvis fidem ipsi servantis, divortium cum ea facit, dato libello quo idipsum testatum faciat, vers. 31. Huic falsæ expositioni opponit suam veram; quâ affirmat, eum qui ad dictum modum divortium cum uxore facit, authorem esse adulterii: quam sententiam declarat antithesi exceptionis, quâ divortium permittit propter justam causam, videlicet si uxor fuerit scortata seu adulterium admiserit, v. 32.

Expositio præcepti tertii.

33 Rursum audistis, dictum fuisse antiquis, Non pejerabis, sed reddes Domino quæ tu juraveris.

34 Ego verò dico vobis, Ne juretis omninò: neque per cælum, quia thronus Dei est:

35 Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Hierosolymam, quia urbs est magni illius regis.

36 Neque per caput tuum jures: quia non potes vel unum capillum album aut nigrum facere.

37 Esto autem sermo vester, Etiam etiam, Non non: quod autem supra hæc redundat, ab illo malo est.

Hîc exponit Dominus præceptum tertium: ac primùm recitat falsam expositionem scribarum; significans, illos præceptum hoc restrinxisse ad perjurium illius qui jurasset per nomen Dei, vers. 33. quo ipso reliquum multiplicem abusum ac profanationem nominis Dei permittebant: ut si quis jurasset falsum, dummodo non per nomen Dei, sed per nomen alicujus creaturæ: item si quis jurasset temere, non postulante ullâ necessitate. Itaque Christus dehortatur à juramento tum falso tum temerario: sive facto per nomen Dei, sive per nomen alicujus creaturæ: ac ostendit, obliquis illis juramentis per nomen alicujus creaturæ factis ipsam majestatem Dei attingi ac lædi, v. 34. 35. 36. Quapropter contrà hortatur ad simplicem in familiari sermone rerum verarum affirmationem & falsarum negationem: temeraria autem juramenta illis addita damnat argumento causæ procreantis, quòd videlicet illa habeant authorem τὸν πονηρὸν, malum illum, hoc est, diabolum: qui nimirum delectatur profanatione nominis Dei.

Expositio legis de pœna talionis.

38 Audistis, dictum fuisse, Oculum pro oculo, & dentem pro dente.

39 Ego verò dico vobis, ne resistatis malo: sed quisquis te cædet in dexteram tuam maxillam, obverte ei & alteram.

40 Et ei qui vult tecum litigare, ac tunicam tuam capere, dimitte ei etiam pallium.

41 Et quisquis te angariabit ad miliare unum, abi cum eo duo.

42 Petenti abs te dato: & volentem mutuari abs te, ne aversere.

Hîc à corruptela Scribarum & Pharisæorũ vindicat Christus legem de pœna talionis, quæ extat Exod. 21. v. 24. & Lev. 24. v. 20. ubi judicibus præcipitur ut pœnâ talionis afficiant sontes, qui proximum in aliquo corporis membro læsissent. Hanc legem Scribæ & Pharisæi trahebant ad vindictam privatam, ac proinde licentiam illius concedebant. Christus igitur monet, vindictam privatam lege illa non permitti: ac proinde præcipit patientiam in injuriis ferendis. Atque hanc præceptionem illustrat exemplis tribus: quæ singula amplificat per collationem majorum ὑπερβολικῶς: ut significet, tantum abesse debere, ut injurias acceptas velimus referre, ut potiùs parati esse debeamus ad perferendum etiam majores. Postremò annectit præceptum affine per tacitam antithesin: ut scilicet non solùm non reddamus malum pro malo, sed etiam conferamus bona in eos qui reddere illa gratiámve referre non possint, aut etiam nolint. In hunc enim sensum exponendum censeo vers. 42. ex collatione Luc. 6. v. 30. & 35.

Expositio legis de dilectione proximi.

43 Audistis, dictum fuisse: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

44 Ego verò dico vobis, Diligite inimicos vestros, benedicite iis qui devovent vos, benefacite iis qui oderunt vos, & precamini pro iis qui vos infestant & persequuntur vos:

45 Ut sitis filii patris vestri qui est in cælis, facit enim ut sol suus exoriatur super malos ac bonos, & pluit super justos & injustos.

46 Nam si dilexeritis eos qui diligunt vos, quam mercedem habebitis? nónne & publicani idem faciunt?

47 Et, si complexi fueritis fratres vestros solùm, quid excellens facitis? nónne & publicani ita faciunt?

48 Estote igitur vos perfecti, ut pater vester qui est in cælis, perfectus est.

Hîc à corruptela vindicat Christus legem de dilectione proximi: quæ extat Levit. 19. v. 18. Ac primò corruptelam Scribarũ recitat: quæ consistit partim in falsâ expositione nominis *Proximus*: partim in additamento ex illa expositione deducto. Ac nomen quidem proximi, ut apparet, restrinxerunt ad eum qui esset amicus, aut saltem non inimicus. Additamentum verò hinc deduxerunt per ratiocinationem à contrario sensu, seu à pari ratione contrariorum, ad hunc modum: Amicus est diligendus: Ergo inimicus est odio habendus. Etenim contrariorum contraria consequentia sunt. At istud axioma fallit; nec valet nisi in reciprocis. Istud præceptum autem de diligendo amico, non est reciprocum nam verum quidem est, omnem amicum esse diligendum: at non vicissim ac reciprocè verum est, quicunque diligendus sit, eum esse amicum. Nam & inimici diligendi sunt. Et sanè nomine Proximi in lege illa Dei comprehenduntur quoque inimici. Etenim proximus noster nominatur qui cum nobis negotium est, quive nobiscum versans ope nostrâ indiget, sive amicus sit sive inimicus; sicut Christus pulchrè declaravit in parabola de Samaritano, qui inciderat in latrones, Luc. 10. Christus igitur isti corruptelæ opponit præceptum de diligendis inimicis, nec non de benefaciendo illis, v. 44. Quod præceptum confirmat exemplo Dei patris; cujus beneficentiam erga inimicos suos, videl. homines malos & injustos, demonstrat duobus illustribus exemplis, videlicet exortus solis, & casus pluviarum, v. 45. Deinde idem præceptum confirmat ab effectu optabili, videlicet mercede seu præmio quod Deus ex gratia daturus est in altera vita iis qui in hac vita ipsius exemplo dilexerint inimicos: primâ parte vers. 46. Tum idem præceptum confirmat à comparatione minoris, videlicet dilectionis publicanorum: quos Christiani in diligendo proximo debent superare, ut excellant: ac proinde diligere debent non solùm amicos & fratres, ut illi: sed etiam inimicos, & eos qui nulla ipsos cognatione nullóve necessitudinis vinculo attingunt: posteriore parte v. 46. & 47. toto. Postremò idem præceptum confirmat ab utili effectu, videlicet acquisitione perfectionis seu perfectæ virtutis. Hoc argumentum involvit ipsi sententiæ præcepti, ex præcedentibus argumentis, & maximè ex tertio tanquam proximo (à quo non nisi tractatione differt) illatum, ubi ait: *Estote igitur vos perfecti.* Ac simul repetit argumentum primum, inquiens: *Ut pater vester, &c.* v. ult.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 Turbam] τοὺς ὄχλους. *Turbam illam cujus modò facta mentio v. ult. cap. præcedent. Articulus igitur vim habet ἀναφορικήν.* In montem] εἰς τὸ ὄρος. *Id est, in montem quendam. Articulus hoc loco habet vim ἀόριστον, sicut Luc. 10. v. 6. καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἐκεῖ ὁ υἱὸς εἰρήνης: pro υἱός τις εἰρήνης: Si fuerit illic quispiam filius pacis. Cæterùm antequam in montem hac vice ascenderet, docuerat eos è navi juxta stagnum Genesareth: & Petrus jussu ipsius jacto reti, ceperat magnam vim piscium, quum totam noctem frustra laborasset, Luc. 5. v. 1. & deinceps usque ad v. 12.* Adierunt eum] προσῆλθον αὐτῷ. *Videtur innui quod circa eum assederint.*

2 Aperto ore suo] ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ, Aperto, *participialiter: id est, quum aperuisset. Hæc phrasis speciem habet pleonasmi: quis enim aliter loquatur, nisi ore aperto? Sed accepta per synecdochen, prout ex idiotismo Hebræorum accipi debet, pleonastica non est: sed potiùs emphatica. Significatur enim non qualiscunque oris apertio, sed cum alacritate ac meditatione & vocis intentione conjuncta. Confer Job. 33. vers. 2. 3. Psal. 49. vers. 4. & 51. v. 17. & 78 v. 2 Proverb. 8. vers. 6. Actor. 8. vers. 35. & 10. vers. 34. & 18. v. 14.* Eos] αὐτούς. *Nempe tum discipulos, tum etiam turbam. nam turbam quoque sermonem istum audivisse liquet ex eo quod dicitur infrà c. 7. vers. 28. quòd quum Jesus verba ista absolvisset, turba perculsa fuerit super doctrina ipsius. Relativum igitur pronomen refertur ad duo personarum genera, quarum proximè facta est mentio. Simile huic est exemplum infrà cap. 9. v. 2. Quum vidisset fidem* eorum: *nempe tum eorum qui paralyticum ei offerebant, tum ipsius paralytici.*

3 Beati pauperes, &c.] μακάριοι οἱ πτωχοί &c. *Sunt qui putent, hanc ipsam concionem describi à Luca cap 6. v. 21. & deinceps. Sed observandũ, similia quidem ibi à Christo doceri, sed non esse eundem hunc sermonem. quia hic sermo habitus est in monte: ut habetur hîc v. 1. & 2. at ille apud Lucam habitus est in loco*

campestri, ibid. vers. 17. Deinde hic sermo habitus est non ad solos discipulos, sed etiam ad turbam, ut modò demonstravimus ad vers. 2. At ille apud Lucam habitus est ad solos discipulos, ibid. vers. 20. astante tamen turbâ seu multitudine plebis, ibid. v. 17. Præterea hic sermo habitus est ante sanatum leprosum illum de quo infrà cap. 8. ut percipitur ex v. 1. & 2. At sermo ille apud Lucam habitus est post leprosum illum sanatum: ut percipitur ex consequentia narrationis inde à vers. 40. capitis quinti Lucæ usq; ad illum sermonem qui describitur cap. 6. v. 21. & deinceps. Item sermo hic habitus est ante designatos duodecim Apostolos, ut liquet ex collatione capitis X. At sermo apud Lucam habitus est post illam designationem, ut videre est Luc. 6. vers. 13. & deinceps: inprimis ex cohærentia v. 20. cum præcedentibus, inde à 13. Beati] *μακάριοι. Subaudi, εἰσὶ, sunt. Sic in sequentibus. Ellipsis Hebræis perpetua. Estq; syntaxis in istis enuntiatis inversa: quorum partem antecedentem in Græco significant articuli. dicitur enim: μακάριοι οἱ πτωχοὶ, οἱ πενθοῦντες, &c. pro eo quod secundùm naturalem verborum ordinem diceretur, οἱ πτωχοὶ εἰσὶ μακάριοι. Et sic in cæteris.* Pauperes spiritu] *οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι. Spiritu, id est, animo. Pauperes autem animo: id est, qui agnoscunt paupertatem suam spiritualem, quòd nimirum à natura destituti sint verâ justitiâ quâ possint placere Deo. Metaphora. Sic infra 11. v. 5. πτωχοὶ εὐαγγελίζονται. Germ. vertendum,* **Die da arm sind am gäist: das ist an der seelen.** *Sicut Ps. 51. habetur,* **Ein geängsteter gäist.** *Et Joh. 4.* **Im gäist anbetten.** Quoniam ipsorum est, &c.] *ὅτι αὐτῶν ἐστιν, &c. Id est, ipsis destinatum est & dabitur: si scil. reliqua quæ sequuntur, accesserint. Neq; enim in primo hoc gradu subsistendum est.*

4 Qui lugent] *οἱ πενθοῦντες. Intelligo de luctu propter injustitiam cujus modo facta mentio agnitam. De quali luctu loquitur Paulus 1. Cor. 5. v. 2. & 2. Cor. 12. v. ult. Nam de persecutione quæ & ipsa luctum affert, loquetur infrà v. 10. & 11.* Consolationem accipient] *παρακληθήσονται. Videlicet ex promissionibus gratiæ Dei propter Christum, contentis in verbo Dei. Si scilicet accesserit tertius ille gradus, qui mox adjungetur: ut nimirum esuriant & sitiant justitiam.*

5 Beati mites] *μακάριοι οἱ πραεῖς. Hic versiculus cum sequente trajectus est. Etenim ex re ipsa planum est, versiculum sextum cohærere cum tertio & quarto: quum tribus istis versiculis ordine indicentur tres gradus affectionum animi ad justificationem (quæ beatitudinis initium est) necessariarū. Mansuetudo autem cujus hîc fit mentio, est in numero illarum animi affectionum, quæ ex fide quâ homo justificatur atque beatificatur, nascuntur: in quo numero continentur etiam virtutes sequentes, videlicet misericordia vers. 7. castitas vers. 8. studium pacis atque concordia versu 9. Videtur autem trajectio illa per descriptorem aliquem illata esse è similitudine terminationum versiculi quarti & sexti: utérque enim desinit in θήσονται. Itaque quum descriptor versiculum quartum absolvisset: quum deberet continuare ea quæ nunc habentur vers. 6. reflexit oculos in illius finem: qui quum sit similis fini versiculi quarti, perrexit ad versiculum qui nunc est quintus: quo scripto, quum animadvertisset versiculum unum qui nunc est sextus, à se præteritum, subjecit illum quinto quem debuit præcedere.* Mites] *οἱ πραεῖς. Sive mãsueti. Opponitur πραότης, mansuetudo seu lenitas τῇ ὀργιλότητι, iracundiæ. Pertinet igitur ad sextum decalogi præceptum, Ne occidito.* Hæreditatis jure terram possidebunt] *κληρονομήσουσι τὴν γῆν. Observa varias quasi partes beatitudinis, quæ subjectis istis rationibus continentur: & affectionibus istis animi specialiter magnâ sapientiâ accommodatæ sunt. Puta, paupertati opponitur regnum, luctui consolatio, fami & siti saturatio. Cæterùm per possessionem terræ intelligitur hîc συνεκδοχικῶς possessio tranquilla & jucunda: quæ quidem hoc loco accipienda videtur, partim propriè, sed cum exceptione persecutionum ad tempus, ut percipitur ex collatione versiculi 10. & 11. item Marc. 10. v. 30. partim verò & præcipuè per metaphoram de possessione cæli, seu fruitione beatitudinis cælestis.*

6 Qui esuriunt & sitiunt justitiam] *οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην. Id est, qui desiderant atque expetunt justitiam illam veram quæ consistant coram Deo, eiq; placeant. Illa autem justitia est ipsa peccatorum remissio propter Christum qui pro illis judicio Dei satisfecit, pœnam eorum luendo pro credentibus in ipsum. In verbis* esuriendi *ac* sitiendi *metaphora est: qualis est in verbis* edendi *ac* bibendi, *Johan. 6.* Saturabuntur] *χορτασθήσονται. Manet in metaphora. Significat autem, illos percepturos consolationem & gaudium spirituale è sensu gratiæ Dei. Affinis huic est sententia illa infr. cap. 11. v. 28. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego refocillabo vos, &c.*

7 Misericordiam consequentur] *ἐλεηθήσονται. Videl. tum à Deo, tum ab hominibus per Dei gubernationem.*

8 *Qui sunt* mundo corde] *οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ. Subaudi, ὄντες. Ad verbum, Mundi seu puri corde: Id est, qui sunt animo casto præditi. Hanc cordis munditiem Paulus vocat ἁγιασμὸν, sanctificationem seu sanctimoniam: quum ait, Sectamini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominū, Hebr. 12. versu 14. item 1. Thess. 4. vers. 13. ubi ait, Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis à scortatione, &c. Potest tamen hoc verbum accipi generaliter de rectâ animi constitutione, quâ ille vacuus est tum à falsis opinionibus de Deo, tum à pravis affectibus: quo sensu generali videtur accipi Psal. 24. vers. 4.* Deum videbunt] *τὸν Θεὸν ὄψονται. Id est, Deum rectè cognoscent, & ejus contemplatione cum summa voluptate fruentur. Neq; enim Deus oculis corporeis videri potest: sed videtur oculis mentis.*

9 Filii Dei vocabuntur] *υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται. Id est, erunt & esse agnoscentur cum magno suo honore. quid enim honorificentius quàm haberi & appellari filium Dei? Confer* Joh. 1. v. 12.

10 Propter justitiam] *ἕνεκεν δικαιοσύνης. Alii* justitiæ causâ. *Sed adverbium ἕνεκεν non notat hîc causam finalem (quam nomen* causæ *ablativo casu positum apud Latinos notat) sed causam procreantem. Justitia enim piorum movet atq; impellit impios ad ipsos persequendum. Potest tamen accipi de causa finali, si referatur ad mentem piorum: qui persecutionem patiuntur justitiæ causâ, id est, ut justitiam tueantur, nec ab illa recedant. Sed prior expositio mihi videtur genuina, ut referatur ad eos qui persequuntur. Cæterùm adverbium ἕνεκεν seu εἵνεκα interdum notare causam procreantem, testantur hæc verba Homeri Iliad. α.*

Οὔτ' ἄρ' ὅγ' εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται, οὐδ' ἑκατόμβης,
Ἀλλ' ἕνεκ' ἀρητῆρος.

Item ibidem:

Ὡς δὴ Ἑλλ' ἑνεκα σφισιν ἐκηβόλος ἄλγεα δῶκεν.

Sic Demosth. pro corona: τῆς ἰδίας ἕνεκεν ἔχθρας.
Quoniam ipsorum, &c.] *ὅτι αὐτῶν. Ut suprà versu 3.*

11 Quum conviciati fuerint vobis] *ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς. Genus loquendi impersonale, Latinis quoq; usitatum: ut exemplo ex lib. 1. Offic. Cic. deprompto ostendit D. Beza. Intelligitur autem hoc de hominibus impiis.* Quidvis mali] *πᾶν πονηρὸν ῥῆμα. Ad verb. Omne malum verbum. Verbum pro re, per Hebraismum. Et* Omne *pro* omnis generis: *ut sup. 4. v. 23. Potest tamen verbum hic accipi propriè, de ipsis scilicet maledictis.* Propter me] *ἕνεκεν ἐμοῦ. Id est, propterea quòd mihi adhæretis, & me confitemini vestrum servatorem. Hic adverbium ἕνεκεν planè notat causam procreantem, non autem finalem.*

12 Merces] *ὁ μισθὸς. Id est, premium in mundi vesperâ vobis à Deo dandum, sed ex gratia, non ex vestro merito. Metaphora κατ' ἐξοχὴν. Vide inf. 20. v. 8. in parabola de operariis conductis in vineam.* In cælis] *ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Indicat locum ubi mercedem istam sint accepturi, eaq; fruituri.* Ita enim] *οὕτω γὰρ. Conjunctio rationalis γὰρ, non respicit ad sententiam proximiorem, sed ad remotiorem, videl. ad verba,* Gaudete & exsultate. *Qui fuerunt* ante vos] *τοὺς πρὸ ὑμῶν. Subaudi γενομένους.*

13 Vos] *ὑμεῖς. Scil. discipuli mei: ut liquet ex reipsa.* Estis] *ἐστέ. Scil. meâ vocatione, seu à me ad hoc delecti atq; vocati.* Sal terræ] *τὸ ἅλας τῆς γῆς. Id est, quasi sal quo condiendi sunt homines in toto terrarum orbe degentes. Metaphora est in vocabulo* Salis: *metonymia verò subjecti, in vocabulo* terræ. *Et articulus est emphaticus: q. d.* Sal illud, *videl. longe-præstantissimum atq; excellentissimum, cum quo cætera salis genera non sunt conferenda. Ratio metaphoræ exposita est in Analysi.* Insipidum fuerit effectum] *μωρανθῇ. Hanc judico nativam ac genuinam esse verbi Græci significationem, licet minùs sit usitata, quàm altera illa metaphorica: qua verbum significat infatuari seu fatuum reddi: sicut nomen μωρὸς plerunq; fatuum seu stultum significat. Nam ut Latinis dictus est insipiens, ex eo quòd non sapiat, id est, intelligat, metaphorâ nimirum traductâ à sensu gustandi: sic μωρὸς Græcis insipientem seu fatuum significat ex eo quòd fatuus sit insipidus & insuavis iis quibuscum ei negotium est. Nativæ autem illius significationis exemplum hoc affert Henric. Stephanus ex Dioscoride lib. 4. ῥίζαι γευσαμένῳ μωραί: id est,* Radices gustanti sunt insipidæ. *Et videtur mihi τὸ μωραίνεσθαι cognatum esse verbo μαραίνεσθαι, quod est marcescere, & elanguescere. nam plantæ quum marcescunt, saporem nativum amittunt ac insipidæ redduntur. Sic igitur sal dicitur μωραίνεσθαι, quum nativum saporem amittit ac insipidum efficitur, amissâ suâ acrimoniâ & condiendi vi. Marcus eandem quæ hic habetur, sententiam effert his verbis: ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; Id est, Si sal insulsum fuerit effectū, quónam ipsum condietis? Ad hanc phrasin illustrandum facere quoq; potest illud Martialis, qui betas dixit fatuas, pro eo quod est,* insipidas: *sequens nimirum significationem nominis μωρὸς metaphoricam, tanquam usitatiorem.* Quo] *ἐν τίνι. I e. quánam re, vomit. q. d. Nihil est quo possit saliri, & saporem atq; acrimoniam nativam recuperare. Præpositio ἐν redundat ex consuetudine Hebræorum, apud quos notat instrumentū.* Salietur *ipsum*] *ἁλισθήσεται. Suppleo αὐτὸ, ex Marc. 9. v. ult. Affinis huic sententiæ videtur illa: Si lux quæ in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? ita hic: Si ipsum sal fuerit insulsum: quantò magis res cæteræ, naturâ salis expertes? quo fit ut nihil cæterarum rerum sit quo ipsum sal possit condiri.*

14 Vos estis] *ὑμεῖς ἐστε. Scil. meâ vocatione, ut versu præcedente. Id est, ad hoc estis vocati ac destinati, ut sitis suo tempore. Etenim tunc nondum emissi erant ad prædicandum: sed posteaquã fuissent à Christo instituti atq; edocti, & de illius doctrina per multa miracula confirmati: ut narratur infrà c. 10. in principio.* Lux mundi] *τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Id est, quasi sol illustrans mundum. Sicut enim sol suis radiis illustrat aërem & oculos hominum: ita Apostoli suâ prædicatione illustrarunt mentes electorum salvificâ cognitione Dei.* Non potest &c.] *οὐ δύναται &c. Subaudi κρύπτεσθαι: Sic nec vos potestis latére: sed actiones vestræ omnium oculis sunt expositæ.*

15 Neq;

15 Neque accendunt] οὐδὲ καίουσι. *Subaudi, homines. Genus loquendi impersonale: quale suprà v.11.* Subter modium] ὑπὸ τὸ μόδιον. *Genus mensuræ aridorum: quale est apud nos quod vocatur* ein mäßte/ein sester/ein simmere/ein scheffel. Qui sunt in domo] τοῖς ἐν τῇ οἰκίᾳ. *Supple* οὖσι.

16 Lux vestra] τὸ φῶς ὑμῶν. *Id est, tum doctrina tum vita vestra.* Glorificentque] καὶ δοξάσωσι. *Subintellige, posteaquam per vestram doctrinam & vitam ad fidem Christianam fuerint adducti. Synecdoche membri metonymica, quâ ex effectu & unà cum illo intelligenda relinquitur causa procreans. Similis huic est locus 1.Pet.2.v.12. Potest tamen intelligi generaliùs de glorificatione Dei quæ proficiscitur interdum etiam à non renatis.* Glorificent] *Id est, celebrent ejus beneficentiam erga se, dantis nimirum sanctos doctores per quos viam salutis ostendit.*

17 Ne existimate] μὴ νομίσητε. *His verbis innuit, esse nonnullos qui ita existiment, videl. Scribas & Pharisæos.* Ut dissolvam] καταλῦσαι. *Seu, destruam. Videtur enim esse metaphora sumta ab ædificiis, quæ apud Græcos dicuntur καταλύεσθαι, id est, destrui, ut apud Homer. Iliad. ι.*

ὃς δὴ πολλάων πολίων κατέλυσε κάρηνα.

Id est, Qui sanè multarum urbium demolitus est capita, hoc est, turres. Legem] τὸν νόμον. Das Gesetz. *Videl. legem Dei. Articulus est emphaticus. Legis autem nomine intelligit libros Mosis (ut planũ est ex collatione membri sequentis) seu doctrinam in libris Mosis traditam tum de officiis populi Dei, præscriptis in Lege; tum de rebus futuris per Christum, significatis per promissiones ac ceremonialem illum cultum. Synecd. membri.* Aut prophetas] ἢ τοὺς προφήτας. *Id est, doctrinam in libris Prophetarum traditam tum de officiis populi Dei, quatenus Legem Mosis interpretantur & explanant: tum de rebus futuris per Christum & in Christo, de quo multas ac varias promissiones populo sui temporis proposuerunt.* Non vêni] οὐκ ἦλθον. *Videl. è cælo in hunc mundum missus à patre.* Ut dissolvam] καταλῦσαι. *Pro,* τοῦ καταλῦσαι. *subaudi,* ἕνεκα, *id est, dissolvendi causâ.* Sed ut impleam] ἀλλὰ πληρῶσαι. *Subaudi,* τοῦ, *ut modò. Implere autem Legem aut promissiones, Phrasi Hebræâ, est præstare ac facere quæ Lex præcipit, aut quæ promissa sunt.*

18 Amen] ἀμήν. *Adverbium asseverantis Hebraicum, quod Latinè est, verè, vel certò.* Usque dum, &c.] ἕως ἂν, &c. *Pendent hæc à verbo sequente,* παρέλθῃ. *Syntaxis enim est: Ne unicum quidem jota aut apex præteribit usq; dum præterierit cælum & terra. Id est, Nullum jota aut apex unquam præteribit, sicut nimirum cælum & terra nunquam præteribit: id est, nunquam interibit. Etenim verbum* παρελθεῖν *pro interire atq; in nihilum redigi, accipitur in simili huic sententia Luc.16.v.17. ubi dicitur: Facilius est cælum & terram præterire* (παρελθεῖν) *quàm Legis unum apicem excidere. quibus verbis innuitur fieri non posse (nempe per decretum Dei) ut cælum & terra intereant seu in nihilum redigantur. Etenim mundus immutabitur quidem ille ac renovabitur: at non redigetur in nihilum. Similis huic phrasis est in illo Psal.27.v.7. Florebit temporibus ejus (nempe Christi regnantis) justus: & amplitudo pacis erit, donec non sit luna. quibus verbis significat David, felicitatem piorum in regno Christi fore æternam, sicut luna in æternum duratura sit: quasi dicat: Pax erit tamdiu donec non sit luna: at luna nunquam non erit, hoc est, semper erit: ac proinde etiam pax illa semper durabit. Quod autem Christus infr.c.24.v.35. dicit, Cælum & terra præteribunt; verba autem mea non præteribunt: id non accipiendũ est simpliciter, sed per collationem imparium, quasi diceret: Cælum & terra præteribunt citiùs quàm ut verba mea prætereant: seu, facilius est cælum & terram præterire, quàm &c. sicut loquitur Luc. 16.v.17. Quo genere loquendi utitur Virgilius Eclog.1. ubi ait.*

Antè leves ergo pascentur in æthere cervi,
Quàm nostro illius labatur pectore vultus.

Adhæc quod Petrus ait, 2.Pet.3.v.10. Cæli cum stridore præteribunt, παρελεύσονται: *non hoc vult dicere, illos in nihilum redactum iri, sed redactum iri in materiam primam, sicut & elementa, per incendium videl. ac tum illam materiam novâ formâ indutum iri, seu ex illa cælos novos ac terram novam creatum iri: ut ex illo loco patet.* Cælũ & terra] ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ. Der himmel und die erd. *Articuli sunt* ἐμφατικοὶ καὶ δεικτικοί: *quasi res digito demonstretur. Sic Genes.1. vers.1. Creavit Deus* אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ *eth-hasschamájim veeth-haaretz,* τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Den himmel und die erde. Jota unum &c.] ἰῶτα ἓν, &c. *Pro* οὐδὲ ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία παρέλθῃ. *Id est, Ne unum quidem jota unúsve apex præteribit.* Auch nit ein ainig buchstäblin oder pünctlin wird vergehen. *Est ratiocinatio* ἀπὸ τοῦ μᾶλλον: *Ne jota quidem præteribit: ergo multò minùs præteribit aliquod præceptum Legis. Etenim sententiæ istæ sic negativè conceptæ continent ratiocinationem* ἀπὸ τοῦ μᾶλλον, *quam vocant* à majori. *Nos autem in Analysi nominavimus hoc argumentum à minori, concipientes scilicet argumentationem hanc sententiis affirmativis ad hunc modum: Etiam singula jota Legis implebuntur: ergo multò magis singula Legis præcepta.* Jota] ἰῶτα. *Id est litera minima, qualis in scriptura Hebraica est jod: sicut & jota in Græca.* Apex] κεραία. *Sic vocat quæ hodie nominantur puncta, quæ in scriptura Hebraica literis variè adscribuntur, ad significandum tum justum quarundam sonum, tum sonos vocales, tum verò etiam accentus & orationis membra. Hinc apparet, sacra Biblia tempore Christi notata fuisse punctis, & punctationem illam ab ipso esse approbatã.* Nequaquam] οὐ μή. *Gemina negatio apud Græcos fortius negat.*

19 Solverit] λύσῃ. *Id est, transgressus fuerit, seu contrà fecerit.* Unum] μίαν. *Id est, vel unum,* auch nur aines. Ex mandatis] τῶν ἐντολῶν. *Genitivus partitivè positus.* Minimis] τῶν ἐλαχίστων. *Scil. opinione Scribarum & Pharisæorum. Nam revera nihil est parvum in lege Dei, sed omnia magna: quia magnus legislator. Sed Scribæ & Pharisæi parvi faciebant mandata Dei præ suis traditionibus, sicut eis exprobrat Christus infrà cap.15. v.3. & deinceps.* Et ita docuerit] καὶ διδάξῃ οὕτω. * *Ita scil. agere. videl. Legẽ solvere seu transgredi, ex membro præcedente: item ex antithetο membro sequente.* Minimus vocabitur] ἐλάχιστος κληθήσεται. *Id est, minimi fiet, imò nihil fiet. Sed Christus eleganter repetit idem vocabulum in diversa significatione per* ἀνάκλασιν. *Vult enim dicere, illos exclusum iri è regno cælorum.* Quisquis autem fecerit] ὃς δ᾽ ἂν ποιήσῃ. *Scil. mandata legis Dei: ex membro antitheto præcedente.* Et docuerit] καὶ διδάξῃ. *Scil. quòd facienda sint.*

* *Vel quamvis interim docuerit ita agere, ut hæ leges jubent.*

20 Nisi abundaverit &c.] ὅτι ἐὰν μὴ περισσεύσῃ &c. *Id est, Nisi fuerit major, perfectior, præstantior. Est autem conjunctio* ὅτι *usurpata ad significandum mimesin seu recitationem verborum, quantumvis propriorum ejus qui loquitur: quæ potest nominari mimesis reciproca, quum scil. aliquis recitat sua ipsius verba. Et sic deinceps v.28.32.* Justitia vestra] ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν. *Loquitur hîc Dominus propriè de justitia inhærente, quæ consistit in bonis operibus: ut patet tum ex collatione cum justitia Pharisæorum, tum ex sequente declaratione præceptorum decalogi. Quare non putandum, hîc haberi sermonem de justitia imputata quâ consistimus in judicio Dei.*

21 Audistis] ἠκούσατε. *Nempe à Scribis & Pharisæis, sedentibus in cathedra Mosis.* Dictum fuisse antiquis] ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις. *Hoc bifariam potest exponi: vel* πρὸς τοὺς ἀρχαίους, *ad antiquos: & sic vertit Lutherus,* zu den alten: *vel,* ὑπὸ τῶν ἀρχαίων, *ab antiquis,* von den alten: *quasi dicatur,* εἰρήκασιν οἱ ἀρχαῖοι; *dixerunt: antiqui. In priore expositione per* τοὺς ἀρχαίους *intelliguntur auditores, in posteriore doctores. Ego posteriorem expositionem judico esse genuinam: idq; partim ex antithesi: quia Christus mox sese illis* ἀρχαίοις *opponit tanquam doctorem, ubi ait,* Ego verò dico vobis: *partim ex ipsa nominis ratione, idq; bifariam: tum quia vult significare Christus, quo argumento Scribæ & Pharisæi expositionem suam populo commendent, nempe quòd eam acceperint à doctoribus antiquis: tum quia si de populo audiente loqueretur Christus, potius usus fuisset nomine* πατέρων: *dicens* ὅτι ἐῤῥέθη πρὸς τοὺς πατέρας. *Omnino si quis per* τοὺς ἀρχαίους *intelligere velit populum audientem, is ad verbum* ἐῤῥέθη *cogetur subintelligere hæc verba,* ὑπὸ τῶν ἀρχαίων διδασκάλων. *Sed altera expositio planior est.* Non occîdes] οὐ φονεύσεις. *Id est, Ne occidito,* μὴ φόνευσον. *Hebraismus.* Tenebitur judicio] ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει. *Vel, obnoxius erit judicio, ita ut jure possit in judicium seu ad judices trahi. Etenim nomine* judicii *intelligit Christus consessum aliquem judicum, quales tum habebantur in oppidis Judææ: quia mox inter se opponit judicium & synedrium.*

22 Ego verò] ἐγὼ δέ. *Dictum* ἐμφατικῶς, *videlicet per antithesin:* Ich aber: *quasi dicat: Nolite moveri obtentu illo speciosi nominis antiquorum, quasi scilicet expositio Scribarum & Pharisæorum esset recta & perfecta, quòd eam acceperunt ab antiquis: sed potius attendite quid* EGO *dicam, & quomodo vobis istud Dei præceptum exponam.* Fratri] τῷ ἀδελφῷ. *Id est, proximo. Quanquã videtur specialiter hîc intelligere Judæum quempiam, tanquam ex eodem patre Abraham ortum. quo modo Moses dicebat populaibus suis jurgantibus, Viri fratres estis.* Tenebitur judicio] ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει. *Ut modò versu præcedente.* Raká] ῥακά. *Vox Hebræa vel potius Syra, est* רֵיקָא *riká vel reká: quæ significatur vacuus seu inanis: & intelligitur per synecdochen generis, vacuus cerebro seu ratione & judicio. Videtur respondere voci Græcæ* ματαῖος. *Sic enim Rom.1.v.21. verbum* ἐματαιώθησαν *redditum est verbo* אֶסְתַּרְקוּ *estaráku.* Tenebitur synedrio] ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ. *Retinendam hîc censeo vocem Græcam; quippe quam ipsi Hebræi retinent, consessum illum judicum appellantes* סַנְהֶדְרִין *sanhedrin: videlicet collegium illud judicum* LXXII. *quod erat principale, & senatus magnus, in urbe Hierosolyma. Miror autem, vocem illam non esse hîc retentam ab interprete Syro, sed redditam* כְּנוּשְׁתָּא *kenuschtá, id est, congregationem scilicet judicum: seu (ut Tremellius interpretatur) consilium nempe eo sensu quo aliàs dicitur concilium.* Fatue] μωρέ. *Vox Græca videtur propriè significare insipidum: ut apud Dioscoridem* ῥίζα μωρά, *radix insipida. Fatuus igitur seu stultus appellabitur* μωρὸς *per metaphoram, quòd sit quasi insipidus, id est, minimè suavis & gratus homini sapienti. Vide suprà scholia ad verbum* μωρανθῇ, *vers.13.* Tenebitur gehennâ ignis] ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός. *Pro,* ἔνοχος ἔσται τῇ γεέννῃ τοῦ πυρός. *Hebr.* לַגֵּיהִנֹּם *legehinnóm: Syrè* לְגִיהַנָּא *legihanná. ut phrasis sit mutata ex* ὁμωνυμίᾳ *literæ Hebraicæ* Làmed: *quæ nunc articulum dativi casus, nunc præpositionem* εἰς *valet. Nisi malimus, ad* ἔνοχος ἔσται, *subaudiri* τῇ κρίσει τοῦ θεοῦ, *ac tum addi,* εἰς τὴν γέενναν. *ut dicatur, talem obnoxium esse judicio Dei, idq; in hunc finem ut conjiciatur ab illo in gehennam. Sed prius videtur genuinum. Cæterùm*

vocabulo Gehenna intelligitur hîc locus destinatus sempiternis suppliciis damnatorum: per metaphoram sumtam à nomine proprio loci prope urbem Hierosolymam, videl. vallis ita vocatæ de nomine sui possessoris, nam גֵּיהִנֹּם Gehinnóm Latine sonat, Vallis Hinnomi: voce compositâ ex גֵּי gé, id est, Vallis, & הִנֹּם Hinnóm, quod est nomen viri proprium. Ratio metaphoræ est, quòd in illa valle (in loco vocato Tóphet) Judæi olim solebant filios suos traducere per ignem, atq; ita offerre idolo Moloch. qua de re passim meminit Scriptura. ut 2. Chron. 28. v. 3. Jerem. 7. v. 31. & c. 19 v. 2. & seqq. & c. 32. v. 35. Græci scripserunt γέεννα, omissa litera ה, id est, nota aspirationis: quia hanc notam Græci in medio vocis non scribunt, exceptis iis vocibus in quarum medio concurrunt duo ῥῶ: tunc enim priori inscribunt spiritum tenuem, posteriori densum: ut in ἐπίῤῥημα. Porrò dicitur gehenna ignis, phrasi Hebræa: vel pro eo quod est gehenna ignita seu igne plena; vel per hypallagen, quasi dicatur Ignis gehennæ, hoc est, gehennalis seu in gehenna ardens: quo modo vertit Lutherus, das hellisch fheür.

23 Igitur si] ἐὰν οὖν. Conjunctio Igitur est nota πορίσματος seu corollarii. Munus tuum] τὸ δῶρόν σου. quod scilicet vis offerre Deo cultu ceremoniali. Ad altare] ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. Altare apud Latinos nomen accepit ab exaltando, sive quòd ipsum sit exaltatum, sive, quòd in ipsum exaltentur ac sustollãtur victimæ. Apud Græcos verò nomen accepit παρὰ τὸ θυσιάζειν, à sacrificandis victimis. sicut & apud Hebræos, à quibus nominatur מִזְבֵּחַ midsbéach. Habere aliquid contra te] ὅτι ἔχει τι κατὰ σοῦ. Aliquid: id est, aliquam causam iræ seu aliquam offensam. Syrus אַבְתָּא מְּדֶם abthá medém, id est, inimicitiam aliquam. Synecdoche generis. Sed quid hoc ad rem? dicat aliquis. Etenim Christo hîc propositum est præcipere ut nos resistamus iræ & odio: at hîc loquitur de ira & odio proximi erga nos. At, inquam, Christus respicit ad ingenium nostrum: quod tale est ut quum recordamur nobis irasci proximum aut nos odio ab illo haberi, mox sese in nobis vicissim exserat ira & odium.

24 Reconciliator fratri] διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ. Id est, dato operam ut illi reconcilieris, testificando scil. te illi non malè velle, sed bene: & si quid contra eum admiseris, culpam deprecando.

25 Amicus] εὐνοῶν. Benevolus. Id est, roga eum ut tibi parcat, ne te in jus trahat. Id est, roga eum quẽ offendisti ut tibi ignoscat. Adversario tuo] τῷ ἀντιδίκῳ. Intelligitur hîc creditor qui alicui litem movet nomine debiti: ut percipitur è sequentibus. Synecdoche generis. Dum es in via cum eo] ἕως ὅτου &c. Id est, dum unà ambulatis in jus, hoc est, dum in hoc mundo unà vivitis. Ministro] τῷ ὑπηρέτῃ. Videl. custodi carceris seu commentariensi, ut percipitur è sequentib. Synecdoche generis. Syrus לְגָבָיָא legabajá, i.e. exactori debiti. Vox ὑπηρέτης à Græcis usurpatur quidem generaliter & adhibetur ad significandum quodvis ministerii genus: veruntamen primò & nativâ significatione ὑπηρέται sunt remiges, qui sub remis (ὑπ' ἐρετμοῖς) sedent vel stant, illosq; agunt seu impellunt. Simplex est ἐρέτης. quo semper significatur remex. Carcerem] φυλακήν. Vox Græca propriè significat custodiam. Sed hîc significatur carcer ubi quis custoditur ne elabatur. Der schuldthurn.

26 Nequaquam exibis illinc usq; dum &c.] οὐ μὴ ἐξέλθῃς &c. Id est, nunquam exibis: quippe qui nunquam sis redditurus ultimum quadrantem, quum non sis solvendo. Usq; dum reddideris ultimũ quadrantem] ἕως ἂν ἀποδῷς &c. Amplificatio hyperbolica: qualis supr. v. 18. Jota unum non præteribit. Etiam ultimum] τὸν ἔσχατον. Id est, καὶ τὸν ἔσχατον. Ellipsis notæ minoris. Auch den letzten häller: q.d. Quantò magis reddendus erit ultimus siclus, aut (ut nostra moneta fert) florenus. Quadrantem] κοδράντην. Vox Græca mutuo accepta est à Latinis: quod idem in pluribus vocabulis ab Evangelistis factum est: in quo numero sunt, λέντιον linteum, φραγέλλιον flagellum, κουστωδία custodia, σπεκουλάτωρ spiculator. Syrus κοδράντην reddidit שְׁמוּנָא schamuná: quod est octavus, subaudi nummulus. Sic autem vocatur octava pars monetæ ab Hebræis dicta Assir: quæ fuit minima, nec potuit ultrà dividi: sicut tradit Tremellius ad hunc locum, & ad Marc. 12. v. 42. Ideò Lutherus respectu nostræ monetæ commodè vertit, den letzten häller. nam häller vel haller corruptè dicitur pro halber / unde nominatur & hälbling: ut significetur dimidius nummulus. Argentinensium tamen minima moneta vocatur örtel / q. d. quadrantulus, i.e. quarta pars nummuli: nam ort in moneta significat quartam alicujus monetæ partem: ut quum dicitur, ein ort güldens vel thalers. Quadrans autem apud Rom. dicebatur quarta pars assis.

27 Non mœchaberis] οὐ μοιχεύσεις. Vel, Non adulteraberis. I.e. Ne mœchator: vel, Ne adulterator. Dominus apud Mosen Exod. 20. v. 14. utitur verbo נָאַף naáph, quod recentioribus doctissimis sanè interpretibus placuit reddere verbo scortandi: quòd videatur illis verbo adulterandi præceptum nimis restringi: quum vox hæc significet omne scortationis genus: ad quod probandum adducunt locum Job. 24. 15. & Jer. 3. 9. nec non authoritatem Aben Hezræ, ut qui ita interpretetur. At (quod pace tantorum virorũ dixerim) exempla Scripturæ plurima videntur docere diversum: videl. verbo נָאַף naáph propriè significari adulterium. ut Levit. 20. v. 10. Vir qui adulterabitur cum uxore alicujus, qui adulteratus fuerit cum uxore proximi sui: omnino morte plectitor adulter & adultera. Prov. 7. v. 32. Adulterans mulierem, est demens. Ose. 4. v. 13. Scortantur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulterantur. Ex hoc loco rectè colligit D. Beza, verbũ נָאַף naáph differre à verbo זָנָה dsanáh, ac nonnisi in nuptã cõpetere. Nec verò si propria istius verbi significatio in vertendo hoc præcepto retineatur, ipsum propterea restringitur: non magis quàm quum in præcepto octavo retinetur propria significatio verbi גָּנַב ganáb, quod significat furari: Sed συνεκδοχικῶς nihilominus omne scortationis genus, atq; adeò omne libidinosæ pollutionis genus comprehenditur. Nec Job. 24. 15. de scortatore, sed potiùs de adultero sermo mihi esse videtur. Verba enim illius loci hæc sunt: Oculus נֹאֵף noéph observat crepusculum, dicendo, Ne contempletur me oculus &c. ubi per נֹאֵף noéph potiùs adulter quàm simplex scortator videtur significari. nam scortatores non adeò quærunt latebras, ut adulteri. Et si maximè hoc loco generalis sensus admittatur, & scortatur quivis intelligatur: id tamen fiet impropriè, videlic per synecdochen speciei. At Jer. 3. v. 9. conjunguntur quidẽ in duabus sententiis duo ista verba זָנָה dsanáh & נָאַף naáph: sed non tanquam synonyma seu ἰσοδυναμοῦντα, sed prius tanquam generalius per posterius tanquam specialius declaratur. ait enim de tribu Jehuda sic: Et fuit (i.e. accidit) ex voce scortationis ejus, ut contaminaret terrã: nam adulterabatur cum lapide & cum ligno. Hanc expositionem confirmat collatio v. 14. ubi Jehudam ita ut dictũ est adulterantem revocat Jehova his verbis: Revertimini filii aversantes, dictum Jehovæ: nam ego conjugio junctus sum vobis. Deniq; authoritas Aben Hezræ contra usum Scripturæ & rectam rationem nõ est admittenda: eiq; jure opponenda authoritas Apostolorum & Apostolicorum virorum: qui præceptum septimum citantes, constanter utuntur verbo μοιχεύειν, nunquam autem verbo πορνεύειν.

28 Mulierem] γυναῖκα. Videl. quæ sit uxor alterius. Synecdoche generis. Nam si non sit uxor cujusquam: tum concubitus cum illa non nominatur μοιχεία, adulterium: sed πορνεία, scortatio. Ut eam concupiscat] πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς. Pro ὥστε ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, ita ut eam concupiscat. neq; enim significatur finis aspectus, quem aliâs notat præpositio πρὸς: sed adjunctum, quo declaratur aspiciendi modus, vel certè eventus qui ex aspectu existit, etiam præter propositum aspicientis. Similiter (videl. ad eventum notandum) usurpatur præpositio ista πρὸς 1. Joh 5. 16. ubi dicitur de peccato ad mortem. Ut concupiscat autem eam, scil. ad concumbendum cum ea: synecdoche generis. Jam mœchatus est eam] ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτήν. Sic vetus interpres, & meo judicio rectè: servato scil. eodem verbo quo usus fuit paulo-antè in eâdem voce interpretanda. phrasin autem ipsam puto esse Latinam, ex collatione phrasis conjugatæ Plautinæ, quæ est, Mœchi mulierum. quod si resolvas, erit: Qui mœchantur mulieres. Nisi malimus dicere mœchatus est cum ea: quasi Græcè sit ἐμοίχευσε μετ' αὐτῆς: quæ phrasis reperitur Apoc. 2. 22. Si quis verò malit dicere, adulteravit eam: illi consimiliter sententia præcedens, οὐ μοιχεύσεις, reddenda erit, Non adulteraberis, vel non adulterabis.

29 Oculus] ὁ ὀφθαλμὸς. Id est, prava concupiscentia in oculo sese exserens per aspectum mulieris. Metonymia subjecti. Quod si acceperis propriè, pugnabit hæc sententia cum sexto præcepto. Dexter] ὁ δεξιὸς. Hoc additur amplificationis causâ. nam dextera habentur præstantiora, ac proinde sunt chariora. Significatur autem charissimum quodq;, per synecdochen speciei. Facit ut tu offendas] σκανδαλίζει σε. Verbum Græcum vim habet transitivam, qualem habet Hebræorum hiphil. Offendere autem seu impingere dicuntur qui aliquid agunt contra regulam vitæ à Deo præscriptam; quæ regula (videl. Lex Dei) quasi via est per quam qui ambulat, pervenit ad vitam æternam. Metaphora igitur sumta est ab ambulantibus aut currentibus. Expedit enim tibi ut &c.] συμφέρει γάρ σοι ἵνα &c. Phrasis Hebræa, pro μᾶλλον γὰρ συμφέρει σοι ἵνα ἀπόληται ἓν τῶν μελῶν, ἢ ἵνα ὅλον τὸ σῶμά σου βληθῇ εἰς γέενναν: id est, Magis enim expedit tibi ut pereat unum ex membris tuis, quàm ut totum corpus tuum conjiciatur in gehennam.

30 Manus] χεὶρ. I.e. pravus animi affectus in manu sese exserens per contactum mulieris alienæ. Metonymia subjecti, qualis v. præced.

31 Dimiserit] ἀπολύσῃ. Solverit vinculo conjugii, scil. pertæsus illius, aut offensus illi alia dè causa quàm ob adulterium. Libellum discessionis] ἀποστάσιον. Ad verb. Discessionem abscessionémve seu discedendi jus. Pro, βιβλίον ἀποστασίου: ut habetur infrà 19. v. 7. Metonymia subj. Deut. 24. v. 1. appellatur liber abscissionis סֵפֶר כְּרִיתוּת sepher cherithúth. Latini vocant libellũ repudii.

32 Extra rationem scortationis] παρεκτὸς λόγου πορνείας. Pro hoc dicitur infrà 19. v. 19. εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, nisi ob scortationem. Id est, nisi uxor admiserit adulterium. Per adulterium enim solvitur vinculum conjugii, quia labefactatur forma illius: quæ consistit in mutua obligatione viri ac feminæ ad potestatem faciendum corporis sui soli illi cui sese obligavit: ut colligitur ex verbis Apostoli 1. Cor. 7. v. 2. 3. 4. 5. Facit ut ea mœchetur] ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι. Scil. præbendo occasionem ac potestatem nubendi alteri, dum ipse adhuc vivit. Neq; enim jus naturale seu morale tollitur per dispensationem juris civilis. Itaq; talis repudiata, adhuc jure naturali uxor est repudiantis: quia vinculum conjugii non est legitimè, quo ad jus naturale dissolutum. Sed hîc addendum ex

cap. 19.

cap.19.v.9. ipsum inprimis virum qui ita uxorem repudiavit, mœchari si aliam duxerit. Et is qui dimissam duxerit] καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ. Nempe eo quo dictum est modo dimissam; videl. extra rationem stupri: sed tantum ob levem aliquam causam. hoc enim est quod Christus hic reprehendit. Videtur autem hic excidisse articulus τὴν, ante participium ἀπολελυμένην: quippe quem consuetudo Græci sermonis omnino videtur postulare. Mœchatur] μοιχᾶται. Quia scil. illa quam ducit, jure naturali adhuc est uxor viri qui ipsam dimisit.

33 Non pejerabis] οὐκ ἐπιορκήσεις. Id est, non violabis jusjurandum per nomen Dei factum: sed quod ita promisisti, præstabis. Hæc expositio confirmatur ex antithesi sententiæ sequentis. Reddes Domino] ἀποδώσεις τῷ κυρίῳ. Id est, præstabis ad gloriam Domini. Neq; enim hoc videtur restringendū ad vota, quæ aliàs dicuntur Deo reddi ac persolvi. Quæ juraveris] τοὺς ὅρκους σου. Ad verb. Juramenta tua: id est, quæ jurando per nomen Dei, promiseris sive Deo sive proximo. Metonymia adjuncti.

34 Dico ne juretis] λέγω μὴ ὀμόσαι. Ad verb. Dico non jurare. scilicet ὑμᾶς, vos. id est, præcipio ne juretis. Græcismus. Omnino] ὅλως. Scil. temere aut fallaciter, ut percipitur ex collatione tum sententiæ proxime-præcedentis, tum sequentium. nam ex præcedente sententia apparet, Scribas perjurium & fallaciam in jurando prohibuisse in illo solùm juramento quod fieret per nomen Dei. Ex seqq. autem apparet, non habuisse eos pro peccato tum temeraria tum fallacia juramenta, dummodò nomen Dei in jurando non exprimeretur, sed juraretur per aliquam creaturam. Huic errori opponit Christus particulam ὅλως i. e. Omnino: q. d. nec directè per nomen Dei (in quo juramento solo, Scribæ perjurio locum concedunt) nec per nomen alicujus creaturæ: ubi illi perjurio aut saltem peccato locum esse non putant. Neq; per cælum] μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ. Posteriorem jurandi modum, particulâ ὅλως notatum, declarat exemplis. Illud autem, ἐν τῷ οὐρανῷ, valet τὸν οὐρανόν. Eadem ratio est in exemplis sequentib. Et sic loquitur Jacobus, hoc ipsum præceptum tradens, c.5.v.12. Notatur autem ea res quam testem invocamus veritatis & vindicem mendacii. Sic enim loquuntur Græci: ὀμνύναι θεὸν ἵνα ἂν χρῆμά τι, quod Latini dicunt, jurare per Deum aliquem aut rem aliquam. ut Homerus Iliad. ψ. ubi Menelaus Antilochum jurare jubet, inquiens:

——————γαιήοχον ἐννοσίγαιον
Ὄμνυθι, μὴ μὲν ἑκὼν τὸ ἐμὸν δόλῳ ἅρμα πεδῆσαι.

Id est: Terram ambientem Neptunum jurato, te non volentem dolóve currum meum impedivisse. Isocrates ad Demonic. ἕνεκα δὲ χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσῃς. Pecuniæ causâ per nullum deum jurato. Lucianus in vitis Philos. ὀμνύω γέ σοι τὸν κύνα καὶ τὴν πλάτανον, οὕτω ταῦτ' ἔχειν: Juro tibi per canem & per platanum, hæc ita esse. Videtur autem (ut hoc obiter annotem) phrasis illa Græcorum esse ἐλλιπτική, ut ad accusativum dei aut rei per quem quámve juratur, subaudiatur verbum ὀνομάζειν sive ὀνομάζων, id est, nominare. Hoc colligo ex verbis Homeri Iliad. ξ. ubi de Junone Somno petenti jurante dicitur:

ὄμνυε δ' ὡς ἐκέλευε, θεοὺς δ' ὀνόμηνεν ἅπαντας.

Juravit autem, ut jubebat: deosq; nominavit omnes. Ergo quum Græci dicunt, ὄμνυμι θεὸν, Juro Deum: perinde est ac si dicerent, ὄμνυμι ὀνομάζων θεὸν, Juro nominans Deum; quod Latini dicerent, Juro per nomen Dei sive per Deum.

Quia thronus Dei est] ὅτι θρόνος ἐστὶ τοῦ θεοῦ. Subaudi, ὁ οὐρανὸς, ipsum cælum. Q. d. Etiamsi cælum non est ipse Deus, ut possit falso-jurantem aut saltem temere-jurantem ulcisci: tamen Deus ulciscetur eum qui per cælum falsò aut temerè jurando, illud hoc ipso tanquam rem vilem contempserit, ac non potius reputaverit, cælum esse rem pretiosam, ut quæ serviat majestati Dei demonstrandæ: quum sit veluti thronus seu solium regium in quo Deus residet. Simili ratione intelligenda exempla sequentia. Est autem in his verbis metaphora à rebus humanis, quæ specialiter dicitur ἀνθρωποπάθεια. Estq; sumta hæc sententia unà cum sequente de terra, ex Esa. 66. v. 1.

35 Quia scabellum est] ὅτι ὑποπόδιόν ἐστι. Scil. ἡ γῆ, ipsa terra. Hoc est, ipsa quoq; servit suo loco & gradu demonstrandæ majestati Dei, ut quæ sit velut scabellum pedum ejus; ἀνθρωποπάθεια, ut modò. Per Hierosolymam] εἰς ἱεροσόλυμα. Pro, ἐν ἱεροσολύμοις: nomine ἱεροσόλυμα accepto indeclinabiliter, ut huic Evangelistæ est familiare: ut suprà c. 2. v. 3. πᾶσα ἱεροσόλυμα. quasi hic dicatur, ἐν τῇ ἱεροσόλυμα, sive, ἐν τῇ ἱερουσαλήμ: subaudito nomine πόλις. Quia urbs est] ὅτι πόλις ἐστί. Scil. ἡ ἱεροσόλυμα, ipsa Hierosolyma. Magni illius regis] τοῦ μεγάλου βασιλέως. Videl. Dei: qui est rex regum, dominus dominantium. Articulus est emphaticus. Sic Germ. **Des grossen königs.** Deus enim in illa urbe erexerat regnum suæ gratiæ, per verbi scil. prædicationem & exercitia sacrarum ceremoniarum. item leges quoq; politicas populo istic degenti præscripserat. Sumta autem videtur sententia ex Zach. 8. v. 3. ubi Jehova ait, se habitare in medio Hierosolymæ. Vel potius ex Psal. 46. v. 3. Ubi Hierosolyma nominatur urbs regis magni.

36 Per caput tuum] ἐν τῇ κεφαλῇ σου. Hic formula ista alium videtur habere sensum, quàm in præcedentibus exemplis: nempe non ut notet rem quæ tanquam testis citatur in jurando, sed rem quam promittimus nos daturos nisi verum juraverimus. Hoc adeò liquet ex ratione quæ subjungitur. Quia non potes vel unum capillum &c.] ὅτι οὐ δύνασαι, &c. Id est; Quia caput tuū non habes in potestate, ut possis de eo agere quod velis. Vel unum capillum] μίαν τρίχα. Id est, καὶ μίαν τρίχα. Ellipsis particulæ notantis rem minorem. Etsi interim hic ratiocinatio continetur ἀπὸ τοῦ μείζονος. q. d. Ne unum quidem pilum immutare potes: Ergo multò minus omnes pilos, aut ipsum totum caput.

37 Sermo vester] ὁ λόγος ὑμῶν. Nempe sermo familiaris & quotidianus. Hinc percipitur, reprehendi hoc loco juramenta illa temeraria quæ homines in familiari sermone ad quodvis penè verbum effutiunt. Etiam, etiam: Non, non] ναὶ ναί, οὒ οὔ. Id est, Si res de qua loquimini est Etiam, hoc est, ita se habet ut dicitis: tum contenti estote simplici hac affirmatione ut dicatis. Etiam. Similiter, si res de qua loquimini est Non, id est: si non ita se habet ut alius affirmat: tum contenti estote simplici hac negatione, ut dicatis, Non. Alii aliter exponunt: sed hoc quod attuli, simplex ac genuinum esse patet ex ipso hujus loci scopo. Atq; sic fuerit ἀνάκλασις in adverbiis ναὶ & οὔ, diverso sensu repetitis. Quanquam potest utrumq; accipi sensu eodem, ut geminatione notetur frequens istarum particularum in loquendo usus. quasi dicatur: Quoties affirmandum est, dicite, Etiam: quoties negandum, dicite, Non: nec addite juramentum. Confer similem locum Jac. 5. v. 12. Quod autem supra hæc redundat] τὸ δὲ περισσὸν τούτων. Videlicet juramenta quæ affirmationi aut negationi superadduntur. Ab illo malo est] ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστίν. Id est, à diabolo qui nominatur ὁ πονηρὸς, hoc est, malignus seu nequam, per synecdochen generis, κατ' ἐξοχήν. Articulus igitur est emphaticus. Sic Germ. **Vom bösen / oder vom böswicht.** Cæterùm præpositio ἐκ hic notat causam efficientem, & usurpatur pro ὑπό.

38 Dictum fuisse] ὅτι ἐρρέθη. Scil. antiquis seu ab antiquis: ut in præcedentibus. Oculum pro oculo] ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ. Scil. Erue tu judex. Sed hoc Scribæ & Pharisæi trahebant ad vindictam privatam. Hæc vocatur pœna talionis: quia scil. taliter aliquis punitur, qualiter peccavit.

39 Ne resistatis] μὴ ἀντιστῆναι. Id est, ἵνα μὴ ἀντιστῆτε. Malo] τῷ πονηρῷ. I. e. homini malo seu malefico, qui vos afficit injuriâ. Cædet] ῥαπίσει. Pro, παίσει, vel τύψει: quo verbo utitur Luc. 6. v. 29. Synecdoche speciei κολαφίζειν γενική. nam ῥαπίζειν propriè significat non colaphis cædere, sed virgâ seu bacillo: à nomine ῥαπίς, quod virgam significat. Sanè infr. c. 26. v. 67. in histor. passionis duo ista, κολαφίζειν & ῥαπίζειν, manifestè discernuntur. Obverte ei &c.] στρέψον αὐτῷ &c. Patienter ferto, atq; adeò paratus esto ad excipiendum colaphum in altera quoq; maxilla, potius quàm ut velis vicissim percutere, & quidem prætextu legis divinæ de talione. Hyperbole popularis: estq; metonymia effecti. nam obversio illa ex patientia nimia oriri videretur. Non esse autem hoc intelligendū κατὰ τὸ ῥητὸν seu propriè: vel ex ipsius Christi facto apparet: qui percussus in maxillam à servo Pontif. max. non obvertit ei maxillam alteram: sed illum propter injuriam sibi illatam reprehendit. Cui simile est exemplum Pauli Act. 23. Alteram] τὴν ἄλλην. I. e. τὴν ἑτέραν. Notandum hic, rationem majoris in istis exemplis non consistere in ipsis illis rebus quæ opponuntur seu contrà cõparantur, sed in duplicatione numeri. Neque enim sinistra maxilla præstat dextræ: sed plus est, patienter ferre duplicem injuriā quàm simplicem: ac proinde in sinistra simul & dextra maxilla percuti quàm in dextra tantùm. Idem judicandum de sequentib. duob. exemplis.

40 Qui vult, &c.] τῷ θέλοντι, &c. Id est, qui à te petit tunicam præter jus, ac nisi dederis, minatur se litem tibi moturum & per speciem juris tunicam illam tibi ademturum. Tecum litigare] σοι κριθῆναι. Ad verbum, Tibi judicari. Est autem in hac phrasi partim Hebraismus, partim Græcismus. Hebraismus quidem, quatenus verbum κριθῆναι respondet Hebræo דין dun, sive דין din, & idem valet quod litigare seu rixari seu contendere cum aliquo verbis. Græcismus verò, quatenus regit dativum instar Græci verbi ἐρίζειν, pro quo ponitur. Malui autem in vertendo uti verbo Litigandi quàm Contendendi, ut servarem ὁμωνυμίαν quæ est in verbo Hebr. cui hic verbum κρίνεσθαι respondet. Nam sicut illud litem & forensem & privatam notat: sic verbum litigare de utroque litis genere usurpatur. Hic tamen intelligendum videtur de lite privata, sicut eruditè D. Beza observavit. Ac tunicam, &c.] καὶ τὸν χιτῶνα, &c. Lucas cap. 6. vers. 29. priore loco ponit pallium. id quod magis videtur quadrare: ut scilicet prius auferatur vestis exterior, tum deinde interior. Sed hic illius ordinis non habetur ratio: sed simpliciter notatur injuriæ ingeminatio.

41 Angariabit] ἀγγαρεύσει. Id est, adiget seu coget. quomodo Syrus vertit. Metaphora ab angaris Persicis. Dicebantur autem angari apud Persas, nuntii regum qui ad negotium aliquod regis expediendum emissi, cogebant subditorum quemvis ad suppeditandum sibi ea quibus ad negotium celeriter expediendum erat opus: ut equos, naves: vel etiam ut ipsimet unà currerent ac onera ferrent. Sic infrà 27. 32. dicuntur angariasse Simonem Cyrenæum, ut portaret crucem Jesu.

42 Petenti] τῷ αἰτοῦντι. Scilicet munus seu eleemosynam. Sive scilicet dignus tibi videatur, sive non: sive sit bene de te meritus, sive malè. Hoc significat Lucas, quum ait, παντὶ τῷ αἰτοῦντι: Cuivis petenti: Luc. 6. v. 30. Volentem, &c.] τὸν θέλοντα &c. Nempe quicunq; aut qualiscunq; ille sit: sive alienigena à quo tibi liceat petere fœnus: sive Israëlita à quo fœnus petere non licet: item sive

sive sit spes redditurum aliquando mutuum, sive non sit. Sic enim ait apud Lucam: Mutuum date, nihil inde sperantes: *Luc.6.v.35.*

43 Dictum fuisse] ὅτι ἐῤῥέθη. *Scilicet ab antiquis.* Proximum tuum] τὸν πλησίον σου. *Ad articulum τὸν, subaudi ἄνθρωπον. nam πλησίον, accentu scilicet posito in penultima, est adverbium, significans* Propè. *Itaque dicitur ὁ πλησίον, scil. ὢν: is qui propè est. Est tamen & nomen πλήσιος: à quo diceretur, τὸν πλήσιόν σου. Porrò nomen Hebræum* רֵעַ *réah, quo in isto præcepto utitur Scriptura, significat quidem usitatè amicum, seu potiùs familiarem aut sodalem (qui scilicet unà nobiscum pascitur, seu nostro convictu utitur. nam videtur nomen cognatum esse verbo* רָעָה *rahâh, quod pascere significat) veruntamen accipitur etiam generaliùs pro omni eo qui nobiscum seu ante oculos nostros versatur: ut colligi potest ex præcepto decalogi ultimo. Interpretes Bibliorum Græci nunc τὸν πλησίον, id est, proximū, nunc ἑταῖρον, i.e. familiarem sive sodalem, nunc φίλον, id est, amicum verterunt. Et nomen illud etiam à sapientioribus Judæis non fuisse restrictum ad amicos: liquet ex quæstione illius Legisperiti Luc. 10. v. 29. quærentis ex Christo, quinam sit proximus suus: non utique ignorans, diligendum esse amicum, ac proinde præcepto illo de proximo diligendo amicum contineri: sed exspectans à Domino extensionem istius nominis ad inimicos, quasi scil. ipse istos quoq; diligeret, atque ita præcepto illi satisfaceret. Et Dominus ibidem per parabolam de Samaritano id ipsum docet; videl. nomine proximi in illo præcepto inimicos quoq; contineri.*

44 Qui devovent] τοὺς καταρωμένους. *Vox Græca sub forma passiva significationem activam habet.* Benefacite iis &c.] καλῶς ποιεῖτε τοὺς &c. *In Græco est phrasis illi linguæ particularis, videl. ut à verbo ποιέω regatur accusativus personæ cui aliquid accedit. Similiter dicunt, κακῶς ποιῶ σε, malefacio tibi. Et fortasse ante accusativum illum subaudienda præpositio κατὰ, notans objectum. q.d. Bene malève facio aliquid secundùm te, hoc est, in te, seu in persona tua.* Pro iis qui vos infestant] ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς. *Seu lædunt, seu damno afficiunt. Syrus,* Qui ducunt vos in vincula. *nimis specialiter, veruntamen emphaticè.*

45 Ut sitis filii, &c.] ὅπως γένησθε υἱοὶ, &c. *Id est, ut esse agnoscamini, videl. ex istis effectu, quæ propria sunt filiorum Dei. Metonymia subjecti occupantis. Etenim cognitio in ipsa re occupatur. Sic Joh.15.v.8.* Facit enim ut sol suus exoriatur] ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει. *Verbum ἀνατέλλειν hîc capitur transitivè, tanquam in Hebræorum conjugatione Hiphil. quâ etiam Syrus hîc utitur, inquiens,* מַדְנַח *madnách, id est, oriri faciens. Aliàs sumitur intransitivè seu neutraliter, ut Jac.1. vers. 11. ἀνέτειλε γὰρ ὁ ἥλιος.* Exortus est enim sol. *Transitivè accepit & Homerus Iliad. ε. loquens de equis Junonis qui illinc impulsu volaverant ad Simoënta fluvium, opitulaturi Argivis: quibus ait Simoënta produxisse ambrosiam ad pascendum.*

τοῖσιν δ' ἀμβροσίην Σιμόεις ἀνέτειλε νέμεσθαι.

Super malos ac bonos] ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς. *Hoc Latini significantiùs exprimerent ad hunc modum,* Tam super malos quam bonos. *Etenim* Tam *est nota paris ejusmodi quod videatur esse minus. Minùs enim probabile est, Deum benefacere malis, quàm bonis: & illi minùs digni sunt qui beneficiis afficiantur. Veruntamen in sequente membro ordo invertitur: & interpres Syrus hîc quoq; ordinem invertit. Potest tamen in illo quoq; verborum ordine intelligi collatio imparium, ad hunc modum:* Pluit non solùm super justos (id quod minùs mirum est) sed etiam super injustos. Pluit] βρέχει. *Nempe Deus, ex collatione membri præcedentis. Syrus,* מַחֵת מִטְרֵה *mahhéth metréh, descendere facit (id est, dimittit) pluviam suam. Verbum βρέχειν propriè significat madefacere. Aliàs tribuitur ipsi pluviæ, tanquam causæ scil. propinquæ: ut Apoc.11.v.6. de duobus illis testibus dicitur, quòd habeant potestatem claudendi cælum, ἵνα μὴ βρέχῃ ὑετὸς ἐν ἡμέραις αὐτῶν τῆς προφητείας, id est, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum. Ad verbum est,* Ne madefaciat pluvia: *subaudi, terram.*

46 Si dilexeritis eos, &c.] ἐὰν ἀγαπήσητε τοὺς ἀγαπῶντας, &c. *Subaudi,* Tantum. *Neq; enim certè Christus prohibet, ne diligamus eos qui nos diligunt: sed præcipit ne illos solos diligamus: sed etiam eos qui nos oderunt: ut liquet ex collatione præcedentium. Et hoc supplementum manifestè confirmatur ex versu sequente, ubi exprimitur.* Quam?] τίνα; *Quasi dicat, Nullam.* Mercedem] μισθὸν. *Id est, Compensationem dandam in vespera mundi à Deo. Metaphora καταχρηστική. nam propriè loquendo non meremur beneficia Dei: sed illa in nos conferuntur ex mera gratia.* Habetis] ἔχετε. *Scilicet apud patrem cælestem, ex collatione versus primi in capite sequenti: ubi vide scholia.* Nonne?] οὐχί; *Quasi dicat, Maximè.* Et publicani] καὶ οἱ τελῶναι. *Qui scil. mercedem, id est, vitam æternam à Deo non consequentur; nisi scil. resipuerint.*

47 Complexi fueritis] ἀσπάσησθε. *Verbum ἀσπάζεσθαι, significat, Amanter complecti. Cujus vim pulchrè expressit Homerus Iliad.κ. sub finem, ubi narrat quomodo Argivi exceperint Diomedem & Ulyssem à Trojanis in castra reversos. Sic autem ait:*

——τοὶ δὲ χαρέντες
Δεξιῇ ἠσπάζοντο, ἔπεσσί τε μειλιχίοισι.
Id est:
——Hi verò gavisi,
Dextrâ amicè excipiebant, verbisq; suavibus.

Dictum videtur τὸ ἀσπάζεσθαι ex α significante ἅμα, (ut in ἀδελφός.) & verbo σπᾶν, id est, trahere, quoniam qui amices salutantes excipiunt, trahunt ad sese & complectuntur, aut etiam osculantur. unde factum ut ἀσπάζεσθαι usurpetur pro salutare: quæ significatio in epistolis Pauli sub finem earum frequentissima est. Et interdum addit, ἐν φιλήματι ἁγίῳ, osculo sancto. Quam significationem Syrus interpres hîc quoq; secutus, reddidit: Si interrogetis de pace fratrum vestrorum: *hoc est, si salutetis fratres vestros.* Fratres] τοὺς ἀδελφοὺς. *Id est, populares vestros, videl. Israëlitas: ex eodem patre Israële ortos, hos enim tacitè opponit exteris, nempe Ethnicis, verbi gratiâ Samaritanis.* Excellens] περισσὸν. *Ad verbum, Superfluum seu redundans, scil. supra justitiam Ethnicorum. Sic supr. v. 20. ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν &c. Nisi abundaverit justitia vestra &c. hoc est, excelluerit.*

48 Perfecti] τέλειοι. *Perfecta virtute præditi.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

1 Ex v.1. Quoties occasio nobis datur proximum sermone nostro ædificandi, non debemus eam prætermittere: exemplo Christi, qui conspectâ præsentiâ populi, ad docendum eum sese accinxit. Confer exemplum Pauli, 1. Cor.16.v.9. Coloss. 4.v.3. *Proximus ædificandus.*

2 Ex v.2. Ministri Verbi quum ad docendum accedunt, adhibere debent alacritatem & vocis explanationem, exemplo Christi: qui populum docturus, os aperuit, id est, alacriter ad dicendum & explanatè loquendum sese comparavit. Confer exemplum Philippi Act. 8.v.35. & Petri Act.10.v.34. *Ministrorum verbi Dei officium.*

3 Ex v.3.4.& 6. Ad beatitudinem opus est agnitione propriæ injustitiæ, dolore propter offensum Deum, & desiderio gratiæ ipsius, nec non ejusdem propter Christum promissæ fiducia. *Beatitudinis causa.*

4 Ex v.5.7.8. & 9. Ad plenitudinem beatitudinis adipiscendam opus est omnibus virtutibus Christianis, tanquam fidei Christianæ fructibus: in quo numero sunt mansuetudo, misericordia, castitas, studium pacis.

5 Ex v.10.11.& 12. Tametsi persecutio propter Christum beatitudinem Christianorum videtur impedire ac labefactare: tamen per gratiam Dei illam adjuvat ac promovet: tum quia Christianis honorificum est persecutionem pati propter justitiam & propter confessionem Christi, atque hanc sortem communem habere cum sanctis Prophetis & ipso CHRISTO: tum quia illos, ex gratia & promissione Dei manet amplissima merces seu remuneratio in cælis. Confer Rom. 8.v.28. Quare persecutiones ac probra propter Christum & Evangelium ejus, patienter feramus: imò de illis gaudeamus. Cujus gaudii exempla vide Act.5. v.41. & cap.16.v.25. & denique in historia martyrum. *Persecutio propter Christum.*

6 Ex v.12. Quòd tolerantiæ Christianorum promittitur merces: non est inde colligendum, illos quicquam à DEO mereri: quia remuneratio illa divina nominatur merces impropriè: datur enim ex gratia. Confer parabolam de operariis in vineam conductis, infr. 20. Ex qua duo huc pertinentia discimus: unum, quòd beatitudo illa cælestis nominetur merces per metaphoram, quia scilicet electis dabitur in vespera mundi post exantlatos vitæ hujus labores: alterum, quòd illa merces dabitur ex gratia: quippe quum denarius datus sit etiam illis qui unicam tantùm horam laboraverant, non autem totum diem ut alii. Idem adhuc clariùs percipitur ex verbis patrisfamiliâs, dicentis isti murmuratori, An oculus tuus nequam est quòd ego sum benignus? Item, An non licet mihi facere de meo quod volo? *Merces tolerantia Christianorum.*

7 Ex v.13.14.15.16. Ministri Ecclesiæ gnavos atque industrios se præbere debent in prædicando verbo Dei. nam ad hoc à Deo sunt vocati: & secus abjicientur à Deo in exitium æternum, unde paulus ait, Væ mihi nisi evangelizem, 1. Cor.9.v.16. Si verò tales se prebuerint, multos adducent ad salutem & ad glorificandum DEUM. *Ministrorum verbi Dei officium.*

8 Ex v.13. Verbum Dei est quasi sal, quo condiuntur electi, ne putrescant in suis peccatis. Mordet quidem Lex conscientias, instar salis: unde illud, *Compuncti sunt corde,* Act.2.v.37. sed morsus ille conducit ad hoc, ut quærant lenimentum ex Evangelio, quod testatur de gratia Dei per Christum partâ: sicut in exemplo modò citato perspicitur; unde illud, *Quid faciemus, viri fratres?* quibus Petrus mox adhibet tum sal Legis ad præservandū à putredine, *Resipiscite,* inquiens: tum lenimentum Evangelii, dum jubet eos baptizari in remissionem peccatorum. Habet quoque Lex rationem salis, quatenus præscribens nobis regulam vivendi, vitam nostram quasi salit, id est, sapidam, suavem ac Deo placentem reddit: id quod tamen inprimis præstat Evangelium, quatenus per ipsum donamur fide, sine qua DEO placere nemo potest. Denique similitudo salis potest accommodari ad tres partes Catechismi, ad hunc modum. 1. Ut sal mordet: sic ministri doctrinâ Legis conscientias impiorum pungunt, dum illos peccatorum convincunt. 2. Ut sal purgat: sic ministri doctrinâ Evangelii purgant resipiscentes, quatenus illis annuntiant purgationem factam per sanguinem filii Dei. 3. Ut sal conservat à putredine: sic ministri bonâ disciplinâ ex præscripto Legis regunt oves suas, & scandala impediunt, ne Christiani in peccatis suis putrescant, ac fœteant coram Deo & sanctis angelis. *Verbi Dei efficacia.*

9 Ex v.14.& 15. Verbum Dei est quasi lux, qua revelatur nobis voluntas Dei: & quidem tum quid Deus velit à nobis fieri, seu quomodo velit à nobis coli: tum quid velit de nobis facere, seu quomodo nos velit facere salvos. quorum hoc revelatur in Evangelio,

vangelio, illud verò in Lege. Quare quoties hæc lux nobis proponitur, caveamus ne claudamus oculos: sed potiùs illos aperiamus, ut sanctâ Dei voluntate cognitâ, voluntatem nostram illi conformemus. Quod quum in nostris viribus non sit positum: oremus Deum, ut ipse nobis oculos ad videndum det, & salvificâ notitiâ suæ voluntatis mentes nostras illustret.

Bonorum operum finis seu scopus.

10 Ex v.16. Finis bonorum operum est glorificatio Dei. Id est, Ut actiones nostræ Deo placeant, opus est ut eas dirigamus ad gloriam Dei: ut videl. Deus per nos glorificetur, dum scil. gratiæ ei aguntur pro donis suis quæ in nos contulit, quæque per nos confert in proximos nostros. Hinc à Christo reprehenduntur opera Pharisæorum, quòd illa non dirigerent ad gloriam Dei, sed ad suam ipsorum gloriam: dando eleemosynas adhibito cantu buccinæ, & precando in angulis platearum, ut spectarentur ab hominibus & ab illis laudem sanctitatis consequerentur. Quæ autem præterea requirantur ad bonum opus, videlicet fides & conformitas cum norma Legis: notum est ex doctrina Catechismi.

Evangelium & Lex.

11 Ex v.17. Evangelium non adversatur Legi: sed potiùs eam confirmat ac stabilit: quatenus nimirum ostendit modum ejus implendæ: videlicet quòd impleri possit atque implenda sit per spiritum Christi. quæ impletio in veris Christianis inchoatur in hac vita, in altera autem perficietur. tunc enim illi Deum diligent ex toto corde, & proximum sicut seipsos: id quod Lex in summa requirit.

Legis impletio per Christum varia.

12 Ex eod. v. Considerandum hîc, quibus modis Christus Legem impleverit, adhuc impleat, & in æternum impleturus sit. Impletio autem hæc pertinet partim ad legem Cærimonialem, partim ad Moralem. Ac Cærimonialem quidem legem implevit, quatenus pro electis mactatus est in sacrificium expiatorium, sicut per sacrificia Legalia fuerat adumbratum, ac præfiguratum; id quod abundè testatur atque explanat epistola ad Hebræos. Moralem verò Legem implevit partim patiendo partim agendo. Patiendo: quatenus pro electis passus est maledictionem quam Lex transgressoribus Legis minatur, dum ipse pro illis factus est maledictio in cruce, Gal. 3. v.13. Agendo verò implevit Christus Legem & adhuc implet & in æternum impleturus est, partim in sese, partim in hominibus. In sese: dum in hoc mundo sanctè secundùm Dei Legem vixit, ex toto corde diligendo Deum & proximum: quæ dilectio in ipso adhuc durat & in æternum duratura est. In hominibus verò tum electis tum reprobis. Ac in electis quidem ut ipsorum servator Legem implet, idque trifariam. Primò, quatenus eos donat fide justificante, per quam eis imputatur passio ipsius qua is maledictionem Legis sensit: de qua impletione loquitur Paulus Rom. 8. v.3. Deinde, quatenus per fidem in eis accendit dilectionem Dei & proximi, sinceram quidem, sed imperfectam in hac vita, perficiendam autem in vita futura: tum verò etiam, quatenus eos propter transgressiones Legis quotidianas castigat atq; ita erudit ad studium sanctè secundùm Legem vivendi. In reprobis verò implet & implebit Christus Legem, ut judex: quatenus eos propter Legem violatam & maximè propter incredulitatem, maledictione, tum temporali punit, tum æterna puniturus est.

Scripturæ sacræ authoritas.

13 Ex vers. 16. Tanta est authoritas verbi Dei sacrâ Scripturâ comprehensi, ut omnia Legis divinæ præcepta, omnes item tum comminationes Dei tum promissiones in sacra Scriptura comprehensas impleri oporteat: atque adeò ut facilius sit, cælum & terram præterire, seu in nihilum redigi, quàm ut vel unica sacræ Scripturæ literula complementum suum non adipiscatur. Quare Deum in verbo suo nos alloquentem reverenter attendamus, præcepta ejus servare studeamus, comminationibus & promissionibus firmiter credamus.

Hypocritarum ingenium.

14 Ex vers. 19. Hypocritæ pluris faciunt traditiones humanas, quàm mandata Dei. sicut hoc loco Christus obliquè exprobrat Scribis & Pharisæis, quòd mandata Dei haberent pro minimis, quum interim maximi facerent traditiones patrum. Sic hodie tyranni & carnifices conscientiarum Pontificii pluris faciunt traditiones Papales quàm præcepta decalogi: quippe illarum transgressionem graviùs puniunt quàm istorum. Nos verò ab ista hypocrysi nobis caventes, sancta Dei præcepta maximi faciamus, inanes verò hominum traditiones contemnamus. Confer infrà cap.15. v.1, & seq. Item cap.23. v.14. & seq. Item Luc.11. v.37. & seq.

Ministri verbi Dei officium.

15 Ex eod. v. Ut doctor Ecclesiæ Deo placeat, & spem regni cælorum habere possit, non est satis ut doceat facienda esse quæ Deus à nobis in Verbo suo requirit: sed opus est ut ipse quoque eadem faciat. Christus enim hæc duo conjungit: *Qui fecerit*, inquiens, *& docuerit*. At Scribæ & Pharisæi docebant quidem, sed non faciebant: sicut expresse conqueritur Christus infr. c.23. v.1. & deinceps. Contra Paulus studium suum in exercenda dilectione proximi commendat 1. Cor. 9. v.19. & deinceps.

Justitia Pharisaica.

16 Ex v.20. Justitia Pharisaica non placet Deo: quia nimirum non est vera justitia: idque propter has causas. Primò, quia Pharisæi putabant legi Dei satisfieri per obedientiam externam: sicut percipitur ex Legis expositione quam Christus deinceps affert. Deinde, quia pluris faciebant traditiones humanas quàm mandata Dei: ut paulo-antè indicatum est ad vers.19. Tum quia omnia faciebant ut spectarentur ab hominibus, atq; ita quærebant non gloriam Dei, sed propriam: sicut apertè illis exprobrat Christus infr. c.23. v.5. item c.6. v.2. & 5. & 16. Postremò, quia sibi persuadebant, se obedientiâ illâ externâ promereri vitam æternam: ut apparet ex exemplo Pharisæi orantis in templo Luc.18. vers.11.12. item divitis illius adolescentis qui quærebat ex Christo, quid boni faciendum sibi esset ut obtineret vitam æternam, infr. cap.19. v.16. & deinceps. denique ex epistolis Pauli ad Romanos & Galatas, ubi Apostolus contra opinionem istam Pharisaicam ex professo disputat.

Bonorum operum necessitas.

17 Ex eod. v. Etsi nemo per justitiam inhærentem sive per bona opera mereri potest vitam æternam: tamen illam nemo consequetur nisi qui vero illius justitiæ, & quidem veræ, studio fuerit præditus. Vera autem justitia inhærens est, quæ conformis est legi Dei rectè intellectæ: ac proinde quæ non est contenta operibus externis, sed studet puritati internæ, ut scilicet cor purum sit à pravis concupiscentiis, & contrà imbutum sincerâ dilectione Dei & proximi: sicut colligitur ex declaratione præceptorum decalogi quam hoc loco Christus tradit.

Dogmatum antiquitas.

18 Ex vers.21. Ad veritatem alicujus dogmatis non est satis, esse antiquum. Etenim expositio Scripturæ quam afferebant Scribæ & Pharisæi, quantumvis antiquitatis nomine commendaretur, tamen à Christo ut falsa reprehenditur. Falsum enim est, sola externa peccata, id est, quæ membris corporis patrantur, à lege Dei prohiberi. Perperam igitur agunt papistæ, quum traditiones suas Ecclesiæ obtrudunt palliatas titulo antiquitatis. Quanquam illæ ne antiquæ quidem appellandæ sunt, si comparentur cum traditionibus Apostolorum quæ in scriptis ipsorum continentur. Sicut nec traditiones Pharisæorum & expositiones Legis antiquitatis nomen merebantur, si comparentur cum traditionibus atque expositionibus tum ipsius Mosis, tum Prophetarum.

Decalogi præcepta quomodo exponenda.

19 Ex v.22. Præcepta decalogi exponenda sunt per synecdochen membri & metonymiam effecti, ita scilicet ut ex effectis & una cum illis intelligantur ipsorum causæ procreantes. Verbi gratiâ, sextum præceptum exponendum est non de solo homicidio externo quod committitur manu, sed etiam de illius causa procreante, videl. de injusta ira atque odio, quod est homicidium internum. sicut ait Johannes, Qui odit fratrem, homicida est.

Peccatorum inæqualitas.

20 Ex eod. v. Peccata non sunt (ut Stoicis placuit) æqualia: sed alia aliis majora sunt, sicut & gradus sunt pœnarum.

21 Ex eod. v. Quòd Christus hoc loco pœnas gehennæ soli tertio gradui homicidii attribuit: non est propterea putandum, reliquos duos gradus ab istis pœnis eximi. nam certum est, quodvis peccatum, licet minimum videri possit, maledictionem atque adeò mortem æternam mereri, juxta dictum, Maledictus omnis qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis. at in Lege vetantur quoque pravæ concupiscentiæ seu pravi affectus animorum: ut sunt ira, odium, libido, &c. quare isti quoque affectus hominem pœnis gehennæ obnoxium reddunt. Sed Christus diversos gradus judiciorum atque pœnarum ideo tantùm commemoravit, ut significaret, in ipsis quoque peccatis suos gradus esse.

Gehenna.

22 Ex eod. v. Contra opinionem Epicuræorum notandum est testimonium Christi de gehenna, quòd videl. sit gehenna, id est, locus infra terram, à Deo conditus ac destinatus suppliciis æternis damnatorum. Conf. infr. 25. v.41. & 46. Luc.16. v.23.24. 26.28. Cæterùm, sicut gehenna est certus locus: ita è regione cælum quoque est certus locus, videl. locus supernus à Deo conditus ac destinatus æternis gaudiis beatorum: sicut passim Scriptura tradit: ut infr. 25.34. Luc.16. v.22.23.25.26. Joh.14. v.2. & c.17. v.24. Philip.3. v.20. & 21. Coloss.3. v.1.

Cultus Dei.

23 Ex v.23. & 24. Externus cultus Deo non placet, nisi conjunctus sit cum interno, id est, cum dilectione Dei & proximi. Hinc Deus olim repudiavit sacrificia Judæorum, eò quòd carerent dilectione proximi, Esa.1.

24 Ex v.24. Cultus externus tantisper omittendus est, donec adepti fuerimus cultum internum, positum scilicet in dilectione Dei & proximi, seu in studio observandi legem moralem. Huic autem adipiscendo absque mora operam dare debemus: quoniam sine eo placere Deo non possumus. Quare qui ad mensam Domini accedere vult, is ad hanc regulam sese examinet actionesque suas instituat.

Concordia.

25 Ex v.23.24.25.26. Ad concordiam cum proximo alendam (nempe concordiam piam & in dilectione Dei fundatam) moveri debemus consideratione tristium effectorum discordiæ atque inimicitiarum: quæ hoc loco indicantur duo: unum, quòd illorum qui proximum oderunt, cultus externus non placet Deo: alterum, quòd conjicientur in carcerem, id est, gehennam, & illic æterna supplicia luent. Huc pertinet illud: nisi remiseritis hominibus offensas ipsorum, nec pater cælestis vobis remittet offensas vestras: infr. c.6. v.15.

Gemitus piorum.

26 Ex v.25. Gemitus piorum injuriis affectorum, exaudiuntur à Deo. sunt enim velut accusationes apud tribunal judicis Dei, quas Deus admittit & inde sententiam in accusatos pronuntiat. Quare caveamus nobis, ne quem ullâ injuriâ ad gemitus provocemus. Huc pertinet præceptum de veste oppignerata restituenda ante occasum solis, Exod.22. v.26.27. Ubi diligenter ne-

ter notanda ratio præcepti, addita his verbis: Alioquin (ait Deus) fiet, quum inclamabit me (scilicet ille cui vestis non redditur) ut exaudiam eum, quia clemens sum. Pertinet huc etiam illud Pauli Hebr.13.v.17. de ducibus (id est, ministris ecclesiæ) honorandis, ut faciant officium suum cum gaudio & non gementes. id enim (ait Paulus) est vobis inutile.

Judicium ultimum. 27 Ex eod. v. Notandum est testimonium de futuro judicio, quod exercebit Christus in totum genus humanum. quod judicium graphicè describitur infrà c.25.

Purgatorium Papisticum. 28 Ex v.25.& 26. Ineptiunt Papistæ quum ex hoc loco exstruere conantur suum purgatorium: quod fingunt esse locum infernalem à gehenna distinctum, in quem coujiciantur animæ illorum, qui morientes nec prorsus impii nec prorsus pii fuerint, ita nimirum ut nec cælum sint promeriti nec gehennam: ut illic igne quodam excrucientur ac perpurgentur, ac tandem purgati seu satisfactione pro residuis suis peccatis per illos cruciatus præstitâ, inde liberentur atq; in cælum transferantur. Ad quam liberationem ut eò citiùs fiat, ajunt conferre quoq; bona opera vivētium pro illis in purgatorio constitutis præstita, ac inprimis celebrationes Missarum. At, inquā, nulla istiusmodi purgatorii fit mentio uspiam in Scriptura. Atque hic quidem nomine φυλακῆς, i.e. carceris, non intelligitur purgatorium, sed gehenna seu orcus: unde nemini contingit liberatio, juxta illud Luc.16.v.26. ubi Abraham in cælo constitutus, ait diviti epuloni in gehenna posito: Inter nos & vos hiatus ingens firmatus est, ut ii qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neq; istinc huc transire. Quòd autem Christus hic ait, debitorem in carcerem conjectum non exiturum illinc donec reddiderit ultimum quadrantem: non voluit significare, futurum ut illud debitor aliquando præstet, ac proinde exeat: neq; hoc ullâ vi potest ex ipsius verbis concludi: sed potiùs significare voluit, illum nunquam exiturum, quippe qui persolvere debitum nunquam possit. Neque enim sequitur: Iste non exibit donec reddiderit ultimum quadrantem: Ergo poterit reddere, aut saltem fieri potest ut aliquis reddat qui ita obæratus sit. Sicut non sequitur: Christus ait infr.12.v.32. Qui locutus fuerit adversus Spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc seculo neq; in futuro: ergo est aliquod peccatum quod remittetur in seculo futuro. quo ipso quoque paralogismo Papistæ ad purgatorium suum stabiliendum utuntur. Etenim Christus nihil aliud dicere voluit, quàm peccatū in Spiritum sanctum nunquam remissum iri: ut liquet ex collatione Marc.c.3.v.29. Ista autem distributio temporis adhibetur amplificandi causâ.

Septimum præceptum. 29 Ex v.28. Septimo præcepto vetatur non solùm adulterium externum, quod committitur corpore atq; concubitu: sed etiam internum, quod committitur corde per cupiditatem concumbendi cum muliere aliena.

Mandatorum Dei observatio. 30 Ex v.29.& 30. Observationi mandatorum Dei charissima quæque posthabenda sunt, & propter illam acerbissima quæque suscipienda.

Affectus pravi. 31 Ex iisdem versib. Pravis affectibus resistendum est, etiamsi id cum magno cruciatu fiat. Sic Paulus ait, se contendere seu obtundere corpus suum & in servitutem redigere, 1.Cor.9.v.ult.

Indulgentia legum civilium. 32 Ex v.31.& 32. Non statim innocens est coram Deo, cui aliquid indulgetur ac permittitur à legibus civilibus. Etenim repudiatio uxoris servantis fidem conjugalem, indulta quidem ac permissa fuit à Deo per legem civilem Mosaicam: at non propterea fuit à Deo approbata. quippe Christus talem repudiatorem affirmat esse authorem adulterii: idque trifariam: primùm, scil. in se ipso, maximè si duxerit aliam uxorem, vivente adhuc repudiatâ illâ, infr.19.9. deinde in uxore repudiata; quam facit mœchari, quatenus illi facit facultatem & præbet occasionem nubendi alteri, ipso adhuc vivente: tum etiam in illo altero qui repudiatam duxerit. Similiter lex civilis permittit lites forenses: at non propterea Deo placet, qui mavult litigando jus suum persequi, quam ex charitate de jure suo concedere.

Divortii causa. 33 Ex v.32. Quæritur, quomodo cum sententia Christi de legitima causa divortii quæ hic habetur, & inf.19.9. repetitur, conveniat sententia Pauli quæ extat 1.Cor.7.v.15. ubi ait, Si incredulus discedit, discedat: non est servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi rebus, quibus utique verbis causam legitimam divortii statuit desertionem, qua quis deseritur à conjuge propter religionem Christianam. At Christus hoc loco solum adulterium statuit legitimam divortii causam. Respondeo: Christus loquitur de separatione voluntaria ac libera, quum scil. maritus adulterio uxoris motus, separat sese ab illa, nec illam ampliùs pro uxore sua vult agnoscere, illive ut uxori cohabitare. At Paulus loquitur de separatione invita, quum scil. conjunx fidelis seu Christianus deseritur à conjuge infideli seu non Christiano, cui tamen vellet ut conjugi cohabitare. Non igitur dissentiunt Christus & Paulus, quum loquantur de rebus diversis. Imò quod ad voluntariam separationem attinet, Paulus illam extra rationem adulterii nequaquam concedit; sed potiùs præcipit, ne conjunx à conjuge discedat, sive fideli sive infideli, dummodo infidelis consentiat ad cohabitandum, nempe conjugialiter; ejusdem capitis v.10.11.12.13.

Tertium præceptum. 34 Ex v.33.& seq. Tertio decalogi præcepto non prohibetur solùm perjurium falsúmve juramentum: sed etiam juramentum temerarium, ac omnino quælibet nominis divini profanatio aut reverentiæ expers usurpatio.

Juramentum esse rem licitam. 35 Ex vers.34. Cavendus error Anabaptistarum, qui omne juramentum damnant, eò quòd Christus dixit, Ne juretis omnino. At falluntur ex eo quòd verbis præcisè inhærentes, non attendunt ad mentem Christi: quam ex toto hoc de juramento sermone apparet dirigi non contra quodvis juramentum, sed tantùm contra juramentum temerarium & fallax. quare quum dicit, Ne juretis omnino; intelligit, nullo modo jurandum esse temere aut fallaciter: neque directè, neque obliquè: hoc est, sive exprimant nomen Dei, sive nomen alicujus creaturæ. sicut liquet partim ex scopo loquentis, partim ex formulis quas recitat. Errant igitur Anabaptistæ, quum quod Christus dixit καθ' ὅλου, secundùm aliquid & de certo genere: id accipiunt tanquam dictum ἁπλῶς, simpliciter ac de genere universo. Quòd autem Christus non omni juramento interdixerit, ex eo manifestum est: quòd non venit ut Legem dissolveret, sed ut impleret: in Lege autem, & quidem Morali, quæ perpetua est, continetur quoque præceptum de jurando, & quidem tanquam de singulari cultu Dei, Deut.6.v.13. Jehovam Deum tuum timeto, & ipsum colito: ac per nomen ejus jurato. Quod præceptum repetitur ejusdem libri cap.10.v.20. Atque adeò juramentum præcipitur specialiter ei qui litigat corā judice, Exod.22.v.10.& 11. Et certè nisi in novo quoque Testamento licitum, imò si tempestivè adhibeatur, sanctum esse juramentum judicasset Paulus: nunquam jurasset. Juravit autem non semel: ut videre est Rom.9.v.1. 2.Cor.1.v.23 & cap.11.v.10.& cap.12.v.2. Gal.1.v.20.

An liceat jurare per creaturam. 36 Ex v.34.35.& 36. Quæritur, An liceat jurare per creaturam. Ratio dubitandi est: quia Christus videtur hoc loco concedere juramenta per creaturas facta, dummodo non fiant fallaciter aut temere. Hæc enim duo, ac præcipuè posterius, videtur hoc loco reprehendere: non autem ipsas illas jurandi formulas. Contrà autem Lex præcipit, ut per solum Deum juretur. Etenim præceptum illud de jurando per Deum, Christus interpretatur additâ particulâ SOLUS, suprà 4.v.10. Respondeo: Per solum Deum jurare licet: quia Deus solus intuetur jurantis animum, & solus potens est ad puniendum fallentem, & denique quia juramentum est cultus Dei. Quòd autem Christus hoc loco non reprehendit illas ipsas jurandi formulas, ex eo non potest inferri quòd eas approbet. Attamen sancti videntur jurasse per creaturas: ut Joseph per vitam Pharaonis, Genes. 42. *Vivit Pharao.* Hanna per vitam Eli, 1.Sam.1. *Vivit anima tua.* David per vitam Jonathæ. 1.Sam.20. *Vivit Jehova, & vivit anima tua.* Abigail per vitam Davidis, 1.Sam.25. *Vivit Jehova, & vivit anima tua.* Resp. Hæ locutiones non sunt propriè juramenta: sed asseverationes per collationem rei alicujus certæ & manifestæ: ut sententia earum sit; ea quæ asseverantur, tam esse certa, quàm certò vivit Pharao, Eli, Jonathas, David. Interim asseveratio illa Josephi non videtur carere vitio, & quidem gemino. uno, quòd illam adhibuit simulatè: altero, quòd usurpavit formulam Ægyptiorum, qua illi nimiū tribuerunt regi, tanquam si immortalis esset. Porrò contestationis quâ Moses contra filios Israel contestatur cælum & terram, Deut.4.v.26. paulùm diversa est ratio. Significat enim ὑπερβολικῶς, illas quoque creaturas, quantumvis inanimas & intelligentiæ expertes, tamen quodammodo audire quæ ipse coram illis loquatur, ac proinde testes fore in judicio Dei contra filios Israel, ne possint ad se excusandum prætendere, sibi non esse à quoquam indicatum quid sui esset officii, seu quomodo Deus à se coli vellet. Nec tamen Moses dicendo, *Contestor contra vos cælum & terram*, jurat per illas creaturas: sed tantùm asseverat, se illis creaturis quasi consciis proposuisse Israelitis eventura mala nisi paruerint legi Dei. Quare ista exempla Sanctorum nihil juvant Pontificios, qui putant licitum esse jurare per Sanctos defunctos: atq; etiam id faciunt.

Nominis divini profanatio. 37 Ex v.37. Profanationis nominis divini (sicut & omnino omnis mali) author est diabolus. Quò magis à profanatione illa pii abhorrere debent.

Pœna sit similis delicto. 38 Ex v.38. Justum est ut pœna sit similis delicto. hinc enim nata est lex talionis; quæ nimirum præcipit, ut quis taliter puniatur qualiter deliquit. Hujus pœnæ divinâ providentiâ sibi inflictæ justitiam agnovit Adoni-Bezek, rex Cananæus apud Israelitas captivus, Judic.1.v.6.7. Ejusdem pœnæ exemplum proponitur in Agago rege Amalekitarum, 1.Sam.15.v.33.

Vindicta privata. 39 Ex v.39. ex verbis, *Ne resistatis malo.* Vindicta privata est illicita. Confer Rom.12.v.19. *Non vosmet ipsi ulciscentes, &c.* Levit.19.v.18. *Ne ulciscitor.* Deut.32.v.35. *Mea est ultio, ait Jehova.* quasi dicat: Non autem tua. Ad hunc enim modum ex illo dicto ratiocinatur Paulus loco modò citato.

Juris administratio Christianis est licita. 40 Ex iisdem verbis, Cavendus hoc loco error Anabaptistarum: qui statuunt, administrationem juris Christianis esse illicitam. Itaque judicia & actiones forenses simpliciter damnant; quia nimirum Christus vetuerit resistere malo. At, inquam, non attendunt ad mentem Christi. Nihil enim aliud his verbis prohibere voluit Christus, quàm vindictam privatam & injuriæ acceptæ retaliationem, quum quis par pari refert & malum pro malo reddit. Publicam autem vindictam quæ fit per magistratum, apertè stabilit Spiritus sanctus per os Pauli Rom.13.

Injuriæ ferendæ. 41 Ex v.39.40.41. Injuriæ patienter ferendæ sunt: atq; adeo non

non solùm non sunt referendæ, sed beneficiis compensandæ. Cōfer infr. v. 44. & 45. Rō. 12. v. 19. 20. 21. 1. Pet. 2. v. 23. & c. 3. v. 9.

Beneficentia. 42 Ex v. 42. Benefaciendum etiam indignis, & à quibus nulla est compensationis spes. Confer Luc. 6. v. 30. & 35.

Inimici diligendi. 43 Ex v. 43. & seq. Quum natura nostra à diligendis inimicis abhorreat, ac potiùs ad malefaciendum eis propensa sit: oremus Deum ut Spiritu suo pravitatem hanc naturæ nostræ corrigat: nosque ad imitandum exemplum ipsius flectat: idque per considerationem tum ipsius pulchritudinis rei, tum præmii à Deo nobis dandi.

Naturalium corporum modus unde dependeat. 44 Ex v. 45. Solis ortus, pluviarum casus, ac omnino corporum naturalium motus, à gubernatione Dei tanquam causæ primæ atque principalis dependet. Quare sive res istæ naturales nobis commodent, sive incommodent: non debemus in consideratione causarum secundarum subsistere, sed mentes altiùs erigere, & ad considerationem gubernationis divinæ assurgere; idque ut illi gratias agamus, ac nequaquam obmurmuremus. Confer Psalmum 104. Item, exemplum Jobi: qui patienter tulit calamitatem illatam pecudibus suis ab igne cælitus delapso: item interitum liberorum ex ruina domus per vim tempestatis, Job. 1.

Perfectioni studendum. 45 Ex v. 48. Etsi perfectio in neminem cadat in hac vita, obstantibus scilicet reliquiis peccati, etiam in sanctissimis perpetuò inhærentibus: tamen perfectioni studere & ad illam tanquam metam contendere debemus. quod si sedulò fecerimus; dubium non est quin per gratiam Dei quotidianos facturi simus progressus, donec solidam perfectionem assequamur in altera vita. Vide exemplum Pauli Philip. 3. v. 12. & deinceps.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Vindicatâ Lege Dei à variis corruptelis Scribarum & Pharisæorum, transit Christus ad varias admonitiones, ad veram pietatem pertinentes: & in hoc capite primùm monet de cavendis vitiis Pharisæorum in faciendis rebus quibusdam per se bonis: ut eleemosynâ, precatione & jejunio: usque ad v. 19. Deinde verò de cavendis affectibus quibusdam per se malis ac vitiosis, ut studio opum seu avaritiâ, invidiâ & solicitudine victus atq; amictus, usque ad finem capitis. Ita caput distingui potest in duas partes principales, & utraque subdistingui in alias tres partes. Atque ita partes in universum sunt sex. Prima de modo dandi eleemosynâ, usq; ad v. 5. Secunda de modo precandi, usq; ad v. 16. Tertia de modo jejunandi, usq; ad v. 19. Quarta de cavendo studio opum, usq; ad v. 21. Quinta de cavenda invidia, usq; ad v. 24. Sexta de cavenda solicitudine victus atq; amictus, usq; ad finem capitis.

PARS PRIMA.

De modo dandi eleemosynam.

Attendite ne eleemosynam vestram detis coram hominibus, ut spectemini ab eis: alioqui mercedem non habetis apud patrem vestrum qui *est* in cælis.

2 Itaque quum dabis eleemosynam, ne cures buccinâ cani coram te; sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, Retulerunt mercedem suam.

3 Quum verò tu das eleemosynam; nec noverit sinistra tua quid faciat dextra tua:

4 Ut sit tua eleemosyna in occulto. Pater autem tuus qui intuetur occulta, reddet tibi in propatulo.

In eleemosyna danda damnat ambitionem, & contrà præcipit animi simplicitatem. Utrumque confirmat ab effectis, videlicet mercedis divinæ vel amissione vel adeptione. Ambitionem verò cum eleemosyna concurrentem declarat exemplo Scribarum & Pharisæorum. Simplicitatem verò animi declarat ex adjuncto gestu per metaphoram quandam hyperbolicam, qua manibus intellectum tribuit, v. 3.

PARS SECUNDA.

De modo precandi.

5 Et quum precaberis; ne sis ut hypocritæ. Amant enim in synagogis & in angulis platearum stantes precari, ut appareant hominibus. Amen dico vobis, Retulerunt mercedem suam.

6 Tu verò quum precaberis, introito in conclave tuum; & clauso ostio tuo, precare patrem tuum qui *est* in occulto: & pater tuus qui intuetur occulta, reddet tibi in propatulo.

7 Precantes autem, ne eadem blaterate, ut ethnici. putant enim, fore ut ob multiloquium suum exaudiantur.

8 Ne igitur assimilemini ipsis. Novit enim pater vester quibus rebus opus habeatis, antequam petatis ab eo.

9 Sic igitur precamini vos: PATER noster qui *es* in cælis, Sanctificetur nomen tuum:

10 Veniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, *ita* etiam in terra:

11 Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:

12 Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris:

13 Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum & potentia, & gloria, in secula. Amen.

14 Nam si remiseritis hominibus lapsus ipsorum, remittet etiam vobis pater vester cælestis.

15 Si autem non remiseritis hominibus lapsus ipsorum, nec pater vester remittet vobis lapsus vestros.

In precando similiter damnat ambitionem, & contrà præcipit animi simplicitatem, v. 5 & 6. Deinde damnat battologiam seu loquacitatem, v. 7. & 8. Tum præscribit precationis formulam, usque ad v. 14. Postremò rationem quintæ petitioni adjectam repetit, v. 14. & 15. Cæterùm ambitionem illam in precando, declarat exemplo Scribarum & Pharisæorum, v. 5. Simplicitatem verò animi declarat è subjecto loco precantis, v. 6. Loquacitatem verò declarat exemplo ethnicorum, v. 7. Atque ibi hujus vitii reprehensionem confirmat duobus argumentis: videlicet ab inutili seu frustratione, v. 7. & à superfluo seu non necessario, v. 8. Horum argumentorum prius ab effectu est, posterius à causa procreante. Porrò ipsa formula precationis, quæ oratio Dominica dici consuevit, distingui potest in quatuor partes: quarum prima est *procemium*; Secunda *narratio* seu expositio petitionum; quæ sunt numerò sex. In quarum duabus primis petimus vitæ nostræ finem, eumque duplicem: in reliquis quatuor petimus ea quæ ad utrumque illum finem ducunt. Et primâ quidem petitione petimus vitæ nostræ finem principalem, qui est gloria Dei: in secundâ verò finem secundarium seu subordinatum, qui est nostra salus. Porrò ea quæ ad utrumque illum finem ducunt, posita sunt partim in acquisitione mediorum, partim in remotione impedimentorum. Media sunt duo: unum principale, quod est pietas: alterum secundarium, quod est sustentatio corporalis. Quorum illud petimus petitione tertiâ, istud verò quartâ. Jam ad impedimenta quod attinet, ea sunt peccata: quæ ipsa vel præterita sunt, vel futura. Horum utrorumque remotionem petimus: illorum quidem petitione quintâ, istorum verò petitione sextâ: quæ est ultima. Tertia pars est *confirmatio*: cujus argumenta petuntur partim à causa procreante duplici, videlicet voluntate Dei, quæ notatur vocabulo *regni*, & potentiâ: (Deus illa quæ petimus, dare & vult & potest: Ergo daturus est) partim à causa finali, vel etiam effectu, videlicet gloria Dei. nam propter hanc petimus quæcunque à Deo petimus: & hæc ex petitionum nostrarum impetratione consequitur. Quarta & postrema pars est *epilogus*, constans voculâ Amen: quæ est asseverantis & in exauditione Dei acquiescentis. Porrò rationem quintæ petitioni adjectam repetit, atq; ita ad offensas proximo remittendum hortatur ab effectis: & quidem ab effectu duplici: uno bono & salutari; si proximo remittam[9] offensas; altero malo & exitioso, ni remittamus. Effectum bonū est remissio divina peccatorum nostrorum, à qua scil. dependet vita æterna. Effectum malum est retentio divina nostrorum peccatorum, quam nimirum sequitur exitium æternum.

TERTIA PARS.

De modo jejunandi.

16 Quum autem jejunatis; ne estote ut hypocritæ, tetrici. Corrumpunt enim facies suas, ut appareant hominibus jejunare. Amen dico vobis, Retulerunt mercedem suam.

17 Tu verò quum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava:

18 Ut ne appareas hominibus jejunare, sed patri tuo qui *est* in occulto: & pater tuus qui intuetur occulta, reddet tibi in propatulo.

In jejunio similiter vetat ostentationem, & contrà præcipit animi simplicitatem. Cæterùm ostentationem illam similiter declarat exemplo Scribarum & Pharisæorum: iisdemque denuntiat tristem eventum, videlicet præmii divini amissionem: atque hoc ipso vetationem institutam confirmat. Denunciationem autem istam amplificat asseveratione quæ speciem habet juramenti, vers. 16. Jam animi simplicitatem illam significat vers. 17. ex adjunctis signis contrarii; videlicet unctione capitis & lotione faciei. nam hæc facere solebant Judæi quum ituri essent ad nuptias aut alia læta convivia: at Christus præcipit ὑπερβολικῶς ut hæc faciant jejunaturi. Tum vers. 18. præceptum hoc confirmat à læto eventu, videlicet adeptione præmii divini: quod eis promittit. Eamque promissionem amplificat prolepsi,

lepsi, quæ occurrit metui præmii amittendi, quum nimirum jejunii illius nemo sit conscius. Ait igitur, Deum illud videre, & suo tempore præmium pro illo daturum, videlicet in judicio illo universali.

QUARTA PARS.

De cavendo studio opum.

19 Ne thesauros vobis congerite in terra, ubi tinea & ærugo corrumpit, & ubi fures perfodiunt ac furantur.

20 Sed congerite vobis thesauros in cælo, ubi neque tinea neque ærugo corrumpit; & ubi fures non perfodiunt, neque furantur.

21 Nam ubi est thesaurus vester, illic esse debet etiam cor vestrum.

Hic dehortatur à studio opum seu avaritia, & contrà hortatur ad studium pietatis atque beneficentiæ erga egenos. Ac dehortationem quidem confirmat ab eventu tristi, videl. opum congestarum interitu, v.19. cohortationem verò ab eventu læto, videlicet bonorum cælestium per pietatem comparatorum duratione atque fruitione æterna, v.20. Item à proprio subjecto thesauri piorum, quod est cælum, v.21.

QUINTA PARS.

De cavenda invidia.

22 Lucerna corporis est oculus: itaque si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.

23 Quòd si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Ergo si lumen quod est in te, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ?

Hic dehortatur ab invidia, & contrà hortatur ad æquanimitatem. Hortationem confirmat ab eventu læto, videl. hilari & tranquillo animi statu: dehortationem verò ab eventu tristi, videlicet animi perturbatione & cruciatu. Cæterùm hilaritatem significat vocabulo metaphorico lucis: perturbationem verò animi, metaphorâ tenebrarum. Argumentum hortationis confirmat à relatione oculi ad corpus; affirmans, oculum esse corporis lucernam: id est, ad hunc usum in corpore esse collocatum, ut illi lucem præbeat necubi offendat ac lædatur. Dehortationem verò amplificat per ratiocinationem à minori, ubi ait, Ergo si lumen &c.

SEXTA PARS.

De cavenda solicitudine victus & amictus.

24 Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum habebit odio; & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & mammonæ.

25 Propterea dico vobis, Ne estote soliciti de anima vestra, quid esuri sitis, aut quid bibituri: neque de corpore vestro, quare sitis induendi. Nónne anima plus est quàm alimentum, & corpus quàm vestitus?

26 Intuemini in volucres cæli. Non serunt enim, neque metunt, neque cogunt in horrea: & *tamen* pater vester cælestis alit eas. Nónne vos præstatis eis?

27 Quis autem ex vobis solicitè cogitando potest apponere ad staturam suam *vel* cubitum unum?

28 Ac de vestitu quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescant. Non laborant, neq; nent.

29 Sed *tamen* dico vobis, ne Solomonem quidem in universa gloria sua, sic amictum fuisse ut *vel* unum ex istis.

30 Quòd si herbam agri, quæ hodie exstat, & cras in clibanum conjicitur, Deus ita circumvestit; nónne multò magis vos, ô exiguâ fide præditi?

31 Ne igitur estote soliciti, dicentes, Quid edemus? aut, Quid bibemus? aut, Quo amiciemur?

32 Nam omnia ista Gentes requirunt. Novit enim pater vester cælestis, vos indigere his omnibus.

33 Sed quærite primò regnum Dei, & justitiam ejus: & ista omnia adjicientur vobis.

34 Ne sitis igitur soliciti de crastino. Nam crastinus *dies* solicitus erit de *rebus* suis. Sufficit *cuique* diei vexatio sua.

Hic dehortatur à solicitudine de victu & amictu: & contrà hortatur ad studium pietatis & justitiæ. Argumenta dehortationis affert quinque quorum primum sumtum est ab eventu perniciolo: quia scil. ista solicitudo impediat cultum Dei. Id quod probat à natura contrariorum: quia qui soliciti sunt de victu & amictu, illi serviunt mammonæ: qui autem serviunt mammonæ, non possunt servire Deo: quum nemo possit duobus dominis servire, vers. 21. Cujus rei ratio est, quòd cui quis servit, illi totus est addictus. Sunt autem hæc inter se contraria, Aliquem totum addictum esse uni & non uni, sed duobus. Secundum argumentum sumtum est ab adjuncta stultitia: quia solicitudo superflua, stulta est: atqui solicitudo illa de victu & amictu est superflua: quum certum sit, Deum filiis suis victum & amictum daturum. Id quod approbat quatuor rationibus: quæ singulæ ductæ sunt à comparatis per ratiocinationem à minori. Et aliæ earum pertinent ad victum; aliæ ad amictum; postrema ad utrumque. Prima: Deus dedit vobis vitam: Ergo multò magis dabit victum, v. 25. Ratio: Quia vita præstat alimento: Minùs autem probabile est, aliquem dare velle bonum præstantius. Secunda: Deus dedit vobis corpus: Ergo multò magis dabit amictum, versu eodem. Ratio: Quia corpus præstat vestitui. Minùs autem probabile est, aliquem dare velle bonum præstantius. Tertia: Deus alit aves: Ergo multò magis alet vos, v. 26. Ratio: Quia aves non serunt, nec metunt, nec cogunt in horrea: quæ scilicet omnia facitis vos. Minùs autem probabile est, alimenta habiturum qui ista non facit, quàm qui facit. Quarta: Deus vestit lilia: Ergo multò magis vestiet vos, vers. 28. 29. 30. Ratio duplex: Prior: Quia lilia non laborant, neque nent: ut scilicet facitis vos. At minus probabile est, amictum habiturum qui illa non facit, quàm qui facit. Posterior: Quia lilia citò arefiunt, ac tum conjiciuntur in clibanum: at vos illis estis durabiliores ac præstantiores, vers. 30. Cæterum istius enthymematis antecedens amplificat per collationem minoris: quatenus amictum seu pulchritudinem liliorum antepont amictui regio Salomonis, vers. 29. Atque his quatuor rationibus confirmatur argumentum hortationis institutæ secundum. Tertium argumentum sumtum est ab eventu molesto: quia molestum est laborare frustra, suâque curâ nihil proficere. Atqui solicitudo ista de victu & amictu frustranea est, nihilque proficit: id quod Christus significat per simile: Sicut nimirum staturam suam augere nemo potest solicitudine suâ, versu 27. Hæc sententia amplificata est à majori; Ne cubitum quidem unum staturæ potest addere solicitudo: Ergo multò minùs plures cubitos. Quartum argumentum sumtum est à proprio subjecto, vers. 32. Gentes ista requirunt: id est, Solicitudo ista propria est gentium seu ethnicorum, id est, hominum ignorantium Dei & à fide Christiana alienorum: Ergo vobis non debet esse cum illis communis, qui nimirum estis Christiani ac Deum pro parte agnoscitis. Porrò argumentum secundum versu eodem repetit, amplificatum prolepsi. Objectio: Daturus esset nobis Deus victum & amictum, si sciret nos istis indigere. at videtur id nescire. Respondet Christus: Imò novit, ac proinde dabit. Quintum & postremum argumentum simile est secundo, sumtum scilicet ab adjuncta stultitia: Solicitudo illa de crastino stulta est, quia superflua: quum crastinus dies suam curam secum sit allaturus. Stultum igitur est curam illam antevertere, atque ita geminare, versu ult. Cæterùm ipsa sententia dehortationis continetur versu 25. in principio & medio, & 28. in principio, & 31. toto, exornata prosopopœiâ, & 34. in principio Hortatio autem ad studium pietatis & justitiæ continetur vers. 33. confirmata ab effectu seu eventu utili, videlicet largitione bonorum terrenorum.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 Attendite] *προσέχετε. Id est, Cavete, vel videte, φυλάσσετε, ἤγουν βλέπετε.* **Sehet euch für / hütet euch.** *Si. Syrus,* חזו *hhúru id est, videte. Phrasis est ἐλλειπτική. Integra oratio esset, προσέχετε τὸν νοῦν τούτῳ τῷ πράγματι. Adhibete mentem huic rei.* Ne eleemosynam vestram detis] *τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν. id est, ἵνα μὴ ποιῆτε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν. Sicut supra cap. 5. vers. 39. λέγω ὑμῖν μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ. Dico (id est, præcipio) vobis, ne resistatis malo, ἵνα μὴ ἀντιστῆτε. Est autem phrasis Hebræa, ποιεῖν ἐλεημοσύνην,* facere eleemosynam, *pro dare. Et ἐλεημοσύνη (quod vocabulum in hoc sensu Latini retinuerunt, eleemosynam appellantes) propriè quidem significat misericordiam, sed hic notat stipem quam ex misericordia damus proximo egenti: per metonymiam efficientis. Cæterùm D. Beza hic mavult legere δικαιοσύνην pro ἐλεημοσύνην, & intelligere generaliter de justitia seu pietate erga Deum & proximum exercenda: quod genus deinceps per tres species declaratur, videlicet eleemosynam, precationem & jejuniū. Et hanc expositionem confirmat ex usu phrasis Hebraicæ, quæ est,* facere justitiam: *pro eo quod Latinè dicitur, justitiam exercere. At mihi quidem sanè ista expositio primâ fronte arrisit, propter elegantiam methodi seu ordinis sententiarum. Veruntamen ut in illa non possim acquiescere, sed receptam lectionem & expositionem magis probem: facit primùm quòd (ut ex versione correcta D. Bezæ colligitur) in illis exemplaribus non habetur, ποιεῖν δικαιοσύνην, facere justitiam: sed ποιεῖν τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν, facere justitiam vestram. at phrasis Hebræis usitata (pro exercere justitiam) illa est, non ista. Deinde suspicor, nomen δικαιοσύνην pro ἐλεημοσύνην repositum esse à quopiam ex interpretatione Syriaca, ubi habetur nomen* זדקתא *Dsedketá, id est, justitia: sed ad significandum eleemosynam, ex phrasi Hebr. Chaldæis & Syris communi. Quæ*

ni. Quæ quidem appellatio valde emphatica est, synecdochen generis habens: qua admonemur, opem quam egenti proximo ferimus, non postremam justitiæ speciem esse. Ut spectemini] πρὸς τὸ θεαθῆναι. *Præpositio* πρὸς *notat finem seu causam finalem, ut apud Hebr. litera* ל *lamed.* Ab eis] αὐτοῖς. *Id est,* ὑπ' αὐτῶν. *Græcismus.* Alioqui] εἰ δὲ μή γε. *Ad verbum, Si autem non sanè. Formula loquendi* ἐλλειπτική. *Integra oratio esset: Si autem non feceritis quod jubeo, sed contrarium.* Mercedem] μισθὸν. *Id est, præmium. Metaphora* κατάχρηστική. *Etenim certum est, Deum præmia nobis omnia dare ex gratia, non autem pro nostris meritis.* Non habetis apud Patrem] οὐκ ἔχετε παρὰ τῷ πατρὶ. *Subaudi,* ἀποκείμενον, *repositam. Hoc enim supplementum videtur postulare præpositio* παρὰ *sic constructa. Atque idcirco retinendam duxi significationem temporis præsentis in verbo* ἔχετε. *Sic supr. 5.4.6.*

2 Ne cures buccinâ cani] μὴ σαλπίσῃς. *Ad verbum, Ne canas buccinâ, vel tubâ. Sed usurpatur istud verbum hoc loco per metonymiam effecti. Simile exemplum est in illo,* ὁ Ἰησοῦς βαπτίζει, *Jesus baptizat, Johan. 4. v. 1. id est, curat baptizari, nempe per discipulos, sicut ibid. v. 2. Johannes exponit. Cæterùm ad verbum* σαλπίζειν *quod attinet, videtur illud propriè significare, canere tubâ: quippe quum deductum sit à nomine* σάλπιγξ, *quo propriè videtur significari tuba: à qua differt buccina, quippe quæ facta ex cornu; quum tuba sit ex alia materia, ut ære alióve metallo. Etenim cornua & tubæ tanquam diversa opponuntur apud Tacit. lib. 2. ubi ait, Tum Sentius occanere cornua tubasque & peti aggerem, erigi scalas jussit. Ubi per cornua hauddubiè* μετωνυμικῶς *significantur buccinæ. has enim fuisse corneas, liquet ex eo quòd à bonis autoribus buccina commemoratur tanquam instrumentum musicum pastorum, quo illi pecus compellant & convocant. ut apud Columell. lib. 6. c. 23. Nam id quoque semper crepusculo fieri debet: ut ad sonum buccinæ pecus, si quod in sylvis substiterit, septa repetere consuescat. Et apud Varr. lib. 2. de Re rust. cap. 4. Subulcus debet consuefacere, omnia ut faciant ad buccinam. Item apud Propert. lib. 4. eleg. 11. Pastoris buccina cantat. Consimiliter inter se opponuntur* κέρατα *&* σάλπιγγες *apud Athenæum lib. 4. ubi habetur,* Τυῤῥηνῶν δ' ἐστὶν ὄργανα κερατά τε καὶ σάλπιγγες. *Similiter apud Hebræos discriminantur* שׁוֹפָרוֹת *scopharóth &* חֲצוֹצְרוֹת *hhazozeróth: quorum nominum illo significari buccinas, manifestum evadit ex Jos. 6. ubi appellantur* שׁוֹפְרוֹת הַיּוֹבְלִים *scopheróth hajobelim, buccinæ arietum, id est, arietinæ, v. 4. Itē v. 5. pro synonymis accipiuntur* קֶרֶן הַיּוֹבֵל *kéren hajobél, cornu arietis seu arietinum, &* שׁוֹפָר *scophár, id est buccina. At nomine* חֲצוֹצְרוֹת *hhazozeróth significari tubas, ex metallo scilicet factas: liquet ex Num. 10. v. 2. ubi habetur, Fac tibi* שְׁתֵּי חֲצוֹצְרוֹת כֶּסֶף *schethé hhazozeróth késeph, duas tubas argenti, id est, argenteas. Veruntamen Græci utrunque illud Hebræorum vocabulum nomine* σάλπιγξ *reddiderunt. Syrus quidem hoc loco utitur nomine* קְרֶן *kéren, id est, cornu, ad significandum scilicet buccinam: sicut & 1. Cor. 15. 52. & 1. Thes. 4. v. 16. ubi tamen Latini interpretes tubam habent: sicut hoc quoque loco vetus.* Hypocritæ] ὑποκριταί. *Sic per synecdochen generis passim à Christo appellantur, qui simulant pietatem: & hypocrisis, illa pietatis simulatio. Intelligit autem hîc per alteram generis synecdochen ipsos Scribas & Pharisæos.* In synagogis] ἐν ταῖς συναγωγαῖς. *Ut suprà 4. 23.* Et in vicis] καὶ ἐν ταῖς ῥύμαις. *Nomen* ῥύμη *propriè vicum significat, id est, (ut Henr. Stephanus in suo thesauro exponit) tractum illum viæ in urbe utrinque ædificiis septæ: quippe quod derivetur à* ῥύω, *id est, traho. Germanicè,* ein gaß. *In qua significatione clarum est accipi Act. 9. v. 11. ubi Dominus Ananiam mittens ad Paulum, ait, Surge & proficiscere in vicum qui vocatur Rectus,* εἰς τὴν ῥύμην τὴν καλουμένην εὐθεῖαν. *Veruntamen hoc loco videtur positum ad significandum plateam, ex collatione vers. sequentis.* Glorificentur] δοξασθῶσιν. *Id est, laudentur, tanquam benefici scilicet ac pii.* Ab hominibus] ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. *Nempe iis qui spectaverint ipsorum eleemosynam. Videtur autem per tacitam antithesin innuere, illos interim nihil curare, an ipsorum eleemosyna probetur Deo.* Amen] ἀμὴν. *Ut supr. 5. v. 18. & 26.* Retulerunt] ἀπέχουσι *Lutherus vim Græci verbi pulchrè expressit, vertens,* Sie haben jhren lohn dahin. *nam* ἀπέχειν *est* ἔχειν τὸ ἀπό τινος ληφθὲν, *habere id quod ab aliquo acceptum sit. Syrus,* קַבְּלוּ *kabbelú, id est, acceperunt. Innuitur autem, non restare illis mercedem apud Deum: idque per metonymiam efficientis, positam in tota sententia, ad hunc modum: Acceperunt mercedem suam: ergo non accipient demum. Huc facit illa sententia Abrahæ de Lazaro mendico & divite epulone, Luc. 16. v. 25. Memento (ait diviti) te bona tua recepisse in vita tua, & Lazarum similiter mala: nunc autem hic solatio fruitur, tu autem cruciaris.*

3 Ne noverit sinistra tua &c.] μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου. *Id est, animo simplici da, nec ullo modo operā da ut res aliis innotescat. Metaphora hyperbolica, quatenus manibus tribuitur intellectus: nec non synecdoche membri hyperbolica, quatenus manus sinistra nominatur, & omnino arbitri & conscii quivis intelliguntur. Cui synecdochæ implicita est ratiocinatio à majori. Ne sinistra quidem manus tua sit conscia eleemosynæ quam porrigit dextra: Ergo multò minus conscii sint homines. Ratio majoris est: quia magis probabile est, membra unius corporis conscia mutuò esse actionum suarum, quàm homines extra subsistentiam nostram positos.* Qui faciat] τί ποιεῖ. *Quomodo porrigat eleemosynam. Synecdoche generis.*

4 Pater autem tuus] καὶ ὁ πατήρ σου. *Videlicet cælestis ille,* ὁ οὐράνιος: *ut percipitur ex eo quod additur, Qui intuetur occulta.* Qui intuetur occulta] ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ. *Ad verb. Qui videt in occulto. Hebraismus: quem Lutherus bene expressit his verbis,* Der in das verborgen sihet. *Significetur, Deum intueri omnes occultos recessus non solùm locorum, sed etiam cordium. Est enim* καρδιογνώστης. Reddet] αὐτὸς ἀποδώσει. *Ad verb. ipse reddet. Epanalepsis nominis per pronomen* πλεοναστική, *Johanni familiaris.* Reddet tibi] ἀποδώσει σοὶ. *Dabit tibi mercedem seu præmium.* In propatulo] ἐν τῷ φανερῷ. *Videlicet coram oculis totius mundi, quum celebrabitur judicium illud universale: ubi Christus dicet talibus, Venite benedicti patris mei, possidete regnum &c. Esurivi enim, & dedistis mihi quo vescerer, &c. infr. cap. 25.*

5 Quum precaberis] ὅταν προσεύχῃ. *Simplex* εὔχεσθαι *significat optare: sicut* εὐχὴ *votum. Compositum* προσεύχεσθαι *significat, accedere ad Deum atque ab illo optare seu precari. Illum enim accessum videtur significare præpositio* πρὸς. Ne sis] οὐκ ἔσῃ. *Ad verb. Non eris. Enallage modi Hebraica.* Ne sis ut hypocritæ] οὐκ ἔσῃ ὥσπερ οἱ ὑποκριταί. *Id est, ne sis similis hypocritis. De hypocritis dictum vers. 2.* Amant enim precari stantes] ὅτι φιλοῦσιν ἑστῶτες προσεύχεσθαι. *Amant, id est, solent. Metonymia efficientis Græcâ. nam quod quis libenter facit, idem crebrò facit. Lutherus bene expressit,* Sie stehen gern vnd bäten. In synagogis] ἐν ταῖς συναγωγαῖς. *ut vers. 2. Neque enim huic expositioni obstat quòd synagogæ precibus concipiendis inter alia erant destinatæ. nam Christus non simpliciter reprehendit preces quæ fiebant in synagogis, sicut nec eleemosynas, versu secundo: sed tantùm reprehendit ostentationem, cujus causâ hypocritæ illi eleemosynas & preces suas non nisi in synagogis & aliis lo[cis] publicis factitabant. Cæterùm nomine τῶν συναγωγῶν signifi[cari] hîc loca, planum evadit ex eo quod additur,* καὶ ἐν ταῖς γωνίαις [τῶν] πλατειῶν. In angulis] ἐν ταῖς γωνίαις. *Id est, apud angulos, seu juxta angulos,* an den ecken. Platearum] τῶν πλατειῶν. *Sic nominantur viæ urbis latiores. Dicta est enim* πλατεῖα *Græcis per ellipsin, subaudito nomine* ὁδὸς. *Germanicè* ein plan oder platz. *Luc. 14. v. 21. servus ad nuptias invitans jubetur abire* εἰς τὰς πλατείας καὶ ῥύμας τῆς πόλεως, *in plateas & vicos urbis: ubi Lutherus vertit* straassen vnd gassen. Retulerunt] ὅτι ἀπέχουσι. *Conjunctio* ὅτι *hîc redundat, serviens tantùm mimesi. Suprà vers. 2. in eadem prorsus sententiâ, eodemque modo pronuntiata, omissa est.*

6 Conclave] ταμιεῖον. *Nomen Græcum propriè significat conclave ubi aliquid reconditur & asservatur ad futuros usus: cujusmodi conclavia sunt cellæ penuariæ & ærariæ. At hîc per synecdochen speciei* καταχρηστικῶς *significat conclave in genere, ac intelligitur potissimùm cubiculum: unde Lutherus satis commodè reddidit* kämmerlin. Qui est in occulto] τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ. *Subaudi,* ὄντι. *Quidam codices, teste D. Bezâ, non habent prius illud* τῷ. *Et sanè, si absit, commodus est sensus: Precare in occulto. sicut suprà dixit vers. 4. Ut sit tua eleemosyna in occulto. Veruntamen istud* τῷ *legit interpres Syrus: & iterum expressum est infrà v. 18. ubi eadem verba, quæ hîc subjiciuntur.*

7 Precantes autem] προσευχόμενοι δὲ. *I. e. Dum precamini, seu inter precandum. nam regitur hîc nominativus à verbo* βαττολογήσητε. Ne eadem blaterate] μὴ βαττολογήσητε. *Similiter Lutherus bene expressit verbum Græcum per verbum* plappern: *quod videtur ortum ex Latino blaterare. Græcum autem verbum desumtum est à nomine proprio cujusdam Batti, qui fuit insignis blaterator seu blatero.* Ethnici] οἱ ἐθνικοί. *Homines cæterarum gentium quæ alienæ sunt à populo Dei & sancto ejus fœdere. Syrus hos nominat* חַנְפֵּא *hhanphe, i. e. profanos.* Ob multiloquium suum] ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν. *Præpositio* ἐν *hîc notat causam, ex more linguæ Hebraicæ, ubi* ב *béth interdum valet* בַּעֲבוּר *bahhabúr. Et* πολυλογία *potiùs multiloquium significat, i. e. ipsum actum multa loquendi, quàm loquacitatem, h. e. propensionem animi ad multa loquendum. Syrus vertit* מַמְלְלָא סַגִּיָא *mamlelâ saggiá: quod est, sermocinatio multa. Multiloquium autem dici potest Latinè, ut veriloquium, dulciloquium.*

8 Pater vester] ὁ πατὴρ ὑμῶν. *Nempe* ὁ οὐράνιος, *cælestis ille.*

9 Qui es in cælis] ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Subaudi* ὢν. *Nomen plurale* οὐρανοὶ *usurpatur hîc ut Hebræum duale* שָׁמַיִם *schamájim: quo nomine in Scriptura nunc aër, nunc cælum stelliferum, nec non tertium illud & altissimum cælum, sedes beatorum, significatur. Quæ postrema significatio per synecdochen generis huc propriè quadrat. Neque enim aliud hîc significatur nomine τῶν οὐρανῶν, quàm paulò-post in petitione tertia nomine τοῦ οὐρανοῦ. At illic significari cælum beatorum, liquet ex eo, quòd ibi per eos qui in cælo faciunt voluntatem Dei.* περιφραστικῶς *intelliguntur sancti angeli, qui ordinariè in summo illo cælo degunt. Dicitur autem* 1. Reg. 8. 27.
Deus esse in cælo illo, non quòd illic sit inclusus: nam (ut ajebat Salomon in templi dedicatione) cæli cælorum (quæ periphrasi altissimum illud cælum notabat) non capiunt Deum: sed dicitur ibi esse κατ' ἐξοχὴν, *tanquam in palatio suo regio, ubi sese electis suis ma-* Esa. 66. 1.

ximè fruendum dat & æternum daturus est. unde cælum in Scriptura nominatur solium ipsius seu thronus, terra autem scabellum pedum ejus. Sanctificetur] ἁγιασθήτω. Scilicet à nobis, Id est, Da nobis hanc gratiam ut parati simus ad sanctificandum, ac subinde sanctificemus quavis occasione: hoc est, ut non nisi sanctè ac reverenter de te & operibus tuis cogitemus & loquamur. Nomen tuum] τὸ ὄνομά σου. Id est, mentio tui, tum in mente nostra tum in ore. h.e. quoties tui operumq́ tuorum per quæ tu nobis innotescis, meminimus, vel apud nos, vel apud alios.

10 Veniat] ἐλθέτω. Scilicet πρὸς ἡμᾶς, ad nos. Regnum tuum] ἡ βασιλεία σου. Videlicet regnum gloriæ. Nam de regno gratiæ sequitur in petitione tertia. Vide analysin Lucæ. Fiat voluntas tua] γενηθήτω τὸ θέλημά σου. Fiat, scilicet à nobis, id est, Flecte voluntates nostras per Spiritum sanctum, & verbum tuum, in obsequium sanctæ voluntatis tuæ per verbum tuum nobis patefactæ. Diversa est harum vocum significatio infrà cap. 26. v. 42. ubi Dominus in horto orans, inter alia dicit. Fiat voluntas tua Ibi enim sensus est. Consentio ut mihi eveniat quod decrevit voluntas tua, videl. passio pro electis Igitur ibi verbum FIAT non est petentis, sed testantis de suo consensu; & refertur ad eventus qui immittuntur à Deo: at hic est petentis, & refertur ad actiones quæ à nobis fieri debent. Deinde nomen VOLUNTATIS illic significat eventus, qui ex decreto voluntatis Dei nobis eveniunt: at hic significat actiones quas Deus à nobis vult fieri secundùm revelationem per verbum. Similis est locus Act. 21. v. 14. Sicut in cælo] ὡς ἐν οὐρανῷ. Scil. γίνεται τὸ θέλημά σου, fit voluntas tua: videl. à sanctis angelis, qui mandata Dei promptissimè expediunt: ut testatur Psal. 103. v. 20. & 21. Ita etiam] καὶ. Pro, οὕτω καὶ. Ellipsis μορίου ἀποδοτικοῦ. particulæ redditivæ. In terra] ἐπὶ τῆς γῆς. Seu, super terram: hoc est, à nobis qui degimus super terram.

11 Panem nostrum] τὸν ἄρτον ἡμῶν, id est, nobis destinatum tuâ providentiâ. Panis autem nomine per synecdochen membri intelligit omnia hujus vitæ sustentandæ adminicula: putà cibum, potum, vestitum, habitationem & quæ cum his cohærent. Quotidianum] τὸν ἐπιούσιον. Hoc epitheton var[ie ex]ponitur. Sunt qui vertant Supersubstantialem, & interpre[tant]ur de Christo pane illo cælesti. Sed sic nusquam fieret mentio bonorum corporalium: & panis ille cælestis continetur petitione tertiâ. datur enim ille nobis edendus per fidem: fidei autem incrementum petimus, quum petimus, ut à nobis fiat voluntas Dei. Alii id referunt ad substantiam nostram, saltem ex parte, videlicet ad corpus: ut significetur panis qui super corpus nostrum additur ad ipsum alendum. Et hunc sensum videri potest secutus interpres Syrus, qui vocat לַחְמָא דְסוּנְקָנַן lachmá desunkanán, panem necessitatis nostræ: ut si Græcè dicas, τὸν ἄρτον τῆς χρείας ἡμῶν, hoc est, panem corpori nostro alendo necessarium, seu quo nobis quotidie opus est ad corpus alendum. Atque sic vox ista ἐπιούσιος formata erit à nomine οὐσία, ad analogiam nominum ὁμοούσιος, ὁμοιούσιος, ἑτερούσιος. Veruntamen nomen οὐσία ad significandum corpus hominis, vix reperitur. Ego puto dici panem ἐπιούσιον, q.d. succedaneum, hoc est, qui pani jam absumto succedit, & ut succedat, natura corporis postulat: voce scilicet deductâ à participio ἐπιοῦσα, à quo dicitur τῇ ἐπιούσῃ, scilicet ἡμέρᾳ, id est, die succedente seu proximè-sequente: à verbo ἔπειμι succedo seu subsequor. Qui sensus vocabuli quam commodissimè redditur Latino nomine Quotidianus. Quod enim quotidianum est, id perpetuam successionem habet, ita ut hesterno hodiernum succedat. Atque hæc significatio ab allata secunda quam habet Syrus, non nisi ratione differt, reipsâ convenit. Significatur enim panis cujus quotidiana successione atq; accessione corpus nostrum eget. Vel deniq; dicitur panis ἐπιούσιος, pro ὁ τῆς ἐπιούσης, scil. ἡμέρας: qui est diei succedentis sive crastini. Et sic in Evangelio secundum Hebræos dicto scriptum reperiri, panem מָחָר i.e. crastinum, ex Hieronymo refert Drusius epist. 26. Hodie] σήμερον. Pro hoc habetur Luc. 11. v. 3. τὸ καθ' ἡμέραν, id est quotidie. Unde videri posset otiosa ejusdem vocabuli repetitio, sic ἐπιούσιον significat quotidianum. At non est, si accuratiùs consideres. Petimus enim ut panem quotidianum, id est, cujus successione atque accessione quotidie egemus, Deus nobis det quotidie, ac proinde etiam hodie.

12 Remitte] ἄφες, I.e. condona, noli postulare à nobis persolutionem aut satisfactionem: deniq; noli nos propter peccata nostra punire. Ineptiunt enim Pontificii, quum dicunt, Deum remissâ nobis culpâ, retinere tamen seu reservare nobis pœnam. Non secus ac si quis dicat debitori: Remitto tibi debitum, sed tamen volo ut illud mihi persolvas Quanquam hic potissimum petimus, ut cordibus nostris per Spiritum S. persuadeat quòd nobis remiserit peccata nostra propter Christum: sicut percipitur ex annexa ratione & addita paulo-post explicatione. Debita nostra] τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν. Id est, peccata nostra: ut exponitur apud Lucam. Metaphora, vel metonymia effecti. quia peccata nos faciunt debitores: debemus enim Deo illorum pœnam. Sicut & nos remittimus] ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν. Observandum, conjunctione ὡς non significari modum remittendi, quasi petamus scil. ut Deus remittat nobis ad eum modum quem ad modum remittimus nos proximo. quippe Deus remittit nobis perfectè, nos verò proximo remittimus imperfectè. Sed notatur ratio petitionis ab exemplo, cujus vi nititur testimonio promissionis divinæ. quasi dicamus: Nos remittimus proximo: Ergo tu quoque, ô pater cælestis, remittere debes nobis: quia scil. promisisti, te remissurum iis qui in Christum credentes, proximo remittunt. Notari autem his verbis rationem petitionis, liquet ex collatione Lucæ: apud quem habetur, καὶ γὰρ ἡμεῖς ἀφίεμεν, Etenim nos remittimus. Idem liquet ex sententia hujus repetitione paulo-pòst v. 14. ubi Christus ait, ἐὰν γὰρ ἀφῆτε &c. Debitoribus nostris] τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. Id est, proximis nostris qui nos offenderunt seu injuria aliquâ affecerunt, cujus compensationem nobis debent. Metaphora: quæ explicatur à Christo in parabola de duobus servis: quorum alter hero summam grandem, alter conservo exiguam debebat: infrà cap. 18. v. 23 & sequentibus.

13 Ne nos inducas in tentationem] μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν. Ad verbum, Ne inferas. Id est, ne tradas nos diaboli tentationi, ita ut ille tentando nos vincat, & in abyssum vel securitatis carnalis, vel desperationis de gratia tua, demergat. Hunc esse sensum, liquet ex antithesi, quâ petimus, ut nos Deus à diabolo tentante liberet seu eripiat, ne quis putet, nos petere ut prorsus non tentemur. Deus enim vult ut tentemur: sed non vult permittere, ut in tentatione succumbamus, & ab ipso avertamur aut deficiamus. Tentat autè nos diabolus, quum nos sollicitat ad peccandū: sive id faciat per colloquium, sicut tentavit Christum in deserto (quod genus tentationis rarius est) sive per arcanas inspirationes, sive instigationes sive instinctus: quos Paulus Ephes. 6. ignita tela seu jacula Mali illius appellat: quod genus tentationis est frequentius, Et ad hoc utitur extrinsecus quidem variis objectis, intrinsecus verò pravâ nostrâ concupiscentiâ, de qua Jacob. c. 1. v. 14. & 15. Item tentat nos nunc ad dextrā, nunc ad sinistram. id est, nunc pollicendo Dei gratiam etiamsi peccemus, atq; ita alliciendo ad peccandum securè, & dedendū nos peccato: nunc conando nos adigere ad desperationem, posteaquā peccavimus. Sed libera nos à Malo] ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Quidam ex hac sententia faciunt petitionem septimam: sed nō rectè. nam planū est, illam cum præcedente cohærere per antithesin, cujus nota est conjunctio ἀλλά: & planū quoq; est, eandem sententiam repeti aliis verbis. Æquipollent enim hæc duo: Non permitti diabolo ut nos vincat tentando: &, Liberari nos à diabolo quando nos tentat. Cæterùm ad vocabula quod attinet, verbo ῥῦσαι, respondet Latinū, Erue, i.e. eripe. Nomine autem τοῦ πονηροῦ intelligitur ὁ πονηρός, malus ille seu malignus ille & nequam spiritus, videl. diabolus: qui aliàs nominatur ὁ πειράζων, tentator. Hoc planum est ex antithesi, & ex usu Scripturæ. & deniq; ex nativa vocis significatione. Dictus est enim πονηρὸς παρὰ τὸν πόνον, à labore: quia aliis laborem ac molestiam facessit suâ nequitiâ. Hoc nomen Diabolo passim tribuitur: ut suprà 5. 37. Joh. 17. 15. 2. Thess. 3. 3. 1. Joh. 2. 13. 14. & c. 3. v. 12. & c. 5. v. 18. Hinc judicari potest, non bene hanc vocem reddi Germanicè per vocabulum Ubel; id enim respondet nomini Græco τὸ κακόν, vel numero plurali τὰ κακά: quo nomine significantur omnis generis mala atq; incommoda quæ homini accidunt. Quorum deprecatio continetur petitione quartâ per synecdochen membri. Etenim dum precamur dari nobis omnis generis bona & vitæ hujus commoda: simul deprecamur mala atq; incōmoda, ut illa Deus à nobis avertat, nósve ab illis liberet. Quia tuum est regnum &c.] ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία &c. Id est, Atq; hæc omnia à te petimus, confidimusq; à te impetraturos, freti tum voluntate tuâ, tum potentiâ. Scimus enim, te inchoasse in nobis regnum gratiæ, & præparasse nobis regnum gloriæ, idq; ad illustrationem æternam gloriæ tuæ: deinde scimus, te esse omnipotentem. Quum igitur hæc omnia nobis dare & velis & possis: petimus illa confidenter: atq; ex hac fide acclamamus vocem illam asseverantis, Amen. Amen] ἀμήν. Est adverbium asseverandi: ut patet ex illa formula Christi toties repetita, Amen amen dico vobis. Potest tamen hîc accipi tanquam vox optantis. Atq; sic epilogus iste continebit πάθος, unicâ voce, sed admodum emphaticâ, expressum. Et hanc significationem habet ista vox Deut. 27. ubi jubetur populus ad pronuntiationem maledictionum Legis, dicere, Amen: id est, Ita fiat.

14 Nam si remiseritis] ἐὰν γὰρ ἀφῆτε. Hæc sententia cohæret cum v. 12. videl. cum petitione quintâ. Repetit enim rationem petitioni illi adjectam; & causam exponit, cur eam adjecerit: quia nimirum absq; ea non simus quod petimus impetraturi. Lapsus] τὰ παραπτώματα. Id est, peccata seu injurias quibus vos læserunt, lapsi in recto vitæ cursu. Nomen παράπτωμα ortum est à verbo παραπίπτω, ac proinde significat casum seu lapsum ortum ex eo quum quis ad obstaculum aliquod impegit. Sed accipitur generaliter pro peccato. Nomen offensæ Græcum illud non exprimit. Nam offensa dicta est Latinis ex eo quod animus sit offensus; non autem ex eo quòd quis agendo offenderit atque impegerit.

15 Si autem non remiseritis] ἐὰν δὲ μὴ ἀφῆτε. Sic verto, Si autem non non autem: Sin autem non. quoniam illud, Sin autem, idem valet quod, Si autem non: ut liquet ex illo Ciceronis ad Attic. lib. 10. epist. 5. Si vir esse volet, præclara synodia: sin autem, erimus nos qui solemus. Itaq; in ista formula, Sin autem non: redundat adverbium Non. Aliàs illud Sin, non sequente scil. particula Autem, idem valet quod Si vero, εἰ δὲ Sic dicitur, Sin minus: id est, Si verò minus: Wo aber nicht. Nec pater remittet] οὐδὲ ὁ πατὴρ ἀφήσει. I.e. Nunquam poteritis statuere quòd Pater vobis remiserit. hoc enim referendum est ad sensum remissionis divinæ in nobis. Ubi autem non est sensus illius remissionis, ibi non habet locum vitæ æternæ. quippe hæc ex illo sensu proximè oritur.

16 Ne

16 Ne estote ut hypocritæ, tetrici] *μὴ γίνεσθε ὥσπερ οἱ ὑποκριταί, σκυθρωποί. Nomen σκυθρωποὶ cohæret cum illo complexo, ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ, per appositionem: quasi dicat, Ne estote, ut hypocritæ, videl. tetrici. Ne quis putet, cohærere cum nomine ὑποκριταὶ tanquam adjectivum cum substantivo. Cæterùm σκυθρωπὸς dictus est quasi ὁ σκυθρὸς τῆς ὠπὸς, id est, iratum tristémve vultum gerens, vultuosus, tetricus,* ein sawrseher/der zornig außsihet. *nam σκυθράζειν est irasci. Vis vocis pulchrè percipitur ex antithesi, cujus exemplum è Xenophonte affert Henricus Stephanus istud: ἱλαρὰ ἀντὶ σκυθρωπῶν ἔχοντες, i.e. posito vultu tetrico & tristi, latâ hilaremq; ostendebant faciem. Sic Gen. 40. verba Josephi ad duos captivos regios qui ob somnia erant tristes, in Græca versione sunt: τί ὅτι τὰ πρόσωπα ὑμῶν σκυθρωπὰ σήμερον; Quid sibi vult quòd facies vestra tetrica sunt hodie? Syrus illam tetricitatem significavit ex adjuncto vestitu, ut qui verterit* כְּמִירֵא *kemiré, id est, atrati. Etenim qui in luctu sunt, nigris vestibus indui solent. unde etiam sacerdotes idolorum (ut hoc loco annotavit Tremellius) dicti sunt* כְּמָרִים *kemarim, quòd nigris vestibus uterentur. Cæterùm (ut hoc obiter addam) nomen illud reperitur 2. Reg. 23. v. 5. Zeph. 1. v. 4. Ose. 10. v. 5.* Corrumpunt] *ἀφανίζουσι. Vel,* obscurant: *vel,* deformant. *quorum illo D. Beza olim usus, istud nuper reposuit. Sed quoniam paulò pòst v. 19. & 20. idem verbum bene redditur verbo* Corrumpendi: *eodem verbo hîc quoq; reddendum censui: tum quia satis convenit ipsi rei, tum quia referente D. Bezâ sic illo usus est Ovid. tum quia similiter reddiderunt Syrus interpres & Chrysost. quorum ille reddidit* מְחַבְּלִין *mehhabelin, i.e. corrumpunt: iste verò διαφθείρουσι. quanquam Henric. Stephano non displiceat hîc verbum Obscurandi: ut intelligamus istos hypocritas obscurare facies, i.e. earum nitorem. perinde ac si diceretur, Si quid nitoris insit faciei, eum accersito quodam squalore, aliisve modis obscurant ac veluti delent: voluntq; sibi squalidam & horridam quodammodo esse faciem, ac deniq; talem quæ ipsorū jejunia testetur hominibus. Accurata sanè & docta expositio. Cæterum verbum ἀφανίζειν propriè significat, è conspectu auferre: & συνεκδοχικῶς delere seu abolere.* Ut appareant] *ὅπως φανῶσι. Primâ fronte videri possint hæc verba implicare contradictionem: ἀφανίζουσιν ὅπως φανῶσι: obscurant ut appareant. Sed non est contradictio: quia sermo est περὶ ἄλλο καὶ ἄλλο. Nempe obscurant facies, i.e. nitorem facierum tollunt & squalorē inducunt: idq; in hunc finem, ut squalor ille appareat, atq; inde ipsi appareant jejunare.* Ut appareant jejunare] *ὅπως φανῶσι νηστεύοντες. Ad verb. jejunantes. Græcismus. Sic iterum v. sequente.*

17 Unge caput &c.] *ἄλειψαί σου τὴν κεφαλήν. I.e. ne præ te ferto mœstitiam, sed potiùs lætitiam: qualem ostendunt qui intersunt lætis conviviis. Metonymia adjuncti hyperbolica. Solebant enim Judæi pretiosis & fragrantibus unguentis sese ungere, maximè quum vellent indulgere hilaritati in conviviis: ut liquet ex Amos 6. v. 6. Luc. 7. v. 46.*

19 Ne thesauros vobis congerite] *μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυρούς. Verbum θησαυρίζειν factum est à nomine θησαυρός: quod compositum est ex nomine θέσις positio, & adverbio αὔριον cras. Significatur enim hoc nomine quicquid reponitur seu reconditur ut asservetur in crastinum, i.e. in tempus futurum, ad futuras scil. necessitates.* In terra] *ἐπὶ τῆς γῆς. Seu super terram:* auf erden. *h.e. thesauros terrenos: qui recondi solent in locis terrenis, ut arcis seu cistis, ærariis, horreis, cellis penariis.* Ærugo] *βρῶσις. Ad verb. Comestio seu erosio. Sed per metonymiam effecti significatur res erodens, & quidem ærugo, quæ nimirū erodit metalla. Etenim apparet, Christum respexisse ad duo divitiarū genera, vestes ac nummos: quarum illas tinea, istos ærugo corrumpere atq; erodere solet.*

20 In cælo] *ἐν οὐρανῷ. Id est, cælestes seu quibus fruuntur qui degunt in cælo. Hi thesauri sunt gaudia illa cælestia & gloria illa cælestis, quibus beati in æternum fruentur in cælo. Congeruntur autem hi thesauri per studium pietatis ac beneficentiæ erga egenos: ut colligitur ex verbis Christi infr. c. 19. v. 21. item cap. 25. v. 34. & deinceps, item Luc. 16. v. 9.*

21 Nam ubi est &c.] *ὅπου γὰρ ἐστὶν &c. His verbis continetur alterum argumentum institutæ cohortationis. Sententia enim est: Ubi est thesaurus vester, illic erit (id est, esse debet) etiam cor vestrum. Atqui thesaurus vester est in cælo. Ergo illic esse etiam debet cor vestrum. Si cui tamen videatur hæc sententia pertinere ad præcedentem utramque, tunc sic erit exponenda: Ubi est thesaurus vester, illic erit etiam cor vestrum. At cor vestrum non debet esse in terra, sed in cælo. Ergo etiam thesaurus vester non in terra, sed in cælo esse debet: ac proinde non in terra, sed in cælo thesauros vobis debetis congerere. Sed prior expositio mihi videtur genuina.* Cor vestrum] *ἡ καρδία ὑμῶν. Id est, desiderium, cura, studium vestrum. Metonymia efficientis, vel (si mavis) subjecti.*

22 Lucerna] *ὁ λύχνος. I.e, quasi lucerna seu quiddam simile lucernæ. Metaph. Est autem syntaxis inversa: nam rectus ordo est, Oculus est lucerna corporis,* Das aug ist des leibs leuchte. Itaque; si] *ἐὰν οὖν. Ex prosyllogismo deducit argumentum hortationis, quod enuntiat connexè. Sententia autem est: Si debes operam dare ut totum corpus tuum sit lucidum, i.e. ut tu totus sis lucidus, fruens nimirum animi tranquillitate: debes etiam operam dare ut oculus tuus sit simplex, lucidus, deniq; non invidus. Etenim tum demum illud consequeris, quum istud fueris adeptus. Atqui verum est antecedens. Verum igitur & consequens. Alii hunc locum aliter interpretantur: sed nostram interpretationem confirmat tum cohærentia cum præcedentibus & sequentib. tum ipsa hujus loci phrasis, ut mox apparebit. Etenim in admonitione proxime-præcedente dehortatus fuit Christus ab avaritia, in admonitione proxime-sequente dehortabitur à diffidētia & solicitudine de victu & amictu: quare nihil mirum si sic dehortetur à vitio illis cognato, invidiâ: quippe omnes isti pravi affectus occupātur in bonis terrenis. Avaritia insatiabili studio ac labore illa cōgerit: solicitudo metuit ne illis, saltē ad necessarios usus, destituatur: invidia verò dolet, quū illa videt penes proximum. Esse a. hîc sermonem de invidia, ex ipsa phrasi mox perspicuē evadet.* Si oculus tuus fuerit simplex] *ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ. i.e. Si proximi bona aspexeris animo simplici & æquo, atq; adeò æquis (ut dicitur) oculis, ita ut illa ipsi non invideas, sed potius gratuleris. In hunc sensum usurpatur nomen ἁπλότης, Rom. 12. v. 8. ubi dicitur,* Qui distribuit (*videl. eleēmosynā Ecclesiasticā*) distribuat *ἐν ἁπλότητι,* cū simplicitate. *ubi istud nomē idem ferè valet quod nomē ἱλαρότης, i.e. hilaritas: quod Apostolus mox subjungit, inquiens:* Qui miseretur, (*i.e. ægrotis ministrat*) misereatur *ἐν ἱλαρότητι,* cum hilaritate. *Sūt enim duo illa ministeria, diaconorum inquam & illorum qui ministrant ægrotis, inter se cognata: quare etiam similes animi affectus requirunt. Similiter istud nomen ad significandum liberalitatem (quæ certè invidiæ adversatur) accipitur 2. Cor. 8. v. 2. ubi apostolus de liberali eleemosyna Macedonum ait, Profunda eorum paupertas redundavit εἰς τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος αὐτῶν: id est, (interprete D. Bezâ) in copiosam benignitatem ipsorum. Atq; sic hoc loco oculus ἁπλοῦς, idem valet quod benignus: quippe cui mox opponitur oculus πονηρός, i.e. malignus. Sic in eadem epistola c. 9. v. 11. ubi Corinthios ad eleemosynam liberalem in fratres Hierosolymitanos conferendam hortatur, exoptat eis ut abundent in omnibus ditati εἰς πᾶσαν ἁπλότητα, ad omnem benignitatem. Et mox v. 13. de illa ipsa eleemosyna adhuc loquens, promittit fore ut fratres illi Deū sint glorificaturi ἐπὶ τῇ ἁπλότητι τῆς κοινωνίας εἰς αὐτοὺς, super benigna communicatione in se.* Totum corpus tuum] *ὅλον τὸ σῶμά σου. Id est, tu totus, corpore & animâ: & hæc quidem præcipuè. Synecdoche membri. Sed corpus exprimit propter institutam collationem inter oculum & corpus.* Lucidum erit] *φωτεινὸν ἔσται. Id est, hilare. Sic passim in Scriptura vocabulo lucis notatur hilaritas, quia lux solis exhilarat, ut Esth. 8. v. 16. Judæis erat lux & lætitia gaudiumq;. ubi nomen metaphoricum lucis per propria duo exponitur. Qualis expositio etiam occurrit Ps. 97. v. 11. Lux sata est justo, & rectis corde lætitia. Sic Job. 29. v. 24. Lumen vultus mei non dejiciebant: i.e. nullo mœrore me afficiebant. Et c. 30. v. 26. Bonum expectanti mihi evēnit malum: & speranti lucem evēnit caligo. Maximè autem ad præsentem sententiam illustrandam facit sententia illa Salomonis Prov. 15. v. 30. Lumen oculorum lætificat animum: auditio bona pinguefacit ossa.*

23 Malus] *πονηρός. Vel, malignus seu nequam, id est, invidus, ut infr. cap. 20. v. 15. An oculus tuus malus est, quia ego bonus sum? Quod de invidia dictum esse constat, & ex illius loci circumstantia patet. Eodem sensu homo invidus nominatur* malus oculo, *Prov. 23. v. 6. Ne vescitor cibo mali oculo. & c. 28. v. 22. Accelerat ad substantiam parandam vir malus oculo.* Tenebrosum] *σκοτεινόν: id est, triste & languidum: ut planum ex antithesi. Nā spiritus tristis (ut ait Sapiens) exsiccat ossa. id quod etiam poëtæ profani admonuerunt, quorum sunt illa:* Invidus alterius rebus macrescit opimis. *Item:* Invidia Siculi non invenere tyranni Majus tormentū. Ergo si lumen &c.] *εἰ οὖν τὸ φῶς &c. Hoc additur ad amplificandum. quasi dicat Dominus, Corpus tuum erit tenebrosum, & sanè tenebræ illæ erunt maximæ. Etenim si ipsum lumen quod est in te, tenebræ sunt: multò magis illa tui pars quæ luminis per naturam est expers, tenebrosa erit. Per lumen intelligit oculum: quem antea vocârat corporis lucernam: per tenebras verò intelligit reliquum corpus, quod naturâ suâ luminosum non est.*

24 Duobus dominis] *δυσὶ κυρίοις. Servus enim totus ejus est cui servit.* Unum] *τὸν ἕνα.* Den einen: *unum ex illis duobus. hoc notat articulus, vim habens ἀναφορικὴν.* Alterum] *τὸν ἕτερον.* Den andern. Aut uni adhærebit &c.] *ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται &c. Primâ fronte videtur hîc repeti eadem sententia, ac proinde disjunctum hoc enuntiatum esse vitiosum: quum non constet ex dissentaneis, sed æquipollentibus & consentaneis: Verùm si attendatur ad ordinem membrorum in utroq; enuntiato ex quibus hoc disjunctum constat, apparebit legitimum disjunctum esse. Si nimirum verbum ἀνθέξεται referatur ad illum ipsum ex duobus dominis, ad quem in priore enuntiato refertur verbum μισήσει, itemq; verbum καταφρονήσει ad illum ad quem in priore enuntiato refertur verbum ἀγαπήσει. Sunt enim hæc repugnantia, Odisse & Adhærere: itemq; diligere & contemnere. Esse autem talem relationem faciendam, percipitur ex ipsis nominibus repetitis, videl. ἑνὸς & ἑτέρου. Clarior erit oppositio, si substituas nomina propria: ut Petrus & Johannes: & sic dicas, Nemo potest simul servire Petro & Johanni. Aut enim Petrum odio habebit, & Johannem diliget: aut Petro adhærebit, & Johannem contemnet.* Non potestis] *οὐ δύνασθε. Id est, Non igitur potestis, οὐ δύνασθε οὖν. Etenim hanc sententiam quæ argumentum hujus loci principale continetur, ex præcedente prosyllogismo infert. Illatio illa fit hoc syllogismo:*

Duobus dominis servire nemo potest.

Atqui Deus & Mammona sunt duo domini:
Ergo Deo & Mammonæ servire nemo potest: & per consequens, nec vos.

Assumtio relinquitur intelligenda. Mammonæ] μαμμωνᾷ. **Dem Mammon.** τῷ μαμμωνᾷ. *Nam nomen hoc esse generis masculini, liquet ex Luc.16.v.11. ubi habetur,* ἐν τῷ μαμμωνᾷ, *&* ἐν τῷ ἀδίκῳ μαμμωνᾷ. *Per μ simplex: quum hic sit geminatum. Illa altera scriptura, per μ simplex, videtur rectior: quia vox Syra est* מָמוֹנָא *mamuna, per kamétz sub initiali Mem: quod kamétz in altera scriptura videtur resolutum in Páthach dagésch. atque hinc ortum* μαμμωνᾶς. *Quanquam doctiss. Drusius aliam rationem affert, cur possit scribi* μαμμωνᾶς: *videl. ad exemplum* מַלִּיף *malliph, quod est ab* אָלַף *aleph. Sic enim (& rectè meo judicio) censet, nomen* מָמוֹנָא *ortum à verbo* אָמַן *amán, id est, firmus fuit. Etenim in divitiis (quæ nomine illo Syriaco significantur) firmitudinem reponunt homines vulgò. Vide Drus. Ad voces Heb. N.T. cap.14. Est autem hoc loco in ista voce metaphora illustris qua divitiæ (quo nomine ad metaphoram hanc commodiora sunt Græcum* ὁ πλοῦτος, *& nostrum* **der Reichthum**) *comparantur homini qui alteri tanquam dominus imperat. Nam qui divitiis accumulandis student, illi divitiis tanquam domino serviunt, facientes nimirum quod ille dominus imperat.*

25 Ne estote soliciti de anima vestra] μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν. *Ad verb. Animæ vestræ:* לְנַפְשְׁכוֹן *lenaphschechún, Syrus. Hebraismus: Id est, pro anima vestra: qua phrasi utitur Gellius Noct. Attic. lib.19. c.1. ubi recitat responsum Aristippi: qui in tempestate maris à quodam nequam homine interrogatus, quare philosophus timeret; quum ille contrà nihil metueret: non eandem esse causam sibi atq; illi respondit: quoniam is quidem esset non magno opere solicitus pro anima nequissimi nebulonis: ipsum autem pro Aristippi anima timere. Ecce hic, Solicitum esse pro anima, planè est quod hic dicitur,* μεριμνᾶν τῇ ψυχῇ: *i. e. solicitum esse pro vita seu de vita, scil. conservanda. Est igitur in vocabulo Animæ metonymia efficientis.* Quid esuri sitis &c.] τί φάγητε *&c. Ergóne, inquiat aliquis, anima eget cibo ac potu? Sanè ipsa hominis anima per se ista non eget: sed quatenus est in corpore, & corpus vivificat ac vegetat. Ad hanc enim rē opus habet cibo & potu.* Nónne?] οὐχί; *quasi dicat, Omnino. Communicatio rhetorica, innuens testimoniū cōsensus atq; confessionis ejus qui interrogatur.*

26 In volucres cæli] εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. *I. e. quæ volant in cœlo, videl. cœlo infimo, i. e. aëre. Est igitur in vocabulo Cœli synecdoche generis, vel (si mavis) integri. Etenim totum illud expansum corpus quo globus terræ unà cum mari ambitur, cœlum in Scriptura nominatur, ac in tres partes distinguitur: infimam ubi volant aves, mediam ubi hærent stellæ, & supremam ubi degunt angeli, & ubi nunc suo corpore est Christus; quam partem Paulus cœlum tertium nominat, 2. Cor.12.* Non serunt enim &c.] ὅτι οὐ σπείρουσιν *&c. Sicut scil. faciunt homines ad victum sibi comparandum.* Et tamen pater] καὶ ὁ πατὴρ. *Conjunctionem discretivam seu (ut appellant) adversativam expressi perspicuitatis causâ. Cohæret enim hæc sententia cum præcedente per enuntiatum discretum: quasi dicatur, Quanquam aves non serunt, nec metunt &c. tamen aluntur à Deo.* Pater vester cælestis] ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος. *Periphrasis Dei argumentosa. Continet enim geminum argumentum pro instituta hortatione, q. d. Confidite Deum vos alíturum: quia id facere & potest & vult: potest, quia est cælestis, i. e. omnipotens: vult, quia est pater vester, ac proinde paternè erga vos affectus.* Nónne] οὐχ. *Ut v. præcedente.* Præstate eis] μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν. *Ad ver. Magis præstatis eis. Pleonasmus adverbii* μᾶλλον. *Recentior interpretatio habet. Multo præstatis. Sed illud Græcè est,* πολὺ διαφέρετε *Syrus simpliciter habet, Nónne vos præstantes estis præ illis: h. e. præstantiores eo estis illis, seu præstatis illis.* Præstatis eis] διαφέρετε αὐτῶν. *Ad verb. Differtis ab eis. Syn. generis. nam etiam quod deterius est, differt à præstantiore. Sic Rom.2.18.* δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, *exploras eximia. Eadem synecdoche usurpatur in verbo cognato* διακρίνειν. *ut 1. Cor.4. v.7.* τίς γάρ σε διακρίνει; *quis enim te discernit? I. e. præstantiorē reddit.*

27 Quis] τίς; *Q. d. Nemo. Porrò hic continetur argumentum à simili seu exemplo, quod apud Lucam amplificatur per ratiocinationem à majori. Etenim huic sententiæ subjungitur ista: Itaque si ne id quidem quod minimum est, potestis: quid de cæteris soliciti estis? Luc.12.17.* Solicitè cogitādo] μεριμνῶν. *I. e. εἴπερ μεριμνῇ, si maximè solicitus sit:* Vel cubitum unum] πῆχυν ἕνα. *Pro,* καὶ πῆχυν ἕνα. **Auch nur eine ele.** *Q. d. Multò minùs cubitos plures addere quis poterit ad staturam suam. Similis ellipseos exemplum fuit sup. c.5. v.36.* οὐ δύνασαι μίαν τρίχα *&c. Non potes vel unum capillum album aut nigrum facere.*

28 Considerate lilia agri, quomodo crescant] καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, πῶς αὐξάνει. *Sic rectè meo judicio vertit vetus interpres. nam verbum* καταμανθάνειν *sæpenumero aptè reddi per Animadverto vel Perpendo; exemplis docet Henr. Stephanus. Et huic expositioni favet ipse verborum ordo. Et in eandem sententiam Syrus quoq; vertit. Deniq; quod maximum est, Lucas eandem sententiam extulit his verbis:* κατανοήσατε τὰ κρίνα πῶς αὐξάνει. *Id est, Considerate lilia, quomodo crescunt, Luc.12. v 27. Recentior interpretatio: Discite quomodo lilia agrorum augescant. facta verborum trajectione, quasi sit:* καταμάθετε, πῶς τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ αὐξάνει. Lilia agri] τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ. *Seu, agrestia; quæ scil. nascuntur in agris.* Non laborant] οὐ κοπιᾷ. *Sic malo cum vetere interprete, quàm* Fatigantur. *Etenim non habetur hic ratio illius emphaseos: sed* κοπιᾶν *simpliciter accipitur pro* πονεῖν *sicut & 1. Tim.5. v.17.* οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ, *qui laborant in sermone,* **die da arbeiten am wort.**

29 Sed tamen dico] λέγω δέ. *Conjunctionem discretivam expressi, quoniam hæc sententia cum præcedente cohæret per enuntiatum discretum: quasi dicatur, Quanquam lilia non laborant neq; nent: tamen dico vobis, ne Solomonem quidem &c.* Ne Solomonem quidem] ὅτι οὐδὲ Σολομών. *De hac voce dictum suprà ad v.6. c.1. Latet autem in his verbis amplificatio à majori. q. d. Ne Solomon quidem tam splendidè fuit amictus: ergo multò minùs alii reges. nam Solomonis splendor & majestas regia, eximia fuit; & eo nomine Solomon cæteris regibus in Scriptura præfertur. Vide 1. Reg.3. v.13. & c.10. toto.* In universa gloria sua] ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ. *Gloria hic significat majestatē: ut passim in Scriptura ut quū dicitur, Deus gloriæ, Dominus gloriæ, Christus veniet in gloria cū sanctis angelis. German* **herrlichheit.** Ut vel unū ex istis] ὡς ἓν τούτων. *Ellipsis notæ majoris: qualis paulò antè in fine v.27.*

30 Ita] οὕτως. *Videl tam splendidè, tam pulchrè. Synecdoche generis.* Vos] ὑμᾶς. *Scil. Circumvestiet,* ἀμφιέσει.

31 Quid edémus &c.] τί φάγωμεν *&c. Prosopopœia continens exclamationes seu interrogationes patheticas, notantes affectum solicitudinis. Ad verb.* Quid edamus &c. *modo scil potentiali: quemadmodum dicitur, Quid agas?*

32 Gentes] τὰ ἔθνη. *Videl. gentes profanæ seu alienæ à populo Dei: quos vulgò dicimus Ethnicos, Germanicè* **die Haiden.** *Synecdoche generis, usitata in Scriptura. Syrus sensum hic expressit periphrasi. vertens* עַמְמֵא הו דְעָלְמָא *hhamemê hú dehholmá, id est, gentes hujus mundi, hoc est, mundanæ: huic mundo addictæ: vel, passim per hunc mundum dispersæ. Alibi nominat* חַנְפֵּא *hhanphê, id est, profanos: ut sup. v.7. & infr. 10. v.5. Ac fortasse in exemplari quo Syrus usus est, scriptum fuit* τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου. *Sic sanè habetur Luc.12. v.30.* Pater vester cælestis] ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος. *Vide sup. ad v.26.*

33 Primò] *Quasi dicat, Postea demum quærite victum & amictum.* Regnum Dei] τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. *Id est, quod à Deo paratum est electis à jactis fundamentis mundi, infr. c.25. v.34.* Et justitiam ejus] καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ. *Ejus videl. Dei: ut percipitur ex pronomine Græco, quod est masculinum, ac proinde non potest referri ad nomen præcedens,* βασιλείαν: *atq; ideo referendum est ad nomen* Θεοῦ. *Dicitur autem justitia Dei, quam Deus ab homine postulat, & quam in homine approbat: videl. tum fides in Christum, tum bona opera in Lege Dei præscripta. Sicut Joh.6. v. 28. & 29. opera Dei nominantur, quæ Deo placent, quæve Deus requirit. Indicatur autem his verbis medium quo invenitur regnum Dei, seu via per quam in illud venitur. Atq; ita hic observatur idem ordo rerum expetendarum qui præscriptus est in oratione Dominica: videl. in petitione secunda, tertia, & quarta. Apud Lucam ista indicatio omissa est, Luc.12.31.* Et ista omnia &c.] καὶ ταῦτα πάντα *&c. Et, id est, tunc,* τότε, **Als dann.** *Cohæret enim hæc sententia cum præcedente per enuntiatum connexum. quasi dicatur: Si quæsiveritis primò regnum Dei & justitiam ejus: tum ista omnia adjicientur vobis.* Adjicientur] προστεθήσεται. *Addentur* ἐν προσθήκης μέρει, *velut additamentum,* **Als ein zugaab.** *Metaphora ab iis qui emunt fructus; ut pyra, mala &c.*

34 De crastino] εἰς τὴν αὔριον. *Subaudi,* ἡμέραν. *Sicut in Latino subauditur, die. Cæterum ex ista interpretatione* εἰς *positum fuerit pro* ἐν, *respondente Hebræorum literæ* ב *béth significanti* περί: *qua præpositione usus est sup. v.28.* καὶ περὶ ἐνδύματος τί μεριμνᾶτε, *Quanquam duriusculum mihi quidem videtur, si dicatur,* μεριμνήσετε ἐν τῇ αὔριον. *Nec prorsus huic phrasi similis est illa Prov.27.1. ubi dicitur,* אַל תִּתְהַלֵּל בְּיוֹם מָחָר *al-tithhallél bejóm mahhár. nam illud verti potest, Ne glorieris in die crastino, id est, de die crastino. At non fuerit commodum dicere, Ne soliciti estote in die crastino. Puto verti posse,* In crastinum: *per ellipsin verbi* ἀποβλέποντες, *id est, respicientes. Sic Germani dicunt,* **Aufs künftig sorgen.** *Nam crastinus* dies] ἡ γὰρ αὔριον. *Supple,* ἡμέρα. Solicitus erit] μεριμνήσει. *Hic tribuitur tempori quod proprium est hominis, per meton. adjuncti.* Sufficit &c.] ἀρκετὸν ἡ κακία. *Ad* ἀρκετὸν *subauditur* ἐστί: *&* ἀρκετὸν *ibi capitur absolutè pro* ἀρκεῖ, *secus dicendum fuisset,* ἀρκετή ἐστι. *Unicuiq;* diei] τῇ ἡμέρᾳ. *Id est,* ἑκάστῃ τῇ ἡμέρᾳ. Vexatio sua] ἡ κακία αὐτῆς. *Nomen* κακία *hic idem valet quod* τὸ κακόν, *notans malum seu ærumnam afflictionémve: ex consuetudine Hebræorum: apud quos nomen* רָעָה *rahháh nunc malitiam, nunc malum significat. Utriusq; significationis exemplum occurrit Psal.107. Prioris quidem v.34. ubi habetur, quòd Deus terram fructiferam redigat in terram salsuginosam propter malitiam (* מֵרָעַת *meráhhath) habitantium in ea. Posterioris verò v.39. ubi dicitur, homines imminui & incurvari à coarctatione, malo (* רָעָה *rahháh) & labore. Deniq;* κακία *hic idem valet quod* κάκωσις, *id est, vexatio.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

1 Ex v.1. & 2. Ad bonum, id est, Deo placens, opus requiritur inter alia, ut dirigatur ad gloriam Dei, non autem ad gloriam operan- *Bonum opus.*

operantis. Secus enim Deo displicebit, ac proinde verè bonum non erit. Etenim Christus pronuntiat de eleemosynis Scribarum & Pharisæorum, quòd Deo non placuerint, eò quòd illas dabant ut glorificarentur ab hominibus.

An bonis operibus mereamur vitam æternã.

2 Ex v.1. Cavendus error Papistarum, qui putant, nos bonis operibus mereri vitam æternam, propterea quòd illa vocatur merces. At falluntur ex vocabuli homonymia. Merces enim nominatur vita æterna impropriè, videl. per metaphoram καταχρηστικῶς: quia dabitur in vespera mundi, idque ex Dei gratia.

Eleemosyna.

3 Ex v.3. Eleemosyna danda est animo simplici, absque ulla ostentatione.

Beneficentia.

4 Ex v. 4. Ad beneficentiam erga egenos moveri inter alia debemus spe retributionis divinæ: quam Christus hoc loco promisit.

Preces.

5 Ex v.5.6.7.&8. In precibus cavenda ambitiosa ostentatio, & battologia seu inanis multorum verborum deblateratio aut demurmuratio: ac inprimis opinio meriti, quasi scil. preces à Deo exaudiantur propter illam verborum multiplicationem. Quæ vitia omnia in Papatu regnant.

An preces sint superfluæ.

6 Ex v.8. Quum Deus nôrit quibus rebus indigeamus, etiam antè quam ab eo petamus: quærat aliquis, An non igitur preces sint superfluæ? Respondeo: Non sunt superfluæ, sed necessariæ. Nam etsi non ideo sunt suscipiendæ, ut Deo necessitates nostræ innotescant: tamen aliæ graves causæ sunt, propter quas fieri illas oportet: quarum prima est, ut hunc cultum Deo præstemus: quippe quem ipse nobis mandavit. Vult enim ut in sensu nostræ inopiæ, inopiæ inquam tum corporalium tum spiritualium bonorum, ad sese recurramus, ipsiusq; tanquam omnipotentis Dei ac benignissimi patris opem ac beneficentiam imploremus. Altera causa, huic inserviens, est: ut nobis ipsis necessitates nostræ probè innotescant, & ut in consideratione illarum seriò occupemur, ac proinde opem Dei eò ardentiùs expetamus.

An ad formulam precum à Christo traditam simus adstricti.

7 Ex v.19. ex verbis, *Vos igitur ita precamini.* Quærat aliquis, an ad hanc precum formulam ita simus adstricti, ut aliter precari nobis non liceat. Ratio dubitandi est: Quia Christus hanc formulam discipulis suis præscripsit, & eos ita precari jussit: & tamen reperiuntur exempla precum à Christianis factarum aliis verbis: quæ nihilominus à Deo fuerunt exauditæ, ac proinde fuerunt rectæ atque legitimæ; ut preces ecclesiæ Hierosolymitanæ, Act. 4. v. 24. & deinceps: Stephani, Act. 7. duobus versibus ultimis: Petri & Johannis, Actor. 18. v. 15. 16. 17. Respondeo: Etsi Christus hanc precum formulam nobis præscripsit: non tamen est putandum, voluisse nos ita præcisè astringere ad hæc ipsa verba ut libertatem paulò aliis atque etiam pluribus verbis in precando utendi nobis voluerit adimere: sed hoc præcipuè egit, ut doceret, quasnam res à Deo petere debeamus, idque quotidie & (ut ita dicam) ordinariè. Interim non vetuit ne necessitates quibus maximè nos urgeri sentimus, liberè etiam aliis ac pluribus verbis exponeremus. quòd dum facimus, ea ipsa petimus quæ Christus in hac formula præscripsit: quia nihil omninò ad veram felicitatem necessarium est quod nõ in ista formula contineatur. Sic quòd precata fuit ecclesia Hierosolymitana Act. 4. ut Dominus intueretur in minas hostium, ut daret Apostolis ut cum omni libertate loquerentur sermonem Evangelii, & ut doctrinam ipsorum confirmaret per miracula: pertinet ad orationis Dominicæ petitionem primam, tertiam & quartam. Sic quòd Stephanus precatur ut Dominus Jesus suscipiat spiritum suum, pertinet ad petitionem 2. & 6. quòd præterea petit, ne statuat hoc peccatum illis qui ipsum lapidabant, pertinet ad petitionem 5. Sic quòd Petrus & Johannes precati sunt, ut discipuli Samaritani acciperent Spiritum S. videl. donum linguarum & miraculorum: pertinet ad petitionem 1. & 3. Serviebant enim ista dona sanctificando nomini Dei, & electis ad fidem Christianam adducendis.

Precum requisita.

8 Ex eod. v. ex verbis, *Pater noster qui es in cælis.* Ad preces requiritur fides, & inde manans reverentia Dei: quarum illa acquiescit tum in paterno Dei erga nos propter Christum favore, tum in ipsius omnipotentia: cujus signa maximè elucent in cælo, unde nimirum tanquam è sede majestatis suæ sanctos angelos nobis in auxilium mittit. Reverentia verò occupatur in consideratione tum patriæ potestatis, tum summæ majestatis Dei; quam ille inprimis in cælo tanquam regia sua sede ostendit. Vide Jacob. 1. v. 6. Malach. 1. v. 6.

Cura nostra principalis.

9 Ex v.9. & seq. Ex ordine petitionum discimus, inprimis curæ nobis esse debere gloriam Dei: pòst deinde nostra ipsorum commoda. Et sanè gloria Dei est finis actionum nostrarum summus, ad quem illas primò ac principaliter debemus referre atq; dirigere. Unde Paulus 1. Cor. 10. sub finem ait: *Sive editis, sive bibitis, sive quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.*

Bonorum spiritualium cura potior esse debet quàm corporalium.

10 Ex eodem petitionum ordine discimus & hoc: potiorem nobis curam esse debere ut consequamur bona spiritualia quam corporalia: quippe spiritualia petere jussit Christus tum in principio tum in fine: & spiritualibus petendis tribuit petitiones quinque, corporalibus verò unam tantùm. Atque hoc ipsum expressè præcipit infrà hoc cap. v. pen. ubi ait, *Quærite primò regnum Dei & justitiam ejus: & ista omnia* (videl. corporalia bona, ut victus & amictus) *adjicientur vobis.*

Sanctificare nomen Dei quid sit.

11 Ex v.9. Considerandum, quid sit, sanctificare nomen Dei. Igitur sanctificare nomen Dei, est Deum ex ipsius operibus pro sanctissimo atque adeò ipsa sanctitate agnoscere & prædicare, ac proinde non nisi reverenter & cum summa animi demissione seu humilitate de ipso cogitare & loqui: & denique sanctam ejus majestatem in omnibus ipsius operibus, tum creationis tum gubernationis mundi, ac inprimis Ecclesiæ & singulorum illius membrorum, lucentem adorare. Sic sanctificavit Dei nomen sanctus patriarcha Jacob, quum in precatione dixit, *Impar sum omnibus his beneficiis, totiq; illi fidei quam præstitisti servo tuo,* Gen. 32. vers. 10. Sic sanctificavit Dei nomen rex & Propheta David in variis suis hymnis seu psalmis eucharisticis: ac præcipuè, quum gratias Deo egit, acceptâ per prophetam Nathanem promissione de nascituris ex se Salomone & Christo: quæ gratiarum actio ita incipit, *Quis sum ego Domine Jehova, & quæ est familia mea, quòd me deducis eò usque?* 2. Sam. 7. v. 18. Itèm quum fugiens filium Absalonem, summo sacerdoti Zadoco præcepit ut arcam Dei referret in civitatem, subjungens hæc verba: *Si invenero gratiam in oculis Jehovæ, utique reducet me, & faciet ut revisam se & habitaculum suum. Quod si ita dixerit; Non delector te: ecce me, faciat mihi prout bonum videtur in oculis suis:* 2. Sam. 15. v. 25. 26. Item quum in illa fuga maledictis impetitus à Semejo, conscientâ judicii divini à vindicta abstinet, & suos impedit ne quid adversus eum faciant: *Sinite eum,* inquiens, *ut maledicat: quia edixit ei Jehova. Fortasse respicet Jehova ad afflictionem meam: & reddet Jehova mihi bonum loco maledictionis ejus,* 2 Sam 16. v. 11. 12 Sic sanctificavit Dei nomen rex Hizkijas, quum propter thesauros suos legatis Babyloniis superbè ostentatos objurgatus per Esaiam, ac propterea denuntiatione acceptâ de illis per Babylonios diripiendis: dixit prophetæ, *Bonum est verbum Jehovæ quod locutus es,* 2. Reg. 20 vers. 19. Similiter sanctificavit Dei nomen sacerdos Heli: qui intellectâ è Samuele clade familiæ suæ ex judicio Dei eventurâ, dixit: *Jehova est: quod bonum est in oculis suis faciat,* 1. Sam. 3. v. 18. Similiter sanctificavit Dei nomen patiens ille Job, quum facultatibus & liberis suis spoliatus, Deo benedixit, inquiens: *Jehova dedit, & Jehova recepit: sit nomen Jehovæ benedictum,* Job 1. v. pen. Sic sanctificavit Dei nomen propheta Daniel, quum Deum orans pro liberatione populi è captivitate Babylonica, majestatem ejus celebrat, & justitiam in populo castigando quàm humillimè confitetur, Dan. 9. Sic sanctificavit Dei nomen Christus, quum gratias agit Patri quòd mysteria regni cælorum absconditsset à sapientibus, & revelasset infantibus, Matth. 11. v. 25. Sic sanctificavit Dei nomen apostolus Paulus, quum exposito mysterio divinæ electionis ac reprobationis hominum, exclamavit, *O profunditatem divitiarum tum sapientiæ tum cognitionis Dei! quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, &c.* Rom. 11. circa finem.

Exempla eorum qui nomen Dei sanctificarunt. Jacob. David. Hizkijas. Heli. Job. Daniel. Christus.

Regnum Dei triplex.

12 Ex v.10. Considerandum, quotuplex sit regnum Dei. Solet autem distingui in tres quasi species: videlicet regnum potentiæ, regnum gratiæ & regnum gloriæ. Regnum *potentiæ* nominatur omnipotens illa gubernatio totius mundi & singularum ejus partium, ac præcipuè creaturarum rationalium, tum angelorum tum hominum: idq; tum bonorum tum malorum. Regnum *gratiæ* dicitur gratiosa illa gubernatio electorum per Spiritum sanctum & verbum. Regnum *gloriæ* appellatur gloria illa cælestis, qua electi fruentur unà cum Christo, subactis omnibus hostibus ipsorum. Ad primam speciem pertinent illa Scripturæ loca ubi Deus nominatur rex regum, dominus dominantium; item Jehova exercituum. Ad secundam pertinet illud Christi, *Regnum Dei intra vos est.* Item, *Regnum Dei non venit cum observatione.* item parabolæ quibus regnum Dei rebus humanis comparat. quanquam harum nonnullæ simul pertinent ad speciem postremam. Ad quam quidem propriè pertinent illa Paulina, ubi ait, nos cum Christo regnaturos. Item illud Christi infr. cap. 25. *Possidete regnum paratum vobis à jactis fundamentis mundi.* Item, *Multi venient ab Oriente & Occidente, & edent panem cum Abrahamo in regno Dei.* Item illud infra cap. 7. v. 21. *Non quisquis dicit mihi, domine, domine, introibit in regnum cælorum.* Item illud latronis in cruce: *Memento mei, domine: quum veneris in regnum tuum.*

Voluntas Dei.

13 Ex eod. v. Considerandum, quotuplex sit voluntas Dei. Ac in se quidem voluntas Dei simplex est: neque enim de una & eadem re vult contraria: sed nobis revelatur bifariam: videlicet vel generaliter ac indefinitè, vel specialiter ac definitè. Generaliter & indefinitè revelavit nobis Deus voluntatem suam per verbum, tum legis tum evangelii, in quorum illo declarat quid velit ab hominibus fieri, seu quomodo velit ab eis coli: in hoc verò, quid velit de eis facere, seu quomodo eos velit servare aut damnare. Specialiter verò & definitè revelat Deus hominibus suam voluntatem per ipsos eventus. Etenim nihil cuiquam evenit nisi ex voluntate & decreto Dei. Itaque quos velit salvos, patefacit singulis quum eis donat illa media omnia per quæ salvos eos facere decrevit: videlicet Verbum & Obedientiam erga Verbum, ergà verbum inquam tum Evangelii, quæ obedientia speciali nomine dicitur Fides; tum Legis, quæ generali nomine appellatur Nova obedientia. Similiter quos velit perditos, patefacit, dum his vel illis media ad salutem ab ipso ordinata vel prorsus non dat, vel non dat illud quod maximè necessarium est,

D 3

nimirum obedientiam erga verbum. Sed præter eventus Deus interdum voluntatem suam specialiter patefacit certis hominibus, quibus nominatim præcipit quid fieri ab eis velit, aut annuntiat quid velit de eis facere. Sic præcepit Abrahamo ut exiret ex Ur Chaldæorum in regionem quam ipsi esset ostensurus. Sic eidem præcepit, ut sacrificaret sibi filium Isaacum. Sic filiis Israël præcepit, ut sub specie mutui spoliarent Ægyptios ornamentis pretiosis. Sic Abrahamo promisit, quòd vellet ei dare filium è Sara, quòd vellet ex ipsius semine excitare Christum: item Davidi, quòd vellet ei dare filium Salomonem, nec non quòd vellet ex ipsius (Davidis scilicet) semine excitare Christum. Sic sancto illi Simeoni promiserat, quòd ante mortem visurus esset Christum. Et id genus exempla patefactionum divinarum occurrunt in sacris literis plurima. Sed ex iis quæ diximus, existit quædam difficultas. nam quum Deus voluntatem suam hominibus declaret tum in genere omnibus per præcepta Legis, tum in specie certis quibusdam per præcepta singularia: & verò præcepta illa singularia præceptis Legis interdum adversentur: ut patet de præcepto immolandi Isaaci & spoliandorum Ægyptiorum: videri posset Deum unam eandemque rem & velle & nolle. Etenim quum ait, Ne occidas; significat, se nolle ut quisquam quenquam occidat. at quum ajebat Abrahamo, Offer mihi Isaacum, significabat utique se velle ut aliquis aliquem occideret. Sic quum ait, Ne fureris: significat, se nolle ut quisquam cuiquam suas facultates sive vi sive fraude eripiat: at quum ajebat Israëlitis, Petite ab Ægyptiis mutuo pretiosa ornamenta, & illa vobis retinete: significabat utique se velle ut illis partem suarum facultatum per fraudem eriperent. Respondeo: Præcepta Legis de ratione exercendi dilectionem erga proximum (sicut & de cultu Dei externo) intelligenda sunt cum hac exceptione, Nisi Deus aliquando diversum præceperit. Etenim Deus est supra Legem, & potestatem habet in ea, quoties vult, aliquid mutandi. Quod quum facit, non jam idem vult & non vult: sed quod antea fieri ab aliquo nolebat, id jam significat se fieri ab eo velle: licet interim idem fieri nolit ab aliis: ut patet de spoliatione Ægyptiorum per Israëlitas. Ad immolationem verò Isaaci quod attinet, non volebat quidem illam Deus fieri: alioqui non impedivisset: sed volebat Abrahamum ad tempus id putare, ac proinde ad obediendum huic voluntati ipsius sese comparare atque accingere: ut ita fides ipsius & obedientia in lucem produceretur: Sed gravior exsurgit difficultas ex eo, quòd Deus in Lege sua vetuit omnis generis scelera & flagitia, ac proinde significavit se illa fieri nolle: & tamen illa fieri permittit: permittit autem utique non nolens, sed volens: nam si simpliciter ac planè nollet, fieri non permitteret; quum sit omnipotens, ac proinde impedire illa possit. Hinc videri posset, Deum unam eandemque rem (puta scelus aliquod) & nolle & velle. Respondeo: Etsi Deus scelera omnia permittit, & quidem volens: tamen scelus nullum vult seu approbat, eóve delectatur: sed scelera omnia odit ac detestatur. Deinde licet absque impietate dici posse videtur, Deum velle scelera per accidens & propter aliud, quatenus nimirum inserviunt ipsius gloriæ illustrandæ: tamen dici piè non potest, Deum scelera velle per se & simpliciter, quatenus scelera sunt. Vult enim Deus angelis & hominibus innotescere, & ab illis prædicari, suam justitiam in sceleratorum pœnis: Ergo hoc respectu & hactenus vult quoq; scelera ab istis patrari: licet interim ipsa scelera abominetur. Sicut ægrotus quispiã à pharmaco aliquo amaro hauriendo per se quidem abhorret; sed tamen propter aliud, videl. ad recuperandum sanitatem, bibere illud vult ac bibit. In illo tamen simili hoc est dissimile, quòd ægrotus aliâ ratione sanitatem recuperare non potest, aut saltem posse non videtur: at Deus gloriam suæ justitiæ patefacere posset aliâ ratione, sed hac ratione patefacere illam ei placuit, teste Apostolo Rom. 9. v. 22. Usus hujus doctrinæ est, ut voluntatem Dei de nostris tum erga ipsum tum erga proximum officiis, nec non de ratione consequendi salutem æternam studiosè ex Verbo tum Legis tum Evangelii cognoscamus, & cognitæ obedire studeamus; & Deum oremus, ut obediendi facultatem atque vires nobis largiatur; & ut illas adepti, gratias ipsi agamus. Deinde ut quum videmus multa fieri mala, & quidem mala non solùm pœnæ (quæ vocantur) i. e. calamitates, sed etiam culpæ, i. e. peccata: ne nimiùm offendamur, néve adversus Deum murmuremus: sed ut in voluntate Dei, tanquam sapientissima, justissima, optima & sanctissima acquiescamus: cogitantes illum calamitates nobis immittere justo judicio & ex amore paterno: peccata verò permittere propter suam gloriam in illorum pœnis suo tempore demonstrandam.

Pugna apparens inter præcepta Legis & mandata quædam specialia.

Scelera fiunt Deo voluntariè permittente, non tamen approbante.

Usus doctrinæ propositæ de voluntate Dei.

Obedientia erga Deum.

14 Ex eod. v. Ex verbis, *Sicut in cælo.* Sanctorum angelorum obedientia quam Deo alacerrimè præstant, est nobis imitanda. Celebratur autem illa passim in Scriptura: ut Psal. 104. v. 20. & 21. *Benedicite Jehovæ angeli ejus, valentissimi robore, efficientes verbum ejus, auscultantes voci verbi ejus: Benedicite Jehovæ omnes exercitus ejus, ministri ejus, facientes placitum ejus.* Heb. 1. v. ult. *Sunt spiritus ministratorii, &c.* Huc pertinet quòd dicuntur perpetuò videre faciem Dei, consistentes videlicet in ipsius tanquam regis conspectu, promti ad capessendum mandata, & parati ad expediendum. Unde & repræsentabantur olim per Cherubim, id est, imagines humanas alatas: quòd celerrimè quasi avolent ad expediendum mandata Dei.

15 Ex v. 11. ex vocabulo, *Hodie.* Quum necessaria ad victum & amictum nobis suppetunt, contenti esse debemus, nec soliciti esse de futuro, aut studere opibus congerendis. Vide infra v. 25. & deinceps. 1. Tim. 7. v. 8. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Item exemplum Pauli Philip. 4. v. 11. 12. 13. *Didici, in quibus sum, iis contentus esse, &c.* Item parabolam Christi de stulto divite, Luc 12. v. 15. & deinceps.

Αὐτάρκεια. Sorte nostrâ contenti simus.

16 Ex v. 13. Quæritur, an Deus aliquos inducat in tentationem, id est, tentandos tradat diabolo ut in tentatione succumbant & pereant. Ratio dubitandi est: Quia Christus præcipit, ut Deum oremus ne nos in tentationem inducat: quæ petitio videretur superflua, nisi Deus aliquos in tentationem induceret. at contrà Jacobus negat, quenquam à Deo tentari, Jac. 1. v. 13. Respondeo: Sententia Jacobi non adversatur sententiæ quæ colligitur ex verbis Christi. nam Deus ipse quidem neminem tentat; i. e. neminem ad peccandum solicitat: sed id facit diabolus, unde & tentator nominatur, supr. cap. 4. v. 3. Veruntamen Deus quos vult, justo judicio tentandos tradit diabolo, & quidem ita tentandos ut in tentatione succumbant, & scelera ad quæ à diabolo solicitantur, perpetrent. Etenim Deus est is qui tradit homines pravis cupiditatibus, & in mentem reprobam, seu sine discrimine scelera patrantem, Rom. 1. v. 24. 26. 28. Et Satan cribrasset discipulos ut deficerent à Christo, si Deus permisisset: non permisit autem, quia Christus pro eis rogaverat, Luc. 22. v. 31. 32.

An Deus aliquos inducat in tentationem.

17 Ex eod. v Fides exauditionis precum nostrarum niti debet duobus quasi fulcris, voluntate scil. & potentiâ Dei. nam Deus nos petentes secundùm ipsius voluntatem, exaudire & vult & potest. Vult: quia inchoavit in nobis regnum gratiæ, & promisit nobis regnum gloriæ, idq; ut gloria bonitatis ipsius in salute nostra in æternum clarescat. Potest autem: quia est omnipotens.

Preces.

18 Ex v. 12. 14. & 16. Quæritur, an nostrâ remissio quâ remittimus proximo, sit causa remissionis divinæ quâ Deus remittit nobis: seu (ut specialiùs dicam) an nostrâ remissione mereamur ut Deus nobis remittat. Ratio dubitandi est: quia Scriptura alibi docet, Deum nobis remittere ex gratia: unde sequitur, illum nobis non remittere propter meritum remissionis nostræ. At Christus hoc loco videtur docere contrarium. nam v. 12. videtur remissionem nostram statuere remissionis divinæ causam: dum videl. præcipit ut à Deo petamus remissionem, hoc argumento, quia & nos remittamus proximo. Item instituit collationem parium in contrariis; quâ ostendit, sicut se habet affirmatio nostræ remissionis ad affirmationem remissionis divinæ, similiter se habere negationem illius ad negationem hujus, Quare etiam vicissim ac reciprocè, sicut se habet negatio nostræ remissionis ad negationem remissionis divinæ, similiter se habebit illius affirmatio ad affirmationem hujus. At negatio nostræ remissionis ad negationem remissionis divinæ se habet ut causa & meritum: etenim nostrâ illâ non-remissione seu implacabilitate meremur, ut Deus nobis non remittat. Quare videtur, nos pari ratione mereri remissione nostrâ ut Deus nobis remittat. Respondeo: Certum est, Deum remittere nobis ex gratia: Rom. 3. vers. 24. *Justificantur gratis, ejus gratiâ.* Non igitur propter meritum nostræ remissionis. Deinde & hoc certum est, remissionem nostram remissionis divinæ esse effectum: non igitur est illius causa efficiens. Quòd sit effectum, liquet ex re ipsa. quia nemo potest remittere proximo, quin statuat sibi remissum esse à Deo. quod ipsum manifestum evadit ex hoc, quòd nemo potest proximo remittere nisi eum diligat: diligere autem proximum non potest qui non priùs diligat Deum. Etenim ex dilectione Dei dilectio proximi nascitur: quum proximum diligamus propter Deum, quia scilicet ex dilectione Dei obedimus mandato ipsius de proximo diligendo. Porrò Deum diligere non potest, qui non est persuasus sibi ab illo remissa esse sua peccata. Unde perspicitur, ex fide remissionis peccatorum nasci dilectionem Dei, ex dilectione Dei dilectionem proximi, ex dilectione proximi remissionem peccatorum illius seu injuriarum quibus nos affecit. Quare remissio divina remissionem nostram antecedit. Non igitur remissio nostra remissionis divinæ statui potest causa efficiens. Sed quomodo cum hæc sententia convenit quod hîc tradit Christus? Nempe hoc modo Christus nomine remissionis divinæ hoc loco per metonymiam subjecti intelligit sensum illius in animo nostro, qui est sensus fidei: significans, fieri non posse ut nos fide sentiamus remissionem divinam, nisi conscii nobis simus remissionis nostræ qua proximo remiserimus. Ubi autem non est ille sensus remissionis divinæ, ibi nec vita æterna locum habet: quippe cujus initium ex illo sensu enascitur. Jam illa non pugnant, Deum nobis remittere etiam ante nostram remissionem: nisi enim ille nobis prior remitteret, nos proximo nunquam remitteremus: & tamen nos remissionem illam Dei non sentire, nec de illa statuere posse, nisi postquàm & ipsi proximo remiserimus. Nisi inquam Deus nobis prior remitteret, nos proximo nunquam remitteremus: quia non possumus remittere proximo sine Spiritu sancto: at hunc nemini dat Deus nisi cui peccata remisit: neque enim dat illum eis quos odit: odit autem eos quibus peccata non remisit. Contrà qui per Spiritum sanctum certò persuasus est & credit, sibi à

An nostra remissio qua remittimus proximo, sit causa remissionis Dei qua remittit nobis.

Deo remissum esse: is non potest non remittere proximo. Illa enim remissio tale ac tantum Dei beneficium est, ut non possit non in nobis de illa certificatis gignere dilectionem Dei & studium illi placendi: ex qua dilectione & ex quo studio non potest non oriri dilectio proximi, ac proinde injuriarum condonatio. Atque hoc ipsum docet Christus infrà c.18.v.32.& 33. in parabola de duobus servis debitoribus: quorum uni herus grande debitum remiserat ex misericordia, ac proinde illum objurgat quòd non ipse quoque misertus sit conservi, ut remitteret illi debitum exiguum. ubi Christus utrumque docet: & Deum nobis remittere ex misericordia, & remissionem nostram ex consideratione remissionis divini oriri.

Jejunium. 19 Ex v.16.17.& 18. In jejunio cavenda est hypocrisis & ostentatio. Sed quærat hoc loco aliquis, an in novo Testamento sit jejunandum: & si sit, quam ob causam & quatenus seu quousque. Ac primùm an in novo Testamento jejunium habeat locum & usum, ratio dubitandi offertur: quia nullum de eo exstat præceptum, sicut olim in Testamento veteri, Levit.23.v.27.& tamen occurrunt exempla Sanctorum, & doctorum Ecclesiæ Antiochenæ, Act.13.v.2. item Pauli & Barnabæ, Actor.14.v.23. Nam quòd ait Paulus conjugibus 1.Cor.7.v.5. *Ne fraudate alius alium, nisi si quid ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & precibus*: non est putandum, his verbis jejunium præcepisse: etsi apparet illud rectè adhibitum approbasse. Statuendum igitur, jejunium in novo Testamento esse liberæ observationis: veruntamen rectè atque utiliter à piis adhiberi, quoties singularis aliqua necessitas ardentiores preces requirit. Etenim hæc est causa propter quam adhibendum sit jejunium, ut magis idonei simus ad preces. Unde scriptura ubi jejunii mentionem facit, ferè simul meminit precum; ut videre est in locis citatis. Atque hinc etiam liquet, quatenus sit jejunandum: nempe quatenus per jejunium reddimur idonei ad preces. Non igitur est intendendum ultra vires. Estque tale jejunium quum res postulat, suscipiendum tum à privatis; ut colligitur ex admonitione illa Pauli ad Corinthios: tum à totis ecclesiis & maximè à ministris, ut suadent exempla citata ex Actis. Cæterùm in jejunio, præter hypocrisin & ostentationem quam hoc loco damnat Christus, alia quoque vitia cavenda sunt. Videlicet ne præcipiatur tanquam res ad cultum Dei simpliciter necessaria, atque ita laqueus injiciatur conscientiis: deinde ne fiat cum opinione cultus: tum ne fiat cum opinione meriti, quasi scilicet per illud mereamur gratiam Dei & remissionem peccatorum. Adhæc ne pro jejunio habeatur abstinentia à certis cibis, dum interim vesceris aliis: puta si abstineas à carne, lacte, ovis: & interim vescaris piscibus. Denique ne certarum horarum jejunium compensetur nimiâ copiâ cibi ac potus, præsertim delicatioris, vel antecedente vel subsequente. Quæ vitia omnia in Papatu regnant.

Avaritia. 20 Ex v.19. Fugienda est avaritia & studium congerendi opes: quia res terrenæ caducæ sunt, ac proinde solitam felicitatem conferre nemini possunt. Conf. infr. c.19.v.23.& 24. Luc.12. v.15.& deinceps. 1.Tim.6.v.9.& 10. Jac.5.v.1.& deinceps.

Cælestia bona perpetuò quærenda. 21 Ex v.20.& 21. Perpetuò meditanda & quærenda sunt cælestia illa bona: quoniam ad illa possidenda ac fruenda sumus vocati: quorum quidem fruitione in æternum beati erimus. Quærenda sunt autem illa bona per studium veræ pietatis ac beneficentię erga egenos. Conf. inf. c.19.v.21.& c.25.v.34.& deinceps. Luc.16.v.9. Coloss.3.v.1.& 2.

Invidia. 22 Ex v.22.& 23. Invidia fugienda est: id est, cavere debemus ne proximo sua bona seu corporalia seu spiritualia, invideamus: sed potiùs de illis debemus gaudere, & proximo illa gratulari. Confer 1.Cor.12.v.15. & deinceps: ubi è similitudine membrorum corporis humani contra invidiam disserit Apostolus: quam similitudinem v.26. colligit his verbis: *Itaq; sive patitur unum membrum simul dolent omnia membra: sive honore afficitur unum membrum, simul gaudent omnia membra.* Exempla eorum qui propter invidiam reprehensi sunt, vide Num.11.v.29. ubi Moses reprehendit Josuam, qui illum rogaverat ut cohiberet Eldadum & Medadum in castris prophetantes: *An invides tu*, inquit, *meâ causâ? atqui utinam totus populus Jehovæ essent prophetæ, indente Jehovâ spiritum suum illis.* Item Joh.3.v.27.& deinceps, ubi Johannes Baptista reprehendit suos discipulos, qui ad ipsum detulerant querelam de Jesu, quòd is baptizaret, & omnes ad eum venirent.

Solicitudo de victu & amictu. 23 Ex v.24.& deinceps usque ad finem capitis. Fugienda est solicitudo de victu & amictu: & contrà confidendum providentiæ Dei: propter causas quæ continentur in textu, & in Analysi sigillatim sunt explicatæ. Confer 1.Pet.5.v.7. Psal.55.v.23.

Vestitus. 24 Ex v.29. Splendidus vestitus non est per se illicitus: quia talem splendorem Deus Salomoni inter alia bona promisit, 1.Reg.3.v.13. Sic Joseph, vir pius, passus est se indui vestib' splendidis ex mandato Pharaonis, Gen.41.v.42. Idem passus est & Daniel ex mandato Belsazaris, Dan.5.v.29. Tantùm cavendus est in hac re luxus & fastus. De luxu & fastu in vestitu muliebri vide Esa.3.v.17.& deinceps. Item 1.Pet.3.v.3. Exemplum hujusmodi fastus proponitur etiā in Herode, Act.12.v.21. Item in Bernice uxore Aggrippæ, Act.25.v.23. quæ ingressa scribitur auditorium μετὰ πολλῆς φαντασίας, quasi dicas, cum magna apparentia: id est, cum magno splendore & pompa, mit grossem geprang.

Studium nostrum principale. 25 Ex v.33. Principale studium nostrum esse debet, ut justè & sanctè vivamus: ad quod quū nobis opus sit gubernatione Spiritus sancti: officii nostri est, illam à Deo quotidianis votis expetere, & studiosè audire ac meditari verbum Dei: quippe per quod Spiritus sanctus efficax est ad nos gubernandos.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Pergit Christus in instituto sermone, & varias alias admonitiones ad justitiam & prudentiam Christianam pertinentes proponit: quæ sunt numero octo. Prima de cavendis perversis reprehensionibus, usq; ad v.6. Secunda de omittendis sanctis monitis apud contemtores, v.6. Tertia de petendis à Deo bonis necessariis, usq; ad v.12. Quarta admonitio est regula justitiæ generalis, v.12. Quinta de cavendis exemplis mundi, v.13.& 14. Sexta de cavendis pseudoprophetis, usq; v.21. Septima de studio pietatis cum professione nominis Christiani conjungendo, usq; ad v.24. Octava de studio præstandi hos sermones, usq; ad v.28. Sub finem duob. versibus ultimis narrat Evangelista istius sermonis effectum in turba quæ illum audierat. Ita sunt novem hujus capitis particulæ.

PRIMA PARTICULA.

De cavendis perversis reprehensionibus.

NE judicate, ut ne judicemini.
2 Quô enim judicio judicatis, judicabimini: & quâ mensurâ metimini, vicissim metientur vobis.
3 Quid autem aspicis festucam quæ *est* in oculo fratris tui; trabem verò quæ *est* in oculo tuo, non animadvertis?
4 Aut quomodo dices fratri tuo, Sine eximam festucam ex oculo tuo: & ecce trabs *est* in oculo tuo?
5 Hypocrita, exime primùm trabem illam ex oculo tuo: & tum dispicies ut eximas festucam ex oculo fratris tui.

A Perversis reprehensionibus ac temerariis damnationibus proximi dehortatur duobus argumentis. Primùm ab eventu tristi, videlicet pœnâ talionis divinitus infligendâ, v.1.& 2. Deinde à comparatis, videlicet collatione vitiorum proximi cum vitiis propriis: quorum illa sint minora, ista majora. Iniquum autem est ut quis acrem censorem se prebeat in vitiis proximi minoribus, & interim sua graviora dissimulet aut negligat. Hanc imparium collationem Christus illustrat collatione similium, quâ vitia proximi minora comparat festucæ hærenti in oculo proximi: propria autem majora confert trabi itidem in oculo proprio hærenti. Præterea hypocrisin istius iniqui censoris exornat prosopopœiâ, v.4.& apostrophe acerrimâ quâ illum objurgat, v.5.

SECUNDA PARTICULA.

De omittendis sanctis monitis apud contemtores.

6 Ne date *quod* sanctum *est* canibus, nec projicite margaritas vestras coram porcis: ne quando conculcent eas pedibus suis, & conversi lacerent vos.

A sanctis monitis apud contemtores dehortatur duobus argumentis: primùm ab adjuncta illorum indignitate: quam significat metaphorâ canum & porcorum. Et contra sancta monita comparat sancto (id est, rei sanctæ & Deo consecratæ, seu ad cultum Dei ceremonialem atq; externum pertinenti) & margaritis. Deinde ab eventu tristi: quia talibus monitis apud istos non solùm nihil proficiatur, sed etiam nobis periculum non necessarium creetur. Quam sententiam sub metaphora instituta enuntiat, ubi ait, Ne quando conculcent &c.

TERTIA PARTICULA.

De petendis à Deo bonis necessariis.

7 Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.
8 Quisquis enim petit, accipit; & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.
9 Aut quis est ex vobis homo, qui, si filius ejus petierit ab eo panem, det ei lapidem?
10 Et si piscem petierit, num serpentem dabit ei?
11 Si vos igitur, qui estis mali, nostis dona bona dare liberis vestris: quantò magis pater vester qui est in cælis, dabit bona iis qui ab ipso petent?

Ad preces quibus à Deo petuntur necessaria, hortatur ab eventu læto, videl. impetratione seu adeptione rerum petitarum. Et hoc argumentum confirmat ab exemplo patrum hominum, per ratiocinationem à minori. Cujus ratiocinationis antecedens (nempe exemplum illud exauditionis patrum) illustrat enumeratione duarum specierum v.9.& 10. Tum argumentum concludit, v.11.

QUARTA PARTICULA.

Regula justitiæ generalis.

12 Quæcunque igitur volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis. Ista enim est Lex & Prophetæ.

Præscribit regulam justitiæ generalem, sumtam ex collatione similium: ut scil. ita nos erga proximum geramus, sicut vellemus illum se gerere erga nos. Hanc regulam confirmat testimonio Legis & Prophetarum.

QUINTA PARTICULA

De cavendis exemplis mundi.

13 Introite per angustam portam: quoniam lata est porta & spatiosa via quæ abducit in exitium, multique sunt qui introëunt per eam.

14 Quia angusta est porta, & stricta via quæ deducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniunt eam.

Exempla mundi (id est, maximæ hominum partis) cavenda, & contra cum pusillo grege pietatem colendam esse monet ab effectis: quia mundus impiâ suâ vitâ sibi accersat exitium; pietas autem, quam pauci sectantur, ducat ad vitam. Hanc admonitionem illustrat similitudine geminâ: unâ portæ, alterâ viæ: eandemque amplificat prolepsi, qua concedit impietatem carni esse jucundam, pietatem contra injucundam ac molestam; quorum utrumque significat per epitheta portæ ac viæ: dum appellat portam latam & viam spatiosam, item portam angustam & viam strictam.

SEXTA PARTICULA.

De cavendis pseudoprophetis.

15 Cavete verò vobis à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces.

16 A fructibus eorum agnoscetis eos, Num colligunt ex spinis uvam, aut ex tribulis ficus?

17 Ita omnis arbor bona fert fructus bonos, putris autem arbor fert fructus malos.

18 Non potest arbor bona fructus malos ferre, neque arbos putris fructus bonos ferre.

19 Quæcunque arbor non fert fructum bonum, exciditur, & in ignem conjicitur.

20 Nempe igitur ex fructibus ipsorum agnoscetis eos.

Pseudoprophetas seu falsos doctores (qui scilicet doctrinam pugnantem cum gloria Dei & salute hominum tradunt) cavendos esse, monet duobus argumentis: videl. ab adjuncto periculo & effectu pernicioso. Quod utrumq; significat per similitudinem: Periculum quidem per vestimenta ovium, id est, speciem simplicitatis in verbis & factis: perniciem verò per lupinam rapacitatem, v.15. Deinde docet, unde pseudoprophetæ sint agnoscendi, ut nimirum caveri possint. Significat autem, agnoscendos esse ex effectis, videl. ex effectis doctrinæ ipsorum: innuens, falsam doctrinam esse ex qua sequuntur manifeste falsa, pugnantia scil. expresse & aperte cum verbo Dei. Hanc sententiam illustrat similitudine fruticum & arborum: quæ similitudines speciem habent proverbiorum. Nam sicut ex spinis non colliguntur uvæ, nec ex tribulis ficus, nec ex arbore mala fructus boni: ita nec ex doctrina falsa colligitur doctrina vera, utilis ad gloriam Dei & salutem electorum, v.16.17.18. Simul etiam falsis doctoribus sub allata similitudine arboris malæ exitium æternum minatur, v.19.

SEPTIMA PARTICULA.

De studio pietatis cum professione nominis Christiani conjungendo.

21 Non quisquis dicit mihi, Domine, domine, introibit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est.

22 Multi dicent mihi in illo die, Domine, domine, nónne per nomen tuum prophetavimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus?

23 Tunc autem profitebor eis, Nunquam novi vos: discedite à me qui operamini iniquitatem.

A falsis doctoribus transit ad doctores hypocriticos: qui veram quidem doctrinam & ad gloriam Christi pertinentem tradunt, sed secundùm illam non vivunt. Hos significat non minùs ac illos, æterno exitio punitum iri: atque ita ab effectu isto pernicioso obliquè hortatur ad studium pietatis cum professione nominis Christiani conjungendum.

OCTAVA PARTICULA.

De studio præstandi hos sermones.

24 Quisquis igitur audit sermones meos istos, & eos præstat; assimilabo eum viro prudenti, qui ædificavit domum suam super petram:

25 Descendit autem pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & inciderunt domui illi: sed non cecidit: fundata enim fuerat super petram.

26 At quisquis audit sermones meos istos, & eos non præstat, assimilabitur viro fatuo, qui ædificavit domum suam super arenam:

27 Descendit autem pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & impegerunt in domum illam: & cecidit, & fuit casus ejus magnus.

Ad extremum, quasi per epilogum, hortatur Dominus auditores suos, ut studeant sermones à se auditos præstare: & contrà dehortatur ab incuria & securitate. Argumenta affert duorum generum; videlicet ab adjunctis & effectis: significans, studio illi adjunctum esse decus prudentiæ, securitati verò isti dedecus stultitiæ. Item ex illo studio oriri durabilem felicitatem: ex securitate verò illa ruinam atque interitum sempiternum. Quæ omnia significat sub similitudine viri ædificantis domum vel super petram, vel super arenam.

NONA PARTICULA.

Effectum præcedentis sermonis.

28 Et factum est, quum finisset Jesus sermones istos, percellebatur turba super doctrina ipsius.

29 Docebat enim eos ut habens authoritatem, & non ut scribæ.

Absoluto sermone Christi, narrat Evangelista effectum illius in turba quæ audierat, videlicet vehementem admirationem. Cujus causam specialem significat ex ipso docendi modo, quòd scilicet Dominus doceret ut habens authoritatem. Quam authoritatem illustrat antithesi dissimilium, videlicet modi quo in docendo utebantur scribæ.

SCHOLIA IN CAP. VII.

1 Ne judicate] μὴ κρίνετε. *Id est, Ne temere damnate proximum, sinistrè interpretantes dicta & facta illius. Synecdoche generis.* Ut ne judicemini] ἵνα μὴ κριθῆτε. *Quasi dicat: Alioquin accidet justo Dei judicio, punituri vos talione, ut alii quoq; vos damnent simili ratione.*

2 Quo enim judicio] ἐν ᾧ γὰρ κρίματι. *Præpositio* ἐν *redundat ex Hebraismo, ubi notat instrumentum aut modum agendi. Sic mox,* ἐν ᾧ μέτρῳ. Vicissim metientur] ἀντιμετρηθήσεται. *Impersonaliter. Græcæ phrasi respondet Germanica,* Wird euch wider gemessen werden. *Sententia est proverbialis: quâ propositum confirmatur testimonio vulgi.*

3 Aspicis] βλέπεις. *Id est, consideras.* Was besihestu? Festucam &c. τὸ κάρφος. *Id est, parvum vitium in vita proximi hærens.* Trabem] τὴν δοκὸν. *Id est, magnum vitium in te hærens.* Non animadvertis] οὐ κατανοεῖς. *Vel, non consideras. ut Luc.12. v.27.* κατανοήσατε τὰ κρίνα, *considerate lilia.*

4 Fratri] τῷ ἀδελφῷ. *Proximo.* Sine] ἄφες. *Mimesis.* Eximam] ἐκβάλω. *Id est,* ἵνα ἐκβάλω, *ut eximam. Ad verb. Ejiciam. Sed hoc verbum apud Latinos vehementiam atque impetum quendam connotat: qui non convenit actioni de qua hîc sermo. Quadrat autem verbum* Eximendi: *quod tum de re molesta, tum de actione molliore atq; placidiore usurpari solet, quâ res illa molesta aufertur & aliquis ea liberatur. Sic enim dicunt Latini: Eximere alicui curam, eximere alicui quod eum angit, eximere dubitationem, eximere lassitudinem, eximere scrupulum, eximere onus: ut apud Horat. de ebrietate.* Solicitis animis onus eximit. Et ecce] καὶ ἰδοὺ. *Id est, Quum tamen sit trabes in oculo tuo: id quod tibi inprimis fuerat considerandum.*

5 Dispicies] διαβλέψεις. *Id est, dispicito. Vel dispicere poteris. ut significetur, trabe illum impediri quò minùs jam possit dispicere. Veruntamen prior enallage videtur simplicior: cui etiam favet syntaxis Græca,* διαβλέψεις ἐκβαλεῖν: *Id est,* διάβλεψον ἵνα ἐκβάλῃς.

6 *Quod* sanctum *est*] τὸ ἅγιον. *Vel uno vocabulo,* Sanctum, *genere neutro. Sed quoniam illud fuisset ambiguum, perspicuitatis gratiâ adhibita est periphrasis. Intelligit autem res Deo consecratas: puta oblationes. Sic enim appellatur caro sancta; item panis, pulmentum, vinum, oleum, Hagg.2.v.12. Sed metaphoricè intelligit sanctas admonitiones ex verbo Dei.* Canibus] τοῖς κυσί. *Sic per metaphoram appellat homines impudentes, contemtores verbi Dei, qui pios sancta & salutaria monentes allatrant maledictis.* Margaritas] τοὺς μαργαρίτας. *Hâc metaphorâ significat verbi Dei pretium seu præstantiam.* Coram porcis] ἔμπροσθεν τῶν χοίρων. *Sic nominat impios & Epicuræos, qui instar porcorum sese volutant in cœno pecuniarum voluptatum.* Ne quando conculcent] μήποτε καταπατήσωσιν. *Id est, ne verbum Dei ipsis à vobis propositum blasphement.* Pedibus] ἐν τοῖς ποσὶν. *Præpositio* ἐν *redundat ex Hebraismo.*

braiſmo. Nos dicimus, Mit den füſſen. Lacerent vos] ῥήξωσιν ὑμᾶς. *Id eſt, vos lædant tum verbis tum factis.*

7 Petite] αἰτεῖτε. *Scil. à Deo quicquid vobis eſt opus.* Et dabitur] καὶ δοθήσεται. *Id eſt, Nam ſi petiveritis, dabitur. Sic deinceps. Hanc conſequentiam connexi in noſtra lingua ſignificamus per particulam* So: *dicentes,* Gebet / ſo wird euch gegeben werden. Quærite] ζητεῖτε. *Commoratio in eâdem re.*

8 Quisquis enim petit] πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν. *Scil. ex fide, & ſecundum voluntatem Dei. Etenim mater filiorum Zebedæi non impetravit à Chriſto quod petebat, quia non petebat ſecundum voluntatem Dei. Et Jacobus ait:* Petitis, & non accipitis: eò quòd malè petatis, ut in voluptates veſtras inſumatis, *cap. 4. v. 3. Item,* Ne exiſtimet homo ille (*nempe qui petit cum dubitatione*) ſe quicquam accepturum à Domino.

9 Aut] ἤ. *Transit ad alterum argumentum. Non igitur vertendum, Nam.*

12 Ita &c.] οὕτω καὶ *Redundat adverbium* οὕτω: *veruntamen notat argumentum ſimilium.* Iſta enim eſt Lex & Prophetæ] οὗτος γάρ &c. *Id eſt, Hæc eſt ſumma doctrina in Lege & Prophetis tradita de juſtitia erga proximum ſeu de dilectione proximi. Synecdoche generis. nam Lex & Prophetæ præcipiunt etiam de dilectione Dei: item tradunt promiſſiones gratiæ.*

13 Introite &c.] εἰσέλθετε. *Cælum comparat domui, cujus porta ſit anguſta, & via ad illam ſtricta; contrà infernum comparat domui, cujus porta ſit lata, & via ſpatioſa. Nomine anguſtiæ notat moleſtiam carnis quæ ſtudio pietatis adjuncta eſt: itemq́ue nomine latitudinis notat jucunditatem carnis quæ adjuncta eſt vitæ mundanæ. Cum hac doctrina & ſimilibus iſtis conſentit poëma illud Virgilianum de litera Pythagoræ: quod quidem poëma videtur factum eſſe ad imitationem loci Heſiodei lib. 1.* ἔργων καὶ ἡμερῶν, *qui incipit:* τὴν μὲν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐστιν ἑλέσθαι ῥηϊδίως, *&c.* Stricta] τεθλιμμένη. *Vel, arcta. Ad verb. Preſſa.*

15 A pſeudoprophetis] ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν. *Id eſt, à falſis doctoribus qui Eccleſiæ proponunt dogmata exitialia. Synecdoche ſpeciei.* In veſtimentis] ἐν ἐνδύμασι. *Sic malo, quàm, cum veſtimentis. quaſi dicatur: Induti veſtimentis. Atq; ſic loquitur Plinius:* In tunicis albis venerunt. *id eſt, tunicis albis induti.* Veſtimentis ovium] ἐνδύμασι προβάτων *Id eſt, veſtimentis quæ ſumta ſunt ab ovibus: niſi mavis, qualibus indutæ ſunt oves, In ſumma, pelles ovillas intelligit: ac per has metaphoricè ſignificat ſpeciem ſimplicitatis.* Intrinſecus ſunt lupi] ἔσωθεν εἰσὶ λύκοι. *Id eſt, ſub ſpecie ſimplicitatis occultant doctrinam exitialem.*

16 A fructibus eorum] ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν *Id eſt, ab effectis doctrinæ ipſorum. Nam ad vitam quod attinet: poteſt fieri ut quis malè vivat, & tamen bene doceat.* Num colligunt &c.] μήτι συλλέγουσιν *&c. Quaſi dicat: Sicut hoc non poteſt fieri; ita nec ex falſa doctrina poteſt colligi fructus bonus veræ pietatis, ſeu doctrinæ ſuadentis veram pietatem.*

19 Exciditur] ἐκκόπτεται. *Hîc obiter excidium minatur falſis iſtis prophetis ſeu doctoribus: ut ſic à falſa doctrina ſpargenda deterreat.*

21 Non quisquis &c.] οὐ πᾶς *&c. Quaſi dicat: Nec tamen ſatis eſt docere aut profiteri vera & ſalutaria & ad gloriam Dei pertinentia: ſed opus eſt ut vita doctrinæ ac profeſſioni ſit conformis. Non enim quisquis &c.* Quisquis dicit mihi, Domine domine] ὁ λέγων *&c. Id eſt, qui nomen meum plenis buccis confitetur.* Qui facit] ὁ ποιῶν. *Id eſt, facere ſtudet, nemo enim in hac vita eſt, qui facere poſſit perfectè.* Voluntatem patris mei] τὸ θέλημα τοῦ πατρός. *Id eſt; quod vult pater. Metonymia adjuncti: qualis in oratione Dominica,* Fiat voluntas tua: *hoc eſt, id quod tu vis, & te velle teſtatus es certo verbo.*

22 In illo die] ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. *In celebri illo die judicii univerſalis.* Per nomen tuum] τῷ σῷ ὀνόματι. *Dativus inſtrumenti: quaſi dicatur,* διὰ τοῦ ὀνόματός σου. *Pro quo aliâs dicitur ex more Hebræorum,* ἐν ὀνόματι, *vel* ἐπ᾽ ὀνόματι, *id eſt, in nomine. Senſus autem eſt: Freti mandato tuo, & facultate à te nobis ſuppeditatâ.* Dæmonia] δαιμόνια. *Id eſt, malos ſeu impuros ſpiritus, qui homines obſederant.* Virtutes] δυνάμεις. *Seu potentias, ſeu vires: Id eſt, miracula. Metonymia efficientis.*

23 Nunquam] ὅτι οὐδέποτε. *Conjunctio* ὅτι *ſervit mimeſi: aliâs otium agit.* Nunquam novi vos] οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς *Id eſt, Nunquam agnovi vos pro meis, nunquam vos dilexi. Synecdoche metonymica. Sic Pſal. 1.* Deus novit viam juſtorum: *Id eſt, diligit, approbat.* Qui operamini iniquitatem] οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν. *Id eſt, Qui operam datis iniquitati.*

24 Quisquis igitur audit ſermones meos iſtos] πᾶς οὖν ὅστις ἀκούει μου λόγους τούτους. *Pronomen* μου *trajectum eſt: nam regitur à ſequente nomine* λόγους. *quæ trajectio in N.T. crebrò occurrit. Sic iterum v. 26. Et hanc ſyntaxin obſervârunt vetus interpres & Syrus. D. Beza verò pronomen* μου *conjunxit cum verbo* ἀκούει: *ut qui verterit, Quisquis igitur audit ex me ſermones iſtos. Et ſanè diſertiores Græci ita loquuntur. Parum refert: ſenſus utrobiq; idem eſt.* Præſtat] ποιεῖ. *Ad verb. Facit. Facit ſermones, hoc eſt, ea quæ per ſermones præcipiuntur. Metonymia adjuncti, qualis paulo-antè, verſ. 21.* ὁ ποιῶν τὸ θέλημα.

25 Pluvia] ἡ βροχή. *A verbo* βρέχειν, *quod eſt madefacere: quia madefacit terram.* Sed non cecidit] καὶ οὐκ ἔπεσε. *Id eſt,* ἀλλ᾽ οὐκ ἔπεσε. *Nam eſt hic conſequens enuntiati diſcreti.*

26 At quisquis] καὶ πᾶς. *Pro,* πᾶς δέ. *Nam eſt antitheſis.*

28 Finiſſet] συνετέλεσεν. *Conſummaſſet, abſolviſſet.*

29 Authoritatem] ἐξουσίαν. *Vel poteſtatem, id eſt, cum magna libertate & alacritate ſpiritus.* Et non ut ſcribæ] καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς. *Id eſt, non ita frigidè. Syrus addit,* Et Phariſæi. *Qui quidem plerumq; Scribis ſolent adjungi.*

OBSERVAT. EX CAP. VII.

1 Ex verſ. 1. & 2. Siniſtra & temeraria judicia de proximo fugienda ſunt: tum ut ne ipſi ſimilia experiri juſto Dei judicio cogamur, tum quia regula juſtitiæ omnium cordibus inſculpta ſic præcipit, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

Judicia de proximo.

2 Ex v. 1. Ex verbis, *Ne judicate* Non eſt putandum, his verbis prohiberi judicia publica quæ exercentur per magiſtratus. Etenim de his Dominus hîc non loquitur: & ea alibi ſunt mandata, ut Rom. 13. ubi magiſtratus dicitur miniſter Dei: ſic autem dicitur, quatenus judicia exercet. Errant igitur Anabaptiſtæ qui contrarium opinantur.

Judicia publica ſunt licita.

3 Ex iisdem verbis. Nec putandum, his verbis damnari improbationem dictorum & factorum proximi quæ intelligimus pugnare cum Lege Dei: nam væ illis qui malum dicunt bonum, aut bonum malum, Eſa. 5. verſ. 20. Nec etiam reprehenſiones ſeu correctiones proximi peccantis: nam hæ à Deo præceptæ ſunt Levit. 19. v. 17. Infra c. 18 v. 15.

Judicia ſincera de dictis & factis proximi ſunt licita.

4 Ex v. 3. 4. 5. In proximo reprehendendo cavenda eſt iniquitas & hypocriſis: ne ſcil. vel amplificemus atque exaggeremus peccatum illius, ex feſtuca facientes trabem, ſeu (ut vulgari proverbio dicitur) ex muſca elephantum: néve iſtâ reprehenſione captemus laudem ſanctitatis, quaſi ſcilicet nos proximo ſanctiores eſſemus.

Proximi reprehendendi ratio.

5 Ex iisdem v. Agnoſcenda unicuique ac deploranda eſt innata ſibi hypocriſis: qua fit ut peccata proximi quantumvis exigua, facilè videamus ac damnemus: noſtra autem ipſorum, licet majora, vel prorſus non videamus, vel certè diſſimulemus, aut patefacta extenuemus. Hanc ingenii humani perverſitatem etiam ethnici agnoverunt. hinc illud:

ἅπαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί,
αὐτοὶ δ᾽ ὅταν σφαλῶμεν, οὐ γινώσκομεν.

Item ſententia illa proverbialis: *Non videmus manticæ quod in tergo eſt.*

Hypocriſis homini innata.

6 Ex v. 6. Contemtoribus verbi Dei non debemus illud proponere: tum quia illo indigni ſunt: tum quia periculum nobis abſque neceſſitate crearemus. Idem præceptum tradit Salomon Proverb. 9. v. 7. & 8. ubi ait: *Qui erudit deriſorem, recipit ſibi ignominiam: & qui corripit improbum, recipit convicium ſibi. Ne corripito deriſorem, ut non odio proſequatur te: corripe ſapientem, & amabit te.*

Contemtores verbi Dei.

7 Ex v. 7. 8. 9. 10. 11. Quoties ſentimus nos bono aliquo, ſive corporali ſive ſpirituali, egere: petamus à Deo; idq́; cum certa ſpe exauditionis ſeu impetrationis: dummodo petamus ſecundùm voluntatem Dei, 1. Joh. 5. 14. Id eſt, ea quæ pertinent inprimis ad gloriam Dei, tum deinde ad ſalutem noſtram æternam. Porrò ſpes exauditionis fundanda eſt in promiſſione Dei, & paterno ipſius erga nos favore, nec non in cæleſti ejus potentia: quæ argumenta omnia in hoc textu continentur.

Indigentia.

8 Ex v. 12. Regula juſtitiæ & officiorum erga proximum, quæ hîc traditur, probè tenenda & ſtudioſè obſervanda eſt. Cum qua conſentit illa vulgaris: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. quæ quidem monet de injuriis proximo non inferendis: ſicut illa Chriſti, de beneficiis in proximum conferendis.

Regula officiorum erga proximum.

9 Ex eodem verſu, ex verbis: *Iſta enim eſt Lex & Prophetæ.* Regula actionum noſtrarum eſt verbum Dei in ſacra Scriptura comprehenſum.

Actionum noſtrarum regula.

10 Ex v. 13. & 14. Exemplum vitæ non eſt petendum à multitudine.

Vitæ exemplum.

11 Ex iisdem v. Cavendum ne ad imitandam impietatem mundi allici nos patiamur vel hominum mundanorum multitudine, vel voluptatum mundanarum illecebris: néve à ſectanda pietate deterreri nos ſinamus vel piorum paucitate, vel moleſtiis atque ærumnis propter pietatem ſuſtinendis: ſed contrà ad pietatem colendam excitari debemus ſpe læti eventus, qui eſt vita æterna: ab impietate verò deterreri debemus metu eventus triſtis, videl. exitii æterni.

Mundi impietas cavenda.

12 Ex v. 15. Pſeudoprophetæ ſeu falſi doctores cavendi ſunt. Confer Act. 20. v. 28. & deinceps. 2. Theſſ. 2. v. 3. & deinceps. 1. Tim. 4. v. 1. & deinceps. 2. Pet. 2. per totum. 1. Joh. 4. v. 1.

Falſi doctores.

13 Ex v. 16. 17. 18. 19. 20. Falſi doctores agnoſcendi ſunt ex fructibus doctrinæ ipſorum. Nam ſi ex illorum doctrina ſequantur ſententiæ manifeſtè pugnantes cum verbo Dei ſcripto: neceſſe eſt ut illa ſit falſa. Etenim ex vero falſum concludi non poteſt. Exempli gratiâ, quidam hodie docent, corpus Chriſti eſſe in pane ſacræ cænæ. hinc ſequitur, illud non eſſe in cælo: quia quum ſit corpus noſtro ſimile quo ad ſubſtantiam, non poteſt ſimul eſſe in pluribus locis. At conſequens illud manifeſtè cum Scriptura pugnat: quæ teſtatur, corpus Chriſti nunc eſſe in cælo. Quare dogma illud de præſentia corporis Chriſti in pane ſacræ cænæ, falſum eſſe neceſſe eſt. Alii docent, corpus Chriſti eſſe ubique. hinc ſequitur, illud eſſe infinitum: id quod manifeſtè pugnat

cum testimonio Scripturæ, quòd Christus nobis similis sit factus per omnia, excepto peccato. Quare dogma illud de ubiquitate corporis Christi falsum esse necesse est. Item si corpus Christi ubique est, sequitur non solùm Deum ubique esse. id quod manifestè cum Scriptura pugnat: quæ ubiquitatem Deo tanquam propriam attribuit.

Professio nominis Christi. 14 Ex v. 21. 22. 23. Non est satis nomen Christi profiteri, & gloriam Christi docendo miraculisque edendis promovere: sed ut Deo placeas, vitamque æternam consequaris, opus est ut studeas obedire ipsius voluntati verbo patefactæ.

Verbi Dei auditio. 15 Ex v. 24. 25. 26. 27. Non est satis, verbum Dei audire: sed studendum ut eidem obediamus. hinc Christus alibi ajebat: *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt.* Et Paulus Rom. 2. v. 13. ait: *Non qui audiunt Legem, justi sunt apud Deum: sed qui Legem præstant, justificabuntur.* Sic hortatur Jacobus c. 1. v. 12. *Re ipsâ præstate sermonem; nec solis auditores solùm &c.*

Obedientia erga verbum Dei. 16 Ex v. 25. Qui seriò obedit verbo Dei, videl. tum credens Evangelio, tum vitam formans ex Lege: is per Dei gratiam in tentatioibus perseverat, atq; ita salutem æternam consequitur.

Verbi Dei ministerium. 17 Ex v. 28. & 29. Alacritas & peritia in docendo singulare Dei donum est. Quare doctores illud à Deo petant; & illud adepti, gratias Deo agant.

ANALYSIS CAP. VIII.

Argumentum.

Pergit Evangelista in narranda administratione muneris Prophetici Christi. Et quum hactenus per tria capita narraverit doctrinam Christi, deinceps narrat varia ejus miracula, quibus doctrinam suam confirmavit. Item sicut in tribus illis capitibus narravit doctrinam pertinentem ad explicationem Legis: ita deinceps narrat prædictiones de sua passione ac morte quæ pertinent ad doctrinam Evangelii: item prædictiones pœnarum Judæis eventurarum propter doctrinæ suæ contemtum: nec non reprehensiones illorum varias aliasq; actiones quasdam, quibus illi irritati, sæpenumero ac variis modis ei insidiati sunt, causam quærentes ipsius accusandi & opprimendi, donec eum tandem vi ad supplicium rapuerunt. Atq; hæc omnia promiscuè narrat usq; ad cap. 26. In hoc autem capite narrat miracula Christi quinq;: videl. sanationem leprosi, sanationem paralytici qui vel servus vel filius erat centurionis, sanationem socrus Petri, quæ febricitabat, sedationem tempestatis coortæ in mari, dum in illo unà cum discipulis navigaret, & ejectionem dæmoniorum è duobus dæmoniacis. Huic miraculorum narrationi inseruntur narratiunculæ aliæ duæ: una, de Scriba quodam, qui operam suam ad Dominum sequendum obtulerat, rejecto: altera, de quodam discipulo sine mora sequi jusso. Ita sunt in universum septem hujus capitis particulæ.

Prima particula.

Miraculum sanati leprosi.

Quum autem descendisset de monte, sequuta est eum turba multa.

2 Et ecce, leprosus veniens adoravit eum, dicens, Domine, si velis, potes me purgare.

3 Extensâque manu, tetigit eum Jesus, dicens, Volo, purgator. Statim igitur purgata fuit ejus lepra.

4 Tunc dicit ei Jesus, Vide *ut* nulli dicas: sed abi, ostende te sacerdoti, & offer donum illud quod imperavit Moses; in testimonium contra ipsos.

Narratio de sanato leproso continet sex membra: quæ sunt: 1. Circumstantia temporis. 2. Spectatores seu testes. 3. Causa impulsiva. 4. Causæ instrumentales. 5. Miraculum ipsum. 6. Adjuncta consecuta. Circumstantia temporis, quando scil. Christus leprosum hunc sanârit, indicatur his verbis: *Quum autem descendisset de monte.* Spectatores his: *Sequuta est eum turba multa.* Causa impulsiva fuit petitio leprosi, profecta ex fide: quæ recitatur v. 2. Causæ instrumentales, liberè quidem adhibitæ, indicantur duæ: contactus leprosi, & affirmatio de voluntate Christi: in principio versus tertii. Miraculum ipsum narratur in ejusdem versus fine. Adjuncta consecuta narrantur duo: interdictum divulgationis, & mandatum de ostensione apud sacerdotem, v. 4.

Secunda particula.

Miraculum sanati paralytici.

5 Ingressum autem Jesum in Capernaûm adiit centurio, precans eum.

6 Et dicens: Domine, puer meus decumbit domi paralyticus, & vehementer torquetur.

7 Tunc dicit ei Jesus, Ego veniam & sanabo eum.

8 Et respondens centurio, dixit; Domine, non sum dignus ut sub tectum meum ingrediaris: sed solùm dic *vel* verbum, tunc sanabitur puer meus.

9 Etenim ego sum homo sub potestate *constitutus*, & habeo sub me milites: & dico huic, Vade; & vadit: & alteri, Veni; & venit: & servo meo, Fac hoc; & facit.

10 *Hæc* autem quum audisset Jesus, miratus est: & ait iis qui sequebantur, Amen dico vobis, ne in Israël quidem tantam fidem inveni.

11 Dico autem vobis, multos ab Oriente & Occidente venturos, & accubituros cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum:

12 Filios verò regni ejectum iri in tenebras illas exteras. Illic erit fletus & stridor dentium.

13 Et dixit Jesus centurioni, Abi; & ut credidisti, fiat tibi. Sanatusq; est puer ejus eo ipso momento.

Narratio de sanato paralytico qui erat servus vel filius centurionis (nam nomen παῖς ambiguum est) continet membra quinque: quæ sunt: 1. Locus. 2. Causa impulsiva. 3. Adjuncta antecedentia. 4. Causa instrumentalis. 5. Miraculum ipsum. Locus ubi Christus hoc miraculum edidit, fuit Capernaûm, in principio v. 5. Causa impulsiva quæ Christum ad hoc miraculum edendum movit, fuit petitio centurionis: cujus ille paralyticus vel servus vel filius erat. Hæc narratur reliquâ parte v. 5. & v. 6. toto. Adjuncta quæ miraculum antecesserunt, narrantur tria. Quorum primum est promissio Christi de illo sanando, v. 7. Secundum est exceptio centurionis contra auditam promissionem: quâ exceptione confitetur tum suam indignitatem, tum suam fidem de Christi potentia in paralytico illo cùrando, v. 8. ac potentiæ illius affirmationem confirmat à suo ipsius exemplo per ratiocinationem à minori, v. 9. Tertium adjunctum continet illius confessionis effecta in Christo: quæ commemorantur tria. Primùm admiratio fidei illius, in principio vers. 10. deinde ejusdem fidei prædicatio apud præsentes, reliquâ parte v. 10. postremò vaticinium Christi, per istius exempli occasionem, tum de Gentium vocatione, vers. 11. tum de Judæorum rejectione, vers. 12. Atque hæc de adjunctis quæ miraculum hoc antecesserunt: jam causa instrumentalis indicatur in principio vers. 13. videl. declaratio voluntatis Christi. Cui mox adjungitur ipsum miraculum in fine ejusdem versus.

Tertia particula.

Miraculum sanatæ socrus Petri.

14 Et quum venisset Jesus domum Petri, vidit socrum ejus decumbentem & febricitantem.

15 Tetigitque manum ejus, & dimisit eam febris: & surrexit ac ministravit eis.

16 Quum autem serum *diei* esset, obtulerunt ei dæmoniacos multos: & ejecit spiritus verbo, omnesque male-affectos sanavit.

17 Ut impleretur quod dictum est per Esaiam prophetam, dicentem, Ipse invaletudines nostras suscepit, & morbos portavit.

Narratio de sanata socru Petri febricitante continet membra quatuor, quæ sunt: Locus, causa instrumentalis seu modus agendi, miraculum ipsum, effecta sanatæ proximè consecuta. Locus indicatur tum communis, domus Petri: tum proprius, lectus in quo socrus Petri decumbebat. Causa instrumentalis seu modus agendi, fuit contactus manus mulieris sanandæ. Miraculum ipsum, quòd ad illum contactum dimisit eam febris. Effecta consecuta duo, quòd surrexit, ac eis ministravit, apparando scil. cænam. Porrò huic narrationi conjungit propter loci identitatum, narratiunculam generalem seu indefinitam de sanatis aliis multis; quam narratiunculam illustrat primùm mentione temporis, videl. vesperæ, v. 16. deinde causæ finalis seu consilii divini, suâ providentiâ rem illam gubernantis, videl. ut impleretur quod per Esaiam cap. 53. prædictum fuit de Christo; atque ita hac notâ confirmaretur, Jesum esse Christum, v. 17.

Quarta particula.

Rejectio Scribæ cujusdam.

18 Quum vidisset autem Jesus turbam multam circum sese, jussit ut abiretur in ulteriorem *ripam.*

19 Et quum accessisset quidam Scriba, dixit ei; Magister, sequar te quocunq; abieris.

20 Tunc dicit ei Jesus, Vulpes lustra habent; & volucres cæli, nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

Narratio de rejecto Scriba continet tria membra. quorum primum est occasio qua Scriba ille fuit adductus ad operam suam Domino offerendam, videl. quòd videret Dominum parare abitum cum discipulis relictâ turbâ, v. 18. Secundum membrum est Scribæ illius petitio, qua nimirum petit ut in numerum discipulorum atque adeò in contubernium Christi recipiatur, haud dubiè ad prædicandum Evangelium una cum illis, vers. 19.

vers.19. Tertium membrum est Domini recusatio, obliqua illa quidem, quatenus miserabilem suum secundùm carnem statum exponens, significat, hoc vitæ genus illi non placiturum, ac proinde illum citò pedem relaturum, v.20. Cæterùm suam egestatem amplificat collatione minorum per antithesin, admodum σταθμητικῶς: quòd videl. vulpium & avium minùs sit miserabilis conditio quàm sua: quippe quum vulpes habeant sua lustra, & aves suos nidos: se autem non habere vel lectum aut pulvinum in quo caput reclinet: sed res ejusmodi ad corporis usum necessarias ab aliis quasi precariò accipere.

QUINTA PARTICULA.

Discipulus quidam sine mora sequi jussus.

21 Alius autem ex discipulis ejus dixit ei; Domine, permitte mihi primùm abire, & sepelire patrem meum.

22 Jesus autem dixit ei, Sequere me, & sine ut mortui sepeliant mortuos suos.

Narratio de discipulo sine mora sequi jusso, continet duo membra: petitionem illius qua petebat dilationem, & recusationem Christi. Petitio amplificatur expositione causæ, videl. ut sepeliat patrem, v.21. Recusatio amplificatur refutatione causæ allatæ: qua innuit Christus, officium illud pietatis nec ab illo discipulo necessariò requiri, quum sint alii (videl. propinqui) qui id præstare possint ac debeant: nec tanti esse ut propter ipsum sit differenda institutio illius atque informatio ad Evangelium prædicandum: quippe quum officium illud præstari possit etiam à mortuis, id est, hominibus destitutis vitâ Dei quæ manat ex vera in Christum fide.

SEXTA PARTICULA.

Miraculum sedatæ tempestatis in mari.

23 Et quum esset ingressus navigium, sequuti sunt eum discipuli ejus.

24 Et ecce, concussio magna orta est in mari, adeò ut navis operiretur fluctibus: ipse verò dormiebat.

25 Et accedentes discipuli ejus excitaverunt eum, dicentes: Domine serva nos, perimus.

26 Et dicit eis, Quid timidi estis, ô exiguâ fide præditi? Tunc experrectus objurgavit ventos & mare: & facta est tranquillitas magna.

27 Homines verò mirati sunt, dicentes; Qualis est iste, quòd venti quoq; & mare auscultant ei?

Narratio de sedatione tempestatis in mari, continet membra novem: quæ sunt: 1. Tempus. 2. Spectatores seu testes. 3. Descriptio tempestatis. 4. Causa corrumpens sedationis. 5. Præparatio à discipulis. 6. Præparatio ab ipso Christo. 7. Causa instrumentalis seu modus agendi. 8. Miraculum ipsum. 9. Effectum illius in spectatoribus. Tempus significatur parte priore v.23. his verbis, *Et cùm esset ingressus navigium.* Ergò accidit hoc miraculum quum Dominus una cum discipulis navigio veheretur in mari, videl. in lacu Tiberiadis sive Genesareth. Spectatores sive testes hujus miraculi fuerunt tum ipsi discipuli, tum alii: videl. qui vehebantur unà in navigiolis aliis, ut est apud Marcum. Discipulorum fit mentio alterâ parte v.23. item v.25. Aliorum illorum fit mentio vers.27. sub vocabulo quidem generali, *Homines*: sed quod in Græco per articuli præpositionem restringitur ad homines illos qui tum erant Domino propinqui, & una cum eo in aliis navigiolis vehebantur dicitur enim, οἱ δὲ ἄνθρωποι.

Descriptio tempestatis v.24. constat è causa procreante & effectu. Causa procreans fuit concussio maris à ventis. Effectus, coopertio navis à fluctibus. Causa corrumpens sedationis, id est, quæ sedationem ad tempus impedivit, fuit somnus Christi, in fine v.24.

Præparatio à discipulis, id est, qua discipuli Dominum ad hoc miraculum præpararunt, constat partibus duabus, quarum prior fuit remotio causæ corrumpentis, videl. excitatio Christi: posterior, causa impulsiva, nempe imploratio opis. v.25. Præparatio ab ipso Christo, id est, qua Christus se ipse ad hoc miraculum præparavit atque accinxit, fuit objurgatio discipulorum ob pusillanimitatem: qua objurgatione implicitè opem illis promisit, atque ita animos eorum in spem salutis erexit, in principio v.26. Causa instrumentalis seu modus agendi quem Christus in sedanda tempestate adhibuit, fuit objurgatio ventorum & maris, in medio v.26. Miraculum ipsum indicatur in ejusdem versus fine, his verbis, *Et facta est* (nempe ad illam Christi objurgationem) *tranquillitas magna.* Effectum miraculi in spectatoribus, fuit admiratio potentiæ Christi, & prædicatio, exornata mimesi seu prosopopœiâ, v.27.

SEPTIMA PARTICULA.

Miraculum ejectorum dæmoniorum.

28 Et quum venisset ad ulteriorem *ripam*, in regionem Gergesenorum, occurrerunt ei duo dæmoniaci, è monumentis prodeuntes, sævi valde: adeò ut non valeret quisquam præterire per viam illam.

29 Et ecce clamarunt, dicentes, Quid nobis tecum Jesu, fili Dei? Venisti huc ad torquendum nos ante tempus?

30 Erat autem longè ab eis grex porcorum multorum pascens.

31 Dæmones verò precabantur eum, dicentes; Si ejicis nos, permitte nobis abire in illum gregem porcorum.

32 Et ait eis, Abite: Illi verò egressi, abierunt in illum gregem porcorum: & ecce, ruit totus ille grex porcorum è præcipitio in mare; & mortui sunt in aquis.

33 Pastores autem fugerunt: & quum abiissent in urbem, renuntiarunt omnia, & quæ dæmoniacis facta fuerant.

34 Tunc ecce, tota urbs exivit in occursum Jesu: & quum vidissent eum, rogarunt ut digrederetur à finibus ipsorum.

Narratio de ejectis dæmoniis è duobus dæmoniacis continet membra septem, quæ sunt: 1. Locus ubi hæc res gesta est. 2. Constitutio miserabilis illorum dæmoniacorum. 3. Causa corrumpens, quæ videbatur ejectionem istorum dæmoniorum impeditura. 4. Præparatio ad ejectionem. 5. Causa instrumentalis seu modus agendi. 6. Miraculum ipsum. 7. Eventa. Locus indicatur tum communis, regio Gergesenorum: tum proprius, vicinia monumentorum, sitorum extra urbem ad viam, vers.28. Constitutio miserabilis illorum dæmoniacorum significatur, ex adjuncta sævitia: quæ ipsa amplificatur ab effectu, videl. prohibitione iter facientium, eodem versu.

Causa corrumpens quæ videbatur ejectionem impeditura, fuit dæmoniorum istorum deprecatio, v.29. cujus duæ sunt partes, deprecatio ipsa & ratio illius. Deprecatio continet confessionem personæ Christi. Ratio deprecationis sumta est à decreto Dei, tanquam causâ procreante tormentorum dæmoniis eventurorum. Negant enim jam advenisse tempus quo decretum illud sit exsequendum: ac proinde iniquum fore si à Christo jubeantur abire in infernum, locum scil. tormentis illis destinatum: contrà autem æquum esse, ut sibi permittatur libertas versandi in hoc aëre & homines vexandi.

Præparatio ad ejectionem fuit petitio dæmoniorum illorum, qua petiverunt à Christo ut sibi permitteret ingredi in porcos illac in vicinia pascentes, v.30. & 31. Causa instrumentalis seu modus agendi, fuit permissio Christi qua dæmoniis permisit quod petiverant, dicens, *Abite*, in principio v.32. Miraculum ipsum exponitur ibid. his verbis. *Illi verò egressi abierunt.* Eventa ejectionem hanc consecuta narrantur tria, & quidem in personis diversis. Primum in ipsis dæmoniis: quæ ingressa in illos porcos, submerserunt eos in mari, v.32. Secundum in pastoribus qui fugientes in urbem ista renuntiarunt, v.33. Tertium in urbis incolis, qui egressi Jesum rogarunt ut discederet.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

1 De monte] ἀπὸ τοῦ ὄρους. *Nempe ubi habuerat sermonem, qui continetur tribus præcedentibus capitibus: cujus montis mentio fuit facta in principio capitis quinti. Græcum, igitur est* σαφέστερον. *propter articulũ* ἀναφορικόν. *Sic Germanicè,* **vom berg** / *id est,* **von dem berg.** Sequuta est eum] ἠκολούθησαν αὐτῷ. *In Græco repetitur* αὐτῷ *per pleonasmum Hebr. Similis repetitio occurret infr. v.5.*

2 Et ecce] καὶ ἰδού. *Nota rei memorabilis ex improviso oblatæ.* Veniens] ἐλθών, *Scil. in quadam urbium illarum, videl. Galilææ: ut est apud Lucam c.5. v.12. Ne quis putet leprosum hunc sanatum esse in via, quum modò descendisset Dominus de monte.* Adoravit eum] προσεκύνει αὐτῷ. *Videl. gestu, puta flectens genua; vel prostratus ad illius pedes.* Purgare] καθαρίσαι. *Videl. à lepra.*

3 Extensâque manu] καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα. *Nempe* τὴν ἑαυτοῦ. *quod innuit articulus. Id est, extento brachio, & quidem (ut probabile est) dextero. Synecdoche duplex: prior, membri; posterior, generis.* Volo] θέλω. *Scil. purgare te.* Statim igitur] καὶ εὐθέως. *Conjunctio copulativa pro illativa. Narratur enim hic, quid ex verbis à Christo pronuntiatis secutum ac per illa effectum sit.* Purgata fuit ejus lepra] ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα. *Id est, Purgatus fuit ille à lepra. Hypallage.*

4 Tunc dicit] καὶ λέγει. *Conjunctio copulativa pro relativa temporis.* Vide *ut* nulli dicas] ὅρα μηδενὶ εἴπῃς. *Pro,* ἵνα μηδενὶ εἴπῃς. *Videtur hoc interdictum non accipiendum simpliciter, sed secundùm quid: scil. ne divulget hoc miraculum antequam se ostenderet sacerdoti. nam periculum erat, ne si sacerdos famâ accepisset, hunc esse purgatum à Jesu, falsum judiciũ de ipsius purgatione pronuntiaret, ex odio Jesu. Hanc expositionem videtur innuere ipsa antithesis.* Imperavit] προσέταξε. *Seu, injunxit: videl. offerendum ab iis qui à lepra essent purgati: quæ lex exstat Levit.14.* In testimonium contra ipsos] εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. *Id est, ut fater-*

dotes, cæteriq́ illis addicti, hostes mei, per illud judicium sacerdotis qui te mundum pronuntiaturus est, convincantur impietatis, quòd nolunt in me credere: quum tamen ex hoc opere aliisq́ plurimis huic similibus cogantur agnoscere divinam meam potentiam, adeoq́ potentiam Messiæ propriam & de Messia per Prophetas prædictam. Est autem hæc clausula annexa per ἐπιφώνημα: nec refertur ad consilium illius qui se debuit ostendere sacerdoti: neq́ ad consilium præcipientis Mosis, sed ad consilium Christi qui hoc ipsum illi imperabat. Quasi dicat, Hoc autem volo fieri in testimonium contra ipsos. Etenim præpositio εἰς notat finem seu causam finalem, ut aliàs sæpe. Sic Johan.1.v.7. de Johanne Baptista dicitur, Is venit εἰς μαρτύριον, in testimonium: id est, ad dandum testimonium: sicut mox ibidem declaratur per hæc verba, Ut testaretur de luce. Dativus autem αὐτοῖς hoc loco respondet Hebrææ voci בָּהֶם bahém literâ ב Béth valente præpositionem Contra. Est enim hæc phrasis (Testificari contra aliquem) in Scriptura usitatissima: in qua quidem Græci interpretes præpositionem ב Béth cum pronomine affixo, ferè reddiderunt per pronomen dativi casus. Cujus rei exempla, qui volet, videat Deut. 32. vers. 46. 2.Sam.8.vers.9.1.Reg.2.v.42. Psal.50.v.7. Ac eodem sensu hanc phrasin videtur usurpasse Paulus Gal.5.v.3. ubi ait: μαρτύρομαι δὲ πάλιν παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ. Id est, Testificor autem rursus contra omnem hominem qui circumciditur. Et sic hanc phrasin expressit D. Beza Marc.13.v.9. item Jacob.5.v.3. ubi similiter & Syrus. Porrò phrasis ista in N.T. sæpe recurrit. Esse autē hāc significationem istius dativi αὐτοῖς: ex eo quoq́ percipitur, quòd apud Lucam c.9.v.5. resolvitur in ἐπ' αὐτούς, id est, contra eos. nam ἐπὶ illic respondet Hebræorum præpositioni עַל hhál. Sic enim ibi legitur: Et quicunque non receperunt vos: exeuntes ex urbe illa, etiam pulverem à pedibus vestris excutite, εἰς μαρτύριον ἐπ' αὐτούς, in testimonium contra ipsos.

5 Adiit] προσῆλθεν αὐτῷ. Relativum αὐτῷ redundat, ut sup. v.1.

6 Puer meus] ὁ παῖς μου. Ambiguum est, sitne hoc loco nomine παιδὸς intelligendus servus an filius. Sanè si hæc historia eadem sit cum illa quam narrat Lucas c.7.v.1. & deinceps: tum citra controversiam nomine παιδὸς significabitur hoc loco servus: ut liquet ex capitis citati v.3. & 10. ubi iste παῖς, cujus sanatio illic narratur, appellatur δοῦλος. Verùm etsi historia illa huic in multis sit persimilis: tamen eadem esse haud videtur. Etenim duæ istæ historiæ videntur gestæ diversis temporibus. nam hæc quam narrat Matthæus, gesta est proximè post sermonem illum prolixū habitum à Domino in monte, ut patet ex hujus capitis principio & præsentis historiæ connexione cum proxime-præcedente: idq́ ante sanatum paralyticum illum qui in lecto ad Dominum deportatus fuit, ut liquet ex collatione cap.9. in principio. At historia quam in princ.cap.7. narrat Lucas, accidit post sanatum illū de quo modò diximus, paralyticum: quippe cujus historiam narrat Lucas c.5. Deinde differunt duo isti cēturiones in modo agendi. nam centurio hic apud Matthæum, ipse Christum adiit, & illum pro puero suo precatus est: at ille apud Lucam pro se misit ad illum seniores Judæorum, qui pro ipso Dominum rogarunt. Item, huic promittit Christus, se venturum domum illius: at illic auditis legatis, statim profectus fuit. Item, huic dicit Dominus: Abi, & ut credidisti fiat tibi: at illic hoc neq́ dictum narratur, neq́ dici potuit: quia ille ad Christum non accesserat, sed domi se continuerat. Interim alia quadam similia habent: ut quòd utrāq́ accidit Capernaümi: quòd uterq́ centurio negat se dignum esse sub cujus tectum ingrediatur Christus: item, quòd uterq́ iisdem verbis exponit suam fidē de potentia Christi: deniq́ quòd Christus utriusq́ fidem admiratur & prædicat iisdem verbis. Veruntamen hæc similitudo non evincit historiæ identitatem: quippe quam prorsus tollit diversitas circumstantiarum indicata. Etenim possunt quidem similia fieri diversis temporibus & à diversis personis & apud diversas personas: sed ut una & eadem actio (numero inquā eadem) facta sit temporibus diversis, & ut uno eodemq́ tempore homo quispiam fuerit in diversis locis, videlicet domi suæ & extra domū: id verò simpliciter impossibile est. Sic simillimi inter se sunt sermo Christi quem describit Matthæus per tria capita, quintum, sextum & septimū: & ille quem describit Lucas c.6. à v.20. usq́ ad fin. Et tamē esse duos illos sermones diversos, patet à ex eo: quòd sermo quem describit Matthæus, habitus fuit in monte, ut liquet ex c.5.v.1. at ille quem describit Lucas, habitus fuit in loco campestri, ut videre est apud Lucam c.6.v.17. Item quòd sermo ille apud Matthæum habitus est antequam Dominus sanavit paralyticum in lecto ad se deportatum, ut liquet ex collatione cap.9. cum præcedentibus: at sermo ille apud Lucam habitus est postquā Dominus paralyticum illum sanavit, ut patet ex collatione c.6. cum 5. Quòd autem discrepantiam locorum quæ significatur per verba Adiit, apud Matthæum; & Misit ad eum seniores Judæorum, apud Lucam: nonnulli ita tollere conantur, ut exponant; adiisse per nuntios illos: coactum est; & huic expositioni manifestè refragatur, quod Matthæus postea narrat, Dominum dixisse illi centurioni: Abi. at quomodo potuit abire, si ad Christum non venerat, sed domi se continuerat? Quod si excipiat aliquis, hoc dictū esse non ipsi centurioni, sed ipsius legatis: is textui apertè vim fecerit. Neq́ enim violentam hanc expositionem ferrent verba continenter annexa, Et ut credidisti, fiat tibi: quæ ad centurionem propriè pertinere, ex præcedentibus planum est. Decumbit] βέβληται. Ad verbum, Projectus est. Metonymia efficientis. Magis autem hîc convenit verbum Decumbendi, quia sermo est de ægroto.

7 Veniam & sanabo] ἐλθὼν θεραπεύσω. Id est, ἐλεύσομαι καὶ θεραπεύσω. nam utrumq́ promittit. Sanabo] θεραπεύσω. Ad verb. Curabo. Pro, ἰάσω. Metonymia efficientis καταχρηστική. nam non erat adhibiturus curationem qualem adhibent medici ex rebus naturalibus: quæ verbo θεραπεύειν significari solet.

8 Dignus] ἱκανός. Ad verb. Sufficiens seu idoneus. Dic vel verbum] εἰπὲ λόγον. Id est, vel uno verbo præcipe. Amplificatio à minori. q.d. Vel uno verbo poteris puerum meum sanare; quantò magis si adhibeas verba plura: aut curam aliquam laboriosam?

10 Miratus est] ἐθαύμασε. Nempe quòd centurio ille tantâ fide esset præditus. nam hoc mirum erat in homine ethnico. Ne in Israel quidē] οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραήλ. Ne quidem, sunt notæ majoris. q.d. Multò minùs probabile erat, me tantam fidem reperturū in homine ethnico. Porrò Israëlis nomine per meton. effic. intelligit Israëlitas.

11 Ab Oriente & Occidente] ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν. Ad verb. Ab ortibus & occasibus: scil. solis, h.e. ab iis mundi plagis ubi sol oritur & occidit. Metonymia adjuncti. Plurali autem numero Græci utuntur ad notandum ortum triplicem, itemq́ occasum triplicem. Sic enim ab Arist. de mundo c.4. distinguuntur αἱ ἀνατολαὶ in θερινάς, ἰσημερινὰς & χειμερινάς: id est, in ortus æstivos, æquinoctiales & hybernos. Eadem autem est ratio atq́ proportio τῶν δυσμῶν, i.e. occasuum, Accubituros cum Abraham &c.] ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ &c. Id est, gaudiis cælestibus fruituros. Metaphora synecdochica à rebus humanis: nam homines præcipuè gaudiis & hilaritati dant operam in conviviis, maximè solennibus, ut nuptialibus. In regno cælorum] ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. Id est, in regno Dei quo pii plenè fruentur in cælo. Nam in hac vita est regnum gratiæ: post hanc verò, gloriæ: in quorum illo gaudia incipiunt, in isto consummantur.

12 Filios verò regni] οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας. Id est, Judæos qui hactenus per aliquot secula ad regnum illud cælorum vocati sunt & vocantur. In Græco articulus τῆς est ἀναφορικός: Intelligitur enim, τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας, cujus modò facta mentio. In tenebras illas exteras] εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον. Id est, τὸ ἔξω τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν: quæ sunt extra regnum cælorum, seu extra cælum. Periphrasis inferni sive orci.

14 Domum Petri] εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ Πέτρου. Marcus addit, Et Andreæ. Habitārunt ergo unà duo illi fratres. Et fuit illa domus in urbe Capernaüm: ut colligitur ex serie historiæ tum hîc, tum clariùs apud Marc.1.v.29. & Luc.4.v.38. Decumbentem] βεβλημένην. Ut sup. v.6. Fabricitantem] πυρέσσουσαν. Græcum verbum originem habet ἀπὸ τοῦ πυρός, ab igne: Latinum (ut videtur) à fervore. Lucas ait detentam fuisse febri magnâ.

15 Tetigitque &c. καὶ ἥψατο. Scil. posteaquam pro illa rogassent qui aderant: puta Petrus, Andreas, Jacobus & Johannes: ut narrant Marcus & Lucas. Item adhibitâ objurgatione, ut ait Lucas. Surrexit] ἠγέρθη. Scil. statim: ut addunt Marcus & Lucas. Ministravit eis] διηκόνει αὐτοῖς. Videl. apparando ac præbendo cibum. Synecdoche generis: qualis sup.4.11.

16 Quum autem serum diei esset] ὀψίας δὲ γενομένης. In Græco est ellipsis gemina. nam ad nomen ὀψίας subauditur nomen ὥρας: & rursum ὥρα ὀψία, id est, tempus serum, intelligitur tempus serum diei. τῆς ἡμέρας. Nomen ὥρας legitur additum Marc.11.v.11. ὀψίας ἤδη οὔσης τῆς ὥρας: quum tempus diei jam esset serum: id est, quum jam esset vespera. Spiritus] τὰ πνεύματα. Videl. spiritus impuros, τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα: id quod innuit articulus. Verbo] λόγῳ. Id est, mandato. Synecdoche generis. Sanavit] ἐθεράπευσεν. Vide sup. v.7.

17 Ut impleretur] ὅπως πληρωθῇ. Hoc annectitur per ἐπιφώνημα. Quasi interposita sint hæc verba. τοῦτο δὲ γέγονε. Hoc autem accidit, nimirum providentiâ Dei. Confer supr.1.22. & c.2.v.15. & 23. Per Esaiam] διὰ Ἠσαΐου, Videl. cap.53.v.4. ubi sic legitur: Veruntamen morbos nostros ipse pertulit, & dolores nostros bajulavit. Sed oritur hîc dubitatio, quomodo dicat Evangelista illam prophetiam esse impletam, quum Jesus sanaret ægrotos: quum tamen Propheta non videatur loqui de morbis qui hærent in corporibus aliorum, sed de dolorib. & cruciatibus quos in corpore & anima sua sensurus erat Christus propter nostra peccata. nam quum nominat morbos nostros & dolores nostros: intelligit nobis debitos propter peccata. Sunt qui ita interpretentur, quasi illis verbis utrumq́ significetur: videl. Christum cùm morbos & infirmitates humanas, tum earum causas gratiosè ex hominibus exemturum, videl dum propter illorum peccata dolores sit passurus: Sed nescio an ratio & consuetudo loquendi duplicem ejusmodi sensum admittat. Mihi videtur simplex ac genuinus esse sensus verborum Prophetæ, is quem attuli: (qui quidem confirmatur allegatione Petri, 1.Pet.2.v.24.) Hoc autem loco μετωνυμικῶς usurpari verbum Impleretur: pro eo quod est, Ut significaretur per hunc Jesum impletum iri id quod dictum est per Esaiam &c. Etenim sanatio illa morborum corporalium, quasi symbolum erat sanationis morborum spiritualium per hunc Jesum suo tempore perficiendæ, patiendo videl. dolores nobis propter peccata debitos. suscepit] ἔλαβε. Nempe in se. Ad verb. Accepit.

18 Jussit] ἐκέλευσεν. Scil. Discipulos. Ut abiretur] ἀπελθεῖν. Id est, ut abirent secum. Confer v.23. In ulteriorem ripam] εἰς τὸ πέραν.

πέραν. Subaudi μέρος, scil. τοῦ ποταμοῦ: Id est, in eam fluminis partem quæ erat trans.

19 Quidam] εἷς. *Ad verb.* Unus. *Pro τὶς infinito: Sic Germani quoque loquuntur: item Galli & Itali: ac inprimis Hebræi & Syri.*

20 Volucres cæli] τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. *Ut sup. 6. v. 26.* Nidos] κατασκηνώσεις. *Propriè, tabernaculorum collationes. Metonymia efficientis, & metaphora κατάχρηστική.* Filius autem hominis] ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Periphrasis suiipsius à causa procreante. Estque synecdoche generis: quæ tamen restringitur ad speciem individuam per articulum.*

21 Primùm] πρῶτον. *Scil. antequàm te sequar.*

22 Ut mortui sepeliant mortuos suos] τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς. *Elegans paragramma seu antanaclasis, præbens speciem sententiæ impossibilis. quomodo enim qui mortui sunt possunt sepelire alios mortuos? Nempe qui mortui sunt spiritualiter, possunt sepelire eos qui mortui sunt corporaliter. Et hoc sentit Dominus. Affine est illud 1. Tim. 5. v. 6.* Quæ in luxu vivit (*vidua*) ea vivens mortua est, ζῶσα τέθνηκε. *Nempe vivens corporaliter, mortua est spiritualiter. Porrò spiritualiter mortui dicuntur, qui nondum regenerati per Spiritum S. nullas habent vires ad bene operandum; nec sentiunt gratiam Dei, qui sensus est initium vitæ æternæ: sed adhuc hærent in peccato & morte æterna.*

23 Sequuti sunt eum] ἠκολούθησαν αὐτῷ. *In Græco præcedit alterum αὐτῷ: quare hoc posterius πλεονάζει.*

24 In mari] ἐν τῇ θαλάσσῃ. *Videl. in lacu Tiberiadis seu Genesareth: qui nominatur mare ex consuetudine Hebræorum.*

25 Perimus] ἀπολλύμεθα. *Id est, Nam alioquin perimus. Ellipsis conjunctionis causalis: quàm parere solet metus in ejusmodi periculis.*

26 Quid?] τί. *Id est, Quare.* διὰ τί; Tranquillitas] γαλήνη. *Tradunt Grammatici, γαλήνην propriè dici de maris tranquillitate: νηνεμίαν verò de serenitate aëris. At Homerus videtur his vocabulis usus promiscuè. ut Odyss. ε.*

Καὶ τότ' ἔπειτ' ἄνεμος μὲν ἐπαύσατο, ἠδὲ γαλήνη
Ἔπλετο νηνεμίη.

ubi ventorum flatui opponitur utrumque, & γαλήνη & νηνεμίη. Idem Odyss. κ. in descriptione portus Læstrygoniæ inter alia dicit:

Οὐ μὲν γάρ ποτ' ἀέξετο κῦμά γ' ἐν αὐτῷ,
Οὔτε μέγ' οὔτ' ὀλίγον, λευκὴ δ' ἦν ἀμφὶ γαλήνη.

ubi fluctibus quidem opponit γαλήνην, atque ita eam tribuit mari: veruntamen dum eandem appellat λευκὴν, albam seu candidam, videtur intelligere de cælo seu aëre. Atque illo epitheto videri potest innuere voluisse originem nominis γαλήνη. quasi scil. ortum sit à nomine γάλα, id est, lac: quum nimirum aër est lacteus, id est, albus. Quod quidem etymon ab Eustathio tradi refert Henr. Stephanus: sed improbat: mavultque γαλήνην dictam quasi γελαλήνην; videl. παρὰ τὸ γελᾶν, à ridendo: quòd scil. aër, quum tranquillus & serenus est, quasi vultu sereno rideat.

27 Qualis] ποταπός. *Qualis & quantus?*

28 Gergesenorum] Γεργεσηνῶν. *Pro hoc habetur Γαδαρηνῶν, id est, Gadarenorum, Marc. 5. 1, & Luc. 8. 26. Annotat Tremellius, oppida fuisse diversa, Gadaram & Gergessam sive Gerassam: sed ambo vicina, ad lacum Genesareth sita, & eorum fines commixtos: ut quum in horum regionem venisse Christus legitur, in illorum quoque regionem venisse intelligendus sit.* E monumentis] ἐκ τῶν μνημείων. *Id est, è sepulchris. Synecdoche generis.*

29 Quid nobis tecum?] τί ἡμῖν καὶ σοί; *Ad verb. Quid nobis & tibi? Id est, Quid nobis tecum negotii est? quasi dicant, Fac nos missos.* **Laaß vns mit friden.** *Sic Dominus ajebat matri,* τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι; *Johan. 2. v. 4.* Ante tempus] πρὸ καιροῦ. *Videl. nobis torquendis destinatum à Deo.* Ad torquendum] βασανίσαι. *Pro, τοῦ βασανίσαι: scil. ἕνεκα. Vel εἰς τὸ βασανίσαι. Intelligunt cruciatus infernales: qui nomine βασάνων appellantur quoque Luc. 16. v. 23. Et ibidem ipse infernus seu orcus nominatur ὁ τόπος βασάνου, locus tormenti, id est, ubi torquebuntur damnati.*

30 Erat autem procul ab eis] ἦν δὲ μακρὰν ἀπ' αὐτῶν. *Videl. in monte, testantibus Marco & Lucâ. Videtur legendum οὐ μακρὰν,* non procul. *nam ex v. 31. apparet, gregem illum porcorum fuisse eis in conspectu: id quod innuunt articuli, quum dicunt: Permitte nobis abire εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων,* in gregem illum porcorum. *Et sanè cum adverbio negandi videtur legisse vetus interpres, ut qui verterit, Erat autem non longè. Præterea apud Marcum & Lucam pro isto μακρὰν, habetur ἐκεῖ, id est, illic: Quare si retinenda est lectio μακρὰν: tum significabitur locus procul quidem ab ipsis positus: ita tamen ut esset in ipsorum conspectu. Sed locum illum fuisse vicinum, apparet ex eo, quòd pastores inde statim aufugerunt in urbem, unde mox prodierunt incolæ in occursum Jesu.* Grex porcorum] ἀγέλη χοίρων. *At in quem usum, inquiat aliquis, alebant isti porcos? quum Judæi à carne porcinâ tanquam immunda (propter interdictum scil. Dei) abhorrerent? Respondetur: Gadaram (teste Josepho lib. 17. c. 13.) fuisse Græcanici instituti: ac proinde mirum esse non debere, si incolæ porcos aluerint.*

31 In illum gregem] εἰς τὴν ἀγέλην. *Scil.* τὴν κατέναντι ἡμῶν. *qui est nobis in conspectu. Articulus habet vim δεικτικήν.*

33 Pastores autem] οἱ δὲ βόσκοντες. *Participium loco nominis, more Hebræorum.* In urbem] εἰς τὴν πόλιν. *Sive Gergessam, sive Gadaram: ex collatione versus 28.*

34 Tum ecce] καὶ ἰδού. *Adverbium attentionis. Significat, se rem miram narraturum.* Tota urbs] πᾶσα ἡ πόλις. *Id est, omnes incolæ urbis: hoc est, maxima pars seu plerique. Metonymia subjecti, & synecdoche integri hyperbolica. qualis sup. 3. 5.*

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

1 Ex v. 2. Si à malis liberari & bona consequi cupimus, exemplo istius leprosi confugere debemus ad opem Christi.
Officium hominis Christiani.

2 Ex eod. v. Opem à Christo petere debemus ex fide omnipotentiæ illius: ejusdem leprosi exemplo.

3 Ex eod. v. Bona corporalia à Deo petere debemus cum hac exceptione, si ipse illa nobis dare velit: id est, si illorum adeptio factura sit ad ipsius gloriam & nostram salutem: id quod nos ignoramus. Confer exemplum Davidis 2. Sam. 15. v. 25. 26. At spiritualia bona, ut remissionem peccatorum, incrementum fidei & pietatis, petere debemus simpliciter: quia scimus ex verbo Dei, quòd illa dare velit omnibus resipiscentibus & credentibus, atque adeò omnibus illa seriò desiderantibus.
Bona corporalia quæ ratione à Deo petenda.

4 Ex v. 3. Quòd Christus hunc leprosum subitò sanavit solo verbo seu mandato: eo demonstravit divinam suam potentiam. Hoc ipsum ex cæteris quoque miraculis ejus discendum est.
Christi potentia divina.

5 Ex eod. v. Quòd Christus petitioni leprosi tam facilem ac promtum se exhibet: nos animare debet ad necessaria ab ipso petendum. Eòdem pertinet mandatum & promissio: *Invoca me, & exaudiam te. Petite, & dabitur vobis.*
Officium hominis Christiani.

6 Ex v. 4. Etsi veritas doctrinæ cælestis nunquam est dissimulanda: tamen prudenter cavendum, ne intempestivâ ac præproperâ illius professione hostibus occasionem præbeamus illius opprimendæ. Etenim Christus non præcepit quidem huic leproso, ut de sui purgatione interrogatus, an à Jesu purgatus esset, id negaret: sed tamen præcepit, ne hanc rem ultrò statim divulgaret: sed ut priùs se ostenderet sacerdoti, & munus in Lege imperatum offerret: ne sacerdos autore purgationis antè cognito, impropriè veritatem purgationis dissimularet, atque ita miraculum hoc supprimeret: ex odio nimirum Christi.
Professio veritatis cælestis.

7 Ex eod. v. In omnibus nostris negotiis sequi debemus præscriptum verbi Dei. Etenim Christus ad hanc regulam respiciens, præcepit isti purgato leproso, ut se ostenderet sacerdoti, & munus in Lege præscriptum offerret.
Actionum nostrarum regula.

8 Ex eod. v. ex verbis: *In testimonium contra ipsos.* Reprobi in judicio Dei totidem testes contra se habebunt, quot modis illis Deus voluntatem suam de se colendo patefecit. Quare oremus Deum, ut voluntate ipsius cognitâ, promtè & alacriter illi obediamus. Huc pertinet exprobratio Christi ad urbes Galilææ, Chorazin, Bethsaidan, Capernaüm, infr. 11. v. 20. Item illa sententia Christi, Johan. 12. v. 48. *Qui rejicit me, nec recipit verba mea, habet qui judicet ipsum: sermo quem loquutus sum, ille judicabit eum in ultimo illo die.* Item illud ad Judæos dictum, Joh. 5. v. 45. *Ne putate, me accusaturum vos apud patrem: est qui accuset vos, Moses, in quo vos speratis.* Item illud Pauli Rom. 1. v. 19. 20. 21. ubi ait, Deum per opera mundi innotuisse ethnicis, *ad hoc ut sint inexcusabiles: propterea quòd quum Deum cognoverint, non tamen ut Deum glorificârunt.*
Reproborum justa damnatio.

9 Ex v. 5. & deinceps. Hîc recurrunt observationes modò indicatæ ex particula capitis prima: videl. de imploranda ope Christi: de fide omnipotentiæ ipsius: de divina ejus potentia: de ejusdem facilitate in ope ferenda petentibus.
Officium hominis Christiani. Christi potentia & benignitas.

10 Ex v. 11. Quum vocatio Gentium jam magnâ ex parte facta sit, & adhuc quotidie fiat, sicut Christus fore prædixit: hinc demonstratur sermonum Christi veritas. Quare Christo credamus.
Vocatio gentium.

11 Ex eod. v. Vocatis, id est, resipiscentiâ ac fide donatis, reposita sunt gaudia eximia in cælo in æternum percipienda.
Vocationis efficacis fructus.

12 Ex v. 12. Quum rejectio Judæorum quam hodie cernimus, à Christo sit prædicta: non debemus eâ in tantum offendi, ut propterea de veritate doctrinæ per Mosen ac Prophetas traditæ dubitemus: quia nimirum Judæi illam non amplectuntur. Confer Rom. 9. 10. & 11. Interim & hoc meminerimus, Judæos aliquando iterum vocatum iri, teste Paulo Romani. 11. v. 25. & deinceps.
Judæorum obduratio.

13 Ex eod. v. Rejectos, hoc est, resipiscentiâ & fide destitutos, manent tenebræ, fletus & stridor dentium, id est, cruciatus infernales acerbissimi; nisi scilicet ante mortem efficaciter vocentur. Quare hodie dum audimus vocem gratiæ, ne obthuremus corda nostra.
Non-renatorum exitus.

14 Ex v. 14. 15. 16. & 17. Christus varios morbos sanans, ostendit, se medicum quoque esse animarum. Medetur autem animabus nostris Christus duobus modis: partim auferendo peccatum suâ passione ac morte, tanquam remedio pretiosissimo; partim mentem & voluntatem renovando per Spiritum sanctum, atque ita remedium illud per fidem nobis applicando. Prior modus ad meritum, alter ad efficaciam pertinet.
Christus medicus animarum.

15 Ex v. 14. Quum Petrus habuerit socrum, ac proinde uxorem; & tamen Christus dignatus eum sit creare Apostolum: consequens est, Papam esse Antichristum, qui conjugium sacerdotibus, tanquam illis indignum, interdicit. Confer 1. Tim. 4. v. 3. 1. Cor. 9. v. 5. Heb. 13. v. 4.
Papa Antichristus.

16 Ex vers. 19. & 20. Qui fideliter Christo servire volunt in Evangelio prædicando, eos patienter ferre oportet egestatem.
Ministrorum verbi Dei officium.

neque enim meliore conditione esse velle debent, quàm fuit ipse Christus, eorum magister ac dominus. Vicissim autem in sua egestate consolari se debent, quòd eam habent cum Christo communem, quodque ab illo ditabuntur cælestibus bonis.

Gloria Dei potiùs promovenda quàm proximorum commoda. 17 Ex v.21. & 22. Quoties officia proximo debita nos impedirent in promovenda gloria Dei, agendis videl. negotiis ab illo specialiter mandatis: cessare debent. Ratio est: quia plus dilectionis debemus Deo quàm hominibus. Confer exemplum Christi Luc.2.v.49.inf.cap.12.v.46.& deinceps.

Homo à natura spiritualiter mortuus est. 18 Ex v.22. Qui non sunt à Spiritu sancto regenerati, spiritualiter mortui sunt: quia nullas habent vires ad agendum ea quæ Deo placent: & quæ agunt, illis mortem æternam merentur. Confer Eph.2.v.1. *Eratis mortui peccatis.* 1.Tim.5.v.6. *Vidua quæ in luxu vivit, vivens mortua est.* Heb.9.v.14. *Purgabit conscientiam vestram ab operibus mortuis*: id est, quibus mortem estis meriti.

Christi cura pro suis. 19 Ex v.24.& deinceps. Christus etiamsi videatur suos interdum etiam in extremis periculis negligere: suo tamen tempore sedatis omnibus tempestatibus illos in portum perducit, sicut hoc loco annotavit D.Beza. Quare in periculis ne desperemus: sed exemplo discipulorum ad opem Christi confugiamus, eumq; quum dormire nobis (id est, negligere nos) videbitur, precibus excitemus: sed precibus cùm fide conjunctis; ne jure possit culpari nostra ὀλιγοπιστία, sicut hoc loco discipulorum.

Christi potentia. 20 Ex v.26.& 27. Ex miraculis Christi agnoscere debemus divinam ejus potentiam, ac proinde de illius ope confidere in necessitatibus.

Hominis misera conditio. 21 Ex vers.28. Miserabilis est conditio hominis post lapsum, quòd impuris spiritibus interdum à Deo permittitur, ut in homine habitent, illiusque tum animâ tum corpore ad nocendum & ipsis & aliis abutantur. Hujus miseriæ consideratione debemus moveri ad animi demissionem, & ad orandum Deum, ne impuris spiritibus tantam petulantiam in nos permittat.

Christi deitas. 22 Ex v.29. Ipsi mali spiritus Christum pro filio Dei, adeoque pro vero Deo, agnoscunt. Quare qui deitatem Christi negant, ipsis diabolis deteriores sunt.

Gehenna. 23 Ex eod.v. Diaboli nôrunt, à Deo constitutum esse tempus, quo ipsi sint in inferno torquendi. Torquebuntur autem unà cum illis etiam impii homines, qui se à diabolis ad scelera securè perpetranda agi passi sunt. Confer inf.c.25.v.41. & vers. ult. Luc.16.v.23. & deinceps. Quare impietatem omni studio fugiamus.

Diabolorum gubernatio divina. 24 Ex v.31.& 32. Diaboli nihil quicquam nocere possunt hominibus nullóve damno eos afficere, absque permissu Dei. Confer Job.1.& 2. Quare Deum oremus, ne diabolis nos vexare aut affligere permittat: excepto, si id faciat ad ipsius gloriam & nostram salutem. Nec metuamus malos spiritus, quasi pro suo lubitu lædere nos possint. Idem sentiendum de malorum spirituum organis, id est, malis hominibus qui sese illis addixerunt; ut magis, sagis, veneficis.

Christi benignitas. 25 Ex v.32. Magna est benignitas Christi, quòd etiam malis spiritibus permisit quod petebant, quantumvis iniquum, & cum damno aliorum conjunctum. Quantò magis exaudiet nos petentes æqua?

Quo jure Christus porcos Gergesenorum à malis spiritibus perdi permiserit. 26 Ex eod.v. Quærat aliquis, an non videatur Christus injuriâ affecisse Gergesenos, qui malis spiritibus permiserit, ut invaderent ac submergerent illorum porcos? Respondeo: Absit, ut vel cogitemus, Christum injuriâ affecisse quenquam. Fecit enim hoc summo jure, videlicet ut creator: qui potestatem habet absolutam in omnes suas creaturas, quare illas suo jure adimit quibus vult. Id quod agnovit pius ille Job, ereptis sibi bonis suis per Chaldæos & Sabæos: *Dominus*, inquit, *dedit: Dominus recepit*: Et hanc Christi potestatem ipsi Gergeseni agnoverunt: quippe qui nequaquam cum illo tanquam de injuria sibi illata expostularunt, sed demissè rogarunt, ut à finibus ipsorum discederet.

Mundanorum hominum perversitas. 27 Ex v.34. Magna est perversitas mundi: qui bona terrena mavult quàm cælestia, ac pluris facit suas opes quàm proximi incolumitatem. Sicut isti Gergeseni malunt retinere porcos, quàm audire à Christo Evangelium, per quod inducantur in jus ac possessionem bonorum cælestium. Item malunt incolumitatem suorum porcorum, quàm illorum dæmoniacorum. Nos autem pluris faciamus bona cælestia quàm terrena, & salutem proximi quàm externa nostra commoda.

ANALYSIS CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Pergit in narrandis miraculis Christi: & hic narrat quinque: sed præterea etiam alia quædam, ut mox apparebit ex enumeratione partium. Sunt autem partes hujus capitis novem. 1. de sanatione paralytici. 2. de vocatione sui (videl. Matthæi) in numerum discipulorum Christi. 3. de refutatis discipulis Johannis in quæstione de jejunio. 4. de sanatione mulieris quæ laborabat profluvio sanguinis. 5. de excitatione puellæ mortuæ. 6. de sanatione duorum cæcorum. 7. de ejectione dæmonii muti. 8. narratio generalis de prædicatione & miraculis Christi. 9. de affectu Christi erga turbam.

PRIMA PARS.

De sanatione paralytici.

Et ingressus navigium, trajecit, & vênit in suam urbem.

2 Et ecce, obtulerunt ei paralyticum in lecto decumbentem: quumque vidisset Jesus fidem eorum, dixit paralytico, Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.

3 Et ecce, quidam è Scribis dicebant apud se, Iste blasphemat.

4 Et quum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit, Quare cogitatis mala in cordibus vestris?

5 Utrum enim est facilius; dicere, Remissa sunt tibi peccata; an dicere, Surge & ambula?

6 Ut autem sciatis, potestatem habere filium hominis in terra remittendi peccata: tunc dicit paralytico, Surge, tolle tuum lectum, & abi domum tuam.

7 Tunc *ille* surrexit, abiitque domum suam.

8 Turba verò quum *hoc* vidisset, mirata est, & glorificavit Deum, qui dedisset talem potestatem hominibus.

Narratio de sanato paralytico continet membra sex: quæ sunt; locus, causa impulsiva, præparatio seu adjuncta quæ præcesserunt, causa instrumentalis seu modus agendi, miraculum ipsum, & effectum illius in turba. *Locus* ubi Christus hoc miraculum fecit, fuit urbs Christi, id est, Capernaüm ubi ipse habitabat, v.1. *Causa impulsiva* quæ Christum ad hoc miraculum edendum impulit, fuit petitio tum ipsius paralytici, tum eorum qui illum portabant; petitio, inquam, cum fide conjuncta, & ex fide profecta, v.2. *Præparatio* qua Christus ad hoc miraculum edendum fuit præparatus, continet adjuncta tria. quorum primum est, quòd Christus illi paralytico remittit peccata, in fine v.2. Alterum, quòd quidam è Scribis judicant eum blasphemare, v.3. Tertium est apologia Christi, qua ostendit se non blasphemasse: ubi primò hoc ipsum negat, quatenus judicium illud Scribarum reprehendit, v.4. deinde negationem suam probat ab adjuncta sibi potestate: quam ipsam cõfirmat à collatione potestatis atque potentiæ paris, videl. sanandi subitò paralyticum illum. Hic prosyllogismus præcedit v.5. tum sequitur argumentum principale in principio v.6. Atque hæc pertinent ad præparationem. Jam *causa instrumentalis* seu *modus agendi* fuit mandatum Christi quo jussit paralyticum illum surgere, &c. in fine v.6. *Miraculum ipsum* narratur v.7. *Effectum* miraculi in turba fuit duplex, admiratio & prædicatio, seu glorificatio Dei, v.8.

SECUNDA PARS.

De vocatione Matthæi.

9 Et quum digrederetur Jesus illinc, vidit quendam sedentem ad telonium, qui Matthæus dicebatur, & dixit ei, Sequere me. Atque *is* surgens sequutus est eum.

10 Et factum est, quum ipse accumberet domi *illius*: ecce multi publicani & peccatores quum venissent, simul accubuerunt cum Jesu & discipulis ejus.

11 Quumque *id* vidissent Pharisæi, dixerunt discipulis ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus edit præceptor vester?

12 Jesus autem quum *hoc* audisset, dixit eis; Qui valent, non egent medico; sed qui malè *se* habent.

13 Ite verò & discite quid sit, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim vêni ut vocarem justos, sed peccatores ad resipiscentiam.

Narratio de vocatione Matthæi continet duo membra principalia: prius est de rebus ad illam vocationem propriè pertinentibus, eiq; per se inhærentibus: posterius, reprehensio Pharisæorum qua scil. illi factum Domini reprehenderunt: quæ reprehensio ex accidenti fuit consecuta. Prius illud membrum rursum continet particulas quatuor: quæ sunt; locus, occasio, vocatio ipsa, & vocationis effecta. *Locus* fuit telonium seu domus telonaria, ubi Matthæus tanquam publicanus sedebat. *Occasio* fuit, quòd Christus illum ad telonium sedentem vidit transiens. *Vocatio* continetur his verbis, Sequere me. *Effecta* indicantur duo: prius obedientia Matthæi promta: quippe qui è vestigio surgens sequutus est. Posterius effectum fuit convivium, gratitudinis ergò in honorem Christi apparatum. Hoc convivium declaratur ex adjunctis convivis: qui commemorantur duorum generum; unum fuit profanorum, videlicet publicanorum & peccatorum: alterum sanctorum, videlicet discipulorum Christi. Atque hæc de membro priore. Jam ad posterius quod attinet: illud rursus continet particulas duas: reprehensionem Pharisæorum, & apologiam Christi. *Reprehensio* fuit, quòd Christus non deberet edere cum publicanis & peccatoribus v.11. *Apologia* Christi continet

duo: de-

duo: defensionem sui facti & recriminationem Pharisæorum. Factum suum *defendit* ab adjuncta sibi vocatione seu officio suo ad quod perficiendum à Deo sit missus: videl. ut peccatores vocet ad resipiscentiam. Hoc argumentum primò proponit sub similitudine medici & ægrotorum per sententiam proverbialem, v.12. deinde verbis propriis, in fine v.13. *Recriminatio* autem interseritur in principio v.13. qua perstringit falsam Pharisæorum opinionem de cultu Dei: quasi scilicet Deus plus coleretur sacrificiis quàm operibus misericordiæ erga proximum. quam opinionem falsam esse demonstrat producto testimonio divino ex Ose.6.v.6.

TERTIA PARS.

Defensio sui & discipulorum in omisso jejunio.

14 Tunc adeunt eum discipuli Johannis, dicentes, Quare nos & Pharisæi multum jejunamus, discipuli verò tui non jejunant?

15 Et dixit eis Jesus, Num possunt filii thalami lugere quamdiu cum eis est sponsus? Venient autem dies quum tolletur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.

16 Nullus autem indit panniculum novum in vestimentum vetus: illud enim ipsius supplementum tollit *aliquid* ex illo vestimento, & fit pejor fissura.

17 Neque indunt vinum novum in utres veteres; alioqui rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt: sed indunt vinum novum in utres recentes, & utraque conservantur.

Narratio de refutatis discipulis Johannis in quæstione de jejunio, constat duobus membris. Prius est ipsa *quæstio* illorum, continens obliquam Christi ac discipulorum ejus reprehensionem propter jejunii omissionem, v.14. Posterius est Christi *responsio*, continens apologiam sui ac discipulorum, qua ostendit sese immeritò propter jejunii omissionem reprehendi: quòd nimirum nec ipse discipulos ad illud assuefaciat, nec illi sponte ipsum suscipiant: quippe quum jejunium illis nec conveniat nec expediat. Quòd eis non conveniat, seu eos non deceat jejunare: probat ex adjuncto adhærente, quia videl. ipsum nunc habeant secum veluti sponsum: amicos autem sponsi non decet lugere, ac proinde nec jejunare, quamdiu cum ipsis est sponsus. Hanc sententiam amplificat antithesi futuræ separationis & jejunii atque luctus inde sequuturi, v.15. Deinde quòd nec expediat illis jejunare; sed potiùs perniciem allaturus eis esset istæ disciplinæ rigor: probat ab adjuncto inhærente, videl. inhærente eis infirmitate, qua fiat ut ad jejunium non sint idonei; ac proinde si illo gravarentur & ad illud ab ipso cogerentur, metuendum esse, ne ab ipso deficiant atque ita pereant. Id quod significat atque innuit per duo similia: quorum priore discipulos comparat vestimento veteri, jejunium verò supplemento panniculi rudis, defectionem denique fissuræ vestimenti, vers.16. Posteriore autem simili discipulos comparat utribus veteribus, jejunium vino novo, defectionem denique rupturæ utrium. Simul etiam hîc inserit aliud argumentum ab effectu inutili, videlicet jejunii frustratione, quòd nimirum frustra & sine fructu à discipulis susciperetur: id quod significat per vini effusionem, versu 17.

QUARTA PARS.

De sanatione τῆς αἱμοῤῥοούσης.

18 Hæc eo loquente ipsis, ecce *quidam* præfectus *synagogæ* venit & adoravit eum dicens, Filia mea modò defuncta est: sed veni & impone manum tuam super eam, ac vivet.

19 Tunc surgens Jesus sequutus est eum, & discipuli ejus.

20 Et ecce mulier sanguinis profluvio laborans duodecim annos, accedens à tergo, tetigit fimbriam vestimenti illius.

21 Dicebat enim apud se, Si solùm tetigero vestimentum ejus, servabor.

22 Jesus verò conversus & intuitus eam, dixit, Confide filia: fides tua te servavit. Et servata est mulier ab eo momento.

Narratio de sanatione mulieris quæ laborabat profluvio sanguinis, constat septem membris: quæ sunt; occasio, tempus, locus, testes, causa instrumentalis in illa muliere (quæ eadem fuit causa impulsiva respectu Christi) patefactio miraculi, & ipsum miraculum. *Occasionem* huic miraculo præbuit petitio cujusdam præfecti synagogæ, qua impetravit à Christo, ut secum iret ad excitandam filiam paulò antè mortuam, v.18. Et hoc membrum pertinet quoque ad narrationem sequentem de filia illius præfecti excitata, tanquam causa impulsiva quæ Christum ad illud miraculum impulit. *Tempus* & *locus* & *testes* indicantur simul v.19. quòd videl. sanatio hæc mulieris acciderit quum Christus præfectum illum sequeretur; ac proinde in via, idque præsentibus & comitantibus eum discipulis. Causa instrumentalis in muliere, eademque *impulsiva* respectu Christi, fuit partim externa, partim interna. Externa fuit contactus fimbriæ vestimenti Christi: qui contactus declaratur ab adjuncto situ, quòd videlicet attactura accesserit à tergo: nempe ut lateret, v.20. Interna causa fuit fides, qua statuebat se hoc modo sanatum iri, v.21. *Patefactio* miraculi significatur sermone Christi ad mulierem contactu illo jam sanatam, v.22. Sed apud Marcum & Lucam præterea narratur, quomodo illam latère conantem in lucem produxerit, quasi conquerendo quòd ab aliquo esset tactus. Sermo autem ille continet duo: consolationem, ubi ait: *Confide filia:* & commendationem fidei, ubi dicit: *Fides tua te servavit. Miraculum ipsum* exponitur in ejusdem versus fine. Cæterùm morbus istius mulieris amplificatur v.20. ab adjuncta diuturnitate, videlicet 12. annorum: item apud Marcum & Lucam, ab effectu, videlicet frustratione medicamentorum magnis sumtibus adhibitorum.

QUINTA PARS.

De excitatione puellæ mortuæ.

23 Et quum venisset Jesus domum præfecti *synagogæ*, vidissetque tibicines & turbam tumultuantem:

24 Dicit eis, Recedite: non enim mortua est puella, sed dormit. Et deridebant eum.

25 Quum autem fuisset ejecta turba; ingressus, prehendit manum ejus: & surrexit puella.

26 Et exiit hæc fama in totam illam regionem.

Narratio de excitatione puellæ mortuæ continet sex membra: quæ sunt; causa impulsiva, locus, præparatio, causa instrumentalis seu modus agendi, miraculum ipsum, & effectum illius. Sed istis omnibus apud Marcum & Lucam præmittitur causa corrumpens, seu impedimentum miraculo huic oblatum, videlicet nuntius allatus illi viro de morte filiæ, atque inde profecta suasio ut omitteret Jesum. Sed Jesus impedimentum illud tollit, promittendo ei opem, si modò credat. *Causa* igitur *impulsiva*, quæ scil. Christum impulit ad puellam hanc vitæ restituendam, fuit petitio patris ipsius qui erat præfectus synagogæ: nomine Jairus, sicut meminerunt Marcus & Lucas: quæ petitio exponitur suprà v.18. ut paulò antè est dictum. *Locus* ubi hæc res gesta est, fuit domus illius præfecti, in principio v.23. *Præparatio* (quæ fuit adjunctum adhærens) fuit ejectio turbæ, ne scil. esset spectatrix miraculi: cujus ejectionis narratio constat membris quatuor: quæ sunt, jussio Christi ut recederent: jussionis ratio, continens pronuntiatum παράδοξον de puellæ somno atque ita tacitam promissionem de illa excitanda: tum illius pronuntiati effectum in turba, videlicet derisio: postremò ipsa ejectio, vers.23. & 24. Cæterùm ejectâ turbâ, spectatores ac *testes* miraculi assumsit tres è discipulis, Petrum & Jacobum & Johannem, præter patrem & matrem, sicut meminerunt Marcus & Lucas. *Causa instrumentalis* seu *modus agendi* fuit, quòd prehendit puellæ manum, v.25. Sed præterea (ut meminerunt Marcus & Lucas) adhibuit jussionem cum clamore, dicens, Puella surge. *Miraculum*, quòd puella ad illum contactum statim surrexit, ibid. & (ut Marcus ait) ambulavit: item (ut Marcus & Lucas) edit. *Effectum* miraculi, fuit fama per totam illam regionem, v.26. item vehemens admiratio in parentibus, ut meminerunt Marcus & Lucas.

SEXTA PARS.

De sanatione duorum cæcorum.

27 Quumque digrederetur illinc Jesus, sequuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes, Miserere nostri fili David.

28 Quum autem venisset domum, adierunt eum cæci illi, & dicit eis Jesus, Creditis me hoc posse facere? Dicunt ei, Etiam Domine.

29 Tunc tetigit oculos eorum, dicens; Secundùm fidem vestram fiat vobis.

30 Et aperti sunt oculi eorum: & graviter interminatus est eis Jesus, dicens; Videte, nemo sciat.

31 At illi egressi sparserunt ejus famam in tota illa regione.

Narratio de sanatione duorum cæcorum constat membris octo. 1. Occasio. 2. Causa impulsiva. 3. Locus. 4. Alia causa impulsiva. 5. Causa instrumentalis seu modus agendi. 6. Miraculum ipsum. 7. Adjunctum annexum. 8. Eventus. *Occasionem* huic miraculo præbuit occursus illorum cæcorum, qui in Christum iter facientem inciderunt, v.27. *Causa* quæ Christum impulit ut eos sanaret, fuit ipsorum vehemens petitio, v. eod. *Locus* ubi eos sanavit, fuit domus ipsius, ubi scil. ipse habitabat in urbe Capernaüm: ut percipitur tum ex articulo, tum ex collatione Marci c.6.v.1. ubi dicitur, eum inde (videl. è domo illius principis synagogæ) egressum, venisse in patriam suam: quo nomine intelligitur urbs Capernaüm, quò ille se contulerat

habitatum, relictâ Nazarethâ ubi fuerat educatus. *Altera causa impulsiva*, eaque præcipua, fuit illorum cæcorum fides: quam à Domino interrogati profitentur, versu 28. *Causa instrumentalis* seu *modus agendi* consistit partim in gestu, partim in verbis. In gestu: quatenus oculos eorum tetigit. In verbis: quatenus dixit, Secundùm fidem vestram fiat vobis, v.29. *Miraculum ipsum* exponitur in principio v.30. *Adjunctum annexum* fuit interdictum divulgationis, eod. v. *Eventus*, divulgatio contra interdictum, v.31.

SEPTIMA PARS.

De ejectione dæmonii muti.

32 Ipsis autem egredientibus, ecce, obtulerunt ei hominem mutum dæmoniacum.

33 Et ejecto dæmonio loquutus est mutus: & mirata est turba, dicens, Nunquam apparuit tale quippiam in Israël.

34 Pharisæi verò dicebant, Per principem dæmoniorum ejicit dæmonia.

Narratio de ejectione dæmonii muti constat membris sex: quæ sunt; 1. Tempus. 2. Spectatores. 3. Causa impulsiva. 4. Miraculum ipsum. 5. Effectum in turba spectante. 6. Effectum in Pharisæis spectantibus. *Tempus* significatur his verbis, αὐτῶν δὲ ἐξερχομένων. *Spectatores* fuerunt tum illi qui dæmoniacum obtulerunt, tum turba & Pharisæi. *Causa* quæ Christum impulit ad illum dæmoniacum à dæmonio liberandum, fuit petitio eorum qui illum offerebant, v.32. *Miraculum* exponitur in principio v.33. *Effectum* in turba, fuit admiratio & prædicatio: quæ amplificatur à comparatis, quatenus miracula temporis præteriti comparantur cum hoc præsente tanquam minora, v.34. Effectum in Pharisæis fuit calumnia, sed effectum per accidens, ortum propriè ex Pharisæorum malitia: ex qua hoc miraculum tribuebant principi dæmoniorum, v.34.

OCTAVA PARS.

De prædicatione & miraculis Christi.

35 Et obibat Jesus urbes omnes ac vicos, docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni, & sanans quemvis morbum & quemvis languorem in populo.

Narratiuncula hæc generalis de prædicatione & miraculis Christi illustratur è subjectis tum recipientibus tum occupantibus. Recipientia subjecta fuerunt ipsa loca ubi Christus prædicavit & miracula fecit. *Loca* illa indicantur duorum generum: quædam ampliora, ut urbes & vici Galilææ: quædam angustiora, ut synagogæ. Utraque amplificantur ab adjuncta multitudine: quæ significatur nomine quantitatis universalis. *Occupans subjectum prædicationis*, fuit evangelium regni, id est, de ratione introëundi in regnum cælorum. *Occupantia subjecta miraculorum*, videl. sanationum, fuerunt morbi & languores: qui amplificantur ab adjuncta varietate, per nomen quantitatis universalis.

NONA PARS.

De affectu Christi erga turbam.

36 Quum vidisset autem turbam, commiseratione intimâ commotus est super eis, quòd essent dissipati & disjecti quasi oves non habentes pastorem.

37 Tunc dicit discipulis suis, Ipsa quidem messis multa, operarii autem pauci.

38 Rogate igitur dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam.

Narratio de affectu Christi erga turbam, videlicet misericordiâ, constat duobus membris: expositione illius & testificatione apud discipulos. *Expositio* continet duo: occasionem & causam procreantem. *Occasio* fuit, conspectus turbæ. *Causa procreans* (*nempe impulsiva*) miser illorum status, quòd videl. essent destituti fidelibus doctoribus. Hanc miseriam significat similitudine ovium dissipatarum & pastore carentium, v.36. *Testificatio* apud discipulos item duo continet: *admonitionem* de illa populi miseria, v.37. & *mandatum* orandi pro illis, v.38. Quæ utraque sententia enuntiatur allegoricè, sub similitudine messis & operariorum. Qua similitudine simul significatur bonum quoddam miseris illis adhærens, videl. electio Dei. Etenim messis nomine intelliguntur illi qui inter ipsos erant electi, ac proinde per evangelii prædicationem quasi metendi, ut in horreum Dei (hoc est, cælum) conveherentur. Operariorum autem nomine intelliguntur ipsi evangelii prædicatores.

SCHOLIA IN CAP. IX.

1 Ingressus navigium] ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον. *Videl. navigium illud quo paulo-antè vectus fuerat in regionem Gergesenorum, ut narratur cap. præcedente. hoc notat articulus, vim habens* ἀναφορικήν. *Sic Germanicè*, in das schiff. *Hîc narrat Marcus & Lucas, quomodo dominus hominem illum quem dæmonio liberaverat, noluerit admittere ut secum abiret.* Trajecit] διεπέρασε. *Scil. lacum Genesareth.* In suam urbem] εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. *Id est, In urbem Capernaüm, ubi ipse habitabat, relictâ Nazarethâ, ubi fuerat educatus: sup. c.4. v.13. Hîc narrant Marcus & Lucas, quomodo turba eum redeuntem exceperit.*

2 Et ecce obtulerunt] καὶ ἰδοὺ προσέφερον. *Hanc historiam describit Marcus c.2. & Lucas c.5. & quidem uterque ante narrationem de profectione Jesu in regionem Gergesenorum. unde videtur præter ordinem à Matthæo hîc narrari: sicut & historiæ duæ sequentes: altera de vocatione Matthæi: altera de quæstione circa jejunium, motâ à discipulis Johannis.* Obtulerunt ei] *Scil. sedenti & docenti: ut narrat Lucas c.5. v.17. Idque domi ipsius: teste Marco, c.2. v.1. Obtulerunt autem viri quatuor, paralyticum illum portantes: Et obtulerunt demissum per tectum, apertis nimirum aliquot tegulis; quum præ turba non possent eum inferre per ostium: ut narrant Marcus & Lucas.* Fidem eorum] τὴν πίστιν αὐτῶν. *Videl. tum eorum qui paralyticum illum offerebant, tum ipsius paralytici. Ad hunc enim modum relativum istud pronomen hoc loco exponi postulat id quod proximè sequitur.* Confide fili &c.] *Q. d. Quoniam video te agnoscere quòd hunc morbum peccatis tuis sis commeritus, ac proinde remissionem illorum à Deo expetere; nec non credere, Deum tibi illa remissurum propter me: jubeo te esse bono animo, & annuntio tibi peccatorum tuorum remissionem: liberaturus etiam te ipso flagello.*

3 Quidam è Scribis] *Lucas addit Pharisæos.* Dicebant apud se] εἶπον ἐν ἑαυτοῖς. *Sive intra se: id est, in cordibus suis: ut ait Marcus, h.e. cogitabant: ut loquitur Lucas.* Iste blasphemat] *Rationem addunt Marcus & Lucas: quia nemo possit remittere peccata præter Deum. Concludunt igitur hoc syllogismo:*

Qui potest remittere peccata, is est Deus.
At iste non est Deus.
Iste igitur non potest remittere peccata.

Et per consequens potestatem hanc invadens sibique usurpans, committit blasphemiam. Sed falsa est illius syllogismi assumtio.

4 Et quum vidisset Jesus cogitationes eorum] *Vidisset, id est, cognovisset: ut loquuntur Marcus & Lucas.* Quare] ἵνα τί. *Ad verb.* Ut quid. *Interrogatio vim habet reprehendendi. q.d. Non debebatis cogitare, quòd blasphemem dum remitto peccata, aut quòd non habeam hujus rei potestatem: hæc enim cogitatio est mala & falsa. Sic igitur negat crimen objectum. Probationem subjungit.*

5 Utrum enim] τί γάρ. *Ad verb.* Quid enim. *Pro,* πότερον γάρ. *Habet autem hæc interrogatio vim negandi. q. d. Neutrum altero est facilius: sed utrumque æquè difficile ac soli Deo possibile. Se igitur non blasphemasse remittendo peccata, probat ex eo quòd habeat illius rei potestatem: quod autem habeat hanc potestatem, probat à pari: quia scil habeat potestatem sanandi paralyticum solo verbo. Continetur autem hîc integer syllogismus. Sententia propositionis præcedit vers.5. nempe hæc: Qui potest paralyticum verbo sanare, potest etiam remittere ei peccata. Conclusio subjungitur in principio versus sexti. Assumtionis sententia additur in ejusdem versus parte posteriore, ibi,* Tunc dicit paralytico.

6 Filium hominis] *Id est, me. Synecdoche generis emphatica. q.d. Etsi sum homo, tamen habeo potestatem divinam: quia nimirum etiam Deus sum.* Remittendi] ἀφιέναι. *Id est,* τοῦ ἀφιέναι. Ut autem sciatis &c.] *Est* ἀνανταπόδοτον. *nam subaudiendum est consequens hoc,* Attendite quid sim facturus. *Etenim ipso facto volebat demonstrare, se præditum esse illâ potestate. Rhetores vocant* ἀποκοπὴν τῆς περιόδου.

7 Surrexit] *Et lectum (ut jussus erat) sustulit: sicut addunt Marcus & Lucas.* Abiit] *Glorificans Deum, ut addit Lucas.*

8 Mirata est] ἐθαύμασαν. *Pro hoc habet Lucas:* Stupor (ἔκστασις) cepit omnes. *quo significatur, vehementer miratos esse, atque adeo obstupuisse seu in stuporem conversos esse. Similiter Marcus utitur verbo* ἐξίστασθαι. *Et Lucas addit:* Repleti sunt timore. Glorificavit] ἐδόξασαν. *Id est, prædicarunt Dei potentiam & bonitatem.*

9 Illinc] ἐκεῖθεν. *Nempe ex illa domo ubi paralyticum sanaverat.* Quum digrederetur] παράγων. *Scil. exiturus ad mare: ut habet Marcus.* Quendam] ἄνθρωπον. *Ad verb. Hominem. Hebraismus. Pro hoc habet Lucas,* τελώνην, *publicanum.* Sedentem ad telonium] καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον. *Innuit ex subjecto loco, fuisse publicanũ. nam publicani sedere solebant in certo loco ubi observabant hac illac commeantes ut exigerent ab illis vectigal. Ille locus hîc nominatur* τελώνιον, *voce deductâ à nomine* τελώνης; *quo significatur publicanus: Sic dictus* παρὰ τὸ ὠνεῖσθαι τὰ τέλη, *quòd redemisset vectigalia.* Qui Matthæus dicebatur] ματθαῖον λεγόμενον. *Nomen Hebræum est* מַתַּי *Mattái: quo significatur Datus seu donatus, à* נָתַן *nathán, dedit. Hic à Marco & Luca nominatur Levi. Fuit igitur binominis.* Surgens] *Lucas addit, Relictis omnibus.* ἀπ. λύτ.
At si reliquit tunc omnia sua: quomodo igitur mox in domo sua apparavit Christo convivium? Nempe reliquerat omnem illam negotiationem suam, seque totum addixerat Christo ut faceret quod ille juberet. Interim tamen facultates suas non abjecit: sed iis usus est, quatenus per novam vocationem licuit. Sic Petrus & Andreas, item Jacobus & Johannes, Christum sequuti sunt, omissis retibus & navibus, & omnino artificio illo piscatorio, sup. c.4. & tamen Petrus domum suam interim retinuit, sup. 8.14. nec non piscatoriam artem interdum exercuit, ut liquet ex Luc.5. ex principio

cipio

cipio capitis: si illa historia conferatur cum historia vocationis Petri descripta ab eod. Luca c.4.

10 Ipse] *αὐτός. Videl. Jesus.* Quum accumberet] *ἀνακειμένου. Videl. in convivio quod fecerat Matthæus, teste Luca.* Domi illius] *ἐν τῇ οἰκίᾳ. Nempe τῇ ἐκείνου, τουτέστι τοῦ ματθαίου: ut declarant Marcus & Lucas.* Publicani] *Quos hauddubiè invitaverat Matthæus, ut sermonibus Christi converterentur.* Et peccatores] *Sic nominantur κατ' ἐξοχήν, Qui securè peccatis indulgebant.*

11 Pharisæi] *Marcus & Lucas addunt Scribas.* Dixerunt discipulis ejus] *Et cur non potiùs ipsi Christo? Nempe quia metuebant ne confunderentur sapiente illius responso.* Quare &c.] *Interrogatio vim habet reprehendendi. quasi dicat, Non debebat id facere: non potest hujus facti idoneam causam afferre.* Edit præceptor vester] *Lucas pro hoc habet: Editis & bibitis. nempe vos & præceptor vester. Sed Matthæus (sicut & Marcus) solius Jesu mentionem faciunt: quia in hunc potissimùm ferebatur illorum reprehensio.*

12 Quum hæc audisset] *Nempe ex relatione discipulorum.* Dixit eis] *Nempe Pharisæis & Scribis: ut liquet è sequentibus.* Qui valent &c.] *Allegoria metaphorica, continens argumenti inversionem, quam vocant τὸ βίαιον. Dicebant Pharisæi: Isti sunt peccatores: Ergo debebas illorum conversationem vitare. Respondet Dominus: Imò ob hoc ipsum debeo cum eis versari: ut nimirum eos vocem ad resipiscentiam. hoc enim est meum, tanquam doctoris à Deo missi, officium. Syllogismus est:*

Doctoris Ecclesiæ officium est, vocare peccatores ad resipiscentiam.
At ego sum doctor Ecclesiæ.
Ergo officium meũ est vocare peccatores ad resipiscentiam. Loco propositionis ponitur ejus ratio constãs simili. nempe, Medici officium est, versari cum ægrotis ut eos sanet.

13 Profecti verò discite &c.] *ἀντέγκλημα. id est, recriminatio: qua reprehendit Jesus illorum hypocrisin, simulantium scil. pietatem per crebra sacrificia: quum interim vacui essent dilectione Dei & proximi. Est autem genus loquendi vulgare & è medio petitum, quum ait,* Profecti discite: *Quale est illud apud Virgilium: I nunc & verbis &c.* Discite] *Quasi dicat, Discite priùs quid vestri sit officii, quàm velitis me docere quid sit mei.* Quid sit] *τί ἐστιν. id est, quid sibi velit Deus istis verbis, quid vos velit docere, nempe id quod vos minimè curatis: sed potiùs contrarium.* Misericordiam volo &c.] *ἔλεον θέλω. Dictum hoc extat Ose. 6. v. 6. Quo Deus per Prophetam exprobrat populo suo hypocrisin, quòd nimirum operam darent sacrificiis ad simulandum pietatem, quum interim essent vacui dilectione Dei & proximi. Cæterùm verba Hebræa sic sonant:* Benignitate delector, & non sacrificio. *ubi primò observandum, nomen* חסד *hhésed, quod propriè significat benignitatem seu beneficentiam, à Græcis redditum esse passim nomine ἔλεος: quod Matthæus hîc retinuit. Deinde negationem illam non esse absolutam, sed comparatam: quasi dicat Deus, Non delector sacrificio solo aut potissimùm: sed potissimùm delector benignitate, atque adeò magis quàm sacrificio. Hunc esse sensum liquet ex sententia quæ apud Prophetam isti adjungitur his verbis,* Et cognitione Dei magis *(scil. delector)* quàm holocaustis. *Confer 1. Sam. 15. v. 22. Cæterùm benignitatem seu misericordiam intelligit hominis ergà proximum: ne quis putet, intelligendam hîc esse misericordiam Dei erga homines.* Non enim veni ut vocarem justos] *Ratio est: quia nulli sunt justi: etsi Scribæ & Pharisæi sibi videbantur justi: quorum hypocrisin hoc verbo perstringit.*

14 Quare nos &c.] *διὰ τί ἡμεῖς &c. Id est: Quum nos & Pharisæi multum jejunemus: cur non etiam discipuli tui jejunant, moti scil. nostro exemplo? Interrogatio vim habet reprehendendi: quasi dicant, Debebant ipsi quoq; jejunare.* Multum] *πολλά. Id est, sæpe, πολλάκις. Ellipsis gemina; quasi dicatur, κατὰ πολλὰ μέρη τοῦ χρόνου.*

15 Num possunt] *μὴ δύνανται. Interrogatio vim habet negandi: quasi dicat, Non possunt.* Filii thalami] *οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος. Id est, amici sponsi quos in suum usque thalamum admittit: ut exponit Tremelius apud Syrum. Et illustrat D. Beza exemplo sodalium Samsonis, Jud. 14. Phrasis est Hebræa.* Quamdiu] *ἐφ' ὅσον. Scil. χρόνον.* Quum tolletur ab eis] *Scil. raptus à Judæis ad supplicium, & supplicio affectus atq; enecatus.* Tunc jejunabunt] *Id est, tunc lugebunt, ac proinde jejunandi & orandi causam habebunt.*

16 Panniculum] *ἐπίβλημα ῥάκους. Quasi dicas, Indimentum panniculi: id est, additamentum constans panniculo. Germ.* **ein lapp.** Novum] *ἀγνάφου. Id est, rudem adhuc & recentem, qui nondum à fullone (ὑπὸ τοῦ γναφέως) sit politus ac rasus. Sed videtur hîc poni per synecdochen καινοῦ ἐνεστηκότος pro panno recenti seu novo, etiamsi à fullone pexus atq; politus sit: dummodò nondum sit vetustate detritus. Neque enim moris est vestimentis assuere panniculos impexos. Lucas simpliciter appellat ἐπίβλημα ἱματίου καινοῦ, additamentum panni novi.*

18 Quidam præfectus *synagogæ*] *ἄρχων. Subauditur primùm τις, pro quo apud Marcum habetur εἷς. Deinde subauditur nomen τῆς συναγωγῆς, quod apud Lucam exprimitur: aut certè per synecd. gen. intelligitur non quilibet ἄρχων, sed aliquis ἄρχων τῆς συναγωγῆς, qui à Marco voce compositâ nominatur ἀρχισυνάγωγος. ait enim, εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων. Fuit autem isti nomen Jaeirus, teste Marco & Luca.* Adoravit eum] *προσεκύνει αὐτῷ. Nempe civiliter, ut virum insignem ac à Deo missum prophetam. nõdum enim persuasus fuit, ipsum esse Deum: alioqui non petivisset ut secum iret & manum filiæ imponeret: sed contentus fuisset verbo seu mandato: sicut centurio ille, qui dicebat, Dic solummodo verbum, & sanabitur puer meus.* Filia mea] *ὅτι ἡ θυγάτηρ μου. Conjunctio ὅτι servit mimesi. Erat autem teste Luca, unigenita, quasi annorum duodecim.*

19 Modò defuncta est] *ἄρτι ἐτελεύτησεν. Pro hoc apud Marcum legitur, ἐσχάτως ἔχει, in extremum adducta est, hoc est, in agone est, jamjam exspiratura est,* **sie ligt in den letzten zügen.** *Similiter & Lucas ait, ἀπέθνησκεν, moriebatur. Quomodo ista inter se conveniunt? Sic nempe, ut intelligamus, profecto illo abeunte ad implorandum opem Jesu, filiam ejus jam tum fuisse in agone: unde ipse quum jam ad Jesum pervenisset, putabat interim esse defunctam, aut certè jamjam morituram, nisi succurratur.*

20 Sanguinis profluvio laborans] *αἱμοῤῥοοῦσα. Lucas οὖσα ἐν ῥύσει αἵματος, quæ erat in fluxione sanguinis. Intelligitur sanguis ille qui menstruus appellatur: quia quum secundum naturam expurgatur, fluit singulis mensibus circa novilunium. Sed miseræ huic mulieri fluebat perpetuò.* Duodecim annos] *δώδεκα ἔτη. Subauditur in Græco præpositio κατά, in Latino* per, *quæ ellipsis usitata est in quæstione Quamdiu, seu quum quæritur de temporis duratione. Lucas ait, ἀπὸ ἐτῶν δώδεκα, ab annis duodecim. Lucas & Marcus addunt, quòd omnem suam substantiam expenderit in complures medicos; & multa ab illis perpessa, nihil tamen profecerit, sed potiùs deteriùs habuerit. Fuit igitur morbus pertinax, desperatus & incurabilis.* A tergo] *ὄπισθεν. Cupiebat enim latêre, ut declarat Lucas: quippe quum puderet eam illius sui morbi, tam fœdi scilicet.*

21 Apud se] *ἐν ἑαυτῇ. Ad verb. In se, id est, intra se. Dicebat intra se: id est, cogitabat, & ex fide affirmabat.* Servabor] *σωθήσομαι. Id est, sanabor. Synecdoche generis.*

22 Jesus verò conversus] *ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐπιστραφείς. Hîc Marcus & Lucas præterea narrant, Jesum esse conquestum quòd ab aliquo esset tactus, & quòd circumspexerit ut illum videret. tum mulierem jam ex contactu illo sanatam, quũ videret se non posse latêre, timentem ac trementem prodiisse in conspectum Domini, & rem omnem illi confessam esse. Atq; hinc est, quòd Dominus hîc illam jubet confidere seu bono animo esse.* Filia] *θύγατερ. Hac voce metaphorica significat, se paternè erga eam affectum esse: quare non esse cur timeat, quasi ipsum offenderit illo occulto attactu.* Fides tua] *ἡ πίστις σου. Qua scil. credidisti, me sanaturum te: ut qui sim Christus: de quo Deus prædixit ejusmodi sanationes: & qui jam multos ita sanaverim.* Servavit te] *σέσωκέ σε. Id est, Sanavit. Synecdoche generis, ut paulo-antè. Et mox iterum.* Mulier] *ἡ γυνή.* **Das weib:** *id est,* **dasselbe weib.** *Articulus est ἀναφορικός.* Ab eo momento] *ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης. Nempe quo tetigit fimbriam vestis Jesu: ut narrant Marcus & Lucas, quorum ille habet εὐθέως, statim: iste verò παραχρῆμα, illico.*

23 Et quum venisset] *καὶ ἐλθών. Sed antequam venisset, venit ad illum archisynagogum quidam ex domesticis, nuntians filiam jam esse mortuam, ac proinde monens ut omitteret Jesum, tanquam in re scil. desperata. Sed Jesus illum jubet confidere, atq; ita opem suam ei pollicetur: sicut narrant Marcus & Lucas.* Præfecti synagogæ] *τοῦ ἄρχοντος.* **Des Obersten.** *nempe cujus facta mentio paulo-antè v. 18. Articulus est ἀναφορικός.* Tibicines] *τοὺς αὐλητάς. Qui canturi erant aut jam tum canebant lugubria.* Tumultuantem] *θορυβούμενον. Flentes scil. & ejulantes & plangentes defunctam: ut habent Marcus & Lucas.* Non enim mortua est puella, sed dormit] *At verè erat mortua: unde etiam eum deridebant: ut qui mortuam conaretur excitare tanquam dormientem. Sed ipse demonstravit reipsa, illam sibi quidem dormivisse: quia eam tanquam dormientem solâ inclinatione excitavit.*

24 Puella] *τὸ κοράσιον.* **Das mägdlin.** *Erat annorum circiter duodecim, teste Luca. Articulus est ἀναφορικός.*

25 Ingressus] *εἰσελθών. Scil. in conclave ubi puella jacebat: sicut declarat Lucas. Idq; assumtis Petro & Jacobo & Johanne, & patre ac matre puellæ; cæteris verò omnibus exclusis: ut narrant Marcus & Lucas.* Prehendit manum ejus] *Et vocem extollens dixit. Talithá kumi, id est, Puella surge: ut narrant Marcus & Lucas.* Et surrexit] *Marcus addit, εὐθέως statim. Item Lucas: παραχρῆμα, illico. Adhac Lucas addit,* Reversus est spiritus ejus, *hoc est, anima quæ è corpore jam excesserat, in illud est reversa. Præterea Marcus addit, eam ambulasse: Lucas verò & Marcus, Dominum jussisse ut ei daretur quod ederet. Et parentes valde obstupuisse: Dominum verò illis interdixisse ne cui hoc patefacerent.*

27 Quumque digrederetur] *καὶ παράγοντι. Verbum παράγειν hîc idem valet quod ὑπάγειν, ut sup. v. 9. Marcus dicit, ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν, Marc 6. 1.* Illinc] *ἐκεῖθεν. Ex domo Jaeiri.* Fili David] *υἱὲ Δαβίδ. Periphrasis Messiæ seu Christi, à causa procreante, secundùm Dei promissionem Davidi factam.*

28 Domum] *εἰς τὴν οἰκίαν. Nempe domum suam in urbe Capernaüm. Nam Marcus ait, Jesum illinc egressum, venisse in patriam suam, Marc. 6. 1. nomine patriæ intelligens urbem Capernaüm: quippe in qua habitare cœpit, quum cœpit prædicare Evangelium, teste Matthæo c. 4. v. 13. & deinceps.*

30 Graviter interminatus est eis] *ἐνεβριμήσατο αὐτοῖς. Q. d. μετὰ βριμήσεως ἐνέτειλεν αὐτοῖς: cum fremitu præcepit eis. Simplex ver-*

bum est βριμᾶσθαι, *vel* βριμοῦσθαι: *quod ortum videtur ex verbo* βρέμειν, *id est, fremere: nam id ipsum significat. At Johan.11.istud verbum ponitur neutraliter, ubi de Jesu dicitur,* ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, *infremuit spiritu, v.33. Item* ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ, *fremens apud se, v.38.*

31 Sparserunt ejus famam] διεφήμισαν αὐτόν. *Ad verb. Diffamarunt eum. Sed hoc verbum Latinis in malo dici consuevit: hîc autem de bona fama sermo est. Germanicè,* Sie haben jn verschrâiet/*id est,* ruchtbar gemacht.

33 Tale quidpiam] οὕτως. *Ad verb.* Sic. *Sic Rom.9.* τί με ἐποίησας οὕτως; Cur me fecisti tale? *Loquitur enim ibi* τὸ πλάσμα, *id est, figmentum ad figulum.*

34 Per principem] ἐν τῷ ἄρχοντι. *Id est,* διὰ τοῦ ἄρχοντος. *Hebraismus.*

35 Urbes omnes] τὰς πόλεις πάσας. *Videl.* τὰς τῆς Γαλιλαίας. *urbes Galilææ. Articulus igitur est* ἀναφορικός. *Refertur autem ad regionem in qua tum Jesus versabatur, nempe Galilæam: ut ex præcedentibus patet.* Evangelium regni] τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας. *Id est, lætum illud nuntium de regno cælorum per ipsum acquirendo omnibus in ipsum credentibus.* Quemvis morbum] πᾶσαν νόσον. *Seu, omnis generis morbos,* allerlâi seuchen.

36 Commiseratione intimâ commotus est] ἐσπλαγχνίσθη. *Verbum* σπλαγχνίζεσθαι *factum est à nomine* τὰ σπλάγχνα, *quo significantur viscera; ut cor, jecur, &c. quæ solent commoveri in gravi aliquo affectu. Hebræi vocant* רַחֲמִים *rahhamim, &* μετωνυμικῶς *intelligunt commiserationem: ut 12.10.* Curat justus vitam jumenti sui: viscera autem improborum, *sunt viscera* crudelis. *Psal.103.v.4.* Qui circumtegit te benignitate & visceribus. *Hinc in cãtico Zachariæ Luc.1.* σπλάγχνα ἐλέους, viscera misericordiæ: *pro misericordia intima & viscera commovente.*

37 Ipsa quidem messis, &c.] *Allegoria, quâ electos Galilæos significat jam esse maturos vocationi, id est, ut per evangelium donentur fide seu verâ cognitione Dei, atque ita quasi metantur & in horreum Dei, h.e. in cælum colligantur. Confer Joh.4.35. & deinceps, ubi hæc similitudo pluribus verbis proponitur in sermone Domini de electis Samaritanis.* Messis] ὁ θερισμός. *Pro eo quod est, segetes metendæ. Metonymia adjuncti. Deinde, segetes metendæ: id est, Galilæi per Evangelium efficaciter vocandi. Metaphora.* Operarii] οἱ ἐργάται. *Id est, doctores Evangelii.*

38 Dominum messis] τοῦ κυρίου τοῦ θερισμοῦ. *Id est, Deum.* Ut extrudat] ὅπως ἐκβάλλῃ. *Plus est quàm* ἐκπέμπῃ, *id est, emittat. Nam significatur pigritia eorum qui ad Evangelium prædicandum vocantur.*

OBSERVAT. EX CAP. IX.

An aliquis justificari possit fide aliena.

1 Ex v.2. Quæritur, an aliquis justificari possit fide alienâ? Rationem dubitandi præbent verba Evangelistæ: qui dicit, Jesum quum vidisset fidem eorum (qui scil. ei offerebant paralyticum) dixisse paralytico: Confide fili, Remissa sunt tibi peccata tua. Videtur ergo illi remisisse peccata propter fidem illorum qui ipsum portabant. At contrà Paulus ex Propheta Habac. Rom.1. pronuntiat, Justum SUA fide victurum. Et id ipsum Scriptura passim inculcat. Respondeo: Nemo justificatur fide alienâ: neque id potest evinci ex præsentibus verbis Evangelistæ. Etenim pronomen relativum EORUM, referendum est non ad illos solùm qui paralyticum portabant, sed etiam ad ipsum paralyticum. Sed iterum quæritur: quorsum simul fiat mentio fidei reliquorum: quum tamen illa nihil contulerit ad hujus paralytici justificationem? Respondeo: Fidei illorum fit mentio, ut indicetur causa qua motus Christus paralyticum illum sanârit. hoc enim impetrârunt illi fide suâ, sicut & ipse paralyticus suâ. Nam Evangelista hoc dicere vult: Quum videret Jesus fidem eorum (videlicet tum illorum qui paralyticum portabant, tum ipsius paralytici) duo beneficia paralytico præstitit: unum, quòd remisit illi peccata; alterum, quòd eum sanavit. Sed hujus posterioris beneficii narrationem differt Evangelista, donec narraverit quid inter utrumque intervenerit, videlicet perversum judicium Scribarum de priore illo, & illius nomine criminatio Christi, & Christi defensio.

In morbo constituti, quid facere debeamus?

2 Ex eod.v. Quum flagellamur morbis, ante omnia in mentem nobis venire debent peccata, quibus ista flagella sumus commeriti: ac proinde illorum remissionem à Deo petere debemus: deinde demum adhibere media, quorum facultatem Deus nobis concedit. Hoc discimus ex eo, quòd Christus paralytico illi ante remittit peccata, quàm eum sanet.

Christi deitas.

3 Ex v.4.6. & 7. Duo hîc continentur argumenta deitatis Christi: unum, quòd vidit Scribarum cogitationes. Solus enim Deus καρδιογνώστης est. Alterum, quòd paralyticum solo verbo seu mandato sanavit.

Remissio peccatorum. Papa sacrilegus.

4 Ex v.5. & 6. Quum remittere peccata sit proprium opus Dei: sacrilegium igitur committit Papa, quòd hanc potestatem sibi arrogat. Quòd autem Christus ministris verbi dedit potestatem remittendi peccata, Joh.20.v.23. id intelligendum est de annuntiatione remissionis peccatorum ex mandato Dei: qui mandavit, ut ministri Verbi omnibus ac solis resipiscentibus & in Christum credentibus remissionem peccatorum certò annuntiarent ipsius nomine.

Officium hominis Christiani.

5 Ex v.8. Quoties videmus opera misericordiæ Dei in proximo, Deum glorificare debemus.

Vocatio electorum.

6 Ex v.9. In vocatione Matthæi ad Apostolatum proponitur nobis imago nostræ vocationis ad vitam æternam: quòd nimirum illa sit gratuita, nobisque citra meritum nostrum contingat. Matthæus enim erat publicanus, ac proinde minimè dignus qui ad tam sanctum munus vocaretur. Sic nos à naturâ sumus miseri peccatores: ac proinde indigni qui vocemur ad cælestes illas nuptias regis regum. Usus hujus doctrinæ est, ut hanc Dei gratiam demissis animis agnoscamus, & læti celebremus. Vide Gal.1. v.15. item 2.Tim.1.v.9.

Verbi Christi efficacia.

7 Ex eod.v. In vocatione Matthæi proponitur nobis exemplum efficaciæ verbi Christi. Etenim sicut mandatum Christi movit Matthæum, ut è vestigio illum sequeretur: sic ejusdem mandatum quo nos jubet credere in se, & promissio qua promittit remissionem peccatorum resipiscentibus & credentibus in ipsum, movet nos ut resipiscamus & in ipsum credamus.

Conversatio cum peccatoribus.

8 Ex v.10.11.12.15. Non ita debemus abhorrere à conversatione peccatorum, quin studeamus quoties occasio fert, illos lucrifacere Christo per sanctas admonitiones ex verbo Dei: quod quidem inprimis facere debent ministri Verbi.

Christus medicus animarum.

9 Ex vers.12. Christus est verus medicus animarum. Quare quum animis ægrè affecti sumus, ad Christi opem confugiamus. Vide infrà cap.11. sub finem, *Venite ad me omnes, &c.*

Cultus Dei.

10 Ex v.13. Verus Dei cultus non consistit in cærimoniis: ut in V. T. erant sacrificia: sed in vera dilectione Dei & proximi propter Deum. Cærimoniæ verò tum demum Deo placent, quum ad interiorem illum cultum, tanquam finem suum, referuntur: ut scil. in dilectione Dei & proximi crescamus. Confer Esa.1. *Ad quid mihi multitudo sacrificiorum vestrorum: quum manus vestræ repletæ sint sanguine?*

Infirmi Christiani quomodo tractandi.

11 Ex v.14.15.16.17. Infirmi seu rudiores Christiani non sunt ita rigidè adigendi ad severiorem victus rationem: quia periculum est ne à Christianismo deficiant. Eadem est ratio dispensationis doctrinæ: nam infirmis ac rudibus præbendum est quasi lac doctrinæ: doctioribus verò solidior cibus. Vide 1.Cor.3.v.12. Heb.5.v.12.13.14. & c.6.v.1.2.

Christus ecclesiam diligit.

12 Ex v.15. Christus est sponsus Ecclesiæ, unde sequitur, quòd illam ardentissimè diligat. Id quod singulis credentibus, tanquam Ecclesiæ membris, maximam præbet consolationem. Confer Ephes.5.25. & deinceps. Item facit ad institutionem tum communem omnium fidelium, ut studeant suo sponso placere: tum specialem ministrorum verbi, ut Christo Ecclesiam tanquam sponsam adducant: cujus studii exemplum vide in Johan. Baptista, Joh.3.v.29. & Paulo, 2.Cor.11.v.2.

Quomodo Christus hodie cum fidelibus sit?

13 Ex eod.v. Quum Christus dicat fore ut aliquando auferatur à discipulis: quærat aliquis, quî conveniat cum hac denuntiatione illa promissio Matth.ult. *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi?* Respondeo: Ablatus est à discipulis corpore, quum raptus fuit ad supplicium, & deinde ascendit in cælum: interim adfuit illis etiam post ascensionem, & adhuc hodie adest successoribus illorum, omnibus fidelibus verbi ministris, per operationem gratiosam Spiritus sancti.

Jejunium quadragesimale.

14 Ex eod.v. Ex verbis, *Quum auferetur ab eis sponsus, tunc jejunabunt,* ineptè colligitur ratio cur celebrandum sit jejunium quadragesimale, * ut scil. impleatur quod Dominus hîc dixit. At illud jam olim perfectè impletum fuit, quum Apostoli lugerent, Domino ad supplicium rapto & occiso. Nec loquitur Dominus de jejunio quod certo consilio suscipiatur: sed quod luctus præter spem obortus ultrò pariturus sit.

* Bellarm de jejunio c.10.

Beneficentia.

15 Ex v.18. & 19. Facilitas Christi in benefaciendo proximis opem nostram implorantibus, imitanda est.

Invocatio Christi.

16 Ex iisdem. Facilitate Christi in precibus exaudiendis ad opem ejus implorandam excitari debemus.

Fidei vis.

17 Ex v.20.21.22. Fides à Deo impetrat quæ naturæ impossibilia sunt. Sed quærat aliquis: Quo Dei verbo nixa seu freta fuerit istius mulieris fides, itemque aliorum qui per fidem à Christo miraculosas sanationes impetrarunt? Resp. Judico, fidem illorum fretam fuisse partim promissionibus divinis quæ extant in prophetis, quòd Christus omnis generis morbos miraculosè esset sanaturus: ut Es.35.v.5. & 6. partim facilitate Christi in sanandis iis qui opem ejus implorabant: quæ facilitas instar promissionis erat: quasi diceret, Venite ad me quicunque corporibus malè affecti estis: ego sanabo vos. Sicut alibi ad se invitat eos qui malè affecti sunt animis, eisque refocillationem promittit, inf. cap.11.v.28.

Christi deitas.

18 Ex iisdem versibus Christi deitas elucet ex hoc miraculo.

Funera.

19 Ex v.23. Quæri potest, an rectè fecerint Judæi, quòd adhibuerunt tibicines qui circa funera luctum præsentium excitarent? Respondeo: Non rectè fecerunt. Luctus enim non augendus, sed potiùs minuendus ac moderandus est. Nam ut pios non decet ἀπάθεια illa Stoica: ita nec eos decet nimius luctus, qualis fuit Ethnicorum, spem resurrectionis ad vitam æternam non habentium, 1.Thess.4.v.13. Interim mediocris luctus à pietate alienus non est: ait enim Paulus, flendum esse cum flentibus, Rom. 12. Et de Epaphrodito ægrotante significat, mortem illius dolorem sibi allaturum fuisse, Phil.2.27.

Mortuorum excitatio.

20 Ex v.24. Mortui, Christo dormiunt: qui eos excitat potentia

tentiâ suâ, quum vult. Et sicut nonnullos excitavit ad hanc vitam: sic in adventu suo ad judicium excitaturus est omnes; pios quidem ad vitam æternam, impios verò ad æternos cruciatus, Joh.5.v.28.29.

Christi deitas.

21 Ex v.25. Deitas Christi elucet ex isto miraculo.

22 Ex vers.29. & 30. Ex isto quoque miraculo deitas Christi elucet.

Cur Christus prohibuerit patefactionem miraculi à se editi in duobus cæcis.

23 Ex v.30. Quærat aliquis, Cur Christus duobus illis cæcis prohibuerit, ne miraculosam hanc sui sanationem cuiquam patefacerent: quum tamen illius patefactio videatur factura fuisse ad ipsius laudem & gloriam Dei? Respondeo: Quum Spiritus sanctus causam hujus rei tacuerit: non decet nos illam curiosè inquirere. Satis est nos statuere, Christo omnium suorum factorum idoneas causas constitisse. Atque hoc præstat facere, quàm incerta comminisci.

An duo illi cæci quibus Christus visum dederat, rectè fecerint miraculum illud divulgando?

24 Ex v.31. Quæritur, an duo illi cæci rectè fecerint, spargendo famam Christi, id est, prædicando miraculosam sui per illum sanationem? Respondeo: Etsi probabile est eos hoc fecisse bono consilio, nempe ad laudem Christi: tamen non rectè fecerunt, quiā fecerunt contra interdictum Christi. Id enim demum rectè fit, quod fit ex præscripto mandati divini.

Christi deitas.

25 Ex v.32. & 33. Deitatis Christi argumentum est, quòd imperio ipsius obedire coguntur mali spiritus.

Consolatio contra calumnias.

26 Ex vers.34. Quum hostes veritatis nostra rectè facta calumniantur: consolemur nos exemplo Christi, cui idem à Pharisæis accidit.

Ministrorum verbi Dei officium.

27 Ex v.35. Exemplo Christi pastores Ecclesiarum omne studium adhibeant in evangelii doctrinâ auditoribus suis tradenda. Confer exemplum Pauli Act.20.v.18. & deinceps.

Evangeliū.

28 Ex eod.v. Quum evangelium nos doceat, quomodo introire possimus in regnum cælorum, meritò illud in pretio habere ac studiosè audire atque cognoscere debemus.

Pastores populi Dei.

29 Ex v.36. Non omnes veri pastores populi Dei sunt, qui titulum illum gerunt. Quare hîc circumspectione est opus, ne decipiamur.

30 Ex eod.v. Quum magna sit miseria, carêre veris pastoribus seu fidelibus doctoribus qui nos pascant salutari pabulo verbi Dei: æquum est ut quibus fideles pastores contigerunt, beneficium hoc Dei agnoscant, & illos in pretio habeant.

Vocatio electorum.

31 Ex v.37. Sicut segetes habent suum tempus quo metantur, & in horreum colligantur: sic electi habent suum tempus quo per Evangelii prædicationem efficaciter vocentur, & in cælum colligantur. Quare si quem veritatis cælestis adhuc ignarum videamus aut securè illius cognitionem negligere, aut illi contradicere ex ignorantia: ne propterea spem de illo abjiciamus: sed cogitemus, nondum esse maturum ad efficacem vocationem, Deumque pro illo oremus ut aliquando veritatem amplectatur & salvus fiat.

Evangeliū.

32 Ex eodem versu & sequente. Quum per Evangelium in cælum tanquam in horreum colligamur: officii nostri est ut illud habeamus in pretio, & studiosè audiamus atque cognoscamus: nec non Deum oremus, ut nobis fideles illius doctores donet.

Ministerium verbi Dei.

33 Ex v.38. Quum necesse sit operarios in messem DEI extrudi: id argumento est, homines ad ministerium verbi capessendum ac fideliter eo fungendum à natura segnes & refractarios esse. quod ipsum exempla confirmant. Mosis, Exod.3. Jeremiæ, Jer.1. Jonæ, Jon.1. Reperiuntur quidem qui currant, etsi non mittantur à Deo, Jer.23.21. Sed illis non est rectum propositum, ut scilicet Deo serviant, & gloriam ipsius ac salutem populi promoveant. Quare sicut nemo currere debet nisi mittatur, Hebr.5.4. ita qui mittuntur, vocationi promtè parêre debent: exemplo Pauli Act.16.v.9. & deinceps.

ANALYSIS CAP. X.

ARGUMENTUM.

Narrat, cum qua potestate ac virtute, & cum quibus mandatis Christus Apostolos miserit in urbes Judææ ad prædicandum Evangelium: nec non quibus argumentis eos sit consolatus contra eventuras eis persecutiones propter confessionem de ipso. Recenset etiam Apostolorum nomina.

TUnc advocatis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem in spiritus impuros, ut ejicerent eos, & sanandi omnem morbum & omnem languorem.

HIc narrat, quâ virtute & potestate instruxerit Christus Apostolos, quum eos esset ad prædicandum Evangelium missurus; videlicet potestate & virtute seu potentiâ ejiciendi impuros spiritus, & sanandi ægrotos. Scopus erat, ut hoc modo doctrina ipsorum confirmaretur, Marc.ult. v.ult.

2 Porrò duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus: Jacobus filius Zebedæi, & Johannes frater ejus:

3 Philippus, & Bartholomæus: Thomas, & Matthæus ille publicanus: Jacobus *filius* Alphæi, & Lebbæus, cognominatus Thaddæus:

4 Simon Cananites, & Judas Iscariotes, qui etiam prodidit eum.

Hîc per digressionem recenset duodecim Apostolorum nomina. Conjungit autem binos: quia nimirum Christus binos mittebat, teste Marco.

5 Hos duodecim misit Jesus, & addidit eis mandata, dicens, In viam Gentium ne abieritis, & in urbem Samaritanorum ne ingrediamini.

6 Sed proficiscimini potiùs ad oves perditas domus Israël.

7 Profecti verò prædicate, dicentes, Appropinquavit regnum cælorum.

8 Ægrotos sanate, leprosos purgate, mortuos excitate, dæmonia ejicite: dono accepistis, dono date.

9 Ne comparate aurum, neque argentum, neque æs in zonas vestras;

10 Neque peram ad iter, neque binas tunicas, neque soleas, neque baculum. nam dignus est operarius alimento suo.

11 In quamcunque verò urbem aut vicum introieritis, exquirite quis in ea sit dignus: & illic manete usquedum exeatis.

12 Introëuntes autem domum, salutate eam.

13 Et si quidem fuerit illa domus digna, venito pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertitor.

14 Et quicunque non exceperit vos, neque audierit sermones vestros; exeuntes domo aut urbe illâ, excutite pulverem pedum vestrorum.

15 Amen dico vobis, tolerabilior erit conditio terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quàm urbis illius.

Deinceps exponit quibus mandatis eos instruxerit. Quæ quidem mandata distingui possunt in decem. Primùm enim monuit, ad quos debeant ire, videl. ad solos Judæos, non etiam ad Gentes aut Samaritanos, v.5. & 6. Secundò, quid debeant prædicare, videl. appropinquasse regnum cælorum, v.7. Tertiò, quomodo debeant doctrinam suam confirmare, videl. miraculis, v.8. Quartò, quomodo se debeant gerere erga eos in quos beneficia illa contulerint: nempe quòd non debeant ab illis facere quæstum, sed beneficia illa dare gratis seu sine pretio, in fine versus octavi. Quintò, quibus rebus se debeant instruere ad iter: nempe nullis earum rerum quibus se instruere solent qui peregrè proficisci volunt, vers.9. & 10. ubi simul per prolepsin eis promittit, se procuraturum ipsis necessaria alimenta, in fine versus 10. Sextò apud quem in qualibet urbe aut vico debeant hospitari: nempe apud aliquem quem compererint dignum: id est, apud aliquem pietatis nomine celebrem, vers.11. Septimò, quomodo debeant cognoscere, qui sint digni & qui indigni; nempe ex salutationis suæ receptione aut rejectione, vers.12. & 13. Octavò, quomodo se gerere debeant erga dignos, nempe quòd prædicatione Evangelii debeant eos pacis seu felicitatis, quam eis fuerant precati, reddere participes, in principio vers.13. Nonò, quomodo se gerere debeant erga indignos seu illos qui ipsos noluerint recipere: nempe quòd non debeant eos prædicatione Evangelii participes facere pacis seu felicitatis, in fine vers.13. sed contrà excutere pulverem pedum in signum judicii divini illis eventuri, vers.14. Quod quidem judicium amplificatur collatione judicii Sodomorum & Gomorrhæorum, tanquam minoris, vers.15. Decimò, monet quomodo se gerere debeant erga hostes: quæ admonitio quatuor partes continet, vers.16. & deinceps: sicut in sequente pericope declarabitur.

16 Ecce ego mitto vos ut oves in medium luporum: estote igitur prudentes, ut serpentes, & simplices ut columbæ.

17 Cavete verò ab hominibus. tradent enim vos in synedria, & in conventibus suis flagellabunt vos.

18 Sed & ad præsides ac reges ducemini meâ causâ, in testimonium ipsis, & Gentibus.

19 Sed quum tradiderint vos; ne estote soliciti quomodo aut quid loquamini. dabitur enim vobis illo momento quod loquamini.

20 Non enim vos estis ii qui loquuntur; sed Spiritus Patris vestri, *est* is qui loquitur in vobis.

21 Tradet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium: & insurgent liberi in parentes, & morte afficient eos.

22 Et eritis exosi omnibus propter nomen meum: verùm qui sustinuerit ad finem usque, is servabitur.

23 Quum autem persequentur vos in urbe hac, fugite in aliam: Amen enim dico vobis, nequaquam absolveritis urbes Israëlis, quin venerit filius hominis.

24 Non est discipulus supra doctorem, neque servus supra dominum suum.

25 Sufficit discipulo ut sit sicut doctor ipsius, & *ut* servus *sit* sicut dominus ipsius. Si ipsum patremfamiliâs Beëlzebub vocârunt, quantò magis domesticos ejus?

26 Itaque ne eos timete. nihil enim est opertum quod non retegetur: & nihil occultum, quod non cognoscetur.

27 Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate supra tecta.

28 Et ne timete *vobis* ab iis qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potiùs eum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.

29 Nónne duo passerculi assario veneunt? & *tamen* unus ex eis non cadit super terram sine patre vestro.

30 Vestri verò etiam pili capitis omnes numerati sunt.

31 Ne igitur timete: vos multis passerculis præstatis.

His verbis decimum mandatum continetur, quomodo scil. se gerere debeant erga hostes. Quo quidem loco delabitur ultra præsens tempus, quippe loquens de periculis quæ demum post ipsius in cælos ascensionem eis erant eventura. nam præsens hæc legatio non modò periculorum expers fuit, sed etiam multa cum commoditate conjuncta, adeò ut nihil omninò desiderârint, ut patet ex Luc. 22. vers. 35. Hoc autem mandatum quatuor continet partes. Primùm enim præcipit, quomodo se gerere debeant erga hostium insidias: videl. quòd debeant eas prudenter cavere, ita tamen ut interim agant simpliciter seu sine dolo, v. 16. & 17. Amplificat autem insidias & crudelitatem hostium similitudine luporum: prudentiam verò cautionis declarat exemplo serpentum: denique simplicitatem declarat exemplo columbarum. Secundò præcipit, quomodo se gerere debeant erga hostium vim: quum scil. ab illis capti, ducentur ad magistratus & accusabuntur tanquam seditiosi, nempe quòd non debeant esse soliciti de defensione seu apologia, v. 19. Hoc præceptum primùm amplificatur prædictione istius violentiæ ipsis eventuræ: idq; per distributionem è subjectis, id est, magistratibus ad quos ducentur: videl. eos ductum iri ad magistratus tum Judaicos, v. 17. tum Ethnicos, v. 18. Atque illa distributio amplificatur collatione imparium: posterius enim membrum priori adjungitur tanquam majus, i.e. magis terribile: eò quòd Ethnici Judæis erant infensi atq; infesti. Cæterùm huic prædictioni admiscet consolationem ex eventu: quòd nimirum hęc res cessura sit in testimonium contra illos apud quos causam dicturi sint: hoc est, quòd justo Dei judicio perituri sint nisi doctrinam Evangelii ab ipsis expositam receperint. Vis consolationis in eo est, quòd Deus doctrinam ipsorum propter quam apud magistratus tanquam seditiosi accusabuntur, sit asserturus, puniendo illos qui eam noluerint recipere. Præterea ipsum præceptum confirmat ratione adjectâ à causa corrumpente, sive à causa efficiente contrarii, in hanc sententiam: Necessitas defensionis vestri apud magistratus non debet vos reddere solicitos, seu non debet in vobis gignere solicitudinem ex cōscientia vestræ infirmitatis, ut qui sitis homines idiotæ, nec exercitati in literis & dicendo. Nam Spiritus S. suggeret vobis quid loqui debeatis. Hæc igitur suggestio Spiritus S. est causa efficiens facultatis defendendi sese: quæ facultas contraria est illi difficultati atque infirmitati unde nascitur solicitudo. Sic igitur contra conscientiam suæ infirmitatis & metum infantiæ in causa dicenda, consolatur eos promissione opis ferendæ per Spiritum S. v. 19. & 20. Præterea persecutionem quam illis propter Evangelii confessionem eventuram prædicit, amplificat è causis efficientibus, i.e. personis quæ illam sint effecturæ: idq; ex adjunctis duorū generum. Primùm ex adjuncta qualitate: quòd nimirum persecuturi eos sint consanguinei, v. 21. deinde ex adjuncta quantitate, quòd scil. exosi futuri sint omnibus, v. 22. i.e. ferè omnibus seu maximæ hominum parti. Cæterùm, huic prædictioni rursus adjicit consolationem, à læto eventu, videl. salute æterna, si persecutiones illas constāter sustinuerint; quo ipso eos ad constantiam confessionis exhortatur, in fine v. 22. Atq; sic tractatur secundum præceptum, quomodo se gerere debeant erga vim hostium: Tertium sequitur, quo præcipit quomodo se debeant gerere, si liceat insidias ac vim effugere, nempe quòd tum fugere debeant: ita tamen ut à prædicando Evangelio non desistant, sed illud in alio loco prædicent, v. 23. Hoc præceptum confirmat per prolepsin qua occurrit scandalo contumaciæ Israëlitarum illorum qui Evangelium non erant recepturi, sed Apostolos eo nomine persecuturi: ita ut subinde cogerentur fugere ex una urbe in aliam. Ait igitur, se interim maturè venturum, nempe venturum in regno suo: ut loquitur infr. 16. v. ult. id est, se per Spiritum S. gubernaturum electos Israëlitas, ut Evangelio credant, ut nimirum labor ipsorum non sit inanis. Porrò illud præceptum amplificat consolatione aliâ, quam petit à suo ipsius exemplo: quod illis considerandum proponit, ut intelligant, non esse æquum ut velint esse conditione meliore, quàm sit ipse: ut qui sit eorum magister & dominus & paterfamiliâs, v. 24 & 25. Atq; sic tractatur præceptum hujus loci tertium. Quartum succedit, quo præcipit quomodo se gerere debeant contra magistratuum minas, quum scil. illi minabuntur eis supplicium capitis, nisi prædicationem Evangelii omiserint. Præcipit igitur, minas illas non esse timendas: sed Evangelium quod ab ipso privatim didicerint, publicè atq; intrepidè esse docendum, v. 26. & 27. Quod quidem præceptum confirmat à genere, videl. à sententia generali, eâdemque proverbiali, ac proinde approbatâ consensu vulgi, v. 26, unde posteriorem pręcepti partem, de Evangelio publicè prædicando, deducit v. 27. Contra minas autem illas eos consolatur, & ad constantiam confessionis exhortatur tribus rationibus, quæ singulę sumtæ sunt ab effectis: sed prima & ultima ab effectis negatis, media ab effecto affirmato. Prima ratio est: Si maximè Deus magistratibus sit permissurus ut propter Evangelii confessionem trucident vestrum corpus: tamen illi non poterunt trucidare vestram animam: id est, non poterunt vos prorsus delere atq; ita vos privare vitâ æternâ qua fruimini in animabus vestris ex sensu gratiæ Dei, v. 28. Secunda ratio: Si metu suppliciorum abnegabitis me: tum Deus & animam & corpus vestrum perdet ac detrudet in gehennam: eod. v. 28. Tertia ratio: Ut maximè magistratus aut alii volent vos lædere: tamen non poterunt, nisi Deus eis permiserit. Is autem non ita temere id permittit: sed potiùs pro salute vestra excubat suâ providentiâ. Hoc confirmat à minori, per duo exempla: videl. passerculorum, v. 29. & capillorum, v. 30. Versu autem 31. argumentum hoc concludit. Atque hæc sunt mandata quibus Dominus Apostolos tum instruxit, unà cum consolationibus admixtus.

32 Quisquis igitur confitebitur de me coram hominibus, confitebor & ego de ipso coram patre meo qui est in cælis.

33 Quisquis autem abnegaverit me coram hominibus: abnegabo eum & ego coram patre meo qui est in cælis.

34 Ne existimate me venisse ut mittam pacem in terram: non vêni ut mittam pacem, sed gladium.

35 Nam vêni facturus ut dissideat homo adversus patrem suum, & filia adversus matrem suam, & nurus adversus socrum suam.

36 Et inimici hominis *erunt* domestici ipsius.

37 Qui amat patrem & matrem supra me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam supra me, non est me dignus.

38 Et qui non accipit crucem suam, ac sequitur me à tergo, non est me dignus.

39 Qui invenerit animam suam, perdet eam: & qui perdiderit animam suam meâ causâ, inveniet eam.

Pergit eos hortari ad constantiam in confitendo Evangelio, & contrà dehortatur ab ejusdem abnegatione. Argumenta hortationis petit ab effectis: videlicet tum ab effectu utili confessionis, v. 32. & 39. tum ab effectu pernicioso abnegationis, v. 33. 37. 38. 39. Effectum confessionis est mutua confessio Christi coram patre cælesti, qua agnoscet confessores esse ipso dignos, ac proinde impetrabit eis possessionem regni cælestis æternam. Contra effectum abnegationis, est mutua abnegatio Christi, qua abnegatores non agnoscet ipso esse dignos: ac proinde tanquam indignos à se rejiciet & detrudet in gehennam. Versu autem 34. 35. & 36. per prolepsin interserit prædictionem persecutionis confessoribus eventuræ: quæ persecutio amplificatur ex adjunctis adhærentibus personarum persequentium, ut suprà v. 21. Transfert autem hoc loco Christus orationem ab hypothesi ad thesin, seu à specie ad genus, videlicet ab Apostolis ad omnes discipulos suos seu fideles, unde ait: *Quisquis igitur* &c. Item, *Vêni facturus ut dissideat filius* &c. Item, *Qui amat* &c. *Qui non accipit* &c. *Qui invenerit* &c.

40 Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui misit me.

41 Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.

42 Et quicunq; potum dederit *vel* uni ex his parvis poculum frigidæ solùm in nomine discipuli; amen dico vobis, nequaquam perdiderit mercedem suam.

Hic per-

Hîc pergit Apostolus consolari contra odia & contemtum mundi. Consolatur autem eos ab adjuncta æstimatione ac dilectione Dei Patris & sua: quòd videlicet tum ipse tum Pater maximi eos faciant tanquam legatos suos, adeò ut si quis illos receperit, eo loco sint habituri, ac si ipsosmet recepisset, v. 40. Deinde quòd ipse tantopere eos diligat, ut abundè compensaturus sit beneficia ipsis præstita ab hominibus, v. 41. Hanc sententiam amplificat collatione similium exemplorum: puta quorumvis doctorum ecclesiæ, item aliorum justorum ac discipulorum, qui propter confessionem Christi opem hominum implorant, v. 41. & 42.

SCHOLIA IN CAP. X.

1 Potestatem] ἐξουσίαν. *Lucas addit* δύναμιν, *id est, potentiam seu virtutem.* In spiritus impuros] πνευμάτων ἀκαθάρτων. *Id est,* ἐπὶ τὰ ἀκάθαρτα πνεύματα: *ut loquitur Lucas.* Et sanandi] καὶ θεραπεύειν. *Repete* ἀπὸ κοινοῦ, *Dedit eis potestatem. Et ante* θεραπεύειν *subaudi articulum* τοῦ. *Hanc esse veram hujus loci syntaxin, liquet ex collatione Lucæ 9.1.*

2 Primus] πρῶτος. *Est hîc ἀνανταπόδοτον: quia non sequitur,* δεύτερος, τρίτος *&c. Primus autem hic intelligitur, qui primò erat vocatus, ut liquet ex Matth. 4.18. non quòd superior esset cæteris, aut potestatem in eos haberet.* Qui dicitur Petrus] ὁ λεγόμενος Πέτρος. *Id est, lapis: Syriacè* כֵּיפָא *Kiphá. Rationem nominis vide infrà 16. v. 18.*

3 Et Lebbæus, cognominatus Thaddæus] καὶ Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος. *Hæc verba videntur esse transposita, & sic ordinanda:* καὶ Θαδδαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Λεββαῖος, *Et Thaddæus qui cognominatus fuit Lebbæus. Etenim iste Hebraicè dictus fuit Judas, ut liquet ex Luc. 6.16. pro quo Syriacè dicitur Thaddai. Nomen autem Lebbai vel Libbai à prudentia ei inditum videtur: ut quidam Romanus dictus est Corculum. nam léb Hebræis cor significat. Porrò istam vocum ordinationem confirmat, quòd hic ipse à Marco nominatur Thaddæus, omisso nomine Lebbai, Marc. 3. v. 18. Et quòd ipsemet sese nominat Judam in principio epistolæ suæ, omisso item nomine Lebbai.*

4 Cananites] Κανανίτης. *Posset videri sic dictus à Cana oppido Galilææ, tanquam patria: sed alibi nominatur* ζηλωτής. *unde apparet sic dictum à verbo* קְנָא *Kaná, quod significat* ζηλοῦν, *æmulari.* Iscariotes] Ἰσκαριώτης. *Beza ex Caninio tradit, esse vocem compositam Hebræam, quasi sit Hebraicè* אִישׁ־קְרִיּוֹת *ischkerijoth, vir Kerijotharum, hoc est, Kerijothensis, ab oppido Juda, Josu. 15.25. Tremellius autumat, vocem esse Syriacam* סְכַרְיוּטָא *Secharjuthá, compositam ex nomine* סְכַר *Secher, quod est merces: & verbo* יוּטָא, *à radice* נְטָא, *quod est inclinare: quasi dicatur, Mercede inducetur ad inclinationem seu defectionem: ab eventu nimirum. Fr. Junius tradit, Secarjut marsupium appellari: ut Secharjutá sit ὁ ἔχων τὸ γλωσσόκομον, quòd dicitur de Juda Joh. 12. v. 6. Sed ipse statuit sic appellari hoc loco per anticipationem, quasi strangulatum dicas, qui ultrò declinavit ad strangulationem sui. Esse enim Secár apud Syros strangulare, & mascerâ strangulationem.*

5 In urbem] εἰς πόλιν. *Scilicet ullam.*

6 Ad oves perditas domus Israël] *Id est, ad electos Israëlitas: quos quomodo debeant cognoscere, docebit paulò-post v. 12. & 13.*

9 Ne comparate] μὴ κτήσησθε. *Id est, Ne sumite ad iter: ut explicat Lucas cap. 9. v. 3.* Aurum, argentum, æs] χρυσὸν, ἄργυρον, χαλκόν. *Id est, nummos aureos, argenteos, æreos. Metonymia materiæ.* In zonas vestras] εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν. *Nam in zonis solebant nummos recondere. Præpositio* εἰς *regitur à verbo* κτήσησθε, *id est, acquirite: vel posita est pro* ἐν, *& regitur à verbo subintellecto* κομίζεσθαι, *id est, gestare: quasi dicat,* μὴ κτήσησθε χαλκὸν ὃν κομίσησθε ἐν ταῖς ζώναις ὑμῶν. *Ne comparate æs quod gestetis in zonis vestris. Suetonius in Vitellio cap. 16. sic scribit, Referri se in palatium passus est: ubi quum deserta omnia reperisset, dilabentibus etiam qui simul erant, zonâ se aureorum plenâ circumdedit.*

10 Neque peram ad iter] *Id est, saccum viatorium in quo portetur cibus.* Neque binas tunicas] *Scilicet unam qua induantur profecturi, & alteram quam secum gerant ad permutandum, si sit opus.* Neque soleas] μηδὲ ὑποδήματα. *Repete* δύο, *id est, binas: unas scilicet quas induant abituri, & alteras quas secum gestent ad permutandum. Non pugnat ergo, quòd apud Marcum permisit ut calcearentur sandaliis.* Neque baculum] μηδὲ ῥάβδον. *Scilicet defensorium. Nam itinerarium seu sustentatorium quem scipionem Latini nominant, apud Marcum permisit. Lucas habet* ῥάβδους, *baculos: quod videtur exponendum ut illud de binis tunicis. Quod si hîc quoque legatur* ῥάβδους *(pro qua vox* ῥάβδον *facilè potuit irrepere) tum nulla repugnantiæ species erit inter hunc locum & illum Marci. Non enim pugnant, permittere baculum unum, & interdicere pluribus.* Nam dignus est &c.] ἄξιος γὰρ *&c. Hoc addit per prolepsin. nam poterant cogitare: Unde igitur comparabimus nobis cibum, si nihil habeamus pecuniæ, nihil cibi in perâ? Respondet: Ego procurabo ut cibum vobis præbeant illi apud quos fueritis operati, prædicando scilicet evangelio. nam scio, operarium dignum esse cibo suo. Est igitur in hac sententia synecdoche metonymica.*

11 Dignus] ἄξιος. *Scilicet Evangelio. Id est, pius seu timens Dei. Metonymia effecti.* Et illic] *Videlicet in domo illius digni.* Manete] μείνατε. *Hospitamini, edentes & bibentes quæ fuerint apposita: ut in simili instructione habetur Luc. 10.7.* Usque dum exeatis] *Scil. ex illa urbe aut vico. Vult, ne mutent subinde hospitium, transeuntes de domo in domum.*

12 Domum] εἰς τὴν οἰκίαν. *Scil. illius quem audiveritis esse dignum. hoc innuit articulus.* Salutate eam] ἀσπάσασθε αὐτήν. *Id est, ejus habitatores. Metonymia subjecti. Salutate autem, id est, precamini eis pacem: quo nomine Hebræi intelligunt felicitatem.*

13 Illa domus] ἡ οἰκία. *Id est, illius domus habitatores.* Venito pax vestra super eam] ἐλθέτω ἡ εἰρήνη ὑμῶν ἐπ' αὐτήν. *Id est, prædicate illis evangelium, atque ita participes eos efficite pacis quam eis fuistis precati. Synecdoche metonymica.* Si autem non fuerit digna] ἐὰν δὲ μὴ ᾖ ἀξία. *Id est, si autem illius domus habitatores fuerint impii, ac proinde nolint vos recipere. Synecdoche metonymica.* Pax vestra ad vos revertitor] ἡ εἰρήνη ὑμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐπιστραφήτω. *Id est, Nolite eis prædicare Evangelium, ut participes eos reddatis pacis quam fuistis eis precati: sed pacem quam eis obtulistis, recipite ut alio eam deferatis. Iterum synecdoche metonymica.*

14 Et quicunque non exceperit] καὶ ὃς ἐὰν μὴ δέξηται. *Pro,* καὶ εἴτις μὴ δέξηται, *Si quis non exceperit: ut planum evadit ex enuntiati hujus consequente. Est sermonis ἀνακόλουθον.* Excutite pulverem &c.] *Ad testandum, scil. quòd nihil prorsus cum illis commune velitis habere: vel quòd ipsorum impietas tanta sit, ut etiam pulverem quem calcant, inficiant: vel denique quòd Deus iram suam in illos excussurus seu effusurus sit. Hoc fecerunt Paulus & Barnabas apud Judæos in Antiochia Pisidiæ, Act. 13. v. 51.*

15 Tolerabilior erit conditio &c.] ἀνεκτότερον ἔσται γῇ. *Ad verb. Tolerabilius erit terra &c.* In die judicii] ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως. *Nempe judicii illius universalis quod celebrabitur in fine mundi. Pro hoc apud Lucam cap. 10. v. 12. habetur,* ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, *die illo: qua phrasi significari solet dies ille ultimus, judicio universali destinatus. Non rectè igitur hoc exponeretur de excidio Hierosolymæ & vastatione Judææ per Romanos. Cui expositioni etiā obstat verbū* ἔσται, *Erit. Loquitur ergo de pœna qua Sodomitæ afficientur, nō autem de ea qua ante aliquot secula affecti sunt.* Quàm urbis illius] ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ. *I e. habitatoribus illius urbis. Metonymia subjecti.*

16 Mitto] ἀποστέλλω. *Id est, missurus sum post meam resurrectionem. nam sequentia non pertinent ad præsens tempus: quippe in quo nihil eis defuit: ut percipitur ex Luc. 22. v. 35.* Ut oves in medium luporum] *Id est, eâ conditione ut obnoxii sitis futuri periculo vitæ, propter insidias & vim hostium Evangelii.* In medium luporum] ἐν μέσῳ λύκων. *Pro,* εἰς μέσον λύκων. *Latinè, In medios lupos: Germanicè,* mitten under die wölfe. *Istam enallagen postulat verbum* ἀποστέλλω. Estote igitur prudentes ut serpentes] *Id est, more serpentum circumspecti estote in declinandis insidiis.* Simplices] ἀκέραιοι. *Id est, sinceri, quibus nihil admixtum sit doli. Lutherus benè expressit,* ohn falsch. *Syrus* תְּמִימֵא *tamimé, integri. Vox composita est ex α privativo & verbo* κεράω, *id est, misceo.*

17 Ab hominibus] ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων. *Nempe hostibus Evangelii. Synecdoche generis.* In synedria] εἰς συνέδρια. *Vel, in concilia. qua voce Græcam illam reddit interpres vetus tum hîc, tum infrà 26.59. & alibi passim. Sic autem nominātur consessus judicum qui celebrabantur in urbe Hierosolyma. Cæterùm retinere hîc placuit vocem Græcam: quum ipsi quoq; Judæi illam usurparint, appellantes illos judices Sanhedrin.* In conventibus suis] ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν. *Ad verbum, In congregationibus suis. Videtur autem intelligere judicia quæ exercebantur in cæteris Judææ urbibus. Nisi fortè intelligenda synagoga, id est, domus destinatæ conventibus ecclesiasticis: ut significetur, tantum fore furorem hostium Evangelii, ut quum Apostoli illud prædicârint in synagogis, præfecti illarum eos statim sint flagellaturi, nec eos delaturi ad judices civiles. Confer Marc. 13. v. 29. Vide Drusium Animadversionum lib. 2. cap. 27.*

18 Sed & ad præsides] καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δέ. *Conjunctio* καὶ *hîc est nota majoris. quasi dicat, Non solùm ducemini ad magistratus vestræ gentis, sed etiam gentium exterarum: qui scilicet illis terribiliores sunt.* Præsides] ἡγεμόνας. *Intelligit præsides provinciarum qui imperabant nomine Cæsaris Romani. Exemplum in Paulo vide Act. 24. & 25. ubi narratur, quomodo ille causam dicere coactus sit apud præsidem Felicem & Festum.* Et reges] καὶ βασιλεῖς. *Exemplum vide Act. 12. ubi Petrus erat producendus ab Herode ut coram illo causam diceret: item cap. 26. ubi Paulus causam dixit coram rege Agrippa.* In testimonium ipsis & gentibus] εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν. *Pronomen* αὐτοῖς *videtur referendum ad magistratus tum Judaicos tum ethnicos: nomen autem Gentium ad populos illis subjectos, quoniam judicia exercentur publicè seu coram populo. Sensus autem verborum est, confessionem Evangelii quam coram illis Apostoli erant facturi, cessuram in testimonium contra eos in judicio Dei: ita ut non possint suæ incredulitati prætendere ignorantiam: quippe quum doctrinam salutis ex Apostolis audiverint. Itaq; dativus* αὐτοῖς *hîc idem valet quod* ἐπ' αὐτοῖς, *id est, contra eos: sicut hanc sententiam enuntiat Lucas cap. 9. v. 5.*

19 Tradiderint] παραδιδῶσιν. *Nempe judicibus ut illi vos examinent & causam vestram cognoscant.* Dabitur] δοθήσεται. *Suggeretur vobis à Spiritu sancto.*

20 Spiritus patris vestri] *Id est, Spiritus sanctus quem Deus vobis mittet, quum erit opus: quia vos paterno amore complectitur. Periphrasis argumentosa. Est* is qui loquitur] τὸ λαλοῦν. *Subaudi,* ἐστιν. *Sic Rom.8.v.33.* Θεὸς ὁ δικαιῶν. *Deus* est *is qui justificat. Et v.34.* Χριστὸς ὁ ἀποθανών. *Christus* est *is qui mortuus est.* In vobis] ἐν ὑμῖν. *Seu, per vos.*

21 Morte afficient] θανατώσουσιν. *Id est, afficiendos curabunt per magistratum. Metonymia effecti.*

22 Omnibus] ὑπὸ πάντων. *Id est, ferè omnibus, seu quamplurimis, denique maxima hominum parti. Synecdoche speciei hyperbolica: Exprimitur enim species numeri magni pro numero magno in genere. Vel synecdoche integri, quæ ex integra hominum multitudine intelligitur maxima illius pars. Similia exempla vide Johan.3.v.32.* Testimonium ejus nemo recipit, *id est, ferè nemo. Philip.2.v.21.* Omnes quæ sua sunt, quærunt. *At ibidem excipit Timotheum.* Propter nomen meum] διὰ τὸ ὄνομά μου. *I.e. propter me; seu propter confessionem mei: quia confitebimini, me esse filium Dei unigenitum, unicum salutis authorem, per mortem meam & per spiritũ meum.* Qui sustinuerit] ὁ ὑπομείνας. *Qui sub ista persecutione perseveraverit in fide & confessione nominis mei.* Servabitur] σωθήσεται, *Salute æternâ beabitur in cælo.*

23 In urbe hac] ἐν τῇ πόλει ταύτῃ. *Id est, in urbe aliqua Synecdoche speciei. Et sic pronomen illud in distributionibus usurpari solet.* In aliam] εἰς τὴν ἄλλην. *Id est, in aliam aliquam. Articulus hîc habet vim indefinitam.* Nequaquam absolveritis urbes] οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις. *Id est, Nequaquam absolveritis prædicationem Evangelii in urbibus: seu, nequaquam in omnibus urbibus prædicaveritis Evangelium.* Quin venerit] ἕως ἂν ἔλθῃ. *Scilicet in regno suo: ut loquitur infr.cap.16. v.ult. Id est, quin jam senseritis præsentiam meam gratiosam, quâ efficax fuero per prædicationem vestram in quamplurimis convertendis: quæ res vos poterit sustentare contra persecutiones illas.* Filius hominis] ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Articulus certam personam notat: loquitur autem de seipso.*

25 Sufficit] ἀρκετὸν. *Scil.* ἐστι. *Nisi potiùs subaudiendum* ἔστω, *ac proinde vertendum, Sufficiat.* Beëlzebul] Βεελζεβούλ. *Pro, Beëlzebub. Hebraicè enim est* בַּעַל־זְבוּב *Bahal-zebúb: id est, dominus muscæ seu muscarum. Sic nominatum fuit idolum Akronitarum, 2.Reg.1.3. vel quòd propter victimarum copiam, muscarum examine templum ejus scateret: vel quòd auxilium adversus muscas quæ loco infestæ essent, petitum est ab idolo. Hoc autem nomen ad illius idoli contemtum (ut videtur) Israëlitæ postea tribuerunt principi dæmoniorum, ut liquet ex verbis Pharisæorum infrà 12.24.*

26 Nihil enim est &c.] οὐδὲν γάρ ἐστι &c. *Obscurum est, quomodo hæc sententia cohæreat cum præcedente tanquam illius ratio: quam notat conjunctio* γὰρ. *Sed cohærentia plana evadit, si observetur synecdoche in sententia præcedente. Quum enim dicit,* Ne timete eos: *hoc dicere vult, Ne eò usque eos timete ut prædicationem Evangelii propter quam vos persequuntur omittatis: sed potiùs Evangelium publicè & intrepidè prædicate, quod hactenus à me privatim didicistis. nam in hoc quoque negotio locus est proverbio illi quo dici solet, Nihil esse opertum quod non retegetur.*

27 Quod dico] ὃ λέγω. *Hæc sententia cum præcedente cohæret ut conclusio. quasi dicat: Ergo quod dico &c.* ὃ οὖν λέγω &c.

Supra tecta] ἐπὶ τῶν δωμάτων. *Id est, publicè; ut solent præcones quum populo aliquid proclamant: habebant enim Judæi tecta plana. unde Deus præceperat ut circa tectum facerent loricationem, ne quis ex eo decideret, Deut.22.v.8. Porrò vocabulum* δῶμα *apud Græcos quidem idem quod* οἶκος *vel* οἰκία; *id est, domus, significat: Veruntamen ab Evangelistis usurpatur ad significandum tectum, ut liquet ex Matth.24.v.17. Marc.13.v.15. Luc.17.31. Hanc autem usurpationem accepisse illi videntur ex Bibliorum versione Græca: ubi nomen Hebræum* גָּג *hhág, id est, tectum, vocabulo* δώματος *identidem redditum est.*

28 Qui trucîdant] *Nempe si Deus permittat.* Eum qui potest &c.] τὸν δυνάμενον &c. *Id est, Deum. Periphrasis argumentosa.* Perdere in gehenna] ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ. *Id est, ita perdere ut crucientur in gehenna, hoc est, inferno seu loco subterraneo destinato suppliciis damnatorum. De hac voce dictum suprà c.5.v.22.*

29 Assario] ἀσσαρίου. *Id est, quartâ unciæ parte.* Et tamen unus] καὶ ἓν. *Adversativam conjunctionem expressi perspicuitatis causâ. Cohærent enim hæc per enuntiatum discretivum.* Non cadit] οὐ πεσεῖται. *Ad verb.* Non cadet. *Sed valet, Cadere solet: quod Latini exprimunt verbo temporis præsentis. Intelligitur autem hoc loco casus ex dejectione violenta quum aves telis impetuntur; ut sagittis vel globulis.* Sine patre vestro] ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν. *Id est, sine voluntate patris vestri.*

30 Etiam pili] καὶ αἱ τρίχες. *Quasi dicat, Quantò magis dies vitæ? Rectiùs autem dicitur,* Pili capitis, *quàm* capilli capitis: *quia hæc phrasis laborat pleonasmo, seu* ἀδολεσχίᾳ, *quum capilli hoc ipsum sint, nempe capitis pili.*

31 Vos] ὑμεῖς. *Id est, Vos enim.* Præstatis] διαφέρετε. *Ad verb.* Differtis. *Synecdoche generis, Græcis usitata.*

32 Confitebitur de me] ὁμολογήσει ἐν ἐμοί. *Id est,* περὶ ἐμοῦ. *Hebraismus. ut in Psal.87.v 3.* Mirabilia dicuntur in te, *id est, de te. Sic mox iterum. Estque phrasis* ἐλλειπτικὴ: Confitebitur de me, *scilicet quod me agnoscat pro filio Dei unigenito & verò homine, eoque unico salutis autore per mortem meam & spiritum meum: seu unico verbo, quòd sim Christus. Sic mox:* Confitebor ἐν αὐτῷ, in eo: *hoc est,* de eo: *scil. quòd sit meus discipulus, ac proinde quòd ad eum pertineat societas regni mei.* Qui est in cælis] τοῦ ἐν οὐρανοῖς. *Periphrasis accommodata præsenti negotio. Innuit enim; ejusmodi confessorem, participem fore (suo scil. modo) ejus felicitatis & gloriæ qua fruitur Deus pater in cælis.*

33 Abnegabo eum] ἀρνήσομαι αὐτὸν. *Id est, negabo quòd sit meus discipulus, ac proinde negabo quòd pertineat ad eum societas regni mei cælestis: sed contrà profitebor, eum pertinere ad maledictos illos quibus paratus est ignis ille æternus.*

34 Ut mittam] βαλεῖν. *Pro,* τοῦ βαλεῖν *scil.* ἕνεκα, *id est, ut afferam.* In terram] ἐπὶ τὴν γῆν, *id est, inter homines qui super terram degunt. Metonymia subjecti.* Gladium] μάχαιραν. *id est, persecutionem quæ fit gladio & aliis id genus instrumentis: Metonymia efficientis. Persecutionem autem, id est, discordiam: unde persecutio oritur: metonymia effecti. Hunc geminum tropum postulat antithesis: quâ gladius opponitur paci.*

35 Vêni facturus ut dissideret] ἦλθον διχάσαι. *Pro,* τοῦ διχάσαι: *scil.* ἕνεκα. *Ad verb.* Vêni dividere, *seu,* ut dividam. *Phrasi Græcæ respondet Germanica,* sich zwäien. Homo] ἄνθρωπον. *i.e. filius: quia opponitur patri. Synecd. generis.* Nurus] νύμφην. *Vox Græca propriè significat sponsam: Sed hoc loco nurũ, per synecdochen speciei Hebraicam, i.e. Hebræis usitatam & ab illis mutuo acceptam. Etenim sponsa ferè est etiã nurus, habens scil. socerum socrumque, aut saltem alterutrum: at nurus etiam tum dicitur quum sponsa esse desiit. Ita ut nurus distingui possit in eam quæ adhuc sponsa est, i.e. nova nupta: & in eam quæ sponsa esse desiit, putà jam pridẽ nupta.*

37 Qui amat patrem aut matrem supra me] ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμέ. *Hoc est, plus quàm me. Id est, Qui in gratiam patris aut matris non dubitat me offendere, negando scil. me, aut saltem non confitendo. Metonymia efficientis & synecdoche generis. Similis est expositio sententiæ proxime-sequentis.* Non est me dignus] οὐκ ἔστι μου ἄξιος. *Scil. tanquam domino & servatore. Id est, is tanquam me indignus à me repudiabitur & procul facessere jubebitur. Metonymia efficientis & synecdoche membri.*

38 Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me à tergo] καὶ ὃς οὐ λαμβάνει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ &c. *Epexegesis duarum præcedentium sententiarum. Sensus enim est: Qui non est paratus propter me suscipere parentum liberorúmve aut etiam aliorum quorumvis odia & persecutionem. Metonymia effecti destinati: nã crucem bajulabant qui illi erãt affigendi: itaque illa crucis bajulatio destinata erat supplicio. Deinde synecdoche speciei: quatenus per supplicium crucis intelligitur quævis persecutio confessorum Christi. Estque in his sententiis obliqua significatio supplicii quo Christus erat afficiendus; & simul imago, quasi Christũ bajulantem crucẽ confessores ipsius, itidem suam quisque bajulantes crucẽ, à tergo sequantur: qualis imago reipsa fuit postea exhibita in Simone illo Cyrenæo.*

39 Qui invenerit animam suam, perdet eam] ὁ εὑρὼν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, ἀπολέσει αὐτήν. *Hæc sententia constat figurâ quam Rhetores vocant* ὀξύμωρον, *id est, dictum acutum, etsi primâ fronte stultum & sibi repugnare videtur. Sensus est: Qui per abnegationem mei, vitam hanc mortalem conservârit, is hoc ipso vitam æternam amittet. Vel, Qui per abnegationem mei servârit animam suam in hac vita terrena, is eandem perdet exitio æterno, ne recipiatur in vitam illam cælestem.* Et qui perdiderit animam suam meâ causâ, inveniet eam] καὶ ὁ ἀπολέσας τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, εὑρήσει αὐτήν. *Id est, Qui propter confessionem nominis mei vita hac mortali fuerit privatus, is consequetur vitam æternam. Hinc jam apparet, esse hîc* ἀντανάκλασιν *&* ἐπάνοδον. Meâ causâ] ἕνεκεν ἐμοῦ. *Nempe ut mihi constanter adhæreat. Vel,* Propter me: *id est, propter confessionem mei.*

41 In nomine prophetæ] εἰς ὄνομα προφήτου. *Pro,* ἐν ὀνόματι προφήτου: *in nomine prophetæ, hoc est, tanquam prophetam, sive hanc ipsam ob causam quòd est propheta. Sic v.seq.* Mercedẽ prophetæ accipiet] μισθὸν προφήτου λήψεται. *Id est, mercedem à Deo destinatam iis qui receperint prophetam, seu quæ dabitur propter receptionem prophetæ. Genitivus notat causam procreantẽ. Mercedis autem nomine per metaphoram* κατάχρησιν *significatur præmium gratuitum. nam propriè loquendo nihil boni à Deo meremur.* Justum] δίκαιον. *Id est, hominem pium, ac inprimis qui propter pietatem patitur persecutionem.*

42 *Vel* uni] ἕνα. Pro, ἐν ἕνα. *Amplificatio à minori. q.d. Quantò magis qui dederit pluribus? Idcirco particulam* vel *supplevi perspicuitatis causâ.* Ex his parvis] τῶν μικρῶν τούτων. *Nempe qui in me credunt. Parvos autem vocat non ratione staturæ aut ætatis: sed respectu conditionis, intelligens nimirum homines obscuros & pauperculos, quo sensu eosdem* ἐλαχίστους, *id est, minimos, nominat infr.c.25.v.40. & 45.* Frigidæ] ψυχροῦ. *Ellipsis elegans in Græco simul & Latino: in quorum illo subauditur* ὕδατος *(quod quidem pro illo in eadem sententia ponitur Marc.9.41.) in hoc verò,* Aquæ. Solùm] μόνον. *Amplificatio à minori. q.d. Quantò magis qui illos alueris ac foverit liberaliùs?* Nequaquam] οὐ μή. *Gemina negatio apud Græcos fortiùs negat.*

OBSER-

OBSERVAT. EX CAP. X.

Miracula. 1 Ex v.1. Quum Evangelii doctrina quam in ecclesiis nostris profitemur ac tradimus, miraculis abundè confirmata sit per Apostolos, atque etiam per ipsum Christum: nullo jure à nobis postulant Pontificii ut ei per miracula fidem faciamus.

Ministrorũ verbi Dei officium. 2 Ex v.2.3. & 4. Quòd Christus Apostolos ad prædicandum Evangelium misit binos, in eo ministris verbi commendavit societatem, amicitiam & concordiam. Quam eandem Spiritus S. in Psal.133. svavissimis similitudinibus adhibitis commendat: *Ecce quàm bonum &c.*

Evangelii prædicatio. 3 Ex v.5.& 6. Quum Deus certa tempora ordinaverit quibus Evangelium huic vel illi populo prædicari vult: ergo quibus illud prædicatur, gratiam Dei agnoscant, & verbi auditi fructus ferant: ne Deus ingratitudine ipsorum motus regnum suum ad aliam gentem transferat: id quod Judæis accidisse videmus; nec non populis Orientalibus, ubi olim Apostoli Ecclesias plantarunt, nunc verò Mahomedis somnia obtinent.

Evangelium ad quos pertineat. 4 Ex v.6. Etsi Evangelium promiscuè electis & reprobis prædicatur: quippe quos ministri certò internoscere non possunt: quin etiam pro electis habere ex charitate debent quicunque ipsos audire non recusant: tamen propriè ad electos pertinet, tanquam ad oves Christi. In his enim solis efficax est Christus spiritu suo, ut credant & per fidem in ovile ipsius congregentur. Confer Joh.10.v.10.& 26.

Electorum salus. 5 Ex eod. vers. Electi servantur ex merâ Dei gratiâ: quia sunt tanquam oves perditæ. Confer Esa.53.v.6. *Omnes nos quasi oves erravimus.*

Fides. 6 Ex v.7. In regnum cælorum non nisi per fidem Evangelii ingressus patet. Hæc enim causa est, cur prædicatio Evangelii regnum cælorum nominetur. Quare si in regnum cælorum ingredi cupimus: Evangelium studiosè audiamus, illique credamus, & ex illius præscripto vitam instituamus.

7 Ex v.8. Redit observatio annotata ad v.1.

Stipendia ministrorum verbi Dei. 8 Ex ejusdem versus fine. Quærat aliquis, an liceat ministris verbi pro ministerii sui laboribus accipere ab Ecclesiis mercedem sive stipendium? Ratio dubitandi est: quia Christus illud hoc loco Apostolis videtur interdicere, dum præcepit ut evangelium gratis prædicent. Eadem autem videtur esse ratio cæterorum Evangelii ministrorum. At contrà Paulus 1.Cor.9. multis argumentis ostendit, ministros Evangelii, atque adeò ipsos Apostolos, jus habere accipiendi ab Ecclesiis necessaria alimenta & hospitia. Respondeo: Licet ministris verbi accipere ab Ecclesiis necessaria alimenta & hospitia: & Ecclesiæ tenentur illis ista dare: ut loco citato Apostolus docet. Neque Christus illud Apostolis hoc loco interdixit: quin potiùs promisit, se effecturum ut pro labore suo alimenta ab iis quibus prædicaverint, nanciscantur, v.10. & jussit ut hospitalitate alicujus pii fruerentur, v.11. Sed tantùm vetuit ne ex Evangelii prædicatione quæstum exercerent, quod ipsum Apostolus quoque pastoribus Ecclesiarum interdicit, 1.Tim.3.v.3. ubi ait, *Episcopum oportere esse μὴ αἰσχροκερδῆ, non turpiter lucri cupidum, item ἀφιλάργυρον, alienum ab avaritia.* Similiter Tit.1.v.7. Adhæc Christus hic potissimùm loquitur de miraculosis sanationibus, pro quibus non vult ut pecuniam accipiant, aut petant.

Ministrorum verbi Dei officium. 9 Ex v.9.& 10. Ministri verbi non debent committere ut curis hujus vitæ in ministerio suo impediantur: sed debent confidere Deo, illum suâ providentiâ procuraturum ne quid rerum necessariarum eis desit.

Auditorum officium. 10 Ex fine v.10. Quum operarius dignus sit alimento suo: officium eorum quibus Evangelium prædicatur, est, ut doctores suos alant, neque eos esurire patiantur. Confer 1.Cor.9.v.4. & seq. Gal.6.v.6.

Digni nuntio gratiæ Dei quinam sint. 11 Ex v.11. Etsi nemo dignus est nuntio gratiæ Dei: tamen digni habentur, qui Deum timent, & verbum ejus in pretio habent: ac proinde nuntium gratiæ per Verbi ministros allatum non respuunt, sed gratis animis excipiunt. Sic Cornelius ille centurio, Act.10. dignus habitus est ad quem veniret Simon Petrus ad Evangelium ei annuntiandum.

Sustentatio ministrorum verbi Dei. 12 Ex ejusdem versus fine. Qui aliis Evangelium prædicant, jus habent accipiendi ab illis alimenta. Confer 1.Cor.9.

Evangelii prædicatio. 13 Ex v.13. Per Evangelii prædicationem participes redduntur pacis seu felicitatis vitæve æternæ, quotquot illam libenter audiunt & fide amplectuntur. Quare libenter illam audiamus, & fide amplectamur.

Contemtus verbi Dei. 14 Ex v.14.15. Quum Deus contemtores verbi sui graviùs sit puniturus quàm flagitiosissimos homines Sodomitas: sequitur contemtum verbi Dei gravissimum peccatum esse, ac proinde summopere fugiendum. Si autem tam grave peccatum est contemtus verbi: quantò est gravius scelus malitiosa verbi Dei cogniti abnegatio & confessorum illius persecutio?

Peccata inæqualia. 15 Ex v.15. Quum pœnæ divinæ suos habeant gradus: consequens est, gradus quoque esse in peccatis: ac proinde falsum esse dogma Stoicorum, quòd peccata sint æqualia.

Pœna. 16 Ex eod.v. Justitia Dei quam servaturus est in gradibus pœnarum, judicibus imitanda est.

Judicium ultimum. 17 Ex eod. Notetur testimonium de futuro die judicii divini quod graphicè describitur infrà c.25.v.3.& deinceps.

Erga hostes Evangelii quomodo nos gerere debeamus. 18 Ex v.16. & 17. Ministri Verbi, ac omnino omnes pii, insidias hostium Evangelii ita prudenter cavere debent, ut interim retineant columbinam simplicitatem, nihil scilicet agendo per fallaciam, sed vitam atque incolumitatem suam providentiæ Dei permittendo.

Damnatio impiorum. 19 Ex vers.18. Damnatio impiorum justa est: quia impietatem ipsorum convincet in judicio Dei, & contra eam testimonium feret patefactio Dei: ut qui quomodo ab eis coli vellet, patefecit variis modis: nempe aliis quidem per sola opera creationis, de quibus Rom.1.v.18. & deinceps: aliis verò etiam per verbum Legis, de quibus Rom.2.v.17.& deinceps: aliis denique insuper per verbum Evangelii, de quibus hoc loco. Ergo metu justi judicii Dei fugiamus impietatem, ac inprimis Evangelii contemtum.

Quomodo animos nostros confirmare debeamus, quum reddenda est fidei ratio coram magistratibus. 20 Ex v.19. & 20. Si accidat ut nobis ratio fidei nostræ reddenda sit coram magistratibus: memores simus hujus præcepti Christi, ne simus soliciti & anxii: ac simul promissionis, quod Spiritus S. nobis sit suggesturus ea quæ ad veritatis cælestis defensionem sufficient, ne in confessione fidei nostræ pudefiamus. Confirment etiam nos exempla eorum in quibus promissionem hanc apparet fuisse impletam: ut Petri, Act.1.v.29. & deinceps: Stephani, Act.7. per totum. Nec non exempla martyrum nostri seculi plurimorum.

Ministrorum verbi Dei officium. 21 Ex iisdem versibus. Cavendum ne ministri verbi hoc loco abutantur ad negligentiam & ignaviam: quasi non debeant diligenter meditari sermones ad populum habendos. Nam ea de re non fit hic mentio: & studium illud ministris verbi mandatum est: ut 1.Tim.4.v.13. *Interim dum venio attende lectioni.*

Consolatio contra persecutionem. 22 Ex v.21. & deinceps. Si accidat ut propter confessionem Evangelii exosi simus mundo, & persecutionem patiamur etiam à conjunctissimis: consolemur nos & ad constantiam nos excitemus his argumentis quibus Christus hoc loco consolatur & ad constantiam excitat Apostolos: nempe primò eventum fore lætum. ait enim Christus: *Qui sustinuerit ad finem usq;, is servabitur,* v.22. item, *Quisquis confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis,* v.32. item, *Qui perdiderit animam suam meâ causâ, inveniet eam,* v.39. Deinde cogitemus, eadem accidisse ipsi Christo: nostro domino & præceptori & patrifamiliâs. Non est autem æquum, ut discipulus meliore velit esse conditione quàm præceptor: aut servus quam dominus, aut domesticus quàm paterfamiliâs, v.24.& 25. Præterea cogitemus, hostes Evangelii, si Deus illis in nos sævire permittat, non posse tamen plus nos lædere quàm ut occidant corpus; animâ interim illesâ manente, & ex corpore in cælũ migrante ad fruendum beatâ immortalitate cum Christo, donec in fine mundi corpora è morte excitata recipiant, v.28. Adhæc cogitemus, hostes Evangelii ne in corpus quidem nostrum habere potestatem, nisi eis à Deo concedatur: is autem vitæ nostræ curam gerit, v.29.30.31. Præterea cogitemus, quæ pæna maneat Evangelii abnegatores: videl. separatio à Christo, & cruciatus sempiterni in gehenna, v.28.33.37.38.39.

Occultorum patefactio divina. 23 Ex v.26. Quum nihil sit occultum quod non sit cognoscendum, procurante id nimirum justâ providentiâ Dei: ergo ne peccemus spe latendi: & innocentiam nostram, si nunc per calumnias obruatur, suo tempore in lucem productum iri speremus.

Anima hominis. 24 Ex v.28. Anima hominis est substantia, eaq; immortalis: quippe quũ opponatur corpori quod potest trucidari, tanquam altera hominis pars quæ trucidari non potest. Erravit igitur Galenus, animam definiens esse κρᾶσιν, hoc est temperamentum quatuor elementorum in corpore animalis: quod ut verum sit de anima brutorum, tamen falsum est de anima hominis.

Gehenna. 25 Ex eod.v. Notetur testimonium de gehenna, & cruciatibus impiorum in illo loco: quos cruciatus illi sentient tum in anima tum in corpore.

Providentia seu gubernatio Dei. 26 Ex v.29.& 30. Providentia Dei curat res singulas, easque etiam vilissimas. Quare nihil omnino fit fortuitò: id est, casu, quem fictitia illa dea Fortuna gubernet: sed singula fiunt voluntate Dei, moventis singula ad suos fines ad quos ea creavit. Nec tamen per hoc constituitur Deus author peccati: licet author sit actionis cui accidit ut sit peccatum, quatenus pugnat cum Lege Dei: cui homo actiones suas debebat conformare. Sicut eques impellens equum claudum, causa est gressionis equi, sed non claudicationis: cujus causa est brevitas pedis. Sic Deus causa est actionum humanarum, sed non peccatorum: quorum causa est malitia hominum.

Evangelii prædicatio. 27 Ex v.34.35. & 36. Quòd Evangelii prædicationem consequuntur dissidia inter homines etiam conjunctissimos: causa est malitia eorum qui evangelium amplecti nolunt, ac proinde illud amplectentes oderunt ac persequuntur. Nam si omnes, ut debebant, illud amplecterentur, pulcherrima atque arctissima inde existeret concordia.

Dilectio Dei. 28 Ex v.37. Dilectio proximi, ejusdemque naturæ vinculo conjunctissimi, cedere debet dilectioni Dei. Deus enim plus diligendus est quàm ulla creatura. Quare in gratiam hominum nihil est agendum contra Deum: sed quicquid Deus præcepit, agendum est: etiamsi homines eo offendantur, seque odio à nobis haberi putent, quod ipsis nolumus contra Dei præceptum gratificari.

Crux discipulorum Christi.

29 Ex v.38. Unicuique discipulo Christi sua crux à Deo ordinata est. Ea autem est persecutio quæ cuiq; accidit propter evangelii confessionem: uni major, alii minor: prout sapientissimo atque optimo patri visum est. Sicut paterfamiliâs pro sua sapientia & benevolentia erga domesticos suos uni plus potus in calicem infundit ebibendum, alii minus: pro ætatis ac virium diversitate. Confer 2.Tim.3.12. *Omnes qui volunt pii vivere in Christo, persecutionem patientur.* Act.14.v.12. *Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei.* Matth.20.v.23. ubi Christus ait filiis Zebedæi & matri eorum: *Poculum meum bibetis, & baptismate quo ego baptizor, baptizabimini.*

Evangelii doctores & confessores.

30 Ex v.40.41.& 42. Doctores evangelii, nec non confessores quicunque, honorandi & beneficiis afficiendi sunt: tum quia illi sunt legati Filii Dei: tum quia Christus beneficia & in illos & in istos collata compensaturus est.

Merces quo sensu dicantur præmia quæ Deus confessoribus daturus est.

31 Ex v.41.& 42. Non est putandum, nos præmia illa quibus Christus nostram erga confessores beneficentiam compensaturus est, mereri: quia nimirum appellantur merces. nam merces appellantur per metaphoram καταχρηστικῶς: quia propriè loquendo ad illam beneficentiam sumus obligati: nec illam debitâ alacritate præstamus. Et si maximè præstaremus: tamen semper nobis esset fatendum, nos esse servos inutiles: ac fecisse quod debuimus facere.

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Principio narrat, quid Jesus interea egerit, dum Apostoli peregrè abessent in Judæa, v.1. Deinde narrat, quomodo Johannes Baptista miserit duos discipulos ad Jesum, à v.2. usque ad 7. Tertiò commemorat sermonem Jesu ad turbam de Johanne, à v.7. usque ad 16. Quartò narrat querelam Jesu de contumacia incredulorum Judæorum in rejiciendo tum Johanne tum ipso; à v.16. usque ad 20. Quintò narrat, quomodo Jesus exprobraverit impœnitentiam urbibus Galilææ in quibus plurima fecerat miracula, à v.20. usque ad 25. Sextò commemorat, quomodo se Jesus contra illam Judæorum, ac potissimùm Scribarum & Pharisæorum, contumaciam atque incredulitatem sit consolatus, à v.25. usque ad 28. Postremò commemorat, quibus verbis Jesus ad se invitarit eos qui sentientes onus peccatorum ingemiscebant & gratiam Dei expetebant, à v.28. usque ad finem capitis. Ita partes capitis sunt septem.

PRIMA PARS.

ET factum est quum finem fecisset Jesus præcipiendi duodecim discipulis suis, digressus est illinc ut doceret & prædicaret in urbibus eorum.

NArrat, Jesum dimissis in Judæam Apostolis, obiisse urbes Galilæorum, & in illis prædicasse.

SECUNDA PARS.

Joh. Baptista mittit duos discipulos ad Jesum.

2 Johannes autem quum audisset in carcere opera Christi; missis duobus ex discipulis suis,

3 Dixit ei, Tune is es qui venturus est, an alterum exspectabimus?

4 Et respondens Jesus, dixit eis, Profecti renuntiate Johanni quæ auditis & videtis.

5 Cæci vident, & claudi ambulant; leprosi mundantur, & surdi audiunt; mortui excitantur, & pauperibus evangelizatur.

6 Et beatus est qui non fuerit offensus in me.

Narratio hæc de missis à Johanne ad Jesum duobus discipulis, tria membra continet. Primùm occasionem: deinde quæstionem per illos proponendam: postremò responsum Christi. Occasio fuit, quòd Johannes in vinculis audierat opera Christi; ac nominatim excitationem filii viduæ in Nain: ut narrat Lucas. Hinc suboriebatur opinio in discipulis Johannis, quòd Jesus esset Christus seu promissus ille Messias. Quæ opinio ut firmâ fide permutaretur, Johannes hac occasione arreptâ, duos è discipulis ad Jesum amandavit. Quæstio fuit, an Jesus sit promissus ille Messias. Responsum Christi duo continet: mandatum & admonitionem. Mandatum est de narrandis Johanni suis factis ac dictis quæ tum videbant & audiebant: ex quibus nimirum ille opinionum discipulorum de Jesu conceptam erat confirmaturus per collationem vaticinii Esaiæ de miraculis per Christum edendis, Esa.35.v.5.& 6. nec non de evangelio per eundem prædicando, Esa.61.v.1. Admonitio est de cavendo scandalo ex servili atque humili ipsius conditione.

TERTIA PARS.

Sermo Christi ad turbam de Johanne Baptista.

7 Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere turbæ de Johanne, Quid exiistis in desertum ut spectaretis? Arundinem quæ agitetur à vento?

8 Sed quid exiistis ut videretis? Hominem mollibus vestibus amictum? Ecce, qui molles vestes gerunt, in domibus regum sunt.

9 Sed quid exiistis ut videretis? Prophetam? Certè dico vobis, etiam præstantiorem prophetâ.

10 Iste enim est de quo scriptum est, Ecce, ego mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam coram te.

11 Amen dico vobis, Non est suscitatus inter genitos è mulieribus quisquam major Johanne Baptistâ, sed qui est minimus in regno cælorum, major eo est.

12 Porrò à diebus Johannis Baptistæ usque nunc regno cælorum vis adfertur, & violenti rapiunt illud.

13 Nam omnes prophetæ & Lex usque ad Johannem prophetarunt.

14 Et, si vultis recipere, ipse est Elias ille qui venturus erat.

15 Qui habet aures ad audiendum, audiat.

Narratio hæc duo principalia membra continet: tempus quo sermo ille de Johanne à Jesu est habitus, & sermonem ipsum. Tempus fuit, quum abirent discipuli illi à Johanne missi: quo ipso innuitur sermonis hujus occasio, nempe mentio Johannis per illos facta coram turba. Cæterùm sermone hoc Christus Johannem commendat tribus argumentis: videlicet ab adjunctis moribus, ab adjuncto officio docendi, & à doctrinæ effectu. Scopus est, ut electos confirmet in fide doctrinæ Johannis, & reprobos qui doctrinam illius nihil faciebant, reddat inexcusabiles. In moribus Johannis duo laudat: constantiam in doctrina, & severitatem in victu quam utramque virtutem significat per negationem contrariorum vitiorum, inconstantiæ scilicet & mollitiei: quarum illam significat similitudine arundinis, v.7. hanc exemplo aulicorum, v.18. Utrumque autem enuntiat per interrogationem seu communicationem: qua perstringit perversitatem eorum, qui doctrinæ Johannis non credebant, quum tamen ad illum tanquam eximium prophetam videndum atque audiendum exivissent. Officium Johannis commendat ab adjuncta singulari præstantia: quam ostendit per collationem ipsius cum superioribus doctoribus populi Dei, videlicet Mose & prophetis, v.9.10.11.& 14. Hanc autem præstantiam declarat ex qualitate doctrinæ: quia nimirum ipse testatus sit de Christo exhibito atque præsente: id quod confirmat testimonio Malachiæ, v.10. & 14. quum Moses & Prophetæ cæteri tantùm prophetaverint, v.13. hoc est, testati sint de Christo venturo. Præterea sententiam de præstantia doctrinæ Johannis amplificat prolepsi, qua occurrit opinioni de præstantia summa inter omnes ecclesiæ doctores: affirmans, prædicatores evangelii pleni, de opere scilicet redemtionis jam per Christum peracto, Johanne esse præstantiores, v.11. Effectum doctrinæ Johannis, id est, evangelii à Johanne atq; etiam à sese prædicati, indicat v.12. nempe quòd multi magno fervore doctrinam illam sint amplexi, atque ita regnum cælorum quasi vi rapuerint. Hujus effecti rationem declarat v.13. per antithesin doctrinæ Mosis & Prophetarum: quòd scilicet illi prophetârint, videlicet de Christo venturo, usque ad Johannem: ubi antithesis intelligenda est ex Luc.16.v.16. nempe quòd à tempore Johannis regnum Dei annuntietur, hoc est, quòd Johannes, itemque ipse Christus & Apostoli, testati sint, & etiam nunc testentur, Christum jam esse exhibitum & opus redemtionis brevi peracturum. Porrò hanc Johannis, vel potiùs doctrinæ ejus, commendationem, concludit epiphonemate, quo monet electos ut attendant, & significat id non omnibus esse datum.

QUARTA PARS.

Querela Christi de contumacia Judæorum in rejiciendo Joh. Baptista.

16 Sed cui assimilabo gentem istam? Similis est puerulis qui sedent in foris, & acclamant sodalibus suis,

17 Ac dicunt, Tibiis cecinimus vobis, & non saltastis: lamentati sumus vobis, & non planxistis.

18 Venit enim Johannes nec edens nec bibens; & ajunt, Dæmonium habet.

19 Venit Filius hominis edens ac bibens; & dicunt, Ecce homo edax & vini potor, publicanorum amicus & peccatorum. Sed justificata est sapientia à filiis suis.

Contumaciam & perversitatem incredulorum Judæorum (quorum præcipui erant Scribæ & Pharisæi, ut percipitur ex Luc.7.v.29.& 30.) declarat simili à pueris ludentibus in foro. Et se quidem comparat pueris canentibus tibiâ, eoque cantu sodales invitantibus ad saltandum: Johannem verò comparat pueris lamentantibus seu canentibus lugubria, atque ita sodales invitantibus ad lugendum: Judæos verò incredulos comparat pueris illis qui utroque illo modo à sodalibus invitati, nolunt parêre. Pro-

re. Protasis similitudinis continetur v.16.& 17. apodosis v.18. & 19. ubi commemorat Johannis vitam austeram, similem scil. lamentationi, & vitam suam humanam ac facilem, similem scil. cantui tibiarum ad hilaritatem composito. Et simul commemorat Judæorum incredulorum perversitatem in utroque calumniando: ut qui dicerent, Johannem habere dæmonium, ipsum verò esse helluonem & publicanorum ac peccatorum amicum. Porrò contra istam perversitatem sese in fine consolatur, opponens illi fidem electorum: quos nominat filios sapientiæ, ut quibus datum sit sapientiam illam cælestem quæ in Evangelio tum à Johanne tum à se fuerat proposita, intelligere ac fide amplecti, Deique bonitatem eo nomine celebrare.

QUINTA PARS.

Christus exprobrat impœnitentiam quibusdam urbibus Galilææ.

20 Tunc cœpit cum probris increpare civitates in
quibus editæ fuerant plurimæ virtutes ipsius, quòd non
resipuissent, *dicens*:

21 Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaidan: nam si in
Tyro & Sidone editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt
apud vos, olim in sacco & cinere *sedentes* resipuissent.

22 Attamen dico vobis, Tyri & Sidonis tolerabilior
erit conditio in die judicii quàm vestra.

23 Et tu Capernaüm, quæ es usque ad cælum exaltata, usque ad inferos deprimêris. nam si Sodomis editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud te, mansissent usque ad hodiernum *diem*.

24 Attamen dico vobis, Terræ Sodomorum tolerabilior erit conditio in die judicii quàm tua.

Exprobratio hæc impœnitentiæ duas continet partes: Primùm enim convertit se ad Chorazin & Bethsaidan, v.21. & 22. deinde ad Capernaüm, v.23.& 24. Incolis urbium Chorazin & Bethsaidan primùm denuntiat pœnam Dei: deinde rationem illius denuntiationis adjungit, videl. ipsorum impœnitentiam: quam amplificat collatione impœnitentiæ incolarum Tyri & Sidonis, v.21. tum pœnam quoque ipsorum amplificat collatione pœnæ eorundem, v.22. Similiter incolis urbis Capernaüm primùm comminatur pœnam Dei: eamq; amplificat à pari per antithesin honoris quo fuerant à Deo affecti: quòd videl. ipse Dei filius domicilium apud eos delegisset, prædicationem Evangelii apud eos inchoasset, ac plurima apud eos fecisset miracula. Deinde rationem comminationis adjungit, ipsorum scilicet impœnitentiam: quam amplificat collatione impœnitentiæ Sodomitarum, v.23. Tum pœnam quoque ipsorum amplificat collatione pœnæ eorundem, v.24.

SEXTA PARS.

Consolatur sese Christus contra Judæorum incredulitatem.

25 In illo tempore respondens JESUS, dixit; Celebro te, Pater, domine cæli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus.

26 Etiam Pater, quia ita placuit tibi.

27 Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: & nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quisquam novit nisi Filius, & cui voluerit Filius retegere.

Tria hîc argumenta continentur quibus se Christus contra Scribarum & Pharisæorum illisque similium incredulitatem est consolatus. primùm fides simplicium: quos vocat infantes propter simplicitatem: quales erant plebeii homines seu idiotæ, v.25. deinde beneplacitum Patris: cui placuerit mysteria regni cælorum abscondere à sapientibus illis, eademque revelare his simplicibus, v.25.& 26. Tertiò quòd sibi à Patre data sit potestas atque etiam potentia illuminandi & fide donandi quos velit, v.27. Cæterùm consolatio hæc præcipitur ex effectu, videl. celebratione Dei patris: quem Christus celebrat propter hanc prædicationis Evangelii gubernationem: celebrat autem ejus majestatem & summam potestatem, vocans eum dominum cæli & terræ: ut ostendat eum agere liberrimo arbitrio, dum abscondit mysteria regni cælorum à sapientibus hujus mundi & ea revelat insipientibus: ut nimirum illis auferat materiam gloriandi in seipsis, istis verò præbeat materiam prædicandi gratiam ipsius erga se: ut qui gloriatur, in Domino glorietur, 1. Cor.1. Potestatem verò & potentiam illuminandi homines à Patre sibi datam amplificat à genere, affirmans sibi à Patre suo tradita esse *omnia*. deinde à pari vel simili, quòd sicut Pater quos vult, donat cognitione Filii, quippe quem solus perfectè novit, quum totus mundus illum ignoret: ita vicissim Filius, id est, ipsemet, donet cognitione Patris quos velit: quippe quum ipse solus Patrem rectè noverit, quem totus mundus ignorat.

SEPTIMA PARS.

Invitat ad se consternatos peccatores.

28 Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,
& ego refocillabo vos.

29 Tollite jugum meum super vos, & discite à me;
quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem
animabus vestris.

30 Jugum enim meum facile, & onus meum leve est.

His verbis Christus ad se invitat eos qui sentientes onus peccatorum ingemiscunt & gratiam Dei expetunt. Hanc invitationem confirmat ab effectu utili, quatenus illis promittit, se præstaturum eis requiem, in fine vers.28. Deinde vers.29. invitationem illam, qua hortatur ad credendum in se, amplificat hortatione alterâ, qua hortatur ad tollendum jugum suum, id est, ad obediendum mandatis suis. Hanc hortationem illustrat suo exemplo, quatenus illud eis imitandum proponit, præcipiens, ut discant à se: atque illud exemplum declarat per partes, indicans duas virtutes quas in ipso debeant imitari: quæ nimirum virtutes animum præparant ad illam obedientiam quam requirit. Eæ sunt; mansuetudo & humilitas seu animi demissio: quarum hæc videtur specialiter hîc referri ad Deum, ut hujus majestatem summâ animi demissione revereantur: illa verò ad proximum, ut ne ab illo ullâ injuriâ sese commoveri patiantur ad malefaciendum illi. Videtur igitur significare Christus, duas illas virtutes necessarias esse ad præstandum obedientiam mandatis ipsius, hoc est, ad diligendum tum Deum tum proximum. Porrò præceptum illud de jugo suo suscipiendo & exemplo suo imitando, confirmat duobus argumentis. primùm ab effectu utili: quia sic inventuri sint requiem animabus suis, in fine v.29. ubi notandum, effectum hoc propriè esse fidei: sed hoc loco tribui novæ obedientiæ; quatenus per illam certi reddimur nos verâ fide esse præditos. nam certum est, requiem illam animarum in nulla re alia consistere, quàm in remissione peccatorum partâ per mortem Christi: hanc autem nullo alio instrumento percipimus quàm manu fidei. Alterum argumentum sumtum est ab adjuncta mandatorum suorum facilitate & observationis eorum jucunditate. quæ quidem facilitas & jucunditas manat à Spiritu sancto, quo Christus electos suos donat. perque eum efficit ut non solùm in ipsum credant, sed etiam ex fide eum diligant, nec non Patrem cælestem qui eum nobis donavit & in mediatorem ordinavit: atque ita nihil magis in votis habeant, quàm obedire sanctis mandatis ipsorum; ut sese gratos declarent, eisque placeant.

SCHOLIA IN CAP. XI.

1 Quum finem fecisset præcipiendi] ὅτε ἐτέλεσε διατάσσων. *Pro, διατάσσειν. Hellenismus.* Ut doceret & prædicaret] τοῦ διδάσκειν καὶ κηρύσσειν. *Subaudi ἕνεκα. Ellipsis Græca.*

2 Johannes autem] ὁ δὲ Ἰωάννης. *Scilicet Baptista.* In carcere] ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ. *Carcer Græcis δεσμωτήριον dicitur, q.d. vinctorium, id est, locus ubi detinentur vincti qui custodiuntur supplicii causâ: à δεσμέω, vincio, quod ipsum derivatur à nomine δεσμὸς, id est, vinculum. Puto autem sic rectiùs verti quàm,* In vinculis. *nam potest quis detineri in vinculis, etiamsi non detineatur in loco aliâs vinctis destinato, id est, in carcere: ut vel Pauli exemplo, Romæ in vinculis detenti, liquere potest. Syrus περιφραστικῶς vertit domum vinctorum.* Opera Christi] τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ. *Videlicet miracula.*

3 Qui venturus est] ὁ ἐρχόμενος. *Id est, qui tanquam venturus exspectatur: ex collatione membri sequentis. Sic malo, quàm,* venturus erat, *vel,* venturus fuit. *quibus formulis significatur: illum de quo sermo habetur, jam venisse: quæ affirmatio repugnat præsenti interrogationi. Qui enim interrogat (nempe simpliciter & animo cognoscendi, ut hîc fit) is nec affirmat nec negat, sed tanquam dubius affirmationem negationémve exspectat. Interrogavit autem Johannes non suâ causâ, quasi ipse ignoraret aut dubitaret; sed discipulorum causâ, quos videbat de hoc dubitare, imò affirmationi ipsius non credere. Cæterùm in Græco per enallagen ponitur tempus præsens, ὁ ἐρχόμενος, pro futuro, ὁ ἐλευσόμενος. Sic supr.2. vers.4. Herodes percontatus est, ποῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται, ubi Christus nascatur seu nasceretur: pro, ποῦ γεννηθήσεται, ubi nasciturus sit, vel nasciturus esset. Respicit autem Johannes isto verbo ὁ ἐρχόμενος, ad promissionem Judæis à Deo factam. q.d. Is qui venturus est secundùm promissionem Dei. videl. ad servandum populum Dei. Quæ est περίφρασις Christi.* An alterum exspectabimus] ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν. *Ad verb.* Exspectamus. *Enallage: qualis modò. ἕτερον autem, pro ἄλλον, id est, alium.*

5 Cæci vident &c.] τυφλοὶ ἀναβλέπουσι &c. *Superiore versu duo proposuit Dominus:* Renunciate, *inquiens,* quæ auditis & videtis. *Hæc duo deinceps καθ' ὑστέρωσιν, id est, ordine inverso, declarat: primò commemorans miracula quæ videbant, deinde prædicationem Evangelii quam audiebant. Cæterùm τὸ ἀναβλέπειν non puto vertendum,* Visum recipere: *sed,* Videre: *ex collatione membrorum sequentium, ubi simili ratione opponuntur repugnantia. Itaque τὸ ἀναβλέπειν hîc idem valet quod simplex βλέπειν: etsi ipsum est ἐμφατικώτερον, quia connotat modum, q.d. Sursum*

videre, ἀνὰ βλέπειν; quod Latini dicunt Suspicere: sed propter rariorem istius verbi in hac significatione usum, nec non propter ejusdem homonymiam, præstat hîc uti verbo Videndi. Non puto autem illud verbum usquam significare, Visum recipere: quasi scilicet compositum sit ex ἀνὰ, notante iterationem. Nam quæ exempla pro illa significatione adducuntur in thesauro Henr. Stephani, non videntur eam evincere: quippe quum in illis quoque accipi possit pro simplici βλέπειν, vel, pro sursum aspicere. Sed omnino videtur compositum ex ἄνω, sursum: ut ἀναλαμβάνεσθαι Marc. ult. vers. penult. Item Act. 1. v. 2. & 1. Tim. 3. vers. ult. Adhæc visum recuperare sive recipere, rectè dici non potest is qui visum nunquam habuit: quales in illo cæcorum numero, de quibus hîc sermo habetur, fortasse fuerunt. Atque adeò cæcus ille à nativitate, Johan. 9. v. 11. ait, νιψάμενος ἀνέβλεψα, postquam me lavi, vidi. Nisi dicamus, cæcis natis visum restitui, quòd illum quasi jure naturæ debuerint inde ab utero matris habere. Est autem sensus illorum verborum: Qui paulò-antè fuerant cæci, jam vident: qui claudi, ambulant: qui surdi, audiunt. Synecdoche generis καταχρηστική. Etenim cæcus nominatur tum is qui adhuc est cæcus, tum is qui fuit cæcus: ut videre est Johan. 9. v. 1. & 17. Sic infr. 26. v. 6. fit mentio Simonis leprosi: qui hauddubiè tunc non ampliùs erat leprosus: quippe apud quem Jesus unà cum discipulis convivabatur: quod apud leprosum facere per Legem non licuisset. Veruntamen in reliquis hujus loci sententiis proprius sermo est, nempe, Leprosi mundantur, Mortui excitantur, Pauperibus evangelizatur. Pauperibus evangelizatur] πτωχοὶ εὐαγγελίζονται. Ad verb. Pauperes evangelizantur, id est, audiunt lætum nuntium de remissione peccatorum ac donatione vitæ æternæ propter Christum. Intelliguntur enim hîc per metaphoram pauperes spiritu, ut appellantur supr. cap. 5. v. 3. Id est, qui agnoscunt se destitui gratiâ Dei ac inde manante verâ atque solidâ felicitate.

6 In me] ἐν ἐμοί. Respondet phrasis Germanica, **An mir.** Id est, Propter me: videl. propter servilem speciem quam in me videt. hac enim offensi ex Judæis non pauci, nolebant eum pro Christo recipere: quippe qui desiderabant regem mundanum, opibus hujus mundi præcellentem. Est igitur in hoc dicto metonymia efficientis. Vult enim dicere: Beatus, qui me tanquam Christum receperit & constanter confessus fuerit.

7 In desertum] εἰς τὴν ἔρημον. Scilicet Judææ: ut exprimitur supr. cap. 3. v. 1. Id quod innuit articulus. Dicitur autem ἡ ἔρημος per ellipsin nominis χώρα: quasi dicas, Deserta regio, sive desertus locus. Ut spectaretis] θεάσασθαι. Pro, τοῦ θεάσασθαι, scilicet ἕνεκα: id est, spectandi causâ, sive ad spectandum. Quæ agitetur] σαλευόμενον. Vel, concutiatur: id est, huc illac moveatur. Arundinem &c.] κάλαμον, &c. Interrogativè. Innuit autem hæc interrogatio negationem. quasi dicat, Si ideò exivistis ut videritis arundinem talem, frustra exivistis: quia Johannes non est talis arundo; id est, non est similis tali arundini, nempe inconstans; sed est constans servus Dei.

8 Mollibus vestibus amictum] ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον. Præpositio ἐν redundat ex Hebraismo. Germani pro illa utuntur præpositione **Mit**: dicunt enim, **Mit wäichen kläidern bekläidet.** Quasi dicat: Si ideo exivistis, frustra exivistis. nam Johannes non est talis. Alludit ad vestitum Johannis horridum: qualis describitur supr. cap. 2. v. 4. Intelligit autem hæc ex adjunctis periphrasi hominem delicatum, & honoribus atque voluptatibus deditum. Molles vestes] τὰ μαλακά. Subaudi ἱμάτια, ex membro præcedente. In domibus regum sunt] ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν. Subaudiendum: At Johannes non est versatus in domo alicujus regis, sed in deserto.

9 Etiam præstantiorem] καὶ περισσότερον. Subaudi: vidistis, quum vidistis Johannem. Est autem vox περισσότερον hoc loco non adverbium cui respondeat Latinum Ampliùs: sed nomen, à nominativo ὁ περισσότερος. Id quod etiam Syrus animadvertit.

10 Ante faciem tuam] πρὸ προσώπου σου. Hæc verba non habentur in Hebræo apud Malachiam: sed nihil addunt sententiæ, sed tantùm eam illustrant, ut percipitur ex collatione membri sequentis. Qui præparabit] ὃς κατασκευάσει. Apud Malachiam habetur וּפִנָּה uphinnáh. Et expediet, removendo scilicet obstacula, ut via possit conspici: hæc enim est emphasis verbi Hebraici. Est autem metaphora à more principum deducta, qui cum pompa & amplo equitatu adventare solent. Coram te] ἔμπροσθέν σου. Apud Malachiam habetur לְפָנָי lephanái, id est, coram me. Ergo à propheta introducitur loquens ipse Christus de sese: apud Evangelistam verò Deus pater de Christo. Parum refert. nam & Pater & Filius Johannem misêre. Ac de Patre præter Matthæum testatur & Johannes cap. 1. v. 6. Fuit homo missus à Deo. Item Lucas cap. 3. v. 2. Factum est verbum Domini ad Johannem.

11 Non est suscitatus] οὐκ ἐγήγερται. Nempe divinitus, seu per divinam vocationem. Inter genitos è mulieribus] ἐν γεννητοῖς γυναικῶν. Ad verb. In genitis mulierum. Id est, ἐν γεγεννημένοις ἐκ γυναικῶν. Syntaxis, qualis illa Joh. 6. v. 45. Et erunt omnes docti à Deo, διδακτοὶ τοῦ θεοῦ. Pro, δεδιδαγμένοι ὑπὸ θεοῦ. Major] μείζων. Scil. propheta (ut additur Luc. 7. 28.) hoc est, doctor ecclesiæ divinitus missus. Sed qui est minimus] ὁ δὲ μικρότερος. Pro, μικρότατος. ut 1. Cor. 13. v. ult. μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη: pro, μεγίστη. Intelligit autem rursus, Minimus doctor: qui scil. donis spiritus nequaquam sit cum Johanne comparandus. In regno cælorum] ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. Id est, tempore N. T. quo prædicabitur Evangelium de regno cælorum jam parto per mortem Christi. Major eo est] μείζων αὐτοῦ ἐστιν. Id est, præstantior: nempe quo ad genus doctrinæ: quippe quæ tum erit longè illustrior & jucundior. Etenim Johannes demonstrabat quidem agnum paulò pòst mactandum pro ecclesiæ redemptione, id quod non poterãt prophetæ ante illum: sed non poterat testari, agnum illum jam esse mactatum & redemtionem partam, id quod testantur doctores ecclesiæ Christianæ inde à die pentecostes, quo plenum evangelium prædicari cœptum est.

12 Porrò à diebus Johannis] ἀπὸ δὲ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννου. Id est, Inde ab eo tempore quo Johannes prædicare cœpit. Regno cælorum vis affertur, &c.] ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται, id est, quasi impetu quodam in illud perrumpitur, dum scil. homines avidissimè recipiunt testimonium Johannis de Christo.

13 Nam omnes Prophetæ & Lex usque ad Johannem prophetarunt] πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν. Pro diversitate distinctionis nascitur diversa syntaxis, & hinc diversa expositio. Si apponas notã incisi post ὁ νόμος, syntaxis erit: Omnes prophetæ & Lex prophetarunt usque ad Johannem. scil. quatenus prophetarunt de adventu Christi. q. d. Prophetiæ illæ non extendunt sese ultra id tempus quo suscitatus est Johannes, sed præcisè in illud incidunt. Si verò comma apponas post ἕως Ἰωάννου, syntaxis erit: Nam omnes prophetæ & Lex (subaudi οἱ γεγονότες, qui fuerunt) usque ad Johannem prophetarunt, nempe de adventu Christi: quasi dicat, Non autem Christum præsentem ostenderunt: sicut Johannes fecit. Et sic verbum prophetarunt, positum fuerit emphaticè per tacitam antithesin. Atque hæc expositio declarat, quomodo hæc sententia cohæreat tanquam ratio cum sententia illa versus undecimi, quòd non sit suscitatus major propheta quàm Johannes. Secundùm priorem verò expositionem cohærebit hæc sententia cum sententia versiculi proxime-præcedentis: & ratio indicabitur, cur Johannis testimonium tam avidè recipiatur: quia scil. auditores ex illius prædicatione discant, jam esse tempus ut vaticinia Mosis & Prophetarum de adventu Christi impleantur. Sed altera expositio videtur genuina.

14 Elias ille qui venturus erat] Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι. Scil. secundùm promissionem Dei, Malach. 4. v. 5. his verbis, Ecce ego missurus sum vobis Elijam prophetam, antequam veniat dies Jehovæ maximus & reverendus. Ubi Johan. Baptista intelligitur nomine Elijæ prophetæ per metaphoram, propterea quòd illi similis erat futurus spiritu & virtute, ut exponit Angelus Luc. 1. v. 16. Quòd verò ipse Joh. 1. v. 21. Eliam se esse negavit, non pugnat cum hac affirmatione Christi: quia negatio illa refertur ad sensum Judæorum; qui quærentes, an ipse sit Elias, intelligebant istud de Elia illo Thesbite; quem falsò putabant venturum, hærentes literæ apud Prophetam, nec attendentes ad tropum.

15 Aures ad audiendum] ὦτα ἀκούειν. Pro, ὦτα τοῦ ἀκούειν. Scilicet ἕνεκα. Id est, cor datum in hunc finem ut audiat, hoc est, audiens intelligat & credat. Synecdoche.

16 Gentem istam] τὴν γενεὰν ταύτην. Vel, nationem istam, seu denique istud hominum genus: nempe incredulos Judæos, ut percipitur è sequentibus. Ad verb. Generationem: in qua significatione accipitur supr. 1. 17. Metonymia efficientis.

17 Et non saltastis] καὶ οὐκ ὠρχήσασθε. Id est, Sed, vel, Et tamen. Est enim hîc enuntiatum discretivum. Sic mox. Lamentati sumus] ἐθρηνήσαμεν, id est, Lugubres cantiones cecinimus. Confer supr. 9. 23. Planxistis] ἐκόψασθε. κόπτειν significat in genere cædere: hîc per synecdochen, Cædere pectus seu tundere: quod Latini dicunt, Plangere. Gestus lugentium. Sic infr. 24. 30.

18 Nec edens, nec bibens] μήτε ἐσθίων, μήτε πίνων. Scil. communi ratione. Synecdoche generis. nam édit locustas & mel sylvestre, supr. 3. 4.

19 Filius hominis] ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Id est, Ego. Synecdoche generis. Edens ac bibens] ἐσθίων καὶ πίνων. Id est, communi more vivens & familiariter cum hominibus versans. Synecdoche speciei. Peccatorum] ἁμαρτωλῶν. Scil. manifestorum: quos Latini scelestos nominant. Synecdoche generis κατ' ἐξοχήν. Sed justificata est &c.] καὶ ἐδικαιώθη &c. I. e. Sed interim non desunt aliqui electi, qui sapientiam Dei ac bonitatem in ipsis per varios modos vocandis agnoscunt & prædicant. Justificare, pro, Justum prædicare, phrasi Hebræâ. Et, Filii sapientiæ, pro, homines facti ad sapientiam discendam: item phrasi Hebræâ. Vel, Filii sapientiæ, id est, discipuli sapientiæ: videl. verè discipuli, qui serium studium adhibent ad sapientiam Dei discendam; vel, ad discendum ex illa: si nomine Sapientiæ intelligamus filium Dei, ut nominatur Proverb. 8. Hanc interpretationem acceptam fero doctissimo viro Johanni Drusio, à me parumper illustratam. Vide Animadvers. Drus. lib. 2. cap. 25. Est autem ista periphrasis electorum Hebraica, præsenti sermoni accommodata. Lutherus diversum sensum attulit, vertens, **Und die weißheit muß sich rechtfertigen lassen von jhren kindern.** quasi dicat: Atque ita (quod dolendum est tanquam iniquè comparatum) oportet sapientiam cælestem pati perversa judicia hominum, qui se discipulos illius præbere debebant. Sed verba hanc sententiam non videntur admittere.

20 Virtutes] δυνάμεις. Id est, miracula. Metonymia efficientis. Sic v. seq. & v. 23.

21 Apud vos] ἐν ὑμῖν. *Ad verb.* In vobis: *id est, inter vos.* In sacco & cinere *sedentes*] ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ. *Qui mos erat pœnitentium ac lugentium. Vide Jonæ 3.6. Esthera 4.1.*

22 Attamen] πλὴν. *Quasi dicat: Dixi quidem, Tyrum & Sidonem non resipuisse, unde percipitur, eas in die judicii adjudicatum iri æternis pœnis: attamen pœna illa erunt tolerabiliores quàm vestra.* Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio] Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἀνεκτότερον ἔσται. *Ad verb.* Tyro & Sidoni tolerabilius erit, **Es wird ihnen träglicher ergehen.** In die judicii] ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως. *Nempe judicii illius universalis, celebrandi in fine mundi, ut describitur infr. cap 25. v. 31. & seq.* Usque ad inferos] ἕως ᾅδου. *Ad verb.* Usque ad Plutonis, *subaudiendo,* οἴκου, *id est, domum: ellipsi Atticâ. Est autem illa periphrasis gehennæ: quem infernum vulgò dicimus. Germanicè,* **die helle.** *Syrus habet, Usque ad sepulchrum seu foveam,* עַד מְאָה לִשְׁיוֹל. *Etenim nomen* שְׁאוֹל *scheól, quod apud Hebræos sepulchrum significat, Græci interpretes reddiderunt nomine* ᾅδου. *ut Psalm. 16.* Non relinques animam meam εἰς ᾅδου: *pro quo Act. 3. dicitur* εἰς ᾅδου. *Gen. 37.* Descendam ad filium meum lugens εἰς ᾅδου. *Attamen istud nomen de gehenna seu loco damnatorum accipitur Luc. 16 23. Et ita accipiendum quoq; videtur hoc loco: quia pars mundi summa atque extima parti infimæ atq; intimæ videtur opponi.* Sodomis] ἐν Σοδόμοις. *Ad verb. In Sodomis, id est, in urbe cui nomen erat Sodoma.* Σόδομα, *numero scil. plurali. Sic enim usurpatur in versione Græca Gen. 13.10.* πρὸ τοῦ καταστρέψαι τὸν Θεὸν Σόδομα, *Antequam subverteret Deus Sodoma. Et sic passim nomine* Σοδόμων *in illa versione intelligitur ipsa urbs: quæ tamen apud Hebræos numero singulari appellatur Sedóm. An verò reperiatur* οἱ Σόδομοι *pro incolis illius urbis, quos Sodomitas vulgò dicimus: me latet.* Usque ad hodiernum *diem*] μέχρι τῆς σήμερον. *Subaudi,* ἡμέρας: *item,* ὥρας.

24 Attamen] πλὴν. *Ut paulò antè, v. 22.* Terræ Sodomorum] γῇ Σοδόμων. *Id est, incolarum illius terræ. Metonymia subjecti.*

25 Respondens] ἀποκριθεὶς. *Id est, ultrò sermonem novum ac serium proferens. Catachresis Hebraica.* Celebro te] ἐξομολογοῦμαί σοι. *Ad verbum,* Confiteor tibi. *Id est, Gratias tibi ago, seu Celebro te. Synecdoche Hebraica. nam qui gratias agit, confitetur beneficia accepta, eorumq; authorem celebrat.* Quòd absconderis hæc] ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα. *Videlicet mysteria regni cælorum. Confer infrà 13. v. 11.* Et intelligentibus] καὶ συνετῶν. *Sive prudentibus: nempe secundùm carnem: ut loquitur Paulus 1. Cor. 1.26.* Retexeris] ἀπεκάλυψας. *Revelaveris, patefeceris.* Infantibus] νηπίοις. *Id est, simplicibus ac minimè sapientibus secundùm carnem. Metaphora.*

26 Quia ita placuit tibi] ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. *Ad verb.* Quoniam ita fuit beneplacitum coram te. *Hebraismus.*

28 Qui laboratis] οἱ κοπιῶντες. *Scilicet ad defatigationem usque. Hac enim emphasi differt* τὸ κοπιᾶν, *à verbo* πονεῖν, *quod in genere significat laborare.* Onerati] πεφορτισμένοι. *I. e. qui sentitis onus peccatorum, & sub illo tantùm non succumbitis. Metaphora.* Et ego] κἀγὼ. *Id est, Nam ego.* Refocillabo vos] ἀναπαύσω ὑμᾶς. *Seu, requiem præstabo vobis, faciam ut requiescatis, nempe in gratia Dei, parienda per meam mortem.*

29 Jugum meum] τὸν ζυγόν μου. *Id est, disciplinam meam seu præcepta mea, quorum primum est de suscipienda cruce.* Quia mitis sum] ὅτι πρᾶός εἰμι. *Rationem inserit cur debeant à se discere.* Et invenietis] καὶ εὑρήσετε. *Id est, Nam invenietis. Hæc ratio pertinet ad illud, Venite &c.*

30 Jugum enim meum] ὁ γὰρ ζυγός μου *&c. Hæc ratio pertinet ad illud, Tollite jugum. Sunt igitur sententiæ trajectæ.* Facile] χρηστὸς. *Facile scilicet portatu: quod Græci eleganter dicunt* εὐβάστακτον. *Vel, Commodum. Syrus* בַּסִּים *suave,* **lieblich.** *Vocat autem jugum suum, itemq; onus suum, quod ipse discipulis suis imponit.* Leve] ἐλαφρόν. *Sic ait Johannes,* Mandata ejus gravia non sunt. *non enim gravant pios, iisve molesta sunt: sed suavia & jucunda, atq; adeò suaviora melle ac favo.*

OBSERVAT. EX CAP. XI.

Ministrorū verbi Dei officium.

1 Ex v. 1. Ministri verbi imitentur sedulitatem Christi in munere suo fungendo. Confer exemplum Pauli Act. 20. v. 31. ubi ait, se per triennium quo apud Ephesios versatus est, noctè & die non cessasse cum lacrymis monere unumquemque. Ad talem sedulitatem idem Apostolus hortatur suum Timotheum 1. Tim. 4. v. 13. *Interim dum venio,* inquit, *attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* Item 2. Tim. 4. 2. *Prædica sermonem: insta tempestivè, intempestivè &c.*

2 Ex v. 2. Doctores Ecclesiæ, exemplo Johannis Baptistæ, operam dent ut auditores suos deducant in fidem Christi. Confer ejusdem Johannis sermonem ad discipulos, Johan. 3. v. 27. & seq.

Ministrorū verbi Dei fidelium sors.

3 Ex eod. v. Vinculis Johannis admonemur, qualem mercedem mundus rependere soleat fidelibus verbi doctoribus. nam in vincula conjectus erat Johannes ab Herode, propterea quòd eum reprehendisset propter Herodiadem uxorem fratris sui, quam ille secum habebat, eaque uxore utebatur. Infrà cap. 14. v. 3. & deinceps. Quare si hodie quoque fideles ministri verbi similia experiantur: exemplo illo sese consolentur.

Testes.

4 Ex eod. v. Duobus testibus fide dignis non est temere fides deroganda. Hæc enim causa videtur movisse Johannem ut non mitteret discipulum unicum, sed duos: ut cæteri illorum testimonio quod de Christo allaturi erant, eò faciliùs fidem haberent.

Adventus Christi ad judicium.

5 Ex v. 3. Sicut olim Judæi certò exspectabant primum adventum Christi, propterea quòd eis per prophetas à Deo erat promissus: ita nos hodie certò exspectare debemus adventum ejusdem secundum, videl. ad judicium: quia hic nobis ab ipsomet promissus est, nec non à sanctis Angelis & Apostolis ejus. Vide infr. cap. 25. v. 31. & cap. 26. v. 64. Luc. 21. v. 27. Act. 1. v. 11. Rom. 14. 10. 1. Thess. 4. 16. & 17.

Quòd Jesus sit Christus.

6 Ex v. 4. & 5. Jesum illum Nazarenum Mariæ virginis filium, esse Christum: constat ex ipsius factis & doctrina. Nam & ea miracula fecit & eam doctrinam tradidit, quibus Prophetæ Christum venturum insigniverunt. De miraculis vide Esa. 35. v. 5. & 6. *Tunc aperient se oculi cæcorum, & aures surdorum patefient: tum saliet claudus velut cervus, & cantabit lingua muti.* De doctrina vide Esa. 61. v. 1. & deinceps. *Spiritus Domini est super me: eò quòd unxit Jehova me ad evangelizandum mansuetis &c.* quem locum Christus ipse de se interpretatus est, cùm eum legisset in synagoga urbis Nazareth, Luc. 4. v. 16. & seq.

Offenduntur homines in Christo variè.

7 Ex v. 6. Cavendum ne offendamur in Christo: nam adhuc hodie multi in eo offenduntur, atque ita ab eo resilientes à salute æterna excidunt: non minùs quàm olim Judæi: licet diversâ ratione. nam Judæi offendebantur præcipuè in humili illa ac servili conditione Christi: quia ex vaticiniis Prophetarum non rectè intellectis conceperant falsam opinionem de regno Christi mundano: cum qua opinione humilis illa conditio pugnabat. Hodiè verò offenduntur alii in doctrina Christi, alii in gubernatione. In doctrina offenduntur qui partem aliquam doctrinæ Christi ideo nolunt amplecti, quòd pugnat cum judicio rationis, ut Ariani, qui nolunt amplecti doctrinam de deitate Christi: Antitrinitarii, qui nolunt amplecti doctrinam de tribus personis in unica Dei essentia: Papistæ & Anabaptistæ, qui nolunt amplecti doctrinam de justificatione fidei: item omnes patroni liberi arbitrii, qui rejiciunt doctrinam de prædestinatione seu electione & gratia particulari. In gubernatione verò Christi offenduntur Enthusiastæ: qui contemnunt ministerium Verbi & Sacramentorum, exspectantes interim arcanas ἐκλάμψεις ac revelationes Spiritus S. Item qui se segregant à cœtu fidelium, eò quòd vident illis admixtos esse hypocritas atq; etiam Epicureos seu homines vitæ dissolutioris. Item qui refugiunt cœtus fidelium, eò quòd vident illos subjectos esse cruci & persecutionibus tyrannorum. Oremus igitur Deum ut nos regat suo spiritu, ne ullo pacto in Christo offendamur: quum is demū pronuntietur à Christo beatus qui in ipso non fuerit offensus. Confer etiam 1. Cor. 2. vers. 16. & deinceps: ubi Apostolus doctrinam Evangelii asserit contra falsa judicia tum Judæorum tum Græcorum.

Ministrorū verbi Dei officium.

8 Ex v. 7. Minister verbi exemplo Johannis Baptistæ, debet esse constans: nec similis esse arundini quæ agitatur à vento. Confer exemplum Pauli 2. Cor. 1. v. 17. & 18.

Vestitus.

9 Ex v. 8. Etsi molles vestes per se damnabiles non sunt: quum etiam sanctos viros, ut Josephum, Salomonem, Danielem, pro ratione sui status, illis usos, nec tamen id vitio eis datum esse legamus: tamen ministros verbi non decent. Nec tamen ad vilitatem quali Johannes contentus fuit, adstringuntur: quoniam singularis illa vilitas in vestitu Johannis, singularem habuit caussam, ut nimirum oculos Judæorum eò magis in se converteret, & illos ad se audiendum alliceret. Sed studendum hic est decoro: sicut & in reliquis vitæ partibus. Inepti verò sunt Anabaptistici doctores: qui rudiore veste Johannem imitantes, simili sanctitate se propterea præditos esse sibi persuadent.

Christi patefactio inæqualis.

10 Ex vers. 9. 10. 11. 12. & 13. Quum videamus, Deo placuisse ut Christum electis suis patefaceret per diversos & inæquales gradus, nempe olim quidem obscuriùs per Prophetas: deinde clariùs per Johannem Baptistam & ipsum Christum ejusque Apostolos ante illius passionem: tum denique clarissimè post Christi passionem & in cælum ascensionem per Apostolos eorumque successores usque ad finem mundi: officii nostri est in hac gratiæ divinæ dispensatione acquiescere, nec rationem illius à Deo postulare: sed statuere eum omnia facere sapientissimè ac justissimè. Tum verò inprimis gratias ei agere debemus, quòd nos eo seculo nasci voluit in Ecclesia, quo Christus clarissimè revelatur per Evangelii prædicationem. Etenim hanc ob causam sanctis illis regibus ac prophetis beatiores sumus: imò etiam illis qui Christum in carne viderunt, sed nondum tamen audire potuerunt, opus redemtionis Electorum ab ipso esse peractum.

Quòd Jesus sit Christus.

11 Ex v. 10. Notetur pars argumenti quo demonstratur, Jesum illum Nazarenum esse Christum: quia scil. ante eum missus fuit Johannes Baptista qui præpararet viam coram illo: id quod de Christo prædictum fuerat Malachiæ 3. v. 1.

Consolatio piorū ministrorum verbi Dei contra contemtum mundi.

12 Ex v. 11. Pii ministri verbi contra contemtum mundi sese consolentur consideratione præstantiæ quam eis ipse filius Dei, optimus rerum æstimator, attribuit: pronuntians ipsos etiam Johanne Baptistâ & Prophetis præstantiores doctores esse: quia scil. præstantiorem doctrinam annuntiant.

Auditorum officium.

13 Ex eod.v. Quum tanta sit præstantia ministrorum Evangelii, quantum hîc ex ore Christi cognoscimus: officii nostri est illos in honore ac pretio habere, ipsorumque doctrinam cum humili reverentia excipere.

Ministerium Evangelii.

14 Ex v.12. Ministerium Evangelii adjunctum habet Spiritum sanctum: qui per illud est efficax, & corda electorum accendit, ut illud magno cum zelo amplectantur. Confer Act.2.37. *Compuncti sunt corde &c.* item 2.Cor.3.totum caput.

Scriptura sacra expositio.

15 Ex v.14. Notetur causa, cur homines sæpe nolint recipere veram Scripturæ expositionem: nempe quia patiuntur se impediri falsâ opinione præconceptâ. Sicut hoc loco Christus significat. Judæos incredulos ideò non recipere expositionem suam prophetiæ Malachiæ de Elia venturo: quia conceperant opinionem falsam, quasi id intelligendum esse de Elia illo Thesbite qui in curru igneo fuerat in cælum subvectus. At Deus apud Prophetam Eliæ nomine intellexit Johannem Baptistam, eò quòd ille similis futurus erat Eliæ, simili scil. spiritu & virtute reformaturus corruptum Ecclesiæ statum: sicut declaravit Angelus, annuntians Zachariæ conceptionem & nativitatem illius, Luc.1.v.17.

16 Ex eod.v. In Scripturæ expositione prudenter considerandum quid dictum sit propriè, quid per tropum. nam tropi non observati multos errores gignunt. Cujus rei exemplum hîc habemus in Judæis: qui locum Malachiæ de Elia falsò interpretati sunt, eò quòd ad tropum metaphoram non attenderunt. Idem accidit eis in interpretandis prophetiis de regno CHRISTI, quod sub umbris & involucris glorię & felicitatis mundanæ apud Prophetas passim describitur: quum tamen sit spirituale. Idem hodie accidit iis qui in institutione sacræ cænæ tropum verum repudiant: quum interim quantumvis ignorantes, expositionibus suis tropum, sed falsum, verbis Christi inferant. Dum enim verba Christi, *Hoc est corpus meum*, exponunt per ista, *In vel cum, vel sub hoc pane est corpus meum:* seu, *Id quod à mediante hoc pane, seu per hunc panem tanquam per vehiculum, est corpus meum:* statuunt metonymiam in illius enuntiati subjecto seu parte antecedente. Statuunt enim, panem quidem nominari: sed aliquid in pane latens quod per illum tanquam per vehiculum præbeatur, significari atq; intelligendum esse. Quæ nimirum est metonymia subjecti recipientis in se seu continentis.

Christiani hominis officium.

17 Ex v.15. Quoties nobis proponitur doctrina cælestis, aures cordis aperiamus, eamque fide excipiamus. Sed quum id præstare non possimus ex nobis ipsis: oremus Deum ut ipse nobis corda aperiat: sicut dicitur aperuisse cor Lydiæ ut attenderet ad ea quæ dicebantur à Paulo, Act.16.v.14.

Aures ad audiendum quinam habeant?

18 Ex eod.v. Quum non omnes habeant aures ad audiendum & recipiendum doctrinam cælestem: sicut Christus hoc loco significat: quærat aliquis, quinam igitur habeant? Respondeo: Illi quibus ex singulari gratia dantur à Deo, juxta illud Christi ad discipulos: *Vobis datum est nosse mysteria regni calorum: cateris autem ista dicuntur per parabolas: ut videntes non videant, & audientes non intelligant*, Luc.8.v.10. Si ampliùs quæras: Sed qui sunt illi quibus istiusmodi aures dantur? Respondeo: Illi sunt electi, hoc est, ii homines quos Deus ab ęterno elegit ad vitam æternam, ac proinde eos donavit Christo. Hoc docet Christus ipse Joh.6.v.36.& 37. ubi ait Judæis incredulis: *Sed dixi vobis, Etiam vidistis me, nec creditis: Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet.* Item v.45. ex Esaia: *Et erunt omnes docti à Deo*, videl. omnes filii Ecclesiæ seu electi. Item Joh.10.v.26. *Sed vos non creditis: non enim estis ex ovibus meis:* id est, ex numero electorum. Et mox v.27. *Oves meæ* (scil. solæ) *vocem meam audiunt.* Est enim antithesis inter oves, id est, electos & non-oves, id est, reprobos. Idem tradit Paulus Rom.8.v.30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit*, id est, fide donavit: quia mox sequitur: *Et quos vocavit, eos etiam justificavit.* Intelligit autem solos: quum sit tacita antithesis inter prædestinatos, & non prædestinatos ad vitam. Sic Tit.1. v.1. Fidem quâ creditur in Christum, nominat *fidem electorum Dei:* significans eam donari iis tantùm qui à Deo sunt electi ad vitam æternam. Sic Act.13.v.48. prædicationi Pauli & Barnabæ *crediderunt* (ut ait Lucas) *quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* quibus verbis significat, solis electis fidem donari.

Auditorum officium.

19 Ex v.16.17.18.& 19. Caveamus nobis ne imitemur perversitatem Judæorum, calumniando fideles ministros verbi Dei. Quum enim Christus perversitatem istam cum gemitu detestetur: apparet, eam gravissimum peccatum esse, ac proinde gravissimè à Deo punitum iri.

Saltationes seu chorea.

20 Ex v.17. Quum Christus hoc loco perversitatis damnet puerulos qui nolunt saltare quum sodales eorum tibiis canunt: videtur igitur approbasse saltationes seu choreas. Respondeo. Id verò non potest firmiter colligi ex hoc loco: quia non statim approbatur id unde ducitur similitudo. Christus in parabola de duobus servis, quorum alter domino multum, alter conservo parum debebat, narrat quòd dominus ille laudarit calliditatem servi in fraudulenta administratione bonorum suorum: nec tamen hinc sequitur, Deo placere calliditatem & fraudes. Deinde ex hac similitudine non plus potest colligi, quam saltationes seu choreas apud Judæos fuisse in more positas: Sed hinc non potest concludi, morem illum DEO placuisse. Tertiò mos ille fuit mori hodierno nostrorum hominum dissimilis. nam choreas agitabant non viri cum mulieribus, juvenésve cum puellis: sed viri juvenesque cum viris & juvenibus, mulieres cum mulierib. & puellis: ut videre est 2.Sam.6. ubi David solus saltat comitatus viris. Exod.15. ubi Maria soror Mosis saltat inter mulieres & cum mulieribus. Item 1.Sam.18. ubi occiso Goliatho, mulieres ἐπινίκια canant Davidi saltantes. Quartò, ex istis exemplis hoc quoq; perspicitur, saltationes illas Judæorum susceptas fuisse ad testãdum lætitiam propter accepta à DEO beneficia: non autem ex lascivia & ad explendum libidinem carnis, quales saltationes his temporibus in nuptiis exerceri solent. Deniq; quod filius Dei in 7. præcepto decalogi vetuit, id nequaquam alio tempore approbavit: vetuit autem in illo præcepto omnem lasciviam & quicquid hominem ad illam irritat: quales esse hodiernas saltationes, res ipsa proh dolor, proh pudor, tantùm non voce emissâ clamat.

Consolatio piorum ministrorum verbi Dei contra falsas criminationes. Item contra contemtum verbi Dei.

21 Ex v.18.& 19. Minister verbi si sanctè vivat, & tamen vitam suam à verbi contemtoribus impeti videat falsis criminibus: consoletur se exemplo Johannis Baptistæ & Christi: quibus idem accidit.

22 Ex fine v.19. Fidelis minister verbi quum videt, verbum Dei à maxima auditorum parte contemni: consoletur sese consideratione obedientiæ paucorum, qui tanquam filii sapientiæ (id est, doctrinam cælestem per singularem Dei gratiam intelligentes) illam justificant, id est, tanquam veram ac salutarem reverentur, approbant & laudant.

Sapientia salutaris quæ.

23 Ex iisd. verbis. Vera & salutaris sapientia solo verbo Dei continetur. Hæc enim causa est cur CHRISTUS illud sapientiam appellet. Confer Psal.119. ubi verbum Dei hoc argumento identidem commendatur. item Psal.19.v.8.& 9. Quare ut veram ac salutarem sapientiam nobis comparemus: verbum Dei dies noctesque meditemur.

Electorum prærogativa.

24 Ex iisd. verbis. Verbum DEI intelligere, revereri, & fide atque obedientiâ amplecti, solis electis datum est: qui propterea nominantur filii sapientię. Quare hoc argumento cognoscamus, an simus in numero electorum.

Contemtus verbi Dei.

25 Ex v.20. & seq. Caveamus nobis à contemtu verbi Dei. Nam quò clariùs Deus nobis voluntatem suam per verbum aperit, eò graviùs nos puniet, nisi resipiscamus, & voluntati ipsius obediamus.

Peccata inæqualia.

26 Ex v.22.& 24. Quum sint futuri gradus pœnarum: sequitur, esse quoque gradus in peccatis: ac proinde falsum est dogma Stoicorum, quòd peccata sint æqualia.

Civitatis gloria.

27 Ex v.23. Nulla major gloria contingere civitati potest, quàm si in ea prædicetur verbum Dei. hæc enim causa est, cur Christus dicat, Capernaümum ad cælum usque exaltatam fuisse.

Auditorum Evangelii gubernatio divina dispar.

28 Ex v.25.& 26. Quòd alii mysteria regni Dei intelligunt & credunt, alii non item: quodque ex iis, qui credunt, plerique sunt simplices & indocti, pauci sapientes & intelligentes: id pendet ex beneplacito DEI. Ita autem agere placuit Deo, ut pudefaceret sapientes: ut ne glorietur ulla caro coram ipso: sicut monet Apostolus 1.Cor.1.v.27.& 29. Quare caveamus ne huic Dei gubernationi obmurmuremus: sed statuamus, Deum nihil agere injustè: quippe quum sit dominus cæli & terræ, (ut hoc loco ait Christus) ac proinde summam habeat in omnes homines potestatem. Confer infrà 20.15. ubi dominus vineæ ait operario murmuranti: *An non licet mihi quod volo, facere in meis?* Item Rom. 9.v.20.& 21. *Num dicet figmentum fictori, Cur me fecisti talē? An non habet potestatem figulus in lutum &c?*

Dei cognitio salvifica quæ.

29 Ex v.27. Vera & salvifica notitia DEI consistit in cognitione Dei Patris & Filii: quòd scil. Pater nobis donaverit Filium in mediatorem, quodq; Filius Patrem nobis reconciliârit suâ morte & gratiam illam in æternum nobis conservet. Confer Joh.17. v.3. *Hæc est vita æterna ut cognoscant &c.* Hinc sequitur, Judæos & Turcas & omnes non-Christianos Deum non rectè nosse: quia non credunt in Filium. Nam *qui non honorat Filium, is nec honorat Patrem*, Joh.5.v.23.

Cognitionis Dei salvificæ origo.

30 Ex eod.v. Salvifica cognitio Dei, est donum Dei Patris & Filii. nam & Pater nobis revelat Filium: & Filius nobis revelat Patrem; & uterque id agit per Spiritum S. qui ab utroque procedit. Huc pertinent illa dicta, infrà c.16.v.17. ubi Christus ait Petro post editam ab illo fidei suæ confessionem: *Beatus es Simon: quia caro & sangis hæc non revelavit tibi: sed pater meus qui est in cælis.* Item c.13.v.11. *Vobis datum est* (nempe à Deo patre) *nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum.* Joh.6.v.44. 45.46. *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Est scriptum in prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audivit à patre & didicit, venit ad me. Non quòd patrem viderit quisquam: nisi is qui est à Deo: hic vidit patrem.* Eph.2.v.8. *Gratiâ servati estis per fidem: idq; non ex vobis, Dei donum est.* Quare quum salvificâ cognitione DEI præditi sumus: ne arrogemus eam nostris viribus, nostróve mentis acumini aut voluntatis bonitati: sed agnoscamus gratiam Dei, eamque prædicemus.

Peccatorum onus. Requiem afflictis conscientiis quomodo præstet Christus?

31 Ex v.28. Qui sentiunt onus peccatorum & eo levari cupiunt: veniant ad Christum, id est, credant in Christum. Is enim eis requiem præstabit: sicut hoc loco promisit. Præstat autem requiem Christus afflictis conscientiis, quatenus illis per Spiritum S. & verbum Evangelii testatur, se meritum esse ipsis remissionem peccatorum suâ morte. unde Joh 6. carnem suam quatenus eam dedit pro mundi vita, nominat panem seu cibum vitæ; hoc est vi-

est vivificum: cujus scil. esu per fidem vivificantur corda, quatenus fide gustant gratiam Dei sibi conciliatam morte Christi.

An gratia Christi pertineat ad omnes homines?

32 Ex eod. v. Abutuntur hoc dicto qui inde volunt probare, Christi gratiam pertinere ad omnes omnino homines, nullo prorsus excepto. Etenim Christus gratiam suam hîc promittit non omnibus simpliciter hominibus: sed tantùm iis omnibus qui fatigati sunt & onerati, id est, qui sentiunt onus peccati & eo cupiunt levari. Atque his quoque eâ demum conditione gratiam suam promittit, si ad ipsum venerint, id est, in ipsum crediderint.

An homo præditus sit libero arbitrio in rebus divinis seu in negotio salutis.

33 Ex iisd. verb. Abutuntur eodem dicto & illi qui inde volunt probare, hominem præditum esse libero arbitrio in rebus divinis seu in negotio salutis: hoc est, in hominis potestate esse ut gratiam in Evangelio oblatam amplectatur. At non sequitur, Christus invitat omnes afflictos ad gratiam suam amplectendam: ergo omnes id possunt, & quidem per vires naturæ. nam pari ratione sequeretur, omnes homines posse Deum diligere ex toto corde & proximum ut se ipsos, idque ex viribus naturalibus: quia scilicet Deus istiusmodi dilectionem homini præcipit. At certum est, hominem neutrum illorum posse. Utitur autem Deus istis præceptis & promissionibus ad fidem & obedientiam creandam in cordibus electorum, idque eâ mensurâ quæ illi placet.

Jugum Christi ferendum.

34 Ex v. 29. Qui frui volunt requie ex fide, illos oportet super se tollere jugum Christi: id est, obedire præceptis ipsius: ut scilicet diligant Deum & proximum. nam sic demum certi erunt, se verâ fide esse præditos.

Mansuetudo. Humilitas.

35 Ex eod. vers. Ut obedientiam præstare possimus mandatis Dei: inprimis opus nobis est mansuetudine & humilitate seu demissione animi. Quarum illa faciet ut diligamus proximum: ista verò, ut rectè colamus Deum.

Discrimen inter Legem & Evangelium.

36 Ex v. 30. Notandum discrimen inter Legem & Evangelium: nam quum utrumque sit jugum quoddam quod Deus cervicibus hominum imponit: tamen hoc interest, quòd jugum Legis est importabile, teste Petro Act. 15. v. 10. at jugum Evangelii est facile & leve, teste Christo hoc loco. Ratio discriminis est, quia Lex postulat obedientiam perfectam ex propriis hominis viribus, & minatur certam maledictionem transgredienti vel unum ex mandatis ipsius. At Evangelium confert electis Spiritum S. à quo viribus acceptis, alacriter obedientiam inchoant, & defectus tegit sanguine Christi. Etsi igitur pietas carni molesta est ac difficilis, imò impossibilis: tamen facilis & jucunda est spiritui, seu homini quatenus per Spiritum S. est renatus. Atque in eandem sententiam ait Johannes, mandata Dei gravia non esse, 1. Joh. 5. v. 3. Quare oremus Deum ut Spiritu suo nos magis magisque regeneret atque renovet.

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Septem sunt hujus capitis partes. Primò, Jesus defendit discipulos contra criminationem Pharisæorum de violato sabbatho, usque ad v. 9. Secundò, sanat in sabbatho quendam qui habebat manum aridam, & factum hoc defendit, usque ad v. 14. Tertiò, cedit insidiis Pharisæorum, & sanat ægrotos omnes qui eum sequebantur, usq; ad v. 22. Quartò, sanat dæmoniacum cæcum & mutum, usque ad v. 25. Quintò, sermonem habet contra Pharisæos: in quo refutat illorum calumniam de sua ejectione dæmoniorum, de magnitudine peccati eorum admonet, malitiæ eos arguit, & pœnam Dei denuntiat, usq; ad v. 38. Sextò, alium sermonem contra eosdem habet, in quo signum illis Jonæ dat, damnationem æternam eis denuntiat, nec non pœnam spiritualem in hac vita, usq; ad v. 46. Septimò, inter docendum interpellatus de adventu matris & fratrum, illos à se rejicit, usq; ad finem capitis.

PRIMA PARS.

IN illo tempore ibat Jesus sabbatho per sata: discipuli verò ipsius esuriebant, cœperuntque vellere spicas & edere.

2 Pharisæi autem, quum *hoc* vidissent, dixerunt ei, Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere in sabbatho.

3 Ipse verò dixit eis, Non legistis quid fecerit David, quum esuriret ipse, & ii qui erant cum eo?

4 Quomodo introierit in domum Dei, & panes propositionis ederit; quibus vesci non erat ipsi licitum, neque iis qui cum eo erant, sed sacerdotibus solis?

5 Aut non legistis in Lege, sabbathis sacerdotes in templo sabbathum profanare, & insontes esse?

6 Dico autem vobis, *Quidam* templo major est hîc.

7 Quòd si cognovissetis quid sit, Misericordiam volo & non sacrificium, non condemnassetis insontes.

8 Nam dominus est etiam sabbathi filius hominis.

HÆc narratio tribus constat membris. Primò narrat factum discipulorum Christi, vers. 1. Deinde criminationem Pharisæorum, vers. 2. Postremò defensionem Christi, versibus reliquis. Factum discipulorum fuit, quòd vulserunt spicas & ederunt. Id declaratur indicatione temporis & causæ impulsivæ. Tempus fuit dies sabbathi: Causa impulsiva fames. Criminatio Pharisæorum fuit, quòd discipuli violarent sabbathum. Defensio Christi constat tribus argumentis: exemplo Davidis, v. 3. & 4. exemplo sacerdotum, v. 5. & personæ suæ dignitate, v. 6. & 8. Versu autem septimo inserta est conclusio, amplificata recriminatione. Primum argumentum est: David quum esuriens ederet panes propositionis, fuit insons: Ergo etiam discipuli mei, quum esurientes vulserunt spicas in sabbatho, sunt insontes. Ratio consequentiæ à pari: Quia sicut panibus illis extra casum necessitatis, non licuit vesci, nisi sacerdotibus: ita nec in sabbatho extra casum necessitatis licet vellere spicas. Hujus comparationis pars prior est expressa: altera ex scopo argumentantis subintelligitur. Secundum argumentum est: Sacerdotes quum die sabbathi in templo mactant pecudes, sine crimine sunt: Ergo etiam discipuli mei quum die sabbathi esurientes vulserunt spicas, sine crimine sunt. Ratio consequentiæ à pari: Quia mactatio illa tam videtur esse profanatio sabbathi, quum sit opus servile, seu quod administratur manu: quàm ista vulsio spicarum. Et tamen sacerdotes rectè agunt, quòd in sabbatho mactant pecudes, ut scil. obediant præcepto Dei majori de offerendis sacrificiis: Ergo pari ratione discipuli mei rectè egerunt, quòd in sabbatho vulserunt spicas, ut obedirent præcepto DEI majori, videl. Ne occidas. Tertium argumentum est: Ego sum major templo, & sum dominus sabbathi: Ergo habeo potestatem permittendi discipulis meis, ut aliquid agant contra præceptum de sabbatho. Conclusionis sententia versu septimo est, Non igitur debuistis condemnare discipulos meos insontes. Hanc sententiam amplificat expositione causæ procreantis, unde illa condemnatio fuit profecta: atque ita illos recriminatur, perstringens ipsorum hyocrisin & falsam opinionem de cultu Dei cærimoniali: quem anteponebant cultui spirituali, posito in dilectione Dei & proximi. Significat igitur, ipsos esse vacuos dilectione proximi, atque hinc illam discipulorum suorum criminationem iniquam manasse. Cæterùm opinionem istam illorum falsam esse, demonstrat testimonio Dei ex Ose. 6. quod explicavi sup. cap. 9. v. 13.

SECUNDA PARS.

9 Et digressus illinc venit in synagogam eorum.

10 Et ecce, quidam *illic* erat manum habens aridam: & interrogarunt eum dicentes, Licétne sabbathis *quempiam* sanare? ut accusarent eum.

11 Ipse verò dixit eis, Quis erit ex vobis, qui habeat ovem aliquam, &, si ea inciderit sabbatho in foveam, non apprehendat eam & erigat?

12 Quantum autem præstat homo ovi? Itaque licet sabbathis benefacere.

13 Tunc dicit homini illi, Extende manum tuam. Et *is* extendit: estque restituta sana & altera.

Hæc narratio quatuor membris constat. Primò indicatur locus ubi Christus illum aridâ manu præditum sanavit. Deinde occasio. Tum narratur sanationem prægressa disputatio inter Christum & Pharisæos. Postremò narratur sanatio ipsa. Locus fuit synagoga quædam in Galilæa, v. 9. Occasio fuit præsentia ægroti illius, in principio v. 10. Disputatio fuit de qualitate facti, nempe an sanatio in sabbatho sit licita? Hæc disputatio constat quæstione Pharisæorum, v. 10. & responsione Christi, v. 11. & 12. Quæstio amplificatur ex fine seu scopo: qui fuit, ut Christum accusarent. Responsio Christi demonstrat quæstionis propositæ affirmationem, quòd scil. liceat in sabbatho sanare. Hoc demonstrat à minori: Licet in sabbatho conservare pecudem: Ergo multò magis hominem. Ratio consequentiæ: Quia homo præstat pecudi. Antecedens hujus enthymematis approbat testimonio consensus adversariorum, atque adeò auditorum præsentium omnium: quem ipsum consensum ostendit ex illorum factis. Innuit autem consensum illum interrogatione seu communicatione Rhetoricâ. Et hæc approbatio præcedit: unde antecedens omissum facilè colligitur. Deinde sequitur ratio consequentiæ propositionis connexæ, quæ & ipsa omissa est. Enuntiatur autem hæc quoque ratio per interrogationem, atque ita à consensu adversariorum approbatur. Postremò additur consequens seu conclusio, amplificata à genere: quod est benefacere. Quæstio enim erat de specie beneficii, videl. sanatione. Sanatio describitur v. 13. è suâ forma seu modo: qui fuit extensio manus ad mandatum Christi. ubi primò narratur mandatum Christi: deinde obedientia ægroti: postremò ipsum effectum.

TERTIA PARS.

14 Pharisæi verò egressi ceperunt consilium adversus eum, ut eum perderent.

15 Jesus autem quum *hoc* cognovisset, secessit illinc, sequutaq; est eum turba multa, sanavitque eos omnes.

16 Et interminatus est eis ne se manifestum facerent.

17 Ut impleretur quod dictum fuit per Esaiam Prophetam, dicentem,

18 Ecce servus ille meus, quem assumsi: dilectus ille meus, in quo acquiescit anima mea: ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus annuntiabit.

19 Non litigabit, neq; clamabit; neque audiet quisquam in plateis vocem ejus.

20 Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet: usquedum proferat ad victoriam judicium.

21 Et in ejus nomine gentes sperabunt.

Narratio hæc de fuga Christi sex membris constat. Primò indicatur causa procreans, videl. insidiæ Pharisæorum, v.14. Deinde fuga ipsa, v.15. Tum comites fugientis, videl. turba, ibidem. Quartò beneficentia Christi erga illos, quòd scil. ægrotos sanavit, ibidem. Quintò interdictum patefactionis sui, v.16. Sextò, finis seu scopus consilii divini illud Christi interdictum gubernantis, v.17. & deinceps. ubi continetur demonstratio ex narratis deducta, quòd hic Jesus sit Christus; quia scil. id fecerit, quod de Christo prædictum fuerat per Esaiam: id est, quòd non excitaverit de sese clamores per quos regia ipsius potentia innotesceret: sed potiùs potentiâ illâ suâ abundè demonstratâ per miraculosas sanationes, interdixerit illis quos sanaverat, ne sese manifestarent. Etenim hac tantùm in parte vaticinium illud huc accommodatur, quæ continetur v.19. Cæterùm toto illo vaticinio continentur hæc quatuor. Primùm, Deus Pater promittit Christum, ac testatur tum de vocatione seu officio illius, tum de sua erga illum affectione. Promissio continetur adverbio *Ecce:* quasi dicat: Ecce veniet seu aderit suo tempore. Vocationem seu officium indicat, quum eum nominat *servum suum quem elegerit seu assumserit*, videl. ad serviendum sibi in procuranda salute electorum. Affectionem erga illum suam indicat, quum eum vocat *dilectum suum in quo acquiescat anima sua.* Deinde promittit, se illum instructurum donis Spiritus sancti, ad officium scil. illud procurandæ salutis electorum rectè administrandum. Id significat his verbis, *Ponam Spiritum meum super eum.* Tum prædicit, quomodo ille propheticum suum munus sit administraturus, nempe cum animi demissione seu modestia & cum mansuetudine. Atque ipsius quidem prophetici muneris administrationem significat his verbis, *Et judicium gentibus annuntiabit.* Modestiam verò istis, *Non litigabit neque clamabit, neq; audiet quisquam in plateis vocem ejus.* Mansuetudinem denique illis: *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet.* Postremò indicat administrationis illius effectum duplicem: nempe *victoriam* doctrinæ contra reprobos contradicentes, & *spem* in electis doctrinæ ejus credentibus.

QUARTA PARS.

22 Tunc oblatus est ei dæmoniacus cæcus & mutus: & sanavit eum, ita ut qui cæcus ac mutus *fuerat*, & loqueretur & videret.

23 Et obstupuit tota turba, dicebatque, Num iste est filius ille David?

24 Pharisæi verò, quum *hoc* audissent, dicebant, Iste non ejicit dæmonia nisi per Beelzebulem principem dæmoniorum.

Narratio hæc de sanatione dæmoniaci continet membra tria: causam impulsivam, miraculum ipsum, & effectus. Causa impulsiva, quæ scil. impulit Christum ad hunc dæmoniacum sanandum, fuit petitio illorum qui illum offerebant, priore parte v.22. Miraculum ipsum declaratur à contrariis, posteriore parte versus ejusdem. Effectus indicantur duo: unus in turba, alter in Pharisæis. Effectus in turba fuit geminus, videl. admiratio & professio opinionis suæ honorificæ de autore, v.23. Atque hic fuit effectus per se. Effectus verò in Pharisæis fuit atrox calumnia, qua miraculi hujus cæterorumque similium Jesu miraculorum autorem seu efficientem principalem affirmarunt esse diabolum, v.24. Atque hic fuit effectus per accidens, ortus per se ex illorum malitia & iniquo odio Christi.

QUINTA PARS.

25 Jesus autem quum sciret cogitationes eorum, dixit eis, Omne regnum dissidens adversus sese, vastatur: & omnis urbs aut domus dissidens adversus seipsam, non stabit.

26 Sed si satanas satanam ejicit, adversus seipsum dissidet. Quomodo ergo stabit regnum ejus?

27 Et si ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, filii vestri per quem ejiciunt? Propterea ipsi erũt vestri judices.

28 Sin autem per Spiritum Dei ego ejicio dæmonia, nempe pervênit ad vos regnum Dei.

29 Aut quomodo potest aliquis ingredi domum robusti *alicujus*, & vasa ejus diripere, nisi primò vinxerit robustum illum? Nam tunc domum illius diripiet.

Sequitur prior sermo Christi contra Pharisæos, cui occasionem præbuit illa calumnia de qua in parte præcedente. Istam igitur calumniam primò omnium refutat, usque ad v.30. Deinde de magnitudine illius Pharisæorum peccati admonet, malitiæque eos arguit, usq; ad v.38. Ita sunt duæ hujus sermonis partes: quas sigillatim considerabimus. Refutatio igitur calumniæ Pharisæorum tribus constat argumentis. quorum primum est:

Si satanas satanam ejicit, ergo satan delectatur eversione sui regni: quippe quod videt hoc modo necessariò eversum iri.
At satan non delectatur eversione sui regni.
Ergo satanas satanam non ejicit.

Hic syllogismus non est expressus in textu: sed innuitur ex prosyllogismo, quo approbatur illius propositio ad hunc modum:

Si satanas dissidet adversus seipsum, regnum ejus vastabitur.
Sed si satanas satanam ejicit, adversus seipsum dissidet, v.26.
Ergo si satanas satanam ejicit, vastabitur regnum ejus, v. eod.

Loco propositionis ponitur ejus prosyllogismus, continens argumentum à genere, comprehensum sententia proverbiali triplici, ibi, *Omne regnum*, &c. ac proinde confirmatum testimonio populi. Secundum argumentum est hoc:

Si ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, etiam filii vestri per illum ejiciunt:
Sed filii vestri non ejiciunt dæmonia per Beelzebulem. Ergo nec ego.

Consequens propositionis non exprimitur in textu, sed innuitur interrogatione nitente collatione parium. Assumtio tanquam nota & confessa omittitur: quia Pharisæi Apostolos & alios Judæos qui in nomine Christi dæmonia ejiciebant, non afficiebant istâ calumniâ, quòd per Beelzebulem dæmonia ejicerent, sed tacitè fatebantur, quòd ejicerent ea per Spiritum Dei. Assumtionis autem loco ponitur illius πόρισμα seu corollarium, hoc est, sententia inde consequens, & ad illius amplificationem pertinens, sumtum ab eventu tristi, eventuro adversariis: ubi ait: *Propterea ipsi erunt vestri judices.* quasi dicat: Confessio illa vestra qua confitemini, filios vestros (nempe discipulos meos & alios Judæos qui in nomine meo dæmonia ejiciunt) non ejicere dæmonia per Beelzebub, sed per Spiritum Dei: illa inquam confessio vestra in die judicii tanquam testis stabit contra vos ad convincendum vos vestræ injustitiæ, qua de rebus similibus dissimiliter judicatis: dum negatis me quoque per Spiritum Dei dæmonia ejicere, sed contrà affirmatis me illa ejicere per Satanam. Porrò secundum istud argumentum adhibetur etiam ad concludendum contrarium: nempe quòd Christus ejiciat dæmonia per Spiritum Dei, ad hunc modum:

Si filii vestri ejiciunt dæmonia per Spiritũ Dei, ergò etiam ego.
Sed filii vestri dæmonia ejiciunt per Spiritũ Dei: sicut vos confitemini. Ergo etiam ego dæmonia ejicio per Spiritum Dei.

Hujus syllogismi conclusionem deinceps vers. 28. amplificat à toto: admonens de maximo Dei erga populum Judaicum beneficio, videlicet adventu seu præsentiâ regni Dei, cujus regni pars quædam fuit illa dæmoniorum ejectio à Christo administrata per Spiritum Dei. Id enim inter alia de regno Christi prædictum erat. Cujus admonitionis scopus videtur fuisse duplex: unus, ut electi hoc signo confirmarentur in fide Christi: alter, ut Pharisæi & alii illorum similes convincerentur ingratitudinis propter tantum Dei beneficium repudiatum. Atque sic tractatum est argumentum secundum. Tertium sequitur v.29. quod sumtum est à simili. Et concludi potest ad hunc modum:

Si nemo potest diripere domũ viri robusti, nisi priùs illum vinxerit: nec ego potero diripere domum diaboli, h.e. dæmoniacorum corpora ab inhabitãtibus dæmoniis evacuare, mihiq; consecrare: nisi priùs dæmonia illa vinxero virtute divinâ.
Sed verum est antecedens. Ergo & consequens.

Ac proinde quum dæmonia vinciam & ejiciam virtute divinâ: falsum est, me illa ejicere per Beelzebub principem dæmoniorum. In textu sola habetur assumtio.

30 Qui non est mecum, adversus me est: & qui non congregat mecum, spargit.

31 Propterea dico vobis, Quodvis peccatum & convicium remittetur hominibus: convicium verò Spiritus non remittetur hominibus.

32 Et quisquis loquutus fuerit adversus Filium hominis, remittetur ei: quisquis autem fuerit loquutus adversus Spiritum sanctum: non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

33 Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum: aut facite arborem putrem, & fructum ejus putrem. Nam è fructu arbor cognoscitur.

34 Progenies viperarum, quomodo possitis bona loqui, quum sitis mali? Nam ex redundantia cordis os loquitur.

35 Bonus

35 Bonus homo è bono thesauro cordis profert bona:& malus homo ex malo thesauro profert mala.

36 Sed dico vobis, Quodcunque verbum otiosum loquuti fuerint homines, de eo reddituri sunt rationem in die judicii.

37 Ex sermonibus enim tuis justificaberis,& ex sermonibus tuis condemnaberis.

Hæc est altera pars sermonis prioris Christi quem contra Pharisæos habuit, ubi monet de magnitudine illius peccati ipsorum, videlicet calumniæ qua calumniati erant ipsius ejectionem dæmoniorum; ac præterea malitiæ eos arguens, damnationem æternam eis denuntiat. Præmittit autem admonitionem pertinentem ad eos qui calumniam illam Pharisæorum silentio suo approbant, quum innocentiam Christi deberent defendere. De his pronuntiat, se illos quoque in adversariorum suorum numero habere: id quod innuit per sententiam proverbialem, suæ personæ applicatam, inquiens: *Qui non est mecum, adversum me est: & qui non cogit mecum, spargit.* Admonitionis hujus scopus est, ut illos officii sui admoneat, & ab approbandis apertorum hostium suorum calumniis deterreat; ne scilicet peccati illorum participes sese facientes, pœnæ quoque participes se faciant. Quam etiam ob causam magnitudinem peccati illius mox declarat. Id quod facit duobus argumentis. Primùm à præstantia subjecti occupantis, dum calumniam istam nominat blasphemiam Spiritus, hoc est, qua blasphematur Spiritus sanctus dum scilicet contradicitur testimonio illius de divina virtute seu potentia Jesu per ejectionem dæmoniorum sese exerente. Est autem gravissimum peccatum contradicere Spiritui sancto atque ita illum arguere mendacii: qui est Spiritus veritatis, atque adeò ipsa veritas. Alterum argumentum sumtum est ab adjuncto adhærente, videlicet negatione remissionis. Necesse est autem longè maximum peccatum esse, cui nulla contingit remissio à Deo, qui tamen clementissimus est. Sed causa hujus rei est quòd Deus non patitur se irrideri, & veritatem suam petulanter atque contra conscientiam argui mendacii. Utrumque hoc argumentum unico enuntiato comprehendit, inquiens: *Convicium spiritus non remittetur hominibus, vers.31.* Hanc sententiam primùm amplificat antithesi disparatorum, opponens convicium Spiritus cæteris conviciis & peccatis omnibus, vers. eodem. Deinde eandem sententiam repetit vers.32. amplificatam antithesi disparati specialis, videlicet convicii adversus filium hominis: hoc est, qua blasphematur Christus tanquam filius hominis, subjectus variis miseriis ac persecutionibus: non autem ostendens splendorem regium & potentiam mundanam, quâ Christum præditum fore Judæi sibi falsò imaginabantur. Præterea consequens sententiæ amplificatur distributione ex adjunctis temporibus: ubi dicitur, *Non remittetur ei neq; in hoc seculo neq; in futuro.* Cæterùm magnitudine peccati illius Pharisæorum demonstratâ, pergit ad indicandum illius fontem seu causam procreantem, videlicet malitiam cordis illorum: quam arguit ex effectis, adhibitis variis similibus: primò arboris & fructuum, v.33. deinde ingenii viperarum, v.34. tum fontis scaturientis ac redundantis, v.eod. denique thesauri seu penus unde aliquid depromitur, v.35. Ipsam autem argumentationem propriis verbis enuntiat, v.34. ubi ait: *Quomodo possitis bona loqui, quum sitis mali?* Q.d. Causa procreans istius blasphemiæ est malitia cordis vestri. Estis mali: ergo loquimini mala. Et vicissim: Loquimini mala: ergo estis mali. Nam ex fructu arbor cognoscitur: & ex abundantia cordis os loquitur. Sunt autem istæ sententiæ quæ ex similibus illis constent, proverbiales, ac proinde consensu populi confirmatæ. Atque hoc secundum hujus loci membrum est, quo arguit Pharisæos malitiæ. Tertium sequitur, quod ex prioribus duobus tanquam effectum oritur, videlicet denuntiatio pœnæ Dei. Etenim propter istam blasphemiam & istam malitiam denuntiat Pharisæis æternam damnationem. Cujus certitudinem ostendit primùm à minori, deinde à sententia proverbiali. A minori v.36. ubi innuit, homines (nempe quibus peccata hîc non fuerint remissa) damnatum iri propter quodcunque verbum otiosum: id est, inutile ad gloriam Dei & ædificationem proximi. unde relinquitur intelligendum, multò magis damnatum iri homines propter blasphemias Spiritus S. quæ nimirum sunt verba derogantia gloriæ Dei & proximum destruentia. Sententia proverbialis v.37. illustrata est pari collatione contrariorum. nam sicut homo ex sermonibus piis, id est, ad gloriam Dei & ædificationem proximi pertinentibus, justificabitur, hoc est, pius atque innocens pronuntiabitur: ita ex sermonibus impiis ac blasphemis pronuntiabitur impius, id est, condemnabitur.

SEXTA PARS.

38 Tunc responderunt quidam è Scribis ac Pharisæis, dicentes, Magister, velimus à te signum videre.

39 Ipse verò respondens dixit eis, Gens mala & adultera signum requirit: sed signum non dabitur ei nisi signum illud Jonæ prophetæ.

40 Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tres dies & tres noctes, ita erit Filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes.

41 Ninevitæ surgent in judicio cum gente hac, & condemnabunt eam; quòd resipuerint ad prædicationem Jonæ: & ecce, plus quàm Jonas *est* in hoc loco.

42 Regina Austri surget in judicio cum gente hac, & condemnabit eam: quòd venerit à terminis terræ ut audiret sapientiam Solomonis: & ecce, plus quàm Solomon *est* in hoc loco.

43 Cœterùm quum impurus spiritus exierit ab homine, ambulat per arida loca, quærens requiem; sed non invenit.

44 Tunc dicit, Revertar domum meam, unde exivi. Et quum vênit, invenit *eam* vacantem, versam & ornatam.

45 Tunc proficiscitur, & assumit secum septem alios spiritus, pejores quàm ipse *sit*: & ingressi habitant illic, fitque ultima conditio hominis illius deterior priore. Ita etiam erit genti huic malæ.

Sequitur alter sermo Domini contra Pharisæos: in quo tria agit Primùm dat eis signum Jonæ, usque ad v.41. Deinde denuntiat eis æternam damnationem, usq; ad v.43. Postremò denuntiat eis pœnam spiritualem in hac vita, usq; ad v.46. Initio autem præmittitur sermonis hujus occasio seu causa impulsiva, videl. petitio quorundam è Scribis & Pharisæis, qua petebant à Domino signum, id est, miraculum, quo demonstraret se à Deo esse missum, ac proinde doceret veritatem. Hæc petitio quum iniqua ac perversa esset, quippe quum multa clarissima signa vidissent: Dominum ad justam indignationem commovit, ita ut gravissimis verbis in eorum malitiam inveheretur: & illam convinceret, eâdemque operâ vocationis & doctrinæ suæ veritatem demonstraret ex futura sui occisione & resurrectione: atq; hac occasione casum Jonæ affert, tanquam istius rei typum. Q.d. Quòd à me petitis signum, id facitis ex mera malitia: quam quidem malitiam & odium mei, ampliùs declarabitis, quum me occidetis. Sed interim scitote, me à Deo esse missum, & veritatem vos docuisse: id quod Deus ipse evidentissimè demõstrabit, quum me ex mortuis excitabit tertio die: (quod ipsum jam olim per casum Prophetæ Jonæ præfiguravit; quumque vestram urbem post annos quadraginta, nisi resipueritis, eversurus est: sicut eversurus fuerat urbem Ninevitarum, nisi illi intra dies quadraginta resipuissent. Atque hoc nimirum satis evidens signum erit ad confirmandum vocationem & doctrinam meam. Sic tractatur pars hujus sermonis prima. Secunda ex priore nascitur, tanquam effectum ex causa. Etenim propter istam malitiam insignem denuntiat eis justissimam condemnationem Dei Sententia igitur hujus membri est: Deus vos condemnabit. Ratio: Quia non resipiscitis ad meam prædicationem: sed petulanter mihi contradicitis & facta mea calumniamini. Syllogismus.

Si non resipiscitis ad meam prædicationem, Deus justo judicio vos condemnabit.

Sed non resipiscitis ad meam prædicationem.

Ergo Deus justo judicio vos condemnabit.

Conclusionis sententia præcedit, ubi ait, *Ninevitæ exsurgent in judicio cum natione hac, & condemnabunt eam.* Sententia est: Deus Pharisæos condemnabit, adductus testimonio Ninevitarum quod contra illos dicent: quod quidem testimonium consistit in illorum facto, comparato cum facto contrario istorũ: quòd nimirum illi resipuerunt ad prædicationem Jonæ, isti verò non resipuerunt ad prædicationẽ Filii Dei. Assumtio innuitur per tacitam antithesin, ubi dicit: *Quòd ipsi resipuerint ad prædicationem Jonæ.* Innuitur enim è contrario, quòd Pharisæi non resipuerint ad prædicationem Christi. Loco propositionis ponitur ipsius ratio, ducta à minori: ubi ait, *Et ecce, plus quàm Jonas est in hoc loco.* Sententia est: Si Ninevitæ resipuerunt ad prædicationem Jonæ, multò magis Pharisæi debebant resipiscere ad prædicationem meam. Ratio à minori: Quia ego major sum quàm Jonas: ac proinde minus probabile est, audiendum fuisse Jonam quàm me audiendum esse. Si igitur nõn resipiscitis ad prædicationem meam, sequitur, vos justo judicio Dei damnatum iri. Hoc idem argumentum repetitur & eodem modo tractatur v.42. sed adhibito alio exemplo, unde argumentum à minori dicitur: videlicet exemplo reginæ Austri. Cujus hæc est sententia: Si regina Austri magni fecit sapientiam Solomonis: vos multò pluris facere debebatis sapientiam meam: quia ego major sum Solomone. Atqui regina Austri magni fecit sapientiam Solomonis: quippe quæ illius audiendæ gratiâ vênit à terminis terræ. Ergo vos multò pluris facere debebatis sapientiam meam. Quod quum non faciatis, sed potiùs me blasphemetis; factum illud reginæ Austri in die judicii instar testimonii erit, quo audito Deus judex vos condemnabit. Atque sic tractatur hujus sermonis pars secunda. In tertia parte denuntiat eis pœnam spiritualem in hac vita, vi-

delicet quòd seipsis deteriores evasuri sint. Hanc pœnam declarat & illustrat collatione hominis dæmoniaci in quem impurus spiritus semel expulsus redit, propter illius incuriam atque socordiam: sed redit comitatus septem spiritibus pejoribus quàm ipse sit: unde illius hominis conditio fit deterior. Hujus collationis protasis amplificatur expositione causæ impulsivæ quæ spiritum ex homine expulsum movet ut in illum redeat. Hæc causa statuitur duplex: una, quòd non invenit alibi requiem, v.43. altera, quòd invenit pristinam suam domum vacantem, versam & ornatam: hoc est, quod animum illius hominis unde fuerat expulsus, invenit securum & voluptatibus indulgentem, v.44. Reditus ipse & effectus illius exponitur initio v.45. Apodosis collationis est in ejusdem versus fine, ibi: *Ita etiam erit nationi huic malæ.*

Septima Pars.

46 Quum autem adhuc loqueretur turbæ; ecce, mater & fratres ejus stabant foris, quærentes ejus colloquium.

47 Dixit autem ei quidam; Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes tuum colloquium.

48 Ipse verò respondens dixit illi qui *hoc* ei dixerat, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?

49 Et protensâ manu suâ in discipulos suos, dixit, Ecce mater mea & fratres mei.

50 Quisquis enim fecerit voluntatem patris mei qui est in cælis, is est meus frater, & soror & mater.

Hîc narratur, quomodo Jesus inter docendum interpellatus de præsentia matris & fratrum, illos à se rejecerit. Membra principalia hujus narrationis sunt tria: petitio cognatorum, vers. 46. delatio petitionis illius ad Jesum, v.47. & ejusdem rejectio, reliquis versibus. Responsio autem illa qua Jesus petitionem istam rejicit, rursus tria membra continet. Primum est interrogatio indignabunda, *Quæ est mater mea &c.* v.48. quasi dicat: Quid mihi tu nunc narras de matre ac fratribus petentibus meum colloquium? Quasi verò æquum sit, ut omissâ doctrinâ rerum utilium apud discipulos, operam dem privato colloquio cognatorum! Alterum membrum est subjectio responsionis ad illam interrogationem, vers. 49. qua affirmat, discipulos suos qui tum ipsum docentem audiebant, esse matrem suam & fratres suos: id est, sibi charos instar matris ac fratrum: ac proinde se illis jam operam dare velle, nec committere ut in illis docendis impediatur. Tertium membrum, est responsionis illius ratio, v.50. à genere. Quæ ratio cum illa responsione disposita, constituit hoc enthymema:

Quisquis fecerit voluntatem patris mei, is est mea mater, meus frater, mea soror:
Ergo hi mei discipuli sunt mea mater & fratres & sorores.

Assumtio subintelligitur ex ipso præsente discipulorum facto, videlicet auscultatione Jesu docentis. Assumtio igitur est: At hi discipuli mei faciunt voluntatem patris mei: quia me docentem audiunt. Illa auscultatio erat species operis quod Deus volebat.

SCHOLIA IN CAP. XII.

1 Sabbatho] τοῖς σάββασι. *Pro,* τῷ σαββάτῳ: *vel,* ἐν σαββάτῳ. *ut loquitur Lucas c.6.v.1. Et ipse Matthæus paulò pòst v.2. Enallage numeri.*

3 Non legistis, &c.] οὐκ ἀνέγνωτε, *&c. Interrogatio vim habet admirandi & reprehendendi per dilemma: quasi dicat: Si legistis: debebatis inde didicisse, tale factum esse licitum. Si non legistis; pudeat vos vestræ ignaviæ. Miror igitur vestram vel inscitiam vel ignaviam.* David] Δαβίδ. *Scil. fugiens regem Saulem. Vide 1.Sam 21.* Et ii qui erant cum eo] & οἱ μετ' αὐτοῦ. *Scil.* ὄντες. *Id est, pueri seu ministri illum comitantes.*

4 Domum Dei] εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ. *Id est, in tabernaculum sacrum, quod tum erat Nobi.* Panes propositionis] τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως. *Id est, panes illos sacros qui in mensa apponi solebant coram Domino, videl. ante arcam. unde in vetere Testamento appellantur panes facierum, quòd faciei Domini expositi essent.* Sed] εἰ μή. *Ad verb. Nisi. Ellipsis Hebraica, è præcedente membro supplenda. quasi dicatur, Id est, quibus vesci non erat licitum nisi sacerdotibus solis. Quo sanè modo loquitur Marcus inquiens:* οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι. *Item Lucas: qui addit* μόνοις *per pleonasmum: qualis & hic est. Simile exemplum, idq; magni momenti, vide Gal.2.16.*

5 In Lege] ἐν τῷ νόμῳ. *Id est, in libris Mosis qui occupantur in describenda lege Dei. Synecdoche generis & metonymia subjecti.* Sabbathis] τοῖς σάββασιν. *Nempe singulis. Vel, sabbatho: ut vers.1. Nempe sabbatho unoquoque. Syrus hanc vocem non legit. Et sanè potest abesse absque sententiæ defectu.* Profanare] βεβηλοῦσι. *Hoc intelligendum est non simpliciter & propriè, sed* κατά τι *& ex hypothesi opinionis adversariorum, nempe, Si sabbathum profanatur quacunque actione manus. Culpaverant enim Pharisæi discipulos quòd vulsissent spicas. Opponit Dominus, quod sacerdotes in sabbatho mactent & altari imponant pecudes. Quam quidem ipsam mactationem nominat profanationem* *per metonymiam effecti ex opinione adversariorum. Quòd si propriè hoc verbum accipias, exsistet contradictio: quia mox additur, Et sine crimine sunt. At si sabbathum verè profanassent, nequaquam sine crimine fuissent.* Insontes] ἀναίτιοι. *Vel, sine crimine aut culpa.* ἄνευ αἰτίας: *accipiendo hoc nomen per synecdochen generis, pro causa supplicii, ut accipitur in historia passionis, in narratione de titulo crucis Domini.*

7 Misericordiam volo, & non sacrificium] ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν. *Apud Oseam habetur, Benignitate delector, & non sacrificio. Ubi nomine* חֶסֶד *hhésed intelligitur beneficentia erga proximum. Cæterùm verba illa bifariàm possunt exponi: nempe ut vel subaudiamus illud, Per se. Etenim Deus delectatur benignitate ac omnino dilectione proximi per se; at sacrificio non delectatur per se, sed si offeratur à prædito dilectione Dei & proximi. Vel possunt accipi illa verba tanquam dicta per comparationem imparium: quasi dicat, magis delector benignitate quàm sacrificio. Cui expositioni favet sententia isti continenter apud Prophetam annexa, nempe: Et cognitione Dei magis (scil. delector) quàm holocaustis. Vide locum similem 1.Sam.15.22.*

8 Nam dominus est etiam sabbathi filius hominis] κύριος γάρ ἐστι καὶ τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Dubium est, loquatur ne de se solo, respiciens ad potestatem suam divinam: an verò loquatur in genere de homine, qui per periphrasin Hebræam filius hominis passim appellatur in Scriptura, respiciens ad potestatem illi concessam in res creatas inferiores, ut eis utatur ad vitæ sustentationem. Et sanè licet primâ fronte sese lectori offerat atq; insinuet acceptio prior, eò quòd Christus filium hominis nominans, subinde seipsum solet intelligere: tamen sententiæ posteriori videntur favere verba ut recitantur à Marco & Luca. Etenim Lucas omisso articulo, ait,* υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Macus autem hanc sententiam deducit ex alia de homine in genere pronuntiata, ad hunc modum: Dixit etiam eis, Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter sabbathum. Itaq; filius hominis, est etiam sabbathi dominus. Mihi tamen prior expositio magis probatur. Nam dominum esse sabbathi, id est, in potestate sua habere sabbathum, ita ut possis contra illius legem agere, Dei legislatoris proprium est: ac proinde potest ipse quibus vult, permittere, ut contra sabbathi legem agant. Non quòd Jesus tunc tale quid discipulis permiserit: sed tantùm significat per amplificationem, se habere illam potestatem. Quod ipsum significavit & paulò antè, quum diceret:* Quidam *templo major est hîc.*

9 Vênit] ἦλθεν. *Scil. in alio sabbatho, Luc.6.6.* In synagogam eorum] εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν. *Nempe in synagogam oppidi illius prope quod discipuli vulserant spicas. Id innuit articulus, vim habens ἀναφορικήν. Et confirmat pronomen* αὐτῶν *quod refertur ad Pharisæos qui discipulos culpaverant.*

10 Quidam] ἄνθρωπος. *Id est,* τις. *Hebraismus.* Manum] τὴν χεῖρα, *& quidem dextram, Luc.6.v.6.* Interrogarunt] ἐπηρώτησαν. *Videlicet Scribæ & Pharisæi. Luc.6.v.7.* Licétne] εἰ ἔξεστι, *si licet: id est, num licet.* Sanare] θεραπεύειν. *Verbum Græcum propriè significat curare seu mederi: quæ significatio hîc potest retineri ex collatione sequentium. nam si licet sabbatho ovem extrahere è fovea ut servetur: licet quoq; mederi homini ut sanetur. Quanquam Dominus erat illum sanaturus absq; medicina.* Ut accusarent] ἵνα κατηγορήσωσιν. *Hæc verba pendent à verbo* ἐπηρώτησαν. *Significatur autem, illos exspectasse responsum affirmativum. quippe qui meminerant, quid Dominus superiore sabbatho de simili quæstione disseruisset. Mnrcus & Lucas dicunt, quòd eum observarint an esset sanaturus sabbatho: quodq; Dominus cognitis illorum cogitationibus, hanc quæstionem illis proposuerit: sed talibus verbis quibus satis innuebat sibi videri licere. ait enim, Licétne sabbatho benefacere an malefacere, hominem servare an trucidare?*

11 Quis erit ex vobis] τίς ἔσται ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος. *Nomen* ἄνθρωπος *ex Hebraismo redundat.* Ovem aliquam] πρόβατον ἕν. *Ad verb. Ovem unam. Hebraismus.* Sabbatho] τοῖς σάββασιν. *In Græco manifesta hîc est enallage numeri. Sic supr. v1.*

12 Quantum autem] πόσῳ οὖν. *Pro,* πόσῳ δέ. *Heterosis conjunctionis rationalis pro transitiva: nam* οὖν *notat conclusionem: at hîc est sententia assumtionis, ad quam transiri solet per* δέ. *Innuit autem interrogatio affirmationem: q.d. Plurimum autem præstat &c.* Præstat homo ovi] διαφέρει ἄνθρωπος προβάτου. *Ad verb.* Differt homo ab ove. *Synecdoche generis. Græca. Etenim omne quod alteri præstat, differt ab eo: at non quicquid ab altero differt, eidem præstat. nam & deteriora à præstantioribus differunt. Sic Rom.2.* δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα: *probas eximia.* Benefacere] καλῶς ποιεῖν. *Id est, sanare. de hoc enim erat quæstio: quare intelligendum, idipsum concludi. Synecdoche generis: qua quæstionis consequens amplificatur; quasi dicat Dominus, Licet sabbatho non solùm sanare: sed quovis modo benefacere.*

13 Ut altera] ὡς ἡ ἄλλη. *Id est,* ἡ ἑτέρα.

14 Egressi] ἐξελθόντες. *Nempe è synagoga.*

15 Quum *hoc* cognovisset] γνούς. *Vel,* Hoc *cognito: nempe revelante id illi suâ deitate.* Sanavit] ἐθεράπευσεν. *Pro,* ἰάσατο. *Metonymia effecti destinati. nam* ἡ θεράπευσις *suscipitur propter* τὸ ἰᾶσθαι. *Vide suprà ad vers.10.* Eos omnes] αὐτοὺς πάντας. *Id est, eorum ægrotos omnes. Synecdoche integri.*

16 Interminatus est] ἐπετίμησε. Ad verbum, increpavit. Syrus: כְּאָא kéa, prohibuit. Synecdoche membri. Id est, Et increpavit eos quod ipsum palàm facerent, & prohibuit minis additis ne id facerent.

17 Ut impleretur] ὅπως πληρωθῇ. Hæc sententia non pendet à verbo sententiæ præcedentis, ἐπετίμησεν: quasi scilicet indicetur hîc finis qui Christum moverit ad illam sui manifestationem prohibendam: sed pendet à verbis subintellectis, τοῦτο δὲ γέγονεν, Hoc autem factum est. nam indicatur consilium providentiæ divinæ, illam Christi actionem gubernantis. Similis ellipseos exempla vide sup. 2. v. 15. & 23. Integram autem loqutionem vide sup. 1. 22.

18 Servus meus] ὁ παῖς μου. Pro, ὁ δοῦλός μου. Synecdoche generis. Quem assumsi] ὃν ᾑρέτισα. Sic videtur mihi rectè vertisse Fr. Junius in suis Parallelis: quem si placet, adi. In Hebræo, Quem sustento. Videtur autem Assumere pro Sustentare, dici per metonymiam effecti destinati & synecdochen generis. Nam inter alias causas cur quis aliquem assumat, & hæc est, ut illum sustentet. Alii, Quem elegi: quam interpretationem & verbum ipsum admittit, nec sententia videtur respuere. Præsertim quum in Hebræo sequatur, Electus meus: pro quo hîc est, Dilectus meus, ὁ ἀγαπητός μου. In quo acquiescit anima mea] εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. Pro ἐν ᾧ εὐδόκησεν: ut suprà vers. ult. Hebr. Cui bene vult anima mea. Judicium gentibus annuntiabit] κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ. Pro, annuntiabit, in Hebræo est יוֹצִיא, id est, proferet: ad verb. Exire faciet: nempe ex penetralibus pectoris sui. Judicii autem nomine intelligit rectam cultus divini rationem.

19 Non litigabit &c.] οὐκ ἐρίσει. Id est, Modestè administrabit munus suum propheticum.

20 Arundinem quassatam non confringet &c.] Id est, Mansuetum se præbebit territis conscientiis, vivâque consolatione & verbis blandissimis eas eriget. Cujus rei illustre exemplum cernitur in fine capitis præcedentis, ubi ait, Venite ad me omnes &c. Est λιτότης, & metaphora gemina. Λιτότης autem (ut hoc obiter dicam) nihil aliud est quàm synecdoche membri talis, quâ id quod minus est, exprimitur, & majus simul intelligitur: ut hîc, Non solùm non confringet, sed etiam redintegrabit: item, Non solùm non exstinguet, sed etiam accēdet. Linum] λίνον. Id est, ollychnium. Metonymia materiæ. Fumigans] τυφόμενον. Syrus lucernam crepitantem reddidit, diverso signo notans lucernam moribundam, hoc est, quæ jamjam sint exstinguendæ. Usque dum proferat ad victoriam judicium] ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν. Id est, donec pronuntiet sententiam, quâ se victoriam declaret omnium inimicorum suorum: id quod factum est, quum Evangelium promulgaretur per universum orbem terrarum. Cæterùm in Hebræo pro victoriam, habetur veritatem.

21 Et in ejus nomine &c.] καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. Inter hæc verba & proxime-præcedentia apud Esaiam intercedunt ista: Non faciet ut fumiget, neque quassabit, donec disponat in terra judicium. Quæ verba aut studio omissa sunt à Matthæo, quòd judicaret non facere ad suum propositum, quod est confirmare modestiam Christi docentis: aut errore descriptoris, qui quum oculos reflectere vellet ad nomen τὴν κρίσιν, id quod præcedens sententia definit, incidit in idem nōmen positum in fine sententiæ interjectæ. Quæ res alibi quoque hujusmodi σφάλματα mutilationis peperit. Cæterùm pro illis extremis verbis in Hebræo habetur. Et in doctrina ejus insulæ (seu regiones) expectationem habebunt, eodem sensu.

22 Sanavit] ἐθεράπευσεν. Id est, ἰάσατο. Metonymia effecti destinati καταχρηστική. Sanavit enim verbo, non medicinâ.

23 Num] μήτι. Interrogatio innuit affirmationem opinabilem: quasi dicant, Certè iste videtur esse filius ille Davidis. Alii, Nonne. sed ista vox innuit affirmationem certam, quæ huc non quadrat. Filius ille David] ὁ υἱὸς Δαβίδ. Id est, Christus. Periphrasis ex efficiente. nam ex Davide nasciturus erat Christus secundùm promissionem illi factam, ad quam respicit articulus ὁ. Per Beelzebul] ἐν τῷ Βεελζεβοὺλ. Ponitur ἐν pro διὰ, per Hebraismum, & Βεελζεβοὺλ pro Βεελζεβούβ. quam vocem declaravimus suprà 10. 25.

26 Sed si satanas &c.] καὶ εἰ ὁ σατανᾶς &c. Καὶ pro ἀλλά. nam versu præcedente continetur sententia propositionis syllogismi (nempe inclusa prosyllogismo) cui hîc subjungitur assumtio: & mox annectitur conclusio, ibi, Quomodo ergo. Observa, hîc nomen satanæ usurpari ad significandum quodvis dæmonium seu quemvis spiritum impurum: quum aliâs propriè significet principem dæmoniorum qui dicitur diabolus. Vide Apoc. 20. 2. Quomodo ergo] πῶς οὖν. Interrogatio innuit negationem cum vehementia: q. d. Nequaquam igitur poterit stare regnum ejus.

27 Et] καί. Id est, Deinde. Sequitur enim hîc secundum argumentum. Filii vestri] οἱ υἱοὶ ὑμῶν. Scil. Apostoli & alii, de quibus supr. 7. v. 22 Nónne per nomen tuum dæmonia ejecimus? Cæterum isto loquendi modo obliquè se è numero istiusmodi filiorum excipit, innuens se esse filium Dei. Erat quidē filius Mariæ, virginis Judaicæ: at non viri: viros autē hîc alloquitur. Per quē] ἐν τίνι. Pro, διὰ τίνος. Quasi dicat, per Beelzebulémne an per Sp. Dei? Ex qua interrogatione innuitur illa, Nónne per Sp. Dei? Propterea] διὰ τοῦτο. Quia scil. fatemini filios vestros ejicere dæmonia per Sp. Dei; & tamen interim dicitis, me illa ejicere per Beelzebulem: atque ita de actionibus similibus dissimile fertis judicium: quod manifestè injustum est. Ipsi erunt vestri judices] αὐτοὶ ὑμῶν ἔσονται κριταί. Id est, in die judicii contra vos testabuntur: ex quo testimonio Deus judex vos damnabit. Metonymia effecti & synecdoche generis. Similia exempla vide infrà v. 41. & 42.

28 Sin autem per Spiritum Dei ego ejicio dæmonia] Hoc assumit tanquam jam demonstratum, argumento scil. à pari, nempe ab exemplo Apostolorum & aliorum exorcistarum. Pervênit ad vos] ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς. Verbum φθάνειν hîc valet pervenire: ut in illo Homeri Iliad. α. ubi de Ate loquens ait,

——— Φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν
Βλάπτουσ' ἀνθρώπους.

Id est, pervênit autem in omnem terram, lædens homines. Aliâs φθάνειν propriè significat prævenire seu antevertere. Et sanè regnum Dei ita ad nos pervenit, ut præveniat: hoc est, veniat antè quàm nos ipsum quæramus. Syrus vertit, Appropinquavit ad vos, quo verbo Matthæus usus est in simili sententia, sup. 3. 2. & 4. 17.

29 Aut] ἤ. Transit ad tertium argumentum. Non igitur vertendum, Nam. Nam tunc] καὶ τότε. Copulativa pro causali. Est autèm hoc membrum à proxime-præcedente separandum, illique apponenda nota interrogationis: quam manifestum est ad hanc sententiam non pertinere: quippe quæ enuntiatur affirmativè. Sensus est: Nam tunc demum (quum scil. robustum illum vinxerit) domum ejus diripere poterit.

30 Qui non est mecum &c.] Qui non stat à meis partibus. Vult dicere: Qui non defendit contra calumnias adversariorum, meamque innocentiam asserit: id quod præclarè fecit cæcus ille Johan. 9. Adversus me est] Id est, Eum habeo in numero adversariorum meorum.

31 Propterea] Ut nimirum intelligatis, quàm graviter Pharisæi peccent calumniando mea miracula, ac proinde calumnias eorum non approbetis. Quodvis peccatum] πᾶσα ἁμαρτία. Q. d. sive leve sive grave. Convicium] βλασφημία. Generaliter hîc capitur ista vox pro convicio, ut liquet ex ipsis sententiis. At blasphemiæ nomen receptum est intelligi specialiter de convicio quo quis maledicit Deo: quod appellamus ein gotslesterung. Potest etiam verti Maledictum. Dicta βλασφημία, tanquam βλάπτουσα τὴν φήμην, lædens famam: vel fortasse tanquam βλάπτουσα τῷ φάναι, lædens dicendo. Remittetur] Id est, tale est ut ei contingere possit remissio: nempe si peccator resipuerit. Convicium verò Sp.] ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία. id est, convicium quo impetitur Sp. nempe Spiritus sanctus, ut declaratur versu sequenti. Synecd. gen. Genitivus notat subjectum occupans. Non remittetur] Ratio est, quia talibus non contingit resipiscentia: sed justo Dei judicio obdurantur in sua nequitia, & ita peccant ad mortē.

32 Loquutus fuerit] εἴπῃ λόγον. Dixerit sermonem. Sic mox iterum. Adversus filium hominis] κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. Id est, Contra me. Nam articulus ante υἱοῦ, certam personam notat: & hac periphrasi subinde se ipse appellat. Est autem ista periphrasis hoc loco emphatica, innuens scilicet causam procreantem (saltem per accidens) maledicti, nempe quòd aspiciatur tantùm pro filio hominis, eoque pauperculo ac misero. hinc enim ei affirmanti, se esse Christum, oborta sunt à multis maledicta: quia putabant, Christum fore regem terrenum longè potentissimum. hinc illum per contemtum appellarunt filium fabri, & fabrum. Remittetur ei] Ut versu præcedente. Neque in hoc sæculo, neque in futuro] Id est, Non habet remissionem in æternum (seu unquam) sed tenetur æterno judicio: ut declarat Marcus cap. 3. v. 29. Amplificatio per distributionem.

33 Aut facite arborem &c.] I. e. Judicate & affirmate, omnem arborem aut esse bonam aut malam: ac bonam quidem quæ fert fructus bonos, malam contrà quæ malos: ac proinde agnoscite & fatemini vos esse arbores malas, quum feratis fructus malos, videlicet iniqua odia & calumnias. Aut si vultis haberi pro arboribus bonis, ferte fructus bonos, dilectionis scil. Dei & proximi. Nam è fructu] ἐκ γὰρ τοῦ καρποῦ. Scil. tanquam ex proprio effecto. Cognoscitur] γινώσκεται. Nempe, sítne bona an mala.

34 Progenies] γεννήματα. Id est, O progenies. Est enim exclamatio. Ad verb. Genimina: hoc est, proles. Quomodo possitis] πῶς δύνασθε. Pro, πῶς ἂν δύνασθε, id est, Impossibile est ut possitis, seu nullo modo potestis. Rectiùs autem vertitur, possitis quàm potestis. nam qui dicit, Quomodo potes? videtur significare, alterum posse: seque hoc mirari. Et sic videtur quoque vertendum Joh. 6, 52. Quomodo possit hic nobis carnem suam dare edendam? πῶς δύναται, id est, πῶς ἂν δύναιτο. Ex redundantia cordis] ἐκ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας, Id est, ex eo quod redundat ex corde, nempe ex cogitationibus. Periphrasis. Syrus: Ex abundantiis cordis: quod Tremellius vertit, Ex his quæ abundant in corde.

35 Ex bono thesauro cordis] Id est, ex bonis affectibus in corde reconditis. Sic mox, Ex malo thesauro: Id est, ex malis affectibus. Bona] τὰ ἀγαθά. Id est, bonos sermones, utiles nimirum ad gloriam Dei & ædificationem proximi. Sic mox, Mala: id est, Malos sermones qui officiunt gloriæ Dei & ædificationi proximi.

36 Otiosum] ἀργόν. Nempe quod non facit tum ad gloriam Dei, tum ad proximi salutem: etiamsi nō directè lædat vel Deum, vel proximum. Reddituri sunt rationē de eo] ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον. Id est, Propter illud quoque verbum otiosum præter cætera peccata quæ admiserint, à Deo damnabuntur. Synecdoche gene-

ris & metonymia efficientis. Quasi dicat: in reddenda ratione non habebunt quo verbum otiosum apud Deum excusent ut ille acquiescat, ac proinde tanquam peccatores damnabuntur. Est autem hoc intelligendum de iis qui non resipuerint. Resipiscentes enim, omnium suorum peccatorum veniam ante mortem adipiscuntur: itaq; in judicio illo consistent. In die judicii] *Nempe judicii illius universalis celebrandi in fine mundi.*

37 Justificaberis] δικαιωθήσῃ. *Id est, Justus pronuntiaberis seu absolveris in illo judicio. Hebraismus: qui declaratur ex antithesi verbi* καταδικασθήσῃ, *id est, condemnaberis.*

38 Velimus] θέλομεν. *Pro,* θελοίμεν ἄν. *Est enim petentis. Sic* Joh.17.24. Signum] σημεῖον. *Id est, miraculum quo Deus significet, se misisse te ad nos docendos. Synecdoche generis.*

39 Dixit eis] εἶπεν αὐτοῖς. *Id est, turbæ de iis. nam ex ipso sermone satis liquet, hæc esse pronuntiata ad turbam, nempe quòd justâ indignatione commotus dedignatus est cum ipsis colloqui.* Gens mala &c.] γενεὰ πονηρὰ &c. *Id est, Isti Scribæ & Pharisæi. Periphrasis ex adjunctis per synecdochen generis.* Adultera] μοιχαλίς. *Fuerunt quidem plurimi ex istis corporali quoq; adulterio obnoxii, ut liquet ex historia de adultera, Joh.8. Veruntamē per hic metaphoram Dominus reprehendit adulterium spirituale, id est, defectionem à dilectione Dei, & cultu quem ipse præscripserat.* Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa, ex more Hebræorum.* Signum illud Jonæ] τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ. *Id est, casus ille miraculosus qui evenit Jonæ, quiq; idem significationem habuit rei futuræ: nempe sepulturæ & resurrectionis Christi, sicut v. seq. declaratur. Sic nomen signi parumper in diversam significationem deflectitur per ἀντανάκλασιν, cum primis elegantem dictionis figuram. unde etiam vocabulum illud toties iteratur, cum indignatione scil. loquentis. q.d. Signum requiritis, ex quo vobis constet me esse Christum? Dabo vobis signum, sed signum quale vos minimè petitis: quippe pertinens ad summum vestrum dedecus, summamq; meam gloriam: nempe quòd à vobis occisus absq; ulla justa causa, resurgam tertiò die à mortuis.*

40 Filius hominis] ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Sic seipsum appellat suo more.* In corde terræ] ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς. *id est, intra terram, nempe in sepulchro. Periphrasis metaphorica Hebræa. Sic alibi, Cor maris, Psal.46.3.* Tres dies & tres noctes] τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας. *id est, treduum. Periphrasis ex membris. nam dies naturalis seu civilis constat è duobus membris, die scil. artificiali & nocte. Est autem hoc intelligendum per synecdochen integri. Etenim Dominus in sepulchro jacuit per tres quidem dies, sed non integros: sed tantùm per partem exiguam diei Veneris, per diem Saturni totum, & per partem aliquam diei Solis: sicut infrà ad v.1. cap.28. fusiùs declarabitur.*

41 Surgent in judicio] ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει. *Nempe quomodo testes surgere solent ut se sistant coram judice ad dicendum testimonium,* werden aufftretten im gericht. *Phrasis forensis. Cæterùm articulus notat rem celebrem atq; insignem, nempe judicium illud universale.* Cum gente hac] μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης. *Nempe cum Scribis & Pharisæis. Id est, contra gentem hanc: nempe ad dicendum testimonium contra eam.* Condemnabit] κατακρινεῖ. *Id est, testimonium dicet contra illos, ex quo Deus judex ipsos condemnabit. Metonymia effecti.* Plus] πλεῖον. *Id est, major quidam. Synecdoche generis. Loquitur autem de seipso.*

42 Ut audiret] ἀκοῦσαι. *Pro,* τοῦ ἀκοῦσαι. *Subaudi* ἕνεκα.

43 Per arida loca] δι' ἀνύδρων τόπων. *Per loca aquis carentia.* Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa. Est enim enuntiatum discretivum.*

44 Versam] σεσαρωμένον, *scopis purgatam.*

45 Fitque ultima conditio &c.] καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων. *Ad verbum,* Et fiunt extrema hominis illius deteriora primis.

46 Fratres] οἱ ἀδελφοὶ. *Id est, cognati: puta, consobrini Synecdoche speciei Hebraica.* Foris] ἔξω. *Hinc intelligitur, sermones Domini hucusq; recitatos, itemq; sanationem illam dæmoniaci factam esse in synagoga aliqua: quippe qua sermonibus illis occasionem præbuit.* Quærentes ejus colloquium] ζητοῦντες αὐτῷ λαλῆσαι. *Ad verb.* Quærentes (*id est, cupientes*) ei loqui.

49 Stant] ἑστήκασι. *Ad verb.* Steterunt. *Enallage temporis.*

48 Quæ est mater mea &c.] *Interrogatio indignantis. quasi dicat: Quid tu mihi nunc narras de matre & fratribus? quasi æquum sit, ut omisso negotio patris mei, operam dem affectibus humanis cognatorum.*

49 Ecce mater mea &c.] *Id est, homines mihi charissimi instar matris & fratrum. Elegans* ἀντανάκλασις. *Sic v. seq.*

50 Fecerit voluntatem] ποιήσῃ τὸ θέλημα. *Id est, Id quod vult pater. Metonymia adjuncti.*

OBSERVAT. EX CAP. XII.

Scandalum. 1 Ex prima parte tota. Non semper qui factis aliorum offenduntur, jure offenduntur: quum sæpe quod primâ fronte videtur esse peccatum, si rectè æstimetur, comperiatur peccatum non esse. Pharisæi immeritò offensi fuerant facto discipulorum Christi vellentium in sabbatho spicas, ad levandum famem: quum tamen factum illud primâ fronte videri posset peccatum, eò quòd omni opere servili seu quod manu fit, interdictum in sabbatho videbatur. At Christus ostendit, in certis casibus opera ejusmodi interdicta non esse. Quare caveamus ne facta proximi temere damnemus, iisve offendi nos patiamur. Hoc scandali genus appellari solet scandalum acceptum, & à nonnullis Pharisaicum: eò quòd Pharisæi subinde factis Christi & discipulorum ejus rectis & licitis, nec non doctrinâ verâ offendebantur, atque ita materiam offensionis ipsimet arripiebant, quum eis non præberetur, unde Christus monet ne hoc scandali genus curemus, infrà c.15.v.14. Contra scandalum datum, quo scilicet offenduntur infirmi factis aut dictis malis, summo studio cavendum esse monet, infrà c.18.v.6. & deinceps.

2 Ex v.2. & 5. Ut teneamus verum Scripturæ sensum: non semper hærendum est literæ, seu sequenda significatio verborum propria: sed sæpe adhibendi tropi & amplectenda significatio quam monstrat tropus. Videmus enim Pharisæos errasse in exponendo præcepto de sanctificatione sabbathi; dum hærentes literæ, judicarunt nullo unquam tempore & nullam unquam ob causam licere opus aliquod servile facere in sabbatho. At Christus ostendit, incidere posse tempus & causam ut in sabbatho aliquid operis servilis facere liceat: nempe in casu necessitatis, quum scil. accidit ut obediendum sit præcepto majori: quale tum erat præceptum datum sacerdotibus de mactandis victimis, & quale etiamnum hodie est præceptum de vita nostra conservanda per media divinitus oblata. Hic quærat aliquis: an igitur accidat ut præcepta Dei sibi mutuò sint contraria? Respondeo: Id verò nunquam accidit: sed accidit tamen ut diversis & propter diversos fines mandentur contraria: id quod absurdum non est. Exempli gratiâ, pecudes in sabbatho mactare ad usum humanum interdictum erat omnibus: at pecudes mactare ad sacrificium, præceptum erat sacerdotibus etiam in sabbatho: Exod.29. v.38. & Num.28.v.9. & 10. Sic vellere spicas in sabbatho ad usus futuros, per legem non licebat cuiquam: at licebat id facere ad sedandum famem præsentem, iis qui illâ urgebantur. *Scripturæ expositio.* *An præcepta Dei sibi mutuò sint contraria?*

3 Ex v.3. & 4 In factis sanctorum quæ narrantur in Scriptura, diligenter considerandum est, quid narretur tanquam rectum & quid tanquam pravum: ut recta quidem imitemur, & exemplo illorum, si necessitas postulet, facta nostra defendamus: prava autem fugiamus, nec putemus exemplo illorum facta nostra similia excusari posse. *Facta sanctorum.*

4 Ex v.4. Deus Ecclesiam perpetuò in conspectu habet, perpetuamque ejus curam gerit; nec non preces illius ex fide profectas exaudit. Id enim olim populo Israelitico significatum voluit per panes propositionis: qui erant numero duodecim, repræsentabantque singulas tribus populi Israelitici: ac proponebantur in mensa coram facie Jehovæ, id est, coram arca federis: nec non * singulis imponebatur acerra cum thure accenso. Vide Lev.24. v.5.6.7. & 8. & confer Num.7. ubi inter munera à principibus populi ad cultum Dei oblata commemorantur etiam acerræ, quas singuli singulas obtulerunt. *Ecclesia.* **Nota. Hinc perspicitur, panes illos ita per duos ordines fuisse dispositos, ut seni juxta sese mutuo positi essent, non autem ut singuli singulis essent impositi: sicut eruditè à Tremellio & Junio observatū est.*

5 Ex v.6. & 8.† Quum Christus & major fuerit templo, & dominus sabbathi: consequens est, ipsum esse verum illum Deum, qui templum ædificari ad sese in illo colendum præceperat, & sabbathum quoque eandem ob causam instituerat. Quare potestatem quoque habuit omnem illum cærimonialem cultum abrogandi; id quod & fecit per administrationem sacerdotii sui & Gentium per Evangelium vocationem. *† Christi deitas.*

6 Ex v.7. Hypocritæ pluris faciunt cultum Dei externum seu cærimonialem, quàm spiritualem seu internum. Sic enim hypocritæ apud Judæos pluris faciebant sacrificia quàm misericordiam. Quæ opinio quum sit falsa, quippe quæ à Deo reprehenditur: nos contra statuamus, Deo magis placere cultum internum quàm externum: ac proinde illi potissimùm studeamus. Internus cultus Deo placet per se: externus verò non nisi quatenus ad internum refertur, & cum illo conjunctus est. Confer Esa.1. *Hypocritarū ingenium.*

7 Ex v.8. Notetur exemplum propositionis in qua aliquid dicitur de Christo per communicationem (quam vocant) idiomatum: Filius hominis est dominus sabbathi. Intellige, non quidem quatenus est filius hominis: hac enim ratione subjectus erat sabbatho tanquam ordinationi Dei, ad quam observandam sese obstrinxerat acceptâ circumcisione: Sed quatenus erat filius Dei, ac proinde æternus ille Deus unà cum Patre & Spiritu sancto. *Exemplum communicationis idiomatum.*

8 Ex v.10.11. & 12. Falsi doctores omnes occasiones arripiunt cavillandi doctrinam fidelium doctorum, illosque apud populum & magistratum accusandi: sed illi per gratiam Dei sapientibus responsis os eis facilè obthurant. *Falsi doctores.*

9 Ex v.11. & 12. In casu necessitatis Lex cærimonialis cedit morali. Major igitur habenda ratio dilectionis proximi, quam cultus externi. Verbi gratiâ, potiùs omittenda auscultatio concionis & perceptio Sacramentorum, quàm deserendus proximus ægrotans qui interim ministerio tuo indiget. Hinc Christus reprehendit Scribas & Pharisæos, quòd docerent potiùs dona offerenda in templo quàm opem ferendam parentibus egenis, infrà c.15.v.5. *Lex cærimonialis cedit morali.*

10 Ex v.13. Sicut Christus potentiâ suâ divinâ adhibito verbo manum aridam sanam ac vividam effecit: sic eâdem potentiâ sanat & vivificat corda electorum adhibito verbo Evangelii, ut possint apprehendere ipsum tanquam vitæ authorem. *Christi operatio in electis.*

11 Ex v.14. Falsi doctores à veris doctoribus convicti errorem, con- *Falsi doctores.*

rum, consilia tractant de illis perdendis. Confer Johan. 8. v. 40. & deinceps.

Insidiæ hostium Evangelii. 12 Ex v. 15. Insidiæ hostium Evangelii declinandæ sunt pio doctori, dummodo id fiat salvâ vocatione. Etenim CHRISTUS insidias Pharisæorum ita declinavit, ut interim pergeret prædicare & doctrinam suam miraculis confirmare.

Doctorum Ecclesiæ officium. 13 Ex v. 16. & 19. Modestia Christi doctoribus Ecclesiæ imitanda est. Confer Phil. 2. v. 3. & seq.

Quòd Jesus sit Christus. 14 Ex v. 17. & seq. Notetur pars argumenti quo demonstratur, hunc Jesum, Mariæ virginis filium, esse Christum; quia quod de Christo prædictum fuit per Esaiam, de illius scil. modestia & mansuetudine, in illo est impletum.

Consolatio contra pusillitatem fidei. 15 Ex v. 20. Quum cor nostrum ex conscientia peccatorum quassatum est, & vix exiguam scintillam fidei reliquam habet: consolemur nos dulcissimâ hac promissione de mansuetudine Christi.

Evangelii doctrina. 16 Ex ejusd. vers. fine. Quum doctrina Evangelii victoriam obtineat adversus omnes qui ei contradicunt: constanter illi est adhærendum.

Christi operatio in electis. 17 Ex v. 22. Sicut Christus sanavit cæcum & mutum, ejecto dæmonio: sic corda nostra cæca ad videndum Deum & linguas mutas ad laudandum Deum, sanat spiritu suo, fugando innatas tenebras & pravitatem.

Quòd Jesus sit Christus. 18 Ex v. 23. Ex miraculis Jesu colligere debemus, eum esse filium illum Davidis, id est, promissum illum Davidi & aliis patribus Messiam sive Christum.

Consolatio fidelium doctorum. 19 Ex v. 24. Minister verbi fidelis quum vel doctrinam vel facta sua calumniis impiorum peti ac premi videt: consoletur se exemplo Christi, cui idem accidit.

Innocentia. 20 Ex v. 25. & seq. Innocentia nostra contra calumnias adversariorum est nobis asserenda.

Concordia. 21 Ex v. 25. Quum discordia interitum afferat regnis, civitatibus & familiis: omnes studere debent concordiæ, sed sanctæ & ad gloriam Dei directæ.

Exorcista. 22 Ex v. 26. Quum exorcistæ ope satanæ satanam ejiciunt: sciendum est id fieri per cacodæmonum illorum collusionem: idque ad retinendum homines in superstitionibus & idololatria. nam si satanas satanam ejiceret invitum, adversus seipsum dissideret: id quod CHRISTUS negat.

Calumniæ veritatis cælestis nō sunt dissimulādæ. 23 Ex v. 30. Non est satis, veritatem cælestem non calumniari aut oppugnare: sed insuper cavendum, ne aliorum calumnias silentio nostro approbemus. Alioquin in adversariorum numero à Christo habebimur, & earundem pœnarum participes erimus.

Peccata sunt inæqualia. 24 Ex vers. 32. & 33. Peccata sunt inæqualia: omnium autem maximum est blasphemia Spiritus S. id est, quâ blasphematur Spiritus sanctus; id quod fit quum quis veritatem à Spiritu S. sibi patefactam negat, & illius confessores odit ac persequitur. Hoc peccatum tam grave est, ut nunquam remittatur: idq; justo Dei judicio; quippe qui non patitur se irrideri aut mendacii argui: quod quidem non nisi ex diabolica malitia fieri potest. Confer Heb. 6. v. 4. 5. 6. & c. 10. v. 26. & seq.

Purgatoriū Papisticum. 25 In fine v. 32. ex verbis, *Non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro.* Ineptè ex his verbis concludunt Papistæ, esse purgatorium: id est, locum apud inferos ubi animæ defunctorum qui nec prorsus piè nec prorsus impiè vixerint, atque adeò qui nondum pro omnibus suis peccatis satisfecerint, igne quodam tamdiu excrucientur ac purgentur, donec pro residuis peccatis satisfecerint ac plenè purgati fuerint. At Scriptura de tali loco nihil usquam tradit: quin potiùs tradit ea, cum quibus figmentum istud consistere non potest: nempe neminem vel pro minimo peccato satisfacere Deo posse temporali pœnâ, & Christum pro omnibus credentium peccatis satisfecisse: ac proinde qui in CHRISTUM credit, illum non venire in judicium, sed per mortem transire in vitam: qui autem non credit, illum jam esse judicatum. Nec verò significat hoc loco Christus, esse aliquod peccatum quod quum in hoc seculo remissum non sit, remittendum sit in sæculo futuro: sed amplificandi causâ partitionem istam temporis adhibet, ut significet, nullo unquam tempore aut modo blasphemiam in Spiritum S. remissum iri, sed æterno judicio punitum iri: sicut Marcus manifestè declarat c. 3. v. 29. Etenim remissio quæ fiet in die judicii per sententiā judicis, pertinet ad illa ipsa peccata, quæ jam antea in hoc sæculo fuerint remissa per testificationem ministrorum Evangelii. Nec est consequens, ut si qua peccata remittenda sint in sæculo futuro, ea remittenda sint ante diem judicii, idque per satisfactionem in igne purgatorio.

Officium hominis Christiani. 26 Ex v. 33. & sequentibus. Si velimus haberi pro arboribus bonis, id est, hominibus piis: opus est ut pietatem nostram verbis & factis demonstremus.

Sermo. 27 Ex v. 36. Si de quolibet verbo otioso (id est, nihil conducente ad proximi ædificationem) rationem reddituri sunt homines, in die judicii: quantò magis de scandaloso, id est, pietati & ædificationi proximi contrario? Quare in loquendo circumspecti simus. Confer Coloss. 3. v. 8. & cap. 4. v. 6. Ephes. 4. v. 29. 30. & cap. 5. v. 4.

Miracula. 28 Ex v. 38. & 39. Qui non contenti miraculis quæ Christus ad confirmationem Evangelii fecit plura desiderant: illi non sunt alio responso digni quàm quod à Christo acceperunt Scribæ & Pharisæi, nempe quòd sint natio mala & adulterina.

Quòd Jesus sit Christus. 29 Ex v. 40. Resurrectio Jesu tertio die argumento est, ipsum esse Christum: quia talis resurrectio Christi, per casum Jonæ fuit præfigurata.

Patefactio Dei. 30 Ex v. 41. & 42. Quò illustriùs se Deus alicui populo vel homini patefacit: eò graviùs illum puniet nisi resipuerit. Quare viderimus nos, quibus tam clara evangelii lux fulget.

Securitas carnalis. Solicitudo pia. 31 Ex v. 43. 44. & 45. Quum gustu aliquo veræ cognitionis Dei donati sumus; fugienda nobis est securitas carnis, & contra adhibenda pia solicitudo ut scintillam cognitionis adeptæ foveamus & augeamus. Secus metuendum periculum est, ne ultima conditio nostra deterior futura sit priore. Confer Heb. 6. v. 4. & deinceps, & cap. 10. v. 26. & deinceps. item 2. Pet. 2. versibus tribus ultimis.

Officium ministrorum verbi, & magistratus. 32 Ex v. 46. & seqq. Caveant ministri verbi, nec non magistratus, ne in gratiam cognatorum aliorúmve amicorum quicquam remittant de studio agendi negotium Dei, id est, prædicandi Verbum & administrandi jus. Confer Luc. 2. v. 49.

Pii. 33 Ex v. 49. & 50. Homines pii nobis instar cognatorum charissimi esse debent.

Pietas. 34 Ex iisdem versibus. Si Christo quàm charissimi esse cupimus, demus operam pietati.

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

Pergit Evangelista in describenda administratione muneris Prophetici Christi. Recitat enim septem parabolas quas Christus de natura & conditione evangelii atque ecclesiæ apud turbam proposuit, & nonnullus earum discipulis suis privatim explicavit: exponit etiam causas cur hoc dicendi genere sit usus. In fine addit historiam de scandalo Nazarethanorum quòd acceperunt ex doctrina & miraculis Christi.

Parabola prima de semine quod quadrifariam cecidit.

ILlo verò die egressus Jesus domo, consedit juxta
mare.
2 Et congregavit sese ad eum turba multa, adeò ut
navigium ingressus consideret: tota autem turba su-
pra littus stabat.
3 Et loquutus est eis multa per parabolas, dicens,
Ecce, *quidam* seminator exiit ad seminandum.
4 Et in seminando, alia quidem ceciderunt juxta
viam: & venerunt volucres, & devoraverunt ea.
5 Alia verò ceciderunt in petrosa, ubi non habe-
bant terram multam: & statim exorta sunt, propterea
quòd non habebant profunditatem terræ.
6 Sole autem exorto torrefacta sunt; & propterea
quòd non habebant radicem, exaruerunt.
7 Alia verò ceciderunt in spinas: & ascenderunt spi-
næ, & suffocarunt ea.
8 Alia verò ceciderunt in terram bonam: & edide-
runt fructum; aliud quidem centum, aliud verò sexa-
ginta, aliud verò triginta.
9 Qui habet aures ad audiendum, audiat.
10 ¶ Tunc accedentes discipuli dixerunt ei, Quare
per parabolas loqueris eis?
11 Ipse verò respondens dixit, Quia vobis datum
est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est
datum.
12 Quisquis enim habet, dabitur ei, & reddetur
abundantior: quisquis autem non habet, etiam quod
habet, tolletur ab eo.
13 Propterea per parabolas loquor eis, quia videntes
non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt.
14 Itaque completur in ipsis prophetia Esaiæ, quæ
dicit, Auditu audietis, sed nequaquam intelligetis: &
videntes videbitis, sed nequaquam cognoscetis.
15 Pinguefactum est enim cor populi hujus, & au-
ribus graviter audierunt, & oculis suis conniverunt; ne
quando cernant oculis, & auribus audiant, & corde in-
telligant, & convertantur, & sanem eos.
16 Vestri verò beati *sunt* oculi, quia vident: & aures
vestræ, quia audiunt.
17 Amen enim dico vobis, Multi prophetæ & justi
desiderarunt videre quæ videtis, sed non viderunt: &
audire quæ auditis, sed non audierunt.
18 Vos igitur audite parabolam illius seminatoris.

19 Quoties quispiam audit sermonem de regno illo, & non attendit: venit ille malus, & rapit quod satum est in corde ipsius. Is est qui juxta viam semen excepit.

20 Qui verò in petrosa semen excepit, is est qui sermonem audit, & eum statim cum gaudio accipit:

21 Non habet autem radicem in sese, sed temporarius est: ortâque afflictione vel persequutione propter sermonem, statim offenditur.

22 Qui verò in spinas semen excepit, is est qui sermonem audit: sed solicitudo sæculi hujus, & fallacia divitiarum suffôcat sermonem, & fit fructus expers.

23 Qui verò in terram bonam excepit semen, is est qui sermonem audit & attendit, qui videlicet fructum fert: profertque alius quidem centena, alius verò sexagena, alius denique tricena.

Hic recitatur parabola prima, unà cum causæ expositione, & interpretatione. Initio autem indicantur circumstantiæ; temporis, loci, auditorum, & situs tum docentis tum audientium, v.1.& 2. Parabola est de semine quod quadrifariam cecidit, usque ad v.10. Causæ exponendæ occasionem præbuit quæstio discipulorum, v.19. Causam cur per parabolas loquatur turbæ, indicat esse considerationem voluntatis Dei, ut cui placuerit mysteria regni cælorum revelare non reprobæ isti turbę, sed tantùm electis discipulis: quod ipsum confirmat vaticinio Esaiæ, à v.12. usque ad 16. Tum gratulatur discipulis singularem hanc ipsorum felicitatem, quam ex collatione conditionis dissimilis veterum piorum amplificat, v.16. & 17. Expositio parabolæ subjicitur à v.18. usque ad 24. Scopus parabolæ est, consolari pios contra scandalum incredulitatis plerorumque quibus evangelium prædicatur: & admonere ut à causis incredulitatis quæ hic commemorantur, sibi caveant; videlicet securitate, levitate animi, curis & voluptatibus hujus seculi: & Deum orent ut corda ipsorum per spiritum suum præparet ad semen verbi rectè excipiendum & fructum pietatis inde ferendum.

Parabola secunda, tertia, & quarta: de zizaniis, grano sinapis, & fermento.

24 Aliam parabolam proposuit eis, dicens, Simile est regnum cælorum homini seminanti bonum semen in agro suo.

25 Quum autem dormirent homines, vênit ejus inimicus, & seminavit zizania inter triticum; abiitque.

26 Quum verò germinasset herba, & fructum edidisset: tunc apparuerunt etiam zizania.

27 Accedentes autem servi illius patrisfamiliâs, dixerunt ei; Domine, nónne bonum semen seminasti in tuo agro? Unde ergo habet zizania?

28 Ille verò dixit eis, Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei, Vis igitur abeamus & colligamus ea?

29 At ille dixit, Non: ne colligendo zizania, eradicetis simul cum eis triticum.

30 Sinite simul crescere utraque usq; ad messem: & tempore messis dicam messoribus, Colligite primùm zizania, & ligate ea in fasciculos, ad exurendum ea: triticum verò cogite in horreum meum.

31 ¶ Aliam parabolam proposuit eis, dicens, Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod acceptum quispiam seminavit in agro suo.

32 Quod minimum quidem est omnium seminum: quum autem excrevit; maximum est olerum; & fit arbor: adeò ut veniant volucres cæli, & nidulentur in ramis ipsius.

33 ¶ Aliam parabolam loquutus est eis, *dicens*, Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier recondidit in farinæ satis tribus, usque quo fermentaretur tota.

34 ¶ Hæc omnia loquutus est Jesus per parabolas ad turbam: & absque parabola non loquutus est eis.

35 Ut impleretur quod dictum fuit per prophetam, dicentem, Aperiam per parabolas os meum: eructabo occulta à jactis fundamentis mundi.

36 ¶ Tunc dimissâ turbâ vênit domum Jesus: & adierunt eum discipuli ejus, dicentes, Edissere nobis parabolam zizaniorum agri illius.

37 Ipse verò respondens dixit eis, Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.

38 Ager autem, est mundus: bonum verò semen, sunt filii regni: zizania verò, sunt filii illius mali.

39 Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus: messis verò, consummatio sæculi est: messores autem, angeli sunt.

40 Sicut ergo colliguntur zizania, & igne exuruntur: ita erit in consummatione sæculi hujus.

41 Mittet Filius hominis angelos suos, qui colligent ex ipsius regno omnia offendicula, & eos qui faciunt iniquitatem.

42 Projicientque eos in fornacem ignis: illic erit fletus, stridorque dentium.

43 Tunc justi fulgebunt ut sol, in regno patris sui. Qui habet aures ad audiendum, audiat.

Hîc recitantur parabola secunda, tertia & quarta, unà cum causæ expositione & parabolæ secundæ interpretatione. Secunda parabola est de zizaniis inter triticum satis, usque ad v.31. Tertia de grano sinapis, v.31. & 32. Quarta de fermento, v.33. Causa cur parabolis in docendo sit usus, affertur à superiore diversa: videl. ut hoc modo de mirificis Dei beneficiis erudirentur electi. Confirmatur autem hæc causa exemplo simili prophetæ illius qui scripsit psalmum septuagesimumoctavum. Significat enim Evangelista, sicut ille propheta (quisquis fuit) exempla historica commemoravit ad erudiendum populum Dei de Dei bonitate & justitia: ita Christum exempla ficta, veruntamen subinde fieri solita, commemorasse, ut electos de Dei bonitate & justitia erudiret, v.34. & 35. Interpretatio parabolæ de zizaniis, cui occasionem præbuit petitio discipulorum, continetur à v.36. usque ad v.44. Cæterùm scopus parabolæ de zizaniis est, consolari pios contra scandala tum doctrinæ tum vitæ quæ ab impiis in Ecclesia visibili oriuntur, nec penitus in hac vita exstirpari possunt: quippe quòd pii ab impiis tandem aliquando sint liberandi. Parabolę de grano sinapis, itemque de fermento, scopus est, consolari pios contra scandalum contemtæ faciei seu speciei Evangelii: quippe quòd Evangelium quantumvis in speciem contemtum sit & vile videatur, tamen res maximas in cordibus electorum efficiat; videl. veram cognitionem Dei & pietatem, adeò ut sese electi totos Deo consecrent & proximis benefaciant.

Parabola quinta & sexta: de thesauro & margarita.

44 Rursus simile est regnum cælorum thesauro occultato in agro: quem repertum homo occultavit, & ex gaudio quod accipit ex eo, abit, & omnia quæ habet vendit, emitque agrum illum.

45 ¶ Rursus simile est regnum cælorum cuipiam negotiatori, quærenti pulchras margaritas.

46 Qui inventâ quapiam magni pretii margaritâ, abiens, vendidit omnia quæ habebat, & êmit eam.

Hîc recitatur parabola quinta & sexta, quarum idem est scopus: quinta de thesauro occultato in agro, sexta de pretiosissima margarita. Scopus est, commendare Evangelium piis à singulari præstantia: eâdemq; operâ docere, quanti Evangelium à piis fiat.

Parabola septima, de sagena.

47 Rursus simile est regnum cælorum sagenæ jactæ in mare, & quæ ex omni genere coëgit.

48 Quam, quum esset repleta, subduxerunt in littus: quumq; consedissent, collegerunt quæ bona erant, in vasa: putria verò projecerunt.

49 Ita erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, & separabunt malos è medio justorum.

50 Projicientque eos in caminum ignis. Illic erit fletus & stridor dentium.

Hîc recitatur septima parabola de sagena concludente putres & bonos pisces, unà cum interpretatione. Scopus est idem qui fuit parabolæ de zizaniis.

51 Dicit eis Jesus, Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam domine.

52 Ipse verò dixit eis, Propterea omnis Scriba edoctus ad regnum cælorum, similis est cuipiam patrifamiliâs, qui profert è thesauro suo nova & vetera.

Epilogus recitationis parabolarum, continens commendationem illarum ab adjuncta sapientia administrandi doctrinam cælestem, per collationem sapientiæ patrisfamiliâs in administrandis atque distribuendis familiæ esculentis ac poculentis.

53 Et factum est quum finisset Jesus parabolas istas, transtulit *se* illinc.

54 Et quum

54 Et quum veniſſet in patriam ſuam, docebat eos in ſynagoga eorum: adeò ut percellerentur, ac dicerent, Unde huic ſapientia iſta & virtutes?

55 Nónne iſte eſt ille fabri filius? nónne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus & Joſes & Simon & Judas?

56 Et ſorores ejus nónne omnes apud nos ſunt? Unde igitur iſti hæc omnia?

57 Et offendebantur in eo. Jeſus autem dixit eis, Non eſt propheta inhonoratus, niſi in patria ſua & domo ſua.

58 Neque edidit illic virtutes multas, propter incredulitatem eorum.

Narrat quomodo Nazarethani offenſi ſint in Chriſto occaſione doctrinæ & miraculorum ejus: putantes tantam ſapientiam tantamque potentiam non decere hominem plebejum & obſcurum. Item quomodo Chriſtus contra illud ſcandalum & rejectionem ſui ſeſe ſit conſolatus: quidque damni iſta incredulitas Nazarethanis attulerit.

SCHOLIA IN CAP. XIII.

1 Conſedit] ἐκάθητο, hat ſich geſetzt. *Cum ſignificatione motus ad locum: ut in illud Homeri Iliad. β.* Ἀλλ' αὐτός τε κάθησο, καὶ ἄλλους ἵδρυε λαούς. *I.e. Sed & ipſe conſidito, & reliquum populum conſidere jube.* Juxta mare] παρὰ τὴν θάλασσαν. *Scil. Galilææ: quod innuit articulus. Aliâs nominatur mare Tiberiadis, & lacus Geneſareth.*

2 Congregavit ſeſe turba] συνήχθησαν ὄχλοι. *Ad verb.* Congregatæ ſunt turbæ. *Sed verbum paſſivum habet hîc & ſimilibus locis, ſignificationem reciprocam: ſicut interdum Niphál Hebræorum.* Navigium] εἰς τὸ πλοῖον. *Pro,* εἰς πλοῖόν τι. *Hîc articulus ponitur loco pronominis infiniti.* Conſidêret] καθῆσθαι. *Ut verſ. 1.* Tota turba] πᾶς ὁ ὄχλος. *Id eſt,* ὅλος ὁ ὄχλος. Supra littus] ἐπὶ τὸν αἰγιαλόν. *Vel, in littore: vel, juxta littus:* am geſtade.

3 Per parabolas] ἐν παραβολαῖς. *Id eſt,* διὰ παραβολῶν. Quidam ſeminator] ὁ σπείρων *Pro,* σπείρων τις. *Articulus ponitur infinitè, ut in verſu ſuperiore,* τὸ πλοῖον. *Et* σπείρων *participium, more Hebræorum valet nomen* σπορεύς. Ad ſeminandum] τοῦ σπείρειν. *Subaudi,* ἕνεκα: *Seminandi causâ.*

4 In ſeminando] ἐν τῷ σπείρειν αὐτόν. *Id eſt, inter ſeminandum: dum ſeminaret.* Alia quidem] ἃ μέν. *Pro,* ἄλλα μέν: *ex collatione verſus ſequentis. Subaudiendum* σπέρματα, *ſemina ſeu grana.*

5 Alia vero] ἄλλα δέ. *Pro,* ἃ δέ: *ex collatione verſus præcedentis.* In petroſa] ἐπὶ τὰ πετρώδη. *Scil.* μέρη τῆς γῆς, *ſive* τοῦ ἀγροῦ. *I.e. in petroſas partes terræ ſeu agri.* Exorta ſunt] ἐξανέτειλε. *Verbum Græcum peculiariter dici conſuevit de plantis & ſole. Sic Luc. 1. v. 78.* Viſitavit nos ἀνατολή (oriens *vel* germen) ex alto.

6 Sole autem exorto] ἡλίου δὲ ἀνατείλαντος. *Eo verbum idem de ſole, quòd modò dictum fuit de ſemine plantæ.*

7 Aſcenderunt] ἀνέβησαν. *Id eſt, Excreverunt. Synecdoche generis, vel metaphora Hebraica.*

8 Aliud quidem] ὃ μέν *Scil.* σπέρμα, *id eſt, ſemen ſive granum. Sic deinceps.* Centum] ἑκατόν. *Scil.* σπέρματα. *id eſt, ſemina ſive grana. Sic conſequenter. Pro hoc Luc. 2. v. 8. dicitur,* ἐποίησε καρπὸν ἑκατονταπλασίονα: *id eſt, fecit fructum centuplum.*

9 Ad audiendum] ἀκούειν. *Pro,* τοῦ ἀκούειν: *ſcil.* ἕνεκα.

11 Quia vobis] ὅτι ὑμῖν. *Vel,* Vobis: *ut* ὅτι *intelligatur ſervire mimeſi.*

12 Etiam quod habet] καὶ ὃ ἔχει. *Id eſt, quod videtur habere: ut exponitur apud Lucam c. 8. v. 18.*

14 In eis] ἐπ' αὐτοῖς. *Pro,* ἐν αὐτοῖς: an jhnen. *Sic Heb. 8. v. 1.* κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις. *Pro,* ἐν τοῖς λεγομένοις: *Caput in iis quæ dicuntur.* Auditu audietis] ἀκοῇ ἀκούσετε &c. *Id eſt, Identidem audite, ſed ne intelligite: itemq; ſubinde videte, ſed ne cernite. Hebraiſmus triplex: unus in verbi* ἀναδιπλώσει, *alter in enallage futuri pro imperativo, tertius in heteroſi conjunctionis copulativæ pro adverſativa. Apud Eſaiam habetur ſic:* Audite audiendo, & ne intelligite: & videte videndo, & ne cognoſcite. *Niſi potiùs dicendum, apud Prophetam uſurpari imperativum pro futuro. Id quod video placere doctiſſimo viro Joh. Druſio in Parallelis ſacris, notâ ad hunc locum. Et ſanè dubium videri non debet, quin & Evangeliſta ſermonem Chriſti, & Chriſtus ſermonem Prophetæ fideliter (nihil ſcil. immutando in ſententia) retulerit. Verba quidem parumper mutata eſſe, cuivis conferenti in aperto eſt. Cæterùm prophetiam illam pertinere non ad ſolos Judæos illius ætatis, ſed & ad poſteros ipſorum uſq; ad populi iſtius deſolationem: equidem ſignificari puto verbis illis Prophetæ quæ continent reſponſionem Dei ad ipſius quæſtionem,* Quouſq; Domine? *Scil. durabit iſta excæcatio atq; obduratio populi. Ad quam quæſtionem reſpondit Dominus:* Uſque dum vaſtatis civitatibus adeò ut nullus ſit habitator, & domibus adeò ut nullus ſit homo, etiam ipſa regio vaſtata ſit deſolatione: & procul amovente Jehovâ hominem quemque, maxima ſit ipſa derelictio in iſta terra. *Quod etſi interpretes de excidio illato per Babylonios exponunt: ego tamen puto exponi poſſe ac debere de excidio ultimo, illato per Romanos.* Intelligetis] συνῆτε. *Ad verb.* Intellexeritis: *pro* συνήσετε. *Subjunctivus pro indicativo.* Cognoſcetis] ἴδητε. *Ad verb.* Videritis: *pro,* εἴσετε, *vel potiùs* εἴσεσθε: *ut modò.* ἰδεῖν *autem hîc ad mentem transfertur, & valet intelligere ſeu cognoſcere: quale verbum hîc habetur in Hebræo.*

15 Pinguefactum eſt enim] ἐπαχύνθη γάρ. *Apud Eſaiam habetur:* Pinguefac. *Et ſic conſequenter. Nempe quod Propheta narrat, ſibi à Domino præceptum ut prædicatione ſua in iſto populo (quanquam per accidens. nec ulla prædicationis aut verbi culpâ) efficeret: id Chriſtus monet in ſuis auditoribus per prædicationem ſuam eſſe effectum atq; adhuc effici: atq; ita prophetiam illam Eſaiæ non minùs jam impleri, quàm olim tempore prophetæ impleta fuit. Itaque hæc verba Chriſtus pronuntiat in ſua perſona: non autem illa recitat tanquam verba Eſaiæ. Cæterùm eſt qui putet, interpretes (nempe Græcos illos quorum verſio exſtat) pro Haſchmén, id eſt,* πάχυνε: *legiſſe Hoſchmán, id eſt,* ἐπαχύνθη. *Sed ſi ita eſt: miror ego quid legerint in duobus membris continenter ſequentibus, nempe:* Et aures ejus aggrava, & oculos ejus claude. *Sanè ſi ipſa verba quæ legerunt, verſione ſuâ expreſſerunt: quæro quid legerint pro Hachbéd, id eſt, aggrava: & pro Haſcháh, id eſt, fac connivere? Si dicantur pro Hachbéd legiſſe Hochbádu, id eſt, aggravatæ ſunt: & pro Haſcháh legiſſe Hoſchábu, id eſt, connivere facti ſunt: ne ſic quidem verba Hebraica expreſſerint verſione ſuâ: ut liquet intuenti & conferenti. Oportuiſſet enim vertere:* καὶ τὰ ὦτα αὐτῶν ἐβαρύνθησαν, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκλείσθησαν. *Quare duorum alterum de illa verſione Græcorum ſtatuendũ puto: aut illos verbis neglectis, ſenſum reddere voluiſſe: aut (quod potiùs reor) locum hunc ex Evangelio Matthæi in illam verſionem tranſlatum eſſe, expunctâ verſione ipſorum interpretum. Quod ut putem, moveor primùm conjunctione* γάρ: *cui in Hebræo nulla vox reſpondet. Hîc tamen commodè à Domino adhibetur: quia vaticinium illud ſuis auditoribus applicat, ut paulò antè eſt declaratum. Deinde, quòd verſio illa nimium à verbis recedit.* Et ſanem eos] καὶ ἰάσωμαι αὐτούς. *Nempe ego Chriſtus. nam loquitur hæc in ſua perſona: ut paulò antè admonui. Apud Eſaiam habetur,* Et ſanet eum; *nempe Jehova populum.*

17 Sed non viderunt] καὶ οὐκ εἶδον. Καὶ *pro* ἀλλὰ, *heteroſi Hebraicâ: ſic mox iterum.*

19 Quoties quiſpiam audit] παντὸς ἀκούοντος. *Ad verb.* Omni audiente. *Quaſi dicat, Quicunq; dum audit ſermonem, non attendit: patitur à malo rapinam illius. In Græco oratio eſt* ἀνακόλουθος. *Interim tamen ſententia eſt univerſalis: & ad nomen* παντὸς *ſubauditur nomen* ἀνθρώπου: *ac proinde particula illa univerſalis ad perſonam refertur, non autem ad tempus. Veruntamen eadem ſententia ſatis commodè verſione propoſitâ exprimitur. nam æquipollent hæc:* Quicunque dum audit, non attendit: ex illius corde diabolus ſemen rapit: &, Quoties quiſpiam audit & non attendit: tum ex illius corde diabolus ſemen rapit. Sermonem de regno illo] τὸν λόγον τῆς βασιλείας. *Videl. de regno cœlorum. Genitivus hîc notat ſubjectum occupans, ſeu objectum.* Audit & non attendit] ἀκούοντος καὶ μὴ συνιέντος. *Vel, audit* quidem, *ſed non attendit. Eſt enim hîc diſcretio diverſorum. Bene autem hîc verbum* συνιέναι *(quod aliâs ſignificat intelligere) à D. Beza in ultima editione redditum eſt per attendere. Cujus verſionis rationem ipſe in ſuis annotationibus fuſè exponit. Emphaſis verbi Græci eſt, ſimul mittere: quum ſcil. is qui audit, mentem ſuam ſimul mittit cum ſermone quem audit, ut pari quaſi paſſu incedant. Tum autem ſimul cum ſermone mittitur mens, quum illum intelligit, aut ſaltem ad eum attendit. Hinc phraſis Latinorum, Non aſſequor: quum volunt dicere, Non intelligo quod dicis.* Ille malus] ὁ πονηρός. *videl. diabolus: de quo in oratione Dominica dicitur, Libera nos* ἀπὸ τοῦ πονηροῦ: *ſup. 6. 13.* Qui juxta viam ſemen excepit] ὁ παρὰ τὴν ὁδὸν σπαρείς: *Vel,* conſitus eſt: *quo modo ager dicitur conſeri. nam verbum* σπείρεσθαι *hîc refertur non ad ipſum ſemen quod ſeritur, ſed ad auditorem ſermonis tanquam agrum qui conſeritur & ſemen excipit. Similiter apud Marcum c. 4. v. 16. 18. 20. Et ſic ex Plutarcho refert Henr. Stephanus,* σπείρειν ἀρούρας: *& ex Columella, Seminare agrum.*

22 Sed ſolicitudo] καὶ ἡ μέριμνα. *Pro,* ἀλλὰ ἡ μέριμνα. *Eſt enim diſcretio diverſorum, ut v. 19.* Solicitudo ſæculi hujus] ἡ μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου. *I. e. ſolicitudo de retinenda felicitate hujus ſæculi.* Et fallacia divitiarum] καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου. *Vel,* deceptio: *vel,* ſeductio. *Quæ poſtrema vox Græcam exprimit: ſi* ἀπάτη *(ut nonnullis placere video) dicta eſt ex* α *privante &* πάτος. *Niſi potiùs vertendum ſit per hypallagen:* Divitiæ fallaces, *ſeu* deceptrices, *ſeu* ſeductrices: *quaſi ſit* ὁ πλοῦτος τῆς ἀπάτης *phraſi Hebraicâ, pro* ἀπατητικός. *Denique poſſunt illa duo accipi per figuram* ἓν διὰ δυοῖν, *ad hunc modum: Solicitudo ſæculi hujus, quæ eſt de divitiis fallacibus, ſcil. retinendis & augendis.* Et fit fructus expers] καὶ ἄκαρπος γίνεται. *Sive ipſe ſermo, ſive is qui ſermonem cum tali ſolicitudine audit.*

23 Et attendit] καὶ συνιών. *Ut v. 19.* Audit & attendit] *Id eſt, Ita audit ut attendat: Vel, Dum audit, attendit.* Alius quidem centena] ὁ μὲν ἑκατόν. *Intellige, centena grana è ſingulis quæ inter ſeminandum excepit. Eſt enim ſermo de homine tanquam agro. Si verò ſermo eſſet de ipſo ſemine: tum dicendum eſſet,* Aliud quidem centum: aliud verò ſexaginta &c.

24 Propoſuit] παρέθηκεν. *Ad verb.* Appoſuit.

28 Inimicus homo] ἐχθρὸς ἄνθρωπος. *Syntaxis qualis in illo,* Homo adolescens] *apud Ciceronem.*

29 Ne] μήποτε. *Ad verb.* Ne quando. *Latini dicunt,* Ne fortè. *Germ.* Auf daß nit villeicht. *Vel,* Auf daß nit iergend. *Adverb.* ποτὲ *notat in hac phrasi eventum incertum quidem illum, veruntamen probabilem, & quem quis eventurum probabiliter metuit.*

30 Horreum] ἀποθήκην. *Nomen Græcum significat locum ubi aliquid ἀποτίθεται, deponitur, sive reponitur atque reconditur: quasi dicas, repositorium seu reconditorium. Hîc per synecdochen generis significat horreum, id est, locum ubi reconditur frumentum.*

31 Proposuit] παρέθηκεν. *Ad verb.* Apposuit, *ut v.24.*

32 Minimum] μικρότερον. *Pro* μικρότατον: *ut 1.Cor.13.v.ult.* μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη; *pro* μεγίστη. Maximum] μεῖζον. *Id est,* μέγιστον: *ut modò.* Volucres cæli] τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ *Id est, quæ volant in cælo, nempe in hoc cælo infimo, quod aliâs nominatur aër.* Nidulentur] κατασκηνοῦν. *Verbum Græcum propriè significat, in tabernaculo degere: hoc est, umbraculo confecto ex frondibus.*

33 In farinæ satis tribus] εἰς ἀλεύρου σάτα τρία. *Satum, Syrè Satha, Hebraicè Sea, propriè significat modium Romanum: ut Fr. Junius ex Josepho & Epiphanio annotat in illud Matth.5.15. Non ponunt lucernam subter modium. At hîc* μετωνυμικῶς *tria sata, significat tantum farinæ quantum tres modii capiunt.*

35 Eructabo occultata à jactis fundamentis mundi] ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. *In versione Græca habetur sic,* φθέγξομαι προβλήματα ἀπ' ἀρχῆς.

36 Parabolam zizaniorum] τὴν παραβολὴν τῶν ζιζανίων. *id est, de zizaniis. Genitivus notat objectum.*

37 Filius hominis] ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Articulus notat certam speciem, videlicet ipsum Christum: qui se hac periphrasi subinde denotat.*

38 Ager autem est mundus] ὁ δὲ ἀγρός ἐστιν ὁ κόσμος. *id est, Ager ille de quo dixi in parabola, est imago mundi. Metonymia subjecti, in enuntiati consequente: qualis & in aliis hujus loci enuntiatis. Et perinde est ac si diceret, Ager ille significat mundum, bonum semen significat filios regni &c. Idem tropus est in pronuntiatis illis sacramentalibus: Panis eucharisticus est corpus Christi: Vinum eucharisticum est sanguis Christi. Mundi autem vocabulo intelligitur hîc* μετωνυμικῶς *Ecclesia visibilis per mundum diffusa.* Bonum verò semen, sunt filii regni] τὸ δὲ καλὸν σπέρμα, οὗτοί εἰσιν οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας. *Pronomen* οὗτοι *ponitur per epanalepsin, ad repetendum scil. enuntiati antecedens, pleonasmo apud Johannem usitatissimo. Veruntamen antecedens nomen hîc per istud pronomen repetitur non quo ad vocem, sic enim dicendum fuisset* τοῦτο: *sed quo ad sensum: quasi dicatur, Hi inquam qui in parabola significantur per bonum semen. Quo fit, ut hoc pronuntiatum metonymiam adjuncti habeat in antecedente: nempe, Bonum semen, id est, homines per bonum semen significati. Interim sensu convenit cum reliquis. Cæterùm filii regni, phrasi Hebræâ dicuntur homines prædestinati ad regnum, videl. ad regnum cælorum. Synecdoche generis,* κατ' ἐξοχήν. *Quanquam species indefinitè notatur in Græco per ipsum articulum. Sic Judas nominatur filius perditionis, id est, prædestinatus ad perditionem.* Filii illius mali] οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ. *Id est, filii diaboli: nempe homines impii, imitantes facta diaboli. Sic declaro ex verbis Christi ad Judæos Joh.8.44.* Vos ex patre diabolo estis, & *(id est, Nam, vel, Idcirco)* cupiditates patris vestri vultis explere.

40 Ita erit] οὕτως ἔσται. *Id est,* γενήσεται, *fiet, eveniet.*

41 Ex regno ejus] ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ. *Id est, ex Ecclesia visibili.* Omnia scandala] πάντα τὰ σκάνδαλα. *Id est, omnes authores scandalorum: sicut mox per* ἐπεξήγησιν *declaratur. Sic Latini hominem scelestum appellant scelus, per metonymiam effecti hyperbolicam.* Et eos qui faciunt iniquitatem] καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν. *Id est, qui sese sceleribus patrandis dedunt absque ullo Dei metu. Periphrasis impiorum.*

42 In fornacem ignis] εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός. *Id est, in fornacem igne repletam. Genitivus notat adjunctum.*

43 Fulgebunt] ἐκλάμψουσιν. *Effulgebunt, emissis scil. radiis lucis, instar stellarum.*

44 Ex gaudio] ἀπὸ τῆς χαρᾶς. *Vel,* à gaudio. *nam utroque modo Latini loquuntur ad significandum causam efficientem. ut,* Corruptus ex amore, *apud Plautum.* Condemnatus ex invidia, *apud Plinium.* Non tam ab ira, nec ab odio, quàm ut miles sentiret &c. *apud Livium. Sic,* Jacentem hostes superfusi oppresserunt: cognitumque, primùm à verecundia memoriaque meritorum, haud secus quàm ducem suum tollunt. *Alii vertunt,* Præ gaudio. *Sed istud mihi minùs arridet: quia præpositio* Præ *sic usurpata non semper notat causam efficientem, sed interdum corrumpentem: quasi dicatur, Præpediente gaudio: ut apud Terent. Heautontimorumeno:*

Præ gaudio (ita me dii ament) ubi sim nescio. Ita apud Cic. orat. pro Mil. Præ lachrymis loqui non possum.

45 Abit] ὑπάγει. *Ad verb.* Subducit, *scilicet sese. Veruntamen haud puto specialiter hîc notari id quod Latini vocant subducere sese: sed phrasin esse generalem, qualis est illa vers. sequente,* ἀπελθὼν πέπρακε πάντα, *Abiens, vendidit omnia. Genus loquendi petitum è medio.*

46 Inventâ] εὑρών. *Scil. venali.*

47 Ex omni genere] ἐκ παντὸς γένους. *Scil. piscium: h.e. tàm ex putribus quàm ex bonis piscibus: ut declaratur v.seq. Synecd. gen.*

48 Subduxerunt] ἀναβιβάσαντες. *Scil. piscatores. Genus loquendi impersonale, vel potiùs* ἐλλειπτικόν. Quæ bona erant] τὰ καλά. *Id est, Bonos pisces. Synecd. generis.* Putria] τὰ σαπρά. *Id est, putres pisces. Synecdoche generis, ut modò.* Projecerunt] ἔξω ἔβαλον. *Ad verb. Extra seu forâs jecerunt. videl. extra acervum piscium captorum, vel extra vasa, quanquam hoc diceretur impropriè, pro, Non indiderunt vasis, sed abjecerunt.*

50 In caminum ignis] εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός. *Id est, igne plenum. Genitivus adjuncti.*

52 Edoctus ad regnum cælorum] μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. *Id est, Edoctus in doctrina quæ ducit ad regnum cælorum. Potest etiam verti,* Edoctus de regno cælorum: *quasi dicatur, respiciendo ad regnum cælorum, seu quod attinet ad regnum cælorum. Alii,* In regno cælorum: *tanquam* εἰς *sit positum pro* ἐν. *Sed ista versio minùs placet propter ambiguitatem. Etenim præpositio* In *in hac phrasi tam potest notare locum (Grammaticè loquendo) quasi quæratur, ubi aliquis sit edoctus, ut respondeatur. In regno cælorum: quàm subjectum occupans, ut intelligatur quæri, qua in re aliquis sit edoctus: de quo hîc est sermo.* E thesauro] ἐκ τοῦ θησαυροῦ. *Id est, è cella penaria: Synecd. generis. Dictus* θησαυρὸς *ex eo quòd ibi fiat* θέσις εἰς τὸ αὔριον, *repositio (nempe ciborum) in crastinum, hoc est, in futurum tempus.* Nova & vetera] καινὰ καὶ παλαιά. *Id est, recentes & veteres cibos. Synecd. gen.*

53 Transtulit se] μετῆρεν. *Scilicet* ἑαυτόν. *Id est,* ἀπῆλθεν, *abiit seu discessit: sive id factum sit navigio: ut quidam annotant, ac proinde vertunt,* Solvit: *sive pedibus. Est autem hîc notandum genus quoddam appositionis verborum. Etenim verbum hoc* μετῆρεν *cohæret cum præcedente verbo* ἐγένετο *per appositionem: sic,* καὶ ἐγένετο, *& factum est. quid factum est? hoc quod dicam, nempe:* μετῆρεν ἐκεῖθεν, *transtulit se inde. Genus hoc loquendi Hebraicum est.*

54 In patriam suam] εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ. *Videlicet in urbem Nazareth, ubi fuit educatus: ut percipitur ex verbis sequentibus, ubi dicunt, fratres & sorores ejus (h.e. cognatos & cognatas) esse apud se. Constat enim ex Luc.1.v.26.& 27. Mariam matrem Domini habitasse in urbe Nazareth. unde colligitur, ibidem habitasse illius & fratres & sorores, quorum hîc fit mentio. Alioquin patria ubi natus fuit Dominus, fuit Bethleem: ut notum est.* Virtutes] δυνάμεις. *Id est, miracula. Metonymia efficientis. Proficiscuntur enim miracula à virtute seu potẽtia singulari & divina.*

55 Fratres ejus] οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ. *Id est, cognati. Sic mox versu seq. Sorores, id est, cognatæ. Synecd. speciei Hebraica. Neque enim uspiam traditur, neque etiam probabile est, Mariam alios liberos, videl. ex Josepho marito, suscepisse: sed contrà verisimile est, Josephum pariter & Mariam virginem dono continentiæ donatos fuisse, ut à conjugiali concubitu abstinerent: ut nimirum corpus Mariæ tanquam Deo semel per mirabilem illam conceptionem consecratum, à concubitu viri intactum servaretur.*

57 Offendebantur in eo] ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ. *Vel,* Ob eum. *Præpositio* ἐν *notat objectum, quod simul habet rationem causæ efficientis. nam objecta movent sensus.* Non est Propheta, &c.] οὐκ ἔστι προφήτης, &c. *Dictum proverbiale & hyperbolicum. nam Christus contemnebatur non solùm in patria, sed & alibi: id quod aliis quoque doctoribus potest accidere. Et interdum doctores in patria sua honorantur. Sed quod plerumque ita fit, id per hyperbolen semper ita fieri dicitur.* In domo sua] ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. *Id est, in familia sua, seu apud domesticos & propinquos suos. Metonymia subjecti.*

58 Virtutes] δυνάμεις. *Ut paulo-antè, v.54.*

OBSERVAT. EX CAP. XIII.

1 Ex v.2. Exemplum turbæ congregantis se ad Christum verbi audiendi causâ, nobis est imitandum. Etenim Christus adhuc hodie nobis loquitur per ministros verbi. *Auditio verbi Dei.*

2 Ex parabola de semine quod quadrifariàm cecidit. Verbum Dei dispari atque impari successu prædicatur. Nonnulli enim illud prorsus rejiciunt: alii verò recipiunt quidem, sed leviter, ac proinde tempore persecutionis deficiunt: rursus alii recipiunt quidem, sed inde nec beatiores nec meliores redduntur, propterea quòd animi eorum occupati sunt curis hujus sæculi: alii denique recipiunt & amplectuntur firmiter, & verâ fide inde conceptâ, opera Deo placentia facere incipiunt; quidam plura, quidam pauciora, prout majore vel minore fide sunt præditi. Quare quum videmus, maximam partem eorum quibus verbum Dei prædicatur, manere incredulam: ne offendamur, putantes vitium esse in verbo: quippe quum verbum bonum & salutare sit: sed vitium est in auditoribus, qui præstantiam verbi non æstimant. Caveamus autem nobis à causis è quibus contemtus ille verbi nascitur, videl. bruto stupore, securitate, levitate animi, curis hujus sæculi: ac oremus Deum ut vitia illa è cordibus nostris exstirpet, & per Spiritum suum ea præparet ad semen verbi avidè excipiendum, firmiter retinendum, & plurimum ex eo fructum bonorum operum ferendum. *Prædicationis verbi Dei eventa varia.*

3 Ex v.10 & sequentibus. Efficax intelligentia doctrinæ cælestis de æterna hominis salute, est singulare donum Dei, quod solis electis contingit. Quare qui doctrinam cælestem ita intelligunt, *Electorum prærogativa.*

gunt, ut eam vivâ fide amplectantur, & ex illius præscripto vitam instituere cupiant; hoc argumento agnoscant se esse in numero electorum: & Deo gratias agant. Qui verò nondum intelligunt, ad Deum ingemiscant, & ab eo illuminari ac renovari petant. Similiter qui sentiunt, sibi multum adhuc, tum quoad intelligentiam, tum quoad fidem & studium pietatis, deesse; incrementum illorum Dei donorum petant. Caveamus autem ne Deum injustitiæ insimulemus, quòd dona illa salvifica non dat omnibus, sed tantum aliquibus: cogitantes, illum esse dominum omnium creaturarum, ac proinde liberam habere de illis statuendi & agendi potestatem. qua de re vide suprà c.11.v.25. & 26. infra c.20.v.15. Rom. 9.v.15.20.22.& 23.

Fides. 4 Ex v.12. Fides sua habet incrementa. Quare qui vel scintillam fidei in se sentiunt, de illius incrementis divinitus futuris bene sperent. Sed simul meminerint, mediis ad eam rem ordinatis studiosè utendum, videl. assiduâ meditatione verbi Dei & crebrâ perceptione Sacramentorum, item invocatione: sicut Apostoli petebant, ut Dominus fidem ipsis augeret.

Patefactio Christi. 5 Ex v.16.& 17. Quò clariùs hodie Deus nobis Christum patefecit: eò studiosiùs facere debemus quæ illi placent.

Auditio verbi Dei. 6 Ex v.19. & deinceps. Qvum tam variis vitiis obnoxii simus quæ impedire nos possint, ne doctrinam cælestem ex verbo Dei propositam vel attentè audiamus, vel intelligamus, vel firmâ fide amplectamur: quoties verbum Dei audituri sumus, oremus Deum ut impedimenta & obstacula illa omnia à cordibus nostris removeat, & illa per Spiritum suum præparet & aperiat, ut verbum ipsius & attentè audiamus, & intelligamus, & firmâ fide amplectamur.

Abnegatio fidei. 7 Ex v.21. Qvum videmus aliquos tempore persecutionis deficere, & fidem quam ante fuerant professi, negare: ne offendamur: scientes; illos verâ fide præditos non fuisse, nam vera fides perseverantiæ donum adjunctum habet.

Cura hujus sæculi. 8 Ex v.22. Caveamus nobis à curis hujus seculi: quoniam illæ intelligentiam doctrinæ cælestis, unde æterna nostra salus dependet, impediunt.

Cor hominis. 9 Ex v.23. Nemo sibi persuadeat, se à natura terram bonam esse ad semen verbi Dei rectè excipiendum. Etenim omnium hominum corda à natura sunt dura instar viæ aut saxi, & repleta sunt spinis pravorum affectuum: unde opus est ut emolliantur per Spiritum sanctum, & spinæ illæ evellantur. Hinc Deus promittit electis suis, se ablaturum ab eis cor saxeum, & daturum eis cor carneum, Ezech.36.v.26. Item Judæos jubet novellare sibi novale, & non serere in spinis, Jerem. 4.v.3.

Fides. Pietas. 10 Ex eod. v. Fidei & pietatis sunt certi gradus: nec omnes pari fide aut pietate donantur. Officii nostri est, operam dare ut indies magis ac magis proficiamus: & interim tamen mensurâ donationis Dei contenti simus.

Falsa expositio verborũ Christi de dispari fructu seminis in bonam terram jacti. 11 Ex eod. v. Quæ hîc dicuntur de seminis in bonam terram jacti fructu dispari, ea (ut Bucerus refert) falsò Hieronymus ad præmia virginitatis, viduitatis & nuptiarum retulit: falsò item veteres Latini & Græci martyribus centesimum, virginibus sexagesimum, & viduis trigesimum adaptarunt. Neque enim ab externis istis statibus fructus metiendus est: & nequaquam in hîc de percipiendis fructibus, hoc est, præmiis, sed de reddendis fructibus, id est, de credentium dictis & factis agitur.

Ecclesia visibilis. 12 Ex parabola de zizaniis. Piis quamdiu in hoc mundo vivent, semper admixti erunt hypocritæ: qui aut falsâ doctrinâ aut impiâ vitâ piis molestiam facessent, & saluti eorum insidiabuntur, instar zizaniorum enatorum inter triticum. Sed contra hanc molestiam pii se consolari debent spe separationis futuræ in die judicii.

Falsa doctrina. Impia vita. 13 Ex v.25. Falsæ doctrinæ & impiæ vitæ author est diabolus. Is enim est qui zizania inter triticum serit: tanquam inimicus Dei & electorum ipsius.

Disciplina Ecclesiæ. 14 Ex v.29.& 30. Cavendum ne his verbis abutamur contra doctrinam de disciplina Ecclesiæ, per quam scandala quoad ejus fieri potest, ex Ecclesia sunt tollenda. Etenim Christo in hac parabola nihil aliud propositum fuit (sicut ex ipsiusmet expositione liquet) quam pios consolari contra molestiam quam percipere coguntur ex conversatione hypocritarum: interim disciplinæ Ecclesiasticæ nihil derogatum voluit: quippe quam ipsemet instituit inf. cap.18.v.17. Et pari ratione adimendus esset magistratui usus gladii: quem tamen Deus vigere vult, teste Paulo Rom.13. Parabola igitur hæc non est ulteriùs extendenda quàm scopus ejus postulat.

Evangelii prædicatio. 15 Ex parabola de grano sinapis & de fermento. Etsi prædicatio Evangelii contemtibilem coram mundo speciem habet: tamen per Dei benedictionem res maximas in electis efficit, ut nimirum toti imbuantur studio pietatis, & sese undiquaque ad benefaciendum proximis expandant.

16 Ex v.34.& 35. collatis cum v.13.14.& 15. suprà. Mirabilis est sapientia & potentia Dei: qui unâ eademque Evangelii prædicatione utitur ad illuminandum electos & excæcandum reprobos. unde Paulus, Evangelii prædicationem ait aliis esse odorem vitæ ad vitam, aliis verò odorem mortis ad mortem, 2.Cor.3. v.15.16.

Judicium ultimum. 17 Ex v.39. & seqq. Notandum testimonium pro articulo fidei de ultimo judicio. Confer infrà c.25.v.31.& deinceps.

Regnum cæleste. 18 Ex parabola de thesauro & de margarita. Regnum cæleste de quo docet Evangelium, est thesaurus incomparabilis & margarita pretiosissima: cujus obtinendi causâ libenter omnium terrenorum bonorum jacturam facere debemus.

Ecclesia visibilis. 19 Ex parabola de sagena idem discendum est quod ex parabola de zizaniis, suprà.

Doctoris Ecclesiæ officiũ. 20 Ex v.52. Doctorem verbi Dei singulari sapientiâ instructum esse oportet in doctrina cælesti variis & ad auditorum captum accommodatis rationibus proponenda. Sicut enim paterfamiliâs è penu nunc veteres nunc novos cibos promit, prout valetudinem domesticorum postulare judicat: sic doctorem verbi nunc ex Lege terrere, nunc ex Evangelio consolari; nunc segnes excitare, nunc strenuos confirmare; nunc malos reprehendere, nunc bonos laudare oportet: prout auditorum suorum necessitatem postulare viderit.

Christi repudiatio cavenda. 21 Ex v.54.55.& 56. Caveamus nobis ne more Nazarethanorum ultrò nobis offendicula accersamus: sed Christum, qualis nobis in Evangelio proponitur, gratis animis amplectamur: nempe servili quidem formâ ad tempus præditum, sed interim radios divinæ sapientiæ & potentiæ in docendo & miraculis edendis subinde exserentem, ac tandem ad dexteram majestatis in cælos exaltatum: quò nos quoque qui in ipsum credimus, suo tempore assumet, ut gloriam ipsius videamus & æternis cum ipso gaudiis perfruamur.

Contemtus verbi Dei. 22 Ex v.57. Si cui pio doctori accidat ut à popularibus aut cognatis suis contemnatur & rejiciatur, consoletur se exemplo Christi, cui idem accidit.

Incredulitas. 23 Ex v.58. Incredulitas obstat hominibus quò minus singularibus Dei beneficiis afficiantur. Oremus igitur Deum ut nobis donet & augeat fidem.

ANALYSIS CAP. XIV.

ARGUMENTUM.

Quatuor historiæ in hoc capite continentur. Prima de decollatione Johannis Baptistæ, usq; ad v.13. Secunda de cibatione quinquies mille & amplius hominum è quinq; panibus, usq; ad v.22. Tertia de ambulatione Christi & Petri super mare, usq; ad v.34. Quarta de sanatione ægrotorum in terra Genesareth.

PRIMA PARS.

De decollatione Johannis Baptistæ.

In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam de Jesu.

2 Et dixit pueris suis. Iste est Johannes ille Baptista: ipse surrexit à mortuis, & propterea virtutes agunt in eo.

3 Nam Herodes prehensum Johannem vinxerat & conjecerat in carcerem, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui.

4 Dicebat enim ei Johannes, Non licet tibi eam habere.

5 Et qvum vellet eum occidere, timebat turbam: quòd eum haberent ut prophetam.

6 Qvum autem agerentur natalitia Herodis, saltaverat filia Herodiadis in medio, & placuerat Herodi.

7 Unde cum jurejurando spoponderat ei, *se* daturum *ei* quicquid petiisset.

8 Illa verò producta à matre sua, Da mihi (inquit) hîc in patina caput Johannis Baptistæ.

9 Et contristatus fuerat rex: sed propter jusjurandum & eos qui simul accumbebant, jusserat dari.

10 Et misso *spiculatore* decollaverat Johannem in carcere.

11 Et allatum fuerat caput ejus in patina, datumque fuerat puellæ: & *ipsa* attulerat matri suæ.

12 Et accesserant discipuli ejus, & sustulerant corpus, idque sepelierant: & venientes renuntiaverant *hoc* Jesu.

Decollatio Johannis Baptistæ describitur hîc per digressionem præter rerum gestarum ordinem: quippe quæ jam antea acciderat. Itaque primò narratur sermo Herodis de Jesu, qui isti narrationi inserendæ præbuit occasionem. Narratur autem tum ipse sermo, tum illius occasio. Occasio fuit, quòd Herodes audiverat famam de Jesu, videl. de doctrina & miraculis illius, v.1. Sermo ipse: quòd Jesus sit Joh. Baptista, ac proinde quòd ille resurrexerit à mortuis. Hujus sermonis pleniùs exponendi causâ inseritur sequens historia: ut liqueat, unde Herodes Johannis Baptistæ vitam & mortem tam probè habuerit cognitam. Narrantur autem primùm ea quæ decollationem antecesserunt, & illi causam præbuerunt, usq; ad v.10. deinde decollatio ipsa, v.10. postremò eventa pòst consecuta, v.11.& 12. Ex iis quæ antecesserunt, nar-

rantur duo: vincula Johannis, & natalitia Herodis. Vinculorum narratio constat è causis: quæ narrantur duæ: una, offensio Herodis & instigatio Herodiadis, v.3. altera, reprehensio Johannis, v.4. Reprehenderat enim Johannes Herodem, quòd secum haberet Herodiadem uxorem Philippi fratris sui: quæ reprehensio & illum & istam offenderat, ita ut & sponte inclinaret Herodes ad Johannem in vincula conjiciendum; & ab Herodiade ad id ampliùs instigaretur. Hoc factum Herodis amplificatur collatione majoris, id est, facti nequioris atque atrocioris, videl. occisionis quam meditabatur, sed effectam dare non audebat metu turbæ, quæ Johannem reverebatur ut prophetam, id est, doctorem à Deo missum, v.5. Natalitia Herodis describuntur ex adjuncto adhærente: videl. saltatione filiæ Herodiadis, v.6. Quæ ipsa saltatio describitur ex effectis quatuor: quorum aliud ex alio ordine consecutum fuit. Primum fuit voluptas quam inde percepit Herodes, in fine versus 6. Secundum quòd Herodes puellæ spopondit se daturum ei quicquid petiisset. Hæc sponsio seu promissio amplificatur ab adjuncto jurejurando, v.7. Tertium effectum, quòd puella ab Herode petiit caput Johannis Baptistæ. Hoc amplificatur commemoratione causæ concurrentis, videl. instinctus matris, v.8. Quartum effectum fuit jussus Herodis quo jussit ut petitioni puellæ satisfieret. Hic jussus amplificatur expositione causarum concurrentium: quæ indicantur duæ, religio jurisjurandi, vel potiùs falsa opinio, quasi teneretur temerario illo & secundùm sensum generalem impio jurejurando: deinde ambitio qua à simul accumbentibus cupiebat haberi constans in promissis, v.9. Atque hæc de iis quæ decollationem antecesserunt. Decollatio ipsa describitur v.10. ex causis efficientibus, & subjecto loco. Causæ efficientes indicantur duæ: principalis, Herodes mandans ministro ut Johannem decollaret: instrumentalis, minister ille morem gerens impio regis mandato. Subjectus locus, ubi decollatio facta est, fuit carcer ille in quo Johannes vinctus tenebatur. Jam eventa inde consecuta narrantur tria. Primum, contumelia capiti Johannis illata, quòd videlicet in patina allatum datum est puellæ: quæ illud obtulit matri: ut scilicet libidinem vindictæ in illo aspiciendo & contumeliosè tractando satiaret, v.11. Secundum eventum superiori contrarium, quòd corpus Johannis honorificè fuit sepultum à discipulis, à v.12. Tertium, quòd hæc omnia renuntiata fuerunt Jesu, ibidem.

SECUNDA PARS.

De cibatione quinquies mille virorum è quinque panibus.

13 *Illa* igitur quum audisset Jesus, secessit illinc in navigio in desertum locum privatim: & quum *hoc* audisset turba, pedibus sequuta est eum ab urbibus.

14 Et egressus Jesus vidit multam turbam: & misericordiâ commotus est erga eos, sanavitque eorum ægrotos.

15 Quum autem serum diei esset, adierunt eum discipuli ejus, dicentes; Desertus est locus, & tempus jam præteriit: dimitte turbam ut abeant in vicos, & emant sibi escas.

16 Jesus autem dixit eis, Non habent necesse abire: date eis vos quo vescantur.

17 Ipsi verò dicunt ei, Non habemus hîc nisi quinque panes & duos pisces.

18 Ipse autem dixit, Ferte mihi eos huc.

19 Et jussâ turbâ per herbas discumbere, & acceptis quinque illis panibus ac duobus piscibus, suspiciens in cælum benedixit: & quum fregisset, dedit discipulis panes, discipuli verò turbæ.

20 Et comederunt omnes, & saturati sunt: sustuleruntque reliquias fragmentorum, duodecim cophinos plenos.

21 Qui autem ederant, fuêre viri quasi quinquies mille, absque mulieribus ac puerulis.

Miraculosa cibatio turbæ ex quinque panibus, describitur è subjecto loco, ex occasione, ex adjunctis antecedentibus, ex ipsa forma, ex effectis & ex adjuncto cibatorum numero. Locus ubi res gesta est, fuit desertum, v.13. & 15. Versu autem 14. infertur mentio similis beneficentiæ, videl. sanationis ægrotorum. Occasionem Christo ad hoc miraculum præbuit sermo discipulorum, v.15.16. & 17. Quo Dominum monuerunt ut turbam dimitteret ad emẽdum escas. Dominus verò jussit ut ipsi illis escas suppeditarent. At ipsi excusarunt inopiam: quippe qui non plus haberent quàm quinque panes & duos pisces. Hac occasione arreptâ, Dominus ad miraculum sese præparavit per duo adjuncta: unum quòd jussit panes illos ac pisces sibi adferri, v.18. alterum, quòd jussit turbam discumbere ad cibum capiendum, hoc ipso scil. mandato cibum illis tacitè promittens, in principio v.19. Itaque hîc continentur simul duæ miraculi causæ, materia & causa impulsiva sine qua non. Materia videlicet ex qua Dominus copiam illam panum ac piscium creavit, nempe quinque illi panes ac duo pisces. Causa verò impulsiva sine qua non, obedientia & fides turbæ. Etenim nisi mandato Christi obedivissent, idque ex fide, credentes nimirum tacitæ promissioni de cibo ipsis suppeditando: Dominus miraculum hoc non edidisset. Forma miraculi describitur v.19. Ea fuit multiplicatio illorum panum ac piscium per preces & fractionem. Effecta, quibus veritas miraculi demonstratur, narrantur duo: saturatio turbæ, & reliquiæ fragmentorum replentes duodecim cophinos: ex quorum posteriore prius comprobatur: nisi enim saturati fuissent, nihil fragmentorum reliquum fecissent. Numerus cibatorum fuit ultra quinquies mille, v.21.

TERTIA PARS.

De ambulatione Christi & Petri super mare.

22 Et statim coëgit Jesus discipulos suos inscendere in navigium, & præire sibi in *ripam* ulteriorem, dum dimitteret turbam.

23 Et dimissâ turbâ ascendit in montem privatim, ad orandum. Vesperâ autem factâ solus erat illic.

24 Navigium verò jam in medio maris erat, vexatum à fluctibus: nam ventus erat contrarius.

25 Quartâ autem noctis vigiliâ abiit ad eos Jesus, ambulans super mare.

26 Et eo viso super mare ambulante, discipuli turbati sunt, dicentes, Spectrum est: & ex timore clamarunt.

27 Sed statim loquutus est eis Jesus, dicens, Confidite: ego sum, ne timete.

28 Respondens autem ei Petrus, dixit, Domine si tu es, jube me ad te venire super aquas.

29 Ipse verò dixit, Veni. Et quum descendisset è navigio Petrus, ambulavit super aquas, ut veniret ad Jesum.

30 Videns autem ventum *esse* validum, timuit: & quum cœpisset demergi, clamavit, dicens, Domine serva me.

31 Statim verò Jesus, extentâ manu, apprehendit eum, dixitq; ei, O exiguâ fide prædite, quare dubitasti?

32 Et quum essent ingressi navigium, conquievit ventus.

33 Qui autem *erant* in navigio, venientes adoraverunt eum, dicentes, Verè Dei filius es.

Hîc describitur ambulatio super mare, primùm Christi, usque ad v.28. deinde Petri versib. reliquis. Ambulatio Christi describitur ex occasione, tempore, effectis, & effectuum correctione. Occasionem Christo ad hoc miraculum præbuerunt res duæ: discessio discipulorum ipso relicto, & eorundem retentio in medio maris. Discessio discipulorum describitur è causa impulsiva, videl. mandato Christi, v.22. Remansio Christi describitur è causis finalibus duabus: una, ut dimitteret turbam: altera, ut oraret, v.23. Retentio discipulorum in medio maris descibitur è causa efficiente, videl. vento contrario, v.24. Tempus, quo ad discipulos ambulavit super mare Dominus, fuit quarta vigilia noctis, v.25. Effecta conspectæ hujus ambulationis fuerunt in discipulis tria: opinio spectri, terror & clamor, v.26. Correctio illorum effectuum fuit per sermonem Christi: quo & opinionem spectri eis exemit, affirmans se ipsum esse: & terrorem; jubens eos confidere; nec timere. Atque hæc de ambulatione Christi. Jam ambulatio Petri describitur ex occasione, ex causis procreantibus, ex modo seu forma, ex adjuncta corruptione, & ex eventis. Occasionem huic miraculo præbuit, quòd Petrus agnovit Dominum super mare ambulantem: id quod colligitur ex ipsius verbis, dicentis, *Domine, si tu es* (id est, quia tu es. nam sic esse intelligendum, apparet ex verbis sequentibus) *jube me ad te venire.* nisi enim Dominum agnovisset, & ipsum esse credidisset: nunquam fuisset paratus ad demittendum se in mare, illius jussu. Causæ procreantes fuerunt; petitio Petri, quâ petiit à Domino mandatum ambulandi, v.28. mandatum Christi, quo jussit eum venire, in principio v.29. & obedientia Petri profecta ex fide: quæ significatur illis verbis, *Et quum descendisset, &c.* Modus ambulationis describitur è suis terminis, videl. à quo & ad quem. Ambulavit à navi ad Jesum, v.29. Corruptio miraculi fuit, quòd Petrus cœpit demergi, v.30. Hæc demersio describitur à causis & effectis. Causa indicatur duplex: prior externa & per accidens, videl. ventus validus à Petro perceptus: altera interna & per se, videl. timor Petri, v.30. Effecta indicantur tria: imploratio opis Domini, in fine v.30. impetratio opis illius: quæ quidem describitur ex modo, videl. apprehensione manus: & denique objurgatio propter pusillanimitatem, v.31. Eventa tum hujus tum præcedentis miraculi indicantur duo: unum,

num, quies venti, v.32. alterum, adoratio Christi ab iis qui erant in navi, v.33.

QUARTA PARS.

De sanatione ægrotorum in terra Genesareth.

34 Et quum trajecissent, venerunt in terram Genesareth.

35 Et quum agnovissent eum viri loci illius, miserunt in totam circumjacentem regionem illam: & obtulerunt ei omnes malè affectos.

36 Et precabantur eum ut solùm tangerent fimbriam pallii ipsius; & quotquot tetigerunt, conservati sunt.

Sanatio ægrotorum in terra Genesareth describitur ex occasione qua Christus eò pervênit, ex occasione ipsius rei gerendæ, ex causis impulsivis, & ex forma seu modo agendi. Occasio quâ Christus in terram Genesareth vênit, fuit nocturna illa navigatio de qua in historia præcedente, vers. 34. Occasio rei gerendæ fuit agnitio Jesu ab illius terræ incolis, in principio v.35. Causæ impulsivæ fuerunt, petitio incolarum offerentium illi omnes malè affectos, non solùm suæ regionis, sed etiam circumjacentis, reliquâ parte v.35. & petitio ipsorum ægrotorum, in principio v.36. Modus agendi fuit contactus fimbriæ tunicæ Jesu, v.36.

SCHOLIA IN CAP. XIV.

1 Tetrarcha] ὁ τετράρχης. *Nempe tetrarcha Galilææ, ut exprimitur Luc.3.v.1. Nam sub illo prodiit Johannes Baptista ad prædicandum, ut habetur ibid. v.2. & 3. Non longè autem post Johannem surrexit & Christus ad prædicandum in Galilæa: ut testatur Matth. supr. c.4.v.12. & seqq.* Famam de Jesu] τὴν ἀκοὴν Ἰησοῦ. *Ad verb.* Auditionem Jesu. *Genitivus notat subjectum occupans. Auditio autem pro fama dicitur per metonymiam adjuncti Hebraicam.*

2 Pueris suis] τοῖς παισὶν αὐτοῦ. *Id est, ministris suis: ut sit synecdoche speciei Hebraica: quia ministrorum pleriq; sunt pueri. Et sic Josua jam vir, nominatur tamen puer Mosis. Vel,* παισὶν *vertendum hic est,* servis.

3 Vinxerat] ἔδησεν. *Scil. jam antè quàm Christus cœpisset in Galilæa prædicare: ut testatur Evangelista sup. c.4.v.12. & sequentibus. Quare ista narratio hic extra ordinem historiæ inseritur ad declarandum sermonem illum Herodis de nece & resurrectione Johannis.* Conjecerat in carcerem] ἔθετο ἐν φυλακῇ. *Vel ad verb.* Posuerat in carcere.

5 Timebat turbam] ἐφοβήθη τὸν ὄχλον. *Id est, Non tamen occidebat, propterea quòd timebat turbam. Metonymia efficientis & synecd. membri. nam ex efficiente, & unà cum illo, intelligitur effectum.*

6 Quum autem agerentur natalitia Herodis] γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ Ἡρώδου. *Id est, quum celebraretur convivium solenne in memoriam diei natalis Herodis.* In medio] ἐν τῷ μέσῳ. *In conspectu convivantium.* Et placuerat Herodi] καὶ ἤρεσε τῷ Ἡρώδῃ. *Marcus addit, Et iis qui simul accumbebant.*

7 Spoponderat ei] ὡμολόγησεν αὐτῇ. *Ad verb.* Confessus fuerat ei] *Pro,* ὑπέσχετο αὐτῇ. *Pollicitus fuerat ei. Synecd. generis καταχρηστική. Confiteri, pro confiteri seu promittere se præstaturum id de quo fit stipulatio: & hoc modo promittere, pro polliceri ultrò absque stipulatione. Vide annotationes D. Bezæ. Puto autem pronomen* αὐτῇ *pendêre ac regi à verbo* ὡμολόγησεν: *atque hoc ipsum percipi ex modò allata expositione. Ad verbum autem* δοῦναι, *quod sequitur, subaudiendum est alterum pronomen* αὐτῇ, *& præterea pronomen* ἑαυτόν.

8 Producta] προβιβασθεῖσα. *Subordinata, instincta, instructa, informata. Vel, argumentis antè inducta ac persuasa.*

9 Propter jusjurandum] διὰ τοὺς ὅρκους. *Ad verb.* Propter juramenta. *Enallage numeri.* Et eos qui simul accumbebant] καὶ τοὺς συνανακειμένους. *Quasi dicat, Non tam quòd metueret vindictam Dei, si non servaret jusjurandum: quàm quòd metueret ne à convivis haberetur levis atq; inconstans.*

10 Misso spiculatore] πέμψας. *Scil.* σπεκουλάτωρα, *ut exprimit Marcus c.6.v.27. Dicebantur autem spiculatores, Romanâ voce, satellites qui spicula gerebant ad defendendum corpus regis.* Decollaverat] ἀπεκεφάλισε. *Idq; contra morem veterum Romanorum: de quo in Fragmentis Varronis recitantur hæc verba:* Id moris institutique majores nostri tenuerant, ut cùm die natali munus annale genio solverent, manum à cæde ac sanguine abstinerent: ne die qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent.

11 Puellæ] τῷ κορασίῳ. *Nempe filiæ Herodiadis, cujus antè facta mentio: id quod innuit articulus.*

13 *Illa* igitur quum audisset Jesus] καὶ ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς. *Intellige illa quæ narrata sunt in principio capitis, videl. illum sermonem Herodis de ipso. Hactenus enim per digressionem inserta fuit narratio de nece Johannis, ad sermonem illum Herodis declarandum: Nunc redit Evangelista ad narrationem in principio capitis inchoatam: & causam significat cur Christus ex urbibus Galilææ secesserit, nempe quia Herodes audierat famam de illo, ac proinde cupiebat eum videre, sicut disertè narrat Luc. cap.9.v.9. Marcus autem alteram causam hujus secessus indicat, nempe ut unà cum discipulis paululum requiesceret, Marc.6.31.* Illinc] ἐκεῖθεν. *Nempe ex patria sua, suprà 13.54. & omnino ex urbibus Galilææ, quas paulò antè obierat prædicando Evangelium & miracula edendo: ut liquet ex c.11.v.1. & deinceps. Abiit autem trans mare Galilææ quod est Tiberiadis: ut tradit Johan.c.6.v.1.* In desertum locum] εἰς ἔρημον τόπον. *Lucas addit,* Urbis quæ vocatur Bethsaïda, *Luc.9.v.10.* Privatim] κατ᾽ ἰδίαν. *Veruntamen assumtis discipulis, ut ibid. ait Lucas, & liquet ex seqq.* Pedibus] πεζῇ. *Seu, pedestri itinere:* zu fuß.

14 Egressus] ἐξελθών. *Videl. è secessu in quem se abdiderat.* Misericordiâ commotus est] ἐσπλαγχνίσθη. *Verbum* σπλαγχνίζεσθαι *valde emphaticum est, notans affectum commiserationis vehementem, qua ipsa viscera, & maximè cor, commoventur: factum à nomine* τὰ σπλάγχνα, *id est, viscera. Et sic phrasi Hebraicâ dicuntur* σπλάγχνα ἐλέους, *viscera misericordiæ, pro misericordia maxima. Vide Luc.1.v.78. in cantico Zachariæ. Porrò Marcus causam hujus commiserationis addit his verbis,* Quia erant sicut oves non habentes pastorem. Sanavitque] καὶ ἐθεράπευσε. *Pro,* ἰάσατο. *Nam* θεραπεύειν *propriè est curare seu mederi. Accipitur ergo hic (ut & alibi passim apud Evangelistas) per metonymiam effecti destinati καταχρηστικῶς. Etenim Christus nulla medicamenta ad sanandum adhibuit, sed sanavit solo verbo atq; imperio suo. Sed præterquam quòd sanavit eorum ægrotos, docuit eos multis verbis de regno Dei, Marc.6.v.34. Luc.9.v.11.*

15 Quum autem serum diei esset] ὀψίας δὲ γενομένης. *Vel,* Vesperâ autem factâ. *Ad nomen* ὀψίας, *quod est adjectivum, subaudiendum est nomen substantivum* ὥρας. *Ad verbum igitur sonat,* Verspertino *sive serotino* tempore *facto. Cæterùm ante hæc gesta præcessit prædicatio Jesu, de qua modò dictum.* Locus] ὁ τόπος. *Nempe hic locus in quo sumus: id quod notat articulus. In Latino tamen pronomen demonstrativum elegantiùs omittitur.* Tempus] ἡ ὥρα. *Nempe tempus diurnum. Id quod innuit articulus.* Dimitte] ἀπόλυσον. *Pro,* ἀπόλυσον οὖν. Dimitte igitur. *Hanc enim sententiam ex præcedente deducunt. Veruntamen Johannes hæc narrat paulò aliter, nempe quòd Jesus Philippum tentans interrogaverit, Unde ememus panes &c. Joh.6.v.5.6. Sed ista non pugnant: quia utrumq; fieri potuit: ut & Jesus Philippum interrogaret, & discipuli ipsum hortarentur ad turbam dimittendam: quum ex responso Philippi, atq; adeò ex reipsâ intellexissent, se destitui facultate illos cibandi.*

17 Non habemus hîc nisi quinque panes &c.] *Apud Johannem additur,* Sed hæc quid sunt inter tam multos? *Johan.6.v.9. Idem ait, fuisse panes hordeaceos.*

18 Ferte] φέρετε. *Id est, Adferte. Virgil.* Ferte citi flammas.

19 Per herbas] ἐπὶ τοὺς χόρτους. *Super gramina,* auf das grase. Discumbere] ἀνακλιθῆναι. *Marcus addit,* συμπόσια συμπόσια, *id est,* per convivia, *hoc est, ita ut distribuerentur in minores cœtus, quanti scil. esse solent in conviviis. Lucas verò ait, jussos esse discumbere* κλισίας ἀνὰ πεντήκοντα, *id est,* quinquagenos per singulos quosque discubitus. *Deniq; Marcus ait, quòd discubuerint* πρασιαὶ πρασιαὶ ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα, *i.e.* per areolas distributi in centenos & quinquagenos: *nempe (meâ quidem opinione) ut essent centeni in longitudinem dispositi & quinquageni in latitudinem. Ex tali enim dispositione exsurgit ille numerus istius turbæ, videl. quinquies mille, qui postea indicatur. Vide (si placet) scholia nostra in Evangelium Johannis.* Benedixit] εὐλόγησε. *Lucas ait,* εὐλόγησεν αὐτούς. *Scil.* τοὺς πέντε ἄρτους καὶ τοὺς δύο ἰχθύας. *Quod sonat,* Benedixit illos: *videl. quinq; illos panes & duos illos pisces. Johannes autem ait,* καὶ εὐχαριστήσας *&c. Id est,* Et gratiis actis, *seu,* quum gratias egisset, *nempe Deo Patri. Quare illud Lucæ dictum est per ellipsin quandam Hebraicam: q.d.* εὐλογήσας τῷ Θεῷ ἡγίασεν αὐτούς: *Benedicens Deo sanctificavit eos. Sanctificatur enim, teste Apostolo, cibus per preces, 1.Tim.4.5. Simile exemplum occurrit 1.Cor.10.16.* τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν: Poculum benedictionis quod benedicimus: *id est, quod sanctificamus benedicentes Deo.* Panes] τοὺς ἄρτους. *Id est, frusta illa panum quæ creaverat per quinq; illorum panum fractionem.*

20 Reliquias, duodecim cophinos] τὸ περισσεῦον, δώδεκα κοφίνους. *Appositio. Pro, reliquiarum duodecim cophinos.*

22 In ripam ulteriorem] εἰς τὸ πέραν. *Subaudiendum,* μέρος τῆς γῆς. *Integrum esset sic:* εἰς τὸ μέρος τῆς γῆς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης: *in eam terræ partem quæ ultra mare sita erat. Est autem hîc intelligenda non altera ripa totius lacus, sed ripa sinus interjacentis inter Bethsaïda & Capernaüm. Etenim ingressi navigium, profecti sunt trans mare Capernaüm versus, Joh.6.17. Bethsaïda autem unde solverunt, & Capernaüm quò iverunt, in eâdem lacus ripâ fuerunt sita. Atq; hoc ipsum expressit Marcus, quum ait quòd Jesus jusserit discipulos præire* εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν, *id est,* in ulteriorem ripam respectu Bethsaïdæ: *seu,* in ulteriorem ripam Bethsaïdæ oppositam, *ut bene D. Beza in ultima editione reddidit.*

23 Ad orandum] προσεύξασθαι. *Subauditur antè quidem,* τοῦ: *ponè verò,* ἕνεκα. *nam integrum esset,* τοῦ προσεύξασθαι ἕνεκα. *Johannes indicat & alteram causam, videlicet ne ipsum correptum facerent regem, Joh.6 15.*

24 In medio maris] μέσον τῆς θαλάσσης. *Id est,* ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης, *ut loquitur Marcus. Ante nomen* μέσον *subaudiri oportet præ-*

positionem ἀνὰ vel ✡. Eâdem ellipsi utimur & nos, dicentes, Mitten auf dem meer. *quanquam hic potiùs trajectio est præpositionis: rectus enim ordo vocum esset,* Auf der mitte des meers.
Vexatum] *βασανιζόμενον. Pro, κλυδωνιζόμενον, jactatum. Metaphora κατὰ ἀναλογίαν, ab hominibus qui tormentis excruciantur. nam βάσανοι sunt tormenta: ut Luc.16.23. de divite epulone dicitur, ὑπάρχων ἐν βασάνοις quum esset in tormentis.*

25 Vigiliâ] *φυλακῇ. Vox Græca propriè significat custodiam: hic verò per meton. adjuncti significat eam noctis partem qua certi custodes excubant ac vigilant. unde Latini per eundem tropum Vigiliam nominarunt. Hinc φυλάσσειν φυλακὰς, agere vigilias, Luc.2.8. Cæterùm de distributione noctis in quatuor vigilias apud veteres usitatâ, vide annotationes D. Bezæ.*

26 Ex timore] *ἀπὸ τοῦ φόβου. Sive, à timore. Alii, Præ metu. Vide suprà 13.44. ad illa verba, ἀπὸ τῆς χαρᾶς.* Timore *autem malui, quàm* Metu: *quia mox sequitur, μὴ φοβεῖσθε, ne timete. Et sic loquitur Virgilius:*

———Mœstumque timorem Mittite.

29 Ut veniret] *ἐλθεῖν. Pro, τοῦ ἐλθεῖν, scil. ἕνεκα.*

30 Videns autem ventum *esse* validum] *βλέπων δὲ τὸν ἄνεμον ἰσχυρόν. Puto articulum postulare ut subaudiatur εἶναι. Et idem judicavit quoq; Syrus, ut qui verterit:* Videns autem ventum quòd durus esset.

31 Quare] *εἰς τί. Ad verb. Ad quid? expressâ scil. voce Hebraicâ* לָמָּה *lamâh. Pro, διατί, propter quid, quare, cur.* Dubitasti] *ἐδίστασας. Διστάζειν (ut tradunt Grammatici) est οἱονεὶ δύο στάσεις ἔχειν κατὰ διάνοιαν, id est, duas quasi stationes habere in mente: quum scil. animus (ut scitè Virgilius loquitur)* se nunc dividit huc, nunc dividit illuc.

32 Conquievit] *ἐκόπασεν. Scil. quasi ἀπὸ τοῦ κόπου, fractus labore flandi. Verbum κοπάζειν videtur propriè significare, Conquiescere ab ira: quod colligo ex exemplo, quod in Thesauro Henr. Stephani affertur tanquam ex libro Judith, ubi tamen reperire non potui: καὶ τότε ἐκόπασεν ὁ βασιλεὺς ἀπὸ τοῦ θυμοῦ. Deinde per metaphoram illustrem (quam ἐνάργειαν vocant) tribuitur rebus inanimis cum impetu grassantibus & tanquam iratis, ut vento & igni. De vento exemplum exstat hic, & item Marc.6.51. & 4.39. De igne verò Num.11.2. ubi de igne qui divinitùs immissus extrema Israëlitarum castra consumebat, dicitur: καὶ ηὔξατο Μωϋσῆς πρὸς κύριον, καὶ ἐκόπασε τὸ πῦρ.*

33 Qui autem *erant* in navigio] *οἱ δὲ ἐν τῷ πλοίῳ. Subauditur, ὄντες.*

34 Venerunt in terram Gennesaret] *ἦλθον εἰς τὴν γῆν Γεννησαρέτ. Petebant quidem Capernaümum, teste Johan.c.6.v.17. at vi tempestatis impediti non eò usq; navigando pervenerunt: sed postridie demum eò ambularunt, ut colligi potest ex iis qua narrat Johannes c.6. à v.22. usq; ad v.26. Venerunt igitur quidem sub finem illius noctis in regionem ubi sita erat Capernaüm, ut liquet ex Joh.c.6.v.17. & 21. inter se collatis: at non assecuti sunt ipsam urbem.*

35 Miserunt] *ἀπέστειλαν. Scil. homines. Phrasis elliptica.*

36 Ut solùm tangerent] *ἵνα μόνον ἅψωνται. Id est, ut sibi tantùm permitteret tangere. Metonymia subjecti.* Conservati sunt] *διεσώθησαν. Id est, Sanati seu liberati tum à morbis, tum ab aliis pravis corporis affectionibus.*

OBSERVAT. EX CAP. XIV.

Opinio Judæorum de reditu defunctorum in hanc vitam. 1 Ex v.1. & 2. Ex hoc loco colligitur, receptam apud Judæos opinionem fuisse, viros excellentes post aliquod temporis intervallum ex mortuis resurgere ad hanc vitam. quod ipsum colligitur quoque ex Matth.16.v.14. & Joh.1.v.21. Videtur autem ista opinio nata ex falsa interpretatione vaticinii de adventu Eliæ, Malachiæ ultimo. quod vaticinium quum intelligendum sit de Johanne Baptista, teste Angelo Luc.1.v.17. & Christo suprà 11. v.14. propter similem spiritum & simile officium: Judæi illud propriè & secundùm literam de Elia Thesbite intellexerunt, quasi is in hanc vitam rediturus esset. Diversa fuit opinio Pythagoræ: *Opinio Pythagoræ de migratione animarum.* quòd scil. animæ morientium transmigrarent in corpora nascentium, & quidem non solùm hominū, sed etiam bestiarum. Utraq; opinio falsa est: quia verbo Dei repugnat: quod testatur, animas quæ ex corporibus morientium excesserint, in fine demum mundi in illa redituras: nisi Deo placuerit, nonnullas extra ordinem ante id tempus in corpora sua revocare ad hanc vitam: quod quidem paucis nonnullis accidisse, sacra historia testatur. Id autem quum fit, fit miraculo in omnium oculos incurrente.

Consolatio fidelium dictorum contra odium & persecutionem mundi. 2 Ex v.3.4.5.10. & 11. Si minister verbi propter fidelem administrationem muneris sui experiatur offensam & odium atque persecutionem hominum: consoletur se exemplo Johannis Baptistæ, cui idem accidit.

Ministrorum verbi officiū. 3 Ex v.4. Minister verbi non debet connivere ad scelera magnatum: sed illos liberè arguere: exemplo Johannis Baptistæ, liberè reprehendentis regem Herodem, propter adulterium cum Herodiade. Simili libertate Achabum regem reprehendit Elias propter idololatriam.

Saltationes. 4 Ex v.6. Saltationes libidinosæ fugiendæ sunt: quia scil. pugnant cum præcepto Dei, Ne adultereris. Plura de hac re diximus sup. ad v.17.c.11.

Juramentū. 5 Ex v.7. Non temere jurandum, nec quidlibet jurejurando promittendum. Nam temeritas jurandi pugnat cum præcepto Dei, *Nomen Jehovæ Dei tui ne sumito in vanum.* Et impia ut facere, ita & promittere non licet: multò minùs promittere adhibito jurejurando. Bis igitur peccavit jurando Herodes: semel quòd juravit temere, ex levi scil. causa, nempe ut gratiam referret saltatriculæ propter libidinosam saltationem: semel quòd cum jurejurando promisit illi, quicquid esset petitura, absq; exceptione rerum illicitarum. Etsi probabile est, illum verba sua non nisi de rebus licitis intellexisse: id quod colligitur ex verbis quæ adduntur à Marco, nempe, *Usque ad dimidium regni mei.* Quæ cùm sit species rei licitæ, apparet, generale illud verbum, *Quicquid petieris*, de rebus licitis ab Herode intellectum fuisse.

6 Ex v.8. Filii diaboli quum cædem piorum quos oderunt, apertâ vi perficere non possunt: moliuntur eam per speciem juris, id est, per sophisticam juris interpretationem. Sicut videmus in Herodiade: quæ quum Johanni jamdudum insidiaretur, eumque occidere vellet nec posset, teste Marco: nunc opprimendi ejus occasionem nacta, sophisticè interpretatur promissionem Herodis: quod ille de rebus licitis (ut paulo antè ostendimus) intellexerat, extendendo ad res illicitas: ac proinde ex promissione petendo caput Johannis Baptistæ: quæ nimirum erat species juris. Simile exemplum vide in Jesabele procurante cædem Nabothi: item in primoribus Judæorum procurantibus cædem Christi. Sed nos hanc sophisticam detestemur. *Filiorū diaboli ingeniū.*

7 Ex v.9. Jusjurandum quo res illicita promissa est, non est præstandum. Sic enim peccatum duplicaretur. Itaque Herodes peccatum duplicavit, quum impium jusjurandum filiæ Herodiadis servavit. Sic peccatum duplicant, imò multiplicant, qui vota monastica hodie usitata servant. Multiplicant, dico: quia tales ad multa illicita sese obstringunt: verbi gratiâ, ad continentiam cujus donum non habent, ad idololatriam & superstitiones, ad negandum parentibus obedientiam debitam. *Juramentū.*

8 Ex vers.12. Corpora piorum defunctorum honestè sepelienda sunt. *Sepultura.*

9 Ex v.13. Pericula, quatenus salvo officio fieri potest, declinanda sunt: exemplo Christi qui secessione declinavit insidias Herodis. *Pericula.*

10 Ex eod.v. Occasio audiendi pios doctores non est negligenda, sed vel cum molestia amplectenda: exemplo turbæ sequentis Jesum secedentem, audiendi ex ipso verbi Dei causâ. *Auditio verbi Dei.*

11 Ex v.14. Philanthropia Christi & promtitudo benefaciendi isti turbæ opem ejus imploranti, commovere nos debet ad opem ejus in necessitatibus implorandam. *Christi philanthropia.*

12 Ex v.15. & sequentibus. Christus abundè & (si opus sit) mirabiliter victum procurat iis qui verbum ipsius studiosè audiunt: idque juxta promissionem, *Quærite principiò regnum Dei & justitiam ejus: & cætera vobis adjicientur*: suprà cap.6.v.penult. Quare verbum Dei studiosè audiamus, ac pietati sedulò operam demus, freti paternâ Dei erga nos providentiâ & pro nobis solicitudine. *Auditio verbi Dei.*

13 Ex v.20. Reliquiæ cibi asservandæ sunt ad futuram necessitatem. *Cibus.*

14 Ex v.22. & sequentibus. Qui obediunt Christo, interdum in adversitates incidunt: sed in illis à Christo non deseruntur. Quare spe opis à Christo ferendæ alacriter ejus mandatis obediamus. *Obedientia erga Christū.*

15 Ex v.23. Pastorem Ecclesiæ, nec non doctorem, assiduè exemplo Christi orare oportet, ut Deus laboribus suis benedicat. *Officium ministrorum verbi Dei.*

16 Ex v.26. & 27. Quòd tam facilè ac tam vehementer terremur spectris, in causa est defectus fidei. Quare oremus Deum ut augeat nobis fidem. *Spectra.*

17 Ex v.28. & 29. Fide efficere possumus quæ per naturam impossibilia sunt. Fides autem nititur promissione Dei. *Fides.*

18 Ex v.49. Ineptè ratiocinantur Ubiquitarii, corpus Christi dissimile esse nostro, quia ambularit super aquas. nam & Petrus super aquas ambulavit: nec tamen corpus illius dissimile nostro fuit. Ineptè etiam ex ambulatione illa colligunt, Christi corpus tunc naturali suâ gravitate exutum fuisse; quasi verò non potuerit gravitatem suam retinens, sustentari virtute divinâ: sicut & corpus Petri sustentatum fuit. Par, ne dicam major, ineptia atque inscitia est, quum contendunt, corpus Christi dimensionibus suis exutum fuisse, quia penetrârit lapidem sepulchri & januas clausas. At primò pro certo affirmant quod testimonio verbi Dei probare non possunt, nempe Christum suo corpore lapidem sepulchri & januam clausam penetrasse. Deinde si maximè id probare possent: tamen inde non sequitur, ipsum Christi corpus dimensionibus suis exutum tunc fuisse: quia pôtuit sic penetrare, ut lapis & janua eâ parte quâ penetravit undiquaque cederent versus extrema, ac tum in locum pristinum redirent, ut fit quum quis penetrat aërem vel aquam. *Corpus Christi.*

19 Ex v.30. & 31. In Petro proponitur nobis exemplum nostræ ὀλιγοπιστίας. Quare oremus Deum ut augeat nobis fidem. *Ὀλιγοπιστίας exemplum.*

20 Ex v.33. Adoratio debetur Christo, quia est Filius Dei, nempe Filius ille Dei unigenitus, idemque verus Deus unà cum Patre & Spiritu S. Falsum igitur tradunt qui contendunt, carnem Christi adorandam esse. quod nimirum ideò contendunt, ut *Adoratio Christi.*

pari ra-

pari ratione obtineant, illam esse ubique. Etenim si una proprietas naturæ divinæ tribuatur carni CHRISTI, cæteras quoque omnes tribui necesse est: quia proprietates naturæ divinæ non possunt à se invicem separari, quum sint ipsa simplicissima DEI essentia. Adorabilitas autem proprietas naturæ divinæ est: quum sit proprium consequens omnipotentiæ, omniscientiæ atque omnipræsentiæ. Ideo enim Deus adorabilis est, & quidem solus: quia ipse solus est omnipotens, omniscius, omnipræsens, denique infinitâ majestate & gloriâ præditus. At caro Christi non est omnipotens, nec omniscia, nec omnipræsens seu ubique: denique caro Christi non est Deus. Ergo nec adorabilis est. Interim verum est, Deum in carne manifestatum seu Filium Dei incarnatum adorandum esse. Sicut verum est, regem coronam & sceptrum gestantem adorari civiliter debere: licet non sit adorandus propterea quòd coronam ac sceptrum gerit, sed propterea quòd Rex est: adorandus etiam tunc quum coronam & sceptrum non gerit. Coronam autem & sceptrum adorare stultum esset, etiam tunc quum à rege gestantur.

Ægroti. 21 Ex v.35. Si habeamus ægrotos, oremus pro illis Deum ut eos sanet. Confer Jacob.5.v.14. & seqq.

Christus medicus animarum. 22 Ex v.36. Sicut Christus sanavit illos ægrotos corporaliter, quotquot attigerunt fimbriam pallii ejus: ita etiamnum hodie sanat ægrotos spiritualiter, quotquot ipsum attingunt fide. Etenim ipse morbos nostros bajulavit, & vibicibus ejus sanati sumus, Esa.53. 1.Pet.2. v.penult. Et ipse est medicus & curator animarum nostrarum, sup.cap.9.v.12. 1.Pet.2.v.ult.

ANALYSIS CAP. XV.

ARGUMENTUM.

In hoc capite narrantur quatuor. Primùm disceptatio Christi cum Scribis & Pharisæis Hierosolymitanis, usq; ad v.21. Deinde sanatio puellæ dæmoniacæ Chananææ, usq; ad v.29. Tum sanatio multorum ac variorum ægrotorum, usq; ad v.32. Postremò cibatio quater mille virorum per septem panes, usq; ad finem capitis.

PRIMA PARS.

Disceptatio Christi cum Scribis & Pharisæis.

TUnc accedunt ad Jesum Hierosolymitani quidam Scribæ & Pharisæi, dicentes,

2 Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? Non enim lavant manus suas, quum edunt panem.

3 At ille respondens dixit eis, Quare & vos transgredimini mandatum DEI per traditionem vestram?

4 Nam Deus mandavit, dicens, Honora patrem tuum & matrem: &, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.

5 Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri aut matri, Donum erit quocunque à me juvari posses; & *ita* nequaquam honoraverit patrem suum aut matrem suam, *insons erit*.

6 Et irritum fecistis mandatum Dei per traditionem vestram.

7 Hypocritæ, bene de vobis prophetavit Esaias, dicens:

8 Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat: cor autem eorum procul abest à me.

9 Sed frustra me colunt, docentes doctrinas mandata hominum.

10 Et advocatâ turbâ dixit eis, Audite & intelligite.

11 Non quod ingreditur in os, communem reddit hominem; sed quod egreditur ex ore, hoc communem reddit hominem.

12 Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt ei, Nosti Pharisæos audito sermone isto offensos fuisse?

13 Ipse verò respondens dixit, Omnis planta quam non plantavit pater ille meus cælestis, eradicabitur.

14 Sinite eos: duces sunt cæci cæcorum. Porrò si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadent.

15 Respondens autem Petrus dixit ei, Edissere nobis parabolam istam.

16 Jesus autem dixit, Adhuc & vos intelligentiâ caretis?

17 Nondum intelligitis, quicquid ingreditur in os, in ventrem cedere, & in latrinam ejici?

18 Quæ autem prodeunt ex ore, ex ipso corde egrediuntur: & illa communem reddunt hominem.

19 Nam ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia, maledicta.

20 Hæc sunt quæ communem reddunt hominem: illotis autem manibus vesci, hominem non reddit communem.

Disceptatio Christi cum Scribis & Pharisæis fuit de cultu Dei: an scilicet Deus colatur per traditiones humanas? Item, an magis Deo placeat cultus cærimonialis quàm moralis? In hac disceptatione narranda primùm indicatur occasio. Et fuit reprehensio Scribarum & Pharisæorum qua reprehenderunt Christum quòd permitteret discipulis suis transgredi traditionem seniorum, quatenus non lavabant manus cibum capturi, v.1.& 2. Ex qua reprehensione intelligitur, illos affirmasse, quòd Deus colatur per traditiones humanas. Deinde subjicitur recriminatio, qua Christus illos recriminatur, quòd transgrediantur mandatum Dei propter suam traditionem. Quam quidem criminationem probat exemplo quinti præcepti decalogi, quo Deus mandavit honorari parentes: quem honorem minuebat præceptum Scribarum & Pharisæorum, quo præcipiebant offerri Deo illas facultates quibus poterat succurri inopiæ parentum, v.4.5. & 6. Ex qua criminatione intelligitur, illos affirmasse, quòd Deo magis placeat cultus cærimonialis quàm moralis: Christum autem idem negare. Tertiò additur reprehensio hypocriseos Scribarum & Pharisæorum: quam Christus illustrat exemplo veteris populi: quod allegat ex Esaiæ vigesimonono: eâdemque operâ traditiones Pharisaicas damnat ac rejicit, v.7.8.& 9. Unde percipitur, Christum negare quòd Deus colatur per traditiones humanas. Quartò reprehensionem illam Scribarum & Pharisæorum diluit Christus sententiâ generali, qua negat cibis (quomodocunque illi in os ingerantur) pollui hominem. Quam sententiam illustrat sententiâ simili è contrariis, affirmans hominem pollui rebus quæ ex ore egrediuntur, videl. impiis verbis, v.10. & 11. Cæterùm ex illa refutatione rursum percipitur, Christum negare quòd Deus colatur per traditiones humanas. Quintò admonitus Christus, Pharisæos illo ipsius sermone fuisse offensos: pronuntiat, illos tanquam plantas degeneres à Deo eradicatum iri: item monet esse vitandos, quia falsis suis doctrinis homines in exitium adducant, v.12.13.& 14. Sextò rogatus Christus à Petro, ut sermonem illum suum (quem ipse propter apparentem sibi obscuritatem parabolam appellat) sibi cæterisq; Apostolis explicet: primùm graviter eos nomine stupiditatis reprehendit; deinde sermonem illum suum declarat, à v.15. usq; ad 21.

SECUNDA PARS.

Sanatio puellæ dæmoniacæ.

21 Et egressus illinc Jesus secessit in partes Tyri & Sidonis.

22 Et ecce mulier Chananæa è finibus illis egressa, clamavit, dicens ei, Miserere mei, domine, fili David; filia mea malè à dæmonio vexatur.

23 Ille verò non respondit ei *vel* verbum. Tunc accedentes discipuli ejus rogarunt eum, dicentes, Dimitte eam: nam clamat post nos.

24 Ipse verò respondens dixit, Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israël.

25 Illa autem venit & adoravit eum, dicens; Domine, succurre mihi.

26 Ipse verò respondens dixit, Non est pulchrum accipere panem liberorum, & objicere catellis.

27 Ipsa autem dixit, Etiam domine. Etenim catelli vescuntur micis quæ cadunt è mensa dominorum suorum.

28 Tunc respondens Jesus dixit ei, O mulier! Magna *est* fides tua: fiat tibi ut vis. Et sanata fuit filia ejus ab eo momento.

In describenda sanatione puellæ dæmoniacæ, Evangelista primùm indicat locum ubi res gesta fuit, videl. in partibus Tyri & Sidonis, v.21. Deinde causam impulsivam quæ Christum ad illam sanandam movit, videl. petitionem matris puellæ; cui petitioni occasionem præbuit vicinia Christi, v.22. Tertiò narrat, quid sanationem antecesserit, videl. petitionis recusatio & contrà petentis instantia, nec non prædicatio fidei illius mulieris. Recusatio autem illa describitur per tres gradus: quorum primus fuit, quòd Christus mulieri illi opem suam pro filia imploranti nihil prorsus respondit: quod silentium habebat speciem contemtus & recusationis, vers.23. Secundus gradus fuit, quòd Christus à discipulis rogatus, ut voluntatem suam verbis declararet, atq; ita clamorem mulieris compesceret, respondit se non esse missum nisi ad oves perditas domus Israël. quibus verbis innuere videbatur, non esse sui officii benefacere Chananæis aliisve extraneis à populo Dei alienis. quo responso jam apertè mulieri isti, utpote Chananææ, opem suam recusare videbatur, v.23.& 24. Tertius gradus fuit, quòd Christus, quum mulier illa

propiùs accessisset, eumq; adoraret & opem ejus iterum imploraret: respondit, non esse bonum accipere panem liberorum & objicere catellis. quibus verbis innuebat, rem, esse indignam quam mulier illa petebat: atque ita opem suam iterum recusare videbatur, v.25. & 26. Hoc responsum quum mulier scite inverteret, significans se micis gratiæ Christi tanquam catellum cui à Christo fuerat comparata, contentam fore: plenitudinem autem gratiæ illius non invidere Judæis tanquam filiis, sed æquo animo eis relinquere: Christus erupit in prædicationem fidei ipsius, suamque opem illi promisit, v.27. & 28. Postremò miraculum ipsum narratur, videlicet sanatio filiæ per illam promissionem promissionisque illius fidem in matre puellæ.

Tertia Pars.

Sanatio multorum ac variorum ægrotorum.

29 Et digressus illinc Jesus vênit ad mare Galilææ: & quum ascendisset in montem, consedit illic.

30 Tunc adiit eum turba multa, habens secum claudos, cæcos, mutos, mancos, & alios multos: & abjecerunt eos ad pedes Jesu: & sanavit eos:

31 Adeò ut turba mirata sit, quum videret mutos loquentes, mancos sanos, claudos ambulantes, & cæcos videntes. Et glorificarunt Deum Israël.

Sanationem multorum ac variorum ægrotorum narraturus Evangelista, primùm indicat locum ubi res gesta fuit: videl. juxta mare Galilææ, & quidem in monte, v.29. Deinde causam impulsivam quæ Christum ad illos sanandum movit, videl. petitionem turbæ ægrotos illos offerentis & ad pedes ejus abjicientis: ubi simul aliquot species ægritudinis illorum nominatim enumerantur, v.30. Tum sanationem ipsam indicat verbo generali, absque declaratione modi, in fine ejusdem versus. Postremò narrat miraculosæ illius sanationis effectum in turba, videl. admirationem & glorificationem Dei: ubi simul miracula illa amplificat per antithesin privantium, morbidis affectibus actiones sanas è regione opponens, v.31.

Quarta Pars.

Cibatio quater mille virorum per septem panes.

32 Jesus autem advocatis discipulis suis dixit, Commoveor misericordiâ erga turbam; quia jam triduum permanent apud me, & non habent quo vescantur: & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.

33 Tunc dicunt ei discipuli ejus. Unde nobis in deserto tot panes ut saturemus turbam tantam?

34 Dicit igitur eis Jesus, Quot panes habetis? Illi autem dixerunt, Septem, & paucos pisciculos.

35 Tunc jussit turbam dicumbere humi.

36 Et acceptis septem illis panibus ac piscibus; quum gratias egisset, fregit: deditque discipulis suis; discipuli verò turbæ.

37 Comederuntq; omnes & saturati sunt: & sustulerunt reliquias fragmentorum, septem sportas plenas.

38 Erant autem qui comederant, quater mille viri, absque mulieribus & puerulis.

39 Tunc dimissâ turbâ inscendit in navigium: vênitque in fines Magdala.

Miraculosam cibationem quater mille virorum narraturus Evangelista, primùm indicat causam impulsivam quæ Christum ad illos cibandum impulit, videlicet commiserationem ejus erga turbam famelicam: cui commiserationi occasionem præbuit triduana illius turbæ apud Christum in monte commoratio, v.32. Deinde significat causam corrumpentem, quæ cibationem illam videbatur impeditura, videl. defectum panum, v.33. Tertiò indicat materiam ex qua Christus tantum cibi creavit quantum opus erat ad homines illos cibandum, videl. panes septem, & paucos pisciculos, v.34. Quartò describit miraculi causas procreantes, seu modum agendi quem Christus in cibo illo creando & turbæ apponendo adhibuit. Hic modus agendi quinque partes continet. Primùm jussit turbam discumbere humi, v.35. quo mandato simul tacitè promittebat se illis præbiturum cibum unde saturarentur. Cui promissioni illos habuisse fidem, apparet ex ipsa obedientia erga mandatum: quæ hîc quidem non expressè narratur: veruntamen ex cohærentia sequentium satis percipitur. Nunquam enim Christus sese ad panes illis saturandis creandos accinxisset, nisi illi mandato ipsius promtè obedivissent. Secunda igitur actio Christi fuit, quòd panes illos septem ac pisciculos accepit: unde intelligendum relinquitur, quòd illos ante conspectum suum posuerit. Tertia ejus actio fuit, quòd pro illis panibus ac pisciculis gratias Deo Patri egit: ubi intelligendum relinquitur, quòd simul oraverit ut panibus illis & pisciculis benedictionem suam adderet, ut sufficerent ad turbam saturandam. Quarta actio fuit, quòd panes illos, nec non (ut videtur) pisciculos fregit, atque ita in partes distribuit: ubi intelligendum relinquitur, quòd inter frangendum tum panes tum pisciculos illos multiplicaverit. Quinta & postrema actio Christi fuit, quòd partes illas de panibus istis ac pisciculis fractas, dedit discipulis & per illos apposuit turbæ v.36. Atque sic describit miraculi causas procreantes. Quintò exponit miraculi illius eventa, ex quibus veritas ipsius demonstratur, videlicet quòd homines illi de illis panibus ac pisciculis sibi appositis comederint, & quidem omnes: quodque fuerint saturati. quæ ipsa saturatio demonstratur ex eventu alio, videlicet quòd reliquerint fragmentorum septem sportas plenas, v.37. Sextò miraculum istud amplificatur à numero eorum qui comederant, v.38. Postremò annectitur clausula de turbæ illius dimissione & Christi discessu in fines Magdala, pro qua regione Marcus nominat Dalmanutha: traditur autem sita fuisse in tribu Juda. Sanè ex hoc loco & Marci c.8.v.13.& 22. apparet, regionem illam sitam fuisse trans lacum Genesareth respectu Galilææ. dicitur enim Christus hoc loco inscendisse in navigium & venisse in fines Magdala: erat autem tunc juxta mare Galilææ, ut habetur suprà v.29. In Marco autem dicitur rursus ingressus navigium, abiisse in ripam ulteriorem (utiq; maris Galilææ sive lacus Genesareth) & venisse Bethsaidan: quam constat sitam fuisse in Galilæa.

SCHOLIA IN CAP. XV.

1 Hierosolymitani quidam Scribæ] *οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς. Subaudiendum ὄντες. Ad verb.* Qui ab (*id est*, ex) Hierosolymis erant Scribæ: *hoc est, Hierosolymitani. Sicut infr.27.57. de Josepho dicitur, Homo dives ἀπὸ Ἀριμαθαίας, pro ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, scil. ὤν: id est, Arimathaensis. Marcus habet, ἐλθόντες ἀπὸ Ἱεροσολύμων, qui venerant Hierosolymis. Sed an illud ἐλθόντες, hoc loco ad articulum οἱ possit (ex consuetudine scil. loquendi) subaudiri, equidem fateor me dubitare. Caterùm articulus οἱ hîc habet vim indefinitam ac particularem, ac ponitur pro, τινές: quo pronomine Marcus hîc utitur, dicens, τινὲς τῶν γραμματέων. Neque enim certè cuncti Scribæ & Pharisæi in Galilaam se contulerant, Domini aggrediendi causâ. Hac autem gesta esse in Galilæa, liquet ex Johan.7.1.*

2 Quum edunt] *ὅταν ἐσθίωσιν. Id est, quum esuri sunt. Enallage temporis.* Panem] *ἄρτον. id est, cibum. Synecdoche speciei Hebraica, κατ᾽ ἐξοχήν. Est enim panis principalis cibus. Estq; phrasis Hebraica, Edere panem: pro eo quod Latini dicunt, Cibum capere.*

3 Quare & vos transgredimini &c.] *διατί καὶ ὑμεῖς παραβαίνετε &c. Elegans ἀντέγκλημα, id est, recriminatio: repetitis scil. eisdem vocibus quibus adversarii in reprehendendo erant usi, per quandam ἀντανάκλασιν. Similis ἀντανάκλασις est 2.Reg.5.v.25. & 26. ubi quum Gehhazi, famulus Elisæi, ab hero interrogatus, undénam veniret, respondisset: Non* ivit *servus tuus huc aut illuc: excipit Elisæus: An non* iverat *cor meum, quum converteret se vir à curru suo obviam tibi?* Per traditionem] *διὰ τὴν παράδοσιν. Sic videtur rectè exponi, ex collatione Marci c.7.v.13. ubi habetur, Abrogantes sermonem Dei τῇ παραδόσει ὑμῶν, traditione vestrâ, id est, per traditionem vestram. Et in hac significatione præpositione διὰ regente accusativum, utuntur Attici: ut Demosth. Olynth.1. καὶ θεωρεῖ τὸν τρόπον δι᾽ ὃν μέγας γέγονεν, ἀσθενὴς ὢν τὸ κατ᾽ ἀρχὰς Φίλιππος. Potest tamen exponi, Propter traditionem. Potest tamen exponi, Propter traditionem, scil. servandam: h.e.* ut traditionem vestram servetis: *quæ verba habentur Marc.7.9.*

4 Patri aut matri] *πατέρα ἢ μητέρα. Id est, Sive patri, sive matri: distributivè. In Hebræo Exod.21.17. habetur,* Qui maledixerit patri & matri. *Ubi conjunctio copulativa* Et *non constituit enuntiatum copulativum ex parte antecedentis: sed simile enuntiatum annectit ζευγματικῶς: quasi dicatur, Qui maledixerit patri, morte plectitor: & similiter, qui maledixerit matri, morte plectitor.* Morte moriatur] *θανάτῳ τελευτάτω. Phrasis nata ex Hebraismo: qui est* מוֹת יוּמָת *móth jumáth, id est, moriendo mortificator: hoc est, Omnino plectitor. nam illa ἀναδίπλωσις notat vehementiam aut certitudinem. Sic Gen.2.17. Moriendo morieris: id est, Certissimè morieris.*

5 Donum *erit* quocunque à me juvari posses] *Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Usurpatur ἐὰν pro ἄν: id quod Evangelistis familiare est. Et cohæret illa conjunctio ἄν cum verbo subjunctivi modi ὠφεληθῇς, ad notandum modum quem vocant potentialem. Post nomen autem δῶρον, subaudiendum verbum substantivum ἐστι: quæ ellipsis usitatissima est. Et articulus postpositivus ὃ regitur à præpositione subintellectâ κατὰ: quæ ellipsis Græca est, nempe ὠφελεῖσθαί τι, pro κατά τι: Juvari in re aliqua, sive re aliquâ. Denique ἐξ ἐμοῦ, dicitur pro ὑπ᾽ ἐμοῦ: notatur enim causa agens. Syntaxis igitur istorum verborum est hæc, ὃ ἐὰν ὠφεληθῇς ἐξ ἐμοῦ, δῶρον. Disertiores autem Græci pro, ἐὰν ὠφεληθῇς, dicerent, ὠφεληθῇς ἄν. Caterùm nomine doni intelligitur hîc munus quod offertur Deo, cultus causâ.* Et ita nequaquam honoraverit] *καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ. Pro καὶ οὕτως οὐ μὴ τιμήσῃ. Adverbium similitudinis, notans hoc loco consequentiam, supplevi perspicuitatis causâ. Est enim hîc enuntiatum copulatum ex parte antecedentis: copulantur autem in isto antecedente duo enuntiata simplicia, quorum posterius ex priore, tanquam effectum ex causa procreante deducitur.* Insons erit] *Hoc enuntiati propositi consequens rectè meo judicio supple-*

suppletur. quod quidem supplementum confirmari puto ex ipsa antithesi. Opponit enim dictum Pharisæorum dicto Dei tanquam contrarium, hoc modo: Deus dixit, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur: Vos autem dicitis, Qui dixerit patri aut matri, Donum &c. Quis hîc non videt esse ἀνταπόδοσιν, & supplendum enuntiati consequens, quod consequenti præcedentis enuntiati sit contrarium? Id autem est hoc ipsum, Insons erit: *quod Græcè diceretur, ἀναίτιος ἔσται. Vel,* Insons esto, *ἀναίτιος ἔστω.*

6 Et irritum fecistis] καὶ ἠκυρώσατε. *Pro, Atque ita irritum fecistis. Est enim hæc sententia, πόρισμα præcedentis.* Per traditionem] διὰ τὴν παράδοσιν. *Vide v.3.*

7 Bene de vobis prophetavit] καλῶς προεφήτευσε περὶ ὑμῶν, *i.e. Pulchrè in vos quadrat querela illa Dei apud prophetam Esaiam olim de populo suæ ætatis pronuntiata. Estis enim illis hypocritis simillimi. Metaphora καταχρηστική in verbo prophetandi.*

9 Sed frustra me colunt] μάτην δὲ σέβονταί με. *Sic habetur in versione Græca. at in Hebræo illud* Frustra *non habetur: veruntamen insertum est ex mente conquerentis Dei. Mox enim subjungitur apud Prophetam denuntiatio pœnæ à Deo inferendæ: unde sanè liquet, quòd frustra eum coluerint.* Doctrinas mandata] διδασκαλίας ἐντάλματα. *Per appositionem: id est, doctrinas tales quæ nihil aliud sunt quàm mandata hominum.*

11 Communem reddit] κοινοῖ. *Id est, impurum sive immundum reddit. Sic exponitur hæc vox Act.10.14. ubi Petrus in visione ait,* Nunquam êdi quicquam κοινὸν: *Lucas autem explicandi gratiâ addit, ἢ ἀκάθαρτον. Transfert autem Dominus hoc verbum ab immunditie Legali sive cærimoniali ad immunditiem animi seu spiritualem, quâ homo verè immundus est coram Deo. Etenim secundùm Legē dicebatur immundus, qui aliquid immundi attigisset, puta cadaver aut mulierem laborantem menstruo &c. Commune autem, quum sermo est de cultu Dei, opponitur sacro: ac proinde sic dicitur tanquam profanum & vulgare. unde quod Deut.20.6. in Hebræo ad verbum habetur,* Quis est ille vir qui plantavit vineam, necdum profanavit eam: *id vetus interpres reddidit,* Necdum fecit eam esse communem: *recentiores autem,* Necdum eâ sacris jam solutâ usus est. *Quare sicut quod sacrum est, idem mundum seu purum censetur: sic è contrario quod est profanum seu commune, id censetur immundum seu impurum. Atque hinc puto factum ut commune pro impuro diceretur μετωνυμικῶς. Tradunt quidam, hunc esse Hebraismum: sed nullum ejus exemplum è libris veteris Testamenti afferunt.*

12 Offensos fuisse] ὅτι ἐσκανδαλίσθησαν. *Id est, contristatos tanquam re contrariâ pietati. Sic declaratur hoc verbum Rom.14. v.15. si is versus conferatur cum ejusdem capitis vers.21. Sic Joh.6. v.61.* Hoc vos offendit? σκανδαλίζει; *Id est, tanquam impiè dictum contristat. Aliàs σκανδαλίζειν significat malo exemplo ad peccandum inducere: ut infrà 18.6.* Quisquis offenderit (σκανδαλίσῃ) aliquem ex parvis istis.

13 Planta] φυτεία. *Ad verb.* Plantatio: *pro,* πᾶν φυτὸν. *Metonymia adjuncti. Id est, Omnis doctrina & cultus: Metaphora.*

14 Sinite eos] ἄφετε αὐτοὺς. *Id est, fugite eorum consuetudinem, nihil vobis cum eis sit commercii.* Duces sunt] ὁδηγοί εἰσι, *Pro, ὁδηγοὶ γάρ εἰσι, nam duces sunt. Ellipsis conjunctionis, serviens τῇ ταχυτῆτι, celeritati orationis. Cæterùm ὁδηγὸς propriè dicitur dux viæ, qui alteri viam monstrat,* **ein wegweiser**: *ex ὁδὸς, via, & ἄγω, duco. unde verbum ὁδηγεῖν, quod mox sequitur.*

15 Parabolam istam] τὴν παραβολὴν ταύτην. *Videl. pronuntiatum illud de rebus quæ hominem reddunt communem seu impurum. Vocat autem illud dictum parabolam more Hebræorum, qui quodvis sapienter & subobscurè dictum, maximè quod est de hominis sive natura sive officio* מָשָׁל *maschál, id est, similitudinem appellant. Hoc enim sensu dicta Salomonis Ethica quæ Proverbia vulgò appellamus, nominantur* מִשְׁלֵי שְׁלוֹמוֹ *mischlé Schelomó: id est, Parabolæ Salomonis.*

16 Adhuc] ἀκμὴν. *Vox ἀκμὴν capitur hîc adverbialiter: id quod videtur fieri ex ellipsi præpositionis κατὰ. nam alioquin accusativus est nominis ἀκμή, quo significatur vigor. Itaque ἀκμὴν videtur dictum, quasi κατ' ἀκμὴν, secundùm vigorem: ut significetur aliquid adhuc vigere atque durare, nondum autem exolevisse aut desiisse.* Et vos] καὶ ὑμεῖς. *Conjunctio καὶ hîc est nota majoris: unde percipitur, discipulos cum aliis hîc conferri. quasi dicat, Video non solùm alios intelligentiæ expertes esse, sed (quod magis mirum ac indignum est) etiam vos: qui scil. jamdiu à latere meo non disceditis, & privatim jam sæpè à me instituti estis. Est enim interrogatio hæc θαυμαστική, ἀγανακτητική καὶ ἐπιτιμητική: significationem habens admirandi, indignandi & reprehendendi. Admiratur enim Dominus discipulorum ruditate; ob eamque indignans, illos reprehendit.*

17 In latrinam] εἰς ἀφεδρῶνα. *Latinis dicta latrina à latendo, quòd in latebra domus suum locum habere soleat: Græcis ἀφεδρὼν dictus: tum quòd à conspectu sit remotus: id quod notat præpositio ἀπὸ: tum quòd illic sedeatur dum quis facit naturæ opus: quod significatur nomine ἑδρὼν, à verbo ἕζεσθαι, sedere.*

19 Maledicta] βλασφημίαι. *Intelliguntur hîc maledicta quibus læditur fama proximi: ut percipitur ex collatione præcedentium. Atque hoc ipsum nomen Græcum significat: dicta est enim βλασφημία παρὰ τὸ βλάπτειν τὴν φήμην, ab eo quòd lædat famam. Aliàs blasphemiæ nomine intelligitur vox impia quæ honori Dei derogat & majestatem ejus lædit: Germanicè,* **ein gotslesterung.**

21 In partes Tyri & Sidonis] εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος. *Id est, in eas Galilææ partes quæ confines sunt Tyro & Sidoni. unde apud Marcum dicitur, quòd abierit εἰς τὰ μεθόρια, in confinia Tyri & Sidonis.*

22 Mulier Chananæa] γυνὴ Χαναναία. *Marcus habet: Erat autem mulier Græca, Syrophœnissa genere.* Fili David] υἱὲ Δαβίδ. *Id est, ô tu qui Davidi singulariter à Deo es promissus, quòd ex ipso sis oriturus ac futurus rex æternus populi Dei. Periphrasis Christi à causa procreante.* Miserere mei] ἐλέησόν με. *Id est, Libera me à miseria mea, sanando scilicet meam filiam. Metonymia efficientis & synecdoche generis.* Filia mea] ἡ θυγάτηρ μου. *Pro, ἡ γὰρ θυγάτηρ μου, Nam filia mea. Ellipsis conjunctionis causalis, serviens τῇ ταχυτῆτι, celeritati orationis: qualis esse solet in majore animi affectu.*

23 Non respondet ei *vel* verbum] οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῇ λόγον. *Pro, οὐδὲ λόγον. Ellipsis adverb. comparativi. dictum est enim hoc per amplificationem à majore: Ne unum quidem verbum respondit: multò igitur minus respondit verba complura. Talis ellipseos exempla vide supr.5.36. & 6.29. & 8.8. & 10.42.*

24 Non sum missus] οὐκ ἀπεστάλην. *Nempe à patre meo cælesti: intellige, ut propheta.* Nisi ad oves perditas domus Israël] εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ *Id est, ad Israëlitas. Hinc à Paulo nominatur minister circumcisionis, hoc est, circumcisorum, Rom.15.8. Et ipse supr. cap.10. v.5. & 6. Apostolis Evangelium prædicaturis mandat, ne abeant in viam Gentium, néve ingrediantur in urbem Samaritanorum: sed ut proficiscantur ad oves perditas domus Israël. εἰς pro πρός.*

26 Non est pulchrum] οὐκ ἔστι καλόν. **Es ist nit fein / es steht nicht wol** / *non decet. Vel etiam, Non est bonum: hoc est, rectum justúmve,* **Es ist nit recht oder billich.**

27 Etiam domine. Etenim catelli, &c.] ναὶ κύριε. καὶ γὰρ τὰ κυνάρια, &c. *Primâ fronte videri posset, hæc verba esse contradicentis. quasi dicat, Imò Domine bonum est catellis dare de pane puerorum: Etenim istud fieri consuevit, ac proinde ab omnibus pro recto habetur. Sed hæc non esset vera contradictio: quia Dominus non dixerat, catellis non esse dandum* de *pane puerorum, sed panem puerorum (nempe* totum*) non esse catellis objiciendum. Quare statuendum, hæc esse verba concedentis: veruntamen ita concedentis, ut simul affirmet aliquid diversum quod cum negatione Domini possit consistere. Sententia igitur est: concedo equidem esse ita ut dicis, nempe non esse æquum ut panis puerorum objiciatur catellis. Etenim novi solere illis tatùm permitti micas quæ de puerorum mensa cadunt. Ego verò micis tuæ gratiæ contenta, non impedio quin gratiam tuam principaliter & copiosè conferas in tuam gentem. Est igitur hîc species quædam τῆς βίας, id est, inversionis violentæ: quatenus illa mulier ex verbis Domini arripit argumentum ad obtinendum suum propositum. Quare quod hîc dicitur,* Etenim catelli vescuntur micis: *accipiendum est ἀνθετικῶς & exclusivè. quasi dicatur, Micis tantùm, non autem integro pane puerorum. Et sic conjunctio causalis, καὶ γὰρ, propriè hîc accipitur, ad confirmandum scilicet sermonem Domini per antithesin sive διάκρισιν diversorum Lutherus sensum expressit per conjunctiones adversativas,* **Aber doch** / *id est, Veruntamen. quasi dicat mulier: Concedo non esse bonum ut panis puerorum objiciatur catellis: veruntamen affirmo, catellis quasi jure quodam solere permitti micas.*

28 O mulier] ὦ γύναι. *Exclamatio admirantis.* Ab eo momento] ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης. *Sic supr.8.13. & 9.22. Significatur præcisè ipsum temporis momentum, quod Aristoteles τὸ νῦν appellat, vulgo instans nominant. Nos dicimus,* **Von stund an** / *vel,* **im selben augenblick.**

29 Venit ad mare] ἦλθε παρὰ τὴν θάλασσαν. *Sic loquitur Horatius:* Ad mare quum vêni. *Alii vertunt, Venit juxta mare: quod nescio an dicatur satis Latinè: quum præpositio juxta non soleat notare motum ad locum: sed quietem vel motum in loco: ut si dicam, Sedet juxta mare, Ambulat juxta mare.* Consedit illic] ἐκάθητο ἐκεῖ. *Pro, ἐκαθίσατο,* **Er hat sich gesetzt**: *ut suprà 13.1.*

30 Sanavit] ἐθεράπευσεν. *Pro, ἰάσατο. Catachresis evangelistis usitata. Vide suprà ad 14.14.*

31 Mutos loquentes] κωφοὺς λαλοῦντας. *Id est, eos qui antè erant muti, jam loquentes. Et sic deinceps.* Glorificarunt] ἐδόξασαν. *Prædicarunt, laudibus extulerunt Deum, quòd tam gratiosè ipsos visitaret, afficiendo ipsos tantis beneficiis, per hunc Prophetam.* Deum Israël] τὸν θεὸν Ἰσραήλ. *Ante nomen Ἰσραήλ, subaudiendus articulus τοῦ: & ipso nomine intelligendus (per metonymiam efficientis) populus Israëliticus. Dicitur autem Deus Israëlis respectu fœderis gratiæ, in quo continetur promissio illa,* Ero Deus tuus & seminis tui post te, *id est, favore paterno te prosequar.*

32 Commoveor misericordiâ] σπλαγχνίζομαι. *Vide suprà ad v.14. c.14.* Ne] μήποτε. *Ad verb. Ne quando. Latini dicunt, Ne fortè. Notatur eventus contingens atque probabilis. Nos dicimus,* **Auff daß nit villeicht.** Deficiant] ἐκλυθῶσιν. *Ad verb.* Exsolvantur, *hoc est, ne deficiant viribus,* **daß sie nit verschmachten.**

33 Ut saturemus] ὥστε χορτάσαι. *Synecdoche speciei καταχρηστική,*

& metonymia efficientis. nam χορτάζειν propriè est pascere χόρτῳ, id est, gramine seu fœno: ut apud Hesiodum Ἔργ. lib. 2.

Δὴ τότε χορτάζειν ἕλικας βοῦς ἔνδον ἐόντας.

Veruntamen in significatione saturandi apud authores quoq; lingua Græca reperiri, testatur Henr. Stephanus in Thesauro.

39 Magdala] *Μαγδαλά. Apud Marcum habetur: Venit in partes Dalmanutha.*

OBSERVAT. EX CAP. XV.

Traditiones humanæ.

1 Ex v. 1. & 2. Sicut tempore Christi Scribæ & Pharisæi urgebant traditiones humanas, illasque ecclesiæ obtrudebant tanquam necessarias ad cultum Dei: ita hodie faciunt doctores Pontificij. quare non est quòd eâ re, ac si nova esset, magnopere moveamur: sed potiùs hinc animadvertamus, Pontificios illos doctores Scribis illis, ac Pharisæis similes esse, id est, hypocritas, ac proinde sinendos.

Cultus Dei.

2 Ex v. 3. 4. 5. & 6. Cultus Dei moralis (quo continentur opera charitatis erga proximum) magis Deo placet quàm cultus cærimonialis, ad quem olim pertinebant oblationes. Quare errant, qui cultum cærimonialem morali præferunt: & illum hoc neglecto suscipiunt. Quippe cultus moralis placet Deo per se: at cærimonialis per accidens, quatenus ad moralem refertur, illique inservit.

3 Ex v. 7. & 8. Qui Deum externè solùm colunt, interiore cultu vacui, hypocritæ sunt ac Deo displicent. Quare cum cultu externo conjungamus internum, atque huic præcipuè studeamus. Confer Joh. 4. v. 21. 23. & 24.

4 Ex v. 9. Traditionibus humanis Deus non colitur. Quare frustra se fatigant in colendo Deo Papistæ, dum tot traditiones humanas colendi DEI causâ observant.

5 Ex v. 11. & 20. Conscientia non polluitur omissione cærimoniarum ab hominibus colendi DEI causâ præceptarum. Quare non est quòd quis putet, se bonâ conscientiâ non posse negligere cærimonias præceptas à Papa. Imò verò bonâ conscientiâ nemo illas potest observare, eo quidem fine in quem observari præcipiuntur, nempe ad colendum Deum. Aversatur enim Deus omnem ἐθελοθρησκείαν.

Veritas.

6 Ex vers. 12. 13. & 14. Veritas prædicanda & confitenda est, etiamsi hypocritæ offendantur.

Falsi doctores.

7 Ex v. 13. Quum videmus falsos doctores plantatos esse in ecclesia, & rerum potiri, authoritateque præecellere: consolemur nos exspectatione eradicationis illorum, justo Dei judicio eis eventuræ.

8 Ex v. 14. Falsi doctores non sunt audiendi: quia doctrinâ suâ in exitium præcipitant.

Stupiditas in rebus spiritualibus.

9 Ex v. 15. In Apostolis proponitur nobis exemplum stupiditatis nostræ in intelligendis rebus spiritualibus. Quare hanc agnoscamus, & à Deo illuminari petamus.

Officium pastoris Ecclesiæ.

10 Ex v. 16. & seqq. Pastor ecclesiæ quum nimiam stupiditatem in auditoribus suis animadvertit; debet eos hoc nomine objurgare, ut ita eos excitet ad doctrinæ cælestis seriam considerationem; sed interim quæ illis videntur obscura, diligenter debet explanare.

Preces.

11 Ex historia de sanata filia mulieris Chananeæ. Si non statim impetremus, quod à Deo petimus: non debemus id ita interpretari, quasi Deus opem nobis ferre nolit: quia Deus opem interdum differt ut exerceat nostram fidem, & ardorem precandi augeat. Quare in precibus perseverandum est, ita tamen ut in rebus corporalibus Deo nihil præscribamus, sed rem omnem ipsius bonitati permittamus. Confer Luc. 18. parabolam de vidua & judice iniquo.

Expositio dicti Christi, Non sum missus &c.

12 Ex v. 24. Quæritur, quomodo hoc pronuntiatum Christi, *Non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israël*, consentiat cum illis Scripturæ dictis quæ testantur, Christum esse servatorem non solùm Judæorum, sed & Gentium: ut Esa. 49. v. 6. *Constitui te, ut sis Lux Gentium, ut sis saluti usq; ad ultimas terras.* Respondeo: Christus hic loquitur de officio suo prophetico, cujus ratione debuit esse minister circumcisionis, id est, doctor circumcisorum, Rom. 15. 8. Hoc autem non obstat quò minùs sacerdotium & regnum suum administrare debuerit ac debeat ad salutem omnium electorum tam ex Gentibus quàm ex Judæis.

Christi promtitudo ad opitulandum afflictis.

13 Ex historia de sanatione variorum ægrotorum. Christus tam facilem sese præbens in sanandis variis ægrotis, quotquot ei offerebantur: significavit ac reipsa demonstravit, se eos qui opem ipsius implorant, juvare & posse & velle. Quare in necessitatibus nostris, tum corporis tum animæ, opem Christi audacter imploremus.

Auditio verbi Dei.

14 Ex historia de cibatis quatuor millibus virorum per septem panes. Qui sedulò audiunt verbum Dei, etiam posthabitâ victus curâ; illis Deus victum necessarium procurat, ne quid eis desit. Quare verbum Dei sedulò audiamus. Etsi autem Deus non semper necessitatibus suorum per opem miraculosam succurrit: tamen id sæpe facit mirabiliter per arcanam suam providentiam, si modò ad opera ipsius oculos aperiamus.

Cibus. Saturitas.

15 Ex collatione hujus historiæ cum historia simili supr. c. 14. de cibatis quinque millibus virorum per panes quinque. Illic ex paucioribus panibus saturati sunt plures & superfuerunt fragmenta plura: hìc contrà ex pluribus panibus saturati sunt pauciores, & fragmenta superfuerunt pauciora. Hinc discimus, saturitatem non pendere ex quantitate cibi, sed ex benedictione Dei. Quare cibum capturi, benedictionem Dei semper expetamus.

ANALYSIS CAP. XVI.

ARGUMENTUM.

Quinq; sunt hujus capitis partes. In prima recitatur responsum à Christo datum Pharisæis & Sadducæis petentibus signum, usq; ad v. 5. In secunda describitur admonitio Christi ad discipulos de cavendo fermento Pharisæorum & Sadducæorum, usq; ad v. 13. In tertia describitur confessio Apostolorũ de Christo, usq; ad v. 21. In quarta recitatur prædictio perpessionũ Christi & consecutura gloriæ, usq; ad v. 24. In quinta recitatur prædictio crucis discipulorũ Christi, itemq; gloriæ & felicitatis consecuturæ, usq; ad fin. cap.

PRIMA PARS.

Responsum datum Pharisæis petentibus signum.

ET quum accessissent Pharisæi & Sadducæi, tentantes rogarunt eum ut signum è cælo ipsis ostenderet.

2 Ipse verò respondens dixit eis; Facto vespere, dicitis, Serenitas *erit*: rubet enim cælum.

3 Et manè, Hodie *erit* tempestas: rubet enim cælum triste. Hypocritæ, faciem quidem cæli nostis discernere; signa vero temporum non potestis?

4 Natio mala & adultera signum requirit: sed signum non dabitur ei nisi signum illud Jonæ prophetæ. Et relictis ipsis, abiit.

PEtitio Pharisæorum declaratur à fine seu consilio ipsorum, quod notatur verbo *tentandi*: quo significatur, illos à Christo signum è cælo petivisse non animo credendi, si illud edidisset: sed animo calumniandi, quòd tale signum edere non posset, ac proinde non esset doctor à Deo missus: conjiciebant enim, se petitionem illam suam non impetraturos. Responsum Christi tria membra continet: videl. causam recusationis, v. 2. & 3: recusationem ipsam, in priore parte versus quarti: & ultroneam ostensionem signi diversi quale Pharisæi non petiverant, posteriore parte versus quarti. Causa recusationis est, quòd sint hypocritæ, v. 3. id est, quòd indigni sint in quorum gratiam signum edat: quum id non petant sincerò animo, ut nimirum certiores reddantur de voluntate Dei: sed animo simulato, quasi non possint judicare an ipse sit doctor à Deo missus, atque adeò ipse Christus: & quasi id scire cupiant: eoque cognito, velint in ipsum credere: quum tamen nihil minùs vellent, sed potiùs conarentur eum omnibus modis tanquam falsum doctorem & seductorem populi opprimere. Simulare autem eos ignorantiam, probat ab exemplo. Potestis, inquit, judicare signa tempestatum: Ergo possetis etiam, si velletis, judicare signa temporum: id est, possetis ex verbo Dei cognoscere, adesse jam tempus exhibendi Christi, & quæ de Christo per Prophetas prædicta fuerunt, in me jam cœpisse impleri. Quarum rerum cognitionem quum vel negligatis vel potiùs dissimuletis, apparet vos esse hypocritas. Recusatio ipsa amplificatur gravi indignatione ac reprehensione malitiæ eorum, ubi ait, *Generatio mala & adultera signum requirit.* Ultronea ostensio signi, est impletio typi Jonæ: quæ hìc uno verbo attingitur, at suprà cap. 12. plenè fuit explicata. Sententia est: Quòd Jonas per triduum jacuit in ventre ceti, veluti sepultus, & postea inde ejectus ac in liberum aërem expulsus, vitæ fuit redditus: id typus fuit eorum quæ accident Christo. Quare in quo illa implebuntur, signum erunt, quòd ille sit Christus. At in me implebuntur: per triduum enim jacebo in ventre terræ sepultus, & tertio die inde resurgam. Ergo res illa signum erit, me esse Christum. Postremò additur istius colloquii eventus: nempe quòd Jesus illis relictis abierit.

SECUNDA PARS.

Admonitio de cavendo fermento Pharisæorum.

5 Et quum irent discipuli ejus in ulteriorem *ripam*, obliti fuerunt sumere panes.

6 Jesus autem dixit eis, Videte & cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.

7 Ipsi verò disceptabant inter se, dicentes, Panes non sumsimus.

8 *Id* autem quum cognovisset JESUS, dixit eis, Quid disceptatis inter vos, ô exiguâ fide præditi, quòd panes non sumsistis?

9 Nondum intelligitis, neque meministis quinque illos panes virorum quinquies mille, & quot cophinos acceperitis?

10 Neque septem illos panes quater mille virorum, & quot sportas acceperitis?

11 Quomodo non intelligitis, me non dixisse vobis de

bis de pane, ut caveretis à fermento Pharisæorum & Sadducæorum?

12 Tunc intellexerunt, eum non dixisse ut caverent à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum.

Descriptio admonitionis de cavendo fermento Pharisæorum habet quinque partes. Primò significatur occasio, v.5. videlicet conspectus panis unici quem in navi (ut Marcus refert) habebant, obliti plures secum sumere. Hoc enim in more habuit Christus, ut ex rebus præsentibus occasionem docendi sumeret. Secundò commemoratur ipsa admonitio, vers. 6. Tertiò eventus illius in animis discipulorum, videlicet falsa intelligentia, & inde nata solicitudo propter defectum panum, v.7. Quartò utriusque illius vitii correctio per commemorationem duplicis illius miraculosæ cibationis turbæ, de qua supr. cap. 14. & 15. Hæc correctio continetur v.8. 9. 10. & 11. Quintò exponitur illius correctionis effectum in animis discipulorum, videlicet vera intelligentia illius admonitionis, v.12. Cæterùm doctrinam fermento comparat, ut suprà cap. 13. v.33. propterea quòd animum hominis totum occupat, & suâ qualitate imbuit: sicut fermentum occupat totam massam farinæ, eamque suo acore imbuit.

TERTIA PARS.

Confessio Apostolorum de Christo.

13 Quum venisset autem Jesus in partes Cæsareæ *quæ dicitur* Philippi, interrogavit discipulos suos, dicens, Quem me dicunt homines esse, Filium illum hominis?

14 Illi verò dixerunt; Alii quidem Johannem Baptistam, alii verò Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis.

15 Dicit eis, Vos autem quem me dicitis esse?

16 Respondens verò Simon Petrus dixit, Tu es Christus, Filius ille Dei viventis.

17 Tunc respondens Jesus dixit ei, Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & sanguis *hæc* non retexit tibi, sed pater meus qui *est* in cælis.

18 Sed & ego tibi dico; Tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo meam ecclesiam: & portæ inferorum non prævalebunt ei.

19 Et tibi dabo claves regni cælorum: & quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cælis: & quicquid solveris in terra, erit solutum in cælis.

20 Tunc interdixit discipulis suis ut nemini dicerent, ipsum esse Jesum, illum Christum.

Descriptio confessionis Apostolorum de Christo similiter quinque partes continet. Primò indicatur locus ubi illa confessio est edita, videl. in partibus Cæsareæ Philippi, in principio v.13. Secundò occasio, videl. interrogatio Christi, v.13.14. & 15. Quæ interrogatio amplificatur antithesi interrogationis diversæ, de judiciis scil. aliorum, quid alii de ipso sentiant, quémve ipsum esse dicant. Tertiò exponitur confessio ipsa, v.16. Quartò additur confessionis approbatio, v.17. 18. & 19. Quæ approbatio sumta est ex effectu & causa procreante. Fidem enim quam Petrus suo cæterorumq; Apostolorum nomine fuerat confessus, commendat Christus partim ab effectu, videl. beatitudine, ubi ait, Beatus es Simon Bar-Jona: partim à causa procreante, quam affirmat esse Patrem cælestem: quam causam amplificat antithesi causæ disparatæ, videl. judicii naturalis, quod significat vocabulis carnis & sanguinis, v.17. Deinde v.18. exemplum speciale Apostolorum amplificat collatione majoris, videl. cæterorum electorum deinceps efficaciter vocandorum, quos ideo nominat ecclesiam suam. ubi occasione nominis Petri seipsum de quo ille fidem suam fuerat confessus, comparat petræ: vocationem verò efficacem cæterorum electorum comparat ædificationi: deniq; beatitudinem illorum comparat durationi ædificii æternæ. Ait igitur: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* quasi dicat, Tu jure nominaris Petrus: quia per fidem fundatus es super me tanquam petram; nec verò tu solùm tuique collegæ, cæteri videlicet Apostoli, super hanc petram ædificati, eoque nomine beati estis: verùm etiam super hanc eandem petram ædificabo ecclesiam meam, videl. ceteros electos omnes hinc usque ad finem mundi per evangelii prædicationem efficaciter vocandos seu fide donandos: per quam fidem super me ædificati, fruentur beatitudine æternâ: quippe quum ne portæ quidem inferorum (id est, callidissima consilia infernalium spirituum) huic ædificio sint prævalitura, scilicet ut ipsum demoliantur ac perdant. Tum vers. 19. indicat illius ædificationis modum, quomodo scilicet velit ecclesiam suam super se tanquam petram ædificare: videlicet per ministerium Verbi & Sacramentorum, quod metaphoricè nominat claves regni cælorum. Quas claves promittit Petro, ac sub ipsius persona cæteris quoque Apostolis, nec non veris illorum successoribus, simulque eis promittit administrationis illarum clavium efficaciam, ad conciliandum sacro illi ministerio authoritatem: quòd scil. apud Deum ratum futurum sit quod ipsi de salute aut damnatione hominum pronuntiaverint, videlicet incredulis denuntiando iram Dei & mortem, credentibus verò gratiam & vitam. Quam efficaciam illustrat similitudine vinculorum quibus sontes vinciuntur ad supplicium, insontes verò solvuntur. Quintò & postremò v.20. additur interdictum patefactionis sui, nempe pro illo tempore.

QUARTA PARS.

Prædictio perpessionum Christi & consecutura gloria.

21 Ex eo tempore cœpit Jesus indicare discipulis suis, oportere se abire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & primariis sacerdotibus, & scribis, & occidi, & tertio die suscitari.

22 Et prehensum eum Petrus cœpit objurgare, dicens, Propitius tibi sis, domine: nequaquã erit tibi hoc.

23 At ille conversus dixit Petro, Abscede à me, Satana; scandalo es mihi: nam non sapis quæ *sunt* Dei, sed quæ sunt hominum.

Prædictio perpessionum Christi declaratur è loco, & causis efficientibus, & specie principali. Locus est urbs Hierosolyma: causæ efficientes, sunt seniores & principes sacerdotum & scribæ: species principalis est occisio. Gloria consecutura notatur synecdochicè per primum illius gradum, videl. resurrectionem ex mortuis: quæ ipsa declaratur à circumstantia temporis, videl. tertii diei. Atque hæc continentur v.21. Deinde prædictio illa perpessionum Christi amplificatur ab eventu, videl. objurgatione Petri, profectionem illam Hierosolymitanam dissuadentis, v.22. Postremò dissuasio illa Petri amplificatur & ipsa ab eventu, videlicet reprehensione Christi gravissimâ, v.23.

QUINTA PARS.

Prædictio crucis discipulorum & gloria secutura.

24 Tunc Jesus dixit discipulis suis, Si quis vult ponẽ me venire, abneget sese, & tollat crucem suam, ac sequatur me.

25 Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit amimam suam meâ causâ, inveniet eam.

26 Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ verò suæ jacturam fecerit? aut quam dabit homo compensationem animæ suæ?

27 Futurum est enim ut Filius hominis veniat in gloria Patris sui cum angelis suis: & tunc reddet unicuique secundùm facta ejus.

28 Amen dico vobis, Sunt quidam ex iis qui hic astant, qui nequaquam gustabunt mortem usquedum viderint Filium hominis venientem in regno suo.

Prædictio crucis discipulorum Christi enuntiatur sub forma præcepti, v.24. Deinde v.25. præceptum illud confirmatur ex effectis per antithesin, videl. exitio eorum qui præceptum illud neglexerint, & salute eorum qui observarint. Tum v.26. effectum prius, videl. exitium, amplificatur per antithesin commodorum terrenorum hyperbolicam. quasi dicat: Esto, lucretur aliquis totum mundum per illius præcepti violationem: attamen pereundum illi erit exitio æterno: itaque lucrum illud nihili æstimandum est, ut quo nemo possit redimere vitam æternam aut exitium æternum evadere. Deinde v.27. utrumque effectum illustratur à causa efficiente agente, nempe ab illorum authore: qui est Filius ille hominis, id est, Christus exerciturus judicium in totum genus humanum. Cujus majestas significatur ab adjuncto comitatu Angelorum. Postremò occasione mentionis adventus sui ad judicium annectit promissionem de brevi futuro adventu suo per missionem Spiritus S. in die pentecostes, v.28.

SCHOLIA IN CAP. XVI.

1 Rogarunt eum] ἐπηρώτησαν αὐτόν. *Id est, orarunt eum.* ἀκυρία τοῦ λόγου, *id est, improprietas sermonis: ut Hermogenes appellat. nam* ἐρωτᾶν *&* ἐπερωτᾶν *propriè significat Interrogare seu quærere de re aliqua. Est autem hæc* ἀκυρία *Evangelistis usitata.* Signum] σημεῖον. *Id est, miraculum quo significaret Deus se illum misisse. Synecdoche generis.* E cælo] ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *Quale fuit illud Eliæ, igne cælitus delapso consumente præfectos militiæ Achabi, 2 Reg. 1. v.9. &c.*

2 Facto vespere] ὀψίας γενομένης. *Ad nomen* ὀψίας *subaudiri oportet nomen* ὥρας. *Ad verbum igitur est,* Vespertina horâ factâ, *seu,* vespertino tempore facto. Serenitas] εὐδία. *Vox Græca sonat aëris bonitatem, id est, bonam constitutionem: cui opponitur* χειμών, *tempestas. Est enim vox composita ex adverbio* εὖ,

id est, bene: & nomine δία accusativo nominis ζεὺς, id est, Jupiter. Jovis autem nomine μετωνυμικῶς intelligitur cælum sive aër: ut apud Horatium, Sub Jove frigido: id est, sub cælo seu aëre frigido. Et apud Cic. Hoc sublime candens quod appellant Jovem. Sic dicunt Latini, Sub dio: pro eo quod est, sub cælo libero. Rubet] πυῤῥάζει. Rubet instar ignis. hæc enim est emphasis vocis Græcæ. Cælum] ὁ οὐρανός. Id est, aër, seu nubes in aëre.

3 Et mane] καὶ πρωΐ. Scil. λέγετε, dicitis: ex versu præcedente. Tempestas] χειμών. Opponitur hic τῇ εὐδίᾳ, id est, serenitati: quum cælum est serenum ac sudum. Et sanè hoc propriè vox Græca significat, ducta à verbo χέω, quod est fundo: quum scil. è nubibus funditur imber. Aliâs redditur hyems, ad significandum illud anni tempus quod inter autumnum & ver interjectum est. In qua significatione videtur esse metonymia adjuncti tam apud Latinos quàm apud Græcos: quòd scil. illo tempore subinde soleat pluere ac ningere. Etenim Latini quoq; hyemis vocabulo quandoq; tempestatem intelligunt. Et videtur hyems dicta παρὰ τὸ ὕειν. quanquam doctiores scribunt hanc vocem non per y, sed per i. Triste] στυγνάζων. Metaphora. qualis in illo, Quid faciat lætas segetes. Temporum] τῶν καιρῶν. Id est, Gratiosæ visitationis Dei, quæ suis temporibus debuit ac debebit fieri, sicut à Deo definitum, & per prophetas prædictum est. Metonymia subjecti. Non potestis? οὐ δύνασθε; Interrogatio reprehendens. q. d. Quum possitis illud, debebatis posse & hoc: quippe quum sit par ratio, quatenus nimirum Deus signa illa temporum non minùs vobis proposuit in suo verbo, quàm signa tempestatis subinde vobis proponit in aëre.

4 Natio mala] γενεὰ πονηρά. Apostrophe ad circumstantes, conjuncta exclamatione indignantis. Mala] πονηρά. Seu, nequam. Sicut diabolus nominatur ὁ πονηρὸς, nequam ille, der böszwicht. Adultera] μοιχαλίς. Intelligit adulterium spirituale, videlicet idololatriam cordis. quia defecerant à vero cultu Dei ad sua somnia. Sed] καί. Copulativa hic valet adversativam. Est enim antithesis. Signum illud Jonæ] τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ. Id est, miraculum illud conservationis Jonæ in ventre ceti per triduum, & vivi ex illo redditione. Habet autem ista vocis Signum iteratio significationem indignationis. quasi dicat, Petunt signum: Dabo eis signum: sed signum quale minimè petunt: quippe quod ad ipsorum quidem dedecus, meam verò quam ipsi oderunt, gloriam pertinet. Etenim occident me insontem: sed ego tertio die ex morte resurgam. Habeant igitur sibi hoc signum ex quo agnoscant me esse à Deo missum, ac proinde esse illum quem me dico esse, videl. Christum: nempe si viderint in me impleri typum sepulturæ resurrectionis Christi in corpore Jonæ propositum. Talis repetitio vocis nominatur ἀντανάκλασις.

5 Et quum irent] καὶ ἐλθόντες. Pro, καὶ ἐρχόμενοι, τουτέστι πορευόμενοι. Enallage temporis, & metonymia finis. Etenim admonitionem de fermento quæ hic narratur, factam esse antequam venissent in ulteriorem ripam, in ipso scil. itinere, clarum est ex verbis Marci cap. 8. v. 14. & 15. ubi ait, Et panem non habebant nisi unum secum in navigio: & interdixit eis, dicens &c. Illoq; sermone absoluto, tum demum dicitur venisse εἰς Βηθσαϊδάν, ibid. v. 22. id est, εἰς τὸ πέραν, ut hic ait Matthæus. Porrò exemplum istius metonymiæ verbi ἔρχεσθαι pro πορεύεσθαι, habetur Joh. 6. v. 17. ἤρχοντο πέραν τῆς θαλάσσης εἰς Καπερναούμ, Ibant trans mare versus Capernaüm. In ulteriorem ripam] εἰς τὸ πέραν. Vel Ulteriorem ripam versus: ut in loco Joh. modo-citato, εἰς Καπερναούμ. Cæterùm de hac phrasi, εἰς τὸ πέραν, diximus supr. ad v. 22. c. 14. Sumere panes] ἄρτους λαβεῖν. Nempe secum sumere ad iter, ut in itinere iis vescerentur, aut certè mox trajecto lacu.

6 Dixit] εἶπεν. Nempe defectu illo panum observato. Sic enim solitus fuit Dominus singulari prudentiâ ex re nata captare occasiones erudiendi suos asseclas de rebus spiritualibus ac divinis. Sic Joh. 6. quum animadverteret Capernaitas se ad ipsum aggregare propter panes, incipit disserere de pane illo cælesti ac spirituali, nempe de seipso. Sic Johan. 4. quum cerneret fruges messi propinquas, cœpit disserere de messe spirituali electorum Samaritanorum mox metendorum in horreum Dei per ipsius sermonem. Similiter in eodem capite occasione negati sibi potus aquæ à muliere Samaritana, cœpit disserere de aqua spirituali, id est, de Spiritu sancto. A fermento] ἀπὸ τῆς ζύμης. Id est, à falsa doctrina, ut declaratur infrà vers. 12. Metaphora. Quia sicut parum fermenti inficit totam massam & acidam reddit: sic parum doctrinæ falsæ inficit & corrumpit totum doctrinæ corpus.

7 Disceptabant inter se] διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς. Id est, ut Marcus habet, πρὸς ἀλλήλους, alii adversus alios. Nempe alius in alium conferebat culpam istius oblivionis. Nisi malimus accipere simpliciùs sic: Disceptabant alii apud alios: id est, unà inquirebant quid sibi vellet ista Domini admonitio. Quem sanè sensum videntur postulare verba quæ sequuntur: nempe quòd dixerunt. Panes non sumsimus. quasi dicant, Hoc sibi vult ista admonitio: spectat ad nos reprehendendum quòd non sumsimus panes. hinc enim fiet ut nobis sit esuriendum: quum panibus careamus, nec tamen Dominus velit nos panes emere in oppido quò perventuri sumus, ut in quibus fortè sit fermentum Pharisæorum & Sadducæorum.

8 O exiguâ fide præditi] ὀλιγόπιστοι. Pro, ὦ ὀλιγόπιστοι, vocandi casu. Ne quis putet esse nominativum pendentem à verbo διαλογίζεσθε. Sic supr. 14. 31. ajebat Petro, ὀλιγόπιστε, εἰς τί ἐδίστασας; Sunt autem hæ interrogationes reprehendendis. quasi dicat: Non debebatis hac de re disceptare aut soliciti esse: sed debebatis intelligentes esse, ac meminisse quinque illos panes &c.

9 Nondum intelligitis] οὔπω νοεῖτε; Absolutè: pro, Nondum intelligentes estis? seu, præditi intelligentiâ.

11 Quomodo non intelligitis?] πῶς οὐ νοεῖτε; Pro, πῶς οὖν οὐ νοεῖτε; Quomodo ergo non intelligitis? Ellipsis conjunctionis ratiocinativæ.

13 In partes Cæsareæ] εἰς τὰ μέρη Καισαρείας. Id est: in illas Galilææ partes ubi sita erat Cæsarea. Similis loquutio erat supr. 15. 21. Recessit in partes Tyri & Sidonis. Quæ dicitur Philippi] τῆς Φιλίππου. Subaudi, λεγομένης. Sic autem dicebatur à conditore: quia condita fuerat à Philippo tetrarcha, Herodis Magni ex Cleopatra filio, idq; in honorem Tiberii. Sita autem erat hæc Cæsarea ad radices Libani, & ad fontes Jordanis, olim dicta Paneas: sicut tradit Josephus Antiq. Jud. lib. 18. cap. 3. Altera autem Cæsarea, olim turris Stratonis dicta, sita fuit ad mare mediterraneum, ab Herode magnificè exstructa in honorem Octavii: sicut tradit Joseph. lib. 15. Antiq. Jud. cap. 13. item de bello Jud. 1. cap. 16. Me, filium illum hominis] με, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Dictum per appositionem. Quanquam pronomen με videtur redundare: & quum esset glossema, irrepsisse in textum.

14 Aut unum ex prophetis] ἢ ἕνα τῶν προφητῶν. Nempe cæteris. nam & Jeremias, de quo in membro præcedente, ex numero Prophetarum erat.

17 Bar-Jona] Βαρ-Ἰωνᾶ. Id est, Fili Jonæ sive Joannæ. Videtur enim Ἰωνᾶ contractum ex Ἰωαννᾶ. Nomen Bar Chaldaicum est: quod & reperitur in Psalm. 2. Caro & sanguis] σὰρξ καὶ αἷμα. Id est, ratio carnalis seu humana, qualis cum carne hominis nascitur. Metonymia subjecti. Nisi malimus carnis & sanguinis vocabulis intelligere hominem, per synecdochen membri: in qua significatione hæc verba accipit Paulus Gal. 1. v. 16. ubi ait, se non contulisse cum carne & sanguine. Item Eph. 6. v. 12. ubi ait, non esse nobis luctam adversus sanguinem & carnem.

18 Sed & ego tibi &c.] κἀγὼ δέ σοι &c. Quasi dicat: Quum tu tam præclaram de me confessionem edideris: ego vicissim te in illa sententia confirmabo, ostendens quàm firmo fundamento hæc tua fides innitatur. Est autem pronomen σοὶ scribendum & pronuntiandum suo accentu, absq; enclisi: quum id postulet emphasis antitheseos. Tu es Petrus] Σὺ εἶ Πέτρος. Id est, Tu non temere à me jam inde ab initio nominatus es Πέτρος (Johan. 1. 43.) id est, rupes sive saxum. nam revera es tanquam rupes, quatenus per fidem inniteris mihi tanquam rupi super quam Ecclesia ædificata est, & ampliùs ædificabitur. Et super hanc petram] καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. Scilicet quam tu es confessus, & cui per fidem inniteris. Neq; enim certè Ecclesia ædificata dici potest super Petrum: quum ipse sit ex numero credentium, qui tanquam lapides vivi ædificantur super petram Christum: sicut ipsemet docet 1. Pet. 2. v. 4. 5. 6. 7. Est autem hic observandum, in sermone Syriaco quo Dominus hæc verba pronuntiavit, idem nomen repeti per ἀντανάκλασιν. nam & Petrus & petra eodem nomine appellantur כֵּיפָא Kiphá. Ac proinde Græcè dici posset, Σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ &c. Ita quidem ut nomine πέτρος in priore membro significetur homo qui hoc gerat nomen, in posteriore verò res sic appellata, videlicet saxum. Et sanè nomen πέτρα nihil aliud significat quàm nomen πέτρος appellativè acceptum: sed hoc loco visum est Spiritui sancto nomen mutare perspicuitatis causâ: ne quis per errorem ad Petrum referret, quod intelligendum est de Christo. Ideò autem nomen πέτρος potiùs quàm πέτρα tributum fuit discipulo illi: quia magis congruit significando viro, propter formam generis masculini. Meam ecclesiam] μου τὴν ἐκκλησίαν. Id est, eam ecclesiæ meæ partem quæ restat ædificanda. Synecdoche integri. nam inde ab origine mundi Ecclesia super hanc petram ædificata fuit. Portæ inferorum] πύλαι ᾅδου. Seu portæ inferni, sive orci. hoc est, consilia & machinationes diaboli & angelorum ac servorum ipsius, hæreticorum scilicet & tyrannorum, oppugnantium fidem Christianam. Metonymia subjecti metaphorica: nam olim in portis habebant senatum, consultantes de regno stabiliendo. Non prævalebunt ei] οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Nempe, τῆς ἐκκλησίας, Ecclesiæ. hoc est, non poterunt eam avertere à fide in me, ac per consequens à salute. Eandem sententiam habet quod ait de ovibus suis apud Johannem: Non rapiet eas quisquam ex manu mea. item, Nemo potest rapere eas è manu patris mei, Joh. 10. v. 28. 29.

19 Tibi] σοί. Et colligis tuis, reliquis Apostolis, vestrisq; successoribus. Synecdoche membri: quæ percipitur tum ex collatione præcedentium, ubi rogarat Dominus de fide Apostolorum omnium, & Petrus nomine omnium respondens, fidem ipsorum fuerat professus: tum ex collatione loci similis Joh. 20. 23. ubi claves quas hic Petro se daturum ait, dat Apostolis omnibus, solo Judâ excepto: qui jam abierat in locum suum. Etenim clavium nomine intelligit potestatem remittendi & retinendi peccata, ut in loco citato loquitur. Claves regni cælorum] τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Sic nominat potestatem remittendi & retinendi peccata per annuntiationem gratiæ Dei erga resipiscentes atque credentes, & denuntiationem iræ Dei erga impœnitentes atque incredulos: quia hac ratione illis quidem cælum aperitur ut

in ipsum

in ipsum introëant, his verò clauditur ne introëant. Et quicquid ligaveris] καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς. *Nunc claves illas, hoc est, potestatem illam ministerii evangelici, distribuit in partes: sed sub alia metaphora. Significat autem, eos quibus cælum clauditur per denuntiationem iræ Dei, quasi ligari ut conjiciantur in gehennam ad æternos cruciatus; sicut alibi dicit, hypocritas conjectum iri ligatis manibus ac pedibus in tenebras extremas, ubi futurus est ploratus ac stridor dentium. Contrà, eos, quibus cælum per annuntiationem gratiæ Dei aperitur, solvi vinculis peccati, ut expeditè introëant in cælum.*

20 Ipsum esse Jesum &c.] ὅτι αὐτός ἐστιν Ἰησοῦς. *Nomen* Ἰησοῦς *videtur redundare, & irrepsisse in textum tanquam glossema pronominis* αὐτός.

22 Erit] ἔσται *Id est, fiet, eveniet. Vel, Esto: id est, fiat. quasi dicat. Cave ne eveniat.*

23 Abscede à me] ὕπαγε ὀπίσω μου. *Ad verb.* Abi retrò me. Satana] Σατανᾶ. *Id est, adversarie. Potest autem istud nomen bifariam hic accipi: vel significatione generali modò indicatâ: vel significatione speciali pro cacodæmone, ut sit metaphora, ad significandum, Petrum hac disuasione cacodæmoni similem esse. Posteriori acceptioni favet, quòd Evangelista retinuit vocem Hebraicam qua Dominus fuit usus: quum generalem significationem potiùs expressisset voce Græcâ* ἀντικείμενος, *aut* ἀντίδικος. Scandalo es mihi] σκάνδαλόν μου εἶ. *Ad verb.* Scandalum meum es. *Nisi* μου *irrepserit pro* μοι. *Subaudienda autem hîc est conjunctio* ὅτι*: cujus omissionem peperit ἡ ταχύτης, celeritas sermonis, orta ex vehementiore affectu.* Nam non sapis quæ sunt Dei &c.] ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ &c. *Hoc est, Non studes promovere gloriam Dei, sed commoda humana tum mea tum tua ipsius. Exoptabat enim Petrus, Jesum fieri regem mundanum. Eâdem phrasi utitur Paulus Rom.8.v.5.*

24 Ponè me venire] ὀπίσω μου ἐλθεῖν. *Id est, me à tergo sequi, ut discipulus sequitur præceptorem: hoc est, Si quis vult meus esse discipulus.* Abneget sese] ἀπαρνησάσθω ἑαυτόν. *Id est, Exuat affectus naturales quibus desiderat commoda hujus vitæ, & induat affectus spirituales quibus desideret gloriam Dei, & propter illam paratus sit pati ea à quibus natura hominis abhorret.* Et tollat crucem suam] καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ. *Hic abnegationem de qua dixit, ex parte sui potissima declarat: nempe quum quis paratus est propter Christum pati persecutionem mundi & ignominiam. Notandum est autem, verba illa aliquid atrocius sonare quàm vulgò animadvertitur. Perinde enim est, ac si dixisset Dominus,* **Wer mein jünger seyn wil/ der neme seinen galgen (oder sein rad) auf den hals/ vnd folge mir nach.** *Crucis enim vocabulo intelligitur propriè patibulum: quippe facinorosi cruci affigebantur supplicii causâ: sicut hodie suspenduntur de patibulo aut imponuntur rotæ.* Ac sequatur me] καὶ ἀκολουθείτω μοι. *Id est, Et ita sequatur me: quippe qui præeo, crucem ferens. Videtur autem Dominus respicere ad id quod postea ei accidit, quum ad supplicium duceretur: quum crucem suam portavit, donec cogeretur Simon Cyrenæus ad portandum illam post ipsum.*

25 Animam suam servare] τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι. *Nempe in corpore & vita hac naturali.* Perdet eam] ἀπολέσει αὐτήν. *Nempe in æternum: hoc est, ut damnetur ad æternos cruciatus post hanc vitam.* Quisquis autem perdiderit animam suam] ὅστις δ' ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. *Id est, qui passus fuerit se interfici, ut ita animam è corpore amittat.* Meâ causâ] ἕνεκεν ἐμοῦ. *Id est, ut me glorificet confessione.* Inveniet eam] εὑρήσει αὐτήν. *Id est, verè acquiret, ut in æternum cum summo gaudio eam possideat.*

26 Totum mundum] τὸν κόσμον ὅλον. *Potest accipi vocabulum mundi vel propriè per hyperbolen: vel metonomicè pro omnibus iis rebus quæ in hoc mundo habentur pretiosa & jucunda: ut sunt deliciæ, honores, opes, potentia.* Animæ verò suæ jacturam fecerit] τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ. *Pro his verbis habetur apud Lucam,* ἑαυτὸν δὲ ἀπολέσας ἢ ζημιωθείς*: Id est,* Seipsum autem perdat, sive sui ipsius jacturam faciat. *Sic in loco præsenti fuerit synecdoche membri Hebraica. Cæterùm syntaxis ipsa Græca est, habens nimirum ellipsin præpositionis* κατὰ *ante accusativum* ψυχὴν. *Ad verb. igitur sonaret phrasis integra:* Secundùm animam suam damnum passus fuerit: *id est (ut Latini loquuntur) animæ suæ jacturam fecerit. Quomodo rectè (meo judicio) hunc locum in suo Thesauro vertit Henr. Stephanus: illamq; versionem confirmavit tum ex ipsa antithesi hujus loci, ubi* κερδαίνειν *&* ζημιοῦσθαι *opponuntur: tum ex collatione loci similis apud Paulum: qui* κερδῆσαι Χριστὸν *similiter opposuit* τῷ πάντα ζημιωθῆναι, *Philip.3.8. Alii reddunt,* Animâ suâ mulctari, *putantes respici ad judicium Dei: eò quòd verbum* ζημιοῦσθαι *sit forense. Sed significatio hæc forensis non est perpetua, nec convenit verbis Pauli modo citatis, & aliam habet apud Græcos syntaxin, ut videre est in Thesauro Henrici Stephani. Quare alteram versionem prætuli.*

27 Secundùm facta ipsius] κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ. *Pro,* πράξεις. *Enallage numeri.*

28 Gustabunt mortem] γεύσωνται θανάτου. *Id est, morientur. Phrasis Hebraica. Sic alibi, Videre mortem.* Venientem in regno suo] ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ. *Scilicet per missionem Spiritus sancti in die pentecostes. Vide Act.2.v.33.34.*

OBSERVAT. EX CAP. XVI.

1 Ex parte prima. Quum hodie videmus, Ubiquitistas conspirare cum Papistis, quantumvis aliàs ab illis dissidentes, ad opprimendum eos qui puram evangelii doctrinam profitentur: quippe quum non vereantur dicere, illos qui propter puram evangelicæ doctrinæ professionem à Papistis afficiuntur suppliciis, martyres esse diaboli (quâ nimirum sententiâ gladios illorum adversus innocentes acuunt) quumque subinde clamitent, duas tantùm religiones in Imperio Romano à Principibus Imperii in comitiis illis Augustanis permissas esse, videl. Pontificiam & suam, quam ipsi evangelicam nominant, Calvinistas verò (quo nomine odiosè & iniquè puræ doctrinæ confessores gravant) ex pace Religionis esse exclusos: quum, inquam, hanc talem illorum contra nos conspirationem videmus, consolemur nos exemplo Christi, cui idem accidit à Pharisæis & Sadducæis, alioquin inter sese acriter dissidentibus, sed hîc ad opprimendum Christum conspirantibus. Inprimis verò consolemur nos spe victoriæ quam de illis nostris hostibus sumus reportaturi, quatenus spiritu sapientiæ donati, veritatem quam profitemur, fortiter ex verbo Dei contra illorum calumnias poterimus asserere: quemadmodum videmus Christum suam doctrinam contra istos suos hostes asseruisse. *Consolatio contra conspirationem Ubiquitariorum cum Papistis contra orthodoxos.*

2 Ex v.4. ex verbis, *Et relictis ipsis abiit.* Falsi doctores qui sese veritati cælesti petulanter opponunt, posteaquam veritas contra eos ex verbo Dei asserta est, omittendi ac vitandi sunt: exemplo Christi. Sic Paulus quoque præcipit: *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem rejice,* Tit.3.10. *Falsi doctores.*

3 Ex parte secunda. Falsi doctores cavendi & vitandi sunt: quia falsa doctrina totum hominis animum instar fermenti penetrat, & inficit, à vero Dei cultu illum avertens. Paulus sermonem hæreticorum comparat cancro sive gangrænæ: quia animam depascit & interimit, 2.Tim.2.17. Eandem ob causam Christus pseudoprophetas seu falsos doctores comparat lupis, suprà c.17.15. Sicut & Paulus Act 20.29. Item Christus nominat eos latrones ac fures, Joh.10.v.8.

4 Ex v.7. & seqq. Quum doctrina cælestis sub variis tropis à Christo sit tradita: inepti ac reprehensione digni sunt qui in cortice literæ hærentes, ad nucleum sententiæ non pertingunt. Reprehendit enim Christus hoc loco discipulos, quòd fermentum Pharisæorum intellexerunt de fermento panis: quum ipse intellexerit de doctrina. Confer Johan.3. exemplum Nicodemi, & cap.6. exemplum Capernaitarum. *Expositio Scripturæ.*

5 Ex v.9. & 10. Si nos deficiant alimenta: confidere debemus, Deum nihilominus nos sustentaturum, & mirabiliter nobis (si faciat ad ipsius gloriam) alimenta procuraturum: & hanc nostram fidem confirmare debemus consideratione exemplorum quæ in Scriptura proponuntur; qualia hîc duo commemorantur. His verò similia sunt illa: quòd Deus Jacobum cum familia tempore famis aluit in Ægypto per Josephum: quòd per annos quadraginta Israëlitas pane illo cælesti quem Man nominarunt, sustentavit in deserto: quòd tempore famis sustentavit Eliam per corvos, deinde apud viduam Sareptanam, 1.Reg.17. denique quòd eidem cibum procuravit in loco deserto per angelum, 1.Reg.19. *Consolatio contra defectum alimentorum.*

9 Ex v.13. & 16. De Christo duo nobis in summa credenda sunt. Unum, quòd sit non solùm filius hominis, sed etiam filius ille Dei viventis: ac proinde verus Deus & homo in una eâdemque persona. Alterum, quòd sit Christus: id est, quòd nobis à Deo ordinatus sit in prophetam seu doctorem qui nos edoceat rationem consequendi salutem æternam, Deumque verè colendi: & in summum sacerdotem, qui sacrificio sui corporis peccata nostra expiet, suaque intercessione Deum nobis reconciliet: & denique in regem æternum, qui corda nostra gubernet per verbum & Spiritum sanctum, & potentiâ suâ divinâ nos defendat contra hostes, donec ad fruitionem plenam regni cælestis nos ad se assumat. *De Christo duo in summa credenda.*

7 Ex v.17. Fides Christiana beatum efficit. *Fides.*

8 Ex eod. v. Fides Christiana oritur non ex viribus naturalibus liberi (ut vocant) arbitrii: sed ex singulari gratia Dei. Confer Eph.2.v.8.1.Cor.2.v.14.

9 Ex v.18. Ecclesia Christi ædificata est super Christum, idque per veram fidem. Hæc enim est illa petra cujus hoc loco Christus meminit. Nequaquam verò ipse Petrus: ac multò minùs Papa, qui se Petri successorem falsò jactat. Etenim si Ecclesia ædificata esset super Petrum: sequeretur, non unum esse tantum ecclesiæ fundamentum, sed duo, videl. Petrum & Christum, quia Scriptura alibi testatur, Christum esse ecclesiæ fundamentum, ut 1.Cor.3.v.11. Ephes.2.v.20.21. & 22.1.Pet.2.v.4.5.6. & 7. At ecclesiæ fundamentum unum tantùm est, teste Paulo 1.Cor.3.v.11. Item, si Petrus esset ecclesiæ fundamentum: oporteret nos in Petrum credere, atque ita illum habere pro Deo: quia ædificatio super illud fundamentum constat fide. At consequens illud blasphemum est. Quare & antecedens. *Ecclesia.*

Verùm enimverò ex his verbis Bellarminus conatur ostendere, Apostolum Petrum Ecclesiæ totius caput & principem loco Christi, ab ipso Christo constitutum esse. Ac primùm recitatis verbis quæ habentur v.18. & 19. subjungit: *Quorum verborum planus & obvius sensus est, ut intelligamus, sub duabus me-* « Tomo « primo de

Rom. Pō-tific.lib.1. cap.10. 11. & 12. *metaphoris promissum Petro totius ecclesiæ principatum. Prior metaphora est fundamenti ac ædificii. Quod enim est in ædificio fundamentum, id est in corpore caput, in civitate rector, rex in regno, Paterfamiliâs in domo. Posterior est clavium. Cui enim traduntur claves civitatis, ille instituitur rex, vel certè gubernator civitatis: qui quos vult admittat, quos vult excludat.* Respondeo. Expositio ista falsa est. Nam prior metaphora hîc nihil pertinet ad Petrum: quia dicta est de Christo. Posterior verò non significat potestatem absolutam, sed qualis œconomo à patrefamiliâs traditur, sicut postea suo loco ostendetur. Sed expositionem suam Bellarminus deinceps per partes confirmare conatur: ac primùm, quòd Petrus sit illa petra, super quam fundatur ecclesia. *Hac sententia*, inquit, *ex ipso textu apertè deducitur. Nam illud pronomen* Hanc, *cùm dicitur, Et super hanc petram, demonstrat aliquam petrã, de qua paulò antè Dominus sit loqutus: proximè autem Dominus Petrũ vocaverat petram. Syriacè enim loquebatur, & Syriacâ linguâ Petrus dicitur Cephas, ut habemus Joh.1. Cephas autem petrum significat, ut Hieron. docet in cap.2. ad Galat. & res certissima est &c.* Syllogismus sic est:

De qua petra Dominus paulò antè fuit loquutus, illam demonstrat pronomen Hanc, *ubi dicit, Et super hanc petram ædificabo &c.*

Atqui Petrus est illa petra, de qua Dominus proximè loquutus fuit.

Ergo Petrum demonstrat pronomen Hanc.

Vindicatio verborum Christi, Tu es Petrus, & super hanc petram &c à sophismatis Bellarmini. Respondeo. Committitur hîc ἀσυλλογισία ex duplicitate termini medii. Aliud enim est petra, de qua Dominus loquutus fuit paulò antè; aliud verò petra de qua loquutus fuit proximè. Nam proximè quidem de Petro loquutus fuit, nominatus eum Cepham, id est, πέτραν vel πέτρον: sed paulò antè loquutus fuit de seipso, interrogans Apostolos, quem dicant se esse, v.15. Etsi verò ibi se non nominavit petram, id tamen non obstat, quò minùs ad seipsum respiciens, nunc demum petram sese nominet. Cujus nominationis causam ei præbuit confessio Petri, ubi dixerat: Tu es Christus, filius ille Dei viventis &c. v.16. Hanc confessionem approbans Dominus ait, Beatus es Simon &c. Et mox, Sed & ego tibi dico, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Quasi dicat: Tu jure à me ante hoc tempus * nominatus es Cephas, quod est Græcè πέτρος sive πέτρα: quia, ut ex hac confessione tua apparet, per fidem fundatus es super me, tanquam petram firmissimam: super quam deinceps ecclesiam meam, id est, omnes electos nondum vocatos, ædificabo; idque per ministerium verbi, quod tibi sociisque tuis mandaturus sum, ut percipitur ex v.19. Quòd si Bellarminus ad justam syllogismo formam tribuendam in propositione pro vocabulis, *paulò antè*, substituat vocabulum *proximè*: tum propositionem nego. Neque ulla necessitas illam concedere cogit. Interdum enim in sermone accidit, ut relativum aut demonstrativum nomen non ad proximum, sed ad aliquid remotum referatur. Cujus rei exempla reperiet studiosus lector Gen.10. v.12. 1.Sam.7. v. ult. & cap.27. v.8. item 2.Sam.21. v.14. item 2.Thess.2. v.9.

* Vt liquet ex Joh.1.43.

Veruntamen propositio sic mutata potest concedi, si rectè intelligatur, nempe hoc sensu: De qua petra Dominus proximè fuit loquutus, scilicet implicitè, illam demonstrat pronomen Hanc. Sed sic iterum existunt quatuor termini: quia in assumtione verbum illud, *loquutus fuit*, intelligitur explicitè.

Porrò verba illa, *Hanc petram*, non posse nec debere referri ad Petrum, cujus proximè expressa facta fuit mentio: ex ipsa vocum diversitate judicari potest. Si enim Dominus, posteaquam dixisset, Tu es Petrus (Græcè πέτρος) de Petro sermonem continuasset: Apostolus Matthæus (qui sensum verborum Domini haud dubiè intellexit) eandem vocem repetivisset, dicendo, καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ. At is voce mutatâ (quæ tamen in sermone Syriaco, quo Dominus tunc fuerat usus, est eadem, nempe Cepha) dixit, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ: manifestè innuens, hîc non de persona Petri, quem modò nominaverat πέτρον, sed de re quapiam diversâ Dominum loquutum esse. Sensus igitur verborum Domini est: *Tu es Petrus*: id est, Tu verè à me statim * in principio vocationis tuæ nominatus es πέτρος, id est, rupes: quippe quum (ut ex tua de me confessione intelligo) sis per fidem fundatus super veram petram, videlicet me. *Et super hanc petram* (videlicet meipsum) *ædificabo ecclesiam meam*: id est, omnes electos, qui nondum vocati sunt, per prædicationem evangelii efficaciter vocabo, atque ita eos per fidem super me ædificabo, ut sint lapides vivi, ædificati super me lapidem vivum: sicut Petrus ipse loquitur 2.Pet.2. v.4. & 5. quibus quidem verbis omnino videtur hanc ipsam Domini sententiam atque promissionem proponere voluisse. Nec verò novum aut insolens est in Scriptura, ut sententia aliqua cohæreat cum sententia non ea quæ proximè præcessit expressis verbis, sed ea quæ ex illa relinquitur intelligenda. Exempla studiosus lector poterit videre in mea Analysi Epistolæ ad Rom. cap.1. v.18. & cap.2. v.13. & c.4. v.2.

* Joh.1.43.

Pag.639. Sed contra hanc probationem sic disserit Bellarminus. *Cur verò Græcus* (inquit) *non verterit, σὺ εἶ πέτρα, καὶ ἐπὶ ταύτῃ πέτρᾳ, causa est, quoniam cùm apud Græcos tam πέτρος quàm πέτρα significet lapidem: visum est interpreti commodius, homini nomen masculinum quàm fœmininum tribuere. Deinde verò ad explicandam metaphoram, secundo loco non voluit dicere, ἐπὶ τῷ πέτρῳ: quod fuisset ambiguum: sed ἐπὶ τῇ πέτρᾳ: quod nihil aliud quàm saxum significat.*

Resp. Primò hîc observandum, Bellarminum pro confesso sumere, Evangelium Matthæi non esse Græco sermone ab ipsomet scriptum, sed in illum per alium aliquem ex Hebræo Syriacóve conversum. Quod etsi à veteribus nonnullis affirmatur, tamen non affirmatur pro certo atque indubitato: sed tantùm affirmatur, exemplar Hebraicum tum extitisse. Potuit autem fieri, ut illud fuerit translatum ex Græco. Nam Græcè potiùs, quam Hebraicè scripsisse Matthæum, admodum probabile est propter has rationes, quas doctiss. vir Guilielmus Witakerus in suo de sacra Scriptura tractatu affert: *Nempe quia tum Græca lingua erat ipsis etiam Judæis non incognita: & quia alii Apostoli Græcè scripserunt, non modò quæ cunctis promiscuè, sed & quæ Judæis peculiariter inscripta sunt, ut Jacobus & Petrus.* His ego addo Paulum in Epistola ad Hebræos: & præterea hanc rationem adjicio: quòd vocatio Matthæi, nempe Apostolatus, ut doctrinam de Christo Græcè scriberet, postulavit: quia tam Græcos quàm Hebræos de Christo erudire debuit: id quod per linguam Hebræam effectum dare non potuit, utpote Græcis incognitam; potuit autem per Græcam, quippe passim in orbe Romano variis gentibus, atque adeò ipsis quoque Hebræis, notam. Controvers.1. quæst.2. cap.5.

Sed sive Græcum hoc Evangelium Matthæus ipse scripserit, sive interpres aliquis ex illius Hebræo converterit: satis est hunc librum authenticum atque canonicum esse, quippe à Johanne Apostolo approbatum, teste Eusebio, hist. Eccles. lib.3. c.21. Ergo non est dubium, quin si hæc Græca translatio est, fideliter mentem authentici exemplaris reddiderit. Quum autem vocem Hebraicam sive Syriacam, Cepha, aliter reddiderit in sententia sequente, quam in antecedente: hoc ipso evincitur, interpretem illum judicasse, non de una eademque re in utroque pronuntiato sermonem haberi. Ratio autem, quam Bellarminus affert, cur in sententia sequente non repetiverit nomen πέτρος, sed substituerit vocem πέτρα, falsa est: nempe id illum fecisse ad explicandam metaphoram, quia nomen πέτρος in secunda sententia futurum fuisset ambiguum, Imò nihil hic fuisset ambigui, sed fuisset sententia clarissima, sermonem esse de ipso Petro, si sic dixisset, σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ &c.

Sed excipit Bellarminus. *Pronomen* Hanc *non potest referri ad Christum petram, sed ad Petrum petram: debet enim referri ad aliquid proximum, non ad remotum.* Ad hoc jam responsum est. Sed pergit: *Deinde licet Christus*, inquit, *dici possit petra, tamen hoc loco non est vocatus petra à Petro confitente. Debet autem referri illud*, Hanc, *ad eum, qui nominatus est petra, non ad eum, qui non est appellatus hoc nomine.* Resp. Hoc verò nõ est necesse: & qua facilitate à Bellarmino affirmatur, eâdem facilitate à me rejicitur. Imò ut pronuntiatũ istud de Petro intelligatur, fides Christiana non patitur: quæ nullam petram, super quam Ecclesia ædificata sit, præter Christũ, agnoscit: secundùm illam Apostoli sententiam: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Jesus Christus, 1.Cor.3. v.11. Pag.643.

Adhuc excipit Bellarminus: *Si referretur*, inquit, (nempe pronomen Hanc) *ad Christum: quorsum dictum fuisset, Ego dico tibi, quia tu es Petrus? Planè frustra, nisi id quod sequitur, ad Petrum referatur.* Resp. Imò tantum abest, ut hæc verba frustra ad Petrum dicta sint, nisi sententia sequens de ipso intelligatur; ut potiùs per illam sententiam causa significetur, cur Dominus ista verba Petro dixerit: continent enim rationem nominis Petro attributi, desumtam ab objecto fidei illius, ut antea est à me declaratum. Ampliùs excipere pergit Bellarminus: *Si ad Christum referretur: non diceret Dominus, Ædificabo: sed ædifico Ecclesiam meam. Nam in se jam ædificaverat Apostolos & discipulos multos.* Resp. Imò secundùm hanc rationem non diceret, *ædifico*: sed, *ædificavi*. Sed quis non intelligit, Dominum hîc non loqui de Ecclesia universa: quippe ad quam tot millia sanctorum hominum inde à mundi origine mortuorum, atque ita jam antea super ipsum ædificatorum, pertinent? Itaque planum est ex illo ipso verbo futuri temporis, Dominum loqui de electis deinceps efficaciter vocandis, per synecdochen integri. Unde patet, commentitiam esse causam, quam hîc affert Bellarminus, ideò dicere Dominum, *ædificabo*, quia nondum constituerat Petrum fundamentum, sed post resurrectionem suam id facturus erat. Scil. Quasi verò Dominus hîc de Petro loquatur: aut quasi dictum illud Domini ad Petrum Joh.21. quò hîc respicit Bellarminus, Petrum fundamentum Ecclesiæ constituat, ac non potiùs ministerium verbi ei commendet? Ibid. Ibid.

At contra expositionem nostram, quã negamus, dictum illud de Petro intelligi posse, quia solus Christus fundamentum Ecclesiæ sit, Paulo teste: sic sophisticatur Bellarminus: *Paulum ibi loqui non de quocunque, sed de primario fundamento.* Quasi verò vel Paulus, vel uspiam scriptura duplex Ecclesiæ tradat fundamentum, primarium unũ, alterum secundarium! Imò, inquit Bellarminus: & pro secundario illo fundamento affert duo dicta scripturæ: unum Eph.2. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Quod nisi intelligatur de fundamento secundario: intelligatur autem de primario, id est, Christo: fore*, ait Bellarminus, *ut Paulus secum ipso pugnet.* Quasi verò Paulus hîc non de illo ipso fundamento loquatur, de quo etiam 1.Cor.3. Ibid.

v.11. nem-

*In hunc sensum ipse Bellarminus illum locū Eph. 2. exponit, pag. 647.

v.11. nempe de Christo (vel quod eodem redit) de* doctrina Evangelica, quæ est de Christo: quam vocat fundamentum Apostolorum & Prophetarum, hoc sensu, quòd illi electos super illam de Christo doctrinam quasi ædificent. De hoc autem ipso fundamento, ac non de commentitio illo secundario, Paulum isthic loqui, planum est ex verbis continenter annexis: Cujus (scilicet fundamenti) imus angularis lapis est ipse Jesus Christus. Quibus verbis significat, doctrinæ Apostolicæ partem præstantissimam esse eam, quæ est de Christo.

Alterum dictum pro secundario Ecclesiæ fundamento affertur ex Apoc. 21. *ubi Johannes*, inquit, *describit fundamenta duodecim in ædificio Ecclesiæ, & explicat, per ea fundamenta Apostolos designari.* Resp. Hic locus facit contra institutum Bellarmini. Nam si fundamenta secundaria Ecclesiæ sunt duodecim: quare igitur contendit, fundamentum Ecclesiæ secundarium esse unicum, videlicet Petrum? Sed facilè intelligitur, Apostolos fundamenta Hierosolymæ illius cælestis (id est, Ecclesiæ) nominari respectu *suæ doctrinæ de Christo, super quam Ecclesia est ædificata. Non igitur fundamenta dicuntur, quasi Ecclesia super ipsos ædificata sit: quippe quæ (teste Paulo) super solum Christum tanquam fundamentum ædificata est, 1. Cor. 3. v. 11.

* Et sic ipse Bellarminus exponit pag. 647.

Hactenus de una expositionis propositæ parte: ubi ostendi, pronuntiatum illud Domini, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non loqui de Petro, sed de ipso Christo. Quo demonstrato, & contrariâ Bellarmini expositione eversâ, jam suâ sponte totum illius institutum collabitur, & conatus irritus evadit: etiamsi secunda expositionis pars, quâ contendit, super petram ædificari Ecclesiam, idem esse quod Ecclesiam gubernare, ei concederetur. Veruntamen hanc quoque partem consideremus.

Cap. XI. Pag. 616.

Catholici, inquit Bellarminus, *docent, hac metaphorâ significari, Petro esse commissum regimen totius Ecclesiæ, & præcipuè circa fidem. Petræ enim fundamentali hoc est proprium, totum ædificium regere & sustentare.* Respondeo. Notetur hoc loco primùm sophistica petitio principii, & deflectio à quæstione proposita. Quamvis enim proposuerit declarare in genere & indefinitè, quid sit, super petram ædificari Ecclesiam, Matth. 16. (ut planum est ex capitis hujus titulo) tamen in explicatione admiscet rem specialem, videlicet Petrum: quatenus dicit, hac metaphorâ significari, Petro commissum esse regimen &c. At istâ metaphorâ nullum tale regimen significatur: sive Petro commissum dicas, sive ipsi Christo. Imò, inquit Bellarminus, petræ fundamentali hoc proprium est, totum ædificium regere & sustentare. Sanè sustentare ædificium, fundamenti est: at quis unquam rectè loquens dixit: ædificium à fundamento regi? Certè quòd regit, agit cum ratione. At fundamentum nihil tale agit: sed quietum atque immotum manens ædificii molem sustentat recipiendo atque continendo. Ædificari autem Ecclesia super Christū dicitur, quatenus singuli electi fide in Christum donantur, & per illam fidem Christo nituntur, & immoti præstant contra omnes diaboli & mundi tentationes: id quod significatur verbis annexis: *Et portæ inferorum non prævalebunt adversus eam.* Etsi autem, dum ita per fidem Christo nituntur, ab ipso Christo per Spiritum S. gubernantur: ita ut ista fidei actio, & illa Christi gubernatio simul sint: interim tamen duo illa non sunt idem, sed ratione differunt.

Adhuc à Bellarmini sophismatis vindicavi verba versiculi 18. Nunc sequitur, ut idem faciam circa v. 19. Unde iste novum argumentum arripit ad primatum Petro, & Principatum in Ecclesia assignandum. Ac primùm elaborat in eo, ut ostendat, verba illa, Tibi dabo claves regni cælorum &c. dicta esse soli Petro. Videamus igitur, quæ & qualia hîc afferat argumenta.

Pag. 648.

Primùm, inquit, *tot modis Christus Petri personam designavit, ut non pluribus circumstantiis describere soleant certū aliquem hominem notarii illi, qui instrumenta publica conficiunt. Nam* * *inprimis expressit substantiam personæ singularis per pronomen* TIBI. *Deinde addidit nomen inditum in nativitate, cùm ait, Beatus es Simon. Adjunxit nomen patris, cùm ait, Filius Jona. Nec omittere voluit nomen à se recens impositum: Et ego dico tibi*, inquit, *quia tu es Petrus. Quorsum tam accurata descriptio, si nihil ipsi Petro propriè promittitur?* Syllogismus hic est:

* Sic loqui solet Bellarminus pro eo quod Latini dicūt *primùm* vel *primò*.

Quicunque à promittente accuratè describitur, ei aliquid proprium promittitur. Nulla enim alia causa accuratæ illius descriptionis potest afferri.

At Petrus hîc à Christo promittente accuratè describitur.

Ergo Petro hîc aliquid proprium promittitur.

Respondeo. Propositio qua facilitate affirmatur, eâdem potest negari: sicut & ratio, quæ ad illam probandam affertur. Nec sequitur: Christus dixit Petro: Tibi dabo claves &c. Ergo intellexit, Tibi soli. Potuit enim simul intelligere reliquos Apostolos: sicut & revera intellexisse, apparet ex ipso hujus promissionis complemento, Joh. 20. 23. Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt. Sed contra hanc expositionem excipit Bellarminus: *Certum est*, inquit, *non dari per illa verba omnem potestatem clavium, sed tantùm potestatem ordinis ad remittenda peccata. Siquidem hoc loco determinatur potestas ad peccata: Matth. 16. non determinatur, sed dicitur, Quodcunq; ligaveris &c.* Resp. Quasi verò non idem utrâq; phrasi significetur, etsi in altera non sit expressa peccatorū mentio? aut quasi obscurum sit, apud Matthæum metaphoricè enuntiari, quod apud Johannem propriis verbis declaratur! Sed pergit sophisticari Bellarminus, & verbo *ligandi* apud Matthæum alienas significationes affingit, sic attexeris: *Ligant homines non solùm peccatis, sed etiam legibus.* Quid tum? inquam. Hinc ne efficies, verbum *ligandi* in dicto illo Christi de legibus loqui? at quo argumento id ostendes? Sed pergit sophisticari: *Deinde minus est*, inquit, *retinere peccatum, quàm ligare peccatorem.* Resp. Imò reipsa nihil hæc differunt. Etenim qui retinet alterius peccata, hoc ipso non remittit ei illa (ut patet ex antithesi.) Cui autem nō sunt remissa peccata, is peccatorum suorum adhuc reus est, & propter illa obligatus ad pœnam: quod ipsum *ligandi* verbo Christus hîc intelligit. At Bellarminus imparitatem istam, quam dixit, sic nititur probare: *Nam retinere*, inquit, *est relinquere hominem in suo statu, sive non solvere: ligare autem est novum vinculum ei imponere: quod fit per excommunicationem, interdictū, legem &c.* Resp. Inanè sophisma. *Ligare* in dicto illo Christi apud Matthæū, non est novum vinculum imponere: sed est nomine Dei affirmare, peccatorem impœnitentem peccatis suis ligatum, hoc est, ad pœnam Deo obligatū manere. Hoc satis patet ex ipsa antithesi, quâ verbo *ligandi* opponitur verbum *solvendi*. Quo significatur, peccatorem à vinculo, quo ligatus erat, solvi, dum scil. ei nomine Dei affirmatur, peccata ipsi remissa esse, ac proinde obligationem ad pœnam desiisse. Unde jam planum est, reipsa idem esse, peccata remittere, & peccatorem solvere. Quare similiter idē erit, peccata retinere, & peccatorem ligare. Ac proinde quum omnibus Apostolis data sit potestas peccata remittendi & retinendi, Joh. 20. consequens est, eisdem datam esse potestatem ligandi & solvendi. Et sanè ipse Bellarminus affirmat, potestatem ligandi, quę Apostolis promissa sit Matth. 18. v. 18. eisdem esse datam Joh. 20. v. 23. Sed hîc rursum Bellarminus principium petit, dum sine ulla probatione affirmat, ligationem illam, de qua hîc sermo est, fieri non per solam excommunicationem ac pœnæ æternæ denuntiationem, sed etiam per interdictum, legem &c.

Verùm Bellarminus cùm negare non possit id quod manifestum est, nempe Joh. 20. omnibus Apostolis, non soli Petro, potestatem remittendi, retinendique peccata (quod nihil aliud est, quàm potestatem ligandi solvendique peccatorem) dari: novum sophisma comminiscitur, sic disputans: *Ut autem intelligeremus*, inquit, *hanc summam potestatem collatam Apostolis omnibus ut legatis, non ut pastoribus ordinariis, & cum quadam subjectione ad Petrum: soli Petro dicitur Joh. 21. Pasce oves meas: quemadmodum soli illi dictum erat, Tibi dabo claves. Claves enim regni ut principalis & ordinarius præfectus tunc solùm accepit cùm audivit, Pasce oves meas. Tunc enim etiam Apostolorū fratrum suorū cura ei cōmissa est.* Pag. 655. Resp. Si potestas ligandi Joh. 20. v. 23. data est Apostolis omnibus ut legatis: sequitur, etiam Petro datam ut legato. Si autem ut legato; non ergo ut pastori ordinario: quia pastoris ordinarii est manere cum suo grege: legati verò, adire populos varios, quò à Domino suo mittitur. Quid? quòd fieri nō potest, ut totius ecclesię sit pastor ordinarius unus? nempe pastor, de quali hîc est sermo: qui nudus homo sit, & ad totum gregem suæ curæ commissum, pabulo verbi per prædicationem pascendum à Deo vocatus & ab ecclesia ordinatus. Præterea, si potestas illa ligandi data est Apostolis omnibus cum subjectione quadam ad Petrum: sequitur, aut Petrum sibi ipsi subjectum fuisse, aut non fuisse in numero Apostolorum. Ita apparet, quomodo mendacium seipsum coarguat. Interim tamen commentitiā hanc suam distinctionem confirmare nititur Bellarminus ex eo, quòd Christus Joh. 21. soli Petro dixit, Pasce oves meas. Quæ verò hîc est ratio consequentiæ? Christus certo tempore soli Petro dixit; Pasce oves meas: Ergo solum Petrum constituit ordinariū pastorem totius ecclesiæ. Quasi verò non potuerit idem alio tempore mandavisse cæteris quoque Apostolis: imò quasi non revera mandaverit, cùm dixit Matth. ult. v. penult. Profecti docete omnes gentes! Quæ enim alia est ratio pascendi oves Christi: quàm docendo? Et obsecro, annon ista mera principii petitio est, ubi ait Bellarminus: *Claves enim regni ut principalis & ordinarius præfectus tunc solùm accepit* (scilicet Petrus) *cùm audivit, Pasce oves meas.* Et mox iterum: *Tunc enim etiam Apostolorum fratrum suorum cura ei commissa est.* Attendatur, quæso, hoc probandi genus: Christus Joh. 20. dixit soli Petro; Pasce oves meas: Ergo illum solum constituit ordinarium pastorem, cæterorumque Apostolorum principem. Ratio consequentiæ: Quia tunc, quum hoc ei dictum est, accepit claves regni ut principalis & ordinarius præfectus. Hoc ipsum autem probatur ex eo, quòd tunc etiam Apostolorum fratrum cura ei commissa est. Quis non videat, hæc omnia æquè incerta esse, nec nisi modo loquendi inter se differre?

Sed quærat hîc aliquis: Cùm Christus paulò ante ascensionem suam munus pascendi oves suas omnibus Apostolis simul injunxerit Matth. ult. v. penult. qui fit ergo, quòd ante illud tempus, nempe paulò post resurrectionem, hoc ipsum peculiariter injunxit Petro? Causa hujus rei ex illo ipso sermone facilè perspicitur. Non enim contentus Dominus semel interrogasse Petrum, Petre amas me: & affirmanti commendare ovium suarum curam: ter utrumque illud repetiit. Unde liquet, Dominum ideo

Petrum singulariter hac de re allocutum, ut sicut ille ter negaverat Dominum, ita etiam ter eundem denuò confiteretur, suumque constantem erga ipsum amorem, in ovibus ipsius pascendis inprimis declarandum, ter quoque profiteretur. Sed ampliùs pergit inanes ratiunculas ad propositum suum stabiliendum afferre Bellarminus. *Et propterea etiam*, inquit, (quia scilicet verbis illis, Pasce oves meas, Petrum principem ecclesiæ constituit Dominus) *quemadmodum Matth. 16. in promissione clavium Simon Bar-Jona appellatus est* (scilicet Petrus) *ita quoq; in exhibitione Joh. ult. Simon Joannis, vel (ut est in Græco) Simon Jona dictus est.* Resp. Hic duplicem committit petitionem principii: primùm ubi pro confesso sumit. Petrum Matth. 16. appellatum esse Simon Bar-Jona, propterea quòd ei illic promitteretur principatus ecclesiæ: deinde ubi affirmat, ob eandem causam sic dictum esse Johan. ult. Parem vim habent (id est, nullam) quæ subjungit his verbis: *Et sicut Matth. 16. non antè sunt ei claves promissæ, quàm fidem suam singularem in Christum testaretur: ita Joan. ult. non antè dictum est illi, Pasce oves meas, quàm interrogatus esset, num plus cæteris Christum diligeret.* Respondeo: Quid, quæso, ex hac similitudine efficitur? num Petrum cæteris Apostolis principem præfectum? at quâ vi consequentiæ? Quid, quòd in istius similitudinis protasi falsum affirmatur? Neque enim Petrus Matth. 16. fidem singularem in Christum testatus est, sed omnibus Apostolis communem.

Sed adhuc pergit Bellarminus, & confidenter admodum sic disputat: *Et sanè nulla causa erat cur ita singulariter Petro diceretur, Tibi dabo claves, &c. Pasce oves meas, atq; id ob singularem ejus fidem & dilectionem, si nihil præter cæteros accepturus erat?* Respondeo: Imò causa alia posterioris dicti jam à me est ostensa: prioris verò dicti causa facilè percipitur ex occasione dicendi: nempe sermonem hunc ad Petrum nominatim directum esse, quia is confessionem solus ediderat. Veruntamen sicut nomine omnium Apostolorum ediderat confessionem, ita etiam omnium nomine illam accepit promissionem. Et rursum hic falsum admiscetur, principiumque petitur, quatenus affirmatur, *verba illa, Pasce oves meas, dicta esse Petro ob singularem ejus fidem & dilectionem.*

Consideremus nunc & reliqua Bellarmini argumenta quibus persuadere conatur, potestatem clavium Matth. 16. verbis illis, Quicquid ligaveris &c. soli Petro datam esse. Secundum igitur Bellarmini argumentum hoc est: *Illi propriè claves promittuntur à Christo, qui dixerat, Tu es Christus filius Dei vivi. Id enim significabant illa verba, Et ego dabo tibi. At illam præclaram confessionem Petrus edidit, & in persona sua edidit. In persona igitur sua clavium promissionem accepit.* Respondeo: Hîc nisi falsum vero admisceret Bellarminus, propositum nequaquam concluderet. Vult probare, Petrum Matth. 16. in sua persona (id est, pro se solo) accepisse potestatem clavium. Ad hoc probandum istud affert argumentum, quia claves ibi promittantur ei qui dixerat, Tu es Christus. Fiat syllogismus.

Qui Matth. 16. dixerat, Tu es Christus &c. ei à Christo claves promittuntur, dicente nimirum, Tibi dabo claves &c.
Atqui Petrus istud dixerat.
Ergo Petro ibi claves promittuntur.

Hoc totum conceditur: sed sic non concluditur propositum, nempe *soli* Petro ibi claves promitti. Ut autem propositum concludatur, opus fuit admiscere falsa, hoc modo:

Qui Matth. 16. dixerat, Tu es Christus &c. illi claves à Christo promittuntur propriè.
At Petrus id dixerat. Ergo.

Hîc falsa est propositio.

Idem mendacium repetitur aliis verbis hoc modo.

Qui confessionem illam edidit in sua persona, is clavium promissionem in sua persona accepit.
Atqui Petrus confessionem illam edidit in sua persona. Ergo.

Hîc falsa est assumtio: ut clarè liquet ex textu. Siquidem ibi expressè narratur, non solum Petrum pro sua persona interrogatum à Christo fuisse, quemnam esse diceret ipsum: sed interrogatos fuisse Apostolos omnes. Unde liquet, Petrum respondisse non in sua persona privatim, sed communiter in persona Apostolorum omnium.

Tertium Bellarmini argumentum est: *Deniq; illi dictum est* (inquit) *à Domino, Tibi dabo claves regni cælorum, qui paulò pòst ab eodem Domino audivit, Vade post me Satana, scandalum es mihi. Atqui hæc posteriora verba soli Petro & in persona propria dicta sunt &c. Quis igitur inficiari potest, Petro claves in persona propria esse promissas?* Syllogismus hîc est:

Cui dictum est, Vade post me Satana, eidem dictum est, Tibi dabo claves &c.
Soli Petro dictum est illud. Ergo & istud.

Hic syllogismus fallax est, propterea quòd medium ingreditur conclusionem. Etenim particula *Soli* ad medium pertinet: ut judicari potest ex consideratione quæstionis concludendæ; quæ est, An Petrus sit is, cui soli dictum est, Tibi dabo claves &c. Ad hujus quæstionis affirmativam confirmandam affertur hæc ratio, quòd Petro dictum sit, Vade post me Satana; quæ ratio nihil valebit, nisi addatur particula SOLI. Secus propositio erit falsa, nempe hæc sententia: Cui dictũ est, Vade post me Satana, eidem soli dictum est, Tibi dabo claves &c. Veruntamen ne si addatur quidem medio syllogismi ista particula, propositum concludetur, nempe si sic dicatur:

Cui soli dictum est, Vade post me Satana; eidem dictum est, Tibi dabo claves &c.
Petrus est is, cui soli dictum est, Vade &c.

Quid hinc sequitur? Nempe nihil aliud quàm hoc: *Ergo Petro etiam dictum est, Tibi dabo claves &c.* At de hoc non erat quæstio. Ut autem proposita quæstio concludatur, sic instituere oportebit syllogismum:

Cui soli dictum est, Vade post me Satana: eidem etiam soli dictum est, Tibi dabo claves &c.
At Petrus est is, cui soli dictum est, Vade post me Satana.
Ergo etiam eidem soli dictum est, Tibi dabo claves, &c.

Sed hic jam falsa est propositio. Nam soli quidem Petro dictum est, Vade post me Satana: quia is solus occasionem & causam istius dicti Domino præbuerat, dehortando illum, ne iret Hierosolymam, atque ita evitaret periculum cædis. At non soli Petro dictum est, Tibi dabo claves &c. Sed communiter omnibus Apostolis: quia dicti illius occasionem Domino præbuerat Petrus suâ confessione de Christo, quam ediderat non suo privatim, sed communi omnium Apostolorum nomine.

Sed ad hoc respondet Bellarminus, *Petrum respondisse nomine omnium, non ut præconem aliquem, sed ut principem & caput atque os (ut Chrysostomus loquitur) Apostolorum. Ipse enim solus respondit, cùm ignorarent cæteri, quid potissimùm responderent: sed Petri cõfessionem silentio suo approbaverunt, & eo modo per os Petri omnes responderunt. Quemadmodum igitur Petrus solus respondit, & ei cæteri assenserunt: ita Christus soli Petro claves promisit, sed tamen post eum etiam cæteris communicandas.*

Respon. Confundit hîc Bellarminus diversa, quasi æquipolleant istæ voces, *Princeps, caput, os.* Cõcedimus, Petrum respondisse nomine omnium Apostolorum tanquam os; negamus, respondisse tanquam principem eorum aut caput. Deinde temere hîc & confidenter pro confesso atque certo assumit, quod non potest idoneo argumento probare; imò cujus contrarium ex præsente narratione colligitur, nempe cæteros ignorasse, quid potissimùm responderent. Imò illos hoc ipsum responsuros fuisse, nisi satis fuisset, jam respondisse per Petrum; judicari potest ex confessionis hujus eventu: quippe in qua Dominus acquiescit, illamque approbat. Quo ipso ostendit, per eam satisfactum esse suæ interrogationi. Interrogaverat autem non solùm Petrum, sed omnes in universum Apostolos: Quem autem Vos me dicitis esse? Ergo responsionem Petri non secus accepit, ac si à singulis Apostolis dicta fuisset. Quod nisi ita esset; certè non contentus confessione Petri, ulteriùs cæteros singulos interrogasset. Deinde sibi ipsi contradicit Bellarminus, dum affirmat, cæteros ignorasse, quid responderent; & interim tamen fatetur, Petrum respondisse illorum nomine tanquam os eorum, atque adeo illos per os Petri respondisse. Si enim respondit tanquam os eorum, sive illi responderunt per os ipsius: certè fatendum est, ipsum respondisse ex animi illorum sententia. Secus dicendum fuerit, mentitum fuisse. Mentitur enim, qui ore confitetur, quod corde non sentit. Postremò propositum ipse suum Bellarminus evertit, simulque contradictionem implicat, dum ait, *Claves soli Petro promissas, etiam cæteris fuisse communicandas.* Nam si fuerunt promissæ soli Petro, id est, ita ut ad solum Petrum pertinerent, id quod hoc loco intendit probare Bellarminus: soli etiam Petro fuerunt suo tempore dandæ: ac proinde non fuerunt cum cæteris Apostolis communicandæ. Si verò hoc loco Bellarminus per *cæteros*, non intelligit cæteros Apostolos, sed Papas Romanos tanquam successores Petri (id quod innuere videntur verba, *Post eum*) tum deflectit à quæstione proposita, & fucum facit simplici lectori per vocabuli ambiguitatem: atque hoc ipso principium petit. Sic jam ostensum est, & quomodo Bellarminus hoc loco sibi ipse contradicat, & quomodo propositum suum evertat. Nam si claves fuerunt cæteris Apostolis communicandæ: certè dici non potest, Petro tanquam proprias ei futuras, promissas esse.

Verùm enimverò quod Bellarminus modò vi veritatis convictus concessit, Petrum scilicet nomine omnium respondisse; id mox refellere conatur, sic disputans. *Si nomine omnium Petrus respondisset: vel id fecisset, quod cæteri hanc ipsi provinciam demandassent, vel quod sciret, quid illi responsuri essent. Neutrũ autem est verum. Non primum; quia ex revelatione Patris hoc didicit, non ex consultatione humana: ait enim Dominus, Caro & sanguis non revelavit tibi &c. Non secundum; quia soli ipsi facta est revelatio. Item, quia si scisset mentem aliorum, aliquo modo hoc indicasset: quomodo fecit Johan. 6. cùm ait, Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et, Nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.*

Respondeo: In assumtione temere negantur duo: quorum neutrum firmis rationibus confirmari potest. Nam quod ad primum membrum attinet, nulla prorsus ratio consequentiæ apparet in isto connexo: Si Petrus hoc, quod respondit, didicit ex revelatione Patris, non ex consultatione humana: Ergo cæteri Apostoli ei non demandarunt hanc provinciam respondendi. Nam utrumque potuit fieri, & ut has partes Petro mandarent,

quippe qui & ipsi de hac veritate ex Patris revelatione edocti erant, & tamen Petrus eandem veritatem ex eadem revelatione didicerit. Quod verò attinet ad rationem membri secundi, illa falsa est, quòd scilicet soli Petro facta sit revelatio. Contrarium enim liquet ex eventu, sicut paulò antè ostendi. Nam ex hoc ipso, quòd Christus approbat omnium de se sententiam, intelligitur illam omnibus à Patre revelatam fuisse: quippe quum nemo noverit filium, nisi pater, Matth 11.v.27. Altera autem ratio, pro membro secundo allata, nullius momenti est. Quasi verò necesse sit, semper plenè exprimere, quod dictum volumus: aut quasi, si Petrus Joh.6. communi Apostolorum nomine loquens, id verbis numeri pluralis significavit, necesse sit, idem facere debuisse hoc loco.

Restat postrema pars expositionis Bellarminianæ loci propositi, qua explicare vult, quid hîc intelligendum sit per claves. Pag.661. Nos, inquit, *& Catholici omnes per claves datas Petro, intelligimus summam potestatem in omnem Ecclesiam. Id tribus*, inquit, *rationibus confirmamus. Primùm ipsâ metaphorâ clavium, ut in scripturis accipi solet. Siquidem Esaiæ 22. describitur depositio unius summi Pontificis & institutio alterius, his verbis: Vade, ingredere ad eum &c. Hîc apertè* (addit Bellarminus) *per claves non intelligitur remissio peccatorum, aut ministerium verbi, sed principatus ecclesiasticus.* Syllogismus sic est:

Si Esaiæ 22, per claves intelligitur principatus ecclesiasticus; etiam Matth.16. illum oportet per claves intelligi. Quia ibi Eliakim filius Helkiæ summus Pontifex instituitur per hæc verba, Dabo clavem domus David super humerum ejus.

At verum antecedens. Ergo & consequens.

Respondeo. Primùm, nulla est necessitas consequentiæ in connexo. Potest enim fieri, ut una eademque phrasis in diversis scripturæ locis de rebus diversis intelligatur. Deinde in isto connexo inter se tanquam paria seu similia comparantur, quæ dissimilia sunt. Aliud enim est, Dare alicui clavem domus Davidis, quod habetur Esa.22. aliud verò, dare alicui claves regni cælorum, quod habetur Matth.16. Illud enim intelligitur de administratione regni Davidis, atque ita regni terreni: ut paulò pòst demonstrabo: istud verò intelligitur de ministerio verbi, quo adducuntur homines in regnum cælorum. Ratio verò connexi & inefficax est, & falsa. Inefficax: quia non sequitur, Si Eljakim institutus fuit summus Pontifex per illa verba DEI, Dabo ei clavem domus David: Ergo Petrus institutus fuit summus Pontifex ac princeps Ecclesiæ per illa verba Christi, Tibi dabo claves regni cælorum. Etenim Pontificatus ille externus per adventum Christi veri Pontificis debuit abrogari. Falsa autem est eadem illa sententia, quia Eljakim iste non fuit ex genere sacerdotum: quum gesserit officium politicum, nempe administrationem domus regis Ezechiæ, ut videre est 2.Reg.18.v.18. Nam de illo ipso Eljakimo in isto Esaiæ loco sermonem haberi, planè patet ex utriusque loci collatione. Nam propheta Eljakimum hunc suffectum iri affirmat Schebnæ, (Vulgò Sobna.) qui tunc erat præfectus domus: in historia autem regum hic Eljakimus nominatur præfectus domus; Schebna autem, scriba: & hic post illum loco secundo commemoratur, inter legatos tres, quos tunc rex misit ad duces regis Assyriorum. Atque hæc responsa sint ad syllogismi propositionem. Jam ad assumtionem quod attinet: illam esse falsam, ex dictis intelligi potest. Qum enim in illo loco Esaiæ Eljakimo, tanquam homini politico, promittatur successio in officium Schebnæ politicum, nempe administrationem domus regis: planum est, per claves domus Davidis ibi nihil aliud, quàm hanc ipsam administrationem significari. Falsum igitur est, quod Bellarminus tam confidenter affirmat, *apertè in illo loco Esaiæ per claves principatum Ecclesiasticum intelligi.* Deceptus autem fuisse videtur Bellarminus ex nomine Chilkijæ, (Vulgò Helcia.) cujus filius hic Eljakim esse dicitur: quia illo nomine summus Pontifex fuit, cujus mentio habetur 2.Reg.22.v.4. Sed is temporibus demum Josiæ vixit, ut ex eodem capite percipitur, quinquagesimooctavo minimum anno post mortem Ezechiæ.

Hisce ita explicatis atque demonstratis, facilè poterit judicari, nihil ad rem facere, quæ Bellarminus præterea huc affert ex Pag.562. Esa.9.& Apoc.3. sic pergens: *Quò etiam pertinet illud Esa.9. Factus est principatus ejus super humerum ejus. Idcirco enim dicitur principatus super humerum impositus: quoniam claves, quibus principatus designatur, super humerum poni solebant. Neque per claves, Christi principatum significari, negare potest, qui legit illud de Christo, Apoc.3. Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clavem David &c.* Respondeo. Ista nihil prorsus pertinent ad negotium, de quo agitur Matth.16. Ibi enim agitur de ministerio verbi, ut supra est ostensum: at illic agitur de regno Christi, quatenus ab ipsomet administratur plenâ potestate atque potentiâ: quæ quidem administratio divina atque cælestis per illam administrationem regni Davidis terrenam atque humanam fuit adumbrata, ut ex verbis Apocalypsis percipi potest, quibus ad typum illum Eljakimi (de quo Esa.22.) alluditur: quippe quum ipsa illius loci verba ibi repetantur.

Sed annectit Bellarminus primo suo argumento principali Pag.eàd. adhuc unam ratiunculam his verbis. *Accedit etiam*, inquit, *communis consuetudo, etiam in rebus profanis. Quando enim urbes deduntur alicui principi, offerunt ei claves in signũ subjectionis.* Respondeo. Primùm ineptè dicit, In rebus etiam profanis Quasi dicat, Multò magis in divinis. Qum tamen hîc nulla istorum imparium ostendi possit ratio. Deinde exemplum illud dissimile est proposito negotio, de clavibus datis Petro: ubi agitur de ministerio, ac proinde, nequaquam de principatu. Præterea sequeretur, Christum, quum diceret Petro, TIBI *dabo claves*, sese illi tanquam principi subjecisse, si datio clavium hoc loco signum subjectionis esset.

Attexuit tamen isti exemplo aliud, quod ad rem facit, & hoc ipso quia ad rem facit, vim prioris exempli enervat, imò illud planè evertit Ait autem: *Et ei, qui instituitur œconomus in domo, claves tradi solent.* Bene habet: hoc tandem ad rem facit, & rationem atque vim clavium Petro cæterisq; Apostolis à Christo datarum pulchrè declarat. Erant enim illi (sicut etiamnum hodie omnes fideles ministri verbi Dei) œconomi in domo Dei: teste Paulo 1.Cor.4.1.& 1. Tim.3.15. Acceperunt itaq; à Christo claves ministerii verbi, quo dispensarent mysteria Dei, & tanquã scribæ edocti in regno cælorum, ex thesauro suo proferrent nova & vetera, Matth.13.v.52. Atq; ita Bellarminus sub paucis veris multa falsa occultat atque venditat, oculos simplicium præstinguens.

Secundum argumentum principale proponit his verbis. *Secundò probatur* (nempe per claves Matth.16. Petro promissas, significari summam potestatem in omnem Ecclesiam) *verbis illis, Quodcunq; ligaveris &c. Nam in scripturis ligare dicitur, qui præcipit, & qui punit. De præceptis loquitur Dominus Matt. 23. Alligant onera gravia & importabilia in humeros hominũ. De pœnis Matth.18. Quæcunq; alligaveritis super terram &c.* Pag.eàd. Tum infert ad illustrandum approbandúmve: *Hinc etiam communiter dicimus homines obligari ad legem servandam, & etiam obligari ad pœnam subeundam, si eam non servent. Solvere autem dicitur, qui remittit peccata, qui liberat à pœna, qui dispensat in lege, in votis, juramentis, & similibus obligationibus.* Tandem concludit: *Cùm ergo dicitur Petro generaliter, Quicquid solveris &c. datur ei potestas præcipiendi, puniendi, dispensandi, remittendi. Proinde fit judex & princeps omnium qui sunt in Ecclesia.*

Heu quàm plenis buccis hæc effutiuntur, quamq; grandi boatu proclamantur! Sed frustra. Sunt enim scopæ dissolutæ: ut apparebit, si ad formam syllogisticã redigãtur. Ea autem fuerit sic:

In quibusdam locis scripturæ, in quibus habetur verbum Ligandi, *idem illud valet quod præcipere, ut Matth.23.*

Atqui Matth.16.v.19. est quidam locus scripturæ, in quo habetur verbum Ligandi.

Ergo ibi illud verbum idem valet quod præcipere.

Resp. Ex majore particulari in prima figura nihil sequitur. Quòd si majorem reddas universalem, ut consulas formæ syllogismi: tunc illa manifestè falsa reddetur. Quid enim? an verbum *Ligandi* idem valet quod præcipere in illo loco, Ligate ei manus & pedes, & projicite eum in exteriores tenebras? Matth.22.v.13. Et hujusmodi loca sexcenta proferri possent.

Huic similis erit syllogismus alter, nempe sic:

In nonnullis scripturæ locis, in quibus habetur verbum Ligandi, *idem illud valet, quod punire, ut Matth.18.v.18.*

Atqui Matth.16.v.19. est quidam locus &c. ut in syllogismo priore. Ergo.

Hîc primùm eadem quæ modò data est, valet responsio. Deinde hoc quoque vitii hîc accedit, quòd propositio est falsa, ex Bellarmini quidem sensu intellecta, quòd scil. verbum *Ligandi* uspiam in scriptura idem valeat, quod punire in genere, & quidem sicut punit judex & princeps, sicut in conclusione sua hoc verbum declarat Bellarminus. Falsum & illud est, verbum Ligandi hoc sensu accipi Matt.18.v.18. Intelligitur enim ibi specialiter de pœna Ecclesiastica excommunicationis. Præterea non est consequens, si communiter dicamus, homines obligari ad legem servandam &c. ut propterea dicendum quoq; sit, in sermone illo Christi Matth.16.v.19. verbum *Ligandi* eandem significationem habere.

Sed Bellarminus aliud quoque sophisma texit per vocabulum *Generaliter*, sic argumentans.

Cui dicitur generaliter, Quicquid solveris &c. ei datur potestas præcipiendi, puniendi, dispensandi, remittendi: ac proinde is fit judex & princeps omnium qui sunt in Ecclesia.

Atqui Petro dicitur generaliter, Quicquid solveris, &c. Ergo.

Resp. Adverbium *Generaliter* in propositione refertur ad partes potestatis, quæ ibi enumerantur, & idem valet, quod *Universaliter*. In assumtione verò refertur ad personas subjectas, in quas potestas illa exercetur. Sensus enim est, Quoscunque homines fidem Christianam profitentes solveris & ligaveris &c. Et sic sunt quatuor in syllogismo isto termini, ex quibus nihil concluditur. Quòd si vocabulum *Generaliter* in propositione intelligi velit Bellarminus, sicut intelligitur & intelligendum est in assumtione, ut vitium illud ἀσυλλογισίας evitet: tum Scyllam fugiens in Charybdin incidet, id est, vitiositatem formæ commutabit vitiositate materiæ, falsam efficiens sententiam. Falsum enim est, cuicunque dicitur, Quoscunque ligaveris aut solveris &c. ei dari potestatem talem ac tantam, qualis & quanta in syllogismi propositione per partes declaratur.

Nam certè Petro Matth.16.v.19. istud dictum fuit: nec tamen

illa potestas ei concessa fuit, sed tantùm potestas ministerii Evangelici.

De tertio Bellarmini argumento, quod à testimoniis quibusdam Patrum ducit, minimè soliciti sumus. Illa enim nullam vim probandi habent, quum de doctrina Christiana agitur.

Atq; sic præsentem locum à sophismatis Bellarmini, quibus etiam ad stabiliendū primatum Petri pertrahere conatur, vindicavi. Sed quoniam ille non tam de Petri, quàm de Papæ Romani primatu stabiliendo laborat, & hunc ab illo necessariò dependere sibi persuadet, aliisque persuadere conatur: placet eâdem operâ, quàm feliciter illud præstet, quamque verè illud sentiat, considerare. Igitur ejusdem disputationis lib. 2. cap. 12. sic proponit: *Primùm, inquit, probatur, Romanum pontificem Petro succedere in pontificatu Ecclesiæ universæ, ex divino jure & ratione successionis. Debet Petro jure divino aliquis succedere: ille non potest esse alius quàm Pontifex Romanus: Igitur ille succedit.* Tum subjungit: *Negat utramq; partem argumenti Johan. Calvinus &c.*

Ex quibus postremis verbis conjicio, Bellarminum sibi persuadere, aut certè aliis persuadere velle, tribus illis sententiis sive pronuntiatis, quæ in posteriore periodo connectuntur, contineri syllogismum. Suo enim more per *argumentum* intelligit syllogismum; per *partem* autem *utramque argumenti*, utramq; syllogismi præmissam, ut vulgò in scholis loquuntur. Sed dicat mihi velim Bellarminus, cujus figuræ & modi syllogismus contineatur tribus hisce pronuntiatis.

Debet Petro jure divino aliquis succedere.
Ille non potest esse alius quàm Pontifex Romanus.
Igitur ille succedit.

Verùm enimverò ne videar rigidiùs cum Bellarmino agere, ipsam quoque hujus argumentationis vim considerabo, illamque in suos syllogismos perspicuè resolvam. Latent autem in ista argumentatione syllogismi duo: quorum unus principalis est, alter approbatorius sive prosyllogismus. Principalis hic est:

Ille qui Petro in pontificatu Ecclesiæ universæ succedere debet, est aut pontifex Romanus, aut aliquis alius.
At ille non potest esse alius.
Ergo ille necessariò est ipse pontifex Romanus.

Jam prosyllogismus, pertinens ad approbandum syllogismi præcedentis propositionem (ut vocant) majorem, hic est:

Si Petro jure divino aliquis debet succedere, ille est aut Pontifex Romanus, aut aliquis alius.
Atqui Petro jure divino aliquis debet succedere.
Ergo ille est aut pontifex Romanus, aut aliquis alius.

Atque hæc est istius argumentationis analysis: quam deinceps confirmare conatur approbando assumtionem, sive propositionem minorem utriusque syllogismi: ac primò quidem prosyllogismi, deinde verò syllogismi principalis. Quas probationes antequam videamus, priùs necesse est considerare, an vera sit utriusque syllogismi præmissa major: quas Bellarminus silentio præterit: quum tamen non nisi concessis illis, ad propositum suum concludendum pervenire possit. Igitur syllogismi principalis propositio major etsi speciem veri habet, tanquam pronuntiatum disjunctivum necessarium: tamen falsa est, quatenus præsupponit falsum, nempe hanc sententiam, quòd omnino aliquis Petro in pontificatu succedere debeat. Tum demum enim pronuntiatum illud disjunctivum poterit consistere, si priùs istud simplex fuerit concessum. Id quod manifestè ex ipso prosyllogismo perspicitur: quippe quo propositio illa major ex illa sententia, tanquam hypothesi, deducitur.

Atque hoc jam unum vitium est in materia istius argumentationis, videlicet falsitas præmissæ majoris in syllogismo principali. Cui accedunt alia duo, nimirum falsitas præmissæ minoris in syllogismo utroque. Sed ad minorem prosyllogismi approbandam Bellarminus sex affert argumenta: quæ deinceps ordine considerabimus.

Primùm, inquit, *oportere Petro aliquem succedere in Pontificatu Ecclesiæ universæ, colligitur ex fine pontificatus: Nam certum est, pontificem esse propter Ecclesiam, non Ecclesiam propter pontificem. Sic enim Augustinus libro de pastoribus cap. 1. Quòd Christiani sumus, inquit, propter nos est: quòd præpositi sumus, propter vos est. Atqui Ecclesia non minùs eget nunc uno pastore, quàm tempore Apostolorum, imò verò etiam magis: cùm nunc sint Christiani & plures & pejores. Non igitur moriente Petro, interire debuit pontificatus: qui non in Petri commodum, sed in Ecclesiæ utilitatem institutus erat; sed manere ac perseverare, donec ipsa ecclesia manet, aut certè donec in terris peregrinatur, & unius summi pastoris curâ & vigilantiâ opus habet.*

Syllogismus sic est:

Si Ecclesia nunc non minùs eget uno pastore, quàm tempore Apostolorum: certè moriente Petro pontificatus non debuit interire, sed manere. Quia pontifex est propter Ecclesiam, teste Augustino.
At verum antecedens. Ergo & consequens.

Respondeo. Imò falsum est antecedens, intellectum quidem ex sensu Bellarmini de pastore terreno nudoque homine, qui in terra degens Ecclesiam universam gubernet. Nam tali pastore Ecclesia neque tempore Apostolorum eguit, neque hoc tempore eget: & verò etiam nec illo tempore aliquem talem habuit, nec hoc tempore habet. Alioquin si de pastore illo cælesti CHRISTO loquamur, nemo pius negat, Ecclesiam & tunc, & nunc tali pastore eguisse & egere. Sed istud nihil facit ad propositum. Præterea & alterum sophisma hîc notandum est, nempe quòd in consequente propositionis connexæ falsò præsupponitur, & tanquam concessum assumitur, Petrum universæ Ecclesiæ pontificem fuisse. Id quod nimirum putat Bellarminus à se jam antea, libro scilicet primo hujus disputationis, esse demonstratum. Sed quàm sophistica sit illa demonstratio, supra à me est ostensum. Adhæc illud quoque observandum, Augustini dictum non loqui de pontificatu ecclesiæ universæ, quò detorquetur à Bellarmino: sed de episcopatu seu officio pastoris pluribus communi: ut ex ipsis verbis satis patet.

Porrò assumtionem syllogismi amplificat Bellarminus à majori, annectens, *ecclesiam nunc magis egere uno pastore quàm tempore Apostolorum, quia nunc sint Christiani & plures & pejores.* At contrarium potiùs ex ista ratione efficitur, nempe nunc opus esse pastore non uno, sed pluribus: ut cuivis rerum intelligenti patet. Et sanè provida illa summi ecclesiæ pastoris sive ἀρχιποίμενος, nempe domini nostri Jesu Christi, cura, in hac necessitate gregem suum non destituit, sed quamplurimos ei pastores largitur: universalem autem totius ecclesiæ curam nulli pastorum unquam commisit, sed sibi soli semper reservavit.

Secundum argumentum ducit Bellarminus *ex unitate ecclesiæ. Nam ecclesia,* inquit, *est una & eadem omni tempore: non debet igitur mutari forma regiminis, quæ est forma etiam reipublicæ & civitatis. Quare si Apostolorum tempore unus erat supremus rector & caput ecclesiæ, hoc etiam tempore esse debet.*

Resolvamus ista, ut clarè possint judicari. Continentur his verbis (non actu quidem, sed potestate) syllogismi quinque: quorum unus est principalis, reliqui prosyllogismi. Principalis hic est:

Si Apostolorum tempore unus erat supremus rector & caput ecclesiæ, hoc etiam tempore esse debet. 1
At verum antecedens. Verum igitur & consequens.

Propositio connexa approbatur hoc prosyllogismo.

Nisi connexum illud concedatur, tum mutanda erit forma regiminis. 2
At forma regiminis mutari non debet.
Ergo connexum istud concedendum est.

Hujus syllogismi assumtio approbatur prosyllogismis duobus: quorum prior est hic:

Si ecclesia est una & eadem omni tempore, non debet igitur mutari forma regiminis. 3
At verum prius. Ergo & posterius.

Alter prosyllogismus.

Si forma regiminis ecclesiæ est forma ipsius ecclesiæ, certè forma regiminis non debet mutari. 4
Sed verum illud. Igitur & istud.

Hujus syllogismi assumtio probatur à pari.

Si forma regiminis est forma reipub. & civitatis: sequitur, eandem etiam esse formam ecclesiæ. 5
Sed prius. Ergo & posterius.

Ecce quàm argumentosus sit iste tam brevis locus! At non æquè est nervosus, ut mox apparebit: quia nullus est ex omnibus istis syllogismis, cujus non vel utraque præmissa, vel saltem altera falsa sit. Quid quòd ipsum propositum hîc ne concluditur quidem? Quæstio enim hîc non est, an hodie supremus aliquis rector ecclesiæ esse debeat: id quod hîc concluditur: sed an Petro in pontificatu ecclesiæ universæ succedere aliquem oporteat: sive an supremum illum rectorem oporteat esse successorem Petri. Sed ipsos syllogismos consideremus.

Ad primum igitur syllogismum quod attinet, falsa est præmissa utraque. Propositionis falsitas judicari potest ex eo, quòd ante Christi adventum unus fuit supremus rector ecclesiasticus populi DEI, nempe summus sacerdos: at illa regiminis forma per sacerdotium CHRISTI in cruce oblati abrogata est. Non igitur est necesse, ut si tempore Apostolorum unus fuerit supremus rector ecclesiæ, etiam hoc tempore esse debeat. Assumtionis falsitas patet ex hoc ipso, quod modò dictum est. Quum enim tempore Apostolorum sese obtulerit CHRISTUS, atque ita summum sacerdotium Leviticum abrogarit: nec uspiam alium supremum rectorem ecclesiæ ordinasse legatur: falsò & confidenter affirmatur contrarium. Quod quidem Bellarminus hoc loco probare supersedet: quia putat, se illud libro primo præstitisse, ubi contendit, Petrum totius ecclesiæ principem atque caput à CHRISTO constitutum esse. Atque hæc de syllogismo primo. Ad secundum quod attinet, assumtio ejus falsa est. Nam formam regiminis (nempe regiminis externi ecclesiæ) mutari debuisse, manifestum est ex iis, quæ dicta sunt. Quippe Christus illam mutavit, & principatum illum sacerdotii externi abrogavit.

Ad tertium syllogismum quod attinet, falsa est ejus propositio. Nam etsi ecclesia una & eadem est omni tempore, quantum attinet ad formam ipsius essentialem, quæ consistit in unitate fidei, quâ omnes & singuli omnium temporum electi credunt in Christum, tanquam unicum Servatorem: tamen id non obstat, quò minùs mutari debuerit forma regiminis. Hæc enim exter-

rium quoddam ecclesiæ adjunctum est: quod ad essentiam illius accedere, & ab eâdem removeri potest, salvâ ipsâ. Sicut reverâ totum hoc externi regiminis genus, quod in prædicatione verbi & administratione sacramentorum positum est, abolebitur in futura vita, teste Apostolo 1.Cor.13.v.8. & deinceps: quum tamen ecclesia ipsa in æternum sit duratura.

Quartus syllogismus laborat falsitate assumtionis. Falsum est enim, formam regiminis ecclesiæ, esse ipsius ecclesiæ formam: ut ex modò dictis potest intelligi.

Quintus syllogismus falsam habet propositionem. Non enim par est ratio reipub. sæcularis sive mundanæ, & civitatis illius Dei, sive reipub. spiritualis, quæ est ecclesia. Etenim potestas sæcularis exercetur tantùm in subditorum seu civium corpora & actiones externas: & prout illa potestas vel penes multos, vel penes paucos, vel penes unum est, ipsa reipub. forma variat. At potestas spiritulis exercetur etiam in subditorum animas & actiones internas: eaq; penes unum est, nempe penes Deum: qui solus corda hominum per Spiritum suum immutat, ac fide salvificâ donat, quæ ipsius Ecclesiæ forma essentialis est: cui per externam regiminis formam nihil vel accedit vel decedit.

Tertium argumentum ducit, vel potiùs trahit, Bellarminus *ex verbis Domini, Johannis ultimo, Pasce oves meas. Nam officium,* inquit, *pastoris est officium ordinarium & perpetuum: siquidem ex natura rei tam diu durare debet officium pastoris, quàm diu manet ovile: ovile autem manet & manebit usq; ad mundi consummationem. Igitur eò usque successores Petri in summo isto pastorali officio manere necesse est.*

Syllogismus sic est:

Quamdiu manet ovile, tamdiu durare debet officium pastoris. Quia officium illud ordinarium est & perpetuum.

At ovile (nempe Ecclesia) manet usq; ad mūdi consummationē.

Quid hinc efficitur? nempe hoc:

Ergo officium pastoris durare debet usq; ad mundi consummationem.

Quis negat? Sed quid hoc ad rem, de qua hîc quæritur? Non quæritur de officio pastoris in genere, sed quæritur in specie de pastoratu supremo, in quo succedere aliquem oporteat Petro. Tu verò concludis sic:

Igitur eò usq; (nempe ad mundi consummationem) *successores Petri in summo isto pastorali officio manere necesse est.*

Quid autem est petere principium, si hoc non est? Quis enim non videat: hîc multò plus esse in conclusione, quàm in præmissis? Ubi enim in præmissis mentio successorum Petri? Ubi mentio summi pastoratus? Et quæso quid ad rem facit dictum illud Christi ad Petrum, Pasce oves meas: quod pro fundamento huic tuæ argumentationi substernis? Quid enim? Petrus per illa verba constitutus est pastor ecclesiæ. Num hinc efficies: vel illum constitutum esse pastorem Ecclesiæ summum: vel successores illius in illo summo pastoratu ei succedere? At quâ consequentiæ vi? Meræ hæ præstigiæ sunt, ad oculos simplicium fallendos comparatæ: vel potius inanes ineptiæ sunt & nugæ, vix dignæ, ad quas respondeatur, propter insignem istam nugandi impudentiam.

Quartum argumentum petit Bellarminus *ex eodem loco*, sic disputans. *Nam cùm Dominus ait Petro, Pasce oves meas, omnes oves suas ei commisit, ut suprà ostendimus: neque solùm omnes ratione loci, sed etiam ratione temporis: cùm non minùs nobis, quàm antiquis prospicere Christus debuerit. Sed Petrus non semper victurus erat in carne. Igitur cùm ei Dominus ait, Pasce oves meas, in illo omnes successores ejus allocutus est.*

Obscura atque intricata argumentatio: (quæ quidem mendacii natura est) ac proinde ut judicari rectè possit, necesse est, ipsam resolvi atque explicari, ut singulæ ejus partes in clara luce ponantur.

Syllogismus sic est:

Si Dominus, cùm ait Petro, Pasce oves meas, commisit ei omnes suas oves, & quidem ratione temporis omnes, ac proinde eas quoq; quæ post Petrum mortuum victuræ erant: igitur quū hoc ei diceret, in illo omnes successores ejus allocutus est.

Sed verum antecedens. Quia Christus non minùs nobis quàm antiquis prospicere debuit.

Ergo verum & consequens.

Respondeo. Imò falsum est antecedens. Nam si ratione temporis omnes suas oves Petro commisit Christus: certè fatendum erit, omnes electos adultos, qui inde ab origine mundi vixerunt, Petro commissos esse: aut illos ex numero ovium Christi excludendos. At quis doctrinæ Christianæ intelligens, vel hoc vel illud affirmaverit? Ratio quæ ad confirmandum antecedens affertur, nihil probat. Etenim Christus tam nobis, quàm antiquis, abundè prospexit, & quotidie prospicit, dando singulis Ecclesiis fideles pastores: etiamsi non dederit, neque det, Ecclesiæ toti pastorem unum supremum: quum ipse solus ille sit, & esse velit, nempe ὁ ἀρχιποίμην, ut Petrus eum nominat, 1.Pet.5.4. Deinde conclusio hujus argumentationis principali instituto Bellarmini repugnat. Concludit enim, dictum illud Christi ad Petrum, *Pasce oves meas*, pertinere ad successores Petri omnes. Pertinet igitur ad omnes omnino, qui hodie vivunt, Ecclesiæ pastores legitimè vocatos. Omnes enim illi successerunt, ut reliquis Apostolis, ita & Petro, in officio pastorali, id est, pascendi gregem Domini pabulo verbi divini. Quòd si jam dicto illo, Petro commissus est pastoratus summus sive Pontificatus Ecclesiæ universæ: sequitur, Pontificatum illum ad singulos Ecclesiæ pastores pertinere. Non igitur ad solum pastorem sive episcopum Ecclesiæ Romanæ: quod principaliter intendit Bellarminus.

Quintum argumentum his verbis proponit Bellarminus. *Ecclesia est unum corpus: & suum quoddam caput hic in terris habet præter Christum, ut patet ex 1.Cor.12. ubi posteaquam dixit Paulus, Ecclesiam esse unum corpus, subjecit, Non potest caput dicere pedibus: Non estis mihi necessarii. Quod certè non convenit Christo. Ipse enim potest dicere nobis omnibus, Nō estis mihi necessarii. Nullum autem aliud caput assignari potest præter Petrum: nec debet moriente Petro corpus Ecclesiæ manere sine capite. Oportet igitur aliquem Petro succedere.* Syllogism⁹ principalis hic est:

Si Ecclesia corpus moriente Petro non debet manere sine capite: oportet aliquem Petro succedere. nempe in illa ratione capitis, id est, in supremo Ecclesiæ pastoratu, seu Ecclesiæ universæ Pontificatu.

Sed verum est antecedens. Ergo & consequens.

Nego connexum. Quia etiamsi Petro morienti nemo succedat, tamen Ecclesia non manet sine capite: quippe quæ caput perpetuum habet, nempe Christum. Sed hîc excipit Bellarminus, se loqui de capite, quod Ecclesia in terris habeat præter Christum: quod quidem caput olim fuerit Petrus. Respondeo: Utrumque istud falsum est. Sed prius conatur Bellarminus probare ex verbis Pauli 1.Cor.12. Non potest caput dicere pedibus, Non estis mihi necessarii. Unde sic ratiocinatur:

Caput, de quo ibi loquitur Apostolus, est caput Ecclesiæ.

Atqui caput illud est aliquis alius præter Christum.

Ergo aliquis alius præter Christum est caput Ecclesiæ.

Nego majorem. Sed hanc ita probat Bellarminus.

Si Apostolus, postquam dixit, Ecclesiam esse unum corpus, subjecit, Non potest caput dicere pedibus &c. Sequitur, eum in istis verbis per caput intellexisse caput Ecclesiæ.

Sed verum prius. Verum igitur & posterius.

Nego connexum. Etsi enim Apostolus dixit, Ecclesiam esse unum corpus, nempe unum corpus mysticum, cujus caput est Christus: tamen in verbis illis sequentibus vocabulo capitis non intellexit Christum, sed membrum aliquod nobile in illo corpore mystico ex numero fidelium. Hoc manifestum est ex sermonis illius scopo: qui est, hortari fideles ad studium concordiæ & mutuæ charitatis atque curæ, ut patet ex versu 25.26. & 27. ubi posteaquam dixisset, Deum contemperavisse corpus, ei cui deerat, copiosiore tributo honore: continenter annectit, *Ut ne sit dissidiū in corpore, sed membra idem curent alia pro aliis. Itaq; sive patitur unum membrum, simul dolent omnia membra: sive honore afficitur unum membrum, simul gaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi & membra ex parte.* Deinde idem confirmo ex collatione membri proximè præcedentis, cujus eadem planè ratio est. Sic autem ait Apostolus: *Non potest oculus dicere manui, Non est mihi opus te: aut rursus caput pedibus, Non est mihi vobis opus.* Hic planum est, qua ratione oculus confertur cum manu, eâdem ratione conferri caput cum pedibus. Confertur autem oculus cum manu, ut membrum nobilius cum ignobiliore: eoq; significatur, fideles alios aliis antecellere propter nobiliora Spiritus sancti dona. Ergo etiam caput cum pedibus ita cōfertur ac proinde per caput significatur fidelis aliquis, qui alium donis Spiritus sancti antecellit. Postremò idem confirmo ex ipsa loquendi ratione. Confertur enim hoc loco caput cum pedibus, non autem cum toto reliquo corpore. At Christus cùm caput ecclesiæ nominatur, cum toto Ecclesiæ corpore comparatur, Eph.5.v.23. *Christus est caput Ecclesiæ: & is est, qui salutem dat corpori.* Et c.1.v.22.23. *Eum constituit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius.* Atq; hoc responsum sit ad probationem sententiæ prioris: quâ eversâ, corruit jam sponte sententia altera. Si enim nullum est, aut unquam fuit, aut futurū est Ecclesiæ caput præter Christum: falsum est, Petrum olim illud diversum caput fuisse. Et quale monstrum hîc fingunt Pontificii, dum Ecclesiam comminiscuntur bicipitem? Sed operæ-pretiū est, hîc lectorem monere, quomodo Bellarminus, dum incircumspectiùs loquitur, sibi ipsi contradicat, suumque principale propositum ipsemet evertat. Ait enim expressè, *nullum aliud caput assignari posse præter Petrum.* quod si ita est: quomodo igitur ab ipso pro capite Ecclesiæ assignatur Pontifex Romanus? Num igitur Pontifex Romanus est ipse Petrus? Imò nullum prorsus caput Ecclesiæ assignari potest præter Christum.

Sextum argumentum. *In veteri testamento successio erat summorum Pontificum. Nam Aaroni successit Eleazar, &c. At sacerdotium testamenti veteris figura fuit sacerdotii testamenti novi. Igitur & nunc successio in sede Petri primi ac summi Christianorum Pontificis, conservari debet.*

Quis verò Logices peritus non rideat istud argumentandi genus, quod scopis dissolutis simile est: ubi nulla est sententiarum cohærentia syllogistica, & in conclusione plus infertur, quàm in præmissis fuit propositum, denique ubi principium petitur? Dicat enim mihi Bellarminus, si potest, cujus figuræ & modi syllogismum tres istius argumentationis sententiæ con-

stituant. Certè obmutescere hic cogetur. Sed fortasse sic vult argumentari.

Si sacerdotium testamenti veteris figura fuit sacerdotii testamenti novi: ergo sicut in veteri successio erat summorum Pontificum, sic etiam in novo successio summorum Pontificum esse debet.

At verum prius. Ergo & posterius.

Si hoc velit: primò non concluditur propositum. Non enim hic suscepit probandum, debere esse summorum Pontificum in novo testamento successionem: sed debere aliquem in summo Pontificatu succedere Petro. Quam conclusionem Bellarminus hic infert quidem, sed nullâ vi consequentiæ ex præmissis, sed per meram principii petitionem. Deinde falsum est istius syllogismi connexum. Neque enim consequens est, si vetus sacerdotium figura fuit novi, idcirco hoc per omnia, ac proinde etiam in successione, similitudinem cum illo habere. Imò novi testamenti sacerdotium in hac parte dissimile esse veteri, clarissimè docet Apostolus in epistola ad Hebræos cap. 7. v. 23. & 24. ubi ait, *Illi quidem, plures facti sunt sacerdotes, quòd mors prohiberet eos permanere: at iste propterea quòd in æternum manet, perpetuum habet sacerdotium.*

Hactenus ostendi Bellarminum sex illis argumentis suis non concludere id quod proposuit, nempe oportere aliquem Petro succedere in totius Ecclesiæ Pontificatu. Nunc restat, ut videamus, quomodo probet sententiam ex propositis alteram, nempe *successorem illum Petri non posse esse alium, quàm Pontificem Romanum.* quæ assumtio est syllogismi principalis.

De hoc ergo sic disputat.

Jam verò, inquit, quòd iste Petri successor sit Romanus Pontifex, facilè probari potest. Nullus est enim nec fuit unquam, qui se Petri successorem ullo modo asseruerit, vel pro tali sit habitus, præter Romanum & Antiochenum Episcopum. Atqui Antiochenus non successit Petro in Pontificatu Ecclesiæ totius. Nam non succeditur nisi cedenti locum vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam, id est, depositionem, vel renuntiationem. Petrus autem adhuc vivens & pontificatum gerens, Antiochenam Ecclesiam reliquit, & Romæ sedem suam fixit, ut quæstione superiore demonstravimus. Restat igitur ut Romanus Episcopus, qui Petro in urbe Roma morienti successit, eidem in tota ipsius dignitate & potestate successerit.

Syllogismus principalis hic est.

Successor Petri in pontificatu Ecclesiæ totius, est aut episcopus Romanus, aut Antiochenus.

Atqui Antiochenus non successit Petro in Pontificatu Ecclesiæ totius.

Ergo Romanus Pontifex est iste Petri successor.

Respondeo. Propositio major est falsa. Quia Petrus non fuit pontifex totius ecclesiæ: ergo in pontificatu illo nemo ei successit, ac ne potuit quidem quisquam succedere: (quum non entis nulla sint accidentia) ac proinde neque Romanus neque Antiochenus episcopus ita ei successit. Sed Bellarminus propositionem illam probat ex eo, *quòd nullus sit, nec fuerit unquam, qui se Petri successorem ullo modo asseruerit, vel pro tali sit habitus, præter Romanum & Antiochenum episcopum.* Egregia verò probatio! Quasi verò quicquid homines asserunt & opinantur, id continuò verum sit. Imò si testimoniis istis fides sit habenda, tum inde sequetur contrarium, nempe utrumque illorum successorem Petri in pontificatu totius Ecclesiæ esse. Quæ sententia, præterquam quòd instituto principali Bellarmini adversatur, prorsus ἀδύνατον est. Qui enim fieri potest, ut totius Ecclesiæ sint duo summi pastores sive pontifices: quorum uterque summam habeat in Ecclesiam potestatem?

Sed attendatur & istud Bellarmini enthymema.

Petrus relictâ Antiochiâ, sedem suam Romæ fixit.

Restat igitur, ut Romanus Episcopus, qui Petro in urbe Romæ morienti successit, eidem in tota ipsius dignitate & potestate successerit.

Respondeo. Istud consequens ex illo antecedente nequaquam sequitur. Deinde aliud hic concluditur, quàm fuit propositum. Esto enim. Successerit Petro episcopus Romanus in tota ipsius dignitate & potestate: non tamen per hoc obtinebis, successisse illi in dignitate Pontificia aut potestate summa in totam Ecclesiam: quippe quum Petrus talem dignitatem potestatémve nunquam habuerit: nemo autē plus juris ad alium transferre possit, quam ipse habet. Postremò falsum est illud consequens: quia ponendo, quòd Episcopus Romanus Petro Romæ morienti successerit, non tamen ei successit in tota illius dignitate & potestate: sic enim successisset ei in Apostolatu. Qui quum pendeat ab immediata atque extraordinaria vocatione Dei, successionem respuit: quippe quæ ad vocationem mediatam atque ordinariam pertinet. Postea nugatur Bellarminus de discrimine inter successionem & rationem successionis, tanquam rem jam demonstratam declaraturus, ut meliùs intelligatur. Sed re nondum demonstratâ, tota illa declaratio mera nugatio principiique petitio est. *Successio, inquit, Romani Pontificis in Pontificatu Petri, ex instituto Christi est.* Scilicet! *Ratio autem successionis, quâ Romanus Pontifex potiùs quàm Antiochenus vel aliquis alius succedat, ex facto Petri initium habuit.* Quasi verò! Neque contentus semel ista temere atque confidenter absque ulla demonstratione effutivisse, eadem per χαχκυσμὸν continenter repetit his verbis: *Successio, inquam, ipsa ex Christi instituto & jure divino est: quia Christus ipse instituit in Petro Pontificatum perpetuò duraturum usq; ad finem mundi: & proinde quicunq; Petro succedit, à Christo accipit Pontificatum.* Imò omnia ista falsa sunt: nec ex sacra Scriptura ullo modo probari possunt. Tædet hic recitare, quæ de ratione successionis nugari pergit: neque necesse est. Verùm enimverò quod antea confidenter & absque ullâ probatione conclusit, episcopum Romanum Petro successisse in tota ipsius dignitate atque potestate: id deinceps ratione admodum futili probabile facere instituit, sic disputans.

Quoniam sanctus Marcellus Papa in Epistola ad Antiochenos scribit, Petrum Domino jubente venisse Romam; & sanctus Ambrosius in oratione contra Auxentium, & Athanasius in apologia pro fuga sua, dicunt, Petrum Christi jussu Romæ martyrium pertulisse: non est improbabile, Dominum etiam apertè jussisse, ut sedem suam Petrus ita figeret Romæ, ut Romanus episcopus absolutè ei succederet.

Quæ verò hic est probabilitatis ratio? Nulla certè prorsus apparet. Esto enim, jusserit Dominus Petrum martyrium Romæ perferre: quâ vi aut ratione hinc elicies, jussisse etiam, ut sedem suam ita figeret Romæ, ut Romanus episcopus ei succederet absolutè: id est, ut tu intelligis & intelligi vis, in tota ipsius dignitate atque potestate? Quare quâ facultate hoc à te affirmatur, eâdem à me negatur.

Sed pergit nugari & lectori δειλογίᾳ suâ molestus esse Bellarminus, sic garriens: *Tametsi fortè non sit de jure divino, Romanum Pontificem, quia Romanus Pontifex est, Petro succedere in præfectura totius Ecclesiæ: tamen si quis absolutè* petat, an jure divino Romanus Pontifex pastor sit & caput totius Ecclesiæ: omnino id esse asserendum. Nam ad hoc nihil aliud requiritur, quàm ut ipsa successio sit de jure divino, hoc est, ut ordinarium officium Ecclesiam universam cum summa potestate gubernandi, non sit ab hominibus, sed à Deo immediatè institutum. Id autem ita esse, suprà demonstravimus.* *Id est, quæ rat sive interroget.

Ego verò demonstravi, te id non demonstravisse. Quod quum ita sit, tota ista oratio tua mera nugatio est. Sed nondum est satis nugarum. Pergit enim Bellarminus his verbis. *Licet fortè non sit de jure divino, Romanum pontificem, ut Romanum Pontificem Petro succedere: tamen id ad fidem Catholicam pertinet. Sicut nimirum de fide est, Paulum habuisse penulam.*

Respondeo. Sanè tenentur omnes Christiani hoc, quod de penula Pauli affertur, credere, quum primum cognoverint, illud haberi in Scriptura sacra: sed quid hoc ad fidem Catholicam: quo nomine intelligi debet fides illa justificans & salvifica, per quam Ecclesia est id quod est, nempe Ecclesia Christiana? Deinde exemplum hoc dissimile est. Neq; enim in Scriptura sacra usquam legitur, Romanum Pontificem Petro succedere. Hanc exceptionem occupans Bellarminus, sic pergit: *Etsi autem Romanum Pontificem succedere Petro, non habeatur expressè in scripturis: tamen succedere aliquem Petro, deducitur evidenter ex scripturis. Illum autem esse Romanum Pontificem, habetur ex traditione Apostolica Petri.* Imò successio ista non evidenter ex Scripturis deducitur, sed violenter è Scriptura & quasi crinibus trahitur ad illam utcunq; palliandam. Quum q; successio ista Romani Pontificis ne implicitè quidem (ut hoc loco fatetur Bellarminus:) in scriptura habeatur; sequitur, illam de fide Catholica nequaquam esse: nisi catholicam fidem nomines, quam hodie illi tenent, qui superbè & vanè catholicos sese appellitant, quia Papam pro capite Ecclesiæ catholicæ habent, & quicquid ille dictat & credere jubet, credere se profitentur. Nam quis credat, illos revera ista omnia credere?

At nugarum nondum est satis. Continuat enim Bellarminus δειλογίαν & ἀδολεσχίαν suam his verbis. *Observandum est postremò, Romanum episcopatum & Ecclesiæ universæ præfecturam, non esse duos episcopatus, neq; duas sedes, nisi in potentia. Nam Petrus Pontifex totius Ecclesiæ à Christo institutus* (at ubi, & quando? num Joh. ult. cùm ei dixit, Pasce oves meas? Scilicet!) *non adjunxit sibi episcopatum urbis Romæ, quomodo episcopus alicujus loci adjungit sibi alium episcopatum vel canonicatum, aut abbatiam* (heu flosculos maleolentes, ex intima praxi hierarchiæ Papisticæ decerptos!) *sed Romanæ urbis episcopatum evexit ad summum orbis terræ pontificatum.* Nempe hoc ita se habet, quia tu istud ad ravim usque decantas & inculcas, & lectores patientes istâ ταυτολογίᾳ tantùm non enecas. Sed audiamus tandem bellam istius loci conclusionem. Illa concipitur his verbis: *Ex quo sequitur, ut qui eligitur Romanus episcopus, eo ipso sit Pontifex summus Ecclesiæ totius.* Nempe ex falso principio falsa sequitur conclusio. Falsum enim est, episcopatum urbis Romanæ à Petro in summum orbis terræ pontificatum evectum esse. Summa argumentationis Bellarminianæ hæc est.

Si Petrus fuit summus Pontifex totius Ecclesiæ, etiam Papa Romanus est talis Pontifex. Quia Petro Romæ morienti successit.

Atqui Petrus fuit summus Pontifex totius Ecclesiæ.

Ergo

Ergo & Papa Romanus totius Ecclesiæ Pontifex est.

Responsionis summa hæc est. Propositio est falsa. Ratio illius, & infirma & incerta. Assumtio item falsa. Quæ quum ita sint: apparet, Bellarminum in primatu Papæ demonstrando frustra laborasse.

Fides. 10 Ex eod. v. ex verbis: *Et portæ inferorum non prævalebunt ei.* Veræ fidei virtus invicta est: ut quæ donum perseverantiæ adjunctum habeat. Hoc facit ad consolationem omnium verè credentium, quoties à diabolo tentantur & ad desperationem solicitantur.

Officium ministrorum verbi. 11 Ex v. 19. Ministrorum verbi officium est, impœnitentibus atque incredulis regnum cælorum claudere seu illos ligare, h. e. denuntiare eis, quòd in regnum cælorum non sint perventuri, sed conjiciendi in ignem æternum, æternóve supplicio mactandi. Resipiscentibus verò & credentibus debent regnum cælorum aperire seu illos solvere, hoc est, annuntiare eis quòd in regnum cælorum perventuri sint, & vitâ æternâ fruituri. Confer Johan. 20. v. 23.

Ministerii verbi efficacia. 12 Ex eod. v. Sententia quam ministri verbi ex verbo Dei pronuntiant tum de incredulis, tum de credentibus, pro certa est habenda: ut quæ licet in terra pronuntietur, tamen in cælo (id est, apud Deum) rata sit. Confer infrà 18. v. 18. Quare increduli maturè resipiscant: credentes verò firmam spem concipiant.

Dei patefactio. 13 Ex v. 20. Quum videamus Deo placuisse patefactionem sui certis gradibus pro diversis temporibus dispensare: decet nos in hac illius dispensatione tanquam sapientissimâ acquiescere, nec causas curiosè inquirere, cur non citiùs vel tardiùs, plus vel minùs sese his aut illis patefecerit aut patefaciat. Christus noluit per Apostolos publicè testatum fieri, se esse Christum, antequam esset passus ac mortuus, & ex morte resurrexisset atque in cælum ascendisset: causam verò cur noluerit, non indicavit. Potest tamen ex Scriptura reddi hæc causa: quòd hac ratione oportuerit parari viam ad ipsius mortem. nam si eum cognovissent esse Dominum gloriæ: non crucifixissent eum, 1. Cor. 2. v. 8. Quod nisi patefactum esset: meritò reprehenderentur qui de hac temporum dispositione curiosè inquirerent. Sicut Apostolos reprehendit Dominus Act. 1. v. 7. quum scire cuperent punctum temporis quo regnum restituendum sit Israeli: Non est vestrum, inquit, nosse tempora sive opportunitates quas pater in sua ipsius potestate posuit. Sic Paulus Gal. 4. v. 4. ait Deum emisisse filium suum, quum venit plenitudo temporis, id est, quum impletum esset tempus huic rei ab ipso destinatum.

Officium pastoris Ecclesiæ. 14 Ex vers. 21 Officium pastoris Ecclesiæ est, auditores suos maturè præmonere de persecutionibus quæ ipsos manent propter Evangelii confessionem: ne quum illæ advenerint, nimiùm offendantur.

Christi supplicium. 15 Ex eod v. Supplicium Christi non evênit fortuito casu, sed ex immutabili decreto Dei: ad hoc enim respiciens Christus, ait, δεῖ, i. e. oportere se abire Hierosolymam, &c. Sic infrà 26. v. 54. Quum Petrus conaretur impedire ne ad supplicium raperetur, dehortatur illum hoc argumento, quòd necesse sit impleri Scripturas quę testentur oportere sic fieri. Confer Act. 2. v. 23. & c. 4. vers. 28. Hoc facit ad nostram consolationem, si consideremus consilii divini scopum: qui fuit ut nos qui in Christum credimus, per mortem ipsius innocentis pro nobis nocentibus susceptam à morte æterna liberaremur.

Via ad gloriam cælestem. 16 Ex eod. v. Sicut Christus, caput nostrum, per multas passiones ingressus est in gloriam suam: ita nos quoque in regnum cælorum ingredi oportet, Actor. 14. v. 22. Oportet enim nos illi tanquam capiti nostro conformari, primùm in cruce, deinde in gloria. Confer Rom. 8. v. 17. & 29. Item 2. Tim. 2. v. 11. & 12.

Obedientia Christi in passionibus. 17 Ex eodem v. Quum Christus præsciverit quæ mala sibi Hierosolymis eventura essent, & tamen ultrò sese eò contulerit: liquet, eum mala illa pro nobis perpetienda suscepisse volentem, non autem coactum. Hoc facit ad nostram consolationem: ut sciamus, inobedientiam nostram per hanc obedientiam illius expiatam esse. Confer Rom. 5. v. 19.

Crux, seu persecutio. 18 Ex v. 22. & 23. Ratio humana abhorret à cruce: sed ex verbo Dei corrigenda est. Confer 1. Cor. 1. v. 23. & 24.

19 Ex iisdem versibus. Qui nobis suadent, quantumvis benevolo affectu, ut commodis carnalibus posthabeamus gloriam Dei, & salutem proximorum, ac proinde refugiamus crucem ad quam nos Deus per veritatis suæ confessionem vocat: illi nequaquam sunt audiendi, sed constanter & acriter rejiciendi. Vide exemplum Eleazari sub Antiocho Epiphane supplicio affecti. Maccab. lib. 2. c. 6.

Christiani veri nota. 20 Ex v. 24. Quicunque Christiani nominis non est ita affectus per gratiam Dei, ut paratus sit propter Evangelii confessionem persecutionem pati, is nondum est verus Christi discipulus, ac proinde falsò sese Christianum profitetur. Quare oremus Deum ut Spiritu sancto animos nostros flectat in obedientiam crucis.

Confessio Evangelij. 21 Ex v. 25. 26. & 27. Ad constantiam in confitendo Evangelio moveamur tum æterno exitio illorum qui Evangelium abnegaverint, tum æternâ salute & gloriâ illorum qui illud constanter fuerint confessi.

Judicium ultimum. 22 Ex v. 26. Notetur testimonium de judicio universali: quod graphicè describitur infrà c. 25. v. 31. & deinceps.

ANALYSIS CAP. XVII.

ARGUMENTUM.

Quatuor in hoc capite narrantur. Primùm, quomodo Christus sit transformatus; deinde, quomodo sanaverit lunaticum: tum quomodo discipulis prædixerit passionem suam: postremò, quomodo solverit tributum.

PARS PRIMA.

Transformatio Christi.

Sexto verò pòst die assumit Jesus Petrum & Jacobum & Johannem fratrem ejus, & subducit eos privatim in montem sublimem.

2 Transformatusque est coram eis, & splenduit facies ejus ut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba ut lux.

3 Et ecce, conspecti sunt eis Moses & Elias, cum eo colloquentes.

4 Respondens autem Petrus dixit Jesu: Domine, bonum est nos hîc esse: si vis, faciamus hîc tria tabernacula; tibi unum, & Mosi unum, & Eliæ unum.

5 Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida inumbravit eos: & ecce vox è nube, dicens, Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco: ipsum audite.

6 Et quum *hæc* audissent discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt vehementer.

7 Tunc accedens Jesus tetigit eos, dixitque: Surgite, & ne timete.

8 Sublatis autem oculis suis neminem viderunt nisi Jesum solum.

9 Et quum descenderent de monte: mandavit eis Jesus, dicens, Nemini dixeritis hanc visionem, usquequo Filius hominis à mortuis resurgat.

10 Tunc interrogaverunt eum discipuli sui, dicentes, Quid igitur Scribæ dicunt, oportere ut Elias primùm veniat?

11 Jesus autem respondens dixit eis, Elias quidem veniet primùm, & restituet omnia.

12 Sed dico vobis, Eliam jam venisse: verùm non agnoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Ita futurum est ut & Filius hominis patiatur ab eis.

13 Tunc intellexerunt discipuli, *eum* de Johanne Baptista *hæc* sibi dixisse.

Narratio transformationis Christi constat membris quatuordecim. Etenim Evangelista primò indicat tempus quo illa accidit, videl. elapsis sex diebus posteaquam indicasset discipulis perpessiones suas, ut liquet ex collatione initii capitis hujus cum vers. 21. capitis præcedentis. Secundò indicat comites seu testes quos assumsit ut coram eis transformaretur. videl. tres è discipulis, Petrum, Jacobum, & Johannem, v. 1. Tertiò indicat locum quò illos secum duxit, ut ibi coram ipsis transformaretur: videl. in montem sublimem, qui putatur esse mons Thabor, v. eod. Quartò exponit transformationem ipsam: quam declarat per duas partes, splendorem faciei & splendorem vestimentorum: quem utrunq; illustrat similibus, v. 2. Quintò indicat alios comites: qui cum eo collocuti sunt, videl. Moses & Elias, v. 3. Sextò indicat illius visionis effectum in Petro, videl. cupiditatem illic habitandi, & consilium de tribus tabernaculis faciendis, v. 4. Septimò indicat duo quædam adhærentia gloriosa adjuncta: videl. nubem Jesum unà cum Mose & Elia inumbrantem, & vocem Dei patris è nube de Jesu pronuntiatam; quæ vox duo membra continet; testimonium de Christi persona & officio, & mandatum de illo audiendo, v. 5. Octavò indicat illius vocis effectum in discipulis, videl. timorem vehementem & casum, v. 6. Nonò indicat illius timoris ademtionem per contactum & alloquium Christi, vers. 7. Decimò indicat eventum illam Christi actionem consecutum, videl. quòd Jesum viderunt solum, digressis interim dum vox illa Dei patris sonare inciperet, Mose & Eliâ: ut scirent discipuli, ad quemnam ex illis tribus quos nubes obtexerat, vox illa pertineret, v. 8. Undecimò indicat adjunctum quoddam adhærens, videl. mandatum Christi de hac visione nemini patefaciendâ ante ipsius à mortuis resurrectionem, v. 9. Duodecimò indicat illius mandati effectum in discipulis, videl. interrogationem de adventu Eliæ, v. 10. Cujus interrogationis scopus erat, contradicere (veruntamen discendi causâ) affirmationi Christi qua illis affirmare visus erat ipsum propediem inchoaturum regnum suum. Istud igitur negant argumento adhibito ab ordine rerum gerendarum divinitus instituto, ut scil. prius veniat Elias, & aliquanto tempore testetur Judæis de Christi adventu propinquo.

pinquo. Istud argumentum concludunt enthymemate, ex quo nascitur syllogismus hic connexus:

Si ita futurum esset ut dicis, nempe ut propediem esses resurrecturus à mortuis, id est, inchoaturus regnum tuum: tum oporteret ut Elias jam venisset. Ratio: quia hunc prius oportet venire: ut Scribæ tradunt ex Propheta Malachia.

At Elias nondum venit.

Non igitur videtur ita futurum ut tu dicis.

Decimotertiò recitat responsionem CHRISTI qua argumentum illud discipulorum solvit. Responsio hæc constat membris quatuor: quorum duo priora pertinent ad solutionem argumenti, posteriora verò duo pertinent ad amplificationem membri secundi. Argumentum igitur solvit primùm concessione propositionis, ubi ait, *Elias quidem veniet primùm & restituet omnia, v. 11.* Deinde negatione assumtionis, quatenus illi contradicit per oppositam affirmationem, inquiens: *Sed dico vobis, Eliam jam venisse, v. 12.* Hoc secundum solutionis membrum deinceps amplificat antithesi diversorum: quâ commemorat duo: unum, quòd Judæi Eliam præsentem non agnoverint: alterum, quòd ei fecerint quæcunque voluerunt: hoc est, quòd eum interfecerint, v. eod. quæ oratio vel impersonaliter atque indefinitè accipienda est: & intelligenda de Herode & Herodiade: vel si referatur ad Judæos, intelligenda est de illorum tacita approbatione qua cædem Johannis ab Herode perpetratam æquo animo tulerunt, nec illo nomine de Herode conquesti sunt. Postremò, quod dixerat de supplicio Johannis, id amplificat exemplo simili, videl. supplicio sui ipsius, inquiens: *Ita futurum est ut & Filius hominis patiatur ab eis*, v. eod. Decimoquartò indicat responsionis illius effectum in discipulis, videl. quòd intellexerint eum loquutum esse de Johanne Baptista, v. 13.

SECUNDA PARS.

Sanatio lunatici.

14 Et quum venissent ad turbam, adiit eum quidam, procidens in genua coram eo:

15 Et dicens, Domine, miserere filii mei; quoniam lunaticus est, & malè afficitur: nam sæpe cadit in ignem, & sæpe in aquam.

16 Et obtuli eum discipulis tuis; sed non potuerunt eum sanare.

17 Respondens autem Jesus dixit, O natio incredula & perversa! Quousque tandem ero vobiscum? Quousque tandem tolerabo vos? Adducite mihi eum huc.

18 Et increpavit dæmonium JESUS, exiitque illud ab eo: & sanatus est puer ab illo momento.

19 Tunc adeuntes discipuli Jesum privatim, dixerunt, Quare nos non potuimus illud ejicere?

20 Jesus autem dixit eis, Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, Si habeatis fidem *vel* quantulum *est* granum sinapis, dicetis monti huic, Demigra hinc illuc; & demigrabit: & nihil impossibile erit vobis.

21 Hoc verò genus *dæmoniorum* non egreditur nisi per precationem & jejunium.

Narratio sanationis lunatici constat membris quinque. Primò indicat adjunctos testes coram quibus illa est peracta, videlicet coram turba. Secundò indicat causam impulsivam quæ Christum ad illam impulit. Ea fuit petitio patris lunatici illius. Hanc primò describit ex adjuncto gestu, videl. adoratione civili: deinde recitat petentis orationem. Quæ oratio tria membra continet: Primùm ipsam petitionem sanationis filii: deinde petitionis rationem, videl. expositionem miseriæ illius: tum excusationem, quòd Domino creet molestiam, ac non potiùs filium sanandum obtulerit discipulis; ubi narrat, se illum istis obtulisse, sed eos non potuisse eum sanare. qua narratione innuit, se extremâ necessitate adigi ad opem ipsius implorandam. Tertiò exponit Evangelista illius narrationis effectum in Christo: nempe quòd vehementer indignatus sit propter discipulorum incredulitatem. Quartò ipsum sanationis modum exponit, positum in duabus actionibus: unâ, quòd jussit illum lunaticum sibi adduci: alterâ, quòd objurgavit dæmonium à quo possidebatur, atq; ita illud ejecit. Quintò narrat miraculi istius eventum: nempe quæstionem discipulorum cur ipsi non potuerint dæmonium illud ejicere: unà cum responsione Christi: quæ tribus membris constat. Primò indicat causam illius irriti conatus discipulorum, videl. incredulitatem: deinde è contrario docet, quanta sit vis fidei: postremò docet, quomodo fides sit excitanda, videl. per seriam & ardentem precationem.

TERTIA PARS.

Prædictio passionis.

22 Versantibus autem ipsis in Galilæa, dixit eis Jesus, Futurum est ut Filius hominis tradatur in manus hominum:

23 Et trucidabunt eum; sed tertio die suscitabitur. Et contristati sunt vehementer.

Narratio de prædictione passionis Christi tribus membris constat. Primò indicat locum ubi Christus illam discipulis prædixerit, videl. in Galilæa. Deinde verba quibus illam prædixit. Postremò effectum in discipulis, videlicet tristitiam vehementem.

QUARTA PARS.

Solutio tributi.

24 Quum autem venissent Capernaümum, venerunt ad Petrum qui didrachma accipiunt, dixeruntque: Præceptor vester non solvit didrachma?

25 Dicit, Etiam. Et quum ingressus fuisset domum, prævênit eum Jesus, dicens, Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributa aut censum? à filiis suis: an ab alienis?

26 Dicit ei Petrus, Ab alienis. Ait ei Jesus, Nempe igitur liberi sunt filii.

27 Sed ne offendiculum præbeamus eis, profectus ad mare, jace hamum: & eum piscem qui ascenderit primus, tolle: & aperto ore ejus, invenies statêrem: acceptum illum da eis pro me & pro te.

Narratio soluti à Christo tributi constat sex membris. Primò indicat Evangelista locum ubi illud solvit, videlicet Capernaümi. Secundò causam impulsivam, videlicet petitionem ministrorum. Tertiò causam corrumpentem quæ solutionem videbatur impeditura, videlicet libertatem: quam Christus Petro demonstrat exemplo per ratiocinationem à minori: Filii regum terræ sunt liberi à pendendo tributo: Ergo multò magis liber sum ego: quippe filius regis cælestis, id est, Dei. Quartò indicat evangelista causam finalem: Et fuit, ne ministros illos offenderet. Quintò narrat, quomodo tributum pendendum acquisiverit, videl. miraculosâ piscatione Petri. Postremò recitat mandatum Petro datum de statêre invento in tributum dando.

SCHOLIA IN CAP. XVII.

1 Sexto verò pòst die] καὶ μεθ' ἡμέρας ἕξ. *Ad verb.* Et pòst dies sex. *Id est, Sexto die postquam Dominus dixisset ea quæ habentur in fine capitis præcedentis. Cæterùm de hac phrasi vide Annotat. D. Bezæ ad Marcum 8.31.* Subducit] ἀναφέρει. *Pro,* ἀνάγει. *Nam propriè loquendo* φέρονται *res quæ ipsa non ambulant, saltem dum* φέρονται, *id est, feruntur.* In montem sublimem] εἰς ὄρος ὑψηλόν. *Is putatur esse mons Thabor.*

2 Transformatus est] μετεμορφώθη. *Nempe quo ad qualitatem faciei: sicut verbis sequentibus declaratur.*

3 Conspecti sunt eis] ὤφθησαν αὐτοῖς. *Id est,* ὑπ' αὐτῶν. *ab eis: nempe à tribus illis discipulis, quorum facta mentio v. 1. nam ipse Jesus mox ab hoc numero excipitur, ubi dicitur,* Cum eo colloquentes. Colloquentes] συλλαλοῦντες. *Nempe dicentes exitum ejus quo futurum erat ut defungeretur Hierosolymæ: ut addit Lucas, qui & hoc adjungit: Mosen & Eliam conspectos esse* ἐν δόξῃ, *in gloria: hoc est, indutos cælesti gloriâ seu splendore.*

4 Dixit] εἶπε. *Sed nesciens quid diceret: ut Lucas ait. Evigilarat enim modò è somno quo unà cum cæteris fuerat gravatus: ac proinde raptus fuerat quasi in ecstasin: ut ex Luca percipitur.*

6 Inumbravit eos] ἐπεσκίασεν αὐτούς. *Nempe Jesum, Mosen & Eliam, ut percipitur ex verbis Lucæ c. 9. v. 34. nec non ex collatione verborum hîc sequentium.* Vox è nube] φωνὴ ἐκ τῆς νεφέλης. *Subaudi,* ἐγένετο, *facta est: quod exprimit Lucas. Nempe ex illa nube, cujus modò factâ mentio, in quam illi fuerant ingressi: id quod notat artic.*

8 Neminem viderunt nisi Jesum solum] οὐδένα εἶδον &c. *Nam Moses & Elias jam discesserant: ut percipitur ex narratione Lucæ. Solum autem Jesum auditâ istâ voce viderunt: ut scirent, illam de hoc solo pronuntiatam esse.*

9 Hanc visionem] τὸ ὅραμα. *Scil. quam modò vidistis, id quod notat articulus. Fuit autem hoc* ὅραμα *propriè loquendo* ὀπτασία: *quoniam viderunt oculis corporis rem extrinsecus objectam. Talis fuit illa* ὀπτασία *angelorum, de qua Luc. 24.23. & illud* ὅραμα *angeli conspecti à Cornelio, Act. 10.3. Aliâs* ὅραμα *significat visionem animæ propriam, quum anima in ecstasi videre sibi aliquid videtur: quale fuit illud* ὅραμα *Petri Act. 10. v. 10. & seqq.*

10 Quid igitur &c.] τί οὖν &c. *Ex his verbis colligitur, Petrum existimasse, Jesum propediem moriturum & resurrecturum: id quod hauddubiè percepit ex illa ipsius prædictione de qua suprà cap. 16. v. 21. Cum resurrectione autem conjungit initium regni ipsius: & rectè. Etenim per passionem oportuit eum ingredi in gloriam suam.* Primùm] πρῶτον. *Scilicet antequam veniat in regno suo Christus.*

11 Veniet] ἔρχεται. *Pro,* ἐλεύσεται: *ut percipitur ex membro sequente. Dicitur autem hoc respectu non ipsius rei gestæ: sic enim jam venerat, ut ipse Dominus mox dicet: sed respectu prophetiæ Malachiæ.*

Malachiæ,quasi dicat: Rectè docent Scribæ ex prophetia Malachiæ,fore ut Elias veniat antequam veniat ipse Christus.

12 Sed dico vobis &c.] λέγω δὲ ὑμῖν &c. *His verbis innuit, Scribas prophetiam illam Malachiæ non rectè interpretari: quasi scilicet intelligenda sit de Elia illo Thesbite.* Verùm non agnoverunt] καὶ οὐκ ἐπέγνωσαν. *Conjunctio copulativa pro adversativa. Consequuntur autem hic inter se tres antitheses. 1. Elias quidem veniet: sed dico vobis &c. 2. Elias jam venit: sed non agnoverunt eum. 3. Non agnoverunt eum, sed fecerunt ei. Nos elegantiæ gratiâ adhibuimus hic particulam* Verùm: *ne illud* Sed *odiosiùs repeteretur.* Fecerunt in eo] ἐποίησαν ἐν αὐτῷ. *Id est, admiserunt seu commiserunt:* **Sie haben an jhm verüchtet.** *Potest etiam verti,* De eo. *Præpositio* ἐν *hic notat objectum. Ipsum autem verbum hic ponitur impersonaliter. Notantur autem personæ agentes, Herodes & Herodias, illorumq́; ministri, qui Johannem decollarunt.* Quæcunque voluerunt] ὅσα ἠθέλησαν. *Synecdoche generis. nam intelligit necem Johan. Baptistæ patratam ab Herode instinctu Herodiadis.* Ab eis] ὑπ' αὐτῶν. *Non quidem propriè ab eisdem à quibus Johannes passus fuit: sed ab impia ista gente, inimica evangelii: cujus pars & Herodes fuit cum suis: à quibus etiam Dominus ante supplicium fuit illusus.*

14 Quidam] ἄνθρωπος. *Ad verb.* Homo. Procidens in genua coram eo] γονυπετῶν αὐτῷ. *Ad verb.* Ei: *id est, in honorem ejus. Non videtur autem vertendum,* Procidens ei ad genua: *quia verbum* γονυπετεῖν *intelligendum videtur de genubus procidentis, non autem illius coram quo quis procidit. Est enim* γονυπετεῖν, πίπτειν εἰς τὰ γόνατα, *videl.* τὰ ἑαυτοῦ, **Auf die knye fallen.** *Quod ab Ovidio dicitur,* Genu succiduo procumbere.

15 Lunaticus est] σεληνιάζεται. *Quasi dicas, Lunatur, hoc est, à Luna patitur: quod tamen hic non intelligitur de actu, sed de habitu.* Malè afficitur] κακῶς πάσχει. *Ad verbum,* Malè patitur, *id est, malè vexatur.*

16 Sed non potuerunt] καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν. *Copulativa pro adversativa.* Sanare] θεραπεῦσαι. *Pro,* ἰᾶσαι. *Metonymia effecti destinati* καταχρηστικὴ *usitata Evangelistis. Neque enim adhibituri erant discipuli medicinam ad illum sanandum; sed sanare conabantur verbo, sive imperio: imperantes scil. impuro spiritui qui illum obsederat, ut excederet.*

17 O natio incredula &c.] ὦ γενεὰ ἄπιστος &c. *Apostrophe ad discipulos, simul tamen (ut videtur) comprehendens patrem lunatici. nam fidem illius valde fuisse imbecillã, apparet ex Marco: qui refert, eum dixisse Domino,* Si quid potes, succurre nobis: *quumq́; Dominus dixisset,* Si potes hoc credere, omnia possibilia sunt credenti, *statim clamans cum lachrymis dixit,* Credo, domine: succurre incredulitati meæ. Tolerabo vos] ἀνέξομαι ὑμῶν. *Nempe tam incredulos. Quòd autem discipulorum incredulitatem hic accuset Dominus, intelligitur ex sequentibus: nam interrogatus ab illis privatim, cur non potuerint dæmonium illud ejicere, respondit, Propter incredulitatem vestram.* Adducite] φέρετε. *Ad verb.* Ferre. *Pro,* ἀγάγετε. *Catachresis. Apud Lucam habetur,* προσάγαγε: *sermone directo ad patrem lunatici.*

18 Et increpavit dæmonium, &c.] καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ, &c. *In Græco habetur ad verbum, Et increpavit ipsum (scil. dæmonium) Jesus, & exivit ab eo (nempe lunatico) dæmonium. Trajectio Hebraica pronominis relativi, & nominis ad quod refertur illud. Quòd autem pronomen* αὐτῷ *referendum sit non ad lunaticum, sed ad dæmonium, quo ille erat obsessus: tum ex reipsa liquet, tum ex collatione Marci & Lucæ, qui expresse dicunt,* ἐπετίμησε τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ, *increpavit spiritum illum impurum.* Et sanatus est] καὶ ἐθεραπεύθη. *Pro,* ἰάθη: *ut paulo-antè vers. 16.* Puer] ὁ παῖς. **Der knab.** *Lunaticus ille. quod innuit articulus.*

19 Illud] αὐτό. *Videl.* τὸ δαιμόνιον, *dæmonium illud.*

20 Propter incredulitatem] διὰ τὴν ἀπιστίαν. *Hic* διὰ *notat causam corrumpentem.* Vel quantulum est granum sinapis] ὡς κόκκον σινάπεως. *Ad verb. Sicut granum sinapis. Pro,* καὶ ὡς κόκκον σινάπεως: *id est, Vel tantum quantulum est granum sinapis,* **auch nur so grooß/so grooß ein senftkorn ist.** *Ellipsis conjunctionis comparativa quæ est nota minoris. Nam si tam parva fides tantum potest, multò plus poterit fides magna. Est autem comparatio ista hyperbolica, & similitudo popularis è medio petita, à re scil. omnibus passim obviâ ac nota.* Dicetis] ἐρεῖτε. *Id est, dicere poteritis.* Et nihil, &c.] καὶ οὐδὲν &c. *Quasi dicat, Et non hoc solùm, sed omnino nihil impossibile erit vobis.*

21 Per precationem & jejunium] ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ *id est,* διὰ προσευχῆς καὶ νηστείας. *Hebraismus. Estq́;* ἐν *διὰ δύο pro, Per precationem cum jejunio conjunctam, hoc est, seriam & ardentem.*

23 Sed tertio die] καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. *Copulativa pro adversativa.* Et contristati sunt] καὶ ἐλυπήθησαν. *At Marcus & Lucas testantur, eos sermonem illum Domini de sua morte non intellexisse. Quomodo igitur ex eo sunt contristati? Hanc* ἀπορίαν *explicavi in scholiis in Marc. 9. v. 32.*

24 Didrachma] τὰ δίδραχμα. *Vel, binas drachmas, hoc est (ut exponit D. Beza) sicli sanctuarii dimidium. Vide annotationes tum illius, tum Tremellii & Junii. Suspicor autem, pro* τὰ *legendum* τό, *& hic & in fine versus: quia sermo est de certa moneta, cujus individuum unicum singuli pendere coacti fuerunt, quâ moneta pendebat duas drachmas.*

25 Prævenit eum] προέφθασεν αὐτόν. *Nempe sermone. Id est, Quum videret Petrum ad se relaturum de exactione binarum drachmarum, ipse prior de illa sermonem fecit.*

26 Liberi sunt] ἐλεύθεροί εἰσι. *Nempe à pendendis tributis.*

27 Ad mare] εἰς τὴν θάλασσαν. *Id est,* πρὸς τὴν θάλασσαν. *Intelligit autem mare Tiberiadis, seu lacum Genesareth.* Jace hamum] βάλε ἄγκιστρον. *Videl. hamum piscarium.* Qui ascenderit] τὸν ἀναβάντα. *Nempe è fundo lacus ad superficiem: allectus nimirum escâ hamo infixa, illamq́; captando adhærescens ipsi hamo. Synecdoche membri, tanquam in re nota.* Et aperto ore ejus, invenies &c.] καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ, εὑρήσεις &c. *Id est, Et aperi os ejus: quod quum feceris, invenies &c.* Staterem] στατῆρα. *Nummum qui continebat duo didrachma. Itaq; jubet illum dare exactoribus tributi pro se & pro ipso: quia singulos pendere oportebat binas drachmas.*

OBSERVAT. EX CAP. XVII.

1 Ex v. 2. Sicut Christus transformatus est in monte, & luce cælesti indutus: sic gloriâ cælesti induentur omnes electi. Confer Phil. 3. v. ult. 1. Cor. 15. v. 42. & sequentibus. Hac spe consolemur nos contra corporis nostri infirmitates, & omnes hujus mundi miserias. *Glorificatio corporum.*

2 Ex v. 3. In vita æterna sancti sese mutuò agnoscent. Etenim quum tribus illis discipulis gustus vitæ æternæ præberetur, agnoverunt Mosen & Eliam cum Christo colloquentes. Quæ res illis hauddubiè accidet longè jucundissima. *Agnitio mutua sanctorum in vita æterna.*

3 Ex eod. v. In Mose proponitur nobis exemplum beatæ resurrectionis electorum, futuræ in adventu Domini ad judicium: in Elia verò exemplum mutationis seu transformationis electorum qui in adventu Domini in vivis erunt. Vide 1. Cor. 15. v. 51. & 52. *Beatæ resurrectionis exemplum.*

4 Ex v. 4. In vita æterna sancti ex conspectu gloriæ Christi perfundentur gaudio summo. Confer Johan. 17. v. 24. & 1. Johan. 3. v. 2. *Gaudium vitæ æternæ.*

5 Ex v. 5. Notetur testimonium divinum eximium, quippe ipsius Dei ore pronuntiatum, de persona & officio Christi: quòd scil. sit Filius ille Dei dilectus, quodque pater in ipso acquiescat, tanquam mediatore electorum, reconciliante illos Patri sacrificio suo & intercessione: quodque sit doctor ab omnibus audiendus. *Christi persona & officium.*

6 Ex v. 6. In discipulis proponitur exemplum infirmitatis humanæ, unde fit, ut non possimus sustinere vocem Dei, etiam tum quum pronuntiat quæ faciunt ad nostram salutem. Confer exemplum Israëlitarum, quum audirent vocem Dei pronuntiantis decem verba Legis, Exod. 20. v. 18. & 19. Item exemplum Petri, agnoscentis potentiam divinam Christi ex miraculosa captura piscium, Luc. 5. v. 8. 9. 10. *Infirmitatis humanæ exemplum.*

7 Ex v. 7. Christus φιλάνθρωπος est, ut qui terrore majestatis Dei perculsos humaniter erigat. Quare in terroribus ad ipsius opem confugiamus. *Christi φιλανθρωπία.*

8 Ex v. 9. Quum Deus diversis patefactionibus sui diversa tempora ordinaverit: nostrum est in hac ipsius voluntate, tanquam sapientissima, acquiescere. *Patefactio Dei.*

9 Ex v. 10. 11. 12. & 13. In Scriptura interpretanda diligenter considerandum, quænam dicta sunt propriè, quæ tropicè. quia ex troporum neglectu sæpe existunt interpretationes falsæ: ut ostendit exemplum Scribarum, qui non attendentes ad metaphoram in vocabulo Eliæ apud Malachiam, prophetiam illius de Eliæ adventu falsò retulerunt ad Eliam Thesbitem: quum intelligenda sit de Johanne Baptista, ut qui venerit cum spiritu & virtute Eliæ, teste angelo Luc. 1. v. 17. *Expositio Scripturæ.*

10 Ex historia de sanato lunatico. Facilitas Christi in exaudiendis precibus patris lunatici, quantumvis exiguâ fide (teste Marco) præditi, excitare nos debet ad opem ipsius in necessitatibus implorandam atq; exspectandam. *Preces.*

11 Ex v. 17. & 20. Quum incredulitas vehementer Deum offendat; fides autem etiam impossibilia naturæ impetret: oremus Deum, ut nobis augeat fidem. *Fidei.*

12 Ex v. 21. Fides fovenda atque excitanda est ardente precatione.

13 Ex v. eod. Jejunii rectus usus est ut per ipsum præparemur ad preces. *Jejunium.*

14 Ex v. 22. & 23. Concio crucis contristat: sed opponenda est beatitudo illam suo tempore certò exceptura. *Crux.*

15 Ex v. 24. & sequentibus. Christus suo exemplo nos docuit, tributum magistratibus non esse recusandum. Quod expressis quoque verbis docuit, dicens, *Date Cæsari quæ Cæsaris sunt.* Quam ipsam doctrinam tradiderunt quoque Apostoli, Paulus Rom. 13. v. 6. & 7. Petrus 1. Pet. 2. v. 13. & 14. Errant igitur tum Anabaptistæ, tum Papistæ clerici, (ut sese appellitant) dum putant tributum à sese magistratui non deberi. *Magistratus.*

16 Ex v. 27. Ne proximum offendamus, sed potiùs eum lucrifaciamus: debemus ultrò de jure nostro cedere, exemplo Christi. Confer exemplum Pauli nolentis accipere stipendium à Corinthis, 1. Cor. 9. *De jure nostro cedendum.*

Sustentatio piorum. 17 Ex eod.v. Deus interdum etiam brutis animalibus imperat, ut piis afferant necessaria. sicut hoc loco imperavit pisci ut afferret Petro statērem, quo ipse & Christus tum egebant. Sic olim imperavit corvis ut cibum afferrent Eliæ. Quare providentiæ Dei paternæ confidamus.

ANALYSIS CAP. XVIII.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continetur sermo Christi ad discipulos, quo primùm illis præcipit animi demissionem: deinde monet, puerulos esse excipiendos, non autem offendendos, ac omnino offendendum esse neminem: tum docet, quomodo offendiculis quum in nobis gliscunt, sit resistendum: præterea, quomodo proximus qui nos offenderit, sit corrigendus: postremò quousq; injuriæ sint condonandæ.

Præceptum de animi demissione.

EO ipso tempore adierunt Jesum discipuli, dicentes, Quísnam maximus est in regno cælorum?

2 Et quum advocasset puerulum Jesus, statuit eum in medio eorum.

3 Et dixit, Amen dico vobis, nisi converteritis *vos*, & fiatis ut pueruli; nequaquam ingrediemini in regnum cælorum.

4 Quisquis igitur demiserit sese sicut puerulus iste, is est maximus ille in regno cælorum.

PRæceptum de animi demissione declaratur primùm ex occasione, deinde ex forma seu modo docendi. Occasionem Christo ad præceptum illud tradendum præbuit quæstio atque contentio discipulorum de primatu, quisnam ex eis maximus esset futurus in regno cælorum, v.1. In modo docendi notanda sunt duo: præcepti illustratio, & ejusdem confirmatio. Illustratio sumta est ab exemplo speciali atque oculari, nempe oculis discipulorum subjecto. quod exemplum illustratur ab adjuncto gestu proponentis: advocavit enim Dominus puerulum, & statuit eum in medio discipulorum: quin etiam (teste Marco) in ulnas eum accepit, atq; ita illum discipulis imitandum proposuit, v.2. Confirmatio præcepti sumta est ab effectis duobus: nempe tum effecto noxio, nisi præcepto paruerint, videlicet exclusione è regno cælorum, v.3. tum effecto utili, si paruerint, videlicet receptione in regno cælorum, v.4.

De scandalo cavendo.

5 Et quisquis exceperit aliquem puerulum talem in nomine meo, me excipit.

6 Quisquis autem offendiculo fuerit alicui ex parvis istis qui in me credunt, præstiterit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, ac demergatur in profundo maris.

7 Væ mundo ab offendiculis. Necesse est enim ut eveniant offendicula: veruntamen væ homini illi per quem offendiculum evenit.

Occasione exempli propositi monet deinceps Dominus, puerulos esse excipiendos, non autem offendendos, ac omnino offendendum esse neminem. Excipiendi verbo significat omnes actiones quæ pertinent ad salutem puerorum promovendam: quæ revocari possunt ad duo summa genera, videlicet institutionem in doctrina pietatis, sive sancta monita, & sancta vitæ exempla. Hoc præceptum confirmat ab effectu utili, videlicet remuneratione ab ipso exspectandâ: ut qui exceptionem puerorum eo loco habere velit, ac si ipsemet exceptus esset, v.5. Porrò isti præcepto per antithesin annectit alterum, de pueris non offendendis, v.6. quod confirmat partim à causa impulsiva, quia scil. pueruli in Ecclesia educati in ipsum credant: partim ab effectu noxio, nisi præcepto paruerint, videl. exitio æterno: quod innuit comparatione minoris, nempe submersionis in mari: quam ipsam illustrat ex modo agendi, videl. suspensione molæ asinariæ in collo. Tum huic præcepto adjungit aliud ejusdem generis, sed generalius, v.7. videl. de offendendo nemine: quod similiter confirmat ab effectu noxio, videl exitio æterno, ubi ait, *Væ mundo &c.* item, *Væ homini &c.* Præterea idem præceptum amplificat antithesi diversorum, cautioni offendiculorum opponens eorundem perpetrationem necessariam, ubi ait, *Necesse est enim &c.* quasi dicat: Etsi necesse est ut offendicula eveniant (quia scil. Satan non quiescit, sed circuit ut leo rugiens, quærens quem devoret: & Deus justo judicio illi permittit ut tentationibus suis multos vincat) tamen offendicula cavenda sunt; quia væ erit homini per quem offendiculum evenerit.

Pravis affectibus resistendum.

8 Si verò manus tua vel pes tuus offendiculo tibi est, exscinde ea, & abjice abs te. Melius est tibi ad vitam ingredi claudum aut mancum, quàm duas manus vel duos pedes habentem conjici in ignem æternum.

9 Et si oculus tuus offendiculo tibi est, erue eum, & abjice abs te. Melius est tibi luscum ingredi in vitam, quàm duos oculos habentem conjici in gehennam ignis.

Jam præcepto subjungit doctrinam, quasi per prolepsin. Etenim præcepto audito, scandala esse cavenda, hoc est, operam dandam ne quis proximum dicto factóve offendat, illiq; exitii author sit: promtum erat quærere, Sed quomodo id consequemur & effectum dabimus? De hoc igitur nunc eos docet: præcipiens ut offendiculis quum in nobis gliscunt, fortiter resistamus, mortificando desideria carnis quum illa sese exserunt in membris nostris, & ad illorum abusum nos sollicitant. Id quod Christus tribus exemplis declarat; videlicet manus, pedis, & oculi: quæ singula enuntiat per metonymiam subjecti, & metaphoram hyperbolicam; quatenus præcipit ut membra illa si ad peccandum nos solicitent, amputemus: quum tamen nihil aliud dicere velit, quàm pravas cupiditates quæ sese in membris illis exserunt, esse reprimendas atq; exstinguendas, ne in actum erumpant & peccatis externis proximum offendant. Hoc autem præceptum similiter, ut superiora, confirmat ex effectis: videlicet receptione in cælum, si quis paruerit; & detrusione in gehennam, nisi quis paruerit. Hoc autem posterius effectum amplificat collatione minoris, videlicet mutilationis: significans, minus malum esse, membris aliquibus privari, quàm integro corpore in gehennam conjici.

Pueri non offendendi.

10 Videte ne contemnatis aliquem ex parvis istis; dico enim vobis, angelos eorum in cælis per omne *tempus* videre faciem patris mei qui in cælis est.

11 Venit enim Filius hominis ut servet quod perierat.

12 Quid vobis videtur? Si fuerint alicui homini centum oves, & erraverit una ex eis; nónne relictis ipsis nonagintanovem, profectus in montes, quærit eam quæ aberraverat?

13 Quòd si acciderit, ut inveniat eam; amen dico vobis, gaudet super ea magis, quàm super illis nonagintanovem, quæ non aberrarunt.

14 Ita non vult pater vester qui in cælis est, ut pereat *vel* unus ex parvis istis.

Redit ad præceptum de non offendendis pueris: atque illud ampliùs confirmat. quæ confirmatio constat è causis impulsivis tribus, videl. à cura Dei Patris quam pro salute puerorum gerit, deinde à cura Angelorum, tum à cura Filii Dei. Curam Dei Patris significat per hoc, quòd is ad ministerium puerorum constituit sanctos Angelos. Curam Angelorum significat per hoc, quòd illi in cælis perpetuò vident faciem Dei Patris, exspectantes scil. ab ipso mandata ut ad salutem puerorum emittantur, v.11. Curam Filii Dei, h.e. suam ipsius quam pro pueris gerat, significat expositione finis generalis adventus sui in mundum, v.11. nempe ut servet quod perierat. Porrò hunc finem sui adventus deinceps v.12. & 13. illustrat similitudine hominis quærentis atq; invenientis ovem perditam. Postremò v.14. similitudinem illam applicat ad curam illam Dei Patris pro pueris.

Quomodo tractandus proximus qui nos offendit.

15 Si verò peccaverit in te frater tuus, abi & argue eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum.

16 Sin verò te non audierit, accipe tecum adhuc unum aut duos: ut ex ore duorum aut trium testium confirmetur res tota.

17 Quòd si neglexerit eos audire, dic ecclesiæ: quòd si ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut ethnicus & publicanus.

18 Amen dico vobis, Quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo: & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in cælo.

19 Rursum dico vobis, Si *vel* duo ex vobis consenserint in terra, de quacunque re quam petierint; fiet eis à patre meo qui in cælis est.

20 Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.

Hactenus præcepit quomodo nos gerere debeamus, ne proximum offendamus: deinceps è regione præcipit, quomodo nos debeamus gerere erga proximum qui nos offendit. Summa præcepti est, illum esse arguendum: hoc est, ex verbo Dei convincendum peccati nobis conscii admissi, & ad resipiscentiam exhortandum. Hujus autem correctionis gradus præscribit tres:

quorum

quorum primus est, ut arguamus illum privatim: &, si resipiscentiæ signa ostenderit, acquiescamus, v. 15. Secundus: ut si primo illo gradu nihil profecerimus, iterum illum arguamus, adhibito uno aut duobus testibus, v. 16. Tertius: ut si secundo quoq; gradu nihil profecerimus, deferamus illum ad ecclesiam, hoc est, presbyterium seu consessum seniorum qui nomine ecclesiæ moribus singulorum gubernandis atque ex verbo Dei corrigendis præsunt, ut sancta disciplina vigeat in populo Dei, ne nomen Dei apud extraneos blasphemetur. Quòd si ne sic quidem ad resipiscentiæ testificationem ille fuerit adductus: præcipit Christus ut habeatur pro ethnico aut publicano, hoc est, ut judicio sive sententiâ presbyterii declaretur esse alienus ab ecclesia seu populo Dei (id quod hodie vocamus excommunicari) ac proinde ut ab unoquoq; ecclesiæ cive pro tali habeatur, donec nimirum resipuerit & in gremium ecclesiæ recipi petiverit, ac receptus fuerit. Cæterùm ne quis judicium hoc atq; sententiam ecclesiæ contemnat aut parvi faciat, per prolepsin vers. 18. asseverat, illud apud Deum esse ratum. ubi excommunicationem comparat vinculis quibus aliquis ligatus tenetur ad supplicium: itemque receptionem in ecclesiam comparat solutioni à vinculis. Porrò quò majorem terrorem incutiat impœnitentibus legitimè excommunicatis, nec non pleniorem consolationem afferat resipiscentibus in communionem sanctorum denuò receptis: sententiam eandem repetit & amplificat à genere, pronuntians Deum facturum quicquid pii ab eo petiverint: unde nimirum sequitur, à participatione regni cælestis exclusurum impœnitentes, & ad eandem recepturum resipiscentes: quum seniores hæc ipsa à Deo petant. Illam autem sententiam amplificat à minori, ubi ait: *Si duo ex vobis consenserint, &c.* quasi dicat, Quantò magis, si plures? puta totum presbyterium. Postremò asservationem illam de ratihabitione divina sententiæ presbyterii confirmat promissione suæ præsentiæ, v. 20. significans se illis qui ad promovendum honorem ipsius fuerint congregati, ad futurum gratiâ atque efficaciâ Spiritus sancti, ut disciplinam illam sanctam rectè atque efficaciter administrent.

Injuriæ quousq; condonandæ.

21 Tunc adiens eum Petrus dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? *an* usque septies?
22 Dicit ei Jesus, Non dico tibi, Usque septies; sed, Usque septuagies septies.
23 Propterea *audi.* Simile est regnum cælorum homini regi qui voluit conferre rationem cum servis suis.
24 Et quum cœpisset conferre, oblatus est ei quidam debitor decies mille talentorum.
25 Quum autem is non posset *hæc* reddere, jussit eum dominus ejus venundari, & uxorem ejus & liberos, & omnia quæ habebat: & reddi *debitum.*
26 Procidens ergo servus ille adorabat eum, dicens; Domine, cohibe iram erga me: & omnia tibi reddam.
27 Commotus autem misericordiâ dominus servi illius, dimisit eum, & debitum remisit ei.
28 Egressus verò servus ille, invênit unum ex conservis suis, qui debebat ei centum denarios: & prehensum eum suffocabat, dicens, Redde quod debes.
29 Procidens autem conservus ejus ad ejus pedes, precabatur eum, dicens, Cohibe iram erga me, & omnia reddam tibi.
30 Ille verò noluit, sed abiens conjecit eum in carcerem, quousque redderet debitum.
31 Quum autem vidissent conservi ejus quæ facta fuerant, contristati sunt vehementer: & venerunt, ac declararunt domino suo omnia quæ facta fuerant.
32 Tunc advocavit eum dominus ipsius, & dixit ei, Serve male, totum debitum illud remisi tibi, quia precatus es me.
33 Nónne oportuit & te misereri conservi tui, ut & ego tui misertus sum?
34 Tunc iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus, usquequo redderet id omne quod sibi debebatur.
35 Ita & pater meus cælestis faciet vobis, nisi remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris lapsus eorũ.

Deinceps docet Christus, quousque condonandæ sint injuriæ: videlicet in infinitum usque, maximè si is qui injuriâ affecit, condonari sibi petat. Evangelista primùm indicat præcepti hujus occasionem. Ea fuit quæstio Petri, v. 21. Ad quam respondens Dominus, præceptum ipsum tradit v. 22. scitè atque eleganter corrigens numerum quem Petrus in quæstione sua expresserat, & expressione numeri majoris certi, per synecdochen speciei hyperbolicam, significans numerum incertum atque indefinitum. Deinde præceptum istud confirmat duobus argumentis: quorum alterum sumtum est à causa impulsiva, videl. condonatione divinâ peccatorum nostrorum: alterum ab effectu noxio, videl. tormentis infernalibus, quæ eventura sunt illis qui præcepto illi non paruerint. Cæterùm utrumque hoc argumentum illustrat Dominus similitudine regis conferentis rationes cum servis suis: & debitum grande remittentis uni servorum, postea verò eundem tradentis tortoribus donec debitum persolveret, eò quòd ipse exiguum debitum à conservo nimis rigidè exigeret, v. 32. & deinceps.

SCHOLIA IN CAP. XVIII.

1 Eo ipso tempore] ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ. *His verbis videtur evangelista innuere occasionem seq. quæstionis: nempe quum ex verbis Domini ad Petrum percepissent, Jesum tanquam filium summi regis, & quidem regis populi istius, nempe ipsius Dei, non teneri ad pendendum tributum. Hinc cogitatione conceptâ de regno illius, quod sibi imaginabantur fore mundanum, quærunt de illius constitutione.* Quisnam] τίς ἄρα. *Scil. nostrûm, seu ex nobis.* τίς ἡμῶν; *Synecdoche generis.* Maximus est] μείζων ἐστίν. *Ad verb.* Major est. *Comparativus pro superlativo, ut 1. Cor. 13. v. ult. Et, Est, pro, Futurus est; Enallage temporis.* In regno cælorum] ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν *Id est, in regno tuo. Quanquam mirum videri potest, quòd appellant regnum cælorum: quum tamen imaginarentur fore terrenum. Sed hanc appellationem sæpe jam audierant ex ore Domini. Itaque eam retinent, quamvis non intelligant.*

3 Nisi converteritis *vos*] ἐὰν μὴ στραφῆτε. *Subaudi* ὑμεῖς. *Quod aliâs exprimi solet voce media* στρέφεσθαι, *habente significationem reciprocam. Significat, à via superbiæ atq; ambitionis revertendum esse, & ingrediendam viam humilitatis seu demissionis animi. Est enim hoc verbum per synecdochen generis intelligendum de re proposita: quod ipsum sequentia verba* ἐπεξηγητικῶς *declarant.* Et fiatis ut pueruli] καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία. *Id est, humiles seu demissè de vobis sentientes. Nam & hoc ad quæstionem propositam accommodandum est, tanquam & ipsum per synecdochen generis dictum, sicut ipse Dominus mox declarabit v. 4. Simul autem obiter observa, synecdochen hîc esse non in una aliqua voce, sed in tota loquutione seu phrasi.* Nequaquã ingrediemini &c.] οὐ μὴ εἰσέλθητε *&c. Gemina negatio apud Græcos fortiùs negat. Est autem hoc dictum per amplificationem: quasi dicat, Non solùm nemo ex vobis erit maximus in regno cælorum, sed ne minimus quidem.*

4 Demiserit] ταπεινώσῃ. *Ad verb. Humiliaverit.* Sicut puerulus iste] ὡς τὸ παιδίον τοῦτο. *Scil. sese humiliat seu demittit.* Maximus ille] ὁ μείζων. *Id est, ille qui maximus futurus est in regno cælorum, de quo vos quæsivistis. Hoc innuit articulus.*

5 Exceperit] ἐὰν δέξηται. *Puriores Græci dicerent,* δέξηται ἄν. Aliquem] ἕν *Pro* τι. In nomine meo] ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου. *Id est, Propter nomen meum: propterea quòd in me credit: ut percipitur ex collatione versus sequentis. Est autem hîc præpositio* ἐν *usurpata ex more Hebræorum: quum ponunt literam* ב *pro voce* בַּעֲבוּר.

6 Quisquis autem offendiculo fuerit alicui] ὃς δ' ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα. *Ἕνα pro* ἵνα*: ut versu præcedente. Verbum autem* σκανδαλίζειν *significat scandalum præbere, seu offendiculo esse, seu denique facere ut aliquis offendat seu impingat. A nomine* σκάνδαλον, *quo propriè significatur pedica in via occultata, ut quis pede in eam impingens sive offendens lædatur & claudus reddatur. nam* σκάζειν, *unde* σκάνδαλον *deductum est, claudicare significat.* Præstiterit ei] συμφέρει αὐτῷ. *Subaudiendum* μᾶλλον. *Conducit ei magis, scilicet quàm quòd est offendiculo parvulis. Innuit graviorem pœnam paratam esse tali, quàm est ea quam hîc commemorat: nempe æternam & spiritualem: quum hæc sit corporalis & temporalis.* Mola asinaria] μύλος ὀνικός. *Id est, lapis molaris, grandis nimirum, qualem circumagit in molendo asinus.*

7 Væ mundo ab offendiculis] οὐαὶ τῷ κόσμῳ ἀπὸ τῶν σκανδάλων. *Id est, Miseret me hominum quum cogito fore ut puniantur à Deo exitio æterno propter scandala quæ aliis præbent. Mundus, pro hominibus in mundo, per metonymiam subjecti.* Necesse est enim] ἀνάγκη γάρ. *Pro,* ἀνάγκη μὲν γάρ. *Id est, Nam necesse quidem est &c. Etenim hæc sententia cohæret cum sequente per enuntiatum discretum.* Ut eveniant] ἐλθεῖν. *Ad verb. Venire seu ut veniant. Sic mox iterum.*

8 Offendiculo tibi est] σκανδαλίζει σε. *Ut versu sexto.* Melius est tibi] καλόν σοι. *Pro,* κρεῖττον γάρ σοί ἐστιν: *Melius enim tibi est. Ellipsis conjunctionis rationalis: & positivus pro comparativo, propter ellipsin adverbii* μᾶλλον. *Sic iterum v. seq.*

9 In gehennam ignis] εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός. *Id est, quæ plena est igne: vel per hypallagen,* In ignem gehennæ.

10 Videre faciem patris] ὅτι βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός. *Id est, astare Deo tanquam regi, observantes ejus nutum ut capessant ipsius mandata de ipsis emittendis ad custodiam puerorum.* ἀνθρωποπάθεια.

11 Ut servet quod perierat] σῶσαι τὸ ἀπολωλός. *Nempe electos. Synecdoche integri.*

14 Ex parvis istis] τῶν μικρῶν τούτων. *Nempe qui in me credunt, ex v.6.*

15 Si verò peccaverit in te] ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ εἰς σέ. *Id est, Si peccato aliquo offenderit te: sive lædens te ipsum, sive proximum: sive alias quid agens contra præcepta Dei.* Si te audierit] ἐάν σου ἀκούσῃ. *Id est, si reprehensioni sive correptioni tuæ dederit locum, edendo signa resipiscentiæ.* Lucratus es fratrem tuum] ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν σου. *Scil. tum Deo, tum ipsi: ut & Deus possessionem illius quasi recuperet, & ipse possessionem gratiæ Dei. Hac metaphorâ utitur & Paulus 1.Cor.9.v.19.& seq.*

16 Ex ore] ἐπὶ στόματος. *Id est, ἐκ στόματος. Vel, διὰ στόματος, hoc est, ex sermone seu testimonio Metonymia efficientis.* Confirmetur] σταθῇ. *Seu, stabiliatur: id est, pro certa & indubitata habeatur.* Res tota] πᾶν ῥῆμα. *Id est, ὅλον τὸ πρᾶγμα. Verbum pro re, per metonymiam adjuncti Hebraicam.*

17 Quòd si neglexerit audire] ἐὰν δὲ παρακούσῃ. *Quasi dicas, Si præteraudierit. Huic opponitur τὸ ὑπακούειν: quasi dicas. subaudire: pro quo dicitur obedire, quasi obaudire.* Dic Ecclesiæ] εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ. *Id est, presbyterio repræsentanti Ecclesiam, & judicanti nomine Ecclesiæ. Synecdoche integri,* κατ᾽ ἐξοχήν. Sit tibi velut ethnicus] ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικός. *Excommunicatus ab Ecclesia, eo loco abs te habetor ac si esset ethnicus quispiam aut publicanus: Id est, homo alienus ab Ecclesia, nec pertinens ad illam.*

18 Ligaveritis] δήσητε. *De metaphora in verbis istis Ligandi & Solvendi diximus suprà ad v.19.cap.16.*

19 Si vel duo] ἐὰν δύο. *Ellipsis nota minoris. innuit enim, multò magis impetraturos petitionem suam, si petiverint pii complures.*

20 In nomine meo] εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα. *Pro, ἐν τῷ ἐμῷ ὀνόματι. Enallage præpositionis. Hoc est, ex mandato meo: ut scil. ex meo mandato gubernent gregem suæ curæ commissum. Eodem sensu accipitur hæc phrasis 1.Cor.5.vers.4.* In nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis &c. *Et sanè videtur Apostolus ita loquens, ad hæc ipsa Domini verba respexisse.* Sum in medio eorum] εἰμὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν. *Utiq; non corpore, sed gratiâ Spiritus sancti & potentiâ deitatis meæ: ut scil. vel puniam rebelles, vel resipiscentiam eis dem per vestrum ministerium. Et hæc est illa* δύναμις *Domini nostri Jesu Christi: cujus Apostolus loco modò citato meminit.*

21 Quoties peccabit & remittam?] ποσάκις ἁμαρτήσῃ καὶ ἀφήσω; *Id est, Quoties remittam peccanti in me iterum atq; iterū?*

22 Sed usque septuagies septies] ἀλλ᾽ ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά. *Id est, sed sæpissimè, atq; adeò quoties frater sibi remitti petiverit. Synecdoche speciei hyberbolica, nempe species numeri magni pro numero magno in genere. Est autem conjunctum polyptoton perelegans.*

23 Propterea audi] διὰ τοῦτο. *Scil. ἄκουε. Q.d. Atque ut id quod dixi, meliùs intelligas & memoriâ retineas, declarabo tibi similitudine. Confer Joh.7.v.22.* Simile est regnum cælorum] ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. *Nempe quod attinet ad causam exclusionis ex illo.*

24 Decies mille talentorum] μυρίων ταλάντων. *Talentum apud Hebræos (ut annotat Tremellius) continebat libras sexaginta argenti vel auri, aut alterius generis metalli. Alii summam hanc æstimant sexagies centenis millibus aureorum coronatorū.*

26 Cohibe iram] μακροθύμησον. *Μακροθυμεῖν est μακρύνειν τὸν θυμὸν prolongare seu differre iram.*

27 Debitum] τὸ δάνειον. *Ad verb.* Mutuum. *Synecdoche speciei. Confer v.32.*

28 Centum denarios] ἑκατὸν δηνάρια. *Æstimant hanc summam decem aureis.*

OBSERVAT. EX CAP. XVIII.

Ambitionis exemplum. 1 Ex v.1. In Apostolis proponitur nobis exemplum ambitionis. Agnoscamus igitur, nos quoq; huic vitio à natura obnoxios esse: ac proinde Deum oremus ut nos per Spiritum sanctum flectat ad veram animi demissionem.

Humilitas. 2 Ex v.2.3.& 4. Qui vero honore apud Deum potiri cupit, eum demittere se ipsum oportet. Confer 1.Pet.5.v.5.& 6.

Ædificatio proximi. Scandalum. 3 Ex v.5.& 6. Puerorum ac omnino proximorum quorumvis, solicita nobis gerenda cura, ut eos & verbis & factis ad pietatem erudiamus & in eadem confirmemus: non autem ullo pacto offendamus, peccandíve occasionem eis præbeamus.

Cupiditatibus pravis resistendum. 4 Ex v.8.& 9. Pravis cupiditatibus summâ vi resistendum est, ne in actum erumpant. Quumq; ex naturalibus viribus illas vincere atque reprimere non possimus: opus est nobis implorare opem Spiritus sancti.

Angeli. 5 Ex v.10. Sancti Angeli ordinariè degunt in cælo. Inde autem quum opus est, emittuntur à Deo ut ministrent electis. Confer Heb.1.v.ult.

An Christus redemerit homines omnes. 6 Ex v.11. Cavendum ne abutamur illis verbis Christi ad stabiliendum opinionem eorum qui dicunt Christum redemisse omnes omnino homines: quippe quum omnes perierint, ipse autem venerit ut servaret quod perierat. Nam Christum hîc loqui de ovibus suis, hoc est, de electis, planum est ex verbis quæ continentet annectit.

Officium hominis Christiani. 7 Ex v.12.& 13. Omni studio elaborandum nobis est, ut peccatores ad resipiscentiam adducamus.

8 Ex v.15.16.& 17. Gradus correctionis fraternæ à Christo præscripti, diligenter nobis sunt observandi. *Correctio fraterna.*

9 Ex v.17. Quum judicia ecclesiastica quæ per presbyterium seu consessum seniorum nomine ecclesiæ ex præscripto verbi Dei exercentur, à Christo ipso sint instituta, ut ex hoc loco est manifestum: errant igitur qui illum ordinem pro humano commento habent. *Judicia ecclesiastica.*

10 Ex v.17.& 18. Seniorum ecclesiæ officium est, manifestos ac pertinaces contemtores correctionis legitimè ab ipsis peractæ excommunicare, hoc est, sententiam in illos pronuntiare nomine Dei, quòd cum veris Christianis non habeant commune jus bonorum cælestium, donec resipuerint. Deinde officium quoque illorum est, excommunicatos, si resipiscentiæ signa ostendant & in ecclesiam iterum recipi petant, recipere, & remissionem peccatorum eis annuntiare. Confer 1.Cor.5.v.3.4.5.13. & 2.Cor.2.v.6.7.8.9.10. *Seniorum ecclesiæ officium.*

11 Ex v.18.& 19. Quum sententia excommunicationis legitimè peractæ rata sit apud Deum, caveant excommunicati ne illam contemnant: sed potiùs illâ commoti maturè resipiscant. Similiter quum rata quoque apud Deum sit sententia legitimæ in ecclesiam receptionis & peccatorum remissionis: recepti firmam fiduciam gratiæ Dei concipiant. *Excommunicatio.*

12 Ex v.19. Quum preces ex vera fide profectæ, & ad gloriam Dei salutemque proximorum directæ, à Deo exaudiantur: consequens est quòd sint sedulò suscipiendæ, præsertim in conventu piorum. *Preces.*

13 Ex v.20. Qui convenerunt ad tractandum ea quæ pertinent ad gloriam Christi, consolentur sese hac promissione gratiosæ præsentiæ ipsius. Hoc fecit Paulus, quum jussit excommunicari incestuosum illum Corinthium, 1.Cor.5.v.4. Commemorat enim ibi potentiam (τὴν δύναμιν) Christi, quæ ipsis ad illum excommunicandum congregatis sit affutura: quo nomine intelligit efficaciam illius in isto excommunicando futuram, ut videlicet aut adducatur ad resipiscentiam, aut in reprobum sensum tradatur. *Conventus sanctorum.*

14 Ex v.21.& sequentibus usque ad finem. Faciles nos præbere debemus in condonandis injuriis. Nisi enim injurias condonaverimus: peccatorum nostrorum remissionem a Deo non consequemur, sed propter illa in æternum puniemur. *Injuria condonanda.*

ANALYSIS CAP. XIX.

ARGUMENTUM.

In hoc capite narratur primò disputatio Pharisæorum cum Christo de divortio, usq; ad vers.10. Secundò, sententia Christi de conjugii necessitate, usq; ad vers.13. Tertiò, benedictio à Christo impertita puerulis, usque ad vers.16. Quartò, responsum Christi datum adolescenti de modo consequendi vitam æternam, usque ad v.23. Quintò, sententia Christi de periculo divitiarum, usque ad vers.27. Sextò & postremò, sententia Christi de præmiis quæ Deus daturus est iis qui aliquid charum reliquerint propter confessionem evangelii, usq; ad finem capitis.

PRIMA PARS.

Disputatio Pharisæorum cum Christo de divortio.

ET factum est, quum finisset Jesus sermones istos, transtulit *se* è Galilæa, & vênit in fines Judææ secus Jordanem. (illic.

2 Et sequuta est eum turba multa, sanavitque eos

3 Tunc adierunt eum Pharisæi, tentantes eum, & dicentes ei, Licétne homini dimittere uxorem suam quavis ex causa?

4 Ille verò respondens dixit eis, Non legistis quòd is qui *hominem* fecit ab initio, masculum & fœminam eos fecit?

5 Et dixit, Propterea relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori suæ: & erunt illi duo in carnem unam.

6 Itaque non ampliùs sunt duo, sed caro una. Quod ergo Deus conjunxit, homo ne separato.

7 Dicunt ei, Cur ergo Moses mandavit dare libellum discessionis, & eam dimittere?

8 Dicit eis, Moses propter duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: cæterùm à principio non fuit ita.

9 Dico autem vobis, Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.

PRimùm indicatur locus ubi disputatio illa contigit, v.1. videlicet in finibus Judææ. Deinde causa procatarctica quæ Pharisæos ad disputandum cum Christo irritavit, videlicet quòd ipse illic turbam doceret (teste Marco) & sanaret, atque ita autoritatem suam confirmaret, vers.2. Tum notatur causa finalis cujus gratiâ Pharisæi disputationem hanc moverunt, nec non causa antecedens (αἴτιον προηγούμενον) qua ad id agendum impulsi

pulsi fuerunt. Utraque hæc causa notatur verbo πειράζοντες, id est, *tentantes*; quippe quo significatur, illos ex odio atque malevolentia erga Jesum proposuisse illi quæstionem, confundendi ipsius gratia. Quartò recitatur ipsa quæstio, v. 3. Quintò recitatur responsio Christi, v. 4. 5. & 6. Respondet autem Christus ad propositam quæstionem negando: negans scilicet, dimissionem uxoris quavis ex causa esse licitam. Quam suam sententiam tali syllogismo probat.

Quos Deus arctissimè conjunctos esse vult, illos conjunctos manere oportet: & per consequens non licet homini eos disjungere.

Atqui conjuges Deus arctissimè conjunctos esse vult.

Ergo conjuges conjunctos manere oportet: & per consequens non licet homini eos disjungere.

Sententia propositionis posita est ultimo loco in fine versus 6. Sententia assumtionis posita est penultimo loco, in versus sexti principio. Assumtioni autem præmittitur probatio v. 4. & 5. Cæterùm argumentum principale sumtum est à causa formali. Etenim actionis licitæ operisve boni forma est, congruentia seu conformitas cum voluntate Dei per Legem declarata: sicut è contrario actionis illicitæ operisve mali forma est, incongruentia seu inconformitas cum voluntate Dei per Legem declarata: quum peccatum à Johanne definiatur esse ἡ ἀνομία, id est, discrepantia à Lege. Porrò assumtionem confirmat duobus argumentis: primùm ab effecto destinato, v. 4 deinde ab expresso pronuntiato seu testimonio Dei, v. 5. Utrumque autem confirmat testimonio Mosis. Effectum destinatum significat, quum ait, *illum qui hominem fecit ab initio* (id est Deum) *fecisse eos masculum & fœminam*. quibus verbis innuit, duplicem sexum in genere humano huc esse à Deo destinatum, ut masculus & fœmina conjugiali federe inter se copulati, sese mutuo amore quam-arctissimè complecterentur, & in unum quasi corpus coalescerent. Testimonium Dei; quanquam per Adamum, teste Mose, pronuntiatum, duabus sententijs constat: quarum priore amor mariti erga conjugem & conjunctio arctissima declaratur collatione minoris; videlicet amoris erga parentes, qui tamen magnus esse debet: posteriore autem declaratur arctissima illa conjugum unio exemplo hominis singularis atque individui: quippe quòd conjuges sint quasi unus homo. Sextò recitatur objectio Pharisæorum pro affirmatione contraria, videlicet dimissionem uxoris quavis ex causa esse licitam. Ad quod probandum afferunt legem Mosis de libello divortii, v. 7. Septimò recitatur responsio Christi qua objectionem illam solvit. Negat autem Christus consequentiam connexi quo objectio illa nititur. nempe: Si Moses uxores dimittere permisit; ergo rectè faciunt qui dimittunt. Hoc Christus negat, quatenus causam exponit cur Moses id permiserit, nempe propter duritiem cordium ipsorum, id est, ut caveret incolumitati innocentum uxorum, ne à maritis duro corde præditis crudeliter tractarentur. Deinde connexi illius falsitatem ostendit expositione causæ veræ unde rectitudo actionis humanæ dependet, nempe si congrua sit voluntati divinæ patefactæ. patefecit autem Deus in conjugii institutione, se velle ut duo sint caro una, id est, ut inter sese conjunctissimè vivant. hoc significat Christus quum ait, *A principio autem non fuit ita*. Octavò & postremò recitatur amplificatio qua Christus sententiam suam de uxore non dimittenda amplificavit, ab effectis, videl. adulterio quod committitur tum ab eo qui uxore suâ dimissâ, aliam duxerit: tum ab eo qui duxerit illam dimissam. Additur tamen exceptio, qua ostenditur justa causa dimissionis seu divortii, videl. scortatio, hoc est, si uxor cum alio viro rem habuerit.

SECUNDA PARS.

Sententia Christi de conjugii necessitate.

10 Dicunt ei discipuli ejus, Si tale est negotium hominis cum uxore, non expedit uxorem ducere.

11 Ipse verò dixit eis, Non omnes capiunt hunc sermonem, sed quibus datum est.

12 Sunt enim eunuchi qui ex utero matris nati sunt ita: & sunt eunuchi qui castrati sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui se ipsi castrarunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.

Primùm indicatur occasio qua Christus adductus sententiam suam de conjugii necessitate pronuntiavit. Ea fuit sententia discipulorum ex decisione præcedentis quæstionis nata, quòd non expediat contrahere matrimonium. Huic sententiæ tanquam ex parte falsæ Christus contradicit, ne discipulos in errore relinquat. Falsitatem autem illius sententiæ ostendit distributione virorum ex adjunctis, significans virorum nonnullos habere donum continentiæ, alios verò non habere. Et de his sententiam illam esse falsam: quippe quum his non solùm expediat, sed etiam necesse sit uxorem ducere: quippe quum non sint capaces cælibatus, vers. 11. Deinde v. 12. prius illud distributionis membrum illustrat simili, quatenus viros continentiæ dono præditos, eodemq; utentes ad gloriam Dei, nominat eunuchos: eaq; occasione eunuchos distribuit in tria genera, ut patet. Postremò sententiam de tertio genere eunuchorum amplificat hortatione per exclamationem, hortans nimirum continentes ut dono illo suo ad gloriam Dei per verbi tractationem utantur. hoc significat quum ait, *Qui potest capere, capiat*.

TERTIA PARS.

Benedictio à Christo impertita puerulis.

13 Tunc oblati sunt ei puerulì ut manus imponeret eis, & precaretur. Discipuli autem objurgarunt eos.

14 Jesus autem ait: Sinite puerulos, & ne prohibete eos ad me venire. Talium enim est regnum cælorum.

15 Et quum imposuisset eis manus, profectus est illinc.

Primùm narratur causa impulsiva procatarctica quæ Christum movit ut puerulis benediceret. Ea fuit petitio illorum qui puerulos ipsi offerebant. Deinde narratur causa corrumpens, videlicet objurgatio discipulorum: qui offerentes illos objurgando conabantur benedictionem puerulorum impedire. Tum narratur causæ corrumpentis remotio, unde percipitur causa antecedens (αἴτιον προηγούμενον) videl. benevolentia Christi erga puerulos. Cæterùm illa remotio causæ corrumpentis duas habet partes, mandatum & mandati rationem, qua continetur testimonium Christi de puerulorum salute. Estque ratio sumta à fine. nam ad quem pertinet finis, ad eundem pertinet quoq; destinatum. At finis benedictionis, videl. regnum cælorum, pertinet ad puerulos in Ecclesia natos & federe Dei comprehensos. Quare ad eosdem pertinet etiam benedictio Christi ad regnum cælorum adipiscendum destinata. Postremò narratur factum ipsum, declaratum à gestu adjuncto, videl. impositione manuum.

QUARTA PARS.

Responsum Christi datum adolescenti de modo consequendi vitam æternam.

16 Et ecce, quidam accedens dixit ei, Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?

17 Ipse verò dixit ei, Cur me dicis bonum? Nullus est bonus, nisi unus, *nempe* Deus. Si vis autem in vitam ingredi, serva mandata.

18 Dicit ei, Quæ? Jesus autem dixit, Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, Non dices falsum testimonium.

19 Honora patrem & matrem. Et, Diliges proximum tuum ut teipsum.

20 Dicit ei adolescens, Omnia hæc observavi à juventute mea: quo adhuc deficior?

21 Ait ei Jesus, Si vis perfectus esse; abi, vende quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.

22 Quum audisset autem adolescens eum sermonem, abiit tristis. Habebat enim bona multa.

Primùm narratur causa impulsiva sive occasio quæ Christum ad tale responsum adolescenti dandum movit: Ea fuit quæstio adolescentis, v. 16. Deinde subjicitur ipsum responsum, duobus membris constans: reprehensione salutationis qua adolescens fuerat usus, & quæstionis propositæ declaratione. Reprehensione videtur perstringi adulatio, qua adolescens verbis tribuerat Christo majora quam in ipso agnoscebant: appellando scil. eum bonum, quum tamen non agnosceret eum pro Deo, imò ne pro homine quidem verè bono ac doctore fideli, & divinitus misso. Reprehensio concluditur enthymemate; cui deest assumtio: quam si addideris, syllogismus existet talis.

Qui meretur nomen boni, eum oportet esse Deum.

At ego opinione tuâ non sum Deus.

Igitur opinione tuâ non mereor nomen boni: & per consequens hypocriticè & adulatoriè agis, dum me bonum nominas.

Conclusio præcedit, exornata ἀνακοινώσει, communicatione sive interrogatione reprehensivâ, ibi, *Cur me dicis bonum?* quasi dicat, Non debebas me dicere bonum. Propositionis sententia succedit, ibi, *Nullus est bonus, &c.* Tum sequitur quæstionis propositæ declaratio, ibi: *Si vis autem &c.* Porrò sententia responsionis generaliter enuntiata ad petitionem adolescentis, deinceps declaratur inductione specierum, seu appositione exemplorum, v. 18. & 19. Atq; hoc secundum hujus narrationis membrum est, responsum Christi ad quæstionem adolescentis. Tertiò narratur instantia adolescentis: qui responsione Christi non contentus, sed de operibus suis glorians, quæstionem alteram proponit, affectans (ut videtur) laudem perfectionis, v. 20. Quartò subjicitur v. 21. responsio Christi inopinata, & ad gloriationem adolescentis refutandam atq; retundendam pertinens: ut appareret ex ipso eventu. Quintò & postremò additur eventus, videl. tristitia adolescentis: quæ declaratur ex vera sua causa, nempe avaritia. Quum enim divitiis suis addictus esset: tristitiam ei attulit præceptum de illis relinquendis.

QUINTA PARS.

Sententia Christi de periculo divitiarum.

23 Jesus autem dixit discipulis suis, Amen dico vo-

bis, Dives difficulter introibit in regnum cælorum.

24 Rursum verò dico vobis, Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem in regnum Dei introire.

25 *His* autem auditis, discipuli ejus perculsi sunt valde, dicentes, Quis ergo potest servari?

26 Intuitus autem *eos* Jesus dixit eis, Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.

Primùm innuitur occasio hujus doctrinæ Christi de periculo divitiarum Ea innuitur per ipsam sermonis cohærentiam, ibi, *Jesus autem dixit*. Scil. quum vidisset adolescentem illum divitiis suis tantopere addictum esse, ut nollet ipsius salutaribus præceptis morem gerere. Deinde doctrina ipsa recitatur, amplificata asseveratione, ibi, *Amen dico &c.* Tum eadem doctrina amplificatur collatione minoris hyperbolicâ, v.24. Postea subjungitur doctrinæ illius effectum in discipulis, v.25. videl. terror & refutatio obliqua ex consequente absurdo, quod innuunt interrogatione hac, *Quis ergo potest servari?* Q.d. Si ea est conditio divitum quam dicis: ergo nemo aut certè perpauci poterunt servari: id quod videtur absurdum. Postremò v.26. subjicitur ad illam discipulorum quæstionem responsio Christi, illustrata ex adjuncto gestu loquentis, videl. intuitu discipulorum. Pertinet autem responsio Christi ad negandum consequentiam propositionis connexæ: quasi dicat, Etiamsi impossibile est divitem ingredi in regnum cælorum: tamen aliqui poterunt servari: sed per potentiam Dei, non autem suis ipsorum viribus. Ad has enim quod attinet, impossibile est quenquam servari. Negationis igitur ratio consistit in distinctione diversorũ, ut quæ possint simul consistere: videl. impotentia naturalis, & potentia adventitia.

SEXTA PARS.

Sententia Christi de præmiis &c.

27 Tunc respondens Petrus dixit ei, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid ergo erit nobis?

28 Jesus autem dixit eis, Amen dico vobis, Vos qui sequuti estis me, in regeneratione, quum sederit Filius hominis in throno suo glorioso, sedebitis etiam vos, *inquam*, super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.

29 Et quisquis reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, causâ nominis mei; centuplicia accipiet: & vitam æternam hæreditatis jure possidebit.

30 Multi autem primi, erunt ultimi; & ultimi, primi.

Primùm indicatur præsentis doctrinæ causa procatarctica, videl. quæstio Petri, declarata è sua occasione, quæ innuitur per cohærentiam sermonis, ibi, *Tunc respondens.* Tunc, scil. quum ex Christo intellexisset, adolescentem illum exclusum iri à regno cælorum, eò quòd in gratiam Christi nollet relinquere sua bona & Christum sequi. Cujus contrarium quum fecisset ipse & cæteri Apostoli: quærit de illius obedientiæ præmio: innitens hoc fundamento, quòd contrariarum causarum sint contraria effecta. Si igitur inobedientia punietur: consequens est, obedientiam adepturam præmia. Deinde recitatur ipsa doctrina, tribus membris constans; videl. promissione speciali de eximia gloria Apostolorum in regno cælesti, v.28. deinde promissione generali & omnium confessorum communi; eaq; duplici, bonorum scil. tum terrenorum tum cælestium, v.29. postremò admonitione de inopinato eventu, videl. interitu hypocritarum & salute dissolutorum seu peccatorum manifestariorum; qui dissolutè viventes, peccatis manifestè indulgent. quæ quidem sententia enuntiatur verbis generalibus καθ' ὑπαλλαγήν. Nomine enim primorum innuit Scribas & Pharisæos illisque similes hypocritas, qui in populo Dei primum tenebant locum: nomine verò ultimorum intelligit publicanos & meretrices & id genus manifestos peccatores, qui in populo Dei ultimum locum tenebant, imò nullo loco aut numero habebantur. Sicut infrà 21.31. ait, fore ut publicani & meretrices præcedant Scribas & Pharisæos in regnum DEI.

SCHOLIA IN CAP. XIX.

1 Et factum est &c. transtulit se] καὶ ἐγένετο &c. μετῆρεν. *Genus quoddam appositionis in verbis. Pro,* ἐγένετο ὥστε μεταίρειν: *factum est ut se transferret. Cæterùm de verbo* μεταίρειν *vide supr. c.13. v.53.* In fines Judææ secus Jordanem] εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας πέραν τοῦ Ἰορδάνου. *Pro,* τὰ πέραν Ἰορδάνου. *Scil.* κείμενα. *Id est, Fines sitos secundùm Jordanem.*

2 Sanavitque] καὶ ἐθεράπευσεν. *Pro,* καὶ ἰάσατο. *Catachresis, de qua jam sæpe monuimus.*

4 Non legistis?] οὐκ ἀνέγνωτε; *Interrogatio vim habet reprehendendi per tacitum dilemma, vel potiùs trilemma. quasi dicat: Si non legistis, pudeat vos vestræ ignaviæ: sin legistis & non intellexistis, pudeat inscitiæ; quum vos profiteamini doctores Legis: si verò & legistis & intellexistis, pudeat vos vestræ hypocriseos quâ me tentatis.* Qui hominem fecit] ὁ ποιήσας. *Ellipsis, quæ percipitur ex pronomine relativo* αὐτούς. *& ex collatione verborum Mosis Gen.1.27.* Ab initio] ἀπ' ἀρχῆς *Scil. mundi.*

5 Et erunt illi duo in carnem unam] καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. *Id est, Vir & uxor erunt quasi una caro seu unum corpus, seu deniq; unus homo: ut quemadmodum dici solet, Amicitiam esse unam animam in duobus corporibus: ita hîc vicissim dicatur, Conjugium esse unum corpus in duabus animabus. Cæterùm nomen* οἱ δύο *apud Mosen non est quidem expressum: veruntamen ex præcedentibus necessariò subauditur.*

7 Cur ergo] τί οὖν. *Pro,* διὰ τί; Libellum discessionis] βιβλίον ἀποστασίου. *Id est. quo maritus testetur cautione publicâ, se discedere ab uxore illámve dimittere non propter violatam conjugii fidem, sed quia displiceat aliam aliquam ob causam.*

8 Propter duritiem cordis vestri] πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν. *Ad verb.* Ad duritiem cordis vestri: *subaudi,* respiciens. *Hoc est, quia metuit ne uxores vestras ex duritie cordis crudeliter tractaretis, si cogeremini illas retinere posteaquam displicere incepissent.* A principio] ἀπ' ἀρχῆς *Scil. mundi: ut v.4.*

9 Nisi ob scortationem] εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ. *Id est, nisi si illa commiserit adulterium, atq; ita conjugii fidem violarit. Synecdoche generis.*

11 Non omnes capiunt hunc sermonem] οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον. *Q.d. Non omnino ita res habet ut vos dicitis: sed tantùm ex parte. Etsi enim negotium hominis cum uxore ita comparatum est ut dixi: non tamen propterea in universum non expedit uxorem ducere. quin potiùs illis tantùm expedit qui cælibatus sunt capaces, præditi nimirum dono continentiæ: reliquis vero conjugium non solùm expedit, sed & necessarium est, ad retinendum scil. tranquillam conscientiam. Sermo autem hîc dicitur pro re, more Hebræorum: Non omnes capiunt rem hanc, videl.* τὸ μὴ γαμῆσαι, *non ducere uxorem: id est, cælibatum.* Sed quibus datum est] ἀλλ' οἷς δέδοται. *Id est, Sed ii tantùm capaces sunt cælibatus, seu idonei sunt ad cælibatum voluntarium, quibus datum est ut illum capiant, id est, quibus contigit donum continentiæ, ut castè possint vivere atq; ita ut non urantur: quemadmodum loquitur Apostolus 1.Cor.7.*

12 Eunuchi] εὐνοῦχοι. *Isto nomine hîc appellantur qui conjuges esse vel non possunt, vel nolunt. Ex quibus illi olim adhibebantur ad custodienda gynæcea regum: unde dicti* εὐνοῦχοι *ab eo quod est* τὴν εὐνὴν ἔχειν, *cubile tenere. nam quòd acutissimus philosophus Julius Cæsar Scaliger sic dictos philosophatur,* παρὰ τὸ εὖ νοῦν ἔχειν, *quòd mente bene affecti sint: mihi quidem subtile potiùs quàm verum videtur.* Qui se ipsi castrarunt] οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτούς. *Nempe non reipsá (hoc enim pugnat cum præcepto, Ne occîdas: quo & corporis mutilatio vetatur) sed constante proposito non ducendi uxorem: unde fit ut eunuchi esse videantur. Est igitur hîc in verbo* εὐνουχίζειν *metaphora. Pro quo in Fragmentis Varronis reperitur* eunuchare. *Anton. Riccobon. de historia, pag. 236.* Propter regnum cælorum] διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. *I.e. ut eò expeditiùs vacare possent promovendo tum in seipsis tum in aliis salvificam cognitionem Dei, per assiduam scil. meditationem verbi Dei, ac de illo cum aliis sermocinationem.* Qui potest capere] ὁ δυνάμενος χωρεῖν. *Videl. postremum illud genus τοῦ* εὐνουχίζειν, *seu cælibatum voluntarium. Hoc autem non potest nisi is, cui est datum.* Capiat] χωρείτω. *I e. seipsum castrato propter regnum Dei, in cælibatu maneto, uxorem ne ducito. Simul innuit, cælibatum capessendum, non eam potissimùm ob causam quia uxorem ducere non conducat (ut dixerant discipuli) propter molestias scil. in toleranda uxore, quæ displicuerit: sed potiùs propter promotionem gloriæ Dei & salutis æternæ tùm nostræ ipsorum tum aliorum.*

13 Objurgarunt eos] ἐπετίμησαν αὐτοῖς. *Nempe* τοῖς προσφέρουσιν, *eos qui offerebant: ut exprimit Marcus.*

14 Talium] τῶν τοιούτων. *Quales scilicet sunt isti puerulí, nempe credentes in me & demissè de se sentientes. Confer supr. c.18. v.2. & seqq.*

16 Quidam] εἷς. *Ad verb. Unus. Hebraismus. Sic & nos dicimus,* Es trat einer zu jhm.

17 Cur me dicis bonum?] τί με λέγεις ἀγαθόν; *Quasi dicat: Non debebas me appellare bonum: quum me non habeas pro Deo: solus autem Deus verè bonus sit.* Nullus est bonus] οὐδεὶς ἀγαθός. *Pro,* οὐδεὶς γὰρ ἀγαθός ἐστιν *&c. Nullus enim bonus est, &c. Ellipsis conjunctionis causalis.*

19 Et, Diliges &c.] καὶ, Ἀγαπήσεις &c *Id est, Et denique ut uno verbo rem totam complectar, ne opus sit singula enumerare. Est præcisio.*

21 Perfectus] τέλειος. *Nempe in justitia, hoc est, perfectè justus.*

27 Quid ergo erit nobis?] τί ἄρα ἔσται ἡμῖν; *Scil. præmii.* τίς μισθὸς δοθήσεται ἡμῖν; *Quæ merces dabitur nobis? Synecd. generis.*

28 In regeneratione] ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ. *Id est, in renovatione mundi, vel potiùs post renovationem mundi in altero sæculo. Quanquam nomen* παλιγγενεσίας *videtur potissimùm intelligendum de restitutione corporum, & resurrectione.* In throno glorioso] ἐπὶ θρόνου δόξης. *Ad verb.* In throno gloriæ. *Hebraismus. Unde percipitur, pronomen* αὐτοῦ *non regi à propiore nomine* δόξης, *sed à remo-*

à remotiore θρόνε. Sic Psal. 2. v.6. Inunxi regem meum super Zijonem montem sanctitatis(*i.e.sanctum*)meum. *Sic infrà cap. 25.v.31.*

29 Et quisquis] καὶ πᾶς. *Id est, Quin etiam quisquis. Addit enim nunc aliquid par.* Causâ nominis mei] ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου. *Id est, propter confessionem nominis mei: seu propterea quòd profitètur doctrinam à me traditam de mea persona & officio.* Centuplicia accipiet] ἑκατονταπλασίονα λήψεται. *Scil. in hac vita seu in tempore isto, ut exprimitur apud Marcum: qui etiam addit,* μετὰ διωγμῶν, *cum persecutionibus. Centuplicia autem, i.e. multiplicia, per synecdochen speciei.*

30 Multi autem primi, erunt ultimi] πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι. *Erunt; scil. quum ingrediendum erit in vitam æternam. Multi primi, scil. qui nunc sunt primi opinione hominum: quippe qui primum locum tenent in Ecclesia visibili, præ se ferentes singularem præ cæteris sanctitatem. Notat Scribas & Pharisæos.* Erunt ultimi] *hoc est, prorsus è vita æterna seu cælo excludentur. Synecdoche accommodata elegantiæ sermonis, propter* φαινομένην ἀντίφασιν. *Etenim qui tardè veniunt, solent ferè excludi: sicut accidit quinque illis fatuis virginibus, inf.c.25.* Et ultimi, primi] καὶ ἔσχατοι πρῶτοι. *Id est, Et contrà qui nunc in Ecclesia visibili sunt ultimi, atque adeò pro nullis habentur: quales tum erant apud Judæos publicani & peccatores; illi erunt primi, hoc est, promtè in cælum intromittentur, ut accidere solet iis qui veniunt primi.*

OBSERVAT. EX CAP. XIX.

Conjugium. 1 Ex v.4.&5. Quum conjugii author sit Deus: consequens est, illud esse vitæ statum sanctum & Deo placentem: ac proinde peccare Papam cum suis, qui conjugium tanquam statum impurum damnant, & clericis seu spiritualibus(quos vocant)interdicunt. Confer Heb.13.v.4. ubi conjugium approbatur in quovis hominum genere. Item 1.Tim.4.1.2.3. ubi interdictum conjugii refertur inter doctrinas dæmoniorum. Impiè verò ad conjugium retulit Papa Siricius verba illa Pauli, *Qui in carne sunt, placere Deo non possunt*, Rom.8.v.8. Nam *in carne esse*, ibi non significat, In conjugio esse: sed Esse in statu naturæ accepto per carnalem generationem, necdum esse renovatum per Spiritum S. ut liquet ex collatione versus sequentis.

Mariti officium. 2 Ex v.5. Officium mariti est, uxorem suam vehementer amare, eique cohabitare, nec non benevolentiam debitam reddere. Confer 1.Cor.7.v.3. Ephes.5.v.25.& deinceps.

Conjugium. 3 Ex v.6.&9. Conjugii vinculum indissolubile est(id est, nemini licet solvere vinculum conjugii, seu à conjuge discedere)nisi propter scortationem. Nec verò huic sententiæ Christi adversatur doctrina Pauli 1.Cor.7.v.15. ubi conjugium solvi tradit per desertionem. Quia Christus loquitur de illis tantùm divortii causis quæ tum apud Judæos erant in usu: quarum una erat licita, videl. scortatio, hoc est, si uxor cum alio viro concubuisset: reliquæ omnes illicitæ, inter quas tamen non erat desertio. Nam desertio, de qua Paulus loquitur, postea demum exorta est, idque ex diversitate religionis: deserebant enim nonnulli suas uxores, & contrà nonnullæ suos maritos, propterea quòd illæ istive recepissent religionem Christianam. Et sanè qui illam ob caussam conjuges deseruerunt, illos probabile est transivisse ad alteras nuptias: atque ita incidisse in adulterium: quum non discederent à conjugibus, quòd conjugio non egerent, sed tantùm odio religionis. Adhæc illud quoque vel inprimis considerandum, Christum loqui de divortio voluntario, quum scil. maritus ab uxore solvi vult propter illius scortationem: at Paulus loquitur de divortio involuntario, quum scil. vel maritus vel uxor à conjuge deseritur: cum quo tamen habitare vellet: aut certè non recusaret, si illi liberet.

Divortium. 4 Ex v.7.& 8. Non statim probat Deus quod permittit. Permisit Judæis dimittere uxores: sed dimissionem illam non probavit. Idem sentiendum de polygamia.

Legitima rerum constitutio. 5 Ex v.8. Legitima rerum constitutio æstimanda est è suo principio, id est, primâ Dei institutione. Sic Paulus correcturus vitia administrationis sacræ cænæ apud Corinthios, revocat eos ad primam illius institutionem, 1.Cor.11. Quare quum dicunt Papistæ: Hæc vel illa in administratione Baptismi vel Cænæ Dominicæ à sanctis Patribus instituta sunt: respondendum est, At à principio non fuit ita.

Divortium. 6 Ex v.9. Etiamsi à magistratu politico pro adultero non habeatur, qui extra causam scortationis aut desertionis ab illo impetravit matrimonii solutionem & novum contraxit: tamen adulter est coram Deo, ac proinde conscientiam eo pacto lædit.

Continentia donum. 7 Ex v.10.11.& 12. Continentiæ donum singulare & rarum est: quo qui prædìti non sunt, illis conjugium non solùm utile, sed etiam necessarium est: ut scil. tranquillâ uti possint conscientiâ. Confer 1.Cor.7. v.2.7.9. Peccant igitur monachi ac monachæ, voventes votum perpetui cælibatus: quum vel continentiæ donum jam non habeant; vel si habeant, ignorent quamdiu sint habituri. Peccant item dum votum illud servant, quantumvis urantur. Peccat etiam Papa cum suis, qui vota illa suadent, & solvi non patiuntur.

Cælibatus. 8 Ex v.12. Illi demum cælibatu rectè utuntur, qui eo utuntur ad promovendum regnum cælorum tum in seipsis tum in aliis. Id autem fit assiduâ meditatione verbi Dei, & aliorum ex illo institutione. Confer 1.Cor.7.32.& deinceps. Contrà abutuntur cælibatu, qui illum habent pro vitæ genere sanctiore, quódve Deo magis placeat quàm conjugium: item qui per illum mereri volunt gratiam vel sibi vel aliis: ut faciunt monachi & monachæ.

Refutatio sophismatum Bellarmini de continentia. 9 Ex eodem versu. Cavendi sunt tres errores quos Papistæ ex his verbis deducunt. Unus, quòd continentia sit verè meritoria gloriæ singularis, seu quòd non solùm conferat corporalem utilitatem, sed præmium seu mercedem habeat in cælo. Bellarminus de monachis cap.9.col.1532. B. & col.1534.A. & B. Alter error, quòd continentia rectè voveatur Deo, seu quòd votum continentiæ (intellige perpetuæ) Deo placeat. Bellarminus libro eod.cap.23.col.1594.D. Tertius error, quòd continentia posita sit in nostro arbitrio & potestate. Bellarm. lib. eod. cap. 31. col. 1626.A.& B. Primum errorem deducit Bellarminus his verbis: Quòd continentia non solùm conferat corporalem utilitatem, sed præmium habeat in cælo, patet ex illo: Sunt Eunuchi qui castraverunt se propter regnum cælorum. Item dicit regnum Dei proponi hic ut mercedem virginitatis. Respondeo: Errat Bellarminus ex falsa expositione. nam verba ista, Propter regnum cælorum, non rectè exponuntur sic, *Propter regnum cælorum promerendum*: hæc enim expositio adversatur gloriæ Christi, qui solus regnum cælorum nobis est promeritus: sed exponenda sunt, *Propter regnum cælorum expeditiùs promovendum*, tum in sese tum in aliis: id quod fit per continentem ac non impeditam meditationem sacrarum literarum: ut patet ex collatione doctrinæ Pauli 1.Cor.7.v.34.&35. Alterum errorem deducit Bellarminus his verbis: Alterum testimonium pro voto continentiæ est apud Matth.19. ubi Dominus quosdam esse dicit eunuchos, qui se castraverunt propter regnum cælorum Et addit cohortationem: Qui potest capere, capiat. Ipsa enim eunuchorum appellatio perspicuè indicat votum. Non enim est eunuchus, qui solùm continet, sed qui non potest non continere. Eunuchi autem de quibus hic agitur, non coguntur continere ex vitio naturæ; nam ab his eos Christus ipse sejunxit: neque coguntur lege aliqua communi: nulla enim lex est prohibens nuptias absolutè. Igitur id solum remanet, ut non possint ex lege particulari sponte assumta, id est, ex voto. Idem etiam colligitur ex illo verbo: *Qui se castraverunt*. nam si Dominus loqueretur de his, qui sine ullo voto cælibes vivunt, diceret: Qui se castrant quotidie; non, Qui se castraverunt. Quum igitur dixerit, *Qui se castraverunt*, significat, eos unicâ actione voluntariâ amputasse sibi omnem facultatem contrahendi nuptias. Respondeo: Iterum errat Bellarminus ex falsa expositione seu falsis glossis. Neque enim Christus eos qui continentiæ dono prædìti sunt, eunuchos appellat hoc sensu, quasi non possint non continere, sicut eunuchi propriè dicti: sed quòd se gerant tanquam eunuchi, quatenus à conjugio & omnino à concubitu se continent, licet id faciant sponte & liberè: non autem, ut illi, necessitate. Similiter quum dicit, *Qui se castraverunt*: non hoc vult dicere, qui continentiam perpetuam voverunt, sive futurum sit ut urantur, sive non(hæc n. expositio doctrinæ Domini repugnat, docentis non omnes cælibatus capaces esse, & proinde nonnullis conjugium esse necessarium)sed vult dicere, Qui sibi proposuerunt continentiæ dono uti, & in cælibatu vivere, quamdiu illud donum habuerint, hoc est, quamdiu bonâ conscientiâ ita vivere poterunt. Quod autem attinet ad illa verba, *Qui potest capere capiat*: continent illa quidem hortationem, sed non ad votum continentiæ, verùm ad continentiæ usum in illis qui possunt capere, h.e. qui dono continentiæ sunt prædìti. Tertium errorem sic deducit Bellarminus: Matth.19. illa verba, Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum cælorũ, apertè indicant arbitrii libertatem. Si n. continentia ita esset donum Dei, ut ab hominis electione non penderet: dicendũ fuisset, Sunt eunuchi qui sunt facti à Deo; non autem, Qui se castraverunt. Ideo enim de abscissis dicitur, Sunt enim eunuchi qui sunt facti ab hominibus: nõ autem, Qui se castraverunt: quia illa abscissio est opus alienum, non proprium. Secundò, Illa verba, Qui potest capere, capiat, cohortationem ad continentiam habent. At quis, rogo, sapiens hortaretur unquam ad id quod non est in potestate? Respondeo: Fallitur Bellarminus, dum quod à Domino dictũ est de certo hominum genere, videl. de iis, qui donum continentiæ à Deo acceperunt, ipse arripit tanquam dictum generaliter seu in universum de homine & naturali hominis potestate. At planum est ex ipsa cohærentia sententiarum, Dominum loqui de iis qui verbum hoc seu rem hanc(i.e. cælibatum)capiunt, seu quibus datum est ut possint castè in cælibatu vivere. Deinde, etsi quidam qui donum continentiæ habent, illo utuntur sponte & liberâ voluntate, quo sensu dicuntur sese ipsi castravisse: hinc tamen non sequitur, quod probare intendit Bellarminus, continentiam positam esse in nostro arbitrio & potestate: ita nimirum ut unusquisque nostrûm continere possit, si modò velit.

Quo loco illud quoque notandum, quomodo Bellarminus doctrinam veram de peculiari continentiæ dono quam nostri ex his Domini verbis deducunt, conetur labefactare. Igitur c.31. de Monachis, col.1630.D. Adversarii, inquit, contendunt, illud, Non omnes capiunt, hunc habere sensum: Non omnes sunt capaces continentiæ ab uxore: sed ii soli qui habent peculiare donum. Ex quo sequitur, ut qui non habent donum, verè non possint

continere. Colligunt verò hunc sensum, inquit, ex voce Græca χωρεῖν, quæ significat capacem esse. Contrà excipit Bellarminus, verbum χωρεῖν interdum significare capacitatem actualem seu voluntariam: ut qui aliquid non intelligit, quia non attendit, aut quia non est qui eum doceat: Item qui consilium aliquod non admittit, quia ab alio jam est persuasus ad aliud, is dicitur non capere illud consilium, non tamen non esse capax, sive non posse illud admittere si velit. Et in hac significatione, inquit, accipitur hoc loco: significat enim, non omnes intelligere practicè, id est, non admittere, non persuaderi, non approbare quod dictum est, Non expedit nubere. Hanc suam expositionem probat duabus rationibus. Prima est: Si capere hoc loco significaret, esse capacem: ineptè Dominus addidisset, Qui potest capere, capiat. His enim verbis adhortatur ad continentiam. At qualis adhortatio est, Qui potest esse capax, sit capax? Secunda ratio: Si de capacitate hîc ageretur, & vellet Dominus ostendere, non omnes esse capaces continentiæ, ac proinde illis necessarium esse nubere: ratio illa (sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, &c.) nihil planè ad rem faceret: imò contrarium potiùs probatur. Nam si dicas: Quidam continent vitio naturæ, ut frigidi: quidam alienâ crudelitate, ut ab hominibus castrati: quidam propriâ voluntate, ut qui propter Dei cultum cælibes vivunt. non igitur omnes possunt continere: certè non rectiùs colliges quàm si diceres: Quidam vi tracti currunt, alii currunt sponte: non igitur omnes possunt currere. At contrà rectissimè collegeris: Multi necessitate continent, multi voluntate: Igitur credibile est omnes continere posse si velint. Hæc Bellarminus.

Ad quæ respondeo: errare ipsum ex non observato duplici usu verbi *Capere* sive χωρεῖν in propositis Domini verbis: quippe quod in priore quidem dicto, *Non omnes capiunt verbum hoc*, notat potentiam: ut cùm dicitur Joh.2.v.6. *Positæ erant sex hydriæ*, capientes (χωροῦσαι) *singulæ amphoras binas vel ternas*. quo modo etiam accipitur verbum δέχεται, 1.Cor.2.v.14. ubi dicitur, *Animalis homo non capit*, οὐ δέχεται, *ea quæ sunt spiritus Dei*: id est, non est capax, seu non potest capere sive intelligere: sicut Apostolus ipse mox exponit, inquiens: καὶ οὐ δύναται γνῶναι, Et non potest cognoscere seu intelligere. At in altero dicto, *Qui potest capere capiat*: idem verbum notat actum: quasi dicatur: Qui per donum Dei potest capere cælibatum, id est, locũ dare cælibatui, seu vivere in cælibatu: is capiat, id est, illi suadeo ut in cælibatu vivat. Utramq; hanc expositionem confirmo. Prioris veritas evincitur ex cohærentia sententiarum atq; adeò ex scopo loquentis Domini, Etenim quum discipuli dixissent, *Non expedit contrahere matrimonium*, quod idem valet, ac si dixissent; Nemini expedit, Dominus eis contradicit his verbis: *Non omnes capiunt verbum hoc: sed quibus datum est*. Necesse est igitur ut hoc velit dicere, Imò nonnullis expedit matrimonium contrahere. Etenim enuntiato universali negativo contradicitur per affirmativum particulare. At hæc sententia non potest elici ex verbis à Domino pronuntiatis, nisi illa sic accipiantur, quasi diceret: Si verum esset quod vos dicitis, Nemini expedire ut contrahat matrimonium: tum oporteret omnes hujus rei (videlicet cælibatus) esse capaces, ita scil. ut possent in cælibatu vivere bonâ & tranquillâ conscientiâ, castè nimirum & absque ustione seu vexatione à flammis libidinis. At non omnes hujus rei capaces sunt: sed ii tantùm quibus id à Deo est datum, seu qui peculiare donum continentiæ à Deo acceperunt. Ergo non est verum quod vos dicitis, Nemini expedire ut matrimonium contrahat: quippe quum nonnullis non solùm expediat, sed etiam necessarium sit, nempe omnibus qui non habent donum continentiæ, ac proinde cælibatus non sunt capaces, seu ad illum non sunt idonei. Jam posterioris dicti allata à nobis expositio confirmatur partim è scopo loquentis, partim ex ipso loquendi modo. Nam quum Dominus ait, *Qui potest capere, capiat*: scopus ejus est, cælibatũ suadere illis qui sunt capaces. Non enim certè omnibus: sic enim sibiipsi contradiceret, ut qui paulò antè significarit, conjugium nonnullis esse necessarium. Suademus autem certas actiones. Ergo verbum *Capere* hîc notat actionem. Deinde idem liquet ex modo loquendi. ait enim: *Qui potest capere*; ubi potentiam agendi & actionem ipsam expresè inter se distinguit: verbo *Posse* intelligens illud Dei donum de quo antea dixerat, *Quibus datum est*: verbo autem *Capere* intelligens ipsum usum illius doni, hoc est, ipsam cælibem vitam. Sensus igitur est: Qui habet potentiam continendi, contineat. Nec verò absurdum videri debet, unam & eandem vocem in uno eodemque sermone in diversa significatione usurpari; quippe quum istud in libris sacris, & maximè in epistolis Pauli, satis frequens sit.* Nec diversa illa & duplex significatio, qua nunc potentia nunc actus notatur, naturæ vocis χωρεῖν repugnat: id quod ipse quoque Bellarminus agnoscit, licet istud verbum hoc loco non exponat de vero actu qui per ipsum significatur, nempe de ipso actu cælibatus. Nunc fonte erroris Bellarmini ostenso, facile est exceptiones illius refellere. Ac primùm falsò interpretatur verbum *Capere*, per Intelligere practicè seu approbare quod dictum est. Etenim illa expositio primùm est commentitia: quia Capere, χωρεῖν, nusquam usurpatur pro Approbare. Deinde confundit diversa: aliud enim est, Intelligere practicè; aliud, Approbare: quorum illud notat actionem mentis, istud verò voluntatis. Tertiò nihil facit illa sententia ad scopum Domini: qui est, ut monuimus, contradicere pronuntiato discipulorum. At si ista contradictio ex illa expositione deducatur, gignit falsam sententiam, ad hunc modum. Si verum esset quod dicitis, nemini expedire ut contrahat matrimonium: oporteret omnes hoc verbum (id est, hanc rem, videlicet cælibatum: vel si mavis, hanc sententiam, quòd non expediat contrahere matrimonium) approbare. At non omnes approbant. Ergo &c. Hîc connexum falsum est: quum possit sententia aliqua esse vera & res salutaris, etiamsi non ab omnibus approbetur. Jam ad rationes Bellarmini. Prior est: Si *Capere* hoc loco (nempe, *Non omnes capiunt verbũ hoc*) significaret, Esse capacem: ineptè Dominus addidisset, *Qui potest capere, capiat*. Nego consequentiam istius connexi: quia verbum *Capere* aliter accipitur in dicto posteriore quàm in priore: ut à me est demonstratum. Istud autem connexum tum demùm esset verum, si verbum *Capere* utrobique potentiam significaret: at potentiam significat in priore tantùm dicto, in altero verò actionem. Altera ratio: Si de capacitate hîc ageretur: ratio illa, *Sunt enim eunuchi, &c.* nihil planè ad rem faceret, imò contrarium potiùs probaret. Respondeo: Falsum est (quod hîc pro vero assumit ac præsupponit Bellarminus) verbis illis, *Sunt enim eunuchi, &c.* contineri rationem illius dicti, *Non omnes capiunt verbum hoc*. Etsi enim hæc sententia præcedenti annectitur per conjunctionem γὰρ, quæ est causalis: non tamen inde evincitur, hac sententiâ rationem præcedentis contineri: qua conjunctio illa interdum usurpatur in prolepsi, & refertur ad sententiam ex præcedente subintellectam. Id quod fit hoc loco. Quum enim dixisset Dominus, *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*: poterant cogitare discipuli, Suntne igitur aliqui quibus hoc est datum, ut castè possunt vivere in cælibatu? Ad hanc quæstionem non respondet expresè Dominus: sed tamen tanquam ad eam respondisset, idq; affirmando: ita deinceps affirmationem illam tacitam, id est, subintellectam, probat, inquiens, *Sunt enim eunuchi, &c.* Id est: Sunt enim eunuchi quidam, qui seipsi castraverunt propter regnum Dei: hoc est, qui sibi proposuerunt in cælibatu more eunuchorum vivere, ut possint expeditiùs promovere regnum Dei tum in seipsis tum in aliis: id quod nunquam fecissent, nisi sensissent sibi à Deo esse datum, ut capaces sint cælibatus, id est, ut castè in cælibatu possint vivere. Quam sententiam Dominus amplificat & illustrat antithesi disparatorum, instituens eunuchorum distributionem. Ratio autem (ut patet) sumta est ab effectu: & nititur hac hypothesi, quòd illi de quibus loquitur, sint viri pii; quippe qui propter regnum Dei in cælibatu vivere constituerint. Alioquin enim non sequitur: Ille sibi proposuit vivere in cælibatu: Ergo datum est illi ut sic vivat, seu donum continentiæ habet. Quid? quòd ipsa expositio Bellarmini non admittit, ut dicatur verbis illis contineri præcedentium rationem? Etenim illud, *Non omnes capiunt verbum hoc*: exponit sic, Non omnes approbant quod dictum est, Non expedit nubere. Jam addatur tanquam ratio: Sunt enim eunuchi qui sic nati sunt: & sunt qui castrati sunt: & sunt qui seipsi castraverunt propter regnum Dei. Quomodo, quæso, ista ratio cum sententia probanda cohæret? Quæ est enim ratio consequentiæ, si quis dicat: Tria sunt genera eunuchorum: Ergo non omnes approbant cælibatum? Imò si mille essent genera eunuchorum: id tamen non obstaret quò minùs omnes possent approbare cælibatum: atque adeò quò plures essent eunuchi, eò plures causam haberent cælibatum approbandi; quum qui propriè loquendo eunuchi sunt, ad conjugium sint inepti: qui verò per metaphoram sic appellantur propter continentiæ donum & usum, causam justam habeant conjugii omittendi, licet ad illud sint apti.

Sed pergit Bellarminus, & verba illa, *Qui potest capere, capiat*, duobus modis exponi posse dicit. Primò, ut loquatur Dominus de potentia proxima: quam non habent nisi illi quibus jam Dominus inspiravit desiderium efficax continendi: ut sensus sit, Qui potest capere, capiat, id est, Qui Dei dono sentiunt sibi intus persuaderi, ut contineant, approbent verbum hoc. Et paulò pòst: Sed non debet hinc deduci, Ergo non omnes possunt continere. Nam etiamsi non omnes habent potentiam proximam: tamen habent remotam, & possunt, si velint, precibus impetrare potentiam proximam, id est, vires ad continendum: sicut de fide dicitur Joh.6. Nemo potest ad me venire, nisi pater traxerit eum. Addi enim potest, Qui potest venire, veniat: id est, qui trahitur, veniat; qui autem non trahitur, oret ut trahatur. Col.1632. Respondeo primùm: Hæc expositio est falsa: quia confundit diversa, videl. potentiam continendi & desiderium continendi; quippe illam per hoc exponens; quum tamen esse in aliquo possit desiderium continendi, in quo non sit continendi potentia. Si excipiat Bellarminus, se loqui non de quovis desiderio, sed de desiderio efficaci; ne sic quidem consistet ejus expositio. nam desiderium efficax non est ipsa potentia, sed potentiæ in actum deductio. Deinde sibi non constat. Exponit enim, *Qui potest capere*, id est, Qui habet desiderium efficax continendi. Ergo nunc verbum *Capere* exponit per *Continere*, ac proinde illud refert ad actum cælibatus. At antea contendebat, verbum illud hoc loco idem significare quod *Approbare*. Atque adeò mox verbum *Capiat*, exponit per verbum *Approbet*. At aliud est, continen-

* Exemplũ vide in vocabulo *Panis*, 1.Cor. 10.v.16.& 17.

tiam

tiam cælibatúmve approbare, aliud verò Continere & cælibatum reipsâ capere. Adhæc falsum est, omnes habere potentiam continendi remotam; ac proinde si velint, posse impetrare precibus potentiam proximam. Etenim potentia remota non habet locum nisi in potentiis naturalibus, id est, quæ homini insunt per naturam, ut in infante est potentia remota ratiocinandi: quia ita natus est, ut possit suo tempore adipisci potentiam proximam, videl. in annis discretionis. At potentia continendi non est naturalis, sed θεόσδοτον: ut hoc loco docet Dominus, ubi ait, Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, nempe à Deo. Quòd si esset naturalis, inesset universo generi hominum; cui tamen, teste Domino, non inest. At possunt qui volunt, donum illud impetrare à Deo precibus? Ego verò istud nego ita universaliter intellectum. Nemo enim quicquam precibus à Deo impetrat, nisi oret secundùm ejus voluntatem. At voluntas Dei non est ut omnes habeant donum continentiæ: sed ut aliqui non habeant. Secus frustra diceret Apostolus 1. Cor. 7. Velim omnes esse, sicut & ego sum: sed unusquisque donum accepit à Deo: unus quidem sic, alius verò sic. Donum igitur continentiæ non poterunt à Deo impetrare nisi illi quibus Deus constituit illud dare: de quo quum nemini constet, quicunq; illud à Deo petent, necesse est ut rem hanc voluntati Dei permittant; sique obtinere illud donum non possint, remedio conjugii contra incontinentiam utantur, sicut Deus omnibus absq; exceptione præcepit. Jam quod ad locum Joh. 6. attinet, *Nemo potest venire &c.* comparatio illius nihil juvat Bellarmini propositum, sed potiùs evertit. Significat enim Dominus illis verbis, Fidem non esse in arbitrio ac potestate hominis; sed esse speciale donum Dei. Itaque si illud dictum simile est præsenti, ut tanquam simile à Bellarmino affertur: sequitur, idem hoc loco doceri de continentia. Nec verò ex eo quòd licet hortari omnes ad fidem, sequitur, eam esse in hominis potestate: sed tantùm sequitur, eam pertinere ad hominis officium. Similiter ex eo quòd licet omnes hortari ad orandum pro fide impetranda: non sequitur, hominem fide adhuc carentem rectè orare posse, ac proinde fidem impetrare: sed tantùm sequitur, hoc esse hominis officium ut Deum pro fide impetranda oret. Cæterùm talis hortatio dissimilis est præsenti. Etenim Dominus hoc loco ad continentiam hortatur nón omnes omnino homines, sed tantùm eos omnes qui possunt capere, id est, qui dono continentiæ sunt præditi.

Sed audiamus nunc alteram expositionem illorum verborum, *Qui potest capere, capiat.* Illam proponit Bellarminus his verbis: Secundò, inquit, dici potest, hunc locum habere eundem sensum cum illo Matth. 13. Qui habet aures audiendi, audiat. Non enim vult Dominus dicere, non omnes habere aures: sed monet omnes ut utantur facultate quam habent. Quomodo solemus dicere, Qui habet oculos, videat: qui habet mentem, judicet. Sic igitur & hoc loco Dominus dicit: Qui potest capere, capiat, i. e. Qui habet mentem & judicium sanum, intelligat, judicet, approbet verbum hoc quod dictum est, Non expedit nubere? Respondeo. Expositio hæc non solùm falsa, sed etiam impossibilis est, atque adeo seipsam evertit. Falsa est; quia verbum *Capere* hoc loco significat Capere cælibatum, id est, vivere cælibem: ut suprà demonstravimus. Non igitur significat idem quod Intelligere, vel Approbare. Deinde impossibilis est: quia impossibile est, ut unum & idem verbum in una eademque sententia significet res diversas: nisi quum altera alterius est typus. at Intelligere & Approbare (per quæ ambo verbum *Capere* hic exponitur) sunt res diversæ: altera enim est actio mentis, altera voluntatis: quarum neutra alterius typus est. Porrò expositio loci Matthæi decimotertio, quæ huc tanquam similis accommodatur, partim est otiosa, partim falsa. Otiosa, quatenus ait, Dominum non velle dicere, non omnes habere aures. Sed quorsum hoc? At, inquam, vult dicere, non omnes habere aures ad audiendum: i. e. tales aures quæ idoneæ sint ad audiendum, & tale cor quod idoneum sit ad obediendum. Innuit enim esse nonnullos quibus Deus dedit spiritum soporis, oculos ut non videant, aures ut non audiant: ut habetur Esa. 29. & Rom. 11. Et pari ratione quum dicit, Qui potest capere, capiat: significat, non omnes posse capere, id est, castè vivere in cælibatu. Falsa autem est ista expositio, quatenus ait, Dominum monere omnes ut utantur facultate quam habent. Imò, inquam, non hortatur omnes, sed tantùm eos qui habent aures ad audiendum, id est, qui ex singulari dono Dei facultatem obediendi acceperunt. hanc enim facultatem non omnes habent: quum nonnullis datus sit spiritus soporis, ut modò ostensum est.

(Col. 1632. B.)

10 Ex v. 13. & 14. Pii suos liberos Christo offerre debent, ejusq; benedictionem illis expetere: id quod hodie inprimis fieri datur per sacrum Baptismum & institutionem Catecheticam. (*Pædobaptismus. Catechismus.*)

11 Ex v. 14. ex verbis, *Talium est enim regnum cælorum.* Non rectè quidam ex his verbis colligunt & pro certo affirmant, infantes credentium præditos esse fide. Etenim sermo hic non est de infantibus, sed de pueris qui capaces erant institutionis: quippe quum de illis dicatur, quòd Christus eos advocârit, Luc. 18. 16. quodq; ad illum venerint. Nec contrarium evinci potest ex verbo ἐναγκαλισάμενος, quo utitur Marcus cap. 10. v. 16. nam illud refertur etiam ad adultum quem quis amplexatur. Ut Marc. 9. v. 36. dicitur Christus ἐναγκαλισάμενος puerulum quem statuerat in medium, & de quali non scandalizando ibidem monet. Nec etiam ex nomine βρέφη, quo usus est Lucas cap. 18. v. 15. nam illud nomen usurpatur etiam ad significandum puerum doctrinæ capacem, ut patet ex 2. Tim. 3. ubi Apostolus ait ad Timotheum, quòd sacras literas noverit ἀπὸ βρέφους, id est, à puero. Nec denique verbo προσφέρεσθαι: quippe quod non de iis solùm dicitur qui portantur vel gestantur: sed etiam de iis qui ducuntur & ipsi ambulant: ut videre est suprà cap. 12. v. 22. ubi Domino oblatus fuisse dicitur dæmoniacus cæcus & mutus. Item cap. 17. v. 16. ubi pater pueri lunatici ait Domino, se illum obtulisse discipulis ejus. Deinde etiamsi ponatur, sermonem hîc de infantibus esse: tamen non potest hinc certò concludi, illos præditos esse fide. Etenim infantium potest esse regnum cælorum, etiamsi non credant: dummodò sint electi. Fides enim in Scriptura nusquam requiritur nisi ab adultis, ut qui capaces sint auditus, per quem datur fides, Rom. 10. v. 17. Heb. 11. v. 6. Nec contrarium probari potest per id quod accidit Johanni Baptistæ: qui in utero matris saliit exsultans, quum illa salutaretur à matre Domini, Luc. 1. v. 44. Etenim casus ille fuit miraculosus & singularis atque extraordinarius. Itaque non potest inde statui regula seu sententia universalis. (*An infantes credentium præditi sint fide.*)

12 Ex v. 15. De impositione manuum quæri potest, an adhuc in Ecclesia aliquem habeat locum? Respondeo: Habet, videl. in ordinatione pastorum Ecclesiæ: sed liberum. Etenim Apostoli aliique primi Ecclesiæ Christianæ gubernatores in pastoribus ordinandis cærimoniam istam adhibuerunt, ut patet in exemplo Timothæi: qui ad prædicandum Evangelium ordinatus est per impositionem manuum presbyterii & Pauli, 1. Tim. 4. v. 14. & 2. Tim. 1. v. 6. Item in exemplo ipsius Pauli & Barnabæ, quos ad prædicandum Evangelium in Græcia per manuum impositionem ordinarunt prophetæ & doctores Ecclesiæ Antiochenæ, Actor. 13. v. 3. Veruntamen nullum (quod sciam) de ista cærimonia præceptum exstat. Nisi pro præcepto habeatur id quod habetur 1. Tim. 5. v. 22. *Manus citò ne cui imponito*; quasi dicat, Imponito quidem manus iis quos voles ordinare ad sacrum ministerium: sed caveto ne id agas citò, id est, temere, ita videlicet ut manus imponas iis quos judicaveris indignos, in gratiam aliorum. Veruntamen illa verba non videntur necessariò sic accipienda: ut quæ possint accipi sic: Si quem ad ministerium ordinare voles per manuum impositionem, prout ille ordinationis ritus jam est in Ecclesiâ receptus: cave ne id facias in aliquo quem judicaveris indignum. Simul hîc notandum, fluxisse hunc ritum ab Hebræis: qui eo solebant uti tum in precibus & benedictionibus privatis, ut videre est in exemplo Jacobi patriarchæ, benedicentis duobus filiis Josephi, Genes. 48. & hîc in exemplo Christi benedicentis pueris ad se adductis: tum in publicis ac solennibus victimarum consecrationibus, ut videre est in Levitico c. 1. v. 4. & alibi passim. (*Impositio manuum an hodie in Ecclesia habeat locum?*)

13 Ex v. 7. Quæstio hic oritur, an liceat quenquam hominem appellare bonum. Nam quòd non liceat, videtur colligi posse ex verbis Christi, *Cur me dicis bonum?* quibus adolescentem istum reprehendit, quòd ipsum appellasset bonum: quem tamen pro nudo homine habebat. Contrà verò quòd liceat, patet in exemplo Pauli qui in epistolis suis, quas citra controversiam instinctu Spiritus sancti scripsit, fideles ad quos scribit, appellare solet sanctos: quod nomen nomini Boni æquipollet, vel potiùs eo excellentius atq; augustius videtur. Imò quòd non solùm liceat, sed etiam fieri debeat, colligitur ex præcepto Apostoli, Rom. 12. v. 10. *Honore alii aliis præeuntes.* Honoris autem non minima pars est honorifica appellatio, qua alicui tribuitur virtus qua est præditus. Sed pro altera sententia militare videtur dictum Christi hoc loco, *Nemo est bonus nisi unus, nempe Deus.* nam si solus Deus bonus est: sequitur, nullum hominem esse bonum, ac proinde nec bonum appellandum. Respondeo: Licet appellare bonum & sanctum illum hominem quem talem esse facta ipsius ostendunt: & hoc patet ex argumentis allatis: dummodo id fiat recto animo, id est, cum agnitione gratiæ Dei & infirmitatis humanæ, nec non sincerè & citra adulationem aut simulationem. Quibus nominibus Christus adolescentem illum reprehendit: non autem propterea quòd planè non liceat quenquam hominem appellare bonum. Etenim iste adolescens videbatur sibi bonus & sanctus à se ipso, idq; perfectè: ut qui ex propriis viribus omnia mandata Legis observasset: & hoc sensu Jesum quoque, quem tamen pro nudo & vulgari homine habebat, appellaverat bonum. at solus Deus à se ipso & perfectè bonus est. Deinde non prorsus sincerè, nec citra adulationem Jesum appellaverat doctorem bonum. nam si verè talem agnovisset: statuisset cum à Deo esse missum, ac proinde ipsius præceptis obedire paratus fuisset. at istud non fecit: sed audito præcepto de bonis suis vendendis & in pauperes erogandis, ac Jesu sequendo, contristatus abiit. (*An liceat quenquam hominem appellare bonum.*)

14 Ex eod. v. ex verbis: *Si vis ad vitā ingredi, serva mandata.* Cavendum ne his verbis abutamur ad stabiliendum dogma Papistarum, quo tradunt, nos posse vitam æternam consequi per observationem mandatorum Dei. Scribit enim Bellarminus lib. de Monachis c. 9. col. 1536. D. Dominum his verbis indicavisse, servare mandata esse medium ad vitam æternam omnibus hominibus. Quæ verba si ab ipso intelligerentur de sola præscripti- (*Refutatio sophismatum Bellarmini de observatione legis.*)

one medii divina: non autem etiam de facultate illius observandi humana: verum diceret. At ipse intelligit de facultate observandi humana. Nam in eodem libro c.13.col.1557.D. quum recitasset objectionem nostrorum contra opera supererogationis, hanc: In opere nostro semper aliquid deest, ergo nunquam implemus Legem: Ergo multò minus possumus facere opera supererogationis: respondet, negandum esse antecedens. Nam, inquit, si nullo modo Legem servare possemus: mentiretur Johannes, cùm ait: Et mandata ejus gravia non sunt, 1.Joh.5.& Dominus, cùm ait Matth.19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: juvenem illum non docuisset, sed delusisset: ac si dixisset, Si vis in cælum ascendere, fac tibi remigium alarum & vola per aërem; imò sequeretur, hominem nunquam peccare: non enim peccat qui non facit quod non potest: & Deus esset omni tyranno iniquior & crudelior: quippe qui tributum peteret quod nemo posset solvere, & hoc ab amicis suis peteret. Hæc Bellarminus: unde apparet illum statuere, Dominum istis verbis præscribere homini medium ad vitam æternam possibile. Sed ut ad argumentationem istam respondeamus: observandum primò, Bellarminum sophisticè deflectere à quæstione, seu immutare controversiæ statum, ubi ait, *Si nullo modo, &c.* Neque enim nos dicimus, nos nullo modo Legem servare posse: neq; id dicitur in antecedente objectionis à Bellarmino recitatę. Sed dicitur, *in opere nostro semper aliquid deesse, ac proinde nos nunquam legem implere*, scil. perfectè. Cæterùm Bellarminum, licet hoc loco sophisticè à quæstione deflectat: tamen verba Christi proposita intelligere de observatione Legis perfecta, patet ex ipsius verbis in eodem libro cap.eod.col.1534.D. ubi ait, *Dominũ illis verbis ostendisse, mandatorum observationem sufficere ad salutem.* at certum est non sufficere nisi observationem perfectam. Quare statuendum, argumentationẽ Bellarmini recitatam, hoc velle conclusum: quòd possimus Legem Dei servare perfectè: aut si hoc non vult, eum non obtinere id quod affirmat, nempe hìc ostendi, observationẽ mandatorum sufficere ad salutem. Nunc pergo: & nego, absurda illa, quæ Bellarminus recitat, ex nostra sententia sequi. Primum est: Si non possemus Legem servare perfectè: mentiretur Johannes, cùm ait, Mandata ejus gravia non sunt. Nego consequentiam: quia Johannes non loquitur de observatione perfecta, sed de inchoata, veruntamen seria ac sincera quam regenerati facilè ac libenter præstant. Secundum: Si Legem non possemus servare perfectè, ita scilicet ut per hanc observationem consequeremur vitam æternam: Dominus cùm ait Matth.19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: juvenem illum nõ docuisset, sed delusisset, ac si dixisset, Si vis in cælum ascendere, fac tibi remigium alarum & vola per aërem. Nego consequentiam: quia etiamsi non possimus perfectè Legem servare, imò si nullo modo servare eam possemus: tamen Dominus illis verbis juvenem istum docuit, nec delusit. Docuit enim, quam viam Deus homini præscripserit per quam in cælum venturus sit, si per eam ambulet: etsi interim non docuerit, nec docere voluerit, quòd homo per viam illam ambulare, id est, mandata Dei perfectè servare possit. Deinde etsi viam impossibilem illi juveni Dominus ostendit: non tamen eum delusit: quia hoc egit ut illum ad agnitionem propriæ impotentiæ adduceret, atq; ita adigeret ad petendum viam illam quæ esset possibilis: videlicet ad expetendum & percipiendum gratiam Dei remittentis peccata, & vitam æternam donantis credentibus in Christum: quam viam ostendit vox Evangelii, passim à Christo proposita.

Dilectio proximi. 15 Ex v.18.& 19. Christus volens juvenem illum adducere in cognitionem transgressionum suarum & impotentiæ observandi Legem Dei, solius secundæ tabulæ mandata consideranda illi proponit: quo significat, dilectionem proximi de qua præcipit tabula secunda, à dilectione Dei, de qua præcipit tabula prima, ita pendere, tanquam effectum scil. à causa, ut qui hanc non habet, etiam illâ vacuus esse intelligatur. Quod ipsum expressè tradit Johannes 1.Joh.4.v.20. ubi ait: *Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit: mendax est. Qui enim non diligit fratrẽ suum quem vidit: Deum quem non vidit, quomodo potest diligere?* Falluntur ergo qui se pios ac Dei dilectione præditos esse sibi persuadent, quum interim proximum oderint.

Lex Dei. Hominis corrupta natura. 16 Ex v.20. Exemplo istius juvenis monemur, neminem sine Spiritu S. intelligere vel mentem Legis Dei, vel suam impotentiam in illa observanda. Apparet enim ex ista gloriatione, illum neutrum istorum intellexisse. quippe ait, se observasse illa omnia: quia nimirum observaverat, aut saltem observasse se putabat, externè: ita scil. ut neminem occiderit manu, cum nullius uxore concubuerit, nullius bona furto abstulerit, nullum coram judice falsum testimonium dixerit. At hæc ad observationem illorum præceptorum non sufficiunt: sed præterea requiritur ut cor vacuum sit ab omni istorum scelerum perpetrandorum cupiditate seu prava concupiscentia: sicut docet Christus Matth.5. Deinde vehementissimè errat, si putat se dilexisse proximũ sicut seipsum. Neq; enim illi tantæ opes relictæ fuissent, si pauperes obvios dilexisset ut seipsum, ac proinde ex suis opibus tantum eis erogasset ne quid ipsis deesset. Denique si suam in lege observanda impotentiam agnovisset: nunquam sibi persuasisset, se vel proximum dilexisse ut seipsum, vel Deum ex toto corde & omnibus viribus: quum id impossibile sibi esse agnoscere cogantur, quotquot serio in sese descendunt, suasque vires examinant.

17 Ex vers.21. Vindicandus est hic locus à quatuor erroribus quos Papistæ per falsam expositionem hinc deducunt. Unus error est, quòd hìc proponatur consilium perfectionis (id est, operis boni à Christo non imperati, sed demonstrati: non mandati, sed commendati: ut definit Bellarminus de Monachis col.1528. C.) & quidem consilium generale seu omnibus Christianis propositum. Secundus error, quòd dare omnia pauperibus, mereatur insigne præmium Tertius, quòd paupertas voluntaria rectè à Deo voveatur. Quartus, quòd hìc proponatur consilium de obedientia, commune omnibus iis qui volunt esse perfecti. Ac primùm quòd hìc non detur præceptum, sed consilium: probat Bellarminus lib. de Monachis cap.9. quatuor argumentis: quorum primum proponit col.1534.D. his verbis: Quòd hìc non detur præceptum, sed consilium, patet ex ipsa consequentia verborum. Nam interroganti, Quid faciam ut salvus fiam? Dominus respondit, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. ubi ostendit, mandatorum observationem sufficere ad salutem. ac deinde subjungit: Si vis perfectus esse: id est, si non es contentus vitâ æternâ, sed aspiras ad excellentem gradum in ipsa vita æterna: Vade, vende omnia. *Refutatio sophismatũ Bellarmini de consilio perfectionis.* Antequam ad hoc argumentum respondeam, priùs moneo, nihil esse incommodi, sive dicamus his verbis contineri consilium, sive preceptum: dummodo hoc teneamus, illud sive consilium sive præceptum esse speciale, seu datum certæ personæ, videl. isti adolescenti: ut in progressu disputationis liquebit. Hinc autem non potest concludi quod deducit Bellarminus, videl. dari hìc consilium omnibus. Etenim causa cur hoc sive consilium sive præceptum isti adolescenti Dominus daret, ad illum solum spectabat, videlicet ut eum convinceret gravissimi sui erroris & falsæ gloriationis: quippe qui sibi persuaserat gloriatusque fuerat, se observasse totam Dei legem. nam certè si observasset, ut gloriatus erat, mandata illa tabulæ secundæ: observasset quoque mandata tabulæ primæ, atque ita totam Legem: quum (ut paulo antè ostendimus) dilectio proximi quæ in secunda tabula præcipitur, à dilectione Dei quæ præcipitur in tabula prima, ita dependeat ut sine illa constare non possit. Hujus igitur gloriationis falsitatem ostendere voluit Dominus, dum illi vel præcepit vel certè consuluit id facere, quod sciebat eum non facturum: quum tamen id tale esset, ut si non faceret, hoc ipso ostenderet, se Deum non diligere ex toto corde, ac proinde non observasse totam Legem: quippe quum recusaret facere id quod ei præcipiebat vel consulebat doctor, quem ipsemet professus fuerat esse bonum, ac proinde fideliter nomine Dei præcipere ac suadere hominibus quę ipsis essent salutaria. Quum igitur istius sive præcepti sive consilii ratio ad illum adolescentem propriè pertinuerit: patet non posse hinc deduci regulam universalem, quasi scil. istud dictum sit omnibus. Nunc consideremus argumentum Bellarmini. Vis ejus videtur hoc syllogismo declarari posse.

Præcepta dantur de rebus necessariis ad salutem.
At paupertas voluntaria non est necessaria ad salutem.
Ergo de paupertate voluntaria non datur præceptum.

Assumtionem probat ex consequentia sententiarum in sermone DOMINI; quippe qui ubi ostendisset, mandatorum observationem sufficere ad salutem, deinde subjungit sententiam de paupertate voluntaria, videlicet tanquam de re diversa ab illis quæ requiruntur ad salutem seu vitam æternam consequendam: quippe utili ad consequendum excellentem in vita æterna gradum. Respondeo: Probatione ista assumtionis non fuit opus: nam assumtionem nemo orthodoxorum negaverit: sed opus fuit probatione propositionis, quam nullam Bellarminus affert. Etenim illa universaliter intellecta est falsa: quum præcepta etiam dentur de rebus non necessariis ad salutem, quale fuit præceptum datum Abrahamo de sacrificando filio. Quòd si propositio illa accipiatur particulariter, parit ἀσυλλογισίαν secundæ figuræ. Deinde observetur falsa expositio verborum, *Si vis perfectus esse.* Id est, interprete Bellarmino: Si vis habere excellentem gradum in vita æterna. At ex consequentia verborum sive cohærentia sententiarum, ac proinde ex causa dicendi, manifestum est, nomine *perfectionis* hìc non intelligi perfectionem gloriæ futuræ in altera vita, sed perfectionem justitiæ habendæ in hac vita. Quum enim dixisset adolescens ille, *Omnia hæc observavi à juventute mea: quo adhuc deficior? Seu, quid adhuc mihi deest?* Respondit ei Jesus, *Si vis perfectus esse, &c.* Planum est autem, adolescentem interrogasse quid sibi desit ad perfectionem justitiæ, seu quo minùs sit perfectus in justitia. Ergo de hac ipsa perfectione Jesus respondit: nisi quis dicere velit illum de cepis (ut in proverbio est) interrogatum, respondisse de alliis: id quod de tanto doctore dicere blasphemum est. Quid? quòd ipse Bellarminus nomen *perfectionis* postea in hunc sensum exponit: Etenim col.1537.D. Desertio ipsa, inquit, omnium rerum potest dici perfectio sive opus perfectionis, quia includit gradum quendam eximium caritatis: Et de hac etiam potest intelligi verbum Domini, ut sensus sit, Si vis esse perfectus, vende omnia: nam hinc apparebit, te habere perfectam caritatem. Et sanè hic est sensus: ac proinde alter ille sensus est commentitius. Atque hæc ad primum Bellarmini argumentum.

Secundum

„ Secundum argumentum proponit his verbis, col. 1534. D.
„ Præterea si hoc esset præceptum: certè esset præceptum carita-
„ tis. At non est. Nam caritas non requirit, nisi ut diligamus proxi-
„ mum sicut nos ipsos: Ergo non requirit, ut demus omnia no-
„ stra proximis & nobis nihil servemus: sed satisfacimus ei præ-
„ cepto, si partem demus, partem retineamus. Resp. Primùm, Nego connexum: quia præceptum hoc potest esse, atque etiam est, caritatis non solum erga proximum, sed etiam erga Deum. id quod manifestum est ex ipsis Domini verbis. non enim solùm præcipit ut omnia sua vendat & pauperibus det, sed etiam ut se sequatur, videlicet ut discipulus præceptorem: ac proinde relictio illa possessionum ideo ei præcipitur ut sit expeditior ad promovendum regnum Dei: videlicet ut primùm de illo erudiatur in schola Christi, deinde illud ex ipsius mandato aliis prædicet. Deinde falsa est assumtio. Etsi enim non præcipitur hic caritas erga proximum more communi: tamen præcipitur modo speciali. Quid? quòd Bellarminus vocabulum *Perfectionis* postea ipsemet exponit de perfecta caritate: sicut in solutione superioris argumenti ostendimus. At quis negare ausit, in Lege præcipi perfectam caritatem?

„ Tertium argumentum proponit his verbis, col. 1536. A. Do-
„ minum hic non præcipere, sed consulere, rursus probari potest.
„ nam non dixit absolutè, Vende omnia: sed sub conditione, Si
„ vis perfectus esse. Respondeo. Nec dixit absolutè, Serva mandata: sed sub conditione, Si vis ad vitam ingredi. Num igitur Bellarminus hinc colliget, illis Domini verbis non contineri præceptum?

Quartum argumentum proponit his verbis, col. ead. C. Si
„ hæc perfectio esset præcepti: certè tenerentur omnes Christiani
„ vendere omnia sua: nam ad præcepta omnia omnes tenentur. Respondeo: Falsum est connexum, & falsa ejus ratio. Nam sunt præcepta quædam certis personis propriè data, ut illud datum Abrahamo de filio immolando, item de emigrando ex patria, Ur Chaldæorum, & id genus alia. Ad talia præcepta non tenentur omnes: sed tantùm illi quibus data sunt. Et tale fuit hoc quoque præceptum: ut rectè Martyr, Bellarmino referente, respondet.

Deinceps sequuntur argumenta Bellarmini, quòd consilium istud datum sit omnibus.

„ At contra istam responsionem sic excipit Bellarm. Sicut cùm
„ Dominus ait, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: indicavit,
„ Servare mandata, esse medium ad vitam æternam omnibus ho-
„ minibus: Sic etiam cùm ait, Si vis esse perfectus, vende omnia:
„ indicavit, Vendere omnia, esse medium ad perfectionem omni-
„ bus hominibus, & non solùm illi adolescenti. Atq; hoc primum argumentum est, quo probare conatur, consilium hoc datum esse omnibus. Respondeo: Si Bellarminus in similitudinis istius protasi quæ constituit enthymematis antecedens, intelligit medium possibile, falsum affirmat: quia Dominus illis verbis ostendit adolescenti medium impossibile, ut eum ad quærendum possibile adigeret: sicut suprà pleniùs exposuimus. Deinde similis modus loquendi non est satis ad demonstrandum, utriusque sententiæ parem esse rationem. Alioquin fatendum erit Bellarmino, sicut prioribus verbis continetur præceptum, sic contineri etiam posterioribus: quod tamen ipse totis viribus impugnat. Deniq; posteriora illa verba propriè pertinere ad istum adolescentem, suprà demonstravimus. Sed contrà rursum exci-
„ pit Bellarminus col. 1539. C. Non dixit Christus illa verba adole-
„ scenti quomodocunque, sed cum conditione, si vellet esse per-
„ fectus: Ergo consilium illi datum, omnibus fidelibus qui vo-
„ lunt esse perfecti, datur: juxta illud Marc. 13. Quod vobis dico,
„ omnibus dico: vigilate.

Duo hic continentur argumenta. Prius argumentum sic concluditur.

Si omnibus fidelibus communis est conditio huic adolescenti proposita, iisdem commune est ipsum consilium eidem datū.

Atqui omnibus fidelibus communis est conditio. Omnibus enim licet ut velint esse perfecti.

Ergo & consilium omnibus commune est.

Resp. Nego propositionem, & inconsequentiam illius connexi ostendo hoc simili exemplo: Esto pater qui dicat filio, Si diligenter studueris ac probè te gesseris, emam tibi novum pallium. Jam ista conditio aliis pueris est communis. nam & alii pueri possunt diligenter studere & probè se gerere. Attamen non propterea communis illis est illa patris promissio quam fecit suo filio. Itaq; falsum erit hoc connexum: Si conditio isti puero proposita, communis est aliis pueris: ergo & promissio eidem facta, aliis pueris communis est. Posterius argumentū sic concluditur.

Si, quæ Christus Marc. 13. dixit discipulis, omnibus dixit: ergo etiam quæ hic dixit isti adolescenti, omnibus dixit.

Sed verum est prius. Ergo & posterius.

Nego connexum: quia non est par utriusque dicti ratio. Etenim Marc. 13. Christus proponit doctrinam omnibus Christianis necessariam, videl. de vigilantia & solicitudine piè vivendi, ne ipsos incautos opprimat dies ille Domini: at hic proponit admonitionem isti adolescenti propriè accommodatam ad convincendum eum erroris, quo sibi persuadebat, se observasse omnia Dei mandata.

Sed pergit sententiam suam confirmare Bellarminus his ver-
„ bis col. 1539. C. Præterea, inquit, quæ Christus alicui dixit ut
„ principi, accipiuntur dicta omnibus principibus: ut, Pasce oves meas, Joh. 21. Ergo etiam quæ dixit uni ut privatæ personæ, intelliguntur dicta omnibus privatis personis.

Hoc argumentum ut rectiùs possit judicari, resolvendum est in syllogismos. Syllogismi duo sunt: principalis hic:

Si Dominus ista verba dixit illi adolescenti ut persona privata: intelliguntur dicta omnibus privatis personis.

Atqui dixit illi ut privatæ personæ. Ergo &c.

Prosyllogismus ad confirmandum propositionem, iste est.

Si, quæ Christus alicui dixit ut principi, accipiuntur dicta omnibus principibus: ergo etiam quæ dixit alicui ut personæ privatæ, intelliguntur dicta omnibus privatis personis.

Sed verum est antecedens. Ergo & consequens.

Antecedens illustrat exemplo dicti ad Petrum, Joh. 21. Pasce oves meas.

Respondeo, Primùm nego propositionem syllogismi principalis: quia Dominus multa dixit multis, ut personis privatis, quæ tamen non intelligitur dixisse omnibus. Matth. 8. v. 22. dixit cuidam ex discipulis, *Sequere me, & sine ut mortui sepeliant mortuos suos*: at istud ipsum non intelligitur dixisse discipulis omnibus. Imò verò alteri cuidam sese ad sequendum offerenti dixit verba talia quibus illum à sequendo deterruit, ibid. v. 20. Item Joh. ult. v. 18. dixit Petro ut confessori, *Quum senueris, extendes manus tuas: & alius te cinget, & transferet quò noles*. At hoc ipsum non intelligitur dixisse confessoribus omnibus, Imò ibidem interrogatus à Petro de Johanne, non dixit, idem ei eventurū: sed potiùs ea dixit, unde fratres colligebant contrarium, videlicet illum non moriturum, ibid. v. 22. & 23. Deinde similiter nego assumtionem prosyllogismi. Nam potest alicui ut principi dici, quod tamen non intelligatur dictum omnibus principibus. Act. 13. v. 2 dixit S. S. *Separate mihi Barnabam & Saulum operi ad quod eos advocavi*, videlicet ut dimittantur in Græciam ad prædicandum Evangelium: sicut percipitur ex sequentibus. At idem non intelligitur dictum cæteris prophetis & doctoribus, qui tum Antiochiæ erant: quorum nomina v. 1. recensentur. Adhæc si vera sit assumtio, lædet causam Bellarmini. Etenim Matth. 16. v. 19. Dominus Petro ut Apostolo & confessori dixit, *Tibi dabo claves regni cælorum &c.* Quare ex regula Bellarmini idem dictum fuerit etiam reliquis Apostolis & confessoribus: quod tamen ille dictum vult soli Petro. Sed excipiet Bellarminus, istud dictum esse Petro ut principi, hoc est, summo pastori & capiti Ecclesiæ militantis: quemadmodum & illud Joh. ult. Pasce oves meas: quod huc ad assumtionem confirmandam affert. At, inquam, falsa est ista glossa; quum solus Christus sit Ecclesiæ caput, summus pastor & princeps. Utrumque autem Petro dictum est ut Apostolo: & utrumque alibi cæteris quoque Apostolis dictum est.

Sed pergit sententiam suam confirmare Bellarminus, & ait, ubi suprà: Præterea quòd Christus hæc dixerit omnibus: patet „
ex intelligentia Apostolorum, qui hæc sibi etiam dicta credide- „
runt, dicentes: Ecce nos reliquimus omnia. Et ex approbatione „
Domini dicentis, Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis &c.

Duo hic argumenta continentur. Prius concluditur tali syllogismo:

Si Apostoli crediderunt, hæc sibi etiam dicta esse: ergo Christus ea dixit omnibus.

Sed Apostoli hæc sibi dicta esse crediderunt. Ergo.

Assumtio probatur ex Apostolorum verbis: Ecce nos reliquimus omnia. Resp. Primò, propositio est falsa: idque duplici de causa. Primùm quia Apostoli potuerant credere aliquid sibi quoque dictum esse, quod tamen non dictum esset omnibus. Deinde etiamsi credidissent hæc dicta esse omnibus: inde tamen non sequitur, rem ita habere: quia constat, Apostolos pro illo tempore multa Domini dicta non rectè intellexisse. Adhæc assumtio incerta est: nec potest probari ex ipsorum verbis, Nos reliquimus omnia. Etenim illis verbis ostendunt, quid jam fecerint: at verba Domini ex sententia Bellarmini continent consilium: ergo ostendunt quid sit faciendum, non autem quid sit jam factum. Oportuisset igitur Apostolos dicere: Si hoc consilium das ut possimus esse perfecti: Parebimus illi, & vendemus nostra bona, dabimusque pauperibus, & sequemur te. At dicunt, Ecce nos *reliquimus* omnia, & sequuti sumus te. Posterius argumentum sic conluditur:

Si Dominus approbavit factum Apostolorū, videl. quòd omnia reliquerant & ipsum secuti fuerant: ergo verba illa quæ dixit adolescenti, Si vis perfectus esse, &c. dixit omnibus.

Sed verum est antecedens. Ergo & consequens.

Nego connexum: quia nulla apparet illius ratio. Potest enim aliquis consulere alicui soli, quod in aliis tamen quibus idem non consulit, probet. Sicut pater potest præcipere filio ut diligenter studeat & bene se gerat: quod tamen in aliis pueris, quibus idem non præcipit, probet ac laudet.

Pergit Bellarm. & ait: Adhæc simillimæ sententiæ sunt, & ab „
eodem atque eidem dictæ; Si vis ad vitam ingredi, serva manda- „
ta: &, Si vis perfectus esse, vende omnia, &c. At prior dicta est omnibus. Cur non etiam posterior?

Syllogismi duo hic involvuntur. Principalis est hic:

Si prior illarū sententiarū dicta est omnibus ergo & posterior.

Sed prior dicta est omnibus. Ergo & posterior.

Prosyllogismus quo approbatur propositio syllogismi, est hic:

Si duæ illæ sententiæ simillimæ sunt, & ab eodem atque eidem dictæ: ergo si prior dicta est omnibus, dicta quoque omnibus est posterior.

Sed verum est antecedens. Ergo & consequens.

Nego connexum utriusque syllogismi. Et quoniam τὸ κεκρόμενον est in connexo prosyllogismi, dico falsitatem ejus liquere ex hoc, quòd similitudo illa non obstat, quo minùs insit aliquid dissimile. neque enim necesse est, ut quod alicui est simile, per omnia ei simile sit. Et sanè Bellarminus ipse dissimilitudinem in duabus istis sententiis statuit, quatenus contendit, priore contineri præceptum, posteriore verò non præceptum, sed consilium.

Postremò tanquam colophonem annectit & hoc argumentum. Denique, inquit, S. Antonius & S. Franciscus sibi dictum putaverunt, Si vis perfectus esse, vende omnia. Non igitur soli illi juveni datum est consilium hoc. Ad hoc argumentum eadem responsio valet, quam suprà dedimus ad argumentum de Apostolis, quos & ipsos putasse sibi illa verba dicta esse, ajebat Bellarminus. Neq; enim verus sensus verborum Domini ex Antonii aut Francisci intelligentia dependet: sed fieri potest ut illi à sensu verborum Domini aberrarint: sicut sanè aberraverunt.

Perfectionis nomen falsò hìc exponi à Bellarmino ostenditur.

Hactenus refutavimus argumenta Bellarmini, quibus conatur demonstrare, verbis illis Domini, Si vis perfectus esse, &c. contineri consilium de perfectione, & quidem omnibus fidelibus datum. Nũc restat ut eadem verba vindicemus à falsis ipsius expositionibus. Et quidem jam suprà falsitatis convicimus expositionem unam, qua scilicet nomen perfectionis exponit de excellente aliquo gradu in vita æterna. Sed præter illam affert & hanc, col. 1538. B. Cùm Dominus ait, Si vis perfectus esse, non loquitur de perfectione necessaria ad salutem, sed de alia quadam majore. Falsitas istius expositionis perspicitur ex causa dicti. Causa enim cur Christus ista verba dixit, fuit interrogatio illa adolescentis, Quid adhuc mihi deest: videl. ad perfectam justitiam quę ad salutem est necessaria. dixerat enim, se mandata Dei omnia servasse, innuens nimirum se esse ex illa observatione perfectam justitiam adeptum: nisi fortè ad perfectam justitiam adipiscendam aliquid ampliùs faciendum sibi restet. Quod ipsum confirmatur ex collatione Marci & Lucæ: qui pro illis verbis, *Si vis perfectus esse:* ponunt hæc, *Adhuc unũ tibi deest.* Deinde hanc expositionem evertit ipse Bellarminus illâ alterâ expositione, quam recitavimus in principio: ubi fatetur, Dominum hic loqui de perfecta caritate. Certè enim perfecta caritas ad salutem est necessaria: quippe quæ, teste Apostolo, Legis impletio est.

Sed pergit in instituta expositione Bellarminus, inquiens: Et cùm ait (Dominus) Unum tibi deest, non vult dicere, Ad salutem consequendam, sed ad perfectionem istam majorem.

Imo, inquam, ad utrumque: & quidem primò ac proximè ad ipsam perfectionem caritatis & justitiæ, secundariò & consequenter ad salutem.

Pergit Bellarminus. Et similiter ille juvenis dicens, Quid adhuc mihi deest? non intelligit, Ad salutem simpliciter assequendam: jam enim audierat responsum, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: sed intelligit, Ad salutem faciliùs & perfectiùs assequendam: q.d. Quid possem adhuc facere utile ad vitam æternam? Respondeo: Imò simpliciter intelligit, quid sibi adhuc desit ad perfectam justitiam, & ex consequenti ad salutem seu vitam æternam consequendam: quippe quæ sine perfecta justitia obtineri non possit. Nec contrarium probari potest ex eo, quòd ille jam audierat, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Etenim in illo responso non acquiescebat: sed justitiæ laudem ex ore Domini captans, seu volens justificare se ipsum, ut ille Scriba Luc. 10. v. 19. quærit ampliùs, Quænam sint illa mandata: ut nimirum illis indicatis, possit gloriari se illa observasse: quod & fecit. Ac ne tum quidem acquievit: sed ut approbationem Domini eliceret, perrexit quærere: Num quid adhuc sibi ad perfectam justitiam desit.

Sed affert Bellarminus adhuc aliam expositionem. Quòd si quis (inquit) admittere velit, juvenem *petivisse, an aliquid sibi deesset simpliciter ad salutem; dicere poterit, à Domino fuisse responsum, nihil ei deesse ad salutem: non enim Dominus ait, Unum tibi deest, vende omnia: sed, Si vis perfectus esse, unum tibi deest: ut patet ex verbis Matth. & Marc. simul junctis, q.d. Nihil tibi deest ad salutem simpliciter assequendam: sed si vis perfectus esse, unum tibi deest.

*Id est, interrogasse.

At, inquam ego, quid est pervertere & petulanter corrumpere Scripturam, si hoc non est? Juvenis, teste Matthæo, quærebat ex Domino, quid adhuc sibi desit: nempe ad salutem, ut Bellarm. hoc loco concedit. Deinde subjungit responsum Domini, quod docet, quid adhuc illi desit: sicut expressè testantur Marc. & Luc. quòd scil. Dominus dixerit, Unum adhuc tibi deest, nempe ad salutem, de hoc enim erat quęstio. Et tamen Bellarm. audet dicere, à Domino fuisse responsum: NIHIL ei deesse ad salutem. Quis hic non videt manifestam contradictionem, *Unum tibi deest: Nihil tibi deest:* Excipit Bellarm. At non ait Dominus: Unum tibi deest, vende omnia: sed, Si vis perfectus esse, unum tibi deest. Imò verò dixit, *Unum tibi deest,* testibus Marco & Lucâ. Non autem certò affirmari potest, quòd dixerit: *Si vis perfectus esse, unum tibi deest:* quia hæc verba in nullo Evangelista reperiuntur.

Rursum excipit Bellarminus, Verba Marci cum verbis Matthęi simul esse jungenda. At quo argumento constat, sic esse jungenda ut jungit Bellarminus? Imò verò tali conjunctione nõ est opus: quum citra illam utraq; perfectam, & quidem unam eandemque sententiam contineant. Sunt igitur inter se conferenda, & pro æquipollentibus habenda, illa apud Matth. *Si vis perfectus esse:* & illa apud Marcum & Lucam, *Unum adhuc tibi deest.* Etenim in istis solùm verbis discrepant: in reliquis annexis consentiunt. Deinde fac illa sic esse jungenda: num propterea constare poterit hæc expositio Bellarmini, Dominum dicere voluisse, Nihil tibi deest ad salutem simpliciter assequendam: sed, si vis perfectus esse, unum tibi deest? An igitur verè dici potest, Ei qui non est perfectus, hoc est, perfectâ caritate & justitiâ præditus, nihil deesse ad salutem simpliciter assequendam? Quòd si hoc verè dici non potest: quum certum sit, ad salutem promerendam opus esse justitiâ perfectâ: qua fronte igitur Bellarminus istam sententiam Domino affingit: & contrà perfectionem fingit quæ ad salutem simpliciter assequendam necessaria non sit?

Hactenus disputavimus contra errorem ex tribus propositis primum, quo contendit Bellarminus, his Domini verbis non præceptum contineri, sed consilium, idq; generale, & ad omnes pertinens. Secundus error est de merito: quem Bellarminus obiter hìc attingit col. 1534. D. his verbis: Quòd autem dare omnia (pauperibus) mereatur insigne præmium, patet ex illis verbis: Et habebis thesaurum in cælo.

Refutatio sophismatis Bellarmini de merito paupertatis voluntariæ.

Resp. Primùm non sequitur: Huic juveni facta est ista promissio: ergo facta est omnibus. nam Dominus habuit causam singularem, ut hanc promissionem faceret isti soli. Deinde Dominus non intelligit solam dationem sive erogationem facultatum externam: sed profectam ex perfecta dilectione Dei & proximi. quippe de externa illa communicatione atque beneficentia ait Paulus: Si insumam alendis egenis omnes facultates meas, caritatem autem non habeam: hoc nihil mihi prodest, 1. Cor. 13. v. 3. At perfecta illa dilectio in nullum hominem in hac vita cadit. Ergo nec meritum ex illa dependens.

Refutatio sophismatis Bellarmini de voto paupertatis voluntariæ.

Sequitur ut vindicemus verba Domini ab errore tertio, quòd paupertas voluntaria rectè Deo voveatur. Istum errorem sic colligit Bellarminus: col. 1580. A. & B. Id omne Deo rectè vovetur, quod ex ejus testimonio scimus esse bonum & illi gratum. Sed paupertas voluntaria testimonio Christi bona est & Deo grata. Ergo &c. Assumtio probatur ex his verbis: Si vis perfectus esse: vade, vende omnia, &c. Probationem confirmat ex eo, quòd hic detur consilium abdicationis facultatum.

Resp. Ut hoc argumentũ rectè possit judicari: observandum est, conclusionem habere sensum universalem: quasi dicatur, Ergo paupertas voluntaria rectè vovetur à quovis, dummodo scilicet ad vovendum per ætatem sit idoneus, ac præterea sui sit juris. Quare universalem etiam sensum habere necesse est utramque præmissam: quum universalis conclusio non nisi ex utraque universali deduci possit. Sensus igitur istius argumenti, si plenè exponatur, sic erit:

Quicquid testimonio Christi bonum est cuivis homini, & Deo gratum, à quocunq; fiat: id rectè Deo voveri potest à quovis: dummodo is per ætatẽ sit idoneus, & insuper sui juris.

Atqui paupertas voluntaria testimonio Christi bona est cuivis homini; & Deo grata, à quocunq; suscipiatur.

Ergo paupertas voluntaria rectè Deo voveri potest à quovis homine, dummodo is per ætatem sit idoneus & præterea sui juris.

Hìc jam sese manifestat falsitas assumtionis seu præmissæ minoris. Falsum est enim, testimonio Christi paupertatem voluntariam bonam esse cuivis homini, & Deo gratam à quocunque suscipiatur. Neque contrarium potest probari ex præsentibus verbis Christi: quippe quibus paupertatem voluntariam suadet, aut præcipit, non cuivis homini: sed *tantùm isti adolescenti:* idque non propterea, quòd paupertas voluntaria per se cuiquam bona sit aut Deo grata: sed ut hypocrisin illius adolescentis in lucem proferat, & gloriationem ejus de observatis omnibus Dei mandatis mendacii cõvincat. Porrò falsitas istius sententiæ perspici potest hoc exemplo: Si paupertas voluntaria bona esset cuivis homini, & Deo grata, à quocunq; suscipiatur: bona etiam esset alicui regi, & Deo grata, si susciperetur à rege. At hoc non est: quum constet, Deum velle ut rex suis opibus utatur ad subditos sapienter ac justè gubernandos & fortiter contra vim hostium defendendos. Non ergo illi esset gratum, si rex opibus suis sese abdicaret, & paupertatem voluntariam susciperet.

Restat error quartus, de consilio obedientiæ, videl. obedientiæ quam monachi cœnobitæ præstant suo abbati sive priori: quam Bellarminus nominat religiosam. Hanc igitur Dominum consuluisse, ostendere conatur Bellarminus lib. eod. col. 1539. D. his verbis: Sextum testimonium (scil. quo probatur esse consilia quædam evangelica, de rebus nec præceptis, nec indifferentibus: sed Deo gratis & ab illo commendatis: ex col. 1531. A.) est ibidem (nempe Matth. 19.) de obedientia: ubi Dominus ait, *& sequere me.* Nam quòd hæc sequela sit consilium, patet: quia dicitur ei soli qui vult esse perfectus, & cui dictum est, Vende omnia quæ habes. Quòd autem in illo, *Sequere me*, significetur obedientia, probatur dupliciter. Primò, quia sequi Christum, est imitari Christum: Christus autem factus est obediens usq; ad mortem, Philip. 2.

Obedientia monachalis à Domino consulta.

tem, Philip. 2. Secundò, quia Matth. 16. explicat ipse Christus, quid sit sequi se, dicens: Qui vult venire post me, abneget semetipsum: tollat crucem suam, & sequatur me. Quod ultimum est explicatio superiorum, ut sensus sit: Qui vult post me venire, id est, me sequi, abneget se, & tollat crucem suam: & sic sequatur me. Porrò abnegare se, nihil est aliud, quam valedicere suo judicio & suis affectibus & accommodare se alterius judicio & voluntati.

Respondeo. Verbum illud, *Sequere me*, dictum est hoc loco *isti adolescenti soli*, idque *propter singularem causam*: ut suprà declaravimus. Ergo sive consilium, sive præceptum, illis verbis contineatur: id nihil attinet ad alios. Falsum est igitur quod innuit Bellarminus, id dictum esse ei omni qui vult esse perfectus. Etsi enim non dicat, *Ei omni*; sed, *Ei soli*: tamen in universum loquitur de eo qui vult esse perfectus. Quod tamen ipse mox evertit, quum adjungit, id dictum esse ei cui dictum est, Vende omnia. At, inquam, istud dictum est soli illi adolescenti, ut suprà probavimus: non autem omni illi qui vult esse perfectus. Deinde nego, isto verbo, *Sequere me*, significare hìc obedientiam illam quam intelligit Bellarminus: videlicet obedientiam quam monachi cœnobitæ præstant suo abbati sive priori. Significat enim Christus eam solùm obedientiam quâ iste adolescens ipsi debuit obedire in ipso sequendo, ut discipulus sequitur præceptorem: quomodo Apostoli ipsum sequebantur. At intelligendam hìc esse obedientiam illam monachalem, Bellarminus probat ex definitione nominis, quòd scilicet sequi Christum, sit Christum imitari: Ipse autem factus est obediens Patri. Respondeo: Etsi alibi fortasse, Sequi Christum, idem significat quod imitari Christum: tamen non est consequens, ut hoc quoque loco idipsum significet, nam sæpe significat sequelam illam quâ discipulus sequitur præceptorem corporali motu, ut Matthæi octavo, versu vicesimosecundo. Sequere me, & sine ut mortui sepeliant mortuos suos. Et capite nono versu nono, ubi dixit Matthæo, Sequere me. Item Johannis primo, versu quadragesimoquarto, ubi idem dixit Philippo. Sed Bellarminus definitionem illam à se allatam confirmare nititur verbis Christi Matthæi decimosexto, Qui vult venire post me, &c. Resp. Verba illa dicta sunt sensu generali de obedientia necessariò præstanda Deo ab omnibus Christianis: ac proinde præceptum continent: non autem consilium de obedientia monachali, quæ exhibetur homini. Qui verborum sensus percipitur tum ex ipso loquendi modo, ubi ait, *Si quis* (scilicet quicunque sit) *vult venire post me*: tum ex ratione continenter annexa, his verbis, *Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam &c.* Contra istam expositionem excipit Bellarminus his verbis: Respondeo, inquit, hoc loco agi de obedientia quæ necessariò debetur Deo. Bene, inquam. Continetur igitur iis verbis præceptum: & ex consequenti etiam illo dicto, ad quod explicandum ista verba adhibentur, nempe, *Sequere me*: ac proinde non continetur illo dicto consilium, ut contendit Bellarminus. Attamen hinc deduci etiam consilium religiosæ obedientiæ (sic nominat obedientiam istam monachalem) ostendere conatur hac ratione. Nam hinc habemus, inquit, Sequi Christum, esse Abnegare seipsum: id est, alterius voluntati seipsum subjicere. Habemus autem ex aliis locis, duplicem esse Christi sequelam: unam communem & necessariam omnibus fidelibus: de qua hìc agitur, videlicet Matth. 16. & Luc. 9. & rursum aliam quæ solis iis consulitur qui volunt esse perfecti, de qua agitur Matth. 19. & Luc. 18. Ergo necesse est, duplicem esse abnegationem sui, id est, obedientiam: unam communem & necessariam omnibus, quæ consistit in obediendo in iis rebus tantùm quæ sunt necessariæ ad salutem: alteram majorem & universaliorem, quæ consistit in obediendo in omnibus rebus, etiam non necessariis, modò peccata non sint: qualis obedientia laudatur in Rechabitis Jeremiæ 35. qui obedierunt patri suo in iis quibus non tenebantur.

Hæc Bellarminus. quæ ut rectè possint judicari, redigenda sunt in syllogismum. Syllogismus hic est:

Si duplex est sequela Christi, una præcepta omnibus Christianis, altera consulta solis iis qui volunt esse perfecti; necesse est ut duplex sit abnegatio sui seu obedientia, una præcepta quæ consistit in obediendo in iis rebus tantùm quæ sunt necessariæ ad salutem; altera consulta, quæ consistit in obediendo in omnibus rebus, etiam non necessariis, modò peccata nõ sint. Ratio: Quia sequi Christum, est abnegare seipsum.

At est duplex sequela Christi: una præcepta, &c. de qua Matth. 16. & Luc. 9. altera consulta, &c, de qua Matth. 19. & Luc. 18.

Ergo est etiam duplex abnegatio sui sive obedientia: una præcepta, altera consulta.

Respondeo primò: Si totum concedatur, nondum tamen obtinuerit Bellarminus propositum, videlicet obedientiam illam monachalem quam ipse nominat religiosam, esse illam quam Christus Matth. 19. consuluerit. nam posito, verbis illis consilium contineri: non tamen inde sequitur, consilium illud datum esse de obedientia præstanda cuivis magistro aut præceptori, puta abbatibus aut prioribus cœnobiorum. At huic exceptioni videtur occurrere velle Bellarminus, cum ait: Sequi Christum, esse abnegare seipsum, id est, ALTERIUS voluntati seipsum subjicere. Hinc obedientia illa monachalis concludetur ad hunc modum:

Qui seipsum subjicit alterius voluntati: is seipsum abnegat, & per consequens Christum sequitur: sicut ipse consuluit Matth. 19.

Sed monachus qui seipsum subjicit voluntati abbatis aut prioris, subjicit se voluntati alterius.

Ergo ille seipsum abnegat, & per consequens Christum sequitur, sicut ipse consuluit Matth. 19.

Propositio probatur ex æquipollentia phrasium, Abnegare seipsum, &, Subjicere se alterius voluntati. Resp. Propositio est falsa; itemque illa æquipollentia, unde ipsius veritas dependet. Nam abnegare seipsum, non est idem quod subjicere se voluntati alterius *cujusvis*: sed tantùm, Subjicere se voluntati *Dei*.

Secundò respondeo ad argumentum antè allatum, negando assumtionem, quo ad membrum posterius. Nam falsum est, esse sequelam aliquam Christi quam ille consuluerit iis solis, qui volunt esse perfecti. Quòd autem illam Bellarminus probare vult ex dicto Christi Matth. 19. & Luc. 18. principium petit. nam hoc ipsum versatur in quæstione, an illo dicto Christus tale consilium dederit.

18 Ex v. 22. Exemplo istius adolescentis monemur, divitias plerisque esse noxias: quippe quum illis impediantur ab ingressu in regnum cælorum, quam doctrinam Dominus ipse in verbis sequentibus illius exempli occasione proposuit. Accidit autem istud divitiis ex corrupta hominis natura: unde fit, ut qui Spiritu Dei regenerati non sunt, divitiis dies noctesque insatiabili cupiditate inhient, atque ita impediantur in meditandis iis quæ ad verum Dei cultum & propriam salutem pertinent: item ut in divitiis confidant, ac proinde non confidant in solo Deo: quæ est spiritualis idololatria. Hinc Christus divitias comparat spinis quibus sermo Dei auditus suffocatur ac infructuosus redditur, suprà c. 13. v. 22. Et Apostolus avarum idololatram esse pronuntiat, Eph. 5. v. 5. Interim sciendum, divitias per se non esse damnabiles; quum sint donum Dei, & multi pii illas habuerint, ac etiam nunc habeant. *Divitiæ.*

19 Ex v. 23. & seq. Quum tantum immineat homini periculum à divitiis: orandus est Deus ut nos regat suo Spiritu, ut nec de divitiis accumulandis soliciti simus: & ut quum illæ affluunt, cor non apponamus, néve spem in illis ponamus: sed ut contenti simus necessariis alimentis ac vestimentis, & spem omnem ponamus in Deo vivo, & divitiis utamur ad benefaciendum egentibus. Confer Psal. 62. v. 11. *Divitiæ si affluant: nolite cor apponere.* 1. Tim. 6. v. 8. 9. 10. item v. 17. 18. & 19. item sup. c. 6. v. 19. & Luc. 12. v. 16. & deinceps. item v. 33. & c. 16. v. 9. Item exemplum sapientis illius Aguris petentis demensum suum; & contrà deprecantis nimias opes, Prov. 30. v. 8. *Divitiæ.*

20 Ex v. 24. 25. & 26. Vindicandus est hic locus à corruptela Bellarmini, qui inde sumit argumentum ad probandum, *quòd corpus possit alicubi esse & locum non occupare*: vel, *quòd corpus possit ita occupare aliquem locum, ut inde non expellat alterum corpus*; unde porrò infert, *simili ratione unum corpus replere posse duo loca*; ut tandem obtineat, *non esse absurdum statuere, quòd corpus Christi sit in pluribus locis in Eucharistia, videl. in singulis hostiis* (ut vocantur) id est, rotundis illis ac tenuibus & quasi papyraceis placentulis seu paniculis (ut ita loqui liceat) azymis. Sic autem istud παράδοξον ex hoc loco probare conatur tomo secundo Disputationum, col. 686. & 687. Convenit inter nos (inquit. Vult autem dicere inter Papistas & Calvinistas) nõ debere excipi ab eorum numero quæ Deus potest facere, nisi ea quæ implicant contradictionem. Corpus autem esse alicubi, & non occupare locum: vel, occupare & non expellere alterum: nullam implicat contradictionem. Nam id est implicare, Repugnare essentiæ. Non autem repugnat essentiæ magnitudinis, non occupare locum, aut nõ expellere alterum corpus. Ad quod probandum, pro secundo argumento affert exemplum de camelo quod proponitur hoc loco. Sic autem ait: Alterum argumentum sumitur ab exemplis divinæ Scripturæ. Primum exemplum est Matth. 19. Marc. 10. & Luc. 18. Facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum. Et cùm Apostoli dicerent, Quis ergo poterit salvus fieri? respondit Dominus: Hoc apud homines impossibile est: apud Deum omnia possibilia sunt. Ubi Dominus quum dicit, possibile esse DEO id quod difficilius est; significat, esse etiam possibile id quod facilius est. Facilius autem esse dicit, ut transeat camelus per foramen acus. Igitur hoc Deo possibile esse voluit. At non potest camelus transire per foramen acus, nisi locum non occupando: Alioqui majus esset minus suo minore. Resolvamus ista in syllogismos, quò faciliùs possint judicari. Syllogismus primus atque principalis est hic: *An corpus possit esse alicubi & non occupare locum.*

Quæcunque nullam implicant contradictionem, ea Deo sunt possibilia. 1.

Corpus autem esse alicubi & non occupare locum: vel, occupare locum & non expellere alterum corpus: nullam implicat contradictionem.

Ergo id efficere Deo est possibile.

Nego assumtionem. Sed eam Bellarminus probat hoc syllogismo:

2. *Implicare contradictionem, eſt repugnare eſſentiæ.*
Atqui non occupare locum, aut non expellere alterum corpus: non repugnat eſſentiæ magnitudinis, ſive corporis.
Ergo magnitudinem ſive corpus non occupare locum, aut non expellere alterum corpus: non implicat contradictionem.

Rurſus nego aſſumtionem. Sed illam Bellarminus confirmat hoc ſyllogiſmo:

3. *Si non occupare locum, eſſentiæ corporis repugnaret: non poſſet Deus efficere, ut camelus (nempe camelus manens & granditatem ſuam retinens) tranſiret per foramen acus.*
At Deus poteſt efficere ut camelus (nempe camelus manens) per foramen acus tranſeat.
Ergo non occupare locum, non repugnat eſſentiæ corporis.

Hujus ſyllogiſmi propoſitionem confirmat hac ratione.

4. *Si Deus poſſet efficere ut camelus tranſiret per foramen acus occupando locum: poſſet efficere ut majus eſſet minus ſuo minore, nempe ut corpus cameli eſſet minus acu.*
At hoc Deus efficere non poteſt. quia nimirum implicat contradictionem, aliquid ſimul eſſe majus & minus reſpectu ejuſdem: id enim eſt, eſſe majus illo, & tamen eodem non eſſe majus.
Ergo Deus non poteſt efficere ut camelus tranſeat per foramen acus occupando locum: & per conſequens non poteſt camelus tranſire per foramen acus, niſi locum non occupando.

Reſp. Hac probatione non fuiſſet opus: nam propoſitio per ſe eſt manifeſta. Sed probationis eget aſſumtio: nempe quòd Deus poſſit efficere ut camelus (nempe camelus manens) tranſeat per foramen acus. Hanc igitur ſic probat Bellarminus.

5. *Si Deo eſt poſſibile efficere ut dives intret in regnum cælorum: eſt etiam ei poſſibile efficere ut camelus tranſeat per foramen acus.*
Sed prius Deo eſt poſſibile: teſte Chriſto, ubi ad quæſtionem diſcipulorum, Quis ergo poteſt ſalvus fieri? reſpondet, Apud Deum omnia poſſibilia ſunt.
Ergo etiam poſterius illud Deo poſſibile eſt.

Propoſitionem confirmat ſic:

6. *Duobus datis quorum alterum difficilius, alterum facilius eſt: ſi quis poſſit efficere difficilius, poterit quoq; efficere facilius.*
At divitem intrare in regnum cælorum, & camelum tranſire per foramen acus, ſunt duo data, quorum illud difficilius, iſtud facilius eſt: teſte Chriſto, ubi ait, Facilius eſt ut camelus tranſeat &c.
Ergo ſi Deus poteſt efficere illud, poterit etiam iſtud.

Reſp. Hîc tandem vertitur τὸ κρινόμενον. Negò autem iſtius ſyllogiſmi aſſumtionem. Nec rectè illa confirmatur ex dicto Chriſti: quia aſſumtio ipſa intelligitur ſimpliciter ut verba ſonant: at dictum Chriſti quod ad eàm probandam affertur, non eſt dictum ſimpliciter, ſed hyperbolicè. quippe qûum Chriſto non fuerit propoſitum diſputare, utrum illorum eſſet altero difficilius: ſed tantùm docere, impoſſibile eſſe ut dives ingrediatur in regnum cælorum, niſi ſcil. Deus ſingulari gratiâ illi adſit. Etenim quum dixiſſet: Dives difficulter introibit in regnum cælorum: mox adhibet illius ſententiæ correctionem, affirmans id non ſolùm eſſe difficile, ſed & impoſſibile. Hanc autem ipſam impoſſibilitatem hyperbolicâ iſtâ comparatione amplificat, affirmans facilius eſſe ut camelus tranſeat per foramen acus. Quaſi dicat: At iſtud non eſt poſſibile. Ergò multò minùs illud poſſibile eſt. Syllogiſmus integer ſic eſt:

Si id quod facilius eſt, fieri tamen non poteſt: multò minùs putandum eſt, fieri poſſe id quod eſt difficilius.
At camelum tranſire per foramen acus, facilius eſt quàm divitem introire in regnum cælorum: & tamen illud fieri non poteſt.
Ergo multò minùs putandum fieri poſſe iſtud.

Cæterùm ne quis putet abſurdum eſſe, Chriſtum tali hyperbole uſum: obſervandum eſt, hanc quoque eſſe partem humiliationis ejus, quòd non abhorruit à vulgari ac populari loquendi ratione, ut nimirum in ea quoque parte nobis ſimilis evaderet. Sunt autem tales hyperbolæ uſitatæ, ut apud Virg. Eclog. 1.

Antè leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces &c.
Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.

Qualia exempla paſſim occurrunt apud poëtas: quibus conſtat propoſitum fuiſſe, mores hominum quàm diligentiſſimè exprimere. Et ſanè ipſe Chriſtus alibi quoque tali hyperbole uſus eſt: ut cùm aliquoties dixit: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Neque enim dicere voluit, cælum & terram aliquando peritura prorſus ſeu in nihilum redactum iri; id quod verba ſimpliciter accepta præ ſe ferunt; ſed dicere voluit, citiùs ſeu faciliùs cælum & terram interitura, quàm doctrinam ſuam: quum tamen tam durabilis ſit illorum firmitas, ut id omnibus impoſſibile videatur: imò etiam impoſſibile ſit, propter decretum ſcil. Dei, quo ſtatuit cælum & terram non in nihilum redigere, ſed renovare: ut Scriptura docet.

21 Ex v. 27. Vindicandus eſt hic quoque locus ab abuſu Bellarmini: qui illo abutitur ad ſtabiliendum tres errores Papiſticos: quorum unus eſt de *primatu Papæ*, alter de *continentia ſacerdotum & religioſorum, ac omnino clericorum* quos nominant, tertius de *mendicatione monachorum*.

Ac primùm, Papam eſſe principem paſtorum eccleſiæ, probat ex eo quòd ſucceſſerit Petro, qui fuerit princeps Apoſtolorum, hoc autem ipſum probat * ex loco præſente: idque ex eo, quòd Petrus nomine omnium Apoſtolorum loquitur: ſicut & Luc. 12. ubi ait, Ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Et Joh. 6. ubi dicit, Domine ad quem ibimus? Redigamus hæc argumenta in ſyllogiſmos Syllogiſmus principalis:

"De primatu Papæ. ſophiſma, Bellarmini. "* Diſputat. tom. 1. col. 680 B.

Si Petrus fuit princeps Apoſtolorum, etiam Papa eſt princeps paſtorum eccleſiæ.
Sed Petrus fuit princeps Apoſtolorum.
Ergo etiam Papa princeps eſt paſtorum eccleſiæ.

Primùm nego propoſitionem. quia potuit Chriſtus inter Apoſtolos conſtituere aliquem principem ita, ut principatus ille non tranſiret ad ſucceſſores. Sed propoſitio probatur argumento ſucceſſionis ad hunc modum:

Si Papa Petro ſucceſſit: ergo ſi Petrus fuit princeps Apoſtolorum, Papa etiam eſt princeps paſtorum eccleſiæ.
Atqui Papa Petro ſucceſſit. Ergo.

Hic rurſum nego propoſitionem. quia potuit Papa Petro ſuccedere in officio paſtorali, ut tamen non ſuccederet in illo qui fingitur principatu. Quo modo Apoſtolis ſucceſſerunt in officio paſtorali omnes eccleſiæ paſtores ab illis & poſt illos deinceps legitimè vocati: qui tamen illis non ſucceſſerunt in Apoſtolatu. Et ſi firmum eſſet iſtud connexū, dicendum eſſet, Evodium quoque fuiſſe principem paſtorum eccleſiæ & cæteros item eccleſiæ Antiochenæ paſtores, Evodii ſucceſſores: is enim (ut ipſe Bellarminus tradit) Petro ſucceſſit in ſede Antiochena. At iſtud Bellarminus non dicit, ſed negat. Deinde nego & aſſumtionem ſyllogiſmi principalis, nempe quòd Petrus fuerit princeps Apoſtolorum: hoc videl. ſenſu quo iſtud nomen accipit Bellarminus, nimirum princeps, non ſolùm dignitate aliquâ antecellens, verùm etiam poteſtatem in reliquos Apoſtolos habens. Sed aſſumtionem Bellarminus probat ex eo quòd Petrus nomine omnium locutus eſt: ut ex hoc loco & aliis quibuſdam apparet. At, inquam, ex eo non poteſt concludi iſte principatus & poteſtas. Poteſt enim fieri, ut quis loquatur nomine aliorum in quos nullam habeat poteſtatem: ſed illis poteſtate ſit æqualis; ut cùm ſenator unus loquitur nomine omnium ſenatorum: vel etiam inferior; ut cùm ſyndicus verba facit nomine ſenatus.

Jam ut de ſecundo abuſu dicamus: Quum Orthodoxi exemplum Apoſtolorum 1. Cor. 9. afferunt ad demonſtrandum quòd liceat miniſtris verbi habere uxores, earumque conſuetudine uti; excipit Bellarminus, illos poſt vocationem ad Apoſtolatum, officio conjugali renuntiaſſe, id quod ſatis (* inquit) colligitur ex c. 19. Matth. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Statim enim Dominus explicans, quid ſit relinquere omnia, adjicit: Omnis qui reliquerit patrem aut matrem, aut uxorem, &c. Et rurſus: *Satis apertè (inquit) inter omnia illa quæ legimus Apoſtolos reliquiſſe, videmus etiam conjuges numerari. Redigamus hoc argumentum in formam.

An Apoſtoli poſt vocationem ad Apoſtolatū officio conjugali renūtiarint. "* Diſput. tom. 1. col. 1448. D. "* Eodem tom. col. 1641. D.

Si Apoſtoli poſt vocationem reliquerunt uxores: ſequitur, eos officio conjugali renuntiaſſe.
Sed Apoſtoli poſt vocationem reliquerunt uxores.
Ergo officio conjugali renuntiarunt.

Nego aſſumtionem: quia contrarium patet ex 1. Cor. 9. ubi habetur, Apoſtolos ſorores uxores circumduxiſſe, eo tempore quo prædicabat Paulus: quod certè fuit poſt Apoſtolorum vocationem. Sed aſſumtionem Bellarminus probat ſic:

Si Apoſtoli reliquerunt omnia: reliquerunt etiam uxores.
Sed reliquerunt omnia. Ergo.

Reſp. Si nomen OMNIA, accipiatur ſimpliciter de omnibus quæ quis habet in poteſtatē, tum falſa eſt aſſumtio. nam Apoſtolos non reliquiſſe uxores, patet ex loco paulo-antè citato 1. Cor. 9. Si verò nomen illud OMNIA accipiatur de ſolis bonis ſeu poſſeſſionibus: tum falſa eſt propoſitio, poteſt enim fieri, ut quis relinquat omnia ſua bona, nec tamen relinquat uxorem: quod quidem piis conjugibus in perſecutione non raro uſu venit. Quòd ſi ad veritatem utriusque præmiſſæ habendam, nomen OMNIA in propoſitione intelligatur de omnibus quæ quis habet in poteſtate, in aſſumtione verò de ſolis poſſeſſionibus: tum exiſtunt quatuor termini, ac proinde ἀσυλλογισία. Sed aſſumtionem intellectam ſimpliciter, Bellarminus conatur confirmare ex cohærentia ſententiarum. Vis argumenti hæc eſt:

Si poſtquam Apoſtoli dixerunt, Nos reliquimus omnia: Dominus ſubjunxit, Quiſquis reliquerit domos, aut fratres, aut uxorem, &c. planum eſt inter illa OMNIA *numeraſſe etiam uxores.*
Sed verum eſt antecedens. Ergo & conſequens.

Ego verò nego propoſitionem. Etenim Domino non fuit propoſitum, explicare illud nomen OMNIA quo uſi fuerant Apoſtoli; neque enim explicatione aliquâ erat opus: nam & ipſi Apoſtoli quid illo nomine ſignificarent, probè nôrant, & ipſe quoque Dominus id ſatis intelligebat, quippe qui intelligebat ac nôrat omnia. Sed propoſitum illi fuit, factum Apoſtolorum extendere ad facta ſimilia quorumvis: ut ſuo more occaſione ſpecialis exempli traderet doctrinam generalem. Sicut paulo-antè occaſione avaritiæ iſtius adoleſcentis divitis, propoſuit admonitio-

monitionem generalem de periculo divitum in quo propter avaritiam versantur. Atque hoc quod dicimus, ex toto contextu planum est. Neque enim statim (ut Bellarminus falsò affirmat) sententiam illam generalem subjecit, sed præmisit specialem, *Amen dico vobis, Vos qui secuti estis me &c.* ubi Apostolis in specie promittit gloriam aliquam singularem. deinde annectit promissionem hanc generalem, *Et quisquis reliquerit domos aut fratres &c.* Deinde ex primo istius enumerationis membro colligitur (saltem probabiliter) Dominum nomen illud, OMNIA, quo usi fuerant Apostoli, intellexisse de domibus, ac per synecdochen de re familiari: tum autem reliqua tanquam similia addidisse. quasi diceret: Vos meâ causâ reliquistis vestras domos ac rem familiarem, saltem quo ad quotidianum ac perpetuum usum: quo nomine vos remunerabor eximiè: sed scitote exstituros qui similiter relicturi sint domos, aut alias res quas caras habent, ut fratres, sorores &c. quos ipsos quoque remunerabor. Adhæc si Dominus voluisset explicare nomen OMNIA, usus esset enuntiato copulativo; Etenim nomen OMNIA in verbis Apostolorum intelligitur copulativè, q.d. singula quæ habuimus bona, nullo prorsus excepto: verbi gratiâ: nostras domos, & nostras naves, & nostra retia, &c. At Dominus usus est enuntiato non copulativo, sed disjunctivo: ut patet. Adhæc verbum *Relinquere* non significat in verbis Petri abdicationem proprietatis rerum possessarum: sed tantum abdicationem quotidiani ac ordinarii illarum usus pro illo tempore; ut patet ex eo, quòd Dominus narratur venisse in domum Simonis & Andreæ post illorum vocationem, Marc.1.v.29. & Luc.4. v.38. item quòd Luc.5.v.2. Christus docuit turbam è navicula Petri; id quod factum est post illius vocationem. Item, quòd post Christi mortem Petrus unà cum aliis quibusdam Apostolis abivit piscatum, Joh.21.v.2.& 3. unde colligitur, illum adhuc habuisse suam navem & rete: etiamsi illis dum Christum sequeretur non erat usus.

De mendicatione monachorum. *Disput. tom.1.col. 1697.A.

Tertius abusus restat, de mendicatione monachorum. Igitur licere monachis ex mendicatione vivere, inter alia probare nititur Bellarminus exemplo isto Apostolorum. Nam illi (*inquit) omnia dimiserunt. Matt.19. Ecce reliquimus omnia. Nec habuerunt possessiones in communi: ut patet Matth.10. Nolite possidere aurum, neq; argentum &c. Nec operabantur manibus: sed vivebant ex liberalitate eorum quibus prædicabant: ut patet ex eod.c.10. Matthæi, & 1.Cor.9. Talis autem est vita mendicantium. Unde S. Franciscus, qui cum S. Dominico primus author fuit hujus instituti, pro regula suscepit 10. caput Matthæi. Hæc Bellarminus. Argumentum principale est hoc:

Si vita mendicantium est talis qualis fuit vita Apostolorum, sequitur esse licitam.

At est talis. Licita igitur.

Nego assumtionem. Sed hanc Bellarminus probat sic:

Si Apostoli omnia dimiserunt, nec habuerunt possessiones in communi, nec operabantur manibus, sed vivebant ex liberalitate eorum quibus prædicabant: eadem verò faciunt monachi mendicantes: ergo vita horum talis est qualis fuit illorum.

Sed verum est antecedens. Ergo & consequens.

Nego propositionem. quia ut vita medicantium monachorum verè similis dici possit vitæ Apostolorum, requiruntur adhuc quædam quæ in illis desiderantur: ut quòd Apostoli sua reliquerunt non sponte, sed ex vocatione Christi: ac monachi isti contrà reliquerunt sua (si tamen omnes isti habuerunt aliqua quæ relinquerent) sponte, non autem ex vocatione Christi. deinde Apostoli etsi dum apud Christum viverent, ordinariè non operabantur manibus: quia vivere poterant ex nummis quos Domino & ipsis donabant sanctæ quædam mulieres: tamen si postulasset necessitas, fuissent operaturi, videlicet piscaturi: potiùs quàm ut mendicarent. Adhæc Apostoli sua non ita reliquerunt, ut se abdicarent illorum proprietate: id quod faciunt monachi. Denique Apostoli nusquam leguntur mendicasse. Quare monachi mendicantes exemplo illorum nequaquam suum factum possunt tueri. Porrò ad S. Franciscum quod attinet (ut hoc obiter addamus) malè is pro regula suscepit 10. caput Matthæi: quippe illic continetur præceptum speciale datum Apostolis à Domino, pro ratione illius temporis ac legationis tunc obeundæ. Ad quid hoc ad Franciscum vel alios?

Confessio Evangelij.

22 Ex v.27.& sequentibus. Quum Christus eximiam remunerationem promiserit iis qui propter gloriam ipsius, confitendâ nimirum veritate Evangelii ab ipso traditi, bona sua & amicos relinquunt: decet nos ad hanc rem paratos ac promtos esse; nec admodum dolere aut contristari, quum propter confessionem veritatis cælestis bonis nostris terrenis spoliamur, sed potiùs gaudere.

Judicium ultimum.

23 Ex v.28. Quærat aliquis, quomodo cum hac promissione Apostolis factâ conveniat sententia Pauli 1.Cor.6.v.3. ubi in genere affirmat, sanctos mundum judicaturos? Puto sic convenire: quòd omnes quidem sancti Christo judici assessores futuri sint, illiusque sententiam quam in impios feret, suo quasi calculo approbaturi: sed præ cæteris Apostoli, tanquam assessores proximi atque primarii: quippe ex quorum doctrina in mundo prædicata sententiam Christus feret.

Hypocritarum exitus.

24 Ex v.30. Quum hypocritæ, qui nunc in Ecclesia primum locum tenent, olim in cælo futuri sint ultimi, atque adeò penitus è cælo sint exterminandi ac in tenebras extimas conjiciendi: non est quòd illorum fastu magnopere moveamur: quum non perpetuò nobis molesti sint futuri.

Dissolutioris vitæ homines.

25 Ex eod.v. Quum multi qui ultimi in Ecclesia sunt, atque adeò ad Ecclesiam non videntur pertinere, puta dissolutioris vitæ homines, olim in cælo primum locum sint habituri, vel certè multis aliis præituri qui nunc videntur esse primi: decet nos non temere quenquam talem damnare, aut de illius emendatione ac salute æterna desperare: sed potiùs orare pro illis debemus, ut quamprimùm ad Deum seriò convertantur & salvi fiant.

ANALYSIS CAP. XX.

ARGUMENTUM.

Hoc caput distingui potest in quinq; partes. nam primò proponit Christus similitudinem de operariis à patrefamiliâs conductis in vineam, usque ad v.17. Secundò prædicit duodecim discipulis passionem & mortem suam, usque ad v.20. Tertiò rejicit petitionem matris filiorum Zebedæi, usque ad v.24. Quartò dehortatur discipulos ab ambitione, usque ad v 28. Postremò visum dat duobus cæcis, usque ad finem cap.

PARS PRIMA.

Similitudo de operariis in vineam conductis.

Simile enim est regnum cælorum homini patrifamiliâs, qui exiit cum prima luce ad conducendos operarios in vineam suam.

2 Pactus autem cum operariis denario in diem, misit eos in vineam suam.

3 Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos:

4 Et illis dixit, Abite & vos in vineam: & quod justum fuerit, dabo vobis.

5 Illi autem abierunt. Rursum egressus circa sextam & nonam horam, fecit itidem.

6 Circa horam autem undecimam egressus, invênit alios stantes otiosos, ac dicit eis, Cur hîc statis totum diem otiosi?

7 Dicunt ei nemo nos conduxit. Dicit eis, Abite & vos in vineam: & quod fuerit justum, accipietis.

8 Vesperâ autem factâ, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde eis mercedem, exorsus ab ultimis, *& pergens* usque ad primos.

9 Et quum venissent qui circa undecimam horam *conducti fuerant*, acceperunt singuli denarium.

10 Venientes autem & primi, existimarunt se plus esse accepturos: sed acceperunt ipsi quoque singuli denarium.

11 Et quum accepissent, murmurabant adversus patremfamiliâs.

12 Dicentes, Isti ultimi unam *tantùm* horam operati sunt, & *tamen* eos æquales nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstum.

13 Ipse verò respondens dixit uni eorum, Amice, non facio tibi injuriam: nónne denario pactus es mecum?

14 Tolle quod tuum est, & abi. Volo autem huic ultimo dare ut & tibi.

15 Aut non licet mihi facere quod volo de meis? An oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?

16 Sic ultimi, erunt primi: & primi, ultimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Similitudo continet partes duas: protasin, seu recitationem ipsius similitudinis, usque ad v.16. & apodosin sive accommodationem similitudinis ad propositum, v.16. Protasis rursum distingui potest in duas partes. Primùm enim narrat, quomodo paterfamiliâs operarios conduxerit, usque ad v.8. deinde quomodo illis dederit mercedem, usque ad v.16. Conductio operariorum distribuitur per tempora quinque. Quidam enim conducti fuerunt cum prima luce, v.1. quidam horâ tertiâ v.3. alii horâ sextâ, & rursum alii horâ nonâ, v.5. denique nonnulli horâ undecimâ, v.6. Adhæc conductio describitur ex pacto dissimili. Etenim cum illis primis pactus est paterfamiliâs pretio certo, videlicet denario: at reliquis promisit pretium justum indefinitè. Præterea conductio describitur ex dissimili forma salutandi. nam ultimos illos increpavit paterfamiliâs nomine ignaviæ: priores verò non item. Jam ad distributionem sive erogationem mercedis quod attinet: illa describitur primùm ex circumstantia

temporis, quòd videl. merces distributa sit in vespera, v.8. deinde ex causa ministra, quòd distributa sit per procuratorem, ibid. tum ex ipsa forma, videlicet ordinis in versione, quòd scilicet cœptum sit ab ultimis, & ita deinceps ordine retrogrado progressio facta ad primos, ibid. & v.9. ac 10. Postea narratur illius formæ effectum geminum, nempe murmur primorum, vers. 11. & expostulatio eorundem cum patrefamiliâs, v.12. Tum subjicitur patrisfamiliâs defensio, qui justitiam suæ distributionis defendit, ac vicissim istos murmuratores invidiæ nomine reprehendit, v.13.14.& 15. Atque hæc de protasi. Apodosis v.16. continet sententias tres quas Christus illâ similitudine voluit insinuare. Una est, quòd futurum sit ut quidam qui videntur desperati, recipiantur in cælum: nempe quia tandem obediunt vocationi Dei, ac pendent ab ipsius gratia. Istam sententiam enuntiat his verbis: *Sic ultimi, erunt primi.* Altera sententia est, quòd futurum sit ut quidam hypocritæ qui videntur esse sancti præ cæteris, è cælo excludantur: quia nimirum in hypocrisi perseverantes, illud sibi dari petunt ex merito, gloriantes de suis operibus. Istam sententiam enuntiat his verbis: *Et primi*, (subaudi, erunt) *ultimi.* Tertia sententia est, quòd non omnes qui vocantur externè, vocentur etiam internè: sed soli electi. Istam enuntiat sic: *Multi enim sunt vocati: pauci verò, electi.* Sed præter hæc tria videtur illud quoque docere voluisse, quòd non omnes vocentur eodem tempore ætatis; sed alii citiùs, alii tardiùs: puta, nonnulli in pueritia, alii in adolescentia, alii in virili seu stata ætate, alii in senectute, nonnulli denique paulò ante vitæ finem: qui quidem quinque gradus ætatis per quinque illos gradus horarum diei, in parabola propositos, notati esse videri possunt. Quin illud quoque docere voluisse Dominum apparet, quòd DEUS vitam æternam daturus sit ex gratia, non autem ex merito. Prima sententia discitur ex eo, quòd ignavi illi qui totum diem steterant otiosi, tandem vocati sunt in vineam, & mercedem acceperunt. Secunda ex eo, quòd primi illi operarii ultimo loco mercedem acceperunt, & postea propter murmur suũ à patrefamiliâs reprehensi sunt. Tertia ex eo, quòd primi illi operarii non agnoverunt gratiam patrisfamiliâs. Quarta ex eo, quòd operarii illi in vineam vocati sunt diversis horis. Quinta denique ex eo, quòd denarius datus est operariis illis ultimis: item ex verbis patrisfamiliâs, ubi dixit: *An non licet mihi quod volo facere in meis? An oculus tuus malus est, quòd ego bonus sum?*

Scopus parabolæ, positus in doctrinis quinque.
1. Desperati.
2. Hypocritæ.
3. Vocatio duplex.
4. Vocationis tempora diversa.
5. Vita æterna.

ἀπ. λύς. Cæterùm contra secundæ doctrinæ deductionem excipiat aliquis: primos illos operarios etsi ultimo loco mercedem acceperunt, tamen mercedem, videlicet denarium (quo hîc significatur vita æterna) accepisse: ac proinde non rectè inde colligi, hypocritas justitiarios à vita æterna penitus exclusum iri. Respondeo; Doctrinam istam ex illa parabolæ parte rectè colligi, planum est ex ipsis verbis quibus eam Christus proponit, quum ait: *Sic primi, erunt ultimi.* Sed in hac sententia observandus est tropus in voce, *Ultimi*: quæ hîc per synecdochen hyperbolicam idem valet quod, *Nulli*, seu nullo loco habiti, sed ex numero exclusi. Estque synecdoche gemina: prior speciei pro genere, *Ultimi*, id est, Pænè nulli, pro, nulli: posterior generis pro specie, *Nulli*, pro Prorsus nulli. Nomen autem, Nullus nulla nullum, interdum usurpari pro Pęnè nullus, intelligitur ex his exemplis. Cic. 3. Philip. *Homo nullo numero*, id est, pænè nullo, seu nullius pretii. Item pro Quintio: ubi ait, *Quintio esse tenues opes, nullas facultates*, id est, pænè nullas seu exiguas. Item Plinius lib. 11. c. 2. *In his tam parvis, atq; tam nullis, quæ ratio? quanta vis? quàm inextricabilis perfectio?* Nullis: id est, pænè nullis. Loquitur enim de insectis, animalculis valde exiguis. Quod ut pleniùs intelligatur: totum numerum hominum de quibus in cælum recipiendis consultabitur, distribuamus primùm in partes duas, videl. eos qui erunt aliquo loco, & eos qui erunt nullo loco: deinde utrosque iterum distinguamus: illos quidem in eos qui erunt summo loco, & eos qui erunt loco mediocri: istos verò in eos qui erunt loco pænè nullo, id est, qui erunt loco ultimo, & eos qui erunt loco prorsus nullo, hoc est, qui penitus ex numero recipiendorum excludentur. Jam de his postremis hîc dicitur, *Primi, erunt ultimi*: quasi dicatur, Erunt pænè nullo loco: & tamen per amplificationem intelligitur, Imò erunt prorsus nullo loco. Et sic apud Romanos, cives pauperes etiamsi essent in numero civium: tamen quia erant ultimi, perinde habebantur ac si in numero non essent: quippe non censebantur unà cum reliquis. Hinc illud Ciceronis pro Flacco: *Nunc verò quid putem, Trallianos Meandrio causam commisisse, homini egenti, sordido, sine honore, sine existimatione, sine censu?* Ac ut sententia proposita magis illustretur, eâdemque operâ probabilior reddatur: conferendum est dictum huic simile, atque adeò hanc ipsam sententiam specialiter declarans, videlicet infrà cap. 21. v. 31. ubi Christus ad principes sacerdotum & seniores populi ait: *Amen dico vobis, publicani & meretrices præcedunt vos seu præeunt vobis* (*προάγουσιν ὑμᾶς*) *in regnum Dei.* Quæ verba si propriè accipiantur: significavit Christus, istos quoque hostes suos in cælum perventuros, non minùs quàm publicanos & meretrices qui resipuerant ad prædicationem Johannis & in Christum credebant: sed tamen ingressuros demum post illos seu ultimo loco. At Christus significavit illis verbis, istos planè non ingressuros: quippe qui non resipuerint nec credant: sicut apertè eis exprobrat versu sequente. Cæterùm consimilis est hyperbole in altera quoque hujus loci sententia: ubi ait, *Ultimi erunt primi.* quasi dicat: Multi ex manifestis illis peccatoribus, puta publicanis & meretricibus, qui videntur è cælo penitus excludendi, in cælum recipientur, imò primum in eo locum obtinebunt. At propriè loquendo primum locum in cælo haud dubiè habebunt sancti illi homines qui per omnem ferè vitam Deum coluerunt & de ecclesia DEI optimè meriti sunt: puta Prophetæ & Apostoli, & id genus alii. Placuit autem Christo illâ loquendi formâ uti, propter elegantiam (ut videtur) oppositionis notantis aliquid in speciem *παράδοξον* ac inopinatum.

SECUNDA PARS.

Prædictio passionis, &c.

17 Et ascendens JESUS Hierosolymam, assumsit duodecim discipulos suos privatim in via, & dixit eis:

18 Ecce, ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur primariis sacerdotibus ac scribis, & condemnabunt eum morte:

19 Tradentque eum gentibus, ut illudant, & flagellent, & crucifigant: Sed tertio die resurget.

In describenda prædictione passionis, Evangelista primò indicat tempus quo Dominus illam duodecim discipulis prædixit, videlicet tum quum ipse postremò ascenderet Hierosolymam: secundò modum quo prædixit, videlicet privatim, absente scilicet turbâ: tertiò locum ubi prædixit, videlicet in via. Atque hæc habentur v.17. Quartò recitat ipsa verba Domini, v.18. & 19. quibus indicatur primùm locus futuræ passionis, videlicet urbs Hierosolyma: deinde authores, videlicet unâ ex parte sacerdotes & scribæ: alterâ ex parte gentes, id est, Pilatus cum militibus Romanis: tum eorundem actiones: ut quòd sacerdotes & scribæ damnaturi sint ipsum morte, & traditúri gentibus: quodq; gentes ipsum sint illusuræ, flagellaturæ, crucifixuræ. In quibus tribus actionibus injuriosis incrementum est, seu gradatio logica à minoribus ad majora. Postremò additur lætus atque inopinatus eventus, videlicet quòd sit ex morte resurrecturus: quæ resurrectio illustratur ab adjuncta circumstantia temporis, videl. quòd resurrecturus sit tertio die.

TERTIA PARS.

Petitio matris filiorum Zebedæi.

20 Tunc venit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo.

21 Ipse verò dixit ei, Quid vis? Ait ei, Dic ut sedeant isti duo filii mei, unus ad dextram tuam, & alter ad sinistram, in regno tuo.

22 Respondens autem Jesus dixit, Nescitis quid petatis. Potestis bibere poculum quod ego bibiturus sum; & baptismate quo ego baptizor, baptizari? Dicunt ei, Possumus.

23 Tunc dicit eis, Poculum quidem meum bibetis, & baptismate quo ego baptizor, baptizabimini; sedere autem ad dextram meam & ad sinistram meam, non est meum dare; sed *dabitur* quibus paratum est à patre meo.

In describenda petitione matris filiorum Zebedæi, primò indicatur tempus, quo illam Domino proposuit, videlicet tunc quum ille paulò antè discipulis prædixisset suam passionem. Secundò indicatur comitatus, quòd videlicet ad Dominum venerit comitata suis filiis, videlicet Jacobo & Johanne, quos expressè nominat Marcus. Tertiò indicatur, quo gestu sese ad petitionem proponendam præparaverit, videlicet adoratione, nempe civili, puta quòd coram Domino procidit in genua, honorandi ipsius causâ. Quartò recitatur ipsa petitio, v.21. Quintò recitatur responsio Christi: qua primùm reprehendit illorum stultitiam, atque ita petitionem obliquè recusat: deinde proponit eis quæstionem de cruce propter ipsum ferendâ: quam quidem duabus metaphoris significat, v.22. Sextò recitatur responsio illorum ad quæstionem propositam, qua profitentur se paratos esse ad crucem propter Dominum ferendam, in fine v.22. Septimò recitatur responsio Domini ad illam professionem, vers. 23. ubi primùm crucem eis eventuram prædicit: deinde petitionem ab eis factam expressè recusat: additâ recusationis causâ, & promissione gloriæ in regno suo eventuræ omnibus piis.

QUARTA PARS.

Dehortatio ab ambitione.

24 Et quum *hæc* audissent *alii* decem, indignati sunt de duobus illis fratribus.

25 Jesus autem quum eos advocasset, ait, Scitis, principes Gentium in eas dominari, & magnates potestatem exercere in eas.

26 Verùm non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister.

27 Et quicunque voluerit inter vos primus esse, sit vester servus.

28 Sicut filius hominis non vênit ut pateretur sibi ministrari, sed ut ministraret, daretque animam suam *in* redemptionis pretium pro multis.

Narraturus hortationem Christi qua discipulos dehortatus est ab ambitione, & contrà exhortatus ad humilitatem seu animi demissionem; primùm indicat occasionem seu causam impulsivam, qua fuit ad illam hortationem adductus: Ea causa fuit indignatio decem reliquorum discipulorum adversus Johannem & Jacobum propter petitam à Domino primam in ejus regno dignitatem, v. 24. Deinde indicat præparationem seu adjunctam actionem qua Dominus illos ad audiendam hanc exhortationem præparavit. Ea fuit, quòd eos ad se vocavit, videlicet tanquam aliquid serium eis propositurus, in principio v. 25. Tum recitat ipsam exhortationem. Illa autem confirmata est tribus argumentis: quorum primum sumtum est à disparatis: quod sic potest concludi. Dominari, est principum mundanorum: At vos non estis principes mundani: Non igitur est vestrum dominari: & per consequens, non debetis dominatum appetere. Propositio præcedit ibi, *Scitis principes &c.* confirmata testimonio conscientiæ ipsorum discipulorum, ubi ait, *Scitis*. Assumtio ut nota omittitur: vel certè non ponitur expresse & integrè; veruntamen notatur in ipsa sententia conclusionis per conjunctionem adversativam, δὲ, in principio v. 26. ubi dicit, οὐχ οὕτως δὲ ἔςαι ἐν ὑμῖν: id est, *Verùm non ita erit inter vos.* quasi dicat: At vos non estis principes populorum: Ergo nec debetis velle dominari, ut illi. Secundum argumentum sumtum est ab effectu utili, videlicet adeptione veri honoris apud Deum: ubi ait, *Sed quicunq; voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister &c.* v. 26. & 27. quasi dicat: Si expetitis verum honorem apud Deum: debetis alii aliis ministrare ac servire: Nam si hoc feceritis, honorem illum adipiscemini. At honorem illum expetitis, vel certè expetere debetis. Ergo debetis alii aliis ministrare ac servire: non autem alii in alios dominari velle. Tertium argumentum sumit Dominus à suo ipsius exemplo, videlicet tanquam præceptoris ac domini ipsorum: ubi ait, *Sicut Filius hominis non vênit &c.* v. 28. q. d. Si ego paratus sum ad aliis ministrandum: vos quoque similiter affecti esse debetis. Sed ego paratus sum ad aliis ministrandum: idcirco enim vêni, videlicet è cælo in hunc mundum. Ergo &c. Assumtionem illustrat & amplificat appositione exempli specialis, quod positum est in summo ministerii ac humiliationis gradu, videlicet suæ mortis pro electis: quæ mors cum summa ignominia conjuncta fuit, quum scilicet penderet medius inter duos latrones, quasi esset omnium hominum sceleratissimus.

QUINTA PARS.

Quomodo visum dederit duobus cæcis.

29 Tunc egredientibus ipsis ex Jerichunte, sequuta est eum turba multa.

30 Et ecce, duo cæci sedentes juxta viam, quum audissent Jesum præterire, clamârunt, dicentes, Miserere nostri, domine, fili David.

31 Turba autem objurgabat eos ut silerent: illi verò magis clamabant, dicentes, Miserere nostri, domine, fili David.

32 Et quum substitisset Jesus, vocavit eos, & ait, Quid vultis faciam vobis?

33 Dicunt ei, Domine, ut aperiantur oculi nostri.

34 Misericordiâ autem commotus JESUS, tetigit oculos eorum: & statim viderunt oculi eorum, & sequuti sunt eum.

In narratione visus duobus cæcis per miraculum dati indicatur primò tempus quo illud accidit: videl. quum Jesus egrederetur ex urbe Jerichunte Hierosolymam versus. Secùdò, locus ubi accidit: nempe prope urbem Jerichuntem. Tertiò, testes seu spectatores: videl discipuli & turba. Quartò iterum locus, sed specialior: videl. juxta viam prope Jerichuntem. Quintò causa impulsiva procatarctica: videl. petitio cæcorum, quæ illustratur ab adjuncto clamore. Sextò causa corrumpens seu impedimentum: videl. objurgatio turbæ. Septimò remotio causæ corrumpentis: videl. constantia cæcorum in proposito, ac proinde repetitio petitionis: quæ iterum illustratur ab adjuncto clamore: & ille clamor illustratur collatione clamoris prioris tanquam minoris. Octavò præparatio ad miraculum partim in Jesu; partim in cæcis. In Jesu præparatio duplex: una in gestu, quòd substitit: altera in sermone: & hæc iterum duplex: una, quòd cæcos vocavit: altera, quòd interrogavit quid peterent. In cæcis fuit præparatio simplex & unica, videlicet expositio suæ petitionis. Nonò indicatur petitionis illius effectum in Jesu: videl. commotio ad misericordiam: quæ eadem est causa impulsiva antecedens, σπλαγχνισθεὶς, ipsius miraculi. Decimò narratur ipsum miraculum, illustratum à modo agendi: videl. quòd retigit oculos illorum. Postremò additur miraculi effectum in cæcis: videlicet quòd Jesum sequuti sunt.

SCHOLIA IN CAP. XX.

1 Simile enim est regnum cælorum] ὁμοία γὰρ ἐςὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. *Scil. quod attinet ad exclusionem eorum qui videntur nunc esse primi, & ad intromissionem eorum qui nunc videntur postremi. Hoc percipitur ex conjunctione causali, per quam hæc parabola connectitur cum sententia ultima capitis præcedentis. Quod ipsum liquet quoque ex parabolæ hujus apodosi, infrà v. 16.* Cum prima luce] ἅμα πρωῒ. *Ad verb.* Cum mane: *id est, summo mane.* Ad conducendos] μισθώσασθαι. *Pro,* τοῦ μισθώσασθαι. *scilicet,* ἕνεκα. In vineam suam] εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ. *Scil. mittendos, ad opus faciendum.*

2 In diem] τὴν ἡμέραν. *Subauditur* κατὰ.

3 Circa horam tertiam] περὶ τὴν τρίτην ὥραν. *Nempe à solis ortu. Sic enim horas numerabant Judæi, tribuentes cuiq; diei duodecim horas: cujus rei meminit Christus Johan. 11 v. 9.*

7 Nemo nos conduxit] ὅτι οὐδεὶς ἡμᾶς ἐμισθώσατο. *Puto conjunctionem* ὅτι *hoc loco servire tantùm mimesi seu prosopopœiæ: non autem poni* αἰτιολογικῶς. *Etsi enim operarii isti causam his verbis exponunt, cur stent otiosi: non tamen respondent ad interrogationem patrisfamiliâs tanquam de causa illius otii rogati. Neq; enim illa simplex est, de causa propriè quærens: sed est figurata, habens vim reprehendendi: Cur statis? quasi dicat, Non debebatis ita stare. Excipiunt ergo illi ad sese defendendum: Nemo nos conduxit. quasi dicant, Non jure nos reprehendis: quia nemo nos conduxit: itaq; non debebas culpare nos tanquam ignavos.* In vineam] εἰς τὸν ἀμπελῶνα. *Nempe* τὸν ἐμὸν, *meam.*

8 Vesperâ autem factâ] ὀψίας δὲ γενομένης. *Ad nomen* ὀψίας, *subaudiendum* ὥρας. *Est enim adjectivum nomen,* ὄψιος, ὀψία, ὄψιον, *deductum ab adverbio* ὀψὲ, *id est, serò. Sonat igitur,* Serotinâ horâ factâ. *Et pergens* usque ad primos] ἕως τῶν πρώτων. *Ellipsis, quæ percipitur ex antithesi verbi* ἀρξάμενος, *& præpositione* ἕως.

9 Qui circa undecimam horam conducti fuerant] οἱ περὶ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν. *Scil.* μισθωθέντες, *ex v. 1.* Acceperunt singuli denarium] ἔλαβον ἀνὰ δηνάριον. *Præpositio* ἀνὰ *notat distributionem. Simile exemplum vide Joh. 2. 6. de hydriis in nuptiis Canæ Galilææ.*

10 Plus] πλείονα. *Ad verb.* Plura, *hoc est, plures denarios,* πλείονα δηνάρια. *Nisi putandum,* πλείονα *esse numeri singularis, & subaudiendum* μισθὸν: *ut sit,* πλείονα μισθὸν, majorem mercedem. *Sed alterum simplicius.*

12 Unam *tantùm* horam] μίαν ὥραν. *Pro,* μίαν μόνον ὥραν: *non nisi unam horam,* nur ein stund. *Illam vocem subaudiri postulat antithesis. Cæterùm unam horam, id est, per unam horam:* μίαν ὥραν, *id est,* κατὰ μίαν ὥραν. Operati sunt] ἐποίησαν. *Ad verb.* Fecerunt. *Pro,* εἰργάσαντο. *Neq; enim puto hîc esse ellipsin alicujus nominis: sed heterosin verbi. Nam si in Latino suppleatur nomen* opus: *non video quid supplendum sit in Græco, quod illi nomini respondeat: quum Græci (quod sciam) non dicant* ποιεῖν ἔργον, *pro eo quod est* ἐργάζεσθαι. *Sic idem verbum cum accusativo notante spatium temporis, usurpatur ad significandum id quod Latini dicunt,* Agere, *pro eo quod est vivere. Exempla vide Act. 18. 23. & 20. 3. & 2. Cor. 11. 25. & Jac. 4. 13.* Et tamē eos &c.] καὶ ἴσους. *Pro,* καὶ ὅμως ἴσους. *Ellipsis conjunctionis discretivæ.* Pondus diei] τὸ βάρος τῆς ἡμέρας. *Id est, Laborem diurnum integrum. Metaphora.* Et æstum] καὶ τὸν καύσωνα. *Nempe in meridie. Hoc opponunt auræ quæ flare solet sub solis occasum, quo tempore ultimi isti in vinea cœperant laborare.*

13 Denario] δηναρίου. *Pro hoc dixit suprà,* ἐκ δηναρίου, *v. 2.* Pactus es mecum] συνεφώνησάς μοι. *Id est,* μετ' ἐμοῦ: *ut loquutus est suprà v. 2.*

15 Aut non licet] ἢ οὐκ ἔξεςι. *Conjunctione disjunctivâ fit hîc transitio ad aliud institutæ quæstionis argumentum. Quæstio est, an paterfamiliâs isti operario fecerit injuriam, quòd ultimo tantundem dedit quantum illi? Negat hoc paterfamiliâs: suamq; negationem probat primùm ex eo, quòd dederit illi tantum quantum pactus sit. Nunc addit argumentum alterum, quòd potestatem habeat bona sua dandi cui velit.* Non licet] οὐκ ἔξεςι. *Interrogatio vim habet negandi, quasi dicat, Minimè res ita habet, quòd non liceat mihi &c.* De meis] ἐν τοῖς ἐμοῖς. *Nempe,* ὑπάρχουσι *sive* κτήμασι, *bonis seu facultatibus. Cæterùm præpositio* ἐν *hîc notat objectum.* An oculus tuus malus est] ἢ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐςι. *Malus, id est, malignus, invidus. Phrasis Hebræa. Sic suprà 6. 23.* Bonus] ἀγαθός. *Id est, benignus, beneficus:* gütig. *Habet autem ista interrogatio vim reprehendendi: quasi dicat, Pudeat te istius invidiæ.*

16 Vocati] κλητοὶ. *Scil. externè per verbum.* Electi] ἐκλεκτοὶ. *Scilicet ad vitam æternam.*

19 Sed tertio] καὶ τῇ τρίτῃ. *Copulativa pro adversativa. Nam passionibus tristibus & ignominiosis opponitur actio læta & gloriosa.*

20 Filiorum Zebedæi] τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου. *Videlicet Jacobi & Johannis: qui ipsimet dicuntur hanc petitionem Domino propo-*

fuisse, Marc.10.35. Apparet igitur, matrem & filios conjunctis operis negotium hoc egisse. Adorans & petens] προσκυνοῦσα καὶ αἰτοῦσα. *Id est, Adorando petens: seu tali vultu adorans, ut appareret eam aliquid petere velle, ut percipitur ex collatione verborum sequentium.* ἐνδιαδυο. *Simile exemplum vide* Judic.1. v.14. *de filia Calebi.*

21 Dic] εἰπέ. *Præcipe, jube. Synecdoche generis.* Et alter] καὶ εἷς. *Ad verb.* Et unus. *Hebraismus.*

22 Potestis bibere poculum, &c.] δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, &c *Id est, potestisne pati persecutionem propter confessionem Evangelii? Allegoria metaphorica duplex: una à potione amara qualem propinant medici: altera à contumeliosa perfusione, qualis est quum quis perfunditur lotio.*

23 Poculum quidem meum] τὸ μὲν ποτήριόν μου. *Id est, tale quale ego bibiturus sum. Ex collatione præcedentium & sequentium,* Quo ego baptizor] ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι. *Id est, brevi baptizabor. Ante* ὃ *accusativum subauditur præpositio* κατὰ. *Qualis ellipsis videatur esse & in illo Paulino,* τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν. *Pro,* καθ' ὃ εὐλογοῦμεν. *Scilicet* τὸν Θεόν. *quanquam probabilius est, accusativum* ὃ *illic regi à verbo* εὐλογοῦμεν. *Nam si alterum sensum sequutus esset Apostolus, videtur dicturus potiùs fuisse,* ᾧ εὐλογοῦμεν*: quum ista ellipsis videatur durior.* Sed dabitur quibus] ἀλλ' οἷς. *Pro,* ἀλλὰ δοθήσεται οἷς*: id est,* ἐκείνοις οἷς, *&c. Ellipsis contrarii: ut planum est ex ipsa antithesi.*

24 *Alii* decem] οἱ δέκα. die zehen. *nempe decem reliqui Apostoli. Id in Græco notat articulus.* Indignati sunt de duobus illis fratribus] ἠγανάκτησαν περὶ τῶν δύο ἀδελφῶν. *Id est, propter duos illos fratres: nempe propter illorum ambitionem, qua volebant primum dignitatis locum ipsis præripere in regno Christi, quod somniabant mundanum fore.*

25 In eas dominari] κατακυριεύουσιν αὐτῶν. *Verbum regit genitivum tum vi præpositionis, tum vi nativa significationis. Neque enim compositum illud plus hoc loco significat quàm simplex,* κυριεύειν. *Eadem est ratio verbi* κατεξουσιάζειν *quod sequitur: sicut plenius declarabitur in observationibus locorum doctrinæ.*

26 Verùm non ita erit] οὐχ οὕτως δὲ ἔσται. *Id est,* Ne ita esto*: seu, non debet ita esse: ut liquet ex antithesi.* Quicunque voluerit] ὃς ἐὰν θέλῃ. *Pro,* ὃς θέλῃ ἄν.

28 Filius hominis] ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Id est, Ego.* Non vênit ut pateretur sibi ministrari] οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι. *Id est,* ἵνα διακονηθῇ*: quod sonat, Ut ministraretur, scilicet ipse: hoc est, ut pateretur sibi ministrari, seu ut ministeria admitteret atque reciperet. Græcismus, qualis in illo de Rachele,* καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, *supr.2.18. Item in illo,* ὃ (*scilicet* εὐαγγέλιον) ἐπιστεύθην ἐγώ. *1.Tim.1. v.11.* Daretque animam suam *in* redemtionis pretium] καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον. *Pro,* εἰς λύτρον, *in pretium, seu, pro pretio redemtionis.* Zur ransoon oder lösgelt. *Videtur autem esse synecdoche Hebraica, Animam suam, id est, seipsum. Sed notatur talibus phrasibus mors, nempe separatio animæ à corpore: ut in his locis apparet: Mortui sunt qui quærebant animam pueruli, supr.2.20. Ego relictus sum solus, & quærunt animam meam, Rom.11.v.3. Animam meam pono pro ovibus, Joh.10. v.15. Animam meam pro te ponam, Joh.13.v.37.* Pro multis] ἀντὶ πολλῶν. *Nempe pro omnibus sibi datis à patre, Johan.17. Id est, pro omnibus electis.*

30 Fili David] υἱὸς Δαβίδ. *Periphrasis Christi à causa procreante.* υἱὸς *pro* υἱέ.

32 Quid vultis faciam] τί θέλετε ποιήσω. *Pro* ἵνα ποιήσω, *ut faciam.*

33 Aperiantur] ἀνοιχθῶσιν. *Id est, Visu donentur. Metaphora. nam quorum oculi visu carent, perinde est, ac si oculos clausos haberent.*

34 Viderunt] ἀνέβλεψαν. τὸ ἀναβλέπειν, *non aliud significat quàm* τὸ βλέπειν, *nisi quòd connotat motum sursum, tanquam compositum ex* ἀνὰ *valente* ἄνω.

OBSERVAT. EX CAP. XX.

1 Ex parte prima. Doctrinæ principales ex ista similitudine observandæ, indicatæ jam sunt in illius expositione, (quæ inserta est Analysi) numero quinque.

Bonorum operum necessitas. 2 Ex v.1. Ex eo quòd Christus regnum cælorum quo ad modum illius consequendi, comparat patrifamiliâs conducenti operarios in vineam suam, discimus: neminem adultum vitam æternam seu beatitudinem illam cælestem adepturum, quin priùs in hac vita faciat bona opera: id est, opera Deo grata, sicut homini gratæ sunt uvæ. Talia autem sunt, quæ ab ipso sunt mandata, & ex vera in ipsum fide fiunt, ad gloriam ipsius, seu ad ipsum honorandum atque glorificandum. Quare qui bonis operibus non student, non habent spem vitæ æternæ. Ac proinde ut spem hanc habeamus atque alamus, bonis operibus nos studere oportet.

Bonorum operum origo. 3 Ex eod. v. Bonis operibus nemo studet ultrò, sed ii tantùm qui ad hoc efficaciter à Deo vocantur. Sicut isti operarii non ultrò patrifamiliâs operam suam obtulerunt: sed ab illo vocati, in vineam abierunt. Quare qui bonorum operum studio delectantur, gratiam Dei in ea re agnoscant: nec sibi ipsis placeant, aliósve præ se contemnant, quasi illis naturâ sint meliores.

Christiani hominis officium. 4 Ex v.1.3.5.& 6. Ex eo quòd operarii diversis horis conducti sunt. Quum non omnes quibus Deus vitam æternam dare constituit, eodem tempore ætatis efficaciter vocentur, sed alii citiùs, alii tardiùs, nonnulli demum sub vitæ finem, ut monemur exemplo latronis in cruce conversi: charitatis est, de iis quos nondum vocatos cernimus non desperare: ac proinde tentare ea quæ ad ipsos emendandos conducunt.

5 Ex v.2.4.& 7. Ex dissimili pacto conductionis operariorum admonemur de duplici fœdere Dei cum suo populo: quorum unum nominatur vetus, & est legale: alterum, novum, & est gratuitum seu evangelicum. *Fœdus Dei.* Natura fœderis legalis insinuatur per conductionem operariorum primorum. nam sicut paterfamiliâs illos conduxit statim cum prima luce, eosque sibi promissione certę mercedis obstrinxit ad laborandũ in vinea per totum diem, atq; ita ad merendum promissam mercedem: ita Deus statim initio quum Israëlitas à tyrannide Ægyptiorum liberavit, sibique in peculium asseruit, tulit illis legem: & illos ad vivendum ex illius præscripto per omnem vitam sibi obstrinxit promissione bonorum corporalium ac vitæ æternæ, atque ita ad merendum promissa bona. Itaque fedus legale requirit merita, & gignit fiduciam in meritis. quod insinuatur per operariorum istorum murmur adversus patremfamiliâs, & expostulationem cum illo, quasi ipsos non tractaret pro merito: ut qui ipsis non daret plus mercedis, quàm reliquis qui non per totum diem in vinea opus fecerant. Contrà, fedus evangelicum non requirit merita, ac proinde nec gignit fiduciam in meritis: sed requirit obedientiam, & gignit fiduciam in gratia Dei promittentis. Id quod significatur per conductionem reliquorum operariorum. Ab illis enim petivit quidem paterfamiliâs ut in vinea opus facerent: sed non est cum eis pactus certâ mercede: sed tantùm indefinitè promisit, se illis postquam opus fecissent, daturumque quod sibi justum videretur. Necesse igitur fuit ut illi penderent à patrisfamiliâs bonitate & gratiâ. quod nisi fecissent: non passi essent se conduci nisi certâ mercede.

6 Ex v.6. ex verbis, *Cur hic statis totum diem otiosi?* Qui tardè resipiscunt, reprehensionem merentur. *Pœnitentia.* Quare nemo pœnitentiam differat aut procrastinet: præsertim quum nemo sibi certò possit polliceri, se tandem adepturum à Deo resipiscendi gratiam. Itaque omnes attendant ad illud, Hodie si vocem ejus audieritis, ne obdurate corda vestra, Heb.4.v.7.

7 Ex v.8. Vita æterna seu beatitudo illa cælestis dabitur à Deo cultoribus ipsius in vespera mundi, id est, in fine mundi: idque per Filium, tanquam procuratorem. *Vita æterna.*

8 Ex eod. vers. Ex eo quòd vita æterna comparatur mercedi, non est concludendum, illam datum iri ex hominum meritis. nam datum iri ex gratia Dei, tum passim Scriptura testatur, tum hæc ipsa parabola insinuat. Etenim denarius qui in mercedem promissus fuit primis operariis, datus est etiam reliquis qui non totum diem, ut illi, opus fecerant: & quibus non fuerat promissus. unde planum evadit, datum istis esse denarium non ex ipsorum merito, sed ex patrisfamiliâs bonitate & gratia: id quod ipsemet expressè affirmat, quum dicit uni ex murmurantibus illis: *Volo huic ultimo dare ut tibi. Annon licet mihi quod volo facere in meis? An oculus tuus malus est, quia ego bonus sum.* Ex his percipitur, vitam æternam non comparari mercedi, propterea quòd detur ex merito. Quærenda igitur est alia comparationis ratio. Ea autem insinuatur in hac parabola duplex. Una per pactum cum operariis primis: altera per circumstantiam temporis quo merces operariis fuit data. Nam sicut paterfamiliâs primis operariis promisit denarium pro mercede, sub conditione operis in vinea faciendi per totum diem: sic Deus populo suo promisit vitam æternam pro mercede, sub conditione perfectæ obedientiæ legi ipsius ex propriis viribus præstandæ per totam vitam, ita ut ne semel quidem contrà facerent: juxta illud, *Qui fecerit hæc homo, vivit in eis.* Deinde sicut denarius operariis illis datus est in vespera post labores in vinea peractos: sic vita æterna veris cultoribus Dei dabitur in vespera mundi post peractos pios in hac vita labores. Contra hanc comparationis declarationem potest excipi: denarium datum esse illis primis operariis ex merito: ergo saltem aliquos fore quibus detur vita æterna ex merito. Respondeo: Non est necesse ut similtudo ad propositum quadret per omnia: sed satis est si quadret cum dicentis scopo. Ista autem comparationis pars non solùm non quadrat cum Christi scopo, sed etiam illi repugnat. Voluit enim docere, justitiarios qui in meritis operum suorum confidunt, à vita æterna exclusum iri. Ergo quòd primis illis operariis per quos justitiarii significantur, datus fuit denarius: eo significatur hoc tantùm, Si qui tales essent qui Legem perfectè servarent, illis vitam æternam ex merito datum iri.

9 Ex eod. v.8. Ex nomine operariorum infert Bellarminus liberum hominis arbitrium in actionibus piis & salutaribus, sic colligens Disp. tom.3. col.902.B.& C. *Liberum arbitrium* Operarii hîc dicuntur, inquit, qui bona opera ad salutem conducentia peregerunt: Ergo voluntas hominis prædita est libertate in operibus piis & salutaribus: seu, homines bona opera faciunt per liberum arbitrium. Redigamus hoc enthymema in syllogismum.

Si homines non facerent bona & salutaria opera per liberum arbitrium, saltem ex parte: tum ii qui talia opera peregerunt, non dicerentur operarii.

At dicuntur operarii.

Ergo

Ergo homines faciunt bona opera per liberum arbitrium, saltem ex parte.

Respon. Nego connexum. nam etsi homines bona opera non faciunt per liberum arbitrium, id est, per facultatem naturalem volendi bonum; sed per facultatem supernaturalem quam illis Deus ex gratia singulari tribuit per Spiritum sanctum, qui voluntatem eorum naturaliter à bono aversam, ad bonum flectit atque efficaciter movet: tamen rectè dicuntur operarii, respectu bonorum operum quæ faciunt: quia faciunt illa liberè, non coactè, imò libenter.

Vita æterna. 10 Ex v.9.& 10. Quærat aliquis, quomodo cum hoc loco consentiat doctrina Pauli 1.Cor.15.v.41.& 42.ubi docet, in vita æterna fore gradus gloriæ, sicut sunt gradus claritatis in stellis. At Christus hoc loco docet, omnibus piis datum iri præmium æquale: quatenus dicit, operariis singulis datum esse denarium. Resp. Dabitur singulis præmium æquale vel potiùs unum & idem, videl. vita æterna: Sed id non obstat, quò minùs in ipsa vitâ æterna futuri sint gradus gloriæ ac beatitatis.

Justitiarii. Hypocritæ. 11 Ex v.10.11.& 12. Justitiarii jactant sua merita, & illa meritis aliorum præferunt: quin etiam cum Deo ipso expostulare audent de non præstita digna mercede. Exemplo est ille Pharisæus orans in templo cum publicano, Luc.18.v.9. & seq. Item Judæi hypocritæ apud Esaiam c.58.v.3.qui Deum sic alloqui non verebantur: *Quare dum jejunamus, non respicis? dum affligimus animam nostram, non agnoscis?* Nos verò talem hypocrisin & jactantiam toto pectore aversemur.

Gubernatio Dei. 12 Ex v.13.14.15. Etsi Deus gratiam ac liberalitatem suam non exercet erga omnes, sed tantùm erga aliquos: nemini tamen facit injuriam. quia cum aliis agit ex rigore justitiæ seu severitate: cum aliis verò ex libera potestate ac bonitate. Confer Rom.9.v.15.& deinceps: & cap.11.v.22.

Conciliatio duorum locorum scripturæ, de vocatio. 13 Ex v.16. Quærat aliquis, quomodo cum hac sententia Christi conveniat doctrina Pauli Rom.8. v.30. Etenim secundùm doctrinam Pauli omnes vocati glorificabuntur: at secundùm doctrinam Christi, quidam vocati è regno cælorum excludentur. Resp. Christus loquitur de vocatione externa, quâ per evangelii prædicationem vocantur tam reprobi quam electi: at Paulus loquitur de vocatione interna seu efficaci, qua Spiritus sanctus per evangelii prædicationem est efficax in cordibus electorum, donando illis fidem qua justificentur & salventur. Non igitur duo illa loca inter se pugnant: quum non sit sermo de unâ & eâdem re. neque enim contradictoriè opponuntur hæc duo enuntiata: *Quidam externè vocati non servabuntur: Omnes internè vocati servabuntur*: quorum illud tradit Christus hoc loco, istud verò Paulus Rom.8.

Obedientia Christi. 14 Ex v.17.18.& 19.Ex eo quòd Christus discipulis passionem suam Hierosolymæ sibi paulò pòst eventuram prædixit, & tamen ultrò eò se contulit, discimus, eum passum esse non invitum seu coactum, sed volentem: ut scil. obediens fieret Patri, qui ideò corpus ei aptaverat ut illud ipsi per mortem offerret in sacrificium expiatorium pro electis. Usus hujus doctrinæ est consolatio: ut certò statuamus, inobedientiam nostram qua mortem æternam sumus commeriti, hac obedientiâ Christi esse expiatam. Confer Rom.5.v.19.Heb.10.v.5.& sequentibus.

Officium hominis Christiani. 15 Ex iisdem versib. Obedientia hæc Christi nobis in exemplum proposita esse debet quod imitemur: ut scil. propter confessionem doctrinæ Christianæ divinitus nobis patefactæ parati simus ad patiendum odium ac persecutionem mundi. Atq; hanc obedientiam à nobis requirit ipse Christus, cùm ait: *Qui vult meus esse discipulus, abneget sese, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Similiter ait Petr⁹: *Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplar: ut insequeremini vestigia ipsius,* 1.Pet.2.v.21.

Doctorum Ecclesiæ officium. 16 Ex iisdem versib. Exemplo Christi prædicentis discipulis eventuram sibi passionem, monentur doctores Ecclesiæ, officii sui esse, auditores suos præmonere de persecutione quæ sinceros veritatis cælestis confessores manet: ut sese maturè ad illam præparent, néve offendantur quum illam viderint vel sibi vel aliis evenire. Id fecisse Paulum & Barnabam, testantur Lucas, Act.14.v.22.Et Paulus ipse idem de se & comitibus suis testatur 1.Thess.3.v.4.

Patefactio arcanorum. 17 Ex v.17.Ex eo quòd Christus passionem suam solis discipulis, remotâ turbâ, prædixit, monemur: non omnia quibusvis patefacienda esse: sed videndum quid quibus conveniat, & quid ad rectè expediendum nostrum officium conducat.

Consolatio confessorum contra persecutionem. 18 Ex v.18.& 19. Quum videmus, eos qui primum in Ecclesia locum tenent, puta Papam cum suis Cardinalibus & Episcopis, morte condemnare confessores Christi, eosdemque profanis magistratibus tradere supplicio afficiendos: consolemur nos partim exemplo Christi, cui idem accidit, & cui nos oportet conformari, tanquam membra capiti, tanquam discipulos præceptori, tanquam servos domino; partim verò læto eventu qui sinceros veritatis cælestis confessores manet, videl. resurrectio ad vitam æternam. nam si cum Christo patimur, glorificabimur quoque cum eo, Rom.8.v.17.& seq.2.Tim.2.v.11.& 12.

Ambitio. Ignorantia. 19 Ex v.20.& 21. In exemplo filiorum Zebedæi ac matris eorum proponitur nobis imago corruptæ nostræ naturæ, unde fit ut laboremus ambitione, cupientes præ cæteris eminere: item ut laboremus ignorantiâ veræ felicitatis, quærentes scilicet eam in rebus terrenis. Hæc vitiositas nobis agnoscenda & deploranda est, Deusque orandus ut eam per Spiritum sanctum emendet.

Officium doctorum Ecclesiæ. 20 Ex v.22. Exemplo Christi monentur doctores Ecclesiæ, officii sui esse ut auditores suos, quum eos vident errare, reprehendant: item ut de cruce eos præmoneant.

Crux. 21 Ex eod.v.Ex eo quòd crux comparatur poculo, monemur illam immitti à Deo: idque sapienter & ad cujusque vires accommodatè. Sicut nimirum paterfamiliâs domesticis suis, aliis plus infundit, aliis minus. Usus doctrinæ est, ut crucem patienter feramus.

22 Ex eod.v.Ex eo quòd crux comparatur baptismo, monemur, sacrum Baptismum quo in Christi nomen baptizati sumus, habere etiam significationem crucis propter Christum suscipiendæ ac ferendæ: ac proinde officii nostri esse, illam alacriter, quoties necessitas postulat, suscipere ac ferre, Rom.6.v.3.4.5.6.

Ignorantia. 23 Ex eod. v. In filiis Zebedæi proponitur nobis exemplum naturalis nostræ ignorantiæ, quòd scilicet non rectè nos ipsos novimus: quippe putantes nos id posse quod tamen nequaquam possumus. Quis enim potest seipsum abnegare, & crucem alacriter suscipere? quod tamen se posse filii Zebedæi profitebantur.

Persecutio. 24 Ex v.23. Quòd Christus eventurum prædixit filiis Zebedæi, idem unusquisque nostrûm sibi quoque dictum putet. Etenim omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur: ut ait Paulus 2.Tim.3. Item, Per multas tribulationes ingredi nos oportet in regnum cælorum; ut ait idem Act.14.

Christi regnum. 25 Ex eod.v.ex verbis, *Non est meum dare.* Christus non venit in mundum ut esset rex terrenus, sed cælestis. Valde igitur errant Judæi de regno Christi.

Regnum cæleste. Vita æterna. 26 Ex eod.v.ex verbis, *Sed quibus paratum est, &c.* Regnum cæleste à Deo paratum est non omnibus hominibus, sed tantùm aliquibus: videl. electis, qui suo tempore efficaciter vocantur, ac donantur verâ fide & charitate: ut perspicitur ex verbis Christi infra cap.25.v.34.& sequentibus.

Ambitio. 27 Ex v.24 In decem discipulis proponitur nobis exemplum corruptæ nostræ naturæ, pronæ scilicet ad ambitionem; sicut paulo-antè v.20.& 21.in duobus filiis Zebedæi.

Ministri verbi. 28 Ex v.25.& 26. Dominatus mundanus à vocatione ministrorum verbi alienus est. Itaque peccat Papa, & illi addicti Cardinales atque Episcopi, quatenus dominatum talem sibi usurpant.

Bellarmini sophismata pro dominatu Papæ vindicando. 29 Sed contrà excipit Bellarminus Disput. tom.1.col.1078. C. Primò, Dominum hîc solùm instituere meros principes Ecclesiasticos: ac docere, debere eos ut tales sunt, præesse subditis non more regum & dominorum, sed more patrum & pastorum: Non autem sequi hinc, non posse unum & eundem esse Episcopum & Principem. Respondeo: Falsum est quod dicit Bellarminus. Etenim Dominus hîc aliud agit: nempe dehortatur Apostolos à cupiditate dominandi, hoc argumento: quòd dominari sit principum mundanorum: ipsi verò tales principes non sint. Quod si sentiret Dominus, nihil vetare quo minùs & ipsi principes mundani fiant: certè non prohiberet illis dominatum. Secundò excipit Bellarminus: Dominum illis verbis non prohibere Episcopis dominatum, qualis esse potest regum & principum piorum: sed qualis est regum ignorantium Deum, qui tyranni potiùs sunt quàm reges. Id quod patet (inquit) ex verborum Græcorum proprietate. Nam Matthæus non ait, κυριεύουσιν αὐτῶν, id est, dominantur simpliciter: sed κατακυριεύουσιν, id est, violenter dominantur. Sicut 1.Petri 5. Non dominantes in cleris, habetur: μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων. Et Jos.15.legimus, Dixit Caleb, Qui percusserit Cariath-Sepher, & ceperit eam: Græcè, καὶ κατακυριεύσῃ αὐτῆς: id est, vi dominatus fuerit ejus. Unde 2.Pet.2.& in Epistola Judæ, videmus hæreticos reprehendi, quòd κυριότητα contemnant. *Ibid. col. 1079.*

Respondeo. Falsa est illa Bellarmini expositio. nam etsi Matthæus non dicit κυριεύουσιν: tamen ita dicit Lucas: sicut & pro κατεξουσιάζειν utitur simplici ἐξουσιάζειν, Luc.22.v.25. Nec præpositio κατὰ semper hostilitatem notat ac violentiam: sed interdum notat simpliciter subjectum occupans. Sicut hoc loco: atque etiam in dicto Petri quod à Bellarmino affertur. Et sanè Syrus interpres in utroque hoc loco verbum illud exponit, sicut ipsum simplex apud Lucam: nempe per, dominum esse. In illo autem Jos.15.verbum κατακυριεύειν, non significat, vi dominari: ut falsò exponit Bellarminus: sed significat dominum fieri, seu (ut Latini loquuntur) in potestatem suam redigere. In qua significatione verbo κυριεύειν utitur Polybius: ex quo Henricus Stephanus affert hæc exempla. Polyb. lib. 2. καὶ τούτῳ τρόπῳ τεττάρων μὲν πλοίων ἐκυρίευσαν πεντηρικῶν: id est, quatuor quadriremium domini evaserunt: seu quatuor quadriremes in suam potestatem redigerunt. Item, ἐκυρίευσαν δὲ καὶ λέμβων εἴκοσι: potiti sunt &c. Locus autem 2.Pet.2.quem Bellarminus annectit, etsi ad propositum ejus confirmandum nihil facit: tamen divinâ providentiâ huc allatus est, ut meminissemus, Papam & falsò nominatos clericos esse in numero illorum qui isto modo peccant, dum scilicet magistratui politico subjici nolunt.

Humilitatis utilitas. 30 Ex v.26.& 27. Qui aliis ex vera animi demissione ministrant ac serviunt, eos Deus præ cæteris honoratus est. Quare qui talem honorem desiderant (quis autem sanâ mente prædi-tus non desideret?) studeant aliis demisse inservire.

Humilitatis necessitas. 31 Ex v.28. Quum ipse Filius Dei quamdemississime ministraverit nobis: quanto magis nos alii aliis quamdemississime ministrare debemus? Confer Joh.13.v.4.& deinceps: ubi narratur, quomodo Dominus discipulis laverit pedes. Item Philip.2. v.5.& deinceps: ubi Apostolus exemplo Domini proposito, Philippenses hortatur ad humilitatem.

Incarnatio filii Dei. 32 Ex eod.v. Causa adventus Filii Dei in mundum, sive incarnationis, est: ut electis ministraret; idque tum docendo rationem salutis, unde nominatur minister circumcisionis: Rom.15. v. 8. tum præcipuè offerendo seipsum pro illis in cruce ad expiandum ipsorum peccata. Confer Heb.10.v.5.& sequentibus.

Obedientia Christi. 33 Ex eod.v. Christus non fuit ad supplicium raptus invitus: sed ultrò animam suam dedit pro electis: factus scilicet obediens Patri, ut illâ suâ obedientiâ inobedientiam illorum expiaret, Rom.5.v.19.

Quo pretio electi redemti sint? 34 Ex eod.v. Pretium quo electi è potestate diaboli redemti, ac proinde à peccatis liberati sunt, est mors & omnino passio Christi: & quidem sola: quia quoties de hac re sermo est in Scriptura, sola illa mors atque passio commemoratur, ac nihil præterea aliud. Non igitur pars pretii quærenda est in sancta vita Christi: etsi interim tenendum, sanctam Christi vitam ad hoc fuisse requisitam, ut passio & mors pretium suum habere posset. unde Petrus dicit, *nos esse redemtos pretioso sanguine Christi, tanquam agni immaculati & inculpati*: 1.Pet.1.v.19. Item Paulus ait: *Talis nos decebat pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cælis factus: cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis* (neimpe Leviticis) *pontificibus, prius pro peccatis propriis victimas offerre, &c.* Hebr.7.v.26.& 27.

Quinam per Christum redemti sint? 35 Ex eod.v. Christus suâ morte redemit non omnes in universum homines, sed solos electos: qui hic notantur nomine *Multorum*: sicut & alibi in Scriptura. Istam sententiam ex præsentibus Domini verbis sic concludo:

Pro quibus Christus animam suam dedit pretium redemtionis; illos solos suâ morte redemit, & nullos alios.

Atqui pro solis electis Christus animam suam redemtionis pretium dedit.

Ergo solos electos Christus suâ morte redemit.

Propositio per se est manifesta, & extra controversiam posita est. Assumtio probatur ex verbis Domini, ubi ait, *Se venisse ut daret animam suam redemtionis pretium* pro multis, id est, pro electis. quam expositionem confirmo sic: Per illos Multos Christus intelligit aut electos aut reprobos: quippe quum omnes homines aut electi sint aut reprobi. Non autem intelligit reprobos. Intelligit igitur electos. Quòd non intelligat reprobos; etsi cuivis non contentioso & doctrinæ Christianæ perito per se manifestum est: tamen si sit opus, facilè potest demonstrari: idque hoc argumento: Pro quibus Christus se dedit redemtionis pretium, pro illis etiam oravit: id enim requirebat officium ejus sacerdotale: ut colligitur ex verbis Apostoli Hebr.5.v.7. Atqui pro reprobis non oravit: quin potiùs illos à precibus suis quas sese in cruce oblaturus ad Patrem habuit, disertè exclusit: Johan. 17. v.9. ubi ait, *Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi.* Ergo pro reprobis Christus se non dedit pretium redemtionis: & per consequens, reprobi non possunt hoc loco intelligi nomine Multorum. Peccant igitur qui contrariam sententiam hodie magnis clamoribus defendunt.

Preces. 36 Ex v.30.32.& 34. In necessitatibus constituti, exemplo istorum cæcorum imploremus opem Christi, vel Dei Patris per & propter Christum: idq; eò magis, quòd tum ille, tum iste, & misericors est, ac proinde ad opem miseris ferendam promtus; & omnipotens, ita ut in momento juvare possit.

Fides. 37 Ex v.31. In istis cæcis conspicitur natura atque ingenium veræ fidei: quæ quò magis premitur, eò magis sese erigit, instar palmæ. Confer exemplum Chananææ, suprà c.15.v.21.& seq.

Quòd Jesus sit Christus. 38 Ex v.34. Jesum esse Christum, hoc est, promissum illum Messiam: inter alia etiam hinc manifestum est, quòd aperuit oculos cæcorum propriâ virtute: id quod de Christo prædictum fuit per Esaiam, c.35.v.5.

Vocatio electorum. 39 Ex eod.v. Sicut Christus aperuit oculos corporis istorum cæcorum: sic aperit oculos cordis omnium electorum. Hoc autem facit per prædicationem Evangelii, ut liquet ex verbis ad Paulum: *Mitto te ad hunc populum & ad gentes, ut aperias oculos eorum, ut se convertant à tenebris ad lucem &c.* Act.26.18.

Gratitudo erga Deum. 40 Ex eod.v. Exemplo istorum cæcorum, pro beneficiis à Deo acceptis gratos nos declaremus, sequendo Christum. id quod fecerimus, si studiosè cognoscamus doctrinam ejus ex ore ministrorum ipsius: & voluntate Dei per illam cognitâ, promissionibus illius credamus, & mandatis obediamus.

ANALYSIS CAP. XXI.

ARGUMENTUM.

Hic jam incipit Evangelista narrare illa Domini Jesu facta & dicta, quæ occasionem præbuerunt exsequendo ipsius muneri sacerdotali: nempe illa quibus irritati primores Judæorum ad supplicium ipsum rapuerunt: quæ quidem narratio continuatur per tria capita, usque ad caput 24. Ac primùm in hoc capite narrat potissimùm tria: primò adventum Jesu regium in urbem regiam Hierosolymam, usque ad v.17. Secundò miraculum arefactæ ficus, usque ad v.23. Tertiò sermones postridie, vel (ut nonnullis videtur) tertio post die habitos in templo inter ipsum & primores Judæorum.

PRIMA PARS.

De adventu Domini in urbem.

ET quum appropinquassent Hierosolymæ, & venissent Bet-phage ad montem olearum, tunc Jesus misit duos discipulos:

2 Dicens eis, Ite in vicum qui vobis est ex adverso; & statim invenietis asinam ligatam, & pullum cum ea; solvite, & adducite mihi.

3 Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, Dominus eis opus habet: statim autem mittet eos.

4 Hoc autem totum factum est ut impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem.

5 Dicite filiæ Sion, Ecce, rex tuus venit tibi mansuetus, & insidens asinæ, ac pullo filio subjugis *asinæ*.

6 Profecti sunt autem discipuli, feceruntque sicut imperarat eis Jesus.

7 *Et* adduxerunt asinam & pullum, & eis imposuerunt pallia sua, & collocarunt *ipsum* super ea.

8 Plurima autem turba straverunt pallia sua in via: alii verò cædebant ramos ex arboribus, & sternebant in via.

9 Porrò turba quæ præibat & quæ sequebatur, clamabat, dicens, Hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna *ô qui es* in *locis* altissimis.

10 Et quum introisset Hierosolymam, commota est universa civitas, dicens, Quis est hic?

11 Turba autem dicebat; Hic est Jesus, propheta ille ex Nazareth *urbe* Galilææ.

12 Et introivit JESUS in templum Dei, & ejecit omnes vendentes & ementes in templo: mensasque numulariorum, & cathedras vendentium columbas subvertit.

13 Et dixit eis, Scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur: at vos fecistis eam speluncam latronum.

14 Tunc venerunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanavit eos.

15 Quum vidissent autem primarii sacerdotes & scribæ miranda illa quæ fecerat; & pueros clamantes in templo, & dicentes, Hosanna filio David; indignati sunt.

16 Et dixerunt ei, Audis quid isti dicant? Jesus autem dixit eis, Etiam. Nunquam legistis, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?

IN describendo adventu Christi regio in urbem, Evangelista primùm narrat actiones antecedentes quibus sese Dominus ad illum ingressum præparavit, usque ad v.8. deinde actiones conjunctas in quibus ipsa ingressus forma consistebat, v.8. & 9. tum effectum in civibus, v.10.& 11. præterea actiones Domini continenter subsequutas, quarum videl. causâ in urbem ingrediebatur, v.12.13.& 14. Postremò effectum illarum actionum in sacerdotibus & scribis, v.15.& 16.

Ac primùm ad actiones antecedentes quod attinet, eæ narrantur duæ: mandatum Domini de procurando sibi ingressus sui regii instrumento, nempe jumento quo veheretur: videlicet de adducendo sibi pullo asinæ, tribus primis versibus, & obedientia discipulorum, v.6.& 7. Nam v.4. & 5. Evangelista per digressionem exponit hujusce instituti atque facti causam. Porrò in describendo mandato primùm indicat circumstantiam loci, ubi Dominus mandatum istud discipulis dedit: unà cum numero discipulorum quibus illud mandatum dedit, v.1. deinde recitat ipsa mandati verba, vers.2.& 3. ubi Dominus discipulis primùm indicat locum unde asinam & pullum debeant adducere, videlicet ex vico è regione posito: deinde signum unde asinam illam & pullum debeant agnoscere, videlicet quòd asinam statim inventuri sint ligatam & pullum cum ea: tum eventum inopinatum in asina illa & pullo obtinendis ab illorum domino. Et hæc de mandato. Jam causam instituti ac facti Evangelista affirmat fuisse arcanum consilium Dei per Prophetas

jam olim testatum, ut Christus ex hoc quoque signo agnosceretur. Adducit autem verba ex duobus (ut videtur) Prophetis permixta, videlicet ex Esa.62.v.11. & Zach.9.v.9. Cæterùm obedientia discipulorum exponitur primò verbis generalibus, v.6. deinde verbo speciali, v.7. Tum eadem obedientia amplificatur spontaneo officio duplici, nempe quòd in illis jumentis straverunt sua pallia: quodque Dominum eis imposuerunt: id quod de pullo propriè est intelligendum, ut percipitur ex collatione Marci & Lucæ. Atque hæc de præparatione seu actionibus antecedentibus.

Actiones conjunctæ in quibus ipsa ingressus forma consistebat, fuerunt turbæ comitantis honorifica tum facta, tum dicta. Facta duo: unum, quòd straverunt pallia sua in via: alterum, quòd in via straverunt ramos ex arboribus cæsos, v.8. Dicta recitantur v.9. videl. læta acclamatio qua Domino Jesu ut Christo, gratulati sunt, idque verbis Psal.118. Atque hæc de secundo hujus narrationis membro.

Jam ad effectum istius ingressus quod attinet, is narratur v.10. videl. commotio omnium civium: quæ declaratur ex effectu, videl. admirabundâ interrogatione de illo quem videbant novo illo modo ingredi in urbem: ad quam interrogationem responsio turbæ subjicitur v.11. Atque hæc de membro tertio.

Quartò actiones Domini ingressum urbis continenter subsequutæ (quibus nimirum regiam suam potentiam demonstravit) narrantur in universum duæ: repurgatio templi, v.12. & 13. & sanatio ægrotorum in templo, v.14. Repurgatio templi declaratur partim ex factis, partim ex dictis quibus rationem factorum reddidit. Facta fuerunt duo: ejectio illorum qui in templo vendebant & emebant, & subversio utensilium illi mercaturæ inservientium. Dicta item fuerunt duo: unum, sententia Dei de recto templi usu, nempe ut sit domus orationis: ex Esa.56.v.7. alterum exprobratio abusus templi ad avaritiam, concepta verbis Dei quæ extant Jerem.7.v.11. quibus Deus olim similiter Judæis hypocrisin ipsorum exprobravit. Altera actio, videl. sanatio ægrotorum, illustratur indicatione speciali: quòd scil. fuerint cæci & claudi. Atque hæc de membro quarto.

Quintò & postremò narratur effectum illarum actionum in sacerdotibus & scribis duplex: indignatio, v.15. & objurgatio Jesu, quòd honorificam puerorum acclamationem (quæ hîc inseritur) æquo animo ferat, suoque silentio approbet, v.16. Contra quam objurgationem Jesus se defendit assertione suæ deitatis: significans, illum honorem congratulationis puerorum quo isti offendebantur, sibi deberi: ut qui sit is qui ex ore infantium & lactentium aptaverit sibi laudem, sicut jam olim David agnoverit: quibus verbis innuit per ratiocinationem à minori, se multò magis laudem sibi parasse ex ore puerorum jam rationis ac sermonis usu præditorum.

SECUNDA PARS.

De miraculo arefactæ ficus.

17 Et eis relictis, exiit extra urbem Bethaniam versus: & diversatus est illic.
18 Manè autem rediens in urbem, esuriit.
19 Et quum vidisset ficum quandam in via, vênit ad eam, & nihil invênit in ea nisi folia solùm: tunc dicit ei, Ne ampliùs ex te fructus nascatur in æternum. Et exaruit illico ficus.
20 Quumque hoc vidissent discipuli, mirati sunt, dicentes, Quomodo illico exaruit ficus?
21 Respondens autem JESUS ait eis: Amen, dico vobis, Si habueritis fidem, neque hæsitaveritis, non solùm hoc *quod factum est* ficui, facietis, verùm etiam si monti isti dixeritis, Tollitor, & projicitor in mare, fiet.
22 Et quæcunque petieritis in precatione, si credideritis, accipietis.

In narrando hoc miraculo quo Christus subitò arefecit ficum, describitur primùm occasio: quòd videl. Jesus extra urbem pernoctans, ac manè rediens, in ficum incidit, & impellente fame fructum in ea quæsivit, sed nihil invênit præter folia, v.17.18.& 19. Deinde modus agendi, videlicet maledictio Christi, dicentis ficui: Ne ampliùs in te nascatur fructus in æternum. Tum miraculum ipsum: quòd ficus subitò exaruit, v.19. Præterea effectum miraculi in discipulis, videlicet admiratio & admirabunda exclamatio, vers.20. Postremò illius admirationis eventus, videlicet promissio Christi gemina: qua scilicet primùm promittit discipulis facultatem edendi miracula similia, atque etiam majora: id quod significat exemplo speciali montis transferendi, vers.21. deinde specialem hanc promissionem amplificat generali, qua illis promittit impetrationem omnium quæ petiverint ex fide, vers.22.

TERTIA PARS.

De sermonibus inter Christum & sacerdotes.

23 Et quum venisset in templum, primarii sacerdotes & seniores populi eum docentem adierunt, dicentes, Qua potestate facis ista? & quis tibi dedit istam potestatem?
24 Respondens autem Jesus dixit eis, Interrogabo vos & ego rem quandam: quam si dixeritis mihi, dicam & ego vobis, qua potestate ista faciam.
25 Baptisma Johannis unde erat? E cælo, an ex hominibus? At illi ratiocinabantur apud se, dicentes, Si dixerimus, E cælo: dicet nobis, Quare ergo non credidistis ei?
26 Sin autem dixerimus, Ex hominibus: timemus turbam. Omnes enim habent Johãnem ut prophetam.
27 Et respondentes JESU dixerunt, Nescimus. Ait eis & ipse, Nec ego vobis dicam, qua potestate ista faciam.
28 Quid autem vobis videtur? Quidam habebat duos filios: & accedens ad priorem, dixit, Fili abi, hodie operare in vinea mea.
29 Ille verò respondens ait, Nolo: sed postea pœnitentiâ ductus, abiit.
30 Et accedens ille ad secundum, dixit itidem. Is verò respondens ait, Ego *abeo*, domine. Sed non abiit.
31 Uter è duobus istis fecit voluntatem patris? Dicunt ei, Prior. Dicit eis JESUS; Amen dico vobis, Publicani & meretrices præeunt vobis in regnum DEI.
32 Vênit enim ad vos Johannes viâ Justitiæ, sed non credidistis ei: publicani verò & meretrices crediderunt ei. Vos autem *hoc* viso, non *tamen* pœnituistis postea, ut ei crederetis.
33 Aliam parabolam audite. Fuit quidam paterfamiliâs qui plantavit vineam, & sepem circumposuit ei, foditque in ea torcular, & ædificavit turrim, & elocavit eam agricolis: ac peregre profectus est.
34 Quum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut ejus fructus acciperet.
35 Agricolæ verò, captis ejus servis, alium quidem verberarunt, alium verò trucidarunt, alium autem lapidarunt.
36 Rursum misit alios servos plures prioribus: & fecerunt eis itidem.
37 Postremò autem misit ad eos filium suum, dicens, Reverebuntur filium meum.
38 Agricolæ verò viso filio, dixerunt inter se, Iste est hæres, venite trucidemus eum, & obtineamus hæreditatem ejus.
39 Tunc captum eum ejecerunt extra vineam, & trucidarunt.
40 Quum igitur venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?
41 Dicunt ei, Malos ipsos malè perdet: & vineam suam elocabit aliis agricolis, qui reddent ei fructus temporibus suis.
42 Dicit eis Jesus, Nunquam legistis in Scripturis, Quod ad lapidem attinet quem reprobarunt ædificatores, is factus est caput anguli: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.
43 Propterea dico vobis, Tolletur à vobis regnum Dei, & dabitur genti quæ ferat ejus fructus.
44 Porrò qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, dissipabit eum.
45 Et quum audissent primarii sacerdotes ac Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt *eum* de ipsis loqui.
46 Et quum studerent eum prehendere, timuerunt turbam; quoniam ut prophetam eum habebat.

Quod ad sermones in templo habitos attinet: indicatur primùm occasio, nempe quòd principes sacerdotum & seniores populi cognoverant, Jesum in templo docere. Deinde recitatur quæstio quam ei proposuerunt, petentes ut sibi reddat rationem actionum suarum pridie atque etiam secundùm nonnullos tertio die antè, in templo perpetratarum, v.23. Tertiò recitatur quæstio dilemmatica quam illis Jesus vicissim proposuit de baptismate Johannis: recusans ad illorum quæstionem respondere, nisi ipsi priùs responderint ad suam, v.24.& 25. Scopus autem

illius quæstionis dilemmaticæ est, demonstrare, quòd ista fecerit authoritate divinâ: quippe quum sit filius ille Dei ac promissus ille Messias, sicut Johannes de ipso fuerat testatus: quod testimonium ipsi non aufint damnare falsitatis. Quartò narratur tergiversatio illorum, ratiocinantium per dilemma, ac profitentium suam ignorantiam, v.25.26.& 27. Quintò, recusatio Christi, qua negat se ad ipsorum quæstionem responsurũ, in fine v.27. Sextò recitatur parabola quam illis Jesus proposuit de duobus filiis jussis à patre operari in vinea: quam accommodat ad ipsos & publicanos ac meretrices: & ipsorum impœnitentiam per antithesin pœnitentiæ istorum reprehendit, à v.28. usque ad 33. Septimò proponit eis aliam parabolam de agricolis sive colonis recusantibus patrifamiliâs fructum ex vinea, & insuper malè excipientibus illius servos & tandem filium ipsum, à v.33. usque ad 42. Deinde parabolam illam accommodat ad ipsos, prolatâ prophetiâ Davidis ex Psalmo 118. & comminando eis ablationem regni Dei & interitum, propter ipsum rejectum, v.42.43.44. Quo loco notandum, commiṅationem hanc à Domino concludi integro syllogismo, nempe isto:

Coloni vineæ Dei qui nolunt reddere fructus, & insuper servos Dei atque etiam ipsum filium afficiunt contumeliis & morte, digni sunt quos Deus perdat & à quibus vineam auferat.

At vos primores sacerdotum ac populi Dei, estis tales coloni.

Ergo digni estis quos Deus perdat &c.

Sententia propositionis continetur v.40. & 41. confirmata testimonio confessionis adversariorum. Sententia assumtionis sequitur v.42. confirmata testimonio Davidis. Conclusio est v.43.& 44. Postremò narrantur illarum parabolarum effecta in principibus sacerdotum ac Pharisæis, numerò duo: primùm, quòd intellexerunt de se dictas, v.45. secundum, quòd statuerunt eum prehendere. Hoc effectum declaratur ex eventu, quòd videl. eum non prehenderint: id quod significatur expositione causæ efficientis, videl. quia timuerunt turbam. Causa etiam timoris indicatur: quòd turba Jesum habebat ut prophetam: unde non esset passa illi vim inferri.

SCHOLIA IN CAP. XXI.

1 Beth-phage] Βηθφαγῆ. *Sonat locum fontis: nomine Syriaco ortum ducente ex Græco πηγῆ. Fortasse sic dictus locus à fonte qui ibi erat: ut Tremellius annotavit.*

2 Si quis vobis aliquid dixerit] ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τι. *Id est, Si quis vos interpellaverit & ab instituto dehortetur. Synecdoche generis.*

5 Filiæ Sion] τῇ θυγατρὶ Σιών. *Id est, civitati Hierosolymæ ædificatæ super montem Zijonem hoc est, incolis civitatis. Metaphora & metonymia.* Mansuetus] πραΰς. *Apud Zachariam habetur* עָנִי *hhani, id est, pauper seu afflictus. Pro quo (ut apparet) Matthæus legit* עָנָו *hhanáu.* Insidens asinæ ac pullo] ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον. *Pro, insidens pullo sectanti asinam matrem.* ἐνδιαδυο, *& synecdoche integri: qualis erit mox vers.7. Neque enim simul insedit asinæ & pullo, neque etiam insedit uni post alterum: sed solo pullo vectus est: ut percipitur ex narratione cæterorum Evangelistarum, qui solius pulli meminerunt: nec non ex eo quod apud Marcum exprimitur, neminem adhuc super illum pullum sedisse. Talis est synecdoche infrà 27.44. ubi latrones dicuntur Christo exprobrasse: quod tamen aliter tantùm fecit. Sunt tamen qui putent, nomen* ὄνον *hîc exponendum asinum & conjunctionem* ϗ *accipiendam* ἐπεξηγηματικῶς, *seu* ἑρμηνευτικῶς. *quo modo etiam exponunt verba prophetæ. Sed quoniam & antè, vers.2. & pòst, vers.7. asinæ & pulli simul mentio fit: probabile est, hîc quoq; utriusque mentionem fieri. Et nomen Hebræum* חֲמוֹר *chamór quo utitur Zacharias, etsi plerunque generis masculini est: tamen reperitur etiam in genere fœminino ut videre est 2.Sam.19. v.26. Et licet semper in genere masculino usurparetur: tamen utrumq; sexum comprehendit, ut & alia animalium nomina. Sicut aquila apud Latinos, etsi generis fœminini nomen censetur, tamen tam marem quàm fœminam aquilam significat: quod nonnulli appellant genus epicœnum.* Filio subjugis asinæ] υἱὸν ὑποζυγίου. *Id est, fœtui seu proli subjugis asinæ. Metaphora Hebraica* κατάχρηστική. *Cæterùm etsi hîc nomine* ὑποζυγίου *planum sit intelligi asinam: tamen nomen ipsum videtur positum absolutè, tanquam esset substantivum. Sic enim Græci vocant* ὑποζύγια *ipsa jumenta: ut equos, asinos, boves, subaudientes nimirum* κτήνη *vel* ζῶα. *Quorum alterutrum & hîc suppleri potest, ut dicatur Subjugis jumenti, vel, animalis. Apud Zachariam legitur filius asinarum, per synecdochen integri, ex eo quòd duæ asinæ sub uno jugo copulari solent: pullus autem à latere unius ex illis, videlicet matris, currere consuevit.*

7 Et eis imposuerunt] καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω αὐτῶν. *Id est, alteri eorum animalium, videl pullo asinæ: ut declarat Marcus cap.11.v.7. Synecdoche integri: qualis modo fuit v.5.* Collocarunt ipsum super ea] ἐπεκάθισαν ἐπάνω αὐτῶν. *Nempe,* τῶν ἱματίων, *super ipsa pallia pullo injecta, ut declarat Lucas. Quod si quis relativum* αὐτῶν *referre malit ad asinam & pullum, redibit hîc illa de qua modò dictum synecdoche. Sed alterum rectius puto.*

9 Hosanna filio David] ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. *Verba desumta ex Psalmo 118. saltem ex parte. In Psalmo habetur,* Obsecro Jehova serva nunc: *quæ verba extrema,* serva nunc, *Hebraicè sonant,* הוֹשִׁיעָה נָּא: *quæ duæ voces hîc in unam contractæ sunt, nempe* ὡσαννά. *Addunt autem,* Filio David: *unde si integrum Latinè reddas; erit:* Salutem præsta nunc filio David. *Vox gratulantium & invocantium Deum pro salute regis.* Benedictus] εὐλογημένος. *Subaudi, Esto, hoc est, Bene ei sit: Benedictionibus Dei cumuletur. Phrasis Hebraica. Cujus exempla vide Genes.24.v.31. Ruth.3.v.10. Psal.115.v.15. Esa.65.v.23.* In nomine Domini] ἐν ὀνόματι Κυρίου. *Id est, cum mandato sive ex mandato Jehovæ: nempe cum mandato regnandi super populum ipsius.* Hosanna ô qui es in locis altissimis] ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις. *Pro,* ὁ ἐν τοῖς ὑψίστοις. *Ellipsis articuli: quæ confirmatur ex collatione Psalmi, ubi habetur,* Obsecro Jehova, serva nunc. *Igitur loco nominis Jehova hîc periphrasis substituta est.* In locis altissimis] ἐν τοῖς ὑψίστοις. *Subaudi* τόποις. *Periphrasis supremi cæli. Sic Luc.2.v.14. Pro quo aliàs dicitur,* ἐν ὑψηλοῖς, *in excelsis: ut Hebr.1.v.3.*

10 Universa civitas] πᾶσα ἡ πόλις. *Pro,* ὅλη ἡ πόλις. *Id est, omnes cives. Metonymia subjecti, pluribus linguis (ac fortasse omnibus) usitata.*

11 Propheta ille ex Nazareth] ὁ προφήτης ὁ ἀπὸ Ναζαρέθ. *Scil.* γεννηθεὶς, *ortus. Sic Marc.15.v.43.* Joseph ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας.

13 Domus mea &c.] ὁ οἶκός μου. *Verba Jehovæ de templo.* At vos fecistis &c.] ὑμεῖς δὲ &c. *Verba Christi ad Judæos, desumta ex Jer.7.v.11. per tacitam collationem parium. Significat enim, querimoniam illam Dei de Judæis qui vixerunt tempore Jeremiæ, in ipsos similiter competere.*

14 Sanavit] ἐθεράπευσεν. *Pro,* ἰάσατο. *Catachresis Evangelistis usitata: de qua jam sæpe monuimus.*

16 Audis quid isti dicant?] ἀκούεις τί οὗτοι λέγουσιν; *Interrogatio vim habens reprehendendi per tacitum dilemma. quasi dicant: Si non audis, surdus es: si audis, cur non compescis? quum iste honor tibi non debeatur.* Etiam] ναί. *Quasi dicat: Audio, & quidem lubens. nam hic honos mihi debetur quippe ego sum ille de quo scriptum est in Psalmo,* Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. *Quare sicut laudes meas quasi canunt pueri infantes, dum ostendunt meam providentiam in procurando ipsis alimento ex uberibus matrum: ita decet ut isti quoq; pueri jam grandiusculi me vivâ voce laudent ac celebrent.*

17 Bethaniam versus] εἰς Βηθανίαν. *Germanicè* Gen Bethanien. *Vel, venitq; Bethaniam. ut sit ellipsis verborum* καὶ ἦλθε. *Bethania autem erat vicus in monte oliveti situs, prope Hierosolymam: ubi degebant Maria & Martha sorores, & frater earum Lazarus, apud quos Jesus divertere solebat. Vide Johan.11.v.1. & 18. Luc.10.v.38. Johan.12.v.1.*

18 Manè autem] πρωΐας δὲ. *Subaudiendum,* γινομένης, *quod sonat,* Matutinâ autem factâ: *scil.* ὥρας, *horâ seu tempore. Sicut dicitur,* ὀψίας δὲ γενομένης, *suprà 20.8.*

19 Quandam] μίαν. *Ad verb.* Unam. *Hebraismus.* Et nihil] καὶ οὐδέν. *Id est,* Sed nihil. *Opponuntur enim Quærere & non Invenire.* In æternum] εἰς τὸν αἰῶνα. *Id est, unquam.* Ficus] ἡ συκῆ. *Ficus illa.*

22 Si credideritis, accipietis] πιστεύοντες λήψεσθε. *Participium* πιστεύοντες, *pendet à verbo* λήψεσθε, *& notat conditionem.*

23 Qua potestate] ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ. *Redundat* ἐν *ex idiotismo Hebræorum.*

24 Rem quandam] λόγον ἕνα. *Verbum pro re, per Hebraismum. Sic suprà 19.11.*

25 E cælo] ἐξ οὐρανοῦ. *Id est, à Deo: ut patet ex antithesi. Metonymia subjecti metaphorica. nam cælum in Scriptura proponitur ut habitaculum Dei. Sic Luc.15.* Pater peccavi in cælum & coram te. *hoc est, in Deum & in te.*

26 Timemus turbam] φοβούμεθα τὸν ὄχλον. *Id est, Turba adversus nos tumultuabitur, nosq; per seditionem invadet ad ulciscendum innocentiam & dignitatem Johannis. Metonymia effecti posita in tota sententia. Atq; ita hunc tropum declarat Lucas: apud quem pro istis verbis habentur illa,* πᾶς ὁ λαὸς καταλιθάσει ἡμᾶς, *tota plebs lapidibus nos obruet, Luc.20.v.26.* Ut prophetam] ὡς προφήτην. *Id est, doctorem à Deo missum.*

28 Quidam] ἄνθρωπος. *Ad verb.* Homo. *Hebraismus.* Filios] τέκνα. *Id est,* υἱούς. *Synecdoche generis. nam nomen* τέκνα *comprehendit etiam filias,* παρὰ τὸ τίκτειν *à pariendo: Sic mox* τέκνον, *pro,* υἱέ.

29 Ille verò] ὁ δὲ. *Syntaxis refertur ad sensum, non ad vocem. Præcessit enim nomen neutrum,* τέκνον: *sed positum pro,* υἱέ.

30 Ego abeo] ἐγώ. *Subaudi,* ἀπέρχομαι. *Vel verbum generalius,* ποιήσω, *faciam. Scil. quod mandas.* Sed non abiit] καὶ οὐκ ἀπῆλθε. *Copulativa pro adversativa.*

31 Uter è duobus] τίς ἐκ τῶν δύο. *Pro,* πότερος. Præeunt vobis in regnum Dei] προάγουσιν ὑμᾶς εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. *Id est, intromittentur in regnum Dei, vobis exclusis; ut patet ex collatione sequentium, in quibus illis exprobrat impœnitentiam & incredulitatem. Synecdoche membri* καταχρηστική. *Nam qui primi veniunt, maturè scil. solent intromitti; qui tardè, solent excludi. Confer infrà parabolam de decem virginibus, cap.25. & suprà 19. v.ult. & 20.16.*

32 Johan-

32 Johannes] Ἰωάννης. *Nempe Johannes Baptista.* Viâ justitiæ] ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης. *Præ se ferens singularem sanctitatem, sicut reverà vir sanctus erat.* Sed non credidistis] καὶ οὐκ ἐπιστεύσατε. *Id est, Et tamen non credidistis ei. Annectitur enim hæc sententia præcedenti per enuntiatum discretum.* Hoc viso] ἰδόντες. *Scilicet* τοῦτο. *Id est, Quanquam hoc vidistis.* Non tamen pœnituistis] οὐ μετεμελήθητε. *Pro, ὅμως οὐ μετεμελήθητε. Ellipsis conjunctionis discretivæ. Verbum Græcum passivum est, & sonat, pœnitentiâ ducti estis.*

34 Ut acciderent] λαβεῖν. *Pro,* τοῦ λαβεῖν. *Scil.* ἕνεκα. *Nempe ipse paterfamiliâs, ex collatione v.41. Acciperet autem per servos.*

35 Verberarunt] ἔδειραν. *Hoc malui: tanquam aptius quàm verbum cædendi: à quo si scribatur in præterito,* Ceciderunt, *ambiguum est: si (ut nonnulli)* cæciderunt, *contra orthographiam augmenti est; si deniq; (ut scribendum videri possit)* cecîderunt, *ut scil. quantitas syllabæ secundæ indicetur per impositum accentum circumflexum; usus scribendi, atq; etiam pronuntiandi, accentum illum in antepenultima non admittit.* Lapidarunt] ἐλιθοβόλησαν. *Lapidibus petiverunt. Verbum Græcum significat lapides in aliquem conjicere: sive inde mors consequatur, ut in Stephano Actor.7.v.59. sive non, ut in Paulo Actor.14.v 19. & 2.Cor.11.v.25. Quanquam in istis locis habetur non verbum λιθοβολεῖν, sed λιθάζειν. Reperitur & καταλιθάζειν, Luc.20.v.26.*

37 Dicens] λέγων *Scil.* παρ' ἑαυτῷ, *apud sese; id est, cogitans.*

42 Quod ad lapidem attinet] λίθον. *Accusativus positus absolutè, ut Act.10.v.36. & 38.* Ædificatores] οἱ οἰκοδομοῦντες. *Participium habet vim nominis ex more Hebræorum.* Factus est caput] ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν. *Ad verb.* Factus est in caput. *Phrasis Hebræa. Id est, Constitutus est pro capite. Caput autem anguli nominatur lapis angularis princeps, qui duos parietes continet atque complectitur, domumque munit contra impulsus prætereuntium curruum aut carrorum.* A Domino factum est istud] παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη. *Pro,* τοῦτο: *retento Hebraismo, ubi nomen illud fœmininum accipitur absolutè. ut in illo,* Unum petii à Domino: *quod in Hebræo legitur,* Unam petii. *Et sic mox* θαυμαστή, *pro* θαυμαστόν. *Hoc rectius puto quàm ut nomen* αὕτη *referatur ad nomen* κεφαλὴν *vel* γωνίας. *Cæterùm interrogationis nota in fine adjecta, propriè pertinet ad verba,* Nunquam legistis? *Quasi dicat: Si legistis, agnoscite igitur me vera de vobis dicere.*

43 Propterea] διὰ τοῦτο. *Quia scil. me tanquam lapidem illum angularem domus Dei estis reprobaturi, vel potiùs jam reprobatis, ac planè rejecturi estis.* Tolletur à vobis regnum Dei] ἀρθήσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ. *Id est, verbum Dei quo homines colliguntur in regnum ipsius. Metonymia effecti.*

44 Dissibabit] λικμήσει. *Ut in minutas particulas dissiliat.*

46 Quum studerent] ζητοῦντες. *Ad verbum,* Quum quærerent. Timuerunt turbam] ἐφοβήθησαν τοὺς ὄχλους. *Id est, non prehenderunt, idq; ex metu turbæ. Synecdoche metonymica, Talis metonymia erat suprà v,26.*

OBSERVAT. EX CAP. XXI.

1 Ex v.2.& 3. Notanda sunt sex argumenta deitatis Christi. 1. Quòd absens vidit asinam & pullum. Sic Marc.14.v.13. vidit quendam discipulis occursurum cum amphora aquæ. Item Johan.1.v.49. vidit absens Nathanaëlem sub ficu: unde ille collegit, ipsum esse Filium illum Dei. Nec infirmatur argumenti hujus vis exemplo Elisæi, qui absens vidit famulum suum Giezi apud currum Naamanis Syri: item absens audivit consultationes Syrorum. nam illa percepit per singularem Dei revelationem: Christus autem per se ac propriâ virtute. 2. Quòd jussit asinam illam & pullum solvere, sibiq; adducere: tanquam illorum dominus. Non autem erat illorum dominus, ut homo; etenim sic alii illorum erant domini, teste Lucâ: Ergo ut Deus, qui est dominus universorum ipso jure creationis. Nec verò mandatum illud discipulis dedisset Jesus, nisi jure potuisset: quum constet eum nihil unquam præter jus fecisse. 3. Quòd prævidet fore ut discipuli asinam & pullum soluturi interpellentur. 4. Quòd se per discipulos Dominum (id est, Deum) apud illius asinæ & pulli dominos profitetur, ac liberè significat se illis tanquam suis uti velle. 5. Quòd prævidet fore ut domini asinæ ac pulli faciles sese præbeant in illis dimittendis. Atq; hæc quinque expressè habentur in textu. Ex quarto autem & quinto inter se collatis nascitur argumentum sextum, videl. quòd animos dominorum asinæ ac pulli significatione suæ voluntatis ac potestatis flexit, ut facilè ipsi usum illorum concederent. Similiter flexit aliâs animos discipulorum quum eos vocaret ad se sequendum: ut videre est supr.c.4.v.19.& seq. Item.c.9.v.9. *[Deitas Christi.]*

2 Ex v.4.& 5. Notanda est pars argumenti quo demonstratur, Jesum illum Nazarenum esse Christum seu promissum Messiam: quia videl. in illo impleta est prophetia Zachariæ de forma adventus Christi. *[Quòd Jesus sit Christus.]*

3 Ex v.5. Regnum Christi non est mundanum: quippe quum Christus ut rex in urbem regiam ingressurus, non adhibuerit pompam & splendorem mundanum: sed speciem hominis plebeii ac pauperis, videl. vectus asello. Unde ipsemet dixit Pilato, regnum suum non esse de hoc mundo. Errant igitur Judæi, qui putant Christum seu Messiam (quem ipsi adhuc exspectant) futurum regem mundanum, qui ipsos asserturus sit in libertatem civilem, ac honoribus & opibus terrenis beaturus. Est autem Christus rex spiritualis: qui scil. virtute Spiritus sancti per prædicationem Evangelii regit corda electorum, & virtute suæ deitatis mirabiliter populum fidelium suorum defendit contra persecutionem tyrannorum, dominans in medio inimicorum suorum, & percutiens caput super regiones amplas: ut habetur Psal.110. *[Regnum Christi.]*

4 Ex v.6. Mandatis Dei promtè obedire debemus, etiamsi illa cum judicio rationis nostræ pugnent: exemplo discipulorum qui mandato Domini promtè obedierunt, non excipientes, rem habituram speciem furti, si asinam & pullum solverent non petitâ veniâ à dominis: item dominos id non passuros. Hujus generis, sed longè illustrius, est exemplum Abrahæ promtè obedientis mandato Domini de filio Isaaco sacrificando, Genes.22. *[Obedientia erga mandata Dei.]*

5 Ex v.7.8.9. Christo regi promtè & alacriter nos ministrare decet. Id autem hodie quidem eâ demum ratione consequemur, si ministerium verbi per quod in terra regnat, omni studio ac ope sustentaverimus atque promoverimus, ac ad minimum pro illius successu Deum oraverimus. *[Christiani hominis officium.]*

6 Ex v.10. Non est quòd tanquam re novâ moveamur aut offendamur, si etiamnum hodie videamus urbes & populos adventante per Evangelium Christo commoveri, & doctrinam Evangelii tanquam novam atq; insolentem admirari. Idem accidit Christo recens nato: ut videre est suprà cap.2.v.3. *[Evangelii.]*

7 Ex v.11. De Christo rege nostro interrogati, confessionem simplicem ac planam edere debemus. Quanquam autem hæc populi confessio imperfecta est: tamen quod hic deest, paulò antè & verbis & factis fuerant professi, nempe se hunc Jesum agnoscere pro filio illo Davidis, id est, pro Christo rege illo eximio ac singulari populi Dei, jam olim Davidi promisso. *[Confessio fidei.]*

8 Ex v.12. Notentur duo argumenta deitatis Christi. Unum, quòd propriâ authoritate repurgavit templum Dei, nimirum tanquam Dominus illius; sicut ait Malachias de Christo loquens: *Dominum venturum in templum suum.* Et ipse Christus ait, se majorem esse Salomone, qui templum ædificarat: item, se dominum esse sabbathi. unde sequitur, illum pari ratione dominum quoque fuisse templi, quod sabbatho ac omnino cultui Dei legitimo exercendo erat destinatum. Alterum deitatis argumentum est, quòd ipsi uni ac inermi nemo ex illis quos ejecit, & quorum mensas aut cathedras subvertit, se opponere vel ausus fuit vel potuit. *[Deitas Christi.]*

9 Ex eod. v. Officium magistratus Christiani est, cultum Dei externum apud subditos suos à corruptelis repurgare. Id olim cum laude fecerunt sancti Reges; Josaphat, Ezechias, Josias. *[Magistratus.]*

10 Ex v.23. Vindicandus est hic locus à corruptela Papistica. Citatur enim à Bellarmino ad confirmandum opinionem Papisticam, quòd Deus orationem faciliùs exaudiat, si fiat in templo, quàm si domi. Is enim quum sibi proposuisset ad probandum hanc sententiam: *quòd Ecclesiæ Christianorum (sic autem nominat templa) rectè ad orandum, etiam privatâ oratione, instituantur:* inter alia citat & hunc locum, ut ubi Dominus confirmârit adorationem in templis, qualis fuit olim in templo Salomonis: ait enim, *Si esset superstitio orare in templo potiùs quàm alibi: neq; Salomon ad hunc finem instituisset templum, neq; Deus approbasset factum ejus. Superstitio enim nunquam fuit licita. Præterea Esa.56. dicitur, Domus mea domus orationis vocabitur: Et confirmat hoc ipsum Dominus Matth.21.* Et paulo pòst allato exemplo Davidis, qui precaturus perrexit ad tabernaculum, & coram arca Domini orare cœpit, subjungit: *Certè nisi putasset (David) ibi Dominum magis esse præsentem, & faciliùs orationem exaudiri, domi suæ mansisset.* Respondeo. De adoratione in tabernaculo & templo Salomonis habuit populus Dei speciale mandatum, nec non specialem promissionem exauditionis: at tale mandatum talisve promissio in novo Testamento non exstat: sed contrà jubentur orare fideles in omni loco, 1.Tim.2.v,8. Et Dominus ipse satis significat, orationem in novo Testamento, non esse alligandam certo loco aut templo, cùm ait, Johan.4. *Venit hora, quando neq; in hoc monte neq; Hierosolymis Patrem adorabitis.* Sed contra excipit Bellarminus, Dominum sententiam illam Dei de usu templi confirmasse in novo Testamento. Etenim recitatis verbis Manichæorum, qui dixerunt: Deum Testamenti veteris voluisse templa, Deum Testamenti novi non voluisse: opponit hunc locum & alium similem Joh.2. ac tum infert: *Deus igitur unus & idem in utroq; Testamento approbat templa in quibus adoretur.* At, inquam ego, etsi verba illa de usu templi Salomonici à Christo pronuntiata, exstant scripta in novo Testamento: id est, in libris novi Testamenti: hinc tamen non sequitur, ea dicta esse de statu novi Testamenti. Sed planum est, dicta esse de statu Testamenti veteris, ut qui tum adhuc duraret, Christo scilicet nondum passo. Quis autem modus adorandi futurus esset in Testamento novo, apertè indicavit Dominus Joh. 4. loco antè citato. *[Bellarmini sophisma de loco orandi. Disput. tom.1. col. 2117. A.B.C. — Col. 2108. C.]*

11 Ex v.14. Notandum argumentum deitatis Christi, nempe quòd propriâ virtute sanavit in momento temporis cæcos & claudos. *[Deitas Christi.]*

12 Ex eod. v. Notanda pars argumenti quo demonstratur, *[Quòd Jesus sit Christus.]*

Quòd Jesus sit Christus. Jesum esse Christum: videl. quòd sanavit cæcos & claudos: id quod de Christo prædictum fuit per Esaiam, dicentem: *Tunc* (videl. cùm advenerit Christus) *salient claudi ut cervus, & aperientur oculi cæcorum, Esa.35.v.5.& 6.*

Pericula. 13 Ex v.17. Pericula quum animadvertimus; vitare illa, si modò salvo officio ac proinde bonâ conscientiâ possimus, debemus; exemplo Christi, qui quum animadverteret, sibi à principibus sacerdotum irritatis periculum imminere, relictis eis, exiit urbe: quum sciret, nondum venisse horam suam in qua patiendum sibi esset. Nam postea quum sciret horam illam venisse, ultrò eis obviam ivit, Joh.17.v.1.collato cum cap.18.v.1.2.3.4.

Humana natura Christi. 14 Ex v.18.& 19. Notanda argumenta duo pro veritate naturæ humanæ Christi: videl. quòd esuriit, & quòd ignoravit ficum carere fructu. Etenim si scivisset: non accessisset fructum quæsiturus. Sic ignoravit diem ultimi judicii: id quod ipsemet ultrò affirmavit, Marc.13.v.32.

Hypocritarum exitus. 15 Ex v.19. Hypocritæ, qui tantùm folia pietatis ferunt: fructu autem illius carent: suo tempore à Deo maledicentur; & fallacibus illis foliis, id est, hypocriticis dictis & factis, nudabuntur, ac coram omnibus piis ignominiæ exponentur. Id enim Dominus maledicendo istam ficum videtur docere voluisse: & nominatim quidem hoc ipsum ominari de Scribis & Pharisæis. Quare hypocrisin detestemur, Deumq; sincerè colamus.

Deitas Christi. 16 Ex eod. v. Notandum argumentum deitatis Christi, videl. miraculum arefactæ ficus per ipsius maledictionem.

Opera Dei. 17 Ex v.20. Opera Dei admirari debemus, exemplo discipulorum.

Fidei vis. 18 Ex v.21.& 22. Quum tanta sit vis fidei ut etiam immutationem naturæ à Deo impetret: oremus Deum ut nobis fidem augeat; & ex fide illum invocemus, eaq; petamus quæ intelligemus facere ad gloriam ipsius & salutem nostram sempiternam.

Consolatio contra Pontificios. 19 Ex v.23.& sequentibus. Quum videmus, primarios Ecclesiæ pastores (puta Papam cum suis Cardinalibus & Episcopis) nec non primarios populi Christiani magistratus (puta, Reges ac Principes qui se nominant Catholicos) sese opponere doctoribus Evangelii & magistratibus, qui illorum patrocinium susceperunt, & cultum Dei à corruptelis Papisticis repurgarunt aut etiamnum repurgant: non est quòd magnoperè offendamur: quum intelligamus idem accidisse ipsi Christo. Quin potiùs exemplo Christi interrogare illos debemus, an doctrina illa & illa repurgatio sit è cælo, an ex hominibus. Nam si fateantur esse è cælo, ut est: necesse est ut fateantur se non habere justam causam sese opponendi. Si verò dicant esse ex hominibus; ut dicunt: tenentur demonstrare, quòd non consentiat cum sacris literis. id quod hactenus nondum facere potuerunt: etiamsi id hodie Jesuitæ magnis conatibus agant.

Pastores Ecclesiæ. 20 Ex iisdem versibus. Non est satis nomen ac dignitatem pastoris in Ecclesia per ordinariam successionem adeptum esse: sed requiritur insuper ut qui sanctis illis pastoribus, (puta Apostolis & aliis) successerunt, doctrinam Christi, sicut illi fecerunt, populo Christiano proponant. Cujus contrarium si fecerint: non jam pro pastoribus, sed pro lupis habendi sunt.

Doctrina cælestis. 21 Ex v.25. Quum primùm cognovimus, doctrinam aliquam esse è cælo, id est, à Deo; tenemur illam amplecti. Cæterùm doctrinam aliquam esse è cælo, tum demum poterimus statuere; quum intellexerimus consentaneam esse sacræ Scripturæ. hæc enim tota est θεόπνευστος, à Deo inspirata, & Ecclesiæ in regulam fidei ac morum data, 2.Tim.3.v.6.2.Pet.1.v.19.

Hypocritarũ ingenium. 22 Ex v.26.& 27. Hypocritæ quum non timeant Deum, interim timent homines. Itaque quum periculosum esse vident, suam de doctrina cælesti sententiam confiteri, illam dissimulant: extra periculum autem constituti, doctrinam cælestem petulanter rejiciunt ac damnant. Nos verò veritatem cælestem, quoties Dei gloria & proximi ædificatio postulat, sincerè & constanter confiteamur.

23 Ex v.28. & sequentibus: ex parabola de duobus filiis in vinea operari jussis. Hypocritæ manifestis peccatoribus deteriores sunt: quoniam illi ad voluntatem Dei faciendam præ cæteris promti ac parati esse videri volunt, sed tamen Deo per servos suos ipsos alioquenti & hypocriseos damnanti non auscultant, saltem plerique: at isti à suis sceleribus per vocem Dei à servis illius propositam facilè sese, dummodo electi sint, revocari patiuntur.

Consolatio contra Pontificios. 24 Ex iisdem versibus. Quum videmus eos qui in Ecclesia primatum tenent, ac præ cæteris sancti videri volunt, tamen voluntati Dei per fideles ipsius servos propositæ non auscultare: (id quod hodie faciunt Papa cum suis Prælatis) non est quòd magnopere tanquam re novâ atq; insolente moveamur, quum videamus idem accidisse tempore Christi.

25 Ex v.33.& sequentibus: nempe ex parabola de colonis recusantibus fructum vineæ. Sicut olim sacerdotes populi Israëlitici, à Deo constituti, servos Dei Prophetas persecuti sunt, & Christum ipsum rejecerunt atq; occiderunt: ita hodie sacerdotes Papistici, qui gloriantur se esse ordinarios pastores Ecclesiæ Catholicæ, utpote successores Apostolorum, persequuntur fideles servos Christi qui Evangelium, id est, doctrinam Christi de gratuita remissione peccatorum omnium propter unicam Christi passionem & mortem purè annuntiant; & hanc ipsam doctrinam rejiciunt ac damnant. Quare non est quòd ista persecutione & damnatione tanquam novâ aut insolente offendamur: sed potiùs exemplo Prophetarum & ipsius Christi, doctrina cælestis sincerè & constanter est Ecclesiæ proponenda, & persecutionis præmium unà cum illis à Deo justissimo judice expectandum.

26 Ex eâdem parabola. Quum omnes cives Ecclesiæ sint, quasi vites in vinea Dei: singuli studeant ferre fructus bonorum operum Deo gratos: idque tum quia Deus diligentissimâ hujus vineæ curâ (vers.33.) fructus istos meretur: tum quia eosdem postulat, vers.34. tum denique quia ab iis qui fructus non reddunt, gratiosam suam gubernationem auferet, vers. 41.& 43. Confer Esa.5. *Bona opera.*

27 Ex v.42. Christus est lapis angularis Ecclesiæ. Quare quicunque cupit verum esse Ecclesiæ membrum, ac proinde bonorum Ecclesiæ promissorum fieri particeps: eum oportet cum hoc lapide coagmentari atque conglutinari. Istud autem fit per veram in illum fidem. Confer Ephes.2.v.29.& seq. Item 1.Pet.2.v.4.& seq. *Christus.*

28 Ex v.44. Caveamus nobis ab incredulitate: quum illos qui Christum per incredulitatem rejiciunt vel etiam oppugnant, certum exitium maneat. *Incredulitas*

29 Ex v.46. Deus conatus hostium veritatis providentiâ suâ mirabiliter cohibet quamdiu ipsi visum est: ne ut maximè cupiant, manus in doctores & confessores, veritatis injiciant. Quare huic providentiæ nos semper committamus. *Consolatio contra hostes Evangelii.*

ANALYSIS CAP. XXII.

ARGUMENTUM.

Pergit Evangelista narrare sermones habitos Hierosolymis inter Christum & primores Judæorum, paulò ante ipsius passionem. Ac primò recitat parabolam quam Christus eis proposuit de vocatis ad nuptias filii regis, usq; ad v.15. Secundò responsionem ejus ad quæstionem Pharisæorum, an liceat censum dare Cæsari, usq; ad v.23. Tertiò responsionem ad quæstionem Sadducæorum de uxore septem fratrum, cujus ex illis futura sit in resurrectione, usq; ad v.34. Quartò responsionem ad quæstionem Legisperiti cujusdam, Quodnam sit maximum mandatum in Lege, usq; ad v. 41. Quintò & postremò quæstionem quam ipse proposuit Pharisæis de Christo, Cujus filius sit. Ita sunt quinq; hujus capitis partes.

PRIMA PARS.

Parabola de vocatis ad nuptias.

TUnc respondens Jesus, rursum loquutus est eis, per parabolas, dicens;

2 Simile est regnum cælorum cuidam regi qui fecit nuptias filio suo.

3 Et misit servos suos ut vocarent invitatos ad nuptias: sed noluerunt venire.

4 Rursus misit alios servos, dicens, Dicite invitatis, Ecce, prandium meum paravi, tauri mei & altilia mactata sunt, & omnia parata: venite ad nuptias.

5 Illi autem *hoc* neglecto abierunt: alius quidem in agrum suum, alius verò ad mercaturam suam.

6 Reliqui verò prehensos servos ejus contumeliis affecerunt, & trucidarunt.

7 Rex autem quum *hoc* audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & urbem eorum incendit.

8 Tunc dicit servis suis, Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui vocati fuerant, non erant digni.

9 Ite ergo ad compita viarum, & quoscunque inveneritis vocate ad nuptias.

10 Et egressi servi illi in vias, congregarunt omnes quos invenerunt, malos pariter ac bonos: & impletæ sunt nuptiæ conviviis.

11 Ingressus autem rex ut spectaret convivas, vidit illic hominem non indutum veste nuptiali:

12 Tunc dicit ei, Amice, quomodo huc introisti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

13 Tunc dicit rex ministris: Ligatis pedibus & manibus ejus, tollite eum, & conjicite in tenebras illas exteras: illic erit fletus & stridor dentium.

14 Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

PArabola continet duas principales partes: primò vocationem seu invitationem honestiorum, usque ad v.8. deinde vocationem contemtiorum. In priore parte narratur, tum quomodò vocati illi se gesserint, tum quid eis propterea evenerit. Quod attinet ad prius: omnes recusarunt venire, ac nonnulli insuper servos regis per quos vocabantur, affecerunt contumeliis & trucidarunt. Causa etiam indicatur, cur noluerint venire: nempe ne interim impedirentur in curandis suis negotiis. Quod ad po-

ad posterius: Rex homicidas illos perdidit & urbem eorum incendit. In altera parte exponitur primùm causa, vel potiùs occasio, vocationis illorum contemtiorum: nempe quia priores illi recusarant venire, vers. 8. deinde mandatum regis de illis vocandis, v. 9. tum ipsa vocatio & vocatorum obedientia, vers. 10. præterea eventus, videl. deprehensio unius qui carebat veste nuptiali, ejusdemque objurgatio & ejectio, vers. 11. 12. & 13. Postremò causa superior illius ejectionis, vers. 14. Atque hæc sunt quæ continentur in ista parabola: nunc videndum quæ sit illius interpretatio. Ea autem partim ex ipsis verbis Christi, partim ex circumstantia temporis quo hæc sunt dicta, & personarum ad quas sunt dicta, colligitur esse hæc. Rex ille qui fecit nuptias filio suo, est Deus pater. Filius hujus regis, est Christus. Nuptiæ sunt beatitudo illa cælestis qua una cum Christo post hanc vitam fruentur in æternum electi. Vocati illi primi ac honestiores, sunt Judæi. Servi quos rex ad eos misit, sunt prophetæ. Vocatio ad nuptias, est invitatio ad pœnitentiam & fidem. Hanc vocationem Judæi contemserunt, addicti studiis rerum terrenarum: ac nonnulli ex ipsis, maximè primores populi, prophetas contumeliis affecerunt & occiderunt. Itaque Deus illos perdidit per suos exercitus, videl. per exercitus Romanorum: quos duxerunt primò Vespasianus, deinde Titus illius filius: & urbem eorum, videlicet Hierosolymam, incendio delevit. Deinde rejectis Judæis, misit apostolos ad Gentes, & illas in locum Judæorum vocavit: in quarum numero fuerunt & sunt atque erunt usque ad finem mundi, tum boni, tum mali: id est, tum electi, tum reprobi: quorum illi per Spiritum sanctum ex malis efficiuntur boni, isti verò in naturali malitia relinquuntur. Vestis nuptialis est vera sanctitas; quæ est * duplex; una, sanctitas sacrificii Christi per fidem imputata, altera sanctitas in animo effecta per sanctificationem Spiritus sancti quæ sese ostendit per sanctam vitam. Hac veste quicunque non fuerint induti, à nuptiis ejicientur in tenebras, id est, in gehennam ad æternos cruciatus: idque per ministros, id est, sanctos angelos. Cujus rei causa superior est electio: id est, arcana illa voluntas Dei qua decrevit efficaciter vocare, hoc est, verà fide donare solos electos, hoc est, quos ipse elegit ad vitam æternam: hinc enim fit, ut reprobi veste nuptiali careant: quæ proxima causa est abjectionis ipsorum.

* Das hochzeitlich kläid hat zwo farben/nemlich root vñ weiß. Die rote farb hat es vom blut Christi/ dadurch wir gehäiliget sind: die weisse aber vom glantz des häiligen Gäistes.

SECUNDA PARS.

Responsio ad quæstionem de censu.

15 Tunc profecti Pharisæi, consilium ceperunt ut illaquearent eum sermone.

16 Itaque mittunt ad eum discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Præceptor, scimus te veracem esse, & viam Dei sincerè docere, nec quenquam curare. Non enim respicis in faciem hominum.

17 Dic ergo nobis, Quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, an non?

18 Cognitâ autem Jesus malitiâ eorum, ait, Quid me tentatis, hypocritæ?

19 Ostendite mihi numisma census. Ipsi verò obtulerunt ei denarium.

20 Tunc dicit eis, Cujus est imago ista & inscriptio?

21 Dicunt ei, Cæsaris. Tunc dicit eis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

22 Quumq; *hoc* audissent, mirati sunt: & omisso eo abierunt.

Primùm narratur quæstio Domino à Pharisæis proposita, usque ad vers. 18. deinde Domini responsio. In narranda quæstionis propositione primò indicantur illius proponendæ causæ, deinde ipsa propositio. Causæ indicantur duplices: impulsivæ & instrumentales. Impulsivæ tres: primò προκαταρκτικὴ, seu irritatrix, videlicet parabolæ paulò antè adversum ipsos à Domino dictæ: hæc causa innuitur adverbio τότε, id est, *Tunc*. Secundò προηγουμένη, id est, antecedens, videlicet odium Christi: quod significatur ex effectu, nempe consilio capto ad illum perdendum. Tertiò finalis proxima: nempe ut illaquearent eum sermone. nam finis seu scopus summus ac principalis erat, ut eum ita illaqueatum neci dederent. Jam causæ instrumentales fuerunt legati, quibus administris usi sunt ad quæstionem illam Domino proponendam. Illi autem fuerunt diversi generis atque ordinis, sed hìc inter se consociati ad Christum opprimendum: videl. discipuli Pharisæorum & Herodiani: quorum de illa quæstione sententiæ erant contrariæ. nam Pharisæi sentiebant, censum non rectè Cæsari dari: quum populum Dei oporteat esse liberum, non autem homini extraneo atq; ethnico subjectum: at Herodiani favebant Cæsari, eò quòd Herodes ex favore Cæsaris regnabat, ac proinde affirmabant censum illi esse dandum. Atq; hæc de causis. Jam ipsa quæstionis propositio, seu ipse modus agendi duas partes habet; præfationem & quæstionem ipsam. Præfatio tria habet membra: προσφώνησιν, id est, appellationem, quum dicunt, διδάσκαλε, id est, *doctor* seu *magister*. deinde laudationem, quum dicunt: *Scimus te veracem esse &c.* tum petitionem, quum dicunt: *Dic ergo nobis, &c.* Appellatio est honorifica: ac proinde facit ad conciliandum benevolentiam & facilitatem in sermone audiendo. Laudatio directa est partim ad benevolentiam captandam (bene volumus enim iis qui bene atque honorificè de nobis videntur sentire) partim ac præcipuè ad impetrandum petitionem, id est, ad persuadendum Domino ut suam de proposita quæstione sententiam liberè pronuntiet. Persuasionis autem argumentum ductum est à causa procreante: Verax es, ergo dic veram sententiam de proposita quæstione. Item, Non respicis personam hominum: Ergo dic liberè quod sentis, nihil veritus offensionem vel Cæsaris vel Herodis vel Pharisæorum vel deniq; populi. Petitio ex laudatione tanquam conclusio deducitur. Quæstio est, Licétne censum dare Cæsari, an non? Quæ quæstio erat periculosa Domino in utramq; partem. Gignebat enim ex se dilemma quod utroq; cornu feriebat; nempe, Census Cæsari aut dandus est, aut non dandus. Si diceret dandum: metuenda videbatur offensio populi, qui sentiebat contrarium: ac proinde videbatur desiturus ipsi adhærere, vel etiam contra eum tumultuaturus. Si verò diceret, non dandum: metuenda videbatur offensio Herodianorum qui addicti erant Cæsari, ac proinde eum tanquam seditiosum apud Cæsarem vel saltem illius præsidem Pilatum accusassent, aut etiam correptum illi tradidissent extremo supplicio afficiendum. Hoc igitur dilemmate freti Pharisæi, omnino sperabant se illum sermone isto suo, id est, quæstione, illaqueaturos, & ad necem adducturos. Atque hæc de parte prima, de ipsa scil. quæstione. Jam responsio Domini quatuor habet membra. Primùm reprehendit illos Pharisæorum legatos nomine hypocrisis: quæ reprehensio ab evangelista declaratur è causa impulsiva, v. 18. Atque ita Dominus illos dejicit suâ spe, dum significat se dolum ipsorum animadvertere. Deinde petit sibi ostendi numisma census, v. 19. ut aditum sibi patefaciat ad probationem assumtionis syllogismi quo conclusurus erat sententiam quæstionis affirmativam, nempe censum Cæsari dandum, v. 19. Tum denario sibi, ut postulaverat, oblato quærit, Cujus sit imago ista & inscriptio, vers. 20. ut ex ipso adversariorum ore eliciat confessionem ejus sententiæ, qua probabatur clarissimè syllogismi ejus assumtio; nempe Judæos esse sub potestate Cæsaris: quum cogerentur uti monetâ ab illo percussâ: cujus percussionis evidens signum ac testimonium erat ipsa Cæsaris imago & inscriptio. Atque ita ipsosmet adigit ad dicendum ea unde tandem sequebatur responsio ad quæstionem propositam affirmativa, à qua tamen ipsi inprimis abhorrebant. Postremò, confessione sententiæ quam volebat, ex adversariorum ore elicitâ, infert conclusionem, v. 21. atque ita ad quæstionem propositam respondet affirmando, idque per sententiam generalem qua continetur argumentum responsionis principale, ubi ait: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari. quasi dicat:

Quæ Cæsari jure à vobis debentur, ea debetis illi reddere.
At census Cæsari à vobis jure debetur.
Ergo censum debetis Cæsari reddere.

Argumentum sumtum est à causa procreante: nam jus & obligatio civilis, est actionum civilium mater. Cæterùm assumtio jam antè fuit probata, ubi ostensum fuit, Judæos Cæsari ut domino esse subjectos. Prosyllogismus igitur erit hic:

Si Cæsari ut domino estis subjecti, debetis illi censum.
Atqui Cæsari ut domino estis subjecti.
Ergo debetis illi censum.

Hujus syllogismi propositio nititur axiomate politico confesso, nempe magistratibus deberi tributum. Assumtio autem fuit probata ab effectu, videl. usu monetæ à Cæsare percussæ. Alter igitur prosyllogismus erit iste:

Si utimini monetâ à Cæsare percussâ, agnoscitis utiq; vos illi ut domino esse subjectos.
At utimini illâ monetâ: id enim disertè confitemini.
Ergo agnoscitis vos Cæsari ut domino esse subjectos.

Atq; ita Dominus satisfecit propositæ quæstioni. Sed ne in animis Judæorum relinqueretur scrupulus objectionis contrariæ, nempe censum illum deberi Deo, quippe qui illum sibi reddi præceperit Exod. 30. v. 13. Dominus objectioni isti sapientissimè occurrit, dum sententiæ priori annectit alteram, qua jubet, ut nihilominus Deo reddant quod illi debent. quâ sententiâ innuit, falsum esse connexum objectionis illorum, nempe: Si censum debemus reddere Cæsari, non igitur poterimus reddere illum Deo. Imò, inquit, potestis, ac debetis: atque adeò non solùm censum, ad conservationem scil. cultus externi, puta sacrificiorum, ignis, perpetui, &c. sed & alia longè majoris momenti, videl. cultum internum. Atque ita simul innuere videtur, ipsos de cultu Dei interno (qui tamen præcipuus est) parum sollicitos esse. Postremò additur eventus inexspectatus, videl. admiratio adversariorum Christi & omissio illius, vers. 22.

TERTIA PARS.

Responsio ad quæstionem de uxore septem fratrum.

23 In illo die adierunt eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogarunt eum,

24 Dicentes, Magister, Moses dixit, Si quis mortuus fuerit non habens liberos, ejus frater ducet affinitatis jure uxorem ejus, & suscitabit semen fratri suo.

25 Fuerunt autem apud nos septem fratres: & primus uxore ductâ obiit: & quum non haberet semen, reliquit uxorem suam fratri suo.

26 Similiter etiam secundus & tertius, usque ad illos septem.

27 Post omnes autem mortua est & mulier.

28 In resurrectione ergo, cujus è septem erit uxor? Omnes enim habuerunt eam.

29 Respondens autem Jesus dixit eis, Erratis, non scientes scripturas, neque potentiam Dei.

30 Nam in resurrectione neque uxores ducunt, neque nuptum dantur: sed sunt ut angeli Dei in cælo.

31 De resurrectione verò mortuorum non legistis quod vobis dictum est à Deo, dicente,

32 Ego sum deus Abraham, & deus Isaac & deus Jacob? Non est *autem* Deus, deus mortuorum, sed viventium.

33 Et quum *hoc* audisset turba, perculsa est super doctrina ejus.

Hujus narrationis partes duæ sunt. Primùm enim narrat Evangelista, quomodo Sadducæi quæstionem Domino proposuerint, usq; ad v.29 Deinde verò quomodo Dominus ad illam quæstionem responderit. In narranda quæstionis propositione primò indicat circumstantiam temporis, ubi ait. *In illo die*: videl. quo discipuli Pharisæorum proposuerant Domino quæstionem de censu: ut planum est ex ipsa narrationis consecutione sermonisque cohærentia. Secundò innuit consilium seu scopum illis propositum in hac quæstione Domino proponenda: nempe ut erroris convincerent doctrinam ipsius aliquoties traditam de resurrectione mortuorum: ac proinde eum in contemtum adducerent apud plebem. Hunc scopum innuit per Sadducæorum descriptionem ab adjuncta hæresi seu dogmate placitóve singulari, ubi ait, *Qui dicunt non esse resurrectionem.* Tertiò recitat illorum sermonem quo quæstionem suam proposuerunt: qui sermo continet primùm narrationem, deinde quæstionem cum sua ratione. Narratio est gemina: una de certo quodam jure, v.24. videl. de lege quam Moses tulit de ducenda uxore fratris absque liberis defuncti: altera de facto seu certo quodam casu, quo accidit ut vi illius legis una mulier nuberet septem viris, uni post alium, v.25.26.& 27. Quæstio cum ratione continetur v.28. & ex ipsa narratione deducitur, ubi dicunt, *In resurrectione ergo &c.* Ratio innuit, respondendum ac fatendum Domino, quòd mulier illa simul habitura sit septem viros: quippe quum illam septem fratres habuerint in hac vita. Porrò quum scopus quæstionis sit (ut antea ostendimus) concludere, non esse resurrectionem: considerandum venit, quali syllogismo istam sententiam voluerint conclusam. Colligitur autem ex ipsorum verbis syllogismus talis:

Si futura esset resurrectio mortuorum: tum futurum esset ut mulier quadam simul haberet septem viros.
Ad hoc non est futurum; quia absurdum. Ergo nec illud.

Assumtio ut manifesta omittitur. Propositionis sententia occultatur in ipsa quæstione, ubi sic ajunt: *In resurrectione ergo cujus è septem illis* (scil. viris fratribus) *erit uxor?* nempe mulier illa de qua narravimus. quasi dicant: Si futura est resurrectio, & ex consequenti mulier illa, itemq; septem illi fratres de quibus narravimus, resurgent: sequitur illam istos omnes simul habituram maritos. Hanc autem esse istius quæstionis mentem, percipitur ex annexa ratione, ubi dicunt; *Omnes enim eam habuerunt.* quibus verbis utiq; significant: nisi illa mulier in uxorem cesserit septem illis fratribus omnibus simul, sed tantùm uni aut aliquibus: tum reliquos affectum iri injuriâ: quippe quum omnes par jus mariti in illam habuerint. Propositionis igitur prosyllogismus hic est:

Si fratres illi omnes septem mulierem istam habuerunt in hac vita uxorem: sequitur ut si futura est resurrectio, tum quoq; in altera vita omnes eam habeant, idq; simul: quippe quum omnes (ex hypothesi) simul victuri sint.
At verum est antecedens.
Ergo & consequens.

Hujus syllogismi assumtio illustratur premissâ illâ narratione geminâ: quarum posterior est principalis & ad propositum inprimis pertinens: prior verò adhibita est ad posteriorem illustrandam expositione causæ impulsivæ. Quòd enim septem illi fratres mulierem unam ordine in uxorem duxerunt: adducti sunt præscripto legis Mosaicæ quæ hîc narratur ex Deut.25.v.5. Atq; hæc de quæstionis propositione. Jam ad responsionem Domini quod attinet: is Sadducæos primùm arguit erroris, inquiens: *Erratis.* quo uno verbo innuit, illos & falsum concludere, & ex falsis: sicut ex sequentibus liquebit. Deinde erroris illorum causas indicat duas, videl. ignorantiam scripturarum & ignorantiam potentiæ Dei: quarum illa ad falsitatem tum conclusionis tum argumenti pertinet, hæc autem propriè ad falsitatem conclusionis. nam quòd Sadducæi non credebant resurrectionem mortuorum, fiebat partim ex eo quòd illa ipsis videretur simpliciter impossibilis, quasi ne Deus quidem suâ potentiâ illam posset effectam dare: partim ex eo quòd Scripturas propheticas repudiabant, in quibus testimonia de resurrectione exstant, ac inprimis unum insigne atque evidens apud Danielem capite duodecimo: partim denique quòd libros Mosis quos solos pro authenticis admittebant, non probè considerabant, nec rectè intelligebant: alioquin enim in illis reperire potuissent argumentum pro resurrectione: quippe quod Dominus paulò-pòst in medium affert. Similiter quòd sibi imaginabantur statum vitæ futuræ post resurrectionem, si quidem illa utraq; futura esset, similem fore statui sive conditioni hujus vitę, ac proinde homines in conjugio victuros: iste quoque error natus erat ex ignorantia Scripturarum: quippè quæ statum futuræ vitæ conditioni hujus vitæ valde dissimilem fore significant. Tertiò reprehensionem suam Dominus confirmat: ac primùm ostendit errorem argumenti Sadducæorum, v.30. deinde errorem ipsius conclusionis, v.31.& 32. Errorem argumenti ostendit his verbis: *Nam in resurrectione neq; uxores ducunt, neq; nuptum dantur.* Quæ sententia continet rationem negationis connexi in utroq; syllogismo Sadducæorum: tum principali, tum prosyllogismo: ut patet ex natura generis: quo universaliter negato, necesse est singulas illius species negari. quare si nulla prorsus conjugia futura sunt in altero sæculo: sequitur, nec fore conjugium illius mulieris cum septem illis fratribus. Cæterùm sententia illa à Domino illustratur antithesi disparatorum, quâ innuit, conditionem piorum in altero sæculo fore non animalem ut in hoc sæculo, ita scil. ut egeant cibo, potu, generatione: sed spiritualem, ita ut nullâ istarum rerum egeant: quod ipsum significat comparatione similium, affirmans, pios similes fore angelis Dei in cælo. Atque sic ostendit errorem argumenti. Errorem verò conclusionis, id est, dogmatis Sadducæorum, tali syllogismo demonstrat:

Quorum deus est Deus, eos necesse est vivere.
Atqui Abrahami, Isaaci & Jacobi deus est Deus.
Ergo illos necesse est vivere: & per consequens, necesse est fore resurrectionem mortuorum: quum certum sit illos secundùm corpus jam esse mortuos. Simul autem videtur significare, illos nunc vivere secundùm animam: ut obiter alterum quoque Sadducæorum errorem perstringat, quo negabant esse spiritus, id est, animas humanas à corporibus separatas aut separabiles.

Conclusio præcedit in his verbis, *De resurrectione verò mortuorum*: hoc est, Mortuos verò resurrecturos. Deinde sequitur approbatio assumtionis à testimonio Dei: quod ipsum approbatur testimonio Mosis ex Exod.3.ibi: *Non legistis &c.* tum recitatur sententia assumtionis, ibi, *Ego sum Deus &c.* postremò annectitur sententia propositionis, ibi: *Deus non est deus mortuorum, sed viventium.* Quæ sententia ut rectè intelligatur, inprimis tenendum est, quid hac loqutione significetur, quum Scriptura dicit, Deum esse deum alicujus. Significatur autem hac phrasi, Deum complecti aliquem favore paterno, idq; in æternum, ita ut velit eum tueri ab omni malo, & contrà afficere omni bono, denique velle eum reddere beatum. Hoc percipitur ex illis Scripturæ locis, ubi Deus fedus gratiæ cum electis pangens, istâ phrasi utitur: ut Gen.17.v.7. ubi Deus Abrahamo dicit: *Stabiliο fedus meū inter me & te, ac semen tuum post te per ætates suas, ut fedus sit perpetuum: me esse tibi in Deum, & semini tuo post te.* Sic Jer.31. v.33. ubi Deus pios consolatur promissione novi federis, inter alia sic loquens: *Nam hoc illud est fedus quod pangam cum domo Israëlis post dies hos, dictum Jehova: Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam eam: & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Ubi ipsa antithesis relatorum ostendit, phrasi illâ significari singularem Dei favorem quo certam hominum multitudinem tanquam populum suum complectitur. Porrò quos Deus favore complectitur, eos favorem ipsius oportet sentire, ut inde beati sint: ac proinde necesse est eos vivere. Atque sic Dominus ad quæstionem Sadducæorum sapientissimè respondit: disputans ex principiis ab illis admissis atque receptis, videl. libris Mosis: & acutissimè atque nervosissimè ex verbis Mosis ratiocinans. Ad extremum commemoratur illius responsionis eventus, nempe summa admiratio turbæ. Porrò Lucas c.20.v.40. alium quoque eventum commemorat, videl. repressionem audaciæ Sadducæorum, quòd scil. non ampliùs ausi sint eum aliquid interrogare.

QUARTA PARS.

Responsio ad quæstionem de maximo mandato.

34 Pharisæi verò quum audissent *eum* occlusisse os Sadducæis, congregati sunt in unum.

35 Tunc

35 Tunc interrogavit *eum* quidam ex ipsis Legis interpres, tentans eum, & dicens.
36 Magister, quod *est* mandatum maximum in Lege?
37 Jesus autem dixit ei, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua.
38 Istud est primum & maximum mandatum.
39 Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum ut teipsum.
40 Ab istis duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent.

Hujus narratiunculæ duo sunt membra. Primùm enim recitatur quæstio quæ Domino fuit proposita, usque ad v.37. Deinde Domini ad illam quæstionem responsio. In narranda quæstionis propositione primò indicantur causæ efficientes sociæ; nempe personæ quæ cum illo qui quæstionem proposuit, consenserunt; illumque præsentiâ suâ adjuverunt. Illi fuerunt Pharisæi Hierosolymitani. Secundò indicatur occasio seu causa impulsiva procatarctica, ibi: *Quum audissent eum occlusisse os Sadducais.* ubi simul innui videtur finis seu scopus: nimirum ut à se removerent ignominiam quæ ex illa Sadducæorum convictione in ipsos quoque videbatur redundare: quasi scil. nemo esset qui ipsum vicissim posset convincere, præsertim quum cognovissent eum paulo-antè Pharisæorum quoque discipulis os occlusisse in quæstione de censu. Tertiò narratur modus agendi: quòd scil. in unum coacti seu congregati sint; quod videntur fecisse ad terrorem aliquem ei injiciendum eumve perturbandum, ut animo minùs præsente utens minùs sapienter responderet. Quartò describitur persona quæ quæstionem proposuit, ex adjuncto officio seu vitæ genere, quòd videl. fuerit νομικός; id est, Legis interpres, qui hauddubiè ex tota Pharisæorum turba tanquam doctissimus, ac proinde ad Dominum convincendum maximè idoneus, fuit delectus. Quintò indicatur quæstionis proponendæ finis seu scopus: nempe quòd quæstionem illã Domino proposuerit tentans eum, hoc est, ut experiretur an posset ei vicissim os occludere, difficili scil. quæstione propositâ, atque ita eum coram populo pudefacere, ejusque authoritatem imminuere. Sextò recitatur ipsa quæstio, v.36. Atque hæc habentur in istius narratiunculæ parte prima, quæ est de quæstionis propositione. Jam ad responsionem Domini quod attinet: ea primùm recitatur v.37. & 38. Deinde amplificatur; idque duobus modis: partim additione rei similis, videl. præcepti de dilectione proximi, v.39. partim commemoratione rei paris, & v.40. videl. quòd duo illa magna & generalia lateq; patentia mandata contineant summam non solùm Legis, de qua proposita erat quæstio: sed etiam Prophetarum, nimirum tanquam Legis interpretum. Videtur autem Dominus additione illâ perstringere voluisse perversos ac hypocriticos Pharisæorum mores: qui quum præ se ferrent singularem atque ardentissimam dilectionem Dei; interim frigidi erant in dilectione proximi; imò contra illam apertè agebant, dum publicanos præ se contemnerent: sicut videre est in exemplo Pharisæi cũ publicano orantis in templo, Luc.18.

QUINTA PARS.

Quæstio à Domino proposita Pharisæis.

41 Congregatis autem Phrisæis, interrogavit eos Jesus,
42 Dicens, Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei, Davidis.
43 Dicit eis, Quomodo ergo David in spiritu vocat eum dominum? dicens,
44 Dixit Dominus domino meo, Conside ad dextram meam, usquedum ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.
45 Si ergo David vocat eum dominum, quomodo filius ejus est?
46 Et nemo poterat ei respondere *vel* verbum: neque ausus fuit quisquam ab illo die ampliùs eum interrogare.

Primùm indicatur quæstionis hujus proponendæ occasio: quæ fuit, quòd Dominus videbat Pharisæos esse congregatos. Voluit igitur doctrinam Evangelii de persona Christi, unde & officium illius dependet, demonstrare coram omnibus: ut nimirum electi ex ipsis, aliquando cognitâ ipsius deitate per resurrectionem ex mortuis, in ipsum crederent ac salvi fierent: reprobi verò qui ne tum quidem in eum credere voluerunt, omni excusatione coram Deo carerent, ac proinde justo Dei judicio damnarentur. Deinde v.42. recitatur ipsa quæstio, unà cum sua responsione. ubi simul considerandum quæstionis proponendæ consilium, quod modò attigimus, quodq; colligitur ex collatione cum quæstione ab ipsis Pharisæis paulo-antè proposita. Quærunt illi de maximo mandato Legis, opinantes nimirum salutem quærendam in perfecta observatione Legis. Contra Dominus quærit de persona Christi: innuens nimirũ, salutem quærendam in fide Christi, ut qui omnes in ipsum credentes liberaturus sit à maledictione Legis, quam per illius transgressionem fuerant commeriti; quiq; ad hoc perficiendum sit futurus idoneus: quippe qui non sit tantùm filius Davidis, id est, nudus homo, ut possit maledictionem Dei quam transgressoribus Legis minatur, sentire: sed etiam Deus, ita ut maledictionem illam possit superare, & morte suâ vitam æternam aliis promereri: nec non per Spiritum S. fide illos donare, quâ merita ipsius sibi applicent, atque ita salvi fiant. Tertiò subjungitur Domini ad datam Pharisæorum responsionem exceptio sive objectio: quæ concluditur syllogismo connexo duplici. Prior est secundi modi, nempe hic:

Sic Christus esset filius Davidis: David de eo loquens non vocaret eum dominum, v.43.
At David de Christo loquens, vocat eum dominum, ibid.
Ergo Christus non videtur fore filius Davidis.

Propositio confirmatur à causâ efficiente principali: quòd scil. David de Christo loquens, loquatur per spiritum, hoc est, per revelationem Spiritus sancti, qui scil. nihil falsi docet aut inspirat. Assumtio v.44. probatur verbis Davidis ex Psal. 110. v.1. Quibus verbis simul innuitur & declaratur, pro quali domino Christum agnoverit David, videl. pro tali qui in æquali gloria cum Deo esset regnaturus, tanquam illius filius. Et hoc ipsum ex illis verbis ipsi Sacerdotes in concilio contra Jesum congregati collegerunt, teste Luc. cap. 22. v.69. & 70. Alter syllogismus, idem concludens, est connexus primi modi, nempe hic:

Si David Christum vocat dominum, non videtur esse posse ejus filius, v.45.
At David Christum vocat dominum, v.43.
Ergo.

Itaq; Dominus idem bis concludit ex variata syllogismi propositione: quam repetit reciprocatam: ut patet. Ceterùm ad propositionem utriusq; istius syllogismi facilè potuissent respondere Pharisæi, si cognitam habuissent personam Christi. Negassent enim consequentiam, dicendo: Etsi Christus erit filius Davidis secundùm carnem seu humanam naturam: tamen erit etiam ejusdem dominus secundùm naturam divinam: quia nimirum erit Filius Dei in humana natura ex posteris Davidis assumtâ. Atque hoc ipsum Dominus volebat docere. Sed quum hoc mysterium ignorarent, non habuerunt quod responderent: quippe assumtio ita erat manifesta, ut eam non possent negare. Quartò & postremò v.46. narratur istius colloquii eventus duplex: videl. silentium & confusio Pharisæorum hostium Christi, & cohibitio audaciæ eorundem in Christo iterum interrogando.

SCHOLIA IN CAP. XXII.

1 Respondens] ἀποκριθεὶς. *Id est, exorsus sermonem. Catachresis Hebraica.*

2 Simile est regnum cælorum] ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. *Scil. quod attinet ad modũ homines in illud ex mundo colligendi.*

3 Ut vocarent invitatos] καλέσαι τοὺς κεκλημένους. *Pro,* τοῦ καλέσαι *&c. Scil.* ἕνεκα. *Per* τοὺς κεκλημένους, *id est, vocatos, intelliguntur invitati, id est, qui paulò ante apparatum nuptialis convivii invitati ad illud fuerunt. Et sic apud Hebraos dicuntur* הַקְּרוּאִים *hakkeruim, id est, vocati, 1. Sam. 9. 13.*

10 Et impletæ sunt nuptiæ] καὶ ἐπλήσθη ὁ γάμος. *Id est, locus nuptiis celebrandis destinatus. Metonymia adjuncti.*

11 Veste nuptiali] ἔνδυμα γάμου. *Ad verb. Veste nuptiarum.*

12 Non habens] μὴ ἔχων. *Id est, Quum tamen non habeas.* At ille obmutuit] ὁ δὲ ἐφιμώθη. *Ad verbum,* At ille capistratus est. *qua propria significatio servata est in illo,* οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα, *1. cor. 9. Sic Marc. 4. v. 38.*

15 Illaquearent] παγιδεύσωσιν. *Id est, Occasionem illi objicerent dicendi aliquid quo sibi ipse perniciem attraheret, offendendo scil. vel populum vel Cæsarem: ut liquet ex sequente historia. Metaphora à venatione ferarum.* Sermone] ἐν λόγῳ. *Scil. suo. Vide Marc. 12. 13. Prapositio* ἐν *redundat ex Hebraismo.*

16 Cum Herodianis] μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν. *Hoc nomine quidam intelligendos putant eos qui cum Herode novam quandam religionem ex paganismo & Judaismo conflabant. Sed simplicius videtur, ut intelligantur ministri Herodis.* Viam Dei] τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ. *Id est, rationem felicitatis à Deo traditam.* Sincerè] ἐν ἀληθείᾳ. *Ad verbum,* In veritate. *Hebraismus, cujus exempla vide 1. Sam. 12. v. 24. &* 1. *Reg. 2. v. 4. Item* Job. *3. v. 21. Philip. 1. v. 18.* Nec quenquam curare] καὶ οὐ μέλει σοὶ περὶ οὐδενός. *In Graco gemina negatio fortiùs negat.* Non enim respicis in faciem hominum] οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων. *Alii pro faciem, Personam reddunt. Est enim vox Graca ambigua. Nos versionis nostra rationem exposuimus in scholiis ad Rom. 2. v. 11.*

23 Sadducæi] Σαδδουκαῖοι. *Hi nomen acceperant à Zadoko quodam, secta sua authore.*

24 Liberos] τέκνα. *Id est, filium: ex collatione Deut. 25. vers. 25. Synecdoche duplex: una generis, altera integri.* Ducet affinitatis jure] ἐπιγαμβρεύσει. *Prapositio* ἐπὶ *notat superventionem (ut sic dicam) id est, successionem: verbum verò* γαμβρεύειν *est affinitatem cum aliquo contrahere, deductum à nomine* γαμβρὸς: *quo significatur affinis, & per synecdochen generis, gener: quasi* γαμερὸς, παρὰ τὸν γάμον: *i. e. à nuptiis. Sic dicitur* μνημβεία *pro*

μισημεϱία. Suscitabit semen] ἀναστήσει σπέϱμα. *Id est, procreabit filium, nam primus filius quem talis successor procreasset, transibat in nomen fratris defuncti, cujus viduam ille duxerat. Metonymia materiæ, & synecdoche generis.*

26 Usque ad illos septem] ἕως τῶν ἑπτὰ. *Id est, usq; ad septimum illorum, inclusivè scilicet.*

28 Erit uxor] ἔσται γυνή. Scil. ἡ γυνὴ ἐκείνη, mulier illa. Omnes enim habuerunt eam] πάντες γὰϱ ἔσχον αὐτήν. *Innuunt, posita resurrectione, necessariò sequi, illam mulierem fore simul septem virorum uxorem. Quod consequens quum sit absurdum, colligunt inde, absurdum quoq; esse antecedens.*

29 Non scientes] μὴ εἰδότες. *Id est, ut qui non sciatis.*

30 In resurrectione] ἐν τῇ ἀναστάσει. *Id est, in altera vita quæ resurrectionem excipiet. Metonymia effecti destinati.*

31 De resurrectione verò mortuorum] πεϱὶ δὲ ἀναστάσεως τῶν νεκϱῶν. *Id est, quòd autem mortui resurrecturi sint.* Vobis] ὑμῖν. *Innuit, Scripturas Judæis peculiariter esse traditas.*

32 Ego sum deus Abraham &c.] ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς Ἀβϱαὰμ &c. *Id est, Ego Abrahamum, Isaacum & Jacobum paternè diligo, ac proinde potentiâ meâ utar ad illos in æternum beandos.* Non est autem Deus, deus mortuorum] οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς, θεὸς νεκϱῶν. *Pro, οὐκ ἔστι δὲ &c. Vel, νυνὶ δὲ οὐκ ἔστιν. Ellipsis conjunctionis transitivæ quæ hic transitur ab assumtione syllogismi ad propositionem. Quo loco notandum, falsò referri à nonnullis hunc syllogismum ad tertiam figuram, sic scil. dispositum.*

Deus non est deus mortuorum, sed viventium.
Deus est deus Abrahæ, Isaaci & Jacobi.
Ergo Abraham, Isaac & Jacob non sunt mortui, sed vivunt.

At syllogismum hunc non esse tertiæ figuræ, duabus rationibus ostendo. Primùm enim omnis syllogismus tertiæ figuræ conclusionem habet particularem: at iste syllogismus non habet conclusionem particularem, sed singularem, seu propriam. Deinde in omni syllogismo tertiæ figuræ argumentum seu medium antecedit in utraq; præmissa: at hoc in isto syllogismo non fit. quippe argumentum hîc non continetur solo nomine illo Deus*, sed toto hoc verborum complexu.* Deum esse Deum alicujus. *Quare ad evidentiam syllogismus erit formandus & argumentum disponendum, ut à nobis factum est in Analysi.*

34 Occlusisse os] ὅτι ἐφίμωσε. *Id est, silentium imposuisse sive ad silendum adegisse. Vide suprà v. 12.*

36 Mandatum maximum] ἐντολὴ μεγάλη. *Ad verb. Mandatum magnum. Id est, maximum: Hoc est, latissimè patens & generalissimum. Pro hoc apud Marcum dicitur, πϱώτη πασῶν ἐντολή, primum omnium mandatum, Marc. 12. v. 28.*

37 Ex toto corde &c.] ἐν ὅλῃ τῇ καϱδίᾳ &c. *Pro Ex in Græco habetur In, ex consuetudine Hebræorum.*

38 Primum] πϱώτη. *Dignitate & ordine naturæ. Dignitate, quia præcipit de Deo. Ordine naturæ, quia ex dilectione Dei dilectio proximi manat.* Et maximum] καὶ μεγάλη. *Ut v. 36.*

39 Simile] ὁμοία. *Id est, etiam magnum seu generale & multa sub se complectens, nec non de re magni momenti: sed non æquè magnum ac alterum. Ideo non dicit ἴση, æquale: sed ὁμοία, simile. Hoc enim præceptum sub altero quodammodo continetur, & illud dignitate prius est.*

42 De Christo] πεϱὶ τοῦ Χϱιστοῦ. *Istud nomen hoc loco non est accipiendum ut proprium, sed appellativè. Quærit enim in genere atq; indefinitè de persona Christi, non autem in specie de sua ipsius persona: de qua quæsiverat antea ex discipulis suprà 16. 13.*

43 In spiritu] ἐν πνεύματι. *Id est, Ex afflatu Spiritus sancti.*

44 Dixit Dominus domino meo] εἶπεν ὁ κύϱιος τῷ κυϱίῳ μου. *In Hebræo habetur,* Dictum Jehovæ ad dominum meum, *ubi nomine* יְהוָה *Jehováh intelligitur Deus pater, nomine verò* אֲדֹנִי *Adoni Christus.* Conside] κάθου. Setze dich. *ut suprà 13. 1.*

46 *Vel verbum*] λόγον. Auch nur ein wort. *Quasi dicat, Nedum ut quisquam respondere potuerit verbis pluribus, plenè ac planè. Sic malo exponere quàm per Hebraismum, quo verbum ponitur pro re.*

OBSERVAT. EX CAP. XXII.

Vita æterna. 1 Ex v. 2. Ex eo quòd vita æterna comparatur nuptiis regiis, discimus primò: illam per omnia esse gratuitam seu dari ex mera Dei gratia; quippe quũ & invitemur ad illã ex mera gratia regis cælestis, & eâdem fruamur absque conditione compensationis. Neque enim moris est in nuptiis regum, ut invitati offerant munera nuptialia, aut hospiti pro prandio satisfaciant; sicut fit in nuptiis vulgaribus: sed vivitur illic ex mera liberalitate regum. Deinde eâdem similitudine monemur de gaudii & gloriæ in vita æterna magnitudine. Etenim nuptiæ regales & cum maximo gaudio & cum maxima gloria conjunctæ sunt.

Vocatio ad nuptias cælestes. 2 Ex v. 3. 4. 8. 9. Considerandum quomodo rex ille cælestis nos vocet ad filii sui nuptias: id est, ad communionem vitæ æternæ. Facit autem id per suos servos, videlicet fideles ministros verbi: quales olim fuerunt prophetæ & Apostoli, hodie verò illorum veri successores, doctores & pastores: quatenus illi nos erudiunt de via salutis, & hortantur ad pœnitentiam ac fidem, & pœnitentibus atque credentibus nomine Dei promittunt vitam æternam. Confer Matth. 3. v. 2. Marc. 1. v. 4. Act. 19. v. 4. Marc. 1. v. 15. Luc. 24. v. 47. Act. 26. v. 18.

3 Ex v. 5. Caveamus ne studiis rerum terrenarum patiamur nos impediri in sequenda vocatione Dei. Stultum enim est, dum inhiamus terrenis, amittere cælestia. Confer suprà 13. 22. Item 16. 26.

4 Ex v. 7. Sicut Deus Judæos propter Christum rejectum gravissimè punivit: ita puniet etiam nos, si illum rejecerimus. Rejiciunt autem Christum qui rejiciunt doctrinam ejus quæ ipsis per fideles verbi ministros proponitur. Caveamus igitur. *Rejectio Christi.*

5 Ex eod. v. Ex eo quòd copiæ Romanorum quæ devastarunt Jerosolymam, nominantur copiæ Dei; discimus, Deum etiam sceleratorum operâ uti in exsequendis suis judiciis: ita tamen ut illi per hoc non excusentur, quum inscii sint decretorum divinorum, ac proinde non hoc agant ut in illis exsequendis Deo serviant. Confer Esa. 10. v. 5. & deinceps: ubi Deus Assyrium nominat virgam iræ suæ, eò quòd operâ ejus usurus erat in Israelitis castigandis: veruntamen minatur eidem exitium propter scelera in Deum & populum Dei perpetrata. *Gubernatio divina hominum sceleratorum.*

6 Ex v. 8. & 9. Quum occasione rejectionis Judæorum nos gentes vocatæ simus in communionem regni cælestis: decet nos agnoscere gratiam Dei, & Judæis non insultare: sed potiùs periculo illorum cautos fieri, ne incredulitatem illorum imitantes, nos quoque rejiciamur. Confer Rom. 11. v. 17. & deinceps. Quo minùs autem gloriemur adversus illos, retinere nos debet consideratio nostræ indignitatis: ut qui antequam vocaremur, similes fuerimus mendicis qui ad compita viarum oberrantes vocantur ad nuptias regias. *Rejectio Judæorum.*

7 Ex v. 10. Cœtus vocatorum externè continet malos pariter ac bonos: id est, reprobos & electos: quorum illi & naturâ mali sunt, & in naturali illa malitia relinquuntur: hi verò naturâ quidem & ipsi sunt mali, sed per Spiritum S. ex malis efficiuntur boni: quatenus donantur verâ pœnitentiâ, & fide, ac serio studio pietatis. Hoc ipsum docent quoq; parabolæ supra propositæ c. 13 de semine quod quadrifariam cecidit, de zizaniis inter triticum satis, de sagena concludente pisces putres ac bonos. Quare ad vitam æternam consequendam non sufficit vocatio externa, sed præterea requiritur interna, quâ ex malis reddamur boni. *Ecclesia visibilis.*

8 Ex v. 11. 12. & 13. Qui nuptiis illis cælestibus frui desiderant, illos comparere oportet indutos veste nuptiali, id est, verâ sanctitate: eâque duplici, videl. tum sanctitate sacrificii Christi per fidem eis imputatâ; tum sanctitate ipsis inhærente atque in eis effectâ per Spiritum S. cui quod deest, tegitur sanctitate illâ alterâ. Ita vestis ista nuptialis quasi bicolor est, videl. partim rubra, partim alba. Rubra quidem, ratione sanguinis Christi ad sanctificandum electos in cruce effusi: alba verò, ratione sanctæ vitæ splendentis coram mundo: juxta illud Christi, *Sic splendeat lux vestra, ut videant bona vestra opera, &c.* Huc accommodari possunt & illa dicta, Galat. 3. v. 27. *Quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Apoc. 7. vers. 13. *Hi sunt qui venerunt ex afflictione magna, & laverunt stolas suas ac dealbarunt in sanguine agni.* *Nuptiæ cælestes. Vita æterna.*

9 Ex v. 14. Causa unde pendet vocatio efficax quâ quis induitur verâ sanctitate, tanquam veste nuptiali, est electio. Quare qui se per Dei gratiam veste hac indutos sentiunt, certò statuant se esse in numero electorum. Sed interim studeant vestem hanc servare immaculatam. *Vocatio efficax.*

10 Ex v. 15. & 16. Hostes veritatis cælestis variis modis aggredi solent pios confessores illius, ut eos perdant: videl. nunc per vim apertam: nunc, si illud non possunt, per dolum & hypocrisin. Sicut videmus accidisse Christo à Pharisæis & discipulis illorum. Quum enim principes sacerdotum & seniores populi (quorum pleriq; erant Pharisæi) non auderent illum prehendere metu populi, ut narratum est suprà in fine capitis præcedentis: nunc aggrediuntur eum per dolum, subornantes discipulos suos unà cum Herodianis, ut Dominum per hypocrisin circumventum in exitium adducant. Quando igitur nobis cum istiusmodi hypocritis res erit, demus operam ut loquamur circumspectè, memores admonitionis Domini, *Estote prudentes ut serpentes.* Inprimis autem Deum oremus, ut det nobis sapientiam, cui hypocritæ qui nos tentant, non possint resistere: sed potiùs per quam confusi nos omittant: sicut istis hypocritis qui Dominum tentaverunt, evênit. *Hostes Evangelij.*

11 Ex v. 16. Ex laude quam Christo tribuunt discipuli Pharisæorum, observandum, qualem esse oporteat doctorem Ecclesiæ: nempe veracem, &c. Talis fuit Christus: talis Johannes Baptista: tales Prophetæ & Apostoli. Horum igitur vestigiis omnes Ecclesiæ doctores incedant. *Doctor Ecclesiæ.*

12 Ex v. 17. 20. & 21. Magistratui reddendum est tributum, ac præterea honor & obedientia in omnibus quæ non pugnant cum verbo Dei. In illo enim casu locum habet regula pronuntiata à Petro, *Oportet obedire Deo potiùs quàm hominibus,* Actor. 4. v. 19. & cap. 5. v. 29. Confer Rom. 13. v. 1. & seq. Item 1. Petr. 2. v. 13. & seq. *Officium subditorum.*

13 Ex v. 18. Deitas Christi probatur ex eo, quòd est καϱδιογνώστης. Hoc enim epitheton Deo ut proprium attribuitur Act. 1. v. 44. Et apud Prophetam dicitur scrutari corda & renes. Confer Joh. 2. v. 24. & 25. *Deitas Christi.*

14 Ex

Officium subditorum. 14 Ex v.21. Magiſtratui ita reddenda quæ ei debentur, ut interim non negligamus reddere Deo quæ debentur illi. Deo autem debetur obedientia in omnibus: at magiſtratui in illis tantùm quæ obedientiam erga Deum non tollunt. Deo enim obediendum eſt propter ſe, tanquam ſummo domino; magiſtratui verò propter Deum, tanquam illius miniſtro. Quare ſi quid magiſtratus mandet contra Deum, non eſt illi tunc obediendum.

Hypocrita. 15 Ex v.22. Non valet conſilium contra Dominum: ſed hypocritæ tandem in ſua aſtutia confuſi recedere coguntur. Capit enim Dominus ſapientes ſecundùm carnem in aſtutia ipſorum. Quare contra hypocritarum tentationes ac dolos opem Dei imploremus, illâque freti bono animo ſimus.

Hæreſes. Secta. 16 Ex v.23. Quum videmus in Eccleſia, id eſt, multitudine eorum qui ſe profitentur Chriſtianos, varias regnare hæreſes & ſectas, non eſt quòd tanquam re nova atque inſolente offendamur: quippe quum etiam tempore Chriſti ita fuerit. Tunc enim erant Phariſæi & Sadducæi, ut apparet ex Evangeliſtis, ac præter illos, teſte Joſepho, Antiq. Jud. lib.18, c.2. item de bel. Jud. lib. 2. c.7. Eſſeni, & ſectatores Judæ Galilæi. Phariſæi docebant, hominem coram Deo juſtificari per obſervationem tum Legis Dei, tum traditionum præceptarum à majoribus ſui ordinis. Itaq; in variis cærimoniis obſervandis occupati, ſibi præ cæteris videbantur juſti & ſancti, & laudem ſingularis ſanctitatis magno ſtudio quærebant. Sic autem dicti ſunt Phariſæi, ut ſi Hebraicè vel potiùs Syriacè dicas פְּרוּשִׁים *Pheruſchim*, à verbo Syriaco פְּרַשׁ *pheráſch*: quod tum exponere ſeu explicare, tum ſeparare ſignificat: ſive quòd occupati eſſent in exponenda explicandáve ſacra Scriptura: ſive (quod magis opinor) quòd à vulgo ſeſe ipſi ſepararent ſingulari affectatione ſanctimoniæ. Sadducæi verò docebant, non fore reſurrectionem mortuorum: item non eſſe ſpiritus, id eſt, angelos & animas humanas à corpore ſeparabiles, Act.23.v.8. Sic dicti à ſuæ ſectæ authore cui nomen erat Zaddók: ſicut tradunt Tremellius & Druſius annotatione ad hunc locum, in interpretatione Syriaca. Et hi nullas ſcripturas admittebant præter libros Moſis: quæ etiam cauſa eſt cur Chriſtus inde contra eos diſputet: quum aliàs expreſſa teſtimonia habere potuiſſet ex aliis ſcripturis, maximè ex Daniele. De Eſſenis & ſectatoribus Judæ Galilæi vide Joſephum. Quantum ad falſa illorum dogmata attinet: Eſſeni pietatem collocabant in rigido quodam victu, ſacrificiis peculiaribus & cultu juſtitiæ civilis: (Joſeph. de bel. Jud. lib.2. cap.8.) animas bonas poſtquam è corporibus exceſſiſſent, pronuntiabant degere ultra Oceanum, ubi eis ſit repoſita perfruitio: illic quippe eſſe regionem quæ neque imbribus neque nivibus neque æſtibus aggravetur: ſed quam Oceano oriens Zephyrus & leniter aſpirans, amœnet. Malis autem animabus procelloſa loca & hyberna delegabant, plena gemitibus exercendarum ſine fine pœnarum. Sectatores verò Judæ Galilæi (Joſeph. Antiq. Jud. lib.18. cap.2.) cætera cum Phariſæis conſentiebant, niſi quòd conſtantiſſimo libertatis amore flagrabant, credentes, ſolum Deum dominum habendum ac principem: faciliùs vel exquiſitiſſima pœnarum genera laturi unà cum cognatis ſuis ac chariſſimis, quàm mortalem aliquem appellaturi dominum.

Expoſitio ſcripturæ. 17 Ex v.24.28.29.& 30. inter ſe collatis. Ad notitiam veritatis non eſt ſatis ex dicto aliquo ſcripturæ colligere aliquid ratiocinando, ſi interim admiſceatur falſa hypotheſis: ſed requiritur illius dicti vera intelligentia, ac proinde intelligentia talis, per quam alia ſcripturæ dicta non evertantur. Etenim Sadducæi teſte Domino errarunt in quæſtione de reſurrectione mortuorum, quia non intellexerunt ſcripturas: & tamen teſte evangeliſtâ ex dicto ſcripturæ ratiocinantes errorem ſuum concluſerunt. Sed erroris cauſa fuit quòd admiſcuerunt falſam hypotheſin, nempe ſtatum hominum qualis eſt in hac vita, perpetuò duraturum, nec ullum alium unquam futurum: ac proinde dictum illud ſcripturæ unde ratiocinabantur, non rectè intellexerunt: accommodantes ſcilicet illud ad ſtatum ſæculi futuri: per quam illius dicti expoſitionem alia ſcripturæ dicta evertuntur, ea nimirum quæ docent, tum non ampliùs fore locum conjugio aut generationi.

Reſurrectio mortuorum. 18 Ex v.29.31.& 32. In fide reſurrectionis mortuorum confirmare nos debemus conſideratione tum potentiæ Dei, tum voluntatis. Nam quòd Deus mortuos reſuſcitare poſſit, patet ex eo quòd eſt omnipotens, quodq; & mundum fecit ex nihilo, & primi hominis corpus ex pulvere terræ. Cur igitur non poſſit corpus in pulverem redactum, inde reſuſcitare? Quòd autem corpora hominum reſuſcitare velit, teſtatum fecit verbo quod hîc à Chriſto allegatur; & aliis quam plurimis dictis.

19 Ex v.30. Corpora piorum poſt reſurrectionem non erunt ampliùs animalia, ut egeant cibo, potu, generatione: ſed erunt ſpiritualia, id eſt, prædita qualitatibus ſpiritualibus. Confer 1. Cor.15.v.35.& ſequentibus. Item Phil.3.v.ult.

Sacra ſcriptura. 20 Ex v.31.& 32. Sacra Scriptura à ſingulis qui ſe cives populi Dei profitentur, ſtudioſè eſt legenda & cognoſcenda: idque ita ut quicquid illic continetur, ſibi quoque dictum putent, hoc eſt, ſibi applicent per ratiocinationem à ſimili. Verbi gratiâ: Deus profeſſus eſt ſe eſſe Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi, id eſt, æterno favore eos complecti; Ergo me quoq; æterno favore complectetur, ſi veſtigiis fidei atque obedientiæ illorum incedam. Confer Rom.4.v.23.& 24. Item c.15.v.4. & 1.Cor.10.v.1. & deinceps.

21 Ex v.32. Pro vero amplectendum eſt non ſolùm quod expreſſis ſcripturæ teſtimoniis confirmatur: ſed etiam quod ex dictis ſcripturæ per bonam conſequentiam ratiocinando deducitur. Quemadmodum videmus Chriſtum hoc loco reſurrectionem mortuorum probare ex verbis Dei apud Moſen per ratiocinationem à proprio objecto ad ſuum adjunctum, vel à cauſa procreante ad effectum: videlicet à favore Dei ad vitam illorum qui favorem illum ſenſuri ſunt. Soli enim viventes favorem illum ſentire poſſunt: Et quibuſcunq; Deus favet, illos beatos efficit: Beatitudo autem non habet locum niſi in viventibus ac ſentientibus.

22 Ex v.34.35.& 36. Hoſtes veritatis vix unquam conquieſcant: ſed potiùs quum ſe victos vident, audaciùs contra pios doctores inſurgunt. Quod quum hodie pii doctores experiuntur: conſolentur ſeſe exemplo Chriſti, cui idem à Phariſæis accidit. *Hoſtes veritatis.*

23 Ex v.37.& ſequentibus. Summa Legis Dei conſiſtit in duobus generaliſſimis mandatis: quorum unum eſt de dilectione Dei, alterum de dilectione proximi. ubi obſervandum, pro numero & ratione iſtorum mandatorum ipſum decalogum diſtributum eſſe in duas tabulas: quarum prima continet præcepta quatuor, quæ omnia continentur ſub mandato generali de dilectione Dei: ſecunda verò continet præcepta ſex, quæ continentur ſub mandato generali de dilectione proximi. *Lex Dei.*

24 Ex v.39. Qui Deum verè diligit, is etiam proximum diligit propter Deum. Quare qui deſtituti ſunt dilectione proximi, falsò jactant dilectionem Dei. Confer 1. Joh.4.v.20. *Dilectio.*

25 Ex v.41.& 42. collatis cum v.35.& 36. Ex eo quòd Chriſtus quæſtioni de Lege Dei reponit quæſtionem de Chriſto, monemur: ad ſalutem æternam adipiſcendam non ſufficere notitiam Legis, (ut falsò putabant Scribæ & Phariſæi) ſed inſuper vel inprimis requiri notitiam Evangelii, quod eſt doctrina de Chriſto. Porrò Legis quidem notitia neceſſaria eſt, ut ex ea convicti peccati, & tacti ſenſu maledictionis quam illa violatoribus ſuis minatur, deſinamus ſalutem in illa quærere, & urgeamur ad quærendum ſalutem in Chriſto: tum etiam ut beneficio liberationis à maledictione Legis & ſalutis per Chriſtum partæ cognito, regulam certam habeamus ad quam dirigamus actiones noſtras, quibus noſtram pro tanto beneficio gratitudinem erga Deum declaremus. Evangelii verò notitia neceſſaria eſt, ut ſciamus, per quem & quomodo à Legis maledictione liberati ſimus, & per quem ac quomodo ſalus æterna nobis parta ſit, videl. per filium Dei incarnatum, ſeu hominem factum, idque per mortem ipſius. *Lex. Evangelium.*

26 Ex v.43.44.& 45. Chriſtus & verus homo eſt; quippe ortus ex ſemine Davidis: & verus Deus; quippe dominus Davidis: idque duplici jure, videlicet creationis & redemtionis. Confer Rom.1.v.3.& 4. *Chriſtus.*

27 Ex v.43. Quæ David in ſuis Pſalmis de Chriſto prophetavit, habuit ex revelatione Spiritus ſancti. Quare Pſalmi ejus prophetici pro oraculis divinis nobis habendi ſunt. Confer Act. 2.v.30.& 31. Item Luc.24.v.44. *Pſalmi Davidis.*

28 Ex v.46. Qui ignorant myſterium perſonæ Chriſti, non poſſunt conciliare Scripturas de Chriſto in ſpeciem pugnantes: Verbi gratiâ, quòd ſit filius Davidis, & quòd ſit dominus Davidis. Quare ut Scripturas illas poſſimus conciliare, tenere nos oportet myſterium perſonæ Chriſti, videlicet ipſum eſſe Deum manifeſtatum in carne, ſeu λόγον incarnatum; verum ſcilicet Deum unà cum Patre & Spiritu ſancto, & verum hominem natum ex Maria virgine. Itaque & filius Davidis eſt ſecundùm carnem, Rom.1.v.3. & dominus Davidis ſecundùm deitatem. Similiter concilianda ſunt illa dicta: *Chriſtus eſt filius Abrahæ*: ait Matthæus cap.1.v.1.&, *Antequam Abraham fieret, ego ſum*: ait ipſemet Johan.8.v.58. Item: *Pauperes ſemper habebitis, me non ſemper habebitis*, Matth.26.v.11.&, *Ego ſum vobiſcum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſæculi*, Matth. ult. v. ult. *Perſona Chriſti. Conciliatio ſcripturarũ de Chriſto.*

29 Ex eod. v. Hoſtes veritatis divinitus patefactæ tandem per pios doctores confunduntur, ut cogantur obmuteſcere. Quare veritatem illam alacriter doceamus & confiteamur, ad gloriam Dei & Eccleſiæ ædificationem.

ANALYSIS CAP. XXIII.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continetur ſermo Chriſti quem habuit ad turbam & diſcipulos: in quo ſermone illos primùm monet de cavenda hypocriſi Scribarum & Phariſæorum, ne illam imitentur; ac nominatim ne imitentur illorum ambitionem: deinde ſermone ad ipſos Scribas & Phariſæos converſo, multiplicem ipſorum hypocriſin criminatur, ac nominatim avaritiam, intemperantiam & crudelitatem; eoq; nomine illis judicium Dei tum æternum tum temporale denuntiat. Ita caput poteſt diſtingui in duas partes principales, pro diverſitate perſonarum ad quas Dominus ſermonem ſuum diſtinctè convertit.

PRIMA PARS.

Admonitio ad turbam & discipulos.

TUNC Jesus loquutus est turbæ & discipulis suis,

2 Dicens, In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi.

3 Omnia ergo quæ dixerint vobis ut servetis, servate & facite: sed secundùm opera eorum ne facite. Dicunt enim, sed non faciunt.

4 Ligant enim onera gravia difficiliaque portatu, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.

5 Omnia verò opera sua faciunt ut spectentur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & producunt fimbrias palliorum suorum:

6 Amantq; primos accubitus in cœnis, & primos consessus in conventibus,

7 Et in foris salutationes, & vocari ab hominibus, Rabbi, Rabbi.

8 Vos autem ne vocemini Rabbi. Unus enim est doctor vester, *nempe* Christus: omnes autem vos, fratres estis.

9 Et patrem vestrum neminem vocetis in terra: unus est enim pater vester qui in cælis est.

10 Ne vocemini doctores: unus enim vester est doctor, *nempe* Christus.

11 Sed qui maximus est vestrûm, sit vester minister.

12 Porrò qui sese extollet, deprimetur: & qui sese demiserit, extolletur.

Admonitio hæc duas habet principales partes: primùm enim monet turbam & discipulos in genere, ut sibi caveant ab imitandis Scribarum & Pharisæorum operibus, usq; ad v.5. Deinde monet discipulos in specie, ut sibi caveant ab imitanda illorum ambitione. Priorem admonitionem amplificat & illustrat antithesi diversorum: quatenus hortatur ut faciant quæ Scribæ & Pharisæi jubent ex Lege Dei per Mosen tradita. quam hortationem confirmat ab adjuncto illorum officio, quòd videlicet sedeant in cathedra Mosis, hoc est, à Deo vocati atque constituti sint ut Legem Mosis in synagogis populo prælegant, eumque ad illius observationem exhortentur. Dehortationem autem confirmat ab adjunctâ illorum hypocrisi, ubi ait: *Dicunt enim, & non faciunt.* quasi dicat, Videntur quidem teneri singulari studio observandi Legem, dum ad illius observationem populum exhortantur: sed revera non curant facere quæ Lex præcipit: quippe quum non faciant. Porrò hanc sententiam confirmationis v.4. repetit, eamque tum exornat, tum amplificat. Exornat allegoriâ metaphoricâ, quâ opera Legis comparat oneribus: amplificat verò partem quidem anthitheseos antecedentem collatione majorum, ubi nominat onera gravia difficiliaque portatu: quasi dicat, quòd populo præscribant non solùm facilia, sed etiam difficilia: partem verò consequentem amplificat ratiocinatione à majori, ubi ait, quòd onera illa ne digito quidem velint movere. quasi dicat; Ne minimum quidem conatum adhibent ad opera Legis quæ populo præscribunt, observanda: nedum ut illis observandis studeant omni conatu totisq; viribus. Atq; hæc de admonitione generali. Jam quod attinet ad admonitionem specialem, qua discipulos dehortatur ab imitanda Scribarum & Pharisæorum ambitione: illa duas habet partes; commemorationem operum ambitiosorum, usque ad v.8. & dehortationem ab illis. Commemoratio illa primum proponitur per sententiam generalem, ubi ait: *Omnia verò opera sua faciunt ut spectentur ab hominibus.* deinde declaratur enumeratione speciali, quæ partes habet sex, v.5.6.& 7. singulis versibus binas. Dehortatio membra continet duo: primùm ipsam dehortationem ab ambitione in expetendis honorificis appellationibus; quales sunt Doctor & Pater, usque ad vers.11. deinde oppositam exhortationem ad modestiam. Dehortationis duo membra sigillatim confirmantur: utrumque ab illarum appellationum proprio subjecto: quòd videlicet nomen doctoris conveniat soli Christo, vers.8.& 10. nomen verò patris soli patri cælesti, id est, Deo, v.9. Item prius membrum confirmatur etiam ab adjuncto, ubi ait: *Omnes autem vos fratres estis.* quo significat, parem esse ipsorum dignitatem: ac proinde non debere ipsos apparere nomina honoris talia per quæ alii aliis præferantur. Opposita exhortatio constat elegante antithesi, quæ continet ratiocinationem à minori, ubi ait: *Sed qui maximus est vestrûm, sit minister vester.* quasi dicat, Quanto magis, qui minor est? Hæc exhortatio v.12. confirmatur ab eventis, per antithesin: videl. tum ab eventu tristi ambitionis, tum ab eventu læto modestiæ seu humilitatis. Cæterùm in principio capitis notatur circumstantia temporis, quo Dominus hunc sermonem habuit: videlicet posteaquam à Pharisæis variè tentatus esset, sicut narratur capite præcedente. hoc notatur adverbio, τότε, id est, *Tunc.* Atque simul notatur causa procatarctica quæ Domino præbuit occasionem, eumque impulit ad sermonem hunc de Scribis & Pharisæis habendum: videlicet ut populum & maximè discipulos erudiret quid deberent de illis sentire.

SECUNDA PARS.

Criminatio Scribarum & Pharisæorum.

13 Sed væ vobis, Scribæ & Pharisæi, hypocritæ; quoniam clauditis regnum cælorum coram hominibus. Vos enim non introitis, nec introëuntes sinitis introire.

Criminatio ista qua Dominus Scribas & Pharisæos propter multiplicem ipsorum hypocrisin & nequitiam criminatur, novem habet membra: quorum octo priora ad ipsos propriè ac nominatim seu in specie, nonum verò ad ipsos & ipsorum asseclas communiter seu ad omnes impios Hierosolymitanos cives in genere pertinet. Primum membrum criminationis continetur v.13. Secundum v.14. Tertium v.15. Quartum v.16.& deinceps usque ad v.23. Quintum v.23. & 24. Sextum v.25.& 26. Septimum v.27.& 28. Octavum v. 29. & seqq. usque ad v.37. Nonum v.37.& seqq.

Primo membro criminationis denuntiat illis exitium æternum propter malè administratum officium docendi, dicens, quòd claudant regnum cælorum coram hominibus: h.e. quòd non solùm non proponant populo doctrinam salutis, sed contrà proponant doctrinam pestilentem quâ homines à via salutis abducantur & in æternum exitium præcipitentur. Hoc crimen amplificat collatione minoris: dicens, quòd ipsi non introëant in regnum cælorum, nec introëuntes sinant introire: h.e. quòd non solùm ipsimet non teneant doctrinam salutis, verùm etiam (quod pejus est) alios impediant ne cognitionem salutis adipiscantur. Quod quidem illi fecerunt variis modis: videl. non proponendo doctrinam veram, quòd scil. homo coram Deo justificetur per fidem in Christum: sed contrà proponendo doctrinam falsam, quòd scil. homo coram Deo justificetur per observationem Legis & traditionum Pharisaicarum: tum etiam calumniando doctrinam salutarem Christi, populumque ab illius auscultatione avertendo: idque etiam per comminationem excommunicationis: denique hypocrisi suâ malum exemplum auditoribus suis præbendo.

Secunda partis membrum secundum.

14 Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, hypocritæ; quoniam exeditis domos viduarum, idque in speciem utentes longis precibus. Propterea auferetis gravius judicium.

Secundo membro criminationis denuntiat illis exitium æternum propter avaritiam, & illi conjunctam hypocrisin in simulanda singulari pietate. Avaritiam illorum declarat è subjecto occupante, i.e. personis in quibus per avaritiam despoliandis occupabantur, videl. viduis: eandemque amplificat collatione minorum; quam ipsam exornat metaphorâ hyperbolicâ, & metonymiâ subjecti continentis: dicens, quòd devorent domos viduarum: id est, quòd non solùm parte aliquâ facultatum spolient viduas, sed facultatibus totis. Hypocrisin cùm avaritia conjungit tanquam illius instrumentum, quo utantur ad viduas decipiendum & facultatibus suis exuendum: dicens, quòd viduarum domos devorent hoc prætextu, quòd longis utantur precibus. id quod bifariam videtur posse intelligi: vel in genere, quòd sint viri sancti, qui præ cæteris diu multumque orent in templo, cujus rei exemplum proponitur in illo Pharisæo Luc.18. Vel in specie, quòd velint orare pro illis viduis: quæ hypocrisis monachis jamdiu in usu est. Quæ posterior expositio videtur genuina: propterea quòd illa promissio plus poterat ad viduas decipiendum & bonis suis spoliandum. Porrò exitium quod propter ista crimina eis denuntiat, amplificat collatione minorum, dicens, quòd accepturi sint abundantiùs judicium, περισσότερον κρίμα: hoc est, quòd graviorem pœnam sint luituri, quàm si avaritiam suam non tegerent simulatione pietatis: sed absque illa simulatione avaritiam exercerent: id quod tum in populo Dei factitabant publicani.

Tertium membrum.

15 Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, hypocritæ; quoniam circumitis mare & aridam ut faciatis unum proselytum: & quum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò magis quàm vos *sitis.*

Tertio membro criminationis denuntiat illis exitium æternum propter studium adducendi Gentiles ad religionem Judaicam, & eosdem adductos falsâ doctrinâ pervertendi. Ubi notandum, Dominum illud studium criminari non simpliciter & per se, sed secundùm quid & propter aliud, videl. propter causas illius impulsivas, ambitionem nimirum & avaritiam. Nam ex hypothesi ingenii Scribarum & Pharisæorum, probabile est illos laborasse in gentilibus ditioribus ad religionem Judaicam adducendis; partim ex ambitione, ut scil. consequerentur laudem sapientiæ & eloquentiæ, ut qui potuissent illis rem tantam ac tam difficilem

difficilem (mutationem inquam religionis) persuadere: tum inprimis ex avaritia, ut ab illis suâ operâ conversis ampla munera acciperent. Etenim probabile est, proselytos illos, præsertim ditiores, amplis muneribus sese gratos erga suos istos præceptores & catechetas declarasse. Studium autem illud significat ex laboriosa ipsorum actione, videl. profectione ad loca extera seu peregrina: quæ ipsa illustrat distributione, nominans mare & aridam: id est, insulas & continentem. Porrò falsam doctrinam quâ proselytos illos imbuebant, significat ex effectu, dicens, quòd eos faciant filios gehennæ, id est, tales qui propter suam impietatem conjiciendi sint in gehennam. Et hunc ipsum effectum amplificat collatione minoris hyperbolicâ, dicens: quòd illos faciant filios gehennæ duplo magis quàm ipsi sint. Quibus verbis simul illos videtur damnare insipientiæ atq; impotentiæ; ut qui scopum sibi in illis proselytis instituendis propositum minimè assequantur, videl. ut illi consequantur regnum cælorum: imò quòd illis accidat planè contrarium, videl. quòd evadant filii gehennæ, seu præcipitentur tandem in gehennam.

Quartum membrum.

16 Væ vobis duces cæci, qui dicitis, Quisquis juraverit per templum, nihil est: quicunque autem juraverit per aurum templi, debet.

17 Stulti & cæci! utrum enim majus est; aurum, an templum quod sanctificat aurum?

18 Et, Quisquis juraverit per altare, nihil est: quicunque autem juraverit per donum quod est super ipsum, debet.

19 Fatui ac cæci! Utrum enim majus est; munus, an altare quod sanctificat munus?

20 Qui ergo juraverit per altare, jurat per ipsum, & per omnia quæ super illud sunt.

21 Et qui juraverit per templum, jurat per ipsum & per eum qui habitat in eo.

22 Et qui juraverit per cælum, jurat per thronum Dei, & per eum qui sedet super ipsum.

Quarto membro criminationis æternum exitium Scribis & Pharisæis denuntiat propter falsam doctrinam de juramentis, qua extenuabant juramenta quæ fiebant per res quasdam præstantiores; docebantq; eos qui sic jurassent, non fieri reos perjurii, si juramentum non servarent: contra verò illos solùm reos fieri, qui jurassent per res quasdam minus præstantes. Hujus falsi dogmatis causam procreantem indicat esse cæcitatem mentis sive fatuitatem, dum eos appellat duces sive ductores (ὁδηγὺς) cæcos, item fatuos & cæcos. Ipsum verò dogma declarat duobus exemplis: quorum prius est de templo & auro templi, hoc est, quo vestitum atque ornatum erat templum, v.16. & 17. posterius de altari & munere quod altari imponitur, v.18. & 19. Cæterùm dogma illud falsitatis convincit Dominus ab effectu, videl. sanctificatione: sic argumentans:

Quod sanctificat, majus sive præstantius est eo quod sanctificatur.

Atqui templum sanctificat aurum templi: itemq; altare sanctificat munus quod altari imponitur.

Ergo templum præstat auro templi, itemq; altare muneri.

Propositio, ut per se nota, omittitur. Assumtionis membrum prius continetur in fine v.17. in illis verbis, *Quod* (scil. templum) *sanctificat aurum*: posterius verò membrum continetur in fine v.19. in illis verbis, *Quod* (scil. altare) *sanctificat munus.* Conclusionis membrum prius continetur in medio v. 17. in illis verbis: *Utrum enim majus est, aurum an templum?* Cujus interrogationis hæc est sententia: Certè enim non aurum, sed templum majus est. Posterius verò conclusionis membrum continetur in medio v.19. in illis verbis: *Utrum enim majus est, munus an altare?* Cujus item interrogationis sententia est: Certè enim non munus est majus, sed altare.

Porrò errore sic demonstrato, addit illius correctionem, per affirmationem connexionis illarum rerum quas Scribæ & Pharisæi falsò divellebant: idque ordine inverso seu retrogrado: nempe primùm altaris & muneris, v.20. deinde templi & auri, v.21. Sed ibi aurum tantùm innuit commemoratione rei majoris, vid. Dei in templo habitantis. Tum v.22. tertium exemplum annectit de cælo & Deo qui in cælo tanquam throno suo sedet. Quod ut pleniùs declaretur: observandum, Scribas & Pharisæos putasse hæc connexa esse falsa: Si quis juret per altare, jurat quoque per munus: item, Si quis juret per templum, jurat quoq; per aurum templi, vel per Deum in templo habitantem: denique, Si quis juret per cælum, jurat quoque per Deum qui in cælo tanquam throno residet. Quòd ita putârint: liquet ex isto dogmate quod Dominus hîc reprehendit: quòd docebant, illum non fieri reum perjurii, qui jurasset per altare: & tamen reum fieri, qui jurasset per munus: item non fieri reum, qui jurasset per templum: & tamen reum fieri, qui jurasset per aurum templi. Ergo sentiebant, posterius hoc juramenti genus non ita pendêre à priori, ut ex illo necessariò consequeretur: quippe quum à se mutuo possent divelli.

Quintum membrum.

23 Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, hypocritæ; quoniam decimatis mentham & anethum & cuminum: & omittitis quæ graviora sunt Legis, judicium & misericordiam ac fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

24 Duces cæci; qui excolatis culicem, camelum autem deglutitis.

Quinto membro criminationis denuntiat illis exitium æternum propter omissionem charitatis & justitiæ erga proximum, conjunctam cum simulatione singularis beneficentiæ erga ministros cultus divini, puta sacerdotes & Levitas: & ex consequenti, singularis zeli in conservando ac promovendo cultu Dei publico. Quam quidem simulationem significat exemplo decimarum, quòd scil. decimas dent non solùm (ut alii ex præscripto Legis faciebant) de fructibus seu terræ nascentibus pretiosioribus, qualia sunt fruges & poma: sed etiam de vilioribus, quorum tria exempla commemorat; mentham, anethum & cuminum. Charitatem item & justitiam erga proximum per tria exempla declarat: judicium, misericordiam & fidem. Per Judicium intelligens vindicationem proximi à violentia seu oppressione: per Misericordiam verò, beneficentiam erga proximum egenum: denique, per Fidem, veritatem sive constantiam in servandis promissis. Ut enim hoc vocabulum hoc loco ita intelligendum putem, moveor partim quòd cum reliquis duobus quæ citra dubitationem ad proximum referuntur, ita conjungitur ut eis subjungatur: partim ac præcipuè, quòd puto Dominum pro sua sapientia objecisse illis hostibus suis ea crimina quæ in omnium oculos incurrebant, ac proinde ab illis non poterant negari. Quòd autem carebant fide erga Deum, id homines latebat: quum fides illa lateat in occulto cordis. Cæterùm hypocrisin istam illorum amplificat collatione imparium: affirmans, illa quæ omittant, esse graviora Legis, quo significat, majore etiam studio esse facienda, ac proinde nequaquam omittenda. Tum propositam criminationem amplificat prolepsi, occurrens calumniæ, quasi negaret decimas esse dandas. Fatetur igitur dandas: sed ita ut interim graviora non omittantur, ubi ait: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Postremò criminationem istius hypocriseos repetit, illustratam sententiâ proverbiali, quæ constat ex allegoria metaphorica, eâdemque hyperbolica: ibique simul causam procreantem istius mali indicat, videl. cæcitatem mentis seu fatuitatem, dum eos nominat duces sive ductores cæcos.

Sextum membrum.

25 Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, hypocritæ: quoniam purgatis exteriorem poculi patinæq; partem; intus autem *illa* plena sunt rapinâ & intemperantiâ.

26 Pharisæe cæce, purga primùm quod est intra poculum & patinam: ut id quoq; quod extra est, purũ fiat.

Sexto criminationis membro denuntiat eis æternum exitium propter avaritiam & intemperantiam, conjunctam cum hypocrisi in simulando singulari studio puritatis, quod præ se ferebant in purgandis poculis & patinis. Hæc criminatio constat antithesi, qua inter se opponuntur exterior illorum vasorum pars sive superficies, & cibi ac potus quibus intus erant plena: item purgatio superficiei, & relictio immunditiæ ciborum ac potuum. Quam quidem immunditiem declarat partim è causa procreante, partim ex effectu: dum illos ipsos cibos ac potus metonymicè nominat rapinam & intemperantiam: rapinam scilicet, quòd per rapinam essent parti: intemperantiam verò, quòd illis ad intemperantiam abuterentur. Hanc criminationem v.26. per apostrophen renovatam amplificat porismate seu corollario, quo jubet facere contrarium, nempe cibos ac potus purgare, videl. à rapina & intemperantia; atq; hoc ipsum præceptum amplificat collatione imparium, quam significat ex ipso rerũ purgandarum ordine; tum jubet ut primùm purgent id quod est intra vasa, deinde demum quod est extra. Quam ipsam sententiam amplificat ex eventu; significans fore, ut ubi interiora purgaverint, exteriora simul pura reddantur, ut in purgandis illis laborare non sit opus. Quæ sententia ad literam intellecta, hyperbolica est. Significatur autem, puritatem illam vasorum externam non esse rem magni momenti, aut quicquam facere ad illam puritatem quam requirit Deus: denique coram Deo satis pura esse vasa, si cibi ac potus in illis repositi, puri sint. Simul quoque causam procreantem istius hypocriseos indicat, dum Pharisæum cæcum appellat.

Septimum membrum.

27 Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, hypocritæ; quoniam assimiles estis sepulchris dealbatis, quæ extra quidem apparent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, omniq; immunditiâ.

28 Ita & vos extrà quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.

Septimo membro criminationis denuntiat eis æternum exitium propter hypocrisin in genere; quam describit ex discrepantia animi à gestibus, quòd scilicet gestus præ se ferant justitiam, quum interim animi ipsorum pleni sint iniquitate, v.28. Hanc criminationem illustrat similitudine, qua illos comparat sepulchris dealbatis, v.27.

Octavum membrum.

29 Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, hypocritæ; quoniam ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta justorum;

30 Et dicitis, Si fuissemus temporibus patrum nostrorum, non fuissemus eorum socii in sanguine prophetarum.

31 Itaque testamini adversus vosmetipsos, vos esse filios eorum qui prophetas occiderunt.

32 Vos quoque complete mensuram patrum vestrorum.

33 Serpentes, progenies viperarum, quomodo effugere possitis judicium gehennæ?

34 Propterea ecce, ego mitto ad vos prophetas & sapientes, & scribas; & ex ipsis *nonnullos* trucidabitis & crucifigetis; & ex ipsis *nonnullos* flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini ex urbe in urbem.

35 Ut veniat super vos omnis sanguis justus, effusus super terram, à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ *filii* Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.

36 Amen dico vobis, venient hæc omnia super nationem istam.

Octavo criminationis membro denuntiat eis æternum exitium propter crudelitatem qua occisuri erant tum ipsum, tum doctores ab eo mittendos, conjunctam cum hypocrisi in simulando singulari piorum doctorum amore atq; observantiâ, quatenus ædificabant sepulchra prophetarum, v.29. & verbis improbabant illorum cædem à patribus ipsorum patratam, v.30. Quam illorum protestationem Dominus scitè invertit, & ad suũ propositum accommodat, v.31. & 32 argumentum ducens à relatis, ac tum ludens ὁμωνυμίᾳ nominis *Filiorum:* ad innuendum, ipsos esse patrum sceleratorum filios minimè degeneres, sed strenuè vestigiis patrum insistentes, similem scil crudelitatem exercendo, v.31 Quam quidem illos exercituros, mox apertiùs significat, v.32. sub figura permissionis, per comparationem cum patribus ipsorũ; quæ comparatio est parium, & notatur nomine mensuræ. Quo nomine simul obliquè se ipse consolatur à providentia Dei, qua is singulis hominib. actiones suas veluti dimetiatur. Tum ex ista criminatione deducit ipsam denuntiationẽ pœnæ, v.35. amplificatam repetitione causæ, i e. crudelitatis ipsorũ, ejusq; cum astutia conjunctæ: quam significat, dum eos appellat serpentes & progenies viperarum. Item ab adjuncta certitudine: quam significat interrogatione, dicens, *Quomodo possitis effugere*, &c. Postea, v.34. criminationem ipsam repetit & apertissimè exponit: ubi tres doctorum à se ad ipsos mittendorum & ab illis persequendorũ, quasi ordines commemorat, videl. prophetas, sapientes & scribas. ubi nomine prophetarum videtur significare Apostolos, propter simile cum prophetis officium & similem vocationis seu missionis modum. Nomine verò sapientum videtur significare presbyteros sive gubernatores ecclesiarum Christianarum, eò quòd in tali gubernatione singularis ac planè spiritualis requiratur sapientia. Vel etiam prophetas qui prædicabant futura, ad quam rem divinâ sapientiâ opus est. Nomine deniq; scribarum videtur intelligere eos quos Paulus vocat pastores & doctores: eò quò scribarum officium tum erat, ut & scripturas in synagogis prælegerent ac interpretarentur, & populũ ex illis exhortarentur: quorum illud doctorum proprium est, utrumq; autem ad pastores pertinet, & posterius quidẽ præcipuè. Persecutionem quam doctoribus istis allaturi erant, declarat per species tres: videl. cædem, flagellationem, & exilium.

Confer Luc.11.49.

Ephes.4.

Tum v.35. repetit quoque, & ex repetita criminatione tanquam effectum deducit, ipsam denuntiationem pœnæ divinæ: quam amplificat collatione majorum; significans, eos pœnam luituros non solùm sanguinis innocentis ab ipsismet effusi, sed etiam ejus quem effuderant ipsorum patres: & quidem sanguinis illius omnis, seu singulorum justorum, propter veram religionem occisorum: quorum numerum seu multitudinem declarat expositione termini à quo & termini ad quem, hoc est, expositione nominum tum illius qui primus ita fuit occisus, videl. Abelis: tum illius qui postremus, nempe Zachariæ filii Barachiæ: cujus cædem declarat ex loco ubi illa facta fuit. Postremò eandem pœnæ denuntiationem iterum repetit v.36. per epiphonema, quo habet vim asseverationis gravissimæ.

Nonum membrum.

37 Jerusalem, Jerusalem, quæ trucidas prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt; quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas? Sed noluistis.

38 Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta.

39 Dico enim vobis, Nequaquam me videbitis ab hoc tempore usquedum dicatis, Benedictus *sit* qui venit in nomine Domini.

Nono & postremo criminationis membro sermonem convertit ad reliquos quoque urbis Hierosolymæ habitatores, v.37. Et omnibus qui in illa degebant, impiis exprobrat summam ingratitudinem erga beneficium admonitionis tum factæ jam olim per Prophetas à se missos, tum deinceps futuræ per Apostolos & Evangelistas mittendos, tum deniq; proximis tribus quatuórve annis factæ per ipsum. Cæterùm ingratitudinem eorum declarat ex ipsorum factis: videl. quòd Prophetas trucident, & quòd suas admonitiones quantumvis benignissimas admittere noluerint. Benignitatem autem suarum admonitionum illustrat similitudine gallinæ congregantis pullos suos sub alas, ut nimirum illos & contra frigus foveat, & contra milvios tueatur. Hujus porrò similitudinis enuntiationem exornat exclamatione, quæ habet vim admirandi & exprobrandi atq; detestandi, quum ait, Quoties volui, &c. q. d. Heu quam detestabilis est vestra ingratitudo quòd sæpissimè à me benignissimè admoniti, non tamen obtemperare voluistis! Tum infert denuntiationem pœnæ divinæ: ac primùm pœnæ corporalis & temporalis, videl. excidii urbis, vers.38 deinde pœnarum spiritualium & æternarum, v.39. videl. subtractionem præsentiæ suæ visibilis & gratiosæ, & reditum suum ad judicium. Quarum illam amplificat à duratione temporis, quòd videl. duratura sit usque ad suum illum reditum. Quem ipsum describit ab adjuncta acclamatione piorum, ubi ait: Usq; dum dicatis, Benedictus &c. Quibus verbis à pœnis æternis excipit pios, significans saltem aliquos tales fore: ne scil. videretur omnes urbis incolas absque exceptione exitio devovere: Inerant enim & pii quidam, sed perpauci: quantum ex historia evangelica colligi potest.

SCHOLIA IN CAP. XXIII.

2 In cathedra Mosis] ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας. *Id est, in cathedra destinata Legi Mosis, nec non libris Prophetarum populo prælegendis & declarandis.* Sedent] ἐκάθισαν. *Propriè, Consederunt. Metonymia efficientis.*

3 Quæ dixerint vobis ut servetis] ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν. *Vel, Quæ præceperint vobis ad servandum. Synecdoche generis in verbo* εἰπεῖν.

4 Digito autem suo &c.] τῷ δὲ δακτύλῳ αὐτῶν &c. *Id est, ipsi verò ne minimo quidem digito volunt ea movere q.d. Tantum abest ut ea suscipere velint in humeros ac portare. Ellipsis conjunctionis comparativæ.*

5 Phylacteria] τὰ φυλακτήρια. *Annatant interpretes, fuisse filum vel vittam hyacinthinam in fimbria anguli, quo conspecto memoria præceptorum divinorum conservaretur: unde* φυλακτήριον *quasi conservatorium dictum. Afferunt & alteram sententiam, nempe fuisse laminas aut membranulas quasdam ex Dei instituto fronti alligatas, de quibus Exod.13.16. Deut.6.8.* Producunt] μεγαλύνουσι. *Ad verb. Magnificant.*

6 Primos consessus] τὰς πρωτοκαθεδρίας. *Seu, primas sessiones.*

7 Rabbi] Ῥαββί. *Sic ab Hebræis nominatur doctor, à verbo* רָבַב *quod significat multiplicari, aut magnificari: vel à copia scientiæ vel ab authoritate.*

9 Doctor] ὁ καθηγητής. *Ad verb. Ductor. Sed intelligitur qui alios ducit doctrinâ suâ in viam salutis. Sic deinceps.*

11 Sed qui maximus est vestrûm] ὁ δὲ μείζων ὑμῶν. *Pro,* ὁ δὲ μέγιστος ὑμῶν. *Comparativus pro superlativo, ut 1.Cor.13.v.ult.* Sit] ἔσται. *Ad verb.* Erit. *Hebraismus.*

14 Exeditis domos &c.] κατεσθίετε τὰς οἰκίας &c. *Id est, Facultates viduarum ad vos attrahitis & consumitis. Metonymia vel synecdoche & metaphora hyperbolica.* Idq; in speciem utentes longis precibus] καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι. *Pro,* καὶ ἐν τῷ προφάσει &c. *Potest etiam verti, Idq; prætextu longarum precum.* Gravius judicium] περισσότερον κρίμα. *Ad verb. Abundantius judicium: hoc est graviorem pœnam. Metonymia efficientis, & synecdoche generis in Scripturis usitata.*

15 Aridam] τὴν ξηρὰν *Subauditur* γαῖαν *sive* γῆν, *id est, terram.* Proselytum] προσήλυτον. *Sic nominabantur gentiles qui sese Judæis aggregabant, religionem ipsorum amplexi: qualis fuit iste eunuchus de quo Act.8. Sic dicti* παρὰ τὸ προσεληλυθέναι, *ex eo quòd accessissent, nempe ad Ecclesiam.* Filium gehennæ] υἱὸν γεέννης. *Id est, dignum gehennâ: Hebraismus.*

16 Duces] ὁδηγοί. *Quos suprà nominavit* καθηγητὰς, *ductores.* Per templum] ἐν τῷ ναῷ. *Hic præpositio* ἐν *notat objectum. Sic suprà 5.34. & seqq.* Nihil est] οὐδέν ἐστι *Id est, Is non tenetur præstare quod juramento promisit: ut percipitur ex antithesi.* Debet] ὀφείλει. *Id est, tenetur præstare quod juramento promisit.*

17 Utrum enim majus est, aurum an templum?] τίς γὰρ μείζων &c. *Pro,* πότερος γὰρ μείζων &c. *Innuit majus esse posterius: idq; ipsum significat adjectâ ratione, quia scil. templum sanctificet aurum. Aurum enim templi communi seu vulgari auro antecellit*

tecellit in hoc, quòd adhibitum est ad ornatum templi, & ex consequenti ad cultum Dei.

18 Et] καὶ. *Scil. Dicitis, ex v.16.*

21 Per eum qui habitat in eo] ἐν τῷ κατοικοῦντι αὐτόν. *Periphrasis Dei: cujus domus ipsum templum appellatur, eò quòd illic suo quodammodo habitaret, residens super arcam federis inter Cherubimos: & inde preces sui populi exaudiens, ac nonnunquam (olim quidem) inde responsa dans.*

23 Decimatis mentham &c.] ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον *&c. I.e. decimas datis sacerdotibus de mentha &c. Sic Luca 18. Pharisæus ille in templo adorans de hac sua singulari pietate inter alia gloriabatur, dicens,* ἀποδεκατῶ πάντα ὅσα κτῶμαι. Et omittitis] καὶ ἀφήκατε. *Id est, & interea omittitis.* Quæ graviora sunt Legis] τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου *I.e. officia erga Deum & proximum in Lege præcepta, quæ majoris sunt momenti. Quorum exempla quædam per appositionem adjungit.* Judicium] τὴν κρίσιν *I. e. Vindicationem eorum qui injustè opprimuntur.* Misericordiam] τὸν ἔλεον. *I.e. Omne genus beneficentiæ erga proximum. Synecdoche speciei.* Et fidem] καὶ τὴν πίστιν. *Id est, constantiam in servandis iis quæ proximo justè promissa sunt. Hanc expositionem postulat* συζυγία *duorum præcedentium.* Hæc] ταῦτα. *Videl. proximè commemorata.* Et illa] κἀκεῖνα. *Videl. decimas.*

24 Qui excolatis &c. οἱ διυλίζοντες *&c. Sententia proverbialis. Id est, Qui soliciti estis, ne lædamini à re parva: & interim in periculo magno estis securi. Proverbium constat tropo synecdoche speciei: quæ est in tota phrasi. Estq; in posteriore membro hyperbole. Impossibile est enim ut quis deglutiat camelum.*

25 Exteriorem partem] τὸ ἔξωθεν. *Subaudi* μέρος. Plena sunt rapinâ & intemperantiâ] γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς καὶ ἀκρασίας. *Id est, cibis comparatis per rapinam & destinatis intemperantiæ. Metonymia duplex: una efficientis, altera finis.*

26 Purga &c.] καθάρισον *&c. Id est, da operam, ut cibos justè acquiras, & temperanter iisdem fruaris.*

30 Temporibus] ἐν ταῖς ἡμέραις. *Ad verb. In diebus. Hebraismus.* In sanguine prophetarum] ἐν τῷ αἵματι τῶν προφητῶν. *Id est, In cæde prophetarum. Metonymia subjecti occupantis. nam qui aliquem occîdit, in sanguine ejus fundendo occupatur.*

31 Testamini adversus vosmetipsos] μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς *Id est,* καθ' ἑαυτῶν, *sive* ἐφ' ἑαυτοὺς. *Sic enim hæc phrasis usurpata Marc. 6. v. 11. exponitur Luc. 9. v. 5. Nam quod illic dicitur,* εἰς μαρτύριον αὐτοῖς: *id isthic effertur,* εἰς μαρτύριον ἐφ' αὐτοὺς.

32 Complete mensuram patrum] πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων. *Id est, Pergite in hoc instituto occidendi prophetas sive doctores à Deo missos. Sunt verba permittentis cum significatione desperatæ atq; incorrigibilis illorum malitiæ.*

33 Quomodo effugere possitis judicium] πῶς φύγητε ἀπὸ τῆς κρίσεως. *Ad verb. Quomodo fugiatis à judicio. Judicii autem nomine intelligitur pœna, ut sup. 14.*

34 Mitto] ἀποστέλλω. *Id est, mittam.* Prophetas &c.] προφήτας *&c. Utitur vocabulis tum notis, & officia illis similia intelligit: videl. Apostolos, pastores, doctores, presbyteros.*

35 Ut veniat super vos sanguis &c.] ὅπως ἔλθῃ ἐφ' ὑμᾶς αἷμα *&c. Id est, pœna propter sanguinem effusum. Metonymia efficientis. Sic infrà 27:25. Sanguis ejus super nos & filios nostros.*

37 Sed noluistis] καὶ οὐκ ἠθελήσατε. *Copulativa pro adversativa. Unde liquet, hanc sententiam à præcedente interrogatione distinguendam.*

39 Ab hoc tempore] ἀπ' ἄρτι. *Scil. posteaquam me crucifixeritis.* Usq; dum dicatis &c] ἕως ἂν εἴπητε *&c. Id est, Usq; ad finem mundi quo adventurus sum ad judicium: quem adventum nonnulli ex vobis (nempe electi) mihi gratulabuntur. Synecdoche integri.* Benedictus] εὐλογημένος. *Ut suprà 21. 9.*

OBSERVAT. EX CAP. XXIII.

Auditorum officium. 1 Ex v. 2. & 3. Doctrina quam proponunt doctores verbi Dei, diligenter à vita ipsorum discernenda est: nec vel propter honestam ipsorum vitam recipienda, vel propter turpes eorum mores rejicienda. Sed qualescunq; illorum mores sint, doctrina recipienda est, si verbo Dei sit consentanea: rejicienda verò, si dissentanea. Interim doctores doctrinam sanam honestâ ac piâ vitâ debent ornare: ne quod unâ manu ædificant, alterâ destruant, néve dum alios servant, ipsimet damnentur. Vide 1. Tim. 3. v. 2. & seqq. Item Tit. 1. v. 6. & seq. Item 1. Cor. 9. v. 26. & 27.

Hypocritæ. 2 Ex v. 4. Hypocritæ plerunque severissimi exactores sunt eorum quæ ipsi maximè negligunt: Th. Beza.

3 Ex v. 5. 6. & 7. Hypocritæ sunt ambitiosi.

Doctores verbi Dei. 4 Ex v. 8. & seqq. Minister verbi Dei alienus esse debet ab ambitione, & contra præditus modestiâ.

An non liceat quenquam appellare doctorem aut patrem? 5 Ex v. 8. 9. & 10. Quærat aliquis, An non liceat quenquam appellare doctorem aut patrem. Ratio dubitandi est, quia Christus hoc loco istas appellationes discipulis prohibet: & tamen Apostolus Paulus se nominat doctorem gentium, 1. Tim. 2. v. 7. & patrem Corinthiorum, 1. Cor. 4. v. 15. Respondeo: Licet appellare doctorem eum qui est doctor, itemq; patrem eum qui est pater: sive naturâ, sive officio. Nec verò Christus appellationes istas prohibet simpliciter & per se, sed secundum quid & per accidens: nempe quatenus appetuntur ex ambitione.

Ambitio. Modestia. 6 Ex v. 12. Ab ambitione deterreri debemus metu dejectionis divinæ: itemq; ad modestiam excitari spe divinæ exaltationis. Confer Phil. 2. v. 3. & deinceps: 1. Pet. 5. v. 5. & 6.

Hypocritæ. 7 Ex v. 13. & sequentibus, usq; ad finem capitis, id est, ex toto illo criminatorio sermone Domini, observandum est, quale sit ingenium hypocritarum: quod à Domino graphicè depingitur in exemplo Scribarum & Pharisæorum, idq; variis modis, ut patet. Usus hujus observationis est, ut fœditatem hypocriseos detestemur, & sincerè erga Deum & proximum nos geramus: præsertim quum hypocritas tam graves pœnæ maneant.

Doctores Ecclesiæ. 8 Ex v. 13. Officium doctorum Ecclesiæ est, ut regnum cælorum hominibus aperiant: quam ad rem opus est clave cognitionis, Luc. 11. v. 52. nimirum cognitionis Dei petendæ ex vera interpretatione Scripturarum. Confer sup. 16. v. 19.

Jesuitæ. 9 Ex v. 14. Cogita an non similia Scribis & Pharisæis, istis faciant hodie nostri Jesuitæ: sique hoc deprehenderis, eos cave & aversare.

Vita æterna. 10 Ex v. 15. Ad veritatem religionis, ac proinde ad consequendum vitam æternam, non est satis Ecclesiæ aggregatum esse signo federis: quod olim erat Circumcisio, hodie Baptismus: sed inprimis requiritur vera Dei cognitio & pietas. *Jesuitæ.* Atque hîc quoq; cogita, an non Jesuitæ faciant Scribis illis & Pharisæis similia, circumeuntes mare & aridam ut faciant ex Judæo vel Turca unum Catholicum; imò verò gloriantes, se totas insulas novi orbis ad fidem Catholicam convertisse.

Juramentum. 11 Ex v. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22. Quærat aliquis, an licuerit Judæis jurare per templū, per altare, per cælum. Et licuisse, cæteris paribus (id est, dummodo non jurarent temerè aut falsò) patet ex eo, quòd Christus hoc loco juramenta sic facta vult servari. Contra autem videtur facere præceptum Dei, quo jubemur jurare per ipsum solum, Deut. 6. v. 13. & c. 10. v. 20. Nam dum jubet expressè jurare per Jehovam, hoc ipso vetat jurare per creaturas: secus illud præceptum contineret doctrinā imperfectam. Sed notandum, per solum Deum licere jurare simpliciter & absolutè, tanquam per καρδιογνώστην & vindicem perjurii: at per creaturas illas licebat Judæis jurare non simpliciter, sed quatenus illæ referebantur ad Deum, tanquam testimonia virtutum illius: id quod planum evadit ex verbis Christi. Verbi gratiâ: per templum & altare licebat jurare, non quasi illæ res terrenæ conscîæ essent arcanorum cordis, aut quasi de perjurio possent sumere vindictam: sed quatenus considerabantur, ut res testantes de singulari Dei gratia erga Judæos: ut qui habitaret in ipsorum templo, ibique exaudiret preces invocantium: item acceptaret munera super altare oblata. Sic per cælum licebat jurare, quatenus illud considerabatur ut eximium Dei opus, testificans de summa ipsius majestate, sapientia, potentia, &c. Ergo per templum, altare, cælum, licebat jurare hoc sensu, quasi aliquis diceret: Quàm verè Deus in templo cælóve habitat, ibiq; preces exaudit. Item, Quàm verè munera super altare oblata acceptat. Ejusdem generis videntur fuisse juramenta illa veterum Hebræorum, quibus jurabant per alterius vitam: ut Josephi, dicentis ad fratres: *Vivit Pharao, si exhibitis hinc &c.* Gen. 42. v. 15. Id est, Quàm verè vivit Pharao beneficio Dei, tam verè nolo permittere ut exeatis &c. Item Hannæ matris Samuelis, dicentis ad Helin sacerdotem: *Vivit anima tua, domine mi, sum mulier illa &c.* 1. Sam. 1. v. 26. Id est, Quàm verè beneficio Dei vivit anima tua, tam verè sum mulier illa &c. Sic Abneris, dicentis Sauli de Davide: *Vivit anima tua, Rex: si novi,* 1. Sam. 17. v. 55. Id est, Quàm verè vivis beneficio Dei, tam verè non novi. At rursum excipiat aliquis, per illas res nequaquam licuisse Judæis jurare: quia Christus id expressè vetuerit Matth. 5. ubi ait, *Ne jurate omnino: neq; per cælum, neq; per terram &c.* Respondeo: Christus ibi non simpliciter ac prorsus vetat illas jurandi formas obliquas: sed tantum quia adhibebantur in juramentis temerariis, & quia sibi persuadebant, qui ita temerè juraverant, se juramento non teneri: quum inter jurandum non expressissent nomen Dei. Contrà monet Christus, si istis modis temerè juretur aut perjurium committatur, ignominiam redundare in ipsum Deum: ut de quo illæ res testentur. Ac proinde propriè damnat jurandi temeritatem, aut etiam falsitatem. quod ipsum significatur per præceptum oppositum, ubi ait, *Sermo autem vester sit, Est, est; Non, non: quod ultra hæc est, ex malo est.*

Sacramenta. 12 Ex v. 17. & 19. Res terrenæ quum sanctificantur, i. e. ab usu vulgari ad usum sacrum & cultum Dei transferuntur, non patiuntur mutationem substantiæ, sed substantiam suam retinent. Etenim aurum templi mansit aurum, quantumvis sanctificatum esset per templum: item munera quæ offerebantur super altare, retinuerunt substantiam suam, quantumvis sanctificarentur per altare. Idem sentiendum est de pane & vino, quum sanctificantur ad usum cænæ Domini. Contra transsubstantiationem Papistarum. Sic cera cui imprimitur sigillum, manet cera: etiamsi adhibeatur ad usum non naturalem, qualis est conglutinare: sed civilem, putà ad literas obsignandum & confirmandum. Item annulus sponsalitius non mutat substantiam suam, etsi adhibetur ad confirmandum sponsionem conjugii. Sic culmus non desinit esse culmus, quum traditur alteri ad confirmandum illi traditionem atq; cessionem prædii.

An liceat proximum appellare fatuum? 13 Ex v. 16. 17. & 19. Quæritur, an liceat proximum appellare fatuum? Et quòd liceat, probatur exemplo Christi hoc loco: item Luc. 24. v. 25. ubi duos discipulos qui ibant in vicum Emaus,

nominat amentes, ἀνοήτους. Quod nomen Paulus quoque tribuit Galatis, Gal.3.v.1. Contrà verò quòd non liceat, probatur ex Matth.5.v.22. ubi Christus gehennæ adjudicat eum qui proximo dixerit Fatue. Respondeo: Licet, si fiat eo modo quo factum est à Christo & Paulo, nimirum studio asserendi gloriam Dei, & emendandi proximum. Non licet autem, si fiat ex cupiditate vindictæ, & contumeliæ causâ: quò respicit Christus Matth.5.

Quomodo Deus dicatur habitare in templo, item sedere super cælum. 14 Ex v.21.& 22. Quæritur, quomodo Deus dicatur habitare in templo, item sedere super cælum: quum tamen Stephanus Actor.7 dicat, *Altissimum* (i.e. Deum) *non habitare in templis manufactis*. Item quum dicat Salomon, *ne cælos quidem cælorum* (i.e. altissimos & capacissimos cælos) *Deum capere*, 1.Reg.8.27. Respondeo: Propriè loquendo Deus nec habitabat in templo Hierosolymitano, nec super cælum sedet: (est enim infinitus) sed illa dicuntur per metaphoram ab actionibus humanis, ad significandum Dei præsentiam gratiosam, & summam majestatem.

Bona operá. 15 Ex v.23. Prout sunt bonorum operum gradus: ita etiam majore studio in ea quæ majoris sunt momenti, incumbere oportet.

16 Ex eod.v. Plus situm est in operibus charitatis erga proximum, quàm in operibus pertinentibus ad cultum Dei externum. Etenim Christus judicium, misericordiam & fidem vocat graviora Legis, respectu decimarum quæ destinatæ erant ad conservationem cultus externi.

Doctores verbi. 17 Ex v.25. Avaritia & intemperantia cùm omnes Christianos dedecent, tùm inprimis doctores verbi: quos præ cæteris decet esse tum sobrios, tum ab avaritia alienos. Vide 1.Tim.3.v.2. & seq. Item Tit.1.v.7.& seq.

Hypocrisis. 18 Ex v.27.& 28. Hypocrisis fugienda est: contráque studendum sinceritati.

Hypocritæ. 19 Ex v.29.& seq. Hypocritæ quum se volunt excusare, eo ipso se accusant. Confer exemplum Saulis: qui quum contra Dei edictum conservasset opimas pecudes Amalekitarum, idque factum apud Samuelem excusaret à destinatione ad sacrificia: audit à Samuele: *An delectatur Jehova holocaustis & sacrificiis, ut quum auscultatur voci Jehovæ?* &c.1.Sam.15.v.21.& 22.

Hostes evangelii. 20 Ex v.32. Hostes veritatis non plus possunt in piis doctoribus & confessoribus persequendis, quàm eis à providentia Dei dimensum est. Hoc facit ad consolationem piorum: quippe quum Deus impiis nihil in suos permittat, quod non faciat ad ipsorum salutem. Hinc Apoc.6.v.11. animæ martyrum jubentur requiescere, donec compleantur etiam conservi eorum, & fratres eorum, qui trucidandi sunt, sicut & ipsi.

Consolatio contra hostes evangelii. 21 Ex v.34.& 35. Pii doctores & confessores quum patiuntur persecutionem ab hostib. veritatis propter confessionem doctrinæ Christi: consolentur sese tum exemplis veterum martyrum, tum spe vindictæ divinæ, quatenus quidem illa ad asserendum ipsorum innocentiam & gloriam Dei pertinet. Confer Apoc.6.v.9.10.11. ubi animæ martyrum vindictam à Deo postulant.

Impiorum majorum imitatio. 22 Ex v.35. Qui impiorum majorum impia facta imitantur, illi eandem cum ipsis pœnam luent; eamque eò majorem, quòd facta illorum factis suis approbarunt, atq; ita illorum quodammodo socii fuerunt. hinc enim est quòd Christus Scribis & Phariseis sui temporis imputat cædem Zachariæ, eisdemq; minatur vindictam sanguinis omnium justorū ante id temp⁹ occisorum.

Ingratitudo erga Deum. 23 Ex v.37.38.& 39. Ingratitudo hominum erga patefactionem voluntatis divinæ per Dei verbum, gravissimè punietur tum corporalibus & temporalibus, tum spiritualibus & æternis pœnis. Temporalis pœnæ exemplum hîc proponitur in excidio Hierosolymæ.

Conversio Judaeorum. 24 Ex v.37. Quærat aliquis, quî factum sit quòd Judæi Hierosolymitani, saltem quo ad maximam partem, nòn sunt à Christo conversi: quum tamen eos convertere voluerit, sicut ipse hîc testatur. Et videtur hinc posse colligi, ipsum id non potuisse, ac proinde non esse omnipotentem: id quod fidei Christianæ adversatur. Etenim si & voluit & potuit: quî fit quòd non effecit? Nam certè aut ideò conversionem illam non effecit, quòd efficere eam non potuit, aut quòd non voluit. Non autem ideò non effecit, quòd non voluit: Contrarium enim ipse hîc testatur. Relinquitur ergo ut non potuerit conversionem illam efficere, & per consequens ut non sit omnipotens. Respondeo: Syllogismus iste nihil concludit; quoniam argumentum laborat homonymiâ. Etenim *velle* in propositione significat voluntatem Christi & humanam & divinam: at in assumtione significat solam voluntatem humanam. Nam quòd Christus hîc dicit, se Hierosolymitanos sæpenumero convertere voluisse, intelligendum est de voluntate ejus humana, secundùm quam tanquam minister circumcisionis fideliter laboravit in Judæis convertendis, identidem illis prædicando pœnitentiam & remissionē peccatorum. Quòd si ad tollendum ὁμωνυμίαν propositio restringatur ad voluntatem Christi humanam, tum reddetur falsa. Falsum enim est hoc disjunctum: Christus Hierosolymitanos non convertit, aut ideò quòd non potuit, aut ideò quòd non voluit voluntate humanâ. Datur enim tertium, videl. Aut ideò quòd non voluit voluntate divinâ. Imo & quartum: nempe, Aut ideò quòd nec humanâ nec divinâ voluntate voluit. At, inquiat aliquis, Num igitur voluntas Christi humana voluntati ejus divinæ est contraria: ut possint inter se opponi in enuntiato disjunctivo?

Voluntas Christi duplex. Resp. Moraliter nunquam voluntas humana Christi contraria fuit aut est voluntati ejus divinæ: quia Christus nunquam voluit voluntate humanâ, quod mente humanâ sciret Deum non velle. At Logicè contraria interdum fuit, quatenus Christus voluntate humanâ voluit, quod voluntate divinâ noluit, puta conversionem Judæorum, transitum poculi seu omissionem passionis, & si qua sunt alia hujus generis. Quæ dum vellet, sanctè voluit: quia nihil voluit contra voluntatem Dei de qua sibi ut homini jam tum constaret: quin potiùs dum voluit convertere Judæos, voluit quod Deus ei præceperat. Ad oppositionem autem enuntiati disjunctivi sufficit contrarietas Logica. Quum enim fieri potuerit ut Christus aliquid vellet voluntate humanâ, quod tamen non vellet voluntate divinâ: fieri etiam potest ut illa verè enuntientur per disjunctionem, dicendo: Christus voluit hoc aut voluntate divinâ, aut humanâ, aut utrâque. Etenim voluntas Christi humana interdum idem voluit quod divina, interdum contrarium: eo quidem sensu qui paulo-antè est declaratus.

Voluntas Dei duplex, vel potiùs duplex vocabuli significatio, Jer.7 18.& 11.7.& 35.15. Atque hæc mihi videtur gemina hujus loci expositio. Si quis tamen putet, Christum hîc loqui non de sola sua voluntate humana, secundùm quam voluit Judæos convertere docendo in propria persona: sed etiam de voluntate sua divina, secundùm quam voluit eos convertere per prophetas quos ad illos misit, idque manè surgendo (ut apud Jeremiam loquitur) id est, inde à diluculo indesinenter: tum adhibenda erit distinctio inter voluntatem quæ nominatur Beneplaciti, & illam quæ nominatur Signi: ac dicendum, Christum hîc loqui de voluntate signi, non autem de voluntate beneplaciti. Nam si voluisset eos convertere voluntate beneplaciti, certè fuissent conversi. nam quicquid voluntate beneplaciti vult Deus, id etiam effectum dat. Quum igitur conversi non sint: sequitur, Deum non voluisse eos convertere voluntate beneplaciti. Quod ergo dicitur id voluisse, intelligendum est de voluntate signi: id est, de facto ex quo tanquam signo colligere debuerunt Judei, Deum velle ut convertantur, ac proinde convertere se debuerunt: quod quum non fecerint, fateri coguntur, se justo Dei judicio propter suam ingratitudinem puniri. Sed hîc objiciat aliquis: Si Deus aliquid vult voluntate signi, quod tamen non vult voluntate beneplaciti: sequitur, contrarias esse in Deo voluntates. Ego verò nego consequentiam hanc: quia voluntas signi, propriè loquendo non est voluntas, sed est factum, ex quo tanquam ex signo homines judicare debent de Dei voluntate. Nominatur igitur voluntas per metonymiam subjecti. Sed rursum excipiat aliquis: Si prædicatio verbi signum est quòd Deus velit homines convertere: necesse est ut dicamus, eum id velle: quum certum sit, Deum non mentiri. Quî fit igitur, quòd non omnes quibus verbum prædicatur, convertuntur? Respondeo: Prædicatio verbi est illa quidem signum quòd Deus velit homines convertere: sed non est signum quòd velit convertere singulos, sed tantùm aliquos ex illis quos per verbum promiscuè vocat. Interim verò officium singulorum est, ut statuant se esse in numero illorùm quos Deus convertere velit, ac proinde ut sese Deo vocanti præbeant obsequentes, non autem rejiciant consilium Dei, id est, prædicationem testificantem ipsis, saltem probabiliter, de gratioso consilio Dei in adducendis ipsis ad salutem. Contra hanc responsionem objiciat aliquis: Si officium singulorum est, statuere se quoque esse in numero convertendorum: & tamen certum est, non singulòs quibus verbum prædicatur, in illo numero esse: fieri poterit ut aliquis ita statuens erret: & per consequens, ut officium alicujus sit errare, dum scilicet incertum pro certo habet. Ego verò nego consequentiam: quia quicunque statuit se esse in numero convertendorum, is converti expetit: qui autem converti expetit, eum in numero convertendorum esse, certum est: solis enim electis ac proinde convertendis, conversionem expetere datur. Quare qui sic statuit, non errat.

ANALYSIS CAP. XXIV.

ARGUMENTUM DUORUM capitum sequentium.

In hoc & sequente capite Evangelista recitat sermones Domini quos habuit ad discipulos privatim, paulò ante diem paschatis quo ad supplicium raptus fuit: idq; partim ante templum, vers.2. hujus capitis; partim in monte olearum, v.4. & deinceps usq; ad finem capitis vigesimiquinti. Continet autem prior iste sermo, quem habuit ante templum, prophetiam de excidio templi, vers.2. hujus capitis: posterior verò quem habuit in monte, continet primùm prophetiam de calamitatibus Judæorum excidium templi atque urbis antecessuris, nec non de ipsius excidii atrocitate, à vers.4. usque ad 29. Deinde prophetiam de consummatione sæculi seu fine mundi & adventu ipsius ad judicium, à vers.29. usque ad vers.42. Tum exhortationem ad vigilantiam, nempe vigilantem adventus ipsius exspectationem, à v.42. hujus capitis usque ad v.31. capitis sequentis. Postremò descriptionem judicii futuri, v.31. capitis sequentis usque ad illius finem. Hoc igitur caput continet quatuor partes principales: prophetiā de excidio templi, vers.1.& 2. prophetiam de calamitatibus antecessuris illud excidium, nec non de ipsius excidii atrocitate, à v.4. usque ad 29. prophetiam de fine mundi & adventu Domini ad judicium,

judicium, à verſ. 29. uſque ad 42. & exhortationem ad vigilantiam, à v. 42. & deinceps.

PRIMA PARS.

Prophetia de excidio templi.

ET egreſſus Jeſus è templo, abibat: & acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificia templi.

2 Jeſus autem dixit, Nónne videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem, qui non diſſolvatur.

Primum indicatur prophetiæ occaſio, v. 1. deinde prophetia ipſa, v. 2. Occaſionem Domino ad hanc prophetiam proponendam præbuit factum diſcipulorum, qui oſtenderunt ei ædificia templi: ſubindicantes (ut videtur) mœrorem ſuum quem conceperant ex verbis Domini paulo-antè dictis ad Scribas & Pharisæos, atque adeò ad omnes cives Hieroſolymitanos: nempe, *Ecce, relinquitur vobis domus veſtra deſerta*, v. penult. capitis præcedentis; ac proinde obliquè Dominum dehortantes à templo exſcindendo: adhibentes argumentum ab adjuncta illius pulchritudine, propter quam illi meritò parcendum videatur: atque etiam ſignificantes non videri ſibi probabile id quod Dominus dixerat, templum deſolatum deſtructúmve iri, quippe quum ædificia ejus firmiſſima atque munitiſſima ſint. Quarum ſententiarum poſterior colligitur ex verbis Marci, cap. 13. v. 1. & 2. ubi commemoratur lapidum & ædificiorum templi magnitudo: prior verò ex verbis Lucæ, cap. 21. v. 5. ubi commemoratur lapidum pulchritudo, & templi donaria. Atque hæc de occaſione. Ipſa prophetia proponitur amplificata duobus modis, aſſeveratione & collatione majorum. Aſſeveratio duobus conſtat membris, collatione parium qua certitudo futuri excidii ut par comparatur certitudini ſenſus præſentis quo ipſum templum aſpiciebant: & juramento. Collatio majorum qua amplificatur ipſum excidium, hanc habet ſententiam: Templum diruetur: & diruetur non ſolùm ex parte, ſed penitus, ita ſcilicet ut ne unus quidem lapis illius ſuper alterum relinquatur. quæ collatio, ut apparet, hyperbolica eſt: qua hoc tantum ſignificatur, hoſtes templum ita demolituros ut planè inutile reddatur.

SECUNDA PARS.

Prophetia de calamitatibus Judæorum anteceſſuris excidium templi atq; urbis, nec non de excidii illius atrocitate.

3 Sedente autem eo in monte olearum, adierunt eum diſcipuli privatim, dicentes, Dic nobis, Quando hæc erunt, & quod *erit* ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi?

4 Et reſpondens Jeſus, dixit eis, Videte ne quis vos ſeducat.

5 Multi enim venient ſub nomine meo, dicentes, Ego ſum Chriſtus: multoſque ſeducent.

6 Futurum eſt autem ut audiatis bella, & rumores bellorum: videte ne turbemini. Oportet enim omnia *hæc* fieri: ſed nondum erit finis.

7 Inſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt fames, & peſtilentiæ, & terræmotus, ſingulis locis.

8 Hæc autem omnia principium *ſunt* dolorum.

9 Tunc tradent vos in afflictionē, & trucidabunt vos: & odio eritis omnibus gentibus propter nomen meum.

10 Et tunc offendiculum patientur multi, & alius alium prodent, & odio habebunt alius alium.

11 Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, ac ſeducent multos.

12 Et quoniam multiplicata erit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.

13 Sed qui ſuſtinuerit ad finem uſque, is ſervabitur.

14 Et prædicabitur iſtud evangelium regni in toto terrarum orbe, in teſtimonium adverſus omnes gentes, & tunc veniet finis.

15 Quum ergo videritis abominationem illam vaſtatricem quæ dicta eſt à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto: (Qui legit, animadvertat.)

16 Tunc qui in Judæa *fuerint*, fugiunto in montes:

17 Qui ſupra tectum *fuerit*, ne deſcendito, ad tollendum aliquid è domo ſua:

18 Et qui in agro, ne revertitor retrò ad tollendum veſtimenta ſua.

19 Væ autem uterum ferentibus & lactantibus, per illos dies.

20 Orate verò ne fiat fuga veſtra hyeme, neque ſabbatho.

21 Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit à principio mundi ad hoc uſq; tempus, neq; unquam fiet.

22 Et niſi decurtati fuiſſent dies illi, non ſervaretur ulla caro: ſed propter electos decurtabuntur dies illi.

23 Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce, hîc *eſt* Chriſtus, aut hîc: ne credite.

24 Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & edent ſigna magna & miracula: adeò ut ſeducturi eſſent, ſi fieri poſſet, etiam electos.

25 Ecce, prædixi vobis.

26 Itaque ſi dixerint vobis, Ecce, in deſerto eſt: ne egredimini. Ecce, in conclavibus: ne credite.

27 Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet uſq; in Occidentem: ita etiam erit adventus Filii hominis.

28 Ubicunque enim fuerit cadaver, illuc congregabuntur aquilæ.

Primum indicatur locus ubi totus hic ſermo eſt habitus, videlicet mons olearum. Deinde occaſio ſive cauſa procatarctica, nempe petitio diſcipulorum, quæ duo habet membra: unum de excidii illius tempore, alterum de ſigno anteceſſuro. Conjungunt autem cum excidio templi atque urbis adventum Domini & conſummationem ſæculi, eò quòd putabant templum cum ſuis cærimoniis duraturum uſque ad finem mundi. Atque hæc habentur v. 3. Prophetia eſt partim de calamitatibus Judæorum paulo-poſt incepturis & bene diu duraturis antequam veniret excidii tempus, à v. 4. uſque ad 15. partim de excidio ipſo, ejuſque atrocitate, à v. 15. uſque ad 29. Calamitates illæ ſunt aut publicæ & omnium Judæorum communes, aut Apoſtolorum aliorumque piorum Judæorum propriæ. Communes ſunt: Seductio pſeudochriſtorum, hoc eſt, impoſtorum, quorum unuſquiſque mentiturus erat ſe eſſe Chriſtum, ac poſſe & velle liberare populum à dominatu Romanorum, v. 5. Cujus prophetiæ impletionem vide apud Joſephum libr. 20. Antiq. Jud. cap. 4. de quodam Theuda: cujus etiam mentio fit Act. 5. v. 36. Deinde de magis & latronibus, ejuſdem libri cap. 11. Tum de quodam Ægyptio, ejuſdem libri cap. 12. ac iterum de bello Jud. libr. 2. c. 12. Cujus Ægyptii mentio quoque fit Act. 21. v. 38. Deinde flagella divina quatuor, videlicet bellum, v. 6. & prima parte ſeptimi; fames, peſtilentia & terræmotus, reliqua parte verſus ſeptimi. Ac bellorum quidem nomine intelliguntur ſeditiones quæ coortæ ſunt ſub præſidibus Romanis, Cumano, Felice, Feſto, Albino, Floro, &c. in urbibus Cæſarea, Scythopoli, Aſcalone, Ptolemaide, Alexandria, Damaſco: item bellum Judæis illatum per Veſpaſianum: de quibus omnibus narrat Joſephus ſecundo libro Belli Judaici & deinceps uſque ad ſextum. Famis verò quæ per illud tempus fuit ſub Claudio, mentio fit in Actis, cap. 11. v. 28. Tum ſeductio pſeudoprophetarum, de quibus paſſim Joſephus v. 11. Poſtremò graſſatio iniquitatis & defectus charitatis, v. 12. Propriæ piorum calamitates indicantur v. 9. & 10. videlicet perſecutio ab hoſtibus Evangelii, v. 9. ſcandalum ex defectione multorum, & perſecutio à domeſticis, v. 10. Cæterùm huic prophetiæ admiſcentur admonitiones & conſolationes. Primum enim admonet ut ſibi caveant ne ſeducantur à pſeudochriſtis, v. 4. deinde ne turbentur rumoribus bellorum, v. 6. ubi & conſolationem addit à neceſſitate pendente ab immutabilitate decreti divini. Tum monet ut calamitates iſtas patienter tolerent, eoſque conſolatur partim promiſſione ſalutis æternæ, v. 13. partim promiſſione prædicationis evangelii in toto terrarum orbe, v. 14. Atque hæc de calamitatibus Judæorum excidium urbis anteceſſuris. Jam excidium ipſum deſcribit partim ab adjuncto ſigno & cauſa procreante, videlicet exercitibus Romanorum obſidentibus Hieroſolymam, v. 15. partim ab adjuncta inhærente atrocitate, v. 21. & 22. partim denique ab eventu obſidionis, videl. ſeductione pſeudochriſtorum & pſeudoprophetarū, v. 23. & deinceps. Signum illud confirmat teſtimonio prophetiæ Danielis, ex cap. 9. v. 27. Atrocitatem oſtendit partim collatione calamitatum tum præteritarum tum futurarum omnium, v. 21. partim ab effectu poſſibili divinitus coërcendo, v. 22. Seductionem declarat partim recitatione verborum quibus uſuri ſint pſeudoprophetæ qui pſeudochriſtis ſint inſervituri, v. 23. & 26. partim à cauſis adjuvantibus, videlicet miraculis, quæ ipſa amplificat ab adjuncta efficacia, v. 24. Huic autem parti prophetiæ ſimiliter ut ſuperiori, admixtæ ſunt admonitiones & conſolationes. Primùm enim monet, ut incipiente obſidione conſulant ſibi fugâ, eâque celerrimâ, v. 16. 17. & 18. Hanc autem fugam partim declarat à termino ad quem, id eſt, à loco quò fuga corripienda ſit, v. 16. partim illam amplificat à cauſis corrumpentibus, tum propriis mulierum, v. 19. tum communibus omnium, v. 20. Mulierum propria impedimenta commemorat duo, geſtationem fœtus in utero, & geſtationem infantum pendentium ab uberibus matrum: & hoc nomine illas commiſeratur. Impedimenta communia commemorat item duo, hyemem & ſabbathum; & monet ut illa impedimenta à Deo deprecentur. Ac hyeme quidem incommoda eſt fuga, tum propter brevitatem dierum, tum maximè propter frigus ac tempeſtates: jubentur

enim fugere in montes. Sabbatho verò incommoda Judæis erat fuga propter religionem: nam non licebat illis in sabbatho peregrè ire ultra mille passus. Deinde monet, ne credant seductoribus istis pseudoprophetis, v.23.25.26. eosdemque seductionis convincit, v.27.& 28. à forma adventus sui, significans adventum suum fore illustrem, id quod declarat similitudine fulguris, v.27. ac proinde electos ultrò sese ad ipsum aggregaturos, v. 28. unde nimirum sequitur, non fore opus indicatione per homines ubi sit Christus adveniens. Consolationem verò pro electis admiscet triplicem. prima est, quòd propter electos Judæos decurtandi sint dies obsidionis, ne tota gens pereat, atque, ita illi unà cum reprobis clade istâ exstinguantur, v.22. Secunda, quòd fieri non possit ut seducantur per istos pseudoprophetas, v.24. Tertia, quòd in adventu Domini congregandi sint ad ipsum, ut eo in æternum fruantur, v.28.

TERTIA PARS.

Prophetia de adventu Domini ad judicium.

29 Statim autem post afflictionem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit splendorem suum, & stellæ cadent è cælo, & vires cælorum concutientur.

30 Et tunc apparebit signum Filii hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum potentia & gloria multa.

31 Et mittet angelos suos cum tubæ voce magna: & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à cælorum extremo ad eorum extremum.

32 A ficu autem discite parabolam. Quum jam ramus ejus tener fit, & folia repullulant, cognoscitis propè esse æstatem.

33 Ita & vos, quum videritis hæc omnia, cognoscite illum propè esse *&* ad fores.

34 Amen dico vobis, nequaquam præterierit ætas hæc usquedum omnia ista facta sint.

35 Cælum & terra præteribunt: sermones autem mei nequaquam præteribunt.

36 De die autem illo & hora nemo scit, ne Angeli quidem cælorum, sed pater meus solus.

37 Sicut autem *erant* dies Noë, ita erit & adventus Filii hominis.

38 Sicut enim in diebus qui *fuerunt* ante diluvium, edebant & bibebant, uxores ducebant & nuptum dabant, ad eum usque diem quo ingressus est Noë in arcam:

39 Nec cognoverunt diluvium usque dum venisset, & sustulisset omnes: ita erit & adventus Filii hominis.

40 Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & alter relinquetur.

41 Duæ molentes in pistrino: una assumetur & altera relinquetur.

Hic primò adventum suum describit, usque ad v.32. Deinde monet de certitudine prophetiæ tum hujus, tum superioris, usque ad v.36. Tum docet de adventus sui tempore, usq; ad v.46. Postremò de ejusdem effectis. Adventum suum describit ab adjunctis signis horribilibus, proximè antecessuris, v.29. ab adjuncto occupato, videl. ab aspectu omnium hominum, v.30. à subjecto tribunali in quo sedebit, videl. cælo seu nubibus cæli, ibidem: ab effectu in impiis, videl. planctu, ibidem: ab adjuncta potentia & gloria, ibid. ab effectu in piis sive electis, videlicet collectione eorum per angelos, v.31.

Certitudinem prophetiæ hujus declarat similitudine germinantis ficus, v.32.& 33. Certitudinem verò prophetiæ superioris de excidio urbis & cladibus antecessuris, confirmat asseveratione duplici: quarum prior illustratur notatione temporis: posterior amplificatur collatione minoris, vel majoris, prout verba diversimodè exponuntur. Minoris collatio est, si sic exponamus: Cælum & terra quantumvis firmissima sint, tamen mutabuntur: at sermones mei (quippe firmiores) non mutabuntur. Majoris collatio est, si exponamus sic: Citiùs cælum & terra interibunt, quàm sermones mei: & tamen cælum & terra, res scil. omnium firmissimæ, non interibunt, hoc est, non redigentur in nihilum. Ergo multò minùs sermones mei interibunt: quorum possit videri non esse tanta firmitas.

De tempore adventus sui duo docet: primùm negat hominibus datum ut illud sciant in specie, & hanc negationem amplificat collatione majorum & antithesi disparati, v.36. Deinde describit illud tempus notatione generali ex adjuncta hominum securitate, quòd scil. venturus sit eo tempore quo homines minimè putabant, hoc est, quòd venturus sit ex improviso, propter hominum securitatem. Securitatem autem istam declarat exemplo ætatis Noachi, hoc est, hominum qui vixerunt ætate Noachi: quod exemplum primùm generaliter proponit, v.37. deinde specialiter & per partes exponit, v.38.& 39.

Effecta sui adventus indicat contraria, pro contrarietate scil. hominū: quorum alii, videl. pii, à Christo recipientur in cælū: alii verò, nempe impii, ab eo relinquētur, ut scil. a malis angelis abripiantur in gehennā. Horum effectorū expositionem amplificat ab adjuncta inopinata hominū unà versantium separatione: cujus conversationis duo ponit exempla pro ratione locorum ubi unà versabuntur, videl. agri, v.40.& pistrini seu moletrinæ, v.41.

QUARTA PARS.

Exhortatio ad vigilantiam.

42 Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ dominus vester venturus sit.

43 Illud autem scitote, Si sciret paterfamiliâs quâ vigiliâ fur venturus sit; vigilaret, ne sineret perfodi domum suam.

44 Propterea & vos estote parati: quia quâ horâ non putatis, filius hominis venturus est.

45 Quis igitur est fidelis ille servus & prudens, quem constituit dominus ejus super famulitium suum, ut det illis alimentum in tempore?

46 Beatus *erit* servus ille, quem quum venerit dominus ejus, invenerit ita facientem.

47 Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

48 Quòd si dixerit servus ille malus in corde suo, Differt dominus meus adventum:

49 Cœperitque verberare conservos, quin etiam edere & bibere cum ebriis:

50 Veniet dominus servi illius die quo non exspectat, & horâ quâ non novit.

51 Et separabit eum, ac partem ei assignabit cum hypocritis: illic erit fletus & stridor dentium.

Exhortationem deducit ex eo quòd dixerat de incertitudine horæ adventus sui, v.42. Deinde eandem exhortationem confirmat ab effectu damnoso securitatis: quod argumentum innuit ab exemplo patrisfamiliâs qui per securitatem passus est damnū ex inopinato adventu furis, v.43.& 44. Tum addit aliud argumentum ab effectis per antithesin, videl. tum ab effectu utili vigilantiæ, nempe æternâ beatitudine & gloriâ, v.46.& 47. tum ab effectu noxio securitatis, nempe ignominiâ & exitio sempiterno, v.ult. Hæc autem argumenta insinuat per parabolam de duobus servis, fideli & malo: qui per absentiam heri, familiam gubernant: alter benè, v.45.& 46. alter verò malè, v.48.& 49. Unde hæc pars exhortationis videtur præcipuè pertinere ad ministros Ecclesiæ, qui peculiari quadam ratione sunt servi Christi: cæteris nimirum ejusdem servis, hoc est, Christianis, præfecti, ut illis præbeant alimentum verbi Dei.

SCHOLIA IN CAP. XXIV.

1 Et egressus Jesus è templo, abibat] καὶ ἐξελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐπορεύετο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ. *In Græco verba sunt trajecta, Nisi potiùs ad participium* ἐξελθὼν *subaudiendum sit,* ἐκ τοῦ ἱεροῦ: *&* *deinceps vertendum,* Proficiscebatur à templo: *ut intelligamus innui, abiisse à templo tanquam nunquam ad illud reversurum.* Ut ostenderent ei ædificia templi] ἐπιδεῖξαι αὐτῷ τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ. *Pro,* τοῦ ἐπιδεῖξαι, *scil.* ἕνεκα.

2 Dissolvatur] καταλυθήσεται. *Sive, destruatur.*

3 Discipuli] οἱ μαθηταί. *Id est, quatuor ex discipulis, videl. Petrus & Jacobus & Johannes & Andreas, teste Marco cap.13.v.3. Synecdoche integri.*

6 Ne turbemini] μὴ θροεῖσθε. *Vel, Ne expavescite.*

7 Singulis locis] κατὰ τόπους. *Vel, diversis locis: id est passim:* hin vnd wider.

8 Dolorum] ὠδίνων. *Vox Græca ἔμφασιν habet, ut quæ propriè significet dolores parturientium.*

9 Tradent vos in afflictionem] παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλῖψιν. *Nempe osores vestri tradent vos magistratibus ut illi vos affligant.* Propter nomen meum] διὰ τὸ ὄνομά μου. *Id est, propter professionem doctrinæ de persona & officio meo.*

10 Offendiculum patientur] σκανδαλισθήσονται. *Scil.* ἐν ἐμοί, *In me (ut suprà 11.v.6.) hoc est, propter me, deficientes nimirum à confessione nominis mei, propterea quòd confessores meos videbunt odio haberi à mundo.*

11 Pseudoprophetæ] ψευδοπροφῆται. *Id est, falsi doctores.*

12 Qui sustinuerit] ὁ ὑπομείνας. *Id est, qui persecutionem mundi patienter toleraverit, nec propterea à confessione nominis mei defecerit.*

14 Evangelium regni] τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας. *Id est, quo homines colliguntur in regnum Dei sive cælorum. Vel, Evangelium de regno.* In toto terrarum orbe] ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ. *Id est,*

non in sola Judæa (ut nunc) sed etiam extra Judæam in aliis orbis terrarum partibus. Synecdoche integri. Neq; enim hoc propriè intelligi potest, de singulis scil. regionibus: quum sermo hîc sit de cladibus antecessuris excidium urbis Hierosolymæ. In testimonium adversus omnes gentes] εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι. Id est, in hunc finem ut illa prædicatio in judicio Dei habeat vim testimonii adversus omnes eos qui illam repudiaverint & Evangelio non crediderint. Præpositio εἰς notat finem, id est, causam finalem seu scopum Deo propositum in Evangelii prædicatione. Dativus autem τοῖς ἔθνεσι idem valet quod ἐπὶ τὰ ἔθνη. Vide suprà 23. 31. Et deniq; nomine τῶν ἐθνῶν intelliguntur increduli per synecdochen integri. Finis] τὸ τέλος. Nempe finis templi & urbis, hoc est, ipsum excidium: ut percipitur ex collatione continenter sequentium.

15 Abominationem illam vastatricem] τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως. Ad verb. Abominationem illam desolationis seu vastationis, hoc est, desolantem seu vastantem. Hebraismus. Sic autem nominat exercitum Romanorum qui vastavit Judæam duce Vespasiano & Tito, & Hierosolymam evertit. Confer Luc. 21. v. 20. Quæ dicta est] τὸ ῥηθὲν. Nempe quòd sit ventura. A Daniele propheta] διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου. Ad verb. Per Danielem prophetam. Sed consulendum hîc fuit perspicuitati: ne quis participium Stantem quod continenter sequitur, per errorem conjungeret cum nomine Danielis; si dictum fuisset, per Danielem prophetam. Stantem] ἑστὼς. Sic vox Græca propriè reddenda est: quia sermo est de exercitu Romanorum stante ante urbem Hierosolymam, evertendæ illius causâ. In loco sancto] ἐν τόπῳ ἁγίῳ. In terra sancta: hoc est, in Judæa prope Hierosolymam urbem sanctam. Qui legit] ὁ ἀναγινώσκων. Nempe verba illa Danielis quæ habentur cap. 9. v. 27. Animadvertat] νοείτω. Ad verb. intelligat. hoc est, det operam ut intelligat, diligenter scilicet considerando. Metonymia finis: quâ scilicet ex fine intelligitur destinatum. Sic sup. 13. v. 19. & 23.

17 Supra tectum] ἐπὶ τοῦ δώματος. Vide suprà 10. 27. Ne descendito] μὴ καταβαινέτω. Scilicet, εἰς τὴν οἰκίαν: quæ verba adduntur apud Marcum. Ad tollendum aliquid] ἆραί τι. Pro, τοῦ ἆραι, vel πρὸς τὸ ἆραι: ad tollendum & secum auferendum. Synecdoche membri metonymica. Aliquid] Puta vestes, ut exprimitur versu sequente: aut pecuniam, aut cibum.

20 Væ autem] οὐαὶ δὲ. Scilicet, erit. Id est, Miseret me autem mulierum uterum ferentium: quarum conditio præ aliis misera tunc futura est: adeò ut exclamaturæ sint, Væ, væ: quæ est dolentis interjectio. Metonymia effecti. Nam vocem illam dolentis ipse dolor atque miseria exprimit.

21 Neque unquam fiet] οὐδ᾽ οὐ μὴ γένηται. Pro, γένηται, modo potentiali: i.e. γένοιτο. Est autem in Græco triplex negatio, quæ fortissimè negat: quare fuit in versione, quoad fieri potuit, exprimenda.

22 Non servaretur ulla caro] οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ. Id est, ullus Judæus. Synecdoche primùm membri, quâ caro ponitur pro homine: deinde generis, quâ homo pro Judæo. Habetur enim hîc sermo de cladibus Judæorum. Non servaretur autem, id est, non evaderet salvus ex istis cladibus. Seu, non conservaretur in vita, **würde nicht beym leben erhalten**. Sic Marc. 5. 23. ὅπως σωθῇ, ut servetur, scilicet in vita. Et alibi passim. Propter electos] διὰ τοὺς ἐκλεκτούς. Nempe in populo Judaico. Decurtabuntur dies illi] κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι. Id est, clades illæ Judæis superventuræ.

26 In conclavibus] ἐν τοῖς ταμείοις. Id est, in palatiis seu locis munitis.

27 Ab Oriente] ἀπὸ ἀνατολῶν. Græci numero plurali dicunt ἀνατολὰς & δυσμάς, quasi dicas orientes & occasus: quia respiciunt ad solis ortum & occasum triplicem: nempe θερινὴν, ἰσημερινὴν & χειμερινὴν, hoc est, æstivum, æquinoctialem & hybernum: ut tradit Arist. in libello περὶ κόσμου. Adventus] ἡ παρουσία. Nempe ad judicium & plenam constitutionem regni sui gloriosi.

29 Statim autem post afflictionem &c.] εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν &c. Id est, ita ut nulla interveniat insignis clades quæ populo Judaico accidat. Sol obscurabitur &c.] Hæc accipio tanquam propriè dicta, & futura Domino jamjam ad judicium adventante. Et exponenda censeo per collationem verborum Petri, tanquam rem eandem describentium, 2. Pet. 3. v. 10. 11. & 12. Sunt tamen viri docti, qui hæc exponunt allegoricè de calamitatibus Ecclesiæ ac mundo eventuris ante Christi adventum: quas describit Johannes in Apocalypsi. Vide Lambertum Danæum Quæstionibus in Marcum, quæst. 56. & Fr. Junium in Analysi Apocalypseos, in caput 8. notâ 10. & in caput 16. notâ 7. Vires cælorum] αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν. Id est, cæli quantumvis robustissimi. Dictum per hypallagen Hebræam: Vires cælorum, pro Cæli virium, hoc est, viribus pollentes seu firmissimi.

30 Signum filii hominis] τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. Id est, ipse filius hominis tanquam signum certissimum adventus sui ad judicium. Syntaxis qualis in illo, Accepit Abraham signum circumcisionis, Rom. 4. Quidam putant intelligendam imaginem crucis in qua Dominus pependit, conspiciendam in aëre: qualem conspexisse traditur Constantinus Magnus, bella gerens contra hostes Ecclesiæ, cum hac inscriptione, IN HOC VINCES. Sed istud videtur infirmum. Altera autem expositio tum per se plana est, tum confirmatur ex collatione verborum sequentium, nempe, Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, &c. sicut enim ipse apparebit, sic etiam homines illum videbunt. In cælo] ἐν τῷ οὐρανῷ. Nempe in nubibus cæli: ex collatione verborum sequentium. Omnes tribus terræ] πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς. Id est, omnes populi terræ in quos totum genus humanum distributum est. Metaphora à repub. Judæorum. nam populus Judaicus distributus erat in duodecim tribus. Plangent autem non singuli homines, sed tantùm impii, tanquam sibi malè conscii. Est igitur hîc synecdoche integri. In nubibus] ἐπὶ τῶν νεφελῶν. Vel potiùs, Super nubes: id est, vectum nubibus, insidentem nubibus, tanquam solio regali seu tribunali: quod infrà 25. 31. nominatur thronus gloriæ. Cum potentia &c.] μετὰ δυνάμεως &c. Nempe cum tota multitudine sanctorum angelorum, infr. 25. 31.

31 Electos ejus] τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ. Id est, homines eos quos ipse elegit ad vitam æternam. A quatuor ventis] ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων. Græcum est expressius propter articulum, quo notantur quatuor illi venti cardinales: qui spirant à quatuor mundi plagis: videl. Oriente, Occidente, Meridie & Septentrione. Per quatuor igitur ventos hîc intelliguntur quatuor mundi plagæ, per metonymiam adjuncti. A cælorum extremo ad eorum extremum] ἀπ᾽ ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν. Id est, ab una extremitate orbis terrarum ad aliam. Nomine autem plurali in Græco notantur extremitates illæ complures inter sese oppositæ: puta extremitas Orientalis & Occidentalis, item Meridionalis & Septentrionalis. Item nomine cælorum intelliguntur regiones mundi diversis cæli partibus subjectæ, per metonymiam adjuncti.

32 A ficu] ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς. Scil. sumtam seu petitam sive ductam. Tener] ἁπαλός. Et ex consequente humidus ac succulentus, **saftig**. Metonymia effecti synecdochica. Et folia repullulant] καὶ τὰ φύλλα ἐκφύῃ. Nempe τὰ αὐτῆς: id est, folia ejus. Puto enim hoc nomen hîc positum esse in nominativo, & verbum ἐκφύειν positum intransitivè. Alii: Et folia germinat: accipientes verbum ἐκφύειν transitivè, nomenq; φύλλα in accusativo. Sed si ista esset syntaxis: videtur mihi, abesse debere articulum.

33 Illum propè esse] ὅτι ἐγγύς ἐστι. Nempe adventum filii hominis. De hoc enim habetur sermo.

34 Nequaquam præterierit ætas hæc] οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη. Id est, tota illa multitudo hominum qui nunc vivunt. Vult dicere, multos ex illis qui tunc vivebant, tamdiu victuros donec clades istæ venissent. Et certè id ita factum esse, ex eventu colligere facile est. Evenerunt enim istæ clades paulò post Evangelii promulgationem: & illarum postrema, ipsum scilicet urbis excidium, accidit anno pòst circiter quadragesimo. Omnia ista] πάντα ταῦτα. Id est, Omnes istæ clades, quas initio hujus sermonis commemoravi. Nam quæ postremò dicta sunt, de obscuratione solis & lunæ, &c. in ipso demum Domini adventu implebuntur.

35 Præteribunt] παρελεύσονται. Non quidem ita ut intereant seu in nihilum redigantur, sed ut immutentur per incendium, sicut declarat Petrus 2. Petr. 3. Et sic continetur hoc loco antithesis inter mundum & doctrinam Christi. Vel est collatio imparium, adhibito impossibili tanquam faciliori: quasi dicatur, Cælum & terra citius præterierint quàm ut prætereant sermones mei. Quale est illud apud Virgilium: Antè leves ergo pascentur in æthere cervi, &c.

36 De die autem illo] περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης. Quo scil. Filius hominis adventurus est ad judicium. Sed] εἰ μὴ. Ad verb. Nisi; quod potest retineri: sed tum facienda erit parenthesis, ad hunc modum: De die verò illo nemo scit (ne angeli quidem cælorum) nisi pater meus solus. Et sic nomen Solus πλεονάζει.

37 Dies Noe] αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε. Id est, tempus quo vixit Noe, ante diluvium. hoc est, Quales fuerunt mores hominum illo tempore. Metonymia adjuncti: vel, si mavis, subjecti. nam in tempore, homines vivunt: & certum annorum spatium certam hominum multitudinem in se quasi continet. Ita erit & adventus &c.] οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία &c. Id est: Tales quoq; erunt mores hominum qui victuri sunt sub adventum Filii hominis. Metonymia adjuncti.

38 Qui fuerunt ante diluvium] ταῖς πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ. Subaudi, ἡμέραις. Edebant &c.] ἦσαν τρώγοντες &c. Ad verb. Erant edentes. Et sic deinceps. In arcam] εἰς τὴν κιβωτόν. In arcam illam quam ex mandato Dei exstruxerat. Hoc notat articulus.

39 Nec cognoverunt diluvium usque dum venisset] καὶ οὐκ ἔγνωσαν ἕως ἦλθεν ὁ κατακλυσμός. In Græco nomen antecedens postpositum est. Pro, καὶ οὐκ ἔγνωσαν τὸν κατακλυσμὸν ἕως ἦλθεν. Talis trajectio fuit supr. 17. 18. Omnes] ἅπαντας. Omnes scil. incredulos atque inobedientes & securos illos verbi Dei per Noachum annuntiati contemtores. Nam ipse Noachus unà cum familia conservatus fuit in arca. Adventus] ἡ παρουσία. Ut v. 37.

40 Unus] ὁ εἷς. Græcum expressius propter articulum, **der eine**. Assumetur] παραλαμβάνεται. Ad verbum, Assumitur. Enallage temporis, ducens quasi in rem præsentem. Assumetur autem, intellige à Filio hominis, in regnum ipsius. Sic deinceps. Et alter] καὶ ὁ εἷς. Ad verb. Et unus. Hebraismus. Sic vers. seq. Relinquetur] ἀφίεται. Non assumetur à Christo in cælum: sed relinquetur diabolo abripiendus in gehennam.

41 In pistrino] ἐν τῷ μύλωνι. Nomen Græcum sonat moletri-

namquod nomen Fr. Junius ex Glossario huc annotavit. Nempe locus ubi molitur frumentum.

43 Scitote] γινώσκετε. Vel, Scitis. Quâ vigiliâ] ποίᾳ φυλακῇ. *Id est, quâ horâ noctis. Nox enim distribuebatur in vigilias.*

45 Super famulitium] ἐπὶ τῆς θεραπείας. *Id est super famulos.*

48 Differt adventum] χρονίζει ἐλθεῖν. *Ad verbum*, Tardat venire.

51 Separabit eum] διχοτομήσει αὐτόν. *Pro*, χωρεῖ *vel* ἀφορεῖ. *Ad verb.* Dividet. *Synecdoche membri. Dividet seu distribuet servos, in eos scil. quos secum retinebit & pramiis afficiet, & eos quos ab istis separabit ac puniet: ac deinde illum à cæteris separabit. Hæc expositio videtur confirmari collatione verborum sequentium. Alii*: Disſecabit. *scil. medium seu in duas partes. quod fuit supplicii genus, quo affectum tradunt Esaiam prophetam. Priori expositioni favent verba quæ sequuntur.* Partem ei assignabit] τὸ μέρος αὐτοῦ θήσει. *Ad verb.* Partem ejus ponet. *Phrasis Hebræa.*

OBSERVAT. EX CAP. XXIV.

Munitiones. 1 Ex v. 1. & 2. Non est confidendum munitionibus: quia nulla munitio tam firma est quæ non possit dirui, Deo irato ac punire volente. Exemplo est exemptum Hierosolymitanum. Item urbs Babylon & aliæ. *Prov. 18. 10.* Contrà arx firma est nomen Domini: quo solo confidendum. Munitionibus autem utendum ut mediis propugnationis seu defensionis à Deo concessis.

Præceptoris officium. 2 Ex v. 3. collato cum seqq. Sapientis ac fidelis præceptoris atque doctoris est, non semper directè respondere ad quæstionem sibi propositam: sed si quæstio sit curiosa, occasione illius dicere ea quæ interroganti sunt utilia ac scitu necessaria. Id enim videmus hoc loco fecisse Christum. Discipuli interrogarunt de tempore excidii Hierosolymæ & templi: at non erat ipsorum scire tempora & articulus temporum, quippe quæ Deus posuit in sua potestate, Act. 1. v. 7. Petiverant quoque certum signum adventus ipsius: sed contenti esse debuerunt scire, Christum certò venturum in regnum suum, idque tempore opportuno, ac proinde illud tempus patienter & attentè exspectare. Quare Dominus ad neutram illarum quæstionum directè respondet: sed occasione illarum dicit ea quæ discipulis erant utilia & cognitu necessaria: videl. fore ut multa ipsis sint patienda antequam assumantur ab ipso in regnum suum gloriosum: item quomodo se in illis calamitatibus debeant gerere & consolari. Item negat fas esse ut diem vel horam adventus sui nôrint: è diverso autem monet ut vigilanter illum exspectent.

Contemtus verbi Dei. 3 Ex v. 5. & seqq. ubi describuntur calamitates Judæorum quæ illis evenerunt post Christi mortem. Exemplo divinarum pœnarum quæ evenerunt Judæis propter ipsorum ingratitudinem erga gratiosam visitationem Dei per verbum ab ipso Filio ejusdemque Apostolis apud ipsos prædicatum: hoc inquam exemplo discamus gratis animis agnoscere tempus similis visitationis nostræ, nisi similiter à Deo puniri velimus. Nam si similiter peccaverimus, similiter puniemur. Deus enim, judex ille totius mundi, sibi semper similis manet, naturam aut ingenium nunquam mutat. Confer 1. Cor. 10. ubi Apostolus exempla pœnarum divinarum quibus Deus olim affecerat Israëlitas, Corinthiis proponit: ut eos à similibus peccatis dehortetur.

Confessio evangelii. 4 Ex v. 9. & 10. Si accidat ut propter nomen Christi Christianæve doctrinæ exosi fiamus hominibus, & quidem etiam familiaribus atque propinquis: item si videamus, multos cruce offensos à confessione puræ de Christo doctrinæ deficere: consolemur nos exemplo Apostolorum aliorumque piorum illis coætaneorum, quibus idem accidit: imò ipsius Christi: scientes, si cum Christo & propter Christum patiamur, nos cum eodem regnaturos.

Patientia. 5 Ex v. 13. Patientiâ nobis opus est, ut salvi fiamus. Confer Heb. 10. v. 36. Quò pertinet elegans illud distichon:

Nobile vincendi genus est patientia: vincit
Qui patitur: si vis vincere, disce pati.

Evangelii contemtus. 6 Ex v. 14. Quibus evangelium annuntiatum est: nisi inde fuerint emendati non poterunt apud Deum judicem uti excusatione ignorantiæ: idque longè minùs quàm illi quibus sese Deus per solam creationem mundi patefecit, de quibus affirmat Paulus Rom. 1. v. 20. eos esse ἀναπολογήτους, id est, inexcusabiles seu tales qui destituuntur apologiâ, hoc est, oratione justâ atque idoneâ qua sese defendant suamque innocentiam demonstrent. *Joh. 15. v. 22.* Sic Christus de impiis Judæis ait, *Si non venissem & loquutus essem eis, peccatum non haberent* (intellige peccatum inexcusabile) *nunc autem non habent quod prætexant peccato suo.* hoc est, quo peccatum suum (nempe incredulitatis) excusent. Caveamus igitur nobis ne cui sit cor durum & inobediens: sed potiùs hodie dum audimus vocem Dei in evangelio sonantem, ne obduremus corda nostra. Vide Heb. 3. v. 7. 8. & 12.

Impii. 7 Ex v. 15. Cùm omnes impii Deo ac piis angelis atque hominibus abominabiles sunt: tum maximè illi qui sanctum Dei cultum vastant & abolent. hæc enim causa est cur milites Romani, qui vastarunt Hierosolymam & templum, atque ita cultum Dei aboleverunt, appellentur βδέλυγμα, id est, abominatio seu res abominanda, **ein grewel.** Quare impietatem detestemur, & contrà pietati studeamus, si chari Deo esse volumus. Etsi enim Deus decreverat ut templum tunc exscinderetur: non tamen hoc mandaverat Romanis, nec illi id fecerunt ut voluntati Dei obedirent, sed potiùs ut morem gererent impiæ suæ libidini ac profanitati.

8 Ex v. 16. Fuga ad evitandum pericula manifesta, est licita: *Pericula. Fuga.* nisi quis retineatur speciali officio. Neque enim (verbi gratiâ) ad evitandum insultum hostilem licet vel duci ita fugere ut deserat suos milites: nec vicissim militibus, ut deserant suum ducem: sed illis ex consensu aut unà standum aut unà fugiendum est. Ita Christus ipse non semel fugit insultum Judæorum & insidias à se intellectas. Nec non Apostolos jussit fugere, si incidissent in persecutores.

9 Ex v. 19. Non est putandum uterum, ferre aut infantem lactare, esse peccatum. *Uterū ferre.* Neque enim hoc loco Christus pœnam istiusmodi mulieribus denuntiat, quum ait, *Væ uterum ferentibus, &c.* sed eas commiseratur propter impedimenta necessariæ fugæ.

10 Ex v. 20. Quæstio hîc nascitur: An non liceat in casu necessitatis negligere legem Dei cærimonialem. *Lex Dei cærimonialis.* Et ratio dubitandi est, quòd Christus alibi ostẽdit id licere, nempe sup. c. 12. ubi contra Pharisæos defendit discipulos suos, qui in sabbatho vulserant spicas quum esurirent: & affert exemplum Davidis qui in simili causa ederit panes propositionis, quos Lex destinaverat solis sacerdotibus. At hoc loco videtur innuere contrarium, quatenus præcipit ut orent ne fuga ipsorum fiat in sabbatho. quibus sanè verbis respicit ad religionem sabbathi, quo die non licebat Judæis peregrè ire ultra mille passus. Sed ad hoc videtur dicendum, Dominum non voluisse significare quòd non liceat urgente necessitate fugere, & ultra milliare procedere in sabbatho; sed quòd futurum esset ut plerique putarent id sibi non licere, quippe quòd cærimoniarum observationi penitus erant addicti. Cujus rei exemplum occurrit in historia Machabæorum: quorum nonnulli in latebris deserti sese passi sunt opprimi ab hostibus die sabbathi, veriti ne si resisterent, sabbathi religionem violarent. Sed Matthathias cum sociis, clade illâ monitus, diversum consilium cepit, nempe ut etiam in sabbatho sese prælio defenderent. Vide 1. Machab. 2.

11 Ex v. 22 Electi tam chari Deo sunt ut propter ipsos desinat flagellare populum in quo ipsi latent, ne illum quantumvis meritum internecione ac πανολεθρίᾳ deleat. *Electi.* Sic volebat ad intercessionem Abrahami parcere Sodomitis ac toti illi regioni, si vel decem justi reperti illic fuissent, Gen. 18. Hæc doctrina facit ad consolationem piorum, qui ex signis infallibilibus nôrunt se esse in numero electorum, nimirum ex vera fide & sincero studio pietatis.

12 Ex v. 24. Cavendum ne decipiamur miraculis ad confirmandum doctrinam adhibitis: quoniam & pseudoprophetæ, seu falsi doctores, miraculis instructi sunt. *Miracula.* Sed illa sunt miracula falsa & mendacia, virtute patris mendacii (hoc est, diaboli) edita. Confer 2. Thess. 2. v. 9. ubi talia miracula tribuuntur Antichristo. Vide etiam Deut. 13. in principio capitis. ubi jubet Deus ne auscultent falso prophetæ suadenti apostasiam, etiamsi signo sive prodigio doctrinam suam confirmârit, imò ut illum capite plectant.

13 Ex eod. v. Fieri non potest, ut electi ita seducantur ut pereant: non quòd non tales sint à natura ut in errorem exitialem seduci possint: sed quòd obstet decretum Dei immutabile, quo decrevit eos verâ fide donare, in eâdem conservare, & per illam ad vitam æternam deducere. Huc pertinent omnia dicta scripturæ quæ testentur de perseverantia sanctorum. Hæc doctrina facit ad consolationem piorum, qui ex certis signis nôrunt se esse in numero electorum. Cavendum autem ne hac doctrinâ abutamur ad securitatem carnalem: quippe per nos non stat quin fidem amittamus, & in errorem exitialem seducamur: unde Paulus 1. Cor. 10. v. 12. monet, *Qui sibi videtur stare, videat ne cadat.* Item Rom. 11. v. 20. & 21. *Tu per fidem stas* (inquit) *Ne effertor, sed time. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit: vide ne tibi quoque non parcat.*

14 Ex v. 27. Adventus Christi ad judicium erit illustris, ita ut toti mundo sit conspicuus: quemadmodum lumen orientis statim in toto hemisphærio conspicitur. *Adventus Christi ad judicium.* Confer Act. 1. v. 11. Hinc est quòd adventus ille à Paulo nominatur ἐπιφάνεια, id est, illustris apparitio, 2. Thess. 2. v. 8. & alibi.

15 Ex v. 28. Quum omnia in mundo videmus turbari, ita ut nusquam tutus appareat consistendi locus: animos nostros colligere debemus ad Christum in cælum; certoque statuere, nos quum opportunum illi videbitur, eò ad ipsum aggregatum iri: *Turbulentus mūdi status.* (sicut aquilæ congregantur ad cadaver quantumvis longè positum & ab ipsorum conspectu remotum) ut nimirum illo in æternum fruamur, pasti ac satiati dulcissimo conspectu ipsius. Confer Joh. 17. 24. Item 1. Joh. 3. 2.

16 Ex v. 29. Quum adventus Christi horribilis sit futurus propter conjunctam mundi conflagrationem (quæ hîc à Domino significatur, expressè autem à Petro enarratur) officii nostri est, sanctitate vitæ nos ad illum adventum præparare, ut illæsi in conspectum Domini ac servatoris nostri prodeamus & in judicio ejus consistamus; sicut & Petrus monet. *Christiani hominis officium. Mundi incendium. 2. Pet. 3. v. 10. & deinceps.* Cæterùm piis non erit causa metuendi læsionem ex isto mundi incendio: quoniam

sub

sub illud tempus corpora ipsorum immutabuntur & incorruptibilia reddentur: sicut docet Paulus 1.Cor.15.51. & sequentib. ipsique rapientur in nubes, in occursum Domini, in aërem: & ita semper cum Domino erunt: ut testatur idem Apostolus 1.Thess. 4. vers.15. & sequentib. Itaque consolemur alii alios istis sermonibus: ut ibidem Apostolus monet. Huc etiam videtur facere exemplum prophetæ Eliæ: qui in curru igneo in cælum subvectus est.

17 Ex v.30. & 31. Sicut adventus Domini ad judicium horribilis erit impiis; illi enim ex aspectu illius plangent: ita jucundus erit piis: quippe qui per angelos collecti ad ipsum transferentur, ut scilicet unà cum ipso impios damnent, suo scilicet assensu & suffragatione; & postea in æternum cum eodem regnent. Fugiamus igitur impietatem, & contrà studeamus pietati, ut spem hanc alere possimus.

Naturalium rerum contemplatio. 18 Ex v.32. & 33. In ordine naturæ diligenter observandum est, quid faciat ad nostri institutionem: ut ex contemplatione rerum naturalium spiritualem fructum percipiamus.

Adventus Christi ad judicium. 19 Ex v.34. & 35. Sicut reipsa evenerũt quæ Christus prædixit de calamitatib. Judæorum & excidio urbis ac templi: (id quod abunde declarat ac testatur Josephus in libris de bel. Jud.) ita non est quòd dubitemus eventura quoque quæ prædixit de adventu suo ad judicium. Quare illum certò exspectemus, nosque ad eundem præparemus.

Mundi interitus. 20 Ex v.35. Quæstio hîc oritur de mundi interitu, qualis ille sit futurus: an redactio in nihilum, an verò tantùm immutatio ac renovatio? Sciendum igitur, mundum non planè interiturum, sed tantùm renovatum iri: id quod colligi potest ex verbis Psal.102.v.27. ubi de cælo & terra sic legimus: *Ista peritura sunt, tu autem* (ô Jehovah) *permanes: ista, inquam, omnia ut vestimentum veterascent; ut indumentum mutabis atq; mutabuntur.* Quare quod in scriptura legitur, Deum creaturum cælum novum ac terram novam, id non de creatione ex nihilo, sed de mundi renovatione intelligendum est.

Esa.65.v.17. & c.66.v.22. item 2.Pet.3. v.13. Apoc. 21.v.1.

Judicium ultimum. 21 Ex v.36. Quum diem ultimi judicii scire nemini datum sit: stultum est illum inquirere; adde, & impium: quia Deus hanc scientiam posuit in sua unius potestate, Act.1.v.7.

Securitas. 22 Ex v.37.38. & 39. Cavenda securitas carnalis: ne dies Domini nos incautos atque imparatos obruat.

Edere, bibere, Matrimonium contrahere. 23 Ex v.38. Oritur hîc quæstio: An non liceat edere & bibere, & matrimonium contrahere? Ratio dubitandi est: quòd Christus hoc loco videtur illa improbare: quum tamen scriptura passim illa approbet ac permittat. Resp. Illa per se esse licita, satis ex scriptura constat: Christus autem hoc loco ea improbat non per se, sed quatenus fiunt ex animo carnaliter securo: quippe perstringit securitatem hominum qui vixerunt sæculo Noachi, indulgentes genio omni ratione, ac interim irridentes denuntiationem diluvii certo tempore venturi, sicut Noachus ex mandato Dei illos monebat. Quare illa omnia agenda sunt in Domino, ut Paulus præcipit: atque interim illis rebus utendum ac si non uteremur, sicut idem monet 1.Cor.7.v.29. & seqq. *1.Cor.7.v.9.*

Judicium ultimum. 24 Ex v.40. & 41. Falluntur, si qui sibi pollicentur Deum omnibus fore misericordem, vel se in cumulo piorum subrepturos (**wie etwan ein böser pfenning mit vnderwischt**) ut interea securè delicientur. Etenim sub adventum judicii illius universalis fiet segregatio piorum ab impiis qui hîc inter se permixti vivunt & agunt: ita scilicet ut pii à Domino recipiantur, impii verò relinquantur. Confer infrà cap.25.v.32. & seq. Quare in hac vita, dum misericordiæ locus est, locum illi demus per seriam resipiscentiam.

Vigilantia. Studium pietatis. 25 Ex v.42. & sequentibus notanda sunt argumenta quibus moveri debemus ad vigilantiam & serium studium pietatis. Illa argumenta exposita & declarata sunt suprà in Analysi.

ANALYSIS CAP. XXV.

ARGUMENTUM.

Continuatur hîc exhortatio Domini ad vigilantiam superiore capite instituta: & ad illam adhibentur duæ parabolæ, una de decem virginibus nuptialibus, usque ad v.14. altera de talentis quæ herus peregrè abiens commisit suis servis ad negotiandum, usque ad v.31. Tum additur descriptio extremi judicii. Ita sunt tres hujus capitis partes.

PRIMA PARS.

Parabola de decem virginibus.

TUnc erit simile regnum cælorum decem virginibus, quæ sumtis lampadibus suis exierunt in occursum sponsi.
2 Quinque autem ex iis erant prudentes; & quinque fatuæ.
3 Quæ *erant* fatuæ, sumtis lampadibus suis non sumserant oleum secum.
4 Prudentes verò sumserant oleum in vasis suis unà cum suis lampadibus.
5 Morante autem sponso, nictarunt omnes, ac dormierunt.
6 Mediâ autem nocte clamor ortus est *dicentium*, Ecce, sponsus venit, exite in occursum ejus.
7 Tunc surrexerunt omnes illæ virgines, & adornarunt lampades suas.
8 Fatuæ verò prudentibus dixerunt, Date nobis ex oleo vestro: quia lampades nostræ exstinguuntur.
9 Responderunt autem prudentes illæ, dicentes, *Nequaquam*, ne non sufficiat nobis & vobis: ite verò potiùs ad eos qui vendunt, & ipsæ vobis emite.
10 Quum autem abirent emtum, vênit sponsus: & quæ paratæ erant, introierunt cum eo ad nuptias, clausaque est janua.
11 Postea verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes, Domine, domine, aperi nobis.
12 Ipse verò respondens ait, Amen dico vobis, non novi vos.
13 Vigilate itaque, quia non scitis diem illum, neque horam qua Filius hominis veniet.

PRimùm proponitur parabola, usque ad v.13. Deinde subjungitur illius scopus, v.13. Summa est: Sicut sponsus qui virgines illas ad nuptias invitârat, vênit mediâ nocte, videl. ex improviso: ita Christum quoque venturum ad judicium, ut electos ad se recipiat in regnum suum ad nuptias illas cælestes ac spirituales: hypocritas verò & omnes reprobos inde excludat: ac proinde nobis esse vigilandum, ut quum Dominus venerit, simus parati ad obviam illi eundum. Hinc deduci potest explicatio parabolæ specialis: ad hunc modum. Per decem virgines nuptiales significantur omnes vocati externè: per quinque prudentes virgines significantur vocati etiam internè, id est, præditi verâ fide & serio studio pietatis: per quinque fatuas virgines significantur hypocritæ, qui vocati sunt solùm externè, profitentes quidem fidem ac pietatem, sed illis vacui. Per lampades videntur intelligenda opera externa quæ in hominum oculos incurrunt & coram illis quasi splendent. Per oleum autem fides, unde opera accenduntur & aluntur. Per sponsum significatur Christus. Per nictationem & somnum virginum significatur vocatorum securitas. Per clamorem mediâ nocte factum significatur citatio hominum ad extremum judicium per tubam & vocem archangeli. Per adventum sponsi mediâ nocte significatur adventus Christi inopinatus. Per defectum olei significatur defectus fidei. Per exstinctionem lampadum detectio hypocriseos. Per intromissionem virginum prudentum in conclave sponsi, significatur receptio piorum in cælum. Per exclusionem virginum fatuarum, significatur impiorum è cælo exclusio. Atque hæc sunt duo argumenta ab effectis ducta, quibus Dominus nos ad vigilantiam exhortatur: videlicet ab effectu utili ac læto vigilantiæ, & ab effectu noxio ac tristi securitatis carnalis.

SECUNDA PARS.

Parabola de talentis.

14 Sicut enim quidam peregrè profecturus, vocavit servos suos, & tradidit eis bona sua.
15 Et alii quidem dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum: unicuique secundùm ipsius facultatem: & peregrè profectus est statim.
16 Profectus autem qui quinque talenta acceperat, negotiatus est ex iis: & fecit altera quinque talenta.
17 Itidem & qui duo *acceperat*, lucratus est & ipse altera duo.
18 Qui autem unum acceperat, abiens defôdit *illud* in terram, & abscondit pecuniam domini sui.
19 Post multum verò tempus venit dominus servorum illorum, & confert rationem cum eis.
20 Tunc accedens is qui quinque talenta acceperat, attulit altera quinque talenta; dicens, Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce altera quinque talenta lucratus sum ex eis.
21 Dixit autem ei dominus ejus, Bene *est*, serve bone & fidelis: in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam: ingredere in gaudium domini tui.
22 Accedens autem & qui duo talenta acceperat, ait, Domine, duo talenta tradidisti mihi: ecce, alia duo lucratus sum ex eis.
23 Ait ei dominus ejus, Bene *est*, serve bone & fidelis: in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam, ingredere in gaudium domini tui.

24 Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait, Domine, noveram te hominem durum esse, qui metas ubi non seminasti, & inde congreges ubi non sparsisti.

25 Itaque timens abii, & occultavi talentum tuum in terra: ecce, habes quod tuum est.

26 Respondens autem dominus ejus dixit ei, Serve male & ignave, sciebas me metere ubi non seminavi, & inde congregare ubi non sparsi?

27 Oportuit ergo te committere pecuniam meam mensariis: & veniens ego, recepissem meum cum fœnore.

28 Tollite ergo ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.

29 (Omni enim habenti dabitur, & augebitur: qui verò non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo)

30 Et inutilem illum servum ejicite in tenebras illas exteras: illic erit fletus & stridor dentium.

Hujus parabolæ scopus est idem cum scopo parabolæ præcedentis, videl. exhortari ad vigilantiam, ac in specie ad diligentiam in faciendis officiis vocationis, seu in utendis donis Dei quæ ille nobis largitus est ad certa officia administranda. Specialis explicatio est hæc. Per dominum servorum illorum intelligitur Christus: per servos, Christiani, & maximè qui in Ecclesia aliquod officium gerunt: per talenta, intelliguntur dona Dei spiritualia ad officiorum publicorum administrationem necessaria: vel potiùs ipsa officia cuique mandata: per inæqualem distributionem talentorum intelligitur inæqualis distributio donorum vel officiorum: per peregrinationem domini, mansio Christi in cælo usque ad diem judicii. Per negotiationem duorum servorum & lucrum quod negotiando fecerunt, intelligitur diligens administratio officiorum seu usus donorum Dei, & inde profecta ædificatio Ecclesiæ. Per servorum illorum laudationem & remunerationem intelligitur remuneratio illa gaudiorum cælestium. Per ignaviam & negligentiam servi tertii intelligitur ignavia & negligentia in administrandis officiis, seu utendis atque exercendis Dei donis. Per servi illius vituperium & ejectionem in tenebras, intelligitur ignominia impiorum & abjectio in gehennam ad æternos cruciatus. Atque ita hîc quoque duo exhortationis argumenta sunt, ab effectis ducta: videlicet à præmio quod reddetur diligentibus ac piis, & à pœna qua afficientur ignavi atque impii.

Tertia Pars.

Descriptio judicii extremi.

31 Quum autem venerit Filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo; tunc sedebit super thronum suum gloriosum.

32 Et congregabuntur coram eo omnes gentes: & separabit eos alteros ab alteris, ut pastor separat oves ab hœdis.

33 Et statuet, oves quidem ad dexteram suam: hœdos autem ad sinistram.

34 Tunc dicet rex iis qui ad dextram ipsius *erunt*, Venite, ô benedicti patris mei; possidete regnum paratum vobis à jactis fundamentis mundi.

35 Esurivi enim, & dedistis mihi *quo* vescerer: sitivi, & dedistis mihi potum: hospes eram, & collegistis me:

36 Nudus, & amicivistis me: ægrotavi, & invisistis me: in carcere eram, & venistis ad me.

37 Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & aluimus? aut sitientem, & dedimus tibi potum?

38 Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & amicivimus?

39 Aut quando te vidimus ægrotum, aut in carcere, & vénimus ad te?

40 Et respondens rex dicet eis, Amen dico vobis, Quatenus *id* fecistis uni ex istis fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41 Tunc dicet etiam iis qui ad sinistram, *erunt*, Abite à me, ô maledicti, in ignem illum æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.

42 Esurivi enim, & non dedistis mihi *quo* vescerer: sitivi, & non dedistis mihi potum:

43 Hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non amicivistis me: ægrotus & in carcere *eram*: & non invisistis me.

44 Tunc ipsi quoque respondebunt ei, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut ægrotum, aut in carcere; & non ministravimus tibi?

45 Tunc respondebit eis, dicens: Amen dico vobis, Quatenus *id* non fecistis uni ex istis minimis, nec mihi fecistis.

46 Et abibunt isti in supplicium æternum: justi verò in vitam æternam.

In hac futuri universalis judicii descriptione primò indicatur causa efficiens, nempe judex, v.31. Secundò subjectum occupans, sive personæ judicandæ, v.32. Tertiò forma sive processus, posteriore parte v.32. & deinceps. Quartò eventus sive exsequutio sententiæ latæ, v.ult. Judex indicatur primùm periphrasi, quatenus nominatur Filius ille hominis. Deinde describitur partim ab adjuncto adhærente, partim à subjecto recipiente. Adjunctum adhærens est gloria, quæ specialiter declaratur ex comitatu sanctorum angelorum. Subjectum recipiens, nempe tribunal, nominatur thronus gloriæ, hoc est, gloriosus: quo nomine intelliguntur nubes. Subjectum occupans, nempe personæ quæ judicio sistentur & in quibus judicandis Christus occupabitur, sunt omnes gentes, id est, omnes omninò homines quotquot unquam vixerunt & ad diem usque judicii victuri sunt, v.32. Forma judicii, sive processus, continet actiones judicis duas. quarum prima est præparatio reorum ad audiendum sententiam judicis. Illa est separatio piorum ab impiis, & utrorumque suo loco collocatio; quæ actio illustratur simili à pastore, parte posteriore v.32. Altera actio est in ipsa sententiæ pronuntiatio: eaque primùm in pios, à v.34. usque ad 41. deinde in impios, à v.41. usque ad 46. In utraque autem illa sententiæ pronuntiatione continentur membra quatuor. Nam ad pios quod attinet: primò sententiam in eos pronuntiat, v.34. deinde rationem sententiæ latæ exponit, v.35. & 36. tum subjungitur illorum ad istam rationem exceptio, ac petitio ut illa sibi declaretur, v.37. 38. & 39. postremò additur Christi ad illam exceptionem responsio, v.40. Similiter quod attinet ad impios: recitatur primò ipsa in illos sententiæ pronuntiatio, v.41. deinde ratio, v.42. & 43. tum exceptio, vers.44. Postremò ad exceptionem responsio, v.45. Eventus seu sententiæ latæ exsequutio narratur vers.ult.

SCHOLIA IN CAP. XXV.

1 Erit simile] ὁμοιωθήσεται. *Scil. quod attinet ad intromissionem vel exclusionem.*

3 Quæ *erant* fatuæ] αἵτινες μωραί. *Scil.* ἦσαν. *Pro,* αἱ μωραί.

9 *Nequaquam*, ne non sufficiat] μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ. *Pro,* οὐδαμῶς· βλεπτέον γὰρ, μήποτε *&c. Id est,* Nequaquam: Videndum est enim ne &c. *Ellipsis gemina: una sententia negativa cujus ratio exponitur, altera verbi unde pendet conjunctio* μὴ, *id est,* ἵνα μή.

12 Non novi vos] οὐκ οἶδα ὑμᾶς *Id est, Nolo vobis aperire: quia non novi vos, id est, non curo vos. Synecd membri: quâ unà cum antecedente enthymematis intelligitur consequens: & metonymia efficientis, quâ ex notitia hominis intelligitur cura illius.*

14 Sicut enim quidam &c.] ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπος *&c. Oratio* ἀνανταπόδοτος. *Deest enim similitudinis apodosis, nempe,* Ita aget filius hominis. Peregrè profecturus] ἀποδημῶν. *Pro,* ἀποδημήσων. *Enallage temporis.*

16 Fecit] ἐποίησεν. *Id est, lucratus est: ut dicitur vers. sequente.*

18 Pecuniam] τὸ ἀργύριον. *Ad verb. Argentum. Metonymia materiæ. Sic infrà v.27.*

21 In gaudium] εἰς τὴν χαράν. *Id est, in conclave gaudio destinatum, puta hilari convivio. Metonymia finis, vel adjuncti.*

27 Mensariis] τοῖς τραπεζίταις. *Sive numulariis.* τοῖς κολλυβισταῖς: *ut appellantur suprà 21.12.*

29 Etiam quod habet] καὶ ὃ ἔχει. *Id est, quod videtur habere: ut declaratur Luc.8.18.*

31 Filius hominis] ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Id est, ego ipse. Hac appellatione submonet Apostolos, non esse quòd offendantur servili ipsius conditione.* Super thronum gloriosum] ἐπὶ θρόνου δόξης. *Ad verb.* Super thronum gloriæ, *per Hebraismum ut supr.19.28. Intelligit autem nubes, suprà 24.30.*

33 Oves] τὰ πρόβατα. *Id est, pios. Metaphora. Sic mox,* hœdos, *id est, impios.*

34 Benedicti patris mei] οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου. *Id est, Benedicti à patre meo. Genitivus notat causam efficientem. Benedicti autem, id est, affecti beneficiis spiritualibus, necessariis ad consequendum vitam æternam: cujusmodi sunt, electio, donatio mediatoris, remissio peccatorum, vocatio efficax seu donatio fidei & studii pietatis: quæ beneficia commemoraturus Apostolus Eph.1. sic præfatur,* Benedictus sit Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in cælis in Christo. Possidete] κληρονομήσατε. *Propriè,* hæreditario jure possidete. A jactis fundamentis mundi] ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. *Ad verbum,* A dejectione mundi. *à dejectione, scil. fundamentorum:*

id est,

id est, à fundatione: ab eo tempore quo fundatus est mundus. Mundus autem fundatus est die primo, quatenus creatum tunc est cælum summū, quod destinatum est sedi beatorum, & terra cum aqua. Itaq; eodem die regnum cælorum paratum est electis.

35 Dedistis mihi *quo vescerer*] ἐδώκατέ μοι φαγεῖν. *Ad verb.* Dedistis mihi edere: *Metonymia adjuncti.*

40 Ex istis fratribus meis] τούτων τῶν ἀδελφῶν μου. *Intelligit pios pauperes & afflictos, qui ope eguerunt.*

46 In supplicium] εἰς κόλασιν. *Id est, in gehennam, locum supplicii. Metonymia adjuncti. Sic mox,* In vitam æternam: *id est, in cælum, locum destinatum vitæ æternæ.*

OBSERVAT. EX CAP. XXV.

Adventus Christi ad judicium. 1 Parabola de virginibus. Quid ex hac parabola discendum sit, Dominus ipse indicat ad finem illius, nempe vigilandum, hoc est, cum pia solicitudine expectandum esse ipsius adventum ad judicium: ne ipso adveniente simus imparati, ac proinde à nuptiis illis cælestibus excludamur: quia nec diem nec horam scimus qua venturus est.

Christiani hominis officium. 2 Ex v.1. Quum Christus sit sponsus ecclesiæ: officium nostrum est, audire vocem illius, eique subjici, Eph.5. & desiderare diem nuptiarum, hoc est, adventum illius.

Ecclesia visibilis. 3 Ex v.2. Cœtus vocatorum externè, continet partim veros Christianos, partim hypocritas: quorum illi per virgines illas prudentes, hi verò per fatuos significantur.

Hypocrita. 4 Ex v.3. Hypocritæ accendunt quidem lampades, quatenus ostendunt splendorem sanctitatis in actionibus externis: at intus carent oleo fidei, sine qua splendor ille externus nihil eos coram Deo juvat.

Veri Christiani. 5 Ex v.4. Veri Christiani sanctam vitam oleo fidei nutriunt.

Securitas. 6 Ex v.5. Securitatis carnalis somnus interdum veris quoque Christianis ad tempus obrepit. Quò magis à securitate illa cavendum, Deusque orandus ut nos per Spiritum sanctum in pia solicitudine ac vigilantia retineat.

Adventus Christi ad judicium. 7 Ex v.6. Christus ad judicium veniet ex improviso.

Hypocrisis. 8 Ex v.7. Sine oleo fidei lampades tandem exstinguuntur, hoc est, hypocrisis detegitur, & splendor ille sanctitatis inanis evanescit.

Justificatio. 9 Ex v.9. Nemo justificatur fide alienâ: sed ad justificationem suâ cuique fide opus est.

Judicium ultimum. 10 Ex v.10. Veri Christiani in die judicii à Christo sponso suo intromittentur in cælum, ad celebrandum nuptias illas cælestes æternorum gaudiorum. De quibus nuptiis dicitur Apoc.19.9. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Et paulò antè v.7. ipsi nuptiales introducuntur sic loquentes: *Gaudeamus & exsultemus, & demus gloriam ei* (videl. Domino Deo illi nostro omnipotenti, ex versu præcedente) *quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus paravit se.*

Hypocrita. 11 Ex v.11. & 12. Posteaquam veri Christiani semel à falsis & hypocritis fuerint separati & in cælum recepti: tum isti perpetuò exclusi manebunt. neq; enim post hanc vitam erit misericordiæ aut resipiscentiæ locus. Quare in hac vita dum est tempus misericordiæ & gratiæ, & hodie dum vox gratiæ auribus intonat, singuli resipiscant, & ad diem judicii sese præparent.

Officia vocationis. 12 Ex parabola de talentis. Singuli Christiani, & maximè ministri ecclesiæ, officia suæ vocationis sedulò ac fideliter administrent, donis spiritualibus quæ à Christo acceperunt diligenter utentes ad ædificationem ecclesiæ. nam qui hoc fecerint, accipient in Christi adventu diligentiæ suæ præmium: ignavi verò & inutiles ab eodem punientur.

Dona Dei. 13 Ex v.15. Quoniam Christo placuit tum officia vocationis specialis, tum dona sua, inæqualiter inter nos distribuere, ita ut aliis plura aut majora, aliis pauciora aut minora dederit: nostrum est istam distributionem ut justè & sapienter factam approbare: ita ut nec alii alios contemnant, nec alii aliis invideant: sed singuli officia sibi mandata diligenter administrent, ac sua dona in commune emolumentum conferant & exerceant. Confer Rom.12.v.3.& deinceps. item 1.Cor.12.v.4.& deinceps.

Judicium ultimum. 14 Ex descriptione extremi judicii. Quum Dominus noster Jesus Christus certo sit venturus ad judicium universale totius generis humani, & singulis redditurus secundùm opera ipsorum: impiis quidem pœnas æternas, piis verò vitam æternam: officium singulorum est, ut sese per opera bona ex vera fide profecta ad diem illum judicii præparent, ut coram tribunali Christi possint consistere, & ut ab illo in vitam æternam recipiantur: & contrà ut opera mala omni studio fugiant ac vitent, ne ad æternos cruciatus à Christo damnentur. Deinde spes atque exspectatio illius judicii facit quoque ad consolationem piorum, quando ab impiis affliguntur: de quo doctrinæ hujus usu vide Apostolum 2.Thess.1.v.4. & seqq. De priore verò vide 2.Pet.3.v.11. & seqq. Act.17.v.30.& 31.& cap.24.v.25.

Vita æterna. 15 Ex v.34. Vita æterna piis datur non pro ipsorum meritis, sed ex gratia Dei: ad quod confirmandum tria argumenta ex verbis Christi hîc occurrunt. Unum, quòd dum eis vita æterna à Christo adjudicatur, appellantur *Benedicti Dei Patris*, οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός: id est, illi quibus Deus præ cæteris ex singulari gratia benefecit & in æternum benefacere constituit: benedicens scil. eis omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo: eligendo eos in ipso antequam jacerentur fundamenta mundi, &c. Eph.1.v.3. & deinceps. Alterum argumentum est, quòd Christus jubet eos regnum illud cæleste κληρονομεῖν, *tanquam hæreditatem accipere*. Hæreditas autem accipitur non pro meritis, sed jure filiorum: quippe quum hæreditatem accipiant etiam infantes, qui de parentibus bene mereri non potuerunt. Sic Paulus Rom.8.v.17. *Si sumus filii, sumus etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Et sic passim in scripturis vita æterna nominatur hæreditas: ut Gal.3.v.18. *Si ex Lege est hæreditas, non jam ex promissione.* Eph.1.v.14. *Qui* (Spiritus S.) *est arrhabo hæreditatis nostræ.* Et paulo-pòst v.18. *Ut sciatis, quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quàm gloriosæ opes hæreditatis ipsius in sanctis.* Et rursum cap.5.v.5. *Nostis, nullum scortatorem aut impurum, &c. habere hæreditatem in regno Christi & Dei.* Item Col.3.v.24. ait, servos Christianos qui fideliter suis dominis servierint, *accepturos à Domino Christo retributionem seu mercedem hæreditatis*, τὴν ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας: ubi vitam æternam simul hæreditatem nominat, idque propriè loquendo, & insuper mercedem, sed impropriè, alludens ad conditionem servorum quibus solet dari merces. Sic Heb.1.v.ult. electi significantur hac periphrasi, οἱ μέλλοντες κληρονομεῖν σωτηρίαν: *qui hæredes erunt salutis*, vel, *qui salutem tanquam hæreditatem accepturi sunt.* Et cap.9.v.15. vocati dicuntur *accepturi promissionem hæreditatis illius æternæ*, id est, hæreditatem illam æternam ipsis à Deo promissam. Item 1.Pet.1.v.4. dicitur nos Deus *regenuisse in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminabilem, & immarcessibilem, servatam nobis in cælis.* Et cap.3.v.9. dicimur vocati esse, ἵνα εὐλογίαν κληρονομήσωμεν, *ut benedictionem tanquam hæreditatem accipiamus*, seu, *hæreditario jure possideamus.* Atque hæc de secundo argumento. Tertium est, quòd Christus regnum illud cæleste ait *paratum esse, iis quos in illud recepturus est, à jactis fundamentis mundi.* Quid autem illi tum poterant mereri, quum nondum essent nati? Confer Rom.9.v.11. Eph.1.v.4. Apoc.13.v.8. & cap.17.v.8. ubi nomina electorum dicuntur scripta in libro vitæ jam inde à jactis fundamentis mundi.

16 Ex v.35. ex verbis, *Esurivi enim, &c.* Vindicandus est hic locus à consequente falso quod inde nectit Bellarminus, videlicet, Opera justorum meritoria esse vitæ æternæ: quia scilicet hic locus testetur vitam æternam ita reddi operibus bonis, ut ipsam rationem cur detur vita æterna, in operibus ponat: quippe quum particula ENIM sit causalis. Resp. Particula ENIM non ideo nominatur causalis, quòd semper notet causam: sed quòd notet rationem aliquam & argumentum, sive illud sumtum sit à causa, sive ab effectu, sive ex alio genere. Et sic particula ὅτι, id est, *Quia*, non causam sed effectum notat in verbis Christi quæ ad Simonem Pharisæum pronuntiavit de muliere illa peccatrice, nempe: *Remissa sunt peccata ejus multa: quia dilexit multum*, ὅτι ἠγάπησε πολύ. Statim enim subjungit; *Cui autem paululum remittitur, paululum diligit*, Luc.7.v.47. Et idem ex parabola illic à Domino proposita liquet, de duobus debitoribus: quorum unus plus, alter minus debebat, & utrique debitum condonatum fuit. de quibus quærit, uter donatorem plus sit dilecturus? Ubi manifestum est, condonationem debiti statui causam procreantem dilectionis. Deinde esto, notari hîc causam. Inde tamen * non sequitur, notari meritum seu causam meritoriam. Etenim causæ nomen latiùs patet, quàm ad meritum. Et sanè bona opera respectu vitæ æternæ habent rationem causæ efficientis non ut merita (quippe quum contrarium pateat ex verbis proximè præcedentibus) sed ut via seu ambulatio qua ad vitam æternam pervenitur ex ordinatione Dei. Simili res hæc declarari potest. Ut si cui donetur thesaurus in cacumine montis reconditus, sed hac lege ut si potiri eo velit, montem conscendat, illumque effodiat. Hîc certè conscensus montis, & effossio thesauri, rationem habent causæ efficientis respectu possessionis ac fruitionis thesauri; at non habent rationem meriti: quippe quum thesaurus illi fuerit donatus. At particulâ ENIM in illis Domini verbis notari causam meritoriam, Bellarminus colligi vult ex collatione cum verbis quæ Dominus dixit paulo-post ad impios, nempe, *Abite maledicti, &c. Esurivi enim, & non dedistis mihi quod ederem, &c.* Videtur enim esse par ratio: quum eodem modo Dominus loquatur de bonorum præmiis & impiorum suppliciis. Resp. Ad paritatem rationis satis est, quòd sicut per opera bona pervenitur ad vitam æternam, sic per opera mala pervenitur ad æternam mortem. At interim dissimilitudo est in hoc, quòd bona opera tantùm habent rationem viæ, non etiam meriti: at mala opera, & viæ & meriti rationem habent.

" Bellarmini sophisma pro meritis bonorum operum. Tom.3. Disp. pag. 1245. 1249.

* Sic in verbis Dei ad Abrahamū Genes.22. *Quia fecisti rem hanc, multiplicabo semen tuum &c.* notatur quidē causa, at non meritum: quoniam Deus hanc multiplicationem seminis jam antea promiserat Abrahamo gratis, c.15.

17 Ex v.40. Quum Christus beneficia in egenos Christianos collata eo loco habeat ac si in ipsum collata essent, ac proinde illa sit æternis præmiis remuneraturus: meritò hinc ad beneficentiam erga egenos Christianos excitari debemus. *Beneficentia.*

18 Ex v.45. Si Christus puniturus est eos qui beneficentiam atque misericordiam erga egenos Christianos omiserint: quantò graviùs puniet eos qui insuper eos crudeliter fuerint persecuti? Sicut paulo dicebat: *Saul, Saul, quid me persequeris?* Hoc facit ad consolationem piorum. Vide 2.Thess.1.v.4.& seqq. *Persecutio piorum.*

ANALYSIS CAP. XXVI.

ARGUMENTUM HUJUS CApitis & sequentis.

Hactenus narrata sunt ea quæ pertinent ad administrationem muneris prophetici Christi, quæq; præbuerunt occasionem administrationi muneris sacerdotalis: quatenus nimirum Scribæ & Pharisæi tum doctrinâ cum miraculis Christi, tum maximè reprehensione suæ hypocriseos irritati fuerunt ad consilium capiendum de illo ad mortem rapiendo. Deinceps sequitur narratio administrationis muneris sacerdotalis, nempe historia passionis & mortis Christi. Cæterùm in historia passionis narrantur primùm ea quæ passionem proximè antecesserunt & viam illi straverunt, usq; ad v.36. hujus capitis: deinde passiones ipsæ, multæ, graves ac variæ, inde usq; ad v.51. capitis sequentis. Tum quæ passionem proximè consecutæ sunt, inde usq; ad illius capitis finem. Quæ passionem proximè antecesserunt & præparatio ad illam fuerunt, narrantur numero sex:

1. *Prædictio illius per Jesum, v.1. & 2.*
2. *Consultatio procerû de ipso ad supplicium rapiendo, v.3.4.5.*
3. *Pactio Judæ Iscariotis cum proceribus de ipso prodendo, à v.6. usq; ad v.17.*
4. *Indicatio proditoris per Jesum apud discipulos, à vers.17. usque ad 26.*
5. *Doctrina Domini de passionis suæ fructu, à v.26. usq; ad 30.*
6. *Prædictio comprehensionis sui, fugæ discipulorum, & abnegationis Petri, à v.30. usq; ad v.36.*

Atq; hæc de iis quæ passionem antecesserunt: ubi nimirum continentur tum causa agentes principales, videlicet proceres Judæorum: tum causa adjuvans & ministra, nempe proditor Judas: tum causæ permittentes, nec impedientes, videlicet Apostoli. Inprimis verò insinuatur causa prima causas illas secundas gubernans, videlicet Deus: quippe per cujus gubernationem factum esse significatur, ut Christus occideretur in festo, contra consilium procerum. Item illum comprehensionis Christi principalem authorem fuisse, significatur ab ipso Christo verbis illis prophetæ Zachariæ, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. *Jam ad passiones ipsas quod attinet, eæ distribui primâ distributione quàm commodissimè possunt secundùm loca ubi acciderunt: videlicet primùm in horto, à v.36. usq; ad v.57. Deinde in domo Cajaphæ, à v.57. usq; ad capitis finem. Tum coram præside Pilato, partim ante prætorium, partim in prætorio, à principio capitis 27. usq; ad v.32. Postea in ipsa via ad supplicium, v.32. Postremò in loco supplicii, à vers.33. usq; ad vers.51. Quid autem in singulis istis locis sit passus Dominus, dicetur commodiùs in explicatione speciali. Cæterùm hoc caput distingui potest in partes octo, quæ sunt:*

1. *Prædictio passionis instantis, v.1. & 2.*
2. *Consultatio procerum de Jesu ad supplicium rapiendo, versu 3.4.5.*
3. *Pactio Judæ cum proceribus de Jesu prodendo, à vers.6. usque ad 17.*
4. *Indicatio proditoris apud discipulos, à v.17. usq; ad 26.*
5. *Doctrina de passionis fructu, à v.26. usq; ad 30.*
6. *Prædictio comprehensionis sui, fugæ discipulorum, & abnegationis Petri, à v.30. usq; ad 36.*
7. *Passiones in horto, à v.36. usq; ad v.57.*
8. *Passiones in domo Cajaphæ Pontificis, à vers.57. usque ad finem capitis.*

PRIMA PARS.

Prædictio passionis instantis.

ET factum est quum finiisset Jesus omnes istos sermones, dixit discipulis suis;

2 Scitis post biduum Pascha fore: tunc filius hominis tradetur ut crucifigatur.

Versu primo continetur transitio à narratione muneris prophetici ad narrationem muneris sacerdotalis seu passionis Domini: versu secundo continetur illius narrationis prima pars, videlicet passionis instantis prædictio per Jesum facta ad discipulos: unde colligitur, ipsum scientem prudentem subiisse illam. Indicatur autem futuræ passionis tempus bifariam, ex intervallo scilicet & adjuncta solennitate. Intervallum indicat his verbis, *Post duos dies.* Solennitatem indicat nomine *pascha*: quod erat festum Judæorum, in quo solenni esu agni assati & panum azymorum in memoriam revocabant redemtionem sui sive patrum suorum ex Ægypto, Deoque pro illa gratias agebant: simulque confirmabantur in fide ac spe redemtionis futuræ per oblationem agni Dei qui est Christus. Indicatur etiam passionis genus, videlicet supplicium capitis per crucifixionem.

SECUNDA PARS.

Consultatio procerum de Jesu ad supplicium rapiendo.

3 Tunc congregati sunt primarii sacerdotes & scribæ & seniores populi in aulam pontificis maximi, qui dicebatur Cajaphas:

4 Et simul consultarunt ut Jesum dolo prehenderent, & trucidarent.

5 Dicebant autem: Ne in festo, ut ne tumultus fiat in populo.

Primò indicatur consultationis tempus: quod significatur per adverbium TUNC. Scilicet illo ipso tempore quo Jesus prædicebat discipulis fore ut post biduum, ipso scilicet die festo paschæ, supplicio afficeretur. Quæ circumstantia ideo notatur, ut appareat rem hanc gubernatam esse singulari providentia Dei: quippe quum Judæi studuerint circumstantiam illam evitare, ut percipitur ex v.5. Secundò indicantur personæ consultantes: videlicet principes sacerdotum & scribæ & seniores populi. Tertiò locus ubi consultarunt, videlicet in aula pontificis maximi qui dicebatur Cajaphas. Quartò consultationis summa: videlicet ut Jesum dolo prehenderent & trucidarent. Quod consilium amplificatur ab adjuncta cautione singulari: nempe ut istud non fieret in festo. Cui cautioni adjicitur sua ratio à fine sumta: videlicet ne tumultus oriretur in populo. Populus enim habebat Jesum pro propheta: itaque verebantur, illum non passurum ut is ad supplicium raperetur: præsertim quòd fretus foret suâ multitudine. nam in festis ex omnibus oppidis Hierosolymam congregabantur.

TERTIA PARS.

Pactio Judæ cum proceribus de Jesu prodendo.

6 Quum autem Jesus esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi,

7 Venerat ad eum mulier, habens alabastrum unguenti gravis pretii, & effuderat super caput ipsius accumbentis.

8 Videntes autem *hoc* discipuli ejus, indignati sunt, dicentes, Quorsum perditio hæc?

9 Potuit enim istud unguentum vendi magno, & dari pauperibus.

10 Quum autem *hoc* cognovisset Jesus, ait eis, Quid molestiam exhibetis mulieri? Opus enim bonum operata est erga me.

11 Semper enim pauperes habebitis vobiscum: me verò non semper habebitis.

12 Quòd enim hæc unguentum hoc injecit corpori meo, ad funerandum me fecit.

13 Amen dico vobis, Ubicunque prædicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, etiam quod hæc fecit, dicetur ad memoriam ipsius.

14 Tunc profectus unus ex duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad primarios sacerdotes:

15 Ait eis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Ipsi verò appenderunt ei triginta argenteos numos.

16 Et ex eo tempore quærebat opportunitatem ut eum proderet.

Primùm narrantur pactionis causæ impulsivæ procatarcticæ, quæ Judam impulerunt ad proditionem paciscendam, usque ad vers.14. Deinde pactio ipsa, v.14.15. Tum postremò effectus illius, v.16. Causæ procatarcticæ pactionis indicantur duæ: effusio unguenti pretiosi, & ex consequenti interceptio lucri, quod inde facturus erat Judas, si unguentum illud integrum & salvum donatum fuisset domino: unde jam percipitur causa impulsiva antecedens, ἡ φιλαργυρία, videlicet avaritia Judæ: quam causam exprimit Johannes cap.12.v.6. ubi dicit, Judam de effusione unguenti fuisse indignatum: quia fur erat, & marsupium habebat, & ea quæ indebantur, portabat. Altera causa procatarctica fuit objurgatio Jesu propter reprehensam, à Juda inprimis, tum etiam cæteris discipulis, mulierem: unde percipitur altera causa antecedens, videlicet cupiditas vindinctæ: nam ægrè tulit Judas factum mulieris à Domino approbari, & contrà improbari suam illius facti reprehensionem. Cæterùm prior illa causa procatarctica, ipsa scilicet unguenti effusio, describitur primùm à loco ubi accidit, videlicet Bethaniæ in domo Simonis leprosi: deinde à subjecto vasculo in quo unguentum illud erat: videlicet in alabastro: tum ab adjuncto pretio, quòd fuerit βαρύτιμον, gravis pretii: præterea à subjecto occupante in quod effusio facta est, videl. super caput Jesu accumbentis: postremò ab effectis. Effecta autem illa fuerunt partim in discipulis, & maximè in Juda, ut percipitur ex Joh.12.v.4. partim in Domino. In discipulis fuit indignatio & reprehensio seu criminatio mulieris, nomine luxus & neglectionis pauperum, v.8. & 9. In domino fuit defensio mulieris, conjuncta cum reprehensione discipulorum. Reprehensio continetur his verbis: *Quid molestiam exhibetis mulieri?* Defensionis propositio illis: *Opus enim bonum operata est erga me.* Argumentum defensionis sumitur à fine seu scopo agentis, v.12. nempe quòd fecerit ad ipsum funerandum.

randum. Quod tamen videtur referendum ad arcanum inſtinctum Spiritus ſancti. nam ipſa videtur ſimpliciter id feciſſe animo Dominum honorandi, nihil interim cogitans de ipſius morte ac funeratione. Hoc argumentum amplificatur v.11. ab adjuncta neceſſitate per prolepſin. Nam poterant excipere: Si voluit te ungere ad funerandum, debuit exſpectare donec eſſes mortuus. Hanc conſequentiam Dominus negat, quatenus oſtendit neceſſitatem ungendi tempore præſenti: quia ſcil. brevi futurum ſit, ut ipſe eis eripiatur, ita ut non poſſint quicquam officii in ipſum coferre. Et ſanè mortui cadaver futurum erat in poteſtate hoſtium. Et quanquam illius funerandi atque ſepeliendi ſeu in monumento recondendi poteſtas à Pilato data fuit Joſepho Arimathæenſi; qui etiam unà cum Nicodemo ad illum funerandum ſeſe comparavit, teſte Johanne cap.19.v.39. & 40. tamen illo tempore commodum non erat ut id officii genus ei præſtarent vel ipſi vel alii; quia jam erat veſpera, & poſt ſolis occaſum neceſſe erat ab omni ejuſmodi opere conquieſcere ſecundùm Legem, propter paraſceven Judæorum: ut colligitur ex verbis Joh.c.12. v.ult. Unde etiam mulieres poſt exactum demum diem paſchæ ad monumentum venerunt ut ungerent Jeſum, Marc.16.v.1. Cæterùm Dominus ſimul refutat argumentum reprehenſionis diſcipulorum quo mulierem reprehenderunt, quaſi nullam curam gereret pauperum. Ait igitur, *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum.* Quaſi dicat, Pauperibus poteritis benefacere aliâs, quandocunquè volueritis: ſicut exprimitur apud Marcum, cap.14.v.17. *Me verò non ſemper habebitis.* quaſi dicat: Ergo benefacite mihi dum licet, & dum vobiſcum ſum: ac proinde permittite quoquo ut hæc mulier mihi jam benefaciat: quia paulo-pòſt non ampliùs id poterit. Ad extremum amplificat bonitatem illius operis à judicio atque teſtimonio poſteritatis, v.13. Atque hæc de pactionis cauſis. Pactio ipſa deſcribitur ex modo agendi & ipſa forma ſive ſumma. Modus agendi ſignificatur fuiſſe ſpontaneus: id quod ſignificatur per actiones duas: unam, quòd principes ſacerdotum ſponte adiit Judas: alteram, quòd operam proditionis obtulit pro certa mercede. Forma ſeu ſumma pactionis fuit, quòd appenderunt ei triginta argenteos nummos. Atque hæc de pactione. Effectus pactionis indicatur v.16. nempe ſtudium & conatus prodendi.

Quarta Pars.

Indicatio proditoris apud diſcipulos.

17 Primo autem *die* Azymorum venerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes ei, Ubi vis paremus tibi ad edendum Paſcha?

18 Ipſe verò dixit: Abite in urbem ad quendam, & dicite ei: Præceptor dicit, Tempus meum propè eſt, apud te faciam Paſcha cum diſcipulis meis.

19 Et fecerunt diſcipuli ſicut præceperat eis Jeſus: & paraverunt Paſcha.

20 Veſperâ autem factâ, diſcubuit cum duodecim.

21 Et edentibus ipſis, dixit, Amen dico vobis, Unus ex vobis me prodet.

22 Tunc contriſtati vehementer, cœperunt dicere ſinguli eorum ei, Num ego is ſum, domine?

23 Ipſe verò reſpondens ait, Qui intingit mecum manum in catino, is me prodet.

24 Filius quidem hominis abit ſicut ſcriptum eſt de eo: væ autem homini illi per quem Filius hominis proditur: bonum erat homini illi, ſi natus non fuiſſet.

25 Reſpondens autem Judas qui prodebat eum, dixit, Num ego *is* ſum, rabbi? Dicit ei, Tu dixiſti.

Indicatio proditoris apud diſcipulos, declaratur è ſubjecto loco, ex adjuncto tempore, & ex forma ſeu modo agendi. Locus indicatur v.17. & 18. videlicet domus quædam in urbe Hieroſolyma: & quidem (ut cæteri Evangeliſtæ declarant) cænaculum magnum ac ſtratum. Tempus indicatur, v.17.20. & 21. videlicet initium noctis primi diei azymorum inter cænandum: quum ederent agnum paſchalem. Cæterùm in duarum iſtarum circumſtantiarum narratione ſimul deſcribitur apparatus agni è cauſis agentibus & actionibus illarum. Cauſæ illæ duorum ſunt generum; una principalis & imperans, videlicet Jeſus: reliquæ inſtrumentales & miniſtrantes, nempe diſcipuli: qui teſte Lucâ, fuerunt Petrus & Johannes. Actio cauſæ principalis fuit mandatum de agno apparando, v.18. Mandato illo imperantur diſcipulis duæ actiones: abitus in urbem ad quendam: quem Marcus & Lucas deſcribunt ab adjuncto ſigno, videlicet homine diſcipulis occurſuro cum urceo aquæ & domum illius ingreſſuro. Altera actio diſcipulis à Domino imperata, eſt: ut ab illo patrefam. petant verbis Domini diverſorium ad celebrandum paſcha. Actiones cauſarum inſtrumentalium, nempe diſcipulorum illorum, narrantur numero quinque, veruntamen non ſingulæ expreſsè, ſed nonnullæ implicitè. Prima: Quæſtio Domino propoſita, ubi velit parari ſibi paſcha, verſ.17. Secunda: Abitus ad illum ad quem juſſi fuerant ire. Tertia: Peti-

Cap.22.v.8.

tio diverſorii apud eundem. Hæ duæ actiones ſignificantur in principio verſ.19. his verbis, *Et fecerunt diſcipuli ſicut præceperat eis Jeſus.* Quarta actio fuit mactatio agni: quinta, ejuſdem aſſatio. Hæ duæ actiones ſignificantur in verſ.19. fine, his verbis: *Et paraverunt paſcha.* Atque hæc de circumſtantia loci & temporis. Jam quod attinet ad modum agendi: Dominus proditorem diſcipulis indicavit primùm generaliter, deinde ſpecialiter. Ac generaliter quidem bis. Primùm quum dixit, *Amen dico vobis, Unus veſtrûm me prodet.* Quod quidem dixit cum aſſeveratione, ut hîc apparet: & pæterea cum perturbatione ſpiritus, teſte Johanne cap.13.v.21. Deinde quum dixit, *Qui intingit mecum manum in catino, iſte me proditurus eſt*, verſ.23. Etſi autem primâ fronte videri poſſit, quòd his verbis voluerit à certo ſigno deſcribere certam perſonam: idque partim ex collatione verſus præcedentis, ubi habetur interrogatio de certa perſona: partim ex modo loquendi, quum dicit, ὁ ἐμβάψας μετ᾽ ἐμοῦ, is qui intinxit vel intinxerit mecum: tamen partim ex re ipſa, partim ex iis quæ ſequuntur, partim etiam ex collatione Marci, judicari atque intelligi poteſt, verba iſta habere ſenſum generalem, nec certam perſonam in ſpecie illis denotari. Etenim ad rem ipſam quod attinet: reliqui Apoſtoli æquè cum Jeſu manum in catinum intingebant, ac Judas Iſcariotes: itaque illa intinctio non poterat eſſe certum proditoris ſignum unde ille agnoſceretur. Et in verbis proximè ſequentibus atque cohærentibus Dominus adhuc loquitur generaliter, denuntians proditori exitium: quum ait, *Væ homini illi &c.* Item poſt illa verba narratur demum de Juda proditore, quòd Jeſum interrogarit an ipſe ſit. cui interrogationi non fuiſſet locus, ſi jam antea certo atque evidente ſigno fuiſſet manifeſtatus. Ad Marcum verò quod attinet, is ſententiam hanc enuntiat generaliter, ſic: *Unus ex duodecim, qui intingit mecum in catinum.* Johannes verò narrat, ſpeciale ſignum unde proditor agnoſceretur, ſibi datum eſſe hoc, quòd offulam intinctam Jeſus dedit Judæ Iſcariotæ, Joh.13.v.26. Ex iſtis igitur rationibus apparet, indicationem illam poſteriorem adhuc fuiſſe generalem. Porrò prior indicatio declaratur ex effectu, v.22. nempe triſtitiâ diſcipulorum vehemente (excepto tamen Judâ qui jam tum proditionem moliebatur) ſive quòd dolerent ſe Domino eſſe ſuſpectos, quum tamen ſibi bene eſſent conſcii: ſive quòd metuerent ne Deus ipſos euſque tentari ſineret ut tantum ſcelus admitterent. Hic autem effectus ampliùs declaratur è ſuo effectu, videlicet interrogatione qua ſinguli à Domino petiverunt indicationem proditoris ſpecialem. Veruntamen Dominus non ſtatim illorum petitioni ſatisfecit: ſed priùs repetiit indicationem generalem, ſed cum amplificatione ſive exaggeratione indignitatis ſceleris iſtius. Quæ amplificatio ſumta eſt partim à cauſa corrumpente, quæ ſcil. proditionem poterat aut certè debebat impedire, nempe familiaritas intima, quam ſignificat quum ait, *Qui intingit mecum &c.* pro quo Marcus habet, *Qui edit mecum*, ſicut & Joh.13.18. Partim verò ab effectu triſti, videl. æterno exitio proditoris: quod Dominus illi denuntiat, verſ.24. Quæ denuntiatio per antitheſin amplificatur conſolatione; qua Dominus contra iſtam perfidiam ſe conſolatur à decreto Dei declarato per ſcripturam: ſicut expreſſiùs narrat Johan.c.13.v.18. Atque hæc de indicatione proditoris generali. Specialis indicatio ad ipſum Judam pronuntiata, narratur v.25. Nam verba illa, Tu dixisti, ſunt confitentis & affirmantis id de quo quis fuit rogatus: ut liquet ex reſponſione Domini ad Pontificem Maximum, infr.v.64. ubi habetur, *Tu dixiſti:* pro quibus verbis Marcus refert illa, *Ego ſum*, Marc.14.v.62.

Quinta Pars.

Doctrina de paſſionis fructu.

26 Edentibus autem eis, accepit Jeſus panem: & quum benedixiſſet, fregit, deditque diſcipulis, & ait, Accipite, comedite: hoc eſt corpus meum.

27 Et accepto poculo, ac gratiis actis; dedit eis, dicens, Bibite ex eo omnes.

28 Hoc enim eſt ſanguis meus, *ſanguis* ille novi fœderis, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.

29 Dico autem vobis, Nequaquam bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, uſque ad diem illum quum ipſum bibam vobiſcum novum in regno patris mei.

Antequam doctrinam hîc propoſitam conſideremus, conſiderabimus illius proponendæ cauſas. Igitur cauſæ quæ Dominum ad hanc doctrinam diſcipulis proponendam commoviſſe videntur, conſiderari poſſunt tres: videl procatarctica, antecedens, & finalis. Procatarctica ſive occaſio fuit circumſtantia temporis: quoniam ſciebat veniſſe horam ſuam ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, Joh.13.v.1. unde futurum erat ut pòſthac non ampliùs cum diſcipulis paſcha celebraret, aut vinum cum eis biberet, ut ſignificatur hîc v.29. & expreſſiùs apud Luc.c.22. v.15. & 16. Volebat autem de fructu ſuæ paſſionis illos docere per ſymbola panis & vini: ut paulò-pòſt audiemus. Hæc occaſio

notatur istis verbis, *Edentibus autem ipsis.* Antecedens causa fuit amor discipulorum: de quo Johan. c. 13. v. 1. dicit, *Quum dilexisset suos qui erant in mundo, ad finem usque dilexit eos.* Ac tum mox annectit: *Et cœnâ factâ, &c.* In illa autem cæna doctrinam hanc proposuit. Idem significat Lucas, dum ait, Dominum dixisse: *Desiderio desideravi hoc pascha edere vobiscum, antequam patiar:* Luc. 22. v. 15. Finalis causa seu scopus fuit, ut discipulos contra scandalum suæ passionis consolaretur. Quæ causa percipitur ex parte capitis sequente, ubi illis scandalum istud prædicit. Jam hisce causis consideratis, videamus ipsam doctrinam. Doctrinæ summa est: Passionem ac mortem suam utilem fore discipulis, ac omnino omnibus electis, ac promerendum illis apud Deum remissionem peccatorum, seu ad satisfaciendum judicio Dei pro ipsorum peccatis, atque ita ad reconciliandum eos Deo & fedus illud gratiæ confirmandum. Hanc doctrinam Dominus proponit partim per expressa verba, partim per actiones quasdam mysticas: quæ utraque declarat Evangelista è subjectis occupantibus, videlicet pane & vino: circa quæ actiones illæ sunt adhibitæ, & de quibus verba illa sunt pronuntiata. Et actiones quidem circa panem adhibitæ narrantur quatuor. Etenim panem primùm *accipit,* deinde *benedixit* (hoc est, super illo gratias Deo egit: ut Lucas declarat) tum *fregit,* postremò *dedit discipulis,* v. 26. Verba de pane pronuntiata continent duo membra, mandatum & doctrinam. Mandatum continetur his verbis: *Accipite, comedite.* quo mandato imperantur duæ actiones mysticæ, ut patet. Doctrina illis: *Hoc* (nempe hic panis) *est corpus meum.* quibus Lucas addit ista, *Quod pro vobis datur:* videlicet crucifigendum. quâ doctrinâ continetur promissio evangelii, symbolo panis illustrata & obsignata: ut postea latiùs declarabimus. Atque hæc de pane: jam ad poculum quod attinet (nimirum poculum vino plenum: ut percipitur ex v. 29.) actiones circa illud adhibitæ narrantur tres. primò enim Dominus illud *accepit:* deinde *gratias egit:* postremò *discipulis dedit.* Ubi animadvertendum, nullam fieri mentionem fusionis vini è cantharo seu vase majore in poculum: quæ nimirum è regione respondet fractioni panis: quia fusionem illam minister, qui ministravit mensæ, non autem ipse Dominus videtur perfecisse. Interim illa fusio ex analogia fractionis panis hîc est intelligenda. Verba de poculo à Domino pronuntiata itidem continent duo membra: mandatum & doctrinam. Mandatum continetur his verbis: *Bibite ex eo omnes.* quo mandato imperatur actio mystica una: sed altera simul intelligitur, videlicet poculi acceptio. Doctrina continetur illis verbis, *Hoc est enim sanguis meus, &c.* quâ doctrinâ iterum continetur promissio Evangelii, sed aliis verbis exposita, & alio symbolo, videl. poculi, illustrata atque obsignata. Et sanè tum actionibus tum verbis circa poculum adhibitis idem significatur atque docetur, quod significatum & doctum fuit per actiones & verba de pane. Quare apparet, repetitionem hanc ejusdem doctrinæ esse factam perspicuitatis & attentionis & certitudinis causâ: ut discipuli doctrinam propositam & meliùs intelligerent ac meminissent, & diligentiùs ad eam attenderent, & firmiùs ei crederent. Postremò annectitur appendix: quæ duas continet sententias: admonitionem de Domini à discipulis discessu paulo pòst futuro, ubi ait, *Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis:* & consolationem contra illum discessum, ubi ait, *Usque ad diem illum quum ipsum bibam vobiscum novum in regno patris mei.* quibus verbis promittit discipulis gaudia sempiterna, unà cum ipso fruenda in cælo: atque ita doctrinam de fructu passionis suæ repetit.

Cæterùm ut hæc doctrina seu institutio sacræ Domini cænæ pleniùs intelligatur, consideranda est mysticarum illarum actionum significatio, tum verò etiam genuinus sensus ipsorum verborum de symbolis illis, pane & vino, pronuntiatorum. Etenim non est dubium quin Dominus illas actiones & illas loquutiones, doctrinæ quam proponere volebat, tanquam formam suo fini, sapienter accommodârit. Igitur acceptio panis (qua scilicet Christus accepit panem) itemque poculi vino pleni, significabat, Christum sponte susceptorum passionem suam, ut scilicet & corpus ejus, per panem significatum, cruci affigeretur: & sanguis, significatus per poculum, in eâdem cruce effunderetur. Deinde benedictio tum panis tum poculi, seu gratiarum actio, significabat; Christum oblaturum Deo Patri preces pro electis pro quibus seipsum offerebat. quas preces recitat Johannes c. 17. Atque hæc de benedictione. Jam fractio panis significabat fractionem (hoc est, crucifixionem) Corporis Christi: ut percipitur ex verbis Pauli, 1. Cor. 11. v. 24. ubi ait, Dominum de pane dixisse, *Hoc meum est corpus quod pro vobis frangitur.* ubi per fractionem intelligit crucifixionem; ut manifestum est tum ex reipsa, tum ex collatione Lucæ: apud quem pro illis verbis habentur hæc, *Quod pro vobis datur;* scilicet crucifigendum. Ratio autem istius metaphoræ fundata est in analogia signi ad rem signatam: quia scilicet panis, qui est corporis Domini signum, propriè in hac sacra cæna frangitur. Porrò fusio vini in poculum, etsi nulla illius fit mentio; tamen quum ex reipsa facilè subintelligatur: statuendum est ex analogia ad panem, per illam significari ipsam effusionem sanguinis Christi in cruce factam cum sensu iræ Dei. Postremò datio seu præbitio tum panis tum poculi significat donationem corporis Christi crucifixi in cibum spiritualem, itemque sanguinis Christi in cruce effusi in spiritualem potum: seu (quod idem valet) applicationem sacrificii Christi in mente tum Dei patris, tum ipsius Christi: & ejusdem annuntiationem efficacem per Evangelii prædicationem. Atq; hæc de actionibus mysticis à Christo ipso adhibitis. Jam quod attinet ad actiones mysticas à Christo imperatas discipulis, acceptio & comestio panis; itemque acceptio & bibitio vini, significant applicationem fidei, qua unusquisque fidelium sibi privatim applicat promissionem Evangelii de fructû passionis Christi; certò statuens, satisfactionem Christi non minùs ad se, quàm ad alios electos pertinere: seu (ut ipsa verba Christi ad propositum accommodemus) corpus Christi non minùs pro se quàm pro aliis electis datum esse in mortem, & in cruce fractum, hoc est, excruciatum: item sanguinem Christi non minùs pro se quam pro aliis electis effusum esse in cruce in remissionem peccatorum suorum. Quo loco simul considerandum mysterium voluptatis, quam esurientes ex esu panis & sitientes ex potu vini percipere solent. Per illam igitur voluptatem corporalem significatur voluptas spiritualis seu lætitia & gaudium in spiritu sancto; quod gaudium percipiunt fideles, dum per fidem gustant quàm suavis ac bonus sit Dominus, quippe qui nos paterno favore complectitur propter satisfactionem mediatoris. Jam ad ipsas loquutiones quod attinet, quibus hæc de fructu passionis Domini doctrina hîc proponitur, illas esse metonymicas, quivis docilis facilè agnoscet, & quivis non contentiosus facilè concedet. Etenim ex ipso sermonis hujus contextu & cum præcedentibus ac sequentibus cohærentia perspicitur, propositum fuisse Domino, discipulos suos contra scandalum suæ passionis consolari ab ipso illius fructu. Quare verba sic erunt exponenda, ut hanc ipsam doctrinam continere intelligantur. Expositio autem illa pendet ex observatione metonymiæ, qua de signis sive symbolis enuntiantur ipsæ res significatæ, videl. de pane illo mystico corpus Domini, quatenus crucifixum est: itemque de poculo illo mystico sanguis Domini, quatenus in cruce est effusus. Quare verborum Domini sensus hic est: *Hoc* (nempe hic panis: ut ex cohærentia planè liquet) *est corpus meum, quod pro vobis datur* seu *frangitur.* id est, Hic panis est signum sive symbolum corporis mei, significans atq; testificans vobis qui in me creditis, corpus meum pro vobis dari in crucem ut illic frangatur, hoc est, acerbissimis doloribus excrucietur. Item: *Hoc* (nempe hoc poculum: ut planum est tum ex ipsa coherentia, tum ex collatione aliorum Evangelistarum) *est sanguis meus novi testamenti seu federis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* id est: Hoc poculum est sigum sanguinis mei, significans atque testificans vobis, sanguinem meum effusum iri in cruce ad confirmandum fedus illud gratiæ, atque ita promerendum vobis apud Deum remissionem peccatorum, quatenus scilicet expiavero illa, proque eis satisfecero judicio Dei mea morte. Ubi etiam considerando analogia inter symbola & res significatas: ad quam Dominus pro sua sapientia hauddubiè respexit. Illa autem consistit in effectis panis & vini, collatis cum effectis corporis & sanguinis Christi. Nam quemadmodum panis (ut est in Psalmo) confortat cor hominis: & vinum (ut alibi Scriptura dicit) exhilarat cor hominis: ita corpus Christi, quatenus crucifixum pro nobis, confortat animam nostram: item sanguis Christi, quatenus effusus pro nobis, exhilarat animam nostram: dum per fidem gustamus paternum favorem Dei per mortem Christi nobis conciliatum. Sicut Christus ipse copiosè docet Johan. 6. Quod ipsum & Paulus significat 1. Corinth. 5. vers. 7. & 8. ubi quum dixisset, Pascha nostrum pro nobis sacrificatum esse, nempe Christum: statim subjungit, *Itaque festum agitemus:* id est, læti atque hilares epulemur: nempe fruentes lætitiâ illâ spirituali seu gaudio in Spiritu sancto, ut loquitur Roman. 14. v. 17. quam Christus Johan. 6. vitam nominat: quum ait, *Qui ederit me, vivet per me,* vers. 27. Item, *Qui ederit hunc panem,* (nempe Christum crucifixum) *vivet in æternum,* v. 58. Quò pertinet & illud Matth. 5. v. 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.*

SEXTA PARS.

Prædictio comprehensionis Domini, fuga discipulorum, & abnegationis Petri.

30 Et quum hymnum cecinissent, exierunt in montem olearum.

31 Tunc dicit eis Jesus, Omnes vos ista nocte offendemini in me. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.

32 Postquam autem surrexero, præibo vobis in Galilæam.

33 Respondens verò Petrus dixit ei, Etiamsi omnes offendantur in te, ego nunquam offendar.

34 Dixit ei Jesus, Amen dico tibi, Istâ nocte antequam gallus canat, ter me abnegabis.

35 Dicit ei Petrus, Etiamsi oportuerit me mori tecum, nequaquam te abnegabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

Initio habetur transitio à parte præcedente ad sequentem: ubi continentur duo, appendix ultimæ illius cœnæ de qua in præcedentibus fuit narratum, nempe hymnus quo cœnam illam ex more clauserunt: deinde notatur locus ubi Dominus sequentem prædictionem pronuntiavit; videlicet in via ad montem olearum: simulque gestus pronuntiantis; videlicet ambulatio. Ad prædictionem ipsam quod attinet, ea distingui potest in duas partes. primùm enim prædixit peccatum quod in ipsum admissuri erant discipuli omnes, videlicet fugam ipsorum, v.31.& 32. deinde peccatum solius Petri, nempe abnegationem ipsius, v.33. & deinceps. Fugam prædicit primùm obscuriùs, deinde apertè. Obscuriùs, verbo scilicet generali, ubi dicit; *Offendemini in me:* quasi dicat, Peccabitis in me: ubi simul causam procreantem peccati illius notat, videlicet scandalum seu offensionem animi, dubitationem nimirum an ipse sit Christus. hoc enim si constanter credidissent, nunquam eum deseruissent. Apertè verò fugam prædicit, simulque comprehensionem sui, ubi ait, fore ut dispergantur, ipso tanquam pastore percusso. Priùs membrum hujus prædictionis amplificatum est duobus modis: primùm à numero, ubi ait, *omnes vos.* deinde à circumstantia temporis, ubi ait: *Istâ nocte.* Posterius membrum confirmatum est testimonio Scripturæ, & declaratum expositione causarum procreantium, & illustratum simili. Testimonium Scripturæ est testimonium ipsius Dei Patris, pronuntiatum olim ad populum Judaicum, & postea in literas relatum per prophetam Zach. cap.13. Causa procreans fugæ discipulorum fuit captio seu comprehensio Christi, quæ significatur illis verbis, *Percutiam pastorem.* Causa procreans comprehensionis Christi fuit Deus Pater: quæ causa iisdem verbis significatur. Simile autem quo sententia hæc illustratur, sumtum est à re pastorali: ubi Christus comparatur pastori, discipuli verò ovibus: captio Christi percussioni pastoris, fuga discipulorum dispersioni gregis. Huic prædictioni subjicit vers.32. consolationem ab eventis lætis duobus quæ promittit, videlicet resurrectione suâ & reditu ad ipsos: quem reditum declarat à loco ubi ad ipsos sit rediturus, nempe in Galilæa: item à modo quo sit rediturus, nempe ita ut illos præeat eosque ibi exspectet: quo ipso innuit brevitatem temporis (id quod ad pleniorem consolationem faciebat) quod scilicet in Galilæam redivivus sit venturus, antequam ipsi ex urbe Hierosolyma ubi tunc degebant propter festum fuerint reversi. Atque hæc de fuga discipulorum: jam ad abnegationis Petri prædictionem quod attinet, primò indicatur illius prædictionis occasio, vers.33. deinde prædictio ipsa, vers.34. Postremò effectum illius tum in ipso Petro, vers.33. tum in reliquis discipulis, vers.35. Occasionem prædicendi Petro abnegationem præbuit Christo ipsius Petri sermo, quo prædictioni fugæ contradixit, atque ita constantiam Domino adhærendi promisit. Hæc autem promissio amplificata est duobus modis, antithesi diversorum, ubi dicit: *Etiamsi omnes* (nempe reliqui discipuli) *offendantur in te*; hoc est, fugiant & te deserant. Deinde collatione majorum, ubi dicit, *Nunquam:* quasi dicat, Non solùm hac nocte (ut tu futurum dicis) non offendar in te: sed etiam non offendar in te ullo unquam tempore. Prædictio ipsa partim confirmatur, partim illustratur. Confirmatur jurejurando, ubi ait, *Amen dico tibi.* Illustratur duobus modis, à tempore scilicet & numero. Et à tempore iterum duobus modis: primùm indicatione temporis generalis, ubi ait, *Istâ nocte:* deinde temporis specialis, ubi dicit, *Antequam gallus canat.* Numerus verò indicatur, ubi dicit; *Ter me abnegabis.* Effectum vel potiùs eventus istius prædictionis in discipulis, fuit contradictio ipsorum qua prædictioni Domini contradixerunt, promittentes se illum non abnegaturus aut deserturus.

Septima Pars.

Passiones in horto.

36 Tunc venit Jesus cum eis in locum qui dicitur Gethsemane: & dicit discipulis, Considite hìc, usque quò abiens, precatus fuero illìc.

37 Et assumto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari & gravissimè angi.

38 Tunc dicit eis JESUS, Supra modum tristis est anima mea usque ad mortem: manete hìc, & vigilate mecum.

39 Et progressus paululum, procidit in faciem suam, precans, & dicens: Pater mi, si possibile est, abeat à me poculum hoc: veruntamen non ut ego volo, sed ut tu.

40 Tunc venit ad discipulos, & reperit eos dormientes: & dicit Petro, Itáne non potuistis unam horam vigilare mecum?

41 Vigilate & orate, ne introëatis in tentationem. Spiritus quidem *est* promtus, sed caro infirma.

42 Rursum secundò abiit, & precatus est, dicens, Pater mi, si non potest hoc poculum abire à me quin bibam ipsum, fiat voluntas tua.

43 Et quum venisset: reperit eos rursum dormientes: erant enim oculi eorum gravati.

44 Et relictis eis, rursum abiit: & precatus est tertiò, eundem sermonem dicens.

45 Tunc venit ad discipulos suos, & dicit eis, Dormite quod superest, & requiscite: ecce, appropinquavit hora, & Filius hominis traditur in manus peccatorum.

46 Surgite, eamus: ecce, appropinquavit qui me prodit.

47 Et adhuc eo loquente, ecce, Judas unus ex duodecim, venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, à primariis sacerdotibus & senioribus populi.

48 Is verò qui prodebat eum, dederat eis signum, dicens, Quem osculatus fuero, is est; prehendite eum.

49 Itaque statim quum venisset ad Jesum, dixit, Ave rabbi. Et deosculatus est eum.

50 At Jesus dixit ei, Amice, quorsum ades? Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum, & prehenderunt eum.

51 Et ecce, unus ex iis qui *erant* cum Jesu, extensâ manu distrinxit gladium suum, & percusso servo pontificis maximi, abstulit auriculam ejus.

52 Tunc ait ei Jesus, Converte gladium tuum in locum suum. Quicunque enim acceperint gladium, gladio peribunt.

53 An putas me non posse nunc precari patrem meum, ut huc sistat mihi plures quàm duodecim legiones angelorum?

54 Quomodo ergo implerentur Scripturæ, *quæ dicunt* sic oportere fieri?

55 In illa hora dixit Jesus turbæ: Ut adversus latronem exivistis cum gladiis & fustibus, ut comprehenderetis me. Quotidie apud vos sedebam docens in templo; nec prehendistis me.

56 Hoc autem totum factum est ut implerentur scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.

Passiones quas Dominus perpessus est in horto, narrantur numerò quinque: videl. anxietas ex metu instantis passionis, securitas & ignavia discipulorum, proditio, captio seu comprehensio per ministros Pontificum, & fuga discipulorum. Primò autem omnium describitur locus ubi ista omnia acciderunt. Is locus nominatur Gethsemane, id est, vallis pinguium. Erat autem hortus (ut nominatur à Johanne) prope montem olivarum, ut percipitur ex collatione v.30.

Anxietas declaratur ex effectis. Ea sunt numero quinque, videlicet propositum precandi, v.36. Assumtio trium discipulorum, v.37. Querela apud illos, v.38. Petitio precum auxiliarium, eaque tertiò repetita, v.38.40.41. & 43. Precatio ardentissima, eaq; similiter tertiò iterata, v.39.42.& 44. Propositum precandi declaratur ex precandi modo, nempe quòd velit precari seorsum à discipulis: quo ipso significatur quòd velit precari quam ardentissimè, ac proinde quòd habeat gravissimam atque urgentissimam precandi causam. Illa autem causa erat anxietas quâ tenebatur ex metu instantis passionis: ut percipitur è sequentibus. Assumtio trium discipulorum declaratur indicatione speciali, quòd scilicet assumserit Petrum & duos filios Zebedæi, id est, Jacobum & Johannem: ut Marcus nominatim exprimit. Hos autem (ut ex re ipsa apparet) assumsit tum testimonii gratiâ, ut nimirum haberet idoneos ac sufficientes testes illius suæ anxietatis, quam intererat Ecclesiæ innotescere: tum etiam solatii gratiâ: quod nimirum sperabat se percepturum ex ipsorum alloquio, aut saltem conspectu. Illos autem ex omnibus delegisse videtur, quòd eos præ cæteris charos haberet. Id quod de Johanne quidem ex ipsiusmet testimonio liquet: de omnibus autem tribus ex eo colligitur, quòd illos ad spectandum & audiendum res magni momenti adhibuit seorsum: puta ad spectandum excitationem filii Jairi, & transformationem sui in monte, & ad audiendum prophetiam de cladibus paulo pòst eventuris populo Judaico, ac nominatim de excidio urbis, nec non de fine mundi & adventu suo ad judicium: quanquam ad hæc audienda præter illos adhibuit quoque Andream. Querela amplificatur ex effectu. ait enim, animam suam tristitiâ circumdatam esse usque ad mortem: id est, tantâ, ut mirum non esset ipsam vi illius emori. Petitio precum auxiliarium primùm enuntiatur uno verbo, per synecdochen membri metonymicam, ubi

dicit, *Vigilate mecum*, v.38. Deinde verbis pluribus v.41. ubi ratio petitionis adjicitur, ab effectu noxio securitatis. Ex qua ratione intelligitur, Dominum ab illis petere ut orent non tantùm pro ipso, sed etiam pro sese. Precatio declaratur ex adjuncto gestu, videlicet prolapsione in faciem: quem gestum haud dubiè peperit summa animi demissio coram majestate Patris, & summum desiderium obtinendi quod petiturus erat. Continet autem precatio duas partes, petitionem & correctionem. Petitio est conditionalis: ut si possibile sit peccata electorum aliter expiari, & judicio Dei aliter satisfieri, quàm ut ipsum oporteat iram Dei propter illa sentire: Pater alium satisfactionis modum decernat atque instituat, ac proinde ut ipse à sentienda illius ira liberetur. Sensum autem illum iræ Dei nominat metaphoricè poculum: quem Marcus nominat horam, nimirum metonymicè. Correctio habet professionem obedientiæ quâ suam voluntatem (nempe humanam) voluntati Patris subjicit. Atque hæc de Domini anxietate. Securitas & ignavia discipulorum declaratur ex effectu, vidil. somno: quanquam illius effectus causa simul fuit tristitia, teste Lucâ, nempe quam perceperant ex Domini querela de sua anxietate. Cæterùm iste somnus amplificatur ex effectu, videlicet Domini reprehensione & contrariâ hortatione ad vigilandum, v.40. & 41. Item ab alio effectu, videl. gravitate oculorum, v.43. tum iterum à Domini reprehensione gravissimâ, enuntiatâ per ironiam *χετλιαστικὴν καὶ ἐπιπληκτικὴν*, id est, conjunctam cum indignatione & objurgatione vehemente, ubi ait, *Dormite de cætero, & requiescite*, v.45. Atque hæc de securitate & ignavia discipulorum.

Proditio describitur ex adjuncta præparatione, ex forma exsequutionis, & ex effectis. Præparatio continet sermonem Domini ad discipulos, quò primùm illos præmonet de adventu propinquo proditoris, v.45. & 46. deinde hortatur ut secum illi obviam eant, v.46. Exsequutio proditionis declaratur primùm è causis agentibus, v.47. deinde è forma seu modo agendi. Causæ agentes indicantur duæ: una principalis, nempe ipse proditor: is fuit Judas Iscariotes, unus è duodecim Domini discipulis: reliquæ, adjuvantes & ministræ, quibus Dominus fuit proditus, videlicet comitatus Judæ, nempe turba multa. Quæ turba describitur partim ex adjunctis instrumentis ad capiendum Dominum destinatis atque accommodatis, videl. gladiis & fustibus; partim à causa impulsiva propositi ipsorum, quæ causa fuit mandatum Pontificum & seniorum populi. ubi notandum ex aliis Evangelistis, in illa turba fuisse quoque primarios aliquos sacerdotes ac Pharisæos, & præfectum templi. Forma proditionis seu modus agendi fuit osculatio. Hæc declaratur partim ex antegressa pactione, v.48. partim ex ipso facto, v.49. Effecta proditionis narrantur duo: unum in Domino: qui proditorem sui sceleris commonefecit, in principio v.50. Alterum in ministris, qui Dominum prehenderunt, v.eod. Atque hæc de proditione.

Cæterùm prehensio declaratur ex effectu duplici: quorum unum fuit in Petro, alterum in Domino. In Petro fuit conatus prehensionem impediendi aut avertendi, v.51. In Domino fuit objurgatio turbæ ac potissimùm (ut alius Evangelista testatur) ipsorum ducum seu capitaneorum, v.55. Ac Petri quidem nomen hîc non exprimitur: sed exprimitur à Johanne. Conatus autem Petri declaratur ex facto duplici, extractione gladii & percussione servi Pontificis maximi, cui (teste Johanne) nomen fuit Malchus. Quod posterius factum declaratur ex effectu, videl. abscissione auris, nempe auris dextræ: ut alii Evangelistæ testantur. Præterea factum illud Petri declaratur ex effectu sive eventu alio, videl. Domini reprehensione ac dehortatione, v.52.53.& 54. Propositio dehortationis est, Converte gladium tuum in locum suum. Rationes subjiciuntur tres. Prima ab effectu noxio, videl. supplicio capitis quod sibi attracturus sit Petrus, nisi à proposito desistat. quæ ratio confirmatur à sententia generali Legis, ubi dicit: *Quicunq; enim acceperint gladium, gladio peribunt.* Secunda ratio sumta est ab inhonesto simul & non-necessario, ubi dicit, *An putas me non posse nunc precari Patrem qui huc sistat mihi plures quàm duodecim legiones angelorum?* quasi dicat, Non peto defensionem tuam: quum illâ mihi non sit opus: Ergo non decet te ultrò ac meo injussu ad illam prosilire. Quòd autem sibi defensione Petri non sit opus, quodque illam non petat: ostendit ex eo, quòd possit à Patre impetrare defensionem angelorum, & tamen id nolit. Defensionem autem angelorum amplificat ab adjuncto numero. Tertia ratio iterum ab inhonesto sumta est, quatenus significat, Petrum suscipere illam defensionem præter voluntatem tum Dei patris, tum ipsiusmet. quod significat cùm ait, *Quomodo ergo implerentur Scripturæ, quæ dicunt, sic oportere fieri?* ubi à testimonio Scripturarum propheticarum confirmat, hanc esse Dei voluntatem, cui ipse suam lubens accommodet, ut ista quæ tum fiebant, cæteraq; id genus deinceps futura, fierent: ac proinde non esse cuiquam conandum illa impedire.

Atque hæc de conatu Petri. Turbam objurgat propter injustitiam, quòd scilicet ad se capiendum venerint tanquam ad latronem, armatâ scilicet manu. Quibus verbis significat, se esse innocentem: ac proinde immeritò tanquam nocentem capi. Deinde eam innocentiam demonstrat è suis factis, quòd videl. nunquam latitârit, ut solent qui sibi malè sunt conscii: sed quotidie apud ipsos in templo sederit ac docuerit. quibus verbis significat, si justam sui capiendi causam haberent, quam toti populo & maximè piis qui ipsum docentem audiebant, possent probare: non fuisse opus ipsum quærere in latebris, idque noctu: quum potuerint eum capere interdiu in manifesto versantem.

Atque hæc de Domini proditione & comprehensione: Cujus utriusque narrationem Evangelista illustrat indicatione finis seu scopi providentiæ Dei illa omnia gubernantis: nempe ut implerentur scripturæ Prophetarum, id est, ut constaret Dei veritas qui ista per Prophetas prædixerat.

Ad extremum uno verbo narrat fugam discipulorum: quam amplificat à numero, cùm dicit: OMNES *fugerunt*.

OCTAVA PARS.

Passiones in domo Cajaphæ pontificis.

57 Illi verò prehensum Jesum abduxerunt ad Cajapham pontificem maximum, ubi scribæ & seniores congregati erant.

58 Petrus autem sequebatur eum procul usque in aulam pontificis maximi: & ingressus intrò, considebat cum ministris, ut videret finem.

59 Primarii verò sacerdotes, & seniores, & totus consessus quærebant falsum testimonium contra Jesum; ut eum morte afficerent.

60 Sed non invenerunt: etiam quum multi falsi testes accessissent, non *tamen* invenerunt. Postremò verò advenientes duo falsi testes:

61 Dixerunt, Iste dixit, Possum destruere templum Dei, & triduò ipsum ædificare.

62 Et surgens pontifex maximus dixit ei, Nihil respondes? Quid *est quod* isti adversum te testificantur?

63 Jesus autem silebat. Et respondens pontifex maximus dixit ei, Adjuro te per Deum viventem ut dicas nobis an tu sis Christus, Filius ille Dei.

64 Dicit ei JESUS, Tu dixisti. Veruntamen dico vobis, Ab hoc tempore videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ, & venientem in nubibus cæli.

65 Tunc pontifex maximus dirupit vestimenta sua, dicens, Blasphemavit. Quid ampliùs egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam ejus.

66 Quid vobis videtur? Ipsi verò respondentes dixerunt, Reus mortis est.

67 Tunc inspuerunt in faciem ejus, & colaphos ei inflixerunt. Alii verò bacillis eum verberarunt:

68 Dicentes, Vaticinare nobis, Christe, Quis est qui te percussit?

69 Petrus autem sedebat extrà in aula: & accessit ad eum quædam ancillula, dicens, Et tu cum Jesu Galilæo eras.

70 Ipse verò negavit coram omnibus, dicens, Nescio quid dicas.

71 Eum autem egredientem in vestibulum vidit alia *ancilla*: & dixit iis qui *erant* illic, Et iste erat cum Jesu Nazareno.

72 Tunc rursus negavit cum jurejurando, *dicens*, Non novi hominem.

73 Paulo-pòst autem accesserunt qui adstabant, & dixerunt Petro, Verè & tu ex ipsis es: nam & loquutio tua te manifestum facit.

74 Tunc cœpit seipsum devovere, & jurare, *dicens*, Non novi hominem. Et statim gallus cecinit.

75 Tunc recordatus est Petrus verborum Jesu; qui dixerat ei, Priusquam gallus canat, ter me abnegabis. Et egressus foras, flevit amarè.

Passiones quas Dominus in domo Cajaphæ perpessus est, narrantur septem: nempe quòd productus est vinctus in conspectum concilii, tanquam sceleris cujuspiam reus, v.57. quòd à judicibus contra ipsum quæsita sunt falsa testimonia quibus ad mortem condemnaretur, v.59. quòd falsa testimonia multa ac varia contra ipsum dicta & audita sunt, v.60. & 61. & 62. quòd objectum ei est falsum crimen blasphemiæ, v.63.64.& 65. quòd falso illo blasphemiæ crimine damnatus est ad mortem, v.66. quòd illusus est & contumeliis variis affectus, v.67.& 68. quòd negatus est à Petro, v.69. & seqq. Cæterùm v.58. inseritur occasio postremæ hujus passionis; negationis, inquam, Petri. Possunt autem hæc septem revocari ad tres classes: quarum prima est eorum quæ passus est à falsis testibus, usque ad v.62. Secunda

eorum quæ passus est à Pontifice Cajapha & concilio, nec non ministris illorum, usque ad vers. 69. Postrema eorum quæ passus est à Petro, usque ad finem capitis. Concilium ad quod adductus fuit Dominus ad causam dicendam, describitur à personis judicum. Earum una fuit principalis, & cæterarum quasi caput, videl. pontifex maximus Cajaphas: reliquæ adjuvantes ac sociæ istius principalis, nempe scribæ & seniores. Occasio lapsus Petri fuit quòd ingressus aulam pontificis maximi, se adjunxit ministris illius. Inquisitio falsorum testimoniorum describitur ab eventu contrario, quòd scilicet nullum invenerint cujus vi damnari Dominus posset ad mortem, vers. 59. & 60. E falsis autem illis testimoniis recitatur unicum de destructione & reædificatione templi, vers. 61. Cujus quidem testimonii falsitas percipitur ex collatione rei gestæ, ut illa describitur à Johanne, cap. 2. vers. 18. & seqq. Quod ipsum falsum testimonium amplificatur ab adjunctis; videlicet pontificis maximi petitione ad Jesum, & Jesu recusatione. Petit ille ut ad testimonium illud Dominus respondeat, vers. 62. at ipse silet, vers. 63. Cujus rei causæ plures afferri possunt: nempe quòd sciebat non esse tempus innocentiam suam contra falsas criminationes defendendi, sed tum illas, tum alia graviora patienter ferendi: partim quòd videbat se defensione frustra usurum apud illos qui hoc unicum agebant ut ipsum ad mortem damnarent: partim denique ut significaret se calumniam illam responsione indignam judicare. quum de illa pluribus constaret. nam verba illa de destructione & erectione templi dixerat ad Judæos publicè, quum illi signum ab eo petivissent quo fidem faceret suæ vocationi, quòd scilicet potestatem & mandatum accepisset à Deo reformandi seu repurgandi templum. Porrò silentium istud occasionem præbuit Pontifici petendi ut diceret, an ipse sit Christus: quæ res rursum præbuit occasionem crimini blasphemiæ.

Objectio igitur falsi criminis blasphemiæ describitur ex occasione. Illa fuit tum petitio Pontificis maximi ad Jesum, v. 63. tum responsio Jesu ad illam petitionem, vers. 64. Petit Pontifex à Jesu, ut dicat, an ipse sit Christus, filius ille Dei. Hæc petitio amplificatur ab adjuncta adjuratione. ait enim, *Adjuro te per Deum viventem.* Responsio Jesu duo continet, confessionem: ubi ait, *Tu dixisti:* pro quo apud Marcum legitur, *Ego sum.* deinde confessionis confirmationem à signo, videlicet à futura sua gloria, eaque duplici: unà, sessione ad dexteram potentiæ; alterâ, adventu glorioso ad judicium. Deinde confessio Christi amplificatur ab effectis tribus in Potifice, vers. 65. quæ totidem sunt adjuncta criminationis. Ea sunt diruptio vestium, omissio testium, & obtestatio sociorum. Damnatio ipsa declaratur à causa procatarctica, videlicet interrogatione sententiæ judicum à concilii præside factâ, v. 66. Contumeliæ quibus Dominus mox à damnatione fuit affectus, recitantur vers. 66. & 67. quatuor: quarum tres priores positæ fuerunt in factis, postrema in verbis: ut in textu patet.

Negatio Petri qua is Dominum abnegavit, describitur à subjectis locis, à causis procatarcticis, ab adjuncto numero, ab adjuncto incremento & ab eventu. Et ut de numero primùm dicamus, negatio fuit terna. Prima accidit in ipsa aula pontificis maximi: cujus causa procatarctica fuit, indicatio cujusdam ancillæ, vers. 69. Cui subjicitur vers. 70. negatio simplex seu pura à juramento. Secunda negatio accidit in vestibulo: cujus causa procatarctica fuit indicatio alterius ancillæ, vers. 71. Cui subjicitur vers. 72. ipsa negatio, sed aucta jurejurando. Tertiæ negationis locus non exprimitur: videtur autem illa accidisse in aula, in quam è vestibulo Petrus fuerat regressus. Id colligitur ex eo
Luc. 22. 61. quod narrat Lucas, Dominum statim post tertiam hanc negationem conversum esse ad Petrum, eumque aspexisse: Dominus autem tum erat in aula, quippe quò Petrus illum paulo-antè fuerat sequutus, & ubi ille fuerat detentus ut sisteretur judicio. Cæterùm tertiæ istius negationis causa procatarctica fuit indicatio quorundam adstantium, vers. 73. Quæ indicatio amplificatur asseveratione. dicunt enim: *Verè & tu ex ipsis es.* Et confirmatur ex effectu, videlicet loquutione seu idiomate Petri, quod erat Galilæum: ut alii Evangelistæ exprimunt. Tum subjicitur vers. 74. ipsa negatio, sed ultra jusjurandum aucta exsecratione suiipsius. Atque hæc de ipsis negationibus. Eventus istarum negationum fuit pœnitentia Petri. Hæc describitur à causa procreante, & ab effectu. Causa procreans fuit recordatio verborum Jesu, quibus Petro negationes istas prædixerat, in principio versus ultimi. Hæc recordatio ipsa quoque è sua causa procreante declaratur, videl. cantu galli, in fine v. 74. Quò pertinet etiam aspectus Christi, de quo meminimus paulo-antè ex Luca. Effectus pœnitentiæ fuit fletus. Hic fletus partim declaratur à loco ubi accidit, videl. extra aulam pontificis: partim amplificatur ab adjuncto animi dolore: quum dicitur flevisse amarè, id est, cum amaritudine spiritus (ut Scriptura loquitur) hoc est, cum animi dolore seu mœrore.

SCHOLIA IN CAP. XXVI.

2 Tunc Filius &c.] καὶ ὁ υἱὸς. *Ad verb. Et Filius hominis tradetur: videl. ipso die Paschatis. Conjunctio* καὶ *annectit sententiam novam toti sententiæ præcedenti, non autem consequenti parti illius, ut ἀπὸ κοινοῦ repetenda sit conjunctio* ὅτι*: quasi dicatur* καὶ οἴδατε ὅτι *&c. Neque enim hoc sciebant Apostoli: sed Dominus hoc eis nunc primùm indicabat: qui antea tantùm indefinitè dixerat, fore ut post illum suum ascensum Hierosolymam illic crucifigeretur: sed certum diem nondum indicaverat.* Tradetur] παραδίδοται. *Ad verb.* traditur. *Enallage temporis.*

3 Tunc] τότε. *Eo ipso tempore quo Jesus discipulis indicaverat diem suæ passionis: videl. biduo ante pascha: ex collatione versus præcedentis, & Marc. cap. 14. v. 1.*

5 Ne in festo] μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ. *Subaudi, Prehendamus eum & trucidemus: ex versu præcedente. Illud* μὴ *est hoc loco prohibentis: idcirco reddendum per Ne. Intelligunt autem festum paschatis tum instans: ut percipitur ex collatione præcedentium. Et hoc ipsum innuit articulus.* Ut ne tumultus fiat in populo] ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ. *Id est, Ne à populo per tumultum occidamur. Synecdoche membri metonymica. Tumultum autem in festo maximè metuunt, quia tum Judæi ex omnibus undique locis in urbe Hierosolyma congregabantur.*

6 Bethaniæ] ἐν Βηθανίᾳ. Zu Bethanien. *Vide suprà cap. 21. v. 17. in scholiis.* Simonis leprosi] Σίμωνος τοῦ λεπροῦ. *Nomen leprosi haud dubiè hîc cognomen est: quod isti Simoni remansit etiam post sanatam ejus lepram. neque enim Dominus cum illo cibum cepisset, si tum adhuc fuisset leprosus. Leprosis enim per legem non licebat cum sanis versari.*

7 Venerat ad eum] προσῆλθεν αὐτῷ. *Hæc enim non esse gesta sub ipsum tempus paschæ, de quo Evangelista cœpit narrare, colligi potest ex versiculo 16. ubi dicitur, Judam ex illo tempore quæsivisse opportunitatem ejus prodendi. Ex narratione Johannis liquet, factum hoc esse sexto die ante pascha, Johan. 12. v. 1. & seqq. Neque enim illa historia ab hac putanda est diversa esse, eò quod illic dicitur in cœna ministrasse Martha, nullâ factâ mentione domus Simonis leprosi. Potuit enim illa ministrare in domo istius, tanquam vicini & amici.* Mulier] γυνή. *Nempe Maria, soror Marthæ & Lazari, Johan. 12. v. 3.* Alabastrum] ἀλάβαστρον. *Id est, vasculum unguentarium ex lapide alabastrite.*

8 Indignati sunt] ἠγανάκτησαν. *Præcipuè Judas cui hoc nominatim tribuitur Joh. 12. v. 4. Sed fieri potuit, ut reliquos in eandem sententiam abriperet. Si verò solus id fecit: statuenda hîc erit synecdoche integri: qualis habetur infr. 27. 44. ubi latronibus cum Christo crucifixis tribuitur quod alterius illorum proprium erat.* Magno] πολλοῦ. *Nempe trecentis denariis, Joh. 12. v. 5. Id est, thaleris Imperialibus triginta septem & dimidio, singulis scil. denariis æstimatis octava thaleri parte: de sententia Matthæi Hosti, Rei numariæ veteris lib. 2. cap. 7.*

10 Mulieri] τῇ γυναικί. *Græcum expressius propter additum articulum, quem nonnulli exprimunt per pronomen* Isti: *quod tamen mihi quidem elegantiùs hîc omitti videtur. Etenim ex ipsa narrationis serie facilè percipitur, de qua muliere sermo sit: & Latini non solent talia pronomina adhibere.* Quid molestiam exhibetis?] τί κόπους παρέχετε; *Interrogatio vim habet reprehendendi. quasi dicat, Non debeatis molesti esse mulieri.*

11 Semper enim] πάντοτε γάρ. *Hîc conjunctio causalis pertinet ad sententiam subintellectam, nempe hanc: Nec verò est quòd ad factum vestrum defendendum prætexatis pauperes, quasi hoc unguentum in illorum usum debuerit converti.* Habebitis] ἔχετε. *Ad verb. Habetis. Enallage temporis.*

12 Quòd enim &c.] βαλοῦσα γὰρ &c. *Hîc conjunctio causalis pertinet ad sententiam vers. 10. nempe,* Opus bonum operata est erga me. *Nunc enim in specie declarat, quatenus illud opus sit bonum.* Injecit] βαλοῦσα ἐπί. *Id est, Infudit. Catechresis.* Ad funerandum me] πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με. *Verbum* ἐνταφιάζειν *non est idem quod* θάπτειν, *sepelire seu in sepulchro ponere: sed est ad sepulturam præparare ungendo corpus aromatibus & involvendo linteis: ut percipitur ex Joh. 19. 40. Hoc autem Latini appellant funerare & pollincere.*

15 Appenderunt ei] ἔστησαν αὐτῷ. *Vebum* ἱστάναι *propriè significat statuere vel sistere: interdum verò significat ponderare seu appendere, per synecdochen scilicet generis. nam qui res ponderant sive appendunt, illi sistunt lingulam bilancis; id est efficiunt ut illa stet erecta, atque ita pondera lancibus imposita inter sese respondeant. Et notum est ex sacris literis, solitos esse veteres pecuniam appendere: unde & numus maximè usitatus nomen accepit* שֶׁקֶל *schékel, vulgo siclus, à verbo* שָׁקַל *schakál quod significat ponderare vel appendere. Et simili ratione apud Græcos dictus est* στατήρ, *stater,* παρὰ τὸ ἱστάναι, *quatenus significat appendere. Cæterùm ex collatione Marc. 24. v. 11. & Luc. 22. v. 5. apparet, præcessisse pactum & pollicitationem istius mercedis. Quod si statuamus, non fuisse illi jam tum appensam pecuniam (quod sanè verba duorum illorum Evangelistarum videntur innuere) sed fortasse eâ demum nocte qua rem aggressus est, turbamque armatorum ad Dominum capiendum eduxit: tum verbum* ἱστάναι *non significabit hîc appendere, sed constituere, i. e. polliceri: quia vers. seq. dicitur,* Ex eò tempore quæsivisse opportunitatem ut Dominum proderet; *hanc autem quæsivit statim post pactum: ut ex Marco & Luca constat: quumque armatos jamjam esset educturus, haud dubiè illam jam invenerat. Quanquam nescio an Græci ita istud verbum usurpent. Reperitur quidem* ἱστάναι βασιλέα, *pro constituere regem: sed non prorsus simile videtur* ἱστάναι μισθὸν,

constituere mercedem. Deniq; significationem Appendendi confirmare videtur collatio prophetiæ quæ exstat Zachariæ 11.12. & allegatur infrà 27.9. Etenim illic habetur: Et appenderunt mercedem meam, triginta argenteos. Idq; eò magis quòd Græci interpretes illic usi sunt eodem verbo, ἔστησαν, quo hîc utitur Evangelista: adeò ut inde sumsisse videatur, ipsâ narratione rei gestæ innuens prophetiam illam. Itaq; statuendum videtur, primarios sacerdotes primùm quidem cum Juda pactos esse & certam pecuniæ summam ei esse pollicitos, quam re demum confectâ daturi essent: sed mox illam ei appendisse, & apud certum hominem deposuisse: ut eò magis eum ad proditionem faciendam instigarent, quã quamcelerrimè fieri exoptabant. Triginta argẽteós numos] τριάκοντα ἀργύρια. Nomen Græcum substantivum est sonans argenta. Est igitur metonymia materiæ. Intelliguntur enim argentei numi. Qui quidem si fuerunt sicli sacri tetradrachmi (ut Matthæus Hostus probabilibus rationibus* ostendit) summa fuit thalerorum Imperialium quindecim, singulis scil. argenteis valentibus staterem, hoc est semissem thaleri seu Joachimici Vallensis.

* Rei nummariæ veteris lib.4. cap.5.

17 Primo autem die azymorum] τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων. Subaudi ἡμέρᾳ. Genitivus autem, τῶν ἀζύμων, descendit à nominativo, τὰ ἄζυμα: quo nomine intelliguntur ἄρτοι ἄζυμοι, panes fermenti expertes. Hic autem per metonymiam adjuncti intelligitur festum Azymorum, id est, tempus illud quo ex Dei ordinatione Judæi vescebantur panibus fermenti expertibus, in memoriam eductionis sui ex* Ægypto per Mosen: quod festum durabat septem continuos dies, quorum primus erat decimusquartus mensis Abib sive Nisán, qui maximè ex parte nostro Martio, ex parte etiam Aprili respondebat. Cæterùm quæ hîc narrantur gesta esse illo die; ea oportet intelligi gesta esse die proximè præcedente, prout Judæi quidem dies distinguebant. Etenim planum est, hæc gesta esse ante vesperam qua Jesus cum discipulis pascha edit: at ab illa vespera ipse dies primus Azymorum, qui itidem erat dies paschatis, secundùm Judæos incipiebat. Sed Matthæus vocat illum dium primum Azymorum, quia secundùm Romanos dies naturalis seu τὸ νυχθήμερον incipit* à media nocte: quo fit ut nox à qua Judæi incipiebant diem mensis decimumquartum, pertinuerit secundùm Romanos ad diem decimumtertium, quo hæc gesta fuerunt. Deinde & istud observandum est, Christum tum celebrasse pascha pridie quàm illud celebrarunt Judæi. Etenim eodem die quo celebraverat pascha, fuit crucifixus: is autem dies fuit parasceve Judæorum: & Judæi accusantes eum coram Pilato, noluerunt ingredi prætorium, ut possent edere pascha, videlicet vesperâ proximè sequente, à qua incipiebat secundùm Judæos dies mensis decimusquintus. Cujus diversitatis ratio hæc fuit, quòd Christus observavit præscriptum Legis: Judæi verò traditionem patrum, qui ordinaverant ut si dies Paschatis incideret in diem proximum diei sabbathi, transferretur in diem sequentem, ne fieret concursus duorum dierum per quos erat feriandum. Quare quum illo anno dies Paschatis incideret in diem hebdomadis sextum, ipsi transtulerunt in septimum, videlicet in ipsum diem sabbathi: unde etiam istud sabbathum magnum appellatur, propter concursum scilicet duplicis solennitatis. Paremus tibi ad edendum Pascha] ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα. Pro, ἑτοιμάσωμέν σοι τὸ πάσχα φαγεῖν: paremus tibi pascha ad edendum. Trajectio verborum: & ante φαγεῖν subaudiendum τοῦ: τοῦ φαγεῖν, scil. ἕνεκα. Cæterùm nomine πάσχα (quod corruptum est ex Hebræo פֶּסַח pésach, vel potiùs è Syriaco פֶּצְחָא pétzcha & propriè significat transitum seu transilitionem) hîc intelligitur agnus quem cum solenni cærimonia edebant in memoriam eductionis sui ex Ægypto, cui causam præbuit occisio primogenitorum inter Ægyptios, parcente interim angelo percussore primogenitis Israëlitarum, transiliendo domos eorum quorum postes sanguine agni conspersi erant. In qua appellatione concurrunt tres tropi: primùm synecdoche generis, quatenus vocabulo transitus intelligitur transitus ille angeli in Ægypto: deinde synecdoche membri, quatenus ex illo transitu intelligitur tota illa liberatio sive redemtio Israëlitarum à tyrannide Ægyptiorum: postremò metonymia subjecti, quatenus ex illa redemtione intelligitur signum memoriale illius.

* Exod.12. v.18.

* Gell. lib.3. cap.2.

18 In urbem] εἰς τὴν πόλιν. Græcum significantius propter articulum, quo notatur urbs certa, videl. Hierosolyma. Ad quendam] πρὸς τὸν δεῖνα. Hoc pronomine utuntur Græci, ad notandum certum hominem, quem nominare vel non possunt vel nolunt. Hebræi pro illo utuntur voce פְּלוֹנִי peloní. Substituit autem hanc vocem Evangelista in locum descriptionis qua Christus usus fuit in homine illo discipulis notificando: ut constat ex Marco & Luca: nempe ut irent ad patremfamiliâs ædium illarum in quas ingressurus esset quidam occursurus ipsis cum hydria. Tempus meum] ὁ καιρός μου. Sive tempus quo me oportet celebrare Pascha ex præscripto Legis: sive tempus quo mihi subeundum est supplicium ex ordinatione Patris. Posterius videtur genuinum. Apud te &c.] πρὸς σὲ &c. Pro, πρὸς σὲ οὖν: Apud te igitur. Ellipsis conjunctionis ratiocinativæ. Faciam Pascha] ποιῶ τὸ πάσχα, Ad verbum, Facio. Enallage temporis præsentis pro paulo-pòst futuro. Facere autem pascha, hic significat, celebrare pascha, hoc est, obire solennitatem edendi paschatis sive agni. Sic Heb.11.v.28. item 2.Chron.ult.v.1.

19 Præceperat] συνέταξεν. Id est, διέταξεν. Paraverunt pascha] ἡτοίμασαν τὸ πάσχα. Id est, agnum: ut supr. v 17. Paraverunt autem jugulando & assando, sicut in Lege præceptum erat.

20 Vesperâ autem factâ] ὀψίας δὲ γενομένης. De hac phrasi diximus alibi. Vesperam autem refert Matthæus ad diem illum quo paraverant discipuli pascha: sed secundùm Judæos ab illa vespera incipiebat dies primus Azymorum, quo oportebat edere pascha, idq; vespere: ut constat ex Exod.12.v.14.& 18. Discubuit] ἀνέκειτο. At præceptum erat ut agnum illum ederent stantes, succincti lumbis, tenentes baculos in manibus. Verùm illa fuerunt propria primi paschatis celebrati in Ægypto: quia tum oportebat paratos esse ad iter, quippe quòd futurum esset ut illâ nocte dimitterentur: atq; etiam ad exeundum urgerentur. Christum enim nihil contra Legem egisse, certum est & apud omnes pios extra controversiam positum. Esse autem hîc sermonem de cœna illa, in qua Christus cum discipulis edit pascha, planum est ex ipsa narrationis serie. Quare hallucinantur qui putant, Evangelistam hic loqui non de paschate, sed de cœna quæ peracto solenni ritu paschatis adornata sit. Quâ opinione etiam alter error involvitur, quasi scil. post esum agni alia cœna apparata sit. At hoc non est probabile: quum constet ad agnum tot homines adhiberi oportuisse qui illi edendo atq; consumendo sufficerent. unde perspicitùr, edisse ex illo ad satietatem usque. Quid igitur opus fuit novâ cœnâ jam saturis?

Conciliatio scripturarũ.

21 Et edentibus ipsis] καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν. Videl. agnum: ex collatione præcedentium.

23 Qui intingit] ὁ ἐμβάψας. Primâ fronte videri posset, his verbis designari proditorem: quasi dicat, Is qui manum modo intinxit mecum in catino: vel paulo-pòst intinget mecum, uno scilicet eodemq; momento, is me prodet: & ex hoc signo proditorem agnoscite. Sed non esse hanc illorum verborum sententiam, judicari potest tum ex eo quòd fieri potuit ut plures quàm Judas, aut saltem alius quàm Judas, ad eum modum unà cum ipso intingerent: quódve singuli fuissent cauturi ne sic cum eo intingerent: tum ex eo quòd post hæc verba jam dicta Judas demum interrogavit, Num ego is sum? ut liquet tum ex præsente narratione: tum ex collatione narrationis Marci cap.14.v.20. ubi hæc verba sic recitantur: Unus ex duodecim, qui intingit mecum in catinum. ὁ ἐμβαπτόμενος μετ' ἐμοῦ. Ubi verbo temporis præsentis notatur non una certa & singularis actio, sed agendi consuetudo: tum deniq; ex eo quòd ex narratione Johannis apparet, discipulos ex verbis Domini nullum certum proditoris signum percepisse. Etenim Petrus innuit Johanni recumbenti ad pectus Jesu, ut clàm ex eo percontaretur, quisnam esset de quo diceret. Statuendum igitur, his verbis non contineri designationem proditoris, sed querelam de illius ingratitudine summa, ut qui proditurus sit herum suum qui quotidie de ipso bene merebatur & familiariter cum eo vivebat. Eundem igitur sensum habent hæc verba atque illa quæ Johannes narrat eum recitasse ex Psalmo, nempe, Oportet ut impleatur Scriptura, Qui edit meum panem, sustulit adversum me calcem suum; Johan.13.v.18. Qui intingit manum] ὁ ἐμβάψας τὴν χεῖρα. Id est, buccellam quam tenet manu. Metonymia subjecti.

24 Abit] ὑπάγει. Nempe ex hac vita in alteram per supplicium capitis procuratum illi per domesticum proditorem. Bonum erat homini illi &c.] καλὸν ἦν αὐτῷ &c. Ad verb. Bonum erat illi si natus non fuisset homo ille. Trajectio nominis ac pronominis relativi Hebraica: qualis suprà 17.18.

25 Qui prodebat eum] ὁ παραδιδοὺς αὐτόν. Non quidem adhuc facto, veruntamen proposito & machinatione: ut liquet ex sequentibus. nam eâ ipsâ nocte illum prodidit. Rabbi] ῥαββί. Cæteri discipuli dicebant, κύριε, domine: Syriacè מָרִי marí, domine mi: quod respondet Hebraico אֲדוֹנִי adoní. Quod nomen videtur minùs honorificum fuisse quàm alterum: quippe quod tribueretur etiam plebejis; quum nomine רַבִּי rabbi, id est, magister mi, salutarentur soli doctores, quorum præcipua erat authoritas. Itaq; videtur hoc modo notari hypocrisis Judæ: qui præ cæteris Dominum honorare videri voluit. quale discrimen sit in nostro idiomate inter Herr & Herr Doctor. Eandem hypocrisin notavit Marcus in historia proditionis, ubi narrat, Judam salutasse Dominum his verbis, Rabbi, rabbi: Marc.14.45. Tu dixisti] σὺ εἶπας. Id est, Ita est ut dicis: tu ille es. Esse enim hæc verba affirmantis id de quo alter rogaverat, perspicuum evadit ex collatione duorum locorum, videl. v.64. in hoc capite, & v.62 in capite decimoquarto Marci. Nam quod apud Matthæum dicitur, Tu dixisti: pro eo apud Marcum habetur, Ego sum.

26 Edentibus autem eis] ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν. Nempe Jesu & discipulis edentibus agnum paschalem, ut suprà v.21. Idq; (ut videtur) sub illius cœnæ finem, quum jam Judas proditor acceptâ à Domino buccellâ abivisset. Etsi enim Lucas narrationem institutionis cœnæ Dominicæ narrationi querelæ de præsente & unà accumbente proditore præponit: in eo tamen non videtur justum servare ordinem. Sed hunc servare videntur Matthæus & Marcus: qui querelam de proditore institutioni cœnæ præponunt. Qui ordo confirmari videtur ex narratione Johannis: qui in querela illa Domini narranda simul commemorat (quod reliqui omiserunt) Dominum ab uno ex discipulis (videlicet ipso Johanne) clàm de pro-

de proditore interrogatum, respondisse, illum esse cui intinctam offulam daturus sit: & quum intinxisset offulam, dedisse Judae Iscariotae: illumque offulâ acceptâ statim exivisse. Accidit autem illa querela sub finem coenae paschalis, ut percipitur ex ejusdem Johannis narratione. Etenim Dominus (ut ille capite 13. narrat) quum è coena surrexisset pedesque discipulorum lavisset, ac postea rursum discubuisset, & discipulis mysterium peractae lotionis explicasset: tum demum querelam de proditore orsus fuit. Post cujus demum abitum sermones illos habuit qui ad consolandum tum ipsummet tum discipulos spectabant: quos narrat Johannes à versu 31. cap. 13. usque ad finem capitis 17. Quorum sermonum partem eam quae extenditur ad decimitertii capit. finem, habuit (ut ex eo ipso loco, illius inquam capitis fine, apparet) in ipso coenaculo: reliquam autem partem in via ad hortum. Quare quum sermo habitus in institutione sacrae coenae (quem Johannes brevitatis studio praeteriit) eundem habeat cum illis à Johanne recitatis scopum, ac proinde ad Judam nequaquam pertinuerit: omnino probabile mihi quidem videtur, Judam coenae illi non interfuisse. Panem] τὸν ἄρτον. Nempe qui in coena erat appositus: id quod innuit articulus. Erat autem ille panis ἄζυμος, id est, fermenti expers, ex lege: ut percipitur ex collatione vers. 17. suprà. Et quum benedixisset] ἐ εὐλογήσας. Scil. τῷ πατρὶ, Patri. Pro quo alii Evangelistae dicunt, εὐχαριστήσας, id est, quum gratias egisset: nempe pro beneficio redemtionis cujus μνημόσυνον ipse jam tum instituebat. Vel, εὐλογήσας, scilicet τὸν ἄρτον: hoc est, quum benedixisset panem illum: id est, adhibitâ benedictione seu gratiarum actione sanctificasset, in μνημόσυνον sui corporis illum consecrando. Ad quem modum ait Paulus de sacro illo poculo: τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, Poculum benedictionis quod benedicimus, 1. Corinth. 10. Sed prior expositio planior est, ac genuina videtur. Etenim Dominus jam tum panem illum nondum prorsus sanctificaverat: quia ad sanctificationem illius pertinet quoque fractio pòst consecuta. Fregit] ἔκλασε. Scilicet tum ad repraesentandum fractionem (hoc est, crucifixionem) sui corporis: ut percipitur ex verbis apud Paulum 1. Corinth. 11. Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur: tum ad distribuendum inter discipulos. Deditque] καὶ ἐδίδου. Utique in manum. Quae enim vel minima hîc suspicio sano cuiquam oboriri potest quòd singulis buccellam indiderit in os? Accipite] λάβετε. Utique in manû. Nam quis hîc quoque suspicetur, voluisse Dominum ut buccellam è sua manu exciperent ore? Edite] φάγετε. Quod quid aliud est, quàm mandite seu dentibus commolite atque comminuite, ac tum mansum & commolitum deglutite? Hoc] τοῦτο. Nempe hîc panis quem vidistis me accipere, super quo vidistis me benedicere seu gratias Deo agere, quem vidistis me frangere, quem vobis do sive porrigo; denique quem vos modò jussi accipere & edere: hic inquam panis. Etenim nihil aliud praecessit quò pronomen istud possit referri. Et Apostolus sententiam hanc referens 1. Cor. 10. nomen panis exprimit, dicens: Panis quem frangimus, nónne communio corporis Christi est? Est corpus meum] ἐστὶ τὸ σῶμά μου. Hoc est, est signum corporis mei, significans nimirum atque testificans, corpus meum pro vobis fractum seu datum iri, videl. in mortem ad promerendum vobis à Deo vitam aeternam. Id quod percipitur ex clausula quae additur apud Lucam & Paulum: apud illum quidem his verbis, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, quod pro vobis datur: apud hunc verò istis, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, quod pro vobis frangitur. Est igitur in vocabulo corporis metonym. subjecti. quia ex re significata atque testata intelligitur adjunctum signum sive testimonium. Neque enim certè propriè loquendo panis ille est ipsum corpus Christi, sed est illius sacramentum, hoc est, sacrum signum sive symbolum, μνημόσυνον & testimonium divinum in memoriam mortis Domini institutum: ut percipi potest ex verbis quae adduntur apud Lucam & Paulum, Hoc facite (id est, panem hunc edite) in mei recordationem. Item ex verbis Pauli, Quoties ederitis panem hunc, mortem Domini annunciate donec veniat.

27 Accepto poculo] λαβὼν τὸ ποτήριον. Vase scilicet in quo erat vinum infusum ut inde biberetur: Quod ex qua materia aut qua forma fuerit, hoc vocabulo non declaratur, nec usquam alibi in Scriptura. Hoc autem accepit demum peractâ coenâ, ut narrat Lucas. Ac gratiis actis] καὶ εὐχαριστήσας. Nempe Deo patri pro redemtione electorum paulo-pòst futurâ per suam mortem: ut & antea fecerat circa panem. Dedit eis] ἔδωκεν αὐτοῖς. Utique in manum: ut antea panem. nam quis hîc quoque sibi imaginetur, Dominum applicuisse poculum ori singulorum discipulorum, atque ita eis ex illo bibendum praebuisse? Bibite ex eo omnes] πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες. Hinc colligitur, Dominum dedisse illud poculum cuipiam ex discipulis, ac (ut probabile est) proximè assidenti: ac praecepisse ut singuli ordine biberent. Quod ipsum antea, durante adhuc coenâ, praeceperat de poculo quod bibebant inter edendum pascha, nempe dicens: Accipite hoc & dividite inter vos: ut meminit Lucas c. 22. v. 17.

28 Hoc enim] τοῦτο γάρ. Videlicet hoc poculum, cujus modò facta mentio. Nihil enim aliud praecessit, quò possit istud pronomen referri. Et Lucas atque Paulus ipsum poculi nomen repetunt atque exprimunt, dicentes: τοῦτο τὸ ποτήριον, hoc poculum. Caeterùm nomine poculi hîc intelligitur vinum poculo illo contentum, ut percipitur ex collatione sententiae paulo-antè pronuntiatae de sacro illo pane. Etenim sicut per panem illum docere voluit Dominus, corpus suum nobis effectum esse panem vivificum, quatenus datum est in mortem pro mundi vita, ut declarat ipse Dominus Joh. 6. v. 51. sic per vinum illud sacrum (non autem per ipsum poculum, propriè loquendo) docere nos voluit, sanguinem suum esse nobis factum potum vitae aeternae, quatenus pro nobis in cruce cum sensu irae Dei effusus est, in remissionem peccatorum. Est igitur hîc manifesta metonymia subjecti, qua ex continente intelligitur contentum: quam vulgò synecdochen appellitant. Porrò particula causalis, γάρ, id est, Enim, videtur notare prolepsin: tanquam occurrat Dominus tacitis discipulorum cogitationibus, mirantium quid sibi vellet quòd coenâ jam peractâ juberet ipsos denuò bibere, quum hauddubiè nemo illorum amplius sitiret. His igitur cogitationibus occurrens Dominus, monet non praeberi à se poculum ad restinguendum sitim corporalem, quippe qua non ampliùs laborent: sed ad restinguendum sitim spiritualem, idque per potum spiritualem sui sanguinis pro ipsis paulo-pòst effundendi: de quo jam antea eis dixerat, Joh. 6. Sanguis meus verè est potus: Qui bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam. Est sanguis meus] ἐστὶ τὸ αἷμά μου. Hoc est, Est signum mei sanguinis: significans scil. illum pro multis effusum iri in remissionem peccatorum: sicut ex verbis sequentibus percipitur. Similis metonymia, ut erat paulo-antè vers. 26. in pronuntiato de pane. Sanguis ille novi foederis] τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. Articulus τὸ omnino postulat subaudiri nomen αἷμα, ex inciso proximè praecedente. ait enim τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. Sanguinem autem suum, sanguinem novi foederis appellat, quia per illum confirmatum est novum foedus: nempe foedus illud gratuitum seu Evangelicum jam olim per Jeremiam promissum. De qua foederis illius confirmatione per sanguinem Christi copiosè disseritur in epistola ad Hebraeos. Sic igitur distinguit sanguinem suum à sanguine pecudum qui in veteri foedere, Legali scil. effusus fuit ad confirmationem illius: de quo narratur Exod. 24. Igitur genitivus hîc notat subjectum: Sanguis foederis, id est, qui adhibetur foederi sanciendo. Foederis autem vocabulo potiùs reddendum videtur nomen διαθήκη, quàm vocabulo testamenti: quia planum est, τὴν καινὴν διαθήκην opponi τῇ παλαιᾷ: Illa autem παλαιὰ διαθήκη, erat propriè loquendo non testamentum, sed foedus: atque etiam בְּרִית berith, id est, foedus, nominatur Exod. 24. v. 8. ubi Moses de sanguine quem super populum spargebat, dicit, Ecce sanguis foederis הַבְּרִית quod pepigit Jehova vobiscum secundùm omnia verba haec. Ad quam sententiam hîc à Domino respici, patet intelligenti. Retinuerunt autem Evangelistae ad significandum foedus nomen διαθήκη ex versione Bibliorum Graeca: ubi passim nomen בְּרִית berith quo propriè significatur foedus, redditur per vocem διαθήκη, usurpatam pro συνθήκη. Et quidem nomen illud διαθήκη habetur in illo ipso loco Exodi, ad quem hoc loco Dominus respexit. Habetur enim illic, ἰδοὺ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης ἧς διέθετο κύριος πρὸς ὑμᾶς. Interim non negatur, foedus hoc novum quatenus morte Filii Dei sancitum est, habere quoque rationem aliquam testamenti: unde Apostolus quoque Hebr. 9. v. 15. & seqq. ex illa significatione argumentum duxit. Qui effunditur] τὸ ἐκχυνόμενον. Id est, paulo-pòst effundetur, videlicet eo ipso die: idque cum sensu irae Dei: quod percipitur ex illa voce Domini in cruce exclamantis, Deus mi, Deus mi, quare me deseruisti? Pro multis] περὶ πολλῶν. Id est, ὑπὲρ πολλῶν. Videl. pro omnibus, & solis electis: quippe pro quibus omnibus & solis rogavit, quum corpus & sanguinem suum oblaturus esset, Johan. 17. In remissionem peccatorum] εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Haec verba pendent à verbo proxime-praecedente, τὸ ἐκχυνόμενον, qui effunditur: non autem ab illo longè remoto, πίετε, id est, Bibite. Sicut multi falsò opinantur, jussos se esse bibere sanguinem Domini sub vino specieve vini in remissionem peccatorum. Quid autem tunc opus fuisset sanguinem Domini effundi? Notatur autem his verbis finis & fructus mortis Domini, quòd scil. Deus pater Filium dederit in mortem, quodque Filius mortem subierit, ad promerendum electis remissionem peccatorum, expiando scil. illa sacrificio illo suae mortis, atque ita iram patris placando, nobisque illum reconciliando.

29 Bibam] πίνω. Ad verb. Bibo. Enallage temporis. Ab hoc tempore] ἀπ' ἄρτι. Ad verb. A nunc. id est, ab eo tempore quod est nunc. Hebraism. Sic enim Hebraei dicunt, מֵעַתָּה mehattah. Caeterùm haec verba narrat Lucas pronuntiata esse à Domino de poculo coenae paschalis, Luc. 22. v. 17. 18. Sed nihil est absurdi, si statuamus, eadem verba bis dicta esse: semel quidem de poculo paschali, deinde iterum de poculo coenae novae. Ex hoc fructu vitis] ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου. Nomen γέννημα sonat genimen, hoc est, aliquid genitum, à verbo γεννάω: quod est gigno. Est autem haec periphrasis vini à causa procreante. Bibam] πίνω. Ad verb. Bibo. ut paulo-antè. In regno patris mei] ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός μου. Nempe in regno illo coelesti & glorioso, seu in convivio illo nuptiali ac regio, in quo accumbent Abraham, Isaac & Jacob, & unà cum illis omnes electi: ut docet Dominus suprà 8. 11. Est igitur hîc phrasis partim synecdochica, partim metaphorica: nempe Bibere vinum, pro convivari & hilarem esse: & Convivari, pro frui coelestibus ac spiritualibus gaudiis. Regnum enim Dei non est cibus & potus: sed justitia & pax & gaudium in Spiritu S. Rom. 14. Quare non videtur hoc intelligendnm de vino quod unà cum discipulis biberit Dominus post resurrectionem suam. nam etsi per dies illos

quadraginta sese illis subinde ostendit, atq; etiam cum eis edit: nulla tamen potus fit mentio: nec erat moris apud Judæos bibere vinum in prandiis ac cœnis quotidianis, sed tantùm in solennioribus conviviis. Deniq; per regnum Dei ex more Scripturæ intelliguntur gaudia in cœlo percipienda: ut etiam liquet ex verbis conversi illius latronis, ad Dominum dicentis. Esto mei memor quum veneris in regnum patris tui. *Cui Dominus respondit.* Hodie mecum eris in paradiso: *id est, Anima tua post excessum è corpore in cœlum à patre meo recepta, fruetur gaudiis illis cœlestibus unà cum anima mea.*

30 Et quum hymnum cecinissent] καὶ ὑμνήσαντες. *Tradunt interpretes, moris fuisse ut post cœnam paschalem canerent ordine psalmos sex, videlicet centesimum decimumtertium & sequentes usq; ad 119. Qui mos fortasse à Domino quoq; & discipulis observatus fuit. Cæterùm* ὕμνος *propriè dicitur carmen quod canitur in laudem Dei; sic enim appellati sunt* ὕμνοι *Homeri in laudem Apollinis & aliorum commentitiorum deorum. Porrò an hæc hymnorum decantatio sermonem illum quem narrat Johannes cap.14. antecesserit vel subsecuta sit, vix videtur certò posse judicari. Probabile tamen videtur antecessisse: tum quòd sermo ille apud Johannem quasi ex abrupto incipit: nec cum sermone continentur post Judæ discessum habito cohæret: tum quòd in fine illius sermonis Dominus dicit,* Surgite eamus hinc. *Cui jussui discipuli hauddubiè paruerunt, ac proinde statim de cœna surrexerunt, ac abierunt. Nisi dicamus, verbum,* surgite, *illic non esse referendum ad accubationem qua discumbebant ad mensam: sed tantùm esse formulam generalem & consuetam hortantis ad actionem aliquam suscipiendam: ac proinde sermonem illum habitum esse non in ipsa mensa, sed quum jam hymnis decantatis à mensa surrexissent, & adhuc in cœnaculo subsisterent.*

31 Tunc] τότε. *Intellige, sub exitium ipsorum: non autem post exitum. Hoc liquere videtur ex narratione Johannis, qui quæ sequuntur de Petro narrat dicta fuisse ante illum sermonem quem recitat cap.14. quo sermone demum habito eos exivisse, planum est ex illius sermonis fine: Surgite, eamus hinc.* Offendemini] σκανδαλισθήσεσθε. *Seu offendiculum patiemini.* In me] ἐν ἐμοὶ. *Vel,* propter me. *Notatur simul objectum & causa procreans, sed ex accidente, videl. occasio.* Scriptum est enim] γέγραπται γάρ. *Nempe Zach.13.7.* Percutiam] πατάξω. *Verba Dei patris de filio Christo. Veruntamen apud Prophetam Deus pater præcipit gladio ut evigilet & percutiat pastorem.* Pastorem] τὸν ποιμένα. *Christum, illum pastorem ovium magnum, Heb.13. v.20. &* ἀρχιποίμενα, *id est, principem pastorum, 1.Pet.5.4.* Et dispergentur] καὶ διασκορπισθήσεται. *Quum scilicet pastorem percussuro. Cohæret enim hæc sententia cum præcedente per enuntiatum compositum relativum temporis. Germanicè diceremus,* So werden als dann die schaaffe zerstråwet werden. Oves gregis] τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης. *Videlicet discipuli.*

32 Postquam autem surrexero] μετὰ δὲ τὸ ἐγερθῆναί με. *Videlicet à morte.*

33 Ego] ἐγώ. *Pro, Ego tamen,* ἀλλ' ὅμως ἐγώ. *Ellipsis conjunctionis discretivæ.*

34 Antequam gallus canat] πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι. *Ad verb.* Vocet, *seu* vocem edat. *Sed pro hoc Latini utuntur verbo canendi: ut videre est apud Cic. lib.2. de Divinat. ubi contra Quintum fratrem disputans, inter alia dicit: Tu vates Bœotios credis Lebadiæ vidisse ex gallorum gallinaceorum cantu, victoriam esse Thebanorum: quia galli victi, silere solent; canere victores. Et deinceps verbum illud identidem gallis attribuit. Nos Germani hic habemus vocabulum proprium,* krehen. *Cæterùm verbo canendi quod est* ᾄδειν, *utuntur hîc disertiores quoq; Græci: ut Plato Symposio,* ἐξεγρέσθαι δὲ πρὸς ἡμέραν, ἤδη ἀλεκτρυόνων ᾀδόντων: *hoc est, Excitari seu cubitu surgere cum die, jam canentibus gallis. Apud Marcum hîc additur adverbium* δὶς, *id est, bis:* πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι δὶς, *Antequam gallus canat bis: Marc.14. v.ult. Quod adverbium hîc necessariò est intelligendum. Etenim tum demum Petrus Dominum negavit tertiò, quum gallus cecinit secundò: sicut disertè Marcus ibidem narrat. Aliàs gallus cecinit (primò scilicet) ad negationem Petri primam: ut narrat idem Marcus cap. allegato, vers.68. Qui quidem hanc historiam exactiùs quàm cæteri, videtur narrare ex eo, quòd dictata ei fuit (ut perhibent) ab ipso Petro, cui ista acciderant.*

35 Nequaquam] οὐ μή. *pro, Nequaquam tamen: ut v.33.*

36 In locum] εἰς χωρίον. *Vel,* in prædium. Gethsemane] Γεθσημανῆ. *Id est, vallis pinguium. Syrè Gethsimân, ait doctissimus Fr. Junius, unicâ voce. Et addit, sic appellatum fuisse locum in quem comportabatur & asservabatur oleitas (qua voce utitur Cato) in olivarum monte. Oleitatem autem Cato vocat ipsas destrictas olivas, fructus scil. olearum: & hanc vindemiæ opponit, quo nomine intelligit uvas de vitibus lectas.* Considite hîc] καθίσατε αὐτοῦ. Setzet euch hieher. *Sic videtur Latiniùs verti, expressiùs sanè: quàm,* Sedete hîc. *nam verbo sedendi notatur quies: hic autem de motu sermo est quo ad quietem illam pervenitur.*

37 Duobus filiis Zebedæi] τοὺς δύο υἱοὺς Ζεβεδαίου. *Id est, Johanne & Jacobo.* Gravissimè angi] ἀδημονεῖν. *Verbum* ἀδημονεῖν *deductum est proximè à nomine inusitato* ἀδήμων: *quod formatur ab* ἀδῆμαι *primâ personâ præteriti passivi, verbi* ἀδέω: *quod significat fastidio affici, à nomine* ἄδος, *satietas, fastidium: vel ab adverbio* ἄδην, *ad satietatem usque. Igitur verbum* ἀδημονεῖν *significat ex fastidio vel horrore collabi animo & angi. Marcus dicit,* ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, *cœpit expavescere & gravissimè angi, Marc.14.33. Lucas verò de anxietate mox subsequuta inter precandum, sic loquitur:* Et constitutus in angore seu lucta (γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ) intentiùs orabat. Erat autem sudor ejus quasi grumi sanguinis descendentes in terram. *Sed quæ tantæ anxietatis tantive horroris causa? Nempe intuitus poculi illius longè acerbissimi (nimirum immensæ iræ Dei adversus omnia omnium electorum peccata) quod poculum paulo-pòst exhauriēdum sibi esse nôrat & cogitabat: ut si quis exhorrescat intuens poculum quo continetur amarus potus ipsi exhauriendus. Poculum autem illud iræ Dei exhausit demum in cruce: qui haustus expressit illi tristissimam illam ac lamentabilem vocem:* Deus mi, Deus mi, quare me deseruisti?

38 Supra modum tristis] περίλυπος. *Quòd in ista voce hanc vim habeat præpositio* περὶ, *patet ex istis dictis. Isocrates ad Dem.* οὔτ' εὐτυχῶν ἔσῃ περιχαρὴς, οὔτε δυστυχῶν περίλυπος. *Arist. Eth.4.c.3.* οὔτ' εὐτυχῶν περιχαρὴς ἔσται, οὔτε ἀτυχῶν περίλυπος. *Plutarchus de lib. de educ.* μήτε ἐν ταῖς εὐπραγίαις περιχαρεῖς, μήτε ἐν ταῖς συμφοραῖς περιλύπους ὑπάρχειν.

39 Poculum hoc] τὸ ποτήριον τοῦτο. *Id est, passio hæc quam sentio mihi esse sustinendam in cruce, sensurus scil. plenitudinem iræ tuæ adversus peccata electorum, pro quibus me satisfacturum spopondi. Metaphora qualis suprà 20.v.22.* Veruntamen] πλήν. *Subaudi, Fiat,* γενέσθω: *quod exprimitur apud Lucam.*

40 Unam] μίαν. *Id est, vel unam:* Auch nur eine stund. *quasi dicat, Quanto minùs possetis mecum vigilare horas plures? Ellipsis conjunctionis comparativæ.*

41 Ne introëatis in tentationem] ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. *Eò usq; scil. ut in illa demergamini & succumbatis. Synecdoche membri: qualis in oratione Dominica, in phrasi quæ huic è regione respondet, Nempe, Ne nos inducas in tentationem. Intelligit autem tentationem Satanæ qui tentat an possit electos à Deo avertere, atq; ita in æternum exitium præcipitare.* Spiritus quidem] τὸ μὲν πνεῦμα. *Hoc est, animus vester.* Est promtus] πρόθυμον. *Videl. ad adhærendum mihi tanquam unico Servatori.* Sed caro] ἡ δὲ σάρξ. *Id est, corpus. sicut & Syrus interpres reddidit.* Infirma] ἀσθενής. *Ad sustinendum scil. persecutionem, sed patiendum aliquid propter me.*

45 Dormite quod superest] καθεύδετε τὸ λοιπόν. *Ironia.* Appropinquavit hora] ἤγγικεν ἡ ὥρα. *Videl. hora illa qua ego ex decreto Patris capiar & ad supplicium rapiar. Hoc innuit articulus.* Et Filius hominis traditur] καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται. *Epexegesis.* Peccatorum] ἁμαρτωλῶν. *Id est, Ethnicorum, idololatrarum, deniq; hominum profanorum & ab omni pietate alienorum. Iidem apud Esa. cap.53. v.9. nominantur* רְשָׁעִים *reschahhim, id est, improbi sive impii: & Actor.2.23.* ἄνομοι, *id est, scelerati, Legis scil. divinæ contemtores. Synecdoche generis.*

46 Eamus] ἄγωμεν, *id est,* ὑπάγωμεν. *Ad verb.* Agamus. *scilicet nos.*

46 Et fustibus] καὶ ξύλων. *Ad verb.* Lignis. *Metonymia materiæ.* A primariis sacerdotibus] ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων. *Scil.* πεμφθεὶς *seu* ἀποσταλεὶς, *missus.*

48 Quem osculatus fuero] ὃν ἂν φιλήσω. *Sic loquendum puto: non autem,* Quemcunque: *quod respondet Græco,* ὅντινα ἂν: *& valet Latinè,* Omnis quem: *nec est nota individuo unius, sed plurium: ut suprà 10.32.* πᾶς ὃν ὅστις ὁμολογήσει ἐν ἐμοί, *Quisquis igitur confitebitur de me. Et v.33.* ὅστις δ' ἂν ἀρνήσηταί με, *Quisquis (seu quicunq;) autem negaverit me.*

50 Amice] ἑταῖρε. *Vox Græca notat hominem quo utimur familiariter: quod genus amicorum Latini appellant familiares.* Accesserunt] προσελθόντες. *Nempe armati à Juda adducti.*

51 Unus ex iis qui erant cum Jesu] εἷς τῶν μετὰ Ἰησοῦ. *Supple* ὄντων. *Is autem fuit Petrus, Joh.18.10.* Servo pontificis maximi] τὸν δοῦλον τοῦ ἀρχιερέως. *Illi servo nomen fuit Malchus, Joh.18. v.10.* Auriculam ejus] αὐτοῦ τὸ ὠτίον. *Nempe dexteram: Joh.18.10.*

52 In locum suum] εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ. *In vaginam: ut loquitur Johannes.* Quicunque enim acceperint] πάντες γὰρ οἱ λαβόντες. *Scil. ultrò, ex vindicta privata. Synecdoche generis.* Gladio] ἐν μαχαίρᾳ. *Pro,* διὰ μαχαίρας. *Ad verbum,* In gladio: *Hebraism. Repetitur autem idem nomen in significatione paulò diversâ eleganter, per* ἀντανάκλασιν. *Significatur enim hîc gladius magistratus, per synecdochen generis: quum in priore membro significetur gladius hominis privati.*

53 Ut huc sistat] καὶ παραστήσει. *Pro,* ἵνα παραστήσῃ. *Ratio loquendi Hebraica.* Mihi] μοι. *Ad me defendendum.* Legiones] λεγεῶνας. *Legio traditur esse agmen militare constans viris sexies mille, sexcentis, sexaginta sex: Vel (secundùm alios) militibus duodecies mille, quingentis. Inde transfertur ad exercitus illos cœlestes.*

54 Scripturæ *quæ dicunt*] αἱ γραφαί. *Subaudi,* αἱ λέγουσαι.

55 Turbæ] τοῖς ὄχλοις. *Ac inprimis primariis sacerdotibus, præfectis templo & senioribus: ut meminit Lucas.* Ut comprehenderetis] συλλαβεῖν. *Pro,* τοῦ συλλαβεῖν. *Scil.* ἕνεκα. Nec] καὶ οὐκ. *Id est, Nec tamen. Ellipsis conjunctionis discretivæ.*

58 Considebat] ἐκάθητο. Satzt sich. *Ut suprà 13.1.* Ut videret] ἰδεῖν. *Pro,* τοῦ ἰδεῖν. *Scil.* ἕνεκα. Finem] τὸ τέλος. *Id est, exitum*

ret] ἰδεῖν. Pro, τοῦ ἰδεῖν. Scil ἕνεκα. Finem] τὸ τέλος. *Id est, exitum cœpti cum Jesu negotii. Sperabat forsan, illum se potentiâ suâ divinâ è manibus inimicorum liberaturum.*

59 Confessus] τὸ συνέδριον. *A voce Græca Judæi illum senatum nominarunt* סַנְהֶדְרִין *Sanhedrin.*

60 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.* Non tamen invenerunt] οὐχ εὗρον. *Ellipsis conjunctionis discretivæ.*

62 Quid est quod isti &c.] τί οὗτοι &c. *Ellipsis Hebraica geminæ: una verbi substantivi, altera pronominis relativi.*

63 Adjuro te per Deum] ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ Θεοῦ. *Id est, postulo à te ut legitimus magistratus, ut adhibito jurejurando mihi dicas quod à te peto.* Ich beäidige dich / Ich fordere einen äid von dir.

64 Tu dixisti] σὺ εἶπας. *Id est, Ego sum: ut declaratur Marci 14. v. 62.* Veruntamen] πλὴν. *Quasi dicat, Etsi autem scio, vos mihi quantumvis cum jurejurando quòd sim filius ille Dei, confitenti non credere: tamen monitos vos volo, venturum illum diem quo vel inviti hoc credetis, quum scilicet reipsâ id coram oculis vestris demonstravero. Itaq; non puto conjunctionem πλὴν hoc loco reddendam,* Quin etiam: *sed nativam ejus significationem, adversativam scilicet, seu discretivam, conservandam.* Ab hoc tempore] ἀπ' ἄρτι. *Posteaquam scilicet me trucidaveritis & è medio sustuleritis.* Filium hominis] τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. *Id est, me quem nunc ut nudum hominem contemnitis.* Sedentem ad dexteram potentiæ] καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως. *Vetus interpres addit,* Dei. *Et sanè id ipsum nomen est subaudiendum: ut notum est ex collatione complurium locorum. Loquitur autem de administratione sui regni gloriosa in hoc mundo: nempe quòd per prædicationem Evangelii sibi colligit Ecclesiam, eamq; mirabiliter tuetur invito diabolo & mundo. Et hujus gubernationis initia viderunt illi ipsi inimici Christi in die Pentecostes & deinceps.* Et venientem in nubibus cæli] καὶ ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ. *Scil. ad judicium in fine mundi. Confer suprà 24. 30. & 25. 31.*

65 Dirupit vestimenta] διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια. *Ad testificandum scil. suum dolorem quem caperet ex audita blasphemia: quasi nimirum cor ipsius ex illo dolore scinderetur. Erat hic mos apud Judæos.* Blasphemavit] ὅτι ἐβλασφήμησε. *Conjunctio ὅτι redundat, serviens tantùm mimesi.* Quid amplius egemus testibus?] τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; *Nempe ad convincendum istum hominem impietatis morte plectendæ.*

66 Quid vobis videtur?] τί ὑμῖν δοκεῖ; *Id est, Quâ pœnâ censetis afficiendum? Synecdoche generis.* Reus mortis est] ἔνοχος θανάτου ἐστί. *Id est, supplicio capitis afficiendus est.*

67 Inspuerunt &c.] ἐνέπτυσαν &c. *Nempe viri qui tenebant Jesum: ut ait Lucas.* Bacillis verberarunt] ἐῤῥάπισαν. *Verbum ῥαπίζειν derivatum est à nomine ῥαπὶς, quo significatur baculus: qui & ῥάβδος.*

68 Vaticinare nobis] προφήτευσον ἡμῖν. *Quandoquidem scil. propheta es. Acerbissima ironia.* Quis est &c.] τίς ἐστιν &c. *Hoc puto ἐμφατικώτερον, ut hac dicantur per mimesin: quàm ut obliquè, nempe, Quis sit.*

69 Extra] ἔξω. *Non quidem extra aulam: quippe quum mox addatur, ἐν τῇ αὐλῇ, in aula; quumq; ex aula post tertiam demum negationem egressus sit, ut narratur infrà v. ult. sed sedebat extra illud septum intra quod sedebat concilium & stabat coram illo Jesus.*

71 In vestibulum] εἰς τὸν πυλῶνα. *Apud Marcum est, εἰς τὸ προαύλιον. Quo vocabulo significatur atrium seu locus sub dio intra portam ædium extimam.* Vidit alia ancilla] εἶδεν αὐτὸν ἄλλη. *Scil. παιδίσκη, ex v. 69. At apud Marcum habetur καὶ ἡ παιδίσκη ἰδοῦσα αὐτὸν πάλιν: tanquam non fuerit alia, sed illa prima. Sed articulus ibi potest accipi non ἀναφορικῶς, sed ἀορίστως pro παιδίσκη τις: & adverbium πάλιν, potest referri ad iterationem facti in genere. Lucas verò (22, 58) sermonem istum non tribuit mulieri, sed viro. Sed fieri potuit, ut & mulier & vir eundem sermonem eodem tempore dicerent.* Nazareno] Ναζωραίου. *De hoc nomine vide scholia suprà 2. 23.*

72 Dicens, Non novi] ὅτι οὐκ οἶδα. *Conjunctio ὅτι ponitur ad serviendum mimesi.* Hominem] τὸν ἄνθρωπον. *Hominem istum de quo loquimini. Hoc innuit articulus, vim habens ἀναφορικήν. Veruntamen in Latino elegantius est, si pronomen non exprimatur.*

73 Loquutio tua] ἡ λαλιά σου. *Seu loquela tua, sive idioma tuum. Nempe Galilæum: ut declarat Marcus.*

74 Cecinit] ἐφώνησε. *Vide suprà 34.*

75 Priusquam gallus canat] πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι. *Scilicet bis: ut declarat Marc. 14. v. ult.* Foras] ἔξω. *Videlicet extra aulam: in cujus vestibulo tum stabat, suprà 71. & seq.* Flevit amarè] ἔκλαυσε πικρῶς. *Nempe ex dolore ob peccatum à se admissum in Domino negando.*

OBSERVAT. EX CAP. XXVI.

Passio Christi. 1 Ex tota historia passionis Domini. Tota historia passionis Domini facit ad nostram doctrinam, ad consolationem, & ad institutionem in justitia. Ad doctrinam: quia primùm hinc discimus, peccatum esse malum teterrimum: quippe quòd non nisi morte filii Dei potuerit expiari. Deinde, Deum esse perfectè justum, misericordem & sapientem. Perfectè justum: quia nullum peccatum dimittit impunitum. nam reproborum quidem peccata puniturus est in ipsismet, idque pœnis æternis in gehenna: peccata verò electorum punivit in ipsorum sponsore ac mediatore Christo: quæ pœna etsi duravit tantùm ad tempus, tamen æquivalet æternæ suæ infinitæ, propterea quòd persona quæ illam luit, est æterna & infinita. Deinde perfectè misericordem: quia propter satisfactionem Christi electis omnia ipsorum peccata ignoscit & vitam æternam donat. Tum perfectè sapientem: quia viam invenit quâ simul perfectam justitiam & perfectam misericordiam erga nos exerceret: justitiam quidem, puniendo peccata nostra omnia in nostro mediatore: misericordiam verò, nobis propter satisfactionem mediatoris peccata omnia condonando. Quæ res illustrari potest exemplo Zaleuci: quod huic partim est simile, partim dissimile. Is enim traditur legem tulisse, ut adulter utroque oculo privaretur. Quum verò filius adulterium admisisset, & subditi pro illo apud patrem intercessissent; petentes culpam ei condonari, ne cæcum regem aliquando habere cogerentur: ibi Zaleucus unum oculum filio, & unum sibi ipsi pro filio erui curavit: ratus hoc modo satisfactum iri legi: atque ita se in justum judicem & misericordem patrem (ut Valerius Maximus ait) divisit. Sapiens quidem factum: sed tamen infra sapientiam illam Dei longè subsidens. quippe Zaleucus nec perfectam justitiam exercuit, quia oportuisset filium adulterum privare oculo utroque non altero tantùm; vel certè loco filii oportuisset seipsum privare oculo utroque: nec perfectam misericordiam, quia sic neutro oculo privare illum oportuisset, sed utrumq; ei relinquere. Jam ad consolationem sic facit historia passionis Domini, quòd scimus, peccata nostra omnia passione & morte Christi esse plenissimè expiata, proque illis judicio Dei plenissimè satisfactum, nobisque vitam æternam partam. Ad justitiam verò instituimur hinc tribus modis: Partim per considerationem naturæ peccati, nempe quòd sit res teterrima, quæ Deum gravissimè offendat: ac proinde detestandum & fugiendum. Partim verò per considerationem beneficii redemtionis: ut nos pro illo gratos declaremus, studendo obedire sanctis Dei mandatis. Partim denique per considerationem patientiæ Domini: ut exemplum ipsius imitemur, patienter ferendo odium & persecutionem mundi propter confessionem veritatis cælestis: qua de re monet Petrus 1. Pet. 2. v. 21.

2 Ex v. 1. & 2. Ex eo quòd Christus instans suum supplicium prædixit, & tamen illud evitare aut effugere non est conatus: apparet, eum subiisse illud volentem. Voluit autem, quia pater hoc ei mandârat. Mandârat autem pater propter nos, ad expiandum scilicet inobedientiam nostram. Quare perspicuum est, inobedientiam nostram per hanc obedientiam Christi esse expiatam. Id quod expressè tradit Paulus Rom. 5. v. 19. Heb. 10. vers. 5. & deinceps. *Obedientia Christi.*

3 Ex vers. 3, 4. & 5. Decreta Dei non possunt mutari consiliis hominum. Decreverat Deus ut Christus mactaretur & supplicio capitis afficeretur in festo paschatis: ut nimirum ex ipsa temporis circumstantia moneremur, ipsum esse agnum illum Dei qui fuit mactandus ad tollendum peccatum mundi, cujus agnus paschalis fuit typus: Item ut sacrificii sui totum Israëlem testem haberet. Contra hoc decretum consultant hostes Christi, ne supplicium illud peragatur in illo festo. Sed frustra. nam crucifixerunt Christum eo ipso die quo celebrandum erat pascha secundùm Legem Dei, quam Christus unà cum discipulis observaverat: secundùm verò consuetudinem à Rabbinis introductam erat tunc parasceve illius festi: ac proinde populus jam erat festi causâ congregatus: cujus tamen frequentiam isti conabantur evitare. *Decreta Dei.*

4 Ex v. 6. & seq. Ex eo quòd Christus mulierem istam quæ preciosum unguentum super caput ipsius effuderat, defendit, discimus: non statim damnandum esse quod extra ordinem agitur. Potest enim accidere ut quod nobis temere aut pravè factum videtur, optimâ ratione factum sit, propter arcanum impulsum Spiritus S. sicut isto exemplo monemur. *Judicium de factis extraordinariis.*

5 Ex vers. 8. & 9. Si statuamus, solum Judam propter effusum unguentum indignatum fuisse, ut ex narratione Johannis colligitur: monemur hoc exemplo de ingenio & moribus hypocritarum: quòd scil. avaritiæ suæ prætexere soleant pium aliquem affectum, ut hoc loco Judas avaritiæ suæ prætexit solicitudinem erga pauperes: de quibus tamen illi, teste Johanne, cura non erat: sed sub hoc prætextu cupiebat explere suam avaritiam, intervertendo scil. aliquam partem de pecunia pro qua unguentum fuisset venditum. Si verò sentiamus (id quod fieri potuit) reliquos quoq; discipulos authore Judâ in illam indignationem fuisse abreptos; tum monemur, quàm perniciosum sit versari cum hypocritis: quippe qui alios alioquin non malos exemplo suo à recto pietatis cursu abripiunt & transversos agunt. Sic una ovis morbida totum gregem inficit. Hypocritæ igitur cavendi sunt. *Hypocritæ.*

6 Ex v. 11. Quum semper pauperes habituri simus, semper etiam curæ nobis esse debent: ut ipsorum inopiæ ex nostris copiis consulamus atque succurramus: perpendentes illud, quòd Deus tam pauperem crearit quàm divitem: quodq; pauper sit caro nostra. Item, quòd pii pauperes sint fratres nostri in Christo. Item, quòd Christus sibi imputabit in die judicii quæcunque in paupe- *Beneficentia erga pauperes.*

res beneficia contulerimus, nosque æternis præmiis remunerabitur: ut videre est sup. 25. v. 34. & seq.

Conciliatio Scripturarũ. 7 Ex eod. vers. Quæritur, quomodo intelligendum sit, quod Christus hîc ait, *Me non semper habebitis*: quum tamen idem dicat inf. in hujus lib. fine: *Ego sum vobiscum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi?* Responsio facilis est ex consideratione personæ Christi, quæ constat ex duabus naturis, divinâ & humanâ. Etenim secundùm naturam humanam desiit esse cum discipulis ac omnino in hoc mundo, sed mundum (ut ipse alibi ait) reliquit, quum ivit ad Patrem, hoc est, quum ascendit in cælum: quò etiam illum recipi atque contineri oportet, teste Petro in Actis, usque ad tempora restitutionis omnium, hoc est, usque ad consummationem sæculi: quo tempore è cælo rediturus est in hunc mundum ad judicium universale, seque toti generi humano in nubibus conspiciendum præbebit. At secundùm naturam divinam nunquam desiit esse cum discipulis, vel in mundo: quia secundùm illam ubique est. Sed insuper cum discipulis mansit, & usque ad finem mundi omnibus piis adest, gratiâ speciali, videlicet per assistentiam Spiritus S. dirigentis illos & consolantis atque corroborantis ad constanter confitendum veritatem cælestem.

Mos ungendi cadavera. 8 Ex v. 12. Observandum, morem ungendi cadavera defunctorum, fuisse Deo probatum: quippe quem Christus in se quoque quoad ejus fieri poterat, adhiberi voluerit. Probatus autem fuit Deo hic mos haddubiè propter significationem. Erat enim professio fidei Judæorum, quòd crederent, corpora sua aliquando incorrupta revictura. hinc enim fiebat, ut illa quoad possent, incorrupta servare studerent, ungendo ea myrrhâ & aloë (ut meminit Johannes) quæ aromata vim habent conservandi corpora ne putrescant. Sic & Joseph funerasse seu pollinxisse legitur corpus patris sui Jacobi, antequam illud ex Ægypto transportaret in terram Chanaan.

Pia piorum facta. 9 Ex v. 13. Pia piorum facta à piis æternâ memoriâ celebranda sunt. Id autem ita fieri debet, ut & gratias Deo agamus, quòd pios illos ita per Spiritum S. gubernavit: & eundem oremus ut nos quoque similiter gubernet, ut possimus insistere laudabilibus vestigiis illorum.

Avaritia. 10 Ex v. 14. & seqq. Exemplo pactionis Judæ de prodendo Domino monemur, avaritiam radicem esse (ut Paulus ait) omnium malorum. Caveamus igitur, & Deum oremus ut cor nostrum inclinet ad mandata sua, & non ad avaritiam.

Pastorum Ecclesiæ officium. 11 Ex v. 17. & seqq. Si pastor Ecclesiæ animadvertat, ab antecessoribus suis introductam esse consuetudinem in cultu Dei contra verbum Dei: debet illam consuetudinem ex verbo Dei emendare: exemplo Christi, qui posthabitâ consuetudine celebrandi Pascha à Rabbinis introductâ, Pascha celebravit eo die quo Deus celebrandum præceperat, videl. 14. die mensis Nisan sive Abib, qui partim nostro Aprili, partim & maximè Martio respondebat. Judæi autem postridie demum pascha illo anno celebrarunt, ut manifestum est ex Johanne & ex re ipsa: quippe quum, sistentes Christum Pilato, noluerint ingredi prætorium, ut polluerentur, idque ut possent edere pascha. Ergo tum nondum ederant: at Christus cum suis discipulis jam ederat præteritâ nocte. Item illo die quo Christus fuit crucifixus, dicitur fuisse parasceve Judæorum, h.e. dies proximè antecedens diem festum paschatis, quo die ad festum sese præparabant. Fecerunt autem istud Judæi ex traditione Rabbinorum: qui statuerant ut si pascha incideret in diem sabbatho proximum, transferretur in ipsum diem sabbathi, ne scil. cogerentur per integrum biduum feriari: id quod eis molestum accidebat. Quum igitur illo anno pascha incideret in diem hebdomadis sextum, quem nos diem Veneris dicimus: transtulerunt ipsum in diem 7. videl in ipsum diem sabbathi: unde etiam istud sabbathum appellatur magnum, propter concursum videl. festi paschatis: quod aliàs per se instar sabbathi celebrabatur. Sicut autem Christus humanâ traditione posthabitâ, legem divinam observavit: ita & pastores Ecclesiæ nostrâ ætate rectè fecerunt, quòd posthabitis traditionibus humanis in Papatu introductis, administrationem sacramentorum reformarunt, ad regulam verbi Dei.

Loquutiones sacramentales. 12 Ex v. 17. 18. & 19. Notanda hîc sunt exempla loquutionum sacramentalium: videl. Edere pascha: Facere pascha & Parare pascha: id est, Edere agnum, Celebrare festum paschatis, Parare agnum: parare scil. assando ad edendum. Etenim nomen Pascha apud Hebræos propriè significat transitum vel potiùs transsilitionem, **einen überschritt oder überhupfung**. Et intelligitur hîc transsilitio illa angeli in Ægypto, qua transsiliit domos Israelitarum, dum percutiebat atq; interficiebat primogenita Ægyptiorum: Cujus transsilitionis & per synecdochen liberationis populi Israelitici ex Ægypto, vi illius percussionis primogenitorum effectæ, signum memoriale erat agnus quem assatum quotannis ex Dei mandato solenniter edebant, ut pro illo beneficio redemtionis sui ex Ægypto gratias Deo agerent. Unde jam perspicitur, nomine Pascha appellari tum agnum illum, tum etiam festum illud per metonymiam subjecti: quia ille agnus & illud festum transsilitionis illius erat signum ac testimonium. Eadem ratio loquendi observatur in aliis Sacramentis. Hac enim ratione circumcisio dicitur esse fedus Dei, Genes. 17. hoc est, signum federis: ut ibidem exponitur. Item panis cænæ Dominicæ dicitur esse corpus Christi: & poculum seu vinum, sanguis Christi, hoc est, signa corporis & sanguinis Christi, significantia seu testificantia, corpus Christi pro nobis esse crucifixum, & sanguinem ejus pro nobis esse effusum in remissionem peccatorum. Nec est quod quis excipiat: agnum quidem pascha nominari: at panem Eucharisticum non nominari corpus Christi, sed de eo pronuntiari quòd sit corpus Christi. Etenim res eòdem redit. Et certè si rectè de pane Eucharistico dicitur, quòd sit corpus Christi: pari ratione idem ille panis rectè nominabitur corpus Christi. Et sicut agnus ille nominatur pascha, h.e. transsitus seu transsilitio: ita etiam eâdem ratione dicitur esse pascha, Exod. 12. v. 11. ubi de parva pecude (sive agnus esset sive hœdus) præcipitur his verbis, *Comedetis eam cum festinatione: Pascha est Jehovæ*. In quo pronuntiato subauditur ex membro præcedente nominativus antecedens, E A, scilicet parva pecus. Atque adeo in Hebræo pronomen illud relativum exprimitur: dicitur enim, פֶּסַח הוּא לַיהוָה pésach hú lajehováh, id est, *transsilitio ipse Domini. Ipse*, scil. agnus vel hœdus, seu denique parva illa pecus; quæ Hebraicè nomine masculino appellatur שֶׂה seh: cui pronomen illud masculinum הוּא hú respondet: ipse igitur agnus vel hœdus, est transsilitio illa Jehovæ, qua scilicet Jehova per angelum percutiens primogenita Ægyptiorum transsiliit domos Israëlitarum, atque ita eis pepercit, eâque occasione ex Ægypto eos eduxit. Simili ratione circumcisio dicitur esse fedus Dei, Genes. 17. & ibidem fedus Dei nominatur, ubi dicitur: *Fedus meum erit in carne vestra*. Quare ista tum appellandi tum enuntiandi ratio unum & idem docent: nempe ex signato intelligendum esse ipsum signum.

Vita Christi. 13 Ex v. 20. Christus ad finem usq; vitæ suæ legem Dei studiosissimè observavit sicut hoc loco videmus celebrasse pascha eo tempore, quo fuit celebrandum ex Dei præcepto. Quòd autem inter edendum pascha unà cum discipulis discubuit: non est putandus venisse contra legem Exod. 12. v. 11. ubi jubentur pascha edere stantes, nimirum lumbis succinctis, calceamenta habentes in pedibus & baculum in manu. *Paschatis edendi ratio.* Etenim istud præceptum pertinuit ad solam celebrationem primi illius paschatis in Ægypto: quum oportuit eos esse comparatos ad iter: quippe qui eâ ipsâ nocte ab Ægyptiis erant urgendi ut exirent: unde & jubentur edere cum festinatione. Non debuisse autem illa repeti in posterum: planum fit ex eo quòd in institutione anniversarii ritus paschalis in eodem capite v. 14. & seqq. item Num. 9. neque hæc repetuntur, neque sanguinis aspergendi mandatum, neque egrediendi interdictum: sicut in illum Exodi locum Tremellius & Junius annotarunt. Usus hujus doctrinæ est: quòd hinc scimus, Christum fuisse idoneum ad satisfaciendum pro nostris peccatis: quippe quum ipse esset perfectè sanctus.

Obedientia Christi. 14 Ex v. 21. Ex eo quòd Christus proditorem suum indicavit, perspicitur, insidias illius fuisse ipsi cognitas: quas quum evitare non studuerit, sed potiùs (ut postea narratur) ultrò obviam ei prodierit: apparet, ipsum passionem suam subiisse volentem. Id quod facit ad nostram consolationem: quum inobedientia nostra non potuerit aliter expiari quàm per obedientiam passionis Christi, Rom. 5. v. 19.

Ecclesia visibilis. 15 Ex vers. 22. Exemplo discipulorum monemur, officii nostri esse contristari, quum cognovimus in cœtu nostro esse aliquem sceleratum: idque tum quòd Deus sceleribus offenditur, tum quòd proximus malo exemplo corrumpitur. Hinc Paulus 1. Corinth. 5. reprehendit Corinthios, quòd non luxerint propter scelerati illius Corinthii incestuosam consuetudinem cum noverca.

Suspicio. 16 Ex eod. v. Eorundem exemplo monemur; si in suspicionem alicujus sceleris incidamus, & tamen bene nobis conscii simus: officii nostri esse, operam dare ut à suspicione liberemur.

Perfidia. 17 Ex vers. 23. Si quis experiatur perfidè secum agi ab aliquo quo familiariter fuit usus, aut de quo bene fuit meritus: consoletur se exemplo Christi, qui talem perfidiam à Juda perpessus est.

Injuria. 18 Ex vers. 24. Quum iniquè tractamur: exemplo Christi consolemur nos consideratione voluntatis Dei gubernantis omnia; & quidem in bonum iis qui ipsum diligunt, ut ait Paulus Rom. 8.

Providentia Dei. 19 Ex eod. Etsi scelera perpetrantur ex decreto Dei, nec non à Deo gubernantur ad gloriam ipsius & salutem electorum: tamen scelerati hinc non habent excusationem: quia scilicet non est illis propositum exsequi decreta Dei aut obedire voluntati ipsius: sed propositum eis est agere ea quæ Deus in Lege sua prohibuit, ac proinde justo Dei judicio puniuntur. Videmus enim Judam propter scelus proditionis addici æterno exitio: licet illud scelus perpetraturus erat ex decreto Dei per Scripturam testato. Confer Act. 2. v. 23. & c. 4. v. 28.

Gehenna. 20 Ex eod. v. Cruciatus infernales longè gravissimos esse, colligitur ex eo, quòd iis qui illos sentiunt, melius esset, ut nunquam essent nati, nec suavitatem hujus vitæ unquam gustassent, quemadmodum Dominus de Juda ait. Fugiamus igitur impietatem: quippe quâ cruciatus illi accersuntur.

Hypocrita. 21 Ex v. 25. Exemplo Judæ monemur, hypocritas etiam tunc quum scelera moliuntur, alienos tamen ab illis videri velle.

22 Ex eod.

22 Ex eod. vers. Quò magis hypocritæ scelera sua tegere conantur, eò magis illa produnt; ut videmus accidisse Judæ: qui quum putaret Domino non constare de sua proditione, audacter eum interrogat, an is se habeat suspectum: confidens nimirum, se non posse argumento aliquo convinci: sed accipit tale responsum, ex quo facilè perspicit, se Domino suspectum esse, & scelus suum cæteris discipulis innotescere.

Definitio cœnæ Domini. 23 Ex v.26. & seqq. Ex verbis Institutionis, quæ exstant tum hic apud Matth. tum apud Marc. Luc. & Paul. colligi potest cœnæ Dominicæ definitio talis. Cœna Domini, est convivium seu epulum sacrum, constans ex pane & vino, à D. N. Jesu Christo in ultima cœna institutum, ut fidelibus suis per panis fractionem & vini in poculum infusionem repræsentet mortem suam, perque eorundem præbitionem eis significet atque testificetur, corpus suum pro ipsis esse fractum in cruce seu datum in mortem, sanguinemque suum pro ipsis esse effusum in remissionem peccatorum: & ut per hanc testificationem corpus suum crucifixum & sanguinem suum effusum, eis spiritualiter (nempe per fidem) edendum ac bibendum det, atque ita corda eorum vivificet seu confortet & lætificet per gustum favoris Dei morte suâ parti: & denique ut per hanc vivificationem eos excitet ad gratias patri & ipsi pro beneficio redemtionis solenniter agendas.

Descriptionis propositæ declaratio. Hæc descriptio constat genere & differentiâ. Genus est convivium seu epulum. Differentia sumta est ex variis argumentis, & constat ex octo membris. Quæ sunt: 1. Adjunctum adhærens, videlicet sanctitas. 2. Materia, panis & vinum. 3. Efficiens, Dominus noster Jesus Christus. 4. Adjunctum adhærens, seu circumstantia temporis, nempe ultima cœna. 5. Adjunctum occupatum seu convivæ, Fideles. 6. Alterius generis materia, videl. Fractio panis & fusio vini. 7. Forma, videlicet relatio symbolorum (quæ sunt ipsa materia) ad res significatas: nempe fractionis panis ad fractionem corporis Christi, itemque fusionis vini ad fusionem sanguinis Christi: nec non præbitionis symbolorum ad donationem corporis & sanguinis Christi in cibum & potum spiritualem. 8. Fines quatuor: quorum priores posterioribus subinde subordinati sunt: nempe Repræsentatio mortis Domini, Testificatio de fructu illius, Vivificatio seu consolatio fidelium, Excitatio ad solennem gratiarum actionum.

Definitionis propositæ confirmatio. Cœnam Domini esse *convivium* seu *epulum*, liquet ex eo quòd discipuli de pane illo ederunt, & de poculo illo biberunt, accumbentes simul ad mensam: ut percipitur ex verbis: *Edentibus autem eis, accepit Jesus panem &c.* nempe edentibus agnum paschalem: ut planum est ex collatione præcedentium v.17. & deinceps. Idem liquet ex verbis Pauli 1.Cor.11. vers.20. & deinceps: ubi reprehendit Corinthios, quòd in celebratione cœnæ Dominicæ unusquisque propriam cœnam præoccupet, nec alius alium exspectet: & hic quidem, puta pauper aliquis à divitibus non exspectatus, esuriat: alius verò, nempe dives quispiam, cœnam propriam præoccupans, ebrius sit. Præcipit autem ut quum conveniunt ad edendum cœnam Dominicam, alius alium exspectet: ut scil. unà convivium hoc celebrent.

Est igitur cœna Dominica convivium, sed *sacrum:* quia institutum non ad pascendum ventrem, sed mentem: idque in locum agni paschalis, & per certas cærimonias, puta per solennem gratiarum actionem, qua Christus gratias Deo egit pro beneficio redemtionis per mortem suam perficiendæ: item per fractionem panis qua fractionem seu crucifixionem corporis sui repræsentavit. Idem liquet ex verbis Pauli loco paulo antè citato, ubi Corinthios reprehendit quòd convivium hoc celebrarent non ut sacrum, sed ut profanum: quippe in quo nonnulli inebriarentur: unde monet, ut si quis esuriat, domi edat. quo significat, non esse hoc convivium institutum ad ventrem pascendum: sed ad pascendum mentem meditatione videl. mortis Domini: quippe quam dum hoc convivium celebrant, debeant annuntiare, hoc est, publicè prædicare, Deoque pro illa solenniter gratias agere, quòd nimirum ipsos per illam à morte æterna redemerit.

Cæterùm convivium sive epulum hoc *constare ex pane & vino*, liquet ex verbis; *Accepit panem &c. & dixit, Accipite, comedite.* Item, *Accepit poculum, & dixit, Bibite ex eo omnes.* In poculo autem fuisse vinum, patet ex his verbis: *Dico autem vobis, Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis &c.* Idem liquet ex verbis Pauli 1.Cor.11.v.26. *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis &c.* Item v.27. *Quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè &c.* Et v.28. *Probet autem se quisq; & ita de pane illo edat & de poculo illo bibat.*

Porrò convivium hoc *institutum esse à Domino nostro Jesu Christo:* planum est ex verbis: *Accepit Jesus panem &c.* Item ex eo quòd nominatur Cœna Dominica, δεῖπνον κυριακόν, 1.Cor.11. v.20. Item institutum esse *in ultima cœna*, scilicet paulò antè passionem ipsius, liquet ex verbis, *Edentibus autem ipsis.* Atque hinc etiam Cœnæ nomen accepit.

Institutum autem esse hoc convivium fidelibus seu *in usum fidelium*, hoc est, in Christum credentium, & hanc fidem sive religionem profitentium: patet ex verbis, *Dedit discipulis.* Et ex verbis: *Hoc facite, quotiescunq; biberitis &c.* 1.Cor.11.v.25. Quibus verbis significatur, institui hic cærimoniam solennem celebrandam deinceps in Ecclesia. Quod ipsum adhuc clariùs liquet ex verbis Pauli, quibus illa Domini verba exponit, inquiens: *Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis; mortem Domini annuntiate, usq; quò venerit:* ibid. v.26.

Deinceps in definitione commemorantur quatuor instituti hujus fines, qui sese naturali ordine consequuntur, ita ut semper prior posteriori sit subordinatus. Simul etiam commemorantur ipsæ actiones mysticæ ad illos fines destinatæ: in quarum quidem actionum ad illos fines relatione, ipsa sacræ hujus cœnæ forma essentialis consistit. Fines illi sunt: Repræsentatio mortis Domini, Testificatio de fructu illius, Vivificatio seu consolatio fidelium, Excitatio ad gratias Deo agendas: Actiones mysticæ sunt: Panis fractio vinique in poculum infusio, & utriusque præbitio.

Igitur *per panis fractionem significari seu repræsentari fractionem corporis Christi*, hoc est, crucifixionem; & Dominum panem fregisse ad hanc repræsentandam oculisque fidelium quasi subjiciendam: percipitur ex verbis ipsius de pane illo pronuntiatis teste Paulo: videl. *Hoc meum est corpus quod pro vobis frangitur.* Pro quibus apud Lucam exstant ista: *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, nempe in mortem crucis. Ex qua collatione percipitur, crucifixionem corporis Domini à Paulo nominari fractionem. Hanc autem appellationem esse impropriam, liquet ex eo, quòd Johannes narrat, crura Domino non esse fracta. Quæritur ergo, quis hic sit tropus? Et rem ipsam considerantibus facile est videre, esse hic metaphoram, eamque translatam à fractione panis illius qui corporis Christi symbolum est: ut nimirum significetur, quemadmodum panis ille frangitur propriè loquendo, ita corpus Domini fractum esse suo modo, quatenus nimirum cruci affixum fuit, ibique pendens indicibiles cruciatus persensit. Cæterùm quod expressè traditur de fractione panis, idem vi analogiæ de fusione vini relinquitur intelligendum, per illam scilicet repræsentari effusionem sanguinis Christi in cruce.

Jam panis fracti & vini infusi præbitionem destinatam esse ad testificandum fidelibus fructum passionis Domini, quòd scil. corpus ipsius pro ipsis fractum seu in mortem crucis datum sit, quodque sanguis ipsius prò ipsis in cruce sit effusus in remissionem peccatorum: clarè liquet ex verbis Domini de pane & vino hoc inter præbendum pronuntiatis, nempe: *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur seu frangitur: Hoc est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Illorum enim verborum sensus est, quòd panis ille & poculum illud sint symbola sive signa corporis & sanguinis Domini, testificantia fidelibus, quòd ipse in corpore & sanguine suo, atque adeò in anima sua, pro ipsis sit passus, ad expiandum scil. hoc sacrificio peccata ipsorum.

Præterea *testificationem hanc destinatam esse ad corda fidelium spirituali hoc cibo ac potu recreanda*, vivificanda seu confortanda & lætificanda, seu denique consolanda: colligi potest ex analogia symbolorum ad res significatas, panis scil. ad corpus Christi, & vini ad sanguinem Christi. Monemur enim, ut panis comestus cõfortat cor, & famem sedat; vinum item bibitum exhilarat cor & sitim sedat: ita corpus Domini quatenus ut crucifixum pro nobis comeditur, & sanguinem Domini quatenus ut effusus pro nobis bibitur (quod utrumq; fit per fidem) confortare atque exhilarare cor spiritualiter, videl. præbendo gustandum favorem Dei morte Christi partum: atq; ita sedare famem ac sitim spiritualem, consolando nimirum contra sensum defectus justitię qua consistamus coram Deo. De qua fame & siti loquitur Dominus quum ait. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, Matt. 5.v.6. Cęterùm de illo spirituali cibo ac potu, nec non de spirituali illa vivificatione, copiosè disserit Christus Joh.6. ubi inter alia dicit, *Panis ille vitæ seu vivificus quem ego dabo, est caro mea, quam ego dabo pro mundi vita*, hoc est, quatenus eam dabo in mortem ad promerendum vitam æternam totius mundi electis. Item: *Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.* Porrò comestionem hanc corporis seu carnis Christi, & bibitionem sanguinis, fieri per fidem, liquet ex verbis Cristi Joh.6. ubi in uno eodemq; sensu dicit v.47. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* & v.15. *Qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Et sanè qualis est ipse cibus ac potus, talis est etiam ejus edendi ac bibendi ratio, nempe spiritualis. Etenim caro Christi rationem cibi habet, non quatenus caro seu secundùm substantiam, quomodo esset cibus corporalis: sed quatenus data pro mundi vita, id est, quatenus passa pro electis totius mundi. hoc enim est quod electos veluti suavissimus cibus recreat, nempe testimonium illud divinum, ipsius filii Dei ore pronuntiatum, quòd ipse carnem suam dederit in mortem pro mundi vita. Cui testimonio qui credit, hoc ipso carne Domini spiritualiter vescitur, & ex illa vivificatur gaudióve spirituali repletur. Quod quidem ipsum Spiritus sancti opus est in nobis; unde ibidem Christus ait, Spiritum esse qui vivificat: nempe Spiritum S. quatenus testimonium Evangelii de carne Christi crucifixâ cordibus electorum persuadet, ut illi fidem habeant.

Postremò *operationem hanc Spiritus sancti in nobis, & ex consequenti actiones quoque illas præcedentes quæ isti operatio-*

N 2

ni inserviunt, directam esse ad glorificationem Dei tanquam ad finem seu scopum principalem, patet ex eo, quòd Christus non contentus docere, quid fidelibus per hunc panem & hoc poculum testatum velit, expressè addit, Hoc facite ad mei recordationem. Quę verba Paulus exponit per annuntiationem mortis Domini, 1. Cor. 11. 26. significans nimirum, officii nostri esse ut mortem Domini per sacram hanc actionem in memoriam revocantes, nosque illius fideli meditatione consolantes, pro tanto beneficio publicè ac solenniter gratias Deo agamus: ut qui tantopere nos dilexerit; ut nobis donaverit ac pro nobis in mortē dederit filium suum unigenitum. Item ut gratias agamus ipsi Domino; qui Patri obediens factus, mortem illam acerbissimam atque ignominiosissimam volens pro nobis sustinuerit, ut nos ab æterna morte redimeret. Sicut olim populus Israëliticus in esu agni paschalis solenniter gratias agebat Deo pro redemtione corporali sui à tyrannide Ægyptiorum, & simul pro redemtione spirituali per agnum illum Dei Christum, in altari crucis offerendum.

Enumeratio ac refutatio multiplicium errorum & corruptelarum circa cænam Domini per antithesin τῆς διδασκαλίας.

Atque hæc est doctrina simplex ac salutaris de cæna Domini ex ipsis verbis Institutionis depromta, ejusmodi certè, ut fideles omnes meritò in ea acquiescere possint, omissis quæstionibus aliis non necessariis, nec ad declarandum hoc mysterium admodum facientibus. Sed quoniam mysterium hoc variis corruptelis in Papatu deformatum est: operæ pretium est ad veritatis conservationem, corruptelas illas detegere Id quod deinceps faciam, in singulis partibus instituendo antithesin inter cænam Domini prout hîc instituitur, & cænam atque Missam prout celebratur in Papatu, atque etiam (saltem ex parte) in ecclesiis nonnullis quæ Evangelicæ nominari gaudent. Servabo autem ordinem verborum, prout occurrunt in ipsa institutione.

Edentibus autem eis.

Ex his verbis intelligitur, S. Cænam institutam esse ac primò celebratam à Domino & discipulis, dum illi una ederent agnum paschalem, ac proinde simul accumberent ad mensam: ita ut actio hæc habuerit speciem convivii, imò fuerit convivium; sed sacrum, & cultus divini causâ nec non ad consolationem piorum institutum. At Missa in quam S. Cæna transformata est in Papatu, nullam habet convivii speciem. Etenim solus sacrificulus sive sacerdos (quem vocant) rem gerit, & quidem non accumbens, assistensve mensæ, sed astans ad altare: idque facie à populo spectante aversâ. Quin & Lutherani altare cum Papistis malunt, quàm mensam cum evangelicis reformatis: quum tamen in novo testamento, propter sacerdotium externum abolitum, nullus sit altarium usus. Præterea ex hac circumstantia superstitionis convincitur opinio Papistica, quasi non liceat Eucharistiam percipi nisi à Jejunis.

Missa.

Accepit Jesus.

Hîc consideremus qualis minister ecclesiæ fuerit Jesus. Fuit autem non sacerdos externus, cujus officium esset offerre Deo aliquid externum: sed fuit præco evangelii ac proinde minister novi testamenti, quo tempore sacerdotium externum debuit aboleri: sicut & paulo-pòst abolitum est per oblationem corporis ipsius super altare crucis. Dominus igitur sacram suam cænam administrans, non egit sacerdotem: At Papistæ volunt, „ ministrum sacramenti Eucharistiæ oportere esse sacerdotem, „ & ordinationem sacerdotalem ita necessariam esse ad Eucha„ ristiam (ut ipsi loquuntur) conficiendam, ut sine ea nullo mo„ do confici possit. Et hoc conantur probare ex ipsis verbis Insti„ tutionis. Nam illud Christi (Hoc facite) Luc. 22. non est dictum, „ inquit Bellarminus, nisi Apostolis: qui eo mandato ordinati sunt sacerdotes novi Testamenti. At, inquam ego, præterquam quòd ex duabus istis sententiis non concluditur propositum, utraque falsa est. Etenim verba illa, *Hoc facite*, tum apud Lucam, tum apud Paulum, à Christo dicta sunt Apostolis, non tanquam Apostolis seu ministris novi Testamenti: sed tanquam fidelibus ac proinde in ipsorum persona dicta sunt fidelibus omnibus ab illo tempore deinceps victuris usque ad Domini adventum. Etenim in prima illa cæna partes ministri peregit ipse Dominus; partes verò ecclesiæ cui sacer hic cibus ac potus ministrari debent, egerunt ipsi Apostoli. Itaq; Paulus verba illa, Hoc FACITE, exponens, refert ea ad fideles quosvis, 1. Cor. 11. 26. ubi ait, Quotiescunque enim EDERITIS (nempe vos fideles Corinthii aliiq; post vos victuri) panem hunc, & poculum hoc BIBERITIS: mortem Domini annuntiate, donec venerit. Ex quibus jam alterius quoque sententiæ falsitas perspicitur, nempe verbis illis, HOC FACITE, Apostolos ordinatos esse primos sacerdotes N. Testamenti. „ At illud, Hoc FACITE, (ait Bellarm.) non significat solùm, Man„ ducate & bibite: quod convenit omnibus Christianis: sed signi„ ficat, Consecrate, sumite & aliis distribuite, ut me facere vidistis. At, inquam ego, ex verbis Apostoli modò citatis liquet contrarium. Etenim Paulus illa verba exponens ad solam actionem manducandi & bibendi ea refert. Quare nihil valet exceptio Bellarmini, quòd Lucas illa verba non eò retulerit, ut qui manducationis ne meminerit quidem. At, inquam, etsi non expressè meminit, intellexit tamen in verbo DEDIT. Certum est enim, quòd Dominus discipulis panem dederit ad manducandum. Nec verè aut piè dici potest, aliam esse sententiam narrationis Lucæ quàm Pauli: quum unus idemq; spiritus, nempe spiritus ille veritatis, utriq; scribenti verba dictaverit. Quid quòd ipse Bellarminus vi veritatis convictus & sibi ipse mox contradicens, fatetur, Lucam ea verba retulisse ad actionem manducandi: sed simul, „ ait, ad actionem benedicendi & distribuendi, quas expresserat. „ At, inquam, expresserat quidem Lucas actionem benedicendi seu gratias agendi & distribuendi, sed non tanquam imperatas discipulis; sed tanquam à Domino administratas. Paulus verò (à quo Lucas non dissentit) illa verba, HOC FACITE, præcisè refert ad actiones discipulis imperatas: videl. ad actionem man„ ducandi & bibendi: & quidem expressè ad actionem bibendi, „ ubi ait, Hoc facite, QUOTIESCUNQUE BIBERITIS. Est autem utriusq; loci idem sensus. Sed pergit in instituta probatione Bellarminus, & pro secundo argumento hanc sententiam affert: Nulla, inquit, est ratio cur illud, HOC FACITE, non debeat referri ad omnia quæ Dominus fecit. Imò, inquam, cur istud mandatum debeat referri ad ea tantùm quæ Dominus discipulis tum imperavit, nempe ut panem illum ac poculum acciperent, ederent & biberent: non autem ad actiones benedicendi, frangendi & porrigendi, à Domino tunc administratas: ratio hæc est, quòd distinctas esse oportet actiones ministri & communicantium: nec actiones ministri ad communicantes pertinent. In prima autem illa cæna ministrum egit solus Dominus, Apostoli verò communicantes. Sed Bellarminus tertium argumentum addit: Nisi, inquiens, ad omnia referretur, non haberemus „ mandatum divinum in verbo Dei expressum de consecranda „ Eucharistia. Respondeo: De consecratione sanè, qualem Papistæ intelligunt & celebrant, nullum extat mandatum divinum: sed de consecratione vera mandatum continetur in ipso Domini exemplo, ut qui tunc ministri partes egerit. Item mandatum veræ consecrationis implicitum continetur in illis verbis, Hoc facite. quippe quibus jubet discipulos edere panem, ac bibere vinum, modò ab ipso consecratum. Itaque ut communicantes huic mandato possint obedire, necesse est ut panis & vinum priùs à ministro consecrentur quàm illis præbeantur. Sed nunc ad reliquas corruptelas pergamus.

Sacerdos.

Bellarm. de Sacrament. Eucharist. lib. 4. c. 16.

Panem.

Qualem verò panem? Hauddubiè qualis erat appositus in mensa ad edendum unà cum agno. Is autem panis pro ratione festi quod tunc à Domino & discipulis celebrabatur, erat azymus, id est, fermenti expers: veruntamen erat panis verus, justam habens crassitiem, ut esset idoneus qui inter edendum adjungeretur carni agni, & ventrem pasceret: nec erat ad usum S. Cænæ peculiariter apparatus. At in Papatu adhibēt panem pertenuem, ac vix panis nomine dignum, minimeque idoneum ad nutriendum: qui potiùs spuma panis quàm panis dici mereatur. Et hunc curant peculiariter ad Eucharistiam apparari, tribuentes illi figuram nummuli, & imprimentes imaginem crucifixi: ut nimirum hoc modo in memoriam communicantibus revocetur, Dominum proditum esse à Juda pro 30. numis argenteis, item pro nobis esse crucifixum: quæ mera sunt cerebri humani commenta. Etenim crucifixionem suam totamq; passionem in memoriam hîc nobis revocare voluit Dominus non per imaginem crucifixi impressam pani: sed per ipsam panis fractionem. Ut verò hodie in administratione cænæ utamur pane azymo, non est necessarium, nec exemplo Domini in prima cæna evincitur: quia circumstantia illa propriè pertinuit ad illud tempus & ad Judęos, quibus Deus præceperat, ut illo tempore vescerentur azymis tantùm panibus. Et quis vel minimam conjecturam panis azymi capiat ex narrationibus Eucharistiæ ab Apostolis administratæ? ut Act. 2 v. 42. ubi primi illi Christiani in urbe Hierosolyma dicuntur perdurasse in fractione panis. Num verò perdurarunt in edendis panibus azymis? Imò peracto festo azymorum, ad panes fermentatos redibant. Item Act. 20. 7. ubi Christiani qui degebant Troade, congregati fuerunt ad frangendum panem. At quis credat, illos usos pane azymo? quum fuerint, si non omnes, at saltem bona pars, ex Ethnicis: quumque si maximè fuissent ex Judæis omnes, illo tamen tempore non fuerint esuri panes azymos: quippe quòd illa cæna celebrata fuit post dies azymorum: ut percipitur ex collatione cum vers. præcedente. Idem judicandum est de Ecclesia Corinthiorum, in qua quomodo cæna Dominica fuerit administrata, & administrari debuerit, narrat Paulus 1. Cor. 11. nec tamen in tota illa narratione vel minima occurrit panis azymi suspicio. Quo loco & illud notandum: panem eucharisticum ibi ab Apostolo semper nominari panem, etiam post recitatam consecrationem illius. At Papistæ panem suum nummularium post consecrationem non jam panem vocant, sed hostiam & speciem panis. Sequitur:

Panis non panis: qui vulgò hostia. Peculiari apparatu. Figura nummuli. Cum imagine crucifixi.

Azymus.

Hostia. Species panis.

Et quum benedixisset.

Hoc ita exponit Bellarminus, quòd Dominus agendo gratias patri, substantiam panis mutaverit in substantiam sui corporis, Et tamen idem tradit, consecrationem Eucharistiæ, & ex consequenti transsubstantiationem, fieri solis illis verbis Domini, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*. Et quoniam vidit objici sibi posse, sententiam hanc cum præcedente non cohærere: quippe quòd Dominus gratias patri egerit & panem benedixerit atque san-

„ Bellarminus de Sacramento Eucharist. lib. 1. c. 10. „ Idem de Sacr. Eucharist. „ lib. 4. c. 13.

Cõsecratio Papiſtica. Transſubſtantiatio. Tria quæ probanda ſuſcipit Bellarminus.

que ſanctificârit antequam verba illa pronuntiaret: conatur probare, quòd Dominus illis quoque verbis conſecraverit: & quòd juſſerit ea à ſacerdotibus dici: & quòd illis verbis à ſacerdotibus prolatis, continuò fiat conſecratio, id eſt, transſubſtantiatio. Primum probat tribus rationibus, quas quidem urgentiſſimas nominat. Prima eſt: Si Dominus alio modo conſecraſſet, alio nos conſecrare vellet, non dixiſſet, *Hoc facite.* Reſpondeo: Ratio iſta minimè urget, quia nititur falsâ hypotheſi, nempe falsâ expoſitione verborum illorum, *Hoc facite:* quaſi ſcilicet idem valeant quod, Facite hoc quod me vidiſtis facere. quum tamen nihil aliud valeant quàm, Accipite & edite hunc panem: item, Accipite & bibite hoc poculum: ut ſuprà eſt demonſtratum. Deinde ponamus, illum eſſe ſenſum verborum iſtorum quem volunt Papiſtæ: num hinc ſequetur, Dominum conſecraſſe illis verbis, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus?* Quæ verò eſt ratio conſequentiæ? Num quia vos ita conſecratis? At quis hoc vobis præcepit? Et an non hæc manifeſta petitio principii eſt? Ac planè ridiculus enthymematis circulus? Nempe vos debere ita conſecrare, probatis ex eo quòd Dominus ita conſecrarit: Et viciſſim, quòd Dominus ita conſecrarit, probatis ex eo quòd vos ita conſecratis. Egregia verò & urgens ſcil. argumentandi ratio! Sed audiamus nunc rationem ſecundam: Deinde, inquit, ſacerdos in perſona Christi conſecrat; & ideo non dicit, Hoc eſt corpus Chriſti: ſed, *Hoc eſt corpus meum.* Et nihil eſt aliud noſtra conſecratio, quàm repetitio illius primæ quæ à Chriſto facta eſt. At quomodo in perſona Chriſti id facimus, & quomodo iſta eſt illius primæ repetitio, ſi Chriſtus ſolâ voluntate, nos verbis conſecramus? Hactenus Bellarminus. Quid verò hæc ratio rurſum, niſi mera principii petitio? Et quid à priore differt, niſi verbis? Quare novâ reſponſione non eſt opus. Etenim quod hîc pro certo aſſumitur, adhuc relinquitur probandum: nempe conſecrationem ſacerdotis Papiſtici per illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, fieri in perſona Chriſti, & eſſe repetitionem conſecrationis Chriſti. Tertiam rationem addit Bellarminus his verbis: Denique conveniunt, inquit, omnes, Dominum inſtituiſſe ſacramentum Euchariſtiæ, quum ipſe primus Euchariſtiam conſecravit: Ergo oportuit eum non ſolùm conſecrare, ſed etiam conſecrare ritu ſacramentali, & illo ipſo ritu quo deinceps nos uti debebamus &c. Quid verò eſt nugari, ſi hoc non eſt? quid enim hîc dicit, quod non idem intelligatur in duabus rationibus præcedentibus? Et quæ eſt ratio conſequentiæ: Dominus conſecravit ritu ſacramentali: Ergo conſecravit eo ipſo ritu quo hodie ſacerdotes Papiſtici? Atque ſic urgentiſſimis ſcil. rationibus (id eſt, ineptiſſimis) probavit Bellarminus ſententiam è tribus propoſitis primam.

1. Quòd Chriſtus conſecrarit his verbis, *Hoc eſt corpus meum.*

2. Quòd Chriſtus juſſerit, illa verba (Hoc eſt corpus meum) à ſacerdotibus in conſecrando dici.

Jam ſecundam ſimili ratione probat his verbis: Quòd illa verba (nempe, Hoc eſt corpus meum) ex Domini præcepto à nobis (nempe ſacerdotibus) dici debeant (videl. in conſecratione Euchariſtiæ, ſeu ad conſecrandum Euchariſtiam) patet ex illis verbis, HOC FACITE. Illud enim jubet ut totam actionem Chriſti imitemur: Chriſtus autem non benedixit & fregit panem ſine ulla prolatione verborum, ſed dicendo, *Hoc eſt corpus meum.* Hæc ille. Ubi primùm recurrit falſa expoſitio verborum, *Hoc facite:* de qua ſatis dictum ſuprà. Deinde falsò affirmatur, Chriſtum interim dum benediceret & frangeret panem, pronuntiaſſe hæc verba, *Hoc eſt corpus meum.* Manifeſtum eſt enim ex narratione Inſtitutionis, Chriſtum illa verba pronuntiaſſe demum poſt benedictionem & fractionem panis, tum ſcil. quum panem jam benedictum & fractum diſcipulis dedit. Unde & hoc liquet, Chriſtum illa verba dixiſſe non ad panem neque in aërem, ſed ad diſcipulos, idq; clarâ voce & animo eos de hujus panis ſingulari officio atque uſu erudiendi: Cum qua pronuntiatione verborum illorum nihil ſimile habet pronuntiatio eorundem qualis fit à ſacerdote miſſificante, ſive Euchariſtiam (ut ipſi loquuntur) conſecrante. Is enim verba iſta non pronuntiat ad populum præſentem, ſed ad panem vel potiùs in aërem: quippe licet ſe convertat ad panem, non tamen alloquitur panem: ſed de illo aliquid pronuntiat ad neminem, niſi fortè ad ſeipſum. Deinde non pronuntiat illa verba clarâ voce, ſed murmurando ſive ſuſurrando: nec animo populum præſentem erudiendi, ſed panem propoſitum mutandi, & (ut ipſi loquuntur) transſubſtantiandi in corpus Chriſti: id quod apud ipſos eſt Euchariſtiam conſecrare. Quum igitur pronuntiatio illorum verborum ſacerdotalis tot modis diſſimilis ſit pronuntiationi eorundem factæ à Chriſto, imò δὶς διὰ πασῶν ab illa diſcerpet: qua fronte exemplum Chriſti pro ſua conſecratione adducunt? Nempe fronte meretriciâ, qua ipſos ne manifeſtiſſimi quidem mendacii pudet.

3. Quòd poſt verba illa (Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus) à ſacerdote recitata, ſtatim adſit corpus & ſanguis

Reſtat ut conſideremus quoque, quomodo probet Bellarminus ſententiam è propoſitis tertiam. Sic igitur ait: Quòd autem poſt illa verba recitata, ſtatim adſit corpus Domini & ſanguis, & proinde vi illorum fiat conſecratio, probatur, quia alioqui verba eſſent falſa, ſi differretur præſentia corporis Domini uſq; ad aliorum verborum recitationem, ut Græci volunt. non enim Dominus dixit, *Hoc erit:* ſed, *Hoc* EST *corpus meum.* Unde etiam ſuprà in diſputatione de transſubſtantiatione oſtendimus, illa verba Domini non poſſe defendi ut vera, niſi per illa fiat tranſmutatio panis & vini in corpus & ſanguinem Domini. Hactenus ille. Sed iſta probatio nihil probat. Primùm enim nititur falsâ hypotheſi, videl. falsâ expoſitione verborum, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus:* quaſi nimirum dicta ſint propriè ſeu abſque tropo. Deinde evertit ipſamet propoſitum. nam ſi conſervanda eſt veritas horum verborum, *Hoc eſt corpus meum:* ea autem non niſi propriè intellecta vera ſunt: conſequens eſt, ut panis ille jam fuerit corpus Chriſti, antequam ipſe illa verba pronuntiaret. unde porrò efficitur, non fieri demum per illa verba tranſmutationem panis in corpus Chriſti. Sed de transſubſtantiatione plura dicenda erunt paulò-pòſt. Sequitur nunc in textu:

Domini, per transſubſtantiationem ſcilicet.

Fregit.

Fractionis omiſſio. Fregit, i.e. Diſtribuit. Quòd Chriſtus noluerit fractione panis repræſentare paſſionem ſuam. Fractio hóſtię in Miſſa.

Fregit autem non ſolùm ut diſtribueret, ſed etiam ut repræſentaret fractionem ſui corporis, i.e. crucifixionem: quemadmodum ſuprà in declaratione definitionis eſt oſtenſum. At Lutherani fractionem omittunt: & verbum Frangendi per verbum Diſtribuendi exponunt: & inſuper negant, Chriſtum voluiſſe hoc modo paſſionem ſuam repræſentare. Similiter Papiſtæ in adminiſtratione cænæ panem non frangunt: ſed ſingulis integros panes vel potiùs paniculos diſtribuunt: quem morem Lutherani ab illis acceptum retinuerunt. In Miſſa verò frangit quidē ſacerdos hoſtiam quam nominant: at non ut diſtribuat, nec ut repræſentet fractionem corporis Chriſti. Verùm fractionem panis à miniſtro eſſe adhibendam, monemur primùm exemplo ipſius Domini qui in prima cæna partes miniſtri peregit. Deinde exemplo Apoſtolorum qui in adminiſtranda cæna panem fregerunt, ut ex Actis liquet, c.2.v.42. c.20.v.7. item ex 1.Cor.10.v.16. Tum verò (quod præcipuum eſt) omitti non debet fractio, quia Dominus illam Apoſtolis mandavit: ut colligitur ex verbis Pauli 1.Cor.11. v.23. ubi affirmat, ſe ea quæ Corinthiis de cæna adminiſtranda tradiderat, accepiſſe à Domino: tradiderat autem etiam panis fractionem, ut liquet ex 1.Corinth.10. verſ.16. ubi ait, Panis quem frangimus &c. At, inquiunt nonnulli, Frangere idem hîc valet quod Diſtribuere: ut in illo apud Eſaiam, Frange eſurienti panem tuum. Imò, inquam, ſignificationem illam hîc non patitur verbum quod proximè ſequitur, nempe ET DEDIT. Eſſet enim inepta tautologia. At Chriſtum non voluiſſe per fractionem panis repræſentare crucifixionem corporis ſui, probant tribus argumentis. Primùm, quia hoc dicatur citra omnem authoritatem Scripturæ. At, inquam, dicimus hoc freti authoritate Scripturæ quæ extat 1.Cor.11. v.24: ubi Apoſtolus teſtatur, Dominum de pane illo quem fregerat, dixiſſe: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur. ubi quod proprium eſt ſymboli, videl. panis euchariſtici, per metaphoram tribuit rei ſignificatæ, corpori ſcil. Chriſti: cujus metaphoræ ratio in illa repræſentatione fundata eſt. id quod quivis non contentioſus facilè concedet. Sed præterea, inquiunt, refutatur hoc apertè Joh.19. ubi ſcriptum legitur, quum ſuſpenſorum latronum crura frangerentur, non eſſe Chriſto jam demortuo fractum crus: idque eò factum ut impleretur Scriptura, Os non comminuetis ex eo. Sed quid hoc ad rem? Quis enim dicit, per fractionem panis euchariſtici repræſentari fractionem crurum Chriſti? Imò dicimus repræſentari per illam fractionem corporis Chriſti, eamque intellectam metaphoricè, pro ipſa ſcil. illius crucifixione atque excruciatione. Poſtremò dicunt ampliùs, Si Chriſtus voluiſſet paſſionem ſuam hoc modo repræſentari: certè ritum agni paſchalis abrogaturus non erat: quippe qui incomparabiliter evidentiùs repræſentabat paſſionem Chriſti quàm panis. Aliàs abrogato illuſtriore typo ordinaſſet obſcuriorem: quum tamen N. Teſtamentum, eaque omnia quæ ad illud pertinent, comparentur luci & diei, reſpectu typorum & umbrarum veteris Teſtamenti. Reſpondeo: Lux novi Teſtamenti conſiſtit principaliter in ipſa forma doctrinæ, quæ eſt evangelium, id eſt, clarum teſtimonium de opere redemtionis jam peracto: Hinc lucem ſuam Baptiſmus & Cæna Dominica, tanquam Evangelii appendices, mutuantur: & hac ratione Sacramenta novi Teſtamenti ſunt clariora veteribus, non autem per ipſam formam cærimoniæ. nam certè baptiſmi Legales quo ad formam, non minùs repræſentabant ablutionem peccatorum per ſanguinem Chriſti, quàm baptiſmus Evangelicus. Et ſic paſſio Chriſti non minùs vel (ſi ita vis) etiam magis repræſentabatur per mactationem agni paſchalis, item fructus paſſionis per agni illius eſum: quàm eadem paſſio repræſentatur per fractionem panis euchariſtici, necnon fructus illius per panis illius eſum. Deinde dico, ſtatui hîc falſam cauſam abrogationis Agni paſchalis: quaſi ſcil. ille per ſacram cænam in eo ſit abrogatus, quòd hæc ſit typus illuſtrior atque evidentior. Vera enim cauſa abrogationis fuit, quòd ille hoc fine erat inſtitutus ut duraret tamdiu, nec diutiùs, donec agnus ille Dei, nempe Chriſtus per illum præfiguratus, mactaretur. Quare hoc mactato, illius mactatio debuit deſinere. Et tamen quoniam fidelium novi Teſtamenti non minùs quàm veterum intererat, mactationis veri agni ſubinde admoneri: placuit Domino in agni illius locum ſubſtituere cærimoniam ſimilem & ejuſdem cum illo rationis, veruntamen minùs & ſumtuoſam, & operoſam, adde etiam minùs moleſtam, propter ſanguinis ſcil. effuſionem. Etenim *Chriſti ſanguis* (ut quidam ſcitè dixit) *ſiſtit omnem ſanguinem.* nempe omnem ſanguinem in vetere Teſtamento fundi ſolitum tum in victimis, tum in ipſa circumciſione. Sequitur:

Sophiſmata tria adhibita ad probandum, quòd Chriſtus noluerit per fractionem panis repræſentare crucifixionem ſui corporis.

Et dedit discipulis.

Panis in Missa non datur populo: sed offertur Deo &c. Elevatur panis, ut adoretur.

Contrà sacerdos missificans, panem à se consecratum non dat populo: sed offert illum Deo Patri, fingens se offerre ipsi Filium: idque tum ad expiandum peccata eorum pro quibus offert, ac quidem tam mortuorum degentium in purgatorio, quàm virorum: tum ad impetrandum illis beneficia & corporalia & spiritualia. Item elevat istum panem populoque ostentat ut ab illo adoretur, hac opinione quòd adorent ipsum Christum corporaliter ibi præsentem & sub specie panis latentem. Quæ omnia præterquam quòd nec à Christo facta, nec ut fiant præcepta sunt: adversâ fronte pugnant hum honore Christi: quippe qui unico sacrificio suæ mortis peccata omnium in ipsum credentium expiavit, eisque favorem Dei & inde manantia omnis generis beneficia impetravit: & cælo conscenso illic corporaliter manere constituit usque ad finem mundi: ac proinde adorari à nobis vult animis in cælum erectis, ubi ipse est ad dexteram Dei sedens. Purgatorium autem quod statuunt Papistæ, inane figmentum est: ac proinde quum nihil sit, nemo etiam inde sive per fictitiam istam Christi oblationem, sive alio quovis modo liberari potest, aut pœnæ, quas illic pati fingitur, mitigari. Atque sic ab ista panis datione seu porrectione discrepat actio sacerdotis missificantis. Jam verò discrepat ab eâdem actio quoque tum sacerdotis Papistici, tum ministri Lutherani, administrantis cænam Dominicam. Etenim Dominus panem illum dedit discipulis in manum: ut ex ipsa verbi usitata significatione quivis intelligit. At isti panem eucharisticum non dant communicantibus in manum: sed indunt ori, ac inprimis Papistici sacerdotes ita indunt ori ut imponant linguæ, caventes ne panis ille attingatur à dentibus communicantis. Quæ actio manifestè superstitiosa est: quasi scilicet nefas sit, sanctum illum panem attingi vel manu, vel dentibus communicantium: & quasi ista membra minùs sancta sint quàm lingua & intestina, à quibus panem illum attingi necesse est, quatenus deglutitur & in ventriculum trajicitur: quum tamen lingua plus peccet blasphemando, quàm manus occidendo aut furando. Sequitur:

Panis non datur in manum, sed inditur ori.

Et dixit.

Utique ad discipulos: quippe quibus panem illum dedit, & interim dum daret, verba quæ sequuntur dixit. Et dixit clarâ voce, saltem eò usque clarâ, ut discipuli exaudirent: quippe dixit animo eos docendi de istius panis usu. At quomodo cum hac dicendi ratione convenit ea quam in missificando adhibet sacerdos? Imò discrepat omni modo. Etenim sacerdos missificans verba illa quæ tum Dominus ad discipulos dixit, non dicit ad populum: sed vel ad panem, vel potiùs ad neminem, nisi ad seipsum. Ac proinde quoniam illi tunc non est res cum populo, sed secum ipso: dicit illa verba non clarâ voce ut possit à populo exaudiri, sed * mussitando seu murmurando seu denique susurrando & anhelando. Et denique dicit illa verba non ut populum erudiat, déve panis illius usu doceat: sed ut illum in corpus Christi transmutet, quod apud Papistas est consecrare. Quum tamen Dominus panem jam consecrasset, antequam illa verba diceret. Sequitur:

Sacerdos in Missa verba illa (Hoc est corpus meum) clàm murmurat super panē nempe ut illum transmutet in corpus Christi.

* Der Meßpfaff murmelt/oder brummelt/oder wispelt vnd hauchtzet die fünf wort über das brot.

Accipite.

Utique manu. Hoc enim propriè significat τὸ λαβεῖν. Et quis rerum humanarum peritus imaginetur sibi, discipulos hoc verbo audito, non extendisse manus, sed aperuisse ora ad panem illum ex manu Domini accipiendum? Imò probabile est, Dominum panem confregisse in duas partes, earumque alteram dedisse illi qui proximus ipsi accumbebat ad dexteram, alteram verò illi qui ad sinistram, ut isti deinceps proximè accumbentibus porrigerent, donec singuli particulam sibi decerpsissent. Qualem quidem processum observatum fuisse in poculo, ita scilicet ut unus illud dederit alteri ex proximè accumbentibus: ac tum deinceps singuli ordine alii aliis ἐν κυκλοποσίᾳ istud porrexerint, & alii ab aliis acceperint: colligitur ex verbis, *Bibite ex eo omnes.* Item ex verbis apud Marcum, *Et biberunt ex eo omnes.* Nec non ex verbis apud Lucam de poculo convivii paschalis, *Accipite hoc & dividite inter vos.* nam in utróque poculo parem processum observatum esse probabile est. Sed redeamus ad panem, quem Dominus jussit accipere, λαβεῖν, id est, manu prehendere, eâque ori indere ad edendum: quia continenter adjunxit, *Edite.* Huic autem mandato Domini in Papatu & Ecclesiis quibusdam Evangelicis non gerunt morem. Neque enim panem eucharisticum è manu ministri accipiunt manu, sed excipiunt ore. Quasi scilicet manus minùs sanctæ sint quam os! qua de re diximus & paulo-antè ad verbum *Dedit.* Sanè tempore S. Ambrosii episcopi Mediolanensis moris fuisse ut panem eucharisticum acciperent manu, clarum est ex ipsius verbis quibus objurgavit Imperatorem Theodosium propter cædem illius mandato perpetratam in cives urbis Thessalonicæ. *Istásne,* inquiebat, *adhuc stillantes injustæ cædis cruore manus extendes, & iis sanctissimum Domini corpus prehendes? Vel, num pretiosum illum sanguinem admovebis ori tuo, qui tantum effuderis sanguinis dictato furentis animi?*

Panem non accipiunt manu, sed excipiunt ore.

Theodoret. hist. Eccles. lib. 5. c. 17.

Comedite.

Utique panem quem porrigebat, quemque modò accipere jusserat. Hunc igitur panem jubet comedere, id est, mandere seu dentibus commolere atque comminuere, atq; ita comminutum deglutire & in ventriculum trajicere. At in Papatu non mandunt hostiam, quam vocant: sed eam linguæ à sacerdote impositam, deglutiunt liquefactam calore & humore oris. Pari nimirum superstitione, quâ non audent sacrum illum panem accipere manu. Deinde quum Dominus hic loquutus sit de pane, & quidem solo, ut ex contextu sermonis patet; Papistæ & Lutherani hoc dictum volunt non tam de pane speciéve panis, quàm de ipso corpore Christi sub pane vel specie panis contento ac latente: quum tamen in præcedentibus verbis nulla dum corporis Christi facta sit mentio. Iraque expositio ista manifestè falsa est. Præterquam quòd honori Christi repugnat, ipsius carnem comedi ore: nec etiam comestio illa prosit: imò etiam impossibilis sit, qualis quidem statuitur à Papistis & Lutheranis: nempe oralis simul & insensibilis.

Hostiā non mandunt: sed liquefactam calore ac humore oris deglutiunt.

Fingunt ore comedi corpus Christi sub pane vel specie panis, idq; insensibiliter.

Hoc est corpus meum. Matth. & Marc.
Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Luc.
Hoc meum est corpus quod pro vobis frangitur. Paul.

Id est, Hic panis quem modò vobis audientibus & spectantibus, gratias agendo benedixi, & fregi; quemq; nunc mea manu vobis porrigo, & vos accipere atque edere jubeo; hic, inquam, panis est signum mei corporis, significans atque testificans vobis, corpus meum paulo-pòst pro vobis in mortem datum & quasi fractum, id est, cruci affixum atque excruciatum iri. Hunc esse verborum illorum sensum, patet tum ex ipsa rei natura: instituit enim Dominus his verbis sacramentum sui corporis: tum ex collatione similium, videl. pronuntiatorum sacramentalium quæ exstant in institutione circumcisionis, Gen. 17. & agni paschalis, Exod. 12. Sed hoc sensu spreto ac damnato, alios sensus falsos afferunt tum Papistæ tum Lutherani. Papistæ quidem, dum exponunt sic: *Hoc corpus est corpus meum:* vel, *Hoc edulium est corpus meum:* vel denique, *Res contenta sub speciebus panis, est corpus meum.* Lutherani verò sic: *Id quod præsens est* IN vel CUM vel SUB *hoc pane, est corpus meum:* vel, *Hoc quod meo ante pane manducandum dispono, est corpus meum.* unde etiam panem eucharisticum VEHICULUM corporis Christi appellare non verentur. Veruntamen expositio secunda sano sensu potest admitti: nempe si nomine EDULII intelligatur ipse panis: at Papistæ non sic intelligunt; quippe quum fingant, panem annihilari per consecrationem, nec nisi accidentia panis seu inanem speciem remanere. Porrò Papistæ illis verbis abutuntur, quatenus ea adhibent ad consecrandum (ut ipsi loquuntur) Eucharistiam: id est (ut ipsi iidem exponunt) ad transsubstantiandum panem in corpus Christi, per illorum scil. super panem demurmurationem seu mussitationem seu denique susurrationem. unde etiam ista verba nominant OPERATORIA, quòd scil. per ipsorum pronuntiationem operentur atque efficiant seu creent corpus Christi Ex quo natæ sunt blasphemæ illæ voces: *Sacerdos est creator sui creatoris.* Item, *Qui creavit me sine me, nunc creatur mediante me.* Ut autem verba illa sint efficacia, quadam singulari erroris opinione assumendum putant, atq; assumunt, voculam ENIM: ut scil. sint verba quinque: nempe, HOC, EST, ENIM, CORPUS, MEUM. Vim autem operandi seu efficiendi hoc ipsorum mysterium quinque illis verbis inesse putant: quia pari ratione beata virgo Maria vi quinque verborum miraculosè, nempe salvâ virginitate, concepit Christum: verborum scil. quæ pronuntiavit ad Angelum, dicens, FIAT, MIHI, SECUNDUM, VERBUM, TUUM. Quasi verò Maria conceperit vi pronuntiationis istorum verborum: ac non potiùs vi fidei, quam illis verbis professa est. sicut ei dicebat Elisabetha, *Beata tu quæ credidisti &c.* Et quasi si maximè Maria vi illorum verborum Dominum concepisset: consequens sit ut sacerdos vi alterorum quinque verborum ex pane creet corpus Christi! Quin & illud planè ridiculum est, quòd nonnulli huc accommodarunt dictum Pauli 1. Cor 14. v. 19. Malo in Ecclesia quinq; verba loqui &c. quum tamen Apostolus illic de sacra cæna nihil prorsus agat, quumque nihil aliud docere velit, quàm præstare vel paucissima verba in cœtu fidelium loqui eâ linguâ quam & ipse qui loquitur, & illi qui audiunt, intelligant: quàm profundere maximam verborum copiam linguâ peregrinâ, quantumvis à Spiritu sancto dictatorum.

Verbis illis Domini affingunt falsum sensum.

Abutuntur illis verbis Papistæ ad consecrandum, id est, transsubstantiandum.

Hoc facite in mei recordationem.

Luc. & Paul.

Id est, Hunc panem edite, ut mei recordantes, mortem meam annuntietis: gratias nimirum agentes patri & mihi, quòd is me vobis donaverit in sacerdotem expiantem vestra peccata sacrificio meæ mortis, quodq; ego patri obediens factus mortem pro vobis sum perpessus, meoq; sacrificio peccata vestra expiavi. In hunc sensum verba ista exponit Apostolus 1. Cor. 11. 26. Et sanè ipsa verborum consequentia hunc sensum per se gignit, quantum quidem attinet ad verba illa, HOC FACITE. Proximè enim præcessit, Accipite, edite. Itaque nunc ampliùs docet, Cur seu in quem finem debeant panem illum accipere & edere: nempe in sui recordationem. At Papistæ verborum illorum sensum depravant fal-

vant falsâ expositione: dum alii exponunt sic: *Hoc facite*, id est, Hoc sacrificate. Quia scil. verbum FACERE in Scriptura aliquando idem valet quod sacrificare. Simili planè argumentandi ratione illi, qua verbum FRANGENDI quidam hic exponunt per Distribuere: eò quòd ita accipiatur apud Esaiam. Alii verò exponunt sic: *Hoc facite, scilicet quod ego feci:* ac tum assumunt, Dominum transsubstantiasse panem per prolationem verborum, *Hoc est corpus meum*, in suum ipsius corpus: & præterea illud corpus sub specie panis latens Patri obtulisse. Unde tandem concludunt, hoc ipsum verbis illis faciendum præceptum esse sacerdoti. Sed quid mirum si conclusio hæc est falsa: quum deducta sit ex utraq; præmissa falsa? Falsa enim est propositio, quòd Dominus illis verbis jusserit facere quod ipse fecerat: ut suprà semel atque iterum à me est ostensum. Falsa quoque est assumtio, quod Dominus transsubstantiarit panem in suum corpus, & hoc in prima illa cœna patri obtulerit. Etenim transsubstantiatio illa nullo fundamento nititur, & veritati corporis Christi repugnat: nec Dominus corpus suum patri obtulit nisi in cruce per sacrificium cruentum: ut notum est ex epistola ad Hebræos.

Facere exponunt hic Papistæ per sacrificare.

Alii per Transsubstantiare & offerre Deo.

Et accepto poculo.

Nomen poculi, quòd Græcè ποτήριον, generale est: nec certam figuram materiámve consignificat. At in Papatu requirunt calicem, & quidem aureum. Olim tamen utebantur poculis ligneis: ut constat ex illo scitè dicto Bonifacii, Olim erant lignea pocula & aurei sacerdotes: nunc contrà sacerdotes quidem lignei sunt, pocula verò aurea. Cæterùm quis dubitet, Dominum usum poculo vulgari: quale à patrefamiliâs apud quem pascha celebrabat, fuerat suppeditatum? Quod idem sentire convenit de Apostolis, eos scil. in sacra cœna celebranda usos esse poculis quæ erant ad manum & qualium usus erat vulgaris: nihil interim curantes quâ figurâ aut materiâ constarent. Sed Lutherani quidam malunt calices aureos in Papatu introductos vel retinere vel abolitos restituere, quàm ad testandum discessionem à Papatu aliis poculis permutare, aut alia introducta retinere.

Calicem requirunt, & quidem aureum.

Præterea notandum, nomine poculi hîc per metonymiam notari vinum quod poculo continebatur: ut manifestum evadit ex v. seq. 29. ubi Dominus postquam ex poculo bibere discipulos jussisset, & hauddubiè ipse prælibasset, continenter annectit: Dico autem vobis, Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, &c. Quod observandum contra falsum dogma transsubstantiationis vini in sanguinem Christi, effectæ scil. per pronuntiationem verborum, Hoc est sanguis meus. Etenim Dominus post illa verba pronuntiata, id quod erat in poculo, fructum vitis apertè nominat. Deinde idem observandum est contra traditionem humanam quam Papistæ ecclesiæ obtrudunt, dum vinum aquâ temperandum esse præcipiunt: idque propterea quòd ecclesia Catholica semper crediderit, ita necessarium esse aquâ vinum misceri in calice, ut non possit id sine gravi peccato omitti. At, inquam, quod non potest probari à Domino esse præceptum, id certè potest sine peccato omitti. Mistionem autem aquæ à Domino præceptam esse probare nondum potuerunt Pontificii: sed tantùm afferunt testimonia veterum, quòd Dominus in prima cœna vinum, aqua miscuerit. At sicut non est necesse nos in celebranda Eucharistia uti panibus azymis, quia Dominus talibus est usus: ita nec est necesse nos admiscere aquam vino, quia Dominus admiscuit. Etenim ut illud fecit ex more festi Judaici: ita istud fecit ex more gentis. Ita enim solebant Orientales, eò quòd vina haberent admodum generosa. Unde nomen κεράσματος, id est, mixturæ seu temperaturæ, pro potu vini apud Græcos scriptores usitatum est.

Aqua temperandum præcipiunt vinum.

„ Bellarm. de Sacramento Eucharist. lib.4.c.10.

Ac gratiis actis.

Hoc ita exponunt Pontificii, quòd Dominus gratias agendo patri benedixerit poculum, ut loquitur Paulus 1. Cor. 10. v. 16. Et hactenus rectè. Sed malè, quòd hoc benedicere interpretantur de consecratione vini tali qua ex eo fiat sanguis Christi, nec de ipso remaneat quicquam præter vini accidentia. Qui error ejusdem generis est cum errore de transsubstantiatione panis in corpus Christi.

Fingunt, transsubstantiari vinum in sanguinem Christi.

Dedit eis.

At sacerdos nec in Missæ nec in cœnæ celebratione poculum Laicis (quos superbè appellitant) præbet: sed illos eo privat, atque ita manifestum sacrilegium admittit, rem sacram ecclesiæ auferens, & sanctissimum Domini institutum nequiter mutilans. Quòd sacrilegium eò impudentius ac detestabilius est, quòd adversâ fronte adversatur præcepto Domini, Bibite ex eo omnes: de quo mox.

Poculum sacrum Laicis in Papatu nõ datur.

Dicens, Bibite ex eo omnes.

Quid jussit bibere? Nempe poculum quod eis præbebat: id est, vinum quod erat in poculo. At Papistæ & Lutherani volunt, quòd jusserit bibere sanguinem suum: illi quidem latentem sub specie vini: hi verò, sub ipso vino. At, inquam, nulla dum facta fuit sanguinis mentio, sed tantùm poculi, id est, vini. Non potest igitur hoc mandatum de sanguine intelligi. Et quæ suprà contra oralem manducationem corporis Domini dicta sunt: eadem valent quoque contra oralem sanguinis ipsius bibitionem. Deinde quum Dominus ex poculo Eucharistico jusserit bibere omnes: quâ fronte igitur ab illo arcent Laicos sacerdotes Papistici? At excipiunt, hæc verba dicta esse solis Apostolis, qui tum ad mensam cum Christo sedebant, ac proinde ad solos Apostolos pertinere. At, inquam ego, si hæc verba pertinent ad solos Apostolos: cur igitur sacerdotes Pontificii dicunt pertinere ad se quoque? Nempe dicent, ideo ad se quoque pertinere, quòd ipsi sint Apostolorum successores, & ejusdem ordinis cum illis, videlicet sacerdotes. Quis verò sanus eis concedet, Apostolos fuisse sacerdotes? aut ipsos esse veros illorum successores, quum abjiciant ipsorum doctrinam? Sed esto, sint successores. Si ergo hoc de poculo præceptũ ad ipsos solos pertinet: pari ratione ad ipsos solos pertinebit præceptum de edendo sacro pane. Etenim illud quoque solis Apostolis dictum est: quippe quum præter illos nemo in mensa accubuerit. Cur ergo Laicis dant panem, si pertinet ad solos sacerdotes? Porrò quid jam valebit argumentatio Pauli 1. Cor. 10. ubi Corinthios dehortatur à conviviis sacris idololatrarum seu à mensa dæmoniorum, quia sint participes (κοινωνοί) mensæ Domini: nempe tum sacri illius panis, tum sacri illius poculi? An non enim Corinthii illi erant (ut Papistæ loquuntur) Laici? num verò erant sacerdotes? Quare quicquid ad hoc sacrilegium palliandum afferunt, meræ nugæ sunt, indignæ in quibus refutandis tempus consumatur. Sequitur,

Fingũt, Dominum jussisse ore bibere sanguinem ipsius sub vino vel specie vini.

„ Bellarm. „ de Sacr. „ Eucharist. lib.4.c.25.

Hoc est enim sanguis meus novi Testamenti: qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. *Matth.*

Vel: Hoc est sanguis novi testamenti: qui pro multis effunditur. *Marc.*

Vel: Hoc poculum est novum illud testamentum in meo sanguine: qui pro vobis effunditur. *Luc.*

Vel: Hoc poculum est novum illud testamentum in meo sanguine. *Paul.*

Sententia est: Hoc vinum est signum mei sanguinis, seu novi federis quod effusione mei sanguinis paulo-pòst confirmabitur: significans scilicet ac testificans vobis & omnibus credentibus usque ad finem mundi, sanguinem meum effusum iri effusúmve esse pro vobis & illis in remissionem peccatorum, hoc est, ut consequamini remissionem peccatorum à Deo per fidem in me, ut qui sacrificio meæ mortis peccata vestra expiaverim, eorumque remissionem vobis à Deo impetrârim. Hanc sententiam depravant tum Papistæ tum Lutherani, afferendo falsas illorum verborum expositiones. Papistæ enim exponunt sic: *Hic sanguis est sanguis meus:* vel, *Hic potius est sanguis meus:* vel, *Res contenta sub specie vini est sanguis meus.* Quartum expositionum secunda potest admitti, si intelligatur de vino: at Papistæ intelligunt de ipso sanguine Christi. Lutherani verò exponunt sic: *Id quod præsens est* IN vel CUM vel SUB *hoc vino, est sanguis meus:* vel, *Id quod mediante vino bibendum sancio, est verè sanguis meus.* Sed hæ expositiones fictitiæ & contortæ sunt: nec ullo vero argumento probari possunt. Nostra autem simplex & plana est, ex rei ipsius naturâ deducta, & aliis pronuntiatis sacramentalibus in Scriptura exstantibus conformis. Nec rectè contenditur, hîc retinendum τὸ ῥητόν, quum ipsi Evangelistæ & Apostoli illud immutârint.

Falsæ expositiones illorum verborum.

Hoc facite, quotiescunque biberitis, &c. *Paul.*

Hoc facite: id est, hoc poculum bibite: ut planè liquet ex verbis annexis, *Quotiescunq; biberitis.* Et rursum ex verbis quæ Paulus ad ista, nec non superiora de pane dicta, exponenda subjungit, inquiens: *Quotiescunq; enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis: mortem Domini annuntiate.* Falsa igitur est expositio Papistarum exponentium, Hoc facite, id est, vinum consecrate pronuntiando hæc verba, Hic est sanguis meus. Qua de re satis jam dixi in simili præcepto de pane.

Falsa expositio Papistarum.

Ex hac brevi indicatione apparet: nullam prorsus sententiam, atque adeò nullum prorsus verbum in tota institutione Domini relictum esse, quod non sit falsis expositionibus aut superstitiosis additamentis atque institutis depravatum. Quò magis piis doctoribus elaborandum est, ut simplicem & puram de hoc Sacramento doctrinam tradant & asserant, illudque à fermento traditionum humanarum repurgent.

Cæterùm si quis facilioris memoriæ gratiâ, commemoratos errores & corruptelas in certas classes secundùm locos inventionis Logicæ digerere velit: poterit ad hunc modum, ut ea referat partim ad causas, partim ad circumstantias. De quibus utrisque particularem antithesin paucis veluti in tabella ante oculos ponam.

Eorundem errorum & corruptelarum ἀνακεφαλαίωσις & digestio Logica.

Causa efficiens.

Verus minister seu dispensator cœnæ Domini est præco Evangelii: qualis fuit Christus & Apostoli.

Falsus minister est sacerdos Papisticus, peculiari ritu ad hoc unctus & rasus.

Materia.

Vera materia est verus panis & verum vinum, & quidem utrumque simul.

Falsa materia est species panis & species vini seu nuda utriusq; accidentia: item species panis sola.

Forma.

Vera forma consistit in his tribus actionibus, in repræsentatione crucifixionis Domini per fractionem panis & fusionem vini, testificatione fructus inde ad credentes redeuntis, quæ testificatio fit per panis fracti & vini in poculum fusi præbitionem: & in rerum illarum sancta meditatione, quâ communicans illas sibi per fidem applicat, atque ita corpore Domini spiritualiter vescitur, sanguinemq; ejus spiritualiter bibit.

Falsa forma consistit in substantiali eâdemque insensibili præsentiâ corporis & sanguinis Domini sub speciebus panis & vini, vel sub ipso pane & vino: eorundemq; ita præsentium præbitione reali quâ illa per ministrum in os communicantis ingeri finguntur, & denique eorundem ita ingestorum manducatione ac bibitione orali.

Præterea ad falsam formam pertinet tota celebratio Missæ: ubi sacrificus sibi persuadet se susurratione certorum verborum super panem & vinum, transsubstantiare illa in corpus & sanguinem Christi: ac deinde fictitium illum Christum, tanquam sub specie panis latentem, elevat populoque ostentat adorandum: nec non eundem Deo Patri se offerre fingit ad expiandum peccata illorum pro quibus Missam celebrat, eisdemque impetrandum omnis generis beneficia: denique species illas panis & vini absumit, ut hoc modo sacrificium absolvat.

Finis.

Veri fines duo sunt: Consolatio seu vivificatio spiritualis credentium, orta ex gustu favoris Dei morte Filii nobis conciliati: & Dei Patris ac Filii glorificatio per solennem pro beneficio redemtionis gratiarum actionem.

Falsi fines sunt: Adeptio remissionis peccatorum seu justificatio per opus operatum, hoc est, per externam Cœnæ perceptionem. Item expiatio peccatorum & impetratio omnis generis beneficiorum per oblationem Christi in Missa.

Circumstantiæ.

1 Christus sacram cænam celebravit in mensa. Papistæ & Lutherani celebrant in altari.

2 Christus celebravit paulo-pòst quàm edissent agnum. Papistæ nefas ducunt celebrari nisi à jejunis.

3 Christus celebravit in pane azymo propter festum Judæorum, non quòd illam circumstantiam ad hoc institutum requireret: unde Apostoli postea celebrarunt in pane usitato, ut colligere est ex Actis. At Papistæ ut necessarium requirunt & adhibent panem azymum: Lutherani verò etsi id liberum esse dicunt, malunt tamen cum Papistis panem azymum adhibere, quàm cum Evangelicis reformatioribus panem usitatum.

4 Dominus nusquam præcepit vino admisceri aquam: at Papistæ aquam admiscent, tanquam omnino ita fieri oporteat.

5 Dominus non præcepit adhibere calicem, & quidem aureum: sed liberum reliquit adhibere poculum cujusvis figuræ, dummodo honestæ ac decentis, item cujusvis materiæ. At in Papatu putant non rectè celebrari Cænam aut Missam, nisi in calice aureo. Et hunc morem Lutherani retinere malunt, quàm illum cum purioribus Evangelicis ad testandum detestationem superstitionum Papisticarum abolere.

6 Dominus panem fregit ad repræsentandum crucifixionem sui corporis. At Papistæ & Lutherani fractionem panis in celebratione cænæ omittunt: & præterea Papistæ crucifixionem & passionem Domini per alios modos, ab hominibus excogitatos, repræsentare volunt, nempe per imaginem crucifixi impressam hostiæ quam vocant, & per hostiæ figuram numulariam; ut scilicet in memoriam revocetur proditio Judæ pro 30. numis argenteis. In Missa verò frangit quidem sacerdos panem, sed in alium finem.

7 Christus panem & poculum dedit discipulis in manum: & illi manu acceperunt. In Papatu & apud Lutheranos indunt ori, & ore accipiunt: quasi nefas sit hæc sacra symbola manu laicorum attingi.

8 Christus de pane ad discipulos clarâ voce pronuntiavit hæc verba, Hoc est corpus meum &c. Itemque de poculo illa, Hoc est sanguis meus &c. idque ut eos edoceret de hujus panis ac poculi sancto atque spirituali usu. At sacerdos missificans verba illa non pronuntiat clarâ voce, sed clanculario murmure susurrat: nec pronuntiat ad populum astantem, sed ad ipsum panem & vinum. Nec deniq; pronuntiat ut populum de illorum usu erudiat: sed ut vi istius pronuntiationis illa transsubstantiet in corpus & sanguinem Christi.

9 Christus panem sanctificatum non elevavit ad adorandum, nec obtulit Patri. At sacerdos missificans panem consecratum quem hostiam nominant, elevat populoque ostentat ad adorandum: eundemque Deo offert.

10 Christus panem jussit edere, ac proinde mandere seu dentibus conterere. At in Papatu nefas ducunt, hostiam ori suo inditam linguæque impositam mandere: sed calore humoreque oris liquefactam deglutiunt.

Quòd verò pium pectus non exhorrescat ad tot ac tantas sanctissimi instituti corruptelas, & pudendas superstitiones! Det Dominus ut Evangelici qui partem istarum corruptelarum agnoverunt, atq; abjecerunt: etiam quod apud ipsos reliquum est Papistici fermenti, penitus aliquando per gratiam Sp. sancti expurgent: & epulum hoc sacrum purè celebrent ad veram suam consolationem, & Dei Patris ac Domini nostri Jesu Christi glorificationem, per eundem D.N.J. Christum: Amen.

24 Ex v.30. Prandio cænâve peractâ, Deus lætâ gratiarum actione celebrandus est pro suâ beneficentia, quòd nobis cibum & potum est largitus. Hujus officii admonemur exemplo Christi & Apostolorum: qui cænam clauserunt canendo hymnum. Et hoc ipsum Deus populo suo præcepit Deut. 8. v. 10. inquiens: *Quum comederis & saturatus fueris, benedices Jehova Deo tuo in illa terra optima quam dederit tibi: Cave tibi, ne obliviscaris Jehova Dei tui &c.* *Cibus.*

25 Ex v.31. Notanda est pars argumenti quo demonstratur, Jesum illum Nazarenum esse Christum: quia scil. in eo impleta est hæc quoq; prophetia, quæ de Christo exstat apud Zachariam cap. 13. fore ut à discipulis deseratur. *Quòd Jesus sit Christus.*

26 Ex eod. v. Principalis author passionis Christi est Deus Pater. Is enim est qui per Zachariam dixit, *se percussurum pastorem.* Similiter loquitur & Esaias c.53. *Jehova facit ut occurrat in eum iniquitas omnium nostrûm,* hoc est, pœna iniquitatis. Item: *Jehova delectatus conterere ipsum, morbo affecit.* Hoc ipsum affirmat & Petrus Act. 2. ubi Judæos inter alia affatur his verbis: *Hunc Jesum Nazarenum definito consilio & providentiâ Dei deditum quum accepissetis, manibus sceleratorum cruci affixũ interemistis.* Idem agnoscit ac in suis precibus profitetur Ecclesia Hierosolymitana Act. 4. his verbis: *Coacti sunt verè adversus puerum tuum Jesum quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël; ut facerent quæcunq; manus tua & consilium tuum prius definierat facienda.* Usus hujus doctrinæ est consolatio nostra ex consideratione causæ quæ Deum Patrem movit ut Filium unigenitum tam graviter affligeret. Causam hanc indicat Esaias in verbis paulo-antè citatis, nempe nostram iniquitatem: propter hanc enim illum ita castigavit, idq; ut nobis reconciliaretur, nosq; salutem consequeremur. sicut ibidem ait Propheta: *Castigatio pacis nostræ imponitur ei, & tumice ejus fit curatio nobis.* Interim non est putandum, hostes Christi qui ipsum necaverunt, habere excusationem: quippe quum non respexerint ad voluntatem Dei, sed ad malas suas voluntates; agentes contra præceptum Dei, Ne occidas. *Passio Christi.*

27 Ex v.32. Quum nos offendit tristis facies passionis Christi: opponamus faciem lætam resurrectionis ejus. Hoc enim modo Christus ipse discipulos hîc solatur. Et sic Scriptura passim illa conjungit, ut suprà c.16. v.21. & c.20. v.18. & 19. Item Luc. 24. v.26. Item Rom. 4. v.ult. & c.8. v.34. & 1. Cor. 15. v.3. & 4. *Resurrectio Christi.*

28 Ex v.33. 34. 35. Exemplo discipulorum ac inprimis Petri moniti, discamus cavere præsumtionem de nostris viribus, quasi illis possimus consistere in necessitatibus & veritatem cælestem constanter confiteri, ac Christo adhærere. Etenim eventus docuit, discipulos temerè suis viribus fretos ac inde constantiam adhærendi Domino pollicitos fuisse: quippe quum is comprehenderetur, omnes relicto eo fugerunt, infrà v.56. Petrus verò ter illum abnegavit, infrà v.69. & sequentibus. *Præsumtio de nostris viribus.*

29 Ex v.36. Quum angimur metu castigationum divinarum, exemplo Christi solatium quæramus in precibus. Idq; eò magis quòd Deus hoc nobis præcepit, & opem suam promisit: nempe Psal. 50. ubi ait, *Invoca me in die angustiæ: & eripiam te.* *Preces.*

30 Ex v.36. 37. & 38 Quum solatium desideramus: exemplo Christi ita nos à frequentia hominum subducamus, ut interim unum atq; alterum ex intimis amicis assumamus. *Solatium.*

31 Ex iisdem v. Non est peccatum, inter amicos delectum habere, & alios aliis præferre. Videmus enim, Christum tres è discipulis suis prætulisse cæteris, assumendo eos secum, ut secretò ipsis conquereretur de anxietate sua, & ex eorum præsentia solatium aliquod perciperet. Sic Johannem unicè dilexit: ut percipitur ex eo, quòd Johannes ipse hac periphrasi se designare solet, *Discipulus quem diligebat Jesus.* *Amicitia.*

32 Ex v.37. 38. & 39. Miretur aliquis cur Christus tantopere exhorruerit supplicium: quum multi martyres læti illud subierint, atq; etiam perpessi sint, adeò ut nonnulli hymnos canerent in mediis flammis. Sciendum igitur, causam hujus diversitatis esse, quòd martyres non senserunt iram Dei, sed gratiam: cujus etiam sensu sensum cruciatuum corporis superarunt. At Christus tantopere exhorruit supplicium crucis, quia scivit, in cruce se plenè sensurum iram Dei propter nostra peccata, quæ in se ut sponsor susceperat, ut pro illis eo modo satisfaceret Deo. unde in cruce pendens visus est sibi desertus à Deo: quod testatur ejus vox, clamantis: *Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me?* Usus hujus doctrinæ est nostra consolatio: quia scimus nos nunquam sensuros iram Dei, propterea quòd Christus illam pro nobis sensit. Quod significat Apostolus Heb. 2. v.9. ubi ait, *Jesum gustasse mortem pro omnibus:* nempe pro omnibus filiis Dei sive electis, ut mox ipse declarat v.seq. Cæterùm de hac anxietate Domini loquitur & Esaias c.53. v.8. ubi ait, *A coarctatione & judicio tollitur.* Non est autem putandum, hanc Domini anxietatem ac horrorum futurorúmve cruciatuum deprecationem fuisse infectam pecca- *Passio Christi.*

peccato. Certum est enim testimonium Apostoli Heb. 4. v. 15. tentatum eum esse absque peccato. Fuit quidem verus horror & vera animi commotio, sed pura à peccato: ut si aqua limpidissima omnisque limi expers moveatur in puro aliquo vasculo, puta vitreo. At nostri affectus cœno peccati perturbantur atque impurantur: ut si in fundo vitri aquâ repleti subsidat limus: qui motâ aquâ, unà movetur eamque perturbat.

Humana natura Christi. 33 Ex v. 38. Notandum est, Christum præditum fuisse (sicut & nunc est) verâ animâ humanâ. Conqueritur enim de animæ suæ tristitiâ. Contra errorem veteris hæretici Apollinaris: qui finxit, Christo loco animæ fuisse ipsam deitatem.

Adoratio Dei. 34 Ex v. 38. Quoties mala nobis impendentia deprecamur: semper, exemplo Christi, voluntatem nostram voluntati Dei subjicere debemus: nihil dubitantes quin pro paterno suo erga nos affectu mala quæ nobis immittit, ita sit moderaturus, ut faciant tum ad gloriam ipsius tum ad nostram salutem. Etenim, teste Apostolo, his qui diligunt Deum, oportet omnia cooperari in bonum, Rom. 8.

Voluntas Christi. 35 Ex eod. v. Nascitur hîc quæstio, An voluntas Christi voluntati Patris fuerit contraria. Significat enim, se velle non pati: quum tamen certum sit, Patrem voluisse ut pateretur. Respondeo: Voluntas Christi divina cum voluntate Patris eadem est, ac proinde non potest ei esse contraria. Voluntas verò ejus humana, fuit quidem (& adhuc est) à voluntate divinâ diversa: verumtamen nunquam illi fuit aut est adversa. Cur ergo hîc dicit: Non ut ego volo, sed ut tu? Nempe volebat ad tempus, id quod Pater nolebat: sed non simpliciter & tanquam contradicens voluntati illius: verùm cum conditione hac, Si esset possibile: hoc est, si fieri posset per justam Dei Patris voluntatem, ut alio modo satisfieret iræ ipsius adversus nostra peccata.

Crux. 36 Ex eod. v. Ex eo quòd crux quam Deus filiis suis immittit, nominatur poculum, habemus hanc consolationem: quòd Deus pro sua sapientia & paterno erga nos favore non plus nobis sit infusurus, quàm nobis exhaurire salubre sit. Huc pertinet illud 1. Cor. 10. 13. *Fidelis est Deus qui non sinet &c.*

Securitas. Infirmitas. 37 Ex v. 40. & seqq. In discipulis proponitur nobis imago humanæ securitatis & infirmitatis. Quare hanc in se quisq; agnoscamus ac deploremus, Deumque oremus ut per Spiritum sanctum nos excitet & corroboret.

Obedientia Christi. 38 Ex v. 46. & sequentibus. Ex eo quòd Christus ultrò obviam prodiit proditori & catervæ armatorum quam ille ducebat ad ipsum capiendum: videmus eum passum esse volentem. Id quod facit ad nostram consolationem: ut qui sciamus, inobedientiam nostram per hanc obedientiam illius fuisse expiatam, Rom. 5.

Proditio. 39 Ex v. 49. & 50. Si accidat ut & nos experiamur osculum Judæ, id est, prodamur per intimos nostros: patienter id feramus exemplo Christi, eodemque exemplo tanquam capitis ac domini nostri nos consolemur.

Vindicta. 40 Ex v. 51. & 52. Vindicta privata est prohibita: nec excusatur per speciem zeli. Zelum enim non oportet proficisci ab affectu carnis, sed ab afflatu Spiritus sancti. Etenim Petrus à Domino reprehenditur quòd privatâ authoritate voluit exercere vindictam pro ipso.

Magistratus. 41 Ex v. 52. Officium magistratus est, gladio perdere eum qui proximum ex vindicta privata gladio sustulerit.

Angeli. 42 Ex v. 53. Angelorum maxima est multitudo. Hoc scire, facit ad nostram consolationem: quatenus insuper scimus, illos destinatos esse nobis à Deo ad nos custodiendum in periculis, quoties id facit ad gloriam Dei & salutem nostram.

Scriptura sacra. 43 Ex v. 54. Quicquid in Scripturis prædictum est, id omnino oportuit impleri; & quæ nondum impleta sunt, ea pari ratione impleri oportet. Hoc facit ad nostram consolationem: quatenus scimus; Scripturas prædixisse judicium extremum, in quo omnes pii recipientur in æternam gloriam & gaudia. Item, quatenus scimus, Scripturas prædixisse, Ecclesiam in hac vita subjectam fore persecutioni. Quare sic oportet fieri ex voluntate Dei. Nec tamen interim persecutores habent excusationem: quippe qui voluntatis Dei in piis persequendis rationem nullam habent.

Improborum reprehensio. 44 Ex v. 55. Non pugnat cum patientia aut charitate, inimicos arguere malæ conscientiæ: dummodo id faciamus ad asserendum nostram innocentiam, idque propter gloriam Dei. Videmus enim, Christum, etiamsi patienter sese comprehendi sineret; atque etiam suam erga comprehensores charitatem paulo antè ostendisset sanandâ auriculâ Malchi: tamen illos arguere malæ conscientiæ, ut qui non ausi fuerint ipsum comprehendere palàm spectante populo, sed id agant clàm: idque vi armatâ contra inermem: & quasi contra latronem, quum tamen apertè cum ipsis soleret versari. Sic postea reprehendit servum Pontificis, à quo fuerat percussus in maxilla. Similiter Paulus reprehendit Pontificem qui jusserat os ipsius cædi, Act. 23.

Passio Christi. 45 Ex v. 57. & seqq. Ex eo quòd Christus innocens à concilio damnatus est crimine blasphemiæ, eò quòd confessus esset se esse filium Dei, nempe naturalem, ac proinde Deo Patri æqualem: habemus hanc consolationem, quòd Deus nos qui in Christum credimus, à crimine blasphemiæ, cujus propter affectatam in lumbis Agæ æqualitatem cum Deo, rei sumus, absolvit.

Innocentia Christi. 46 Ex v. 59. & 60. Innocentia Christi summa clarissimè demonstratur ex eo, quòd à nullis testibus, quantumvis magno studio conquisitis, potuit illius peccati convinci. Id quod facit ad nostram consolationem, quatenus scimus, ipsum innocentem pro nobis nocentibus passum esse.

Falsus testis. 47 Ex v. 60. & 61. Falsus testis est, non solùm qui purum putum mendacium confingit: sed etiam qui verba alterius quædam retinet, iisque sua adjungit, ut inde nascatur diversa sententia; denique qui verba proximi calumniatur. Etenim falsi testes hîc nominantur qui dicebant, Jesum dixisse, *Possum dissolvere templum Dei, & triduo ipsum ædificare.* At Jesus dixerat quidem aliquid de destructione templi & reædificatione, Joh. 2. 19. Sed non dixerat, *Dissolvam*: Sed, *Solvite.* Nec dixerat, *Templum Dei*, scil. lapideum: sicut isti intelligi volunt, ut liquet ex Marc. 14. v. 58. sed dixerat, *Templum hoc*, loquens de templo corporis sui, ut ibidem Johannes declarat.

Sermo. 48 Ex v. 63. & 64. Exemplo Christi discamus prudenter animadvertere, quando sit tempus loquendi, & quando tacendi. Christus ad objecta crimina manifestè falsa silet: partim quòd responso indigna judicaret, partim quòd sciret tempus jam esse non innocentiam suam defendendi, sed ut innocens damnaretur. Interrogatus verò, an ipse sit Christus; promtè confitetur veritatem, quia videt id facere tum ad gloriam Dei, tum ad salutem electorum: etsi videbat, se propter hanc confessionem tanquam blasphemum damnatum iri. Hanc sapientiam & constantiam imitemur, & gratiam Spiritus sancti ad utramque præstandam imploremus.

Confessio doctrinæ cælestis. 49 Ex v. 64. Veritatem cælestem non solùm debemus apertè & clarè confiteri: sed etiam illius hostes atque adversarios argumentis convincere. Exemplo Christi: qui interrogatus ab inimicis suis & veritatis cælestis hostibus, an ipse sit Christus: non solùm clarè id confitetur: sed etiam quia sciebat, eos hoc non credere, argumentis duobus eos convincit, nempe ab administratione regni cælestis tum inchoatâ in hac vita, tum perfectâ in fine mundi & post hanc vitam in æternum.

Blasphemia. 50 Ex v. 65. & 66. Exemplo istorum hypocritarum monemur, tum quomodo nos gerere debeamus si audiamus blasphemiam: tum quomodo magistratus blasphemos debeat punire. Nam quod isti fecerunt per hypocrisin & criminationem falsam: id nos facere debemus ex vero animo circa blasphemiam veram & eos qui verè blasphemarunt. Falsò impingit iste Pontifex Christo crimen blasphemiæ: ac proinde confessione ejus quam blasphemam falsò judicat, auditâ, scindit vestem: gestu apud populum Dei recepto, quum significare vellent ex re audita cor suum veluti scindi dolore quem inde conceperint. Sic verè cor nostrum dolore scindi debet, quum audimus blasphemiam. Atque insuper debemus blasphemum fraternè corrigere: sicut fecit pius ille latro erga socium impium convicíantem Christo. Deinde judices in isto concilio congregati Christum nomine blasphemiæ damnant ad mortem. Similiter judices Christiani blasphemos damnare debent: idque ex præscripto legis Dei. Sed hodie proh pudor gravissimum hoc crimen aut prorsus impunitum relinquitur, aut nimis leniter punitur.

Confessio doctrinæ cælestis. 51 Ex v. 67. & 68. Quum propter confessionem veritatis cælestis contumeliis afficimur: consolemur nos exemplo Christi, qui idem est expertus.

Infirmitas fidelium. 52 Ex v. 69. & seqq. Lapsu Petri monemur de infirmitate humana. Is enim antea prolixè admodum pollicitus fuerat Domino, se constanter illi adhæsurum: nunc verò etiam ancillularum voce territus, turpissimè Dominum negat, idque ter, & adhibito jurejurando & exsecratione sui. Quare exemplo hoc moniti, discamus non confidere nostris viribus: sed Deum perpetuò oremus ut nos per suam gratiam & Spiritus sui virtutem in confessione veritatis cælestis conservet. Interim verò consideranda hîc est mirabilis providentia DEI: qui tentatione hac Petri ad hoc usus est: ut Petrus esset oculatus testis passionum illarum quas Christus in domo Pontificis à concilio ac ministris sacerdotum perpessus est.

Pœnitentia. 53 Ex v. ult. Quum lapsi sumus: exemplo Petri amarè fleamus, & veniam Dei imploremus. Sic & David lapsum suum deflevit: ut perspicere est ex Psalmo 51. Item Maria peccatrix illa: quæ lachrymis suis perfundens pedes Christi, capillis suis eos extersit, Luc. 7. v. 38.

ANALYSIS CAP. XXVII.

ARGUMENTUM.

Superiore capite narratæ sunt passiones illæ quas Dominus perpessus est primùm in horto, deinde in domo Cajaphæ. Deinceps in hoc capite narrantur ea quæ perpessus est, primùm coram præside Pilato, partim ante prætorium, partim in prætorio, à v. 11. usq; ad vers. 32. Deinde quid ei acciderit in via ad locum supplicii, ipso vers. 32. Tum quæ passus est in loco supplicii, usq; ad v. 51. Postremò narrantur ea quæ Domini mortem proximè sequuta sunt, usq; ad capitis finem. Cæterùm à v. 3. usq; ad 11. per digressionem narratur pœnitentia Judæ proditoris. Primis autem duobus versibus continetur transitio ad ea quæ passus est coram Pilato. Ita sunt quinque principales hujus capitis partes.

PRIMA PARS.

Pœnitentia Judæ proditoris.

MAnè autem facto, consilium ceperunt omnes primarii sacerdotes & seniores populi adversus Jesum, ut eum morte afficerent.

2 Et vinctum eum abduxerunt, ac tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

3 Tunc Judas qui eum prodiderat, videns eum damnatum esse, pœnitens, retulit triginta illos argenteos numos ad primarios sacerdotes, & seniores:

4 Dicens, Peccavi, quòd prodidi sanguinem innoxium. At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris.

5 Et *ipse* projectis illis numis argenteis in templum, recessit; & abiens strangulavit *sese*.

6 Primarii autem sacerdotes acceptis numis illis argenteis, dixerunt, Non licet eos mittere in corbanan, quoniam pretium sanguinis est.

7 Consilio autem capto, emerunt ex eis agrum illum figuli, ad sepulturam hospitum.

8 Quapropter vocatus est ager ille, ager sanguinis, usque in hodiernum *diem*.

9 Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem, Et accepi triginta illos numos argenteos (pretium istud æstimati, quem æstimaverant) à filiis Israël.

10 Et dedi eos ad *emendum* agrum figuli, sicut præcepit mihi Dominus.

PRimis duobus versibus continetur transitio. Ea transitio est perfecta: constans scil. brevi repetitione eorum quæ narrata sunt capite præcedente de iis quæ passus est Dominus coram concilio sacerdotum, v.1: & propositione eorum quæ deinceps narrabuntur de iis quæ passus est coram præside Pilato: quippe cui Jesum à se damnatum adduxerunt & vinctum tradiderunt ad afficiendum supplicio, v.2. Pœnitentia Judæ proditoris describitur partim à causa efficiente procatarctica, partim ab effectis. Causa procatarctica fuit damnatio Domini, in principio v.3. Effecta fuerunt tria: redditio mercedis proditionis; confessio peccati, quæ eadem fuit testificatio de innocentia Jesu: & strangulatio suiipsius. Redditio mercedis declaratur per actiones duas; relationem illius ad principes sacerdotum, vers.3. & abjectionem in templum, vers.5. Ex qua abjectione colligitur, illos mercedem istam noluisse recipere: ne scilicet viderentur non stetisse pactis conventis, & quia pactionis istius effectum nolebant reddi irritum. Confessio peccati atque testificatio de innocentia Jesu à se proditi, declaratur ex eventu in sacerdotibus: videlicet excusatione sui & translatione culpæ in proditorem, v.4. Porrò abjectio mercedis proditionis declaratur ex eventu, videlicet emtione agri figuli, v.6. & deinceps. Ista autem emtio declaratur primùm à diverso, deinde à fine seu scopo, postremò ab eventis. Diversum fuit, quòd noluerunt istam pecuniam reponere in corbana, hoc est, in pecunia sacra quæ destinata erat usibus templi & ad illos usus à populo collata. Quæ voluntas declaratur è sua causa, videlicet quòd pecunia illa esset pretium sanguinis, hoc est, merces proditionis qua à proditore redemerant sanguinem innocentem, vers.6. Finis seu scopus emtionis fuit, ut in agro illo sepelirentur hospites seu peregrini, vers.7. Eventa emtionis narrantur duo: nomen agro illi impositum divinâ providentiâ in perpetuum testimonium homicidii Judæorum in Jesu innocente perpetrati, vers.8. Et impletio prophetiæ de Christo, vers.9. & 10. ac proinde testificatio divina quòd hic Jesus sit Christus. Habetur autem illa prophetia Zach.11. Quanquam in textu pro nomine Zachariæ irrepsit nomen Jeremiæ: id quod videtur factum ex affini figura abbreviationum *ιϋ* & *ζϋ*, id est, *ιερεμίυ* & *ζαχαρίυ*.

SECUNDA PARS.

Passiones Domini coram Pilato.

11 Jesus autem stetit coram præside, & interrogavit eum præses, dicens, Tu*ne* es rex ille Judæorum? Dixit autem ei Jesus, Tu dicis.

12 Et quum ipse accusaretur à primariis sacerdotibus & senioribus, nihil respondit.

13 Tunc dicit ei Pilatus, Non audis, quàm multa adversum te testificentur?

14 Et non respondit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur præses valde.

15 In festo autem consueverat præses dimittere turbæ unum vinctum, quem voluissent.

16 Habebant verò tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

17 Ipsis igitur congregatis, dixit eis Pilatus, Utrum vultis dimittam vobis? Barabban, an Jesum qui dicitur Christus?

18 Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum.

19 Sedente autem eo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens, Nihil tibi *rei sit* cum justo illo: multa enim passa sum hodie in somnio propter eum.

20 Primarii autem sacerdotes & seniores persuaserunt turbæ ut peteret Barabban, JESUM verò perderet.

21 Respondens autem præses dixit eis, Utrum è duobus illis vultis ut vobis dimittam? Ipsi verò dixerunt, Barabban.

22 Dixit eis Pilatus, Quid igitur faciam Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt ei omnes, Crucifigatur.

23 Præses autem ait, Enimverò quid mali fecit? At illi ampliùs clamabant, dicentes, Crucifigatur.

24 Videns autem Pilatus se nihil proficere, sed majorem tumultum fieri: acceptâ aquâ abluit manus coram turba, dicens, innoxius sum à sanguine hujus justi: vos videritis.

25 Et respondens universus populus dixit, Sanguis ejus *veniat* super nos & super liberos nostros.

26 Tunc dimisit eis Barabban: Jesum autem flagellatum tradidit ut crucifigeretur.

27 Tunc milites præsidis, quum abduxissent Jesum in prætorium, congregarunt ad eum universam cohortem.

28 Et quum exuissent eum, circumposuerunt ei chlamydem coccinam.

29 Et plexâ coronâ è spinis, imposuerunt *eam* ejus capiti, & arundinem dextræ ejus: & genu ante eum submisso, illudebant ei, dicentes, Ave rex Judæorum.

30 Et quum inspuissent in eum, acceperunt arundinem illam, & verberabant caput ejus.

31 Et quum illusissent ei, exuerunt eum chlamyde, indueruntque vestimentis suis: & abduxerunt eum ut crucifigerent.

Passiones coram Pilato narrantur numero octo. nam primò fuit accusatus quòd voluerit se facere regem Judæorum, à v.11. usque ad 15. Secundò comparatur cum Barabba latrone, à v.15. usque ad 21. Tertiò postponitur illi latroni, v.21. Quartò petitur ad crucem, v.22. & 23. Quintò damnatur ad crucem, à v.24. ad 27. Sextò flagellatur, v.26. Septimò illuditur & verberatur à militibus, à v.27. usque ad 31. Octavò abducitur è prætorio ad locum supplicii, v.31.

Crimen regni declaratur ex eventis in Domino qui accusabatur. Eventa narrantur duo: confessio & silentium. Confessio quidem coram Pilato privatim: ut percipitur ex collatione Johan.18. v.33. & seqq. Silentium verò publicè coram tribunali. Hoc silentium amplificatur à causa corrumpente, à majori, & ab effectu. Causa corrumpens, id est, quæ silentium illud poterat abrumpere, aut certè abrumpere posse videri poterat, erat hortatio judicis ad sese defendendum, v.13. Amplificatio à majori continetur his verbis v.34. *Et non respondit ei, ne ad unum quidem verbum.* q. d. Multò minùs ad plura. Effectus silentii illius fuit admiratio præsidis, eaque vehemens, v.eod.

Comparatio Domini cum latrone Barabba declaratur ex occasione comparandi, & ex consilio seu scopo comparantis, nempe Pilati. Occasio indicatur duplex: videl. consuetudo festi, v.15. & vincula Barabbæ, v.16. Consilium Pilati fuit, ut Jesum dimitteret, v.16. Hoc consilium v.18. declaratur è causa procreante, videlicet judicio atque sententia Pilati de innocentia Jesu: quæ ipsa significatur ex causa quæ Judæos impulerat ad illum Pilato tradendum, nempe invidia. Tum illud ipsum Pilati de innocentia Jesu judicium amplificatur ab adjuncta cõfirmatione per admonitionem uxoris, v.19. Quæ admonitio declaratur partim à causa adjuvante, videl. ministro quopiam quem uxor Pilati ad maritum pro tribunali sedentem & Christo judicando occupatum misit: partim ab adjuncta ratione, quæ sumta est à tristi eventu, videl. pœna divina Pilati, si Jesum innocentem damnaverit: Cujus pœnæ eventus, id est, quòd certò sit eventura, confirmatur testimonio divino somnii, in quo uxor Pilati propter illam pœnam fuerat terrefacta, v.19.

Postpo-

3 Postpositio qua Dominus à populo postpositus est latroni Barabbæ, declaratur ab occasione, videl. quæstione Pilati, v.21.

4 Petitio ad crucem, qua scil. populus Jesum petivit à Pilato ad crucem damnari, similiter declaratur ex occasione, videl. quæstione Pilati, v.22. Et amplificatur à causa corrumpente, videl. testimonio innocentiæ Jesu quod perhibebat ipse judex, v.23.

5 Sententiæ pronuntiatio seu damnatio Jesu à Pilato, declaratur primùm à causa procatarctica, videl. instantia populi: deinde à contraria protestatione de innocentia sua, v.24. quæ protestatio simul est testificatio de innocentia damnandi. Hæc protestatio declaratur ex adjuncto symbolo, nempe ablutione manuum coram turba: & ex adjuncta translatione culpæ in accusatores. ubi ait, *Vos videritis.* Quæ ipsa translatio culpæ declaratur ex eventu, videl. approbatione populi, v.25.

5 Flagellatio uno verbo attingitur v.26. Ex narratione autem Johannis apparet, illam unà cum illusione, de qua mox, factam esse, antequam sese Pilatus ad sententiam pronuntiandam componeret. Quare hîc ordo narrationis est inversus.

7 Illusio à militibus præsidis sive judicis, nempe Pilati, describitur à subjecto loco, ab adjunctis spectatoribus, & à forma seu modo agendi. Locus fuit prætorium, id est, domus præsidis seu judicis, v.27. Spectatores tota cohors, ibid. Forma seu modus agendi declaratur ex actionibus contumeliosis partim ludicris atq; ironicis, partim seriis & manifestè injuriosis. Ludicræ actiones fuerunt tum attributio ornatus regii, tum adoratio ut regis. Ornatus regius quo Dominũ induerunt, indicatur triplex: chlamys coccina, v.28. corona spinea, v.29. & arundo loco sceptri regii, ibid. Adoratio describitur partim ex gestu, videl. genuflexione seu geniculatione, partim ex verbis salutantium, ibid. Actiones seriæ fuerunt consputio & verberatio, v.30.

8 Abductio Domini è prætorio ad locum supplicii describitur v.30. à tempore, ab adjuncto habitu abducendi, & à fine seu scopo. Tempus indicatur his verbis, *Et quum illusissent ei.* Habitus istis: *Exuerunt eum chlamyde, indueruntq; vestimentis suis.* Finis illis: *Ut crucifigerent.*

Atque hæc de iis quæ passus est Dominus in loco judicii seu in domo judicis.

TERTIA PARS.

Quid Domino acciderit in via.

32 Exeuntes autem invenerunt quendam Cyrenæum, homine Simonem: hunc angariaverunt ut portaret crucem ejus.

Cap.19.v.17. In via accidit ut levaretur onere crucis. nam teste Johanne crucem suam ipse portabat: id quod videtur factum ex more. Levatio autem illius oneris describitur à causis procreantibus: tum principali, tum ministrâ. Principalis causa fuerunt milites qui Dominum ducebant: ministra, Simon quidam Cyrenæus: è quibus illi egerunt per se, nempe liberâ voluntate & consilio: iste autem per accidens, nempe ab illis coactus. Consilii autem ratio videtur fuisse, ne Dominus sub cruce collaberetur ex infirmitate. nam totâ præteritâ nocte (ut ex supra narratis patet) miserè fuerat afflictus, tum in anima, tum in corpore: unde mirum non fuit, eum tunc (requiescente nimirum interea naturâ ejus divinâ, nec suam potentiam exserente) ita fuisse infirmum ut cruci bajulandæ non sufficeret. Cæterùm causarum illarum indicatio illustratur ab adjuncta occasione, quæ notatur verbo *Invenerunt*, id est, inciderunt in illum obviam sibi venientem rure, ut alii Evangelistæ declarant. Ex dictis percipiuntur duo quæ Dominus passus est in via: unum, quòd portavit crucem tanquam facinorosus: alterum quòd illi oneri penè succubuit. Quibus additur tertium à Luca, nempe quòd unà cum eo deducti sint duo facinorosi, tanquam ejusdem cum ipso meriti: quippe unà cum ipso crucifigendi. Cap.23.v.32.

QUARTA PARS.

De iis quæ passus est Dominus in loco supplicii.

33 Et quum venissent in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus,

34 Dederunt ei acetum bibendum cum felle mistum: & quum gustasset, noluit bibere.

35 Postquam autem crucifixerunt eum, partiti sunt ejus vestimenta, jacientes sortem: ut impleretur quod dictum est à Propheta, Partiti sunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam jecêrunt sortem.

36 Et sedentes servabant eum illic.

37 Et imposuerunt supra caput ejus crimen ipsius scriptum, HIC EST JESUS REX ILLE JUDÆORUM.

38 Tunc crucifiguntur cum eo duo latrones: unus ad dextram, & alter ad sinistram.

39 Qui verò prætteribant, conviciabantur ei, moventes capita sua:

40 Et dicentes: Tu qui destruis templum, & triduo ædificas, serva temetipsum: si Filius Dei es, descendito è cruce.

41 Similiter autem etiam primarii sacerdotes illudentes cum scribis & senioribus, dicebant:

42 Alios servavit, seipsum non potest servare. Si rex Israël est, descendat nunc è cruce; & credemus ei.

43 Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult eum. Dixit enim, Filius Dei sum.

44 Idipsum autem etiam latrones qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.

45 A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam.

46 Circiter verò horam nonam exclamavit Jesus voce magnâ, dicens, Eli, Eli, lama sabachthani? Hoc est, Deus mi, Deus mi, cur deseruisti me?

47 Quidam autem ex iis qui illic stabant, quum *hoc* audissent, dicebant, Eliam vocat iste.

48 Et statim currens quidam ex eis, quum acceptam spongiam implevisset aceto, & circumposuisset calamo, dedit ei ut biberet.

49 Reliqui verò dicebant, Sine, videamus an veniat Elias servaturus eum.

50 Jesus autem quum rursum clamasset voce magnâ, emisit spiritum.

Ad passiones in loco supplicii quod attinet, primùm declaratur earum locus ex proprio nomine, v.33. Deinde ipsæ narrantur numero tredecim.

1 *Dederunt ei acetum bibendum cum felle mistum*, 34. Hæc passio declaratur ex eventu: nempe quòd quum gustasset, noluerit bibere. Cujus rei causa duplex afferri potest: una, quòd ab ipso potu abhorruerit propter amaritudinem: altera, quòd noluerit admittere opem humanam ad minuendum suam passionem. nam istud genus potionis videtur eo consilio dari solitum fuisse iis qui crucifigebantur, ut citiùs morerentur, sanguine scil. vi istius potus resoluto atque effluente.

2 *Crucifixerunt eum*, v.35. videl. clavis affigendo ad crucem expansas manus, & pedes juxta sese mutuò positos & scabello cruci annexo insistentes: ut quidam tradunt.

3 *Partiti sunt ejus vestimenta, sortem jacientes*, v.eod. quod posterius intelligendum videtur de sola tunica, quæ erat inconsutilis, Johan.19.v.23.& 24. ubi etiam declaratur, in quot partes vestimenta partiti sint, videlicet in quatuor, pro numero militum qui eum crucifixerant. Potest tamen fieri ut super illas quoque partes sortem jecerint: nempe quæ cuique cederet. nam super tunicam jecerunt sortem, ut viderent cui illa cederet tota. Hæc passio illustratur à fine seu scopo consilii divini eam gubernantis: nempe *ut impleretur quod dictum est à Propheta* (videlicet Psalm.22.v.10.) *Partiti sunt sibi vestimenta mea &c.* Quæ verba in illo Psalmo à Davide pronuntiantur in persona Christi, sicut & totus Psalmus. Suntque verba conquerentis de suis miseriis.

4 *Sedentes* (milites) *servabant eum illic*, v.36. ne scil. à cruce liberaretur vel per se, vel per alios.

5 *Imposuerunt super caput ejus crimen ipsius scriptum*, HIC EST JESUS REX ILLE JUDÆORUM, vers.37. Quo titulo partim gravatur crimine rebellionis, quasi conatus sit fieri rex terrenus Judæorum, ac proinde eos voluerit liberare à potestate Cæsaris: partim verò irridetur à Pilato q.d. Præclarus scilicet rex Judæorum qui hîc pendet in patibulo medius inter duos facinorosos.

6 Suspenditur medius inter duos latrones, vers.38. atque ita numeratur inter facinorosos, ut prædictum fuit per Esaiam c.53 in fine.

7 Proscinditur conviciis & illuditur, idque à triplici hominum genere. Primùm à plebe, v.39 & 40. deinde à primoribus populi, v.41, 42, & 43. tum etiam à latronibus, v.44. quod tamen restringendum est ad illorum alterum: ut declarat Lucas c.23. vers.39. & sequentibus. neque enim probabile est, alterum qui istum objurgavit, tam subitò ex blasphemo factum esse confessorem ac testem innocentiæ Christi: fieret enim tantæ mutationis expressa mentio: sicut videmus accuratè describi conversionem Pauli.

8 Conqueritur se à Deo desertum, vers.46. Hæc querela declaratur partim ab adjuncto tempore, partim ab adjuncto clamore, partim à verbis (ut loquuntur) formalibus, iisque sumtis ex Psalm.22. unde etiam paulo antè depromta fuit querela de spoliatione vestimentorum. Quo ipso significatur rei gestæ finis, seu scopus consilii divini, nempe ut impleretur Scriptura. Postremò declaratur illa querela ex eventis tribus, vers.47.48. & 49. quæ mox separatim indicabuntur, ut quæ fuerint totidem passiones Domini.

9 In summa sua anxietate & cruciatu irridetur à quibusdam per calumniosam detorsionem vocis *El*, qua Dominus in sua

querela fuerat usus, v.47. Hæc irrisio declaratur ex occasione, videl. quòd isti audivissent vocem illam conquerentis, Eli, Eli, &c. unde dicebant, Eliam vocat iste.

10 Præbetur ei ad bibendum acetum, v.48. Hæc præbitio illustratur partim à modo agendi partim ab instrumentis. Instrumenta fuerunt spongia & calamus. Spongia quidem ut vasculum quo acetum fuit exceptum: calamus verò ut instrumentum quo spongia fuit porrecta & ori Domini admota. Modus igitur agendi fuit in spongiæ repletione & ejusdem per calamum porrectione. Præterea ad modum agendi pertinet & cursus illius qui ista perfecit: quasi scilicet festinaret ad succurrendum Domino, & ad sitim ipsius (de qua teste Johanne fuerat conque-
C.19.v.31. stus) sublevandam.

11 Iterum irridetur ex occasione pronuntiatæ ab ipso vocis *Eli*, v.49.

12 Rursum exclamat vers.50. haud dubiè ex gravissimo cruciatu.

13 Emittit spiritum, hoc est, patitur diremtum animæ à corpore, atque ita moritur.

Atque hæc de ipsis passionibus: inter quas vers.45. inseritur testimonium divinum innocentiæ patientis, videlicet miraculosæ tenebræ. quæ describuntur à duratione temporis, quòd scilicet durarint tres continuas horas, ab hora diei sexta usque ad nonam: deinde ab amplitudine loci, quòd scilicet occuparint totam terram.

QUINTA PARS.

De iis quæ mortem Domini proximè sequuta sunt.

51 Et ecce, aulæum templi fissum est in duas *partes* à summo usque ad imum: & terra mota est, & petræ fissæ sunt:

52 Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui obdormierant, surrexerunt.

53 Qui egressi è monumentis pòst resurrectionem ejus, introierunt in sanctam urbem, & apparuerunt multis.

54 Centurio verò & qui cum eo servabant Jesum, visu terræmotu & iis quæ facta fuerant, timuerunt vehementer, dicentes, Verè filius Dei erat iste.

55 Erant autem illic mulieres multæ procul spectantes, quæ sequutæ fuerant Jesum à Galilæa, ministrantes ei.

56 Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Jose mater, & mater filiorum Zebedæi.

57 Vesperâ autem factâ, vênit homo dives *oriundus* ex Arimathæa, nomine Joseph, qui & ipse discipulus fuerat Jesu.

58 Is adiit Pilatum & petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus.

59 Et Joseph accepto corpore, involvit illud sindone purâ:

60 Posuitque in monumento suo novo, quod exciderat in petra: & advoluto saxo magno ad ostium monumenti, abiit.

61 Erat autem illic Maria Magdalene & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.

62 Postero autem *die* quæ sequitur parasceven, congregati sunt primarii sacerdotes & Pharisæi, ad Pilatum,

63 Dicentes; Domine, meminimus, planum illum dixisse, quum adhuc viveret, Tertio pòst die surgam.

64 Jube ergo muniri sepulchrum usque in diem tertium: ne quando veniant discipuli ejus nocte & furentur eum, dicantq; populo, Surrexit à mortuis. Nam *sic* erit ultimus error pejor priore.

65 Dixit eis Pilatus, Habetis custodiam: abite, munite sicut scitis.

66 Ipsi autem profecti munierunt sepulchrum, obsignato lapide, cum custodia.

Ea quæ mortem Domini proximè sequuta sunt, fuerunt partim miracula, usque ad vers.53. partim officia quorundam discipulorum erga defunctum, à v.57. usque ad vers.62. partim injuria inimicorum erga sepultum, à vers.62. usque ad finem capitis. Versibus autem 55. & 56. inseruntur testes passionum earum quas Dominus in loco supplicii perpessus est. Cæterùm miracula illa, totidem fuerunt testimonia divina innocentiæ Christi. Ea narrantur numero sex: quorum postremum cæterorum fuit effectum.

1 *Aulæum templi fissum est* (suâ sponte) *in duas partes à summo usque ad imum*, v.51. Per quam fissionem videtur Deus significasse duplicem fructum mortis Christi: nempe quòd per eam patefactus sit aditus in sanctum sanctorum, hoc est, in cælum, omnibus in illum credentibus: deinde quòd credentes liberati sint à cultu Legali seu cærimoniis Mosaicis.

2 *Terra mota est*, v.eod.

3 *Petræ fissæ sunt*, v.eod.

4 *Monumenta* (id est, sepulchra) *aperta sunt*, v.52.

5 Multa corpora sanctorum qui obdormierant (id est, mortui fuerant) surrexerunt, v.52. Horum sanctorum resurrectio declaratur v.53. à tempore quo facta est, à loco quò se contulerunt, & à testibus quibus apparuerunt.

6 Centurio & milites qui Dominum servabant, ultrò testificati sunt de illius innocentia, v.54. Hæc testificatio declaratur è causa procreante, videlicet metu Dei: qui ipse metus declaratur è sua causa procreante, videl. istis miraculis quæ tum acciderant statim post mortem Christi.

Atque hæc de eventis miraculosis mortem Christi subsequutis. Testes illarum passionum fuerunt sanctæ mulieres quædam: quæ describuntur à numero, quòd fuerint *multæ*: à loco, quòd steterint *procul*: ab actione, quòd *spectarint*: à patria, quòd fuerint *ex Galilæa*: iterum ab actionibus sed præteritis: quòd Jesum fuerint sequutæ, eique ministrarint, v.56. tum à nominibus propriis quarundam ex illis, v.56.

Restant nunc ex iis quæ mortem Domini proximè sequuta sunt, officia quorundam discipulorum erga defunctum: nec non injuria inimicorum. Officia fuerunt partim Josephi, à v.57. usque ad 61. partim duarum mulierum, v.61. Sed præter istos officiosum quoque se declaravit Nicodemus, teste Johanne cap.19. v.39. & seq. Josephus describitur ab adjunctis divitiis, à subjecto loco nativitatis seu à patria, & ab adjuncta relatione, videl. discipulatu seu religione. Officium charitatis erga defunctum describitur è factis sex. 1. Adiit Pilatum, ad petendum corpus Jesu. 2. Petiit illud à Pilato. 3. Impetratum accepit, deponendo scilicet de cruce. 4. Involvit illud sindone purâ. 5. Posuit illud in monumento suo novo quod exciderat in petra. 6. Advoluto saxo magno ad ostium monumenti, abiit. Atque hæc de Josepho. Duæ mulieres quæ & ipsæ officiosas sese declararunt, describuntur à propriis nominibus. Officium autem illarum notatur quum dicuntur sedisse contra sepulchrum: ut scil. viderent ubi poneretur corpus Jesu, ut postridie eò redirent ad ipsum ungendum: sicut alii Evangelistæ declarant, nempe Marcus c.15.v.ult. Lucas c.23. v.duob.ult. Atque hæc de officiis piorum & amicorum Jesu erga defunctum.

Jam injuria inimicorum (videl. Sacerdotum & Pharisæorum) erga eundem defunctum ac sepultum, fuit: quòd eum ut impostorem criminati sunt apud Pilatum, ac proinde ab illo petiverunt milites ad custodiendum sepulchrum. Istud factum illorum describitur primùm à tempore, v.26. Deinde à forma seu modo agendi, nempe sermone ad Pilatum, v.63. & 64. Tum ab effectis: videl. impetratione custodiæ, v.65. & munitione sepulchri, v.ult. Munitio autem fuit duplex: una per obsignationem lapidis sepulchro obvoluti, altera per custodiam militum.

SCHOLIA IN CAP. XXVII.

1 Manè autem facto] πρωΐας δὲ γενομένης. *Ad* πρωΐας, *subauditur* ὥρας. *Itaque ad verbum est*, Matutino autem *tempore* facto.

3 Retulit] ἀπέστρεψε. *Quasi dicas*, Reverti fecit, *id est*, *reddidit*. *Verbo* ἀποστρέφειν *sumto transitivè tanquam in conjugatione Hebræorum hiphil.* Triginta illos argenteos numos] τὰ τριάκοντα ἀργύρια. *Nempe quos in mercedem proditionis ab illis acceperat, suprà 26.15. Eò respicit articulus. De nomine* ἀργύρια, *nec non de summa istius pretii, dictum est in scholio ad locum modò citatum.*

4 Peccavi quòd prodidi] ἥμαρτον παραδούς. *Id est*, ὅτι παρέδωκα. *Qua interpretatione sensum bene expressit Syrus paraphrastes.* Sanguinem innoxium] αἷμα ἀθῷον. *Id est, hominem innoxium ad sanguinem ejus effundendum. Synecdoche membri emphatica.* Tu videris] σὺ ὄψει. *Quam scil. rationem istius tui facti Deo sis redditurus.* Strangulavit *sese*] ἀπήγξατο. *Et insuper præcipitatus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus, Act.1.18.*

6 In corbanan] εἰς τὸν κορβανᾶν. *Id est, in gazophylacium seu ærarium templi, ubi reponebatur pecunia sacra, quæ offerebatur ad cultum Dei. Vox est Syriaca, significans oblationes. unde Syrus supplevit* בֵּית *beth, id est, locum: reddens* בֵּית קוּרְבָּנָא *beth kurbaná, locum oblationum: judicans (ut opinor) post articulum* τὸν *subaudiri nomen* τόπον. Pretium sanguinis] τιμὴ αἵματος. *Id est, quo emtus est sanguis ad effundendum injustè.*

7 Agrum illum figuli] τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως. *Nempe vulgo notum ac celebrem: ut constat ex verbis Petri, Act.1.19.* Ad sepulturam hospitum] εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις. *Ad verb.* In sepulturam hospitibus: *hoc est, ut hospitibus seu peregrinis illic fortè mortuis, serviret in sepulturam.*

8 Ager sanguinis] ἀγρὸς αἵματος. *Syriacè* חֲקַל דְּמָא *hhakál demá pro quo Act.1.v.19. legitur* Ἀκελδαμά. *Quia scilicet pretio san-*

ctio sanguinis emtus erat. Usque in hodiernum diem] ἕως τῆς σήμερον. Subaudi ἡμέρας.

9 Per Jeremiam prophetam] διὰ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου. Locus apud Jeremiam non reperitur: & Syrus interpres nullius prophetæ nomen hîc expressit. Unde probabile est, nomen Ἱερεμίου ex margine in contextum irrepsisse: idq; ex compendio scripturæ non intellecto: quum scilicet adscriptum esset Ζοῦ, id est, Ζαχαρίου: & lectum esset Ἰοῦ, id est, Ἱερεμίου. Extat autem locus Zach.11.v.12.& 13. Ut autem allegatio ejus rectiùs & faciliùs possit judicari, adscribemus illum huc παραλλήλως.

Zach.11.v.12.& 13.	Matth.27.v.9.& 10.
Dixeram enim illis, si bonum videtur in oculis vestris, date mercedem meam: sin minùs, desistite: Et appenderunt mercedem meam, triginta argenteos. Edixit autem Jehova mihi, Projice eos conferendos in figulum. Magnificum pretium quo æstimatus sum ab illis. Et accepi triginta illos argenteos, & projeci eos in domo Jehovæ conferendos in figulum.	Et accepi triginta illos nummos argenteos, (pretium æstimati, quem æstimaverant) à filiis Israël: Et dedi eos ad emendum agrum figuli: sicut præcepit mihi Dominus.

Ex ista syzygia perspicitur, locum istum Zachariæ nec prorsus iisdem verbis, nec eodem prorsus ordine sententiarum huc esse citatum. Interim dubitari non est fas, quin sensus verborum fideliter sit redditus. Ac ad ipsa verba quod attinet, quædam apud prophetam habentur, quæ hîc compendii gratiâ omittuntur: nempe verba illa priora de appensa mercede triginta argenteorum. Item pro illis verbis, Magnificum pretium quo æstimatus sum ab illis: quæ sunt verba Dei (nempe filii Dei) indignantis, quòd tam vili pretio à Judæis esset æstimatus: Matthæus simpliciter dicit, Pretium æstimati quem æstimaverant, detracto scilicet illo schemate exclamationis, & illo tropo ironiæ. Item ubi propheta dicit, Accepi: Evangelista addit, A filiis Israël. quod tamen additamentum sumtum est, & huc translatum ex primis hujus loci verbis, ubi narratur, quomodo Jehova à filiis Israël petiverit ut sibi darent mercedem, æstimatis scil. laboribus, quos consumserat in ipsis pascendis. Præterea ubi propheta ait, Projeci eos in domum Jehovæ: Evangelista tantummodo dicit, Dedi eos: fortasse propterea quòd paulo-antè narraverat ipsam rem gestam, quomodo Judas triginta illos argenteos projecerit in templum, v.5. Adhac, ubi apud prophetam habetur, In figulum: apud Evangelistam dicitur, In agrum figuli: sensu specialiùs expresso. Postremò, pro illis verbis: Edixit autem Jehova mihi, Projice eos conferendos in figulum: ab Evangelista dicitur breviùs, Sicut præcepit mihi Dominus. Atque hæc de mutatione in ipsis verbis. Jam ad ordinem quod attinet: sententia de præcepto, quod Jehova dederat prophetæ, apud illum præcedit; apud Evangelistam verò ad finem rejecta est. Et accepi] καὶ ἔλαβον. Alii vertunt. Et acceperunt: quia verbum Græcum est ambiguum: & iidem versu sequente legunt, καὶ ἔδωκαν, id est, Et dederunt. Sed quoniam Syrus interpres in utraq; sententia habet verba personæ primæ numeri singularis, & apud prophetam quoq; ipsum ejusdem generis verba exstant: dubium videri non debet, quin exemplar quo Syrus usus fuit, habuerit, καὶ ἔδωκα: non autem (ut nunc legitur) καὶ ἔδωκαν. Litera autem ν videtur adjecta ab aliquo qui verbum ἔλαβον intellexerat, tanquam dictum in persona tertia plurali: ac proinde sequens verbum καὶ ἔδωκα ad illud eo modo intellectum conformare non dubitavit, putans nimirum literam ν vitio scribæ omissam esse. Esse autem legendum ἔδωκα, in prima persona: planum est ex verbis continenter annexis, καθὼς συνέταξέ μοι κύριος. Ubi factum & mandatum conjunguntur, & uni eidemq; personæ tribuuntur, videlicet ipsi prophetæ. Quid enim esset, Illi dederunt, sicut ego jussus sum facere? Cæterùm ex collatione rei à propheta gestæ cum re gesta à Juda proditore, liquet, illum hujus typum ea in re gessisse. Neque hoc absurdum videri debet, quum similia legantur apud Ezechielem: puta quòd typicè obsederit urbem Hierosolymam, ederit stercus humanum &c. Triginta illos numos argenteos] τὰ τριάκοντα ἀργύρια. Nempe quos Jehova dederant pro mercede filii Israël. Hoc significatur articulo: qui ideo fuit exprimendus: sicut & apud Prophetam exprimitur. Pretium illud æstimati] τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου. Appositio & epexegesis. Æstimati autem nomine intelligitur ipse Jehova, nempe filius Dei. Quem æstimaverant] ὃν ἐτιμήσαντο. Scil. filii Israël. Dictum impersonaliter. Etsi autem hæc additio speciem habet pleonasmi: tamen videtur usurpata ad emphasin, ad innuendum illam indignationem Jehovæ, apud Prophetam dicentis, Magnificum verò pretium quo æstimatus sum ab illis! A filiis Israël] ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. Probatur mihi hic judicium doctissimi viri F. Junii: jungentis hæc verba cum verbo ἔλαβον, id est, Accepi. Nam jungere cum ἐτιμήσαντο, nimis mihi durum videtur: hoc quidem sensu, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ: pro, ὃν ἐτιμήσαντο οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ: vel, ὃς ἐτιμήθη ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. Ponitur autem ἀπὸ pro ὑπὸ, & notat causam agentem.

10 Et dedi] καὶ ἔδωκα. Sic enim legendum: non autem, ἔδωκαν: de quo dictum paulo-antè. Præcepit] συνέταξε. Id est, διέταξε, ut suprà 26.19.

11 Tu dicis] σὺ λέγεις. Id est, Ego sum; ut declaratur Joh.18.37. Ex quo loco etiam illud perspicitur, confessionem hanc editam esse in ipso prætorio coram Pilato solo. nam ad criminationes Judæorum, inter quas & illa erat, quòd se diceret esse Christum regem, nihil respondit: tum quòd veritatem illius criminis satis coram ipsorum concilio fuerat confessus, tum quòd illi calumniosè ejus confessionem interpretabantur de regno mundano.

12 Et quum ipse accusaretur] ἐν τῷ κατηγορεῖσθαι αὐτόν. Illius accusationis capita narrantur à Luca c.23.v.2.& 5. nempe quòd pervertat gentem, quòd vetet tributa dare Cæsari, ut qui dicat se esse Christum regem: deniq; quòd concitet populum, docens per universam Judæam, exorsus à Galilæa Hierosolymam usque.

15 In festo autem &c.] κατὰ δὲ ἑορτὴν &c. Hîc à Luca inseritur missio Jesu ad Herodem, ut ad cujus potestatem pertineret: & quibus contumeliis illic sit affectus. In festo] καθ' ἑορτήν. id est, ἐν ἑορτῇ: ut infr.19. κατ' ὄναρ, in somnio. Præpositio κατὰ hîc notat tempus. Et κατὰ δὲ ἑορτὴν dictum est pro κατὰ δὲ τὴν ἑορτήν: ut scil. articulo notetur festum certum ἀναφορικῶς, nempe festum paschatis: ut liquet ex collatione Johan.18.v.39. ubi pro his verbis dicitur ἐν τῷ πάσχα. Et ratio probabilis afferri potest, cur illum morem dimittendi aliquem vinctum instituerint in festo paschatis: videl. in memoriam liberationis majorum suorum à servitute Ægyptiorum. Qualis ratio non videtur afferri posse de festis reliquis. unde puto non esse hîc vertendum, Singulis festis.

16 Insignem] ἐπίσημον. Videl. latronem, Joh.18.v.ult. qui cædem per seditionem fecerat unà cum sociis seditionis, Marc.15.7. Barabbas] Βαραββᾶν. Vox Syriaca, sonans filium patris.

17 Dixit] εἶπεν. Scil. quum turba priùs postulasset, ut aliquem ex vinctis sibi dimitteret, Marc.15.8.

19 Misit] ἀπέστειλε. Nempe ministrum aliquem. Nihil tibi rei sit cum justo illo] μηδὲν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ. Ad verb. Nihil tibi & justo illi. Phrasis Hebraica: cujus exempla vide suprà 8.29. Et Johan.2.v.4. In somnio] κατ' ὄναρ. Sic suprà 1.20. Angelus Domini apparuit Josepho κατ' ὄναρ. Nomini ὄναρ apud Græcos opponitur ὕπαρ.

20 Perderet] ἀπολέσωσιν. Id est, perdendum curaret, ad necem deposceret. Metonymia finis.

21 E duobus illis] ἀπὸ τῶν δύο. Pro, ἐκ τῶν δύο.

22 Quid igitur faciam Jesu] τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν. Ad verb. Quid igitur faciam Jesum. Vide scholia in Marc.15.12.

24 Sed majorem tumultum fieri] ἀλλὰ μᾶλλον θόρυβος γίνεται. Ad verbum, Sed magis tumultum fieri. Abluit &c.] ἀπενίψατο. Sed priùs flagellato Jesu, ut liquet ex narratione Joh.cap.19.v.1. & seqq. Quod ex re ipsa liquet. Etenim flagellationem adhibuerat, ut Judæos commoveret ad misericordiam erga Jesum innocentem, ut paterentur illum dimitti: quod propositum Pilati perspicitur ex illis verbis de Jesu flagellato & in conspectum populi producto dicentis, Ecce homo: Joh.19.5. q.d. Heu quàm miser homo! Innoxius sum] ἀθῷός εἰμι. Id est, hoc symbolo ablutionis manuum publicè testor me velle esse innoxium in damnatione hujus innocentis. Vos videritis] ὑμεῖς ὄψεσθε. Scilicet quomodo Deo sitis de hac damnatione quam mihi invito extorquetis, rationem reddituri. Sic suprà 4.

25 Sanguis ejus veniat] τὸ αἷμα αὐτοῦ. Subaudi ἐλθέτω. sicut plenè loquitur Dominus supr.23.35. Sanguis autem, id est, pœna Dei propter sanguinem injustè effusum. Metonymia duplex: una subjecti, Sanguis pro sanguinis effusione: altera efficientis, Sanguinis effusio pro pœna propter illam inferenda.

26 Flagellatum] φραγελλώσας. Nempe ante solennem illam protestationem de innocentia damnandi: ut paulo-antè monuimus ad v.24.

28 Chlamydem coccinam] χλαμύδα κοκκίνην, Johannes vocat ἱμάτιον πορφυροῦν, pallium purpureum.

29 Et plexa coronâ] καὶ πλέξαντες στέφανον. Vel, Et quum plexuissent coronam. Quod enim Græcis est πλέκειν, id Latinis plectere: unde Lucretius coronas plexas dicit, lib.5. non procul à fine, ubi ait:

Tum caput atque humeros plexis redimere coronis,
Floribus & foliis, lascivia læta monebat.

Et arundinem] καὶ κάλαμον. Repete ἀπὸ κοινοῦ verbum ἐπέθηκαν, imposuerunt: scilicet sceptri regii vice. Et genu submisso] καὶ γονυπετήσαντες. Vel, Et in genua prolapsi. Ave rex] χαῖρε ὁ βασιλεύς. Pro, ὦ βασιλεῦ.

30 Verberabant caput] ἔτυπτον εἰς τὴν κεφαλήν, Ad verb. Verberabant in caput: Id est, verberando illidebant in caput. Syrus: Percutiebant eum super caput ejus.

31 Abduxerunt] ἀπήγαγον. Nempe unà cum duobus facinorosis, Luc.23.32.

32 Invenerunt] εὗρον. Id est, nacti sunt: nempe prætereuntem, quum veniret rure: Marc.15.v.21. Simonem] Σίμωνα. Patrem Alexandri & Rufi, ibid. Angariaverunt] ἠγγάρευσαν. Id est, coëgerunt. Metaphora ab angariis Persicis: de quibus diximus supr. ad 5.41. Ut portaret] ἵνα ἄρῃ. Ad verb. Ut tolleret: id est, sublatum in humeros bajularet. Synecdoche membri metonymica: qualis in illo, Ecce agnus Dei qui tollit (ὁ αἴρων) peccatum mundi, Joh.1.v.29. Coactus autem fuit crucem portare pone Jesum, Luc.23.26. Atque hinc licet colligere, Jesum ita fuisse confectum doloribus, atque infirmatum tum ex agonia illa in horto, tum ex verberibus ministrorum ei illudentium, tum ex deductione nunc ad

Annam, mox ad Cajapham, deinde ad Pilatum, tum ad Herodem, mox iterum ad Pilatum: & deniq. ex flagellatione & impactione coronæ spineæ in caput ipsius: ut viribus penè exhaustis non suffecerit ipse ad crucem ulterius bajulandum. Cæterùm hoc loco interserit Lucas mentionem de planctu mulierum & sermone Jesu ad illas.

33 Golgotha] Γολγοθᾶ. *Corruptum ex Hebr.* גלגולת *gulgóleth, quo significatur calvaria seu cranium, à rotunditate ac volubilitate: deductum est enim à verbo* גלל *quod significat volvere.*

34 Acetum] ὄξος. *Pro hoc Marcus habet,* ἐσμυρνισμένον οἶνον, *myrrhatum vinum. Itaq. impropriè videtur hoc loco appellari acetum, propter acorem fortasse, qui inerat ex vetustate.* Cum felle mistum] μετὰ χολῆς μεμιγμένον. *Etiam istud impropriè dictum videtur, ita nimirum, ut fellis nomine per metaphoram significetur amaritudo quam vino affert myrrha, præsertim si vinum myrrhatum jam sit vetustum.*

35 Postquam autem crucifixerunt eum] σταυρώσαντες δὲ αὐτόν. *Crucifixionis istius hîc traditur fuisse modus, ut ambæ manus brachiis expansis in ligno crucis transverso clavis affigerentur, ambo verò pedes ligno cuidam ab hasta seu erecto tigno crucis justo loco prominenti, veluti basi insistentes & juxta se mutuo positi itidem clavis affigerentur. Quare falsa fuerint pictura vulgares, in quibus ambo pedes, alter alteri incumbens, uno clavo transfixi & comprehensi pinguntur. Sanè ipsas manus clavis transfixas fuisse, liquet ex Joh.20.v.25. ubi Thomas commemorat vestigia clavorum in manibus Domini. Expansionem verò brachiorum in cruce factam innuit Dominus, ubi ait:* Ego quum fuero exaltatus, omnes ad me traham. *Item ubi ait Petro,* Quum senueris, extendes manus &c. *Johan.21.v.18. Cæterùm Dominus interim dum crucifigebatur, orabat pro illis qui ipsum crucifigebant, ut narrat Lucas cap.23.v.34.* Partiti sunt ejus vestimenta] διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. *Ita scilicet ut facerent quatuor partes, unicuiq. militi partem. Tunicam verò quòd esset insutilis non diviserunt sed de ea sortiti sunt cujus futura esset integra, Joh.19.v.23.24.* Jacientes sortem] βάλλοντες κλῆρον. *Hoc restrinxit Johannes ad tunicam, ut modò dictum. Nisi statuamus, sortem eos jecisse tum super quatuor illas partes, quæ cuiq. cederet: tum super tunicam integram, cui ex illis cederet.* A Propheta] ὑπὸ τοῦ προφήτου. *Scilicet Davide, Psalm.22.* Partiti sunt &c.] διεμερίσαντο &c. *Verba Christi, qui in toto illo psalmo loquens introducitur. Sunt autem verba conquerentis de injuria sibi facta.* Vestem meam] τὸν ἱματισμόν μου. *Videlicet τὸν χιτῶνα, id est, tunicam, Johan.19.v.23.*

36 Sedentes servabant] καθήμενοι ἐτήρουν. *Nempe centurio & qui cum eo erant milites, infr.54. Sed cur servabant Jesum? Nempe quia metuebant ne quo modo elaberetur à cruce abreptus: ut colligitur ex verbis illorum qui clamorem ejus, Eli, Eli &c. impio joco detorserunt ad Eliam, dicentes: Sine, videamus an veniat Elias servaturus eum, infrà 49.*

37 Supra caput ejus] ἐπάνω τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ. *Scil. in tabella affixa summæ parti hastæ crucis sive tigni erecti.* Crimen ipsius] τὴν αἰτίαν αὐτοῦ. *Ad verb. Caussam ipsius. Synecdoche generis. Intelligitur enim crimen seu culpa quæ causa est supplicii. Johannes nominat* τίτλον, *titulum: Johan.19.v.19.* Scriptum] γεγραμμένην. *Idq. Hebraicè, Græcè, & Latinè: Joh.19.20.* HIC EST] οὗτός ἐστιν. *Hanc formam tituli Judæi petiverunt à Pilato mutari, ac reponi hac verba:* Ille dixit, Rex sum Judæorum: *Joh.19.21.* JESUS] Ἰησοῦς. *Apud Johannem additur,* ὁ Ναζωραῖος, *Nazarenus.*

38 Duo latrones] δύο λῃσταί. *Ut impleretur Scriptura quæ dicit (Esa.53.)* Et cum sceleratis numeratus est: *Marc.15.28.*

43 Si vult eum] εἰ θέλει αὐτόν. *Id est, Si delectatur eo: ut habetur Psal.22.v.9. unde ista sunt deprompta.*

44 Etiam latrones] καὶ οἱ λῃσταί. *Id est, alter latronum: ut declaratur Luc.23.v.39. & sequentibus. Synecdoche integri. Conjunctio* καὶ *est nota majoris, & innuit rei indignitatem, quam ipsam declarat alter ille latro conversus, quum isti blasphemanti dicit:* Ne tu quidem times Deum, quòd in eadem sis damnatione.

45 A sexta autem hora] ἀπὸ δὲ ἕκτης ὥρας. *Nempe in ipso meridie. Dies enim apud Judæos habebat horas duodecim: & horæ numerabantur ordine ab ortu solis.* Super universam terram] ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. *Apud Marcum habetur,* ἐφ' ὅλην τὴν γῆν. *Hoc quidam interpretantur de sola terra Judæa: alii de toto orbe terrarum. Quod posterius confirmatur testimoniis veterum authorum à nobilissimo ac doctissimo viro Philippo Mornæo, De veritate religionis Christ. cap. ult. editionis Plantinianæ, pag. 779. & 780.*

46 Eli, Eli &c.] Ἠλί, ἠλί &c. *Verba desumta sunt ex Psal.22. in quo toto (ut antè monuimus) Christus loquitur.* Sabachthani] Σαβαχθανί. *Rectiùs,* σαβακτανί *per* κτ. *quia Syriacè* שבקתני *schebactani. Pro quo in Hebr. habetur* עזבתני *hhasabtháni. Sed Dominus Syriaco idiomate usus fuit.* Cur] ἱνατί. *Ad verb.* Ut quid. *pro,* διατί.

47 Eliam vocat] ὅτι Ἠλίαν φωνεῖ. *Conjunctio* ὅτι *servit mimesi.*

48 Et statim] καὶ εὐθέως. *Nempe quum prius dixisset,* Sitio, *Johan.19.28.* Calamo] καλάμῳ. *Sive arundini. Johannes nominat* ὑσσώπῳ, *hyssopum intelligēs (ut equidem puto) caulem hyssopi, hoc est, libanotidis: quæ similis erat arundini. Vide, si placet, scholia nostra in Joh.19.v.29.* Dedit ei ut biberet] ἐπότιζεν αὐτόν. *Verbo* ποτίζειν *respondet Germanicum* trencken.

50 Quum rursum clamasset] πάλιν κράξας. *Dicens scil.* Consummatum est, *Johan.19.30.* Emisit spiritum] ἀφῆκε τὸ πνεῦμα. *Id est, animam. Idq. cum his verbis:* Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, *Luc.23.46.*

51 Aulæum] τὸ καταπέτασμα. *Seu,* velum: *nempe quod suspensum erat ante adytum sive sanctum sanctorum.* In duas partes] εἰς δύο. *Scil.* μέρη.

52 Monumenta] τὰ μνημεῖα. *Sepulchra mortuorum. Synecdoche generis. nam aliàs accipitur generaliter, ut etiam nomen monumenti apud Latinos: ut testantur hæc exempla. Isocrat. in Busiridis encomio,* ἀλλ' ἔδει ἤδη καὶ τῆς ἀρετῆς τῆς αὐτοῦ μνημεῖον εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον καταλιπεῖν. *Idem in orat. ad Philippum,* τρόπαιον μὲν τῶν βαρβάρων, μνημεῖον δὲ τῆς ἀρετῆς αὐτῶν. Qui obdormierant] τῶν κεκοιμημένων. *I.e. mortui fuerant. Metaphora in scriptura usitata. Sic Actor.7. in fine de Stephano lapidato dicitur,* ἐκοιμήθη, *obdormivit. Ab eo verbo sepulchreta dicta sunt* κοιμητήρια, *cœmeteria, quasi dicas, dormitoria.*

53 Post resurrectionem ejus] μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ. *Ambiguum est sint ne hæc verba jungenda præcedentibus, tanquam pendentia à participio* ἐξελθόντες: *an verò sequentibus tanquam pendentia à verbo* εἰσῆλθον. *Sed recta ratio præcedentibus adjungi suadet. neq. enim probabile est, illos Christum, qui appellatur primitiæ resurgentium, antevertisse.* In sanctam urbem] εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν. *Periphrasis Hierosolymæ ab adjuncta sanctitate ex cultu Dei illic instituto divinitus.*

54 Dicentes] λέγοντες. *Nempe glorificando Deum: ut ait Lucas cap.23.v.47.* Filius Dei] Θεοῦ υἱός. *Apud Lucam pro hoc habetur,* δίκαιος, *justus. Unde videatur filium Dei hîc dici appellatione generali ac omnibus piis communi. Veruntamen potest fieri, ut cis innotuerit, Jesum hoc nomine à Judæis damnatū esse, quòd se dixisset esse filium illum Dei, scil. naturalē: ac proinde ut hunc ipsum isto nomine intellexerint, indeq. conclusserint fuisse justum seu innocentem, atq. injustè ob illam confessionem damnatum. Nec absurdum videri debet, si isti ad cognitionem salvificam Christi pervenerunt: quippe quum ipse pro illis oraverit, Luc.23.v.34. Præter hos autem turba quoq. innocentiam Jesu agnovit: utpote verberantes pectora sua, Luc.23.v.48.*

55 Mulieres] γυναῖκες. *Nec non omnes noti ejus, Luc.23.v.49.* Quæ sequutæ fuerant] αἵτινες ἠκολούθησαν. *Earum nonnullæ nominatim recensentur Luc.8.v.2.3.* Ministrantes ei] διακονοῦσαι αὐτῷ. *Nempe ex facultatibus suis: loco modò citato.*

57 Dives] πλούσιος. *Ac insuper honoratus, nempe honestus senator, Marc.15.v.43.* Oriundus ex Arimathæa] ἀπὸ Ἀριμαθαίας. *Subaudiendum γεγονὼς: ut percipitur ex Marco, ubi additur articulus, sic: ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας. Nequis putet, præpositionem ἀπὸ regi à verbo ἦλθεν, quasi tum advenerit Hierosolymam ex Arimathæa. Cæterùm Arimathæa est nomen oppidi, corruptum è Syriaco Aramatha: quod Hebraicè nominatur Ramath vel Rama. Fuit autem (ut annotat Franciscus Junius) hoc oppidum Benjaminitarum, non procul Hierosolymis & Gibeone: quod inter alia enumeratur Jos.18.v.25.* Discipulus fuerat Jesu] ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ. *Quasi dicas,* Discipulaverat ipsi Jesu: *hoc est, discipulum se ei præbuerat.* Μαθητεύειν *verbum factum est à nomine* μαθητὴς, *quo significatur discipulus. Johannes addit, fuisse discipulum occultum propter metum Judæorum. Marcus & Lucas pro hoc dicunt, illum exspectavisse regnum Dei. Et Lucas præterea dicit, fuisse virum bonum & justum, neq. suffragatum fuisse consensisséve consilio & facto Judæorum, nempe in damnando & tradendo Jesu.*

58 Adiit] προσελθών. *Idq. sumtâ audaciâ, Marc.15.v.43.* Jussit] ἐκέλευσεν. *Cognitto priùs è centurione, Jesum esse mortuum, Marc.15.v.44.45.*

59 Quum accepisset] λαβών. *Lucas ait,* καθελών, *quum detraxisset, nempe de cruce. Quod tamen videtur fecisse non suâ manu, ut pictura habent: sed per manus vel suorum famulorum, vel militum Pilati. quippe quibus jusserat Pilatus, ut corpus Jesu Josepho redderent. In hoc autem negotio socium habuit Nicodemum, Joh.19.v.39. & seqq.* Sindone purâ] σινδόνι καθαρᾷ. *Quippe quam recens in hunc usum fuerat mercatus, Marc.15.v.46. Johannes dicit, quòd corpus Jesu obvinxerint linteis cum aromatibus: sicut mos est Judæis funerare.*

60 Novo] καινῷ. *In quo nondum quisquam positus fuerat, Luc.23.v.53.* Exciderat] ἐλατόμησεν. *Verbum Græcum hîc proprium est, utpote derivatum à nomine* λατόμος, *lapicida: quod compositum est ex* λᾶας, *lapis, &* τέμνω, *seco vel cado.*

61 Et altera Maria] καὶ ἡ ἄλλη Μαρία. *Nempe mater Jose, Marc.15.v.ult.* Sedentes] καθήμεναι &c. *Nempe spectantes ubi positum esset corpus Jesu, ut perendie reversæ ipsum ungerent, Luc.23.v.53.55.*

62 Postero autem die] τῇ δὲ ἐπαύριον. *Subaudi,* ἡμέρᾳ. Quæ sequitur parasceven] ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευήν. *Periphrasis diei festi Paschatis qui tunc erat sabbathum ex observatione tradita à majoribus. Nomine enim Parasceves, id est, præparationis, per meto-*

per metonymiam adjuncti intelligitur hîc dies proximus ante diem Paschatis, quo sese ad festum praparabant, maximè removendo fermento.

63 Tertio pòst die] μετὰ τρεῖς ἡμέρας. *Ad verbum*, Post tres dies, *seu, post triduum: hoc est, tertio die post meam mortem.* Surgam] ἐγείρομαι. *Ad verbum*, Surgo. *Enallage temporis.*

64 Ne quando] μήποτε. *Latini dicunt*, Ne fortè. *Germ.* **Daß nicht villeicht.** Nam *sic* erit] καὶ ἔσται. *Ad verbum.* Et erit. *Id est: Nam si istud fiat, tum erit &c.* Ultimus error] ἡ ἐσχάτη πλάνη. *Vel,* Ultima *fraus, seu deceptio, seu denique impostura,* **der letzte betrug.**

65 Custodiam] κουστωδίαν. *Id est, custodes milites. Sic vers. seq.*

OBSERVAT. EX CAP. XXVII.

Providentia Dei. 1 Ex v. 1. & 2. Consideranda hîc est providentia Dei, ita gubernantis malas voluntates hostium Christi, ut illum neci dedant eo ipso tempore quod huic rei maximè conveniebat, videlicet in festo paschatis: quum tamen ipsi hoc tempus studuerint declinare metu tumultus, suprà 26.5. Damnaverant illum recens captum nocte præteritâ; exsequutionem poterant differre post festum, sicut antea decreverant: sed tunc tantâ rabie adversus Christum aguntur, ut non possint quiescere donec illum è medio sublatum videant. Itaque mane facto, iterum conveniunt, & de exsequutione sententiæ ab ipsis jam latæ deliberant, consiliumque capiunt ut illum absque mora ad mortem adducant: metuentes scil. ne si exsequutionem differrent, populus intercederet & Jesum vinctum eis extorqueret. Quare illum vinctum absque mora adducunt ad Pilatum præsidem, eique crucifigendum tradunt: unde factum ut Christus in festo sit occisus. id quod ita fieri conveniebat propter duas causas: partim ut veritas figuræ eò exactiùs responderet, dum verus ille agnus Dei qui per agnos paschales fuerat præfiguratus, in ipso paschatis festo mactatus fuit: partim verò ut tantæ rei testis esset totus Israël: quippe qui in festo pro more convenerat. Confer Act. 2. 23. & cap. 4. v. 27. & 28. ubi providentiæ hujus divinæ fit mentio.

Proditio. 2 Ex v. 3. 4. & 5. Exemplo Judæ monemur, quàm horrendum judicium maneat eos qui produnt sanguinem innoxium, maximè filiorum Dei. Quare tantum scelus toto pectore detestemur: & contra ejusmodi proditiones consolemur nos consideratione divinæ vindictæ.

Pœnitentia. 3 Ex iisd. v. Ad salutarem pœnitentiam non est satis ut aliquem sceleris admissi pœniteat & ut illud confiteatur: sed insuper opus est ut confugiat ad misericordiam Dei promissam pœnitentibus & credentibus, in mediatore Christo; & ut ex fide veniam sceleris admissi petat. Hoc non fecit Judas; idcirco propter scelus suum desperavit. Sed fecerunt Petrus & David; ideo veniam adepti sunt. Quorum illud à justo Dei judicio profectum est, quia Judas peccaverat ex diabolica malitia; at Petrus & David peccaverunt ex infirmitate humana: ille quidem ex metu mortis, iste verò ex libidine carnis. Etsi autem hi quoque justo Dei judicio poterant deseri, ne se spe veniæ erigerent: tamen ex misericordia Dei eis à lapsibus suis resurgere contigit, quia ex infirmitate lapsi erant. Sic Paulus ait misericordiam sibi contigisse, eò quòd ex ignorantia Christum blasphemaverit & persecutus sit, 1. Tim. 1. 13.

Hypocrita. 4 Ex v. 4. & 6. In exemplo sacerdotum observandum est ingenium hypocritarum. Tantus est illorum stupor ac perversitas, ut quantumvis ex confessione proditoris intelligant, Christum esse innoxium, nequaquam tamen in animum inducant eum dimittere: sed culpam omnem in proditorem devolvant, quum tamen ipsi præcipuam illius partem sustineant. Deinde pretio proditionis recepto, verentur offendere Deum si illud adjungant pecuniæ sacræ, destinatæ conservationi cultus divini: sed interim non verentur offendere Deum machinatione sceleris longè gravissimi, videlicet supplicii Christi innocentis. Sic iidem postea noluerunt ingredi prætorium, ne polluerentur, sed ut ederent pascha, Joh. 18. 28. Nos igitur hypocrisin detestemur, Deumque oremus ut animos nostros per Spiritum suum studio pietatis vero imbuat.

Providentia Dei. 5 Ex v. 7. 8. 9. & 10. Rursus hîc occurrit exemplum providentiæ Dei, idque valde illustre: nempe quòd sacerdotes pro 30. illis argenteis pro quibus paulo-antè à Juda proditore emerant Christum, nunc emunt agrum figuli. Id quod ita fieri oportuit ut impleretur prophetia Zachariæ, ac proinde decretum Dei. Quin & illud singulari Dei providentiâ accidit quòd ager ille nominatus est Ager sanguinis, ut proditionis Christi perpetuum monumentum exstaret, quia nimirum pro pretio sanguinis emptus fuerat. Cujus rei & Petrus meminit Act. 1. 19.

Christus. 6 Ex v. 9. & 10. Notanda pars argumenti quo demonstratur, Jesum illum Nazarenum esse Christum: quia scil. in eo impleta est prophetia Zachariæ de Christo pronunciata.

Confessio fidei. 7 Ex v. 11. Sicut Christus coram judice Pilato confessus est se esse regem Judæorum seu Christum, ita tamen ut ad occurrendum calumniis naturam regni sui declararet, quemadmodum videre est apud Johannem c. 18. v. 33. & deinceps: ita & nos confiteri debemus, nos esse Christianos, regis hujus subditos illique addictos; idque ita ut fidei nostræ claram confessionem edamus, simulque calumniis si opus esse videatur, occurramus. Hòc Domini exemplum Timotheo considerandum proponit Paulus 1. Tim. 6. v. 13.

Passio Christi. 8 Ex v. 12. 13. & 14. Cur Christus ad objecta crimina nihil responderit, causas exposuimus suprà ad v. 63. & 64. cap. præcedentis: itemque quid inde nobis sit discendum.

Innocentia Christi. 9 Ex v. 15. & seqq. usq; ad 25. Notanda sunt testimonia innocentiæ Christi: nempe quòd ipse judex eum innocentem agnovit, unde ipsum studuit dimittere: deinde quòd uxor illius divinitus admonita in somno, testimonium innocentiæ Christo apud maritum perhibuit, eumque ab illo damnando dehortata est: denique quòd judex apertè professus est, illum nihil mali fecisse, sed justum esse. Hæc doctrina facit ad nostram consolationem: quatenus credimus, Christum innocentem pro nobis nocentibus passum esse, atque ita peccata nostra expiasse.

Pilati factũ quoddam. 10 Ex v. 17. & 21. Quæritur, an rectè fecerit Pilatus, quòd Jesum comparavit cum latrone Barabba, ut eum hoc modo dimitteret? Respondeo: Non rectè fecit: quia, ut ait Apostolus, non sunt facienda mala ut eveniant bona, Rom. 3. v. 8. Bonum quidem, id est, justum erat, Christum innocentem à judice dimitti: at malum atque injustum erat, ipsum innocentem cum homine nocente comparari. Sed hoc modo per mirabilem Dei providentiam impleri cœpit propheta Esaiæ, *Inter latrones numeratus est:* quæ postea ampliùs est impleta, quum inter duos latrones ad supplicium eductus & in cruce suspensus est. At defendat aliquis Pilatum hoc argumento, quòd inter duo mala elegerit minus. Minus enim malum erat, Christum innocentem cum Barabba nocente comparari, quàm eundem damnari. Respondeo: Regula illa, Inter duo mala eligendum est minus, locum tantùm habet in malis molestis, quæ vocantur mala pœnæ: non autem in malis turpibus, quæ nominantur mala culpæ. Etenim nulla culpa, seu nullum peccatum, ne minimum quidem, perpetrandum est. At peccatum est innocentem tanquam nocentem tractare. Idem dicendum de flagellatione, qua Pilatus Christum curavit affici, ut populum moveret ad misericordiam Christo impetrandam: quò pertinebat illa vox, quum productum ostendens, dicebat, *Ecce homo!* q. d. Quàm miserè tractatus!

Inconstantia. 11 Ex v. 20. & seqq. In ista plebe proponitur nobis exemplum magnæ inconstantiæ. Ante paucos dies acclamaverant Jesu, *Benedictus qui venit in nomine Domini:* Nunc poscunt eum ad crucem. Nos Deum oremus, ut nobis constantiam in bono largiatur.

Innocentia Christi. 12 Ex v. 24. & 26. Christus innocens à judice damnatus est ad crucem, ubi eum sentire oportebat iram Dei adversus nostra peccata: ut nos nocentes à Deo absolveremur propter satisfactionem illius.

Judæi. 13 Ex v. 25. Quod Judæi sibiipsis ac liberis suis imprecati sunt, id eis evênit non multo pòst, quum post varias clades tandem excisâ Hierosolymâ capti ac venditi atque dispersi sunt, amissâ politeiâ & legitimo cultu Dei. Quam pœnam etiamnum hodie sentiunt. Ultionis autem divinæ pars præcipua est illa cæcitas, quòd non possunt credere Evangelio, ut per Christum serventur.

Confessio fidei. 14 Ex v. 27. & seqq. Si accidat ut propter confessionem Evangelii contumeliis afficiamur: consolemur nos exemplo Christi, cui idem accidit.

15 Ex v. 32. In Simone Cyrenæo proponitur nobis imago tum officii nostri erga Christum, tum nostræ in illo præstando infirmitatis. Nempe officii nostri esse ut portemus crucem Christi: hoc est ut odia & persecutionem mundi propter confessionem Evangelii patienter feramus: verùm ab hac patientia & hoc officio præstando nos abhorrere. unde & Christus Petro martyrium prædicens ajebat, *Quum senueris, cinget te alius, & ducet quò noles*, Joh. 21. v. 18. Oremus igitur Deum ut robore Spiritus sui animos nostros ad patientiam confirmet.

Crucifixio Christi. 16 Ex vers. 35. Crucifixus est Christus ut fieret maledictio pro nobis, atque ita nos à maledictione Legis liberaret. Vide Gal. 3. 13.

Quòd Jesus sit Christus. 17 Ex v. 35. 38. 43. 46. 48. Notandæ sunt variæ partes argumenti, quo demonstratur, hunc Jesum Nazarenum esse Christum: quia scilicet in eo impletæ sunt variæ Scripturæ de Christo prophetantes: videlicet partitio vestium, Psal. 22. 19. numeratio inter latrones, Esa. 53. 12. ludificatio hostium in extrema ejus miseria, Psal. 22. 9. querela de sui à Patre desertione, Psal. 22. 2. potus aceti, Psal. 69. 22.

Injuria. 18 Ex iisd. v. Si nobis similia accidant, consolemur nos exemplo Christi. Vide 1. Pet. 2. 20. & seqq.

Providentia Dei. 19 Ex v. 37. Pilatus quantumvis aliud agens, huic Jesu testimonium dat, quod ipse sit Christus. Agnoscamus igitur hîc quoque providentiam Dei. Idque eò magis, quòd ne monitus quidem & rogatus, titulum crucis mutare voluit: sed quod semel scripserat, ratum esse voluit: ut testatur Joh. c. 19. v. 21. & 22.

Tenebræ quum Christus penderet in cruce. 20 Ex v. 45. Præternaturales istæ trium horarum tenebræ quæ totam terram occuparunt patiente Christo, portenderunt haud dubiè calamitates illas quas non multo pòst Deus iratus huic populo immisit: quas & Christus suprà 24. discipulis prædixit. Sunt enim tales tenebræ signum iræ Dei, ut perspicitur ex eo quòd signum erunt adventantis Christi ad judicium, ut ipse testatur suprà 24. 29. Et passim in Scriptura nomine te-

brarum calamitates significantur: ut Esa.5.30. *Quum intuebitur in hanc terram, ecce tenebras, tenebras angustia &c.* Sic cap.8. vers. ult. *Quòd si in terram intueatur, ecce oppressionem & tenebras, obscurato angustiâ & caligine impulso.* Et sic passim apud illum prophetam. Sic Thren.3.1.& 2. *Ego vir ille sum qui experitur afflictionem, virga furoris illius: Me ducit & agit tenebris, non autem luce &c.* Sic Ezech.32.7.& 8. *Et operiam, quum exstinguam te, cælos, atratasq; reddam stellas eorum, solem nube operiam: & luna non faciet ut luceat lux sua: Omnia luminaria lucida in cælis atrata reddam super te, & disponam tenebras super terram tuam, &c.*

Passio Christi. 21 Ex v.46. Ex hac querela Christi percipimus, eum ad tempus desertum fuisse à Deo, ita nimirum ut nihil sentiret solatii, sed tantùm iram Dei & cruciatus damnatorum propter nostra peccata. Hinc habemus solidissimam consolationem, fore ut nos nunquam sentiamus iram Dei: quia Christus illam pro nobis sensit. Hinc ait Paulus Heb.2.9. eum gustasse mortem pro omnibus, nempe prò omnibus filiis Dei quos debuit in gloriam adducere, ut ibidem Apostolus declarat.

Natura humana Christi. 22 Ex v.50. Notetur testimonium de anima Christi contra errorem Apollinaris veteris hæretici: qui docebat, Christum caruisse animâ, sed pro anima illi fuisse ipsam deitatem τ͂ λόγυ. At Evangelista clarè dicit, illum emisisse spiritum, hoc est, animam. Confer supr.26.38.

Innocentia Christi. 23 Ex v.51.52.53.54. Miracula illa quæ statim à morte Christi acciderunt Hierosolymis, totidem fuerunt testimonia divina innocentiæ Christi: quam etiam centurio & milites qui eum servabant, inde cognoverunt & apertè professi sunt. Hoc autem facit ad nostram consolationem: ut qui sciamus Christum innocentem pro nobis nocentibus passum esse.

Sacrificium Christi. 24 Ex v.51. Per fissuram aulæi seu veli templi videtur significasse Deus, sacrificium summi sacerdotis Ecclesiæ, nempe Christi, jam esse peractum, illique & credentibus per illum patère ingressum in sanctum sanctorum, id est, in cælum: ac proinde tempus jam esse ut sacerdotium Leviticum aboleatur, tanquam typus ejus quod successurum erat, sacerdotii Christi. Quod mysterium fusè exponit Apostolus in epistola ad Hebræos, à v.penult capitis secundi, usque ad 22.capitis decimi: & præcipuè huc pertinent quæ dicuntur cap.6.duobus versibus ultimis, ubi ait: *Quam* (spem vitæ æternæ) *velut animæ anchoram habemus tutam ac firmam, & ingredientem usque in ea quæ sunt intra velum: quò præcursor pro nobis ingressus est* Jesus, *secundùm ordinem Melchisedec pontifex factus in æternum.* Item quæ habentur c.9.6. & deinceps, & maximè v.11. & 12. ubi dicitur: *Adveniens autem Christus pontifex futurorum bonorum, per majus & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus structuræ: neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, æternam redemtionem nactus.* Item v.24. *Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, quòd sit exemplar vero sacrario respondens: sed in ipsum cælum: ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis.* Denique c.10.v.19. ubi ait, *Quum igitur, fratres, habeamus libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem* Jesu, *eâ viâ quam dedicavit nobis recentem & vivam, per velum, hoc est, per carnem suam &c.*

Evangelii. Pœnitentia. 25 Ex eod.v. Terræmotus & fissio petrarum videntur significasse, orbem terrarum commovendum evangelio, & saxea pectora scindenda per pœnitentiam. De qua commotione prophetavit Haggæus cap.2.v.7.sicut exponit Paulus Heb.12.v.26. & deinceps. Exemplum autem scissionis pectorum per prædicationem evangelii habetur Act.2.v.37. ubi qui audierant concionem Petri, compuncti sunt corde &c.

Mors Christi. 26 Ex v.52. Apertione illâ monumentorum & resurrectione sanctorum significatus esse videtur fructus quidem mortis Christi, videlicet resurrectio credentium ad vitam æternam. Qui quidem fructus ab alio præcedente dependet, nempe à reconciliatione Dei quam Christus suâ morte effecit. Quibus enim Deus reconciliatus est, ita ut eos paterno favore, eoque æterno, prosequatur: illorum corpora non sinet perpetuò in morte jacere, sed aliquando ea excitabit, ut unà cum animabus favorem ipsius sentiant.

Providentia Dei. 27 Ex v.55. & 56. In facto istarum mulierum observanda est providentia Dei: qui quum Apostoli, Johanne excepto, metu diffugissent, sanctas hasce mulieres testes esse voluit rerum maximi momenti quæ Christo in cruce pendenti acciderunt, secundùm vaticinia Prophetarum. Deinde exemplo earundem monemur, Christum sequendum eique ministrandum esse etiam cum dispendio rei familiaris & molestia. Sequutæ enim fuerant illæ mulieres Jesum à Galilæa in Judæam, utique non sine itineris molestia: & ministraverant illi de suis facultatibus, posthabitâ interim curâ rei familiaris. Hodie autem Christum corporaliter sequi nobis non licet, aut ei ministrare: ut qui corporaliter à nobis absit: veruntamen sequemur eum, si propter confessionem evangelii alacriter in exilium ibimus; nec non ministrabimus ei, si benefici fuerimus in egenos fratres ipsius: sicut ipsemet docet sup.cap.25.v.40.

Quòd Jesus sit Christus. 28 Ex v.57. & seqq. Historia sepulturæ Christi præbet nobis partem argumenti quo demonstratur, hunc Jesum esse Christum: quia talis sepultura Christi prædicta fuit per Prophetam Esaiam cap.53.v.9. his verbis, *Et dedit* (scil.populus) *improbis sepulcrum ipsius: & diviti, in mortes suas.* Quibus verbis significavit Propheta, fore ut sepultura Christi esset in potestate hominis improbi simul & divitis. Is autem fuit Pontius Pilatus, præses Judææ, homo * gentilis & dives: à quo Josephum corpus Jesu ad sepulturam petere oportuit, quippe quod erat in illius potestate tanquam judicis, qui Jesum ad mortem crucis damnaverat. Quòd autem populus Jesum potestati Pilati ita tradidit, id cessit ei in mortes suas, hoc est, tum ipsius illius populi, tum liberorum ipsius: idque secundùm ipsorum protestationem, dicentium: *Sanguis ejus sit super nos & filios nostros.*

* Observandum, Gentiles sivè Ethnicos à Judæis appellari solitos peccatores, ut videre est Gal.2. v.15. Item ἀνόμους; i.e. Legis divinæ contemtores, quos Esaias vocat רְשָׁעִים Reschaím, id est, improbos seu impios.

† Mors Christi. Item sepultura ejus. 29 † Præterea sepultura Christi argumento est, tum verè fuisse mortuum. Etenim sepelire vivos, moris non est: nisi id fiat supplicii causâ: qualis hæc sepultura non fuit, sed potiùs honorifica. Adhæc sepultura Christi fuit ultimus gradus humiliationis ejus: per quam videbatur totus ab hostibus oppressus & extremâ atq; æternâ ignominiâ obrutus, è qua nunquam esset emersurus: unde & appellatur descensus ad inferos, & vincula sive dolores mortis, Act.2.v.24.

Fides. 30 Ex v.57.& 58. Exemplo Josephi monemur, eos qui sincerè Christo adhærent, licet aliquandiu præ timore non audeant CHRISTI veritatem profiteri: tamen quum postulat gloria Dei, in fide confirmari ac in lucem produci. Item eodem exemplo monemur, non debere nos pudere Christi crucifixi aut evangelii de ipso: sed potiùs utrumque summo nos honore afficere.

Confessio Christi crucifixi. Hinc Paulus, *Non pudet me Evangelii Christi*, Rom.1.v.16. Item, *Sermo crucis iis qui pereunt, stultitia est: nobis autem qui servamur, potentia Dei est*, 1.Cor.1.v.18. Item, *Non decreveram quicquam scire inter vos nisi Jesum Christum, eumq; crucifixum*: ibid.2.2.

Sepultura. 31 Ex v.59.& 60. Exemplo Josephi monemur, Sanctos mortuos honestè sepeliendos esse, idque cum significatione spei resurrectionis. nam quòd Josephus sindone purâ corpus Jesu, idque (ut Johannes testatur) cum aromatibus, involvit ac sepelivit, eo facto professus est spem suam de resurrectione corporum humanorum.

Resurrectio Christi. Providentia Dei. 32 Ex v.60. Quòd corpus Jesu in monumento novo sepultum fuit, singulari providentiâ Dei factum est: ne scilicet hostibus religionis Christianæ occasio relinqueretur calumniandi, quasi tertio die non corpus Christi, sed alterius alicujus, è sepulchro illo exiverit.

Conscientia. 33 Ex v.62. & seqq. Exemplo sacerdotum ac Pharisæorum monemur, conscientiam malam esse rem irrequietam & anxiam. Videmus enim, illos ne mortuo quidem ac sepulto Jesu quiescere aut securos esse posse: quippe quòd metuerent ne ille, sicut dixerat, tertio die resurgeret. Itaque sepulchrum per milites armatos custodiri petunt, fingentes metuendum esse ne alioquin discipuli corpus ejus furentur. Sed hoc modo per providentiam Dei mirabilem resurrectio Christi illustrior est reddita, ut quæ homines Christo minimè faventes testes nacta sit, nec vi humanâ impediri potuerit.

Odium. 34 Ex vers.63. Exemplo sacerdotum & Pharisæorum monemur, quanta sit vis iniqui odii. Videmus enim, illos ne mortuo quidem Jesu parcere, quin eum per summam contumeliam planum seu impostorem appellent: cujus tamen nomen apud pios erat in benedictione.

ANALYSIS CAP. XXVIII.

ARGUMENTUM.

Hactenus narratum est, quomodo Christus administrârit munus suum propheticum & sacerdotale: illud quidem prædicando evangelium, arguendo hypocrisin Scribarum & Pharisæorum, suamq; doctrinam contra illorum contradictionem defendendo; nec non præmonendo discipulos de malis eventuris tum toti populo Judaico propter ingratitudinem erga gratiosam Dei visitationem per evangelium, tum ipsis propter confessionem nominis ipsius: Hoc verò, offerendo seipsum Patri in cruce pro datis sibi ab illo, id est, pro electis. Deinceps narratur quomodo cœperit administrare munus suum regium: devincendo scilicet mortem per potentem ac gloriosam suam resurrectionem, & legando Apostolos in totum terrarum orbem ad prædicandum evangelium regni, atque ita ad colligendum electos in regnum ipsius. Distingui potest caput in partes duas: prior est historia resurrectionis Domini, usque ad v.16. posterior legatio Apostolorum, à v.16. usque ad finem.

PRIMA PARS.

Historia resurrectionis Domini.

IN extremo autem sabbathi, quum lucesceret in primum *diem* hebdomadis, vênit Maria Magdalene & altera Maria ut inspicerent sepulchrum.

2 Et ecce, terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini quum descendisset è cælo, & accessisset, devolvit lapidem ab ostio, conseditque super eum.

3 Erat

3 Erat autem species ejus ut fulgur, & vestimentum ejus album sicut nix.

4 Custodes autem concussi sunt ex ipsius timore, & facti sunt sicut mortui.

5 Respondens autem angelus dixit mulieribus, Ne timete vos: scio enim vos JESUM crucifixum quærere.

6 Non est hîc: surrexit enim, prout dixit. Venite, videte locum ubi jacebat Dominus.

7 Et citò profectæ dicite discipulis ejus, Surrexit à mortuis: Et ecce præit vobis in Galilæam: illic eum videbitis. Ecce, dixi vobis.

8 Tunc egressæ citò à monumento cum timore & gaudio magno, currebant ut renuntiarent discipulis ejus.

9 Quum autem proficiscerentur ut renuntiarent discipulis ejus; ecce, Jesus occurrit eis, dicens, Avete. Illæ autem accesserunt, & prehenderunt pedes ejus, & adoraverunt eum.

10 Tunc ait eis JESUS, Ne timete: abite, annuntiate fratribus meis ut abeant in Galilæam: nam illic me videbunt.

11 Proficiscentibus autem ipsis, ecce quidam ex custodia venerunt in urbem, & annuntiaverunt primariis sacerdotibus omnia quæ facta fuerant.

12 Tunc congregati cum senioribus, consilio capto, pecuniam multam dederunt militibus:

13 Dicentes, Dicite, Discipuli ejus nocte venerunt, & eum furati sunt, nobis dormientibus.

14 Quòd si hoc auditum fuerit apud præsidem, nos persuadebimus ei, & securos vos præstabimus.

15 Ipsi verò acceptâ pecuniâ, fecerunt sicut erant edocti: & divulgatus est iste sermo apud Judæos usque in hodiernum diem.

Resurrectio Domini describitur à circumstantia temporis, à forma seu modo agendi, ab effectu & à testibus. Tempus indicatur vers. 1. videlicet quòd surrexerit primo die hebdomadis, mane, sub ortum solis. Forma seu modus agendi indicatur in principio versus secundi, nempe quòd surrexerit cum terræmotu. Effectus indicatur vers. 4. nempe perculsio custodum. Testes indicantur partim cælestes, partim terrestres. Cælestes, scilicet angeli duo: ut alii Evangelistæ testantur: licet hoc loco mentio fiat tantùm unius: nempe illius qui ad mulieres communi utriusque nomine verba fecit. Terrestres verò testes fuerunt partim sancti, videlicet tum duæ sanctæ mulieres: quarum nomina exprimuntur v. 1. tum Dominus ipse, v. 9. & 10. partim profani & impii, nempe quidam è militibus qui custodierant sepulchrum, vers. 11. & deinceps. Mulieres describuntur à fine seu proposito sui adventus ad sepulchrum, nempe ut illud inspicerent, hoc est, ut in eo quærerent corpus Jesu ungendi causâ: ut percipitur ex aliis Evangelistis, & ex verbis angeli ad illas, v. 5. Angelus describitur v. 2. ab authore suæ legationis, ubi nominatur angelus Domini, id est, Dei. Deinde à loco unde legatus fuit, ubi dicitur descendisse è cælo. Tum ab actione quadam ad ipsius legationem pertinente, inserviente nimirum testimonio resurrectionis Domini, ubi dicitur devolvisse lapidem ab ostio sepulchri, ut nimirum mulieribus pateret ingressus ad videndum, illud corpore Domini esse vacuum. Præterea à gestu, videl. sessione super lapidem. Postremò ab habitu splendido & glorioso, vers. 3. Testimonium angeli ad mulires recitatur v. 5. 6. & 7. ubi primùm eas solatur & blandis verbis erigit, consternatas nimirum ipsius conspectu, v. 5. Deinde testificatur de Domini resurrectione, v. 6. Tum mandata dat, v. 7. Solatii propositio est: *Ne timete.* Cui ratio annectitur his verbis: *Scio enim, vos Jesum crucifixum quærere.* Quibus verbis significat, se esse angelum Dei, & à Deo esse missum propter ipsas, ut nimirum eis testificetur de resurrectione Jesu. Testificatio ipsa confirmatur partim à testimonio ipsius Domini, ubi ait; *Surrexit prout dixit:* partim ab ipso sensu oculorum sive experientia, ubi ait: *Venite, videte locum ubi jacebat Dominus.* Mandata illis dat duo: primum, ut resurrectionem Domini indicent discipulis: alterum, ut eis indicent, ipsos Dominum inventuros in Galilæa. Quod mandatum confirmat asseveratione, ubi ait, *Ecce dixi vobis.* Deinde mandata illa amplificantur v. 8. ab effectu, videl. obedientiâ mulierum: quæ obedientia amplificatur ab adjunctis: nempe quòd ad mandata illa expedienda abierint *citò*, & quòd *cucurrerint.* Simul etiam commemorantur effecta ipsius rei, nempe resurrectionis Domini, in illis mulieribus: nempe duo affectus inter se contrarii, *timor* & *gaudium:* quorũ ille ortus fuit ex miraculi magnitudine, istud verò ex fide resurrectionis Domini, & ex Domini amore. Atque hæc de testimonio angeli, atque etiam mulierum, saltem quoad propositum ipsarum. Testimonium ipsius Domini positum fuit partim in ostensione sui, partim in sermone ad illas, partim in contrectatione ab illis. Itaque hîc concurrerunt testimonia trium sensuum, visus, auditus & tactus. Sermo continet tria membra: salutationem, ubi dicit, *Avete:* consolationem, ubi ait, *Ne timete:* & mandata, ubi dicit, *Abite &c.* Atque hæc de testimonio ipsius Domini. Testimonium militum describitur à tempore, ubi dicitur, v. 11. *Proficiscentibus autem ipsis, ecce quidam ex custodia venerunt in urbem.* Deinde ab adjuncto occupato, hoc est, personis apud quas testimonium suum deposuerunt: ubi dicitur, *Et annuntiaverunt principibus sacerdotum &c.* Tum ab adjuncta veritate, ubi dicitur: *Omnia quæ facta fuerunt.* Præterea ab eventu, videlicet illorum apud quos testimonium dixerunt, conatu injusto opprimendi veritatem rei gestæ de qua fuerant testati. Iste conatus describitur à modo agendi, videlicet pactione cum militibus, quòd videlicet datâ multâ pecuniâ pacti ab illis sint mendacium, quasi corpus Domini furto surreptum fuerit, vers. 12. & 13. Hæc pactio amplificatur ab adjuncta promissione præstandi illos securos apud præsidem, v. 14. Item ab effectu, videlicet morigeratione militum: Et denique ab eventu, videlicet sermone vulgari ac proverbiali de isto mendacio, vers. 15.

SECUNDA PARS.

Legatio Apostolorum.

16 Undecim autem discipuli profecti sunt in Galilæam, in montem ubi constituerat eis Jesus.

17 Et quum vidissent eum: adoraverunt eum: quidam autem dubitaverunt.

18 Et accedens Jesus loquutus est eis, dicens, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.

19 Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti:

20 Docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem fæculi, Amen.

Legatio Apostolorum describitur primùm à loco ubi eis à Domino est injuncta, v. 16. Deinde ab adjuncto honore quem leganti Domino exhibuerunt, videlicet adoratione, v. 17. Tum ab ipsis mandatis, versibus reliquis. Mandatis autem præmittit Dominus doctrinam de sua mandandi authoritate, v. 18. Mandata sunt duo: unum, ut doceant, nempe Evangelium & reliquam doctrinam Christi, v. 19. & 20. alterum, ut credentes baptizent, v. 19. Ad extremum confirmat animos illorum ad mandata hæc alacriter expedienda, à promissione præsentiæ suæ potentis & gratiosæ, vers. ult.

SCHOLIA IN CAP. XXVIII.

1 In extremo autem sabbathi] ὀψὲ δὲ σαββάτων. *Id est, διαγενομένου τοῦ σαββάτου, quum exactum esset sabbathum, ut declarat Marcus c. 16. v. 1. Phrasis qualis in illis, ὀψὲ τῆς ἡλικίας, in extremo ætatis. ὀψὲ τῆς ἡμέρας, in extremo diei. Nomine autem σαββάτων, quantumvis plurali, intelligitur hîc ipse dies sabbathi, ut alibi passim: vel certè hebdomas, ut paulo-post: quod in eundem sensum recidit: quippe quum dies sabbathi sit dies hebdomadis ultimus.* Quum lucesceret in primum *diem* hebdomadis] τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. *Videtur subaudiendum ὥρᾳ: ut integrum sit, ὥρᾳ τῇ ἐπιφωσκούσῃ, tempore quod lucescebat. Quòd si quis malit subaudire ἡμέρᾳ, tum verba sequentia commodè erunt exponenda ad cavendum ἀδολεσχίαν: nempe sic, Die illo qui illucescebat ut esset dies primus hebdomadis. Ita scilicet ut præpositione εἰς non notetur terminus, sed finis seu causa finalis.* In primum *diem*] εἰς μίαν. *Pro, εἰς πρώτην scil. ἡμέραν. Synecdoche generis Hebraica: qualis Gen. 1. 5. Etenim omne quidem primum est unum: sed non omne unum est primum. Marc. 16. 9. appellatur πρώτη σαββάτου.* Hebdomadis] σαββάτων. *Ad verb.* Sabbathorum: *pro quo apud Marcum est, σαββάτου, sabbathi. Synecdoche membri Hebraica. Sic 1. Cor. 16. 2.* Altera Maria] ἡ ἄλλη Μαρία. *Videlicet Jacobi mater, Marc. 16. 1.* Ut inspicerent] θεωρῆσαι. *Et ungerent Jesum: ibid. Pro, τοῦ θεωρῆσαι. Scilicet ἕνεκα. Cæterùm hîc* inspiciendi *vel* visendi *verbum magis idoneum puto quàm* spectandi.

2 Angelus] ἄγγελος. *Lucas mentionem facit duorum angelorum. Fortasse Matthæus unius tantùm mentionem facit eò quòd unus tantùm ex illis duobus cum mulieribus loquutus sit.* Conseditque] ἐκάθητο. Saßte sich. *ut suprà 13. 1.*

3 Species] ἡ ἰδέα. *Seu facies.*

5 Ne timete vos] μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς. *Pro hoc habetur Marc. 16. v. 6. μὴ ἐκθαμβεῖσθε, ne expavescite. Non puto hoc dictum esse per tacitam antithesin, respectu scil. custodum: quasi dixisset, ὑμεῖς δὲ μὴ φοβεῖσθε, Vos verò ne timete.*

7 Surrexit] ὅτι ἠγέρθη. *Puto conjunctionem ὅτι positam ad serviendum mimesi. Idque collige ex cohærentia duarum sententiarum sequentium: quas propriè ad discipulos pertinere, manifestum evadit ex collatione promissionis à Domino factæ, Marc. 14. v. 28.*

10 Nam illic] κακεῖ. *Ad verb.* Et illic. *Copulativa pro causali.*
12 Pecuniam multam] ἀργύρια ἱκανά. *Ad verb.* Argenta sufficientia: *hoc est, argenteos numos bene multos.*
14 Securos] ἀμερίμνους. *Expertes solicitudinis.*
16 Undecim autem] οἱ δὲ ἕνδεκα. *Græcum expressius propter articulum.*
19 Docete omnes gentes] μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη. *Pro hoc dicitur Marc.16.15.* Prædicate Evangelium omni creaturæ. Eos] αὐτοὺς. *Syntaxis refertur ad sensum, non ad vocem. nam præcessit* ἔθνη. In nomen] εἰς τὸ ὄνομα. *Sic vertendum: non autem,* in nomine. *Confer 1.Cor.1.13. Quid autem sit, baptizare in nomen patris &c. vide in Observatione penultima. Cæterùm non est putandum, his verbis à Christo præcipi ministris seu pastoribus Ecclesiæ, ut inter baptizandum pronuntient hæc verba,* Ego baptizo te in nomen patris &c. *Neque enim Christi verba hoc sonant: neque hoc ex illis necessariâ consequentiâ potest concludi. Sed tantùm mandat, ut baptizent in nomen patris &c. Id quod fieri potest, etiamsi illa verba inter baptizandum non pronuntientur.*

OBSERVAT. EX CAP. XXVIII.

Resurrectio Christi. 1 Ex toto capite. Christum verè à mortuis resurrexisse, constat ex testimoniis variorum testium, eorumque fide dignissimorum: nempe angeli qui id indicavit duabus sanctis mulieribus: deinde sanctarum illarum mulierum, quibus se Christus vivum ostendit: tum militum qui custodierant sepulchrum, qui hoc ad sacerdotes retulerunt: denique discipulorum, qui eo viso & adorato, Apostoli ab eo designati sunt ad prædicandum Evangelium in orbe terrarum. *Resurrectionis Christi fructus tres.* Sunt autem nobis considerandi fructus qui ex resurrectione Christi ad nos redundant. Illi ex Scriptura colligi possunt tres. 1. Primus est *certitudo partæ nobis per Christi mortem remissionis peccatorum seu justitiæ illius qua consistimus coram tribunali Dei.* Hunc fructum indicat Paulus Rom.4.v.ult. ubi ait, *Christum traditum esse* (nempe in mortem) *propter lapsus nostros, & excitatum esse propter justificationem nostri,* διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν. Nempe propter lapsus nostros expiandos, & propter justificationem nostri testificandam. Quippe resurrectio Christi evidens testimonium est satisfactionis pro peccatis quæ luenda in se susceperat. Etenim si vel unum ex illis peccatis inexpiatum remansisset, non potuisset ipse à mortuis resurgere. Id quod significat idem Paulus 1.Cor.15.v.17. ubi ait, *Si Christus non est excitatus, adhuc estis in peccatis vestris.* Quibus verbis significat, Christum peccata nostra ut sponsorem in se suscepisse, ut pro eis satisfaceret suâ morte: si autem adhuc in morte jaceat, id argumento esse quòd nondum pro eis satisfecerit, ac proinde quòd nos adhuc in illis hæreamus, eorúmve pœnam à Deo justo judice exspectare cogamur. Nunc igitur à contrario sensu seu vi paris collationis contrariorum sequitur, Quum Christus à morte resurrexerit, nos non ampliùs esse in peccatis nostris: quippe quum is à morte resurgere non potuisset, nisi peccata nostra quæ luenda susceperat, morte suâ
2. expiasset. Secundus fructus resurrectionis Christi est *excitatio spiritualis animarum nostrarum ad vitæ novitatem seu sanctitatem:* quem fructum tradit Paulus Rom.6.v.4. & 5. ubi ait, *Sepulti igitur sumus unà cum eo per baptismum in mortem: ut sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Nam si cum eo plantati coaluimus conformatione mortis ejus: nimirum etiam resurrectionis conformatione coalescemus.* Hic autem fructus è resurrectione Christi videtur enasci, quatenus Spiritus sanctus per illius considerationem movet animos nostros ad meditandum vitam illam cælestem, in quam Christus non solùm suâ, sed & nostrâ causâ resurrexit, ut scilicet nos illuc ad se assumat: assumet autem neminem: ex adultis quidem, nisi qui in hac vita ad vitam illam cælestem aspiraverit per verum studium pietatis. Tertius fructus re-
3. surrectionis Christi, est *resurrectio corporum nostrorum ad beatam immortalitatem & gloriam cælestem:* de quo copiosè disserit Paulus 1 Cor.15. per totum caput. Pendet autem hic fructus à nostra cum Christo communione, quam ibi Apostolus duabus rationibus significat: nempe quatenus Christũ comparat primitiis, v.20. & 23. & quatenus eundem opponit Adamo, v.21.22. Significat enim, sicut in primitiis totus cumulus frugum sanctificabatur in Lege: sic in Christo resurgente, omnes qui sunt Christi, sanctificatos esse ad beatam resurrectionem. Item, sicut ex Adamo in omnes ad illum pertinentes, videlicet omnes ejus naturales hæredes, propagata est mors: sic ex Christo in omnes ad ipsum pertinentes, videlicet omnes in ipsum credentes, propagari vitam. Atque huc illa quoque comparatio facit, qua idem Apostolus Christum capiti, nos verò membris hujus capitis passim comparat. Si enim caput nostrum in gloriam receptum est: sequitur, nos quoque illius membra, in eandem gloriam receptum iri.

2 Ex v.1. Considerandum, quomodo impletum sit verbum Christi de sua resurrectione, quòd scilicet resurrecturus esset tertio die. nam si totum illud temporis spacium quo in sepulchro jacuit, præcisè metiamur, reperiemus non esse tantum quantum integro biduo continetur. Sic igitur habendum: Christum non quidem per integros tres dies in sepulchro jacuisse (tametsi synecdochicâ loquutione utens, id futurum dixerat Matth.12. v.40.) sed tamen resurrexisse tertio die postquam esset sepultus; sicut propriè loquens, futurum dixerat Matth.20.v.19. Etenim sepultus fuit die hebdomadis sexto (quem nos diem Veneris appellamus) ut liquet ex capitis præcedentis v.57. collato cum præcedentibus & seqq. Resurrexit autem die hebdomadis primo, quem nos diem Solis & diem Dominicum nominamus: ut patet ex hoc loco. Itaque per totum quidem diem septimum sive sabbathi in sepulchro quievit: ac præterea per partem aliquam tum præcedentis tum sequentis diei: sed exiguam. Sepultus enim fuit pridie sabbathi circa vesperam, ut liquet ex v.57. capitis præcedentis: surrexit autem postridie sabbathi summo mane, ut patet ex loco præsente. Quæ res evidentior erit, si spectetur in hoc diagrammate:

1 Die Veneris vesperi sepultus est.
2 Die Saturni toto in sepulchro mansit.
3 Die Solis summo mane resurrexit.

Ut autem res adhuc accuratiùs declaretur & perfectiùs intelligatur, sciendum, dies hos determinandos esse ex consuetudine Judæorum, qui diem civilem seu naturalem, nempe viginti quatuor horis constantem (νυχθήμερον Græci vocant) incipiebant à vespera seu occasu solis; diem verò artificialem (posteriorem scil. diei civilis seu naturalis partem, qua sol super illud hemisphærium lucet) distribuebant in duodecim horas. Itaque ad primum diem sepulturæ Christi quod attinet, non totæ tres horæ de illo sepulturæ Christi cesserunt: quippe quum Christus mortuus sit illius diei horâ vigesimâ primâ, nempe diei artificialis horâ nonâ, id est, ante solis occasum horâ tertiâ: duodecim enim horis singuli dies artificiales constabant: quumque à morte illius ante sepulturam intervenerit petitio corporis ipsius à Pilato per Josephum, quæ & ipsa aliquid temporis consumsit. Secundum verò diem totum, videl. à vespera diei Veneris usque ad vesperam diei Saturni, in sepulchro quievit. Tertius verò dies incipit à vespera diei Saturni: itaque per illam noctem adhuc in sepulchro mansit usque ad solis ortum imminentem.

3 Ex eod. vers.1. Sicut Deus primo hebdomadis die ex nihilo produxit chaos, materiam omnium entium corporalium, item ex tenebris lucem: ita Christus primo hebdomadis die ex morte produxit vitam, & ex tenebris extremæ ignominiæ & luctus lucem summæ gloriæ & gaudii: atque ita deitatem suam demonstravit, Rom.1.v.4. 2.Tim.1.v.10.

4 Ex v.2. Probabiliter colligitur, Jesum è sepulchro egressum esse post lapidem inde amotum. Etenim Evangelista resurrectionem ejus descripturus, indicato tempore illius, videtur continenter indicare modum, quoad remotionem obstaculi: quatenus narrat, angelum per terræmotum lapidem ab ostio sepulchri devolvisse. Quod etsi certò affirmari non potest: tamen ex serie narrationis probabiliter colligitur: atque etiam ex re ipsa. Decuit enim ut sicut angeli ei ministrarunt in statu humilitatis, ut quum tentatus fuit in deserto, quum grumos sanguinis sudaret in horto: ita eidem servirent in statu exaltationis. Et certè angelos ei servituros in reditu ad judicium, certum est ex ipsius verbis, Matth.25.v.31. Eosdem verò ei ministrasse quum ascenderet in cælum, probabiliter colligitur ex verbis Pauli 1.Tim.3. v.ult. si series sententiarum illius loci accuratè consideretur: ait enim primùm: *Deus manifestatus est in carne:* nempe per nativitatem & vitam in terra actam. Deinde pergit: *Justificatus est in spiritu:* nempe per resurrectionem ex mortuis. Tum addit: *Conspectus est ab angelis:* nempe quum ascenderet in cælum. Quod ipsum colligi quoque potest ex verbis duorum angelorum Act.1. v.11. *Hic Jesus qui sursum receptus est à vobis in cælum, ita veniet quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in cælum.* Veniet autem comitatus sanctis angelis. Nihil ergo absurdi erit, si statuamus, angelum hunc Christo resurgenti ministrasse, devolvendo lapidem ab ostio sepulchri, ne egressuro obstaret: non quòd Christus hoc ministerio opus habuerit, sed quòd ita decuerit. Contrà nihil planè probabilitatis habet commentum illorum, qui dicere non verentur, Christum suo corpore per lapidem sepulchri penetrasse, illo lapide integro atque illæso manente. Quum tamen penetratio dimensionum, tanquàm contradictionem implicans, simpliciter impossibilis sit.

5 Ex eod. v. Angeli, quum opus est, è cælo in terram mittuntur à Deo, ut ministrent piis. *Angeli.* Sicut videmus, hunc angelum missum esse, tum ad devolvendum lapidem ab ostio sepulchri, ut sanctis illis mulieribus, ac postea discipulis quoque Domini, pateret ingressus: tum ut illas edoceret de resurrectione Domini. Hoc facit ad solatium piorum. Vide Heb.1 v.ult.

6 Ex v.3. Splendor qui in hoc angelo conspectus fuit, argumentum est cælestis gloriæ sanctorum angelorum. Sic Luc.2. v.9. quum angelus Domini apparuit pastoribus Bethleemiticis, gloria Domini circumfulsit eos. Et Actor.1.v.10. duo angeli qui Apostolis apparuerunt in Domini ascensione, induti fuerunt vestitu albo.

7 Ex v.4. & 5. Videre hîc licet discrimen inter bonam & malam conscientiam. *Conscientia.* Nam quibus mala conscientia est, qualis fuit istis custodibus sepulchri Domini, illi conspecto aliquo signo majestatis cælestis, planè exanimantur: at pii qui conscientiâ fruuntur bonâ, terrentur & illi quidem, veruntamen non tantopere, ut animis penitus consternentur. Atque illi etiam sine mora pos-

ra per consolationem angelorum, quorum conspectu terrentur, eriguntur. Sicut hoc loco videmus accidisse sanctis istis mulieribus. Similia exempla vide Luc.1.v.11.& seq. in Zacharia patre Johannis Baptistæ: item v.26.& seq. in Maria matre Domini: item cap.2.v.8. & seq. in pastoribus Bethleemiticis: item Act.10.v.1. & seq. in Cornelio centurione. Est autem hic pavor argumentum reliquiarum peccati adhuc hærentium in piis, dum in hoc mundo & in hac carne mortali vivunt.

Corpus Christi.

8 Ex v.6. Quum angelus testetur, Christum quum quæreretur in sepulchro, non fuisse illic: falsum igitur est dogma Ubiquitariorum, qui contendunt corpus Christi esse ubique propter unionem personalem cum λόγῳ seu filio Dei.

Adoratio Christi.

9 Ex v.9. Christus adorandus est ut verus Deus. talis autem inter cætera agnoscitur ex resurrectione mortuorum: sicut apparet in hoc exemplo sanctarum mulierum: & expresse affirmatur à Paulo Rom.1.v.5. Similia exempla vide Luc.5.v.8. in Petro adorante Jesum post animadversam divinam ejus potentiam ex mirabili captura piscium: item Joh.9.v.38. in cæco illo cui Dominus dederat visum: qui audito ipsum esse filium Dei, adoravit eum: item Joh.20.v.38. in Thoma adorante Dominum, posteaquam eum vidisset excitatum à mortuis. Item infr. hoc capite v.17. in discipulis adorantibus eum, conspectum sibi post resurrectionem in monte. Ex quibus omnibus exemplis perspicitur, hunc hominem (Christum dico) à sanctis hominibus fuisse tum demum adoratum, quum agnoverunt, ipsum esse Deum. Carnem autem Christi adorandum esse, seu Christum secundùm carnem adorandum esse (ut hodie quidam tradunt) ex scriptura probari non potest. Quin potiùs dogma illud scripturæ adversatur: quæ docet honorem adorationis Dei proprium esse, juxta dicta: *Honorem meum alteri non dabo*: item, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Caro autem Christi non est Deus: licet sit caro Dei, nempe filii Dei. At licet sit caro Dei: tamen suis proprietatibus à Deo distincta in æternum manet. Imò Christus qui ut Deus, nempe filius Dei unigenitus, à sanctis adorabatur, & etiamnum adoratur: item ut homo Deum patrem adorabat, & hauddubiè adhuc adorat atque in æternum adoraturus est: quippe qui (teste Paulo 1.Cor.15.v.28.) *Patri subjicietur, ut Deus sit omnia in omnibus*, id est, ut Deus sit perfecta beatitudo omnium sanctorum, quorum Christus est caput: ac proinde etiam ipsius Christi, tanquam capitis illorum.

Fratres Christi.

10 Ex vers.10. Magnum solatium omnibus piis affert, quòd Christus discipulos, qui turpi fugâ ipsum deseruerant, nominat fratres suos: eosque admodum fraternè invitat in certum locum ubi se eis velit sistere, ut jucundissimo ipsius conspectu atque colloquio fruantur. Est autem & noster frater non minùs quàm Apostolorum: quia nobis æquè ac illis paternum Dei favorem & adoptionem illam gratiosam suâ morte impetravit. Confer Joh.20.v.17. ubi hæc sententia pleniùs recitatur.

Hostes evangelii.

11 Ex vers.11.& seq. Exemplo sacerdotum, mendacio eoque sumtuoso conantium opprimere notitiam resurrectionis Christi, monemur: quanta sit pervicacia hostium Christi: quippe qui quò magis lucem veritatis evangelicæ splendere vident, eò magis obscurare illam conantur. Sed frustrà. Emicat enim veritas per densissimas atque crassissimas mendacii nubes, illasque facillimè dissipat: sicut videmus, mendacium illud tam crassum toti populo Judæorum innotuisse.

Militum mores.

12 Ex v.15. Exemplo istorum militum monemur, quales plerunque sint milites: nempe tales ut propter pecuniam non pudeat eos turpissima quæque admittere. quod ipsum nonnulli illorum profiteri quoque apertè audent, dicentes: **Sie nemen gelt/ vnd dienen dem Teufel. Derselbe wird jhnen auch lohnen.** Christiani autem milites hanc impietatem detestari debent: & contrà meminisse quid militibus præcipiat Johannes Baptista Luc.3. vers.14.

Infirmitas credentium.

13 Ex v.17. Exemplo illorum qui Dominum à resurrectione ipsius videntes, tamen dubitaverunt anne ipse esset: monemur de infirmitate rationis humanæ in credendis rebus ad salutem necessariis, ac inprimis, quàm incredibilis rationi humanæ videatur resurrectio mortuorum. Oremus igitur Deum ut nos in vera & salvifica fide conservet.

An corpus Christi sit ubique.

14 Ex v.18. Vindicandus est hic locus à corruptela Ubiquitariorum: qui ex eo colligunt, corpus Christi esse ubique. Id autem colligunt per ratiocinationem à pari, ad hunc modum: Humanæ naturæ Christi communicata est omnipotentia: Ergo & ubiquitas. Antecedens istius enthymematis probare nituntur ex præsente Domini dicto, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* quod perinde accipiunt ac si Christus dixisset, Data est mihi omnipotentia. Ac tum argumentantur, dicentes: Omnipotentia Christo data est aut secundùm naturam divinam, aut secundùm humanam. Non autem secundùm divinam: Sic enim eam habuit ab æterno. Ergo secundùm humanam. Respondeo. Primùm: Argumentatio hæc nititur falsâ hypothesi, videlicet falsâ expositione dicti Christi. Aliud enim est, πᾶσα ἐξουσία, omnis potestas: quo vocabulo utitur Christus: aliud verò omnis potentia seu omnipotentia, πᾶσα δύναμις, per quod Ubiquitarii illud exponunt: vel potiùs quod pro illo supponunt. Omnis illa potestas convenit sanè Christo secundùm humanam naturam: quippe secundùm quam ut obediens factus est patri usque ad mortem crucis, ita etiam ab eo exaltatus est in summam sublimitatem, donatumque ei nomen quod est supra omne nomen: ut ad nomen Jesu omne genu se flectat, cælestium ac terrestrium & subterraneorum &c. Phil.2.v.8. & deinceps. At omnipotentia quum sit proprietas essentialis deitatis, convenire utique Christo secundùm humanam naturam non potest, sed tantùm secundùm divinam. Deinde falsa est syllogismi istius disjunctivi assumtio. nam certè omnipotentia Christo à patre data est secundùm naturam divinam, seu quatenus est Deus: quippe quum omnipotentia sit essentialis proprietas Dei, atque adeò ipsa essentia: essentia autem Dei patris communicata sit filio per æternam illam atque ineffabilem generationem. Unde jam perspicitur, rationem quoque assumtionis falsam esse. Etsi enim Christus omnipotentiam habuit ab æterno secundùm naturam divinam: hoc tamen non obstat quò minùs eam acceperit, videlicet per æternam illam generationem.

Officium Christi regium.

15 Ex v.18.& 19.& 20. Officium Christi regium est, pro potestate sive authoritate à patre sibi datâ, ministerio Apostolorum aliorumque illis usque ad finem mundi succedentium doctorum & pastorum, per prædicationem Evangelii & administrationem Sacramentorum ex toto mundo seu genere humano colligere Ecclesiam: idque efficaciter vocando electos, eosdemque per fidem & observationem mandatorum suorum adducendo ad salutem seu gloriam cælestem; & contrà reprobos, incredulos atque inobedientes ad infernalem miseriam atque ignominiam damnando. Hæc descriptio colligitur partim ex hoc loco: partim etiam ex loco Marci cap.16.v.15.& seqq. ubi idem sermo aliis paulò verbis recitatur.

Apostolorum officium.

16 Ex vers.19.& 20. Apostolorum officium fuit, Evangelium prædicare passim in orbe terrarum apud omnes gentes, eosque qui Evangelii fidem profiterentur, per Baptismum Ecclesiæ incorporare, ac porrò illis omnia mandata Christi servanda tradere: inter quæ etiam fuit mandatum de celebranda sacra cæna, de quo expresse meminit Paulus his verbis, 1.Cor.11. *Ego quod à Domino accepi, tradidi vobis.* Officium verò pastorum illis succedentium, est, Evangelium prædicare apud certam Ecclesiam, à qua peculiariter sunt vocati: & præterea infantes qui in illa Ecclesia nascuntur, per Baptismum Deo consecrare; adultorum verò fidem per sacram cænam alere, & mores per sanctam disciplinam gubernare: sicut Paulus in epistolis suis passim præcipit. Differunt enim pastores ab Apostolis non quod ad substantiam ministerii attinet, positam in doctrina & Sacramentis: sed quod ad modum vocationis & authoritatem. Apostoli enim vocati fuerunt à Christo immediatè, ac missi ad omnes gentes: at pastores à Christo vocantur mediatè, videlicet per Ecclesiam, & destinantur certæ Ecclesiæ seu certo cœtui. Deinde Apostoli ita semper fuerunt à Spiritu S. gubernati, ut non potuerint in doctrina errare: at pastores possunt errare, atque etiam interdum errant, nempe quoties docent ea quæ à doctrina Apostolorum dissentiunt. Itaque pastores tenentur doctrinam suam solicitè conformare doctrinæ Apostolorum, nec exspectare ἐλλάμψεις, illuminationes aut afflatus peculiares Spiritus S. ut Apostoli liberè loquebantur ea quæ Spiritus sanctus ipsis dictabat.

Baptismus.

17 Ex vers.19. Baptismus est sacramentum novi Testamenti, quo homines ad Ecclesiam pertinentes ex mandato Christi cultui veri Dei, qui est Pater, Filius & Spiritus S. per ministros verbi consecrantur: & in fide remissionis peccatorum ac spe vitæ æternæ confirmantur. Hæc descriptio colligitur ex verbis Christi, partim illis, quæ habentur hîc, partim iis quæ exstant Marc.1.v.16. Ac primùm Baptismum esse sacramentum, idque N. Testamenti: patet ex eo, quòd institutus est à Christo jam exhibito ad obsignandum promissionem Evangelii: ut percipitur ex cohærentia sententiarum, *Docete omnes gentes* (nempe prædicando Evangelium, ut declarat Marcus) *baptizantes eos.* Deinde quòd baptizandi sint illi solùm homines qui pertinent ad Ecclesiam: liquet ex eadem cohærentia sententiarum: qua significatur, primùm per doctrinam Evangelii in Ecclesiam cooptandas gentes; deinde demum baptizandas ubi jam Ecclesiam fuerint ingressi ac fidem Evangelii professi. quod ipsum clariùs percipitur ex verbis quæ habentur apud Marcum, nempe: *Qui crediderit & baptizatus fuerit.* Vult ergo ut priùs constet de alicujus fide, quàm is baptizetur. Unde Act.8. Philippus Evangelista non priùs baptizare voluit eunuchum illum Æthiopem, quàm is professus esset fidem Christi. Porrò ad Ecclesiam pertinent non solùm adulti credentes ac fidem profitentes: sed etiam ipsorum liberi: ut patet ex verbis Apostoli 1.Cor.7. ubi liberos vel altero tantùm Christiano parente natos sanctos nominat, propterea quòd illi pertinent ad fedus Dei cum Ecclesia pactum, & ex consequenti ad Ecclesiam. Quare dubium videri non debet quin illi quoque (liberi inquam & infantes fidelium) baptizandi sint: etsi fidei nondum sunt capaces. sicut olim circumcidebantur infantes Judæorum, tanquam pertinentes ad fedus & Ecclesiam. Circumcisioni enim Baptismus successit, ut percipitur ex verbis Pauli Col.2.v.11.& 12. Jam ad mandatum Christi quod attinet, illud continetur his verbis: *Baptizantes eos &c.* Porrò per Baptismum consecrari homines cultui veri Dei, qui est Pater, Filius & Spiritus S. liquet ex verbis, Baptizantes eos in nomen (εἰς τὸ ὄνομα) Patris & Filii & Spiritus S. Etenim ba-

ptizari in nomen alicujus, est illi consecrari ad cultum, ut quis ab illo tanquam suo domino denominetur, ejusque servitio se totum addicat. Sicut percipitur ex verbis Pauli 1. Cor. 1. v. 12. & seqq. Postremò per Baptismum homines in fide & spe confirmari liquet ex verbis, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur.* Et sic Petrus Act. 2. 38. resipiscentes Judæos jubet *baptizari in remissionem peccatorum*: hoc est, ad confirmandum fidem remissionis peccatorum. Item Act. 22. v. 16. Ananias dicit Paulo recens converso, *Baptizare & ablue peccata tua;* hoc est, Baptizare ad confirmandum fidem remissionis peccatorum, quòd abluta sint peccata tua sanguine Christi: qui sanguis unus aqua illa est quæ nos purgat ab omni peccato, 1. Joh. 1. 7.

Corpus Christi.

18 Ex v. ult. Vindicandus est hic locus à corruptela Ubiquitariorum: qui hinc colligunt, corpus Christi esse ubique: quia Christus dixit, *Ego vobiscum sum omnibus diebus &c.* non autem dixit, Divinitas mea vobiscum est: vel, Ego vobiscum sum secundùm divinitatem meam spiritúve meo. At quis peritus scripturarum non videat, hoc esse inane sophisma? Dixit, EGO: ergo intellexit simpliciter; absque ulla exceptione aut limitatione. Quasi verò Christus nunquam de se loquutus sit synecdochicè, personam quidem nominando, partem autem illius intelligendo? Clarum exemplum exstat Johan. 8. ubi ait, *Antequam Abraham erat, EGO sum.* At quis Christianæ doctrinæ peritus hinc concludat, eum id intellexisse simpliciter: quasi scilicet fuerit ante Abrahamum secundùm totam personam seu utramque illius naturam, tam humanam scil. quàm divinam? Quare sophistici sunt clamores illi, quum plenis buccis ad populum declamitant, dicendo: Quis est ille EGO, qui hîc præsentiam suam promittit? Num tantùm est Deus? Nequaquam, sed est etiam homo. At quid tum? inquam ego. Num hinc sequitur, eum promisisse quòd velit nobiscum esse ut homo, seu secundùm naturam humanam? Imò, inquam, promisit hîc præsentiam suam non corporalem seu secundùm corpus: de hac enim dixerat, *Me non semper habebitis*: sed spiritualem, quâ ut Deus, nempe Filius Dei unigenitus, præsens est, in ministerio Ecclesiæ, efficaciter per Spiritum S. operando in electis. Quam promissionem copiosiùs edisseruit ipse paulò ante passionem, ut videre est apud Joh. capitib. 14. 15. & 16. Certè enim promittit hîc præsentiam peculiarem Ecclesiæ, quum dicit, *Vobiscum sum.* Ineptè igitur hoc extenditur ad universalem illam quam fingunt, præsentiam corporis Christi, communem reprobis cum electis: cùm tamen Christus hoc loco reprobis nihil promittat. Nos verò qui per Dei gratiam per fidem de electione nostra certi sumus, consolemur nos dulcissimâ hac promissione: nihil dubitantes, Christum semper in ministerio Verbi & Sacramentorum præsentem esse singulari gratiâ Spiritus sancti, ad efficaciter vocandum electos; & vocatos in fide & spe vitæ æternæ, nec non in vera charitate, seu dilectione Dei & proximi, confirmandos. Pro quo maximo beneficio sit laus & gloria Deo Patri, Filio & Spiritui sancto, in sempiterna sæcula: AMEN.

* *
*

FINIS.

ANALY-

ANALYSIS LOGICA

EVANGELII SECUNDUM MARCUM:

UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS LOCORUM DOCTRINÆ.

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQUE VIRO, JOHANNI-ENGELBERTO à LAUTERN: COMITATUS Hanovici Præfecto dignissimo, Domino ac fautori suo plurimùm colendo.

NOBILISSIME *amplissimeq; domine Præfecte. Rogatu quorundam piorum doctorumq; virorum adductus, analysin meam librorum novi Testamenti (si Deus vitam & valetudinem, & otium, & gratiam denique suam mihi fuerit largitus) pertexere & publici juris facere constitui. Itaque analysi Evangelii secundùm Matthæum, quam proxime præteritis Francofurtensibus nundinis edidi, nunc addo analysin Evangelii secundùm Marcum, unà cum Scholiis & Observationibus locorum doctrinæ. In quibus equidem tum Scholiis tum Observationibus eò breviori mihi esse licuit, quò plura Marcus cum Matthæo communia habet. Quare illa ferè quæ in Marco peculiaria occurrebant, annotasse contentus, in cæteris lectorem ad commentarium in Matthæum remisi.*

Est autem hic liber, Evangelium inquam secundùm Marcum, non minoris in Ecclesia, semperq; fuit, authoritatis, quàm Evangelium secundùm Matthæum. Etsi enim non est scriptus ab Apostolo: scriptus tamen est ab Apostolico viro, & ab Apostolis est approbatus. Fuit enim (ut tradunt) Marcus hic auditor ac discipulus Petri: de quo ab eo factam mentionem putant sub finem primæ suæ epistolæ: ubi eum filium suum nominat: sive quòd ex ipso genitus esset, sive quòd paterno amore ipsum complecteretur. Hunc igitur Marcum narrat Eusebius ex Clemente, rogatu Romanorum Evangelium suum conscripsisse: & Apostolum Petrum illud Ecclesiis ad legendum authoritate suâ confirmasse. Narrat idem Apostolum Johannem, quum trium Evangelistarum (nempe Matthæi, Marci & Lucæ) scripta ad cunctos jam, & ad ipsum quoque pervenissent: probasse ea, & veritatis testimonium illis dedisse. Etsi autem ad libri hujus authoritatem apud nos stabiliendam non parum momenti meritò habet, quòd ab Apostolis Petro & Johanne fuit approbatus; quodq; semper à vera Ecclesia pro canonico sive authentico fuit habitus: tamen sicut reliquæ scripturæ sacræ, ita hujus quoque libri, authoritas apud unumquemq; pium potissimùm ab arcano testimonio Spiritus sancti dependet. Histor. Eccles. lib. 2. cap. 15. Ejusd. hist. lib. 3. cap. 21.

Quærat hic fortasse aliquis, quânam linguâ hic liber à Marco sit conscriptus? Et sunt qui tradant, librum hunc à Marco Romæ scriptum esse Latinè, ac deinde ab eodem Aquileiæ in Græcam linguam conversum. Et refert Widmanstadius, archetypum illius Latinè conscriptum Venetiis in Marcianis thesauris asservari. Quod postremum si ita se habet: jure culpandi videantur illi, in quorum potestate thesauri isti sunt constituti: quippe qui tantum thesaurum in lucem non proferant, sed illum Ecclesiæ tanto jam tempore invideant. Sed omnino probabilius est: Marcum exemplo Apostolorum, etiamsi in gratiam Romanorum potissimùm scriberet, Græcâ tamen linguâ in scribendo usum fuisse: ut quæ tunc Europæis quoque populis fuerit cognita atque usitata. Et sic videmus, Apostolum Paulum ad Romanos scripsisse linguâ non Romanâ sive Latinâ, sed Græcâ: ad Hebræos similiter linguâ non Hebræâ, sed Græcâ. Idem Petrus quoque, & Jacobus, ad Judæos scribentes fecerunt. Sed hæc de libri hujus conditione satis dicta sunto. In epist. dedic. Nov. Test. Syriaci.

Cæterùm quum virum aliquem pium quærerem, cui hoc meum opusculum convenienter dedicarem: accidit ut D. Johannes Pincierus Medicus, collega & compater meus colendus, te (nobilissime amplissimeq; domine Præfecte) mihi nominaret: affirmans se non dubitare, quin rem tibi gratissimam sim facturus. Hujus ego suasui facilè locum dedi: tum quòd te hoc honore dignum existimarem: tum quòd mihi persuaderem, me (ut ipse affirmabat) rem tibi gratam facturum. Cur enim tali honore non existimarem dignum eum, qui à prudentissimis & pietate excellentibus viris dignus est judicatus, ut Comitatui Hanovico administrando præficeretur? præsertim cùm res ipsa ostendat, te hactenus præfecturam istam sapienter ac fideliter administrasse. Cur verò dubitarem, quin hac dedicatione rem tibi gratam sim facturus: quum jam pridem perspecta mihi sit excellens tua & pietas & humanitas, nec non judicium de scriptis meis honorificum, & benevolentia erga me singularis? Neq; enim oblitus sum, quàm humaniter, quum aliquot abhinc annis illustres ac generosos Comites Hanovios, tum pueros, Philippum Ludovicum & Albertum (quorum ego convictu tunc utebar) Herbornæ inviseres, mecum sis collocutus: quàm diligenter de scriptis meis Theologicis, jam tum à Corvino impressis, inquisieris: eademq; tibi, ut inde in veritatis cælestis cognitione proficeres, tunc comparâris. Spero igitur, hoc scriptum non minus gratum atq; acceptum tibi fore quàm illa tunc fuerunt: imò etiam magis, eò quòd nomini tuo peculiariter est inscriptum.

Faxit Deus Pater D. N. Jesu Christi, ut opusculum hoc non solùm tibi acceptum sit: sed omnibus qui ipsum lecturi sunt, utile ad proficiendum in cælesti veritate. Eundem oro, ut te spiritu prudentiæ & fortitudinis regere, & vitam atque valetudinem diuturnam largiri tibi velit: ut præfecturam Comitatus Hanovici, fidei tuæ commissam, quàm-rectissimè ac diutissimè administrare possis. Te verò rogo, ut me benevolentiâ & favore prosequi pergas. Sigenæ è schola illustri Nassovicâ, mense Januario, anno Domini 1595.

Amplitudinis tuæ

studiosissimus

JOHAN. PISCATOR.

ARGUMENTUM EVANGELII SECUNDUM MARCUM.

IDem ferè hujus libri argumentum est, quod est libri superioris, evangelii scilicet secundùm Matthæum. Continet enim historiam de Jesu Christi dictis & factis, item perpessionibus & consecutâ gloriâ. Historiam verò de ejusdem ortu quam Matthæus narrat, Marcus omittit, idq; studio (ut videtur) brevitatis: quippe quum & reliqua pleraq; breviùs quàm Matthæus cæteriq; narret. Scopus autem seu finis idem planè est qui & Matthæi cæterorumq; duorum Evangelistarum: videlicet demonstrare, quòd hic Jesus Nazarenus sit Christus. Quæ demonstratio concluditur hoc syllogismo.

Quòd Jesus Nazarenus sit Christus
a *Malach.3.* b *Esa.40.3.* c *Esa.9.1.* d *Esa.35.5.* e *Zach.9.9.* f *Psal.118.25.* g *Psal.118.22.* h *Psal.41.10.* i *Zach.11.13.* k *Zach.13.7.*

Is qui ad officium propheticum in populo Dei administrandum habiturus fuit præcursorem Eliam *a*, seu vocem clamantis in deserto *b*: qui evangelium fuit post illum prædicaturus in Galilæa *c*, & prædicationem suam multis ac variis atque stupendis miraculis propriâ virtute editis confirmaturus, sanando scilicet morbos incurabiles & vitia corporis inemendabilia, solo verbo seu imperio *d*: qui Hierosolymam tanquam rex fuit ingressurus, insidens asino *e*; acclamante populo, Hosanna filio David *f*: qui reprobandus fuit ab architectis domus Dei, videlicet primariis sacerdotibus, Scribis & Pharisæis *g*: qui prodendus fuit Judæis per unum ex domesticis *h* pro pecunia *i*: qui tempore passionis deserendus fuit à discipulis *k*: qui reputandus fuit inter facinorosos *l*, flagellandus *m*, crucifigendus *n*, in cruce pendens ab inimicis suis irridendus *o*: item ante cujus in cruce pendentis oculos partienda fuerunt vestimenta & sors super ea jacienda *p*: cujus corpus à divite impio fuit ad sepulturam honestam impetrandum *q*: qui tertio die *r* fuit è sepulchro resurrecturus *s*, ac postea in cælum ascensurus *t*, & ad dextram Dei consessurus *u*: is, inquam, in quo ista omnia fuerunt eventura, est Christus.

l *Esa.53.12.* m *Ibid, v.5.* n *Psal.22.17.* o *Ibid. v.8.* p *Ibid. v.19.* q *Esa.53.9.* r *Jon.2.11.* s *Esa.53.11.* t *Psal.68.19.* u *Psal.110.1.*

a *Marc.1.1. & seqq.* b *Ibid.2. & seqq.* c *cap.eod.v.14. & seqq.* d *cap.eod.v.23. & deinc.*

Atqui hic Jesus Nazarenus est is in quo ista omnia fuerunt eventura: quippe in quo reipsa evenerunt. Etenim præcursorem habuit Eliam *a*, seu vocem clamantis in deserto *b*, videlicet Johannem Bnptistam: prædicavit post illum evangelium in Galilæa *c*: suamque prædicationem miraculis stupendis propriâ virtute soloque imperio editis confirmavit *d*: Hierosolymam tanquam rex ingressus est, insidens asino *e*; acclamante populo, Hosanna filio David *f*: reprobatus fuit ab architectis domus Dei, primariis sacerdotibus, scribis & Pharisæis *g*: proditus fuit Judæis per unum ex domesticis *h* (videl. Judam Iscariotem) pro pecunia *i*: tempore passionis desertus fuit à discipulis *k*: præterea reputatus fuit inter facinorosos *l*, flagellatus fuit *m*, crucifixus *n*, in cruce irrisus *o*; vestimenta ejus partita & sors super ea jacta *p*: sepulchrum ejus à divite impio (videl. Pilato) ad honestam sepulturam fuit impetratum *q*: tertio die *r* è sepulchro resurrexit *s*, ac postea in cælum ascendit *t*, & ad dextram Dei consedit *u*.

passim in diversis capitib. usq; ad v.28. capitis 9. e *cap.11. v.1. & seqq.* f *Ibid. v.9.* g *cap.14. v.1. Item v.55. & deinceps usq; ad v.65.* h *cap.eod. v.43.44.45.* i *cap.eod. v.10.11.* k *cap.eod. v.50.* l *cap.15.27.* m *cap.eod. v.15.* n *Ibid. v.24.25.* o *Ibid. v.29. & seqq.* p *Ibid. v.24.* q *Ibid v.42. & seqq.* r *cap.16.1. & seqq.* s *Ibid.* t *cap.eod. v.19.* u *Ibid.*

Ergo hic Jesus Nazarenus est Christus.

Hujus syllogismi propositio confirmatur testimoniis Prophetarum, quæ passim in hac historia allegantur. Assumtio verò confirmatur testimonio hujus narrationis: quæ fidem meretur apud omnes bonos: quum Marco (ut historici ecclesiastici tradunt) dictata sit ab Apostolo Petro: qui horum ferè omnium αὐτόπτης fuit, & quæ ipse non vidit, ab ipso Domino cognovit.

Cæterùm potest propositum hoc concludi syllogismo breviore, ad hunc modum:

Is in quo evenerunt ea quæ in Christo eventura prædixerunt Prophetæ, est Christus.
Atqui Jesus hic Nezarenus, est is in quo illa evenerunt: ut patet ex collatione prophetiarum cum narratione Marci.
Ergo hic Jesus, est Christus.

Partes principales hujus historiæ sunt tres. Prima de administratione muneris prophetici, quod administravit Jesus prædicando evangelium, explicando legem Dei, arguendo peccata & falsa dogmata Judæorum: prophetando de cladibus populo Judaico eventuris, nec non de suo adventu ad judicium: cui tamen uarrationi admixta sunt opera regia, videlicet vocatio discipulorum & legatio eorundem in Judæam ad prædicandum evangelium, demonstratio miraculorum, ingressus regius in urbem, & deniq; repurgatio templi. Quæ pars continetur tredecim primis capitibus. Secunda pars est de administratione sacerdotii, quod administravit patiendo pro nostris peccatis ac moriendo: quæ historia continetur capitibus duobus, decimoquarto & decimoquinto. Tertia pars est de inchoatione regni gloriosi per resurrectionem à mortuis, legationem Apostolorum in universum orbem terrarum ad prædicandum Evangelium & baptizandum Evangelio credentes, & deniq; per ascensionem in cælum & sessionem ad dextram Dei. Hæc pars continetur capite unico, nempe ultimo.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Novem sunt hujus capitis partes. 1. De ministerio Johannis Baptistæ. 2. De baptisatione Christi. 3. de tentatione ejus à diabolo. 4. de vocatione quatuor discipulorum. 5. de prædicatione Christi in synagoga Capernaümi, & ejectione dæmonii. 6 de sanatâ socru Petri. 7. de sanatis multis simul. 8. de prædicatione Christi in contiguis oppidulis. 9. de purgatione leprosi. Harum partium tres primæ pertinent ad præparationem Christi, quâ ad muneris Prophetici administrationem fuit præparatus. Etenim Johannes Baptista præparavit illi auditores: Deus pater in baptismo præparavit ipsum, instruendo eum donis Spiritus sancti ad Evangelium sapienter & cum authoritate prædicandum necessariis: Spiritus sanctus eundem præparavit expellendo eum in desertum, ut ibi tentaretur à Satana, eumq; vinceret ac profligaret ex verbo Dei.

PRIMA PARS.

De ministerio Johannis Baptistæ.

PRincipium evangelii JESU CHRISTI, filii DEI:
2 Ut scriptum est in Prophetis, Ecce ego mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te.
3 Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, complanate semitas ejus.
4 Baptizabat Johannes in deserto, & prædicabat baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum.
5 Et exibat ad eum tota Judææ regio ac Jerosolymitæ: & baptizabantur omnes ab eo in Jordane flumine, confitentes peccata sua.
6 Indutus autem erat Johannes pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos suos: & edebat locustas & mel sylvestre.
7 Et prædicabat, dicens, Venit ponè me qui robustior me est, cujus non sum dignus qui incurvatus solvam corrigiam solearum.
8 Ego quidem baptizavi vos aquâ: ipse verò baptizabit vos Spiritu sancto.

INitio ponitur *propositio* hujus partis, complectens simul propositionem totius libri: quarum hæc continetur his verbis, *Evangelium Jesu Christi filii Dei:* illa istis, *Principium Evangelii &c.* Etenim *principii* vocabulo intelligit ministerium Johannis, à quo historia hæc Evangelica inchoatur. Deinde recitat *prophetiam* Malachiæ v.2. & prophetiam Esaiæ v.3. *de ministerio Johannis:* ad probandum, Jesum esse Christum: quippe quòd in illo prophetiæ istæ sint impletæ. Tum v.4. *ministerium ipsum Johannis*

hannis declarat per duas partes: videl. novum ritum seu cærimoniam baptismi, & doctrinam: cujus capita indicat duo, resipiscentiam & remissionem peccatorum. Significat igitur, Johannem exhortatum esse Judæos ad resipiscentiam, & resipiscentibus annuntiasse remissionem peccatorum per Christum propediem exoriturum, dummodo in illum crederent: & hanc suam doctrinam in iis qui eam receperunt, obsignasse baptismo. Præterea v. 5. narrat *ministerii Johannis eventum*, nempe quòd Judæi magno numero ad illum confluxerint, ejusque doctrinæ ac monitis obedierint. Adhæc v. 6. indicat *Johannis vestitum & victum singularem*, atq; adeò excitandis animis Judæorum accommodatum. Postremò v. 7. & 8. recitat *testimonium Johannis de Christo:* cujus testimonii duæ sunt partes: una de præstantia personæ illius, quam Johannes significat collatione suiipsius tanquam longè minoris: quâ innuit illum non esse nudum hominem, sed omni humanâ sanctitate ac dignitate longè superiorem, videl. Deum, v. 7. Altera testimonii pars est de Christi officio quodam regio: quod est baptizare Spiritu sancto: quibus verbis Johannes tum missionem illam Spiritus sancti sub specie linguarum ignearum in Apostolos factam die pentecostes, tum etiam arcanam regenerationem electorum intelligit, de qua Christus monet Johannis 3. in colloquio cum Nicodemo.

Secunda Pars.

De baptisatione Christi.

9 Et factum est diebus illis, venit Jesus à Nazareth *urbe* Galilææ, & baptizatus est à Johanne in Jordane.

10 Et statim ascendens ex aquâ, vidit findi cælos, & Spiritum tanquam columbam descendere.

11 Et vox exstitit è cælis, Tu es filius ille meus dilectus, in quo acquiesco.

Vers. 9. narratur *quando* baptizatus sit Christus, *unde* ad baptismum suscipiendũ advenerit, *ubi* baptizatus sit, & *à quo*. v. 10. narratur, quid Johanni statim quum eum baptizasset, *evenerit:* nempe visum miraculum longè magnificentissimum, tribus partibus constans, ut in textu patet. Fuit autem isto miraculo significatum, hunc Jesum à Deo patre ordinatum esse, & hoc ipso tempore vocari, ad fungendum apud populum Dei munere prophetico, & ad illud donis Spiritus sancti, ac præsertim mansuetudine, abundè instrui: nec non ad fungendum munere mediatoris sive summi sacerdotis per quem Deus electis suis velit placari.

Tertia Pars.

De tentatione Christi à diabolo.

12 Statimque Spiritus eum expellit in desertum.

13 Et fuit illic in deserto dies quadraginta, tentante eum Satanâ. eratque cum feris: & angeli ministrabant ei.

Primùm indicatur tentationis Christi *tempus*, nempe quòd tentatus sit aut certè ad tentationem præparatus statim à suscepto baptismo. Deinde *author principalis*, videl. Spiritus sanctus. Tum *locus*, nempe desertum. Quartò *iterum tempus*, nempe post exactos in deserto quadraginta dies. Quintò *minister*, videlicet Satanas. Sextò *adjunctum miraculum*, nempe quòd illæsus obambulavit inter feras. Postremò *eventus* lætus, nempe ministerium angelorum, qui scilicet esurienti attulerunt cibum. Cæterùm quum hîc dicimus, authorem principalem istius tentationis fuisse Spiritum S. id rectè & sanctè accipiendum est. Neque enim sentimus, Spiritum S. quenquam tentare ad malum, aut impellere Satanam ad tentandum; sed intelligimus, Spiritum sanctum impulsu suo Christum objecisse tentandum Satanæ, & hanc tentationem Satanæ permisisse ad Christum probandum, quum potuisset illam potentiâ suâ impedire. Imò verò Spiritus sanctus Christum Satanæ tentandum ita objecit, ut eum in tentationibus sustentaverit, inspirando ei verbum Dei scriptum quo Satanam vinceret ac profligaret: sicut ex narratione Matthæi & Lucæ constat.

Quarta Pars.

De vocatione quatuor discipulorum.

14 Postquam autem traditus fuit Johannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans evangelium regni Dei:

15 Et dicens, Impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei: resipiscite, & credite evangelio.

16 Ambulans autem juxta mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem ejus, jacientes rete in mare. Erant enim piscatores.

17 Et dixit eis Jesus, Sequimini me, & faciam ut sitis piscatores hominum.

18 Et *ipsi* statim omissis retibus suis sequuti sunt eũ.

19 Tunc progressus illinc paululum, vidit Jacobum *filium* Zebedæi, & Johannem fratrem ejus, qui & ipsi in navigio sarciebant retia.

20 Statimq; vocavit eos: & *ipsi* omisso patre suo Zebedæo in navigio cum mercenariis, sequuti sunt eum.

Huic narrationi præmittitur *propositio* narrationis de administratione muneris prophetici, quæ deinceps per partes fiet. Ac primò indicatur *tempus* quo Christus administrationem illam cœpit, videlicet postquam Johannes traditus fuit in custodiam, ita ut non ampliùs prædicare ac baptizare posset. Deinde *locus* ubi eam inchoavit, videlicet in Galilæa. Tum *ipsius doctrinæ summa*, nempe quòd prædicaverit evangelium regni Dei. Quæ summa deinceps per partes declaratur: nempe quòd hortatus sit ad resipiscentiam & fidem evangelii: ubi etiam adjicitur hortationis argumentum, seu ratio, ab occasione temporis præsentis, quæ nemini sapienti & saluti suæ cupido sit negligenda: quippe quòd jam adsit beatum illud tempus per Prophetas prædictum quo evangelium sit prædicandum, ad colligendum in regnum Dei omnes illi credentes. His præmissis subjungit narrationem *de vocatione quatuor discipulorum:* quos videtur sibi adscivisse comites antequam prædicationem ipsam inciperet. Etenim hanc incepisse demum videtur in synagoga Capernaümi, sicut mox in parte quinta narrabitur. deinde exordio in urbe illa, ubi tunc habitare cœperat, facto, progressus est in oppidula contigua: sicut narrabitur in parte octava. Describitur autem primùm vocatio Simonis & Andreæ fratrum, vers. 16. 17. 18. deinde Jacobi & Johannis, item fratrum, versibus reliquis. Vocatio priorum describitur primùm ab occasione, deinde à forma, tum ab eventu. *Occasio* fuit, quòd incidit in illos piscantes: inde enim sumsit occasionem denuntiandi eis quòd velit eos facere piscatores hominum, id est, Apostolos seu præcones Evangelii, qui reti Evangelii caperent homines electos, & colligerent in regnum Dei. *Forma* indicatur his verbis, *Sequimini me* &c. *Eventus* fuit, obedientia illorum; quæ amplificatur partim à circumstantia temporis, quòd nempe *sequuti sint statim:* partim à causa corrumpente, quòd sequuti sint *relictis retibus suis*, non passi scilicet se à Domino statim sequendo impediri curatione illorũm ne quid damni acciperent. Vocatio posteriorum similiter tribus illis modis describitur, sed breviùs quoad priores duos: pleniùs autem quoad tertium. Etenim illic narratur causa corrumpens majoris momenti, videlicet pater & mercenarii: quos in navi reliquerunt.

Quinta Pars.

De prædicatione Christi in synagoga Capernaümi, & ejectione dæmonii.

21 Et ingrediuntur Capernaüm: statimque sabbatho ingressus Jesus in synagogam, docebat.

22 Et percellebantur super doctrina ejus; docebat enim eos ut authoritatem habens, & non ut scribæ.

23 Erat autem in synagoga eorum quidam habens spiritum impurum; qui exclamavit,

24 Dicens, Ah, quid nobis tecum, Jesu Nazarene? Venisti ut perderes nos? Novi te qui sis, *nimirum* sanctus ille Dei.

25 Et objurgavit eum Jesus, dicens; Obmutesce, & exi ab eo.

26 Tunc, quum discerpsisset eum spiritus ille impurus, & clamasset voce magna, exiit ab eo.

27 Et expaverunt omnes, ita ut mutuò quærerent inter se, dicentes, Quid est hoc? quæ doctrina nova hæc, quòd per potestatem imperat etiam spiritibus impuris, & auscultant ei?

28 Pervenit autem fama ejus statim in totam regionem circumjacentem Galilææ.

Prædicatio Christi in synagoga Capernaümi describitur primùm ab adjunctis *comitibus* quos secum duxit docturus, nempe quatuor illis discipulis quos paulò antè vocaverat & in contubernium suum adsciverat, ut vidimus in parte præcedente. De his dicitur, *Et ingrediuntur Capernaüm:* nempe Jesus & quatuor illi. Deinde indicatur *tempus* quo prædicationem illam suscepit, videlicet in proximo sabbatho. Tum indicatur prædicationis *effectus*, nempe summa admiratio: cujus causa procreans specialis simul exponitur, nempe ipse *docendi modus:* quòd docebat tanquam habens potestatem sive authoritatem, magnâ scilicet cum fiduciâ & magno cum fervore. Qui modus docendi amplificatur collatione dissimilis, videlicet modi docendi scribarum, quos innuit Evangelista docuisse frigidè ac trepidè; ut qui de veritate suæ doctrinæ non essent certò persuasi, nec de promovenda gloria Dei & salute populi admodum soliciti. Atque hæc de prædicatione: jam ad *ejectionem dæmonii*, qua prædicationem suam Dominus obsignavit, quod attinet: indicatur primùm illius *occasio*, nempe præsentia objecti, videlicet hominis dæmoniaci, vers. 23. Deinde *causa corrumpens*, nempe sermo dæmonii quo conatus est ejectionem sui impedire, deprecando illam. Deprecatio illa constat tribus argu-

mentis seu rationibus: quæ omnes rationem habent causarum impulsivarum. Prima est, *Quid nobis tecum, Jesu Nazarene?* quasi dicat dæmonium: Nos mali spiritus qui complures in hoc populo obsidemus, nihil tibi facessimus molestiæ aut negotii: quare æquum est ut nec tu nobis sis molestus, sed sinas nos agere quod nobis libet. Secunda ratio: *Venisti ut perderes nos?* Quasi dicat: Nondum adest illud tempus quo sumus perdendi: Ergo omitte nos interim & sine nos liberè agere, donec tempus illud advenerit. Tertia ratio: *Novi te qui sis, nimirum sanctus ille Dei.* Quasi dicat, Ego tibi defero debitum honorem, profitendo te esse Christum, à Deo sanctificatum atque ordinatum in redemtorem hominum electorum. Quare peto ne me affligas aut male mihi facias: quum ego tibi faciam bene, te honorando. Tota hæc deprecatio amplificatur ab adjuncto clamore: in quo ipso quoque argumentum deprecationis latet, quippe quum illo clamore significet suam miseriam: licet interim misericordiam Christi non seriò imploret. Atq; hæc de secundo hujus narrationis membro, videlicet de ejectionis illius causa corrumpente. Tertiò exponitur *ipsa ejectionis forma*, consistens in actionibus tum ejicientis tum illius qui ejiciebatur. Ejicientis, nempe Christi, actiones indicantur duæ: mandatum silendi, & mandatum exeundi, vers. 25. Actiones dæmonii quod ejiciebatur, indicantur itidem duæ: discerptio dæmoniaci, & clamor, vers. 26. Quartò narratur ejectionis *effectum geminum in spectatoribus*, nempe pavor, & admiratio summa: quæ ostenditur ex ipsorum confessione, v. 27. Deinde divulgatio rei apud vicinos, v. 28.

SEXTA PARS.

De sanata socru Petri febricitante.

29 Et statim è synagoga egressi, venerunt domum Simonis & Andreæ cum Jacobo & Johanne.

30 Socrus autem Simonis decumbebat febricitans: & statim dicunt ei de illa.

31 Tunc accedens erexit eam, prehensâ manu ejus: & dimisit eam febris statim: & ministravit eis.

Primùm indicatur sanationis hujus *tempus*, quòd scilicet acciderit statim post illam ejectionem dæmonii, de qua in parte præcedente. Deinde *locus*, quòd facta sit in domo Simonis & Andreæ. Tum *spectatores sive testes*, nempe quatuor illi discipuli. Quartò *situs sananda*, quòd decubuerit. Quintò *conditio*, quòd febricitârit. Sextò *causa impulsiva*, videlicet intercessio quatuor discipulorum. Sptimò *modus agendi* seu ipsa sanationis forma, quòd illam Jesus apprehensam manu erexerit. Postremò *eventus* in sanata, quòd eis ministraverit, putà apparando cænam.

SEPTIMA PARS.

De sanatis multis simul.

32 Vesperâ autem factâ quum occideret sol, adducebant ad eum omnes malè affectos & dæmoniacos.

33 Et urbs tota congregata erat ad ostium.

34 Ea sanavit multos malè affectos variis morbis: & dæmonia multa ejecit: & non sinebat loqui dæmonia, quòd ipsum nossent.

Primùm indicatur sanationis illorum *tempus*, nempe vespera. Deinde *causa impulsiva*, nempe intercessio, sive petitio eorum qui illos adducebant sive offerebant. Tum sanandorum *distributio & multitudo*, quòd adduxerint omnes (nempe quotquot in urbe habebant Capernaïtæ) malè affectos ac dæmoniacos. Præterea *spectatores seu testes*, videlicet tota urbs, hoc est, omnes Capernaïtæ. Postremò *forma seu modus agendi*, partim innuitur, quoad omnes qui sanati tum fuerunt: partim verò exprimitur quoad nonnullos, videlicet dæmoniacos. Quoad omnes qui sanati fuerunt, innuitur, illos fuisse sanatos per Christi contactum: sive ipse eos attigerit, sive ipsi saltem illum. Hoc innuitur illis verbis, quum dicitur *sanavisse multos & ejecisse dæmonia multa*. id quod videtur intelligendum de iis quibus contigit ipsius* contactus. Oportebat enim singulis μνημόσυνον suæ sanationis esse impressum, ut certò essent persuasi se ab hoc Jesu sanatos esse. Nam si solo imperio illos sanasset, unâ eâdemque operâ sanasset omnes: at dicitur sanasse multos. Specialis autem agendi modus circa dæmoniacos fuit, quòd dæmonia non sinebat loqui: ne proderent ipsum esse Christum. id quod illo tempore nondum debuit populo innotescere: sed debuerunt paulatim, & ratiocinando ex collatione prophetiarum cum iis quæ ipse agebat quæque ei accidebant, in cognitionem ipsius deduci. Neque testimonium à malis spiritibus habere voluit: quum illorum testimonium propter mendacem ipsorum naturam veritatem possit reddere suspectam.

* Confer inf. 3. v. 10.

OCTAVA PARS.

De prædicatione Christi in contiguis oppidulis.

35 Et mane, valde multâ nocte, quum surrexisset, exiit, & abiit in desertum locum, & illic precabatur.

36 Et prosequuti sunt eum Simon & qui cum ipso erant.

37 Et quum invenissent eum, dicunt ei, Omnes te quærunt.

38 Tunc dicit eis, Eamus in contigua oppidula, ut & illic prædicem. Ad hoc enim sum egressus.

39 Et prædicabat in synagogis eorum, in tota Galilæa, & dæmonia ejiciebat.

Primùm indicatur *præparatio* Christi qua se ad hanc prædicationem præparavit, nempe precatio: quæ ipsa describitur à tempore, quòd ad precandum exierit summo mane: & à loco, quòd ad precandum abierit in locum desertum. Deinde narratur *causa corrumpens* quæ prædicationem istam poterat impedire: nempe nuntium discipulorum de Capernaïtarum desiderio ipsius adeundi, v. 36. & 37. Tum *modus agendi*, quòd scil. prædicationem illam susceperit consultò, v. 38. Postea indicatur *loca* specialia ubi prædicavit, videl. in synagogis: quæ indicatio amplificatur ab adjuncta multitudine, quòd scil. prædicaverit in synagogis totius Galilææ. Postremò indicatur quoddam illius prædicationis adjunctum, videl. obsignatio ejus per ejectionem dæmoniorum.

NONA PARS.

De purgatione leprosi.

40 Venitque ad eum leprosus, precans eum, & in genua coram eo procumbens, ac dicens ei; Si velis, potes me purgare.

41 Jesus autem misericordiâ commotus, extensâ manu, tetigit eum, & dixit ei, Volo, purgator.

42 Et quum *hæc* dixisset, statim abiit ab eo lepra, & purgatus fuit.

43 Et graviter interminatus ei *Jesus* statim abegit eum.

44 Dixitque ei, Vide *ut* nemini quicquam dicas: sed abi. ostende teipsum sacerdoti, & offer pro purgatione tui quæ imperavit Moses, in testimonium adversus ipsos.

45 Ille verò egressus cœpit prædicare multa, & rem divulgare, ita ut jam non posset Jesus manifestè introire in civitatem: sed foris in desertis locis erat, & veniebant ad eum undique.

Primùm indicatur *causa impulsiva procatarctica*, quæ Christum movit ad leprosum istum purgandum, videl. ipsius leprosi petitio: quæ amplificatur ab adjuncto gestu honorifico, nempe prolapsione in genua. Petitio autem est conditionalis: petit enim purgari, si Christus id velit facere. Simulq; continet professionem fidei. profitetur enim leprosus, se credere, quòd Christus purgare ipsum possit. Deinde indicatur *causa impulsiva antecedens*, ἡ σπλαγχνία, videl. misericordia Christi. Tum *modus agendi*, seu ipsa purgationis forma, posita partim in gestu, nempe contactu, partim in verbis: quibus testatur se velle, ac proinde præcipit lepræ ut cedat. Postea exponitur *miraculum ipsum*, v. 42. Postremò narrantur *eventa* varia. Ac primùm quid inde evenerit in ipso Christo: nempe quòd leprosum illum purgatum à se dimiserit: quòd ei interdixerit, ne purgationem illam patefaceret, nempe statim ante acceptum testimonium à sacerdote: deniq; quòd ei præceperit ut & sacerdoti se ostenderet, & pro purgatione sui offerret quæ imperavit Moses. ubi innuitur illius præcepti ratio à fine, qui pertinebat ad illum leprosum, nempe ut observaret legem Dei. Cui rationi additur altera à fine alio, qui pertinebat ad sacerdotes, nempe ut acciperent testimonium contra se, quo scil. convincerentur de sua perversitate ac malitia in Christo repudiando: quum tamen ipsi miracula ejus verè divina, & Christi propria, testimonio suo approbassent. Deinde adduntur eventa alia, eaque in diversis varia: quorum alia ex aliis exstiterunt: nempe in illo leproso, quòd contra interdictum rem statim divulgavit in populo, quòd undiq; ad Christum venerunt, offerendo scil. ei ægrotos quos sanaret, aut saltem cupiditate ejus videndi atque audiendi & miracula ipsius spectandi: denique in Christo, quòd quæsivit loca deserta, ubi lateret ad tempus, capiendæ scilicet quietis causâ: ut qui per illos dies obambulando Galilæam, docendo & ægrotis sanandis, fuerat defessus.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Principium evangelii &c.] *Id est, Hoc est principium historia evangelica de Jesu Christo. Hoc, nempe historia de ministerio Johannis Baptista: ex collatione versus quarti & sequentium. Hinc apparet, non esse propositum Marco, scribere historiam nativitatis & infantia, itemq; pueritia & adolescentia Christi: sed res quas gessit ac perpessus est jam adultus, incipiendo à prædicatione evangelii: ad quam audiendam* Johannes *Baptista populum prædicatione sua præparavit.* Evangelii Jesu Christi] *Id est, Evangelii de Jesu Christo. Genitivus subjecti.* Filii Dei] *τοῦ* μονογενοῦς*. Scil. unigeniti.*

2 In Pro-

2 In Prophetis] ἐν τοῖς προφήταις. *Id est in libris Prophetarum. Plurali numero utitur vel per synecdochen integri, vel quia recitat dicta duo ex prophetis diversis, Malachia scil. & Jesaia.* Ego] *Scil. Deus pater: ut percipitur ex sequentibus.* Nuntium meum] τὸν ἄγγελόν μου *Scil.* Johannem *Baptistam: teste angelo, Luc.1.v.16.& 17.* Ante faciem tuam] πρὸ προσώπου σου. *Et mox,* Coram te] ἔμπροσθέν σου. *Apud Malachiam habetur,* לְפָנָי, *id est,* ante faciem meam. *Quare apud Prophetam introducitur loquens Christus ipse & alloquens populum: apud Evangelistam verò Deus pater alloquens Christum.* Qui parabit viam tuam] ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου. *In Hebr.* וּפִנָּה דֶרֶךְ, *id est,* Et expediet viam, *removendo scil. obstacula, ut via possit cerni & pateat aspectui. Hæc enim videtur esse emphasis vocis Hebraicæ. Sed quomodo Johannes paraturus erat viam Christo? Nempe dando testimonium de illo, quòd ipse sit Christus, ut eum fecisse narrat Johannes: & convertendo cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres ipsorum: ut habetur Mal.4.in fine: & eum facturum fuisse testatus fuit angelus, Luc.1.v.16. & 17.*

3 Vox clamantis] φωνὴ βοῶντος &c. *Qua ratione excerpta sint hæc verba ex Jesaia, exposui in scholiis in Matth.3.v.3.* Parate viam &c.] *Vide ibid.* In deserto] ἐν τῇ ἐρήμῳ. *Scil. Judææ, Matth.3.v.1.*

4 Baptizabat & prædicabat] ἐγένετο βαπτίζων καὶ κηρύσσων. *Ad verb. Erat baptizans & prædicans. Græcismus.* Prædicabat baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum] *Id est, Prædicabat resipiscendum esse & credendum in Christum: ac testabatur, resipiscentes atque credentes habere remissionem peccatorum: præcipiebatque ut in hujus rei testimonium atque professionem baptizarentur.* Baptismum resipiscentiæ] βάπτισμα μετανοίας. *Id est, qui resipiscentiæ testificandæ atque profitendæ adhibebatur. neque enim baptizabat nisi eos qui confessione peccatorum edita, resipiscentiam suam testatam reddebant. Genitivus subjecti. Cæterùm nomine* resipiscentiæ *per synecdochen membri simul intelligenda est fides in Christum: ut percipitur ex verbis Pauli Act.19.v.4.* Ad remissionem peccatorum] εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Dubium est unde pendeant hæc verba: an à verbo* Prædicabat: *an à nomine* Baptismum: *an denique à nomine* Resipiscentiæ. *Ego puto pendere à nomine* βάπτισμα: *sed subintellecto articulo; vel potiùs articulo & participio huic sententiæ conveniente. quasi dicatur:* κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας τὸ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Scil.* ἀνῆκον. *Id est, prædicabat baptisma resipiscentiæ* quod ad remissionem peccatorum pertinet, *seu destinatum est. Ut sic putem: movet me similis sermo Apostoli Petri de re eâdem, Act.2.v.38* Resipiscite, & baptizetur unus quisque vestrûm in nomine Jesu Christi ad remissionem peccatorum. *Sed hoc est rectè intelligendum: videl. ad remissionem peccatorum testificandam sive obsignandam: non autem, ad illam consequendam hoc opere. Nam ut remissio peccatorum seu justitia fidei in V. Testamento per circumcisionem non conferebatur, sed obsignabatur, teste Apostolo ad Rom.4. sic in novo Testamento per Baptismum, qui Circumcisioni successit, remissio peccatorum non confertur, sed obsignatur.*

5 Tota Judææ regio] πᾶσα ἡ Ἰουδαία χώρα. *Ad verb.* Omnis Judæa regio: *id est,* Judaica regio, Tota] *Id est, ferè tota. Hyperbole. nam non omnes ad eum venisse, liquet ex eo, quòd omnes qui ad eum venerunt, baptizati ab eo sunt: ut mox affirmat Evangelista. At non omnes ab eo esse baptizatos: patet ex testimonio Christi Matth.21.32. ubi reprehendit primores Judæorum, quòd Johanni non crediderint. Nam certè si ei credidissent, baptizari se quoque ab eo curassent: & vicissim si baptizati fuissent, habiti fuissent pro iis qui Johanni credidissent.* Et baptizabantur omnes] *Scil. qui ad eum venerant. nam non simpliciter omnes esse baptizatos, modò est ostensum.*

10 Et statim ascendens] καὶ εὐθέως ἀναβαίνων. *Scil.* Johannes: *ut videtur postulare cohærentia verborum sequentium*, vidit findi cælos. *Nec pugnat hoc cum Matthæo, qui dicit:* Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua. *Nam potuit fieri ut uterque ascenderet: Jesus & Johannes. Nisi potiùs dicendum, participium* ἀναβαίνων *positum hîc esse absolutè ad designandum consequentiam, pro* ἀναβαίνοντος *scil.* αὐτοῦ τοῦ Ἰησοῦ. *Ut hic locus sic sit vertendus.* Et statim ascendente eo (*nempe Jesu*) ex aqua, vidit (*scil. Johannes*) findi cælos &c.

13 Tentante eum Satana] πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ. *Vel,* Et tentabatur à Satana: *Scil. exactis illis 40. diebus, Matth.4.v.2.& 3.* Et Angeli ministrabant ei] καὶ οἱ ἄγγελοι διηκόνουν αὐτῷ. *Scil. posteaquam diabolus consummata istâ tentatione, ab eo recessisset, Luc.4.v.13.& Matth.4.v.11.*

14 Postquam autem traditus fuit Johannes] *Scil. in carcerem. Vide Matth.14.v.1.& deinceps; item infrà 6.v.14.& deinceps.* Evangelium regni Dei] *Id est, lætam doctrinam, de ratione regnum Dei consequendi.*

15 Impletum est tempus] ὅτι πεπλήρωται ὁ καιρός. *Nempe, tempus illud quo Christum venturum prædixerant Prophetæ. hoc innuit articulus. Cæterùm conjunctio* ὅτι *hîc servit mimesi seu prosopopœiæ.* Et appropinquavit regnum Dei] *Epexegesis. Sensus est: Appropinquavit tempus illud quo Christus inchoabit regnum suum per Evangelii prædicationem,* Resipiscite] μετανοεῖτε. *Id est,* Resipiscite igitur. Credite Evangelio] πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. *Ad verb.* Credite in Evangelio, *pro* εἰς τὸ εὐαγγέλιον, *in Evangelium. Phrasis* Hebraica: *cujus exemplum est in illo Exod.14. v.ult.* Et crediderunt in Jehovam & in Mosen: *pro,* Jehovæ & Mosi.

20 Sequuti sunt eum] ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ. *Ad verb.* Abierunt post eum. *Id est,* ἠκολούθησαν αὐτῷ: *ut habet Matthæus.*

21 Sabbatho] τοῖς σάββασιν. *Ad verb.* Sabbathis. *Enallage numeri.*

22 Authoritatem] ἐξουσίαν *Sive potestatem.*

23 Quidam] ἄνθρωπος. *Ad verb.* Homo. Habens spiritum impurum] ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ *Scil.* ὢν. *Ad verb.* Qui erat in spiritu impuro. *Id est, cum spiritu impuro. Hebraism. Hoc est præditus spiritu impuro.* Qui exclamavit] καὶ ἀνέκραξε. *Ad verb.* Et exclamavit. *Scil. spiritus ille impurus: ut liquet ex seqq.*

24 Quid nobis tecum?] τί ἡμῖν καὶ σοί; *Ad verb.* Quid nobis & tibi? *Sic Joh.2.v.4. Hebraismus.* Ut perderes nos] ἀπολέσαι ἡμᾶς. *Id est, me meosque socios, cæteros scil. spiritus impuros in Judæa tum grassantes.* Sanctus ille Dei] ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. *Id est,* Sanctus ille, *qui à Deo sanctificatus atque ordinatus est in servatorem mundi. Genitivus adjuncti vel efficientis. Periphrasis Christi.*

25 Obmutesce] φιμώθητι. *Ad verb.* Capistrator. *Metaphora.* φιμὸς *capistrum seu fiscellam significat, qua os occluditur equis aliisve animalibus, ut bobus. unde illud:* οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα, *Ne capistrato bovem triturantem: 1.Cor.9.v.9.*

27 Quòd per potestatem &c.] ὅτι κατ' ἐξουσίαν &c. *Conjunctionem* ὅτι *vetus interpres reddidit,* Quia: *novus,* ut. *Ego accipio* εἰδικῶς: *ut pendeant hæc verba ab illis,* Quid est hoc, *per appositionem. Apparet enim, sententias esse trajectas.*

34 Et sanavit multos] καὶ ἐθεράπευσε πολλούς. *Nempe omnes eos quibus dabatur propiùs accedere, ita ut liceret opem ejus implorare, & ab ipso attingi, vel saltem ipsum attingere. Confer infrà c.3.v.10.& c.6.v.5. Matth.14.v.36.*

38 Oppidula] κωμοπόλεις. *Vetus interpres* vicos & civitates: *ut videatur legisse,* κώμας καὶ πόλεις.

39 In tota Galilæa] εἰς ὅλην τὴν Γαλιλαίαν. *Pro,* ἐν ὅλῃ τῇ Γαλιλαίᾳ. *Enallage Hebraica.*

40 Et in genua coram eo procumbens] καὶ γονυπετῶν αὐτόν. *Vetus,* Genu flexo. *Novus,* Eique ad genua accidens. *Sed* γονυπετεῖν *plus est quam genua flectere, nempe in genua procidere,* auff die knne fallen: *& refertur ad genua adorantis, non autem ejus qui adoratur: ex nomine* γόνυ *genu, & verbo* πέτω, *quod est* πίπτω, *cadere. Lucas pro hoc dicit,* πεσὼν εἰς πρόσωπον, procidens in faciem: *id quod pulchrè cum altero convenit.*

43 Graviter interminatus ei] ἐμβριμησάμενος αὐτῷ. *Ad verb.* Quum infremuisset in eum. *Nam hoc propriè significat verbum istud: ut patet ex Johan.11.v.33.& 38. Sed hîc per metonymiam efficientis usurpatur. nam qui in aliquem fremunt seu alicui indignantur, solent ei graviter comminari.* Abegit eum] ἐξέβαλεν αὐτόν. *Ad verb.* Ejecit eum. *Id est, repulit eum à se: non est passus ut se comitaretur.*

44 Nemini quicquam dicas] μηδενὶ μηδὲν εἴπῃς. *Ad verb.* Nemini nihil dicas. *Græcismus. Item synecdoche generis: eaque gemina. Sensus enim est: Vide ut nemini quicquam dicas de hac re, quòd scilicet sis à me purgatus: antequam te ostenderis sacerdoti: ut colligitur ex antithesi sequente.*

45 Et rem divulgare] καὶ διαφημίζειν τὸν λόγον. *Vetus verbum verbo reddens,* Et diffamare sermonem. *Sed diffamandi verbum non hunc usum habet apud Latinos: &* λόγος *hic accipitur pro re, per Hebraismum.* In civitatem] εἰς πόλιν. *Bifariam potest accipi. Vel indefinitè, In civitatem aliquam: vel definitè, In civitatē Capernaüm, ubi tunc habitabat. Posterius verisimilius, ex collatione v.33 suprà, & cap.2.v.1.& 2. Et ex reipsa, quòd Capernaümi habitarit.*

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINÆ EX CAP. I.

1 Ex v.1. Sumi potest definitio Evangelii hæc, quòd Evangelium sit doctrina de Jesu Christo filio Dei: hoc est, quâ docetur, virum illum Jesum Hierosolymis sub Pilato crucifixum, esse non nudum hominem, sed simul Deum: quippe filium Dei unigenitum: ac præterea esse Christum, hoc est, summum populi Dei sacerdotem & regem. Sic summa Evangelii in duobus capitibus consistit: in doctrina de persona Christi, & in doctrina de officio ejusdem. *Definitio Evangelii.* *Summa Evangelii.*

2 Ex v.2.3.4.5. Jesum illum Nazarenum esse Christum, inter alia argumenta constat etiam hinc, quòd habuit præcursorem Eliam, hoc est, Johannem Baptistam. Errant igitur Judæi, dum adventum Christi adhuc exspectant. *Quòd Jesus sit Christus.*

3 Ex v.2.3.4. Ministri Evangelii per prædicationem pœnitentiæ homines præparare debent ad excipiendum fide Christum: exemplo Johannis Baptistæ, primi præconis evangelii. Hoc autem officium omnibus evangelii præconibus commune esse, monet Christus Luc. ultimo, v.47. ubi post resurrectionem suam discipulis sese ostendens, inter alia dicit: *Oportere in nomine Christi prædicari resipiscentiam ac remissionem apud omnes gentes.* *Officium ministrorum Evangelii.*

4 Ex v.4. Baptismus est divinum testimonium resipiscentibus & in Christum credentibus, quòd habeant remissionem *Definitio Baptismi.*

peccatorum. Etsi autem hoc loco non fit expressa mentio fidei, tanquam necessariæ ad consequendum remissionem peccatorum: tamen illa synecdochicè intelligenda est in vocabulo *resipiscentiæ*: & expressa ejus mentio fit, Act.19.4. ubi Paulus ait, *Johannes quidem baptizavit baptismo resipiscentiæ, dicens populo, ut in eum qui venturus erat post ipsum, crederent, h.e. in Christum Jesum.* Nec verò putandum est, baptismum Johannis à baptismo Christi fuisse diversum: quum utriusque idem fuerit finis seu scopus, & unus idemque ritus. nam ut Johannes baptizavit aquâ in flumine Jordane, item in Ænon propè Salim: sic baptizabat & Christus: quanquam non suâ manu, sed manu discipulorum: Joh.3.22.23. & 4.1.2. Et ut Johannes baptizavit peccata confitentes & fidem Christi profitentes, in remissionem peccatorum. hoc est, ad testificandam illis remissionem peccatorum per Christum, tanquam agnum illum Dei, qui tollit peccatum mundi: ita baptizarunt quoque ex Christi mandato Apostoli, aliique Evangelii præcones: ut videre est Actor.2.v.38. ubi Petrus ait Judæis qui Christum crucifixerant: *Resipiscite & baptizetur unusquisq; vestrûm in nomen Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* Et cap.8.v.36.37.38. ubi Philippus Evangelista, id est, Evangelii præco, eunuchum Æthiopem non prius baptizat quàm ille profiteretur suam fidem in Christum.

Baptismum Johannis non esse diversum à baptismo Christi.

An Baptismus conferat remissionem peccatorum ex opere operato. Bellarminus lib 2. de Sacramentis, cap.3.

5 Ex eod. v. Non rectè colligitur ex verbis Marci, *Prædicabat baptismum in remissionem peccatorum*, baptismum conferre remissionem peccatorum ex opere operato. Etsi enim Papistæ id non colligunt ex his verbis: tamen colligunt ex verbis similibus Act.2.v.38. *Baptizetur unusquisq; vestrûm in remissionem peccatorum.* At verba illa, *In remissionem peccatorum*, non valere, Ad consequendam remissionem peccatorum per hoc opus: judicari potest ex eo, quòd Scriptura passim tradit, hominem adultum (de qualibus in illis dictis sermo est) non consequi remissionem peccatorum aliter quàm per fidem in Christum. Non igitur per opus baptismi. Item ex eo quòd adultum baptizare non est fas, nisi is profiteatur fidem in Christum, ac proinde statuatur eum jam per fidem habere remissionem peccatorum. Non igitur statui potest, quòd illam demum adipiscatur per opus Baptismi. Necesse est igitur illa verba aliter exponi. Non potest autem afferri melior expositio quam quæ petitur à natura sacramentorũ: quæ constat esse sigilla justitiæ fidei, Rom. 4.v.11. Quare quum dicitur, homines baptizari in remissionem peccatorum, nihil aliud significatur, quàm eos baptizari in hunc finem, ut habeant divinum testimonium remissionis peccatorum, nempe peccata sibi esse remissa propter satisfactionem Christi, cujus sanguis effusus est pro electis in remissionem peccatorum, & purgat credentes ab omni peccato.

An confessio auricularis probari possit ex eo quòd ii qui baptizabantur à Johanne, confessi sunt peccata sua. De sacramẽto pœnitentiæ lib.3.c 3. *a* Ejusd. lib. cap.2 *b* Ejusd. lib. cap.1. * Obs.4.

6 Ex v.5. Malè hunc locum detorquet Bellarminus ad stabiliendum confessionem illam Papistarum auricularem, quam ipse facit tertiam partem Pœnitentiæ, tanquam sacramenti. Sic autem argumentatur. Sicut baptismus Johannis (inquit) figura fuit baptismi Christi: ita quoq; & confessio quæ Johanni fiebat, figura fuit confessionis quæ Christi ministris facienda erat. Intelligit autem confessionem omnium peccatorum mortalium *a*, item enumerationem omnium peccatorum, quæ post examen animo occurrunt *b*. At duo hic falsa assumit: unum, quòd baptismus Johannis fuerit figura baptismi Christi: quippe quum fuerit idem cum illo ut * antea à nobis demonstratum est. Alterum, quòd auditores Johannis confessi sint in specie omnia peccata mortalia à se admissa, quæ quidem post examen animo occurrebant. At hæc glossa Bellarmini est, nulla probatione subnixa. Nam potuerunt isti confiteri peccata sua, etiamsi non confiterentur omnia quæ animo occurrebant. Poterant enim confiteri peccata publicè jam nota: etsi non confiterentur peccata occulta. quorum confessionem vel Johannem exegisse, vel ipsos ultrò edidisse, quis certò affirmet? imò nequaquam probabile est, Johannem exegisse confessionem publicam (talem enim illi edebant) scelerum occultorum: quum illa confessio ad scandalum potiùs, quam ad ædificationem populi faceret. Et denique confessio facta Johanni, confessioni quæ fit sacerdoti Papistico, valde dissimilis est: ut illa pro hujus figura haberi jure non possit. Etenim Johanni confitebantur palam audiente populo: at Sacerdoti confitentur clam in aurem.

Gubernatio Dei.

7 Ex v.6. Ex vestitu & victu Johannis elucet sapientia Dei in electis adducendis ad salutem. Voluit enim Deus singulari illâ austeritate vitæ Johannis à se missi expergefacere electos in populo suo, ut ad doctrinam Johannis eò magis attenderent, illiq; crederent. Deinde autem voluit ut Christus familiariter atq; humaniter inter ipsos versaretur, ut illos secum retineret. Hinc Christus Judæis incredulis exprobrat Matth.11.v.16. & sequentibus, quòd hanc Dei sapientiam non agnoverint: & contra laudat credentes quòd agnoverint, inquiens: *Sed justificata est sapientia à filiis suis.* Usus hujus doctrinæ est: ut sive nobis contingat concionator severus, sive blandus & humanus: statuamus, Deum pro sua sapientia illis uti ad nostram salutem: ac proinde & severitatem concionatorum æquo animo toleremus, & humanitatem non contemnamus.

Officium auditorum evangelii.

Quòd Christus sit verus Deus.

8 Ex v.7. Ex ista comparatione Johannis cum Christo percipitur, hunc ab illo habitum non pro nudo homine, sed pro vero Deo: quippe quum nullus nudus homo alteri in tantum præcellat, ut ille non sit dignus qui ei præstet officia servilia: qualе erat apud Judæos, incurvatum solvere corrigiam solearum. Quare nobis quoque pro vero Deo Christus habendus est: quum Johannes fuerit à Deo missus ut testaretur de Christo, Johan.1.v.6.7.

9 Ex eod. v. Quum Christum non puduerit sequi Johannem instar discipuli (id enim significari videtur illis verbis, ὀπίσω μου ἔρχεται, *ponè me venit*) nec nos pudeat discere à ministris verbi illis quos donis spiritualibus antecellimus.

Officium auditorum evangelii.

10 Ex v.8. Distinctæ sunt actiones ministri & Christi in administratione sacramentorum. Minister administrat res externas, puta in Baptismo aquam, in Cœna Domini panem & vinum: sed Christus in animis credentium operatur per Spiritum sanctum, confirmans scilicet fidem, atque ita per fidem fruenda illis dans bona spiritualia per res externas significata, nempe remissionem peccatorum & vitam æternam.

De administratione sacramentorũ.

11 Ex v.9. Quòd Christus utriusque Testamenti Sacramenta percepit: puta quòd circumcisus fuit, quòd edit agnum paschalem, quòd fuit baptizatus, quòd edit sacram cœnam: videtur fecisse ut significaret, se cum utriusque Testamenti electis communionem habere velle. Interim tenendum, Christum non usum Sacramentis ut sacramentis: quippe quum purus fuerit à peccatis, ac proinde non opus habuerit testimoniis divinis remissionis peccatorum: sed usus est illis ob alium finem, nempe (ut modò dictum) ad testandum suam cum electis communionem in regno cælorum. Deinde speciales quoque fines fuerunt propter quos sacramenta veteris Testamenti præcipere voluerit. nam circumcisus fuit, tum ut obediret legi de circumcisione, tanquam puer Hebræus & filius Abrahæ: tum ut per circumcisionis susceptionem se obstringeret reliquis Dei legibus populo Judaico datis: ac proinde agnum quoq; paschalem edit, ut debitam Legi obedientiam præstaret. Usus illius doctrinæ est nostra consolatio. Quid enim beatius quàm habere communionem cum Christo? hinc certè Johannes beatitudinem Christianorum describit 1.Joh.1.v.3. Et Christus ipse beatitudinis privationem significans, dicebat Petro: *Nisi lavero te: non habes partem mecum*, Joh.13.v.8.

De communione Christi cum electis utriusq; testamenti.

Consolatio.

12 Ex v.10. & 11. Quum Christus unctus sit Spiritu sancto à Deo Patre in doctorem, summum sacerdotem & regem ecclesiæ: est igitur nobis audiendus. Confer Matth.17.v.5. ubi ad testimonium illud Patris de Christo, additur præceptum: *Ipsum audite.*

Officium hominis Christiani.

13 Ex v.10. Quòd Spiritus S. gratiosam suam præsentiam atq; efficaciam in Jesu declaravit per descensum columbæ super illum: eo symbolo videtur significasse, se directurum animam Christi ad singularem mansuetudinem: qualis cernitur in columba. Et sanè mansuetudinem suam eximiam abundè testatam fecit Christus sanando ægrotos opem ipsius implorantes, humanissimè versando cum peccatoribus, annuntiando remissionem peccatorum resipiscentibus, amantissimè ad se invitando sentientes onus peccati, eisq; requiem promittendo. Quam ipsam mansuetudinem Christi dulcissimis verbis describit Esaias cap.42. quem locum ad eam ipsam confirmandam adducit Matthæus cap.12.v.18. & seq. ubi inter alia dicitur, *Non litigabit, neque clamabit, neq; audiet quisquam in plateis vocem ejus. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumans non exstinguet.* Usus hujus doctrinæ est consolatio nostra contra conscientiam peccatorum: ut scilicet quum conscientia nos accusat, confugiamus ad Christum, & opem ipsius imploremus: certò confisi, ipsum pro sua mansuetudine nos non repulsurum, sed nobis opitulaturum.

Mansuetudo Christi.

Consolatio.

14 Ex v.10. & 11. Notandum illustre testimonium de tribus personis divinis, Deo Patre, Filio & Spiritu sancto. Etenim Dei patris vox audita est è cælo sonans, ac testimonium Filio, Domino nostro Jesu Christo, perhibens: Filius in assumta carne stetit in Jordane nudus: Spiritus sanctus in specie columbæ è cælo descendit super Christum.

Testimoniũ de S. Trinitate.

15 Ex v.11. Quum Deus acquiescat in Christo tanquam filio suo dilecto: consequens est, placere ei omnes qui Christo per fidem conjunguntur. unde Paulus ait Ephes.1. quòd *Deus nos fecerit gratiosos* (ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς) *in illo dilecto.* Hoc facit ad nostram qui in Christum credimus, consolationem.

Fidelium prærogativa.

Consolatio.

16 Ex v.12. Spiritus sanctus impellere consuevit servos Dei ad res eximias gerendas. ut hoc loco impulit Christum ut iret in desertum, ibiq; disputans cum diabolo, illum vinceret. Sic Stephanus πλήρης πνεύματος Spiritu S. plenus, acerrimè objurgare ausus fuit impios sacerdotes coram quibus causam dicebat, Act.7. Et qui cum illo altercabantur è synagogis diversis, non potuerunt resistere sapientiæ & spiritui per quem loquebatur, Act.6.v.9.10. Sic Elias spiritu Dei confirmatus, ausus fuit sese ostendere regi Achab, quum non ignoraret se ab illo quæri ad necem: eundemq; liberrimè objurgare: nec non populum propter idololatriam Bahalis reprehendere, miraculo cum prophetis Bahalis spondere, & convictos jugulare, 1.Reg 18. Sic Samson spiritu Dei correptus leonem inermis discidit; Ascalonitas invadens, triginta ex eis viros occidit; agros Philistæorum incendit: mille Philistæos maxillâ asini interfecit: denique domum dejecit, ac Philistæos oppressit, Jud.14. & 15.

Spiritus sancti operatio in servis Dei.

17 Quid

17 Quid præterea discendum sit ex historia tentationis Christi, vide in observationibus nostris ex c. 4. Matthæi. Unum tantùm hîc præterea considerandum est, quod Matthæus non attingit: nempe quòd Christus versatus fuit cum feris. Hinc enim admonemur de statu integritatis, qualis in homine fuit ante lapsum, dum adhuc esset præditus perfectâ imagine Dei. Nam quòd feræ Christum non sunt adortæ, in causa videtur fuisse quòd in illo agnoscerent perfectam Dei imaginem, ac proinde ipsum reverentur ut dominum suum, quemadmodum reverebantur Adamum ante lapsum, quum ad illum adductæ essent à Deo, ut videret quænam illis nomina imponeret. Danieli quoq; in foveam conjecto pepercerunt leones: verùm istud non sponte naturæ, sed divino miraculo factum fuit, angelo occludente ora leonum, ne illum læderent. Dan. 6. 23.

De statu integritatis.

18 Ex v. 14. & 15. Jesus est Christus: quia in eo impleta est prophetia Esaiæ c. 9. de exhilaratione Galilæorum per prædicationem Evangelii. Confer Matth. 4.

Quòd Jesus sit Christus.

19 Ex iisdem versibus. Christus est propheta, missus à Deo ad prædicandum Evangelium apud Judæos. juxta illud, *Non sum missus nisi ad oves perditas Israël.* Item illud, *In viam gentium ne abieritis.*

De officio Christi prophetico.

20 Ex iisdem versibus. Evangelium est doctrina de regno Dei, docens scil. quid nobis facto sit opus, ut in possessionem regni Dei perveniamus, nimirum resipiscentiâ & fide.

Definitio Evangelii.

21 Ex v. 15. Fides non est pœnitentiæ pars. Alioquin sequeretur in sermone hoc Domini esse ἀδολεχίαν, quum dicit, *Resipiscite, & credite Evangelio.* Sed est pœnitentiæ adjunctum necessarium ad ipsam reddendam salutarem. Nisi enim ad pœnitentiam accesserit fides, necesse est pœnitentem de gratia Dei desperare: ut videmus accidisse Judæ Iscariotæ.

Quomodo fides se habeat ad pœnitentiam.

22 Ex v. 16. & seqq. Christi deitas perspicitur ex eo quòd vocat efficaciter, ita scil. ut quos externè vocat quibúsve imperat, iis (si velit) internè persuadeat, ut imperanti obediant. Sicut clarè videmus in vocatione quatuor illorum discipulorum.

Christi deitas.

23 Ex iisdem versibus. Exemplo quatuor illorum discipulorum debemus promtè obedire vocanti Deo: sive is vocet ad communionem regni cælestis, sive ad ministerium ecclesiæ quorum illud ordinariè facit per Evangelii prædicationem: istud verò per declarationem judicii ac voluntatis ecclesiæ.

Officium hominis Christiani.

24 Ex v. 21. Exemplo Jesu doctores & pastores Ecclesiæ temporibus destinatis seduli sint in docendo. Exemplo autem Capernaitarum populus frequens conveniat ad verbum Dei audiendum.

Officium ministrorum verbi.

25 Ex v. 22. Quum videmus doctorem aliquem cum singulari authoritate docere verbum Dei: agnoscamus, illum divinitus excitatum esse, & tanto Dei munere reverenter utamur.

Officium hominis Christiani.

26 Ex v. 23. & seqq. Sicut Christus ejecit impuros spiritus è corporibus: ita sciamus eum ex animis quoq; quasi ejicere diabolum, dum animos ab erroribus de cultu Dei & pravis concupiscentiis, tanquam effectis illius, expurgat.

Officium Christi regium.

27 Ex v. 24. Ad salutem non sufficit fides historica, qua quis credit, Jesum esse Christum: quia dæmonia quoq; (ut hîc videmus) id credunt, sed non propterea beati sunt: quippe quum illum tanquam judicem suum exhorrescant. Confer Jac. 2. Sed insuper opus est, ut unusquisq; nostrûm credat, Jesum sibi non minùs quam aliis ordinatum esse in servatorem: quippe quum in servatorem ordinatus sit omnibus resipiscentibus & gratiam ipsius expetentibus. Secundùm illud Matth. 11. *Venite ad me omnes, &c. & invenietis requiem animabus vestris.*

Qualis fides ad salutem requiratur.

28 Ex v. 25. Veritas non est quærenda à diabolo: quia etsi interdum verum dicit, tamen mendax est & sæpissimè mentitur: unde periculum est ne nos mendaciis suis decipiat. Huc pertinet illud: *Nolite veritatem quærere à mortuis.*

Officium hominis Christiani.

29 Ex v. 27. Miraculorum verorum usus est ut nos excitent ad considerandum doctrinam quam doctor qui miracula edidit, proponit. Sicut hîc videmus; Capernaitas, conspecto miraculo ejecti dæmonii, quærere de qualitate doctrinæ Christi. Interim doctrinæ veritas non est æstimanda ex ipsis miraculis: quia Deus interdum populum suum per miracula ad falsam doctrinam confirmandam adhibita tentat, ut habetur Deut. 13. Sed doctrina examinanda est ad regulam verbi Dei, & tum demum recipienda, si cum illa regula consentiat, juxta illud Esa. 8. v. 19. 20. *Nonne populus Deum suum consulturus est? Pro viventibus mortuos consulat? Legem & contestationem* consulunto.

Miraculorum usus.

30 Ex parte sexta & septima. Sicut Christus sanavit morbos corporis: ita sciamus, eum sanare quoq; morbos animi dum illum ab erroribus & pravis concupiscentiis expurgat, & verâ Dei cognitione ac dilectione donat. Hinc ipse se medico comparabat, dicens Pharisæis: *Qui valent non opus habent medico: sed qui ægrotant. Non vêni ut vocarem justos, sed peccatores ad resipiscentiam.* Hinc apud Malachiam nominatur *sol justitiæ, in cujus alis sanitas sive curatio sit*, Malach. 4. v. 2. vel secundùm novam distinctionem c. 3. v. 20. Et Petrus ait, *nos vibicibus ejus sanatos esse*, 1. Pet. 2. v. 24. Sanat autem duobus modis: merito & efficaciâ. Nam & promeritus est nobis suâ passione remissionem peccatorum, & per Spiritum sanctum peccatum in nobis mortificat, & studium justitiæ viresq; piè vivendi infundit.

Christus medicus est animarum.

31 Ex v. 30. Petrus, quantumvis maritus, non tamen à Domino indignus habitus est ministerio verbi. Et idem fungens jam apostolatu post Domini ascensionem, uxorem secum circumduxit, sicut & reliqui Apostoli, excepto Paulo, 1. Cor. 9. v. 5. Perversè igitur à ministris verbi cœlibatum postulat Papa. Estque ista doctrina dæmoniorum, 1. Tim. 4. v. 1. 3.

Conjugium ministris verbi concessum est.

32 Ex v. 35. Exemplo Christi doctores Ecclesiæ quærant successum ad precandum ut obtineant à Deo facultatem rectè & cum fructu fungendi suo munere.

Officium ministrorum verbi

33 Ex eod v. Christus verus homo est: quia Deum adoravit.

Humana natura Christi.

34 Ex v. 37. Exemplo Capernaitarum, si gustum percepimus veritatis cælestis, studeamus in illius cognitione proficere. Etenim Capernaitæ quum Christum semel docentem audivissent, ita accensi fuerunt studio doctrinam ejus plenius cognoscendi, ut postridie eum omnes quæsiverint.

Officium hominis Christiani.

35 Ex v. 38. & 39. Exemplo Christi pastores Ecclesiæ assidui sint in auditoribus suis docendis.

Officium ministrorum verbi.

36 Ex v. 40. & seqq. Sicut Christus purgavit lepram corporis: ita sciamus eum purgare quoque lepram animi (id est, peccatum inhærens) dum expurgat illum erroribus & pravis concupiscentiis: id quod facit per prædicationem verbi Dei & operationem Spiritus sancti.

Christus est medicus animarum.

37 Ex v. 44. Etsi veritas nunquam est neganda: tamen exemplo Christi prudenter dispiendum est doctoribus verbi, quo tempore quidque in lucem proferant. Videmus enim, Christum noluisse statim divulgari, quòd ipse purgasset leprosum illum. Sic noluit ante resurrectionem suam palam dici quòd ipse esset Christus: ut videmus supra v. 25. & 34. item Matth. 17. v. 9.

Officium ministrorum verbi.

38 Ex eod. v. Christus Legem Dei accuratè observavit, & aliis observandam præcepit: ut esset sanctus sacerdos, & sancta victima, ad expiandum nostra peccata.

Sancta vita Christi.

39 Ex eod. v. Mirabili Dei providentiâ reprobi sæpe aliud agentes testimonium dant veritati, atque ita sibiipsi excusationem repudiatæ veritatis adimunt. Etenim sacerdotes Hierosolymitani puros à lepra pronuntiabant eos quos Jesus solo verbo à lepra purgaverat: quo ipso testatum faciebant, Jesum esse Deum: quod tamen ipsi docenti nolebant credere.

Gubernatio Dei.

40 Ex v. 45. Quæritur, an rectè fecerit leprosus ille quòd curationem sui miraculosam statim divulgavit, Jesumq; illius authorem patefecit? Respondeo, Non rectè fecit: quia interdictum ei fuerat à Christo. Neque illum excusat προαίρεσις seu propositum, quòd voluit gratiam hoc modo referre benefactori. Nam regula boni operis non est hominis intentio, sed mandatum Dei. Interim bona quoque intentio requiritur, ut scil. dirigatur opus ad gloriam Dei & proximi utilitatem.

Boni operis ratio.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Quatuor sunt hujus capitis partes. 1. de sanatione cujusdam paralytici in urbe Capernaüm. 2. de vocatione Levis, qui aliàs Matthæus. 3. de defensione sui & discipulorum, contra criminationem discipulorum Johannis propter omissionem jejunii. 4. de defensione discipulorum contra criminationem Pharisæorum propter evulsas in sabbatho spicas.

PRIMA PARS.

De sanatione cujusdam paralytici in urbe Capernaüm.

ET rursus intravit Capernaüm interjectis *aliquot* diebus, & auditum est eum domi esse.
2 Statimque congregati sunt multi, *adeò* ut jam non caperent *eos* ne ea quidem *loca* quæ *erant* ad ostium; & loquebatur eis sermonem.
3 Tunc veniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.
4 Et quum non possent ei appropinquare propter turbam, detexerunt tectum *ædium* in quibus erat; eoque perfosso, funibus demiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat.
5 Quum autem vidisset Jesus fidem eorum, dixit paralytico; Fili, remissa sunt tibi peccata tua.
6 Erant autem illic quidam ex scribis sedentes, & ratiocinantes in cordibus suis;
7 Quid iste ita loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?
8 Et quum statim cognovisset Jesus spiritu suo, eos ita ratiocinari apud se, dixit eis; Quid ista ratiocinamini in cordibus vestris?
9 Utrum est facilius; dicere paralytico, Remissa sunt tibi peccata: an dicere, Surge, & tolle grabatum tuum, & ambula?
10 Ut autem sciatis, Filium hominis habere potestatem remittendi peccata in terra: ait paralytico,

11 Tibi dico, Surge, ac tolle grabatum tuum, & abi domum tuam.

12 Tunc *ille* statim surrexit: sublatoque grabato, egressus est coram omnibus: adeò ut obstupescerent omnes, & glorificarent Deum dicentes, Nunquam tale quicquam vidimus.

Primùm notatur sanationis hujus *tempus*, nempe quum Jesus interjectis aliquot diebus, quibus scilicet in locis desertis latitans nonnihil respiraverat, rursus intravisset in urbem Capernaüm. Deinde indicatur *locus* specialis ubi sanatio illa peracta est, nempe in domo in qua Jesus habitabat. Tertiò indicantur *spectatores* seu *testes*, videl. Capernaitæ ad ostium domus congregati: quæ congregatio amplificatur ab adjuncta multitudine, v.2. Quartò indicatur *tempus speciale*, quo sanatio illa accidit, videl. quum Jesus Capernaitas ad domum suam congregatos doceret; quo significatur, hanc illius prædicationem sanatione illa paralytici fuisse obsignatam. Quintò indicatur *causa procatarctica*, quæ Jesum ad paralyticum illum sanandum movit: videl. petitio tum ipsius paralytici, tum eorum qui illum ferebant, petitio inquam profecta ex fide, quâ Jesum habebant pro Christo. Petitio illa significatur per actiones eorum qui paralyticum offerebant: quarum prima est apportatio illius jacentis in grabato, v.3. Hæc actio amplificatur à causa corrumpente, videl. turba ostium occupante atq; ita aditum illis intercludente. Secunda actio quâ remedium contra illud obstaculum quæsiverunt, fuit apertio atque perfossio tecti. Tertia, demissio paralytici in grabato per apertum tectum, in conspectum Jesu, v.4. Sextò narratur *præparatio*, quâ Jesus paralyticum ad sanationem præparavit. Ea fuit quòd remisit ei peccata, v.5. Ubi causa impulsiva istius facti exprimitur, nempe fides illorum: hoc est, tum ipsius paralytici, tum eorum qui illum obtulerant sanandum, v.5. Hoc autem factum declaratur deinceps ex eventu, nempe tacitâ damnatione Jesu, tanquam blasphemi, à scribis quibusdam, v.6, & 7. Quæ ipsa damnatio declaratur è suo eventu, videl. defensione Jesu quâ se à crimine blasphemiæ vindicat, v.8.9.10. Defensionis argumentum ducit à pari ad hunc modum:

Si habeo potestatem atq; etiam potentiam paralyticum sanandi: habeo etiam potestatem remittendi ei peccata.
Atqui potestatem illam atq; potentiam habeo.
Ergo hanc quoq; potestatem habeo.

Loco propositionis ponitur ejus ratio v.9. Significat enim, duas illas potestates esse pares: ac proinde ad unum eundemque pertinere, videl. ad solum Deum. Conclusio succedit v.10. Assumtionis sententia attingitur in illius versus fine, ubi dicitur: *Ait paralytico*. Cæterùm loco assumtionis ponitur ejus probatio, nempe ipsa sanatio paralytici per nudum imperium, v.11.& 12. Quod jam est septimum institutæ narrationis membrum principale, videl. *ipse modus agendi*, seu ipsa sanationis *forma* miraculosa, constans scil. solo verbo seu imperio. Tria autem paralytico imperat, ut patet v.11. Quæ singula quoque ille peregit: ut patet v.12. Octavò & postremò adjicitur rei gestæ *eventus*, nempe admiratio spectatorum & glorificatio Dei.

SECUNDA PARS.

De vocatione Levis, qui aliâs Matthæus.

13 Et egressus est rursus ad mare: totaque turba veniebat ad eum, ac docebat eos.

14 Et quum prætergrederetur, vidit Levin Alphæi *filium*, sedentem ad telonium: dixitque ei, Sequere me; & *is* surgens sequutus est eum.

15 Et factum est quum Jesus accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores simul discumbebant cum Jesu & discipulis ejus: erant enim multi, & sequuti fuerant eum.

16 Quumque scribæ ac Pharisæi vidissent eum edentem cum publicanis & peccatoribus, dixerunt discipulis ejus, Quid *est* quod cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit?

17 Et quum *hoc* audisset Jesus, dicit eis; Iis qui valent non opus est medico, sed iis qui malè affecti sunt. Non vêni ut vocarem justos, sed peccatores, ad resipiscentiam.

Primùm narratur vocationis hujus *occasio*, quòd scilicet occasionem Christo ad vocandum Levim præbuerit conspectus illius, quum à mari in urbem rediens ac telonium prætergrediens, illum ibi sedentem conspexit, v.13.& 14. Deinde *vocatio ipsa*, constans uno verbo, *Sequere me*: v.eod. Tum vocationis *eventus* duplex: Prior, obedientia vocati, ibid. Posterior, relatio gratiæ pro vocationis beneficio, v.15. videl. quòd Jesum excepit convivio. Convivium illud describitur partim ex adjunctis convivis, partim ex eventu. Convivæ indicantur duorum generum: alii sancti, nempe Jesus & discipuli: alii profani, nempe publicani & peccatores: quo vocabulo hîc intelliguntur homines vitæ dissolutæ atque intemperantis. Horum indicatio amplificatur ab adjuncta multitudine: & ab occasione quâ fuerunt ad convivium illud adhibiti, nempe quia Jesum ad Levim divertentem fuerant sequuti. Eventus convivii istius fuit, quòd scribæ & Pharisæi Jesum eo nomine apud discipulos ipsius criminati sunt, quòd ederet ac biberet cum publicanis & peccatoribus, vers.16. Hæc autem criminatio declaratur è suo eventu, videl. defensione seu apologiâ Jesu, quâ sese contra illam criminationem defendit, ostendens se rectè & ex officio facere, quòd cum istiusmodi hominibus versaretur, ad eum scilicet modum quo cum eis versabatur, videl. cum proposito vocandi eos ad resipiscentiam. Defendit igitur factum suum à fine seu scopo agendi:

Si versor cum illis ut eos vocem ad resipiscentiam, atq; ita salvos faciam: rectè facio. quia ad hoc ipsum vêni ac missus sum à Deo ut peccatores ad resipiscentiam vocem: ac proinde hoc meum est officium.
Atqui versor cum illis cum tali proposito.
Ergo rectè facio.

Loco propositionis ponitur illius ratio, amplificata antithesi, quâ perstringit vanam accusatorum suorum persuasionem de propria justitia, dicens, *Non vêni ut vocarem justos, &c.* Et hæc ipsa sententia illustratur simili, quâ se comparat medico, peccatores ægrotis: significans, sicut medici officium est invisere & curare ægrotos, ita officium suum esse invisere & curare peccatores. Quæ ipsa quoque sententia amplificata est antithesi, quâ falsam accusatorum de seipsis persuasionem perstringit, quasi scil. ipsi valerent spiritualiter, hoc est, justi & sancti essent.

TERTIA PARS.

De defensione sui & discipulorum contra criminationem discipulorum Johannis propter ommissionem jejunii.

18 Discipuli autem Johannis ac Pharisæorum *subinde* jejunabant. Veniunt igitur & dicunt ei, Quare discipuli Johannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?

19 Tunc ait eis Jesus, Num possunt filii thalami quo *tempore* cum ipsis est sponsus, jejunare? Quamdiu habent secum sponsum, non possunt jejunare.

20 Aderunt autem dies quum tolletur ab eis sponsus; & tunc jejunabunt, illis diebus.

21 Sed nemo panniculum impexum insuit vestimento veteri: alioquin illud ipsius supplementum novum detrahit *aliquid* ex vetere *vestimento*, & fit pejor fissura.

22 Et nemo indit vinum novum in utres veteres: alioquin vinum novum disrumpit utres, & vinum effunditur, & utres pereunt: sed vinum novum in utres recentes indendum est.

Primùm innuitur criminationis *occasio*, quòd scil. discipuli Johannis viderent, discipulos Jesu non jejunare: quum tamen jejunarent ipsi & discipuli Pharisæorum. Deinde recitatur *criminatio ipsa*, quæ nititur argumento à pari, videl. exemplo discipulorum Johannis & Pharisæorum. Sententia igitur est:

Si discipuli Johannis & Pharisæorum jejunant, tui quoq; discipuli debebant jejunare.
Sed illi jejunant. Ergo.

Tertiò subjungitur defensio seu *apologia* Christi; quâ unâ eâdemq; operâ, & connexum illud refutat, & contrarium demonstrat: ostendens dissimilitudinem in exemplo, quum non sit par conditio sive status discipulorum suorum qui erat illorum: & ex illa ipsa discipulorum suorum conditione, tanquam causa procreante, argumentum ducens ad defendendum factum discipulorum. Est autem argumentum illud geminum: nam conditionem discipulorum declarat partim ex subjecto occupante, quum ait, illos nunc secum habere sponsum: partim ex adjuncto inhærente, quatenus significat, animos eorum adhuc esse rudes ac infirmos, id quod significat per duas similitudines: unam vestimenti veteris, v.21. alteram utrium veterum, v.22. Sic igitur argumentatur Christus:

Si discipuli mei nunc secum habent sponsum, non debent jejunare.
At habent nunc secum sponsum, videlicet me.
Non igitur debent jejunare.

Loco propositionis ponitur ejus ratio, à genere ducta, quæ continetur sententiâ generali sive gnomâ de conditione & affectu convivarum nuptialium, vers.19. ubi ait, *Num possunt filii thalami &c.* Assumtio innuitur à contrario, v.20. ubi ait, *Aderũt autem dies quum tolletur ab eis sponsus.* Cõclusio similiter à contrario significatur, ibidem, ubi ait: *Et tunc jejunabunt.* quasi dicat, Non autem nunc. Unde percipitur, assumtionem amplificari antithesi status futuri tristis, quem hac occasione prædicit, intelligens abreptionem sui ad supplicium, quæ discipulis mœrorem gravissimum allatura erat. Quem mœrorem συνεκδοχικῶς & per ἀντιμετάληψιν jejunium appellat, quum ait, *Et tunc jejunabunt:*

junabunt: intelligens non tale jejunium de quo mota erat quæstio, videl. quale erat jejunium discipulorum Johannis & Pharisæorum, sponte & consulto susceptum religionis causâ, ut nimirum eò ardentiùs possent incumbere precibus, vel etiam ut illo ipso opere tanquam per se bono Deum colerent: sed jejunium cujus necessitatem discipulis præter ipsorum propositum allaturus erat tristis ipsorum status. Atque hoc est primum defensionis argumentum, quod præcipuè pertinet ad discipulos. Alterum verò argumentum spectat principaliter ad defensionem sui: ostendit enim, se rectè & sapienter facere quòd discipulis non imponat aut præcipiat jejunium, sed indulgentiùs eos habeat ac tractet: quia scil. se accommodet ipsorum captui, qui rigidioris disciplinæ non sint capaces propter infirmitatem seu ruditatem animorum: quam duplici simili innuit. In hanc autem sententiam argumentatur:

Si insipienter agit qui panniculum impexum insuit vestimento veteri, item qui vinum novum indit utribus veteribus: ego quoque insipienter agerem, si discipulis meis imponerem jejunium.

Sed verum est prius. Ergo & posterius. Et per consequens, non debeo discipulis meis imponere jejunium.

Propositionis veritas pendet à similitudine discipulorum quam habebant cum vestimento veteri & utribus veteribus. Sicut enim illa sunt tenera atq; infirma, ita ut facilè rumpantur ac scindantur: sic animi discipulorum tum erant teneri & infirmi, ita ut rigidiori disciplinâ facilè fuissent offensi ac læsi. Assumtionis sententia continetur ibi, *Nemo* (intellige, Nemo sapiens) *panniculum impexum insuit vestimento veteri.* Item: *Nemo* (intellige rursum, Nemo sapiens) *indit vinum novum in utres veteres.* Hæc sententia confirmatur ab effectu detrimentoso: quia si quis contra faceret, perderet vestimentum & utres, atque etiam vinum. Sapiens autem non est qui non prævidet ac præcavet damnum ex actione sua eventurum.

QUARTA PARS.

De defensione discipulorum contra criminationem Pharisæorum propter evulsas in sabbatho spicas.

23 Factum est autem, ut præteriret sabbatho per sata; & cœperunt discipuli ejus iter faciendo vellere spicas.

24 Tunc Pharisæi dixerunt ei; Ecce, cur faciunt sabbatho quod non licet?

25 Et ipse dixit eis, Nunquam legistis quid fecerit David quum egeret & esuriret, ipse & qui cum eo erant?

26 Quomodo ingressus sit domum Dei sub Abjathar pontifice maximo, & panes propositionis ederit; quos non licet edere nisi sacerdotibus; & dederit etiam iis qui secum erant?

27 Dixit etiam eis: Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter sabbathum.

28 Itaque Filius hominis est etiam sabbathi dominus.

Primùm narratur *factum discipulorum* quod Pharisæi criminati sunt, una cum ipsius occasione, quòd scilicet occasionem eis ad vellendum spicas præbuerit transitus per sata, v.23. Deinde recitatur *criminatio Pharisæorum*, vers.24. Postremò *defensio Christi*, versibus reliquis. Defensio autem illa constat tribus argumentis: quorum primum sumtum est *ab exemplo Davidis* per ratiocinationem à pari, vers.25.& 26. Secundum *à fine sabbathi*, seu causâ propter quam Deus sabbathum instituit, vers.27. Tertium *à potestate Christi*, vers.28. Primum argumentum sic potest concludi:

Si David non peccavit, quòd quum esuriret, nec aliis panibus potiri posset, edit panes sacros: nec discipuli mei peccarunt, quod quum esurirent, nec alio cibo potiri possent, vulserunt spicas in sabbatho.

Sed verum est antecedens. Ergo & consequens.

Assumtio illustratur & confirmatur testimonio historiæ sacræ quæ extat 1.Sam.21. Loco propositionis indicatur ejus ratio, ubi dicitur de panibus illis sacris, *Quos non licet edere nisi sacerdotibus:* nempe extra casum necessitatis. Similiter enim non licebat in sabbatho vellere spicas, extra casum necessitatis. Si ergo Davidem excusavit necessitas, consequens est ut in simili casu discipulos quoque necessitas excuset. Etenim illi non minùs esuriebant, & alio cibo potiri non poterant, quàm David.

Secundum argumentum concludi potest ad hunc modum:

Si sabbathum propter hominem factum est, non peccat homo, quum sabbatho ad suam necessitatem suive conservationem utitur.

At sabbathum propter hominem factum est. Ergo.

Propositio omittitur, & veritas ejus clara est ex natura destinati & finis. Assumtio amplificatur antithesi per ἐπάνοδον rhetoricam.

Tertii argumenti syllogismus hic est:

Si ego sum sabbathi dominus, ac proinde potestatem habeo agendi de sabbatho quod volo: licuit ergo mihi permittere discipulis meis ut in sabbatho vellerent spicas.

Atqui ego sum sabbathi dominus, &c. Ergo.

Propositio omittitur; & veritas ejus patet ex natura generis & speciei. Quæ enim de toto genere verè affirmantur, verè etiam affirmantur de qualibet ejus specie. Quare quum de generali potestate in sabbathum verè affirmetur, quòd pertineat ad Christum: consequens est ut etiam de potestate speciali, puta in permittenda evulsione spicarum, idem verè affirmetur. Assumtio deducitur ex argumento præcedente: quatenus in eo innuit, se (unà scilicet cum Deo patre & Spiritu sancto) illum esse qui sabbathum instituit, unde jam deducit, se igitur habere potestatem in sabbathum. Atque hoc sibi vult conjunctio syllogistica ὥστε, *Itaq;*. Cæterùm seipsum significat descriptione familiari, quum ait, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Filius ille hominis.*

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Interjectis *aliquot* diebus] δι' ἡμερῶν. *Ad verb.* Per dies, *id est, post aliquot dies. Sed præpositio* διὰ *notat motum per spacium sive intervallum temporis inter duos terminos interjectum.* Domi] εἰς οἶκον. pro, ἐν οἴκῳ.

2 Nec ea quidem *loca* quæ *erant* ad ostium] μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν. *Subaudi* μέρη: *& rursus* ὄντα. *Partes autem, scil. soli: id est, loca.* Sermonem] τὸν λόγον. *Scil.* τὸν τῆς βασιλείας: *id est, regni: ut alibi nominatur: id est, Evangelium. Hoc notat articulus.*

3 Qui à quatuor portabatur] αἰρόμενον ὑπὸ τεσσάρων. *Nempe à quatuor viris, portantibus decumbentem in lecto, apprehensis quatuor lecti extremitatibus.*

4 Propter turbam] *Quæ occupaverat omnia loca domus, v.* 2. Detexerunt tectum] *Erant autem tecta domorum in Judæa, plana, ut in eis posset ambulari.* Funibus demiserunt] χαλῶσι. *Ad verb.* Funibus demittunt. *Enallage temporis.*

7 Nisi solus Deus] εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός, εἷς pro μόνος. *Vel: nisi unus,* nempe *Deus:* εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός. *Sicut Matth.19.v.17.* οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός: *Nemo est bonus nisi unus,* nempe *Deus.*

8 Spiritu suo] τῷ πνεύματι αὐτοῦ. *Id est, deitate suâ. Vel, animo suo: ut sit pleonasmus qualis paulò antè v.6.* Ratiocinantes in cordibus suis. *Sic sanè vox illa accipitur in simili phrasi inf.8.12.*

12 Adeò ut obstupescerent] ὥστε ἐξίστασθαι. *Vel,* extra se raperentur.

14 Levin] Λευΐν. *Aliâs Matthæum. Matth.9.v.9.*

18 Subinde jejunabant] ἦσαν νηστεύοντες. *Ad verb.* Erant jejunantes. *Id est, solebant jejunare. Itaque vocem* subinde *adjeci, perspicuitatis causâ. Sic suprà c.1. v.4.* ἐγένετο βαπτίζων καὶ κηρύσσων.

20 Tunc jejunabunt, illis diebus] *Pleonasmus Marco familiaris.*

26 Sub Abjathar Pontifice maximo] ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως. *Hîc Abjathar aliâs dictus fuit Achimélech, 1.Sam.21.1. Sicut & filius ejus utrumq; hoc nomen gessit.*

27 Propter hominem] διὰ τὸν ἄνθρωπον. *Nempe ut serviat homini, ut homo in eo meditetur res cælestes, & vires recolligat.* Factum est] ἐγένετο. *Institutum sive ordinatum est: nempe à Deo.*

28 Itaque] ὥστε. *Quia scil. sabbathum factum est à filio hominis, qui idem est Deus unà cum Patre & Spiritu sancto.* Filius hominis] ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Seipsum intelligit.* Est etiam sabbathi dominus] *Ac proinde potest eo uti pro suo arbitratu.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

Ex v.1. & 2. Exemplo Capernaitarum cupidè & magno numero nos congregari decet in ea loca ubi prædicari solet sermo evangelii: neq; ullus decentior templorum ornatus est quam ejusmodi numerosus & audiendi cupidus cœtus. *Officium hominis Christiani.*

Ex v.3.& seqq. Quid observandum sit ex historia sanati paralytici, indicavimus in observat. ex Matth.9.

Ex v.14.& seqq. Quid sit observandum ex historia vocationis Matthæi, diximus in observat. ex cap. Matth. modò citato.

Ex v.18.& seqq. Vide observat. ex Matth.9.v.4.& seq.

Ex v.23.& seq. Vide observat. ex Matth.12.v.1.& seqq.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Sex sunt hujus capitis partes. 1. Quomodo Jesus sanaverit quendam qui habebat manum aridam. 2. Qualis & quanta multitudo hominum Jesum consectata sit. 3. Quos & quot designaverit Jesus Apostolos. 4. Quid ei propter publicas illas actiones suas evenerit. 5. Quomodo se defenderit contra criminationem scribarum, dicentium eum ejicere dæmonia per Beelzebub. 6. Quid responderit, quum inter docendum interpellaretur per cognatos.

PRIMA PARS.

De sanato quodam qui habebat manum aridam.

ET introivit rursus in synagogam: eratque illic quidam arefactam manum habens.

2 Et observabant an sabbatho sanaturus esset eum, ut ipsum accusarent.

3 Tunc ait homini habenti manum arefactam, Surge in medium.

4 Eis autem dixit, Licet sabbatho benefacere, an malefacere *cuipiam*? hominem servare, an trucidare? Ipsi verò silebant.

5 Et quum circumspexisset eos cum ira, condolescens quòd occaluisset cor eorum, dicit homini, Extende manum tuam. Et *is* extendit: restitutaque est manus ejus sana ut altera.

6 Tunc egressi Pharisæi, statim cum Herodianis consilium inierunt adversus eum, ut eum perderent.

In describenda miraculosa hac sanatione indicatur primùm *locus* ubi illa accidit, videl. in quadam synagoga, v.1. Deinde *occasio*, videl. præsentia illius, qui manum aridam habebat, v. eod. Tertiò *adjuncta insidiæ Pharisæorum*, v.2. Quartò *præparatio ad sanationem*, quæ continet duas partes: mandatum ad illum malè affectum ut prodiret in totius congregationis conspectum, v.3. & quæstionem dilemmaticam Pharisæis propositam de observatione sabbathi, v.4. Quintò ipse *sanationis modus* in tribus membris consistens: intuitu irato Pharisæorum, (id est, quo Jesus illos est intuitus) mandato ad hominem quem volebat sanare, & obedientiâ illius. Sextò indicatur *eventus* istius miraculi in Pharisæis, nempe consultatio de ipso perdendo, v.6.

SECUNDA PARS.

De multitudine quæ Jesum consectata fuit.

7 Sed Jesus cum discipulis suis secessit ad mare: & magna multitudo sequuta est eum à Galilæa, & à Judæa.

8 Et ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & *regione quæ est* trans Jordanem: & qui circa Tyrum ac Sidonem *habitabant*, magna multitudo, quum audissent quanta faceret, venerunt ad eum.

9 Ipse autem dixit discipulis suis, ut navigiolum sibi semper adesset, propter turbam, ne ipsum opprimerent.

10 Multos enim sanaverat, adeò ut ruerent in eum ut ipsum tangerent quotquot tenebantur flagellis.

11 Et spiritus impuri quum eum conspexerant, accidebant ei *ad pedes*, & clamabant, dicentes, Tu es Filius ille Dei.

12 Ipse verò multum interminabatur eis ne ipsum manifestum facerent.

Prmùm indicatur *locus quò multitudo illa Jesum sequuta fuit*, videl. ad mare: simulq; innuitur (per cohærentiam cum versiculo præcedente) causa quæ Jesum moverit ut ad mare secederet, nimirum insidiæ Pharisæorum, v.7. Deinde enumerantur *loca è quibus multitudo illa convenerat*, v.7. & 8. Tertiò *causa quæ illos movit ad Jesum sequendum*, videlicet quum audivissent quanta faceret, in fine v.8. Quartò *effectus illius consectationis in Jesu*, nempe quòd se contulit in navigiolum. Hic effectus declaratur è causa finali, nempe ne à turba opprimeretur, v.9. Tum ille metus oppressionis declaratur è causa procreante, videl. impetu ruentium in eum ad ipsum tangendum, v.10. Postremò narratur, *quomodo se gesserint ad Jesu conspectum spiritus impuri in obsessis, v.11. & quid eis ille imperaverit, v.12.*

TERTIA PARS.

De designatione Apostolorum.

13 Tunc ascendit in montem, & advocavit ad se quos ipse voluit: & venerunt ad eum.

14 Et constituit duodecim qui secum essent, & quos mitteret ut prædicarent:

15 Haberentque potestatem sanandi morbos, & ejiciendi dæmonia.

16 Primùm Simonem, (Imposuit autem Simoni nomen Petrum:)

17 Et Jacobum *filium* Zebedæi, & Johannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges: quod est, filii tonitrui)

18 Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphei *filium*, & Thaddæum, & Simonem Cananiten:

19 Et Judam Iscariotem, qui & prodidit eum: veneruntque domum.

20 Conveniebat autem rursum turba, adeò ut ne capere quidem cibum possent.

Primùm indicatur *locus* ubi hæc designatio facta est, videlicet in monte. Deinde *præparatio*, videlicet sevocatio à turba, vers.13. Tertiò *muneris Apostolici descriptio*, vers.14. & 15. Quartò recitantur *illorum nomina*, vers.16.17.18. & 19. Quintò annectitur, *quid eis evenerit*, quum domum venissent, videlicet interpellatio turbæ, vers.19.20.

QUARTA PARS.

De eventis actionum Jesu.

21 Et quum *hæc* audissent ipsius propinqui, venerunt ut prehenderent eum: dicebant enim, eum apud se non esse.

22 Scribæ verò qui Hierosolymis descenderant, dicebant eum habere Beelzebul, & per principem dæmoniorum ejicere dæmonia.

Actionum Jesu eventa *duo* hìc narrantur: *unum in propinquis, alterum in extraneis*: quorum illi volebant eum tanquam mente captum prehendere: isti verò, nempe scribæ Hierosolymitani, ejectiones dæmoniorum à Jesu perfectas adscribebant principi dæmoniorum.

QUINTA PARS.

De Jesu contra criminationem Pharisæorum apologiâ.

23 Quum autem eos advocasset, dixit eis per parabolas, Quomodo potest satanas satanam ejicere?

24 Neque, si regnum adversus sese dissideat, potest stare regnum illud.

25 Neque, si domus contra semetipsam dissideat, potest stare domus illa.

26 *Sic* quoque si Satanas insurrexit & dissidet adversus semetipsum, stare non potest, sed finem habet.

27 Non potest quisquam robusti *alicujus* vasa, ingressus domum ejus, diripere; nisi primò robustum illum vinxerit: & tunc domum ejus diripiet.

28 Amen dico vobis, Quævis peccata remittentur filiis hominum: & blasphemiæ quibuscunque blasphemârint:

29 Sed quicunque blasphemârit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed tenetur æterno judicio.

30 Dicebant enim, Spiritum impurum habet.

Sermonis hujus contra criminationem Pharisæorum directi *membra* sunt *duo*: apologia & recriminatio. *Apologia* duo continet argumenta. Primum à consequente absurdo, quòd scilicet Satanas velit regnum suum everti. Hoc argumentum sic concluditur:

Si satanas satanam ejicit, vult everti regnum suum.
At non vult satanas regnum suum everti.
Non igitur satanas satanam ejicit: & per consequens ego non ejicio dæmonia per Beelzebub principem dæmoniorum.

Conclusio præcedit his verbis, *Quomodo potest satanas satanam ejicere?* Assumtio ut nota omittitur. Propositionis loco succedit ejus approbatio, illustrata & confirmata duplici gnomâ proverbiali, ad hunc modum:

Si Satanas adversus semetipsum dissidet, vult everti regnum suum.
Atqui si satanas satanam ejicit, adversus semetipsum dissidet.
Ergo si satanas satanam ejicit, vult everti regnum suum.

Propositio hujus syllogismi illustratur & confirmatur gnomâ proverbiali, nempe: *Si regnum aut domus adversus sese dissidet, non potest stare.* Hæc confirmatio præcedit v.24. & 25. Deinde sequitur syllogismi istius propositio, v.26.

Secundum argumentum ductum est ab ejectionis modo seu forma, sed tantùm notatum exemplo simili. Sententia autem illius plenè explicata, est hæc:

Si diabolum potentem spiritum ejicio invitum, præditus sum potentiâ majore.
At ejicio invitum.
Ergo præditus sum potentiâ majore: & per consequens non est mihi opus ope diaboli ad diabolum ejiciendum.

Propositionis loco ponitur sententia generalis de re simili inter homines inter sese dimicantes, v.27. Assumtio ut nota omittitur. Clamabant enim dæmonia, conspecto Jesu: & rogabant eum ne sese perderet ante tempus, item nonnulla petebant veniam invadendi porcos. Atque hæc de apologia.

Recriminatione arguit eos peccati in Spiritum sanctum; & hoc peccatum amplificat ab effectu, videlicet irremissibilitate, per collationem & antithesin cæterorum peccatorum, tanquam minorum ac remissibilium. Ad extremum addit Evangelista probationem, quòd Pharisæi peccârint in Spiritum sanctum. Illa probatio sumta est à definitione: quæ quidem breviter tan-

ter tantùm attingitur, non autem plenè exponitur. Significatur autem, peccatum in Spiritum sanctum esse ejusmodi blasphemiam, qua quis veritatem cælestem de qua in mente sua per Spiritum sanctum convictus est, negat petulanter: & opera quæ intelligit profecta esse à Deo, diabolo adscribit.

SEXTA PARS.

De responso Jesu quum interpellaretur inter docendum.

31 Veniunt igitur fratres & mater ejus: & foris stantes, miserunt ad eum, & eum vocârunt.

32 Sedebat autem circa eum turba. *Illi* verò dixerunt ei; Ecce, mater tua & fratres tui foris quærunt te.

33 Tunc respondit eis, dicens, Quæ est mater mea, aut fratres mei?

34 Et quum circumspexisset in circuitu circum se discipulos sedentes; ait, Ecce mater mea & fratres mei.

35 Quicunque enim fecerit voluntatem Dei: is est frater meus, & soror mea, & mater.

Primùm narratur *interpellatio* Jesu docentis, vers.31. & 32. Deinde *responsum*, versibus reliquis. Cæterùm responsum illud constat tribus membris: *interrogatione* indignabundâ, v.33. *Subjectione* ad illam interrogationem, continente laudem discipulorum ipsum docentem attendentium, per elegantem antanaclasin & metaphoram, v.34. & *laudis illius ratione* à sententia generali, vers. ult.

SCHOLIA IN CAP. III.

4 Hominem] ψυχὴν. *Ad verb.* animam. *Synecdoche membri Hebraica. Et rursus, Hominem: id est, corpus hominis. Synecdoche integri. nam corpus propriè loquendo trucidatur. Matth.10. v.28. Ita concurrunt duo tropi contrarii in voce unica. Simile exemplum est illud Psalm.16. Non derelinques animam meam in sepulchro.*

6 Cum Herodianis] *Vide scholia nostra in Matth.22. v.16.*

8 Et *regione quæ est* trans Jordanem] καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. *Pro,* καὶ τῆς πέραν τοῦ Ἰορδάνου. *Scil.* χώρας. Et qui circa Tyrum ac Sidonem *habitabant*] καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα, *Scil.* κατοικοῦντες. Magna multitudo] πλῆθος πολύ. *Hæc verba cum præcedentibus & sequentibus cohærent per appositionem. Quasi dicatur, Qui erant magna multitudo: id est, Quorum erat magna multitudo.*

10 Quotquot tenebantur flagellis] ὅσοι εἶχον μάστιγας. *Ad verb.* Quotquot habebant flagella: *id est, morbos, aliáve vitia aut defectus corporis, aut dæmonia. Metaphora.*

13 Ascendit & advocavit] ἀναβαίνει καὶ προσκαλεῖται. *Pro,* ἀνέβαινε καὶ προσεκάλεσε. *Enallage temporis.*

16 Primùm Simonem] πρῶτον Σίμωνα. *Hæc verba huc inseri postulat contextus. Vide annotationes Bezæ.*

17 Boanerges] Βοανεργές. *Vox corrupta è Syriacis* בְּנֵי־רְגֶשׁ *Benai-regéschi: id est, filii fragoris.*

20 Conveniebat] συνέρχεται. *Ad verb.* convenit. *Enallage temporis.*

21 Ipsius propinqui] οἱ παρ' αὐτοῦ. *Scil.* ὄντες. *Ad verb.* Qui ab eo erant. Eum apud se non esse] ὅτι ἐξέστη. *Vel per mimesin,* Apud se non est: *seu,* Extra se raptus est.

28 Quibuscunque blasphemârint] ὅσας ἂν βλασφημήσωσιν. *Ante* ὅσας *subauditur* κατὰ.

29 Judicio] κρίσεως. *Id est, damnatione seu pœnâ. Synecdoche generis, & metonymia efficientis.*

30 Dicebant enim] ὅτι ἔλεγον. *Verba Evangelistæ: quibus rationem exponit, cur Christus verba illa de pœna blasphemantium Spiritum sanctum, pronuntiârit: nempe propter Pharisæos, qui ita blasphemabant, dum dicebant, Jesum habere spiritum impurum, & dæmonia ejicere per principem dæmoniorum.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v.4. Proximo ope nostrâ egenti non benefacere neque
Officium hominis Christiani. eum servare, si possimus: perinde est atque si ei malefaciamus, eúmve perdamus. quare proximo ope nostrâ egenti, quantum in nobis est, succurramus: ne injuriæ ei illatæ rei apud Deum peragamur. Hinc æternum exitium divitibus avaris minatur Jacobus, qui divitias suas potiùs computrescere & vestes suas à tineis erodi, itemque aurum & argentum suum ærugine vitiari passi sunt, quàm ùt inde opem ferrent egenis. Vide Jacob.5. v.1.2.3.

Ira quadam licita & justa est. 2 Ex v.5. Exemplo Domini irascentis monemur, iram quandam licitam & justam esse: nempe eam quæ oritur ex consideratione malitiæ, qua homines sese veritati cælesti contra conscientiam petulanter opponunt. qualis fuit ira ista Domini adversus Phrisæos: qui quum in animis suis convicti essent, Jesum rectè agere quòd in sabbatho sanaret ægrotos: tamen ex odio doctrinæ quam ipse tradebat, factum illud tanquam impium damnabant, eumque propterea perdere conabantur. Falsum est igitur
Stoicorum error. placitum Stoicorum, affectus omnes simpliciter & absque discrimine damnantium, poscentiumq; ut vir bonus sit ἀπαθής, id est, ut animus ejus nullis affectibus commoveatur.

Reliquas observationes quæ ex prima capitis parte peti possunt, vide in observationibus nostris ex Matth.12.

3 Ex v.7. & 8. Quòd Jesu ad declinandum insidias Pharisæorum secedente ad mare, magna hominum multitudo ad ipsum sese aggregavit, tum doctrinæ illius audiendæ, tum miraculorum vel percipiendorum vel saltem spectandorum causâ: hinc monemur, veritatem quò magis premitur, eò magis emergere. *Veritas quò magis premitur, eò magis emergit.* Simile exemplum vide Act.8. ubi narratur; quum discipuli propter persecutionem Hierosolymis egressi, dispergerentur per regiones Judææ & Samariæ, illic eos evangelizasse sermonem Dei & miraculis confirmasse, atq; ita multos ad fidem Christianam adduxisse.

4 Ex v.9. & 10. Offensionem corporis adhibitis legitimis mediis evitare licet: exemplo Christi procurantis sibi navigiolum in quo tutus sit ab incursu turbæ. *Corporis cura habenda.*

5 Ex v.10. Morbi aliiq; defectus & vexationes corporis sunt flagella Dei: quibus ille tum reprobos ut severus judex flagellat, *Morborum origo.* tum electos ut clemens pater castigat. Quare castigationem hanc agnoscentes, resipiscamus. Vide 1.Cor.11. in fine.

Ex v.11. Observationem hujus loci vide supra in observationibus ex cap.1. v.24.

Ex v.12. Vide suprà cap.1. v.25.

Ex v.13. & seqq. Vide observat. ex cap.10. Matth.

6 Ex v.21. & 22. Si cui pio doctori accidat, ut ministerio ipsius adversentur ii quos minimè oportebat, puta cognati & doctores *Consolatio pro ministro verbi.* alii: consoletur sese exemplo Christi cui idem accidit.

Ex v.23. & seqq. Vide observat. ex Matth.12. v.24. & seqq.

Ex v.31. & seqq. Vide observat. ex Matth.12. v.46. & seqq.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Sex sunt hujus capitis partes. Primùm proponit Dominus turbæ parabolam de semine quod inter seminandum quadrifariam cecidit, eamq; discipulis privatim explicat. Secundò promittit discipulis ampliorem Evangelii in mundo patefactionem, v.21. & 22. Tertiò monet discipulos ut sibi caveant tum ab ignavia invidiáve in cælesti doctrina aliis communicanda, tum ab ignavia incuriáve in eâdem meditanda atq; custodienda, v.24. & 25. Quartò proponit parabolam de occulto seminis jacti incremento, v.26. & seq. Quintò proponit parabolam de incremento inopinato grani sinapis, v.30. & seqq. Sextò sedat tempestatem maris, v.35. & seqq.

PRIMA PARS.

Parabola de semine quod quadrifariam cecidit.

Et rursus cœpit docere juxta mare: & congregata est ad eum turba multa, adeò ut ipse navigium ingressus, sederet in mari: tota autem turba juxta mare in terra erat.

2 Et docebat eos per parabolas multa, dicebatque eis in doctrina sua;

3 Audite, Ecce, Exiit seminator quidam ad seminandum:

4 Et factum est in seminando; aliud quidem cecidit juxta viam: veneruntque volucres cæli, & devorarunt illud.

5 Aliud verò cecidit in petrosa, ubi non habebat terram multam: & statim exortum est, propterea quòd non habebat profunditatem terræ.

6 Sole autem exorto torrefactum est; & propterea quòd non habebat radicem, exaruit.

7 Et aliud cecidit in spinas: & assurrexerunt spinæ, ac suffocarunt illud; itaque fructum non dedit.

8 Et aliud cecidit in terram bonam, deditque fructum assurgentem & crescentem: & tulit aliud triginta, & aliud sexaginta, & aliud centum.

9 Tunc dixit eis, Qui habet aures ad audiendum, audiat.

10 Quum autem esset solus, interrogârunt eum qui circa eum erant cum duodecim, de parabola.

11 Et dixit eis, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem qui foris sunt, per parabolas omnia ista fiunt:

12 Ut videntes videant, & non cernant: & audientes audiant, & non intelligant: ne quando convertantur, & remittantur eis peccata.

13 Præterea dixit eis, Nescitis parabolam istam? & quomodo omnes parabolas cognoscetis?

14 Seminator ille, sermonem seminat.

15 Isti autem sunt qui juxta viam *semen excipiunt*;

in quibus *videlicet* seminatur sermo: sed postquam audierunt, statim venit Satanas, & tollit sermonem seminatum in cordibus eorum.

16 Et isti similiter qui in petrosa semen excipiunt: qui *videlicet*, quum audierint sermonem, statim cum gaudio accipiunt eum:

17 Sed non habent radicem in se, verùm temporarii sunt: deinde ortâ oppressione aut persecutione propter sermonem, statim offenduntur.

18 Hi sunt autem qui in spinas semen excipiunt, hi sunt, *inquam*, qui sermonem audiunt:

19 Sed solicitudines sæculi hujus, & fallacia divitiarum, & cupiditates quæ in cæteris rebus *versantur*, introeuntes suffocant sermonem; isque redditur fructus expers.

20 Hi sunt verò qui in terram bonam semen exceperunt, qui *videlicet* audiunt sermonem, & accipiunt: & fructum ferunt, aliud triginta, aliud sexaginta, aliud centum.

INitio præmittitur *propositio* sequentium parabolarum, v. 1. & 2. Deinde recitatur *parabola prima* quæ est de semine quod quadrifariam cecidit, à v. 3. usque ad 10. Tum subjungitur parabolæ illius *explicatio*, v. 10 & seqq.

In propositione indicatur primùm *locus*, ubi Dominus istas parabolas pronuntiavit, videlicet juxta mare Galilææ, qui est lacus dictus Genesaret. Deinde *auditores* ad quos parabolas illas pronuntiavit, nempe turba, & quidem multa. Tertiò *locus specialis* quo fuit contentus inter docendum; nempe navigium. Quartò *situs docentis*, videlicet sessio. Quintò *situs turbæ audientis*, videl. statio (ut exprimit Matthæus) juxta mare sive in littore maris. Sextò *numerus parabolarum*, sed indefinitè, nempe quòd proposuerit parabolas multas.

Parabola de semine *membra* habet *quatuor*, pro numero quadruplicis casus seminis: aliud enim cecidit in viam, aliud in petrosa, aliud in spinas, aliud deniq; in terram bonam. Hæc membra singula declarantur ex effectis: quid scilicet singulis illis seminis partibus evenerit, nempe quòd tres primæ partes perierint: prima quidem devorata ab avibus, secunda arefacta æstu solis, tertia suffocata: quarta autem demum pars tulerit fructum, eumq; discrimine triplici, alium alio copiosiorem. Ad finem adjicitur *adhortatio*, ad parabolæ propositæ meditationem, v. 9.

Explicationi parabolæ præmittuntur tum *causa impulsiva*, id est, quæ Dominum impulerunt ad illam discipulis proponendam, tum *discipulorum reprehensio*. Causæ indicantur duæ: una προκαταρκτική, videl. petitio discipulorum, v. 10. altera προηγουμένη, benevolentia Domini singularis erga illos tanquam electos, v. 11. Hæc benevolentia illustratur & amplificatur antithesi reproborum, quibus ista patefactio non contingat. quod ipsum declarat expositione finis, nempe occulti consilii divini: quam finis expositionem testimonio prophetæ Esaiæ confirmat, quatenus finem illum verbis Prophetæ exponit. Reprehensio discipulorum pertinet ad eorum ruditatem ac tarditatem: & amplificatur collatione imparium, v. 13. Explicatio ipsa clara est, nec nostrâ explicatione indiget: nisi quòd monendum, per fructus quos semen verbi in cordibus electorum fert, intelligenda esse omnis generis bona opera, quæ Deo instar suavissimorum fructuum acceptâ sunt.

SECUNDA PARS.

Promissio amplioris patefactionis Evangelii in mundo.

21 Dixit etiam eis, Num lucerna venit ut subter modium ponatur, aut subter lectum? Nónne ut candelabro imponatur?

22 Non est enim quicquam occultum quod non manifestandum sit: neque factum est *quicquam ut sit* absconditum, sed ut in propatulum veniat.

23 Si quis habet aures ad audiendum, audiat.

Promissio hæc primùm *proponitur*, vers. 21. deinde *confirmatur*, vers. 22. tum *amplificatur* adjectâ admonitione, vers. 23. *Propositio* est obscura: quia parabolica, tecta videl. involucro similitudinis. ubi Evangelium tacitè comparatur lucernæ: eò quòd hominibus ostendit rationem agendi quæ recta sunt & cavendi offendicula. Sententia est: Sicut lucerna non ponitur subter modium aut subter lectum; sed super candelabrum, ut lucem præbeat familiæ; cujus beneficio negotia sua rectè quisque possit expedire, & necubi impingat cavere: sic Evangelium non est perpetuò occultandum, sed suo tempore in mundo prædicandum, ut per illius notitiam homines possint agere quæ recta & Deo placentia, sibique ipsis salutaria sunt, & cavere offendicula. *Confirmatio* hujus promissionis petitur à genere, nempe à sententia generali, eâque proverbiali, atque ita confirmata testimonio vulgi. Sententia hæc est, Omnia occulta suo tempore revelantur: Ergo & Evangelium jam mundo occultum, suo tempore illi revelabitur. *Admonitio* per exclamationem adjecta, est de dictis istis Domini tanquam obscurè propositis, diligenter meditandis, ut nimirum sensum illorum consequantur: & sensum certum adepti, fidem illis habeant.

TERTIA PARS.

Admonitio de doctrina cælesti communicanda & custodienda.

24 Præterea dixit eis, Videte, quid audiatis. Quâ mensurâ metimini, alii vobis metientur; & adjicietur vobis qui auditis.

25 Qui enim habet, dabitur ei: & qui non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo.

Admonitio hæc similiter obscurè proponitur. Constat autem *propositione* & *confirmatione* ab effectis. *Propositio* verbis generalibus concepta est, ubi ait, *Videte quid audiatis.* Sententia videtur esse: Cavete ne audiatis ex me doctrinam cælestem sine fructu, ut scilicet neque ad vos neque ad alios justus fructus inde redeat: idque ex vestra vel ignavia vel invidia: Sed potiùs operam date, ut doctrinam cælestem quam ex me audieritis, tum aliis liberaliter communicetis, tum apud vos diligenter meditemini & custodiatis, inque ea proficere studeatis. Sic propositio est *duplex*: una de doctrina liberaliter aliis communicanda: altera de eâdem custodienda ac meditanda. Prioris propositionis confirmatio exponitur hac sententiâ proverbiali: *Quâ mensurâ metimini, alii vobis metientur.* Sententia videtur hæc esse. Si liberaliter doctrinam cælestem aliis communicabitis, Deus vicissim vobis illam liberaliter communicabit, ita ut vobis adjiciatur subinde cognitio mysteriorum Dei major. Si verò in illa aliis communicanda eritis parci aut remissi: Deus quoque in illa vobis communicanda parcus & remissus erit. Posterioris propositionis confirmatio similiter continetur sententiâ proverbiali, nempe: *Qui habet, dabitur ei, &c.* Sententia videtur hæc esse: Sicut in mundo divitibus munera offerri solent, pauperes verò bonis suis spoliari: ita qui habet notitiam mysteriorum regni Dei, eamque sedulò custodit, ei dabitur à Deo cognitio amplior: Contra qui notitiam mysteriorum Dei non habet, nempe qualis sufficit ad salutem, neque solicitus est de illa notitia quam habet, custodienda & amplificanda; spoliabitur à Deo etiam illâ qualicunque notitiâ qua ad pleniorem & salutarem poterat deduci. Sic admonitionis institutæ argumenta ducta sunt ab effectis tum utilibus, si quis illi pareat: tum noxiis, si eam contemnat.

QUARTA PARS.

Parabola de seminis occulto incremento.

26 Item dicebat, Ita est regnum Dei, ut si quispiam jaciat semen in terram:

27 Et dormiat, & exsurgat nocte ac die: & semen germinet, & assurgat quomodo ipse nescit.

28 Sponte enim terra fructum fert, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.

29 Quum autem prodiderit *sese* fructus, statim immittit falcem: quoniam adest messis.

Analysis parabolæ præcedit, comprehensa sententiâ generali, his verbis, *Ita est regnum Dei.* ubi per regnum Dei metonymicè intelligitur verbum Dei, quo homines in regnum Dei adducuntur. *Protasis* sequitur ibi, *Ut si quispiam.* ubi primùm narrantur *actiones seminatoris* circa semen, vers. 26. & initio vigesimiseptimi. deinde *actiones seminis sati*, reliquâ parte vers. 27. & 28. postremò *actio hominis* circa fructum è semine enatum, vers. 29.

QUINTA PARS.

Parabola de incremento inopinato grani sinapis.

30 Dicebat etiam, Cui *rei* assimilabimus regnum Dei? aut quâ collatione conferemus illud?

31 Velut grano sinapis: quod quum seminatur in terra, minimum est omnium seminum quæ in terra sunt:

32 Sed quum seminatum fuerit, assurgit, & fit maximum omnium olerum: editq; ramos magnos, ita ut possint sub ejus umbra volucres cæli nidulari.

33 Et talibus multis parabolis loquebatur eis sermonem, prout poterant audire.

34 Absque parabola verò non loquebatur eis. Privatim autem discipulis suis explicabat omnia.

Apodosis præcedit vers. 30. comprehensa sententiâ generali, ut in parabola præcedente: & exornata ἀνακοινώσει communicatione Rhetoricâ, Hebræis familiari. *Protasis* continetur vers. 31. & 32. Tum v. 33. & 34. annectitur *clausula generalis*, continens

ætiolo-

ætiologiam parabolarum propositarum, & narrationem de illarum explicatione.

SEXTA PARS.

De sedatione tempestatis.

35 Dixit autem eis die illo, vesperâ factâ: Transeamus in ulteriorem *ripam.*

36 Dimissâ igitur turbâ, acceperunt eum ut erat in navigio: sed alia quoque navigiola erant cum eo.

37 Tunc oritur turbo venti magnus: fluctusque irruebant in navigium, ita ut jam impleretur.

38 Erat autem ipse in puppi, cervicali indormiens. Tunc expergefaciunt eum, dicuntq; ei, Magister, Non est tibi curæ quòd perimus?

39 Experrectus igitur objurgavit ventum, dixitque mari, Sile, obmutesce. Tum quievit ventus, factaque est tranquillitas magna.

40 Dixit autem eis, Quid ita timidi estis? Quomodo fidem non habetis?

41 Et timuerunt timore magno; dicebantque alius ad alium, Quisnam iste est, quód etiam ventus & mare auscultant ei?

Primùm narratur sedatæ tempestatis *occasio*, v.35.&36. Secundò describitur *ipsa tempestas*, v.37. Tertiò indicatur *causa corrumpens sedationis*, in principio vers. 38. Quartò *causa impulsiva sedationis*, in reliqua parte vers. 38. Quintò *causa instrumentalis sedationis*, in principio v.39. Sextò *sedatio ipsa*, in reliqua parte v.39. Septimò adjuncta *reprehensio discipulorum*, v.40. Octavò *effecta* istius miraculi, v.41.

Occasionem huic miraculo præbuit navigatio Christi unà cum discipulis. Illa describitur primùm ex circumstantia temporis quo fuit suscepta, videlicet in vespera ejus diei quo docuerat populum ex navi. Deinde ex causis procreantibus; tum principali, eâque voluntariâ: quæ fuit Christus mandans discipulis, ut ipsum navigio transferrent in ulteriorem ripam: tum adjuvante & ministrâ; qui fuerunt discipuli Christum accipientes ita ut erat in navigio, & transvehentes. Tertiò ex adjunctis, videlicet ex adjuncta præparatione seu remotione causæ corrumpentis, nempe dimissione turbæ: & ex adjuncto comitatu aliorum navigiolorum.

Tempestas describitur è causa procreante, quæ fuit turbo venti: & ex effectu, videl. fluctuum irruptione in navim.

Causa corrumpens quæ sedationem ad tempus impedivit, fuit somnus Christi.

Causa impulsiva fuit petitio discipulorum, Christum excitantium & opem ejus implorantium.

Causa instrumentalis fuit mandatum Christi quo imperavit vento & mari quietem.

Sedatio amplificatur partim ab adjuncta celeritate, partim ab adjuncta tranquillitatis magnitudine.

Reprehensio discipulorum reprehendit duo: nimirum timorem & defectum fidei.

Effecta in spectatoribus narrantur duo: timor & admiratio. Timor nominatim exprimitur: Admiratio significatur per exclamationem.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Et rursus cœpit] καὶ πάλιν ἤρξατο &c. *De hoc loco vide scholia nostra in Matthæi 13.v.1.& deinceps: ubi parabola hæc iisdem penè verbis descripta exstat.*

4 Aliud quidem] ὃ μὲν. *Subaudiendum σπέρμα, id est, semen. Vel; ὃ μὲν, scil. μέρος. id est, alia quidem pars, nempe seminis. Et ὃ μὲν, id est, ἄλλο μὲν. cui v.5. opponitur, ἄλλο δὲ.*

5 In petrosa] ἐπὶ τὸ πετρῶδες. *Scil. μέρος τῆς γῆς, in petrosam terræ partem. Sed videtur esse enallage numeri, quia infr. v.16. habetur, ἐπὶ τὰ πετρώδη.*

7 Itaque fructum] καὶ καρπόν. *Copulativa pro illativa.*

13 Et quomodo] καὶ πῶς. *Id est, Quomodo igitur.*

14 Seminator ille] ὁ σπείρων. *Id est, Is qui per seminatorem illum de quo dixi, significatur & adumbratur.* Sermonem] τὸν λόγον. *Videl. sermonem regni, ut apud Matth. nominatur: id quod innuit articulus.* Ergo, sermonem seminat: *id est, evangelium prædicat.*

15 Qui juxta viam *semen excipiunt*] οἱ παρὰ τὴν ὁδόν. *Supple σπειρόμενοι, vel σπαρέντες. ex collatione v.16.& 18.& 20.* Tollit] αἴρει. *Id est, aufert.*

22 Neque factum est *quicquam ut sit* absconditum] οὐδὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον. *Pro: οὐδὲ ἐγένετό τι ἵνα ᾖ ἀπόκρυφον. Geminna ellipsis. Pronomen τὶ repetendum est ex membro præcedente. Duas autem voces ἵνα ᾖ, subaudiendas esse, percipitur ex membro sequente: ubi dicitur, ἀλλ' ἵνα εἰς φανερὸν ἔλθῃ. Ubi post ἀλλὰ repetendum verbum ἐγένετο:* Sed factum est, *scil. quicquid factum est. Cæterùm conjunctione ἵνα non notatur consilium hominis agentis: sed Dei, eventus actionum humanarum gubernantis. Sic autem esse hunc locum distinguendum, in duo videl. membra principalia, quibus una eademq; sententia verbis diversis enuntiatur, & quorum posterius incipit à verbis, οὐδὲ ἐγένετο: planum evadit ex collatione Luc.c.8.v.17.& c.12.v.2. ubi eadem sententia simili modo enuntiatur.*

29 Immittit falcem] ἀποστέλλει τὸ δρέπανον. *Scil. in segetem. Est autem catachresis Hebraica in verbo ἀποστέλλειν: quod respondet Hebraico* שָׁלַח *schaláhh: & propriè refertur ad personas quæ mittuntur ad negotium aliquod expediendum. Veruntamen per metaphoram καταχρηστικὴν refertur quoq; ad res alias per quas aliquid agimus: ut ad manum. ut Genes.22.v.12. Angelus dixit Abrahæ jugulaturo Isaacum:* Ne immittas manum tuam in puerum: אַל־תִּשְׁלַח *al tischláhh. ubi Græca versio bene reddidit, μὴ ἐπιβάλῃς τὴν χεῖρά σου &c. Et sic hoc loco ἀποστέλλειν τὸ δρέπανον, est ἐπιβάλλειν τὸ δρέπανον, immittere falcem in segetem, vel adhibere falcem segeti,* die sichel anschlagen.

31 Velut grano] ὡς κόκκῳ. *Sermo ἀνώμαλος. Rectum erat, κόκκῳ. Scil. ὁμοιώσωμεν: ex collatione versus præcedentis, Vel; ὡς κόκκος, scil. ἐστιν: nempe ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ: ex collatione ejusdem versus.*

33 Sermonem] τὸν λόγον. *Scil. τῆς βασιλείας: sermonem de regno Dei, hoc est, evangelium.* Prout poterant audire] καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν. *Audire videtur hîc positum pro intelligere, per metonymiam Hebraicam: ut 1.Cor.14.v.2.& 21. Ut his verbis significetur, Dominum accommodavisse sermonem suum captui auditorum Quod ipsum significat quoque cùm ait Nicodemo.* Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cælestia, credetis? *Joh.3.v.12. Quomodo & Paulus ait,* se non potuisse loqui Corinthiis, ut spiritualibus: sed loquutum eis esse ut carnalibus, &c. *1.Cor.3.1. Intelligentia autem ista referenda est ad ipsas parabolas secundùm literam intellectas, utpote de rebus terrenis & vulgò notis pronunciatas: nam mysterium regni cælorum per illas parabolas significatum atq; adumbratum non intellexerunt: ut patet ex versu sequente: item ex verbis Domini quæ habentur suprà v.11.& 12.*

34 Explicabat] ἐπέλυε. *Ad verb.* Dissolvebat: *videl. quasi nodos. Sic dicitur ἐπίλυσις προφητείας γραφῆς,* explicatio prohetiæ scripturæ, *2.Pet.1.v.20.*

38 Non est tibi curæ?] οὐ μέλει σοι; *Interrogatio conquerentis & reprehendentis. Conqueruntur se à Domino negligi, & hoc nomine illum reprehendunt.*

39 Obmutesce] πεφίμωσο. *Ad verb.* Capistrator. *nam φιμοῦν est capistrare seu fiscellam ori obdere: ut 1.Cor.9.v 9. οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα, Non obligabis os bovi trituranti. Est igitur hîc metaphora καταχρηστική. Sic Matth.22.v.12.* Tranquillitas] γαλήνη. *Vide scholia in Matth.8.v 26.*

40 Quid ita timidi estis?] τί δειλοί ἐστε οὕτω; *Interrogatio reprehendentis* Fidem] πίστιν. *Scil. quâ credatis promissionibus Dei: qui promisit se filios suos in periculis ipsi fidentes & opem ipsius implorantes conservaturum.*

41 Timuerunt timore magno] ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν. *Ante φόβον subauditur κατά. Similis est phrasis in illo, ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα; gavisi sunt gaudio magno valde, Matth.2.v.10.* Quòd etiam ventus &c.] ὅτι καὶ ὁ ἄνεμος &c. *Sic puto reddendum, conjunctione ὅτι acceptâ αἰτιολογικῶς: quasi dicant, Res certè admiratione digna est quòd huic viro auscultat venti & mare. Nam ista interrogatio, τίς ἄρα οὗτός ἐστιν;* Quisnam iste est? *vim habet admirandi.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

Quid discendum sit ex parte prima, vide in observationibus nostris ex cap.13.Matthæi.

1 Quid ex parte secunda, vide Matth.5.v.15. Quibus addo: Doctrinam cælestem ex singulari providentia Dei nunc obscuriùs, nunc clarius prædicari. Item eandem diligenter esse meditandam: præsertim si obscuriùs sit proposita. *Doctrina cælestis patefactio.*

2 Ex parte tertia. Qui sapientiam cælestem, id est, notitiam mysteriorum regni Dei adeptus est, studiosè meditando eam custodiat & ad usum transferat, nec non liberaliter eam aliis communicet: Ita enim fiet ut Deus sapientiam hanc ipsi augeat. Contra qui tantum thesaurum negligenter habet, tandem penitus eo privatur. Huc pertinet parabola de negotiatione per talenta servis commissa, Matth.25.v.14.& deinceps. *Officium hominis Christiani.*

3 Ex parte quarta. Parabola de occulto seminis incremento videtur Dominus tria docere voluisse. *Primùm* operationem verbi Dei in corde hominis recepti, esse occultam: sicut scil. germinatio & incrementum seminis est occultum, nec ab homine potest observari. *Deinde*, operationem illam verbi habere suos gradus & incrementa: sicut scil. semen primum efficit herbam, deinde spicam, postremò plenum frumentum in spica. Ad quos tres gradus & species effectorum seminis accommodari possunt tres species effectorum verbi, & rursus singularum illarum specierum tres gradus. Etenim verbum Dei in corde hominis satum atque receptum, efficit fidem, spem & charitatem: non quidem per temporis successionem, sicut semen efficit herbam, spicam & plenum frumentum: sed tempore simul, certo tamen or- *De operatione verbi Dei in corde hominis recepti.*

dine naturæ: primùm scil. fidem, deinde ex fide spem, tum ex utraque charitatem. Quippe homo diligit Deum & proximum, quia credit Deo testanti de paterna sua erga illum benevolentia propter Christum, & quia ex hac fide sperat hæreditatem illam cælestem. Unde percipitur, ex fide primùm generari spem: deinde ex fide & spe charitatem. Deinde singulæ illæ spirituales virtutes, Fides, inquam, Spes & Charitas, sua habent incrementa, & gradus numero tres. Primùm enim sunt exiguæ, & velut in herba: deinde mediocres, quasi in spica: postremò magnæ, tanquam plenum frumentum in spica. Et sicut spes atq; charitas ex fide nascuntur, sic etiam pro fidei quantitate augentur. Etenim quò firmiùs quis de Dei erga se paterna benevolentia persuasus est, eò etiam firmiùs hæreditatem illam cælestem à Deo se adepturum sperat: & quò quis firmiùs tum persuasus est de Dei erga se benevolentia, tum sperat hæreditatem cælestem; eò ardentiùs quoque Deum amat: & quò ardentiùs Deum amat, eò ardentiùs quoque amat proximum. Atque hæc secunda hujus parabolæ doctrina est. *Tertia* est, de fructu quem homo ex illa verbi in sese operatione percepturus est suo tempore. Nam sicut homo in cujus agro semen operationes suas justas habuit, tempore messis, fruges metit & in horrea colligit, iisque fruitur: sic homo in cujus corde verbum Dei justas suas operationes habuerit, tempore judicii universalis (quod messi comparatur Matth. 13. 39.) metet fructus suæ fidei, spei & charitatis, videlicet vitam æternam.

4 Ex parte quinta. Parabolâ de grano sinapis videtur Dominus docere voluisse: Incrementum effectorum verbi Dei in corde recepti, nec non fructus inde ab homine percipiendos, esse majora opinione: hoc est, quam quis possit putare aut sperare, si respiciat ad externam verbi conditionem. Sicut enim qui videt granum sinapis in terram conjici; nisi intimam ejus naturam perspectam habeat, & tantùm externam ejus quantitatem consideret, non putaret tantum fruticem inde enaturum: ita etiam qui de natura verbi Dei per Spiritum sanctum nondum est edoctus, sed illud æstimat judicio rationis carnalis, contemnit illud tanquam rem stultam, ut Paulus ad Corinthios monet: atque etiam inefficacem, si respiciat ad ipsos verbi doctores. Nam & rationi humanæ stultum videtur, nos æternam salutem & felicitatem adipisci per supplicium hominis crucifixi: & inefficacem judicat esse suasionem hominum plebejorum atque obscurorum, quales ferè sunt verbi doctores. Interim tamen sicut granum sinapis præter hominum imperitorum opinionem ac spem excrescit in grandem fruticem atque arborescentem, sub cujus umbra volucres cæli nidulantur, suasque voluptates percipiunt: ita etiam præter carnalium hominum opinionem ac spem, verbum Dei in cordibus electorum tantas vires sumit, ut efficiat fidem, spem & charitatem, & quidem suo tempore magnam: quarum vi homo tandem æterna gaudia percipit.

Ex parte sexta. Vide Matth. 8. v. 23. & sequentibus.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Partes tres sunt, prout tria narrantur Christi miracula. 1. Ejectio legionis dæmoniorum, usque ad v. 21. 2. Excitatio filiæ Jairi. 3. Sanatio mulieris laborantis fluxione sanguinis. Hujus sanationis narratio inserta est narrationi excitationis puellæ: incipiens v. 25. desinens v. 34.

PRIMA PARS.

Ejectio legionis dæmoniorum.

ET venerunt in ulteriorem *ripam* maris, in regionem Gadarenorum.

2 Egressoque ei è navigio, statim occurit è monumentis homo in quo erat spiritus impurus.

3 Qui habitationem suam habebat in monumentis, & ne catenis quidem quisquam poterat eum vincire.

4 Propterea quòd sæpe pedicis & catenis vinctus fuerat, sed discerptæ fuerant ab eo catenæ, & pedicæ contritæ: neque quisquam potuerat eum domare.

5 Et per omne *tempus* die ac nocte in montibus & monumentis erat clamans, & concidens seipsum lapidibus.

6 Quum vidisset autem Jesum procul, cucurrit & adoravit eum.

7 Et clamans voce magnâ dixit, Quid mihi tecum, Jesu, Filii Dei altissimi? Adjuro te *per* Deum ne me torqueas.

8 (Dicebat enim ei, Exi, spiritus impure, ex isto homine.)

9 Tunc interrogavit eum, Quod tibi nomen *est*? Et respondit dicens, Legio mihi nomen *est*: quia multi sumus.

10 Et multum precabatur eum ne mitteret ipsos extra illam regionem.

11 Erat autem illic ad montes grex porcorum magnus pascens.

12 Et precati sunt eum omnes *illi* dæmones, dicentes, Mitte nos in istos porcos, ut in eos introëamus.

13 Et permisit eis statim Jesus. Et egressi spiritus illi impuri introierunt in istos porcos: & ruit ille grex è præcipitio in mare, (erant autem quasi bis mille) & suffocati sunt in mari.

14 Qui verò pascebant istos porcos, fugerunt, & renuntiarunt in urbem & in agros. Et *illi* egressi sunt ut viderent quid istud esset quod factum fuerat.

15 Veniunt igitur ad Jesum, & conspiciunt eum qui fuerat dæmoniacus, sedentem ac vestitum, & sanæ mentis, eum *inquam* qui habuerat legionem: & timuerunt.

16 Et qui *id* viderant, narraverunt eis quomodo actum esset cum dæmoniaco, & de porcis.

17 Tunc *illi* cœperunt eum rogare ut abiret ex finibus ipsorum.

18 Ipso verò ingresso in navigium, rogabat eum ille qui fuerat dæmoniacus, ut esset cum ipso.

19 Jesus autem non permisit ei, sed ei dixit, Abi domum tuam ad tuos, & eis renuntia quanta tibi Dominus præstiterit, & *quantopere* misertus sit tui.

20 Abiit igitur *ille*, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta ipsi fecisset Jesus. Et omnes mirabantur.

Primùm indicatur *locus* ubi ista ejectio accidit, videlicet in regione Gadarenorum, v. 1. Deinde *occasio* quâ accidit, videlicet occursus dæmoniaci, v. 2. Tertiò *causa impulsiva* quæ Christum impulit ad ejiciendum illa dæmonia, videl. dæmoniaci miseria: quæ describitur primùm è subjecto loco ubi habitavit, videlicet in monumentis, v. 3. deinde ex adjuncto furore, qui significatur ex effectis: nempe quòd non potuerit catenis vinciri, sed catenas discerpserit & pedicas contriverit, denique non potuerit à quoquam domari, v. 3. & 4. item quòd perpetuò clamaverit, & lapidibus se ipse conciderit, v. 5. Quartò repetitur *occasio*, v. 6. Quintò exponitur *modus agendi*, videlicet imperium Christi, v. 8. Imperium autem illud declaratur ex effectis, videlicet petitione dæmoniorum triplici. Prima est, ne torqueantur à Christo, scilicet abire jussa in abyssum: ut declarat Lucas c. 8. v. 31. Secunda, ne mittantur extra illam regionem, v. 10. Tertia, ut permittantur invadere gregem porcorum in vicinis montibus pascentem. Sextò narrantur *eventa* ejectionis varia; quorum alia ex aliis consecuta sunt, hoc ordine:

1 Dæmonia invaserunt porcos.
2 Porci præcipitarunt se in mare, & suffocati sunt.
3 Pastores fugerunt, & renuntiarunt in urbem & in agros.
4 Incolæ egressi sunt ut viderent quid accidisset.
5 Re cognitâ, extimuerunt.
6 Rogarunt Christum ut abiret ex finibus ipsorum.
7 Is ex quo ejecta fuerant dæmonia, cupivit Christum sequi: sed jussus abire domum, paruit: & beneficium Christi prædicavit in Decapoli.
8 Omnes qui id audiverunt, mirati sunt.

PARS SECUNDA ET TERTIA.

Excitatio filiæ Jairi, & sanatio mulieris laborantis fluxione sanguinis.

21 Et quum Jesus rursum trajecisset navigio in ulteriorem *ripam*, congregata est turba multa ad eum: eratque apud mare.

22 Et ecce venit unus ex principibus synagogæ, nomine Jaeirus: & quum vidisset eum, accidit ad pedes ejus.

23 Et multum precabatur eum, dicens, Filiola mea in extremum adducta est: *rogo* ut venias & imponas ei manus, ut servetur: & vivet.

24 Abiit igitur *Jesus* cum eo: & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

25 Tunc mulier quædam quæ erat in fluxione sanguinis ab annis duodecim:

26 Fueratque multa perpessa à multis medicis, & expenderat omnia sua, & nihil adjuta fuerat, sed potiùs in deterius venerat:

27 Quum audisset de Jesu, vênit in turba à tergo, & tetigit vestimentum ejus.

28 Dice-

28 Dicebat enim, Si vel vestimenta ejus tetigero, servabor.

29 Et statim exaruit fons sanguinis ejus: & sensit corpore, se sanatam esse ex eo flagello.

30 Statim autem Jesus quum apud se cognovisset vim quæ ex ipso exierat, conversus in turba dixit, Quis tetigit vestimenta mea?

31 Et dixerunt ei discipuli ipsius, Vides turbam te comprimentem, & dicis, Quis me tetigit?

32 *Ipse* verò circumspiciebat ut videret eam quæ hoc fecerat.

33 Mulier autem, timens & tremens, quum sciret quod in se factum fuerat, venit & accidit ei *ad pedes*, dixitque ei omnem veritatem.

34 Ille autem dixit ei, Filia, fides tua te servavit: abi in pace: & esto sana ex flagello tuo.

35 Adhuc eo loquente veniunt *quidam* à præfecto synagogæ, dicentes, Filia tua mortua est: quid ampliùs vexas magistrum?

36 JESUS autem, statim ut audiit hunc sermonem dici, ait præfecto synagogæ, Ne metue; solummodò crede.

37 Neque permisit ut quisquam ipsum consequeretur nisi Petrus & Jacobus & Johannes frater Jacobi.

38 Tunc venit domum præfecti synagogæ, & conspicit tumultum, flentes & ejulantes multum.

39 Et ingressus dicit eis, Quid tumultuamini & fletis? Puella non est mortua, sed dormit.

40 Et deridebant eum. Ipse verò, ejectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & eos qui secum erant, & ingreditur *eò* ubi puella erat jacens.

41 Prehensâque manu puellæ, dicit ei, Talitha kumi: quod est, si interpreteris, Puella (tibi dico) surge.

42 Et statim surrexit puella, & ambulabat: erat enim annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno.

43 *Ipse* verò multùm imperavit eis, ne quis id resciret: dixitque ut daretur puellæ quo vesceretur.

Primùm indicatur *occasio* excitatæ filiæ Jaeiri, videlicet petitio Jaeiri de illa, quum morti vicina videretur, in vivis conservanda, v.21.22.23.24. Hæc petitio illustratur à subjecto loco ubi facta est, videlicet ad mare, v.21. Et ab adjunctis testibus, videlicet turba, ibid. Tum ab adjuncta conditione seu statu petentis, quòd fuerit unus ex archisynagogis, v.22. Præterea ab adjuncto gestu, quòd acciderit ad pedes Jesu, v.eod. Nec non ab adjuncta vehementia, quòd precatus sit multùm, v.23. Et deniq; ab eventis, videlicet impetratione, v.24. & compressione Jesu à turba, ibid. Deinde indicatur *causa impulsiva*, videlicet fides Jaeiri: quæ declaratur ex causis: ac primùm ex causa conservante, videlicet sanatione mulieris in itinere, à v.25. usque ad 35. deinde ex causa corrumpente, videlicet nuntio domesticorum Jaeiri de morte filiæ, v.35. tum ex alia causa conservante, videlicet consolatione Christi & promissione excitationis geminâ: unâ directâ, pronuntiatâ scilicet ad ipsum Jaeirum, v.36. alterâ obliquâ, pronuntiatâ ad turbam quæ convenerat ad ducendum funus, v.38. & 39. Tertiò indicantur *spectatores seu testes*, qui fuerunt tres è discipulis, & pater & mater puellæ, v.37. & 40. Quartò exponitur *modus agendi*, videlicet imperium Christi, v.41. Quintò narratur *miraculum ipsum*, v.42. Sextò *effectum* miraculi, videlicet vehemens admiratio eorum qui viderant, v.42. Postremò narrantur duo quædam *adjuncta:* interdictum patefactionis miraculi, & mandatum de cibo puellæ dando, v.ult.

Cæterùm *sanatio mulieris*, cujus narratio tertiam capitis partem constituit, describitur ad hunc modum. Primùm indicatur *causa impulsiva*, videlicet magnitudo morbi mulieris, quæ declaratur ab adjuncta diuturnitate, v.25. & ex eventis, v.26. Eventa illa sunt quatuor, ut patet ex textu. Deinde indicatur *modus agendi* adhibitus à muliere, videl contactus vestis Christi, v.27. Ille contactus declaratur partim à causa impulsiva; videl. famâ Jesu: partim à situ, quòd accesserit à tergo: quo innuitur finis seu scopus, nempe ut latêret. Tertiò *alia causa impulsiva* indicatur, videl. fides mulieris, v.28. Quartò *miraculum ipsum*, v.29. Quintò *patefactio miraculi*, per inquisitionem Christi, v.30.31.32. & confessionem mulieris, v.33 Sextò *testimonium Christi de causa impulsiva miraculi*, videl. fide mulieris, v.34. Septimò *promissio durationis sanitatis recuperatæ*, versu eodem.

SCHOLIA IN CAP. V.

2 Homo in quo erat spiritus impurus] ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ. *Scil.* ὤν. *Ad verb.* Homo qui erat in spiritu immundo. *hoc est, cum spiritu immundo. Hebraismus.*

3 Qui habitationem suam habebat] ὃς τὴν κατοίκησιν εἶχεν. *Ad articulum* τὴν *subintelligitur* ἑαυτοῦ. *Sensus est: Qui habitabat. Sic Germani dicunt,* Der seine wohnung hatte. Et ne catenis quidem quisquam &c.] καὶ οὔτε ἁλύσεσιν οὐδεὶς &c. *Ad verb.* Et ne catenis quidem nullus. *Græcismus. nam apud Græcos gemina negatio fortiùs negat.*

9 Legio] λεγεών. *Legio (ait Varro lib. 4. de Lingua Latina) dividitur in decem cohortes: cohors in quinquaginta manipulos: manipulus in vigintiquinque milites pro unoquoque manipulo. Hæc ille: unde colligitur, legionem continuisse milites 12500. Sed nomen istud usurpatur hic per metaphoram & synecdochen speciei hyperbolicam, posito scilicet numero certo pro incerto, videlicet specie numeri magni pro numero magno in genere: ut percipitur ex verbis sequentibus,* Quia multi sumus.

12 Omnes illi dæmones.] πάντες οἱ δαίμονες *Scilicet* οἱ ὄντες ἐν ἐκείνῳ τῷ δαιμονιζομένῳ. *Articulus hic habet vim* ἀναφορικήν. In istos porcos] εἰς τοὺς χοίρους. *Hoc loco articulus vim habet* δεικτικήν. *Loquuntur enim de grege illo porcorum cujus modo facta mentio, qui ipsis erat in conspectu.*

18 Ut esset] ἵνα ᾖ. *Id est, ut is (nempe Jesus) pateretur se (dæmoniacum) esse seu versari cum ipso.*

20 In Decapoli] ἐν τῇ Δεκαπόλει. *Initio scilicet facto ab urbe Gadarâ (ut percipitur ex Luc. 8. v. 39.) ubi iste dæmoniacus degebat. Illam enim urbem Plinius inter oppida regionis Decapolitanæ enumerat. Fuit autem Decapolis regiuncula à numero decem urbium sic vocata. Vide Plin lib. 3. c. 18.*

23 In extremum adducta est] ἐσχάτως ἔχει. *Ad verb.* Extremè habet Sie ligt in letzten zügen. *Lucas habet,* ἀπέθνησκεν, *moriebatur. Id est, tendebat ad mortem. Veruntamen ad metam non pervênit, impedita virtute Christi.* Rogo ut venias] ἵνα ἐλθών. *Deficit verbum* ἐρωτῶ *vel* δέομαι. *Videtur autem hæc ellipsis usurpata ad servandum decorum sermonis. Servit enim* τῇ γοργότητι, *id est, celeritati sermonis, ad notandum affectum precantis* Jaeiri. Ut servetur] ὅπως σωθῇ. *Scil. in vita* Daß sie beym leben erhalten werde. *In eâdem significatione accipitur hoc verbum Matth. 24. v. 22. ubi Christus de calamitatibus Hierosolymitanorum quas pertulerunt tempore ultimæ obsidionis, loquens, ait:* Nisi contracti fuissent dies illi, non fuisset servata ulla caro: οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ. Et vivet] καὶ ζήσεται. *Id est.* Tum vivet. *Si scilicet manum ei imposueris.*

28 Servabor] σωθήσομαι. *Id est, Sanabor.*

29 Ex eo flagello] ἀπὸ τῆς μάστιγος. *Id est, ex illo suo morbo, quo Deus ipsam quasi flagellabat. Metaphora.*

30 Vim quæ ex ipso exierat] τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν. *Sicut, calor exit ex sole in aërem, aquam, terram, terra nascentia & corpora animalium terrestrium: ut interim vis ipsa calefaciendi in sole maneat: Sic sanitas in corpus istius mulieris quasi exivit ex potentia divina Christi, quatenus ab illa est effecta.*

33 Omnem veritatem] πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. *Id est, totam veritatem:* die gantze warheit: *omne id quod tunc ab ipsa & circa ipsam actum fuerat.*

34 In pace] εἰς εἰρήνην: *Pro,* ἐν εἰρήνῃ *Id est, cum pace,* μετ' εἰρήνης. *Hebraismus geminus.*

35 A præfecto synagogæ] ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου. *Id est, è domo præfecti synagogæ. nam ipse tunc erat cum Jesu. Venerunt igitur propriè loquendo non ab illo, sed ad illum. Metonymia subjecti vel adjuncti, qua possessor nominatur pro re possessa.* Quid amplius &c.] τί ἔτι &c. *Pro,* τί οὖν ἔτι. *Quid igitur amplius vexas? q. d. Noli igitur ampliùs molestus esse magistro, deducendo illum domum tuam ad filiam sanandam. id enim frustra fieret. Ellipsis conjunctionis syllogisticæ, & interrogatio vim habens dehortandi. Hanc sententiam simpliciter enuntiavit Lucas his verbis;* μὴ σκύλλε τὸν διδάσκαλον, *Ne vexa magistrum.*

36 Ut audiit hunc sermonem dici] ἀκούσας τὸν λόγον λαλούμενον. *Articulus* τὸν *habet vim pronominis relativi: & participium* λαλούμενον *ponitur ex more Græcorum pro infinitivo* λαλεῖσθαι. Ne metue, solummodo crede] μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε. *Pro,* ἀλλὰ μόνον πίστευε, *Sed solummodo crede. Ellipsis conjunctionis adversativæ, conveniens* τῇ γοργότητι. *id est, celeritati sermonis in consolando adhiberi solita. Sententia est: Ne metue, quasi actum sit de filia, ut quæ non possit vitæ à me restitui: sed solummodò crede, me id & posse & velle. quod si feceris, compotem te reddam voti tui. Sic mandato huic includitur promissio, ad erigendum fidem illius.*

37 Neque permisit ut quisquam &c.] καὶ οὐκ ἀφῆκεν οὐδένα &c. *In Græco est gemina negatio ex more linguæ.*

38 Tumultum conspicit, flentes &c.] θεωρεῖ θόρυβον, κλαίοντας &c. *Appositio, Pro,* θόρυβον τῶν κλαιόντων &c. *Vetus interpres habet,* Et flentes. *Legitur igitur,* καὶ κλαίοντας.

39 Quid tumultuamini & fletis?] τί θορυβεῖσθε καὶ κλαίετε; *Id est, Nolite tumultuari & flere. Interrogatio vim habens dehortandi.* Puella non est mortua] τὸ παιδίον οὐκ ἀπέθανεν. *Id est,* τὸ γὰρ παιδίον &c. *Nam puella &c. Ellipsis conjunctionis causalis: quam exprimit Matthæus.*

40 Et eos qui secum erant] καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ. *Scilicet* ὄντας. *Intelligit autem Apostolos illos tres quos commemoravit v 37.* Ingreditur eò ubi &c.] εἰσπορεύεται ὅπου. *Pro*, εἰσπορεύεται ἐκεῖσε ὅπου, *vel* εἰς τὸν τόπον ὅπου. *Ellipsis antecedentis: qualis Matth.2.v.9.* stetit (stella) supra *locum* in quo erat puerulus: ἔστη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον. *Pro*, ἐπάνω τοῦ τόπου οὗ ἦν.

41 Talithá kúmi] ταλιθὰ κοῦμι. *Sunt voces Syriacæ: quæ literis Hebraicis scribuntur ad hunc modum*, טַלִיתָא קוּמִי. Tibi dico] σοὶ λέγω. *Hæc verba non continentur in vocibus illis Syriacis: sed* πλεοναστικῶς *inserta sunt ad emphasin.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

Quid observandum sit ex parte prima, vide in observat. ex Matth.8.v.28.& seq.

Quid item observandum sit ex parte secunda & tertia, vide in observat. ex Matth.9,v.18.& deinceps.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Partes sunt sex. 1. Christus docet Nazarethæ. 2. Mittit Apostolos in terram Israël ad prædicandum Evangelium. 3. Judicium Herodis de Christo, & decollatio Johannis Baptistæ. 4. Christus cum Apostolis quærit quietem in deserto: sed præoccupatus à populo, docet eos & cibat miraculosè. 5. Precatus in monte, ambulat super mare, & discipulis difficulter navigantibus opem fert. 6. Sanat ægrotos variis ex locis allatos.

PRIMA PARS.

Docet Nazarethæ.

ET egressus est illinc, venitque in patriam suam: & sequuti sunt eum discipuli ejus.

2 Quumque advenisset sabbathum, cœpit in synagoga docere: multique audientes percellebantur, dicentes, Unde huic ista? & quæ est hæc sapientia quæ data est ei, quòd etiam virtutes tales per manus ejus eduntur?

3 Nónne iste est faber ille, filius Mariæ, frater Jacobi & Jose & Judæ & Simonis? Nónne & sorores ejus hîc sunt apud nos? Et offendebantur in ipso.

4 Dicebat autem eis JESUS, Non est propheta inhonoratus nisi in patria sua, & inter cognatos, & in domo sua.

5 Neque potuit illic virtutem ullam edere, nisi *quòd* quum paucis ægrotis imposuisset manus, sanavit *eos*.

6 Mirabaturque propter incredulitatem eorum: & circuibat vicos in orbem, docens.

Primùm indicantur *comites* proficiscentis Nazaretham, videlicet discipuli, v.1. Deinde *tempus* quo docuit, videl. sabbathum, v.2. Tertiò *locus* specialis, synagoga, v.eod. Quartò *effectum* doctrinæ, admiratio auditorum, & offensio, v.2.& 3. Offensio illa declaratur ex eventis: quæ narrantur quatuor: 1. Quòd Christus se defendit & consolatur contra malitiam istorum, per sententiam generalem & proverbialem, v.4. 2. Quòd pauca illic edidit miracula, v.5. 3. Quòd miratus fuit ipsorum incredulitatem, v.6. 4. Quòd circuivit vicos docens, v.eod.

SECUNDA PARS.

Mittit Apostolos ad prædicandum Evangelium.

7 Tunc advocavit duodecim illos, cœpitque eos mittere binos: deditque eis potestatem in spiritus impuros.

8 Et præcepit eis ut nihil sumerent ad iter, nisi virgam tantùm: non peram, non panem, non æs in zona:

9 Sed ut calcearentur sandaliis: & ne induerentur binis tunicis.

10 Et dicebat eis, Ubicunque introieritis domum, illic manete usquedum exeatis illinc.

11 Et quicunque non receperint vos, neque audierint vos; egressi illinc, excutite pulverem qui subest pedibus vestris, in testimonium adversus eos. Amen dico vobis, tolerabilior erit Sodomorum *conditio* sive Gomorrhorum in die judicii, quàm urbis illius.

12 Egressi igitur *illi* prædicabant ut resipiscerent *homines*.

13 Et dæmonia multa ejiciebant: ungebantque oleo multos ægrotos, & sanabant *eos*.

Primùm indicatur missionis *forma*, consistens partim in præceptis, partim in promissionibus. Præcepta sunt quatuor: primum de distributione proficiscentium, ut scilicet eant bini, v.7. secundum de rebus pertinentibus ad iter; ut maximè necessariis contenti, de reliquis non sint soliciti, v.8. & 9. tertium de hospitio, v.10. quartum de contestanda pœna Dei in ingratos, v.11. Promissiones sunt tres: prima expressa, de potestate in spiritus impuros, v.7. secunda implicita de sufficiente victu, v.10. tertia expressa, de pœna divina ingratorum, v.11. Atque hoc primum narrationis hujus membrum est ipsa missionis forma. Secundò indicatur missionis *eventus*, videlicet obedientia Apostolorum & res gestæ, v.12.& 13.

TERTIA PARS.

Herodis judicium de Christo, & decollatio Johannis.

14 Audivit autem *hæc* rex Herodes, (manifestum enim factum erat nomen ejus) dixitque, Johannes ille qui baptizabat, surrexit à mortuis, & propterea virtutes agunt in eo.

15 Alii dicebant, Elias est. Alii verò dicebant, Propheta est, vel quasi unus ex prophetis illis.

16 Quum autem *hæc* audisset Herodes, ait, Hic est Johannes quem ego decollavi, ipse surrexit à mortuis.

17 Ipse enim Herodes missis *spiculatoribus* prehenderat Johannem, & vinxerat eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam uxorem.

18 Dicebat enim Johannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

19 Herodias autem imminebat ei, & cupiebat eum trucidare: nec poterat.

20 Herodes enim metuebat Johannem, sciens eum *esse* virum justum ac sanctum, & observabat eum; auditoque eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

21 Quum igitur dies opportunus adesset, quo tempore Herodes in natalitiis suis cœnam faciebat proceribus suis ac chiliarchis & primariis Galilææ.

22 Et introisset filia ipsius Herodiadis, ac saltasset, placuissetque Herodi & iis qui simul accumbebant; rex ait puellæ, Pete à me quodcunque volueris, & dabo tibi.

23 Juravitque ei, Quodcunque à me petieris, dabo tibi, usque ad dimidium regni mei.

24 At illa egressa dixit matri suæ, Quid petam? illa verò dixit, Caput Johannis Baptistæ.

25 *Puella* igitur cupidè statim ad regem ingressa, id petiit, dicens, Velim ut jam nunc des mihi in patina caput Johannis Baptistæ.

26 Rex autem *quamvis* tristis factus, *tamen* propter jusjurandum & eos qui simul accumbebant, noluit eam rejicere.

27 Et statim rex, misso spiculatore, imperavit ut afferretur caput ejus.

28 Ille verò abiit ac decollavit eum in carcere: attulitque caput ejus in patina, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ.

29 Quumque *hoc* audissent discipuli ejus, venerunt & sustulerunt cadaver ejus, & posuerunt in monumento.

Primùm indicatur *occasio* judicii Herodis de Christo, videlicet fama rerum gestarum illius, v.14. Deinde *judicium ipsum*, quòd sit Johannes Baptista qui resurrexerit à mortuis, v.14.& 16. Hoc judicium Herodis illustratur primùm antithesi judiciorum diversorum, v.15. deinde narratione de decollatione Johannis, v.17. & deinceps. Cæterùm *decollatio Johannis* declaratur primùm ab occasione, deinde à causis procreantibus, postremò ab eventis. *Occasio* fuit duplex: custodia Johannis & convivium Herodis natalitium. Custodia Johannis declaratur è causis agentibus, & impulsiva. Causæ agentes indicantur, tum principalis, ipse videlicet Herodes: tum ministræ, satellites Herodis. Causa impulsiva fuit reprehensio Herodis propter Herodiadem uxorem fratris, quâ ipse uxore utebatur, v.17. & 18. Convivium Herodis natalitium declaratur ex adjunctis conviviis, v.21. & adjunctâ saltatione filiæ Herodiadis, v.22. quæ saltatio declaratur ex effectis, videlicet voluptate quam inde perceperunt rex & convivæ, & promissione Herodis, quâ illi saltatrici promittebat, se daturum quod petitura esset, v.eod. Et hæc promissio amplificatur ab adjuncto jurejurando, & speciali mentione doni maximi, v.23. Atque hæc de occasione. *Jam causæ procreantes* decollationis Johannis indicantur tum agentes, tum impulsivæ.

sivæ. Agentes causæ indicantur quatuor: Herodias, Herodiadis filia, Herodes, Herodis spiculator quispiam. è quibus prima ad secundam, itemque tertia ad quartam se habuit ut principalis ad adjuvantem seu ministram. Porrò causa quæ impulit spiculatorem ut Johannem decollaret, fuit mandatum Herodis, v.27. Causa quæ Herodem impulit ut decollationem Johannis spiculatori imperaret, fuit petitio filiæ Herodiadis, v.25. & metus ipsius Herodis ne haberetur inconstans, si non servaret jusjurandum quo filiæ Herodiadis promiserat se daturum quicquid illa esset petitura, v.26. Hic metus & inde consequuta voluntas trucidandi Johannem, amplificatur antithesi causæ corrumpentis, videlicet tristitiæ quam concipiebat rex ex nece illa Johannis injusta atque scelerata & dedecorosa: quæ tristitia ad tempus obstabat quò minùs in petitionem puellæ consentiret. Causa quæ impulit filiam Herodiadis ut ab Herode peteret sibi dari caput Johannis, & ex consequenti ut is decollaretur, fuit instinctus sive instigatio matris Herodiadis, v.24. Causa quæ impulit Herodiadem ut filiam ad caput Johannis petendum instigaret, fuit odium illius, & cupiditas vindictæ propter reprehensum ipsius cum Herode adulterium, v.19. Hæc vindicta illustratur antithesi causæ corrumpentis, videlicet reverentiæ Herodis erga Johannem, v.20. Hæc enim reverentia obstitit ad tempus cupiditati Herodiadis, ne Herodes in gratiam illius Johannem è medio tolleret. Atque hæc de causis. *Eventa* narrantur tria. 1. Caput Johannis decollati in patina allatum est à spiculatore, datumque filiæ Herodiadis, v.28. 2. Idem caput Herodiadi datumque est à filia, v.eod. 3. Cadaver Johannis sepultum est à discipulis ejus, v.29.

QUARTA PARS.

Christus cum Apostolis quærit quietem in deserto: sed præoccupatus à populo, docet eos & cibat miraculosè.

30 Congregati sunt autem Apostoli ad JESUM, & annuntiaverunt ei omnia, & quæ egerant, & quæ docuerant.

31 Et dixit eis, Venite vos privatim in desertum locum, & requiescite paululum. Erant enim multi venientes & abeuntes: & ne cibum quidem capere ipsis vacabat.

32 Abierunt igitur in desertum locum navigio seorsim.

33 Vidit autem eos abeuntes turba, & agnoverunt eum multi: & pedibus ex omnibus civitatibus concurrerunt illuc, prævenerùntque eos, & convenerunt ad eum.

34 Tunc egressus vidit turbam multam Jesus, & misericordiâ commotus est super eis; quoniam erant ut oves non habentes pastorem: cœpitque eos docere multis *verbis*.

35 Quum autem jam multus dies esset, adierunt eum discipuli ejus, dicentes, Desertus est locus, & jam multus dies est:

36 Dimitte eos, ut profecti in circumjacentes agros ac vicos, emant sibi panes. nam quo vescantur non habent.

37 At ille respondens dixit eis, Date vos ipsis quo vescantur. Tunc dicunt ei, *Num ut* profecti emamus ducentis denariis panes, & demus eis quo vescantur?

38 Ipse verò dicit eis, Quot panes habetis? Abite & videte. Et *illi* re cognitâ, dixerunt, Quinque, & duos pisces.

39 Tunc jussit eos facere ut accumberent omnes per convivia super viridi gramine.

40 Accubuerunt igitur sigillatim per areolas centeni & quinquageni.

41 Et acceptis quinque illis panibus ac duobus illis piscibus, suspiciens in cælum, benedixit, ac fregit panes: deditque discipulis suis ut illis apponerent: & duos pisces partitus est omnibus.

42 Comederuntque omnes, & saturati sunt.

43 Et sustulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos, & ex piscibus.

44 Erant autem qui comederant, quasi quinquies mille viri.

Quod ad *propositum quiescendi*, primùm indicatur *causa impulsiva* illius propositi Christi, videl. commemoratio laborum quibus Apostoli modò erant perfuncti, v.30. Deinde *propositum ipsum* exponitur v.31. Tum *alia causa impulsiva* indicatur, videl. concursus importunius interpellantium, v.eod. Quartò narratur *propositi exsequutio*, v.32. Quintò narratur *impedimentum exsequutioni allatum*, videl. præoccupatio populi, in eundem locum, ubi Christus quietem quærebat, concurrentis, v.33. Quoad *actum docendi*, exponitur *causa* qua motus Christus, cœpit populum docere, videl. quòd ab ordinariis suis doctoribus non rectè instituebantur: id quod significatur similitudine ovium carentium pastore, v.34. Quod ad *cibationem*: primùm indicatur cibationis istius miraculosæ *occasio*, videl. admonitio discipulorum de populo dimittendo ad emendum cibum, v.35. & 36. Deinde *præparatio miraculi*, eaq; triplex. Primùm enim præparavit animos discipulorum, ducendo eos in agnitionem penuriæ atq; impotentiæ suæ ad cibandum populum præsentem, v.37. deinde præparavit sibi materiam ex qua cibum populo præsenti sufficientem crearet, videl. quinque panes & duos pisces, v.38. tum verò præparavit animos populi, erigendo eos in spem cibationis à se futuræ, v.39. Atque hoc est secundum hujus narrationis membrum, ipsa miraculi præparatio. Tertiò commemoratur *causa sine qua non*, quæ potest dici *impulsiva*, videl. obedientia turbæ erga mandatum Christi, & fides erga illius promissionem in ipso mandato latentem, v.40. Quartò narratur ipsa *miraculi forma* seu *modus agendi*: quòd scil. Christus precibus à Patre impetrarit panum illorum ac piscium multiplicationem, quodque eandem effecerit per fractionem ac distributionem, v.41. Quintò narrantur *eventa*, numero tria: quòd scil. comederint, quòd saturati sunt, quòd multum fragmentorum reliquum fecerint, v.42. & 43. Postremò amplificatur miraculum indicatione *numeri* virorum qui fuerunt cibati, v.44.

QUINTA PARS.

Precatur in monte, ambulat super mare, & discipulis difficulter navigantibus opem fert.

45 Et statim coëgit discipulos suos inscendere navigium, & præire in ulteriorem *ripam* Bethsaidæ oppositam, dum ipse dimitteret turbam.

46 Et quum amandasset eos, abiit in montem ad precandum.

47 Quum autem serum *diei* adesset, erat navigium in medio mari, & ipse solus in terra.

48 Viditque eos vexari in *navigio* provehendo: (erat enim ventus eis contrarius) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans super mare: volebatque eos præterire.

49 Illi verò quum viderent eum ambulantem super mare, putarunt spectrum esse: & exclamaverunt.

50 Omnes enim videbant eum, & turbati sunt. Sed statim loquutus est cum eis, & eis dixit: Confidite; ego sum: ne timete.

51 Tunc ascendit ad eos in navigium, quievitque ventus: & *ipsi* multò magis apud sese obstupescebant, & mirabantur.

52 Non enim intellexerant *quod factum fuerat* illis panibus: quoniam cor eorum occalluerat.

53 Et quum trajecissent, venerunt in terram Genesaret: & appulerunt.

Primùm narratur, quomodo se ad precationem *præpararit*, removendo impedimenta: videl. dimittendo primùm discipulos, deinde turbam, v.45. Deinde *ipsum factum* narratur, v.46. Tertiò *occasio ambulationis super mare*, quia scil. discipuli jam in navi discesserant, v.47. Quartò *causa impulsiva*, qua motus ambulavit super mare, videl. quia vidit discipulos vexari in navi provehenda propter ventum contrarium, v.48. Quintò *tempus* quo ambulavit, nempe circa quartam vigiliam noctis, v.eodem. Sextò *adjuncta simulatio prætereundi*, v.eodem. Septimò *eventa*, alia ex aliis consecuta, numero octo, hoc ordine:

1 Opinio spectri, v.49.
2 Perturbatio seu metus, v.50.
3 Exclamatio, v.49.
4 Consolatio Christi, v.50.
5 Conscensio navis, v.51.
6 Quies venti, v.51.
7 Vehemens admiratio, vers.51. quæ illustratur ex causa per se, v.52.
8 Appulsio in terram Genesaret, v.53.

SEXTA PARS.

Sanat ægrotos variis ex locis allatos.

54 Tunc ipsis egressis è navigio, statim agnito eo.

55 Quum percurrissent totam illam circumjacentem regionem, cœperunt in grabatis malè affectos circumferre eò ubi audiebant eum illic esse.

56 Et quocunque introisset in vicos, aut urbes,

aut agros, in foris ponebant ægrotos; & precabantur eum ut vel fimbriam pallii ipsius tangerent: & quotquot tangebant eum, servabantur.

Primùm indicatur *causa cur ægrotos ad Jesum attulerint*: nempe quia eum agnoverunt. Recordati igitur fuerunt quòd jam multos sanasset, quodque illis sanandis facilem sese præbuisset: ac proinde crediderunt, illum istos quoque ægrotos sanare posse, & conceperunt spem quòd sanaturus eos esset, si ad sanandum offerrentur, v.57. Secundò indicatur *adjunctum studium* in ægrotis afferendis, quòd percurrerint totam circumjacentem regionem, & ægrotos in grabatis circumtulerint ad omnia ea loca ubi audiebant Jesum (successivè scilicet) esse, v.55. Quod ipsum per tres species declaratur in principio v.56. nempe quòd posuerint ægrotos in foris quocunque introisset Jesus in vicos, aut urbes, aut agros. Tertiò indicatur *causa impulsiva sanationis*, hoc est, quæ Christum impulit ad sanandum illos: nempe preces tum offerentium, tum ipsorum ægrotorum, v.56. Quartò indicatur *modus agendi* seu *forma miraculosæ sanationis*. videl. quòd sanati sint per contactum fimbriæ Jesu, v. eod.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 In patriam suam] εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ. *Id est, in urbem Nazareth, ubi fuerat educatus. De hac esse sermonem percipitur ex vers.3.*

2 Quòd etiam &c.] ὅτι καὶ *&c. Pro*, καὶ πόθεν τοῦτο, ὅτι δυνάμεις *&c. Et unde hoc quòd virtutes tales per manus ejus eduntur? Ellipsis supplenda ex collatione præcedentium.* Virtutes] δυνάμεις. *Id est, miracula. Metonymia efficientis, & synecdoche generis. Nam nomine* δυνάμεως, *id est, virtutis vel potiùs potentia, intelligitur primò potentia divina: deinde potentia illius effectum, nempe miraculum.*

3 Frater] ἀδελφὸς. *Id est, cognatus. Sic mox* Sorores, ἀδελφαί, *id est, cognata. Vide scholia in Matth.13.*

5 Virtutem] δύναμιν. *Id est, miraculum: ut v.2.* Ullam] οὐδεμίαν. *In Græco est gemina negatio ex more linguæ.* Nisi quòd] εἰ μή. *Deficit conjunctio* ὅτι. Sanavit] ἐθεράπευσε. *Ad verb.* Curavit. *Pro,* ἰάσατο. *Metonymia effecti destinati* κατὰ χρηστικήν. *neque enim artem θεραπευτικὴν exercuit Dominus ad sanandum: sed sanavit verbo, atque adeò nutu divinæ suæ potentiæ.*

6 Circuibat] περιῆγε. *Ad verb.* Circumducebat. *scil. seipsum. Phrasis Græca: cui similis Germanica,* **Er zoog herumb.**

7 Binos] δύο δύο. *Ad verb.* Duos duos. *Oratio distributiva Germ.* **Je zween vnd zween.** Potestatem in spiritus] ἐξουσίαν τῶν πνευμάτων. *Ad verb.* Potestatem spirituum: *Id est, exercendam in spiritus. Genitivus subjecti occupantis.*

8 Ad iter] εἰς ὁδὸν. *Seu*, in viam: **auff den weg / auff die räise.** Non æs] μὴ χαλκόν. *Id est, nummos: sive ex ære, sive ex auro argentóve: ut colligitur ex Matthæo. Metonymia materiæ, & synecdoche speciei.* In zona] εἰς τὴν ζώνην. *Pro,* ἐν τῇ ζώνῃ. *Scil.* κομιζόμενον, *gestari solitum. Enallage & ellipsis.*

9 Sed ut calcearentur sandaliis] ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια. *Vide scholia in Matth.10.v.10. Ad verb. sonat:* Sed ut subligarentur sandalia: *quod usitatiùs dicitur, Sed ut subligarent sandalia. Sic Act.12.v.8. Angelus in carcere dicebat Petro:* Præcingere, & subliga sandalia tua: ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. *Sandalia igitur erant genus calceamenti quod pedibus subligabatur. Syrus* σανδάλια *reddidit* טַלָרָא *telaré: quam vocem videtur mutuatus esse à Latinis, qui nominant talaria, quæ Græci* πέδιλα, *eò quòd talis annectebantur.*

10 Illinc] ἐκεῖθεν. *Id est, ex illo vico vel urbe.*

11 Et quicunque non receperint] καὶ ὅσοι ἂν μὴ δέξωνται. *Pro,* καὶ εἴ τινες ἂν μὴ δέξωνται. *Sermo* ἀνακόλουθος: *quippe quum antecedens enuntiati sit personæ tertiæ, consequens verò secundæ.* In testimonium adversus eos] εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. *Pro,* εἰς μαρτύριον ἐπ' αὐτούς: *ut habet Lucas cap.9.v.5. Porrò sensum horum verborum vide in scholiis in Matth.10.v.14.*

14 Rex] ὁ βασιλεύς. *A Matthæo nominatur* ὁ τετράρχης. *Vide scholia nostra in Matth.14.v.1.* Ejus] αὐτοῦ. *Nempe Jesu.* Virtutes] αἱ δυνάμεις. *Id est, vis edendi miracula.*

15 Quasi unus ex prophetis illis] ὡς εἷς τῶν προφητῶν. *Scil. antiquis illis: qui vixerunt temporibus regum & deinceps: quales fuerunt* Jesaias, Jeremias, *& reliqui.*

16 Hic est Johannes quem ego decollavi] ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα Ἰωάννην, οὗτός ἐστιν. *Ad verb.* Quem ego decollavi Johannem, hic est. *Enallage casus, qualis in illo:* Urbem quam statuo vestra est.

17 Missis *spiculatoribus*] ἀποστείλας. *Supple* σπεκουλάτορας: *ex collatione v.27. Dicebantur autem spiculatores Romanâ voce, satellites qui spicula gerebant ad defendendum corpus principis.*

21 Proceribus suis] τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ. *Vel, magnatibus.*

23 Usque ad dimidium regni mei] ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου. *Hoc annexum est per amplificationem, in hanc sententiam: Si vel dimidium regni mei à me peteres, daturus tibi essem. Quasi dicat: Quantò magis daturus tibi sum, si petas aliquid minus? Ratiocinatio est* ἀπὸ τοῦ ἥττονος, *i.e. ab eo quod minus videtur inesse.*

25 Cupidè] μετὰ σπουδῆς. *Ad verb.* Cum studio, *seu* festinatione. Velim] θέλω. Volo: *id est, peto.* Jam nunc] ἐξ αὐτῆς. *Subaudi,* ὥρας. *Id est, Ex hoc ipso temporis momento.*

26 Tristis] περίλυπος. *Alii, valde tristis. Vide scholia in Matth.26.v.38. Quamvis* tristis factus] περίλυπος γενόμενος. *Pro,* καίπερ περίλυπος γενόμενος. *Est enim hic vis enuntiati discretivi, vel potiùs occupativi.* Propter jusjurandum & eos qui simul accumbebant] διὰ τοὺς ὅρκους καὶ τοὺς συνανακειμένους. *Hoc potest bifariam accipi: vel simpliciter, ut indicentur duæ causæ quæ Herodē impulerint ad satisfaciendum petitioni puellæ: una, religio jurisjurandi; altera, metus ignominiæ ex opinione inconstantiæ quam concepturi fuissent proceres, nisi jusjurandum servasset. Vel possunt ista accipi per figuram Grammaticam* ἓν διὰ δυοῖν. *ut tantùm una causa significetur, videlicet metus ille ignominiæ: quasi dicatur, Propterea quòd juraverat audientibus proceribus suis qui simul accumbebant: ac proinde metuebat, ne ab illis haberetur levis & inconstans, si violaret jusjurandum. Posterior sententia probabilior videtur. non enim est probabile, Herodem motum fuisse religione jurisjurandi. nam si cordi ei fuisset religio seu pietas: facilè intellexisset, se ad impium jusjurandum non teneri: ac proinde maluisset hominibus videri levis, quàm re ipsâ committere scelus in occidendo homine quem ipse habebat pro justo & sancto.*

29 Spiculatore] σπεκουλάτωρα. *Vide scholia in versum 17.*

34 Multis *verbis*] πολλά. *Ut ante* πολλά *subaudiatur præpositio* κατὰ, *post verò nomen* ῥήματα. *Sic apud Xenophontem, referente Henr. Stephano in Thes.* πολλὰ μὲν ἐπαινέσαντες, πολλὰ δὲ δεξιωσάμενοι Κῦρον: *id est, Quum multis verbis laudassent, multisq; verbis excepissent Cyrum. Hanc expositionem genuinam puto: & alteri præfero quâ istud* πολλά *redditur* multa. *q.d.* De rebus multis. *quippe quum Jesus de una tantùm re docuerit, videl. de ratione perveniendi in regnum cælorum.*

35 Quum autem jam multus dies esset] καὶ ἤδη ὥρας πολλῆς γενομένης. *Ad verb.* Et jam horâ multâ factâ. *hoc est, Quum multum temporis diurni elapsum esset.*

37 *Num ut* profecti emamus] ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν. *Pro,* θέλεις οὖν ἵνα ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν. *Visne igitur ut profecti emamus. Ellipsis.*

39 Facere ut accumberent] ἀνακλῖναι. *Ad verb.* Reclinare: *sed significatione transitivâ, qualis est apud Hebræos conjugationis Hiphil. Sensus igitur est: Jussit eos efficere (scilicet mandando verbis Domini) ut sese reclinarent.* Per convivia] συμπόσια συμπόσια. *Ad verb.* Convivia convivia. *Oratio distributiva, ut suprà v.7.* δύο δύο. *Subaudienda autem præpositio* κατὰ. *Sic mox,* πρασιαὶ πρασιαί.

40 Centeni & quinquageni] ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα. *Vide scholia in Matth.14.v.19.*

45 In ulteriorem *ripam* Bethsaidæ oppositam] εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν. *Pro,* εἰς τὸ πέραν τὸ πρὸς Βηθσαϊδάν. *Scilicet* ὄν, *vel* κείμενον. *Ellipsis articuli. Vide scholia in Matth.14.v.22. item in Johan.6.v.17.*

48 Viditque eos vexari] καὶ εἶδεν αὐτοὺς βασανιζομένους. *Pro,* βασανίζεσθαι. *Græcismus.* In *navigio* provehendo] ἐν τῷ ἐλαύνειν. *Vel, In remis impellendis.* Volebat præterire] ἤθελε παρελθεῖν. *Id est, simulabat se velle præterire. Metonymia subjecti. Confer Luc. 24.vers.28.*

50 Confidite: ego sum: ne timete] θαρσεῖτε, ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε. *Pro, confidite: nam ego sum: ne igitur timete. Ellipsis conjunctionum, accommodata decoro sermonis, videlicet* τῇ ταχυτῆτι, *celeritati, accommodata ad erigendum consternatos.* Ego] ἐγώ. *Pronuntiandum cum emphasi, propter tacitam antithesin. Quasi dicat, Ego ipse: non autem spectrum mentiens speciem meam.*

56 Ut tangerent] ἵνα ἅψωνται. *Id est, ut permitteret sibi tangere. Metonymia subjecti.* Servabantur] ἐσώζοντο. *Id est, sanabantur.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

Quid sit discendum ex parte prima, vide in observationibus ex Matth.13.v.54.& sequentibus.

Ex parte secunda. Vide Matth.10.v.1.& seqq.

Ex tertia. Vide Matth.14.v.1.& deinceps.

Ex quarta. Vide Matth.14.v.13.& deinceps.

Ex quinta. Vide Matth.14.v.22.& deinceps.

Ex parte sexta. Vide Matth.14.v.35.& 36.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Partes sunt tres, prout tria narrantur de Christo. 1. Disputat cum Pharisæis & scribis de cultu Dei. 2. Ejicit dæmonium ex filia mulieris Chananææ. 3. Sanat surdum quendam difficulter loquentem.

PRIMA PARS.

Disputat cum Pharisæis & scribis de cultu Dei.

TUnc congregantur ad eum Pharisæi, & quidam ex scribis, qui venerant Hierosolymis.

2 Et quum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus (id est, illotis) edere panem, culpârunt.

3 Nam Pharisæi & omnes Judæi, nisi studiosè laverint

verint manus, non edunt; tenentes traditionem seniorum.

4 Et à foro *venientes*, nisi loti fuerint, non edunt. Et alia multa sunt quæ acceperunt tenenda; nempe lotiones poculorum, & sextariorum, & æramentorum, & lectorum.

5 Deinde interrogarunt eum Pharisæi & scribæ, Quare discipuli tui non ambulant secundùm traditionem seniorum, sed illotis manibus edunt panem?

6 Ille verò respondens dixit eis, Enimverò bene prophetavit Esaias de vobis hypocritis: ut scriptum est, Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum procul abest à me.

7 Frustra verò me colunt, docentes doctrinas *quæ sunt* mandata hominum.

8 Nam omisso mandato Dei, tenetis traditionem hominum, lotiones sextariorum & poculorum: aliaque similia ejusmodi multa facitis.

9 Præterea dixit eis, *Sanè* bene abrogatis mandatum Dei, ut traditionem vestram servetis.

10 Moses enim dixit, Honora patrem tuum & matrem tuam: &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

11 Vos autem dicitis, Si dixerit quispiam patri vel matri, Corban, (id est, munus) *erit*, quocunque à me juvari posses: *insons erit*.

12 Nec permittitis ampliùs eum quicquam præstare patri suo aut matri suæ:

13 Abrogantes sermonem Dei traditione vestrâ quam tradidistis: & similia hujusmodi multa facitis.

14 Præterea advocatâ totâ turbâ, dixit eis, Audite me omnes, & intelligite.

15 Nihil est extra hominem quod ingrediens in eum, possit eum communem reddere: sed quæ egrediuntur ex eo, illa sunt quæ communem reddunt hominem.

16 Si quis habet aures ad audiendum, audiat.

17 Et quum introisset domum, *digressus* à turba, interrogarunt eum discipuli ejus de parabola.

18 Tunc dicit eis, Itáne & vos intelligentiâ vacui estis? Non intelligitis, quicquid extrinsecus ingreditur in hominem, non posse eum communem reddere?

19 Non enim ingreditur in cor ejus, sed in ventrem: & in latrinam abit, purgans omnes escas.

20 Dicebat autem, Quod ex homine egreditur, illud communem reddit hominem.

21 Intus enim ex corde hominum malæ cogitationes egrediuntur, adulteria, scortationes, cædes,

22 Furta, avaritiæ, scelera, dolus, protervia, oculus malus, maledicta, superbia, amentia.

23 Omnia hæc scelera intus exeunt, & communem reddunt hominem.

PRimùm narratur disputationis hujus *occasio*, videlicet quòd viderant Pharisæi & scribæ quosdam ex discipulis Christi edere manibus illotis, v.1. & 2. Hinc enim occasionem arripuerunt, illos apud Christum criminandi: atque ita obliquè Christum ipsum, ut qui hoc illis permitteret. Deinde exponitur *criminationis istius causa*, videlicet consuetudo Judæorum contraria, v.3. & 4. quæ consuetudo declaratur per speciem, quòd scilicet manus lavent studiosè; & per causam impulsivam, quòd teneant traditionem seniorum & per enumerationem consuetudinum similium, ut patet in textu. Tertiò recitatur *criminatio ipsa*, v.5. Unde percipitur, Pharisæos & scribas sensisse, Deum colendum esse per observationem traditionum humanarum: quippe quum propter istius observationis omissionem culpârint discipulos Christi, tanquam peccantes in cultum Dei. Quartò recitatur *recriminatio Christi*, quâ in Pharisæis & scribis culpat duo: hypocrisin & superstitionem. Quod crimen utrumque illustrat exemplo simili veteris populi, qui vixit temporibus prophetæ Esaiæ: cujus querelam de illo populo ad istos accommodat, v.6. & 7. Deinde superstitionem ipsorum declarat, v.8. & seqq. ac nominatim demonstrat, aboleri ab ipsis quintum decalogi præceptum. Quintò recitatur *sermo Christi ad turbam*, quò eam monet, observationes Pharisaicas circa cibum superstitiosas esse: & contrà significat, quibus rebus homo verè coram Deo polluatur, v.14.15. & 16. Sextò *sermonem illum discipulis privatim declarat*, v.17. & seqq. ubi primùm narratur istius declarationis causa impulsiva, videlicet interrogatio discipulorum, v.17. deinde istius interrogationis eventus, videlicet acris discipulorum reprehensio propter stupiditatem, v.18. Tum declaratio ipsa, v.19. & seqq.

SECUNDA PARS.

Ejicit dæmonium ex filia mulieris Chananææ.

24 Et illinc surgens abiit in confinia Tyri ac Sidonis: & ingressus domum, neminem volebat *hoc* scire: sed non potuit latere.

25 Quum enim de eo audisset mulier, cujus filiola habebat spiritum impurum, venit & accidit ad pedes ejus:

26 (Erat autem mulier Græca, Syrophœnissa genere) & rogavit eum ut dæmonium ejiceret ex filia sua.

27 Jesus autem dixit ei, Sine priùs saturari liberos: non est enim bonum accipere panem liberorum, & objicere catellis.

28 Ipsa verò respondit, & dixit ei, Etiam Domine: etenim catelli edunt sub mensa ex micis puerorum.

29 Tunc dixit ei, Propter istum sermonem abi: exiit dæmonium ex filia tua.

30 Quum autem *illa* abiisset domum suam, invenit dæmonium exiisse, & filiam jacentem super lectum.

Primùm indicatur *locus* ubi Christus versans, dæmonium illud ejecit, videlicet in finibus Tyri & Sidonis, v.24. Deinde *causa corrumpens*, quæ videbatur isti ejectioni obstatura, nempe quòd volebat latere, ibid. Tertiò *occasio*, quòd mater puellæ dæmoniacæ audierat Christum esse præsentem, v.25. Quartò *causa impulsiva*, videlicet petitio istius mulieris, v.25. & 26. Quintò *causa corrumpens alia*, videlicet recusatio Christi, v.26. Sextò *causa impulsiva alia*, videlicet perseverantia mulieris in sua petitione: ubi argumentum recusationis scitè invertit: significans, se tantam gratiam non petere quanta deberetur (nimirum ex promissione Dei) Judæis tanquam filiis: sed instar catelli, micis gratiæ ipsius contentam fore, v.28. Septimò narratur *miraculum ipsum*, v.29. & 30.

TERTIA PARS.

Sanat surdum quendam difficulter loquentem.

31 Tunc regressus è finibus Tyri ac Sidonis venit ad mare Galilææ, per medios fines Decapolis.

32 Et offerunt ei surdum difficulter loquentem: & precantur eum ut imponat ei manum.

33 *Ipse* verò quum abduxisset eum è turba privatim, indidit digitos suos in aures ejus: & quum spuisset, tetigit linguam ejus.

34 Ac suspiciens in cælum, ingemuit, dixitque ei, Ephphata: quod est, Adaperitor.

35 Et statim adapertæ sunt ejus aures: & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

36 Et interdixit eis ne cui dicerent. Sed quantò magis ipse eis interdicebat, tantò magis *hoc* prædicabant.

37 Et supra modum percellebantur, dicentes, Bene omnia fecit: facit ut & surdi audiant, & muti loquantur.

Primùm indicatur *locus* ubi hoc miraculum factum est, videlicet ad mare Galilææ, v.31. Deinde *causa impulsiva*, nempe petitio offerentium, v.32. Tertiò *forma seu modus agendi*, v.33. & 34. constans membris quatuor. 1. Indidit digitos in aures ejus. 2. Sputo illevit linguam ejus. 3. Suspiciens in cælum ingemuit. 4. Dixit, Ephphata: quod est, *Adaperitor*. Quartò narratur *miraculum ipsum*, v.35. Quintò *eventa* numero tria. 1. Christus interdixit ne cui dicerent, v.36. 2. Illi contrà eò magis beneficium acceptum prædicarunt, vers. 36. & 37. 3. Supra modum perculsi sunt, v.37.

SCHOLIA IN CAP. VII.

2 Communibus manibus] *κοιναῖς χερσί. Vide scholia in Matth. 15. vers. 11.* Quum vidissent edere] *ἐσθίοντας ἰδόντες. Pro, ἰδόντες: Græcismus.* Edere panem] *ἐσθίοντας ἄρτους. Matthæus habet, ἄρτον, numero singulari. Et sic habetur infrà v.5. Ut probabile sit ἄρτους pro ἄρτον hic irrepsisse. Ponitur autem panis pro cibo, per synecdochen speciei Hebraicam.*

3 Studiosè] πυγμῇ. *Ad verb.* Pugilatu. *Metaphora.*

5 Non ambulant] οὐ περιπατοῦσι. *Id est, non vivunt, non agunt, non segerunt. Metaphora Hebraica usitatissima.* Secundùm traditionem] κατὰ τὴν παράδοσιν. *Id est, ex præscripto traditionis.*

6 Bene prophetavit de vobis] καλῶς προεφήτευσε περὶ ὑμῶν. *Id est, Dictum illud Esaiæ, & querimonia de hypocrisi populi sui temporis, tam bene in vos quadrat, ac si de vobis nominatim prophetatum esset. Metaphora καταχρηστική.*

9 Sanè benè] καλῶς. *Ironia* Ei wie fein.

10 Morte moriatur] θανάτῳ τελευτάτω. *Id est, capite plectitor.*

11 Corban (id est, munus) *erit* &c.] Κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον *&c. Vide scholia in Matth. 15. v. 5.*

13 Traditione vestrâ quam tradidistis] τῇ παραδόσει ὑμῶν ᾗ παρεδώκατε. *Pro,* ἐκείνῃ ἣν παρεδώκατε. *Pleonasmus Marco familiaris.*

15 Communem reddere] κοινῶσαι. *Id est, polluere seu immundum reddere, scil. coram Deo, ut Deo displiceat. Sic deinceps.*

21 Intus] ἔσωθεν. *Quasi dicas, Deintus, vel, Ab intus: id est, ex interioribus hominis partibus. Nam syllaba* θεν *notat motum de loco. Germanicè,* von innen.

22 Oculus malus] ὀφθαλμὸς πονηρὸς. *Id est, oculus invidus: ut Matth. 20. v. 15.*

25 Vênit] ἐλθοῦσα. *Non tamen in domum quam ingressus fuerat Jesus: sed in viam per quam Jesus domo egressus ambulabat: ut percipitur ex verbis discipulorum, Matth. 15. v. 23.* Accidit ad pedes ejus] προσέπεσε *&c. Quum priùs à tergo Jesum inclamasset: ut planum est ex loco modò citato.*

27 Non est enim bonum] οὐ γάρ καλόν ἐστι. *Id est, Non est æquum: vel, non decet.*

28 Etenim] καὶ γάρ. *Vide scholia in Matth. 15. 27.*

30 Jacentem] βεβλημένην. *Ad verb* Jactam. *Ex antecedente intelligitur consequens, ex causa efficiente effectus, per metonymiam.*

31 Decapolis] Δεκαπόλεως. *Vide supr. in c. 5. v. 20.*

32 Offerunt] φέρουσιν. *Id est,* Adducunt, προσάγουσιν.

33 Indidit] ἔβαλε. *Ad verb.* Jecit. *Catachresis Græca.*

34 Ephphatha] ἐφφαθά. *Vox Syriaca: quæ Hebraicis literis scribitur* אֶתְפַּתַח *ethpatach.*

35 Aures] αἱ ἀκοαί. *Pro,* τὰ ὦτα. *Ad verb.* auditus, *numero plurali: sive,* auditiones. *Metonymia adjuncti vel effecti.*

OBSERVAT. EX CAP. VII.

Quid sit discendum ex parte prima, videl. disputatione Christi cum Pharisæis & scribis de cultu Dei: vide in observationib. ex Matth. cap. 15. à principio usque ad v. 22.

Quid sit discendum ex parte secunda, videl. de ejectione dæmonii ex filia mulieris Cananææ: vide in observationibus ex Matth. cap. 15. à v. 22. usque ad 29.

Ex parte tertia de sanato surdo, eodemque submuto, discenda sunt hæc.

Sacramentorum operatio qualis? 1 Ex v. 33. Sicut iste surdus & mutus sanatus fuit non vi digitorum Christi auribus ejus immissorum, nec vi sputi quo linguam ejus illevit; sed vi potentiæ ipsius divinæ: sic fideles in fide confirmantur, & beneficiorum Christi magis magisque participes redduntur, non per ipsa Sacramenta, seu vim illis insitam, externámve illorum perceptionem: sed per Spiritum sanctum, qui testimonia illa divina efficacia reddit.

Precandi gestus. 2 Ex v. 34. Christus Patrem oraturus, in cælum suspexit. Hic gestus nobis imitandus proponitur.

Qua ratione Deus dicatur esse in cælo. 3 Ex iisdem verbis Etsi Deus ubique est, tamen in cælo illo summo, quod gaudiis beatorum angelorum & hominum destinatum est, dicitur esse per excellentiam: quia ibi sese beatis angelis & hominibus plenissimè communicat & in æternum communicaturus est.

Secundùm utram naturam Christus sit adorandus. 4 Ex iisdem verbis. Quum fieri non possit ut Christus eodem respectu à nobis adorandus sit, quo ipse Patrem adoravit: statui autem aliter per orthodoxam fidem non possit, quàm quòd ipse Patrem adorârit ut homo, seu secundùm humanam naturam: consequens est, ipsum à nobis non esse adorandum secundùm naturam humanam, sed secundùm divinam tantùm, seu quatenus Deus est. Falsum igitur dogma Ecclesiæ obtrudere conantur qui hodie contendunt, carnem Christi adorandam esse, ut nimirum argumento à pari ducto, possint evincere id quod arctissimè tenent & unicè defendunt, Corpus Christi ubiq; esse.

Operatio Christi regia. 5 Ex v. 35. Sicut Christus suâ gratiâ & divinâ potentiâ aures corporis aperuit huic surdo, ejusdemque muti vinculum linguæ solvit: ita etiam gratiâ suâ & divinâ potentiâ aperit aures cordium in electis, ut audiant (id est intelligant) mysteria regni Dei: & solvit linguam eorum ad prædicandum laudes Dei.

Officium ministrorum verbi. 6 Ex v. 36. Exemplo Christi cavendum doctoribus ecclesiæ, ne donis Dei abutantur ad ambitionem & κενοδοξίαν: sed ut modestiæ studeant. Christus enim non solùm non ambivit gloriam ex miraculis: sed etiam divulgationem illorum interdixit.

Officium hominis Christiani. 7 Ex v. 37. Exemplo turbæ debemus prædicare beneficia Dei in nos collata: ac nominatim, quum aperuit nobis aures cordis, & linguas solvit ut possimus quæ decent & vera atq; utilia sunt, loqui de mysteriis regni Dei.

ANALYSIS CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

Partes sunt sex. 1. Christus miraculosè cibat turbam. 2. Recusat signum dare Pharisæis. 3 Monet discipulos de cavendo fermento Pharisæorum & Herodis. 4. Sanat quendam cæcum. 5. Testatur discipulis, se esse Christum: nec non se passurum & resurrecturum. 6. Hortatur discipulos ad patientiam persecutionis propter confessionem evangelii.

PRIMA PARS.

Cibat turbam miraculosè.

1 DIebus illis, quum multa omnino turba esset, nec haberent quo vescerentur, advocavit Jesus discipulos suos, dixitque eis:

2 Misericordiâ commoveor erga turbam: quia jam triduum manent apud me, nec habent quo vescantur.

3 Quòd si dimisero eos jejunos domum suam, deficient in via. quidam enim ex eis procul venerunt.

4 Responderunt autem ei discipuli ejus, Unde istos quispiam possit hîc satiare panibus in deserto?

5 Interrogavit autem eos, Quot panes habetis? Ipsi verò dixerunt, Septem.

6 Tunc præcipit turbæ ut discumberet humi: & acceptis septem illis panibus, quum gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis ut apponerent: & apposuerunt turbæ.

7 Habebant autem pisciculos paucos: & quum benedixisset, dixit ut hos etiam apponerent.

8 Comederunt autem, & saturati sunt. Et sustulerunt fragmentorum quæ superfuerant, septem sportas.

9 Erant autem qui comederant, quasi quater mille. Tum dimisit eos.

PRimùm indicatur miraculi hujus *occasio*, eademque *causa procatarctica*: nempe quòd Christus animadverteret, turbam defici cibo, & esurire, v. 1. 2. & 3. Secundo *præparatio* triplex. Primùm præparavit animos discipulorum significatione defectus cibi, & affectus sui erga turbam: atque ita simul indicatur *causa miraculi antecedens*, σπλαγχνισμὸν, videlic. misericordia Christi, v. 2. 3. & 4. Deinde præparavit materiam, videlicet panes quos erat multiplicaturus, v. 5. Tum præparavit animos turbæ, præcipiendo ut discumberent, atque ita tacitè promittendo se illos cibaturum, v. 6. Tertiò narratur *ipsa miraculi forma seu modus agendi*: nempe quòd panes illos septem & pisciculos paucos multiplicaverit per preces & fractionem ac distributionem, vers. 6. & 7. Quartò narrantur miraculi *eventa* tria. 1. Comederunt. 2. Saturati sunt. 3. Sustulerunt fragmentorum sportas septem, v. 8. Postremò amplificatur miraculum à *numero* convivarum, v. 9.

SECUNDA PARS.

Recusat signum dare Pharisæis.

10 Et statim ingressus in navigium cum discipulis suis, vênit in partes Dalmanutha.

11 Et venerunt Pharisæi, cœperuntque altercari cum eo, petentes ab eo signum è cælo, tentantes eum.

12 Ipse verò, quum altè ingemuisset spiritu suo, dixit, Cur natio ista signum requirit? Amen dico vobis, Si dabitur nationi isti signum.

13 Et eis relictis, ingressus rursus navigium, abiit in ulteriorem *ripam*.

Primùm indicatur *locus* ubi Pharisæi signum à Christo petiverunt, videl. in regione Dalmanutha. Deinde *petitio Pharisæorum*, illustrata ex occasione: quæ fuit altercatio cum Christo, qua scil. contendebant, ipsum non esse prophetam à Deo missum. item ex adjuncto, videl. hypocrisi petentium, quòd signum petiverint tentantes eum. Tertiò narratur *recusatio Christi*; amplificata ex adjunctis, videl. gemitu & querela de istorum malitia. Quartò additur *eventus*, videl. discessus Christi.

TERTIA PARS.

Monet discipulos de cavendo fermento Pharisæorum & Herodis.

14 Fuerant autem obliti discipuli sumere panes, & panem non habebant nisi unum secum in navigio.

15 Tunc interdixit eis, dicens, Videte, cavete à fermento

mento Pharisæorum & fermento Herodis.

16 Disceptabant igitur alii adversus alios, dicentes, Panes non habemus.

17 *Id* autem quum cognovisset Jesus, dixit eis, Quid disceptatis quòd panes non habetis? Nondum animum advertitis, nec intelligentiâ præditi estis? Adhuc stupidum habetis cor vestrum?

18 Quum oculos habeatis, non cernitis? & quum aures habeatis, non auditis? nec meministis?

19 Quum quinque illos panes fregi in illos quinquies mille, quot cophinos fragmentis plenos sustulistis? Dicunt ei, Duodecim.

20 Quum autem septem illos in illos quater mille, quot sportas fragmentis plenas sustulistis? Illi verò dixerunt, Septem.

21 Tunc dixit eis, Quomodo *igitur hæc* non intelligitis?

Primùm indicatur admonitionis hujus *occasio*, nempe quòd Christus animadvertisset, discipulos oblitos esse sumere panes ad iter. Deinde recitatur *ipsa admonitio*. Tertiò *eventa* duo. Primum, disceptatio discipulorum de sensu verborum Christi, & falsa eorundem acceptio: secundum, acris reprehensio Christi, qua reprehendit stuporem discipulorum; quem convincit commemoratione duorum miraculorum paulò antè editorum in turba cibanda. Quo loco ex collatione Matthæi notandum, discipulos ex illa reprehensione percepisse sensum verborum Christi, nempe quòd nomine fermenti intellexisset doctrinam.

QUARTA PARS.

Sanat quendam cæcum.

22 Venit autem Bethsaidan: & obtulerunt ei cæcum, & precati sunt eum ut ipsum tangeret.

23 Tunc prehensâ manu cæci, eduxit eum extra vicum: & quum inspuisset in oculos ejus, imposuissetque ei manus, interrogavit eum, ecquid videret.

24 Qui quum oculos sustulisset, dixit, Video homines: nam cerno instar arborum ambulantes.

25 Deinde rursum imposuit manus oculis ejus, fecitque ut *denuò* oculos attolleret: & restitutus est, viditque procul & dilucidè omnes.

26 Tunc *Jesus* misit eum domum suam, dicens, Neque in vicum illum ingreditor, neque *hæc* dicito cuiquam in vico.

Primùm indicatur *locus* ubi Christus cæcum sanavit, videlicet prope vicum Bethsaidan, v.22. & 23. Deinde *causa impulsiva*, videlicet petitio offerentium, v.22. Tertiò *forma seu modus agendi*, constans membris sex. 1. Eduxit eum extra vicum. 2. Inspuit in oculos ejus. 3. Imposuit ei manus. 4. Interrogavit eum ecquid videret. 5. Accepto responso quòd nondum perfectè cerneret, rursum imposuit manus oculis ejus. 6. Jussit ut oculos attolleret. Quartò narratur *miraculum ipsum*: v.25. Postremò *eventus*: videl. præceptum Christi triplex, v.26.

QUINTA PARS.

Testatur se esse Christum: item passurum & resurrecturum.

27 Ingressus est autem Jesus ac discipuli ejus in vicos Cæsareæ *quæ cognominatur* Philippi: & in via interrogavit discipulos suos, dicens eis, Quem me dicunt homines esse?

28 Illi verò responderunt, Johannem Baptistam: & alii, Eliam: alii verò, unum ex prophetis.

29 Tunc ipse dixit eis, Vos autem quem me dicitis esse? Respondens verò Petrus dicit ei, Tu es ille Christus.

30 Tunc interminatus est ut nulli *id* dicerent de se.

31 Et cœpit eos docere quòd oporteret Filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, principibusque Sacerdotum, ac scribis, & trucidari: & tertiò pòst die resurgere.

32 Et apertè eum sermonem loquebatur. Tunc prehendit eum Petrus, cœpitque objurgare eum.

33 Ipse verò conversus, & intuitus discipulos suos, objurgavit Petrum, dicens, Abscede à me, Satana: nam non sapis quæ Dei *sunt*, sed quæ *sunt* hominum.

Primùm indicatur *locus & tempus*, ubi & quando Dominus ista arcana discipulis patefecit, videlicet in via quum iret in vicos Cæsareæ Philippi, vers.27. Deinde narratur *præparatio*, quâ se ad illam patefactionem præparavit, videlicet per inquisitionem de judiciis tum aliorum tum ipsorum discipulorum, vers. 27.28.29. Tum *patefactio arcani prioris*, quæ amplificatur adjuncto interdicto patefaciendi aliis, v.30. Quartò *patefactio arcani posterioris*; illustrata indicatione causarum efficientium passionis, & circumstantiæ temporis resurrectionis, v.31, nec non modi agendi, quòd videlicet sermonem illum de passione sua loquutus sit cum παῤῥησίᾳ, apertè & planè, nullâ usus circuitione aut parabolâ, in principio v.32. Quintò narratur *eventus patefactionis posterioris*, videlicet dehortatio Petri, v.32. Sextò & postremò *eventus illius dehortationis*, videlicet gravissima objurgatio Domini, v.33.

SEXTA PARS.

Hortatur discipulos ad patientiam persecutionis propter confessionem evangelii.

34 Et quum advocasset turbam cum discipulis suis, dixit eis, Quicunque vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me.

35 Nam quisquis voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam causâ meâ & evangelii, is servabit eam.

36 Quid enim profuerit cuipiam, si lucratus fuerit mundum totum, & animâ suâ mulctetur?

37 Aut quam dabit quispiam compensationem animæ suæ?

38 Nam quemcunque puduerit mei ac meorum sermonum in natione ista adultera, & peccatrice; Filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis.

Primùm innuitur *occasio* hujus hortationis, per ipsam orationis seriem: videlicet falsa opinio Petri de regno Christi, quam patefecerat per illam dehortationem ab adeunda passione. Deinde proponitur *ipsa hortatio*, ibi, *Quicunq; vult me sequi*. Tertiò subjungitur hortationis *confirmatio* ab effectis: videlicet tum ab effecto noxio abnegationis, tum ab effecto salutari confessionis, v.35. Effectum abnegationis est exitium æternum; effectum confessionis, est salus æterna. Exitium æternum primùm amplificatur antithesi bonorum terrenorum, idque per collationem imparium, v.36.& 37. Deinde declaratur à causa agente & illius actione judiciali, ibi, *Filium etiam hominis pudebit ejus, &c.* v.38.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

3 Venerunt] ἥκουσι. *Ad verb.* veniunt. *Enallage temporis. Pro,* ἧκον. *Potest etiam verti,* venerant. *ut hæc sint verba Evangelistæ. Similis ætiologia occurrit* Joh.4.v.9.

8 Sustulerunt] ἦραν. *Scil. discipuli: ut liquet ex Matth.16.10.*

10 Dalmanutha] Δαλμανουθά. *Nomen regionis.*

11 Petentes] ζητοῦντες. *Ad verb.* quærentes. Signum] σημεῖον. *Quo scilicet demonstraret, se esse doctorem à Deo missum, ac proinde doctrinam suam esse veram.*

12 Spiritu suo] τῷ πνεύματι αὐτοῦ. *Id est, animâ suâ, seu mente suâ.* Si dabitur] εἰ δοθήσεται. *Pro, Non dabitur. Est formula jurandi Hebraica; in qua subauditur consequens connexi quo continetur imprecatio, qua quis sibi ipsi malum imprecatur, quasi dicat: Si dabitur, puniat me Deus. Interdum additur consequens generalibus verbis conceptum: Faciat mihi Deus hoc vel illud.*

16 Disceptabant] διελογίζοντο. *Scil. de sensu verborum Domini: quid sibi vellet nomine fermenti.* Panes non habemus] ὅτι ἄρτους οὐκ ἔχομεν. *Id est: Dominus culpat nostram negligentiam, quòd obliti sumus nobiscum sumere panes: & submonet de periculo famis.*

17 Stupidum] πεπωρωμένην. *Obduratum, callo obductum,* verhertet.

20 Quomodo *igitur*] πῶς. *Pro,* πῶς οὖν. *Ellipsis conjunctionis syllogisticæ.*

25 Fecitque] καὶ ἐποίησεν. *Id est, jussit. Metonymia effecti: vel, synecdoche generis.* Procul & dilucidè] τηλαυγῶς. *Vox Græca duarum istarum vim habet: quippe composita ex adverbio* τῆλε, *id est, procul, & nomine* αὐγή, *id est, splendor.*

27 Cæsareæ *quæ cognominatur* Philippi] Καισαρείας τῆς Φιλίππου. *Vide scholia in Matth 16.v 13.*

29 Ille Christus] ὁ χριστὸς *vel, unctus ille,* der Gesalbte. *id est, rex ille à Deo promissus populo suo.*

31 Tertio pòst die] μετὰ τρεῖς ἡμέρας. *Ad verb.* Pòst tres dies.

33 Satana] Σατανᾶ. *Vide scholia in Matth.16.v.23.*

34 Me sequi] ὀπίσω μου ἐλθεῖν *Ad verb.* Pone me, *vel,* pòst me, venire. *Hebraismus: Pro,* ἀκολουθεῖν ἐμοί.

38 In natione &c.] ἐν τῇ γενεᾷ *&c. Id est, Coram natione ista.* Quemcunque puduerit] ὃς ἂν ἐπαισχυνθῇ. *Pro,* εἴ τις ἂν ἐπαισχυνθῇ. *Sermo* ἀνακόλουθος: *sequitur enim,* καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαι-

χυνθήσεται. quæ verba constituunt consequens connexi. Similis loquendi forma fuit suprà cap.4.v.11. In gloria] ἐν τῇ δόξῃ. *Indutus quasi gloria seu majestate.* Cum angelis] μετὰ τῶν ἀγγέλων. *Comitatus Angelis.*

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

Quid discendum sit ex prima parte, videl. de turba miraculosè à Domino cibata: vide in observat. ex Matth.15. à v.32. usque ad finem capitis.

Quid sit discendum ex parte secunda, de signo Pharisæis recusato: vide in observationibus ex Matth.16. à principio capitis usque ad v.5.

Quid sit discendum ex parte tertia, de cavendo fermento Pharisæorum: vide in observationibus ex Matth.16. à vers.5. usque ad 22.

Officium hominis Christiani.

1 Ex v.22. Exemplo eorum qui cæcum illum ad Dominum adduxerunt, monemur: proximo ope operâve nostrâ egenti promptè inserviendum esse. De cæcis exstat lex, ne quis illis ponat offendiculum, Levit.19.v.4.

Dona Dei non sunt ostentanda.

2 Ex v.23. Ex eo quòd Dominus cæcum illum miraculosè sanaturus, duxit eum extra vicum: monemur, dona Dei non esse ostentanda. Sic sanaturus filiam Jaeiri, solis parentibus tribusque discipulis testimonii causâ admissis, reliquos omnes repulit. Eodem pertinet, quòd v.26. cæco mandat, ne miraculum hoc mox in vico divulget. Simile exemplum interdicti fuit suprà c.7. v.36. in sanato surdo ac muto.

Operatio Sacramentorũ.

3 Ex v. eod. Quomodo modus ille sanandi cæci, per sputum scilicet & manuum impositionem, faciat ad declarandum naturam Sacramentorum: vide suprà in observatione ex v.33. cap.7.

Illuminatio mentis fit per gradus.

4 Ex v.23. 24. & 25. Ex eo quòd Dominus cæco illi visum dedit per gradus, quum tamen posset dare in uno momento: monemur, placere illi hanc rationem observare quoque in dando nobis visu spirituali: hoc est, in illuminandis oculis mentis nostræ ad salvificam cognitionem Dei. Quare unusquisque eâ cognitionis mensurâ contentus sit, quâ Dominus eum donare dignatur: donec veniat tempus illud perfectionis, quo videbimus Deum facie ad faciem: ut loquitur Paulus 1.Cor.13. sub finem.

Officium hominis Christiani.

Quid sit discendum ex parte quinta, de Christi scil. persona, passione & resurrectione: vide in observationibus ex Matth.16. à v.23. usque ad v.64.

Quid discendum sit ex parte sexta, de patientia persecutionis propter confessionem evangelii: vide in observat. ex Matth. 16. à v.24. usque ad v.ult.

ANALYSIS CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Partes sunt sex. 1. Jesus transformatur. 2. Erudit discipulos de adventu Eliæ. 3. Ejicit spiritum mutum & surdum. 4. Iterum prædicit discipulis passionem suam & resurrectionem. 5. Hortatur discipulos ad humilitatem seu demissionem animi. 6. Sermonem habet ad discipulos continentem varia, ac in primis admonitionem de scandalo.

PRIMA PARS.

Jesus transformatur.

Præterea dixit eis, Amen dico vobis, Sunt quidam ex iis qui hìc adstant, qui nequaquam gustabunt mortem usquedum viderint regnum Dei venisse cum potentia.

2 Sexto verò pòst die assumit Jesus Petrum & Jacobum & Johannem, & subducit eos solos in montem sublimem privatim: & transformatus fuit coram eis.

3 Et vestimenta ejus facta sunt coruscantia, candida valde ut nix, qualia non potest fullo in terra dealbare.

4 Et conspectus est eis Elias cum Mose; qui colloquebantur cum Jesu.

5 Tunc respondens Petrus dicit Jesu, Rabbi, bonum est nos hìc esse: faciamus igitur tabernacula tria; tibi unum, & Mosi unum, & Eliæ unum.

6 Nec enim sciebat quid loqueretur: erant enim exterriti.

7 Et exstitit nubes quæ inumbravit eos: venitque vox è nube, dicens, Hic est filius ille meus dilectus, ipsum audite.

8 Et repentè quum circumspexissent, non ampliùs viderunt quenquam, nisi solum Jesum secum.

9 Quum verò descenderent è monte, interdixit eis ne cui narrarent quæ viderant, nisi quum filius hominis à mortuis resurrexisset.

10 *Ipsi* igitur id continuerunt apud se, mutuo quærentes quid illud esset, A mortuis resurgere.

Primus versus pertinet ad caput præcedens. Cohæret enim cum ultimo ejus versu, tanquam appendix, qua Christus promittit, se gloriæ suæ regiæ specimen brevi exhibiturum quibusdam ex adstantibus, videlicet effusionem Spiritus sancti in die Pentecostes. Narrationis verò de transformatione Christi membra sunt octo. Primò indicatur *tempus* quo transformatio ista facta fuit, v.2. Secundò *spectatores seu testes* coram quibus facta, ibid. Tertiò *locus* ubi fuit facta, ibid. Quartò *transformatio ipsa* describitur, v.3. Quintò narratur adjuncta *appendix*, v 4. Sextò *effectum transformationis in Petro & cæteris spectatoribus*, v.5. & 6. Septimò *alia appendix*: eaque gemina, Nubes & Vox è nube, v.7. Octavò narrantur *eventa* duo: unum, cessatio transformationis, v.8. Alterum, interdictũ de illa patefacienda, v.9. & 10.

SECUNDA PARS.

Erudit discipulos de adventu Eliæ.

11 Et interrogârunt eum dicentes, *Quid est* quòd scribæ dicunt, oportere ut Elias priùs veniat.

12 Ipse verò respondens dixit eis, Elias quidem priùs veniens, restituet omnia: & ut scriptum est de filio hominis, *oportet* ut multa patiatur, & pro nihilo habeatur.

13 Sed dico vobis, & Eliam venisse, & *istos* ei fecisse quæcunque voluerunt; sicut scriptum est de eo.

Primùm narratur institutionis hujus *causa impulsiva*, v.11. Deinde *institutio ipsa*, v.12. & 13. *Causa impulsiva* fuit quæstio discipulorum: cui occasionem præbuit interdictum Domini de patefacienda visione illa transformationis sui in monte, quatenus in illo fecit mentionem resurrectionis suæ à morte tanquam brevi futuræ. Discipuli enim etsi id non intelligerent, tamen accipiebant (ut apparet) tanquam dictum de inchoatione regni Christi: quod quum illi sibi imaginarentur fore terrenum, & aliquanto tempore antè venturum Eliam illum Thesbitem: quærunt, quomodo promissio illa Domini de brevi futura inchoatione regni sui conveniret cum doctrina scribarum de præcessuro adventu Eliæ. Atque hæc ipsa quæstio Dominum impulit ad ipsos erudiendum, ut scil. eis errorem quem à scribis hauserant, eximeret. Quæstionis sententia hæc est. Tu significas te brevi inchoaturum regnum tuum: attamen nondum venit Elias: quem tamen priùs venire oportet: ut scribæ ex propheta Malachia tradunt. Quomodo igitur traditio scribarum cum tua promissione convenit? Syllogismus:

Si tu ita brevi inchoaturus esses regnum tuum, sicuti promittis: oporteret jam venisse Eliam. Hunc enim priùs venturum docent scribæ ex Malachia.

At Elias nondum venit.

Non igitur videtur te ita brevi inchoaturum regnum tuum, sicuti promittis.

Ad hanc objectionem Dominus respondet, atque ita eos de adventu Eliæ erudit. *Respondet* autem concedendo rationem propositionis: & ex consequenti propositionem ipsam: negando verò assumtionem, quatenus affirmat contrarium: tum denique significando, quis fuerit ille Elias, nempe Johannes Baptista: id quod innuit ex adjuncto supplicio, quod ipsum significat verbis generalibus. Cæterum concessionem rationis propositionis amplificat collatione prophetiæ de passione Christi, tanquam similiter antecessurâ regnum illius: ut ita illis eximat opinionem de regno terreno. q. d. Sicut prædictum est, Eliam venturum antequam Christus incipiat regnare: ita etiam prædictum est, Christum passurum antequam incipiat regnare. Et sicut prophetia de adventu Eliæ est impleta: sic etiam oportet impleri prophetiam de Christi passione.

TERTIA PARS.

Ejicit spiritum mutum & surdum.

14 Et quum venisset ad discipulos, vidit turbam multam circa eos, & scribas cum eis altercantes.

15 Et statim tota turba viso eo expavit: & accurrentes, salutaverunt eum.

16 Tum interrogavit scribas, Quid altercamini inter vos?

17 Et respondens quidam è turba, dixit, Magister, adduxi filium meum ad te, habentem spiritum mutum:

18 Qui ubicunque eum corripuerit, lacerat eum: *ipse* verò spumat, & stridet dentibus suis, & exarescit: & dixi discipulis tuis ut ejicerent, sed non valuerunt.

19 Ipse verò respondens ei dixit, O natio incredula, quousque tandem apud vos ero? Quousque tandem tolerabo vos? Adducite eum ad me.

20 Illum igitur adduxerunt ad eum. Quum autem

eum vidiſſet, continuò ſpiritus diſcerpſit eum; & *ille* quum cecidiſſet in terram, volvebatur ſpumans.

21 Tunc interrogavit *Jeſus* patrem ejus, Quantum temporis eſt, quòd hoc accidit ei? Ipſe verò ait, Ab infante.

22 Et ſæpe eum in ignem abjecit, & in aquas, ut perderet eum. Sed ſi quid potes, ſuccurre nobis, miſericordiâ commotus erga nos.

23 Jeſus autem dixit ei, Si potes hoc credere, *fiet.* Omnia fieri poſſunt credenti.

24 Pater verò pueri ſtatim clamans cum lacrymis dixit, Credo, domine: *veruntamen* ſuccurre incredulitati meæ.

25 Quum vidiſſet autem Jeſus turbam ſimul accurrere, objurgavit ſpiritum illum impurum, dicens ei, *Tu* ſpiritus mute & ſurde, ego tibi impero, Exi ab eo, & ne ampliùs ingreditor in eum.

26 Et quum clamaſſet *ſpiritus*, multúmque diſcerpſiſſet eum, exivit: & *ille* factus eſt quaſi mortuus, adeò ut multi dicerent, mortuum eſſe.

27 Jeſus verò prehensâ manu ejus, erexit eum: & *ille* ſurrexit.

28 Et quum eſſet ingreſſus domum, diſcipuli ejus interrogarunt eum privatim, *Quid eſt*, quòd nos non potuimus *ſpiritum* illum ejicere?

29 *Ipſe* verò dixit eis, Hoc genus *dæmoniorum* nullâ re poteſt exire niſi per precationem & jejunium.

Primùm narratur miraculi hujus *occaſio*, videl. adventus Chriſti in eum locum in quem dæmoniacus erat adductus, & diſcipulis coram turba & ſcribis oblatus; qui adventus declaratur ex eventis quatuor, ut patet ex textu, v. 14. 15. 16. Deinde narrantur *cauſæ impulſivæ*, quæ Chriſtum ad dæmoniacum illum liberandum moverunt: videl. petitio gemina patris dæmoniaci, v. 17. & 22. miſeria dæmoniaci, v. 18. 20. 21. 22. honos Chriſti, v. 19. fides patris dæmoniaci, v. 23. & 24. Iſta autem ſic tractantur. Primùm narratur petitio patris prima: quæ continet narrationem de cauſa cur filium adduxerit, nempe ut liberaretur à dæmonio: (id quod ſignificat, quum ait, *Adduxi filium meum* AD TE:) deinde de filii miſeria ex inhabitatione dæmonii: tum de fruſtraneo conatu diſcipulorum in illo liberando, v. 17. & 18. Deinde v. 19. narratur querela Chriſti de incredulitate tum iſtius tum imprimis diſcipulorum: unà cum mandato de dæmoniaco ad ſe adducendo. unde percipitur, ipſum honoris ſui conſervandi causâ dæmoniacum illum liberandum ſuscepiſſe: quum ſenſiſſet, honorem ſuum per diſcipulorum incredulitatem, quæ liberationem dæmoniaci impedierat, fuiſſe diminutum. Tum verſ. 20. narratur, quomodo dæmoniacus coram Chriſto ſit à dæmonio vexatus. Præterea miſeria dæmoniaci amplificatur à diuturnitate, v. 21. à crebritate paroxyſmi & periculò extremo, v. 22. Poſtea recitatur petitio patris ſecunda, ibid. Tum promiſſio Chriſti conditionalis, ſi ſcil. credat, v. 33. Poſtremò profeſſio fidei: amplificata petitione confirmationis, v. 24. Atque hæc de ſecundo narrationis inſtitutæ membro, videlicet de cauſis impulſivis miraculi iſtius. Tertiò narratur *modus agendi:* qui fuit imperium ſeu mandatum Jeſu, v. 25. Quartò narratur *miraculum ipſum*, in principio v. 26. Quintò & poſtremò narrantur *eventa*, numero quatuor. 1. quòd puer ille factus eſt quaſi mortuus. 2. quòd multi putarunt eſſe mortuum. 3. quòd Jeſus eum erexit. 4. quòd diſcipulis indicavit cauſam, cur ipſi non potuerint dæmonium illud ejicere.

QUARTA PARS.

Iterum prædicit diſcipulis paſſionem ſuam & reſurrectionem.

30 Et illinc egreſſi, unà iter faciebant per Galilæam: nec volebat ut quiſquam *id* ſciret.

31 Docebat enim diſcipulos ſuos, & dicebat eis, Filius hominis traditur in manus hominum, qui trucidabunt eum: ſed trucidatus, tertio die reſurget.

32 Ipſi verò non intelligebant hoc dictum; veruntamen timebant eum interrogare.

Primùm ſignificatur *locus* ubi Dominus hunc ſermonem ad diſcipulos habuit, videlicet in loco aliquo Galilææ ubi erat ſolus cum ſolis, v. 30. Deinde recitatur *ipſe ſermo*, v. 31. Poſtremò narrantur *eventa* duo: 1. quòd diſcipuli ſermonem iſtum non intellexerunt, 2. quòd non auſi ſunt Dominum de illius ſenſu interrogare, v. 32.

QUINTA PARS.

Hortatur diſcipulos ad humilitatem.

33 Vênit igitur Capernaum: & quum veniſſet domum, interrogavit eos, Quid in via inter vos diſceptabatis?

34 Ipſi verò ſiluerunt: nam alii adverſus alios diſſeruerant in via, quis *eſſet cæteris* major.

35 Et quum conſediſſet, vocavit duodecim illos, & dixit eis, Si quis vult primus eſſe, eſto omnium ultimus, & omnium miniſter.

36 Et acceptum puerulum ſtatuit in medio eorum: eoque in ulnas recepto, dixit eis,

37 Quiſquis *vel* unum ex talibus puerulis exceperit in nomine meo, me excipit: & quicunque me exceperit, non me excipit, ſed eum qui miſit me.

Primùm narratur *locus* ubi hic ſermo eſt habitus. Deinde *occaſio*, tum *hortatio ipſa.* Locus fuit domus Jeſu in urbe Capernaüm. Occaſionem Chriſto ad hanc hortationem præbuit contentio diſcipulorum de primatu, v. 33. & 34. Hortatio ipſa conſtat partim verbis, v. 35. partim facto ſingulari, v. 36. & 37. Factum illud vim habet partim docendi, partim hortandi ad humilitatem. Docet propoſito exemplo pueruli, cui debeant ſeſe conformare, quoad animi demiſſionem. Hortatur argumento effecti utilis: quatenus oſtendit, geſtu & verbis, puerulum illum alioſque illi ſimiles ſibi charos eſſe. Geſtu, quatenus illum amplectitur: verbis, quatenus ſignificat, ſe & patrem benefacturos iis qui talibus puerulis benefecerint. Illo autem geſtu & illis verbis innuit, adultos quoque talibus puerulis ſimiles ſibi charos eſſe, ac proinde ſe illis benefacturum.

SEXTA PARS.

Sermonem habet ad diſcipulos continentem varia, & inprimis admonitionem de ſcandalo.

38 Reſpondit autem ei Johannes, dicens, Magiſter, vidimus quendam per nomen tuum ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos: & prohibuimus eum, quia non ſequitur nos.

39 Jeſus autem ait, Ne illum prohibete. nullus enim eſt qui edat virtutem per nomen meum, & poſſit citò maledicere mihi.

40 Nam qui non eſt contra nos, pro nobis eſt.

41 Quiſquis enim potum dederit vobis, *vel* poculum aquæ in nomine meo, *id eſt* quòd ſitis Chriſti; amen dico vobis, nequaquam perdiderit mercedem ſuam.

42 Et quiſquis offenderit unum ex parvis iſtis qui credunt in me, bonum eſſet ei potiùs ſi circumponeretur ſaxum molare circa collum ejus, & projiceretur in mare.

43 Quòd ſi manus tua facit ut tu offendas, abſcinde eam. Bonum eſt tibi ad vitam ingredi mancum, *potiùs* quàm duas manus habentem abire in gehennam, in ignem illum inexſtinguibilem:

44 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exſtinguitur.

45 Et, ſi pes tuus facit ut tu offendas, abſcinde eum. Bonum eſt tibi ingredi in vitam claudum, *potiùs* quàm duos pedes habentem projici in gehennam, in ignem illum inexſtinguibilem:

46 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exſtinguitur.

47 Et, ſi oculus tuus facit ut tu offendas, erue eum. Bonum eſt tibi introire in regnum Dei luſcum, *potiùs* quàm duos oculos habentem projici in gehennam ignis:

48 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exſtinguitur.

49 Nam omnis *homo* igne ſalietur: & omnis oblatio ſale ſalietur.

50 Bonus eſt ſal: ſi verò ſal inſulſus redditus fuerit, quónam ipſum condietis? Habete in vobis ipſis ſalem, & pacem colite inter vos mutuò.

Sermo hic in *ſex membra* diſtinguendus videtur. *1. Monet diſcipulos ne prohibeant quendam qui ejiciebat dæmonia in nomine ipſius, & tamen ipſos non ſequebatur:* cui monitioni occaſionē præbuit indicatio Johannis, v. 38. Eſtque confirmata rationibus duabus: quarum prior continetur v. 39. poſterior v. 40. *2. Significat quàm chari ſibi ſint diſcipuli ſui:* tantopere ſcil. ut benefacere velit iis qui ipſis benefecerint. Eſtq; ſententia illa amplifica-

ta ratiocinatione à minori: Etiam poculum aquæ compensabo: quantò magis beneficia majora? Est etiam confirmata illa promissio asseveratione, ubi dicit: *Amen dico vobis.* Denique exornata est metaphorâ, ubi compensatione beneficii nominat mercedem, v. 41. *3. Monet non offendendos parvulos, id est, pueros.* Quæ monitio cõfirmata est duobus argumentis. prius est, quòd in ipsum credant: posterius, quòd qui tales offenderint, æternum exitium sibi accersant: id quod significatur collatione exitii corporalis, tanquam minoris. Porrò exitium corporale per certam speciem significatur, ut patet ex textu, v. 42. *4. Monet, resistendum pravis cupiditatibus quæ se in membris corporis exserunt;* ut manu, pede, oculo: argumentum adhibens ab effectis, videl. tum effectu utili, nempe adeptione vitæ æternæ, si quis monitioni pareat: tum effectu noxio, videlicet exitio æterno, nisi quis pareat. Hæc monitio trimembris est: primum membrum est de manu, v. 43. & 44. secundum de pede, v. 45. & 46. tertium de oculo, v. 47. & 48. Estq; amplificata metaphorâ hyperbolicâ, quatenus jubet abscindere illa membra (manum scilicet, pedem & oculum) si sint offendiculo: id est, si prava cupiditas sese in illis exserat, & hominem impellat ad abutendum illis membris contra Legem Dei. quo significat, resistentiam illam veteri homini perinde dolere, ac dolet membri alicujus abscissio. Argumenta autem singula illustrata sunt collatione imparium in contrariis. qua minus malum cum majore & majus bonum cum minore comparatur, videlicet mutilatio corporis adjunctam habens vitam æternam, cum integritate corporis adjunctum habente exitium æternum. Porrò exitium æternum significatur metaphorâ duplici, videl. ignis & vermis: nisi ignis propriè accipiendus sit. Denique exornantur singulæ istæ tres monitiones symploce, eaque geminâ. nam & ipsæ monitiones & rationes singulis subjectæ, similibus verbis enuntiantur: & monitionum quoq; singularum tum antecedens, tum consequens. *5. Monet (ut videtur) de utilitate crucis, atque ita obliquè ad crucis tolerantiam hortatur.* Crucem autem sive persecutionem significat vocabulo metaphorico *Ignis*: utilitatem verò crucis significat verbo *saliendi*: ideo (ut videtur) quòd sicut sale caro tum conservatur ne putrescat, tum conditur ut sit suavis gustatu: ita persecutione homines pii exerceantur in considerandа Dei ira adversus peccatum, ac proinde caveant ne securè viventes, in peccato quasi putrescant: sed contrà justitiæ studentes, Deo placeant, & tanquam suaves ac jucundi sint. Simul quoq; significari videtur metaphora salis, crucem instar salis mordere. Hæc monitio illustratur simili, videl. oblatione legali, tanquam hujus rei typo. *6. Hortatur discipulos ad studium conservandi in sese sapientiam cælestem, & pacem sive concordiam.* Priorem hortationem confirmat ab effectis: quatenus significat, ipsos hoc modo fore instar salis bonos atque utiles ad condiendum suâ institutione alios: contrà verò si ipsi insulsi sint, sale scilicet sapientiæ cælestis destituti, fore ut de salute ipsorum actum sit: sicut actum est de sale insulso, seu quid saporem amisit: quum nihil sit quo possit condiri. Ad pacem verò postremo loco hortatur, quia contentio ipsorum de primatu paulò antè præcesserat.

SCHOLIA IN CAP. IX.

1 Regnum Dei venisse cum potentia] τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει. *Vide scholia Matth. 16. 28.*

4 Colloquebantur] ἦσαν συλλαλοῦντες. *Scil. dicentes ipsius exitum quo futurum erat ut defungeretur Hierosolymæ, Luc. 9. 31.*

5 Respondens] ἀποκριθείς. *Id est, sermonem ultrò exorsus.* Faciamus igitur] καὶ ποιήσωμεν. *Pro,* ποιήσωμεν οὖν. *Conjunctio copulativa pro syllogistica, ex consuetudine Hebræorum.*

7 Eos] αὐτούς. *Scil. Jesum, Mosen & Eliam.*

8 Non amplius viderunt quenquam nisi Jesum &c.] οὐκέτι οὐδένα εἶδον, ἀλλὰ τὸν Ἰησοῦν &c. *Hîc* ἀλλὰ *ponitur pro* εἰ μὴ*: quibus particulis utitur Matthæus. Sicut aliâs vicissim* εἰ μὴ *ponitur pro* ἀλλά.

9 Domine] κύριε. *Hac appellatione eum honorat ut virum eximium. neque enim illum pro Deo agnoscebnt: ut planum est ex verbis illis,* Si quid potes. *Quare voces illæ,* κύριε & domine, *non sunt hîc cum initiali majuscula scribendæ.*

10 *Ipsi* igitur id continuerunt] καὶ τὸν λόγον ἐκράτησαν. *Ad verb.* Et sermonem hunc *seu* verbum hoc continuerunt. *Conjunctio copulativa pro syllogistica: & verbum pro re: ex Hebraismo.*

11 *Quid est* quòd scribæ dicunt] ὅτι λέγουσιν οἱ γραμματεῖς. *Pro,* τί ὅτι &c. *Discipuli his verbis contradicunt sententiæ pronuntiatæ à Christo, quòd se oporteat à mortuis resurgere, idq; (ut ipsi sententiam istam intellexerant) propediem. Hoc autem videbatur eis non convenire cum doctrina scribarum ex Malachia, quòd oporteat Eliam priùs venire quàm Christus incipiat regnare. Videntur autem sic collegisse: Si tu propediem esses resurrecturus atq; inchoaturus regnum tuum: oporteret Eliam jam venisse. Id enim scribæ ex Malachia docent: oportere Eliam ante Christum venire. At Elias nondum vênit. Non igitur propediem es resurrecturus, &c. Hæc contradictio apud Matthæum significatur particulis syllogisticis,* τί οὖν, Quid igitur. *quasi dicant: Si tu propediem esses resurrecturus: non igitur debebant dicere scribæ, oportere ut Elias primùm veniat. At illi hoc rectè dicunt: quia scilicet dicunt ex propheta. Ergo non videtur ita esse ut dixisti, te propediem resurrecturum. Itaque ante conjunctionem* ὅτι *subaudiuntur hæc verba,* τί ἐστιν. *Quid igitur est (scilicet causæ) quòd dicunt. Sic infr. v. 28. Porro Henr. Stephanus in suo Thes. in expositione vocis* ὅτι, *testatur, quædam exemplaria hîc legere,* τί ὅτι. *Quæ quidem formula occurrit Act. 5. v. 9.* τί ὅτι συνεφωνήθη ὑμῖν; Quid est quòd convênit inter vos?

12 Elias quidem priùs veniens &c.] Ἠλίας μὲν ἐλθὼν πρῶτον &c. *His verbis concedit approbationem propositionis connexæ, atque ita propositionem ipsam.* Et ut scriptum est, &c.] καὶ πῶς γέγραπται, &c. *His verbis illustrat & amplificat sententiam concessam antithesi rei diversæ: quasi dicat, Sed interim hoc quoq; ex scriptura tenendum est, fore ut Christus patiatur antequam incipiat regnum suum.* De Filio hominis] ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. *Ad verb.* Super Filium hominis. *Hebraismus. Sic enim Hebræi utuntur præpositione* על *hál; id est, super.* Oportet ut multa patiatur] ἵνα πολλὰ πάθῃ. *Subaudiendum verbum* δεῖ, *ex collatione versus undecimi: ubi habetur,* Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν.

13 Sed dico &c.] ἀλλὰ λέγω &c. *His verbis contradicit assumtioni.* Sicut scriptum est de eo] καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν. *Scilicet, ipsum venturum ante adventum Christi. Ad hoc enim membrum ista clausula restringenda videtur: quum de altero, videl. supplicio Johannis, nihil (quod sciam) scriptum reperiatur.* De eo] ἐπ' αὐτόν. *Ad verb.* Super eum: *ut versu præcedente.*

14 Ad discipulos] πρὸς τοὺς μαθητάς. *Nempe reliquos præter illos tres, cum quibus habuit sermonem præcedentem.*

17 Quidam] εἷς. *Ad verb.* Unus. *Sic Syrus* חד *chád: sic nos,* einer. Ad te] πρός σε. *Id est, huc, ut offerrem eum tibi sanandum.* Spiritum mutum] πνεῦμα ἄλαλον. *Hoc est: Spiritum impurum qui illum reddit mutum. Metonymia effecti.*

18 Et dixi discipulis tuis] καὶ εἶπον τοῖς μαθηταῖς σου. *Id est, rogavi discipulos tuos. Synecdoche generis.* Sed non valuerunt] καὶ οὐκ ἴσχυσαν. *Copulativa pro adversativa.*

20 Spiritus] τὸ πνεῦμα. *Spiritus ille qui ipsum possidebat. Articulus est ἀναφορικός.*

21 Ab infante] παιδιόθεν. *Vel. à puero.*

23 Si potes hoc credere] τὸ εἰ δύνασαι πιστεῦσαι. *Vel articulus* τὸ, *valet pronomen* τοῦτο. *& per trajectionem regitur à verbo* πιστεῦσαι*: vel valet* τοῦτον τὸν λόγον, *& regitur à verbo* εἶπε. *Et tunc vertendum esset,* Jesus autem dixit ei illud, Si potes &c. *Vel potiùs articulus iste in vertendo esset omittendus, & interim pronomen relativum supplendum, sic:* Jesus autem dixit ei, Si potes *hoc* credere. *Sicut aliás in vertendo præteriri solet conjunctio* ὅτι, *quum servit mimesi.* Si potes hoc credere, *fiet*] εἰ δύνασαι πιστεῦσαι. *Ellipsis consequentis. Neque enim putandum, consequens hujus connexi contineri verbis illis proximè sequentibus:* Omnia fieri possunt credenti. *Quis enim rerum intelligens non videat, hoc ex illo non sequi: sed potiùs pro ratione adjungi ad probandum sententiam præcedentem, nempe istud connexum quod explevimus. Est autem ratio ducta à genere: Omnia fieri possunt credenti: Ergo si potes hoc credere, fiet tibi.* Omnia fieri possunt] πάντα δυνατά. *Pro,* πάντα γὰρ δυνατά. *Omnia enim fieri possunt. Altera ellipsis, conjunctionis scilicet causalis.* Fieri possunt credenti] δυνατὰ τῷ πιστεύοντι. *Sic Syrus: Omnis res potest fieri ei qui credit. Vel,* Possibilia sunt credenti: *hoc est, Effici possunt à credente: impetrando scil. à Deo ut efficiat. Sic passim fidei tribuit Christus quod proprium est potentiæ divinæ: ut quum dicit iis quos potentiâ suâ sanaverat,* Fides tua te servavit: *pro eo quod est, Fides tua à me impetravit ut te servarem, sive sanarem.*

24 *Veruntamen* succurre] βοήθει. *Conjunctionem discretivam supplevi perspicuitatis causâ. Etenim duo enuntiata hîc cohærentia vim habent enuntiati discreti: quasi dicat:* πιστεύω μὲν, ἀλλ' ὅμως βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ. *Credo quidem: veruntamen succurre incredulitati meæ: quæ scil. fidei meæ admixta est, eamq; labefactat ne sit plena ac perfecta, sed valde infirma: ita ut non fides, sed potiùs incredulitas nominanda videatur.*

26 Et quum clamasset *spiritus*] καὶ κράξαν. *Subaudiendum esse nomen* πνεῦμα, *id est, Spiritus: in Græco liquet ex genere participii, quod est neutrum. Et idem ampliùs liquet ex verbis sequentibus* καὶ πολλὰ σπαράξαν αὐτόν, *quumq; multum discerpsisset eum.* Mortuum esse] ὅτι ἀπέθανεν. *Vel,* μιμητικῶς, *Mortuus est: redundante conjunctione* ὅτι.

28 *Quid est* quòd nos non potuimus &c.] ὅτι ἡμεῖς οὐκ ἠδυνήθημεν &c. *Pro,* τί ἐστιν ὅτι &c. *Quid est causæ* quod nos non potuimus &c. *Syrus habet,* למנא *lemaná: quæ vox respondet Græcæ* διὰ τί. *Confer suprà v. 11.* Spiritum illum] αὐτό. *Scil.* τὸ πνεῦμα: *ex collatione præcedentium.*

29 Nullâ re] ἐν οὐδενί. *Ad verb.* In nullo: *absolutè.* durch nichts/ δι' οὐδενός. *Hebraismus. Sic mox,* ἐν προσευχῇ. *Pro,* διὰ προσευχῆς. *Per precationem.*

31 Traditur] παραδίδοται. *Id est, brevi tradetur. Enallage temporis.* Sed trucidatus] καὶ ἀποκτανθείς. *Copulativa pro adversativa.*

32 Non intelligebant] ἠγνόουν. *Ad verb.* Ignorabant. *At ipsum quidem dictum non poterant ignorare, quod modò ex Domini ore audiverant. Istam discipulorum ignorantiam Lucas copiâ verborum amplificat, cap. 9. v. 45. Sed quomodo cum hac ignorantia cõvenit quod narrat Matthæus c. 17. v. 23. quòd discipuli sermone* ἀγνοεῖ.

mone illo Domini audito; fuerint contristati? Unde enim fuerunt contristati, nisi quòd metuerunt Dominum occisum iri, sicut dixerat? Ergo verbum illud videntur rectè intellexisse. Respondeo: Metuerunt id quidem ex parte, idq; ex verbo occidendi *propriè intellecto: sed non metuerunt omnino, quia dubitarunt an verbum illud propriè esset intelligendum: de hoc autem ideo dubitarunt, quia non intellexerunt naturam regni Christi: falsò sibi persuadentes, Christum non occisum iri à gente sua, sed alias gentes devicturum & suæ genti regnum mundanum recuperaturam.* Veruntamen timebant] καὶ ἐφοβοῦντο. *Copulativa pro adversativa. Cohæret enim hoc enuntiatum cum præcedente per discretionem. quasi dicat, Non intelligebant quidem verba Domini, ac proinde cupiebant eum interrogare: sed tamen timore retenti, id omiserunt.*

33 Et quum venisset domum] καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος. *Vel:* Et quum jam domi esset: *videlicet domi suæ, hoc est, in qua ipse habitabat: id quod innuit articulus.* **Als er nu dahäim war**; *vel,* **Als er nu zu haus war.**

34 Quis *esset cæteris* major] τίς μείζων. *Scil futurus in regno Christi. Confer Matth 18.v.1.*

35 Esto] ἔσται. *Ad verb.* Erit. *Enallage Hebraica. Sic autem reddendum, liquet ex mente loquentis: vult enim præcipere quid eis sit agendum ut consequantur primatum in regno suo. Si verò istud verbum accipiatur modò indicativo: sententia hæc erit denuntiatio incommodi eventus.*

36 Eoque in ulnas recepto] καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτό. *Vel,* Eumque amplexatus. *Græco verbo, eleganti sanè, respondet Gallicum emtum embrassér: quod sonat quasi dicas, Imbrachiare: id est, in brachia suscipere, brachiisve complecti.*

37 *Vel* unum] ἕν. **Auch nur äines.** *Quasi dicat, Quanto magis qui plures. Neq; enim hoc dictum est simpliciter, quasi diceret; unum, non autem plures: sed comparatè.*

39 Qui edat virtutem] ὃς ποιήσει δύναμιν *Ad verb.* Qui faciet potentiam; *hoc est, miraculum, opus scilicet potentiæ divinæ. Metonymia efficientis.*

41 *Vel* poculum] ποτήριον. **Auch nur ein bächer wassers.** *Dictum comparatè, per ellipsin conjunctionis comparativæ: ut v.37. Hoc liquet ex collatione Matth.10.v.42. ubi additur particula* μόνον, *solummodò.*

42 Bonum esset ei potiùs] καλόν ἐστιν αὐτῷ μᾶλλον. *Pro,* κρεῖσσον ἂν εἴη αὐτῷ. *Melius esset ei.*

43 Bonum est tibi *potiùs*] καλόν σοι *Scil.* μᾶλλον: *ut percipitur ex collatione versus præcedentis.* In ignem illum] εἰς τὸ πῦρ. *Scil. de quo sacra Scriptura docet, Esa.ult.v.ult. quiq; paratus est diabolo & angelis ejus, Matth.25.v.41.*

44 Non moritur] οὐ τελευτᾷ. *Ad verb.* Non finit, *scilicet vitam, Græcismus.*

OBSERVAT. EX CAP. IX.

Quid sit discendum ex parte prima, de transformatione Domini in monte coram tribus discipulis: vide in observationibus ex Matth.17. à principio usq; ad v.10.

Quid sit discendum ex parte secunda, de adventu Eliæ: vide in observationib. ex Matth.17. à v.10. usque ad v.14.

Quid sit discendum ex parte tertia, de ejectione spiritus muti ac surdi: vide in observationibus ex Matth.17. à v.14. usque ad v.22. Insuper autem ex iis quæ Marcus hic habet singularia, observanda sunt hæc.

Officium hominis Christiani. 1 Ex v.20. collato cum v.25. Si accidat ut post imploratam opem Christi, mala quibus premimur, ingravescant: ne propterea despondeamus animum. nam Christus fidei nostræ probandæ causâ, atque insuper potentiæ suæ demonstrandæ gratiâ, ad breve tantummodò tempus istud malorum incrementum permittet: ut videmus hic fecisse in ejiciendo dæmonio ex isto muto ac surdo.

Humana natura Christi. 2 Ex v.21. Ad veritatem naturæ humanæ in Christo probandum hoc quoque argumentum pertinet, quòd ignoravit quanto tempore puer iste à dæmonio obsessus atque vexatus fuisset. Quòd autem id ignorarit, colligitur ex eo quòd de eo ex patre quæsivit. Non autem id ignoravit, quatenus Deus: ergo quatenus homo. Similiter ignoravit diem ultimum: item an essent fructus in arbore ficu.

Consolatio contra fidei infirmitatē. 3 Ex v.22.23.& 24. collatis cum v.25. Quum sentimus fidei infirmitatem seu imbecillitatem, ne propterea animum despondeamus, quasi Christus nos propterea sit rejecturus. Etenim paratus est opem ferre etiam iis qui ipsum ex infirma fide invocant: dummodò ista infirmitas eis displiceat, ipsique ab ea liberari exoptent. Cujus rei illustre exemplum in istius pueri parente proponitur.

Fidei vis. 4 Ex v.23. ex verbis, *Omnia possibilia sunt credenti.* Notetur vis fidei: quippe quæ à Deo impetrat omnia: nempe omnia quæ non pugnant cum ipsius natura, sed faciunt ad ipsius gloriam & fidelium opem ipsius implorantium salutem. Huc pertinet dictum Christi ad discipulos, quod in eâdem historiâ habetur apud Matthæum c.17. v.20. de grano sinapis & translatione montis.

Quid sit discendum ex parte quarta, de prædictione passionis Domini: vide in observationibus ex Matth.17.v.22. & 23. Tum insuper ex iis quæ Marcus hic recitat, à Matthæo omissa, discenda sunt hæc.

5 Ex v.32. In discipulis proponitur nobis exemplum corruptionis naturæ duplex. Unum: quòd ignoramus mysterium Evangelii de æterna nostra felicitate, partâ nobis per mortem Christi. Alterum: quòd pudet nos interrogare, si quid ad salutem cognitu necessarium ignoramus. De ignorantia illa testatur & Paulus 1. Cor.2.v.6.& deinceps usq; ad finem capitis. De pudore autem isto graviter dixit Horatius: *Corruptio naturæ.*

Cur nescire, pudens pravè, quàm discere malo?

Quid sit discendum ex parte quinta, videlicet sermone Domini, quo discipulos hortatus fuit ad humilitatem: vide in observat. ex Matth.18. à principio usque ad v.6.

6 Ex partis sextæ membro primo discendum est, non temerè repudiandos, sed potiùs tolerandos, qui gloriam Christi labore suo promovent, etiamsi ipsi non quærant gloriam Christi, neq; illi sese addixerint, ut si qui Evangelium prædicant ventris causâ. Huc pertinet locus ille ad Philip.1.v.15. & deinceps, de quibusdam qui Evangelium prædicabant per invidiam & contentionem, non purè, id est, non puro atque sincero animi affectu. de qua re ait Apostolus se gaudere, quòd scil. Christus annuntietur: etiamsi id ab istis fieret animo non recto. *Officium hominis Christiani.*

7 Ex partis sextæ membro secundo duo discenda sunt. 1. Consolatio in egestate, si illâ premamur propter confessionem doctrinæ Christi: quòd scilicet interim Christo chari simus: quippe qui remunerari vult eos qui egestati nostræ vel tenuiter succurrerint. 2. Institutio, ut illis qui propter confessionem religionis Christianæ egestatem patiuntur, promtè ac liberaliter benefaciamus: spe scilicet remunerationis à Christo suo tempore percipiendæ, videl. in die judicii: ut habetur Matth.25.v.34. & seqq. *Consolatio contra egestatem.* *Officium hominis Christiani.*

Quid sit discendum ex partis sextæ membro tertio, vide in observat. ex Matth. cap.18.v.6.

Quid sit discendum ex partis sextæ membro quarto, vide in observationibus ex Matth.18.v.8.& 9.

8 Ex membro quinto monemur, crucem patienter esse tolerandam: propter insignem utilitatem, quæ in Analysi est declarata. *Crux.*

9 Ex membro sexto monemur, fovendam esse in nobis singulari curâ sapientiam cælestem: ut possimus illius communicatione quasi condire alios, ne computrescant in peccatis. Item fovendam esse concordiam cum fratribus; ac proinde affectationem primatus, ac omnino ambitionem (ut quæ discordiam parit) fugiendam. *Officium hominis Christiani.*

ANALYSIS CAP. X.

ARGUMENTUM.

Novem sunt hujus capitis partes. 1. Jesus disputat cum Pharisæis de divortio. 2. Benè precatur puerulis. 3. Respondet interroganti de modo acquirendi vitam æternam. 4. Monet discipulos de periculo divitiarum. 5. Confessoribus promittit bona terrena & vitam æternam. 6. Discipulis iterum prædicit passionem suam & resurrectionem. 7. Repellit petitionem filiorum Zebedæi. 8. Dehortatur discipulos à cupiditate dominandi, & contrà hortatur ad studium serviendi. 9. Visum dat Bartimæo.

PRIMA PARS.

Disputat cum Pharisæis de divortio.

ET quum illinc surrexisset, venit in fines Judææ per *regionem quæ est* trans Jordanem: & convênit rursum turba ad eum; &, ut consueverat, rursum docebat eos.

2 Tunc accedens Pharisæi interrogarunt eum, an liceret viro uxorem dimittere: tentantes eum.

3 Ipse verò respondens dixit, Quid vobis mandavit Moses?

4 Ipsi autem dixerunt, Moses permisit libellum abscessionis scribere, & dimittere *uxorem.*

5 Tunc respondens Jesus dixit eis, Propter duritiem cordis vestri scripsit vobis mandatum istud.

6 A principio verò creationis, masculum & fœminam fecit eos Deus.

7 Propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & agglutinabitur uxori suæ.

8 Et erunt duo illi caro una. Itaque non sunt ampliùs duo, sed una caro.

9 Quod ergo Deus conjunxit, homo ne sejungat.

10 Et domi rursum discipuli ejus eâdem de re interrogarunt eum.

11 *Ipse* verò dixit eis, Quicunque dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur adversus eam.

12 Et, si mulier dimiserit virum suum, & nupserit alteri, mœchatur.

Narratio hæc quinque membris constat. 1.Indicatur *locus* ubi, disputatio ista fuit habita, nempe in finibus Judææ. 2.*Testes* coràm quibus est habita, videlicet turba. 3.*Occasio*: videlicet quòd Pharisæi viderent Jesum docere turbam, vers.1. 4.Narratur *ipsa disputatio*. Ac primùm quæstio à Pharisæis proposita, quæ illustratur à fine seu scopo quærentium, v.2. Deinde responsio Christi generalis & conditionalis, nempe: Si Moses divortium mandavit, licitum est: si non mandavit, non est licitum: quæ responsio enuntiatur per interrogationem, v.3. Tum ad illam interrogationem subjicitur responsio Pharisæorum, continens argumentum pro quæstionis parte affirmante à testimonio atque authoritate Mosis, v.4. Ubi notandum, responsionem Pharisæorum deflectere à quæstione proposita. Quæstio erat de divortii mandato: at illi respondent de divortii permissione, & de adjuncto mandato libelli repudii. Quare sic argumentantur: *Si Moses permisit divortium, licitum est. At permisit. Ergo licitum est.* Postremò subjungitur istius argumenti solutio, simulq; probatio partis negantis. Solutio consistit in distinctione verbi *Permittere*: ex qua percipitur, syllogismum cõstare quatuor terminis propter illius verbi aliam atq; aliam acceptionem. Etenim permissio aut est cum approbatione, aut sine approbatione. De priore permissionis genere loquitur syllogismi propositio: de posteriore assumtio. Quippe tum demum licitum censendum est divortium, si Moses illud ita permisit, ut etiam approbarit. At permisit ille quidem, verùm non ita ut approbarit. Id quod ostendit Christus duobus argumentis: quorum unum sumtum est à fine istius permissionis, alterum à testimonio contrario. Finem permissionis divortii Mosi propositum significat v.5. fuisse hunc, ut prospiceret atq; caveret incolumitati mulierum, quibus contigerant mariti duro corde prædìti: ne si maritis non liceret illas dimittere quum cœpissent displicere, duriùs eas tractarent. Unde perspicitur, divortium à Mose permissum esse, non quòd approbaret, sed ad evitandum malum gravius. Alterius argumenti vis hæc est, Si Moses divortium permissione suâ approbasset: non approbasset alibi contrarium, videl. perpetuam conjunctionem mariti & uxoris. At hanc alibi approbavit. videl. Genes.1. & 2. ubi narrat historiam creationis primorum parentum, Adami & Evæ, & conjugii eorundem. Etenim Deus à principio creationis (ubi scil. ordinem naturæ perpetuum & legitimum conjugii exemplar instituit) fecit masculum & fœminam: nempe virum unum & mulierem unam: non autem virum unum & mulieres plures, nec mulierem unam & viros plures. quo nimirum significavit, se velle ut vir unus mulierem unã sibi conjunctam habeat perpetuò: non autem velle, ut vel simul habeat uxores plures, vel si una semel assumta cœperit displicere, repudiatâ illâ ducat aliam. Neutrum enim fieri à primo illo viro poterat: quum non nisi una mulier tum esset in orbe terrarum. Deinde conjunctio illa mariti & uxoris perpetua probatur testimonio Adami, quod ille spiritu prophetico, seu ex afflatu Spiritus sancti pronuntiavit, quum ei sua uxor à Deo esset adducta atque conjuncta: nempe fore ex Dei instituto inter maritum & uxorem conjunctionem arctissimam; adeò ut maritus potiùs patrem & matrem relicturus sit quàm uxorem, v.7. & ut unà cum uxore futurus sit quasi una caro seu unum corpus, v.8. Ex his duobus argumentis in unum conflatis, ad extremum deducit Dominus conclusionem partis negantis, v.9. Cujus conclusionis plenus syllogismus est hic:

Si Deus maritum & uxorem conjunxit: homini non licet illos disjungere.

At Deus illos conjunxit: ut patet ex testimoniis Mosis ex Genesi citatis.

Ergo homini non licet illos disjungere.

Atque hoc quartum & præcipuum hujus narrationis membrum est, de ipsa inter dominum & Pharisæos disceptatione. 5.Quintò & postremò narratur, *quomodo Dominus eandem doctrinam repetiverit apud discipulos*, v.10.11.12.

SECUNDA PARS.

Bene precatur puerulis.

13 Tunc obtulerunt ei puerulos ut tangeret eos: discipuli verò objurgabant eos qui offerebant.

14 Quod quum vidisset Jesus, indignatus est, & dixit eis, Sinite puerulos venire ad me, & ne prohibete eos. talium enim est regnum Dei.

15 Amen dico vobis, Quicunque non exceperit regnum Dei ut puerulus, nequaquam in id ingredietur.

16 Et quum accepisset eos in ulnas, impositis in eos manibus, benedixit eis.

Primùm indicatur *causa impulsiva*, quæ Christum movit ut puerulis benediceret, id est, bene precaretur: videlicet petitio offerentium, v.13. Deinde *causa corrumpens*, quæ benedictionem istam impedire conabatur, videl. objurgatio discipulorum quâ objurgabant illos qui puerulos Christo offerebant, v.eod. Tertiò *causa promovens*, qua impedimentum istud fuit remotum, nempe mandatum Christi, v.14. Hoc mandatum annexam habet rationem à fine, in hanc sententiam:

Si talium puerorum (natorum scil. & educatorum in Ecclesia) est regnum Dei: hoc est, si illis paratum est regnum Dei: non est eis neganda benedictio: quæ scil. destinata est ad promovendum ipsos in regnum Dei.

Atqui talium puerorum (natorum scil. & educatorum in Ecclesia) est regnum Dei.

Ergo non est illis neganda benedictio.

Hæc ratio amplificatur v.15. per prolepsin de impedimento ætatis, quòd scil. puerulis ætas videatur obstare quò minùs pueri recepturi sint regnum Dei. Id quod Christus negat: & hanc negationem amplificat collatione majoris, id est, rei magis miræ: in hanc sententiam: Tantum abest ut pueruli in recipiendo regno Dei impediantur ætate: ut etiam adultos oporteat illis similes reddi in ætate (nempe quoad malitiam) si velint recipere regnum Dei. Quartò & postremò narratur v.16. *factum ipsum*, illustratum ex adjunctis duobus, videl. duplici gestu tanquam symbolo benevolentiæ & gratiæ divinitus conferendæ.

TERTIA PARS.

Respondet interroganti de modo acquirendi vitam æternam.

17 Et egrediente eo *ut se daret* in viam, quidam quum accurrisset, & accidisset ei ad genua, interrogavit eum, Magister bone, quid faciam ut vitam æternam possideam?

18 Jesus autem dixit ei, Cur me dicis bonum? Nullus est bonus nisi unus, *nempe* Deus.

19 Mandata nosti, Ne mœchare, Ne occidito, Ne furare, Ne falsum testimonium dicito, Ne damno afficito *quenquam*, Honora patrem tuum & matrem.

20 Ille verò respondens dixit ei, Magister, hæc omnia observavi à juventute mea.

21 Jesus autem eum intuitus, dilexit eum, & dixit ei, Unum te deficit: abi, quæcunque habes vende, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me, sublatâ *in humeros* cruce.

22 Ille verò mœstus factus propter hunc sermonem, abiit dolens: habebat enim bona multa.

Primùm narrantur *locus & tempus* ubi & quando colloquium istud accidit, videl. in via quum ex Judæa rediret Dominus in Galilæam, v.17. Deinde *propositio quæstionis* à juvene quodam apud Dominum facta: quæ illustratur ex adjunctis, videl. cursu, prolapsione in genua & salutatione honorifica, v.eod. Tum subjicitur *responsum Christi*, quo primùm reprehendit formam salutationis, v.18. deinde ad quæstionem ipsam respondet, v.19. Reprehensio pertinet ad adulationem: ut declaravimus apud Matthæum. Quartò additur *exceptio juvenis* ad datam sibi responsionem, qua continetur gloriatio de propria pietate, v.20. Quintò subjicitur v.21. *exceptio Christi* ad illam gloriationem, qua eam obliquè refutat: quatenus aliquid mandat quod sciebat adolescentem illum non facturum, nempe ut bona sua det pauperibus & sequatur ipsum sublatâ cruce. Nam certè si adolescens iste verè pius fuisset, hoc est, & Deum & proximum verè dilexisset, sicut fuerat gloriatus: promptè obedivisset isti mandato Domini tanquam doctoris boni, sicut ipsemet fuerat professus. Cæterùm mandatum istud amplificatur annexâ promissione, qua continetur ratio mandati ab effectu utili: nempe adeptione thesauri in cælo. Deinde idem mandatum amplificatur v.22. ab eventis, videl. mœstitia illius juvenis & discessione. Quæ ipsa eventa declarantur è causis per se, videl. juvenis istius avaritia & confidentia in bonis suis: quæ vitia significantur ex causa per accidens, videl. possessione bonorum multorum.

QUARTA PARS.

Monet discipulos de periculo divitiarum.

23 Et quum circumspexisset Jesus, dicit discipulis suis, Quàm difficulter qui opes habent, in regnum Dei introibunt!

24 Discipuli verò expaverunt ad hos sermones ipsius. Jesus autem rursum respondens dixit eis; Filii, quàm difficile est ut qui confidunt opibus, in regnum Dei ingrediantur!

25 Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem in regnum Dei ingredi.

26 Illi verò ampliùs percellebantur, dicentes inter se; Et quis potest servari?

27 Intuitus autem eos Jesus dicit, Apud homines *hoc est* impossibile, sed non apud Deum: nam omnia possibilia sunt apud Deum.

Primùm v.23. narratur ipsa *monitio*, declarata ex adjuncto gestu, ubi

stu. ubi simul ex serie narrationis percipitur monitionis istius *occasio*, videl. factum divitis istius juvenis: qui nolebat in gratiam Christi sua bona dare pauperibus. Deinde v. 24. narratur monitionis istius *effectum* in discipulis, videl. pavor. Tum ibid. narratur monitionis propositæ *declaratio*, quæ constat distinctione inter causam per se & causam per accidens: quòd scil. vitam æternam impediat possessio quidem divitiarum, per accidens: fiducia verò in illis, per se. Quartò v. 25. additur monitionis propositæ *amplificatio*, quòd scil. divitem ingredi in regnum Dei non solùm sit difficile, sed etiam impossibile. Hæc autem ipsa impossibilitas significatur exemplo per collationem minoris: quòd scil. minùs difficile sit camelum transire per foramen acus (quod tamen est impossibile) quàm divitem ingredi in regnum Dei. Quintò, v. 26. narrantur declarationis istius *eventa* in discipulis, videl. pavor vehemens, & contradictio: quæ innuitur per quæstionem, *Et quis potest servari?* quasi dicant: Si ita esset ut tu dicis: tum aut nemo aut certè perpauci possent servari; quia scil. aut nemo aut perpauci reperiuntur qui divitiis suis non confidant. At consequens non est. Ergo nec antecedens. Sextò & postremò, v. 27. subjicitur istius *objectionis solutio*, quæ constat distinctione potentiæ seu virium è causis procreantibus. Sunt enim vires aliæ divinæ, id est, à Deo donatæ ex singulari gratia: aliæ humanæ, id est, à natura homini ingeneratæ. Propositio syllogismi est vera de viribus humanis: assumtio de divinis. Quare argumentum non concludit propter ὁμωνυμίαν. Itaque propositionem simpliciter (hoc est, de quibuslibet viribus ac proinde etiam de divinis) intellectam, Dominus negat: & contrarium de viribus divininis seu potentiâ divinâ probat è sententia generali: nempe quòd Deo possibilia sint omnia. Si omnia: ergo etiam divitem introducere in regnum Dei, dando scil. illi gratiam ne divitiis confidat, sed confidat solo Deo, divitiis autem utatur ad gloriam Dei & proximi utilitatem.

QUINTA PARS.

Confessoribus promittit bona terrena & vitam æternam.

28 Tunc Petrus cœpit ei dicere; Ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.

29 Respondens autem Jesus, ait; Amen dico vobis, Nullus est qui reliquerit domum, aut fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut liberos, aut agros, meâ causâ & Evangelii,

30 Quin accipiat centuplicia nunc isto tempore, domos, & fratres & sorores, & matres & liberos, & agros, cum persecutionibus; & in sæculo venturo vitam æternam.

31 Multi autem primi, erunt ultimi: & ultimi, primi.

Primùm narratur *causa impulsiva*, quæ Dominum movit ad hanc promissionem enuntiandam, videl. sermo Petri de sua cæterorumque discipulorum obedientia in bonis suis relinquendis & ipso sequendo. Deinde v. 29. & 30. narratur *ipsa promissio*: amplificata asseveratione, ibi, *Amen dico vobis*: & enumeratione specierum, ibi, *Qui reliquerit domum, aut fratres &c.* & indicatione adjunctæ copiæ, ibi, *centuplicia*: & postremò indicatione adjunctarum persecutionum, ibi, *Cum persecutionibus*. Tertiò & postremò v. 31. occasione posterioris partis promissionis, quæ est de vita æterna, annectit Dominus *admonitionem de inopinato eventu*, eventuro scil. in hypocritis & peccatoribus manifestis: è quibus illos intelligit nomine primorum, istos verò nomine ultimorum: respiciens ad opinionem populi; cui Pharisæi, quantumvis essent hypocritæ, tamen videbantur primi in regno Dei: publicani verò aliique tales manifesti peccatores, habebantur pro ultimis, imò pro nullis.

SEXTA PARS.

Discipulis iterum prædicit passionem suam & resurrectionem.

32 Erant autem in via ascendentes Hierosolymam: & præibat eis Jesus, & expavescebant, & sequentes timebant. Et ipse, assumtis rursum duodecim, cœpit eis dicere quæ sibi erant eventura:

33 *Dicens*, Ecce, ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis: & condemnabunt eum morte; tradentq́; eum gentibus:

34 Quæ illudent ei, & flagellabunt eum, & inspuent in eum, & trucidabunt eum: sed tertio die resurget.

Primùm indicatur *locus* ubi hæc prædictio pronuntiata fuit, videl. in via Hierosolymam versus. Deinde *occasio*, videl. ascensio Hierosolymam. Tum *causa impulsiva*, videl. metus discipulorum, ortus nimirum ex recordatione prædictionis antea factæ. Quartò *modus*, nempe quòd assumserit illos duodecim, ut scil. solis illa prædiceret. Quintò recitatur *ipsa prædictio*. Cujus analysin vide apud Matthæum.

SEPTIMA PARS.

Repellit petitionem filiorum Zebedæi.

35 Tunc accedunt ad eum Jacobus & Johannes, filii Zebedæi, dicentes; Magister, velimus ut quicquid petierimus, præstes nobis.

36 Ipse verò dixit eis, Quid me vultis vobis præstare?

37 Illi autem dixerunt ei, Da nobis ut unus ad dextram tuam, & alter ad sinistram tuam, sedeamus in gloria tua.

38 Jesus autem dixit eis, Nescitis quid petatis. Potestis bibere poculum quod ego bibo, & baptismo quo ego baptizor baptizari?

39 Ipsi verò dixerunt ei, Possumus. Jesus autem dixit eis, Poculum quidem quod ego bibo, bibetis: & baptismate quo ego baptizor, baptizabimi:

40 Sed sedere ad dextram meam & ad sinistram meam, non est meum dare; sed *dabitur* quibus paratum est.

Primùm narratur *petitio*: eaque tum generalis, v. 35. tum specialis, v. 37. Deinde *recusatio*, versibus reliquis. Recusatio autem quinque constat membris. Primùm reprehendit eos inscitiæ; atque ita innuit, ipsos petere rem non æquam, ac proinde se illam non daturum. Deinde proponit eis quæstionem qua ipsos inscitiæ redarguit: quatenus significat, longè aliam fore suam in hoc mundo conditionem quàm ipsi sibi imaginentur: videl. se non regnaturum more mundano, sed passurum afflictiones & ignominiam: id quod duplici metaphorâ significat. Tertiò, quum illi ad quæstionem pari inscitiâ respondissent affirmando, se scil. posse pati qualia Dominus passurus esset: Dominus prædicit, ita futurum. quod tamen intelligendum est cum exceptione passionis illius qua Dominus pro electis sensit iram Dei: hæc enim illi fuit peculiaris. Quartò petitionem recusat apertiùs, quatenus negat sui esse officii ut honores regni sui in quenquam conferat, in hac scilicet vita & in hoc mundo: quo significat, se nolle tales honores in istos conferre. Quintò & postremò, annectit promissionem per antithesin diversorum: affirmans, honores regni sui suo tempore, videl. post hanc vitam, idque non in hoc mundo, sed in cælo, datum iri illis quibus sint parati, hoc est, electis.

OCTAVA PARS.

Dehortatur discipulos à cupiditate dominandi: & contrà hortatur ad studium serviendi.

41 Et quum *hæc* audissent *reliqui* decem, cœperunt indignari de Jacobo & Johanne.

42 Jesus autem quum eos advocasset, dixit eis; Scitis, eos qui videntur imperare gentibus, dominari in eas: & qui magni sunt inter eas, potestatem exercere in eas.

43 Verùm non ita esto inter vos: sed quicunq; voluerit fieri magnus inter vos, esto minister vester:

44 Et quicunq; voluerit ex vobis fieri primus, esto omnium servus.

45 Nam & Filius hominis non venit ut pateretur sibi ministrari, sed ut ministraret, & daret animam suam redemtionis pretium pro multis.

Primùm narratur hortationis istius *causa impulsiva*, vers. 41. deinde *hortatio ipsa*, versibus reliquis. Causa quæ Dominum ad hanc exhortationem impulit, fuit ambitio discipulorum decem reliquorum: quam prodiderunt facto, videl. indignatione adversus filios Zebedæi propter petitionem ab illis Domino propositam. Dehortatio confirmatur à disparatis, in hanc sententiã.

Quorum est dominari, eos oportet esse magistratus: non autem ministros verbi.

At vos non estis magistratus: sed ministri verbi.

Ergo vestrum non est dominari. Et per consequens, non debetis velle dominari.

Propositionis sententia præcedit, confirmata testimonio consensus Apostolorum, qui significatur verbo *scitis*. Assumtio non est expressa: sed innuitur conjunctione adversativâ δὲ, adhibitâ ipsi conclusioni: ubi dicitur, *Verùm non ita erit inter vos.* Pro eo quod est: Verùm vos non estis magistratus: Ergo non ita erit (hoc est, esse debet) inter vos: ut scil. dominemini & potestatem in alios exerceatis: ex collatione versus præcedentis. Isti dehortationi annectitur cõtraria exhortatio ad studium ministrandi, v. 43. & 44. quæ confirmatur primùm ab effectu utili, videl. honore eventuro, v. 43. & 44. deinde ab exemplo ipsius Domi-

ni, v. 45. ubi ministerium illius declaratur atque amplificatur specie longè maximâ atq; utilissimâ: ut patet in textu.

NONA PARS.

Visum dat Bartimao.

46 Tunc veniunt Hierichuntem: eoque egrediente ex Hierichunte, ac discipulis ejus & turbâ multâ, filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat juxta viam mendicans.

47 Et quum audisset, ipsum esse Jesum illum Nazarenum, cœpit clamare, & dicere; Fili David Jesu, miserere mei.

48 Et objurgabant eum multi ut sileret: ille verò magis clamabat, Fili David, miserere mei.

49 Tunc Jesus quum substitisset, jussit eum vocari. Vocant igitur cæcum, dicentes ei, Confide, surge: vocat te.

50 Ipse verò abjecto pallio suo, quum surrexisset, vênit ad Jesum.

51 Et respondens dixit ei Jesus, Quid vis tibi præstem? Cæcus autem ait ei, Rabboni, ut visum adipiscar.

52 Jesus autem dixit ei; Abi, fides tua te servavit. Statim igitur visum adeptus est: & sequebatur Jesum per viam.

Primùm indicatur *locus* ubi hæc res gesta est, videl. prope urbem Hierichuntem, juxta viam. Deinde *testes* seu spectatores: qui fuerunt discipuli & turba multa. Tum *conditio illius in quo miraculum est editum*, videl. quòd sederit mendicans. Quartò *occasio*, nempe quòd Bartimæus audiret adesse Jesum. Quintò *causa impulsiva*, videl. petitio Bartimæi, amplificata ab adjuncto clamore. Sextò *causa corrumpens* sive impediens, nempe objurgatio multorum ut sileret. Septimò *iterum causa impulsiva*, videl. perseverantia in petitione & clamore. Octavò *preparatio*; nempe, quòd Jesus audito clamore substitit, jussitque eum vocari: quòd ille vocatus, promtè ad Jesum venit: denique quòd jussus petitionem suam in specie exposuit. Nonò indicatur *modus agendi*: nempe quòd Jesus jusserit illum abire, ac pronuntiarit adeptum esse quod petebat, indicatâ simul causâ istius miraculi, videl. fide Bartimæi; quæ fuit causa impulsiva, quæ Jesum movit ad visum illi dandum. Decimò narratur *ipsum miraculum*. Postremò *eventus*; nempe quòd Bartimæus ille Jesum sit sequutus.

SCHOLIA IN CAP. X.

1 Per *regionem* quæ *est* trans Jordanem] διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. *Pro,* διὰ τοῦ τόπου τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου ὄντος ἤγουν κειμένου: *per locum qui trans Jordanem est sive jacet.*

4 Abscessionis] ἀποστασίου. *Qui usitatè dicitur libellus repudii vel divortii.*

5 Propter duritiem cordis vestri] πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν. *Vide scholia in Matth. 19. v. 8.*

6 Eos] αὐτούς. *Nempe primos duos homines.*

8 Duo illi] οἱ δύο. *scil. homo seu vir & uxor ejus: ex versu pracedente. Articulus est* ἀναφορικός. *Sic Germanicè,* die zwāi/ *pro* dieselbige zwāi. Caro una] εἰς σάρκα μίαν. *Ad verb.* In carnem unam. *Hebraismus. Vide scholia Matth. 19. v. 5.*

11 Quicunque dimiserit uxorem suam] *Scil. nisi ob scortationem. Vide Matth. 19. v. 9. Synecd. generis.*

16 Et quum accepisset eos in ulnas] καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτά. *Vide suprà in c. 9. v. 36.* Benedixit eis] ηὐλόγει αὐτά. *Ad verb.* benedixit eos. *Phrasis Hebraa. Id est, Bene precatus est eis, bona à Deo illis exoptavit.*

17 Quidam] εἷς. *ut suprà 9. v. 17.*

18 Dilexit eum] ἠγάπησεν αὐτόν. *Id est, Misertus est illius, quòd scil. se ipse deciperet, falsò sibi persuadens, se observasse enumerata illa Dei pracepta; ac proinde vel perfectum jam esse, vel certè non procul à perfectione abesse.*

26 Et quis] καὶ τίς. *Pro,* τίς οὖν. *Quis igitur.* Ut in illo Virgiliano, Et quis posthac numen Junonis adoret?

30 Accipiat] λάβῃ. *Id est, accepturus sit. Enallage temporis.*

38 Bibo] πίνω. *Id est, bibiturus sum: & quidem brevi. Enallage temporis emphatica. Sic deinceps.*

41 *Reliqui* decem] οἱ δέκα. die zehen/nemlich die übrigen zehen Jünger.

42 Qui videntur imperare] οἱ δοκοῦντες ἄρχειν. *Quasi dicat: Qui non tam imperant, quàm hominibus videntur imperare: quum solus Deus imperium in res omnes creatas perfectè habeat.*

43 Esto] ἔσται. *Ad verb.* Erit. *Sic mox iterum. Vide suprà in c. 9. v. 35.*

49 Confide, surge: vocat te] θάρσει, ἔγειραι, φωνεῖ σε. *Pro,* θάρσει καὶ ἔγειραι καὶ γὰρ φωνεῖ σε: *Confide & surge: nam vocat te. Asyndeton accommodatum* τῇ [illegible]. *celeritati sermonis: qua huic sententia convenit. Simile exemplum ellipseos vide Matth. 8. v. 25.*

51 Quid vis tibi præstem?] τί θέλεις ποιήσω σοι; *Pro,* ἵνα ποιήσω, *ut prastem. Ellipsis conjunctionis causalis.* Et Quid, *id est, Quid boni seu beneficii? Synecdoche generis.* Ut visum adipiscar] ἵνα ἀναβλέψω. *Ad verb.* Ut sursum aspiciam, *Sic mox iterum. Etenim* ἀνά *in hoc verbo videtur valere* ἄνω, *sicut in verbo* ἀνελήφθη, *infrà cap. ult. versu penultimo: non autem iterationem, ut significet, Recipere seu recuperare visum. nam usurpatur quoque de illo caco nato Joh. 9. v. 11. & 18. de quo tamen dici non potest, quòd visum recuperarit: quippe quum illum nunquam antea habuerit.*

OBSERVAT. EX CAP. X.

Observationes ex parte prima, vide in commentario Matth. 19. à v. 3. usque ad v. 10.

Ex parte secunda, vide comment. Matth. 19. v. 13. 14. 15.

Ex parte tertia, vide Matth. 19. à v. 16. usque ad 23.

Ex parte quarta, vide Matth. 19. à v. 23. usque ad 27.

Ex parte quinta, vide Matth. 19. usque ad finem cap.

Ex parte sexta, vide Matth. 20. v. 17. 18. 19.

Ex parte septima, vide Matth. 20. v. 20. usque ad 24.

Ex parte octava, vide Matth. 20. à v. 24. usque ad 29.

Ex parte nona, vide Matth. 20. à v. 29. usq; ad fin. cap.

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Quinque in hoc capite narrantur. 1. Ingressus regius Christi in urbem Hierosolymam. 2. Quomodo maledixerit ficui. 3. Quomodo repurgarit templum. 4. Quomodo discipulos hortatus sit ad fidem & condonationem injuriarum. 5. Quomodo factum repurgationis templi defenderit.

PRIMA PARS.

Ingressus regius in urbem Hierosolymam.

Quum autem appropinquarent Hierosolymæ, Betphage & Bethaniæ ad montem olearum, misit duos è discipulis suis.

2 Et dicit eis, Abite in vicum qui vobis est ex adverso: & statim ut ingrediemini in eum, invenietis pullum ligatum, supra quem nullus hominum sedit: solvite eum, & adducite.

3 Quòd si quis vobis dixerit, Cur hoc facitis? dicite; Dominus eo opus habet: & eum statim huc mittet.

4 Abierunt autem, & invenerunt pullum ligatum apud ostium foris in bivio: & solverunt eum.

5 Tunc quidam eorum qui illic adstabant, dixerunt eis, Quid facitis quòd solvitis pullum?

6 Ipsi verò dixerunt eis prout mandarat Jesus: & illi dimiserunt eos.

7 Adduxerunt igitur pullum ad Jesum, & injecerunt ei pallia sua; conseditque super eum.

8 Multi verò pallia sua straverunt per viam: alii autem frondes cædebant ex arboribus, & sternebant in viam.

9 Et qui præibant, quique sequebantur clamabant dicentes; Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.

10 Benedictum regnum patris nostri David, quod venit in nomine Domini: hosanna *ô qui es in locis* altissimis.

11 Et ingressus est Hierosolymam Jesus, & in templum: quumque circumspexisset omnia, & vespertinum jam tempus esset, exivit Bethaniam versus cum duodecim.

Primùm narratur, quomodo se Jesus ad hunc ingressum *praparit*, septem primis versibus. deinde, quomodo *ingressus sit*, versibus reliquis. Præparationis summa est, quòd mutuatus est asinum quo veheretur. Hæc mutuatio declaratur indicatione causarum ministrantium, quòd scil. mutuatus sit asinum illum per duos è discipulis quos ad illum sibi adducendum misit. Hæc missio declaratur primùm à loco quò sunt missi, videlicet in vicum Betphage ad montem olearum, vers. 1. & 2. Deinde à mandatis quibus instructi sunt, v. 2. & 3. Tum à mandatorum exsequutione, v. 4. 5. 6. 7. Præterea ad præparationem hæc quoque pertinent: quòd discipuli asinum adductum instraverunt suis palliis, quodque Dominus illi insedit, v. 7. Ingressus declaratur partim ex factis honorificis populi comitantis, v. 8. 9. 10. partim ex loco urbis in quem sese contulit, v. 11. partim denique ex actionibus duabus continenter consequutis, ibid.

SECUNDA

SECUNDA PARS.

Maledicit ficui.

12 Et postero *die* quum exissent Bethaniâ, esuriit.

13 Quumq; procul vidisset ficum habentem folia, vênit *visurus* an forte inveniret aliquid in ea: & quum venisset ad eam, nihil invênit nisi folia. non enim erat tempus ficuum.

14 Tunc respondens Jesus dixit ficui, Ne ampliùs ex te in sæculum quisquam fructum comedat, Et *hoc* audierunt discipuli ejus.

Primùm indicatur *tempus* quo Dominus ficui maledixit, nempe postridie quàm ingressus esset Hierosolymam. Deinde notatur *locus* ubi maledixit, videlicet in via quâ redibat Bethaniâ Hierosolymam. Tum *occasio*, nempe quòd esuriens quæsivit in ea fructum. Quartò *causa impulsiva*, quòd nullum in ea fructum invênit. Hæc fructuum privatio declaratur è sua causa naturali, quòd tum non erat tempus fructuum. Quintò recitatur *ipsa maledictio*. Postremò *eventus*, quòd scilicet discipuli verba maledicentis audierint.

TERTIA PARS.

Repurgat templum.

15 Veniunt igitur Hierosolymam. Et ingressus Jesus in templum, cœpit ejicere eos qui vendebant & emebant in templo; & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas subvertit.

16 Nec sinebat ut quisquam deportaret vas per templum.

17 Et docebat dicens eis, Nónne scriptum est, Domus mea, domus precationis vocabitur ab omnibus gentibus? Vos autem eam fecistis speluncam latronum.

18 Et *hoc* audierunt scribæ & principes sacerdotum, & quærebant quomodo eum perderent. Timebant enim eum, quia tota turba percellebatur super doctrinam ipsius.

19 Quum verò vespera esset, egressus est *Jesus* ex urbe.

Primùm narratur *ipsa repurgatio* in tribus factis consistens, v.15. & 16. Deinde *adjuncta doctrina*, qua illius redditur ratio, à legitimo templi usu, cui præsens constitutio repugnabat, v.17. Postremò vers.18. & 19. narrantur *eventa* tria, quorum alia ex aliis consequuta sunt. 1. quòd scribæ & principes sacerdotum istas Domini actiones cognoverunt. 2. quòd consultarunt de eo perdendo. Hæc consultatio illustratur prolepsi, quâ significatur causa cur illum non statim comprehenderint: nempe quia eum timebant propter favorem populi. 3. quòd Jesus ex urbe egressus est.

QUARTA PARS.

Hortatur discipulos ad fidem & condonationem injuriarum.

20 Et manè prætereuntes viderunt ficum illam exaruisse radicitus.

21 Tunc recordatus Petrus dixit; Rabbi, ecce, ficus illa cui imprecatus es, exaruit.

22 Et respondens Jesus dixit, Habete fidem Dei.

23 Amen enim dico vobis, Quicunque dixerit monti huic, tollitor & projicitor in mare; nec hæsitaverit in corde suo, sed crediderit futura quæ dicit; erit ei quicquid dixerit.

24 Propterea dico vobis, Quæcunque precantes petitis, credite vos accepturos: & erunt vobis.

25 Et quum steteritis precantes, remittite si quid habetis adversus aliquem: ut & pater ille vester qui in cælis *est*, remittat vobis lapsus vestros.

26 Nam si vos non remiseritis; nec pater ille vester qui in cælis *est*, remittet lapsus vestros.

Primùm narratur hortationis hujus *occasio*, vers.20.21. Deinde *hortatio ipsa*, vers. reliquis. Occasionem Domino præbuit admonitio Petri de arefactione ficus, v.21. Quæ admonitio ipsa quoque declaratur è sua occasione, nempe arefactionis illius animadversione, v.20. Hortatio ad fidem continetur v.22. 23.24. Hortatio ad condonationem injuriarum continetur vers.25. & 26. Utraque confirmatur ex effectis. Prior ex effectis duobus: uno, quòd fide impetrentur à Deo res longè maximæ, atque adeò naturæ impossibiles, vers.23. altero, quòd fide impetrentur omnia, vers.24. Posterior hortatio confirmatur item ex effectis duobus, sed inter se contrariis: nempe effectu utili condonationis, vers.25. & effectu inutili non condonationis, vers.26.

QUINTA PARS.

Repurgationem templi defendit.

27 Tunc veniunt rursus Hierosolymam: & quum ipse ambularet in templo, veniunt ad eum principes sacerdotum, & scribæ & seniores:

28 Et dicunt ei, Quâ potestate ista facis? & quis tibi dedit potestatem istam ut hæc facias?

29 Jesus autem respondens dixit eis, Interrogabo vos & ego rem quandam. Respondete igitur mihi; tunc dicam vobis quâ potestate hæc faciam.

30 Baptisma Johannis è cælo erat, an ex hominibus? respondete mihi.

31 Ratiocinabantur autem apud se dicentes, Si dixerimus, E cælo: dicet, Quare ergo non credidistis ei?

32 Sed si dicamus, Ex hominibus: timemus populum. Omnes enim sentiebant de Johanne, eum verè prophetam fuisse.

33 Tunc respondentes dicunt JESU, Nescimus. Et JESUS respondens dicit eis, Nec ego dicam vobis quâ potestate hæc faciam.

Primùm indicantur *locus* & *occasio*, & *accusatores*, vers.27. Deinde *accusatio*, v.28. Tum *defensio*, vers. reliquis. Locus fuit templum. Occasio, ambulatio Domini in templo. Accusatores, principes sacerdotum & scribæ & seniores. Accusatio est obliqua. Quærunt enim, quis ei dederit hanc potestatem: sperantes, eum non posse demonstrare, quòd acceperit hanc potestatem vel à magistratu, vel à Deo ipso: ac proinde egisse seditiosè & contra jus, quòd ultrò in templo Dei aliquid mutare ausus sit. Et sanè quòd non accepisset illam potestatem à magistratu, satis notum erat: quòd si autem dixisset, se accepisse illam potestatem à Deo, petituri erant signum è cælo quo istud demonstraret. Meminerant autem, eum jam antea tale signum petentibus noluisse exhibere: unde sperabant nunc quoque recusaturum: atque ita se habituros argumentum quo illum convincerent seditionis. Sed confunditur hæc illorum spes per sapientissimam Domini responsionem. Responsio autem illa constat repositione quæstionis alterius: ad quam si illi respondissent quod ipsimet verum esse judicabant, aut certè negare non audebant: inde firmiter intulisset Dominus, se templi repurgandi potestatem accepisse à Deo. Unde patet, Dominum illius quæstionis repositione noluisse declinare invidiam responsionis planæ, quâ affirmaret, se potestatem illam accepisse à Deo: sed voluisse hoc ipsum demonstrare firmissimo argumento, quod ipsi accusatores non poterant negare. Quærit enim de baptismate Johannis, an fuerit è cælo, id est, à Deo: an ex hominibus. Si respondissent, fuisse è cælo; id quod negare non poterant, nec audebant: tum intulisset Dominus, Se igitur potestatem repurgandi templi accepisse à Deo: quippe quum Johannes, propheta scilicet à Deo missus, sibi dederit testimonium quòd ipse sit Christus. Cæterùm hæc quæstionis repositio declaratur ex eventis: nempe quòd ratiocinantes illi in utramque partem, & utrinq; incommoda consequentia animadvertentes, astutè professi sint suam ignorantiam. Unde porrò evênit, ut Dominus recusaret ad ipsorum quæstionem directè respondere: optimo jure par pari referens, & malitiosam ipsorum voluntatem tacitè culpans: quòd scil. non ideo non responderent, quòd ignorarent veritatem, sed quòd nollent eam confiteri.

SCHOLIA IN CAP. XI.

3 Cur] τί. *Pro*, διὰ τί.

10 *O qui es in locis* altissimis] ἐν τοῖς ὑψίστοις. *Vide scholia in Matth.21.v.9.*

12 Et postero *die*] καὶ τῇ ἐπαύριον. *Scil.* ἡμέρᾳ.

13 Aliquid] τι. *Id est, fructum aliquem, nempe ficus aliquas. Synecdoche generis.*

14 Ne ampliùs ex te quisquam fructum comedat] μηκέτι ἐκ σοῦ οὐδεὶς καρπὸν φάγοι. *Pro, Ne ampliùs ex te fructus nascatur: ut loquitur Matthæus. Metonymia finis pro destinato. nam fructus creat Deus ut homines iis vescantur. Est autem observandum: metonymiam hîc esse in tota phrasi.*

17 Vos autem &c.] ὑμεῖς δὲ &c. *Hactenus verba recitata per mimesin ex Esaia: nunc Dominus loquitur in sua persona, utens interim verbis Scripturæ quæ exstant apud Jeremiam.*

18 Timebant enim eum] ἐφοβοῦντο γὰρ αὐτόν. *His verbis ratio redditur, cur non statim & palàm eum comprehenderint, sed quæsierint rationem ejus perdendi callidam, ne oriretur, seditio à populo.*

20 Prætereuntes] παραπορευόμενοι. *Scil. ficum illam, ex verbis sequentibus.* Ficum illam] τὴν συκῆν. *Scil. cui Dominus maledixerat: ut narratum est paulò antè, v.14. Itaq; articulus est* ἀναφορικός.

21 Recordatus] ἀναμνησθείς. *Scil. imprecationis Domini, ex verbis sequentibus.*

22 Fidem Dei] πίστιν Θεοῦ. *Id est, fidem qua creditur Deo. Genitivus notat subjectum occupans..*

23 Erit ei] ἔσται αὐτῷ. *Id est, Fiet ei,* γενήσεται αὐτῷ. *Sic mox iterum in fine versus sequentis.*

25 Et quum steteritis] καὶ ὅταν στήκητε. *Scil. in templo. Nam illum gestum illic fuisse in precando usitatum, percipitur ex parabola Luc. 18. de Pharisæo & publicano: qui uterq; precans in templo dicitur stetisse.* Remittite] ἀφίετε. *Simile præceptum habetur Matth. 5. v. 23. & 24.* Lapsus] τὰ παραπτώματα. *A verbo* παραπίπτω, *id est, labor: ad verbum, Juxtà cado: videl. juxta offendiculum in quod quis impegit. Vide Gal 6. v. 1.*

28 Ista facis] ταῦτα ποιεῖς. *Id est, Heri ista fecisti quæ fecisti in templo: ex collatione v. 15. & seqq. maximè 19. & 20.*

29 Respondete igitur mihi: tunc dicam vobis] καὶ ἀποκρίθητέ μοι, καὶ ἐρῶ ὑμῖν. *Ad verb.* Et respondete mihi, & dicam vobis. *Copulativa prior posita est pro transitiva: posterior verò pro relativa temporis. Germanicè sic exprimendum,* Wolan so antwortet mir: alsdann wil ich euch sagen/ꝛc. Tunc dicam] καὶ ἐρῶ. *Quum scil. mihi responderitis.*

30 Baptisma Johannis] τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. *Id est, quod administravit Johannes. Genitivus adjuncti occupati.*

OBSERVAT. EX CAP. XI.

1 Ex parte 1. vide commentar. in Matth. c. 21. à principio usque ad v. 18.

Ex parte 2. vide Matth. 21. v. 18. & 19.

Ex parte 3. vide Matth. 21. v. 12. & 13.

Hypocritarum ingenium. Ex eadem parte, ex v. 18. discendum est & hoc: Hypocritas metuere homines, quum interim non metuant Deum: ut perspicuum est in istis principibus sacerdotum & scribis.

Ex parte 4. vide Matth. 21. v. 20. 21. & 22.

Ex parte 5. vide Matth. 21. à v. 23. usque ad finem capitis.

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Septem sunt hujus capitis partes. 1. Christus proponit primoribus Judæorum parabolam de colonis ingratis. 2. Tentatur à Pharisæis & Herodianis quæstione de censu. 3. Oppugnatur à Sadducæis argumento contra resurrectionem mortuorum. 4. Interrogatur à quodam scriba de primo seu maximo mandato. 5. Refutat doctrinam scribarum de Christo, quòd nihil ampliùs sit quàm filius Davidis. 6. Monet cavendos scribarum mores. 7. Prædicat oblationem viduæ pauperis.

PRIMA PARS.

Proponit parabolam de colonis ingratis.

ET cœpit eis per parabolas dicere, Vineam plantavit quidam, & circumposuit sepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & elocavit eam agricolis: ac peregre profectus est.

2 Misitque servum ad agricolas *suo* tempore, ut ab agricolis acciperet ex fructu vineæ.

3 Illi verò captum eum verberarunt, ac remiserunt inanem.

4 Et rursum misit ad eos alium servum: at illum lapidarunt, & caput *ejus* vulnerarunt, & remiserunt decoratum.

5 Et rursum alium misit: at illum trucidarunt: multosque alios; hos quidem cædentes, illos verò trucidantes.

6 Quum ergo unum adhuc haberet, *nempe* filium suum dilectum; misit etiam illum ad eos ultimum, dicens, Reverebuntur filium meum.

7 Illi verò agricolæ dixerunt inter se, Iste est hæres: venite, trucidemus eum; & nostra erit hæreditas.

8 Et captum eum trucidarunt, & ejecerunt extra vineam.

9 Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet, & perdet agricolas, & dabit vineam aliis.

10 Ne hanc quidem scripturam legistis? Quem lapidem reprobaverunt ædificatores, is factus est caput anguli:

11 A Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris.

12 Studebant igitur eum prehendere: sed timuerunt turbam. Intellexerant enim, eum adversus ipsos illam parabolam dixisse. Itaque omisso eo abierunt.

PRimùm parabolam ipsam *proponit*, usque ad v. 10. Deinde illam ad primores Judæorum *accommodat*, v. 10. & 11. Postremò narrantur *eventa*, v. 12. *Parabolæ membra* sunt quatuor. Primum, studium patrisfamiliâs in plantanda & colenda vinea, v. 1. Secundum, missio servorum, ac tandem ipsius filii, ad petendum à colonis fructus vineæ, à v. 2. usque ad 9. Tertium, injuriæ colonorum erga illos, iisdem versibus. Quartum, pœna colonis à patrefamiliâs inferenda, v. 9. *Accommodatio parabolæ* est obscura: quia nihil aliud continet quàm recitationem dicti ex psalmo de lapide reprobato ab architectis & constituto in lapidem angularem. Quo dicto innuit Christus, se à primoribus Judæorum tanquam impium damnatum & occisum iri, & tamen se esse Christum.

Cæterùm *explicatio parabolæ* est hæc. Paterfamiliâs qui vineam plantavit & colonis elocavit, est Deus pater. Vinea est populus Dei, videl. populus Israëliticus. Coloni, sunt primores populi Dei; tum doctores, ut sacerdotes, scribæ & Pharisæi: tum magistratus, ut seniores seu judices. Servi quos misit paterfamiliâs, sunt prophetæ. Filius, est Filius Dei in carne manifestatus. Sicut igitur isti coloni contumeliis affecerunt & trucidarunt servos patrisfamilâs, & ipsum quoque filium: similiter se erga Prophetas & Christum gesserunt primores populi Dei. Et sicut ille dominus vineæ colonos ingratos perditurus fuit, & vineam aliis daturus: sic Deus perditurus fuit primores sui populi, & populi sui curam commissurus Apostolis & illorum successoribus. Et sanè perditi sunt illi, quum urbs Hierosolyma per Titum eversa est.

Eventa in primoribus populi narrantur duo, inter se contraria: studium Christi prehendendi, & omissio illius: quod utrumque è sua causa illustratur. Prioris causa procreans fuit: quòd intellexerunt, parabolam adversus se dictam, hoc igitur ægrè ferentes, cupiverunt id ulcisci. Posterioris eventi causa procreans fuit metus turbæ, quòd scil. metuerunt ne turba resisteretur ipsis, si Christum prehendere conarentur: quia turba habebat illum pro propheta, ut Matthæus meminit.

SECUNDA PARS.

Tentatur à Pharisæis & Herodianis quæstione de censu.

13 Et miserunt ad eum quosdam è Pharisæis & Herodianis, ut eum captarent sermone.

14 Illi verò, quum venissent, dicunt ei, Magister, scimus te veracem esse, neque curare quenquam. Non enim respicis in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licet censum Cæsari dare; an non? demus, an non demus?

15 Ipse verò, quum sciret eorum hypocrisin, dixit eis, Quid me tentatis? Proferte mihi denarium, ut videam.

16 Illi verò protulerunt. Tunc dicit eis, Cujus est imago ista & inscriptio? Illi verò dixerunt ei, Cæsaris.

17 Et respondens Jesus dixit eis, Reddite quæ *sunt* Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei *sunt*, Deo. Et admirati sunt super eo.

Narrationis hujus membra sunt quatuor. Primùm indicantur tentationis istius *causæ procreantes*, v. 13. Deinde narratur tentatio ipsa seu *propositio quæstionis*, v. 14. Tum *responsum Christi*, v. 15. 16. 17. Postremò *eventus*, in fine v. 17. *Causæ procreantes* tentationis indicantur duplices: principales & adjuvantes seu ministræ. Principales tentationis hujus authores fuerunt primores populi: ministri, quidam è Pharisæis & Herodianis, ab illis ad Jesum missi. *Propositio quæstionis* constat duobus membris, præfatione & propositione ipsa: quarum hæc ex illa deducitur enthymematicè, ad significandum petitionis æquitatem, ac proinde responsum faciliùs eliciendum. Præfatio constat appellatione honorificâ & laudatione: quâ laudatione tribuunt illi duas insignes virtutes, amorem veritatis in judicando (φιλαλήθειαν Græci nominant) & veritatem doctrinæ de cultu Dei. Amorem illum veritatis illustrant remotione vitii contrarii, videl. prosopolepsiæ. *Responsum Christi* constat quatuor membris: reprehensione, petitione, interrogatione, & decisione quæstionis. nam primùm reprehendit illorum hypocrisin: significans, se videre quòd malò animo quæstionem istam sibi proponerent, vers. 15. Deinde petit ut sibi ostendant denarium, v. eod. id quod hoc consilio facit ut ex illius imagine & inscriptione demonstret, Judæos esse Cæsari subjectos: unde jam ultrò sequebatur decisio quæstionis, quòd scilicet deberent Cæsari censum dare. Tum v. 16. interrogat illos de denarii imagine & inscriptione: ut ex ipsorum ore eliciat confessionem suæ sub Cæsare subjectionis: ex qua pendebat quæstionis decisio: atque ita invidiam decisionis à se in adversarios sapientissimè devolvit. Postremò v. 17. ex confessione illorum decidit quæstionem affirmando: & simul occurrit objectioni de conservatione cultus divini: monens, utrumque faciendum esse: & censum Cæsari dandum, & pecuniam ad cultum Dei conservandum conferendam. Quod utrumq; significat sententiâ generali sive universali. Porrò quæstionis propositæ affirmatio concluditur tali syllogismo.

Quæ jure à vobis debentur Cæsari, ea debetis Cæsari reddere, vers.17.

At census jure à vobis debetur Cæsari: quia estis illi subjecti: quippe quum utamini monetâ ab illo percussâ, & imaginem ac nomen illius præferente, v.15. & 16.

Ergo censum Cæsari reddere debetis.

Objectio.

Si demus censum Cæsari: fraudabimus Deum suo jure: quum ista pecunia debeatur Deo ad conservationē cultus divini.

At non debemus fraudare Deum suo jure.

Ergo non debemus censum dare Cæsari.

Responsio.

Negatur propositio connexa: quatenus affirmatur, Deo nihilominus reddenda quæ Dei sunt.

Eventus fuit admiratio tentantium, & (ut Matthæus addit) omissio Domini. Itaq; confusi sunt ipsi qui Dominum confundere conabantur.

TERTIA PARS.

Oppugnatur à Sadducæis argumento contra resurrectionem.

18 Tunc veniunt ad eum Sadducæi, qui dicunt
non esse resurrectionem: & interrogarunt eum, dicentes,
19 Magister, Moses scripsit nobis, ut si cujus frater
mortuus sit, ac reliquerit uxorem, & liberos non reliquerit; accipiat ipsius frater uxorem ejus, & excitet semen fratri suo.
20 Septem ergo fratres fuerunt: ac primus accepit
uxorem, & moriens non reliquit semen.
21 Et secundus accepit eam, & mortuus est, & ne
ipse quidem reliquit semen: & tertius itidem.
22 Denique acceperunt eam septem illi, neque
reliquerunt semen: ultima omnium mortua est & mulier.
23 In resurrectione ergo, quum resurrexerint, cujus eorum erit uxor? nam septem illi habuerunt eam uxorem.
24 Tunc respondens Jesus dixit eis, Nónne propterea erratis quòd non sciatis scripturas, neque potentiam Dei?
25 Postquam enim à mortuis resurrexerint; neque
uxores ducunt, neque nuptum dantur: sed sunt ut angeli qui in cælis *sunt*.
26 De mortuis verò, quòd suscitandi sint, non legistis in libro Mosis, quomodo in rubo loquutus sit ei Deus, dicens, Ego *sum* deus ille Abraham, & deus ille Isaac, & deus ille Jacob.
27 Non est Deus mortuorum deus, sed viventium.
Vos ergo multum erratis.

Primùm ponitur *Sadducæorum descriptio*, v.18. Deinde *propositio quæstionis* quâ continetur argumentum contra resurrectionem, à v.19. usque ad 24. Tum *responsum Christi*, quo continetur argumenti objecti solutio, & resurrectionis demonstratio, v.24. & seq. *Descriptio Sadducæorum* sumta est à proprio effecto (quod in illis fuit proprium à Porphyrio dictum τὸ νῦν sive τὸ ποτὲ) videl. à proprio dogmate, quo negabant resurrectionem mortuorum. Scopus hujus descriptionis est, ut significetur, illos quæstionem sequentem Domino proposuisse, non animo discendi, sed tentandi & confundendi, allato scil. argumento quod ipse non posset solvere. *Quæstionis propositio* tribus membris constat: recitatione legis de successione fratrum in conjugio, v.19. narratione facti seu casus de septem fratribus, qui unam eandemque uxorem successivè habuerant, v.20.21.22. & quæstione ipsa: cujus æquitas significatur adjectâ ratione. Cæterùm sermonis illius scopus fuit, concludere quòd resurrectio mortuorum non sit futura. Argumentum ducitur à consequente absurdo, ad hunc modum.

Si futura est resurrectio mortuorum: septem illi fratres habebunt simul unam uxorem.

At hoc non fiet: quia absurdum.

Ergo resurrectio mortuorum futura non est.

Connexum probatur à causa procreante, videlicet jure divino: quia illi omnes ex lege uxorem illam successivè habuerant. *Responsum Christi* duobus constat membris principalibus. Primùm indicat erroris Sadducæorum causas duas, vers.24. Deinde errorem eorum refutat: ac primùm errorem argumenti, vers.25. deinde errorem ipsius dogmatis, vers.26. & 27. Erroris causæ erant, ignoratio Scripturæ & ignoratio potentiæ Dei. nam Scriptura resurrectionem fore docet, partim expresse, ut apud prophetas, partim implicitè, ut in Mose: unde Dominus demonstrationem profert. Potentia verò Dei tanta est, ut sicut ex nihilo potuit facere omnia: sic etiam corpora hominum in nihilum redacta possit restituere pristinæ integritati. Errorem argumenti refutat, significando dissimilem hominum à resurrectione statum à statu sæculi præsentis: quo ipso negat consequentiam connexi in syllogismo Sadducæorum. Si enim in futuro sæculo nulla sunt futura conjugia: ergo non est consequens, ut si septem viri in hoc sæculo habuerunt unam uxorem, in altero quoque eandem habituri sint. Errorem dogmatis seu conclusionis convincit demonstratione contrariæ veritatis: argumento ducto à causa procreante, videl. favore Dei æterno erga suos federatos: Hic enim favor efficit ut federati Dei vivant ac beati sint, illum ipsum favorem sentiendo. Istud autem argumentum concluditur tali syllogismo.

Quorum deus est Deus, seu quibuscum fedus gratiæ pepigit, eos necesse est vivere, ut scil. favorem illius sentiant atque inde beati sint.

Atqui Abrahami, Isaaci & Jacobi deus est Deus, seu pepigit cum illis fedus gratiæ.

Ergo illos necesse est vivere. Idem autem est judicium de cæteris federatis, hoc est, filiis Dei universis.

Sententia conclusionis præcedit, ibi, *De mortuis verò quòd suscitandi sint*. Succedit prosyllogismus seu approbatio assumtionis à testimonio Mosis, ibi, *Non legistis in libro Mosis*. Sequitur assumtio confirmata testimonio Dei, ibi, *Quomodo in rubo loquutus sit ei Deus &c.* Tum additur sententia propositionis, vers.27. *Non est Deus deus mortuorum &c.* Postremò repetitur sententia conclusionis, ibi, *Vos igitur multum erratis.*

QUARTA PARS.

Interrogatur de maximo mandato.

28 Et accedens quidam è scribis, qui audierat eos
disceptantes: quum sciret, eum bene illis respondisse, interrogavit eum *dicens*, Quodnam est primum omnium mandatum?
29 Jesus autem respondit ei, Primum omnium
mandatorum *est*; Audi Israël, Dominus deus noster, Dominus unus est.
30 Diliges igitur Dominum deum tuum ex toto
corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua, & ex totis viribus tuis. Hoc *est* primum mandatum.
31 Et secundum *illi* simile hoc *est*; Diliges proximum tuum ut teipsum. Majus istis aliud mandatum non est.
32 Tunc dixit ei scriba ille; Bene, magister, in veritate dixisti. Nam unus est Deus, nec alius est præter eum.
33 Et diligere eum ex toto corde, & ex tota intelligentia, & ex tota anima, & ex totis viribus, ac diligere proximum ut seipsum, plus est quàm omnia holocautomata & sacrificia.
34 Tum JESUS quum vidisset eum cordatè respondisse, dixit ei; Non longè es à regno DEI. Et nemo ampliùs audebat eum interrogare.

Membra principalia hujus narrationis sunt *tria*: propositio quæstionis, responsio ad quæstionem, & eventus responsionis. In *propositione quæstionis* indicatur tum quis illam proposuerit, nempe quidam è scribis, qui à Matthæo dicitur νομικὸς, Legalis, id est, Legis interpres: tum qua occasione adductus fuerit ad proponendum, videlicet quòd audierat Jesum & Sadducæos disceptantes: tum denique qua causa fuerit impulsus ad proponendum, nempe ut experiretur an posset ei proponere quæstionem tam difficilem ut ipse non posset bene respondere. Hic finis seu scopus significatur his verbis, quòd scriba ille sciverit, Jesum Sadducæis *bene* respondisse. Matthæus autem scopum hunc apertiùs notat, quum dicit, quòd scriba ille Dominum interrogârit *tentans* eum. *Responsionis* summa est: maximum mandatum esse illud Deut. 6. de dilectione Dei. Hæc responsio amplificatur collatione mandati similis (id est similiter generalis & latè patentis) de dilectione proximi ex Levit.19. *Eventus* narratur duplex: unus illius scribæ proprius: alter communis illi cum cæteris. Proprium illi fuit, quòd responsionem Domini approbavit, v.32. & 33. Quæ approbatio amplificatur primùm collatione minorum, videl. sacrificiorum, v.33. deinde eventu, videlicet approbatione Domini, v.34. Commune illi scribæ cum cæteris fuit, quòd nemo ampliùs Jesum ausus est interrogare: quia nimirum videbant, se frustra illum tentare, quum nemo eum possit confundere.

QUINTA PARS.

Refutat doctrinam scribarum de Christo.

35 Et respondens Jesus dicebat, docens in templo, Quomodo dicunt scribæ, Christum esse filium Davidis?

36 Nam ipse David dixit per Spiritum sanctum; Dixit Dominus domino meo, Conside ad dextram meam, usquedum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

37 Ipse ergo David dicit eum dominum: unde igitur filius ejus est? Et multa turba audiebat eum libenter.

Membra istius narratiunculæ sunt *tria*: locus, ubi refutatio ista est pronuntiata, refutatio ipsa, & eventus. Quod ad *locum*, pronuntiata fuit hæc refutatio in templo: cujus rei mentione simul innuuntur auditores ad quos fuit pronuntiata, videl. tum populus, tum scribæ & Pharisæi: quorum expresse meminit Matthæus *Refutatio* constat hoc syllogismo:

Si David Christum dicit dominum: non igitur est filius Davidis, scilicet tantum; ut dicunt scribæ.

Atqui David Christum dicit dominum.

Ergo Christus non est filius Davidis; scilicet tantùm; ut dicunt scribæ.

Propositio, ut per se nota, omittitur. Veritas autem illius pendet à qualitate personæ Davidis; qui quum istud diceret, erat rex populi Dei, nec quenquam hominum pro domino agnoscebat. Assumtio illustratur verbis Davidis ex Psal. 110. Cæterùm partes argumentationis hoc ordine disponuntur. Primò ponitur conclusio per interrogationem θαυμαστικὴν, quæ habet vim negandi, ibi, *Quomodo dicunt*. Secundò ponitur assumtio, videl. dictum Davidis, amplificatum à causa principali, seu autore primario illorum verborum Davidis, qui fuit Spiritus sanctus, spiritus scilicet veritatis, cujus proinde testimonium omni exceptione majus est, ibi, *Nam ipse David*. Tertiò repetitur assumtio, ibi: *Ipse ergo*. Postremò repetitur conclusio, iterum per interrogationem enuntiata: ibi, *Unde igitur*. *Eventus* istius refutationis, nec non cæterorum sermonum paulò antè à Domino habitorum, fuit benevolentia populi auscultantis.

SEXTA PARS.

Mores scribarum cavendos.

38 *Ipse* autem dicebat eis in doctrina sua, Cavete à scribis, qui volunt stolati ambulare, & *amant* salutationes in foris,

39 Primosque consessus in conventibus, & primos accubitus in cænis:

40 Qui exedunt domos viduarum, idque in speciem utentes longis precibus: isti auferent gravius judicium.

Membra hujus monitionis principalia sunt *duo*: enumeratio specierum & indicatio effecti. *Species morum* vitiosorum enumerantur sex: à quibus quatuor priores sub ambitione, quinta sub avaritia, postrema sub hypocrisi continetur. *Indicatio effecti* est denuntiatio pœnæ divinæ, amplificata collatione minorum: ibi, *Isti auferent*.

SEPTIMA PARS.

Prædicat oblationem viduæ pauperis.

42 Et quum consedisset Jesus ex adverso gazophylacii, spectabat quomodo turba injiceret æs in gazophylacium. Multi igitur divites injiciebant multa.

42 Et quum venisset quædam vidua pauper, injecit minuta duo; quod est quadrans.

43 Tunc *ille* quum advocasset discipulos suos, dixit eis; Amen dico vobis, vidua hæc pauper plus injecit quàm omnes qui injecerunt in gazophylacium.

44 Nam omnes ex eo quod ipsis redundat injecerunt: hæc verò è penuria sua injecit omnia quæ habebat, totum, *inquam*, victum suum.

Membra hujus narrationis principalia, sunt *duo*: Occasio istius prædicationis, & prædicatio ipsa. *Occasio* fuit, spectatio offerentium pecuniam sacram. quorum mentio illustratur distributione geminâ. nam & ipsi offerentes distribuuntur, in divites & pauperem illam viduam: & munera utrorumq; distribuuntur in magna & parvum. *Prædicatio* muneris viduæ primùm illustratur mentione auditorum sive testium ad quos fuit pronuntiata, videl. ad discipulos: deinde amplificatur collatione imparium in speciem hyperbolicâ. Esset enim sententia falsa, si intelligeretur simpliciter, videl. secundùm proportionem Arithmeticam. Postremò prædicatio illa confirmatur & declaratur significatione proportionis Geometricæ: secundùm quam plus donat qui omnem suam substantiam donat, quàm qui ex opibus amplis partem aliquam, quantùmvis magnam, donat.

SCHOLIA IN CAP. XII.

4 At illum] κἀκεῖνον. *Puto* καὶ *hîc accipi adversativè, non autem copulativè vel comparativè: ac proinde non vertendum,* Illum quoque. *quia non præcessit mentio lapidationis, sed tantùm verberationis. Sic mox iterum vers. sequente.* Caput *ejus* vulnerârunt] ἐκεφαλαίωσαν. *Verbum* κεφαλαιοῦν *aliàs significat, In capita, seu summas redigere: sed hîc usurpatur novè, pro eo quod est, Caput cædere seu vulnerare. Lucas utitur verbo* τραυματίζειν, *quod est vulnerare.*

5 Multosq; alios] καὶ πολλοὺς ἄλλους. *Scil. ad se missos malè mulctarunt: ut declarant verba sequentia.*

6 Quum ergo unum adhuc haberet, *nempe* filium suum dilectum] ἔτι οὖν ἕνα υἱὸν ἔχων ἀγαπητὸν αὐτοῦ. *In Græco verba sunt trajecta. nam est appositio: & ad* ἕνα, *subaudiendum* ἄνθρωπον οἰκιακὸν, *hominem domesticum: ex collatione præcedentium.* Misit etiam illum ad eos ultimum] ἀπέστειλε καὶ αὐτὸν πρὸς αὐτοὺς ἔσχατον. *Id est, ultimo loco:* **zum letzten.** *Non enim puto hîc rectè statui trajectionem, ut vertendum sit,* Misit etiam illum ultimum ad eos: **Da hat er auch denselben letzten zu jhnen geschickt:** *quæ verba respondent Græcis istis:* ἀπέστειλε κἀκεῖνον τὸν ἔσχατον πρὸς αὐτούς. *Quum igitur ante* ἔσχατον *absit articulus: puto verba hæc sic construenda, ut si diceretur: Ille missus est ultimus, hoc est, ultimo loco:* ἐκεῖνος ἀπεστάλη ἔσχατος: *non autem* ἐκεῖνος ὁ ἔσχατος ἀπεστάλη. *Sic Syrus rectè: Et misit eum ad illos* אַחֲרִית *abharith, id est, postremò.*

7 Et nostra erit &c.] καὶ ἡμῶν ἔσται. *Vel:* Tum nostra erit. *hoc est, Nam si istud fecerimus: nostra erit hæreditas. Germanicè,* **So wird das erb vnser seyn.**

10 Factus est caput] ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν. *Vide scholia in Matth. 21. vers. 42.*

11 In oculis nostris] ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. *Hinc auferendum est signum interrogationis: aut certè si relinquatur, tum apponenda nota incisi post verbum* ἀνέγνωτε. *Legistis: & intelligendum, interrogationem ad ipsum illud verbum esse referendam. quasi illud scriptum esset in fine hujus sententiæ: hoc modo:* οὐδὲ τὴν γραφὴν ταύτην, Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν *&c.* ἀνέγνωτε; *Id est, Ne hanc quidem scripturam, Quem lapidem reprobaverunt &c. legistis? Ne quis putet, interrogationem pertinere ad membrum illud postremum.* Et est mirabile in oculis nostris.

12 Sed timuerunt] καὶ ἐφοβήθησαν. *Copulativa pro adversativa. Sensum autem verborum vide in scholiis apud Matthæum.* Intellexerant enim] ἔγνωσαν γάρ. *Hæc ætiologia cohæret non cum proximè-præcedente sententia, sed cum altera remotiore.* Itaque omisso &c.] καὶ ἀφέντες *&c. Copulativa pro illativa seu syllogistica particula. Cohæret autem hæc illatio non cum sententia proximè-præcedente, sed altera remotiore. Est igitur in hoc versu gemina sententiarum trajectio. Genuinus ordo sic esset:* καὶ ἐζήτουν αὐτὸν κρατῆσαι· ἔγνωσαν γὰρ ὅτι πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν εἶπε. ἀλλ' ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον· καὶ ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον. *Id est: Et studebant eum prehendere: Intellexerant enim, eum adversus ipsos illam parabolam dixisse. Sed timuerunt turbam: itaque omisso eo abierunt.*

13 Captarent] ἀγρεύσωσι. *Sicut scilicet venator captat feram. Matthæus paulùm diversâ metaphorâ (ab avium scilicet venatu ductâ) utitur, dicens:* ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ. Captarent sermone] ἀγρεύσωσι λόγῳ. *Nempe sermone* suo: *hoc est, quæstione suâ, ad quam respondere in utramq; partem videbatur periculosum. Atq; ex collatione horum verborum liquet, verba modò citata ex Matthæo, non esse reddenda,* Ut eum illaquearent IN sermone, *scil.* Ipsius: *sed,* Ut eum illaquearent sermone, *scil.* Suo: *omissâ præpositione* IN. *quia* ἐν λόγῳ *valet idem quod* λόγῳ, *vel* διὰ λόγου, *per Hebraismum.*

14 In faciem hominum] εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων. *Vide scholia in Matth. 22. v. 16.*

15 Quid] τί. *Id est,* διὰ τί. *Quare.*

17 Reddite] ἀπόδοτε. *Pro,* ἀπόδοτε οὖν, Reddite igitur. *Ellipsis conjunctionis syllogisticæ, quæ apud Matthæum est expressa.*

19 Liberos] τέκνα. *Vide scholia in Matth. 22. v. 24.* Excitet semen] ἐξαναστήσῃ σπέρμα. *Id est, procreet filium. Metonymia materiæ, & synecdoche generis.* σπέρμα, *id est,* τέκνον: *&* τέκνον, *id est,* υἱόν. *Sic deinceps. Ubi nota, vocabulum* Seminis *usurpari ad significandum hominem unicum: ad convincendum Judæos, qui negant istud nomen in scriptura uspiam hanc significationem habere: ut nimirum possint negare, promissionem illam,* In semine tuo benedicentur omnes gentes, *rectè exponi de Christo. Quanquam Moses hîc non utitur nomine* Seminis, *sed* Filii. *Alibi tamen eo sic utitur, ut Genes. 4. v. penult. ubi Eva de Setho ex se recens nato ait,* Reposuit mihi Deus aliud semen pro Habele: *id est, alium filium. Sic cap. 38. v. 8. Jehuda dicit Onani, Suscita semen fratri tuo.*

22 Denique acceperunt] καὶ ἔλαβον. *Id est, Et ut uno verbo dicam acceperunt &c. Copulativa pro particula præcisionis.* Ultima omnium mortua est & mulier] ἐσχάτη πάντων ἀπέθανε καὶ ἡ γυνή.

γυνή. *Syntaxis est: Tum mulier quoque mortua est ultima omnium; hoc est, ultimo loco post omnes. Syntaxis qualis illa de qua monuimus suprà in v.6.*

23 Quum resurrexerint] ὅταν ἀναστῶσι. *Epexegesis πλεοναστική: qualis suprà cap.1.v.32. ubi habetur: ὀψίας δὲ γενομένης, ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος. Item cap.7.v.13. Abrogantes sermonem Dei traditione vestrâ quam tradidistis.* Erit] ἔσται. *Scil. mulier illa, quæ septem habuit viros.* Nam septem illi] οἱ γὰρ ἑπτά. *Articulus vim habet ἀναφορικήν.*

26 Quòd suscitandi sint] ὅτι ἐγείρονται. *Ad verbum,* Quòd excitantur, *sive* excitentur: *id est, excitabuntur. Enallage temporis.* In libro Mosis] ἐν τῇ βίβλῳ Μωσέως. *Sic nominat totum Pentateuchum. Locus autem quem citat, habetur Exod.3.v.6.* Quomodo in rubo loquutus sit Deus] ἐπὶ τῆς βάτου ὡς εἶπεν αὐτῷ ὁ Θεός. *In Græco verba sunt trajecta.* Deus ille] ὁ Θεός. **Ich bin der Gott Abrahams/ꝛc.** *Articulus est emphaticus, notans rem eximiam & vulgo notam: quasi dicat, Deus ille qui apparuit sanctis illis patribus, eisq; certas promissiones dedit, fœdus gratiæ cum illis pangens.*

27 Non est Deus, mortuorum deus; sed viventium] οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ Θεὸς ζώντων. *In Græco vox Θεὸς posterior, à nativo suo loco trajecta est: ut liquet ex Matth. qui servavit ordinem naturalem, sic referent:* Οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς Θεὸς νεκρῶν ἀλλὰ ζώντων, *Germanicè:* **Gott ist nicht ein gott der todten:** *vel,* **Gott ist nicht der todten Gott / sondern der lebendigen.** *Cæterùm perspicuitatis causâ nomen Θεὸς, item Deus, in antecedente scribendum est literâ initiali majusculâ, tanquam nomen proprium: in consequente verò, minusculâ tanquam appellativum. Quid autem sit Deum esse deum alicujus: item qualis hoc loco contineatur syllogismus: dictum est in commentario in Matthæum. Ut repetam paucis: Syllogismus est figuræ primæ, seu secundæ speciei syllogismi explicati, ad hunc modum.*

Quorum deus est Deus, illi vivunt.
Abrahami, Isaaci & Jacobi, deus est Deus.
Ergo Abraham, Isaac, & Jacob vivunt.

Assumtio est prima, ibi, Ego sum Deus ille Abrahami, *&c. Secundo loco succedit propositio, ibi:* Non est Deus, mortuorum *&c. Postremò additur sententia conclusionis, ibi,* Vos ergo multùm erratis. Vos ergo multùm erratis] ὑμεῖς οὖν πολὺ πλανᾶσθε. *Pro eo quod est: Ergo Abraham, Isaac & Jacob vivunt: & per consequens, vos multùm erratis qui putatis quum homo moritur, non superesse animam, nec in resurrectione iterum suo corpori unitum iri. Est metonymia effecti synecdochica: eaq; in toto enuntiato, quatenus illud ut consequens ex alio enuntiato deducitur.*

29 Dominus deus noster, Dominus unus est] Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν, Κύριος εἷς ἐστι. *In Hebræo pro nomine Κύριος habetur nomen Dei proprium* יְהֹוָה Jehováh, *quo notatur ipsius essentia: pro nomine autem Θεός habetur nomen* אֱלֹהִים *Elohim: quod est numeri pluralis, & notat trinitatem personarum.*

30 Diliges igitur] καὶ ἀγαπήσεις. *Copulativa pro illativa.*

34 Cordatè] νουνεχῶς. *quasi dicas, Habendo mentem: id est, cum mente:* **vernünfftiglich/weislich.**

35 Et respondens] καὶ ἀποκριθείς. *Id est, novum sermonem exorsus, Catachresis Hebraica.* Quomodo dicunt] πῶς λέγουσιν. *Quasi dicat, Non est probabile quod dicunt. Loquitur enim ut disputaturus contra scribas.* Christum esse filium Davidis] ὅτι ὁ Χριστὸς υἱός ἐστι Δαβίδ. *Scil.* Tantùm. *Neq; enim putandum, Dominum voluisse negare id quod apud omnes erat in confesso, & in scripturis manifestè testatum: nempe, Christum fore filium Davidis.* Esse] ὅτι ἔσται *Id est, Fore: quum scil. venerit. Loquitur enim ex hypothesi scribarum: qui putabant, Christum nondum venisse, seu nondum adesse.*

36 Per Spiritum sanctum] ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ. *Ad verb.* In Spiritu sancto. *Hebraismus: pro,* διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου. *hoc est, ex afflatu & revelatione Spiritus sancti.* Dixit Dominus &c.] εἶπεν ὁ Κύριος *&c. Vide scholia in Matth.* Conside] κάθου. *Vide scholia in Matthæi 13.v.1.* Ad dextram meam] ἐκ δεξιῶν μου. *Ad verb.* Ex dextris meis. *In Græco subauditur μερῶν, & intelliguntur membra quæ sunt in dextro latere; putà brachium dextrum, costa dextra, crus dextrum. In Latino subauditur manus.*

37 Dominum] κύριον. *Hoc nomen in contextu scribendum est literâ initiali minusculâ, cæterisq; æquali: tanquam appellativum scilicet: non autem majusculâ: quum hîc non usurpetur ut proprium, sicut aliâs sæpe, quum de Deo aut Christo sermo est.* Unde igitur] καὶ πόθεν. *Copulativa pro illativa. Id est, Unde igitur probabunt scribæ, Christum filium esse solius Davidis?*

38 Stolati] ἐν στολαῖς. *Ad verb.* In stolis: *id est, Induti stolis, Vel,* cum stolis. *ut sit ἐν pro μετὰ per Hebraismum. Sic apud Cic. in Vatin.* Cum toga pulla accumbere, *item* cænare. *hoc est, indutum toga pulla. Item,* procedere in crepidis, *id est, crepidatum apud Sueton. in Caligula, cap.52. Et amant* salutationes] καὶ ἀσπασμοὺς. *Verbum* amant *suppletum est ex Matthæo. Sed videtur ἀπὸ κοινοῦ posse repeti verbum* volunt: *hoc modo, Et volunt (id est, expetunt) salutationes.*

40 Qui exedunt domos viduarum] οἱ κατεσθίοντες *&c. Vide scholia in Matth. 23.v.14.*

41 Æs] χαλκόν. *Id est, nummos, sive ex ære, sive ex alio metallo. Metonymia materiæ: & synecdoche speciei.*

44 Totum victum suum] ὅλον τὸν βίον αὐτῆς. *Id est totas suas facultates è quibus victitabat. In Græco est metonymia effecti. nam βίος propriè significat vitam.*

OBSERVAT. EX CAP. XII.

Ex parte 1. vide commentarium in Matth. c.21. v.33. usque ad finem capitis.
Ex parte 2. vide Matth. 22. à v.16. usq; ad 23.
Ex parte 3. vide Matth. 22. à v.23. usq; ad 34.
Ex parte 4. vide Matth. 22. à v.34. usq; ad 41.
Ex parte 5. vide Matth. 22. à v.41. usq; ad fin.
Ex parte 6. vide Matth. 23. à principio usq; ad v.15.
Ex parte 7. de vidua paupere contribuente in gazophylacium. Deus beneficentiam æstimat non ex quantitate munerum, sed ex animo donantis. Confer 2. Cor. 8. à principio deinceps, & cap. 9. à v.5. deinceps. *Beneficentia unde æstimetur à Deo.*

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

Hoc capite narratur sermo Domini habitus ad discipulos post ultimum egressum è templo: qui sermo duobus constat principalibus membris, prophetiâ, usque ad vers.33. & exhortatione, inde usque ad finem capitis. Prophetia est gemina: una, pronuntiata in urbe ad discipulos universos, de excidio templi, duobus 1.
primis versibus: altera, pronuntiata extra urbem, in monte olearum, ad quatuor discipulos solos, de calamitatibus Judæorum 2.
excidium templi antecessuris, à v.2. usque ad 14. Item de ipsius 3.
excidii atrocitate, à v.14. usq; ad 24. necnon de suo adventu ad 4.
judicium universale, à v.24. usq; ad 33. Exhortatio est ad vigi- 5.
lantiam, seu vigilantem sui exspectationem. Ita caput hoc distingui potest in quinq; partes.

PRIMA PARS.

Prophetia de excidio templi.

ET quum egrederetur è templo, dixit ei quidam è discipulis ejus; Magister, vide quales lapides & qualia ædificia!

2 Tunc Jesus respondens dixit ei, Vides ista magna ædificia? Nequaquam relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.

PRimùm narratur prophetiæ hujus *occasio*, v.1. deinde *prophetia ipsa*, v.2. *Occasionem* Domino ad hanc prophetiam pronuntiandam præbuit factum cujusdam è discipulis: qui demonstravit ei ædificium templi, cum commendatione illius ab adjuncta pulchritudine & firmitate. Ubi notandum: scopum illius facti fuisse videri, aut ut contradiceret sermoni Domini paulo-antè ad Hierosolymitanos pronuntiato, fore scil. ut relinquatur eis domus ipsorum deserta, ut narrat Matthæus cap.23. v.38. aut certè ut dominum à templo exscindendo dehortaretur. Et contradictionem quidem præ se fert laudatio firmitatis: dehortationem verò, laudatio tum firmitatis tum pulchritudinis. quæ posterior laudatio expressa est apud Lucam, cap.21. v.5. *Prophetia* ipsa amplificatur duabus rationibus seu duobus modis: Primùm antithesi causæ corrumpentis, deinde collatione imparium. Antithesis enuntiatur per interrogationem, quæ vim habet dehortandi, ac proinde negandi consequentiam quam ille discipulus nectebat à causa corrumpente, ad hunc modum: Si ædificia ista sunt magna, non igitur poterunt destrui. quasi magnitudo ac firmitudo ædificiorum templi obstatura esset excidio illius quod Dominus paulo-antè prædixerat. Hanc consequentiam negaturus Dominus, ait: *Vides ista magna ædificia?* q.d. Noli ex aspectu istorum ædificiorum tibi persuadere, illa destructum non iri. nam etsi magna sunt ædificia ista, tamen destruentur. Collatio imparium notatur, quum ait: *Non relinquetur lapis super lapidem.* q. d. Templum hoc destruetur non solùm in aliquâ parte, aut aliquibus partibus: sed in partibus singulis, adeò ut singuli lapides ab illis quibuscum cohærent, dissolvantur.

SECUNDA PARS.

Prophetia de calamitatibus Judæorum, excidium templi antecessuris.

3 Et quum sederet in monte olearum ex adverso templi, interrogarunt eum privatim Petrus & Jacobus, & Johannes & Andreas, *dicentes:*

4 Dic nobis, Quando hæc erunt, & quod signum erit quando futurum est ut omnia hæc consummentur?

5 Jesus autem eis respondens cœpit dicere, Videte ne quis vos seducat.

6 Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum *Christus*: multosque seducent.

7 Quum autem audieritis bella & rumores bellorum, ne turbamini: oportet enim *ista* fieri, at nondum *erit* finis.

8 Surget enim gens in gentem, & regnum in regnum: eruntque terræmotus singulis locis, & erunt fames ac turbæ.

9 Principia dolorum *sunt* ista. sed cavete vos vobisipsis: tradent enim vos in consessus & synagogas: cædemini, & coram præsidibus ac regibus sistemini propter me, in testimonium adversus eos.

10 Et apud omnes gentes oportet primùm prædicari Evangelium.

11 Quum autem vos duxerint ut tradant, ne antè soliciti estote quid dicturi sitis, neque meditamini: sed quicquid datum fuerit vobis illo momento, id loquimini. non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus sanctus.

12 Tradet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium: & insurgent liberi adversus parentes, & eos morte mulctabant.

13 Et odio habebimini ab omnibus propter nomen meum: sed qui perseveraverit ad finem usque, is servabitur.

Primùm narratur prophetiæ hujus *causa impulsiva*, v.3. & 4. deinde *prophetia ipsa*, versibus reliquis. *Causa* quæ Dominum impulit ad hanc prophetiam apud quatuor discipulos pronuntiandam, fuit illorum petitio sive quæstio de excidio templi: quæ ipsa illustratur partim ab occasione illius proponendæ, v.3. Ea fuit aspectus templi, dum ex adverso illius sederent in monte olearum. Ille enim aspectus in memoriam eis revocabat prophetiam Domini quam paulo-antè ex ipso audierant de templi excidio. Partim verò illustratur hæc quæstio è suis partibus, v.4. quæ sunt numerò duæ: una de tempore quando excidium istud sit futurum, altera de signo excidium illud proximè antecessuro. *Prophetiæ* membra principalia sunt duo: unum de calamitatibus publicis omniumq; communibus, usq; ad v.9. alterum de calamitatibus privatis & propriis discipulorum, versibus reliquis. Calamitates publicæ, sunt numero sex: Seductio pseudochristorum, v.5. & 6. Bella & rumores bellorum, v.7. & 8. Terræmotus, fames ac turbæ, v.8. Calamitates privatæ, sunt numero quinque: quòd tradendi sint in consessus & synagogas, cædendi virgis, sistendi coram præsidibus ac regibus, v.9. mulctandi morte, v.12. odio habendi ab omnibus hominibus, v.13. Huic prophetiæ inseruntur *admonitiones*, *consolationes*, *amplificationes* & *præceptiones*. Admonet ut sibi caveant ne seducantur à pseudochristis, v.5. Et seductionem illorum amplificat ab effectis, quòd seducturi sint multos, v.6. Deinde præcipit ne turbentur, quum audierint bella & rumores bellorum, v.7. Tum amplificat calamitates excidii per collationem cum calamitatibus istis antecessuris, tanquam minoribus, ubi ait, v.9. *ista fore dolorum principia*. quasi dicat, longè graviores dolores sequuturos tempore obsidionis urbis. Postea monet ut sibi caveant ab hostibus evangelii, ut qui ipsos sint persecuturi, v.9. Simulque contra illam persecutionem eos consolatur: idque argumentis duobus: uno, quòd persecutio ista cessura sit in gloriam Dei, quatenus ipsorum confessio evangelii cessura sit hostibus illis in testimonium adversus ipsos: ut scil omnibus innotescat, illos meritò à Deo puniri propter evangelii contemtum, in fine versus noni: altero, quòd nihilominus futurum sit ut evangelium prædicetur apud omnes gentes: quæ nimirum res factura sit tum ad gloriam Dei, tum ad salutem electorum ex gentibus, v.10. Postea præcipit, ne sint soliciti in meditanda defensione, quum trahentur ad tribunalia: eosq; consolatur promissione suggestionis verborum ad ipsorum causam defendendam idoneorum, v.11. Tum persecutionem eis eventuram amplificat à qualitate persequentium, quòd scil. persecutionem passuri sint à cognatis & propinquis, v.12. Item à quantitate, quòd scil. persecutionem perpessuri sint ab omnibus hominibus, hoc est, à maxima hominum parte, v.13. Postremò hortatur eos ad constantiam, & consolatur promissione salutis æternæ.

Tertia pars.

Prophetia de obsidionis & excidii atrocitate.

14 Quum autem videritis abominationem illam vastatricem, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem ubi non oportet, (Qui legit, animadvertat) tunc qui *fuerint* in Judæa, fugiant in montes:

15 Qui verò *fuerit* supra tectum, ne descendito in domum, nec ingreditor ut quicquam sumat è domo sua.

16 Et qui fuerit in agro, ne revertitor retro ut sumat pallium suum.

17 Væ autem uterum ferentibus & lactantibus per illos dies.

18 Orate verò ne fiat fuga vestra hyeme.

19 Erunt enim dies illi *talis* oppressio, qualis non fuit à principio rerum conditarum quas condidit Deus, usq; ad hoc tempus, nec unquam erit.

20 Et nisi Dominus decurtavisset dies illos, non servaretur ulla caro: sed propter electos, quos elegit, decurtavit dies illos.

21 Ac tum si quis vobis dixerit, Ecce hîc *est* Christus, vel, Ecce illic: ne credite.

22 Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ: & edent signa ac miracula ad seducendum, si fieri posset, etiam electos.

23 Vos autem cavete. Ecce, prædixi vobis omnia.

Hactenus de calamitatibus Judæorum, excidium urbis antecessuris: deinceps prophetat de excidio ipso: quod *describit* partim *ab adjuncto signo* proximè antecessuro, quod idem habet rationem causæ procreantis, v.14. partim *ab adjuncta atrocitate obsidionis*, v.19. & 20. partim deniq; *ab obsidionis eventu*, v.21. & 22. *Signum & causa procreans* excidii significatur nomine *abominationis vastatricis*, quo nomine intelliguntur exercitus Romanorum Hierosolymam obsessuri. Id quod confirmat testimonio prophetiæ Danielis ex cap.9. v.27. *Atrocitatem obsidionis* atque excidii ostendit partim collatione calamitatum tum præteritarum tum futurarum omnium tanquam minorum, v.19. partim ab effectu noxio divinitùs cohercendo, v.20. *Eventus* obsidionis est seductio pseudochristorum & pseudoprophetarũ: quam declarat partim recitatione verborũ quibus usuri sint pseudoprophetæ qui pseudochristis erant inservituri, v.21. partim à causis adjuvantibus, videlicet miraculis, v.22. quæ ipsa amplificat ab adjuncta efficacia, ibid. Porrò huic parti prophetiæ, similiter ut superiori, admixtæ sunt *præceptiones*, *admonitiones* & *consolationes*. Primùm enim præcipit ut incipiente obsidione consulant sibi fugâ, eâque celerrimâ, v.14.15. & 16. Hanc autem fugam primùm declarat à termino ad quem, id est, à loco quò fuga corripienda sit, v.14. Deinde celeritatem ejus declarat antithesi seu remotione causarum corrumpentium, v.15. & 16. Tum incommoditatem declarat similiter è causis corrumpentibus, tum propriis mulierum, v.17. tum communi omnium, v.18. Deinde monet, ne credant seductoribus istis pseudoprophetis, v.21. & 23. Consolationem verò pro electis admiscet duplicem. Prima est, quòd propter electos Judæos decurtandi sint dies obsidionis, ne tota gens pereat, atque ita illi unà cum reprobis clade ista exstinguantur, v.20. Secunda, quòd fieri non possit ut per istos pseudoprophetas seducantur, v.22.

Quarta pars.

De Domini adventu ad judicium universale.

24 Cæterùm per illos dies post oppressionem illam, sol obscurabitur, & luna non dabit splendorem suum.

25 Et stellæ cæli excident, & vires quæ in cælis *sunt* concutientur.

26 Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potentia multa & gloria.

27 *Ipse* verò tunc mittet angelos suos, & suos electos congregabit à quatuor ventis, ab extremo terræ usque ad extremum cæli.

28 A ficu verò discite parabolam. Quum ramus ejus jam tener fuerit, & germinaverit folia; nostis propè esse æstatem.

29 Ita & vos, quum hæc videritis fieri, agnoscite propè esse *&* ad fores *regnum Dei*.

30 Amen dico vobis, Nequaquam præterierit hæc ætas usque dum facta sint hæc omnia.

31 Cælum & terra præteribunt; sermones autem mei nequaquam præteribunt.

32 Sed de die illo ac horâ nemo scit, ne angeli quidem qui in cælo sunt, nec ipse Filius; sed *solus* Pater.

Primò adventum suum *describit*, usque ad vers.28. Deinde *monet de certitudine prophetiæ* tum hujus, tum superioris, usque ad vers.30. Postremò *docet de adventus sui tempore*, versibus reliquis. *Adventum suum describit* primùm ab adjunctis signis horribilibus proximè antecessuris, v.24. & 25. Deinde ab adjuncto occupato, videl. aspectu omnium hominum, vers.26. Tertiò à subjecto tribunali in quo sedebit, videlicet in nubibus cæli, ibidem. Quartò ab adjuncto comitatu glorioso & magnifico, videl.

co, videl. sanctorum angelorum, ibid. Quintò & postremò ab eventu in electis, videlicet collectione eorum per angelos, ut scilicet transferantur in cælum, vers. 27. *Certitudinem prophetiæ hujus declarat similitudine germinantis ficus, v. 28. & 29.* Certitudinem verò prophetiæ superioris de excidio urbis & cladibus antecessuris, confirmat asseveratione duplici: quarum prior illustratur notatione temporis, quòd scilicet futura illa sint antequam prætereat ista ætas, hoc est, antequam Judæi qui tunc vivebant, omnes fuerint mortui, vers. 30. Posterior verò amplificatur collatione vel minoris vel majoris, prout verba diversimodè exponuntur. Qua de re vide quæ diximus apud Matthæum. *De tempore adventus sui docet,* notitiam ejus specialem non esse concessam ulli homini: & hanc sententiam amplificat partim collatione majorum, videlicet angelorum & Filii Dei, nempe quatenus idem est homo; partim antithesi disparati vel diversi, videlicet Dei Patris: ubi tamen non est putandum, Filium aut Spiritum sanctum excludi: quum una sit illorum trium essentia.

QUINTA PARS.

Exhortatio ad vigilantiam.

33 Cavete, vigilate & orate: nescitis enim quando tempus illud sit futurum.

34 *Nam Filius hominis ita est* ut quispiam qui peregrè agens, relictâ domo suâ, datâque servis suis potestate, ac suo cuique opere, janitori mandavit ut vigilaret.

35 Vigilate igitur. Nescitis enim quando dominus domus veniet; vespere, an mediâ nocte, an in gallicinio, an manè.

36 Ne, quum repentè venerit, inveniat vos dormientes.

37 Quæ autem dico vobis, omnibus dico; vigilate.

Hortatur discipulos ad vigilantiam & ad preces: ut scilicet perpetuò soliciti sint de officio faciendo, Deique gratiam ad hoc implorent. Hanc exhortationem *confirmat duobus argumentis*: primùm ab adjuncto periculo contrariæ securitatis: deinde ab effectu noxio officii neglecti. *Periculum* illud significat è causa procreante, videlicet incertitudine temporis adventus sui, v. 33. quam incertitudinem illustrat simili patrisfamiliâs seu domini peregrè profecti: qui servis singulis sua mandavit officia, ac janitori ut vigilaret, v. 34. nec illis significavit quo tempore sit rediturus, vers. 35. ubi incertitudinem temporis illustrat distributione noctis in quatuor vigilias, ut videtur. *Effectum* noxium officii neglecti, videlicet pœnam, innuit v. 36. è causa procreante, videlicet deprehensione securitatis. Ad extremum monet, hanc exhortationem pertinere ad discipulos suos universos, vers. 37.

SCHOLIA IN CAP. XIII.

1 Quales lapides &c.] ποταποὶ λίθοι &c. *Interrogatio admirantis. Q. d. Deus bone, Hi lapides (videlicet templi) quales & quanti sunt! quàm pulchri scil. & quàm grandes! Ac pulchritudinis quidem expressè meminit Lucas: magnitudinem verò nominatim exprimit Marcus in subjecta Domini responsione.*

2 Vides ista magna ædificia?] βλέπεις ταύτας τὰς μεγάλας οἰκοδομάς; *Vult dicere: Putásne ædificia hæc non posse destrui (sicut futurum, modò prædixi Judæis; ut percipitur ex Matth. 23. vers. penult. collato cum principio cap. seq.) eò quòd magna sint? Interrogatio innuit reprehensionem: q. d. Si ita putas, erras. Nam nequaquam relinquetur &c. Est meton. efficientis synecdochica: quoniam ex causa efficiente opinionis intelligitur simul ipsa opinio, ad hunc modum: Tu vides ista ædificia esse magna: ac proinde putas ea non posse destrui. Est autem hæc metonymia in tota sententia, quatenus ea ad alteram sententiam se habet ut causa ad effectum.* Nequaquam relinquetur] οὐ μὴ ἀφεθῇ. *Hæc responsio unà cum præcedente interrogatione vim habet enuntiati discretivi: quasi dicat Dominus, Etsi tu putas, ista ædificia, quia magna sunt, nō posse destrui: tamen scias omnino fore ut destruantur.*

4 Hæc] ταῦτα. *Videlicet destructio templi, & cum illa cohærens expugnatio urbis.* Erunt] ἔσται. *Id est,* γενήσεται, *fient.* Consummentur] συντελεῖσθαι. *Id est, finem suum sortiantur. Confer Matthæi 24. v. 3. ubi exprimitur ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος, consummatio (id est, finis) sæculi.*

6 In nomine meo] ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου. *Id est sub nomine meo, prætexentes suæ ambitioni nomen meum.* Ego sum *Christus*] ὅτι ἐγώ εἰμι. *Nomen* Christus *supplendum esse, planum est ex verbis proximè præcedentibus,* Venient in nomine meo. *Atq; illud expressè habetur Matth. 24. v. 5.*

7 Bella] πολέμους. *Vide explicationem horum verborum in Analysi Matthæi.* Ne turbamini] μὴ θροεῖσθε. *Vel,* Ne expavescite. Oportet enim] δεῖ γάρ. *Videlicet propter decretum Dei, seu quoniam ita decrevit Deus punire mundum propter peccata.* Finis] τὸ τέλος. *Scil. templi: ac multò minus sæculi.*

9 Principia dolorum] ἀρχαὶ ὠδίνων. *Significat, istos dolores quos ex commemoratis turbis ac seditionibus percepturi sint, longè fore minores illis quos sensuri sint postea in obsidione urbis Hierosolymæ. Est autem metaphora sumta à parturiente: ut percipitur ex vocabulo ὠδίνων, quo significantur dolores parturientis. Etenim dolores quos parturientes sentiunt in principio, non sunt tanti quanti sunt illi quos sentiunt quum jam infantes enituntur.* Propter me] ἕνεκεν ἐμοῦ. *Id est: propterea quòd me profitemini Christum.* In testimonium] εἰς μαρτύριον. *Id est: Atq; istud divinâ providentiâ dirigetur in hunc finem, ut coram judicio Dei cedat in testimonium adversus eos.* Adversus eos] αὐτοῖς: *id est,* ἐπ᾽ αὐτοὺς, *ut loquitur Lucas in simili sententia, Luc. 9. 5.*

10 Apud omnes gentes] εἰς πάντα τὰ ἔθνη. *Id est, non solùm apud gentem Judaicam, sed etiam apud alias gentes. Neque enim hoc præcisè accipiendum videtur de singulis gentibus: quum ex contextu planum sit, Dominum hic loqui de temporibus quæ expugnationem Hierosolymæ præcesserunt: quibus temporibus non fuisse prædicatum evangelium apud gentes singulas, ex historiis videtur posse colligi.* Primùm] πρῶτον. *Priusquam templum evertatur.*

11 Duxerint] ἀγάγωσιν. *Scilicet ad magistratus.* Ut tradant] παραδιδόντες *id est,* παραδώσοντες, *tradituri: hoc est, ut tradant, scilicet* εἰς θλῖψιν, *in afflictionem, ut habetur Matth. 24. vers. 9. hoc est, ut afficiamini supplicio.* Non enim estis vos qui loquimini] οὐ γάρ ἐστε ὑμεῖς οἱ λαλοῦντες. *Vel,* Non enim estis vos illi qui loquuntur. *Scilicet principaliter. Nam certè loquebantur ipsi coram magistratibus: sed ut organa Spiritus sancti, loquentes nimirum ea quæ ipsis dictabat Spiritus sanctus. Exemplum vide in Petro & Johanne Actor. 4. v. 8. & deinceps. Item Actor. 5. v. 29. & seq. Synecdoche generis.*

12 Morte mulctabunt] θανατώσουσιν. *Si hoc verbum referatur ad nominativos præcedentes, accipiendum erit per metonymiam effecti, pro eo quod est, Curabunt morte mulctandos per magistratus. Sed potest accipi impersonaliter. & referri ad magistratus: atq; tunc in nativa significatione accipiendum est.*

13 Et odio habebimini ab omnibus] καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων. *Id est, ferè ab omnibus, à multo maxima parte eorum quibuscum versabimini. Hyperbole: qualis illa apud Paulum,* Omnes quæ sua sunt quærunt, *Philip. 2. v. 21.* Sed qui perseveraverit] ὁ δὲ ὑπομείνας. *Seu,* Qui sustinuerit, *sive toleravit. scil. afflictiones quibus ab hostibus evangelii afficietur.*

15 Supra tectum] ἐπὶ τοῦ δώματος. *Vide Matth. 10. 27.*

16 In agro] εἰς τὸν ἀγρόν. *Pro,* ἐν τῷ ἀγρῷ. *Heterosis præpositionis.*

17 Uterum ferentibus] ἐν γαστρὶ ἐχούσαις. *Ad verb.* In ventre habentibus *scil. fœtum. Sic Matth. 1. 18.*

19 A principio rerum conditarum quas condidit Deus] ἀπ᾽ ἀρχῆς κτίσεως ἧς ἔκτισεν ὁ Θεός. *Pro,* ἐκείνης ἣν ἔκτισεν. *Et* κτίσις, *pro* τὰ κτισθέντα, *per metonymiam efficientis. Deniq; in illo* ἧς ἔκτισεν ὁ Θεὸς *est epexegesis pleonastica: qualis suprà v. 12. 23. in illis verbis,* ἐν τῇ ἀναστάσει ὅταν ἀναστῶσι: *item in illis suprà 1. 32.* ὀψίας δὲ γενομένης ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος. Usq; ad hoc tempus] ἕως τοῦ νῦν. *Supple* χρόνου. *id est, usq; ad tempus quod nunc est.*

20 Propter electos quos elegit] διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς οὓς ἐξελέξατο. *Pleonasmus Marco familiaris: cujus exemplum fuit modò v. 19.*

22 Ad seducendum &c.] πρὸς τὸ ἀποπλανᾶν, &c. *Id est, talia ac tanta ut per illa seducerentur etiam electi, si possibile esset illos seduci. Præpositio* πρὸς *hîc non notat finem seu propositum illorum pseudoprophetarum: sed eventum. Etsi interim verum est, hunc finem pseudoprophetis illis fuisse propositum.*

24 Per illos dies] ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. *Id est, post illos dies: sicut evangelista ipse mox per epexegesin declarat, subjungens:* μετὰ τὴν θλῖψιν ἐκείνην, *post afflictionem illam. Hebraica heterosis præpositionis: qualis Esa. 4. v. 2.* In die illo fiet ut germen Jehovæ, sit decori Israëlitis qui evaserint. *Id est, post diem illum, seu tempus illud, quo scil. Deus puniet Judæos per Babylonios: ex collatione præcedentium.* Post oppressionem illam] μετὰ τὴν θλῖψιν ἐκείνην. *Scilicet de qua dictum, videl. oppressionem Judæorum per Romanos.*

26 In nubibus] ἐν νεφέλαις. *Id est, Super nubes: vectum scil. nubibus, illisve insidentem.* Cum potentia multa & gloria] μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ δόξης. *Id est, comitatus & stipatus sanctis angelis, quorum multa sunt myriades.*

27 Congregabit] ἐπισυνάξει. *Nempe ministerio angelorum: ex collatione verborum præcedentium.* Ab extremo terræ usque ad extremum cæli] ἀπ᾽ ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ. *Apud Matthæum habetur,* ἀπ᾽ ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν, *id est, Ab extremis cælorum usque ad extrema ipsorum. Ex quorum verborum collatione suspicio cuipiam oboriri haud sine ratione possit, aliquem phrasis hujus Hebraicæ imperitum nomen* οὐρανοῦ *substituisse pro nomine* γῆς, *putans nimirum, terræ non rectè opponi terram, sed cælum. Aut apud Matthæum manifestè cælum cælo opponitur, hoc est, una cæli pars parti alteri. Cæterùm apud Matthæum nomine cæli metonymicè intelligitur terra cælo subjecta: neq; enim homines electi qui per angelos congregabuntur, congregabuntur è cælo (quippe in quo nondum fuerint) sed ex omnibus terræ partibus seu plagis orbis terrarum. Apud Marcum autem si terræ opponatur cælum: non videtur cæli vocabulum commodè per metonymiam exponi posse. Nativam autem significationē*

rei veritas (ut ex dictis patet) non admittit. Si legatur, ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου γῆς, *sensus erit: Ab una extremitate terra ad alteram. Quem sensum verba Matthæi manifestè habent. Similis phrasis est in illo Esa.3.v.5.* Vir in virum, *scil. insurget. Id est, Vir unus in alterum. Item Psalm.19.v.3.* Dies diei eructat sermonem: & nox nocti indicat scientiam. *Id est: Dies unus sermonem eructat alteri: & nox una scientiam indicat alteri.*

28 A ficu] ἀπὸ τῆς συκῆς *Scil. arbore.*

29 Propè esse *regnum Dei*] ὅτι ἐγγύς ἐστιν. *Scil.* ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ: *ut expressè habetur Luca 21.v.31.*

30 Hæc omnia] πάντα ταῦτα. *Vide scholia in Matth.24.v.34.*

32 De die illo] περὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης. *Quo scil. futura est consummatio seculi, quóve venturus est Filius hominis ad congregandum electos suos: ex collatione v.26.* Ne ipse Filius] οὐδὲ ὁ υἱός. *Scil. secundùm naturam assumtam, seu quatenus homo. nam quatenus deus, nôrat omnia.* Sed *solus* pater] εἰ μὴ ὁ πατήρ. *Nomen* Solus *adjectum est perspicuitatis gratiâ. Ad verbum sonat:* Nisi Pater. *Quæ verba cum præcedentibus illis,* οὐδεὶς οἶδε, *id est,* Nemo scit, *cohærent ad hunc modum:* οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ ὁ πατήρ, Nemo novit nisi Pater: *Id est, Solus Pater novit. Illa autem verba,* οὐδὲ οἱ ἄγγελοι *&c. ad amplificandum, quasi per parenthesin inserta sunt.* Ne angeli quidem &c. *Quasi dicat, Quantò minùs homines?*

37 Vobis] ὑμῖν. *Nempe vobis quatuor: quorum nomina recitata suprà v.3.* Omnibus dico] πᾶσι λέγω. *Nempe omnibus meis discipulis. quasi dicat, Volo ut hæc illis referatis: ad ipsorum scilicet tum consolationem, tum admonitionem.*

OBSERVAT. EX CAP. XIII.

Ex parte 1. vide Matth.24.vers.1.& 2.
Ex parte 2. vide Matth.24.à v.3.usq; ad 14.
Ex parte 3. vide Matth.24.à v.15.usq; ad 29.
Ex parte 4. vide Matth.24.à v.29.usq; ad 37.
Ex parte 5. vide Matth.24.à v.42.usq; ad fin.

ANALYSIS CAP. XIV.

ARGUMENTUM.

Hactenus narratum, quomodo administrârit Christus munus propheticum; sequitur, quomodo administrârit munus sacerdotale, patiendo scilicet pro electis sibi à Patre datis. Continetur autem historia passionis Christi, sequentibus duobus capitibus. Et in hoc quidem capite narrantur hæc decem.

1 *Consultatio procerum de Jesu ad supplicium rapiendo, v.1.& 2.*
2 *Unctio Domini ad sepulturam seu funerationem, à v.3.usque ad 10.*
3 *Pactio Judæ cum sacerdotibus de Jesu prodendo, v.10.& 11.*
4 *Indicatio proditoris apud discipulos, à v.12.usq; ad 22.*
5 *Doctrina de passionis fructu, à v.22.usq; ad 26.*
6 *Prædictio comprehensionis sui, fuga discipulorum, & abnegationis Petri, à v.26.usq; ad 32.*
7 *Passio Christi spiritualis in horto, à v.32.usq; ad 43.*
8 *Comprehensio Christi in horto, à v.43.usq; ad 53.*
9 *Damnatio Christi à concilio sacerdotum, à v.53.usq; ad 66.*
10 *Negatio Christi per Petrum, à v.66.usq; ad fin. capitis.*

PRIMA PARS.

Consultatio procerum de Jesu ad supplicium rapiendo.

Erat autem Pascha & Azyma duobus pòst diebus: & quærebant principes sacerdotum & scribæ, quomodo eum dolo prehensum trucidarent.

2 Dicebant autem, Ne in festo; ne forte tumultus fiat populi.

Primùm indicatur consultationis hujus *tempus*, videl. tertius dies ante pascha Judæorum. Secundò *personæ consultantes*, videl. principes sacerdotum & scribæ: quibus addit Matthæus seniores populi. Tertiò *summa* consultationis, nempe ut Jesum dolo prehensum trucidarent. Hæc sententia amplificatur ab adjuncta cautione singulari: nempe ut istud non fieret in festo. Cui cautioni adjicitur sua ratio à fine seu eventu: nempe ne tumultus oriretur in populo.

SECUNDA PARS.

Unctio Domini ad sepulturam seu funerationem.

3 Quum autem *Jesus* esset Bethaniæ, in domo Simonis Leprosi, accumbente eo venerat mulier habens alabastrum unguenti nardi liquidæ multi pretii: & confracto alabastro effuderat ei in caput.

4 Quidam autem indignabantur apud sese, & dicebant, Quorsum perditio ista unguenti facta est?

5 Nam poterat hoc vendi ampliùs quàm trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam.

6 Jesus autem ait, Omittite eam: quid ei molestiam exhibetis? Bonum opus operata est erga me.

7 Semper enim pauperes habetis vobiscum: & quandocunque volueritis, poteritis eis benefacere: me verò non semper habebitis.

8 Hæc quod potuit fecit: occupavit *enim* ungere meum corpus ad funerationem.

9 Amen dico vobis, Ubicunque prædicatum fuerit evangelium hoc in toto mundo, etiam id quod ista fecit, dicetur in memoriam ipsius.

Hujus narrationis membra sunt sex: nempe 1. Locus. 2. Occasio. 3. Efficiens. 4. Materia. 5. Forma. 6. Eventus.

Locus ubi unctio illa facta est, indicatur tum generalis seu communis, Bethania: tum specialis seu proprius, domus Simonis Leprosi.

Occasio ad hanc unctionem oblata, fuit accubitus Domini in convivio. Solebant enim Judæi in conviviis ungi.

Efficiens, seu persona quæ Dominum unxit, fuit mulier cui (teste Johanne, c.12.v.3.) nomen erat Maria.

Materia quâ mulier illa Dominum unxit, fuit unguentum nardi liquidæ. Hoc unguentum declaratur partim à subjecto vasculo in quo fuit contentum, videl. alabastro: partim ab adjuncto pretio, quòd fuerit multi pretii.

Forma seu modus agendi fuit, quòd mulier illa unguentum istud pretiosum confracto alabastro effudit Domino in caput.

Eventus fuit indignatio quorundam qui unà accumbebant, & murmur quo factum istud mulieris damnabant argumento effecti damnosi, videl. interceptæ eleemosynæ in pauperes erogandæ, v.4.& 5. Qui autem isti murmuratores fuerint, declarat Matthæus: qui hoc attribuit discipulis: & adhuc magis Johannes, qui hoc soli Judæ tribuit: unde percipitur, Judam istius murmuris authorem fuisse, ac præ cæteris murmurasse. quod ipsum ex eventu quoque perspicuum evadit: quippe quum Judas ægrè tulerit interceptam sibi esse occasionem furandi, teste Johanne: ac proinde tum hanc ob causam, tum defensione mulieris suique reprehensione exacerbatus, abierit ad sacerdotes, suam eis operam offerens in Christo prodendo. Cæterùm istud murmur declaratur è suo eventu, videl. mulieris defensione adhibitâ à Christo: qui factum mulieris defendit ab adjunctâ bonitate, inquiens: *Bonum opus operata est erga me.* Et hanc bonitatem demonstrat ex fine seu scopo, ubi ait: *Occupavit enim ungere meum corpus* εἰς τὸν ἐνταφιασμόν, id est, *ad funerationem seu pollinctionem.* Simul etiam argumentum murmuris refutat à distinctione temporum. Enthymema reprehensionis erat: Unguentum hoc debuit conferri in usus pauperum: Non igitur debuit in te effundi. Dominus negat antecedens, adhibitâ distinctione temporum: Unguentum hoc non debuit conferri in usus pauperum, sed in honorem meum; quia hoc tempus istum honorem postulat: pauperibus verò benefaciendi satis adhuc temporis superest. Quòd autem hoc tempus honorem istum postulet, probat ex eo, quòd jam sit tempus corpus ipsius funerandi: quum postea non sint habituri istius officii sibi præstandi facultatem: hoc innuit quum ait, *Me non semper habebitis.* Item, *Hæc quod potuit fecit, occupavit enim ungere &c.* Postremò bonitatem facti mulieris amplificat prophetiâ de *eventu*, videl. testimonio atque judicio honorifico omnium piorum quibus deinceps evangelium prædicandum sit, v.9.

TERTIA PARS.

Pactio Judæ cum sacerdotibus.

10 Tunc Judas Iscariotes, unus ex duodecim, abiit ad principes sacerdotum, ut eum ipsis proderet.

11 Illi verò *eo* audito, gavisi sunt: & polliciti sunt se pecuniam ei daturos. Quærebat igitur quomodo opportunè eum proderet.

Narrationis hujus *membra* sunt *quinque*: descriptio proditoris, causa impulsiva prodendi, proditionis oblatæ effectum, pactio ipsa, & pactionis effectum. *Proditor describitur* à nomine proprio, à cognomine & à conditione. *Causa impulsiva* innuitur verbo ἀπῆλθε, *abiit*, scil. ultrò, motus nimirum cupiditate vindictæ & avaritiâ in recuperando lucro intercepto per effusionem unguenti, ut percipitur ex ipsa serie narrationis. *Effectum proditionis oblatæ* fuit gaudium in illis quibus offerebatur. *Pactio* fuit posita in eo, quòd principes sacerdotum polliciti sunt Judæ, se ei daturos pecuniam, videl. triginta argenteos (ut Matthæus narrat) si scil. Jesum ipsis prodidisset. *Effectum pactionis in proditore* fuit studium standi promisso, ac proinde diligens observatio opportunitatis rei gerendæ.

QUARTA PARS.

Indicatio proditoris apud discipulos.

12 Ac primo die Azymorum, quando Pascha mactabant, dicunt ei discipuli ipsius, Ubi vis ut profecti paremus ut edas Pascha?

13 Tunc mittit duos è discipulis suis, & dicit eis,

Abite in urbem: & occurret vobis quidam portans amphoram aquæ: sequimini eum.
14 Et quocunque introierit, dicite patrifamiliâs; Magister dixit, Ubi est diversorium ubi Pascha cum discipulis meis edam?
15 Tunc ipse vobis monstrabit cænaculum magnum stratum, paratum: illic parate nobis *Pascha*.
16 Abierunt igitur discipuli ejus, veneruntque in urbem, & invenerunt *omnia* prout dixerat eis: & paraverunt Pascha.
17 Et vesperâ factâ, vênit cum duodecim.
18 Quumque accubuissent, & ederent: ait Jesus, Amen dico vobis, Unus ex vobis prodet me, qui edit mecum.
19 Ipsi verò cœperunt contristari, & ei dicere sigillatim, Num ego? Et alius, Num ego?
20 Ipse autem respondens dixit eis, Unus ex duodecim, qui intingit mecum in catinum, *me prodet.*
21 Filius quidem hominis abit, prout scriptum est de eo: sed væ homini illi per quem Filius hominis proditur. Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille.

Membra principalia hujus narrationis sunt *quatuor*: tempus, locus, indicatio ipsa, & indicationis effectum. *Tempus* quo indicatio ista facta est, fuit primus dies azymorum, v.12. quum jam vespera advenisset, v.17. quumq; Jesus & discipuli accubuissent & pascha (id est, agnum) ederent, v.18. *Locus* ubi indicatio hæc facta est, ipsumque pascha à Domino unà cum discipulis celebratum, fuit cænaculum magnum stratum & paratum in domo cujusdam patrisfamiliâs in urbe Hierosolyma, v. 13.14.& 15. Hæ duæ circumstantiæ amplificantur expositione præparationis agni paschalis. Illa præparatio describitur è causis agentibus: tum principali, tum adjuvantibus seu administris. Principalis causa fuit Jesus, quatenus præparationem agni duobus discipulis mandavit. Administri fuerunt duo illi discipuli. Primùm igitur describuntur mandata Jesu de loco ubi debeant duo illi discipuli agnum parare, v.13.14. & 15. Deinde mandatorum illorum exsequutio, v.16. In mandatis locus designatur ex adjunctis adhærentibus, videl. occursu hominis cujusdam occursuri discipulis ac portaturi amphoram, ingressurique in certam domum, v.13. & patrisfamiliâs illius domus promtâ ostensione cænaculi, v.14.& 15. *Indicatio* ipsa est indefinita, & amplificata antithesi causæ corrumpentis, ad significandum indignitatem rei. Estque gemina: prima continetur v.18. altera v.20. Prioris indicationis *effectum* in discipulis fuit tum tristitia, tum inquisitio quisnam ex eis proditor ille esset, v.19. Indicatio posterior amplificatur indicatione effecti, videl. denuntiatione pœnæ divinæ quæ proditorem maneat: quæ ipsa denuntiatio amplificatur prolepsi & collatione minorum, v.20.

QUINTA PARS.

Doctrina de passionis fructu.

22 Et edentibus ipsis, quum accepisset Jesus panem, & benedixisset, fregit: deditque eis, & ait, Accipite, edite: hoc est corpus meum.
23 Et accepto poculo, quum gratias egisset, dedit eis: & biberunt ex eo omnes.
24 Et dixit eis, Hoc est sanguis meus, *sanguis* ille novi federis: qui pro multis effunditur.
25 Amen dico vobis, Nequaquam bibam ampliùs ex fructu vitis usque ad diem illum quum ipsum bibam novum in regno Dei.

Narrationis hujus *membra* principalia sunt *tria*: occasio doctrinæ, doctrina ipsa, & appendix doctrinæ. *Occasionem* ad hanc doctrinam tunc proponendam Domino præbuit cæna quam tunc cum discipulis edebat ultimam: id quod significatur his verbis, *Et edentibus ipsis.* Volebat enim in locum agni paschalis quem tunc unà edebant, instituere cænam sacram novam, per quam tum ipsos discipulos tunc præsentes, tum cæteros deinceps credentes usque ad finem mundi edoceret de passionis suæ fructu. Itaque occasione & temporis & materiæ usus est. Temporis: quatenus cænæ veteri quam tunc ultimam cum discipulis edebat, mox subrogavit novam. Materiæ: quatenus ordinavit panem & vinum (cujus utriusque copiam tunc habebat, nec iterum habiturus erat) in sacramenta, id est, sacra signa sui corporis & sanguinis: per quæ tum discipulos tum omnes deinceps credentes edoceret de passionis suæ fructu. Atque hæc de occasione. Jam *doctrina ipsius summa est*: Passionem ac mortem suã utilem fore discipulis, ac omnino omnibus electis, ad promerendum illis apud Deum remissionem peccatorum, seu ad satisfaciendum judicio Dei pro ipsorum peccatis, atque ita ad reconciliandum eos Deo, & fedus illud gratiæ confirmandum. Hanc doctrinam Dominus proponit partim per expressa verba, partim per actiones quasdam mysticas: quæ utraque declarat è subjectis occupantibus, videl. pane & vino: circa quæ actiones illæ sunt adhibitæ, & de quibus verba illa sunt pronuntiata. Et actiones quidem circa panem adhibitæ, narrantur quatuor. Etenim panem primùm accepit: deinde benedixit: (hoc est, super illo gratias Deo egit, ut Lucas declarat) tum fregit: postremò dedit discipulis, v.22. Verba de pane pronuntiata, cõtinent duo membra: mandatum & doctrinam. Mandatum continetur his verbis: *Accipite, edite.* quo mandato imperantur duæ actiones mysticæ: quâ utrâque figuratur spiritualis acceptio & comestio corporis Christi, quæ fit per fidem. Doctrina proponitur his verbis: *Hoc est corpus meum. Hoc*, videl. hic panis: ut patet ex consequentia sive serie atque cohærentia verborum. Quâ doctrinâ continetur promissio Evangelii, symbolo panis illustrata & obsignata. Sensus enim illorum verborum est: panem illum ex ordinatione Christi esse signum corporis ipsius, significans atque testificans credentibus, corpus ipsius esse pro illis fractum in cruce, atque ita eis effectum cibum vitæ æternæ. Atque hæc de pane. Jam ad poculum quod attinet (nimirum poculum vino plenum; ut percipitur ex v.25.) actiones circa illud adhibitæ, narrantur tres. primò enim Dominus illud accepit: deinde gratias egit: postremò discipulis dedit. Ubi fusio vini ex analogia fractionis panis, simul est intelligenda. neq; enim dubium videri potest quin vinum vel ab ipso Domino, vel (quod incredibilius) mandato ipsius à ministro in poculum fuerit infusum, antequam Dominus super illo gratias ageret: quippe quum pro vino gratias egerit: quanquam non principaliter pro vino, sed pro re per illud vinum significandâ, videl. pro sanguine suo effundendo pro electis in remissionem peccatorum. Verba de poculo pronuntiata hîc narrantur tantùm ea quæ continent doctrinam de illius poculi fine seu usu, & per consequens de fructu passionis Domini: Mandatum verò de poculo bibendo, quod hîc omissum est, colligitur ex narratione de facto discipulorum: qui biberunt ex eo omnes. hoc enim fecerunt ex Domini mandato, quod exprimitur apud Matthæum. Porrò verba de poculo pronuntiata, sunt hæc: *Hoc est sanguis meus novi testamenti (seu federis) qui pro multis effunditur.* Id est, Hoc poculum (hoc est, vinum hoc poculo contentum) ex ordinatione mea est signum sanguinis mei, significans atq; testificans vobis & omnibus deinceps credentibus, sanguinem meum pro vobis ac pro illis effusum iri effusúmve ad confirmandum novum illud fedus, nempe fedus gratiæ, in quo Deus federatis suis (nempe omnibus in me credentibus) promittit remissionem peccatorum propter effusionem sanguinis mei: quippe qua pro peccatis illorum sum satisfacturus judicio Dei, sentiens iram illius & maledictionem quam illi suis peccatis commeruerunt. Atque hæc de ipsa doctrina. *Appendix doctrinæ* duas sententias continet: admonitionem & consolationem. Admonet enim de suo à discipulis discessu paulo-pòst futuro, ubi ait: *Non bibam ampliùs ex fructu vitis.* Deinde contra illum discessum eos consolatur, ubi annectit, *Usq; ad diem illum quum ipsum bibam novum in regno Dei.* quibus verbis promittit discipulis gaudia sempiterna unà cum ipso fruenda in cælo: quæ gaudia per metaphoram à læto convivio ex more Scripturæ significat. Qui pleniorem hujus loci expositionem desiderat: consulat Analysin meam in Matthæum.

SEXTA PARS.

Prædictio comprehensionis sui, fuga discipulorum & abnegationis Petri.

26 Et quum hymnum cecinissent, exierunt in montem olearum.
27 Tunc dicit eis Jesus, Omnes offendemini in me nocte istâ. Nam scriptum est, Percutiam pastorem, & dispergentur oves.
28 Sed postquam surrexero, præibo vobis in Galilæam.
29 Petrus autem dixit ei, Etiamsi omnes offendantur, at non ego.
30 Tunc dicit ei Jesus; Amen dico tibi; Hodie, hac *inquam* nocte, priusquam bis gallus cecinerit, ter abnegabis me.
31 At ille multò magis dicebat; Si me oportuerit commori tibi, haudquaquam te abnegabo. Itidem autem etiam omnes dicebant.

Versu 26. habetur *transitio*: ubi cõtinentur duo: *appendix ultimæ cænæ*, videl. hymnus: & *locus* ubi sequens prædictio fuit pronuntiata, videl. via ad montem olearum. V.27. *prædicit discipulorum fugam, & simul comprehensionem sui*, tanquã illius causam procreantem. Prædictionem fugæ illustrat & amplificat à circumstantia temporis. Prędictionem utramq; confirmat testimonio Scripturæ, ex Zach.13. V.28. *illi scandalo opponit consolationem*, promittendo suum ad illos reditum. V.29. narratur *prædictionis fugæ eventus*; eademq; *occasio prædictionis sequẽtis*, videl.

abnegationis Petri. Eventus ille est contradictio Petri, & contraria promissio constantis apud Dominum permansionis. V.30. *narratur prædictio abnegationis Petri*: confirmata asseveratione; illustrata atque amplificata à circumstantia temporis, idque bifariam, & à numero. V.31. *prædictio abnegationis Petri declaratur ex eventu*, videl. contradictione Petri iterata: quæ amplificatur collatione majoris, & illustratur simili contradictione cæterorum discipulorum.

SEPTIMA PARS.

Passio Christi spiritualis in horto.

32 Veniunt igitur in locum cujus nomen *est* Gethsemane. Tunc dicit discipulis suis, Considite hîc, usquedum precatus fuero.

33 Et assumit Petrum & Jacobum & Johannem secum: cœpitque expavescere & gravissimè angi.

34 Et dixit eis, Tristis est anima mea usque ad mortem: manete hîc, & vigilate.

35 Progressusque paululum, procidit in terram: & oravit, ut, si possibile esset, abiret ab ipso hora illa.

36 Dixitque, Abba, Pater, omnia possibilia sunt tibi; transfer à me istud poculum. Verùm non quod ego volo, sed quod tu.

37 Tunc venit, & invenit eos dormientes: dicitque Petro, Simon, dormis? Non valuisti *vel* unam horam vigilare?

38 Vigilate & precamini, ut ne introeatis in tentationem. Spiritus quidem promtus *est*, sed caro *est* infirma.

39 Et quum rursus abiisset, precatus est, & eundem sermonem dixit.

40 Et reversus, invênit eos rursum dormientes. Erant enim oculi eorum gravati, neque sciebant quid ei responderent.

41 Et venit tertiò, dicitque eis; Dormite quod superest, & requiescite: sufficit, vênit hora illa: ecce, traditur Filius hominis in manus peccatorum.

42 Surgite, eamus: ecce, qui prodit me, appropinquavit.

Spiritualis passio Christi in horto, fuit *anxietas* ex metu pleni sensus iræ Dei paulo-pòst in cruce futuri. Hæc anxietas declaratur ex *effectis*: quæ narrantur numero *decem*. Primùm separavit maximam partem discipulorum, ut eò liberiùs apud cæteros de anxietate sua posset conqueri, v.32. Deinde assumsit tres solùm discipulos, quos præ cæteris charos habebat, ut anxietatem illam suam eis exponeret, & in ipsorum quasi sinum effunderet, solatii gratiâ, v.33. Tertiò anxietatem illam discipulis istis confitetur, deque illa querulatur, v.34. Quartò petit ab eis solatium ex præsentia & precibus ipsorum, ibid. Quintò precatur ardentissimè, deprecans futurum illum sensum iræ Dei, ita tamen ut in voluntate Patris acquiescat, v.35. & 36. Sextò objurgat Petrum, simulque reliquos duos, propter ignaviam & securitatem; eosque hortatur ad precandum, additâ ratione ad ipsorum met salutem spectante, v.37. & 38. Septimò iterat precationem suam, v.39. Octavò iterum quærit solatium apud discipulos: sed frustra: quippe quòd illi gravati essent somno, v.40. Nonò iterum ad discipulos redit solatii quærendi causâ, v.41. Decimò iterum eos objurgat propter ignaviam, v.eod. Simulque monet de instante proditione, eosque hortatur ut unà secum proditori obviam eant. v.41. & 42.

OCTAVA PARS.

Comprehensio Christi in horto.

43 Et statim, adhuc eo loquente, adest Judas, qui erat unus è duodecim: & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, à principibus sacerdotum & scribis & senioribus.

44 Dederat autem eis iste qui eum prodebat, commune signum, dicens: Quem osculatus fuero, is est: prehendite eum, & abducite tutò.

45 Quum igitur venisset: statim accedit ad eum, dicitque ei; Rabbi, rabbi: ac deosculatus est eum.

46 Illi verò injecerunt in eum manus, & prehenderunt eum.

47 Quidam autem adstantium, exserto gladio, percussit servum Pontificis maximi, & abstulit ejus auriculam.

48 Et respondens Jesus dixit eis, ut adversus latronem existis cum gladiis & fustibus ad comprehendendum me.

49 Quotidie eram apud vos in templo docens, & *tamen* non prehendistis me. Sed *hæc fiunt* ut impleantur Scripturæ.

50 Tunc relicto eo omnes fugerunt.

51 Quidam autem juvenis sequebatur eum, amictus sindone super nudum *corpus*: & prehenderunt eum juvenes.

52 Ipse verò derelictâ sindone, nudus effugit ab illis.

Narratio comprehensionis Christi continetur *tribus membris*: quæ sunt, causæ procreantes, forma seu modus agendi, & eventa. *Causæ procreantes* indicantur tum principales, tum adjuvantes & ministræ. Principales fuerunt principes sacerdotum & scribæ & seniores: ab his enim missi sunt qui Dominum comprehenderent. Adjuvantium una iterum fuit principalis, reliquæ ministræ. Principalis fuit Judas Iscariotes proditor: is enim ministros secum duxit. Ministri fuerunt famuli sacerdotum, qui hîc intelliguntur nomine *turba multa*. Horum mentio illustratur ab adjunctis instrumentis, videlicet gladiis & fustibus. *Forma seu modus agendi* narratur primùm proditoris, deinde ministrorum. De proditore narrantur duo, præparatio ministrorum per certum signum: & proditio ipsa per osculum. De ministris narratur, quòd in Dominum injecerint manus, atque ita eum comprehenderint. *Eventa* narrantur quatuor: primum in uno è discipulis, secundum in Domino, tertium in discipulis omnibus, quartum in quodam juvene qui Dominum sequebatur. Unus è discipulis (videlicet Simon Petrus, teste Johanne) conatus est comprehensionem Domini impedire vi, ut declaratur v.47. Dominus cum iis, qui simul aderant, primoribus expostulavit de injuria, eosdemque arguit malæ conscientiæ, & denique se contra istam injuriam consolatus est consideratione voluntatis Dei in scripturis patefactæ. Discipuli omnes, relicto Domino, fugerunt. Juvenis similiter fugit; idque nudus, relictâ sindone qua amictus erat super nudum corpus.

NONA PARS.

Damnatio Christi à concilio sacerdotum.

53 Tunc abduxerunt Jesum ad Pontificem maximum: & convenerunt cum eo omnes principes sacerdotum, & seniores, & scribæ.

54 Petrus autem procul sequutus est eum intrò usque in aulam Pontificis maximi: & erat considens cum ministris, & calefaciens sese ad ignem.

55 Principes autem sacerdotum, & totus consessus, quærebant testimonium adversus Jesum, ut eum morte mulctarent: sed non inveniebant.

56 Nam multi falsum testimonium dicebant adversus eum: sed non erant paria ipsorum testimonia.

57 Tunc quidam surrexerunt, & falsa testati sunt adversus eum, dicentes;

58 Nos audivimus eum dicentem; Ego destruam templum hoc quod est manibus factum, & triduo aliud absque manibus factum ædificabo.

59 Sed ne sic quidem par erat testimonium eorum.

60 Tum Pontifex maximus quum assurrexisset in medium, interrogavit Jesum, dicens; Non respondes quicquam? Quid *est quod* isti adversum te testificantur?

61 Ipse verò silebat, & nihil respondit. Rursum Pontifex maximus eum interrogavit, & dixit ei, Tune es Christus, Filius ille Benedicti?

62 Jesus autem dixit, Ego sum. Et videbitis Filium hominis sedentem ad dextram potentiæ *Dei*, & venientem cum nubibus cæli.

63 Pontifex maximus verò diruptis vestibus suis dixit, Quid adhuc nobis opus est testibus?

64 Audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? Illi verò omnes condemnarunt *eum. dicentes*, ipsum teneri mortis pœnâ.

65 Et cœperunt quidam inspuere in eum, & obtegere faciē ejus, & colaphos ei infligere, & dicere ei, Vaticinare. Ministri verò bacillorū ictibus eum cædebant.

Narrationis hujus *membra* principalia sunt *tria*: causæ procreantes damnationis, adjunctus spectator seu testis, & forma seu modus agendi. *Causæ procreantes sive authores* damnationis CHRISTI fuerunt, Pontifex maximus, omnes principes sacerdotum, & seniores & scribę, v.53. *Adjunctus spectator & testis* (qui hæc suo tempore apud ecclesiam debuit testari) fuit Petrus, v.54. *Forma seu modus agendi*, nempe processus judicialis, continet

tinet partes quatuor. Primùm quæsiverunt falsos testes qui aliquid morte dignum de Jesu testarentur: deinde quum hâc non successisset, aliâ viâ rem aggressus Pontifex maximus, quæsivit ex Jesu, an ipse sit CHRISTUS, filius ille Dei: tum confessione Domini auditâ, damnarunt eum ad mortem: postremò damnatum permiserunt astantibus illudendum. Harum partium prima, videl. conquisitio falsorum testimoniorum, primùm declaratur; deinde amplificatur. Declaratur partim ab eventu, quòd nullum ex istis testimoniis compertum sit par, hoc est, testificans de facinore quod dignum esset morte: partim ab exemplo speciali de destructione templi. Amplificatur autem ab occasione Christum damnandi, saltem ad plagas: eò quòd silebat: quod silentium illi poterant interpretari pro confessione. Sed quoniam non erant contenti damnare eum ad plagas: sed constituerant damnare ad mortem: idcirco occasionē hanc omittunt, & aliam ipsius damnandi causam quærunt. Secunda pars processus, videl. quæstio Domino à Pontifice maximo proposita, declaratur ex eventu, videl. responso Christi: quo se Christum esse apertè confitetur, atque illud insuper à signo probat. Tum responsum hoc declaratur è suo eventu in Pontifice maximo, videl. diruptione vestium ad significandum dolorem quem percipiat ex audita blasphemia. Tertia pars, videl. damnatio ipsa, declaratur expositione causæ seu indicatione criminis propter quod sit damnandus, videlicet propter blasphemiam. Quarta pars processus, permissio illusionis, amplificatur enumeratione diversarum contumeliarum.

DECIMA PARS.

Negatio Christi per Petrum.

66 Quum verò Petrus esset in aula inferiùs, venit quædam ex ancillis Pontificis maximi:

67 Et quum videret Petrum se calefacere, intuita in eum, dixit; Et tu cum Nazareno Jesu eras.

68 Ipse verò negavit, dicens: Non novi, neque scio quid tu dicas. Et exivit foras in vestibulum: & gallus cecinit.

69 Tunc ancilla quum rursus vidisset eum, cœpit dicere iis qui adstabant; Hic est *unus* ex ipsis.

70 Ipse verò rursum negavit. Et rursum paulò pòst qui adstabant, dixerunt Petro; Verè ex ipsis es: etenim Galilæus es, & loquutio tua similis est.

71 Ipse autem cœpit exsecrari *se* & jurare, *dicens*; Non novi hominem istum quem dicitis.

72 Tunc secundò gallus cecinit: & recordatus est Petrus verborum quæ dixerat ei Jesus; Priusquam gallus bis cecinerit, ter me abnegabis. Et quum *se* proripuisset, flevit.

Negatio Petri quâ negavit sese Christi discipulum esse, narratur *trina*: prima v. 66. 67. 68. secunda v. 69. & initio septuagesimi: tertia, verbis reliquis ejusdem versus. *Prima* negatio declaratur ex loco, causâ procatarcticâ, & eventis. Locus fuit inferior pars aulæ, v. 66. Causa procatarctica fuit indicatio ancillæ, v. 66. & 67. Eventa narrantur duo: unum, quòd Petrus exivit in vestibulum: alterum, quòd gallus cecinit, parte posteriore v. 68. *Secunda* negatio declaratur è causa procatarctica; quæ fuit iterum indicatio ancillæ: sed alterius, ut testatur Matthæus. Ubi simul ex serie narrationis intelligendus est locus ubi ista negatio est facta, videlicet in vestibulo: ex collatione versus præcedentis. *Tertia* negatio partim declaratur, partim amplificatur. Declaratur à tempore, causâ procatarcticâ, & eventis. Tempus significatur his verbis, v. 70. μετὰ μικρὸν *paulo-pòst*, videlicet post negationem secundam: ex collatione sententiæ præcedentis. Causa procatarctica fuit indicatio adstantium. Hæc amplificatur ex duobus adjunctis, videlicet asseveratione & probatione, v. 70. Asseveratio continetur adverbio ἀληθῶς, id est, *verè*. Probatio ducitur ex adjunctis duobus: patriâ & idiomate. Quæ utraque probatio verisimilis tantùm erat, non autem certa. Poterat enim aliquis esse Galilæus, & idiomate Galilæorum uti, etsi non esset discipulus Christi. quo fit ut argumenta hæc non possint concludi nisi ἀσυλλογίστως, nempe sic:

Discipuli Jesu sunt Galilæi & loquuntur Galilaicè.
Tu es Galilæus & loqueris Galilaicè.
Ergo tu es è discipulis Jesu.

Ἀσυλλογισία est ex puris affirmantibus in secunda figura.

Eventa, alia ex aliis consecuta, narrantur v. ult. numero quatuor. 1. Gallus secundò cecinit. 2. Petrus recordatus est verborum Domini. 3. Proripuit se. 4. Flevit. Porrò amplificatio hujus negationis continetur v. 71. ab adjuncto jurejurando.

SCHOLIA IN CAP. XIV.

1 Duobus pòst diebus] μετὰ δύο ἡμέρας. *Ad verb.* Post duos dies: *id est, post biduum: seu, biduo pòst: nempe postquam Dominus sermonem illum de excidio urbis ac templi in monte habuisset: qui sermo recitatus est capite præcedente.*

2 Ne in festo] μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ. *Scil. prehendamus & trucidemus Jesum: ex collatione versus præcedentis. Et,* In Festo, *scilicet instante: nempe in Paschate: ex collatione versus 1. Id ipsum in Græco innuit articulus. Sic Germanicè,* Nicht auf das fest / *vel,* am fest. Ne forte] μή ποτε. Damit nicht villeicht. *Non exstat (quod sciam) alia vox apud Latinos, quæ istud* ποτὲ *sic usurpatum, possit exprimi. Aliâs præstaret ab ista voce (*Forte *scilicet) abstinere: quum apud Latinos Ethnicos fuerit fictitiæ deæ nomen: quæ nunc Fors, nunc Fortuna ab illis appellata fuit. Sed licet nobis eâ voce uti, quatenus significamus eventum nobis incertum. Et sic Apostoli non abhorruerunt à verbo* χρηματίζειν *& nomine* χρηματισμός: *quibus vocibus Græci ethnici ad impia sua & diabolica oracula significanda usi fuerunt. Valeat igitur hîc quoque illud: Puris omnia pura.* Fiat] ἔσται. *Pro,* γενήσεται. *vel,* γένηται: *quo verbo utitur Matthæus. Heterosis.*

3 Leprosi] τοῦ λεπροῦ. *Scilicet cognomento: eò quòd fuisset leprosus. Nam si tunc adhuc leprosus fuisset: Jesus, utpote legis divinæ observantissimus, nequaquam cum illo cepisset cibum: quum leprosis conversatione sanorum lege Dei esset interdictum.* Venerat] ἦλθε. *Scil. sexto die ante pascha: ut testatur* Johannes *cap. 12. v. 1. Igitur hîc observatus est ordo non naturæ & temporis, sed prudentiæ: vult enim Evangelista exponere, qua occasione factum sit ut sacerdotes & scribæ Jesum prehenderent & trucidarent in festo paschæ, contrà quàm decreverant, suprà v. 2. Quia scilicet noluerunt dimittere occasionem sibi oblatam à proditore Juda: qui quidem occasionem* Domini *prodendi sumsit ex eo quod hîc narratur.* Mulier] γυνή. *Videlicet Maria, soror Lazari,* Johan. *12. v. 3.* Nardi liquidæ] νάρδου πιστικῆς. *Quasi dicas,* potabilis: *si nomen* πιστικῆς *derivatum sit à verbo* πίω, *id est, bibo. Alias magis placet deductum esse à nomine* πίστις, *id est, fides, ut significetur nardus quasi fidelis seu bonæ fidei: hoc est, nimimè adulterata.* Effuderat ei in caput] κατέχεεν αὐτοῦ κατὰ τῆς κεφαλῆς. *Pronomen* αὐτοῦ *trajectum est. Potest etiam verti, & fortasse rectiùs:* Effuderat secundùm caput ejus: Ut *significetur, mulierem accessisse à tergo, & unguentum illud Domino in occiput effudisse. Sicut ante id tempus fecerat mulier illa peccatrix, de qua Luc. 7. vers. 36. & seqq.*

7 Habebitis] ἔχετε. *Ad verb.* Habetis. *Enallage temporis. Sic mox,* Poteritis, δύνασθε: *pro,* δυνήσεσθε. *Et in fine versus iterum,* ἔχετε.

8 Quod potuit] ὃ εἶχεν. *Ad verb.* Quod habuit. *Græcismus.* Ad funerationem] εἰς τὸν ἐνταφιασμόν. *Vide scholia in Matth. 26. v. 12.*

9 In toto mundo] εἰς ὅλον τὸν κόσμον. *Pro,* ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. *Heterosis, qualis suprà 13. v. 16.* ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν ὤν.

11 Pecuniam] ἀργύριον. *Ad verb.* Argentum. *Metonymia materiæ.* Polliciti sunt] ἐπηγγείλαντο. *Atque etiam mox triginta argenteos nummos illi appenderunt, Matth. 26. v. 15. quos hauddubiè apud certum hominem deposuerunt, qui illos Judæ, proditione factâ, statim daret.*

12 Primo die azymorum] τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων. *Videl. die decimoquarto mensis Abib, qui Martio nostro plurimùm respondet: Exod. 12. v. 18. Incipiebant autem Hebræi diem civilem (id est, 24. horis constantem) à vespera seu prima vigilia noctis. Quare hîc more Romanorum nomine primi diei Azymorum comprehenditur dies artificialis vesperam illam, unde iste dies secundùm Hebræos incipiebat, proximè præcedens. Etenim quæ hîc narrantur de præparatione paschatis, ante illam vesperam facta esse oportuit. Et infr. v. 17. Dominus vesperâ factâ, dicitur accubuisse, scil. ad pascha edendum. Intelligitur autem vespera diei illius quo paratum fuerat pascha: ut planū est ex serie narrationis.* Quando pascha mactabant] ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον. *Scil. Judæi, ex præscripto legis modò citatæ ex libro secundo Mosis. Quanquam illo anno Judæi hanc legem neglexerunt, proque illa observarunt traditionem Rabbinorum, transferentes scil. festum paschatis in diem sequentem, propterea quòd dies ille sequens illo anno esset dies sabbathi. Solebant enim festum paschatis, si in diem diei sabbathi contiguū incideret, in ipsum diem sabbathi transferre, ne populus diuturnitate cessationis ab operibus servilibus, ac inprimis à coquendis cibis, nimiùm gravaretur. Hinc sabbathum istud appellatur magnum, propterea quòd duæ in illo solennitates concurrebant: una scil. sabbathi, altera paschatis. Judæos autem illo anno pascha non eodem die celebrasse, quo Dominus illud celebravit ex præscripto Legis: planum est ex serie narrationis. Etenim die illo Jesum ceperunt, ad tribunal suum stiterunt, damnarunt, apud Pilatum accusarunt, & crucifixioni Domini spectatores astiterunt. Et dies ille à Johanne nominatur parasceve Judæorum. Et apud eundem dicuntur principes sacerdotum, Dominum ad Pilatum deductum accusantes, noluisse ingredi prætorium: ne polluerentur, sed ut possent edere pascha, nempe postridie: hoc est, in illius diei (secundùm morem Romanorum loquendo) vesperâ. nam à vespera (ut dictum est) Judæi diem incipiebant: & in vespera agnus paschalis edendus erat. Vide scholia in Matth. 26. v. 17.*

13 In urbem] εἰς τὴν πόλιν. *Scil. Hierosolymam Græcum expressius, propter articulum. Sic Germanicè.* In die statt.

14 Quocunque] ὅπου. *Id est, in quamcumque domum. Synecdoche generis.* Diversorium] τὸ κατάλυμα. *Id est, cænaculum. ut declaratur v. seq. Synecd. integri.*

19 Sigillatim] εἷς καθ' εἷς. Puto scribendum, εἷς καθ' εἷς. Id est, Unus & deinde unus. nam καθ' valet καὶ εἶτα: sicut κἀγὼ valet καὶ ἐγώ. Videtur esse repetitio ejusdem nominis Hebraica: cujus exempla recitavimus suprà ad v.27. cap.13. in illa verba, ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ. Respondet ferè phrasis Germanica, quum dicimus, Einer nach dem andern.

20 Qui intingit] ὁ ἐμβαπτόμενος. Scil. τὸ ψωμίον; id est, offulam seu bucellam: ut plenè ac propriè loquitur Johannes, Joh.13.26. Vel, τὴν χεῖρα. id est, manum: ut metonymicè loquitur Matthaus, Matth.26.23.

21 Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille] καλὸν ἦν αὐτῷ εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος. Verba duo extrema redundant: aut redundat pronomen αὐτῷ. Nam alterutro horum expuncto, oratio nihilominus erit perfecta.

22 Hoc est corpus meum] τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμά μου. Id est, Hic panis est signum corporis mei: quatenus scilicet illud pro vobis datur in mortem: ut declaratur apud Lucam: hoc est; testificans, corpus meum pro vobis datum iri in mortem.

23 Accepto poculo] λαβὼν τὸ ποτήριον. Videl. quod appositum erat in mensâ: id quod notat articulus. Significat autem nomen Gracum non propriè id quod Germani appellant ein kelch: hoc enim apud Gracos est κύλιξ, & apud Latinos calix: sed in genere significat poculum, Germanicè ein trinckgeschirr/ es sey gleich ein becher/ oder schahl/ oder kelch. Erat autem in illo poculo vinum: ut percipitur ex verbis Domini, Non bibam ampliùs ex fructu vitis, v.25. Biberunt ex eo omnes] ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες. Scil. ut jussi erant à Domino, Matth.26.27. Idq; haud dubiè ordine κατὰ κυκλοποιΐαν, initio facto ab eo cui Dominus proximè accumbenti poculum prabuerat.

24 Hoc] τοῦτο. Videl. hoc poculum: ex versu pracedente. Id est, Vinum quod hoc poculo continetur. Metonymia subjecti: quam vulgo nominant synecdochen continentis pro contento. En tropum in verbis Domini manifestum: quum tamen in illis tropum statuere, quidam hodie nefas ducant. Sanguis ille novi federis] τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. Vide scholia in Matthaum. Pro multis] περὶ πολλῶν. Id est, ὑπὲρ πολλῶν. Videlicet pro OMNIBUS & SOLIS electis.

25 Nequaquam] οὐκέτι οὐ μή. In Graco pro una particula negante sunt tres: qua vehementissimè negant. Aliâs solent esse dua.

30 Hodie] σήμερον. Isto adverbio significatur dies quem Romani nominarunt civilem, spacium scil. 24. horarum. Hac inquam nocte] ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ. Particulam inquam] supplevi perspicuitatis causâ. Coharent enim hac verba cum pracedenti adverbio, Hodie, per appositionem ἐπεξηγητικὴν, quo totum declaratur per partem. Nox enim diei civilis pars est, & quidem pars anterior: quippe à vespera, seu prima vigilia noctis, diem civilem incipiebant Hebrai. Romani verò à media nocte, ac proinde à vigilia tertia.

31 Etiam omnes] καὶ πάντες. Scilicet reliqui discipuli qui cum Domino erant.

32 Considite] καθίσατε. Setzet euch. at, Sedete, valet, Sitzet/ vel, Bleibet sitzen: Gracè κάθησθε.

35 Abiret ab ipso] παρέλθῃ ἀπ' αὐτοῦ. vel, Præteriret ipsum. Ad verb. Præteriret ab ipso: hoc est, prateriret abiens ab ipso. Hora illa] ἡ ὥρα. Id est, tempus illud instans passionis sua in cruce: vel potiùs ipsa illa passio per metonymiam adjuncti. Etenim passioni Domini certum tempus per Dei providentiam adjunctum fuit, quod jam tum instabat. Articulus est emphaticus, innuens rem in Scriptura testatam & Domino notam.

36 Verùm non quod ego volo] ἀλλ' οὐ τί ἐγὼ θέλω. Scil. fiat. τί pro ὅ, τι. Si placeat vertere: Verùm non, quid ego velim, sed quid tu: subaudire oportebit; Spectandum vel faciendum est.

37 Vel unam horam] μίαν ὥραν. Supplevi notam majoris, perspicuitatis causâ. Dico autem conjunctionem Vel sic usurpatam, esse notam majoris: quia innuit ratiocinationem ἀπὸ τοῦ μᾶλλον, ab eo quod magis videtur. quasi dicat: Quanto minùs posses vigilare horas plures? quum ne unam quidem horam vigilare mecum possis.

41 Hora illa] ἡ ὥρα. Vide suprà in v.35. Filius hominis] ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Id est, Ego. περίφρασις è causa procreante. Traditur] παραδίδοται. Id est, Jam jam tradetur. In manus peccatorum] εἰς τὰς χεῖρας τῶν ἁμαρτωλῶν. Id est, ethnicorum, hominum profanorum & idololatrarum, videlicet Romanorum. Synecdoche generis. κατ' ἐξοχὴν. Sic Act.2.v.23. διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες, vertendum: Manibus sceleratorum affixistis: potiùs quàm, manibus sceleratis. Confer Gal.2.15.

43 A principibus sacerdotum &c.] παρὰ τῶν ἀρχιερέων &c. scil. πεμφθέντες seu ἀποσταλθέντες, id est, missi.

44 Is est] αὐτός ἐστι. Scil. Jesus ille Nazarenus quem debetis comprehendere. Comprehendite eum] κρατήσατε αὐτόν. Pro, κρατήσατε οὖν αὐτὸν: Comprehendite igitur eum. Sermo concisus, serviens decoro, propter τὴν γοργότητα, celeritatem informantis & monentis.

47 Auriculam] τὸ ὠτίον. Luc.22.v.50. habetur τὸ οὖς, id est, aurem. Sed diminutiva ista pro primitivis etiam apud disertiores Gracia & Latii scriptores usurpantur.

49 Sed hac fiunt ut impleantur &c.] ἀλλ' ἵνα πληρωθῶσιν &c. Pro, ἀλλὰ ταῦτα γίνεται ἵνα πληρωθῶσιν &c. Supplementum istud peto ex collatione Matth.26.v.56.

50 Omnes] πάντες. Scilicet qui cum ipso erant, videlicet undecim discipuli. Fugerunt] ἔφυγον. Sicut eis pradixerat Dominus, suprà v.27.

51 Juvenes] οἱ νεανίσκοι. Nempe qui erant cum Juda proditore.

53 Et convenerunt cum eo] καὶ συνέρχονται αὐτῷ. Vel, ad eum: scil. pontificem maximum: nempe domi ipsius.

54 Calefaciens sese] θερμαινόμενος. Verbum vocis media, significationem habens reciprocam.

55 Sed non inveniebant &c.] καὶ οὐχ &c. Copulativa pro adversativa. Potest etiam verti: Et tamen non: vel, attamen non.

56 Sed non erant &c.] καὶ ἴσαι &c. Rursus copulativa pro adversativa. Paria] ἴσαι. scil. supplicio. hoc est, nihil tale de eo testabantur quod dignum videretur supplicio capitis. Testimonia] αἱ μαρτυρίαι. Hoc est, facta Jesu de quibus illi testimonium dicebant. Meton. adjuncti. Ihr zeugnus war nit genůgsam: Testimonia eorum non sufficiebant ad damnandum Jesum morte: quod supplicium judices illi quarebant.

58 Nos audivimus] ὅτι ἡμεῖς ἠκούσαμεν. Conjunctio ὅτι servit mimesi. Sic mox, ὅτι ἐγὼ &c.

59 Par] ἴση. Ut versu 56.

60 Quid est quod isti &c.] τί οὗτοι &c. Ellipsis Hebraica: qualis Gen.3.13. Quid hoc est quod fecisti? Et Exod.4.2. Quid hoc est quod in manu tua est?

61 Benedicti] τοῦ εὐλογητοῦ. Id est, Dei. Metonymia adjuncti. Benedictus enim hîc intelligitur is cui sancti Angeli & homines benedicunt, hoc est, quem laudant & pradicant.

62 Ego sum] ἐγώ εἰμι. Scilicet Christus, Filius ille Benedicti: ex vers. pracedente. Germanicè, Ich bins: id est, Ich bin derselbig davon du mich fraagest. Puto autem verbum εἰμὶ hoc loco non pati ἔγκλισιν: quum in ipso sit emphasis, quem ἔγκλισις tolleret. Quare genuinum illi accentum tribuo. At suprà cap.6.v.50. diversa est ratio. Ibi enim emphasis est in pronomine ἐγώ; ac proinde εἰμὶ patitur ἔγκλισιν. Quum enim discipuli videntes Dominum inambulantem mari, exterriti essent, eò quòd putarent se videre spectrum: exclamat Dominus, ἐγώ εἰμι: EGO sum, quasi dicat, Non est spectrum mentiens speciem meam, id quod cernitis: sed EGO ipse sum. Sic Joh.18.v.5. quum ministri Pontificum, quarentes illum ad prehendendum, dixissent, se quarere Jesum illum Nazarenum: respondit Dominus, ἐγώ εἰμι, EGO sum: scil. Jesus ille Nazarenus. Ubi iterum emphasis est in pronomine ἐγώ: quasi dicat, EGO, & non alius quispiam ex iis qui mecum sunt. Et videbitis] καὶ ὄψεσθε. Quasi dicat: Et ut certò scias, nec ullatenus dubites, me illum esse: confirmabo hanc meam confessionem signo evidentissimo &c. Ad dextram potentiæ Dei] ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως. Id est, Sedentem ad dextram Dei, ac proinde potenter dominantem in hostes suos: in quorum numero & vos estis. Sic Psal.110. Sede ad dextram meam. Et mox: Dominare in medio inimicorum tuorum. Genitivus notat speciem, videlicet speciem significati. Nam nomen dextra accipitur vel in significatione propria, vel in tropica, pro potentia, per metonymiam subjecti & metaphoram. nam in dextera est robur, & robori similis est potentia. Similia exempla vide Joh.11.v.13. Rom.4.v.11. Cum nubibus] μετὰ τῶν νεφελῶν: Quasi comitatum seu cinctum nubibus. Pro hoc Matthaus habet, ἐπὶ τῶν νεφελῶν, super nubes, auf den wolcken: hoc est, vectum nubibus. At suprà 13.v.26. habetur venturum ἐν νεφέλαις, in nubibus: id est, quasi indudum nubibus.

63 Quid adhuc nobis opus est testibus?] τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; Scil. Ad istum morte mulctandum.

64 Condemnarunt eum dicentes, ipsum teneri &c.] κατέκριναν αὐτὸν εἶναι &c. Ellipsis manifesta: pro eo quod est, κατέκριναν αὐτὸν, λέγοντες αὐτὸν εἶναι ἔνοχον θανάτου. Confer Matth.26. vers.66.

65 Vaticinare] προφήτευσον. Id est, Indica nobis per arcanam revelationem (quandoquidem propheta es) quisnam ille ex nobis sit qui te percusserit. Ex collatione Matth.26.68. Synecdoche generis. Est autem sarcasmus amarulentissimus.

66 In aula inferiùs] ἐν τῇ αὐλῇ κάτω. Id est: In eodem quidem atrio in quo stabat Jesus coram concilio sacerdotum, sed in parte illius inferiore: quòd nimirum pars illa ubi patres isti considebant, erat paulò altior parte reliqua.

67 Se calefacere] θερμαινόμενον. Pro, θερμαίνεσθαι. Gracismus. Estq; vox media, significationis reciproca. Eras] ἦσθα. Id est, versabaris tanquam discipulus.

68 Foras] ἔξω. Non quidem extra domum pontificis maximi, sed extra aulam illam sive atrium interius in quo habebatur consessus sacerdotum. Ut manifestum evadit ex eo, quod sequitur, εἰς τὸ προαύλιον.

69 Tunc ancilla] καὶ ἡ παιδίσκη. Vide scholia in Matth.26.v.71. Hic est] ὅτι οὗτος &c. Conjunctio ὅτι servit mimesi.

70 Similis est] ὁμοιάζει. Scil. loquutioni Jesu. Vel, loquutioni Galilaorum: id est, idiomati: ut vulgò appellamus. Tunc autem vertendum erit: Nam loquutio tua similis est. ut scilicet intelligatur, argumentum subjungi ad probandum, quòd Petrus sit Galilaus.

71 Exsecrari se] ἀναθεματίζειν. Subauditur ἑαυτόν. hoc est, diris se devo-

se devovere, sibi extrema mala imprecari. Non novi] ὅτι οὐκ οἶδα. *Conjunctio* ὅτι *servit mimesi. Sic mox,* ὅτι πρὶν *&c.*

72 Quum se proripuisset] ἐπιβαλών. *Scilicet ex domo Pontificis maximi in locum alium. Matthæus habet :* καὶ ἐξελθὼν ἔξω *: Id est, Et egressus foras.*

OBSERVAT. EX CAP. XIV.

Ex parte prima, vide Matth. 26. primis quinque versibus.
Ex parte secunda, vide Matth. 26. à v. 6. usque ad 14.
Ex parte tertia, vide Matth. 26. v. 14. 15. & 16.
Ex parte quarta, vide Matth. 26. à v. 17. usque ad 26.
Ex parte quinta, vide Matth. 26. à v. 26. usque ad 30.
Ex parte sexta, vide Matth. 26. à v. 30. usque ad 36.
Ex parte septima, vide Matth. 26. à v. 36. usque ad 47.
Ex parte octava, vide Matth. 26. à v. 47. usque ad 57.
Ex parte nona, vide Matth. 26. à v. 57. usque ad 69.
Ex parte decima, vide Matth. 26. à v. 69. usq; ad finem capitis.

ANALYSIS CAP. XV.

ARGUMENTUM.

Superiore capite narrata sunt ea quæ passus est Dominus noster primùm in horto, deinde in domo sive aula pontificis maximi: Deinceps narrantur ea quæ passus est apud Pilatum judicem ac præsidem Judææ, usque ad v. 21. deinde in via quum duceretur ad supplicium, v. 51. tum in ipso supplicii loco, usque ad v. 42. Postremò narratur, quomodo sit sepultus, usque ad finem capitis. Ita sunt quatuor hujus capitis partes.

PRIMA PARS.

Quæ passus est apud Pilatum.

Statim autem diluculo : consilio inito, summi sacerdotes cum senioribus & scribis, denique totus consessus, vinctum Jesum adduxerunt, tradideruntque Pilato.

2 Tunc interrogavit eum Pilatus, Túne es ille rex Judæorum? Ipse verò respondens dixit ei, Tu dicis.

3 Et multùm accusabant eum principes sacerdotum.

4 Pilatus autem rursus interrogavit eum, dicens, Non respondes quicquam? Ecce, quàm multa adversus te testificantur!

5 Jesus autem nihil ampliùs respondit, adeò ut miraretur Pilatus.

6 In festo autem dimittebat eis unum ex vinctis, quemcunque postulassent.

7 Erat verò quidam qui dicebatur Barabbas, vinctus cum seditionis sociis, qui cædem per seditionem fecerat.

8 Et vociferans turba cœpit petere *ut faceret* prout semper ipsis fecerat.

9 Pilatus autem respondit eis, dicens; Vultis dimittam vobis regem illum Judæorum?

10 (Noverat enim eum per invidiam traditum fuisse à principibus sacerdotum.)

11 Principes verò sacerdotum concitarunt turbam ut potiùs Barabbam ipsis dimitteret.

12 Tunc Pilatus respondens, rursum dixit eis; Quid ergo vultis faciam *isto* quem dicitis regem Judæorum?

13 Ipsi verò rursum clamaverunt, Crucifige eum.

14 Pilatus autem dicebat eis, Nam quid mali fecit? illi autem ampliùs clamaverunt, Crucifige eum.

15 Pilatus autem volens turbæ satisfacere, dimisit eis Barabbam; & Jesum flagellatum tradidit ut crucifigeretur.

16 Milites verò abduxerunt eum intra aulam, (quod est prætorium) & convocarunt totam cohortem.

17 Et induerunt eum purpurâ; & plexâ coronâ spineâ, circumposuerunt ei *illam.*

18 Et cœperunt eum salutare, *dicentes* Ave, rex Judæorum.

19 Et verberabant ejus caput calamo, & inspuebant in eum, ac submissis genibus adorabant eum.

20 Quum autem illusissent ei, exuerunt eum purpurâ, & induerunt eum vestimentis ipsius: eduxeruntque ut crucifigerent eum.

Istius narrationis *membra* sunt hæc *decem.* Primò, Jesus traditur Pilato, v. 1. Secundò, confitetur, se esse Christum, vers. 2. Tertiò, ad cætera crimina silet, v. 3. 4. & 5. Quartò, à Pilato judicatur & pronuntiatur innocens: unde is ipsum studet dimittere; sed frustra: obstantibus principibus sacerdotum & populo, à v. 6. usque ad 15. Quintò, præfertur ei, tanquam minus nocens, Barabbas latro, iis ipsis versibus, ac præterea v. 15. Sextò, postulatur ad crucem, v. 13. & 14. Septimò, flagellatur, v. 14. Octavò, traditur crucifigendus, v. eod. Nonò, illuditur à militibus Pilati, v. 16. & deinceps. Decimò, educitur ad supplicium, in fine versus 20.

SECUNDA PARS.

Quid passus in viâ.

21 Præterea angariarunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenæum (venientem rure, patrem Alexandri & Rufi) ut portaret crucem ejus.

Narrationis hujus *scopus* est, significare, quòd JESUS sub onere crucis defecerit. hæc enim causa milites qui eum ducebant, movit, ut Simonem istum ad crucem ejus portandam cogerent.

TERTIA PARS.

Quæ passus in loco supplicii.

22 Duxeruntque eum in locum Golgotha: quod est, si interpreteris, Calvariæ locus.

23 Et dederunt ei bibendum myrrhatum vinum: ipse verò non sumsit.

24 Quumque crucifixissent eum, partiti sunt vestimenta ejus, jactâ sorte super ea, quis quid tolleret.

25 Erat autem hora tertia quando crucifixerunt eum.

26 Eratque inscriptio criminis ipsius inscripta *his verbis,* REX ILLE JUDÆORUM.

27 Crucifixerunt etiam cum eo duos latrones: unum ad dextram, & alterum ad sinistram ejus.

28 Et impleta est scriptura quæ dicit, Et cum sceleratis numeratus est.

29 Et qui præteribant, conviciabantur ei, moventes capita sua, ac dicentes; Vah, *Tu* qui destruis templum, & triduo ædificas!

30 Serva teipsum, & descende de cruce.

31 Similiter autem & principes sacerdotum illudentes, dicebant alii ad alios cum scribis; Alios servavit, seipsum servare non potest?

32 Christus, rex ille Israëlis, descendat nunc de cruce, ut videamus & credamus. *Quin* & qui crucifixi erant cum eo, probris afficiebant eum.

33 Quum verò advenisset hora sexta, tenebræ facti sunt super totam terram, usque ad horam nonam.

34 Et horâ nonâ clamavit JESUS voce magnâ, dicens, Eloí, Eloí, lammá sabachtaní? quod est, si quis interpretetur, Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti?

35 Et quidam adstantium quum audissent, dicebant; Ecce, Eliam vocat.

36 Cucurrit autem quidam, & impletâ spongiâ aceto, & circumpositâ calamo, dedit ei potum, dicens, Sinite: videamus an veniat Elias ad detrahendum eum.

37 Jesus autem emissâ voce magnâ, exspiravit.

38 Et aulæum templi fissum est in duas partes, à summo usque ad imum.

39 Quum vidisset autem centurio qui adstabat ipsi ex adverso, eum ita emisso clamore exspirasse, dixit; Verè homo iste, filius erat Dei.

40 Erant autem etiam mulieres procul spectantes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi parvi & Jose mater, & Salome:

41 Quæ etiam, quum esset in Galilæa, sequutæ fuerant eum, & ministraverant ei; aliæque multæ quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam.

Quæ Dominus in loco supplicii passus est, narrantur hoc loco ista *novem.* Primò, datum est ei bibendum vinum myrrhatum, v. 23. Secundò, crucifixus est, v. 24. Tertiò, partiti sunt vestimenta ejus, v. 24. Quartò, suspensus est inter duos latrones, v. 27. Quintò, conviciis impetitus ac proscissus est, v. 29. & deinceps. Sextò, clamavit, Elôí, Elôí &c. v. 34. Septimò, quidam illa verba detorserunt in alienum sensum ad illudendum Domino, v. 35. Octavò, quidam præbuit ei bibendum acetum, additâ

irrisione, v.36. Nonò, exspiravit, v.37. Primum membrum narrationis declaratur ex eventu: quòd scilicet Dominus vinum illud recusârit. Secundum membrum ex adjuncto tempore, v.25. ex adjuncto titulo crucis, v.26. ex adjunctis sociis crucifixionis, v.27. ex eventu, videlicet tenebris miraculosis, v.33. & denique ex adjunctis testibus, videlicet sanctis mulieribus, v.40. & 41. Tertium ex adjuncto modo agendi, videlicet jactione sortis, v.24. Quartum ex adjunctâ impletione prophetiæ, v.28. quæ exstat Esa.53.v.12. Quintum ex distributione: quòd scilicet conviciis proscissus sit tum à populo, v.29. & 30. tum à principibus sacerdotum, v.31. & 32. tum verò etiam ab ipsis qui cum eo erant crucifixi, id est, ab illorum altero, in fine v.32. Sextum membrum declaratur ab adjunctâ vocis intentione; & verborum quibus exclamavit, interpretatione, v.34. Septimum simpliciter narratur, v.35. Octavum declaratur ab adjunctis instrumentis, spongiâ & calamo, v.36. Nonum ab adjuncto clamore, v.37. & eventis duobus: videlicet fissione veli in templo, v.38. & testificatione centurionis de innocentiâ Jesu, v.39.

QUARTA PARS.

De sepultura Jesu.

42 Quum autem serum *diei* jam esset: quoniam erat parasceve, hoc est ante sabbathum:

43 Veniens Joseph, *ortus* ex Arimathæa, honestus senator, qui & ipse exspectabat regnum Dei, fidenti animo introiit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu.

44 Pilatus autem miratus est, si jam mortuus esset: & advocato centurione, interrogavit eum an jamdudum mortuus fuisset.

45 Et *re* cognitâ ex centurione, donavit corpus Josepho.

46 Is autem êmit sindonem, & detractum eum involvit sindone: deposuitque in monumento quod erat excisum è petra; & advolvit saxum ad ostium monumenti.

47 Maria Magdalene verò, & Maria Jose *mater*, spectabant ubi poneretur.

Sepultura Jesu describitur à tempore, ab efficiente, ab actionibus illius efficientis, & ab adjunctis testibus. *Tempus* indicatur v.42. *Efficiens* in principio v.43. Is fuit Joseph quidam: qui describitur à patria, ab adjuncta dignitate seu conditione, vita honorata, & ab adjuncta pietate. *Actiones Josephi* narrantur duplices: nempe quid egerit ut corpus Jesu impetraret, ejusque sepeliendi jus haberet: deinde quid egerit, illo impetrato. Ut corpus impetraret, petiit illud à Pilato. Hæc petitio amplificatur & illustratur. Amplificatur à modo agendi: quòd scilicet petierit coràm, quum introiisset ad Pilatum. qui ipse introitus amplificatur ab adjuncta audacia, id est, animi magnitudine: quia scilicet verendum erat, ne pateretur repulsam, vers.43. Illustratur autem petitio Josephi ex eventis duobus: admiratione Pilati ob mortem Jesu, v.44. & donatione corporis Jesu, v.45. Cæterùm admiratio ista Pilati illustratur & ipsa è suis eventis, videlicet inquisitione & cognitione veritatis, v.44. & 45. Atque hæc de actione ad corpus impetrandum. Actiones post corpus impetratum narrantur v.46. numero quinque. nam primò êmit sindonem, secundò corpus Jesu detraxit de cruce, tertiò involvit illud sindone, quartò deposuit in monumento, quintò advolvit saxum ad ostium monumenti. Ex his membrum quartum amplificatur ex adjunctâ monumenti conditione, quòd scilicet fuerit excisum è petra. *Testes* sepulturæ indicantur vers. ult. videlicet duæ sanctæ mulieres.

SCHOLIA IN CAP. XV.

1 Denique totus consessus] καὶ ὅλον τὸ συνέδριον, *Sive, totum concilium. Conjunctionem autem* καὶ *hîc servire præcisioni: planum evadit ex collatione incisi præcedentis, in quo plerique ordines ex quibus concilium sive consessus ille constabat, enumerantur: non tamen omnes: quia omissi sunt Pharisæi & sacerdotes non summi.*

2 Tu dicis] σὺ λέγεις. *Id est, Ego sum. Vide scholia in Matth.27. vers.11.*

6 In festo autem] κατὰ δὲ ἑορτήν. *Scilicet Paschatis. Pro,* κατὰ δὲ τὴν ἑορτήν. *Ellipsis articuli. Vide scholia in Matth.27.15.*

9 Vultis dimittam] θέλετε ἀπολύσω. *Pro,* ἵνα ἀπολύσω: *ut dimittam. Ellipsis conjunctionis causalis.*

11 Ut potiùs Barabbam ipsis dimitteret] ἵνα μᾶλλον τὸν Βαραββᾶν ἀπολύσῃ αὐτοῖς. *Id est, ut peterent Barabbam potiùs sibi dimitti. Metonymia subjecti: eaque non in nomine, sed in verbo, videlicet in verbo* ἀπολύσῃ. *Errant igitur qui putant, metonymiam locum tantùm habere in nominibus.*

12 Vultis faciam] θέλετε ποιήσω. *Pro,* ἵνα ποιήσω: *ut faciam.* Faciam isto quem dicitis] ποιήσω ὃν λέγετε. *Pro,* ἐκεῖνον ὃν λέγετε. *Ellipsis nominis (sive pronominis) antecedentis Græca. Id est:* τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν: *ut loquitur Matthæus.* περίφρασις *ex adjuncto. Germanicè,* Was sol ich dann mit Jesu machen/ oder anfangen? *Videtur autem in Græca phrasi ἐλλείπειν præpositio* περί: *ut integra oratio sit,* τί οὖν ποιήσω περὶ Ἰησοῦν; *In Latina autem phrasi videtur ἐλλείπειν præpositio* DE, *Græcæ illi respondens: ut integra oratio sit, Quid igitur faciam de Jesu? Cæterùm ad versionem illam Latinam illustrandam & confirmandam facit locus ille Ciceronis in tertia Verrina, quem Henric. Stephanus in suo Thesauro affert, videlicet:* Quid hoc homine faciatis? aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reservetis? *Simulque monet, quid inter illa verba Ciceronis & ista Pilati interesse videatur: nempe Pilatum non ita generaliter loqui: sed interrogare, quo supplicii genere Jesum afficiendum censeant Judæi. Et rectè. Perinde enim est ac si dicat Pilatus: Quum igitur nolitis Jesum dimitti, sed eum velitis supplicio affici: quæro ex vobis, quo genere supplicii illum afficiendum censeatis? Est igitur in hac phrasi,* Quid faciam illo, τί ποιήσω ἐκεῖνον, *synecdoche generis. Unde liquet, errare eos qui putant, tropum non habere locum in verbis conjunctis. Facit quoque ad phrasin illam Latinam illustrandam & confirmandam illud Terentianum,* Quid te misero fiet, quem assiduè exedent? *Potest tamen etiam verti: Quid faciam isti &c. per casum scilicet dativum. Sic enim & Cicero loquitur, pro Cecinna: Quid tu huic homini facias?* Was woltestu mit disem menschen anfangen? *Similiter & Græcè dici potest, atque adeò solet:* τί ποιήσω τούτῳ τῷ ἀνθρώπῳ; *Sicut Henr. Stephanus exemplis ex Platone & Demosthene, atque etiam ex Evangelista Matthæo prolatis docet; videl. ex cap.21.v.40* ὅταν οὖν ἔλθῃ ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος, τί ποιήσει τοῖς γεωργοῖς ἐκείνοις.

14 Nam quid mali fecit] τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν; *Sic Germani,* Was hat er dann böses gethaan? *Pro,* τί οὖν κακὸν ἐποίησεν; *Quid igitur mali fecit? Heterosis.* Ampliùs] περισσοτέρως. *Vel, vehementiùs. Ad verb.* abundantiùs.

15 Flagellatum] φραγελλώσας. *Postquam eum flagellasset, scil. Pilatus. Id est, flagellari per milites curasset suo mandato. Metonymia subjecti in verbo flagellandi. nam circa flagellationem mandatum Pilati occupabatur.*

16 Intra aulam] ἔσω τῆς αὐλῆς. *Scil. Pilati.* Quod est prætorium] ὅ ἐστι πραιτώριον. *Id est: Quæ aula nomine Romano appellabatur prætorium: eò quòd ibi jus diceret prætor sive præses.*

17 Et plexâ coronâ spineâ circumposuerunt ei *illam*] καὶ περιτιθέασιν αὐτῷ πλέξαντες ἀκάνθινον στέφανον. *In Græco verba sunt trajecta. Apud Matthæum genuinus verborum ordo observatus est, cap.27.v.29.*

25 Erat autem hora tertia, quando crucifixerunt eum] ἦν δὲ ὥρα τρίτη καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. *Copulativa pro relativa temporis. Intelligenda autem hîc hora tertia pro more Judæorum, videlicet inde ab ortu solis. Nam diem unumquemque artificialem (hoc est, quo sol super hemisphærium lucet) diviserunt in duodecim horas æquales, Johan.11.9. incipientes numerare ab ortu solis. Cæterùm ex collatione hujus versiculi cum 34. & seqq. usque ad 38. colligitur, Jesum in cruce pependisse vivum quidem per sex horas, deinde mortuum adhuc aliquamdiu: quippe exspiravit horâ nonâ, & paulò pòst de cruce depositus est, v.42. & deinceps.*

31 Seipsum servare non potest] ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι. *Hæc sententia videtur legenda cum interrogatione, ut sit exclamatio σαρκαστική. quasi dicant: Mira res est, quòd quum alios servârit, seipsum servare tamen non possit. Si verò alios servasset, utique seipsum quoque servare posset. At heus vos blasphemi, poterat quidem ille se servare, atque etiam triduo pòst seipsum servavit surgendo à mortuis: sed nolebat tunc se servare è morte, quia volebat mori pro electis suis.*

32 *Quin &*] καί. *Pro,* ἀλλὰ καί. *Nam* καὶ *hîc est nota majoris. quasi dicat: Non solùm hostes Jesu probris eum affecerunt: sed & socii supplicii: id quod indignissimè comparatum erat: quum isti illum potiùs debuissent consolari.* Qui crucifixi erant cum eo] οἱ συνεσταυρωμένοι αὐτῷ. *Id est, alter eorum: ut declarat Lucas 23.v.39. & seqq. Synecdoche integri.*

33 Quum verò advenisset hora sexta, tenebræ factæ sunt] γενομένης δὲ ὥρας ἕκτης σκότος ἐγένετο. *Sed quomodo hoc convenit* ἀπ.λύσ.
cum narratione Johannis: qui cap.19.vers.14. & seqq. narrat, horâ sextâ Jesum à Pilato esse productum in conspectum populi, & cum populo actum de illo dimittendo, tandem verò ad populi clamores illis traditum ad crucifigendum? Si horâ sextâ traditus fuit ad crucifigendum: quomodo igitur horâ sextâ jam per tres horas (nempe inde ab hora tertia, supr. v.25.) in cruce pependerat? Nempe Johannes loquitur more Romanorum, horam sextam intelligens eam quæ sexta est à media nocte, unde Romani diem civilem inchoabant. Si ponamus, solem tunc Hierosolymæ fuisse ortum quartâ circiter post mediam noctem horâ; tum diei artificialis, seu ab ortu solis, hora secunda ista fuerit. Hora igitur spatium fuerit elapsum inter traditionem Pilati qua Jesum tradidit ad crucifigendum, & ipsam illius crucifixionem: Etenim horâ tertiâ crucifixus fuit, supr. v.25. Super totam terram] ἐφ᾽ ὅλην τὴν γῆν. *Vide scholia in Matth.27.v.45.*

34 Eloï] ἐλωΐ. *Expressum videtur ex Hebræa voce* אֱלוֹהִי *Elohi, vel potiùs ex Syra* אֱלָהִי *Elahi: quæ in Syriaca interpre-*

tatione

tatione habetur, nullo interim exstante vestigio literæ ה, *id est, spiritus densi: eò quòd Græci spiritus illius notam in media voce* [illegible] *adhibent, nisi quum concurrunt duo Rho: ut* ἐπίῤῥημα. *Est autem* אֱלוֹהַי *nomen* אֱלוֹהַּ *cum affixo* י *ex pronomine* אֲנִי, *id est, Ego. Veruntamen in Hebræo textu Psalmi 22. unde ista verba depromta sunt, habetur* אֵלִי Eli: *quod est nomen* אֵל *cum affixo illo jod. Et istam vocem retinuit Matthæus.* Sabachthani] σαβαχθανί. *Vide scholia in Matthæum.* Deus mi] ὁ Θεός μου. *Pro,* ὦ Θεέ μου: *ut habet Matthæus. Enallage casus Attica.*

39 Filius erat Dei] υἱὸς ἦν Θεοῦ. *Vide scholia in Matthæum.*

40 Jacobi parvi] Ἰακώβου τοῦ μικροῦ. *Subscribo sententiæ. Fr. Junii, quòd iste cognominatus fuerit parvus sive minor, non per comparationem cum Jacobo filio Zebedæi, sed cum Jacobo ipsius patruo, fratre Alphæi.*

42 Erat parasceve] ἦν παρασκευή. *Scil. ex consuetudine Judæorum. nam ex lege Dei tum erat primus dies Azymorum seu dies Paschatis. Vide supr. scholia in v.12. c.14.*

43 *Ortus* ex Arimathæa] ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας. *Scilicet* ὤν, *vel* γεγονώς.

OBSERVAT. EX CAP. XV.

Ex parte prima, vide Matth. 27. à principio usque ad v.32.
Ex parte secunda, vide Matth. 27. v.32.
Ex parte tertia, vide Matth. 27. à v.33. usque ad 57.
Ex parte quarta, vide Matth. 27. à v.57. usque ad finem capitis.

ANALYSIS CAP. XVI.

ARGUMENTUM.

In hoc capite narratur de Domini resurrectione, legatione Apostolorum, ascensione in cœlum, & sessione ad dextram Dei: quæ actiones omnes ad administrationẽ muneris regii pertinẽt. Nam resurrectione demonstravit se victorem ac dominum mortis & peccati & diaboli, hostium scilicet nostrorum spiritualium: legatione Apostolorum ostendit, se potestatem regiam in universum mundum à Patre accepisse: ascensione triumphum de illis hostibus egit: sessione ad dextram Dei exercere cœpit regiam suam potestatem in mundo secundùm humanam quoque naturam gubernando. Distingui autem potest hoc caput in tres partes: *in quarum prima narrantur aliquot testimonia resurrectionis Domini, usque ad v.15. In secunda narratur legatio Apostolorum, usque ad v.19. In tertia narratur ascensio & sessio ad dextram Dei, duobus versibus ultimis.*

PRIMA PARS.

Testimonia resurrectionis Domini.

ET quum exactum esset sabbathum; Maria Magdalene, & Maria Jacobi *mater*, & Salome, emerant aromata, ut venientes ungerent eum.

2 Itaque valde mane, primo *die* hebdomadis, veniunt ad monumentum, exorto sole.

3 Dicebantque inter se, Quis devolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?

4 Pòst quum suspexissent, conspiciunt lapidem esse devolutum. nam erat magnus valde.

5 Ingressæ igitur in monumentum, viderunt juvenem sedentem ad dextram, amictum stolâ candidâ; & expaverunt.

6 Ipse verò dixit eis, Ne expavescite: Jesum illum quæritis Nazarenum, qui fuit crucifixus: resurrexit, non est hîc: ecce locus ubi posuerant eum.

7 Sed abite, dicite discipulis ejus & Petro, *ipsum* præire vobis in Galilæam: illic eum videbitis, prout dixit vobis.

8 Tunc abeuntes citò, fugerunt à monumento. tenebat enim eas tremor & stupor. neque cuiquam quicquam dicebant: timebant enim.

9 Quum autem resurrexisset Jesus, mane, primo *die* hebdomadis: apparuit primùm Mariæ Magdalenæ, ex qua ejecerat septem dæmonia.

10 Illa profecta, annuntiavit iis qui cum ipso fuerant, lugentibus ac flentibus.

11 Illi verò quum audissent eum vivere, & conspectum fuisse ab ea, non crediderunt.

12 Postea autem duobus ex ipsis ambulantibus apparuit aliâ formâ, quum rus proficiscerentur.

13 Et illi abierunt, & annuntiaverunt reliquis: *qui* nec illis crediderunt.

14 Postea accumbentibus ipsis, *nempe* illis undecim, exhibuit sese, & exprobravit incredulitatem eorum, & cordis duritiem: quòd iis qui ipsum conspexerant excitatum, non credidissent.

TEstimonia resurrectionis Domini hîc narrantur *sex*: primum angeli apud tres mulieres, usque ad v.9. secundum ipsius Domini apud Mariam Magdalenam, v.9. tertium Mariæ Magdalenæ apud discipulos Domini, v.10. & 11. quartum rursus Domini, apud duos ex discipulis, v.12. quintum duorum illorum discipulorum apud reliquos, v.13. postremum iterum ipsius Domini apud apostolos unà congregatos; v.14. *Testimonium angeli apud mulieres* illustratur, probatur & amplificatur. *Illustratur* à circumstantia temporis quo pronuntiatum fuit, à speciali nominatione mulierum apud quas fuit pronuntiatum, & ab occasione angelo ad id pronuntiandum oblatâ. Tempus, fuit tempus matutinum primo die hebdomadis (qui tertius erat à Domini sepultura) paulò post solis exortum: ut percipitur ex collatione versus primi & secundi cum quatuor sequentibus. Nomina mulierum habentur v.1. Occasio fuit adventus mulierum ad sepulchrum, & pavor ex aspectu angeli. Adventus mulierum describitur ex adjuncta præparatione, videlicet coëmtione aromatum, v.1. ex fine seu proposito, videlicet ut ungerent Jesum, ibid. ex circumstantia temporis, videlicet exacto sabbatho, primo die hebdomadis: quum egressæ essent valde mane, venerunt ad sepulchrum orto jam sole, v.1. & 2. Præterea ex adjuncta solicitudine lapidis à sepulchro devolvendi, v.3. Ex inopinato eventu, videlicet conspectu lapidis jam devoluti, v.4. Ex subsequuto ingressu in monumentum, in principio versus quinti. Et sic describitur mulierum ad sepulchrum adventus. Pavor autem illis ex aspectu angeli obortus, describitur è causa procreante, videlicet splendore cælesti angeli: qui angelus describitur à forma, quòd fuerit juvenis: à gestu, quòd sederit: à situ, quòd sederit ad dextram sepulchri: & denique ab amictu, quòd amictus fuerit stolâ candidâ, v.5. Atque sic testimonium angeli illustratur. Idem verò *probatur* testimonio sensus seu demonstratione oculari. nam ostendit mulieribus locum monumenti vacuum ubi corpus DOMINI fuerat positum, in fine versus sexti. Denique idem testimonium *amplificatur* primùm corollario seu deductione consolationis ad illas mulieres, ne expavescant, hoc est, ut pavorem deponant, in principio versus sexti. Deinde significatione suæ notitiæ de mulierum illarum proposito: quâ nimirum significavit, se non esse hominem, sed angelum à Deo missum ad testandum illis mulieribus de Domini resurrectione, ibidem. Tum appendice mandatorum perferendorum ad discipulos Domini, v.7. Postremò expositione eventus duplicis: nempe quòd mulieres illæ tremore ac stupore correptæ sint: deinde quòd citò abierint, nimirum ad mandata illa Apostolis referenda. quod propositum amplificatur antithesi rei diversæ, quòd nemini quicquam dixerint: hoc est (ut ego quidem exponendum puto) quòd nemini in via sibi occurrenti quicquam eorum dixerint quæ modò viderant & audierant in sepulchro. *Secundum testimonium* illustratur indicatione temporis & ordinis, & descriptione Mariæ ex proprio quodam adjuncto, ut patet in v.9. *Tertium testimonium* illustratur ex causa impulsiva, videlicet mandato Domini, ut percipitur ex collatione cum versu præcedente: deinde periphrasi discipulorum è subjecto recipiente ad se: tum ex proprio quodam adjuncto, ut patet in v.10. postremò ex eventu, videlicet incredulitate discipulorum, v.11. *Quartum testimonium* illustratur à subjecto loco, ubi Dominus apparuit discipulis illis, videlicet in via: deinde ab adjuncto apparentis, videlicet aliâ formâ (hoc est, alio vestitu quam antea apparuerat Mariæ Magdalenæ, cui apparuerat in forma hortulani, Johan. 20.15.) postremò ab adjuncto proposito discipulorum quibus apparebat, videlicet proficiscendi rus, v.12. *Quintum testimonium* (v.13.) illustratur primùm significatione causæ impulsivæ, videlicet cupiditatis exhilarandi fratres lugentes: ut percipitur ex serie narrationis, quòd scilicet Domino conspecto, statim abierint ad reliquos discipulos, ad hoc illis annuntiandum. quod ipsum expressiùs declarat Lucas, qui ait, illos surrexisse eo ipso momento quo Dominus ex eorum conspectu fuerat ablatus, & reversos esse Hierosolymam: Luc. 24. v.33. Deinde illustratur hoc testimonium ab eventu, videlicet incredulitate reliquorum discipulorum. *Sextum testimonium* (quæ fuit tertia Domini apparitio) illustratur (v.14.) à gestu eorum quibus apparuit, quòd videlicet unà sederint seu discubuerint: & amplificatur appendice exprobrationis qua illis Dominus exprobravit incredulitatem.

SECUNDA PARS.

Legatio Apostolorum.

15 Et dixit eis, Profecti in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.

16 Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur.

17 Signa autem eos qui crediderint, hæc subse-

quentur. Per nomen meum dæmonia ejicient: linguis loquentur novis:

18 Serpentes tollent: & si quid letale biberint, nequaquam nocebit eis: ægrotis manus impo nent, & bene habebunt.

Legatio Apostolorum declaratur è subjectis locis in quæ fuit proficiscendum: è subjecto occupante seu objecto annuntiationis legatorum: è subjectis personis, quibus objectum illud fuit annuntiandum: & denique ex eventis. *Loca* significantur his verbis, *Profecti in mundum universum*. *Objectum* istis, *Prædicate evangelium*. *Personæ* illis, *Omni creaturæ*: quo nomine videtur significari omne hominum genus, cujuscunque sit conditionis aut status. *Eventa* prædicuntur tum ordinaria & plurium communia, tum extraordinaria & certorum propria. Ordinaria atque communia indicantur (v.16.) duo inter se contraria; videlicet fides quorundam, & aliorum incredulitas. quæ utraque illustratur è suo effectu, salute scilicet & condemnatione. Cujus illustrationis, id est, tum promissionis, tum comminationis, scopus est, ut in legatione sua constanter fungenda apostoli confirmentur, spe scilicet illorum effectuum: quorum uterque ad gloriam Dei, alter verò etiam ad utilitatem hominum electorum facit. Extraordinaria eventa & certorum (videlicet doctorum evangelii primorum) propria, sunt signa: id est, miracula ad confirmationem evangelii tanquam doctrinæ tunc novæ pertinentia: quorum enumerantur quinque genera, v.17. & 18. ut patet.

TERTIA PARS.

Ascensio Domini & sessio ad dextram Dei.

19 Dominus igitur postquam loquutus fuisset eis: sursum receptus est in cælum, & consedit ad dextram Dei.

20 Illi verò egressi, prædicarunt ubique: Domino unà operante, & sermonem confirmante per signa subsequentia.

Ascensio Domini illustratur ab adjunctis *testibus* seu spectatoribus: videlicet Apostolis: ubi dicitur, *Dominus igitur postquam loquutus fuisset eis*: vers.19. Sessio ad dextram Dei, (id est, regia gubernatio ecclesiæ) declaratur *exemplis duobus*: cooperatione cum Apostolis prædicantibus evangelium, videlicet illuminatione cordium electorum: & confirmatione sermonis illorum per subsequentia signa, id est, editione miraculorum per manus apostolorum ad evangelium confirmandum.

SCHOLIA IN CAP. XVI.

1 Emerant aromata] ἠγόρασαν ἀρώματα. *Scilicet biduo antè, nempe die parasceves finiente: ut testatur Lucas cap.23.v.56. Itaque aoristus hoc loco habet significationem præteriti plusquamperfecti: ac proinde non vertendum*, Emerunt: *quasi scilicet emerint exacto demum sabbatho.* Venientes] ἔρχονται. *Nempe quum primùm liceret & commodè fieri posset. Non licebat autem nisi sabbatho exacto, ut percipitur ex loco Johannis modò citato: nec commodè fieri poterat, nisi exorto sole in primo die civili hebdomadis. Itaque mox sequitur, quòd ad monumentum venerint valde mane, exorto sole.*

2 Itaque] καὶ. *Copulativa pro illativa.* Itaque: *scilicet quia jam biduo antè emerant aromata, ut quum primùm liceret & commodè possent, Jesum ungerent.* Primo die hebdomadis] τῆς μιᾶς σαββάτων. *Pro*, τῇ πρώτῃ (*scilicet* ἡμέρᾳ) τῆς ἑβδομάδος. *Hebraismus geminus. Vide scholia in Matthæum. Cæterùm* τῆς μιᾶς *dicitur per ellipsin Græcam nominis* χρόνου, *pro* τῇ μιᾷ, *quomodo loquuntur Lucas & Johannes. Et Marcus ipse infr. v.9. dicit, Jesum resurrexisse* πρώτῃ σαββάτου. Ad monumentum] ἐπὶ τὸ μνημεῖον. *Ad sepulchrum ubi positum fuerat corpus Jesu, Id quod notat articulus.* Exorto sole] ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου. *Lucas ait eas venisse* ὄρθρου βαθέος, *diluculo profundo: Johannes autem ait, eas venisse mane quum adhuc essent tenebræ. Quæ non videntur convenire cum eo quod hic ait Marcus, venisse illas exorto jam sole. Sed statuendum, Lucam & Johannem loqui de itineris ad sepulchrum suscepti initio, quòd scilicet summo mane sub solis ortum urbe exierint: Marcum verò de itineris illius fine, quòd sole modò exorto ad sepulchrum venerint. Et sanè ipse quoque Marcus initium itineris significat, quum ait eas venisse* λίαν πρωΐ, *valde mane: hoc est, valde mane exivisse.*

ἀπ. λύσ.

3 Dicebantque] καὶ ἔλεγον. *Scil. quum adhuc essent in itinere, nec dum venissent ad sepulchrum.*

4 Pòst] καὶ. *Pro*, μετὰ ταῦτα. *Copulativa pro relativa temporis.* Pòst: *Scilicet quàm inter se solicitè quæsivissent, quomodo lapidem à sepulchro devolverent: ex collatione versus præcedentis.* Quum suspexissent] ἀναβλέψασαι. Als sie ober sich sahen. *Significatur, antea inter colloquendum oculos terram versus dejectos habuisse, aut ad sese mutuò convertisse, ut inter colloquendum fieri solet.* Esse devolutum] ὅτι ἀποκεκύλισται. *Id autem factum erat per angelum. Matth.28.2.* Nam erat magnus valde] ἦν γὰρ μέγας σφόδρα. *Hæc sententia cohæret non cum proximè præcedente, sed cum remotiore quæ habetur v.3. Exponit enim Evangelista causam istius solicitudinis mulierum de lapide devolvendo. Talis inversio ordinis fuit supr. c.12.v.12.*

5 Juvenem] νεανίσκον. *Id est, angelum specie juvenili in corpore assumto, ministerii hujus fungendi causâ. Metaphora. Confer Matth.28.v.2.*

7 Et Petro] καὶ τῷ Πέτρῳ. *Id est, ac inprimis Petro. Ellipsis vocis* μάλιστα. *Nam alioquin esset* ἀδολεσχία: *quum constet, Petrum quoque in discipulorum numero fuisse. Sic generi species per copulativam conjunctionem subjicitur 2.Sam.22.v.1. & Psal.18.v.1.* Quâ die eripuerat eum è manu omnium inimicorum ipsius, & è manu Saulis. *Sic Esa.1.vers.1.* Visio Jesaiæ quam vidit de Jehuda & Jerusalemo. *Item cap.2.v.1. Cæterùm Petro inprimis, ac præ cæteris discipulis, annuntiari debuit resurrectio: quoniam is in majore mœrore erat: quippe qui Dominum negaverat.*

8 Neque cuiquam quicquam dicebant] καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον. *Ad verbum*, Et nemini nihil dicebant. *Græcismus: nam gemina negatio apud Græcos fortiùs negat. Est autem hoc intelligendum per synecd. generis, eamq; duplicem: nempe quòd nemini in via sibi occurrenti dixerint quicquam de iis rebus quæ ipsis evenerant apud sepulchrum. Nam quòd illas res (ut ab angelo jussæ erant) annuntiaverint discipulis, liquet ex verbis Matthæi: qui ait, eas cucurrisse ut annuntiarent discipulis, Matth.28.8.*

9 Primo die hebdomadis] πρώτῃ σαββάτου. *Ad* πρώτῃ *subauditur* ἡμέρᾳ. σάββατον *autem per synecdochen membri usurpatur pro hebdomade: quoniam est ultimus hebdomadis dies quo illa perficitur.*

12 Aliâ formâ] ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ. *Id est, alio habitu seu vestitu. nam quòd formam nativam vultus sui retinuerit, planum est ex verbis Lucæ cap.24.v.16. ubi dicit, oculos duorum illorum discipulorum fuisse retentos, ne ipsum agnoscerent. Quid autem hac retentione oculorum fuit opus, si ipse vultus ejus a nativo ac pristino diversus erat? Itaque dictum hoc est* κατὰ δόξαν.

14 Postea] ὕστερον. *Non puto rectè verti*, Novissimè *aut* Postremò. *nam hanc non fuisse ultimam apparitionem sive ostensionem Domini, manifestum est ex Johanne: qui narrat, Dominum octiduo pòst iterum apparuisse discipulis, præsente Thoma: qui in prima apparitione aberat, cap.20.v.26. & deinceps. Item cap. 20. narrat, quòd postea se iterum eis patefecerit, ad mare Tiberiadis.* Accumbentibus] ἀνακειμένοις. *Scilicet in cœna: ut colligitur ex serie narrationis apud Luc.cap.24. ex collatione v.33. & duorum sequentium cum v.36.* Unde perspicitur, *duos illos discipulos à cœna quam in propinquo vico Emmaus fuerant exorsi, confestim pòst Dominum in fractione panis agnitum rediisse in urbem ad discipulos: quibus dum narrarent quomodo Dominum vidissent, ipse ex improviso medius inter ipsos astitit. Probabile est autem, discipulos eodem tempore cœnam cepisse.* Ipsis, *nempe illis undecim*] αὐτοῖς, τοῖς ἕνδεκα. *Appositio: qualis Matth.3.v.4.* αὐτὸς δὲ, ὁ Ἰωάννης: *ipse verò*, nempe Johannes. Illis undecim] τοῖς ἕνδεκα. *Scilicet discipulis: ut plenè loquitur Matth.28.v.16.* Den Eilffen. *Videlicet undecim Apostolis. pro, Apostolis, in genere & indefinitè. nam Thomas tunc aberat, ut constat ex narratione Johannis, unde relinquitur, congregatos tunc fuisse tantùm decem. Est* παράφρασις *ex adjuncto. nam post interitum Judæ Iscariotæ, Apostoli à numero appellabantur* οἱ ἕνδεκα: *ut præter hunc locum liquet ex Matth.28.v.16. Luc. 24.v.9. & 33.*

15 Et dixit eis] καὶ εἶπεν αὐτοῖς. *Non statim pòst apparitionem proximè narratam: quæ facta fuit in urbe Hierosolyma: sed tum demum quum undecim discipuli profecti essent in Galilæam, in montem ubi Dominus eis constituerat: ut manifestum est ex verbis Matth. cap.28.v.16. & seqq.* Omni creaturæ] πάσῃ τῇ κτίσει. *Id est, omnibus gentibus: ut loquitur Matthæus. Est igitur synecd. generis hyperbolica. Vel, cuivis hominum ordini. Confer 1.Pet.2.v.13.*

16 Qui crediderit] ὁ πιστεύσας. *Scilicet evangelio, seu in Christum.* Et baptizatus fuerit] καὶ βαπτισθείς. *Scilicet si copiam Baptismi habuerit. Secus enim non ita præcisè Baptismum ad salutem esse necessarium: patet ex sententia sequenti, huic opposita, ubi Baptismus omittitur. Si autem Baptismus æquè ac fides ad salutem requireretur: dicendum fuisset in antithesi*, ὁ δὲ ἀπιστήσας ἢ μὴ βαπτισθεὶς, κατακριθήσεται: *id est, Qui vero non crediderit, aut non fuerit baptizatus, condemnabitur. Hinc illud axioma in ecclesia receptum:* Non privatio baptismi, sed contemtus, damnat. Servabitur] σωθήσεται. *Salute scilicet æternâ.* Qui verò non crediderit] ὁ δὲ ἀπιστήσας. *Scilicet etiamsi fuerit baptizatus: ut patet ex dictis.* Condemnabitur] κατακριθήσεται. *Scil. morte æternâ, seu ad cruciatus æternos.*

17 Signa] σημεῖα. *Id est, miracula quibus significabitur divinitus testatumq; reddetur spectantibus omnibus, fidem seu religionem quam ipsi profitentur ac docent, esse veram & à Deo profectam. Synecdoche generis.* Eos qui crediderint] τοῖς πιστεύσασι.

ςάσωσι. *Inprimis doctores evangelii.* Per nomen meum] ἐν τῷ ὀνόματί μου. *Id est, invocato nomine meo. ut Petrus Act.3.v.6. dicebat ad claudum:* In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula. *Vel*, per nomen meum: *id est, per potentiam meam. Hæc enim duo tanquam idem significantia usurpantur Actor.4.v.7. ubi Pontifices Hierosolymitani dicunt Petro & Johanni:* Quâ potentiâ aut quo nomine fecistis hoc: *id est, sanavistis claudum:* ἐν ποίᾳ δυνάμει ἢ ἐν ποίῳ ὀνόματι. Dæmonia ejicient] δαιμόνια ἐκβαλοῦσι. *Exemplum vide Actor.16.v.18. ubi Paulus ejicit spiritum Pythonis è quadam ancillula.* Linguis loquentur novis] γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς. *Exempla vide Actor.2. vers.4. ubi Apostoli accepto Spiritu sancto in die Pentecostes, subitò loqui cœperunt aliis linguis. Et cap.10. v.46. ubi domestici Cornelii centurionis, auditâ concione Petri loquebantur linguis, scilicet novis.*

18 Serpentes tollent] ὄφεις ἀροῦσι. *Scilicet illæsi. Exemplum vide Actor.28.v.5. ubi Paulus in insula Melita viperam quæ ex pyra accensa prorepens, manum ejus invaserat, excussit in ignem, nihil mali passus.* Ægrotis manus imponent, & bene habebunt] ἐπὶ ἀῤῥώστους χεῖρας ἐπιθήσουσι, καὶ καλῶς ἕξουσιν. *Id est, Et mox post illam manuum impositionem ægroti illi convalescent. Exemplum vide Actor.28.v.8. ubi Paulus patri Publii, primarii insulæ Melitæ, febricitanti & dysenteriâ laboranti, manus imposuit, atque ita eum sanavit. Sic Petrus Æneam paralyticum sanavit verbo, Act.9.v.34.*

19 Sursum receptus est] ἀνελήφθη. *Id est,* ἄνω ἐλήφθη. *Nam præpositio* ἀνὰ *hîc non notat iterationem: quum certum sit, Dominum suo corpore antea non fuisse in cœlo, nec inde illo descendisse, ut possit dici iterum illo esse in cœlum receptus.* In cælum] εἰς τὸν οὐρανόν. *Nempe in cœlum illud supremum, quod Paulus nominat tertium, 2.Cor.12.v.2. Etenim in scriptura triplicis cœli mentio fit: supremi illius, quod hîc intelligitur; & medii, in quo moventur stellæ; & infimi, in quo volant aves: quod aliâs nominatur aër. Hinc jam potest intelligi, non repugnare huic narrationi verba Apostoli Heb.4.v.14. ubi dicit,* Habemus Pontificem magnum, qui penetravit cælos, διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς. *Loquitur enim illic de duobus cœlis inferioribus. Nam ad summum cœlum quod attinet, ait idem in eadem epistola, Christum* ingressum esse in ipsum cælum, εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανόν. *Similiter non pugnat quod idem Apostolus scribit Ephes.4.v.10. Christum* ascendisse supra omnes cælos, ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν. *quod intelligendum est de cœlis hisce aspectabilibus ubi moventur stellæ, quorum cœlorum octo ab Astronomis statuuntur.* Consedit] ἐκάθισεν. Hat sich gesetzt. *At,* Sedit: *significat,* Er ist gesessen. *quod huc non quadrat, nec voci Græcæ respondet.*

20 Ubique] πανταχοῦ. *Scilicet ubique locorum quò singuli duce Spiritu sancto pervenerunt: unus huc, alter illuc.* Sermonem] τὸν λόγον. *Scilicet ipsorum, & quidem sermonem de regno Dei seu evangelium. Hoc notat articulus.* Per signa] διὰ σημείων. *Vide suprà in v.17.*

OBSERVAT. EX CAP. XVI.

Ex parte prima, vide Matth.28. à principio usque ad v.11.

Ex parte secunda, vide Matth.28. à v.16. usque ad finem.

1 Item ex vers.17. & 18. Doctrina evangelii non potest jure repudiari: quia signis seu miraculis divinis abundè est confirmata. *Doctrina Evangelii.*

2 Ex parte tertia. Confirmantur duo articuli fidei: videlicet, Ascendit in cælum: &, Consedit ad dextram Dei. *Ascensio Christi. Sessio ejusdẽ ad dextram Dei.*

FINIS.

ANALYSIS LOGICA

EVANGELII SECUNDUM LUCAM:

UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS LOCORUM DOCTRINÆ.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO JOHANNI, COMITI PALATINO RHENI, DUCI BAVARIÆ, COMITI VELDENTIÆ ET SPONHEMII: DOMINO suo clementissimo ac benignissimo:

Gratiam & pacem à Deo patre per dominum nostrum Jesum Christum.

ILLUSTRISSIME *Princeps, Domine clementissime. Hominibus sapientibus & piis illi potissimùm libri chari atque accepti esse solent ac debent, qui non solùm à viris piis & sapientibus scripti, & virorum piorum ac sapientum judicio approbati sunt: sed etiam veræ pietatis & cælestis sapientiæ doctrinam, eamq; sapienter & justo ordine propositam complectuntur. Ista autem omnia in evangelio Lucæ, quod commentario hoc meo illustrare sum conatus, concurrunt. Primùm enim ipse Lucas, libri hujus scriptor, vir pius ac sapiens fuit.* (Lucæ laus.) *Et sapiens quidem non solùm quo ad notitiam rerum naturalium, quippe medicus, Col.4.v.14. sed etiam rerum spiritualium, quippe præco evangelii: ut quem Apostolus Paulus inter suos* συνεργοὺς *seu adjutores numeret, Philem.v.24. Pietas verò illius perspicitur ex eo, quòd charus fuit Apostolo Paulo: quippe cui in duobus bene longis itineribus perpetuus comes fuit, & cui Romæ in vinculis posito ad mortem usque illius fideliter adhæsit. Itinerum illorum primum fuit ex urbe Macedoniæ Philippis Hierosolymam usque: ut percipitur ex verbis ipsius Lucæ Actor.20.v.6. & cap.21.v.15. Secundum verò iter fuit ex urbe Hierosolyma Romam usque; ut narratur Act.27.1.& cap.28.v.16. In quorum itinerum primo liber fuit Paulus, in altero vinctus: unde pietas Lucæ elucescit: qui quem liberum sectatus fuerat, & in prædicando evangelio adjuverat, eundem vinctum non deseruit, sed constanter ei adhæsit fideliterq; ministravit. Quæ quidem constantia & fides etiámnum magis perspicitur ex eo, quòd Romæ cum eodem vincto & supplicii sententiam Christianæ religionis nomine subinde exspectante, per totum biennium mansit* (Actor.ult. v.30.)*: ut partim ex epistola ad Philemonem, partim ex posteriore ad Timotheum colligi potest. Ad Philemonem enim Romà è vinculis scribens Paulus, salutat eum verbis Lucæ, tanquam secum versantis, v.24. Illam autem epistolam scripsisse videtur sub biennii illius initium: quippe quum adhuc spem haberet, se è vinculis liberatum iri: ut percipitur ex ejusdem epistolæ v.22. Posteriorem verò ad Timotheum scripsisse apparet sub biennii illius finem, quum jam certò statuisset, se propediem supplicio affectum iri: ut colligitur ex epistolæ illius cap.4.v.6. At ibidem v.11. fidem atque constantiam Lucæ commendat: ut qui secum manserit solus, quum cæteri* συνεργοὶ *ipsum deseruissent. Neque hîc silentio prætereundum est: insignem illam laudem quam Paulus, 2.Cor.8.v.18.& 19. fratri cuidam tribuit, à veteribus de Luca hoc intellectam esse. Misimus (ait ibi Apostolus) unà cum Tito fratrem illum cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Nec id solùm: sed etiam suffragiis delectus est socius peregrinationis nostræ, cum hac beneficentia quæ administratur à nobis ad ipsius Domini gloriam, & comprobandum promtum animum vestrum. Hæc tibi Apostolus: quæ quidem à persona Lucæ nequaquam aliena sunt. Etsi enim quod dicitur, laudem hujus fratris esse in Evangelio, non videtur intelligendum (ut veteres intellexerunt) de Evangelica historia à Luca scripta: sed potiùs de Evangelii prædicatione: tamen hoc ipsum in Lucam quadrat: quippe quem Pauli* συνεργὸν *fuisse ostendimus. Quòd autem fuerit quoq; socius peregrinationis Pauli, id ex ipsiusmet Lucæ narratione constat, Actor.20.v.6. & deinceps. Atque hæc de ipso libri hujus scriptore dicta sint.* (Evangelii Lucæ authoritas.) *Jam ad judicia aliorum piorum & sapientum virorum de hoc illius scripto quod attinet: illud jam inde ab initio à doctoribus Ecclesiæ Christianæ fuit receptum, & si (quod ad commendationem illius & authoritatem stabiliendam cumprimis facit) ab ipso Apostolo Johanne approbatum & Eccle is commendatum. Is enim (ut Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ lib.3. cap.21. testatur) quum trium Evangelistarum scripta ad cunctos jam, & ad ipsum quoque pervenissent: probavit illa, & testimonium veritatis eis dedit. Veniamus nunc ad res ipsas quas Lucas in hoc libro tractat: videbimus eas illius generis esse; ut meritò nobis hunc librum quàm commendatissimum reddere debeant. Texit enim ille, ut & cæteri Evangelistæ, historiam Evangelicam: id est, narrat ea quæ Dominus noster Jesus Christus salutis nostræ caussâ docuit, fecit & passus est.* (Narrationes Lucæ à cæteris Evangelistis omissæ.) *Et ne quis putet, supervacaneam esse hujus libri lectionem, si quis cæterorum Evangelistarum narrationes jam cognoverit; is sciat, Lucam plurima à cæteris omissa narrare. Cujus generis sunt quæ narrat de* a *conceptione, nativitate & circumcisione Johannis Baptistæ; cujus testimonio Christum populo Dei commendari, atque ita animos illius ad eum excipiendum & amplectendum præparari oportuit. Item quæ narrat de* b *conceptione ipsius Christi per singularem operationem Spiritus sancti.* c *Cantica item illa, spiritu prophetico plena, Elisabetæ matris Johannis Baptistæ, Mariæ virginis matris Domini, Zachariæ sacerdotis patris Johannis Baptistæ. Tum* d *nativitatis Domini descriptio accurata: ubi narratur patefactio illius per Angelum ad pastores Bethleemiticos, nec non Angelorum hymnus. Adhæc de Domini* e *circumcisione: de illius tanquam primogeniti in templo oblatione ac redemtione: ubi canticum Simeonis, quo testimonium publicè Domino reddidit: quod idem Anna quoque prophetissa fecit. Pòst quomodo* f *puer duodecim annorum in festo Paschatis Hierosolymæ cum doctoribus disputarit. Neque illud parvi momenti est, quòd* g *progenitores Christi inde à materno avo ad Adamum usque deducit. Quæ autem Dominus inde à trigesimo ætatis suæ anno per annos quatuor dixit ac fecit: in his quoque multa à cæteris prætermissa Lucas narrat. Cujus generis sunt:* h *concio habita Nazarethæ in synagoga, ex qua concione populares ipsius ita excandescentiâ repleti fuerunt, ut eum extra urbem ejecerint, & de supercilio montis præcipitare conati sint.* i *Captura illa piscium: quum Simon Petrus & socii per totam noctem frustra fatigati, ex jussu Domini rete jacientes, tantam*

a Cap.1. b Ibid. c Ibid. d Cap.2. e Ibid. f Ibid. g Cap.3. h Cap.4. i Cap.5.

piscium

piscium multitudinem concluserunt, ut rete diruptum sit: ut opitulatione sociorum ad extrahendum eguerint: ut denique duas naves ita impleverint, ut illæ mergerentur. k *Sermo item prolixus ad discipulos habitus in loco campestri: qui etsi cum illo quem narrat Matthæus capitibus quinto, sexto, & septimo, multa similia habet: tamen ab eo diversus est: quippe quum ille habitus sit in ipso monte.* l *Historia de muliere peccatrice: quæ quum Dominus accubuisset in domo Pharisæi, allato alabastro unguenti, & stans apud pedes ejus retrò, flens cœpit lachrymis rigare pedes ejus, & eosdem capillis capitis sui extergebat & deosculabatur atque ungebat. Quæ res occasionem Domino præbuit proponendi convivatori suo parabolam de duobus debitoribus: quorum uni grande, alteri exiguum debitum à creditore condonatum fuit.* m *Historia de Samaritanis recusantibus Domino hospitium: unde discipuli zelo inflammati, igne cælitus elicito illos perdere conati fuerunt: sed à Domino cum objurgatione repressi sunt.* n *Legatio discipulorum septuaginta in urbes & loca Judææ, quò ipse venturus erat: quos discipulos iisdem ferè mandatis instruxit, quibus antea instruxerat duodecim Apostolos, ut apparet ex collatione capitis decimi apud Matthæum.* o *Parabola de Samaritano qui inciderat in latrones: quâ quisnam nomine proximi in lege Dei intelligendus veniat, edocemur.* p *Historia de diversis erga Dominum studiis atque officiis duarum sororum, Mariæ & Marthæ: quarum illa ad pedes Domini assidens, sermonem ejus attentè audiebat: ista verò interim circa frequens ministerium distrahebatur, ut Dominum lautè exciperet. Quo nomine à Domino reprehensa: & contrà soror laudata fuit, ut quæ meliorem partem elegisset.* q *Sermo habitus in domo Pharisæi cujusdam in prandio, quo hypocrysin Pharisæorum liberrimè & gravissimè reprehendit. Qui sermo etsi multa communia habet cum eo quem recitat Matthæus cap. 23. tamen ab illo diversus est: quippe quum hic habitus sit, antequam Dominus postremò Hierosolymam proficisceretur: ille autem quum jam postremò Hierosolymam profectus, partim illic, partim in vico Bethania sub tempus passionis suæ degeret. Nec prætereundum* r *est responsum illud Domini: quod dedit iis qui nuntiarunt de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus cum ipsorum sacrificiis miscuerat: de agenda scilicet singulis pœnitentia, ne similiter pereant. Item historia de desanata* s *muliere incurvâ.* t *Responsum item ad quæstionem de multitudine aut paucitate salvandorum: contendendum scilicet singulis, ut intrent per angustam portam. Ad hæc* u *responsum datum cuidam Pharisæo, qui Dominum monuerat de insidiis Herodis; ubi Herodis astutiam vulpis nomine notans, fortiter profitetur: sed insidias illius nil morari: sed constanter brevi illo temporis spatio, quod sibi adhuc superfit, munere docendi & doctrinam suam miraculis confirmandi perfuncturum, donec Hierosolymis propter doctrinam suam ad supplicium rapiatur. Tum historia de sanato quodam* x *hydropico in domo cujusdam è primoribus Pharisæorum, idq́ die sabbathi. Quo tempore reprehendit quoque tum convivas, quum videret eos eligere primos accubitus: tum ipsum convivatorem, quum consideraret illius animum perversum in conviviis invitandis. Quo eodem tempore* y *parabolam quoque proposuit de homine qui fecerat cænam magnam: quam quum sprevissent amici invitati, obvios quosque mendicos ex plateis urbis & compitis viarum ad illam congregavit: quâ parabolâ innuebat Dominus Judæorum rejectionem, & Gentium vocationem in locum illorum. Postea recitantur* z *parabolæ aliquot, ad consolationem peccatorum resipiscentium directæ: de ove scilicet unâ è centum perditâ; & per pastorem studiosè quæsitâ atque inventâ: de perdita item à muliere drachma unâ è decem & iterum inventa: denique de perdito illo & prodigo filio: qui patrimonii sui partem sibi à patre deposcens, peregrè profectus omnia abligurivit: tandem verò ad extremam inopiam redactus, & fame pressus, ad patrem spe gratiæ impetrandæ reversus est, & ab illo cum gaudio receptus. His accedunt* a *parabolæ aliæ duæ: una de dispensatore injusto & callido, quâ piis beneficentia & liberalitas erga egenos commendatur: altera de divite epulone & mendico Lazaro, quâ falsa de divitum impiorum felicitate, & pauperum piorum infelicitate opinio damnatur. A solo etiam Luca narratur* b *historia de decem leprosis à Domino purgatis: quorum unus tantùm, isq́ Samaritanus, pro beneficio accepto gratias illi egit. Tum aliæ recitantur* c *parabolæ duæ: una de judice injusto, vindicante tandem viduam absque fine instantem, quâ assiduitas precandi nobis commendatur: altera de orantibus in templo Pharisæo & publicano, quâ propriæ justitiæ opinio damnatur, & humilis peccatorum confessio collaudatur. Insignis etiam est historia de* d *conversione Zachæi publicani: quo tempore Dominus parabolam proposuit de minis quas homo quidem nobilis peregrè abiens, servis suis dedit ad negotiandum per illas; quâ sedulitatem exercendi dona spiritualia in prædicando verbo Dei, Apostolis & omnibus verbi ministris usque ad finem mundi commendare voluit. In historia quoque passionis aliquid occurrit, quod in cæteris non reperitur: videlicet* e *quomodo Dominus à Pilato ad Herodem missus; & ab illo ludibriis exceptus, ad istum remissus sit. Postremò in iis quæ post Domini resurrectionem acciderunt, narratur insignis* * *apparitio à cæteris prætermissa: quum scilicet Dominus in via apparuit duobus discipulis Emmauntem euntibus: quibus scripturas de Christo passuro & resurrecturo aperuit, tandemq́ ab illis in fractione panis est agnitus. Hæc igitur omnia, & alia quoque nonnulla, quæ hìc brevitatis studio omisimus, à Luca solo, ad historiam Christi pertinentia narrantur: quæ certè ejusmodi sunt, ut ad ædificationem tum fidei tum vitæ nostræ plurimùm conducant. Postremò ad commendationem hujus libri illud quoque facit, quòd Lucas ordinem rerum gestarum accuratè observavit: quod ipsum quoque principio libri non obscurè profitetur. Quæ omnia quum ita sint: neminem pium ac divinarum rerum studiosum fore arbitror, qui non hunc librum in maximo pretio sit habiturus: ac proinde meum quoque hunc laborem quo illustrare illum sum conatus, sit probaturus.*

k Cap. 6. l Cap. 7. m Cap. 9. n Cap. 10. o Ibid. p Ibid. q Cap. 11. r Cap. 13. s Ibid. t Ibid. u Ibid. x Cap. 14. y Ibid. z Cap. 15. a Cap. 16. b Cap. 17. c Cap. 18. d Cap. 19. e Cap. 23. * Cap. 24.

Tuæ autem Celsitudini, illustrissime Princeps, commentarium hunc meum inscribendum duxi: tum quòd illam hoc honore multis nominibus dignam esse judicavi: tum quòd me rem gratam illi facturum mihi persuasi. Merentur hunc honorem eæ quibus Celsitudinem tuam præditam esse apparet, virtutes: sapientia, prudentia & pietas. Sapientiæ enim est, quòd literis tum humanis tum divinis inde à puero fideliter instructus & feliciter imbutus, de talibus scriptis rectè potes judicare. Prudentiæ est, quòd scholam Hornbachianam ab illustrissimo parente tibi relictam, strenuè hactenus conservas: ut qui nôris scholas Christianas tanquam seminaria esse, unde suo tempore doctores & pastores Ecclesiæ prodeunt. Pietatem denique ostendit Celsitudo tua in eo, quòd doctrinam religionis apud subditos suos, quatenus opus esse intellexit, corrigi ex verbo Dei curavit. Itaque dubitari à nemine rectè judicante potest, quin Celsitudo tua tali honore dignissima sit. Cæterùm gratum Celsitudini tuæ fore opusculum hoc meum, duo sunt quæ mihi persuadent: unum, quòd ex fide dignis intellexi, Celsitudinem tuam de aliis quibusdam hujus generis scriptis meis bene sentire: alterum, quòd humanitatem Celsitudinis tuæ & singularem erga me benevolentiam perspicere mihi visus sum nuper ex eo, quòd Celsitudo tua ad literas meas, quibus illam de promovendis suâ liberalitate studiis honesti cujusdam juvenis rogavi, humaniter & cum significatione benevolentiæ respondere dignata est. Quod restat: Deum patrem Domini nostri Jesu Christi oro, ut Celsitudini tuæ vitam diuturnam & felicem gubernationem largiatur, ad nominis sui gloriam & Ecclesiæ ædificationem: Amen. Sigenæ 18. Mart. 1596.

C. T.

Observantissimus

Johannes Piscator.

ARGUMENTUM EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

LUCAS scripturus historiam de Jesu Christo domino ac servatore nostro, narrat primùm ea quæ pertinent ad illius infantiam: deinde ea quæ ad pueritiam atque adolescentiam: postremò quæ ad virilem ætatem. De infantia narrat duo; conceptionem, cap.1.& nativitatem, cap.2.usque ad vers.40. De pueritia atque adolescentia narrat quinque: videlicet incrementa donorum DEI, *specimen muneris prophetici in eo, quòd disputavit cum doctoribus in templo; specimen muneris regii in eo, quòd liberè reprehendit parentes; subjectionem erga parentes, & iterum profectum in donis tum animi tum corporis: à vers.40.capitis 2.usque ad illius capitis finem. De virili ætate narrat administrationem muneris triplicis: Prophetici, Sacerdotalis, & Regii. Ac primùm quomodo administrârit munus Propheticum tum prædicando, tum prædicationem miraculis confirmando, narrat inde à vers.14. capitis quarti usque ad caput 22. exceptis iis quæ pertinent ad munus Regium in capite 19. Sed huic narrationi præmittitur narratio præparationis, quomodo ad munus Propheticum administrandum sit præparatus, cap.3. & 4.usque ad vers.14. Deinde quomodo administrârit munus Sacerdotale, offerendo seipsum pro peccatis populi* DEI, *narrat in historia passionis Domini, duobus capitibus, 22.& 23. Postremò quomodo administrare cœperit munus Regium, videlicet quum vectus pullo asini, comitante & congratulante populo, ingressus est in urbem regiam Hierosolymam, ibidemq; repurgavit templum: item quomodo sese ad plenam muneris regii administrationem præparârit; quum scilicet vi suæ deitatis resurrexit à mortuis, & paucis pòst diebus adscendit in cælum. Ex his duo priora narrat cap.19.à vers.29.usque ad capitis illius finem: duo posteriora cap.24.quod est ultimum.*

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Caput primum sex habet partes. Prima pars, est præfatio Lucæ in hunc librum, usque ad v.5. Secunda narratio de conceptione Johannis Baptistæ, præcursoris ac primi ex hominibus testis publici Domini, usq; ad v.26. Tertia, narratio de conceptione Christi. usq; ad v.39. Quarta, recitatio prophetationis Elisabethæ & Mariæ de ipso, usq; ad v.57. Quinta, narratio de nativitate & circumcisione Johannis Baptistæ, usq; ad v.67. Sexta, recitatio prophetationis Zachariæ tum de Christo, tum de Johanne.

PRIMA PARS.

Præfatio Lucæ.

QUONIAM multi aggressi sunt componere narrationem earum rerum quarum plena fides nobis facta est.

2 Prout tradiderunt nobis qui à principio spectatores ipsi & ministri fuerunt sermonis:

3 Visum est etiam mihi, omnia à principio accuratè persequuto, ordine *de eis* ad te scribere, præstantissime Theophile:

4 Ut agnoscas eorum sermonum veritatem quos auditione accepisti.

In præfatione *duo* agit Lucas: nam partim *causas* susceptæ scriptionis exponit, partim scriptionem hanc suam *commendat.* Causas exponit duas: impulsivam & finalem. *Impulsivam*, exemplum aliorum, ubi videtur notare infidelem aut falsam aut saltem imperfectam illorum relationem, v.1. *Finalem*, ut Theophilus habeat veram & perfectam notitiam historiæ Christi, v.4. Commendat verò hanc scriptionem ab adjunctis tribus: primùm à *veritate*, quam demonstrat testimonio discipulorum Christi, sive Apostolorum, v.1.& 2.deinde à *methodo* sive ordine narrationis, v.3.tum à *perfectione*, ibid. Simul autem v.1.notatur subjectum de quo scribere instituit, ubi ait, *Earum rerum quarum plena fides facta est nobis:* NOBIS scilicet qui sumus doctores evangelii de Jesu Christo. Deinde v.2.idem apertiùs significatur nomine *Sermonis*, si eo intelligatur filius DEI Dominus noster Jesus Christus.

SECUNDA PARS.

Narratio de conceptione Johan. Baptistæ.

5 Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, ex classe Abia: uxor verò ipsius *erat* ex filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabet.

6 Erant autem justi ambo in conspectu DEI, incedentes in omnibus mandatis & constitutionibus Domini inculpatè.

7 Et non erat eis proles, eò quòd esset Elisabet sterilis, & ambo provecti jam essent ætate.

8 Factum est autem quum is sacerdotio fungeretur in ordine classis suæ ante Deum;

9 Secundùm ritum functionis sacerdotalis. sortitus est *munus* suffimenti faciendi, postquam ingressus est in templum Domini.

10 Et tota multitudo populi foris precabatur tempore suffitus.

11 Visus autem est ei angelus Domini, stans ad dextram altaris suffitus.

12 Et Zacharias *eo* viso turbatus est, & pavor incidit in eum.

13 Dixit autem ei angelus, Ne time Zacharia. nam exaudita est deprecatio tua: uxorque tua Elisabet gignet tibi filium; & vocabis nomen ejus Johannem.

14 Et *is* erit tibi gaudio & exultationi, multique super ejus nativitate gaudebunt.

15 Erit enim magnus in conspectu Domini, & vinum siceramque non bibet: & Spiritu sancto implebitur jam inde ab utero matris suæ.

16 Multosque filiorum Israëlis convertet ad Dominum Deum ipsorum.

17 Nam ipse præcedet in conspectu ejus, cum spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum erga filios, & rebelles ad prudentiam justorum; ut paret Domino populum instructum.

18 Tunc dixit Zacharias angelo. Quo *argumento* istud noscam? Ego enim sum senex, & uxor mea provecta est ætate.

19 Et respondens angelus dixit ei, Ego sum Gabriel qui adsto in conspectu Dei: missusque sum ut te alloquar, & hæc tibi læta nuntiem.

20 Et ecce, silebis, nec loqui poteris *ad eum* usque diem quo hæc fiant, eò quòd non credidisti sermonibus meis, qui implebuntur tempore suo.

21 Erat autem populus exspectans Zachariam, & mirabantur quòd is tardaret in templo.

22 *Ille* verò egressus non poterat eis loqui: & cognoverunt, eum visionem vidisse in templo. Nam ipse innuebat eis: permansitque mutus.

23 Et factum est, ut impleti sunt dies ministerii ipsius, abiit domum suam.

24 Post illos autem dies concepit Elisabet uxor ejus: & occultavit se mensibus quinque, dicens,

25 Ita mihi fecit Dominus diebus quibus *me* intuitus est *ut* auferret probrum illud meum inter homines.

Lucas incepturus historiam Christi à prima illius (secundùm humanam quidem naturam) origine, videlicet conceptione in utero matris: præmittit narrationem de conceptione Johannis Baptistæ, eò quòd ille futurus esset Domini præcursor ac primus ex hominibus publicus testis: quæ narratio spectat ad testi-

ad testimonium Johannis commendandum. De conceptione igitur Johannis narrat *primùm*, quomodo illa divinitus sit promissa ipsius parenti Zachariæ, usque ad v.23. *deinde* quomodo sit effecta, usque ad v.26. Præmittitur autem parentum Johannis descriptio, pertinens ad illorum laudem, usque ad vers.8. Quo fit ut tria sint principalia hujus narrationis membra. Primum igitur ad *descriptionem parentum* quod attinet: describitur primò pater, deinde mater, vers.5. tum ambo simul, vers.6. & 7. Pater describitur primùm ab adjuncto tempore quo vixit, deinde ab adjuncta conditione seu statu, seu genere vitæ, idque tum generaliter, tum specialiter: tertiò à nomine proprio: quartò ab adjuncta uxore. Quæ ipsa, videlicet mater Johannis, describitur ab adjuncto genere seu familia, & à nomine. Ambo illi describuntur primum ab adjuncto bono, videlicet justitiâ sincerâ, v.6. deinde ab adjunctis malis, nempe malis molestis: videlicet *ἀτεκνίᾳ* & senectute: ubi nominatim commemoratur sterilitas Elisabetæ. Quæ quidem incommoda narrantur ad insinuandum miraculosam Johannis generationem. Atque hæc de membro narrationis primo.

Secundùm est, quomodo conceptio Johannis divinitus sit *promissa* ipsius parenti Zachariæ. Hujus promissionis narratio constat principalibus membris *sex*. Primum, est conditio atque actio Zachariæ, quum ei promissio fuit facta, videlicet functio sacerdotii, ac nominatim suffitio, vers.8. & 9. Secundum est locus ubi facta fuit, videlicet templum, vers.9. Tertium, sunt testes, saltem quod ad modum promissionis faciendæ; videlicet tota multitudo populi, vers.10. Quartum membrum, est tempus quo facta est promissio illa, videlicet hora suffitus, vers.eodem. Quintum, est forma seu modus agendi, videlicet *visio seu apparitio angeli*, vers.11. & deinceps. Hujus visionis narratio *tribus* constat membris principalibus. Primum, est locus ubi stetit angelus, videlicet ad dextram altaris suffitus, vers.11. Secundum est eventus apparitionis angeli, videlicet pavor in Zacharia, vers.12. Tertium, est sermo angeli ad Zachariam, vers.13. & deinceps. *Sermo ille* continet hortationem, argumentum hortationis, & appendicem mandatorum. Hortatur ut timorem deponat: *Ne time*, inquiens, *Zacharia*. Argumentum hortationis ducit à promissionibus amplissimis, quæ sunt numero sex. Prima: *Uxor tua Elisabet gignet tibi filium*, vers.13. Hæc promissio amplificatur expositione causæ impulsivæ, quæ Deum scilicet movit, ut hoc beneficium in Zachariam conferre vellet Ea significatur his verbis: *Exaudita est petitio tua*, *ἡ δέησίς σου*. Secunda promissio: *Et erit tibi* (nempe ille filius) *gaudio & exsultationi*, v.14. Tertia: *Multiq; super ejus nativitate gaudebunt*, vers.eod. Quarta: *Erit enim magnus in conspectu Domini*. Quinta: *Et spiritu sancto implebitur jam inde ab utero matris suæ*. Sexta: *Multosq; filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum*. Hæc sexta promissio illustratur & confirmatur testimonio prophetæ Malachiæ, saltem obliquè, quatenus verba illius recitantur, idque adhibitâ expositione seu declaratione, vers.17. Mandata promissionibus istis annexa, sunt duo: unum de filii nascituri nomine, vers.13. *Et vocabis nomen ejus Johannem*. ubi latet confirmatio promissionis sextæ: quòd scilicet filius ille futurus sit præco gratiæ (quod nomine isto à gratia, quæ Hebraicè חן hhén nominatur, deducto innuitur) atque ita conversurus sit electos Israëlitas. Alterum mandatum, est de filii nascituri educatione, nempe ut educetur tanquam Naziræus, vers.15. *Et vinum siceramq; non bibet*. Restat membrum sextum, quo continentur *eventa*, quorum alia ex aliis sunt consequuta. Sunt autem numero *sex*. Primum, incredulitas & contradictio Zachariæ, objicientis angelo causas conceptionis corrumpentes, videlicet senectutem tum suam tum uxoris, vers.18. Secundum, denuntiatio castigationis Zachariæ propter istam incredulitatem, quòd scilicet futurus sit mutus. Hanc denuntiationem angelus amplificat primùm à qualitate suæ personæ, quòd videlicet sit legatus Dei, vers.19. Deinde à circumscriptione sive determinatione temporis quo castigatio illa sit duratura, videlicet ad eum usque diem quo promissa impleantur, v.20. Tum indicatione causæ procreantis, videlicet incredulitatis. Postremò asseveratione promissionum dictarum. Tertium eventum fuit exspectatio & admiratio populi, vers.21. Quartum, Loquendi facultas Zachariæ adempta, & inde profectus nutus ad populum, vers.22. Quintum, animadversio populi, quòd vidisset Zacharias visionem in templo, ibid. Sextum, castigationis in Zacharia continuatio, quòd scilicet permansit mutus, ibid. Atque hæc de conceptionis Johan. Baptistæ promissione.

Restat membrum tertium, de *conceptione* ipsa: cujus narratio *tribus* constat membris. Primùm innuitur causa procreans, videlicet concubitus Zachariæ cum uxore Elisabeta, v.23. Deinde conceptio ipsa narratur, v.24. Postremò eventa illius duo in Elisabeta: unum, quòd se occultavit, v.eod. alterum, quòd Deum gratiarum actione celebravit, v.25.

TERTIA PARS.

Narratio de conceptione CHRISTI.

26 Mense autem sexto missus est angelus Gabriel à DEO in urbem Galilææ cui nomen Nazareth,

27 Ad virginem desponsam viro cui nomen erat Joseph, ex domo Davidis: nomen autem virginis *erat* Maria.

28 Ingressus igitur angelus ad eam, dixit, Ave, gratiam nacta: Dominus tecum *est*: benedicta tu inter mulieres.

29 Illa verò quum *eum* vidisset, perturbata est super ejus sermone: & cogitabat qualis & quanta esset salutatio ista.

30 Tunc dixit ei angelus, Ne time Maria: nacta es enim gratiam apud Deum.

31 Et ecce, concipies in utero & paries filium: & vocabis nomen ejus JESUM.

32 Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur: dabitque ei Dominus Deus solium Davidis patris ipsius.

33 Regnabitque super domum Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.

34 Dixit autem Maria ad angelum, Quomodo erit istud, quandoquidem virum non sum cognitura?

35 Et respondens angelus dixit ei, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi inumbrabit te: propterea etiam quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

36 Et ecce, Elisabet cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus ipsi, quæ vocabatur sterilis.

37 Quia apud Deum non erit impossibilis ulla res.

38 Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini *sum*: fiat mihi secundùm verbum tuum. Et abiit ab ea angelus.

Membra narrationis hujus principalia, sunt *duo*: primum de conceptionis Christi promissione divinâ, usque ad sententiam externam vers.38. Alterum de conceptione ipsa, in sententia modo-dicta. De *promissione* divinâ conceptionis Christi narrantur *sex*: *tempus* quo facta est, v.26. *Minister* sive legatus per quem facta est, ibidem. *Locus generalis* seu communis ubi facta est, ibidem. *Mulier* cui facta est, quæ habet rationem *subjecti recipientis ad se*, itemque adjuncti occupati, vers.27. *Locus specialis* seu proprius ubi facta est, nempe in conclavi illius mulieris: id quod significatur verbo *εἰσελθὼν*: id est, *Quum esset ingressus*, in principio vers.28. Postremò *forma seu modus agendi*, nempe sermo legati divini cum illa muliere, angeli scilicet Gabrielis cum virgine Maria: à v.28. usque ad extremam sententiam, v.38. *Sermo* ille angeli *tres* habet partes: quæ singulæ illustrantur ex effectis in virgine Maria. Sunt autem illæ partes: præfatio, v.28. promissio ipsa, v.30.31.32.33. & institutio Mariæ, vers.35.36. & 37. *Præfatio* continet salutationem, & testificationem generalem de gratia Dei erga Mariam, v.28. Effectum illius præfationis in Maria, fuit perturbatio animi & hæsitatio, vers.29. *Promissio* ipsa amplificatur primùm corollario hortationis, vers.30. deinde appendice mandati de nomine filii nascituri, vers.31. tum prophetatione de illius majestate regiâ, vers.32. & 33. Effectum illius promissionis in Maria, fuit verecunda contradictio, orta ex dubitatione nonnullâ & animo discendi: ut patet ex angeli responsione, vers.34. *Institutio* angeli continet informationem de modo conceptionis, vers.35. & demonstrationem possibilitatis, partim ab exemplo Elisabetæ, vers.36. partim à sententia generali de natura Dei, vers.37. Effectum istius institutionis in Maria, fuit professio obedientiæ ex fide profectæ, v.38. Atque hæc de conceptionis promissione. Conceptio ipsa significatur expositione eventus, videlicet discessus angeli à Maria. Is enim discessus fuit argumentum rei, propter quam missus erat, perfectæ. Missus autem erat, ut annuntiandâ promissione Dei fidem in virgine efficeret, cujus vi illa Filium Dei è vestigio in utero conciperet: ut liquet ex dictis.

QUARTA PARS.

Recitatio prophetationis Elisabetæ & Mariæ de Christo.

39 Quum autem surrexisset Maria per eos dies, profecta est in montanam *regionem* cum festinatione in urbem Juda.

40 Et ingressa est domum Zachariæ, & salutavit Elisabetam.

41 Et factum est, ut audivit Elisabeta salutationem Mariæ, subsiliit infans in utero ejus: & repleta est Spiritu sancto Elisabeta.

42 Exclamavitque voce magnâ, & dixit; Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uteri tui.

43 Et unde mihi hoc, ut veniat mater Domini mei ad me?

44 Ecce enim, ut pervênit vox salutationis tuæ ad aures meas, subsiliit infans cum exsultatione in utero meo.

45 Et beata quæ credidit: nam perficientur ea quæ dicta sunt ei à Dominô.

46 Tunc ait Maria; Magnificat anima mea Dominum.

47 Et exsultat spiritus meus super Deo servatore meo:

48 Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. ecce enim, ex hoc *tempore* beatam me prædicabunt omnes ætates.

49 Quia fecit mihi magnífica potens ille, cujus sanctum *est* nomen:

50 Et cujus misericordia in omnes ætates *parata est* timentibus ipsum.

51 Forte facinus fecit brachio suo: dissipavit superbos cogitatione cordis ipsorum.

52 Detraxit potentes è thronis, & exaltavit humiles.

53 Famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes.

54 Opitulatus est Israëli puero suo, ut memor esset misericordiæ:

55 Prout loquutus est patribus nostris, *nimirum* Abrahamo, & semini ejus in æternum.

56 Mansit autem Maria cum illa quasi menses tres: & *postea* revertit domum suam.

In recitanda prophetatione Elisabetæ 1. describit illius occasionem, 2. adjunctum adhærens proximè-antegressum, 3. causam efficientem principalem, 4. adjunctum adhærens cum ipsa prophetatione conjunctum, 5. prophetationem ipsam.

Occasionem huic prophetationi præbuit salutatio Mariæ. Hanc describit 1. à tempore quo facta fuit, videlicet paulò pòst quàm Maria Jesum concepisset: id quod significatur his verbis, *Quum autem surrexisset Maria per eos dies:* si illa verba conferantur cum narratione proxime-præcedente de conceptione Mariæ, nec non cum verbis versiculi 56. 2. à loco ubi facta fuit, videl. domi Zachariæ Hanc autem ipsam quoque describit à loco ubi sita fuit, videlicet *in regione montana, in urbe* Juda. Et insuper narrat, quomodo Maria eò pervenerit, videlicet eò profecta cum festinatione. 3. ab eventis duobus: nempe *quòd subsiliit infans in utero Elisabetæ, & quòd ipsa repleta fuit Spiritu sancto.* Quorum eventuum prior est *adjunctum ipsi prophetationi adhærens,* eamque proximè antegressum: posteriore autem continetur *causa illius efficiens principalis. Adjunctum* verò *adhærens*, cum ipsa prophetatione conjunctum, est contentio vocis: quòd Elisabeta prophetatura *exclamavit voce magnâ.*

Cæterùm *prophetatio ipsa* continet membra principalia *tria:* gratulationem, gratiarum actionem, & confirmationem fidei Mariæ. *Primùm* enim gratulatur Elisabeta Mariæ conceptionem Jesu, confirmans suam gratulationem expositione causæ, atq; hac occasione prophetans de præstantia pueri ex Maria nasciturі, quoad dona Spiritus sancti quibus fuerat replendus. Gratulatio ipsa continetur his verbis, *Benedicta tu inter mulieres.* Æthiologia ad confirmandum gratulationem adhibita, & prophetiam de præstantia pueri nascituri comprehendens continetur istis verbis: *Et benedictus fructus uteri tui.* Atque hoc est primum membrum hujus prophetationis, nempe gratulatio. *Secundum membrum* est gratiarum actio, quâ gratias tum Deo tum Mariæ agit Elisabeta pro ista sui visitatione. Quæ gratiarum actio ipsa quoque confirmata est expositione causæ sive ætiologia, nempe quòd Maria sit mater domini Elisabetæ. quâ ætiologiâ continetur altera pars prophetiæ, quæ est testimonium de præstantia pueri ex Maria nascituri quoad personam, nempe quòd sit dominus piorum in ipsum credentium, ac proinde Christus filius ille Dei. Cæterùm beneficium istud visitationis insuper amplificat Elisabeta ab eventu miraculoso, nempe exsultatione infantis quem in utero gestabat. Cujus miraculi narratione significat, non se tantùm agnoscere grato ac læto animo beneficium istud, verùm etiam infantem in utero suo adhuc conclusum: ut qui & ipse agnoscat ac gaudeat, se à domino suo visitari. Atque hoc est membrum secundum, gratiarum actio. *Tertium membrum* est confirmatio fidei Mariæ, continens prophetiam de certitudine beneficiorum Mariæ per angelum promissorum à Deo, supra versu 31. 32. & 33. ac proinde de præstantia tota pueri ex Maria nascituri, videl. quoad dona Spiritus sancti, quoad personam, & quoad officii regii excellentiam. Nam quoad dona, futurus erat *magnus*, nempe insignis propheta & sacerdos: quoad personam, futurum erat ut vocaretur *Filius Altissimi:* denique quoad officii regii excellentiam, futurum erat ut regnaret *in solio Davidis super domũ Jacob in æternum.* Hactenus de prophetatione Elisabetæ: sequitur de prophetatione Mariæ.

Igitur canticum Mariæ continet gratiarum actionem, quâ gratias Deo agit primùm pro beneficiis jam collatis in se & Elisabetam, usque ad versum 53. deinde pro beneficiis deinceps conferendis in omnes pios. Beneficium collatum in se, primùm innuit verbo generali, quum Deum nominat *servatorem suum*, versu 47. Deinde significat illud verbo *respiciendi*, in principio versus 48. Quo verbo significat miraculosam illam atque honorificentissimam imprægnationem sui per Spiritum sanctum, quâ ipsa facta erat mater Christi; & cujus nomine Elisabeta ipsam benedictam atque beatam prædicaverat. Hoc autem beneficium amplificat primùm antithesi causæ corrumpentis, videlicet suæ humilitatis, id est, humilis & abjectæ suæ conditionis, ut quæ esset paupercula & obscura. hoc significat quum ait, *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Deinde amplificat istud beneficium à testimonio communi omnium piorum qui deinceps erant victuri: ut qui omnes beatam se prædicaturi sint hoc nomine quòd Deus ipsam tanto honore esset dignatus, ut matrem Christi efficeret, reliquâ parte vers. 48. Tertiò beneficium istud amplificat ab adjuncta magnitudine, quum ait: *fecit mihi μεγαλεῖα, magnifica*, v. 49. Quartò beneficium istud amplificat à causis impulsivis antecedentibus in Deo benefactore, videlicet potentiâ, sanctitate & misericordiâ, v. 49. & 50. Quintò indicat istius beneficii causam sine qua non, sive causam procatarcticam, videlicet timorem Dei: quum ait, misericordiam Dei paratam esse *timentibus ipsum.* Ubi simul gratias Deo agit pro beneficio collato in Elisabetam, quòd videlicet ex singulari gratia ipsam hactenus sterilem & jam vetulam, gravidam tamen ex ipsius marito effecisset, & quidem matrem prophetæ eximii, videlicet præcursoris Domini. Postea vers. 51. & 52. prædicationem potentiæ, sanctitatis & misericordiæ Dei repetit, & antithesi illustrat: quòd scilicet Deus in se quidem *forte facinus effecerit brachio suo*, contrà verò *dissipaverit superbos:* item quòd *potentes detraxerit è thronis:* contra verò, *humiles exaltârit.* ubi rursus pro beneficio in Elisabetam collato simul gratias agit. Hactenus de priore cantici parte, videlicet gratiarum actione pro beneficiis collatis in Mariam & Elisabetam: sequitur de parte posteriore, ubi gratias agit pro beneficiis conferendis in omnes pios: videlicet remissione peccatorum, renovatione naturæ, & glorificatione æternâ: quæ beneficia significat primùm verbis metaphoricis sive similitudine saturationis, quum ait, *Famelicos implevit bonis.* Famelicos enim intelligit eos qui esuriunt justitiam, id est, desiderant tum remissionem peccatorum, tum renovationem naturæ, & tandem glorificationem æternam. Et hanc sententiam illustrat antithesi, ubi ait: *Divites ablegavit inanes:* divites intelligens eos qui opinantur se a seipsis esse justos & vitâ æternâ dignos. Deinde beneficia illa significat indicatione causæ antecedentis in Deo benefactore, videl. curæ quam suscepit pro Israele, id est, electis, & misericordiæ quam erga illos exercere constituit in æternum. Atque hanc de misericordia Dei sententiam confirmat testimonio promissionum sanctis patribus factarum.

Postremò narrat Evangelista, quid istam Elisabetæ & Mariæ prophetationem sit consecutum: nempe quòd Maria manserit cum Elisabeta circiter menses tres, id est, ferme usque ad illius partum: ut percipitur ex collatione versiculi 36. ubi angelus affirmat, mensem illum quo concepit Maria, esse ipsi Elisabetæ sextum. Deinde quòd Maria redierit domum.

Quinta pars.

Narratio de nativitate & circumcisione Johannis Baptistæ.

57 Elisabetæ verò impletum est tempus pariendi: & peperit filium.

58 Et audierunt accolæ & cognati ejus, Dominum magnificâ misericordiâ suâ usum esse erga eam: & ei gratulabantur.

59 Et factum est, die octavo venerunt ut circumciderent puerulum: & vocabant eum ex nomine patris ipsius, Zachariam.

60 Sed respondens mater ejus ait, Nequaquam: sed vocabitur Johannes.

61 Et dixerunt ad eam, Nemo est in cognatione tua qui vocetur isto nomine.

62 Innuebant autem patri ejus, quid vellet eum vocari.

63 Isque postulatâ tabellâ scripsit, dicens, Johannes est nomen ejus. Et mirati sunt omnes.

64 Apertum est autem os ejus illico, & lingua ejus: & loquebatur benedicens Deo.

65 Obortus

65 Obortus est igitur timor omnibus accolis eorum: & in tota montana *regione* Judææ divulgata sunt omnia ista.

66 Et omnes qui audierunt, reposuerunt *ea* in corde suo, dicentes, Qualisnam puerulus hîc erit? Manus autem Domini erat cum eo.

Nativitas Johannis Baptistæ describitur primùm *à circumstantia temporis*, quòd scil. natus sit tempore legitimo & consueto, videlicet nono mense à conceptione: id quod significatur his verbis: *Elisabetæ verò impletum est tempus pariendi.* Deinde *ab eventis*: quæ narrantur duo: primum, quòd nativitas illa innotuit accolis & cognatis Elisabetæ: alterum, quòd illi gratulati sint Elisabetæ. Tum *à causa efficiente principali*, videlicet misericordiâ Domini erga Elisabetam. Quæ ipsa amplificatur ab adjuncta magnitudine. Circumcisio ejusdem describitur primùm à circumstantia temporis, quòd facta sit die octavo, scilicet à nativitate. Quòd nimirum tempus erat legitimum, id est, in Lege Dei præscriptum. Deinde ab adjunctis testibus: qui notantur verbo *Venerunt*. Tertiò ab adjunctâ impositione nominis: quam apparet fuisse usitatam. Cæterùm impositio nominis illustratur ab adjuncta controversia. Nam testes voluerunt nominandum Zachariam: mater contrà, Johannem. Testes suam sententiam confirmarunt exemplo patris: & Elisabetæ sententiam refutarunt exemplis cognatorum. Tum ista controversia declaratur ex eventu, videlicet compositione per sententiam patris. Illa autem sententiæ dictio & controversiæ dijudicatio declaratur primùm è causa impulsiva procatarctica; videlicet petitione testium: quæ ipsa petitio declaratur ex modo agendi, videlicet nutu. Deinde ex modo agendi, videlicet scriptione: quæ ipsa declaratur è subjecto recipiente, nempe tabella. Tum ex eventis: quæ narrantur tria: admiratio testium, restituta Zachariæ facultas loquendi, & canticum illius. Porrò miraculosa ista restitutio facultatis loquendi & canticum Zachariæ illustratur ex eventis: quæ narrantur quatuor: timor accolarum, divulgatio in tota illa regione, admiratio eorum quibus miraculum istud innotescebat, & opinio præclara de futura conditione Johannis. Ad extremum narratur uno verbo de vita Johannis pueri: quæ commendatur ab adjuncto adhærente, videl. singulari benedictione Dei: quæ manus Domini nominatur.

SEXTA PARS.

Recitatio prophetationis Zachariæ tum de Christo, tum de Johanne.

67 Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto: prophetavitque, dicens,

68 Benedictus Dominus Deus Israëlis, quòd inviserit & redemerit populum suum:

69 Et erexerit cornu salutis nobis in domo Davidis pueri sui:

70 Prout loquutus est per os sanctorum, qui à sæculo fuerunt, prophetarum suorum:

71 *Fore ut nos* servaret ex inimicis nostris, & è manu omnium qui oderunt nos.

72 Ut uteretur misericordiâ erga patres nostros, ac memor esset federis sui sancti:

73 Jurisjurandi *scilicet* quod juravit Abrahamo patri nostro, *nimirum se* daturum nobis,

74 Ut sine metu, è manu inimicorum nostrorum liberati, serviremus ipsi,

75 Cum sanctitate & justitiâ in ipsius conspectu, cunctos dies vitæ nostræ.

66 Tu verò, puerule, propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, ut pares vias ejus.

77 Ut des, *inquam*, cognitionem salutis populo ejus, per remissionem peccatorum ipsorum:

78 Per viscera misericordiæ Dei nostri, quibus invisit nos Oriens ex alto.

79 Ut illucescat iis qui in tenebris & umbra mortis positi sunt, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

80 Ipse autem puerulus crescebat & corroborabatur Spiritu: fuitq; in desertis ad eum usque diem quo se ostenderet apud Israëlem.

Primùm indicatur *causa efficiens principalis* hujus prophetationis seu cantici prophetici, nempe Spiritus sanctus replens Zachariam: deinde *canticum ipsum* recitatur. Quod duas continet partes: quarum prior est de Christo, posterior de Johanne Baptista. In priore parte gratias agit Deo pro tribus maximis beneficiis; missione Christi, redemtione electorum per ipsum, & sanctificatione: atque ita eâdem operâ prophetat de officio Christi. Missionem significat verbo *Invisendi*. Redemtionem amplificat copiâ verborum idem significantium: ut quòd *erexerit cornu salutis*, quòd *servare velit ex inimicis & è manu osorum*, quòd *liberare velit è manu inimicorum*, atque adeò *à metu*. Sanctificationem illustrat ex effectu, videlicet sincero cultu Dei: quem effectum amplificat ab adjuncta duratione, videlicet per cunctos dies vitæ. In posteriore parte prophetat de officio Johannis, nempe fore prophetam, seu doctorem extra ordinem divinitus excitatum, qui auditores præparet Christo & tradat doctrinam Evangelii de remissione peccatorum & salute percipienda per Christum, ex misericordia Dei erga miseros peccatores. Posteà narratur de educatione Johannis, quæ illustratur partim ab adjunctis bonis tum corporis tum animi, nempe quòd creverit, & corroboratus sit spiritu: partim à subjecto loco, quòd fuerit in desertis, donec prodiret ad docendum.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Componere] ἀνατάξασθαι. *In ordinem redigere; quasi dicas, coordinare.* Earum rerum quarum plena fides nobis facta est] περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. *Ad verbum.* De rebus quæ plenè persuasæ sunt inter nos. Nobis] ἡμῖν. *Id est, mihi & aliis Apostolorum discipulis ac sectatoribus, qui hodie Evangelium docemus.*

2 A principio] ἀπ' ἀρχῆς. *Jam inde ab eo tempore quo Dominus incepit administrationem officii sui prophetici. Sic declaratur Act. 1. v. 1.* Qui à principio spectatores &c.] *Periphrasis Apostolorum à proprio adjuncto, videl. perpetuâ ac familiari cum Domino conversatione.* Sermonis] τοῦ λόγου. *Non satis liquet, sitne hoc exponendum de sermone Evangelii, an verò potiùs de ipso Domino. Priori expositioni confirmandæ facit, quòd præter Johannem nullus scriptor novi Testamenti hoc nomine Filium Dei nominasse videtur. Quòd si hic ipse locus Lucæ objiciatur: excipi potest, non satis id liquere, quum præter hunc locum nullus alius in utroq; illius libro occurrat: sicut in duobus libris Johannis fit, videl. cap. 1. Evangelii, & cap. 1. item 5. epistolæ primæ. Contrà pro expositione posteriore facit ipsa phrasis. nam si intelligas sermonem Evangeli, dura fuerit catachresis, quum Apostoli dicuntur illius esse* αὐτόπται, *spectatores: quum sermo non spectetur, sed audiatur. Deinde nomen quoq;* ὑπηρέται *non solet referri ad rem quæ ministratur, sed ad personam cui ministratur. Si verò* τοῦ λόγου *nomine intelligas Christum: utrumq; illud propriè ac planè dicitur. Veruntamen si cui magis videatur intelligendus sermo Evangelii: erit dicendum, nomen* αὐτόπται *referendum ad miracula, quæ sermoni Domini fuerant annexa: nomen autem* ὑπηρέται *exponendum per nomen* διάκονοι.

3 Omnia à principio accuratè persequuto] παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς. *In hunc sensum verba ista exponit in suo Thesauro Henric. Stephanus: quæ mihi expositio ut simplex ac genuina probatur: ut nimirum* ἄνωθεν παρηκολουθηκὼς τοῖς πράγμασιν, *idem valeat Lucæ, quod Demostheni,* ἐξ ἀρχῆς παρηκολουθηκὼς τοῖς πράγμασι: *& ut* παρηκολουθεῖν τοῖς πράγμασι, *sit persequi & perscrutari res, idq; ita ut earum notitiam (nempe quòd facta seu gesta sint) consequaris. Quò minùs autem verbum* παρακολουθεῖν *hoc loco videatur exponendum* Assequi, *scilicet mente seu intelligentiâ: facit ipsa qualitas rerum, de quibus hîc sermo est: quippe in quibus quoad historiam nihil erat difficile intellectu: de qualibus rebus Latini verbo* Assequi *utuntur.* Theophile] Θεόφιλε. *Hoc Lucæ inter Evangelii scriptores peculiare est, quòd librum suum certo homini inscribit: non autem, ut illi, tanquam ad universam Ecclesiam. Videtur autem ductus ratione hac: quòd cogitaret, se nec Apostolum esse, ut erant Matthæus & Johannes: nec Apostoli alicujus dictata excipere, ut dicitur Marcus excepisse dictata Petri: sed privatâ industriâ librum hunc, sicut & alterum qui acta Apostolorum narrat, componere. Interim hæc quæ scripsit, ab universa Ecclesia propter certissimam veritatem meritò sunt recepta & approbata. Ac nominatim hic liber ab Apostolo Johanne, non minùs quàm Evangelium Matthei & Marci, approbatus fuit: ut testatur Eusebius histor. Eccles. lib. 3. c. 21.*

4 Eorum sermonum quos auditione accepisti] περὶ ὧν κατηχήθης λόγων. *Elegans in Græco loquendi compendium: pro,* περὶ τῶν λόγων ἐκείνων περὶ ὧν κατηχήθης. *Puto autem nomen* λόγων *hîc rectiùs reddi* sermones *quàm phrasi Hebraicâ* res: *quia propriè loquendo non audiuntur res, sed sermones qui habentur de rebus. Verbum autem* κατηχεῖσθαι *eâdem significatione reperitur Actor. 21. v. 21. & 24. ubi presbyteri Hierosolymitani dicunt Paulo de Judæis credentibus apud ipsos:* κατηχήθησαν περὶ σοῦ, *auditione acceperunt de te, quòd doceas defectionem à Mose: item, Et nôrint omnes, nihil esse eorum quæ de te auditione acceperunt,* ὧν κατήχηνται περὶ σοῦ, οὐδέν ἐστιν. *Ad verbum significat* Circumsonari, *id est, sonum seu sermonem circumsonantem perpeti atque audire.* Veritatem] τὴν ἀσφάλειαν. *Ad verb.* Securitatem, *vel potiùs* lapsus vacuitatem. *nam* σφάλλεσθαι *est labi, errare, decipi: unde* σφάλμα *lapsus sive erratum:* ἀσφαλὴς, *tutus à lapsu. Metonymia effecti. nam veritas facit ne labaris aut erres, tutum atque securum à lapsu sive errore te præstat. Et*

sic Galli dicunt asseurér, certò affirmare, q.d. assecurare sive securum reddere.

5 Ex classe] ἐξ ἐφημερίας. Ad verb. Ex vice, Metonymia adjuncti. nam sacerdotes distributi erant in certas classes, quæ certis hebdomadum vicibus sacerdotii munus obibant. Vide 1. Chron. 24.1. & 2. Chron. 23.8. In propria significatione reperitur hæc vox in versione Græca 1. Chron. 9. 23. ubi de certa classe Levitarum dicitur, quòd fuerint constituti ad portas domus Domini, τοῦ φυλάσσειν εἰς ἐφημερίας, pro κατ' ἐφημερίας, ut custodirent sive observarent per vices.

6 In conspectu Dei] ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Sive, coram Deo: id est, sincerè, non hypocriticè. Hebraismus. Sic Genes. 17. v. 2. ait Deus Abrahamo, Ambula coram me, & esto integer. Huic opponitur Justificare se coram hominibus, infrà 16.15. ubi Dominus Pharisæis ait, Vos estis qui justificatis vos ipsos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra. id est, cordium vestrorum insinceritatem atq; hypocrisin. Incedentes &c.] πορευόμενοι. Epexegesis. his verbis declaratur, quod præcessit, Justi coram Deo. Mandatis & constitutionibus] ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι. Priore vocabulo intelliguntur mandata de moribus, sive legis moralis, per synecdochen generis: posteriore verò mandata de cærimoniis sive legis cærimonialis: quæ hîc nominantur δικαιώματα, voce receptâ ex versione Bibliorũ Græca, ubi isto nomine redditur vox Hebraica חֻקִּים hhukkim, id est, statuta. Sonat autem vox Græca, quasi dicas justificamina seu justificamenta: eò quòd qui statuta illa observarent, justi viderentur.

7 Proles] τέκνον. Vox Græca (ut & Latina) utrumq; sexum complectitur: sicut & Germanica kind. Provecti jam ætate] προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν. Sive, Provectæ ætatis. Ad verb. Progressi in diebus suis. Phrasis Hebræa. Sic Gen. 18. 11. Abraham autem & Sara senes erant, progressi in diebus. id est, vergentes ætate: ut recentiores verterunt, seu, provecti ætate.

8 Quum is sacerdotio fungeretur] ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτὸν. Id est, quum sacerdotio fungi deberet. neq; enim priùs sacerdotio fungebatur, quàm certum sacerdotii munus sortitus esset: ut colligitur ex versu sequente. Classis suæ] τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ. Ponitur αὐτοῦ pro reciproco ἑαυτοῦ. Ante Deum] ἔναντι τοῦ Θεοῦ. Id est, in templo ante arcam testimonii, in qua suo modo residebat Deus inter duos Cherubinos. Metonymia adjuncti.

9 Sortitus est munus suffimenti faciendi] ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι. Ad verb. Sortitus est suffire seu suffimentum facere, id est, per sortem nactus est illud munus.

10 Foris] ἔξω. Scil. extra Sanctum, mediam templi partem, in atrio.

11 Visus autem est ei] ὤφθη δὲ αὐτῷ. Id est, ὑπ' αὐτοῦ, ab eo. hoc est, ipse vidit. Græcismus. Sic Act. 2. v. 3. καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι. Et visæ sunt eis (nempe discipulis in domo quadam Hierosolymæ congregatis) linguæ dispertitæ. Id est, ipsi viderunt.

13 Gignet] γεννήσει. Pro, τέξεται, pariet. Catachresis orta ex homonymia vocis Hebraicæ יָלַד jalád, quæ & gignere & parere significat. Sic Matth. 1.16. & 2.4.

14 Et is erit tibi gaudio & exsultationi] καὶ ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις. Ad verb. Et erit (scil. filius ille tibi nasciturus) gaudium tibi & exsultatio. Phrasis Hebræa metonymica: est enim metonymia effecti: Erit tibi gaudium, id est, causa efficiens gaudii, afficiet te gaudio, adferet tibi gaudium. Potest tamen eodem manente sensu etiam aliter exponi, nempe ut verbum ἔσται, non referatur ad nomen filii, quod habetur versu præcedente: sed ponatur per Hebraismum absolutè, ἔσται, Erit, id est, continget, accidet: & referatur ad nomina sequentia χαρὰ καὶ ἀγαλλίασις: ut syntaxis sit, Et gaudium atque exsultatio erit (Id est, eveniet) tibi. scilicet ex filii istius nativitate. Atque in hunc modum exposuit Syrus: quippe qui illud καὶ ἔσται, reddidit verbo generis fœminini, וְתֶהְוֵה veteheveh: quæ vox per syntaxin convenientiæ construitur cum sequente voce חֲדוּתָא hhaduthá, gaudium. Si autem retulisset ad nomen filii, scripsisset וְיֶהְוֵה vejeheveh. Nativitate] γεννήσει. Propriè generatione. Catachresis, ut modò vers. suprà. Sic Matth. 1.18.

15 Magnus] μέγας. Scil. magnus propheta: ut declaratur ab ipso Domino infr. 7.28. Synecdoche generis. Et vinum siceramque non bibet] καὶ οἶνον καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ. Periphrasis Naziræi. Vide Num. 6. v. 3. Talis autem Naziræus, videl. inde ab utero & singulari mandato DEI constitutus, erat olim & Samson sive Simson, ut legitur Judic. 13. Porrò nomine sicera significatur quilibet potus inebrians, præter vinum: estq; nomen acceptum è versione Bibliorum Græca, ubi subinde occurrit σίκερα, sed indeclinabiliter: quod ipsum sumtum est ex Hebræo שֵׁכָר schécher, quo significatur potus inebrians seu vim habens inebriandi, à verbo שָׁכַר schachár, ebrius fuit. Jam inde] ἔτι. Ad verb. Adhuc. Id est, quum adhuc erit in utero matris, quum nondum prodierit ex utero matris atq; adoleverit. Complementum hujus promissionis vide infrà v. 44.

16 Convertet] ἐπιστρέψει. Suâ scil. prædicatione.

17 Nam ipse] καὶ αὐτὸς. Copulativa pro causali: sequitur enim ætiologia. Præcedet in conspectu ejus] προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ. Vel, præcedet ante eum. Cum spiritu] ἐν πνεύματι. Ad verb. In spiritu. Pro, μετὰ πνεύματος. Hebraismus. Id est, habens Spiritum seu instructus Spiritu Eliæ, hoc est, donis Spiritus sancti, qualia fuerunt in Elia. Synecdoche generis, & metonymia efficientis. Spiritu & virtute] πνεύματι καὶ δυνάμει. Id est, Virtute à Spiritu profectâ atq; suppeditatâ: ἓν διὰ δυοῖν. Vel conjunctio copulativa ponitur ἑρμηνευτικῶς sive ἐξηγητικῶς, pro τουτέστι, id est. Res eodem redit. Ut convertat] ἐπιστρέψαι. Pro, τοῦ ἐπιστρέψαι. Scil. ἕνεκα. Ad prudentiam] ἐν φρονήσει. Pro, εἰς φρόνησιν. Heterosis Hebraica. Prudentiam justorum] φρονήσει δικαίων. Id est, quâ præditi atque ornati sunt homines justi seu pii. Ut paret] ἑτοιμάσαι. Pro, τοῦ ἑτοιμάσαι. scilicet ἕνεκα. Instructum] κατεσκευασμένον. Vel, præparatum, id est, προπαρεσκευασμένον: scil. ad officia Deo præstanda.

18 Quo argumento] κατὰ τί. Ad verb. Secundùm quid. Woben. Ego enim] ἐγὼ γάρ. Prolepsis. quasi dicat: Nam quo minùs possim fidem habere verbis tuis, nisi certo argumento illa confirmaveris, causa hæc est, quòd sum senex &c. Provecta ætate] προβεβηκυῖα ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῆς. Ad verb. Progressa in diebus suis: ut suprà v. 7.

19 Qui adsto in conspectu Dei] ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Id est, adstare soleo, cum aliis scilicet, idq; ad capessendum mandata. Periphrasis angeli boni metaphorica, metaphorâ ductâ ab exemplo Principum mundanorum sive terrenorum, in quorum conspectu adstare solent ministri ipsorum, exspectantes mandata quæ expediant. Sic Matth. 18.10. Christus de bonis angelis ait, eos in cælis perpetuò videre faciem Patris sui. Ut te alloquar] λαλῆσαι πρὸς σέ. Pro, τοῦ λαλῆσαι, scil. ἕνεκα.

20 Ad eum usque diem quo] ἄχρι ἧς ἡμέρας. Elegans loquendi compendium. Pro, ἄχρι ἐκείνης ἡμέρας ᾗ sive ἐν ᾗ sive καθ' ἥν. Simile exemplum fuit suprà v. 4. Tempore suo] εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν. Pro, ἐν τῷ καιρῷ αὐτῶν. Heterosis Hebraica. Tempore autem suo, id est, divinitus ipsis implendis destinato atq; decreto.

21 Populus] ὁ λαός. Das volck. nempe populus qui tum erat congregatus in atrio templi, precandi causâ, sup. v. 10. Eò respicit articulus. Exspectans Zachariam] προσδοκῶν τὸν Ζαχαρίαν. Nempe dum egrederetur è Sancto, & egressus recitaret benedictionem solennem ad populum dimittendum, secundum legem quæ exstat Num. 6. sub finem. Quòd is tardaret] ἐν τῷ χρονίζειν αὐτόν. Vel, Quum is tardaret.

22 Non poterat eis loqui] οὐκ ἠδύνατο λαλῆσαι αὐτοῖς. Id est, Non poterat pronuntiare ad illos benedictionem. Synecdoche generis. Et cognoverunt] καὶ ἐπέγνωσαν. Id est, animadverterunt, conjecerunt, nimirum ex illo casu Zachariæ, cui subitò ademta erat facultas loquendi. Visionem] ὀπτασίαν. Vox Græca propriè significat apparitionem, quæ differt ab eo visionis genere quod fit in spiritu seu per ecstasin: sed hîc videtur poni in significatione generali per synecdochen speciei, quia populo non constabat quale visionis genus vidisset Zacharias. ὀπτασία propriè nominatur, quum angeli hominibus apparent formâ humanâ induti, ut oculis cerni possint: qualis fuit hæc ipsa: item illa angelorum qui apparuerunt mulieribus in sepulchro Domini, infrà 24.23. At visio quæ fit per ἔκστασιν seu cum mentis excessu, nominatur ὅραμα, Actor. 10. versu 17. ubi sermo habetur de vase illo linteo variis animalibus repleto ac cælitus demisso, quod viderat Petrus per mentis excessum, ut ibidem declaratur vers. 10. Igitur ὅραμα est, quum hominis vigilantis menti species aliqua à Deo objicitur in quam contemplandam mens tota velut rapitur: adeò ut nihil eorum oculis cernat alióve sensu percipiat quæ extra objecta sunt. Unde & raptus vulgo nominari consuevit ista ἔκστασις: & Germanicè dicitur verzuckt / id est, raptus vel correptus. Confunduntur tamen ista, ut apparet ex hoc loco, licet revera fuerit ὀπτασία, id est, apparitio, quâ angelus Gabriel Zachariæ vigilanti atque videnti, non autem in ἔκστασιν rapto, apparuit. Sicut idem postea apparuit Mariæ virgini, infrà versu 28. Contrà, ὅραμα. pro ὀπτασία reperitur Matth. 17. versu 9. ubi ὅραμα nominatur apparitio illa Domini glorificati unà cum Mose & Elia in monte, quos tres illi discipuli à Domino ad hoc spectaculum peculiariter assumti & oculis suis viderunt, & auribus audiverunt vocem Dei patris, itemq; Mosis & Eliæ loquentium de exitu Domini, infrà 9.31.

24 Concepit] συνέλαβεν. Nempe semen genitale in utero, idq; ex marito: ut innuitur verbo sequente, Uxor ejus. Phrasis elliptica. Occultavit se mensibus quinque] περιέκρυβεν ἑαυτὴν μῆνας πέντε. Obscurum quâ id fecerit ex causa.

25 Intuitus est] ἐπεῖδεν. Sive respexit. Scilicet gratiosè. Synecdoche generis, & metaphora à more hominum: qui opem alicui laturi, benevolè eum aspiciunt. Et sic Latini dicunt, Respicere aliquem, pro Rationem alicujus habere. Sic infrà v. 48. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Ut auferret] ἀφελεῖν. Pro, τοῦ ἀφελεῖν, scil. ἕνεκα. Ellipsis gemina. Probrum illud meum] τὸ ὄνειδός μου. Id est, sterilitatem meam, ex collatione vers. 7. Metonymia effecti. nam sterilitas tum habebatur in populo Dei probrosa: quia nimirum Deus Abrahamo ut singulare beneficium promiserat numerosos posteros. Inter homines] ἐν ἀνθρώποις. Id est, quo laboro seu afficior inter homines. Ellipsis.

26 Mense autem sexto] ἐν δὲ τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ. Scil. posteaquam concepisset Elisabet, ex collatione v. 24.

27 Ex domo] ἐξ οἴκου. Id est, ex familia seu gente seu deniq; prosapia Davidis.

28 Gratiam nacta] κεχαριτωμένη. Quasi dicas, gratiata: ut Germani dicunt, Begnadete. Est autem verbum χαριτόω factum à nomine χάρις, χάριτος, quo significatur gratia seu favor. Et verbum istud declaratur tum verbis sequentibus, Dominus tecum est, id est, tibi adest singulari gratiâ: tum maximè verbis versu 30. ubi ait, εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. Invenisti] id est, nacta es, gratiam apud Deum: contigit tibi singularis gratia atq; beneficium à Deo. Ergo χαριτοῦν, hoc loco est, gratiâ seu favore complectiatq; prosequi. χαριτοῦσθαι verò gratiam seu favorem experiri, gratiâ seu favore donari. Paulus hoc verbo in alia significatione utitur, nempe pro gratum sive gratiosum efficere, angenem machen/ Ephes. 1. v. 6. ubi de spiritualibus Dei benedictionibus loquens, inter alia dicit, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ: Quâ (scil. gratiâ) gratos sive gratiosos effecit nos in illo dilecto. Benedicta tu] εὐλογημένη σύ. Pro, Benedicta es. Hebraismus. Latini dicerent, Fortunata es. sed voce parùm probâ. Sensus est, Singulari beneficio præ cæteris mulieribus à Deo afficieris, ut scil. fias mater Filii Dei, seu Christi.

29 Qualis & quanta] ποταπὸς. Id est, quàm honorifica atque magnifica, ac proinde supra sortem suam posita. Græca autem vox per utramq; illam Latinam exprimi solet. Simile exemplum vide Matth. 8. 27. ποταπός ἐστιν οὗτος; Qualis & quantus est iste, quòd etiam venti & mare obediunt ei? Was ist das für ein mann? Wie ein fürtreflicher man muß diser seyn?

30 Nacta es enim gratiam] εὗρες γὰρ χάριν. Vide quæ notavimus ad v. 28. Ad verb. Invenisti gratiam. Cujus Hebraismi exempla vide Genes. 6. v. 8. Noach invênit gratiam in oculis Jehovæ: & 18. v. 3. ubi Abraham angelos alloquens ait, Domini mei, si nunc invêni gratiam in oculis tuis, ne quæso prætereas à servo tuo. Et 19. 19. ubi Lot angelo ait, Ecce nunc invênit gratiam in oculis tuis servus tuus.

31 Concipies in utero] συλλήψῃ ἐν γαστρί. Scil. semen genitale ex te ipsâ productum. Phrasis elliptica: quâ quidem usitatior est altera magis elliptica, nempe Concipere, συλλαβεῖν: qua usus est suprà v. 24. Et vocabis] καὶ καλέσεις. Id est, Vocato. Hebraismus. Sunt enim hæc verba mandantis, ut percipitur ex collatione v 21. c. 2. & Matth. 1. v. 21. Præcedentia autem verba fuerunt promittentis. Jesum] Ἰησοῦν. Hebraicè יֵשׁוּעַ Jeschúah: id est, salvator: cujus nominis ratio exponitur ab eodem angelo, loco modo citato ex Matthæo.

32 Magnus] μέγας. Nempe magnus propheta (ut suprà v. 15.) potens operibus & sermonibus, ut habetur infrà 24. & 19. Filius Altissimi] υἱὸς ὑψίστου. Id est, Filius Dei. scil. unigenitus. Vocabitur] κληθήσεται. Id est, esse cognoscetur nempe ex factis ipsius. Metonymia effecti. Solium] θρόνον. Scil. regale: id est, Dabit ei regnum. Synecdoche membri: vel metonymia adjuncti signi: simulq; metaphora. Intelligitur enim non regnum terrenum & corporale, quale erat Davidis: sed cæleste & spirituale. Patris] τοῦ πατρὸς. Synecdoche speciei. Intelligitur enim hoc loco pater non is ex quo quis ortus est proximè seu immediatè, sed compluribus intervenientibus intermediis genitoribus. Et sanè proxima generationis respectu, nullus fuit Domino pater: sed vice patris functus est Spiritus sanctus, ut angelus declarabit v. 35.

33 Super domum Jacob] ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακώβ. Id est, super familiam Jacobi seu posteros: hoc est, super populum Dei universum. Synecdoche membri.

34 Erit] ἔσται. Id est, fiet. Quandoquidem virum non sum cognitura] ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω. Ad verbum, Cognosco. Præsens pro paulo-post futuro. Percipitur enim ex his verbis, Mariam verba angeli intellexisse tanquam de re è vestigio futurâ. Alioquin non ignorabat, se desponsam esse Josepho, ac proinde suo tempore cogniturum illum: nisi quid interveniret. Est autè in ista phrasi synecdoche generis Scripturæ usitata; qua modestè consuetudo atq; concubitus viri cum muliere generandi causâ significatur. Sic de Adamo dicitur, quòd cognoverit Hevam.

35 In te] ἐπὶ σέ. Vel, Super te. Et virtus Altissimi] δύναμις ὑψίστου. Id est, Idem ille Spiritus sanctus qui est virtus procedens ex Altissimo, hoc est, Deo patre. Periphrasis. Repetitur enim καὶ ἐπεξήγησιν eadem sententia aliis verbis. Sic infrà 24. 49. Spiritus sanctus nominatur virtus ex alto, δύναμις ἐξ ὕψους. Inumbrabit] ἐπισκιάσει. Vel, obumbrabit. Propterea etiam &c.] διὸ καὶ &c. Conjunctio καὶ, id est, ETIAM, est hic nota paris, & notat parem veritatem consequentis cum antecedente enthymematis. Quasi dicatur: Quàm verum est, te concepturam ex singulari operatione Spiritus sancti, ac proinde virginem: tam etiam verum est, filium illum quem sic conceptura ac paritura es, fore Filium Dei. Si quæris, quæ sit ratio consequentiæ: dico illam esse prophetiam quæ extat Esa. 7. v. 14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabit nomen ejus Immanuel, id est, Nobiscum Deus. Quibus verbis utrumq; prædicitur: scilicet Christum fore & filium virginis & Deum, nempe filium Dei. Unde sic ratiocinatur angelus:

Quæ mulier conceptura ac paritura est filium virgo: ejus filius nominabitur Immanuel, Nobiscum Deus: id est, simul filius hominis & filius Dei: teste Esaia.

Atqui tu es illa mulier quæ conceptura es ac paritura filium virgo: quippe sine cognitione viri, seu non cognoscendo virum, per singularem operationem Spiritus sancti.

Tuus igitur filius appellabitur Immanuel, seu filius hominis ac Dei.

Ex dictis judicari potest, non rectè exponi hunc locum ab iis, qui conjunctionem ETIAM referunt ad naturam humanam à Filio Dei personaliter assumtam: quasi angelus innuere voluerit, filium Mariæ vocatum iri Filium Altissimi non solùm propterea quòd è substantia altissimi (id est, Dei Patris) ab æterno sit genitus: sed etiam propterea quòd ejus corpus è substantia Mariæ per singularem operationem Spiritus sancti sit creandum. At angelus talem antithesin aut collationem hîc nullam instituit: sed ad prophetiam Esaiæ respicit, atq; inde argumentum de nomine atque personâ filii nasciturі deducit: ut declaravimus: & ampliùs apparet ex collatione eorum quæ narrat Matthæus c. 1. v. 20. 21. 22. & 23. Quum enim recitasset verba angeli ad Josephum, dicentis: id quod in Maria genitum sit, ex Spiritu sancto esse: & ipsam parituram filium, cujus nomen vocare debeat Jesum: subjungit Evangelista, totum hoc esse factum ut impleretur prophetia illa Esa. 7. Nec verò orthodoxum est dicere: Christum etiam quatenus homo est, seu secundùm naturam humanam, esse filium Dei. Etenim sicut secundùm naturam humanam solam est filius hominis: licet verè dicatur, Deum in carne manifestatum esse filium hominis: ita quoque secundùm naturam divinam solam est filius Dei, licet verè dicatur, hominem hunc qui dicitur Jesus Nazarenus, esse filium Dei. Quare non est hic supplendum pronomen ID ante conjunctionem ETIAM: quia particula hæc pertinet ad totam sententiam sequentem, non autem ad solam illius partem antecedentem. Quod nascetur] τὸ γεννώμενον. Ad verb. Quod nascitur. Enallage temporis. Valet autem hîc rursus τὸ γεννᾶσθαι idem quod τίκτεσθαι, id est, partu edi: ut suprà v. 13. & Matth. 2. 1. At Matth. 1. 20. valet gigni seu generari, ubi dicitur, τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου. Utitur autem genere neutro, intelligens aliquod ὑφιστάμενον. Vocabitur] κληθήσεται. Id est, Esse agnoscetur: ut suprà v. 32. Filius Dei] υἱὸς Θεοῦ. Nempe ex Dei substantia genitus: unde à Johanne nominatur ὁ μονογενὴς υἱὸς, unigenitus ille filius, Joh. 1 18.

36 Cognata tua] ἡ συγγενής σου. Sed quomodo Elisabeta erat cognata Mariæ: quum hæc fuerit ex tribu Juda, ipsa verè ex tribu Levi, quippe ex filiabus Aharonis? supr. v. 5. Hîc duorum alterum dici potest: vel nomen συγγενὴς accipi sensu generali, quâ ratione Paulus omnes Israëlitas συγγενεῖς suos nominat, Rom. 9. v. 3. Vel matrem Elisabetæ ortam fuisse ex tribu Juda, atque adeò ex familia Davidis, ita ut Mariam propiore cognatione attingeret. Concepit] συνειληφυῖα. Subauditur ἐστί. Pro, συνέλαβε. Hebraismus. Ulla res] πᾶν ῥῆμα. Ullum verbum. Hebraismus. Porrò nomen quantitatis universalis similiter usurpatur Rom. 3. 20. & Gal. 2. 16. ubi dicitur πᾶσα σάρξ, ulla caro. Phrasis est Hebræa, πᾶν ῥῆμα οὐκ ἀδυνατήσει, Omne verbum non erit impossibile: pro, οὐδὲν ῥῆμα ἀδυνατήσει, Nullum verbum erit impossibile. Si reddatur: Non erit impossibile omne verbum: sententia corrumpitur: quasi nimirum dicatur, Non omne quidem verbum, sed tamen aliquod impossibile Deo esse.

38 Ecce ancilla Domini sum] ἰδοὺ ἡ δούλη Κυρίου. Scil. εἰμὶ, sum, Ellipsis. Id est, Agnosco me esse ancillam Domini: ac proinde debere ipsius voluntati obsequi quam mihi per te declaravit. Ergo fiat mihi &c. Synecdoche membri in ipso enuntiato. Secundùm verbum tuum] κατὰ τὸ ῥῆμά σου. Quod scil. modò ex Dei mandato ad me pronuntiasti, annuntians mihi conceptionem Christi.

39 In montanam regionem] εἰς τὴν ὀρεινήν. Scilicet χώραν vel γῆν. In urbem Juda] εἰς πόλιν Ἰούδα. Videlicet Hebron: ut docet D. Beza.

41 Repleta est Spiritu sancto] ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου. Id est, virtute prophetandi: ut percipitur ex sequentibus. Metonymia efficientis.

42 Benedicta tu] εὐλογημένη σύ. Pro, Benedicta es. Hebraism. ut suprà v. 28. Et benedictus] καὶ εὐλογημένος. Scil. ἐστί, est. Fructus uteri tui] ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου. Id est, infans quem in utero gestas, & qui inde nasciturus est. Periphrasis.

43 Et unde mihi hoc] καὶ πόθεν μοι τοῦτο. Id est, Quo officio promerui hoc beneficium?

44 Cum exsultatione] ἐν ἀγαλλιάσει. Id est, μετ᾽ ἀγαλλιάσεως. Hebraismus.

45 Perficientur ea quæ sunt dicta ei] ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ. Ad verb. Erit perfectio sive consummatio illis quæ dicta sunt ei. A Domino] παρὰ Κυρίου. Ambiguum est, unde regatur præpositio παρά: an à participio λελαλημένοις, an à verbo ἔσται. Sed utrovis referatur, idem manet sensus: & in altero erit subintelligendum. Nam & à Domino dictum erat Mariæ per angelum, ipsam concepturam & parituram Christum: & illa ipsa à Domino partim jam erant perfecta, partim restabant perficienda.

46 Magnificat] μεγαλύνει. Id est, Magnitudinem ejus prædicat, magnitudinem scilicet bonitatis ac potentiæ: ut percipitur è verbis sequentibus.

47 Spiritus meus] τὸ πνεῦμά μου. Id est, anima mea: ut modò nominavit.

48 Respexit humilitatem ancillæ suæ] ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταT

ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. Id est, ex gratia rationem habuit mei, dignando me tanto honore ut fiam mater Christi, nec spernendo me propter humilem conditionem meam, ut quæ sim paupercula. Porrò nomen ταπεινὸς, id est, humilis, pro vili & abjecto, etiam apud Demosthenem reperitur: eiq; μέγας, id est, magnus, opponitur: ut Philippicâ tertiâ, ὅτι μὲν δὴ μέγας ἐκ μικροῦ καὶ ταπεινοῦ τὸ κατ' ἀρχὰς ὁ Φίλιππος ηὔξηται: id est, Philippum igitur magnum è parvo & humili ab initio excrevisse. Ancillæ suæ] τῆς δούλης αὐτοῦ. Id est, meam. Elegans synecdoche generis, Hebræis familiaris: quum reverentiam suam erga illum, quicum loquuntur, testari volunt. ut in historia Josephi, ubi introducuntur fratres verba ad ipsum facientes, Gen.42. v.10. Servi tui venerunt ad comparandum cibarium. pro, Nos venimus. Sic in eâdem historia aliquoties. Sic 2.Reg.5.25. Gecházi ab Elisæo interrogatus, unde adveniret: respondet, Non ivit servus tuus huc aut illuc, pro, non ivi ego. Sic 2.Reg.14. mulier Thekoënsis pro restitutione Absalomi Davidem alloquens, ait: Ancillæ tuæ duo erant filii: pro, Mihi duo erant filii. Et sic deinceps aliquoties. Ex hoc tempore] ἀπὸ τοῦ νῦν. Scil. χρόνου. Ex eo tempore quod nunc est. Beatam me prædicabunt] μακαριοῦσί με. Ad verb. Beatificabunt me. Hebraismus. Omnes ætates] πᾶσαι αἱ γενεαί. Id est, Omnium futurarum ætatum sive sæculorum electi. Synecdoche generis, & metonymia subjecti.

51 Fortè facinus] κράτος. Ad verb. Fortitudinem, seu, robur. Metonymia efficientis.

52 Humiles] ταπεινούς. Vide v.48.

54 Opitulatus est Israëli] ἀντελάβετο Ἰσραήλ. Ita Syrus, עֲדַר לְיִסְרָאֵל baddár le jisraël: opitulatus est Israëli. Quomodo etiam nomen ἀντιλήψεις 1.Cor.12.v.28. redditur opitulationes, tum à vetere tum à novo interprete: à Syro autem מְעַדְּרָנֵא mebhadrané, id est, opitulatores: μετωνυμικῶς. Et sic vertendum quoque videtur Actor.20.v.35. ubi Paulus presbyteris Ephesinis ait, In omnibus ostendi vobis, oportere sic laborando ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων, opitulari infirmis. Respondet phrasis Germanica, Sich einsen annemen. Item, Einem die hülfliche hand bieten. Verbum autem Suscipiendi quo alii hîc utuntur, non videtur mihi hanc vim habere: sed valet id quod nos dicimus, Einen aufnemen oder annemen. Puero suo] παιδὸς αὐτοῦ. Id est, servo suo. Hebraismus. Nomine autem Israëlis intelligit (per metonymiam efficientis) populum Israëliticum: & quidem non universum, sed electos ex illo. Ad hos enim solos pertinet redemtio. Ut memor esset] μνησθῆναι. Pro, τοῦ μνησθῆναι, scilicet ἕνεκα. Hoc ipsum autem (ex homonymia vocis Hebraicæ לִזְכּוֹר liskór) hîc positum est pro, κατὰ τὸ μνησθῆναι, id est, recordando, seu quatenus recordatus est. Recordari autem misericordiæ, hîc significat, misericordiam promissam ex recordatione promissionis præstare. Metonymia efficientis.

55 Prout loquutus est] καθὼς ἐλάλησε. Id est, promisit: scilicet se præstaturum misericordiam. Synecdoche generis. Nimirum Abrahamo] τῷ Ἀβραάμ. Præcessit, πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, ad patres nostros. Ergo quum hoc nomen illi præcedenti subjiciatur per appositionem, dicendum fuerat, τὸν Ἀβραάμ. Est igitur anomalia in syntaxi. Semini] τῷ σπέρματι, id est, posteritati, nempe spirituali, id est, electis: sive sint ex Judæis, sive ex Gentibus: ut docet Apostolus Rom.4.v.16. & c.9.v.8. Metonymia materiæ, & synecdoche integri. In æternum] εἰς τὸν αἰῶνα. Hæc verba nonnulli retulerunt ad finem versus præcedentis. Sed quum illa trajectio videatur nimis dura, & commodus sensus exsistat, si jungantur cum sententia proximè præcedente: malo sic exponere, ut intelligantur hæc verba regi à verbo in proximè præcedente sententia subintellecto. nempe sic: Prout loquutus est (scilicet se misericordiæ memorem fore, id est, misericordiam præstaturum) Abrahamo & semini ejus, in æternum. Vel, Et semini ejus futuro (id est, duraturo) in æternum.

56 Revertit domum suam] εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς. Quæ scil. erat in urbe Galilææ cui nomen Nazareth, suprà v.26.

57 Peperit] ἐγέννησεν. Pro, ἔτεκεν: ut suprà v.13.

58 Magnificâ misericordiâ suâ usum esse erga eam] ὅτι ἐμεγάλυνε τὸ ἔλεος αὐτοῦ μετ' αὐτῆς. Ad verbum, Magnificasse misericordiam suam cum ea.

64 Apertum est os ejus] ἀνεῴχθη τὸ στόμα αὐτοῦ. Id est, Restitutus est illi usus vocis atque sermonis. Synecdoche generis, & metonymia effecti destinati. Quum enim homines os aperire soleant, nunc ad loquendum, nunc ad cibum capiendum, &c. hîc intelligitur, os apertum esse ad loquendum: & ex apertione oris ipse loquendi actus intelligitur. Sic Gen.21.19. Deus aperuit oculos Hagaræ: id est, effecit ut videret fontem vicinum, quem antea quamvis apertis oculis, non videbat. Sic infrà 24.31. Et lingua ejus] καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ. Scil. fuit aperta: id est, soluta. Metaphora, quâ ἀδυναμία movendi linguam ad loquendum, comparatur vinculis quibus illa fuerit adstricta, ut se movere non posset. Aperiri autem dicitur lingua, pro eo quod est solvi, phrasi Hebraicâ, ut Esa.5.27. Non solvetur zona lumborum ejus. In Hebræo est, Non aperietur. Benedicens Deo] εὐλογῶν τὸν Θεόν. Ad verbum, Benedicens Deum. Phrasis Hebræa. Id est, laudans Deum, seu gratias illi agens: iis nempe verbis quæ recitantur paulò post v 68. & seqq.

65 In tota montana regione] ἐν ὅλῃ τῇ ὀρεινῇ. scil. χώρᾳ vel γῇ: ut suprà versu 39. Omnia ista] πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα. Ad verbum, Omnia verba ista: id est, omnes res istæ. Hebraismus, qualis suprà v.37.

66 Qualisnam erit?] τί ἔσται; Ad verb. Quid erit? Was wird auß jhm werden? q.d. In qualem & quantum virum evadet? cujus gratiâ tanta miracula facta sunt. Manus Domini] χεὶρ Κυρίου. Id est, virtus Domini. Metonymia subjecti & metaphora.

67 Repletus est Spiritu sancto] Id est, virtute seu facultate prophetandi. Metonymia efficientis.

69 Cornu salutis] κέρας σωτηρίας. Id est, salvificum. Genitivus effecti. Id, est, Salvatorem qui instar bovis cornupetæ inimicos populi Dei dejiciat atque prosternat, id est, vincat & aboleat. Metonymia adjuncti metaphorica. Pueri sui] τοῦ παιδὸς αὐτοῦ. Id est, servi sui: ut suprà v.54.

70 A sæculo] ἀπ' αἰῶνος, Id est, inde à mundo condito.

71 Ut uteretur misericordiâ erga patres nostros] ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν. Ad verbum, Ut faceret misericordiam cum patribus nostris.

72 Memor esset] μνησθῆναι. Id est, reipsa declararet se memorem esse. Metonymia efficientis.

73 Jurisjurandi scilicet] ὅρκον. Hoc nomen cum præcedente nomine διαθήκης, id est, fœderis, cohæret per appositionem: quare aut irrepsit ὅρκον pro ὅρκου, accusativus pro genitivo: aut manifesta est anomalia syntaxeos: qualis fuit & suprà v.55. D. Beza ex Theophylacto refert, ὅρκου ὃν ὤμοσε: quæ lectio sic erit resolvenda, ὅρκου ἐκείνου ὃν ὤμοσε.

74 Sine metu] ἀφόβως. Nempe sine metu gehennæ. Synecdoche generis. Inimicorum nostrorum] τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν: Nempe inimicorum spiritualium, putà diaboli & peccati.

75 Cum sanctitate] ἐν ὁσιότητι. Id est, μεθ' ὁσιότητος. Hebraismus.

77 Ut des inquam] τοῦ δοῦναι: Cohæret hoc verbum cum præcedente ἑτοιμάσαι per appositionem. Per remissionem] ἐν ἀφέσει. Id est, δι' ἀφέσεως. Vel, Quæ est in remissione: ut ante ἐν ἀφέσει subaudiatur articulus τῆς, referendus ad nomen σωτηρίας. Etenim salus nostra in remissione peccatorum consistit, ab eáve dependet.

78 Per viscera misericordiæ] διὰ σπλάγχνα ἐλέους. Pro, διὰ σπλάγχνων. Sic Rom.3.25. διὰ τὴν πάρεσιν, per remissionem: pro, διὰ τῆς παρέσεως. Sic Johan.6.57. Ego vivo διὰ τὸν Πατέρα, per Patrem. Oriens ex alto] ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Ad verb. Ortus ex alto: videl. ortus solis aut alterius stellæ (id enim vox Græca propriè significat) hoc est, stella oriens, vel sol oriens. Metonymia adjuncti. Sic autem nominatur hoc loco CHRISTUS περιφραστικῶς per metaphoram, quæ mox declaratur versu sequente. Puto autem respicere Zachariam ad prophetiam vel Bileami Num.24.17. procedet stella ex Jacobo, &c. vel potiùs Malach.4.v.2. Exorietur autem vobis, ô timentes nominis mei, sol justitiæ, &c. Etsi enim nomen צֶמַח Tzémahh, id est, germen in prophetiis de CHRISTO, quæ exstant Jerem.23.5. & Zach.3.8. & 6.12. Græci interpretes reddiderunt ἀνατολὴν: tamen quò minùs eò respexisse Zacharias videatur, facit epexegesis continenter adjecta; ex qua apparet, sermonem hîc esse non de germine, sed de stella aliqua exoriente atque illucescente, & quidem stella lucidissima, qualis est sol. Sequitur enim, Ut illucescat iis qui in tenebris & umbra mortis positi sunt, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Utrumque enim hoc corporis lucidi effectum est: neutrum verò germinis.

79 In tenebris & umbra mortis] ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου. Id est, in tenebris mortiferis, itemque in umbra mortifera. Zeugma, & genitivus effecti. Sic autem metaphoricè nominantur calamitates & mœstitia: sicut contrà nomine lucis intelligi solet felix rerum status & gaudium: ut Esteræ 8.16. Judæis erat lux & lætitia, gaudiumque & gloria.

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex parte prima. Historia hæc Lucæ, fide digna est: quia habet oculatos testes. Huc etiam facit, quòd approbata fuit à Johanne Apostolo, teste Eusebio Hist. Eccles. lib.3 cap.21. *Evangelii Lucæ authoritas.*

2 Ex parte secunda: Miraculosa conceptio Johannis Baptistæ, facit ad commendandum testimonium illius de Christo. Quo testimonio quum nitatur fides nostra: sequitur eam veram ac certam esse. *Fidei Christianæ certitudo.*

3 Ex v.6. Cum hac laude parentum Johannis videntur pugnare quædam Scripturæ dicta: ut illud Davidis: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Item illud Salomonis, Non est homo qui non peccet. Item confessio illa Pauli Rom.7. Bonum quod volo non ago: malum quod odi, hoc ago: Venundatus sum sub peccatum &c. Item illud Johannis, Si dixerimus nos non peccavisse, mentimur &c. Sed non pugnant ista. nam Lucas non affirmat, parentes Johannis absque omni peccato fuisse, aut nunquam ex infirmitate peccavisse: sed tantùm tribuit eis sincerum ac serium studium vivendi secundùm omnia Dei mandata, & vitam talem quam nemo hominum jure culpare posset. *Locorum Scripturæ in speciem pugnantium conciliatio.*

4 Ex v.9. 10. & 11. Quòd sacerdos interim dum populus in templo precabatur, offerebat suffitum aromatum super altare ad hoc destinatum: eo ritu testatum voluit facere Deus, se preces sui populi ex fide profectas exaudire. nam ut suffitus sursum fertur: ita preces fidelium sursum feruntur & nubes penetrant, donec per- *Preces populi Dei.*

nec per-

nec perveniant in conspectum Dei. Per altare autem suffitus, significatus fuit Christus. Confer Act.9.4.

Sanctorum imperfectio.
5 Ex v.12. Quòd etiam sancti (ut hoc loco Zacharias) expavescunt ad conspectum sanctorum angelorum, argumentum est, sanctos dum hîc vivunt, conscios sibi esse peccati. Aliâs enim non expavescerent angelos, tanquam ministros Dei & exsequutores judiciorum illius. Similiter expaverunt mulieres quærentes Dominum in sepulchro: Matth.28.v.5.& 8. Item Cornelius Act.10. v.4. Item Johannes Apoc.1.v.17.

Preces.
6 Ex v.13. Deus preces piorum etiam in corporalibus bonis exaudit, quando id facit ad gloriam ipsius & illorum salutem.

Johannis Baptistæ nomen.
7 Ex eod. v. Johannem nominari voluit Deus Zachariæ filium, quia futurus erat primus præco gratiæ in novo Testamento. Deductum est enim istud nomen à nomine חן hhén, quo gratia significatur.

Spiritus S. operatio in infantibus electis.
8 Ex vers.15. Exemplo Johannis Baptistæ monemur, Spiritum sanctum in infantibus electis operari modo nobis incognito.

Evangelii prædicatio.
9 Ex v.16.& 17. Exemplo ministerii Johannis monemur, Spiritum sanctum per prædicationem Evangelii efficacem esse in cordibus electorum, convertendo illa ad Deum. Quare Evangelium studiosè audiendum est.

Christi deitas.
10 Ex iisdem versib. Continetur hîc illustre testimonium de deitate Christi: quia certum est ex Malachia, Christum esse illum cujus præcursor fuit Johannes Baptista: at ille apertè hîc nominatur Dominus (id est Jehova) Deus filiorum Israëlis.

Sanctorum infirmitas.
11 Ex v.18. In Zacharia proponitur nobis exemplum nostræ infirmitatis, quòd scil. difficulter credamus promissionibus divinis. Talis incredulitas fuit etiam in Sara, quum Deus illi promitteret filium, Gen.18.

Incredulitas.
12 Ex v.20. Exemplo puniti Zachariæ monemur, Deo displicere incredulitatem: ac proinde illam esse fugiendam, Deumque orandum ut augeat nobis fidem.

Promissiones Dei.
13 Ex v.24. Quæcunq; Deus promittit, ea etiam præstat suo tempore. Quare promissionibus divinis credamus.

Officium hominis Christiani.
14 Ex v.25. Exemplo Elisabetæ, gratias Deo agere debemus quoties beneficio aliquo insigni ab eo affecti sumus.

Conceptio Christi.
15 Ex parte tertia. Ex hac narratione habemus confirmationem articuli fidei nostræ, Conceptus est ex Spiritu sancto.

Vindicatio verborum, Ave Maria &c.
16 Ex v.28. *Ave gratiam nacta &c.* Cavendus horum verborum abusus, qui usitatus est in Papatu: ubi his verbis invocant Mariam matrem Domini. Ineptissimè ac perversissimè. Quum his verbis Angelus Mariam non invocarit, sed salutarit: quumque invocatio religiosa soli Deo debeatur.

Christi deitas.
17 Ex vers.32. & 35. Notentur testimonia de deitate Christi: quippe qui nominatur filius Altissimi, & filius Dei. Quum enim sit filius Altissimi, id est, Dei patris, unigenitus: sequitur, ipsum ejusdem esse cum illo naturæ atque essentiæ, ac proinde verum Deum. At hæretici contrarium hinc inferunt: quare hic locus ab illorum corruptela erit vindicandus. Sic autem ratiocinantur:

Vindicatio verborum, Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.

> *Verus Deus est Altissimus ille, extra quem nullus est Deus.*
> *At Christus non est Altissimus ille: quia est filius ejus.*
> *Christus igitur non est verus Deus.*

Respondeo: Si nomen Altissimi in assumtione intelligatur eodem modo quo intelligitur in propositione, videl. ad significandum Jehovam, tum assumtio est falsa: nec probatur ex eo quòd Christus dicitur esse filius Altissimi. nam quum Christus dicitur esse filius Altissimi; tum nomen Altissimi per synecdochen generis intelligitur de solo Patre. At nihilominus Christus una cum Patre est Altissimus ille, id est, Jehova. Si verò nomen Altissimi in assumtione intelligatur de Patre: tum quatuor existunt termini ἐν ἀντιθέτως τοῦ μέσου, nempe ex ὁμωνυμίᾳ vocabuli *Altissimi*: quippe quod in propositione accipitur propriè seu simpliciter, & significat ipsum Jehovam: in assumtione verò accipitur synecdochicè, & significat Deum Patrem.

Beatitudo Christianorum.
18 Ex v.33. Quum regnum Christi sit æternum: sequitur, nos quoque qui in Christum credimus, in æternum regnaturos ac beatos fore, quia regnabimus cum ipso: teste Apostolo, 2.Tim.2. v.12. Hoc facit ad nostram consolationem.

Vindicatio verborum Mariæ.
** Controv. tomo 1. de Monachis lib. 2. c.22.pag. 1589. C.*
19 Ex v.34. *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Hæc verba vindicanda sunt à falsa expositione Bellarmini: qui ex illis asserere conatur votum continentiæ. His verbis (*inquit) „ virgo sanctissima significat, impedimentum se habere, quò minus filium concipere & parere posset: impedimentum autem illud non aliud esse potuit, quàm votum continentiæ jam emissum. Illa enim verba, *Virum non cognosco*, non significant, Jam „ actu non cognosco; sed, Non licet mihi cognoscere. Alioqui „ ineptissima interrogatio fuisset: quum possit statim responderi: „ Etsi nunc virum non cognoscis, tamen paulò pòst cognosces. „ Itaque sicut dicimus in Quadragesima, Ego non vescor carnibus, id est, Non licet mihi hoc tempore carnibus vesci; sic beata „ virgo dixit, Virum non cognosco: id est, Prohibeor virum cognoscere. Cur autem prohiberetur, nulla ratio potest reddi, nisi votum. nam & virum habebat, & juvenis erat: nec est credibile, „ sterilem aut impotentem fuisse: vel certè id ipsa scire nondum „ poterat, quum ad virum nondum pervenisset. Nec denique prohibebatur virum cognoscere lege aliqua communi, ut notum est. Igitur lege particulari, id est, voto. Hactenus Bellarminus: „ Quæ in syllogismos resolvemus, ut fraus magis appareat. Syllogismus principalis hic est:

> *Si Maria quum diceret, Virum non cognosco, significavit se impedimentum habere quò minus filium concipere & parere posset: necesse est ut impedimentum illud fuerit votum continentiæ.*
> *Sed verum est antecedens.*
> *Ergo & consequens.*

Propositionem confirmat multis verbis, ibi, *Nam & virum habebat*, &c. Sed otiosè, more Sophistarum: quum τὸ κελνόμενον sit in assumtione. Ejus autem probatio quam affert, tali concluditur syllogismo:

> *Quum Maria dixit, Virum non cognosco: intellexit aut sic, Jam actu non cognosco: aut sic, Non licet mihi cognoscere, seu Prohibeor cognoscere.*
> *At non intellexit priore modo. Alioqui ineptissima interrogatio fuisset, &c.*
> *Ergo intellexit posteriore modo.*

Respondeo: Hîc probat assumtionem: sed iterum otiosè atque sophisticè, quum illa careat controversiâ. Falsa est autem propositio: cujus probationem ille nullam affert: quia disjunctio illa non est necessaria: quum dari possit tertium: nempe, *Aut intellexit sic, Non sum cognitura.* Etenim interdum præsens tempus ponitur pro futuro, ut Marc.12.26. *De mortuis verò quòd suscitentur*, ὅτι ἐγείρονται: id est, quòd suscitandi sint. Sic in hoc ipso loco vers. seq. *Propterea etiam, quod nascitur ex te sanctum*, &c. τὸ γεννώμενον: pro, quod nascetur. Atq; hoc ipsum fit quoq; in istis verbis Mariæ. Intelligebat enim ex verbis angeli, se filium illum paulò pòst concepturam, absque concubitu viri.

Spiritus sancti deitas.
20 Ex v.35. Ex hoc loco ducitur argumentum ad probandum deitatem Spiritus S. videl. Spiritum S. esse Jehovam seu Deum illum qui creavit cælum & terram. Etenim qua virtute seu potentiâ (δυνάμει) Altissimus ille, id est, Deus pater, creavit corpus Christi: eâdem creavit quoque cælum & terram. At virtus illa seu potentia qua altissimus ille creavit Christo corpus, est ipse Spiritus sanctus: ut planum est ex hoc loco. Ergo per Spiritum sanctum creavit quoq; cælum & terram: & per consequens Spiritus sanctus est unus ex illis Elohím, de quibus ait Moses, *In principio creavit Elohim cælum & terram*, Gen.1.v.1.

Omnipotentia Dei: item bonitas.
21 Ex v.36. Exemplo Elisabetæ, quæ quum ad senectutem usq; sterilis fuisset, concepit filium: monemur de omnipotentia Dei, simulque de bonitate ipsius erga illos qui ipsum sanctè colunt. Simile exemplum proponitur nobis in Sara uxore Abrahæ. Ergo ne dubitemus, Deum posse nobis dare omnis generis bona: atque etiam daturum, quatenus id faciet ad gloriam ipsius & salutem nostram æternam.

Vindicatio verborum, Apud Deū non erit impossibilis ulla res.
22 Ex vers.37. Cavendum ne hac sententiâ de omnipotentia Dei abutamur ad stabiliendum falsa dogmata. qualia sunt, Corpus Christi substantialiter simul esse in cælo & in pane S.Cœnæ: item penetravisse lapidem sepulchri, & fores conclavis in quo congregati erant discipuli. Quæ dogmata quum implicent contradictionem, ne Deus quidem efficere illa potest: quippe qui non potest mentiri. Itaque abutuntur nomine Dei qui ex Dei omnipotentia defendere ista dogmata conantur.

Fidei vis.
23 Ex v.38. collato cum v.31. & 42. Fide adipiscimur res naturæ impossibiles. Etenim Maria virgo fide adepta est, ut conciperet virgo, & quidem Filium Dei: quatenus is ex ipsa carnem & sanguinem assumsit. Confer exemplum Abrahæ & Saræ procreantium Isaacum. Oremus igitur Deum ut augeat nobis fidem.

Vindicatio verborum Mariæ, Fiat mihi secundùm verbum tuum.
24 Ex eod. v. Hoc loco abusi sunt doctores Scholastici ad stabiliendum transsubstantiationem panis Eucharistici in corpus Christi: dicentes, Sicut Maria Christum concepit vi quinque istorum verborum, FIAT, MIHI, SECUNDÙM, VERBUM, TUUM: ita sacerdotem ex pane Eucharistico creare corpus Christi vi quinque istorum verborum, super panem demurmuratorum: HOC, EST, ENIM, CORPUS, MEUM. Sed primò falsum est, Mariam pronuntiasse quinque illa verba: quum constet non loquutam Latinè, sed Syriacè: in Syriaco autem sermone pronuntiatum istud constat verbis quatuor. Deinde falsum quoque est, Mariam vi istorum verborum pronuntiatorum concepisse Dominum: concepit enim vi fidei quam habuit promissioni Dei per angelum annuntiatæ: unde Elisabeta ei dicebat: *Beata quæ credidit: nam perficientur ea quæ dicta sunt ei à Domino*, infrà v.45. Adhæc etiamsi Maria vi istorum verborum Dominum concepisset: inde tamen non posset concludi, sacerdotum Papisticum vi aliorum quinque verborum, ex pane creare Domini corpus.

Persona & officium Christi.
25 Ex v.41. & seqq. Notandum hîc est testimonium Spiritus sancti de persona & officio Christi. Etenim Elisabeta ex afflatu Spiritus sancti pronuntiat, Christum esse fructum uteri Mariæ, & Mariam esse matrem domini sui. Unde colligitur, Christum esse verum hominem, ortum è substantia matris: sicut fructus nascitur è substantia arboris: & esse plus quàm hominem (videlicet Deum) ut qui sit dominus Elisabetæ, atque adeò omnium piorum. Quo ipso significatur quoque officium ejus, & maximè regium: quòd scil. electos sibi sit acquisiturus & vindicaturus in libertatem filiorum DEI: idq; tribus modis: sua morte, ut sacer-

dos: sua doctrina, ut propheta: & suo spiritu atque potentia divina, ut rex. Et rectè à veteribus orthodoxis contra Nestorium ex isto loco Maria dicta fuit Θεοτόκος, id est, Deipara; quia etsi non peperit deitatem, tamen peperit Deum: quia peperit filium Dei secundùm carnem ab illo ex ipsa assumtam. Et hinc erroris convincuntur Anabaptistæ, qui dicunt, corpus Christi non esse è substantia Mariæ ortum, sed è cælo allatum, per ipsam tanquam per canalem transiisse.

Promissiones Dei. 26 Ex v.45. Deus credentibus præstat quicquid eis promisit. Usus hujus doctrinæ est consolatio ex promissione remissionis peccatorum & vitæ æternæ propter Christum.

Officium hominis Christiani. 27 Ex vers.46. & seqq. Deus propter beneficia in nos collata, exemplo Mariæ, meritis laudibus celebrandus est. Sed laudes illas is demum rectè Deo canet, qui ad hoc impelletur à Spiritu sancto.

Adeptionis justitiæ & vitæ æternæ causa sine quibus non. 28 Ex v.53. Ad bona cælestia percipienda ii demum idonei sunt qui sunt famelici: id est, qui inopiam atque egestatem suam spiritualem agnoscentes, se scilicet destitui verâ justitiâ qua placeant Deo, justitiam illam desiderant & à Deo petunt. Contrà qui sibi videntur divites, ebrii scil. ac turgidi propriæ justitiæ opinione, veram justitiam & inde manantem vitam æternam nunquam adipiscuntur. Huc pertinet illud pronuntiatum Dominicum Matth.5.v.6. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Item dulcissima illa promissio Matth.11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego refocillabo vos.*

Promissiones Dei. 29 Ex v.54. & 55. Ex eo quòd Maria Deum celebrat, quòd promissiones Patribus factas jam tum cœperit implere per conceptionem Christi in utero ipsius: monemur, Deum in promissionibus suis veracem esse. Hinc pii percipiunt consolationem contra omne genus tentationis. nam contra tentationes spirituales consolationem habent, ex promissionibus remissionis peccatorum factis cuivis resipiscenti & in Christum credenti: contra corporales verò, ex promissionibus protectionis Dei, vel corporalis, si id faciat ad gloriam illius & salutem æternam ipsorum; vel certè spiritualis, id est, doni perseverantiæ in fide, ut fide vincentes persequutionem reportent præmium vitæ æternæ.

30 Ex vers.57. & seqq. Rursus hîc proponitur exemplum veritatis Dei in præstandis promissis: quòd scilicet Elisabeta Zachariæ peperit filium, quodque eo nomine amici ei gratulati sunt: secundùm promissionem illi factam per angelum, suprà v.13.14.&15.

Officium hominis Christiani. 31 Ex v.58. Exemplo amicorum Elisabetæ debemus gaudere rebus secundis proximorum, maximè verò piorum. Idem præcipit Paulus Rom.12. ubi ait, *Gaudete cum gaudentibus.*

Pietatis exemplum. 32 Ex v.59. In Zacharia proponitur nobis exemplum pietatis: quòd scil. filium suum circumcidi curavit die octavo, sicut Deus præceperat.

Nominum impositio. 33 Ex eod.v. Sicut in vetere Testamento nomen imponebant in circumcisione, ad testandum, illum qui circumcidebatur, addici Deo ut domino: item rectè fit in novo Testamento, in baptismo, qui circumcisioni successit.

Obedientiæ erga Deum exemplum. 34 Ex v.60. & 63. Proponitur hîc nobis exemplum obedientiæ erga mandata Dei, in parentibus Johannis. Imponunt enim illi istud nomen de quo acceperat Zacharias mandatum Dei per angelum, suprà v.13.

Veracitas Dei. 35 Ex v.64. Proponitur hîc nobis exemplum veritatis Dei in præstandis comminationibus, ac promissionibus. Dixerat enim Zachariæ per angelum suprà v.20. fore ut non posset loqui ad eum usque diem quo impleta fuerit promissio de nasciturо ipsi filio ex Elisabeta.

Officium hominis Christiani. 36 Ex eod.v. Exemplo Zachariæ celebrare debemus Deum, quum nos insigni aliquo beneficio affecit.

Miracula. 37 Ex v.65. & 66. Deus pro sua sapientia corda piorum per miracula, quoties opus est, præparat ad audiendum verbum ipsius ex ore servorum suorum.

Officium hominis Christiani. 38 Ex vers.67. & seqq. Exemplo Zachariæ, tota Ecclesia & omnes ac singuli fideles, gratias debent agere Deo pro missione Filii & redemtione per illum factâ. Considerandum est autem, *A quibus inimicis nos liberaverit Christus.* quinam sint inimici illi à quibus nos liberavit Christus, & ampliùs liberaturus est. Sunt autem illorum alii spirituales, videlicet diabolus, peccatum & mors æterna: alii corporales, videlicet homines impii, qui pios religionis nomine oderunt & persequuntur. Diabolus est inimicus noster: quia statim ab initio primos *Genes.3.* nostros parentes, & nos in illis, decepit & ad peccandum induxit & à Deo nos avertit; & adhuc perpetuò nobis insidiatur, circumiens velut leo rugiens, quærens quem devoret: item exci- *1.Pet.5.v.8.* tat contra nos potentiam tyrannorum ut nos propter fidem Christianam ad necem usque persequantur: denique accusat nos *Apoc.12.10.* apud Deum die ac nocte. Deinde peccatum est noster inimicus: quia facit nos reos iræ Dei & æternæ damnationis: & facit ut subinde rebelles mus Deo. Tertiò, mors æterna est noster inimicus: quia nos æternis cruciatibus in gehenna torquere desiderat. Denique mundus est noster inimicus, quia nos propter fidem Christianam odit & hostiliter persequitur. Hosce inimicos Christus pro nobis partim jam devicit, partim adhuc vincit quotidie, partim denique suo tempore plenè victurus est. Devicit diabolum, peccatum & mortem æternam, suo merito: quatenus peccata nostra per mortem suam expiavit, atque ita nos à potestate Diaboli & morte æternâ liberavit. Vincit adhuc quotidie diabolum, dum eum cohercet ne nos inducat in tentationem: peccatum verò in nobis habitans, dum ipsum infringit ac refrænat per Spiritum S. mundum denique, dum tyrannos vel coërcet à lædendis corporibus nostris, vel constantiam confitendi veritatem cælestem in mediis suppliciis nobis largitur. Victurus est plenè in die judicii, quum diabolum unà cum angelis ejus & impiis hominibus relegabit in gehennam: nos verò ad se recipiet in cælum, ut cum ipso regnemus in æternum.

40 Ex v.77. Salus nostra dependet à remissione peccatorum. *Salutis causa sine qua non.* Sicut hoc loco ait Zacharias: *Ut des cognitionem salutis populo ejus, per remissionem peccatorum ipsorum.* Et sanè sicut propter peccatum rei eramus damnationis æternæ: sic per remissionem peccatorum consequimur salutem æternam. Hinc est, quòd Paulus justificationem (quam constituit in remissione peccatorum) nominat *justificationem vitæ*, Rom.5.v.18. Et Gal.4.v.5. ait, *Christum redemisse nos* (videl. impetrando nobis remissionem peccatorum suâ morte) *ut adoptionem acciperemus. Si autem sumus filii, sumus etiam hæredes*, Rom.8.17.

41 Ex vers.78. Tota nostra salus misericordiæ Dei princi- *Salutis causa principalis.* paliter accepta ferenda est. Non igitur nostris vel aliorum hominum meritis. *Principaliter* illud addo, ne videatur excludi meritum Christi.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Quatuor in hoc capite de Christo narrantur: primùm nativitas ejus, usq; ad v.21: deinde circumcisio, v.21. tum præsentatio in templo, usque ad v.41. postremò specimen & quasi tirocinium muneris prophetici, nec non specimen muneris regii, usq; ad finem.

PRIMA PARS.

Nativitas Christi.

Factum est autem diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur totus orbis.

2 Hæc descriptio prima, facta est præsidente Syriæ Cyrenio.

3 Ibant igitur omnes ut describerentur, in suam quisque urbem.

4 Ascendit autem etiam Joseph à Galilæa, ex urbe Nazareth, in Judæam, in urbem Davidis quæ vocatur Bethlehem, propterea quòd esset ex domo & familia Davidis:

5 Ut describeretur cum Maria desponsa sibi uxore, quæ erat prægnans.

6 Factum est autem, quum essent illic, completi sunt dies quibus ipsa pareret.

7 Peperit igitur filium suum primogenitum, & fasciis eum involvit, reclinavitque eum in præsepi: eò quòd non erat eis locus in diversorio.

8 Erant autem pastores in eâdem regione excubantes, & agentes vigilias noctis super gregem suam.

9 Et ecce, angelus Domini supervênit ipsis, & gloria Domini circumfulsit eos: & timuerunt timore magno.

10 Tunc dixit eis angelus, Ne timete: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo:

11 *Nempe* natum esse vobis hodie servatorem, qui est Christus Dominus, in urbe Davidis.

12 Hoc autem vobis signum *erit*: invenietis infantem fasciis involutum, jacentem in præsepi.

13 Et repentè adfuit cum angelo multitudo exercitus cælestis, laudantium Deum & dicentium;

14 Gloria in *locis* altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus beneplaciti.

15 Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cælum, tunc pastores illi dixerunt alii ad alios, Eamus sanè Bethlehemum usque, & videamus rem hanc quæ facta est: quam Dominus notam fecit nobis.

16 Venerunt igitur festinantes, & invenerunt Mariam & Josephum, & infantem jacentem in præsepi.

17 *Eo* autem viso divulgaverunt id quod dictum fuerat ipsis de puerulo hoc.

18 Et omnes qui audierunt, mirati sunt ea quæ ipsis dicta fuerant à pastoribus.

19 Maria verò ista omnia conservabat, conferens *ea* in corde suo.

20 Reversi sunt autem pastores, glorificantes & laudantes Deum super omnibus quæ audierant & viderant, prout ipsis dictum fuerat.

PRimùm describitur nativitas ipsa, usque ad vers. 8. deinde patefactio ejus, parte reliquâ. *Nativitas ipsa describitur* principaliter à subjecto loco seu à circumstantia loci, quòd scilicet natus sit in urbe Judææ, nomine Bethlehem, vers. 4. 6. & 7. deinde ab adjuncto adhærente, videlicet miserabili & contemtâ curatione recens-nati, quòd scilicet mater eum in præsepi reclinare coacta sit, vers. 7. Cæterùm narratio loci illustratur narratione occasionis quâ mater Domini eò venit, quum ibi non habitaret: nempe quòd eò venerit unà cum Josepho (cui erat desponsa) impulsa edicto Cæsaris Augusti de describendis subditis, id est, censendis illorum facultatibus. hujus enim rei causâ Josephum oportuit proficisci Bethlehemum urbem Davidis, propterea quòd ex illius familia esset. Atque sic simul narratur circumstantia temporis: quòd scilicet natus sit Dominus imperante Augusto, præsidente Syriæ Cyrenio, v. 1. & 2.

Atque hæc de nativitate ipsa. *Patefactio illius describitur* è subjectis occupantibus sive objectis, id est, personis quibus patefactio illa contigit, & ex causis efficientibus, id est, personis quæ illam perfecerunt. Personæ quibus recens facta nativitas Domini patefacta fuit, fuerunt pastores Bethlehemitici, tum postea alii in quos illi inciderunt. Personæ qui nativitatem Domini recens factam pastoribus patefecerunt, fuerunt angeli: ac primò angelus unus, deinde complures. Personæ qui aliis eandem patefecerunt, fuerunt ipsi pastores. Cæterùm patefactio ab angelo uno facta pastoribus describitur primùm à circumstantia loci & temporis, quòd facta sit in agro apud gregem, idque noctu, v. 8. Deinde à præparatione illorum quâ ad attentè audiendum angeli nuntium fuerunt præparati: nempe partim per timorem ortum ex aspectu fulgoris angeli, v. 9. partim verò per solatium, quod perceperunt ex amico angeli alloquio, in principio versus decimi. Tum recitatur ipse angeli sermo, quæ fuit patefactionis istius forma. Sermo ille constat duobus membris, nuntio nativitatis Christi, v. 10. & 11. & nuntii illius confirmatione, v. 12. Nuntium partim amplificatur, partim illustratur. Amplificatur ab effectu rei nuntiatæ, videlicet gaudium magnum toti populo Dei ex illa esse oriturum, vers. 10. Illustratur autem idem nuntium à circumstantia temporis & loci: nempe Christum natum esse illo ipso die, idque in urbe Davidis, hoc est, Bethlehemi, v. 11. Confirmatio sumta est ab adjuncto signo, videl. deprehensione infantis fasciis involuti & in præsepi jacentis, vers. 12. Atque hæc de patefactione per angelum unum: Patefactio per angelos complures constat hymno, quo gratias agunt Deo pro nato Christo. Argumentum gratiarum actionis sumtum est à nativitatis tum efficiente tum fine: quòd scilicet natus sit puer ille ex beneplacito Dei erga homines electos, ut eos Deo reconciliet, vers. 13. & 14. Porrò confirmatio ab angelo allata, comprobatur ab eventu, videlicet signi dati conspectu, vers. 15. & 16. Quod jam est tertium testimonium de nativitate Christi, nempe experientia pastorum Bethlehemiticorum sive sensus oculorum. Hoc testimonium describitur à causis impulsivis illius percipiendi, videlicet tum cohortatione mutuâ, vers. 15. tum studio singulari, in principio versus decimisexti. Deinde ab effectu, videlicet divulgatione testimonii angeli, vers. 17. Quo ipso jam significantur personæ aliæ, quibus nativitas Domini patefacta fuit, nempe obvii quivis, saltem amici, in quos pastores illi inciderunt. Atque hoc jam est testimonium quartum, videlicet ipsorum pastorum, quod quidem illustratur ex eventis duobus: videlicet admiratione omnium qui illud audierunt, vers. 18. & attentâ consideratione matris Domini, vers. 19. Postremò testimonia tria priora illustrantur ex effectu in pastoribus, videlicet glorificatione Dei, v. 20.

SECUNDA PARS.

Circumcisio Christi.

21 Et quum advenisset dies octavus, ut circumciderent puerulum; tunc vocatum est nomen ejus Jesus; quod vocatum fuerat ab angelo, priusquam ipse in utero conciperetur.

Circumcisio Christi describitur primùm à *circumstantia temporis*, quòd sit circumcisus die octavo: deinde *ab adjuncto adhærente*, videlicet impositione nominis, quòd tunc vocatum sit nomen ejus Jesus. Cujus nominis impositio amplificatur expositione causæ, videlicet mandati Dei per angelum. Quod ipsum mandatum illustratur indicatione temporis quo fuit pronunciatum, videlicet priusquam Jesus in utero conciperetur: quum scilicet angelus conceptionem ejus paulo-pòst futuram Mariæ virgini annuntiavit.

TERTIA PARS.

Præsentatio Christi in templo.

22 Et quum impleti fuissent dies purgationis Mariæ secundùm Legem Mosis, adduxerunt eum Hierosolymam, ut sisterent eum Domino:

23 (Prout scriptum est in Lege Domini, Omne masculinum adaperiens matricem, sanctum Domino vocator)

24 Et ut darent victimam, secundùm id quod dictum est in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

25 Et ecce, erat homo Hierosolymis, cui nomen Simeon: & homo iste *erat* justus ac religiosus, exspectans consolationem Israëlis: & Spiritus sanctus erat super eum.

26 Fueratque ipsi divinitus promissum à Spiritu sancto, *ipsum* non visurum mortem priusquam vidisset Christum illum Domini.

27 Is igitur venit impulsore Spiritu in templum. Et quum introducerent puerulum Jesum parentes, ut de ipso facerent quod ex Lege consuetum erat:

28 Tunc ipse cepit eum in ulnas suas, & benedixit Deo, ac dixit:

29 Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum, in pace:

30 Quia viderunt oculi mei salutem tuam.

31 Quam parasti ante faciem omnium populorum:

32 Lumen patefaciedum Gentibus, & gloriam populi tui Israëlis.

33 Joseph autem & mater ejus mirabantur super iis quæ dicebantur de eo.

34 Et benedixit eis Simeon, dixitque Mariæ matri ejus; Ecce positus est iste in casum & resurrectionem multorum in Israële; & in signum cui contradicatur:

35 (Quin & tuam ipsius animam trajiciet gladius) ut detegantur ex multis cordibus cogitationes.

36 Erat etiam *quædam* Anna prophetissa, filia Phanuelis, ex tribu Aseris: hæc processerat in multam ætatem, vixeratque cum viro annos septem à virginitate sua.

37 Et hæc vidua *erat* quasi annorum octogintaquatuor: quæ non abscedebat à templo, jejuniis ac deprecationibus serviens *Deo* nocte ac die.

38 Hæc igitur eo ipso momento quum supervenisset, vicissim confitebatur Domino, & loquebatur de eo omnibus qui exspectabant redemtionem Hierosolymis.

39 At *illi* ut perfecerunt omnia secundùm Legem Domini, reversi sunt *proficiscentes* in Galilæam.

40 Puerulus autem crescebat, & corroborabatur spiritu, implebaturque sapientiâ: & Dei gratia erat super eum.

Præsentatio Christi in templo describitur primùm *à circumstantia temporis*, quando facta est, videlicet quum impleti fuissent dies purificationis Mariæ secundùm legem Mosis: hoc est, die quadragesimo à partu. Secundò, *à causis efficientibus*, id est, personis à quibus in templum fuit allatus. Illi fuerunt Joseph sponsus Mariæ, & ipsa Maria mater: qui notantur verbo *Adduxerunt*, & exprimuntur v. 13. Tertiò, *à fine seu causa finali*, propter quam parentes eum in templum attulerunt. Fines indicantur duo: unus, ut sisterent eum Domino, vers. 22. hoc est, ut publicè coram sacerdote testificarentur, se illum Domino consecrare & tanquam ipsius proprium tradere: ubi per synecdochen membri simul intelligenda actio altera, nempe ut illum à sacerdote redimerent pretio in lege præscripto. Hic finis illustratur expositione causæ impulsivæ, videlicet mandati Dei, vers. 23. Alter finis fuit, ut eâdem operâ darent victimam pro purificatione Mariæ: qui finis similiter expositione causæ, mandati scilicet divini, illustratur: simulque expressione objecti, id est, rei quam in victimam obtulerunt: quæ quidem significatur indefinitè per enuntiatum disjunctivum, nempe quòd voluerint offerre par turturum aut duos pullos columbarum, v. 24. Quartò narratur *adjunctum quoddam adhærens*, videlicet prophetatio Simeonis, à v. 25. usque ad 36. Huic prophetationi præmittitur descriptio ipsius Simeonis, causa impulsiva, & adjunctus gestus. Simeon describitur primùm à subjecto loco ubi habitabat,

videl. Hierosolymis: deinde ab adjunctis inhærentibus, justitiâ, pietate & dono prophetandi. Cæterùm pietas declaratur à speciali spe, qua exspectabat Christum: donum verò prophetandi significatur expositione causæ efficientis, ubi dicitur, *Et Spiritus sanctus erat super eum.* Præterea describitur Simeon ab adjuncto quodam adhærente proprio (quod erat proprium *τὸ νῦν*) videlicet factâ illi promissione Dei singulari de Christo nascituro, dum ipse adhuc in vivis esset, & exhibendo oculis ipsius. Promissio autem illa declaratur ab adjuncto modo agendi, videlicet revelatione arcanâ per Spiritum sanctum. Atque hactenus descriptio Simeonis. Causa impulsiva qua ad prophetandum fuit impulsus, est Spiritus sanctus, & conspectus pueruli Christi in templum allati, v.27. Gestus prophetationi adjunctus, fuit acceptio pueruli in ulnas: ad significandum, hoc fore prophetationis suæ objectum: id est, se de hoc puerulo verba facturum. Prophetatio ipsa constát formâ cantici: quo Simeon gratias agit Deo pro præstita sibi promissione seu exhibito oculis suis Christo: eaque occasione atque adeò eâdem operâ testimonium perhibet huic puerulo, affirmans ipsum esse Christum: id quod significat ex effectu, quatenus eum nominat salutem Dei sive salutare Dei, *τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ*: id est, personam à Deo ordinatam in authorem salutis omnibus electis. Deinde effectum illum amplificat tacitâ distributione è subjectis recipientibus, monens salutis illius participes fore non solùm Judæos, verùm etiam gentes. Simul quoque participationis modum declarat, videl. cognitionem ipsius Christi, qua illum pro authore salutis suæ sunt cognituri ex verbo Evangelii. Præterea alium quoque effectum Christi indicat, qui proprius erat Judæorum: nempe gloriam ipsorum, quippe ex quibus ortus esset Christus salvator mundi. Cæterùm hæc prophetatio Simeonis amplificatur ab effectu, videlicet admiratione parentum pueruli, vers.33. Postea subjungitur altera ejusdem Simeonis prophetatio, quæ nominatim directa est ad Mariam Domini matrem: ad cujus fidem confirmandam atque muniendam prædicit tum mala & bona Israëlitis à Christo eventura ex decreto Dei, tum etiam mala eventura ipsi Christo ab illis. Decretum Dei significatur verbo *κεῖται*, *positus est.* Mala Israëlitis (nempe reprobis) à Christo eventura, nullâ quidem illius, sed suâ ipsorum culpâ, significantur nomine *πτῶσις*, id est, *casus*: quo significatur, fore ut reprobi Judæi per incredulitatem in Christum tanquam lapidem impingant & ex illa impactione sive offensione cadant, id est, in æternum exitium ruant. Contrà bona Israëlitis electis à Christo eventura, significantur nomine *ἀνάστασις*, id est, *resurrectio*: quo significatur, ipsos tanquam à diabolo per peccatum à spe vitæ æternæ dejectos ac prostratos, apprehenso Christo tanquam lapide, illoque sese fulcientes per fidem, resurrecturos, & spem vitæ æternæ recuperaturos. Jam mala eventura Christo ab impiis Judæis, significantur verbo *contradicendi*: quo significatur, scribas & Pharisæos inprimis doctrinæ Christi contradicturos, ipsumque eo nomine ex immani odio unà cum principibus sacerdotum cæterisque primoribus ad supplicium capitis adducturos. Hoc eventum amplificatur primùm ab adjuncto singulari contradicentium studio, quod notatur vocabulo *signi*: quo significatur fore ut scribæ & Pharisæi Christum tanquam scopum sibi proponant contra quem tela suæ contradictionis certatim dirigant atque ejaculentur. Deinde contradictio illa & persecutio Christi amplificatur ex effectis duobus: videlicet summo cruciatu Mariæ, qui significatur metaphorâ *gladii per animam trajecti*: & manifestatione hypocritarum in plebe, qui scilicet in gratiam scribarum & Pharisæorum à Christo sint defecturi, ipsumque ad suspicium [?] postulaturi. Id significatur his verbis, *Ut detegantur ex multis cordibus cogitationes.* Atque hæc de prophetatione Simeonis, quæ est quartum institutæ narrationis membrum. Quintò narratur *aliud adjunctum adhærens*, videlicet prophetatio Annæ. Huic prophetationi similiter præmittitur descriptio prophetantis, & causa impulsiva. Persona prophetans, ipsa scilicet Anna, describitur primùm ab adjuncto dono prophetandi, quum nominatur *prophetissa.* Secundò à causis procreantibus: tum propinqua, videlicet parente, quum dicitur *filia Phanuëlis*; tum remotâ, videlicet atavo seu authore suæ familiæ atque tribus, quum dicitur fuisse *ex tribu Aseris.* Tertiò ab adjuncta senectute, ubi dicitur *progressa esse in diebus multis.* Quartò ab adjuncto conjugio præteriti temporis, ubi dicitur *vixisse cum viro*: quod ipsum conjugium declaratur ab adjuncta duratione, ubi dicitur *vixisse cum viro septem annos.* Quintò ab adjuncta pudicitia virginali ante conjugium, ubi dicitur vixisse cum viro *à virginitate sua.* Sextò ab adjuncta viduitate: quæ ipsa declaratur ex adjuncta duratione: ubi dicitur fuisse *vidua quasi annorum octogintaquatuor.* Septimò à piis factis, videlicet precibus ad Deum: quæ preces illustrantur, & amplificantur primùm à subjecto loco, videlicet *templo*: deinde à causa adjuvante sive effecto destinato, videlicet *jejuniis*: tum ab adjuncta duratione: ubi dicitur, *Non abscedebat à templo*: &, *serviens Deo noctem ac diem.* Hactenus descriptio Annæ, instituta ad prophetationem ejus commendandam. Causa impulsiva notatur duplex: una conspectus pueri Jesu in templum illati, ubi dicitur Anna *supervenisse eo ipso momento*, quo scilicet de puero Jesu prophetabat Simeon: altera, ipsa prophetatio Simeonis, ubi dicitur *ἀνθωμολογεῖτο*, *vicissim ac velut è regione confitebatur Domino*: excipiens videlicet prophetationem Simeonis. Prophetatio ipsa significatur verbis generalibus, & continet duo membra; gratiarum actionem ad Deum pro CHRISTO exhibito, quæ significatur verbis illis, *Vicissim confitebatur Domino*: & prophetationem de Christo ad obvios quosque pios, nimirum de iis quæ facturus & passurus erat ad redimendum populum Dei ex potestate diaboli: id quod significatur his verbis, *Et loquebatur de eo omnibus qui exspectabant redemtionem Hierosolymis.* Atque hoc quintum est institutæ narrationis membrum. Sextò & postremò narrantur *eventa* paulò post actum illum in templo consecuta, numero duo: videlicet profectio parentum Jesu in urbem Nazareth ubi habitabant, & benedictio Dei in puero Jesu. Benedictio illa indicatur duplex: incrementum corporis, & corroboratio spiritus seu animæ, quatenus implebatur sapientiâ. Utraque hæc benedictio illustratur è causa procreante, videlicet gratia seu favore Dei, quum dicitur, *Gratia Dei erat super eum.* ubi nomine *gratia* intelligitur benedictio ex gratiâ seu favore profecta & in Christum collata.

QUARTA PARS.

Specimen & quasi tirocinium muneris prophetici, nec non specimen muneris regii Christi.

41 Ibant verò parentes ejus quotannis Hierosolymam in festo Paschæ.

42 Quum igitur factus esset annorum duodecim; posteaquam ascendissent ipsi Hierosolymam secundùm morem illius festi,

43 Et peregissent illos dies: quum reverterentur ipsi, remansit puer Jesus Hierosolymis: & nescivit *illud* Joseph & mater ejus.

44 Existimantes autem eum esse in comitatu, iverunt viam *unius* diei: & requirebant eum inter cognatos & inter notos.

45 Et quum eum non invenissent, reversi sunt Hierosolymam, quærentes eum.

46 Et factum est, triduo pòst invenerunt eum in templo, sedentem in medio doctorum, & audientem eos & interrogantem eos.

47 Percellebantur autem omnes qui eum audiebant, super intelligentiâ & responsis ejus.

48 Et viso eo, attoniti redditi sunt: & dixit mater ejus ad eum; Fili, cur ita fecisti nobis? Ecce, pater tuus & ego cum cruciatu quærebamus te.

49 Tunc dixit ad eos, Quid *est* quòd quærebatis me? *An* nesciebatis, in negotiis patris mei oportere me esse?

50 Sed ipsi non intellexerunt verbum illud quod loquebatur eis.

51 Descendit autem cum eis, venitq; Nazaretham: & erat eis subjectus. Et mater ejus diligenter conservabat omnia gesta hæc in corde suo.

52 JESUS autem proficiebat sapientiâ, & staturâ, ac gratiâ apud Deum & homines.

Primùm narratur *occasio* quam Dominus arripuit ad specimen muneris prophetici edendum, videlicet præsentia ipsius in festo Paschæ: quæ ipsa declaratur ex causa procreante duplici: principali, more scilicet festi divinitus præcepto; & instrumentali, nempe deductione parentum, v.41. & 42. Deinde indicatur *adjuncta ætas*, quum scilicet factus esset annorum duodecim, v.42. Tum *adjuncta negligentia parentum*, quippe qui à festo reversi sunt, relicto puero Jesu, v.43. Quartò *ignoratio ipsorum*, ex ista negligentia orta: uterque enim nescivit, Jesum Hierosolymis remansisse, ibid. Hæc ignoratio declaratur ex effectu, videlicet solicitâ inquisitione pueri Jesu, v.44. & 45. Quæ ipsa inquisitio declaratur ex eventis duobus inter se contrariis: nam primò non invenerunt, deinde invenerunt. Utrumque hoc eventum declaratur ex adjuncto tempore: Non invenerunt die primo, v.44. & 45. at invenerunt die tertio, v.46. Porrò inventio declaratur è subjecto loco, ubi eum invenerunt, videlicet in templo, ibid. Quintò narratur ipse *agendi modus*, quòd scilicet *sederit in medio doctorum, illosq; & audierit & interrogârit*, ibid. Sextò narrantur *actionis istius propheticæ eventa*, numero tria: admiratio auditorum, v.47. perculsio parentum, v.48. & expostulatio matris, vers.48. Ista autem expostulatio declaratur ex eventu, videlicet apologia Domini, conjunctâ cum reprehensione parentum: quâ reprehendit tum indignationem eorum de hoc suo facto, tum ignorantiam unde ista indignatio oriebatur, quòd scilicet ignorarent officium ipsius, vers.49. Atque hoc ipsum

hoc ipsum fuit specimen muneris regii ipsius; quòd tanquam authoritatem habens, parentes reprehendit. Cæterùm hæc apologia Domini declaratur similiter ex eventu, quòd scilicet non fuit à parentibus intellecta. Postea *totius hujus actionis eventa* narrantur tria: quòd Jesus cum parentibus domum redit, quòd eis fuit subjectus, & quòd Maria hæc gesta in memoria conservavit, v.51. Postremò additur brevis narratio *de statu adolescentiæ Christi*, videlicet de benedictione DEI erga ipsum tum in animo tum in corpore, versu ultimo.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Ut describeretur] ἀπογράφεσθαι. *Hic infinitivus regitur à participio subintellecto ad nomen δόγμα: nempe κελεῦον, vel ἐπιτάττον: id est, edictum jubens seu imperans.* Describi *autem pro* censeri *dicitur per metonymiam adjuncti: nam cujusq; census describebatur. Porrò hujus descriptionis meminit Josephus Antiquit. Judaicar. lib.18. cap.1. & narrat, Judæos etsi primùm ægrè ferrent mentionem descriptionis, non tamen reluctatos esse pertinaciter: sed suasu pontificis Joazari censeri se passos esse.* Totus orbis] πᾶσαν τὴν οἰκουμένην: *hoc est, omnes regiones seu provinciæ quæ parebant Romanis. Synecdoche integri hyperbolica. Item orbis, pro incolis orbis, per metonymiam subjecti. Porrò ad vocem οἰκουμένην subauditur γῆν: quod sonat terram habitabilem. nam magna pars terræ habitabilis non est; nempe quantacunque aquis est oppleta.*

2 Cyrenio] Κυρηνίου. *Hunc Latini scriptores Quirinum nominant.*

3 In suam urbem] εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. *Id est, in eam urbem ubi ipse erat natus, aut saltem in ejus agro.*

4 In urbem Davidis] εἰς πόλιν Δαβίδ. *Id est, in urbem ubi natus erat David.*

7 Primogenitum] τὸν πρωτότοκον. *Sic nominabatur qui primus nascebatur: sive alii sequerentur, sive non: propterea quòd plures sequuturos, probabiliter sperabatur. Quare ex hoc epitheto non licet colligere, Mariam postea alios liberos peperisse. Epitheton autem hoc exprimitur, ut significetur, redimendum fuisse à Domino secundùm legem: id quod suo tempore factum esse, narratur infrà v.22.23. & 24.* In præsepi] ἐν τῇ φάτνῃ. *Quidam tradunt, isto vocabulo hic intelligendum esse locum sic appellatum, qui situs fuerit extra oppidum Bethlehem, juxta latus ejus orientale apud mœnia: qui locus sit spelunca in qua sit præsepe incisum in saxo. De qua spelunca sic scribit Origenes libr.1. contra Celsum: In Bethlehem spelunca ostenditur, ubi ille (nempe Jesus) sit natus. Quod utique & illis in locis percelebre est, vel apud eos quidem qui à fide sunt alieni, famâ & nomine circumfertur, eadem in spelunca Jesum quendam, quem Christiani adorent & demirentur, genitum esse. Sed hanc expositionem respuit textus: qui expressè dicit, quòd Joseph cum Maria ascenderit in urbem Bethlehem, v.4. quodq; Maria pepererit, quum illic essent, v.6. Item v.11. dicitur natus esse in urbe David. Deinde ineptum esset, per præsepe intelligere hic locum illum extra urbem: quum nulla sit facta mentio, quòd Josephus in præsepe diverterit. Item ineptè diceretur, Mariam ideo reclinavisse puerum in præsepi, quòd nullus eis esset locus in diversorio. Dicendum enim fuisset, Quòd nullus eis esset locus in oppido. Item ipsa verba, Reclinavit in præsepi, v.7. & Jacentem in præsepi, v.12. satis arguunt, per præsepe hic non intelligi ædificium aliquod, vel domum aliquam: sed præsepe propriè dictum, nempe lignum excavatum in quo pabulum proponitur jumentis. Item causa cur eum reclinarit Maria in præsepi, non autem in lecto: quia non erat eis locus in diversorio illo quò diverterant, præter stabulum: idq; hauddubiè propter frequentiam hospitum, qui ipsos anteverterant.*

8 Agentes vigilias] φυλάσσοντες φυλακάς. *Ad verb.* Custodientes custodias: *sive,* observantes observationes. *Hebræi vocant* אַשְׁמוּרוֹת aschmuróth. *Sic Marc.6.v.48.* τετάρτῃ φυλακῇ τῆς νυκτὸς, *quarta vigilia noctis. Ex quo loco colligitur, noctem apud Hebræos distributam fuisse in quatuor vigilias: quod idem manifestiùs exprimitur Marc.13.v.35.*

9 Supervênit ipsis] ἐπέστη αὐτοῖς. *Ex improviso superveniens adstitit eis. Sic Actor.4.1.* Loquentibus autem ipsis *(Apostolis)* ad populum, supervenerunt *(ἐπέστησαν αὐτοῖς)* sacerdotes, &c. Gloria Domini] δόξα Κυρίου. *Id est, splendor seu fulgor cælestis atq; divinus, effulgens nimirum & radians tum ex facie tum ex veste angeli. Confer historiam resurrectionis Domini: item historiam transformationis Domini in monte: ubi Moses & Elias dicuntur esse visi seu conspecti ἐν δόξῃ, cum gloria. Et sic usurpatur quoque nomen δόξα, id est, gloria, 1.Cor.15.v.40. & 41.* Timuerunt timore] ἐφοβήθησαν φόβον. *Ante φόβον subauditur* κατά. *Ellipsis Græca, Sic Matth.2.10.* ἐχάρησαν χαράν, *gavisi sunt gaudio.*

10 Toti populo] παντὶ τῷ λαῷ. *Nempe toti populo Dei: id quod innuit articulus. Intelligitur autem populus Dei electus. nam reprobi qui erant Hierosolymis, nativitate Domini non gavisi, sed terrefacti fuerunt: teste Matth.c.2.v.3. Synecd. generis.*

11 In urbe Davidis] ἐν πόλει Δαβίδ. *Scilicet Bethlehem: suprà v.4.*

13 Cum angelo] σὺν τῷ ἀγγέλῳ. *Nempe illo cujus modò facta mentio: id quod notat articulus, vim habens ἀναφορικήν. Sic Germanicè,* **Bey dem Engel.** Multitudo exercitus cælestis] πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου. **Die menge des himlischen heers.** *Id est, exercitus cælestis longè numerosissimus: copia scilicet angelorum, quibus Deus tanquam imperator militibus, utitur ad judicia sua exsequendum. Metaphora.* Laudantium] αἰνούντων. *Præcessit nomen numeri singularis, generis fœminini, στρατιᾶς. Sed syntaxis refertur ad sensum: quia illud στρατιᾶς οὐρανίου idem valet quod ἀγγέλων. Anomalia numeri. Nisi potiùs dicendum, hoc participium cum præcedente nomine cohærere non per syntaxin convenientiæ, sed rectionis: ut intelligamus dici στρατιὰν αἰνούντων, exercitum laudantium, quomodo dicitur στρατιὰ Ῥωμαίων, exercitus Romanorum.*

14 Gloria] δόξα. *Scilicet* ἔστω, *sit.* In locis altissimis] ἐν ὑψίστοις. *scilicet τόποις. Periphrasis summi cœli, quod Paulus* 2.Corinth.12. *cælum tertium & paradisum nominat: & Salomon* 1.Reg.8. *v.27. cælum cælorum, id est, altissimum atque amplissimum cælum, cæteros cælos omnes suo complexu ambiens atque continens.* Et in terra pax] καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη. *Scilicet* ἔστω, *sit.* In hominibus beneplaciti] ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. *Pro, εὐδοκία, nominativo scilicet casu, omnino censeo legendum εὐδοκίας, casu genitivo: ut D Beza testatur in vetustissimo suo codice, & in commentariis Origenis atque Chrysostomi plurimis locis legi: ut etiam veterem interpretem legisse apparet, ut qui verterit,** Hominibus bonæ voluntatis. *Apparet enim, tria tribus è regione opponi. nam primùm inter se opponuntur δόξα & εἰρήνη: deinde ἐν ὑψίστοις & ἐπὶ γῆς: tum Θεῷ & ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας. Priore membro exoptant angeli, ut per Domini nativitatem & actiones inde dependentes illustretur gloria Dei: posteriore verò, ut per eandem easdemq; promoveatur salus electorum. Et duo tantùm esse doxologiæ hujus membra, planum est ex unica conjunctione copulativa. Quòd si tria essent: requireretur copulativa altera, sic, καὶ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Adhæc si legatur εὐδοκία casu nominativo, atque ita tria membra constituantur: sive nomen illud referatur ad Deum, sive ad homines, tertium membrum à secundo non nisi ratione differet. nam pax illa de qua hîc sermo est, ex Dei erga homines (scilicet electos) beneplacito atque benevolentia manat: beneplacitum verò hominum quo in Christo acquiescunt, ex illa ipsa pace oritur. Atqui talis ταυτολογία in tam brevi hymno locum non videtur habere. Homines autem beneplaciti aptissimè per periphrasin nominantur electi, à proprio adjuncto: quia in illis solis beneplacitum illud Dei occupatur, quo placuit illi ipsos prædestinare atque eligere ad vitam æternam, Ephes.1.5. Præterea ipsa veritas doctrinæ Christianæ lectionem hanc postulare videtur. Certum est enim, pacem illam cum Deo, itemq; εὐδοκίαν illam Dei, non pertinere ad omnes promiscuè homines, sed ad solos electos. Quare hæc verba,* Pax sit in hominibus beneplaciti, *sic expono, quasi dicant angeli, Optamus hominibus à Deo ex ipsius beneplacito ad vitam æternam electis, ut pax illa Dei, id est, sensus reconciliationis cum Deo per Christum, sit in ipsis, videl. in cordibus ipsorum, eaq; tanquam præsidio custodiat: quod ipsum fidelibus Philippensibus exoptat Apostolus Philip.4.v.7.*

* *Optatus Afer. lib.2. sic citat,* Pax hominibus in terra bonæ voluntatis. *Ubi manifestum, verba quadam mendosè esse trajecta.*

15 Tunc] καί. *Conjunctio copulativa pro relativa temporis, more Hebræorum.* Rem hanc] τὸ ῥῆμα τοῦτο. *Metonymia adjuncti Hebraica. Sic suprà cap.1.v.37. & 65.*

16 Igitur] καί. *Copulativa pro transitiva, per Hebraismum.* Infantem] τὸ βρέφος. *Græcum expressius, propter articulum ἀναφορικόν.* **das kind.** *videlicet infantem illum de quo in præcedentibus facta mentio: quem recens natum esse angelus pastoribus Bethleëmiticis nuntiarat.*

19 Ista omnia] πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα. *Ad verb.* Ista verba omnia: *pro, istas res omnes: ut suprà 1.65.* Conferens] συμβάλλουσα. *Comparans inter se & quasi trutinans: nempe comparans inter se testimonia divina de filio suo per angelum pronuntiata, videlicet promissionem de Christo ex ipsa nascituro, suprà 1.31. & testificationem de eodem ex ipsa jam nato, suprà v.10. & 11. Hæc duo testimonia inter se & cum narratione pastorum conferens, confirmabatur in fide.*

21 Quum advenisset dies octavus] ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτώ. *Ad verbum,* Quum impleti essent dies octo. *Phrasis Hebræa. Intelligitur autem dies octavus à Domini nativitate, ex collatione præcedentium.* Ut circumciderent] τοῦ περιτεμεῖν. *Scilicet ἕνεκα. Subaudiendum ante hæc verba,* Et congregati essent, *nempe parentes & cognati Jesu. hos enim istius rei gratiâ congregari solitos fuisse, liquet ex historia circumcisionis Johannis Baptistæ, suprà cap.1.v.58. & 59. Porrò,* Ut circumciderent, *id est, circumcidi per aliquem curarent: metonymia subjecti. Vel, ut aliquis ex ipsis circumcideret: synecdoche integri. Item,* Ut circumciderent, *scilicet secundùm legem quæ exstat Genes.17.v.12. & Levit.12.v.3.* Puerulum] τὸ παιδίον. *Græcum expressius propter articulum.* **das kindlin.** Tunc] καί. *Copulativa pro relativa temporis, ut suprà v.15.* Quod vocatum fuerat &c.] τὸ κληθὲν &c. *Vide suprà 1.v.31.*

22 Quum impleti fuissent &c.] ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι, *&c. Videl. dies quadraginta: ut colligitur ex Levit.12.v.3. & 4.* Purgationis Mariæ] τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῆς. *Ad verbum, Purgationis ipsius, scil. Mariæ: ut in Græco percipitur ex ipsa voce quæ est generis fœminini. Sed consulendum fuit perspicuitati: ne quis forte pronomen* EJUS *imperitè referret ad puerulum Jesum, cujus proximè facta mentio. Intelligitur autem hîc purgatio ab impuritate*

seu immunditia Legali, qua mulier immunda censebatur è sanguinis profluvio: ut videre est Levit.12. Secundùm legem Mosis] κατὰ τὸν νόμον Μωσέως. *Quæ exstat Levit.12.* Ut sisterent] παραστῆσαι. *Pro,* τοῦ παραστῆσαι: *scil.* ἕνεκα.

23 In Lege Domini] ἐν νόμῳ Κυρίου. *Videl. Exod.13.v.2. Verbis tamen parumper diversis. ait enim ibi Dominus Mosi,* Consecra mihi omne primogenitum, quicquid aperit vulvam ullam in filiis Israëlis, ex hominibus & ex jumentis: meum *enim* est. Omne masculinum] πᾶν ἄρσεν. *Sive ex hominibus scilicet sive ex jumentis: ut percipitur ex loco modo-citato. Ad* ἄρσεν *igitur subauditur* ζῶον. Adaperiens matricem] διανοῖγον μήτραν. *Scil. primò, quum nunquam antea aperta fuerit ad pariendum atque in pariendo. Synecdoche generis Hebraica, eademq́; periphrasis* τοῦ πρωτοτόκου, *id est, primogeniti.* Sanctum Domino] ἅγιον τῷ Κυρίῳ. *Consecratum Domino, ita ut illi tanquam proprium ipsius reddatur, & ab ipso prout certi generis fuerit, redimatur.* Vocator] κληθήσεται. *Ad verbum,* Vocabitur. *Enallage modi Hebraica. Continetur enim his verbis lex.*

24 Ut darent] τοῦ δοῦναι. *Scil.* ἕνεκα. Victimam] θυσίαν. *Id est, animalia jugulanda & sacrificanda: ut mox plenius declarabitur. Itaq; nomen* θυσία *non est hîc reddendum* Oblatio: *quæ vox respondet Græcæ voci* προσφορά, *& generalis est, inanimatis quoque muneribus competens, quæ mactari non poterant.* Secundùm id quod dictum est] κατὰ τὸ εἰρημένον. *Id est, mandatum est, seu præceptum est. Synecdoche generis.* In lege Domini] ἐν νόμῳ Κυρίου. *Levit.12. vers.ult.* Par turturum aut duos pullos columbarum] ζεῦγος τρυγόνων ἢ δύο νεοσσοὺς περιστερῶν. *Unum scilicet in holocaustum, & alterum in peccatum, hoc est, sacrificium pro peccato: ut habetur ibidem. Ubi notandum, hanc fuisse legem latam pauperibus, quibus tanta non erant facultates ut absque damno rei familiaris possent comparare parvam pecudem, puta agnum vel hœdum: qui aliàs offerendus erat in holocaustum. Vide Levit.12. v.6. & 8.*

25 Religiosus] εὐλαβής. *Videtur* εὐλαβὴς *propriè is dici qui cautè ac timidè capit quod porrigitur aut quod prehendere vult, ὁ εὖ λαμβάνων. Inde per synecdochen speciei cautum ac timidum in genere significat. Postea per synecdochen generis pro religioso ponitur, id est, eo qui Deum timet, Germanicè* Gotsförchtig. *Sunt igitur hîc duo tropi inter se contrarii: synecdoche speciei & synecdoche generis. Simile exemplum exstat infrà cap.6.v.9.* Licétne sabbathis animam servare, an perdere? *Animam, id est, hominem: & hominem, id est, corpus hominis: duæ synecdochæ contrariæ: una membri, altera integri.* Consolationem Israëlis] παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ. *Periphrasis Messiæ seu Christi: qui vocatur consolatio Israëlis, per metonymiam effecti, eò quòd vero & spirituali Israëli (hoc est, credentibus) solidam consolationem afferat. Porrò Israël pro Israëlitis, per metonymiam efficientis, scripturæ usitatam: & Israëlitæ pro credentibus, per metaphoram, dicuntur. Nam quemadmodum Israëlitis terra Canaan promissa erat, & suo tempore attributa: sic credentibus cælum promissum est, suoq́; tempore tribuetur.* Spiritus sanctus erat super eum] πνεῦμα ἅγιον ἦν ἐπ' αὐτόν. *Id est, donum prophetandi erat in eo: ut percipitur ex sequentibus. Metonymia efficientis, & synecdoche generis.*

26 Divinitus promissum] κεχρηματισμένον. *Videlicet per arcanum atque immediatum ipsius Dei alloquium, non interveniente scil. ministerio angeli aut hominis. Confer Matth.2.v.12. ubi de Magis qui Christum recens natum adoraverant, dicitur:* καὶ χρηματισθέντες κατ' ὄναρ, Et divinitus admoniti in somno. *Item Rom.11.4. ubi Apostolus de Elia loquens ait,* Sed quid dicit ei ὁ χρηματισμός, divinum responsum? Non visurum mortem] μὴ ἰδεῖν θάνατον. *Id est, non moriturum. Periphrasis Hebraica. Et visurum pro sensurum, synecdoche speciei* κατὰχρηστική. *Alibi eodem sensu dicitur,* Mortem gustare, *ut infra 9.27.* Christum illum Domini] τὸν Χριστὸν Κυρίου. *Vel, unctum illum Domini:* den gesalbten des HERRN: *ut sit periphrasis Christi. Unctum autem Domini, id est, à Domino unctum, oleo scil. exsultationis, hoc est, Spiritu sancto, Heb.1.v.9. Cæterùm articulus respicit ad promissiones patribus factas.*

27 Impulsore spiritu] ἐν τῷ πνεύματι. *Ad verb.* In spiritu. *scil. sancto. Synecdoche generis. Id est, Per Spiritum, seu vi Spiritus. Hebraismus.* Quum introducerent] ἐν τῷ εἰσαγαγεῖν. *Pro,* εἰσενεγκεῖν, *id est, intrò ferrent. Catachresis.* Quod ex Lege consuetum erat] κατὰ τὸ εἰθισμένον τοῦ νόμου. *Seu, fieri consueverat. Ad verb.* Secundùm consuetum Legis.

28 Tunc] καί. *Copulativa pro relativa temporis.* Benedixit Deo] εὐλόγησε τὸν Θεόν. *Ad verb.* Benedixit Deum: *phrasis Hebræa: id est, laudavit Deum. Sic supr.1.64.*

29 Nunc dimittis] νῦν ἀπολύεις. *Id est, Nunc est tempus ut dimittas, scil. è vinculis corporis.* Servum tuum] τὸν δοῦλόν σου. *Id est, me. Synecdoche generis: qualis supra 1.48.* Domine] δέσποτα. *Id est, ô Deus.* Secundùm verbum tuum] κατὰ τὸ ῥῆμά σου. *Id est, secundùm promissionem tuam: de qua supr.v.26. Synecdoche generis.* In pace] ἐν εἰρήνῃ. *Pendet à verbo* ἀπολύεις, *dimittis.*

30 Salutem tuam] τὸ σωτήριόν σου. *Quasi dicas,* Salutare tuum. *Pro,* τὴν σωτηρίαν σου. *Id est, salutis authorem à te olim promissum, jam verò missum atque exhibitum. Metonymia effecti. Articulus autem respicit ad promissionem.*

32 Patefaciendum Gentibus] εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν. *Id est,* ἀποκαλυπτὸν τοῖς ἔθνεσι. *Nomen participiale hic habet significationem passivam. Lutherus,* ein liecht zu erleuchten die Haiden: *hoc est,* lumen ad illuminandum Gentes. *At non dicitur Græcè,* ἀποκαλύπτειν τινά, *illuminare aliquem: sed* φωτίζειν, *ut Joh.1.9. Diversum paulò sensum habet illud Rom.8.v.19.* Creatura exspectat τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ, patefactionem filiorum Dei: *qua scil. patefient filii Dei: id est, gloriam filiorum Dei.* Gloriam] δόξαν. *Id est, authorem gloriæ. Metonymia effecti.*

34 Benedixit eis] εὐλόγησεν αὐτούς. *Ad verbum,* Benedixit eos: *phrasis Hebræa. Id est, bene precatus est eis, fausta atque felicia eis exoptavit. Alius sensus hujus phrasis quàm erat suprà v.28.* Positus erat] κεῖται. *Positus est, scil. à Deo. Ad verb.* Jacet. *Sed* τὸ κεῖσθαι *speciali significatione valet positum esse seu constitutum atque ordinatum esse: cujus significationis hæc exempla in suo Thesauro affert Henr. Stephanus. Thucyd.lib.3.* προδειξάντων ὑμῶν, τὴν αὐτὴν ζημίαν τοῖς τε ἀδικοῦσιν ὁμοίως κεῖσθαι, *noxiis constitutam esse eandem pœnam. Rursus apud eundem,* κεῖνται μεγίστων ἀδικημάτων μαλακώτεραι ζημίαι, *constitutæ sunt pœnæ. Itidem apud Sophoclem,* ὅπλων ἔκειτ' ἀγὼν πέρι, *constitutum de armis erat certamen. Et hanc significationem planè postulat sequens præpositio* εἰς, *quæ ab isto verbo regitur, & finem notat. Finis autem refertur ad agens aliquod rationale.* In casum & resurrectionem multorum] εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν. *Id est, In casum multorum & in resurrectionem multorum.* ὑπόζευγμα. *Sed utique non eorundem multorum, sed diversorum: nempe in casum reproborum & in resurrectionem electorum. Affinis huic est sententia illa Apostoli, 2.Cor.2.v.15. & 16.* Christi bona fragrantia sumus (*scilicet nos Apostoli, dum prædicamus Evangelium*) Deo, in iis qui servantur, & in iis qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem: illis verò odor vitæ ad vitam. *Notatur autem præpositione* εἰς *propositum atque consilium Dei, seu finis cujus gratiâ Christum mundo exhibuit, & adhuc quotidie per evangelium exhibet ac proponit. Porrò similis loquutio exstat 1.Cor.1.12.* Hoc autem dico, singulos vestrûm dicere: Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, &c. *Utiq; non eosdem singulos, sed alios atq; alios. Neq; enim singuli Corinthii dicebant ista omnia: sed alii hoc, alii aliud ex istis. Cæterùm nomine* casus *intelligitur hic ruina in exitium æternum. In eodem sensu utitur Paulus verbo* πίπτειν, *& nomine* παραπτώματος, *Rom.11.v.11.* In Israël] ἐν τῷ Ἰσραήλ. *Id est, in populo Israëlitico. Metonymia efficientis usitata.* In signum] εἰς σημεῖον. *Veluti scopum, contra quem tela suarum contradictionum dirigant inimici ipsius.*

35 Tum animam trajiciet gladius] τὴν ψυχὴν σου διελεύσεται ῥομφαία. *Nomine* ῥομφαία *(ut Grammatici tradunt) significatur propriè telum quoddam nationis Thraciæ, jaculum videl. oblongum. Græci Bibliorum interpretes illo reddiderunt nomen Hebræum* חרב *hhéreb, quo significatur gladius, Gen.3.v.ult. Significantur autem hâc metaphorâ acerbissimi dolores qui cor Mariæ compunxerunt atq; transfixerunt, potissimùm quum videret Dominum pendentem in cruce.* Ut detegantur &c.] ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν. *Hæc verba pendent à participio* ἀντιλεγόμενον, *& exponitur iis alterum effectum illius contradictionis: nempe apostasia populi in gratiam Scribarum & Pharisæorum atq; sacerdotum postulantium Dominum ad crucem, eiq; in cruce pendenti illudentium.* Ex multis cordibus] ἐκ πολλῶν καρδιῶν. *Sive,* ex multorum cordibus. Cogitationes] διαλογισμοί. *Nempe cogitationes perversæ, quibus nimirum cogitabant adhærere Christo, si esset ipsis author felicitatis terrenæ.*

36 Processerat] προβεβηκυῖα. *Scilicet* ἦν. *Pro,* προεβεβήκει. *Hebraismus: qualis suprà 1.8.* προβεβηκότες ἦσαν, *pro,* προεβεβήκεσαν. Processerat in multam ætatem] προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς. *Ad verb.* Processerat seu progressa erat in diebus multis. *Hebraismus: id est, erat provectæ ætatis, seu erat grandæva.* Vixeratque] ζήσασα. *Pro,* καὶ ζήσασα. *Scil* ἦν: *id est,* ἔζησε. A virginitate sua] ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς. *Id est, post virginitatem suam,* μετὰ τὴν παρθενίαν αὐτῆς. *His verbis significatur, hanc Annam castè pudiceq; in virginitate sua vixisse, ita ut marito suo casta virgo nupserit.*

37 Et hæc vidua erat] καὶ αὐτὴ χήρα. *Subaudi* ἦν. Quasi annorum *&c.*] ὡς ἐτῶν *&c. Id est, per tot annos vixerat in viduitate.* A templo] ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ. *Græcum expressius, propter articulum: quo notatur certum templum, nempe Hierosolymitanum sive Salomonis.* Nocte ac die] νύκτα καὶ ἡμέραν. *Subauditur* κατά. *Pro,* νυκτὸς καὶ ἡμέρας. *Quæstio est, non quamdiu, sed quando. Respondetur, Non solùm die, sed etiam nocte: ad notandum assiduitatem.*

38 Quum supervenisset] ἐπιστᾶσα. *Sic suprà vers.9.* Vicissim confitebatur Domino] ἀνθωμολογεῖτο τῷ Κυρίῳ. *Vel, palàm confitebatur Domino. Est autem* Confiteri Domino, *phrasi Hebraicâ idem quod Dominum laudare seu celebrare. Sic Matt.11. v.25.* ἐξομολογοῦμαί σοι. *Confiteor tibi, id est, celebro te. Synecdoche generis. nam qui aliquem celebrant, illi confitentur, ac potiùs profitentur, res præclarè ab eo gestas vel beneficia ab eo accepta.* Redemtionem Hierosolymis] λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ. *Omnino videtur legendum,* λύτρωσιν Ἰσραήλ, *redemtionem Israëlis: sicut suprà vers.25. Simeon dicitur exspectasse* τὴν παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ, *consolationem Israëlis. Et sic infrà 24.21. duo illi discipuli, commeantes Emmauntem, dicebant Domino:* Nos autem spe-

tem ſperabamus, eum eſſe illum qui redemturus eſſet Iſraëlem. *Ac niſi hîc legatur* Ἰσραήλ, *oratio erit imperfecta, & id ipſum erit ſubaudiendum: præſertim quum in Græco omiſſus ſit articulus ante* λύτρωσιν. *Videtur autem* ἐν Ἱερουσαλήμ, *illis verbis* τοῦ Ἰσραήλ *ſubſtitutum eſſe ad reſtringendum nomen* πᾶσι. Omnibus: *quòd Anna non poſſet loqui niſi iis qui erant Hieroſolymis, ubi ipſa erat.*

39 Reverſi ſunt *proficiſcentes* in Galilæam] ὑπέστρεψαν εἰς τὴν Γαλιλαίαν. *Ad verb.* Reverſi ſunt in Galilæam. *Quod perinde ſonat, ac ſi è Galilaâ Hieroſolymam profecti eſſent. Ac profecti erant Bethlehemo: ibi enim Mariam nato Domino, commorari oportuit, donec ſecundùm Legem implerentur dies purgationis ipſius. Itaque perſpicuitatis causâ ſupplevi participium* Proficiſcentes, πορευόμενοι: *ita ut verbum* ὑπέστρεψαν *hîc ponatur abſolutè, nec regat verba ſequentia* εἰς τὴν Γαλιλαίαν: *intelligaturq́ illos Hieroſolymis quò nuper advenerant, iterum abiiſſe.* In urbem ſuam] εἰς τὴν πόλιν αὐτῶν. *Id eſt, ubi ipſi habitabant, ut ſup. 3.*

40 Spiritu] πνεύματι. *Id eſt, animo. Vel, Spiritu ſancto: id eſt, donis Spiritus ſancti.* Implebaturque ſapientiâ] πληρούμενον σοφίας. *Epexegeſis.* Dei gratia erat ſuper eum] χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ᾽ αὐτόν. *Sic ſuprà v. 25.* πνεῦμα ἅγιον ἦν ἐπ᾽ αὐτόν.

43 Illos dies] τὰς ἡμέρας. *Nempe dies pertinentes ad feſtum. Articulus habet vim* ἀναφορικήν. Quum reverterentur *&c.*] ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτοὺς *&c. Hîc incipit apodoſis periodi. Quæ clarior eſſet, ſi diceretur:* Accidit ut *quum reverterentur illi, remanſerit puer* Jeſus *&c.* γίγνεται ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτοὺς ὥστε ὑπομεῖναι Ἰησοῦν.

46 Triduo poſt] μεθ᾽ ἡμέρας τρεῖς. *Ad verb.* Poſt tres dies. *Id eſt, ipſo tertio die poſteaquam redire cœperunt ad Dominum quærendum. Neque enim illa phraſi notantur tres dies pleni, quibus demum exactis res geſta ſit: ſed ipſe tertius dies ſignificatur eſſe is quo res geſta ſit. Sic quod dicitur Marc. 8. 31.* Oportet filium hominis occidi, & poſt tres dies (μετὰ τρεῖς ἡμέρας) reſurgere: *id Matth. 16. 21. enuntiatur his verbis:* Jeſus indicavit diſcipulis, oportere ſe occidi, & tertio die (τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ) reſurgere. Doctorum] τῶν διδασκάλων. der lehrern. *puta ſcribarum & Phariſæorum.*

47 Super intelligentiâ & reſponſis ejus] ἐπὶ τῇ συνέσει καὶ ταῖς ἀποκρίσεσιν αὐτοῦ. *Id eſt, Super ſapientibus reſponſis, ſive ſuper intelligentiâ quæ elucebat ex reſponſis.* ἓν διὰ δυοῖν.

48 Fili] τέκνον. *Græcum nomen generale eſt, filiam quoq; complectens. Eſt igitur ſynecdoche generis.* Pater tuus] ὁ πατήρ σου. *Id eſt, Joſephus: qui ipſum curabat ut pater, licet eum non genuiſſet.* Er war ſein pflegvatter. *Confer infrà 3. 23.* Cum cruciatu] ὀδυνώμενοι. *Ad verb.* Dolentes: *ſed ſignificatur iſto verbo dolor vehemens, quem Latini cruciatum nominant.*

49 Quid eſt quòd] τί ὅτι. *Pro,* τί ἐστιν ὅτι. *quaſi dicat, Quid tum poſtea? Vel, Quid cauſæ eſt quòd quærebatis me? q. d. Nullam juſtam cauſam poteritis mihi indicare quâ me reprehendatis. Sunt verba contemnentis objurgationem & recriminantis: ut patet ex proxime-ſequentibus,* An neſciebatis &c. *quaſi dicat, Certè ſcire hoc debebatis, ac proinde non debebatis me reprehendere.* In negotiis patris mei] ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου. *Scil.* πράγμασιν. *Id eſt, In negotiis quæ pater mihi mandavit ad expediendum: puta ad docendum qui ſim, & cujus rei gratiâ à patre miſſus ſim in mundum.*

50 Sed] καί. *Copulativa pro adverſativa.* Non intellexerunt] οὐ συνῆκαν. *Unde iſtud? Nempe quia putabant fore non prophetam ſive doctorem, ſed regem mundanum.* Verbum] τὸ ῥῆμα. *Hîc verbum pro dicto vel ſententia ponitur per Hebraiſmum. Sic vocantur decem verba Legis.*

51 Diligenter conſervabat] διετήρει. *Adverbio* Diligenter *volui exprimere emphaſin præpoſitionis* διά, *unde verbum* διατηρεῖν *compoſitum eſt. Videtur enim plus eſſe* διατηρεῖν *quàm* συντηρεῖν: *quo verbo uſus eſt ſuprà v. 19.* Omnia geſta hæc] πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα. *Ad verbum,* Omnia verba hæc. *Metonymia adjuncti Hebraica: qualis ſuprà v. 19.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

Quòd Jeſus ſit Chriſtus.

1 Ex parte prima tota. Notanda eſt pars argumenti quo demonſtratur, Jeſum illum in quem credimus, eſſe Chriſtum, id eſt, dominum ac ſervatorem noſtrum: quia ſcil. natus eſt in oppido Judææ Bethlehem: ſicut de Chriſto per prophetam Michæam fuerat prædictum, Mich. 5. v. 2.

Providentiæ Dei exemplum.

2 Ex v. 1. Conſideranda hîc eſt mirabilis providentia Dei: qui ut prophetiam de Chriſto in Bethlehem naſcituro impleri curaret, in mentem indidit Cæſari Auguſto ut edictum ederet de deſcribendis ſubditis ſuis: cujus edicti vi ac jure Joſephus cum matre Domini ſibi deſponſâ ac partui vicina Bethlehemum ſe contulit: atque ita factum, ut illa ibi pareret.

Expoſitio verborum patriarchæ Jacobi, Non auferetur ſceptrum à Juda &c.

3 Ex v. 1. & 2. Vulgo ex hac circumſtantia temporis quo natus eſt Jeſus, ducunt argumentum ad probandum, ipſum eſſe Chriſtum: quia ſcil. in eo impleta ſit prophetia patriarchæ Jacobi quæ exſtat Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum à Juda, neq; legiſlator è medio pedum ejus, donec veniat Schilo,* id eſt, Chriſtus. Impletam autem eſſe judicant, quatenus tum quum Jeſus naſceretur, ſceptrum jam à Juda fuerit ablatum: quod ipſum probant ex eo, quod hîc narratur, Judæos tum ſubditos fuiſſe Cæſari Romano. Sed hoc argumentum nullum videtur. Nam ſi ſceptrum non fuit à Juda auferendum, donec veniret Chriſtus: fuit ergo tum demum auferendum, poſteaquam is veniſſet. Quare non poteſt dici, jam tum quum Chriſtus naſceretur, illud fuiſſe ablatum. Attamen, inquies, Judæi jam tum parebant Cæſari Romano. Verùm (inquam ego) non idcirco ſceptrum à Juda prorſus fuerat ablatum. Relicta enim erat Judæis αὐτονομία, ut conſtat ex verbis Pilati de Jesu, *Accipite eum vos, & judicate eum ſecundùm legem veſtram,* Joh. 18. 31. Et poteſtas judiciaria erat penes concilium ſive ſynedrion, quod vocabatur Sanhedrin: quod conſtabat ex judicibus de tribu Juda. Denique verbis patriarchæ Jacobi ſignificatur, brevi poſt adventum Chriſti fore ut ſceptrum à Juda penitus auferatur, & legiſlator à pedibus ejus. Quod ipſum quum acciderit Hieroſolyma per Romanos everſâ, firmum inde argumentum ducitur, quòd Chriſtus jam ſit exhibitus.

Obedientia erga magiſtratum exemplum.

4 Ex v. 3. 4. & 5. Proponitur hîc nobis in Judæis, ac præcipuè in Joſepho marito matris Domini, exemplum obedientiæ erga magiſtratum in pendendo tributo. Huc pertinet præceptum Pauli, Rom. 13. v. 7. *Reddite omnibus quod debetis: cui tributum, tributum, &c.* Item illud Chriſti, *Date Cæſari quæ Cæſaris ſunt.*

Providentiæ Dei exemplum.

5 Ex v. 5. Conſideranda hîc providentia Dei in cuſtodienda virginitate matris Domini; quòd ſcilicet in mentem indidit Joſepho ſponſo illius, viro pio ac Dei timenti, teſte Matthæo c. 1. v. 19. ut ipſam ſecum aſſumeret, Nazarethâ (ubi Maria habitabat) iter faciens Bethlehemum: ut ita cuſtodem pudicitiæ ſuæ perpetuò ſecum haberet: nec diabolus occaſionem haberet excitandi ſuſpicionem de pudicitia matris Domini violata, ad labefactandam fidem noſtram.

Vindicatio verborum, Peperit filium ſuum primogenitum.

6 Ex v. 7. Ex eo quòd Jeſus nominatur filius Mariæ primogenitus, non rectè olim collegit Helvidius, Mariam poſtea plures peperiſſe, videl. ex Joſepho conceptos. Nam primogenitum in ſcriptura nominatur, quod primùm aperit uterum matris, ſeu quod primùm naſcitur ex matre: ſive poſtea plura naſcantur, ſive non: Exod. 13. v. 2. An autem mater Domini poſtea plures pepererit, nec ne: Scriptura nuſquam docet: ac proinde id ſcire noſtra nihil intereſt. Satis eſt nos ſcire: quòd Jeſum Dominum ac ſervatorem noſtrum peperit virgo.

Chriſti regnum.

7 Ex eod. verſu. Quòd Chriſtus natus eſt in paupere ac humili ſtatu: argumento eſt, eum non veniſſe ad erigendum regnum mundanum: ac proinde non debemus apud ipſum quærere opes mundanas: necnon patienter ferre paupertatem humilemque ſtatum: ſcientes interim, nos ſuo tempore cum Chriſto regnaturos in cælo: ut qui ideo pauper factus ſit, ut nos ditaret: nempe opibus illis cæleſtibus, impetratis atque acquiſitis ſanguine ſuo.

Potentia humana.

Paupertas.

Patefactio Dei.

8 Ex v. 8. & ſeqq. Quòd Deus angelum miſit ad paſtores, ad annuntiandum illis nativitatem Domini: hinc monemur, potentiam humanam non eſſe certum argumentum favoris Dei, nec humilitatem ſeu paupertatem certum eſſe argumentum odii Dei. Item monemur, Deum ferè patefacere ſe humilibus, neglectis potentibus. Sicut dicitur in cantico Mariæ, *Detraxit potentes è throno, & exaltavit humiles: famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes:* ſuprà cap. 1. v. 52. & 53. Et Chriſtus ad apoſtolatum elegit viros plebejos, opificio piſcatores. Et Paulus ad fideles Corinthios ait, *Videtis vocationem veſtram, fratres: vos non eſſe multos ſapientes ſecundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles: verùm quæ ſtulta ſunt in mundo, elegit Deus, ut pudefaciat ſapientes: & quæ ſunt infirma in mundo, elegit Deus, ut pudefaciat robuſta: & quæ ignobilia ſunt in mundo, elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, aboleat: ut ne glorietur ulla caro coram ipſo,* 1. Cor. 1. v. 27. 28. & 29.

Labores vocationis.

9 Ex v. 8. In paſtoribus illis proponitur nobis exemplum ſtudii in obeundis laboribus noſtræ vocationis.

Infirmitatis humanæ exemplum.

10 Ex v. 9. In iiſdem proponitur nobis exemplum infirmitatis humanæ, quæ non poteſt ſuſtinere fulgorem gloriæ cæleſtis.

Locorum Scripturæ in ſpeciem pugnantium conciliatio.

11 Ex v. 10. Quærat aliquis, quomodo cum his verbis angeli, *Gaudium erit toti populo,* conveniat quod narrat Matthæus c. 2. quum magi de nato rege Judæorum inquirerent, totam Hieroſolymam turbatam eſſe. Reſpondeo. Etſi initio turbati ſunt omnes, metu turbarum exoriturarum in mutando regno Herodis: tamen poſtea ſuo tempore populus Dei electus, de quo angelus loquitur, Chriſto rectè cognito, gaudio vero ac ſpirituali gaviſus fuit.

Officium hominis Chriſtiani.

12 Ex verſ. 13. & 14. Exemplo angelorum iſtorum, debemus laudare Deum, quòd miſit nobis filium ſuum unigenitum ad nos ſervandum: celebrando ipſius ſapientiam, miſericordiam, juſtitiam & veritatem: quæ virtutes omnes in negotio ſalutis noſtræ elucent.

Gloria Dei.

13 Ex v. 14. Gloria Dei potiſſimùm conſpicitur in ſalute electorum. Hinc enim primùm cognoſcitur ſumma ipſius poteſtas, quòd ab æterno ſibi propoſuit ſervare illos, cæteros verò perdere: item quòd condidit ipſos ad decus ſeu ut eſſent vaſa gloriæ, cæteros verò ad dedecus ſeu ut eſſent vaſa iræ: item quòd poſt lapſum elegit ipſos ad ſalutem, cæteros verò reprobavit: item quòd ipſos vocavit efficaciter, id eſt, per Evangelii prædicationem fide donavit, quodq; per illam fidem eos juſtificavit: cæteros verò aut prorſus non vocavit, aut ſaltem non efficaciter, ac proinde nec juſtificavit: denique quòd ipſos ſolos glorifica-

turus est, cæteros verò damnaturus. Deinde cognoscitur ex salute electorum, summa Dei sapientia, simulque perfecta tum misericordia, tum justitia: quòd scilicet Deus viam invênit, quâ perfectam misericordiam erga electos exerceret, salvâ suâ justitiâ: nempe ordinando illis mediatorem Christum, qui pro ipsorum peccatis pœnam sufficientem lueret, atque ita justitiæ ipsius satisfaceret. Justitiam igitur suam in puniendis peccatis electorum perfectè exercuit in Christo: misericordiam verò suam in parcendo electis, eisdemque propter satisfactionem Christi servandis, perfectè exercet in ipsis.

Pax Dei. 14 Ex eod. v. Pax illa Dei, id est, tum reconciliatio Dei cum homine, tum reconciliationis illius sensus & inde oriens animi tranquillitas, propriè pertinet ad homines beneplaciti, id est, ad electos. Ergo ut possimus frui beatissimâ illâ pace, demus operam ut sciamus nos esse in numero electorum. Id autem scire possumus ex eo, si demus operam pietati, obediendo sanctis Dei mandatis. Nam quicunque in se hoc studium pietatis sentiunt, illos in numero electorum esse certum est: quum illud studium proficiscatur ex fide, fides autem sit proprium donum electorum.

Obedientia erga mandata Dei exemplum. 15 Ex v. 15. & 16. In pastoribus proponitur nobis exemplum obedientiæ erga mandata Dei, & quidem conjunctæ cum singulari alacritate. Iverunt enim quò jussi erant, festinantes.

Officium hominis Christiani. 16 Ex v. 17. Doctrina salutis æternæ per eos quibus innotuit, quantum cujusque vocatio fert, divulganda est, ut publicè innotescat: ut nimirum fidem & spem inde concipiant electi, reprobis verò omnis excusatio adimatur.

Officium hominis Christiani. 17 Ex v. 18. & 19. Debemus quidem mirari, quum audimus narrari miranda Dei opera, salutis nostræ causâ suscepta: sed in illa admiratione non oportet subsistere, sed insuper eventa cum prædictionibus divinis conferre, exemplo Mariæ: ut ita in fide confirmemur.

Officium hominis Christiani. 18 Ex v. 20. Exemplo pastorum, debemus Deum laudare pro patefactione mysterii salutis nostræ.

Circumcisio Christi. 19 Ex parte secunda, quæ continetur v. 21. Oritur hîc quæstio, Cur oportuerit Christum circumcidi: quum circumcisio fuerit instituta ad obsignandum fedus Dei, id est, promissionem divinam remissionis peccatorum, & renovationis naturæ: Christus autem neutrius illius beneficii divini fuerit capax: quippe qui non fuit natus in peccato & corruptione naturæ, sed sanctus, per singularem operationem Spiritus sancti. Respondeo: Etsi duæ illæ causæ non habuerint locum in Christo: tamen fuerunt aliæ causæ, cur circumcidi eum oportuerit: nempe ut parentes ipsius obedirent mandato Dei, quod primùm Abrahamo datum est, Gen. 17. v. 10. *Hoc est fedus meum inter me & vos & semen tuum post te, ut circumcidatur vobis omnis mas.* Postea verò repetitum est, & datum populo Israëlitico per Mosen, Lev. 12. v. 2. & 3. *Mulier quum profert semen, si peperit masculum, die octavo circumciditor caro præputii ejus.* Deinde oportuit Christum circumcidi, ut ita obligaretur ad servandum legem Dei. Legi autem observandæ obligari eum oportuit, ut ex Legis observatione perfectâ, perfectam sibi justitiam posset acquirere. Perfectam autem justitiam acquirere eum sibi oportuit, ut justus pro nobis injustis posset pati pœnam Legis à nobis violatæ, atque ita nos à maledictione Legis liberare. Adhæc circumcidi voluit, ut testatum faceret, se velle habere communionem cum circumcisis in ipsum credentibus, nempe communionem regni Dei seu vitæ æternæ & gloriæ cælestis: quippe quam & ipse sibi promeritus est sanctè secundùm legem Dei vivendo; & illis quoque, sanctam pro illis victimam, suum videlicet corpus & animam, Deo patri offerendo. Atque hæc etiam causa fuit, cur Dominus voluerit baptizari; ut scilicet testatum faceret, se velle communionem habere cum baptizatis in ipsum credentibus.

Nominis impositio. 20 Ex eodem v. Pius mos est, ut infantibus Christianorum imponatur nomen in baptismo seu quum baptizantur. Nititur enim hic mos exemplo piorum in V. Testamento: qui nomina infantibus suis imponebant in circumcisione: cui baptismus successit. Quumque per baptismum Deo consecrati simus; eique tanquam imperatori milites nomen dederimus, promittentes nos ipsi in omnibus obedituros, & contra hostem ipsius diabolum fortiter militaturos: ipso scilicet nomine officii nostri perpetuò admonemur.

Obedientia erga Deum exemplum. 21 Ex eod. v. In parentibus Domini Jesu proponitur nobis exemplum obedientiæ: quippe qui nomen Jesu illi imposuerunt, sicut jussi erant à Deo per angelum, Matth. 1. 21.

Christi officium. 22 Ex eod. v. Quòd Jesus dominus noster hoc nomen ex divino mandato accepit, argumento est, ipsum à Deo ordinatum esse ut id nobis præstet, quod nomine ipso significatur: nempe ut nos servet à peccatis nostris, Matth. 1. v. 21. Servat autem nos partim merito, partim efficaciâ. Merito: quatenus nobis sacrificio mortis suæ meritus est remissionem peccatorum, regenerationem Spiritus sancti & vitam æternam. Efficaciâ: quatenus per Spiritum sanctum in prædicatione Evangelii in nobis efficit fidem justificantem, & semel effectam in æternum conservat, ac subinde auget; idque tum per verbi prædicationem tum per usum sacramentorum.

Cur oportuerit Mariam matrem Domini observare legem de purgatione puerperarum. 23 Ex tertia parte. Oritur hîc quæstio, cur oportuerit Mariam matrem Domini observare legem de purgatione puerperarum: quum tamen ratio legis non habuerit in ea locum. Ratio enim legis illius fuit, ut tum ipsa puerpera, tum cæteri omnes qui ritus illius spectatores erant, admonerentur: puerperam ex partu immundam coram Deo esse redditam, eò quòd peperisset hominem peccato pollutum. At Mariæ filius, dominus noster Jesus Christus, peccato pollutus non erat. Erat enim conceptus non vulgari & communi more, sed ex Spiritu sancto, id est, per singularem operationem Spiritus sancti ex virgine. Respondeo: Etsi ratio illa in Maria non habuit locum: tamen debuit legem illam observare: quia lex lata fuerat omnibus puerperis populi Israëlitici, absque ulla exceptione. Quum autem Deus legem hanc ferens, probè sciverit, eam à matre quoque Domini observandam fore, nisi disertè excipiatur: apparet hinc, ideo ab illa quoque observari voluisse, ut admoneremur Christum in sua natura purum atque impollutum, sordes nostrorum peccatorum in sese recepisse, ut eas suo sanguine ablueret.

Cultus Dei. 24 Ex v. 22. 23. & 24. Exemplo parentum Jesu monemur, in cultu Dei simpliciter ex Dei præscripto agendum esse. hoc enim nomine commendantur parentes Jesu, quòd egerint *secundùm legem Mosis*: item, *prout scriptum est in lege Domini*: item, *secundùm id quod dictum est in lege Domini.*

Mariæ virginis partus. 25 Ex v. 23. Quum lex illa de masculis primogenitis, qui primi in partu aperiebant matricem, accommodetur Christo, tanquam in illo quoque observata: planum fit hinc, Mariam peperisse modo naturali: ac proinde falsum esse, quòd pepererit utero clauso, id est, modo miraculoso: imò impossibili, propter implicationem contradictionis, penetrationem scilicet dimensionum. Item, ineptè hinc argumentum duci ad probandum, non esse impossibile, quòd Dominus corpore suo penetrârit lapidem sepulchri, & januas clausas: quia nimirum transierit per uterum matris clausum.

Consolatio contra paupertatem. 26 Ex v. 24. Ex munere quod parentes Jesu pro illo obtulerunt, apparet fuisse eos pauperes. nam si divites fuissent: non par turturum aut duos pullos columbarum, sed agnum offerre eos oportuisset. Hæc Domini paupertas pauperibus piis servit ad consolationem. Neque enim eò minùs gratus Deo patri fuit Christus, quòd pauper natus esset, & per omnem quoque vitam in paupertate vixisset: quippe qui non habuit ubi caput reclinaret, & ex muneribus piarum mulierum sustentatus fuit. Deinde

Christi regnum. apparet ex hoc, regnum Christi non esse de hoc mundo sive terrenum: sed cæleste & spirituale.

Piorum in veteri Testamento fides. 27 Ex v. 25. Exemplo Simeonis monemur, pios in veteri Testamento fide exspectasse Christum, tanquam authorem veræ ac solidæ consolationis. Ea autem demum vera at solida consolatio est, quâ cor certificatur de paterno favore Dei, remittentis peccata propter satisfactionem Christi, & regenerantis nos per Spiritum sanctum in spem vitæ æternæ.

Quòd Jesus sit Christus. 28 Ex v. 26. & seqq. Jesum esse Christum, probatur testimonio Simeonis, quod per os illius pronuntiavit Spiritus sanctus. Frustra igitur Judæi alium Christum exspectant.

Mors piorū. 29 Ex vers. 29. & 30. Mors piorum, est veluti dimissio animæ ipsorum è vinculis tum corporis tum peccati, & transmissio in statum feliciorem. Cujus rei consideratione pii terrores mortis vincunt: quæ aliâs omnium terribilium terribilissimum videtur, ut Aristoteles scripsit: θάνατος πάντων τῶν φοβερῶν φοβερώτατον. Itaque qui terrores mortis vincere, & in pace (hoc est, animo tranquillo & firmâ spe vitæ æternæ prædito) mori cupit: is exemplo Simeonis intueatur oportet Christum, tanquam salvatorem suum. Etsi enim nobis intueri illum jam non licet oculis corporis, quod contigit Simeoni: tamen ad spem salutis nobis sufficit, intueri eum oculis fidei: quomodo ipse Simeon eum intuitus est, & ante illum omnes sancti in veteri Testamento. unde de Abrahamo patre credentium expressè dicitur, quòd viderit diem Domini, & gavisus sit, Johan. 8. Interim solatur nos certa spes, quòd ipsi quoque suo tempore oculis nostris visuri eum simus cum ineffabili gaudio. Qua spe sanctus ille Job sese sustentabat, Job 19. v. 26. & 27. & Johannes illam facit omnibus credentibus, 1. Joh. 3. v. 2. imò Christus ipse Joh. 17. v. 24.

Quorum servator sit Christus. 30 Ex v. 31. & 32. Christus in servatorem à Deo ordinatus est non tantùm pro gente Judaica, sed pro quibusvis gentibus: nempe pro iis quibus ille tanquam lumen patefit per vocationem efficacem, hoc est, qui fide justificante donantur per Evangelii prædicationem, virtute Spiritus sancti.

Populi Israëlitici prærogativa. 31 Ex vers. 32. Etsi Christus communis est servator omnium credentium, sive ex Judæis sive ex Gentibus: tamen peculiaris gloria est populi Israëlitici: quippe cui & peculiariter jam olim à Deo fuit promissus, atque etiam in plenitudine temporis exhibitus. Quò detestabilior est ingratitudo Judæorum incredulorum nostræ ætatis: qui Christum repudiant ac blasphemant, temere interim alium exspectantes. Interim nostri officii est ipsam gentem Judaicam, quam Deus tanto honore dignatus fuit, non odisse: sed potiùs studere, ut ipsos Christo lucrifaciamus.

Evangelii mysterium. 32 Ex v. 33. Electi, quum revelatur eis mysterium Evangelii de persona & officio Christi, rapiuntur in admirationem. Nec mirum. Superat enim mysterium illud omnem intellectum. Confer 1. Cor. 2. v. 7. & deinceps. Et 1. Pet. 1. v. 12.

33 Ex v. 34.

Consolatio contra incredulitatem Judæorum. 33 Ex v.34. Non debemus de veritate religionis Christianæ dubitare, propterea quòd maxima pars Judæorum Christum rejecit, & etiamnum hodie rejicit. Nam ita fore prædixit Spiritus sanctus: & quidem ita fore ex decreto Dei: in quo tanquam justo & sapiente omnibus piis est acquiescendum. Idem sentiendum de incredulitate aliorum. *Officium hominis Christiani.* Interim officii nostri est, gratias agere Deo, quòd per Spiritum sanctum in nobis effecit, ut ope Christi tanquam lapidis à lapsu nostro resurgeremus: operamq; dare ut & alii eodem modo resurgant. Confer 2.Cor.2.v.16. ubi ait Apostolus, præcones Evangelii *aliis esse odorem mortis ad mortem: aliis verò odorem vitæ ad vitam.*

Officium hominis Christiani. 34 Ex v.35. Exemplo Mariæ, quum blasphematur Christus aut veritas fidei Christianæ, acerbissimè id ferre debemus.

Consolatio contra eos qui contradicunt doctrinæ Christianæ. 35 Ex eod.v. Quum videmus contradici veritati fidei Christianæ: consolari nos debemus à sapiente consilio Dei: qui hoc modo detegere vult hypocrisin eorum, qui eandem fidem ad tempus una nobiscum profitentur, sed non sincerè. Confer 1.Cor.11. ubi ait Paulus: *Oportet hæreses inter vos esse: ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.*

Ministerium verbi Dei. 36 Ex v.36.& 38. Etsi munus docendi in Ecclesia ordinariè à Deo commissum est viris: tamen ut Deus suam agendi libertatem ostenderet, interdum mulieres quoq; spiritu prophetico donavit. qualis fuit ista Anna: & olim Mirjam soror Mosis, Exod.15. v.20. Item Hanna uxor Elkanæ, 1.Sam.2. item Hulda, 2.Reg.22. & pòst filiæ quatuor Philippi Evangelistæ, Act.21.v.9.

Castitatis exemplum. 37 Ex vers.36. & 37. In Anna proponitur exemplum castitatis in triplici vitæ statu, videlicet virginitate, conjugio & viduitate.

Pietatis exemplum. 38 Ex v.37. In eadem Anna proponitur exemplum singularis pietatis.

Christi natura humana. 39 Ex v.40. Notanda hîc duo argumenta pro veritate naturæ humanæ Christi. Unum est, quòd crevit: alterum, quòd corroboratus fuit spiritu, & impletus sapientia.

Pietatis exemplum. 40 Ex quarta parte. Ex vers.41. & 42. In parentibus Domini proponitur exemplum pietatis: in eo quòd non solùm ipsi iverunt ad festum paschæ, sed etiam puerum Jesum assumserunt.

Incuriæ exemplum. 41 Ex v.43. In iisdem proponitur exemplum negligentiæ & incuriæ circa vitam filii.

Solicitudinis paternæ ac maternæ exemplum. 42 Ex v.44. 45. & 46. Rursus in iisdem proponitur exemplum paternæ & maternæ solicitudinis erga filium amissum.

Providentia Dei exemplum. 43 Ex vers.46. & 47. In facto Christi pueri, disserentis cum doctoribus Hierosolymitanis, considerandum sapiens Dei consilium: quod fuit, præparare electos in illo populo ad hunc prophetam suo tempore audiendum & amplectendum; reprobis verò illum repudiaturis adimere excusationem.

Pietatis exemplum. 44 Ex v.48. In Maria proponitur exemplum pietatis in filio, quem peccasse putabat, reprehendendo.

Officium hominis Christiani. 45 Ex vers.49. Exemplo Domini docemur, officia quæ debemus hominibus, postponenda esse gloriæ Dei secundùm vocationem nostram. Confer simile exemplum Matth.12. vers.46. & seqq.

Vindicatio verborum Jesu, Quid est quod quærebatis me? &c. 46 Ex eod.v. Quòd Dominus duriùs reprehendit parentes, non est trahendum in exemplum: quia fuit non solùm filius, sed dominus ipsorum: quatenus Deus. Simile reprehensionis exemplum vide Joh.2.v.4.

Pietatis exemplum. 47 Ex v.51. In Domino proponitur exemplum pietatis erga parentes.

Pietatis exemplum. 48 Ex eod.v. In Maria proponitur exemplum pietatis in observandis ac meditandis operibus Dei. Confer suprà v.19.

Christi natura humana. 49 Ex v.ult. Notanda argumenta pro veritate naturæ humanæ Christi, contra dogma de ubiquitate corporis Christi; quod si ubique fuisset, proficere statura non potuisset.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hactenus de iis quæ pertinent ad Christi nativitatem & pueritiam atq; adolescentiam: deinceps sequuntur ea, quæ pertinent ad ætatem ejus virilem, videlicet quomodo administrârit munus propheticum & sacerdotale, & ex parte quoque regium. Initio autem præmittuntur ea, quibus ad munus propheticum administrandum fuit præparatus: quæ sunt numero tria: ministerium Johannis Baptistæ, quo præparati sunt auditores; baptismus Christi, in quo voce Dei præsentatus fuit, & donis Spiritus sancti repletus; & tentatio ipsius à diabolo. In hoc capite narratur primò ministerium Johannis Baptistæ, usque ad v.21. Deinde baptisatio Christi, v.21. & 22. Postremò genealogia seu recensio majorum Christi, inde usque ad finem capitis.

PRIMA PARS.

Ministerium Johannis Baptistæ.

ANno autem decimoquinto imperii Tiberii Cæsaris, Pontio Pilato procurante Judæam, tetrarchâ Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarchâ Ituraæ & Trachonitidis regionis, & Lysaniâ Abilenes tetrarchâ;
2 Sub Pontificibus maximis Anna & Cajapha; factum est verbum Dei ad Johannem Zachariæ filium, in deserto.
3 Venit igitur in omnem regionem circumjacentem Jordani, prædicans baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum:
4 Ut est scriptum in libro sermonum Esaiæ prophetæ, dicentis, Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, complanate semitas ejus.
5 Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis deprimetur: & quæ curva sunt, fient *via* recta, & asperæ viæ *fient* planæ:
6 Videbitque omnis caro salutem Dei.
7 Dicebat igitur turbæ exeunti ut baptizaretur ab ipso; Progenies viperarum, quis præmonstravit vobis quâ effugiatis futuram illam iram?
8 Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ: & ne cœperitis dicere apud vosipsos, Patrem habemus Abrahamum. Dico enim vobis, posse Deum *etiam* ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo.
9 Jam verò etiam securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor non ferens fructum bonum, exciditur, & in ignem abjicitur.
10 Tunc interrogavit eum turba, dicens, Quid igitur faciemus?
11 Respondens autem dixit eis; Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.
12 Venerunt autem & publicani ut baptizarentur: & dixerunt ei, Magister, quid faciemus?
13 Ipse verò dixit eis, Nihil ampliùs quàm quod constitutum est vobis exigite.
14 Interrogaverunt autem eum etiam milites, dicentes, Et nos quid faciemus? Et ait eis, Neminem concutite, neque per calumniam opprimite: & contenti estote stipendiis vestris.
15 Exspectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Johanne, an fortè ipse esset Christus;
16 Respondit Johannes, dicens omnibus, Ego quidem baptizo vos aquâ: sed venit qui validior me est, cujus non sum dignus qui solvam corrigiam solearum: ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni.
17 Cujus ventilabrum in manu ipsius *est*, & perpurgabit aream suam: & coget triticum in horreum suum, paleam autem exuret igni inexstinguibili.
18 Multa igitur etiam alia exhortans evangelizabat populo.
19 Herodes autem tetrarcha quum argueretur ab eo de Herodiade uxore Philippi fratris ejus, deq; omnibus sceleribus quæ ipse fecerat,
20 Adjecit & hoc supra omnia, quòd inclusit Johannem in carcere.

Primùm describitur tempus quo Johannes Baptista ad prædicandum surrexit: 2. indicatur causa impulsiva quæ ipsum ad prædicandum movit: 3. locus ubi prædicavit: 4. subjectum occupans sive objectum in quo prædicando elaboravit: 5. adjunctus ritus: 6. adjuncta prophetia Esaiæ: 7. objectum repetitur ac specialiter declaratur: 8. eventus, nempe præmium prædicationis ab Herode tributum. *Tempus* describitur, v.1.& 2. ab illustribus viris quorum imperio Judæi tunc subjecti erant. *Causa impulsiva* fuit mandatum Dei: quod significatur his verbis, *Factum est verbum Dei ad Johannem &c.* Hoc mandatum illustratur v.2. à subjecto loco ubi fuit pronuntiatum, videlicet in deserto illo Judææ ubi Johannes versabatur, suprà cap.1.v.80. Matth.3.1. *Locus* ubi prædicavit, fuit omnis regio circumjacens Jordani, v.3. *Objectum* prædicationis fuit resipiscentia & remissio peccatorum. Hortatus fuit auditores ad resipiscentiam & fidem in Christum: & resipiscentibus atque credentibus promisit remissionem peccatorum, ibid. *Adjunctus ritus* fuit baptismus: quo doctrinam suam obsignavit, testificando scilicet, sanguine Christi ablutum iri sordes peccatorum omnibus resipiscentibus & in Christum credentibus, ibid. *Adjuncta prophetia* Esaiæ recitatur v.4.5. & 6. qua prædicitur, Johannem prædicaturum in deserto, exhortaturum ad resipiscentiam, & Christum exhibitum demonstraturum.

Objecti declaratio sive narratio specialis continetur v.7.& deinceps usque ad 19. ubi primùm narratur, quibus verbis auditores hortatus sit ad resipiscentiam, v.7.8.& 9. deinde quibus verbis eos informârit de officiis, à v.10.usque ad 15.tum quibus verbis testimonium dederit Christo, v.15.16.& 17. Cui toti narrationi annectitur ἀπόδειξις, v.18. Ad resipiscentiam hortatus est reprehendendo eos acerrimè propter insignem malitiam, ubi ait, *Progenies viperarum.* deinde denuntiando iram DEI nisi resipuerint, ubi ait, *Quis præmonstravit vobis ut fugeretis à futura ira*: tum exhortando ad resipiscentiæ effecta, videlicet bona opera, ubi ait, *Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ.* adhæc refutando inanem ipsorum fiduciam qua acquiescebant in origine suæ gentis ex Abrahamo, ubi ait, *Et ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abrahamum &c.* Postremò iterum denuntiando iram DEI non resipiscentibus, ubi ait, *Jam verò etiam securis &c.* De officiis informavit eos distinctè: primùm turbam seu plebem, v.10 & 11. Deinde publicanos, v.12.& 13 tum milites, v.14. In quibus membris singulis narratur causa impulsiva istius informationis, videlicet petitio illorum quos informavit. Narratio testimonii quod perhibuit Christo, illustratur indicatione causæ impulsivæ, videlicet falsæ opinionis populi de Johanne, quasi ipse esset Christus, v.15. deinde antithesi diversorum & collatione imparium. Suum enim officium officio Christi tanquam diversum opponit, quum ait, Se baptizare aquâ: Christum verò baptizaturum Spiritu sancto & igni. Item suam personam cum persona Christi comparat tanquam multò inferiorem: ubi ait, *Sed venit qui validior me est, cujus non sum dignus &c.* Tum expositione speciali officii Christi: quod notat duplex; primò regium, ubi ait, *Baptizabit vos Spiritu sancto & igni:* deinde propheticum, quod significat similitudine ventilantis triticum: ubi efficaciam regiam simul connotat: quam significat duplicem, salutem scilicet electorum & exitium reproborum: quorum illos nomine tritici, istos verò nomine paleæ significat. Eventus, nempe præmium Johanni pro fideli sua prædicatione tributum ab Herode, fuit carcer: ubi per synecdochen membri simul intelligendum supplicium capitis quod in carcere jussu Herodis perpessus est: ut Matthæus narrat. Istius autem sceleris Herodis indicatur causa impulsiva specialis, videl. objurgatio ipsius à Johanne propter adulterium cum Herodiade.

SECUNDA PARS.
Baptizatio Christi.

21 Factum est autem quum baptizaretur omnis populus, & Jesus baptizatus esset, & precaretur, ut apertum sit cælum:

22 Ac descenderit Spiritus sanctus corporeâ specie tanquam columba, supra eum; & vox de cælo exstiterit, dicens, Tu es filius ille meus dilectus, in te acquiesco.

Baptizatio Christi illustratur ab *adjunctis*: ac primùm ab adjuncta baptizatione populi: deinde ab adjunctis precibus Christi: tum ab adjuncto miraculo columbæ super ipsum è cælo descendentis, & vocis de ipso indidem auditæ: postremò ab adjuncta ætate, in principio v.23. quod huc est assumendum. Cæterùm illo miraculo continetur testimonium divinum vocationis Jesu ad munus propheticum. Etenim columba fuit symbolum præsentiæ singularis & gratiosæ operationis Spiritus sancti, replentis Jesum donis ad fungendum munere ipsius prophetico necessariis: vox verò Dei Patris vim habuit mandati de hoc doctore audiendo: ut qui sit filius ille Dei dilectus, in quo pater unicè acquiescit. Et sanè mandatum illud aliàs, quum eadem vox fuit pronuntiata, expresse fuit adjectum: videlicet. *Ipsum audite*, Matth.17.v.5. quum Jesus in monte transformatus esset coram tribus discipulis.

TERTIA PARS.
Genealogia Christi.

23 Ipse autem JESUS incipiebat esse quasi annorum triginta, filius (ut existimabatur) Josephi, *filii* Heli,

24 *Filii* Matthat, *filii* Levi, *filii* Melchi, *filii* Janna, *filii* Joseph,

25 *Filii* Matthathiæ, *filii* Amos, *filii* Naum, *filii* Esli, *filii* Naggæ,

26 *Filii* Maath, *filii* Mattathiæ, *filii* Semei, *filii* Joseph, *filii* Juda,

27 *Filii* Joanna, *filii* Rhesa, *filii* Zorobabel, *filii* Salathiel, *filii* Neri,

28 *Filii* Melchi, *filii* Addi, *filii* Cosam, *filii* Elmodam, *filii* Er,

29 *Filii* Jose, *filii* Eliezer, *filii* Jorim, *filii* Matthat, *filii* Levi,

30 *Filii* Simeon, *filii* Juda, *filii* Joseph, *filii* Jonan, *filii* Eliakim,

31 *Filii* Melea, *filii* Mainan, *filii* Mattatha, *filii* Nathan, *filii* David,

32 *Filii* Jessæ, *filii* Obed, *filii* Boos, *filii* Salmon, *filii* Naasson,

33 *Filii* Aminadab, *filii* Aram, *filii* Esron, *filii* Phares, *filii* Judæ,

34 *Filii* Jacob, *filii* Isaac, *filii* Abraham, *filii* Thara, *filii* Nachor,

35 *Filii* Saruch, *filii* Ragau, *filii* Phalec, *filii* Heber, *filii* Sale,

36 *Filii* Arphaxad, *filii* Sem, *filii* Noë, *filii* Lamech,

37 *Filii* Mathusala, *filii* Henoch, *filii* Jared, *filii* Mahalaleel, *filii* Caïnan,

38 *Filii* Henos, *filii* Seth, *filii* Adam, qui fuit DEI.

Progenitores Christi recensentur *ascendendo*, inde à Josepho sponso Mariæ virginis usque ad Adamum primum hominem. Ubi observandum, recenseri hîc genus Christi maternum: nam quòd Joseph dicitur fuisse filius Heli, id intelligendum ac si diceretur gener Heli: cujus deinde progenitores ordine recensentur. Qua de re diximus plura in Analysi Matthæi.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Tetrarchâ Galilææ Herode] τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρώδου. *Græcum expressius, quia plenius. nam in Latino oportet subaudiri inusitatum participium verbi substantivi; quasi dicatur,* tetrarchâ ente, τετράρχου ὄντος, *id est, quum esset tetrarcha, sive eo tempore quo erat tetrarcha. Græcum sonat, ac si dicas,* tetrarchante, *id est,* quum tetrarcharetur. *Sic mox iterum,* Φιλίππου τετραρχοῦντος *&c.*

2 Factum est verbum Dei ad Johannem] ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην. *Ad verb.* Super Johannem. *Id est, Spiritus sanctus quasi descendit super Johannem sive in Johannem, eumq́ instigavit ut prodiret atque surgeret ad obeundum ministerium suum, cui ab utero matris fuerat consecratus, & de quo hauddubiè à patre Zacharia jampridem fuerat edoctus. Formula ista crebrò occurrit in Prophetis, præsertim in Jeremia: & nomine* verbi *significatur mandatum docendi, per synecdochen generis.* In deserto] ἐν τῇ ἐρήμῳ. *Nempe in deserto Judææ: quod innuit articulus. Illic enim degebat cum parentibus. Confer suprà 1.39.*

3 In omnem regionem circumjacentem Jordani] εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου. *Subaudi* γῆν *vel* χώραν. *Vide scholia in Matth.3.1.* Prædicans baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum] κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Quomodo hæc verba sint intelligenda, exposui in Marc.1.4.*

4 Vox clamantis, *&c.*] φωνὴ βοῶντος, *&c. Hæc verba exposui in Matth.3.3.*

5 Vallis] φάραγξ. *Vox Græca propriè significat barathrum, id est, profundam atque præruptam terræ cavitatem sive hiatum.* Fient *via* recta] ἔσται εἰς εὐθεῖαν *Scil* ὁδὸν. *Ad verb.* Erunt (*id est, evadent*) in viam rectam. *Phrasis Hebræa. Sic,* καὶ αἱ τραχεῖαι (*scil.* ὁδοὶ, *scil.* ἔσονται) εἰς ὁδοὺς λείας: Et asperæ viæ erunt in vias planas, *hoc est, fient viæ planæ. Nomen,* λεῖος, α, ον, *propriè est levis, e, è longo.* glatt. *Metonymia effecti. nam planities reddit corpus leve: sicut curvitas & inæqualitas asperum.*

6 Omnis caro] πᾶσα σάρξ. *Id est, Omnis homo: ut in illo,* Omnis caro fœnum. *Et alibi passim. Synecdoche membri.* Salutem Dei] τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. *Ut suprà v.30.*

7 Turbæ] ὄχλοις. *Ac inprimis Pharisæis & Sadducæis, Matthæi 3 v.7.* Exeunti] ἐκπορευομένοις. *Id est, quæ domo profecta, ad eum venerat. Synecdoche membri metonymica: nam unà cum effecto destinato intelligitur finis.* Ut baptizaretur] βαπτισθῆναι. *Pro,* τοῦ βαπτισθῆναι *Scil.* ἕνεκα. Quis præmonstravit &c.] τίς ὑπέδειξεν, *&c. Vide scholia in Matth.3.7.*

8 *Etiam* ex lapidibus] ἐκ τῶν λίθων. *Subaudienda conjunctio* καὶ, *nota majoris. Est enim amplificatio à majori: quasi dicat, Non solùm ex hominibus, sed etiam ex lapidibus: quod scil. plus est & magis mirabile.*

13 Exigite] πράσσετε. *Ad verb.* Agite *vel* Facite. *Synecd generis Græca, quam Syrus quoque interpres intellexit, ut qui reddiderit verbo.* Quærendi מתבע *methbábh, id est, poscendi sive exigendi.*

14 Neque per calumniam opprimite] μηδὲ συκοφαντήσητε. *Synecdoche membri metonymica: nam unà cum effecto destinato intelligitur finis. Verbum* συκοφαντεῖν, *quod Plautus reddidit* sycophantari, *significat falsò aliquem criminari: deductum à nomine* συκοφάντης, *quo apud Athenienses propriè significabatur is qui magistratui indicasset illum qui ficus extra regionem exportasset,* παρὰ τὸ τὰ σῦκα φαίνειν, *ex eo quòd ficus indicaret, hoc est, quid de ficubus actum esset, Hinc* συκοφαντεῖν *per synecdochen speciei, falsò criminari: ex eo nimirum quòd sycophantæ isti Athenienses falsò sæpenumero criminarentur, lucri causâ. Eodem verbo in simili significatione utitur Lucas infr.cap.19.v 8. in sermone Zachæi, inter alia dicentis:* εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα *Si quid cuipiam per calumniam eripui &c.* Stipendiis vestris] τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν. *Id est, cibariis & pecuniâ. Synecdoche membri.* ὀψώνια *propriè cibaria sunt.*

15 An fortè] *μή ποτε. Pro, εἴ ποτε vel εἰ ἄρα: ut 2.Tim.2.25. μή ποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν, Si forte det eis Deus resipiscentiam.* Ob villeicht. *Alii* Númnam. *Sed ejus vocis usus tantùm est (quod sciam) in interrogatione directâ: ut apud Terent.* Númnam periimus? *Adverbium autem ποτὲ, id est,* aliquando, *in hac phrasi notat eventum, incertum quidem illum, veruntamen verisimilem. Nec Latini (quod sciam) aliâ voce eam exprimere solent, quàm illâ* Forte: *cujus quidem vis nativa impiam opinionem connotat: quasi scilicet res humanæ eveniant gubernante* Forte, *id est, fictitiâ illâ deâ quæ usitatiùs Fortuna nominatur. Verum enimverò quum sacri scriptores Novi Testamenti non abhorruerint à verbo χρηματίζεσθαι & nomine χρησμὸς, quibus profani authores ad diabolica sua oracula significanda sunt usi: puto pari ratione licere uti vocabulo* Forte, *ad eventum incertum significandum.*

16 Spiritu sancto] *ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Ad verb.* In Spiritu sancto. *Hebraism. Germanicè,* Mit dem hailigen Gaist. Et igni] *καὶ πυρί. Vide scholia in Matthæum.*

19 De Herodiade] *περὶ Ἡρωδιάδος. Id est, propter Herodiadem, quòd scilicet illam secum haberet, eâq; pro uxore uteretur, Matth.14.v.3.& 4.* Deque omnibus &c.] *καὶ περὶ πάντων ὧν ἐποίησε. Pro, ἐκείνων ἃ ἐποίησε. Hellenismus.* Ipse] *ὁ Ἡρώδης. Repetitio antecedentis Hebraica.*

23 Incipiebat esse] *ἦν ἀρχόμενος. Ad verbum,* Erat incipiens. *Sensus est, Nuper ingressus erat annum ætatis trigesimum: scilicet quum baptizaretur, ac paulo-pòst prodiret ad prædicandum, ex collatione præcedentium & sequentium.* Ut existimabatur] *ὡς ἐνομίζετο. Scilicet falsè.* Fili Heli] *τοῦ Ἡλί. Ad pronomen τοῦ, subaudiendum υἱοῦ, hìc & deinceps, usque ad membrum ultimum. nam Adam non fuit filius Dei, id est, è substantia Dei genitus, sed à Deo è pulvere terræ creatus. Quanquam hìc nomen filii significat generum: qui loco filii habebatur: sicut in libro Ruth pia illa vidua Noomi nurus suas, filias suas nominat. Ruth.1.v.11. Caterùm de discrimine hujus genealogiæ à genealogia quæ exstat Matth.1. vide Analysin illius loci.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

Johannis Baptistæ testimonium de Christo. 1 Ex vers.1.2.& 4. Testimonium Johannis Baptistæ de Christo recipiendum est: tum quia certò fuit pronuntiatum, tum quia pronuntiatum ex mandato Dei, tum quia per prophetas prædictum.

Baptismus. 2 Ex vers.3. Baptismus divinum testimonium est, quòd Deus peccata remittat resipiscentibus & credentibus in Christum.

Quòd Jesus sit Christus. 3 Ex v.4. Notanda pars argumenti quo probatur, Jesum Mariæ virginis filium, esse Christum: quia scilicet habuit præcursorem Johannem Baptistam, sicut de Christo prædictum fuit per Esaiam.

Officium hominis Christiani. 4 Ex v.4.& seqq. usque ad 15. Ut Christus tanquam servator noster ad nos veniat, & ut effugiamus futuram illam iram, oportet nos parare illi viam per veram resipiscentiam, & ferre fructus convenientes resipiscentiæ.

Officium ministrorum verbi Dei. 5 Ex v.7.8.& 9. In Johanne proponitur exemplum justæ severitatis à pastoribus Ecclesiæ adhibendæ in reprehendendis hypocritis.

Vitæ æternæ causa. 6 Ex vers.8. Carnalis origo ex Abrahamo per se nihil facit ad consequendam vitam æternam: sed illi demum vitam æternam cum fideli Abrahamo consequentur, qui incedunt vestigiis fidei ipsius: undecunque genus ducant.

Officium hominis Christiani. 7 Ex v.11. Fides in Christum, operibus charitatis erga proximum demonstranda est.

Anabaptistarum error. Politici ordines. 8 Ex v.13. & 14. Evangelium non abolet ordines politicos: quales sunt publicanorum & militum: sed officia justitiæ à singulis requirit. Errant igitur Anabaptistæ, qui putant, hominem Christianum non posse bonâ conscientiâ militare.

Christi deitas. 9 Ex vers.15.16. & 17. Notandum testimonium Johannis de Christo: quo continentur tria argumenta pro deitate Christi. Primùm, quòd Johannes, tantus propheta, fatetur se non esse dignum qui solvat corrigiam solearum ipsius: secundum, quòd affirmat eum baptizaturum Spiritu sancto: tertium, quòd significat eum vitam æternam daturum piis, impios verò damnaturum.

Evangelii efficacia. 10 Ex v.17. Evangelium est veluti ventilabrum quo reprobi ab electis, quibus tanquam paleæ tritico, admixti sunt, separantur. id quod fit, dum electi promissionem Evangelii fide accipiunt, reprobi verò eandem repudiant. Hinc Paulus ait, præcones Evangelii esse *aliis odorem vitæ ad vitam, aliis odorem mortis ad mortem,* 2.Cor.2.v.15.& 16.

Sinceri ministri verbi Dei exemplum. Tyranni exemplum. 11 Ex v.19.& 20. In Johanne proponitur exemplum sinceri & constantis pastoris Ecclesiæ. In Herode verò proponitur exemplum tyranni.

Christi circumcisio & Baptizatio. 12 Ex vers.21. Quemadmodum Christus fuit circumcisus, ut testatum faceret, se communionem habere velle cum circumcisis in ipsum credentibus: ita fuit quoque baptizatus, ut testatum faceret, se communionem habere velle cum baptizatis in ipsum credentibus.

S.Trinitas. 13 Ex v.22. Notanda insignis patefactio S.Trinitatis.

Christi doctrina. 14. Ex eod.v. Christi doctrina citra ullum dubium vera ac cælestis est: quum vivâ Dei voce cælitus demissâ, in prophetam seu doctorem Ecclesiæ, audiente Dei populo, sit ordinatus.

Christi deitas. 15 Ex eod.v. Notandum testimonium pro deitate Christi.

Christi officium. 16 Ex v.23. & deinceps usque ad finem capitis. Ex eo quòd genealogia Christi ad Adamum usque, primum nostrum parentem, deducitur, monemur: Christum esse semen illud mulieris (nempe Evæ, uxoris Adami) quod contriturum erat caput serpentis, hoc est, diaboli, Gen.3.v.15. Deinde monemur, Christum communem esse servatorem omnium electorum hominum, videlicet tum ipsius Adami & Evæ, tum ortorum ex ipsis. Confer Rom.5.v.18.& 19. item 1.Cor.15.v.22. Heb.2.v.14.& deinceps.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Sequitur alia præparatio Christi ad munus ipsi propheticum fungendum, videlicet tentatio à diabolo, usque ad v.14. Deinde narratur initium prædicationis Christi, v.14. & 15. Tum sermo habitus Nazarethæ, usque ad v.31. Præterea ejectio dæmonii in synagoga Capernaümi, usque ad v.39. Adhæc sanatio socrus Petri, v.38.& 39. Postea sanatio multorum ægrotorum & dæmoniacorum, v.40. & 41. Postremò continuatio prædicationis in Galilæa. Ita sunt septem partes.

PRIMA PARS.

Tentatio Christi à diabolo.

JESUS autem plenus Spiritu sancto revertit à Jordane, & actus est per *eundem* Spiritum in desertum;

2 *Ubi erat* dies quadraginta, & tentabatur à diabolo. Neque comêdit quicquam per illos dies; sed iis exactis, postea esuriit.

3 Tunc dixit ei diabolus; Si filius es Dei, dic isti lapidi ut fiat panis.

4 Et respondit ei JESUS dicens; Scriptum est, Non ex pane solo victurus est homo, sed ex omni verbo Dei.

5 Tunc quum subduxisset eum diabolus in montem sublimem, ostendit ei omnia regna orbis terrarum, in puncto temporis.

6 Et ait ei diabolus, Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum *regnorum.* nam mihi tradita est, & cuicunque voluero, do eam.

7 Itaque si tu adoraveris me, erunt tua omnia.

8 Respondens autem Jesus dixit ei, Abscede à me Satana: Scriptum est enim, Adorabis Dominum Deum tuum, & ei soli servies.

9 Tunc duxit eum Hierosolymam, & eum statuit supra pinnas templi: & dixit ei; Si filius Dei es, dejice te hinc deorsum.

10 Scriptum est enim, Angelis suis mandabit de te, ut custodiant te.

11 Et, In manus tollent te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum.

12 Respondens autem JESUS dixit ei; Dictum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.

13 Et finitâ omni tentatione, diabolus abscessit ab eo ad tempus.

Primùm indicatur locus ubi tentari cœpit: 2. tempus quo tentari cœpit: 3. occasio quam diabolus ad ipsum tentandum arripuit: 4. tentationes ipsæ narrantur, numero tres: 5. narratur eventus. *Locus* ubi tentari cœpit, fuit desertum, videlicet desertum Judææ; ut percipi potest ex collatione hujus loci cum v.2. capitis tertii, & cum vers.ult. capitis primi: item cum v.39. ejusdem capitis: & denique ex collatione verborum in hoc ipso versu. Ex omnibus enim istis locis apparet, intelligi hìc desertum illud in quo educatus erat Johannes Baptista, & unde prodierat ad Jordanem, ut ibi prædicaret & baptizaret: illud autem fuit desertum Judææ, ut liquet ex capitis primi vers.39. collato cum vers.ult. ejusdem capitis. Cæterùm loci indicatio illustratur notatione temporis quo Christus in illum locum vênit, & causâ impulsiva, à qua, ut eò iret, impulsus fuit. *Tempus* notatur his verbis: *Jesus autem plenus Spiritu sancto, revertit à Jordane, & actus est ab eodem Spiritu &c.* Quibus verbis significatur, Jesum statim à suscepto baptismo in desertum ivisse. Causa impulsiva fuit Spiritus sanctus: ut significatur his verbis, *Actus est ab eodem Spiritu.* Scopus autem Spiritus sancti fuit, ut Jesum objiceret diabolo tentandum: sicut expresse tradit Matthæus cap.4. vers.1. Simul autem hìc occasione transitionis narratur eventus miraculosæ illius incubationis columbæ super Jesum quum baptizaretur, nempe quòd tunc fuerit repletus Spiritu sancto, id est, donis Spiritus sancti ad munus ipsius propheticum necessariis. Unde percipitur, istam columbæ incubationem symbolum fuisse gratiosæ illius operationis Spiritus sancti. Tempus quo tentari cœpit, indicatur in principio versus se-

cundi, videlicet exactis in deserto quadraginta diebus. Temporis indicatio amplificatur ab adjuncto miraculo, nempe quòd per illos dies nihil quicquam comederit, ac ne esurierit quidem. Porrò quid egerit quadraginta illis diebus, non narratur: sed ex consideratione circumstantiarum colligitur, meditatum esse ea quæ pertinebant ad fungendum munere prophetico, Deique benedictionem ad illud rectè & cum fructu fungendum precibus petivisse.

Occasio quam Diabolus ad ipsum tentandum arripuit, notatur per cohærentiam principii versus tertii cum fine versus secundi: his scilicet verbis: *Esuriit: tunc dixit ei diabolus &c.* Occasionem igitur arripuit ex esurie seu fame Christi, hoc est, indigentia atque appetitione cibi.

Tentatio prima narratur v.3. cujus finis fuit, avertere Christum à fiducia filiali erga Deum: eique persuadere, ipsum non esse filium illum Dei dilectum, ac proinde vocem illam in ipsius baptismo cælitus auditam, *Tu es filius ille meus dilectus &c.* nihil ad ipsum pertinere. Argumentum ducit ex effectu, videl. desertione Dei. Cujus hæc videtur esse vis:

Si esses filius Dei: Deus te non desereret.
At deserit: quia esurienti non præbet panem. Præberet autem vel cum miraculo, creando scilicet panem ex præsentibus lapidibus: nisi te deserere constituisset ac permittere ut fame pereas.
Ergo non es filius Dei: & per consequens temere ac frustra Deo ut patri confidis.

Hujus tentationis depulsio & argumenti diabolici refutatio subjicitur v.4. Opponit autem dictum Scripturæ ex Deut.8.v.3. quo continetur promissio conservationis illorum qui Deo fidunt, ac fideliter ei serviunt. Vis refutationis consistit in eo, quòd negatur assumtio, illiusque probatio: quatenus ostenditur falsitas hypotheseos qua probatio illa nititur, quasi scilicet Deus homines in vita hac conservaret per solum panem. Panem igitur non esse solitariam causam (scilicet instrumentalem) vitæ sustentandæ, probat Christus testimonio illo Scripturæ. quo simul innuitur testimonium experientiæ, videlicet exemplum Israelitarum in deserto degentium: quos Deus sustentavit sine pane, præbens eis mannam, cibum scilicet quendam in aëre creatum quotidie, atque inde ad castra Israelitarum depluentem.

In scholiis Matth. ad v.5. cap.4. *Secunda tentatio* (quæ tamen ex ordine rei gestæ fuit tertia atque postrema: ut colligitur ex narratione Matthæi cap.4. & ibidem à nobis est demonstratum) narratur v.5.6. & 7. Ac primùm indicatur locus ubi illa tentatio facta est: deinde adjuncta præparatio: tum tentatio ipsa. Locus fuit mons sublimis. Illius indicatio declaratur à causa efficiente, cujus vi Dominus eò pervênit, videlicet eò subductus à diabolo. Quæ ipsa subductio amplificatur ab adjuncta duratione temporis: nempe quòd diabolus Dominum in montem illum subduxerit in puncto temporis: quo innuitur maximum diaboli robur. Præparatio fuit, quòd ostendit ei omnia regna terræ: ut videlicet accenderet cor ejus cupiditate illa possidendi, atque ita maximis opibus & gloria in hoc mundo fruendi. Tentationis scopus fuit, Dominum planè avertere à cultu Dei. Ad hanc autem apostasiam solicitavit eum argumento ducto ab effectu utili, videl. adeptione maximæ potentiæ atque gloriæ in mundo. Hoc argumentum sic potest concludi:

Si tu per adorationem mei poteris adipisci summam potentiam atq; gloriam in mundo: rectè feceris, si me adoraveris.
Atqui per adorationem mei id poteris adipisci.
Ergo rectè feceris, si me adoraveris. Quare me adorato, ac proinde à Deo deficito.

Assumtionem probat à causis efficientibus, videl. tum voluntate sua, tum facultate. Voluntatem, quòd scil. velit ei dare istam potentiam & gloriam, si se adoraverit, significat his verbis, *Tibi dabo potestatem hanc &c.* Item, *Si tu adoraveris me, erunt tua omnia.* Facultatem significat his verbis: *Nam mihi tradita est: & cuicunq; voluero, do eam.* Depulsio hujus tentationis subjicitur v.8. Cujus vis in eo consistit, quòd negatur connexum syllogismi principalis, quatenus probatur consequentis contrarium, videl. solum Deum adorandum esse. Syllogismus sic est:

Si solus Deus adorandus est: tu igitur Satan non es adorandus, quia nimirum non es DEUS, *sed creatura.*
At solus Deus adorandus est. Hoc probat Dominus testimonio mandati divini ex Deut.6.v.16. & cap.10.v.20.
Tu igitur non es adorandus: & per consequens non rectè fecero, si te adoravero.

Conclusio amplificatur ex effectu, videl. increpatione Satanæ & mandato discedendi.

Tertia tentatio (quæ secundùm ordinem rei gestæ fuit secunda) narratur v.9.10. & 11. Ac primùm indicatur locus, deinde præparatio, tum tentatio ipsa. Locus fuit pinna templi Hierosolymitani. Præparatio, quòd diabolus Dominum ibi statuit, ut nimirum esset expeditus ad desiliendum.

Tentationis scopus fuit, accendere animum Domini cupiditate inanis gloriæ, ex miraculosa scilicet illa desilitione de pinna templi; ut nimirum civibus Hierosolymitanis videretur homo cælitus delapsus ac proinde divinus. Item temerariâ confidentiâ in protectione Dei. Syllogismus sic est.

Si desiliendo de pinna templi, consequi poteris gloriam divinam coram mundo: rectè feceris, si desilieris.
Atqui desiliendo poteris gloriam illam consequi.
Ergo rectè feceris, si desilieris.

Assumtionem probat ab eventu: quia futurum sit ut inter desiliendum non lædatur, sed integer ac salvus conservetur. Quod ipsum probat testimonio promissionis divinæ, & testimonio professionis ipsius Domini: qui in prima tentatione fuerat professus, se Deo confidere, fore ut se conservet etiam sine pane. Syllogismus:

Si es filius Dei, filiali ve fiduciâ erga Deum præditus: inter desiliendum Deus te conservabit. talem enim conservationem filiis suis, sibi confidentibus, promisit, Psal.91.
At es filius Dei, filiali ve fiduciâ erga Deum es præditus. Id enim ipse profiteris, tibiq; persuades.
Ergo inter desiliendum Deus te conservabit.

Depulsio hujus tentationis narratur v.12. Cujus vis est in eo, quòd negatur connexum syllogismi principalis, quatenus probatur consequentis contrarium: nempe se non rectè facturum, si de pinna templi desiliret fiduciâ protectionis divinæ. Hoc probat ab effectu. Nam si id faceret, se tentaturum Deum: Atqui Deum non esse tentandum: id quod probat testimonio mandati divini.

Hactenus de tribus tentationibus. *Eventus* narratur v.13. nempe victoria Domini, quæ significatur ex facto diaboli, ut qui responsis Domini repulsus atque confusus abiit, Dominumque missum fecit. Quod ipsum amplificatur ab adjuncta duratione temporis: nempe quòd eum missum fecerit ad tempus. quo significatur, identidem rediisse ad Dominum tentandum atque vexandum.

SECUNDA PARS.

Initium prædicationis CHRISTI.

14 Reversus est autem JESUS cum virtute Spiritus
in Galilæam: & fama de eo exiit in totam circumjacentem regionem.
15 Et ipse docebat in synagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus.

Primùm indicatur *causa impulsiva*, quæ Christum ad prædicationem inchoandam impulit, videlicet virtus Spiritus sancti. Deinde *locus* ubi prædicare cœpit, videlicet Galilæa. Cujus rei causam exponit Matthæus cap.4.v.12. & deinceps. Tum *eventus*, nempe fama. Postea iterum *locus*, sed specialior, videlicet synagogæ Galilæorum. Postremò iterum *eventus*, nempe laus ab auditoribus.

TERTIA PARS.

Sermo habitus Nazaretha.

16 Vênit igitur Nazaretham ubi fuerat nutritus: &
intravit, ut consueverat, die sabbathi, in synagogam: &
surrexit ut legeret.
17 Tunc datus est ei liber Esaiæ prophetæ; quumq;
explicuisset librum, invênit locum ubi scriptum erat;
18 Spiritus Domini super me, propterea quòd
unxit me: ut evangelizem pauperibus misit me: ut
sanem contritos corde, ut prædicem captivis dimissionem, & cæcis visum; ut confractos emittam in libertatem:
19 Ut prædicem annum Domini acceptum.
20 Et complicatum librum quum reddidisset ministro, consedit: & omnium in synagoga oculi erant intenti in eum.
21 Cœpit autem eis dicere, Hodie impleta est hæc
scriptura audientibus vobis.
22 Et omnes testimonium ei dabant, ac mirabantur super sermonibus gratiosis, qui procedebant
ex ore ipsius, dicebantque, Nónne iste est filius Josephi?
23 Et dixit ad eos, Omnino dicetis mihi hoc proverbium; Medice, cura teipsum: quæcunque audivimus facta fuisse Capernaümi, fac etiam hîc in patri tua.
24 Dixit autem; Amen dico vobis, Nullus propheta acceptus est in patria sua.
25 Sed in veritate dico vobis, multæ viduæ erant
diebus Eliæ in Israële, quando clausum est cælum ad
annos tres & sex menses, quumque fuit fames magna
per totam regionem:

26 Sed

26 Sed ad nullam illarum missus est Elias nisi Sareptam *urbem* Sidonis, ad mulierem viduam.

27 Et multi leprosi erant in Israële sub Elisæo propheta: sed nemo eorum purgatus est nisi Naaman Syrus.

27 Tum repleti sunt omnes excandescentiâ in synagoga, hæc audientes.

29 Et quum surrexissent, ejecerunt eum extra urbem, & duxerunt eum usque ad supercilium montis super quem urbs ipsorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.

30 Ipse verò quum transisset per medium eorum, profectus est.

Primùm indicatur tempus, quo Dominus sermonem hunc habuit, 2.locus specialis ubi eum habuit, 3.præparatio, 4.sermonis summa, 5.eventa, 6.sermo alius, 7.sermonis illius posterioris eventa. *Tempus* fuit dies sabbathi, v.16. *Locus*, synagoga Nazarethana, ibid. *Præparatio* continet actiones varias CHRISTI, atque unam auditorum. Actiones Christi quibus sese ad sermonem habendum præparavit, fuerunt hæ: 1.petivit sibi dari librum sacrum. hoc significatur istis verbis, *Surrexit ut legeret.* 2.Dato libro Esaiæ, explicuit illum. 3.Invênit locum qui exstat in principio capitis 61. continens prophetiam de officio Christi prophetico: sive locum illum ipse de industria quæsiverit, sive librum explicanti mox sit oblatus divinitus. 4.Librum iterum complicavit post locum illum inde lectum. 5.Reddidit librum ministro. 6.Consedit. Atque sic ad docendum se præparavit Dominus. Auditores verò ad audiendum se præpararunt, intendendo oculos in ipsum. *Sermonis summa* indicatur v.21. nempe quòd prophetiam illam Esaiæ exposuerit de seipso, atque ita populares suos erudierit de suo officio prophetico, & per consequens etiam de sacerdotali & regio. nam officii prophetici hoc erat objectum, doctrina videlicet de remissione peccatorum & vitâ æternâ per ipsum ut sacerdotem & regem comparandâ & populo Dei communicandâ. *Eventa* illius sermonis narrantur duo, v.22. nempe laudatio ab auditoribus, & admiratio. Admiratio autem illa illustratur expositione causarum proximarum: quæ indicantur duæ, gratia seu suavitas sermonis, & loquentis ortus atque educatio humilis. Prior causa exprimitur his verbis, *Mirabantur super sermonibus gratiosis qui procedebant ex ore ipsius.* Posterior causa significatur his verbis, *Nónne iste est filius Josephi?* ortus scilicet humili parente, nempe fabro: atque educatus ab illo humiliter, nempe ad operas fabriles. quasi dicant: Unde igitur illi tanta sapientia atque eloquentia, quum non didicerit literas? Confer Matth.13. v.54. Marc.6. vers.2.& 3. *Alter sermo* directus est ad reprehendendum eos propter incredulitatem, quòd nolebant doctrinæ ipsius credere, nisi eam confirmaret miraculo. Hujus sermonis occasio notatur per cohærentiam narrationis: nempe per cohærentiam principii v.23. cum fine v.22. quòd scilicet Dominus ex istis verbis, *Nónne iste est filius Josephi?* animadvertisset: populares suos in ipso offendi, ac proinde fidem derogare ipsius doctrinæ. Et sanè hanc incredulitatem Matthæus cap.13.v.ult. & Marcus cap.6. v.6. expressè commemorant. Primum autem contra ipsorum incredulitatem se consolatur exemplo aliorum piorum doctorum, quibus idem evenire soleat: quod ipsum proverbiali sententiâ confirmat. Deinde incredulitatis eos perstringit significatione desiderii ipsorum, quòd scilicet desiderent ab ipso videre miraculum, secus non credituri doctrinæ ipsius. Hoc desiderium illustrat simili proverbiali, & confirmat argumento à pari, videlicet exemplo miraculorum editorum apud Capernaïtas. Fecisti miracula Capernaümi: Ergo fac etiam hîc. Hoc argumentum amplificant à minori, quum addunt, *In patria tua.* q.d. Exteros dignatus es miraculis: Ergo multò magis nos dignare, qui sumus tui populares: Alios curavisti: ergo multò magis teipsum cura. Tum negat se miraculum apud ipsos editurum: rationemque sui facti reddit hanc, quòd non habeat hujus rei mandatum à Deo: quippe qui ipsos non dignetur miraculis. Quod ipsum significat commemoratione duorum similium exemplorum ex historia sacra, videlicet miraculosæ sustentationis viduæ Sareptanæ tempore famis, vers.25. & 26. & miraculosæ sanationis Naamanis Syri, v.27. Sententia est: Sicut Deus temporibus Eliæ non omnes Israëlitas dignatus est miraculosâ sustentatione in fame, sed solam illam viduam Sareptanam: & sicut temporibus Elisæi non omnes leprosos apud Israëlitas aut vicinos dignatus est miraculosâ purgatione, sed solum Naamanem Syrum: ita nunc non omnes Galilæos aut Judæos dignatur miraculis, atque inter illos etiam vos. Quapropter quum sciam, hanc esse voluntatem patris mei, non faciam apud vos miracula. *Eventa* hujus sermonis, alia ex aliis ordine consecuta, narrantur v.28.29.& 30. numero quinque: videlicet excandescentia Nazarethanorum contra Christum, ejectio ipsius ex urbe, deductio in supercilium seu verticem montis, conatus præcipitandi, & Domini evasio miraculosa.

QUARTA PARS.

Ejectio dæmonii in synagoga Capernaümi.

31 Et descendit Capernaümum urbem Galilææ, ibique docebat eos sabbathis.

32 Et percellebantur super doctrinâ ejus. Erat enim sermo ipsius cum authoritate.

33 Erat autem in synagoga quidam habens spiritum dæmoniacum impurum; qui exclamavit voce magnâ;

34 Dicens, Ah, quid nobis tecum, Jesu Nazarene? Venisti ut perderes nos? Novi te qui sis: *nimirum* sanctus ille Dei.

35 Et objurgavit eum Jesus, dicens, Obmutesce, & exi ab eo. Tunc dæmonium, projecto illo in medium, exiit ab eo; nihilque ei nocuit.

36 Et obortus est pavor in omnibus: & colloquebantur alii cum aliis, dicentes; Quid hoc rei est, quòd cum authoritate ac potentiâ imperat impuris spiritibus, & exeunt?

37 Et pervênit rumor de eo in omnem locum circumjacentis regionis.

Primùm indicatur locus generalis, ubi ista ejectio dæmonii facta est, 2.finis seu scopus ejicientis, 3.tempus quo facta est, 4.locus specialis, 5.occasio, 6.causa corrumpens, 7.forma seu modus agendi, 8. eventa. *Locus generalis* fuit Capernaüm, urbs Galilææ. *Finis* seu scopus fuit confirmatio doctrinæ: qui scopus innuitur his verbis, *Docebat eos.* Cæterùm doctrina illa amplificatur vers.32. ab effectu, videlicet admiratione auditorum. Quæ ipsa admiratio declaratur expositione causæ proximæ: quæ fuit adjuncta sermoni authoritas. *Tempus* fuit dies sabbathi, in fine v.31. *Locus specialis* fuit synagoga, v.33. *Occasio* fuit præsentia dæmoniaci, ibid. *Causa corrumpens*, quæ videbatur ejectionem impeditura & ad eam impediendam spectabat, fuit deprecatio dæmonii, confirmata tribus argumentis. Deprecatio significatur interjectione sive adverbio exclamandi, *ἔα*, ah. Argumentum 1. *Quid nobis tecum, Jesu Nazarene?* q.d. Non sumus molesti tibi, sed finimus te agere quod agis: Ergo ne sis molestus nobis, sed sine nos agere quod agimus. Argumentum est à pari. 2. *Venisti ut perderes nos?* scilicet *ante tempus:* ut exprimitur Matth.8.v.29. in alio exemplo. q.d. Nondum est tempus quo sumus ex Dei decreto perdendi: Ergo ne perdito nos, sed sine nos. Argumentum est à causa impulsiva, videlicet voluntate DEI. 3. *Novi te qui sis, sanctus ille Dei.* q.d. Benefacio tibi, dum te honoro, profitendo te esse Christum: Ergo tu mihi vicissim benefacito, sinendo me agere quod lubet. Argumentum est à causa impulsiva. *Forma* seu modus agendi consistit in mandato & mandati exsequutione. Mandatum fuit duplex: unum, *Obmutesce:* alterum, *Exi ab eo.* Exsequutio mandati amplificatur ex adjuncto quodam facto, nempe quòd dæmonium exiturum, projecit dæmoniacum in medium, tanquam scilicet eum læsurum. Ista autem projectio amplificatur ex eventu inopinato, quòd scil. illum non læserit. *Eventa* narrantur tria. 1.Pavor in spectatoribus. 2.Admiratio, quam significant verbis, dicentes, *Quid hoc rei est &c.* 3.Rumor de Christo sparsus in loca vicina.

QUINTA PARS.

Sanatio socrus Petri.

38 Quum surrexisset autem JESUS è synagoga, introivit domum Simonis: socrus verò Simonis detinebatur febri magnâ: & rogaverunt eum pro illa.

39 Tunc *ipse* adstans supra eam, objurgavit febrim: & *febris* eam dimisit. *Illa* verò quum illicò surrexisset, ministravit eis.

Primùm habetur transitio, 2.indicatur locus ubi sanatio ista facta est, 3.occasio, 4.causa impulsiva, 5.forma seu modus agendi, 6.eventus. *Transitio* continetur his verbis, *Quum surrexisset autem Jesus è synagoga, introivit &c. Locus* fuit domus Simonis, id est, Petri. *Occasio* fuit, præsentia objecti, videl. mulieris febricitantis. *Causa impulsiva* fuit petitio eorum qui Dominum sectabantur, videl. Petri, aliorumque discipulorum. *Forma* seu modus agendi continet tria: gestum sanantis, mandatum, & mandati exsequutionem. Gestus fuit, quòd adstitit supra ægrotantem: item quòd (ut Mattheus narrat) tetigit manum ejus: mandatum, quòd objurgavit febrim, mandando scil. ut illam dimitteret. Exsequutio mandati fuit, quòd febris eam statim dimisit. *Eventus* fuit duplex: primus, quòd mulier sanata illicò surrexit, alter, quòd Domino ejusque discipulis ministravit, apparandis scil. epulis.

SEXTA PARS.

Sanatio multorum ægrotorum & dæmoniacorum.

40 Occidente autem sole, omnes qui habebant

ægrotantes morbis variis, ducebant ipsos ad eum: ille verò unicuique ipsorum impositis manibus, sanavit eos.

41 Exibant autem etiam dæmonia ex multis, clamantia ac dicentia, Tu es Christus, Filius ille Dei. Sed *ipse* objurgans, non sinebat ea loqui; quòd scirent ipsum esse Christum.

Primùm indicatur tempus quo sanatio illa facta est, 2. causa impulsiva, 3. locus, 4. forma seu modus agendi, 5. causa corrumpens in dæmoniacis. *Tempus* fuit vespera illius diei quo ejecerat dæmonium in synagoga, & sanaverat socrum Petri: ut percipitur ex ipsa serie narrationis. *Causa impulsiva* fuit petitio adducentium ægrotos illos. *Locus* notatur verbis, *Ad eum*: videlicet domus Petri, ubi Dominus tunc erat: ut percipitur ex dictis. *Forma* seu modus agendi fuit: quòd singulis imposuit manus. *Causa corrumpens* in dæmoniacis fuit indicatio de Jesu, pertinens ad laudem illius: dicebant enim dæmonia, *Tu es Christus ille filius Dei*: atque ita conabantur Christum movere ne se ejiceret. Ista indicatio declaratur ex causa corrumpente, videlicet objurgatione Christi, & interdictione atque prohibitione patefaciendi sese.

SEPTIMA PARS.

Continuatio prædicationis in Galilæa.

42 Orto autem die egressus, profectus est in desertum locum: & turba quærebat eum, veneruntque usque ad ipsum: & retinebant eum ne ab ipsis discederet.

43 Ille verò dixit eis, Etiam aliis urbibus oportet me evangelizare regnum DEI: nam ad hoc missus sum.

44 Itaque prædicabat in synagogis Galilææ.

Primùm significatur effectum destinatum, nempe præparatio, 2. causa corrumpens, 3. causæ corrumpentis remotio, 4. causa impulsiva, 5. locus. *Effectum destinatum* seu præparatio qua Christus sese ad continuandum prædicationem in Galilæa præparavit, fuit precatio. hæc enim innui videtur, quum dicitur profectus in locum desertum: quippe Dominus solebat subinde secessum quærere orandi causâ. Confer infrà cap. 5. vers. 16. Cæterùm ista profectio in desertum locum, amplificatur ab adjuncto tempore, quòd profectus eò sit orto die, id est, postridie quàm docuisset in urbe Capernaümo, statim orto sole. *Causa corrumpens* fuit detentio Capernaïtarum: qui Dominum quæsitum atque inventum detinuerunt ne ab ipsis discederet. *Causæ corrumpentis remotio* fuit recusatio Christi, qua recusavit cum illis manere, contràque professus est se profecturum in alias urbes prædicandi causâ. *Causa impulsiva* fuit mandatum Dei: quod significatur primùm verbo, *Oportet*: deinde illis verbis, *Nam ad hoc missus sum*. *Locus* ubi prædicavit, fuerunt synagogæ.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Per *eundem* Spiritum] ἐν τῷ πνεύματι. *Ad verb.* In Spiritu. *Hebraismus. Articulus autem est ἀναφορικός.*

2 Ubi erat dies quadraginta, & tentabatur] ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος. Pro, οὗ ἦν ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου. *Etenim verba illa*, οὗ ἦν, Ubi erat, *omnino subaudire atque supplere oportet, ne verba sequentia*, ἡμέρας τεσσαράκοντα, dies quadraginta, *necesse sit conjungi cum participio* πειραζόμενος, *tentabatur. Etenim exactis demum quadraginta diebus tentari cœpisse, clarè liquet ex Matth. 4. v. 3. & 3. nec non ex iis quæ hic sequuntur. Cœpit enim tentari tum demum, quum cœpit esurire: at exactis demum quadraginta diebus esuriit, ut expressè dicitur in fine hujus versus. Sic & Syrus interpres verba illa* τεσσαράκοντα ἡμέρας *à participio* πειραζόμενος *sejungit, ita vertens: Et duxit eum Spiritus in desertum diebus quadraginta, ut tentaretur ab accusatore. Denique (quod præcipuum est) ellipsis illa confirmatur collatione Marc. 1. v. 13.* Neque comêdit quicquam] καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδέν. *Ad verb.* Et non comêdit nihil. *Gemina negatio apud Græcos fortiùs negat.* Sed] καί. *Copulativa pro adversativa, more Hebraico.*

3 Si filius es Dei] εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ. *Nomen* υἱὸς *sine articulo hîc scriptum est, sicut & Matth. 4. v. 3. & 6. Infrà tamen v. 9. articulus præponitur: ex quo loco cæteri videntur exponendi. Nam ex serie narrationis omnino videtur, diabolum respexisse his verbis ad vocem illam Dei quam Dominus nuper quum in Jordane baptizaretur, audierat:* σὺ εἶ ὁ υἱός μου, Tu es filius ille meus, *suprà 3. 22.*

5 Orbis terrarum] τῆς οἰκουμένης. *Subaudi* γῆς. *Ad verb.* Terræ habitabilis, *seu* quæ habitatur. In puncto temporis] ἐν στιγμῇ χρόνου. *Ambiguum primâ fronte est, unde hæc verba pendeant atque regantur, an à verbo propiore* ἔδειξεν, ostendit, *an verò à participio remotiore* ἀναγαγών, quum subduxisset, *id est, sursum duxisset. Ut autem referatur ad remotius, res ipsa monet: quippe quum fieri non potuerit, ut Dominus in puncto temporis videret omnia regna orbis terrarum: quorum nimirum alia antè, alia ponè, alia denique ad utrumque latus sita erant. Deinde scopus diaboli postulat, ut statuamus, Dominum aliquamdiu in contemplatione regnorum detentum fuisse; ut videlicet illorum desiderio paulatim accenderetur. Magnam verò Filii Dei demissionem; qui passus sit, sanctissimum suum corpus ab impuro illo spiritu attrectari atque aliò asportari! Sic v. 9. dicitur, quòd diabolus statuerit eum supra pinnas templi.*

6 Potestatem] ἐξουσίαν. *Id est, regna seu regiones. Metonymia adjuncti.*

7 Adoraveris me] προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου. *Ad verb.* Adoraveris coram me. *Elliptica oratio. pro: Adoraveris prostratus coram me,* προσκυνήσῃς πεσὼν ἐνώπιόν μου. *Matthæus habet,* ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι.

8 Adorabis] προσκυνήσεις. *Id est,* adorato. *Sic mox,* Servies: *id est, servito. Enallage modi.*

11 Et] καὶ ὅτι. *Illud* ὅτι *servit mimesi, ut in versu præced.* Ne quando] μή ποτε. *Vel, ne fortè.* Auff daß nicht villeicht. *Vide suprà 3. 15.*

12 Non tentabis] οὐκ ἐκπειράσεις. *Id est,* Ne tentato.

14 Cum virtute] ἐν τῇ δυνάμει. *Ad verb.* In virtute: *id est instructus virtute*, begaabet mit der kraft *&c.* Spiritûs] τοῦ πνεύματος. *Nempe Spiritus sancti: id quod innuit articulus* In totam circumjacentem regionem] καθ' ὅλης τῆς περιχώρου. *Scil.* γῆς *vel* χώρας: *ut suprà v. 3.*

16 Die sabbathi] ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων. *Pro,* τοῦ σαββάτου. *Enallage numeri in isto nomine usitata. Etsi autem parum videtur referre, utrùm hæc verba statuantur regi à participio* εἰωθώς, *an à verbo* εἰσῆλθε: *tamen simplicius ac rectius videtur, jungere cum* εἰσῆλθε. *nam Dominus etiam aliis diebus in synagogas ingredi solitus esse videtur. Sanè extra sabbathum quoque populum in synagogas congregari solitum, colligi potest ex verbis archisynagogi infrà 13. 14. Sex dies sunt quibus oportet operari: his ergo diebus venite (scilicet in synagogam, ex collatione præcedentium) & sanamini, & non die sabbathi.* Ut legeret] ἀναγνῶναι. *Pro,* τοῦ ἀναγνῶναι. *scil.* ἕνεκα. *Est autem hoc intelligendum partim per synecdochen generis,* Ut legeret, *scilicet locum aliquem sacræ scripturæ: partim per synecdochen membri; Ut legeret locum aliquem Scripturæ, & eundem postea interpretaretur. Id quod hic ipsum fecisse, declarant sequentia.*

17 Explicuisset] ἀναπτύξας. *Scilicet volumen libri, seu librum convolutum in formam cylindri.* Librum] τὸ βιβλίον. das buch. *Nempe librum sibi porrectum. Græcum expressius propter articulum.* Invênit] εὗρε. *Sive quæsitum: sive sponte oblatum, sic gubernante divinâ providentiâ.*

18 Super me] ἐπ' ἐμέ. *Scilicet est.* Spiritus Domini] πνεῦμα Κυρίου. *Id est, donum prophetandi: ut suprà 2. 25.* Propterea quòd unxit me] οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με. *Vel,* Cujus rei gratiâ *(nempe gratiâ prophetandi)* unxit me. *scil. Dominus. Unxit autem, nempe oleo exsultationis, id est, Spiritu sancto.* Ut evangelizem] εὐαγγελίζεσθαι. *Pro,* τοῦ εὐαγγελίζεσθαι. *scil.* ἕνεκα. *Et sic deinceps.* Pauperibus] πτωχοῖς. *Nempe pauperibus spiritu. Sic Matth. 11. v. 5.* Contritos corde] συντετριμμένους τὴν καρδίαν. *Pro,* κατὰ τὴν καρδίαν, *id est,* τῇ καρδίᾳ. *Ellipsis Græca.* Captivis] αἰχμαλώτοις. *Nempe qui constricti tenentur à diabolo vinculis peccati ad mortem æternam.* Cæcis] τυφλοῖς. *Nempe spiritualiter cæcis, hoc est, destitutis salvificâ cognitione Dei.* Visum] ἀνάβλεψιν. *Quasi dicas, Suspectionem, id est, Sursum aspectionem. Neque enim puto significari hoc nomine* τῆς τοῦ βλέπειν δυνάμεως ἀνάληψιν, *id est, facultatis videndi receptionem sive recuperationem: sed simpliciter actum videndi,* παρὰ τὸ ἀναβλέπειν, *id est,* ἄνω βλέπειν. *Per visum autem hic significatur cognitio Dei salvifica.* Ut confractos emittam in libertatem] ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει. *Hæc verba in loco illo Esaiæ, in versione Græca τῶν LXX. non habentur: huc autem irrepsisse videntur, quòd ad marginem declarandi gratiâ essent adscripta: sicut D. Beza prolixè declarat. Cæterùm pro illis verbis,* καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, *in Hebræo habetur* וְלַאֲסוּרִים פְּקַח־קוֹחַ *velaasurim pekahh-kóahh: quæ recentiores verterunt, Et vinctis aperturam ergastuli.*

20 Complicatum librum] πτύξας τὸ βιβλίον. *Quum complicavisset seu convolvisset librum: quem paulo-antè explicaverat seu evolverat. Opponitur verbum* πτύξας *verbo* ἀναπτύξας, *suprà v. 17.*

21 Hodie] ὅτι σήμερον. *Conjuncto* ὅτι *servit mimesi.* Audientibus vobis] ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν. *Ad verb.* In auribus vestris: *id est, ante aures vestras, sive coram auribus vestris: hoc est, coram vobis audientibus. Hebraismus.*

22 Sermonibus gratiosis] τοῖς λόγοις τῆς χάριτος. *Ad verbum,* Sermonibus gratiæ; *id est, gratiosis,* χαρίεσι. *Genitivus adjuncti inhærentis, phrasi Hebraicâ. Sic Proverb. 1. 9.* לִוְיַת חֵן *livjath chén,* adjectio gratiæ, *id est, gratiosa: seu additamentum gratiæ, id est, gratiosum: periphrasis ornamenti, quale est torques, ut ibidem per epexegesin additur. Verè igitur in Christum quadrabat quod Homerus eleganter sanè ac suaviter de Nestore suo prædicat,* τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή: *id est, ut Cicero convertit,* Cujus à lingua melle dulcior fluebat oratio. *Qualem suavitatem & gratiam sermonem, Christus sponsus tribuit sponsæ*

sponsa Ecclesia, Cant. 4.11. ubi ait, Favum stillant labia tua, ô sponsa: mel & lac subsunt linguæ tuæ. *Porrò vocem* gratiosus *hoc sensu quem hîc sequor, usurpavit Plinius lib.16.cap.33. ubi de cupresso loquens, inter alia dicit:* Odore violenta, ac ne umbrâ quidem gratiosa. Nónne] οὐχ. *Interrogatio vim habet admirandi. quasi dicant: Quum iste sit filius* Josephi, *fabri scilicet, atq; etiam ipse faber, ac proinde idiota: unde igitur ei tanta sapientia, tantaq; dicendi suavitas?*

23 Proverbium] παραβολήν. *Ad verb.* Similitudinem. *Metonymia adjuncti: nam pleraq; proverbia metaphorico sermone constant. In hac significatione* Johannes *usurpat nomen affine,* παροιμία, Johan.16.v.25.& 29. Capernaümi] ἐν τῇ Καπερναούμ. **Zu Capernahum.** *Ad articulum* τῇ *subauditur* πόλει: *id est, in urbe Capernaümo.*

25 In Israël] ἐν τῷ Ἰσραήλ. *Id est, in populo Israëlitico, seu regno Israëlis, decem scilicet tribubus. Metonymia efficientis usitata. Sic mox v.27.* Quumq; fuit] ὡς ἐγένετο. *Pro,* καὶ ὡς ἐγένετο. *Ellipsis conjunctionis copulativæ. Alii,* Adeò ut fuerit: *quæ verba respondent Græcis istis,* ὥστε ἐγένετο, *vel etiam,* ὥστε ἐγένετο. *At* ὡς *cum indicativo non puto reperiri pro* ὥστε, *id est,* adeò ut: *sed tantùm cum infinitivo. Cæterùm* ὡς *hîc esse notam temporis, Syrus quoque interpres videtur animadvertisse: ut qui verterit,* Et facta est fames: *repetendo* ἀπὸ κοινοῦ *adverbium* ὅτε, *& supplendo conjunctionem* καὶ, *adverbium verò* ὡς *tanquam priori* ἰσοδύναμον *omittendo. Nisi fortè pro* ὡς *legerit* καὶ. Per totam regionem] ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. *Ad verb.* Super totam terram. *scilicet Israëlis. Synecdoche integri.*

26 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa, more Hebraico. Sic vers. seq.* Missus est] ἐπέμφθη. *Scil. à Deo.* Urbem Sidonis] τῆς Σιδῶνος. *Id est, quæ pertinebat ad Sidonem.*

27 Sub Elisæo] ἐπὶ Ἐλισσαίου. *Id est, tempore Elisæi: quum scilicet Elisæus clareret prophetando & miraculis edendis in populo Dei.*

29 Usque ad supercilium montis] ἕως τῆς ὀφρύος τοῦ ὄρους. *Id est, usque ad cacumen seu gibbum montis: ut habet paraphrasis Syriaca. Metaphora.*

32 Cum authoritate] ἐν ἐξουσίᾳ. *Id est,* μετ' ἐξουσίας. *Hebraismus. Cæterùm existimo hoc non ad miracula referendum, sed ad ipsam doctrinam seu docendi modum: ut significetur, in concionibus Domini eluxisse singularem ac divinam quandam majestatem: quum contrà scribæ docerent frigidè & quasi trepidè. Hoc adeò liquet ex antithesi sententiarum Matth.7.v.ult.* Docebat eos ut habens authoritatem, & non ut scribæ.

33 Spiritum dæmoniacum impurum] πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου. *Ad verbum,* Spiritum dæmonii impuri. *Quam constructionem similem esse puto illi Roman.4.11.* Accepit Abraham σημεῖον περιτομῆς, signum circumcisionis. *nam utrobique nomen regens per genitivum speciei declaratur & restringitur. nam & circumcisio species erat signi, & dæmonium species est spiritus.* Qui exclamavit] καὶ ἀνέκραξε. *Qui scilicet Spiritus: ut patet ex versu seq. Ad verb.* Et exclamavit, *scil. Spiritus ille.*

34 Quid nobis tecum] τί ἡμῖν καὶ σοί; *Quid nobis tecum negotii est? quasi dicant, Nihil. Non facessimus tibi negotium: non sumus tibi molesti: sinimus te res tuas agere. Nota, pronomen* σοί *hîc esse scribendum cum accentu, propter emphasin: quam amittet, & ineptam planè pronuntiationem reddet, si patiatur* ἔγκλισιν. *Utitur autem istud dæmonium de sese loquens, numero plurali: conjungens cætera dæmonia quæ tum plurimos in Judæa obsederant. Nisi dicamus, plures dæmones in isto homine fuisse, quorum unus tantùm loquutus sit: sicut Marc.5.9. & infrà 8.30. Sed prius verum puto: quia nulla hîc fit plurium mentio, ut in istis locis: imò unius tantùm hîc fit mentio.* Sanctus ille Dei] ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. *Vide scholia Marc.1.34.*

35 Obmutesce] φιμώθητι. *Ad verb. Capistrator. Metonymia efficientis metaphorica.*

36 Et obortus est pavor in omnibus] καὶ ἐγένετο θάμβος ἐπὶ πάντας. *Ad verbum,* Et factus est pavor super omnes. **Es kam ein schräcken über sie alle.** Quid hoc rei est?] τίς ὁ λόγος οὗτος; *Ad verbum,* Quis sermo iste? λόγος *pro* ῥῆμα: *&* ῥῆμα *verbum, pro re: phrasi Hebraicâ.* Cum authoritate] ἐν ἐξουσίᾳ. *Id est,* μετ' ἐξουσίας. *Hebraismus.*

37 Rumor] ἦχος. *Ad verb.* Sonus. *Synecdoche generis.* Circumjacentis regionis] τῆς περιχώρου. *Scil.* γῆς, *vel* χώρας.

38 Pro illa] περὶ αὐτῆς. *Pro,* ὑπὲρ αὐτῆς. *Sic Matth.26.28.* τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον: *pro,* ὑπὲρ πολλῶν.

39 Ministravit eis] διηκόνει αὐτοῖς. *Nempe apparando cœnam. Synecdoche generis.*

40 Sanavit] ἐθεράπευσεν. *Ad verb.* Curavit. *Metonymia effecti destinati* καταχρηστική, *Evangelistis in hoc verbo usitata.*

41 Filius ille] ὁ υἱός. *Nempe unigenitus ille. Hoc notat articulus.*

43 Etiam] ὅτι καὶ. *Conjunctio* ὅτι *servit mimesi.* Missus sum] ἀπέσταλμαι. *Nempe à Patre meo, id est, Deo.*

44 Itaque] καὶ. *Copulativa pro illativa.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

Quid observandum sit ex historia tentationis Domini in deserto, annotavi ad caput quartum Matthæi. Inde lector poterit petere.

1 Ex v.14. & 15. Virtute Spiritus sancti opus est ad Evangelium rectè & cum fructu prædicandum. Quare opem illius inprimis implorare oportet. *Evangelii prædicatio.*

2 Ex v.16. & seqq. Notanda pars argumenti quo probatur Jesum esse Christum: quia scil. in ipso impleta est prophetia Esaiæ de administratione muneris prophetici Christi. *Quòd Jesus sit Christus.*

3 Ex v.18. & 19. Per Evangelium offertur nobis solida consolatio contra omnis generis spiritualia mala. Quare evangelium sedulò audiamus, & fide amplectamur. *Evangelium.*

4 Ex v.16.17.20. & 21. Doctores ecclesiæ exemplo Christi, primùm legere debent textum aliquem ex Scriptura: deinde eundem debent explicare. *Officium ministrorum verbi Dei.*

5 Ex v.22.23. & 24. Pii doctores ecclesiæ contra contemtum imperitorum consolentur sese exemplo Christi. *Consolatio pro piis doctoribus ecclesiæ.*

6 Ex v.25.26. & 27. Deus suâ gratiâ dignatur non omnes, sed quos visum est. Quare quum nos suâ gratiâ fuerit dignatus, patefaciendo se nobis per evangelium, & fide donando; agnoscamus maximum DEI beneficium, eique gratos nos declarare studeamus. *Gratia Dei.*

7 Ex v.28. & 29. Impii quò asperiùs reprehenduntur, eò apertiùs furunt. Ne igitur hâc re offendamur: quum videamus, hoc ipsi Christo accidisse. *Impiorum ingenium.*

8 Ex v.30. Deus pios doctores mirabiliter sæpe liberat ex manibus impiorum. *Pii doctores.*

Ex v.31. & deinceps. Quid ex hac parte capitis discendum sit, annotavi ad primum caput Marci, v.21. & deinceps.

Ex vers.38. & seqq. quid observandum sit, annotavi ad caput Matthæi octavum, v.14. & deinceps.

9 Ex v.42. & seqq. Non debent committere pastores ecclesiæ, ut in vocationis suæ cursu sese patiantur retardari. *Officium ministrorum verbi Dei.*

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

In hoc capite narrantur aliquot miracula Christi: deinde defensio contra reprehensiones scribarum & Pharisæorum. Primùm narratur miraculum capturæ piscium, usq; ad v.12. Deinde miraculum purgati leprosi, usq; ad v.17. Tum miraculum sanati paralytici, usque ad v.27. Quartò narratur vocatio Levis, id est, Matthæi, v.27. & 28. Quintò narratur defensio Jesu contra reprehensionem conversationis ipsius cum publicanis, usq; ad v.33. Sextò & postremò narratur defensio ejusdem contra criminationem indulgentiæ erga discipulos, usq; ad finem.

PRIMA PARS.

Miraculum capturæ piscium.

FActum est autem, quum turba immineret ei, audiendi verbi Dei causâ, tum ipse stabat apud lacum Genesaret:

2 Viditque duo navigia quæ ad lacum stabant: piscatores verò ex iis descenderant, & abluebant retia.

3 Ingressus autem in unum istorum navigiorum, quod erat Simonis, rogavit eum ut à terra proveheret paululum: quumque consedisset, docebat turbam ex navigio.

4 Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem, Provehito in altum, & dimittite retia vestra ad capturam.

5 Tum respondens Simon ait ei: Magister, quamvis per totam noctem nos fatigavimus, nihil cepimus: tamen ex tuo jussu demittam rete.

6 Et quum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem magnam: dirumpebatur autem rete eorum.

7 Et innuerunt sociis qui *erant* in altero navigio ut venirent, & ipsis opitularentur. Venerunt igitur, & impleverunt ambo navigia, ita ut mergerentur.

8 Quum autem *hæc* vidisset Simon Petrus, accidit ad genua Jesu, dicens; Exi à me. Nam homo peccator sum, Domine.

9 Pavor enim occupârat eum, & omnes qui cum eo *erant*, super capturâ piscium quam comprehenderant.

10 Similiter autem & Jacobum & Johannem filios Zebedæi, qui erant socii Simoni. Tunc ait ad Simonem JESUS, Ne metue: ab hoc *tempore* homines capies.

11 *Illi* autem quum subduxissent in terram navigia, relictis omnibus, sequuti sunt eum.

Primùm indicantur adjuncti spectatores seu testes, 2. locus, 3. occasio, 4. finis seu scopus, 5. forma seu modus agendi, 6. mi-

raculum ipsum, 7. eventa. *Spectatores* seu *testes* fuerunt Galilæi qui ipsum sectabantur audiendi verbi Dei causâ, v. 1. *Locus* fuit lacus Genesaret, ibidem. *Occasio* fuit ingressio Domini in navem Petri, v. 2. & 3. *Finis* seu scopus, fuit confirmatio doctrinæ tunc à Domino propositæ: ut percipitur ex fine versus tertii & principio quarti inter se collatis: ubi dicitur, *Docebat turbam ex navi: ut cessavit autem loqui, dixit &c. Forma* seu modus agendi duo membra continet; mandatum Domini ad Petrum, & mandati exsequutionem. Mandatum est bimembre: 1. ut navim provehat in altum, 2. ut cum sociis rete demittat ad capturam, v. 4. Exsequutio mandati illustratur ex adjuncta Petri promissione, qua Domino promittit, se, quod ille jubebat, facturum. Quæ ipsa promissio amplificatur antithesi causæ corrumpentis, nempe confessione irriti laboris paulò antè in capiendis illic piscibus à se suscepti, v. 5. *Miraculum ipsum* narratur & amplificatur ex adjuncta piscium multitudine, vers. 6. Illa autem multitudo declaratur ex effectis tribus: videlicet diruptione retis, v. eodem; necessitate opitulationis sociorum ad extrahendum rete, v. 7. & impletione duarum navium, ibid. Quæ ipsa impletio amplificatur ex effectu, videlicet mersione navium, ibid. *Eventa* narrantur tria. Primum, adoratio Petri qua Dominum adoravit, v. 8. Secundum, pavor tum Petri tum cæterorum qui cum ipso erant, v. 9. & 10. Hic pavor illustratur ex eventu, videlicet consolatione Domini qua illum lenivit promissione similis efficaciæ prædicationis Petri suo tempore futuræ in capiendis, id est, ad Deum convertendis, hominibus, v. 10. Tertium eventum fuit, quòd Petrus & socii ipsius Dominum, relictis omnibus suis rebus, secuti sunt.

SECUNDA PARS.

Miraculum purgati leprosi.

12 Et factum est, quum esset in quadam urbium illarum, tum ecce *adfuit* vir plenus leprâ: ac viso Jesu procidens in faciem, precatus est eum, dicens; Domine, si velis, potes me purgare.

13 *Jesus* autem extensâ manu tetigit eum, dicens; Volo, purgator. Et statim lepra abiit ab eo.

14 Ipse verò præcepit ei ut nulli *hoc* diceret: sed vade, *inquit*, ostende te sacerdoti, & offer pro purgatione tui, prout præcepit Moses, in testimonium adversus ipsos.

15 Dimanabat autem eò magis sermo ille de eo: & conveniebat turba multa ut audirent *eum*, & per eum sanarentur à morbis suis.

16 Ipse autem secedens, erat in desertis, & precabatur.

Primùm indicatur locus, 2. occasio, 3. causa impulsiva, 4. modus agendi, 5. miraculum ipsum, 6. adjuncta adhærētia, 7. eventa.

Locus ubi hoc miraculum factum est, significatur indefinitè, nempe *in quadam illarum urbium*, videlicet urbium Galilææ, ex collatione versus ultimi in capite præcedente. *Occasio* Domino oblata ad hoc miraculum edendum, fuit præsentia leprosi, *Tum ecce vir plenus leprâ. Causa impulsiva* quæ Dominum movit ad leprosum istum purgandum, fuit petitio ipsius ex fide profecta, *Domine, si velis, potes me purgare*. Hæc petitio amplificatur ab adjuncto gestu petentis honorifico, nempe quòd procidit in faciem coram Jesu: qui est gestus adorantis. *Modus agendi* duo continet, gestum agentis & sermonem. Gestus fuit, quòd extensâ manu leprosum tetigit. Sermo duo item continet: testificationem de sua voluntate, *Volo:* & mandatum, *Purgator. Miraculum ipsum* indicatur his verbis, *Et statim lepra abiit ab eo. Adjuncta adhærentia* narrantur duo: interdictum ad leprosum jam purgatum de miraculo illo non divulgando, scilicet continuo: & mandatum de sese ostendendo sacerdoti, & oblatione secundùm legem faciendâ pro sui purgatione. Hæc ostensio amplificatur ex eventu, atque adeò ex fine mandantis: nempe ut cedat in testimonium adversus sacerdotes: hoc est, ut reddantur coram Deo inexcusabiles, repudiando Jesum: cujus miracula divina & Messiæ propria ore suo, quamvis incogitantes, approbârant. *Eventa* narrantur tria: quorum alia ex aliis consequuta sunt. 1. Sermo seu fama de Jesu. 2. Adventus turbæ multæ ut audirent Jesum, & per eum sanarentur à morbis suis. 3. Secessio Jesu in deserta ad precandum.

TERTIA PARS.

Miraculum sanati paralytici.

17 Et factum est quodam dierum illorum, quum ipse doceret, essentque Pharisæi sedentes ac Legis doctores, qui venerant ex omnibus vicis Galilææ & Judææ & *ex* Hierusalem: & potentia Domini adesset *ei* ad sanandum illos:

18 Tunc ecce *adfuerunt* viri ferentes in lecto hominem qui erat paralyticus: & studebant eum inferre, & ponere in ipsius conspectu.

19 Et quum non invenissent quâ eum inferrent, propter turbam; ascenderunt in tectum, & per tegulas demiserunt eum cum lectulo in medium ante Jesum.

20 Qui fide eorum visâ, dixit; Heus tu, remissa sunt tibi peccata tua.

21 Tunc cœperunt ratiocinari scribæ & Pharisæi, dicentes, Quis est iste qui loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata nisi solus Deus?

22 JESUS autem animadversis eorum cogitationibus, respondens dixit eis; Quid cogitatis in cordibus vestris?

23 Utrum est facilius dicere, Remissa sunt tibi peccata: an dicere, Surge & ambula?

24 Ut autem sciatis, Filium hominis habere potestatem in terra remittendi peccata; ait paralytico, Tibi dico, surge, & sublato lectulo tuo, abi domum tuam.

25 *Is* autem illico surrexit in conspectu eorum, & sublato eo in quo jacuerat, abiit domum suam, glorificans Deum.

26 Et stupor cepit omnes, & glorificabant Deum, & repleti sunt timore, dicentes, Vidimus inopinata hodie.

Primùm indicatur tempus, 2. spectatores seu testes, 3. causa procreans, 4. causa impulsiva, 5. præparatio seu effectum destinatum, 6. modus agendi, 7. miraculum ipsum, 8. eventa.

Tempus notatur ex adjuncta Domini actione: his verbis: *Et factum est quodam dierum illorum quum ipse doceret.*

Spectatores seu testes fuerunt Pharisæi ac Legis doctores, qui venerant ex omnibus vicis Galilææ & Judææ, & ex urbe Hierosolyma, v. 17. Item viri illi qui paralyticum attulerant, v. 18. & 19. Nec non turba plebeiorum, v. 19. & 26. *Causa procreans* fuit potentia DEI, tunc sese exserens in Jesu ad sanandum ægrotos qui ei offerebantur, v. 17. *Causa impulsiva* fuit petitio paralytici & eorum qui ipsum ad Dominum afferebant, petitio inquam ex fide profecta, v. 18. 19. & 20. Petitio illa significatur ex facto illorum, videl. oblatione paralytici ante Jesum. Ista oblatio amplificatur ex adjuncto offerentium studio, v. 18. quod ipsum studium declaratur ex causa corrumpente, videl. obstaculo turbæ quæ domum occupaverat: & obstaculi illius amotione, videl. demissione paralytici per tectum effossum, v. 19. *Præparatio* qua Dominus tum paralyticum tum spectatores ad sanationem illius mox à se futuram præparavit, atque in illius spem erexit, fuit annuntiatio remissionis peccatorum, quâ testificatus est Dominus se illi remittere peccata ejus, v. 20. Ista annuntiatio declaratur ex eventis, videl. scribarum atque Pharisæorum criminatione, & Domini defensione. Criminatio fuit, quòd Jesus blasphemiam locutus sit, sive quòd Deum blasphemârit. Argumentum criminationis ducebant à proprio adjuncto DEI, ut qui solus possit remittere peccata. Syllogismus.

Qui honorem DEI proprium sibi usurpat, blasphemus est.
Iste honorem Dei proprium sibi usurpat.
Iste igitur blasphemus est.

Prosyllogismus assumtionis:

Qui peccata alteri remittit, honorem Dei proprium sibi usurpat. Solus enim Deus potest remittere peccata.
At iste peccata alteri remittit.
Ergo iste honorem Dei proprium sibi usurpat.

In textu exprimitur tantùm conclusio syllogismi principalis, amplificata admiratione detestabundâ, ibi: *Quis est iste qui loquitur blasphemias?* Et approbatio propositionis prosyllogismi, amplificata interrogatione quæ habet vim negandi: *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* quasi dicant, Nemo. Defensio Christi nititur argumento à pari, Possum paralyticum istum solo mandato sanare: Ergo possum etiam remittere ei peccata. quippe quum utraque potentia par sit & æqualis, nempe divina. Syllogismus.

Si potestatem habeo remittendi hominibus peccata, non blasphemavi remittens isti paralytico peccata.
Sed habeo potestatem remittendi hominibus peccata.
Non igitur blasphemavi remittens isti paralytico peccata.

Assumtionis prosyllogismus:

Si habeo potestatem atque potentiam sanandi quos volo, habeo etiam potestatem atque potentiam remittendi peccata quibus volo. nam utrumq; æquè difficile est, ac Dei proprium.
At habeo potestatem atque potentiam sanandi quos volo. id quod ipso facto jamjam demonstrabo, præcipiens paralytico ut surgat, &c.
Ergo habeo quoque potestatem atque potentiam remittendi peccata quibus volo.

In textu primò ponitur sententia conclusionis, concepta synecdochicè, verbis scil. generalibus, & exornata interrogatione elencti-

elencticâ, *Quid cogitatis in cordibus vestris?* quasi dicat: Non debebatis cogitare, me blasphemasse remittendo peccata: non enim blasphemavi. Secundo loco sequitur ratio propositionis prosyllogismi his verbis: *Utrum est facilius? dicere, Remissa sunt tibi peccata: an dicere, Surge & ambula.* Tertio loco annectitur assumtio syllogismi principalis, ibi: *Ut autem sciatis, Filium hominis habere potestatem in terra remittendi peccata.* Atque hæc de miraculi præparatione.

Modus agendi fuit per mandatum: *Tibi dico, surge &c. Miraculum ipsum* narratur v.25. *Is autem illico surrexit &c. Eventa* narrantur tria. 1. Paralyticus sanatus glorificavit DEUM. 2. Stupor cepit omnes. 3. Glorificarunt DEUM. Hæc duo posteriora eventa repetuntur: & glorificatio illa specialiter declaratur his verbis: *Et repleti sunt timore, dicentes, Videmus inopinata hodie.*

QUARTA PARS.

Vocatio Matthæi.

27 Posthæc verò exiit, & conspexit publicanum, nomine Levin, sedentem ad telonium; & dixit ei: Sequere me.

28 Et *ille* relictis omnibus surrexit, & sequutus est eum.

Primùm indicatur vocandi occasio, 2. conditio ejus qui vocabatur, 3. nomen ejusdem, 4. locus, 5. vocatio ipsa, 6. eventus.

Occasionem Domino ad vocandum Matthæum præbuit, quòd illum inter prætereundum conspexit. *Conditione* Matthæus erat publicanus. *Nomen* ei erat Levi. Itaque erat binominis: nam ipse se in ejusdem historiæ narratione Matthæum nominat. *Locus* ubi fuit vocatus, erat telonium ad quod sedebat. *Vocatio* continetur his verbis, *Sequere me.* *Eventus* vocationis fuit, quòd statim relictis rebus suis surrexit, & Dominum, ut jussus erat, secutus est.

QUINTA PARS.

Defensio contra reprehensionem conversationis cum publicanis.

29 Et fecit ei Levis epulum magnum domi suę: eratque turba multa publicanorum, & aliorum qui cum ipsis accumbebant.

30 Obmurmurabant autem eis scribæ ac Pharisæi, dicentes ad discipulos ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis?

31 Et respondens Jesus dixit eis, Non opus est iis qui sani sunt, medico: sed iis qui malè *se* habent.

32 Non vêni ut vocarem justos, sed peccatores ad resipiscentiam.

Primùm narratur reprehensionis istius occasio, deinde reprehensio ipsa, postremò defensio. *Occasionem* scribis ac Pharisæis ad Dominum propter conversationem cum publicanis reprehendendum præbuit epulum quo exceptus fuit à Matthæo, accumbentibus & aliis publicanis, vers. 29. *Reprehensionis* argumentum ducitur à publicanorum moribus, vers. 30. Publicani sunt peccatores: Ergo vos (inquiunt ad discipulos Domini) & vester præceptor non debebatis cum illis edere & bibere: quum scilicet velitis haberi pro sanctis & honestis viris. Syllogismus:

Sancti non debent habere commercium cum impuris.

Vos estis, aut saltem haberi vultis, sancti: publicani verò, sunt impuri.

Vos igitur cum publicanis non debebatis habere commercium.

Densensio continetur v.31. & 32. Pertinet autem ad negandum propositionem syllogismi reprehensorii, quatenus ea intelligitur universaliter: quæ quidem particulariter intellecta ἀσυλλογισίαν parit: quum in prima figura non liceat sollogismum facere ex propositione particulari. Porrò falsitatem propositionis ostendit Dominus distinctione finium. nam sancti non debent commercium habere cum impuris hoc fine atque proposito, ut ipsorum peccata dissimulent, & conversatione familiari foveant, vel etiam adjuvent: at debent commercium cum illis habere hoc proposito, ut eos seriâ commonefactione adducant ad resipiscentiam, atque ita eos salvos faciant. Hanc sententiam illustrat Dominus simili à medico per sententiam proverbialem: atque ita argumentum violenter invertit. Scribæ dicebant: Publicani sunt peccatores: Non igitur cum illis commercium habere debet præceptor vester. Dominus invertit ad hunc modum: Publicani sunt peccatores: Ergo debeo cum illis habere commercium, nempe ut eos à peccatis revocem. nam officium medici est, ægrotos curare. Syllogismus:

Si publicani sunt ægroti, & ego medicus: officium meum est, illos curare: ac proinde cum illis versari.

At illi sunt ægroti (nempe spiritualiter, id est, peccatores) & ego sum medicus, nempe spiritualis seu animarum.

Ergo officium meum est, publicanos curare, id est, operam dare, ut eos sanctis monitis ad resipiscentiam adducam.

Simul autem perstringit Dominus hypocrisin adversariorum, quum ait, se non venisse (missum scilicet à Deo patre) ut vocaret justos. quibus verbis innuit, scribas & Pharisæos videri sibi justos atque sanctos, sed falsò: atque ita simul eis denuntiat exitium: ut qui morbos suos nolint agnoscere, ac proinde medicinam respuant.

SEXTA PARS.

Defensio contra criminationem indulgentiæ erga discipulos.

33 Ipsi verò dixerunt ei, Quare discipuli Johannis jejunant crebrò, & deprecationes faciunt, similiter & discipuli Pharisæorum: tui verò edunt & bibunt?

34 Ipse autem dixit eis, Num potestis facere ut filii thalami, quo *tempore* cum ipsis est sponsus, jejunent?

35 Venient autem dies quum tolletur ab eis sponsus, tunc jejunabunt, illis diebus.

36 Dicebat autem eis etiam parabolam. Nemo panniculum novi vestimenti indit in vestimentum vetus: alioqui & illud novum findit *vetus*, & veteri non convenit panniculus *sumtus* ex novo.

37 Et nemo indit vinum novum in utres veteres: alioqui disrumpet vinum novum utres, & ipsum effundetur, & utres peribunt.

38 Sed vinum novum in utres recentes indendum est: & utraque conservantur.

39 Et nemo qui biberit vetus, statim vult novum: dicit enim, Vetus melius est.

Primùm narratur criminatio, v.33. Deinde defensio, versibus reliquis. *Criminatio* nititur exemplo discipulorum Johannis & Pharisæorum. Illi jejunant: ergo tuos quoque discipulos debebas assuefacere ad jejunandum. quia scilicet non vis haberi minor doctor quàm vel Johannes vel Pharisæi, sed potiùs major. *Defensione* negatur consequentia connexi hujus: Si discipuli Johannis & Pharisæorum assuefiunt à suis præceptoribus ad jejunandum, ergo & JESUS suos sic debet assuefacere. Hoc negat, quatenus ostendit causas justas cur debeat discipulos suos habere indulgentiùs, non autem austeriùs tractare. Unam causam petit ab adjuncto adhærente sibi: alteram ab adjuncto inhærente discipulorum. Prior est: Ego sum sponsus, & illi filii thalami, id est, familiares sponsi. Ergo quamdiu cum eis versor, indulgendum est eis gaudium. Hoc argumentum amplificat à contrario, nempe futurâ ablatione sui: tum demum fore jejunandi tempus. Altera causa: Sunt adhuc rudes & infirmi in negotio religionis: Non igitur sunt gravandi rigidiore disciplinâ. Secus periculum est ne penitus à religione & salute avertantur. Hoc significat Dominus duobus similibus: quorum uno eos comparat vestimento veteri, altero utribus veteribus. Sententia est: Sicut vestimentum vetus finditur, si assuatur panniculus novus: sic discipuli mei rudes averterentur à religione vera, si cogerentur jejunare. Item, Sicut vestimento veteri non convenit panniculus novus: ita discipulis meis non convenit jejunium. Item, Sicut utres veteres rumpuntur infuso vino novo, ipsumque vinum effunditur ac perit: sic discipuli mei à vera religione averterentur, si cogerentur jejunare, & ita jejunium frustra ab eis susciperetur. Cæterùm occasione similis posterioris de utribus veteribus & vino novo, annectit Dominus aliam sententiam de vino novo ac veteri: qua quid sibi velit, haud satis liquet. Non incommodum mihi quidem videtur, si dicamus, Dominum in illa sententia vino veteri comparare facilitatem suam atque humanitatem cui discipuli jam assueverant: novo autem rigorem atque austeritatem, cui non assueverant. quasi dicat: Sicut nemo qui biberit vetus vinum, statim vult novum: dicit enim, Vetus melius (hoc est, suavius) est: ita discipuli mei qui jam assueverunt meæ facilitati atque humanitati, non expetunt à me rigidiorem atque austeriorem disciplinam, sed potius ab ea abhorrent. Itaque nolo eos gravare, quum non sit opus.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 Audiendi verbi Dei causâ] τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. *Subauditur* ἕνεκα *vel* χάριν. Tum] καὶ. *Copulativa pro relativa temporis, more Hebræorum.*

2 Rogavit] ἠρώτησεν. *Id est, oravit. Verbum* ἐρωτᾶν *apud Græcos, sicut & rogare apud Latinos, idem propriè valet quod interrogare seu quærere, Germanicè* fraagen: *sed pro* orare *utrumque usurpatur per metonymiam adjuncti, à modo scilicet orandi quo uti solemus in familiari sermone; dicentes verbi gratiâ, Placétne tibi hoc facere: vel, Visne hoc facere: quum volumus dicere, Velim te hoc facere, oro te ut hoc facias.* Provèheret] ἐπαναγαγεῖν. *In altum subveheret: scilicet* τὸ πλοῖον, *navigium suum.*

4 Ut cessavit loqui] ὡς ἐπαύσατο λαλῶν. *Pro,* λαλεῖν. *Græcismus.* Provehito] ἐπανάγαγε. *Scil.* τὸ πλοῖον, *navigium.*

5 Magister] ἐπιστάτα. *Nomen* ἐπιστάτης *Latinè præfectum vel antistitem sonat: Germanicè* ein Fürsteher.

6 Ex tuo jussu] ἐπὶ τῷ ῥήματί σου. Ad tuum verbum, *id est, mandatum. Synecdoche generis.*

7 Ut ipsis opitularentur] τοῦ συλλαβέσθαι αὐτοῖς. *Supple* ἕνεκα. *Ad verb.* Ut unà vel simul prehenderent, *scil. rete.* Daß sie hand mit anlegeten/daß sie mit zugriffen.

8 Exi] ἔξελθε. *Scil. è navigio.* Homo peccator] ἀνὴρ ἁμαρτωλός. *Ad verb.* Vir peccator. *Hebraicè* איש חטא *isch hhattá. Sic Num.32.14. Et ecce surrexistis loco patrum vestrorum, turba* אנשים חטאים *anaschim hattáim,* viri peccatores.

9 Super capturâ] ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ. *Id est, propter pisces captos. Metonymia adjuncti.* Quam comprehenderant] ᾗ συνέλαβον. *Pro,* ἐκείνῃ ἣν συνέλαβον. *Græcismus.*

10 Similiter autem & Jacobum] ὁμοίως δὲ καὶ Ἰάκωβον. *Scilicet* περιέσχε θάμβος, *occupârat pavor.* Socii] κοινωνοί. *Suprà v.7. nominavit* μετόχους. *Id est, participes.* κοινωνοί, *Germanicè* Gemeiner / *nominantur qui commune artificium aut negotiationem tractant, unde commune lucrum & commune item damnum percipiunt. Latina vox* Socii *latiùs patet: nam & σύμμαχοι (id est, socii belli) socii nominantur. Est tamen synecdoche illa generis usitata. Cicero 5. Verrina:* Nam socii putandi sunt quos inter res communicata est. *In oratione item pro Quintio, dicitur* Quintius fecisse societatem cum Sex. Nævio, earum rerum quæ in Gallia comparabantur. Ab hoc tempore] ἀπὸ τοῦ νῦν. *Scilicet* ὄντος χρόνου. *Pleniùs sic,* ἀπὸ τοῦ χρόνου τοῦ νῦν ὄντος: *ab eo tempore quod nunc est. Græcismus.* Homines capies] ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν: *Scilicet instar piscium: quod ipsum connotat verbum* ζωγρεῖν: *quod sonat vivum capere,* ζῶν ἀγρεῖν, *id est,* ἀγρεύειν: *& quidem capere venando, quo modo capiuntur tum feræ, tum aves & pisces. Non tamen videtur satis aptum, sic hîc vertas:* homines vivos capies. *Id enim Græcè esset,* ἀνθρώπους ζῶντας ἀγρεύσεις.

11 Quum subduxissent] καταγαγόντες. *Verbum* κατάγειν *significat deducere: subducere verò* ἀνάγειν *est, ut suprà versu 4.* ἀπὸ τῆς γῆς ἐπαναγαγεῖν, *à terra (navem) subducere, scil. in altum, quod ipsum additur v.4. Interim Latini sermonis consuetudine dicitur* subdici *navis, quum ex aqua in terram subducitur:* deduci *verò quum ex terra deducitur in aquam: ut liquet ex his exemplis. Virgilius 1. Æneid.*

Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et sylvis aptare trabes, & stringere remos.

Sunt verba Ilionei ad Didonem, quibus petit ut Trojanos hospitis recipiat. Cæsar 3. Bell. civil. Naves reliquas, si vellet, subduci & refici juberet. *Virgil. 1. Georg.*

Hinc tempestates dubio prædiscere cælo
Possumus, hinc messisq́; diem tempusq́; serendi,
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat, quando armatas deducere classes.

Item lib.3. Æneid.

Deducunt socii naves, & littora complent:
Provehimur portu, terræq́; urbesq́; recedunt.

Fortasse autem hîc est ellipsis Hebraica, qua ex antecedente intelligitur consequens, seu ex effecto destinato finis. Quasi dicatur: καταγαγόντες τὰ πλοῖα καὶ ἀναγαγόντες ἐπὶ τὴν γῆν: *quum naves ex alto deductas subduxissent in terram.*

12 Tum ecce] καὶ ἰδού. *Copulativa pro relativa temporis, more Hebraico.*

13 Extensâ manu] ἐκτείνας τὴν χεῖρα. *Id est, quum extendisset manum suam.*

14 In testimonium adversus ipsos] εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. *Id est, ut hoc cedat in testimonium &c. Pendent autem hæc verba non ab imperativis illis,* Vade, offer: *neq; enim referuntur ad consilium leprosi: sed pendent à sententia subintellecta, nempe istâ,* Hoc autem volo fieri: *nam referuntur ad consilium ipsius Domini. Cæterùm* αὐτοῖς *idem hîc valet quod* ἐπ᾽ αὐτούς, *in eâdem sententiâ infrà 9.5.*

15 Sermo ille] ὁ λόγος. *Id est, fama illa de purgato leproso, idq; divulgante rem istam ipso leproso: ut declarat Marcus cap.1. v.ult.* Eò magis] μᾶλλον. *Quasi dicat, Quò magis Dominus divulgatione istâ celeri interdixerat, eò magis fiebat.* Ut audirent eum] ἀκούειν. *Pro,* τοῦ ἀκούειν: *scilicet* ἕνεκα: *item* αὐτόν: *ut audirent eum, scilicet docentem.* Et sanarentur] καὶ θεραπεύεσθαι. *Ad verb.* Curarentur. *Metonymia effecti destinati.* κατάχρησις. *neque enim* τὴν θεραπευτικὴν, *id est, artem medendi Dominus factitabat.* Per eum] ὑπ᾽ αὐτοῦ. *Ad verb.* Ab eo. *Sed quoniam sequitur* ἀπὸ τῶν ἀσθενειῶν, *à morbis: consulendum fuit commoditati sermonis.*

17 Quodam dierum illorum] ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν. *Scilicet quibus* JESUS *docebat populum & sanabat ægrotos, v.15. Articulus vim habet* ἀναφορικήν. *Germanicè,* An derselbigen tage einem. Ex omnibus vicis] ἐκ πάσης κώμης. *Ad verbum,* Ex omni vico. *Enallage numeri.* Potentia Domini adesset ei] δύναμις Κυρίου ἦν. *Id est, quum potentia Dei adesset* CHRISTO. *Subauditis scilicet verbis,* ἐπ᾽ αὐτόν: *quo modo dicitur suprà 2.40.* χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ᾽ αὐτὸ. *scilicet τὸ παιδίον. Gratia Dei erat super ipsum, puerulum: hoc est, aderat ei.* Ad sanandum illos] εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς. *Accipiendum propriè de sanatione corporis: ut percipitur ex cohærentia historiæ sequentis de sanato paralytico.*

18 Paralyticus] παραλελυμένος. *Ad verbum,* Resolutus. *scil. nervis: hoc est, cujus nervi erant resoluti. Celsus libr.3. cap.27.* At resolutio nervorum, frequens ubique morbus est: sed interdum tota corpora, interdum partes infestat. Veteres authores illud ἀποπληξίαν, hoc παράλυσιν nominaverunt: Nunc utrumque paralysin appellari video. *Hæc ille.* Studebant] ἐζήτουν. *Cupiebant. Ad verb.* quærebant.

19 Quâ] διὰ ποίας. *Quâ. scil. viâ:* διὰ ποίας ὁδοῦ *Ellipsis elegans. Cic.3. Philippicâ:* Ipse in templum nescio quâ per cuniculum ascendit. Propter turbam] διὰ τὸν ὄχλον. *Id est, propter obstaculum turbæ quæ omnem aditum occupârat.* In tectum] ἐπὶ τὸ δῶμα. *Vide Matth.10.27.* Per tegulas] διὰ τῶν κεράμων. *Id est, per foramen inter tegulas effectum. nam (ut Marcus ait) tectum detexerunt (puta ex parte aliqua) atque perfoderunt. Metonymia subjecti.*

20 Fide eorum] τὴν πίστιν αὐτῶν. *Nempe tum ipsius paralytici, tum eorum qui ipsum apportaverant.* Heus tu] ἄνθρωπε. O homo: *vel* mi homo.

21 Dicentes] λέγοντες. *Scil. in cordibus suis, hoc est, cogitantes: ut declaratur versu sequente.*

23 Utrum est facilius] τί ἐστιν εὐκοπώτερον; τί *pro,* πότερον. *Heterosis. Quasi dicat: Neutrum est altero facilius: sed utrumq; æquè difficile, ac proprium divinæ potentiæ. Quanquam nihil absurdi erit, si dicamus hîc institui collationem imparium, sed imparium judicio humano: cui facilius videtur,* Remittere peccata, *quàm* Verbo sanare. *Ex hac igitur hypothesi ratiocinatio Domini ducta fuerit à minori, in hunc sensum:*

Si possum verbo sanare: multò magis possum remittere peccata.
Atqui possum verbo sanare.
Ergò multò magis possum remittere peccata.

Ratio connexi à minori, id est, à sententia minus probabili. Minùs enim probabile est, aliquem posse efficere id quod videtur difficilius, quàm id quod facilius. Quanquam isto genere interrogationis innui solet affirmatio membri posterioris: ut apud Cic in oratione pro Fontejo: Vide igitur, utrum sit æquius hominem honestissimum, virum fortissimum, civem optimum, dedi inimicissimis atque immanissimis nationibus: an reddi amicis? *quasi dicat: Non illud, sed hoc, æquius est. Ita hoc loco exponendum esset:* Utrum est facilius: dicere, Remissa sunt tibi peccata: an dicere, Surge & ambula? *Quasi dicat, Non illud, sed hoc, facilius est. Quæ expositio quum instituto Domini repugnet: alteram potiùs amplector, & parium collationem hîc institui puto.*

24 Filium hominis] ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Id est, me. Periphrasis.* Ait paralytico] εἶπε τῷ παραλελυμένῳ. Dixit resoluto illi. *Hæc verba non sunt includenda parenthesi: constituunt enim apodosin periodi, per ellipsin directæ ἀποδόσεως: quæ esset talis,* Ex tempore sanabo hunc paralyticum. *post adderetur,* Tunc dixit paralytico. *Vocant* ἀποκοπὴν τῆς ἀποδόσεως, *præcisionem comprehensionis.*

26 Vidimus] ὅτι εἴδομεν. *Conjunctio* ὅτι *servit mimesi.*

27 Levin] Λευΐν. *Hic litera* υ *vim habet consonantis Vau, ut apud Hebræos ipsum Vau: idq; præter morem linguæ Græcæ: si tamen tenemus rectam hujus literæ in omnibus vocibus pronuntiationem. Et similiter ad imitationem Hebræorum potest scribi* Δαυΐδ, *quod scribi solet* Δαβίδ. *Mirum autem videtur, si Græci caruerunt duobus illis sonis, Jod & Vau. Reperitur in Sibyllinis carminibus versus incipiens à voce* Ἰουδαίων *trisyllabâ, constante nimirum è tribus syllabis longis, ubi necesse est, Jota pronuntiare per consonantem Jod. Porrò iste Levis aliâs nominabatur Matthæus: ut videre est Matth.9.v.9. Fuit Alphæi cujusdam filius Marc.2.14.*

29 Epulum] δοχήν. *Græcum nomen dictum est* παρὰ τὸ δέχεσθαι, *ab excipiendo, scil. hospites seu convivas.*

30 Obmurmurabant autem eis] καὶ ἐγόγγυζον αὐτῶν. *Pro,* κατ᾽ αὐτῶν. *Murmurabant contra eos. Ellipsis.* Editis] ἐσθίετε. *Scil. vos & magister vester: qui solus nominatur Matth.9.11. & quem illi inprimis reprehensum volebant.*

31 Et respondens] καὶ ἀποκριθείς. *Scil. Quum istud murmur audisset, ut est Matth.9.12.*

32 Ut vocarem] καλέσαι. *Pro,* τοῦ καλέσαι. *scil.* ἕνεκα.

33 Ipsi verò] οἱ δέ. *Pro.* αὐτοὶ δέ. *Græcismus.*

34 Num potestis] μὴ δύνασθε. *Quasi dicat, Minimè potestis.* Filii thalami] τοὺς υἱοὺς τοῦ νυμφῶνος. *Vide scholia in Matth.9.15.* Quo tempore] ἐν ᾧ. *Supple,* χρόνῳ. *Id est,* ἐν ἐκείνῳ χρόνῳ ἐν ᾧ, *sive* καθ᾽ ὅν. *Elegans loquendi compendium.*

35 Venient autem dies quum tolletur &c.] ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι καὶ ὅταν &c. *Conjunctio* καὶ *videtur errore huc trajecta, quum præponi deberet adverbio* τότε: *ut liquet tum ex ipso sermonis genere, tum ex collatione Marci c.2 v.20.* Tunc jejunabunt, illis diebus] τότε νηστεύσουσιν, ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. *Pleonasmus.*

36 Findit vetus] σχίζει *Scil.* τὸ παλαιόν. *Pro quo apud Marcum legitur,* τὸ πλήρωμα αὐτοῦ τὸ καινὸν αἴρει ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ, Supplementum ejus novum aufert aliquid à vetere.

39 Vetus] παλαιόν. *Subaudi,* οἶνον. *Sic mox,* ὁ παλαιός, *scilicet* οἶνος. Melius] χρηστότερος. *Id est, suavius: quia scilicet lenius. neque enim vinum vetus hîc comparari puto cum musto, sed cum*

vino

vino novo quod jam deferbuit, & adhuc acre est. Vetustate enim vina mitescunt: quia vetustas igneum calorem, acerbitatem & faces è vino tollit. Itaque bene Lutherus reddidit, milter/ *id est, mitius sive lenius.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

Evangelii prædicatio. 1 Ex parte prima. Sicut Petrus unà cum sociis frustra per totam noctem laboravit in capiendis piscibus: Christo autem per suam potentiam agente plurimos pisces cepit: ita doctores Evangelii frustra laborant in hominibus ad fidem adducendis & in cælum colligendis, nisi Christus per suam potentiam in illis fuerit efficax. Confer 1.Cor.3. vers.6. & 7. *Qui plantat, nihil est &c.*

Christi adoratio. 2 Ex v.8. Exemplo Petri, Christus adorandus ut Deus. Confer exemplum cæci, Johan.9.vers.35. & deinceps. Item Thomæ, Joh.20.v.28.

Evangelii prædicatio. 3 Ex v.10. Christus efficax est per prædicationem Evangelii ad capiendum electos, ut Evangelio credant & salvi fiant.

Officium hominis Christiani. 4 Ex v.11. Exemplo discipulorum vocatio Dei sequenda est, etiamsi relinquendæ nobis sint facultates nostræ.

Ex parte secunda. Quid discendum sit ex historia leprosi, annotavi ad caput octavum Matthæi, v.2.& deinceps.

Gloria. 5 Ex v.15. Gloria persequitur fugientem. Quare si veram gloriam desideramus, caveamus illam captare: sed potiùs quantum in nobis est, eam fugiamus. Confer exemplum Saulis latitantis quum esset electus rex, 1.Sam.10.

Officium ministrorum verbi Dei. 6 Ex v.16. Exemplo Christi, pastores Ecclesiæ assiduè precentur, ut rectè possint fungi munere suo.

Ex vers.17. & seqq. Quid discendum sit ex historia sanati paralytici, vide in observationibus ex cap.9. Matthæi, vers.2. & deinceps.

Ex vers.27. & seqq. Quid discendum sit ex historia vocationis Matthæi, vide in observationibus ex cap.9. Matth. vers.9.& deinceps.

Ex v.33. & seqq. Quid discendum sit ex sermone Domini de jejunio discipulorum, vide in observationibus ex Matth.9.v.14. & deinceps.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Christus defendit discipulos contra criminationem Pharisæorum de violato sabbatho, usque ad vers.6. Deinde sanat manum cujusdam aridam, seq. contra tacitam Pharisæorum criminationem de sabbatho violato inde natam, defendit, usque ad vers.12. Postremò eligit duodecim Apostolos, & sermonem prolixum ad turbam habet, usque ad finem.

PRIMA PARS.

Defendit discipulos contra criminationem Pharisæorum de violato sabbatho.

FActum est verò ut sabbatho altero-primo pertransiret per sata. Vellebant ejus discipuli spicas, edebantque, confricantes manibus.

2 Quidam autem Pharisæorum dixerunt eis, Cur facitis quod non licet facere sabbathis?

3 Tunc respondens JESUS dixit eis, Ne hoc quidem legistis quod fecit David, quum esuriret ipse & qui cum eo erant?

4 Quomodo introierit domum DEI, & panes propositionis sumserit, ederitque, ac dederit etiam iis qui secum *erant?* quos *panes* non licet edere nisi solis sacerdotibus?

5 Et dicebant eis, Filius hominis dominus est etiam sabbathi.

Primò indicatur tempus, 2.occasio facti cui criminatio accidit, 3.ipsum factum seu objectum criminationis: ubi connotatur & occasio ejusdem, 4.ipsa criminatio, 5.defensio. *Tempus* quo ista acciderunt, fuit sabbathum altero-primum. *Occasio* facti fuit transitus Domini cum discipulis per sata. *Factum* ipsum fuit, quòd vulserunt spicas confricaruntque manibus atque ederunt. Occasio criminationis quæ hîc connotatur, fuit conspectio Pharisæorum. nam nisi factum illud vidissent, non habuissent occasionem criminandi. *Criminatio* continetur v.2. his verbis: *Cur facitis quod non licet facere sabbathis?* Syllogismus:

Sabbatho non licet facere opus servile: quia scilicet Deus id vetuit.

Vos sabbatho facitis opus servile, vellendo scilicet spicas & confricando.

Facitis igitur quod non licet.

Defensio qua Dominus factum illud discipulorum defendit, duobus constat argumentis: quorum prius continetur v.3.& 4. posterius, v.5. Prius ductum est à pari, videl. simili exemplo Davidis: quod concludi potest ad hunc modum:

Si David quum esuriret, edit panes propositionis: & tamen propterea à nemine pio reprehenditur: etiam discipuli mei non sunt reprehendendi, quòd esurientes vulserunt spicas in sabbatho & edunt: quia scil. par utriusq. facti est ratio, nempe casus necessitatis: quæ non habet legem.

Atqui David quum esuriret, edit panes propositionis: & tamen propterea à nemine pio reprehenditur.

Ergo etiam discipuli mei non sunt reprehendendi &c.

In textu sola ponitur assumtio, confirmata testimonio Legis, & illustrata narratione facti plenâ & amplificata antithesi causæ corrumpentis. Confirmatio autem ipsa exornata est communicatione rhetoricâ, qua continetur recriminatio aut inscitiæ aut malitiæ adversariorum per tacitum dilemma; ubi ait: *Ne hoc quidem legistis quod fecit David &c.* quasi dicat: Aut legistis factum illud Davidis, aut non legistis. Si legistis: pudeat vos vestræ inscitiæ quòd non nostis illud ad usum applicare. Si verò non legistis: pudeat vos vestræ ignaviæ, qui non legeritis Scripturam cujus vos profitemini interpretes. Narratio facti constat circumstantiis comitatus, loci & actionum conjunctarum: nempe quòd non solùm ipse esurierit, sed & qui cum eo erant: quòd introierit domum Dei, id est, tabernaculum, ubi panes propositionis erant: quòd illos panes sumserit, videlicet à sacerdote Abimelecho sive Abjathare: quòd de illis dederit etiam iis qui secum erant. Causa corrumpens qua ab illis panibus edendis poterat deterreri, fuit lex Dei qua panes illi solis sacerdotibus ad edendum erant concessi atque attributi. Alterum argumentum ductum est à genere:

Si habeo potestatem agendi in sabbatho quicquid velim: habeo etiam potestatem permittendi discipulis meis, ut in sabbatho vellant spicas.

Sed habeo potestatem agendi in sabbatho quicquid velim: sum enim dominus sabbathi: quippe illius institutor unà cum Patre.

Ergo habeo quoque potestatem permittendi discipulis meis ut in sabbatho vellant spicas.

Hæc defensio non tam ad discipulos quàm ad Dominum ipsum pertinet: quippe quem & ipsum criminati fuerunt Pharisæi, quòd istud discipulis permitteret: ut videre est Matth.12.v.2. Cæterùm in textu sola ponitur approbatio assumtionis.

SECUNDA PARS.

Sanat manum cujusdam aridam: seq. contra criminationem Pharisæorum inde ortam (quasi scilicet violasset sabbathum) defendit.

6 Factum est verò etiam alio sabbatho ut ipse ingrederetur in synagogam, ac doceret. Erat autem ibi quidam cujus manus dextera erat arida.

7 Observabant autem eum scribæ ac Pharisæi, an sabbatho sanaturus esset *illum*; ut invenirent accusationem adversus eum.

8 At ipse sciebat cogitationes eorum: & dixit homini qui habebat manum aridam; Surge, & sta in medium. Ille verò exsurrexit, ac stetit.

9 Dixit igitur eis Jesus, Interrogabo vos quiddam; Licétne sabbathis benefacere, an malefacere *cuipiam?* animam servare, an perdere?

10 Et quum eos omnes circumspexisset, ait homini, Extende manum tuam. Ille autem ita fecit; & restituta est manus ejus sana, sicut altera.

11 Ipsi autem repleti sunt amentiâ: & colloquebantur alii cum aliis, quidnam facerent Jesu.

Primò indicatur miraculi hujus tempus, 2.locus, 3.finis seu scopus, 4.occasio, 5.causa corrumpens, 6.præparatio seu effectum destinatum, 7.remotio causæ corrumpentis, nempe defensio contra tacitam criminationem Pharisæorum, 8.forma, 9.eventus. *Tempus* quo Dominus hoc miraculum fecit, fuit sabbathum. *Locus* ubi fecit, fuit synagoga. *Finis* cujus gratiâ fecit, fuit confirmatio doctrinæ, quam in synagoga proposuerat. *Occasio* fuit, præsentia illius qui manum aridam habebat. *Causa corrumpens* quæ Dominum ab illo tunc sanando potuisset deterrere, fuit observatio inimica scribarum ac Pharisæorum, & propositum accusandi tanquam violatorem sabbathi, si illum tunc sanaret. *Præparatio* quâ Dominus & illum maleaffectum & spectatores ad hoc miraculum præparavit, seu actio quam illis in spem miraculi erigendis destinavit, fuit productio illius sanandi in conspectum omnium qui aderant. *Remotio causæ corrumpentis*, id est, refutatio criminationis quam Pharisæi captabant, continetur v.9. his verbis, *Licétne sabbathis benefacere &c.* Syllogismus:

Si licet sabbathis benefacere homini, hominémve servare: licet utiq. nunc ægrotantem hunc sanare.

At sabbathis benefacere homini, hominémve servare licet.

Licet igitur ægrotantem istum nunc sanare. Et per consequens erratis quum putatis me violaturum sabbathum, si istum nunc sanem.

Conclusionis sententia innuitur in principio v.8. his verbis: *At ipse sciebat cogitationes eorum, & dixit &c.* Id est, Quoniam animadvertebat illos captare occasionem sui accusandi tanquam violasset sabbathum, si tunc ægrotum istum sanaret: comparavit se ad hanc illorum opinionem refutandam, suumque factum defendendum: id est, ad concludendum hanc sententiam, *Licet ægrotum istum non sanare.* Assumtio sequitur v.9. exornata communicatione rhetoricâ, ac proinde tacitè confirmata confessione adversariorum, ubi ait, *Licétne?* quasi dicat, Non potestis negare quin liceat, cogimini id confiteri. Item amplificata est antithesi adversorum, vel potiùs confirmata per syllogismum disjunctivum, quasi dicat:

Licet sabbathis aut benefacere proximo, ut malefacere.
At non licet malefacere.
Ergo licet benefacere.

Forma miraculi narratur vers.10. & continet quatuor partes. 1. Circumspexit adversarios, idque cum ira, Marc.B.vers.5. quasi dicat, Etiam invitis vobis benefaciam huic misero, eâdemque operâ gloriam DEI promovebo ad bonos. 2. Mandavit ægroto ut extenderet manum. Ille paruit mandato. 4. Evênit ut manus ejus sanaretur. *Eventus* miraculi narratur vers.11. duplex: indignatio vehementissima qua in furorem pænè acti fuerunt scribæ illi ac Pharisæi, & consultatio de Domino perdendo.

TERTIA PARS.

Eligit duodecim Apostolos: & sermonem prolixum habet ad turbam.

12 Factum est autem illis diebus, exiit in montem ad precandum: & pernoctavit *illic* in precatione ad Deum.

13 Et quum dies ortus esset, advocavit discipulos suos; & quum ex ipsis elegisset duodecim, quos & Apostolos nominavit,

14 (*Nempe* Simonem, quem etiam nominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum & Johannem, Philippum & Bartholomæum,

15 Matthæum & Thomam, Jacobum Alphæi *filium*, & Simonem qui vocatur Zelotes:

16 Judam Jacobi *filium*, & Judam Iscariotem, qui etiam fuit proditor)

17 Quumque descendisset cum eis: substitit in loco campestri: turbaque discipulorum ejus, & multitudo magna plebis ex tota Judæa & Hierosolyma, & à maritima *regione* Tyri & Sydonis, qui venerant ut audirent eum, & sanarentur à morbis suis:

18 Et qui torquebantur à spiritibus impuris: & sanabantur.

19 Et tota turba studebat eum tangere: quia vis *quadam* ab eo exibat, & sanabat omnes.

20 Ipse verò sublatis oculis suis in discipulos, dicebat, Beati *estis* vos pauperes: quia vestrum est regnum Dei.

21 Beati qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.

22 Beati estis quum vos oderint homines, & separaverint vos, & conviciati fuerint *vobis*, & nomen vestrum ut nequam ejecerint, propter Filium hominis.

23 Gaudete illo die & salite. ecce enim, merces vestra multa *est* in cælis: nam itidem faciebant prophetis patres eorum.

24 Sed væ vobis divitibus: nam perceptum habetis solatium vestrum.

25 Væ vobis qui impleti estis: nam esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc: nam lugebitis & flebitis.

26 Væ vobis quum bene vobis dixerint omnes homines: nam itidem faciebant pseudoprophetis patres eorum.

27 Sed vobis dico qui auditis, Diligite inimicos vestros: benefacite iis qui vos oderunt.

28 Benedicite iis qui devovent vos, & precamini pro iis qui infestant vos.

29 Et qui tibi verberaverit maxillam, præbe & alteram: & ab eo qui tollit tibi pallium, etiam tunicam ne prohibeto.

30 Cuivis autem petenti abs te, da: & ab eo qui tollit *res* tuas, ne repetito.

31 Et prout vultis ut faciant vobis homines, vos etiam facite eis similiter.

32 Nam si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligunt eos à quibus diliguntur.

33 Et si benefeceritis iis qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores idem faciunt.

34 Et si mutuum dederitis *iis* à quibus speratis *vos* recepturos, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, ut recipiant paria.

35 Itaque diligite inimicos vestros, & benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, ac eritis filii Altissimi: nam ipse benignus est erga ingratos & malos.

36 Estote ergo misericordes, prout & pater vester misericors est.

37 Ne judicate, & non judicabimini: ne condemnate, & non condemnabimini: absolvite, & absolvemini:

38 Date, & dabitur vobis. mensuram, *inquam*, bonam, pressam, agitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eâdem enim mensurâ qua metimini, contrametientur vobis.

39 Dicebat autem eis parabolam, Num potest cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foveam cadent?

40 Non est discipulus supra magistrum suum: sed quisquis *erit* perfectus *discipulus*, erit ut magister ipsius.

41 Quid autem aspicis festucam quæ *est* in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo, non animadvertis?

42 Aut quomodo potes dicere fratri tuo; Frater, sine ejiciam festucam quæ in oculo tuo est: quum ipse trabem quæ est in oculo tuo, non respicias? Hypocrita, ejice primùm trabem illam ex oculo tuo: & tum dispicies ut ejicias festucam quæ est in oculo fratris tui.

43 Non est enim arbor bona quæ ferat fructum putrem, neque arbor putris quæ ferat fructum bonum.

44 Unaquæque enim arbor ex fructu suo cognoscitur. Neque enim è spinis colligunt ficus, neque è rubo vindemiant uvam.

45 Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum. Ex abundantia enim cordis loquitur os ejus.

46 Quid autem vocatis me, Domine, Domine: & non facitis quæ dico?

47 Quisquis venit ad me, & audit sermones meos, & eos præstat; indicabo vobis cui similis sit.

48 Similis est homini ædificanti domum, qui fodit & excavavit, posuitque fundamentum super petram. Ubi autem vênit inundatio, illisum est flumen domui illi, sed non potuit eam quatere: fundata enim erat super petram.

49 Qui autem *eos* audivit, nec præstitit, similis est homini qui ædificavit domum suam super solum absque fundamento: cui illisum est flumen: itaque statim cecidit, fuitque ruina domus illius magna.

In describenda electione Apostolorum primò narratur præparatio, 2. indicatur tempus, 3. testes, 4. numerus, 5. nomen commune, 6. nomina propria singulorum. *Præparatio* qua sese Dominus ad eligendum Apostolos præparavit, fuit precatio: quæ declaratur ex loco ubi fuit facta, videlicet in monte: & amplificatur à duratione, nempe quòd in precatione illa pernoctaverit. *Tempus* quo Apostolos elegit, fuit mane diei posteri, vers.13. quâ circumstantiâ innuitur Domini studium in isto negotio. *Testes* fuerunt discipuli, quos advocavit ut ex ipsis aliquot eligeret ad apostolatum, ibidem. *Numerus* est duodenarius, ibidem. Nomen commune, *Apostoli*, ab ipso Domino impositum. *Nomina* propria singulorum recensentur v.14.15. & 16.

In sermone Domini describendo primùm indicatur effectum destina-

destinatum seu præparatio, 2. locus, 3. adjunctum occupatum, nempe auditores, 4. causa impulsiva, 5. narratur sermo ipse. Præparatio significatur his verbis, *Descendit cum eis*(nempe Dominus cum discipulis, ex collatione vers. 13. *stetitq; in loco campestri*. Locus igitur fuit campus seu planities ad radices montis unde descenderat. Auditores fuerunt partim familiares, nempe *turba discipulorum*: partim alieni, nempe *multitudo magna plebis*. Ista multitudo describitur partim è locis unde venerant, videlicet *ex tota Judæa & Hierosolyma, & à maritima regione Tyri & Sidonis*: partim à fine cujus gratiâ venerant: qui finis indicatur duplex: unus, *ut audirent eum*: alter, *ut sanarentur à morbis suis*. Hic posterior finis amplificatur ab eventu, nempe quòd fuerint sanati à Domino quotquot eum attingebant, v. 18. & 19. Causa impulsiva innuitur, v. 19. videlicet præclara opinio turbæ de Domino, ut qui & posset sanare quosvis ipsum attingentes, & ad id faciendum facilem sese præberet. quam suam opinionem ipso facto declarabant, studentes eum tangere ut sanarentur. Itaque speravit Dominus se illis doctrinam suam eò faciliùs persuasurum.

Cæterùm sermo ipse Domini distingui potest ex objectis in quatuor partes. Nam prima pars propriè directa fuit ad discipulos, à v. 20. usque ad v. 24. Secunda ad securos absentes, v. 24. 25. & 26. Tertia ad cunctos præsentes, à v. 27. usque ad v. 41. Quarta ad hypocritas præsentes, à v. 41. usque ad finem.

Primæ parti præmittitur præparatio seu effectum destinatum: videl. quòd Dominus oculos suos sustulerit in discipulos: quo gestu nimirum significavit, se de ipsis sermonem ordiri velle. Sermonis scopus est, discipulos suos, ac inprimis Apostolos recens electos, consolari contra eventuram ipsis persecutionem mundi propter Evangelii confessionem ac prædicationem, ac proinde ipsos ad tolerantiam crucis præparare. Hic scopus significatur v. 22. ubi ait, *Beati eritis quum vos oderint &c. propter filium hominis*. Argumenta consolationis duo affert: unum ab eventu utili atque optabili, videlicet præmiis divinis in cælo: alterum ab adjuncto adhærente honesto, videlicet societate sive communione cum Prophetis, in fine v. 23. Cæterùm crux quæ erat discipulis propter confessionem ipsius eventura, amplificatur enumeratione specierum, quæ enumerantur sex, paupertas, fames, fletus, odium hominum, separatio sive excommunicatio, & convicia. Argumentum verò prius amplificatur copiâ verborum seu varietate nominum, quibus præmia illa divina atque cælestia significantur majori ex parte metaphoricè: idque eleganter per antithesin specierum crucis. Etenim paupertati opponitur regnum Dei, v. 20: fami saturitas, v. 21: fletui risus, ibidem: odio hominum, separationi & conviciis opponitur merces multa in cælis, v. 22. & 23: quibus verbis comprehenditur amor DEI, communicatio cum Deo & nomen gloriosum. Porrò notandum, simplicibus istis enuntiatis quibus hoc loco Dominus beatos prædicat discipulos, per synecdochen intelligi enuntiata composita discreta, ad hunc modum: Etsi vos discipuli mei propter me prememini paupertate, esurietis, flebitis, odium hominum & separationem & convicia experiemini: unde videri possitis miseri: tamen scitote, vos propterea non esse miseros, sed interim esse beatos. Itaque non solùm non estote tristes, sed etiam gaudete atque salite: quum istas miserias meâ causâ experiemini. Cæterùm enthymemata hujus loci priora tria, exornata sunt anaphorâ duplici: una nominis *Beati*, alterâ conjunctionis *Quia*.

Secunda sermonis instituti pars, quæ pertinet ad securos Evangelii contemtores, tunc absentes, superiori annectitur per antithesin: sicut & ipsa tota illi est opposita. Etenim contemtoribus istis, ut beati esse videantur, denuntiat exitium æternum. Opponit autem quatuor speciebus miseriæ in priore parte enumeratis, totidem species felicitatis mundanæ atque carnalis: videlicet paupertati divitias, fami repletionem sive saturitatem, fletui risum, conviciis benedicta sive laudes. Miseriam verò istorum similiter variis nominibus significat, per antithesin specierum felicitatis: nam divitiarum fruitioni opponit destitutionem solatii in altera vita futuri, repletioni sive saturitati opponit famem futuram, risui luctum & fletum, benedictis seu laudibus communionem cum pseudoprophetis. Ex quo ultimo membro percipitur, Dominum præcipuè hîc perstringere falsos doctores qui tum erant in populo Dei, videlicet scribas & Pharisæos: qui neglectâ & contemtâ evangelii veritate, unicè studebant divitiis & voluptatibus & honoribus: sicut alibi istis nominibus à Domino apertè reprehenduntur. Similiter autem ut in parte superiore, sub enuntiatis simplicibus intelligenda hîc sunt composita discreta: quasi dicat Dominus; Etsi vos scribæ & Pharisæi qui discipulos meos hostiliter persecuturi estis, videmini esse beati: quoniam estis divites, impleti seu saturati, ridentes, & quia mundus vobis benedicit, id est, vos laudat & beatos prædicat: tamen scitote, vos esse miseros: quia in gehenna in æternum excruciabimini, ut vobis illud væ perpetuò exclamandum sit.

Tertia sermonis instituti pars superiori similiter annectitur per antithesin, quâ contemtoribus illis evangelii seu doctrinæ Christi absentibus opponuntur auditores præsentes, his verbis: *Sed vobis dico qui auditis*. Continet autem hæc pars multa & varia præcepta de officiis discipulorum Christi: quæ præcepta numeris notabimus. 1. *Diligite, &c.* 2. *Benefacite, &c.* 3. *Benedicite, &c.* 4. *Precamini, &c.* 5. *Et qui tibi &c.* 6. *Et ab eo &c.* 7. *Cuivis autem &c.* 8. *Et ab eo &c.* 9. *Et prout vultis, &c.* 10. *Estote ergo, &c.* 11. *Ne judicate, &c.* 12. *Ne condemnate, &c.* 13. *Absolvite, &c.* 14. *Date, &c.* 15. non expressum, sed implicitum, videlicet cavendam doctrinam scribarum & Pharisæorum: *Num potest cæcus &c.* 16. similiter implicitum, nempe non esse Apostolis gloriandum si succedat eis functio docendi, quasi perfectiores sint ipso Domino: *Non est discipulus &c.* Cæterùm post nonum præceptum inseritur confirmatio duorum primorum præceptorum; nec non decimi: quod ex illa confirmatione deducitur. Argumenta confirmationis duo affert, utrumque ab effectu utili: videlicet adeptione præmii cælestis, & demonstratione summæ dignitatis, nempe quòd sint filii Dei, ac proinde longè superantes officia vulgaria peccatorum seu non-renatorum. Præmium illud nominat primùm gratiam, v. 32. 33. & 34. quia ex gratia Dei dabitur: deinde mercedem, v. 35. quia dabitur in vespera mundi post exantlatos hujus vitæ labores. Argumentum utrumque adhibet præceptis illis singulis: primo, v. 32: secundo, v. 33: decimo, v. 34. ubi notandum, speciem misericordiæ pro genere poni, videlicet dationem mutui quæ fit homini ita pauperi aut malæ fidei ut spes non sit recipiendi. Deinde præcepta ipsa ex confirmatione illa deducit, v. 35: ac ibidem duo illa argumenta repetit: prius ibi, *Et erit merces vestra multa*: posterius ibi, *Ac filii eritis illius Altissimi*. Quod posterius argumentum approbatur à consuetudine Dei, ibi, *Nam ipse benignus est erga ingratos & malos*. Postea inde deducitur præceptũ decimum: *Estote ergo misericordes*: & confirmatur à proprio adjuncto filiorum, quod est imitari laudabilia facta parentum: ubi ait, *Prout & pater vester misericors est*. Undecimum & duodecimum præceptum confirmantur ab effectu inutili, videlicet pœnâ talionis. Decimumtertium & decimumquartum confirmantur ab effectu utili, videlicet relatione gratiæ. Quæ relatio gratiæ amplificatur ab adjuncta quantitate, ibi, *Mensuram bonam &c.* Tum confirmatio quatuor postremorum præceptorum repetitur per sententiam generalem ac proverbialem, ibi: *Eâdem enim mensurâ &c.* Decimumquintum præceptum elicitur ex ipsius confirmatione, quæ habetur v. 39. ab effectu noxio: quod significatur similitudine casus in foveam, per sententiam proverbialem, *Num potest cæcus cæcum ducere? &c.* q. d. Sicut cæcus qui patitur se duci à cæco, incidit in foveam unà cum illo: sic idiota qui patitur se doceri à scribis & Pharisæis, incidet in exitium, vi falsæ scilicet doctrinæ, unà cum illis. Ergo omnes sibi ab illis caveant. Decimumsextum præceptum similiter elicitur ex ipsius confirmatione, quæ habetur vers. 40. Estque sumta à sententia generali ac proverbiali, *Non est discipulus supra magistrum, &c.* q. d. Ergo ne quis vestrûm, quos vocavi ad docendum evangelium, superbiat si expertus fuerit successum: quasi scilicet me facultate docendi antecellat. Etenim ego sum magister vester: vos discipuli mei: discipulum autem non decet ut sibi perfectior videatur suo magistro.

Quarta sermonis instituti pars ad hypocritas peculiariter pertinet: quos ab hypocrisi dehortatur, & ad demonstrationem sinceræ pietatis exhortatur. Præcepta hujus loci omnino tria sunt. Primum: Ne quis proximum propter ipsius vitia nimis facilè aut acriter reprehendito, quum ipse sibi majorum vitiorum sit conscius: sed priùs sua ipsius vitia emendare studeto, vers. 41. & 42. Secundum: Qui verè pius haberi cupit, pietatem suam demonstret per bona opera, vers. 44. & 45. Tertium: Qui me verè honorare videri vult: non tantùm verbis me honoret, vocando me dominum: sed etiam factis, auscultando præceptis meis, v. 46. & seqq. Primum præceptum proponitur sub similibus, quatenus vitia proximi comparantur festucæ quæ sit in oculo proximi, vitia autem hypocritæ proximum reprehendentis comparantur trabi quæ sit in ipsius oculo. quo significatur, vitia hypocritarum esse majora quàm sint vitia proximi quæ ipsi reprehendunt. Secundum præceptum proponitur sub similitudine arboris fruticisve & fructuum illius. Sententia est: Sicut ea demum arbor bona habetur quæ bonos fructus fert: sic is demum homo bonus haberi potest, qui bona opera facit. Deinde eadem sententia illustratur similitudine thesauri. nam sicut ex thesauro bono proferuntur bona, ex malo mala: sic ex corde bono proferuntur opera bona, ex malo mala. Quæ sententia confirmatur proverbio, *Ex abundantia cordis loquitur os*. Tertium præceptum confirmatur ab effectis per antithesin: nempe ab effectu utili, si quis illi paruerit: & contrà ab effectu inutili seu noxio, si quis non paruerit. Quod argumentum utrumque unà cum ipso præcepto proponitur sub similitudine ædificantis domum vel super petram, vel super arenam: quarum domorum illa, firma persistit contra vim ventorum & fluminum: ista verò, vi ventorum ac fluminum corruit. Ita qui observat sermones Christi, firmus persistit contra tentationes: qui non observat, deficit ac perit.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 Sabbatho altero-primo] ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ. *Id est, die ultimo festi Azymorum, qui pari cum primo solennitate celebrandus erat, ac proinde illi velut è regione respondebat: ut plu-*

ribus declarat D. Beza. Nisi potior habenda sententia Gerardi Mercatoris, qui in sua Harmonia quatuor evangelistarum in hunc locum annotat, Ex frumenti è spicis esu conspicuum esse, festum hoc esse festum quinquagesimæ (id est, Pentecostes) sive primitiarum: quippe quod messi triticeæ conjunctum erat, Exod.34. v.22. Censet igitur, Christum secundùm legem Exod.23.17. & 34.24. festo huic interfuisse, sed primis tantùm diebus: mediâ autem festivitatis hebdomade revertisse Capernaümum: ita ut in hoc itinere octavo die qui sabbathum propriè erat, & primo diei dignitate æqualis, in pago aut civitate aliqua sabbathum agens per sata ierit. Sed utriq; isti expositioni præfero interpretationem nobiliss. & clariss. viri, Josephi Scaligeri, qui in opere suo de Emendatione temporis tradit, sabbathum δευτερόπρωτον esse id quòd proximè post solenne paschatis sequitur: dictum ex eo quòd esset ἀπὸ δευτέρας πρῶτον: videlicet ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχα, (id est, à secundo die post pascha) à quo Lex (Levit.23.15.) jubet septem hebdomades numerare usq; ad diem Pentecostes. Hanc sententiam ideo amplector, quòd Hebræi etiam hodie (ut idem Scaliger testatur) sabbathum illud vocant שבת ראשון ממחרת *schabbath rischón mimmohhorath: id est, σάββατον πρῶτον ἀπὸ δευτέρας.*

2 Cur facitis] τί ποιεῖτε. *Ponitur* τί *pro* διατί. *Heterosis, vel ellipsis.*

3 Ne hoc quidem legistis] οὐδὲ τοῦτο ἀνέγνωτε; *Interrogatio vim habet reprehendendi, idq;* διλημματικῶς. *quasi dicat Dominus: Si non legistis, pudeat vos ignaviæ: si verò legistis, pudeat vos vel socordiæ, quòd non intellexistis; vel malitiæ, quòd intellectum dissimulatis, & de factis similibus dissimile judicium fertis.*

4 Domum Dei] εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ. *Vide scholia in Matth. 12.v.14.*

5 Filius hominis dominus est &c.] ὅτι κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Conjunctio* ὅτι *servit mimesi. De sensu autem horum verborum dixi in scholiis ad Matth.12.v.8.*

7 Accusationem adversus eum] κατηγορίαν αὐτοῦ. *Ad verb.* Accusationem ejus. *Genitivus subjecti patientis: Ejus, id est, quâ is accusaretur.*

8 Sciebat] ᾔδει. *Vel, animadvertebat.* Ille verò] ὁ δὲ. *Pro,* αὐτὸς δὲ. *Hellenismus. Sic v.10.*

9 Animam] ψυχὴν. *Id est, hominem. Vide scholia in Marc.3.4.*

11 Quidnam facerent Jesu] τί ἂν ποιήσαιεν τῷ Ἰησοῦ. *Id est, quo pacto ipsum è medio tollerent. Synecdoche generis.*

12 Pernoctabit in precatione] διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ. *Id est, totam noctem consumsit in precibus.* In precatione ad Deum] ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ. *Id est,* πρὸς Θεὸν. *Genitivus objecti. Potest reddi ad verbum,* In vocatione Dei: *quâ scilicet Deus ab ipso invocabatur.* Sed invocationis *vocabulum apud Latinos (quod sciam) usitatum non est: licet verbum* Invoco *hoc sensu reperiatur: ut Cic.libr.2. de nat.deor.* Junonem Lucinam in pariundo invocant.

16 Judam Jacobi *filium*] Ἰούδαν Ἰακώβου. *Scilicet* υἱὸν. *Alii supplent,* fratrem: *sed præter morem linguæ. Vide scholia nostra in Act.1.v.13.*

17 Quumque descendisset] καὶ καταβὰς. *Adhuc κρέμαται ἡ διάνοια, pendet sententia: cohærent enim hæc verba cum verbis v.13.* καὶ ἐκλεξάμενος *&c. Et quum elegisset &c. Apodosis autem periodi, absolutioq; sententiæ inchoatæ, nempe enuntiati relativi temporis, sequitur ibi,* ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ: substitit (*sive constitit*) in loco campestri. Substitit] ἔστη. *Sic infrà c.7.v.14. Ii verò qui portabant, substiterant;* ἔστησαν. Turbaque] καὶ ὄχλος. *Scilicet* ἔστη, substitit. *Et mox,* Et multitudo magna] καὶ πλῆθος πολὺ. *scilicet* ἔστη, *substitit.* παράλιος. Maritimâ *regione*] τῆς παραλίου. *Scilicet* χώρας.

18 Et sanabantur] καὶ ἐθεραπεύοντο. *Ad verbum,* Curabantur. *Pro,* ἰῶντο. *Catachresis.*

19 Studebat] ἐζήτει. *Ad verb.* Quærebat. *Id est, conabatur.* Vis *quædam*] δύναμις. *Vide scholia in Marc.5.30.* Et sanabat] καὶ ἰᾶτο. *Scil. vis illa quæ à Domino prodibat.*

20 Sublatis oculis] ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς. *Quum sustulisset oculos.* Vos pauperes] οἱ πτωχοὶ. *Pro,* ὦ πτωχοὶ. *Atticè. Alloquitur autem discipulos.*

22 Separaverint vos] ἀφορίσωσιν ὑμᾶς. *Id est, Secluserint atq; ejecerint è suis synagogis, quod usitatè jam dicimus Excommunicare.* Ut nequam] ὡς πονηρὸν. *Sive sceleratum. Sicut hodie veri Christiani traducuntur tanquam scelesti Zuvingliani, Calviniani, deniq; hæretici pessimi.* Propter Filium hominis] ἕνεκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. *Id est, propter me: propterea quòd creditis in me, meamq; doctrinam profitemini.*

23 Salite] σκιρτήσατε. **Hupfet/springet.** *Scil. ex gaudio. Sic suprà 1.41.* ἐσκίρτησε, *subsiliit infans in utero Elisabetæ.*

24 Perceptum habetis] ἀπέχετε. *Vel uno verbo,* Retulistis: *ut ex consequente intelligatur antecedens. Retulistis scilicet à distributione præmiorum, ac proinde jam habetis. Verbum* ἀπέχειν *utrumq; notat; &* τὸ ἀπειληφέναι, *id est, ab aliquo accepisse, &* τὸ ἔχειν, *id est, habere.*

25 Qui impleti estis] οἱ ἐμπεπλησμένοι. *Nominativus loco vocativi, Atticè.*

32 Eos qui vos diligunt] τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς. *Scilicet* μόνον, *solùm. Quod adverbium additur in simili sententia Matth.5.47. Neq; enim certè prohibet Dominus ne diligamus amicos: sed præcipit, ut præter amicos diligamus quoque inimicos: ut ita ethnicis seu à fide Christiana alienis antecellamus. Sic deinceps.* Quæ vobis est gratia?] ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; *Quasi dicat, Nulla. Gratiæ autem vocabulo intelligit primùm gratiam seu benevolentiam Dei, per synecdochen generis: deinde præmium ex gratia Dei profectum, per metonymiam efficientis. Idem suprà v.23. per metaphoram appellavit* mercedem. *Et iterum sic appellabit v.35. Atque adeò pro his ipsis verbis apud Matthæum leguntur ista,* τίνα μισθὸν ἔχετε; *Quam mercedem habetis? cap.5.v.46.* Nam peccatores] καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ. *Id est, homines profani & palàm impii: quales tunc habebantur publicani: qui quidem in simili sententia apud Matthæum nominantur, cap.5.v.47. Nisi quis malit nomine* τῶν ἁμαρτωλῶν, *hîc intelligere Gentes sive ethnicos: secundùm illud Pauli Gal.2.v.15.* Nos naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores, ἁμαρτωλοὶ. *Cui consonat illud Domini Matth.26.45.* Filius hominis traditur in manus peccatorum, ἁμαρτωλῶν, *id est, Gentium: ut percipitur ex collatione Matth.20.19.* Tradent eum Gentibus, τοῖς ἔθνεσι.

34 Vos recepturos] ἀπολαβεῖν. *Pro,* ἀπολήψεσθαι. *scilicet* ὑμᾶς. *Enallage temporis, & ellipsis Græca.* Recepturos *autem, scilicet* τὰ ἴσα; *paria: ut mox declaratur in fine versus.* Ut recipiant paria] ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα. *Id est, hac lege, hoc pacto seu cum hac conditione, ac proinde etiam cum hac spe, ut recipiant ab iis paria, quibus mutuum dederunt. Sed nomine* τῶν ἴσων, *id est, parium sive æqualium, quid hîc intelligendum? Ipsáne sors, ut scil. reddatur tantundem quantum fuit mutuo datum: an verò fœnus sorti par seu æquale, proportione scilicet Geometricâ: id est, pro sortis magnitudine aut parvitate magnum aut parvum? Priorem expositionem veram ac genuinam esse, ostendam Deo juvante in scholio sequente.*

35 Nihil inde sperantes] μηδὲν ἀπελπίζοντες. *Hoc vulgò sic accipiunt: tanquam dicatur,* Nihil, *id est, nullum fœnus seu nullam usuram,* inde, *id est, è sorte mutuo-data. Sed exponendum:* Nihil, *id est, nullam partem sortis, ut significetur, non solùm iis mutuo dandum esse, de quibus sperari possit reddituros: sed etiam iis quos reddituros sperari non possit, nempe propter inopiam atq; egestatem. Hanc expositionē postulat primùm collatio cæterarum duarum hujus loci præceptionum, nempe:* Diligite inimicos vestros, & benefacite, *scilicet inimicis. Quarum præceptionum sententia (ut ex collatione præcedentium percipitur) hæc est; Diligite non solùm amicos, sed etiam inimicos: & benefacite non solùm amicis, sed etiam inimicis. Ergo simili ratione exponendum hoc tertium præceptionis membrum, duobus illis continenter annexum, nempe,* Et mutuum date, nihil inde sperantes: *hoc est, Mutuum date non tùm solùm quum potestis sperare vos recepturos: sed etiam quum id sperare non potestis. Deinde hanc expositionem postulat verbum* ἐλπίζειν, *sperare. nam si de usura seu fœnore sermo esset: alio verbo utendum fuisset, quo pactio significaretur. Atque ex hac expositione intelligitur, nomen* ἴσα, *id est, paria sive æqualia, versu superiore, non de fœnore seu usurâ, sed de ipsa sorte intelligendum esse. Etenim qui accepit mutuum, jure tenetur reddere non eandem speciem, sed eandem quantitatem. Est autem tacita amplificatio à majori in vocabulo* NIHIL. *q.d. Date mutuum illis quoque à quibus non licet sperare vos recepturos vel minimam mutui partem, nedum totum.* Et erit] καὶ ἔσται. *Id est, Tum erit. si scil. ista feceritis. Conjunctio copulativa, pro relativa temporis.* Merces vestra] ὁ μισθὸς ὑμῶν. *Ecce hîc mercedem nominat, quam superioribus tribus versibus* χάριν, *id est, gratiam nominavit.* Ac eritis] καὶ ἔσεσθε. *Id est, cognoscemini esse, nempe per argumentationem ex propriis effectis. Metonymia subjecti: qualis Johan.15.v.8.* Altissimi] ὑψίστου, **des Höhesten.** *Id est, Dei. Epitheton argumentosum. nam majestas patris in ipsos filios aliquo modo redundat. Certè enim honorificum est, magnæ personæ filium esse.*

37 Ne judicate, & non judicabimini] μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε. *Conjunctio copulativa in hac sententia & tribus sequentibus valet conjunctionem relativam consequentiæ unà cum conjunctione causali, videl.* τότε γὰρ, tunc enim: *vel,* οὕτω γὰρ, sic enim: *quarum vi repetitur præcedens membrum per conjunctionem connexivam, ad hunc modum:* Ne judicate: nam tunc, *vel* sic enim (*si scilicet non judicaveritis*) non judicabimini. *Hoc Germanicè exprimitur per conjunctionem relativam consequentiæ,* **So**, *ad hunc modum,* **Richtet nicht/ so werdet ihr nicht gerichtet werden.**

38 Dabunt] δώσουσιν. *Impersonaliter seu indefinitè dictum: pro, dabitur,* δοθήσεται: *quo verbo modò fuit usus.* In sinum vestrum] εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν. *Phrasis Hebræa, accommodata mori gentis. nam gentes orientales (inter quas & Judæi) vestes laxas ac sinuosas gerebant: ut commodum illis esset sinu excipere, quæ in copia dabantur. Exempla hujus Phrasis vide Psal.80.12.* Redde vicinis nostris septuplo in sinū ipsorum. *Esa.65.6.* Nō tacebo, nisi rependero, atque rependero in sinum istorum. *Jerem.32.18.* Exerces benignitatem in millesimos, & rependis iniquitatem patrum in sinum filiorum post ipsos. Contrametientur] ἀντιμετρηθήσεται. *Impersonaliter. Vulgata,* Remetietur, *passivè acceptâ voce,* **Man wird wider messen.**

39 Ducere] ὁδηγεῖν. *Gracum expressius, nempe in via seu per viam ducere.*

41 In oculo tuo] ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ. *Ad verb.* In oculo proprio. *Hellenismus. Sic v.44.* ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ, *ex fructu suo.*

46 Quid] τί. *Id est, Cur,* διατί. Et non facitis] καὶ οὐ ποιεῖτε. *Id est, Quum tamen non faciatis.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

Quid observandum sit ex historia de discipulis vellentibus spicas in sabbatho, vide in observationibus ex Matth.12. à principio.

Ex vers.6. & seqq. Vide observationes ex Matth.12. v.10. & deinceps.

Ministrorum verbi Dei electio.

1 Ex vers.12.& 13. Pastores Ecclesiæ cum magna religione & adhibitis ardentibus precibus sunt eligendi. Hoc modo electi quoque sunt Barnabas & Saulus ad prædicandum Evangelium in Græcia, Act.13. in principio.

Consolatio contra persecutionem.

2 Ex vers.20. & seqq. Qui in hac vita propter confessionem Christi persecutionem patiuntur, ac patienter & constanter ferunt, præmia in cælo maxima accepturi sunt. Qui verò Christo negato aut neglecto, bonis terrenis fruuntur & securitati carnis indulgent, ad æternos cruciatus damnabuntur. Quare persecutionem propter Christum constanter feramus, & à securitate carnali nobis caveamus.

Officium hominis Christiani.

3 Ex vers.27. & seqq. Quum natura nostra à tali dilectione proximi, qualem hoc loco Christus à nobis requirit, planè abhorreat: oremus DEUM, ut ipse per Spiritum suum illam cordibus nostris infundat. Et ad hoc moveamur quoque consideratione immensæ illius dilectionis Dei erga nos, quâ nos prorsus indignos, atque adeò inimicos suos, ex mera misericordia gratis dilexit & in æternum diliget in Christo.

Officium hominis Christiani.

4 Ex vers.37. Proximi facta ambigua non sunt in deteriorem partem interpretanda, nec apud alios calumniosè traducenda: sed in illius, quum opus est, fraternè admoniti ac reprehensi probabili excusatione acquiescendum. At scandalorum manifestorum seu factorum citra dubitationem impiorum alia ratio est: in quibus quomodo sit procedendum, docetur Matth.18. v.15.16.&17.

Officium hominis Christiani.

5 Ex vers.38. Proximo egenti liberaliter de bonis nostris communicare debemus: si liberalitatem Dei erga nos experiri cupimus.

Gubernatio Dei.

6 Ex eod.v. ex verbis, *Eâdem enim mensura, &c.* Justo Dei judicio fit, ut quales nos erga proximum præbuerimus, sive beneficos scil. sive injurios: tales se præbeant erga nos alii. Quare si beneficentiam proximorum experiri, & ab injuriis liberi esse cupimus: nos ipsos quoque beneficos erga proximum præbeamus, & ab omni injuria abstineamus.

Officium hominis Christiani.

7 Ex v.39. Ne in foveam exitii æterni cadamus: studiosè nos oportet nobis cavere à ducibus cæcis, id est, à falsis doctoribus & consultoribus malis.

Officium discipuli.

8 Ex vers.40. Discipulus præceptorem suum perpetuò honorare debet: nec committere ut authoritati illius unquam deroget.

Officium hominis Christiani.

9 Ex v.41.& 42. Cavendum ne in proximi peccatis judicandis & reprehendendis nimis severi ac rigidis simus: sed potiùs unusquisque in seipsum descendere, & affectus vitamque suam rigidè ac severè examinare debet: ut sibi displiceat, & gratiam sese emendandi à Deo seriò exoptet.

Officium hominis Christiani.

10 Ex v.43.& seqq. Si boni ac pii haberi volumus: pietatem & virtutem ipsis factis demonstrare nos oportet: inprimis autem constanti confessione veritatis cælestis à Christo traditæ, ita ut nullâ tentatione ab illa nos dimoveri patiamur.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Jesus sanat servum centurionis: excitat à morte filium viduæ: responsum dat nuntiis missis à Johanne Baptista: dat illi testimonium ad turbam: conqueritur de perversitate Pharisæorum & Legis interpretum: remittit peccata mulieri peccatrici: Ita capitis partes sunt sex.

PRIMA PARS.

Sanat servum centurionis.

QUum autem finivisset omnia verba sua audiente populo, ingressus est Capernaümum.

2 Centurionis verò cujusdam servus malè affectus moribundus erat: qui erat ipsi pretiosus.

3 Is verò quum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret & servaret servum suum.

4 Isti autem quum venissent ad Jesum, precati sunt eum studiosè, dicentes: Dignus est cui hoc præstes.

5 Diligit enim gentem nostram, & synagogam ædificavit nobis.

6 Jesus ergo ibat cum eis: Et quum jam non longè abesset à domo, misit ad eum centurio amicos, dicens ei, Domine, ne vexator: neque enim sum dignus, ut tectum meum subeas.

7 Ideo ne meipsum quidem sum dignum arbitratus qui venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.

8 Etenim ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, Vade, ac vadit: & alteri, Veni, ac venit: & servo meo, Fac hoc, ac facit.

9 Auditis autem his Jesus admiratus est eum: & conversus dixit turbæ quæ ipsum sequebatur; Dico vobis, ne in Israële quidem tantam fidem invêni.

10 Et domum reversi qui missi fuerant, sanum invenerunt servum qui ægrotus fuerat.

PRimò indicatur tempus quo hoc miraculum factum est, 2. locus ubi factum est, 3. objectum circa quod factum est, 4. causa impulsiva; quæ Dominum ad hoc miraculum faciendum movit, 5. præparatio seu effectum destinatum, 6. causa corrumpens præparationis, 7. alia causa impulsiva, 8. modus agendi, 9. testificatio de altera illa causa impulsiva, 10. miraculum ipsum. *Tempus* indicatur his verbis, *Quum autem finivisset omnia verba sua audiente populo:* quibus verbis significatur, miraculum hoc editum esse mox post concionem illam quam Dominus habuit ad turbam in loco campestri, quæ habetur capite præcedente. Quo ipso notatur miraculi finis seu scopus, nempe doctrinæ à Domino recens propositæ confirmatio. *Locus* significatur his verbis, *Ingressus est Capernaümum. Objectum* describitur v.2. videl. ipse sanandus. Is fuit servus centurionis: cujus morbus amplificatur à vehementia, quòd ita fuerit malè affectus ut esset moribundus: quo ipso amplificatur miraculum sanationis. Item ipse laudatur ab adjuncto adhærente, videl. æstimatione domini sui: cui erat pretiosus. Quo ipso amplificatur beneficium Jesu per istius sanationem in dominum ipsius collatum. *Causa* quæ Dominum ad illum sanandum impulit, fuit petitio centurionis per internuntios, v.3. & ipsorum internuntiorum, vers.4. & 5. Petitio internuntiorum amplificatur ab adjuncto studio: quod illorum studium declaratur ipsorum verbis, quibus centurionem commendarunt. Argumenta laudis afferunt duo: unum, quòd diligat gentem ipsorum: alterum, quòd ædificârit ipsis synagogam. quo utroque significant, esse hominem pium, & rectè sentire de religione. *Præparatio* fuit, quòd JESUS cum internuntiis illis ivit, nempe aditurus ægrotum in domo centurionis, v.6. *Causa corrumpens* qua impeditus fuit, ne in domum centurionis penetraret, fuit intercessio centurionis per internuntios: quâ deprecatus est ne introiret in domum suam. Argumenta deprecationis affert tria. 1. Ne Dominus vexetur seu molestia afficiatur. 2. Quia ipse non sit dignus illo honore. 3. Quia Dominus rem possit effectam dare faciliùs, nempe solo verbo seu mandato. Primum argumentum continetur ipso verbo deprecationis; ubi ait, *Ne vexator.* Secundum argumentum confirmat è facto: quia non ipse venerit ad eum, sed pro se miserit amicos, reputando nimirum se esse hominem gentilem; illos verò Judæos, ex gente scilicet sanctâ. Tertium argumentum confirmat à suo ipsius exemplo per ratiocinationem à minori. Mea mandata solent esse efficacia apud subjectos & servos meos; Ergo multò magis tuum mandatum erit efficax apud creaturam tuam. Ratio à minori duplex: 1. quia ego sum homo: tu autem plus quàm homo, nempe Deus. 2. quia ego sum constitutus sub potestate: tu autem sub nullius es potestate, sed omnia potestati tuæ subjecta sunt. Istæ enim antitheses omnino videntur subintelligendæ: quum alioquin frigerent ista verba, *Ego sum homo sub potestate constitutus.* Est autem hæc argumentatio exornata prosopopœiâ: & illustrata distributione quadam. Cæterùm hîc simul continetur alia *causa impulsiva,* nempe nova petitio centurionis ex insigni fide profecta. Item *modus agendi,* nempe per verbum, v.7. *Testificatio* de altera illa causa impulsiva, videl. fide centurionis, continetur vers.9. amplificata collatione imparium: quâ fidem illius centurionis præfert fidei omnium Israëlitarum cum quibus adhuc ipsi res fuerit. *Miraculum ipsum* narratur vers.10.

SECUNDA PARS.

Excitat à morte filium viduæ.

11 Et factum est *die* sequenti, proficiscebatur in civitatem quæ vocatur Nain: & proficiscebantur cum eo discipuli ejus mediocriter multi, turbaque multa.

12 Ut autem appropinquavit portæ civitatis; tum ecce, defunctus efferebatur, *qui* unigenitus *fuerat* matri suæ, & ipsi *quidem* viduæ: turbaque civitatis bene multa erat cum ea.

13 Et Dominus eam intuitus, misericordiâ commotus est super eâ, & dixit, Ne fleto.

14 Et accessit ac tetigit loculum: (ii verò qui portabant, substiterunt) & dixit, Adolescens, tibi dico, surge.

15 Tunc resedit qui fuerat mortuus, & cœpit loqui: & *ille* dedit eum matri suæ.

16 Cepit autem omnes timor: & glorificabant Deum, dicentes, Propheta magnus surrexit inter nos: &, Respexit Deus populum suum.

17 Pervênitque iste de eo sermo in totam Judæam, & in totam *regionem* circumjacentem.

Primò indicatur tempus quo Dominus hoc miraculum fecit, 2.locus ubi fecit, 3.testes coram quibus fecit, 4.iterum locus, sed priore specialior, 5.occasio, 6.objectum, 7.alii testes, 8.causæ impulsivæ, 9.præparatio seu effecta destinata, 10.modus agendi, 11.miraculum ipsum, 12.eventa. *Tempus* indicatur his verbis, *Et factum est die sequenti*, scilicet posteaquam sanasset moribundum illum servum centurionis, ex collatione præcedentium. *Locus* fuit civitas Nain. *Testes* fuerunt discipuli JESU & turba: qui utrique amplificantur ab adjuncta quantitate. *Locus* specialior, fuit locus ante portam civitatis. *Occasionem* Domino ad hoc miraculum edendum præbuit conspectus funeris quod videbat efferri. *Objectum*, nempe ipse defunctus, describitur ex adjunctis duobus: quòd fuerit unigenitus matri suæ, & quòd habuerit matrem viduam. Quorum adjunctorum commemoratio pertinet ad commendandum beneficium per illius adolescentis excitationem in matrem ejus collatum: quippe cui duplici nomine charissimus fuit: tum quòd esset ei unigenitus, tum quòd esset solatium & quasi baculus viduitatis ipsius. Alii *testes* fuerunt turba civitatis quæ deducebat funus. *Causæ impulsivæ* indicantur duæ, v.13. una procatarctica, altera προηγουμένη. Procatarctica fuit, miseria matris defuncti ac fletus: qui fletus significatur his verbis, *Dominus eam intuitus*, scilicet flentem: ut percipitur ex eo quod mox ait, *Ne fleto.* προηγουμένη, fuit misericordia Domini: qui misericordiâ commotus est super ea, & quidem intimâ: ut emphasis verbi ἐσπλαγχνίσθη docet. *Præparatio* ad miraculum, seu effecta destinata, narrantur tria, 1.quòd monuit matrem defuncti, ne fleret: hoc enim ipso obliquè promisit, se filium ejus excitaturum: atque ita illam in spem miraculi erexit, simulque reliquos qui aderant. 2.quòd accessit ad loculum. 3.quòd tetigit loculum. Hæ enim ambæ actiones destinatæ erant mox futuræ excitationi. Porrò tertia illa actio amplificatur ab eventu: nempe quòd illi qui funus portabant, mox substiterint: animadverso nimirum proposito Domini, quòd vellet aliquid agere circa defunctum illum. *Modus agendi* quo illum excitavit, fuit mandatum: *Adolescens, tibi dico, surge. Miraculum ipsum* narratur v.15. *Eventa* narrantur tria: 1.timor testium qui miraculum spectaverant. 2.glorificatio Dei, id est, gratiarum actio pro tanto Propheta & tam benefico. 3.fama de Jesu longè latèque sparsa.

TERTIA PARS.

Responsum dat nuntiis missis à Johanne Baptista.

18 Et annuntiarunt Johanni discipuli ipsius de his omnibus: qui advocatos duos quosdam è discipulis suis,

19 Misit ad Jesum, dicens: Túne is es qui venturus erat, an alium exspectabimus?

20 Quum igitur venissent ad eum viri illi, dixerunt; Johannes Baptista misit nos ad te, dicens; Túne is es qui venturus erat, an alium exspectabimus?

21 Eâdem autem horâ multos sanavit à morbis & flagellis & spiritibus malis: & cæcis multis visum donavit.

22 Et respondens Jesus dixit eis, Profecti annuntiate Johanni quæ vidistis & audistis: cæcos videre, claudos ambulare, leprosos purgari, surdos audire, mortuos excitari, pauperibus evangelizari.

23 Beatus autem est qui non fuerit offensus in me.

Primùm indicatur occasio nuntios illos mittendi, 2.numerus nuntiorum, 3.species, 4.instructio seu mandatum mittentis, 5.mandati exsequutio seu ipsa nuntii relatio, 6.exsequutionis illius adjunctum adhærens, quod idem fuit præparatio ad responsum, seu effectum divinitus destinatum ad illud responsum, 7.responsum ipsum.

Occasionem Johanni ad nuntios illos ad Jesum mittendos præbuit annuntiatio discipulorum ipsius de miraculis JESU. Misit igitur duos ex ipsis ad Jesum: quia sperabat Jesum illis demonstraturum ex Prophetis, miracula quæ ipse faceret, à Prophetis tanquam propria attribui Christo: ut ita illi Jesum pro Christo reciperent, aut certè in fide illius confirmarentur. *Numero* misit duos, haud dubiè respiciens ad illud verbum Legis: *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Specie* illi nuntii fuerunt discipuli Johannis. *Instructio* seu mandatum fuit, ut proponerent illi quæstionem, An ipse sit Christus, v.19. *Mandati exsequutio* narratur v.20. *Adjunctum exsequutioni illi adhærens*, eademque præparatio ad responsum Domini, narratur v.21. videlicet quòd eàdem horâ multos miraculosè sanabat: hoc enim ipsum in responso suo mandavit Dominus Johanni annuntiari. *Responsum* autem ipsum non est directum, sed obliquum. Neque enim ad quæstionem propositam vel affirmando vel negando respondet: sed affirmativæ responsionis argumentum suppeditat: quod vult eis à præceptore Johanne declarari: sive quòd consideraret, nondum adesse tempus quo se apertè affirmaret esse Christum: sive quòd existimaret, illos faciliùs credituros, si informarentur à suo præceptore. Argumentum autem illud responsionis affirmativæ sumtum est à propriis effectis: & concluditur hoc syllogismo:

Is qui fuit effecturus ut cæci viderent, claudi ambularent, leprosi purgarentur, surdi audirent, mortui excitarentur; quiq; pauperibus fuit evangelizaturus: is inquam est Christus.

At ego sum is: quippe qui ista omnia feci & facio: quemadmodum ipsi vidistis atq; audistis.

Ego igitur sum Christus.

Dominus solam enuntiat assumtionem: propositionem verò & conclusionem relinquit supplendam Johanni. Sciebat enim, Johanni ex Prophetis constare de veritate propositionis. De veritate autem assumtionis constabat ex ipso testimonio experientiæ sive sensus duorum illorum discipulorum. Unde jam conclusio necessariò sequebatur.

QUARTA PARS.

Dat Johanni testimonium apud turbam.

24 Porrò quum abiissent nuntii Johannis, cœpit de Johanne dicere ad turbam; Quid existis in desertum spectaturi? arundinem quæ à vento agitetur?

25 Sed quid existis visuri? hominem mollibus vestimentis amictum? Ecce, qui vestitu magnifico utuntur, & in deliciis vivunt, sunt in palatiis regum.

26 Sed quid existis visuri? Prophetam? Certè dico vobis, Etiam amplius *est* quàm propheta.

27 Hic est de quo scriptum est, Ecce mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam coram te.

28 Nam dico vobis, Inter genitos è mulieribus nullus est major propheta Johanne Baptista; sed qui minimus est in regno DEI, major est ipso.

29 Et totus populus audito *illo*, & publicani justificârunt Deum, *quippe* baptizati baptismo Johannis.

30 Pharisæi autem & Legis interpretes consilium Dei rejecerunt adversus semetipsos, *quippe* non baptizati ab illo.

Primùm indicatur testimonii hujus occasio, 2.testimonium ipsum. *Occasionem* de Johanne apud populum præsentem testificandi præbuit Domino recens illius facta mentio coram populo per discipulos ab illo missos. Id significatur his verbis, *Porrò quum abiissent nuntii Johannis. Testimonium* continet laudem, Johannis quadruplicem: primam à constantia doctrinæ, v.42: secundam à severitate vitæ, v.25: tertiam ab eximio honore muneris prophetici, vers.26. 27. & 28. quartam denique à doctrinæ ipsius effectu, vers.29. & 30. Constantiam doctrinæ significat negatione contrariæ levitatis: quam ipsam significat similitudine arundinis, negans, Johannem esse similem arundini quæ vento agitatur. Severitatem vitæ similiter significat negatione contrarii, nempe vitæ delicatæ: negans, Johannem esse ex numero illorum qui vestitu molli aut splendido, victúve delicato utuntur. Excellentiam muneris prophetici significat collatione ipsius cum superioris ætatis prophetis tanquam minoribus, vers.26. Deinde eandem confirmat à peculiari honorifico adjuncto, videlicet prophetiâ de ipso, quam recitat ex Malachia, vers.27. Tertiò collationem allatam repetit & declarat: eandemque per prolepsin amplificat collatione altera, qua Johanni præfert præcones futuros evangelii pleni, vers.28. Quippe Johannes major propheta seu doctor excellentior fuit quam alii ante ipsum prophetæ: quia illi prophetarunt de Christo venturo, at Johannes digito ostendit præsentem. Rursus præcones evangelii pleni, post Christi scilicet in cælum ascensionem, excellentiores sunt doctores (nempe quod ad genus doctrinæ attinet) quàm fuit Johannes: quia etsi Johannes Christum præsentem tanquam agnum pro redemtione ecclesiæ mactandum ostendit: tamen non potuit testari, agnum illum jam mactatum & opus redemtionis jam peractum esse: id quod testantur præcones evangelii pleni. Effectum doctrinæ Johannis fuisse narrat Dominus: quòd totus populus & publicani illi crediderunt: id probat ex effectu, quia baptismum ipsius susceperunt. Cæterùm istum effectum doctrinæ Johannis amplificat

plificat ab eventu contrario, nempe incredulitate scribarum & Pharisæorum, vers.30. quam incredulitatem similiter demonstrat ex effectu, nempe quòd baptismum Johannis non susceperint, sed repudiarint. Fidem autem populi & publicanorum quam doctrinæ Johannis habuerunt, significat per metonymiam effecti, ubi ait, *Justificârunt Deum*: hoc est, ut justum & benignum prædicarunt, propterea quòd ipsis dedisset illum doctorem à quo erudirentur in veritate mysterii regni cælorum. Similiter incredulitatem Pharisæorum qua fidem doctrinæ Johannis derogârunt, significat per metonymiam effecti, ubi ait, *Consilium Dei rejecerunt adversus semetipsos*. quasi dicat: Debuerunt statuere consilium Dei esse, ut serventur per fidem habitam doctrinæ Johannis: at fidem doctrinæ illius habere noluerunt, atque ita consilium Dei de ipsorum salute rejecerunt.

QUINTA PARS.

Conqueritur de perversitate scribarum & Pharisæorum.

31 Dixit præterea Dominus, Cui ergo assimilabo homines nationis istius? & cui *rei* similes sunt?

32 Similes sunt puerulis qui sedent in foro, & qui acclamant alii aliis, & dicunt; Cecinimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentati sumus vobis, & non flevistis.

33 Vênit enim Johannes Baptista, neque edens panem, neque bibens vinum: & dicitis Dæmonium habet.

34 Vênit Filius hominis edens ac bibens; & dicitis, Ecce homo edax & vinipotor, amicus publicanorum ac peccatorum.

35 Sed justificata est sapientia à filiis suis omnibus.

Primùm notatur querelæ hujus occasio, 2. exponitur ipsa querela, 3. opponitur querelæ consolatio. *Occasio* notatur conjunctione syllogisticâ οὖν, id est, *Ergo*: ubi ait, *Cui ergo assimilabo &c.* quasi dicat, Quum igitur Pharisæi & Legis interpretes consilium Dei rejecerint, non credentes doctrinæ Johannis, ut modò dixi: jure conqueror de ipsorum perversitate. Occasionem igitur DOMINO ad hanc querelam præbuit facta modò mentio perversi facti Pharisæorum. *Queritur* autem Dominus de calumnia quâ isti calumniabantur mores tum Johannis tum ipsius: quæ calumnia directa erat ad prætextum repudiationis doctrinæ illorum; quasi jure illam repudiarent, ut quæ non afferretur à doctoribus fide dignis. Istam autem calumniam illustrat similitudine: qua mores suos faciles atque humanos comparat cantui puerorum in foro ludentium, comparato ad hilaritatem & saltationem: mores verò Johannis severos comparat cantui puerorum ludentium lugubri & ad lamentandum comparato. Calumniam verò Pharisæorum & scribarum comparat petulanti ac perversæ recusationi puerorum cum aliis illis pueris colludentium: qui scilicet nec saltant quum eis canuntur læta; nec flent quum canuntur lugubria. Protasis similitudinis continetur v.32. Apodosis v.33. & 34. *Consolatio* querelæ opposita ducitur à facto contrario electorum, ut qui doctrinam utriusque pro sapientia cælesti, & ambos ipsos pro doctoribus cælestibus seu divinitus missis, agnoscant & approbent, v.35.

SEXTA PARS.

Remittit peccata mulieri peccatrici.

36 Rogavit autem eum quidam ex Pharisæis ut secum cibum caperet: itaque ingressus domum Pharisæi, discubuit.

37 Et ecce mulier in urbe quæ erat peccatrix, quum cognovisset eum accubuisse in domo Pharisæi: allato alabastro unguenti,

38 Et stans apud pedes ejus retro, flens cœpit lacrymis rigare pedes ejus; & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes ejus, & unguento illo ungebat.

39 Quum autem *id* vidisset Pharisæus qui vocaverat eum, dixit apud se; Hic si esset propheta, nosset quæ & qualis sit ea mulier quæ tangit ipsum: quòd *videlicet* sit peccatrix.

40 Tunc respondens Jesus dixit ei; Simon, habeo quiddam quod tibi dicam. At ille ait; Magister, dic.

41 Duo debitores, *inquit Jesus*, erant cuidam creditori: unus debebat denarios quingentos, alter verò quinquaginta.

42 Quum autem illi non essent solvendo, condonavit utrisque. Horum igitur dic uter eum plus diliget?

43 Respondens verò Simon dixit, Existimo eum cui plus condonavit. At ille dixit ei, Rectè judicasti.

44 Et conversus ad mulierem, dixit Simoni; Vides hanc mulierem? Ingressus sum domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis capitis sui extersit.

45 Osculum mihi non dedisti: hæc autem, ex quo intravi, non intermisit deosculari pedes meos.

46 Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos.

47 Cujus rei gratiâ dico tibi; Remissa sunt peccata ejus multa: nam dilexit multùm. Cui autem paululum remittitur, paululum diligit.

48 Dixit autem ei, Remissa sunt tibi peccata.

49 Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere apud se, Quis est hic qui etiam peccata remittit?

50 Dixit autem ad mulierem, Fides tua te servavit: vade in pace.

Primò indicatur locus ubi hæc res gesta est, 2. occasio rei gerendæ, 3. causa impulsiva, 4. preparatio seu effectum destinatum, 5. remissionis annuntiatio, 6. eventus, 7. causa instrumentalis. *Locus* ubi hæc res gesta est, fuit domus cujusdam Pharisæi, v.36. cui nomen erat Simon, v.40. Cæterùm loci indicatio illustratur expositione causarum quarum vi illò Dominus vênit. Causæ indicantur duæ: procatarctica, invitatio cujusdam Pharisæi: finalis, ut caperet cibum cum illo Pharisæo. *Occasio* quam mulier arripuit ad remissionem peccatorum à Christo impetrandam, fuit: quòd cognovit illum in domo Pharisæi accubuisse, v.37. Itaque & ipsa illò se contulit, bonâ spe freta, se testificatione suæ resipiscentiæ ac fidei coram Domino editâ, remissionem peccatorum suorum ab illo impetraturam. *Causa impulsiva* quæ Dominum movit ad peccata huic mulieri remittenda, fuit illius pœnitentia & fides, & ex utrâque orta imploratio suæ gratiæ, v.38. Pœnitentiam suam testata fuit mulier lacrymis quibus pedes Domini rigavit, atq; ita gratiam ejus imploravit. Fidem suam testata fuit officiis honorificis: quæ enumerantur tria. 1. quòd pedes ejus lacrymis suis rigatos extersit capillis capitis sui. 2. quòd eosdem deosculata est. 3. quòd eosdem unxit pretioso unguento, quod secum in alabastro attulerat, in fine vers.37. Istis autem officiis gratiam Domini implorare perrexit. *Præparatio* quâ præparatus fuit Dominus ad remissionem peccatorum mulieri isti annuntiandam, fuit tacita criminatio Pharisæi, & illi opposita defensio Christi. Pharisæus damnabat Dominum inscitiæ, ut qui ignoraret, mulierem istam esse peccatricem: quum tamen vellet haberi propheta. Concludit igitur non esse prophetam, quum istud ignoret: atq; ita simul eum damnat impudentiæ atq; mendacii, quòd scilicet falsò se pro propheta gereret. Mulierem verò damnabat impudentiæ, ut quæ auderet tam familiariter se in honesto convivio adjungere viro qui habebatur sanctus. Hoc Pharisæi de utroque judicium exponitur v.39. Defensio Christi continetur versibus sequentibus usque ad 47. Defensione hac officia mulieris in se collata prædicat, eaque ex fide remissionis peccatorum orta esse affirmat. Prædicationem autem officiorum illorum amplificat antithesi omissionis talium officiorum in Pharisæo. Item prædicationem illam, ac inprimis expositionem causæ procreantis unde officia illa profecta erant, illustrat exemplo simili ficto de duobus debitoribus: de quo judicium rectum Pharisæi elicit, atque ita ipsius adversarii confessione factum illud mulieris, Dominum tantopere honorantis, dignum esse laude ostendit: & per consequens se quoque non esse reprehensione dignum significat, qui officia illa mulieris admiserit; nec se per inscitiam ista permisisse sibi fieri, sed scientem & volentem, idque justâ de causâ. Etenim justum est, erga benefactorem omni genere officiorum gratum sese declarare, id quod fecit ista mulier erga Dominum, à quo credebat sibi multa sua peccata esse remissa: & justum quoque est, talia officia ab iis qui gratiam referre student, accipere. Summa defensionis hæc est: Sicut debitor cui majus debitum à creditore condonatum est, meritò plus illum diligit, pluraque officia in eum confert: quàm is cui minus debitum condonatum est: sic mulier ista cui plura peccata à me remissa atq; condonata sunt, meritò plus me diligit pluraque in me officia confert, quàm tu qui tibi videris pauca peccata habere, ac ne illa quidem à me tibi remissa esse credis: tametsi videri vis me habere pro propheta Dei: pro quo si me haberes, haberes me etiam pro Filio Dei qui habeam potestatem remittendi peccata: quippe quum doceam, me illum esse. Exemplum proponitur v.41.42.43. ubi primùm est accessio ad exempli narrationem, v.40. deinde narratio ipsa, v.41. & 42. tum petitio judicii Simonis, in fine v.42. postea judicii expositio, v.43. postremò judicii expositi approbatio, ibid. Accommodatio exempli continetur v.44.45. & 46. ubi primùm accessio atque præparatio Simonis: ubi Dominus ait, *Vides hanc mulierem?* quasi dicat, Attende quid de illa sim dicturus, & quomodo sententiam tuam de duobus illis debitoribus ad eam sim accommodaturus. Deinde sequitur prædicatio officiorum mulieris per antithesin omissionis officiorum Pharisæi. Quæ antithesis am-

plificata eſt collatione imparium elegantiſſimâ ac nervoſiſſimâ: quæ ut minora majoribus opponuntur, aqua lacrymis, oſculum unum oſculis plurimis, oleum vulgare unguento pretioſo. quaſi dicat: Tu ne aquam quidem dediſti famulis ad lavandum pedes meos: at iſta lacrymis ſuis pedes meos ipſa rigavit: Tu ne linteum quidem dediſti famulis quo pedes meos ubi laviſſent, extergerent: at iſta capillis capitis ſui exterſit pedes meos: Tu ne unum quidem oſculum pro more ſalutantium mihi dediſti ad teſtandum tuam erga me benevolentiam: at iſta mihi dedit oſcula plurima: quippe quæ ex quo intravi, non intermiſit deoſculari me. Tu ne os quidem meum oſculatus es: at iſta pedes meos oſculata eſt. Tu ne caput quidem meum unxiſti, ut more receptum eſt erga amicos, quibus quum convivio excipiuntur, honos habetur: at iſta unxit pedes meos. Tu ne oleum quidem protuliſti ad me ungendum: at iſta ſecum attulit unguentum ad me ungendum. Atque hæc fuit præparatio Domini ad remiſſionem peccatorum mulieri iſti annuntiandam. *Annuntiatio* ipſa narratur v.47. & 48. eaque duplex: prior pronuntiata ad Simonem Phariſæum, v.47. poſterior ad mulierem ipſam, v.48. Prior annuntiatio ſive teſtificatio confirmatur argumento ex effectis, videlicet officiis illis mulieris ex dilectione Domini profectis: *Remiſſa ſunt ei*, inquit, *peccata multa: nam dilexit multùm.* Syllogiſmus:

Qui multùm diligit, ei remiſſa ſunt peccata multa.
Hæc mulier multùm me dilexit.
Ergo huic mulieri remiſſa à me ſunt peccata multa.

Concluſio præcedit, aſſumtio ſequitur: loco autem propoſitionis ponitur illius approbatio à contrario ſenſu ſive à pari in contrariis, ubi dicitur: *Cui autem paululum remittitur, paululum diligit.* Nam ſi is cui paululum remittitur, paululum diligit: conſequens eſt, ut is cui multum remittitur, multum diligat: quum contrariarum cauſarum procreantium ſint contraria effecta. Et è converſo: Si is cui multum remittitur, multum diligit: ei quoque qui multum diligit, multum remiſſum eſt: quum effectum proprium reciprocum ſit cum ſua cauſa. Dilectio autem (nempe qua homo alium diligit) proprium effectum eſt beneficii: cujus ſpecies eſt remiſſio peccatorum.

Eventus iſtius actionis Domini, fuit offenſio convivarum, quos probabile eſt fuiſſe Phariſæos: qui tacitè Dominum inſimularunt blaſphemiæ, ut qui ſibi uſurparet honorem Dei proprium, remittendo ſcil. peccata. hoc videtur ſignificari iſtis verbis, *Quis eſt hic qui etiam peccata remittit?* Niſi dicendum, his verbis ſignificari non offenſionem atque damnationem facti Domini: ſed admirationem & agnitionem divinæ in illo majeſtatis. qualem ſenſum habet interrogatio illa, huic ſimilis: *Qualis eſt iſte cui etiã mare & venti obediunt?* Sed mihi prior expoſitio probabilior videtur. neque enim dicunt, ποταπός, Qualis & quantus eſt iſte: ſed τίς, Quis eſt iſte. Porrò conjunctio καὶ, id eſt, *Etiam*; (quæ eſt nota majoris) videtur hîc innuere majus delictum, atque referenda ad alteram Domini actionem, videlicet laudationem iſtius mulieris peccatricis. quaſi dicant: Quàm impudens ac perverſus homo eſt iſte, qui non ſolùm peccatorum converſationem facilis admittit, eorumque facta collaudat: verùm etiam munus divinum invadit, remittendo illis peccata. Poſtremò indicatur *cauſa inſtrumentalis* cujus vi mulier iſta remiſſionem peccatorum à Domino accepit; ea fuit fides: teſte Domino, qui ait: *Fides tua te ſervavit: vade in pace.*

SCHOLIA IN CAP. VII.

1 Finiviſſet] ἐπλήρωσε. *Ad verb.* Impleviſſet] *Hebraiſmus.* Audiente populo] εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ. *Pro,* ἐν ταῖς ἀκοαῖς τοῦ λαοῦ: *id eſt,* ἐν τοῖς ὠσὶ τοῦ λαοῦ, *in auribus populi, ſive ante aures populi. Metonymia adjuncti. nam in auribus ineſt* ἀκοὴ, *auditus.*

2 Moribundus erat] ἤμελλε τελευτᾶν. *Quaſi dicas, Futurus erat mori: id eſt, moriturus erat, nempe quantum ad cauſas naturales. Caterùm utrum eadem ſit hæc hiſtoria cum ea qua exſtat Matth.8. expoſui meam ſententiam in ſcholio ad Matth.8.6.*

3 Servaret] διασώσῃ. *Id eſt, ſanaret. Synecdoche generis.*

4 Dignus eſt] ὅτι ἄξιός ἐστι. *Conjunctio* ὅτι *ſervit mimeſi.* Præſtes] παρέξει. *Ad verb.* Præbeas, *ſeu*, exhibeas.

5 Synagogam] τὴν συναγωγὴν. *Id eſt, domum deſtinatam conventibus ſacris populi ad audiendum lectionem atque explicationem Legis ac Prophetarum. Metonymia adjuncti. nam* συναγωγὴ *propriè congregationem ſignificat: hîc autem locum ubi congregatio fiebat.*

6 A domo] ἀπὸ τῆς οἰκίας. *Videl. à domo centurionis: id quod notat articulus.* Ne vexator] μὴ σκύλλου. *Scilicet hucuſque ut tectum meum ſubeas: ut percipitur ex addita ratione. Synecd. generis.*

7 Dic] εἰπέ. *Id eſt,* κέλευε, *jube. Scil. ut convaleſcat ſervus meus. Synecdoche generis gemina.* Verbo] λόγῳ. *Scil. unico. Sic Plautus Bacchid.* Tu autem rogato: cæterùm verbum ſat eſt. **Es iſt vmb ein wort zu thun.** *Sic idem Milite glorioſo:* Verbum Hercule facere non potis. **Du wirſt nicht ein wort ſprechen können.** Puer] ὁ παῖς. *Id eſt, ſervus; ex collatione verſus ſecundi. Hebraiſmus.*

8 Servo meo] τῷ δούλῳ μου. *Id eſt, peculiariter ad mihi miniſtrandum deſtinato.*

9 In Iſraële] ἐν τῷ Ἰσραήλ. *Id eſt, in Iſraëlitis. Metonymia efficientis uſitata.*

11 *Die* ſequenti] ἐν τῇ ἑξῆς. *Scil* ἡμέρᾳ. *Ellipſis Græca. quanquam & Latini dicunt,* poſtero. *ſubaudientes* die. proficiſcebatur] ἐπορεύετο. *Cohæret hoc verbum cum præcedente* ἐγένετο *per appoſitionem Hebraicam apud Evangeliſtas uſitatam. Pro: Et factum eſt ut proficiſceretur.* Mediocriter multi] ἱκανοί. *Ad verb.* Sufficientes. *Germanicè*, **Zimlich vil.** *At quod ſequitur,* ὄχλος πολὺς, turba multa, *grandem numerum notat.*

12 Tunc ecce] καὶ ἰδού. *Conjunctio* καὶ *ſervit redditioni periodi, more Hebræorum.* Et ipſi *quidem* viduæ] καὶ αὐτῇ χήρᾳ. *D. Beza refert, in quibusdam codicibus reperiri,* καὶ αὐτὴ χήρα, *caſu nominativo. quæ lectio mihi quidem ut ſimplicior, magis probatur. Tunc autem ſubaudiendum verbum* ἦν, erat: Et ipſa *erat* vidua. Turba bene multa] ὄχλος ἱκανός. **Zimlich vil volcks/ ein zimliche anzahl volcks.** *Sic verſ. ſuperiore.* Subſtiterunt] ἔστησαν. *Sic ſuprà c.6.v.17.*

16 Propheta] ὅτι προφήτης. *Conjunctio* ὅτι *ſervit mimeſi.* Surrexit] ἐγήγερται. *Ad verb.* Excitatus eſt. *ſcil. divinitus, ſeu vocatione Dei. Sic Act.13.v.22.23.* Et, Reſpexit] καὶ, ὅτι ἐπεσκέψατο. Et, *repete* ἀπὸ κοινοῦ, dicentes. *Conjunctio autem* ὅτι *ſervit mimeſi, ut in membro priore.*

17 Pervenitque] καὶ, ἐξῆλθεν. *Vel,* exivit, emanavit. In totam &c.] ἐν ὅλῃ. *Pro,* εἰς ὅλην. *Sic deinceps. Heteroſis.* *Regionem* circumjacentem] περιχώρῳ. *Subaudi* γῇ *vel* χώρᾳ.

18 Advocatos] προσκαλεσάμενος. *Id eſt, quum ad ſe vocaſſet. Etſi autem* advocandi *verbo Latini ferè utuntur de ea advocationis genere, ubi quis ad cauſæ noſtræ defenſionem atque patrocinium adhibetur: (quod officium qui præſtant, advocati inde nominantur) reperitur tamen etiam in ſignificatione generali. ut Cic. ad Attic. lib.12.* Nam quòd non advocavi ad obſignandum, primùm mihi non venit in mentem. *Et Virg. 5. Æneid.*

Poſtera quum primo ſtellas oriente fugârat
Clara dies: ſocios in cœtum littore ab omni
Advocat Æneas, tumulique ex aggere fatur.

Qui] καὶ Ἰωάννης. *Ad verb.* Et Johannes. *Hebraica repetitio antecedentis.*

19 Exſpectabimus] προσδοκῶμεν. *Vel,* exſpectemus.

21 Sanavit] ἐθεράπευσε. *Ad verbum.* Curavit. *Metonymia effecti deſtinati* καταχρηστική. Flagellis] μαστίγων. *Hoc nomen præcedenti additur* ἐπεξηγητικῶς. *Sunt enim morbi tanquam flagella Dei: quibus tum electos ſuos caſtigat, tum reprobos punit. Confer Marc.3.v.10. & cap.5. v.29. & 34.* Donavit] ἐχαρίσατο. *Sic verto cum interprete vetere. Et hanc iſtius verbi ſignificationem clariſſimis exemplis confirmat Henricus Stephanus in ſuo Theſauro. Etſi enim aliâs idem valet quod* Gratificari: *tamen iſta ſignificatio huc non quadrat: quum Gratificari apud Latinos ſit In gratiam alicujus facere: Quæ ſignificatio Chriſto & omnino Deo hominibus benefacienti & aliquid donanti nequaquam convenit. Hinc apud Paulum crebrò occurrit nomen verbale* χάρισμα, *ad ſignificandum donum. Denique* τὸ χαρίζεσθαι *non eſt hîc* πρὸς χάριν πράττειν *(quod eſt Latinis* gratificari*) ſed* ἐκ χάριτος πράττειν: *unde &* χάρισμα, *donum ex gratia profectum.* Viſum] τὸ βλέπειν. *Ad verbum,* Videre. *Græciſmus. pro* τὴν ὄψιν. *Poteſt quoque verti eleganter,* Multos cæcos viſu donavit. **Er hat vil blinde mit dem geſicht begaabet.**

22 Cæcos videre] ὅτι τυφλοὶ ἀναβλέπουσι. *Præpoſitio* ἀνὰ *in compoſitione verbi hujus* ἀναβλέπω, *idem valet quod* ἄνω, *id eſt, ſurſum: ſicut in verbo* ἀναφέρεσθαι *infrà 24.51. & in verbo* ἀναλαμβάνεσθαι, *Marc.16.v.19. Itaque apud Latinos illi è regione reſpondet verbum* Suſpicere. *Sed hîc & alibi paſſim ponitur pro ſimplici* βλέπειν. *Quare mihi non probatur interpretatio quæ redditur* Viſum recipere ſive recuperare. *Et certè qui cæci nati ſunt (de quibus non minùs, quàm de aliis cæcis, iſtud verbum uſurpatur) non poſſunt dici viſum recipere ſive recuperare: quippe quem nunquam habuerunt. Porrò cæcos videre, claudos ambulare, ſurdos audire, intellige de iis qui paulo-antè fuerant cæci, claudi, ſurdi.*

24 Quid] τί. *Regitur hæc vox à verbo ſequente* θεάσασθαι. Spectaturi] θεάσασθαι. *Pro,* τοῦ θεάσασθαι. *ſcil.* ἕνεκα. *Quum ſcil. exiſtis ad ſpectandum Johannem.* Arundinem?] κάλαμον; *Quaſi dicat: Johannes non eſt arundo, id eſt, arundini ſimilis.*

25 Viſuri] ἰδεῖν. *Pro,* τοῦ ἰδεῖν. *ſcil.* ἕνεκα. Magnifico] ἐνδόξῳ. *Vel ſplendido, illuſtri,* **herrlich/ prächtig.** In palatiis regum] ἐν τοῖς βασιλείοις. *Vel uno verbo,* in regiis. *Ovid. 2. Metamorph.*

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis.

Veruntamen periphraſis illa magnificentiùs ſonat, & magis perſpicua eſt.

26 Etiam amplius *eſt*] καὶ περισσότερον. *Ad nomen* περισσότερον *ſubauditur pronomen* τί, *id eſt, aliquid. Germanicè,* **Etwas fürtreflichers.** *Item verbum ſubſtantivum* ἐστί: *quod perſpicuitatis gratiâ expreſſi. Similia ſunt (quod ad phraſin) dicta illa Domini de ſeipſo loquentis Matth.12. v.41. & 42:* Et ecce plus quàm Jonas *eſt* in hoc loco. *item,* Et ecce plus quàm Salomon, *eſt* in hoc loco. πλεῖον Ἰωνᾶ: *item,* πλεῖον Σολομῶντος. *Pro,* πλεῖόν τι, *plus quiddam, majus quiddam,* **Etwas grôſſers.** *Ita hîc de Johanne ait Dominus:* Etiam amplius *eſt (ſcil. Johannes)* quàm propheta.

28 Inter genitos ex mulieribus] ἐν γεννητοῖς γυναικῶν. *Pro,* γεγεννημένοις ἐκ γυναικῶν. *Genitivus efficientis. Sicut Joh.6.v.45.* διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, *pro,* δεδιδαγμένοι ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, *docti à Deo. Vetus,* Inter natos mulierum: *non malè. quia ſic & nomen nomini reſpondet,*

spondet, eademq́; syntaxis servatur: & nomen nati, etsi propriè respondet nomini τέκνα vel τέκνα: tamen significationem nominis γεννητὸς bene exprimit: quia τὸ γεννᾶσθαι, id est, gigni, hîc idem valet quod τὸ τίκτεσθαι, id est, nasci: ut & alibi passim: ut Matth. 1. v. 18. item c. 2. v. 1. & 4.

29 Audito *illo*] ἀκούσας. *Scil.* ἐκεῖνον. *nempe Johanne. Continuatur enim hic sermo Christi de Johanne. Non autem esse hæc Evangelistæ verba (ut quis primâ fronte putare posset) ex reipsa patet: quippe Johannes tum erat carceri inclusus, ut constat ex Matt. 11. v. 2. ac proinde non licuit illi ex eo tempore quemquam baptizare. Regitur autem participium* ἀκούσας, *à sequente verbo* ἐδικαίωσαν, *per* ὑπόζευγμα, *ad notandum tempus & causam impulsivam. Populus justificavit Deum. quando & cur? quum audivisset Johannem, & quia eum audiverat.* Justificarunt Deum] ἐδικαίωσαν τὸν Θεόν. *Id est, ut justum ac bonum servantemq́; suarum promissionum celebrârunt. Sic infrà vers. 35. Quippe* baptizati] βαπτισθέντες. *Adjeci particulam caussalem, perspicuitatis causâ. Probatur enim hic ab effectu, tanquam signo evidente, quòd populus & publicani justificarint Deum, saltem apud animum suum. Id inde liquebat, quòd doctrinæ Johannis, tanquam prophetæ à Deo missi, fidem habentes, baptismum ab eo receperunt.* Baptizati baptismo] βαπτισθέντες τὸ βάπτισμα. *Subauditur* κατὰ *ante* τὸ βάπτισμα. *Syntaxis Græca.* Baptismo Johannis] τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. *Pro, Baptismo illius,* τὸ βάπτισμα αὐτοῦ. *Antecedens pro relativo, more Hebræorum.*

30 Consilium Dei] τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ. *Id est, testimonium Johannis de Christo, per quod Deus consilium eis dabat de modo adipiscendi salutem æternam. Metaphora. Sic accipitur hæc appellatio Psal. 107. v. 11. Prov. 1. v. 25. 30.* Adversus semetipsos] εἰς ἑαυτούς. *Hîc præpositione* εἰς *non notatur finis illis propositus qui Dei consilium, id est, testimonium Johannis rejiciebant: sed eventus. Ista enim rejectio præter illorum propositum, cessit in perniciem ipsorum. Quippe* non baptizati] μὴ βαπτισθέντες. *Cur adjecerim hîc quoque particulam* quippe, *prudens lector æstimare poterit ex scholio ad vocem* βαπτισθέντες. *v. superiore.*

31 Dixit præterea Dominus] εἶπε δὲ ὁ Κύριος. *Hæc verba (ut D. Beza monuit) apud Syriacum interpretem reddita non sunt: quin etiam eodem teste desiderantur in plerisq́; vetustis codicibus. Et sanè (ut idem rectè judicat) inserta videntur ab aliquo, qui putavit, præcedentes duos versus non Christi, sed Evangelistæ verba continere. Sanè apud Matthæum in narratione hujus sermonis non exstant.*

33 Neque edens panem] μήτε ἄρτον ἐσθίων. *Sed locustas, & mel sylvestre, Matth. 3. 4.*

35 Sed justificata est &c.] καὶ ἐδικαιώθη &c. *Vide scholia in Matth. 11. 19. Quibus adde,* filios sapientiæ, *posse hîc exponi discipulos sapientiæ: nempe discipulos veros, qui serium studium adhibent ad sapientiam Dei ex doctoribus Ecclesiæ discendam. quomodo per filios intelliguntur discipuli in Psal. 33.* Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. *Hanc interpretationem adfert doctiss. vir J. Drusius Animadvers. lib. 2. cap. 25.*

36 Secum] μετ' αὐτοῦ. *Pronomen* αὐτοῦ *hîc positum est pro reciproco* ἑαυτοῦ. Quæ erat peccatrix] ἥτις ἦν ἁμαρτωλός. *Id est, meretrix. Synecdoche generis. Etsi autem tum desierat esse talis, ut ex hac ipsa historia colligitur: tamen Evangelista dicit,* Erat: *respiciens ad opinionem vulgi, cui nondum innotuerat resipiscentia illius: unde & Pharisæus qui Dominum convivio exceperat, illam adhuc talem esse putabat, vers. 39. Dictum* κατὰ δόξαν. Allato alabastro] κομίσασα ἀλάβαστρον. *Id est, Quum attulisset alabastrum. Hic incipit apodosis periodi, quæ vers. sequente continuatur & absolvitur.*

38 Flens cœpit rigare] κλαίουσα ἤρξατο βρέχειν. *Participium* κλαίουσα *regitur à verbis sequentibus,* ἤρξατο βρέχειν, *significans modum agendi aut gestum. Cœpit rigare: quomodo, seu, quo gestu? Flens, id est, inter rigandum flendo.* Unguento illo] τῷ μύρῳ. *Nempe quod secum attulerat in alabastro, versu superiore. Itaq; articuli vim ἀναφορικὴν visum est exprimere.*

39 Qui vocaverat] ὁ καλέσας. *Id est, invitaverat ad prandium vel cœnam.* Quòd *videl.* ὅτι. *Conjunctio* ὅτι *hîc non bene redditur quia vel nam; quum non ponatur αἰτιολογικῶς, sed εἰδικῶς: ut ex ipsa sententiarum cohærentia planum est.*

41 Unus] ὁ εἷς. **Der áine.** *Græcum & Germanicum expressius propter articulum. Sic mox,* alter, ὁ ἕτερος. **der ander.** *Articuli vim habent ἀναφορικὴν.*

42 Quum autem illi non essent solvendo] μὴ ἐχόντων δὲ αὐτῶν ἀποδοῦναι. *Vetus interpres,* Non habentibus illis unde redderent. *id est,* μὴ ἐχόντων αὐτῶν πόθεν ἀποδῶσι. *Ad verbum,* ἔχειν, *per hellenismum hîc ponitur pro* δύνασθαι: *ut ad verbum sonet,* Quum non haberent illi (*id est, non possent*) reddere. *scil. mutuum.* Condonavit] ἐχαρίσατο. *scil. debitum.* **Er hat jhnen die schuld geschenckt.** *De verbo* χαρίζεσθαι *vide suprà ad v. 21.*

44 Pedibus meis] ἐπὶ τοὺς πόδας μου. *Pedibus meis, scil. lavandis: ex more gentis. Ad verb.* Super pedes meos.

45 Ex quo] ἀφ' ἧς. *In Græco subauditur* ὥρας: *in Latino,* tempore *vel* momento.

46 Oleo] ἐλαίῳ. *Nempe simplici & vulgari, non permixto odoriferis aromatibus.* Unguento] μύρῳ. *Scil. pretioso, ex aromatibus pretiosis atq; odoriferis confecto.*

47 Nam] ὅτι. *Conjunctio* ὅτι *hîc habet vim (ut Grammatici appellant) caussalem: nec tamen propterea argumentum hîc ducitur à causa, sed ab effectu: ut vel ex subjecta sententia percipitur, nempe,* Cui autem paululum remittitur, paululū diligit. *Nam sicut exiguum beneficium parit exiguam gratiam: sic beneficium magnum, magnam quoq; gratiam parit.*

49 Dicere apud se] λέγειν ἐν ἑαυτοῖς. *Ad verb.* Dicere in se, *id est, intra se, in animis scil. suis. hoc est, cogitare.* Quis est hic] τίς οὗτός ἐστιν. *Id est, Quàm audax & blasphemus est? ut qui sibi usurpet quod proprium est Dei. Confer suprà 5. v. 20. & 21.*

50 Te servavit] σέσωκέ σε. *Id est, salutem æternam tibi impetravit.* In pace] εἰς εἰρήνην. *Pro,* ἐν εἰρήνῃ: *id est,* μετ' εἰρήνης, *cum pace. Heterosis Hebraica.*

OBSERVAT. EX CAP. VII.

Ex historia de servo centurionis. Etsi hæc historia non videtur esse eadem cum ea quæ exstat Matth. 8. sicut in scholiis ad illum Matthæi locum ostendi: tamen quum sit illi persimilis: eædem hinc observationes nascuntur, quas annotavi ex Matth. 8. v. 5. & deinceps.

1 Ex v. 11. & seqq. ex historia scil. de excitato à morte filio viduæ in civitate Naïn. Primùm admonemur nostræ mortalitatis: ac nominatim, quòd tam juvenes quàm senes, morti obnoxii sint. Quare juvenes non confidant suâ ætate, valetudine ac robore: quasi propterea tuti sint à morte. *Mortalitas hominis.*

2 Deinde proponitur nobis in popularibus istius viduę exemplum humanitatis, & charitatis, atque etiam pietatis, in funeribus piorum honestè sepeliendis. *Funus.*

3 Tertiò proponitur nobis in Christo exemplum summæ φιλανθρωπίας erga afflictos. *Christi φιλανθρωπία.*

4 Quartò proponitur in eodem exemplum operis divini, videlicet excitationis mortui, ex propria potentia: unde ipsius deitas demonstratur. *Christi deitas.*

5 Postremò in populo proponitur nobis exemplum pietatis in celebranda bonitate Dei. *Pietatis exemplum.*

Ex v. 18. & seqq. usque ad v. 36. videlicet ex historia de discipulis Johannis ab illo missis ad Christum, vide observationes ex Matth. 11. v. 2. & deinceps.

6 Ex v. 36. & deinceps, videl. ex historia de muliere peccatrice quæ unxit Domini pedes. Primùm in Christo cibum capiente apud Pharisæum proponitur nobis exemplum facilitatis & charitatis in gratificando proximis in rebus licitis. *Christi φιλανθρωπία.*

7 Deinde in muliere illa peccatrice proponitur nobis exemplum veræ ac salutaris pœnitentiæ: quâ fit ut homo peccata sua agnoscat, deploret, confiteatur, ad gratiam Dei in Christo oblatam confugiat, eandemque fide in verbo Evangelii amplectatur, & ex illa fide Christum & ex consequente Deum patrem diligat, eamque dilectionem factis ostendat. *Pœnitentia salutaris exemplum.*

8 Tertiò in Simone Pharisæo proponitur nobis exemplum superbiæ hypocritarum, quâ fit ut facta ambigua proximi in partem deteriorem temere interpretentur, & peccatoribus manifestis sanctiores sese putent, ac proinde illos consuetudine suâ indignos judicent. *Hypocritarū ingenium.*

9 Quartò in Christo remittente peccata isti mulieri peccatrici, & unctionem illius admittente, proponitur nobis exemplum φιλανθρωπίας & misericordiæ erga peccatores resipiscentes, & ad gratiam ipsius confugientes. *Christi φιλανθρωπία.*

10 Postremò verba Christi, v. 47. *Remissa sunt peccata ejus multa: nam dilexit multùm:* vindicanda sunt à falsa expositione Papistarum: qui per conjunctionem ὅτι, id est, *quia* vel *nam*, statuunt notari causam: ac proinde hinc volunt probare, dilectionem esse ex causis justificationis. At conjunctione illâ notari hîc non causam, sed effectum: planum evadit tum ex verbis proximè annexis, *Cui autem paululum remittitur, paululum diligit:* tum ex parabola à Domino proposita de duobus debitoribus, quibus creditor debitum cuique suum remisit: uni majus, alteri minus. de quibus quærit Dominus, uter creditorum illum plus sit dilecturus? Ubi manifestum est, dilectionem ex condonatione debiti deduci tanquam effectum ex sua causa, videlicet gratiæ relationem ex beneficio accepto. Similiter ergo dilectio quâ nos diligimus Deum & proximum propter Deum, oritur ex fide remissionis peccatorum, hoc est, quâ credimus quòd Deus nobis remiserit peccata: ac proinde non potest illius remissionis seu justificationis esse causa. Nec verò conjunctio causalis à Grammaticis hoc sensu dicitur, quòd semper notet causam rei illius de qua est quæstio: sed quòd notet causam quæstionis concludendæ, hoc est, argumentum quo sententia aliqua vera esse demonstratur, & syllogismo concluditur: sive argumentum illud à causa sumtum sit, sive ab effectu, sive ex alio genere. *Vindicatio verborum Christi, Remissa sunt peccata ejus multa: quia dilexit multum.*

ANALYSIS CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

Pergit Dominus in administratione muneris prophetici: proponit parabolam de satore: respondet de matre & fratribus: sedat tempestatem maris: ejicit dæmonia complura ex homine uno: sanat mulierem laborantem fluxione sanguinis: excitat à morte filiam Jairi. Ita partes sunt septem.

PRIMA PARS.

Pergit in administratione muneris prophetici.

ET accidit deinceps, ut ipse iter faceret oppidatim & vicatim, prædicans & evangelizans regnum Dei: & Duodecim *erant* cum eo:

2 Et quædam mulieres quas sanaverat à spiritibus malis & morbis; Maria quæ vocabatur Magdalene, ex qua septem dæmonia exierant;

3 Et Johanna, uxor Chuzæ, procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ: quæ ministrabant ei ex facultatibus suis.

PRimùm indicantur loca ubi perrexit prædicare, 2. objectum prædicationis, 3. comites qui eum comitati sunt obeuntem diversa loca, prædicandi gratiâ. *Loca* indicantur duorum generum, oppida & vici. Intelliguntur autem oppida & vici Galilææ: ut percipitur ex cohærentia cum præcedentibus quæ gesta sunt in Galilæa, & ex nominibus mulierum quæ ipsum fuerunt comitatæ: illæ enim Marc.15.v.41. dicuntur eum sequutæ eique ministrasse, quum esset in Galilæa; & denique ex cohærentia cum v.22.& 26. hujus capitis, ubi dicitur cum discipulis navigasse in ulteriorem ripam lacus (nempe Genesaret sive Tiberiadis) & pervenisse in regionem Gadarenorum, quæ est in opposita ripa Galilææ. *Objectum* prædicationis fuit *regnum Dei*; dicitur enim evangelizasse regnum DEI: hoc est, docuisse rationem ac viam introëundi in regnum DEI, seu consequendi vitam æternam. *Comites* fuerunt duorum generum: videlicet partim viri; nempe duodecim Apostoli: partim mulieres, quarum tres nominatim exprimuntur. Simul autem significatur causa quæ illas movit ad Dominum sequendum: nempe ut gratiam ei referrent, ministrando ei ex facultatibus suis, pro accepto beneficio sanationis.

SECUNDA PARS.

Proponit parabolam de satore.

4 Quum autem multa turba conveniret, & qui in singulis urbibus erant, proficiscerentur ad eum, dixit per parabolam;

5 Exiit sator quidam ad seminandum semen suum: & in seminando aliud cecidit secundùm viam, & conculcatum est, & volucres cæli devorarunt ipsum.

6 Et aliud cecidit super petram, & enatum exaruit, quia non habebat humorem.

7 Et aliud cecidit inter spinas, & simul enatæ spinæ suffocarunt ipsum.

8 Et aliud cecidit in terram bonam; & enatum, edidit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat, Qui habet aures ad audiendum, audiat.

9 Interrogabant autem eum discipuli ejus, dicentes, quæ esset ista parabola.

10 Ipse verò dixit *eis*, Vobis datum est nosse mysteria regni Dei: reliquis autem per parabolas *loquor*, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.

11 Est autem hæc parabola, Semen illud est sermo Dei:

12 Qui autem secundùm viam *semen excipiunt*, ii sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit sermonem è corde eorum: ut ne credant & serventur.

13 Qui verò super petram, *ii sunt* qui quum audierint, cum gaudio excipiunt sermonem: sed isti radicem non habent; qui ad tempus credunt, & tempore tentationis abscedunt.

14 Quod autem in spinas cecidit, ii sunt qui audierunt: sed profecti, à solicitudinibus & divitiis ac voluptatibus vitæ suffocantur, nec fructum ferunt.

15 Quod autem in bonam terram *cecidit*, ii sunt qui posteaquam sermonem audierunt, in corde honesto ac bono *eum* retinent, & fructum ferunt per patientiam.

16 Nemo porrò quum lucernam accenderit, operit eam vase, ut subter lectum ponit: sed candelabro imponit, ut qui ingrediuntur, videant lumen.

17 Non est enim *quicquam* occultum quod non sit futurum manifestum: nec absconditum quod non sit futurum ut cognoscatur & veniat in apertum.

18 Videte ergo quomodo audiatis. Quisquis enim habet, dabitur ei: & quicunque non habet, etiam quod videtur habere, tolletur ab eo.

Primùm indicatur occasio parabolæ hujus proponendæ, vel causa impulsiva, 2. recitatur ipsa parabola, 3. subjicitur illius expositio, 4. annectitur admonitio de recto doctrinæ Domini usu. *Occasio* vel *causa impulsiva*, fuit præsentia auditorum, videlicet magnæ turbæ, quæ ex oppidis Galilææ ad Dominum convenerat. *Parabola* est de semine quod inter seminandum in quatuor diversa loca cecidit, & in uno tantùm fructum tulit, v.5.6.7.& 8. *Expositioni* parabolæ præmittuntur causæ impulsivæ, numero duæ: una, procatarctica, petitio discipulorum, v.9. altera, *συνεργοῦσα*, benevolentia Domini erga ipsos tanquam electos. Hæc posterior causa amplificatur antithesi reprobæ turbæ, quatenus verbis Esaiæ exponit causam, cur illis loquatur per parabolas: nempe ut videntes non videant, & audientes non intelligant: hoc est, ut de mysteriis regni Dei cognoscant quidem tantum quantum satis est ad ipsos reddendum inexcusabiles, non autem quantum opus est ad consequendum vitam æternam. In ipsa autem parabolæ expositione indicantur causæ corrumpentes quæ impediunt efficaciam verbi Dei in auditoribus, ne scil. in eis efficax sit ad salutem. Eæ causæ sunt: diabolus, v.12. mollities, v.13. solicitudines, divitiæ & voluptates: id est, solicitudo de divitiis acquirendis, conservandis & augendis, & voluptates ex divitiarum abusu, vers.14. Contrà indicatur quoque causa adjuvans efficaciam verbi, videl. bonitas cordis: quam sciendum est nullius hominis cordi (solo Christo excepto) esse naturalem, sed adventitiam cordibus electorum per operationem Spiritus sancti. Huic parabolæ expositioni annectit Dominus *admonitionem* ad discipulos de recto doctrinæ suæ usu: quem ostendit duplicem: unum, ut quæ ex ipso didicerint, suo tempore cum aliis communicent, v.16.& 17: alterum, ut audiant doctrinam suam cum studio ex illa proficiendi, v.18. Priorem usum illustrat primùm similitudine, v.16: deinde proverbio, v.17. Similitudine, doctrinam suam sive sapientiam quam docebat, comparat lucernæ, in hunc sensum: Sicut lucerna non solet accendi ut operiatur vase aut ponatur subter lectum, sed ut imponatur candelabro, atque ita luceat iis qui domum ingrediuntur: sic ego sapientiam illam cælestem non doceo vos, ut illam silentio tegatis & aliis invideatis, sed ut eam publicè prædicetis, atque ita cum aliis communicetis, ut electi inde illuminentur cognitione salvificâ Dei. Proverbii accommodatio est talis: Sicut (ut proverbio dicitur) nihil geritur in occulto, quod non aliquando producatur in lucem ac manifestum reddatur: sic etiam sapientia illa cælestis quam ego nunc vos in occulto doceo & quasi in aurem vobis communico, suo tempore in lucem proferenda erit, ut manifesta fiat. Posteriorem usum confirmat ab effectis inter se contrariis: nempe effectu utili, si quis ex doctrina sua proficere studeat: & effectu noxio, si quis proficere negligat. Effectus utilis est, sapientiæ cælestis incrementum. de hoc dicit: *Quisquis enim habet, dabitur ei*: sententiam hanc proverbialem accommodans suo proposito. Effectus noxius est, privatio sapientiæ jam acquisitæ. Id significat quum ait: *Et quicunque non habet, etiam quod videtur habere, tolletur ab eo.*

TERTIA PARS.

Respondet de matre & fratribus.

19 Venerunt autem ad eum mater & fratres ejus, & non poterant eum convenire propter turbam.

20 Et annuntiatum est ei, dicentibus *nonnullis*, Mater tua & fratres tui stant foris, cupientes te videre.

21 Ipse verò respondens dixit eis; Mater mea & fratres mei, ii sunt qui sermonem Dei audiunt, & eum præstant.

Primùm narratur responsi seu apophthegmatis hujus occasio, 2. causa impulsiva seu irritatrix, 3. responsum ipsum. *Occasionem* huic sapienter dicto præbuit adventus matris & fratrum, dum ipse docebat turbam in quadam domo. *Causa impulsiva* quæ Dominum ad sermonem illum pronuntiandum irritavit, fuit intempestiva petitio conveniendi ipsum, & petitionis illius annuntiatio. *Responso* ipso perstringuntur inscitiæ tum mater & fratres, tum monitores illi qui petitionem illorum Domino annuntiabant: ut qui putent, plus situm esse in officio humano erga homines, quàm in officio divino & ad æternam hominum salutem spectante: quale nimirum est officium docendi doctrinam cælestem quo Dominus tunc fungebatur: Et eâdem operâ laudantur qui auscultationem verbi DEI pluris faciunt, quàm officia humanitatis. Scitè autem nomen matris & fratrum ad hosce per *ἀντανάκλασιν* accommodat; metaphoricè significans, tales sibi longè charissimos esse, non secus ac si sanguine sibi conjuncti essent. quasi dicat: Quid vos mihi narratis de matre & fratribus, quòd me conventum cupiant: Ecce hîc jam adsunt mater mea & fratres mei, isti qui à meo docentis ore pendent. Etenim illi demum mihi pro matre & fratribus sunt, quicunque sermonem DEI quem propono, & attentè audiunt & studiosè observant.

QUARTA PARS.

Sedat tempestatem maris.

22 Accidit autem quodam die ut ipse ingrederetur in navigium, ac discipuli ejus: & dixit eis, Transeamus in ulteriorem ripam lacus. Et provecti sunt.

23 Navigantibus autem eis sopitus est: & descendit turbo venti in lacum: & complebantur, ac periclitabantur.

24 Accedentes autem expergefecerunt eum; dicentes, Magister, magister, perimus. Ipse verò experrectus objurgavit ventum ac fluctuationem aquæ: & cessaverunt, factaque est tranquillitas.

25 Dixit autem eis, Ubi est fides vestra? Timentes autem mirati sunt, dicentes alii ad alios; Quisnam iste est? quòd ventis quoque & aquæ imperat, & auscultant ei.

Primùm indicantur testes miraculi hujus, 2.locus, 3.occasio, 4.causa corrumpens, 5.objectum, nempe ipsa tempestas, 6.causa impulsiva, 7.modus agendi, 8.miraculum ipsum, 9.adjunctum adhærens, 10. eventa.

Testes fuerunt discipuli, qui unà cùm Domino navim fuerant ingressi ut trajicerent lacum Galilææ. *Locus* ubi hoc miraculum fuit editum, fuit ea pars lacus quæ interjacet inter Galilæam & regionem Gadarenorum, v.22.& 26. *Occasionem* miraculo præbuit, quòd Dominus cum discipulis in altum provectus est, & per lacum navigavit, v.22.& 23. *Causa corrumpens* quæ sedationem coortæ tempestatis ad tempus impedivit atque retardavit, fuit sopor Domini, v.23. *Objectum* sedationis, nempe ipsa tempestas, describitur partim à causa procreante, *Descendit in lacum turbo venti:* partim ab effectis, *Complebantur atque periclitabantur:* ibid. *Causa impulsiva* quæ Dominum ad tempestatem illam sedandam commovit, fuit petitio discipulorum implorantium ipsius opem, v.24. *Modus agendi* quo usus est in tempestate sedanda, fuit objurgatio venti ac fluctuationis aquæ, vers.24. *Miraculum* describitur ibid. his verbis: *Et cessaverunt* (ventus & fluctuatio aquæ) *factaq́ est tranquillitas. Adjunctum adhærens*, fuit objurgatio discipulorum propter incredulitatem seu defectum fidei, v.25. *Ubi est fides vestra? Eventa* narrantur tria: 1.timor eorum qui miraculum hoc viderant, 2.admiratio, 3.prædicatio, *Quisnam iste est? quòd ventis quoque & aquæ imperat, & auscultant ei.*

QUINTA PARS.

Ejicit dæmonia complura ex homine uno.

26 Et pernavigârunt in regionem Gadarenorum: quæ est in opposita ripa Galilææ.

27 Ipsi autem egresso in terram, occurrit ex urbe vir quidam qui habebat dæmonia à temporibus multis; & vestimento non induebatur, neque in *ulla* domo manebat, sed in monumentis.

28 *Is* ergo quum vidisset Jesum, & exclamasset, accidit ei *ad pedes*, & voce magnâ dixit; Quid mihi tecum Jesu, fili Dei altissimi? Rogo te ne me torqueas.

29 Præcipiebat enim spiritui isti impuro ut exiret ab eo homine. nam à multo tempore corripuerat eum: itaque vinctus *ille* catenis & pedicis, custodiebatur: sed diruptis vinculis agitabatur à dæmone in deserta.

30 Interrogavit autem eum Jesus, dicens, Quod tibi nomen est? Ipse verò dixit, Legio. Nam dæmonia multa ingressa erant in eum.

31 Et rogabant eum ne imperaret ipsis ut abirent in abyssum.

32 Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum *dæmonia* ut permitteret ipsis in illos ingredi. Et permisit eis.

33 Egressa autem dæmonia ex eo homine, ingressa sunt in porcos: & grex ruit è præcipitio in lacum, & suffocatus est.

34 Quum autem pastores vidissent quod factum fuerat, fugerunt: & profecti annuntiarunt in urbem & in agros.

35 Exierunt igitur ut viderent quod factum erat: veneruntque ad Jesum, & invenerunt hominem illum à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sanæ mentis, sedentem ad pedes Jesu: & extimuerunt.

36 Annuntiaverunt autem ipsis etiam ii qui viderant, quomodo liberatus fuisset qui fuerat dæmoniacus.

37 Et rogavit eum tota multitudo circumjacentis regionis Gadarenorum ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur: ipse autem ingressus navigium, reversus est.

38 Rogavit autem eum vir ille à quo dæmonia exierant, ut esset cum eo: sed dimisit eum Jesus, dicens,

39 Revertere domum tuam; & narra quanta tibi præstiterit Deus. Abiit igitur prædicans per totam urbem, quanta ipsi præstitisset Jesus.

Primùm indicatur locus; ubi miraculum hoc est editum, 2.occasio, 3. objectum, 4.causa corrumpens, 5. modus agendi, 6.causa impulsiva, 7.aliud objectum, 8.adjuncta adhærentia, 9.eventa.

Locus ubi Dominus hoc miraculum edidit, fuit ripa lacus Genesaret in regione Gadarenorum, vers.26. & 27. *Occasionem* ei præbuit occursus dæmoniaci, ibid. *Objectum* miraculi, nempe ipse dæmoniacus, describitur à sexu & ætate, quòd fuerit *vir*; ab adjuncta duratione mali, quòd *dæmonia habuerit à temporibus multis*; & denique à factis, quòd *non induebatur vestimento, neque manebat in domo, sed in monumentis. Causa corrumpens* qua dæmonia illa conata sunt ejectionem sui avertere, fuit deprecatio ipsorum, vers.28. Argumenta deprecationis adhibent duo: unum à pari, quum unus ex illis dicit, *Quid mihi tecum Jesu?* quasi dicat: Ego tibi non facesso molestiam: ergo nec tu mihi facessas. Alterum similiter à pari: Ego tibi benefacio, appellando scilicet te filium Dei altissimi: ergo tu vicissim mihi benefacito, permittendo mihi habitationem in hoc homine. *Modus agendi* fuit, quòd *præcepit spiritui isti impuro ut exiret ab eo homine*, vers.29. *Causa impulsiva* quæ Dominum ad illum ejiciendum movit, fuit miseria dæmoniaci ab isto dæmone effecta: *Nam à multo tempore corripuerat eum, &c.* ibid. Aliud *objectum*, videlicet ipsum dæmonium quod Dominus ejecit, describitur v.30. à nomine proprio: cujus ratio simul exponitur. *Adjuncta adhærentia* narrantur sex: alia ex aliis ordine consecuta. 1.Rogarunt Dominum dæmonia illa ne imperaret ipsis ut abirent in abyssum. 2.Rogarunt ut ipsis permitteret ingredi in porcos in vicino monte pascentes. 3.Dominus hoc eis permisit. 4 Permissione factâ, dæmonia in porcos illos ingressa sunt. 5.Præcipitarunt eos in lacum. 6. Suffocarunt eos: v.31.32. & 33. *Eventa* alia ex aliis ordine consecuta, narrantur duodecim. 1.Pastores istorum porcorum fugerunt. 2.Annuntiarunt rem gestam in urbem & in agros. 3.Illi quibus fuerat annuntiatum, venerunt ad Jesum. 4.Invenerunt dæmoniacum illum jam sanatum. 5.Extimuerunt. 6.Qui rem geri viderant, illi narraverunt. 7 Tota multitudo incolarum illius regionis rogavit Dominum ut discederet ab ipsis. 8.Dominus navigium ingressus, abiit. 9.Dæmoniacus rogavit Dominum ut se assumeret comitem. 10.Dominus illum repulit. 11.Jussit illum reverti domum & prædicare beneficium Dei in se collatum. 12.Ille mandato Domini obtemperavit.

PARS SEXTA ET SEPTIMA.

Sanat mulierem laborantem fluxione sanguinis, excitatq́ à morte filiam Jairi.

40 Factum est autem quum revertisset Jesus, excepit eum turba: nam omnes exspectabant eum.

41 Et ecce, venit quidam cui nomen Jairus, qui erat præfectus synagogæ: quumque accidisset ad pedes Jesu, rogabat eum ut ingrederetur domum suam.

42 Quoniam erat ei unigenita filia quasi annorum duodecim, eaque moriebatur. Inter eundum verò turba coarctabat eum.

43 Et mulier constituta in fluxione sanguinis ab annis duodecim; quæ in medicos impenso toto victu, non *tamen* potuerat ab ullo curari;

44 Accessit à tergo, & tetigit fimbriam pallii ipsius: & illico substitit fluxio sanguinis ejus.

45 Tunc ait Jesus, Quis *est* qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum eo erant; Magister, turba te constringit & comprimit; & dicis, Quis *est* qui me tetigit?

46 Jesus autem ait, Tetigit me aliquis. nam ego cognovi, virtutem à me exiisse.

47 Quum autem mulier vidisset se non latuisse, tremens venit, & accidens ei *ad pedes*, declaravit ei in conspectu totius populi, quam ob causam tetigisset eum, & quomodo sanata fuisset illico.

48 Ipse verò dixit ei; Confide filia, fides tua te servavit: vade cum pace.

49 Adhuc eo loquente, venit quidam à præfecto

synagogæ, dicens ei, Mortua est filia tua. ne vexa magistrum.

50 Jesus autem *hoc* audito, respondit ei, ne metue: crede solummodò, & servabitur.

51 Ingressus verò domum, non permisit ingredi quenquam nisi Petrum & Jacobum & Johannem, & patrem ac matrem puellæ.

52 Flebant autem omnes, & plangebant eum: ipse verò dixit, Ne flete: non est mortua, sed dormit.

53 Et deridebant eum, quòd scirent esse mortuam.

54 Ipse verò, ejectis foras omnibus, & prehensâ manu ejus, clamavit, dicens; Heus puella, surge.

55 Et reversus est spiritus ejus, ac surrexit illico: & *ipse* præcepit ut ei daretur cibus.

56 Et obstupuerunt parentes ejus; ipse verò præcepit eis ut nulli dicerent quod factum fuerat.

Hæ duæ historiæ conjunctim narrantur: nam prior posteriori inseritur. Ad priorem pertinent hæc: 1.locus, 2.testes, 3.adjunctum adhærens, 4.causæ impulsivæ, 5.miraculum ipsum, 6.aliud adjunctum adhærens, 7.iterum causa impulsiva. *Locus* significatur partim v.40. his verbis, *Factum est autem quum revertisset Jesus:* partim v.42. his verbis, *Inter eundum verò turba coarctabat eum.* unde percipitur, sanationem illam mulieris accidisse in Galilæa in via, dum Dominus à ripa lacus iret domum Jaïri. *Testes* significantur nomine turbæ, v.40. & 42. *Adjunctum adhærens* fuit, quòd Dominus interim dum mulier ab ipso sanabatur, à turba fuit compressus atque coarctatus, v.42. & 45. *Causæ impulsivæ* significantur duæ: miseria mulieris, quæ describitur vers. 43. & factum illius, quod narratur vers. 44. nempe quòd ex fide tetigit fimbriam pallii Domini. *Miraculum ipsum* narratur ibidem. quòd illico post illum contactum substiterit fluxio sanguinis ipsius. Alterum *adjunctum adhærens* fuit miraculi clàm peracti patefactio, quæ describitur vers. 45.46. & 47. ubi narratur, quomodo Dominus mulierem illam in lucem produxerit, & effecerit ut sanationem sui miraculosam ultrò narraret: nempe conquerendo se ab aliquo esse tactum: & affirmando, virtutem à se exiisse. *Repetitio causæ impulsivæ*, nempe fidei mulieris, habetur vers. 48. cujus expositio, ipsius Domini testimonio confirmatur.

Atque hæc de sanatione mulieris: jam ad excitationem filiæ Jaïri pertinent hæc: 1.causa impulsiva, 2.causa corrumpens, 3.præparatio, 4.locus, 5.testes, 6.alia præparatio, 7.modus agendi, 8.miraculum ipsum, 9.eventus. *Causa impulsiva* fuit petitio Jaïri, vers. 41. *Causa corrumpens* quæ excitationem puellæ videbatur impeditura, fuit nuntius mortis Jaïro allatus, cum annexa hortatione, ut Dominum missum faceret, nec opem illius implorare pergeret, v.49. *Præparatio* pertinet ad patrem puellæ excitandæ: cui Dominus excitationem illius promittit, si modò credat: ac proinde credere eum jubet, vers. 50. *Locus* ubi miraculum hoc editum est, fuit domus Jaïri, v.51. *Testes* seu spectatores miraculi commemorantur ibid. numero quinque. *Alia præparatio* pertinet ad amicos præsentes qui defunctam deflebant: ad quos ait, illam non esse mortuam, sed dormire, vers. 52. Quo ipso promittit, se illam mox excitaturum. Hæc promissio declaratur ex eventu, videl. quòd eum deriserunt, vers. 53. Causa erat: quia ad mentem verborum Domini non attenderunt; qui verbo *dormiendi* utebatur metaphoricè: quòd illi tanquam propriè dictum accipiebant. Significabat enim Dominus, puellam sibi quasi dormire, quia ipsam solâ inclamatione sit excitaturus. *Modus agendi* narratur v.54. nempe quòd puellam inclamavit, & surgere jussit. *Miraculum ipsum* narratur v.55. *Eventus* narratur duplex, v.56: unus, quòd parentes puellæ obstupuerunt: alter, quòd Dominus eis patefactione rei gestæ interdixit. quod tamen videtur intelligendum cum restrictione ad præsens illud tempus: nempe ne è vestigio foras egressi, id quod intus gestum erat, illis qui foris stabant & funus exspectabant, indicarent: sed exspectarent donec Dominus cum discipulis aliò se recepisset.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

1 Deinceps] ἐν τῷ καθεξῆς. *Supple* χρόνῳ. *Hellenism.* Ut ipse iter faceret] καὶ αὐτὸς διώδευε. *Conjunctio* καὶ *redundat. Aliàs enim omitti solet, ut sit appositio Hebraica. Græci dicerent,* καὶ ἐγένετο ὥστε διοδεύειν αὐτόν. *Latini,* Et accidit ut ipse iter faceret: *Germani,* Und es begab sich daß er raisete. Oppidatim & vicatim] κατὰ πόλιν καὶ κώμην. *Pro,* κατὰ πόλεις καὶ κώμας. *Enallage numeri. Demosth.3.Philip.* πεπαδαρχίας καθέστηκε παρ' αὐτοῖς· ἵνα μὴ μόνον κατὰ πόλεις, ἀλλὰ καὶ κατ' ἔθνη δουλεύωσι. *Quorum verborum sententiam Hieron. Wolfius ita expressit: Thessaliam in quatuor præfecturas divisit Philippus: ut non singula oppida duntaxat, sed gentes etiam serviant. Et in annotationibus,* Ut non modò oppidatim, sed etiam regionatim (ut ita dicam) serviant. Vicatim] κατὰ κώμην. *Sive pagatim.* Duodecim] οἱ δώδεκα. *Græcum expressius propter articulum. Sic Germ.* die zwelfe.

2 Quas sanaverat] αἳ ἦσαν τεθεραπευμέναι. *Ad verb.* Quæ erant fuerántve sanatæ, *scilicet à Domino. Sed consulendum fuit perspicuitati: quia sequitur,* ἀπὸ πνευμάτων πονηρῶν, *à spiritibus malis: quod in Latino sermone intelligi posset de causa efficiente, tanquam esset Græcè,* ὑπὸ πνευμάτων πονηρῶν: *quum tamen ista præpositio, à, hic notet adjunctum inhærens.* Exierant] ἐξεληλύθει. *Scil. Domino ejiciente.* Ex facultatibus suis] ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς. *Hic* ἀπὸ *notat materiam, & valet* ἐξ.

4 In singulis urbibus] κατὰ πόλιν. *Pro,* κατὰ πόλεις: *ut v.1. Intellige autem singulas urbes in quarum vicinia Dominus tum versabatur. Fortasse sensus commodius exprimeretur sic,* Passim in urbibus, Hin und wider in den stetten/ *nempe in urbibus Galilææ.*

5 Aliud] ὃ μὲν. *In libris expressis legitur,* ὃ μὲν, *genere scil. masculino, ut referatur ad nomen* σπόρος: *sed membra sequentia huic opposita, postulant legi* ὃ μὲν, *genere neutro: ut subaudiatur* μέρος *τοῦ* σπόρου. *Sequitur enim* καὶ ἕτερον: *pro,* ἕτερον δὲ. *Apud Matthæū idem effertur numero plurali,* ἃ μὲν, ἄλλα δὲ.

6 Super petram] ἐπὶ τὴν πέτραν. *Id est, loca petrosa sive saxosa.*

7 Inter spinas] ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν. *Pro,* εἰς μέσον τῶν ἀκανθῶν. *Id est,* εἰς τὰς ἀκάνθας.

9 Dicentes] λέγοντες. *Id est, interrogantes. Synecdoche generis.* Quæ esset] τίς εἴη. *Hoc est, quid significaret, quid sibi vellet, quid doceret, deniq; quid mysterii seu arcanæ doctrinæ contineret. Sic v.11. & deinceps. Metonymia subjecti: res pro rei signo.*

11 Est autem hæc parabola] ἔστι δὲ αὕτη ἡ παραβολή. *Pro,* ἡ δὲ παραβολὴ, ἐστὶ τοῦτο. *Parabola autem (scil. quam paulò antè proposui de semine: id quod notat articulus) est hoc: id est, Est hujus rei signum sive imago.* Semen illud] ὁ σπόρος. *Scil. de quo dixi in parabola.* Est sermo Dei] ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. *Id est, Est imago sermonis Dei, significans quid illi soleat accidere dum prædicatur. Notetur exemplum metonymiæ subjecti in parte consequente enuntiati: qualis metonymia etiam est in prædicatis enuntiatorum Eucharisticorum,* Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus.

12 Qui autem secundùm viam *semen excipiunt*] οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδόν. *Supple* σπαρέντες, *ex Matth.13.v.19. Sic versu sequente.* Ut ne credant & serventur] ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσιν. *Id est,* ἵνα μὴ πιστεύσωσι καὶ οὕτω σωθῶσι.

14 Quòd autem in spinas cecidit] τὸ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσόν. *Hic mutat genus loquendi, sicut & vers. seq.*

15 Quod autem in terram bonam cecidit] τὸ δὲ ἐν τῇ καλῇ γῇ. *Pro,* τὸ δὲ εἰς τὴν καλὴν γῆν, *scil.* πεσόν: *ex collatione versus præcedentis.* In corde honesto ac bono] ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ. *Id est, honestatis & virtutis studioso.*

19 Fratres] οἱ ἀδελφοί. *Id est, cognati. Synecdoche speciei Hebraica.*

23 Complebantur] συνεπληροῦντο. *Id est, navis complebatur fluctibus quæ illos vehebat. Metonymia adjuncti, & synecdoche generis. Confer Matth.8.24. & Marc.4.37.*

25 Ubi est fides vestra?] ποῦ ἐστιν ἡ πίστις ὑμῶν; *Quasi dicat, Videtur mihi fides vestra longè à vobis recessisse, ut ignoretis ubi illa sit, hoc est, videmini mihi fide vacui: cujus rei meritò vos debet pudere.*

26 Pernavigârunt] κατέπλευσαν. *Id est, perrexerunt navigare, donec transmitterent lacum.* Sie haben fortgeschifft. *Plinius lib.2.cap.67.* Sub eodem sidere pars tota vergens in Caspium mare, pernavigata est Macedonum armis.

27 In monumentis] ἐν τοῖς μνήμασιν. *Id est, sepulchris.*

31 In abyssum] εἰς τὴν ἄβυσσον. *Locum scil. subterraneum cruciandis in æternum reprobis, tum angelis, tum hominibus, destinatum atq; paratum. Sic Apoc.9.v.11.* Angelus abyssi: *& in eodem libro sæpiusculè.*

36 Quomodo liberatus fuisset] πῶς ἐσώθη. *Ad verbum,* Quomodo servatus fuisset: *id est, sanatus, liberatus scilicet à dæmoniis qui ipsum possederant.*

39 Quanta] ὅσα. *Hoc est, quàm præclara, quàm excellentia, quàm magnifica, quàm deniq; divina.*

41 Domum suam] τὸν οἶκον αὐτοῦ. *Ponitur* αὐτοῦ *pro reciproco* ἑαυτοῦ, *ex consuetudine linguæ.* Moriebatur] ἀπέθνησκεν. *Jam erat in agone, erat moribunda.* Coarctabat] συνέπνιγον. *Ad verb.* Suffocabant. *Metonymia effecti hyperbolica.*

43 Constituta] οὖσα. *Ad verb.* Ens. Non *tamen* potuerat] οὐκ ἴσχυσεν. *Supplevi* tamen *ad perspicuitatem: est enim hic enuntiatum discretivum,* Quanquam impenderat totum victum, non tamen potuerat sanari. Non potuerat ab ullo] οὐκ ἴσχυσεν ὑπ' οὐδενός. *Ad verb.* Non potuerat à nullo. *Græcismus: nam apud Græcos gemina negatio negat fortius.*

44 Substitit] ἔστη. *Sic suprà 6.17. & 7.12.*

45 Comprimit] ἀποθλίβουσι. *Pro,* συνθλίβουσι. *quo verbo utitur Marcus in hac ipsa re narranda, Marc.5.24.* Et dicis] καὶ λέγεις. *Id est, Et tamen dicis? Interrogatio admirantis. quasi dicat, Miror te hoc dicere, Quum enim complures te tangant, ut ipse vides: non debebas quærere, quis te tangat. At tu, quanquam illud ita sit, tamen istud facis.*

46 Virtutem] δύναμιν. *Vel, vim quandam,* eine kraft: *nempe vim salvificam. Vide scholia in Marc.5.v.30.*

47 Mulier] ἡ γυνή. *Græcum expressius: propter articulum* ἀναφορικόν. Das weib/ *nempe mulier cujus paulo antè facta mentio.*

48 Cum

48 Cum pace] εἰς εἰρήνην. Pro, ἐν εἰρήνῃ. *Heterosis Hebraica. Id est*, μετ' εἰρήνης.

49 A præfecto synagogæ] ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου. *Id est, è domo illius: nam ipsemet cum Domino tunc erat, & veniebat ille ad ipsum, non autem ab ipso propriè loquendo. Metonymia subjecti vel adjuncti: subjecti scilicet recipientis ad se: nempe possessoris pro re possessa: vel adjuncti inhærentis, nempe habitatoris pro loco habitato.*

50 Crede] πίστευε. *Scil. me posse & velle eam vitæ restituere.* Et servabitur] καὶ σωθήσεται. *Scil. filia tua. Id est, vitæ restituetur. Porrò conjunctio* Et *hîc valet* Tum: *estq; relativa consequentiæ, subintellecto hoc antecedente, Si solùm credideris. Plenus sermo esset: Crede nam si credideris, servabitur.*

51 Domum] εἰς τὴν οἰκίαν. *Græcum expressius, propter articulum* ἀναφορικόν. *Ingressus domum archisynagogi. Sic Germ.* **In das haus/** *vel* **ins haus.**

52 Non est mortua] οὐκ ἀπέθανεν. *Pro*, οὐ γὰρ ἀπέθανεν, Non enim est mortua. *Ellipsis conjunctionis causalis.*

53 Quòd scirent] εἰδότες. *Id est*, ὡς εἰδότες, *ut qui scirent; quippe qui scirent. Nominativus post verbum, significans causam.*

54 Heus puella] ἡ παῖς. *Id est*, ὦ παῖς. *Nominativus pro vocativo, more Attico.* Surge] ἐγείρου. *Ad verb.* excitare.

55 Spiritus ejus] τὸ πνεῦμα αὐτῆς. *Id est, anima ejus.* Cibus] φαγεῖν. *Seu*, quod ederet. *Ad verb.* Edere. *Metonymia adjuncti. Sic nos,* **zu essen geben/** *id est, ad edendum dare.*

56 Obstupuerunt] ἐξέστησαν. *Extra se rapti sunt. Inde* ἔκστασις.

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

Officium ministrorum verbi Dei. 1 Ex v.1. In Christo prædicante oppidatim & vicatim, pastoribus ecclesiæ proponitur exemplum sedulitatis in suo munere obeundo.

Officium auditorum verbi Dei. 2 Ex v.2. & 3. In mulieribus istis quæ ministrarunt Domino ex facultatibus suis, proponitur nobis exemplum officii in honorandis ministris verbi. Confer Gal.6.v.6. & 1.Cor.9.

Ex parabola de satore quid discendum sit, vide in observationibus ex Matth.13.

Ex v.16.17. & 18. Vide observationes ex Marc.4. ex parte secunda & tertia.

Ex v.19.20.& 21. Vide observationes ex Matt.12.v.46.& seqq.

Ex historia de sedata tempestate maris quid discendum sit, vide in observationibus ex Matth.8.v.24.& seqq.

Ex historia de sanato dæmoniaco quid sit discendum, vide in observationib. ex Matth.8.v.28.& deinceps.

Diabolorum multitudo. 3 Quibus addo ex v.30. magnam esse diabolorum multitudinem; quò magis solicitè cavere nobis ab illis debemus; vigilando scilicet & orando.

Infernus seu gehenna. 4 Item ex v.31 certum locum subterraneum destinatum esse torquendis seu cruciandis in æternum malis spiritibus, sicut & impiis hominibus. Qui locus hîc nominatur abyssus, sicut & in Apocalypsi passim. Alibi verò gehenna, item ᾅδης, id est, orcus seu infernus, & denique locus tormenti: infrà v.16.

Ex historia de sanata hæmorrhousa & excitata filia Jaïri quid discendum sit, vide in observationibus ex Matth.9. vers.18. & deinceps.

ANALYSIS CAP. IX.

Argumentum.

Dominus mittit Apostolos ad prædicandum. 2. Herodes studet eum videre. 3. Ipse quinq; panibus & duobus piscib. saturat quinquies mille viros. 4. Cognoscit ex discipulis judicia hominum de se, & prædicit eis passionem suam. 5. Erudit auditores de officiis discipulorum, seu quid requiratur ab eo qui suus velit esse discipulus. 6. Transformatur seu glorificatur corpore ad tempus. 7. Ejicit dæmonium ex quodam puero. 8. Iterum prædicit discipulis passionem suam. 9. Revocat eos ab ambitione. 10. Item à prohibendo quodam, qui in ipsius nomine ejiciebat dæmonia. 11. Item à vindicta in Samaritanos. 12. Repellit quendam, qui volebat ipsum sequi. 13. Vocat quendam qui volebat sepelire patrem. 14. Repellit volentem priùs valedicere domesticis.

Prima Pars.

Dominus mittit Apostolos ad prædicandum.

Convocatis autem *Jesus* duodecim discipulis suis, dedit eis vim ac potestatem in omnia dæmonia, & morbos sanandi.

2 Misitque eos ut prædicarent regnum Dei, & sanarent ægrotos.

3 Et dixit eis, Nihil sumite ad iter; neque virgas, neque peram, neque panem, neque pecuniam: neque binas tunicas habete.

4 Et in quamcunque domum intraveritis, illic manete, & illinc exite.

5 Et quicunque non receperint vos; exeuntes ex urbe illa, etiam pulverem à pedibus vestris excutite, in testimonium adversus ipsos.

6 Exeuntes igitur obibant singulos vicos, evangelizantes & sanantes ubique.

Primùm narratur Apostolorum ad hoc iter præparatio, 2. mandata, 3. mandatorum exsequutio. *Præparatio* fuit, quòd eis dedit vim ac potestatem in omnia dæmonia, & morbos sanandi, v.1. *Mandata* narrantur quinque. 1. Ut prædicent regnum Dei, scilicet appropinquasse, ex collatione Matth.10.v.7. id est, ut testificentur, Christum propediem peracturum opus redemtionis, atque ita regnum Dei acquisiturum credentibus in ipsum: vers.2. 2. Ut sanent ægrotos, nimirum ad testimonium suum de Christo obsignandum: ibid. 3. Ne se solicitè aut operosè instruant ad iter, v.3. 4. Ne mutent hospitium, vers.4. 5. Ut contra ingratos testificentur signo vindictam Dei, v.5. *Exsequutio* mandatorum narratur v.6.

Secunda Pars.

Herodes studet videre Dominum.

7 Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo: & hæsitabat, propterea quòd dicebatur à quibusdam, Johannem excitatum esse à mortuis.

8 A quibusdam verò, Eliam apparuisse: ab aliis autem, Prophetam quempiam ex antiquis resurrexisse.

9 Tunc ait Herodes: Johannem ego decollavi: quis est autem iste de quo ego talia audio? Et studebat eum videre.

Studium istud Herodis declaratur è *causis procreantibus* duabus: auditione famæ de Jesu, & hæsitatione de ipsius persona. Quæ ipsa hæsitatio è sua causa procreante declaratur, videlicet variis hominum judiciis atque sermonibus de Jesu: quum alii dicerent, esse Johannem Baptistam, alii Eliam, alii alium ex antiquis prophetis.

Tertia Pars.

Dominus quinque panibus & duobus piscibus saturat quinquies mille viros.

10 Reversi autem Apostoli narraverunt ei quæcunque fecerant. Et *ipse* assumtis illis, secessit privatim in locum desertum urbis quæ vocatur Bethsaïda.

11 Quod quum cognovisset turba, sequuta est eum: *ipse* autem excepit eos, & loquebatur eis de regno Dei: & eos quibus sanatione opus erat, sanabat.

12 Dies autem cœperat inclinare: & accedentes Duodecim, dixerunt ei: Dimitte turbam, ut abeuntes in circumjacentes vicos & agros, *illuc* divertant, & inveniant cibaria: nam hîc in loco deserto sumus.

13 *Ipse* verò dixit eis, Date ipsis vos quo vescantur. Ipsi verò dixerunt, Non sunt nobis plus quàm quinque panes & duo pisces: nisi nos profecti, emamus toti huic populo escas.

14 Aderant enim quasi viri quinquies mille. Ait autem discipulis suis, Facite ut discumbant per singulos quoque discubitus quinquageni.

15 *Ipsi* igitur ita fecerunt, & discubuerunt *illi* omnes.

16 *Ipse* verò acceptis quinque illis panibus & duobus piscibus, suspiciens in cælum, benedixit eis: & fregit, deditque discipulis ut apponerent turbæ.

17 Comederunt igitur & saturati sunt omnes: & sublatum est quod superfuit ipsis fragmentorum cophini duodecim.

Primùm narratur miraculi hujus occasio, 2. locus, 3. tempus, 4. præparatio, 5. modus agendi, 6. miraculum ipsum. *Occasionem* Domino ad miraculum hoc edendum præbuit secessio in locum desertum. Quæ secessio illustratur tum ex causa finali, tum ex eventu inopinato. Causa finalis fuit, ut concederet discipulis quietem post peractam nuper legationem. Hoc significatur illis verbis vers.10. *Reversi autem Apostoli, narraverunt ei quæcunque fecerant.* Et exprimitur à Marco cap.6.v.31. ubi præcedentibus illis verbis subjicit hæc, *Et dixit eis, Venite vos privatim in desertum, & requiescite paululum.* Eventus inopinatus fuit, quòd turba eum sequuta est in desertum, ipsumque occupatum reddidit tum docendo, tum sanando, v.11. *Locus* ubi miraculum est editum, fuit desertum urbis Bethsaïdæ, vers.10. *Tempus* editi miraculi significatur in principio vers.12. his verbis: *Dies autem cœperat inclinare.* Factum est igitur vesperi. *Præparatio* pertinet partim ad discipulos, partim ad turbam. Discipulos præparavit jubendo ut ipsi cibum præberent turbæ, v.12. & 13. Turbam præparavit jubendo ut discumberent tanquam cibum capturi, vers.14. & 15. Præparatio discipulorum illustratur ex occasione mandati & eventu. Occasionem mandati illius præbuit Domino admonitio discipulorum de turba cibi causâ

dimittenda, verſ.12. Eventus mandati illius fuit, recuſatio per declarationem impoſſibilitatis, verſ.13. & principio decimi-quarti. Præparatio turbæ illuſtratur expoſitione cauſæ miniſtræ & eventus. Miniſtri per quos mandatum turbæ dedit, fuerunt diſcipuli, verſ.14. Eventus fuit exſequutio mandati, verſ.15. *Modus agendi* narratur verſ.16.conſtans quinque partibus. 1.Panes quinque & duos piſces qui in promtu erant, accepit: ponens nimirum illos ante ſe, ut ſuper illis conciperet preces. 2. Suſpexit in cælum, nimirum cum hoc geſtu concipiens preces ad Deum patrem. 3.Benedixit illis panibus & piſcibus: id eſt, potentiâ ſuâ divinâ illos multiplicavit, aut certè ad multiplicandum præparavit, ſi ſtatuamus (id quod veriſimilius eſt) multiplicaſſe demum inter frangendum. 4. Fregit illos panes & piſces. 5. Dedit fragmenta diſcipulis ut apponerent turbæ. *Miraculum ipſum* narratur verſ.17. confirmatum ab effectu, videlicet copiâ reliquiarum. niſi enim ſaturati fuiſſent qui ederant, non reliquiſſent tantam copiam fragmentorum.

QUARTA PARS.

Cognoſcit ex diſcipulis judicium hominum de ſe, & prædicit eis paſſionem ſuam.

18 Et factum eſt, ut quum ipſe ſeorſim precaretur, eſſent cum eo diſcipuli: interrogavitque eos, dicens, Quem me dicit eſſe turba?

19 Ipſi autem reſpondentes dixerunt, Johannem Baptiſtam: alii autem, Eliam: alii verò, Prophetam quempiam ex antiquis reſurrexiſſe.

20 Dixit autem eis, Vos verò quem me eſſe dicitis; Reſpondens autem Petrus dixit, Chriſtum illum Dei.

21 Ipſe verò interminatus eis, præcepit ut nulli hoc dicerent:

22 Dicens, Oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à ſenioribus & principibus ſacerdotum, & ſcribis, & trucidari, & tertio die excitari.

Primùm narratur inquiſitionis hujus occaſio: 2.quæſtio de judicio aliorum, cum ſubjecta reſponſione: 3. quæſtio de judicio ipſorum diſcipulorum, cum addita reſponſione: 4. reſponſionis illius eventus: 5. prædictio paſſionis. *Occaſionem* ad hanc inquiſitionem Domino præbuit ſolitudo, quòd eſſet ſolus cum diſcipulis ſolis, in principio verſus 18. *Quæſtio prima* proponitur reliquâ parte verſ. 18. Reſponſio ſubjicitur verſ.19. *Quæſtio ſecunda* unà cum reſponſione recitatur verſu 20. *Eventus* reſponſionis diſcipulorum fuit interdictum patefactionis, verſ.21. *Prædictio paſſionis* recitatur v.22. Cujus ſcopus (ut ex cohærentia ſententiarum & occaſione dicendi percipitur) fuit, ut diſcipuli præmunirentur contra ſcandalum ex Domini paſſione eventurum, & ut eximeretur eis falſa opinio de regno Chriſti. quaſi dicat: Vos agnoſcitis me pro Chriſto: & rectè quidem: ſed interim erratis, quòd putatis me nihil mali paſſurum, ſed hoſtibus deletis regnaturum more mundano. At res longè aliter ſe habet. nam oportet me ab hoſtibus multa pati & trucidari. Sed interim contra ſcandalum quod inde vobis accidet, conſolamini vos ſpe reſurrectionis meæ, quâ reſurrecturus ſum ad regnum meum cæleſte atque glorioſum.

QUINTA PARS.

Docet auditores quid requiratur ab eo qui ſuus velit eſſe diſcipulus.

23 Dicebat autem omnibus; Si quis vult me ſequi, abneget ſe ipſe, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.

24 Quiſquis enim voluerit animam ſuam ſervare, perdet eam: quiſquis verò perdiderit animam ſuam meâ causâ, is ſervabit eam.

25 Quid enim prodeſt homini, ſi lucretur univerſum mundum, ſeipſum autem perdat, ſive *ſui ipſius* jacturam faciat?

26 Quem enim puduerit mei ac meorum ſermonum, ejus pudebit Filium hominis, quando venerit in gloria ſua & Patris, ſanctorumque angelorum.

27 Dico autem vobis verè, ſunt quidam ex iis qui hîc adſtant, qui nequaquam guſtabunt mortem, uſquedum viderint regnum Dei.

Duo præcipit iis qui ipſius volunt eſſe diſcipuli: abnegationem ſui, & tolerantiam perſecutionis propter ipſius confeſſionem. *Prius* enuntiat his verbis: *Si quis vult me ſequi, abneget ſe ipſe.* id eſt, totum ſe mihi conſecret, & ex verbi mei præſcripto vivat: contrà judicio proprio & cupiditatibus propriis renuntiet. *Poſterius* annectit his verbis; *Et tollat crucem ſuam quotidie*: id eſt, Confiteatur me & doctrinam meam: me ſcilicet pro unico ſuo ſervatore: doctrinam verò meam pro doctrina cæleſti, ac proinde veriſſimâ atque certiſſimâ, & unicâ rectè vivendi & æternam ſalutem adipiſcendi regulâ: & paratus ſit propter hanc confeſſionem ſubire atque ſuſtinere odium & perſecutionem mundi. Perſecutionem autem ſignificat vocabulo *crucis* per ſynecdochen ſpeciei, κατ᾽ ἐξοχὴν: quia ſupplicium crucis tum erat uſitatum, & erat longe acerbiſſimum atque ignominioſiſſimum. Et reſpicit ſimul ad morem, quo cogebantur contumeliæ causâ crucem, de qua erant ſuſpendendi, in humeros tollere & geſtare: cujus moris exemplum habetur in ipſo Domino, in hiſtoria paſſionis. Hoc poſterius præceptum confirmat duobus argumentis: quorum primum ducit ab adjuncto honeſto, videlicet communione cum ipſo, ubi ait, *Et ſequatur me.* Quibus verbis innuit, ſe quoque crucem geſtaturum, & de illa ſuſpenſum iri propter confeſſionem & doctrinam cæleſtis veritatis: ac proinde eos qui ſimilia ſint paſſuri, habituros cum ipſo in hac re communionem. Alterum argumentum ducit ab effectis per antitheſin: nempe ab effectu utili, ſi quis præcepto pareat: & contrà ab effectu noxio, ſi quis parêre recuſet. Effectum confeſſionis eſt ſalus æterna: abnegationis contrà, exitium æternum. Utrumque proponit verſ.24.ubi ait, *Quiſquis enim voluerit animam ſuam* (id eſt, vitam ſuam vel ſeipſum) *ſervare* (ſcilicet negando me & doctrinam meam) *perdet eam,* ſcilicet exitio ſempiterno. *Quiſquis verò perdiderit animam ſuam* (affectus ſcilicet ſupplicio capitis) *meâ causâ* (id eſt, ut meam gratiam retineat, confitendo me & doctrinam meam) *is ſervabit eam,* nempe ſalute æternâ. Deinde argumentum ab inutili ductum amplificat duobus modis, prolepſi, v.25. & expolitione, v.26. Prolepſis eſt: At ſi negavero Chriſtum & doctrinam ejus, lucrabor bona hujus mundi. Ergo negabo. Reſponſione negatur conſequentia, quatenus acquiſitioni bonorum terrenorum opponitur amiſſio bonorum cæleſtium, ad hunc modum: Si quis maximè per negationem Chriſti acquirat bona mundi, imò totum mundum; tamen interim amittit bona cæleſtia, nempe vitam æternam. Nemo autem ſapiens cum amiſſione boni majoris acquirere vult bonum minus: ſed potiùs amittere minus, ut conſequatur majus. Nemo igitur debet Chriſtum negare ſpe conſequendi bona terrena. Expolitione abnegatio Chriſti, itemque exitium æternum abnegantis, ſignificatur vocabulo *pudoris*, per metonymiam cauſæ efficientis, v.26. ubi ait, *Quem enim puduerit mei ac meorum ſermonum*: id eſt, qui pudore adductus negaverit me & ſermones meos: *ejus pudebit filium hominis, quando venerit in gloria &c.* id eſt, illum ego viciſſim negabo, profitendo me non noſſe eum, ac proinde repellendo eum à me, nec admittendo in communionem gloriæ meæ cæleſtis & felicitatis æternæ. Porrò ex occaſione quòd mentionem fecerat gloriæ ſuæ cæleſtis, per appendicem annectit promiſſionem ſpecialem, qua promittit, ſe quibuſdam qui illic adſtabant, brevi exhibiturum gloriæ illius ſuæ ſpecimen: videlicet effuſionem Spiritus S. in die pentecoſtes: cujus promiſſionis complementum narratur Act.2.

SEXTA PARS.

Transformatur ſeu glorificatur corpore ad tempus.

28 Factum eſt autem, *quum* poſt hos ſermones quaſi dies octo *interceſſiſſent*, ut aſſumtis Petro & Johanne & Jacobo, aſcenderet in montem ad precandum.

29 Et facta eſt, dum ipſe precaretur, ſpecies faciei ipſius alia, & veſtitus ejus albus *ac* refulgens.

30 Et ecce, duo viri colloquebantur cum eo, qui erant Moſes & Elias:

31 Qui conſpecti in gloria, dicebant ipſius exitum, quo futurum erat ut defungeretur Hieroſolymæ.

32 Petrus verò & qui cum ipſo erant, gravati erant ſomno: quum autem evigilaſſent, viderunt gloriam ejus, & duos illos viros qui ſtabant cum eo.

33 Et factum eſt quum illi diſcederent ab eo, ut diceret Petrus ad Jeſum; Magiſter, bonum eſt nos hîc eſſe: atq; *adeò* faciamus tria tabernacula; unum tibi, & unum Moſi, & unum Eliæ: neſciens, quid diceret.

34 Hæc autem ipſo dicente, exſtitit nubes quæ inumbravit eos: extimuerunt autem dum illi ingrederentur in nubem.

35 Et vox exſtitit è nube, dicens; Hic eſt filius ille meus dilectus, ipſum audite.

36 Et dum vox illa exſiſteret, inventus eſt Jeſus ſolus: ipſi autem ſiluerunt, & nulli annuntiarunt per id tempus quicquam eorum quæ viderant.

Primò indicatur transformationis hujus tempus, 2. teſtes, 3. locus, 4. præparatio ſeu effectum deſtinatum, 5. transformatio ipſa, 6. adjuncta adhærentia, 7. adjunctum occupatum, 8. eventa. *Tempus* quo iſta Domini transformatio accidit, fuit octavus circiter dies poſt ſermonem illum de officiis ſuorum diſci-

discipulorum, suprà v.23. & deinceps. *Testes* fuerunt tres ex discipulis: Petrus, Johannes, & Jacobus. *Locus* fuit mons. *Præparatio* seu effectum destinatum, fuit precatio Domini. hac enim (ut probabile est) transformationem illam sui à patre petivit, eamque propter illam impetrandam suscepit. *Transformatio* ipsa describitur v.29. è subjectis, facie & vestitu. *Adjuncta adhærentia* narrantur duo: colloquium Mosis & Eliæ, v.30. & 31. & somnus discipulorum, vers.32. Colloquium illustratur ex loquentium adjuncto inhærente, videlicet gloriâ corporum: & sermonis objecto, quod fuit exitus Domini, quo futurum erat ut defungeretur Hierosolymæ: qua periphrasi significantur duo, videlicet mors Domini ignominiosa atque acerba, & resurrectio ejus gloriosa atque beata. Somnus discipulorum amplificatur ab adjuncta quantitate, quòd fuerint somno *gravati*. *Adjunctum occupatum* significatur his verbis, v.32. *Quum autem evigilassent, viderunt gloriam ejus, & duos illos viros qui stabant cum eo*. *Eventa*, alia ex aliis ordine consequuta, narrantur sex. 1. Sermo Petri ecstaticus, quo testificatur suam lætitiam ex conspectu gloriæ Domini ortam: 2. Inumbratio Domini cum Mose & Elia per nubem: 3. Timor discipulorum: 4. Vox Dei patris de Jesu: 5. Solitudo Jesu, digressis nimirum Mose & Elia: 6. Silentium discipulorum quo visionem hanc per id tempus occultarunt.

SEPTIMA PARS.

Ejicit dæmonium ex puero quodam.

37 Factum est autem sequenti die, ut quum ipsi descendissent de monte, occurreret ei turba multa.

38 Et ecce, quidam è turba exclamavit, dicens; Magister, rogo te, respice filium meum; nam unigenitus est mihi.

39 Et ecce, spiritus arripit eum, & *ipse* repentè clamat; & discerpit eum spumantem; & vix discedit ab eo, conterens eum.

40 Et rogavi discipulos tuos ut ipsum ejicerent: sed non potuerunt.

41 Respondens autem Jesus ait, O natio incredula & perversa, quousque tandem ero apud vos, & tolerabo vos? Adduc filium tuum huc.

42 Quum autem adhuc accederet ille, laceravit eum dæmonium, & discerpsit. Objurgavit autem Jesus spiritum illum impurum, & sanavit puerum: & reddidit eum patri suo.

43 Percellebantur igitur omnes super magnificâ Dei virtute.

Primò indicatur miraculi hujus editi tempus, 2. locus, 3. testes, 4. causæ impulsivæ, 5. præparatio seu effecta destinata, 6. iterum causa impulsiva, 7. modus agendi, 8. miraculum ipsum, 9. eventus. *Tempus* indicatur v.37. his verbis, *Factum est autem sequenti die*; videlicet postridie quàm Dominus transformatus esset in monte, ex collatione præcedentium. *Locus* significatur ibid. his verbis, *Quum ipsi descendissent de monte*. Factum igitur est hoc miraculum prope montem in quo Dominus transformatus est. *Testes* indicantur ibid. his verbis: *Factum est ut occurreret ei turba multa*. *Causa impulsiva* significantur tres: petitio patris pueri, v.38. miseria pueri, v.39. & ignominia orta à discipulis, qui dæmonium illud non potuerant ejicere, v.40. Hanc enim ignominiam voluit removere Dominus, & gloriam suam vindicare. *Præparatio* fuit duplex: indignatio Domini erga discipulos illos, & mandatum ad patrem pueri de illo adducendo, vers.41. Nam utroque modo significavit, se dæmonium illud velle ejicere; atque ita spectatores in spem miraculi erexit. *Repetitio causæ impulsivæ*, videlicet miseriæ pueri habetur in principio v.42. *Modus agendi* narratur ibid. his verbis: *Objurgavit autem Jesus spiritum illum impurum*. id est, jussit eum exire. *Miraculum* ipsum narratur ibid. his verbis: *Et sanavit puerum, & reddidit eum patri suo*. *Eventus* narratur v.43. his verbis: *Percellebantur igitur omnes* (nempe miraculi hujus spectatores) *super magnificâ Dei virtute*: quam scilicet viderant sese exserere in Jesu, in ejiciendo isto dæmonio.

OCTAVA PARS.

Iterum prædicit discipulis passionem suam.

Omnibus verò mirantibus super omnibus quæ faciebat, dixit discipulis suis;

44 Reponite vos in aures vestras sermones istos: futurum est enim ut Filius hominis tradatur in manus hominum.

45 Ipsi verò non intelligebant dictum istud, eratque ipsis occultum, adeò ut ipsum non perciperent: & *tamen* timebant eum interrogare de hoc dicto.

Primò indicatur prædictionis hujus occasio, eademque causa impulsiva: 2. prædictio ipsa recitatur: 3. narratur eventus. *Occasionem* Domino præbuit ad prædictionem hanc repetendam admiratio illorum qui viderant ejus miracula: unde nimirum ratiocinabantur, Jesum semper ejusmodi magnifica & gloriosa gesturum. Quem errorem ut discipulis suis eximeret, iterum monuit de ignominiosa morte sibi eventurâ. *Prædictio* ipsa recitatur v.44. *Eventus* narratur duplex, v.45. Unus, quòd discipuli dictum istud non intelligebant: alter, quòd non audebant à Domino petere illius explicationem.

PARS NONA.

Revocat discipulos ab ambitione.

46 Incidit autem disceptatio inter eos, quis esset eorum maximus.

47 Jesus autem visâ cogitatione cordis ipsorum, arripuit puerulum & statuit eum apud se:

48 Et dixit eis, Quicunque exceperit puerulum hunc nomine meo, me excipit: & quicunque me exceperit, excipit eum qui me misit. nam qui minimus est inter vos omnes, is erit magnus.

Primò narratur admonitionis hujus occasio. 2. præparatio seu effectum destinatum, 3. admonitio ipsa. *Occasionem* Domino ad discipulos de colenda animi demissione admonendos præbuit, quòd illi inter se contendissent de primatu, v.46. *Præparavit* eos ad hanc admonitionem attentè auscultandam, statuendo puerulum apud se, vers.47. ut nimirum illius præsentis exemplo animos discipulorum magis moveret. *Admonitio* ipsa confirmata est argumento ab utili effectu, videl. præmio divino demissionis animi. Quod præmium innuit expositione causæ propinquæ, videl. amoris sui erga demissos animo, in exemplo pueruli præsentis, ubi ait v.48. *Quicunque exceperit puerulum hunc nomine meo, me excipit &c.* quibus verbis significat, se & patrem remunerari velle eos qui non spreverint humiles pios, sed eis benefecerint. Estque hic elegans gradatio. Deinde eadem sententia repetitur aliis verbis per elegantem antithesin, ubi ait: *Nam qui minimus est inter vos omnes, is erit magnus*. Id est, qui animum suum demittit, nec se ipse magni facit, aut ab aliis magni fieri vult in hoc mundo, is in altera vita à Deo efficietur magnus: donatus nimirum cælesti eâque æterna gloria.

PARS DECIMA.

Revocat discipulos à prohibendo quodam qui in ipsius nomine ejiciebat dæmonia.

49 Respondens autem Johannes ait; Magister, vidimus quendam sub nomine tuo ejicientem dæmonia: & prohibuimus eum, quia *te* non sequitur nobiscum.

50 Et dixit ei Jesus, Ne prohibete *illum*: qui enim non est adversum nos, pro nobis est.

Primum narratur revocationis hujus causa impulsiva, deinde revocatio ipsa. *Causa impulsiva* fuit narratio Johannis de prohibitione illius; confirmata expositione causæ, quòd ille non profiteretur se discipulum Domini, v.49. *Revocatio* ipsa similiter confirmata est expositione causæ: quæ continetur his verbis: *Qui enim non est adversum nos, pro nobis est*, v.50.

PARS UNDECIMA.

Revocat discipulos à vindicta in Samaritanos.

51 Factum est autem interim, dum compleretur tempus quo sursum reciperetur, tum ipse faciem suam obfirmavit ut proficisceretur Hierosolymam.

52 Misitque nuntios ante faciem suam; qui profecti, ingressi sunt in vicum Samaritanorum, ut pararent ei *hospitium*.

53 Sed *illi* non receperunt eum, quòd facies ejus proficiscebatur Hierosolymam.

54 Quum autem hoc vidissent discipuli ejus, Jacobus & Johannes, dixerunt; Domine, vis dicamus ut ignis descendat è cælo, & consumat eos, ut etiam Elias fecit?

55 Sed conversus JESUS objurgavit eos, dicens, Nescitis qualis spiritus vos sitis.

56 Filius enim hominis non vênit ut perderet animas hominum, sed ut servaret. Abierunt igitur in alium vicum.

Primò indicatur revocationis hujus tempus, 2. occasio vindictæ, 3. causa vindictæ, 4. vindictæ cupiditas & conatus, 5. revocatio à vindicta, 6. eventus revocationis. *Tempus* indicatur in principio v.51. his verbis; *Factum est autem, dum compleretur tempus ut sursum reciperetur*. quibus verbis notatur tẽpus quod paulò ante mortem Domini antecessit. Etenim nomine ἀναλ-

ψεως, id eſt, receptionis, videlicet in gloriam, ſynecdochicè comprehenditur & mors, per quam in gloriam ſuam ingredi Dominum oportuit. *Occaſionem* huic vindictæ cupiditati præbuit iter Domini per Samariam, & petitio hoſpitii apud Samaritanos. Iter Domini amplificatur v.51. à propoſito proficiſcentis, quòd *ſeſe obfirmârit ut proficiſceretur Hieroſolymam.* ubi verbo *obfirmandi* connotatur cauſa corrumpens, quæ ipſum ab hoc itinere poterat impedire atque deterrere: videl. quòd ſciret quot & quanta mala ſe iſthic manerent. Petitio hoſpitii illuſtratur v.52. à cauſa miniſtra, & ſpecie loci. Cauſa miniſtra ſignificatur his verbis: *Miſitq; nuntios ante faciem ſuam.* Species loci: *Ingreſſi ſunt in vicum Samaritanorum. Cauſa* vindictæ narratur v.53. nempe quòd Samaritani hoſpitium Domino denegarunt. Cujus recuſationis cauſa additur: quia Dominus proficiſcebatur Hieroſolymam. quibus verbis notatur odium Samaritanorum adverſus Judæos: de quo habetur Joh.4.v.9. & alibi: *Vindictæ cupiditas & conatus* narratur v.54. quòd ſcilicet Jacobus & Johannes rogârint Dominum, ut ſibi daret poteſtatem perdendi Samaritanos illos igne cæleſti. Quæ petitio confirmata ab illis fuit à pari, videl. exemplo Eliæ, qui ſcilicet zelo divino correptus ignem è cælo à Deo impetravit, quo conſumti ſunt milites regis Achaziæ qui ipſum capere conabantur ac ducere ad regem inimicum. *Revocatio à vindicta* narratur v.55. & 56. Quæ primùm exponitur, deinde amplificatur prolepſi, poſtremò confirmatur. Expoſitio continetur his verbis, *Sed converſus Jeſus objurgavit eos.* videlicet propter iſtum conatum vindictam exercendi in Samaritanos: revocavit igitur eos ab illo conatu. Prolepſis continetur his verbis, *Neſcitis qualis ſpiritus vos ſitis.* quibus verbis refutat ipſorum argumentum quod ad confirmandum petitionem ſuam attulerant; exemplum ſcilicet Eliæ: ſic nimirum argumentantes:

2.Reg.1.v.10. & 12.

Si Elias igne cæleſti vindicavit ſe de adverſariis ſuis: nobis liceat pari ratione nos vindicare.
At Elias ſe ita vindicavit.
Ergo idem liceat nobis.

Dominus negat propoſitionem connexam, quatenus monet, diſſimilitudinem eſſe in exemplo: quia ſcil. diſcipuli illi ſui non regantur tali ſpiritu quali regebatur Elias. Innuit autem, Eliæ zelum fuiſſe divinum, & ſpectaviſſe gloriam DEI; diſcipulorum autem zelum eſſe humanum atque carnalem, & ſpectare vindictam privatam. Confirmatio revocationis à vindicta ſumitur à fine adventus Domini in mundum: qui erat, non exercere vindictam ac perdere homines, ſed ſtudere ipſorum ſaluti, per munus ſcil. propheticum erga omnes, & per munus ſacerdotale erga electos. *Eventus* narratur in fine v.56. his verbis: *Abierunt igitur in alium vicum,* omiſsâ ſcilicet vindictâ illâ.

PARS DUODECIMA.

Repellit quendam, qui volebat ipſum ſequi.

57 Factum eſt autem, ut proficiſcentibus ipſis, quidam in via dixerit ei; Sequar te quocunque ieris, domine.

58 Dixit autem ei Jeſus, Vulpes luſtra habent; & volucres cæli, nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

Primò recitatur *petitio receptionis,* v.57. deinde *recuſatio petitionis,* v.58. Cæterùm recuſatio eſt obliqua: quia Dominus non dicit, Nolo ut me ſequaris: ſed commemorat ſuam inopiam, qua ſciebat illum à ſequendo deterritum iri. Inopiam autem ſuam amplificat collatione minoris & antitheſi: monens, vulpes & aves minùs inopes eſſe quàm ipſe ſit: quippe quum vulpes habeant luſtra, & aves nidos: ipſe autem non habeat pulvinum in quo caput reclinet ad quietem capiendam. Apparet igitur, iſtum hominem qui in numerum diſcipulorum à Domino petebat recipi, fuiſſe delicatum, & quæſiviſſe apud Dominum opes ac voluptates hujus ſæculi.

PARS DECIMATERTIA.

Vocat quendam qui volebat ſepelire patrem.

59 Ait autem ad alium *quendam,* Sequere me. Ille verò dixit; Domine, permitte mihi ut priùs abeam ac ſepeliam patrem meum.

60 Dixit autem ei JESUS, Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu verò profectus annuntia regnum DEI.

Primùm narratur vocatio, 2. petitio officii patri defuncto præſtandi, 3. recuſatio petitionis. *Vocatio* narratur his verbis: *Ait autem ad alium. Sequere me. Petitio* iſtis: *Ille verò dixit, Domine permitte mihi ut priùs abeam ac ſepeliam patrem meum. Recuſatio* petitionis ſubjungitur verſu 60. amplificata prolepſi, & confirmata à comparatis. Prolepſis continetur his verbis: *Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos.* quaſi dicat: Non eſt quòd metuas, patrem tuum inſepultum relictum iri, ſi tibi non permiſero id officii illi præſtare: ſunt enim alii qui id præſtare poſſunt, atque etiam præſtituri ſunt: quippe qui externam illam ſpeciem pietatis pluris faciunt, quàm pietatem ipſam. Iſtos ſignificat nomine mortuorum metaphoricè accepto: atque eâ occaſione elegantem facit ἀντανάκλασιν, qua idem nomen in propria ſignificatione repetit. *Sine ut mortui* (ſcilicet ſpiritualiter, hoc eſt, veræ pietatis expertes) *ſepeliant mortuos ſuos,* ſcilicet mortuos corporaliter. Confirmatio continetur his verbis: *Tu verò profectus, annuntia regnum Dei.* quaſi dicat: Plus ſitum eſt in promovendo regno Dei, ut ſcilicet homines per Evangelii prædicationem in illud introducantur: quàm in ſepeliendis mortuis. Quare quod potius eſt, potiùs agas.

PARS DECIMAQUARTA.

Repellit volentem priùs valedicere domeſticis.

61 Dixit autem etiam alius, Sequar te, Domine: ſed permitte mihi priùs ut valedicam iis qui ſunt domi meæ.

62 Ait autem ei Jeſus, Nemo qui manu ſuâ admotâ aratro, reſpexerit, ad ea quæ retro *ſunt,* appoſitus eſt ad regnum Dei.

Primum recitatur petitio, deinde recuſatio. *Petitio* continet duo: unum, ut recipiatur in numerum diſcipulorum: alterum, ut permittatur priùs valedicere domeſticis. *Recuſatio* eſt obliqua: quia non apertè dicit, Nolo te recipere: quia non totum te mihi addicis, ſed reſpectas ad mundum: ſed pronuntiat in genere, tales homines ineptos eſſe ad miniſterium verbi Dei: atque hoc ipſum ſimilitudine aratoris inter arandum retrò ſpectantis illuſtrat. Arator enim ſi rectè & utiliter arare velit, oculos antrorſum in agrum arandum intentos habere oportet: quòd ſi oculos retrorſum averterit, delirabit, neque rectum ſulcum ducet.

SCHOLIA IN CAP. IX.

1 Duodecim] τοὺς δώδεκα. *Græcum expreſſius: propter articulum ἀναφορικόν. quaſi dicat, Convocavit duodecim illos quos antea ex turba diſcipulorum elegerat, & Apoſtolos nominaverat, ſuprà cap.6.v.13.* Et morbos ſanandi] καὶ νόσους θεραπεύειν. *Poſt* Et *repetendum* ἀπὸ κοινοῦ, *dedit eis vim ac poteſtatem. Sermo* ἀνακόλουθος, *inconſequens: pro,* ἔδωκεν αὐτοῖς δύναμιν καὶ ἐξουσίαν πάντα τὰ δαιμόνια ἐκβάλλειν, καὶ νόσους θεραπεύειν: *Dedit eis vim ac poteſtatem omnia dæmonia ejiciendi & morbos ſanandi. Ante verbum* θεραπεύειν *ſubauditur articulus* τοῦ: *& ponitur* θεραπεύειν *pro* ἰᾶσθαι: *quo verbo utitur verſu ſeq. Nam* θεραπεύειν *propriè eſt mederi, ſeu curare ægrotum adhibitis medicamentis. at Apoſtoli non ſic ſanabant: ſed ſanabant mandando morbis in nomine* CHRISTI *ut diſcederent.*

2 Ut prædicarent] κηρύσσειν. *Pro,* τοῦ κηρύσσειν. *Scil.* ἕνεκα.

3 Ad iter] εἰς τὴν ὁδόν. *Ad verb.* In viam. Pecuniam] ἀργύριον. *Ad verbum,* Argentum. *Metonymia materiæ, & ſynecdoche ſpeciei. nam intelligit pecuniam ex quovis metallo: ſive argento, ſive auro, ſive ære: quæ omnia Matth.10.9. exprimuntur.* Binas] ἀνὰ δύο. *Id eſt, ſinguli duas. Sic Johan.2.v.6. Sex hydriæ* χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς, *capientes ſingulæ amphoras duas aut tres.* Habete] ἔχειν. *Pro,* ἔχετε. *Ellipſis Græca, ſubaudito verbo* δεῖ. *Non oportet vos habere. Apud Hebræos infinitivi conſtructi, & imperativi in prima voce, forma eadem eſt: quod ipſum ſapit talem ellipſin.*

5 Exeuntes] ἐξερχόμενοι. *Scilicet* ὑμεῖς, *vos. Sermo* ἀνακόλουθος, *inconſequens. nam præceſſit,* καὶ ὅσοι ἂν μὴ δέξωνται ὑμᾶς: *pro,* καὶ εἴτινες μὴ δέξωνται ἂν ὑμᾶς, *ſi qui non receperint vos.* In teſtimonium] εἰς μαρτύριον. *Scilicet in die judicii.* Adverſus ipſos] ἐπ' αὐτούς. *Pro,* κατ' αὐτῶν. *Hebraiſmus: ſic enim Hebræi utuntur particula* על *hál, id eſt,* ἐπί, *ſuper.*

6 Obibant ſingulos vicos] διήρχοντο κατὰ τὰς κώμας. *Nempe* τὰς τῆς γῆς Ἰσραήλ: *ut liquet ex Matth.10. v.5.6. Articulus igitur vim habet* ἀναφορικήν. *Poteſt etiam verti:* Perambulabant, ſive peragrabant regionem vicatim. *Confer ſuprà 8. verſ.1.* Sanantes] θεραπεύοντες. *Vide ſuprà ad v.1.* Ubique] πανταχοῦ. *Quocunque ſcilicet veniebant.*

7 Johannem excitatum eſſe &c.] *Id eſt, hunc Jeſum eſſe Johannem. Sic v. ſeq.*

9 Ego decollavi] ἐγὼ ἀπεκεφάλισα. *Id eſt, Unus è ſpiculatoribus meis illum decollavit meo juſſu: Matth.14.10. Marc.6.27. Metonymia ſubjecti, nempe poſſeſſoris pro re poſſeſſa.* Studebat] ἐζήτει. *Ad verb.* Quærebat.

12 Divertant] καταλύσωσι *Synecdoche generis, & metonymia effecti deſtinati, & catachreſis. Primùm ſynecdoche generis: nam verbum* καταλύειν, *quod in genere ſignificat* diſſolvere, *hîc intelligitur ſpecialiter de ea diſſolutione qua ſolvuntur equi à vehiculo quum ad diverſorium ventum eſt. Deinde metonymia effecti deſtinati: nam intelligitur hîc ipſum divertere, ad quod deſtinata eſt illa diſſolutio. Tum deniq; catachreſis: quia intelligitur hîc divertere eorum qui non vehiculo, ſed pedibus iter faciebant. Niſi dicamus, hos quoq;* καταλύειν, *diſſolvere, nimirum cinctum quo ſe itineris causâ ſuccinxerunt. Sed prius verum puto.* Inveniant] εὕρωσιν. *Id eſt, ſibi comparent.* Cibaria] ἐπισιτισμόν. *Quaſi dicas ſupercibationem,* σῖτος, *frumentum & metonymicè cibus. Inde* σιτίζω *&* ἐπισιτίζω: *unde* ἐπισιτισμός.

14 Quin-

14 Quinquageni] ἀνὰ πεντήκοντα. *Intellige, in latitudinem. nam in longitudinem discumbebant centeni: ut colligitur ex Marc.6.v.40.Vide scholium in* Joh.6.10.

15 Et discubuerunt illi omnes] καὶ ἀνέκλιναν ἅπαντες. *Sic D.Beza in veteris editionis plerisque exemplaribus legi testatur. Alii tamen codices habent* ἅπαντες: *quomodo legisse apparet veterem interpretem, ut qui verterit, Fecerunt discumbere omnes. Nam verbum* ἀνακλίνειν *potest esse transitivum, sicut modò fuit* κατακλίνειν *versu præcedente.*

16 Suspiciens] ἀναβλέψας. *Hîc* ἀνὰ *in compositione valet* ἄνω. *Et eandem significationem huic verbo manere judico, quum passim dicitur de cæcis quibus Dominus visum dedit.* Fregit] κατέκλασε. *Propriè, confregit.*

20 Christum illum Dei] τὸν χριστὸν τοῦ Θεοῦ. *Vel,* unctum illum Dei: *id est, promissum illum Messiam sive Christum, à Deo ordinatum ac missum ad redimendum populum ipsius. Genitivus adjuncti occupati.*

21 Ut nulli hoc dicerent] μηδενὶ εἰπεῖν τοῦτο. *Nempe pro illo tempore. nam differri debuit hoc Evangelium usque dum Jesus passus esset, & à morte resurrexisset: ut percipitur ex collatione verborum sequentium.*

22 Filium hominis] τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. *Id est, me. Periphrasis.*

26 Quem enim puduerit &c. ejus pudebit &c.] *Elegans* ἀντανάκλασις.

27 Nequaquam gustabunt mortem] οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου. *Id est, non morientur. Phrasis Hebraica.* Regnum Dei] τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. *id est, specimen aliquod gloriæ meæ cælestis & regiæ: videl. effusionem Spiritus sancti in die pentecostes.*

31 In gloria] ἐν δόξῃ. *Id est, indutæ gloriâ, hoc est, gloriosâ specie.* Exitum] τὴν ἔξοδον. *Scilicet vitæ: id est, mortem atque resurrectionem.*

32 Gloriam ejus] τὴν δόξαν τοῦ αὐτοῦ. *Græcum expressius, propter articulum* ἀναφορικόν. *Refertur enim ad gloriam, (id est, gloriosam speciem) paulò antè v.29. descriptam.*

34 Inumbravit eos] ἐπεσκίασεν αὐτούς. *Nempe* JESUM, *Mosen & Eliam: quorum facta mentio proximo versu.* Dum ingrederentur illi] ἐν τῷ ἐκείνους εἰσελθεῖν. *Nempe duo illi viri, Moses & Elias, quum jam à Domino discederent: quorum facta mentio remotiùs, nempe in fine v.32. & in principio v.33.*

35 Vox] φωνή. *Nempe Dei patris: ut planum evadit ex sequentibus.* Exstitit] ἐγένετο. *Nempe ad tres illos discipulos.* Hic] οὗτος. *Nempe hic Jesus qui coram vobis adstat.*

36 Dum vox illa exsisteret] ἐν τῷ γενέσθαι τὴν φωνήν. *Pro,* ἐν τῷ γένεσθαι τὴν φωνήν. *Enallage temporis. Nam propria temporis significatio postularet dici,* μετὰ τὸ γενέσθαι, *postquam exstitisset. At res ipsa postulat, Jesum adstitisse solum (digressis jam Mose & Elia) dum vox illa fiebat: quippe quum de illo ipso pronuntiaretur. Veruntamen suprà 8.40. positum est* ἐν *pro* μετὰ, *ubi dicitur:* ἐν τῷ ὑποστρέψαι τὸν Ἰησοῦν, *quum revertisset Jesus.* Nulli annuntiarunt] οὐδενὶ ἀπήγγειλαν. *Quia scilicet Dominus eis interdixerat, Matth.17.9.* Per id tempus] ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. *Ad verb.* In illis diebus. *Scilicet antequam Dominus resurrexisset à mortuis: ut declaratur loco modò citato.* Quicquam eorum quæ viderant] οὐδὲν ὧν ἑωράκασιν. *Pro,* οὐδὲν ἐκείνων ἃ ἑωράκασιν. *Compendium loquendi elegans. Græcismus.*

38 Respice filium meum] ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν υἱόν μου. *Id est, miserere filii mei, juva filium meum: ut declarat Matthæus 17.15. Ad verb.* Aspice super filium meum. *Lutherus,* Besihe meinen sohn/ *sensu non expresso. Beza,* Respice ad filium meum, *similiter sensu non expresso. nam differunt duæ istæ phrases, ut percipitur ex his exemplis Terentianis. Andr. Act.2.scen.5.* Quasi de improviso respice ad eum: *hoc est, aspice eum retrò contorto collo. At in ead. fabula act.5.scen.6.* Age, me in tuis secundis rebus respice: *hoc est, mei miserere, meæ miseriæ rationem habe, juva me. Græca verba sonant, Aspice super filium meum.*

39 Spiritus] πνεῦμα. *Nempe spiritus impurus, id est, dæmonium. Synecdoche generis.* Arripit] λαμβάνει. *Vel, corripit. ad verb.* capit. Spumantem] μετὰ ἀφροῦ. *Pro,* ἀφρίζοντα. *Subauditur* ὄντα. *q.d. entem cum spuma.*

40 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.*

43 Percellebantur igitur] ἐξεπλήσσοντο δὲ. *Heterosis:* δὲ *pro* οὖν. Super magnifica virtute] ἐπὶ τῇ μεγαλειότητι. *Ad verbum.* Super magnificentia seu majestate. Super omnibus quæ faciebat] ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἐποίησεν. *Pro,* ἐπὶ πᾶσιν ἐκείνοις ἃ ἐποίησεν. *Græcismus.*

44 Sermones istos] τοὺς λόγους τούτους. *Scilicet populi, prædicantis miraculum à me editum. Nisi potiùs vertendum.* Res istas: *id est, admirationem istam populi, qua admirantur & prædicant mea miracula, q.d. Non semper me ita laudabunt: sed non ita longè pòst petent me ad crucē. Metonymia adjuncti.* Hominum] ἀνθρώπων. *Scil. peccatorum: ut angelus declarat infrà 24.7.*

45 Non intelligebant] ἠγνόουν. *Id est,* οὐκ ᾔδεσαν, *sive* οὐ συνίεσαν. *Nam* ἀγνοεῖν *compositum videtur ex a privante &* νοεῖν: *nisi quis malit ex* γνόω, *per epenthesin τοῦ* ι. *Si reddas,* Ignorabant dictum istud: *metonymia subjecti erit in nomine* ῥῆμα, *id est, dictum. nam ipsum certè dictum non ignorabant, quippe quod ex ore Domini audierant: sed ignorabant dicti ejus sensum.* Ut non perciperent] ἵνα μὴ αἴσθωνται. *Ad verbum,* Ut non sentirent. *Metaphora* καταχρηστική. Et *tamen* timebant] καὶ ἐφοβοῦντο. *Ellipsis conjunctionis discretivæ.*

46 Eorum maximus] μείζων αὐτῶν. *Pro,* μέγιστος. *Comparativus pro superlativo, per Græcismum. Sic 1.Cor.13. in fine:* μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη: Maxima autem harum *sive ex his (nempe fide, spe, charitate)* charitas.

48 Qui minimus est] ὁ μικρότερος. *Pro,* ὁ μικρότατος. *Enallage gradus, ut modò.*

51 Dum compleretur tempus quo sursum reciperetur] ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ. *Id est, quum tempus illud jam penè esset completum & ad finem decurreret, Ad verbum,* Dum complerentur dies assumtionis ejus. *Nomine* ἀναλήψεως *ascensio Domini in cælum significatur. Hoc enim verbo Evangelistæ in historia ascensionis utuntur: ut Marcus cap.ult. vers.penult. Lucas Actor.1.11. Item Paulus, 1.Timoth.3. vers. ult. Unde ascensio Domini in veteri ecclesia Græca usitatè* ἀνάληψις *nominabatur: ut videre est apud Eusebium, qui subinde isto nomine in hac significatione utitur; ut lib.2.hist. eccles. cap.1. & 2. & alibi.* Tum ipse] καὶ αὐτός. *Copulativa pro relativa temporis, more Hebraico.* Faciem suam obfirmavit] τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε. *Id est, animum suum ita contra mortis metum obfirmavit, ut nullum metus indicium in facie appareret: ut vulgò fieri solet. Vel simpliciter notatur firmum propositum: quasi dicatur, Firmiter sibi proposuit proficisci Hierosolymam, ac proinde faciem suam eò direxit.*

52 Ante faciem suam] πρὸ προσώπου αὐτοῦ. *Id est, ante se.*

53 Facies ejus proficiscebatur] τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον. *Id est, Facies ejus ita erat directa, ut inde appareret eum proficisci. Metonymia subjecti. nam in facie non erat profectio, sed signum profectionis. Nisi potiùs dicenda est synecdoche membri, ut ex facie intelligatur totum corpus.*

55 Nescitis qualis spiritus vos sitis] οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς. *Quasi dicat: Non animadvertitis, vos agi spiritu vitioso, nempe iracundiæ & ultionis privatæ: cui nolo vos indulgere. Spiritus pro affectu animi, per metonymiam subjecti. Vel pro spiritu malo, ad vindictam privatam impellente.*

56 Filius enim hominis &c.] ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου &c. *Primâ fronte non apparet, quomodo hæc sententia cum præcedente cohæreat tanquam ratio. Cohæret autem non cum verbo,* Nescitis, *sed cum istius dicti scopo: qui est, prohibere discipulis, ne igne per preces cælitus detracto consumant istos Samaritanos.*

60 Sine ut mortui sepeliant mortuos suos] ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς. *Elegans* ἀντανάκλασις. *nam idem nomen* νεκροὶ *in diversa significatione repetitur. In antecedente sententia significat mortuos spiritualiter; in consequente verò significat mortuos corporaliter. Consimile est illud Pauli de vidua vivente in deliciis ac luxu,* quòd vivens mortua sit. *1.Tim.5.6.*

61 Iis qui sunt domi meæ] τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου. *Pro,* τοῖς ἐν τῷ οἴκῳ μου, *scil.* οὖσι. *hoc est, domesticis meis.*

62 Ad regnum Dei] εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. *Id est, ad annuntiationem regni Dei, seu ad prædicationem evangelii: ex collatione vers.60. Metonymia subjecti.*

OBSERVAT. EX CAP. IX.

Ex narratione de Apostolis missis ad prædicandum in Judæa. Vide observationes ex Matth.10.v.1.& seqq.

Ex narratione de Johanne decollato. Vide observationes ex Matth.14.v.1.& deinceps.

Ex historia de pastis quinquies mille viris per quinque panes. Vide observationes ex Matth.14.v.13.& deinceps.

Ex v.18.& seqq.usque ad 28. Vide observationes ex Matth.16. v.13.& deinceps.

Ex historia transformationis Domini. Vide observationes ex Matth.17.v.2.& deinceps.

Ex historia de sanato puero lunatico. Vide observationes ex Matth.14.v.17.& deinceps.

Ex v.44.& 45. Vide observationes ex Matth.17.v.22.& Marc.9.v.31.& deinceps.

Ex vers.46.47.& 48. Vide observationes ex Matth.18.v.1.& deinceps.

Ex v.49.& 50. Vide observationes ex Marc.9. ex partis sextæ membro primo.

1 Ex v.35. In Samaritanis proponitur nobis exemplum odii idololatrarum adversus sinceros DEI cultores. Quumque ipse Dominus noster istud odium sit expertus, nec voluerit ulcisci: decet nos idem patienter tolerare. *Idololatrarum ingenium.*

2 Ex v.54. In discipulis conantibus Samaritanos istos incendio delere, proponitur nobis exemplum perversi zeli: à quo quum Dominus illos revocet, monemur cavendum nobis esse, ne nos falsâ zeli specie decipiamus, sed potiùs precandi proximo resipiscentiam quàm vindictam DEI exoptemus. *Zeli perversi exemplum.*

3 Ex v.57.& 58. Discipulos Christi, ac inprimis doctores Verbi, oportet paratos esse ad quævis incommoda ferenda, exemplo ipsius Christi. *Officium hominis Christiani.*

Ex v.59. Vide observat. ex Matth.8.v.21.& 22.

Ex v.60. Vide ibid.

4 Ex v.61.& 62. Cavendum ne solicitudinibus mundi in promovendo regno Dei nos impediri patiamur. *Officium hominis Christiani.*

ANALYSIS CAP. X.

ARGUMENTUM.

1. Designat Dominus alios discipulos, numero septuaginta, eosq; mittit ad prædicandum. 2. monet illos quam ob rem sit gaudendum. 3. celebrat Patrem. 4. docet unde sit salvifica notitia Dei. 5. beatos prædicat discipulos. 6. respondet Legis interpreti de vita æterna & de proximo. 7. reprehendit Martham, & contrà laudat Mariam sororem illius.

PRIMA PARS.

Designat alios discipulos, numero septuaginta: eosq; mittit ad prædicandum.

POsthæc autem designavit Dominus etiam alios septuaginta, misitque eos binos ante faciem suam in omnem urbem & locum quò erat ipse venturus.

2 Dicebat igitur eis; Messis quidem multa, sed operarii pauci: rogate ergo dominum messis ut extrudat operarios in messem suam.

3 Abite. Ecce, ego mitto vos ut agnos in medium luporum.

4 Ne portate crumenam, neque peram, neque calceamenta: & neminem in via salutaveritis.

5 In quamcunque domum ingrediamini, primò dicite, Pax *esto* huic domui.

6 Quòd si fuerit illic quispiam filius pacis, requiescet super eum pax vestra: sin minùs, ad vos revertetur.

7 Manete autem in ea ipsa domo, edentes & bibentes quæ ab ipsis *apposita fuerint*: dignus enim est operarius mercede suâ. Ne transite è domo in domum.

8 Sed & in quamcunque ûrbem ingressi fueritis, & exceperint vos, edite quæ apponuntur vobis.

9 Et sanate ægrotos qui in ea fuerint, & dicite eis, Appropinquavit ad vos regnum Dei.

10 In quamcunque autem urbem ingressi fueritis, & non exceperint vos: egressi in plateas ejus, dicite;

11 Etiam pulverem qui adhæsit nobis ex urbe vestra, abstergimus vobis: veruntamen hoc scitote, appropinquasse ad vos regnum Dei.

12 Dico autem vobis, Sodomorum coditionem in die illo tolerabiliorem fore quàm urbis illius.

13 Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaïda. nam si in Tyro & Sidone editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud vos, olim in sacco & cinere sedentes resipuissent.

14 Veruntamen Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio in judicio quàm vestra.

15 Et tu Capernaüm, quæ usque ad cælum exaltata es, usque ad inferos deprimêris.

16 Qui vos audit, me audit: & qui vos rejicit, me rejicit: qui verò me rejicit, rejicit eum qui misit me.

Primùm indicatur designationis atque missionis hujus tempus, 2. forma missionis, 3. finis seu scopus, 4. loca in quæ sunt missi, 5. causa procatarctica mittendi, 6. præparatio eorum qui mittebantur, 7. mandata quibus eos instruxit, 8. inferitur exprobratio incredulitatis quarundam urbium Galilææ, 9. additur confirmatio discipulorum illorum, & muneris impositi commendatio. *Tempus* indicatur his verbis, *Post hæc autem. Forma* istis, *Misit eos binos. Finis* notatur his verbis, *Ante faciem suam in omnem urbem & locum quò erat ipse venturus.* Misit igitur eos, ut sibi auditores præpararent, annuntiando, Dominum ipsum mox venturum, & pleniùs eos de regno Dei edocturum. *Loca* significantur his verbis, *In omnem urbem & locum quò erat ipse venturus. Causa procatarctica* exponitur v. 2. videl. multitudo seu copia salvandorum in illo populo, quam significat Dominus simili messis sive segetis metendæ, ubi ait: *Messis quidem multa, sed operarii pauci.* Id est, Multi sunt electi in hoc populo, qui per Evangelii prædicationem sunt convertendi ad DEUM, ut ita salutem consequantur, & quasi metantur atque convehantur in horreum Dei, id est, in cælum: sed interim pauci adhuc sunt Evangelii præcones. Itaque ego non contentus duodecim illis quos antehac ad istud ministerium delegi, vos quoque nunc designavi, & suo tempore plures missurus sum. Hæc sententia de multitudine salvandorum, & paucitate ministrorum Evangelii, amplificatur porismate seu corollario. Deducit enim inde exhortationem ad discipulos, ut Deum orent pro majore copia ministrorum. Continuat autem allegoriam metaphoricam, inquiens: *Rogate ergo dominum messis* (id est, Deum, qui sibi certum numerum Judæorum ad vitam æternam elegit) *ut emittat operarios in messem suam*: id est, ut emittat præcones Evangelii ad electos suos. *Præparatione* monentur discipuli illi de periculo cum administratione muneris impositi conjuncto, videlicet odio & persecutione hostium evangelii, eorumque potentium: videlicet scribarum & Pharisæorum. Hoc periculum significat similitudine, ubi ait v. 3. *Ecce ego mitto vos ut agnos in mediũ luporum.* Præparantur igitur hac admonitione ad cautionem, & constantiam atque tolerantiam persecutionis. *Mandata* recitantur numero octo: *1. Ne portate crumenam &c. 2. Et neminem in via salutaveritis. 3. In quamcunque domum ingrediamini &c. 4. Manete autem in ea ipsa domo &c. 5. Sed & in quamcunque urbem &c. 6. Et sanate ægrotos. 7. Et dicite eis, Appropinquavit &c. 8. In quamcunque autem urbem &c.* Horum præceptorum tertium illustratur ex eventis per antithesin, v. 6. Quartum verò confirmatur à causâ procreante, videlicet beneficio quod ex se debet parere relationem gratiæ, ibid. *Dignus enim est operarius mercede suâ.* Quæ sententia proverbialis est, ac proinde testimonio vulgi sive cõsensu omnium approbata. Et rationem à simili vel pari continet, in hunc sensum: Sicut operarius dignus est mercede suâ; vel, sicut justum est operario dari mercedem suam: ita justum quoque est vobis pro beneficio & labore prædicati Evangelii dari cibum ac potum, gratitudinis ergò. Tum præceptum ipsum repetitur aliis verbis, ibi: *Ne transite è domo in domum*: id est, ne mutate hospitium. Octavum denique præceptum amplificatur expositione eventus, videlicet pœnæ divinæ ingratis istis eventuræ, ad consolandum discipulos contra istam ingratitudinem, ibi, *Dico autem vobis, Sodomorum &c.* v. 12. ubi pœna istorum amplificatur collatione minoris. *Exprobratio* per digressionem ex occasione inserta, cõtinetur v. 13. 14. & 15. Quoniam enim in genere mentionem fecerat pœnæ contemtoribus Evangelii eventuræ, nunc descendit ad speciẽ, commemorans specialia exempla tria istiusmodi contemtorum, videl. civium Chorazinis, Bethsaïdæ & Capernaümi: quibus incredulitatem ipsorum exprobrat, & propter illam exitium æternum longè gravissimum eis denuntiat. Et exprobrationem quidem amplificat antithesi: denuntiationem verò pœnæ, collatione minoris. Etenim Chorazinitis & Bethsaïdanis opponit Tyrios & Sidonios: de quibus affirmat, actūros fuisse pœnitentiam si illis fuisset verbum DEI prædicatum, & tam augustis miraculis confirmatum: ut factum fuerat apud ipsos sine fructu. Deinde infert, pœnam Tyriorum & Sidoniorum in altera vita fore minorem atque tolerabiliorem quàm istorum Galilæorum. Tum pœnam Capernaïtarum specialiter amplificat illustrissimâ antithesi, qua beneficium DEI in ipsos collatum & ingratitudinis ipsorum pœnam inter se opponit, dicens: *Et tu Capernaüm, quæ ad cælum usque elata es* (id est, maximis beneficiis, videlicet tum doctrinæ Evangelii, tum miraculorum, à DEO affecta) *ad inferos usque deprimêris*: id est, gravissimè à Deo apud inferos seu in inferno puniêris. *Confirmatio discipulorum* additur v. 16. *Qui vos audit, me audit &c.* Quibus verbis significat, ministerii ipsis commissi dignitatem esse maximam: quippe quum à se & à Deo patre habeantur eo loco quo ipse sit: ac proinde & se & patrem contemtum verbi ipsorum gravissimè ulturum.

SECUNDA PARS.

Monet discipulos, quam ob rem sit gaudendum.

17 Reversi sunt autem septuaginta cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis per nomen tuum.

18 *Ipse* autem dixit eis; Spectabam Satanam, ut fulgur, è cælo cadentem.

19 Ecce, do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, & supra omnem vim inimici: & nihil quicquam vos lædet.

20 Veruntamen de eo ne gaudete quòd spiritus vobis subjiciantur: gaudete verò potiùs, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.

Primùm indicatur causa impulsiva hujus admonitionis, deinde admonitio ipsa subjicitur. *Causa impulsiva* fuit narratio discipulorum de rebus suis gestis, ac nominatim de subactis à se dæmoniis: quam ob rem nimiùm gaudebant, nimiumque sibi placebant, v. 17. Cæterùm ista narratio deinceps illustratur ex eventu duplici, videlicet approbatione narrationis tanquam veræ, v. 18. & collatione novi doni, videlicet ne possent lædi ab ulla re noxia, v. 19. *Admonitio ipsa* constat antithesi, v. 20. Primùm enim monet, non esse tantopere gaudendum de subactione dæmoniorum: deinde, gaudendum inprimis esse de electione divina ad vitam æternam. Ex qua antithesi percipitur sententiæ negativæ ratio, nempe quòd subactio dæmonum nihil conferat ad vitam æternam veramque beatitudinem. Id quod vel inde liquet, quòd potestas subigendi dæmones communis fuit & reprobis: ut constat ex verbis Domini, Matth. 7. vers. 22. & 23. *Multi dicent mihi in illo die, Domine, domine, nónne per no-*

men

men tuum prophetavimus, & per nomen tuum dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus? Tunc autem profitebor eis, Nunquam novi vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.

TERTIA PARS.

Celebrat Patrem.

21 Eo ipso momento exsultavit JESUS spiritu, & dixit; Celebro te, Pater, domine cæli & terræ, quòd hæc absconderis à sapientibus & intelligentibus, & revelaveris ea infantibus. Etiam, Pater; quia sic fuit beneplacitum coram te.

Primò indicatur celebrationis hujus tempus, 2. causa impulsiva, 3. celebratio ipsa. *Tempus* indicatur his verbis, *Eo ipso momento.* Scilicet, quo dixerat discipulis, gaudendum eis esse, quòd nomina ipsorum scripta sint in cælis, ex collatione versus præcedentis: id est, quòd ex Evangelio cognoverint, se à Deo electos esse ad vitam æternam. Itaque simul notatur occasio. nam occasione exempli specialis incidit in contemplationem generis universi, consideratâ in specie conditione electorum humili atque abjectâ coram mundo. Nisi potiùs in hanc contemplationem incidit occasione narrationis discipulorum, qui haud dubiè narraverant, verbum Evangelii quod annuntiârunt, receptum fuisse à plebejis, repudiatum verò à doctis, puta scribis & Pharisæis. *Causa impulsiva* significatur his verbis, *Exsultavit spiritu.* nam (ut alibi ait Dominus) ex abundantia cordis os loquitur. Quum igitur spiritu seu animo suo affectus esset lætitiâ ex consideratione admirandæ sapientiæ & justitiæ & bonitatis Dei in negotio salutis hominum, erupit in virtutum illarum Dei celebrationem. *Celebratio* continetur his verbis, *Celebro te, Pater &c.* quibus verbis celebrat Patris sapientiam, justitiam & bonitatem, in negotio salutis hominum. Sapientiam: ut qui mysteria regni cælorum absconderit à sapientibus & intelligentibus, & contrà revelârit ea infantibus, id est, simplicibus ac rudibus. Justitiam: ut qui sit dominus cæli & terræ, ac proinde potestatem habeat tractandi suas creaturas suo arbitratu, dando suam gratiam quibus placeat, & eandem subtrahendo quibus placeat. Bonitatem denique: ut qui misereatur rudium, eosque de mysteriis regni cælorum erudiat.

QUARTA PARS.

Docet, unde sit salvifica notitia Dei.

22 Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: & nemo novit quis sit Filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius revelare.

Occasio hujus doctrinæ percipitur ex cohærentia sententiarum. Cohærent enim hæc verba (ut videtur) cum præcedentibus per prolepsin, quâ occurrit falsæ opinioni, quam auditores ex iis quæ dixerat, poterant concipere: nempe quasi salvifica notitia Dei detur à solo patre: quippe cui hoc nomine gratias egerat, quòd mysteria regni cælorum, tanquam mundi dominus, patefecerit quibus placuerit. Ne quis igitur falsam hanc opinionem conciperet, affirmat, notitiam illam à se quoque dari, non minùs quàm à patre: quippe quum & ipse sit mundi dominus: id quod significat his verbis, *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Simul etiam declarat, quænam sit salvifica Dei notitia, nempe ea quâ cognoscitur & Filius & Pater: sicut etiam docet Joh. 17. v. 3. ubi ait, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te illum solum verum Deum, & quem misisti* Jesum *Christum.* Cæterùm Filium & Patrem ita nosse oportet, quòd filius sit nobis à Patre donatus, ac in mundum missus ad redimendum nos suâ morte à morte æternâ, vitamque æternam nobis promerendum: item ad tradendum nobis doctrinam salutis, eandemque nobis persuadendam per Spiritum sanctum: & denique ad assumendum nos ad se in cælum, ut in æternum cum ipso vivamus ac regnemus: quodque ista fecerit & facturus sit.

QUINTA PARS.

Beatos prædicat discipulos.

23 Tunc conversus ad discipulos, seorsim dixit; Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

24 Dico enim vobis, Multi prophetæ & reges cupiverunt videre quæ vos videtis, nec viderunt: & audire quæ vos auditis, nec audiverunt.

Primùm indicatur occasio hujus prædicationis, deinde modus, postremò recitatur prædicatio ipsa. *Occasio* significatur his verbis, *Tunc conversus ad discipulos.* quum scilicet commemorasset beneficium Dei erga hunc populum, quòd scilicet misisset ad eos filium, per quem traderet salvificam notitiam sui. *Modus* significatur his verbis, *Seorsim dixit. Prædicatio* sequitur ibi: *Beati oculi &c.* Sententia est: Vos beatiores estis sanctis prophetis & regibus populi Dei qui jam olim mortui sunt: quia illis non contigit videre Christum exhibitum, & docentem audire: id quod vobis contigit.

SEXTA PARS.

Respondet Legis interpreti de vita æterna & de proximo.

25 Tunc ecce quidam Legis interpres surrexit, tentans eum, & dicens, Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?

26 At ille dixit ei, In Lege quid scriptum est? quomodo legis?

27 Ille verò respondens dixit; Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua: & proximum tuum ut teipsum.

28 Tum *ipse* dixit ei, Rectè respondisti: hoc fac, & vives.

29 Ille autem volens justificare seipsum, dixit Jesu; Et quis est meus proximus?

30 Excipiens autem Jesus dixit, Quidam descendebat ab Hierosolyma Jerichuntem, & incidit in latrones; qui exuto eo, & plagis impositis, abierunt, *eo* seminece relicto.

31 Casu autem sacerdos quidam descendit per viam illam: qui viso eo, ex adverso præteriit.

32 Similiter & Levita, quum venisset ad eum locum, & illum vidisset, præteriit ex adverso.

33 Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ad eum; & eo viso, misericordiâ commotus est.

34 Et accedens obligavit ejus vulnera, infundens oleum ac vinum: & ipsum impositum suo jumento, duxit in diversorium, & ejus curam egit.

35 Postero autem *die* abiens, prolatos duos denarios dedit hospiti, & dixit ei, Curam ipsius age: & quodcunque præterea insumseris, ego quum redibo, reddam tibi.

36 Quis igitur horum trium tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones?

37 Ille autem dixit, Is qui usus est misericordiâ erga eum. Ait igitur ei Jesus; Abi, & tu fac similiter.

Primùm recitatur quæstio prima: deinde responsio ad illam; tum quæstio secunda: postea responsio ad illam; postremò *πόρισμα* seu corollarium adjicitur. *Quæstio prima* recitatur v. 25. quæ est de causa instrumentali vitæ æternæ, & quidem specialiter, quibus operibus acquiri possit vita æterna. *Responsio* ad hanc quæstionem recitatur v. 26. 27. & 28. Summa est, Si quis fecerit opera in Lege Dei præcepta, vitam æternam per illa consequetur. *Secunda quæstio* ex responso ad primam quæstionem nata, recitatur v. 29. illustrata à fine seu scopo interrogantis, nempe quòd voluerit justificare seipsum: id est, justum esse declarare, ut qui scilicet proximum dilexisset, sicut Deus in Lege præcepit. Sperabat enim, Dominum proximum definiturum ex doctrinâ scribarum & Pharisæorum tum receptâ, videlicet nomine proximi intelligendum esse amicum. *Responsio* ad quæstionem, Quis sit proximus, subjicitur v. 30. & deinceps. Declaratur autem illa quæstio exemplo speciali cujusdam qui inciderat in latrones: quem neglêxerant sacerdos & Levita, curaverat autem Samaritanus. Sententia est: Proximus est alteri tum qui potest illi benefacere, tum vicissim qui alterius ope atque beneficio eget. Sicut enim Samaritanus proximus erat illi qui inciderat in latrones, quia illi egenti opem ferebat: ita vicissim ille erat proximus Samaritano, quia ope ejus indigebat. *Corollarium* adjicitur in fine v. 37. Ait igitur ei Jesus: *Abi, & tu fac similiter.* Quibus verbis perstringit tum falsam ipsius opinionem de proximo, quasi solus amicus sit proximus: tum falsam persuasionem, quasi ipse diligat proximum, quum tamen non soleret inimicis benefacere, sicut fecerat ille Samaritanus, curando hominem Judæum.

SEPTIMA PARS.

Reprehendit Martham: & contrà laudat Mariam, sororem illius.

38 Factum est verò, ut dum iter facerent, ipse ingrederetur in quendam vicum: mulier autem quædam, Martha nomine, excepit eum in domum suam.

39 Et huic erat soror quæ vocabatur Maria: quæ etiam assidens ad pedes JESU, audiebat ipsius sermonem.

40 Martha verò distrahebatur circa frequens ministerium. Superveniens igitur ait; Domine, non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me ut sola ministrem? Dic ergo ei, ut me adjuvet.

41 Respondens autem dixit ei Jesus; Martha, Martha, solicita es, & satagis de multis:

42 Atqui unâ re opus est. Maria verò bonam partem elegit; quæ non auferetur ab ea.

Primò indicatur hujusce tum reprehensionis tum laudationis locus, 2. occasio, 3. causa impulsiva, 4. narratur reprehensio Marthæ, 5. laudatio Mariæ: *Locus* indicatur tum generalis, tum specialis. Generalis ibi, *Ingressus est in quendam vicum.* Fuit autem isti vico nomen Bethaniæ: ut liquet ex Joh. 11. v. 1. Specialis locus fuit domus Marthæ. *Occasionem* huic reprehensioni atque laudationi præbuerunt diversa duarum illarum sororum facta. Factum Mariæ narratur v. 39. cujus scopus fuit proficere in cognitione salutis æternæ. Factum Marthæ narratur in principio v. 40. cujus scopus fuit, demereri Dominum officio humanitatis. *Causa impulsiva* narratur ibidem, nempe querela Marthæ de sorore. Quæ querela quum ex falsa opinione esset profecta, quasi scilicet Dominus magis expeteret lautam tractationem, quàm auscultationem suæ doctrinæ: Dominus ut falsam hanc opinionem Marthæ eximeret, & Mariam atque etiam seipsum ab injusta reprehensione vindicaret: Martham quidem ob nimiam istam solicitudinem præstandi ipsi officium humanitatis reprehendit, Mariam verò propter studium proficiendi in cognitione salutis æternæ laudavit. *Reprehensio* narratur v. 41. & 42. *Laudatio* v. 42. quæ adjunctam habet consolationem à promissione doni perseverantiæ in semel accepta fide salvifica, ubi ait: *Quæ non auferetur ab ea.*

SCHOLIA IN CAP. X.

1 Etiam alios septuaginta] καὶ ἑτέρους ἑβδομήκοντα. *Hoc perinde sonat, ac si Dominus jam antea septuaginta quosdam designasset: quibus nunc totidem alios adjunxerit. Sed loquutio est elliptica. nam ad nomen sive pronomen* ἑτέρους *subauditur* μαθητὰς, *& tum nomen* ἑβδομήκοντα *adjicitur per appositionem. Plenus enim sermo esset sic:* ἀνέδειξε καὶ ἑτέρους μαθητὰς, οἵτινες ἦσαν ἑβδομήκοντα: *id est, Designavit etiam alios discipulos (nempe præter illos duodecim) qui erant numero septuaginta. Eodem loquendi genere utitur & infrà 23. 32.* Ducebantur autem etiam alii duo malefici, καὶ ἕτεροι δύο κακοῦργοι. *Pro,* καὶ ἕτεροι δύο ἄνδρες, οἵτινες ἦσαν κακοῦργοι: *id est, etiam alii duo viri, qui erant malefici. Nam Dominus certè maleficus non erat.*

2 Extrudat] ἐκβάλλῃ. *Vide Matth. 9. 38.*

3 In medium] ἐν μέσῳ. *Pro,* εἰς μέσον. *Heterosis Hebraica.*

4 Neminem in via salutaveritis] μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε. *Id est, Cum nemine colloquimini, ne detineamini & interrumpatur iter vestrum. Synecdoche membri hyperbolica. nam salutatio est prima, eaq; minima, colloquii pars. Simile exemplum vide 2. Reg. 4. 29. de Elisæo & famulo ipsius Gechazi.*

5 Pax esto huic domui] εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. *Scil.* ἔστω. *Formula salutandi Hebraica. Unde apud Matthæum habetur,* ἀσπάσασθε αὐτὴν, salutate illam, *scil. domum, Matth. 10. 12.*

6 Quispiam filius] ὁ υἱὸς. *Pro,* υἱός τις. *Articulus capitur indefinitè. Sic suprà 8. 5.* ἐξῆλθεν ὁ σπείρων. *Exiit sator quidam.* Filius pacis] υἱὸς εἰρήνης. *Id est, dignus pace, hoc est, prosperitate illa quam ei à* DEO *exoptaveritis salutantes. Hanc expositionem confirmat collatio Matthæi, cap. 10. v. 11. & 13. ubi nomen* ἄξιος *ponitur pro eo qui hîc vocatur* υἱὸς εἰρήνης. *Et sic* filius iræ *dicitur Ephes. 2. qui dignus est irâ, hoc est, cui irascatur Deus, quémve iratus puniat. Etsi autem propter naturæ humanæ corruptionem nemo pace seu felicitate dignus est: tamen ex Dei gratia digni censentur electi: reprobi autem filii iræ manent.* Revertetur] ἀνακάμψει. *Sese reflectet.*

9 Sanate] θεραπεύετε. *Pro,* ἰᾶσθε. *Metonymia effecti destinati* καταχρηστική. *Sanabant enim non medendo, sed imperando morbis.*

11 Abstergimus vobis] ἀπομασσόμεθα ὑμῖν. *Id est,* ἐφ' ὑμᾶς, *vel* καθ' ὑμῶν, *adversum vos: nempe in testimonium in judicio Dei. Ex collatione præcepti quod recitatur suprà 9. 5.*

12 Sodomorum conditionem tolerabiliorem fore &c.] ὅτι Σοδόμοις ἀνεκτότερον ἔσται &c. *Ad verb.* Sodomonis tolerabilius fore quàm urbi illi. In die illo] ἐν ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. *Nempe in illustri illo die judicii universalis.*

13 Væ tibi] οὐαί σοι. *Scilicet* ἔσται, *erit. Id est, misera eris: ita ut cogaris exclamare, Væ mihi. Metonymia effecti synecdochica. nam unà cum effecto intelligitur causa procreans.* Virtutes] αἱ δυνάμεις. *Id est, miracula, effecta τῆς θείας δυνάμεως, divinæ potentiæ. Metonymia efficientis.*

14 Veruntamen] πλὴν. *Sententia hæc cum præcedente sic cohæret, ac si dicat: Veruntamen etsi Tyrii & Sidonii non resipuerunt, ac proinde in die judicii damnabuntur: tamen damnabuntur ad cruciatus tolerabiliores quàm vos.* In judicio] ἐν τῇ κρίσει. *In judicio illo Dei quod exercebit per Christum in fine mundi. Hoc innuit articulus. Sic Germanicè,* In dem gericht/ *vel* Im gericht: *vel potiùs* Für dem gericht.

15 Exaltata] ὑψωθεῖσα. *Nempe quia filius Dei dignatus est ibi habitare, Evangelium identidem prædicare, & miracula plurima edere.*

18 Spectabam] ἐθεώρουν. *Scilicet dum vos dæmonia ejiceretis: ex collatione versus præcedentis. Quasi dicat, Non dubito quin vera mihi narretis. Nam ego, quantumvis corpore absens, tamen vi deitatis meæ, res absentes menti meæ repræsentantis, spectabam ipsum Satanam, dæmoniorum principem, è sublimi deturbari.* Ut fulgur] ὡς ἀστραπὴν. *Id est, momento.*

19 Inimici] τοῦ ἐχθροῦ. Des feindes. *nempe Satanæ: quem Petrus nominat* τὸν ἀντίδικον ἡμῶν, *adversarium nostrum. 1. Petr. 5. v. 8.* Nihil quicquam vos lædet] οὐδὲν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσει. *Ad verb.* Nihil vos non non lædet. *Triplex negatio, fortissimè negans apud Græcos. Quanquam illud* οὐδὲν *potest etiam aliter exponi, subauditâ scilicet præpositione* κατὰ. *Quasi dicat Dominus,* κατ' οὐδὲν, *id est, nullâ in re vos lædet, scilicet* ὁ ἐχθρὸς, *inimicus, cujus modò facta mentio.* Lædet] ἀδικήσει. *Pro,* βλάψει. *Ad verb.* Injuriâ afficiet. *Metonymia effecti destinati. nam injuria ad damnum seu læsionem tendit.*

20 De eo] ἐν τούτῳ. *Pro,* διὰ τοῦτο, propter hoc. Spiritus] τὰ πνεύματα. *Scilicet* ἀκάθαρτα, *impuri: quæ ipsi nominarant dæmonia, vers. 17. Synecd. generis.* Quòd nomina vestra scripta sunt in cælis] ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγράφη ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Id est, quòd nomina vestra scripta sunt in libro vitæ, quem Deus secum habet in cælis. Metonymia subjecti recipientis in se, nempe loci pro re locata: &* ἀνθρωποπάθεια *est, metaphora à rebus humanis ad rem divinam.*

21 Spiritu] τῷ πνεύματι. *Id est, animo. Exsultavit autem spiritu, seu animo, id est, vehementer.* Celebro te] ἐξομολογοῦμαί σοι. *Ad verb.* Confiteor tibi. *Pro,* δοξάζω σε, *glorifico te, seu celebro te. Synecdoche generis Hebraica. nam qui aliquem celebrat, confitetur illius virtutes & præclara facinora.* Hæc] ταῦτα. *Nempe mysteria regni cælorum. Sicut alibi ait,* Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum. *Vide Matth. 11. 25.* Quia sic fuit beneplacitum coram te] ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. *Phrasis Hebræa. Id est, quia sic tibi placuit.*

29 Justificare] δικαιοῦν. *Id est, justum declarare seu demonstrare. Sic 1. Tim. 3. v. 16.* Et quis est] καὶ τίς ἐστι. *Pro, Quis igitur est? vel, Quis autem est?* Wer ist dann mein nähester? *vel,* Wer ist aber mein nähester. *Cæterùm verbum* ἐστὶ *hîc non patitur* ἔγκλισιν, *sed potiùs retractionem accentus propter emphasin.* Proximus] πλησίον. *Pro* ὁ πλησίον. *Scilicet.* ὤν. *Ellipsis articuli. Is qui propè est: periphrasis.*

30 Excipiens] ὑπολαβὼν. *Scil. sermonem illius Legisperiti: id est, respondens ad illius quæstionem.*

31 Casu autem] κατὰ συγκυρίαν δὲ. *Verbum* συγκυρεῖν *(unde nomen* συγκυρία*) Latinè significat accidere vel contingere. Et simplex* κυρεῖν, *ab Hebræo* קָרָה *karáh ejusdem significationis verbo ortum videri potest. unde nomen* מִקְרֶה *mikréh, casus, 1. Sam. 6. 9. Interim tenendum, casum nullum fortuitum esse, id est, à Fortuna dea illa impiè à Gentibus conficta gubernari: sed casus omnes gubernari providentiâ* Dei. *Solet autem eo nomine significari, quicquid homini ex improviso præter propositum accidit sive contingit.*

35 Postero autem *die*] καὶ ἐπὶ τὴν αὔριον. *Subauditur* ἡμέραν. *Ad verb.* In diem qui cras, *id est, postridie, scil. erat.*

38 In quendam vicum] εἰς κώμην τινὰ. *Videl. nomine Bethaniam: ut percipitur ex collatione ejus quod continenter annectitur de Martha, cum iis quæ de eâdem narrantur Joh. 11. v. 1. ubi Bethania nominatur vicus Mariæ & Marthæ: id est, ubi habitabant duæ illæ sorores.*

40 Ut me adjuvet] ἵνα μοι συναντιλάβηται. *Græcum verbum* ἐμφατικώτερον *est: quasi dicatur, ut unà mecum è regione prehendat & regat instrumenta culinaria & cibos coquendos.*

41 Martha Martha] Μάρθα Μάρθα. *Epizeuxis exprimens affectum amoris. qualis & infra 22. 31.* Satagis de multis] τυρβάζῃ περὶ πολλά. *Vel,* perstrepis circa multa. *Ad verb.* Turbaris. *Apud Xenophontem lib. 1.* παιδ. *Cyri,* τύρβη ἀγοραία, *strepitum fori significat.*

42 Bonam partem] τὴν ἀγαθὴν μερίδα. *Græcum expressius, propter articulum. Sic Germanicè,* das gute thäil. *Sed videtur positivus hîc positus pro comparativo: quia partem Mariæ cum parte Marthæ tanquam meliorem comparat: præferendo scil. studium cognoscendi doctrinam salutis, studio lautè excipiendi Dominum. Neq; enim hoc studium simpliciter ut malũ damnat.*

OBSERVAT. EX CAP. X.

1 Ex v. 1. & 2. Quum crescit numerus amplectentium Evangelium, numerum quoque ministrorum sive pastorum augeri oportet. *Ministrorum verbi Dei vocatio.*

Reliquas observationes ex parte prima capitis excerpendas, annotavi partim ad caput 10. Matth. v. 2. & deinceps: partim ad caput 11. v. 20. & deinceps.

2 Ex v. 17. Exemplo septuaginta discipulorum de subjectione dæmoniorum apud Dominum gloriantium, monemur, nos à natura ad ambitionem & κενοδοξίαν, id est, vanæ gloriæ cupiditatem propensos esse. Hunc igitur animi nostri morbum agnoscamus, & ab illo per Spiritum sanctum liberari petamus. *Natura nostra corruptio. Κενοδοξίας exemplum.*

3 Ex v. 18. Sicut Satanas tempore Christi à discipulis illius, vi fidei, nitentis promissione Christi, è corporibus obsessorum ejectus & cum ignominia deturbatus fuit: ita Deus illum suo tempore sub pedes omnium credentium contriturus est, Rom. 16. *Satanæ damnatio.*

v. 20. &

v.20. & conjecturus unà cum Antichristis, hostibus Ecclesiæ, in stagnum ignis & sulphuris, ut ibi crucietur in æternum, Apoc. 20.v.10. Id quod facit ad omnium piorum consolationem.

Providentia Dei. 4 Ex v.19. Quoties Deo visum est, servos suos ab omni noxa defendit. Quare fideliter munere nostro fungentes, in providentia & protectione Dei acquiescamus.

Gaudii solidi origo. 5 Ex v.20. Solidum gaudium ex nulla re alia nascitur, quàm ex fide electionis divinæ, qua scilicet credimus, nos à Deo electos esse ad vitam æternam. Hoc autem tum demum credere possumus & credimus, quum in nobis sentimus effecta vocationis divinæ; videlicet resipiscentiam, & desiderium gratiæ Dei, & fidem remissionis peccatorum propter satisfactionem Christi, & denique studium bonorum operum ad gratitudinem nostram erga Deum testificandam. Ergo ut solido gaudio perfruamur; assiduè audiamus, legamus ac meditemur verbum Dei; quum Spiritus sanctus istis mediis uti soleat ad effecta illa in nobis efficiendum & augendum.

Ex v.21. Vide observationes ex Matth.11.v.35.

Cognitio Dei salvifica qua? 6 Ex v.22. collato cum præcedente 21. Mysterium salvificæ cognitionis Dei consistit in cognitione Dei Patris & Filii: quòd scil. Pater Filium in mundum miserit per incarnationem, propter salutem nostram: quodque Filius homo factus, in carne sua nos Patri reconciliàrit, gustando pro nobis mortem æternam quam peccatis nostris fueramus meriti: quodq; unà cum Patre nos sanctificet Spiritu suo, donans nos fide & studio sanctè vivendi: donec nos plenè sanctificet & glorificet, in cælum ad se translatos.

Beatitudo cælestis. 7 Ex v.23. & 24. Beatitudinis nostræ in cælo non minima pars erit, quòd videbimus & audiemus Christum. Nam si beati fuerunt discipuli, quòd viderunt illum in statu humilitatis, & audiverunt loquentem more humano ac terreno de mysteriis regni Dei: quanto beatiores erunt qui videbunt eum in gloria, & audient explicantem mysteria cælestia modo divino ac cælesti? Confer Joh.17.v.24. 1.Joh.3.v.2. & 1.Cor.13.v.12. & 1.Cor.12.v.4. Ergo studeamus ita nos gerere, ut digni habeamur quos Christus in cælestem illam gloriam ad se recipiat.

Ex v.25. & sequentibus. Vide observationes ex Matth.22.v.34. & sequentibus.

Vitæ æternæ causa. 8 Ex v.28. Qui vitam æternam ex Lege consequi vult, eum oportet perfectam illi præstare obedientiam. Quam quum nemo præstare possit: necesse est ut vitam æternam alibi quæramus, nempe in Christo: qui illam nobis suâ morte acquisivit: ut Evangelium testatur.

Officium hominis Christiani. Dilectio proximi. 9 Ex v.29. & sequentibus. Christianorum est, non solùm amicos diligere, sed etiam ignotos, imò inimicos. Confer suprà c.6. v.32. & deinceps. Vera autem proximi dilectio ex se parit liberalem ac solicitam erga illum beneficentiam, ut in exemplo Samaritani videre est.

Officium hominis Christiani. 10 Ex v.38. & seqq. Studium discendi verbum Dei, omnibus aliis curis præponendum est.

Cognitionis Dei ex verbo adjunctum. 11 Ex v.ult. Qui semel seriò cœpit rationem salutis æternæ cognoscere ex verbo Dei, ei dat Deus quotidiana incrementa & perseverantiam. Nam dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα, Rom.11.v.29.

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

1 Docet discipulos precari: 2 promittit rectè-precantibus exauditionem: 3 defendit se contra calumniam eorum, qui dicebant, ipsum ejicere dæmonia per principem dæmoniorum, eâq; occasione monet cavendam securitatem, necnon pronuntiat qui sint beati: 4 sermonem habet ad turbam: 5 reprehendit Pharisæos & scribas & Legis interpretes propter vitiosos ipsorum mores.

PRIMA PARS.

Docet discipulos precari.

ET factum est ut quum ipse precaretur quodam in loco, postquam cessasset, diceret ei quidam ex ejus discipulis; Domine, doce nos precari, prout & Johannes docuit discipulos suos.

2 Dixit autem eis; Quum precamini, dicite, PATER noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: veniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cælo, *ita* etiam in terra.

3 Panem nostrum quotidianum da nobis quotidie.

4 Et remitte nobis peccata nostra: nam & ipsi remittimus omnibus qui nobis debent. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.

Primùm indicatur institutionis hujus occasio, deinde causa impulsiva, tum recitatur ipsa precandi formula. *Occasionem* huic institutioni præbuit, quòd quidam ex discipulis eum viderat audieratve precantem. *Causa impulsiva* fuit discipuli illius petitio, confirmata exemplo Joh. Baptistæ. *Precationis formula* constat prooemio, & narratione: quæ ipsa constat sex petitionibus. Prooemium constat his verbis, *Pater noster qui es in cælis.* Quorum verborum scopus est, accendere in cordibus nostris reverentiam & fiduciam filialem: qui uterque animi affectus in precando requiritur. Nam quum Deus pater noster sit, reverendus est nobis propter paternam dignitatem atq; potestatem: quumque sit in cælis, reverendus est nobis propter cælestem majestatem & potentiam immensam. Rursus, quum sit pater noster, in paternam ejus benevolentiam fiduciâ filiali debemus recumbere: quumque sit in cælis, confidere debemus infinitâ ejus potentiâ: præsertim quum sciamus, cælum nobis ab eo paratum esse, ut ibi æternâ beatitudine ex communione cum ipso perfruamur. Insuper vocabulo *Patris* admonemur quoq; filialis obedientiæ, qua Deum ut patrem perpetuò debemus honorare. Sex illis petitionibus summatim comprehenduntur tum omnia bona quæ à Deo petere, tum omnia mala quæ ab eo deprecari debemus: illa quidem quatuor petitionibus prioribus; ista verò duabus postremis. Bona quæ à Deo debemus petere, spectant vel ipsius gloriam, vel nostram felicitatem. Gloriam DEI spectat ut à nobis *sanctificetur nomen ejus:* quæ est petitio prima, hoc est, ut per Spiritum sanctum in nobis efficiat Deus, ut ipsius virtutes quæ lucent in operibus ejus, videl. infinitam sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam & misericordiam prædicemus: summamq; ejus majestatem adoremus, judiciaq; celebremus. Felicitas nostra consistit potissimùm in fruitione regni illius cælestis, quod Deus electis suis inde à jactis fundamentis mundi paravit: partim verò etiam in fruitione bonorum terrenorum, dum vivimus vitam animalem in hoc mundo. De fruitione regni cælestis est petitio secunda, *Veniat regnum tuum*, id est, Transfer nos suo tempore in regnum illud cæleste quod parasti nobis ab origine mundi, ut illic æternâ gloriâ & beatitate ex communione tui, & perpetuâ contemplatione tui, perfruamur: idque propter Christum, qui regnum illud nobis suo sanguine est promeritus. Cæterùm quoniam in istud regnum nemo transferetur, ex adultis quidem, nisi in hoc mundo serium habeat propositum obsequendi voluntati Dei in Lege ipsius patefactæ: idcirco antequam ad alteram felicitatis nostræ partem veniatur, interseritur petitio tertia: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita etiam in terra:* id est, Effice in nobis per Spiritum sanctum, ut promptè & alacriter obsequamur sanctæ voluntati tuæ quam nobis certo verbo patefecisti: quo declarasti quid velis à nobis fieri, quomodóve in hoc mundo velis à nobis coli: donec nos transferas in cælum, ubi sancti angeli voluntati tuæ promtissimè obsequuntur. Sequitur felicitatis nostræ pars altera, quæ consistit in fruitione bonorum terrenorũ: de qua est petitio quarta, *Panem nostrum quotidianum da nobis quotidie.* ubi sub vocabulo *panis*, per synecdochen membri, petimus quælibet bona terrena, ad animalis hujus vitæ sustentationem atque commoditatem necessaria: puta cibum, potum, amictum, sanitatem, habitationem, pacem: simulque contraria mala deprecamur: idque subintellectâ hac exceptione sive conditione, Quatenus istis bonis frui, & à contrariis malis liberari, nos non impedit in consequendo regno illo ad quod per obsequia voluntatis Dei tendimus, sed potiùs ad illud consequendum nobis conducit. Atque hæ sunt petitiones quibus à Deo petimus omnis generis bona: restant petitiones duæ, quinta & sexta, quibus deprecamur mala: & quidem ea nominatim quæ principaliter mala sunt, videl. peccata: quæ nisi essent, nullo alio malo premeremur. Peccata autem considerantur hîc aut ut præterita & jam à nobis admissa: aut ut futura & quæ periculum est ne admittamus, nisi per Spiritum DEI prohibeamur. Quinta igitur petitio est de peccatis præteritis, *Et remitte nobis peccata nostra: etenim ipsi remittimus omnibus qui nobis debent.* Id est, Ne peccata jam à nobis admissa, propter quæ debemus tibi pœnas, felicitatem nostram impediant aut destruant, pœnasque commeritas nobis inducant: remitte nobis illa, idq; propter satisfactionem domini nostri Jesu Christi; qui suâ morte illa expiando, pro nobis tibi satisfecit. Atque hoc beneficium nobis præsta memor promissionis tuæ, qua per Christum nobis promisisti: Si nos remiserimus debitoribus nostris (hoc est, proximis nostris qui nos injuriâ aliquâ offenderint) te quoq; nobis remissurum. Sexta eaque postrema petitio est de peccatis futuris: hoc est, quæ pro nostra infirmitate & diaboli potentia atque insidiis admissuri essemus, nisi per Spiritum Dei prohiberemur. De his igitur peccatis est petitio ultima, *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* id est, Ne iterum peccando vel gloriam tuam (quantum in nobis est) lædamus, vel felicitatem nostram labefactemus aut destruamus: noli permittere diabolo ut tentationibus suis nos vincat: sive nos ad securitatem carnalem & peccandi licentiam pellicere, sive in desperationem propter peccata admissa præcipitare studeat: Sed potiùs sustenta nos robore Spiritus tui, ut in fiducia gratiæ tuæ perseveremus; & cohibe nos fræno timoris tui, ne cupiditatibus nostris fræna laxemus & in securitatem carnalem ruamus: denique libera nos tandem penitus à maligno isto spiritu: ne saluti nostræ amplius insidiari, aut gloriam tuam per nos lædere possit.

TABULA INDICANS ANALYSIN orationis Dominicæ.

In oratione Dominica petimus
- *Vitæ nostræ finem, tum*
  - 1. Principalem: *qui est gloria Dei.*
  - 2. Secundarium, *sive subordinatum: qui est nostra salus.*
- *Quæ ducunt ad utrumq; illum finem, videlicet tum*
  - *Acquisitionem mediorum, tum*
    - 3. Principalis: *quod est pietas.*
    - 4. Secundarii: *quod est sustentatio corporalis.*
  - *Remotionem impedimentorum, videl. peccatorum, tum*
    - 5. Præteritorum.
    - 6. Futurorum.

SECUNDA PARS.

Promittit recte-precantibus exauditionem.

5 Dixit etiam eis, Quis vestrûm si habeat amicum, & *is* proficiscatur ad ipsum mediâ nocte, & dicat ei, Amice, da mihi mutuò tres panes:

6 Quoniam amicus meus vênit de via ad me, & non habeo quod apponam ei:

7 Tum ille intus respondens dicat, Ne mihi molestiam exhibe: jam ostiũ clausum est, & pueruli mei mecum sunt in cubili: non possum surgere & dare tibi.

8 Dico vobis, etiamsi non dederit ei surgens, eò quòd amicus ejus sit: ac certè propter importunitatem ejus surget, ac dabit ei *panes* quotquot sunt ei opus.

9 *Sic* & ego vobis dico; Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.

10 Quisquis enim petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.

11 Ecquis autem ex vobis pater, si filius *ab eo* petierit panem, lapidem ei dabit? aut si piscem, num pro pisce dabit ei serpentem?

12 Aut si petierit ovum, num dabit ei scorpium?

13 Si vos igitur quum sitis mali, nostis bona dona dare liberis vestris; quantò magis pater vester cælestis dabit Spiritum sanctum iis qui *illum* ab ipso petierint?

Promissionem hanc illustrat Dominus duobus exemplis similibus, eâdemque operâ confirmat per ratiocinationem à minori. *Prius exemplum* est de amico qui vicino instanter petenti mutuo dat panes, quantumvis petenti intempestivè, videl. nocte, quum ille se jam recepit cum suis ad quietem, v. 5. 6. 7. & 8. *Posterius exemplum* est de patre, qui filio petenti cibum, dat cibum bonum & salubrem, non autem in locum cibi substituit aliquid inutile aut noxium, v. 11. 12. & 13. Ipsa autem promissio deducitur primùm ex exemplo primo, v. 9. & 10. & amplificatur copiâ verborum. Deinde deducitur etiam ex exemplo altero, idque per ratiocinationem à minori, v. 13. Simul autem innuitur, quæ bona potissimùm sint à Deo petenda, nempe spiritualia: ubi ait, *Quantò magis pater vester cælestis dabit* SPIRITUM SANCTUM &c. id est, per Spiritum sanctum dabit dona spiritualia, necessaria ad Deum rectè colendum & vitam æternam consequendam: puta veram DEI cognitionem, fidem & obedientiam.

TERTIA PARS.

Defendit se contra calumniam eorum qui dicebant, ipsum ejicere dæmonia per principem dæmoniorum: eâq; occasione monet cavendam securitatem; necnon pronuntiat qui sint beati.*

* *Fuerunt autem isti Pharisæi: ut patet ex collatione Matthæi 9. v. 34. & c. 12. v. 24.*

14 Ejecit etiam dæmonium quod erat mutum: factum est autem ut egresso dæmonio, loqueretur ille mutus: & mirata est turba.

15 Quidam verò ex iis dixerunt, Per Beelzebulem, principem dæmoniorum, ejicit dæmonia.

16 Alii verò tentantes *eum*, signum è cælo petebant ab eo.

17 Ipse verò quum sciret cogitationes eorum, dixit eis; Omne regnum dissidens adversus sese, vastatur: & domus adversus sese *dissidens*, cadit.

18 Quòd si etiam Satanas adversus seipsum dissidet, quomodo stabit regnum ejus? Nam dicitis, per Beelzebulem ejicere me dæmonia.

19 Quòd si ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, filii vestri per quem ejiciunt? Propterea ipsi erunt vestri judices.

20 Sin autem digito Dei ejicio dæmonia, nempe pervênit ad vos regnum Dei.

21 Quum potens quispiam armatus custodit aulam suam, in pace sunt ea quæ habet:

22 Postquàm verò quispiam eo potentior superveniens vicerit eum, totam armaturam ejus aufert qua confidebat; & spolia ejus distribuit.

23 Qui non est mecum, contra me est: & qui non cogit mecum, spargit.

24 Quum impurus spiritus exierit à quopiam, transit per arida loca, quærens requiem: & non inveniens, dicit, Revertar domum meam unde exivi.

25 Veniens igitur, invenit eam versam & ornatam.

26 Tunc proficiscitur & assumit septem alios spiritus pejores quàm sit ipse: & ingressi habitant illic: fitq; ultima conditio hominis illius deterior priore.

27 Factum est autem ut quum hæc diceret, attollens vocem quædam mulier è turba, diceret ei; Beatus uterus qui te portavit, & ubera quæ suxisti.

28 Ipse autem dixit, Imò verò beati qui audiunt sermonem Dei, & eum observant.

Primùm narratur calumniæ istius occasio, 2. calumnia ipsa, 3. defensio & calumniæ refutatio, 4. reprehensio dissimulantium veritatem in gratiam inimicorum Domini, 5. admonitio de cavenda securitate, 6. pronuntiatum de causis procreantibus beatitudinis. *Occasionem* isti calumniæ præbuit admiratio turbæ ob dæmonium mutum à Domino ejectum, v. 14. *Calumnia* ipsa recitatur, v. 15. & amplificatur facto aliorum simili, id est, similiter malitioso, v. 16. *Calumniam refutat* Dominus duobus argumentis: quorum primum concluditur duobus syllogismis: uno principali, altero prosyllogismo. Principalis hic est:

Si per Beelzebulem ejicerem dæmonia, satanas adversus seipsum dissideret.
At satanas adversus seipsum non dissidet.
Non igitur ejicio dæmonia per Beelzebulem.

Prosyllogismo approbatur assumtio ad hunc modum:

Si satanas adversus seipsum dissideret: quæreret interitũ regni sui. nam omne regnum adversus sese dissidens, vastatur.
At satanas non quærit interitum regni sui.
Satanas igitur adversus seipsum non dissidet.

In textu, primo loco ponitur approbatio propositionis prosyllogismi: ibi, *Omne regnum &c.* secundo loco propositio prosyllogismi: ibi, *Quòd si etiam &c.* tertio loco sententia propositionis syllogismi principalis, ibi, *Nam dicitis &c.* Secundum argumentum continetur v. 19. cujus hæc videtur esse sententia atque conclusio:

Si ego per Beelzebulem ejicio dæmonia: fatendũ erit vobis, vestros quoque filios (nempe Apostolos & exorcistas) per eundem ejicere dæmonia: quia scilicet illi dæmonia ejiciunt per nomen meum.
At hoc vos non dicitis: sed judicatis illos dæmonia ejicere per Spiritum Dei.
Ergo nec ego dæmonia ejicio per Beelzebulem, sed per Spiritum Dei.

Sententia propositionis præcedit, ibi, *Quòd si ego &c.* Assumtionis loco ponitur illius corollarium, quo Dominus adversariis suis minatur judicium Dei propter hanc ipsorum malitiam: quòd, quum faterentur, filios suos dæmonia ejicere per Spiritum Dei, interim tamen affirmabant, Jesum dæmonia ejicere per principem dæmoniorum. Deinde amplificatur altera pars conclusionis alio corollario, quo admonet Dominus, malitiam istorum calumniatorum, atque adeò omnium ipsum repudiantium, esse inexcusabilem: quia ipse factis divinis ac Messiæ propriis demonstret, se esse verum doctorem, atque adeò ipsum Christum: ut qui digito Dei & propriâ virtute dæmonia ejiciat. Id significat v. 20. his verbis: *Sin autem digito Dei ejicio dæmonia, nempe pervênit ad vos regnum Dei.* Præterea exemplo simili de heroë armato qui à robustiore aut potentiore ejicitur ex aula sua, declarat Dominus, quomodo ipse ejiciat dæmonia: nempe per potentiam divinam quâ potentiam satanæ longè superet, v. 21. & 22. Huic refutationi calumniæ adjicit Dominus *reprehensionem* eorum qui in gratiam inimicorum ipsius, nempe scribarum & Pharisæorum authoritate pollentium, dissimulabant veritatem, non contradicentes scilicet calumniatoribus istis. de his conqueritur v. 23. inquiens: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non cogit mecum, spargit.* quasi dicat, Qui non ingenuè & apertè mecum facit, meamq; innocentiam contra calumniatores defendit, quantum in ipso est: illum habeo pro adversario non minùs quàm si apertè me oppugnaret. Quare viderint illi

illi qui nunc ad calumniam istam adversariorum meorum tacent, ne scilicet eos offendant, atque ita odium aut periculum sibi creent meâ causâ. Isti reprehensioni & querelæ subjicit *admonitionem* de cavenda securitate, si quis semel à diaboli potestate sit liberatus, sive corporaliter scilicet, sive spiritualiter. Etsi enim Dominus solummodo loquitur de liberatione corporali: tamen spiritualem videtur simul ex natura similium intelligere. Sententia est, satanam semel ab homine depulsum, quærere occasiones ad illum redeundi, illumque in suam potestatem retrahendi: idque consequi solere per hominis securitatem; sique succedat propositum, deteriorem reddere illius conditionem quàm faciebat antea: ac proinde à securitate carnali studiosè esse cavendum, v.24.25.& 26.

Huic admonitioni subjicitur *pronuntiatum Domini de causis procreantibus beatitudinis*: cujus pronuntiati primùm exponitur occasio, eademque causa impulsiva, v.27. videlicet pronuntiatum mulieris cujusdam de matre Domini, quo illam beatam prædicabat, eò quòd talem filium genuisset, videlicet tam excellentem atque sanctum doctorem. Dominus igitur hac occasione veras beatitudinis causas protulit, contradicens illi pronuntiato mulieris tanquam falso: quatenus nimirum intelligitur de causa beatitudinis vel totali, vel saltem principali. nam alioqui ad beatitudinem Mariæ nonnihil contulit, & pars illius fuit atque est, quòd Deus tanto honore ipsam dignatus est, ut fieret mater Domini: quo nomine & Elisabeta ex afflatu Spiritus sancti benedictam ipsam prædicat inter mulieres, & angelus Gabriel gratiam apud Deum nactam esse affirmat. Sed illa neque totalis causa beatitudinis Mariæ fuit, neque principalis: sed præcipua causa beatitudinis ut omnium electorum, ita & illius fuit, quòd credidit in Christum tanquam servatorem suum. Cæterùm Dominus hîc duas beatitudinis procreantes causas commemorat: audire sermonem Dei, & eundem observare: credendo videl. promissionibus gratiæ Dei propter Christum, & faciendo bona opera in Lege Dei præcepta.

QUARTA PARS.

Sermonem habet ad turbam.

29 Quum autem turba congregaretur ad *eum*, cœpit dicere, Natio hæc mala est: signum requirit: sed signum non dabitur ei, nisi signum illud Jonæ prophetæ.

30 Nam prout fuit Jonas signum Ninevitis, ita etiam erit Filius hominis nationi isti.

31 Regina Austri surget in judicio cum viris nationis hujus, & condemnabit eos; quòd venerit à terminis terræ, ut audiret sapientiam Solomonis: & ecce, plus quàm Solomon *est* hoc in loco.

32 Viri Ninevitæ exsurgent in judicio cum hac natione, & condemnabunt eam; quòd ad præconium Jonæ resipuerint: & ecce, plus quàm Jonas *est* hoc in loco.

33 Nullus verò si lucernam accenderit, in occulto ponit *eam*, neque subter modium: sed in candelabrum; ut qui ingrediuntur, splendorem videant.

34 Lucerna corporis est oculus. Quum igitur oculus tuus fuerit simplex, totum quoque corpus tuum lucidum erit: quum verò malus fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

35 Cave ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint.

36 Itaque si corpus tuum totum lucidum *fuerit*, non habens aliquam partem tenebrosam: *sic* erit lucidum totum, ut quum lucerna fulgore te illustrat.

Sermonis hujus tria sunt membra. 1. querela Domini de malitia * eorum qui postulabant ab ipso signum. 2. admonitio de benignè aliis communicanda luce cognitionis Dei. 3. admonitio de cavenda invidia in genere. *Querela* continetur his verbis: *Natio hæc mala est, signum requirit.* Hæc querela amplificatur primùm antithesi disparatorum: deinde expositione effecti. Antithesi disparatorum Dominus hoc agit, ut istos malitiæ convincat, & suam doctrinam quæ malitiosè ab eis rejiciebatur, asserat: id quod facit per prædictionem suæ quietis in sepulchro & resurrectionis ex illo: quæ res erat signum testificans, quòd ipse esset Christus, sicuti docebat: sed signum disparatum illi signo quale petiverant malitiosi illi. Illi enim petiverant signum, hoc est, miraculosum aliquod opus, è cælo: quale fuit quòd olim ad preces Eliæ ignis de cælo delapsus fuit. Cæterùm quietem illam suam triduanam in sepulchro, esse signum ex quo ipse agnosci debeat pro Christo, confirmat testimonio prophetæ Jonæ, sed testimonio typico: cujus tota vis consistit in casu quodam simili, eoque miraculoso: quòd scilicet Jonas per triduum delituit in ventre ceti, veluti sepultus: & tamen ibi conservatus est, indeque post triduum vivus emersit. Hic enim casus miraculosus, typus fuit similis casus qui accidere debebat Christo, ut scilicet per triduum delitesceret in sepulchro, ibique conservaretur à putredine, atque inde tertio die vivus prodiret. Hoc significat Dominus quum ait v.30. *Sicut Jonas fuit signum Ninevitis, ita etiam erit Filius hominis nationi isti.* quasi dicat: Sicut Ninevitæ ex mirabili illo casu qui Jonæ acciderat, coacti sunt illum agnoscere pro propheta divinitus ad se misso, cujus proinde doctrina sit vera: ita Judæi ex resurrectione mea cogentur me similiter agnoscere pro propheta divinitus ad se misso, cujus doctrina sit vera: ac proinde cogentur me agnoscere pro Christo; quippe quum docuerim me esse Christum, idque ex prophetis divinis demonstrârim. Expositio effecti (quæ est altera amplificationis pars) est denuntiatio pœnæ divinæ, malitiosis istis Judæis justo Dei judicio eventuræ. Hanc pœnam significat quum ait, *Regina Austri surget in judicio cum viris nationis hujus, & condemnabit eos.* Item, *Viri Ninevitæ exsurgent in judicio cum hac natione, & condemnabunt eam.* Justitiam autem & gravitatem pœnæ illius ostendit per declarationem malitiæ illorum, per antithesin dissimilium & collationem imparium, in duobus exemplis quæ in Scriptura narrantur: uno reginæ Austri, altero Ninevitarum. Dissimilia fuerunt facta illorum, factis malitiosorum istorum Judæorum. Nam regina Sabæ magni fecit sapientiam Salomonis: at malitiosi isti Judæi condemnabant sapientiam Christi. Item, Ninevitæ resipuerunt ad præconium Jonæ: at isti non resipiscebant ad præconium Christi. Imparium verò collatio est, quatenus Christus ut major confertur cum Salomone & Jona, ubi ait: *Et ecce plus quàm Salomon est in hoc loco.* item, *Et ecce plus quàm Jonas est in hoc loco.* Si igitur regina Sabæ tanti fecit sapientiam Salomonis, ut ad illam audiendam non sit gravata longinquum iter suscipere: multò magis Judæi isti debebant magni facere sapientiam Christi, præsertim quum absque sua molestia & sumtu illam possent audire. Quod quum non fecerint: justo Dei judicio damnabuntur. Sic si Ninevitæ resipuerunt ad præconium Jonæ: multò magis Judæi isti debebant resipiscere ad præconium Jesu: quia Jesus major erat Jona, tanquam dominus servo, & tanquam res significata typo. Atque hoc primum istius sermonis membrum est. Secundum continetur versu 33. videlicet *admonitio de luce cognitionis Dei benignè cum aliis communicandâ.* Hæc admonitio proponitur sub involucro rei similis, videlicet consuetudinis circa lucernam accensam. Sententia est, Sicut lucerna accensa non solet poni in occulto aut subter modium, sed in candelabrum, ut luceat iis qui ingrediuntur domum: ita cognitio DEI quam quis adeptus est, non est occultanda, sed benignè cum aliis communicanda, ut & ipsi illâ illuminentur ad salutem. Huic admonitioni annectitur alia ex occasione similis allati, & ipsius sententiæ: cui nunc subjicitur sententia ejusdem generis, sed generalis, nempe *de cavenda invidia omnino*, non solùm in occultanda doctrina cælesti. Sententia est: Studendum benignitati; quoniam is affectus adferat homini lætitiam: contra cavendam malignitatem atque invidiam: quoniam is affectus adferat homini tristitiam. Benignitatem intelligit per oculum simplicem: malignitatem atque invidiam per oculum malum. Lætitiam, per lucem corporis: tristitiam per tenebras corporis.

* Fuerunt autem isti scribæ & Pharisæi: ut liquet ex Matth.12. v.38.

QUINTA PARS.

Reprehendit Pharisæos, & scribas, & Legis interpretes, propter vitiosos ipsorum mores.

37 Postquam autem loquutus esset, rogavit eum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se. Ingressus igitur discubuit.

38 Pharisæus autem quum *hoc* vidisset, admiratus est, eum non priùs abluisse sese ante prandium.

39 Dixit autem Dominus ei, Vos quidem Pharisæi exteriorem poculi patinæque partem purgatis: sed interius vestrum plenum est rapinâ & scelere.

40 Dementes, nónne qui fecit quod foris est, etiam id quod intus est, fecit?

41 Imò, ea quæ insunt date *in* eleemosynam; tum ecce, omnia erunt vobis pura.

42 Sed væ vobis Pharisæis, quoniam decimatis mentham & rutam, & quodvis olus; sed præterîtis judicium & dilectionem Dei. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

43 Væ vobis Pharisæis, quoniam diligitis primum consessum in conventibus, & salutationes in foris.

44 Væ vobis, scribæ & Pharisæi, hypocritæ: quoniam estis ut monumenta quæ non apparent, & quæ nesciunt ii qui super *ea* ambulant.

45 Respondens autem quidam ex Legis interpretibus, ait ei; Magister, quum hæc dicis, etiam nos afficis injuriâ.

46 Ipse autem ait, Væ vobis quoque Legis interpretibus, quoniam oneratis homines oneribus difficilibus portatu; sed ipsi uno ex digitis vestris non attingitis onera.

47 Væ vobis, quoniam ædificatis monumenta Prophetarum, patres autem vestri trucidarunt eos.

48 Nempe testimonio vestro comprobatis facta patrum vestrorum: quoniam illi quidem eos trucidarunt, vos autem ædificatis eorum monumenta.

49 Propterea etiam sapientia DEI dixit, Mittam ad eos prophetas & apostolos, & ex ipsis *quosdam* trucidabunt, & *quosdam* expellent:

50 Ut à natione ista requiratur sanguis omnium prophetarum, effusus à jactis fundamentis mundi:

51 A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem: profectò dico vobis, requiretur *ille* ab hac natione.

52 Væ vobis Legis interpretibus, quoniam sustulistis clavem cognitionis: ipsi non introistis: & eos qui introibant, prohibuistis.

53 Quum autem hæc eis diceret, cœperunt scribæ & Pharisæi vehementer *ipsi* imminere, & eum allicere ad loquendum de multis:

54 Insidiantes ei, & studentes venari aliquid ex ipsius ore, ut eum accusarent.

Primùm indicatur tempus quo reprehensio ista pronuntiata fuit, 2. locus ubi pronuntiata fuit, 3. occasio unde nata fuit, 4. causa impulsiva quæ Dominum ad eam instituendam movit, 5. reprehensio ipsa, 6. eventus. *Tempus* significatur in principio vers. 37. his verbis: *Postquam autem hæc loquutus esset.* nempe postquam refutasset calumniam Pharisæorum de suo modo ejiciendi dæmonia, & conquestus esset de malitia eorundem petentium ab ipso signum: ut narratum fuit inde à v. 17. huc usque. *Locus* fuit domus cujusdam Pharisæi, ut significatur ibidem his verbis: *Rogavit eum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se. Ingressus igitur discubuit. Occasionem* huic reprehensioni præbuit, quòd Dominus se non lavit ante prandium, more apud Judæos recepto seu ritu Judaico, v. 38. *Causa impulsiva* significatur ibid. his verbis: *Pharisæus autem quum hæc vidisset, admiratus est &c.* Impulit igitur Dominum ad hanc reprehensionem suscipiendam injusta offensio Pharisæi hospitis, qui ipsum prandio excipiebat: qui omissionem ritus recepti tacitè in Domino damnabat, eò quòd putaret, ritum illum esse partem cultus divini. Dominus igitur ut & innocentiam suam ostenderet, & Pharisæum illum ejusque socios erroris atque hypocriseos convinceret, reprehensionem hanc instituit. *Reprehensio* ipsa septem constat membris: quorum tria priora nominatim pertinent ad Pharisæos, quartum ad scribas & Pharisæos simul, tria postrema ad interpretes Legis. Reprehendit autem in illis hæc vitia septem: avaritiam, vacuitatem charitatis, ambitionem, hypocrisin, injustitiam erga plebem, crudelitatem erga pios doctores, & falsam doctrinam. Etsi autem hypocrisin separatim & expressè eis exprobrat in membro quarto: tamen illam simul in cæteris quoque membris perstringit. Avaritiam igitur reprehendit v. 39. 40. & 41. idque occasione offensionis Pharisæi, de qua dictum est, per antithesin, his verbis: *Vos quidem Pharisæi exteriorem poculi patinæque partem purgatis: sed interius vestrum plenum est rapinâ & scelere.* ubi per τὸ ἔσωθεν, id est, ipsum interius, intelligit cibum ac potum qui in patina & poculo solet convivantibus apponi: ut liquet tùm ex ipsa antithesi, tum ex collatione Matth. 23. v. 25. Vult igitur dicere, cibum atq; potum Pharisæorum comparari ab ipsis seu acquiri solere per rapinam: dum scilicet exedebant domos viduarum, prætextu precum quas pro salute illarum conciperent, ut declaratur Matth. 23. v. 14. Deinde stultitiæ simul & hypocriseos cum ista rapina conjunctæ eos damnat, argumento ducto à pari, v. 40. ubi ait: *Dementes, nónne qui fecit quod foris est, etiam id quod intus est, fecit?* quasi dicat, Deus tam creavit cibum ac potum, quàm metallum aut lignum aut argillam unde confici solent patinæ & pocula: Ergo non minùs cibum ac potum purè & sanctè haberi vult, quàm patinas & pocula. Vos igitur dementes estis & perversi hypocritæ: qui de puritate cibi ac potus minimè soliciti, interim satagitis purgare patinas & pocula. Tertiò per prolepsin quandam docet, quomodo possint consequi ut & interiora vasorum pura habeant, nempe si ea dent in eleemosynam, ac proinde eos hortatur ad virtutem avaritiæ contrariam, videlicet liberalitatem in eroganda eleemosyna, v. 41. ubi ait, *Imò ea quæ insunt* (scilicet in vasis; in patinis & poculis) *date in eleemosynam: tum ecce, omnia* (scilicet tam quæ intra vasa, quàm quæ extra sunt) *erunt vobis pura.* Atque hoc primum reprehensionis membrum est. Secundo membro reprehendit in Pharisæis vacuitatem charitatis; simulque notat ipsorum hypocrisin, per antithesin diversorum & collationem imparium; & hanc reprehensionem sicut & sequentes, amplificat indicatione effecti inutilis seu noxii, id est, denuntiatione æterni exitii: quod notat interjectione dolentis, *Væ.* Ait igitur, *Sed væ vobis Pharisæis, quoniam decimatis mentham & rutam & quodvis olus: sed præteritis judicium & dilectionem Dei.* ubi nomine *judicii* intelligitur assertio illorum, qui à potentioribus defraudantur aut opprimuntur, & per synecdochen speciei dilectio proximi significatur: cui additur dilectio Dei, id est, erga Deum, seu qua diligitur à nobis Deus. Syllogismi hujus loci duo sunt: unus principalis nempe hic:

Qui de minutis satagunt, & præcipua officia interim omittunt, hypocritæ sunt.
Vos id facitis.
Vos igitur estis hypocritæ.

Alter, prosyllogismus assumtionis:

Decimare mentham & rutam, minus est officium quàm exercere judicium erga proximum & dilectionem erga Deū.
At vos decimatis mentham & rutam: judicium verò & dilectionem Dei præteritis.
Ergo facitis quod minus est, negligitis quod majus.

In textu primùm ponitur assumtio prosyllogismi, ibi, *Quoniam decimatis:* deinde sententia propositionis prosyllogismi, ibi: *Hæc oportuit facere* (scilicet inprimis & ante omnia) *& illa* (interim) *non omittere.* quæ sententia, est propositionis illis *mesicus* seu corollarium. nam si exercere judicium & dilectionem Dei plus est quàm decimare mentham & rutam: sequitur, illa etiam inprimis esse facienda & magis quàm ista. Syllogismus autem principalis innuitur ipsâ conclusione prosyllogismi. Sequitur tertium reprehensionis membrum, quo reprehenditur Pharisæorum ambitio, v. 43. quæ ostenditur ex duobus factis ipsorum, ut patet in textu. Quarto membro expressè reprehenditur ac demonstratur scribarum & Pharisæorum hypocrisis, v. 44. argumento ducto à simili:

Si estis ut monumenta quæ non apparent, & quæ nesciunt ii qui super eâ ambulant, estis hypocritæ: quippe qui occultatis nequitiam vestram coram hominibus larvâ singularis sanctimoniæ.
At estis ut monumenta &c.
Ergo estis hypocritæ.

Conclusio præcedit ibi, *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ.* Assumtio sequitur: *Quoniam estis ut monumenta &c.* Propositio subintelligitur. Sequentium membrorum narratio illustratur expositione causæ impulsivæ, vers. 45. videlicet querelæ cujusdam interpretis Legis, qui querebatur, se quoque & suum ordinem reprehensione illa proxime-præcedente injuriâ affici, quasi scilicet ipsi non sint hypocritæ. Dominus igitur deinceps ostendit, illos quoque non minùs quàm Pharisæos hypocritas esse. Quod dum ostendit, simul alia quoque crimina eis objicit. Quintum igitur membrum reprehensionis sequitur v. 46. quo reprehenditur interpretum Legis injustitia erga plebem: quippe *quam onerabant oneribus difficilibus portatu, quum ipsi interim ne uno quidem ex digitis suis illa attingerent.* hoc est, præcipiebant plebi ex Lege ut Deum diligerent ex toto corde, & proximum sicut seipsos: quùm ipsi interim de neutra dilectione exercenda soliciti essent. Ex quo ipso illorum patet hypocrisis: quippe qui præcipiendo plebi, amantes pietatis videri volebant, qua tamen erant vacui. Sextum reprehensionis membrum continetur v. 47. & deinceps usque ad 52. Illo reprehenditur crudelitas totius illius factionis, scribarum inquam, Pharisæorum & Legis interpretum: crudelitas inquam erga pios Dei servos: quum tamen interim vellent videri honorare illos atque in pretio habere, ædificando Prophetarum monumenta: ex quo rursum patet ipsorum hypocrisis. Dominus autem scitè factum illorum detorquet in alium finem. Ædificabant illi monumenta Prophetarum, ut viderentur servos Dei habere in pretio: at Dominus ait, illos id facere ut testentur se delectari cæde servorum Dei: quippe qui quasi mutuam operam traderent patribus suis qui Prophetas trucidarant. Quasi dicat: Patres vestri Prophetas è medio sustulerunt, trucidando eos: vos operam datis ut è medio & conspectu hominum sublati maneant, ædificando ipsorum monumenta. Ergo testimonio vestro comprobatis scelera patrum vestrorum in trucidandis prophetis commissa, v. 47. & 48. Deinde reprehensionem istam crudelitatis probat testimonio divino, v. 49. nempe suo ipsius, quatenus est sapientia DEI, ut appellatur quoque Proverb. 8. Quo ipso nomine testimonii sui veritatem confirmat, ut qui certò nôrit omnia, ac proinde falli non possit in sua prædictione. Hunc esse sensum verborum, colligi potest ex collatione Matth. 23. v. 34. ubi pro his verbis, *Propterea etiam Sapientia Dei dixit, Mittam ad eos prophetas &c.* habentur ista, *Propterea ecce, Ego mitto ad vos prophetas &c.* Postremò amplificat istud crimen crudelitatis, expositione effecti, denuntiando illis vindictam divinam, v. 50. & 51. ubi simul crimē ipsum amplificat collatione similium exemplorum, nempe cædium in sanctis Dei servis perpetratarum inde ab origine mundi usque ad illud tempus: quod temporis intervallum Dominus à duobus extremis sive terminis describit, nempe termino à quo, *sanguine Abelis,* & termino ad quem, *sanguine Zachariæ.* Porrò

Zachariæ cædem amplificat à circumſtantia loci, quòd *interfectus ſit inter altare & ædem*, id eſt, in atrio domus Jehovæ: ut habetur 2.Chron.24.v.21. Immanis igitur fuit crudelitas illorum qui occiderunt Zachariam, quòd eum occiderunt ſtatim in eo ipſo loco, & quidem loco ſancto, ubi ſpiritu Dei correptus populum propter peccata ejus reprehenderat: non autem potuerunt exſpectare donec inde exiret, aut donec de cauſâ diligentius cognoſcerent & ex lege Dei judicarent. Reſtat ſeptima reprehenſio, v.52. qua reprehenduntur Legis interpretes propter falſam doctrinam. Hoc crimen ſignificat ſermone metaphorico, dicens, eos ſuſtuliſſe clavem cognitionis: hoc eſt, ſuſtuliſſe veram interpretationem Legis ſeu Scripturæ ſacræ: quæ interpretatio eſt quaſi clavis qua aperiuntur myſteria regni cælorum, atque adeò ipſum cælum aperitur: unde apud Matthæum habetur, quòd claudant regnum cælorum coram hominibus, cap.13.v.33. Hoc crimen amplificat collatione minoris: quum ait, *Ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis.* quaſi dicat, Non ſolùm ipſimet non eſtis ſoliciti de genuino ſenſu Scripturæ, ut inde adepti veram Dei cognitionem, introire poſſitis in regnum cælorum: ſed (quod majus ſcelus eſt) alios inſuper ab ingreſſu prohibetis, falsâ ſcilicet Scripturæ interpretatione eos impedientes, quò minus poſſint genuinum illius ſenſum conſequi, atque inde veram & ſalvificam Dei cognitionem haurire. Hactenus reprehenſio: *eventus* ſequitur, v.53.& 54. nempe conatus uſciſcendi ac Dominum perdendi, exercendo eum captioſis quæſtionibus, quibus elicerent dictum aliquod quod ſupplicio capitis dignum videretur.

SCHOLIA IN CAP. XI

3 Quotidie] τὸ καθ' ἡμέραν. *Syrus* כָּל־יוֹם *cul-jum, id eſt, omni die. Quomodo autem non committatur hîc ἀδολεσχία ſive otioſa ejuſdem verbi repetitio, licet præcedat τὸ ἐπιούσιον, id eſt,* quotidianum: *Vide in ſcholiis in Matth.6.v.11. ad vocem* Hodie.

4 Nam & ipſi remittimus] καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν. *Vel,* Nam & nos remittimus. *Quid ergo? Num igitur noſtra remiſſio (hoc eſt, quâ nos remittimus proximo peccata quibus nos offendit) cauſa eſt remiſſionis divinæ? hoc eſt, quâ Deus remittit nobis peccata noſtra, quibus ipſum offendimus? Sanè ita res habet, dummodo rectè intelligatur. Ac primùm remiſſionem noſtram eſſe cauſam aliquam remiſſionis divinæ, planum evadit ex ipſa rationis quæ hîc affertur concluſione: quæ talis eſt:*

Si nos remittimus proximo: tu quoque nobis remittere teneris.
Atqui nos proximo remittimus.
Ergo tu quoque nobis remittere teneris.

Propoſitio confirmatur teſtimonio promiſſionis Dei: quippe qui promiſit, ſi nos proximo remiſerimus, ſe quoque nobis remiſſurum: id eſt, promiſit nobis remiſſionem cum hac conditione, ſi nos priùs remiſerimus proximo. Omnis autem cõditionis impletio ſive præſtatio habet vim cauſæ reſpectu impletionis ſive præſtationis rei promiſſæ. At quomodo noſtra remiſſio (inquiat aliquis) cauſa ſtatui poteſt remiſſionis divinæ: quum remiſſio noſtra ex remiſſione divina oriatur: quippe quum certum ſit, neminem noſtrûm proximo remittere poſſe, niſi Deus ipſi priùs remiſerit? Id quod ſic oſtenditur:

Remiſſio qua nos proximo remittimus, oritur ex proximi dilectione.
Proximi dilectio oritur ex dilectione Dei.
Dilectio Dei oritur ex fide remiſſionis divinæ, hoc eſt, ex certa perſuaſione, quòd Deus nobis ex gratia propter Chriſtum peccata jam remiſerit.
Fides oritur ex remiſſione divina. quia enim Deus peccata nobis remiſit, ideo fidem nobis donat, quâ de illa remiſſione certò perſuaſi à metu mortis ſive damnationis æternæ liberi ſimus, & contrà ſpem vitæ æternæ concipiamus & alamus.
Ergo remiſſio noſtra oritur ex remiſſione divina.

Reſpondeo. Utrumque verum eſt: ſed obſervatâ diverſâ ſignificatione verbi Remittere. *Nos non remitteremus proximo niſi Deus priùs remitteret nobis: id eſt, ſibi proponeret non velle punire nos propter noſtra peccata: & tamen niſi nos priùs remiſerimus proximo, Deus non remittet nobis, id eſt, non omittet pœnam nobis propter peccata debitam. Ergo verbum* Remittendi *hoc loco per metonymiam efficientis ſignificat omiſſionem pœnæ. quaſi dicamus, Noli nos punire propter noſtra peccata: ſed parce nobis: quia nos ita affecti ſumus erga proximum, ut & ipſi nolimus ulciſci injurias nobis ab illo illatas: tu autem promiſiſti, ſi nos proximo parcere velimus atque parcamus, te nobis quoque parſurum, nec nos propter injurias, quibus te affecimus, puniturum.* Omnibus qui nobis debent] παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν. *Vulgata ad verb.* Omni debenti nobis. *Dicuntur autem nobis debere (ſcil. pœnam) qui nos injuriâ aliquâ affecerunt. Atque hinc peccata ipſa dicuntur debita, ὀφειλήματα, per metonymiam effecti: quia reddunt nos debitores, ut ſcilicet debeamus Deo illorum pœnam. Hinc etiam peccata dicuntur remitti & condonari, quando pœna eorum non exigitur. Quare frivola eſt diſtinctio Papiſtarum: quum dicunt, Deum nobis remittere culpam, non autem pœnam. At, inquam, ideo dicitur Deus remittere culpam, quia non exigit pœnam. quemadmodum creditor dicitur condonare debitum, quia non exigit illius ſolutionem.*

5 Quis veſtrûm ſi habeat amicum, & is proficiſcatur &c.] τίς ἐξ ὑμῶν ἕξει φίλον, καὶ πορεύσεται &c. *Ad verb.* Quis ex vobis habebit amicum, & *is* proficiſcetur &c. *Similem loquendi modum vide infr.14.5.*

7 Tum ille] κἀκεῖνος &c. *Ad verb.* Et ille. *Copulativa pro relativa conſequentiæ. Hîc enim incipit conſequens enuntiati copulati: quod quidem æquipollet huic connexo: Si quis veſtrûm habeat amicum &c, num ille intus reſpondens dicet &c. Tum ad hanc interrogationem ſequitur reſponſio v.8.* Dico vobis &c. *Id eſt, Nequaquam ita dicet: nequaquam recuſabit panes, ſed dabit.*

8 Importunitatem] ἀναίδειαν. *Ad verb.* Impudentiam, *id eſt, impudentem poſtulationem. Synecdoche generis. Syrus* אַטְרֻפּוּתָא *jatxiphuchâ: quod Tremellius vertit* inſtantiam: *quod eſt Germanicè,* anhalten. Dabit ei *panes*] δώσει αὐτῷ. *Nomen ſupplevi ad perfectionem ſententiæ, ex v.5.*

9 *Sic* & ego] κἀγώ. *Pro,* οὕτως κἀγώ, Sic & ego. *Eſt enim hîc apodoſis inſtitutæ ſimilitudinis.*

10 Quisquis enim petit] πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν. *Scil. rectè, ſecundum voluntatem ſcil. Dei, 1. Joh.5.14. Synecd. generis.*

11 Ecquis autem] τίνα δὲ. *Sermo hîc ἀνακόλουθος eſt. Aut enim pro* μὴ *legendum* ἐ, *ſic:* τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον, καὶ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; *Id eſt,* Quem autem veſtrûm qui pater eſt, poſcet filius panem: & *ille* lapidem dabit ei? *qualis loquendi forma præceſſit v.5.6.& 7. Aut pro* τίνα *legendum,* εἴ τινα: *& vertendum,* Si quem autem ex vobis pàtrem filius popoſcerit panem: num lapidem ei dabit? Aut ſi piſcem] εἰ καὶ ἰχθῦν. *Vulgata,* Aut piſcem: *& ſic verſ.ſeq.* ἢ καὶ *ſimiliter reddit* Aut. *quare* εἰ *pro* ἢ *irrepſiſſe hoc loco videtur.* Dabit] ἐπιδώσει, *Pro ſimplici,* δώσει. *nam aliâs* ἐπιδιδόναι *apud Græcos eſt augeſcere ſeu incrementũ capere.*

14 Dæmonium quod erat mutum] δαιμόνιον, καὶ αὐτὸ ἦν κωφόν. *Sic vocat ab effectu, per metonymiam: quia hominem efficiebat mutum.* Loquutus eſt ille mutus] ἐλάλησεν ὁ κωφὸς. *Id eſt, ille qui fuerat mutus. Sic Matth.11.5. Cæci vident, claudi ambulant &c.*

20 Digito Dei] ἐν δακτύλῳ Θεοῦ. *Id eſt, per Spiritum Dei: ut declaratur Matth.12.28. Ex digito intelligitur primò imperium, per metonymiam adjuncti metaphoricam: nam homines, quibus imperant ut deſiſtant à lædendo, eis digito porrecto minantur. Deinde ex imperio intelligitur virtus ſeu potentia (nempe potentia Spiritus ſancti) per metonymiam effecti: nam homines potentiâ ſuâ freti, imperant.*

21 Aulam ſuam] τὴν ἑαυτοῦ αὐλὴν. *Id eſt, regiam. Synecdoche membri.*

29 Quum autem turba congregaretur apud *eum*] τῶν δὲ ὄχλων ἐπαθροιζομένων. *Pro,* ἀθροιζομένων ἐπ' αὐτὸν. Signum] σημεῖον. *Id eſt, miraculum, quo ſignificet Deus, ſe miſiſſe me ad docendum. Synecdoche generis.*

30 Fuit ſignum Ninevitis] ἐγένετο σημεῖον τοῖς Νινευΐταις. *Id eſt: Sicut Ninevitæ adducti fuerunt ad credendum prædicationi Jonæ, admirando illo caſu qui illi prædicationem illam defugienti acciderat, quòd ſcilicet è navi projectus & à ceto deglutitus, per triduum in illius ventre velut ſepultus jacuit, ac tum vivus & integer atque illæſus ab illo eſt libero aëri redditus: ita ad credendũ prædicationi meæ vel inviti adducentur præfracti iſti, quum cognoverint, me per triduum in ventre terræ ſepultum, vivum inde prodiiſſe: idque ſecundùm prædictionem meam. Hunc eſſe ſenſum, colligitur ex collatione Matth.12.40.*

32 Ad præconium] εἰς τὸ κήρυγμα. *Id eſt,* διὰ τοῦ κηρύγματος, *per præconium: hoc eſt, conciones quibus eis denuntiavit iram Dei & interitum propter ſcelera ipſorum.* Εἰς *pro* ἐν: *&* ἐν *pro* διὰ.

38 Abluiſſe ſeſe] ἐβαπτίσθη. *Ad verb.* Ablutum fuiſſe, *vel potiùs,* merſum fuiſſe. *Hebraiſmus. Etenim apud Hebræos Niphál ſæpe ponitur in ſignificatione reciproca. Significatur autem immerſio manuum in aquam lavandi causâ, per ſynecdochen integri metonymicam.*

39 Sed interius veſtrum] τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν. *Id eſt, cibus veſter qui eſt intra patinam: itemque potus veſter qui eſt intra poculum. Hunc eſſe ſenſum, patet ex collatione Matth.23.v.25.& 26. item ex collatione verſus ſequentis. Quare illa verba,* τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν, *non rectè vertuntur,* Sed quod intra vos eſt: *quaſi pronomen* ὑμῶν *regatur ab adverbio* ἔσωθεν. *Regitur enim à participio* ὄν, *ſubintellecto ad articulum* τὸ; *vel certè regitur à complexo illo* τὸ ἔσωθεν. *Germanicè* **Ewer inwendiges: das iſt / Ewer ſpeis vnd tranck die inwendig in der ſchüſſel vnd becher ſeind.**

41 Quæ inſunt] τὰ ἐνόντα. *Scil. in patina & poculo: ex collatione v.39.* Tum] καὶ, *Copulativa pro relativa conſequentiæ.*

42 Quodvis olus] πᾶν λάχανον. *Ad verb.* Omne olus: *id eſt, omnis generis olus:* **allerlài köl** / *ut rectè vertit Lutherus. Simili ſignificatione accipitur nomen hoc 1.Timoth.2.v.4.* Deus vult omnes homines (πάντας ἀνθρώπους) ſervari: *i.e. omnis generis homines,* **allerlài menſchen**: *puta nobiles & obſcuros, divites & pauperes, &c. Sic Epheſ.1.v.3.* Benedixit nobis omni benedictione ſpirituali, ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ, **mit allerlài gäiſtlichem ſegen.** Hæc] ταῦτα. *Referẽdum puto ad propius membrum. quaſi dicat,* Judicium *& dilectionem Dei inprimis exercere vos oportuit: interim tamen non debetis omittere illa minoris mo-*

menti officia. Dilectionem Dei] τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ. *Quâ scilicet diligitur Deus. Hanc autem Dominus hîc dilectioni proximi (quam judicii nomine significat) postponit: quia ex illâ cognoscitur. Vide* 1. Joh. 4. v. 20.

46 Uno ex digitis &c.] ἑνὶ τῶν δακτύλων. *Id est, Ne uno quidem ex digitis vestris attingitis. q.d. Multò minùs omnibus digitis seu totâ manu. Amplificatio hyperbolica à majori, id est, probabiliori.*

48 Nempe testimonio vestro comprobatis &c.] ἄρα μαρτυρεῖτε, &c. *Acuta argumentationis inversio. Nam isti videbantur sibi sancti, & volebant videri sancti, eò quòd monumenta Prophetarum ædificarent. Hoc argumentum Christus invertit, ad arguendum eorum cum patribus consensum, qui Prophetas occiderant: quasi qui sepulturâ alicujus delectantur, ii delectentur etiam ejusdem morte. Itaque factum istorum scitè detorquet aliò, quàm ipsis propositum erat.*

49 Sapientia Dei] ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ. *Id est, Ego: qui in Scriptura (nempe Prov. 8.) nominor Sapientia Dei. Ex collatione Matth. 23. vers. 34.*

50 Requiratur sanguis] ἐκζητηθῇ τὸ αἷμα. *Id est, ut cogantur rationem reddere Deo de sanguine isto effuso: hoc est, ut propter illum injustè à se effusum à Deo puniantur.* A natione ista] ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης. *Concurrunt hîc minùs commodè tria* ἀπὸ *diversâ significatione: primo notatur terminus temporis,* ἀπὸ καταβολῆς: *secundo subjectum patiens,* ἀπὸ τῆς γενεᾶς: *tertio terminus rei,* ἀπὸ τοῦ αἵματος. *Primum & tertium reguntur à participio* ἐκχυνόμενον: *secundum à verbo* ἐκζητηθῇ. *Caterùm illud* ἐκζητηθῇ *potest etiam verti* Reposcatur: *sicut Gen. 9. 5. Deus ait, se sanguinem sive per hominem sive per bestiam effusum reposcere velle à manu illius. Manu enim ut eripitur; ita etiam redditur aliquid. Sic sensus erit: Sanguis Prophetarum reposcetur à gente ista: hoc est, jubebuntur eum reddere ut quem ipsi abstulerint: quum autem reddere non possint, tanquam injusti alienatores, damnabuntur ac punientur. Exemplum talis* ἐκζητήσεως *narratur de Cajino, Gen. 4. v. 9. & deinceps.*

52 Clavem cognitionis] τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως. *Id est, veram interpretationem Scripturæ, quâ introitur in cognitionem Dei, & consequenter in cælum. Metaphora.* Non introistis] οὐκ εἰσήλθετε. *Scil. in cognitionem Dei, & consequenter in cælum.*

54 Venari] θηρεῦσαι. *Id est, venando capere. Synecdoche membri metonymica.*

OBSERVAT. EX CAP. XI.

Officium ministrorum verbi Dei. 1 Ex v. 1. Ad officium doctoris Ecclesiæ pertinet, ut auditores suos doceat precari.

Ex v. 2. 3. & 4. Vide observationes ex Matth. 6. v. 19. & seqq.

Preces. 2 Ex v. 5. & seqq. In precibus requiritur perseverantia. Confer infrà cap. 18. in principio, parabolam de vidua instante apud judicem.

Preces. 3 Ex v. 9. & seqq. Ad precandum moveri debemus tum mandato Dei: tum promissione exauditionis.

Preces. 4 Ex vers. 11. & seqq. In spe exauditionis confirmare nos debemus consideratione paterni favoris DEI erga nos, adhibitâ consideratione paternæ benevolentiæ hominum erga liberos suos.

Preces. 5 Ex v. 13. In precibus potissimùm petere debemus, ut Deus nobis det Spiritum S. Absque hoc enim nec Deum glorificare, nec veram felicitatem consequi possumus. Est autem hoc intelligendum de incremento donorum Spiritus sancti: nam alioqui rectè precari non poterimus, nisi Spiritum sanctum jam habemus: id est, dona aliqua illius, ac inprimis Fidem justificantem.

Ex v. 14. & seqq. Vide observationes ex Matth. 12. v. 22. & sequentibus.

Securitas carnalis. Solicitudo pia. 6 Ex v. 24. 25. & 26. Cavenda securitas carnalis: & contrà solicitè adhærendum Domino. nam qui à Domino deficiunt, illorum conditio deterior redditur, quam erat antequam ad Dominum venirent.

Beatitudinis causa. 7 Ex v. 27. & 28. Vera beatitudo non consistit in cognitione Christi carnali, sed in cognitione ejus spirituali: item in cognitione voluntatis DEI ex verbo ipsius, & in præstatione illius. Voluntas autem Dei est, ut credamus in Christum, & sanctè vivamus. Matth. 17. v. 5. Joh. 6. v. 40. 1. Thess. 4. v. 3.

Ex v. 29. & seqq. Vide observationes ex Matth. 12. v. 38. & deinceps.

Officium hominis Christiani. 8 Ex v. 33. Unusquisque cognitionem Dei quam adeptus est, liberaliter cum aliis communicare debet: inprimis verò ministri verbi.

Officium hominis Christiani. 9 Ex v. 34. 35. & 36. Invidia omnis cavenda, & contrà benignitati studendum.

Ex v. 39. & seqq. Vide observationes ex Matth. 23. v. 23. & deinceps.

Consolatio contra corruptelas Pontificias. 10 Ex v. 52. Quum videmus hodie doctores Pontificios clavem cognitionis Dei populo Dei auferre, falsis nimirum interpretationibus verbum Dei corrumpendo: quod hodie inprimis ac præ cæteris faciunt Jesuitæ: non est quòd hac re tanquam novâ aut insolitâ nimiùm perturbemur: quia videmus idem jam olim tempore Christi à doctoribus populi Dei factitatum esse. Confer Matth. 5. v. 21. & deinceps: ubi Christus corruptelas Legis Pharisaicas detegit ac reprehendit.

Consolatio contra calumnias Jesuitarum. 11 Ex v. 53. & 54. Si experimur nobis imminere Jesuitas & alios, & doctrinam sanam quam ex verbo DEI tradimus, calumniari: consolemur nos exemplo Christi, cui idem à scribis & Pharisæis accidit.

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Toto hoc capite recitantur sermones à Domino habiti partim ad discipulos, partim ad turbam. Sunt autē numero quinq; quorum primus habitus fuit ad discipulos, usq; ad v. 13. secundus ad turbam, à v. 13. usq; ad 22. tertius iterum ad discipulos, à v. 22. usq; ad 41. quartus itidem ad discipulos, à v. 41. usq; ad 54. quintus deniq; ad turbam, à v. 54. ad finem usque capitis.

PRIMA PARS.

Sermo Domini ad discipulos.

INterea quum congregata essent multa millia populi, adeò ut alii alios conculcarent; cœpit dicere discipulis suis, in primis cavete vobis à fermento Pharisæorum, quòd est hypocrisis.

2 Nihil autem opertum est, quod non sit retegendum: nihilque occultum, quod non sit cognoscendum.

3 Propterea quæ in tenebris dixistis, in luce audientur: & quod in aurem loquuti estis in conclavibus, prædicabitur supra tecta.

4 Dico autem vobis amicis meis, Ne timete *vobis* ab iis qui trucidant corpus, & postea non habent quod amplius faciant.

5 Præmonstrabo autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam trucidârit, potestatem habet conjiciendi in gehennam: utique dico vobis, hunc timete.

6 Nónne quinque passerculi veneunt assariis duobus? Et *tamen* unus ex iis non est in oblivione apud Deum.

7 Quin etiam pili capitis vestri omnes numerati sunt. Ne igitur timete: multis passerculis præstatis.

8 Dico autem vobis, Quisquis me confessus fuerit coram hominibus, Filius quoque hominis confitebitur eum coram angelis Dei.

9 Qui verò negaverit me in conspectu hominum, abnegabitur in conspectu angelorum Dei.

10 Et quisquis dicet quidpiam in Filium hominis, ei remittetur: ei verò qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.

11 Quum autem adduxerint vos ad synagogas & ad magistratus ac potestates, ne soliciti estote quomodo aut quid pro defensione allaturi, aut quid dicturi sitis.

12 Spiritus enim sanctus docebit vos eo ipso momento, quæ oporteat dicere.

PRimùm narratur sermonis hujus occasio, deinde sermo ipse. *Occasionem* Domino ad hunc sermonem ordiendum præbuit frequentia auditorum: ut significatur his verbis, *Interea quum congregata essent multa millia populi, adeò ut alii alios conculcarent, cœpit dicere discipulis suis. Sermo* ipse *membris* constat *septem.* 1. Monet de cavenda falsa doctrina Pharisæorum, vers. 1. 2. Præcipit ut veram doctrinam ex ipso cognitam, suo tempore prædicent publicè, v. 2. & 3. 3. Consolatur eos contra metum supplicii propter evangelii prædicationem, v. 4. 6. & 7. 4. Monet ut timeant offendere Deum, v. 5. 5. Hortatur ad evangelii confessionem, & contrà dehortatur ab ejusdem abnegatione, v. 8. & 9. 6. Monet ut sibi caveant à malitiosa veritatis cælestis damnatione, v. 10. 7. Monet ne sint soliciti, quum propter evangelium ducentur ad magistratus, v. 11. & 12.

Falsam Pharisæorum doctrinam caveri monet duobus argumentis: primùm, quòd sit fermentum: id est, quòd instar fermenti totam religionem inficiat atque corrumpat. Deinde, quòd sit hypocrisis: id est, quòd nil nisi hypocrisin ex se pariat, non autem verum Dei cultum. *Veram evangelii doctrinam* privatim ex ipso cognitam, publicè suo tempore prædicari jubet argumento voluntatis Dei, quam significat his verbis, *Nihil autem opertum est quod non sit retegendum; neque occultum quod non sit cognoscendum. Contra metum supplicii* propter evangelii confessionem consolatur eos duobus argumentis: primùm, quia per supplicium capitis non possit ipsis eripi vita æterna, v. 4. deinde

quia pro ipsis excubet paterna providentia Dei, quæ non sit passura ut quicquam eis eveniat quod non faciat ad ipsorum salutem, v.6.& 7. Hoc posterius argumentum confirmat à minori, prolatis exemplis duobus rerum viliorum, quas Deus providentiâ suâ curet: videlicet passerculorum & capillorum. *Ad metum offensionis Dei* hortatur argumento effecti noxii, videlicet cruciatuum æternorum in gehenna, vers.5. Quam hortationem per antithesin inserit. *Ad confessionem evangelii hortatur* v.8. ab effectu utili, videlicet vitâ æternâ: quam significat ex effecto destinato, videlicet confessione sua, hoc est, testificatione coram angelis de confessorum illorum constantia & dilectione erga se: ubi elegans est ἀντανάκλασις in verbo *Confessionis* diversâ significatione repetito. nam alio sensu dicimur nos confiteri Christum coram hominibus: & alio ipse dicitur confiteri nos coram angelis. Nos dicimur illum confiteri coram hominibus, quum profitemur atque testificamur, nos ipsum agnoscere pro unico salutis nostræ authore, quumque doctrinam ab ipso nobis traditam arctè tenemus atque defendimus: at Christus dicitur confiteri nos coram angelis, quum coram angelis, in judicio illo universali & coram toto mundo profitebitur, se agnoscere nos pro veris ac fidelibus suis cultoribus, ac proinde se cælestibus atque æternis præmiis nos remunerari velle. Contra ab evangelii abnegatione dehortatur vers.9. argumento effecti noxii, videlicet supplicii æterni: quod similiter per effectum destinatum significat, simili adhibitâ ἀντανακλάσει. Nos enim dicimur negare Christum, si negemus doctrinam ab ipso traditam: ipse verò dicitur negare eos, de quibus in judicio illo universali profitebitur, quòd eos non nôrit, id est, non agnoscat pro veris ac fidelibus suis cultoribus, sed potiùs habeat pro perfidis desertoribus: ac proinde quòd eos velit commerito supplicio adjudicare. *Malitiosam veritatis cælestis damnationem cavendam monet* vers.10. argumento effecti noxii: quia futurum sit ut peccatum illud nemini remittatur: quo significat, certò punitum iri, idq; æternis pœnis. Hujus autem peccati atrocitatem declarat à forma, quum ipsum nominat blasphemiam in Spiritum sanctum: hoc est, damnationem doctrinæ à DEO profectæ malitiosam, quæ scilicet fit contra conscientiam, de veritate illius à Spiritu sancto persuasam: cujus tamen testimonio ex mera malitia atq; petulantia contradicitur: quia homines vident, doctrinæ illius professionē sibi obstare quo minùs à mundo possint consequi exoptatas opes, honores, ac voluptates. Contradicere autem Spiritui sancto, horrenda atq; intoleranda blasphemia est. Cæterùm hanc blasphemiam illustrat antithesi blasphemiæ disparatæ sive dissimilis, nempe blasphemiæ in Filium hominis: hoc est, damnationis doctrinæ Christi ex ignorantia & errore judicii: quum quis damnabat doctrinam Christi, propterea quòd offendebatur servili ipsius forma: cum qua non videbatur doctrina ipsius consentire, qua se docebat esse Christum: quum Judæi tunc vulgari hoc errore tenerentur, Christum fore regem mundanum. Hanc igitur blasphemiam alteri dissimilem esse monet; quia illi possit contingere remissio: si scilicet Deus alicujus misertus, errorem illum de Christo adimeret & blasphemiæ inde ortæ pœnitentiam daret. *Solicitudinem meditandi defensionem doctrinæ cælestis* coram judicibus, eximit eis promissione speciali, v.12. ubi ait; *Spiritus enim sanctus docebit vos eo ipso momento, qua oporteat dicere.*

SECUNDA PARS.

Sermo Domini ad turbam.

13 Dixit autem ei quidam è turba; Magister, dic fratri meo ut partiatur mecum hæreditatem.

14 Ipse verò dixit ei, Heus tu, quis me vobis judicem aut partitorem præfecit?

15 Dixit igitur eis, Videte, & cavete ab avaritia. Neque enim quum *bona* cuipiam redundant, vita ipsi constat ex bonis suis.

16 Dixit autem eis parabolam in hæc verba, Hominis cujusdam divitis exuberârat regio.

17 Itaque ratiocinabatur apud se, dicens, Quid faciam? Nec enim habeo ubi cogam fructus meos.

18 Et dixit, Hoc faciam: destruam horrea mea, & majora ædificabo: & illic cogam omnes fructus meos, & bona mea:

19 Et dicam animæ meæ; Anima, habes multa bona reposita in annos multos: requiesce, comede, bibe, oblectare.

20 Dixit autem ei Deus; Demens, hac nocte animam tuam repetunt abs te: quæ verò parasti, cujus erunt?

21 Ita *est* qui thesaurum congerit sibi; nec est in Deo dives.

Primùm narratur sermonis hujus occasio, deinde sermo ipse. *Occasionem* Domino ad hunc sermonem præbuit importuna cujusdam è turba petitio, eaque ex avaritia profecta: quâ petebat ille, ut Dominus imperaret fratri suo ut secum partiretur hæreditatem, v.13. Id quod Dominus recusavit, monendo non pertinere istud ad suam vocationem, seu non esse sibi à Deo mandatum, v.14. *Sermone* ipso monet Dominus, *cavendum ab avaritia*: idq; duobus argumentis; primùm ab effecto inutili, deinde ab effecto pernicioso. *Effectum inutile* est, quòd avarus frustratur suâ spe, dum corradit opes hac opinione ac spe, quòd inde vitam suam diu sit sustentaturus, voluptatesque carnales inde percepturus. Hoc significat Dominus istis verbis v.15. *Neq; enim quum bona cuipiam redundant, vita ipsi constat ex bonis suis.* Hoc argumentum confirmat exemplo cujusdam divitis, v.16.& deinceps: quo exemplo simul innuitur *alterum argumentum.* Significat enim Dominus, quod accidit isti diviti, ut præter opinionem ac spem suam non solùm hac vita illiusq; voluptatibus subitò privaretur, sed etiam ad cruciatus æternos propter securitatem suam carnalem à malis spiritibus abriperetur: idem aliis quoq; isti similibus, nempe avaris & securis, eventurū. Quod ipsum manifestiùs significat in exempli accommodatione, v.21. ubi ait: *Ita est* (id est, ita accidere solet ei) *qui thesaurum congerit sibi, nec est dives in Deo.* Quibus verbis significat, divitem illum non fuisse divitem in Deo, id est, avaritiæ penitus fuisse immersum, ac proinde à fiducia ac timore Dei aversum: unde factum sit ut animam ejus repetiverint atq; abstulerint mali spiritus, inq; gehennam ad æternos cruciatus deportarint. Cæterùm exempli istius narratio exornata est elegante prosopopœia, qua tum dives ille, tum Deus, loquentes introducuntur.

TERTIA PARS.

Alter sermo Domini ad discipulos.

22 Dixit autem discipulis suis, Propterea dico vobis, ne soliciti estote de anima vestra, quid esuri sitis: neque de corpore, quâ re sitis induendi.

23 Anima plus est quàm alimentum, & corpus quàm vestitus.

24 Considerate corvos. Nec enim seminant, neque metunt; quibus non est cella neque horreum: & *tamen* Deus alit eos. Quanto vos præstatis volucribus?

25 Quis autem ex vobis solitè cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum unum?

26 Itaque si ne rem quidem minimam *præstare* potestis, quid de cæteris soliciti estis?

27 Considerate lilia, quomodo crescant. Non laborant, neque nent: dico autem vobis, Ne Solomon quidem in omni gloria sua amictus fuit ut unum illorum.

28 Quòd si herbam quæ hodie est in agro, & cras in clibanum conjicitur, Deus ita circumvestit: quantò magis vos, ô exiguâ fide prædit?

29 Vos igitur ne quærite quid esuri sitis, aut quid bibituri: & ne in sublime tollimini.

30 Hæc enim omnia gentes mundi requirunt: Pater autem vester novit, vos istis indigere.

31 Quin potiùs quærite regnum Dei, tum hæc omnia adjicientur vobis.

32 Ne time, ô parve grex: nam placuit patri vestro dare vobis regnum illud.

33 Vendite bona vestra, & date eleëmosynam. Parate vobis crumenas quæ non veterascunt, thesaurum in cælis qui nunquam deficiat: quò fur non appropinquat, neq; tinea corrumpit.

34 Ubi enim est thesaurus vester, illic & cor vestrum esse debet.

35 Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ accensæ:

36 Et vos similes *estote* iis qui exspectant dominum suum quando reversurus sit à nuptiis: ut quum venerit ac pulsaverit, statim aperiant ei.

37 Beati servi illi, quos quum venerit dominus, inveniet vigilantes. Amen dico vobis, præcinget se, & jubebit eos discumbere, & accedens ministrabit eis.

38 Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, atq; ita invenerit; beati sunt servi illi.

39 Hoc autem scitote, si sciret paterfamiliâs quâ horâ fur venturus sit; vigilaret, nec sineret perfodi domum suam.

40 Et vos igitur estote parati: quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.

Sermo hic *tribus* constat *membris*. Primùm dehortatur à solicitudine circa victum & amictum, usque ad v.33. Deinde hortatur ad eleemosynam, v.33. & 34. Tum hortatur ad vigilantiam sive curam in faciendis officiis vocationis usque ad Domini adventum, à v.35. & deinceps. *Dehortationis* propositio continetur v.22. *Argumenta* subjiciuntur numero *septem*: quorum alia ad victum & amictum simul, alia ad alterutrum tantùm pertinent. *Primum* argumentum continetur v.23. quod pertinet ad utrumque, victum scil. & amictum. *Anima plus est quàm alimentum, & corpus quàm vestitus.* Syllogismus ita est:

Si Deus vobis dedit animam & corpus: dabit quoq; alimentum & vestitum.

Atqui Deus *dedit vobis animam & corpus.*

Ergo dabit quoq; alimentum & vestitum.

Propositio probatur à minori: Quia anima plus est quàm alimentum, & corpus quàm vestitus. Minùs autem probabile est, aliquem velle dare bonum præstantius, quàm vilius. Si quis igitur det præstantius, multò magis putandum quòd daturus sit & vilius. In textu sola ponitur approbatio propositionis: unde cætera suâ sponte fluunt. *Secundum* argumentum continetur v.24. & pertinet ad victum tantùm. Sententia est:

Si Deus alit corvos: multò magis alet vos.

At corvos Deus alit.

Multò magis igitur vos alet.

Propositio probatur à minori dupliciter: primùm quia corvi nec seminant, nec metunt: neque cella eis est, neque horreum: at vos seminatis & metitis: vobis item cellæ sunt & horrea. Minùs autem probabile est, alimenta suppeditura non seminanti & non metenti, item non habenti cellam & horreum: quàm seminanti & metenti, & cellam horreumque habenti. Si igitur illi suppetent alimenta: multò magis isti. Deinde corvi sunt volucres, animantes scil. rationis expertes & minùs præstantes: vos autem estis homines, conditi ad imaginem Dei, imò filii Dei, & longè volucribus præstantiores. Minùs autem probabile est, Deum alimenta suppeditaturum ignobiliori creaturæ quàm nobiliori. Si igitur illud facit, multò magis faciet istud. *Tertium* argumentum continetur v.25. & 26. ac pertinet ad utrumque, alimentum & vestitum. Solicitudo ista frustra à vobis suscipitur: Ergo stultè, ac proinde omittenda. Antecedens probatur à majori:

Si nemo ex vobis solicitudine suâ vel unum cubitum apponere potest ad staturam suam: ergò multò minùs poteritis solicitudine vestrâ procurare victum & amictum: & per consequens non debetis de istis esse soliciti.

Sed verum est antecedens. Igitur & consequens.

In textu præcedit assumtio, v.25. tum, annectitur propositio, v.26. Conclusio præcessit v.22.

Quartum argumentum continetur v.27. & 28. & pertinet ad solum vestitum. Syllogismus:

Si Deus vestit lilia, vestiet & vos.

Sed Deus vestit lilia.

Ergo vos quoq; vestiet.

Propositio probatur à minori bifariam. Primùm, quia lilia non laborant neque nent: vos autem laboratis & netis. Minùs autem probabile est, vestimenta habiturum eum qui non laborat neque net, quàm eum qui laborat & net. Si igitur ille vestimenta habiturus est: multò magis iste. Deinde lilia sunt herba agri, quæ hodie floret, cras in clibanum conjicitur: at vos estis homines conditi ad imaginem Dei, & filii Dei, prædestinati ad beatam immortalitatem, ac proinde liliis multò præstatis. Minùs est autem probabile, Deum vestire velle creaturam ignobiliorem quàm nobiliorem. Si igitur illud facit: multò magis faciet istud. Assumtio amplificatur collatione minoris, qua pulchritudo vestitus liliorum anteponitur pulchritudini vestitus Salomonis. Ubi concurrunt aliæ amplificationes duæ, quæ sumtæ sunt à majori: Salomon ne in omni quidem gloriâ suâ ita amictus fuit ut lilia: quasi dicat: Ergo multò minùs quum indutus fuit veste suâ quotidianâ. Deinde, Non fuit amictus ut unum illorum. quasi dicat, Multò minùs ut lilia singula. Consequens connexi amplificatum est corollario, quo reprehendit Dominus discipulorum incredulitatem. Nam si verum est fore ut à Deo vestiantur: consequens est, dignos esse reprehensione, quum istud non credunt, nec providentiæ Dei confidunt. Cæterùm argumentis expositis subjicitur conclusio, v.29. Postea v.30. additur argumentum quintum, itemq; sextum. *Quintum* ibi: *Hæc enim omnia gentes mundi requirunt.* Syllogismus:

Quod gentes mundi, id est, homines expertes Spiritus Dei, solicitè requirunt: id non decet vos solicitè requirere, qui estis participes Spiritus Dei, & per illum regenerati, estis filii Dei.

At victum & amictum gentes mundi solicitè requirunt.

Vos igitur illa requirere solicitè non debetis.

Sextum argumentum ibi: *Pater autem vester novit, vos istis indigere.* Syllogismus:

Si pater vester (nempe calestis, id est, Deus) novit vos istis indigere: procurabit vobis illa. quippe quum hoc sit ingenium patris, filiis procurare quibus indigent.

Sed verum antecedens.

Igitur & consequens.

Septimum argumentum continetur v.31. & 32.

Si Deo placuit dare vobis regnum illud cæleste: multò magis dabit vobis bona terrestria, puta, victum & amictum.

Sed verum antecedens.

Ergo & consequens.

Propositio probatur à minori: quia regnum cæleste est bonum longè præstantius quàm bona terrestria, quæ sunt tanquàm additamenta quædam, v.31. Assumtio amplificatur corollario, ibi: *Quin potiùs quærite regnum Dei.* Nam si Deus paratus est dare nobis regnum illud: officii nostri est, omni studio illud quærere, ut aliquando obtineamus: præsertim quum bonis istis terrestribus longè præstet, tanquam principale scil. accessorio & additamento. Conclusio similiter amplificata est corollario, ibi: *Ne time, ô parve grex*: atque adeò illa est conclusio principalis.

Hactenus fuit dehortatio à solicitudine circa victum & amictum: sequitur secundum hujus sermonis membrum, *hortatio ad eleemosynam*, virtutem scil. isti vitio contrariam. Propositio est: *Date eleemosynam*: id est, Date egenti proximo pecuniam aut alimenta aut vestes ad sese sustentandum. Hæc sententia amplificatur à minori, ubi ait, *Vendite bona vestra* (puta, agros aut domos) *& date eleemosynam.* Nam si tunc quoque divites eleemosynam dare debent, quum pecuniâ aut alimentis aut vestibus non abundant: multò igitur magis debent dare, quum abundant. Et sic divites in ecclesia Hierosolymitana vendiderunt agros, ut eleemosynam darent fratribus egentib⁹, Actor.2.v.45. Hæc dehortatio confirmatur *ab effectu utili*, videlicet remuneratione DEI in cælo: quæ eleganter & accommodatè ad propositum, comparatur, thesauro inexhausto, incorruptibili & furibus non obnoxio. Quibus epithetis tacitè perstringitur vanitas thesaurorum terrestrium: ut qui brevi possint exhauriri; aut si nihil inde ad usus nostros sumatur, rubigine exeduntur, vel à furibus surripiuntur. unde percipitur, non esse tantopere in istis thesauris congerendis elaborandum: sed potiùs in cælestibus illis: ac proinde eleemosynam largiter dandam. Quòd ipsum Dominus concludit tali syllogismo:

Ubi est thesaurus vester, illic & cor vestrum esse debet.

Atqui thesaurus vester est in cælo.

Ergo illic cor quoq; vestrum esse debet: ac per consequens, debetis dare eleemosynam, ut hoc modo thesaurum vestrum in cælo augeatis. nam qui miseretur pauperis, Domino fœneratur.

Sequitur tertium sermonis hujus membrum, *hortatio ad vigilantiam*, seu curam in faciendis officiis vocationis usque dum adveniet Dominus, v.35. & deinceps. Hæc hortatio illustratur *similitudine* servorum, qui dominum suum à nuptiis reversurum, solicitè & cum cura exspectant, lumbis præcinctis, & lucernis accensis. Deinde exemplo patrisfamiliâs vigilantis propter adventum furis. Confirmatur autem ex *effectis*: videlicet effectu utili, si quis exemplum vigilantis servi imitetur: & effectu inutili seu noxio, si quis exemplum vigilantis patrisfamiliâs non imitetur. Effectum utile significatur v.37. his verbis, *Beati servi illi, quos quum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, præcinget se, & jubebit eos discumbere, & accedens ministrabit eis.* Sententia est: Christus in suo adventu honorabit ac beabit cælesti gloriâ & gaudiis fideles suos servos, qui sedulò officiis suæ vocationis incubuerint. Effectum noxium significatur vers.39. ibi: *Nec sineret perfodi domum suam.* quibus verbis significatur: sicut damnum accipit paterfamiliâs, nisi vigilet adveniente fure: ita damnum accepturos omnes eos qui non vigilaverint in faciendis officiis vocationis suæ.

QUARTA PARS.

Alius sermo Domini ad discipulos.

41 Dixit autem ei Petrus, Domine, nobis dicis istam parabolam, an etiam omnibus?

42 Dixit autem Dominus, Quisnam est fidus dispensator ac prudens, quem dominus præficiet famulitio suo, ut in tempore det demensum?

43 Beatus servus ille, quem dominus, quum venerit, invenerit ita facientem.

44 Verè dico vobis, omnibus suis bonis præficiet eum.

45 Quòd si dixerit servus ille in corde suo, Tardat dominus meus adventum: cœperitq; verberare servos & ancillas, & edere & bibere & inebriari:

46 Veniet dominus servi illius eo die quo non exspectat, & eâ horâ quam non novit: & separabit eum, partemq; cum infidis ei adsignabit.

47 Ille autem servus qui novit voluntatem domini sui,

ſui, nec *ſe* comparavit, nec fecit ex voluntate ejus, cædetur multis *plagis*.

48 Qui verò non novit, & fecit digna plagis, cædetur *plagis* paucis. Porrò cuicunque multum datum eſt, multum repetetur ab eo, & apud quem depoſuerunt multum, amplius repoſcent ab eo.

49 Ignem veni miſſurus in terram; & quid volo, ſi jam accenſus eſt?

50 Sed baptiſmo oportet me baptizari: & quomodo conſtringor uſquequo *hoc* perficiatur?

51 Putatis me adveniſſe ut pacem dem in terra? Non, dico vobis; imò diſſidium.

52 Erunt enim ex hoc *tempore* quinq; in unâ domo diſſidentes, tres adverſus duos, & duo adverſus tres.

53 Diſſidebit pater adverſus filium, & filius adverſus patrem: mater adverſus filiam, & filia adverſus matrem: ſocrus adverſus nurum ſuam, & nurus adverſus ſocrum ſuam.

Primùm indicatur ſermonis hujus occaſio, deinde ſermo ipſe narratur. *Occaſionem* Domino ad hunc ſermonem præbuit interrogatio Petri, v. 41. Quum enim ille ſcire cuperet, an ſermo præcedens ad ſe cæterosque diſcipulos ſolos pertineret, an etiam ad turbam: Dominus pergit, & dicit ea quæ propriè pertinebant ad diſcipulos, tanquam conſtitutos eccleſiæ doctores. *Hortatur* igitur eos ad fidelem & prudentem atque ſolicitam verbi adminiſtrationem: & hanc hortationem *illuſtrat ſimilitudine* ſervi atrienſis, qui reliquo famulitio præfectus eſt, ut ſingulis in tempore det demenſum. *Confirmat* autem *ab effectis* in utramque partem: nempe tum effecto utili, ſi quis in fungendo munere fidelem ſeſe & prudentem atque aſſiduum ſive ſedulum præſtet: tum effecto noxio, ſi quis agat contraria. Effectum utile ſignificatur verſ. 43. *Beatus ſervus ille &c.* & verſ. 44. *Verè dico vobis, Omnibus ſuis bonis præficiet eum.* Effectum noxium ſignificatur verſ. 46, *Veniet dominus ſervi illius, & ſeparabit eum; partemq; cum infidis ei aſſignabit.* Hujus effecti expoſitio amplificatur deinceps verſ. 47. & 48. collatione imparium: quâ pœna infidelium ſervorum diſtribuitur ex gradibus in majorem & minorem: prout ſervi voluntatem domini vel nôrunt, vel ignorant: item prout cuique vel multum commiſſum eſt, vel parum. Atque hoc primum hujus ſermonis membrum eſt. In reliqua parte, à verſ. 49. & deinceps, *præmonet de perſecutione* oboritura præconibus & confeſſoribus evangelii. Illam *primùm* comparat igni, v. 49. *Deinde* ſignificat tempus, quo ignis ille ſit accendendus, nempe poſt ſuam paſſionem: quam hic metaphoricè nominat baptiſmum: & amplificat ab effectu, videl. angore animi ſui, v. 50. *Tertiò* præmonitionem repetit, & antitheſi illuſtrat, v. 51. *Quartò* præmonitionem declarat & amplificat exemplis indefinitis, nempe enumeratione diſſidentium, primùm à quantitate ſeu multitudine, v. 52. deinde à qualitate, nempe ſpeciebus cognationis & affirmatis, v. 53.

QUINTA PARS.

Alius ſermo Domini ad turbam.

54 Dicebat autem etiam turbæ, Quum videritis nubem exorientem ab occaſu, ſtatim dicitis, imber venit: & ita fit.

55 Et quum Auſtrum flantem; dicitis, Æſtus erit: & fit.

56 Hypocritæ, faciem terræ & cæli noſtis explorare: hoc autem tempus quî fit ut non exploretis?

57 Cur autem & per vos ipſos non judicatis quod juſtum eſt?

58 Enimverò dum abis cum adverſario tuo ad magiſtratum, da operam in via ut libereris ab eo: ne pertrahat te ad judicem, & judex te trahat exactori, & exactor conjiciat te in carcerem.

59 Dico tibi, non exibis illinc uſquequò ultimum etiam minutum reddideris.

In hoc ſermone *duo* agit Dominus. Primò reprehendit turbam propter malitiam ac perverſitatem in æſtimanda ſua doctrina & factis, uſque ad v. 58. deinde dehortatur à pertinacia in cauſa mala. *Perverſitatem judicii turba* declarat collatione ſimilium, videl. ſignorum tempeſtatis. Sicut enim ſunt ſigna quædam tempeſtatis, unde judicium de tempeſtate fieri poteſt: ita quoque erant ſigna quædam (in ſacris ſcripturis oſtenſa) adventus Chriſti in carnem: quæ ſigna manifeſtè in doctrina & factis Domini Jeſu conſpiciebantur. At Judæi agnoſcebant quidem ſigna tempeſtatum, indeque de inſtante tempeſtate rectè pronuntiabant: at ſigna adventus Chriſti conſpicere nolebant, ſed illa petulanter aut negligebant, aut diſſimulabant. Unde jam apparet illorum in judicando injuſtitia: quippe qui de rebus ſimilibus diſſimile ferebant judicium: Protaſis ſimilitudinis exponitur v. 54. & 55. Apodoſis, ſed obliqua, v. 56. Recta apodoſis erat: Sic quum videatis in me ſigna Meſſiæ, debebatis me pro Meſſia agnoſcere. Sed loco hujus ſententiæ ponitur reprehenſio malitiæ Judæorum, quâ fiebat ut ipſum pro Meſſia non agnoſcerent: quantumvis ſigna Meſſiæ in illo manifeſtè apparerent. Id ſignificat quum ait, *Hoc autem tempus quî fit ut non exploretis?* Intelligit enim tempus exhibendi Meſſiæ, jam olim à prophetis prædictum & claris ſignis inſignitum. Porrò reprehenſionem iſtam repetit v. 57. apertè conquerens de injuſtitia judicii ipſorum. Atque hoc primum hujus ſermonis membrum eſt. Deinde v. 58. & 59. *dehortatur à pertinacia* in mala cauſa, & contrà hortatur ad placabilitatem & reconciliationem cum adverſario: adhibito argumento ab effectu noxio, ibi: *Et judex te tradet exactori &c.*

SCHOLIA IN CAP. XII.

1 Multa millia] τῶ μυριάδων. *Ad verb.* Dena millia. *Numerus certus pro incerto. Synecdoche ſpeciei.* Ut alii alios conculcarent] ὥστε καταπατεῖν ἀλλήλους. *Id eſt, ut alii aliorum pedes calcarent. Synecdoche integri.*

2 Nihilque occultum] καὶ κρυπτὸν. *Poſt* καὶ *repetendum* οὐδὲν, *ex priore membro.*

3 Supra tecta] ἐπὶ τῶ δωμάτων. *Vide Matth. 10. 27.*

5 Utique] ναὶ. *Seu, profectò.* πάντως, *Omnino, planè. Aſſeverandi adverbium.*

6 Veneunt aſſariis duobus?] πωλεῖται ἀσσαρίων δύο; *Hic notandum eſt ſignum interrogationis: & interrogatio innuit affirmationem indubitatam rei vulgò nota.* Et tamen unus] καὶ ἓν. *Hac ſententia cum præcedente cohæret per enuntiatum diſcretum: quaſi dicatur: Etſi quinq; paſſerculi veneunt aſſariis duobus (hoc eſt, pretio minimo) tamen ne unus quidem ex iis in oblivione eſt apud Deum. Hinc jam percipitur, ſignum interrogationis non rectè ad finem hujus ſententiæ adſcribi.* Unus ex iis non eſt] ἓν ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔστιν. *Pro,* οὐδὲ ἓν ἐξ αὐτῶν ἐστιν. Ne unus quidem ex iis eſt &c. *Amplificatio* ἀπὸ τοῦ μᾶλλον. *q. d. Multò minus aliqua illorum multitudo in oblivione eſt apud Deum.* Non eſt in oblivione apud Deum] οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *Ad verb.* Non eſt oblivioni traditum coram Deo. *Id eſt, Deus ſingulorum paſſerum recordatur & curam gerit,* ἀνθρωποπαθῶς.

7 Numerati ſunt] ἠρίθμηνται. *Scil. à Deo. Id eſt, non ſecus Deo curæ ſunt, quàm hominibus poſſeſſiones, quas ſubinde numerant, ne quid ex illis amittant: ut paſtor numerat oves ſuas. Metonymia effecti metaphorica: nam iſta numeratio apud homines ex cura rei numeratæ proficiſcitur.* Etiam pili] καὶ αἱ τρίχες. *Quaſi dicat, Quantò magis corpus veſtrum, ſeu vita veſtra, Deo curæ eſt? Hic* καὶ *eſt nota minoris,* τοῦ ἧττον, *id eſt, ejus quod minùs probabile eſt.* Multis paſſerculis præſtatis] πολλῶν στρουθίων διαφέρετε. *Subaudienda conjunctio cauſalis,* Nam.

8 Quiſquis me confeſſus fuerit &c.] πᾶς ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοὶ *&c. De antanaclaſi in verbo* confitendi *vide Analyſin.* Filius quoque hominis] καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Pro,* κἀγὼ, *ego quoque. Periphraſis.*

9 Qui verò negaverit me &c.] ὁ δὲ ἀρνησάμενός με *&c. De antanaclaſi in verbo* negandi *vide Analyſin.* Abnegabitur] ἀπαρνηθήσεται. *Scil.* ὑπ' ἐμοῦ, *à me.*

10 Quippiam] λόγον. *Sermonem, ſeu verbum. Hebraiſmus.*

16 Exuberârat] εὐφόρησεν. *Germanicum expreſſius, & Græco è regione reſpondens,* hatte wol getragen.

18 Fructus] τὰ γενήματά. *Quos verſu præcedente nominârat* τοὺς καρπούς. *Sic alibi,* γέννημα ἀμπέλου, *fructus vitis: Ad verb.* genimen, *id eſt, quod genitum eſt ex vite.*

20 Animam tuam repetunt] τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν. *Pro,* Anima tua repetitur. *Genus loquendi imperſonale. Quanquam videtur hoc per ſynecdochen generis referendum ad malos ſpiritus. nam ut boni angeli animas piorum aſportant in ſinum Abrahæ, infrà 16. 22. ſic mali angeli animas impiorum haud dubiè aſportant in gehennam. Eſt autem imperſonale hoc loquendi genus apud Hebræos uſitatum: ut Proverb. 9. v. 11.* Adjicientur tibi annos vitæ: *pro, Adjicientur tibi anni vitæ ſcilicet à Deo. Sic Job. 4. 19. Item 7. 3.* Cujus erunt?] τίνι ἔσται; *Ad verb.* Cui erunt? *Id eſt, Cui cedent? quis habebit?*

21 Sibi] ἑαυτῷ. *Id eſt, ad uſus ſuos.* In Deo] εἰς Θεὸν. *Vel,* dives Deo, *caſu ablativo. Pro,* ἐν Θεῷ. *Dicitur autem* πλουτεῖν ἐν Θεῷ, *dives eſſe Deo,* an Gott reich ſeyn: *qui præditus eſt ſalvificâ cognitione, fiduciâ ac timore Dei. Porrò loqutionis hujus exemplum occurrit 1. Tim. 6. 18. ubi divites jubentur* πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς, *divites eſſe operibus bonis,* reich ſeyn an guten wercken.

24 Quanto vos præſtatis] πόσῳ μᾶλλον *&c. Redundat adverbium* μᾶλλον. *Et viciſſim deficit conjunctio tranſitiva* δὲ: πόσῳ δὲ ὑμεῖς διαφέρετε, *Quanto autem vos præſtatis volucribus? Quæ eſt approbatio propoſitionis omiſſæ, nempe hujus ſententiæ: Si Deus alit corvos, multò magis alet vos.*

25 Cubitum unum] πῆχυν ἕνα. *Id eſt,* Vel unum cubitum. Auch nur aine ehle. *Quaſi dicat: Quanto minus apponere aliquis poteſt cubitos plures?*

26 De cæteris] περὶ τῶ λοιπῶν. *Videl. de vita & corporis conſer-*

Z

vatione: de qua præsens disputatio à Domino instituta est. Quid soliciti estis?] τί μεριμνᾶτε; *Quum scil. ista solicitudine nihil proficiatis.*

27 In omni gloria sua] ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ. *Id est, splendore & magnificentiâ regali. Sic suprà 9. v. 31. Moses & Elias apud Dominum in monte dicuntur conspecti ἐν δόξῃ, in gloria: hoc est induti specie splendidâ & gloriosâ. Sic 1. Cor. 15. 41. stellis attribuitur δόξα, gloria, id est, splendor seu claritas. Hoc loco δόξα commodè redditur* herrlichheit.

28 Quantò magis vos] πόσῳ μᾶλλον ὑμᾶς. *Scil. circumvestiet. Latinum obscurius, propter ὁμωνυμίαν pronominis* vos: *quod & nominativo & accusativo casu accipi potest.*

29 Vos igitur] καὶ ὑμεῖς. *Pro,* ὑμεῖς οὖν. *Continetur enim hîc disputationis hujus conclusio.* Ne in sublime tollimini] μὴ μετεωρίζεσθε. *Quasi dicat, Ne in aëre vagamini cogitationibus vestris. Syrus interprete Tremellio, sensum sic expressit*, Neq; distrahatur cogitatio vestra in istis. Fladert nicht mit ewern gedancken.

30 Hæc enim] ταῦτα γὰρ. *Quæstioni modò conclusæ annectit novum argumentum.* Gentes mundi] τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου. *Id est, gentes huic mundo addicta, mundanâ sapientiâ prædita, expertes interim sapientia vera, qua consistit in cognitione Dei.* Pater autem vester &c.] ὑμῶν δὲ ὁ πατὴρ &c. *Antithesis postulabat talem sententiam: Vos autem agnoscitis Deum pro vestro patre. Tum annecteretur: Is verò novit, vos istis indigere. Unde nimirum efficitur, vos non debere de istis esse solicitos: quum Deus ista suppeditare vobis velit, ut benignus pater, atq; etiam suppeditare possit, ut omnipotens Deus. Ad quod significandum apud Matthaum additur epitheton ὁ οὐράνιος, id est, cœlestis, Matth. 6. 32.*

31 Tum] καὶ. *Copulativa pro relativa consequentia.*

32 Regnum illud] τὴν βασιλείαν. *Articulus vim habet ἀναφορικὴν, quo hîc notatur regnum illud cœleste.*

33 Et date eleëmosynam] καὶ δότε ἐλεημοσύνην. *Post δότε videtur supplendum αὐτὰ, item q; ante ἐλεημοσύνην præpositio εἰς: ut integra oratio sit, καὶ δότε αὐτὰ εἰς ἐλεημοσύνην*, Et date ea in eleëmosynam. *Confer suprà 11. 41. & Matth. 19. 21.*

34 Esse debet] ἔσται. *Pro,* ἔστω. *Enallage modi.*

36 Exspectant dominum suum, quando reversurus sit] προσδεχομένοις τὸν κύριον ἑαυτῶν, πότε ἀναλύσει. *Constructio qualis illa apud Terent.* Observa filium quid agat: *pro, Observa quid filius agat.* Reversurus sit] ἀναλύσει. *Ad verb. resoluturus, vel iterum soluturus. Metaphora à nautis, & metonymia effecti destinati. nam quum nauta domum reverti volunt ex regione peregrina, iterum solvunt naves ex portu ubi eas alligârant.*

37 Accedens] παρελθών. *Pro,* προσελθών. *Sicut infrà 17. 7.*

46 Eâ horâ quam &c.] ἐν ὥρᾳ ᾗ &c. *Pro,* ἐν ὥρᾳ ἐκείνῃ ἣν οὐ γινώσκει. Separabit eum] διχοτομήσει αὐτὸν. *Vide scholia in Matth. 24. v. ult.* Cum infidis] μετὰ τῶν ἀπίστων. Mit den untrewen. *Hi apud Matthaum dicuntur* ὑποκριταί, *hypocritæ*, heuchler.

47 Cædetur multis plagis] δαρήσεται πολλάς. *Scil.* πληγάς: *subintellectâ etiam præpositione κατὰ. Sic versu sequenti.*

48 Deposuerunt] παρέθεντο *pro*, deposita sunt. *Loquutio impersonalis: qualis suprà v. 20. Cæterùm* παρέθεντο *idem hîc valet quod* παρακατέθεντο. *Et sic Paulus promiscuè utitur vocabulis* παραθήκη, *&* παρακαταθήκη, 2. *Tim.* 1. *v.* 12. *&* 14. Reposcent ab eo] αἰτήσουσιν αὐτόν. *Pro,* ἀπαιτήσουσιν ἀπ' αὐτοῦ: *quo modo loquutus est suprà v. 20. Est autem rursus loquutio impersonalis, Hebræis usitata.*

49 Ignem] πῦρ. *Id est, prædicationem atq; confessionem Evangelii propter quam mundus exardescet odio, & Evangelii præcones atq; confessores hostiliter persequetur. Metonymia effecti metaphorica. nam per ignem metaphoricè significat persecutionem: ex persecutione autem intelligit metonymicè Evangelii confessionem & prædicationem.* Et quid volo si jam accensus est?] καὶ τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη; *Pro*, Quàm velim ut jam accensus esset? *Sunt enim verba optantis: ut percipitur ex subjecta correctione:* Sed baptismo oportet me baptizari. *scil. priusquam ignem illum in terram mittam.*

50 Baptismo oportet me baptizari] βάπτισμα ἔχω βαπτισθῆναι. *Id est, oportet me multa pati, & tandem trucidari, ut sanguine meo perfundar. Metaphora: qualis Matth 20. v. 22. & 23.* Constringor] συνέχομαι. *Scil. animo: id est, angor. Sic Philip. 1. 23.*

51 Imò] ἀλλ' ἤ. *Aut ἢ redundat: aut subaudiendum οὐδὲν, quasi dicatur, ἀλλ' οὐδὲν ἤ, Sed nihil quàm.*

52 Ex hoc tempore] ἀπὸ τοῦ νῦν. *Subauditur χρόνου.*

53 Dissidebit pater &c.] διαμερισθήσεται πατὴρ &c. *Est hîc elegans antithesis relatorum, & ἐπάνοδος.*

54 Nubem] τὴν νεφέλην. *Pro,* νεφέλην τινά, *nubem aliquam. Articulus positus indefinitè.* Ab occasu] ἀπὸ δυσμῶν. *Græcum plurale est: quia triplex est occasus.* Venit] ἔρχεται. *Id est, paulo-pòst venturus est.*

55 Et quum Austrum flantem] καὶ ὅταν νότον πνέοντα. *Scil.* ἴδητε, *videritis: ex versu præcedente. Pro,* ἀκούσητε, *audiveritis. Catachresis.* Æstus erit] ὅτι καύσων ἔσται. *Conjunctio* ὅτι *servit mimesi.*

OBSERVAT. EX CAP. XII.

1 Ex v. 1. Sicut tempore Christi cavenda fuit hypocrisis Pharisæorum, hypocrisis scilicet tum doctrinæ tum vitæ ipsorum: sic hodie cavenda hypocrisis doctorum Pontificiorum, ac in primis Jesuitarum. *Officium hominis Christiani.*

2 Ex v. 2. & 3. Qui doctrinam Christianam in scholis ex præceptoribus didicerunt, suo tempore ad docendum Ecclesiam vocati, publicè illam prædicare debent. Ac proinde ut illo prædicandi munere rectè fungi possint, studiosè priùs præceptores doctrinæ Christianæ audire debent. *Officium studiosorum Theologia.*

3 Ex v. 4. & seqq. Contra persecutionem mundi, pii Ecclesiæ doctores aliique doctrinæ Christianæ confessores, consolari se debent argumentis hoc loco à Domino suppeditatis: videlicet quòd tyranni non possunt lædere ipsorum animam, quin illa servetur in æternum: quòd proteguntur providentiâ Dei, ne vel in corpore à tyrannis lædi possint pro ipsorum libidine: quòd constantia ipsorum in Christo confitendo in die judicii prædicabitur coram angelis Dei, & præmiis æternis afficietur. A Christo verò abnegando deterrere nos debet metus gehennæ & ignominiæ coram angelis Dei. *Consolatio contra persecutionem.*

4 Ex v. 10. Gradus sunt peccatorum: & omnium maximum peccatum est, blasphemia in Spiritum sanctum. Quare Deus quotidie orandus, ut nos Spiritu suo regat, ne in illud peccatum incidamus: quippe quod irremissibile est: idque justissimo Dei judicio, qui non patitur se mendacii argui, & veritatem suam pedibus conculcari: id quod faciunt qui in Spiritum sanctum blasphemant. *Peccatorum gradus.*

5 Ex v. 11. & 12. Confessores veritatis cœlestis, præceptum hoc Domini observent: seque promissione hac illius consolentur, & contra omnem metum erigant. *Confessio fidei Christiana.*

6 Ex v. 13. & 14. Ministris verbi cavendum, ne judicia civilia exerceant: quum ad hoc non sint vocati. *Officium ministrorum verbi Dei.*

7 Ex v. 15. & seqq. Notanda sunt argumenta contra avaritiam & fiduciam in bonis terrenis, & solicitudinem in illis acquirendis: nempe quòd vita nemini constat ex illis: & quòd pater noster cœlestis nobis est procuraturus quantum satis est: & quòd solicitudine istâ nihil proficimus: & deniq; quòd ista solicitudo tanquam Ethnica, hominem Christianum dedecet. *Avaritia. Fiducia in bonis terrenis. Solicitudo in requirendis bonis terrenis.*

8 Ex v. 31. Qui bona terrena desiderant, inprimis cœlestia quærant. Sic enim fiet, ut illa quoq; tanquam ἐν προσθήκης μέρει consequantur. *Bona terrena.*

9 Ex v. 32. Numerus electorum, comparatus cum numero reproborum, parvus est. Confer Matth. 7. 13. & 14. & 22. v. 14. *Electorum numerus.*

10 Ex eod. Vita æterna à beneplacito Dei, tanquam primo fonte, emanat. *Vita aterna origo.*

11 Ex eod. Contra omnem metum erigere se debent credentes spe vitæ æternæ ex promissione Dei certò potiundæ. *Consolatio credentium.*

12 Ex v. 33. Divites eleemosynis dandis intenti esse debent. *Divitum officium.*

13 Ex eod. v. & sequenti. Non terrenis, sed cœlestibus divitiis acquirendis studendum est: quia terrenæ divitiæ, fluxæ & caducæ; cœlestes verò, constantes & æternæ sunt. *Officium hominis Christiani.*

14 Ex v. 35. & seqq. Adventus Domini ad judicium perpetuâ cum vigilantiâ & officii curâ exspectandus est: ne incautos opprimat: idq; inprimis ministris verbi. *Officium hominis Christiani.*

15 Ex v. 49. 51. 52. & 53. Quum videmus mundum propter Evangelii prædicationem & confessionem tumultuari: non est quòd magnopere perturbemur, aut de Evangelii veritate dubitemus: quia Christus prædixit, Evangelium fore veluti ignem cujus accensione mundus tumultuetur. Interim ipse hunc ignem ardere vult usq; dum ad judicium redeat. *Consolatio contra tumultuationem mundi propter Evangelii prædicationem.*

16 Ex v. 49. & 50. inter se collatis. Evangelium post Christi demum mortem in toto mundo prædicari oportuit. Confer infra cap. ult. v. 46. & 47. *Evangelii prædicatio.*

17 Ex v. 50. Consideranda hîc est causa cur Christus supplicium quo se afficiendum nôrat, tantopere exhorruerit? ut percipitur ex illis verbis, *Et quomodo constringor? &c.* Sicut & ex agone illo quem sustinuit in horto: quum supplicii tempus instare sentiret. Causa fuit non tam metus cruciatuum corporalium, quàm metus cruciatuum spiritualium, quia sciebat oportere se in cruce gustare iram Dei adversus peccata electorum, ac proinde sentire cruciatus infernales; quales cruciatus reprobi in gehenna in æternum sensuri sunt. Quales quidem cruciat⁹ Dominum in cruce sensisse, percipitur ex illa ejus voce, *Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me?* Hinc nos, quotquot verè in Christum credimus, certi sumus: nos tales cruciatus nunquam sensuros, quia Christus illos pro nobis sensit: sed potiùs per mortem corporalem in vitam æternam & sensum plenum paterni favoris Dei ingressuros. *Cur Christus supplicium tantopere exhorruerit.*

18 Ex v. 54. & sequentibus. Tempus gratiæ, quum scilicet Deus verbum suum prædicari nobis curat, gratis animis agnoscere, & prudenter eo ad salutem nostram uti debemus. Confer infrà 19. 44. *Officium hominis Christiani.*

19 Ex v. 58. & 59. Cavenda pertinacia: & contrà studendum placabilitati. *Officium hominis Christiani.*

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

Dominus 1. hortatur auditores suos ad resipiscentiam & studium pietatis: 2. sanat mulierem incurvam: 3. proponit duas parabolas, unam de grano sinapis, alteram de fermento: 4. iterum hortatur ad resipiscentiam & studium pietatis: 5. postremò exprobrat Hierosolymitanis incredulitatem. Sunt igitur quinq; capitis partes.

PRIMA

PRIMA PARS.

Dominus hortatur auditores suos ad resipiscentiam & studium pietatis.

Adfuerunt autem eo ipso tempore quidam annuntiantes ei de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum ipsorum sacrificiis.

2 Et respondens Jesus dixit eis, Putatis hos Galilæos præ omnibus Galilæis peccatores fuisse, quòd tali passi sint?

3 Non, dico vobis: imò, nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis.

4 Aut illos decem & octo, supra quos cecidit turris ad *fluvium* Siloam, & trucidavit eos, putatis debitores fuisse præ omnibus hominibus qui habitant Hierosolymæ?

5 Non, dico vobis: imò, nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis.

6 Dixit autem hanc parabolam, Ficum habebat quidam plantatam in vinea sua: & vênit quærens fructum in ea, sed non invênit.

7 Dixit autem vinitori, Ecce, tres *jam* annos venio quærens fructum in ficu ista, sed non invenio: exscinde eam: quorsum etiam terram inutilem reddit?

8 Ille verò respondens dixit ei, Domine, sine eam etiam hunc annum, usquequo fodero circum eam, & apposuero stercus:

9 Et, si quidem tulerit fructum, *sines*: sin minùs, in futuro exscindes eam.

Primùm narratur hortationis hujus occasio, deinde causa impulsiva, tum hortatio ipsa. *Occasionem* Domino ad hanc hortationem faciendam præbuit nuntium de crudelitate Pilati quam exercuerat in quosdam Galilæos sacrificantes, vers. 1. *Causa impulsiva* quæ Dominum movit ad hanc hortationem faciendam, fuit falsum judicium eorum qui nuntium illud ipsi retulerant, quasi scil. Galilæi illi præ cæteris peccatores fuissent, hoc est, quasi Deus crudelitatem illam Pilato ideo permisisset, ut per illam istos puniret propter singularia peccata, v. 2. *Hortatio* ipsa primùm confirmatur, deinde illustratur. *Confirmatur* argumento *ab effectu noxio*, videl. interitu simili qualis erat istorum Galilæorum, v. 3. *Illustratur* duobus modis: primùm *exemplo*, deinde *parabolâ*. Exemplum est de octodecim Hierosolymitanis occisis per casum turris, v. 4. & 5. Parabola est de ficu sterili cui paterfamiliâs, per triennium frustra exspectato fructu, quartum adhuc annum concessit antequam exscinderet. Quâ parabolâ simul commendatur bonitas atque lenitas Dei in concedendo impiis resipiscentiæ spatio, v. 6. & deinceps.

SECUNDA PARS.

Sanat mulierem incurvam.

10 Docebat autem in quadam synagoga sabbatho.

11 Et ecce, mulier aderat habens spiritum invaletudinis annos *jam* decem & octo: eratque incurva, nec poterat *sese* recurvare prorsus.

12 Ipsam autem quum vidisset Jesus, advocavit, & dixit ei; Mulier, soluta es ab invaletudine tua.

13 Et imposuit ei manus: & illico surrecta est; & glorificabat Deum.

14 Respondens autem præfectus synagogæ, indignans quòd sabbatho sanasset Jesus, dixit turbæ; Sex dies sunt quibus oportet operari: his ergo *diebus* venite & sanamini, & non die sabbathi.

15 Respondit ergo ei Dominus, & dixit, Hypocrita, unusquisque vestrûm sabbatho nonne solvit bovem suum aut asinam à præsepi, & ducit aquatum?

16 Hanc autem filiam Abrahæ, quam vinxit Satanas ecce decem & octo annos, non oportuit à vinculo isto solvi die sabbathi?

17 Et quum hæc diceret, pudore afficiebantur omnes qui se opponebant ei: sed tota turba gaudebat super omnibus gloriosis rebus quæ fiebant ab eo.

Primùm indicantur sanationis hujus locus, 2. tempus, 3. occasio, 4. causa impulsiva, 5. præparatio seu effectum destinatum, 6. modus agendi, 7. miraculum ipsum, 8. eventa. *Locus* ubi hoc miraculum factum est, fuit quædam synagoga, v. 10. *Tempus* quo factum est, fuit sabbathum, ibid. *Occasio* Domino ad hoc miraculum præbita, fuit præsentia istius mulieris, v. 11. Causa quæ Dominum ad illam sanandum impulit, fuit ejus miseria: quæ narratur eod. v. 11. *Præparatio* quâ tum ipsa mulier tum spectatores ad hoc miraculum fuerunt præparati, nempe in spem illius erecti, fuit advocatio mulieris, quòd Jesus mulierem ad se vocavit, vers. 12. idque clarâ voce, ut videtur innui voce Græcâ, προσεφώνησε: pro quo aliâs dicitur, προσκαλεῖν. *Modus agendi* consistit in duobus, in pronuntiato Domini, v. 12. & in gestu, v. 13. *Miraculum* ipsum narratur eod. v. 13. his verbis: *Et illico surrecta est.* *Eventa*, alia ex aliis ordine consecuta, narrantur quinque. 1. Mulier sanata glorificabat Deum: i. e. gratias illi agebat pro accepto beneficio, celebrans ipsius bonitatem atq; misericordiam, v. 13. 2. Præfectus synagogæ indignatus fuit quòd Dominus sanasset illam sabbatho: ac proinde turbæ præcepit, ut posthac non ampliùs in sabbatho sese sanandos offerrent: non ausus videl. Dominum ipsum apertè reprehendere, sed interim obliquè (hypocritarum more) ipsum insimulans violati sabbathi: v. 14. 3. Dominus innocentiam suam contra tacitam illam & obliquam præfecti criminationem defendit, demonstrans se rectè & laudabiliter egisse. Id quod demonstrat à comparatis, ratiocinando à minori, in hunc modum.

Si licet vobis in sabbatho solvere bovem aut asinam à præsepi, & ducere aquatum: multo magis mihi licuit in sabbatho solvere hanc mulierem à vinculo satanæ.
At illud vobis licet.
Ergo istud multo magis licuit mihi.

Assumtio confirmatur testimonio opinionis sive sententiæ Judæorum: quæ ipsa ostenditur ex factis: quia solebant ita facere, neque putabant se eo pacto sabbathum violare. Propositio confirmatur à minori: idque bifariam. Primùm, ubi mulierem istam nominat *filiam Abrahæ.* Minùs enim probabile est licere (saltem in speciem) violare sabbathum propter jumentum aliquod, quam propter hominem, & quidem hominem pertinentem ad populum Dei. Quare si illud licitum putatur: multo magis istud licitum judicandum fuerit. Atque hæc una ratio minoris est: altera notatur his verbis, *Quam vinxerat satanas ecce decem & octo annos.* Quasi dicat: Non est vobis tanta causa sabbatho solvendi jumenta ad aquandum: quanta mihi fuit sabbathio solvendi hanc à vinculo invaletudinis ad sanandum: quia jumenta unicum in hebdomade diem congerentur sitim pati, si sabbatho non ducerentur aquatum: at ista totos octodecim annos invaletudinem passa fuit ex vinculo isto satanæ. Minùs autem probabile est, licere sabbathum violare propter causam minoris momenti, quàm propter causam graviorem. Quare si illud licet: multò magis hoc. 4. Defensione istâ Domini pudore affecti fuerunt omnes, qui se ei opponebant, vers. 17. Ubi simul perspicitur, præfectum synagogæ dum Dominum violati sabbathi obliquè insimularet, suos applausores habuisse. 5. Tota turba gaudebat super omnibus gloriosis rebus quæ fiebant ab eo, vers. eodem.

TERTIA PARS.

Proponit duas parabolas: unam de grano sinapis, alteram de fermento.

18 Dixit autem *Jesus*, Cui rei simile est regnum Dei? & cui rei illud assimilabo?

19 Simile est grano sinapis, quod acceptum quispiam jecit in hortum suum: & crevit, & evasit in arborem magnam, & volucres cæli nidulati sunt in ejus ramis.

20 Et rursum dixit, Cui rei assimilabo regnum Dei?

21 Simile est fermento quod acceptum mulier recondidit in farinæ satis tribus, usquequò fermentaretur tota.

22 Peragrabat igitur singulas urbes & vicos, docens, & iter faciens Hierosolymam.

Utrique parabolæ sua præmittitur accessio, quâ auditores excitabantur ad attentionem: deinde ambabus adjicitur appendix de gestis similibus. *Prioris parabolæ accessio* habetur v. 18. ibi, *Cui res simile est &c.* Elegans & Hebræis usitatum interrogandi genus, quod innuit cupiditatem docendi. Parabola ipsa continetur vers. 19. Cujus sententia videtur esse hæc: Verbum evangelii, licet judicio carnis simile grano sinapis, hoc est, vile, nullius ve pretii aut efficaciæ videatur: tamen satum in corda electorum, excrescere in cognitionem Dei amplam & salvificam. *Accessio posterioris parabolæ* habetur vers. 20. similis priori. Parabola ipsa continetur vers. 21. Cujus sententia videtur esse hæc: Sicut fermento massa tota fermentatur: sic verbo Dei in cordibus electorum recondito, totum hominem immutari, & ex in-

ſipido ſapidum reddi, hoc eſt, placentem Deo per fidem & ſtudium pietatis, quum antea ei diſpliceret propter fidei & pietatis defectum. *Appendix* adjicitur verſ. 22. de factis Domini ſimilibus: quòd ſcilicet ſicut in illa ſynagoga ubi incurvam mulierem ſanaverat, turbam docuit: itidem fecerit in ſingulis urbibus & vicis, quas iter faciens Hieroſolymam peragravit. Quâ narratiunculâ ſtudium Domini in fungendo munere prophetico commendatur, illiusque ſtudii cauſa impulſiva connotatur, videlicet quòd ſciret parum ſibi temporis reſtare ad populum docendum: quum brevi eſſet Hieroſolymis occidendus: hanc enim ob cauſam Hieroſolymam tunc proficiſcebatur: ut liquet ex collatione verſus 33.

QUARTA PARS.

Iterum hortatur ad reſipiſcentiam & ſtudium pietatis.

23 Dixit autem ei quidam; Domine, num pauci ſunt qui ſerventur? Ipſe verò dixit eis:

24 Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, ſtudebunt intrare, & non poterunt.

25 Ex quo *videlicet* ſurrexerit paterfamiliâs, & occluſerit oſtium, & cœperitis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes, Domine, domine, aperi nobis: qui reſpondens dicet vobis, Neſcio unde vos ſitis.

26 Tunc incipietis dicere, Edimus in tui conſpectu, & bibimus: & in plateis noſtris docuiſti.

27 Et dicet, Dico vobis, neſcio unde vos ſitis: abſcedite à me omnes qui datis operam injuſtitiæ.

28 Illic erit fletus & ſtridor dentium; quum videritis Abrahamum & Iſaacum & Jacobum & omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

29 Tunc venient ab Oriente & Occidente, & Boreâ & Auſtro: & diſcumbent in regno Dei.

30 Et ecce, ſunt ultimi, qui erunt primi; & ſunt primi, qui erunt ultimi.

Primùm narratur hortationis hujus occaſio, deinde hortatio ipſa. *Occaſionem* Domino ad hanc hortationem inſtituendam præbuit quæſtio cujusdam de numero ſalvandorum, v. 23. Ad quam quidem quæſtionem Dominus non reſpondet directè: ſed eâ occaſione monet, unumquemque ſolicitum potiùs eſſe debere ut ipſe ſit in numero ſalvandorum (quod nimirum fit per veram reſipiſcentiam & ſtudium pietatis) quàm ut ſcire deſideret, quantus ſit numerus ſalvandorum, magnus an parvus. Interim tamen in ipſa hortatione innuit, numerum ſalvandorum eſſe parvum: quatenus portam per quam in cælum introitur, nominat anguſtam. Pleri que enim malunt ingredi per portam latam, quàm per anguſtam. *Hortatio* ipſa primùm proponitur, deinde confirmatur. *Proponitur illuſtrata ſimili*, ibi: *Contendite intrare per anguſtam portam*, v. 24. quaſi dicat: Sicut difficile ac moleſtum eſt intrare in domum aliquam per portam anguſtam: ſic etiam difficile & carni moleſtum eſt intrare in cælum, domum illam patris cæleſtis, per reſipiſcentiam & ſtudium pietatis. Interim tamen quum nulla alia porta in cælum pateat: per illam omnino intrandum eſt omnibus illis qui intrare cupiunt. *Confirmatur* hæc hortatio *ab effectu* pernicioſo, niſi quis ei obtemperet. Effectus ille eſt excluſio è cælo: quæ ſignificatur ibidem, his verbis: *Quia multi dico vobis ſtudebunt intrare* (ſcil. in cælum) *& non poterunt*: Quibus verbis innuit, multo maximam hominum partem manere impœnitentes, nec velle in cælum intrare per anguſtam portam: unde futurum ſit, ut intrare in illud non poſſint: ſed in die judicii à ſeſe tanquam patrefamiliâs inde excludantur: quod ipſum v. 25. κατ' ἐπιμονὴν καὶ ἐπεξεργασίαν pluribus verbis exponit atque declarat. Cæterùm *iſta excluſio amplificatur expoſitione cauſæ corrumpentis*, v. 26. quòd impœnitentes illi in die judicii dicturi ſint ei, *Edimus in tui conſpectu, &c.* id eſt, Familiariter tecum verſati ſumus in mundo: itaque confidimus, te nunc quoque amicum te nobis exhibiturum, ac proinde è domo tua non excluſurum. Hæc cauſa corrumpens removetur tanquam inefficax, v. 27. & contrà affertur cauſa efficax excluſionis, videl. injuſtitia ſeu impietas illorum propter quam excludi merentur. Poſtea *excluſio iſta amplificatur tribus modis*. Primùm ab effectis, ubi ait: *Illic erit fletus & ſtridor dentium*, v. 28. Deinde à contrario, videl. felicitate piorum in cælo: & quidem non ſolùm Judæorum, ut Abrahami, Iſaaci, Jacobi, & omnium prophetarum, v. 28. ſed etiam gentilium: qui venturi ſunt ab omnibus mundi plagis, v. 29. Poſtremò ab inopinato eventu, quòd ſcil. è cælo excludendi ſint quidam qui nunc videntur eſſe primi: & contrà admittendi qui nunc videntur eſſe ultimi. Per primos autem intelligit hypocritas, ac in primis ſcribas & Phariſæos: per ultimos verò, peccatores manifeſtarios, quales tum erant publicani & meretrices. Confer Matth. 21. v. 31. Item parabolam de operariis in vineam conductis, Matth. 20. in principio: collatam cum verſu ult. cap. 19. & cum ipſa parabolæ apodoſi, v. 16. Unde percipitur, Dominum nomine primorum intellexiſſe juſtitiarios illos qui gloriantur de multitudine bonorum ſuorum operum, & illis condignam mercedem à patrefamiliâs poſtulant: quum ultimi illi qui per totam ferè vitam otiosè & ſecurè vixerunt, nihil boni operis facientes, denario ſibi à patremaliâs dato bene contenti ſint.

QUINTA PARS.

Exprobrat Hieroſolymitanis incredulitatem.

31 Eo ipſo die acceſſerunt quidam Phariſæi, dicentes ei; Exi, & abi hinc: nam Herodes vult te trucidare.

32 Tunc ait eis, Profecti dicite vulpi illi; Ecce, ejicio dæmonia, & ſanationes perago, hodie & cras: & tertio die conſummor.

33 Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie iter facere: quia fieri non poteſt ut propheta pereat extra Hieroſolymam.

34 Hieruſalem, Hieruſalem, quæ trucidas prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina pulliciem ſuam ſub alas? Sed noluiſtis.

35 Ecce relinquitur vobis domus veſtra deſerta, Amen autem dico vobis, non videbitis me, uſquedum venerit *tempus* quum dicetis, Benedictus *ſit* qui venit in nomine Domini.

Primùm narratur exprobrationis hujus occaſio, deinde exprobratio ipſa, poſtremò denuntiatio pœnæ. *Occaſionem* Domino ad hanc exprobrationem præbuit mentio ſui ſupplicii poſt paucos dies Hieroſolymis ſubeundi. Hæc autem ipſa ſupplicii mentio illuſtratur è ſua occaſione, videlicet monitione Phariſæorum quâ Dominum monebant, ut è Galilæa abiret, ad cavendum periculum ſibi imminens ab Herode, v. 31. Quibus Dominus ita reſpondet, ut ſignificet, ſe non metuere Herodem: ſed intrepidè officium ſuum propheticum in Galilæa peracturum, quamdiu per vocationem divinam poterit: quod quidem non diuturnum fore ſignificat: poſtea ſe ultrò è Galilæa Hieroſolymam abiturum, non ut ſupplicium ab Herode inferendum declinet: ſed ut illud ſponte ſubeat Hieroſolymis ſibi inferendum ab ipſis Hieroſolymitanis: contra quorum crudelitatem ſeſe conſolatur exemplo cæterorum prophetarum, quos Deus ante id tempus ad illos miſerat, verſ. 32. & 33. eâdemque operâ crudelitatem iſtorum amplificat. *Exprobratio* ipſa continetur v. 34. illuſtrata & amplificata ſimili, quo ſtudium ſuum in ſalvandis per ſuam prædicationem Hieroſolymitanis confert ſtudio gallinæ pullos ſuos à raptu milvii ſervantis per collectionem ſub alas. *Denuntiatio pœnæ* ſubjicitur verſ. ult. ubi duo illis minatur: deſertionem Dei urbiſque deſolationem, & vindictam æternam in adventu ſuo ad judicium. Atque ita ſimul ſe contra inſtantem paſſionem conſolatur ſpe beatæ reſurrectionis & exaltationis in cælo.

SCHOLIA IN CAP. XIII.

4 Turris ad *fluvium* Siloam] ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωάμ. *Scil.* ποταμῷ. *Pro,* ὁ πύργος ὁ πρὸς τὸν Σιλωὰμ κείμενος, *turris ad Siloam fluvium ſita. Vox* σιλωὰμ *corrupta eſt ex Hebræa* שִׁלוֹחַ *Schillóah: ſic enim iſte fluvius ſive rivus nominatur Eſa. 8. v. 6. Et exponitur* ἀπεσταλμένος, *id eſt, miſſus,* Joh. 9. v. 7. *Fuit fons ſenſim fluens per urbem Hieroſolymam: ut conſtat ex Eſa. 8. v. 6. & Nehem. 2. v. 13.* ἐν *autem pro* πρὸς, *ponitur per Hebraiſmum. Cujus ſignificationis exempla vide Num. 33. v. 37. Joſu. 5. v. 13. 1. Reg. 1. v. 45. Jer. 13. v. 5.* Debitores] ὀφειλέται. *Id eſt, peccatores: ut nominavit verſu ſuperiore. Metaphora. nam ut debitores pecuniam creditam, ita peccatores pœnam debent.*

6 Sed non] καὶ οὐχ. *Pro,* ἀλλ' οὐχ. *Opponuntur enim diverſa.*

7 Tres *jam* annos venio] τρία ἔτη ἔρχομαι. *In Græco ſubauditur præpoſitio* κατὰ, *in Latino* per. *Et ſic loquitur Cic. lib. 1. de Offic. in principio:* Quanquam te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, abundare oportet præceptis &c. Inutilem reddit] καταργεῖ. Otioſam reddit, *vel*, ignavam reddit: *id eſt, ſterilem. Metaphora.*

8 Etiam hunc annum] καὶ τοῦτο τὸ ἔτος. *In Græco ſubauditur præpoſitio* κατὰ, *in Latino* per: *ut modo v. 7. Senſus eſt, Sine eam ſtare per hunc etiam annum.* Appoſuero ſtercus] βάλω κοπρίαν. *Hoc Latini uno verbo nominant ſtercorare.*

9 In futuro] εἰς τὸ μέλλον. *Pro,* ἐν τῷ μέλλοντι. *Scil.* χρόνῳ. *Heteroſis Hebraica.*

10 Sabbatho] ἐν τοῖς σάββασι. *Pro,* ἐν ἑνὶ σαββάτῳ. *Enallage numeri: ut planum eſt tum ex reipſa, tum ex collatione v. 14.*

11 Aderat] ἦν. *Pro,* παρῆν. Spiritum invaletudinis] πνεῦμα ἀσθενείας. *Id eſt, Spiritum impurum qui ipſius valetudinem lædebat, reddendo ipſam incurvam: ut mox Evangeliſta declarat. Genitivus effecti. Niſi potiùs dictum hoc eſt per hypallagen, pro* ἀσθενεῖας

ἀσθένειαν πνεύματος, in valetudinem spiritus, id est, à spiritu impuro allatam: quippe quum non narretur hîc, spiritum ex illa ejectum esse. Annos jam decem] *ἔτη δέκα. Genus loquendi, quale suprà v.7.& 8.*

12 Soluta es ab invaletudine] *ἀπολέλυσαι τῆς ἀσθενείας. Pro, λέλυσαι ἀπὸ τῆς ἀσθενείας. Hellenismus.*

14 Sanamini] *θεραπεύεσθε. Vel,* curamini: *ut vetus habet: quæ propria verbi significatio videtur hîc locum habere, quum iste hypocrita non videatur agnovisse miraculum. Est autem significatio verbi reciproca. q.d. Sinite vos curare: vel, præbete vos curandos.* **Lasset euch hailen.**

15 Hypocrita] *ὑποκριτά. Syrus* נסב באפא *naséb bapé, id est,* assumens vultum. *quâ periphrasi simulatores isti pietatis pulchrè depinguntur: quòd quasi larvam sanctimoniæ induant, seseq; transforment, ut alii appareant quàm revera sunt.* Ducit aquatum] *ἀπαγαγὼν ποτίζει. Hypallage; Pro, ἀπάγει ποτίζειν. Potest tamen etiam verti illo verborum ordine manente,* Et abductæ potum præbet.

16 Filiam Abrahæ] *θυγατέρα Ἀβραάμ. Id est, mulierem ortam ex Abrahamo. Synecdoche speciei, usitata Scripturæ. Sic autem appellat propter ejus gentis præstantiam, ut quam Deus singulari gratia complectebatur propter fœdus cum Abrahamo pactum. Nisi potiùs existimandum, sic appellari respectu fidei, aut saltem electionis divinæ, quòd scilicet mulier illa incederet aut incessura esset vestigiis Abrahæ: quo sensu filium Abrahæ appellat Zachæum, infrà 19.9. Sed prior expositio videtur huic loco accommodatior, quia probabile est Dominum argumentum ducere à re nota & confessa.* Vinxit] *ἔδησεν. Hoc est,* vinctam tenuit. Ecce] *ἰδού. Interjectio admirantis & attentionem excitantis, atque etiam commiserantis. quasi dicat, Nonne dolendum est, tantam esse Satanæ potentiam, ut permittente Deo potuerit tanto jam tempore vexare mulierem è tam sancto viro & tam sanctâ gente ortam?*

19 Jecit] *ἔβαλεν. Id est, sevit, plantavit.*

24 Intrare] *εἰσελθεῖν. Scil. in cœlum ad fruendum ibi salute æterna.* Dico vobis] *λέγω ὑμῖν. Asseveratio per ἐπεμβολὴν sive παρένθεσιν inserta.*

25 Ex quo] *ἐξ οὗ. Scil. χρόνου, tempore.* Nescio unde vos sitis] *οὐκ οἶδα ὑμᾶς πόθεν ἐστέ. Ad verb. Nescio vos unde sitis. Sic paulò pòst v.27. Similem syntaxin vide suprà 12.36.*

27 Qui datis operam injustitiæ] *οἱ ἐργάται τῆς ἀδικίας. Ad verb.* Operarii injustitiæ.

28 Expelli] *ἐκβαλλομένους. Pro, ἐκβάλλεσθαι. Hellenismus.*

29 Tunc venient ab Oriente] *καὶ ἥξουσιν ἀπὸ ἀνατολῶν. Loquutio impersonalis, subaudito tamen nomine ἄνθρωποι, aut pronomine τινές. Hac loquendi formâ etiam Latini utuntur: ut Cicero pro lege Manilia de Medea:* Quam prædicant in fuga fratris sui membra dissipavisse. Ab Oriente & Occidente] *ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν. In Latino subauditur, sole: hoc est, ab ea mundi plaga ubi oritur vel occidit sol. Græca verò nomina substantiva sunt, pluralis numeri: quorum prius significat* exortus, *alterum* occasus: *propter triplicem solis ortum, itemq; occasum: videlicet solstitialem, æquinoctialem & brumalem: ut tradit Aristoteles in libro de Mundo. Reperitur tamen & singularis numerus: ut Apoc.21. v.13. ἀπ' ἀνατολῆς: Matth.2.v.2. ἐν τῇ ἀνατολῇ.*

32 Dicite] *εἴπατε. Scilicet verbis meis.* Vulpi illi] *τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ. Elegans, quanquam vulgaris, metaphora: quâ notat Dominus vulpinos & tectos atq; fallaces Herodis mores. Sic Paulus Neronem leonem vocat, propter crudelitatem & truculentiam, 2.Tim.4.vers.17.* Ejicio] *ἐκβάλλω. Pro,* Ejiciam, &c. *Notatur actus quasi continuus.* Hodie & cras] *σήμερον καὶ αὔριον. Id est, exiguo adhuc temporis spatio, per paucos adhuc dies. Synecdoche speciei. Sic mox,* Tertio die, *id est, post breve tempus. Similiter usurpantur ista verba,* Heri & nudiustertius, *Gen.31.v.2.& 5. pro,* Tempore nuper præterito. Consummor] *τελειοῦμαι. Syrus habet,* אנא משתמלא *meschtemallé ana, id est,* compleor: *hoc est, occidor. Mors enim extrema pars fuit muneris Christi in carne mortali peragendi.*

33 Fieri non potest] *οὐκ ἐνδέχεται.* Non contingit. *nam τὸ ἐνδεχόμενον contingens vocant. Verbum impersonale: cui supplendum videtur nomen πρᾶγμα: quasi dicatur, τὸ πρᾶγμα οὐκ ἐνδέχεται: res non capit hoc, seu (ut Latini loquuntur) non admittit hoc: seu, Non cadit hoc in rem.*

34 Sub alas] *ὑπὸ τὰς πτέρυγας. Hic apponendum est signum interrogationis. Tum subjicitur nova sententia, isti opposita: & absq; interrogatione ἀποφαντικῶς enuntiata, nempe: καὶ οὐκ ἠθελήσατε, sed noluistis.*

35 Domus vestra] *ὁ οἶκος ὑμῶν. Id est, templum & urbs.* Usque dum venerit &c.] *ἕως ἂν ἥξῃ. Vide Matth.23.v.39.*

OBSERVAT. EX CAP. XIII.

1 Ex prima parte. Quum videmus, proximum insigni aliquâ calamitate affici: non debemus inde colligere, illum præ aliis peccatorem esse, & singularibus peccatis calamitatem illam commeruisse: sed debemus existimare, proponi nobis exemplum justæ iræ Dei adversus peccata hominum: ut illo conspecto invitemur ad seriam pœnitentiam, atque ita similes calamitates effugiamus. Confer Joh.9. judicium discipulorum de cæco nato. *Judicium de proximo afflict*

2 Ex parabola de ficu. Cavendum ne pœnitentiam procrastinemus. nam etsi Deus impœnitentibus ad tempus connivet, & impœnitentiam eorum patienter fert: tamen tandem impœnitentes punit, idque eò graviùs quò diutiùs illi patientiâ ipsius abusi fuerunt. Confer Roman.2.vers.4. & 5. item Sirach.5. versu 8.& 9. *Pœnitentia.*

3 Ex historia de sanatâ muliere incurvâ. Sicut Christus mulierem illam solvit à vinculo Satanæ corporali, id est, quâ ille corpus ipsius vinxerat: ita etiam solvit omnes qui in ipsum credunt, à vinculo Satanæ spirituali, hoc est, peccato: quo corda hominum vincta tenentur, ne liberè possint agere quæ Deus ipsis præcepit. Sicut ait Johannes, *Filium Dei patefactum esse ut dissolveret opera Diaboli,* 1 Joh.3.v.8. Et ipse Dominus sub tempus passionis suæ dicebat, *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras,* Joh.12.v.32. Et Paulus Rom. ult. v. ult. *Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò.* Et in Apocalypsi narratur, *Satanam ab angelo vinctum esse ad annos mille,* Apoc.20.v.2. item, *diabolū conjectum esse in stagnum ignis & sulphuris,* eod.c.v.10. *Christi officium.*

4 Ex reprehensione præfecti synagogæ. Cultus Dei non consistit per se in observatione cærimoniarum à Deo præscriptarum. Itaq; major dilectionis proximi, quàm cærimoniarum ratio habenda est: & quoties illi vacare tempus postulat, istæ interim negligendæ sunt. *Cultus Dei.*

5 Ex parabolis de grano sinapis & de fermento. Cavendum ne contemnamus aut vili pendamus Evangelium propter humilem & abjectam ejus speciem: quippe quod hominibus salutem annuntiat per hominem crucifixum, & prædicatur ab hominibus humilibus ferè ac plebeiis & mundo exosis; idque sermone humili & simplici. His enim non obstantibus, Deus per Evangelii prædicationem efficax est in cordibus electorum, efficiendo in illis salvificam cognitionem ipsius & zelum pro gloria ipsius, nec non studium eximium de omnibus bene merendi. Confer Rom.1.vers.16. & 1.Cor.1.vers.17.& deinceps. & 2.Cor.4.v.7. *Evangelium.*

6 Ex v.22. Exemplo Christi pastores Ecclesiarum magno studio incumbant in officium docendi. *Officium ministrorum verbi Dei.*

7 Ex v.23.& 24. inter se collatis. Cavendum ne ex curiositate scire expetamus arcana Dei: & contrà studendum, ut agamus quæ Deus nobis præcepit, id est, ut discamus rationes salutis nostræ ex Evangelio, & Evangelio credamus, & sicut Evangelio dignum est, vivamus, atq; ita in cælum contendamus. Interim verò quum Deus arcana sua ultrò nobis revelat propter gloriam suam: debemus illa ad Deum glorificandum humili mente accipere, & memoriâ retinere. quale arcanum est, quòd Deo placuerit ex toto genere humano paucos eligere & servare: maximam verò partem reprobare ac damnare. *Officium hominis Christiani.*

8 Ex v.24.& seqq. Cavendum ne offendamur molestiis quas Satan & mundus & propria caro nobis objicit propter studium pietatis: ut scilicet studium pietatis deseramus & genio indulgeamus: quia non nisi per angustam hanc portam intrare nobis licet in palatium illud cæleste: contrà verò qui pietatis studium neglexerint aut abjecerint, excludentur: & in gehennam ad æternos cruciatus abjicientur. *Officium hominis Christiani.*

9 Ex v.26.& 27. Non est satis esse in Ecclesia visibili: sed oportet quoq; esse de Ecclesia invisibili: ac proinde seriò studere pietati. Quod qui fecerint, illi demum à Christo in cælum recipientur: cæteri verò excludentur, & in gehennam abjicientur. Confer Matth.7.v.21.22.&23. *Ecclesia. Officium hominis Christiani.*

10 Ex v.28. Pars cruciatus damnatorum erit, quòd cogentur videre pios constitutos in cælo, ac fruentes gaudiis & gloria cælesti: se verò inde exclusos esse, idque absque ullâ spe melioris status. Hic cruciatus damnatorum elegante prosopopœia exprimitur in libro Sapientiæ cap.5.v.3.4. & 5. Idem quoque innuitur exemplo divitis illis epulonis: qui in tormentis apud inferos constitutos, vidit Lazarum in sinu Abrahæ: infrà 16.v.23. *Gehenna.*

11 Ex v.29. Quum Gentiles quoque in regno Dei discubituri sint: falluntur Judæi qui sibi persuadent, se solos populum Dei esse. *Populus Dei.*

12 Ex eod. v. Quum discumbimus in læto aliquo convivio; recordari debemus gaudiorum quibus pii fruentur in cælo: quia Christus illa tali convivio comparat. *Officium hominis Christiani.*

13 Ex v.30. Quum offendimur hypocrisi eorum qui primi in Ecclesia videri volunt, cogitemus illos in die judicii fore ultimos, id est, ex regno Dei exclusum iri. Item quum offendimur dissolutis aliorum moribus: cogitemus fieri posse, ut per gratiam Dei conversi, evadant primi, hoc est, in regnum Dei intromittantur. *Consolatio contra hypocritas.*

14 Ex v.31.& 32. Exemplo Christi, pastores Ecclesiarum constanter munere docendi fungi debent, posthabitis omnibus periculis & terroribus. Confer & exemplum Johannis Baptistæ. *Officium ministrorum verbi Dei.*

Ex v.33.& seqq. Vide observat. ex Matth.23.v.37. & deinceps.

ANALYSIS CAP. XIV.

ARGUMENTUM.

Dominus 1. sanat hydropicum: 2. monet convivas modestiæ in accumbendo: 3. docet, quinam sint ad prandium aut cænam vo-

candi: 4. proponit parabolam de cœna magna: 5. docet, quid requiratur à suis discipulis tum in primo accessu, tùm in toto vitæ cursu. Ita sunt quinq; hujus capitis partes.

PRIMA PARS.

Sanat hydropicum.

ET factum est, quum venisset domum cujusdam ex primoribus Pharisæorum sabbatho ad capiendum cibum, tunc ipsi observabant eum.
2 Et ecce quidam hydropicus erat coram eo.
3 Tum respondens Jesus, dixit Legis interpretibus & Pharisæis, in hæc verba, Licétne sanare sabbatho?
4 Ipsi verò tacuerunt. Tum ipse prehensum eum sanavit, & dimisit.
5 Et respondens eis dixit, Quis vestrûm, si ipsius asinus aut bos in puteum incidat: non statim extrahet eum die sabbathi?
6 Et non poterant ei ex adverso ad ista respondere.

PRimò indicatur miraculi hujus locus, 2. tempus, 3. caussa corrumpens, 4. occasio, simulque caussa impulsiva, 5. præparatio seu effectum destinatum, 6. modus agendi & miraculum ipsum, 7. eventa.

Locus ubi Dominus hoc miraculum fecit, fuit domus cujusdam ex primoribus Pharisæorum, quò venerat ad capiendum cibum, hauddubiè ab illo invitatus, vers. 1. *Tempus* quo fecit, fuit sabbathum, ibid. *Caussa corrumpens*, quæ ipsum poterat ab isto hydropico tunc sanando deterrere, fuerunt insidiæ Pharisæorum & Legis interpretum, qui simul in illo convivio aderant, Dominumque observabant, captantes nimirum occasionem ipsius accusandi ac perdendi, v. 1. & 3. *Occasio simulq; caussa impulsiva* narratur v. 2. his verbis, *Et ecce quidam hydropicus erat coram eo.* Occasionem igitur huic miraculo præbuit præsentia objecti, videl. ipsius hydropici. Ad sanandum verò illum impulit Dominum miseria ejus, quæ ipso nomine hydropici significatur, & ampliùs significatur v. 5. in facti defensione: ubi cum illâ comparatur tanquam minor, miseria asini aut bovis in puteum illapsi. *Præparavit* Dominus ad hoc miraculum tum ipsum paralyticum, tum spectatores, quærendo ex Legis interpretibus & Pharisæis, qui aderant, an liceat sabbatho sanare? Hac enim interrogatione non obscurè significabat; sibi propositum esse præsentem hydropicum sanare, si modò id per Legem Dei liceat, v. 3. Ista interrogatio amplificatur ex eventu, videl. silentio illorum qui erant interrogati, v. 4. Quod silentium Dominus pro confessione accepit: quum satis constaret, illos non fuisse tacituros, sed aliquid pro tuenda sanctitate sabbathi allaturos, si quid habuissent. ponebant enim illi pietatis summam in cærimoniarum observatione. *Modus agendi & miraculum ipsum* narratur eod. v. 4. his verbis: *Tum ipse prehensum eum sanavit, & dimisit. Eventa* ordine alia ex aliis cõsecuta, narrantur duo: sed tertium, quod ordine fuit primum; ex secundo subintelligendum relinquitur. *Primum* illud eventum fuit offensio Pharisæorũ tacitè damnantium factum Domini, licet apertè non auderent. *Secundum* fuit defensio Domini, quâ ostendit, se rectè fecisse, per argumentum à comparatis, ratiocinando à minori ad hunc modum.

Si die sabbathi licet ex puteo extrahere bovem aut asinum, ne aquis suffocetur: licet multo magis die sabbathi sanare hydropicum.
At illud licet.
Ergo hoc quoq;.

Assumtio probatur testimonio tacitæ confessionis atque sententiæ adversariorum: quæ ipsa sententia ostenditur ex factis seu more apud omnes usitato, vers. 5. ubi ait, *Quis vestrûm, si ipsius asinus &c. Tertium* eventum ex illo secundo consecutum, fuit silentium Pharisæorum, v. 6. quod ipsum habebat vim confessionis. nam si potuissent Domini argumentum refutare, nequaquam, quo erant in ipsum odio, tacuissent.

SECUNDA PARS.

Monet convivas modestiæ in accumbendo.

7 Dixit autem parabolam iis qui vocati fuerant, attendens quomodo primos accubitus eligerent; dicens eis,
8 Quum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbito primo loco: ne fortè honoratior te sit vocatus ab eo:
9 Et is qui te & illum vocavit, veniens dicat tibi, Da huic locum: & tunc incipias cum pudore ultimum locum obtinere.
10 Sed quum vocatus fueris, vade discubitum in ultimum locum: ut quum venerit qui te vocavit, dicat tibi, Amice, ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria in conspectu eorum, qui tecum discumbunt.
11 Nam quisquis se extollit, deprimetur: & qui se depresserit, extolletur.

Primùm narratur admonitionis hujus occasio eademq; caussa impulsiva, deinde admonitio ipsa. *Occasionem* Domino ad hanc admonitionem præbuit, & ad eandem impulit ambitio præsentium convivarum, quos videbat eligere primos accubitus. Itaque pro officio fidelis prophetæ & pastoris Ecclesiæ, vitium illud reprehendit, & ad contrariam virtutem convivas illos revocavit. *Admonitio* sive *præceptio* est duplex: *prima negativa*, v. 8. *Quum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias* (intelligitur autem hoc nomine per synecdochen, quodvis solenne epulum seu convivium) *ne accumbito primo loco. Secunda affirmativa*, v. 10. *Sed quum vocatus fueris, vade discubitum in ultimum locum.* Utrumque præceptum confirmatur ex eventis: primum quidem ex eventura pudefactione, vers. 8. & 9. alterum verò ex eventura gloria, v. 10. Approbatio autem utriusque argumenti à genere ducta, subjicitur v. 11.

TERTIA PARS.

Docet qui sint vocandi ad prandium aut cœnam.

12 Dicebat autem etiam ei, qui ipsum vocaverat, Quum facis prandium aut cœnam, ne vocato amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites: ne quando & ipsi te vicissim vocent, & retribuatur tibi gratia.
13 Sed quum facis epulum, voca, mendicos, mancos, claudos, cæcos:
14 Et beatus eris: quia non possunt *gratiam* retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.

Primùm notatur admonitionis hujus caussa impulsiva, deinde admonitio ipsa seu præceptum recitatur. *Caussa impulsiva* innuitur his verbis, *Dicebat autem etiam ei qui ipsum vocaverat.* Ex quorum verborum collatione cum ipso præcepto colligitur, Dominum ad hanc admonitionem impulsum fuisse consideratione pravi affectus, quo ipse Pharisæus convivas invitarat, & è regione officii sui prophetici: ad quod pertinebat vitia auditorum reprehendere, & ab illis ad virtutes revocare. *Affectus* autem ille Pharisæi (ut ex ratione prioris membri percipitur) fuit partim ambitio, qua cupiebat vicissim à convivis illis honorifico convivio excipi: partim intemperantia gulæ, qua cupiebat ab illis excipi convivio opiparo. *Præceptum* ipsum est *bimembre*, partim scilicet negativum, partim affirmativum. *Negativum* præcedit v. 12. *Ne vocato amicos, &c. Affirmativum* succedit v. 13. *Sed voca pauperes, &c. Utraq; præcepti pars confirmatur ex eventu:* prior quidem ex eventu tristi ac molesto, videlicet privatione remunerationis cælestis: quæ significatur per adeptionem remunerationis terrenæ, ubi ait, versu 12. *Ne quando & ipsi te vicissim vocent, ac retribuatur tibi gratia.* Posterior verò ex eventu læto & optabili, videlicet beatitudine cælesti ac remuneratione divinâ, v. 14. Nec tamen putandum, simpliciter vetari convivia cum amicis & divitibus: sed ita demum, si per illa negligantur pauperes, & si cum ambitione & luxu conjuncta sint. Similiter nec putandum, divitibus simpliciter imperari, ut convivio excipiant pauperes: sed hac specie liberalitatis significatur, teneri illos pauperum usq; adeò rationem habere, ut ipsorum egestati prospiciant & succurrant.

QUARTA PARS.

Proponit parabolam de cœna magna.

15 Hæc autem quum audisset quidam ex iis qui simul accumbebant, dixit ei, Beatus qui cibum capit in regno Dei.
16 Ipse autem dixit ei, Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.
17 Misitque servum suum horâ cœnæ, ut diceret invitatis, Venite, quia jam parata sunt omnia.
18 Et omnes cœperunt uno animo se excusare. Primus dixit ei, Agrum emi, & necesse habeo exire & eum inspicere: rogo te, habe me excusatum.
19 Et alter dixit, Juga boum emi quinque, & proficiscor ad explorandum ea: rogo te, habe me excusatum.
20 Et alius dixit, Uxorem duxi, & propterea non possum venire.
21 Quum igitur servus ille advenisset, annuntiavit ista domino suo. Tunc iratus paterfamiliâs, dixit servo suo,

suo, Abi citò in plateas, & vicos urbis; & mendicos ac mancos, claudosque & cæcos huc introducito.

22 Et ait servus, Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est.

23 Tunc ait dominus servo, Exi in vias & sepes, & coge ingredi, ut impleatur domus mea.

24 Dico enim vobis, neminem virorum illorum qui vocati fuerant, gustaturum cœnam meam.

Primùm narratur parabolæ hujus proponendæ occasio, deinde parabola ipsa recitatur. *Occasionem* Domino ad hanc parabolam proponendam præbuit dictum unius ex convivis: qui auditâ ex Domino mentione retributionis in resurrectione justorum, id est, convivationis in cælo: veluti approbans sermonem Domini, subjecit, *Beatus qui cibum capit in regno Dei.* Dominus igitur ut moneret illum, itemque cæteros convivas: non esse satis hoc credere, quòd beatitudo consistat in convivatione illa cælesti, hoc est, in communione spirituali cùm Deo & omnibus sanctis: neque etiam esse satis, convivium illud cæleste * obiter pro re nata sibi exoptare: sed cumprimis cavere sibi unumquemque oportere ab impedimentis, quibus plerique detineri se patiuntur, ne ad beatum illud convivium accedant: Dominus igitur, inquam, ut de his rebus illos pro officio fidelis prophetæ moneret, impedimenta illa per parabolam isti dicto accommodatam exposuit. Atque hic est *parabolæ hujus scopus*, exponere causas corrumpentes vitæ æternæ; hoc est, quibus plerique impediri se patiuntur in consequendâ vitâ æternâ. Quibus plenioris doctrinæ causâ opponit causam vitæ æternæ procreantem. Et *causas* quidem *corrumpentes exponit duas*: curam nimiam divitiarum, & nimiam indulgentiam voluptatum. Hisce enim rebus homines impediuntur, quò minùs studeant cognitioni voluntatis divinæ ex verbo ipsius discendæ, ac proinde in ignorantiâ suâ pereant: quum vita æterna consistat in cognitione Dei, & ejus quem misit, Jesu Christi, Johan. 17. v. 3. Cæterùm curam nimiam divitiarum significat per excusationem tum primi illius qui dicebat, sibi inspiciendum agrum quem nuper emisset, v. 18. tum alterius, qui dicebat, sibi proficiscendum ad probandum quinque juga boum quæ emisset, v. 19. Indulgentiam verò voluptatum significat per excusationem tertii, qui ajebat se duxisse uxorem, ac propterea venire non posse, vers. 20. Porrò *causam procreantem vitæ æternæ* significat hìc unicam, videl. efficaciam Spiritus sancti, persuadentis electis per verbum Dei agnitionem propriæ paupertatis spiritualis & morborum spiritualium, efficientisq; ut Dei liberalitatem & curationem gratiosam expetant & accipiant. Hanc efficaciam significat per introductionem pauperum, nec non mancorum, claudorum & cæcorum, v. 21. item illorum qui extra urbem oberrabant in viis & circa sepes, v. 23. ubi simul notatur distributio efficaciter vocandorum in Judæos & Gentiles: quorum illi significantur per mendicos oberrantes in plateis & vicis urbis, v. 21. isti verò per mendicos oberrantes in viis extra urbem & circa sepes, v. 23. Ipsa autem efficacia significatur tum verbo *introducendi*, vers. 21. tum verbo *cogendi*, v. 23. Huic simile est dictum Christi Johan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Per cœnam igitur magnam in hac parabola intelligitur vita æterna. Per hominem qui cœnam illam apparavit, intelligitur Deus. Per servum quem misit ad vocandum invitatos, intelliguntur ministri Evangelii. Per illos qui se excusarunt, intelliguntur reprobi, mundo huic addicti, & verbum Dei contemnentes. Per illos qui in cœnaculum introducti sunt, intelliguntur electi, quibus datur à Deo gratia, ut quum per Evangelium ad vitam æternam vocantur, obtemperent, amplectendo scil. fide promissionem gratiæ propter Christum, & subjiciendo sese sanctis Dei mandatis, vitamque secundùm illa instituendo. Denique per exclusionem istorum ingratorum, v. 24. significatur exclusio impiorum è regno cælesti.

* Durch ein fliegende andacht.

QUINTA PARS.

Docet quid requiratur à suis discipulis.

25 Ibat autem turba multa cum eo: & conversus dixit eis,

26 Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem & liberos, & fratres & sorores, atque adeò etiam animam suam; non potest meus esse discipulus.

27 Et quisquis non portat crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus.

28 Quis enim ex vobis, si velit turrim ædificare, non priùs considens computat sumtum, an habeat quæ ad perfectionem *ejus requiruntur?*

29 Ne fortè postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui spectârint, incipiant ei illudere,

30 Dicentes, Homo iste cœpit ædificare, & non potuit perficere.

31 Aut quis rex proficiscens ut committat prælium adversus alterum regem, non priùs considens consultat, an possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit adversus ipsum?

32 Alioquin, quum adhuc ille procul est, legatione missâ, rogat ea quæ ad pacem *spectant.*

33 Sic ergo, quisquis vestrûm non valedicit omnibus bonis suis, non potest meus esse discipulus.

34 Bonum est sal; si verò sal insipidum effectum fuerit, quo*nam ipsum* condietur?

35 Neq; ad terram, neq; ad sterquiliniũ utile est: foras ipsum abjiciunt. Qui habet aures ad audiendũ, audiat.

Primùm significatur sermonis hujus occasio, deinde sermo ipse recitatur. *Occasionem* Domino ad hunc sermonem præbuit, quòd videbat multam turbam se sequi iter facientem. Quum igitur animadverteret in illorum numero aliquos esse, qui sese in gregem discipulorum ipsius aggregare cuperent, statuit mature monendos, qualem animum eos ad se adferre oporteat, si velint in numerum discipulorum recipi; & quales quoque deinceps esse oporteat. *Sermonis* igitur *partes* sunt *duæ*: nempe *duo præcepta* de requisitis sive officiis suorum discipulorum: quæ distinguuntur temporibus. Primum est de ingressu in scholam Christi, à v. 26. usque ad 34. alterum de progressu in illa, versibus duobus ultimis. *Præceptum de ingressu* est, ut futurus discipulus Christi paratus sit propter Christum suscipere ac pati odium & persecutionem mundi: v. 26. 27. & 33. Hoc præceptum amplificat, declarat, illustrat & confirmat. *Amplificat* partim ex eventu, partim à comparatis. Ex eventu, quum ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c.* id est, Si quis sibi non firmiter proponit, doctrinam meam constanter confiteri, neque illam in gratiam amicorum, vel etiam ad conservandum vitam suam suppliciumque capitis evitandum, abnegare: etiamsi inde eveniat, ut putetur odio habere amicos atque ipsam vitam suam. A comparatis verò, quatenus commemorat homines conjunctissimos, quorum inimicitias propter ipsum subire oporteat: quantò igitur magis aliorum? Deinde *declarat* istud præceptum mentione specierum persecutionis: quas commemorat duas, crucem seu patibulum, vers. 27. & amissionem bonorum, vers. 33. Tum idem præceptum *illustrat* duobus exemplis, eâdemque operâ illud *confirmat* argumento ab eventu turpi ac molesto. Prius exemplum est de homine ædificaturo turrim, vers. 28. 29. & 30. Sententia est: Sicut qui constituit ædificare turrim, antea computat sumtum, ne cogatur cum pudore opus imperfectum relinquere: ita qui constituit meus esse discipulus, antea debet perpendere, an paratus sit odium & persecutionem mundi propter me pati, ne cogatur cum pudore pedem referre & à me deficere. ubi apparet argumentum illud ab eventu turpi ac molesto, nisi quis præceptum istud observet. Posterius exemplum est de rege commissuro prælium adversus alterum, vers. 31. & 32. Sententia est: Sicut rex qui cogitat prælium contra alterum suscipere, priùs consultat, an satis sit ad prælium illud instructus: ne sit ipsi in prælio succumbendum: ita qui cogitat militare cum diabolo & mundo sub me imperatore, priùs debet consultare, an per Dei gratiam habeat satis virium & animi ad prælium illud subeundum: ne cogatur in pugna cum pudore & pernicie succumbere. Ubi tamen observandum, vires discipulorum Christi non in ipsis esse sitas, sed in Deo; à quo per preces impetrant, quantum est opus. Atque hæc de præcepto priore. *Alterum* est *de progressu* vitæ in schola Christi, v. 34. & 35. quod proponitur sub similitudine salis. Sensus videtur hic esse: Sicut sal bonum est, quamdiu acrimoniam suam retinet: illâ autem amissâ inutile redditur: sic discipuli mei mihi placent, quamdiu retinent zelum gloriæ meæ, ac proinde ad promovendum regnum meum & dictis & factis, sive institutione rudium & bono exemplo vitæ, sedulò incumbunt: hoc verò zelo amisso, mihi displicent & inutiles redduntur. Itaque omnes operam dare debent, ut hunc zelum habeant & retineant. Hoc præceptum *amplificat hortatione*, qua hortatur ad illius considerationem, *Qui habet aures ad audiendum, audiat.*

SCHOLIA IN CAP. XIV.

1 Quum venisset] ἐν τῷ ἐλθεῖν. *Pro*, μετὰ τὸ ἐλθεῖν. *Heterosis Hebraica. Sic enim apud Hebræos Beth-bachlám interdum usurpatur pro Caph-bachlám.* Ad capiendum cibum] φαγεῖν ἄρτον. *Ad verbum*, Edere (*id est, ad edendum*) panem. *Synecdoche membri, usitata Hebrais.* φαγεῖν *autem, pro*, τοῦ φαγεῖν, *scil.* ἕνεκα: *ellipsis Græca.* Tunc ipsi] καὶ αὐτοί. *Conjunctio copulativa pro relativa temporis, more Hebræorum.* Observabant] ἦσαν παρατηρούμενοι. *Ad verb.* erant observantes. *Hebraismus.*

3 Licétne] εἰ ἔξεστι. *Ad verb.* Si licet. *Græcismus.* Sanare] θεραπεύειν. *Propriè*, curare, *seu*, mederi.

4 Tacuerunt] ἡσύχασαν. *Ad verbum*, Quieverunt, *seu*, tranquilli fuerunt. *Synecdoche generis.*

5 Quis vestrûm, si ipsius asinus &c.] τίνος ὑμῶν ὄνος &c. *Ad verb.* Cujus vestrûm asinus aut bos in puteum incidet, & non statim extrahet eum? *Genus loquendi Hebraicum.* Extrahet] ἀνασπάσει. *Græcum verbum connotat motum, qui fit sursum, ex ἀνὰ, quod valet ἄνω. Germanicè,* heraufziehen.

8 Primo loco] εἰς τὴν πρωτοκλισίαν. *Ad verb.* In primum accubitum. *Id est, in eum locum ubi accumbere solet primus inter convivas.*

10 Vade discubitum] πορευθεὶς ἀνάπεσον. *Vel,* Vade & discumbe.

12 Ac retribuatur tibi gratia] καὶ γένηταί σοι ἀνταπόδομα. *Ad verb.* Et fiat tibi retributio.

13 Epulum] δοχὴν. *A verbo* δέχομαι, *excipere: ab excipiendis scilicet conviviis.* Mendicos] πτωχούς. *Quomodo Lazarus vocatur* πτωχὸς, *infrà 16.20. Nomen autem mendicorum huc quadrare, percipitur ex illis hominum generibus, quæ mox enumerantur, quippe quæ mendicando ferè sese alunt.*

14 Retribuetur] ἀνταποδοθήσεται. *Scil. à Deo.* In resurrectione justorum] ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων. *Sic vocat universalem resurrectionem, qua & justi & injusti resurrecturi sunt: ut innuat, justis, hoc est, iis qui in verâ cognitione Dei piè, justeque vixerint in hoc seculo, præmia apud Deum reposita esse.*

15 Qui cibum capit] ὃς φάγεται ἄρτον. *Ad verbum, Qui comedit panem. Hebraismus, ut suprà v.1. Videtur autem positum tempus præsens pro futuro: ex collatione versus præcedentis, ubi dixerat Dominus,* Retribuetur tibi.

18 Uno *animo*] ἀπὸ μιᾶς. *Scil.* ψυχῆς. *Quod aliâs dicitur* ὁμοθυμαδὸν, einmütiglich. *Alii supplent, ore, Sed tunc oporteret esse* ἀφ' ἑνὸς *Scil.* στόματος. Se excusare] παραιτεῖσθαι. *Verbum medium significationem habet reciprocam.*

21 Mendicos] τοὺς πτωχοὺς. *ut suprà v.13.*

22 Et ait] καὶ εἶπεν. *Scil. re peractâ. Ellipsis sententiæ, serviens brevitati sermonis.* Factum est] γέγονε. *Pro,* Feci. ἐποίησα. Locus] τόπος *scil. pro conviviis excipiendis.*

23 Coge ingredi] ἀνάγκασον εἰσελθεῖν. *Scilicet quotquot reperis.*

27 Sequitur me] ἔρχεται ὀπίσω μου. *Ad verbum,* Venit post me, *seu* pone me. *Hebraismus.*

28 Considens] καθίσας *In Græco subauditur,* ἑαυτὸν: *quod Germanicè dicimus,* Sich setzen. Computat] ψηφίζει. *Videl. calculo posito,* παρὰ τὰς ψήφους, *à calculis. Nam* ψήφοις ἐλογίζοντο οἱ παλαιοί, *calculis ratiocinabantur veteres. Ad verb.* Calculat. *Quæ* ad perfectionem *ejus requiruntur*] τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν. *Gemina ellipsis: nam ad articulum* τὰ *subauditur participium* ἀνήκοντα: *ad nomen verò* ἀπαρτισμὸν *subauditur pronomen* αὐτοῦ *scil.* τοῦ πύργου. *Integra igitur oratio esset,* τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν αὐτοῦ ἀνήκοντα.

29 Ne forte] ἵνα μήποτε. Auf daß nicht villeicht. *Adverbium* ποτὲ *hic notat eventum contingentem: quem Latini notant nomine* forte, *ablativo scilicet nominis* Fors, *quæ aliâs* Fortuna. *Sed vocabulo illo ex consuetudine linguæ sic utendum nobis Christianis, ut interim de re ipsa (videlicet de eventuum gubernatione) sanctè sentiamus.*

32 Ea quæ ad pacem *spectant*] τὰ πρὸς εἰρήνην. *Scil.* ἀνήκοντα.

33 Valedicit] ἀποτάσσεται. *Sic suprà 9.61.*

34 Insipidum effectum fuerit] μωρανθῇ. *Vide scholia in Matth.5.v.13.* Quonam ipsum condietur?] ἐν τίνι ἀρτυθήσεται; *Supplendum* αὐτὸ, *scil.* τὸ ἅλας, *ex Marc.9.v.ult.*

35 Utile] εὔθετον. *Ad verb.* Appositum. *Sed istud obscurius est hoc loco propter* ὁμωνυμίαν.

OBSERVAT. EX CAP. XIV.

Legis moralis major habenda ratio quàm cærimonialis.

1 Ex historia de sanato hydropico. Major est habenda ratio Legis moralis quàm cærimonialis. Itaq; si (exempli gratiâ) ægrotus quispiam egeat tuâ præsentiâ, quo tempore iturus esses ad audiendum in Ecclesia verbum Dei, & percipiendum sacram Domini cœnam: debes cum ægroto manere, & cultum illum externum in aliud tempus differre. Hîc errarunt Judæi sub duce Mathathia, qui die sabbathi omiserunt sui defensionem, religione moti: contrà Mathathias rectè fecit cum iis, quos reliquos habebat, etiam die sabbathi sese contra hostes defendens, 1.Maccab.2.

Sabbathi religio in novo Testamento quæ & qualis.

2 Cæterùm occasione hujus historiæ considerandum venit, quæ & qualis religio sabbathi in novo Testamento, ac proinde adhuc hodie apud nos Christianos locum habeat & observanda sit. Ac primò tenendum, Sabbathum esse abrogatum per Christi exhibitionem, quantum attinet ad diem hebdomadis septimum sive ultimum: & in locum illius institutum esse diem primum, quem Dominicum appellamus, propterea quòd Dominus illo die resurrexit à mortuis, & discipulis sese vivum ostendit, idque per vices, colloquens cum eis de regno Dei: atque ita ipso suo facto diem illum congregationi Ecclesiasticæ ad cultum Dei externum peragendum consecrans. Ratio abrogationis hujus est: quoniam quies illa cærimonialis in Lege observari solita, fuit typus illius quietis, quâ Dominus die septimo quievit in sepulcro: ut percipitur ex verbis Pauli Coloss.2.v.16.& 17. ubi non vult damnari Colossenses propter neglectum sabbathorum: propterea quòd illa sint umbra rerum futurarum, corpus autem sit Christi. De apparitionibus autem Domini in sabbatho testatur Johannes historiæ suæ Evangelicæ cap.20.v.19.& deinceps; ubi narratur, quòd primò venerit ad Apostolos congregatos ipso illo die, quo resurrexerat, deinde iterum octiduo pòst. Quòd autem Dominus per dies illos Apostolis loquutus sit de regno Dei, testatur Lucas Actor.1.v.3. Unde Apostoli illum diem hauddubiè tanquam ex Domini instituto observarunt ad agendum in eo conventus Ecclesiasticos: ut patet ex Act.20. vers.7. ubi narratur, discipulos qui erant Troade, primo die hebdomadis congregatos fuisse ad frangendum panem, hoc est, celebrandum sacram Domini cœnam: Paulumque tunc apud eos disseruisse, hoc est, Evangelium prædicavisse. Item ex 1.Corinth.16.v.2. ubi Apostolus Corinthiis præcipit, ut primo quoq; die hebdomadis unusquisque apud se reponat pecuniam, quam ipso adveniente contribuat in collectam pro pauperibus fratribus Hierosolymitanis. Hinc haud dubiè factum, ut Johannes (quemadmodum ipse testatur Apoc.1.v.10.) die Dominico corripetur spiritu, & ei exhiberetur apocalypsis illa status Ecclesiæ tum illius temporis, tum deinceps usque ad Domini adventum mundiq; finem futuri: quam toto illo libro describit. Deinde abrogati quoque sunt ritus legales, qui in sabbatho fuerunt observandi, inter quos fuit præcisa & omnimoda atque rigida quies seu cessatio à quovis opere servili extra casum necessitatis: ita ut in sabbatho non liceret cibum coquere, imò ne ligna quidem colligere. qua de re vide Exod.16.v.6.& 24.(secundùm novam distinctionem) inter se collatis. Item cap.35.v.3. & Num.15. v.32.& deinceps, ubi narratur, quendam qui ligna collegerat die sabbathi, ex mandato Domini lapidatum esse.

Interim religio sabbathi etiamnum hodie durat, quatenus unus aliquis hebdomadis cujusq; dies potissimùm tribuendus est exercitio cultus divini: nec non quies concedenda familiæ, seu vacatio ab operibus servilibus, saltem ab iis quæ moram patiuntur & absq; certissimo damno rei familiaris in aliud tempus differri possunt. Cujus rei ratio duplex est: una, quòd Deus inde ab origine mundi unum hebdomadis diem exercitio cultus divini tribui voluit: adeoq; sanctificationem sabbathi universo generi humano præcepit, Genes.2.v.2. altera, quòd præceptum illud in decalogum retulit: unde percipitur, aliquid in eo esse morale ac perpetuum; licet id quod cærimoniale & veteris Testamenti proprium erat, sit abrogatum.

3 Ex v.7.&c. Officium pastoris Ecclesiæ est, ut si quid vitiosi in suis auditoribus animadvertit, illud liberè reprehendat, eosque ad virtutem revocet: nec cuiquam eâ in re parcat aut conniveat: exemplo Christi reprehendentis hoc loco ambitionem Pharisæorum. *Officium ministrorum verbi Dei.*

4 Item, Ambitio fugienda: & contrà modestiæ studendum. Rationes petantur ex textu. *Ambitio. Modestia.*

5 Ex v.12.&c In conviviis vitanda ambitio, & luxus, & oblivio seu neglectus pauperum. *Convivia.*

6 Ex v.15.16.& seqq. Non est satis, credere quòd beatitudo consistat in fruitione convivii illius cælestis: sed cumprimis cavere unumquemque oportet ab impedimentis, quibus plerique detineri se patiuntur, ne ad beatum illud convivium accedant. Inter cætera autem impedimenta sunt hæc quoque duo: nimia cura divitiarum, & nimia indulgentia voluptatum. *Divitiæ. Voluptates.*

7 Ex v.23. Ad vitam æternam consequendam opus est efficacia Spiritus sancti, persuadentis nobis per verbum Dei agnitionem propriæ paupertatis spiritualis, & morborum spiritualium (hoc est, ignorantiæ Dei, & impotentiæ ad agendum bonum, & denique omnis generis vitiorum (efficientisque ut Dei liberalitatem & curationem gratiosam expetamus & accipiamus. *Vitæ æternæ causa.*

8 Item, Vocatio efficax ad regnum Dei, non est propria Judæorum, sed eis communis cum Gentilibus. *Vocatio ad regnum Dei.*

9 Ex v.26.&c. Qui religionem Christianam amplecti vult, quiq; eam jam amplexus est: illum paratum esse oportet ad suscipiendum atq; perpetiendum propter confessionem Christi & doctrinæ: ab ipso traditæ, odium ac persecutionem mundi. Huc pertinet illud Pauli, *Omnes qui piè vivere volunt in Christo, persecutionem patientur,* 2.Tim.3.v.12. Item illud in Actis, *Per multas afflictiones oportet nos ingredi in regnum Dei,* Act.14.v.22. *Crux.*

10 Ex v.34.35. Zelus gloriæ Christi, constanter retinendus est tum aliis Christianis, tum inprimis ministris verbi: nisi ab illo instar salis insipidi abjici velint & conculcari. Huc pertinet illa comminatio in Apocalypsi ad ministrum Ecclesiæ Laodicensium: *Quoniam tepidus es, nec frigidus, nec fervidus: futurum est ut te evomam ex ore meo,* Apoc.3.v.16. *Zelus gloriæ Christi.*

ANALYSIS CAP. XV.

ARGUMENTUM.

Dominus proponit tres parabolas: primam de ove perdita, alteram de drachma perdita, tertiam de filio perdito.

PARS PRIMA ET SECUNDA.

Parabola de ove perdita, & de drachma perdita.

Accedebant autem ad eum omnes publicani & peccatores, ut eum audirent.

2 Et

2 Et murmurabant Pharisæi & scribæ, dicentes; Iste peccatores recipit, & edit cum eis.

3 Ipse verò loquutus est ad eos hanc parabolam, dicens;

4 Quis ex vobis, si habeat centum oves, & perdiderit unam ex illis, non relinquit illas nonaginta novem in deserto, & proficiscitur ad eam quæ periit, usquedum eam inveniat?

5 Quum autem invenerit, imponit *eam* in humeros suos gaudens:

6 Veniensque domum, convocat amicos & vicinos: dicens eis, Gratulamini mihi, nam inveni ovem meam quæ perierat.

7 Dico vobis, ita fore gaudium in cælo super uno peccatore resipiscente, *magis* quàm super nonaginta novem justis, quibus non opus est resipiscentiâ.

8 Aut quæ mulier, si habeat drachmas decem, & perdiderit drachmam unam, non accendit lucernam, & verrit domum, quæritque accuratè, usquequò *eam* inveniat?

9 Quum autem invenerit, convocat amicas ac vicinas: dicens, Gratulamini mihi: nam inveni drachmam quam perdideram.

10 Ita, dico vobis, gaudium est apud angelos Dei super uno peccatore resipiscente.

PRimùm narratur sequentium trium parabolarum occasio, eademque causa impulsiva: deinde parabolæ ipsæ recitantur. *Occasionem* Domino ad parabolas istas proponendas præbuit, & eodem impulit murmur Pharisæorum & scribarum: qui murmurabant contra ipsum quòd reciperet peccatores, puta manifestarios: quales tum erant publicani & meretrices: quodque cum illis ederet, v.1. & 2. Parabolæ duæ priores uno tenore à Domino pronuntiatæ sunt, ut patet ex cohærentia versus octavi cum præcedentibus: itaque à nobis quoque conjunctim explicabuntur: præsertim quum unus idemque sit utriusq; scopus. *Scopus* autem ille est, convincere Pharisæos istos & scribas erroris & peccati. Erroris; quòd putabant pio doctori non esse ullo pacto versandum cum peccatoribus. Peccati; quòd contra Dominum murmurabant, eò cum peccatoribus versaretur. Errorem sic ostendit:

Si mea cum peccatoribus conversatio utilis eis est ad adducendum ipsos ad resipiscentiam: erratis quum putatis non esse mihi cum illis conversandum.

Sed mea conversatio ad resipiscentiam illis conducit.

Ergo erratis quum illam improbatis ac damnatis.

Assumtionis sententia innuitur in apodosi utriusque parabolæ, v.7.& 10.ubi mentionem facit peccatoris resipiscentis. Peccatum verò ostendit sic:

Si angeli gaudent propter conversionem peccatoris: certè vos peccatis qui propter illam non gaudetis, sed murmuratis.

At angeli gaudent propter conversionem peccatoris.

Ergo vos peccatis non gaudentes, sed murmurantes.

Ratio propositionis patet à minori. nam si ipsi angeli de salute hominis gaudent: multò magis homines; quippe ejusdem generis & naturæ; gaudere de illâ debebant. Assumtio illustratur in utrâque parabolâ, narratione gaudii quod perceperunt amici ex inventâ ove perditâ, & amicæ ex inventa drachma. Adhæc gaudium illud amplificatur collatione imparium: qua comparatur cum gaudio quod percipitur ex jam conversis & justis, tanquam majus cum minore.

TERTIA PARS.

Parabola de filio perdito.

11 Præterea dixit, Quidam habebat duos filios:

12 Quorum junior dixit patri; Pater, da mihi partem substantiæ *ad me* attinentem. *Ille* igitur divisit eis facultates.

13 Post dies autem non multos, congestis *facultatibus suis* omnibus, junior ille filius peregrè profectus est in regionem longinquam: & illic dissipavit substantiam suam, prodigè vivendo.

14 Posteaquam verò consumsit omnia, orta est fames valida in regione illa: & ipse cœpit *victu* defici.

15 Abiit igitur & adhæsit uni ex civibus regionis illius: qui misit eum in agros suos ut pasceret porcos.

16 Et desiderabat implere ventrem suum siliquis quas edebant porci: sed nemo ei dabat.

17 Quum autem in se descendisset, dixit; Quot mercenarii patris mei abundant panibus? Ego verò fame pereo.

18 Surgens proficiscar ad patrem meum, & dicam ei; Pater, peccavi in cælum, & coram te:

19 Neque ampliùs sum dignus vocari filius tuus: fac me ut unum ex mercenariis tuis.

20 Surgens igitur venit ad patrem suum. Quum autem adhuc longè abesset, vidit eum pater ipsius, ac misericordiâ motus est: & accurrens incidit in collum ejus, & deosculatus est eum.

21 Dixit autem ei filius; Pater, peccavi in cælum & coram te; neque ampliùs sum dignus vocari filius tuus.

22 Dixit verò pater ad servos suos; Efferte stolam illam præcipuam, & induite eum; & date annulum in manum ejus, & soleas in pedes:

23 Et adductum vitulum illum saginatum mactate: & comedentes exhilaremur.

24 Quia filius iste meus mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est. Cœperunt igitur exhilarari.

25 Erat autem filius ejus senior in agro; qui ut veniens appropinquavit domui, audivit concentum & choros:

26 Et advocatum unum ex pueris percontatus est, est, quid istud esset.

27 Is verò dixit ei, Frater tuus venit: & mactavit pater tuus vitulum illum saginatum, quòd valentem illum receperit.

28 Indignatus est autem *ille*, nec voluit introire. Pater ergo ipsius egressus, hortatus est eum.

29 Ipse verò respondens dixit patri; Ecce, tot annos servio tibi, nec unquam mandatum tuum sum transgressus; *tamen* nunquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis exhilararer.

30 Sed quum filius iste tuus, qui devoravit facultates tuas cum meretricibus, venit, mactasti ei vitulum illum saginatum.

31 Ipse verò dixit ei; Fili, tu semper mecum es; & omnia mea, tua sunt:

32 Exhilarari autem & gaudere *te* oportebat, quòd frater tuus hic quum mortuus esset, revixit: quum periisset, inventus est.

In hac parabola *tres* proponuntur *personæ*: quarum actiones distinctè sunt considerandæ. Personæ illæ sunt: filius luxuriosus, pater illius, & frater. *Filii luxuriosi actiones* narrantur istæ: 1. peccatum ipsius; videl. profusio bonorum suorum per luxuriam, v.13. 2. peccati pœna, videl. egestas & fames extrema, versus 14.15.& 16. 3. pœnitentia, in principio v.17. ubi dicitur in se descendisse, 4. spes veniæ patris, ibidem. ubi narratur dixisse, *Quot mercenarii patris mei abundant panibus? Ego verò fame pereo.* quasi diceret: Heu me miserum, cujus deterior est conditio quàm mercenariorum patris mei! quam si nosset pater: certè misertus mei, non sineret me fame mori: sed potiùs quum liberaliter alat mercenarios, multò magis aleret me filium. Item v.18. quum ait, *Surgens proficiscar ad patrem meum.* nam certè nisi spem veniæ concepisset, nunquam sibi proposuisset aut ausus fuisset ad patrem redire, veniamq; illius & opem implorare. Igitur quinta actio illius fuit propositum petendi veniam à patre: quod significatur verbis modò recitatis. Sexta actio est confessio peccati, v.18.19.& 21. ubi simul intelligenda est actio septima, nempe ipsa veniæ petitio cum impetrandi fiduciâ conjuncta. Atque hæ sunt actiones filii luxuriosi. *Patris actiones* erga illum sunt istæ; 1. Animadversâ pœnitentiâ ac spe filii, ultrò ei ignoscit, v.20. 2. Ornat eum vestibus, v.22. 3. Recreat eum contra famem opiparo epulo, v.23.& 24. *Fratris verò actiones* sunt istæ: 1. Indignatur propter istam patris erga fratrem facilitatem atque beneficentiam, v.25.26.27.& 28. 2. Expostulat eam ob causam cum patre, exprobrans simul quòd non æquè benignum se præberet erga ipsum, v.29.& 30. *Patris* denique *actiones erga illum* sunt istæ: 1. Ultrò conatur indignationem ejus emollire, v.28. 2. Eam ob causam ipsum reprehendit, v.31.& 32. Atque hæc est analysis ipsius parabolæ. Jam ad *significationem* quod attinet: per patrem duorum illorum filiorum significatur pater cælestis, id est, Deus. Per filium prodigum significantur peccatores illi manifestarii; putà publicani, scortatores ac meretrices. Per filium alterum significantur scribæ ac Pharisæi, omnesq; adeò Ju-

stitiarii: qui sibi justi videbántur per bona sua opera. *Scopus parabolæ* idem est cum præcedentibus, nempe convincere scribas & Pharisæos peccati, quòd contra Dominum murmurarent propter receptionem peccatorum, ut eos ad resipiscentiam adduceret. Convincit autem eos duobus argumentis: quorum utrumque à factis Dei ductum est. Primum sic potest concludi.

Si Deus ipse facilem se prabet ad peccata resipiscentibus ignoscenda: certè vos peccatis qui peccatoribus resipiscentiam & veniam invidetis.

Sed Deus facilem se prabet &c.

Ergo vos invidiâ ac murmure vestro peccatis.

Assumtio illustratur parabolâ, ubi narratur facilitas patris illius erga filium prodigum resipiscentem. Alterum porrò argumentum tale est:

Si Deus improbat illam indignationem erga eos qui faciles se prabent peccatoribus resipiscentibus: certè vos peccatis qui mihi erga peccatores resipiscentes facilem me prabenti indignamini.

At Deus improbat indignationem illam.

Vos igitur tali erga me indignatione peccatis.

Assumtio illustratur parabolâ, ubi narratur quomodo pater ille filium alterum reprehenderit.

SCHOLIA IN CAP. XV.

1 Omnes] πάντες. *Nempe qui non procul aberant ab eo loco ubi tum Dominus degebat.*

2 Edit cum eis] συνεσθίει αὐτοῖς. *Pro*, ἐσθίει σὺν αὐτοῖς. *Hellenismus.*

5 Quum autem invenerit] καὶ εὑρών. *Incipit hic nova periodus: ac proinde signum interrogationis à fine hujus versus removendum est.*

7 *Magis* quam] ἤ. *Pro*, μᾶλλον ἤ. *Ellipsis Graca: qualis apud Homerum:*

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.

Volo ego populum salvum esse magis *quàm perire.*

8 Usquequò *eam* inveniat] ἕως ὅτου εὕρῃ. *Hîc apponendum est signum interrogationis. Tum sequitur nova periodus versu sequente, ubi interrogatio locum non habet.*

12 Partem ad me attinentem] τὸ ἐπιβάλλον μέρος. *Seu*, mihi competentem, *qua ad me reditura est in partitione hareditatis. Subaudiendum* ἐπ' ἐμὲ *vel* μοι. Facultates] τὸν βίον. *Propriè* victum. *Metonymia effecti. nam facultatibus comparatur victus.*

13 Congestis *facultatibus suis* omnib.] συναγαγὼν ἅπαντα. *Scil.* τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ. Prodigè] ἀσώτως. *Dictus* ἄσωτος, *hoc est, prodigus, ὅτι οὐ δύναται σώζεσθαι; quòd non potest servari, de cujus salute nulla spes, quem ipsa (ut ajunt) salus servare non possit.*

15 Adhæsit] ἐκολλήθη. *Propriè*, agglutinatus fuit, *id est, agglutinavit se*, **Er hat sich an einen burger gehenckt.** *Sic Matth. 19.5.* προσκολληθήσεται τῇ γυναικί. **Er wird seinem weib anhangen.**

16 Siliquis quas edebant] τῶν κερατίων ὧν ἤσθιον. *Pro*, ἐκείνων ἃ ἤσθιον. *Gracismus.* Sed nemo] καὶ οὐδείς. *Copulativa pro adversativa. Opponuntur enim hic diversa.*

17 Quum in se descendisset] εἰς ἑαυτὸν ἐλθών. **Als er in sich selbst gangen war.** *Id est, quum seipsum considerasset, quàm turpiter & nequiter patrimonium suum prodegisset, & quàm benignum patrem haberet. Alii*, Quum ad se rediisset. *qua phrasis non videtur huc quadrare. Nam ad se redire dicuntur qui animum ex ira vel terrore recolligunt atq; recipiunt. quod Germani dicunt,* **wider zu sich selbst kommen.** Abundant panibus] περισσεύουσιν ἄρτων. *Hic apponendum est signum interrogationis: atq; idem removendum à sententia sequente.*

18 In cælum] εἰς τὸν οὐρανόν. *Id est, in Deum. Metonymia subjecti. Cælum enim sedes seu thronus Dei in scriptura dicitur.*

20 Vênit] ἦλθε. *Id est, profectus est. nam tum nondū venerat: ut intelligitur è sequentibus. Ergo* ἔρχεσθαι *hic ponitur pro* πορεύεσθαι, *ex collatione versus 18. Sic Joh. 6. v. 17.*

21 In cælum] εἰς τὸν οὐρανόν. *Vide 18.*

26 Quid istud esset] τί εἴη ταῦτα. *Ad verb.* Quid hæc essent. *id est, quid hac sibi vellent, quid iste concentus & chori significarent, seu cujus rei signum essent. Metonymia subjecti: qualis etiam in verbis Cana, Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus.*

29 Hœdum] ἔριφον. *Id est*, vel hœdum: *quasi dicat, Multò minus vitulum saginatum. Obliqua amplificatio indignitatis rei, atque iniquitatis patris in tractandis filiis, per collationem imparium.*

30 Facultates tuas] σου τὸν βίον. *Ad verb.* Victum tuum: *ut supr. v. 12. Odiosè autem & ad amplificandum rei indignitatem dicit*, tuas: *significans, partem illam hareditatis quam pater prodigo isti filio dederat, nondum fuisse ei debitam: sed adhuc fuisse in potestate patris: quum demum post mortem patris, filiis jus sit hareditatem dividendi.*

31 Omnia mea, tua sunt] πάντα τὰ ἐμὰ, σά ἐστι. *Id est, ad te redibunt post mortem meam: quia scil. frater tuus jam suam partem accepit. Vel, Omnia mea tua sunt hoc ipso tempore, quo ad usum: licet tibi illis unà mecum uti: nihil unquam tibi denegavi.*

32 Quum mortuus esset, revixit &c.] νεκρὸς ἦν καὶ ἀνέζησε &c. *Ad verb.* Mortuus erat, & revixit: perieratque & inventus est. *Enuntiatum copulatum pro discreto. Nam si vim haberet copulati: sequeretur absurdum hoc, gaudendum esse quòd ille fuerit mortuus, quodq; perierit. Simile exemplum vide Rom. 6. v. 17. At supr. c. 14. v. 5. enuntiatum copulatum habebat vim connexi.*

OBSERVAT. EX CAP. XV.

1 Ex v. 1. & seqq. Pio doctori, atque etiam cuivis pio, cum manifestis peccatoribus eatenus versari licet: quatenus illos studet adducere ad pœnitentiam. *Conversatio cum manifestis peccatoribus.*

2 Ex v. 5. & seqq. Item ex v. 20. 23. 24. De conversione proximi gaudendum est, Deoque gratiæ agendæ: ac proinde etiam opera danda, ut proximum ad conversionem adducamus. *Officium hominis Christiani*

3 Ex v. 14. & seqq. Filii Dei ad pœnitentiam adduci solent adhibitis divinis castigationibus. Huc pertinet illa confessio Davidis Psal. 119. v. 71. *Bono mihi fuit me affligi, ut discerem statuta tua.* Item sententia illa Pauli 1. Cor. 11. *Quum judicamur, à Domino castigamur: ne cum mundo condemnemur.* *Filiorū Dei ingenium.*

4 Ex v. 17. & seqq. Salutaris pœnitentia constat seriâ agnitione atque deploratione peccati admissi, cujus index est ingenua confessio: & desiderio gratiæ sive misericordiæ Dei, cujus index est affectuosa illius imploratio: & ejusdem misericordiæ fiduciâ, ortâ ex promissione evangelii, qua remissio peccatorum promittitur omnibus pœnitentibus & ad Dei gratiam propter Christum confugientibus: & denique firmo proposito deinceps sanctè coram facie Dei vivendi. Hæc singula prospiciuntur in exemplo filii illius prodigi: postremum autem illud notatur pretiosis illis vestimentis, quibus pater filium reversum indui jussit. *Pœnitentia salutaris.*

5 Ex v. 20. & seqq. Deus resipiscentibus & gratiam ipsius expetentibus ignoscit facilimè. Ergo quoties nos peccatorum pœnitentia subit, ad gratiam Dei propter Christum (qui peccata pœnitentium & in ipsum credentium expiavit) confugiamus: veniamque certò exspectemus. *Gratia Dei.*

6 Ex v. 28. Justitiarii indignantur, quum vident peccatores in gratiam recipi. Sed invidia illa fugienda est. *Justitiariorū ingenium.*

ANALYSIS CAP. XVI.

ARGUMENTUM.

Dominus 1. proponit parabolam de dispensatore injusto: 2. monet de efficacia evangelii & de authoritate Legis: 3. proponit historiam de divite epulone & de mendico Lazaro. Ita sunt tres capitis partes.

PRIMA PARS.

Parabola de dispensatore injusto.

Dixit autem etiam discipulis suis, Fuit homo quidam dives, qui habebat dispensatorem: & is delatus est apud eum ut qui dissiparet ipsius bona.

2 Vocavit eum igitur, & dixit ei, Quid hoc *est quod* audio de te? Redde rationem dispensationis tuæ. Non enim poteris ampliùs esse dispensator.

3 Dixit autem apud se dispensator; Quid faciam, quum dominus meus auferat à me dispensationem? Fodere non valeo, mendicare pudet.

4 Novi quid sim facturus, ut quum amotus fuero à dispensatione, recipiant me in domos suas.

5 Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dixit primo, Quantum debes domino meo?

6 Is autem ait, Centum batos olei. Tum ille dixit ei; Accipe tabulas tuas, & conside citò, & scribe quinquaginta.

7 Deinde alii dixit, Tu verò quantum debes? Is autem ait, Centum coros tritici. Tum ipse dixit ei: Accipe tabulas tuas, & scribe octoginta.

8 Et laudavit dominus ille dispensatorem injustum, quòd prudenter fecisset. Nam filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in suo genere.

9 *Sic* etiam ego vobis dico, Facite vobis amicos ex mamona injusto, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna illa tabernacula.

10 Qui fidelis est in minimo, etiam in multo fidelis est: & qui in minimo injustus est, etiam in multo est injustus.

11 Si ergo in injusto mamona fideles non fuistis; verum *mamonam* quis credet vobis?

12 Et si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est quis dabit vobis?

13 Nullus

13 Nullus famulus potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & mamonæ.

14 Audiebant autem hæc omnia etiam Pharisæi, qui erant avari; & irridebant eum.

15 Tunc dixit eis, Vos estis qui justificatis vos ipsos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra. quia quod apud homines sublime est, abominationi est coram Deo.

Protasis hujus parabolæ continetur primis octo versibus: apodosis v. 9. & deinceps usque ad 13. tum sequitur præceptum proposito affine, v. 13. Postremò narrantur eventa hujus sermonis, v. 14. & 15. *Scopus parabolæ* (ut ex apodosi percipitur) est, præcipere divitibus ut largas dent eleemosynas. *Ratio præcepti* affertur *duplex*: prima ab effectu utili: quia sic comparaturi sibi sint habitationem in cælo, videlicet per preces piorum pauperum: qui Deum pro ipsorum salute sint oraturi. Altera ab effectu detrimentoso: quia si divites non fideliter administraturi sint divitias terrenas, erogando scilicet in egenos: Deus illis non sit crediturus divitias cælestes: hoc est, non sit eis donaturus dona spiritualia, per quæ veram felicitatem consequantur: v. 10. & 11. *Affine superiori præceptum est*, Ne quis divitiis acquirendis sese dedat. *Ratio ab effectu noxio*: quia isto studio atque amore divitiarum homines avellantur ab amore Dei: quum duo isti amores non possint simul consistere, vers. 13. Porrò qui Deum non amat: is nec à Deo amatur, ac proinde vitam æternam consequi non potest. *Eventa* istius sermonis narrantur duo: quorum posterius ex priore consecutum est. 1. Pharisæi monitiones istas & præcepta Domini irriserunt: cujus rei causa per se indicatur, videlicet avaritia. 2. Dominus Pharisæos propter hypocrisin & fastum reprehendit, v. 15.

SECUNDA PARS.

Monet de efficacia Evangelii & de authoritate Legis.

16 Lex & Prophetæ usque ad Johannem: & ab eo tempore regnum Dei annuntiatur, & omnes in illud vi irrumpunt.

17 Facilius est autem, cælum & terram præterire, quàm Legis unum apicem excidere.

18 Quisquis dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & quisquis à viro dimissam ducit, mœchatur.

De efficacia Evangelii moniturus, priùs monet *de tempore quo illud cœpit prædicari*: tempus autem describit ex duratione Legis & Prophetarum, quam terminat adventu Johannis Baptistæ. *Efficaciam* autem *Evangelii* ostendit his verbis, *Regnum Dei annuntiatur, & omnes in illud vi irrumpunt.* ubi hyperbolicè dicit OMNES, pro, Ferè omnes, seu plerique, seu deniq; multi. Nam certè in scribas & Pharisæos dictum istud non competit: quippe qui doctrinæ Johannis & Christi atque Apostolorum non credebant. *Illustratur* autem efficacia Evangelii ab istis doctoribus prædicati, *similitudine* vel hostium irrumpentium in urbem quam vi capiunt, vel eorum qui irrumpunt in theatrum ad videndum jucunda spectacula. Cæterùm ne videretur Dominus Legem contemnere, quia monuerat de durationis illius termino: per prolepsin addit monitionem *de Legis authoritate*, vers. 17. quam ostendit partim ab impletionis rerum in Lege prædictarum certitudine, partim ab ejusdem impletionis perfectione. Quòd res in Lege prædictæ certò implendæ sint, declarat à comparatis: Facilius est cælum & terram præterire (id est, in nihilum redigi) quàm non impleri res in Lege prædictas. Et tamen ex verbo Dei certum est, cælum & terram non ita interitura ut in nihilum redigantur: Ergo certum quoque est, impletum iri res in Lege prædictas. Perfectionem, quòd scilicet oporteat impleri omnia in Lege prædicta, similiter à comparatis ostendit, ubi ait: ne unum quidem apicem Legis casurum, quasi dicat, multo minùs casuras totas prophetias in lege contentas. Postremò sententiam de Legis authoritate pronuntiatam illustrat exemplo speciali, videlicet exemplo legis de conjugio: unde obliquè deducit reprehensionem Pharisæorum: qui cùm vellent videri maximi zelotæ legis Dei, tamen contra Dei legem permittebant divortia extra adulterii casum, ob leves & nihili causas: v. 28.

TERTIA PARS.

Historia de divite epulone & mendico Lazaro.

19 Cæterùm homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ & bysso, & se exhilarabat quotidie splendidè.

20 Erat verò quidam mendicus, nomine Lazarus; qui jacebat ad vestibulum ejus ulcerosus:

21 Et desiderabat saturari micis quæ cadebant è mensa divitis. sed & canes veniebant, ac lingebant ejus ulcera.

22 Factum est autem ut moreretur mendicus, & asportaretur ab angelis in sinum Abrahæ: mortuus est verò etiam dives ille, ac sepultus est.

23 Et in inferno sublatis oculis suis, quum esset in tormentis, vidit Abrahamum procul, & Lazarum in sinu ejus.

24 Tum ipse vociferans dixit; Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam: quoniam crucior in ista flamma.

25 Dixit autem Abraham; Fili, memento, te bona tua recepisse in vita tua, & Lazarum similiter mala: nunc autem hic solatio fruitur, tu verò cruciaris.

26 Et ad hæc omnia, inter nos & vos hiatus ingens constitutus est, ut ii qui volunt hinc transire ad vos, non possint; neque isthinc huc transire.

27 Dixit autem *ille*, Rogo ergo te, pater, ut eum mittas domum patris mei.

28 Habeo enim quinque fratres; ut testificetur eis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormenti.

29 Dicit ei Abraham, Habent Mosen & prophetas: audiant eos.

30 Ille verò dixit, Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis abierit ad eos, resipiscent.

31 Abraham autem dixit ei; Si Mosen & Prophetas non audiunt: ne tunc quidem si quisqiam ex mortuis excitetur, persuadebuntur.

Scopus hujus historiæ (ut ex cohærentia ipsius cum sermone præcedente videtur posse colligi) est *duplex*: unus, discipulos, qui erant pauperculi & à Pharisæis divitibus alto supercilio contemnebantur, consolari promissione gaudiorum cælestium atque æternorum: Pharisæis autem illis divitibus, avaris, superbis, luxuriosis, atque immisericordibus denuntiare cruciatus infernales atque æternos. Promissio latet in exemplo Lazari mendici ac pii: cujus anima post mortem per angelos in cælum ad fruendum æternis gaudiis asportata est. Denuntiatio verò pœnæ latet in exemplo divitis illius epulonis; cujus anima post mortem per diabolos in infernum deportata est ad æternos cruciatus ibi percipiendos. Ratio consequentiæ est natura Dei justa & sibi semper similis: unde fit ut omnium piorum pietatem remuneretur, itemque omnium impiorum impietatem puniat: si non in hoc mundo, at certè in futuro. Alter verò scopus hujus historiæ est, commendare authoritatem Legis & Prophetarum, quam indicarat v. 17. Hic scopus colligitur ex narrationis hujus fine, videl. ex verbis Abrahæ de audiendis Mose & Prophetis, v. 29. & 31.

Cæterùm per colloquium Abrahæ cum divite illo, docentur ordine hæc quatuor: 1. Damnatis nihil planè solatii contingere, v. 24. & 25. 2. Vices esse miseriæ & felicitatis in hac vita & futura: ita scilicet ut impii qui in hac vita ferè perpetuò sunt felices, in alterâ sint miseri: & contrà pii qui in hac miseri, in alterâ felices, v. 25. 3. Statum hominum post hanc vitam esse immutabilem: ita ut nec beati possint excidere suâ beatitudine, nec damnati eripi è suo supplicio, v. 26. 4. Si quis velit evitare cruciatus gehennæ, illi audiendum esse verbum Dei scriptum: ita scilicet, ut illi credat, & vitam ex illius præscripto instituat: v. 27. & deinceps.

SCHOLIA IN CAP. XVI.

1 Delatus est apud eum] διεβλήθη αὐτῷ. *Videtur esse catachresis: neq; enim calumniosa aut falsa, sed vera erat hæc delatio.*

2 Quid hoc *est quod* audio de te?] τί τοῦτο ἀκούω περὶ σοῦ; *Pro,* τί ἐστι τοῦτο ὅπερ ἀκούω περὶ σοῦ; *Et ita Syrus quoque supplevit. Ac si diceret,* Was ist das für ein handel? Was sol das seyn? *Interrogatio conquerentis. Est q; ellipsis gemina Hebræa: qualis Gen. 3. v. 13.* Quid hoc est quod fecisti?

4 Recipiant me] δέξωνταί με. *Impersonaliter. Intelligendum autem hoc est de debitoribus domini, quibus volebat partem debiti condonare: ut patet ex sequentibus.*

8 Et laudavit dominus ille] καὶ ἐπῄνεσεν ὁ κύριος. *Ex collatione versiculi sequentis clarè liquet, hæc esse verba Christi, non autem Evangelistæ. unde jam percipitur, vocabulum* ὁ κύριος, *id est,* dominus, *non esse hîc exponendum de Christo (ut vulgò fit, atque etiam à Syriaco interprete factum est) sed de domino illo dispensatoris, de quo Christus hanc parabolam proponit, ut nimirum articulus accipiatur* ἀναφορικῶς: *sic,* ὁ κύριος, *scilicet* ὁ τοῦ οἰκονόμου. *Exponit autem Christus his verbis eventum, quomodo scilicet fraus ista dispensatoris illi abierit.* Dispensatorem injustum] τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας. *Ad verbum.* Dispensatorem injustitiæ.

ſtitiæ. *Genitivus adjuncti, conſtructus per Hebraiſmum.* Nam filii &c.] ὅτι οἱ υἱοί. *Quaſi dicat Dominus: Et meritò laudavit: nam filii hujus ſæculi &c. Ellipſis propoſitionis, cujus ratio exponitur. Approbat Dominus judicium illius patrisfamiliâs de illo ſuo diſpenſatore, argumento à genere petito, de conditione filiorum hujus ſæculi: quam ſententiam illuſtrat collatione filiorum lucis, tanquam minus-prudentum.* Filiis lucis] ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτός. *Id eſt, hominibus iis qui deſtinati ſunt à Deo ad fruendum luce illâ cœleſti. Sic dicuntur angeli lucis, 2. Cor. 11. v. 14.*

9 Sic etiam ego] κἀγώ. *Pro,* οὕτω κἀγώ. *Ellipſis conjunctionis comparativæ* ἀποδοτικῆς. *Syrus,* אָנָא אָף *vaph ana,* Et etiam ego: *Id eſt, Sic etiam ego.* Ex mamona injuſto] ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας. *Pro,* τοῦ ἀδίκου: *ut loquitur infrà v. 11. Ad verbum,* Ex mamonæ injuſtitiæ. *Hebraiſmus, qualis verſu ſuperiore. Vocat autem divitias injuſtas, eò quòd plerunque per injuſtitiam acquiruntur. Etſi interim verum eſt, de opibus malè partis hic non agi.* Recipiant vos] δέξωνται ὑμᾶς. *Imperſonaliter. Interim referendum hoc ad pauperes: qui ſuis precibus à Deo impetrant, ut divites qui ipſos divitiis ſuis ex charitate adjuverunt, in tabernacula illa æterna recipiantur. Vel referendum ad ſanctos angelos, tanquam ordinarios illorum tabernaculorum incolas, qui in die judicii omnes pios colligent, & in cœlum recipient, Matth. 24. 31.* In æterna illa tabernacula] εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς. *Id eſt, in cœlum: in quod recepti pii, ſemper cum Domino erunt, 1. Theſſ. 4. v. penult. Periphraſis. Reſpicit autem Dominus his verbis ad verba illa diſpenſatoris, v. 4.* Ut recipiant me in domos ſuas.

13 Aut enim &c.] ἢ γὰρ &c. *De ratione hujus disjuncti vide ſcholia in Matth. 6. v. 24.* Non poteſtis &c.] οὐ δύνασθε &c. *Apodoſis ſimilitudinis, per ellipſin particularum* ἀποδοτικῶν, *nempe,* οὕτω ὑμεῖς, Sic vos.

14 Avari] φιλάργυροι. *Græca vox ſonat amantes argenti, id eſt, pecuniæ.* Irridebant eum] ἐξεμυκτήριζον αὐτόν. *Vel,* Subſannabant eum. *Cæterùm præpoſitio* ἐξ *in verbo Græco videtur eandem habere vim, quàm habet in verbis Latinis,* Exſibilare, explodere: *& in Germanicis,* **außlachen/außrauſchen.** *Emphaſin autem verbi Græci exprimunt Latini, quum dicunt,* Naſo ſuſpendere: *nam* μυκτὴρ *naſum ſignificat.*

15 Qui juſtificatis] οἱ δικαιοῦντες. *Id eſt, ut juſtos celebratis. Sic ſuprà c. 7. v. 29. 35.* Apud homines] ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων. *Ad verb.* In hominibus. *id eſt, inter homines: hoc eſt, judicio & opinione hominum.* Coram Deo] ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *Id eſt, judicio & ſententiâ Dei.*

16 Uſque ad Johannem] ἕως Ἰωάννου. *Scil.* προεφήτευσαν, *prophetarunt: ut exprimitur Matth. 11. 13.* In illud vi irrumpunt] εἰς αὐτὴν βιάζεται. *Id eſt,* μετὰ βίας εἰσέρχεται *ſeu* εἰς βίαν.

17 Quàm Legis unum apicem excidere] ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν. *Hinc apparet, tempore Chriſti Biblia ſcripta fuiſſe cum punctis. Nec eſt quòd quis excipiat, apicis nomine intelligi poſſe literam jod: nam apud Matthæum duo iſta diſtinctè ponuntur, tanquam diverſa. Nec verò ad illum locum dici poteſt, alterum per alterum exponi: quum præcedat nomen* ἰῶτα, *ſequatur* κεραία. *At ſi eſſet* ἑρμηνεία, *interpretatio, ſive* ἐπεξήγησις, *addita expoſitio: tum* κεραία *tanquam generalius, per* ἰῶτα *tanquam ſpecialius exponendum eſſet.* Excidere] πεσεῖν. *Pro,* παρελθεῖν. *Matth.* οὐ μὴ παρέλθῃ, *nequaquam præterierit: c. 5. v. 18.*

19 Induebatur purpurâ & byſſo] ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον. *Id eſt, veſtibus purpureis & byſſinis. Metonymia materiæ. Porrò byſſinum linum olim ejuſdem cum auro pretii æſtimatum fuit; teſte Plin. nat. hiſt. lib. 19. c. 1.*

20 Jacebat] ἐβέβλητο. *Græcum ſonat,* projectus erat. *Sed Latini (quod ſciam) non ſic loquuntur. Sic Marc. 7. v. 30.* Invênit (*Syrophœniſſa*) filiam jacentem (βεβλημένην) ſuper lectum. *Sic Matth. 8. v. 2.* Obtulerunt ei paralyticum in lecto jacentem, βεβλημένον.

21 Et deſiderabat] καὶ ἐπιθυμῶν. *Subaudiendum* ἦν. *Ad verb.* Deſiderans erat. *Hebraiſmus.*

22 Et aſpottaretur] καὶ ἀπενεχθῆναι αὐτόν. *Id eſt, anima ipſius. Synecdoche integri.* In ſinum Abrahæ] εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ. *Id eſt, in locum quietis ſive ſolatii: nempe in cœlum, ubi tum erat anima Abrahæ. Metaphora à parentibus, qui puerulos ſuos vel diſcurſatione diurnâ feſſos, vel ex adverſo aliquo caſu ejulantes, ſolatii gratiâ in ſinum ſuum recipiunt, ut ibi ſuavitèr quieſcant. Denominatur autem locus ille quietis cœleſtis ab Abrahamo, tanquam patre credentium: quaſi ſcil. credentes laboribus atque ærumnis hujus mundi defeſſos in ſinum ſuum colligat.*

23 Et in inferno] καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ. *Vetus interpres omiſſâ conjunctione* καὶ, *iſta conjunxit cum præcedentibus, & à ſequentibus divulſit: ut qui verterit,* Et ſepultus eſt in inferno. *Simile exemplum corruptæ diſtinctionis occurrit Joh. 1. v. 3. & 4. nempe,* Et ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat. *Cæterum nomine* τοῦ ᾅδου *hic ſignificari locum tormenti, id eſt, qui, torquendis atque excruciandis in æternum impiis deſtinatus eſt (quem Latini Theologi Infernum, profani verò authores orcum nominare ſolent) planum eſt tum ex phraſi,* ἐν τῷ ᾅδῃ: *tum ex collatione v. 28. ex verbis epulonis, ubi ait,* Ne & ipſi veniant in hunc locum tormenti. *Iſtum locum Lucianus* περὶ πένθους *deſcribit his verbis:* τόπον τινὰ ὑπὸ τῇ γῇ βαθύν, ᾅδην ὑπειλήφασι μέγαν δὲ καὶ πολύχωρον, τοῦτον εἶναι καὶ ζοφερὸν καὶ ἀνήλιον: *id eſt, Locum quendam ſub terra eſſe putant, ᾅδην nomine: eumque magnum & capacem, hunc eſſe & caliginoſum & ſolis expertem. Atque hinc dictus eſt* ᾅδης *per ſynereſin, pro* ἀΐδης, *quâ voce utuntur Poëtæ: videl. ex* α *privativo, & verbo* ἰδεῖν, *quod eſt videre: quia ſcil. non videantur, hoc eſt, nullius aſpectui pateant qui ibi degunt. Interdum tamen nomine* ᾅδου *ipſe deus inferorum, Pluto ſcilicet, apud profanos authores intelligitur: unde iſtæ phraſes,* ἐν ᾅδου *ſcilicet* οἴκῳ: *&* εἰς ᾅδου, *ſcil.* οἶκον: *id eſt, in Plutonis domo vel domum: quæ periphraſis orci eſt. Id Plutarchus in commentario,* εἰ καλῶς εἴρηται τὸ, λάθε βιώσας, *confirmat his verbis:* τὸν ἥλιον, *inquit,* Ἀπόλλωνα καὶ τοὺς πατρίους καὶ παλαιοὺς θεσμοὺς νομίζοντες, Δήλιον καὶ Πύθιον προσαγορεύουσι· τὸν δὲ τῆς ἐναντίας κύριον μοίρας (εἴτε θεὸς, εἴτε δαίμων ἐστὶν) ᾅδην ὀνομάζουσιν. ὡς ἂν εἰς ἀϊδὲς καὶ ἀόρατον ἡμῶν, ὅταν διαλυθῶμεν, βαδιζόντων, νυκτὸς ἀϊδνᾶς ἀεργηλοῖο θ' ὕπνου κύριον. *Id eſt,* Solem ſecundùm patrias & antiquas leges Apollinem eſſe ſtatuentes, Delium & Pythium appellant: oppoſitæ verò partis dominum (ſive is deus ſive dæmon eſt) ᾅδην nominant: tanquam nos, quum diſſoluti fuerimus, in locum quendam inconſpicuum atque inviſibilem abeamus: noctis obſcuræ pigrique ſomni dominum. Sublatis oculis &c.] ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς &c. *Quæ deinceps narrantur, tanquam metaphoricè dicta accipi oportet: quum conſtet, illa non cadere in animas à corporibus ſeparatas. Quid autem iſtis metaphoris docere Dominus velit, dictum eſt in analyſi.* Vidit] ὁρᾷ. *Ad verb.* Videt. *Enallage temporis: ut apparet ex collatione verſus ſequentis.* In ſinu ejus] ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ. *Ad verb.* In finibus ejus. *Idem ſignificatur quod verſu præcedente, nomine* κόλπου *numero ſingulari. Et ſic profani quoque authores loquuntur: ut Homerus Iliados* ι. ——— δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι, Rigabantur autem lachrymis ſinus. *Tibullus:*

Deſpuit in molles & ſibi quiſque ſinus.

24 Extremum digiti ſui] τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ. *Id eſt,* τὸ ἄκρον μέρος, *extremam partem. Ellipſin Græcam Cicero quoque retinuit de Divinat. ubi ait;* Cœlum ipſum, quod extremum atque ultimum mundi eſt. *quod Græcè diceretur,* ὅπερ ἐστὶ τὸ ἄκρον καὶ τὸ ἔσχατον τοῦ κόσμου. *ſcilicet* μέρος: *hoc eſt, extrema atque ultima mundi pars. Digiti autem nomine per ſynecdochen generis intelligitur hoc loco index: is enim eſt qui intingi ſolet præ cæteris.* Intingat in aquam] βάψῃ ὕδατος. *Pro,* ἐν ὕδατι, *vel* εἰς ὕδωρ. *Inſolens ſyntaxis: cujus tamen exemplum reperitur apud Aratum, ubi de ſidere Cepheo loquens, inter alia ſcribit,*

——— τὰ μὲν εἰς κεφαλὴν, μάλα πάντα
Βάπτων ὠκεανοῖο. *Id eſt,*
——— Quæ quidem ad caput ſunt, planè omnia
Tingens Oceano, *ſeu,* immergens in Oceanum.
Sic enim Cicero reddidit,
Hic caput & ſuperas potis eſt demergere partes.

25 Fili] τέκνον. *At quomodo vocat filium qui jam erat damnatus? quum ipſe appelletur pater credentium. Nempe reſpicit aut ad procreationem carnis, aut ad ætatem.* Bona tua] τὰ ἀγαθά σου. *Id eſt, tibi à Deo deſtinata.* Mala] τὰ κακά. *Scilicet* αὐτοῦ, *id eſt, ſua: hoc eſt, ſibi deſtinata. Articulus notat aliquid certi.* Solatio fruitur] παρακαλεῖται. *Græcè unum verbum: ut & Germanicè* **Wirdt getröſtet.**

26 Ad hæc omnia] ἐπὶ πᾶσι τούτοις. *Ad verb.* Super hæc omnia: *vel,* ultra hæc omnia, **über diß alles.** Inter nos & vos] μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν. *Inter nos ſcilicet qui in cœlo ſumus, & vos qui in inferno eſtis. Ex hoc exemplo judicari poteſt, confuſionem intelligentiæ naſci ex confuſa pronuntiatione literarum* η *&* υ, *quæ vulgò obtinuit: quâ ſcil. utraque illa litera pronuntiatur ut tertia Latinorum vocalis* i. Conſtitutus eſt] ἐστήρικται. Firmatus eſt: *id eſt, firmo Dei conſilio conſtitutus.*

28 In hunc locum tormenti] εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς βασάνου. *Hoc eſt, torquendis ſive excruciandis damnatis à Deo deſtinatum. Periphraſis inferni.*

29 Moſen & prophetas] Μωσέα καὶ τοὺς προφήτας. *Id eſt, libros Moſis & prophetarum. Metonymia efficientis.*

OBSERVAT. EX CAP. XVI.

1 Ex v. 9. 11. 12. Divites debent largas dare eleëmoſynas. Rationes præcepti petantur ex textu. *Divitum officium.*

2 Ex verſ. 13. Cavendum ne divitiis acquirendis nos dedamus. Rationem præcepti pete ex textu. Et confer locum Pauli 1. Tim. 6. v. 9. & 10. *Divitiæ.*

3 Ex v. 15. Fugienda hypocriſis: quia Deus novit corda. Fugienda item ſuperbia: quia Deus ſuperbos abominatur. *Hypocriſis. Superbia.*

4 Ex v. 16. ex verbis, *Lex & Prophetæ uſque ad* Johannem. Lex Moſaica cærimonialis non fuit lata ut ſemper duraret, ſed ut aliquando abrogaretur. Abrogatio autem illa incipere debuit in adventu Johannis Baptiſtæ: ut qui in locum circumciſionis ex Dei mandato introduxit Baptiſmum: & digito demonſtravit Chriſtum, agnum illum, cujus oblatione non longè pòſt ſacrificia veteris Teſtamenti omnia debuerunt abrogari, tanquam typi illius venturi. Errant igitur Judæi, qui putant, cærimonias Moſaicas perpetuas eſſe debere: eaſque proinde, quoad poſſunt, adhuc obſervant. *Legis cærimonialis abrogatio.*

5 Ex eod. v. ex verbis, *Ab eo tempore regnum Dei annuntiatur.* Doctrina de Chriſto in novo Teſtamento, ſeu pòſt Chriſtum exhibitum, jucundior eſt quàm in Teſtamento vetere, ſeu ante *Diſcrimen veteris & novi Teſtamenti.*

ante Christum exhibitum: quia tunc fuit prophetia de rebus per Christum salutis nostræ causâ gerendis: nunc verò est annuntiatio gestarum. Huc pertinet illud apophthegma Christi ad Apostolos: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis: & beatæ aures quæ audiunt quæ vos auditis &c.* Ergo hoc tantum Dei beneficium gratis animis agnoscamus, & doctrinam de Christo studiosè audiamus.

Evangelij prædicatio. 6 Ex eod. v. ex verbis: *Omnes in illud vi irrumpunt.* Spiritus sanctus per prædicationem Evangelii efficax est in cordibus electorum: gignendo scilicet in illis fidem, qua in regnum Dei veluti vi irrumpunt: dum de Dei erga se gratiâ, per Christum conciliatâ, plenè persuasi sunt, ex eâq; vitam æternam in cælo apud Christum fruendam magno desiderio exspectant. Huc pertinet dictum Pauli Rom. 1. *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti*, id est, instrumentum quo Deus potenter utitur ad fidem in electis efficiendam, per quam illi salutem æternam consequuntur.

Mundi interitus. 7 Ex v. 17. Etsi cælum & terra præteribunt, ut immutentur ac renoventur, Psal. 102. 27. Esa. 65. 17. item. 2. Pet. 3. v. 10. & deinceps: tamen non ita præteribunt ut redigantur in nihilum.

Verbum Dei. Vita æterna. Cruciatus gehennæ. 8 Ex eod. v. Verbum Dei est immotæ veritatis ac certitudinis. Itaque & pii vitam æternam, ipsis in verbo Dei promissam, certò possunt ac debent exspectare: & impii à cruciatibus gehennæ, quos verbum Dei illis minatur, sibi debent metuere.

Conjugium. 9 Ex v. 18. Vinculum conjugii tam arctum & sanctum est, ut non liceat illud solvere ex quavis causa. Licet autem illud solvere ex causa adulterii, Matth. 19. v. 9.

Luxus. Immisericordia erga pauperes. 10 Ex v. 19. &c. Fugiendus est luxus & immisericordia erga pauperes: quia Deus luxuriosos & immisericordes puniturus est cruciatibus gehennæ.

Paupertas. Invaletudo corporis. 11. Ex v. 20. 21. 22. Paupertas & invaletudo corporis piis patienter toleranda est: quia in morte inde liberabuntur, & in cælum ad gaudia æterna transferentur.

Animæ immortalitas. 12 Ex v. 22. 23. Anima hominis post mortem corporis superstes est, atque adeò immortalis: quippe quæ si pia fuerit, transfertur in cælum ad gaudia æterna: sin impia, abjicitur in gehennam, ad æternos cruciatus.

Angelorum officium. 13 Ex v. 22. Angelorum officium est, ministrare piis: & inter alia, animas ipsorum morientium deportare in cælum.

Cælum. 14 Ex v. 23. & seqq. Cælum est veluti sinus, in quo pii in ipsum recepti, tanquam infantes in sinu matris, suaviter quiescunt. Qui autem in sinum illum colligi cupiunt, eos oportet fidem ac pietatem Abrahæ in hac vita imitari.

Infernus. 15 Ex v. 23. 24. 28. Notetur testimonium de inferno, loco scil. tormenti, id est, destinato impiis in æternum torquendis atque excruciandis.

Bona terrena & cælestia. 16 Ex v. 25. Qui felicitatem quærunt in hac vita seu in bonis terrenis, nihil interim soliciti de altera vita & bonis cælestibus: illi justo Dei judicio bonis cælestibus in altera vita privantur, & contrà malis ineluctabilibus atq; intolerabilibus obruuntur.

Patientia. Spes. 17 Ex eod. v. Qui mala hujus vitæ patienter ferunt, atque interim Deo constanter serviunt, sperantes se aliquando à malis liberatum, suamque patientiam bonis cælestibus remuneratum iri: illi tandem sui voti compotes evadunt.

Status hominis post hanc vitam. 18 Ex v. 26. Status hominis post hanc vitam immutabilis est: ita scilicet ut nec beati suâ felicitate excidere, nec damnati à suis cruciatibus liberari unquam possint. Quare dum hic vivimus, saluti nostræ maturè prospiciamus: nec pœnitentiam procrastinemus.

Verbum Dei in vetere Testamento. 19 Ex v. 27. & seqq. Verbum Dei per Mosen & prophetas, nec non apostolos, nobis traditum, reverenter ac sedulò nobis audiendum: & fide atque obedientiâ recipiendum est: si cruciatus gehennæ evitare, & ad gaudia cælestia recipi cupimus.

Verbi Dei scopus & usus. 20 Ex v. 30. & 31. Scopus atque usus verbi Dei est, ut per illud admoniti resipiscamus, atque ita cruciatus gehennæ evitemus, gaudiaque cælestia consequamur.

ANALYSIS CAP. XVII.

ARGUMENTUM.

Dominus 1. discipulos monet ut sibi caveant à scandalis: 2. præcipit quomodo se gerere debeant erga afficientem injuriâ, item erga deprecantem culpam: 3. ostendit, quanta sit vis seu efficacia fidei: 4. declarat, Deum gratiam suam nemini, tanquam ex ipsius merito, debere: 5. Sanat decem leprosos: 6. docet de adventu regni Dei. Ita sunt sex hujus capitis partes.

PRIMA PARS.

De cavendis scandalis.

Ait autem discipulis, Contingere non potest ut non eveniant scandala; sed væ *illi* per quem eveniunt.

2 Expedit ei si mola asinaria circumponatur collo ejus, & abjectus fuerit in mare, *potius* quàm ut sit scandalo uni ex parvis istis.

3 Cavete *igitur* vobis.

A scandalis dandis dehortatur argumento *ab effectu noxio*, videlicet exitio æterno: quod significat his verbis: *Væ illi per quem eveniunt scandala*, v. 1. Hanc sententiam amplificat bifariam: primùm à causâ corrumpente cautionis, per prolepsin, deinde à comparatione minoris. Corrumpentem causam cautionis quâ scilicet fit ut scandala caveri per omnia non possint, monet esse necessitatem: ubi ait, *Contingere non potest ut non eveniant scandala*, v. 1. quod idem valet ac si dicatur, Necesse est ut eveniant scandala. Si quæris, unde pendeat hæc necessitas: dico pendêre partim à decreto Dei quo decrevit Diabolo permittere ut excitet scandala, partim à malitia diaboli & infirmitate hominum: unde fit ut ille his identidem & facilè scandala persuadeat. Minoris comparatio est v. 2. ubi exitium æternum, quod scandala ex se pariunt, comparat cum exitio temporali, quale est submersio in mari, tanquam majus cum minore. Postremò ex isto argumento dehortationem istam deducit atque infert in principio versus tertii, ubi ait, *Cavete* igitur *vobis*.

SECUNDA PARS.

Præcipit discipulis, quomodo se gerere debeant erga afficientem injuriâ, item erga deprecantem culpam.

Si autem peccaverit in te frater tuus, objurga eum: & si pœnituerit eum, remitte ei.

4 Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die revertatur ad te, dicens, Pœnitet me: remittito ei.

Fratrem, id est, proximum, Christianam fidem unà nobiscum profitentem, si nos affecerit injuriâ, præcipit ut objurgemus: hoc est, ut ei ostendamus quòd egerit contra legem Dei, ac proinde Deum peccando offenderit, à quo futurum sit ut puniatur, nisi eum peccati pœnituerit, ac proinde cum ingenuâ confessione culpam & à Deo & à nobis quos læsit, fuerit deprecatus. Jam si ille culpam fuerit deprecatus, atque ita ostenderit suam pœnitentiam: præcipit Dominus ut ei ignoscamus, hoc est, ut testificemur, Deum illi ignoscere: seu ut peccati remissionem illi ex verbo Dei annuntiemus. Nam certè ad nos quod attinet, ignoscere proximo cuivis debemus, neque ullam privatæ vindictæ cupiditatem alere: sive illum pœniteat, sive non: & sive culpam deprecetur, sive non. Hoc præceptum amplificat v. 4. ab adjunctâ quantitate per comparationem imparium & ratiocinationem à minori, in hanc sententiam: Si frater vel septies per diem in te peccaverit, ac toties culpam apud te deprecatus fuerit: debes illi remittere. Quantò magis igitur, si tantùm semel atque iterum?

TERTIA PARS.

Ostendit, quanta sit vis seu efficacia fidei.

5 Tunc dixerunt apostoli Domino, Adde nobis fidem.

6 Dixit autem Dominus, Si haberetis fidem quantulum *est* granum sinapis, diceretis huic sycamino, Eradicator, & plantator in mari: & obediret vobis.

Primùm narratur doctrinæ hujus occasio, deinde doctrina ipsa. *Occasionem* Domino ad hanc doctrinam discipulis proponendam præbuit petitio ipsorum: quâ petebant, sibi addi sive augeri fidem. Dominus igitur ut ostenderet, se hanc illorum petitionem approbare, monet rem illam quam sibi dari petant, valde pretiosam atque utilem esse: quippe per quam omnia ad salutem nobis necessaria impetrari à Deo possint. Hanc autem fidei vim atque efficaciam amplificat per collationem imparium, ratiocinando à minori, in hunc modum: Etiam parvula fidei portio res naturæ impossibiles rationique humanæ incredibiles efficit: Ergo multò magis fides magna efficiet res non usque adeò incredibiles. Cæterùm parvulam fidei portionem declarat similitudine grani sinapis: res verò incredibiles significat synecdochicè exemplo eradicationis subitæ sycamini & transplantationis in mari.

QUARTA PARS.

Declarat, Deum gratiam suam nemini, tanquam ex ipsius merito, debere.

7 Quis autem vestrûm habet servum arantem, aut pascentem, qui regresso ab agro dicat statim, Accede, & discumbe?

8 Imò nonne dicet ei, Para quod cænem, & præcinctus ministra mihi usquedum edero ac bibero: & postea edito tu & bibito?

9 Num gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ipsi præcepta fuerant? Non puto.

10 Ita & vos, quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus.

Doctrinam hanc illustrat simul & confirmat *exemplo simili* patrisfamiliâs, more recepto tractantis servum suum. Quæ illustratio atque confirmatio præcedit v. 7. 8. & 9. doctrina ipsa per

apodosis sive applicationem exempli annectitur v.10. Summa est: Sicut paterfamiliâs non habet gratiam servo suo qui ministraverit ipsi, prout jussus fuerit: ita nec Deus gratiam habet hominibus, illísve tanquam bene de se meritis obstrictum se judicat, si maximè illi fecerint quæ ab ipso eis sunt præcepta. Ratio est: quia ut servus ministerium ipso jure debet suo hero: ita etiam homines ipso jure tenentur facere quæ Deus ipsorum creator ac redemtor eis præcepit.

QUINTA PARS.

Sanat decem leprosos.

11 Et factum est inter eundum Hierosolymam, ut ipse transiret per mediam Samariam & Galilæam.

12 Et quum ingrederetur in quendam vicum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt procul:

13 Et extulerunt vocem, dicentes; Jesu, magister, miserere nostri.

14 Qui quum *eos* vidisset, dixit eis; Profecti ostendite vos sacerdotibus. Et factum est ut inter abeundum purgati sint.

15 Unus autem ex ipsis, ut vidit se sanatum esse, revertit, glorificans Deum voce magnâ.

16 Et procidit in faciem ad pedes ejus, gratias ei agens: eratq; iste Samaritanus.

17 Respondens autem Jesus dixit, Nónne decem illi purgati sunt? Novem autem illi ubi *sunt?*

18 Non sunt reperti qui redierint ut tribuerent gloriam Deo, nisi alienigena iste?

19 Et dixit ei, Surge & abi: fides tua te servavit.

Primùm narratur miraculi hujus locus, 2. occasio, 3. caussa impulsiva, 4. modus agendi, 5. miraculum ipsum, 6. eventus.

Locus ubi Dominus leprosos istos per miraculum sanavit, fuit vicus quidam sive Samariæ sive Galilææ, v.11. & 12. *Occasionem* ei præbuit occursus illorum leprosorum, vers. 12. *Impulit* verò ipsum petitio illorum, vers. 13. *Modus agendi* fuit, quòd jussit eos ostendere sese sacerdotibus, tanquam scilicet jam purgati essent, v.14. *Miraculum* ipsum narratur his verbis, *Et factum est ut inter eundum purgati sint*, ibid. *Eventus* fuit reversio unius ex illis decem ad Dominum & gratiarum actio, v.15. & 16. Ubi ille simul describitur à gente unde erat oriundus, nempe quòd fuerit Samaritanus. Hic eventus declaratur deinceps è suo eventu, eoque duplici, in ipso Domino: qui & de ingratitudine reliquorum novem questus fuit, & gratitudinem atque fidem illius Samaritani collaudavit, v.17. 18. & 19.

SEXTA PARS.

Docet de adventu regni Dei.

20 Interrogatus autem à Pharisæis quando venturum esset regnum Dei: respondit eis, & dixit, Non veniet regnum Dei ita ut observari possit.

21 Neq; dicent, Ecce hîc, aut ecce illic. Ecce enim, regnum Dei in medio vestri est.

22 Dixit autem discipulis, Veniet tempus quum desiderabitis videre *vel* unum ex diebus Filii hominis: nec videbitis.

23 Et dicent vobis, Ecce hîc, aut, ecce illic: *sed* ne abite, neq; prosequimini.

24 Nam sicut fulgur coruscans ex *una regione* quæ sub cælo est, in *alteram* quæ sub cælo est, splendet: ita erit & Filius hominis in die suo.

25 Sed priùs oportet eum multa pati, & reprobari à natione ista.

26 Et prout factum est in diebus Noë, ita erit etiam in diebus Filii hominis.

27 Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptum, ad eum usq; diem quo intoivit Noë in arcam: venitq; diluvium, & perdidit omnes.

28 Similiter etiam ut accidit in diebus Lot: edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant:

29 Quo autem die Lot exiit Sodomis, pluit ignis & sulphur è cælo, & omnes perdidit.

30 Secundùm hæc erit dies quo Filius hominis patefiet.

31 In illo die qui fuerit supra tectum, & vasa ejus in ipsa domo, ne descendat ad ea tollenda: & qui in agro, similiter revertatur retrò.

32 Mementote uxoris Lot.

33 Quicunq; studuerit animam suam servare, perdet eam: & quicunq; eam perdiderit, vivificabit eam.

34 Dico vobis, illâ nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur, & alter relinquetur.

35 Duæ erunt molentes simul: una assumetur, & altera relinquetur.

36 Duo erunt in agro: unus assumetur, & alter relinquetur.

37 Tunc respondentes dicunt ei, Quò domine? Ipse verò dixit eis, Ubi corpus *est*, illuc cogentur & aquilæ.

Primùm narratur doctrinæ hujus occasio, deinde doctrina ipsa. *Occasionem* Domino ad hanc doctrinam proponendam præbuit quæstio ipsi proposita à Pharisæis, de tempore adventus regni Dei, id est, regni Messiæ seu Christi, per Prophetas jam olim populo Dei promissi, v.20. *Doctrina* ipsa est partim de regno Dei quale est in hoc mundo, partim de eodem quale futurũ est à fine hujus mundi: quorum illud regnum gratiæ, istud verò regnum gloriæ nominari solet. *De regno gratiæ* docet formam adventus, seu quomodo illud veniat ad eos ad quos venit, nempe occultè, in cordibus scil. electorum, per occultam operationem Spiritus sancti: ubi ait, *Non veniet regnum Dei cum observatione, μετὰ παρατηρήσεως*, id est, ita ut observari possit: *Neq; dicent, Ecce hîc, aut, Ecce illic.* scil. est Christus. *Ecce enim regnum Dei in medio vestri est.* Quasi dicat, Christus jam in medio vestri versatur, & multi in eum credunt: nec tamen cum regio splendore sese vobis ostendit, ut possitis dicere, *Ecce hîc est.* Atq; hæc de adventu regni Dei quale est in hoc mundo. De adventu autem regni Dei quale futurũ est à fine hujus mundi, doctrinam proponit non jam ampliùs Pharisæis, quorum quæstioni satisfecerat: sed discipulis suis quâ sermonis aversione videtur innuere, regnum illud gloriæ, quod à fine demum hujus mundi incepturum est, nihil ad Pharisæos, quippe hostes suos attinere: sed tantùm ad suos discipulos. Cæterùm *de regno gloriæ* tradit quinque: tempus, formam seu modum, adjunctum adhærens, objectum, & subjectum locum. Ad tempus quod attinet, docet illud venturum non ita brevi: quod ipsum declarat ex rebus antecessuris, numero tribus: videl. cladibus populi Judaici, passione suâ, & securitate mundi bene diu duratura. De cladibus eventuris populo Judaico loquitur v.22. & 23. ubi ait, *Veniet tempus quum desiderabitis videre* vel *unum ex diebus Filii hominis: nec videbitis. Et dicent vobis, Ecce hîc, aut, Ecce illic.* Quibus verbis clades Judæis eventuras significat partim ex effectu in piis, partim ex eventu in impiis. Effectus in piis, erit desiderium adventus regni gloriosi Christi: quod desiderium hîc amplificatur à minori: *Desiderabitis videre* vel *unum ex diebus Filii hominis*: quasi dicat, Quanto magis plures? Eventus in impiis, erit falsa prophetia illorum qui populo ostensuri erunt falsos Christos, per quos nimirum ex istis cladibus sint eripiendi, ubi ait: *Et dicent* (scilicet pseudoprophetæ) *vobis, Ecce hîc.* scilicet est Christus, aut, *Ecce illic.* Porrò prophetiam illam suam de venturis falsis prophetis & falsis Christis amplificat adjunctâ admonitione de illis cavendis, inquiens: *Ne abite, neque prosequimini*, scil. illos falsos Christos quos ostenderint falsi prophetæ. Tum rationem admonitionis subjungens, eo ipso exponit formam seu modum adventus sui in regnum suum gloriosum: & significat illum fore illustrem, adeò ut in oculos totius mundi incurrat, v.24. quod ipsum similitudine fulguris sive sparsionis radiorum solis orientis declarat. Quo ipso simul significat, adventum illum suum fore celerem ac repentinum. Postea vers. 25. ad notationem temporis redit, & affirmat, Christum *priùs oportere multa pati, & à natione ista* (Pharisæorum cæterorumq; illis similium impiorum Judæorum) *reprobari.* Tum ad tertiam temporis notationem pergit, ibique simul modum seu formam & adjunctum adhærens comprehendit: affirmans, magnam ante Christi in gloriosum suum regnum adventum futuram in mundo securitatem & contemtum verbi Dei: eamque bene diu duraturam: ac tum deniq; ipsum adventurum, idq; derepente atque ex improviso, & cum interitu impiorum. Quæ singula declarat exemplis Scripturæ similibus, numero duobus: videl. dierum Noë, & dierum Lot. Securitatem notat his verbis, v.27. *Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptum.* scil. hisce rebus unicè intenti, neque interim soliciti de Deo rectè colendo, neque auscultantes monitis Noachi præconis justitiæ. Et rursus v.28. *Edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant.* nempe istis rebus penitus addicti, & tanquam perpetuò in hoc mundo victuri, & variis illius voluptatibus perfruituri: indulgentes luxui ac libidini, suisq; flagitiis piam animam justi Loti torquentes. Durationem bene diuturnam istius securitatis notat, quũ ait: *Prout factum est in diebus Noë*, v.26. Item, *Ut accidit in diebus Lot*, v.28. ubi dierum nomine decursus complurium annorum significatur, putà sæculum vel sæcula. Denique adventum suum fore repentinum, ostendit his verbis, *Ad eum usq; diem quo introivit*

Noë in

Noë in arcam: venitq; diluvium & perdidit omnes, v.27. Et rursus v.29. *Quo autem die Lot exiit Sodomis, pluit ignis & sulphur è cælo, & omnes perdidit.* Quibus verbis simul exponit adjunctum adhærens, nempe adventum suum conjunctum fore cum interitu impiorum: ut patet. Postea v.31. redit ad clades quas prædixerat, & monet quomodo se in illis debeant gerere. *Præcipit* autem *duo*: unum, ut fugâ celerrimâ saluti suæ consulant, v.31. & 32. alterum, ut ad supplicia rapti, constanter nomen ipsius & doctrinam confiteantur, v.33. Celeritatem fugæ significat expositione causarum corrumpentium: quas notat duas, desiderium asportandi sua bona, v.31. & desiderium videndi eventum: quod desiderium significat sub exemplo curiositatis uxoris Loti, contra Domini præceptum inter exeundum respectantis, ut videret quid fieret de urbe Sodomorum, v.32. ubi simul præcepti rationem innuit ab effectu damnoso: fore scilicet, ut nisi fugâ sibi quamprimùm consulant, damno afficiantur: ut accidit uxori Loti, quæ in statuam salis conversa fuit. Simili argumento alterum quoque præceptum confirmat: ubi ait, *Quicunq; studuerit animam suam servare* (scil. abnegando me & doctrinam meam) *perdet eam*, videl. æterno exitio. *Et quicunq; eam perdiderit* (scilicet supplicio affectus, propter confessionem mei ac doctrinæ meæ) *vivificabit eam*, vitâ scil. æternâ. Atque hæc de adventus sui gloriosi tempore, formâ seu modo, & adjuncto adhærente. Jam ad *objectum* quod attinet, *quósnam scilicet homines in regnum illud suum sit assumturus*: pronuntiat, non omnes promiscuè assumtum iri, ne illos quidem qui in hoc mundo conjunctissimè unà vivunt, & inter se simillimi videntur; cujusmodi conjunctionis & vitæ similitudinis tria exempla ponit: primum *cubantium in eodem lecto*, v.34. secundum *unà molentium*, v.35. tertium *unà laborantium in agro*, v.36. Ait autem, ex duobus talibus assumtum iri alterum, alterum verò relictum iri. Si quæris, quínam assumendi sint, qui relinquendi: id docet Dominus Matth.25.v.31. & deinceps: nempe assumtum iri oves, id est, pios: relictum verò iri, imò in gehennam relegatum iri hœdos, hoc est, impios. Atque hæc de objecto adventus Domini in regnum gloriosum. Jam postremò ad *subjectum locum* quod attinet, *in quem pii à Domino assumentur*, ut ibi unà cum ipso in æternum regnent: ejus indicandi narratur primùm occasio, deinde ipse locus significatur periphrasi ex adjuncto inhærente. Occasionem Domino ad locum gloriosi sui regni discipulis hîc indicandum præbuit ipsorum quæstio, *Quò Domine?* Scilicet assumentur cives regni tui gloriosi, ex collatione præcedentium. Adjunctum inhærens à quo locus ille describitur, est ipse Dominus. nam ubi ipse erit, ibi erunt quoque quos Pater ei dedit, Joh.17. v.24. Ipse autem erit in cælo. nam illò fuerat ascensurus, illò ascendit, inde venturus est ad judicium, illò redibit assumtis electis suis. Hanc autem sententiam significat sermone allegorico & proverbiali: quo se quidem cadaveri, suos verò aquilis comparat. quo ipso innuit, veros Christianos acri desiderio Christi potiundi atque fruendi teneri: sicut aquilæ ad cadaver magno numero convolant, ut inde pascantur.

SCHOLIA IN CAP. XVII.

1 Contingere non potest ut non eveniant] ἀνένδεκτόν ἐστι μὴ ἐλθεῖν. *Dicitur* ἀνένδεκτον, τὸ οὐκ ἐνδεχόμενον, *seu* ὅπερ οὐκ ἐνδέχεται γενέσθαι, *quod non contingit ut fiat. Ex α privante & nomine verbali* ἐνδεκτόν: *quod descendit ab* ἐνδέχομαι. *Videtur autem hoc verbum à Luca factum: pro quo Græci usitatè dicunt* ἀδύνατον: *cui opponitur* τὸ ἐνδεχόμενον *&* τὸ ἀναγκαῖον. Illi per quem] δι' οὗ. *Pro*, ἐκείνῳ δι' οὗ. *Ellipsis pronominis.*

2 Expedit ei si &c. *potius* quàm ut &c.] λυσιτελεῖ αὐτῷ εἰ &c. ἢ ἵνα &c. *Pro*, λυσιτελέστερον αὐτῷ εἴη εἰ &c. *Utilius ei esset si &c. quàm ut &c. Potius* quam] ἤ. *Pro*, μᾶλλον ἤ. Uni] ἕνα. *Pro*, καὶ ἕνα. *vel uni.* **Auch nur einen.** *q.d. Nedum ut pluribus.* Ex parvis istis] τῶν μικρῶν τούτων. *Ex collatione cum Matth.18.v.6. videtur hoc intelligendum de pueris. Veruntamen nihil absurdi fuerit, intelligere hîc parvos, homines plebeios adultos, qui in ipsum credebant: eò quòd plerique ipsorum essent abjecti & contemti. Confer Matth.11.v.25. & Joh.7.v.48. & 49.*

3 Cavete *igitur* vobis] προσέχετε ἑαυτοῖς. *Scilicet ne quem ex parvis istis offendatis. Hæc sententia adjungi debuit versui præcedenti.* Si peccaverit in te] ἐὰν ἁμαρτήσῃ εἰς σέ. *Vide scholia in Matth.18.v.15.*

4 Remittito ei] ἀφήσεις αὐτῷ. *Ad verb.* Remittes ei. *Enallage modi Hebraica.*

7 Accede] παρελθών. *Pro*, προσελθών. **Komm her.**

8 Quod cœnem] τί δειπνήσω. *Pro*, ὅ,τι δειπνήσω. *Interrogativum pronomen pro relativo. Heterosis.*

11 Et factum est ut ipse transiret] καὶ ἐγένετο, καὶ αὐτὸς διήρχετο. *Ad verb. Et factum est, & ipse transibat. Modus loquendi Hebraicus.* Per mediam Samariam] διὰ μέσου Σαμαρείας. *Ad verbum,* Per medium Samariæ. **Mitten durch Samariam.**

13 Magister] ἐπιστάτα. *Ad verb.* Præfecte. *Sic supr.5.5.*

14 Et factum est ut purgati sint] καὶ ἐγένετο, ἐκαθαρίσθησαν. *Ad verb.* Et factum est, purgati sunt. *Similis loquendi modus ut v.11. Nisi quòd hic abest conjunctio copulativa.*

18 Non sunt reperti &c.] οὐχ εὑρέθησαν &c. *Legendum cum interrogatione: atque sic legit Syrus. Est autem ista interrogatio admirantis ac detestantis ingratitudinem istorum. quasi dicat: Quis non miretur ac detestetur tantam ingratitudinem?*

20 Ita ut observari possit] μετὰ παρατηρήσεως. *Ad verb.* Cum observatione: *id est, cum splendore qui incurrat in oculos & observari possit. Metonymia adjuncti. Intelligit splendorem mundanum, qualem sibi Pharisæi de regno Christi imaginabantur.*

21 In medio vestri est] ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν. *Ad verbum,* Intra vos est. Vos *autem intellige non singulos per sese spectatos, sed in unũ quasi corpus collectos: quasi dicat, Intra gentem vestram, & quasi in sinu gentis vestræ. Syrus,* In medio de vobis: *id est, in medio vestri.* **Mitten under euch.** *Confer Joh.1.26.*

22 Nec videbitis] καὶ οὐκ ὄψεσθε. *Vel,* Sed non videbitis.

24 Ex *una regione* quæ sub cælo est, in *alteram* quæ sub cælo est] ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν εἰς τὴν ὑπ' οὐρανόν. *Subaudiendum videtur* γῆς *&* γῆν: *estq; repetitio nominis Hebraica.* In die suo] ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ. *Id est, in die adventus sui ad judicium, quo electos suos ad se assumet in communionem regni sui.*

29 Pluit ignis & sulphur] ἔβρεξε πῦρ καὶ θεῖον. *Sic Apoc.11.6.* ἵνα μὴ βρέχῃ ὑετός, *ut ne pluat pluvia. Et sic Virgil. Georg.4.* Nec de concussa tantum pluit ilice glandis, *id est, glans. Aliàs Scriptura dicit, Deum pluere: ut videre est Matth.5.v.45.*

30 Patefiet] ἀποκαλύπτεται. *Pro,* ἀποκαλυφθήσεται. *Enallage temporis.*

31 Supra tectum] ἐπὶ τοῦ δώματος. *Vide Matth.10.27.*

34 Illâ nocte] ταύτῃ τῇ νυκτί. *Qua scil. venturus est filius hominis ad judicium.* ταύτῃ. *Pro,* ἐκείνῃ. *Heterosis.* Assumetur] παραληφθήσεται. *Scil. à filio hominis, ut sit cum ipso. Sic v.seq.* Relinquetur] ἀφεθήσεται. *Omittetur: non assumetur.*

35 Duæ erunt molentes] δύο ἔσονται ἀλήθουσαι. *Dictum ex consuetudine veterum.*

37 Quò domine?] ποῦ κύριε; *Scil. Assumentur illi de quibus dixisti. Vel,* Ubi domine? *Scil. est locus ille in quem cives regni tui gloriosi assumentur. Sed prius simplicius: res quidem eódem redit. Hæc expositio confirmatur ex collatione responsionis subjectæ:* Ubi corpus est &c. *id est, Quemadmodum aquilæ congregantur eò ubi cadaver est: ita pii assumentur eò ubi ego futurus sum, hoc est, in cælum.* Corpus] σῶμα. *Id est, cadaver,* πτῶμα. *Synecdoche generis. nam cadaver est corpus mortuum.*

OBSERVAT. EX CAP. XVII.

1 Ex v.1. & 2. Scandala solicitè cavenda sunt. hoc est, Cavere debemus, ne proximum exemplo nostro corrumpamus deterioremve reddamus: sive dictis sive factis. Contrà verò studere debemus illi ædificando, hoc est, salutem ejus tum sermone tum bonis exemplis promovendo. *Scandala.*

2 Ex v.3. Si proximus qui se Christianum profitetur, injuriâ aliquâ nos affecerit, debemus eum objurgare, hoc est, ostenso peccato ad pœnitentiam exhortari. *Correctio fraterna.*

3 Ex eod. v. Si proximus qui nos offendit, pœnitentiam suam nobis ostenderit: debemus illi ignoscere, divinamque remissionem annuntiare. *Officium hominis Christiani.*

4 Ex v.4. Ad ignoscendum proximo faciles esse debemus. *Officium hominis Christiani.*

5 Ex v.5. Exemplo Apostolorum orare Deum subinde debemus, ut nobis augeat fidem.

6 Ex vers.6. Fides res quoque naturæ impossibiles à DEO impetrat. *Fidei vis.*

7 Ex v.7. & seqq. Homines à Deo nihil boni merentur, etiamsi (quod in hac vita nemo potest) legem ipsius perfectè observarent: quia ad obedientiam ei obligati sunt tanquam domino suo, ipso jure creationis & conservationis. Quòd autem Deus perfectè observantibus legem ipsius, promisit omnis generis bona tum in hac, tum in futura vita: ac multò magis, quod hanc promissionem fecit credentibus in Christum & perfectæ observationi legis studentibus, quam tamen in hac vita nunquam assequuntur: id ex gratia & liberalitate fecit: ac proinde ex jure quidem promissionis bona iis debet qui conditionem sub qua promissio facta est, implent: non tamen ex ullo merito ipsorum. *Homines nihil boni à Deo merentur.*

8 Ex vers.14. Sanatione miraculosâ leprosorum monemur, Christum esse animarum quoque nostrarum medicum: qui illas à lepra peccati purgat sanguine & spiritu suo. *Christus medicus animarum.*

9 Ex v.15. & 16. Exemplo Samaritani monemur, officii nostri esse ut accepto à Deo beneficio aliquo, gratias ei agamus. *Gratitudo.*

10 Ex v.17. & 18. Exemplo reliquorum novem monemur, maximam hominum partem beneficia Dei in se collata ingrato silentio sepelire. *Ingratitudo.*

11 Ex v.19. Exemplo Samaritani illius docemur, fide res naturæ impossibiles à Deo impetrari. *Fidei vis.*

12 Ex v.20. & sequentibus. Regnum Dei in scriptura duobus modis dicitur. Interdum status ille hominis quo is regitur à Deo gratiosè: Interdum verò status ille quo ipse homo regnat gloriosè. quorum illud regnum gratiæ, istud verò regnum gloriæ, docendi causâ nominari solet. De priore ait hoc loco Dominus Pharisæis: *Regnum Dei non venit cum observatione*; id est, cum splendore externo ac mundano. De eodem dixit Dominus ad Pilatum, *Regnum meum non est ex hoc mundo.* Item, *Ego ad hoc natus sum & ad hoc veni in mundum, ut dem testimonium veritati.* Joh.18.v.36. & 37. Item ad discipulos Matth.6. *Regnum Dei.*

Aa 2

v.33. *Quærite primò regnum Dei & juſtitiam ejus*, ubi ἐπεξηγητικῶς declaratur, Regnum Dei eſſe juſtitiam Dei, hoc eſt, quam Deus ab homine poſtulat, & qua ab ipſo coli vult. De regno verò gloriæ loquuntur hæc dicta: 2. Tim. 2. v. 12. *Si toleramus* (ſcilicet cum Chriſto) *etiam cum* eo *regnabimus*. Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à jactis fundamentis mundi*. Luc. 22. v. 29. & 30. *Ego diſpono vobis, prout diſpoſuit mihi pater meus, regnum: ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſraël.* De eodem accipio per[tio]nem orationis Dominicæ ſecundam, *Veniat regnum tuum*. nam de regno gratiæ loquitur petitio tertia, *Fiat voluntas tua &c.* ubi petimus, ut Deus nos regat ſuo Spiritu, ut voluntati ipſius patefactæ alacriter obſequamur: quippe quum aliter regnum illud gloriæ tanquam gratuitum præmium adipiſci non poſſimus.

Adventus Chriſti ad judicium. 13 Ex v. 24. Adventus Chriſti ſeu reditus in hunc mundum ad recipiendum nos in cælum ad communionem regni ſui glorioſi, erit conſpicuus & illuſtris, itemque ſubitus ſeu repentinus. Hinc nominatur ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου, apparitio adventus Domini, ſeu illuſtris adventus Domini, 2. Theſſ. 2. v. 8. Confer Matth. 25. v. 31. 2. Pet. 3. v. 10.

Crux piorũ. 14 Ex v. 25. collato cum 24. Sicut Chriſtum oportuit priùs pati perſecutionem mundi, quàm introiret in regnum ſuum cæleſte atque glorioſum: ita pati quoque oportet eos, qui ei adhærent & ad ipſum pertinent. Oportet enim membra capiti conformari primùm in cruce, deinde in gloria. Hinc illud Pauli Act. 14. v. 22. *Oportet per multas tribulationes nos ingredi in regnum Dei.* Et Rom. 8. v. 17. *Si filii ſumus, ſumus etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Si modò ſimul cum eo patimur, ut ſimul cum eo glorificemur.* Item 2. Tim. 2. v. 11. & 12. *Si cum eo mortui ſumus, cum eo etiam vivemus: ſi toleramus, etiam cum eo regnabimus.* Et epiſt. 2. cap. 3. v. 12. *Omnes qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* Hoc facit ad piorum conſolationem, quum propter Chriſtum ſeu confeſſionem doctrinæ Chriſti, perſecutionem patiuntur.

Adventus Chriſti ad judicium. 15 Ex v. 26. & ſeqq. Quum hodie cernamus magnam plurimorum ſecuritatem carnalem: colligendum inde nobis eſt, diem Domini non procul abeſſe: quia ipſe talem ſecuritatem ſub adventum ſuum in mundo fore prædixit. Interim nobis opera danda, ne nos malis mundi exemplis ad imitandum abripi patiamur: contraque perpetuò vigilandum ac orandum.

Curioſitas. 16 Ex v. 32. Exemplo pœnæ, quâ affecta fuit uxor Loti, moneamur de cavendâ curioſitate: ne ſcil. curioſè inquiramus in ea, quorum cognitionem Deus nobis vetuit.

Confeſſio fidei. 17 Ex v. 33. Oremus Deum ut det nobis conſtantiam in confitenda cæleſti veritate: ne ſtudio ſervandi vitam per veritatis negationem, vitam æternam amittamus: ſed potiùs ut vel cum amiſſione hujus vitæ, veritatem cæleſtem confitentes, vitam æternam conſequamur. Huc pertinet illud Pauli Rom. 10. *Ore fit confeſſio ad ſalutem.*

Judicium ultimum. 18 Ex v. 34. 35. & 36. In fine mundi inopinata fiet rerum metamorphoſis: adeò ut qui conjunctiſſimè inter ſe vixerint atque converſati ſint, in adventu Domini diſtrahantur: ita ſcilicet ut alii (nempe pii) à Chriſto aſſumantur, atque in cælum transferantur: alii verò (nempe impii) ab eodem relinquantur, & in gehennam abjiciantur.

Congregatio fidelium in cælum. 19 Ex v. 37. Sicut aquilæ congregantur ad cadaver, odoratu etiam è longinquo perceptum, ut illo veſcentes fruantur: ſic fideles congregabuntur ſuo tempore in cælum ad Chriſtum, qui pro ipſis factus eſt cadaver, ut odore ſuaviſſimo (qualis nimirum aquilis eſt odor cadaveris) eos alliceret. Spirat enim cadaver illud gratiam Dei ac favorem ergà fideles paternum. Itaque fideles cogitationibus ſuis in cælum ad fruendum Chriſto ſubvolare debent: donec detur ipſis corporibus eò transferri. Confer Coloſſ. 3. v. 1.

ANALYSIS CAP. XVIII.

ARGUMENTUM.

Dominus 1. proponit parabolam de judice injuſto & vidua: 2. deinde parabolam de Phariſæo & publicano orantibus: 3. tum jubet ſibi adduci puerulos: 4. poſtea reſpondet interroganti de modo acquirendi vitam æternam: 5 eaq; occaſione monet de periculo divitiarum: 6. confeſſoribus ſuis promittit remunerationem: 7. iterum prædicit Apoſtolis paſſionem ſuam & reſurrectionem: 8. poſtremò ſanat quendam cæcum.

PRIMA PARS.

Parabola de judice injuſto & vidua.

Dixit autem eis etiam parabolam huc ſpectantem, quòd oporteat ſemper precari, nec ſegneſcere:

2 Dicens, Judex quidam erat in quadam urbe qui Deum non timebat, nec homines reverebatur.

3 Erat autem in illa urbe quædam vidua, quæ vênit ad eum, dicens, Vindica me ab adverſario meo.

4 Ille autem noluit per *multum* tempus: poſtea verò dixit apud ſe; Etſi Deum non timeo, nec homines revereor;

5 Tamen quia moleſtiam mihi exhibet vidua iſta, vindicabo eam; ne perpetuò veniens obtundat me.

6 Ait autem Dominus; Audite, quid judex ille injuſtus dicat.

7 Deus autem non vindicaturus eſſet electos ſuos, clamantes ad ipſum die ac nocte, etiamſi iram differat ſuper ipſis?

8 Dico vobis, vindicabit eos citò. Veruntamen Filius hominis, quum venerit, num reperturus eſt fidem in terra?

Primò indicatur parabolæ ſcopus, deinde parabola ipſa recitatur, tum apodoſis ſive applicatio ſubjicitur, poſtremò occaſione doctrinæ propoſitæ per appendicem annectitur querela de multitudine injuſtorum. *Scopus parabolæ* ab Evangeliſta indicatur his verbis: *Dixit autem eis etiam parabolam huc ſpectantem, quòd oporteat ſemper precari, nec ſegneſcere.* Videlicet exemplo illius viduæ, quæ injuſtũ judicem tamdiu de ſeſe vindicanda precibus ſolicitavit, donec impetravit. *Parabola* recitatur v. 2. 3. 4. & 5. *Apodoſis* v. 6. & deinceps: ubi præter ſcopum in principio indicatum, qui eſt, παιδεία ſeu præceptio officii, continetur διδασκαλία, doctrina de precum effectu: quòd videlicet electorum preces à Deo exaudiantur, & vindicationem ipſorum impetrent: ex qua doctrina præceptio illa naſcitur, vi argumenti ab effectu utili. Deducitur autem iſta doctrina ex recitata parabola per ratiocinationem à minori, in hunc ſenſum: Si judex iſte injuſtus tandem ſe exorari paſſus eſt, ut vindicationem viduæ ſuſciperet: multo magis Deus vindicabit electos ſuos, clamantes ad ipſum die ac nocte. Sed verum antecedens. Verum igitur & conſequens. Conſequens amplificatur primùm oppoſitione cauſæ contrarii ſeu cauſæ corrumpentis, quæ ſcilicet videri poteſt impeditura eſſe illam vindicationem: ea eſt, dilatio ſeu longior mora: ibi, *Etiamſi iram differat ſuper ipſis.* Deinde ab adjuncta certitudine: quam notat adverbio, *citò*, per ſynecdochen ſpeciei. nam quicunque citò aliquid agit, idem certò agit: at non qui aliquid certò acturus eſt, citò acturus eſt. Alioquin ſi propriè iſta vox hîc accipiatur, Chriſtus ſibi ipſi contradiceret: qui modò affirmavit, Deum vindictam ſuam differre. Si differt: quomodo igitur vindicat citò? Nempe citò, id eſt, certò, ſuo tempore, eoq; tempeſtivo. Querela annectitur occaſione mentionis illorum qui pios affligunt & injuriis perpetuis afficiunt. Queritur autem, maximam illorum ſub ipſius adventum, id eſt, circa finem hujus mundi, multitudinem fore, ibi: *Veruntamen Filius hominis &c.* ubi ex defectu fidei ſignificatur omnis impietas & injuſtitia: Soli enim fideles & Deum piè colunt, & juſtè erga proximum vivunt.

SECUNDA PARS.

Parabola de Phariſæo & publicano orantibus.

9 Dixit autem etiam contra quoſdam, qui ſibi perſuaſerant ſe juſtos eſſe, & pro nihilo habebant reliquos, parabolam iſtam:

10 Duo homines aſcenderant in templum precandi causâ, unus Phariſæus, & alter publicanus.

11 Phariſæus, quum conſtitiſſet, hæc apud ſe precabatur: O Deus, gratias ago tibi, quòd non ſim ut reliqui homines, rapaces, injuſti, mœchi: vel etiam ut iſte publicanus.

12 Jejuno bis hebdomade, decimo quæcunque poſſideo.

13 Publicanus autem procul ſtans, nolebat vel oculos in cælum attollere: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens; O Deus, propitius eſto mihi peccatori,

14 Dico vobis, deſcendit iſte juſtificatus domum ſuam *potiùs* quàm ille: quia quicunque ſe extollit, deprimetur: & qui ſe deprimit, extolletur.

Primùm indicatur parabolæ hujus ſcopus: deinde recitatur parabola ipſa, vel potiùs exemplum quoddam ſpeciale. *Scopum* indicat Evangeliſta his verbis: *Dixit autem etiam contra quoſdam qui ſibi perſuaſerant ſe juſtos eſſe, & pro nihilo habebant reliquos, parabolam iſtam.* Propoſitum igitur fuit Domino damnare faſtum juſtitiariorum atque hypocritarum, quales præcipuè erant Phariſæi: unde etiam exemplum Phariſæi adducit. Summa eſt: Etſi Phariſæi & ſcribæ, aliique iſtis ſimiles, juſti ſibi videntur, ſuorumque operum juſtitiâ Deo accepti eſſe: tamen reverâ juſti à Deo non judicantur, nec ei accepti ſunt: quin potiùs propter ſuperbiam ac faſtum ſummopere ei diſplicent, & ab eo deprimentur in gehennam uſque: niſi ſcilicet reſipuerint. nam hic eſt admonitionum ſcopus, ut electi de periculo admoniti, maturè reſipiſcant. Contrà qui ſibi propter peccata ſua ipſimet diſplicent, Deique gratiam in Chriſto promiſſam implorant:

rant: illi demum pro justis à Deo habentur, ac proinde in cælum suo tempore extollentur.

TERTIA PARS.

Jubet sibi adduci puerulos.

15 Adducebant autem ad eum etiam puerulos, ut eos tangeret: quum autem hoc vidissent discipuli, objurgârunt eos.

16 Jesus verò quum illos advocasset, dixit; Sinite puerulos venire ad me, & ne prohibete eos: talium est enim regnum Dei.

17 Amen dico vobis, Quicunque non acceperit regnum Dei tanquam puerulus, nequaquam introibit in illud.

Primùm narratur mandati hujus occasio; deinde causa impulsiva, tum mandatum ipsum, postea ratio mandati, postremò amplificatio. *Occasionem* Domino ad hoc mandatum præbuit, quòd quidam puerulos ultrò ad ipsum adducebant. Quod factum illustratur ex fine seu scopo: nempe quòd illos adduxerint, ut Dominus eos tangeret, hoc est, per impositionem manuum eis benediceret seu fausta precaretur. *Impulit* Dominum ad hoc mandatum objurgatio discipulorum, quâ conabantur illos à pueris adducendis avertere, & adductione prohibere. *Mandatum* recitatur v.16. ibi: *Sinite &c.* *Ratio* mandati, ibidem, *Talium est enim regnum Dei.* Argumentum est à causa finali. Si puerulorum in Ecclesia natorum est regnum Dei, hoc est, si illis paratum est regnum Dei, ut aliquando in illud introducantur: ergo non est illis deneganda mea benedictio: quippe quæ huc destinata est, ut idonei ad regnum Dei capessendum reddantur. *Amplificatio* annexa, sumta est à comparatis, v.17. Sententia est: Tantum abest ut pueros à regno Dei consequendo impediat puerilis ætas ac simplicitas: ut ipsos quoque adultos pueris similes fieri oporteat, si velint regnum Dei adipisci: similes scil. illis in simplicitate atque innocentia.

QUARTA PARS.

Respondet interroganti de modo acquirendi vitam æternam.

18 Tunc interrogavit eum quidam ex primoribus, dicens; Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?

19 Dixit autem ei Jesus, Cur me dicis bonum, Nemo bonus nisi unus, *nempe* Deus.

20 Mandata nosti, Ne mœchator, Ne occidito, Ne furator, Ne falsum testimonium dicito, Honora patrem tuum & matrem tuam.

21 Ille autem dixit, Hæc omnia observavi à juventute mea.

22 JESUS verò his auditis dixit ei, Adhuc unum tibi deest: quæcunque habes vende, & distribue pauperibus; & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.

23 At ille, his auditis, tristis factus est: nam dives erat valde.

Primò recitatur quæstio interrogantis, 2. responsum Domini ad illam, 3. exceptio illius ad responsum datum, 4. responsum Christi ad illam exceptionem, 5. eventus illius posterioris responsi. *Quæstio* recitatur v.18. & simul indicatur ex quo hominum ordine fuerit is qui illam proponebat, videlicet ex primoribus Judæorum. *Responsum* recitatur v.19. & 20. & duo continet: reprehensionem hypocriseos interrogantis: qui Dominum salutaverat bonum, quum tamen illum pro verè bono non haberet: id quod eventus docuit: quippe bonum consilium danti non morem gessit. Sed ratio reprehensioni adjecta, simul perstringit usitatam hypocritarum adulationem, per quam alii aliis magnificos titulos tribuunt, & tantùm non deos ex illis faciunt, atque ita obliquè honori Dei derogant. Alterum responsi membrum est declaratio quæstionis propositæ: nempe si velit per opera acquirere regnum Dei, tum facienda illi esse opera in Lege Dei præcepta, v.20. *Exceptio* narratur v.21. ubi gloriatur ille, se opera Legis à juventute sua fecisse: exspectans nimirum applausum Domini, ut ipsum justum pronuntiaret, & regnum Dei pro hac ipsius justitia ei certò promitteret. Sed fallitur ille spe suâ. Dominus enim inscitiam & vanam jactantiam ipsius in lucem producit v.22. dans illi *mandatum* speciale de vendendis bonis suis ac inter pauperes distribuendis, & se sequendo, omnibus suis rebus relictis. *Eventus* narratur v.23. nempe quòd ille mandato isto accepto contristatus fuit. id quod erat argumento, ipsum non diligere Deum & proximum, sicut Deus in Lege præcepit: ac proinde falsò de observatione Legis gloriatum esse.

QUINTA PARS.

Monet de periculo divitiarum.

24 Quum autem vidisset JESUS eum tristem factum, dixit, Quàm difficulter qui pecunias habent, introibunt in regnum Dei!

25 Facilius est enim, camelum per foramen acus introire, quàm divitem introire in regnum Dei.

26 Qui verò *hoc* audierant, dixerunt, Et quis potest salvus fieri?

27 Ipse autem dixit; Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

Primùm narratur doctrinæ hujus occasio: deinde doctrina ipsa: postremò eventus. *Occasionem* Domino ad hanc doctrinam proponendam præbuit tristitia illius primatis quam conceperat ex Domini mandato de relinquendis suis bonis, in principio, v.24. *Doctrina* est de divitiarum effectu per accidens; veruntamen effectu valde usitato: quòd scilicet homines illis impediuntur, quò minùs adipiscantur vitam æternam. Hanc sententiam enuntiat Dominus exornatam exclamatione admirantis, atque ita eam amplificat ab effectu, tantum scil. esse periculum divitiarum, ut ipse admirari cogatur: *Quàm difficulter qui pecunias habent, introibunt in regnum Dei!* Deinde eandem sententiam amplificat collatione minoris, v.25. *Facilius est enim, camelum per foramen acus introire, quàm divitem introire in regnum Dei.* Quæ collatio est hyperbolica, quatenus rem naturâ impossibilem, affirmat esse faciliorem seu minùs impossibilem, quàm sit res proposita. Impossibile enim est, camelum (manendo scilicet quod est, ac retinendo suam magnitudinem & integritatem) introire per foramen acus: quia fieret ut corpus locatum esset majus loco quo continetur: id quod simpliciter impossibile est. Interim per divinam potentiam fieri potest ut camelus per foramen acus introëat, nempe si priùs attenuetur in modum fili. Et sic homini propter innatam perversitatem naturâ impossibile est, ut cor non apponat divitiis si affluant, atq; ita per illas impediatur in consequenda vita æterna: interim tamen per potentiam divinam fieri potest (atq; etiam in electis fit) ut homo cor divitiis non apponat, sed rectè illis utatur ad gloriam Dei & salutem proximi: atque ita illis in consequenda vita æterna non impediatur. *Eventus* fuit offensio auditorum: quibus doctrina illa absurda est visa, eò quòd inde sequeretur absurdum hoc, quòd nemo possit salvus fieri: quia scil. nemo est, qui non à naturâ ita affectus sit, ut divitiis cor apponat. Vel saltem hoc absurdum, quòd pauci salvi fieri possint: quum scilicet plerique sint divites, v.26. Hæc offensio & ratiocinatio declaratur v.27. è suo eventu, videlicet refutatione Domini per distinctionem impossibilis (τοῦ ἀδυνάτου) ex adjunctis occupatis, homine scilicet & Deo. nam una & eadem res quæ impossibilis est homini, possibilis interim est Deo: quippe cui nihil impossibile est, quod scilicet non pugnat cum ipsius natura, ac proinde non implicat contradictionem. Syllogismus objectionis:

Si impossibile est divites servari: paucissimi homines servari poterunt.

Sed non hoc. Nec illud igitur.

Respondetur negatione propositionis per distinctionem: Etsi impossibile est divites servari, scilicet ipsismet, hoc est, si sibiipsis & naturæ suæ corruptæ relinquantur: tamen interim multi homines poterunt servari, per potentiam scilicet Dei: qui naturam hominis corruptam per Spiritum suum potest emendare, & gratiam homini largiri, ut divitiis suis rectè utatur, ac proinde illis non impediatur in consequenda vita æterna.

SEXTA PARS.

Confessoribus suis promittit remunerationem.

28 Dixit autem Petrus; Ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.

29 Ipse verò dixit eis, Amen dico vobis, Nemo est qui reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos regni Dei causâ;

30 Qui non recepturus sit multiplicia in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.

Primùm narratur promissionis hujus proponendæ occasio, ibique simul notatur ejusdem finis seu scopus: deinde recitatur promissio ipsa. *Occasionem* Domino ad hanc promissionem proponendam præbuit sermo Petri, quo narrat factum suum, cæterorumque discipulorum dissimile facto istius primatis. Ille enim in gratiam Domini nolebat bona sua relinquere: at ipsi sua omnia reliquerant, & Dominum sequuti fuerant, vers. 28. Scopus hujus narrationis erat, ut cognosceret, quid præmii ipsos maneret: sicut exprimitur Matth. 19. v.27. Hinc jam percipitur *scopus* quoque *hujus promissionis*: nempe explicare Petro cæterisque discipulis id quod scire desiderabant, & eâdem operâ ipsos in proposito sibi adhærendi confirmare argumento ab effectu utili, videlicet præmiorum amplissimorum perceptione. *Summa* responsionis Christi ac promissionis hujus est: Confessores mei afficientur à me præmiis. Hujus sententiæ pars antecedens illustratur enumeratione aliquot specierum: id est, rerum chararum, quas confessores in gratiam Christi relinquunt:

ut sunt, *domus, parentes, fratres, uxor, liberi.* Consequens sententiæ pars illustratur & amplificatur distributione ab adjuncto tempore: quâ præmia distribuuntur in ea, quæ confessores recepturi sunt in hoc tempore sive in hoc sæculo, & ea quæ sunt recepturi in sæculo venturo. Quorum illa amplificantur ab adjuncto numero, quòd recepturi sint πολλαπλασίονα, multiplicia: id est, multò plura quàm amiserint: verbi gratiâ pro una domo multas domos, pro unis parentibus multos parentes, id est, paterno affectu præditos &c. Posterius membrum distributionis declaratur nomine speciali *vita æterna*, quo perfecta felicitas in cælo in æternum fruenda significatur.

SEPTIMA PARS.

Iterum prædicit Apostolis passionem & resurrectionem suam.

31 Jesus autem assumtis Duodecim, dixit eis; Ecce ascendimus Hierosolymam, & perficientur Filio hominis omnia quæ scripta sunt per prophetas.

32 Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & contumeliis afficietur, & conspuetur:

33 Et postquam eum flagellaverint, trucidabunt eum: sed die tertio resurget.

34 Ipsi verò nihil horum intellexerunt: eratq; res hæc ipsis occulta; nec cognoverunt quæ dicebantur.

Primùm recitatur ipsa prædictio, v.31.32.&33; deinde eventus, v.34. *Prædictio* clarissimis ac propriis verbis constat, nec interpretationem desiderat. Prædictio incipit à vocabulo, *Ecce:* quo Dominus Apostolos erigere voluit in attentam ejus, quod dicturus esset, considerationem, propter ipsius rei admirabilitatem atq; incredibilitatem. *Membra prædictionis* principalia sunt *duo:* unùm de sua passione, alterum de resurrectione à mortuis. Utrumque membrum illustratur bifariam: primùm à subjecto loco ubi utrumque erat futurum, nempe Hierosolymæ: ubi ait, *Ascendimus Hierosolymam, & perficientur* (scilicet illic) *Filio hominis &c.* Deinde à causa finali, cujus gratiâ ista Domino erant eventura, nempe ut implerentur scripturæ Prophetarum de Christo, ubi ait: *Et perficientur Filio hominis* (id est, mihi) *omnia quæ scripta sunt* (scilicet de Christo) *per Prophetas.* ubi simul intelligendus finis superior, nempe ut perficerentur decreta Dei de Christo. nam quæ Deus ab æterno decreverat circa Christum & permittere & facere, ea jam olim per Prophetas populo suo prædixerat, & per Prophetas literis mandari in usum posteritatis curaverat. Atque hæc sunt communia utrique prædictionis membro. Passioni proprium est, quòd exponitur per partes, numero sex. 1. *tradetur Gentibus:* 2. *illudetur:* 3. *contumeliis afficietur:* 4. *conspuetur:* 5. *flagellabitur:* 6. *trucidabitur.* Resurrectioni propria est illustratio ex adjuncto tempore: *Resurget die tertio. Eventus* istius prædictionis fuit, quòd Apostoli eam non intellexerunt. quæ ipsorum (ut ita dicam) non intelligentia sive nonintellectio amplificatur copiâ verborum æquipollentium, ut patet. Causam si requiris cur verba tam clara non intellexerint: ea fuit falsa opinio præconcepta de regno Christi, quasi scil. Christus futurus esset rex mundanus atque terrenus: cum quâ regni formâ passiones istæ minimè conveniebant.

OCTAVA PARS.

Sanat quendam cæcum.

35 Factum est autem dum ipse appropinquaret Jerichunti, cæcus quidam sedebat juxta viam, mendicans.

36 Quum igitur is audisset turbam prætereuntem, percontabatur quid hoc esset.

37 Nuntiaverunt autem ei, JESUM Nazarenum transire.

38 Tunc clamavit, dicens; Jesu, fili Davidis, miserere mei.

39 Et qui præibant, objurgabant eum ut sileret: ipse verò multo magis clamabat, Fili Davidis, miserere mei.

40 JEsus autem quum substitisset, jussit eum adduci ad se: & quum is appropinquasset, interrogavit eum,

41 Dicens, Quid tibi vis faciam? Ille verò dixit, Domine, ut videam.

42 Et Jesus dixit ei, Videto: fides tua te servavit.

43 Illico igitur vidit, ac sequebatur eum, glorificans Deum. Et totus populus quum *hoc* vidisset, tribuit laudem Deo.

Primò indicatur miraculi hujus locus, 2. objectum, 3. occasio, 4. causa impulsiva, 5. causa corrumpens, 6. iterum causa impulsiva, 7. præparatio seu effecta destinata, 8. iterum causa impulsiva, 9. modus agendi, 10. alia causa impulsiva, 11. miraculum ipsum, 12. eventa. *Locus* ubi Dominus hoc miraculum fecit, fuit via prope urbem Jerichuntem: ibi, *Factum est autem, dum ipse appropinquaret Jerichunti; cæcus quidam sedebat juxta viam. Objectum* circa quod Dominus miraculo edendo fuit occupatus, describitur his verbis: *Cæcus quidam sedebat juxta viam mendicans.* Fuit igitur homo iste bis miser: quia & cæcus erat, & pauper, adeò ut cogeretur mendicare. Nomen illi fuit Bartimæo, Marc.10.46. *Occasionem* miraculo præbuit transitus Domini, qui cæco isti innotuerat, v.36. & 37. *Causa* quæ Dominum ad illum sanandum impulit, fuit petitio illius; quæ amplificatur ab adjuncto clamore, & confirmatur à proprio Messiæ officio, in hanc sententiam:

Si tu es filius Davidis (id est, Davidi promissus Messias) officium tuum est misereri afflictorum, ac proinde mei quoque.
At tu es filius Davidis. Ergo.

Causa corrumpens quæ videbatur sanationem illius miraculosam impeditura, est objurgatio turbæ, v.39. quâ jubebant cæcum illum silere. cui jussui si ille morem gessisset, sanatus à Domino non fuisset: sed præteriisset ille, cæco illo non observato. *Causa impulsiva repetitur* ibid. ubi dicitur, *Ipse verò multò magis clamabat &c. Præparatio* seu effecta destinata, quibus tum ipse cæcus, tum turba præsens in exspectationem miraculosæ hujus sanationis erecta fuit, narrantur tria: 1. quòd Dominus ad illius clamorem substitit, vers. 40. 2. quòd jussit eum adduci ad se, ibid. 3. quòd interrogavit eum, *Quid tibi vis faciam?* q.d. Paratus sum tui misereri, ut petis: dummodo in specie declares, qua in re me tui misereri, quidve beneficii in te conferre petas, v.41. *Altera repetitio causæ impulsivæ* habetur ibid. *Domine, ut videam. Modus agendi* fuit mandatum Domine, *Videto*, vers.42. *Alia causa impulsiva*, cum altera cohærens ut causa procreans cum effectu, significatur ibid. his verbis, *Fides tua te servavit.* id est, Quia credidisti, me & posse & velle te servare, fretus promissione Dei de Christo datâ per Prophetas: idcirco facilè à me impetrasti ut te sanarem, visum tibi dando. Si quæris, ubi promissio illa exstet: scias exstare Esa. 35. v.5. & 6. ubi in prophetia de primo adventu Christi inter alia sic legitur: *Tunc aperient se oculi cæcorum, & aures surdorum patefient: tunc saliet claudus velut cervus, & cantabit lingua muti. Miraculum* ipsum narratur v.43. his verbis, *Illico igitur vidit. Eventa* ibidem narrantur tria: 1. quòd cæcus ille Dominum fuit sequutus. 2. quòd glorificavit Deum, hoc est, gloriam bonitatis ei tribuit, quòd misisset Messiam, perque illum sibi visum dedisset. 3. quòd populus quoque similiter laudem tribuit Deo.

SCHOLIA IN CAP. XVIII.

1 Huc spectantem quòd oporteat] πρὸς τὸ δεῖν. *Ad verbum,* Ad oportere: *id est, ad docendum quòd oporteat. Metonymia subjecti.* Nec segnescere] καὶ μὴ ἐκκακεῖν. *Vel,* nec elanguescere. *I.e. non defatigari precando, sed usque instare, donec exaudiamur: non despondere animum, si non statim exaudiri nobis videamur. Vis verbi* ἐκκακεῖν *est,* ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικᾶσθαι, *malo vinci,* **den mut fallen lassen.** *Sic Eph.3.v.13.* διὸ αἰτοῦμαι μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσί μου ὑπὲρ ὑμῶν: Quapropter peto ne segnascatis sive elanguescatis ob afflictiones meas pro vobis.

2 Homines] ἄνθρωπον. *Ad verb.* Hominem. *Collectivè. Sic Syrus vertit,* filios hominis. *Opponuntur enim hîc homnes Deo. Enallage numeri.*

4 Per *multum* tempus] ἐπὶ χρόνον. *Scil.* πολλόν. *Sic Syrus,* tempore multo. *Vel simpliciter,* Ad tempus, **eine zeitlang.**

5 Perpetuò veniens] εἰς τέλος ἐρχομένη. *Id est, identidem veniendo, meq; interpellando.* Εἰς τέλος *ad verb. valet,* in finem, *seu ad finem usque, id est, indesinenter.* Obtundat me] ὑπωπιάζῃ με. *Syrus,* Molesta sit mihi: *sensu simpliciter expresso. Lutherus,* **Ubertäube mich.** *id est, q.d. surdefaciat me. Quo sensu Terentius usus est verbo obtundendi, Adelph. act.1. scen.2.* Ne me obtundas de hac re sæpiùs. *id est, ne sis molestus auribus meis, commemorando mihi sæpiùs vitia filii. Sic Heautont. Act.5. scen.1.*

Ohe jam desine deos uxor gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam: nisi illos ex tuo ingenio judicas:
Ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum est centies.

Item Cicero in Oratore: Ne brevitas defraudasse aures videatur: néve longitudo obtudisse. *Est autem hîc in verbo* ὑπωπιάζειν *metaphora* καθαχρηστική: *quippe quod propriè significat, non* aures obtundere: *sed contundere sive sugillare* τὰ ὑπώπια, *id est, eas faciei partes quæ oculis subjectæ sunt. Dictum est enim* ὑπωπιάζειν *ab illo nomine* ὑπώπια: *quatenus illud ipsas illas plagas quæ partibus subocularibus (ut sic dicã) impinguntur, significat.*

6 Judex ille injustus] ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας. *Pro,* ὁ ἄδικος. *Ad verb.* Judex injustitiæ. *Genitivus adjuncti, more Hebraico usurpatus, ut suprà 16.8. dicitur* ὁ οἰκονόμος τῆς ἀδικίας, *dispensator injustus.*

7 Deus autem non vindicaturus esset?] ὁ δὲ Θεὸς οὐ μὴ ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν; *Interrogatio vim habet negandi: ut respondendum sit, Minimè. Tum autem negationis negatio vim habet affirmandi: quasi dicatur, Omnino vindicabit.* Etiamsi iram differat] καὶ μακροθυμῶν. *Ponitur* καὶ *pro* καίπερ.

9 Qui sibi persuaserant] τοὺς πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς. *Ad verb.*

Qui

Qui in feipsis confisi fuerant. *Pro,* τοὺς πεποιθότας. *Heterosis quadam locutionis: qualis est quum populus dicitur* credidisse in Jehovam & Mosen: *pro, Jehova & Mosi, Exod.14.v.ult. In istis* ἐνέργεια *voluntatis ponitur pro* ἐνεργείᾳ *cognata mentis, per metonymiam effecti: nam ex mentis persuasione fiducia voluntatis enascitur.* Pro nihilo habebant] ἐξουθενοῦντας. *Q.d. enihilantes sive annihilantes,* vernichtigen: *hoc est, aspernantes tanquam homines nihili sive nullius pretii.*

10 In templum] εἰς τὸ ἱερὸν: *Gracum expressius propter articulum: quo notatur certum templum, videlicet Hierosolymitanum. Sic Germanicè,* In den tempel. Precandi causâ] προσεύξασθαι. *Pro,* τοῦ προσεύξασθαι, *scil.* ἕνεκα.

11 Quum constitisset] σταθεὶς. Als er sich gestellet hatte. *Videtur innui, Pharisaum illum cum singulari curâ & animi devotione composuisse sese ad precandum. Postea v.13. de publicano dicitur* ἑστὼς, *id est, quum stetisset: quo verbo talis cura non connotatur.* O Deus] ὁ Θεός. *Pro* ὦ Θεέ. *Sic vers.13. Sic Marc.15.34.* ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου, εἰς τί με ἐγκατέλιπες; *Pro quo apud Matth. habetur,* Θεέ μου, Θεέ μου, *&c. Atticismus.*

12 Hebdomade] τοῦ σαββάτου. *Nomen* σάββατον *propriè significat ultimum hebdomadis diem: sed interdum per synecdochen membri totam hebdomadem notat. Sic Marc.16.9. Quanquam in hac significatione ferè enuntiatur numero plurali: ut videre est in historia resurrectionis Domini, Matth.28.1 Joh.20.1. Item 1.Cor.16.2.* Decimo quæcunque possideo] ἀποδεκατῶ πάντα ὅσα κτῶμαι. *Id est, decimas pendo de omnibus qua possideo. Sicut suprà 11.42.* ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον, *decimatis mentham. Rursus autem* πάντα, *id est,* Omnia, *valet* Omnis generis res: *verbi gratiâ fruges, poma, olivas, vinum, pecudes, &c. Non autem significat singula individua: ut patet. Itaque Germanicè reddendum* Allerlai.

13 Publicanus autem] καὶ ὁ τελώνης. *Pro,* ὁ δὲ τελώνης.

14 Justificatus] δεδικαιωμένος. *Id est, justus à Deo judicatus.* Potiùs quàm ille] ἢ ἐκεῖνος. *Pro,* μᾶλλον ἢ ἐκεῖνος. *Ellipsis conjunctionis comparativa. Vetus interpres,* Ab illo: *quasi legerit,* παρ' ἐκείνου: *ut sit Hebraismus:* מִמֶּנּוּ *mimménnu,* ab illo, *id est, pra illo: h.e. potiùs quàm ille.*

15 Adducebant] προσέφερον. *Pro,* προσήγαγον. *Est enim sermo de puerulis jam gradientibus: quippe quos Dominus advocavit, ut habetur v. sequente. Sic accipitur istud verbum Matth.12.22. & cap.17.v.16. Vide observationes ex Matth.19.v.14.* Puerulos] τὰ βρέφη. *Pro,* τὰ παιδία: *ut appellantur versu sequente. Sic usurpatur istud nomen 2.Tim.3.15. ad significandum scilicet puerum doctrina capacem:* Sciens te à puero (ἀπὸ βρέφους) sacras literas novisse.

16 Illos] αὐτά. *Nempe* τὰ βρέφη: *id est, puerulos illos.* Talium] τῶν τοιούτων. *Scilicet qui pueris similes sunt, simplices scilicet in malitia, & minimè freti suâ dignitate. Hac expositio confirmatur ex collatione versus sequentis. Porrò si regnum Dei est illorum adultorum qui pueris similes sunt: sequitur esse etiam ipsorum puerorum, nempe electorum: pro qualibus habendi sunt quotquot in Ecclesia nascuntur, nisi Deus de aliquibus singulari verbo diversum declaret: ut fecit de Esavo.*

18 Quidam ex primoribus] ἄρχων τις. *Quidam princeps: id est, dives & honoratus, ex amplâ familiâ.*

19 Nemo bonus] οὐδεὶς ἀγαθός. *Scil.* ἐστιν, *est.*

26 Et quis] καὶ τίς. *Pro,* τίς οὖν. *Quis igitur.*

33 Sed die tertio] καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ. *Copulativa pro adversativa: opponuntur enim tristibus lata.*

34 Ipsi verò] καὶ αὐτοί. *Pro,* αὐτοὶ δέ. *Copulativa pro transitiva.* Res hæc] τὸ ῥῆμα τοῦτο. *Ad verb.* Verbum hoc. *Hebraica metonymia adjuncti.*

41 Ut videam] ἵνα ἀναβλέψω. *Pro,* ἵνα βλέψω. *Compositum pro simplici. Sic Matth.11.5.* τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, *Caci vident. Compositum est ex* ἀνά, *sursum, &* βλέπειν, *videre: itaque propriè significat* suspicere: *cujus significationis exemplum occurrit infrà 19.5. Non ergo vertendum,* visum recipere: *tanquam scil. compositum sit ex* ἀνά, *cui respondet prapositio inseparabilis* Re.

OBSERVAT. EX CAP. XVIII.

Preces.

1 Ex parabola de judice injusto & vidua. In preces sedulò nobis incumbendum: neque committendum ut ex diuturniore opis dilatione tædium precandi nobis oboriatur nósve capiat: quum certum sit, Deum in tempore opportuno opem nobis laturum, dummodò in precibus perstemus. Certum autem id est, quia invocantibus sese opem suam Deus promisit: & quia justus est. Itaque non patietur ut pii ab impiis opprimantur, etiamsi permittat diu ipsos ab illis premi atque vexari. Promissio continetur hîc v.7.& 8. Confer Psal.50.v.15. *Invoca me in die angustia: eripiam te & glorificabis me.* Habac.2.v.3. *Si cunctetur visio, exspecta eam: nam omnino ventura est, ac non tardabit.* Jam de justitia Dei vindicantis electos suos vide 2.Thess.1.v.6.& seqq. *Justum est apud Deum, vicissim reddere iis qui affligunt vos, afflictionē: vobis verò qui affligimini, relaxationē, &c.*

Adventus Christi ad judicium.

2 Ex v.8. Quum hodie fides Christiana, rara avis in terra sit: (etsi enim multi fidem ore profitentur, tamen plerique factis eam negant) monemur hoc indicio, adventum Domini non procul abesse.

Justificatio.

3 Ex parabola de Pharisæo & publicano orantibus. Quicunque justitiâ operum suorum coram Deo confidunt, à Deo damnabuntur: contrà ab eodem justificabuntur, hoc est, justi censebuntur ac pronuntiabuntur, quotquot injustitiam suam seriò agnoscentes ac deplorantes, remissionem peccatorum suorum gratuitam propter Christum mediatorem à Deo petunt. Confer disputationem Paulinam in epistola ad Romanos de justificatione hominis coram Deo, quæ habetur cap.1. & deinceps usque ad 12. cujus summa est, hominem coram Deo justificari non ex meritis operum suorum, sed ex gratia Dei, & merito Christi fide apprehensis.

Impositio manuum.

4 Ex v.15. Antiquus mos fuit, ut sancti homines ac servi Dei benedicerent aliis, id est, bene precarentur seu bona illis à Deo exoptarent adhibitâ manuum impositione: quo nimirum gestu significabant, omne bonum donum (ut Jacobus loquitur) desuper esse, à patre luminum descendens, Jac.1.v.17. Confer exemplum patriarchæ Jacobi benedicentis filiis Josephi, Ephrajimo & Manassi, Gen.48. Simul etiam significabatur, tales Deo consecrari. hinc ritus imponendi manus pecudibus sacrificandis: & inde sumtus (ut videtur) ritus ordinandi ministros Ecclesiæ per manuum impositionem.

Vita aterna causa.

5 Ex v.17. Regnum Dei non acquiritur humanâ sapientiâ aut industriâ: sed per simplicem & quasi puerilem credulitatem, hærentem promissionibus divinis. Quæ fides in puerulos quoque doctrinæ capaces cadit.

Simplicitas.

6 Ex v.16.& 17. Christus non aspernatur simplices ac pueris similes: sed potiùs eos gratos habet, lubentissiméque excipit & in consortium regni sui admittit.

Conciliatio locorum Scriptura in speciem pugnantiū.

7 Ex v.19. Quærat aliquis, quomodo dicat Christus, solum Deum esse bonum: quum Scriptura testetur, creaturas quoque Dei bonas esse, ut sæpe repetitur Gen.1. Si quis excipiat, hominem desiisse esse bonum per lapsum primorum parentum: responderi poterit, at interim bonos mansisse electos angelos: & in hominibus quoque electis bonitatem divinitus instaurari. Sed ad quæstionem propositam respondendum est per distinctionem: nempe solum Deum esse bonum perfectè & immutabiliter: creaturæ autem bonæ sunt mutabiliter: quippe quæ ut bonitatem suam non à seipsis habent, sed à Deo: ita eandem possunt amittere, quantum ad ipsas quidem attinet. Nec ea est bonitatis, ne in sanctis quidem angelis, perfectio: in qua Deus non possit aliquid desiderare: quippe coram quo ne cæli quidem mundi sunt, quique etiam sanctis angelis non credidit firmitatem: ut habetur Job.15.v.15. Quare caveamus, ne vel nobis ipsis perfectam bonitatem arrogemus, vel eam aliis per adulationem ascribamus.

Vita aterna causa.

8 Ex v.20. Qui opera in Dei lege præcepta perfectè præstat: is vitam æternam per illa consequetur. Quia Deus hanc omnibus perfectam Legi suæ obedientiam præstantibus promisit: juxta illud, *Homo qui fecerit hac, vivet per ea.* Sed quoniam obedientia hæc omnibus hominibus propter naturæ corruptionem impossibilis est: sequitur, neminem per opera Legis vitam æternam adipisci posse. Necessariò igitur alia nobis via ad vitam æternam perveniendi quærenda est. Illam viam ostendit nobis vox evangelii, videlicet Christum fide apprehensum. Is enim est via, veritas & vita: sicut ipse apud Johannem ait, Joh.14.6.

Bona opera qua.

9 Ex eodem versu, & v.22. Ea demum opera bona Deoque placentia sunt, quæ Deus in Lege sua præcepit, vel etiam quæ specialiter alicui præcepit. Christus enim de operibus per quæ aliquis, si ea præstet, vitam æternam adipisci queat, interrogatus: profert opera in Decalogo præcepta. Deinde verò hypocritæ isti speciale mandatum dat de bonis suis vendendis atque in eleemosynas erogandis, ipsoq; sequendo. Ita bonum erat opus Abrahami mactaturi filium Isaacum: quia de illo habebat speciale Dei mandatum.

Obedientia erga legem.

10 Ex v.21. Caveamus, ne exemplo istius primatis, nobis persuadeamus, nos perfectam Legi Dei obedientiam præstitisse; quia istud homini in hac vita impossibile est.

Divitia. Paupertas.

11 Ex v.24.& 25. Quum divitiarum possessio conjuncta sit, teste Christo, cum periculo amittendi vitam æternam: ergo si nos pauperes esse contingat, æquo animo id feramus: nec divitias tantopere expetamus. Si verò illæ nobis suppetant: oremus Deum ut nos regat suo Spiritu, ne cor eis apponamus (ut Scriptura loquitur) hoc est, ne illis conservandis & amplificandis, nos dedamus, neu fiduciam in illis ponamus: sed ut potiùs studeamus divites esse in Deo, liberaliterque divitias nostras cum proximis egenis communicemus. Neque enim divitiæ per se quempiam damnant: quum legamus sanctos quoque nonnullos divites fuisse, ut Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Salomonem. Sed abusus earum damnat: nempe cohærens avaritia, vel etiam fastus & luxus, qualis describitur in divite illo epulone, supra cap.16.

Divitia. Natura nostra corruptio.

12 Ex v.25. Tanta est naturæ humanæ corruptio, ut impossibile sit homini, non abuti divitiis: nisi cor ejus divinitus gubernetur. Ergo divites Deum pro hac gubernatione perpetuò orent.

An Deo simpliciter possi-

13 Ex v.27. Quæri hîc potest, an Deo simpliciter & absque ulla exceptione possibilia sint omnia. Respondeo: Non. quia

bilia sint omnia. Deus, teste Apostolo, non potest mentiri, aut negare seipsum. Itaque potest omnia quæ non pugnant cum ipsius natura verace: seu quæ non implicant contradictionem.

Confessio fidei. 14 Ex vers. 29. Quum Christus confessoribus suis promiserit præmia amplissima: oremus Deum ut det nobis constantiam in doctrina Christi confitenda.

Quòd Jesus sit Christus. 15 Ex v. 31. Notetur pars argumenti quo demonstratur, Jesum Mariæ virginis filium esse Christum seu promissum Messiam: quia scilicet in eo impleta sunt vaticinia prophetarum de Christi passione & resurrectione: inter quæ insigne est illud quod habetur Esa. 53.

Scripturæ sacræ intelligentia. 16 Ex vers. 34. Consideranda causa quæ Apostolos impedivit, ut clarissima Domini de sua passione, morte, ac resurrectione, verba non intelligerent. Causa fuit, quia ista verba pugnabant cum ipsorum præconcepta opinione de regno Christi, quasi scilicet illud futurum esset mundanum. Ergo ut scripturas possimus intelligere: præconceptæ opiniones quibus illæ repugnant, deponendæ sunt.

Deitas Christi. Quòd Jesus sit Christus. 17 Ex v. 35. & seqq. Miraculosa sanatio cæci illius, argumentum est divinæ potentiæ Christi: item pars argumenti quo demonstratur, hunc Jesum esse Christum: quia per Esaiam c. 35. v. 5. & 6. de Christo prædictum fuit, illum talia miracula editurum.

Christi operatio in electis. 18 Item, Sanatione illa cæci monemur, Christum cæca corda electorum illuminare salvifica cognitione Dei. unde se alibi nominat lucem mundi.

Preces. 19 Ex v. 38. 39. Exemplo cæci monemur, opem Christi constanter contra quævis obstacula implorandam nobis esse.

Laus Dei. 20 Ex v. 43. Exemplo cæci, itemque populi, monemur: Deum à nobis laudandum esse, quoties illum vel nos vel proximum insigni aliquo beneficio affecisse videmus.

ANALYSIS CAP. XIX.

ARGUMENTUM.

Dominus 1. convertit Zachæum: 2. proponit parabolam de decem minis: 3. ingreditur ut rex Hierosolymam: 4. flet super illa: 5. ejicit è templo vendentes & ementes. Ita sunt quinque partes.

PRIMA PARS.

Dominus convertit Zachæum.

JEsus autem ingressus Jerichuntem, transibat:

2 Et ecce, *aderat* quidam qui nomine vocabatur Zachæus, & is erat magister publicanorum, & erat dives:

3 Studebatque videre Jesum quis esset: nec poterat præ turbâ, quòd staturâ parvus esset.

4 Præcurrens igitur anteriùs ascendit in sycomorum, ut eum videret: quoniam illac erat transiturus.

5 Ut autem vênit ad eum locum, suspiciens Jesus, eum vidit, & dixit ei; Zachæe, festinans descende. hodie enim domi tuæ oportet me manere.

6 Tum is festinans descendit, & excepit eum gaudens.

7 Et omnes quum hoc vidissent, murmurabant; dicentes, Ad hominem peccatorem ingressus est diversandi causâ.

8 Zachæus autem quum constitisset, dixit Domino; Ecce, dimidium bonorum meorum, domine, do pauperibus: & si quid cuipiam per calumniam eripui, reddo quadruplum.

9 Dixit autem ei Jesus, Hodie salus domui huic contigit, eò quòd ipse quoque filius Abrahæ est.

10 Vênit enim Filius hominis ut quærat & servet quod perierat.

Primò indicatur conversionis Zachæi locus, 2. occasio, 3. objectum describitur, 4. narratur causa impulsiva, 5. præparatio seu effectum destinatum, 6. modus agendi, 7. conversio ipsa significatur, 8. eventus conversionis narratur, 9. conversio ampliùs describitur, 10 testimonio Domini confirmatur, 11. causæ antecedentes exponuntur. *Locus* ubi res hæc gesta est, fuit urbs Jericho, v. 1. *Occasio* conversionis illius narratur ibid. nempe transitus Jesu per Jerichuntem, ubi convertendus habitabat. *Objectum*, ipse scilicet convertendus, describitur ex adjunctis tribus: nomine, genere vitæ, & conditione. Nomine vocabatur Zachæus: genere vitæ erat publicanus, & quidem magister publicanorum: conditione erat dives, v. 2. *Causa* quæ Dominum ad illum convertendum impulit, fuit studium ipsius videndi: quod studium hauddubiè profectum fuit ex honorificâ & præclarâ de Domino opinione, quòd scilicet is esset sanctus Dei propheta. Studium illud describitur partim à causâ corrumpente quâ impediebatur ne Dominum transeuntem posset videre: ea fuit obstaculum turbæ & brevitas staturæ, v. 3. partim ex effecto destinato, id est, ex facto quod suscepit ut Dominum videret, nempe quòd præcurrens ascendit in sycomorum, v. 4. *Præparatio* seu effectum à Domino ad mox futuram conversionem destinatum, fuit quòd ultrò suspexit ut Zachæum videret. hoc enim erat signum benevolentiæ erga illum, & serii alicujus propositi circa illum perficiendi, v. 5. *Modus agendi* narratur ibidem, nempe aperta significatio suæ erga Zachæum benevolentiæ: quippe ad quem se diversurum ultrò significabat: dum illi mandabat celerem de arbore descensum & exceptionem sui. *Conversio* ipsa significatur ex effectis, ac primùm ex illa obedientia erga Domini mandatum: quæ obedientia profecta fuit ex fide benevolentiæ Domini erga se, per illud mandatum significatæ: v. 6. *Eventus* ex facto illo Domini consecutus, fuit murmur comitum, v. 7. Deinde v. 8. *conversio* Zachæi *ampliùs describitur* ex effectis, numero duobus: largâ eleemosynâ & restitutione furtorum. *Testimonium Domini* de illa conversione narratur v. 9. *Hodie salus domui huic contigit.* Si salus: igitur conversio: quia sine conversione nemo salvatur. Simul autem amplificatur conversio Zachæi ab adjunctâ conversione domesticorum. *Causæ antecedentes* exponuntur duæ: electio Dei patris & propositum incarnationis Filii. Electio Dei patris significatur v. 9. his verbis, *Eò quòd ipse quoque filius Abrahæ est.* ubi intelligitur non simpliciter filius secundùm carnem, sed filius secundùm promissionem Dei: quâ promiserat Abrahæ, ipsum futurum patrem credentium. Propositum incarnationis Filii significatur v. 10. his verbis: *Vênit enim Filius hominis ut quærat & servet quod perierat.* id est, electos sibi datos à patre, qui perierant non minùs quàm reprobi, per peccatum.

SECUNDA PARS.

Proponit parabolam de decem minis.

11 Hæc autem ipsis audientibus, pergens, dixit parabolam, eò quod esset propè Hierusalem, & quòd putarent fore ut illico regnum Dei appareret.

12 Dixit ergo, Homo quidam nobilis profectus est in regionem longinquam, ut acciperet sibi regnum, ac reverteretur.

13 Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem minas, & dixit eis, Negotiamini donec veniam.

14 Cives autem ejus oderant eum, miseruntque legationem post eum, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos.

15 Et factum est quum rediisset accepto regno, tum jussit vocari ad se servos illos quibus dederat pecuniam: ut cognosceret quis quid negotiando confecisset.

16 Accessit autem primus, dicens; Domine, mina tua decem minas lucrifecit.

17 *Ille* autem ait ei, bene *est* serve bone: quia in minimo fuisti fidelis, habetò potestatem super decem urbes.

18 Et alter vênit, dicens; Domine, mina tua confecit quinque minas.

19 *Ille* verò & isti dixit, Tu quoque præesto quinque urbibus.

20 Et alius vênit, dicens; Domine, ecce mina tua, quam habui sepositam in sudario.

21 Timui enim te, quòd homo sis austerus: aufers quod non deposuisti, & metis quod non seminasti.

22 Tum *ille* dixit ei, Ex ore tuo te judicabo, serve male. Sciebas, me hominem austerum esse, qui auferam quod non deposui; & metam quod non seminavi?

23 Quare igitur non dedisti pecuniam meam ad mensam? Tum ego veniens, cum fœnore eam exegissem.

24 Et astantibus dixit, Tollite ab eo minam, & date ei qui decem minas habet.

25 *Illi* verò dixerunt ei; Domine, habet decem minas.

26 *At ille*, Nam, *inquit*, dico vobis, Omni habenti dabitur: ei autem qui non habet, etiam quod habet adimetur.

27 Quinetiam meos illos inimicos qui noluerunt me regnare supra se, adducite huc & jugulate coram me.

Primùm significatur causa finalis, cujus gratiâ Dominus hanc parabolam potissimùm proposuit: deinde parabola ipsa recitatur. *Causa finalis* fuit ut eximeret discipulis falsam opinionem atque spem de regno suo, quasi scilicet illud confestim esset in-

ſet inchoandum. Cujus opinionis ac ſpei cauſam procreantem ſimul exponit, nempe quòd viderent eum contendere Hieroſolymam. Utrumque v.11. ſignificat evangeliſta his verbis, *Dixit parabolam, eò quòd eſſet prope Hieruſalem, & quòd putarent fore ut illico regnũ Dei appareret.* *In parabola tria agit.* Primùm opinionem illam diſcipulorum refutat: deinde præcipit, quomodo interim ſe debeant gerere donec ipſe regnum ſuum inchoaturus ſit: poſtremò conſolatur eos contra ſcandalum ingratitudinis multorum. Opinionem illam diſcipulorum refutat v.12. his verbis, *Homo quidam nobilis profectus eſt in regionem longinquam: ut acciperet ſibi regnum, ac reverteretur.* Quibus verbis ſignificat, ſe regnum ſuum (nempe regnum glorioſum) non mox inchoaturum, ſed poſt bene longum tempus: quia prius illud ſibi ſit acquiſiturus (videl. per paſſionem & mortem ſuam, nec non per evangelii in toto mundo prædicationem) ac tum demum reverſurus, videl. in fine mundi, ut diſcipulos ſuos illò introducat. Hac autem occaſione adjungit præceptionem, quomodo ſe diſcipuli ſui interim, donec ipſe redeat, debeat gerere, nempe quòd debeant donis ſpiritualibus ſibi ab ipſo largiendis gnaviter uti & negotiari, ut multos ipſi lucrifaciant. Id ſignificat ſimilitudine minarum, v.13. ubi ait, *Vocatis autem decem ſervis ſuis, dedit eis decem minas, & dixit eis, Negotiamini donec veniam.* Porrò hoc præceptum v.15. & deinceps confirmat ab effectis per antitheſin, videlicet ab effecto utili; ſi quis præceptum illud obſervet: & contrà ab effecto noxio, ſi negligat. Effectum utile indicatur duplex: laus & opes, v.17. & 19. Effectum inutile ſimiliter duplex: vituperatio, v.22. & 23. & egeſtas, v.24. Poſtremò conſolatur diſcipulos contra ſcandalum ingratitudinis quod erant experturi ab inimicis Domini, puta ſcribis & Phariſæis & ſacerdotibus & primoribus populi: quippe qui hunc regem erant repudiaturi: id quod ſignificat v.14. ubi ait, *Cives autem ejus oderant eum, miſeruntq; legationem poſt eum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Contra hanc ingratitudinem conſolatur eos promiſſione vindictæ regis: qui eos ſit perditurus, v.27.

TERTIA PARS.

Dominus ingreditur ut rex Hieroſolymam.

28 Et his dictis, ante grediebatur aſcendens Hieroſolymam.

29 Et factum eſt quum appropinquaſſet Bethphagæ & Bethaniæ, ad montem qui vocatur Olearum: miſit duos ex diſcipulis ſuis,

30 Dicens, Abite in vicum qui eſt ex adverſo: in quo, quum ingrediemini, invenietis pullum alligatum, cui nemo unquam hominum inſedit: ſolvite eum & adducite.

31 Et ſi quis vos interrogaverit, Quare ſolvitis? ſic dicetis ei, Dominus eo opus habet.

32 Profecti autem qui miſſi erant, invenerunt prout eis dixerat.

33 Solventibus autem ipſis pullum, dixerunt eis domini ejus, Quare ſolvitis pullum?

34 Ipſi verò dixerunt, Dominus eo opus habet.

35 Duxerunt igitur eum ad Jeſum. Et palliis ſuis pullo injectis, impoſuerunt Jeſum.

36 Proficiſcente autem ipſo, ſubſternebant pallia ſua in via.

37 Et quum jam appropinquaret ad deſcenſum montis Olearum, cœpit omnis multitudo diſcipulorum gaudens laudare Deum voce magnâ de omnibus quas viderant virtutibus:

38 Dicentes, Benedictus *ſit* rex ille, qui venit in nomine Domini: pax *ſit* in cælo, & gloria in *locis* altiſſimis.

39 Tum quidam Phariſæorum è turba dixerunt ei, Magiſter, objurga diſcipulos tuos.

40 Et ipſe reſpondens dixit eis; Dico vobis, Si ſiluerint iſti, mox lapides clamabunt.

Primùm narratur præparatio, ſeu effecta deſtinata ad regium illum ingreſſum: deinde forma ingreſſus deſcribitur: poſtremò eventa narrantur. *Præparatio* conſiſtit in factis ſex: quorum duo fuerunt ipſius Domini, reliqua quatuor, diſcipulorum. Ad Dominum quod attinet, is in itinere Hieroſolymam verſus antegreſſus eſt diſcipulos, v.28. quo ipſo geſtu nimirum ſignificavit, ſe aliquid magnum mox acturum. Deinde conduxit pullum aſinæ, quo in urbem veheretur, v.30. & 31. Ad diſcipulos verò quod attinet: illi pullum aſinæ (ut juſſi erant) ſolverunt, ad Dominum adduxerunt, palliis ſuis inſtraverunt, & Dominum impoſuerunt, v.32. 33. 34. 35. *Forma ingreſſus* deſcribitur ex adjunctis factis honorificis: quæ narrantur duo: unum, quòd *Domino proficiſcenti pallia ſua ſubſtraverunt in via*, v.36. alterum quòd Dominum fauſtis acclamationibus proſecuti ſunt, v.37. & 38. *Eventa* narrantur duo: Phariſæorum reprehenſio, v.39. & Domini defenſio, v.40. Reprehendebant Phariſæi Dominum pariter ac diſcipulos: hos quidem, quòd Domino tribuerent honorem Meſſiæ; illum verò, quòd honorem iſtum acceptaret. Dominus factum diſcipulorum, & per conſequens ſuam quoq; permiſſionem atque acceptationem, defendit per collationem imparium hyperbolicam: ubi ait, *Si ſiluerint iſti, mox lapides clamabunt.* Quaſi dicat, Tantum abeſt ut debeam diſcipulos objurgare, quòd mihi tribuunt honorem Meſſiæ, ipſiſq; ſilentium imponere: ut potiùs debeam illos ad hoc factum excitare: quippe quod ita neceſſarium eſt, quòd potiùs lapides clamarent, honoremque Meſſiæ mihi tribuerent, quàm celebratio illa omitteretur. Si quæris hujus rei cauſam: cauſa nimirum erat, quia oportebat impleri Scripturam, prophetiam ſcilicet Zachariæ de regio ingreſſu Chriſti in urbem Hieroſolymam: ut expreſsè tradit Matthæus cap.21. v.4. & 5.

QUARTA PARS.

Dominus flet ſuper urbe Hieroſolyma.

41 Et ut appropinquavit, viſâ urbe, flevit ſuper ea:

42 Dicens, O ſi vel tu noſſes vel hoc ſaltem tuo die, quæ ad pacem tuam *pertinent!* Nunc autem occulta *ea* ſunt oculis tuis.

43 Nam veniet tempus ſuper te, quo circumjicient tibi inimici tui vallum, & circumcingent te, & conſtringent te undique:

44 Et ſolo æquabunt te, & filios tuos in te: neque relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eò quòd non agnoveris tempus viſitationis tuæ:

Primò narratur iſtius fletus occaſio, deinde cauſæ impulſivæ. *Occaſionem* Domino ad hunc fletum præbuit conſpectus urbis, v.41. *Cauſa impulſiva* narrantur duæ: nempe duo mala, quorum unum erat præſens, alterum futurum. Præſens malum erat malum animi, videlicet cæcitas Hieroſolymitanorum, v.42. Hujus cæcitatis affirmationem amplificat antitheſi voti ſui contrarii, ubi ait, *O ſi vel tu noſſes &c.* Futurum malum pertinebat ad corpora ipſorum, videlicet excidium urbis, v.43. & 44. Iſtud excidium primùm graphicè deſcribit per partes: deinde declarat ex cauſa impulſiva, quæ Dominum movit ad illud, videlicet ingratitudo ipſorum erga gratioſam viſitationem Dei, v.44.

QUINTA PARS.

Ejicit è templo vendentes & ementes.

45 Et ingreſſus in templum, cœpit ejicere eos qui vendebant in eo & emebant:

46 Dicens eis; Scriptum eſt, Domus mea, domus precationis eſt. Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.

47 Et docebat quotidie in templo. Principes autem ſacerdotum & ſcribæ, & primores plebis, ſtudebant eum perdere:

48 Nec inveniebant quid facerent. Totus enim populus pendebat ab ipſo, quum eum audiret.

Primò narratur ipſum factum, deinde cauſa impulſiva, tum factum affine, poſtremò eventus. *Factum* narratur verſ.45. *Cauſa impulſiva* verſ.46. videlicet abuſus templi: quippe quod deſtinatum erat precationi, non autem negotiationi ſeu mercaturæ. *Factum alteri affine* narratur verſ.47. nempe quòd Dominus in templo quotidie docebat: qui nimirum rectus ipſius uſus erat. Eventus fuit ſtudium ipſius perdendi in ſacerdotibus & ſcribis, verſ.47. quod ſtudium illuſtratur antitheſi cauſæ corrumpentis, quâ impediebantur, ne, quod ſtudebant, effectum dare tum quidem poſſent: videlicet metus populi, qui Domino docenti adhærebat: ac proinde non fuerat paſſurus, ut vi ipſis præſentibus caperetur.

SCHOLIA IN CAP. XIX.

3 Videre quis eſſet Jeſus] ἰδεῖν τὸν Ἰησοῦν τίς ἐστι. *Ad verbum*, Videre Jeſum quis eſſet. *Helleniſmus.* Nec poterat] καὶ οὐκ ἠδύνατο. *Vel*, Sed non poterat. Præ turba] ἀπὸ τοῦ ὄχλου. *Ad verb.* A turba *ſcilicet impeditus. Pro*, διὰ τὸν ὄχλον, *propter turbam, ſcilicet obſtantem.*

4 In ſycomorum] ἐπὶ συκομωραίαν. *Sic videtur ſcribenda vox Græca: (quæ aliâs variè ſcribi ſolet) tanquam ſit compoſita ex* συκῆ, *id eſt, ficus arbor, &* μωρέα, *id eſt, morus arbor: quòd ferat mora dulcia, ut ſunt ficus. Syrus vertit* ficum inſipidam, *q.d.* συκῆν μωραίαν. *Sicut ſal dicitur* μωραίνεται, *id eſt, inſipidum reddi.* Illac] δι' ἐκείνης. *Illac, ſcil. via.* δι' ἐκείνης, *ſcil.* ὁδοῦ. *per illam viam.*

5 Ut autem venit] καὶ ὡς ἦλθεν. *Scil.* ὁ Ἰησοῦς, *Jeſus: quod ſequitur per trajectionem.* Ad eum locum] ἐπὶ τὸν τόπον. *Ubi ſcil. erat ſycomorus, & zachæus ſuper illam. Articulus vim habet* ἀναφορ-

κλῶ. Suspiciens] *ἀναβλέψας. Hic in propria significatione positum est verbum ἀναβλέπειν: idem valens scil. quod ἄνω βλέπειν*: sicut suspicere *idem quod* sursum spicere, über sich sehen. *Cicero lib.2. de Divinat. ubi de eo qui in auspicium adhibetur, ait*: Nec suspicit, nec circumspicit: Er sicht weder über sich/noch umb sich.

7 Ad hominem &c.] *ὅτι παρὰ ἁμαρτωλῷ &c. Conjunctio ὅτι hic servit mimesi.*

8 Quum constitisset] *σταθεὶς.* Als er sich gestellet hatte. *Scilicet tanquam rem seriam acturus, professurus scilicet suam pœnitentiam coram iis qui aderant, ac inprimis coram Domino Jesu. Confer suprà 18.11.* Dimidium] *τὰ ἡμίση. Scilicet μέρη: id est, dimidias partes. quod videri posset accipiendum distributivè: puta, dimidiam partem vini, dimidiam frumenti & sic deinceps. Sed simplicius est ut accipiatur pro singulari, τὸ ἥμισυ. Sic enim apud classicos linguæ Græcæ authores accipi solere, exemplis demonstrat Henr. Stephanus in suo Thesauro.* Per calumniam eripui] *ἐσυκοφάντησα. Vide suprà 3.14.*

9 Hodie] *ὅτι σήμερον. Conjunctio ὅτι servit mimesi.* Domui huic] *τῷ οἴκῳ τούτῳ. Id est, incolis hujus domus. Metonymia subjecti.* Filius Abrahæ] *υἱὸς Ἀβραάμ. Nempe filius secundum promissionem, id est, electus. Vide Rom.9.v.7 & 8.*

10 Quod perierat] *τὸ ἀπολωλός. Id est, homines electos: qui per peccatum perierant, non minùs quàm reprobi. Synecdoche generis gemina.*

11 Pergens] *προσθείς. Ad verb.* Addens. *Hebraismus.*

13 Dedit eis decem minas] *ἔδωκεν αὐτοῖς δέκα μνᾶς. Scil. singulis unam: ut percipitur è sequentibus.*

15 Tum jussit] *καὶ εἶπε. Copulativa pro relativa temporis, more Hebraico.* Pecuniam] *τὸ ἀργύριον. Ad verb.* Argentum. *Metonymia materiæ.* Negotiando confecisset] *διεπραγματεύσατο. Vel*, negotiando lucratus esset. *Ea vis hic est præpositionis διὰ. E regione Græcis respondent voces Germanicæ: πραγματεύειν*, werben/ *& πραγματεία*, gewerb: *διαπραγματεύειν*, erwerben.

16 Accessit] *παρεγένετο. In hac significatione accipitur istud verbum apud Xenophontem Pæd.8. ταχὺ μὲν ὅποι ἔδει παραγιγνόμενοι.* Lucrifecit] *προσειργάσατο. Græca vox sonat, quasi dicatur:* Ad sortem operando adjecit.

18 Confecit] *ἐποίησε. Id est, lucrifecit.*

19 Tu quoque præesto quinque urbibus] *καὶ σὺ γίνου ἐπάνω πέντε πόλεων. Hoc prima fronte sonat, ac si præcessisset narratio de quodam servo qui præfectus esset quinque urbibus, quum tamen præcesserit de eo qui præfectus fuit urbibus decem. Sed conjunctio comparativa hic non ad speciem, sed ad genus refertur. quasi dicatur: Tu quoq; aliquot urbibus præesto, videl. quinq;. Ellipsis.*

21 Deposuisti] *ἔθηκας. Pro, παρέθηκας, vel, παρακατέθηκας. Sic versu seq.*

22 Sciebas] *ᾔδεις &c. Hoc legendum cum interrogatione, q.d. Ain' verò tu, me talem hominem esse?*

23 Quare igitur] *καὶ διατί. Pro, διατὶ οὖν.* Ad mensam] *ἐπὶ τὴν τράπεζαν. Scilicet fœneratorum: qui inde dicti τραπεζῖται. Synecdoche generis.* Tum ego veniens &c.] *καὶ ἐγὼ ἐλθὼν &c. Vel*, Nam, ita ego veniens &c. *Ante hæc verba ponendum est signum interrogationis: idemq; à fine hujus sententiæ removendum.* Exegissem] *ἂν ἔπραξα. Id est, ἐξέπραξα ἄν. Simplex pro composito.*

26 *At ille*, Nam, *inquit*, dico vobis] *Similiter Syrus supplevit*, אָמַר לְהוֹן *amár lehún, dixit eis. Porrò rationalis conjunctio. Nam referenda est ad sententiam omissam, nempe: Quanquam ille habet decem minas, tamen & hanc ei date. Nam omni habenti dabitur, &c. Ratio ducta à genere, id est, generali sententia atque proverbiali, sive gnoma.* Dabitur] *δοθήσεται. Id est, datur seu dari solet. Est enim gnoma, id est, sententia generalis de consuetudine hominum. Sic mox*, Adimetur, *ἀρθήσεται*. Etiam quod habet] *καὶ ὃ ἔχει. Id est, ὃ δοκεῖ ἔχειν, quod videtur habere: ut loquutus est suprà 8.18. Nisi malimus ita exponere: Omni habenti multum, ac proinde sedulo ac laborioso, dabitur amplius: ei verò qui non habet multum, ac proinde ignavus est, etiam parū quod habet, adimetur. Quæ expositio ex præsente hypothesi fluere videtur.*

33 Pullum] *τὸν πῶλον. Græcum expressus propter articulum. quasi dicatur*, Pullum illum: *de quo scilicet solvendo mandatum acceperant. Sed Latini non ita crebrò exprimunt articuli vim per pronomen.*

35 Imposuerunt] *ἐπεβίβασαν. Quasi dicas, Conscendere fecerunt: id est, in pullum sustulerunt*, sie haben jhn hinauff gehebt oder gehaben. *Syrus*: Et equitare (*seu* vehi) fecerunt Jesum super illum.

37 Cœpit omnis multitudo discipulorum gaudens laudare Deum] *ἤρξαντο ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν χαίροντες αἰνεῖν τὸν Θεόν. Ad verb.* Cœperunt omnis multitudo discipulorum gaudentes laudare Deum. *Syntaxis qualis in illo*, Turba ruunt. *nempe syllepsis.* De omnibus virtutibus] *περὶ πασῶν δυνάμεων. Pro, διὰ πάσας δυνάμεις: propter omnes virtutes seu potentias, id est, miracula, potentiæ divinæ opera. Metonymia efficientis.* De omnibus quas viderant] *περὶ πασῶν ὧν εἶδον. Pro, περὶ πασῶν ἃς εἶδον. Græcismus.*

38 Benedictus sit] *εὐλογημένος. Scil. ἔστω: sit. Sunt enim verba gratulantium.* In locis altissimis] *ἐν ὑψίστοις Scil. τόποις. Id est, in cœlo summo, loco scil. destinato ad regnum Dei.*

39 Et turba dixerunt] *ἀπὸ τοῦ ὄχλου εἶπον. Id est, Ambulantes stantésve in turba, inde Dominum inclamarunt. Præpositione ἀπὸ notatur hic locus. Hoc Syrus expressit suâ paraphrasi, vertens*, E medio turbarum.

40 Si siluerint] *ὅτι ἐὰν &c. Conjunctio ὅτι servit mimesi.*

41 Visâ urbe] *ἰδὼν τὴν πόλιν. Græcum duplici nomine clarius est: tum quòd participio certam notat personam, nempe Jesum: tum quòd articulo certam notat urbem, nempe Hierosolymam.*

42 O si vel tu nosses] *ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σύ. Conjunctio ὅτι servit mimesi. Adverbium autem exclamandi adjectum est ad perspicuitatem. Est enim hic exclamatio desiderantis. qualis illa Æn.8.*

O mihi præteritos referat si Juppiter annos.

Item Æneid.11.

Quanquam ô si solitæ quicquam virtutis adesset.

In quo exemplo similis aposiopesis est, qualis hic. Subauditur enim hic, Quàm felix esses ac beata! Occulta sunt oculis tuis] *ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου. Ad verb.* Abscondita sunt ab oculis tuis. *Ellipsis Hebraica, quâ ex antecedente intelligitur simul consequens: quasi dicatur, Abscondita sunt, ac proinde remota ab oculis tuis. Itaq; præpositio ἀπὸ regitur à verbo subintellecto.*

43 Nam veniet &c.] *ὅτι ἥξουσιν. Conjunctio causalis est hic declarativa: & refertur ad sententiam proximè subintellectam, nempe*, Idcirco peribis: *ut rectè D. Beza observavit.*

44 Tempus visitationis tuæ] *τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου. Id est, quo Deus te gratiosè invisit, mittens tibi me doctorem salutis æternæ.*

46 Vos autem] *ὑμεῖς δὲ &c. Hic nova sententia inchoanda est. Non enim cohærent hæc cum præcedente dicto quod ex Esaia citat Christus: sed dicuntur in persona ipsius Christi, allusione tamen factâ ad locum Jerem.7.11.*

48 Quid facerent] *τὸ τί ποιήσωσιν. Eleganter redundat articulus more Atticorum: ut suprà 1.62.*

OBSERVAT. EX CAP. XIX.

1 Ex v.1. & seqq. Exemplo Zacchæi monemur, Deum electos suo tempore efficaciter vocare & convertere: etiamsi ad tempus illos permittat sese dedere peccatis. Quare de proximi conversione non debemus desperare: nisi videamus, illum peccare ad mortem seu in Spiritum sanctum. Ac proinde nec debemus illum dedignari, quoties fert occasio, nostrâ conversatione: dummodo operam demus ut eum lucrifaciamus. *Electorum conversio.*

2 Ex v.8. Vera conversio ex se parit ingenuam peccatorum confessionem, beneficentiam erga proximum, & studium obediendi legi Dei: ut in Zacchæo apparet. *Conversionis vis.*

3 Ex v.9. Quum Deus patremfamiliâs aliquem convertit, solet etiam familiam ejus, quasi in ipsius gratiam, convertere. Confer Actor.16.v.15. exemplum Lydiæ: & v.33. exemplum commentariensis. Hinc agnoscenda Dei bonitas & benevolentia erga electos suos. *Gubernatio Dei.*

4 Ex eod. v. & v.10. Notandæ duæ causæ salutis nostræ: electio Dei Patris, v.9. & meritum atq; efficacia Christi, v.10. *Salutis causa.*

5 Ex v.10. Quæritur, quomodo hoc dictum Christi, *Filius hominis vênit ut quærat & servet quod perierat*, conveniat cum illis Scripturæ dictis, quæ docent, Christum venisse ad servandum solos electos. Respondeo: Dictum hoc Christi intelligendum est per synecdochen generis de solis electis: quum certum sit, Scripturam sibiipsi non esse contrariam. *Conciliatio locorum Scripturæ in speciem pugnantiū.*

6 Ex v.13. & seqq. Doctores Ecclesiæ facultatem docendi, à Domino sibi donatam, gnaviter exercere debent: quia Dominus in adventu suo studium illud amplissimis præmiis remunerabitur: contrariam verò ignaviam gravissimè puniet. *Officium ministrorum verbi Dei.*

7 Ex v.16. & 18. Quum Domino placuerit doctorum Ecclesiæ aliis majorem aliis minorem docendi facultatem dare: cavendum est illis, ne hos contemnant: his verò, ne illis invideant. Confer 1.Cor.12. *Officium ministrorum verbi Dei.*

8 Ex v.26. Qui dona spiritualia gnaviter exercent, illis ipsa augentur: qui verò negligunt, eis privantur. *Dona spiritualia.*

9 Ex v.27. Dominus noster Jesus Christus in adventu suo ad judicium omnes illos qui ipsum sese eis per Verbum offerentem repudiarint, gravissimè puniet. *Incredulorum pœna.*

10 Ex historia de regio ingressu Domini in Hierosolymam. Notanda pars argumenti, quo demonstratur, hunc Jesum esse Christum: quia scil. in ipso impleta est prophetia Zachariæ de regio ingressu Christi in urbem Hierosolymam. Cætera vide in observationibus ex Matth.21. *Quòd Jesus sit Christus.*

11 Ex historia de fletu Domini super urbe Hierosolyma. Deus contemtum verbi sui gravissimè punit. Caveamus igitur. *Contemtus verbi Dei.*

12 Ex historia de ejectis è templo vendentibus & ementibus. Notanda pars argumenti, quo demonstratur, hunc Jesum esse Christum: quia scil. vênit in templum suum, ipsumq; repurgavit cum tanta authoritate, ut nemo coram ipso posset consistere: sicut prædixit Malachias cap.3.v.1. &c. *Quòd Jesus sit Christus.*

ANALYSIS CAP. XX.

ARGUMENTUM.

1. Quærit ex primoribus, unde fuerit baptismus Johannis: 2. per parabolam de vinea conqueritur de ipsorum impietate: 3. respondet ad quæstionem de censu: 4. asserit resurrectionem carnis adversus Sadducæos: 5. movet quæstionem de Christo, quomodo

modo sit filius Davidis: 6. monet, scribarum mores non esse imitandos. Ita sunt sex partes.

PRIMA PARS.

Quærit ex primoribus, unde fuerit baptismus Johannis.

ET factum est quodam dierum illorum; quum ipse doceret populum in templo, & evangelizaret, supervenerunt principes sacerdotum & scribæ, cum senioribus;

2 Et dixerunt ei, Dic nobis quâ potestate ista facias, aut quis ille sit qui dedit tibi istam potestatem.

3 Respondens autem dixit eis, Interrogabo vos & ego rem quandam. Dicite igitur mihi:

4 Baptismus Johannis è cælo erat, an ex hominibus?

5 At illi ratiocinati sunt apud se, dicentes; Si dixerimus, È cælo: dicet, Quare ergo non credidistis ei?

6 Sin autem dixerimus; Ex hominibus: tota plebs lapidabit nos. Persuasa enim est, Johannem prophetam esse.

7 Responderunt igitur, se nescire unde *fuerit*.

8 Tum Jesus dixit eis, Neque ego *igitur* dicam vobis, quâ potestate hæc faciam.

PRimùm narratur quæstionis hujus occasio, deinde recitatur quæstio ipsa, tum narratur eventus. *Occasionem* Domino ad hanc quæstionem primoribus proponendam præbuit quæstio ipsorum, Quâ potestate ipse nuper ista fecisset quæ fecerat & ex parte etiamnum faceret: nempe quòd tanquam Christus ingressus esset Hierosolymam, quòd ex templo ejecisset vendentes & ementes, quòd in templo quotidie doceret, v. 1. & 2. *Quæstio* ipsa recitatur vers. 3. & 4. Ubi observandum: Domino non fuisse propositum declinare responsionem ad quæstionem sibi propositam, sed potiùs ad illam respondere, suamque responsionem confessione adversariorum confirmare. Si enim illi ad quæstionem ipsius verum responsum dedissent, nempe se statuere, baptismum Johannis fuisse è cælo: Dominus inde deduxisset responsum ad quæstionem sibi propositam, nempe se ea quæ fecerat & adhuc faciat, fecisse & facere potestate divinâ seu à Deo sibi datâ: quia nimirum Johannes ipsi dederat testimonium, quòd ipse sit Christus. *Eventus* narratur duplex: unus in adversariis Domini, alter in ipso Domino. Adversarii Domini responderunt, se nescire unde fuerit baptismus Johannis, v. 7. Dominus verò profitetur, se nolle apertè seu directè ad ipsorum quæstionem respondere, v. 8. Prior eventus declaratur è causa sua propriâ seu per se, videl. metu vel justæ reprehensionis, v. 5. vel lapidationis à plebe, v. 6. Quem metum concludebant dilemmate, ut patet v. 5. & 6. Posterior autem eventus ex priore concluditur per argumentationem à pari: quæ argumentatio notatur his verbis, *Neq; ego dicam vobis*. q. d. Si vos non vultis mihi respondere ad quæstionem meam: pari ratione nec ego respondebo ad quæstionem vestram: quum duo ista in pari jure versentur.

SECUNDA PARS.

Per parabolam de vinea conqueritur de primorum impietate.

9 Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc; Quidam plantavit vineam, & elocavit eam agricolis: & peregre abfuit multum temporis.

10 Et suo tempore misit servum ad illos agricolas, ut ex fructu vineæ darent sibi. Agricolæ autem cæsum illum ablegârunt inanem.

11 *Ille* verò perrexit & misit alterum servum: at ipsi hunc quoque cæsum & contumeliâ affectum ablegârunt inanem.

12 Et perrexit ac misit tertium: at illi & istum vulneratum ejecerunt.

13 Dixit igitur dominus vineæ, Quid faciam? Mittam filium meum dilectum: forsitan quum hunc viderint, reverebuntur.

14 Viso autem eo agricolæ colloquuti sunt inter se, dicentes, Iste est hæres: venite, trucidemus eum, ut nostra fiat hæreditas.

15 Et ejectum eum extra vineam, trucidarunt. Quid ergo faciet eis dominus vineæ?

16 Veniet & perdet agricolas istos, & dabit vineam aliis. *Hoc* autem quum audissent, dixerunt, Absit.

17 Ille verò intuitus eos ait, Quid illud est ergo quod scriptum est, Quem lapidem reprobaverunt ædificatores, is factus est caput anguli?

18 Quisquis ceciderit super illum lapidem, confringetur: super quem autem ceciderit, dissipabit eum.

19 Tum studuerunt principes sacerdotum & scribæ injicere in eum manus eo ipso momento: sed timuerunt plebem. Cognoverant enim, *eum* adversus ipsos dixisse similitudinem istam.

PRimùm notatur parabolæ hujus proponendæ occasio, deinde recitatur parabola ipsa, postremò narrantur eventa. *Occasio* notatur per cohærentiam sermonis, ubi ait evangelista: *Cœpit autem dicere ad plebem*. scilicet posteaquam plebe audiente primores proposuerant Domino quæstionem, eò directam; ut ipsum tanquam seditiosum ad supplicium raperent: ut ex dictis colligitur. Itaque quum illi hanc suam impietatem & crudele propositum non obscurè significassent: Dominus eâ de re querelam apud plebem instituit. Ad *parabolam* quod attinet: per vineam intelligitur populus Dei, ut potest percipi ex collatione cum Esa. 5. per eum qui plantavit vineam & agricolis locavit, intelligitur Deus pater: per agricolas intelliguntur primores populi Dei, tum politici tum ecclesiastici: ut principes sacerdotum, seniores, scribæ & Pharisæi. Per servos missos ad illos agricolas ut peterent ex fructu vineæ, intelliguntur prophetæ. Deniq; per filium domini vineæ, intelligitur ipse Christus. Sententia igitur parabolæ est: primores illos esse homines impios: quippe qui recusent Deo fructus dare, qui occiderint prophetas, & ipsum quoque occisuri sint: Deum verò impietatem istam severè ulturum, perdendo ipsos, & populum suum committendo aliis. *Eventa* narrantur quatuor: primum in primoribus illis, secundum & tertium in ipso Domino, quartum rursus in primoribus. Primum eventum est, quòd Domino contradixerunt, v. 16. Secundum eventum est, quòd Dominus doctrinam suam, videlicet querelam principalem, quòd occisuri essent Christum, confirmavit: idque testimonio Psalmi 118. v. 22. ubi habetur fore ut primores populi Dei Christum reprobent, v. 17. Tertium eventum est, quòd Dominus occasione illius dicti è psalmo recitati denuntiationem pœnæ repetivit, quòd videl. futurum sit ut illi inimici sui confringantur ac dissipentur, v. 18. Quartum eventum est, quòd studuerunt manus in eum injicere, v. 19. Hoc eventum illustratur expositione causæ corrumpentis, ibi: *Sed timuerunt plebem*: id est, Sed non injecerunt manus in eum, quia timebant plebem, ne scilicet à plebe lapidarentur. Deinde illustratur idem eventum expositione causæ per se: ibi, *Cognoverant enim, eum adversus ipsos dixisse similitudinem istam*.

TERTIA PARS.

Respondet ad quæstionem de censu.

20 Itaque observantes *eum*, miserunt insidiatores, qui se justos esse simularent: ut carperent ejus sermonem, tradituri eum imperio & potestati præsidis.

21 *Illi* igitur interrogaverunt eum, dicentes; Magister, scimus te rectè dicere & docere, nec accipere faciem, sed viam Dei sincerè docere.

22 Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?

23 Animadversâ autem eorum calliditate, dixit eis, Quid me tentatis?

24 Ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem & inscriptionem? Respondentes autem, dixerunt, Cæsaris.

25 Tunc dixit eis, Reddite igitur quæ *sunt* Cæsaris, Cæsari: & quæ *sunt* Dei, Deo.

26 Itaque non potuerunt dictum ejus carpere coram plebe: & mirati super ejus responso, siluerunt.

Primùm indicantur quæstionis hujus causæ efficientes, 2. causæ finales, 3. narratur ipsa quæstionis propositio, 4. præparatio ad responsionem, 5. responsum ipsum, 6. eventa. *Causæ efficientes* hujus quæstionis indicantur duæ: v. 20. principalis, & ministrans Principalis causa fuerunt primores Judæorum: de quibus ait evangelista, *Itaq; observantes eum, miserunt &c.* v. 20. Ministrans causa fuerunt insidiatores à primoribus missi: qui se simulabant justos, ut Dominum faciliùs deciperent, eliciendo liberam aliquam vocem quæ in jugulum ipsius rediret. *Causæ finales* narrantur duæ, quarum prior posteriori fuit subordinata. Prior fuit, *ut carperent ejus sermonem*: ibid. posterior, *ut* si quid contra Cæsarem Dominus pronuntiasset, ut sperabant futurum, *traderent eum imperio & potestati præsidis*, ib. *Quæstionis propositio* narratur v. 21. & 22. amplificata insinuatione & hypocriticâ Domini laudatione, ad eliciendum directum & categoricum responsum. Sive autem simpliciter affirmasset, sive negasset Dominus: periculosum responsum futurum erat. nam si simpliciter affirmasset censum Cæsari dandum, offendisset populum,

tanquam qui delectaretur ipsorum servitute: si verò negasset, detulissent eum ad præsidem tanquam seditiosum. *Præparatio* narratur v.23.& 24. quæ consistit in quatuor actionibus: quarum tres sunt Domini, quarta adversariorum. Dominus primùm objurgat eos propter hypocrisin, dicens, *Quid me tentatis?* Hæc objurgatio declaratur ex causa per se, videl. animadversione calliditatis ipsorum. Deinde jubet sibi ostendi denarium: ut nimirum ipso sensu oculorum & confessione adversariorum confirmet responsum quod daturus erat. Tertiò quærit ex adversariis, cujus sit imago denario (id est, numismati census) impressa; itemque inscriptio. Adversarii respondent, esse Cæsaris. *Responsum* ipsum recitatur v.25. cujus sententia est, censum esse Cæsari dandum. Sententiæ probatio: quia illi jure debeatur. Quod ipsum modò fuerat probatum ab effectu: quia Judæi utebantur & cogebantur uti numismate à Cæsare percusso: quo ipso testabantur, se illum pro suo domino agnoscere. Simul autem refutatur objectio: Si censum debemus Cæsari dare: non suppetet nobis quod demus Deo, id est, quod contribuamus ad cultum Dei, ac proinde excusati erimus, si non demus. Respondet: Imò nihilominus debetis Deo dare quod illi debetur. *Eventa* narrantur tria v.26. *1. Non potuerunt verba ejus carpere coram populo. 2. Mirati fuerunt super ejus responso. 3. Siluerunt.*

QUARTA PARS.

Asserit resurrectionem carnis contra Sadducæos.

27 Accedentes autem quidam Sadducæorum, (qui negant esse resurrectionem) interrogarunt eum,

28 Dicentes; Magister, Moses scripsit nobis, Si cujus frater mortuus fuerit habens uxorem, & sine liberis mortuus fuerit, ut ejus frater accipiat uxorem illam, & excitet semen fratri suo.

29 Septem ergo fratres fuerunt, quorum primus acceptâ uxore mortuus est sine liberis.

30 Accepit igitur eam secundus, *qui* & ipse mortuus est sine liberis.

31 Deinde tertius accepit eam, itidem autem & illi septem: nec reliquerunt liberos, & mortui sunt.

32 Post omnes autem mortua est & mulier.

33 In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? Nam illi septem habuerunt eam uxorem.

34 Tum respondens dixit eis Jesus, Filii hujus ævi ducunt uxores, & nuptum dantur.

35 Qui verò digni habiti fuerint ut ævum illud consequantur, & resurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nuptum dantur.

36 Neque enim mori possunt ampliùs: pares enim angelis sunt, & filii sunt Dei; quum sint filii resurrectionis.

37 Mortuos autem excitari, etiam Moses indicavit apud rubum, quum dicit dominum deum Abrahami, & deum Isaaci, & deum Jacobi.

38 Deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim ei vivunt.

39 Respondentes autem ei quidam ex scribis dixerunt, Magister, bene dixisti.

40 Nec ampliùs audebant eum quicquam ultrà interrogare.

Primùm narratur causa impulsiva objectionis Sadducæorum: deinde ipsa objectio: tum responsio Christi: postremò eventa. *Causa impulsiva* fuit opinio Sadducæorum de resurrectione, quòd scil. non sit resurrectio. Hanc igitur opinionem ut assererent, eâdemque operâ Dominum pudefacerent: quem scil. sperabant non posse ipsorum argumentum solvere: objectionem istam Domino proposuerunt. Id significatur v.27. ubi ait evangelista, *Qui negant esse resurrectionem. Objectio* concluditur hoc syllogismo:

Si esset futura resurrectio: tum futurum esset ut septem viri haberent unam uxorem.
At hoc futurum non est: quia absurdum.
Ergo nec resurrectio futura est.

Connexum probant à pari, ad hunc modum:

Si septem fratres in hac vita habuerunt unam eandemq; uxorem jure: etiam in altera vita eam habituri sunt jure.
At septem fratres in hac vita habuerunt jure unam uxorem.
Ergo in altera etiam vita eam jure habituri sunt: & per consequens, si erit resurrectio, septem viri unam habebunt uxorem.

Assumtionis membrum unum, quòd scilicet septem fratres habuerint unam uxorem, probant narratione exempli quod ipsorum memoriâ (ut videtur) acciderat: alterum verò membrum, quòd habuerint eam jure, probant testimonio legis, quæ exstat Deut.25.v.5. In textu; primo loco ponitur testimonium illud legis, quod spectat ad approbandum alterum membrum assumtionis prosyllogismi, v.28. Secundo loco ponitur narratio exempli: quæ pertinet ad approbandum alterum ejusdem assumtionis membrum, v.29.30.31.32. Tertio loco ponitur sententia conclusionis prosyllogismi, v.33. sed obliquè, transformata scilicet in quæstionem ad quam putabant non posse aliud responderi quam id ipsum quod illo prosyllogismo conclusum volebant. quærunt enim, *In resurrectione ergo cujus eorum erit uxor?* quasi dicant, Videtur negari non posse quin sit futura uxor omnium illorum septem, non autem unius tantùm ex illis. Quarto & postremo loco ponitur ipsa prosyllogismi assumtio, ibidem, his verbis, *Nam illi septem habuerunt eam uxorem.*

Responsio Domini bimembris est. nam primùm refutat allatam objectionem: deinde confirmat sententiam veram, conclusioni objectionis principalis contrariam, videlicet quòd sit resurrectio. Refutationis vis posita est in neganda propositione prosyllogismi. Nam connexum illud quod nititur naturâ parium, falsum esse demonstrat, ostendendo dissimilitudinem hujus vitæ & futuræ: quia scilicet in altera vita non sit locum habiturum conjugium, v.35. quod confirmat à causâ: quia tum non sit futurus locus morti, v.36. hæc enim causa est conjugii in hac vita, ut quia homines per mortem è medio tolluntur, per conjugium alii in locum eorum generentur. Et hoc ipsum illustrat collatione parium, ubi ait, *Pares enim angelis sunt*: id est, æquè immortales atque beati ac illi. Quod ipsum confirmat à causâ procreante, ubi ait: *Et filii sunt Dei*. id est, vitam cælestem vivent, ut nunc sancti angeli: qui propterea in Scriptura filii Dei nominantur, quia in cælo apud Deum tanquam patrem degunt, cælestemque vitam vivunt. Atque sic Dominus objectionem Sadducæorum refutat. Resurrectionem verò mortuorum asserit tali argumento:

Quorum hominum deus est Deus, illos necesse est vivere, tum animâ scilicet tum corpore, v.38.
Atqui Abrahami, Isaaci & Jacobi deus est Deus, v.37.
Ergo illi vivunt. Et per consequens cæteri quoq; pii: quum omnium eadem sit ratio.

Propositionis veritas per se manifesta est: quia quorum deus est Deus, id est, quos favore & gratiâ complectitur, eos efficit beatos, dum eis favorem suum gustandum præbet, idque in æternum. Assumtionem probat testimonio Mosis quod habetur Exod.3.v.6. Quod testimonium de industria adduxit, non autem ex prophetis aliquod protulit: quia Sadducæi cum quibus illi res erat, prophetas repudiabant, solùm Mosen pro authentico sive canonico scriptore habebant. Quare non licebat eis testimonium illud rejicere. In textu, primo loco ponitur conclusio, ibi, *Mortuos autem excitari*: secundo loco probatio assumtionis, ibi, *Etiam Moses indicavit*: tertio loco assumtio, ibi, *Quum dicit Dominum deum Abrahami &c.* quarto & postremo loco ponitur sententia propositionis illustrata contrario, ibi, *Deus autem non est mortuorum, sed vivorum.* Quæ sententia mox repetitur, ibi, *Omnes enim vivunt ei. Eventa* narrantur duo: unum in scribis: qui responsum Domini approbarunt, v.39. Causa erat: quia dissentiebant à Sadducæis. Alterum in Sadducæis pariter & scribis: quòd non ausi sunt eum ampliùs interrogare, id est, interrogando objicere difficiles nodos: quia nimirum videbant, ipsum expeditè omnes nodos solvere, nec posse ab ipsis pudefieri: sed potiùs ipsosmet pudefieri.

QUINTA PARS.

Dominus movet quæstionem de Christo, quomodo sit filius Davidis.

41 Dixit autem eis, Quomodo dicunt, Christum filium esse Davidis?

42 At ipse David dicit in libro Psalmorum, Dixit Dominus domino meo, Conside à dextris meis,

43 Usquedum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

44 David ergo dominum eum vocat. Quomodo igitur filius ejus est?

Quæstione hac innuitur responsio negativa: non quòd Dominus seriò negare vellet, Christum esse filium Davidis: id enim Scriptura clarè testatur: sed ut in lucem produceret inscitiam scribarum & Pharisæorum: ut qui nodum istum non possent dissolvere, id est, argumentum quod ipse ex Scriptura afferebat ad sententiam illam negativam probandam. *Scopus* autem ipsius erat, ostendere, Christum non esse tantùm filium Davidis: sed aliquid ampliùs, nempe etiam filium Dei, atque adeò verum Deum. Cæterùm quæstionem propositam concludit tali syllogismo:

Si Christus est dominus Davidis, non est filius ejus.
At Christus est dominus Davidis.
Non igitur filius.

Assumtionem probat testimonio ipsius Davidis ex psal.110. v.1. In textu primo loco ponitur sententia conclusionis, v.41. Secundo loco ponitur probatio assumtionis, v.42.& 43. Tertio loco

tio loco assumtionis probatio repetitur in principio vers. 44. Quarto & postremo loco annectitur sententia propositionis, ibi: *Quomodo igitur filius ejus est?* ubi conjunctio syllogistica *igitur* innuit hoc connexum: Si igitur Christus est Dominus Davidis (ut modò est probatum ipsius Davidis testimonio) non poterit ejus esse filius.

SEXTA PARS.

Monet discipulos ne imitentur scribarum mores.

45 Audiente verò toto populo, dixit discipulis suis,
46 Cavete à scribis, qui volunt ambulare stolati, & amant salutationes in foris, ac primos consessus in conventibus, & primos accubitus in cœnis:
47 Qui devorant domos viduarum, & in speciem precibus longis utuntur. Isti auferent gravius judicium.

Ratio hujus admonitionis est, quòd scribarum mores sint vitiosi: quodque illi propterea sint à Deo puniendi. Tria autem illorum vitia commemorat: ambitionem, vers. 46. avaritiam, vers. 47. & hypocrisin, ibid. ubi ait, *Et in speciem longis precibus utuntur.*

SCHOLIA IN CAP. XX.

1 Quodam dierum illorum] ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἐκείνων. An derselben tage einem. Supervenerunt] ἐπέστησαν. *Vel,* ingruerunt, *ex improviso scilicet.*

2 Quâ] ἐν ποίᾳ. *Ad verb.* In qua. *Hebraismus. Et* ποίᾳ, *quali: pro,* τίνι, *quâ. Heterosis.*

3 Rem quandam] ἕνα λόγον. *Ad verb.* Unum sermonem, *sive,* unum verbum. *Hebraismus geminus.* Dicite igitur] καὶ εἴπατε. *Pro,* εἴπατε οὖν. *Copulativa pro illativa.*

4 E cælo] ἐξ οὐρανοῦ. *Id est, à Deo. Metonymia subjecti. Sic suprà c.15.v.18. & 21.* Peccavi in cælum. Ex hominibus] ἐξ ἀνθρώπων. *Id est,* ὑπ' ἀνθρώπων, *ab hominibus. Heterosis præpositionis notantis materiam pro ea quæ notat efficientem. Sic Rom.11. v.ult.* Ἐξ αὐτοῦ ex eo (*scil. Deo*) sunt omnia.

5 Si dixerimus &c.] ὅτι ἐὰν εἴπωμεν. *Conjunctio* ὅτι *servit mimesi. Porrò sentiunt hypocritæ, se utroque cornu dilemmatis feriri: itaque ignorantiam prætendunt.*

6 Lapidabit] καταλιθάσει. *Id est, lapidibus obruet & occidet.*

7 Responderunt igitur] καὶ ἀπεκρίθησαν. *Pro,* ἀπεκρίθησαν οὖν.

8 Tum] καὶ. *Pro,* τότε. Dicam] λέγω. *Pro,* λέξω.

9 Multum temporis] χρόνους ἱκανούς. *Ad verb,* Tempora sufficientia. Ein ziemlich lange zeit.

10 Suo tempore] ἐν καιρῷ. *Nomen* καιρὸς *notat hîc certum anni tempus, videlicet tempus fructuum: ut expressè nominat Matthæus cap.21. v.34.* Gallicè, Quand vint la saison. Darent sibi] δῶσιν αὐτῷ. *Pro,* αὐτῷ, *vel* ἑαυτῷ: *nempe domino vineæ. Vulgata,* darent illi. *quasi referendum sit ad servum.*

11 Perrexit & misit] προσέθετο πέμψαι. *Ad verbum,* Addidit mittere. *Hebraismus, qualis suprà 19.11. Porrò* προσέθετο πέμψαι, *dictum est pro,* προσέθετο καὶ ἔπεμψε: *perrexit (scilicet mittere) & misit. Sic vers. seq.*

13 Forsitan] ἴσως. Villeicht. *Græca vox propriè significat æqualiter seu pariter: & notat, par seu consentaneum esse, fore id de quo sermo est. Est particula affirmandi opinabiliter & cum dubitatione. Aristoteles Rhet 2.* καὶ ἀμφισβητοῦντες προστιθέασιν ἀεὶ τὸ ἴσως καὶ τάχα: *id est,* Quum de re quapiam dubitant, apponunt semper particulam ἴσως & τάχα.

14 Colloquuti sunt inter se] διελογίζοντο πρὸς ἑαυτούς. *Pro his verbis habet Matthæus,* εἶπον ἐν ἑαυτοῖς, *dixerunt inter se. Itaque* διαλογίζεσθαι *idem hic valet quod* διαλέγεσθαι. *Quod ipsum percipitur ex verbis proximè sequentibus. Aliàs verò significat idem quod* λογίζεσθαι, *ratiocinari.*

16 Absit] μὴ γένοιτο. *Primâ fronte videri possit, scribas hoc verbo negare id quod Dominus postremum dixerat: videlicet dominum vineæ perditurum agricolas istos, & vineam daturum aliis: quum tamen Matthæus referat, ipsosmet istud affirmasse & interroganti Domino respondisse, Matth.21.v.41. Notandum igitur eos, hoc verbo non negare quod proximè præcessit, id est, clausulam illam parabolæ de eo quod agricolis istis eventurum sit: sed negant id quod intelligebant (teste Matthæo, 21.v.45.) Dominum per istam parabolam significasse, nempe ipsos occisuros filium domini vineæ, id est, Messiam seu Christum. Hanc esse sententiam, apparet ex responsione Domini v.seq. ubi ait,* Quid illud est ergo quod scriptum est &c. *Quasi dicat, Si vos non estis occisuri Messiam: quid ergo est quod Scriptura testatur, vos istud facturos?*

17 Ædificatores] οἱ οἰκοδομοῦντες. *Sive,* structores. *Participium habet hîc vim nominis, more Hebræorum. Heterosis.* Factus est caput] ἐγενήθη εἰς κεφαλήν. *Ad verb. Factus est in caput. Hebraismus.* Caput anguli] εἰς κεφαλὴν γωνίας. *Id est, lapis angularis.* Ist zum eckstain worden.

18 Confringetur] συνθλασθήσεται. *Vel, contundetur.*

19 Sed timuerunt plebem] καὶ ἐφοβήθησαν τὸν λαόν. *Id est, Sed non injecerunt, propterea quòd timuerunt plebem. Synecdoche membri metonymica: quâ effectum intelligitur unà cum causa.* Cognoverant enim] ἔγνωσαν γάρ. *Hæc sententia non cohæret cum proximè præcedente, sed cum remotiore.* Adversus ipsos] πρὸς αὐτούς. *Pro,* κατ' αὐτῶν. *Sic Marc.12.v.12.*

20 Itaque] καί. *Pro,* οὖν, *vel,* τοιγαροῦν.

21 Faciem] πρόσωπον. *Sic Matth.22.v.16. & Marc.12.14. Vide scholia in Rom.2.11.* Sincerè] ἐπ' ἀληθείας. *Ad verb.* In veritate. *Vide scholia in Matth. 22.v.16.*

22 Tributum] φόρον. *Matthæus & Marcus vocant* κῆνσον, *id est, censum.*

26 Dictum] ῥήματος. *Id est, id quod dixerat, nempe responsum ad quæstionem de censu.*

27 Qui negant esse resurrectionem] οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι. *Ad verb.* Qui contradicunt, resurrectionem non esse. *pro,* οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν εἶναι: *qui contradicunt, resurrectionem esse: hoc est, qui contradicunt affirmantibus resurrectionem esse. Redundat particula negandi,* μή: *vel,* ἀντιλέγοντες *positum pro simplici* λέγοντες.

28 Excitet semen] ἐξαναστήσῃ σπέρμα. *Id est, procreet prolem. Est autem hoc intelligendum de prole masculâ.*

31 Et illi septem] καὶ οἱ ἑπτά. *Pro, Et cæteri quatuor, ac proinde omnes septem. Consequens pro antecedente, seu metonymia effecti. Sic Matth.22.v.26.* ἕως τῶν ἑπτά, *usque ad illos septem: pro, usque ad septimum, ac proinde omnes illi septem. Sic Marc. 12.22.* καὶ ἔλαβον αὐτὴν οἱ ἑπτά, *Et acceperunt eam septem illi: pro, Denique acceperunt: vel, Et acceperunt eam similiter cæteri quatuor, ac proinde omnes illi septem.*

34 Filii hujus ævi] οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου. *Id est, homines hujus sæculi. Hebraismus.*

35 Ævum illud] τοῦ αἰῶνος ἐκείνου, *Id est, vitam æternam, secuturam post hanc vitam: seu felicitatem alterius sæculi. Metonymia subjecti.* Et resurrectionem] καὶ τῆς ἀναστάσεως. *Scil. ad vitam. Synecdoche generis. nam quidam resurgent ad mortem æternam, Joh.5.v.28. & 29.*

36 Pares angelis] ἰσάγγελοι. *Id est, similes angelis, scilicet bonis: ut liquet ex Matthæo, qui habet,* ὡς ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ εἰσί, *ut angeli Dei in cælo sunt, Matth.22.30. Heterosis, & synecdoche generis.* Filii Dei] υἱοὶ τοῦ Θεοῦ. *Scil. adoptivi: nempe adoptati ex gratia in Christo, Ephes.1.5. Innuitur autem, eos qui vitam æternam adipiscentur, fore domesticos Dei, degentes nimirum in cælo, & cælestem vitam viventes.* Filii resurrectionis] τῆς ἀναστάσεως υἱοί. *Id est, participes beatæ resurrectionis. Hebraismus, & synecdoche generis.*

37 Excitari] ὅτι ἐγείρονται. *Pro,* ὅτι ἐγερθήσονται, *excitatum iri.* Quum dicit Dominum deum &c.] ὡς λέγει Κύριον τὸν Θεὸν &c. *Id est, Quum scribit, Dominum esse deum &c. seu, Quum scribit, Dominum dixisse, se esse deum &c. Vide Exod.3.v.6. Vel, Quum dicit: id est, nominat,* ὀνομάζει.

38 Deus autem] Θεὸς δέ. *Conjunctio transitiva hic annectit syllogismi propositionem.* Non est mortuorum sed vivorum] οὐκ ἔστι νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων. *Supple* Θεός, *deus: quod exprimitur Matthæi 22.v.23.* Omnes enim] πάντες γάρ. *Declaratio est propositionis syllogismi, quæ modò præcessit,* τὸ καθόλου *autem restringendum est ad præsentem hypothesin: Omnes, nempe quorum deus est Deus: hoc est, quos suâ gratiâ & favore prosequitur. Nec est putandum,* γάρ *esse positum pro* οὖν: *quasi his verbis contineatur syllogismi conclusio.* Ei vivunt] αὐτῷ ζῶσιν. *Id est, quantum ad ipsum attinet: quippe cui omnia sunt præsentia. quare tam certum est, confœderatos Dei, qui jam mortui sunt, resurrecturos, ac si jam resurrexissent.*

40 Quicquam] οὐδέν. *Ad verb.* Nihil. *Gemina negatio more Græcorum.*

41 Quomodo dicunt] πῶς λέγουσι. *Scil. Pharisæi, ex Matth.22. v.42. Ellipsis.*

42 At ipse David] καὶ αὐτὸς Δαβίδ. *Copulativa pro adversativa.* Dixit Dominus domino meo] εἶπεν ὁ Κύριος τῷ κυρίῳ μου. *In Hebræo prius nomen est* יְהוָה *Jehováh, quod est Dei proprium: posterius* אָדוֹן *adôn, quod est appellativum, & hominibus cum Deo commune. Itaque vis argumenti non est in propria significatione nominis* אָדוֹן *adôn: sed in relatione illius ad Davidem. Non enim esset dominus Davidis, si nihil aliud esset quàm illius filius.*

44 Quomodo igitur] καὶ πῶς. *Id est,* πῶς οὖν. *Est enim hæc syllogismi conclusio. Porrò* οὖν, *quod præcessit, non est conclusionis, sed transitionis, ubi ait:* Δαβὶδ οὖν, *David igitur. Nam recitato Davidis testimonio è psalmo, repetit ejus summam, ut inde deducat conclusionem.*

47 Judicium] κρίμα. *Id est, damnationem. Synecd. generis.*

OBSERVAT. EX CAP. XX.

1 Ex quæstione Domini de baptismo Johannis. Opera danda piis doctoribus verbi Dei, ut hostes veritatis sapientibus quæstionibus pudefaciant. *Officium ministrorum verbi Dei.*

2 Ex parabola de vinea. Quum videmus, hodie illos qui sese gloriantur esse architectos domus Dei, hoc est, gubernatores ecclesiæ (videlicet Papam cum Cardinalibus & Episcopis suis) rejicere doctrinam Christi, & sinceros illius doctores atque confessores hostiliter persequi; consolemur nos exemplo piorum *Consolatio contra Pontificios.*

prophetarum Christique ipsius: quibus idem à gubernatoribus ecclesiæ Israëliticæ evenit. Item consideratione vindictæ divinæ: quæ hos non minùs manet, quàm illi eam jam sunt experti: quum Deus naturam suam non mutet, sed semper sibi similis maneat.

Gubernatio Dei. 3 Ex v.19. Hostes veritatis nihil quicquam in confessores illius possunt, antequam eis à Deo permittatur.

Consolatio contra calumnias doctrinæ cælestis. 4. Ex responsione ad quæstionem de censu. Si piis doctoribus accidat, ut hostes veritatis doctrinam ipsorum calumnientur tanquam seditiosam, ac proinde ipsos accusent tanquam authores seditionis: consolentur sese exemplo Christi, cui idem à principibus sacerdotum & scribis accidit.

Subditorum officium. 5 Ex v.25. Magistratui ita obediendum est, ut interim conservetur obedientia erga Deum. Quare iniquis quoque ac duris mandatis magistratus obediendum, si interim salva maneat obedientia erga Deum.

Gubernatio Dei. 6 Ex v.26. Hostes veritatis sapientibus piorum doctorum responsis (quæ Spiritus Dei ipsis suggerit) in astutiâ suâ confunduntur, ut nihil eis relinquatur, quod veritati opponant.

Resurrectio mortuorum. 7 Ex vers.27. & seqq. Articulus fidei nostræ de resurrectione mortuorum, certissimæ atque indubitatæ veritatis est: quia & in scripturâ traditus, & ore ipsius Domini assertus.

Vita æterna. 8 Ex v.35.36. Pii à mortuis excitati, vivent vitam cælestem, beatam atque immortalem: qualis est sanctorum angelorum. Confer 1.Cor.15.v.35.& deinceps.

Christi persona. 9 Ex vers. 41. & seqq. Christus non est tantùm filius Davidis, ac proinde verus homo: sed etiam dominus Davidis, ac proinde verus Deus.

Auditorum verbi Dei officium. 10 Ex v.46.& 47. Quum pastores ecclesiæ ambitiosi & avari sunt: cavendum auditoribus ne hæc illorum vitia imitentur.

ANALYSIS CAP. XXI.

Argumentum.

Dominus 1. laudat oblationem viduæ: 2. Deinde prædicit interitum templi & urbis, nec non signa præcessura extremum judicium. 3. postremò additur narratiuncula generalis de factis Domini per illos dies, quibus Hierosolymæ commoratus est sub tempus suæ passionis. Ita sunt partes tres.

Prima Pars.

Dominus laudat oblationem viduæ.

INtuitus autem vidit divites qui conjiciebant dona sua in gazophylacium.

2 Vidit autem etiam quandam viduam pauperculam conjicere illuc minuta duo.

3 Et dixit, Verè dico vobis, vidua hæc pauper injecit ampliùs quàm omnes.

4 Nam omnes hi ex eo quod ipsis redundat, injecerunt in dona Dei: hæc autem injecit ex penuriâ suâ totum victum quem habebat.

PRimùm narratur laudationis hujus occasio, deinde laudatio ipsa. *Occasio* fuit, quòd Dominus aspexit quomodo dona injicerent in gazophylacium, vers.1.& 2. *Laudatio* ipsa constat propositione, vers.3. & ratione, vers.4. Propositio primâ fronte est παράδοξον, si scilicet spectetur proportio arithmetica. Sic enim divites ampliorem pecuniam obtulerant quàm illa vidua, quæ tantùm duo minuta obtulerat. Sed ex additâ ratione intelligitur, sententiam illam esse veram, spectatâ proportione geometricâ: quâ scilicet non donum cum dono simpliciter comparatur: sed comparatur donum utrumque cum utriusque donantis facultatibus. harum enim respectu minora erant dona divitum, quàm donum viduæ: quia illi dederant ex redundantia sua, ita ut multum ipsis remaneret: at vidua dederat totam substantiam suam, ita ut nihil pecuniæ ei remaneret.

Secunda Pars.

Dominus prædicit interitum templi & urbis, nec non signa præcessura extremum judicium.

5 Et quibusdam dicentibus de templo, quòd pulchris lapidibus ac donariis ornatum esset, dixit:

6 *Quod* ad hæc quæ spectatis, venient dies quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.

7 Interrogaverunt autem eum, dicentes, Magister, quando hæc erunt? & quod signum quando futurum est ut ista fiant?

8 Ipse verò dixit, Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum *Christus*: & tempus illud appropinquat. Ne igitur sequimini eos.

9 Quum verò audieritis bella & seditiones, ne consternamini: oportet enim ista primùm fieri: sed non statim *erit* finis.

10 Tunc dixit eis, Insurget gens in gentem, & regnum in regnum:

11 Et magni terræmotus erunt singulis locis, & fames ac pestilentiæ, & terriculamenta, & signa è cælo magna erunt.

12 Sed ante hæc omnia injicient vobis manus, & *vos* persequentur, tradentes in synagogas & carceres, adductos ad reges ac præsides propter nomen meum.

13 Hæc autem evenient vobis in testimonium *adversus ipsos*.

14 Habete igitur fixum in cordibus vestris, non esse præmeditandam defensionem.

15 Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neque resistere, omnes qui se vobis opponent.

16 Trademini autem etiam à parentibus & fratribus & cognatis & amicis: & morte mulctabunt *quosdam* ex vobis.

17 Et eritis exosi omnibus propter nomen meum.

18 Sed ne pilus quidem ex capite vestro peribit.

19 Per tolerantiam vestram possidete animas vestras.

20 Quum autem videritis Hierosolymam cingi ab exercitibus, tunc agnoscite appropinquare vastationem ejus.

21 Tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes: & qui in medio ejus, excedant: & qui in agris, non ingrediantur in eam.

22 Nam hi sunt dies ultionis, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.

23 Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus. erit enim necessitas magna in hac regione, & ira in populo isto.

24 Et cadent acie gladii, & captivi ducentur in omnes Gentes; & Hierosolyma calcabitur à Gentibus, donec impleta fuerint tempora Gentium.

25 Tunc erunt signa in sole & luna & sideribus: & in terra angustia Gentium in consilii inopia, resonante mari & salo:

26 Dum exanimabuntur homines præ timore & exspectatione eorum quæ invasura sunt orbem terrarum. nam vires cælorum concutientur.

27 Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potentia & gloria multa.

28 Quum autem hæc fieri incipient, suspicite & attollite capita vestra; quoniam appropinquat redemtio vestri.

29 Dixit etiam eis *hanc* parabolam, Videte ficum & omnes arbores.

30 Quum jam emiserint *folia, vos eas* cernentes, per vos ipsos agnoscitis jam propè esse æstatem.

31 Ita & vos quum videritis hæc fieri, agnoscite propè esse regnum Dei.

32 Amen dico vobis, nequaquam præterierit hæc ætas quousque *hæc* omnia facta fuerint.

33 Cælum & terra præteribunt, verba autem mea nequaquam præteribunt.

34 Cavete autem vobis ne quando graventur corda vestra crapulâ & ebrietate, & curis de victu: & repente vobis superveniat dies ille.

35 Nam ut laqueus, invadet in omnes qui habitant in superficie totius terræ.

36 Excubate igitur, omni tempore rogantes ut digni habeamini, qui effugiatis ista omnia quæ futura sunt, & consistatis coram Filio hominis.

Primùm narratur occasio hujus prædictionis, 2. prædictio ruinæ templi, 3. prædictio cladium præcessurarum, 4. prædictio vastationis urbis, 5. prædictio signorum præcessurorum extremum judicium. *Occasionem* Domino ad hunc sermonem præbuit sermo quorundam, qui commendabant templi pulchritudinem, v.5. Ubi simul notatur finis: nempe ut eximeret illis falsam de templo opinionem, quasi non esset futurum ut destrueretur: quia nimirum Deus id non esset permissurus, propter ipsius

ipsius pulchritudinem & sanctitatem. *Prædictio ruinæ templi* recitatur v.6. *Prædictio cladium* illustratur ex occasione, videlicet quæstione discipulorum, v.7. Deinde clades ipsæ recitantur: quarum aliæ sunt omnibus Judæis communes, à v.8. usque ad 12: aliæ discipulorum propriæ, à v.12. usque ad 20. Communes sunt: periculum seductionis per falsos Christos, v.8: rumor bellorum & seditionum, v.9: bella ipsa, v.10: terræmotus, fames, pestilentiæ, & signa è cælo, v.11. Harum prædictionum prima amplificatur admonitione inde deducta, ubi ait, *Videte ne seducamini.* Item, *Ne igitur sequimini eos.* Secunda verò amplificatur oppositâ consolatione, ubi ait: *Ne consternamini: oportet enim ista primum fieri.* Atq; hæc de cladibus communibus. Propriæ discipulorum clades sunt: persecutio popularium propter nomen Jesu, v.12. & in fine v.16. proditio à conjunctissimis, v.16: & odium omnium, vers.17. Hæc prædictio primum illustratur indicatione temporis, ubi ait: *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus.* Deinde amplificatur oppositâ consolatione triplici: unâ contra acerbitatem perpessionis, v.13: alterâ contra solicitudinem defensionis, v.14. & 15: tertiâ contra metum supplicii, v.16.17.18. & 19. Primæ consolationis argumentum sumitur à vindicta divina, ubi ait: *Hæc autem cedent vobis in testimonium,* εἰς μαρτύριον, scil. adversus ipsos: ut alibi plenè dicitur. Secundæ consolationis argumentum sumitur à præsentanea ope ipsius, v.15. Tertiæ denique consolationis argumentum petitur à providentia Dei, v.18. Atq; hæc de prædictione cladium, ruinam templi & vastationem urbis præcessurarum. Ipsius autem *urbis vastatio prædicitur* v.20. Et prædictio illa primum illustratur ab adjuncto signo proxime præcessuro, videl. obsidione, ibid. Deinde amplificatur deducto inde consilio, quomodo debeant tunc saluti suæ consulere, nempe fugâ, v.21. Tum causæ illius vastationis exponuntur duæ, videlicet ultio divina & impletio Scripturæ, v.22. Postea amplificatur illa vastatio collatione imparium: nempe præ cæteris gravissimè afflictum iri prægnantes & lactantes, v.23. Postremò vastatio ipsa describitur v.24: ibique transitus paratur ad prædictionem signorum præcessurorum extremum judicium, ubi ait: *Usquequò impleantur tempora Gentium.* quibus verbis significat, Hierosolymam à Gentibus calcatum iri usq; ad adventum suum. Deinceps igitur *prædicit signa proximè antecessura adventum suum,* v.25. & 26: deinde ipsum suum adventum, v.27: tum horribilitati istorum signorum opponit consolationem, v.28. Cujus consolationis argumentum ducit à læto eventu, ibid. Et illam expositionem eventus illustrat similitudine ficus alteriusve arboris revirescentis, v.29.30. & 31. Tum prædictionem cladium supradictarum partim illustrat, partim confirmat. Illustrat significatione temporis, v.32. nempe ista eventura durante eo sæculo: Confirmat asseveratione per collationem imparium hyperbolicam, v.33. Postea redit ad prædictionem adventus sui, & inde deducit admonitionem de cavendâ crapulâ & ebrietate & curis hujus vitæ, v.34: & contrà de adhibendâ vigilantiâ & precibus, v.36: quia venturus sit ex improviso, v.34. Quem modum adventus sui declarat simili, v.35.

TERTIA PARS.

De factis Domini per illos dies.

37 Docebat autem interdiu in templo; noctu verò exiens diversabatur in monte qui vocatur olearum.

38 Et totus populus diluculo veniebat ad eum in templo, ut audiret eum.

Duo narrat: unum, quòd Dominus interdiu docuerit in templo: alterum quòd noctu diversatus sit in monte olearum, v.37. Prius factum amplificatur ex eventu, videlicet concursu populi, eoque matutino, in templum ad ipsum audiendum, v.ult.

SCHOLIA IN CAP. XXI.

1 Intuitus] ἀναβλέψας. *Vel,* Sublatis oculis. *ut Marc.8.v.24.* Qui conjiciebant &c.] τοὺς βάλλοντας &c. *Sic loquitur Cicero 4. Verrina,* Sortes in hydriam conjicere. In gazophylacium] εἰς τὸ γαζοφυλάκιον. *Id est, arcam in templo collocatam ad hunc usum: de cujus origine habetur 2.Reg.12.v.10. Sic dicta fuit, quòd in ea asservaretur pecunia templi,* παρὰ τὸ φυλάττειν τὴν γάζαν.

2 Conjicere] βάλλουσαν. *Pro,* βάλλειν. *Græcismus.* Illuc] ἐκεῖ. *Pro,* ἐκεῖσε.

3 Pauper] ἡ πτωχή. *Pro,* πενιχρά, *ut nominatur versu præcedente. Catachresis. nam* πτωχὴ *propriè mendicam significat,* eine Bättlerin.

4 In dona Dei] εἰς τὰ δῶρα τοῦ Θεοῦ. *Id est, quæ Deo consecrata sunt: sicut nominatur* fides Dei, *quæ Deo habetur, Marc.11.22. Genitivus objecti. Per dona autem Dei, id est, Deo consecrata, intelligitur hic ipsum gazophylacium, per metonymiam adjuncti: ut percipitur tum ex ipsa phrasi,* βάλλειν εἰς τὰ δῶρα: *tum ex collatione versus primi.* Ex penuria sua] ἐκ τοῦ ὑστερήματος αὐτῆς. *Ad verb.* Ex defectu suo. ὑστέρημα *est defici. Id est, ex facultatibus tenuissimis. Hyperbolica & catachristica synecdoche speciei. Nam quomodo quis propriè loquendo donare quippiam potest ex eo quo ipse deficitur seu quod ipsi deest?*

5 Donariis] ἀναθήμασι *Sic nominantur ornamenta templorum, diis dicata & in sublimi suspensa vel de parietibus vel de columnis: à verbo* ἀνατίθημι, *quatenus significat,* in alto pono, *id est,* ἄνω τίθημι.

6 Quod ad hæc quæ spectatis] ταῦτα ἃ θεωρεῖτε. *Ponuntur hæc absolutè more Hebræorum. Alii hoc membrum afficiunt interrogatione, & à sequentibus verbis separant, vertentes.* Hæccine spectatis? *vel,* Hæc sunt quæ spectatis? *Sed quanquam hæc sententia apud Matthæum & Marcum interrogativè enuntiatur: tamen interrogatio huic loco non videtur quadrare, propter interjectum articulum postpositivum* ἃ. *Interrogationi enim magis conveniret dicere,* ταῦτα θεωρεῖτε; *Hæccine spectatis? ita nimirum, ut emphasis sit in verbo* spectandi. *At articulus ille interpositus facit ut emphasis sit in pronomine* ταῦτα, *si sententia hæc per interrogationem enuntietur. At emphasis hîc debet esse in verbo* spectandi: *ut ex re ipsâ cuivis intelligenti patet.*

8 Ne seducamini] μὴ πλανηθῆτε. *Id est, ne quis vobis imponat. nam* πλάνος *impostorem significat.* Ego sum Christus] ὅτι ἐγώ εἰμι *Conjunctio* ὅτι *servit mimesi: nomen autem* Christus *suppletum est ex Matth.24.v.8.* Sequimini eos] πορευθῆτε ὀπίσω αὐτῶν. *Ad verb.* Proficiscimini post eos. *Hebraismus, ut Matth 4.v.19.* Finis] τὸ τέλος. *Nempe finis templi & urbis: ut intelligitur ex Matth.24.v.14. & infra v.20.*

11 Terræmotus] σεισμοί. *Nomen* σεισμὸς *in genere quassationem seu concussionem significat: sed per synecdochen generis specialiter ad significandum terræmotum usurpatur. Syrus generali nomine* זועא *sauhéh, id est,* motus, *usus est.* Singulis locis] κατὰ τόπους. *Vel,* passim, hin und wider. *Præpositio* κατὰ *hîc vim habet distributivam, ut suprà 8.v.1.* Signa] σημεῖα. *Videlicet signa iræ Dei: puta prodigia seu* φαινόμενα *horribilia, nempe cometæ, quales apparuisse sub Hierosolymæ à Romanis eversionem, testatur Josephus.*

12 Injicient] ἐπιβαλοῦσιν. *Impersonaliter. Pro,* injicientur. *Est autem hoc referendum ad hostes Evangelii, putà magistratus Hierosolymitanos. Complementum vide in Actis Apostolorum cap.4.v.3. & c.5. v.18. & c.6.v.12. & c.12.v.1. & deinceps.* Propter nomen meum] ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου. *Id est,* διὰ τὸ ὄνομά μου: *ut exstat Matth.24.v.9. Id est, propter confessionem nominis mei, propterea quòd confitebimini, vos me solum agnoscere pro unico salutis authore. Metonymia subjecti.*

13 In testimonium *adversus ipsos*] εἰς μαρτύριον. *Supplementum sumtum est ex Marc.13.v.9. ubi habetur,* εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. *Et* αὐτοῖς *idem ibi valet quod* ἐπ' αὐτούς, *id est, adversus ipsos: ut percipitur ex collatione verborum, quæ exstant Luc.9.v.5.*

14 Non esse præmeditandam] μὴ προμελετᾶν. *Scil.* δεῖν. *Vel,* ne præmeditemini. Defensionem] ἀπολογηθῆναι. *Id est,* ἀπολογίαν. *Græco verbo significatur oratio, quâ quis suam innocentiam tueri studet. Hinc Apologia Socratis apud Platonem: hinc Apologeticus Tertulliani.*

15 Os] στόμα. *Id est, facultatem loquendi. Metonymia subjecti. Complementum vide in Actis, in Petro & Johanne c.4. & in Stephano c.7.*

18 Sed ne pilus quidem ex capite vestro peribit] καὶ θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται. *Pro,* ἀλλ' οὐδὲ θρὶξ ἀπόληται. *Est enim amplificatio per ratiocinationem à majori seu* ἀπὸ τοῦ μάλλον: *quasi dicat: Multo minùs peribitis ipsi. Pro hoc dicitur apud Matthæum & Marcum:* Sed qui perseveraverit ad finem usque, servabitur.

19 Per tolerantiam] ἐν τῇ ὑπομονῇ. *Pro,* διὰ τῆς ὑπομονῆς. *Hebraismus.*

20 Cingi] κυκλουμένην. *Pro,* κυκλωθεῖσαν. *Græcismus.*

23 Væ autem] οὐαὶ δέ. *Scil.* ἔσται, erit. *Non enim est imprecantis, sed denuntiantis & commiserantis.* Necessitas] ἀνάγκη. *Id est, angustia seu afflictio. In hac significatione Cicero quoq; hoc nomen usurpat, ut pro Cluent.* Itaque ille inopiâ & necessitate coactus, confugit &c. *Similiter nos Germani utimur nomine* Noth. Et ira] καὶ ὀργή. *Scil. Dei, hoc est, pœna irati Dei. Synecdoche generis. & metonymia efficientis. Additurq; hoc* ἐπεξηγητικῶς, *ad declarandum nomen* ἀνάγκη, *id est, necessitas.*

24 Acie] στόματι. *Ad verbum* Ore. *Metaphora. Hinc* μάχαιρα δίστομος, *Heb.4.v 12. gladius duo habens ora, id est, duas acies.* Et Hierosolyma] καὶ Ἱερουσαλήμ. *Scilicet vastata: ex collatione v.20.* Calcabitur à Gentibus] ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν. *Scilicet tanquam in potestatem ipsarum redacta.* Donec impleta fuerint tempora Gentium] ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν. *Id est, Donec exacta seu elapsa fuerint tempora illa quæ Deus destinavit pro Gentibus ut Hierosolymam obtineant & calcent. Significat Gentes non perpetuò obtenturas Hierosolymam, sed finem illius dominii fore: nempe in ipso fine hujus seculi. Itaque mox annectit signa proximè antecessura illum finem.*

25 Tunc] ῥ. *Scil. quum tempora Gentium in calcanda Hierosolyma, fuerint impleta.* Signa] σημεῖα. *Id est, miracula quibus significabitur adventus Filii hominis ad judicium, ex collatione vers.27.* Et sideribus] καὶ ἄστροις. *Id est, aliis stellis. Sic* ἄστρον *pro stella reperitur apud Aristot.* περὶ κόσμου: *ubi ait,* τῶν γε μὲν ἄστρων τὰ μὲν ἀπλανῆ, τὰ δὲ πλανητά: *id est, Siderum quædam inerrantia sunt, quædam errantia. Nam sidera pro stellis Plinius dixit lib.2. c.6. ubi septem sidera errantia nominat, intelligens planetas sive stellas errantes.* Angustia] συνοχή. *Nomini Græco penè respondet Lati-*

num coarctatio: *quo Livius usus est. Et sic συνέχομαι redditur* coarctor, *Philip.1.v.23.*

26 Præ timore] ἀπὸ φόβου. *Vel*, ex timore.

28 Suspicite &c.] ἀνακύψατε, &c. *Id est, bono animo estote: ut sensum Syrus paraphrasi sua expressit. Metonymia effecti. Nam prout quisq; vel hilaris vel tristis est: ita caput atque oculos attollit aut deprimit. Atq; hanc expositionem confirmat ratio quæ subjicitur.* Redemtio vestri] ἀπολύτρωσις ὑμῶν. *Id est, redemtio corporis vestri, ut loquitur Paulus Rom.8.v.23. hoc est, liberatio à persecutionibus quibus corpora piorum in hac vita subjecta sunt. Synecdoche generis.*

30 Per vos ipsos] ἀφ' ἑαυτῶν. *Id est, etiam à nemini admoniti.*

31 Et vos] καὶ ὑμεῖς. *Posset videri pleonasmus: quia etiam sine his verbis sententia hujus loci constat. Sed accuratius consideranti apparet esse ἀντίθεσις tacita inter Christianos & cæteros homines. Nam protasis comparationis in quosvis homines competit.*

32 Nequaquam præterierit &c.] οὐ μὴ παρέλθῃ &c. *Vide scholia in Matth.24.v.34.*

33 Cælum & terra peribunt &c.] ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται &c. *Id est, Potius cælum & terra peribunt, quàm verba mea. Antithesis hic vim habet comparationis imparium. Qualis antitheseos clarius exemplum exstat Proverb.8.v.10.* Suscipite disciplinam meam, & non argentum: *pro, potius quàm argentum: quia mox sequitur:* Et scientiam potius quàm aurum effossum lectissimum. *Vide scholia in Matth.24.v.35.*

34 Crapulâ] ἐν κραιπάλῃ. *Ad verb.* In crapula. *Præpositio redundat ex Hebraismo. Nomine autem κραιπάλης, id est, crapulæ, non videtur hic significari gravedo illa capitis ex nimio vino, quâ caput quasi vibratu quodam concutitur: dicta enim κραιπάλη ex eo quòd τὸ κάρα πάλλει: sed nimia ingestio cibi: quum inter se opponantur crapula & ebrietas. Itaque sensum bene expressit Lutherus, vertens* **Fressen und sauffen**. *item Genevenses in versione Gallica, vertentes*, gourmandise & yvrognerie: *deniq; interpres Syrus, qui vertit* κραιπάλῃ אסוטותא asuthutha: *quæ vox exponitur per Hebraicam* זוללות zolelúth, *id est*, comessatio. *Estq; vox illa Syraica mutuo accepta à Græcis, & transformata ex voce ἀσωτία: ut apparet ex paraphrasi Syriaca Ephes.5.v.18. Si cui tamen propria nominis κραιπάλη significatio retinenda hic videatur, erit hic figura loquendi ἓν διὰ δυοῖν, in hanc sententiam: Cavete ne corda graventur crapulâ & ebrietate: id est, ebrietate quæ ex se parit crapulam: atque ita impedit spirituales & sanctas cogitationes.* Curis de victu] μερίμναις βιωτικαῖς. *Eadem sententia Matth.6.v.25. enuntiatur his verbis:* μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν, τί φάγητε, καὶ τί πίητε. *Simul autem intelligenda cura seu solicitudo de amictu, per synecdochen membri. Eodem sensu accipitur nomen βιωτικὰ 1.Cor.6.v.3.* Superveniat] ἐπιστῇ. *Vel*, ingruat.

37 Interdiu] τὰς ἡμέρας. *Subauditur* κατὰ: *ut sit*, per dies. *Sic in eo quod sequitur*, τὰς νύκτας, per noctes. In monte] εἰς τὸ ὄρος. *Pro*, ἐν τῷ ὄρει.

38 Diluculo veniebat] ὤρθριζε. *Quasi dicas*, diluculabat, *vel*, matutinabat. *Ita Hebræi utuntur verbo* השכים *hischkim: ut Gen.19.v.27. ubi istud verbum hoc ipso Græco interpretes Græci reddiderunt:* ὤρθρισε δὲ Ἀβραὰμ τὸ πρωῒ εἰς τὸν τόπον &c.

OBSERVAT. EX CAP. XXI.

Eleemosyna. 1 Ex historia de oblatione viduæ pauperculæ. Eleemosynam Deus non æstimat quantitate, sed animi affectu. Huc pertinet illud Apostoli: *Si prius adsit promtus animus; aliquis acceptus est pro eo quod habet, non pro eo quod non habet*, 2.Cor.8.v.12.

Ex sermone Domini de interitu templi & urbis, nec non signis præcessuris extremum judicium.

Doctrina Christi. 2 Ex v.6. Notandum argumentum veritatis doctrinæ Christi: quòd scil. templum Hierosolymitanum ita ut ipse prædixit: destructum est.

Ingratitudo erga Deũ in contemnendo verbo ejus. 3 Ex vers.9. & seqq. Consideranda causa quæ Deum movit ut tot clades immitteret Judæis, ipsamque urbem ac templum everti curaret. Ea fuit ingratitudo ipsorum erga prædicationem Prophetarum & ipsius Christi, quâ invitabantur ad pœnitentiam & via salutis eis ostendebatur. Hanc causam indicat Christus Matth.23.v.37. & 38. Ergo à tali ingratitudine nobis caveamus, nisi similes pœnas experiri velimus. *Quòd Christus jam venerit.* Deinde fuit & alia causa cur Deus urbem Hierosolymam unà cum templo funditus & absque ulla spe instaurationis deleri voluerit: nempe ut demonstraret, se nolle, cultum Mosaicum diutius durare, ac proinde Christum jam advenisse, quippe per cujus adventum umbræ illæ impleri, atque ita abrogari debuerunt.

Consolatio contra persecutionem. 4 Ex v.12. & seqq. Si accidat ut propter confessionem Christi persecutionem patiamur ab hostibus veritatis: consolemur nos exemplo apostolorum, quibus idem accidit; & consideratione vindictæ divinæ in persecutores, qui nostrâ confessione redduntur inexcusabiles: & promissione Christi, qui promisit se confessoribus suis daturum os & sapientiam cui hostes veritatis non poterunt resistere: item se protecturum illos ut ne pilus quidem de capite ipsorum cadat: nisi scil. id faciat ad gloriam Dei & salutem ipsorum.

5 Ex v.25. & seqq. Si accidat ut vivamus in adventu Domini ad judicium: contra conspectum horribilium illorum signorum cum quibus ille conjunctus erit, consolari nos debemus promissione Christi, quòd tunc appropinquet redemtio nostri: hoc est, quòd ipse nos tunc ad se in cælum assumturus & ab omnibus hujus mundi miseriis liberaturus sit. Quum verò hora adventus illius nos lateat: semper studere debemus pietati, ut possimus coram Domino consistere: ac proinde debemus fugere ebrietatem & solicitudinem hujus vitæ. *Consolatio contra conspectum horribilium signorum adventus Christi.*

6 Ex v.37. Pii doctoris est, constantiam officii ita retinere, ut interim insidias hostium veritatis declinet. *Officium ministrorum verbi Dei.*

7 Ex vers.ult. Exemplo populi, pios doctores sedulò audire debemus. *Auditorum verbi Dei officium.*

ANALYSIS CAP. XXII.

ARGUMENTUM DUORUM CAPITUM SEQUENTIUM.

Hactenus narratum fuit, quomodo administrârit Dominus munus suum propheticum, atque etiam ex parte regium, per regium scilicet introitum in urbem & repurgationem templi: deinceps narrabitur, quomodo administrârit munus suum sacerdotale, offerendo scilicet seipsum pro electis sibi à patre datis. Igitur sequentibus duobus capitibus narratur historia passionis Domini: *cujus principes partes sunt tres. Prima est præparatio seu effecta destinata quæ passionem Domini proximè antecesserunt, & ad illam quoquo modo destinata fuerunt: secunda est narratio ipsarum perpessionum: tertia est narratio eventorum proximè sequutorum. Secunda pars incipit v.39. hujus capitis: tertia verò v.50. capitis sequentis. Cæterùm in hoc capite narratur primùm multiplex præparatio ad Domini passionem, usque ad v.39: deinde narrantur ea quæ passus est Dominus in monte Olearum, usque ad vers.54. tum narrantur ea quæ passus est in domo Pontificis maximi, usque ad capitis finem. Ita sunt tres principales capitis partes. Prima autem pars rursum suas habet particulas, numero novem: quarum prima est præparatio sacerdotum & scribarum ad supplicium Domino afferendum, usque ad v.3. Secunda, præparatio Judæ ad Dominum prodendum, usque ad v.7. Tertia, præparatio discipulorum ad supplicium Domini patienter atque cum gaudio ferendum, usque ad v.21. Quarta, præparatio eorundem ne nimis offendantur proditione Judæ, usque ad vers.24. Quinta, præparatio discipulorum per dehortationem ab ambitione, usq; ad v.28. Sexta præparatio discipulorum per promissionem gaudiorum & gloriæ in regno Christi, usq; ad vers.31. Septima, præparatio discipulorum per promissionem perseverantiæ in fide, usq; ad v.33. Octava, præparatio Petri per prædictionem negationis, usq; ad v.35. Nona denique, præparatio apostolorum per prædictionem imminentis persecutionis, usq; ad v.39.*

PRIMÆ PARTIS PARTICULA PRIMA.

Præparatio sacerdotum & scribarum ad supplicium Domino afferendum.

Appropinquabat autem festum azymorum quod dicitur Pascha:

2 Et quærebant principes sacerdotum & scribæ, quomodo eum interimerent: timebant enim plebem.

PRimùm indicatur tempus hujus præparationis: deinde narratur præparatio ipsa: postremò causa impulsiva illius. *Tempus* præparationis fuit tempus proxime-antecedens festum azymorum sive pascha, vers.1. quod clariùs exprimitur à Matthæo: qui tradit, præparationem istam biduo ante pascha susceptam esse, cap.26. vers.2. & 3. *Præparatio ipsa* fuit, quòd consultârunt de Domino interimendo, vers.2. *Causa impulsiva* per prolepsin annexa, fuit, quòd timebant plebem: ne scilicet à plebe lapidarentur, si Dominum in plebe versantem vi caperent. Itaque cogebantur consultare, quomodo eum caperent dolo & clàm, ne oriretur tumultus in populo: ut declarat Matthæus cap.26. vers.4. & 5.

PRIMÆ PARTIS PARTICULA SECUNDA.

Præparatio Judæ ad Dominum prodendum.

3 Introiit autem Satanas in Judam cognominatum Iscariotem, qui erat è numero Duodecim.

4 Abiens igitur colloquutus est cum principibus sacerdotum ac præfectis *templo*, quomodo ipsis eum traderet.

5 Qui gavisi sunt: & pacti sunt *se* daturos ei pecuniam.

6 *Ipse* verò spopondit: quærebatque opportunitatem tradendi eum absque turba.

Primùm indicatur causa efficiens principalis quæ Judam ad hanc præparationem instigavit: deinde ipsa præparationis forma. Cau-

ma. *Causa efficiens principalis* fuit Satanas, qui introiit in Judam, vers. 3. id est, indidit cordi ejus sceleratum hoc propositum, ut Dominum proderet: sicut declarat Johannes cap. 13. vers. 2. *Forma* præparationis duabus constat partibus, pacto, & studio exsequendi pactum. Pactum Judæ cum primoribus populi de Domino prodendo describitur à suis actionibus, numero tribus, observato naturæ ordine. nam primùm Judas operam suam ad Dominum prodendum illis obtulit, postulatâ scilicet certâ pecuniæ summâ in mercedem proditionis, vers. 4. deinde illi pacti sunt, sed pecuniam ei daturos, vers. 5. videlicet triginta argenteos nummos, ut declarat Matthæus, cap. 26. vers. 15. postremò ipse spopondit, vers. 6. id est, operam suam in Domino prodendo illis promisit, fidemque suam solenni ritu obstrinxit. Harum actionum prima illustratur ex effectu, videlicet gaudio illorum quibus operam suam Judas offerebat, in principio versus quinti. Altera formæ pars, videlicet studium exsequendi pactum proditionis seu promissionem juratam, exponitur reliquâ parte vers. 6. *Quærebat q; opportunitatem &c.*

PRIMÆ PARTIS PARTICULA TERTIA.

Præparatio discipulorum ad supplicium Domini patienter atq; etiam cum gaudio ferendum.

7 Venit autem dies azymorum, quo oportebat mactare pascha.
8 Et misit Petrum & Johannem, dicens, Profecti parate nobis pascha ut edamus.
9 Ipsi verò dixerunt ei, Ubi vis paremus *illud?*
10 At ille dixit eis, Ecce, postquam introieritis in urbem, occurret vobis quidam aquæ amphoram bajulans: sequimini eum in domum illam in quam ingredietur:
11 Et dicite patrifamiliâs illius domus, Dicit tibi magister, Ubi est diversorium ubi pascha cum discipulis meis edam?
12 Tunc ipse monstrabit vobis cœnaculum magnum stratum: illic parate *pascha.*
13 Profecti verò invenerunt omnia prout dixerat eis: & paraverunt pascha.
14 Quum igitur adesset *constitutum* illud tempus, discubuit, & duodecim apostoli cum eo.
15 Et dixit eis, Desiderio desideravi hoc pascha edere vobiscum, antequam ego patiar.
16 Dico enim vobis, me non ampliùs comesturum ex eo, usquequò completum fuerit in regno Dei.
17 Et accepto poculo, quum gratias egisset, dixit, Accipite hoc, & partimini vobis ipsis.
18 Dico enim vobis, me non bibiturum ex fructu vitis, usquequò regnum Dei venerit.
19 Et accepto pane, quum gratias egisset, fregit: & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in mei recordationem.
20 Itidem etiam *dedit eis* poculum, postquam cœnassent, dicens, Hoc poculum, *est* novum illud fœdus per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur.

Primò indicatur præparationis hujus tempus, usque ad versum 15. deinde præparatio ipsa, versibus reliquis. *Tempus* fuit cœna paschalis cum apostolis, vers. 14. quæ fuit cœna ejus ultima, ut colligitur ex vers. 25. Cæterùm *paschalis* illa *cœna* declaratur ex causa impulsiva, è causis procreantibus, & è subjecto loco. *Causa impulsiva* quæ scilicet Dominum impulit ad cœnam illam apparandam atque celebrandam, fuit mandatum Dei: quod notatur verbo ἔδει, id est, *Oportebat*, vers. 7. *Causarum procreantium una* fuit *principalis*, nempe ipse Dominus, qui duos è discipulis jussit apparare illam cœnam, v. 8. *Et misit*, scilicet Jesus. *Altera* fuit *instrumentalis* seu ministra, nempe duo discipuli ad apparandum illam cœnam à Domino missi: ibidem. *Locus* ubi cœna illa apparata atque celebrata est, primùm indicatur generalis, videlicet domus cujusdam incolæ Hierosolymitani: quæ describitur ab adjuncto signo, v. 9. & 10. deinde specialis, videl. certum cœnaculum in illa domo, v. 11. & 12. Atq; hæc de circumstantia temporis, atque simul loci, quando & ubi Dominus hanc præparationem discipulorum fecit. *Præparatio ipsa tribus* constat *membris*: prædictione passionis imminentis, promissione fructus passionis suæ, & promissionis illius obsignatione solenni. *Prædictio passionis* imminentis recitatur vers. 15. ut patet. Hac prædictione occurrebatur scandalo exorituro ex inopinato eventu: nempe quòd visuri erant ad supplicium rapi eum, quem ipsi sperabant fore regem mundanum, seque in illo regno post Dominum primos fore. *Promissio fructus passionis* continetur vers. 16. & 18. quatenus ait, se comesturum & bibiturum cum discipulis in regno Dei, in quod scilicet erat ingressurus per passionem suam. Hanc promissionem amplificat partim ab effectu, nempe suo desiderio edendi hoc pascha: v. 15. cujus desiderii causa propria erat, quòd paulò pòst ingressurus esset in regnum suum, ibique discipulis apparaturus locum, sicut ait Johan. 14. ut ibi una conviventur, sicut hîc loquitur, id est, æternis gaudiis una fruantur. Partim ab adjuncto mandato de bibendo poculo paschali, v. 17. Fructum igitur passionis suæ significat similitudine convivii in regno Dei celebrandi: intelligens nimirum vitam æternam. Hujus fructus, nempe cœlestis illius atq; spiritualis convivii, *promissionem obsignat ritu solenni*, nempe convivio sacro atque mystico: quod Paulus cœnam Dominicam nominat, propterea quòd in cœna à DOMINO in perpetuum Ecclesiæ ex illo tempore in terris militaturæ usum institutum fuit. Hujus igitur *sacræ cœnæ institutio* narratur v. 19. & sequentibus. *Constat* autem *duabus* in genere *actionibus*: quarum una peracta fuit circa panem, altera circa vinum in poculo. Circa panem egit hæc sex: 1. Accepit eum. 2. Gratias super illo egit. 3. Fregit eum. 4. Dedit fragmenta apostolis accumbentibus. 5. Dixit, Hoc (nempe hîc panis) est corpus meum quod pro vobis datur. Id est, Est signum seu testimonium divinum visibile, quo obsigno vobis promissionem de fructu passionis meæ, quòd scilicet corpus meum pro vobis dandum sit in mortem, ad impetrandum scilicet vobis & omnibus credentibus à Deo patre remissionem peccatorum & vitam æternam. 6. Dixit, Hoc facite (id est, hunc panem edite) in mei commemorationem. Ex illis quæ egit Dominus circa poculum, narratur hîc expressè quidem tantummodò unum, reliqua verò (quæ ab aliis Evangelistis expressè narrantur) notantur hîc adverbio ὡσαύτως, id id, *Itidem*. Cæterùm unum illud quod hîc narratur, est, quòd dixit, Hoc poculum est novum illud fœdus per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur. Id est, signum novi illius fœderis confirmandi per sanguinem meum, quatenus ille pro vobis paulò pòst effundetur: seu, est testimonium divinum visibile quo obsigno vobis promissionem de fructu passionis meæ, quòd scilicet sanguinis mei effusione in cruce, cum sensu iræ Dei conjunctâ, impetrabitur vobis & omnibus credentibus à Deo remissio peccatorum, atque inde manans vita æterna.

PRIMÆ PARTIS PARTICULA QUARTA.

Præparatio discipulorum, ne nimis offendantur proditione Judæ.

21 Veruntamen ecce, manus ejus qui me prodit, mecum *est* in mensa.
22 Et Filius quidem hominis prout definitum est, vadit: veruntamen væ homini illi per quem proditur.
23 Tunc ipsi cœperunt mutuò quærere inter se, quisnam esset ex ipsis qui hoc facturus esset.

Contra scandalum exoriturum ex proditione Judæ præmunit Dominus cæteros apostolos triplici ratione: primùm prædictione illius, deinde significatione voluntatis divinæ, tum promissione vindictæ divinæ seu denuntiatione pœnæ. *Prædictio* continetur v. 21: estque exornata exclamatione σχετλιαστικῇ, id est, queribunda seu habente querelam propter rei indignitatem, ubi ait, *Veruntamen ecce.* quasi dicat, Quis unquam putasset hoc futurum, ut unus ex intimis atque domesticis meis discipulis me proderet? Deinde amplificatur querela & prædictio illa antithesi causæ corrumpentis, nempe præsentiâ proditoris & familiari cum ipso conversatione, ubi ait, *Manus ejus qui me prodit, mecum est in mensa.* Quod ipsum clariùs exprimitur à cæteris evangelistis, qui referunt Dominum dixisse: *Qui intingit mecum manum in catino, iste me proditurus est*: Matth. 26. v. 23. Marc. 14. v. 20. Johan. 13. vers. 18. Nam certè ista Domini cum Juda familiaritas quâ ipsum fuerat præ multis aliis dignatus, debuit eum à tanto scelere retrahere atque impedire. *Significatio voluntatis divinæ* (nempe arcanæ, & ad providentiam ejus pertinentis) & *denuntiatio pœnæ*, proditori ob istud scelus à Deo infligendæ, enuntiantur conjunctim per enuntiatum προληπτικὸν, id est, occupativum: quod usitatè nominatur discretivum, ubi ait, v. 22. *Filius quidem hominis, prout definitum est* (scil. decreto Dei) *vadit: veruntamen, væ homini illi per quem proditur.* Prolepsis hîc est. Judas Christum prodet ex decreto DEI, ac proinde secundum voluntatem Dei: non igitur peccabit prodendo, ac proinde nec punietur propterea à Deo. Hujus enthymematis, sive propositionis connexæ omissæ, consequentia negatur per enuntiatum illud discretivum vel potiùs occupativum. Ratio negationis, si quæris, est dissimile agentium propositum sive προαίρεσις. Deus enim spectavit salutem electorum & ipsius Christi gloriam: at Judas spectavit expletionem suæ avaritiæ & vindictæ, propter lucrum in profusione pretiosi unguenti à Domino approbatâ interversum. Porrò prædictio proditionis illustratur sub finem expositione eventus, videlicet solicitæ inquisitionis discipulorum, quisnam ex ipsis tantum scelus admissurus esset, v. 23.

PRIMÆ PARTIS PARTICULA QUINTA.

Praparatio discipulorum per dehortationem ab ambitione.

24 Orta est autem etiam contentio inter eos, quis eorum videretur esse maximus.

25 Ipse verò dixit eis, Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur.

26 Vos autem non ita *estote*: sed qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimus est: & qui antecedit, sicut qui ministrat.

27 Nam uter major est, qui accumbit, an qui ministrat? nónne qui accumbit? At ego sum in medio vestrûm ut qui ministrat.

Primùm narratur dehortationis hujus occasio, eademque causa impulsiva: deinde dehortatio ipsa. *Occasionem* Domino ad hanc dehortationem præbuit, & ad eandem impulit, contentio Apostolorum de primatu, vers. 24. Ubi observandum, contentionem illam eo tempore, valde quidem intempestivo, natam fuisse partim ex falsa opinione de regno Christi, quasi scil. illud futurum esset mundanum: partim ex recordatione nuperi ingressus regii in urbem, & repurgationis templi, & intrepidæ apologiæ contra primores populi: nec non ex verbis Domini paulò antè pronuntiatis: *Dico vobis me non ampliùs comesturum ex paschate, usquequò completum fuerit in regno Dei.* Ex quibus omnibus spem conceperant, regnum Christi propediem inceptum: itaque singuli sibi expetebant primatum in illo, ut cæteris præferrentur, & à rege proximi essent. *Dehortatio* primùm confirmatur, deinde amplificatur antithesi. Confirmatur hoc argumento:

Quorum est dominari & primatum in populo obtinere, ii sunt reges mundani.
Vos autem non eritis reges mundani.
Vestrum igitur non est dominari & primatum obtinere.

Sententia propositionis præcedit, vers. 25. *Reges gentium &c.* Conclusio succedit, vers. 26. implicatam habens assumtionem, notatam per conjunctionem transitivam ꝫ, id est, *autem*: ubi ait, *Vos autem non ita estote.* Quasi dicat, Vos autem non estis futuri reges mundani: Ne igitur estote ita affecti ut velitis dominari & obtinere principatum. Antithesis est exhortatio ad virtutem ambitioni contrariam, videl. modestiam animive demissionem, Græcè ταπεινοφροσύνην: vers. 26. ubi ait, *Sed qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimus est &c.* Hanc exhortationem Dominus confirmat suo ipsius exemplo: quod discipuli meritò debebant imitari, v. 27. Istud argumentum concluditur hoc syllogismo:

Si ego me ut ministrum gero inter vos: multò magis vos alii erga alios ita vos gerere debetis.
At ego me gero ut ministrum inter vos.
Multò magis igitur vos erga vos mutuò ita facere debetis.

Ratio propositionis est: quia ego sum major quàm vos: vos autem inter vos estis æquales. Ego enim sum is qui accumbo, id est, dominus vester: vos autem estis mei ministri. Syllogismus:

Is qui accumbit, major est quàm is qui ministrat.
At ego sum is qui accumbit, vos estis ii qui ministrant.
Ego igitur sum major vobis.

In textu præcedit prosyllogismus propositionis, ibi: *Nam uter major est &c.* confirmatus confessione Apostolorum, ubi ait, *Nónne qui accumbit?* Deinde succedit assumtio syllogismi principalis, ibi: *At ego sum &c.*

PRIMÆ PARTIS PARTICULA SEXTA.

Praparatio discipulorum per promissionem gaudiorum & gloria in regno Christi.

28 Vos porrò ii estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.

29 Ego igitur paciscor vobis, prout pactus est mihi pater meus, regnum;

30 Nempe ut edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, & sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israël.

Primùm exponit Dominus causam hujus promissionis impulsivam: deinde subjungit atque inde deducit ipsam promissionem. *Causa impulsiva* est communio Apostolorum cum ipso in afflictionibus suis quas jam per quadriennium circiter ministerii sui fuerat à Judæis perpessus: quam constantiam ipsorum laudat, vers. 28. *Promissio* continetur vers. 29. & 30. ubi metaphoricè gaudia cælestia significantur his verbis, *Ut edatis & bibatis in mensa mea*: gloria verò cælestis similiter per metaphoram significatur his verbis, *Et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israël.* Quæ pars promissionis simul ad corrigendum ipsorum ambitionem (de quâ in particulâ præcedente) videtur directa. quasi dicat Dominus: Si expetitis summos honores in regno meo: en promitto illos vobis: at non tales quales vos imaginamini, terrenos scilicet; sed longè sublimiores, nimirum cælestes: quippe tales mihi pactus est pater meus: & prout ille mihi pactus est regnum, ego vobis similiter paciscor.

PRIMÆ PARTIS PARTICULA SEPTIMA.

Praparatio discipulorum per promissionem perseverantia in fide.

31 Dixit etiam Dominus; Simon, Simon, ecce Satanas expetiit vos quos ventilaret sicut triticum:

32 Sed ego rogavi pro te ne deficiat fides tua. Tu igitur aliquando conversus, confirma fratres tuos.

Primùm exponit causam impulsivam hujus promissionis: deinde proponit promissionem ipsam: tum inde deducit præceptionem. *Causam impulsivam* exponit vers. 31. videl. periculum quod ipsis imminebat à Satana, qui conabatur eis fidem excutere, atque ita ipsos in æternum exitium præcipitare: ac inprimis Petrum: quæ etiam causa est ut hic sermo ad illum nominatim dirigatur. Periculum autem illud exitii ab insidiis Satanæ, significat Dominus sermone metaphorico, ubi ait: *Satanas expetiit vos quos ventilaret sicut triticum*, hoc est, Satanas à Deo petivit (hæc enim videtur esse emphasis verbi ἐξῃτήσατο) ut sibi permitteret vos tentare, & tentando quasi cribrare: ut scil. vos tanquam paleas, propter defectum scil. fidei, per cribrum præcipitaret in gehennam. *Promissio* continetur priore membro v. 32. nominatim directa ad Petrum: quoniam ille graviùs quàm cæteri in Dominum erat peccaturus: interim tamen ad cæteros quoque pertinere intelligitur ex expositione causæ impulsivæ, ubi ait, *Expetiit* VOS, scil. Apostolos omnes sinceros: non autem ait, *Expetiit* TE, scil. solum. Promissionis sententia est: non defecturam fidem Petri cæterorúmve sincerorum atque electorum Apostolorum: sed ipsos in fide perseveraturos: nempe in eâ fide quâ credebant in ipsum tanquam Messiam sive Christum. Hæc promissio confirmatur à causâ procreante, videl. precibus suis quibus à Patre perseverantiæ donum eis impetrarit. ubi ait: *Rogavi pro te &c.* Preces autem Christi semper à Patre sunt exauditæ, sicut ipsemet affirmat Joh. 11. v. 42. *Praceptio* ex promissione deducta, continetur altero membro ejusdem versus, ibi: *Tu igitur aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Sententia est, Petrum debere suo exemplo consolari pusillanimes, qui metuunt ne gravitas suorum peccatorum obstatura sit, quò minùs consequantur à Deo remissionem. Etenim Deus Petro quantumvis gravissimè lapso (quippe qui Christum ter negaverat, idque cum juramento atque exsecratione sui) tamen resipiscenti & ad gratiam Dei in CHRISTO promissam confugienti, peccatum illud remisit. Ergo pari ratione aliis quoque qui graviter lapsi fuerint, si modò resipiscant & ad gratiam ipsius in Christo confugiant, peccata ipsorum remittet.

PRIMÆ PARTIS PARTICULA OCTAVA.

Praparatio Petri per pradictionem negationis.

33 Ipse verò dixit ei; Domine, tecum paratus sum & in carcerem & ad mortem proficisci.

34 At ille dixit, Dico tibi, Petre, Nequaquam canet hodie gallus, priusquam ter *me* abnegaveris, *dicens* quòd non nôris me.

Primùm narratur occasio, eademque causa impulsiva, hujus prædictionis: deinde prædictio ipsa. *Occasio & causa impulsiva* fuit professio Petri sive pollicitatio, quòd vellet constater Domino adhærere, neque unquam ab eo deficere: sed si necessitas postularet, etiam in carcerem & ad mortem (id est, supplicium capitis) cum eo proficisci, v. 33. Hæc pollicitatio quum niteretur falsâ opinione propriarum virium, ac proinde inanis esset: quippe quam Petrus effectam dare non posset: Dominus illi lapsum suum prædicit, v. 34. ut scil. eum propter vanam istam in viribus propriis confidentiam, atque inde manantem temerariam promissionem arguat. Est autem *pradictio* hæc illustrata indicatione temporis & numeri. Tempus indicatur tum in genere: Negabis me *hodie*, id est, (ut declarat Matthæus cap. 26. v. 34.) hac nocte. tum in specie: Negabis me *priusquam gallus canet*. Numerus indicatur, ubi dicitur, Negabis me *ter*.

PRIMÆ PARTIS PARTICULA NONA.

Praparatio Apostolorum per pradictionem imminentis ipsis persecutionis.

35 Dixit etiam eis, Quando misi vos absque crumena & pera & soleis, nunquid defuit vobis? Ipsi verò dixerunt, Nihil.

36 Dixit ergo eis; At nunc qui crumenam habet, sumat *eam*,

mat *eam*, similiter & peram: & qui non habet gladium, vendat pallium suum, & emat.

37 Dico enim vobis, adhuc oportere in me perfici
scriptum illud, Et cum sceleratis numeratus est. Nam
ea quæ *scripta sunt* de me, finem habent.

38 At illi dixerunt; Domine, ecce duo gladii hîc. Ipse
verò dixit eis, Satis est.

Primùm narratur ipsa prædictio: deinde eventus. *Prædictio* tribus membris constat: illustratione per dissimile, significatione per corollarium, & expositione causæ procreantis. Illustratio per dissimile præcedit v. 35. ubi narratur præteriti temporis conditio beata Apostolorum munere suo fungentium. Significatio prædictionis per corollarium sequitur v. 36. ubi hortatur Dominus Apostolos, ut se instrumentis necessariis instruant contra futuri temporis conditionem miseram, videlicet contemtum & persecutionem impiorum apud quos Evangelium prædicaturi erant. hoc enim ipse significat, fore ut persecutionem patiantur, per argumentum ab effectis destinatis. Causam procreantem illius persecutionis exponit v. 37. videl. supplicium suum atque è medio sublationem. quam sententiam confirmat testimonio Scripturæ. Ubi observandum, hanc esse causam per accidens: quia impii Judæi hac occasione usuri erant ad persequendum Apostolos, quòd jam destituerentur magistro suo, qui antea cum illis præsens ipsos ab omni injuria defenderat. *Eventus* hortationis Domini ad emendum gladios, fuit admonitio Apostolorum de apparatu quem jam haberent ad manum, videl. quòd haberent duos gladios. Ubi notandum, Apostolos non fuisse mentem verborum Domini assecutos: quæ erat, non ut armis vim vi repellerent: sed ut scirent, imminere ipsis persecutionem, quam homines vulgò vi repellere consueverunt. Iste eventus declaratur ex suo eventu, nempe quòd dominus dixit, *Satis est*. quasi diceret: Video vos non assecutos mentem verborum meorum: sed quid agam? Æquo animo ferre me oportet vestram inscitiam. Interim tamen moneo, non fuisse hanc mentem meorum verborum, quòd velim ut gladios vobis vel ad me vel ad vos defendendos compararetis. hoc enim si vellem: sanè non sufficerent duo gladii, sed longè pluribus opus esset. at nunc duo isti sufficiunt: vel potiùs nihil proficient: ac ne illis quidem vos uti volo. Id quod postea erga Petrum gladio percutientem famulum Pontificis maximi, aperte declaravit.

SECUNDA PARS.

Narrantur ea quæ passus est Dominus in monte olearum.

39 Et egressus, profectus est ex more in montem
olearum: sequuti sunt autem eum etiam discipuli ejus.

40 Quum verò pervenisset ad eum locum, dixit eis;
Precamini, ne intretis in tentationem.

41 Tum ipse abstraxit se ab eis quasi *ad* jactum lapidis, positisque genibus precatus est:

42 Dicens; Pater, si vis transferre poculum hoc à
me: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.

43 Conspectus est autem ei angelus è cælo, corroborans eum.

44 Et *ipse* constitutus in angore, intentiùs orabat.
Erat autem sudor ejus quasi grumi sanguinis, descendentes in terram.

45 Et quum surrexisset à precatione, venissetque
ad discipulos suos, invênit eos dormientes ex tristitia.

46 Et dixit eis, Quid dormitis? surgite & precamini, ne introeatis in tentationem.

47 Adhuc autem eo loquente, ecce turba; & is qui
dicebatur Judas, unus è Duodecim, præibat eis, & appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum.

48 Jesus autem dixit ei; Juda, osculo Filium hominis prodis?

49 Videntes autem ii qui circa ipsum *erant*, quod
futurum erat, dixerunt ei, Domine, percutiemúsne
gladio?

50 Et unus quispiam ex ipsis percussit servum pontificis maximi, & abstulit aurem ejus dextram.

51 Respondens autem Jesus dixit, Sinite hucusque.
Et tactâ illius auriculâ, sanavit eum.

52 Dixit autem Jesus eis qui contra ipsum venerant,
nempe principibus sacerdotum, & præfectis templo &
senioribus; Ut adversus latronem exiistis cum gladiis
ac fustibus.

53 Quum quotidie vobiscum fuerim in templo, non
extendistis manus in me. Sed hæc est hora illa vestra, &
potestas tenebrarum.

Ea quæ passus est Dominus in monte Olearum, narrantur hîc numero *tria*: Primum, quòd passus sit magnam anxietatem ex horrore pleni sensus iræ Dei paulò pòst in cruce experiundi, usque ad vers. 47. secundum, quòd à Juda fuerit proditus: tertium, quòd à ministris magistratuum Hierosolymitanorum fuerit captus, reliquis versibus. Passiones hæ omnes declarantur primùm expositione causæ impulsivæ, cujus vi Dominus tunc in montem Olearum, ubi illas passiones expertus est, se contulit: videlicet quòd eò profectus sit ex more, versu 39. nimirum ex more quem observare cœperat per illos dies, inde ab ultimo ingressu in urbem Hierosolymam: quem morem Evangelista capite superiore vers. penult. indicavit his verbis: *Docebat autem interdiu in templo: noctu verò exiens, diversabatur in monte, qui vocatur Olearum.* Deinde significatur adjunctum quoddam adhærens, videlicet solicitudo pro discipulis, ne paulò pòst, quum ipse caperetur, exciderent ex fide: quæ solicitudo significatur ex effecto destinato, nempe hortatione qua hortatus est eos ad *preces, ne intrarent in tentationem*, vers. 40. Tum exponitur *anxietatis* illius effectum, nempe deprecatio futuræ passionis, nimirum pleni sensus iræ Dei. Hæc deprecatio primùm illustratur ex loco, quòd oraturus avulsus sit à discipulis quasi ad jactum lapidis, vers. 41. deinde ex gestu, quòd precatus sit positis genibus, ibidem. Tum amplificatur correctione, vers. 42. ubi ait, *Veruntamen non mea voluntas, sed tua, fiat.* Quartò amplificatur anxietas illa ex effectis tribus: corroboratione per angelum, vers. 43. precationis intentione, vers. 44. & sudore sanguineo, ibid. Postremò hortatio illa, qua discipulos hortatus fuerat ad preces, declaratur ex eventu: nempe illorum somno, vers. 45. qui ipse somnus declaratur ex causa per se, videlicet tristitia, ibidem. Deinde idem ille somnus declaratur è suo eventu, nempe Domini reprehensione & exhortatione ad precandum, vers. 46. Atque hæc de passionis Dominicæ parte seu specie prima, anxietate scilicet ex metu pleni sensus iræ DEI. Secunda & tertia species, videlicet *proditio* & *comprehensio*, conjunctim narrantur vers. 47. & seqq. Ac primùm notantur tempus & locus, his verbis, *Adhuc autem eo loquente*. Scil. verba illa quæ recitantur versu præcedente. Illa autem verba loquutus est in monte Olearum, idque noctu: ut ex præcedentibus patet. Deinde significatur effectum destinatum tum proditionis tum comprehensionis, nempe adventus repentinus proditoris & turbæ armatorum quam ducebat ad Dominum comprehendendum, ibidem. Tum narratur proditionis forma, nempe osculum: id enim signum proditor turbæ ministrorum dederat, ut Matthæus ait cap. 26. v. 48. Hæc forma sive agendi modus illustratur ex eventu, nempe reprehensione Domini, vers. 48. Postea narrantur eventa duo conatus comprehendendi Dominum; quorum primum commune est omnium qui à parte Domini erant discipulorum: qui petiverunt veniam vindicandi, vers. 49. alterum proprium unius, videlicet Petri (ut declarat Johannes cap. 18. v. 10.) qui Petrus non exspectatâ veniâ, ultrò ac temerario ausu percussit servum pontificis maximi, eique dextram aurem abstulit, v. 50. Istud factum declaratur è duplici eventu in Domino: qui discipulos quidem à vindicta illa dehortatus est, & servum percussum sanavit, v. 51. Postremò comprehensio Domini illustratur ex eventu duplici in ipso Domino: qui primùm hoc nomine duces illius turbæ reprehendit, ipsorumque malam conscientiam in hoc negotio redarguit ex modo agendi, per antithesin: quòd videlicet ad ipsum exierint cum gladiis ac fustibus tanquam ad latronem: quum, si bonam causam se habere putarent, potuissent ipsum comprehendere in urbe sine vi: quippe qui quotidie in templo docuerit. Deinde contra illam injuriam se consolatur commemoratione decreti divini, ubi ait, *Sed hæc est hora illa vestra*: id est, tempus illud à Deo decretum, ut vobis permittat tam atrocem injuriam in me exercere. Simul quoque injuriam illam amplificat expositione causæ principalis, videlicet diaboli, ubi illam nominat *potestatem tenebrarum.*

TERTIA PARS.

Narrantur ea quæ passus est Dominus in domo Pontificis maximi.

54 Comprehensum autem eum duxerunt, & introduxerunt in domum Pontificis maximi. Petrus verò sequebatur procul.

55 Quumque accendissent ignem in medio aulæ, atque unà consedissent, consedit & Petrus inter eos.

56 Quum verò eum vidisset ancilla quædam sedentem ad ignem, intentis in eum oculis dixit, Et iste
cum eo erat.

57 Ipse autem negavit eum, dicens; Mulier, non
novi eum.

58 Et paulò pòst alius videns eum, dixit, Et tu ex
ipsis es. Petrus verò ait, Heus tu, non sum.

59 Et interpositâ quasi horâ unâ, alius quidam *id* asseverabat, dicens: Verè & iste cum illo erat: etenim Galilæus est.

60 Ait autem Petrus; Heus tu, nescio quid dicas. Et illicò adhuc eo loquente, cecinit gallus.

61 Tum conversus Dominus, intuitus est Petrum: & recordatus est Petrus sermonis Domini, quomodo *nimirum* dixerat ipsi, Priusquam gallus cecinerit, ter me abnegabis.

62 Et egressus foras Petrus flevit amarè.

63 At ii qui unà tenebant Jesum, ei illudebant, cædentes *eum:*

64 Et quum eum obvolvissent, verberabant faciem ejus; & interrogabant eum, dicentes, Vaticinare, quis sit qui te percussit.

65 Et alia multa conviciantes dicebant in eum.

66 Et ut ortus est dies, congregatum fuit presbyterium populi, & principes sacerdotum & scribæ, & adduxerunt eum in suum consessum:

67 Dicentes; Num tu es Christus? dic nobis. Dixit autem eis; Si vobis dixero, nequaquam credetis:

68 Quòd si etiam interrogavero, nequaquam respondebitis mihi, neque dimittetis.

69 Ab hoc tempore erit Filius hominis sedens ad dextram potentiæ Dei.

70 Dixerunt autem omnes, Tu ergo es Filius ille Dei? Ipse verò dixit eis, Vos dicitis: nam ego sum.

71 At illi dixerunt; Quid ampliùs egemus testimonio? Ipsi enim audivimus ex ore ipsius.

Tria sunt quæ hîc narratur Dominus perpessus esse in domo Pontificis maximi: primum, quòd negatus fuit à Petro, usque ad vers. 63. alterum quòd illusus fuit à famulis Pontificum, usque ad vers. 66. tertium, quòd à concilio sacerdotum falso crimine blasphemiæ damnatus fuit ad supplicium capitis, usq; ad finem. Ad *negationem Petri* quod attinet: narratur primùm illius occasio, deinde negatio ipsa, tum eventa. Occasionem Petro ad hanc negationem præbuit, quòd Dominum secutus fuit in domum Pontificis maximi, ibique inter ministros Pontificum consedit, vers. 54. & 55. Negatio fuit triplex: & unaquæque declaratur ex causa impulsiva, videlicet patefactione Petri quòd esset ex Domini discipulis: quæ quidem patefactio à diversis authoribus profecta fuit. Prima ab ancilla quadam; cujus patefactio illustratur ab effecto destinato, videlicet gestu eò spectante, vers. 56. ubi habetur, *Intentis in eum oculis dixit, &c.* Cui patefactioni negatio prima subjicitur, v. 57. Secunda patefactio profecta fuit à viro quodam: cui statim adjungitur negatio, vers. 58. Ea illustratur à circumstantia temporis, quòd scil. facta sit paulò post primam. Tertia patefactio ab alio viro profecta fuit, vers. 59. Ea illustratur à circumstantia temporis, quòd scilicet post secundam facta sit interpositâ quasi horâ unâ. Deinde amplificatur à modo agendi: quòd scilicet ille qui Petrum patefecit, id affirmavit non simpliciter, sed cum affectu & cum argumento. Affectus fuit vehemens cupiditas persuadendi affirmationem suam: quæ cupiditas notatur verbo διϊσχυρίζετο, id est, *asseverabat*, & periphrasi adverbii, ἐπ' ἀληθείας, in veritate, id est, *verè*. quasi dicat, Credite mihi hoc, quotquot adestis, pro vero ac certo. Argumentum affirmationis ducitur ab inhærente adjuncto, videlicet idiomate Galilaico: quod significatur his verbis, *Etenim Galilæus est.* id quod Matthæus exponit de loquela, cap. 26. v. 73. Ubi notandum, argumentum istud videri primâ fronte infirmum atque ἀσυλλόγιστον. neque enim valet consequentia, si dicas:

Discipuli Jesu sunt Galilæi.
Et tu es Galilæus.
Tu igitur es discipulus Jesu.

Interim argumentum istud habuit vim reddendi Petrum suspectum, & probandi probabiliter, seu affirmationem reddendi verisimilem, propter insolens hoc ipsius factum, quòd se aggregaverat ministris pontificum, quum tamen ex ipsorum grege non esset. Suspicio igitur facilè fuit concepta, ipsum esse ex grege discipulorum Jesu: qui cuperet videre, quid de magistro suo fieret. Itaque vis argumenti videtur posita in syllogismo hoc disjuncto:

Aut pertines ad aliquem ex Pontificibus quorum famuli hîc congregati sunt, aut ad Jesum qui huc ad Pontifices adductus est. Secus enim nihil tibi hîc esset negotii.
Non autem pertines ad aliquem ex Pontificibus. Es enim Galilæus: nec habitus ministrum pontificis arguit. hoc enim videtur subintelligendum.
Pertines igitur ad Jesum. Id quod ex hoc ipso etiam probabilius est, quòd illius discipuli sunt Galilæi.

Cæterùm isti patefactioni subjicitur negatio tertia, v. 60. Porrò eventa triplicis istius negationis narrantur quinque: quorum alia ex aliis ordine consequuta sunt. 1. Dum fieret tertia negatio, cecinit gallus: 2. Dominus conversus intuitus est Petrum: 3. Petrus recordatus est sermonis Domini, quomodo dixerat ipsi, Priusquam gallus cecinerit, ter me abnegabis: 4. egressus est foras: 5. flevit amarè. Atque hæc de primo hujus narrationis membro, videlicet de negatione Petri. Secundum sequitur, de *illusione Domini à ministris Pontificum*, vers. 63. & duobus sequentibus. Quæ illusio consistit partim in factis, partim in verbis. Facta, destinata fuerunt ad dolorem tum corpori tum animo Domini afferendum. Etenim Dominum cædebant, ac nominatim faciem ejus, eamque obvolutam. Dicta, ad animum Domini dolore afficiendum spectabant: quippe contumeliosa & sarcastica. Etenim quum faciem ejus tectam verberavissent, interrogabant eum, dicentes, Vaticinare, quis sit qui te percussit. Item alia multa conviciantes dicebant in eum. Atque hoc secundum narrationis hujus membrum est. Tertium est *de damnatione Domini à concilio sacerdotum*, vers. 66. & deinceps: ubi primùm describitur ipsum concilium, v. 66: deinde narratur cognitio causæ seu examinatio rei, v. 67. usque ad 71: postremò ipsa damnatio, v. ult. Concilium describitur ex materia, videlicet ex tribus hominum ordinibus ex quibus constabat: puta, senioribus populi, primariis sacerdotibus, & scribis. Cognitio causæ fuit tum imperfecta, tum injusta. Imperfecta: quia quæsiverunt tantùm quid Dominus de seipso docuerit & adhuc profiteatur; omittunt autem quærere, an illa ipsius doctrina atque professio sit vera & verbo Dei consentanea. Deinde injusta fuit isthæc examinatio, quia non fuit conjuncta cum proposito cognoscendi veritatem & secundùm legem Dei judicandi: sed cum proposito damnandi reum crimine blasphemiæ, etsi illum istius criminis non possent convincere. Atque hanc injustitiam Dominus eis exprobrat, ubi ad quæstionem sibi propositam respondens, ait: *Si vobis dixero* (nempe me esse Christum, Filium Dei) *nequaquam credetis.* Ergo non erat in eis propositum cognoscendi & amplectendi veritatem. Et mox: *Quod si etiam interrogavero, nequaquam respondebitis mihi.* Id est, Si maximè ex verbo Dei probavero, me esse Christum Filium Dei: vos tamen ad mea argumenta non respondebitis, nec interim veritati cedetis. Non igitur erat in eis propositum cognoscendi & amplectendi veritatem. Denique addit: *Neque dimittetis me.* Habebant igitur sibi propositum, damnare Dominum: sive possent eum criminis alicujus convincere, sive non. Non igitur habebant propositum judicandi secundùm legem Dei. Cæterùm ad quæstionem propositam, an ipse se dicat esse Christum, Dominus primùm respondet obliquè, ves. 69. afferendo scil. argumentum unde responsio affirmativa facilè ab istis judicibus poterat concludi, ubi ait: *Ab hoc tempore erit Filius hominis sedens ad dextram potentiæ Dei.* Id est, Ego brevi incipiam regnare in cælo, tanquam proximus à Deo. Hinc judices ultrò inferunt, *Tu ergo es Filius ille Dei?* Ad quam quæstionem Dominus respondet affirmando, inquiens: *Vos dicitis: nam ego sum.* Atque hæc de cognitione causæ. Damnatio ipsa narratur v. ult. *Quid ampliùs egemus testimonio?* Scil. ad convincendum istum blasphemiæ: ut declarant Matthæus & Marcus. Sententia est:

Si iste blasphemavit, dignus est supplicio capitis.
At blasphemavit. Audivimus enim ex ore ipsius.
Ergo dignus est supplicio capitis.

At assumtio est falsa: & probatio quoque falsa ac principium petens. Audiverant enim illi quidem confessionem Domini, quòd ipse esset filius Dei: at non audiverant blasphemiam. Hæc enim non erat blasphemia: quoniam erat confessio veritatis, quâ Deus non blasphematur, sed honoratur atque glorificatur.

SCHOLIA IN CAP. XXII.

4 Præfectis *templo*] τοῖς στρατηγοῖς. *Supplementum confirmatur ex collatione v. 52. infrà, ubi istos nominat* στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ. *Nomen Græcum significat propriè ducem exercitus. Unde Syrus vertit* principes exercitus templi. *quæ (ut Tremellius annotat) videtur esse descriptio seniorum qui eo anno magistratum in populo gerebant: quibus permissum erat, ut ad cogendos cives ad officium, numerum aliquem satellitum haberent.* Traderet] παραδῷ. *Id est, proderet. Sic v. 6.*

5 Pecuniam] ἀργύριον. *Propriè argentum. Metonymia materiæ.*

6 Absque turba] ἄτερ ὄχλου. *Id est,* absque tumultu.

7 Pascha] τὸ πάσχα. *Id est, agnum illum qui solenniter edebatur in memoriam liberationis ex Ægypto. Metonymia subjecti. nam vox Hebræa propriè significat transitum: & intelligitur transitus angeli percutientis primogenita Ægyptiorum: cujus signum memoriale erat agnus iste. Sic deinceps.*

10 In urbem] εἰς τὴν πόλιν. *Græcum expressius propter articulum. Sic Germanicè,* In die stat. *nempe Hierosolymam.* Amphoram] κεράμιον. *Nomen Græcum propriè vas fictile significat.* Ingredietur] εἰσπορεύεται. *Pro,* εἰσπορεύσεται.

11 Illius domus] τῆς οἰκίας. *Articulus vim habet ἀναφορικήν.* Magister] ὁ διδάσκαλος. *Scilicet noster. Græcum expressius propter articulum.*

15 Desiderio desideravi] ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα. *Id est, vehementer desideravi. Hebraismus. Sic Genes. 2. 17. Moriendo morieris: id est, certissimè morieris.*

16 Non

16 Non ampliùs] οὐκέτι οὐ μή. *In Græco est triplex negatio, πλεονασικῶς, veruntamen non sine emphasi.* Completum fuerit] πληρωθῇ. *Subaudiendum, Quicquid per me complendum est ad plenam salutem filiorum Dei. Ellipsis.*

17 Et accepto poculo] καὶ δεξάμενος ποτήριον. *Hoc accipio de poculo paschali: tum quia proximè præcessit mentio agni paschalis: tum quia similis sententia annectitur mentioni hujus poculi, qualis annexa fuit mentioni agni paschalis. Nec obstat, quòd verba illa,* Dico enim me non bibiturum &c. *Matthæus & Marcus recitant post verba de poculo cœnæ Dominicæ. nam nihil absurdi est, de utroq; dicta à Domino fuisse.*

18 Non bibiturum] ὅτι οὐ μὴ πίω. *In Græco gemina negatio est, ex more linguæ, cum emphasi.*

19 Datur] διδόμενον. *Scil. in mortem.* In mei recordationem] εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. *Ponitur, ἐμὴν pro ἐμοῦ. Id est, ut mei recordemini: nempe mortis meæ, eamq; prædicetis: ut declarat Apostolus 1. Cor. 11. v. 26.*

20 Hoc poculum] τοῦτο τὸ ποτήριον. *Id est, vinum poculo contentum. Metonymia subjecti: quam vulgò imperitè nominant synecdochen continentis, seu qua ponitur continens pro contento.* Novum illud fœdus] ἡ καινὴ διαθήκη. *Id est, novi fœderis signum. Metonymia subjecti altera: quâ ex re signata signum intelligitur. Articulus respicit ad promissiones Prophetarum: ut Jerem. 31. v. 31. & seqq.* Per sanguinem meum] ἐν τῷ αἵματί μου. *Deest in principio articulus ἡ: & ἐν ponitur pro διά, more Hebræorum. Sententia est; ἡ διὰ τοῦ αἵματός μου βεβαιωθησομένη: id est quod (fœdus) per sanguinem meum stabilietur sive confirmabitur.* Qui pro vobis effunditur] τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Pro, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ: vel, ὃ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυθήσεται. Aut est anomalia sermonis manifesta: aut clausula hæc irrepsit ex Marco. Apud Paulum quidem certè omissa est, 1. Cor. 11. 25. Nam non cohærere hanc clausulam cum verbis, τοῦτο τὸ ποτήριον (ut quidam ineptè contendit) manifestum est tum ex re ipsa, tum ex collatione Matthæi & Marci. Similis anomaliæ exemplum exstat Apoc. 1. v. 5. Καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστός: pro, τοῦ μάρτυρος τοῦ πιστοῦ. Et mox, τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς: pro, τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς. Tum iterum in principio v. 6. καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς: pro, καὶ ποιήσαντος ἡμᾶς.*

21 Veruntamen ecce &c.] πλὴν ἰδοὺ &c. *Observandum istam narrationis partem alieno loco hîc esse positam: quum res hæc acciderit ante institutam cœnam Dominicam, statim in principio cœnæ paschalis: ut videre est Matth. 26. v. 20. & seqq. Marc. 14. v. 17. & seqq. Joh. 13. v. 1. & seqq.*

22 Prout definitum est] κατὰ τὸ ὡρισμένον. *Id est, τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ, definito consilio & providentiâ Dei: ut ait Petrus Act. 2. 23.*

24 Maximus] μείζων. *Pro, μέγιστος. Sic 1. Cor. 13. v. ult. μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη,* Maxima autem ex his charitas. *Enallage.*

26 Inter vos] ἐν ὑμῖν. *Ad verb.* In vobis. *Græcismus.* Esto] γινέσθω. *Vel, fiat.* Qui minimus est] ὁ νεώτερος. *Pro, ὁ νεώτατος. Propriè, minimus natu,* der jüngste. *sed hîc significatur is qui minimæ est authoritatis, per metonymiam subjecti. nam ut senectuti ferè authoritas adjuncta est, sic juventuti contemtus. unde illud Pauli ad Timoth.* Nemo contemnat juventutem tuam.

27 Uter] τίς. *Id est, πότερος. Heterosis.*

29 Ego igitur] κἀγὼ. *Pro, ἐγὼ οὖν. Talis consecutio sententiarum est Matth. 19. v. 27. & 28.*

30 *Nempe* ut edatis &c.] ἵνα ἐσθίητε &c. *Supplevi particulam declarativam: ut appareat, hæc cum præcedentibus cohærere per appositionem: declaratur enim his verbis nomen regni.* Ut edatis & bibatis &c.] ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε &c. *Id est, ut fruamini unà mecum gaudiis cælestibus, itemq; honore & gloriâ cælesti. Metaphora à rebus humanis.*

31 Simon, Simon] Σίμων, Σίμων. *Epizeuxis ista singularem animi affectum ac benevolentiam notat. q. d. Mi charissimè Simon. Sic sup. 10. 41.* Ecce] ἰδοὺ. *Attentionis particula.*

32 Pro te] περὶ σοῦ. *Utique etiam pro cæteris, quippe æquè tentandis: sed pro Petro præcipuè, tanquam plus tentando.* Tu igitur] καὶ σύ. *Pro, σὺ οὖν.* Conversus] ἐπιστρέψας. *Vel, qùum te converteris. Salvo interim illo Jeremiæ: Converte me Domine, & convertar: Jer. 31. 18.*

34 Priusquam ter *me* abnegaveris, *dicens*, quòd non noris me] πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι με. *Duplex ellipsis: quarum priorem arguit tum genuina syntaxis verbi ἀπαρνεῖν, tum collatio Matth. 26. 34. posterior verò Hebræis usitatissima est.*

35 Num quid defuit vobis?] μή τινος ὑστερήσατε; *Vel,* Num quâ re eguistis? *Et tum οὐδενὸς in subjecta responsione, reddendum,* Nullâ.

36 Et qui non habet gladium &c.] καὶ ὁ μὴ ἔχων, πωλησάτω &c. *In Græco nomen* gladii *trajectum est ex consuetudine Hebræorum. Syrus nomen istud in priore membro supplevit, simulq; in posteriore reliquit atque iterum expressit. Ego in justum ordinem voces redegi: ne quis ad participium ἔχων, id est,* habens, *putet ἀπὸ κοινοῦ repetenda,* crumenam & peram: *id quod sermonis consecutio primâ fronte suggerit: Quam quidem syntaxin sententia ipsa planè respuit. Quo enim sensu cohærent ista?* Qui non habet crumenam & peram, vendat pallium suum, & emat gladium.

37 Cum sceleratis] μετ' ἀνόμων. *Nomen Græcum sonat* exleges: *id est, legum contemtores & ad omne scelus projectos.* Finem habent] τέλος ἔχει. *Id est, jam ad finem decurrunt quæ adhuc implenda restant: itaq; paulò post implebuntur. Enallage temporis.*

40 Precamini ne intretis] προσεύχεσθε μὴ εἰσελθεῖν. *Id est, precantes petite ne intretis, hoc est, ne Deus vos inducat in tentationem, id est, vinci sinat in tentatione.*

41 Abstraxit se] ἀπεσπάσθη. *Ad verb.* Abstractus est. *Sed vox passiva, more Hebræorum, capitur reciprocè. Videtur autem hoc verbo notari, quòd Christus invitus à discipulis digressus sit, utpote vehementissimè perturbatus: & tamen ut preces suas liberiùs posset effundere, secessum suo more quæsivit. Hanc anxietatem notat quoq; creber ille ad discipulos reditus, & cohortatio ut secum vigilarent.* Quasi ad jactum lapidis] ὡσεὶ λίθου βολήν. *Hoc est, quàm longè jaci potest lapis.*

42 Si vis transferre poculum hoc à me] εἰ βούλει παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ' ἐμοῦ. *Subaudiendum, παρένεγκαι, transfer. Aposiopesis exprimens πάθος optantis.*

44 Descendentes] καταβαίνοντες. *Id est, delabentes sive defluentes. Metaphora καταχρηστικὴ Hebraica.*

46 Quid] τί. *Id est, quare, διατί. Ellipsis.*

49 Percutiemusne] εἰ πατάξομεν. *Ponitur εἰ pro μῶν vel ἆρα. Sensus est: Visne ut percutiamus?* Gladio] ἐν μαχαίρᾳ. *Redundat ἐν ex Hebraismo.*

50 Unus quispiam] εἷς τις. *Videl. Petrus. Joh. 18. v. 10.*

51 Auriculâ] τοῦ ὠτίου. *Id est, aure, ὠτὸς: ut nominavit versu præcedente. Idem utroq; vocabulo tam apud Latinos quàm apud Græcos significatur. Nam quòd vulgo tradunt, auriculam significare* ein ohrläplin/ *hoc est, infimam auris partem quæ pendula & mollicula est: videntur decepti verbis quibusdam Ciceronis non intellectis, nempe ad Quintil. frat. lib. 2. epist. ult. ubi ait:* Tu quemadmodum me censes oportere esse & in repub. & in nostris inimicitiis, ita & esse & fore auriculâ infimâ scito molliorem. *At, inquam, Cicero hîc* auriculam infimam *nominat pro eo quod vulgò dicitur,* auriculæ infimum, *hoc est, infima auriculæ pars: & eodem sensu dicere potuisset* aurem infimam. *Sic dicunt,* digitus extremus, *pro,* digiti extremum: liber extremus, *pro,* libri extremum.

52 Contra ipsum] ἐπ' αὐτόν. *Sicut mox, ἐπὶ λῃστήν, contra latronem. Sic suprà 9. vers 5. εἰς μαρτύριον ἐπ' αὐτούς, In testimonium adversus ipsos.* Fustibus] ξύλων. *Ad verb.* Lignis. *Metonymia materiæ.*

55 Quumque accendissent] ἁψάντων δέ. *Impersonaliter. Intelliguntur autem ministri sacerdotum & magistratuum.* Consedit] ἐκάθητο. *Pro, ἐκαθέζετο.*

56 Ad ignem] πρὸς τὸ φῶς. *Propriè,* ad lumen. *Metonymia effecti. Et Græcum expressius est propter articulum ἀναφορικόν: q. d. Ad ignem illum, quem scilicet paulò antè accenderant.* Cum eo] σὺν αὐτῷ. *Cum isto homine cujus causâ primores congregati sunt: id est, cum Jesu.*

58 Ex ipsis] ἐξ αὐτῶν. *Scil. discipulis & gregalibus istius Jesu.*

59 Et interpositâ quasi horâ unâ] καὶ διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς. *Vel,* Quumque intercessisset intervallum quasi unius horæ: *nam* διάστημα *intervallum significat.* Verè] ἐπ' ἀληθείας. *Ad verb.* In veritate. *Periphrasis adverbii Hebraica: ut Jer. 26. v. 15.* In veritate misit me Jehova ad vos: *id est, verè.*

64 Quis sit] τίς ἐστι. *Vel,* Quis est? *μιμητικῶς.*

66 Presbyterium] πρεσβυτέριον. *Id est, ordo seniorum. Simili significatione accipitur hæc vox 1. Tim. 4. v. 14.*

68 Neque dimittetis] ἢ ἀπολύσητε. *Ad verb.* Aut dimittetis. *Negatio ex præcedente membro repetenda est, more Hebræorum.*

70 Vos dicitis: nam ego sum] ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐγώ εἰμι. *Sic videtur potiùs vertendum, quàm,* Vos dicitis me esse: *ex collatione Marc. 14. v. 62. ubi simpliciter ait, ἐγώ εἰμι:* Ego sum. *Item ex collatione versus sequentis: ex quo percipitur, Dominum rotundè confessum esse, quòd ipse Filius Dei sit. At altera illa loquendi forma, concedentis potiùs videtur esse, quàm apertè & rotundè confitentis.*

ANALYSIS CAP. XXIII.

ARGUMENTUM.

Sex sunt hujus capitis partes. Primò narrari incipiunt ea quæ passus est Dominus coram præside seu judice Pilato, usq; ad v. 6. Secundò narrantur ea quæ passus est coram Herode, usque ad vers. 13. Tertiò continuatur narratio eorum quæ passus est coram Pilato, usque ad v. 26. Quartò narratur, quid ei acciderit, quidq; passus sit in itinere ad supplicium, usque ad v. 33. Quintò narrantur ea quæ passus est in loco supplicii, usque ad v. 50. Sextò narratur, quomodo sepultus sit seu in sepulchro conditus, usq; ad finem.

PRIMA PARS.

Initium narrationis eorum quæ passus est Dominus coram præside.

TUm surgens universa multitudo eorum, duxit eum ad Pilatum.

2 Cœperunt autem eum accusare, dicentes, Comperimus istum pervertere gentem, & vetare tributa dare Cæsari, dicendo se Christum, *id est,* regem esse.

3 Pilatus autem interrogavit eum, dicens; Túne es rex ille Judæorum? Ipse verò respondens ei dixit, Tu dicis.

4 Ait verò Pilatus ad principes sacerdotum & turbam, Nullam invenio noxam in hoc homine.

5 At illi invalescebant, dicentes; Concitat populum, docens per universam Judæam, exorsus à Galilæa *&* *pergens* huc usque.

Narrationis hujus membra sunt quinque, quorum duobus primis narrantur duo quæ Dominus coram præside Pilato passus est: unum quòd à primoribus Judæorum ad illum fuit deductus tanquam maleficus seu facinorosus, vers. 1. Sicut declarat Johannes: qui refert, eos de crimine à Pilato interrogatos, respondisse: *Nisi hic esset maleficus, non tradidissemus eum tibi*, Joh. 18. v. 30. Alterum quod hoc loco passus esse narratur, est: quòd è primoribus Judæorum accusatus est falso crimine seditionis, v. 2: quod continetur his verbis, *Compérimus istum pervertere gentem*, nempe gentem nostram seu populum nostrum: id quod in Græco innuit articulus, ubi dicitur τὸ ἔθνος, das volck / nemlich unser volck. Pervertere autem, id est, avertere ab obedientia Cæsaris. Hoc probant ex eo, quòd vetet tributa dare Cæsari. At ista probatio erat falsa: quia Christus contrarium fecerat, dicens: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris: intelligens, tributum sive censum illi dandum esse tanquam domino ipsorum. Sed istam probationem approbant ex eo, quòd dixerit, se esse Christum, ac proinde regem Judæorum. Verùm hac probatione non concluditur propositum. Etsi enim dixerat se esse Christum, & per consequens regem illum Judæorum à Deo jam olim eis per prophetas promissum: tamen inde non sequebatur, ipsum esse authorem seditionis, aut Judæos ab obedientia Cæsaris avertere: quia Christus non erat futurus rex terrenus sive mundanus, sed cælestis & spiritualis. Atque hæc duo prima narrationis hujus membra sunt. Tertium membrum est confessio Domini, vers. 3. qui interrogatus à Pilato, confessus est se esse regem illum Judæorum. ubi ex Johanne addendum, quòd simul declararit, regnum suum non esse de hoc mundo: quo ipso diluebatur crimen seditionis. Quartum membrum est sententia judicis de Domini innocentia, vers. 4. Quintum membrum est sententia illius eventus in accusatoribus Domini, videlicet accusationis repetitio atque continuatio, v. 5.

SECUNDA PARS.

Quæ passus est coram Herode.

6 Pilatus verò, auditâ Galilæâ, interrogavit an homo iste Galilæus esset.

7 Et quum cognovisset eum ad Herodis potestatem pertinere, remisit eum ad Herodem; qui & ipse Hierosolymis erat per eos dies.

8 Herodes autem viso Jesu gavisus est valde. cupiebat enim à multo *tempore* eum videre, eò quòd audiret multa de eo: & sperabat se signum aliquod visurum ab eo fieri.

9 Interrogavit autem eum multis verbis: sed ipse nihil ei respondit.

10 Stabant autem principes sacerdotum & scribæ, magnâ contentione eum accusantes.

11 Herodes autem cum militibus suis, cùm eum pro nihilo habuisset, & illusisset *ei*, amictum veste splendidâ remisit ad Pilatum.

12 Et facti sunt amici inter sese Pilatus & Herodes eo ipso die: nam antea inimici erant inter se.

Primùm narratur occasio istarum perpessionum, deinde perpessiones ipsæ. *Occasionem* istis perpessionibus præbuit, quòd Dominus à Pilato ad Herodem missus fuit, v. 7. Hæc missio illustratur à causa impulsiva, ex occasione, & ex eventis. Causa impulsiva fuit, quòd Pilatus cognovisset, Dominum tanquam Galilæum ad Herodis potestatem pertinere, v. 6. & 7. Occasio, quòd Herodes per eos dies Hierosolymis erat, v. 7. Eventa narrantur tria: quorum duo propriè pertinent ad Herodem, tertium commune illi fuit cum Pilato. Ad Herodem propriè pertinuit, quòd viso Jesu gavisus est valde, & quòd speravit se signum aliquod (id est, miraculum) ab eo visurum, v. 8. Gaudium illud illustratur à causa per se: nempe quòd jam à multo tempore Dominum cupiebat videre, eò quòd multa de eo audierat, ibidem. Commune Pilato & Herodi eventum fuit, quòd in veterem gratiam unà redierunt, v. 12. Atque hæc de perpessionum quæ hîc narrantur, occasione. *Perpessiones* ipsæ narrantur duæ: una, quòd à primariis sacerdotibus & scribis magnâ contentione accusatus fuit, v. 10. altera, quòd ab Herode & militibus ejus fuit pro nihilo habitus & illusus, & veste splendidâ ludibrii causâ amictus, atque ita remissus ad Pilatum, vers. 11.

TERTIA PARS.

Continuatur narratio eorum quæ passus est Dominus coram Pilato.

13 Pilatus verò convocatis principibus sacerdotum & magistratibus, ac populo,

14 Dixit eis; Obtulistis mihi hunc hominem tanquam avertentem populum: at ecce, ego in vestri conspectu quæstione habitâ nullam noxam inveni in homine isto, ex iis de quibus accusatis eum.

15 Sed ne Herodes quidem. nam remisi vos ad illum; & ecce, nihil dignum morte factum est ab eo.

16 Castigatum ergo eum dimittam.

17 Necesse autem habebat dimittere eis in festo unum *quempiam.*

18 Exclamavit autem simul universa turba, dicens; Tolle hunc, dimitte verò nobis Barabbam.

19 Qui erat propter seditionem quandam & cædem factam in urbe, conjectus in carcerem.

20 Rursus ergo Pilatus alloquutus est *eos*, volens dimittere Jesum.

21 Ipsi verò reclamabant, dicentes, Crucifige, crucifige eum.

22 Ille autem tertiò dixit eis, Quid enim iste mali fecit? Nullam noxam capitalem inveni in eo. Castigatum ergo eum dimittam.

23 At illi instabant vocibus magnis, petentes ut crucifigeretur: & invalescebant voces eorum ac principum sacerdotum.

24 Tum Pilatus judicavit ut fieret quod ipsi petebant.

25 Dimisit autem eis illum qui propter seditionem & cædem conjectus fuerat in carcerem, quem petierant: Jesum verò tradidit eorum voluntati.

Quatuor hîc narrantur quæ Dominus præterea coram Pilato passus est. Primum, quòd tanquam facinorosus comparatus fuit cum latrone Barabba, v. 17. & seqq. Secundum, quòd postulatus fuit magnis clamoribus ad crucem, v. 21. 22. & 23. Tertium, quòd à Pilato fuit ad crucem damnatus, v. 24. & 25. Quartum, quòd latroni Barabbæ tanquam minùs innocens fuit postpositus, v. 25. Cæterùm comparatio illa Domini cum Barabba illustratur expositione finis cujus gratiâ Pilatus illam instituerat, nempe ut hac viâ illum dimitteret, v. 17. & 18. Propositum autem illud Pilati declaratur ampliùs expositione causæ impulsivæ, nempe quòd judicaret, Dominum nihil morte dignum admisisse, v. 13. 14. & 15. Clamores verò illi Judæorum postulantium Dominum ad crucem, amplificantur expositione causæ corrumpentis: nempe contradictionis Pilati & testificationis de innocentiâ Domini, & pollicitationis castigandi seu flagellandi, v. 22. Sed nihil horum quicquam profecit ad extorquendum illis suum postulatum: quin potiùs eò furiosiùs illud urserunt, v. 23. Porrò damnatio Pilati quâ Dominum damnavit, declaratur ex fine, nempe quòd id fecerit in gratiam Judæorum, v. 24. & in fine v. 25. Postremò postpositio illa Domini amplificatur expositione sceleris quod Barabbas admiserat, v. 25.

QUARTA PARS.

Quid acciderit Domino in itinere ad supplicium.

26 Quum igitur abducerent eum, prehenso Simone quodam Cyrenæo, qui veniebat rure, imposuerunt ei crucem ferendam ponè JESUM.

27 Sequebatur autem eum magna multitudo populi & mulierum: quæ & plangebant & lamentabantur eum.

28 Conversus autem ad eas Jesus dixit, Filiæ Hierusalem, ne flete super me; verùm super vobisipsis flete, & super liberis vestris.

29 Nam ecce, veniens dies quibus dicent, Beatæ steriles, & uteri qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

30 Tum incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos.

31 Nam si in virente ligno ista faciunt, in arido quid fiet?

32 Ducebantur autem etiam alii duo malefici cum eo, ut è medio tollerentur.

Duo hîc narrantur quæ Domino in itinere ad supplicium acciderunt: unum, honorificum; alterum, contumeliosum. Honorificum

rificum fuit, quòd mulieres lamentatæ sunt, testantes hoc modo Domini innocentiam, v.27. Contumeliosum fuit, quòd inter duos maleficos ad supplicium deductus est, v.32. Cæterùm lamentatio illa declaratur ex eventu, videlicet Domini sermone ad mulieres illas. Sermo ille continet denuntiationem pœnæ eventuræ Judæis propter hoc parricidium. Occasionem autem ad istam denuntiationem sumsit Dominus ex re præsenti, per collationem imparium, ratiocinando à minori, ad hunc modum: Si fletis meâ causâ, multò magis flete vestrâ causâ & liberorum vestrorum: nam vos manent gravissimæ pœnæ propter hoc parricidium quod in me admittitis. Pœnarum autem illarum gravitatem innuit ex effectis, videlicet dictis tum mulierum quæ habuerint liberos, v.29. tum promiscuè omnium, v.39. Deinde denuntiationem illam confirmat à minori, v.31. ubi seipsum comparat ligno seu arbori viridi, propter suam innocentiam: populum verò Judaicum, arbori aridæ atque infructuosæ, propter ipsius impietatem. Jam si paterfamiliâs exscindit arborem viridem ad comburendum: multò magis exscindet aridam. Similiter si Deus Filium suum unigenitum eundemque hominem sanctissimum tam graviter affligit: longè graviùs affliget Judæos impios, persecutores illius.

QUINTA PARS.

Quæ passus est Dominus in loco supplicii.

33 Quum igitur venissent in locum qui vocatur Calvaria, illi crucifixerunt eum, & maleficos illos: unum ad dextram, alterum ad sinistram.

34 Jesus autem dicebat, Pater, remitte eis: nesciunt enim quid faciant. Patientes verò vestimenta ejus, jecerunt sortem.

35 Et stabat populus spectans. Sannis autem excipiebant eum etiam primores cum eis, dicentes; Alios servavit; servet seipsum, si hic est Christus, electus ille Dei.

36 Illudebant autem ei etiam milites, accedentes & acetum ei offerentes:

37 Dicentesque, Si tu es rex ille Judæorum, serva temetipsum.

38 Erat autem etiam inscriptio scripta super eum literis Græcis & Romanis & Hebraicis, HIC EST REX ILLE JUDÆORUM.

39 Unus autem ex maleficis qui erant suspensi, conviciabatur ei dicens; Si tu es Christus, serva teipsum & nos.

40 Respondens autem alter objurgavit eum, dicens; Ne tu quidem Deum times, quamvis in eadem es damnatione?

41 Et nos quidem justè: nam digna factis nostris recipimus: iste verò nihil indecens fecit.

42 Dixitq; Jesu; Domine, memento mei quum veneris in regnum tuum.

43 Tum dixit ei Jesus; Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

44 Erat autem quasi hora sexta, & tenebræ factæ sunt super totam terram usque ad horam nonam.

45 Et obscuratus est sol, & aulæum templi fissum est medium.

46 Quumque clamasset voce magnâ Jesus, ait; Pater in manus tuas depono spiritum meum. Et quum hæc dixisset, exspiravit.

47 Quum vidisset autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, Verè hic homo justus erat.

48 Et omnis turba quæ simul ad hoc spectaculum accesserat; quum spectasset quæ facta fuerant, verberans pectora sua revertebatur.

49 Stabant autem omnes noti ejus procul, & mulieres quæ erant eum unà sequutæ à Galilæa, videntes ista.

Quinque narrantur hîc perpessiones, quas Dominus in loco supplicii expertus est. Prima, quòd crucifixus fuit, v.33. Secunda, quòd suspensus inter duos latrones, ibidem. Tertia, quòd coactus est videre direptionem suarum vestium, v.34. Quarta, quòd sannis exceptus fuit & conviciis proscissus à variis personis, v.35.36,37.39. Quinta, quòd exspiravit, v.46. Hæ perpessiones omnes primùm illustrantur ex nomine loci ubi acciderunt, v.33. Perpessio prima & secunda illustrantur ex eventu, videlicet precibus Domini pro illis à quibus ista patiebatur, v.34. Quarta verò perpessio illustratur per species tum personarum conviciantium, tum verborum ad conviciandum adhibitorum. Personæ fuerunt quadruplices: populus, primores, milites, & alter latronum. Verba populi & primorum recitantur v.35. *Alios servavit &c.* Militum v.37. *Si tu es rex, &c.* Latronis v.39. *Si tu es Christus &c.* Adhæc militum convicium amplificatur ex adjuncta oblatione aceti, v.36. quum scilicet Dominus questus esset de siti, ut declarat Johannes c.19. v.28. Porrò inter militum & latronis convicia inseritur narratio de titulo crucis, v.38. Cæterùm convicium latronis amplificatur ex eventu, videlicet objurgatione alterius latronis, v.40. & 41. ubi ille Domino testimonium dat innocentiæ. Deinde annectitur ejusdem latronis petitio ad Dominum, v.42. Dominique benigna responsio & vitæ æternæ promissio, v.43. Postea v.44. & 45. narrantur duo miracula, quæ Domino in cruce pendente acciderunt, videlicet trium horarum tenebræ preternaturales, & fissio veli in templo. Ex quibus tanquam effectis colligere oportet passionem Domini præcipuam, quæ per illas tres horas (ut videtur) duravit: nempe quòd plenè sensit iram DEI adversus electorum peccata, quæ per oblationem sui ipsius expianda susceperat. Cujus pleni sensus iræ Dei testimonium evidens narratur à Matthæo & Marco: qui narrant, Dominum circa horam nonam exclamavisse voce magna, *Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me?* unde clarè perspicitur, Dominum sibi per id tempus visum esse desertum à Deo, ac proproinde plenè sensisse iram Dei. Quæ passio tam indignè comparata fuit, ut ipse sol inde cohorrescere videretur: hinc enim præternaturales illæ tenebræ, in oppositione scilicet solis & lunæ factæ: ut videatur sol quasi ultrò cohibuisse lucem suam, & quasi oculos clausisse, ne tam nefarium facinus populi Judaici intueri cogeretur. Fissio autem veli in templo (ut ex narratione Matthæi & Marci liquet) accidit demum postquam Dominus exspirasset. Fuit enim argumento, per Domini sacrificium jam peractum aboleri oportere sacerdotium Leviticum cum toto illo veteri cærimoniali cultu: quia scilicet illud hujus typus erat. Exspiratio Domini declaratur ex adjuncto dicto quod proximè præmisit, nempe: *Pater, in manus tuas depono spiritum meum,* v.46. Postea v.47. & 48. narrantur eventa rerum tunc circa Dominum & à Domino gestarum; quę eventa acciderunt tum in centurione, v.47: tum in turba, v.48. Postremò indicantur rerum illarum testes fideles, v.49.

SEXTA PARS.

Quomodo Dominus sepultus sit.

50 Tunc ecce vir, nomine Joseph, senator, vir bonus ac justus:

51 Qui non assensus fuerat consilio ac facto eorum: ortus Arimathæâ civitate Judæorum: qui exspectabat & ipse regnum Dei:

52 Hic, *inquam,* adiens Pilatum: petiit corpus Jesu.

53 Et detractum illud involvit sindone, posuitque illud in monumento quod erat in saxo excisum, in quo nondum quisquam positus fuerat.

54 Porrò dies erat parasceve, & sabbathum appetebat.

55 Subsequutæ etiam mulieres quæ cum eo venerant ex Galilæa, spectârunt monumentum, & quomodo positum esset corpus ejus.

56 Reversæ verò paraverunt aromata & unguenta: ac sabbatho quidem quieverunt, secundùm mandatum.

Narrationis hujus *sex* sunt membra. 1. Quis Dominum sepeliverit. 2. Quomodo corpus DOMINI impetrârit. 3. Quomodo illud ad sepulchrum præparârit. 4. In quali sepulchro posuerit. 5. Quo tempore id fecerit. 6. Quos spectatores habuerit. Persona quæ Dominum sepelivit, describitur v.50. & 51. à sexu, nomine proprio, ordine seu dignitate, animi qualitate, facto pio, patriâ & religione. Impetravit ille corpus Domini à Pilato precibus, v.52. Præparavit illum ad sepulchrum per involutionem in sindonem, v.53. Posuit in sepulchro quod erat ex lapide excisum, in quo nondum quisquam positus fuerat, ibid. Fecit id in vespera parasceves, imminente jam sabbatho, v.54. Spectatores vel potiùs spectatrices habuit sanctas illas mulieres, quæ Dominum fuerant sequutæ ex Galilæa. Illarum spectatio sive observatio sepulturæ Domini illustratur significatione finis, cujus gratiâ spectârunt & diligenter observârunt, ubi & quomodo Domini corpus poneretur: nempe ut sabbatho exacto reversæ, illud ungerent, vers.56. quia scilicet tum quum Dominus sepeliretur, id non licebat per temporis angustiam: quia tum ingruebat sabbathum, quo per legem Dei non licebat Judæis ullum opus servile facere.

SCHOLIA IN CAP. XXIII.

2 Pervertere & vetare] διαστρέφοντα καὶ κωλύοντα. *Ad verbum,* Pervertentem & vetantem. *Participia pro infinitivis more Græcorum. Deinde est* ἓν διὰ δυοῖν: *pro eo quod est, pervertere vetando, seu dum vetat.* Vetare dicendo] κωλύοντα λέγοντα. *Pro,* κωλύειν λέ-

γειν: id est, vetare dicentem. κωλύω λέγων, veto dicens: id est, dicendo seu quatenus dico. Neque enim vetuerat Dominus tributa dare Caesari: sed potius imperaverat: sed vetationem isti colligunt ex ipsius doctrina de sua persona, falsò interim illam interpretantes. nam etsi docuerat, se esse Christum, ac proinde regem: nunquam tamen docuerat, se fore regem mundanum: imò regnum mundanum detrectavit ac fugit, Johan.6.15. Quare ex doctrinâ Christi non rectè illud colligebant: quum regnum ipsius jura Caesaris salva relinqueret.

3 Rex ille] ὁ βασιλεύς. Quem scilicet illi exspectant; quemque Messiam seu Christum nominant. Tu dicis] σὺ λέγεις. Verba concedentis. Apud Johannem additur, ὅτι βασιλεύς εἰμι ἐγώ, Nam rex sum ego: Johan.20.37. Et ibidem additur declaratio, qualis rex sit. Quae declaratio hic quoque subintelligenda est. Inde enim ortum fuit judicium Pilati de Domini innocentia: de quo mox sequitur: sicut & loco citato apud Johannem.

4 Noxam] αἴτιον. Sive crimen, sive culpam. Ad verb. Causam. Synecdoche generis. Intelligitur enim causa supplicii: id est, causa idonea propter quam Dominus à Judaeis accusatus, supplicio capitis afficiatur.

5 Invalescebant] ἐπίσχυον. Scil. accusando & clamando. Exorsus à Galilaea & pergens hucusque] ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε. Post Γαλιλαίας supplendum, καὶ προβαίνων. Id est, Et progrediens seu pergens. Talis ellipsis est Matth.2.26. in illo, ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας &c. ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω. Pro, ἀρξάμενος ἀπὸ διετοῦς καὶ προβαίνων κατωτέρω. Id est; Interemit omnes pueros &c. exorsus à bimulis & pergens inferius, hoc est, ad minores bimulis.

6 Auditâ Galilaeâ] ἀκούσας Γαλιλαίαν. Vel, Quum audisset Galilaeam. scilicet nominari seu commemorari, quòd in ea doceret Dominus.

7 Eum ad Herodis potestatem pertinere] ὅτι ἐκ τῆς ἐξουσίας Ἡρώδου ἐστίν. Ad verb. Eum ex potestate Herodis esse: hoc est, ex ditione seu regione Herodis, in quam ille habebat potestatem. Metonymia adjuncti. Syrus, Ex subjectis potestati Herodis: simili observatâ metonymiâ.

8 A multo tempore] ἐξ ἱκανοῦ. Pro, ἐκ πολλοῦ. scilicet χρόνου. Signum] σημεῖον. Id est, miraculum: signum scilicet divinae suae vocationis ad prophetandum. Synecdoche generis.

9 Multis verbis] ἐν λόγοις ἱκανοῖς. Pro, διὰ λόγων πολλῶν.

10 Magnâ contentione] εὐτόνως. Acriter & vehementer: ut Cicero pro Flacco loquitur, Acriter & vehementer dixerat accusator.

14 At ecce] καὶ ἰδού. Pro, ἀλλ' ἰδού. Est enim antithesis. Nullam noxam ex iis de quibus accusatis eum] οὐδὲν αἴτιον ὧν κατηγορεῖτε κατ' αὐτοῦ. Pro, ἐκείνων ἃ κατηγορεῖτε, id est, κατηγοροῦντες λέγετε κατ' αὐτοῦ. Syntaxis nova. κατηγορεῖν τι κατά τινος: quatenus κατηγορεῖν significat accusare. Sed si accipiatur pro dicere seu praedicare, tum κατὰ exponendum erit per περὶ: & vertendum, Ex iis quae dicitis (seu praedicatis) de eo.

15 Factum est ab eo] ἐστὶ πεπραγμένον αὐτῷ. Ad verb. Actum est ei. Pro, ὑπ' αὐτοῦ. Graecismus.

16 Castigatum ergo eum] παιδεύσας οὖν αὐτὸν, Postquam igitur eum castigavero, id est, flagellavero: ut declarat Joh.19. videlicet per ministros.

18 Exclamavit simul universa turba] ἀνέκραξαν παμπληθεί, Exclamârunt universâ multitudine. Elegans loquendi genus per adverbium: cui similia sunt, πανδημεὶ, πανστρατὶ, πανοικὶ: quorum postremo Lucas quoque utitur Act.16.34. ubi de commentariensi seu custode carceris per Paulum converso dicitur, quòd crediderit Deo πανοικὶ, cum universa domo sua.

21 Crucifige, crucifige] σταύρωσον, σταύρωσον. Epizeuxis notat vehementiam odii.

22 Noxam capitalem] αἴτιον θανάτου. Vel, Causam mortis: id est, facinus dignum morte.

23 Instabant] ἐπέκειντο. Ad verb. Incumbebant. Sie hielten an: urgebant propositum suum.

24 Judicavit] ἐπέκρινε. Vel, approbavit: quasi dicas, post judicavit: nempe post instantiam illam accusatorum. Quod ipsi petebant] τὸ αἴτημα αὐτῶν. Ad verb. Petitio ipsorum. Metonymia adjuncti. Sic Prov.10.24. Formido improbi ipsa eveniet ei: id est, quod formidat improbus.

28 Filiae Hierusalem] θυγατέρες Ἱερουσαλήμ. Id est, mulieres Hierosolymitanae. Hebraismus. Sic ab Esaia dicuntur filiae Tsijonis, Esa.3.16. Super me] ἐπ' ἐμὲ. Id est, δι' ἐμὲ, propter me, seu meâ causâ. Sic mox, ἐφ' ἑαυτὰς: item ἐπὶ τὰ τέκνα.

29 Venient] ἔρχονται. Ad verb. Veniunt: id est, brevi venturi sunt. Genuerunt] ἐγέννησαν. id est, ἔτεκον, pepererunt: ut Matth.2. v.1. & supr. cap.1. v.57.

31 In virente ligno] ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ. Ad verb. In humido ligno: cui mox opponitur τὸ ξηρὸν ξύλον, aridum lignum. In phrasi Latina (sicut & in Germanica huic respondente) est metonymia effecti. Nam quamdiu arbor humido radicali seu nativo praedita est, viret: contrà succo illo destituta & exsiccata seu arefacta, virorem quoque amittit: quippe nulla amplius folia emittens. Porrò lignum pro arbore per synecdochen generis Hebraicam dicitur. Sic Gen.2. & 3. Lignum scientiae boni & mali, item lignum vitae. Continetur autem hic allegoria metaphorica, cujus sensus est: Si Deus me innocentem & virenti atque frugiferae arbori similem tam graviter affligi, & tanquam arborem aridam exscindi patitur: quantò gravius sinet affligi vos nocentes, & aridis atque infrugiferis arboribus similes?

32 Etiam alii duo malefici] καὶ ἕτεροι δύο κακοῦργοι. Num igitur Evangelista Christum numerat inter maleficos? Absit. Sed haec accipienda sunt per appositionem, sic, Etiam alii duo, qui erant malefici, nempe latrones: ut vocantur Matth.27. v.38. Versu sequente distinctè loquitur: ubi ait, ἐσταύρωσαν αὐτὸν καὶ τοὺς κακούργους, crucifixerunt eum & maleficos illos. ubi articulus vim habet ἀναφορικήν.

35 Christus] ὁ Χριστός. Sive, unctus ille. Sic v.38.

40 Ne tu quidem Deum times?] οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν Θεόν; Pro, οὐδὲ σὺ φοβῇ τὸν Θεόν. Pronomen trajectum est: in quo est emphasis, & innuitur amplificatio à collatione minoris. q. d. Non solùm crucifixores nostri tam vacui sunt timore Dei, ut huic afflicto afflictionem addant conviciis suis: sed (quod magis detestabile ac mirandum est) etiam tu, qui socius es crucifixionis. Non times Deum] οὐ φοβῇ τὸν Θεόν. Id est, conviciaris huic Jesu. Metonymia efficientis in tota phrasi. Quamvis es] ὅτι εἶ. Amplificatio à causa corrumpente. Quasi dicat: Tu debebas timore Dei retineri, quò minus huic malediceres: nam es in eâdem damnatione. Porrò de conjunctione ὅτι pro Quamvis, vide Joh.8. v.45. in scholiis. Damnatione] κρίματι. Ad verb. Judicio. Id est, supplicio. Synecdoche generis.

41 Et nos quidem justè] καὶ ἡμεῖς μὲν δικαίως. Scilicet damnati sumus; & supplicio extremo afficimur. Digna factis nostris] ἄξια ὧν ἐπράξαμεν. Pro, ἄξια ἐκείνων ἃ ἐπράξαμεν, digna iis quae fecimus. Graecismus. Indecens] ἄτοπον. Vox Graeca notat aliquid quod non habet locum, id est, quod non convenit, & meritò repudiandum est.

42 Quum veneris in regnum tuum] ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. Pro, εἰς τὴν βασιλείαν σου. Heterosis praepositionis Hebraeis usitata. Sic 1.Joh.4. v.2. Christus dicitur venisse ἐν σαρκὶ, in carne: pro, εἰς σάρκα, in carnem.

43 Eris] ἔσῃ. Scil. tu: id est, anima tua. Synecdoche integri. In paradiso] ἐν τῷ παραδείσῳ. Id est, in caelo, loco scil. verae beatitudinis plenissimo: qualis ab initio mundi erat hortus ille plantatus in Edene, de quo Gen.2. & 3. Metaphora. Sic 2.Cor.12. v.4.

44 Hora sexta] ὥρα ἕκτη. Vide scholia in Matth.27. v.45. Super totam terram] ἐφ' ὅλην τὴν γῆν. Vide scholia modo-citata.

45 Obscuratus est] ἐσκοτίσθη. Quasi dicas, obtenebratus, id est, tenebris obductus.

46 Spiritum meum] τὸ πνεῦμά μου. Id est, animam meam: ut ipse appellavit Matth.26. v.38. Nempe Spiritus vocabulo significatur hic substantia incorporea: quo sensu & angeli nominantur spiritus, & Deus ipse. Stephanus hanc precationem Domini imitatus est, Act.7. v.59. Exspiravit] ἐξέπνευσεν. Id est, spirare desiit, animâ scilicet emigrante. Synecdoche membri metonymica: nam unà cum effecto efficiens intelligitur. Pro hoc Matthaeus dicit, ἀφῆκε τὸ πνεῦμα, emisit spiritum, id est, animam, Matth.27. vers.50. Johannes verò, παρέδωκε τὸ πνεῦμα, tradidit spiritum, Joh.19. v.20.

47 Justus] δίκαιος. Id est, innocens. Vel, per synecdochen generis Hebraicam, justus, id est, verax: ac proinde Filius DEI, quem se esse dixit: propter quam confessionem tanquam blasphemus damnatus est & supplicio affectus. Hinc Matthaeus refert, eum dixisse: Verè filius Dei erat iste, Matth.27.54.

51 Ortus Arimathaeâ] ἀπὸ Ἀριμαθαίας. Ad verb. Ab Arimathaea, id est, ex Arimathaea. Sic Joh.1.45. ἦν δὲ ὁ Φίλιππος ἀπὸ Βηθσαϊδὰ, Erat autem Philippus ex Bethsaïda, scil. oriundus. Item c.12. v.21. προσῆλθον Φιλίππῳ τῷ ἀπὸ Βηθσαϊδὰ, Venerunt ad Philippum qui erat ex Bethsaïda. Regnum Dei] τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Id est, adventum Christi regnaturi in ecclesia sua.

53 In saxo incisum] λαξευτῷ. A verbo, λαξεύω: quod compositum est ex λᾶας, lapis, & ξέω vel ξύω, sculpo. Nondum quisquam positus fuerat] οὗ οὐκ ἦν οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος. In Graeco tres negationes sunt.

54 Dies parasceve] ἡμέρα παρασκευῆς. Appositio: Sic autem nominabatur ille dies, nempe praeparatio, quòd in eo praepararent ea quibus opus erat ad festum, Matth.28.62. Marc.15.42. Johan.19. v.31. Simili ratione dies sabbathi sabbathum appellari consuevit: ut hoc ipso loco. Sabbathum appetebat] Σάββατον ἐπέφωσκε. Ad verb. Illucescebat. Sed istud dicitur per synecdochen speciei καταχρηστικὴν, pro eo quod est, incipiebat. Etenim aliter incipit dies artificialis, aliter civilis. Artificialis dies incipit à luce, id est, exortu solis, ac proinde propriè loquendo, quum incipit, dicitur illucescere, quod est ἐπιφώσκειν. At dies civilis, Hebraeorum quidem, incipiebat à tenebris, id est, ab occasu solis: quod tempus Scriptura vesperam nominat. Impropriè ergo, quum incipit, dicitur ἐπιφώσκειν, illucescere. Nam quòd nonnulli hoc referendum putant ad exortum hesperi, infirmum videtur: quum verbum ἐπιφώσκειν usitatè intelligatur de exortu solis, quae usitata & propria significatio observata est à Matthaeo in narratione resurrectionis Domini Matth.28. v.1. Ergo ἐπέφωσκε, illucescebat, hic idem valet quod incipiebat: id est, paulò pòst incepturum erat, appropinquabat, adventabat, instabat. hoc autem Latini eleganter dicunt, appetebat. Significatur ergo his verbis, Domini corpus in sepulchro esse con-

esse conditum sub occasum solis, appetente jam nocte: id quod Matthæus enuntiat his verbis, ὀψίας δὲ γενομένης, id est, vesperâ autem factâ: sive, Quum jam vespera esset: *Matth. 27.57.*

56 Sabbatho quidem] τὸ μὲν σάββατον. *Ellipsis præpositionis* κτ. Secundùm mandatum] κτ τὴν ἐντολήν. *Scil.* τὴν τοῦ Θεοῦ. *I.e. Dei: quod nimirum è mandatis seu præceptis decalogi quartum est.*

OBSERVAT. EX CAP. XXII. ET XXIII.

Quid ex historia passionis Domini, duobus hisce capitibus comprehensa, discendum sit: vide in observationibus nostris ex Matth. 26. & 27.

ANALYSIS CAP. XXIV.

ARGUMENTUM.

Suprà capite 19. duæ actiones Domini ad officium ipsius regium pertinentes, narratæ fuerunt; ingressus regius in urbem Hierosolymam, & repurgatio templi: nunc narrantur ejusdem generis duæ aliæ Domini actiones, videl. resurrectio à mortuis & ascensio in cœlum. Cætera verò quæ hactenus narrata fuerunt, aut ad officium ipsius propheticum, aut ad sacerdotale spectant: exceptis iis quæ in pricipio libri narrata sunt de Domini conceptione & nativitate: quibus tanquam communi fundamento cætera quæ ad officium spectant, innituntur. Ut enim omni suo officio fungi rectè Dominus posset: taliter ipsum concipi atque nasci oportuit, ut in principio libri narratur. Cæterùm ut ex dictis patet, duæ sunt principales ultimi hujus capitis partes: prior de Domini resurrectione, usque ad v.50. posterior de ejusdem in cœlum ascensione, versibus reliquis. Ad resurrectionem quod attinet: illa demonstratur primùm à testimonio duorum angelorum, usque ad v.13. deindè ab apparitione ipsius Domini, factâ duobus discipulis, usq; ad v.36. postremò ab apparitione factâ discipulis compluribus congregatis, usq; ad v.50. Ita primæ partis tres sunt particulæ.

PRIMÆ PARTIS PARTICULA PRIMA.

Demonstratur resurrectio Domini à testimonio duorum angelorum.

PRimo autem *die* hebdomadis, profundo diluculo venerunt ad monumentum, ferentes quæ paraverant aromata: & nonnullæ cum ipsis.

2 Invenerunt autē saxum avolutum à monumento.

3 Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.

4 Et factum est dum in ea re hæsitarent: tum ecce, duo viri supervenientes adstiterunt eis, in vestibus fulgurantibus.

5 Quum autem expavefactæ inclinarent faciem in terram, dixerunt eis, Quid inter mortuos quæritis eum qui vivit?

6 Non est hîc, sed surrexit. mementote ut loquutus sit vobis, quum adhuc in Galilæa esset,

7 Dicens, Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertio resurgere.

8 Recordatæ sunt igitur verborum illius.

9 Et reversæ à monumento, annuntiaverunt hæc omnia ipsis Undecim, & reliquis omnibus.

10 Erant autem Maria Magdalene, & Johanna, & Maria Jacobi *mater*, & reliquæ cum ipsis, quæ hæc dicebant Apostolis.

11 Sed visa sunt apud eos quasi deliramentum verba earum; neque crediderunt eis.

12 Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & introspiciens, videt lintea sola *illic* jacentia: abiitque, apud sese mirans quod factum fuerat.

Primùm indicatur tempus quo testimonium hoc dictum fuit, 2. personæ ad quas dictum fuit, 3. locus ubi dictum fuit, 4. causa impulsiva ex qua dictum fuit, 5. præparatio seu effectum destinatum ad dicendum, 6. ipsa testimonii dictio, 7. eventa.

Tempus indicatur v.1. his verbis. *Primo autem die hebdomadis, profundo diluculo &c.* Quibus verbis significatur, quum jam ageretur tertius dies à Domini morte: quippe qui mortuus atque sepultus fuerat in vespera parasceves (supr. 21.54.) & per totum sabbathum in sepulchro quieverat, primo autem die hebdomodis sequentis surrexerat: tunc igitur sanctas illas mulieres profundo diluculo ad monumentum sive sepulchrum DOMINI venisse, ipsisque angelos illos apparuisse, ac de DOMINI resurrectione apud ipsas testatos esse. Personæ igitur ad quas testimonium hoc dictum fuit, fuerunt sanctæ illæ mulieres quæ cum DOMINO venerant ex Galilæa, ut percipitur ex his verbis v.1. *Venerunt ad monumentum: ferentes quæ paraverant aromata, & nonnullæ cum ipsis.* Hæc enim verba cohærent cum duobus ultimis versibus capitis præcedentis: ubi mulierum istarum fit mentio. Idem liquet manifestiùs ex versu 12. infrà, ubi tres ex istis mulieribus nominatim exprimuntur. Locus significatur primùm v.1. ibi, *Venerunt ad monumentum.* deinde v.2. ibi, *Invenerunt saxum avolutum à monumento.* tum v.3. ibi, *Et ingressæ.* Quibus verbis significatur, testimonium hoc ad mulieres illas dictum esse in ipso monumento sive sepulchro ubi Dominus jacuerat. Cæterùm narratio loci illustratur significatione finis cujus gratiâ mulieres illæ eò se contulerant: Is finis fuit, ut quærerent corpus Jesu, & inventum ungerent. Qui finis primùm significatur ex effecto destinato, videl. apportatione aromatum, id est, unguenti aromatici, v.1. Deinde illustratur ab eventu inopinato duplici: uno, quòd invenerunt saxum à monumento avolutum, vers. 2. de quo nimirum removendo fuerant sollicitæ, ut testatur Marcus cap. 16. v.3. Altero, quòd non invenerunt corpus Domini in sepulchro, v.3. ubi tamen illud recondi viderant die præterito tertio, suprà 23.55. Atque hæc de loco. Causa quæ angelos ad mulieres istas alloquendum, deque Domini resurrectione apud ipsas testandum impulit, narratur v.4. his verbis, *Et factum est dum in ea re hæsitarent &c.* Quibus verbis significatur, angelos impulsos fuisse sollicitudine & dubitatione istarum mulierum de DOMINI corpore, quid scil. de eo esset factum: essétne ab amicis an verò ab inimicis sublatum: denique ubinam illud esset. Præparatio narratur ibidem his verbis: *Ecce duo viri supervenientes adstiterunt eis, induti vestibus fulgurantibus.* Quibus verbis significatur, mulieres illas ad testimonium duorū illorum angelorum cum reverentia ac fide audiendum præparatas fuisse apparitione illorum gloriosâ, emicante scil. fulgure seu splendore cælesti ex vestibus ipsorum. Quæ apparitio illustratur ex effectu, v.5. quòd scilicet mulieres inde fuerint expavefactæ, ac proinde faciem inclinarint in terram: quum scilicet tanti fulgoris non essent capaces oculi ipsarum, nec mens sustinere posset cælestem illam majestatem. Testimonium ipsum recitatur reliquâ parte v.5. & sequentibus duobus. Est autem illa testimonii pronuntiatio primùm amplificata reprehensione inde deductâ, deinde confirmata testimonio ipsius Domini. Reprehensio præcedit his verbis, *Quid inter mortuos quæritis eum qui vivit?* Quibus verbis angeli reprehendunt perversum & frustraneum factum mulierum: quæ quærant Dominum ubi minimè quærendus sit, & ubi reperiri non possit: nempe apud mortuos, id est, in sepulchro. quòd ipsum confirmatur expositione causæ per antithesin: Dominus vivit: Temere igitur & frustra quæritis eum apud mortuos: quippe quum vivi non soleant versari cum mortuis, sed cum vivis. Testimonium ipsum continetur his verbis, v.6. *Non est hîc, sed surrexit.* Confirmatio adjungitur ibi, *Mementote ut loquutus sit vobis &c.* Eventa quorum alia ex aliis ordine consecuta sunt, narrantur quinque. Primum, v.8. *Recordatæ sunt igitur verborum illius.* Quibus verbis significatur, mulieres illas testificationi angelorum fidem habuisse: quippe quæ cum ipsius Domini testimonio consentiret. Secundum eventum, è superiore consequutum, narratur v.9. *Et reversæ à monumento annuntiaverunt hæc &c.* nam quia verbis angelorum crediderunt, discipulos Domini læto nuntio resurrectionis Domini exhilarare voluerunt. Tertium eventum, è secundo consequutum, narratur v.11. *Sed visa sunt &c.* quibus verbis docetur, Apostolos nuntio illi mulierum fidem derogasse. Quartum eventum, ex tertio consequutum, narratur v.12. *Petrus autem surgens &c.* Quibus verbis significatur, Petrum quia non crediderat nuntio mulierum, ipsummet veritatem rei gestæ explorare voluisse, quærendo Dominum in sepulchro. Quintum & postremum eventum, ex quarto illo consequutum, narratur ibidem, his verbis, *Abiitq; apud sese mirans hoc factum.* Quibus verbis docetur: quum Petrus Domini corpus in sepulchro non invenisset, invenisset autem lintea quibus fuerat involutum, miratum fuisse, quid scilicet de Domini corpore esset factum.

PRIMÆ PARTIS PARTICULA SECUNDA.

Dominus apparet duobus discipulis.

13 Et ecce, duo ex iis ibant eo ipso die in vicum distantem stadiis sexaginta ab Hierosolyma, cui *vico* nomen *est* Emmaüs:

14 Et colloquebantur inter se de istis omnibus quæ evenerant.

15 Et factum est dum colloquerentur, & se mutuò rogitarent, tum ipse Jesus appropinquavit, & unà iter faciebat cum ipsis.

16 Oculi autem eorum tenebantur, ne ipsum agnoscerent.

17 Dixit autem eis, Qui sunt hi sermones quos confertis inter vos ambulantes, & *quid* estis tetrico vultu?

18 Respondens autem alter eorum, cui nomen Cleopas, dixit ei; Tu solus commoraris Hierosolymæ, & ignoras quæ in ea facta sunt his diebus?

19 Ipse verò dixit eis, Quæ? At illi dixerunt ei, Quæ *facta sunt* de Jesu Nazareno; qui fuit propheta, potens operibus & sermonibus coram Deo & toto populo:

20 Quomodo scilicet eum tradiderunt principes sacerdotum & magistratus nostri ut morte damnaretur, & crucifixerunt eum.

21 Nos autem sperabamus illum esse qui redemturus esset Israëlem. Atqui præter hæc omnia, tertium hunc diem agit hodie ex quo hæc facta sunt.

22 Sed & mulieres quædam ex nobis perculerunt nos; quæ diluculo venerunt ad monumentum:

23 Et non invento ejus corpore venerunt, dicentes se etiam apparitionem angelorum vidisse, qui dicant eum vivere.

24 Et abierunt quidam eorum qui erant nobiscum, ad monumentum, & ita invenerunt prout mulieres dixerant: ipsum verò non viderunt.

25 Tum ipse dixit eis, O amentes & tardi corde ad credendum omnibus quæ loquuti sunt prophetæ!

26 Nónne hæc oportuit pati Christum, & *ita* introire in gloriam suam?

27 Et exorsus à Mose & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso *scripta erant.*

28 Appropinquârunt igitur vico quo proficiscebantur: & ipse simulabat *se* longiùs ire.

29 At *ipsi* coëgerunt eum, dicentes, Manè nobiscum: quoniam advesperascit, & inclinavit dies. Ingressus est igitur ut maneret cum eis.

30 Et factum est quum accubuisset cum eis, sumto pane benedixit, & fractum porrexit eis.

31 Adaperti sunt autem oculi eorum, & agnoverunt eum: sed ipse apparere desiit, *digressus* ab eis.

32 Tum inter se dixerunt; Nónne cor nostrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis in via, & quum adaperiret nobis scripturas?

33 Et surgentes eo ipso momento, reversi sunt Hierosolymam, & invenerunt congregatos ipsos Undecim, & eos qui cum ipsis *erant:*

34 Qui dicebant, Surrexit Dominus verè, & conspectus est Simoni.

35 Tum ipsi exposuerunt quæ *gesta erant* in via, & ut fuerat agnitus ab ipsis in fractione panis.

Primùm indicatur apparitionis hujus tempus, 2.locus, 3.causa impulsiva, 4.forma seu modus, 5.eventa. *Tempus* quo Dominus duobus istis discipulis apparuit, significatur, v.13. his verbis: *Et ecce duo ex iis ibant eo ipso die &c.* Videl. primo die hebdomadis quo Dominus resurrexerat, ex collatione præcedentium. *Locus* ubi Dominus discipulis istis apparuit, fuit duplex: nam primùm apparuit eis in via quæ Hierosolymis ducit in vicum Emmaüs, v.13: deinde verò in diversorio istius vici, v.29. Prior locus nempe via illa declaratur ex parte formæ, videl. longitudine, quæ fuit stadiorum sexaginta, v.13. *Causa* quæ Dominum impulit ut discipulis istis sese ostenderet cumque eis colloqueretur, fuit pia illorum solicitudo de ipso: quippe qui colloquebantur inter se de istis omnibus quæ circa Dominum evenerant, seq; mutuò rogitabant: quid scil. de isto Jesu esset posthac sibi sentiendum, essétne adhuc habendus pro Christo, an verò alius exspectandus: v.14. & 15. Dominus igitur hac piâ illorum solicitudine motus, se eis aggregavit, ut ipsos illâ levaret, & errorem unde illa oriebatur, eximeret: sicut deinceps intelligetur ex ipsâ apparitionis formâ seu modo. *Forma* igitur seu modus apparitionis hujus narratur à v.15. usque ad 31. & consistit in variis Domini actionibus, nempe tum factis, tum dictis: quæ actiones narrantur numero octo. 1. Appropinquans duobus illis discipulis, unà cum eis iter fecit, v.15. 2. Tenuit oculos eorũ ne ipsum agnoscerent, v.16. 3. Quæsivit ex eis, qua de re colloquerentur & cur essent tristes, v.17. 4. Subjecto sive argumento sermonis & causâ tristitiæ cognitis, refutavit falsam ipsorum opinionem de Christo, unde tristitia illa fuerat orta, v.25.26. & 27. 5. Simulavit, se illis in vico relictis longiùs iturum, v.28. 6. Passus est, se ab illis retineri, v.29. 7. In initio cœnæ, sumto pane, benedixit, id est, gratiis Deo actis illum ad legitimè ac salubriter edendum præparavit, v.30. 8. Gratiarum actione peractâ, panem fregit; & fragmenta duobus illis discipulis porrexit, ibid. *Eventa* istius apparitionis narrantur quinque. 1. Agnoverunt eum in fractione panis, v.31. 2. Ipse ab illis subitò se subduxit atque apparere eis desiit, ibid. 3. Mutuò professi sunt ardorem cordis sui natum ex Domini sermone in via, v.32. 4. Eo ipso momento surgentes, reversi sunt Hierosolymam, & hæc gesta cæteris discipulis exposuerunt, v.33. & 35. 5. Intellexerunt è cæteris discipulis, Dominum conspectum esse Simoni, i.e. Petro, v.34. Porrò actionum ad formam apparitionis pertinentium tertia, illustratur ex eventu peculiari, videl. sermone alterius ex duobus istis discipulis quo ad quęstionem ipsis à Domino propositam respondet, v.18. & deinceps usq; ad 25. Respondet autem ordine ad utramq; quæstionis propositæ partem: & summa responsionis est: Loquimur de iis quæ per hosce dies acciderunt Jesu Nazareno: & tristes sumus quòd spe nostrâ quam de illo conceperamus, falsi sumus. Principio autem discipulus ille Dominum (quem non agnoscebat) objurgat nomine ignaviæ, per quam scil. steterit quò minùs cognoverit ea quæ per illos dies publicè facta erant Jesu Nazareno in urbe, v.18. Deinde Jesum prædicat tum ab officii præstantia, quòd fuerit *propheta:* tum ab administrationis dexteritate, quòd fuerit *potens operibus & sermonibus coram Deo & toto populo,* v.19. Tum narrat quàm indignis modis illum tractârint primores populi, v.20. Quartò exponit causam suæ tristitiæ, nempe quod falsi sint suâ spe, & quidem spe maximi boni: quippe quòd sperârint, illum Jesum fore redemtorem Israëlis, id est, redemturum populum Israëliticum ab inimicis ipsorum: quod scil. fieri ampliùs non possit, quum ille sit è medio sublatus, v.21. Nihil autem spei ab illo restare, probat duobus argumentis: primùm à longitudine temporis, quòd Jesus ille jam ante tertium diem interfectus sit, nec tamen adhuc se redivivum ostenderit, vers.21. Deinde ab ipsius absentiâ è sepulchro: quòd deprehensum sit, eum non ampliùs esse in sepulchro, & tamen ignoretur ubi sit, v.22. & 24. Hoc argumentum amplificat prolepsi nuntii mulierum, quę dixerint sibi apparuisse angelos, & dixisse, illum vivere: quod nuntium ita recitat, ut appareat non habere se illi fidem, v.23. Quarta actio, videl. refutatio falsæ opinionis discipulorum, consistit demonstratione contrarij. Discipulorum opinio concludebatur hoc syllogismo:

Christum non oportet talia & tanta pati.
At Jesus Nazarenus talia & tanta passus est.
Ergo Jesus Nazarenus non est Christus: & per consequens falsò illum speravimus.

Dominus contradicit propositioni, *Imò Christum oportuit hæc pati:* & hanc sententiam primùm illustrat antithesi succedentis gloriæ, v.26. deinde confirmat testimoniis Scripturę, v.27. Ipsam autem conclusionem principalem amplificat reprehensione inde deductâ, quâ discipulos illos reprehendit propter stupiditatem & tarditatem ad credendum scripturis, vers.25. Atque hæc de illustrationibus & amplificationibus pertinentibus ad apparitionis formam.

PRIMÆ PARTIS PARTICULA TERTIA.

Dominus apparet discipulis compluribus congregatis.

36 Hæc autem ipsis loquentibus, constitit ipse Jesus in medium eorum, & dixit eis, Pax vobis.

37 Territi verò illi & expavefacti, putabant *se* spiritum conspicere.

38 Tum dixit eis, Quid turbati estis, & quare disceptationes subeunt corda vestra?

39 Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipse sum. Contrectate me, & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere.

40 Et quum hoc dixisset, ostẽdit eis manus ac pedes.

41 Adhuc autem ipsis non credentibus præ gaudio, & mirantibus, dixit eis, Habetis hîc esculentum aliquid?

42 Tum ipsi porrexerunt ei partem piscis assi, & ex favo apiario.

43 Quæ *ille* accepit, & in eorum conspectu comẽdit.

44 Dixitque eis, Hi *sunt* sermones quos loquutus sum vobis quum adhuc essem vobiscum, oportere impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis, & prophetis, & psalmis de me.

45 Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent scripturas:

46 Et dixit eis, Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die:

47 Et prædicari in ejus nomine resipiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes gentes, incipiendo ab Hierosolyma.

48 Vos autem estis horum testes.

49 Et ecce, ego mitto promissum patris mei super vos. Vos autem manete in urbe Hierosolyma, usquequò induamini robore ex alto.

Primùm notantur tempus & locus & personæ quibus apparuit hac vice Dominus: deinde ipsa apparitionis forma seu modus de-

dus describitur. Tria illa notantur v.36. collato cum tribus versibus proxime-præcedentibus. Verborum enim sententia hæc est; *Hæc autem ipsis loquentibus* (id est, Eo ipso tempore quo duo illi discipuli Emmaünte Hierosolymam reversi, cæteris discipulis isthic congregatis exposuerunt quomodo Dominus ipsis apparuisset in via, & quomodo ab ipsis esset agnitus Emmaünte: eo igitur ipso tempore & loco) *constitit ipse Jesus in medium eorum*, videl. discipulorum Hierosolymæ congregatorum. Forma ipsa apparitionis consistit in decem actionibus, tum factis scil. tum dictis, nempe his. 1. Subitò adstitit in medio ipsorum, v.36. 2. Salutavit eos, dicens, Pax vobis, ibid. 3. Territos ex opinione spectri erexit, & veritatem sui corporis ab essentialibus adjunctis demonstravit, v.38. & 39. 4. Probè sese inspiciendum atque considerandum obtulit, v.40. 5. Ad omnem dubitationem eis eximendam esculentum aliquid postulavit, v.41. 6. Partem piscis assi & ex favo apiario comêdit, v.42. & 43. 7. E scripturis demonstravit, oportuisse se ita pati & resurgere, & oportere ista deinceps in mundo prædicari, v.44.45.46.& 47. 8. Apostolatum illis commendavit, vers.48. 9. Promisit eis missionem Spiritus sancti, vers.49. 10. Jussit eos missionem illam exspectare Hierosolymis, ibid.

SECUNDA PARS.

De Domini in cælum ascensione.

50 Eduxit autem eos foras Bethaniam usque: & sublatis manibus suis, benedixit eis.

51 Et factum est, dum ipse benediceret eis, discessit ab eis, & sursum ferebatur in cælum.

52 Ipsi autem adorato eo, reversi sunt Hierosolymam cum gaudio magno.

53 Erantque semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Amen.

Primùm narratur pars una præparationis; quâ discipuli ad spectandam ascensionem Domini fuerunt præparati: deinde locus unde ascendit: tertiò altera pars præparationis: quartò ipsa ascensionis forma seu modus; quintò eventa. Prima pars præparationis fuit, quòd Dominus discipulos eduxit foras, id est, extra urbem Hierosolymam, vers.50. Locus quò illos eduxit & unde postea ascendit; fuit Bethania, ibid. Altera pars præparationis fuit valedictio, quâ discipulis valedixit, sublatis manibus benedicens eis; hoc est, exoptans illis gratiam Dei, ibid. Ipsa forma ascensionis consistit in duabus actionibus: unâ, quòd â discipulis discessit; alterâ, quòd sursum ferebatur in cælum; v.51. Eventa in discipulis narrantur quatuor: 1. Adorarunt eum ascendentem. 2. Reversi sunt Hierosolymam. 3. Magno gaudio affecti sunt. 4. In templo commorantes Deum laudarunt: duobus versibus ultimis.

SCHOLIA IN CAP. XXIV.

1 Primò autem *die* hebdomadis] τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων. *Ad* μιᾷ *subauditur* ἡμέρα. *Et* μία *ponitur pro* πρώτη, *per synecdochen Hebraicam, quam declaravi in scholiis in Matth.28.1. Et* σαββάτων *ponitur pro* σαββάτου: *ut ibidem ostendi.*

3 Et ingressæ] ϗ εἰσελθοῦσαι. *Scil. in monumentum: quod erat excisum in petra, Matth.27.60.*

4 Tum ecce] ϗ ἰδοὺ. *Conjunctio copulativa pro relativa temporis, more Hebræorum.* Supervenientes adstiterunt eis] ἐπέστησαν αὐταῖς. *quasi dicas, Superstiterunt eis. Sic Act.4.1.* In vestibus] ἐν ἐσθήσεσιν. *Id est, induti vestibus.*

5 Inter mortuos] μετὰ τῶν νεκρῶν. *Vel, apud mortuos. Ad verb.* Cum mortuis.

7 Oportet] ὅτι δεῖ. *Conjunctio* ὅτι *servit mimesi, seu prosopopœiæ.*

8 Illius] αὐτοῦ. *Scil, Domini.*

9 Reliquis] τοῖς λοιποῖς. *Scil. discipulis Domini.*

10 Maria Jacobi *mater*] Μαρία Ἰακώβου. *Supplendum* μήτηρ, *ex Marc.15 40.*

11 Visa sunt] ἐφάνησαν. *Ad verb.* Apparuerunt: *pro* ἐδόκησαν. *Translatio à corpore ad animum. Nam* φαίνεσθαι, *id est, apparere, propriè dicuntur quæ in oculos incurrunt: à nomine* φάος, *id est, lumen. Metaphora apud disertiores quoque Græcos usitata.* Visa sunt apud eos] ἐφάνησαν ἐνώπιον αὐτῶν. *Ad verbum,* Apparuerunt coram eis: *pro, visa sunt eis. Hebraismus.* Neque crediderunt eis] ϗ ἠπίστουν αὐταῖς. *Vel,* Et fidem derogarunt eis. *Hac enim periphrasi videtur satis commodè exprimi vis verbi* ἀπιστεῖν.

12 Surgens] ἀναστὰς. *Quum surrexisset, id est, se accinxisset itineri.* **Er machte sich auff.** Introspiciens] παρακύψας. *Ad verb.* Quum introspexisset. *Sed est enallage temporis: ut apparet ex verbo sequente* βλέπει: *quo significatur, eum vidisse inter introspiciendum. Procumbendi verbum quo vetus interpres usus est, minus recedit à verbo Græco: quod significat capite procumbere & prominere. Ideo autem capite in monumentum prominuit Petrus, ut introspiceret & cognosceret, an corpus Jesu illinc amotum esset. Est igitur metonymia effecti destinati. Lutherus vertit,* **vnd bucket sich hinein**/ *id est, Et incurvavit se intrò. Et sic suprà 13.11.* γυνὴ συγκύπτουσα, *redditur mulier incurva: &* ἀνακύψαι, *sese incurvare.* Quod factum fuerat] τὸ γεγονός. *Id est, quod acciderat de corpore Jesu.*

14 Colloquebantur] ὡμίλουν. *In verbo* ὁμιλεῖν *est hîc duplex synecdoche: una speciei, quatenus* ὁμιλεῖν *significat propriè* versari in cœtu seu multidine hominum, *à nomine* ὅμιλος: *hîc autem capitur in genere pro eo quod est,* Versari cum alio: *Altera generis, quatenus intelligitur hîc,* Colloqui cum alio.

15 Tum ipse] ϗ αὐτὸς. *Copulativa pro relativa temporis, ut suprà v.4.*

16 Ne ipsum agnoscerent] τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτόν. *Scil.* ἕνεκα. *Pro,* ὥστε μὴ ἐπιγνῶναι: *ut scilicet effectus notetur: quanquam etiam illa significatio finis locum habet.* **Auf daß sie jhn nicht erkanten:** *vel,* **Also daß sie jhn nicht erkanten.**

17 Confertis] ἀντιβάλλετε. *Verbum* ἀντιβάλλειν *videtur propriè dici de iis qui quippiam, ut pilam, è regione alter ad alterum projiciunt.*

18 Alter eorum] ὁ εἷς. **der aine.** Tu solus commoraris & ignoras] σὺ μόνος παροικεῖς ϗ οὐκ ἔγνως. *Pro, Tu solus ex iis qui Hierosolymæ commorantur ignoras?*

20 Ut morte damnaretur] εἰς κρῖμα θανάτου. *Ad verb.* Ad judicium mortis. κρῖμα *pro* κατάκριμα *Synecdoche generis.*

21 Israëlem] τὸν Ἰσραήλ. *Id est, Populum Israëliticum, populum Dei Metonymia efficientis.*

25 Ad credendum] τοῦ πιστεύειν. *Scil.* ἕνεκα. *Pro,* πρὸς τὸ πιστεύειν. Ad credendum omnibus] τοῦ πιστεύειν ἐπὶ πᾶσιν. *Pro,* τοῦ πιστεύειν πᾶσιν, *cum dativo scil. rei. Heterosis Hebraica: qualis in illo,* Crediderunt in Domino & in Mose: *Exod.14. vers. ult. pro, Crediderunt Domino & Mosi.* Omnibus quæ loquuti sunt] πᾶσιν οἷς ἐλάλησαν. *Pro,* πᾶσιν ἐκείνοις ἃ ἐλάλησαν. *Græcismus.*

26 Et *ita* introire] ϗ εἰσελθεῖν. *Pro,* ϗ οὕτως εἰσελθεῖν. *Adverbium* ita, *à vetere interprete interjectum, lucem sententiæ affert. Sic enim Paulus Act.14.22. dicebat,* oportere nos per multas tribulationes ingredi in regnum Dei. *Eadem autem est ratio membrorum & capitis. Sic nominatim de ipso Christo Phil.2. v.9.* Quapropter etiam Deus eum extulit &c. *quia scil. antea obediens ei factus fuit usque ad mortem crucis. Simile ellipseos exemplum vide Act.4. v.4.*

28 Quò] οὗ. *Id est, in quem vicum.* Simulabat *se* longiùs ire] προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι. *Subauditur* ἑαυτὸν: *quæ ellipsis apud Græcos usitata & elegans est.*

29 Coëgerunt] παρεβιάσαντο. *Propriè,* Vim attulerunt ei. *Cicero in Lælio:* Vim hoc quidem est afferre. quid enim refert, quâ me ratione cogatis? cogitis certè. Advesperascit] πρὸς ἑσπέραν ἐστί. *Ad verb.* Ad vesperam est: *id est, dies ad vesperam inclinat, ad solis scil. occasum: sicut mox per epexegesin annectitur.*

30 Benedixit] εὐλόγησε. *Id est, gratias egit Deo.* Fractum] κλάσας. *Seu,* Postquam fregisset.

31 Adaperti sunt oculi eorum] διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν. *Non igitur antea erant clausi? Erant quasi clausi, quantum ad agnitionem præsentis objecti. Itaque eatenus fuerunt aperti oculi eorum ut Jesum agnoscerent: sicut mox additur.* Apparere desiit *digressus* ab eis] ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν. *Vel, disparuit* digressus *ab eis. Præpositio* ἀπὸ *omnino innuit ellipsin verbi* ἀπελθὼν, *aut similis: qualis ellipsis Hebræis non est inusitata. Similis ellipsis est in illo Actor.1. v.9.* νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν: *Nubes suscepit eum* & abstulit *seu* subduxit (ϗ ὑπήγαγεν) *ab oculis eorum. Sic Matth.4. v.5.* παραλαμβάνει αὐτὸν εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, *Assumit eum* & transfert (ϗ μεταφέρει *sive* μεταίρει) *in sanctam urbem. Syrus neglecto nomine* ἄφαντος, *ellepsin illam explevit, vertens:* וְהוּ אֶשְׁתְּקֶל לֵהּ מֶנְהוֹן *vehú eschtekél léh menhún: id est,* Et ipse sustulit *sive* subduxit se ab eis: *videl. subitò, & ipsis non animadvertentibus: Non bene redditur,* **Er verschwand**/ *id est, evanuit: sed reddendum,* **Er entzucket sich jhnen:** *vel,* **Er höret auff jhnen zu erscheinen/ vnd gieng hinweg.** *Tolerari tamen potest illa versio, si commodè intelligatur, videl. per metaphoram* κατάχρηστικὴν. *nam sicut quæ propriè loquendo evanescunt, ea oculis nostris apparere desinunt: ita etiam apparere nobis desinunt, quæ ab oculis nostris removentur. Et sic Virgilius verbo* evanescendi *usus est 4. Æneid. ubi de Cyllenio, id est, Mercurio, ab Ænea discedente, sic ait:*

——————Tali Cyllenius ore loquutus,
Mortales visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.

Atque eodem sensu Græci utuntur verbo ἀφανίζεσθαι. *Omnino* ἄφαντος ἐγένετο *hîc idem valet, quod* ἠφανίσθη *apud Plutarchum, ubi ait,* ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη: *id est, à conspectu hominum evanuit, sive disparuit.*

32 Inter se] πρὸς ἀλλήλους. *Sive, alii ad alios.* In via] ἐν τῇ ὁδῷ. *Scil. ambulante cum eis Domino Emmaüntem versus.* In fractione panis] ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. *Id est,* ἐν τῷ κλᾶν τὸν ἄρτον: *interim dum frangeret panem. Lutherus,* **An dem/ da er das broot brach.** *quasi præpositio* ἐν *notet causam procreantem istius agnitionis, sive argumentum ex quo Dominum agnoverint. Et sanè phrasi Hebraicâ id significari hoc loco potest. quam phrasin Græci interpretes retinuerunt, Gen.42. v.33. ubi filii Jacobi narrant patri, quibus verbis dominus Ægypti (is autem erat Josephus frater ipsorum, quem adhuc non agnoverant) ipsos allocutus sit, inter*

alia dicens: Hac re cognoſcam vos eſſe probos &c. *ubi in Hebræo habetur* בְּזֹאת אֵדַע *bezóth edáh: quod Græci ad verbum reddiderunt,* ἐν τούτῳ γνώσομαι, *In hoc ſeu in hac re cognoſcam,* **Hieran wil ich erkennen** *&c. Sed Græci diſertiores hîc utuntur præpoſitione* ἐκ: *ut apud Xenophontem Pæd.8. ait Cyrus,* ἐμοὶ μὲν τοῦ βίου τὸ τέλος ἤδη πάρεστιν· ἐκ πολλῶν τοῦτο σαφῶς γινώσκω: *Id eſt, Mihi quidem vitæ finis jam adeſt: ex multis rebus perſpicuè iſtud cognoſco.*

36 Conſtitit in medium eorum] ἔστη ἐν μέσῳ αὐτῶν. *Pro,* ἔστη εἰς μέσον αὐτῶν. **Er trat mitten vnder ſie.** *Verbo* ἔστη *hîc non notatur quies, ſed motus.*

37 Putabant ſe conſpicere] ἐδόκουν θεωρεῖν. *Scil.* ἑαυτοὺς. *Ellipſis Græca.* Spiritum] πνεῦμα. *Id eſt, ſpectrum,* φάντασμα: *ut vocat Matthæus cap.14. v.26. Synecdoche generis, & metonymia ſubjecti vel efficientis. Intelligitur enim fallax & inanis ſpecies à ſpiritu aliquo malo aſſumta vel effecta.*

38 Subeunt corda veſtra] ἀναβαίνουσιν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν; *Ad verb.* Aſcendunt in cordibus veſtris: *pro* εἰς *vel* ἐπὶ τὰς καρδίας, *id eſt, in corda: ut 1.Cor.2.v.9. Hebraiſmus.* Habere] ἔχοντα. *Ad verb.* Habentem. *Græciſmus.*

44 Hi *ſunt* ſermones] οὗτοι οἱ λόγοι. *Id eſt, hæ ſunt illæ res de quibus loquutus fui. Metonymia adjuncti.* Quum adhuc eſſem vobiſcum] ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν. *Ergóne tum non erat cum eis, quum hæc eis loqueretur?* Utique erat: *ſed non ita ut antè, ut ſcilicet palàm cum eis verſaretur, ut videretur diutiùs manſurus. nam poſt quadraginta dies in cælum aſcenſurus erat: per quod tempus clàm cum eis verſatus fuit, & per intervalla, inſtituens eos de regno* DEI: *Joh.20.21. Act.1.v.3.*

45 Ut intelligerent] τοῦ συνιέναι. *Scil.* ἕνεκα. *Pro,* ὥστε συνιέναι.

47 Apud omnes gentes] εἰς πάντα τὰ ἔθνη. *Pro,* ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, *id eſt, inter omnes gentes.* In ejus nomine] ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. *Id eſt, ex ejus mandato, nam videntur hæc omnino regi à verbo* κηρυχθῆναι.

49 Mitto] ἀποστέλλω. *Id eſt, brevi mittam, ſeu non multis poſt diebus, Act.1.v.5.* Promiſſum patris] τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός. *Id eſt, Spiritum ſanctum: quem promiſi Patrem vobis miſſurum in nomine meo, Johan.14.v.16.17.20. Metonymia adjuncti. Sic Act.1.v.14.* Super vos] ἐφ' ὑμᾶς. *Nam Spiritus ſanctus in ſpecie linguarum ignearum conſêdit ſuper unumquemq; ipſorum, Act.2.v.3.* Manete] καθίσατε. *Ad verb.* Conſidite. *Metonymia effecti deſtinati.* Induamini robore] ἐνδύσησθε δύναμιν. *Robore ſcilicet animi, id eſt, animi magnitudine ad prædicandum Evangelium coram regibus & populis. Hujus roboris clariſſimum exemplum proponitur in Petro Actor.2.& 3.& 4. In tali ſenſu utitur Paulus verbo* ἐνδυναμοῦν, *Philip.4.v.13. ubi ait,* πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ, Omnia valeo per Chriſtum qui me corroborat. Ex alto] ἐξ ὕψους. *Id eſt, à Spiritu ſancto qui mittetur ſuper vos ex alto, videl. è ſummo cælo.*

50 Benedixit eis] εὐλόγησεν αὐτούς. *Id eſt, valedixit eis, commendans eos gratiæ Dei, ſeu exoptans eis gratiam Dei.*

51 Diſceſſit ab eis] διέστη ἀπ' αὐτῶν. *Ad verb.* Diſtitit ab eis. Surſum ferebatur] ἀνεφέρετο. *Quaſi dicat,* ἄνω ἐφέρετο. *Sic Marc.16. v.19.* ἀνελήφθη, *ſurſum receptus eſt.*

52 Ipſi autem] καὶ αὐτοὶ. *Pro,* αὐτοὶ δέ.

53 Semper] διαπαντός. *Id eſt,* διὰ παντὸς χρόνου, *per omne tempus.* Laudantes] αἰνοῦντες. *Scilicet* τὸν Θεὸν, *Deum.* ὑπόζευγμα. Et benedicentes Deum] καὶ εὐλογοῦντες τὸν Θεόν. *Id eſt, laudantes, ut modò dixit. Phraſis Hebraica: quæ tamen in hac ſignificatione ferè adſciſcit dativum.*

OBSERVAT. EX CAP. XXIV.

Quid diſcendum ſit ex hiſtoria reſurrectionis Domini: vide in obſervationibus ex Matth. ultimo. Præter illa autem ex hoc capite diſcenda ſunt hæc:

1 Ex v.14. & ſeqq. Si cupimus ut Chriſtus ſe nobis adjungat & verſetur in medio noſtri, (id quod jam quidem non corpore, ſed ſpiritu fieri ſolet) colloquamur de rebus ad regnum Dei pertinentibus: exemplo duorum illorum diſcipulorum. *Pia colloquia.*

2 Ex verſ.25. & ſeqq. Jeſum illum crucifixum eſſe Chriſtum, probatur ex eo, quòd in ipſo oracula prophetarum de Chriſto impleta fuerunt. *Quod Jeſus ſit Chriſtus.*

3 Ex v.28. Non omnis ſimulatio peccatum eſt: quia & Chriſtus hîc aliquid ſimulavit. *Simulatio.*

4 Ex v.39. Chriſtus rogandus eſt ut nobiſcum maneat, nempe ſpiritu ſuo. nam corpore nunc non vult. *Preces.*

5 Ex verſ.31. Abutuntur hoc loco qui inde conantur probare, corpus Chriſti redditum eſſe inviſibile. neque enim Evangeliſta dicit, Dominum factum ἀόρατον, id eſt, inviſibilem: ſed ἄφαντον, id eſt, non apparentem. Vide ſcholia. *Vindicatio verborum Lucæ, ἄφαντος ἐγένετο &c.*

6 Ex v.32. Dum electis explicantur ſcripturæ de Chriſto atq; ita de æternâ ipſorum ſalute per illum, accenduntur corda ipſorum per Spiritum ſanctum deſiderio proficiendi in cognitione myſterii illius. Quare qui tale deſiderium ex ſcripturarum explicatione atque meditatione experiuntur, inde colligant ſe in numero electorum eſſe. *Electorum proprietas.*

7 Ex verſ.33. & ſeqq. Si quid in cognitione myſterii Evangelii profecimus, cupidè id cum fratribus communicare debemus. *Officium hominis Chriſtiani.*

8 Ex v.37. & ſeqq. De præſentia corporis Chriſti (nempe ſubſtantiali) judicandum eſt ſenſu videndi & tangendi. hanc enim judicandi rationem Dominus ipſe hîc tradit: dum veritatem corporis ſui præſentis à judicio ſenſuum illorum confirmat. *De præſentia corporis Chriſti unde judicandum?*

9 Ex v.44. Libri Moſis, prophetarum & Pſalmorum authentici ſunt, continentes ſcilicet regulam fidei noſtræ: quia ipſius Chriſti ore ſunt approbati. *Libri Moſis, prophetarum & pſalmorũ.*

10 Ex v.47. Duo ſunt principalia doctrinæ Chriſtianæ capita, videl. doctrina de pœnitentia, ex Lege; & doctrina de remiſſione peccatorum, ex Evangelio. *Doctrinæ Chriſtianæ capita principalia.*

11 Ex v.51. Chriſtus ſuo corpore verè ex mundo hoc diſceſſit atque in cælum introivit. *Chriſti abſentia corporalis.*

12 Ex v.52. Chriſtus, ut Deus, adorandus eſt. *Chriſti adoratio.*

13 Ex v.ult. Exemplo Apoſtolorum frequentes convenire in ſacris cœtibus, Deumque pro beneficiis ipſius communi ore laudare debemus. *Conventus eccleſiaſtici.*

F I N I S.

ANALY-

ANALYSIS LOGICA EVANGELII SECUNDUM JOHANNEM: UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS LOCORUM DOCTRINÆ.

ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO, DOMINO ARNOLDO, COMITI IN BENTHEIM, TECKELNBURG ET STEINFURT: DOMINO IN RHEDA ET WEVELINGHOVEN &c. domino suo benignissimo.

JOHANNES PISCATOR

Gratiam & pacem à DOMINO.

ILLUSTRIS *ac generose Comes, domine benignissime. Quemadmodum olim tempore Mosis Deus Israëlitis præcepit, ut ad sacri illius tabernaculi structuram pro facultatibus singuli, quorum animus sponte movisset ipsos, conferrent: unde factum est, ut alii quidem aurum, argentum, gemmas, pannum pretiosum; alii verò pelles arietum aut pilos caprarum contribuerint: Ita dubium videri non debet, quin idem ille Deus hodie quoque singulos Christianos dona ab ipso accepta, ad Ecclesiæ coædificationem velit conferre: maximè verò eos quibus in Ecclesia docendi munus mandatum est. huc enim spectat parabola illa Domini de talentis in fœnore collocandis: itemq; altera accommodari huc speciatim potest, de operariis in vineam conductis. Quum igitur Dominus me quoque in numero docentium esse voluerit: inde ab illo tempore quo docendi provinciam legitimâ vocatione mihi commissam suscepi, omne mihi studium duxi adhibendum, ut in vinea Domini fideliter laborarem, talentum mihi creditum in fœnore collocarem, & denique quicquid pro facultate ab ipso mihi concessa possem, ad tabernaculi illius cælestis, sanctæ inquam Ecclesiæ, structuram atque coædificationem in medium conferrem. Atque hæc ipsa causa me movit, ut sacras literas in schola Herbornensi ad explicandum mihi propositas, non solùm, quàm diligentissimè fidelissimeq; fieri à me potuit, jam per sex annos & eo amplius, auditoribus meis interpretatus sim atque enarrarim: verumetiam virorum piorum & doctorum atque authoritate præditorum judicio fretus, illas meas prælectiones typis chalcographicis describi curarim, atque ita cum pluribus communicarim.*

Etsi autem ista mea munera fortasse non cum auro vel argento, sed cum pellibus arietum aut pilis caprarum comparanda videantur: tamen hoc mihi quidem satis est, quòd Dominus non ipsam muneris præstantiam, sed animum offerentis spectat: quem, si sincerus sit & ipsius honorandi cupidus, acceptum gratumq; habet. Igitur editis per superiores annos quarundam Pauli epistolarum analysibus meis: visum est hoc tempore illis addere analysin Evangelii Johannis: quam sexto ab hinc anno in schola nostra discipulis meis dictavi, nuper autem recognovi atque expolivi. Ad quam quidem divulgandam stimulos mihi addidit hortatus amicorum quorundam, doctrinâ & pietate præstantium virorum: tum verò etiam, quòd putabam, accuratam hujus libri explicationem hoc tempore quammaximè necessariam esse: ut nimirum salutari hujus Evangelistæ de vera Christi domini ac servatoris nostri deitate doctrina, pectora nostra muniamus contra hæresin Arrianorum & Samosatenianorum: quam utramque hæresin diabolus non ita ante multos annos in Transsylvania & Polonia atque Hungaria rursum ab inferis excitavit: qui hæretici utrique veram Christi deitatem, licet diversa ratione diversisq; argumentis, exitiali errore negant & oppugnant. Nos verò salutarem nostram de vera Christi domini ac servatoris nostri deitate fidem, clarissimis Spiritus sancti testimoniis solidissimisq; rationibus, ex verbis tum Evangelistæ & Apostoli Johannis, tum verò ipsius Christi ab illo recitatis, possumus & debemus confirmare. Et sanè operæ pretium facturus mihi videor, si illa testimonia illasq; rationes (saltem plerasq;) hîc recitem, & in omnium piorum conspectum proponam: præsertim quum hic Evangelista id inprimis & ex professo (ut loquuntur) egisse videatur, ut veram Christi deitatem contra Ebionem & Cerinthum jam tum exortos hæreticos quàm studiosissimè assereret.

Ut autem doctrinam hanc compendio proponam: non observabo ordinem capitum hujus libri, sed argumenta omnia ad certa genera revocabo: & quæ ad unum aliquod genus pertinent, ex diversis locis colligam. Ac primum quidem argumenti genus pono ipsa Apostolica pronuntiata, quippe quæ apud nos vim divinorum testimoniorum obtinent. Quid igitur Apostolus Johannes de quæstione proposita pronuntiat? Pronuntiat disertè, Christum esse Deum. Et sermo ille, *inquit* erat Deus, *cap.1.v.1. Quis autem sermo? Nempe ille ipse de quo paulo pòst pronuntiat, ipsum factum esse carnem, id est, assumsisse naturam humanam, & gloriam ejus ab Apostolis conspectam esse, tanquam unigeniti egressi à Patre. Is autem extra controversiam est dominus noster Jesus Christus. Atque hanc ipsam sententiam adhuc expressius enuntiat sub finem epistolæ suæ primæ, quum de Christo loquens ait,* Hic est ille verus Deus. *Sed occurrit in hoc ipso libro alterum quoque pronuntiatum, cap.20.v.28. non quidem ipsius Evangelistæ, sed Apostoli Thomæ, qui* CHRISTO *post resurrectionem ejus conspecto & agnito, exclamavit,* Domine mi & Deus mi. *quam illius pronuntiationem atque confessionem Dominus approbavit.* Deitatis Christi demonstratio.

Secundum argumenti genus duco à Dei natura seu attributis, quæ sunt proprietates ejus essentiales: cujusmodi sunt æternitas, immensitas seu infinitas, omniscientia. Ac æternitatem quidem Christi insinuat Evangelista statim in libri principio, quum ait, In principio erat sermo ille. *Si sermo ille* (id est, Christus) *in principio, hoc est, quum mundus creari inciperet, jam erat: ergo erat ante mundum conditum. Si erat ante mundum conditum: ergo erat ab æterno. Id ipsum significat quoque Johannes Baptista, quum Christo testimonium perhibens, inter alia dicit,* Prior me erat, *c.1.v.15.& 30.*

At secundùm naturam humanam Christus illo erat posterior, quippe junior quinque mensibus. Significat igitur Baptista, Christum se esse priorem secundùm deitatem, atque adeò fuisse ab æterno. Quin Christus ipse æternam suam essentiam innuit: quum Judæis ex ætate ipsius argumentantibus, quòd fieri non possit ut Abraham vidisset, opponit hoc pronuntiatum: cap.8. vers.58. Antequam Abraham existeret, ego sum. *Et adhuc clariùs æternam suam subsistentiam indicat, quum in solenni illa sua precatione quam ut summus Ecclesiæ sacerdos, paulo-pòst sese oblaturus, ad Patrem habuit, glorificari ab illo petit* eâ gloriâ quam habui (*inquit*) apud te priusquam hic mundus exsisteret: *cap.17.vers.5. Jam immensitatem seu infinitatem essentiæ suæ innuit, ubi cum Nicodemo colloquens inter alia dicit, cap.3.v.13.* Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit è cælo, filius hominis qui est in cælo. *At qua ratione Christus tunc erat in cælo? Non certè secundùm naturam humanam, quippe secundùm quam in terra stabat vel sedebat cum Nicodemo: sed secundùm naturam divinam, qua cælum & terram replebat: id quod sibi Jehova apud prophetam Jeremiam tanquam proprium vendicat, cap.24. vers.23. Porrò omniscientiam Christi declarat Evangelista sub finem capitis secundi: ubi quum dixisset, multos in nomen ejus credidisse, eò quòd conspicerent signa quæ edebat: subjungit,* Ipse autem Jesus non credebat se ipsis: eò quòd nosset omnes, nec opus esset ut quisquam ei testaretur de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine. *Quibus verbis satis perspicuè indicat, Christum esse καρδιογνώστην, id est, cordium cognitorem: quod ipsum Petrus quoque ei tribuit: quum post ipsius resurrectionem iterum atque iterum interrogatus, an ipsum amaret: respondit,* Domine, tu omnia nosti: tu nosti, quòd amem te, cap.21.v.17. *At hanc arcanorum atque intimorum cordis affectuum notitiam Jehova sibi vendicat apud Jeremiam c.17. inquiens,* Ego Jehova scrutator cordis, probator renum.

Atque hæc paucis dicta sint de secundo argumentorum genere, quod ducitur à Dei natura seu attributis. Tertium genus sumo à divinis operibus, *quæ suâ vi efficere præter Deum nemo potest: quæ ita distingui possunt, ut eorum alia intelligantur proficisci ab ipsius tanquam creatoris omnipotentia: alia verò manare ex gratia ipsius tanquam redemtoris. Prioris generis sunt creatio conservatioq́; mundi & miracula. De* creatione mundi *testatur Evangelista cap.1. vers.3.* Omnia, *inquit*, per hunc Sermonem facta sunt: & absque eo factum est nihil quod factum sit. *De* conservatione *verò* mundi *exstat illustre pronuntiatum Christi cap.5. ubi contra Judæorum criminationem, de sabbatho per ægroti illius ad piscinam decumbentis sanationem violato, sese defendens, ait:* Pater meus usque adhuc operatur: etiam ego operor. *Porrò* miracula *à Christo edita sunt partim in rebus vita expertibus: quarum vel naturam atque substantiam mutavit, ut quum ex aqua fecit vinum in nuptiis, capite secundo: vel quantitatem auxit, ut quum quinque panes & duos pisciculos in tantum multiplicavit, ut inde saturarentur quinquies mille viri, & superessent fragmentorum cophini duodecim, capite sexto. Partim verò edidit miracula Dominus in hominibus: puta in ægrotis sanandis, mancisve restituendis, atque etiam mortuis excitandis. Capite quarto narratur, quomodo sanaverit filium regii moribundum, corpore absens, pronuntiatis tantùm illis verbis,* Vade, filius tuus vivit. *Capite quinto narratur, quomodo sanum fecerit quendam qui decumbebat ad piscinam Hierosolymis, exspectans turbationem aquæ ab angelo, & quidem tricesimumoctavum annum jam in morbo agens. hunc igitur quomodo sanum fecit? Dixit illi:* Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. *Capite nono narratur, quomodo visum dederit cuidam qui cæcus erat natus. at quomodo?* Spuit humi, & fecit lutum ex sputo; & illevit lutum oculis cæci; dixitque ei, Vade, lava in piscina Siloam. Abiit ergo & lavit, rediitque videns. *Capite undecimo narratur, quomodo excitârit Lazarum, fratrem Mariæ & Marthæ, quum is jam quatriduum in sepulchro jacuisset, & jam oleret. at quomodo rem tantam effecit?* Clamavit voce magna, Lazare, adesdum foras. Tum qui fuerat mortuus, prodiit manus & pedes vinctus fasciis: & Jesu jubente, solutus est & abiit; *ac postea cap.12. Bethaniæ in cœna unà cum Christo & aliis convivis accubuit. Imò quod plus est, ipse seipsum ex morte excitavit: atque hoc ipso miraculo Judæis jam antea cap.2. demonstravit, se potestatem habere repurgandi templum, quod illi mercimoniis exercendis contaminaverant. Etenim quum venditores boum & ovium & columbarum, & numularios flagello è funiculis facto ejecisset; & argentariorum numulos effudisset, mensasq́; subvertisset: rogatus à Judæis, Quod signum ostendis nobis, quòd ista faciendi potestatem habeas? Respondit:* Destruite templum hoc, & triduo erigam illud. Loquebatur autem (*ut Evangelista monet*) de templo corporis sui: *ac proinde quum surrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli istud sibi ab eo dictum fuisse. Atque hæc sunt exempla prioris generis operum divinorum: quæ edidit Christus ut omnipotens creator. Jam opera gratiæ seu potiùs operationes gratiosæ, quas exercet ut misericors redemtor, sunt variæ: ut electio ad vitam æternam, donatio Spiritus sancti, conversio seu donatio fidei & vivificatio cordium, conservatio fidei, exauditio precum, denique donatio vitæ æternæ. De hisce singulis testimonia in Evangelio Johannis passim occurrunt. ut de* electione *ait cap.13. vers.18.* Non de omnibus vobis loquor: ego scio quos elegerim. *quibus verbis Judam Iscariotem à numero electorum suorum excludit. Rursus cap.15.vers.19. ad discipulos ait:* Si ex mundo essetis, mundus quod suum est amaret: quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus. *De* donatione *verò* Spiritus S. *occurrunt hi loci. Capite quartò v.10.& 14. in colloquio cum muliere Samaritana ad fontem, promittit se electis suis daturum aquam vivam: ex qua quisquis biberit, non sitiat in æternum: sed fiat in eo aqua illa fons aquæ salientis in vitam æternam. Per quam aquam intelligit Spiritum sanctum: sicut exponit ipse Evangelista cap.7. v.38. & 39. ubi Dominus promissionem hanc repetens ait,* Qui credit in me: sicut dixit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent ex ventre ejus. *Atque hanc Spiritus sancti donationem ac operationem per illum, insinuavit quoque per suavissimam illam similitudinem, quâ cap.15. sese viti, nos autem palmitibus comparat: significare volens, quemadmodum vitis in palmites succum suum infundit, quo illi & vegetantur & fructuosi redduntur: ita se infundere in nos Spiritum suum, cujus virtute & vegetemur in vita spirituali, & suaves fructus bonorum operum Deo feramus. Sed hanc Spiritus sancti donationem expressiùs promittit sub ejusdem capitis finem: ubi disertè dicit, se missurum à Patre paracletum illum, Spiritum veritatis. Jam quòd Christus* corda convertat, fide donet atque ita vivificet, *affirmat ipse cap.5.v.25. ubi ait:* Veniet tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei; & qui audierint, vivent. *In quibus verbis non loquitur de excitatione corporum: quippe de qua paulò pòst, tanquam diversam ab hac sententiam pronuntians, mentionem facit: sed loquitur de excitatione cordium per vocem Evangelii, qua corda electorum ad Deum convertuntur, fide donantur, atque ita ex morte æterna excitantur & spiritualiter vivificantur. Quòd autem idem Christus* fidem, *postquam illam electis suis semel donavit,* perpetuò conservet, *ne illâ per diaboli tentationes priventur, clarè docet cap.10.v.28. ubi de ovibus suis (id est, electis in ipsum credentibus) sic loquitur:* Ego vitam æternam do eis; nec peribunt in æternum; neque rapiet eas quisquam è manu mea. *Jam quòd Christus* exaudiat piorum preces, *ipse nobis testatum facit suavissimâ promissione, quæ exstat cap.14. v.13. ubi ait:* Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam; ut glorificetur Pater in Filio. *Denique quòd Christus nobis* author *sit* vitæ æternæ, *plurimis in locis testatur, ut cap.3.v.16.* Ita Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit; ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Sic c.6.v.40.* Hæc est voluntas ejus qui

misit

misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: ego verò suscitabo eum ultimo illo die. *Et cap.11.v.25.* Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; & quisquis vivit & credit in me, non morietur in æternum. *Et cap.14.v.6.* Ego sum via & veritas & vita. *Et cap.17.v.2.* Dedisti ei (*ait ad Patrem*) authoritatem in omnem carnem: ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam. *Et cap.20. v.ult.* Hæc scripta sunt (*inquit Evangelista*) ut credatis, Jesum esse Christum filium illum Dei; & ut credentes, vitam habeatis per nomen ejus.

Atque hæc dicta sint de tertio argumentorum genere, quod sumtum est à divinis operibus. Quartum genus petitur à cultu Dei proprio, *id est, qui soli Deo debetur: cujusmodi est fides seu fiducia & adoratio. Maledictus enim in Scriptura pronuntiatur qui confidit in homine, nempe tali qui nil nisi homo sit: & de adoratione præcipitur, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Fiduciam *autem Christus in se collocari vult, quoties credentibus in ipsum vitam æternam promittit: cujusmodi promissiones paulo-antè à nobis sunt recitatæ.* Adorationem *autem sibi ut filio* Dei *ac vero* Deo *exhibitam approbavit tum in illo cui visum donaverat, capite nono; tum in Apostolo Thoma; quum illi apparuisset post resurrectionem, capite vicesimo.*

Sequitur quintum argumentorum genus, quod suppeditat nobis relatio Christi ad Deum patrem; *unde intelligitur illi* ὁμοούσιος, *id est, ejusdem cum ipso essentiæ. quippe quum sit* filius Dei unigenitus, *ut affirmat Evangelista cap.1.v.14.& 18. item quum sit* unum cum Patre; *nempe unius ejusdemq́ essentiæ, ac proinde & potentiæ; sicut ipsemet affirmat cap.10.v.30. Ad hæc quum* Pater sit in ipso, & ipse vicissim in Patre, *cap.10.v.38.& cap.14.v.10.& 11.*

Huc etiam pertinet dulcissima illa promissio quæ exstat cap.14.v.23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus. *Ejusdem generis est, quòd de illuminatione Spiritus sancti loquens ait,* Ille me glorificabit; quia de meo accipiet quod renuntiabit vobis: Omnia quæ habet Pater, mea sunt: propterea dixi, illum de meo accepturum, quod renuntiabit vobis.

Restat sextum argumentorum genus, quod colligitur ex cohærentia sententiarum. *Cujusmodi est sermo ille Domini de cæco nato, cap.9. de quo quum interrogassent discipuli, ipséne ille cæcus, an verò parentes ejus peccatis suis commeriti essent ut ille nasceretur cæcus: respondit Jesus,* Neque iste peccavit, neque parentes ejus (*nempe ut cæcus nasceretur*) sed cæcus natus est, ut opera Dei manifesta fiant in eo. *Et mox addit:* Oportet me operari opera ejus qui misit me. *ubi ex cohærentia sententiarum percipitur: sanationem illius cæci ita fuisse opus Dei patris, ut simul esset opus filii, nempe Christi. Sic cap.11. v.4. de morbo Lazari ait,* Morbus iste non est ad mortem: sed immissus pro gloria Dei, ut per eum morbum glorificetur filius Dei. *ubi gloriam Dei patris sibi communem facit. Cumprimis autem illustris est locus ille qui habetur cap.12.v.39. 40.& 41. ubi Evangelista recitato vaticinio Esaiæ de excæcatione Judæorum nolentium credere in Jesum, subjungit:* Hæc dixit Esaias quando vidit gloriam ejus, *nempe Jesu. At propheta Esaias capite sexto, unde vaticinium illud depromtum est, dicitur vidisse gloriam Domini, id est, Adonai: quod nomen soli Deo tribuitur. Et illi Domino acclamarunt ibi Seraphim, hoc est, Angeli: Sanctus, sanctus, sanctus est Jehova exercituum. unde jam planè efficitur: Jesum esse Adonai seu Jehovam, id est, verum Deum; cui sit laus & gloria in sæcula sæculorum, amen.*

Sed hæc hactenus de singulari hujus libri ad hæc nostra tempora utilitate, dicta sufficiant. Tuo verò nomini, illustris & generose Comes, hunc meum commentarium inscribere volui: ut te merito honore afficerem. Honorari enim ab hominibus literatis merentur illi domini, qui bonas literas ac inprimis sacras in honore habent, & illarum studium suis opibus promovent, ac apud subditos suos publicè tractari, atque etiam liberos suos in illis erudiri curant. quæ omnia in te, generose domine, conspicua sunt. quippe bonis literis ipse adolescens operam navasti Argentorati in patria mea, præceptore usus privatim quidem doctissimo viro Gerhardo Falkenburgio; publicè autem clarissimo viro domino Johanne Sturmio: quem etiam quamdiu vixit (sicut ex filiis tuis intellexi) ut veterem præceptorem coluisti, prudentibus ejus consiliis usus, & solitâ eum munificentiâ prosecutus. Atque hic amor bonarum literarum quem adolescens imbibisti, hauddubiè etiam stimulos tibi addidit, ut publicum literarum ludum & bonarum artium gymnasium ante biennium Schuttorfii aperires; quod quidem gymnasium propter majorem (ut audio) loci commoditatem civiumq́ singularem humanitatem Steinfurtum nuper transtulisti. Jam de dulcissimis pignoribus tuis, tribus, inquam, filiis tuis, generosissimæ indolis maximæq́ spei adolescentibus. Ebervvino-Wirico, Adolpho, & Arnoldo-Jodoco, nuper Heidelbergam studiorum causâ missis, quid dicam? quorum ego educationem in schola nostra Herbornensi jam per annos circiter quinque, tam liberalem, tam ingenuam, tam honestam, tam denique piam conspexi, & pro mea parte adjuvi: ut optimam de illis spem conceperim, fore ut si in præclarè cœpto curriculo strenuè pergant (id quod facturos confido) eximia lumina atque ornamenta sui ordinis evadant. quid dico, evadant? imò jam, pro suâ quidem ætate, in talia lumina evaserunt, lumina, inquam, & exempla eruditionis, modestiæ, humanitatis, pietatis. quo fit ut non liceat eis retrogredi aut subsistere; progredi autem in hoc sapientiæ & pietatis feliciter cœpto cursu omnino ipsos deceat. Deum patrem Domini nostri Jesu Christi oro, ut corda eorum sancto suo Spiritu semper gubernet; ut verâ sapientiâ instituti, & verâ pietate imbuti, aliquando ad Rempub. capessendam quam-instructissimi accedant; & vobis parentibus dulcissimis singulare gaudium adferant. Vale illustris ac generose domine Comes. Herbornæ 16.Martii 1591.

ARGUMENTUM EVANGELII SECUNDUM JOHANNEM.

a Quid singulare habeat Johannes præ cæteris Evangelistis.
b Sermones Christi qui à solo Johanne narrātur.
c Miracula Christi quæ à solo Johanne narrantur.
d Cur hæc historia vocetur εὐαγγέλιον.
e Quando & qua occasione Johannes historiam hāc scripserit.

SICUT *reliqui tres Evangelistæ, sic etiam Johannes historiam vitæ ac mortis Domini nostri* JESU CHRISTI *describit.* a *Hoc tamen singulare habet, quòd multos Christi sermones, à reliquis omissos, quibus ille de persona & officio suo copiosè disseruit, accuratè commemorat: nec non miracula nonnulla, de quibus reliqui prorsus tacent.* b *Ac sermones quidem à solo Johanne descripti, hi sunt: cap.3. sermo cum Nicodemo de regeneratione: cap.4. sermo cum Samaritana de aqua viva: cap.5. sermo cum Judæis de miraculosè sanato eo qui 38. annos decubuerat: cap.6. sermo cum turba de pane vitæ: cap.8. sermo cum Pharisæis in templo, ubi eis exprobrat cæcitatem & malitiam: cap.10. sermo de bono pastore, item de ovibus suis: cap.11. sermo cum Martha de resurrectione: cap.14.15.16. sermo cum discipulis, peractâ ultimâ cænâ, de Spiritu sancto paracleto: cap.17. preces ad patrem pro Ecclesia: cap.20. sermo cum Thoma de fide: cap.21. sermo cum Petro de sui dilectione.* c *Miracula verò quæ apud solum Johannem reperiuntur, sunt ista: cap.2. miraculum aquæ in vinum versæ: cap.5. miraculum sanati ejus qui decubuerat annos 38: cap.9. miraculum sanati cæci à nativitate: cap.11. miraculum excitati è morte Lazari.* d *Vocatur autem hæc historia* εὐαγγέλιον, *id est, lætum ac felix nuntium,* κατ' ἐξοχὴν: *quoniam conscientiis sensu peccatorum consternatis nihil lætius annuntiari potest, quàm gratia Dei in Christo nobis exhibita, sicut historia hæc testatur.* e *Tradit Hieronymus, Johannem novissimum omnium historiam evangelicam scripsisse, idq; rogatum ab Asiæ Episcopis, adversus Cerinthum & Ebionem, qui Christi divinitatem negabant: quam Johannes statim in principio asserit ac demonstrat. Quam etiam ob causam veteres, illi aquilam ex curru Ezechielis appinxerunt: quòd contemplatione deitatis Christi veluti in sublime instar aquilæ subvolet, ac jubar illud majestatis divinæ oculis mentis intueatur.*

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Caput primum in tres principales partes distingui potest. In prima parte describit Johannes personam Christi, usq; ad v.15. In secunda parte describit officium ejus, à v.15. usq; ad 35. In tertia ac postrema parte narrat, quomodo ad fidem in Christum pervenerint Andreas & Simon-Petrus, & Philippus & Nathanaël.

PRIMA PARS.

Descriptio personæ Christi.

IN principio erat Sermo ille, & Sermo ille erat apud Deum: eratque ille Sermo, Deus.
2 Hic *Sermo* erat in principio apud Deum.
3 Omnia per hunc *Sermonem* facta sunt, & absque eo factum est nihil quod factum sit.
4 In ipso vita erat, & vita illa erat lux hominum.
5 Et lux illa in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt.
6 Fuit homo missus à Deo, cui nomen Johannes:
7 Is vēnit ad *dandum* testimonium, *id est*, ut testaretur de illa luce, ut omnes per eum crederent.
8 Non erat ille lux illa, sed *missus fuit* ut testaretur de illa luce:
9 *Hic* erat lux illa vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.
10 In mundo erat, & mundus per eum factus est: sed mundus eum non agnovit.
11 In sua vēnit, sed sui eum non acceperunt.
12 Quotquot autem eum acceperunt, dedit eis *hoc* jus ut filii Dei essent, *nempe* iis qui credunt in nomen ejus:
13 Qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt.
14 Et Sermo ille caro factus est: & commoratus est inter nos, (& spectavimus gloriam ejus, gloriam, *inquam*, ut unigeniti *egressi* à Patre) plenus gratiæ ac veritatis.

QUod ad personam Christi attinet, describit primùm ejus divinitatem, usque ad vers.14. deinde humanitatem, v.14. Statim igitur in principio asserit, Christum (quem vocat * λόγον, id est, Sermonem) esse Deum, & esse personam à Patre distinctam. Deitatem ejus ostendit primùm ex æternitate, ubi ait, *eum fuisse in principio.* Si enim fuit jam tum quum res creatæ esse inciperent; consequens est, eum fuisse ab æterno, ac proinde esse Deum: quum ante res creatas nihil fuerit præter creatorem Deum. Esse autem personam à Patre distinctam, docet his verbis, ubi ait, *eum fuisse apud Deum*, nempe apud Deum Patrem; qui κατ' ἐξοχὴν appellari solet Deus, propter originis principatum. Etsi enim Filius Dei, itemque Spiritus sanctus, Patri coæternus est; tamen uterque à Patre originem habet: Filius quidem per æternam & ineffabilem generationem, Spiritus sanctus verò per æternam & ineffabilem processionem sive emanationem. Tertiò disertè asserit, *Christum esse Deum*, nempe unius essentiæ cum Patre & Spiritu sancto. Λόγον autem, id est, Sermonem appellat Filium Dei, tum quòd est Patris sapientia (sic nominatur Proverb.8.) per quam ille omnia condidit, ut affirmat vers.3. tum quòd est ejusdem legatus ad genus humanum, per quem pater arcanum suum consilium de hominum æterna salute nobis exposuit, ut dicet infrà v.18.

** Nomine λόγου intelligi Christū, apparet ex v.14. & deinceps.*

2 Hic] Repetit primum & secundum enuntiatum, eaque in unum conjungit.

3 Omnia] Addit secundum argumentum ad astruendam deitatem Christi: quod sumit ex effectis, videlicet ex omnium rerum conditarum creatione: quarum facit tres gradus. Nam quædam solummodo *sunt*, ut res inanimæ: quædam etiam *vivunt*, ut res animatæ, nimirum plantæ & animantes: quædam denique *ratione sive luce intelligentiæ insuper præditæ sunt*, ut homines. Quem extremum gradum illustrat antithesi tenebrarum, id est, ignorantiæ, quam homo sibi per defectionem à Deo contraxit.

6 Fuit] Tertium gradum, nempe quòd Christus sit author lucis in hominibus, confirmat testimonio Johannis Baptistæ, cujus officium simul declarat; quod erat, testari de luce illa vera Christo, ut omnes (nempe auditores illius quotquot ad vitam æternam electi erant) per eum crederent.

10 In mundo] Repetit antithesin de ignorantia Dei in hominibus, tum universis, tum nominatim Judæis: eamque ignorantiam amplificat ex causis contrariæ cognitionis, videlicet ædificio mundi & familiari visitatione atque conversatione.

12 Quotquot] Ignorantiæ & incredulitati reproborum Judæorum, opponit fidem electorum: illiusque fidei tum effectum dignitatis & felicitatis plenum exponit, nimirum jus filiorum Dei seu υἱοθεσίαν, id est, adoptionem; tum verò etiam causam efficientem, quæ est regeneratio per Spiritum Dei: quam illustrat antithesi generationis naturalis: ut ostendat, fidem non proficisci ex viribus liberi (quod vocant) arbitrii, sed esse singulare DEI donum mentem illuminantis & ad assensum flectentis.

14 Et sermo] Hactenus asseruit deitatem Christi, nunc asserit ejusdem humanitatem. Affirmat igitur, filium Dei esse incarnatum, id est, assumsisse carnem nostram è carne & sanguine Mariæ virginis: & commoratum esse, ut verum hominem, inter Judæos, maximè discipulos suos: atque ibi rursum inserit argumenta duo deitatis ipsius ab effectis, videlicet miracula ex quibus gloria ejus, id est, majestas divina eluxit: & communicationem gratiæ spiritualis per cærimonias legales olim adumbratæ.

SECUNDA PARS.

Descriptio officii Christi.

15 Johannes testatus est de eo, & clamavit, dicens: Hic est

Hic est de quo dicebam, Is qui me sequitur, antepositus est mihi: quia prior me erat.

16 Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ.

17 Nam Lex per Mosen data est; gratia & veritas per Jesum Christum præstita est.

18 Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille filius qui est in sinu Patris, ille *nobis* exposuit.

19 Hoc autem est testimonium illud Johannis. Quando miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, Tu quis es?

20 Tum confessus est, neque negavit: confessus est, *inquam, dicens*, Non sum ego Christus.

21 Tunc interrogaverunt eum, Quid ergo *es?* Tune es Elias? *Ipse verò* dixit, Non sum. *Et illi*, Es tu propheta ille? Tum *ipse* respondit, Non.

22 Dixerunt ergo ei, Quis *igitur* es? ut responsum demus iis qui miserunt nos: quid dicis de teipso?

23 Ait, *Ego sum* vox clamantis in deserto, complanate viam Domini, prout dixit Esaias Propheta.

24 Qui verò missi fuerant, erant ex Pharisæis:

25 Et interrogaverunt eum, ac dixerunt ei, Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta ille?

26 Respondit eis Johannes dicens, Ego baptizo aquâ; sed in medio vestrûm stat, quem vos nescitis.

27 Hic ille est, qui me sequitur, qui mihi antepositus est, cujus solearum ego non sum dignus ut solvam corrigiam.

28 Hæc in Bethabara facta sunt secus Jordanem, ubi Johannes baptizabat.

29 Postero die videt Johannes Jesum venientem ad se, & ait, Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.

30 Hic est de quo dicebam, Sequitur me vir qui antepositus est mihi: quia prior me erat.

31 At ego non noveram eum: sed ut manifestus fiat Israëli, propterea vêni ego baptizans aquâ:

32 Tum, *inquam*, testatus est Johannes dicens, Conspexi Spiritum descendentem quasi columbam è cælo, *qui* etiam mansit super eum.

33 Et ego non noveram eum: sed qui misit me ut baptizarem aquâ, ille mihi dixerat, Super quem videris Spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu sancto.

34 Ego igitur vidi, & testor hunc esse Filium Dei.

Sequitur secunda pars capitis, ubi tradit doctrinam de officio Christi, primùm in genere ostendens, eum esse nostrum servatorem, quippe qui bonorum omnium affluentiam in se contineat, ita ut nulla salutis gutta aliunde petenda sit: v.15. & 16. Quam sententiam v.17. illustrat antithesi, quâ Christo opponit Mosen: & legem Mosis opponit gratiæ & veritati: qua antithesi docet, in Lege adumbratam duntaxat fuisse spiritualium bonorum imaginem, in Christo verò bona illa solidè præstari: videlicet spiritualem justitiam, quæ consistit in remissione peccatorum & cordis renovatione, Jer.31.v.31.

18 Deum] Expositio officio Christi in genere, nempe quòd sit noster servator, hîc jam exponit primam officii speciem, videlicet officium propheticum, de quo ipse dixit Pilato, infr.18. v.37. *Ego ad hoc natus sum, & ad hoc vêni in mundum, ut dem testimonium veritati.* Deinde quum Apostolos mitteret in totum terrarum orbem ad prædicandum Evangelium, dixit, *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos:* infrà 20.v.21. Sic Paulus Rom.15.v.8. ait, Christum fuisse ministrum circumcisionis, id est, ministrasse Judæis, nimirum docendo eos de seipso, de sua scilicet persona & officio. Sic ipse Christus infrà cap.4.v.34. ait, *Esca mea est, exsequi voluntatem ejus qui misit me, & perficere ipsius opus.* id est, docere homines viam salutis: loquitur enim de sua concione habenda ad Samaritanos. Porrò de hoc prophetico Christi officio ait Johannes: *Deum nemo vidit unquam*, hoc est, nemo unquam cognovit viribus ingenii sui mentem Dei & arcanam illam voluntatem de salute sua æterna. tum addit, *Unigenitus ille Filius*, id est, Christus, *qui est in sinu Patris*, hoc est, qui novit arcana Patris in illius pectore quasi recondita: *Ille*, inquit, *nobis exposuit*, nempe arcanum illud consilium Patris de æterna nostra salute per ipsum.

19 Et hoc] Transit ad reliquas duas officii species, videlicet ad officium sacerdotale & regium: quæ ambo notantur appellatione *Christi*. Christum igitur esse Christum, id est, Messiam illum promissum Patribus, docet testimonio Johannis Baptistæ: cujus reddendi causam primò omnium exponit, videlicet petitionem Judæorum, qui missis ad illum legatis, petiverunt ut sibi confiteretur, ánne esset ipse Christus. Quod quum ille negaret, quæsiverunt essétne Elias, an propheta ille per Mosen promissus, Deut.18. Quod utrumque cùm similiter negaret, petiverunt ut sibi rationem vocationis suæ exponeret. tum Johannes professus est, se missum esse ut viam pararet Christo: sicut prædictum fuerat à propheta Esaia. Cæterùm quum Johannes instituisset novam cærimoniam, videlicet Baptismum: quærunt ampliùs legati, quâ authoritate id faciat, quum nec Christus sit, nec Elias, nec ille propheta. Johannes respondet, se baptizare aquâ: ubi intelligenda est antithesis ex Matth.3. vers.11. nempe Christum baptizaturum Spiritu sancto. Quanquam ista antithesis non prorsus hîc omissa est. Opponit enim hîc sibi ipsi Christum; & testatur, illum jam in medio ipsorum versari: & quanquam ipsum sequatur ut discipulus, tamen decreto divino sibi prælatum esse, idque propter excellentiam cùm personæ, tum officii; quam excellentiam declarat collatione minoris, his verbis, quòd ipse non sit dignus, qui solvat corrigiam solearum ejus, id est, qui vel abjectissimum & maximè servile servitium ei præstet. Ad extremum indicatur locus ubi Johannes hoc testimonium Christo reddidit.

29 Postero die] Sequitur aliud testimonium Johannis Baptistæ de Christo, quod propriè ad officium ejus sacerdotale pertinet. nam digito eum commonstrans, exclamat, *Hunc esse agnum illum Dei, qui tollat peccatum mundi*, hoc est, Jesum esse personam illam, quæ à Deo ordinata sit, ut instar agni immaculati & innocentis mactetur in sacrificium expiatorium pro peccato illo generis humani admisso in paradiso, & omnibus inde ortis peccatis, quæ mactatio per mactationes agnorum sub Lege fuerat adumbrata ac promissa. Deinde vers.30. repetit Johannes Baptista testimonium de excellentia Christi, per collationem inter se & illum, ut suprà vers.15. Postea vers.31. rationem ac finem sui baptismi atque adeò ministerii exponit; se nimirum baptismo ac ministerio suo hoc agere, ut Judæis manifestum reddat Christum, adeoque discipulos illi colligat. Postremò vers.32.33. & 34. testimonium suum de Christo confirmat testimonio divino, quod constat signo visibili, nempe columbâ, quæ in baptismo Christi super eum descendit ac requievit; quæ res testimonium divinum erat, hanc personam à Deo ordinatam esse in Messiam seu Christum, ac proinde donis Spiritus sancti ad hoc officium inungi. unde etiam factum est, ut Christus baptizatus & Spiritu sancto in humana natura unctus, officium suum propheticum, id est, munus docendi aggressus sit, antea tamen ad illud tentatione triplici in deserto præparatus: ut ex ipsa historiæ serie apud evangelistas perspicuum est. Porrò testimonium hoc divinum concludit Johannes tali syllogismo:

Super quem videndus mihi erat Spiritus sanctus descendens ac requiescens, is est Messias: nam hoc dixit Deus, v.33.
Atqui hic Jesus est is super quem videndus mihi erat Spiritus sanctus &c. nam super hunc vidi, v.32. & 34.
Ergo hic Jesus est Messias, v.34.

TERTIA PARS.

Quomodo in cognitionem Christi pervenerint Andreas, Simon-Petrus, Philippus & Nathanaël.

35 Postero die iterum stabat Johannes, & ex discipulis ejus duo:

36 Et intuitus Jesum ambulantem, dixit, Ecce agnus ille Dei.

37 Audierunt autem eum duo illi discipuli loquentem, & sequuti sunt Jesum.

38 Conversus verò JESUS, & conspicatus eos sequentes *se*, dicit eis,

39 Quid quæritis? Illi verò dixerunt ei, Rabbi (quod dicitur, si interpreteris, Præceptor) ubi moraris?

40 Dicit eis, Venite & videte. Venerunt videruntq; ubi moraretur: & apud eum manserunt diem illum. Hora enim erat quasi decima.

41 Erat Andreas frater Simonis-Petri, unus ex duobus qui audierant *illa* ex Johanne, & sequuti fuerant eum.

42 Invenit hic prior fratrem suum Simonem, & dicit ei, Invénimus Messiam; quod est, si interpreteris, unctus ille.

43 Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus dixit, Tu es Simon filius Jona: Tu vocaberis Cephas, quod declaratur Petra.

44 Postero die voluit Jesus abire in Galilæam: invenit autem Philippum, & dicit ei, Sequere me.

45 Erat verò Philippus ex Bethsaida civitate Andreæ & Petri.

46 Invenit Philippus Nathanaëlem, & dicit ei, Invénimus *illum* de quo scripsit Moses in Lege, & Prophetæ, *nempe* Jesum filium Josephi, illum Nazarenum.

47 Tum dixit ei Nathanaël, A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus, Veni & vide.

48 Vidit Jesus Nathanaëlem venientem ad se, & dicit de eo, Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.

49 Dicit ei Nathanaël, Unde me nosti? Respondit Jesus, & dixit ei, Priusquam te Philippus vocaret, quum esses subter ficum, videbam te.

50 Respondit Nathanaël, & dixit ei, Rabbi: tu es ille filius Dei, tu es ille rex Israëlis.

51 Respondit Jesus & dixit ei, Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis? majora istis videbis.

52 Præterea dicit ei, Amen amen dico vobis, Ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes ac descendentes super Filium hominis.

Tertia pars capitis, de quatuor discipulis, quomodo in cognitionem Christi pervenerint. Ac primùm Andreas cum altero quodam, cujus nomen reticetur, motus testimonio Johannis, Christum secutus est. hoc narratur usque ad vers. 42. Deinde Simon-Petrus ab Andreâ fratre ad Christum deductus, vers. 42. & 43. Tum Philippus ab ipso Christo vocatus est: vers. 44. & 45. Postremò Nathanaël à Philippo ad Christum deductus est: v. 46. usque ad finem. Ubi primùm narratur Nathanaëlis incredulitas, nitens argumento patriæ, vers. 46. & 47. Deinde fides, orta ex Christi sermone, tum de animi ipsius affectione, tum de ipsius absentis conspectu, vers. 48. & 49. Tum fidei confessio, vers. 50. Postremò confirmatio in fide à promissione argumentorum majorum, vers. 51. & 52.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 In principio] ἐν ἀρχῇ. *Id est, Quum inciperet mundus condi à Deo. Sic Genes. 1. vers. 1.* Erat] ἦν. *Si jam tum erat: ergo ab æterno erat: nam tempus unà cum mundo cœpit: ante mundum autem fuit æternitas.* Sermo ille] ὁ λόγος. *Id est, Filius ille Dei unigenitus; qui arcanum Dei consilium de nostra salute nobis exposuit: sicut nos per sermonem, animi nostri sensa aliis exponimus. Metaphora. Confirmatur autem hæc expositio ex versu 18. infrà.* Apud Deum] πρὸς τὸν Θεόν. *Scilicet Patrem. Synecdoche generis, quâ scilicet ex vocabulo generali & tribus personis communi intelligitur res specialis & propria, videlicet sola persona deitatis prima.* Eratque ille sermo Deus] καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. *In Græco partes enuntiati materiales, nempe antecedens & consequens, seu (ut vulgò appellant) subjectum & prædicatum, sunt trajecta. Partem autem antecedentem sive subjectum monstrat articulus ὁ. Et nomen Θεὸς sine articulo, accipitur hîc generaliter de ipsa deitatis essentia. Itaque Germanicè vertendum,* Und das Wort war Gott. *Quasi dicat Johannes, Sermo ille non solùm erat apud Deum (πρὸς τὸν Θεόν) scilicet Patrem: sed etiam erat Deus (Θεὸς) scil. unà cum Patre & Spiritu sancto. Hæc expositio confirmatur ex evangelistæ instituto & ipsa sententiarum cohærentia. Planum est enim, propositum evangelistæ esse doctrinam tradere de persona Christi quem vocat τὸν λόγον: de quo per enuntiatum copulativum tria hoc versiculo pronuntiat: sicut ergo duæ præcedentes sententiæ aliquid enuntiant de Logo illo, sic etiam ista tertia.*

4 In ipso vita erat] ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. *Id est, In Sermone illo (nempe in Filio Dei) erat vita, tanquam in fonte: hoc est, Ipse erat vita seu fons vitæ, tribuens scilicet vitam omnibus viventibus creaturis.* Et vita illa erat lux hominum] καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. *Id est, Et ille ipse Sermo qui erat vita; erat quoque lux illuminans homines, nimirum luce rationis: ex collatione versiculi noni. Est autem hoc loco climax seu gradatio rhetorica.*

5 Et lux illa in tenebris lucet] καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει. *Id est, Et ille ipse sermo qui erat lux illuminans homines, lucet in mente hominis jam post lapsum obtenebratæ: nempe tenebris ignorantiæ immersâ: in hac, inquam, lux illa lucet, irradiando scilicet mentem obtenebratam notitiis quibusdam de natura & cultu Dei: nempe Deum esse, & esse bonum, justum, sapientem, omnipotentem &c. ac proinde humillimâ obedientiâ, timore, fiduciâ, ac dilectione colendum esse.* Sed tenebræ eam non comprehenderunt] καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν. *Id est, Sed mens obtenebrata notitias illas quibus à luce illa, hoc est, Filio Dei irradiatur, non fovet, ut inde verum Dei cultum cum sua salute conjunctum exstruat: sed evanescit in disceptationibus suis, ut docet Paulus Rom. 1. v. 21.*

6 Johannes] Ἰωάννης. *De hujus parentibus, miraculosa conceptione, miraculosa exsultatione in utero matris, & miraculis quæ acciderunt in ejus parente quum ipse circumcideretur, vide Luc. 1. De prædicatione verò ejusdem, item de victu & amictu, vide Matth. 3. & Luc. 3.*

7 De illa luce] περὶ τοῦ φωτός. *Nempe de qua dictum est vers. 4. & 5. nimirum de Filio seu Christo. Articulus est ἀναφορικός.* Omnes] πάντες. *Nempe omnes electi Judæi qui ipsum de Christo testantem audirent.* Per eum] δι' αὐτοῦ. *Scilicet Johannem. Sic 1. Cor. 3. v. 5. Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi ministri* PER QUOS *credidistis?*

9 Hic] *Scilicet de quo Johannes fuit testatus, nempe Christus.* Lux illa vera] τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν. *Id est, Lux illa excellentissima ac verè cælestis seu divina, cum qua non sit ulla lux alia conferenda. Simili significatione usurpatur istud epitheton infrà cap 6. v. 32. Pater meus dat vobis panem illum è cælo verum, τὸν ἀληθινόν. & cap. 15. v. 1. Ego sum vitis illa vera, ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή.* Quæ illuminat] ὁ φωτίζει. *Scilicet luce rationis seu intelligentiæ. Nam quò minùs hoc intelligi possit de luce fidei, obstant verba quæ mox sequuntur.* Venientem] ἐρχόμενον. *Nempe per nativitatem ex utero matris.*

10 Sed mundus eum non agnovit] καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. *Hic nomen* Mundi *per ἀντανάκλασιν in diversa significatione accipitur, quàm in proximè-præcedentibus. Illic enim propriè accipitur, & significat res omnes creatas: hîc verò per synecdochen integri de hominibus solis intelligitur.* In sua] εἰς τὰ ἴδια. *Id est, in terram suam; nempe terram Israëlis, & ad populum suum in illa terra degentem. Etsi autem totus terrarum orbis Dei est: tamen singulari ratione Judæa dicitur esse Dei, quia populus ipsi confœderatus illic degebat.* Sui] οἱ ἴδιοι. *Nempe Judæi. Hoc intelligendum est de multo-maxima parte. nam quòd aliqui eum acceperint, testatur versiculus sequens.* Non acceperunt] οὐ παρέλαβον. *Nempe tanquam donum illud Dei: ut ipse Christus se vocat infrà cap. 4. v. 10. hoc est, non crediderunt in eum: sicut ipse evangelista mox exponit in fine versus duodecimi.*

12 Hoc jus] ἐξουσίαν. *Ἐξουσία, ab ἔξεστι, id est, licet, significat jus seu potestatem: Germanicè* macht/ fug und recht. Ut filii Dei essent] τέκνα Θεοῦ γενέσθαι. *Ad verb. Ut filii Dei facti sint. Sic Matth. 5. v. 45. ὅπως γένησθε υἱοί, ut sitis filii. Item Marc. 1. v. 17. ποιήσω ὑμᾶς γενέσθαι ἁλιεῖς ἀνθρώπων, faciam ut sitis piscatores hominum.* In nomen ejus] εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. *Id est, In eum, quatenus per evangelii prædicationem innotuit. nam fides ex auditu est, Rom. 10. Sic Act. 4. v. 12.* Non est aliud nomen sub cælo &c.

13 Ex sanguine] ἐξ αἱμάτων. *Ad verbum, Ex sanguinibus. Hoc verbo & duobus sequentibus in summa hoc vult dicere, Fidem non oriri ex generatione naturali seu carnali, sed ex regeneratione spirituali.* Ex Deo] ἐκ Θεοῦ. *Pro, ὑπὸ Θεοῦ, à Deo. Sic Rom. 11. v. ult. Nam ex eo, ἐξ αὐτοῦ &c. sunt omnia.* Geniti sunt] ἐγεννήθησαν. *Id est, Regeniti per Spiritum sanctum: quæ regeneratio nihil aliud est quàm animi hominis renovatio atque immutatio, ut pulsis è mente tenebris Deum verè agnoscat, & pulsis è corde pravis affectibus ac desideriis, delectetur studio pietatis.*

14 Caro factus est] σὰρξ ἐγένετο. *Scilicet assumendo semen Abrahæ, Heb. 2. vers. 16.* Caro] σάρξ. *Id est, homo. Synecdoche membri, usitata Scripturis.* Commoratus est] ἐσκήνωσεν. *Ad verbum,* Tabernaculum fixit. Gloriam] δόξαν. *Id est, Effecta & signa gloriæ seu majestatis divinæ in eo habitantis. Metonymia efficientis.* Gloriam ut unigeniti] δόξαν ὡς μονογενοῦς. *Id est, Gloriam qualis convenit unigenito Dei filio. Vult dicere: Sicut ipse verè erat unigenitus Dei filius, ita etiam gloriam divinam spectandam præbebat. Vocula ὡς hîc non notat similitudinem, sed veritatem & certitudinem.* Egressi à Patre] παρὰ πατρός. *Ante παρὰ supple τοῦ ἐξεληλυθότος. Hoc enim supplementum videtur postulare præpositio παρὰ: & istâ phrasi utitur Christus ipse de se infrà cap. 16. v. 28. ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρός. Nisi potiùs hîc supplendum, τοῦ γεννηθέντος, id est, geniti.* Plenus gratiæ ac veritatis] πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. *Quid his duobus vocabulis significetur, intelligi potest ex versiculo 17. ubi eis opponitur lex Mosis. Lex autem Mosis* gratiæ *opponitur, quatenus minatur maledictionem & iram Dei transgressoribus:* Veritati *verò, quatenus continebat carimonias, quibus res à Christo præstandæ adumbrantur. Christus ergo conspectus est plenus gratiæ ac veritatis: quia & à maledictione Legis nos liberavit, gratiamq́; Dei impetravit suâ morte & carimonias legis sacrificio suo implevit.*

15 Clamavit] κέκραγε. *Id est, altâ & clarâ voce pronuntiavit, digito illum demonstrans.* Hic est] οὗτος ἦν. *Ad verbum,* Hic erat. *Enallage. Porrò imperfecti temporis verbum modo quodam loquendi videtur referri ad id tempus, quo non ita pridem Johannes de Christo absente verba fecerat, quem tunc præsentem digito demonstrabat. ut si hodie quæram ex aliquo, Quis erat ille de quo heri dicebas? pro, Quis est ille &c.* De quo dicebam] ὃν εἶπον. *Pro, περὶ οὗ εἶπον.* Is qui me sequitur &c.] ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος. *Ad verbum, Qui ponè me venit. Id est, Qui me sequitur, scilicet tanquam discipulus præceptorem. Hoc enim significari ista phrasi Hebræa, colligi potest ex collatione hujus loci cum versiculo duodecimo capitis octavi infrà, ubi Christus ait, ὁ ἀκολουθῶν ἐμοί, οὐ μὴ περιπατήσῃ ἐν τῇ σκοτίᾳ: Id est, Qui sequitur me, nequaquam ambulabit in tenebris. ubi Syrus interpres verba illa,*

batilla, ὁ ἀκολουθῶν ἐμοί, iisdem planè verbis reddit, quibus hoc loco illa, ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, nempe istis, מִן דְבָתְרַי אָתֵא Man debathari athé: id est, Is qui post me venit, hoc est, qui me à tergo insequitur, der mir nachgehet oder nachfolget. Sic Matthæi 16. v. 24. Antepositus est mihi] ἔμπροσθέν μου γέγονεν. Ad verbum, Ante me factus est. Rursum phrasis Hebræa: ubi τὸ γίνεσθαι non significat Fieri simpliciter, sed aliquo modo: ut quum Christus dicitur γενόμενος ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων, factus in similitudine hominum, pro, Similis factus hominibus, ad Philippenses secundo, versu primo. Et adverbium ἔμπροσθεν, non tempus, sed locum notat. Sententia est: Etsi Jesus nunc me sequitur, ut discipulus præceptorem, ac proinde ut inferior superiorem: tamen decreto Dei mihi jam est antepositus; id est, Deus decrevit illum mihi paulo post præferre, ut illius authoritas crescat & mea minuatur, denique ut discipuli illum pro unico magistro agnoscant. Quia prior me erat] ὅτι πρῶτός μου ἦν. Nomen πρῶτος hic ponitur pro πρότερος, per enallagen gradus. His autem verbis rationem exponit Johannes Baptista, cur Deus decreverit Jesum ipsi præferre apud populum: quia nimirum ipso sit præstantior ut æternus Deus. quasi dicat: At meritò quidem Deus illum mihi ita præferre decrevit: quum ipse sit longè me præstantior: quippe qui erat prior me, nempe ut æternus Deus. nam ut homo, Jesus Johanne erat paulò posterior & minor natu: nempe quinque mensibus, ut colligitur ex Luc. 1. v. 26. si is locus conferatur cum præcedentibus.

16 Et ex plenitudine] καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος. Non liquet primâ fronte, utrùm evangelista hæc verba & quæ cum iis cohærent versiculo decimoseptimo & decimooctavo, loquatur in sua persona, an verò pergat recitare verba Johannis Baptistæ, quibus ille testimonium dedit Christo. Infrà quidem capite tertio, versu trigesimoquarto, similem huic sententiam Johanni Baptistæ apertè tribuit, nempe quòd Deus Christo non admetiatur Spiritum: Veruntamen hîc videtur loqui ipse Johannes evangelista. Omnino enim videntur cohærere hæc verba cum fine versiculi decimiquarti: ubi dixit, Christum inter Apostolos commoratum esse, plenum gratiæ ac veritatis: Nunc sententiam illam illustrans & amplificans addit, Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Præterea idem liquet ex ipsa sententia. nam (ut rectè D. Beza observavit) ii quos tum alloquebatur Baptista, Christum adhuc ignorabant: & ut Christi officium nonnulli didicissent, tamen perobscura erat hæc cognitio: ut causa non videatur fuisse satis idonea cur uteretur particulâ universali, & quidem præterito tempore potiùs quàm præsenti aut futuro. Porrò plenitudinem intelligit copiam sive abundantiam donorum Spiritus sancti quibus Christus secundùm humanam naturam fuit repletus, idque in hunc finem, ut ea cum fidelibus communicaret. quod ipsum significatum fuit unctione summi sacerdotis: cujus caput quum perfunderetur pretioso illo & fragrantissimo oleo, redundavit illud ac destillavit in barbam ipsius & oram vestium ejus: sicut de Aharone expressè dicitur psalm. 133. Hæc plenitudo donorum spiritualium in Christo, per species declaratur Esaia undecimo, versu secundo & tertio. Omnes] πάντες. Nempe nos omnes, quotquot in ipsum credimus. Accepimus] ἐλάβομεν. Nempe dona Spiritus sancti: unusquisque scilicet pro mensura donationis Christi, ut Apostolus loquitur ad Ephesios quarto, versu septimo. Et gratiam] καὶ χάριν. Videtur Et idem hoc loco valere atque Et quidem. nam apparet esse amplificationem ex collatione majorum. quasi dicat, Non solùm accepimus, sed accepimus magnâ copiâ. Gratiam pro gratia] χάριν ἀντὶ χάριτος. Mihi quidem probatur expositio eruditi illius (quisquis est) viri: qui, ut refert D. Beza, sic explicavit: Gratiam supra gratiam: ut ἀντὶ sit positum pro Hebræorum עַל hál. Etsi enim fortasse in libris Hebræorum nusquam ponitur עַל hál pro תַּחַת thahath, quæ vox respondet Græcæ ἀντὶ: tamen hoc est certum, reperiri locum Novi Testamenti, in quo Hebræa particula עַל hál reddita est præpositione ἀντὶ: nempe Ephes. quinto, versu trigesimoprimo, ἀντὶ τούτου: quod Hebraicè est עַל־כֵּן hál-chén, Gen. 2. v. vigesimoquarto. Unde probabiliter saltem dici potest, Johannem similiter quod Hebraicè dixisset חֵן עַל חֵן hén hál hén, id Græcè reddidisse χάριν ἀντὶ χάριτος. At objiciat quispiam, hæc non esse similia. nam ἀντὶ à Paulo adhiberi ad significandum causam, à Johanne non item: si scilicet ἀντὶ exponatur per supra. Fateor, ista hactenus dissimilia esse: veruntamen eatenus similia sunt, quatenus uterque pro עַל hál posuit ἀντὶ. id quod de illo quidem certum est; de hoc autem verisimile. Deinde & hoc addo, posse illud, ἀντὶ χάριτος, etiam de causa exponi: & quidem de eodem genere causæ quod Paulus notavit, nempe de causa impulsiva: quasi dicatur, χάριν διὰ χάριν, id est, Gratiam propter gratiam. sicut Paulus dicit, ἀντὶ τούτου, pro διὰ τοῦτο: quomodo Græci verterunt psalm. 1. vers. 5. eas ipsas voces עַל־כֵּן hál-chén. Atque ita hic locus exponendus erit ex illo dicto Christi: Habenti dabitur, & exuberabit, Matthæi decimotertio, vers. duodecimo. Nam etsi propriè loquendo Deum ad augendum fidelibus sua dona non impellit ipsorum pietas, id est, quòd donis sibi jam datis rectè utuntur: sed omnia Dei dona mere gratuita sunt, id est, ex mera ipsius gratia proficiscuntur: tamen quin istud per ἀνθρωποπάθειαν Scripturæ usitatam de Deo dicatur, nihil vetat. Accepimus igitur gratiam propter gratiam: gratiam consequentem propter rectum usum gratiæ antecedentis: ac proinde accepimus gratiam supra gratiam, ita ut gratiis Dei cumulati simus. Non planè dissimile huic est loquendi genus, quo utitur Apostolus Rom. 1. v. 17. ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Porrò quò minus hic locus exponi debeat de veteri ac novo federe, quasi illa per vocabulum gratiæ repetitum inter se opponantur: obstare videtur, quòd sequente versu Vetus fedus nomine Legis significatur: eique gratia (quo nomine significatur fedus novum) opponitur. Non igitur probabile est, vetus fedus hoc loco gratiam quoque nominari. Nec verò ista expositio confirmari potest ex particula causali, ὅτι, in principio sequentis versus. nam sequitur tantùm illustratio ejus quod dixerat, nos accepisse per Christum gratiam. Istud sequente versu illustrat antithesi Mosis: per quem scil. non gratia data sit, sed Lex, quæ teste Apostolo iram operatur: & umbras tantùm continebat gratiæ in novo federe donandæ.

17 Lex] ὁ νόμος. Nempe Lex Dei quod notat articulus, vim habens διαχειλικλω. Intelligendæ sunt autem omnes leges à Deo per Mosen datæ populo Israëlitico: inprimis autem moralis & cærimonialis. id quod colligitur ex antithesi: ubi legi morali opponitur gratia, cærimoniali autem veritas. Gratia] ἡ χάρις. Nempe gratia Dei quâ electis remittit peccata & eos regenerat per Spiritum sanctum. Hæc gratia annuntiatur per evangelium: & opponitur Legi, in qua Deus minatur maledictionem transgressoribus, nec vires auditoribus præbet ad perfectè eam præstandam. Veritas] ἡ ἀλήθεια. Id est, res ipsa per cærimonias Legis significata atque adumbrata. Sic Hebr. 10. v. 1. Lex dicitur habuisse umbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Per Jesum Christum præstita est] διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. Quatenus nimirum is sacrificio suæ mortis, per sacrificia Legis præfiguratо, expiavit peccata electorum, eisque impetravit favorem Dei; unde is & peccata eis remittit, & spiritu suo eos regenerat.

18 Vidit] ἑώρακε. Id est, Cognovit: nempe quantum satis est ad vitam æternam: quippe quæ in cognitione Dei consistit, infrà 17. 3. Intellige autem, Cognovit, scilicet per se seu viribus & acumine sui ingenii. nam credentes cognoverunt ex patefactione, sicut docet sequens antithesis. Metaphora & synecdoche generis. Unigenitus] ὁ μονογενής. Pro, ἀλλ' ὁ μονογενής, Sed unigenitus. Ellipsis conjunctionis adversativæ: ut intelligitur è sententiarum inter se collatione, quæ connectuntur per antithesin. In sinu] εἰς τὸν κόλπον. Pro, ἐν τῷ κόλπῳ. Heterosis sacris scriptoribus usitata. Et ἀνθρωποπάθεια, id est, metaphora (eaque metonymica) à natura & moribus hominum: qui dicuntur in sinu habere, si quid habent arcanum, & in sinu fovere si quid habent charum. Significatur ergo, Filium Patri intimum esse, ita nimirum, ut & unicè charus ei sit, & arcana ipsius consilia teneat. Ille] ἐκεῖνος. Epanalepsis πλεοναστική, Johanni usitata; quæ scilicet antecedens enuntiati per pronomen repetitur. Sic infrà vers. 33. ἀλλ' ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι, ἐκεῖνός μοι εἶπεν &c. Similis epanalepsis, per pronomen τοιοῦτος facta, reperitur 1. Cor. 5. v. 5. Hunc autem evangelistæ morem quidam non attendentes, legendum censent, ἐκεῖνον: ut scilicet referatur ad nomen Θεόν. At duriuscula phrasis fit, ἐξηγεῖσθαι Θεόν, Exponere Deum: pro τὰ περὶ Θεοῦ, vel τὰ πρὸς γνῶσιν Θεοῦ ἀνήκοντα: id est, ea quæ sunt de Deo, quæve pertinent ad cognitionem Dei. Exposuit] ἐξηγήσατο. Scilicet, ut modò diximus, τὰ περὶ Θεοῦ. Porrò τὸ ἐξηγεῖσθαι, pro exponere seu enarrare, dictum ex eo puto: non quia ὁ ἐξηγητής, id est, is qui aliquid exponit atque enarrat, discipulum ad cognitionem rei introducat (quod Græcè est εἰσάγειν, unde Porphyrii εἰσαγωγή) sed quòd res obscuras ac latentes quasi è tenebris in lucem educat atque proferat. quâ ratione apud Latinos quoque exponere dicuntur qui rem obscuram declarant, quòd eam quasi extrà seu foris & in conspectu ponant: quum antea lateret abscondita. quo modo & institores suas merces exponere dicuntur.

19 Hoc autem] καὶ αὕτη. Pro, αὕτη δέ. Redit ad commemorationem testimonii Johannis, quam paucis proposuerat vers. 15. deinceps verò pleniùs & per circumstantias testimonium illud exponit. Nam quo minùs vertendum sit, Hoc etiam: quasi superiori testimonio hic alterum adjungatur, obstat primùm ipsa ratio loquendi, quâ hoc loco utitur evangelista, nimirum non dicens, Καὶ αὕτη ἐστὶ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου: id est, Hoc quoque testimonium est Johannis. Omisso scilicet articulo ante nomen μαρτυρία ut subaudiatur τις. Sed dicit: Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου: id est, Et hoc (vel hoc autem) est testimonium illud Johannis, scilicet, cujus paulo antè mentionem facere cœpi. Adjuto scilicet articulo, vim habente ἀναφορικήν. Itaque textum hunc sic judico distinguendum: Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου. Ὅτε ἀπέστειλαν οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων ἱερεῖς καὶ Λευΐτας, ἵνα ἐρωτήσωσιν αὐτόν, Σὺ τίς εἶ; καὶ ὡμολόγησε &c. Id est: Hoc autem est testimonium illud Johannis. Quando miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, Tu quis es? tum confessus est &c.

20 Tum] Καὶ. Conjunctio copulativa hic more Hebræorum servit annectendo consequenti enuntiati relativi temporis: itaque idem valet quod τότε: quum in antecedente sit ὅτε. Confessus est] ὡμολόγησε. Sic malo quàm, Professus est. nam profitemur ul-

trò: confitemur rogati. *Cic. pro Cecinna, loquens de Ebutio: Quid confitetur: atque ita libenter confitetur, ut non solùm fateri, sed etiam profiteri videatur, Recuperatores?* Neque negavit] καὶ οὐκ ἠρνήσατο. *Emphatica ejusdem sententiæ aliis verbis repetitio.* Non sum ego Christus] ὅτι οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ χριστός. *Conjunctio ὅτι servit mimesi: quam equidem hîc retinendam censeo, quia sic magis declaratur, quàm simpliciter ac planè responderit Johannes.*

21 Propheta ille] ὁ προφήτης. *Articulo rectè expresso: qui est διακριτικός, & respicit ad promissionem Deut.18.v.15. ubi singularis quispiam propheta, ab omnibus audiendus (videl. ipse Christus) à Mose describitur.*

23 Ego sum vox clamantis] ἐγὼ φωνὴ βοῶντος. *Vide scholia nostra in Matth.3.v.3.*

26 Aquâ] ἐν ὕδατι. *Ad verbum,* In aqua. *Hebraismus: nam Hebræi literam Beth, quæ respondet Græcorum præpositioni ἐν, nominibus præfigunt ad notandum instrumentum. Sic Matth.3.v.11.* βαπτίζειν ἐν ὕδατι: *item* ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί.

27 Qui me sequitur] ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος. *Vide suprà scholia ad v.15.* Cujus solearum ego non sum dignus ut solvam corrigiam] οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος. *Syntaxis subobscura propter verborum trajectionem. Sententia tamen facilis est. Græca verba sic construenda:* ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος ἵνα λύσω τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος αὐτοῦ. *Ubi notandum, pronomen* αὐτοῦ *redundare ex more Hebræorum, quum præcesserit* οὗ *in principio sententiæ. Latinorum autem verborum syntaxis hæc est: Ego non sum dignus ut solvam corrigiam solearum ejus. pro quo postremo verbo dicitur* Cujus. *Magis perspicua fuerit oratio, si sic verba colloces: Cujus solearum corrigiam ut solvam, ego dignus non sum.*

28 Secus Jordanem] πέραν τοῦ Ἰορδάνου. *Vel, Secundùm Jordanem: id est, in ripa Jordanis. Intelligenda autem hîc ripa citerior respectu Hierosolymorum, ut in qua situm fuerit oppidum Bethabara: quippe situm in tribu Ephraim: sicut observavit D. Bezæ. Non rectè igitur hoc loco alii vertunt,* Trans Jordanem. *Omnino vox* πέραν *apud Evangelistas respondet Hebraicæ* עֵבֶר *hêber: quâ Hebræi utuntur etiam quum locum citeriorem notant: ut Deut.1.v.1. Ista sunt verba quæ locutus est Moses universo Israëli cis Jordanem,* בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן *behéber hajardén. ad verbum, in transitu Jordanis.* Baptizabat] ἦν βαπτίζων. *Ad verbum,* erat baptizans. *Sic Marc.1.v.4.* ἐγένετο βαπτίζων, *pro* ἐβάπτιζε.

29 Postero die] τῇ ἐπαύριον. *Subaudi* ἡμέρᾳ. *Latini etiam dicunt per adverbium,* Postridie. *item per nomen* postero, *non addentes* die: *sicut doctissimus Lipsius annotavit ad lib.4. Annalium Taciti.* Ecce agnus ille] ἴδε ὁ ἀμνός. *Pro,* οὗτός ἐστιν ὁ ἀμνός: *hic est agnus ille.* Agnus ille] ὁ ἀμνός. *Videlicet eximius ille agnus & singularis, qui per agnos sacerdotii Levitici adumbratus est.* Agnus ille Dei] ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ. *Id est, persona illa à Deo ordinata in victimam, ut scilicet instar agni mactetur & offeratur ad expiandum peccata electorum. Genitivus adjuncti. Vocatur ergo Christus agnus per metaphoram ductam ab agnis qui mactabantur in veteri Testamento. nam quemadmodum isti agni mactabantur ad expiandum peccata cærimonialiter: ita Christus mactatus est ad expiandum peccata reipsâ.* Qui tollit] ὁ αἴρων. *Id est, aufert. nempe à credentibus: quatenus nimirū pro illis mactatus & sacrificatus est in cruce. Vel* portat. *scil. expiandi gratiâ: quo modo dicitur de hirco illo qui Christi typus fuit, Levit.16.v.22.* Et portabit hircus ille super se omnes iniquitates eorum &c. *Et sic de Christo etiam ipso dicitur Esa.53.v.4.* Morbos nostros ipse portavit, & dolores nostros bajulavit. *Item v.11.* Et iniquitates eorum bajulabit. *Item v.12.* Et ipse peccata multorum portavit. *Similiter loquitur & Petrus 1.Pet.2.v.24.* Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Peccatum mundi] τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. *Id est, peccatum illud cujus totus mundus reus est, seu totum genus humanum: nempe quod commisimus in paradiso: de quo Apostolus Rom.5. à vers.12. usq; ad finem capitis. Per synecdochen autem metonymicam simul intelligenda sunt cætera peccata, ex primo illo orta. nam* sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato: *1.Johan.1.v.7. Item,* Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi peccatis: *1.Joh.2.v.2.*

30 Sequitur me] ὀπίσω μου ἔρχεται. *Vide suprà ad v.15.*

31 Israëli] τῷ Ἰσραήλ. *Id est, populo Israëlitico. Metonymia efficientis usitata.* Veni] ἦλθον. *Scilicet missus à Deo: ut suprà v.6.* Aquâ] ἐν ὕδατι. *Ut suprà v.26. Sic infrà v.33.*

32 Spiritum] τὸ πνεῦμα. *Nempe Spiritum sanctum. quod innuit articulus* διακριτικός. Quasi columbam] ὡσεὶ περιστεράν. *Lucas cap.3.v.22. addit,* σωματικῷ εἴδει, *corporeâ specie. E quibus verbis,* εἴδος *&* ὡσεὶ, *colligat aliquis, non fuisse veram columbam. Sed verba illa referuntur ad Spiritum sanctum: ut doceatur, eam non esse corporeâ specie in sua natura, nec esse columbam: sed tunc apparuisse & conspectum esse Johanni in illa columba, tanquam specie atque imagine quadam: quum ipse suâ naturâ sit* ἀόρατος. *Sic in die Pentecostes apparuit in linguis igneis: de quibus dicitur Act.2.v.3.* Et visæ sunt eis dispertitæ linguæ instar ignis, ὡσεὶ πυρός. Mansit] ἔμεινεν. *Id est, ad tempus requievit: non continuè rursum disparuit & avolavit.* Super eum] ἐπ᾽ αὐτόν. *Scil. Jesum.*

33 Spiritum] τὸ πνεῦμα. *Id est, columbam, symbolum Spiritus. Metonymia subjecti pro adjuncto, nempe rei signatæ pro signo.* Spiritu sancto] ἐν πνεύματι ἁγίῳ. *Ut suprà v.26.* ἐν ὕδατι.

36 Ecce agnus] *Vide suprà v.29.*

37 Eum] *Nempe Johannem Baptistam.* Loquentem] *Id est, Pronuntiantem verba illa de Jesu, Ecce agnus ille Dei.* Sequuti sunt Jesum] *Nempe ex fide quam modò hauserant ex auditu prædicationis Johannis.*

38 Conversus &c.] *Imago pulcherrima summæ humanitatis ac facilitatis in Christo: qui prior alloquitur eos quos sibi adhærere novit.*

40 Diem illum] τὴν ἡμέραν ἐκείνην. *In Græco subauditur* κατά, *in Latino* per. *quæstio enim est,* Quamdiu. Quasi decima] ὡς δεκάτη. *Id est, Circiter decima. ac proinde non nisi duæ horæ illius diei restabant. nam Judæi diem in duodecim horas distinguebant: infrà 11.vers.9.*

42 Unctus ille] ὁ χριστός. *Germanicè* Der gesalbte. *Nam ut Evangelista Græcè scribens, vocem Hebræam declaraturus, convenienter exposuit per Græcam: sic etiam convenit ut quivis interpres eâ linguâ vocem illam declaret, in quam ipse Græca transfert.*

45 Civitate] ἐκ τῆς πόλεως. *Id est,* ἐκ τῆς πατρίδος, *ex patria. Sic Luc.2.v.3. & 4. Synecdoche generis.*

46 *Illum* de quo scripsit Moses &c.] ὃν ἔγραψε Μωσῆς &c. *Scil.* ἐλεύσεσθαι, *venturum esse. Periphrasis Christi: qualis alibi ista,* ὁ ἐρχόμενος, *ut quum discipuli Johannis Jesum interrogant: Tune es* ὁ ἐρχόμενος, *ille qui venturus est?* Filium Joseph] τὸν υἱὸν τοῦ Ἰωσήφ. *Loquitur ex vulgari opinione: nam revera non fuit filius Josephi, sed solius Mariæ virginis, Josepho desponsa.*

47 A Nazareth potest aliquid boni esse?] Ἐκ Ναζαρὲθ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι; *Interrogatio innuit negationem. Syllogismo concludit tali:*

Ex Nazareth non potest esse aliquid boni.
At Christus est aliquid boni, imò autor omnium bonorum.
Ergo Christus non est ex Nazareth. Et per consequens, Jesus ille Nazarenus non est Christus.

48 Verè Israëlita] ἀληθῶς Ἰσραηλίτης. *Id est, genuinus filius Israëlis: hoc est, pius, insistens vestigiis sinceræ pietatis Israëlis seu Jacobi patriarchæ. Confer Rom.9.6.*

50 Israëlis] τοῦ Ἰσραήλ. *Id est, populi Israëlitici, qui est populus Dei. Metonymia efficientis.*

51 Credis?] πιστεύεις; *Bene convenit interrogatio, quâ innuitur admiratio Christi, admirantis fidem Nathanaëlis: ut qui statim crederet, uno tantùm miraculo Christi (nempe visione absentis) cognito. quasi dicat Christus: Si credis, unico hoc miraculo motus: quantò magis crediturus es, quum videbis miracula mea isto majora?*

52 Dico vobis] λέγω ὑμῖν. *At modò præcessit,* Dicit ei, λέγει αὐτῷ. *Verùm quòd hîc dixit Dominus Nathanaëli, id cæteris quoq; dixit qui unà aderant.* Ascendentes ac descendentes &c.] *Id est, Videbitis me mira opera edere virtute cælesti ac divinâ, in quibus angeli mihi ministraturi sunt. nam eum de miraculis suis loqui, ex occasione dicti colligitur: quam sumsit ex verbis versus præcedentis,* Majora istis videbis. *Simul autem significat, per illa miracula se declaratum iri Christum sive Messiam, hoc est, illum per quem hominibus electis ascensus in cælum pateat, sicut per scalam Jacobo olim in somnio visam significatum fuit: Gen.28.*

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINÆ EX CAP. I.

1 Ex v.1. & 18. Quùm Christus sit Sermo ille, per quem nobis Pater suum de nostra salute consilium exposuit: ergo eum audiamus, dum adhuc quotidie per prædicationem Evangelii nos alloquitur. *Christiani hominis officium.*

2 Christus in una eademque persona Deus & homo est. Est enim Filius Dei unigenitus, qui homo factus est. Versu 1. expressè nominatur Deus: ubi dicitur, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Deinde deitas ipsius confirmatur certis argumentis: ut ab æternitate, ubi dicitur, *In principio erat Sermo ille.* Si enim quum mundus inciperet, filius Dei jam erat: igitur ab æterno erat. deinde à rerum omnium creatione, v.3. & 10. Quo utroque argumento utitur & Paulus Coloss.1. v.15.16.17. Præterea deitatem Christi innuit Johannes Baptista, quum ait, eum sibi esse prælatum, v.27. & 30. item expressè eum profitetur filium illum Dei, nempe unigenitum, vers.34. Adhæc Christus ipse deitatem suam patefecit, dum tanquam καρδιογνώστης suam de integritate sive sinceritate Nathanaëlis sententiam pronuntiavit, eumque absentem sub ficu vidit: v.48. & 49. Porrò de humana natura in unitatem personæ à filio Dei assumta, testatur Evangelista v.14. *Christi persona.*

3 De unitate essentiæ Dei & distinctione personarum in illa una essentia. Patrem & Filium esse personas inter se distinctas, liquet ex verbis Evangelistæ, quibus testatur, Filium fuisse apud Patrem, vers.1. & 2. item per Filium à Patre omnia esse condita, v.3. & 10. Filium autem ejusdem esse cum Patre essentiæ, liquet ex eo quòd dicitur non solùm fuisse apud Deum, id est, apud Patrem, qui est unicus ille & verus Deus; sed etiam ipse dicitur fuisse Deus, nempe ille ipse unicus & verus Deus, v.1. *Deus.*

4 Ex vers.5. Etsi mens hominis naturali luce rationis atque intelligentiæ est prædita: tamen tantis ignorantiæ tenebris immersa *Natura humana corrupta.*

mersa est, ut filium Dei conditorem suum non possit per naturam seu naturali ingenii vi cernere atque cognoscere. De qua cognoscendi impotentia testatur etiam Paulus 1.Cor.2.v.14. *Animalis homo non capit &c.*

Evangelii descriptio. 5 Ex v.7.8.9.14.15.26. 27.29.30. 34.36. Evangelium est testimonium de luce illa vera, id est, de Filio Dei manifestato in carne: quòd nimirum ipse sit Christus, qui oblatione suiipsius expiare debuerit atque expiaverit peccata omnium electorum totius mundi.

Ministri verbi Dei. 6 Deus per ministros verbi efficax est, efficiens nimirum in cordibus electorum fidem per prædicationem ipsorum. Sicut hic de Johanne dicitur, eum venisse ad dandum testimonium de illa luce, ut omnes per eum crederent. Confer similem sententiam 1.Cor.3.v.5. *Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis?*

Fidei effectum. 7 Ex v.12. Fide adoptamur à Deo, ita ut simus filii Dei: quia fide scimus, filium Dei unigenitum assumtione nostræ naturæ factum esse nostrum fratrem, ut nobis suâ morte conciliaret paternum favorem Dei, nosque hæredes Dei, suos verò cohæredes efficeret, Heb.2.v.14. Gal.4.v.5. Eph.1.v.5. Rom.8.v.17.

Fidei origo. 8 Ex v.13. Fides non oritur ex generatione carnali, sed ex regeneratione spirituali: quum scil. Spiritus sanctus per prædicationem Evangelii illuminat corda cognitione mysterii de salute æternâ per Christum partâ, simulque ea imbuit fiduciâ acquiescente in gratia Dei per mortem Christi reconciliata. Sic Matth.16. quum Petrus suam de Christo fidem confessus esset, nempe ipsum esse Christum, filium illum Dei viventis: excipit Christus, *Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & sanguis hæc non revelavit tibi: sed Pater meus qui est in cælis.*

Natura humana corruptio. 9 Ex v.16. Quum Christus ideo plenus sit cælestium gratiarum ac spiritualium bonorum, ut nos ab illo accipiamus: sequitur, nos bonorum illorum à natura inopes & vacuos esse.

Bona spiritualia. 10 Ex eod.v. Quum Deus in solo Christo, quicquid est spiritualium bonorum, residere voluerit: sequitur, simul atque à Christo discessimus, frustra nos vel guttam unam spiritualis ac cælestis boni quærere. Caveamus igitur, ne ista bona apud angelos aut sanctos homines quæramus.

Bona cælestia. 11 Ex eod.v. Quum Christus sit inexhaustus fons cælestium bonorum: minimè timendum est, ne quicquam nobis desit, si modò ex ipsius plenitudine hauriamus. Haurire autem licet fide & invocatione ex fide profectâ.

Gratia Dei. 12 Ex v.17. Gratia, quæ per cærimonias Legis fuit adumbrata, per Christum reipsa est præstita: videlicet gratuita peccatorum remissio & renovatio cordis. Cujus quidem gratiæ fideles sub Lege quoque (sed non tantâ copiâ) fuerunt participes: *Christus enim est heri, hodie & usque in sæculum.* Confer Col.2.v.17. & Heb.10.v.1.

Cognitio Dei. 13 Ex v.18. Salutaris Dei cognitio non nisi ex evangelio haberi potest.

Evangelii descriptio. 14 Ex eod.v. Evangelium est doctrina per unigenitum Dei filium patefacta, qua exponitur arcanum Dei consilium de salute electorum per Christum.

Sacramenta. 15 Ex v.26. In Sacramentis diligenter distinguendum est inter actionem Ministri & actionem Christi. Minister tantummodò dispensat terrenum elementum: quemadmodum hoc loco ait Johannes, Se baptizare aqua. Christus autem per Spiritum sanctum efficax est in cordibus electorum, & intus implet quod Minister exteriùs figurat. Sicut idem Johannes de Christo dicit, Ipsum baptizare Spiritu sancto, infra v.33. Errant igitur qui putant, Ministros in dispensatione sacræ Cænæ non solùm panem & vinum, sed etiam ipsum corpus & sanguinem Christi dare: quum solus Christus hæc det, quatenus per Spiritum sanctum confirmat communicantium fidem: qua fide solâ cibus ille & potus spiritualis edi ac bibi potest.

Justificationis causa meritoria. 16 Ex v.29. Res illa qua peccata omnium totius mundi electorum expiata sunt, eorumque remissio illis à Deo impetrata, est unicum illud Christi sacrificium in cruce oblatum. Solus enim Christus est agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi: dum scilicet in cruce mactatus & oblatus, expiavit tum peccatum originis, tum omnia inde orta peccata electorum. *Sanguis enim Christi purgat nos ab omni peccato*, 1.Joh.1. Hinc sequitur, solam obedientiam mortis Christi nobis ad justitiam coram Deo imputari: quippe quum justitia illa, qua coram Deo consistimus, in remissione peccatorum sit posita: sicut docet Paulus Rom.4. vers.6.& 7.

An corpus Christi in pane sacræ cænæ sit præsens. 17 Ex vers.32. Sunt qui doceant, sicut columba quam Johannes vidit, symbolum fuit Spiritus sancti præsentis, sic panem sacræ Cænæ symbolum esse corporis Christi præsentis. Sed sciendum, non esse hic parem rationem. nam quum Spiritus sanctus ubique sit, consequens est, fuisse quoque in ista columba: at corpus Christi non est ubique, sed unò tantùm in loco, & jam quidem in cælo: ac proinde nequaquam in pane sacræ cænæ. Deinde columba illa symbolum fuit non præsentiæ illius substantialis, qua Spiritus sanctus ubique est: sed præsentiæ cujusdam singularis, nempe singularis operationis, qua Christi animam donis suis replevit: at talis præsentia corpori Christi attribui non potest.

18 Ex vers.33. Sicut columba, quam vidit Johannes super Christum descendere, appellatur Spiritus, quia fuit symbolum Spiritus, id est, signum unde cognosceretur, Spiritum sanctum suis donis Christum replevisse ac repleturum: sic panis sacræ Cænæ dicitur esse corpus Christi, quia est symbolum corporis Christi, id est, signum, unde cognoscitur, corpus Christi pro nobis esse crucifixum. *Qua ratione panis sacræ cænæ dicatur esse corpus Christi.*

19 Ex v.37.40.42.43.46.47. Quum primùm audivimus testimonium evangelii de Christo, agno illo Dei seu Mediatore; officii nostri est, continuò illum sequi, id est, fide eum recipere, & in ejus cognitione proficere studere, item alios quoque ad ipsius cognitionem adducere. Vide Esa.2.v.3. *Christiani hominis officium.*

20 Ex v.49.&50. Miraculorum Christi usus est, ut ex illis agnoscatur esse filius Dei & rex ecclesiæ. *Miracula Christi.*

ANALYSIS CAP. II.

Argumentum.

Duæ sunt hujus capitis partes: In prima describit evangelista primum miraculum Christi, quod edidit in nuptiis in Cana Galilææ, ubi aquam in vinum convertit: in altera narrat: quomodo Christus repurgarit templum, & quomodo factum illud suum defenderit apud Judæos.

Prima Pars.

Convertit aquam in vinum.

Die autem tertio nuptiæ factæ sunt in Cana *oppido* Galilææ: eratque mater Jesu illic.

2 Vocatus est autem etiam Jesus ac discipuli ejus ad nuptias illas.

3 Et quum defecisset vinum, mater Jesu dicit ei, Vinum non habent.

4 Dicit ei Jesus, Quid mihi tecum, mulier? nondum vênit hora mea.

5 Dicit ejus mater ministris, Quodcunque dixerit vobis, facite.

6 Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, positæ secundùm purificationem Judæorum, capientes singulæ amphoras binas aut ternas.

7 Dicit eis Jesus, Implete has hydrias aquâ. Impleverunt eas igitur usque ad summum.

8 Tunc dicit eis, Haurite nunc, & offerte architriclino. Obtulerunt igitur.

9 Ut autem gustavit architriclinus aquam illam quæ facta fuerat vinum, (nesciebat autem unde esset: sed ministri sciebant, qui hauserant aquam) vocat sponsum architriclinus;

10 Et dicit ei, Omnes primo loco bonum vinum apponunt, & postquam *convivæ* affatim biberint, tunc id quod minus bonum *est*: tu servasti bonum vinum usque adhuc.

11 Hoc initium signorum fecit Jesus in Cana *oppido* Galilææ, & manifestam fecit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli ejus.

In describendis nuptiis, in quibus Christus primum suum miraculum edidit, indicatur primò *tempus*: nuptias illas factas esse die tertio, videlicet postquam Jesus testimonium publicè accepisset à Johanne Baptista: ut percipitur ex collatione hujus versiculi cum versiculo 29.35.& 36. capitis præcedentis. Secundò indicatur *locus*, videlicet Cana Galilææ. Tertiò, *convivæ*: videlicet mater Jesu, Jesus ipse & discipuli ejus. Quartò, *occasio miraculi*: videlicet defectus vini, & admonitio matris. Quintò, *quid Jesus matri monenti responderit*: quo quidem responso reprehendit matrem ob usurpationem nimiæ authoritatis, ut quæ ipsi vellet præscribere opis ferendæ tempus: simul tamen spem facit, se suo tempore opem laturum. Sextò, *quomodo se gesserit mater Jesu ad illam reprehensionem* hortata est ministros, ut jussis Jesu obtemperarent: quo ipso significavit, se & reprehensionem illam æquo animo ferre, & ex verbis Jesu spem opis concepisse. Septimò indicantur *miraculi editi causæ instrumentales*: nempe vasa & ministri; *item materia*, nempe aqua. Ministri sex hydrias jussu Christi repleverunt aquâ. Octavò narratur *testimonium architriclini*: qui vini ex aqua illa orti præstantiam & gustatu cognovit, & verbis apud sponsum professus est: illique testimonio conciliatur fides ex eo, quòd architriclinus ignorabat, unde istud vinum esset allatum: quo significatur, illum non laudasse istud vinum in gratiam Jesu tanquam ex compacto, sed simpliciter dixisse quod sentiebat. Nonò subjicitur *epiphonema*, quo miraculum hoc commendatur *ab effectu duplici*: primus est manifestatio gloriæ Jesu, id est, demonstratio deitatis ipsius: alter à priore dependens, confirmatio fidei discipulorum.

SECUNDA PARS.

Repurgat templum.

12 Postea descendit Capernaüm, ipse & mater & fratres & discipuli ejus: manseruntque illic non multos dies.

13 Nam propè erat pascha Judæorum. Ascendit igitur Jesus Hierosolymam.

14 Et invênit in templo venditores boum & ovium & columbarum, & numularios sedentes.

15 Factoque flagello è funiculis, omnes ejecit è templo, & oves & boves: & argentariorum numulos effudit, mensasque subvertit.

16 Et columbarum venditoribus dixit, Tollite hinc ista: ne facite domum patris mei domum mercatus.

17 Recordati sunt autem ejus discipuli, scriptum esse, Zelus domus tuæ devoravit me.

18 Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quòd ista facias?

19 Respondit Jesus, & dixit eis, Destruite templum hoc, & triduo excitabo illud.

20 Dixerunt ergo Judæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est templum istud; & tu triduo illud excitabis?

21 At ille loquebatur de templo corporis sui.

22 Postquam ergo excitatus fuit à mortuis, recordati sunt discipuli ejus quòd hoc dixisset eis: & crediderunt Scripturæ, & sermoni quem Jesus dixerat.

23 Quum autem esset Hierosolymis in pascha, in festo; multi crediderunt in nomen ejus, conspicientes signa ejus quæ edebat.

24 Ipse autem Jesus non credebat eis semetipsum, eò quòd nosset omnes:

25 Nec opus esset, ut quisquam ei testaretur de homine. ipse enim sciebat quid esset in homine.

Sequitur historia de repurgatione templi: ubi primùm designatur *tempus*, quo hoc gestum fuit, nempe paulò post nuptias illas in Cana Galilææ, idque paulò ante festum paschæ: v. 12. 13. deinde *occasio rei gerendæ*; videlicet præsentia eorum qui vendebant boves & oves & columbas, item numulariorum, vers. 14. Tertiò *instrumentum & ipsa rei gestio*, vers. 15. & 16. Quartò exponitur *ratio facti*: quia nolit ferre istum templi abusum: quippe quòd sit exstructum, ut ibi invocetur Pater: non autem ut ibi exerceatur mercatus, vers. 16. Quintò exponitur *eventus duplex*: unus in discipulis, alter in Judæis incredulis. Discipuli admirati sunt Domini zelum, & recordati sunt verborum Psalmi 68. Zelus domus tuæ devoravit me, vers. 17. Increduli Judæi cum Domino expostularunt, postulantes signum, id est, miraculum, quo demonstraret, se à Deo templi ita repurgandi accepisse potestatem, v. 18. Christus promittit miraculum suæ resurrectionis: sed iis verbis quæ isti aliò detorquent & irrident, vers. 19. 20. 21. 22. Postremò narratur *effectus miraculorum, quæ Christus tunc temporis ediderat*: nempe quòd multi professi sint se in illum credere, vers. 23. Sed fidem illam non fuisse sinceram, probatur testimonio Christi tanquam καρδιογνώστου, v. 24. 25. Porro hòc loco notandum est, historiam quam de repurgatione templi narrant cæteri Evangelistæ, ab hac diversam esse: quoniam illa sub tempus mortis Domini accidit: Matth. 21. v. 12. & Luc. 19. v. 45. Unde intelligimus, Dominum bis à profanâ istâ ac fœdâ negotiatione purgasse templum: semel circa legationis suæ exordia; iterum verò cùm è mundo migraturus esset ad Patrem. Primùm considerandi sunt fines propter quos negotiatio ista vendendi pecudes & columbas in templo à Judæis instituta fuerit. Finis apparens adeoque prætextus erat, ut in promtu quisque haberet quod offerre posset Domino. Finis verus erat, ut sacerdotes ex multitudine oblationum ditescerent. Deinde considerandæ sunt causæ, cur negotiatio ista Christo displicuerit, ac proinde templum ab illâ purgarit. Una causa fuit, quia sacerdotes isto mercatu ad quæstum & avaritiam suam (ut diximus) abutebantur. Altera eaque præcipua causa fuit, quia hoc instituto declinarant à mandato Dei. Deus enim templum ordinarat ad preces & cultum suum, non autem ad mercatum. Sed quæritur, cur Christus munus suum propheticum non potiùs inchoarit à doctrina? Respondeo, quia templi possessionem quodammodo adire voluit, ac divinæ suæ authoritatis documentum statuere. Atque ut omnes ad ejus doctrinam attenti essent, torpentes ac sopitas mentes novo & insolitò ac authoritatis pleno facinore expergefieri oportuit. Præterea quum doctrinæ puritatem restituere vellet, operæ precium fuit ut se templi dominum comprobaret.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Tertio die] τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ. *Scilicet postquam Johannes Baptista secundò testimonium dedisset Jesu: ex collatione vers. 36. & 44. capitis præcedentis.*

3 Vinum non habent] οἶνον οὐκ ἔχουσι. *Quasi dicat: Ergo pro divina tua potentia vinum procurato: ne scil. dedecore aliquo afficiatur sponsus. Synecdoche metonymica: qua unà cum causa intelligitur effectum.*

4 Quid mihi tecum?] τί ἐμοὶ καὶ σοί; *Ad verb. Quid mihi & tibi? Hebraism. Verba repellentis ac reprehendentis curiositatem.* Mulier] γύναι. *Q. d. In hoc negotio non agnosco te pro matre, cui debeam obedientiam.* Hora mea] ἡ ὥρα μου. *Id est, illud temporis momentum, quod mihi à Patre destinatum est, ut in eo potentiam meam miraculo declarem.*

6 Hydriæ] ὑδρίαι. *Non fuerunt urcei, Germanicè* krüge: *ut infrà 4. v. 24. sed fuerunt labra, sive solia, seu vanni: sic dictæ ab usu, quòd repleri solerent aquâ ad lavandum. Græcè* λουτῆρες badwannen. *Vide scholium sequens.* Secundùm purificationem Judæorum] κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ἰουδαίων. *Id est, ad usum purificandi legalem, Judæis usitatum: qui se lavare solebant aquâ, si quid immundum attigissent.* Amphoras] μετρητάς. *Nempe amphoras Atticas, non autem Romanas. Scripsit enim Johannes non in Italia, nec Latinè: sed in Asia, & Græcè. Et omnino* μετρητὴς *Græcis amphoram Atticam significat, quæ Romanam urnâ superabat, continens tres urnas. Jam duæ urnæ (seu amphora Romana) faciunt omam Argentinensem: viginti autem Argentinenses omæ faciunt culeum; Germanicè* ein fuder. *Hinc perspicitur, hydrias istas cepisse culeũ plus minus. Nam si ceperunt singulæ metretas binos, ceperunt omas Argentinenses octodecim, id est, culeum minus duabus omis. nam bis sex metretæ sunt duodecim metretæ: duodecim autem metretæ sunt octodecim omæ: quum singuli metretæ sint tres urnæ, id est, oma una & dimidia. Si verò ceperunt singulæ hydriæ metretas ternos, ceperunt omas Argentinenses 27. id est, culeum & 7. omas: ut liquet, si superiori summæ sex metretas addas. Sic enim erunt ter sex, id est, octodecim metretæ. Hinc porrò liquet, hydrias istas non fuisse urceos qui manu gestarentur: sicut vulgò hæc historia pingitur. Sed fuerunt vasa lata & patula, è quibus posset hauriri: sicut percipitur ex v. 8. Ac videntur fuisse labra, unde manu haurirent aquam sese more Judaico purificaturi: quum dicantur istæ hydriæ positæ fuisse secundùm purificationem Judæorum, hoc est, ita ut servirent illi purificationi. Potest* μετρητὴς *hoc loco verti cadus. Sic enim Plinius nomen illud vertit ex Dioscoride.*

10 Bonum vinum] τὸν καλὸν οἶνον. *Pro,* τὸν κρείττω, *id est, melius: ut apparet ex antithesi. Subjungitur enim,* τὸν ἐλάσσω. Affatim biberint] μεθυσθῶσι. *Id est, vim vini senserint, seu vini potu exhilarati fuerint. Neque enim hoc loco intelligenda est illa plus quàm belluina vini ingurgitatio, quâ nonnulli vinum reluctante etiam naturâ ingurgitant: sed liberalis vini potus quatenus eo cor exhilaratur. Atque sic verbum* שָׁכַר *schachár quod vertitur Inebriari, accipitur Genes. 43. v. ult. de fratribus Josephi cum illo convivantibus. Imò idem verbum quandoque nihil ampliùs videtur significare quàm explere sitim: ut Haggai primo, v. 6. ubi propheta populum alloquens, inter alia dicit:* Comeditis, sed non ad saturitatem: bibitis, sed non ad ebrietatem. *Ubi ex antithesi clarè perspicitur: sicut saturitas dicitur, quum quis satis edit & famem explevit, ita dici ebrietatem, quum quis satis bibit & sitim explevit.* Tu] σύ. *Id est,* σὺ δέ: *tu verò. Antithesis habens vim reprehendendi, quòd sponsus ille non observasset morem receptum. Quasi dicat, Non ita debuisti facere.*

11 Hoc initium signorum fecit] ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων. *Id est, Hoc primum Jesu signum est, quod fecit in Cana &c. Signum pro miraculo, per synecdochen generis. nam miracula servorum Dei, signa sunt ac testimonia divinæ vocationis & missionis ipsorum: quòd scil. à Deo vocati & missi sint ad docendum.* Et manifestam fecit] καὶ ἐφανέρωσε. *Id est, Atque ita manifestam fecit. Sic Luc. 24. v. 26.* Nónne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam? *id est, atque ita introire.* Gloriam suam] τὴν δόξαν αὐτοῦ. *Videlicet, Gloriam ut unigeniti à Patre: suprà 1. 14. Id est, deitatem suam, seu, majestatem suam divinam. nam ejusdem potentiæ est (nempe divinæ) creaturas mutare seu transformare, cujus est creare.* Et crediderunt] καὶ ἐπίστευσαν. *Id est, Unde crediderunt. hoc est, in fide confirmati sunt: quòd nimirum ipse esset Christus seu promissus ille Messias. Quippe jam antea credere inceperant, ut percipitur ex cap. præcedente, v. 42. & deinceps. Metonymia subjecti. Sic infrà cap. 14. v. 29.*

12 Fratres] οἱ ἀδελφοί. *Id est, cognati. Synecdoche speciei. Hebræis usitata.*

13 Pascha Judæorum] τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων. *Id est, Pascha festum Judæorum,* τὸ πάσχα ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων. *Sicut loquitur integrè infrà cap. 6. v. 4. Nomen* πάσχα *ortum est ex Hebræo* פֶּסַח *pesahh: quòd significat transitum seu transsilitionem. Concurrunt autem hîc in una voce tres tropi: primùm synecdoche generis, quatenus nomine transitus intelligitur transitus Domini in Ægypto, transeuntis domos Israëlitarum, dum percuteret primogenita Ægyptiorum. deinde metonymia subjecti, quatenus intelligitur illius transitus signum memoriale, videl. agnus certâ cærimoniâ jugulari & comedi*

& comedi solitus. tum altera metonymia subjecti, quatenus intelligitur tempus, quo iste agnus solebat jugulari & comedi.

15 Flagello] φραγέλλιον. *Græca vox desumta est ex latina. sic alibi* λέντιον, σπεκουλάτωρ, κουστωδία*: ex Latinis, linteum, speculator, custodia.*

17 Zelus domus tuæ] ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου. *Id est, Zelus quo fui accensus pro domo tua, ut scilicet domui tuæ seu templo constaret legitimus ad usus gloriam tui nominis. Genitivus objecti.* Devoravit me] κατέφαγέ με. *Exhausit succum meum vitalem, emaciavit me.*

18 Responderunt] ἀπεκρίθησαν. *Catachresis Hebræa, pro, Cœperunt loqui. Sic Matth.17.v.4.* Signum] σημεῖον. *Id est, miraculum, ut suprà v.11.* Signum quòd hæc facias] σημεῖον ὅτι ταῦτα ποιεῖς. *Id est, Signum quo demonstres quòd hæc faciendi potestatem habeas à Deo. Ellipsis, & metonymia subjecti.*

20 Quadraginta & sex annis &c.] τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν. *Isti anni ita videntur supputandi, ut initium fiat à primo anno regni Artaxerxis. Testatur enim Esdras cap.4. diebus Artaxerxis (videlicet Longimani) impeditum esse opus domus Dei, & mansisse impeditum usq; ad annum secundum regni Darii (videlicet Nothi) regis Persidis: vers.7. & 24. Deinde idem testatur capite 5. (sicut & Haggæus cap.1.) anno secundo Darii, Zorobabelem opus diu intermissum resumsisse. Denique cap.6. vers.15. testatur, templum absolutum esse anno Darii sexto. Hinc jam colliguntur isti anni 46. ad hunc modum:*

Artaxerxes Longimanus regnavit annis——40
Templum sub initium regni Artaxerxis inchoatum,
absolutum est anno successoris regis Darii——6

Summa 46

Ex qua supputatione apparet, comprehendi omnes annos à principio superstructionis super fundamenta usq; ad finem, connumeratis annis ædificationis interruptæ atq; impeditæ. Simile exemplum exstat Esdr.5. vers.16. ubi inimici Judæorum in literis ad Darium inter alia sic scribunt: Tunc (*scilicet post edictum Cyri*) Schesbazar veniens posuit fundamenta domus Dei: atque ex eo tempore huc usque ædificatur, nec dum est absoluta. *Attamen constat ex cap.4. vers. ult. ædificationem illam fuisse impeditam per annos 41.* Templum istud] ὁ ναὸς οὗτος. *At templum istud ædificatum erat ab Herode; priore, quod à Zorobabele reædificatū fuerat, destructo: & ædificatio illa absoluta fuit spatio novem annorum & dimidii, si credimus Josepho libr.15. Antiquitat. Judaic. cap.ult. Igitur apparet, templum illud Herodis habitum fuisse pro templo illo secundo: propterea quòd in eodem loco fuit exstructum: idq; citra mandatum Dei: ut potiùs habita sit ratio templi ex mandato Dei, ibi antea exstructi à Zorobabele & successoribus illius. Veruntamen Egesippus lib.1. cap.35. testatur, Herodem templum illud tantummodo exornasse.*

21 De templo corporis] περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος. *Genitivus notans speciem, resolvendus per appositionem, nempe, De templo quod est corpus ipsius: ut illud infrà cap.11. v.13.* Dormitio somni: *item illud Rom.4. v.11.* Signum circumcisionis.

22 Quem] ᾧ. *Pro,* ἐκείνῳ ὅν. *Græcismus.*

23 Crediderunt in nomen ejus] ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. *Pro, Crediderunt in eum. Metonymia adjuncti. nam nomen personæ adjunctum est. Porrò crediderunt hic vel exponendum, Professi sunt se in eum credere: nam non omnes illos verè in eum credidisse, arguunt verba sequentia, ubi dicitur, Christum se illis non credidisse. Vel exponendum,* Crediderunt ei: *agnoscentes scil. eum pro doctore divinitus misso, ac proinde doctrinam ipsius tanquam veram amplectentes & laudantes, sicut cap. seq. vers 2. Nicodemus ex signis, id est, miraculis Jesu colligit, ipsum venisse doctorem à Deo. Atq; sic fuerit heterosis & catachresis in ista phrasi: qualis etiam exstat Exod.14. v.ult. ubi dicitur populus credidisse in Mosen (sic enim sonat textus Hebræus) veruntamen fiduciam suam in Mose non collocarunt: id quod illâ phrasi propriè significatur.* Signa] τὰ σημεῖα. *Id est, miracula: ut suprà v.11.*

24 Non credebat eis semetipsum] οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς. *Elegans* ἀντανάκλασις. *nam idem verbum repetitur diversâ constructione & significatione.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 Convivia nuptialia esse licita. Alioquin enim Christus hoc convivium nuptiale suâ præsentiâ non approbasset. Idem sentiendum de conviviis ad benevolentiam testandam hilaritatis gratiâ institutis: qualia erant illa filiorum Jobi; dummodo luxus caveatur. Sic Christus conviviis Pharisæorum non semel interfuit. *Convivia nuptialia.*

2 Quòd Christus matrem suam asperis verbis reprehendit, non est trahendum in exemplum. nam fecit id quatenus erat dominus matris; quippe ejus creator, ac proinde Deus: quippe qui deitatem suam mox ipso facto, nempe miraculo, erat demonstraturus. Similis reprehensio matris exstat Luc.2. v.49. ubi quum mater ei dixisset, *Fili, cur ita fecisti nobis? Ecce pater tuus & ego cruciati quærebamus te:* respondit, *Quid est quòd quærebatis me? an nesciebatis quòd in eis quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Sic Matth.12. v.46. quum inter docendum admoneretur, foris stare matrem & fratres, quærentes ejus colloquium; respondit, *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et protensâ manu suâ in discipulos dixit, Ecce mater mea & fratres mei &c.* Hoc tamen in genere nobis discendum est ex isto Christi exemplo, quòd gloriæ Dei omnia postponere debeamus, adeò ut ne reverentiæ quidem, aliàs parentibus debitæ, rationem habeamus. Agebatur enim in isto casu gloria Dei: quæ fuisset obscurata, si Christus visus fuisset miraculum illud ex monitu & imperio matris edidisse. *Liberorum erga parentes officium.*

3 Valde perversum esse & insanum judicium Papistarum, qui Mariam matrem Domini ipsi Domino anteponere non verentur: quippe cui publicè accinunt hæc verba, *Roga patrem, jube natum, & jure matris impera.* Ejusdē generis est, quòd eam appellant *reginam cœli, spem, vitam & salutem mundi*: honorem Christi proprium ad Mariam transferentes, planè contrà quàm ipse fecit. *Papistarum error de matre Domini.*

4 Modestia Mariæ nobis imitanda est: quæ reprehensionem Domini quantumvis asperam, æquo animo fert: quippe quæ petit à ministris, ut jussis Domini pareant. Simile ejusdem Mariæ exemplum exstat Luc.2. v.51. ubi dicitur verba Domini conservasse in corde suo. *Modestia.*

5 Notanda dissimilitudo inter verum hoc miraculum Christi & fictitium miraculum Papistarum in Missa; ubi ajunt, panem transsubstantiari in corpus Christi. At, inquam, si hoc esset verum: tum corpus Christi peractâ transsubstantiatione ibi sentiretur, panis autem non ampliùs sentiretur: sicut hìc peractâ transsubstantiatione aquæ in vinum, vinum sentiebatur, aqua non item. *Transsubstantiatio Papistica.*

6 Conjugium placere Deo: quippe quod Filius Dei non solùm suâ præsentiâ in nuptiis ornavit, sed etiam primo suo miraculo honoravit, adeoque eximio beneficio conjuges illos novos ditavit. Quum enim vini ab eo creati fuerit culeus plus minus, & convivæ jam sitim explevissent: probabile est, maximam illius vini partem remansisse in novorum conjugum usum. Heb.13. v.4. *Honorabile est conjugium in omnibus &c.* Contra Papistas: qui interdicunt conjugium sacerdotibus. *Conjugium.*

7 Ebriosos non habere ex verbis architriclini quod vitio suo prætexant. neque enim quicquid in sacris literis dictum à quoquam esse narratur, id statim tanquam rectè factum approbatur. Nec *inebriandi* verbum hoc loco notat nimiam illam vini ingurgitationem, quæ vulgò ebrietatis nomine damnatur: sed notat hilaritatem illam, quæ ex mediocri vini potu solet existere: sicut & Genes. 43. v.34. ubi Joseph cum fratribus scribitur inebriatus fuisse. Hanc enim interdum esse significationem verbi Hebraici שָׁכַר schachar, manifestè intelligitur ex verbis Haggæi cap.1. v.6. ubi Dominus per Prophetam alloquens populum, inter alia ait: *Seritis multum, & infertis parum; comeditis, sed non ad saturitatem: bibitis, sed non ad ebrietatem.* ubi intelligitur, ebrietatem sic opponi potui, sicut escæ opponitur saturitas. Saturitas autem in vitio non est: quare nec ebrietas: de qua hìc sermo est: quippe quæ & ipsa nihil aliud sit, quàm saturitas quædam, nempe saturitas potus, quum quis satis bibit, sitimque explevit. *Ebrietas.*

8 Miracula esse signa seu testimonia divina, quibus Deus testatur, se doctores, per quorum manus miracula edit, ad docendum misisse: ac proinde doctrinæ eorum credendum esse, Joh.10. v.37.38. Unde efficitur, doctrinæ Christianæ tanquam verissimæ credendum esse: quippe quæ plurimis miraculis per Apostolos editis confirmata est. *Miraculorum usus.*

9 Notandum discrimen inter miracula Christi & aliorum doctorum: ut Prophetarum & Apostolorum. Christus miracula edidit per se seu suâ ipsius vi ac virtute, nempe virtute suæ deitatis. itaque non præmisit invocationem Dei; excepto unico exemplo excitationis Lazari, infrà 10. vers. 41. ubi se Patris ministrum esse docere voluit. At Prophetæ & Apostoli ediderunt miracula virtute Dei: unde etiam illum priùs invocarunt. Exempla vide Actor.3. v.6. ubi Petrus ait claudo: *In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.* Et v.16. *Fides quæ per ipsum (nempe Christum) est, dedit isti integritatem hanc coram omnibus vobis.* Actor.9 v.34. idem Petrus ait Æneæ in oppido Lydda: *Ænea sanat te Jesus Christus: surge & sterne tibi ipsi.* Is autem statim surrexit. Actor.16. v.18. Paulus in urbe Philippis ejecit spiritum pythonis ex quadam ancilla, inquiens: *Præcipio tibi per nomen Jesu ut exeas ab ea.* *Miracula Christi quid differant à miraculis aliorum ecclesiæ doctorum.*

10 Usus miraculorum Christi est, ut ex eis agnoscamus ipsum esse Filium Dei ac promissum Messiam. Miracula enim ipse hoc consilio fecit, ut manifestaret suam gloriam, id est, deitatem. *Miraculorū Christi usus.*

11 Quòd Christus Legi Paschæ satisfecit, argumento est, quòd Legi sese subjecerit nostrâ causâ, ut nimirum nos à maledictione Legis liberaret, factus pro nobis sancta victima: Gal.4. v.4. & 5. Hinc ipsemet ait, *Non vêni solvere Legem, sed implere,* Matth.5. v.17. *Cur Christus sese Legi subjecerit.*

12 Quòd Christus tanto cum zelo inivit Propheticum suum munus, argumento est eum repurgandæ ecclesiæ destinatum esse. Itaque pii magistratus, ope illius freti, repurgationem religionis magno cum zelo suscipere debent. *Magistratus Christiani officium.*

13 Non ita in ordinaria ad verbi ministrorum vocatione acquiescendum esse, quin locus detur vocationi extraordinariæ; *Ministrorum verbi Dei vocatio.*

quoties res ipsa clamat, tali vocatione ad repurgandum Dei cultum opus esse; quum is per ordinarios ministros sit corruptus.

Intelligentia verbi Dei. 14 Etiamsi verbum Dei non semper quum primùm auditur, intelligitur: tamen postea suo tempore intelligi & à Spiritu sancto suggeri ad fidem confirmandum, ex v.22.

Fides. 15 Non satis tutam esse fidem eorum, qui miraculis nituntur: quum miracula tantùm ad fidem præparent, aut eam confirment: ipsa autem fides oriatur ex auditu verbi, & eodem alatur atque conservetur, Rom.10.

Christi deitas. 16 Quum Christus sciat quid sit in homine, hoc est, quum sit cordium scrutator & cognitor, consequens est, eum esse verum Deum, Act.1.v.24. Dominus vocatur καρδιογνώστης.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hoc caput duas continet partes. In prima parte describit evangelista colloquium Christi cum Nicodemo de causis vitæ æternæ, usque ad v.22. In altera parte commemorat testimonium Johannis Baptistæ quod dedit Christo, quum is ministerium docendi nuper aggressus esset.

PRIMA PARS.

Colloquium Christi cum Nicodemo.

Erat autem quidam ex Pharisæis, cui nomen *erat* Nicodemo, ex primoribus Judæorum:

2 Hîc vênit ad Jesum nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus te à Deo venisse doctorem: nemo enim potest hæc signa edere quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo.

3 Respondit Jesus & dixit ei; Amen, amen, dico tibi, nisi quis fuerit genitus denuò, non potest videre regnum Dei.

4 Dicit ei Nicodemus, Quomodo potest homo gigni, qui sit senex? num potest in uterum matris suæ secundò introire, ac gigni?

5 Respondit Jesus; Amen amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aquâ & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.

6 Quod genitum est ex carne, caro est: & quod genitum est ex Spiritu, Spiritus est.

7 Ne mireris me dixisse tibi, Oportet vos gigni denuò.

8 Ventus quò vult spirat, & sonum ejus audis, sed nescis unde veniat, & quò vadat: ita est quisquis genitus est è Spiritu.

9 Respondit Nicodemus, & dixit ei; Quomodo possunt hæc fieri?

10 Respondit Jesus, & dixit ei; Tu es doctor ille Israëlis, & hæc non nosti?

11 Amen amen dico tibi, Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: sed testimonium nostrum non recipitis.

12 Si terrena dixi vobis & non creditis: quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?

13 Nullus enim ascendit in cælum nisi qui descendit è cælo, *nempe* Filius hominis qui est in cælo.

14 Prout autem Moses exaltavit serpentem illum in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis:

15 Ut quisquis credit in eum, non pereat; sed habeat vitam æternam.

16 Ita enim Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum dederit; ut quisquis credit in eum, non pereat; sed habeat vitam æternam.

17 Non enim misit Deus filium suum in mundum ut condemnet mundum, sed ut servetur mundus per eum.

18 Qui credit in eum, non condemnatur: qui verò non credit, jam condemnatus est: quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei.

19 Hæc est autem condemnatio, quòd lux vênit in mundum; sed dilexerunt homines potiùs tenebras quàm lucem: nam opera eorum erant mala.

20 Quisquis enim quæ mala sunt agit, odit lucem: nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius.

21 Qui verò dat operam veritati, venit ad lucem; ut manifesta fiant facta ipsius, quòd secundùm Deum facta sint.

Colloquii inter Christum & Nicodemum habiti, quæstio est *de causis procreantibus vitæ æternæ.* Christus primò omnium exponit *causam sine qua non*, hoc est, sine qua nemo vitam æternam potest consequi. Ea est regeneratio hominis, hoc est, renovatio animi per Spiritum sanctum, quâ homo in agnitionem miseriæ suæ adductus sibi displicet, deque suis viribus diffidit ac desperat, ac proinde ad gratiam Dei confugit, ab eaque sola opem petit. Quæ regeneratio sentitur quidem ab iis qui regenerantur; sed quomodo perficiatur, non intelligitur, v.3.5.6.7.8. Deinde monstrat *vitæ æternæ authorem*, qui nobis cælum antea propter peccatum clausum rursus aperuit, hoc est, jus hereditatis æternæ quo per peccatum excideramus, recuperavit. Hunc docet esse seipsum, v.13.16.& 17. Tertiò exponit *formam seu modum agendi*, quo ipse tanquam mediator cælum nobis aperuerit, & jus vitæ æternæ nobis recuperarit, videl. per obedientiam mortis suæ in cruce, v.14.& 16. Quartò indicat *instrumentum*, quo ipsum tanquam salutis authorem ac mediatorem nostrum amplectamur: quod instrumentum est fides seu fiducia, quâ in eum recumbimus, v.15.16.18. Quintò indicat *causam procreantem vitæ æternæ principalem eamq́ue impulsivam*, hoc est, quæ Deum movit atque impulit, ut vitam æternam nobis per Christum donaret, videl. gratuitum Dei amorem, v.16. Ad extremum docet etiam *quæ sit causa interitus atque condemnationis impiorum*, videl. incredulitas quâ donum Dei ipsis oblatum, nimirum Christum, filium Dei, unicum salutis authorem contemnunt: idque odio lucis Evangelii, quâ luce peccata ipsorum arguuntur, v.17.18.19.20.

1 *Erat autem*] Primò omniũ *describit personam Nicodemi ex adjunctis adhærentibus duobus*: nimirum professione seu genere vitæ, & dignitate sive honore publico. Ait enim primò, fuisse Pharisæum, id est, doctorem ex honoratissima secta Pharisæorum. Deinde ait, Nicodemum fuisse ex primoribus Judæorum: quod etiam intelligitur ex narratione quæ habetur infrà c.7.50. ubi Nicodemus reliquis primoribus in senatu contradicit.

2 *Hic vênit*] Hic addit *circumstantiam temporis*, quo Nicodemus ad Christum vênit: deinde *quibus verbis eum allocutus sit.* Quòd nocte vênit, argumento est eum metuisse odium sociorum, id est, cæterorum Pharisæorum, qui Christum oderant. Fieri etiam potest; ut cum puduerit interdiu coram multis arbitris erudiendum se Christo præbere: quum ipse esset magister Israëlis. Cæterùm sermo ejus, quo Christum alloquitur, videtur recitari imperfectè. nihil enim continet præter insinuationem, quâ sese in amicitiam Christi insinuat; dum profitetur se illum agnoscere pro vero ac divinitus misso magistro seu doctore. Probabile autem est, eum ex hac ipsa sententia petitionem deduxisse; quâ à Christo petivit ut de causis vitæ æternæ, quæ quæstio omnium maximè necessaria est, dissereret. Porro Christum esse doctorem à Deo missum, fatetur se ex miraculis ab ipso editis agnoscere.

3 *Respondit*] Ex hac responsione Christi colligitur, verum esse quod dixi de sermone Nicodemi imperfecto: quippe Christus quæstionem de causis vitæ æternæ rectà explicare incipit: admonens, ante omnia opus esse regeneratione: per hanc enim cor ad fidem præparatur atq; etiam fide illuminatur. Ad quorum illud efficiendum Spiritus sanctus utitur prædicatione Legis: ad hoc autem prædicatione Evangelii. nam per prædicationem Legis deducit in agnitionem peccati & pravitatis innatæ; quæ agnitio facit ut homo, de suis viribus desperare, & alibi opem quærere cogatur. Corde igitur ita præparato ac veluti subacto, efficit Spiritus S. fidem per prædicationem Evangelii, hoc est, per promissionem remissionis peccatorum per & propter Christum mediatorem. Regenerationis igitur verbo intelligitur mutatio naturæ hominis in meliorem statum, nimirum illuminatio mentis & affectuum directio in obsequium Dei. *Videre* autem *regnum Dei* nihil aliud significat, quàm frui vitâ ęternâ. Alii tamen hanc phrasin de ingressu in Ecclesiam interpretantur. Confer Matth.8.11.

4 *Dixit ei*] Nicodemus doctrinæ Domini contradicit; eamque tanquam improbabilem atq; adeò impossibilem arguit *argumento definitionis.* Si oportet hominem denuò gigni, oportet eum secundò introire in uterum matris, id est, oportet eum in utero matris rursum concipi ac formari, & inde per partum exire seu nasci. At hoc fieri non potest. Ergo nec illud. Hic prodit Nicodemus crassam suam inscitiam: ut qui in verbis Domini ac literali seu nativo eorum sensu hærens, ad mentem seu sensum verum non attendit. Decipitur ergo ex homonymia. nam quod Dominus dixit metaphoricè, id ille accepit tanquam dictum propriè.

5 *Respondit*] Christus animadvertens quâ causâ Nicodemus in errorem esset inductus, causam illam removet interpretatione suorum verborum. Monet igitur se non loqui de generatione naturali, sed spirituali; cujus nimirum author sit Spiritus sanctus, vim quandam aquę exserens in animis hominum repurgandis ac vegetandis. Neque enim hoc loco nomen aquæ ad Baptismum referendum videtur: quum certum sit, Baptismum non ita præcisè ad salutem necessarium esse, ut est necessaria regeneratio;

cujus ille duntaxat teſtimonium eſt: unde & à Paulo lavacrum regenerationis (ut pleriſque placet) nominatur, Tit. 3.5. Etſi enim Baptiſmi contemtu à ſalute arcemur, quum Baptiſmus ſit ordinatio Dei: non tamen ipſa Baptiſmi perceptione ſalutem conſequimur: quum non ſit inſtitutus niſi ad remiſſionem peccatorum ſanguine Chriſti partam, itemque regenerationem Spiritus teſtandam. Quòd ſi quis contendat, Baptiſmum hîc nomine aquæ intelligi: tum verba Chriſti ſic erunt accipienda, ſicut illa in inſtitutione Baptiſmi, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur.* ubi Baptiſmus additur fidei, non quòd parem rationem ac vim habeat, ſed quòd ad fidem teſtandam & confirmandam adhibeatur. Ita hîc Baptiſmus additur Spiritui, quòd foris teſtetur id, quod Spiritus intus peragit. Sed rectius videtur, hæc verba Chriſti ſimiliter accipere ut illa Matth.3. v.11. *Baptizabit vos Spiritu ſancto & igni.* ubi efficacia Spiritus notatur. Confer infrà cap.7.38.39.

6 *Quod genitum*] Hîc Dominus doctrinam ſuam de neceſſitate regenerationis confirmat tali ſyllogiſmo:

Caro (id eſt, homo, quatenus eſt carnalis ſeu peccato corruptus) *nen poteſt introire in regnum Dei.*

Quod genitum eſt ex carne, eſt caro.

Ergo quod genitum eſt ex carne, non poteſt introire in regnum Dei: & per conſequens ut quis poſſit introire in regnum Dei, opus eſt ut gignatur ex Spiritu.

Hîc obſervandum eſt, vocabulum *Carnis*, itemq; vocabulum *Spiritus* repeti à Domino ſignificatione diversâ. Nam quum ait, *Quod genitum eſt ex carne*, intelligit, Quod genitum eſt ex carnalibus ſeu naturalibus parentibus: quum autem addit, *Eſt caro*: intelligit eſſe corruptum peccato. Sic quum ait, *Quod genitum eſt ex Spiritu*, intelligit, Quod genitum eſt ex Spiritu S. quum autem addit, *Eſt ſpiritus*, intelligit eſſe ſpirituale ſeu ſpiritu renovatum. Hanc dictionis figuram Rhetores ἀντανάκλασιν nominant: quæ Apoſtolo Paulo familiaris eſt. Porrò ſyllogiſmi propoſiti propoſitio in textu non eſt expreſſa: ſed facilè ex cohærentia ſententiarum ſuppletur. Eſt autem illius veritas manifeſta ex natura contrariorum, quæ ſimul conſiſtere in eodem ſubjecto non poſſunt. Quum igitur regnum Dei conjunctum ſit cum ſanctitate & juſtitia, homo autem carnalis peccato corruptus & injuſtus ſit: conſequens eſt, neminem quatenus carnalis eſt, regni Dei capacem eſſe. Huic propoſitioni primâ fronte ſimilis videtur eſſe, & eundem cum ea ſenſum habere, illa ſententia Pauli, 1.Cor.15. v.50. *Caro & ſanguis non poteſt regni Dei hæreditatem conſequi.* Sed diſſimilis eſt, diverſumq; ſenſum habet. Paulus enim intelligit corpus noſtrum, quatenus animale eſt ſeu naturale: diſputat enim ibi de reſurrectione & glorificatione corporum. At hîc nomine *carnis* intelligitur naturæ noſtræ corruptio. Aſſumtionis veritas patet ex natura cauſarum procreantium; nam ita à natura comparatum eſt, ut ſimile generet ſimile. hinc Adam dicitur genuiſſe Sethum ad ſimilitudinem ſui ſeu in imagine ſua, Gen.5. v.3. hoc eſt, corruptum peccato, qualis ipſe jam erat.

7 *Ne mireris*] Hæc ſententia bifariam poteſt accipi: nimirum vel pro concluſione præcedentis argumentationis, quaſi dicat Dominus: Ne igitur mireris, néve improbabile aut impoſſibile ducas, quòd oporteat hominem denuò gigni, ut poſſit introire in regnum Dei. Vel poteſt hæc ſententia accipi pro præfatione ſequentium; ubi docebit, regenerationem illam de qua dixit, humano captui incomprehenſibilem eſſe: quod tamen non ſit mirandum tanquam incredibile aut falſum: quum ne venti quidem (quæ res naturalis eſt) ratio omnis ab homine perfectè intelligatur.

8 *Ventus*] Hîc noſtram regenerationem *ſimilitudine venti* declarat. Sunt autem hujus ſimilitudinis tres partes. 1. Ventus quò vult ſpirat, hoc eſt, liberè in quamvis partem fertur: ita Spiritus S. regenerat quem vult, Act.16.14. *Deus aperuit cor Lydiæ ut attenderet ad ea quæ dicebantur à Paulo.* Sic Matth.13.11. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum illis autem non eſt datum.* Noſcuntur autem hæc myſteria non niſi per Spiritum Dei. Vide Matth.16.17. item c.11.27. 2. Sonum venti audimus, ejusque flatum ſentimus: ita ſentimus afflatum Spiritus S. teſtimonium reddentis ſpiritui noſtro, quòd ſimus filii Dei, & clamantis in nobis Abba, Pater, ſeu interpellantis pro nobis gemitibus ineffabilibus, Rom.8.v.16. ibid.v.15. ibid.v.26. 3 Neſcimus unde veniat ventus & quò vadat: ſic non percipimus regenerationis & afflatus Spiritus ſancti modum.

9 *Reſpondit Nicodemus*] Hîc Nicodemus ampliùs prodit ſuam inſcitiam: ut qui ne explicationem quidem metaphorici dicti aſſequi poteſt: ſed adhuc regenerationem hominis tanquam impoſibilem admiratur.

10 *Reſpondit Jeſus*] Hîc Chriſtus craſſam iſtam Nicodomi inſcitiam reprehendit: quòd Nicodemus cùm ſit doctor populi Dei, ne ea quidem intelligat, quæ vel infimus idiota intelligere debebat, ex crebra nimirum auſcultatione Moſis ac Prophetarum: quippe qui regenerationis illius per Spiritum S. paſſim mentionem faciunt: ut Deut.30. *Dominus circumcidet cor tuum* Jer.31.33. *Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam*, Ezech.36.v.26.& 27. *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri: & amovens cor lapideum è carne veſtra, indam vobis cor carneum: Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri &c.*

11 *Amen, amen*] Objurgatâ Nicodemi inſcitiâ, nunc objurgat etiam ejus & maximæ partis Judæorum incredulitatem: ut qui certiſſimis teſtimoniis prophetarum, id eſt, ſervorum Dei, fidem derogent. Videtur autem potiſſimùm loqui de ſe & Johanne Baptiſta.

12 *Si terrena*] Pergit in objurganda inſcitia Nicodemi, eamq; amplificat *collatione imparium.* Comparat enim inter ſe familiarem & à rerum terrenarum ſimilitudine ſumtam docendi rationem cum ratione illa ſublimiore, qua res cæleſtes nudè proponuntur: & arguit, Judæos multò minùs credituros, ſi alterâ illâ docendi ratione utatur.

13 *Nullus enim*] Hîc docet, quisnam ſit *vitæ æternæ author*, nempe ipſemet: quatenus eſt filius Dei manifeſtatus in carne. Utitur autem eleganti antanaclaſi in verbis *Aſcendere* & *deſcendere*: itemq; elegante traductione ſeu polyptoto in nomine *cæli.* *Nullus*, inquit, *aſcendit in cælum*, h.e. nemo conſequitur hæreditatem illam cæleſtem ſeu vitam æternam, *niſi qui deſcendit è cælo*: hoc eſt, niſi filius Dei qui aſſumendo naturam humanam quaſi è cælo in terram deſcendit, hoc eſt, cæleſti gloria ſe quaſi abdicavit. tum addit, *nempe filius hominis qui eſt in cælo.* quibus verbis ſuam deitatem innuit; neque enim tum erat in cælo, quatenus erat filius hominis, ſed quatenus erat filius Dei. Dictum eſt igitur iſtud per tropum ſeu modum loquendi, quem veteres Eccleſiæ doctores κοινωνίαν ἰδιωμάτων, id eſt, communicationem proprietatum nominarunt: quæ nihil aliud eſt quàm modus loquendi ſynecdochicus, quo quæ propria ſunt unius naturæ in Chriſto, tribuuntur ipſi perſonæ denominatæ à natura altera.

14 *Prout autem*] Deinceps exponit *formam ſeu modum agendi*, quo ipſe tanquam mediator cælum nobis aperuerit, ut unà cum ipſo aſcendamus. Hoc docet effectum eſſe per ſuam mortem in cruce: quam ſententiam *illuſtrat & confirmat ſimili*, videl. typo mortis ſuæ, ſerpente illo æneo quem Moſes de palo ſuſpendit in deſerto, ut ejus aſpectu ſanarentur, qui à ſerpentibus letaliter erant vulnerati. Sic enim quàm ſimpliciſſimè exponendum puto verbum ὑψωθῆναι, i.e. exaltari, nempe in ligno crucis; ſicut etiam accipitur in illo Domini dicto, *Ego quum exaltatus fuero, omnes* (nempe electos) *ad me traham*, nempe quaſi expanſis in cruce manibus: infrà 12.v.32. item c.8.v.28. Atq; huic expoſitioni firmandi ſervit conjunctio γὰρ, in principio v.16. Item ipſa ſententiarum inter ſe collatio: unde liquet, quod primùm dicitur, *Filium hominis exaltari*, id poſtea dici, *Filium Dei unigenitum datum eſſe à Deo*; videlicet in crucem, ut moreretur. Atque ita prior loquutio per poſteriorem declaratur: id quod planum quoque evadit ex eo, quòd utriq; illi loquutioni ſubjiciuntur eadem hæc verba: *Ut quisquis credit in eum non pereat &c.* Ad eundem modum, videlicet ad ſignificandum declarationem præcedentium verborum, utitur particulâ γὰρ Apoſtolus 1.Cor.11.v.26. Alii tamen hunc locum exponunt de Chriſti exaltatione per prædicationem Evangelii, qua nimirum ejus celſitudo credentibus innoteſcit. Sed nos alteram ſignificationem tanquam ſimplicem & genuinam ſequuti, ſic explicamus hanc ſimilitudinem. Chriſtus comparatur ſerpenti illi æneo: primò, quia ut ſerpens ille æneus habebat ſpeciem ſerpentis, ſed interim nullo veneno erat infectus: ità Chriſtus formâ ſervi acceptâ, ſimilis hominibus peccatoribus factus eſt, ſed abſque peccato; imò inter ſceleratos numeratus eſt, de cruce inter duos latrones ſuſpenſus, Marc.15.28. Philip.2.7. Heb.4.15. Deinde ſicut Iſraëlitæ, qui moti mandato ac promiſſione Dei, ſerpentem illum æneum de palo ſuſpenſum intuebantur, à morſu letali ſerpentum convaleſcebant: ita omnes qui moti mandato ac promiſſione Dei, Chriſtum in cruce ſuſpenſum, oculis fidei intuentur, convaleſcunt ac ſanantur à vulnere letali, quod antiquus ille ſerpens Diabolus eis per peccatum inflixerat: id eſt, à morte æterna liberantur, ut non pereant, ſed habeant vitam æternam.

15 *Ut quisquis credit*] Hîc indicat *inſtrumentum* quo Chriſtum mediatorem amplecti licet. Illud eſt fides in eum, hoc eſt, fiducia in eum tanquam mediatorem recumbens.

16 *Ita enim*] Hîc exponit *cauſam procreantem vitæ æternæ principalem*, videl. gratuitum amorem Dei erga nos, quo motus filium in mundum miſit, eumq; pro nobis in mortẽ dedit, ad nos ſervandum. Amplificat autem hunc Dei Patris erga nos amorem *ex proprio Filii adjuncto*, quòd is nimirum eſt Filius Dei unigenitus. Confer Rom.8.v.32. Item *ex proprio adjuncto hominum*, qui ſcil. ſunt peccatores, ac proinde inimici Dei; hoc enim videtur notari appellatione *mundi.* Confer Rom.5.v.8. & 10. Vel potiùs appellatione *mundi* ſignificantur omnes populi per mundum diſperſi: ut intelligamus, mediatorem miſſum eſſe non propter ſolos Judæos. Quum enim dixiſſet v.15. *Ut quisquis credit &c.* Iſtud ipſum mox v.16. declarat, inquiens, *Ita enim Deus dilexit mundum.* q.d. Quod dixi, *Quisquis credit in eum*, intellexi non de ſolis Judæis, ſed de quibusvis populis. Quisquis credit: ſive ſcilicet ſit Judæus, ſive Ethnicus. Confer 1.Joh.2.v.2.

17 *Non enim miſit*] Finem ſeu ſcopum miſſionis ſui à Patre amplificat & illuſtrat *antitheſi adverſorum*, qua inter ſe opponit *ſervare & condemnare.*

18 *Qui credit*] *Condemnationis cauſam* exponit, videlicet in-

credulitatem ſeu contemtum Filii Dei : & hanc expoſitionem cauſæ illuſtrat *collatione pari contrariorum.* Sicut enim qui credit in Chriſtum, non condemnatur; ſed ſervatur & vitam æternam habet : ſic contrà pari ratione qui in Chriſtum non credit, is condemnatur : imò jam condemnatus eſt. Porrò hanc condemnationem iſtorum eſſe juſtam, hoc eſt, incredulos meritò à Deo condemnari, oſtendit *ex objecti*, in quod credendum eſt, *dignitate:* quæ tanta eſt, ut meritò ad fidem movere atque impellere debeat : quòd nimirum Chriſtus, in quem credendum eſt, eſt filius Dei unigenitus.

19 Hæc eſt autem] Sequitur ἐπιμονὴ, *commoratio* in eadem re atque ſententia, & ἐξεργασία, *expolitio* cauſæ condemnationis: quam cauſam hîc facit odium lucis Evangelii; ejuſque odii cauſam indicat, amorem innatarum tenebrarum, hoc eſt, innatæ cæcitatis ſeu ignorantiæ Dei & pravitatis. Quam ſententiam verſu 20. illuſtrat *gnomâ*, id eſt, *ſententiâ generali*, de conſuetudine hypocritarum, qui lucem fugiunt: & hanc gnomam verſ. 12. illuſtrat *gnomâ pari in contrariis*, de conſuetudine hominum ſincerorum, qui luce gaudent.

PARS ALTERA.

Teſtimonium Johannis de Chriſto.

22 Poſtea vênit Jeſus, & diſcipuli ejus in Judææ territorium : & illic degebat cum eis, & baptizabat.

23 Baptizabat autem etiam Johannes in Ænon propè Salim, quoniam aquæ multæ erant illic : & veniebant ac baptizabantur.

24 Nondum enim conjectus fuerat Johannes in carcerem.

25 Orta eſt igitur quæſtio quibuſdam ex diſcipulis Johannis cum Judæis de purgatione.

26 Veneruntque ad Johannem, & dixerunt ei, Rabbi, is qui tecum erat apud trajectum Jordanis, cui tu teſtimonium dediſti : ecce baptizat, & omnes veniunt ad eum.

27 Reſpondit Johannes & dixit; Homo non poteſt *ſibi* ſumere quicquam, niſi fuerit ei datum è cælo.

28 Vos ipſi mihi teſtes eſtis, me dixiſſe; Non ſum ego Chriſtus, ſed miſſus ſum *qui apparerem* coram eo.

29 Qui habet ſponſam, ſponſus eſt : amicus autem ſponſi qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. hoc ergo gaudium meum impletum eſt.

30 Illum oportet creſcere, me verò minui.

31 Qui è ſupernis venit, ſupra omnes eſt: qui è terra eſt, terrenus eſt, & terrena loquitur : qui è cælo venit, ſupra omnes eſt.

32 Et quod vidit & audivit, hoc teſtatur: ſed teſtimonium ejus nemo recipit.

33 Qui recipit ejus teſtimonium, is obſignat quòd Deus verax ſit.

34 Nam *is demum* quem miſit Deus, verba Dei loquitur; non enim *huic* admetitur Deus Spiritum.

35 Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manum.

36 Qui credit in Filium, habet vitam æternam : qui verò non obtemperat Filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum.

Sequitur altera capitis pars, quæ continet *teſtimonium Johannis Baptiſtæ*, quod reddidit Chriſto apud diſcipulos ſuos. Ubi primùm narratur hujus teſtimonii *occaſio*, videlicet querela diſcipulorum de baptiſmo Chriſti, uſque ad verſ. 27. Deinde *ipſum teſtimonium*, à v. 27. uſque ad finem capitis: Occaſionis ſumma hæc eſt: Quum diſcipuli Johannis intellexiſſent, Jeſum baptizare ac docere, & diſcipulos à Johanne ad Jeſum tranſire: hanc rem apud præceptorem queſti ſunt, tanquam cum imminutione authoritatis illius conjunctam.

27 Reſpondit] Johannes querelam diſcipulorum refutat: ac reprehendit primùm, quòd ægrè ferebant Jeſum emergere & ſummam doctoris authoritatem nanciſci. Hanc invidiam reprehendit hoc argumento, quòd Deus illum ad docendum miſerit: cujus voluntati meritò ſit acquieſcendum. Deinde reprehendit perverſam iſtam æmulationem, qua tueri volebant authoritatem præceptoris, optantes ut ipſe ſe pro Chriſto ſeu promiſſo Meſſia gereret. Hoc illorum ſtudium reprehendit commemoratione ſuæ de ſeipſo & de Jeſu confeſſionis : qua dignitatem & officium Meſſiæ à ſe repudiarit, & Jeſu attribuerit. Tum eminentiam Chriſti, *comparatione* & *antitheſi* illuſtrat : ubi Chriſtum ſponſo comparat, ſe autem amico ſponſi ſeu paranympho : deinde Chriſtum è cælo eſſe affirmat, ſe autem è terra. Præterea certitudinem doctrinæ Chriſti commendat : ibique de incredulitate maximæ partis conqueritur, & contra fidem inſigni elogio exornat, quòd per illam veritas Dei obſignetur, nimirum promiſſio evangelii, quæ fide accipitur. Poſtea Chriſtum commendat ab immenſa copia donorum Spiritus ſancti quæ in illum à Patre ſint collata, itemque à ſumma poteſtate in omnes res creatas, quam ei Pater dederit. Poſtremò fidei fructum indicat; & contrà pœnam incredulitatis : ubi docet, Chriſtum, cujus gratia fide percipitur, authorem eſſe vitæ æternæ: Contrà æternæ morti obnoxios manere, quicunque gratiam Chriſti in evangelio oblatam incredulitate ſuâ repellunt & contemnunt.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Quidam] ἄνθρωπος. *Heb.* אִישׁ *iſch, pro,* τὶς. Ex primoribus] ἄρχων. *Ad verb. Princeps, id eſt, unus ex principibus ſeu primoribus. neq; enim penes ipſum ſolum ſumma poteſtas erat : ſed complures erant* οἱ ἄρχοντες. *Vide infrà cap. 8. v. 48. & deinceps.* Ex Phariſæis] ἐκ τῶν φαρισαίων. *Erant tum Hieroſolymis doctores diviſi in tres ſectas : videl. Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſenorum. Phariſæi Heb.* פְּרוּשִׁים *peruſchim, à radice* פָּרַשׁ *paráſch, id eſt, expoſuit, eò quòd Legem populo exponerent atque interpretarentur. Nam etſi vox* פְּרוּשִׁים *peruſchim participium paſſivum eſt : tamen hîc, quia nominaſcit, ſignificationem activam habet, & expoſitores ſignificat. Id quod in lingua Hebræa fieri ſolere, pluribus exemplis demonſtrat doctiſſimus Druſius, obſervationum lib. 1. cap. 2. Mercerus tamen in Lexico Pagnini ſic dictos tradit, quòd ab aliis vitæ ſanctimoniâ & munditie ſejuncti eſſent: ſequens nimirum illam ſignificationem verbi* פָּרַשׁ *paráſch, quæ ſignificat dividere ſeu ſeparare. Sed in illa ſignificatione ſemel tantùm reperitur, idq; de ovibus diſperſis, Ezech. 34. v. 12. In ſignificatione autem exponendi ſeu declarandi reperitur aliquoties : & iſta ſignificatio profeſſioni Phariſæorum inprimis convenit. Sadducæi ſic dicti ſunt à Zadduko, ſectæ ſuæ authore. hi negabant reſurrectionem mortuorum : negabant etiam eſſe ſpiritus, id eſt, angelos & animas hominum à corporibus ſeparabiles. Nec admittebant authoritatem Prophetarum, ſed tantùm Moſis. Unde & Chriſtus ex Moſe errorem eorum de reſurrectione refutat. De Eſſenis ſive Eſſæis nihil habetur in ſacris literis; veruntamen illorum mentionem facit Joſephus. Sunt ita nominati ex verbo Hebr.* עוֹשִׂים *Hhoſim, id eſt, agentes : eò quòd in vita quadam auſtera ac vitæ Eremitarum ſimili ſeſe exercerent: quam Paulus ad Timoth.* σωματικὴν γυμνασίαν*, id eſt, corporalem exercitationem nominat, 1. Tim. 4. 4. 8.*

2 Rabbi] ῥαββί. *Id eſt, magiſter, ſeu doctor. Vox Hebræa eſt orta à verbo quod ſignificat multiplicari : ac notatur eo nomine copia ſeu magnitudo doctrinæ, multarumq; rerum notitia.* Hæc ſigna edere] ταῦτα τὰ σημεῖα ποιεῖν. *Confer ſuprà cap. 2. v. 23.*

3 Amen, amen] ἀμὴν, ἀμὴν. *Id eſt, Certò, certò. Voces Hebraicæ ſunt.* Niſi quis fuerit genitus denuò] ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν. *Nempe ex Spiritu: ut declaratur infrà verſ. 5. hoc eſt, per operationem Spiritus ſancti, illuſtrantis mentem hominis ſalvificâ cognitione Dei, & voluntatem flectentis in alacre obſequium mandatorum Dei.* Non poteſt videre regnum Dei] οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. *Hoc ipſum infrà v. 5. enuntiatur verbis paulo diverſis, nempe. Non poteſt introire in regnum Dei :* οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. *Sententia eſt : Non poteſt fieri particeps beatæ immortalitatis, ſeu cæleſtis illius felicitatis, ut ea fruatur. Et,* Videre, *pro experiri ac frui, ſynecdoche membri Hebraica eſt.*

5 Ex aqua & Spiritu] ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος. *Id eſt, Ex Spiritu ſancto exſerente quaſi vim aquæ. Figura loquendi quæ nominatur* ἓν διὰ δυοῖν. *quaſi dicatur, Ex aqua quæ eſt Spiritus. Sic Matth. 3. v. 11.* Ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igni: *id eſt, Spiritu ſancto qui eſt quaſi ignis : dum ſcil. cor illuminat cognitione Dei, accendit dilectione Dei, expurgat pravis affectibus. Ita hoc loco Spiritus ſanctus comparatur aquæ (ut alibi paſſim in Scriptura) quatenus cor emundat, certiorando ipſum de peccatorum remiſſione per ſanguinem Chriſti, qui nos purgat ab omni peccato : tum etiam quatenus cor quaſi rigat & fertile reddit bonorum operum, tanquam ſuaviſſimorum Deoq; gratiſſimorum fructuum. Si quis per aquam hoc loco malit intelligere ſacrum Baptiſmum : tum duæ iſtæ regenerationis cauſæ ſapienter erunt diſtinguendæ : ne quod proprium eſt Dei, tribuatur creaturæ. Etenim Spiritus ſanctus regenerat ut cauſa principalis : utitur autem ad regenerandum tum Baptiſmo tanquam teſtimonio divino gratiæ Dei erga nos, tum inprimis prædicatione Evangelii, cujus appendix eſt Baptiſmus. Veruntamen quum ſine hac aqua, de quâ hîc loquitur Chriſtus, nemo poſſit vitam æternam conſequi, ut ex ipſis verbis liquet; ſine Baptiſmo autem nonnulli vitam æternam adipiſci poſſint : conſequens eſt, Chriſtum hîc de Baptiſmo non loqui. Quod etiam ex eo colligitur : quòd mox ſermonem inſtitutum continuans, & ampliùs declarans, ſolius Spiritus mentionem facit.*

6 Quod genitum eſt ex carne, caro eſt &c.] τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι &c. *Elegans* ἀντανάκλασις. *nam nomen* Carnis, *ſicut & nomen* Spiritus, *in duplici ſenſu accipitur : primùm propriè, deinde metonymicè. Sententia videtur hæc eſſe : Homo quatenus ex carne parentum genitus eſt, carnalis eſt, ſapit ea quæ ſunt car-*

sunt carnis seu corruptæ naturæ: quatenus autem genitus est à Spiritu sancto, spiritualis est, sapit ea quæ sunt Spiritus seu naturæ per Spiritum sanctum renovatæ.

8 Ventus] τὸ πνεῦμα. *Vox Græca, sicut & Hebræa* רוּחַ *rúach, & ventum & spiritum, hoc est, substantiam incorpoream significat: qualis est Dei & angelorum.*

11 Quod scimus] ὃ οἴδαμεν. *Scilicet ego & Johannes Baptista.* Non recipitis] οὐ λαμβάνετε. *Scil. vos Judæi, saltem quo ad maximam partem.*

12 Si terrena dixi vobis, & non creditis] εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε. *Pro,* εἰ τὰ ἐπίγεια εἰπόντι ὑμῖν, ὅμως ἐμοὶ οὐ πιστεύετε: *id est, Si quum terrena dixerim vobis, tamen mihi non creditis.* Quomodo credetis?] πῶς πιστεύσετε; *Id est, Multò minùs credetis. Est igitur argumentum à majori,* ἀπὸ τοῦ μᾶλλον. *nam etsi res terrenæ cælestibus minores, hoc est, minus præstantes sunt: tamen magis est probabile, credi differenti de illis, quàm differenti de cælestibus: quippe quum res terrenæ nobis faciliores sint intellectu. Quanquam Christus hîc non intelligit ipsam quæstionem seu rem subjectam suæ disputationis: quippe illa erat cælestis, videl. regeneratio spiritualis: Sed intelligit argumentum quod ad quæstionem illam declarandum adhibuerat, videl. similitudinem illam à vento ductam, qua operationem Spiritus sancti in homine regenerando voluit aliquo modo declarare. Sententia igitur istorum verborum est: Si non capitis meam doctrinam de rebus cælestibus, quando eam per similitudines à rebus terrenis desumtâ: declaro atque illustro: quantò minùs eam caperetis, si res cælestes nudè & quales suapte naturâ sunt, proponerem?*

13 Nullus enim] καὶ οὐδεὶς. *Quasi præcesserit: Ego enim certè is sum qui cælestia dicere vobis possim: Nemo enim &c. Verti etiam posset: Et certè nemo ascendit &c.* Ascendit in cælum] ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν. *Id est, Penetravit acie ingenii in mysteria regni cælorum.* Qui descendit è cælo] ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς. *Id est, Qui assumtâ naturâ humanâ apparuit in terra: quum antea ut Deus putaretur tantùm esse in cælo: quippe quod in Scriptura dicitur sedes Dei. Est autem hîc notanda pulcherrima ἀντανάκλασις in vocabulo cæli ad res diversas significandas adhibito.* Filius hominis] ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Id est, ego ipse: qui ideò factus sum filius hominis, ut mysteria illa regni cælorum hominibus electis revelarem. Confer suprà cap.1. vers.18.* Deum nemo vidit unquam &c. *& Matth.11.v.27.* Nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quisquam novit nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius revelare. Qui est in cælo] ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. *nempe quatenus ille filius hominis in una eademque persona est etiam Deus: Deus enim cælum & terram replet. Dictum per synecdochen integri, quam veteres nominarunt κοινωνίαν ἰδιωμάτων: qua quod unius in Christo naturæ proprium est, tribuitur personæ ab altera natura denominatæ. Si quis contendat, Christum tum fuisse in cælo quatenus erat filius hominis seu secundùm humanam naturam, is pari ratione dicere cogetur, Christum è cælo descendisse quatenus erat filius hominis seu secundùm humanam naturam: id quod apertè falsum est. Etenim sic fuisset homo antequam esset homo: quum certum sit, eum eatenus dici de cælo descendisse, quatenus homo factus est.*

14 Exaltavit] ὕψωσε. *Id est, In altum seu in sublime sustulit, nempe suspendens de palo.* Serpentem illum] τὸν ὄφιν. *Nempe æneum illum serpentem cujus nota est historia ex Mose.* Exaltari] ὑψωθῆναι. *Nempe in lignum crucis, & ex eo suspendi.*

15 Quisquis credit in eum] πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν. *Id est, qui eo confidit tanquam suo servatore: quippe qui in cruce expiarit ipsius peccata, gustando pro se iram Dei adversus illa. Notandum autem quòd dicit,* πᾶς ὁ πιστεύων, *omnis qui credit. quasi dicat: sive Judæus sit, sive Gentilis. sicut mox ipse exponit, inquiens: Ita Deus dilexit* mundum: *id est, omnes totius mundi electos, non autem solos electos ex Judæis.* Dederit] ἔδωκεν. *Id est, donaverit, nempe electis in servatorem. Et sic Christus infrà cap.4.v.10. sese vocat* τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ, *donum illud Dei. Vel (quod eodem redit)* dederit, *scil. in mortem: ut Rom.8.v.32.* Qui ne proprio quidem filio pepercit, sed prò nobis omnibus tradidit eum; quî non etiam cum eo omnia nobis donabit?

17 In mundum] εἰς τὸν κόσμον. *Notanda* ἀντανάκλασις *in vocabulo* Mundi: *quòd hîc accipitur in significatione propria seu nativa: at paulo-antè, itemque paulo-pòst, per metonymiam subjecti, pro electis in mundo degentibus.* Condemnet] κρίνῃ. *Pro,* κατακρίνῃ. *Synecdoche generis: item metonymia causæ, quatenus* Condemnare *(ut ex antithesi percipitur) hîc idem significat quod perdere.* Ut servetur mundus] ἵνα σωθῇ ὁ κόσμος. *Id est, electi in mundo. His enim solis datur ut credant: soli autem credentes servantur: sicut Christus ipse mox declarat, inquiens: Qui credit in eum, non condemnatur.*

18 In nomen unigeniti filii Dei] εἰς τὸ ὄνομα τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. *Id est, In filium Dei, qui ipsi innotuit per Evangelium.*

19 Hæc est autem condemnatio] αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις. *Id est, condemnationis causa. Sic Rom.7.v.7.* Lex peccatum est? *Pro, Estne Lex peccati causa? Metonymia effecti, eaque in prædicato.*

21 Qui dat operam veritati] ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν. *Id est, qui agit sincerè & integrè.* Facta] τὰ ἔργα. *Et mox, Facta sint,* εἰργασμένα ἐστί. *Paronomasia.* Secundùm Deum] ἐν Θεῷ. *Id est, secundùm voluntatem Dei. Vel,* In Deo: *id est, in timore Dei.*

22 In Judææ territorium] εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν. *Nomen* Ἰουδαίαν *videtur hîc positum adjectivè pro* Ἰουδαϊκὴν: *sicut Homerus dicit* πατρίδα γαῖαν: *pro* πατρικήν. Degebat] διέτριβε. *Tremellius apud Syrum,* Versabatur. *Erasmus,* Morabatur. *nam* διατρίβειν, *dicitur per ellipsin. pro* διατρίβειν τὸν χρόνον, *id est, terere tempus.* Baptizabat] ἐβάπτιζε. *Id est, per discipulos baptizari curabat: infrà c.4. v.2. Metonymia subjecti.*

23 Salim] Σαλείμ. *Oppidum terræ Schahalim, de qua 1.Sam.9. v.4. ut ibi annotat Fr. Junius.* Aquæ multæ] ὕδατα πολλά. *Videntur significari plures rivi, non autem unum flumen magnum. Et sic* ὕδωρ *numero singulari fluvium Jordanem significat, Matth.3. v.16. item alium quendam fluvium, Act.8.v.36. Nisi quis malit esse Hebraismum* מַיִם רַבִּים *májim rabbim: pro* ὕδωρ πολύ. *Commemoratur autem hoc ad significandum ritum Baptismi, quo Johannes utebatur, immergens scil. totum corpus hominis in fluvio stantis. unde Christus à Johanne in Jordane Baptizatus, ex aqua ascendisse dicitur, Matth.3 v.16. Eundem modum Philippus observavit, Act.8.v.38.* Veniebant] παρεγίνοντο. *Nimirum Judæi.* Baptizabantur] ἐβαπτίζοντο. *Id est, baptizandos sese sistebant: significatione reciprocâ Niphál Hebræorum: quam Lutherus expressit, vertens,* Vnd liessen sich täuffen.

25 Quibusdam] *Supplementum. Syrus supplevit* לְחַד *lehád, uni, i.e. cuidam. Et mox pro,* Cum Judæis, *habet* עַם יְהוּדָיָא חַד *ham Jehudajá hád, Cum Judæo uno, id est, quodam.*

26 Veneruntque] καὶ ἦλθον. *Scil. discipuli Johannis.* Ecce baptizat] ἴδε οὗτος βαπτίζει. *Pronomen* οὗτος *redundat per epanalepsin huic Evangelistæ familiarem. Sic suprà cap.1. v.18.* Omnes veniunt ad eum] πάντες ἔρχονται πρὸς αὐτόν. *Quasi dicant: Nemo autem ampliùs venit ad te. Zelant pro magistro: metuentes ne brevi actum sit de ejus authoritate.*

27 Homo non potest] οὐ δύναται ἄνθρωπος. *Id est, Non potest quisquam. Est enim sententia generalis seu universalis.* Sibi sumere] λαμβάνειν. *Scilicet* ἑαυτῷ. *ut Heb.5.4. Frustra enim sibi sumit honorem cui is non est datus divinitus.* Quicquam] οὐδὲν. *Id est, ullum honorem: ut indicant sequentia. Synecdoche generis. In Græco est gemina negatio ex more.* E cælo] ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *Id est, à Deo. Metonymia subjecti, nempe loci continentis. Non quòd Deus cælo inclusus sit: sed quòd illic se maximè fruendum det electis suis. Sic Matth.21.v.25.* Baptisma Johannis unde erat, è cælo, an ex hominibus?

28 Sed missus sum] ἀλλ' ὅτι ἀπεσταλμένος εἰμί. *In Græco mutatum est genus orationis, prosopopœia videl. recta in obliquam: ut tota sententia Græcè sic sonet, Testes estis, me dixisse, Non sum ego Christus: sed me missum esse &c.*

29 Gaudio gaudet] χαρᾷ χαίρει. *Hebraismus. Id est, Solidè gaudet: ut Terentius loquitur. Vel, Solido gaudio gaudet Sic Luc.2. v.9.* ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν. *& Matth.2.v.10.* ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα.

31 E supernis] ἄνωθεν. *E supernis, scilicet locis.* Von oben her. ἐκ τῶν ἄνω τόπων: *id est, (ut mox in fine versus declaratur)* ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *Est autem hæc periphrasis Filii Dei, qui è cælo venisse dicitur quum homo factus est, & in terra se ostendit.* Qui è terra est] ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς. *Id est, qui ex hominibus tantùm oriundus est: qualis scilicet ego Johannes sum, & qualem me esse agnosco.* Terrenus est] ἐκ τῆς γῆς ἐστι. *Ad verb. E terra est. Antanaclasis. nam iisdem verbis primùm significatur substantiæ origo, deinde ingenii affectio. Sententia est: Terrenus terrena sapit.* Qui è cælo venit] ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος. *Epanalepsis ad commodiùs connectendum sequentia.*

32 Quod vidit &c.] *Sic suprà v.11.* Sed] καὶ. *Pro,* ἀλλά. *Est enim antithesis & enuntiatum discretum: quasi dicatur, Etsi Jesus testatur quæ vidit & audivit, tamen testimonium ejus nemo recipit.* Nemo] οὐδεὶς. *Id est, ferè nemo. quia mox significat, aliquos recipere.*

33 Qui recipit, is obsignat] ὁ λαβὼν, ἐσφράγισεν. *Enallage temporis. quanquam potest etiam simpliciter verti; Qui recipit, is obsignavit.*

34 Non admetitur Spiritum] οὐκ ἐκ μέτρου δίδωσι τὸ πνεῦμα. *Non ex mensura, seu per mensuram dat Spiritum. Scilicet sanctum: id est, dona Spiritus sancti: sed implet eum gratiâ, id est, effundit in eum omnes gratias Spiritus sancti, adeò ut nos ex plenitudine ipsius accipiamus. Vide suprà cap.1.v.14. & 16. Metonymia efficientis.*

36 Qui verò non obtemperat] ὁ δὲ ἀπειθῶν. *Id est, Qui non credit: ut percipitur ex antithesi. Synecdoche generis nam intelligitur hîc obedientia erga mandatum Dei, quo jubemur credere in Christum. Sic Paulus vocat* ὑπακοὴν πίστεως, *obedientiam fidei, Rom 1.v.5.* Non videbit vitam] οὐκ ὄψεται ζωήν. *Id est, Non fruetur vitâ. Synecdoche membri Hebraica.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Doctrina religionis Christianæ non est æstimanda ex authoritate docentium: ut nimirum prò vero amplectamur quicquid hic vel ille doctor, authoritate coram mundo præditus, tradiderit; quia tales contingit veritatis cælestis valde rudes esse: *Doctrina Christiana.*

sicut exemplum Nicodemi hoc loco clarè ostendit. Æstimanda est autem doctrina cælestis ex testimoniis divinis per Prophetas & Apostolos & Christum ipsum patefactis.

Cœna Dominica doctrina.

2 Quum Christus in doctrina Evangelii proponenda interdum sermone tropico sit usus, ut ex hoc loco planum est: imperitè igitur & perversè agunt, qui clamant, eos à verbis Christi recedere in doctrina sacræ Cænæ, qui genuinum illorum sensum ex consideratione tropi investigant.

Hominis miseria.

3 De miseria hominis. Homo à natura prorsus corruptus est; ita ut nec rationem salutis intelligat, & pravis affectibus saluti suæ adversetur. Hoc ex eo intelligitur, quòd hominem (quemadmodum hoc loco Christus docet) iterum gigni necesse est, ut regnum Dei videre & in illud introire possit.

Regeneratio quid.

4 Regeneratio, quâ homo ad regnum Dei regeneratur, est opus Spiritus sancti afflantis hominis animum, v. 8. & vim quandam aquæ in eo exserentis, vers. 5. Afflare autem hominis animum dicitur Spiritus sanctus, quum & mentem ejus illuminat cognitione gratiæ Dei per & propter Christum, & cor suaviter flectit ad assentiendum promissioni gratiæ, & in gratia promissa acquiescendum filiali fiduciâ. Vim verò aquæ in hominis animo exserit Spiritus sanctus, quatenus ei persuadet, sanguine Christi, quatenus is in cruce effusus est, purgari ipsum ab omni peccato: ac præterea ex rectâ purgationis hujus consideratione ipsum movet ad serium studium expurgandi peccati reliquias per veram pœnitentiam.

Regeneratio quid.

5 Regeneratio pendet à libera Spiritus sancti voluntate. nam quemadmodum ventus quò vult, spirat, v. 8. ita Spiritus sanctus quem vult, afflat: & quando vult, & quantum vult. Discamus igitur regenerationem nostri, gratiæ Spiritus sancti acceptam ferre, ad gloriam ipsius.

Regenerationis modus.

6 Regenerationis modus humano captui incomprehensibilis est: veruntamen regenerati vim ejus & effecta in se sentiunt, ex v. 8. Et modus ille in seipso incomprehensibilis, per similitudinem venti & aquæ utcunque percipitur: hoc versu & quinto.

Doctrina Christi & Joh. Baptistæ.

7 Doctrina Christi & Johannis Baptistæ citra omnem hæsitationem, firmâ fide recipienda est: quia est testimonium de rebus certò compertis, ex revelatione nimirum ipsius Dei, v. 11.

Modus docendi res cælestes.

8 Rerum terrenarum similitudines adhibentur ad res cælestes declarandum, ut meliùs intelligantur & eò faciliùs credantur. Qua in re agnoscenda est φιλανθρωπία Dei, ad nostrum captum sese accommodantis.

Christi persona.

9 Christus in unâ eâdemque personâ simul Deus & homo est; quippe qui prope Nicodemum in terra positus corpore suo, simul tamen fuit in cælo: id quod fieri non potuisset, nisi simul Deus esset. Sola enim deitas cælum & terram replet; ex vers. 13.

Communicatio idiomatum.

Estque hæc personalis duarum in Christo naturarum unio tam arcta, ut quod unius naturæ proprium est, id ipsi personæ ab altera natura denominatæ attribuatur: sicut hîc dicitur, *Filius hominis qui est in cælo.* Denominatur enim Christus filius hominis à natura humana; quam ex homine, videlicet virgine Maria, assumsit. Erat autem tunc in cælo, non quatenus filius hominis, id est, secundùm naturam humanam: sed quatenus filius Dei, ac proinde secundùm naturam divinam: secundùm quam quovis tempore cælum & terram replet. Secundùm humanam autem naturam Christus nunc est in cælo tantùm, & non etiam in terra: sicut tempore istius cum Nicodemo colloquii, secundùm naturam humanam erat in terra tantùm, & non etiam in cælo. Sic infrà cap. 6. vers. 62. *Si igitur videatis filium hominis ascendere eò ubi erat priùs?* nempe in cælum ascendere suo corpore, ubi erat priùs suâ deitate. Atque in his duobus exemplis proprietas quædam naturæ divinæ, nempe ubiquitas, tribuitur Christo denominato à natura humana: contrà eidem denominato à natura divina attribuuntur proprietates naturæ humanæ in sequentibus exemplis. Act. 20. v. 28. *Deus proprio sanguine Ecclesiam acquisivit.* 1. Cor. 2. v. 8. *Dominum gloriæ crucifixerunt.* 1. Joh. 1. v. 1. *Sermo vitæ oculis Apostolorum conspectus, & manibus eorum contrectatus est.*

Salutis causa.

10 De causis salutis. Causa *agens principalis* est Deus Pater; is enim filium suum unigenitum in mortem pro nobis dedit, ut is suâ morte nobis vitam æternam acquireret. Causa *antecedens,* τὸ προηγούμενον αἴτιον, est dilectio Dei Patris qua dilexit mundum, id est, omnes totius mundi electos, tam ex Ethnicis quam ex Judæis. Ex hac enim dilectione misit Filium in mundum, ut is suâ morte electos ex potestate diaboli redimeret, & vitam æternam eis recuperaret. Causa *ministrans* est filius Dei unigenitus in carne manifestatus: qui est servus Patris, sicut eum Pater ipse apud Jesaiam nominat, inquiens: *Servus meus justus, cognitione sui justificabit multos,* cap. 53. Is enim propter nos & nostram salutem de cælo descendit, & homo factus est, & mortem pro nobis gustavit; atque ita judicio Dei pro nobis satisfecit, nos ex potestate Diaboli redemit, iram Patris nobis placavit, gratiam & favorem ejus nobis conciliavit, justitiam & vitam æternam adduxit. Causa *impulsiva,* τὸ προηγούμενον αἴτιον, est meritum Filii. nam Filii pro nobis ex Patris mandato morientis obedientia, Patrem movet atque impellit ut peccata nobis remittat, atque ita pro justis nos habeat, in filios nos adoptet, vitamque æternam nobis donet. *Instrumentum,* quo tanquam manu Christum tanquam donum Patris cum ipsius beneficiis apprehendimus atque amplectimur, est fides seu fiducia in eo tanquam Servatore acquiescens. Fide enim assentimur promissioni gratiæ, ac proinde fiduciâ acquiescimus in gratia promissa, & Christo mediatore qui gratiam Patris nobis conciliavit. Atque harum omnium causarum fit mentio vers. 16. His addendæ sunt ex aliis Scripturæ locis, *causæ efficientes fidei:* videlicet *Spiritus sanctus & verbum Evangelii* seu promissio gratiæ. nam per hujus prædicationem Spiritus sanctus fidem in cordibus electorum efficit & conservat: ut liquet ex his testimoniis. Matth. 16. v. 17. quum Petrus suam cæterorumque Apostolorum de Christo fidem confessus esset, subjicit Christus: *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & sanguis hæc non revelavit tibi, sed pater meus qui est in cælis,* scilicet revelavit. nempe per Spiritum sanctum. Johan. 6. vers. 44. & 45. *Nemo potest venire ad me* (id est, credere in me: ex collatione vers. 36. & 37. ejusdem capitis) *nisi Pater qui misit me, traxerit eum,* nempe per Spiritum sanctum ex nolente reddendo volentem. Et mox, *Est scriptum in prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Eph. 2. v. 8. *Gratiâ estis servati per fidem: idque non ex vobis, Dei donum est.* Rom. 10. v. 17. *Fides ex auditu est,* id est, ex sermone Evangelii prædicato & auditu. Joh. 6. v. 68. ait Petrus de sermone Evangelii paulo-antè à Christo apud Capernaïtas prædicato: *Domine ad quem abibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Rom. 1. v. 16. *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* 1. Tim. 4. v. 16. *Id si feceris* (id est, si in doctrina fidei & cognoscenda & docenda perstiteris) *& teipsum servabis, & eos qui te audierint.*

Vindicatio verborum Christi, Sic Deus dilexit mundum.

11 Imperiti planè sunt & inepti, qui ex vocabulo *mundi* colligunt, Deum dilexisse singulos homines, ita ut propter ipsos filium suum miserit. quæ sententia cum plurimis Scripturæ testimoniis pugnat; quæ testantur, non singulos homines à Deo Patre in Filio dilectos esse, sed tantùm eos, quos ei pro suo beneplacito visum est ad vitam æternam eligere & Filio donare. Vide infrà cap. 17. v. 6. 9. 11. 12. 20. 23. Item infrà cap. 6. v. 37. 39.

Condemnationis causa.

12 Condemnationis causa justissima est incredulitas: quia increduli contumeliâ afficiunt filium Dei, quasi vel non satis potens fuisset ad ipsos redimendum, vel sanguis ejus non satis fuisset pretiosus. hoc videtur innuere Christus, quum ait, *Quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei.* Deinde increduli ad lucem cælestis veritatis petulanter oculos claudunt, v. 19. & 20. Hinc fit, ut Evangelium sit eis odor mortis ad mortem: quod credentibus est odor vitæ ad vitam: sicut docet Paulus 2. Cor. 2. v. 15. 16.

Baptizandi ritus vetus.

13 Vetus baptizandi ritus fuit, ut toto corpore in aquam immergerentur, & inde rursus extraherentur: quorum illud significabat mortificationem veteris hominis, istud vivificationem novi: ut intelligitur ex verbis Pauli Rom. 6. v. 3. & 4. Veruntamen hunc ritum ne Apostoli quidem semper adhibuisse videntur. nam Actor. 16. v. 33. à Paulo & Sila baptizatus fuisse legitur commentariensis ille seu custos carceris in urbe Philippis una cum domesticis suis: id quod non in aliquo flumine, sed domi illius factum videtur.

Observantia erga præceptores.

14 Cavendum ne præceptoribus nostris nimis addicti simus aut nimium tribuamus: quemadmodum hoc loco fecerunt discipuli Johannis, dum eum habent pro Christo, & interim Christo invident, quòd multi Johanne relicto, ipsum sequerentur. quo nomine eos Johannes reprehendit.

Ministrorum verbi Dei officium.

15 Fideles ministri Christi officium est, ut testetur de Jesu Mariæ virginis filio, quòd ipse sit Christus: ac proinde ut illi tanquam sponso Ecclesiam tanquam sponsam adducat: sicut hoc loco Johannes Baptista facit. Sic Paulus 2. Cor. 11. v. 2.

Fidei encomium.

16 Insigne est fidei encomium, quòd per eam obsignatur veritas Dei, v. 33. Contrà igitur incredulitatis insigne dedecus est, quòd per eam Deus mendacii arguitur.

Discrimen inter Christum & credentes.

17 Inter Christum & credentes magnum discrimen est, quod ad dona spiritualia attinet. Christus enim à Patre accepit immensam illorum donorum copiam: sicut hoc loco ait Johannes, Deum illi non admetiri seu (ut verba in Græco habent) non ex mensura, id est, secundùm mensuram, dare Spiritum. Et suprà capite primo, v. 16. docuit, eum istis donis esse repletum: quippe quum ex plenitudine ipsius omnes credentes accipiant. Et sic in Psalmo dicitur unctus oleo lætitiæ (id est, donis Spiritus sancti) præ consortibus suis, id est, præ credentibus. Item Esaiæ 11. dicitur: *Requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini.* Credentes autem accipiunt dona spiritualia secundùm mensuram donationis Christi: sicut testatur Paulus Eph. 4. v. 7.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Caput hoc in quatuor partes distingui potest. Prima est de reditu Domini in Galilæam, tribus primis versibus. Secunda, de colloquio ejus cum muliere Samaritana, à v. 4. usque ad 43. Tertia, quomodo à Galilæis exceptus sit, 43. 44. & 45. Quarta, quomodo sanaverit filium cujusdam regii qui degebat in oppido Capernaüm, à v. 46. usque ad finem capitis. Ex his quatuor partibus secunda & quarta principales sunt: prima autem continet secundæ προπαρασκευήν, itemque tertia quartæ.

PRIMA

PRIMA PARS.

Reditus Domini in Galilaeam.

UT ergo cognovit Dominus Pharisæos audisse,
ipsum plures discipulos facere & baptizare quàm
Johannem:
2 (Quanquam Jesus ipse non baptizabat, sed disci-
puli ejus.)
3 Reliquit Judæam, & abiit rursum in Galilæam.

Quod ad reditum Domini in Galilæam attinet, Evangelista exponit illius *causam impulsivam*, nempe metum insidiarum à Pharisæis: ut qui ægrè ferrent, Dominum plures discipulos facere & baptizare quàm Johannem.

SECUNDA PARS.

Colloquium Christi cum Samaritide.

4 Oportebat autem eum transire per Samariam.
5 Venit ergo in urbem Samariæ quæ dicitur Sichar,
juxta prædium quod dedit Jacob Josepho filio suo.
6 Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex
itinere, ita sedit ad fontem. hora *enim* erat quasi sexta.
7 Venit mulier Samaritana ut hauriat aquam: dicit
ei Jesus, Da mihi potum.
8 Nam discipuli ejus abierant in urbem ut cibos
emerent.
9 Dicit igitur ei mulier illa Samaritana? Quomo-
do tu, Judæus quum sis, potum à me poscis quæ sum
mulier Samaritana? (non enim utuntur Judæi Sama-
ritanis.)
10 Respondit Jesus & dixit ei, Si scires donum illud
Dei, & quis sit ille, qui dicit tibi, Da mihi potum: tu
petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.
11 Dicit ei mulier, Domine, neque quo haurias ha-
bes, & puteus profundus est: unde ergo habes aquam
illam vivam?
12 Num tu major es patre nostro Jacob, qui dedit
nobis hunc puteum; ex quo ipse bibit & filii ejus &
ejus pecora?
13 Respondit Jesus & dixit ei; Quisquis bibit ex aqua
ista, sitiet rursus:
14 Quisquis autem biberit ex aqua illa quam ego
ei dabo, non sitiet in æternum: sed aqua illa quam
ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam
æternam.
15 Dicit ei mulier, Domine, da mihi aquam istam,
ut non sitiam, neq; veniam huc ad hauriendum.
16 Dicit ei Jesus, Vade, voca virum tuum, & ve-
ni huc.
17 Respondit mulier & dixit ei, Non habeo virum.
Dicit ei Jesus, Bene dixisti, Non habeo virum.
18 Quinque enim viros habuisti; & nunc quem ha-
bes, non est tuus vir. hoc verè dixisti.
19 Dicit ei mulier; Domine, video te prophe-
tam esse.
20 Patres nostri in hoc monte adoraverunt: &
vos dicitis Hierosolymis esse locum illum ubi opor-
teat adorare.
21 Dicit ei Jesus; Mulier, crede mihi, venit tempus,
quando neq; in monte hoc neque Hierosolymis adora-
bitis Patrem.
22 Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod
scimus, quia salus ex Judæis est.
23 Sed venit tempus, & nunc est: quum veri adora-
tores adorabunt Patrem spiritu ac veritate: etenim Pa-
ter tales quærit qui ipsum adorent.
24 Deus est spiritus; & qui adorant eum, oportet ut
spiritu ac veritate adorent.
25 Dicit ei mulier, Scio Messiam venturum, qui
dicitur Christus: quum venerit ille, nobis annuntia-
bit omnia.
26 Dicit ei Jesus. Ego *is* sum qui loquor tibi.
27 Interea verò venerunt ejus discipuli, & mirati
sunt, quòd cum muliere loqueretur: nemo tamen dixit,
Quid quæris? aut, Quid loqueris cum ea?
28 Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in
urbem, dixitque ejus loci hominibus:
29 Venite, videte hominem qui dixit mihi quæcun-
que feci: num iste est Christus?
30 Exierunt ergo ex urbe, & venerunt ad eum.
31 Interim autem rogabant eum discipuli, dicentes,
Rabbi, comede.
32 Ille autem dixit eis, Ego cibum habeo quo vescar,
quem vos nescitis.
33 Dicebant ergo discipuli alii ad alios, Num quis
attulit ei quo vescatur?
34 Dicit ei Jesus, Esca mea est exsequi voluntatem
ejus qui misit me, & perficere ipsius opus.
35 Nonne vos dicitis, Adhuc quadrimestre *spa-
tium* superest, & messis aderit? Ecce dico vobis, attol-
lite oculos vestros, & spectate regiones: nam albæ jam
sunt ad messem.
36 Qui autem metit, mercedem accipit, & cogit fru-
ctum in vitam æternam: ut & qui seminat, simul gau-
deat, & qui metit.
37 Nam in hoc dictum illud verum est; Alius est qui
seminat, & alius qui metit.
38 Ego misi vos ad *id* metendum in quo vos non
laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum
introistis.
39 Ex urbe autem illa multi Samaritanorum credi-
derunt in eum propter sermonem mulieris, testantis *ac
dicentis*, Certè dixit mihi omnia quæ feci.
40 Quum ergo venissent ad eum Samaritani, ro-
garunt eum ut apud ipsos maneret: & mansit ibi
biduum.
41 Ac multò plures crediderunt propter sermo-
nem ipsius.
42 Et mulieri dicebant, Non ampliùs propter tuos
sermones credimus: ipsi enim audivimus: & scimus
hunc esse verè servatorem illum mundi, Christum.

In colloquio Christi cum Samaritide primùm describitur illius occasio, videlicet transitus Christi per Samariam, & adventus ejus ad oppidum Sichar, sessioque ad fontem, vers. 4. 5. & 6. Deinde describitur ipsum colloquium, à vers. 7. usque ad 27. Tum quæ colloquium consequuta sunt, nempe primùm admiratio discipulorum supervenientium, vers. 27. deinde advocatio Samaritanorum per Samaritidem, v. 28. 29. 30. tum sermo allegoricus Christi cum discipulis de cibo suo, & de messe discipulorum, à vers. 31. usque ad 39. Postremò fides Samaritanorum, à vers. 39. usque ad 43.

TERTIA PARS.

Quomodo Christus à Galilæis exceptus sit.

43 Duobus autem pòst diebus exiit inde, & abiit
in Galilæam.
44 Ipse enim Jesus testatus fuerat, Prophetam in sua
patria honorem non habere.
45 Quum ergo venisset in Galilæam, exceperunt
eum Galilæi, quum omnia vidissent quæ fecerat Hiero-
solymis in festo: nam & ipsi venerant ad festum.

Sequitur tertia pars capitis, quomodo Christus à Galilæis exceptus sit, nempe reverenter, idque propter miracula quæ viderant Hierosolymis in festo. Simul etiam causa exponitur, cur Christus relictâ Nazarethâ, ubi fuerat educatus, reliquas Galilææ partes obierit: nempe quòd à Nazarethanis sperneretur, ut qui eum à puero apud sese familiariter versantem noverant.

QUARTA PARS.

Sanat filium cujusdam regii in Capernaüm.

46 Venit igitur Jesus rursum Cana *oppidum* Gali-
lææ, ubi fecerat ex aqua vinum. Erat autem in Caper-
naüm regius quidam, cujus filius ægrotabat.
47 Is quum audisset Jesum venisse ex Judæa in Ga-
lilæam, abiit ad eum, & eum rogavit ut descenderet ac
sanaret ipsius filium: erat enim moribundus.
48 Dixit ergo Jesus ei; Nisi signa & miracula vide-
ritis, non credetis.
49 Dicit ei regius ille; Domine, descende prius-
quam moriatur puerulus meus.

50 Dicit ei Jesus, Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixerat ei Jesus: & profectus est.

51 Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & annuntiaverunt, dicentes, Filius tuus vivit.

52 Percontatus est ergo ab eis horam quâ meliùs habuerat: & dixerunt ei, Heri *circiter* horam septimam dimisit eum febris.

53 Agnovit ergo pater, *id factum esse* illâ ipsâ horâ quâ dixerat ei Jesus, Filius tuus vivit: & credidit ipse ac domus ejus tota.

54 Hoc rursus secundum signum edidit Jesus quum venisset ex Judæa in Galilæam.

Sequitur quarta capitis pars: quomodo Christus sanaverit filium regii cujusdam qui degebat in oppido Capernaümo. Illum igitur jam moribundum sanavit rogatu patris: sed quomodo? Absens corpore, solâ verbi testificatione: cui regius ille credidit. Priùs tamen & illum & totam gentem Judaicam objurgavit, quòd miraculorum nimis cupidi essent, interim scilicet doctrinam ejus negligentes & spernentes.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Ipsum] ὅτι Ἰησοῦς. *Antecedens repetitur more Hebræorum.*

5 Sichar] Συχάρ. *Aliâs Sichem.*

6 Fons Jacob] πηγὴ τοῦ Ἰακώβ. *Id est, Quem Jacob foderat: vel saltem quo usus fuerat cum familia: ut declaratur infrà v.12.* Ad fontem] ἐπὶ τῇ πηγῇ. *Supra fontem illum.* Auf den brunnen. Quasi] ὡσεί. *Id est, Circiter.* Sexta] ἕκτη. *Id est, Erat circa meridiem, quo tempore æstus solis intensissimus est. nam Judæi diem unumquemque distribuebant in duodecim horas æquales.*

7 Venit] ἔρχεται. *Modus narrandi huic Evangelistæ familiaris, per verba scil. temporis præsentis. Nobis in narrationibus usitatum est tempus imperfectum,* Da kam ein weib &c. Samaritana] ἐκ τῆς Σαμαρείας. *Subaudi,* οὖσα. *E Samaria, scil. oriunda. Sicut suprà cap.1.v.45.* ἦν δὲ ὁ Φίλιππος ἀπὸ Βηθσαϊδά, *Erat verò Philippus ex Bethsaïda. Non igitur pendet hoc loco præpositio* ἐκ *à verbo* ἔρχεται. *quippe vênit ista mulier non ex ipsa urbe Samaria, sed ex oppido Sichar: ut percipitur ex v.5.*

8 Nam discipuli] οἱ γὰρ μαθηταὶ &c. *Exponit Evangelista rationem, cur Jesus ipse potum à muliere petiverit, ac non potiùs per aliquem è discipulis. Nisi malimus, rationem exponi simpliciter, cur petierit potum: nempe ut haberet cum discipulis quod biberet inter prandendum: quum emtionis ciborum mentio fiat.*

9 Non enim] οὐ γὰρ &c. *Videntur hæc esse Evangelistæ verba potiùs quàm mulieris Samaritanæ. Superfluum enim erat, illam Jesum ea de re admonere quæ omnibus nota erat. At superfluum non erat, ut Evangelista lectori rationem ejus dicti & ratiocinationis quâ usa fuerat mulier Samaritana, exponeret. Quum igitur commemorasset enthymema mulieris: Tu Judæus es, Non igitur debebas potum postulare à muliere Samaritana: rationem consequentiæ exponit, addens illius enthymematis propositionem.*

10 Et quis sit &c.] καὶ τίς ἐστιν. *Hæc præcedentibus annectuntur per* ἐπεξήγησιν: *unde percipitur, Christum seipsum intellexisse per donum illud Dei. Est enim nobis donatus à Patre in Servatorem. Sic Rom.8.v.32. Quî non etiam cum eo (nempe Filio) omnia nobis donabit?* Aquam vivam] ὕδωρ ζῶν. *Fateor quidem, hujus aquæ effectum esse vitam æternam: hoc enim Christus ipse expressè affirmat infrà vers.14. Veruntamen non puto hinc appellatam vivam, quasi vitæ effectricem.* μετωνυμικῶς: *sed tantùm* μεταφορικῶς *sic dictam, ex consuetudine Hebræorum, pro* perennem & perpetuo-scaturientem. *Est autem gemina metaphora: prima quòd Spiritus sanctus vocatur aqua: deinde quòd nominatur aqua viva pro perpetuo-scaturiente: ut Genes.26.v.19. Interim non nego, per istam metaphoram effectum illum simul notari ex consequenti. nam sicut aqua viva seu ex fonte scaturiens sitim exstinguit atque ita cor recreat: sic Spiritus sanctus exstinguit sitim spiritualem & recreat mentem seu vivificat, replens animum gaudio spirituali. Esse autem aquæ vivæ nomine intelligendum Spiritum sanctum, declarat Evangelista ipse infrà cap.7.v.38. & 39.*

11 Neque quo haurias &c.] *Proponitur hîc rursus imago stuporis humani in intelligenda doctrina cælesti: quale exemplum fuit Nicodemi suprà cap.3.*

12 Patre nostro &c.] *Sic semper hypocritæ de majoribus suis gloriati sunt, & inde religionem suam defendere conati. quamvis ista falsò de Jacobo gloriatur: ut à quo originem Samaritani non ducebant. Sicut Turcæ Agareni se Saracenos nominant & venditant: tanquam è Sara ortos, non autem ex Agar.*

14 In æternum] εἰς τὸν αἰῶνα. *Id est, unquam. Sic Marc.3.v.29. Hebraismus.* Fons aquæ salientis &c.] *Similis sententia est infrà cap.7.v.38.*

20 Patres nostri &c.] *Talis gloriatio erat paulo-antè v.12. Patres, id est, majores:* unsere Voreltern.

22 Vos] ὑμεῖς. *Samaritani.* Nos] ἡμεῖς. *Judæi.*

23 Spiritu] ἐν πνεύματι. *Id est, animo: non solùm ore.* Spiritu ac veritate] ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ. *Id est, Vero spiritu: seu vero animi affectu: non autem hypocriticâ observatione cærimoniarum.* ἐν διὰ δυοῖν.

24 Deus est spiritus] πνεῦμα ὁ Θεός. *In Græco voces trajectæ sunt: sed partem enuntiati antecedentem quam subjectum vocant, ostendit articulus. Simile exemplum vide suprà cap.1.v.1.* Spiritus] πνεῦμα. *Id est, mens quædam.*

25 Omnia] πάντα, *scil. ad cultum Dei & salutem animarum nostrarum pertinentia.*

27 Interea verò] καὶ ἐπὶ τούτῳ. *Vel potiùs,* Et huic verbo supervenerunt: *ut ad* τούτῳ *suppleatur* λόγῳ: *& referatur ad illud dictum, Ego sum.* Quòd cum muliere loqueretur] ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει. *Nempe quæ esset Samaritana. Non enim utebantur Judæi Samaritanis, suprà v.9.*

31 Interim autem] ἐν δὲ τῷ μεταξὺ. *Supple* χρόνῳ.

32 Ego cibum habeo] ἐγὼ βρῶσιν ἔχω. *Hoc quid sit, declarat ipse v.34. & deinceps.*

34 Esca mea est] ἐμὸν βρῶμά ἐστιν. *Id est, Me summè oblectat instar suavissimæ escæ. Metaphora.* Voluntatem] τὸ θέλημα. *Id est, id quod vult Pater, quodque mihi mandavit. Metonymia adjuncti.* Ipsius opus] αὐτοῦ τὸ ἔργον, *Id est. ab ipso mihi mandatum. nempe ut prædicem evangelium Samaritanis jamjam ex urbe huc venturis. Meditabatur igitur orationem ad illos habendam. Genitivus adjuncti occupati.*

35 Spectate regiones] θεάσασθε τὰς χώρας. *Vel, agros, id est, fruges in agris. Sed intelligit Samaritanos jam magno numero adventantes per campum. Est igitur allegoria.* Albæ jam sunt ad messem] *Id est, Tempestivum jam & opportunum est, evangelium prædicare Samaritanis, atque ita eos quasi metere in horreum Dei, hoc est, ecclesiam, ex hujus mundi agro.*

36 Qui autem metit &c.] *Id est, Qui evangelium prædicat iis qui jam in genere aliquid de Christi adventu audierunt.* Qui seminat] *Videtur intelligere prophetas superioris ætatis: qui promissiones de Christi adventu annuntiarunt, atque ita quasi semina doctrinæ evangelii jecerunt.*

37 In hoc] ἐν τούτῳ. *In hac re, in hoc negotio.*

38 Alii] *Nimirum prophetæ.*

40 Maneret] *Nempe ad tempus: ut percipitur ex eo quod statim sequitur. nam satisfaciens eorum petitioni, mansit biduum. Similiter hospitium offerebat Paulo & Barnabæ mulier illa Lydia, Act.16.v.14. & 15.*

41 Propter sermonem ipsius] διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ. *Quum ipsum audissent prædicantem evangelium.*

43 Duobus autem pòst diebus] μετὰ δὲ τὰς δύο ἡμέρας. *Vel, Post illud biduum autem: cujus scil. facta mentio v.40. Articuli vis est* ἀναφορική. In Galilæam] *Videl. Canan oppidum Galilææ: ut colligitur ex collatione v.46.*

46 Regius] βασιλικός. *Regis Herodis minister.*

48 Et miracula] καὶ τέρατα. *Hoc nomen præcedenti adjectum videtur per epexegesin.*

50 Vivit] ζῇ. *Id est, Convaluit ex morbo. Sic v.seq.*

53 Domus] ἡ οἰκία. *Id est, domestici seu familia. Metonymia subjecti.*

54 Rursus secundum] πάλιν δεύτερον. *Adverbium* πάλιν *redundat.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Hoc exemplo fugæ Domini docemur, in officio faciendo hunc modum servandum esse, ut neq; metu terreamur quin pergamus, neque in accersendis periculis simus præcipites. Quippe Dominus non desinit evangelium prædicare, quum sentit ea re infestos sibi reddi Pharisæos: & tamen furori eorum cedit & insidias declinat fugâ. Quod ipsum etiam aliâs, ut Matth.4.v.12. & 14.v.13. fecit, donec tempus advenisset quo ab illis erat capiendus & gentibus ad mortem tradendus: tunc enim ipse obviam eis ivit, ut caperetur. Porrò quod hîc Dominus fecit, id ipsum discipulis quoque præcepit: *Si vos persecuti fuerint in una civitate,* inquit, *fugite in aliam,* Matth.10.v.23. Sic Paulus fugâ se subduxit Damasco, Act.9.25. *Officii faciendi ratio.*

2 Ex v.6. & 7. Christum dum in terris versaretur, infirmitatibus naturæ nostræ subjectum fuisse: quippe qui fuit fatigatus & sitivit. Ubi notandum, infirmitates illas in Christo fuisse sine peccato: teste Paulo Heb.4.vers.15. Causa autem ejus nobiscum conformitatis fuit, ut esset misericors & fidelis pontifex ad expiandum nostra peccata, & ut ex sympathia nobis succurreret, ibid. & cap.2.v.17. & 18. *Christi humana natura.*

3 Ex v.11.12.15.20. E Samaritidis exemplo discimus, hominem nondum Spiritu Dei renatum non percipere ea quæ dicuntur de regno Dei & vita æterna; item securè de religione & cultu Dei philosophari, nec interim de sceleribus suis solicitum esse. Vide 1.Cor.2.v.14. *Hominis miseria.*

4 Ex v.28. & 29. Ex ejusdem exemplo, nempe ex conversione illius, discimus, Deum ex mera misericordia nobis remittere peccata, & dare Spiritum sanctum, qui in nobis efficit fidem & seriam resipiscentiam. *Conversionis origo.*

5 Ex v.29. Imitandum ejusdem exemplum in proximis ad Christum adducendis. Vide Esaiam secundo, v.12. & 13. *Officium hominis Christiani.*

6 Ex v.10. Christum nobis intuendum esse ut donum Dei: quippe quem nobis donavit Deus ut esset noster Mediator ac Salvator. Confer Rom.8.32. Item infrà cap.6.v.32. & 33. *Christus.*

7 Ex v.10.

Spiritus sanctus. Homo. 7 Ex v.10. Spiritum sanctum esse instar aquæ vivæ, quæ bibentem recreat & vivificat. Unde intelligitur, hominem naturâ aridum esse, & omni succo vitali destitutum.

Gloriandi ratio. 8 Ex v.12. & 20. Non esse gloriandum in majoribus; quasi ideo Deo accepti simus, quia sanctos majores habuimus. Gloriandum est autem in solo Deo; nimirum in gratuito ejus erga nos favore, quem nobis per Evangelii promissionem declaravit, 1.Cor 1 v.ult.

Spiritus sanctus. 9 Ex v.14. Spiritum sanctum ita sedare spiritualem hominis sitim, ut eundem vivificet, & perpetuò in eo scaturiat ad vitam æternam. Hoc autem facit, dum mentem hominis magis magisque illuminat cognitione gratiæ Dei propter Filium, eandemq; gratiam ei gustandam præbet, Rom.5.v.5.

Religio. 10 Ex v.21. 22. 23. 24. In religione non statim esse rectum quod fecerunt Patres seu majores: nec eam consistere in rebus externis; nisi quatenus illæ ita observantur, ut à Deo præceptæ sunt, hoc est, ut serviant exercendo spiritui in fide ac timore Dei. Verus enim Dei cultus spiritualis est.

Figura Dei, seu imagines. 11 Quum Deus sit spiritus, id est, essentia incorporea: non potest figurâ aliquâ repræsentari: ac proinde figuræ quibus Deus repræsentatur, mendaces sunt: atque etiam majestatem Dei quæ immensa est, quantum in ipsis est, minuunt: quippe quam in angustias lineamentorum cogunt. Vide Rom.1.v.23. Esa.40.v.12. & seqq.

Officium hominis Christiani. 12 Ex v.32.34. Regni Dei amplificandi occasionem ita avidè arripiendam esse, ut interim corporis curam negligamus: nec quicquam nobis dulcius aut suaviùs esse debere, quam occasione oblatâ alios ad cognitionem Dei adducere.

Naturæ humanæ corruptio. 13 Ex v.35. Animos hominum multò attentiores esse ad res terrenas quàm cælestes: quippe qui desiderio messis sic æstuant, ut anxiè supputent menses ac dies: quum interea in colligendo tritico cælesti, hoc est, in proximis ad vitam æternam adducendis mirè torpeant. Huic vitio opponendum est dictum Domini; *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus: tum cætera adjicientur vobis*, Matth.6.33.

Ministri verbi Dei. 14 Ex v.36. Duo hæc verbi ministris ingentes animos addere debent, ne unquam sub labore fatiscant: nempe corona gloriæ, quam sibi instar mercedis aut præmii in cælo repositam esse audiunt; & gloria Dei cum salute hominum conjuncta, quæ instar fructus ex prædicatione Evangelii enascitur. Horum argumentorum priore sese consolatur Paulus 2.Tim.4.v.7. & 8. ubi ait: *Certamen illud præclarum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi: Quod superest, reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille judex: non solùm autem mihi, sed & omnibus qui expetiverint illustrem illum ipsius adventum.* Huc etiam pertinet insignis illa promissio apud Danielem cap.12.v.3. *Qui erudiunt alios, splendebunt quasi splendore expansi: & qui ad justitiam adducunt multos, ut stellæ in sempiterna sæcula erunt.* Ad alterum argumentum confirmandum pertinet promissio illa Christi infr.15.v.16. ubi Apostolis ait, *Ego elegi vos, ut eatis & fructum feratis, & fructus vester maneat.*

Vita æterna qua ratione mercedi comparetur. 15 Ex v.36. Quòd vita æterna in ista promissione, quæ continetur v.36. comparatur mercedi: hinc non est colligendum, eos quibus illa datur, operibus suis illam esse meritos. Neque enim in alium finem merces appellatur, quàm ut electi spe illius ad diligentiam in officio excitentur, intelligentes nimirum, se laborum suorum mercedem amplissimam accepturos. Interim tenendum est, hanc mercedem esse gratuitam, hoc est, dari non ex merito, sed ex gratia. Nos enim officiis nostris vitam æternam à Deo non mereri, apertè docet Christus, quum ait ad Apostolos Luc.17.v.10. *Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis dicite, Servi inutiles sumus.* Idipsum intelligitur quoque his duobus argumentis: Primùm, quod quatenus opera nostra remuneratur Deus, eatenus non nostra sunt, sed ipsius Dei per Spiritum ipsius in nobis ac per nos effecta. quippe ex nobis, tanquam ex nobis, ne ad cogitandum quidem quicquam boni idonei sumus. Deinde, quòd opera nostra, quantumvis bona & in Deo facta, tamen mutila sunt & pravis affectibus contaminata. quis enim est qui gloriari possit, se in ullo suo opere dilexisse Deum ex toto suo corde, ex tota anima, ex tota cogitatione & omnibus suis viribus? unde vulgò dici solet, Justum peccare in omni opere bono. Jam vita æterna non datur propter opera, nisi illa sint perfecta & ad Legem Dei congruant. Scriptum est enim, *Qui fecerit hæc* (nempe ita ut Deus fieri præcipit, ex toto scilicet corde) *vivet per ea.* Tantum igitur abest, ut bonis nostris operibus merces vitæ æternæ debeatur, ut potiùs gratiâ Dei egeant, qua non imputetur eis imperfectio & admixta vitiositas, sed tegatur obedientiâ mortis Christi.

Doctrinæ Prophetarum & Apostolorum quid differant. 16 Ex v.38. Notandum est discrimen inter doctrinam Prophetarum & Apostolorum. Nam etsi utriq; eandem salutis æternæ rationem per Christum docuerunt: tamen Prophetæ spem tantum fecerunt de Christo venturo, atque ita quasi eminùs eum ostenderunt; at Apostoli Christum jam advenisse & opus salutis nostræ perfecisse testati sunt. Unde Prophetarum doctrina sationi; Apostolorum verò messi comparatur. nam satione peractâ semen erumpens, spem messis facit: at quum jam messis tempus est, segetem maturuisse oportet, ut demessa in horreum colligatur. Nec verò putandum est, pios tempore Prophetarum non fuisse & ipsos per illorum doctrinam in horreum Dei, id est, regnum Dei seu Ecclesiam collectos: vidit enim Abraham diem Christi, & gavisus est: sed quòd Prophetarum doctrina sationi comparatur, fit tantùm respectu doctrinæ Apostolorum tanquam plenioris & clarioris. Talis comparatio exstat etiam Gal.4. ubi Paulus tempus Legis, pueritiæ; Evangelii verò virili ætati comparat. nam Legis cærimoniis fuerunt adumbrata ea, quæ in Christo tanquam corpore ipso sunt exhibita, Col.2.v.17.

Docilitas. 17 Ex v.39. Quum Spiritus sanctus docilitatem Samaritanorum honorificâ fidei appellatione dignetur: hinc colligimus, quanti Deus verbi sui reverentiam faciat. Quare operam demus, ut nos verbo Dei semper dociles præbeamus.

Docilitas. 18 Ex v.41. Quòd multi Samaritanorum crediderint per sermonem Christi, argumento est, Evangelium apud homines dociles ac discendæ veritatis cupidos, frustra annuntiari non solere, sed copiosum fructum ferre. Unde sequitur, nunquam nobis cessandum esse, quoties docendi occasio datur: si modò regnum Dei, ut debemus, propagare volumus.

Fides. 19 Ex vers.24. Fidem niti verbo Dei, ac proinde conjunctam esse cum certa & immota scientia, quæ acquiescit in veritate Dei.

Christus servator mundi qua ratione dicatur. 20 Ex eod.v. Quòd Christus dicitur Servator mundi, non est intelligendum de singulis in mundo hominibus, sed de totius mundi omniumque populorum credentibus. Opponitur enim hoc errori Judæorum, qui putabant, Christum ad se solos, non etiam ad reliquas gentes, pertinere. Hinc Petrus Actor.10. fide Cornelii Ethnici intellectâ, prorumpit in hæc verba, v.34.35.36. *In veritate comperio, Deum non accipere personam: sed in quavis gente acceptum ei esse quemvis qui eum timeat & operetur justitiam: id quod significavit filiis Israël, annuntians pacem per Jesum Christum: qui est omnium dominus.* Sic quoque intelligendum est illud Johannis 1.Epist.cap.2.v.2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis.* In his ergo dictis nomen *mundi*, credentes per mundum dispersos notat. At alibi hoc nomine significantur reprobi & increduli: quorum servator certè Christus non est, ut infr.17.v.9. *Non pro mundo rogo: sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Sic v.14. *Mundus eos odio habuit: quia non sunt ex mundo, prout & ego non sum ex mundo, &c.*

Christi divina natura. 21 Ex isto miraculo Christi, sicut & ex aliis ejusdem miraculis, perspicimus divinam ejus potentiam: quippe qua febricitantem sanavit corpore absens, absque ullo remedio, sola voluntate verbo testatâ. Atque hinc ulteriùs discimus, ipsum esse promissum illum Messiam. nam de Messia per Prophetas prædictum erat, eum miraculosè omnis generis morbos sanaturum. Vide Matth.8.v.16.& 17. Vide etiam Esa.35.v.5.& 6.

Quòd Jesus sit Christus.

Electi. 22 Exemplo istius aulici ad cognitionem & fidem Christi efficaciter vocati, admonemur, Deum suos electos in quovis hominum ordine habere, atque adeò etiam inter aulicos, hominum genus vanitati mundi præcipuè addictum. Simile exemplum Cornelii hominis militaris, Act.10. Quo loco notandum est dictum Pauli 1.Cor.1.v.26. *Videtis vocationem vestram, fratres: vos scilicet non esse multos sapientes secundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles: Verùm quæ stulta sunt in mundo, elegit Deus, &c.*

Doctrina cælestis. 23 Doctrinæ cælesti credendum esse, etiamsi miraculis non fuerit confirmata. Quantò magis doctrinæ Evangelii credendum est: quum jam plurimis maximisque miraculis per ipsum Christum & Apostolos confirmata sit? Iniquè ergo agunt Papistæ quum ab Evangelii doctoribus miracula flagitant.

Preces. 24 Ex v.49. Quum preces nostræ videntur à Deo repudiari, instandum nihilominus esse tamdiu donec ejus opem sentiamus. Sic regius iste objurgationem Domini æquo animo ferens, opem Christi in sanando filio implorare pergit, donec eam impetrat. Similiter fecit mulier illa Cananæa, Matth.15. v.22.& deinceps.

Patrisfamiliâs officium. 25 Ex v.53. Patrisfamiliâs officium esse, operam dare ut omnes suos domesticos ad cognitionem Christi adducat, adductósve in ea retineat & confirmet. Hoc haud dubiè fecit iste aulicus: hoc idem fecit ille commentariensis. Act.16. v.33. quippe qui edoctus de Christo, baptizatus est non solùm ipse, sed etiam omnes domestici ejus. Sic Luc.19.v.9. quum ad fidem Christi pervenisset Zacchæus, dixit Christus: *Hodie salus domui huic contigit.* quibus verbis significat, Zacchæum domesticos suos in eâdem fide educaturum. Hanc laudem tribuit quoque Dominus Abrahamo Gen.18.19. inquiens, *Scio enim, quòd præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini &c.*

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Duas in partes distingui potest. Prior continet miraculum sanati à Christo cujusdam qui triginta octo annos decubuerat, usque ad v.17. Altera pars continet apologiam Christi, id est, sermonem ad Judæos, quo factum illud suum defendens (nam sanaverat illum in sabbatho) & authoritatem suam plenissimè asserit, & Judæorum incredulitatem reprehendit.

PRIMA PARS.

Sanat quendam qui triginta octo annos decubuerat.

POst hæc erat festum Judæorum, & ascendit Jesus Hierosolymam.

2 Est autem Hierosolymis ad *portam* pecuariam, piscina quæ nominatur Hebraicè Bethesda, quinque porticus habens.

3 In his jacebat multitudo magna ægrotorum; cæcorum, claudorum, aridorum; exspectantium aquæ motum.

4 Angelus enim descendebat certo momento in piscinam, & turbabat aquam: itaque qui primus ingressus erat post aquæ turbationem, sanus fiebat à quocunque detineretur morbo.

5 Erat autem quidam illic tricesimum octavum annum agens in morbo.

6 Hunc quum vidisset Jesus jacentem; & cognovisset, eum jam multum temporis egisse *in morbo*; dicit ei: Cupis sanus fieri?

7 Respondit ei ægrotus ille; Domine, non habeo quenquam, qui, quum turbata fuerit aqua, immittat me in piscinam: sed interim dum ego venio, alius ante me descendit.

8 Dicit ei Jesus; Surge, attolle grabatum tuum, & ambula.

9 Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. erat autem sabbathum die illo.

10 Judæi ergo dicebant ei qui curatus fuerat; Sabbathum est, non licet tibi attollere grabatum.

11 Respondit eis, Qui me sanum fecit, is mihi dixit, Attolle grabatum tuum, & ambula.

12 Interrogaverunt eum ergo, Quis ille est qui dixit tibi, Attolle grabatum tuum, & ambula?

13 Is autem qui sanatus fuerat, nesciebat quis esset: Jesus enim evaserat, eò quòd turba esset in illo loco.

14 Postea invênit eum Jesus in templo, & dixit ei; Ecce, sanus factus es: ne pecca ampliùs, ut ne quid deterius tibi fiat.

15 Abiit homo ille; & nuntiavit Judæis, Jesum esse qui sanum eum fecerat.

16 Ac propterea persequebantur Judæi JESUM, & studebant eum trucidare: quòd ista fecisset sabbatho.

In descriptione miraculi continentur primùm circumstantiæ temporis & loci, quando & ubi miraculum hoc contingit: item occasio & quædam ad miraculum præparatio: usque ad v. 8. Deinde miraculum ipsum, v. 8. & 9. Postremò ea quæ post miraculum sanato illi atque etiam sanationis authori Christo evenerunt: à v. 10. usque ad 17.

1 *Post hæc erat*] Hoc versu describitur *circumstantia temporis*, quando miraculum illud accidit: nempe in festo. Item *circumstantia* loci: nempe in urbe Hierosolyma.

2 *Est autem*] Superiore versu indicatus est locus generalis seu communis: hîc describitur *locus specialis seu proprius*, videlicet porticus sitæ ad piscinam quandam. Hæ porticus v. 3. describuntur ab adjunctis ægrotis: simulque consilium seu finis illorum ægrotorum indicatur, cur ibi jacuerint, nempe ut per aquam piscinæ, postquam illa ab angelo esset mota, sanarentur. Tum v. 4. commemoratur miraculosæ illius per aquam sanationis ratio.

5 *Erat autem*] Deinceps describitur miraculi propositi *occasio* & ad illud *præparatio*: ac primùm tempus ægrotationis, quamdiu scilicet ille ægrotaverit, hoc versu. deinde colloquium Christi quo illi sanationis spem facit, v. 6. & illius querela de destitutione opis, v. 7.

8 *Dicit ei*] Hîc describitur ipsum miraculum, quod constat imperio Christi & obsequio ægroti. Simulque indicatur *tempus speciale*, nempe sabbathum: nam suprà v. 1. tempus generale indicatum fuit, nempe festum.

10 *Judæi ergo*] Deinceps describuntur ea quæ post miraculum evenerunt: & primùm quæ evenerunt sanato: nempe objurgatio Judæorum, quòd ferret grabatum, hoc versu. Deinde ipsius apologia seu excusatio, vers. 11. Tum inquisitio de sanationis authore, vers. 12. & 13. Præterea admonitio Christi de cavendis deinceps peccatis, vers. 14. Postea additur, quid evenerit Christo: nempe indicium per sanatum apud Judæos, v. 15. & persecutio per Judæos, v. 16.

SECUNDA PARS.

Apologia Christi ad Judæos.

17 Jesus autem respondit eis; Pater meus usque adhuc operatur, etiam ego operor.

18 Propterea ergo magis studebant eum Judæi trucidare: quia non solùm solvisset sabbathum, sed & Deum dixisset patrem suum, parem se faciens Deo.

19 Respondit ergo Jesus & dixit eis; Amen amen dico vobis, non potest Filius à semetipso operari, *id est*, nisi viderit Patrem operantem. quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.

20 Pater enim amat Filium, & omnia monstrat ei quæ ipse facit: & opera istis majora monstrabit ei, ut vos miremini.

21 Sicut enim Pater excitat mortuos & vivificat, ita & Filius quos vult vivificat.

22 Nec enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio:

23 Ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem, qui non honorat Filium, non honorat Patrem; ut qui miserit eum.

24 Amen amen dico vobis, Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: sed transivit à morte in vitam.

25 Amen amen dico vobis, Adventat tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.

26 Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso.

27 Et authoritatem dedit ei etiam judicium exercendi, quatenus Filius hominis est.

28 Nec hoc miramini: nam veniet hora, qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus.

29 Et prodibunt qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ: qui verò malè egerint, in resurrectionem condemnationis.

30 Non possum ego à meipso facere quicquam: prout audio, judico: & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, *id est*, Patris.

31 Si ego testor de meipso, testimonium meum non est verum.

32 Alius est qui testatur de me, & scio verum esse testimonium quod testatur de me.

33 Vos misistis ad Johannem, & *is* testimonium dedit veritati.

34 Ego autem ab homine testimonium non capto: sed hæc dico ut vos servemini.

35 Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluistis ad momentum exsultare in ejus luce.

36 At ego testimonium habeo majus *testimonio* Johannis: opera enim quæ dedit mihi Pater ut ea perficerem, ipsa, *inquam*, opera quæ ego facio, testantur de me quòd Pater miserit me.

37 Et qui misit me Pater, ipse testatus est de me. Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis.

38 Et sermonem ejus non habetis in vobis manentem: quia quem misit ille, huic vos non creditis.

39 Scrutamini Scripturas: quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testantur de me.

40 Sed non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.

41 Gloriam ab hominibus non capto.

42 Sed novi, vos charitatem Dei non habere in vobis.

43 Ego vêni nomine Patris mei, ne recipitis me: si venerit alius nomine suo, illum recipietis.

44 Quomodo vos potestis credere, quum gloriam alii ab aliis captetis? At gloriam quæ à solo Deo proficiscitur, non quæritis.

45 Ecqu-

45 Ne putate, me accusaturum vos apud Patrem: est qui accuset vos, Moses, in quo vos speratis.

46 Si enim crederetis Mosi, crederetis mihi: de me enim ille scripsit.

47 Quòd si illius scriptis non creditis, quomodo verbis meis credetis?

Sequitur secunda pars capitis, videlicet apologia Christi, ad scribas & Pharisæos, qua factum suum defendit, & illorum incredulitatem coarguit. *Quæstio principalis* istius concionis & apologiæ Christi, est, An ipse violarit sabbathum sanando illum ægrotum qui decubuerat triginta octo annos, jubendoque ut grabatum suum gestaret. Pharisæi affirmant, Christus negat: suamque negationem probat argumento à *pari*, videlicet à paribus istius operis causis procreantibus: quod argumentum potest concludi syllogismo connexo ad hunc modum:

Si ego (inquit Christus) *isto opere sanati à me ægroti violavi sabbathum: consequens est ut & pater meus (nempe Deus) eodem illo opere sabbathum violaverit.*

Atqui certum est, Deum nunquam sabbathum violare.

Ergo certum quoq; est, me illo opere sabbathum non violasse.

Propositionis loco affert Dominus illius probationem, inquiens: *Pater meus usq; adhuc operatur: etiam ego operor.* Quibus verbis præterquam quòd affirmat, Deum proprium suum esse patrem: ac proinde se proprium & naturalem, nempe unigenitum Dei esse filium: duo significat quæ ad propositum probandum accommodat.

Unum est, quòd opus istud sit opus divinum seu opus Dei, hoc est à Deo effectum. hoc docet ubi ait, *Pater meus* (nempe Deus) *operatur.* Simul etiam docet, ex quo operum divinorum genere sit hoc opus, nempe ex numero eorum quæ pertinent ad rerum creatarum conservationem hoc docet, ubi ait, *Usq; adhuc operatur*, id est, operatur inde ab initio rerum creatarum usq; ad hoc temporis momentum operatione continenti seu actu continuo, conservando scil. res à se creatas, & gubernando, & etiam nova individua creando.

Alterum est, quòd non solus Pater istud opus fecerit, sed etiam ipse unà cum Patre, tanquam unigenitus ac proprius ejus filius, illi ὁμοούσιος, id est, coëssentialis; ac proinde æquali, imò eâdem, potentiâ præditus. Hoc docet, ubi ait: *Etiam ego operor.* Conjunctionem enim καὶ, Syrus interpres rectè vertit אף, id est, Etiam: quippe qua operationis societas sive communio, imò identitas (ταυτότης) notatur. Ex istis duobus duo hæc colliguntur. Ex primo: Si hoc opus à Deo profectum est, non igitur eo violatum est sabbathum: etenim operibus divinis sabbathum nequaquam violatur. Ex altero: Si Christus & Deus pater simul hoc opus fecerunt: ergo si Christus illo opere sabbathum violavit, consequens est, ut & Deus pater sabbathum violaverit. Atque hæc de syllogismi propositione.

Jam ad assumtionem quod attinet, Deum nunquam violare, imò ne violare quidem posse sabbathum: illud quanquam per se facilè intelligitur: tamen liquet ex eo, quòd Deus legibus subjectus non est: quum ipse sit summus legislator: cujus voluntas, omnis recti regula est. Quòd si legibus subjectus non est: ergo nec violare ullam legem potest: atque ita nec legem de sabbatho. Atque hoc adeò verum est, ut ne homines quidem leges à Deo latas violare censendi sint, si quid illis contrarium jussu Dei tanquam legislatoris faciant: id quod ex duobus illis vulgo-notis exemplis planum est: uno, quòd Abraham jussu Dei motus, mactare volebat filium Isaacum: quod absque Dei jussu pugnasset cum præcepto, Ne occidas: altero, quòd Israëlitæ exituri ex Ægypto, jussu Dei mutuati sunt ab Ægyptiis omnis generis pretiosa ornamenta, animo retinendi: quod absq; Dei jussu pugnasset cum precepto, Ne fureris. Eâdem ratione excusari potest ille sanatus, qui jussu Dei gestavit suum lectulum in sabbatho: quod absque Dei jussu pugnasset cum præcepto, Memento ut diem sabbathi sanctifices.

18 Propterea] Narrat evangelista, quid Christus illâ suâ apologiâ apud Scribas & Pharisæos profecerit. nempe illos non solùm non esse placatos, verùm etiam rabiem eorum magis esse irritatam: quippe qui novæ & quidem gravioris offensionis materiam arripuerunt ex hac Christi de sua persona operibusque doctrina.

19 Respondit ergo] Christus nihil moratus istorum offensionem, pergit in doctrina cæpta; & sententiam quæ eos offenderat, pluribus verbis repetit: affirmans, opera sua, nempe divina illa) sibi esse cum patre communia: ut innuat, se propter illa opera accusari non posse, quin eâdem criminatione involvatur ipse Pater.

20 Pater enim] Communicationem illam operū Patris probat *à causâ efficiente impulsivâ*, videl. amore Patris erga ipsum. Deinde eandem illustrat *à comparatis*: nam cum sanatione corporum comparat sanationem animorum, imò excitationem ex morte & vivificationem, v. 21. Quibus verbis docet, se unà cum Patre per Spiritum sanctum illuminare cæcas hominum (nempe electorum) mentes, ut gratiam Dei in filio præstitam intelligant & fide recipiant, atque ita fiduciâ filiali in paterno favore Dei acquiescant, Deumque filiali timore colere incipiant. Hac enim fiduciâ vivificatur cor hominis, quod aliâs in æterna morte ex sensu iræ Dei contra peccata demersum est.

22 Nec enim] Quod dixit de potestate vivificandi, probat à *toto*, videlicet potestate judicandi seu gubernandi ecclesiam: quæ nimirum gubernatio quòdve judicium duas continet partes, vivificationem credentium & condemnationem incredulorum. Hanc judicandi potestatem amplificat à *causa finali*, v. 23. quæ est, ut idem honor deferatur à nobis Filio, quem deferimus Patri. unde deducit corollarium, quo incredulitatem Judæorum perstringit: quâ scilicet ignominiâ afficiant Deum, quippe quum nolint honorare Filium Dei à Patre missum, credendo scilicet doctrinæ ejus.

24 Amen amen] Superiore versiculo perstrinxit incredulitatem suorum adversariorum cum ipsius & Dei Patris contemtu conjunctam: Nunc ad seipsum consolandum & ad scandalum ex animis electorum removendum, incredulitati suorum adversariorum opponit fidem electorum, & illius fidei fructum indicat, (ut hoc ipso electos ad credendum invitet) vitam scil. æternam: simulque pœnam incredulitatis innuit, nimirum condemnationem seu mortem æternam, ut eosdem ab incredulitate deterreat. Fructum autem fidei amplificat collatione temporum: affirmans, fructum illum non solùm sperari tanquam percipiendum post hanc vitam: sed etiam initia vitæ æternæ sentiri jam in hac vita: quatenus nimirum credentes certò sciunt, mortem nihil in ipsos juris habere, quum sint filii Dei in Christo: & quatenus afficiuntur gaudio ineffabili ex sensu paterni erga se favoris Dei, tanquam sibi per Christum reconciliati. Itaq; credentes habent vitam æternā partim re, partim spe: seu (ut aliis verbis idem dicam) partim possessione, partim jure possidendi: possessione scil. partis, jure possidendi totum suo tempore. ut si quis vir locuples ex plurimis suis prædiis unum filio suo, ipse adhuc vivens, utendum-fruendum dederit: is filius habet patrimonium suum partim re, partim spe: seu (quod idem est) partim possessione, partim jure possidendi suo tempore, videl. post mortem Patris. Et quidem ad illius felicitatem non solùm unius prædii possessio, sed etiam totius patrimonii possidendi spes facit.

25 Amen amen] Quod de fidei fructu affirmavit, confirmat *testimonio experientiæ* tum præsentis tum futuræ: atq; ita sententiam illam versiculi vigesimiprimi de sua vivificatione repetit. Quam ipsam sententiam à v. 26. confirmat *à causa*, quia scil. vitam habeat in seipso non minùs quàm Pater. Simulque hujus rei causam exponit, communicationem scilicet Patris, qua is Filio vitam communicavit per æternam generationem. Itaque quum Filius vitam in se ipso æquè habeat ac Pater: consequens est ut ipse quoque vivificet quoscunque vult, per vocem Evangelii, qua fidem in electis creat.

27 Et authoritatem] Transit ad aliud genus operum divinorum, quod cum Patre commune habeat. nam hactenus duo operum genera allegavit; primùm quidem opera creationis & conservationis atq; gubernationis totius mundi, v. 17. 19. 20. deinde opera gubernationis Ecclesiæ, quæ gubernatio consistit in vivificandis electis & condemnandis reprobis. v. 21. 22. 24. 25. 26. Nunc addit opus judicii ultimi, ubi Christus judex mortuis excitatis, pios ad se assumet in cælum ad vitam æternam perfectè fruendam: impios verò relegatos in gehennam condemnabit cruciatibus sempiternis. Confer Matth. 25. v. 31. & deinceps.

Hanc sententiam primùm proponit amplificatam collatione minorum: comparat enim opus ultimi judicii cum reliquis de quibus antea dixit, divinis operibus, tanquam majus & admirabilius: quæ comparatio notatur per particulam καὶ, id est, Etiam. sicut v. 20. opera secundi generis cum operibus primi generis comparavit. Deinde amplificat eandem sententiam expositione formæ seu modi quo judicium illud exercebit: nempe non solùm ut Deus, videl. filius Dei, sed etiam ut filius hominis seu homo: quippe qui in nubibus carnem suam conspiciendam præbebit, & sanctissimo ore suo sententiam pronuntiabit, patefactis nimirùm humanæ ejus menti ab ipsius deitate omnium hominum operibus. Tum v. 28. sententiam propositam per prolepsin asseverat & confirmat testimonio experientiæ.

Etenim incredulæ Judæorum admirationi atque irrisioni ita occurrit, ut ad ipsam experientiam certò eventuram provocet. Ubi etiam formam judicii ultimi declarare incipit, commemorans resurrectionem mortuorum: quam ipsam v. 29. illustrat distributione ex eventis contrariis, vitâ scilicet & morte: atque ita formam judicii ampliùs declarat.

30 Non possum] Sequitur præcedentis disputationis epilogus, ubi Dominus paucis repetit præcipua capita eorum quæ dixit de suis operibus: nimirum sese omnia sua divina opera edere tanquam συνεργὸν, id est, cooperatorem Patris. Repetit autem primùm opera primi generis, eorum scilicet quæ pertinent ad conservationem rerum creatarum, ubi ait: *Non possum ego à me ipso facere quicquam.* deinde repetit opera secundi & tertii generis, nimirum opera judicii præsentis seu gubernationis Ecclesiæ, & opera judicii futuri in die ultimo: ubi ait, *Prout audio, judico.* Et hanc alteram de judicio suo sententiam amplificat corollario, quo affirmat, judicium suum esse justum: quia nimirum judicet ex voluntate Patris: quibus verbis inquit, jussum quoque illud

Ee

suum quo jussit sanatum tollere grabatum in sabbatho, justum esse, ac proinde gestatione illâ grabati sabbathum nequaquam esse violatum.

31 *Si ego testor*] Deinceps occurrit objectioni. Quum enim tam magnificè de suis operibus asseverasset: poterant Judæi asseverationem illam rejicere, tanquam testimonium quod sibi ipse daret in propria causa. Istam objectionem commemorat v.31. per concessionem: deinde v.32. suam doctrinam confirmat testimonio Patris, nempe illustri illo testimonio, quod ei Pater dedit, quum à Johanne baptizaretur, Matth 3.v.17. Hoc enim testimonium simpliciter notari puto. Alii verò malunt intelligere testimonia consignata in scripturis propheticis. Sed de illis dicet separatim infr.v.39.

33 *Vos misistis*] Interserit testimonium Johannis Baptistæ, cujus authoritatem confirmat ex ipsorum facto: qui ad illum miserant legatos, per quos de ipsius officio cognoscerent. quo certè facto testatum fecerunt, se Johannem Baptistam tanti facere, ut ejus testimonio fidem habere vellent. Deinde vers.34. amplificat hoc testimonium prolepsi, qua negat se ideo testimonium Johannis allegare, quasi non haberet testimonium majus, nempe Patris: sed in eo allegando sese spectare ipsorum salutem: quippe qui si testimonio Johannis crederent, ut sese facturos simulaverant, salutem consequerentur per Christum: quem nimirum crederent esse agnum illum DEI, qui tollit peccatum mundi, sicut Johannes fuerat testatus. Tum v.35. commendat Johannem ab eximia sanctitate qua fuerat ornatus: simulque objurgat adversarios propter illius abusum: quippe qua abusi sint ad opprimendum Christum, deferentes nimirum honorem Christi Johanni: quum tamen Johannes sanctitate illa à Deo fuerit ornatus propter Christum Judæis commendandum. Alii lucernæ metaphoram ad doctrinam Johannis Baptistæ referunt, qua is populo veluti præluxit seu facem prætulit ad Deum cognoscendum. Sed huic expositioni videntur obstare hæc verba, *Vos voluistis ad tempus exsultare in ejus luce.* Certum est enim, Pharisæos illos qui manserunt hostes Christi, doctrinam Johannis Baptistæ nunquam approbasse. Quod testatus est ipse Christus quum ex eis quæsivit, an baptisma Johannis fuerit è cælo, an ex hominibus, Matth. 21.25.

36 *At ego*] Redit ad testimonium Patris: sed priùs repetit sua opera divina, nempe miracula, tanquam testimonium experientiæ, v.36. Testimonium autem Patris repetit v.37. Et illud amplificat antithesi incredulitatis Judæorum, quam objurgat: simulque istius incredulitatis effectum indicat, videlicet ignorantiam Dei. Hanc autem objurgationem qua de istis affirmat incredulitatem, quòd scilicet non credant testimonio Dei in baptismo Christi cælitus audito, confirmat v.38. à pari: quia scilicet non credant ipsi, quem tamen Pater misit. Par enim fides debetur atque etiam haberi solet legato, quæ habetur ipsi domino qui misit eum.

39 *Scrutamini*] Pergit confirmare doctrinam suam, & allegat testimonium scripturarum: simulque exaggerat incredulitatem suorum adversariorum: quippe qui quantumvis Scripturas scrutentur, idque eo consilio ut vitæ æternæ rationem ex illis discant; tamen nolint credere in ipsum; in quo tamen solo vitam æternam positam esse Scripturæ testantur. Hic videtur esse genuinus hujus loci sensus: quem si sequamur, verbum ἐρευνᾶτε accipiendum erit tanquam positum in modo indicativo. Quanquam fatendum est, primâ fronte positum videri in modo imperativo; quum non præcedat pronomen ὑμεῖς: quod quidem non solùm ex consuetudine Græcorum, verùm etiam Hebræorum (quorum loquendi ratio Johanni, ut & reliquis Apostolis, usitata est) præcedere deberet. unde Syrus per imperativum loquendi modum reddidit. Sed tamen cohærentia sententiarum ostendit, pronominis illius ellipsin hîc intelligendam. Si quis verò imperativo modo accipere malit: cohortatio erit ad scrutandum Scripturas: quæ per se nihil absurdi continet. Talis exhortatio exstat infrà 7.v.52.

41 *Gloriam*] Per prolepsin occurrit sinistræ suspicioni ambitionis: quasi scilicet suadendo ut in se credant & vitam in ipso quærant, ambitiosè agat & gloriam apud homines quærat. Hoc igitur negat: & simul annectit alteram prolepsin, qua eis adimit ipsorum prætextum, quasi nimirum moti dilectione Dei, Christo sese opponerent. Negat igitur in eis esse dilectionem DEI, idque mox v.43. probat ex effectis seu factis eorum: quippe qui legatum Dei, nempe ipsum, nolint recipere. Quam quidem illorum malitiam amplificat à contrario, quòd scilicet recepturi sint impostores, qui absque Dei vocatione sese pro Christo sint venditaturi. quod ipsum jam antè evenerat in Theuda & Juda Galilæo, de quibus Act.5.v.36.&37.

44 *Quomodo*] Hic vehementissimè eis incredulitatem objicit, ejusque causam procreantem aperit, nimirum ambitionem; quæ eadem est causa corrumpens fidei, nempe causa impediens. Porrò ambitionem amplificat antithesi pietatis qua quæritur vera gloria, quæ proficiscitur à solo Deo: quum ambitio quærat gloriam ab hominibus. Confer infrà 12.v.42.&43.

45 *Ne putate*] Objurgationem præcedentem amplificat prolepsi, qua eis adimit patrocinium Mosis quo confidebant: & contrà minatur illius accusationem: quippe cui non credant. Hanc sententiam amplificat antithesi diversorum: quòd scilicet non ipse, sed Moses eos accusaturus sit. quibus verbis significat, non esse opus ut ipse eos accuset: quia satis sit ipsos accusari à Mose. Deinde v.46. probat, eos Mosi non credere. hoc probat à pari: quia par fides haberi solet testi & ei quem testis commendat. Quum igitur non credant Christo, quem Moses suo testimonio commendavit: sequitur, eos nec Mosi credere. Ad extremum vers.ult. annectit corollarium per ratiocinationem à majori, quo sese contra adversariorum suorum incredulitatem consolatur: ut qui ne Mosi quidem credant, quem scilicet tanquam suum doctorem & legislatorem in summo pretio habeant.

SCHOLIA IN CAP. V.

2 Ad portam pecuariam] ἐπὶ τῇ προβατικῇ. *Subaudi* πύλῃ. *sicut expressè in versione Græca appellatur, Nehem.3.v.1. In Hebr.* שער הצאן *schâhar hatson, id est, porta gregis, quæ porta (ut ibidem Tremellius & Junius annotant) ad meridiem urbis erat, & frontem civitatis Davidis ac templi spectabat. Ita autem (ut iidem ajunt) vocata fuisse videtur, quia in ea parte erat forum pecuarium ad commoditatem sacrificantium.* Beth-esda] Βηθεσδά. *Syrus interpres nominat* בית חסדא *beth-hesdá, id est, domum beneficentiæ seu benignitatis, eò quòd in eo loco Deus (ut doctissimus Tremellius annotat) benignè potentiam suam exsereret in curandis quibusvis morbis populi sui. Est autem conjectura valde probabilis, illam hujus nominis scripturam quam Syrus habet, veram esse: tum propter jam expositam nominis rationem, quæ ex præsente historia confirmatur: tum verò etiam quòd litera Hebræorum Cheth in propriis nominibus referendis apud novi Testamenti scriptores omitti solet: ut Matth.1.v.3.* ἐσρὼμ *pro* χεσρώμ: *& v.4.* Ναασσὼν *pro* Ναχσσών. *Luc. 3. v. 25.* Ναγγαὶ *pro* Ναχγαί: *item* ἐσλὶ *pro* χεσλί: *& v.27.* ἰωαννᾶ *pro* ἰωχαννᾶ: *& v.36.* Νῶε *pro* Νῶαχ: *& v.37.* Μαθουσάλα *pro* Μαθουσάλαχ: *item* ἐνὼχ *pro* χενώχ.

4 In piscinam] ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ. *Pro* εἰς τὴν κολυμβήθραν. *Heterosis Hebræa.* Sanus fiebat] ὑγιὴς ἐγίνετο. *Isto miraculo verisimile est piscinam hanc ornatam fuisse inde ab illo tempore, quum sacerdotes è Babylone reduces locum illum ad usum templi consecrarunt: idq; in signum approbatæ illius instaurationis: sicut annotant Tremellius & Junius ad Nehem.3.v.1.*

6 Cupis] θέλεις. *Pro* ἐπιθυμεῖς. *Ut sæpe, non solùm apud sacros scriptores, verùm etiam profanos: ut apud Anacreontem,* θέλω λέγειν Ἀτρείδας.

7 Immittat] βάλῃ. *Vel, demittat.*

10 Qui curatus fuerat] τῷ τεθεραπευμένῳ. *Pro,* τῷ ἰαμένῳ, *vel* τῷ ἰαθέντι: *quo verbo utetur v.13. Est catachresis: quia propriè loquendo curantur quibus adhibetur medicina. at hæc sanatio miraculosa fuit. Sic Matth.4.v.23. item cap.8.v.7.* Sabbathum est: non licet &c.] σάββατόν ἐστιν οὐκ ἔξεστι &c. *Pro, Sabbathum est: non igitur licet. Ellipsis conjunctionis syllogisticæ.* Attollere] ἆραι. *Pro* βαστάζειν, *portare. quia jam sustulerat grabatum, & jam portabat: ut liquet ex v.9. Porrò vox* κράββατος *corrupta est ex Latina* grabatus, *triplici mutatione: videlicet litera G in literam K, productione primæ syllabæ per epenthesin literæ B, & correptione penultimæ. Apud Latinos enim dicitur* Grabâtus. *ut apud Martial.* Sed si nec focus est, nudi nec sponda grabati.

13 Evaserat] ἐξένευσεν. *Vel (ut vetus interpres) Declinaverat. Nam* νεύειν *propriè nuere est: unde* ἐκνεύειν, *quasi* ἔξω νεύειν, *foras nutare: ut ex antecedente intelligatur consequens.* νεύειν *verò pro natare, itemq;* ἐκνεύειν *pro enatare, rariùs occurrunt.* Eo quòd turba esset] ὄχλου ὄντος. *Sic malo quàm,* E turba quæ erat: *quæ expositio postulat articulum* τοῦ *ante participium* ὄντος.

17 Usque adhuc] ἕως ἄρτι. *Nempe inde ab initio rerum à nobis creatarum.* Operatur] ἐργάζεται. *Nempe res creatas conservando & gubernando, idq; continenter. Continuus enim hic actus notatur verbo temporis præsentis.* Etiam ego] κἀγώ. *Sic Syrus,* אף אנא *Etiam ego, rectè expressâ conjunctione* καί: *nam significat hoc loco æqualitatem, ut liquet ex versu sequente.*

18 Deum dixisset patrem suum] πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεόν. *In Græco verba sunt trajecta: sed partem sententiæ antecedentem ostendit articulus. Sic suprà c.1.v.1. & c.4.v.24.* Parem] ἴσον. *Vel, æqualem.* Se faciens] ἑαυτὸν ποιῶν. *Pro, falsò affirmans, atque ita Deum blasphemans.*

19 A semetipso] ἀφ' ἑαυτοῦ. *Id est, Per seipsum seu solus, videlicet absque communione Patris. Sic enim ipse Christus declarat verbis sequentibus. Et in hanc sententiam vertit Syrus:* מן צבות נפשה *men tsebûth naphschéh,* Ex voluntate animæ suæ. *hoc est, pro suo solius placito seu arbitrio. quasi dicat: Nihil agit nisi ex voluntate & sapientia Patris, & quasi communicato cum Patre consilio. Quod ipsum significatur verbo videndi in epexegesi. Id est, nisi]* ἐὰν μή. *Rectè in versione supplete sunt particulæ exegeticæ. Etenim sequentibus verbis interpretatur Dominus id quod modo dixerat,* ἀφ' ἑαυτοῦ. *Est autem hoc genus appositionis* ἐπεξηγητικὸν *sacris scriptoribus usitatum, ubi aliqua pars sententiæ præcedentis per appositionem sequentium verborum ita exponitur, ut reliqua illius sententiæ pars* ἀπὸ κοινοῦ *repetenda sit, adhibitis exegeticis particulis. ut hoc loco:* Non potest Filius operari à semetipso, *id est, non potest operari,* nisi viderit Patrem

operantem. *Ad eundem modum exponenda sunt hæc loca: Gal.2. v.16. Matth.12.4. Apoc.9.v.4. & cap.21. v.27.* Nisi viderit &c.] ἐὰν μὴ βλέπῃ. *Hoc est, Nisi intellexerit, Patri placere ut operetur. ut sit similitudo sumta à filio regis, cui pater commisit totam regni gubernationem: sed ita ut filius nihil agat nisi communicato cum patre consilio. Vel sic: Nisi eâ sapientiâ ac potentiâ quam à Patre accepit & quasi didicit. ut sit similitudo sumta à filio artificis, verbi gratiâ, aurifabri: qui totam suam artem à patre didicit, nec quicquam aliter facit, quàm à patre edoctus est. Porrò verbo* videndi *è regione ut relatum respondet verbum* ostendendi, δεικνύειν, *versu sequente.* Pariter] ὁμοίως, *id est, æquè, seu non minùs. Germanicè,* gleicherweis / *id est,* eben so wol/ *vel,* Similiter, *id est, eodem modo: nempe virtute sibi insitâ seu nativâ, non autem alienâ & extrinsecus accedente: sicut scilicet Apostoli & Prophetæ miracula fecerunt virtute Dei, quem idcirco invocarunt.*

20 Ut vos miremini] ἵνα ὑμεῖς θαυμάζητε. *Conjunctio* ἵνα *videtur hîc posita pro* ὥστε: *videtur enim non tam finis notari quàm eventus: quippe adjecta videntur hæc verba ad magnitudinem operum Christi amplificandam ab effectu. quasi dicat, Et talia quidem ac tanta posthac editurus est opera, ut vos meritò sitis admiraturi.*

21 Sicut enim] ὥσπερ γάρ. *Jam declarat quænam sint illa majora, quæ commemoravit opera.*

22 Nec enim Pater judicat &c.] *Id est, Pater non judicat solus, ut vos putatis: sed omnia judicat per Filium. ut rectè exponit D. Beza: quæ expositio confirmatur ex versu sequente. Nam si uterque honorandus est, & Pater, inquam, & Filius: sequitur, utrumque judicare, seu judicium penes utrumque esse.*

23 Ut qui miserit] τὸν πέμψαντα. *Adjectum* αἰτιολογικῶς: *nam legato debetur idem honos qui mittenti.*

25 Et nunc] καὶ νῦν. *Id est, imò nunc:* μᾶλλον δὲ νῦν. *Dictum per correctionem rhetoricam.* Mortui] οἱ νεκροί. *Nempe spiritualiter mortui. nam de corporaliter mortuis postea seorsim loquetur v. 28.* Audient vocem filii Dei] *Nempe alloquentis eos per Evangelium. Audient autem non solùm corporis, sed & cordis auribus; hoc est, testimonio Christi credent.* Et qui audierint] *Nempe eo quem diximus modo.* Vivent] ζήσονται. *Id est, exhilarabuntur, lætabuntur, gaudebunt in Deo, gustantes nimirum favorem illius paternum propter Christum, de quo Evangelium testatur.*

26 Dedit] ἔδωκε. *Nempe per æternam illam generationem.*

27 Authoritatem] ἐξουσίαν. *Vel potestatem. Hæc sententia proxime præcedenti videtur annecti per collationem majoris, id est, rei magis miræ. quasi dicat: Imò non solùm dedit Pater Filio, ut haberet vitam in seipso quatenus Deus est: sed etiam (quod magis mirum est) dedit ei potestatem judicium exercendi non solùm quatenus Deus, sed etiam quatenus homo est. Etenim Christus ut homo, veniet ad judicium universale: & patefactis suæ menti humanæ à sua deitate omnium hominum operibus, judicis sententiam de singulis pronuntiabit: pios quidem invitando in regnum cælorum, impios verò repellendo in gehennam seu ignem illum æternum, Matth.25.v.31. & deinceps.*

28 Ne hoc miramini, nam veniet &c.] *Id est, Ne miramini tanquam incredibile id quod modò dixi de potestate judicii exercendi datâ filio hominis: nam certò futurum est judicium universale per filium hominis.*

29 Si ego testor de meipso] *Scilicet ut vos mihi possetis objicere.* Testimonium meum non est verum] *Hoc dicit per concessionem rhethoricam. quare non repugnat quod contrarium asseverat infrà c.8.v.14.*

32 Alius] ἄλλος. *Nempe Pater.*

34 Ut vos servemini] *Scil. credentes testimonio Johannis.*

39 Scrutamini] ἐρευνᾶτε. *Accipiendum non imperativo, sed indicativo modo:* Ihr forschet. *quasi dicat: Quum vos scrutemini Scripturas; idque eò faciatis, quia videmini vobis vitam æternam in ipsis habere: illæ autem testentur de me, per me scil. solum vitam æternam contingere credentibus: mirum certè est, & valde perversè agitis, quòd non vultis venire ad me, i.e. in me credere, ut vitam, quam in Scripturis quæritis, consequamini. Sic igitur amplificat incredulitatem eorum, de qua in fine versiculi præcedentis questus fuerat. Sic Joh.14. v.1.* πιστεύετε εἰς τὸν Θεόν: *pro,* ὑμεῖς πιστεύετε *&c.*

43 Nomine patris mei] ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου. *Id est, missus à Patre meo.* Nomine suo] ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ. *Id est, per se & propriâ authoritate.*

45 Ne putatè me accusaturum &c.] *Non simpliciter negat se accusaturum illos: sed tantùm significat, non esse opus, ut ipse eos accuset, quum satis sit eos accusari à Mose. Synecdoche generis. Similis loquendi ratio exstat infrà cap.16.v.26. ubi ait,* Non dico vobis, me rogaturum Patrem pro vobis &c. In quo vos speratis] εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε. *Id est, in cujus doctrina vitam æternam quæritis. Quod quanquam facitis, tamen illi non creditis. hanc posteriorem sententiam hoc loco subaudiendam, percipitur ex verbis sequentibus.*

46 Si enim crederetis Mosi] εἰ γὰρ ἐπιστεύετε Μωσῇ. *Ratio exponitur non ejus quod proximè dictum est: sed ejus quod ad proximè dictum subaudiendum est, nempe Judæos etsi glorientur de doctrina Mosis, tamen illi non credere: & propterea scil. ab eo accusatum iri. Quòd autem non credant Mosi, jam probat.*

47 Quòd si illius &c.] εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου &c. *Ex conclusione facta, nempe eos non credere Mosi, deducit corollarium per ratiocinationem à majori,* ἀπὸ τοῦ μᾶλλον. *nam magis probabile erat, eos credituros Mosi, quem magni faciebant: quàm Christo, quem contemnebant.* Quomodo] πῶς. *Quasi dicat, multò minùs.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

1 Ex v.1. Quòd Christus Hierosolymam ascendit ad festum, eo admonemur, ipsum Legi sese subjecisse, ut nos qui sub Lege eramus, redimeret; ut adoptionem acciperemus, Gal.4.v.4.& 5. Nisi enim sanctè secundùm Legem vixisset, redimere nos suâ morte non potuisset. neque enim placuisset Deo victima, quam pro nobis obtulit, nisi fuisset sancta. *Christus cur Legi se subjecerit.*

2 Ex v.4. Deum nunquam destituere Ecclesiam præsentiæ suæ signis: quippe qui quum prophetas ad suum populum mittere destitisset, insolito & miraculoso beneficio sanationis præsentiam suam testatam fecit. *Dei præsentia apud Ecclesiam.*

3 Ex eod. v. Illa aquæ turbatio clarum documentum fuit, Deum pro suo arbitrio liberè elementis uti, & operis effectum sibi vendicare. Quam enim vim habuerit aqua turbida ad morbum quemvis sanandum? Non igitur creaturis adscribendum est, quod unius Dei est. Quod quum non sit faciendum in sanatione corporis: multò minùs faciendum in sanatione animorum; cujus sanationis actiones illæ sacræ, quæ sacramenta nominantur, symbola ac testimonia sunt. *Gubernatio Dei.*

4 Ex v.5. Exemplo istius ægroti à Christo sanati, ad tolerantiam nos erudiri decet. Longum enim fuit triginta & octo annorum tempus, quo Deus beneficium suum in misero hoc homine juvando distulit, quod tamen illi ab initio præstare statuerat. Quantumvis ergo diu nos suspensos teneat, sic anxiè gemamus sub nostris ærumnis, ut tamen longi temporis tædium nunquam nos exanimet. Etsi enim nullus exitus appareat, quum mala nostra longiùs protrahuntur: statuendum tamen semper est, Deum mirificum esse liberatorem, qui virtute suâ omnia obstacula facilè perrumpit. *Patientia.*

5 Ex v.9. Exemplo Christi docemur; etiamsi totus mundus in iram efferveat, publicandam nobis esse Dei gloriam; prædicandaque ejus opera, quatenus gloriæ ejus interest nota esse. Nec verò fatigari nos vel frangi oportet, etiamsi infeliciter nobis cedat nostrum hoc studium: modò gloriam Dei propositam habeamus, nec transsiliamus officii nostri metas. Porrò scandalum ejusmodi vocant acceptum & Pharisaicum: quia Pharisæi ex factis Christi quantumvis rectis arripiebant calumniandi occasionem. Contrà datum scandalum appellant, quum quis ea agit, quibus simplices ac pii animi meritò offenduntur, ut quæ pietati repugnent. *Officium hominis Christiani.*

6 Ex v.10. & 16. Exemplo Judæorum docemur, à præcipiti judicio cavendum esse: nec factum cujusquam condemnandum, donec ejus ratio penitus nobis comperta sit. Etsi enim quicquid pugnat cum Dei verbo, sine controversia damnari meretur: tamen quia hîc sæpe hallucinari contingit, ut scilicet existimemus cum verbo Dei pugnare, quod tamen non pugnat: præcedere debet modesta & placida inquisitio, ut judicium sanum ac sobrium sit. *Judicium de proximo.*

7 Ex v.14. Quicquid patimur mali, peccatis nostris imputandum est. neque enim fortuitæ sunt nostræ calamitates, sed totidem sunt castigatoriæ ferulæ. Primò itaque manum Dei quæ nos percutit, agnoscere oportet, non cæcum fortunæ impetum imaginari in malis nostris: deinde hunc Deo honorem tribuere, quod cùm optimus sit pater, ex nostris miseriis voluptatem non capiat: ideoque nunquam duriùs nos tractet, nisi peccatis nostris offensus. *Res adversæ.*

8 Ex eod.v. Beneficiis Dei ad gratitudinem excitari debemus, cavendâ scil. ejus offensione, & contrà operam dando ut illi placeamus. Hoc autem fieri nequit, nisi pœnæ jam sublatæ recordatio animis nostris perpetuò insideat, ut in meditatione beneficii accepti totâ vitâ nos exerceamus. *Officium hominis Christiani.*

9 Ex eod. v. Castigationum Dei hic usus apud nos esse debet, ut cautiores in posterum reddamur. Alioquin enim si Deus ferulis suis nihil apud nos proficiat, quibus leniter nos tanquam teneros filios humanissimus pater castigat: novam personam & quasi alienam induere cogitur. Itaque flagella ad domandam nostram ferociam tunc arripit, quemadmodum in Lege pronuntiat, Levit.26. & Deut.28. Quapropter si novis subinde malis assiduè premimur, id nostræ contumaciæ acceptum ferre debemus. Nec mirum est, si atrocioribus pœnis quasi malleis conterat Deus, quibus mediocris pœna nihil prodest: Frangi enim æquum est, qui corrigi non sustinent. Semper tamen etiam in gravissimis pœnis tenendum est illud Psal.89.v.34. Deum suam benignitatem nunquam à nobis ablaturum. *Castigationes divinæ.*

10 Ex v.17. Etsi Deus sex dierum spatio mundi creationem absolvit: tamen non desinit mundum à se conditum suâ virtute sustinere, regere suo consilio, bonitate fovere, & cuncta suo arbitrio in cælo & in terra statuere. Hinc Paulus ait Act.17. v.28. *In ipso* (seu per ipsum, id est, ipsius virtute) *vivimus & movemur & sumus.* Vide Psalm.104.v.27.28.29.30. Nec generali tantùm *Gubernatio Dei.*

providentiâ creatam à se naturam tuetur Deus; sed singulas ejus partes ordinat ac temperat: ut vel hoc exemplum sanati ægroti evincit. Vide Matth.10.v.29.& 30. Præsertim verò suo præsidio regit ac servat fideles, quos in fidem tutelamque suam recipit ac servat: Matth.10.v.31.

Deitas Christi. 11 Notentur aliquot argumenta pro deitate Christi contra Arianos. Primum argumentum: Christus Deum vocat patrem suum, v.17. nempe ἴδιον, proprium seu naturalem, v.18. Ergo ipse est naturalis ac proprius Dei filius, Patri ὁμοούσιος. Sic Rom.8. v.32. Apostolus Christum nominat proprium filium Dei. Sic Johannes suprà cap.1. eum vocat filium Dei unigenitũ, v.14.& 18. Secundum argumentum: Christus eadem opera facit, idque eodem modo, quæ opera & quo modo facit Deus pater, v.17.19. 20.22. Ergo est æqualis Patri & ὁμοούσιος. Tertium argumentum: Christus vitam habet in seipso æquè ac Pater, v.26. Ergo est Patri æqualis & ὁμοούσιος. Quartum argumentum: Christus suâ potentiâ excitabit mortuos, v.28.& 29. Ergo est verus Deus.

Cultus Dei. 12 Turcæ & Judæi falsò gloriantur de cultu veri Dei: quia non honorant Filium Dei: ex v.23. Idem sentiendum de Papistis: quia illi quamvis Filium Dei honorent verbo, tamen reipsa ignominiâ afficiunt: quatenus negant, nos illius solius merito servari: contendentes, nos nostris quoque operibus vitam æternam ex parte mereri.

Testimonia divina de Christo. 13 Finis testimoniorum divinorum de Christo est, ut nos illis fidem habendo servemur, ex v.34.

Miracula Christi. 14 Miraculorum Christi finis est, ut credamus ejus doctrinæ: ex v.36. Huic fini adjungendus est finis superior: nimirum ut credentes vitam habeamus per nomen ejus: infr.20.v.ult.

Scripturarũ propheticarum scopus. 15 Scripturarum propheticarum scopus est, testificari de Christo, nimirum illum solum esse vitæ æternæ authorem, ex v.39. Quare in Scripturis propheticis Christus præcipuè quærendus est. Confer dictum Christi Luc.ult.v.44.

Ambitio. 16 Ambitione impediuntur homines, ne possint in Christum credere. quippe homines ambitiosi summam felicitatis in gloria terrena seu mundana collocant: atque ita de vera illa gloria cælesti soliciti non sunt: ex v.44. Similis ratio est avaritiæ & curarum hujus sæculi: Matth.13.v.22.

Christi rejectio. 17 Qui jactant scripturas, & tamen Christum repudiant: non solùm de patrocinio scripturarum frustra gloriantur, sed etiam authoritate illarum condemnantur. hoc omnibus hæreticis accidit, ex v.45.& 46.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Tres sunt principales hujus capitis partes. Prima pars continet miraculum cibatorum à Christo quinq; panibus quinquies mille virorum, usq; ad v.16. Secunda pars continet miraculum ambulationis Christi super mare: à v.16. usq; ad 22. Tertia pars continet concionem Christi ad Capernaïtas de cibo cælesti seu pane vivifico, à v.22. usq; ad finem capitis.

PRIMA PARS.

Cibat quinque panibus quinquies mille viros.

POst hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, *quod est* Tiberiadis.

2 Et sequebatur eum turba multa, quia videbant ejus signa quæ edebat in ægrotis.

3 Subiit verò in montem Jesus, & ibi consedit cum discipulis suis.

4 Propè autem erat pascha, festum Judæorum.

5 Quum ergo sustulisset oculos Jesus, & conspexisset multam turbam ad se venire, dicit Philippo, Unde ememus panes, ut isti vescantur?

6 Hoc autem dicebat, tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

7 Respondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non suffecerint eis, ut singuli eorum paululum quiddam accipiant.

8 Dicit ei unus ex discipulis ejus, *nempe* Andreas frater Simonis-Petri;

9 Est hìc puerulus quidam qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisciculos: sed hæc quid sunt inter tam multos?

10 Dixit autem Jesus, Facite ut isti discumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergo viri illi numero quasi quinquies mille.

11 Accepit autem panes illos Jesus: & actis gratiis, distribuit discipulis; discipuli verò discumbentibus: similiter etiam ex pisciculis illis quantum volebant.

12 Ut autem expleti sunt, dixit *Jesus* discipulis suis; Cogite quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat.

13 Coëgerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentis ex quinque illis panibus hordeaceis: quæ superfuerant iis qui comederant.

14 Illi ergo quum vidissent signum quod Jesus ediderat, dicebant; Hic est verè propheta ille, qui venturus erat in mundum.

15 Jesus ergo quum cognovisset venturos, & ipsum abrepturos, ut facerent ipsum regem, secessit rursus in montem solus ipse.

In miraculo cibationis describendo primùm indicatur ejus occasio ex circumstantia loci, v.1.& 3.& personarum, v.2.& 5.& temporis, v.4. Deinde commemoratur præparatio ad miraculum, nempe consultatio cum discipulis de cibanda turba, v.5.6. 7.8.9.& 10. Tum exponitur ipsa miraculi forma, v.11. Postremò narrantur ea, quæ miraculum proximè consequuta sunt & ex eo evenerunt: nempe primùm collectio fragmentorum, v.12. & 13. deinde agnitio personæ Christi, & studium creandi eum regem, v.14.& 15.

SECUNDA PARS.

Ambulat super mare.

16 Ut autem serum *diei* factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare.

17 Et ingressi navigium, ibant trans mare, Capernaüm versus. Jam autem tenebræ erant; nec venerat ad eos Jesus.

18 Et mare, vento magno flante, insurgebat.

19 Provecti verò quasi stadia vigintiquinque aut triginta, conspiciunt Jesum ambulantem super mare, & appropinquantem navi: & timuerunt.

20 Ille verò dixit eis; Ego sum, ne timete.

21 Cupidè ergo receperunt eum in navigium: & statim navigium pervênit ad regionem in quam ibant.

Ambulationem Christi super mare descripturus Evangelista, primò exponit ejus occasionem, videl. navigationem discipulorum, v.16.& 17. & tempestatem in mari coortam, v.18. Secundò indicat subjectum locum, videl. circiter triginta stadia à Bethsaïda, v.19. hoc est, non procul à Capernaüm: ut colligitur ex collatione vers.17.& 21. Tertiò indicat quoddam adjunctum, videl. conspectum discipulorum, qui conspexerunt eum ambulantem super mare, eod. v.19. Quartò exponit quandam ambulationis formam, videl. quòd appropinquarit navi, eod. v. Quintò commemorat effectum, videl. timorem discipulorum, v. eod. cujus timoris causa propinqua fuit, quòd putarunt se videre spectrum, ut testantur cæteri Evangelistæ, Matth.14.26. Marc.6. v.49. Sextò exponit quæ proximè consequuta sunt atque evenerunt, videl. quomodo Christus eos sit consolatus, v.20. & quomodo eum agnitum in navim receperint, & mox ad ripam pervenerint, v.21.

TERTIÆ PARTIS PRIMA PARTICULA.

Sermonis Christi ad Capernaïtas de pane cælesti, occasio.

22 Postero die turba quæ substiterat cis mare, quum vidisset illic non fuisse aliud navigiolum, nisi unum illud in quod ingressi fuerant discipuli ejus, & Jesum non introïsse cum discipulis suis in illud navigiolum, sed solos ejus discipulos abiisse:

23 (Alia verò navigiola Tiberiade venerunt propè locum ubi comederant panem, posteaquam gratias egisset Dominus:)

24 Quum igitur, *inquam*, vidisset turba Jesum illic non esse, neque discipulos ejus; ingressi sunt & ipsi in navigia, & venerunt Capernaümum, quærentes Jesum.

25 Et eo invento trans mare, dixerunt ei, Rabbi, quando huc pervenisti?

Evangelista descripturus concionem Christi, habitam Capernaümi ad Galilæos de pane cælesti seu cibo vivifico: primùm omnium exponit illius concionis occasionem, videl. studium Galilæorum in Christo sectando, v.22.23.24.25. Deinde concionem ipsam commemorat, non quidem perpetuâ oratione contextam, sed variis auditorum interpellationibus interruptam, à v.26. usque ad v.59. Postremò exponit ea quæ concionem illam proximè consecuta sunt, & ex ea evenerunt, à v.59. usque ad finem capitis.

Porro in occasione concionis describenda primùm commemorat, quando & ubi post miraculosam illam sui cibationem turba Christum quæsierit, nempe postridie, ad ripam lacus ubi antè appulerat navigiolum quo discipuli jam discesserant, v.22. Deinde narrat qua opportunitate usi sint, ut venirent Capernaümum, & illic Christum quærerent, videl. opportunitate navigiorum,

vigiorum, quæ venerant Tiberiade, v.23.& 24. Tertiò commemorat, quibus verbis Christum inventum salutarint, v.25.

SECUNDA PARTICULA TERTIÆ PARTIS.

Sermo ipse de pane cælesti.

26 Respondit eis Jesus & dixit; Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa; sed quia comedistis ex panibus illis, & saturati estis.

27 Operemini non cibo qui perit, sed cibo illi qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater obsignavit, *id est*, Deus.

28 Dixerunt ergo ad eum, Quid faciemus ut operemur opera Dei?

29 Respondit Jesus, & dixit eis, Hoc illud est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.

30 Dixerunt ergo ei, Quod ergo tu signum edis, ut videamus & credamus tibi? quid operaris?

31 Patres nostri comederunt manna illud in deserto: sicut scriptum est, Panem cælestem dedit eis vescendum.

32 Dixit ergo eis Jesus, Amen amen dico vobis, non Moses dedit vobis panem illum cælestem: sed pater meus dat vobis panem illum cælestem verum.

33 Panis enim ille Dei, is est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.

34 Dixerunt ergo ei, Domine, da nobis semper panem istum.

35 Dixit autem eis Jesus, Ego sum panis ille vitæ: qui venit ad me, nequaquam esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam.

36 Sed dixi vobis, Etiam vidistis me, nec creditis.

37 Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, nequaquam ejecerim foras.

38 Quia descendi è cælo ut faciam non voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.

39 Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, *id est* Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.

40 Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui conspicit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: ego verò suscitabo eum ultimo illo die.

41 Murmurabant ergo Judæi de eo, quia dixerat, Ego sum panis ille qui è cælo descendit.

42 Et dicebant; Nónne hic est Jesus, filius ille Josephi, cujus nos novimus patrem & matrem? quomodo ergo dicit iste, E cælo descendi?

43 Respondet ergo Jesus, & dixit eis, Ne murmurate inter vos.

44 Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: ego verò suscitabo eum ultimo illo die.

45 Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me.

46 Non quòd Patrem viderit quisquam, nisi is qui est à Deo; hic vidit Patrem.

47 Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.

48 Ego sum panis ille vitæ.

49 Patres vestri comederunt manna illud in deserto, & mortui sunt.

50 Hic est panis ille qui è cælo descendit, ut qui eo vescitur, non moriatur.

51 Ego sum ille panis vivificus qui è cælo descendit, si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.

52 Pugnabant ergo Judæi alii adversus alios, dicentes; Quomodo potest hic nobis carnem *suam* dare ad vescendum?

53 Dixit ergo eis Jesus; Amen amen dico vobis, nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis.

54 Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego excitabo eum in ultimo illo die.

55 Caro enim mea verè est cibus; & sanguis meus verè est potus.

56 Qui edit meam carnem; & bibit meum sanguinem; in me manet, & ego in eo.

57 Sicut misit me vivens ille Pater; & ego vivo per Patrem: ita etiam qui ederit me, vivet ipse quoq; per me.

58 Hic est panis ille qui de cælo descendit: non prout comederunt patres vestri manna illud; & mortui sunt. qui ederit hunc panem, vivet in æternum.

In hac concione Christi *duæ potissimum quæstiones* explicantur: una, *quisnam sit nobis vitæ æternæ author*, seu cujus beneficio vitam æternam consequamur: nempe beneficio Christi: altera, *quomodo vitam æternam à Christo percipiamus*; nempe per fidem in ipsum. Hæ duæ quæstiones promiscuè hic tractantur, & variè illustrantur: sicut in contextu ordine exponendo sigillatim videbimus.

26 Respondit] Primò omnium reprehendit Christus in hac turba Galilæorum, perversum ipsorum studium in se quærendo; quòd nimirum se quærant ventris ac vitæ terrenæ causâ, non autem causâ doctrinæ suæ miraculis à se confirmatæ, ac proinde vitæ æternæ, cujus consequendæ rationem docebat. Deinde v.27. hortatur eos ad studium vitæ æternæ: simulque docet, per quem vita æterna à Deo detur, nempe per ipsum, quatenus est mediator à Deo constitutus.

28 Dixerunt ergo] Occasione verborum Christi, quæstionem proponunt de bonis operibus, videl. quænam sint opera Dei, hoc est, quæ Deus exigit, quæque ei placent. Hujus quæstionis occasionem arripiunt ex verbo ἐργάζεσθαι, id est, operari, quo usus fuerat Christus. Interim verò non attendunt ad mentem seu sensum verborum Christi, nimirum eum loquutum esse de studio vitæ æternæ per fidem in ipsum adipiscendæ.

29 Respondit] Christus ita ad quæstionem illorum respondet, ut simul sensum verborum antè à se dictorum declaret. In qua responsione inprimis observanda est mutatio numeri. Galilæi enim quærebant numero plurali *de operibus Dei*: at Christus respondet numero singulari *de opere Dei*, & quidem uno certo atq; insigni opere, quod notat articulus. q.d. Omnia opera quæ Deo placent, continentur uno hoc opere, quod est, Credere in Christum quem Deus misit: qui enim in hunc credit, is ex hac fide etiam alia opera Deo placentia faciet. Atque adeò absq; hac fide nullum hominis opus Deo placet. Vocatur ergo hîc fides opus, occasione quæstionis à turba propositæ: quia est opus quoddam seu operatio cordis.

30 Dixerunt] Hîc Judæi insignem suam malitiam ac perversitatem produnt: quippe qui jussi in Christum credere, recusant hoc argumento, quòd is Messiam se esse nullo idoneo miraculo probet. At pessimi ac perversissimi homines jam plurima & maxima Domini miracula viderant, & nuper ex miraculo cibationis sui in deserto ipsum esse Messiam agnoverant, ac disertè inter se professi fuerant, atque etiam hac fide moti regem eum creare voluerant. Qui fit ergo, quòd nunc novum aliquod miraculum à Domino postulant, quo sese Messiam esse testatum faciat? Nempe quum ventri & commodis terrenis addicti sint, petunt continuationem miraculosæ illius cibationis & omnino commodorum terrenorum. Id quod satis intelligitur ex verbis sequentibus, nam v. seq. 31. objiciunt Domino exemplum miraculosæ illius cibationis patrum in deserto sub ductu ac ministerio Mosis: Meminerant autem ex Deut. 18. Mosen promisisse Messiam talem qui futurus esset propheta ipsi similis: unde promissionem illam supr. v.14. ad Jesum accommodabant, nempe quòd putarent, similitudinem hanc in eo positam fore, ut Messias ipsos miraculosè pasceret, sicut Moses veterem populum miraculosè paverat in deserto.

32 Dixit] Quoniam Judæi allegarant manna, tanquam cibum cælestem atque eximium, cujus nimirum fruitione beati fuerint ipsorum patres: Dominus hunc errorem reprehendit, monens, cibum illum verè cælestem, à cujus fruitione vita æterna pendeat, non fuisse manna, sed esse seipsum, quatenus à Patre donatus sit mundo mediator.

33 Panis enim] Quod dixit, probat à definitione. Syllogismus sic potest formari:

Is qui de cælo descendit & dat vitam mundo, est panis ille Dei, seu panis ille verè cælestis.

At panis quem vobis nunc dat pater meus, est is qui de cælo descendit & dat vitam mundo: nempe ego.

Ergo panis quem vobis nunc dat pater meus, est panis ille verè cælestis.

34 Dixerunt] Judæi audito, Dominum promittere panem quendam vivificum, petunt illum sibi dari, idque semper. Pu-

tant autem, Christum loqui de pane quodam corruptibili & corporibus alendis destinato, qualis erat Manna. unde petunt talem panem sibi dari semper: sicut olim Moses (vel potius Deus per Mosen) per totos quadraginta annos manna dabat quotidie. Ruditas hæc vel potius stupor in intelligendis verbis Christi, similis est illi mulieris Samaritanæ sup. 4.15. ubi quum Dominus aquam quandam spiritualem promisisset, quam qui biberet, in æternum non sitiret: excipit mulier: *Domine, da mihi aquam istam, ut non sitiam, neque veniam huc ad hauriendum.* Sed stupor iste simul conjunctus est cum malitia: quippe sapiunt ista verba ironiam, qua Domino insultant, quasi non possit id præstare quod petunt.

35 *Dixit*] Christus nihil moratus istorum stuporem & malitiam, apertè docet ac profitetur, se esse panem illum cælestem, de quo loquebatur. Quem autem antè vocavit panem cælestem, ratione loci unde descendit: eum nunc appellat panem vitæ, ratione effecti quem panis ille in credétibus producit. Vitam autem intelligit spiritualem & æternam, quæ consistit in sensu paterni favoris Dei erga nos. Simul etiam tradit modum hujus panis edendi, nempe per fidem. Qui enim credit, Deum sibi reconciliatum esse per Christum, is spiritualem vitam ex hac fide ac sensu favoris Dei percipit. Effectum autem hujus cibi, id est, vitam illam spiritualem, amplificat ab adjuncta æternitate. Item eundem effectum illustrat distributione contrarii, qua mortem spiritualem, id est, sensum iræ Dei & inde exsistentem cruciatum, partim fami, partim siti comparat. Etenim Christus non solùm panis seu cibi, sed etiam potus rationem habet; cibi quidem, ratione crucifixæ suæ carnis: potus verò, ratione effusi sui sanguinis: ut ipse declarat infr. v.55. & 56.

36 *Sed*] Doctrinæ subjungit reprehensionem auditorum: quos reprehendit ob incredulitatem; quam amplificat antithesi causæ corrumpentis, nempe miraculorum ab illis conspectorum, unde eum esse Messiam facilè poterant colligere.

37 *Quicquid*] Quia Judæis exprobravit incredulitatem, loquens de maxima eorum parte: ne isto exemplo offenderentur pii & ab ipso deterrerentur, monet, incredulitatem istorum non obstare aut impedire posse, quò minùs in se credant aliqui: simulque docet quinam illi sint, nempe ii qui sibi dati seu donati sint à Patre, hoc est, quos Pater ab æterno elegit in Christo ad vitam æternam, hoc est, ut per Christum consequantur vitam æternam: quo ipso innuit, fidem non oriri ex viribus liberi arbitrii, sed ex gratuita electione DEI. Simul etiam monet, quomodo ipse erga credentes sit affectus, & quomodo eos velit excipere, nempe benevolè ac benignè. Deinde v.38. hanc suam erga electos & credentes benevolentiam probat à fine seu scopo sui adventus, id est, suæ incarnationis: quem esse dicit hunc, ut faciat voluntatem sui patris, id est, ut exsequatur mandatum à Patre sibi datum, fungens nimirum officio redemtoris. Tum v.39. & 40. sententiam hanc pluribus verbis declarat, salvandos describens primum ab electione, v.39. deinde à fide, v.40.

41 *Murmurabant ergo*] Hic exponit Evangelista eventum, quid scil. ex doctrina Christi modò proposita evenerit, nempe murmur Judæorum, ortum ex incredulitate: cujus incredulitatis causam exponit, videl. argumentum à disparatis, quod concluditur isto enthymemate: *Hic Jesus ortus est è terra, quippe quum sit filius Josephi & Mariæ: Ergo non descendit è cælo.* Apud Evangelistam loco antecedentis ponitur ejus probatio. Hoc enthymema nititur falsâ hypothesi, id est, falsâ propositione quæ reticetur, nempe, *Nemo è terra ortus, ortus est etiam è cælo.* Hæc enũtiatio etsi vera est de omnibus aliis hominibus, tamen non est vera de filio Dei incarnato: Is enim & è terra ortus est secundùm carnem, & è cælo secundùm deitatem. Quin & assumtio ex parte falsa est, nempe quatenus affirmat Jesum esse filium Josephi. Concepit enim eum Maria non ex Josepho marito, sed ex Spiritu sancto; id est, operatione singulari Spiritus sancti.

43 *Respondit*] Dominus eos dehortatur ab isto murmure: simulque incredulitatis eorum causam altiorem exponit; videl. quòd non trahantur seu audiant ac discant à Patre, hoc est, quòd à Deo non illuminentur virtute Spiritus sancti. Eâdem autem operâ exponit causam procreantem fidei, videl. tractum Patris, hoc est, illuminationem per Spiritum sanctum. Deinde fidei fructum exponit, nempe vitam æternam: ut ita ad fidem invitet argumento ab effecto utili, v.44. Tum v.45. doctrinam hanc suam de fidei causa procreante confirmat testimonio prophetæ Esaiæ. Syllogismus ita concluditur:

Quicunque veniunt ad me, id est, credunt in me, eos necesse est trahi à Patre, id est, audire à Patre ac discere.

At vos non trahimini à Patre &c.

Ergo non venitis ad me, seu non creditis in me.

Propositio enuntiatur bis: primùm v.44. *Nemo potest &c.* deinde v.45. *Quisquis ergo.* Sed hæc posterior sententia non potest accommodari syllogismo proposito, nisi conversa simpliciter: aliâs enim fieret syllogismus ex assumtione seu minore negante in prima figura. *Propositio* syllogismi confirmatur testimonio Esaiæ. Assumtio omittitur. Conclusionis sententia latet in ista dehortatione, *Ne murmurate.*

46 *Non quòd*] Prolepsis. Nam quia dixerat, eos demum venire ad se qui à Patre audiverint ac didicerint: ne quis putet, quenquam à Patre audire ac discere extra Christum; admonet, se solum esse qui immediatè à Patre audierit ac didicerit, per se autem tanquam mediatorem à Patre discere cæteros.

47 *Amen*] Repetit doctrinam paulo antè traditam, nempe se esse panem vivificum, & hunc panem edi fide: v.47. & 48. Deinde hanc doctrinam amplificat antithesi mannæ, v.49. & 50. Tum qua ratione sit panis vivificus, specialiùs declarat, nempe quatenus caro ejus crucifixa est pro nostra vita, hoc est, ad vitam nobis promerendam.

52 *Pugnabant*] Rursus eventum commemorat qui ex doctrina Domini secutus est; nempe incredulum murmur. quanquam simul notatur aliquorum fides: quum aliâs non fuisset pugnæ locus. Pugnabant autem, nimirum aliis doctrinam Domini approbantibus, aliis verò damnantibus.

53 *Dixit*] Christus nihil moratus incredulorum offensionem, doctrinam suam cum asseveratione repetit, & summam illius credendæ necessitatem exponit. Intelligit autem esum suæ carnis & potum sui sanguinis, qui fit fide in promissionem Evangelii de carne ejus crucifixa & sanguine ejus effuso pro nostra vita, id est, ad promerendum nobis vitam. Qui enim huic promissioni credit, ejus cor suavissimo tanquam cibo ac potu recreatur, ne fame & siti spirituali, id est, cruciatu & sensu iræ Dei contra peccata orto, contabescat.

54 *Qui edit*] Commoratur in eadem doctrina, eamque pluribus verbis exponit usque ad v.59.

TERTIA PARTICULA TERTIÆ PARTIS.

Sermonis illius eventa.

59 Hæc dixit in synagoga, quum doceret in Capernaüm.

60 Multi ergo ex discipulis ejus *his* auditis dixerunt, Durus est hic sermo: quis potest eum audire?

61 Sciens autem Jesus apud se, discipulos suos de hoc murmurare, dixit eis; Hoc vos offendit?

62 *Quid* si igitur spectaveritis Filium hominis ascendentem eò ubi erat priùs?

63 Spiritus est id quod vivificat, caro non prodest quicquam: verba quæ ego loquor vobis, spiritus sunt & vita sunt.

64 Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. noverat enim à principio Jesus quinam essent qui non credebant, & quis eum proditurus esset.

65 Et dicebat, Propterea dixi vobis, neminem posse venire ad me nisi fuerit ei datum à patre meo.

66 Ex eo *tempore* multi discipulorum ejus pedem retulerunt, nec ampliùs cum eo versabantur.

67 Dixit ergo Jesus duodecim illis, Num & vos vultis abire?

68 Respondit ergo ei Simon-Petrus; Domine, ad quem abibimus? Verba vitæ æternæ habes.

69 Et nos credidimus & cognovimus, te esse Christum filium illum Dei viventis.

70 Respondit eis Jesus, Nónne ego vos duodecim elegi? & *tamen* unus ex vobis est diabolus.

71 Loquebatur autem de Juda Simonis *filio* Iscariota. futurum enim erat ut hic proderet eum, quum esset unus ex illis duodecim.

Sequitur tertia particula tertiæ partis capitis, videlicet de iis quæ concionem Christi consecuta sunt, & ex ea evenerunt. Quid igitur ex doctrina illa Christi consolationis plenissima, de cibo scilicet vitæ æternæ, evênit? Nempe offensio ac murmur multorum, quibus doctrina illa dura & auditu molesta est visa, v.60. & 61. Sed quid agit Dominus, isto murmure animadverso? Primùm ostendit argumento à majori, eos non habere justam offensionis causam: quippe qui ne tum quidem offendi deberent doctrinâ hac Christi de necessitate edendi ipsius carnem & bibendi ipsius sanguinem, si carnem suam & sanguinem suum per ascensionem in cælum, quam-longissimè ab eis removisset atque sustulisset, v.62.

Deinde doctrinam suam declarat, & crassum illorum errorem de carnis suæ comestione reprehendit: admonens, vim vivificandi non inesse carni suæ carnaliter comestæ, sed comestæ spiritualiter: quatenus nimirum per efficaciam Spiritus sancti creditur data esse pro nostra vita: v.63. Tum addit querelam de incredulitate multorum, v.64. Contraque illam se consolatur consideratione arcanæ voluntatis Dei, v.65. Postea v.66. exponit Evangelista alterum eventum qui evênit ex illa doctrina Christi, superiore deteriorem: nempe quòd multi discipulorum prorsus à Domino defecerunt. Qua occasione Dominus è duodecim Apostolis quærit, an & ipsi deficere velint, v.67. Ad quam interrogationem Petrus communi nomine respondens, egregiam tum de doctrina, tum de persona & officio Christi confessionem

fessionem edit, v. 68. & 69. Quam confessionem Dominus ita approbat, ut interim admoneat de hypocrita inter ipsos latente: nempe de Juda proditore, quem Diabolum vocat, propterea quòd Diaboli servus esset, v. 70. & 71.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 Trans mare] πέραν τῆς θαλάσσης. *Id est, trans lacum: ut eum vocat Plinius lib. 5. cap. 15. & Josephus Antiq. Jud, lib. 18. c. 3. Nempe trans sinum illius lacus interjacentem inter Tiberiadem & Bethsaïda: pervênit enim ad locum desertū oppidi Bethsaïda: ut colligitur ex collatione narrationis Luc. c. 9. v. 10. Quòd igitur dicitur abiisse trans mare Galilææ, non de latitudine illius lacus intelligendum est, sed de sinu quodam citeriore: quum oppida ista Tiberias & Bethsaïda in eodem tractu, idq; cis lacum respectu Hierosolymæ, sita fuerint: ut ex tabula Geographica patet. Est igitur hic synecdoche integri.* Quod est Tiberiadis] τῆς Τιβεριάδος. *Supplementum additum est perspicuitatis causa: ut intelligatur, genitivum τῆς Τιβεριάδος non pendêre à genitivo proxime præcedente, τῆς Γαλιλαίας, sed à genitivo remotiore, τῆς θαλάσσης. Porrò totus ille lacus aliâs nominabatur lacus Genesareth (Luc. 5. v. 1.) sed qua parte ad illum sita erat Tiberias, ab illa denominabatur mare Tiberiadis, ut hic & infrà cap. 21. v. 1. Fuit autem Tiberias urbs Galilææ ab Herode condita, & sic appellata in honorem Tiberii Cæsaris: teste Josepho Antiq. Jud. lib. 18. cap. 3.*

2 Sequebatur] ἠκολούθει. *Nempe itinere pedestri: ut meminit Matthæus cap. 14. v. 13. Unde colligere promtum est, Jesum trajecisse tantùm sinum lacus citeriorem: ut observavimus paulo antè ad v. 1.* Turba multa] ὄχλος πολύς. *Nempe ex omnibus urbibus Galilææ, Matth. 14. v. 13. Marc. 6. v. 33.* Signa] σημεῖα. *Id est, miracula quæ sunt signa vocationis, nempe testimonia divina quibus Deus significat ac testatur, se ad docendum misisse personam illam per quam miracula illa facit. Hæc autem signa narrat Lucas capite 6. 7. & 8.* In ægrotis] *Nempe solo verbo sanandis.*

3 In montem] εἰς τὸ ὄρος. *Id est, in montem ejus loci.* **Auf den berg.** *Articulus enim est ἀναφορικός. Intelligit autem montem prope Bethsaïda, qui erat desertus: ut intelligitur ex Luc. 9. v. 10.* Consedit cum discipulis] *Nempe quietem illis ad tempus: concessurus ut testatur Marcus cap. 6. v 31.*

6 Tentans eum] πειράζων αὐτόν. *Id est, experiri volens ejus fidem, vel potiùs proferre ejus diffidentiam.* Sciebat] ᾔδει. *Id est, jam apud se constituerat.* Quid esset facturus] *Nempe se miraculosè turbam cibaturum: ita ut panes emere non esset opus.*

7 Ducentorum denariorum] διακοσίων δηναρίων. *Denarius valet quindecim nummos Argentinenses, id est, octavam partem *floreni constantis baciis quindecim, quem vulgò florenum Francofurtensem nominant. Ergo octo denarii valent florenum unum: nam octo nummi Argentinenses faciunt bacium unum. Ducenta autem sunt vicies & quinquies octo. Ergo ducenti denarii sunt floreni viginti quinque. Jam si singulis capitibus tribuas panem unius nummi Argentinensis: tum quindecim capitibus cedent panes unius denarii. Denarius enim (ut diximus) valet quindecim nummos Argentinenses. Ergo panes ducentorum denariorum cedent ter mille capitibus. At fuerunt quinquies mille viri, præter mulieres & pueros, Matth. 14. v. 21. Unde colligitur, singulis minus cessurum fuisse quàm panem dimidii nummi Argentinensis: Etenim mulieres ac pueros ultra mille fuisse credibile est. Atque hoc est illud βραχύ, quod Philippus commemorat.*

*Matthæus Hostus Rei nummariæ veteris lib. 2. cap. 7. tradit, denariū esse octavā argentei uncialis, seu Joachimici Vallensis: vulgò vocāt Joachimsthaler/& Reichsthaler/ id est, thalerum Imperialē. Qui quum hodie valeat bacios viginti: denarius valebit bacios duos & semissem: cujus valoris moneta nominatur ein Schreckenberger.

9 Pisciculos] ὀψάρια. *Reliqui tres Evangelistæ vocant ἰχθύας, id est, pisces. Porrò nomen ὀψάριον Latinè sonat opsoniolum: est enim diminutivum à nomine ὄψον, id est, opsonium: quo nomine intelligitur omne cibi genus quod unà cum pane comedimus, & pani quasi condimenti gratiâ addimus. Sic autem per synecdochen generis κατ' ἐξοχὴν appellari solent pisces. Et sic quoque à Terentio in Adelphis pisces vocantur opsonium. Cæterùm nomen ὄψον ortum est à verbo ὀπτάω, id est, asso: nam piscem assum significat.*

10 Discubuerunt] ἀνέπεσον. *Nempe distributi per centenos & quinquagenos, Marc. 6. v. 40. centenos nimirum in longitudinem, quinquagenos verò in latitudinem: ex qua dispositione exstitit figura quam Geometræ vocant ἑτερόμηκες, id est, altera parte longius: cujus proportio sit ista:*



Hic decem puncta disposita sunt in longitudinem, quinq; verò in latitudinem. Eadem autem est proportio centum ad quinquaginta, quæ est decem ad quinque: videl. dupla. Viri quinquies mille] *Absque mulieribus ac puerulis, Matth. 14. v. 21.*

11 Expleti sunt] ἐνεπλήσθησαν. *Id est, saturati sunt.*

13 Cophinos] κοφίνους. *Id est, corbes, κόφινος dictus videtur παρὰ τὴν κουφότητα, à levitate.*

14 Propheta ille] ὁ προφήτης. *Quem scilicet promisit Moses Deut. 18. Hic autem propheta non est vulgaris quispiam propheta, sed eximius, videl. ipse Messias seu Christus.*

15 Quum cognovisset] γνούς. *Id est, quum animadvertisset, nempe ex illo sermone eorum quo prædicabant ipsum esse prophetam illum.* Venturos &c.] ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι. *Id est, eos hoc agere ut venirent & ipsum raperent &c.* Facerent regem] *Existimantes nimirum falsò, Christum fore regem terrenum seu mundanum: quod ipse negat coram Pilato, dicens,* Regnum meum non est de hoc mundo.

16 Descenderunt] *Id est, abierunt jussu Domini: ut testantur Matthæus cap. 14. v. 22. & Marcus cap. 6 v. 45.* Ad mare] ἐπὶ τὴν θάλασσαν. **Ans meer.** *Articulus refertur ad mare Tiberiadis, cujus facta est mentio suprà v. 1.*

17 Ingressi navigium] ἐμβάντες εἰς τὸ πλοῖον. **In das schiff.** *nempe navigium illud quo fuerant advecti ad ripam urbis Bethsaïda: quod notatur suprà vers. 1. Articulus igitur rursum ἀναφορικός est.* Ibant] ἤρχοντο. *Ad verb. Veniebant, id est, proficiscebantur, navigabant. Metonymia causæ, nempe finis, nam ideò navigabant ut venirent Capernaümum. Eadem phrasis occurrit Luc. 15. 20. Item infrà 11. 29.* Trans mare] πέραν τῆς θαλάσσης. *Nempe trans sinum interjacentem inter Bethsaïda & Capernaüm: ut intelligitur ex verbis sequentibus, εἰς Καπερναούμ. Synecdoche integri similis illi quæ fuit suprà vers. 1.* Erant] ἐγεγόνει. *Facta fuerant, id est, nox jam advenerat, jam advesperaverat.* Nec venerat ad eos] *Nempe quum solverent Bethsaïda, ut unà navim ingrederetur. Nam quum miraculum sit editum in deserto urbis Bethsaïda, Luc. 9. v. 10. probabile est, eos prope illam urbem navim conscendisse. At huic sententiæ videtur repugnare Marcus, qui cap. 6. vers. 45. refert, discipulos à Christo jussos conscendere navigium, & præire Bethsaïdam in ulteriorem ripam. Quòd si jussi sunt navigare Bethsaïdam, non ergo jussi sunt solvere Bethsaïda & navigare Capernaümum: quò eos navigasse testatur Johannes. Ad hanc antilogiam tollendam, verba Marci videntur aliter accipienda quàm ut modò retulimus. Sunt autem verba Marci ista: καὶ εὐθέως ἠνάγκασε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ προάγειν εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν. Ubi verba hæc, πρὸς Βηθσαϊδάν, non videntur conjungenda cum verbo proximo προάγειν, ut significetur terminus ad quem fuerit navigandum: sed per trajectionem videntur jungenda cum verbo ἐμβῆναι, ut notetur locus apud quem navim debuerint conscendere. Ac proinde verba illa Marci sic erunt interpretanda:* Et statim coëgit discipulos suos inscendere navigium apud Bethsaïdam, & præire in ulteriorem ripam: *id est, in ripam ubi sita erat Capernaüm, quæ ripa opposita est ripæ urbis Bethsaïda propter sinum interjectum. Vel dicendum, illa verba, πρὸς Βηθσαϊδάν, cohærere cum proxime præcedentibus, deficiente articulo τό: quasi scriptum esset, εἰς τὸ πέραν τὸ πρὸς Βηθσαϊδάν: ac proinde vertendum,* In ulteriorem *ripam* Bethsaïdæ oppositam: *quo modo D. Beza in ultima editione vertit.* Capernaüm versus] εἰς Καπερναούμ. εἰς pro πρός.

ἀντιλογία λύσις.

18 Mare] ἡ θάλασσα. **Das meer.** *Nempe mare illud in quo navigabant. hoc notat articulus.* Insurgebat] διηγείρετο. *Excitabatur, vel concitabatur: id est, fluctus exsistebant in mari, tempestas cooriebatur.*

19 Provecti] ἐληλακότες. *Ad verb. Quum impulissent scilicet remos navigii: vel potiùs, quum impulissent navigium remigando. Metonymia efficientis.* Stadia] σταδίους. *Vox Græca è Latina corrupta est mutato genere neutro in masculinum. Stadium; authore Plinio, facit centum & vigintiquinque passus. Septem stadia & semis, authore Suida, faciunt miliare. Triginta autem in se quater continent septem & semis. Ergo triginta stadia faciunt milliaria quatuor. Viginti autem quinque stadia faciunt milliaria tria, stadia duo & semis. Quare quum hic dicitur,* Quasi stadia viginti quinque aut triginta: *perinde est ac si diceretur, Miliaria tria aut quatuor. Porrò hic lacus, authore Josepho lib. 3. de Bello Jud. longus est stadia centum, id est, miliaria tredecim, stadia duo & semis: latus verò stadia quadraginta, id est, miliaria quinque, stadia duo & semis.* Conspiciunt Jesum] θεωροῦσι τὸν Ἰησοῦν. *Nondum tamen agnoscunt: putabant enim se videre spectrum: ut testantur Matthæus & Marcus.* Ambulantem super mare] *Sive mare sub ambulante fuerit consolidatum, ut corpori gravi non cederet: sive corpus ambulantis fuerit in aëre quasi suspensum & virtute divinâ aut ministerio angelorum sustentatum ne aquis immergeretur: sive denique corpus ambulantis ad tempus fuerit glorificatum, ut in monte, Matth. 17. Mihi secundus modus maxime probabilis videtur: quum Matthæus testetur, etiam Petrum jussu Domini super mare ambulasse, Matth. 14. vers. 29.* Timuerunt] ἐφοβήθησαν. *Terrefacti sunt.* **Sie sind erschreckt worden/** *id est,* **sie sind erschrocken.**

20 Ego sum] ἐγώ εἰμι. *Emphasis est in pronomine* Ego. *nam tacitè opponitur falsæ discipulorum opinioni, putantium se videre non ipsum Christum, sed spectrum mentiens figuram Christi. ait igitur, Ego ipse sum quem videtis: non autem spectrum est, ut vos putatis. Sic Luc. ult. v. 37. 38. 39.*

21 Cupidè ergo receperunt eum] ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτόν. *Ad verbum: Voluerunt igitur recipere eum. ubi unà cum voluntate*

per synecdochen membri intelligendum est ipsum factum. nam quod eum in navim receperint, testantur reliqui Evangelistæ. Et statim] Scil. Christo in navim recepto. Ad regionem in quam ibant] Nempe in regionem ubi sita erat Capernaüm, ubi liquet ex vers. 17. Ibant] ὑπῆγον. Ad verb. Subducebant. Scil. navim. phrasis nautica. Vel ὑπῆγον, scilicet ἑαυτὰς: subducebant se, id est, abibant.

22 Postero die] τῇ ἐπαύριον. Subaudi ἡμέρᾳ. id est, die crastino, **des morgenden tags.** nam αὔριον significat Cras. Sed αὔριον refertur ad personam loquentem: ἐπαύριον verò ad personam de qua quis loquitur: & respondet Latinæ voci Postridie. Postridie autem hîc intellige, scil. post miraculosam illam turbæ cibationem in deserto urbis Bethsaïda: quæ in præcedentibus narrata fuit. Cis mare] πέραν τῆς θαλάσσης. Nempe prope urbem Bethsaïda, ubi discipuli navim fuerant ingressi & vecti Capernaümum.

23. Comederant] ἔφαγον. Nempe pridie: ut patet ex collatione v. 22. cum v. 16. Panem] τὸν ἄρτον. Panem illum. nempe de quo narratum est in præcedentibus. Articulus igitur vim habet ἀναφορικὴν.

24 Illic] ἐκεῖ. Nempe circa Bethsaïdam, in ripa lacus ubi eum quæsierant. Ingressi sunt & ipsi] ἐνέβησαν καὶ αὐτοὶ. Scilicet sicut pridie discipuli ingressi erant navigium quod unicum aderat. In navigia] εἰς τὰ πλοῖα. In ista navigia, nempe quæ recens advenerant Tiberiade: ut dictum est v. 23. Conjunctio autem καὶ, quæ est nota paris, non est hucusque extendenda, ut intelligamus, discipulos quoque in ista navigia ingressos fuisse: sed comparatio subsistit in ingressu navium in genere, non autem refertur ad istas naves: discipuli enim alio navigio pridie discesserant.

25 Trans mare] πέραν τῆς θαλάσσης. Nempe Capernaümi, ut patet ex vers. 59. infra: quò scil. trajecerant è Bethsaïda per interjectum sinum. Vide suprà ad v. 1. Rabbi] ῥαββί. Id est, magister seu doctor. Sic dictus à multiplici doctrina, vel à magnitudine authoritatis: à רָבַב rabáb, id est, multiplicavit. Quando huc pervenisti?] πότε ὧδε γέγονας; Ad verb. Quando hîc vel huc factus es? Pro παραγέγονας. Similes phrases vide suprà v. 19. & 21.

26 Non quia vidistis signa] οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα. Id est, Non quia creditis meæ doctrinæ, quam vidistis variis & magnis miraculis à me confirmari. Synecdoche metonymica: nam unà cum causa intelligitur effectum, id est, cum miraculis fides. Sed quia comedistis ex panibus illis] ἀλλ' ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων. Primâ fronte videtur hæc antithesis implicare contradictionem. Quum enim hi quoque panes cum miraculo conjuncti fuerint, affirmat, turbam propter illos se quærere: quum tamen modò negârit, illam se quærere propter miracula. Sed non est contradictio. non enim hic considerat illos panes quatenus fuerunt conjuncti cum miraculo, sed quatenus turba iis fuit saturata. hoc enim unum spectabant, ut à Domino saturarentur. Ideo ait, Quia comedistis & saturati estis. Ex panibus illis] ἐκ τῶν ἄρτων. De quibus suprà v. 11. & deinceps.

27 Operemini cibo] ἐργάζεσθε τὴν βρῶσιν. Hoc est, Omni opere & studio sectemini. Sed cibo illi qui permanet in vitam æternam] Intelligit carnem suam crucifixam: sicut ipsemet declarat infrà v. 51. & 55. Hanc igitur occasione sermonis instituti metaphoricè nominat escam seu cibum, nempe animæ, unde illa vitam spiritualem percipit. Quem] ἣν. Scilicet βρῶσιν. ut intelligitur tum ex reipsa & quæstione præsenti, tum ex collatione vers. 51. ubi ait, Panis quem ego dabo, caro mea est. Filius hominis] ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Filius ille hominis. nempe promissus per prophetas, hoc est, Filius Dei unigenitus in carne manifestatus. Periphrasis. Hac igitur appellatione notat officium mediatoris. nam ut Filius Dei mediator inter Deum & homines esse posset, ipsum quoque hominem fieri oportuit. Vide 1. Tim. 2. v. 5. Dabit vobis] ὑμῖν δώσει. Videlicet primùm dando carnem suam in mortem pro mundi vita, infrà v. 51. deinde dando illam fruendam & spiritualiter edendam electis per fidem, intercedente efficaci operatione Spiritus sancti, v. 63. quarum dationum prior ad meritum, posterior ad efficaciam Christi servatoris pertinet. Obsignavit] ἐσφράγισεν. Metaphora sumta ab iis, qui quos mittunt, eorum authoritatem obsignato diplomate sanciunt: sicut hoc verbum declarat Tremellius apud interpretem Syrum. vel, Obsignavit, id est, huic rei præstandæ destinavit. Sed prior expositio genuina videtur: Obsignavit, id est, quasi sigillo impresso approbavit. Est metonymia simul & metaphora: metonymia scilicet effecti destinati: nam ex obsignatione intelligitur approbatio, & (ut ita dicam) authentisatio, ad quam obsignatio destinata est. Metaphora verò à literis sumta est, quæ propriè loquendo obsignantur.

28 Quid faciemus?] τί ποιῶμεν; Quid faciamus? Modus potentialis. quid fuerit nobis faciendum? **Was müßten wir dann thun?** vel, **Was sollen wir dann thun?** Opera Dei] τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ. Id est, opera Deo placentia. Sic Psal. 51. vers. 19. sacrificia Dei vocantur, quæ Deo accepta sunt. Genitivus adjuncti occupati.

29 Hoc illud est opus Dei, ut credatis] Opus Dei: id est, Deo placens; ut modò dicta sunt opera Dei. Genitivus adjuncti occupati. Aliâs dicitur opus Dei, quod à Deo efficitur: quod etsi in fidem quoque competit (ut Philip. 1. v. 6. Qui cœpit in vobis opus bonum &c.) tamen illud hic non significatur. Ut credatis] ἵνα πιστεύσητε. Hæc verba pendent à præcedente pronomine τοῦτο, id est, hoc, per appositionem. Hoc, inquit, est illud opus Dei. quódnam? Nempe ut credatis &c. seu ipsum credere, τὸ πιστεῦσαι. Porrò credere in Christum, phrasi Hebræâ idem valet quod Christo confidere, seu fiduciam suam in Christo tanquam servatore collocare. In eum quem misit ille] εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος. Pro, εἰς ἐκεῖνον ὃν &c. Ellipsis Græca. Item periphrasis argumentosa: continet enim rationem, cur sit in ipsum credendum: quia scilicet hæc sit Dei voluntas, quippe qui se miserit in mundum, ut esset servator omnium in eum credentium.

30 Ut videamus & credamus tibi] ἵνα ἴδωμεν καὶ πιστεύσωμέν σοι. Id est, ut miraculo Messia digno, vel Messiæ proprio, conspecto; credamus te esse Messiam, ac proinde in te confidamus.

31 Patres] οἱ πατέρες. Id est, majores: οἱ πρόγονοι. Synecdoche speciei. Comederunt manna illud] τὸ μάννα ἔφαγον. **Haben das manna gessen.** Id est, panem illum cælestem, qui nimirum cælitus pluebat. Manna Syriacè & Chaldaicè, Hebraicè dicebatur Man: de quo vide Exod. 16. v. 15. & 32. Num. 11. v. 7. & 8. Erat tenue quiddam & rotundum: tenue sicut pruina, simile semini coriandri, album, colore bdellii (id est, gummi arboris bdellii, quod est translucidum, simile ceræ, teste Plinio Nat. histor. libr. 12. cap. 9.) sapore crustuli melliti, simulque olei præstantissimi: quod quotidie manè depluebat in agros, & à populo colligebatur, variéque coquebatur. Vocem ipsam interpretantur alii Destinatum, alii Præparatum: quòd esset cibus populo Israëlitico à Deo destinatus & præparatus. Sed videtur istud nomen accepisse à pronomine מָה mah, id est, Quid? idque ex eventu. quia quum Israëlitæ illud primùm conspexissent, nec quid esset, scirent: dixerunt מָן הוּא man hu: quod videntur (fortassis idiomate Ægyptio) dixisse pro מָה הוּא mah hu: id est, Quid est hoc? Hanc interpretationem confirmat partim causa istorum verborum: quæ fuit, quòd ignorarent, quid esset: partim responsio Mosis, qui dicebat, tanquam ad illam interrogationem respondens: Hic est panis ille quem vobis Jehova dat ad comedendum. Et sic verterunt Græci Exod. 16. v. 15. τί ἐστι τοῦτο; Quam versionem retinuit & sequutus est Philo libr. 2. Allegoriarum Legis. Sicut scriptum est] Scilicet Psalm. 78. v. 24. Panem cælestem dedit eis] ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Scil. καταβαίνοντα, descendentem: subaudito quoque articulo ante ἐκ. Ideo interpres vertit cælestem, ad tollendam ambiguitatem: ne hæc verba, è cælo jungerentur cum verbo dedit. quanquam ad sensum parum interest. In Hebræo sic habetur: Frumentum cælorum dedit eis (scilicet Jehova:) panem robustorum (id est, angelorum) comedit vir. ubi Man vocatur frumentum, quòd præberet usum frumenti: cælorum autem frumentum dicitur, quòd è cælis deplueret: denique panis angelorum nominatur, quòd ministerio angelorum suppeditaretur: vel quòd tam præstans cibus esset, ut vel angeli si cibum caperent, eo delectarentur. Cui expositioni videtur favere antithesis, ubi ait Moses, Panem angelorum edit vir, id est, homo.

32 Panem illum cælestem] τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Pro, τὸν ἄρτον τὸν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Scilicet τὸν ἀληθινὸν: ut intelligitur ex antithesi, ubi istud epitheton est expressum. Neque enim hîc intelligit manna, quod per Mosen datum esse constabat: sed loquitur de cibo per manna significato, id est, de seipso servatore mundi. Sententia igitur hujus versiculi est: Panis ille vere-cælestis, non est manna, quod DEUS dedit per Mosen: sed is est ille panis verè cælestis, quem DEUS nunc vobis dat, donando scilicet vobis me, filium suum unigenitum. Verum] τὸν ἀληθινὸν. Verum illum. **Das rechte oder waarhaftige himmelbrot.** Similis est phrasis infrà cap. 15. vers. 1. ἐγώ εἰμι ἄμπελος ἡ ἀληθινή, Ego sum vitis illa vera. Verum autem panem cælestem intellige, qui hoc nomen inprimis meretur ac vere-cælestis est: quum è summo illo cælo descenderit, vers. 33. non autem ex infimo isto, id est, aëre, unde pluebat manna. Simul etiam veritas videtur opponi typo seu figuræ: quasi dicat, Quod olim per manna fuit præfiguratum, id nunc verè ac reipsa esse exhibitum, nempe seipsum. Sic nomen veritatis accipitur suprà cap. 1. vers. 17. ubi Evangelista ait, Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Jesum Christum exstitit. Sic Hebr. 8. vers. 2. verum tabernaculum (id est, corpus Christi) opponitur Mosaico tanquam typo.

33 Panis ille Dei] ὁ ἄρτος τοῦ Θεοῦ. Id est, quem Deus dat. vel potiùs, Cujus esus Deo inprimis placet. nam etiam manna dederat Deus. Qui descendit] ὁ καταβαίνων. Enallage temporis, pro ὁ καταβεβηκὼς, vel ὁ καταβὰς, ut colligitur ex collatione versus 38. & 51. infrà. Loquitur autem de seipso, sicut ipse mox exponit v. 35. Quòd autem ait, se de cælo descendisse, rectè intelligendum est. Neque enim ita descendit, ut cælum reliquerit, & locum mutârit: sed ut in terra naturam humanam assumserit, atque ita Deus in carne manifestatus sit. Ubi observandum, aliam esse rationem ascensionis Domini in cælum. Etenim ascendit in cælum ita ut mundum reliquerit, ac proinde locum mutârit secundùm humanam naturam. Hujus diversitatis ratio est diversa ratio personæ, de qua utrumque dicitur. nam quum illa de cælo descendit, tantùm erat Deus: quum autem ascendit, erat etiam homo. Vitam] ζωήν. Scilicet æternam: ut intelligitur ex collatione

tione

stione versus 39. & 40. Mundo] τῷ κόσμῳ. Hoc est, omnibus electis omnium populorum per totum mundum dispersorum. Hoc opponit errori Judæorum, qui putabant, Messiam proprium esse Judæorum, ad reliquos populos nihil pertinere. Sic suprà cap. 1. v. 23. & cap. 3. v. 16. & c. 4. v. 42.

34 Da nobis &c.] Similis petitio erat illa mulieris Samaritanæ, suprà cap. 4. v. 15. Semper] πάντοτε. Quasi dicant: non semel tantùm & iterum, sed quotidie: ut fecit olim Moses.

35 Panis ille vitæ] ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς. Id est, vivificus. Loquitur autem de vita spirituali, quæ oritur ex sensu favoris Dei, conciliati nobis morte Christi: quam vitam Paulus Rom. 14. v. 17. nominat gaudium in Spiritu sancto. Qui venit ad me] ὁ ἐρχόμενος πρός με. Id est, Qui credit in me: ut ipse mox declarat in membro opposito. Nequaquam esuriet] Id est, non cruciabitur fame illâ spirituali, hoc est, anxietate illâ quæ exsistit ex sensu iræ Dei contra peccata. Non sitiet] Id est, non cruciabitur siti illa spirituali, nempe illa ipsa, quàm modò dixi, anxietate. Vel, Non esuriet, non sitiet, id est, nihil veræ felicitatis ei deerit. Metaphora, & synecdoche speciei.

36 Dixi] εἶπον. Nempe suprà v. 26. ut liquet ex versiculi illius expositione, quam attulimus. Etiam vidistis me, nec creditis] καὶ ἑωράκατέ με, καὶ οὐ πιστεύετε. Id est, Quanquam vidistis me, tamen non creditis. Copulativum enuntiatum pro discretivo. Vidistis] Id est, cognovistis, me esse Messiam: suprà v. 14. Metaphora.

37 Quicquid dat &c.] πᾶν ὃ δίδωσι &c. Hoc dicit ad se consolandum contra istorum incredulitatem, de qua modò fuerat questus. quasi dicat: Veruntamen etsi vos non credatis in me: hoc tamen me consolatur, quòd omnes electi in me credituri sunt. Quicquid] Id est, Quoscunque. Synecdoche generis. Dat] δίδωσι. Id est, donat. nimirum pro æterno suo decreto eos eligens in me ad vitam æternam. Pater] ὁ πατήρ. Pater meus, nempe Deus. Ad me veniet] Id est, in me credet: ut v. 35. Nequaquam ejiciam foras] Id est, Non repudiabo, sed benevolè excipiam, & in æternum servabo. λιτότης.

38 Descendi è cælo] Id est, homo factus sum, incarnatus sum. Non voluntatem meam] Id est, Non id quod ego volo. Scilicet sicut vos putatis, me agere pro meo libitu, absq; mandato Dei. Etenim his verbis perstringit falsam opinionem incredulorum.

39 Non perdam] μὴ ἀπολέσω. Id est, non sinam perire, sed servem. Suscitem] ἀναστήσω. Nempe ad gloriam cælestem & vitam æternam. Synecdoche generis. In ultimo illo die] ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. Nempe die judicii universalis. Articulus emphaticus.

40 Qui conspicit Filium] ὁ θεωρῶν τὸν υἱόν. Id est, qui eum agnoscit ex ipsius miraculis & doctrina. Metaphora. Credit in eum] πιστεύων εἰς αὐτόν. Id est, Confidit eo ut servatore suo. Habeat] ἔχῃ. Nempe quum primùm credit. Vitam æternam] In hac quidem vita ex parte, in altera verò perfectè. Vide 1. Cor. 13. in fine: item 1. Joh. 3. v. 2.

41 De eo] περὶ αὐτοῦ. Nempe de Jesu, id est, propter eum, vel contra eum.

42 Nónne] οὐχ. Quasi dicant, Maximè, omnino. Quomodo ergo dicit] Id est, Minimè ergo verum est quod dicit.

44 Venire ad me] ἐλθεῖν πρός με. Id est, credere in me: ut v. 35. Traxerit] ἑλκύσῃ. Id est, mentem ejus illuminarit ac mutarit, atque ita ex nolente volentem effecerit. Falsum est enim illud quod vulgò jactatur, ὁ θεὸς τὸν βουλόμενον ἕλκει, Deus volentem trahit. At, inquam, qui vult, is non trahitur, sed ducitur. Deus autem ita trahit nolentes, ut ex nolentibus reddat volentes: ac proinde quos primùm traxit, eosdem postea ducit. de quo ductu loquitur Paulus Rom. 8. ubi ait, Qui ducuntur spiritu Dei, sunt filii Dei. Tractus autem metaphorâ intelligi illuminationem mentis, declarat ipse Dominus versu seq. ubi ait, Quisquis ergo audivit à Patre, & didicit.

45 In Prophetis] ἐν τοῖς προφήταις. Id est, in altera sectione Scripturæ quæ continentur libri Prophetarum. Exstat autem hoc testimonium in Esaia. Metonymia efficientis, & synecdoche integri. Et erunt &c.] καὶ ἔσονται. Sunt verba Prophetæ ad Ecclesiam Novi Testamenti seu Christianam: Et omnes filii tui edocti erunt à Jehova. Omnes] πάντες. Nempe filii Ecclesiæ. hos enim Propheta expressè nominat. Filii autem Ecclesiæ sunt electi. Docti à Deo] διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ. Id est, δεδιδαγμένοι ὑπὸ Θεοῦ. Nomen verbale hîc æquipollet participio: non autem notat δύναμιν παθητικὴν τοῦ διδάσκεσθαι: id est, non significat dociles, sed edoctos. In Hebræo item est nomen verbale לִמּוּדִים limmudim. Heterosis. Apud Apostolum 1. Thess. 4. exstat compositum θεοδίδακτοι. Audivit à Patre] ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρός. Hoc fit, quum Pater per Spiritum sanctum efficax est in prædicatione Evangelii, ut verbum gratiæ seu promissionem Evangelii intelligamus & credamus. Huc pertinet illud, Qui habet aures ad audiendum, audiat. Venit ad me] Ut suprà v. 35.

46 Non quòd] οὐχ ὅτι. Elliptica locutio: pro, Non dico hoc, quòd. Confer Rom. 9. v. 6. Viderit] ἑώρακε. Id est, cognoverit: nempe extra Christum mediatorem. Verbo videndi idem significat quod versu præcedente verbis audiendi & discendi. Sic suprà cap. 1. vers. 18. Deum nemo vidit unqnam &c. Metaphora. Is qui est à Deo] ὁ ὢν παρὰ τοῦ Θεοῦ. Id est, qui ortus est ex Deo, seu unigenitus ille filius Dei. Periphrasis. Hic vidit Patrem] Id est, cognovit mentem Patris, & arcanum ejus consilium de electorum salute eis exposuit. Synecdoche membri.

49 Patres vestri] οἱ πατέρες ὑμῶν. Nota, quòd dicit, vestri, non autem, nostri. Sic enim non solùm se eximit è vulgò Judæorum: sed innuit, ipsos similes esse patrum suorum, nempe incredulos. nam eum loqui de incredulis, perspicitur ex eo, quòd affirmat, eos esse mortuos. quod quidem de morte æterna ut intelligatur, antithesis postulat. Sic Paulus 1. Cor. 10. v. 5. ait, Deum plerosque patrum non approbasse: quippe quos prostaverit in deserto. Confer etiam Matth. 23. v. 30. 31. 32. Comederunt & mortui sunt] ἔφαγον καὶ ἀπέθανον. Id est, Quanquam comederunt, tamen mortui sunt. nempe morte æterna. sic enim intelligi postulat antithesis. Id est, damnati sunt ad æternos cruciatus. Metaphora.

50 Hic] οὗτος, Id est, οὗτος δέ. hic autem. subaudi ὁ ἄρτος. nempe de quo ego loquor: videlicet ego ipse. Se enim opponit mannæ ut panem. Ellipsis gemina. Ut qui eo vescitur, non moriatur] ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ καὶ μὴ ἀποθάνῃ. Ad verb. Ut quis ex eo vescatur & non moriatur: id est, ut quis ex eo vescens non moriatur: id est, non pereat morte æternâ.

51 Ille panis vivificus] ὁ ἄρτος ὁ ζῶν. Pro hoc dixit suprà v. 48. ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, panis ille vitæ. Ergo ζῶν hîc positum est pro ζωοποιῶν: sicut & præcedentia & sequentia satis declarant. Metonymia effecti. Quem ego dabo] ὃν ἐγὼ δώσω. Scilicet edendum: ut intelligitur ex versu sequente. Dat autem Christus se edendum animabus fidelium per prædicationem Evangelii & operationem Spiritus sancti. Caro mea] ἡ σάρξ μου. Id est, corpus meum. Quam ego dabo] ἣν ἐγὼ δώσω. hoc est, quatenus eam dabo. nempe crucifigendam. Neque enim duplicem carnem habuit Dominus, quarum unam crucifigendam dederit, alteram non dederit. Non ergo distinguit inter duplicem carnem: sed modum declarat, quo unica illa sua caro futura fuerat panis, id est, cibus vivificus. Sic in institutione sacræ cœnæ, quum dicitur, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: exponendum, Quatenus pro vobis datur. Pro vita] ὑπὲρ τῆς ζωῆς. Id est, propter vitam, scil. promerendam. Mundi] κόσμου. Id est, omnium credentium in toto mundo. Christus enim proprie-loquendo est servator corporis sui, id est, Ecclesiæ: Ephes. 5. v. 23. Aliâs nomine mundi intelliguntur reprobi: de quibus ait, Pro mundo non rogo: infrà c. 17. v. 9.

52 Pugnabant] ἐμάχοντο. Nempe verbis. hoc est disceptabant inter se: διελογίζοντο: quo verbo alibi utuntur Evangelistæ. Quomodo] πῶς. Observa, dissimile huic esse illud Quomodo virginis Mariæ Luc. 1. v. 34. Maria enim cupit doceri: at Judæi hoc loco repudiant doctrinam tanquam falsam. imò impossibilem. Carnem suam] τὴν σάρκα. Scil. τὴν ἑαυτοῦ. Ellipsis. Articulus ἀναφορικός.

53 Nisi ederitis carnem &c.] Id est, Nisi credideritis, carnem meam crucifixum iri, & sanguinem meum effusum iri, in remissionem peccatorum vestrorum. Non habetis vitam] Nempe vitam illam spiritualem: per quam hoc loco nihil aliud significatur quàm lætitia orta ex gustu favoris Dei, quem Christus suâ morte nobis conciliavit.

54 Qui edit carnem meam &c.] Id est, Qui credit, carnem meam pro se crucifixum iri aut esse, & sanguinem meum pro se effusum iri vel esse. Excitabo] ἀναστήσω. Faciam ut surgat. nempe ad vitam æternam: ut suprà v. 44. Synecdoche generis.

55 Verè] ἀληθῶς. Veritatis epitheto notat hujus cibi præstantiam, quippe quo alimur ad vitam æternam: simul etiam veritatem opponit typo, nempe mannæ. quasi dicat, Mein fläisch ist die rechtschaffene speis: das Manna ist nichts dargegen zu rechnen/oder ist nicht damit zu vergleichen. Sic infrà cap. 15. v. 1. Ego sum vitis illa vera. Cibus] βρῶσις. Nempe cibus spiritualis: cibus mentis, non ventris. Metaphora. Sic quod sequitur de potu.

56 In me manet] ἐν ἐμοὶ μένει. Nempe per fidem quâ mihi insitus est ut palmes viti, infrà cap. 15 & ex consequenti per dilectionem, quippe quæ ex fide manat. Et ego in eo] κἀγὼ ἐν αὐτῷ. Scilicet maneo: nempe per Spiritum sanctum, per quem in eo habito ex dilectione: infrà c. 14. v. 23. Eph. 3. v. 17.

57 Vivens ille Pater] ὁ ζῶν πατήρ. Videtur vertendum, Vivificus: ut suprà v. 51. Atque hoc videtur postulare sententia proximè-sequens, Et ego vivo per Patrem. Qui ederit me] ὁ τρώγων με. Hoc idem valet atque illud quod modò dixit, Qui edit carnem meam. Etsi enim fides rectà intuetur carnem crucifixam: tamen intelligit, vim meriti pendêre à dignitate personæ: quippe quæ est Deus. Unde Act. 20. v. 28. ait Paulus; DEUM suo sanguine acquisivisse sibi Ecclesiam. & Johannes 1. Joh. 1. v. 7. Sanguis Jesu Christi FILII Ejus purgat nos ab omni peccato. Sic Paulus rursum 1. Cor. 2. v. 8. DOMINUM GLORIÆ crucifixerunt.

59 In synagoga] ἐν συναγωγῇ. Nomen Græcum significat congregationem. Sic autem nominatur hoc loco domus ubi congregari solebant Judæi ad audiendam recitationem atque explicationem Scripturarum: per metonymiam adjuncti vel causæ finalis: nam congregatio in domo fiebat, & domus congregationi destinata erat.

60 Durus] σκληρός. Id est, molèstus auditu. Metaphora καταχρηστικὴ à rebus tactilibus, quæ duritiè suâ molestæ sunt tactui. Sed cur durus eis videbatur & horrorem incutiebat iste CHRISTI sermo de edenda ejus carne & bibendo ejus sanguine? Quia accipiebant eum in sensu literali, seu sequebantur τὸ ῥητόν, ac præ-

inde somniabant κρεωφαγίαν & αἱματοποσίαν: atque interim negligebant verborum illorum διάνοιαν, quæ consistit in metaphora: quæ adhibita & animadversa, doctrinam hanc longe suavissimam reddit credentibus. Nam quemadmodum cibus ore comesus, tollit famem, eamq́ tollendo, hominem recreat; item quemadmodum potus ore haustus, tollit sitim, eamq́ tollendo, hominem recreat; ita caro Christi crucifixa, dum comeditur fide; & sanguis Christi effusus, dum bibitur fide; tollit famem & sitim animæ, hoc est, cruciatum ortum ex sensu defectus justitiæ, ac proinde ex sensu iræ Dei contra injustitiam; & cruciatum illum tollendo, recreat cor gaudio in Spiritu sancto ex sensu favoris Dei, per meritum Christi nobis placati. Quis potest eum audire?] τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν; Nempe æquo animo. quasi dicant: Quis non meritò hoc sermone offendatur? quis enim non abhorreat à κρεωφαγίᾳ?

61 Sciens autem] εἰδὼς δὲ. Quum autem cognovisset, vel animadvertisset. Als er gemercket hatte. De hoc] περὶ τούτου. Id est, ob hanc rem, ob hunc sermonem. Hoc vos offendit?] τοῦτο ὑμᾶς σκανδαλίζει; Interrogatio hæc vim habet admirandi & simul dehortandi. quasi dicat: Miror vos offendi hoc sermone: certè non debebatis eo offendi.

62 Quid si igitur] ἐὰν οὖν. Ellipsis pronominis τί. pro τί ἐὰν &c. Sicut Rom. 9. v. 22. quasi dicat: Quid igitur faceretis, si conspiceretis &c. hoc est, quantò magis tunc offenderemini apparente absurditate verborum meorum? ut qui dicam, carnem meam necessariò edendam esse ad vitam æternam consequendum: quæ tamen tunc in cælos erit recepta, ut videatur in terris edi non posse. Hanc puto simplicem ac genuinam esse sententiam istorum verborum; quæ quidem ex ipsa ratione loquendi & sententiarum cohærentia deducta est. Eò ubi erat prius] ὅπου ἦν τὸ πρότερον. Id est, in cælum. Sed quomodo filius hominis prius (videlicet ab æterno) erat in cælo? Nempe non quatenus erat filius hominis, quia tum nondum erat homo: sed quatenus erat filius Dei. Dictum per communicationem idiomatum: ut illud suprà c. 3. v. 13.

63 Spiritus est id quod vivificat] τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν. Id est, Spiritus sanctus est is qui efficit vitam illam spiritualem de qua dixi: dum scilicet in cordibus electorum creat & confirmat fidem quâ caro mea editur. Caro] ἡ σάρξ. Pro, ἡ σάρξ δὲ, caro autem: nempe ἡ ἐμοῦ, id est, mea: de qua locutus sum suprà v. 51. 53. &c. Intellige, Carnaliter comesa, de quali comestione Capernaitæ Christum loqui putabant. Similis autem ellipsis fuit suprà v. 52. τὴν σάρκα. scilic. ταύτην αὑτοῦ. Articulus habet vim ἀναφορικὴν. Etenim de carne Christi inciderat quæstio, An illa posset edi? & an comesa prodesset ad vivificandum? Vide suprà v. 52. & deinceps. Quidam exponunt ipsum vocabulum Carnis de carnali intellectu, quo scil. putatur, carnem Christi edendam esse carnaliter. Sed sic nomine Spiritus (propter antithesin) esset intelligendus intellectus spiritualis, id est, quo intelligitur, carnem Christi edendam spiritualiter. At hic intellectus non vivificat: quippe qui etiam in reprobos cadit: Non igitur vera est illa expositio. Non prodest quicquam] οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν. Scilicet ad vivificandum, hoc est, vitam efficiendum in cordibus electorum. Sic exponi postulat antithesis. Interim verò non negatur, carnem Christi profuisse plurimùm ad vitam nobis promerendam: nempe quatenus data est pro mundi vita: id quod Christus docuit suprà v. 51. Cæterùm negatio gemina est per Græcismum. Verba quæ ego loquor vobis] τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν. Emphasis est, & tacita antithesis in vocabulo Verba. quasi dicat: Non ipsa caro mea carnaliter comesa: sed verba quæ de carne mea paulò antè locutus sum, videl. illam datum iri pro mundi vita, suprà vers. 51. Spiritus sunt & vita sunt] πνεῦμά ἐστι καὶ ζωή ἐστι. Id est, organum sunt per quod Spiritus vitam operatur, quatenus nimirum per illa operatur fidem. quo sensu Petrus (huc fortasse respiciens) nominat verba vitæ æternæ, infrà v. 68. Est autem hic figura ἐν διὰ δυοῖν.

64 Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt] Quasi dicat: Sed Spiritus sanctus non vivificat omnes, non est efficax in omnibus qui doctrinam evangelii de vita æterna per mortem meam acquirenda audiunt: etenim quidam ex vobis non credunt, quippe fides est illud ipsum quod Spiritus sanctus in cordibus audientium evangelium efficit, quoq; illa vivificat. Noverat enim] ᾔδει γάρ. Scil. tanquam καρδιογνώστης: suprà cap. 2. v. 24. & 25. A principio] ἐξ ἀρχῆς. Hoc est, quum primùm cœpit docere & discipulos nancisci. Quinam essent] τίνες εἰσίν. Nempe è discipulis suis, fidem profitentibus. Et quis &c.] καὶ τίς &c. Quasi dicat: Neq; hoc solùm noverat, quinam essent qui non credebant: sed etiam quis eum proditurus esset, nempe Judas Iscariotes.

65 Et dicebat] καὶ ἔλεγε. Nempe ad consolandum tum seipsum, tum discipulos credentes. Dixi vobis] εἴρηκα ὑμῖν. Nempe suprà v. 44. Nisi fuerit ei datum] ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ. Sic alibi Apostolis ait, Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum. Et sic Paulus Ephes. 2. fidem ait esse donum Dei. Observandum autem, Dominum his tribus loquendi formulis promiscuè & ad idem significandum uti, nempe, Trahi à Patre, suprà vers. 44. Audire ac discere à Patre, suprà vers. 45. &, Datum alicui esse à Patre, hoc loco. A Patre] ἐκ τοῦ πατρός. ἐκ pro ὑπό. Sic Rom. 11. v. ult. Heterosis.

66 Ex eo tempore] ἐκ τούτου. Scil. χρόνου. Pedem retulerunt] ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω. Ad verbum, Abierunt versus ea quæ retrò sunt. Hebraismus. hoc est, discessionem fecerunt à Christo, seu defecerunt ab eo, nolentes eum ampliùs pro suo magistro ac præceptore agnoscere. Nec ampliùs] καὶ οὐκέτι. Epexegesis.

67 Num & vos vultis abire?] Non interrogat, quasi ignoret, quid facturi sint: sed ut eliciat eorum confessionem.

68 Respondit Simon Petrus] Nempe omnium nomine, tanquam os Apostolorum: ut Matth. 16. v. 15. & 16. Ad quem abibimus?] Id est, Quem alium præceptorem quæremus, te deserto? Interrogatio innuit negationem cum significatione amoris erga Dominum. quasi dicerent: Mi domine, nullus est quem meritò adire & sequi debeamus: sed potiùs constanter tibi adhærere nos decet, quippe qui verba vitæ æternæ habes, hoc est, conferentia vitam æternam credentibus, tanquam organa per quæ Spiritus sanctus fidem operatur. Sic Rom. 1. v. 16. item 1. Tim. 4. vers. ult. Confer 1. Cor. 3. v. 5. 6. 7. 9.

69 Et nos] καὶ ἡμεῖς. Id est, Et inde nos. nempe ex verbis tuis.

70 Elegi] Nempe ad apostolatum. nam diabolus ille Judas Iscariotes ad vitam æternam electus certè non erat. Et tamen unus] καὶ εἷς. Cohæret hæc sententia cum præcedente per enuntiatū discretum. Diabolus] διάβολος. Id est, similis diabolo, vel filius diaboli; sicut ait infrà cap. 8. v. 44. Vos ex patre diabolo estis.

OBSERVAT. EX CAP. VI.

1 Ex v. 2. Studium discendi doctrinam cælestem in hac turba, quæ Christum sequuta est, ad imitandum nobis proponitur. Pudeat ergo nos nostræ ignaviæ, qui ad conciones sacras in propinquo haberi solitas vix ægrè accedimus. *Auditorum Evangelij officium.*

2 Ex v. 5. 6. 11. Deus victum necessarium procurat iis qui verbo ipsius cognoscendo sunt dediti. Non ergo est quòd putemus, tantum rei familiari nostræ decedere, quantum temporis cognoscendæ doctrinæ cælesti tribuimus. Vulgò non minùs piè quàm eleganter dicitur, Kyrchen gehen seumet nicht / Almosen geben armet nicht. id est, *Verbi Dei cognoscendi studium.*

Si visites ecclesiam,
Non negliges sic rem tuam:
Si des benignus pauperi,
Non reddet hoc te pauperem.

Christus Matth. 6. ait, Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & ista (nempe quæ ad victum pertinent) adjicientur vobis.

3 Ex v. 7. & 9. Ratio humana diffidit, quum non videt ad manum usitata media, ut hîc Philippus & Andreas diffidunt saturari posse turbam, quum sentiunt se destitui pecuniâ ad emendum sufficientes panes. Huic diffidentiæ remedii loco opponenda est promissio Dei. neque enim solo pane vivit homo, sed omni verbo quod egreditur ex ore Dei, Matth. 4. *Diffidentia. Ratio humana.*

4 Ex v. 11. Quoties cibum vescendi causâ attingere volumus, à gratiarum actione & precibus inchoare debemus. sic enim cibus nobis (1. Tim. 4. 5.) sanctificatur, hoc est, usus ejus nobis purus redditur. Gravissimè igitur peccant qui dona Dei absque ulla cogitatione Dei devorant: non secus ac porci, quorum capita licet sub quercubus obruantur glandibus, nunquam tamen illa attollunt spectatum unde iste cibus decidat. *Cibi sumendi ratio.*

5 Ex v. 12. & 13. Fragmenta & reliquiæ ciborum diligenter ad futuram necessitatem asservandæ sunt: non autem projiciendæ fiduciâ providentiæ & curæ Dei pro nobis. *Cibi reliquiæ.*

6 Ex v. 13. Observandum, hîc ex quinque panibus remansisse duodecim cophinos fragmentorum: quum Matth. 15. 37. ex septem panibus remanserint tantùm septem sportæ fragmentorum. Hinc perspicitur, vim alendi non in quantitate cibi, sed in benedictione Dei sitam esse. Hinc Deus Ezech. 4. 16. & 14. 13. minatur, se fracturum baculum panis: id est, ademturum ei vim alendi: ut licet pane multo vescamur, tamen non saturemur. Semper igitur petamus benedictionem Dei: quæ sola, ut Salomon ait, divites facit, Proverb. 10. 22. *Cibi vis.*

7 Ex v. 14. & 15. Non est satis niti promissionibus divinis, nisi eas rectè intelligamus. Erravit enim hæc turba, quòd existimavit, Christum fore regem terrenum: etsi rectè judicarint, hunc Jesum esse promissum illum Messiam & regem populi Dei. *Verbi Dei intelligentia.*

8 Ex v. 15. Quum regnum Christi non sit de hoc mundo: ne pudeat nos unà cum Christo pompam ac splendorem terrenum fugere, eoque carere, si Deo in humili vitæ statu nos collocare visum fuerit. *Mundanus splendor.*

9 Ex v. 18. & 21. Quòd discipuli Christi tempestate in mari aliquamdiu jactantur, & paulò pòst ex periculo illo à Christo liberantur, exemplum est & imago conditionis seu status ecclesiæ in hoc mundo: quippe quæ subinde persecutionum tempestatibus jactatur, & tamen Christo in tempore per medias tempestates accedente, salva in portum perducitur; si non semper secundùm corpus, at semper secundùm animam: quippe quam tyranni occidere non possunt, nec ei felicitatem æternam adimere: quâ suo tempore etiam corpora piorum fruentur. *Ecclesiæ conditio in hoc mundo.*

10 Ex v. 19. Ambulatio Christi super mare, testimonium est deitatis ipsius: quia propriâ virtute ambulavit super mare. Petrus enim ambulavit quidem & ipse super mare, teste Matthæo: sed virtute Christi, cujus jussu ambulavit: quo jussu inclusa erat promissio conservationis: cui promissioni quum ille inciperet fidem derogare, *Christi deitas.*

derogare, tertius vehementiori vento, cœpit mergi: sed tamen à Domino retentus & conservatus est.

Vindicatio testimonii de ambulatione Christi super mare. Corpus Christi an possit esse ubique.

11 Inepti sunt, qui ex ambulatione Christi super mare concludunt, corpus Christi posse esse ubique: putantes nimirum, ratiocinationem procedere à pari seu simili: quia scilicet ambulatio super mare, non minùs repugnet naturæ corporis humani, quàm ubiquitas. At, inquam, ista valde dissimilia sunt. nam ambulatio super aquas non tollit essentiam corporis; quam tollit ubiquitas. quod enim ubique est, id infinitum sit oportet: quod autem infinitum est, id corpus esse non potest: quum solius Dei (qui spiritus est) essentia infinita sit.

Infirmitas humana. Meticulositas.

12 Ex v.20. Quòd discipuli conspecto Christo putantes se videre spectrum, extimescunt: exemplum est infirmitatis humanæ. Oritur autem ille timor ex conscientia peccati. Itaque vincitur & vincendus est fide in Christum peccatorum nostrorum expiatorem.

Sermonis Christi effecta diversa.

13 Quòd eâdem voce Christi hîc eriguntur discipuli, qua inf.18.6. prosternuntur famuli sacerdotum: discriminis causa est, quòd Christus reprobis & incredulis judex est missus in exitium, electis verò & credentibus datus est propitiator ac servator. Sic eodem calore solis emollitur cera & induratur lutum. Sic evangelium est odor vitæ ad vitam credentibus: & odor mortis ad mortem incredulis. 2.Cor.2.v.15.& 16.

Officium hominis Christiani.

14 Ex v.26.& 27. Studium præcipuum hominis esse debet studium vitæ æternæ, non autem commodorum terrenorum. Hinc ait Christus Matth. 6.33. Quærite primò regnum Dei & justitiam ejus: & ista omnia (nempe victus & amictus) adjicientur vobis.

Pietatis summa.

15 Ex v.29. Summa pietatis posita est in fide Christiana. nam qui verè in Christum credit, is per hanc fidem filius Dei effectus, ex filiali erga Deum timore studebit ei placere secundùm omnia ipsius præcepta. Hinc illud Pauli ad Hebræos 11.v.6. Sine fide impossibile est placere Deo. Item Gal.5.6. Fides per charitatem agens.

Vindicatio verborum Christi, Hoc est opus Dei, ut credatis &c. An homo justificetur operibus.

16 Ex v.eod. Ineptissimè sophisticantur qui hinc concludunt, hominem justificari operibus, si fides justificat; quæ ipsa quoque vocatur opus. Syllogismus istorum sic erit:

Fide justificamur.
Fides est opus.
Ergo operibus justificamur.

Primùm plus est in conclusione quàm in præmissis. Ex præmissis enim sequitur ista conclusio, *Ergo quodam opere justificamur.* Deinde etiam aliâ ratione plus est in conclusione quam in præmissis: quia conclusio ista sic intelligitur, quasi diceretur, nos justificari operum merito: at ex præmissis nihil aliud sequitur, quàm nos justificari quodam opere, nempe operatione quadam animi, tanquam instrumento ac veluti manu qua apprehendimus justitiam morte Christi partam, seu, ut magis propriè loquar, qua apprehendimus obedientiam mortis Christi quæ nobis in justitiam coram Deo imputatur.

Christi beneficia credentibus collata.

17 Ex v.32.33.35.39.40.47.48.50.51.53.54.55.56.57.58.63. Christus à Patre nobis donatus & pro nobis crucifixus, est nobis in eum credentibus panis vivificus: quippe qui & suâ morte vitam nobis est promeritus expiatis nostris peccatis, & suo Spiritu vitam in cordibus nostris creavit per fidem.

Fidei subjectũ & origo.

18 Ex v.36.37.44.45.65. Fides Christiana non est omnium, nec oritur ex viribus liberi arbitrii: sed est donum Dei singulare seu peculiare electis. Confer 1 Thess.3.v.2. Tit.1.v.1. Act.13.v.48. Ephes.2.v.8.1.Cor.2.v.14.

Fidei adjunctum.

19 Ex v.37.39.40. Vera fides in Christum conjuncta est cum dono perseverantiæ. Itaq; certa & immota est credentium salus. Hinc Dominus dixit Petro, Oravi pro te, ne deficeret fides tua. quod idem pro omnibus verè credentibus & ad finem usque mundi crediturıs fecit Joh.17.v.20.& 21.

Cognitionis Dei origo.

20 Ex v.46. Nemo illuminatur cognitione Dei nisi per & propter Christum: nempe propter meritum illius, & per spiritum illius, efficaciter in prædicatione evangelii operantem.

Caro Christi qua ratione sit cibus vivificus.

21 Ex v.51.53.54.55.56.63. Caro Christi crucifixa pro nobis, est nobis cibus vivificus: quia quum sit personaliter unita filio Dei, æquivalens pretium fuit ad satisfaciendum pro omnium electorum peccatis quæ huic carni fuerant à Deo imposita: Et ita ad reconciliandum nobis Deum: qui nobis reconciliatus, dat nobis Spiritum sanctum per quem vitam æternam in nobis efficit. Hic autem cibus non nisi fide, tanquam ore animæ, edi potest. Apponitur autem edendus in promissione evangelii; atque etiam in sacramentis: sed non tanquam in vasculis, sed tanquam sigillis ad promissionem evangelii appensis.

Scripturæ interpretandæ ratio.

22 Ex v.60. Non est hærendum semper in literali sensu verborum Christi: sed sensus verborum ex analogia fidei, ex antecedentibus & consequentibus, & ex collatione aliorum scripturæ locorum, & maximè eorum in quibus eadem doctrina traditur, piâ meditatione indagandus est. Fuit enim Christo familiare, ut metaphoris ex re nata deductis doctrinam cælestem proponeret; ut liquet tum ex hoc sermone cui occasionem præbuit studium pascendi ventrem in Judæis: tum ex colloquio illo cum muliere Samaritana, ubi Spiritum sanctum aquæ comparat: tum deniq; ex compluribus aliis ejus sermonibus.

Quot modis Christus sit vivificus.

23 Ex v.51.& 63. Christus vivificus est dupliciter: nempe partim ratione meriti, partim ratione efficaciæ. Merito suo vivificus est, quia carnem suam dedit crucifigendam atque occidendam pro mundi vita, hoc est, ad vitam promerendum omnibus in toto mundo electis: cujus meriti vis ex dignitate personæ pendet, ut liquet ex dictis. Act.20.28.1.Joh.1.7. 1.Cor.2.8. Efficaciâ autem suâ vivificus est, quia per Spiritum sanctum vitam in cordibus electorum, & jam merito suæ mortis Deo reconciliatorum, creat, illuminando scilicet ea fide, atq; ita ipsos sibi tanquam vites palmiti & membra capiti inserendo, & renovando ad timorem Dei. Vide Gal.2.v.20.

Doctrina cælestis.

24 Ex v.41.52.60.66.70.71. Non debemus offendi aut in dubium vocare veritatem doctrinæ cælestis, si videamus multos illi obmurmurare, aut illam oppugnare, aut illâ offendi, aut denique prorsus ab illius professione deficere, aut etiam doctores veritatis à falsis fratribus sæpè prodi: nam hæc omnia ipsi Christo docenti evenerunt. Vide infra 15.v.18.19.20.

Evangelium.

25 Ex v.68. Evangelii doctrina est organum, quo Deus efficit vitam æternam in cordibus electorum: quatenus nimirum in illis gignit seu creat fidem in Christum. Vide Rom.1.v.16. Item 10.v.17.1.Tim.4.v.16.1.Cor 3.v.5.6.7.9.

Fidei (seu religionis Christianæ) summa.

26 Ex v.69. Fides Christiana duo summa capita continet: unum de persona Christi, quod is non solùm homo sit, sed etiam Deus, nempe filius Dei unigenitus: alterum de officio hujus personæ, quòd hæc persona sit Christus, id est, promissus ille servator mundi: qui ut summus ecclesiæ propheta arcanam voluntatem Patris de æterna nostra salute è sinu patris protulit, nobisq; exposuit: & ut summus sacerdos corpus suum ad expiandum nostra peccata in ara crucis obtulit, proq; nobis oravit, & adhuc in cælesti sanctuario coram facie Patris pro nobis apparet: deniq; ut rex noster ad dextram Dei sedens, potenter nos contra nostros hostes, nempe diabolos, tyrannos & carnem seu peccatum nobis inhærens, tuetur, & Spiritu suo corda nostra regit per verbi prædicationem & usum Sacramentorum.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

In hoc capite narrat evangelista, quid acciderit Domino Hierosolymis in festo scenopegiæ, seu tabernaculorum: nempe quòd ei insidiati sint primores populi, sed frustrà: quòd varia de eo fuerint judicia populi: quòd liberè in templo docuerit, suaq; doctrinæ authoritatem asseruerit: reprobos Judæos impietatis arguerit: opus suum in ægroto illo sup. cap.5. sanato editum defenderit: discessum suum ac desertionem ingrato populo minatus sit: credentibus autem Spiritum sanctum promiserit: Sicut deinceps sigillatim videbimus. Capitis hujus quatuor sunt partes.

1. *Sermo cognatorum cum ipso habitus ante festum, usq; ad versum 11.*
2. *Sermo populi de eo in festo, antequam se conspiciendum præberet, v.11.12.13.*
3. *Sermo ipsius in templo habitus cum Judæis festo jam medio, à v.14. usq; ad 37.*
4. *Sermo ipsius habitus ad populum die festi ultimo, unà cum eventu, à v.37. usq; ad finem.*

PRIMA PARS.

Cognati hortantur ut eat ad festum.

VErsabatur autem Jesus post hæc in Galilæa; nolebat enim in Judæa versari, quia studebant eum Judæi trucidare.

2 Propè autem erat festum Judæorum, scenopegia.

3 Dixerunt igitur ad eum fratres ejus, Digredere hinc & vade in Judæam, ut tui quoque discipuli spectent opera tua quæ facis.

4 Nemo enim in occulto facit aliquid, & quærit ipse celebris esse: si hæc facis, patefacito teipsum mundo.

5 Nam ne fratres quidem ejus credebant in eum.

6 Dicit ergo eis Jesus, Tempus meum nondum adest: tempus autem vestrum semper est paratum.

7 Non potest mundus vos odisse: me autem odit, quoniam ego testor de eo, opera ejus mala esse.

8 Vos ascendite ad festum hoc: ego nondum ascendo ad hoc festum, quia tempus meum nondum impletum est.

9 Hæc autem quum eis dixisset, mansit in Galilæa.

10 Ut ascenderunt autem fratres ejus; tunc & ipse ascendit ad festum, non manifestè, sed velut in occulto.

PRimis decem versibus describit evangelista, quomodo Christus ex Galilæa ascenderit Hierosolymam ad festum scenopegiæ. Ac primo versu exponit causam, cur tamdiu in Galilæa

commoratus sit: nempe ad evitandum insidias Judæorum. Versu secundo indicat tempus, cujus occasione cognati Christi eum hortati sunt, ut in Judæam iret, nempe instans festum. Vers. 3. & 4. commemorat, quibus verbis eum hortati sint cognati ut se patefaceret in festo. Vers. 5. monet quo animo ista dixerint, nempe malo: quippe qui in eum non credebant. V. 6. 7. 8. commemorat, quomodo Dominus recusarit suis cognatis obsequi. V. 9. & 10. narrat, quando & quomodo ad festum ascenderit.

SECUNDA PARS.

Sermo populi de eo in festo.

11 Judæi ergo quærebant eum in festo, & dicebant, Ubi est ille?

12 Et mussitatio multa erat in turba de eo. Alii quidem dicebant, *Vir* bonus est: alii autem dicebant, Non: sed turbam seducit.

13 Nullus tamen palàm loquebatur de eo, propter metum Judæorum.

Deinceps narrat, quid Christo acciderit à Judæis qui erant in festo, antequam eum vidissent. Ac primùm, quomodo eum quæsierint, v. 11. deinde, quàm varia fuerint de eo judicia, vers. 12. tum, cur non ausi sint palam de eo loqui, v. 13.

TERTIA PARS.

Sermo Domini in tabernaculorum festo medio.

14 Festo autem jam medio ascendit Jesus in templum, ac docebat.

15 Et mirabantur Judæi, dicentes, Quomodo iste literas novit, quum non didicerit?

16 Respondit eis Jesus, & dixit; Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.

17 Si quis voluerit ejus voluntatem exsequi, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.

18 Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui misit ipsum, hic verax est, & injustitia in eo non est.

19 Nónne Moses dedit vobis Legem? & *tamen* nemo ex vobis præstat Legem. quid me studetis trucidare?

20 Respondit turba & dixit, Dæmonium habes: quis te studet trucidare?

21 Respondit Jesus & dixit eis, Unum opus edidi, & omnes miramini.

22 Propterea *audite*. Moses dedit vobis circumcisionem (non quòd ex Mose sit, sed *est* ex patribus) idcirco sabbatho circumciditis hominem.

23 Si circumcisionem accipit homo sabbatho, ut ne solvatur lex Mosis; mihi indignamini, quòd totum hominem sanum fecerim sabbatho?

24 Ne judicate secundùm speciem, sed justum illud judicium ferte.

25 Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitanis, Nònne hic est, quem student trucidare?

26 Et ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt: númnam verè cognoverunt primores, hunc verè esse Christum illum?

27 Sed novimus unde hic sit: quum autem venerit Christus, nemo cogniturus est unde sit.

28 Clamabat ergo Jesus in templo, docens ac dicens, Et me nostis, & unde sim nostis: & à meipso non vêni; sed est verax qui misit me, quem vos non nostis.

29 Ego verò novi eum; quia ab ipso sum, & ille me misit.

30 Studebant ergo eum prehendere: sed nemo injecit in eum manum: quia nondum venerat hora ejus.

31 Multi verò ex turba crediderunt in eum, & dicebant; Christus cùm venerit, num signa plura edet iis quæ iste edidit?

32 Audierunt Pharisæi turbam ista murmurantem de eo, & miserunt Pharisæi ac primarii sacerdotes ministros ut eum prehenderent.

33 Dixit ergo Jesus, Adhuc paulisper ero vobiscum, deinde abibo ad eum qui me misit.

34 Quæretis me; nec invenietis: & ubi ego ero, eò vos non poteritis venire.

35 Dixerunt ergo Judæi inter sese, Quò est iste profecturus, ut nos non inveniamus eum? num ad eos qui dispersi sunt inter Græcos, iturus est, & Græcos docturus?

36 Quis est hic sermo quem dixit, Quæretis me, & non invenietis: &, Ubi ego erò, vos non poteritis venire?

Deinceps exponit, quomodo Christus in festo se patefecerit. Ac primùm, quòd docuerit in templo: deinde quòd doctrinæ suæ asseruerit authoritatem, usque ad vers. 19: tum quòd reprehenderit Judæos propter impietatem, ac nominatim propter insidias, quas ei faciebant, v. 19: postremò, quòd opus sanationis à se in sabbatho peractum (suprà cap. 5.) defenderit exemplo circumcisionis, quæ & ipsa in sabbatho, si casus ita tulisset, administrabatur: v. 21. 22. 23. 24. Porrò argumentum ab exemplo circumcisionis concludit Christus syllogismo connexo primi modi:

Si licet vobis sabbatho circumcidere, multò magis mihi licet sabbatho sanare.
At sabbatho circumcidere vobis licet.
Ergo multò magis mihi licuit sanare: & per consequens non debetis mihi indignari.

Propositio confirmatur à collatione imparium: quia Judæi circumcidebant solum corpus, & ita externum cultum Deo præstabant: at Christus sanaverat hominem totum, id est, non solùm corpus, tribuendo ei vires ad ambulandum: sed etiam animam, remittendo ei peccata, & eam renovando per Spiritum sanctum. Assumtio probatur testimoniis: partim testimonio experientiæ, quod continet confessionem judicii adversariorum. Ideò enim in sabbatho circumciderunt, quòd judicarunt id licere, imò sic fieri oportere. Partim testimonio divini mandati. Deus enim circumcisionem octavo à nato masculo die celebrandam per Mosen præceperat, Levit. 12. v. 3. quod mandatum amplificatur collatione alterius mandati similis, per correctionem: nam ante Mosen Deus idem præceperat patribus: ut videre est Genes. 17. ubi narratur circumcisionis institutio data Abrahamo.

25 *Dicebant ergo*] Hìc exponit evangelista, quid Christus illo suo sermone apud nonnullos profecerit: nempe quòd mirati sint hanc ejus in primoribus populi reprehendendis libertatem: quodque falso argumento seipsos deceperint, quò minùs eum haberent pro Christo. Argumentum istud concluditur hoc syllogismo:

Christum nemo cogniturus est unde sit.
At hunc novimus unde sit.
Hic igitur non est Christus.

In hoc syllogismo omnia falsa sunt. Et propositionis quidem falsitas convincitur testimonio Micheæ cap. 5. v. 2. ubi prædicit, Christum venturum ex oppido Judææ Bethlehem. Assumtionis verò falsitas perspicitur ex eo, quòd Jesus oriundus erat ex Bethlehem: at isti putabant ortum esse ex Nazareth: ut colligitur ex collatione v. 41. Conclusionis denique falsitas liquet ex testimonio totius evangelii. Interim tamen videntur non sine aliqua ratione sic sensisse de origine Messiæ. Videtur autem iste error ortus ex dictis prophetarum non intellectis, nempe Esa. 53. v. 8. ubi de Messia dicitur, *Generationem ejus quis enarrabit?* Item Mich. 5. v. 2. ubi de eodem dicitur, *Egressus ejus sunt à principio, à diebus seculi.* At, inquam, dictum Esaiæ intelligendum est non de origine Christi, sed de ætate ejus in æternum duraturâ post resurrectionem ex mortuis. Micheas autem etsi istis verbis originem Christi divinam illam & incomprehensibilem notat; tamen in eodem versu oppidum Bethlehem nominat, unde secundùm carnem proditurus sit.

28 *Clamabat ergo*] Christus præteritâ propositione syllogismi, tanquam manifestè falsâ, respondet ad assumtionem negando; quanquam primâ fronte videtur illam concedere: sed concessio illa ironica est. Simul autem eis adimit excusationem ignorantiæ: quia non nisi malitiâ impediantur, quòd eum non norint: quum satis eis approbatus sit à Patre suo.

30 *Studebant*] Eventus duplex illius libertatis Domini in reprehendendis Judæis: unus, conatus principum in eo capiendo, hoc v. & 32: alter, fides multorum è plebe, v. 31.

33 *Dixit ergo*] Dominus ingratis Judæis minatur discessum suum ac desertionem ipsorum. Quam illius comminationem isti non intelligentes, interpretantur de Judæis inter Græcos dispersis, vel de ipsis Græcis, hoc est, incircumcisis, quasi ad illos iturus sit docendi causâ. At quid sibi Dominus voluerit: senserunt post illius in cælum ascensionem, quum variis intestinis malis affecti, tandem à Romanis eversi & capti sunt: quæ captivitas & excidium ad hunc usq; diem durat.

QUARTA PARS.

Sermo Domini in ultimo die festi.

37 Ultimo autem die illo magno festi stetit Jesus & cla-

& clamavit, dicens; Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

38 Qui credit in me: sicut dixit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent ex ventre ejus.

39 (Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus.)

40 Multi ergo è turba quum audissent hunc sermonem, dicebant, Verè hic est Propheta ille.

41 Alii dicebant, Hic est Christus. Quidam autem dicebant, Num enim è Galilæa veniet Christus?

42 Nónne Scriptura dicit, ex semine David, & ex vico Bethlehem, ubi erat David, venturum Christum?

43 Dissidium ergo ortum est in turba propter eum.

44 Quidam autem ex ipsis volebant eum prehendere, sed nemo injecit in eum manus.

45 Venerunt ergo ministri ad primarios sacerdotes & Pharisæos: qui dixerunt eis, Quare non adduxistis eum?

46 Responderunt ministri, Nunquam ita loquutus est homo ut homo iste.

47 Responderunt ergo eis Pharisæi, Num & vos seducti estis?

48 Num quis ex primoribus credidit in eum, aut ex Pharisæis?

49 Sed turba hæc quæ non novit Legem, exsecrabilis est.

50 Dicit ei Nicodemus, is qui venerat ad eum nocte, quum unus esset ex illis:

51 Num lex nostra condemnat quempiam, nisi priùs audierit ex ipso, & cognoverit quid faciat?

52 Responderunt & dixerunt ei, Num & tu Galilæus es? scrutare & vide, ex Galilæa prophetam non surrexisse.

53 Et profectus est unusquisq; domum suam.

Dominus rursum captatâ docendi occasione, eos qui sensu iræ Dei contra sua peccata & desiderio æternæ salutis tanguntur, hortatur ut in se credant: & credentibus promittit Spiritum sanctum, qui ipsorum corda sensu gratiæ Dei vivificaturus sit, ne in peccatis suis contabescant. Utitur autem verbis Esaiæ ex cap. 55. vers. 1. ut hoc ipso significet, se esse promissum illum Messiam. nam Propheta illic de copiosa Dei gratia sub regno Christi futura loquitur. Quòd autem Evangelista vers. 39. ait, *Nondum enim erat Spiritus sanctus:* non intelligit de ipsa Spiritus S. persona (nam hanc esse unum cum æterno Patre ac Filio, expressè docet 1. Epist. c. 5. v. 7.) sed intelligit de copiosa illa Spiritus S. effusione, quæ cœpit in die Pentecostes: de qua vide Act. 2. v. 17. & 18.

40 Multi ergo] Deinceps narrat, quid ex illa Domini doctrina evenerit, nempe ortum inde esse dissidium in turba, aliis eum pro Christo agnoscentibus, aliis contrà negantibus: qui quidem errabant, falsum assumendo. Sic enim argumentabantur.

Christus non veniet è Galilæa sed ex vico Bethlehem.
At hic ortus est è Galilæa, non autem ex vico Bethlehem.
Hic igitur non est Christus.

At, inquam, syllogismi hujus assumtio falsa est. Porrò nonnulli rectè quidem affirmant, eum esse prophetam illum à Mose Deut. 18. promissum: at iidem non rectè sentiunt, prophetam illum alium esse quàm ipsum Christum.

44 Quidam autem] Alter eventus, quòd conati sint eum prehendere, sed non potuerint, divinitus scil. impediti. Unde ministros, quibus id negotii erat datum, objurgant Pharisæi, & Christum authoritate principum premunt: qui à Nicodemo eam ob causam reprehensi, eodem mendacio contra Christum utuntur, quo antè plebs usa fuerat: affirmantes scilicet Jesum Galilæum esse.

SCHOLIA IN CAP. VII.

2 Scenopegia] ἡ σκηνοπηγία. *Id est, tabernaculorum fixio: Ex nomine* σκηνὴ, *tabernaculum, & verbo* πήγνυμι *vel* πήγω, *figo: unde ortum videtur Latinorum pago & pango. Vulgò nominatur festum tabernaculorum. Hebr.* חַג הַסֻּכּוֹת *hhág hassuccóth: id est, festum tuguriorum, Levit. 23. v. 34. Erant enim umbracula ex frondentibus arborum ramis contexta: ut videre est capite citato, v. 40. & Nehem. 8. v. 16.*

3 Fratres] οἱ ἀδελφοί. *Id est, cognati: verbi gratiâ, consobrini. Synecdoche speciei Hebræa.*

4 Celebris] ἐν παῤῥησίᾳ. *Syrus* בְּגַלְיָא *begelja, id est, in manifesto.* Si hæc facis] *Nempe quæ præ te fers te facturum, videl. quæ propriè ad officium Messiæ pertinent. Putabant autem illi, regnum Messiæ fore terrenum. unde & discipuli post resurrectionem Domini interrogabant, num eo tempore restituturus esset regnum Israëli, Act. 1. v. 6.* Mundo] *Id est, passim omnibus. Metonymia subjecti.*

5 Ne fratres quidem] *Quasi dicat: Quò minùs mirum est, alios plurimos in eum non credidisse.*

6 Tempus meum] ὁ καιρὸς ὁ ἐμός. *Nempe quo mihi ascendendum est ad festum. Synecdoche generis. sic supr. c. 2. v. 4.* Non potest mundus vos odisse] *Quia scilicet vos estis de mundo: ideo mundus quod suum est, amat: ut ait infrà cap. 15. v 19. Mundum autem hic vocat impios, atq; adeò reprobos. Sic infrà cap. 14. v. 17. & 30. item c. 15. v. 18. 19. item c. 17. v. 9. & 14.*

10 Non manifestè] *Nempe ne caperetur ex insidiis.*

11 Quærebunt eum] *Cur? Nempe quia in superioribus festis ejus miracula viderant, & eum docentem audiverant. Vide c. 2. v. 23. & c. 5. per totum.* Ille] ἐκεῖνος. *Loquuntur tanquam de homine noto: quem non audent nominare, quia metuebant offensionem Judæorum, ut liquet ex v. 13.*

12 Mussitatio] γογγυσμός. *Id est, susurri & sermones clancularii ac mussitando pronuntiati. Neque enim nomen* γογγυσμός, *quod propriè murmur significat, hoc loco indignationem aut offensionem notat, ut suprà c. 6. v. 41. 43. 61.*

13 Palàm] παῤῥησίᾳ. *Liberè.* Propter metum Judæorum] διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων. *Seu, metu Judæorum. id est, propterea quod metuebant Judæos, nempe primores Judæorum; quos sciebant Christo infensissimos hostes esse, eiq; insidiari. Metus ergo Judæorũ hîc dicitur non ἐνεργητικῶς quo ipsi Judæi metuebant: sed παθητικῶς, quo metuebantur. Sic infrà c. 20. v. 19. Genitivus objecti.*

14 Festo jam medio] τῆς ἑορτῆς μεσούσης. *Id est, quarto festi die. nam festum tabernaculorum durabat dies septem, Levit. 23. vers. 34. quibus tamen ibidem v. 36. additur dies octavus, sed qui à cærimonia tabernaculorum immunis erat: quanquam cætera vel maximè solennis erat. Est autem hîc elegans Græcismus in verbo* μεσούσης. *Sic dicunt Græci,* θέρους μεσοῦντος, *mediâ jam æstate: item,* μεσοῦντος τοῦ χειμῶνος, *mediâ hyeme.* Ascendit] ἀνέβη. *Nam templum situm erat in monte.* Docebat] ἐδίδασκε. *Id est, interpretabatur textum aliquem Scripturæ: ut liquet ex v. seq. Sic enim solebat in sacro cœtu, ex communi docentium more: vide Luc 4. v. 16.*

16 Non est mea] οὐκ ἔστιν ἐμή. *Id est, Non est à me tanquam homine vulgari (qualem vos me esse putatis) excogitata, aut etiam discendo ab aliis percepta. Loquitur ex hypothesi, nempe falsâ opinione Judæorum, quibus sermonem suum accommodat. Similem sententiam vide suprà c. 6. v. 38.*

17 Si quis voluerit ejus voluntatem exsequi] *Id est, Si quis veritatem seriò quæsiverit, deposito omni pravo affectu.* Cognoscet de doctrina] γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς. *Cognoscet de hac doctrina: quam scil. ego propono. Id est, per Dei gratiam consequetur notitiam veritatis: intelligetq; doctrinam meam divinam atq; cælestem esse.* Ex Deo] ἐκ τοῦ Θεοῦ. *Id est, à Deo tanquam authore profecta.* ἐκ *pro* ὑπὸ: *cujus heterosis exemplum vide & suprà c. 6. v. 65.*

18 Gloriam propriam quærit] *Cupit enim celebrari tanquam novæ doctrinæ inventor, quam nemo ante ipsum ingenii sui perspicaciâ potuerit invenire.* Verax] ἀληθής. *Id est, sincerus.* Injustitia] ἀδικία. *Id est, fraus, fallacia: ut intelligitur ex antithesi. Synecd. gen.*

19 Et tamen nemo] καὶ οὐδείς. *Hæc sententia cum præcedente cohæret per enuntiatum discretum. Similem locum vide cap. 6. vers. 70.* Quid] τί. *Id est,* διὰ τί *propter quid, cur. quasi dicat: Proferte, si potestis, ullam justam causam, quâ meritus sim ut à vobis trucider.*

20 Dæmonium habes] *Malo spiritu obsessus es, insanis. scilicet, quum putas nos tibi insidiari. Metonymia efficientis.* Quis] *Quasi dicant, Nemo nostrûm: At temere negant de universis, quod verum erat de aliquibus, nempe de primoribus.*

21 Unum opus &c.] *Dominus non respondet ad istud convicium: sed pergit in sermone instituto; ac docet, se sanatione illâ ægroti in sabbatho, de qua suprà capite 5. non esse commeritum ut trucidetur. Hoc enim poterant illi ad istam ejus interrogationem respondisse.* Unum opus] ἓν ἔργον *Scilicet novum & inusitatum. nempe quod in sabbatho sanavi illum qui decubuerat annos triginta octo, suprà cap. 5. Sic declarat ipse infrà vers. 23.* Unum] ἕν. *Hoc verbum innuit collationem imparium. quasi dicat: Quantò magis miraremini & offenderemini, si plura ejusmodi opera edidissem? Est igitur hîc quoq; enuntiatum discretum: quasi dicat, Quanquam unum tantùm opus sanationis edidi in sabbatho; tamen omnes miramini, quasi legem violarim: ac proinde me studetis trucidare.* Miramini] θαυμάζετε. *Nempe ita ut offendamini. Sic suprà v. 15.*

22 Propterea *audite*] διὰ τοῦτο *Scil.* ἀκούετε. *Similem ellipsin & sententiarum cohærentiam vide Matth. 18. v. 22. & 23. ubi quum Christus Petro interroganti, quoties remittendum, respondisset:* Non dico tibi, usque septies, sed usque septuagies-septies: *continenter annectit hæc verba:* διὰ τοῦτο ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν: Propterea simile est regnum cælorum &c. *ubi puto per ellipsin subaudiendum verbum* ἀκούε. *quasi diceret Dominus:* διὰ

ἀκούετε, Propterea audi. ut scilicet plenius à me erudiaris de quæstione propositâ. ac tum sequetur novum exordium: Simile est regnum cælorum &c. Ita hoc loco: διὰ τοῦτο ἀκούετε. Propterea audite. ut scilicet intelligatis, an jure offendamini illo meo opere, nécne. Ac tum sequetur novum exordium: Moses dedit vobis circumcisionem &c. Simile exemplum ellipseos vide Genes.4.v.15. Moses dedit] Levit.12. v.3. Non quòd ex Mose sit] Scil. primâ suâ origine & institutione. Ex Mose] ἐκ τοῦ Μωσέως. Id est, à Mose, hoc est, per illum primò data à Deo. Ex patribus] ἐκ τῶν πατέρων. Nempe primùm data Abrahamo patri credentium, Genes.17. Et sabbatho] καὶ ἐν σαββάτῳ. Id est, Et idcirco etiam sabbatho circumciditis hominem: si scil. octavus à nato masculo dies in sabbathum inciderit. Hanc expositionem confirmant illa verba versu sequente, Ut ne solvatur lex Mosis.

23 Si circumcisionem] εἰ περιτομὴν Id est, Si igitur circumcisionem &c. Deducit enim conclusionem ex assumtione præcedente. Solvatur] λυθῇ. Id est, violetur. Lex Mosis] ὁ νόμος Μωσέως. Quæ scilicet præcipit, ut octavo die circumcidatur parvulus, nullâ exceptione sabbathi adjectâ. Mihi indignamini?] ἐμοὶ χολᾶτε; Interrogatio vim habet objurgandi. quasi dicat: Non facitis æquũ quòd mihi indignamini: non debebatis mihi indignari. χολᾶν. succensere, irasci, à χολὴ, id est, bilis. notat iram vehementem quâ effervescit bilis, aut effunditur fel ex vesicula sua: wann einer zürnet daß jhm die gall überlauft. Contrà de mitibus ac placidis ingeniis dicitur, Er hat kein gall / id est, caret felle. Totum hominem] ὅλον ἄνθρωπον. Quasi dicat, Non solùm corpus, in quo fit circumcisio: sed etiam animam: remittendo scilicet peccata, & donando Spiritum sanctum. Innuitur hoc verbo ratiocinatio ἀπὸ τοῦ μείζονος, à majori: quasi dicat: Si non indignamini Mosi, quòd sabbatho præcepit hominem circumcidi: multò minùs debebatis mihi indignari, quòd sabbatho sanavi totũ hominem. Ratio, Quia magis videtur indignandum, si sabbathum violetur propter beneficentiam minorem, quàm si violetur propter beneficium majus.

24 Secundùm speciem] κατ' ὄψιν. Secundùm faciem. Nach dem eusserlichen ansehen oder schein. Justum illud judicium ferte] τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε. Accusativus regitur à verbo conjugato, more Hebræorum & Græcorum. Fellet ein recht vrthäil. Plato 2. de Repub. τὴν κρίσιν αὐτοῖν τοῦ βίου κρῖναι ὀρθῶς: judicium rectum de ipsorum vita ferre. Sic Psal.119.v.154. Contende contentionem meam: רִיבָה רִיבִי ribáh ribi.

25 Nónne &c.] οὐχ &c. Similis interrogatio ut suprà v.19. & cap.6.v.70. nempe quæ cum sequente sententia constituit enuntiatum discretum. quasi dicant: Quanquam hunc student trucidare, tamen liberè eos objurgat.

26 At] καὶ. Heterosis Hebræa. Palàm] παῤῥησίᾳ. Liberè. Palàm loquitur] παῤῥησίᾳ λαλεῖ. Id est, liberè & se defendit, & suos adversarios objurgat. Et nihil] καὶ οὐδὲν. Id est, Et tamen nihil. Alterum discretum. quasi dicant: Quanquam palàm loquitur, tamen nihil ei dicunt. Atque sic fit, ut una eademq; sententia, & consequens sit discreti, respectu sententiæ antecedentis; & antecedens quoq; sit discreti, respectu sententiæ consequentis. Nihil ei dicunt] οὐδὲν αὐτῷ λέγουσι. Id est, non contradicunt ei. Synecdoche generis. Num verè] μήποτε ἀληθῶς. Id est, Num igitur verè &c. Nam hanc sententiam ex proxime-præcedente deducunt & inferunt seu concludunt. Interrogatio vim habet affirmationis probabilis: quasi dicant, Quum ei ipsos objurganti non contradicant, videntur ergo eum agnoscere pro Messia. Primores] οἱ ἄρχοντες. Nempe οἱ ἡμῶν: nostri primores seu principes seu deniq; magistratus, nempe sacerdotes & scribæ, & maximè Pharisæi. Christum illum] ὁ χριστός. Nempe nobis promissum, quem nos ex promissione exspectamus.

27 Sed] ἀλλά. In hac particula latet conclusio syllogismi, nempe hæc sententia, Hic non est Christus. Est enim hæc conjunctio adversativa, ac proinde innuit sententiam proxime-præcedenti adversantem. præcessit autem ista, Hic est Messias: ut quidem primoribus videtur. Sed novimus] ἀλλ' οἴδαμεν. Integra sententia esset sic: Sed hic non est Christus. novimus enim &c. Notatur igitur syllogismi conclusio per conjunctionem Sed. Assumtio verò continetur ibi, Novimus &c. Propositio deniq; ibi, Quum autem. Nemo cogniturus est] οὐδεὶς γινώσκει. At hoc falsum. Verum autem esse, sibi persuadent ex dictis prophetarum perperam intellectis, nempe Esa.53.v.8. & Mich.5.2. De quibus dictum in analysi.

28 Clamabat] ἔκραξεν. Altâ voce loquebatur, ut bene posset exaudiri. Hoc adjuncto notatur παῤῥησία. Et me nostis] κἀμὲ οἴδατε. Id est, meritò nosse debebatis, nempe ex miraculis meis. Et à meipso] καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ. Id est, Nam certè à meipso non veni. Heterosis. Verax] ἀληθινός. Ac proinde illius testimoniis quibus me signavit, credendum: nempe voci illi in baptismo Christi auditæ, & operibus à Patre ei datis. Vide suprà cap.5.v.32. & 36.

29 Ab ipso sum] παρ' αὐτοῦ εἰμι. Id est, ex ejus essentia ortus sum. ut suprà cap.6.v.40.

30 Hora ejus] ἡ ὥρα αὐτοῦ. Nempe ei destinata à Patre, ut in ea caperetur.

31 Crediderunt in eum] ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. Id est, agnoverunt eum pro doctore divinitus misso, & eo quidem eximio, ac propè cum ipso Messia comparando: ut intelligitur ex verbis sequentibus. Num signa &c.] His verbis exponunt causam, cur Jesum pro divino doctore agnoscant.

32 Murmurantem] γογγύζοντος. Id est, mussitantem, susurrantem, submissâ voce loquentem. Non enim audebant palàm de eo loqui, metu Judæorum: suprà v.13.

33 Adhuc paulisper &c.] ἔτι μικρὸν χρόνον &c. Quasi dicat: Studetis me trucidare: quia molesta vobis est præsentia mea. Scitote igitur, me non diu vobis fore molestum: nam brevi abibo ad patrem: sed tum absentem requiretis: verùm frustrà. Paulisper ero vobiscum] Nempe corporali præsentiâ. nam post sex circiter menses futurum erat ut à Judæis occideretur in festo paschæ. Abibo ad eum qui misit me] Id est, ascendam in cælum. Sed de industria loquitur obscurè: quia reprobi isti non erant digni clariore doctrinâ.

34 Quæretis me] ζητήσετέ με. Id est, in gravissimis calamitatibus constituti petetis opem Dei: quo modo scilicet reprobi id facere solent, absq; fide. Ideo addit, Nec invenietis. id est, nullam à me aut à Patre meo opem impetrabitis. Ubi ego ero] Nempe in cælo.

35 Ad eos qui dispersi sunt inter Græcos] εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων. Ad verbum, In dispersionem Græcorum. Intelliguntur Judæi qui inter Græcos dispersi erant. Confer 1.Pet.1.v.1. & Jacob.1.v.1. Et Græcos docturus] Id est, Incircumcisos, apud quos Judæi advenæ sunt. Nisi malimus intelligere ipsos Judæos in Græcia dispersos. Sed illud videtur rectius. nam eodem modo hîc videtur dici διασπορὰ Ἑλλήνων, quo apud Petrum διασπορὰ Πόντου. at διασπορὰ Πόντου dicuntur dispersi per Pontum. Ita & hîc διασπορὰ Ἑλλήνων, dispersi per Græcos seu inter Græcos, hoc est, incircumcisos.

36 Quis est hic sermo?] τίς ἐστιν οὗτος ὁ λόγος; Id est, Quid significat hic sermo? quid sibi vult? Interogatio desiderantis: qualis infrà cap.16.v.17. & 18. Nisi quòd illic verum desiderium est, ac serium discendi studium: cui & Dominus satisfecit, sermonem suum declarando: at hîc momentanea sciendi cupiditas est, absq; serio studio cognoscendi quod erat salutare: unde huic cupiditati Dominus non satisfacit: neq; enim declarat, quid sibi velit. Sic videmus, Dominum aliter tractare reprobos & hypocritas: aliter verò electos & sinceros discipulos.

37 Ultimo] τῇ ἐσχάτῃ. Id est, octavo. nam etsi cærimonia tabernaculorum durabat tantùm septem dies: tamen dies octavus vel maximè solennis erat, propter sabbathum, & congregationem populi ad peragendum cultum Dei in offerendis holocaustis. Vide Levit.23. versu 36. Illo magno] τῇ μεγάλῃ. Id est, maxime-solenni. Si quis sitit &c. Confer Esa.55.v.1. & Matth.5.v.6. Per sitim intelligitur desiderium justitiæ & omnino bonorum spiritualium, ortum ex conscientia & sensu propriæ ariditatis, id est, injustitiæ & impotentiæ ad faciendum quod Deo placet. Veniat ad me] Id est, audiat me docentem. Bibat] Scil. fide: Id est, credat in me: sicut mox declaratur initio versus sequentis. Porrò istud mandatum includit promissionem. Quum enim jubet bibere, hoc ipso promittit potum quem bibant. Is autem potus est omne genus bonorum spiritualium, ad vitam hominis æternam pertinentium: ut sunt remissio peccatorum & renovatio cordis per Spiritum sanctum.

38 Sicut dixit] καθὼς εἶπεν. Hîc incipit ἀπόδοσις periodi; & duæ ἀποδόσεως sententiæ trajectæ sunt. naturalis enim verborum ordo est hic. Qui credit in me, de illius ventre fluent flumina aquæ vivæ: sicut dixit Scriptura. Sed notandum, non citari hîc certum aliquod Scripturæ dictum: quum verba ista sic quidem simul posita, nusquam in propheticis scriptis reperiantur: sed citatur sententia variarum promissionum apud prophetas, ubi magna spiritus copia sub novo testamento futura promittitur: ut Esa. 44.3. Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Item cap.49.v.10. Non esurient, neque sitient. Item, Ad fontes aquarum potabit eos. Sic Joël.3.v.18. Per omnes rivos Juda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum. Sic Zach.14.v.8. Et erit in die illa, Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem &c. Flumina] ποταμοί. Hac metaphorâ notatur copia donorum Spiritus sancti. Sic Joël.2. Effundam &c. Aquæ vivæ] ὕδατος ζῶντος. Intelligit dona Spiritus sancti: ut ipse evangelista versu sequente declarat. Aqua autem viva, per metaphoram Hebræam, dicitur aqua scaturiens & perennis: qualis est fontium. Opponitur aquæ stagnanti & putenti. Genes.20.v.19. servi Isaaci invenerunt puteum aquæ vivæ. Eluent ex ventre] ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσι. Hyperbole. quasi dicat: non solùm sitim restinguet ista aqua: sed in ventre ejus qui eam biberit fiet fons redundans & effluens. Sic suprà cap.4.v.14.

39 Hoc autem] τοῦτο δὲ &c. Verba evangelistæ, quibus declarat verba Domini præcedentia. De spiritu] Scil. sancto, hoc est, de donis Spiritus sancti: ut intelligitur ex sequentibus. Metonymia efficientis. Credentes] οἱ πιστεύοντες. Ii qui crederent. Nondum erat Spiritus sanctus] Id est, nondum erant dona illa copiosa Spiritus sancti. Metonymia efficientis: ut intelligitur ex præcedentibus: atq; etiam ex sequente sententia. nam post Christi glorificationẽ effusus est Spiritus sanctus in Apostolos & auditores eorum, & adhuc hodie effunditur, licet non eodem modo. Nondũ erat glorificatus]

fecatus] *Id est, nondum erat mortuus, nondum resurrexerat ex mortuis, nondum ascenderat in cælum. Synecdoche membri.*

40 Propheta ille] ὁ προφήτης. *Scil. de quo exstat promissio Deut. 18. Hic propheta est ipse Christus: quod isti non intelligebant: ut ex verbis sequentibus liquet. quia nonnulli ex ipsis tanquam eos qui prophetam illum esse affirmaverant, correcturi, dicunt: Hic est Christus.*

41 Num è Galilæa &c.] *Errant, quòd putant, Christum natum esse in Galilæa, nempe in Nazareth. Confer supr. cap. 1. v. 46.*

42 Ex semine David] *At hic erat ex semine David; Matth. 1. Luc. 3.* Ex vico Bethlehem] *At hic erat ex vico Bethlehem, Luc. 2.*

44 Nemo injecit manus] *Nempe, quia nondum venerat hora ejus: suprà v. 30.*

45 Quare &c.] *Interrogatio indignantis.*

46 Nunquam ita locutus est]. *Nempe cum tanta gratia & authoritate. En vim doctrinæ Christi! Confer Matth. 7. v. 28. & 29. item Luc. 4. v. 22.*

47 Num & vos &c.] *Interrogatio similis priori.* Seducti] *Sic etiamnum hodie pii doctores à nostræ ætatis Pharisæis seductores nominantur.*

48 Num quis ex primoribus] *Sic hodie Pontificii: Num quis ex Cardinalibus, Episcopis &c. amplectitur novum illud Evangelium?*

49 Turba hæc] *Superbè contemnunt plebem.* Exsecrabilis est] ἐπικατάρατοί εἰσι. *Ad verb. Exsecrabiles sunt. quale illud, Turba ruunt. Sententia est,* In eum credunt. *Metonymia effecti, ex opinione quidem istorum. Tales antitheses multa occurrunt in Proverbiis Salomonis.*

51 Condemnat] *Id est, jubet condemnare.*

52 Galilæus es] *Quippe qui Galilæo isti faves. Sed falsò habent Christum pro Galilæo.* Scrutare] ἐρεύνησον. *Nempe historias sacras.* Ex Galilæa prophetam non surrexisse] *Quid tum? Ergo nec surrecturus est? quæ est ratio consequentiæ? Quasi Deus non sit liberrimum agens!*

OBSERVAT. EX CAP VII.

Periculorum fuga. 1 Ex v. 1. 6. 8. 9. 10. Exemplo Christi docemur, ne nos temere periculis exponamus, sed ea prudenter declinemus: ita tamen ne interim officium nobis à Deo mandatum negligamus. Huc pertinet illud, Qui amat periculum, peribit in eo.

Consolatio contra odium propter veram religionem. 2 Ex v. 3. 4. 5. Si nobis propter religionem molesti sunt, nosque vexent fratres & propinqui nostri: consolemur nos exemplo Christi domini nostri, cui idem evênit: perpendentes illud, Non est servus suprà dominum, nec discipulus supra Magistrum, Matth. 10. v. 24.

Officium hominis Christiani. 3 Ex v. 6. 8. 9. Stultis suorum votis minimè obsequendum est: sed semper opera danda ut obsequamur voluntati Dei.

Consolatio contra odium propter veram religionem. 4 Ex v. 7. Si nos odit mundus propter professionem veritatis cælestis, qua illius errores & scelera damnantur: consolemur nos exemplo capitis nostri Christi, cui idem accidit. Membra enim capiti conformari decet. Ut autem in hac vita conformari nos Christo oportet in ignominia & cruce: ita eidem in altera vita conformabimur in gloria & beatitate, 2. Timoth. 2. v. 12. Rom. 8. v. 17.

Consolatio contra hodiernam confusionem in Ecclesia. 5 Ex v. 11. 12. 13. Si hodie videmus horrendam confusionem in Ecclesia, quòd nimirum multi pastores, maximè in Papatu, metu & terrore oppressum populum tenent: quòd populus doctrinam Evangelii desiderat, oblatam sæpe negligit: quòd etiam non desunt qui cognitam temere condemnent, pauci tantùm clanculum rectè sentiunt: Si, inquam, horrendam hanc confusionem in Ecclesia videmus: consolemur nos exemplo temporis Christi, quo fuit consimilis Ecclesiæ status.

Officium ministrorum verbi Dei. 6 Ex v. 14. Pii ministri verbi Dei non debent impediri ingratitudine mundi, quo minùs veritatem cælestem, quoties licet & opportunum est, fideliter doceant.

Officium hominis Christiani. 7 Ex v. 15. & 16. Non est satis admirari eruditionem doctorum verbi Dei: sed oportet ipsam doctrinam cognoscere, an ex Deo sit: ut veritatem cognitam amplectamur, & secundùm illam actiones nostras instituamus.

Evangelii. 8 Ex v. 17. Ad doctrinam Evangelii intelligendam afferendum est serium studium pietatis: quod quoniam in paucis est, non est mirum, si plerisq; Evangelium non sapiat.

Fidelium doctorum nota. 9 Ex v. 18. Fideles doctores verbi Dei inde agnoscuntur, quòd gloriam Dei unicè quærunt: contrà qui quærunt gloriam propriam, infideles censendi sunt.

Verbum Dei. 10 Ex v. 19. Non est satis habere verbum Dei, oportet eidem obsequi, Rom. 2. v. 33.

Consolatio contra Papistas. 11 Ex eod. v. Si videmus hodie, Papistas, qui de verbo Dei gloriantur & Ecclesiæ titulo superbiunt, acerrimos esse piorum atq; innocentium persecutores: consolemur nos exemplo Christi, cui idem evênit.

Sermo. 12 Ex v. 20. Non temere de universis negandum est, cujus nobis ipsis conscii non sumus.

Cultus Dei. 13 Ex v. 21. 22. 23. Cultus Dei cærimonialis charitati proximi cedere debet. Confer Luc. 14. à principio, de hydropico quem Dominus sanavit in sabbatho. Item Marc. 3. v. 1. de eo qui habebat manum aridam.

14 Ex v. 24. Judicandum est ex ipsa causa de qua agitur: non autem ex affectu, sive bono sive malo, erga eos quorum causa agitur. Vide Deut. 1. v. 16. *Judicium de proximo.*

15 Ex v. 25. & 26. Multi mirantur, irritos fieri hostium Dei conatus, nec tamen interea divinam virtutem agnoscunt. *Stupor ingenii humani.*

16 Ex v. 27. Homines ad struenda sibi obstacula & salutem suam impediendam ingeniosi sunt. *Perversitas ingenii humani.*

17 Ex v. 28. & 29. Christi veritas minimè pendet ex hominum judiciis. *Doctrina Christi.*

18 Ex v. 30. Non licet malis quod libet: sed id demum quod Deus decrevit. *Gubernatio Dei.*

19 Ex v. 31. 32. 33. 34. Prout crescit regnum Dei, crescit etiam ejus hostium rabies: donec tandem absentia bona frustra requirant, quæ præsentia neglexerint. *Ecclesiæ conditio.*

20 Ex v. 35. 36. Magna est ingenii humani in percipiendo Dei verbo vanitas. *Vanitas ingenii humani.*

21 Ex v. 37. 38. 39. Duo sunt nobis ad salutem consequendam necessaria: unum, ut verò summæ nostræ inopiæ sensu seriò tangamur: alterum, ut in uno Christo per fidem apprehenso quæramus omnium bonorum copiam. *Salutis causa.*

22 Ex v. 40. 41. 42. 43. 44. In ipsa Ecclesia de præcipuo capite religionis, nempe quis sit salutis nostræ author, certatur: nec alii sunt crudeliores Christi hostes iis qui veritatis sedem occupant. Non licet tamen eis quicquid libet. *Ecclesiæ conditio.*

23 Ex v. 45. 46. Deus è cælis irridet filii sui inimicos: dum sæpe mirabiliter pios doctores conservat, ex mediis periculis atque adeò è faucibus tyrannorum eos eripiendo. Confer exemplum Elisæi, 2. Reg. 6. item Athanasii, Socr. hist. Eccl. lib. 3. c. 10. *Gubernatio Dei.*

24 Ex v. 47. 48. 49. Falsi pastores adeò sunt stolidi, ut è splendore externo Ecclesiam Dei æstiment. Sed non est quòd pii ampullis istis moveantur. *Falsi pastores Ecclesiæ.*

25 Ex v. 50. 51. Deus subinde aliquos excitat, per quos tyrannis exprobrat injustitiam ipsorum, quâ in piis persequendis utuntur. *Gubernatio Dei.*

26 Ex v. 52. Stultum est gratiam Dei ad certum locum & omnino ad res externas restringere. Deus enim gratiam suam liberrimè pro suo beneplacito dispensat, ubi, quando & quibus vult. *Gratia Dei.*

27 Ex v. ult. Non est consilium contra Dominum: sed irritos fieri necesse est hostium Dei conatus, quoties Deo visum. *Gubernatio Dei.*

ANALYSIS CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

Duæ sunt principales hujus capitis partes. Prima est de adultera à Pharisæis ad Dominum adducta, ut suum de ea puniendâ judicium diceret, usq; ad v. 12. Altera continet sermocinationem Domini cum Judæis variam ac multiplicem, usq; ad fin. capitis.

PRIMA PARS.

Adultera à Pharisæis ad Dominum adducitur.

JEsus autem profectus est in montem olearum.

2 Et diluculo rursus adfuit in templo, & totus populus vênit ad eum: & sedens docebat eos.

3 Adducunt autem ad eum scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & quum statuissent eam in medio,

4 Dicunt ei, Præceptor, hæc mulier deprehensa est in ipso facto, quum mœcharetur:

5 In lege autem Moses mandavit nobis ut tales lapidentur: tu ergo quid dicis?

6 Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent eum accusare. Jesus autem incurvatus deorsum, digito scribebat in terra.

7 Quum autem perseverarent eum interrogare, erexit se, & dixit eis, Qui vestrûm immunis est à peccato, primus in eam jaciat lapidem.

8 Et rursum incurvatus deorsum, scribebat in terra.

9 At illi quum *hoc* audissent, & à conscientia arguerentur: singulatim alius post alium exibant, initio facto à senioribus usque ad ultimos: & relictus est solus Jesus, & mulier in medio stans.

10 Quum autem erexisset se Jesus, & neminem conspiceret præter mulierem, dixit ei; Mulier, ubi sunt illi tui accusatores? nemo te condemnavit?

11 Ipsa verò dixit, Nemo, domine. Dixit autem ei Jesus, Nec ego te condemno: vade, & ne ampliùs pecca.

QUod ad historiam hanc attinet, non desunt viri docti, quibus ea sit suspecta, tanquam non ab ipso Evangelista scripta sit. Rationes has afferunt. Primùm observant, quod nonnul- *An historia hæc de adultera, scripta*

sit à Johanne, nec ne. li veteres eam vel rejecerunt vel ignorarunt: quippe qui eam omiserunt: ut Syrus interpres, Nonnus, Chrysostomus, Theophylactus: item quòd Eusebius testatur, hanc historiam à quodam Papia scriptam esse. Hæc ratio apud me quoque nonnihil momenti habet: Veruntamen illis veteribus oppono Hieronymum: qui (ut iidem referunt) testatur, hanc historiam in nonnullis codicibus non fuisse descriptam: quo ipse utiq; fatetur, descriptam fuisse in plerisque. Oppono etiam ipsum Chrysostomum: qui (eisdem referentibus) historiæ hujus meminit homiliâ in Johannem 60. Secundam rationem hanc afferunt, quòd non videatur probabile, Jesum solum fuisse relictum cum muliere in templo. Atqui hoc sic potest exponi: accusatores mulieris adulteræ, nempe Pharisæos & scribas, ad unum omnes discessisse: licet remanserit populus, de quo v. 2. Et, si maximè populus quoque discessisset, ut planè solus cum muliere relictus esset: non video quid sit absurdi: quum suprà cap. 4. legatur quoque cum muliere Samaritana solus collocutus esse. Tertia ratio est, quòd illa historia non satis cohæreat cum v. 12. At, inquam, nec historiâ hac expunctâ, cohærebit narratio: eâ autem retentâ, subintelligi potest, Pharisæos paulò post in templum rediisse. Quarta ratio est, quòd videatur novum & insolens, nec commodè explicari posse quòd Jesus digito scripserit in terra. At insolens quoq; erat, quòd flagello ejecit è templo vendentes & ementes, item quòd ægrotos sanavit sabbatho. Commodè autem videtur sic posse explicari hic gestus: quòd significare voluerit, accusationem adulteræ nil ad se pertinere, ut qui non venerit judex politicus. itaq; quasi non audiret quid accusatores isti dicerent, simulavit se aliud agere. Postrema ratio est, lectionis varietas. Verùm ea tota in verbis, nequaquam verò in ipsis rebus atque sententiis est. Nec desunt alia novi testamenti loca, in quibus aliqua lectionis varietas observatur. Mihi verò ideo probabilis videtur hæc narratio & ab evangelista scripta esse: quòd Pharisæi quum pridie frustra Jesum prehendere conati essent, nec tamen odium eos quiescere sineret, mox novam ansam ejus comprehendendi quæsiverunt. Itaque adulterâ istâ postridie casu deprehensâ, occasione eâ usi sunt ad insidias Christo struendas. nam si eam absolvisset Christus, fuisset accusatus tanquam transgressor legis Mosaicæ: sin condemnasset, fuisset reprehensus inconstantiæ, ut qui publicanos & meretrices in numerum discipulorum recipere soleret. Deinde movet me ipsius quoque styli Apostolici (quæ hîc elucet) simplicitas, & cum reliqua Johannis oratione similitudo: quam nescio an Papias aut quispiam alius tam dextrè imitari potuerit. Nec etiam est verisimile, quenquam narrationem tam probabilem tamq; huic loco convenientem excogitare potuisse: neque etiam ratio apparet, quæ quenquam ad id faciendum impelleret. Postremò veritatem hujus historiæ illud quoque juvat, quòd in vetustis codicibus septendecim D. Bezæ, unus duntaxat illam non habebat. Nos igitur hanc historiam libenter tanquam veram & à Johanne scriptam amplectimur: ac proinde in ea exponenda parem quam in aliis, diligentiam adhibebimus.

In historia igitur hac describenda, Johannes primùm indicat aliquot rei gestæ circumstantias, v. 1. & 2. Deinde ipsam rei gestæ formam ac modum, à v. 3. usque ad 9. Postremò eventum, à vers. 9. usque ad 12. Ac circumstantias quidem indicat quatuor: 1. Tempus, quando hæc mulier ad Christum adducta sit, nempe postridie octavi diei festi tabernaculorum. 2. Locum, ubi ad eum adducta sit, nempe in templo, & quidem in gazophylacio, ut colligitur ex collatione v. 20. 3. Testes seu arbitros coram quibus adducta sit, nempe coram populo. 4. Occasionem quâ usi sint ad eum interpellandum, nempe quòd doceret; simulant igitur, se de hoc quoq; casu doceri cupere.

1 *Jesus autem profectus est*] Hæc sententia cohæret cum proxime præcedente, nempe cum versiculo ultimo cap. superioris, per antithesin diversorum. Illic enim dixit, quò abierint Pharisæi post illam cum Christo collocutionem: hîc dicit quò abierit ipse Christus.

3 *Adducunt*] In forma rei gestæ describenda primùm indicat, quid de ista muliere egerint, v. 3: deinde quibus verbis eam apud Jesum accusarint, v. 4. & 5: tum quo animo id fecerint, v. 6. postea quomodo se Christus gesserit accusatione illâ auditâ, v. 6. 7. 8. Ubi notandum, scribas & Pharisæos sperasse, se Domino certò periculum creaturos, tali dilemmate fretos: *Dilemma scribarum.*

Aut absolvet eam, aut condemnabit.
Si absolvet: accusabimus eum ut adversarium Mosis.
Si condemnabit: accusabimus eum ut sibi non constantem: quippe qui meretrices ac pulicanos aliàs in gratiâ recipit.

Deinde observandum, Dominum hanc illorum acutam ratiocinationem ipso gestu irridere, dum digito in terram scribit: quo gestu evertit ratiocinationis istius fundamentum, hoc est, hypothesin, quâ illa nititur, nempe disjunctum illud enuntiatum: Aut absolvet, aut condemnabit. Dominus enim neutrum facit: & ipso gestu, se neutrum facturum, significat: quum scil. id non sit sui muneris. Itaq; tanquam accusationem non audisset, simulat se interim aliud agere, non autem solicitum esse quid respondeat, quámve sententiam pronuntiet. Quum autem scribæ & Pharisæi urgerent responsionem, ita respondit, ut mulierem quidem nec condemnaret nec absolveret, sed istorum hypocrisin conspicuè redargueret. Volebant enim isti videri sancti ac pudicitiæ amantes, quippe qui adulteram istam meritâ pœnâ affici cuperent: at Dominus suo responso conscientias eorum ita ferit, ut velint nolint palàm declarare cogantur, se ad unum omnes gravissimorum flagitiorum sibi conscios esse.

9 *Auditis*] Deinceps eventum rei gestæ indicat: & primùm quid evenerit accusatoribus, nempe scribis & Pharisæis, v. 9 deinde quid evenerit mulieri reæ, nempe quibus verbis à Domino dimissa sit, v. 10. & 11.

ALTERA CAPITIS PARS.

Sermocinatio Domini cum Judæis.

12 Rursum ergo Jesus loquutus est eis, dicens, Ego sum lux illa mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

13 Pharisæi igitur dixerunt ei, Tu de teipso testaris: testimonium tuum non est verum.

14 Respondit Jesus & dixit eis, Etiamsi ego testor de meipso, verum est testimonium meum: quia scio unde venerim, & quò vadam: vos autem nescitis unde venerim, & quò vadam.

15 Vos secundùm carnem judicatis; ego non judico quenquam.

16 Quòd si etiam judicem ego, judicium meum verum est: quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.

17 Sed & in lege vestra scriptum est, duorum hominum testimonium verum esse.

18 Ego *is* sum qui testor de meipso, & testatur de me qui misit me Pater.

19 Dicebant ergo ei, Ubi est tuus ille pater? Respondit Jesus, Neque me nostis, neque patrem meum: si me nossetis, patrem quoque meum nossetis.

20 Hæc verba loquutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo: & nemo prehendit eum; quia nondum venerat hora ejus.

21 Dixit ergo iterum eis Jesus, Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini: quò ego vado, vos non potestis venire.

22 Dicebant ergo Judæi, Num trucidabit seipsum, qui dicat, Quò ego vado, vos non potestis venire?

23 Tunc dixit eis, Vos ex infernis *locis* estis, ego ex supernis sum: vos ex hoc mundo estis, ego non sum ex hoc mundo.

24 Ideo vobis dixi, vos morituros in peccatis vestris. Nam nisi credideritis me *eum* esse, moriemini in peccatis vestris.

25 Dixerunt ergo ei, Tu quis es? Tum dixit eis Jesus, *Id* quod à principio dico vobis.

26 Multa habeo quæ de vobis loquar ac judicem: sed qui me misit, verax est: & ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor mundo.

27 Non cognoverunt, eum de Patre ipsis loqui.

28 Dixit ergo eis Jesus, Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc agnoscetis me *eum* esse, & à meipso nihil facere; sed prout docuit me Pater, hæc loqui.

29 Nam qui me misit, mecum est. non reliquit me solum Pater: quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

30 Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

31 Dicebat ergo Jesus iis Judæis qui crediderant ipsi, Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis:

32 Et cognoscetis veritatem, & veritas vos in libertatem vindicabit.

33 Responderunt ei, Semen Abrahæ sumus, neque cuiquam servivimus unquam: quomodo tu dicis, Vos in libertatem vindicabimini?

34 Respondit eis Jesus, Amen amen dico vobis, quisquis committit peccatum, servus est peccati.

35 Servus autem non manet in domo perpetuò: filius manet perpetuò.

36 Itaque

36 Itaque si vos Filius in libertatem vindicârit, verè liberi eritis.

37 Scio vos semen Abrahæ esse: sed studetis me trucidare, quia sermo meus non habet locum apud vos.

38 Ego loquor quod vidi apud patrem meum: & vos igitur facitis quod vidistis apud patrem vestrum.

39 Responderunt & dixerunt ei, Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus, Si filii Abrahæ essetis; opera Abrahæ faceretis.

40 Nunc autem studetis me interficere, hominem qui veritatem vobis loquutus sum, quam audivi à Deo: hoc Abraham non fecit.

41 Vos facitis opera patris vestri. Itaque dixerunt ei, Nos ex scortatione non sumus geniti: unum patrem habemus, *nempe* Deum.

42 Dixit ergo eis Jesus, Si Deus pater vester esset, diligeretis me. ego enim à Deo prodii & venio: nec enim à meipso vêni, sed ille me misit.

43 Quare loqutionem meam non agnoscitis? nam non potestis audire sermonem meum.

44 Vos ex patre diabolo estis, & cupiditates patris vestri vultis explere. Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perstitit: non est enim veritas in eo. Quotiescunq; loquitur mendacium, de suo loquitur: quia mendax est, & mendacii pater.

45 *Vos* autem quamvis ego veritatem dico, non creditis mihi.

46 Quis ex vobis arguit me de peccato? si verò veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

47 Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48 Responderunt ergo Judæi & dixerunt ei; Nónne bene dicimus, te Samaritanum esse, & dæmonium habere?

49 Respondit Jesus, Ego dæmonium non habeo; sed honoro patrem meum; & vos contumeliâ afficitis me.

50 Ego verò non quæro gloriam meam: est qui quærat, & judicet.

51 Amen amen dico vobis, Si quis sermonem meum servaverit, mortem non conspiciet in æternum.

52 Dixerunt ergo ei Judæi; Nunc cognovimus, te dæmonium habere. Abraham mortuus est, & prophetæ: & tu dicis, Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.

53 Num tu major es patre illo nostro Abraham, qui mortuus est? etiam prophetæ mortui sunt: quem tu teipsum facis?

54 Respondit Jesus; Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: Pater ille meus, is est qui glorificat me, quem vos dicitis Deum vestrum esse.

55 Sed non nostis eum: ego verò novi eum: & si dixero me eum non nosse, ero similis vestri, *id est*, mendax. sed eum novi, & sermonem ejus servo.

56 Abraham pater vester gestivit ut videret diem istum meum: & vidit, ac gavisus est.

57 Dixerunt igitur ei Judæi, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?

58 Dixit eis Jesus; Amen amen dico vobis, Priusquam Abraham fieret, ego sum.

59 Sustulerunt ergo lapides ut jacerent in eum: Jesus autem occultavit se, & exivit è templo quum transivisset per medios ipsos; & ita præteriit.

Dominus sub metaphora lucis docet, quænam sua tanquam servatoris efficacia sit in cordibus electorum. ait enim, se esse lucem mundi, hoc est, se esse illum qui per suam doctrinam virtute Spiritus sancti illuminet corda electorum per totum mundum omnesque populos dispersorum; non secus ac sol suis radiis illustrat oculos omnium hominum per totum hemisphærium, ubi lucet, dispersorum. In qua similitudine duæ dissimilitudines notandæ sunt. Una est, quòd sol tantummodò illustrat oculos eorum qui visu sunt præditi, non etiam cæcorum: At Christus spiritu suo illuminat oculos cæcorum: Act. 26. v. 18. quum omnes homines à natura cæci sint in intelligendis mysteriis regni cælorum: secundùm illud suprà c. 1. Deum nemo vidit unquam: Filius qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit. Altera dissimilitudo est, quòd sol uno tempore non potest plurium oculos illustrare, quàm eorum qui versantur in hemisphærio ubi lucet: at Christus suo spiritu illuminat uno tempore omnium quorum vult, corda, per totum mundum dispersorum. Præterea observandum est discrimen inter Christum & Apostolos; quibus & ipsis hunc titulum alibi tribuit Dominus, inquiens, Matth. 5. v. 14. Vos estis lux mundi; nempe ut ministri qui doctrinam lucis annuntiant, per quorum ministerium Christus corda electorum illuminat: at Christus illuminat per se & suâ virtute, tanquam principalis efficiens & author.

Porrò huic doctrinæ de sua efficacia subjicit κατὰ περίοδον promissionem ipsius effecti seu fructus, quem electi ab ipso percepturi sint; ut ita eos hortetur ad credendum suæ doctrinæ, argumento ab utili. Effectus ille est vita æterna. Ait enim: *Qui sequitur me*, scil. tanquam lucem, hoc est, qui credit doctrinę meæ, eique obsequitur; *is non ambulabit in tenebris*, hoc est, non errabit ex innata cæcitate in suis cogitationibus de Deo, in cultu Dei & ratione salutis suæ; *sed habebit* (nempe in suo corde) *lumen vitæ*, hoc est, cognitionem Dei certam, unde exsistit ac manat vita æterna. sicut & infrà ait cap. 17. Hæc est vita æterna ut te cognoscant illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.

13 Pharisæi] Pharisæi doctrinæ Christi contradicunt hoc argumento, quòd ipse testetur de seipso. Syllogismus:

Si testaris de teipso, testimonium tuum non est verum.

Atqui testaris de teipso: nempe quum dicis, Ego sum lux illa mundi.

Ergo testimonium tuum non est verum.

Christus negat propositionem, eique contradicit per enuntiatum discretum, v. 14. *Etiamsi*, inquit, *ego testor de meipso, tamen verum est testimonium meum.* Et hanc sententiam confirmat, atque ita testimonio suo authoritatem conciliat, ab adjuncta dignitate sua: quia nimirum testetur de seipso, tanquam legatus Dei, à quo sibi hoc ipsum sit mandatum: imò tanquam filius Dei, qui ut à Patre exierit & homo factus sit: ita carne suâ à mortuis excitatâ, ad Patrem rediturus sit. Monet igitur, testimonium suum divinum esse, ac proinde omni exceptione majus. hoc significat istis verbis: *Quia scio unde venerim*, nempe à Deo patre: *& quò vadam*, nempe ad eundem. Porrò hanc sententiam amplificat antithesi, qua Pharisæos reprobos sibi opponit, inquiens: *Vos autem nescitis &c.*

Deinde v. 15. reprehendit eos propter pravitatem in judicando: quippe qui non judicent ex ipsa re seu causa, sed secundùm carnem, id est, ex carnalibus affectibus, videl. odio erga ipsum, orto ex ambitione & avaritia: quæ vitia Christus in eis sæpe taxaverat. Ait igitur, *Vos secundùm carnem judicatis.* Et hanc sententiam illustrat antithesi qua se illis opponit; negans, se venisse potissimùm ad judicandum. Venerat enim principaliter ad docendum & doctrinâ suâ vivificandum credentes. Interdum tamen etiam judicavit: quoties nimirum necessitas postulavit, ut Pharisæorum hypocrisin detegeret. Hoc autem suum judicium rectum esse probat vers. 16. eodem argumento, quo jam probaverat, verum esse suum testimonium: atque ita ad testimonium suum redit: quod v. 17. & 18. confirmat à comparatis, videl. à minori: Quod argumentum duos syllogismos continet. Principalis est:

Si non solus ego de me testor, sed etiam Pater de me testatur: sequitur, testimonium meum verum esse.

Atqui non solus ego de me testor, sed testatur de me etiam Pater meus, v. 18.

Ergo testimonium meum est verum.

Prosyllogismo approbatur propositio:

Si duorum hominum testimonium verum est: multò magis verum est testimonium Dei Patris ac Filii.

Sed illud. Ergo & hoc.

Assumtio hujus syllogismi probatur testimonio legis Dei, quæ exstat Deut. 19. v. 15. In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.

19 Ubi est] Quia Dominus allegavit testimonium Patris, quærunt Pharisæi, Quisnam ille sit Pater: dissimulantes nimirum, se intelligere, Dominum nomine Patris intellexisse Deum. Dominus igitur non respondet ad quæstionem, sed objicit eis ignorantiam Dei, nempe Patris sui, ac proinde etiam suiipsius; ac monet, sui & Patris notitiam ita inter se conjunctam esse, ut neuter sine altero cognosci possit.

20 Hæc verba] Monet Evangelista, ubi Dominus verba præcedentia loquutus sit, & quando: & qui factum sit, ut eum non prehenderent, tam liberè scilicet ipsos objurgantem.

21 Dixit ergo] Dominus animadversâ eorum cupiditate in se capiendo, rursùm eis minatur suum discessum conjunctum cum ipsorum desertione & interitu. sicut etiam fecerat ante paucos dies in festo: ut videre est suprà 7. v. 33. & 34. Simul autem causam propriam interitus ipsorum indicat, nempe peccatum.

22 *Dicebant*] Pervertunt suo more verba Domini, & perversissimè colligunt, eum aliquò abiturum, ubi sese clam trucidet.

23 *Tunc dixit.*] Christus perversitatis istius causam aperit: quia nimirum ex infernis sint, hoc est (ut ipse exponit) quia sint ex hoc mundo, nempe ex genere hominum profanorum, non renatorum scil. Spiritu Dei, ac proinde adhuc immersorum peccato: unde mox rursum infert, ipsos morituros, videl. morte æternâ; nisi in ipsum crediderint. Simul autem se illis opponit, tanquam hominem sanctum, imò tanquam ipsum Dei filium: quippe qui è supernis sit, hoc est, è cælo.

25 *Dixerunt*] Præfracti Judæi, quum audissent Dominum dicere, se esse è supernis: quærunt, quísnam igitur sit, quasi Dominus id non sæpe jam docuerit, adeoq; istis ipsis verbis. Quare Dominus respondet, se illum ipsum esse, quem se esse docuerit inde à principio, hoc est, quum primùm docere cœpit. Et mox eis perversitatem suam & contumaciam exprobrat: illiq; opponit judicium Patris sui, & mandatum docendi quod ab illo acceperat. Sed tantus est eorum stupor, ut non intelligant, ipsum de Patre loqui, ac proinde affirmare, se filium Dei esse: vel certè tanta perversitas est, ut id se intelligere dissimulent.

28 *Dixit ergo*] Christus pergit in instituta doctrina de persona & officio suo, nempe se esse filium Dei, à Patre missum, ut sit mundi servator. id quod jam probat ab effectis, videlicet à futura sua resurrectione & in cælos ascensione. prædicit enim fore, ut ab ipsis exaltetur, hoc est, in crucem tollatur: sed innuit, se ex morte resurrecturum, & in cælos ascensurum; unde meritò cognituri sint, ipsum esse filium Dei ac servatorem mundi, sicuti docebat.

30 *Hæc*] Hîc Evangelista fructum doctrinæ Christi commemorat, nempe fidem multorum.

31 *Dicebat ergo*] Hortatur Dominus credentes, ut in doctrina sua perseverent, ac promittit fore ut sic in cognitione veritatis cælestis proficiant, maximumq; inde fructum percipiant, nempe libertatem à servitute peccati.

33 *Responderunt*] Judæi quum audissent, sibi à Domino promitti libertatem, si constantes maneant in ipsius fide: ægrè id ferunt, existimantes ignominiosum sibi esse, si pro servis habeantur. Sic igitur contra Dominum ratiocinantur:

Qui opus habent liberari, eos necesse est esse servos.
At nos non sumus servi: sumus enim posteri Abrahæ.
Ergo nos non opus habemus liberari.

34 *Respondit*] Christus negat assumtionem, quatenus probat contrarium. Sic autem argumentatur:

Quisquis deditus est peccato, servus est peccati.
At vos dediti estis peccato.
Ergo servi estis peccati.

Deinde confirmat sententiam à se antè propositam, nempe eos opus habere liberatione.

Servus opus habet liberatione, idq; per filium.
Vos estis servi.
Ergo opus habetis liberatione, idq; per filium.

Postea respondet ad assumtionis confirmationem tacitâ quadam distinctione, qua distinguit inter filios Abrahæ carnales & spirituales: concedens, eos esse filios Abrahæ carnales: sed negans esse filios Abrahæ spirituales: quod probat ex ipsorum factis: quia nimirum ipsum studeant trucidare: cujus rei causam exponit, incredulitatem scilicet ipsorum.

Postremò incredulitati eorum opponit mandatum & approbationem Patris: simulq; innuit, eos esse filios Diaboli, quum illius opera faciant.

39 *Responderunt*] Judæi intelligentes, sibi tribui patrem Diabolum; rursum excipiunt, patrem suum esse Abrahamum. Dominus eos rursum coarguit ex factis:

Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis.
Nunc autem opera Abrahæ non facitis: quia me innocentem, imò bene de vobis meritum, studetis interficere.
Ergo filii Abrahæ non estis.

Deinde rursum concludit, ipsos esse filios Diaboli: inquiens, *Vos facitis opera patris vestri.* quasi dicat: Facitis opera Diaboli: ergo estis filii Diaboli. Judæi dissimulantes, se intelligere, quem patrem notet, nempe Diabolum: excipiunt, se non esse genitos ex scortatione; quo significant, se esse filios Abrahæ legitimos & genuinos, imò verò se patrem habere ipsum Deum. Dominus hoc refutat ex ipsorum factis.

Si Deus pater vester esset; diligeretis me, filium ejus & legatum.
Non autem diligitis me: quia non potestis æquo animo audire doctrinam meam.
Ergo Deus non est vester pater.

Postea expressè affirmat, eos ex patre Diabolo esse: quia ingenium & naturam Diaboli habeant: quum sint mendaces & homicidæ. Mendaces; quia nolint credere veræ ipsius doctrinæ. homicidæ; quia se studeant trucidare. hoc enim hîc ex superioribus intelligendum est. Postremò causam exponit incredulitatis ipsorum; nempe quia non sint ex Deo, v. 47.

48 *Responderunt*] Judæi ægrè ferentes liberrimam illam Domini objurgationem, petulantissimis eum conviciis proscindunt: dicentes, eum esse Samaritanum, & dæmonium habere. Quòd dicunt esse Samaritanum, significant, non esse meliorem Samaritanis, sed falsâ doctrinâ quam simillimum. Hæc crimina Christus refutat à suis factis: quia honoret Deum. quam sententiam illustrat antithesi, quòd Judæi contumeliâ ipsum afficiant, ac proinde etiam Deum ipsum, quippe à quo ipse erat missus. Tum hanc sententiam amplificat prolepsi; qua negat, se quærere suam gloriam: simulque se consolatur à judicio Dei, qui honorem ipsius vindicaturus sit. Postremò repetit promissionem Evangelii de vita æterna per fidem.

52 *Dixerunt*] Judæi ex verbis Domini arripiunt argumentum ad confirmandum crimen ei objectum, nempe quòd habeat dæmonium: quippe qui tam vehementer insaniat, ut se Abrahamo & prophetis majorem facere non dubitet: dum nimirum suæ doctrinæ tribuat vim conservandi à morte, quum tamen Abraham & prophetæ mortui sint. At Judæi inscitè mortem corporalem opponunt; quum Christus de spirituali & æterna loquutus esset: à qua utiq; nec Abraham nec prophetæ conservare quenquam potuerunt. unde liquet, Christum illis majorem esse.

54 *Respondit*] Quia Judæi ei objecerant ambitionem, ut qui se extolleret supra Abrahamum: Dominus crimen istud à se depellit inficiatione: sed interim tamen honorem suum asserit à judicio Patris: cujus ignorantiam Judæis exprobrat, eosque eâdem operâ mendacii accusat; quippe quum cognitionem Dei sibi tribuant. Sibi autem contra tribuit notitiam Dei & veritatem. Deinde quia Judæi Abrahamum protulerant tanquam Christo majorem; ostendit Dominus, Abrahamum ipsum longè aliter de se judicasse; quippe qui gestiverit ut videret ipsum tanquam semen illud sibi promissum: quique eum viderit, nempe fide, in promissionibus, quibus tanquam certissimis credidit, atque ita gaudio maximo affectus fuit. Hanc de Abrahamo sententiam conantur Judæi refutare ab ætate Christi, qui nondum quinquaginta annos natus sit; ac proinde fieri non possit, ut vel ipse Abrahamum, vel Abrahamus ipsum viderit; quippe qui ante aliquot sæcula diem suum obierat. Atqui Christus non fuerat locutus de visione corporali, quæ fit oculis corporis & qua videtur corpus; sed de visione spirituali, quæ fit oculis cordis, & qua videtur gratia Dei in promisso mediatore. Porrò Christus errori eorum occurrit, putantium eum nudum hominem esse, ac proinde solos ætatis humanæ annos in ipso agnoscentium. Affirmat igitur, se fuisse priusquam Abraham fuerit, ac proinde se esse Deum. Hoc verbo quasi blasphemo tam vehementer commoventur Judæi, ut lapidibus eum petere conentur: sed frustra, quia Dominus se occultat & abiit, & quidem transiens per medium eorum.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

1 In montem olearum] εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν. *Nempe ut precaretur, suo more. Vide Luc. 21. v. 37. & c. 22. v. 39. Erat autem hic mons non procul ab urbe: unde postridie manè in urbem rediit.*

2 Et diluculo] ὄρθρου δὲ *Scil.* γενομένου *Id est, summo manè, quum primùm sol ortus esset.* In templo] εἰς τὸ ἱερὸν. *Pro,* ἐν τῷ ἱερῷ. Totus populus] πᾶς ὁ λαὸς. *Nempe qui superioribus diebus eum audierat docentem in festo tabernaculorum: suprà cap. 7. v. 14. & 37.* Sedens] καθίσας. *Quum consedisset;* Als er sich gesetzt hatte. *vel,* Er satzte sich/vnd lehrete sie.

3 Adducunt] ἄγουσι. *Id est, adducebant. Modus loquendi historicus, lectorem quasi in rem præsentem ducens: qui modus loquendi Johanni perfamiliaris est: ut videre est his locis: Cap. 1. vers. 29. 36. 38. 40. 42. 46. 49. 52. cap. 2. v. 4 5. 7. 8. 9. 10. c. 4. v. 5. 7. 9. 11. 15. 16. 19. 21. 25. 26. 34. 49. 50. c. 5. v. 8. c. 6. v. 5. 8. 20. c. 7. v. 6. 50.*

4 In ipso facto] ἐπαυτοφώρῳ. *Id est,* ἐπ' αὐτῷ τῷ φώρῳ. *in ipso furto. Synecdoche speciei* κατ' ἐξοχήν.

5 Lapidentur] λιθοβολεῖσθαι. *Levit. 20. v. 10. in genere præcipitur supplicium capitis: sed illud ferè constabat lapidatione, ut ex aliis legibus videre est. Et notandum, in illo cap. vers. 2. hanc speciem supplicii, generali mentioni supplicii subjici, declarandi causâ: in sequentibus autem solum generale supplicii nomen repeti, speciali nimirum illo è superioribus subintellecto.* Tu ergo] σὺ οὖν. *Quasi dicant: Quũ ergo tumulta nova instituas, de quibus Moses nihil præcepit; cupimus scire, quid sentias de pœna istius adulteræ.*

6 Tentantes] πειράζοντες. *Hoc est, experiri volentes an se posset ex isto laqueo dilemmatis expedire, quod dilemma exposuimus in Analysi.* Digito scribebat] τῷ δακτύλῳ ἔγραφεν. *Dissimulans nimirum se audivisse accusationem illam mulieris; vel certè significans, se illam tanquam ad se nihil attinentem non curare. Fortassis in pulvere duxit lineas literarum, aut etiam absq; pulvere ductu digiti repræsentavit figuras literarum, etsi nullum istius ductus vestigium relinqueret. Obiter autem hîc notandum, Syros scribere nõ sinistrorsum, ut Hebræi: nec dextrorsum, ut Græci & Latini: sed deorsum: ut tradit Andr. Masius in Grammatica sua Syriaca. Quem morem scribendi tum à Christo observatum fuisse probabile est: quoniam eo tempore Judæi linguâ Syriacâ utebantur.* In terra] εἰς τὴν γῆν. *Ad verb. In terram: quomodo dicimus Germanicè,* Er schrib in die erd/ *vel,* auf die erd.

7 Immunis à peccato] ἀναμάρτητος. *Potest intelligi generaliter. Sed videtur intelligendum specialiter de peccato adulterii,*

aut

aut certè pollutionis libidinosæ. nam de hoc agitur: & notum erat in populo Dei, neminem prorsus esse ἀναμάρτητον: & mox v.9. dicitur, conscientiam ipsos arguisse. Similem synecdochen vide infrà cap.9.v.3. Primus &c.] *Hoc dicit respiciens ad legem Mosis Deut.17.v.7. ubi præcipitur, ut manus testium prima sit in interficiendo rea.*

9 At illi quum *hoc* audissent] οἱ δὲ ἀκούοντες. οἱ δὲ, pro, αὐτοὶ δέ. Alius post alium] εἷς καθ' εἷς. *Videtur scribendum, εἷς καθ' εἷς. jota nimirum subscripto sub α: quod si resolvas, erit, εἷς καὶ εἶτα εἷς: unus & deinde unus,* einer nach dem andern. Usq; ad ultimos] ἕως τῶν ἐσχάτων. *Id est, minimos natu. Est autem hoc loco ellipsis. Integra oratio esset: Incipientes à senioribus,* & pergentes *usq; ad ultimos.* Solus] μόνος. *Nempe respectu Pharisæorum, qui antea eum cinxerant, accusantes mulierem: non autem respectu plebis: nam hanc mox alloquitur v.12 Pharisæi autem videntur paulò pòst rediisse: quũ v.13. Christ[o] [doc]enti contradicant. Hanc expositionem confirmant verba ve[rs]. sequentis. Synecdoche generis.*

10 Neminem] μηδένα. *Scil. ex accusatoribus mulieris: ut intelligitur ex verbis sequentibus, nempe his, Ubi sunt illi tui accusatores?* Nemo] οὐδείς. *Id est, nullus judex.*

11 Nec ego te condemno] *Ratio, quia hoc non erat ejus officium. Sicut Luc.12.v.14. quum quidam ei dixisset: Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem: respondit, Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* Vade, & ne ampliùs pecca] *Hæc est concio pœnitentiæ: quam annuntiare, ad officium Christi pertinebat. Sic suprà cap 5.v.14. ait illi quem sanaverat in sabbatho, Ecce sanus factus es: ne pecca ampliùs, ut ne quid deterius tibi accidat.*

12 Rursum ergo] πάλιν οὖν. *Nempe post illam interpellationem Pharisæorum accusantium adulteram: qua concio Christi populum docentis (v.2.) interrupta fuit. Quare particula οὖν servit epanalepsi: ac respicit ad verba versiculi secundi, ubi dicit,* Et sedens docebat eos. *Si quæras, Quid docebat? id jam declarat evangelista.* Eis] αὐτοῖς. *Nempe Judæis in templo congregatis.* Lux illa mundi] τὸ φῶς τοῦ κόσμου. *Metaphora. nam quemadmodum sol illuminat oculos omnium animalium: ita Christus illuminat corda omnium electorum.* Lux illa] τὸ φῶς: *Quasi dicat, τὸ ἀληθὲς, vera illa: cum qua sol quantumvis excellenter lucens, nequaquam sit comparandus. Confer cap.6.v.35. & 55. & cap.15. v.1.* Qui sequitur me] ὁ ἀκολουθῶν ἐμοί. *Hæc verba cum præcedentibus cohærent per corollarium: quasi dicat, Ergo qui sequitur me. Ellipsis conjunctionis syllogisticæ.* Habebit] ἕξει. *Nempe in corde suo.* Lumen vitæ] τὸ φῶς τῆς ζωῆς. *Id est, lumen conferens vitam. Sic suprà cap. 6. vers.68. Verba vitæ æternæ. Genitivus effecti.*

13 Testaris] μαρτυρεῖς. *Nempe quum dicis, te esse lucem illam mundi.* Testimonium tuum] ἡ μαρτυρία σου. *Id est, Ergo testimonium tuum. Ellipsis particulæ illativæ, ut v superiore.*

14 Etiamsi ego testor &c.] κἂν ἐγὼ μαρτυρῶ *Enuntiatum discretum, quo contradicit connexæ propositioni syllogismi adversariorum. In quo exemplo notandus est enuntiati discreti usus, nempe ad contradicendum connexo. Alia formula contradicendi esset sic: Non si ego testor de meipso, idcirco non est verum testimonium meum: cui connexo æquipollet istud discretum quo Dominus utitur.* Scio unde venerim] οἶδα πόθεν ἦλθον. *Id est, Scio me esse filium Dei.* Unde] πόθεν. *Nempe à Patre.* Quò] ποῦ. *Nempe ad Patrem.*

15 Secundùm carnem] κατὰ τὴν σάρκα. *Suprà cap.7. v.24. pro hoc dicit, κατ' ὄψιν, secundùm faciem.* Non judico] οὐ κρίνω. *Scil. nunc. Tunc enim hoc unum agebat, ut doceret de se.*

20 In gazophylacio] ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ. *Id est, ea templi parte ubi situm erat gazophylacium, hoc est, arca in quam munera immittebantur, ut videre est Marc.12.v.41. Metonymia adjuncti. Nomen compositum ex nomine γάζα, quæ vox Persica est & opes significat: & verbo φυλάττειν, custodire, asservare.* Et nemo prehendit eum] καὶ οὐδεὶς ἐπίασεν αὐτόν. *Etsi nimirum ille tantâ παρρησίᾳ apud Pharisæos sibi infensissimos usus esset.*

21 In peccato vestro] ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν. *Id est, propter peccatum vestrum. Hebrais. Notat autem petulantem ipsorum incredulitatem.* Moriemini] ἀποθανεῖσθε. *Nempe morte æternâ.*

23 Ex *locis* infernis] ἐκ τῶν κάτω. *Subaudi τόπων. Sic mox,* Ex supernis, ἐκ τῶν ἄνω. *Sic suprà cap.3.v.31.*

24 Eum] *Scil. quem dico me esse, videl. Christum.*

25 Tu quis es] σὺ τίς εἶ; *id est, Quis tu igitur es?* Wer bistu dann? *Sic interrogant: quia obscuriùs dixerat, Me eum esse.* Id quod à principio dico vobis] τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. *Id est, Ego sum is quem inde à principio meæ prædicationis me esse dixi, videlicet Christus. Ante τὴν ἀρχὴν subaudiendum κατά. Vide annotationes D.Bezæ: qui istam expositionem copiosè tradit & confirmat.*

26 Sed qui me misit &c.] *Quasi dicat: Sed nolo jam vos judicare: neq; enim ideo in mundum veni: sed veni ut docerem ea quæ in mandatis accepi à Patre, nempe quæ pertinent ad salutem electorum.* Mundo] εἰς τὸν κόσμον *Pro, τῷ κόσμῳ. Hebrais.* לְעָלָם *leholám. Nam lamed valet & præpositionem εἰς, & articulum dativi casus. Atque sic mundi nomine intelliguntur homines, per metonymiam subjecti. Vetus interpres vertit,* In mundo. *tanquam εἰς sit positum pro ἐν, & nomine mundi intelligatur terra. sicut videtur etiam intelligi suprà v.23. Syrus vertit* בְּעָלְמָא *beholmá, id est, in mundo.*

28 Quum exaltaveritis] ὅταν ὑψώσητε. *Nempe in crucem: ut suprà cap.3.v.14.*

31 Si vos manseritis in sermone meo] *Id est, Si constanter credideritis & obedieritis sermoni meo.*

33 Semen] *Id est, posteri. Metonymia materiæ.* Quomodo] πῶς. *Id est, Quomodo igitur. πῶς οὖν.*

34 Quisquis committit peccatum] πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν. *Id est, quisquis indulget peccato, quisquis securè peccat. Sic 1.Joh. 3.vers.4.*

38 Et vos igitur] καὶ ὑμεῖς οὖν. *Id est, Sic igitur etiam vos: ut sit illatio à pari, ac proinde οὖν non redundet.* Apud patrem vestrum] *Scil. diabolum: ut declarat infrà v.44.*

39 Opera Abrahæ] *Id est, similia seu talia qualia ille fecit, nempe bona. Metaphora.*

40 Nunc autem] νῦν δέ. *Præcessit syllogismi connexi propositio: sequitur assumtionis loco, probatio ejus ab exemplo.*

41 Patris vestri] *Scilicet diaboli.*

43 Nam non potestis] ὅτι οὐ δύνασθε. *Probat quod modò dixit, eos non agnoscere locutionem suam. hoc probat ex eo, quia sermonem suum audiant cum molestia. Sic accipitur hæc phrasis suprà cap.6.v.60. Argumentum est ab effectu: nam sermo non intellectus molestiam audientibus affert.*

44 A principio] ἀπ' ἀρχῆς. *Scil. mundi & hominis conditi.* Non est enim] ὅτι οὐκ ἔστιν. *Argumentum ab effectu. In diabolo non est veritas: ergo non perstitit in veritate: quippe in veritate erat conditus.* Mendacii] αὐτοῦ. *Nempe τοῦ ψεύδους. quod intelligitur ex nomine conjugato ψεύστης: & expressum est in membro præcedente.*

45 Quamvis veritatem dico, non creditis] *His verbis innuit, in ipsis quoq; non esse veritatem, id est, veritatis amorem: ac proinde eos esse filios diaboli. Conjunctio ὅτι hîc valet. Quamvis: sicut Luc.23.v.40. Per Hebraismum. nam sic apud Hebræos interdum usurpatur particula* כִּי *ki.*

46 Arguit] ἐλέγχει. *Id est, verè arguere & convincere potest.* De peccato] περὶ ἁμαρτίας. *Id est, de falsa doctrina: ut ex antithesi percipitur. Synecdoche generis.* Si verò] εἰ δέ. *Conjunctio δὲ non caret sua emphasi. nam per eam transiit ad propositionem syllogismi: cujus præcessit non quidem assumtio, sed assumtionis probatio ab effectu. Syllogismus ita est: Si veritatem vobis dico, debebatis mihi credere. Atqui veritatem vobis dico: neq; enim potest me quisquam de mendacio convincere. Ergo debebatis mihi credere.* Quare vos non creditis mihi?] *Quasi dicat: Quæ est igitur ista vestra pertinacia & perversitas, quòd non vultis credere dicenti veritatem manifestissimam & (ut ita dicam) inconvincibilem? Interrogatio vim habet indignandi & reprehendendi.*

47 Qui ex Deo est &c.] *Nunc ipse causam exponit, unde incredulitas istorum orta fuerat; ad sese consolandum, consideratione scilicet providentiæ ac voluntatis Dei: in qua meritò omnibus est acquiescendum.*

51 In æternum] εἰς τὸν αἰῶνα *Id est, unquam. Hebraismus.*

51 Et tu dicis] καὶ σὺ λέγεις. *Pro, Et nihilominus tamen tu dicis? Interrogatio deridentis & indignantis. quasi dicant: Quis non te ista dicentem rideat? imò potiùs quis non de tanto fastu indignetur?*

53 Quem] τίνα. *Pro, Quem igitur. τίνα οὖν.*

55 Sed] καί. *Vel, Et tamen. ut sit enuntiatum discretum: Quanquam patrem meum, dicitis vestrum esse Deum; tamen non nostis eum.*

56 Pater vester] ὁ πατὴρ ὑμῶν. *Ut scilicet vos gloriamini. Concessio ironica. nam suprà negavit hoc, v.39. Nisi malimus dicere: respici hîc ad originem, illic ad ingenium.* Vidit] εἶδε. *Nempe oculis animi, id est, fide.*

57 Et Abraham vidisti?] καὶ Ἀβραὰμ ἑώρακας; *Pro, Et tamen Abrahamum vidisti? quasi dicant, Quomodo igitur fieri potest, te vidisse Abrahamum? Interrogatio habet vim negandi.*

58 Priusquàm Abraham fieret, ego sum] πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμί. *Quoniam nuper nebulo quidam Samosatenianus sententiam hanc falsâ expositione nequissimè depravavit: eò diligentiùs est nobis genuinus illius sensus asserendus. Planum est autem ex occasione hujus dicti, Christum his verbis voluisse asserere æternam suam essentiam, id est, deitatem. Etenim adversarii negaverant, fieri posse ut ipse viderit Abrahamum; quum tempore Abrahæ nondum fuerit: quippe nondum natus annos quinquaginta. quibus verbis manifestè significant, se illum pro nudo homine habere. Isti errori occurrit jam Dominus his verbis, Amen amen dico vobis, Priusquam Abraham fieret, ego sum. q.d. Tantum abest, ut nondum fuerim tempore Abrahæ, sicut vos putatis: ut etiam fuerim ante illud tempus, antequam scilicet Abraham fieret. quid autem tum fuit? Non certè homo: quippe ut homo, ex Abrahamo demum ortus est. Relinquitur ergo intelligendum, ipsum tunc fuisse ut Deum. Id quod etiam confirmat verbum præsentis temporis, εἰμί. id est, Sum. Hoc testimonium deitatis Christi Samosatenianus ille sic eludit falsa expositione: Antequam Abraham fiat, scilicet pater gentium: id est, Antequam*

Gentes per Evangelium vocentur: ego jam adsum. Quæ expositio planè audax & contorta est: nihilq; ad institutum sermonem facit: ut ex allata vera nostra expositione manifestum est.

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

Gubernatio Dei. 1 Mali bonis insidias nectentes, sibiipsis laqueum nectunt. Huc pertinent illa: Qui fodit alteri foveam, ipse in eam incidet, Proverb.26.vers.27. Carpit Deus sapientes in astutia ipsorum, Job.5.vers.13. Atque hoc etiam profani authores animadverterunt. ut Hesiodus: qui ait, ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη· quod Latino carmine sic efferunt: *Consilio perit ipse suo consultor iniquus.* Et proverbio Germanico dicitur, **Untrew schlegt seinen aignen herren.**

Hypocritarũ ingenium. 2 Hypocritæ quum suis vitiis indulgeant, interim plusquam severi aliorum censores sunt. Confer parabolam de festuca & trabe in oculo, Matth.7.v.3.4.5. item locum Pauli Rom.2.v.1.2.3.item v.21.22.23.

Officium ministrorum verbi. 3 Christus noluit civilis magistratus partes ad se trahere: contentus ad fidem & resipiscentiam peccatores adducere. Hoc exemplum omnibus verbi Dei ministris imitandum proponitur.

Gratia Christi. 4 Gratiæ Christi finis est, ut Deo reconciliatus peccator, salutis suæ authorem piè sancteq; vivendo colat.

Vita æterna. 5 Ex v.12. Ad vitam æternam consequendam opus est nobis lumine fidei seu cognitionis Dei, quod Christus in cordibus nostris accendit virtute Spiritus sancti per prædicationem Evangelii.

Evangeliũ. 6 Ex v.13.14.15.16.17.18. Doctrina Evangelii, quam filius Dei Dominus noster Jesus Christus ex arcano sinu Patris protulit, & ipse in terris ambulans annuntiavit, vera & certa manet, etiamsi reprobi contradicant, eamq; repudient.

Cognitio Dei. 7 Ex v.19. Nemo Deum nisi in Christo nosse potest. Quare Turcæ & Judæi ignorant Deum: quum Christum ignorent.

Gubernatio Dei. 8 Ex v.20. Dei, non hominum, arbitrio vivimus & morimur. Itaque illud unum superest, ut nostro munere constanter defungamur.

Mors æterna. 9 Ex v.21.22.23.24. Quoniam omnes homines in peccato concepti & nati sunt: moriendum est omnibus iis qui in Christum peccati expiatorem non credunt.

Cognitio Christi. 10 Ex v.25. Is demum Christum rectè cognoscit, qui attentè audit quid loquatur.

Doctrina Christi. 11 Ex v.26. Deus vindicat contemtum doctrinæ Christi.

Contemtus Christi. 12 Ex v.28. Ipse quoq; Christi contemtus cedit ejus gloriæ; quod tandem ejus hostes maximo suo malo sentient.

Discipuli Christi. 13 Ex v.31.32. Veri discipuli Christi in ejusdem sermone perseverant: ut magis ac magis in veritatis cognitione proficientes, à durissima peccati servitute in veram libertatem justitiæ & vitæ asserantur. Vide Luc.9.v.62.

Pii parentes. 14 Ex v.37.39. Non est satis, piis parentibus ortum esse, sed oportet eorum pietatem imitari. Sic non est satis, successisse piis Episcopis.

Consolatio contra iniqua maledicta. 15 Ex v.48. Si omnis generis maledictis impetimur ab hostibus veritatis: consolemur nos exemplo Christi cui idem evênit.

Maledicta. 16 Ex v.49. Contra maledicta ne regeramus maledicta: sed refutemus illa vitæ nostræ sanctitate. Vide 1.Pet.2.v.23. & 3.v.16.

Mors æterna. 17 Ex v.51. Sola Evangelii doctrina per fidem apprehensa, certum est adversus mortem remedium.

Salus sanctorum in V.T. 18 Ex v.56. Sancti patres in veteri Testamento non aliter servati sunt quàm nos. Servati enim sunt per fidem Christi.

Christi deitas. 19 Ex v.58. Christum esse verum Deum, ex eo patet: quòd fuit ante Abrahamum, imò inde ab æterno.

Vindicatio verborum Christi, Ego sum vobiscum &c. 20 Ex eod. v. Sophistica & fallax est eorum argumentatio, qui ex dicto Christi Matth. ultimo, *Ego sum vobiscum omnibus diebus*, inferunt, Christum nobiscum esse secundùm utramque naturam: quia dicit, *Ego:* quo pronomine significat suam personam ex duabus naturis, divinâ & humanâ, constantem. Nam si valeret ista argumentatio ad concludendum præsentiam Christi secundùm naturam humanam: pari ratione valeret hîc argumentatio ad concludendum æternitatem Christi secundùm humanam naturam. At hæc argumentatio non valet. Ergo nec illa.

ANALYSIS CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continetur historia de sanato cæco à nativitate. Ac primùm exponuntur miraculi hujus occasio & circumstantia, usq; ad v.8 Deinde, quomodo hæc res innotuerit Pharisæis, usq; ad v.14. Tertiò, quomodo Pharisæi inquisierint de rei gestæ veritate, & quomodo cum sanato illo altercati sint super Christo, usq; ad v.35. Quartò, quomodo Christus illi sanato se pleniùs patefecerit, usq; ad 39. Postremò, quomodo Christus Pharisæis cæcitatem voluntariam exprobrarit, usq; ad finem cap.

PRIMA PARS.

Occasio sanationis cæci nati, & circumstantiæ.

PRæteriens autem vidit quendam cæcum à nativitate.

2 Et interrogaverunt eum discipuli ejus, dicentes: Rabbi, quis peccavit, iste an parentes ejus, ut cæcus nasceretur?

3 Respondit Jesus, Neque iste peccavit, neque parentes ejus, *ut cæcus nasceretur:* sed *cæcus natus est*, ut opera Dei manifesta fiant in eo.

4 Oportet me operari ejus opera qui misit me, donec dies est: venit nox quum nemo potest operari.

5 Quamdiu fuero in mundo, lux sum mundi.

6 Hæc cùm dixisset, spuit humi, & fecit lutum ex sputo, & illevit istud lutum oculis cæci.

7 Dixitque ei; Vade, ablue *oculos* in piscina Siloam: (quod est, si interpreteris, missus.) Abiit ergo & abluit *oculos*, rediitq; videns.

V.1. exponitur miraculi hujus occasio. V.2. quæstio discipulorum, de cæcitatis illius causa. V.3. responsio Christi ad illam quæstionem. V.4. & 5. præparatio ad miraculum. V.6. & 7. forma miraculi & adjuncta extrinsecus adhibita.

Occasionem huic miraculo præbuit, quòd Jesus præteriens, cæcum illum vidit. Quòd autem is cæcus fuisse narratur à nativitate seu utero matris, hoc auget miraculi magnitudinem. Quum enim cæcitas illa nullis humanis remediis curabilis fuerit: necesse est divinam esse virtutem seu potentiam Christi, quâ illam sustulit. Quæstio discipulorum ex præsenti objecto nata est. Nititur autem hac hypothesi, quòd omnes hominum miseriæ peccatorum pœnæ sint, divinitus inflictæ: Quod etsi verum est: tamen huic non efficitur, quòd semper is qui plus quam alii à Deo flagellatur, plus etiam quam alii peccaverit. Deus enim quum homines flagellat, non semper eorum peccata respicit, sed sæpe alios fines propositos sibi habet; ut, interdum probationem fidei eorum quos flagellat, quod videre est in Jobo: interdum singularem patefactionem operum suorum, ut in isto cæco. Errant igitur discipuli, quòd putant, hunc cæcum vel certè ejus parentes singulariter peccatis suis commeritos esse hoc Dei flagellum. nam (ut Christus docet) Deus hunc hominem cæcum nasci voluit, non ut puniret singulare aliquod vel ipsius vel parentum ejus peccatum: sed ut in eo patefaceret sua opera, nempe opus severitatis, quòd tanto tempore cæcitate eum flagellavit; & opus bonitatis atq; misericordiæ, quòd ei ultrò per Christum visum donavit.

Sed videtur absurdum, quòd quærunt, an ipse cæcus peccato aliquo commeritus sit ut cæcus nasceretur. Etenim qui potuit peccare nondum natus? Si dicas eum peccasse in lumbis Adæ: id verum quidem est; sed quum sit huic cæco cum omnibus aliis hominibus (solo Christo excepto) commune; non est putandum discipulos eò respexisse. Sic enim quærendum potiùs fuisset, qui fiat, quòd non omnes cæci nascantur: quum omnes tamen in lumbis Adæ peccarint. Et eos loqui de peccato, quod ipse commiserit in sua persona, apparet ex antithesi, ubi quærunt, an ipse peccarit, an verò parentes ejus. Loquuntur ergo de aliquo peccato, quòd non sit utrisque commune, sed quod vel his vel illi proprium. Sciendum est igitur, hanc quæstionem niti falsâ illâ opinione de migratione animarum ex uno corpore in aliud, nempe ex corpore morientis in corpus nascentis: quæ animarum migratio μετεμψύχωσις, q.d. transanimatio, dicta fuit, & à Pythagora tradita. Hac falsâ opinione infectos fuisse Judæos tempore Christi, liquet ex hoc loco. Item ex Matth.14.v.2. & Matth.16.v.14. Nisi quis putet, eos opinatos esse quòd animæ humanæ jam olim in principio mundi creatæ sint omnes, ac interea temporis vel bene vel malè agant. Quòd autem quærunt, an parentes ejus commeriti sint, ut cæcus nasceretur, etsi primâ fronte absurdum videri possit, quum dixerit Deus apud Ezechielem, Non portabit filius iniquitatem patris, sed anima quæ peccaverit, morietur: sciendum tamen est, quæstionem istam consentaneam esse verbo Dei. nam Deus in secundo præcepto decalogi minatur, se visitaturum iniquitatem patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem. Nam quod apud Ezechielem dicitur, id opponitur falsæ querelæ Judæorum, dicentium se puniri à Deo non propter sua peccata, sed propter peccata patrum: id quod significabant dicto isto proverbiali, Patres comederunt labruscam, & dentes filiorum obstupuerunt vel stupefacti sunt. Hoc igitur Deus negat, & contrà affirmat se illos castigare propter ipsorummet peccata. quanquam interim non negat, se simul etiam propter iniquitatem patrum ipsos punire. hoc enim tantùm vult: Filius si sit innocens, non portabit iniquitatem patris.

4 *Donec dies est*] Tempus suæ liberæ commorationis in mundo comparat diei: tempus verò suæ captivitatis & passionis comparat nocti. Itaque significat, se dum liberè sibi in mundo commo-

commorari licet, nullam occasionem neglecturum fungendi suo munere, ac proinde edendi miracula ad confirmandum suam doctrinam: quia paulò pòst futurum sit, ut id ei non liceat: nempe quum adfutura sit hora illa impiorum & potestas tenebrarum, Luc.22.v.53.

5 *Quamdiu fuero in mundo, lux sum mundi*] Hæc sententia videtur præcedenti subjici per correctionem ac prolepsin. Quum enim innuisset, se nocte impeditum iri in operando: nunc addit, illud tamen obstare non posse, quò minùs sit lux mundi, quamdiu in mundo fuerit. Etsi enim tempore passionis non exseruit potentiam suam divinam in miraculis edendis; tamen constanter perrexit in docendi munere, quatenus doctrinam suam constanter coram Pilato professus est, & in ipsa cruce variis documentis pios instruxit. Nec verò ex verbis Domini efficitur, eum desiisse esse lucem mundi, quum desiit esse in mundo præsentiâ corporali. Sicut ex verbis Matth. cap.1.v.ult. non sequitur, Josephum cognovisse Mariam, postquam illa peperisset primogenitum suum. Est enim illic similis locutio.

6 *Spuit*] Certum est, in illo luto non fuisse vim illuminandi oculos cæci: quin potiùs videntem occæcare poterat: sed hoc symbolo liberè pro sua sapientia usus est Dominus: ut intelligeretur, ipsum suâ virtute divinâ illuminasse oculos cæci; sibique tam facile esse cæcitatem depellere, quam facile fuit cæco lutum oculis suis illitum aquâ abluere. Et fortasse simul significare voluit, se sanguinis sui merito & efficaciâ sui spiritus abluere oculos cordis, ut cernere possint gratiam Dei sibi in Christo reconciliati. Denique ridiculo hoc sanandi modo fidem & obedientiam cæci probare voluit, sicut olim Dominus per Elisæum probavit fidem & obedientiam Naamani Syri, 2.Reg.5.

SECUNDA PARS.

Quomodo sanatio cæci innotuerit Judæis.

8 Vicini ergo, & qui priùs viderant eum cæcum esse, dicebant, Nónne hic est qui sedebat & mendicabat?

9 Alii dicebant, Hic est: alii verò, Similis est ei. Ille *autem* dicebat, Ego *is* sum.

10 Dixerunt ergo ei, Quomodo aperti sunt tibi oculi?

11 Respondit ille, & dixit; Quidam qui dicitur Jesus, lutum fecit, & illevit illud oculis meis, & dixit mihi, Vade ad piscinam Siloam, & ablue *oculos*. Ut autem abii & ablui *oculos*, vidi.

12 Dixerunt ergo ei, Ubi est ille? Ait, Nescio.

13 Adducunt eum ad Pharisæos, eum, *inquam*, qui olim cæcus *fuerat*.

V.8.9.10.11. exponit, quomodo sanatio cæci innotuerit vicinis, V.12.&13. quomodo innotuerit Pharisæis.

9 *Similis est ei*] Hi videntur malignè supprimere velle miraculum in cæco editum. Etenim facilè eum poterant agnoscere: quum nulla alia in re mutatus esset quàm in oculis & visu. Sed tantum abest, ut maligno isto conatu aliquid proficiant, ut potiùs occasionem sanato præbeant, ut ipsemet disertè profiteatur, se illum esse, qui pridem cæcus fuerat.

12 *Ubi est ille*] Hoc quoq; malo animo interrogare videntur, ut nimirum Jesum Pharisæis prodant: ut qui sabbathum violasset sanatione cæci illius: quippe cujus oculis lutum illevisset, quemq; jussisset lavari in piscina. Sed cùm rescire nequeunt, ubi Jesus sit, agunt quod proximum erat, & quantum poterant, nempe adducunt sanatum illum ad Pharisæos: ut illi rem omnem accuratiùs cognoscant & judicent.

TERTIA PARS.

Pharisæi inquirunt de sanatione cæci, & cum illo altercantur.

14 Erat autem sabbathum quum lutum faceret Jesus, & aperiret oculos ejus.

15 Rursus ergo interrogarunt eum etiam Pharisæi, quomodo videndi facultatem esset adeptus. Ille verò dixit eis, Lutum imposuit oculis meis, & ablui *oculos*, & video.

16 Dicebant ergo ex Pharisæis quidam, Homo iste non est à Deo: nam sabbathum non servat. Alii dicebant, Quomodo potest homo peccator talia signa edere? Et dissidium erat inter eos.

17 Rursus dicunt cæco, Tu quid dicis de ipso? nam aperuit oculos tuos. Ille autem dixit, Propheta est.

18 Non crediderunt ergo Judæi de eo quòd cæcus fuisset, & videndi facultatem esset adeptus, usquequò vocarunt ejus parentes, ejus, *inquam*, qui videndi facultatem fuerat adeptus.

19 Et interrogaverunt eos, dicentes; Hiccine est filius ille vester quem vos dicitis cæcum natum esse? quomodo ergo nunc videt?

20 Responderunt eis parentes ejus, & dixerunt; Scimus hunc esse filium illum nostrum, & cæcum natum esse:

21 Quomodo verò nunc videat, nescimus; aut quis ejus aperuerit oculos, nos nescimus: ipse ætatem habet, ipsum interrogate, ipse de se loquetur.

22 Hæc dixerunt parentes ejus, quòd timerent Judæos: jam enim constituerant Judæi, ut si quis eum confiteretur *esse* Christum, synagogâ moveretur.

23 Propterea parentes ejus dixerunt; Ætatem habet, ipsum interrogate.

24 Secundò ergo vocarunt hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei; Tribue gloriam Deo: nos hunc hominem scimus peccatorem esse.

25 Respondit igitur ille & dixit, An peccator sit, nescio: unum scio; me, quum cæcus fuerim, nunc videre.

26 Dixerunt autem ei rursus, Quid fecit tibi? quomodo aperuit oculos tuos?

27 Respondit eis, Jam vobis dixi, & non audivistis? cur iterum vultis audire? num & vos vultis discipuli ejus fieri?

28 Itaque conviciati sunt ei, & dixerunt; Tu discipulus illius es; nos autem Mosis discipuli sumus.

29 Nos scimus Deum esse loquutum Mosi; hic autem unde sit nescimus.

30 Respondit ille, & dixit eis; At enim istud mirum est quòd vos nesciatis unde sit, & *tamen* aperuit meos oculos.

31 Scimus autem quòd Deus peccatores non audiat; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus exsequitur, hunc audit.

32 Ab sæculo non est auditum, aliquem aperuisse oculos ejus qui cæcus natus fuerit.

33 Nisi esset hic à Deo, non posset quicquam facere.

34 Responderunt & dixerunt ei; Tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.

Exponitur causa impulsiva, quæ movit Pharisæos & instar cotis animos eorum acuit, ut eò accuratiùs de re tota inquirerent: nempe quòd res erat gesta in sabbatho: unde illi sabbathum à Jesu violatum esse sentiebant. V.15. rem gestam ex ipso sanato cognoscunt. V.16. commemorantur diversa eorum judicia: aliis Jesum ut hominem impium damnantibus: aliis contradicentibus. V.17. cognoscunt judicium sanati de Jesu, sperantes scilicet, eum in ipsorum gratiam Jesum tanquam violatorem sabbathi damnaturum, aut certè minùs honorificè de eo loquuturum: sed falluntur. nam sanatus ingenuè de Jesu profitetur, quantum de eo cognoverat, & quanti eum faciebat: videl. esse prophetam, i.e. pium doctorem divinitus missum. V.18.&19. exponitur pertinax Pharisæorum incredulitas: ut qui confessioni ipsius sanati fidem non habentes, parentes ejus accersunt, ut ex illis cognoscant: sperantes iterum, illos in ipsorum gratiam veritatem rei gestæ celaturos. V.20.&21. exponitur parentum responsum, ubi quantum possunt, invidiam declinant, ne Jesu benefactori favere videantur. Cujus rei causam ipse Evangelista exponit v.22.&23. nempe metum excommunicationis. V.24.& deinceps usque ad 35. exponitur Pharisæorum cum illo sanato altercatio super Jesu: illis eum pro impio damnantibus, hoc verò ut pium defendente. Criminatio Pharisæorum nullo argumento nititur, sed tantùm alto supercilio asseverant, dicentes: *Nos scimus hunc hominem peccatorem esse.* Defensio sanati constat hoc syllogismo:

Peccatores (id est, impios ac sceleratos) Deus non audit, v.31.
Atqui hunc audivit. Etenim miraculo maximo me sanavit, vers.32.
Ergo hic non est peccator.

Additur & alter syllogismus, idem concludens, sed connexè.
Nisi esset hic à Deo, non posset quicquam facere, v.30.
At potuit rem maximam facere, nempe aperire oculos cæci nati, vers.32.
Ergo hic est à Deo.

Hac libertate dicendi & hac claritate demonstrationis commoti atque offensi Pharisæi, homini conviciantur, eumque à se ejiciunt.

QUARTA PARS.

Christus cæco sanato se pleniùs patefacit.

35 Audivit Jesus quòd ejecissent eum foras: &

quum invenisset eum, dixit ei; Túne credis in Filium Dei?

36 Respondit ille & dixit; Quis est, domine, ut credam in eum?

37 Dixit autem ei Jesus; Et vidisti eum; & qui loquitur tecum, ille est.

38 At ille ait; Credo, domine. Et adoravit eum.

Christus quum cognovisset, cæcum illum à Pharisæis excommunicatum esse: offert se illi ultrò consolandi causâ, eique se patefacit, fidemque in eo efficit: quam is adoratione testatam facit.

QUINTA PARS.

Christus Pharisæis cæcitatem voluntariam exprobrat.

39 Et dixit Jesus, Ad judicium *exercendum* ego in hunc mundum vêni: ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.

40 Audierunt autem hæc quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant, & dixerunt ei, Num & nos cæci sumus?

41 Dixit eis Jesus; Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, Videmus: itaque peccatum vestrum manet.

Christus occasione cæci illius non solùm corpore, sed etiam mente à se illuminati, exclamat de mirabilibus Evangelii sui effectis, quippe inter se contrariis: ut quo alii quidem illuminentur, alii verò magis excæcentur. quorum effectuum ille quidem (nempe illuminatio) nativus ac genuinus est; & in iis locum habet, qui per gratiam Dei cæcitatem sibi innatam, hoc est, ignorantiam Dei agnoscunt, ac illius cognitione illuminari expetunt; confer 2. Corinth. 2. vers. 15. 16. Alter verò effectus, nempe excæcatio, accidentalis seu adventitius est: & in illis evenit, qui quum sibi quàm acutissimè videre, Deique notitiâ præditi sibi esse videantur, Evangelii doctrinam respuunt: quales tunc erant Pharisæi, saltem plerique. Itaque Christus his verbis Pharisæis voluntariam illam ipsorum cæcitatem obliquè exprobrat, vers. 39. Qua exprobratione Pharisæi qui tum aderant, & eam audierant, offensi, indignantur; & cum stomacho de injuria sibi à Christo facta cum eo expostulant, negantes se cæcos esse, v. 40. Quibus Dominus ita respondet, ut innuat, non esse quidem eos ita cæcos, ut sint sanabiles, quippe quum cæcitatem suam non agnoscant: Veruntamen eos voluntariâ illâ suâ cæcitate, qua lucem Evangelii, tanquam longè Christo sapientiores respuant, inexcusabiles sese coram Deo reddere, adeoque æternum sibi exitium attrahere, v. 41.

SCHOLIA IN CAP. IX.

3 Opera Dei] τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ. *Videlicet opus justitiæ & potestatis divinæ in illo cæcitate puniendo: deinde opus misericordiæ & omnipotentiæ in visu illi conferendo.* In eo] ἐν αὐτῷ. *Tanquam in subjecto seu objecto: quippe cui mox divinâ virtute visus à me donandus sit.*

4 Donec dies est] ἕως ἡμέρα ἐστίν. *Diei comparat curriculum vitæ suæ terrenæ nocti verò, tempus illud tenebrarum, quo opera Satanæ & impiorum passus est pro nobis. Allegoria metaphorica.*

5 Quamdiu fuero in mundo] ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ὦ. *Significat se aliquando è mundo discessurum, seu mundum relicturum, ut ait infrà cap. 16. v. 28.* Lux sum mundi] φῶς εἰμι τοῦ κόσμου. *Illuminans nimirum electos meâ doctrinâ & factis.*

7 In piscina] εἰς τὴν κολυμβήθραν. *Pro,* ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ. Siloam] Σιλωάμ. *Hebraicè* שִׁלּוֹחַ *schilóahh, à radice* שָׁלַח *misit. Hujus piscinæ fit etiam mentio Nehem. 3. v. 15. item Esa. 8. vers. 6.*

8 Qui viderant] οἱ θεωροῦντες. *Pro,* τεθεωρηκότες. *Enallage temporis.* Cæcum esse] ὅτι τυφλὸς ἦν. *Omnino pro* ὅτι *videtur legendum* ὅτε: *quia præcedit τὸ πρότερον. ac proinde vertendum,* Quum cæcus esset. *Nisi* ὅτι *usurpatum sit ut Hebræorum* כִּי *kí.*

10 Aperti sunt] ἀνεῴχθησαν. *Id est, videndi facultate imbuti. Metonymia efficientis: nam ut clausione oculorum impeditur visio, sic apertione adjuvatur. Diversâ paulùm ratione dicuntur oculi aperti fuisse Hagaræ, Gen. 21. v. 19. Nempe non simpliciter ut videret (videbat enim) sed ut videret id quod aliâs, quantumvis objectum & ante se positum, non vidisset: id est, effectum fuit divinitus, ut oculos eò dirigeret, nimirum ad fontem.*

11 Vidi] ἀνέβλεψα. *Propriè, Suspexi, id est, videndi facultatem adeptus sum.*

16 Homo iste] οὗτος ὁ ἄνθρωπος. *Nempe qui lutum imposuit oculis tuis.* Nam sabbathum non servat] *Id est: nam fecit istud in sabbatho, ac proinde sabbathum violavit.* Alii] ἄλλοι. *Inter quos fortasse Nicodemus: qui similiter Jesum defendit suprà c. 7. v. 51.*

18 Non crediderunt ergo] οὐκ ἐπίστευσαν οὖν. *Conjunctio* οὖν *hic non est illativa, sed transitiva.*

22 Constituerant] συνετέθειντο. *Pacti fuerant.* Synagogâ moveretur] ἀποσυνάγωγος γένηται. *Id est, tanquam manifestè impius, ex Ecclesia ejiceretur: quod vulgò dicimus Excommunicari.*

24 Tribue gloriam Deo] δὸς δόξαν τῷ Θεῷ. *Id est, Confitere veritatem. Metonymia effecti. Etenim confessio veritatis ex studio obsequendi Deo profecta, redundat in gloriam ipsius. Eâdem loquendi formâ usus est Josue ad Achanem, Jos. 7. 19.*

25 Nunc videre] νῦν βλέπω. *Nempe illius beneficio.*

27 Et non audivistis] καὶ οὐκ ἠκούσατε. *Legendum cum interrogatione. quasi dicat: Miror si non audivistis, quum tamen vobis dixerim.*

31 Non audiat] οὐκ ἀκούει. *Id est, non exaudiat, non faciat ea quæ illi petunt.*

32 A sæculo] ἐκ τοῦ αἰῶνος, *Inde à sæculo (hoc est, mundo) condito. Sic Matth. ult. v. ult. dicitur consummatio sæculi,* τοῦ αἰῶνος, *id est, mundi hujus.*

33 Quicquam] οὐδέν. *Scil.* τοιοῦτον, *tale. In Græco gemina negatio est.*

34 Tu in peccatis natus es totus] *Sic nimirum judicant, quia natus erat cæcus.* Et tu doces] καὶ σὺ διδάσκεις. *Pro, Et tamen doces? Enuntiatum discretum: Quanquam tu in peccatis natus es totus; tamen præsumis docere nos, homines scil. tam sanctos. quasi dicant, Quis hoc ferat? Interrogatio indignantis.* Et ejecerunt] καὶ ἐξέβαλον. *Id est, Itaque ejecerunt. narratur enim eventus.*

39 Ad judicium] εἰς κρῖμα. *Hoc est, ad vindictam gloriæ Dei exercendam in superbos ac præfractos Evangelii & gratiæ Dei contemtores. Et sic hoc nomen pertinet tantùm ad posteriorem sententiæ sequentis partem. Sin verò ad utramque illius sententiæ partem hoc nomen extendatur: tum significabit in genere gubernationem divinam animorum in Evangelii prædicatione.* Vêni] ἦλθον. *Nempe ad Evangelium docendum.* Ut qui] ἵνα οἱ &c. *Sequitur declaratio illorum verborum,* εἰς κρῖμα, *ad judicium.* Qui non vident] οἱ μὴ βλέποντες. *Id est, miseri peccatores, qui cæcitatem sibi innatam agnoscunt, & deplorant, & proinde illuminari à Deo expetunt.* Videant] βλέπωσι. *Id est, per Evangelii prædicationem virtute Spiritus sancti illuminentur; & veram Dei notitiam consequantur.* Qui vident] οἱ βλέποντες. *Hoc est, qui videntur sibi videre & notitiâ Dei præditi esse; quales tunc erant Pharisæi. Similis locutio exstat Matth. 13. v. 12. Etiam quod* habet, *tolletur ab eo. quod Lucas exponit, Etiam quod* videtur habere, *Luc. 8. v. 18.* Cæci fiant] τυφλοὶ γένωνται. *Id est, prædicatione Evangelii cæciores reddantur, & denique planè excæcentur, quemadmodum luce solis meridiani excæcantur oculi noctuarum. Confer 2. Cor. 2. v. 15. 16.*

40 Num & nos cæci sumus] μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν; *Hoc est, Num & nos tibi cæci videmur? num & nos cæcos esse affirmas? Interrogatio vim habet indignandi. quasi dicant, Eheu injuriam & contumeliam quâ nos afficis!*

41 Si cæci essetis, non haberetis peccatum &c.] *Hoc est, Si ex simplici cæcitate seu ignorantia offenderemini meâ doctrinâ, haberetis aliquam peccati vestri excusationem, aut saltem possetis consequi illius remissionem: sed quia peccatis ex cæcitate voluntariâ, & veritatem agnitam hostiliter persequimini, nullam excusationem habetis, nec unquam remissionem consequemini. Cōfer infrà cap. 15. v. 22. item Matth. 12. v. 32. Synecdoche generis.*

OBSERVAT. EX CAP. IX.

1 Jesus Mariæ virginis filius, est promissus ille Messias seu Christus, seu denique servator mundi: quia visum dedit cæcis: id quod Messiam facturum prædixit Esaias cap. 35. v. 5. Vide Luc. 7. v. 20. 21. 22. *Quòd Jesus sit Christus.*

2 Christus ita benignus est, ut miseris ultro opem ferat. *Christi benignitas.*

3 Ex v. 2. Cavendum ne in æstimandis proximi miseriis rigidiores simus, néve proximum temere damnemus, sed potiùs in nos ipsos descendamus, & in nostra ipsorum vitia inquiramus; quum naturâ meliores aliis non simus. *Judicium de proximo.*

4 Ex v. 3. Omnium quidem etiam corporis malorum prima est origo peccatum; nec tamen consequitur, semper à Deo respici peccata eorum quos durissimis etiam flagellis cædit. Exemplum illustre est in Jobo. *Res adversæ.*

5 Ex v. 4. Unusquisque in sua vocatione sedulò operari debet, dum licet. *Officium hominis Christiani.*

6 Ex v. 5. Christi exhibitio in mundo, instar clarissimæ lucis est, radios suos spargentis in omnium electorum corda. Etsi enim non omnibus licuit Christum in carne manifestatum videre oculis corporis; tamen oculis cordis viderunt illum, & vident, & videbunt, omnes electi. Augustinus cupivit tria videre: Romam in flore, Paulum in ore, Christum in carne. Vide Luc. 20. v. 23. & 24. *Christi exhibitio.*

7 Ex v. 6. & 7. Symbolis à Deo præceptis utendum est, si promissionum ejus participes fieri velimus: etiamsi symbola rationi humanæ ridicula sint. qualis vel inprimis erat circumcisio. *Sacramenta.*

8 Semper reperiuntur maligni operum Dei æstimatores, quique illorum gloriam supprimere conentur in gratiam potentiorum quibus adulantur: sed quò magis isti veritatem conantur opprimere, eò magis illa innotescit. Confer Act. 2. 13. *Gubernatio Dei.*

Scandalum. 9 Ex v.14. Exemplo Christi sanantis cæcum in sabbatho (qua re non ignorabat offensum iri Pharisæos) docemur, non esse curandas offensiones hostium Evangelii: Sed illis neglectis strenuè operam dandam, ut gloria Dei promoveatur. Vide Matthæi 15.v.14.

Religio. 10 Ex v.16.& 17. Nullius rei prætextu acriùs quàm religionis oppugnatur religio: sed ea quò magis premitur, eò magis assurgit.

Consolatio contra hypocritas. 11 Ex v.18. Si odio piorum doctorum Evangelii, fidem manifestæ veritati derogent hypocritæ: consolemur nos exemplo Christi, cui idem evênit.

Abnegatio Christi. 12 Ex v.21.22.& 23. Si Spiritus sanctus per os Evangelistæ mollitiem parentum cæci sanati damnat, ut qui periculi declinandi causâ non ingenuè confessi sint beneficium Christi: quantò igitur minus habebunt excusationis, qui perfidâ abnegatione Christum cum sua doctrina, cum miraculis, cum virtute & gratia prorsus obruunt?

Gubernatio Dei. 13 Ex v.24.& 25. Quò vehementiùs adversus Deum luctantur ejus hostes, eò pluribus laqueis subinde se induunt & fortiùs se constringunt.

Gubernatio Dei. Hypocritæ. 14 Ex v.25.27.30.31.32.& 33. Deus, quoties gloriæ ejus interest, per infirma organa confundit fastum hypocritarum: quemadmodum hîc gratiam dat sanato illi cæco, homini plebejo & pauperculo, atq; adeò mendico, ut non vereatur liberrimè Pharisæis contradicere, eosdemq; falsè etiam irridere.

Hypocrisis. 15 Ex v.28.29.& 34. Superba impietas tametsi ad tempus sub pietatis zelo delitescit: tamen tandem sese prodit, & in manifestas injurias erumpit.

Excommunicatio à falsa Ecclesia. 16 Felicissima est eorum conditio, qui ab impiis (etiam nomine Ecclesiæ superbientibus) quam-longissimè extruduntur: nam Christus eò propiùs ad eos accedit.

Evangelii prædicatio. 17 Ex v.39. Christus Evangelii prædicatione eos, qui cæcitatem suam (id est, ignorantiam Dei & salutis suæ) agnoscunt & illuminari expetunt, verè illuminat: eos verò qui sibi videntur oculati (hoc est, notitiâ Dei & salutis suæ præditi) ac proinde Evangelii doctrinam repudiant, penitus excæcat. Confer 2. Cor. 2. v.15.16.

Contemtus Evangelii. 18 Ex v.41. Contemtus lucis Evangelii & gratiæ Dei in eo lucentis, homines inexcusabiles reddit. Quare lucem Evangelii reverenter excipiamus, eâque indies magis ac magis illustrari expetamus.

ANALYSIS CAP. X.

ARGUMENTUM.

Partes duæ sunt. Prima continet concionem Christi de ostio caulæ ovium, & de ovibus suis, & deniq; de se pastore ovium; cum illius concionis eventu, usq; ad v.22. Altera pars continet altercationem Christi cum Judæis in festo encaniorum habitam, de suo officio & persona: cum eventu, usq; ad finem capitis.

PRIMA PARS.

Parabola de pastore ovium, item de ostio.

Amen amen dico vobis, qui non ingreditur per ostium in caulam ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro:

2 Qui verò ingreditur per ostium, pastor est ovium.

3 Huic aperit janitor, & oves vocem ejus audiunt: & suas oves vocat nominatim, & educit eas.

4 Cumq; suas oves emiserit, antegreditur eas: & oves eum sequuntur, quia norunt vocem ejus.

5 Alienum autem nequaquam sequentur, sed fugient ab eo: quia non norunt vocem alienorum.

6 Hanc similitudinem dixit eis Jesus. Illi verò non cognoverunt quænam illa essent quæ loquebatur eis.

7 Jesus ergo rursum dixit eis, Amen amen dico vobis, ego sum ostium illud ovium.

8 Quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones: sed non auscultarunt eos oves.

9 Ego sum illud ostium: per me si quis introierit, servabitur: & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet.

10 Fur non venit nisi ut furetur, & mactet ac perdat oves: ego vêni ut vitam habeant & abundent.

11 Ego sum pastor ille bonus: bonus pastor animam suam deponit pro ovibus:

12 Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videns lupum venientem, relinquit oves & fugit: lupus autem rapit & dissipat oves.

13 Mercenarius autem fugit; quia mercenarius est, & non est illi cura ovium.

14 Ego sum pastor ille bonus, & agnosco oves meas, & agnoscor à meis: Prout novit me Pater, & ego novi Patrem.

15 Et animam meam depono pro ovibus.

16 Alias etiam oves habeo quæ non sunt ex hac caula: illas quoque oportet me adducere: nam vocem meam audient, fietque unus grex & unus pastor.

17 Propterea Pater me diligit, quia ego depono animam meam, ut eam rursus assumam.

18 Nemo tollit eam à me, sed ego depono eam per meipsum: potestatem habeo deponendi eam, & potestatem habeo rursus eam assumendi. Hoc mandatum accepi à patre meo.

19 Dissidium igitur rursum ortum est inter Judæos propter istos sermones.

20 Dicebant autem multi eorum, Dæmonium habet, & insanit. quid eum auditis?

21 Alii dicebant, Hæc verba non sunt dæmoniaci: num dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

In prima parte Christus primùm proponit parabolam de pastore ovium, usque ad v.6. deinde eam exponit, à v.7. usque ad 19. Postremò exponitur concionis illius eventus. Parabola duo docet: Unum, quinam sint veri pastores seu ecclesiæ doctores, v.1.2.3. & parte quarti; alterum, quinam sint veræ oves, hoc est, veri discipuli Christi tanquam summi pastoris, v.4.& 5. Veros igitur pastores à falsis hac notâ discernit Christus, quòd veri doctores oves ad solum Christum ducunt, tanquam ad ostium, per quod ingressus in ecclesiam & in cælum patet: falsi non item. Porrò falsos doctores, ut meminerimus quantopere cavendi nobis sint, fures & latrones nominat: quippe qui falsâ suâ doctrinâ æternam vitam hominibus suffurantur, & illorum animas necant, atque in æternam mortem præcipitant, vers.1. Contrà, ut veros doctores eò libentiùs atque alacriùs audiamus, & sequamur, insignem utilitatem, quæ ex illorum ductu ad nos pervenit, indicat; nempe quòd à Deo in gregem ovium Christi admittimur atque recipimur, v.3. Præterea veros doctores discernit non solùm à falsis, hoc est, iis qui falsâ doctrinâ oves à Christo seducunt ac perdunt: sed etiam à mercenariis, hoc est, qui etsi verâ doctrinâ oves pascant, nullam tamen ovium curam gerunt: id quod faciunt pastores veri. Hanc curam Christus significat primùm quum ait v.3. verum pastorem *suas oves vocare nominatim*, hoc est, auditores ac discipulos suos notos habere: quippe quos non solùm publicè docuerit, sed etiam privatim admonuerit. Deinde ait, quòd verus pastor oves suas *ducat in pascua*, hoc est, quòd magno studio suis discipulis proponat salutarem doctrinam verbi Dei, v.3.& 4. Atque hæc de pastore. Jam ad oves quod attinet, hoc est, electos: de illis ait Christus, *quòd vocem boni pastoris audiant, eumq; sequantur*, v.3.& 4. hoc est, quòd veræ doctrinæ de salute per Christum partâ credant. deinde, *quò non audiant aut sequantur alienum*, v.5. hoc est, quòd non credant doctrinæ falsæ malorum pastorum. Causam etiam exponit, cur illos sequantur, hos non item: *quia nimirum agnoscant vocem illorum, horum non item*; hoc est, quia Spiritu Dei edocti, intelligant veram atque cælestem doctrinam, eamq; à falsa discernant, v.4.& 5.

6 *Hanc*] Transitio ad expositionem parabolæ: quæ transitio continet causam, quæ Christum movit ad parabolam exponendam; nempe quòd animadverteret, Judæos illam non intelligere. In expositione parabolæ primùm monet, se esse ostium illud caulæ ovium, hoc est, per se solum ingressum patere in Ecclesiam & regnum Dei, v.7.& 9. Deinde monet, omnes doctores qui discipulos ad ipsum non duxerint, fuisse fures & latrones, v.8. Tertiò discernit se tanquam verum pastorem à pastoribus falsis, v.10. Quartò discernit se à mercenariis, v.11.12.13.14. & 15. Quintò promittit vocationem gentium & aggregationem in ovile populi Dei, v.16. Sextò redit ad discrimen inter se & mercenarios, suumque eximium erga suas oves amorem prædicat, v.17.& 18.

19 *Dissidium*] Eventus concionis Christi fuit dissidium inter auditores: quorum alii eum blasphemarunt, alii contra blasphemiam eum defenderunt.

SECUNDA PARS.

Altercatio Christi cum Judæis in festo Encaniorum.

22 Facta sunt autem encænia Hierosolymis, & hyems erat.

23 Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis.

24 Cinxerunt igitur eum Judæi, & dixerunt ei; Quousque animam nostram suspendis? Si tu es Christus, dic nobis apertè.

25 Respondit eis Jesus; Dixi vobis, nec creditis:

opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testantur de me.

26 Sed vos non creditis: non enim estis ex ovibus meis, sicut dixi vobis.

27 Oves meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnosco, & sequuntur me:

28 Et ego vitam æternam do eis: nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea.

29 Pater meus qui *eas* dedit mihi, major omnibus est: neq; quisquam potest eas rapere è manu patris mei.

30 Ego & pater unum sumus.

31 Sustulerunt ergo rursum lapides Judæi, ut lapidarent eum.

32 Respondit eis Jesus, Multa bona opera exhibui vobis ex patre meo: propter quod illorum operum me lapidatis?

33 Responderunt ei Judæi, dicentes; Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam: id est, quia tu, homo quum sis, facis teipsum Deum.

34 Respondit eis Jesus; Nónne scriptum est in lege vestra, Ego dixi, Dii estis?

35 Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi scriptura:

36 Quem Pater sanctificavit & emisit in mundum, *de eo* vos dicitis, Blasphemas; quia dixi, Filius Dei sum?

37 Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi:

38 Sin verò facio; etiamsi mihi non credatis, operibus *tamen* credite: ut cognoscatis & credatis Patrem in me esse, & me in eo.

39 Rursus ergo studebant eum prehendere: sed exivit ex eorum manu.

40 Abiitque rursus ad trajectum Jordanis, in eum locum ubi primùm fuerat Johannes baptizans, mansitque illic.

41 Multi autem veniebant ad eum, & dicebant; Johannes quidem nullum signum edidit: quæcunque autem dixit, vera erant.

42 Et multi illic crediderunt in eum.

Altercationem Christi cum Judæis habitam descripturus Evangelista, primùm indicat circumstantiam temporis, v.22. deinde loci, v.23. tum occasionem, v.24. videl. quæstionem Judæorum, an ipse sit Christus seu promissus ille Messias. Ad quam quæstionem Christus respondens, & Judæis incredulitatem ipsorum exprobrat, & se Christum esse demonstrat ex effectis, nempe ex factis, seu operibus Christi propriis, v.25. deinde ad se consolandum, causam incredulitatis eorum exponit, nempe arcanam voluntatem Patris qui eos non elegerit ad vitam æternam, v.26. & incredulitati eorum opponit fidem electorum, v.27. Et hos in fide confirmat promissione vitæ æternæ: qui est fidei finis & perseverantiæ in fide, quæ ad illum finem assequendum destinata est, v.28. Perseverantiam autem in fide docet pendere à suo, tanquam fidi pastoris, præsidio: & hujus præsidii firmitatem ac certitudinem probat à comparatione sui cum Patre: ut qui parem cum Patre habeat potentiam: quum sit unum cum Patre, nempe unus Deus. Potentia autem Dei potentiam Diaboli & omnium ejus organorum longissimè superat, v.29. & 30. Hac gloriatione offensi Judæi, tanquam blasphema, conantur eum lapidare, v.31. Christus igitur cum eis propter hanc injuriam expostulat, eisque opera sua hactenus edita opponit, v.32. At illi factum suum defendunt, & crimen blasphemiæ impingunt, ut qui se affirmet Deum: quum non sit nisi nudus homo, v.33. Christus igitur crimen blasphemiæ à se depellit, seque meritò Deum nominari, probat à minori: videlicet ab exemplo magistratuum, qui nominantur dii, Psalm.82. Syllogismus est connexus primi modi:

Si magistratus rectè dicuntur dii: multò magis ego.
At antecedens verum est.
Ergo & consequens.

Propositio probatur: Quia ad magistratus tantùm factus est sermo Dei, & divinum officium eis à Deo mandatum, nempe judicium. Judicium enim Dei est: Deut.1.v.17. 2.Paralip.19.v.6. At Christus est filius Dei unigenitus, sanctificatus à Patre in Messiam seu Servatorem mundi, atque etiam missus. Assumtio probatur: quia magistratus dicuntur dii ab ipso Deo, teste Scriptura: cujus testimonium authenticum & firmum est. Hæc continentur v.34.35.& 36. Postea item probat à suis operibus, v.37. & 38. Ad extremum indicatur eventus: videl. quòd Judæi eum studuerint prehendere, sed frustra, v.39. Denique quò Dominus abierit, v.40. & qua re moti multi eum secuti sint, v.41. & quem fructum ex illa conversatione retulerint, v.42.

SCHOLIA IN CAP. X.

6 Non cognoverunt] οὐκ ἔγνωσαν. *Id est, non intellexerunt,* οὐ συνῆκαν. Quænam illa essent] τίνα ἦν. *Id est, quidnam significaret ista similitudo. Metonymia subjecti.*

7 Ostium illud ovium] ἡ θύρα τῶν προβάτων. *Id est, per quod oves in caulam intrant.*

8 Quotquot ante me venerunt] πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον. *Nempe profitentes se esse ostium illud ovium: aut certè aliud quodvis ostium quàm me, ostendentes. Synecdoche generis.*

13 Et non est illi cura ovium] καὶ οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων. *Vel, Et oves non sunt ei curæ.*

14 Oves meas] τὰ ἐμά. *Supple* πρόβατα. Et ego novi] κἀγὼ γινώσκω. *Repetendum* καθὼς *ex præcedente membro, sic:* καὶ καθὼς ἐγὼ γινώσκω, Et prout ego novi. *Non enim his verbis continetur* ἀπόδοσις *sententiæ proxime-præcedentis: sed ambæ istæ sententiæ pertinent ad* πρότασιν *comparationis, cujus* ἀπόδοσις *proximè præcessit.* πρότασις *autem hîc annectitur per* ἐπισύναψιν, *ordine inverso.*

15 Animam meam] τὴν ψυχήν μου. *Id est, vitam meam. Metonymia efficientis.*

16 Alias etiam oves] καὶ ἄλλα πρόβατα. *Intelligit electos inter Gentes.* Ex hac caula] ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης. *Ex populo Judaico.* Adducere] ἀγαγεῖν. *Id est,* προσαγαγεῖν.

18 Per meipsum] ἀπ' ἐμαυτοῦ. *Meâ sponte.*

20 Quid] τί. *Id est, Quare,* διὰ τί. *Ellipsis præpositionis.*

22 Encænia] τὰ ἐγκαίνια. *Festum hoc institutum fuit à Juda Macchabæo: quum pulso Antiochi præsidio, templum ac cultum Dei instaurasset. Vide 1. Macchab.4. vers.59.* Hyems erat] χειμὼν ἦν. *Nam encænia celebrabantur mense Cisleu: qui ex parte respondet nostro Decembri.*

25 Nec] καὶ οὐ. Et tamen non. *Cohæret enim hæc sententia cum præcedente per enuntiatum discretivum.* Opera &c.] τὰ ἔργα. βραχυλογία *seu concisus sermo. quasi dicat: Sed quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt?*

26 Non enim] οὐ γάρ. *Expositio causæ: qualis fuit supr. c.8.v.47. item c.6. v.37.* Sicut dixi] καθὼς εἶπον. *Nempe locis modò citatis.*

28 In æternum] εἰς τὸν αἰῶνα. *Id est, unquam. Sic 1.Cor.8.v.13. Hebraismus.*

29 Pater meus] ὁ πατήρ μου. *Exponit nunc causam ejus quod dixerat; non posse quenquam oves suas rapere è manu suâ, quia nimirum Pater major, id est, potentior sit omnibus, ipse autem cum Patre unū sit.* Omnibus] *Scil. angelis & hominibus.* Unum sumus] ἕν ἐσμεν. *Id est, unius ejusdemq; naturæ. Ex collatione v.33. & 36. Quum autem natura Dei sit impartibilis: sequitur, totam esse & in Patre & in Filio; sicut & in Spiritu sancto.*

31 Rursum] πάλιν. *Ut suprà cap.8.v.ult.*

33 Ob bonum opus] περὶ καλοῦ ἔργου. *Id est,* διὰ καλὸν ἔργον. Facis teipsum Deum] ποιεῖς σεαυτὸν θεόν. *Nempe dum dicis, te & Patrem esse* ἕν. *Synecdoche generis.*

34 In lege vestra] *Id est, quam vos jactatis, quave gloriamini: ut Rom.2.v.17. & deinceps.*

35 Scriptura] ἡ γραφή. *Scil.* ἡ ἁγία, *sancta. Synecdoche generis.*

36 Quem Pater &c] ὃν ὁ πατὴρ &c. *Hîc sequitur consequens connexi, in hunc sensum: Ergo multò magis ego pro Deo à vobis agnoscendus sum, ac proinde non arguendus blasphemiæ.*

38 Sin verò facio] *Scil. opera patris mei.* Etiamsi] κἂν. *Hîc incipit consequens connexi: quod ipsum consequens, est enuntiatum discretum.* Operibus] τοῖς ἔργοις. *Scil.* τοῖς ἐμοῖς, *meis.*

41 Signum] σημεῖον. *Id est, miraculum.*

OBSERVAT. EX CAP. X.

1 Ex v.1.8.& 10. Quicunque se pastores Ecclesiæ Dei profi- *Pastores ecclesiæ.*
tentur, & tamen oves non pascunt sanâ hac doctrinâ, quòd per solum Christum (nempe per illius meritum & efficaciam) æternam vitam consequantur: illi non pastores, sed fures & latrones sunt: quippe qui furantur æternam vitam ovium, & animas earum necant. Tales hodie sunt pseudopastores illi in Papatu: qui contendunt, non solâ fide in Christum, sed etiam meritis suorum bonorum operum homines æternam vitam adipisci. Tales etiam sunt, qui remissionem peccatorum in externo usu Sacramentorum ponunt, aut saltem populum in isto errore relinquunt ac fovent. Hæc enim causa est, cur baptismum quem vocant necessitatis vel festinationis (nottauf vel jachtauf) defendant; & cur morituris privatam cœnam Domini pro viatico dent.

2 Ex v.2.3.& 4. Pastoris Ecclesiæ officium est, non solùm sanâ *Officium pastoris Ecclesiæ.*
doctrinâ de vita æterna per solum Christum consequenda oves sibi commissas pascere: verùm etiam diligentem earum curam gerere, adeò ut eas (quoad ejus fieri potest) privatim notas habeat, & singulas prout necessitas temporis postulaverit, tractet; instituendo, consolando, admonendo, objurgando, denique omnia ea agendo quæ ad oviū salutem spectant. Vide Ezech.34. v.4. expostulationem Dei cum pastoribus officium suum negligentibus: Morbo affectas (inquit) non confirmatis, ægrotamq; non curatis, & confractam non obligatis, ac depulsam non reducitis,

ducitis, pereuntemque non requiritis: sed vi dominamini in eas, & per sævitiam &c. & Act.20. v.26.27.31.32.33.34. & 35. exemplum boni ac diligentis atque soliciti pastoris in Apostolo Paulo: & 1.Pet.5.v.2. cohortationem Petri ad pastores ut officium diligenter faciant. qualis est etiam cohortatio Pauli ad pastores ecclesiæ Ephesinæ, loco citato ex Act.v.28.29.30.& 31.

Officium hominis Christiani. 3 Ex v.3.4.& 5. Qui pro ovibus Christi haberi volunt, eos oportet audire vocem Christi, tanquam summi pastoris, loquentis per ministros verbi sui: sed non satis est audire auribus; sed oportet etiam audire corde, id est, obedire sanæ doctrinæ, illam credendo, & sanctè secundùm illam vivendo. Simul etiam fugere oportet pastores falsos, hoc est, qui falsâ doctrinâ oves à Christo abducunt: nisi de vita æterna periclitari velint. Vide 1.Joh.4 v.1.

Cælum. 4 Ex v.7. Christus solus is est per quem in cælum ingressus nobis patet. Vide infr.14.v.6.

Falsi doctores. 5 Ex v.8. Nihil refert, quàm multi aut quàm pridem fuerint falsi doctores. Vide Matth.5.v.21.& 27. Dictum est antiquis, &c.

Electi. 6 Ex eod. v. Electi conservantur divinitus, ne falsâ doctrinâ seducantur & à Christo deficiant. Vide Matth.24.v.24. & Luc. 22.v.32. de fide Petri.

Vita æterna. 7 Ex v.9.10.11.& 14. Quicunque æternam vitam expetit, & solidam consolationem desiderat, is in Christum credat; per hunc enim consequetur quod expetit.

Christus pastor. 8 Ex v.11. Christus reipsa demonstravit, se fidelem nostrum pastorem esse: quia animam suam pro nobis posuit. Quare illi nos totos regendos credamus. Vide Rom.5.v.6.& 8.

Officium pastoris Ecclesiæ. 9 Ex v.12.& 13. Non est satis, pastorem Ecclesiæ non esse furem & latronem, hoc est, seducere gregem falsâ doctrinâ: sed nec mercenarium esse oportet, qui scilicet mercedis causâ oves pascat, nullam autem eorum curam gerat. Etsi enim Dominus constituit ut qui evangelium annuntiant, ex Evangelio vivant, 1.Cor.9.v.14. tamen non oportet victus aut mercedis causâ Evangelium annuntiare. quin potiùs Apostolus Paulus victum ab ecclesiis accipere noluit: ne pseudapostolis ansam calumniandi præberet, quasi mercedis causâ Evangelium doceret, ibid. v.15. Vide 1.Pet.5.v.2. Non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo.

Officium pastoris Ecclesiæ. 10 Ex iisdem versibus. Pastor Ecclesiæ, nisi pro mercenario haberi velit, lupis, id est, falsis doctoribus, quoties ingruunt & gregi suo imminent, resistat: convincendo nimirum falsam eorum doctrinam, & oves admonendo, ne se falsâ illâ doctrinâ seduci patiantur. Vide Matth.7. v.15. exemplum Christi summi pastoris, & Act.20.v.28.29.30.& 31. & exemplum apostoli Pauli.

Dilectio inter Christum & fideles. 11 Ex v.14. Inter Christum & ejus oves reciprocus seu mutuus amor est. Quare quotquot Christum diligimus, sciamus nos ejus oves esse, ac vicissim ab ipso diligi. Interim verò probè notemus: quòd ipse prior dilexerit nos, ut Johannes ait: quippe qui nos dilexit, quum adhuc essemus inimici, ut ait Paulus Rom.5.v.8.& 10.

Dilectio Christi qua nos diligit. 12 Ex v.15. Dilectio, qua nos diligit Christus, constans & immutabilis est: non minùs quàm illa qua ipse diligitur à Patre, & vicissim Patrem diligit. Est etiam summa: quia illâ adductus, mortem pro nobis oppetiit, & quidem injustis. Vide infrà 15. v.13. Rom.5.v.6.7.& 8.

Felix noster status. 13 Ex v.16. Comparemus miserum illum statum majorum nostrorum nondum ad societatem populi Dei vocatorum, cum felici hoc nostro statu, qui jam ad communionem sanctorum per Evangelium vocati sumus & quotidie vocamur: ut magnitudine beneficii Dei in nos indignos collati, ad seriam gratitudinem ac pietatis studium moveamur. Vide Ephes.2. à v.11. usq; ad fin.cap.

Christi beneficia credentibus collata. 14 Ex v.17.& 18. Christus ultrò sese ad necem pro nobis obtulit, ut hac obedientiâ suâ nostram inobedientiam expiaret, & ut victima quam offerebat patri, grata & accepta esset: deinde suâ ipsius virtute (non tamen exclusâ cooperatione Patris & Spiritus sancti) animam suam resumsit, vivificando atque excitando corpus suum ex mortuis: ut nos quoque per Spiritum suum ex morte peccati excitaret. Rom.6.

Christi sacerdotium. 15 Ex v.18. Christus est unicus ille sacerdos Ecclesiæ: quippe qui solus à Patre mandatum accepit sacrificandi seipsum ad expianda peccata electorum, & victimam oblatam ex morte excitandi atque in sanctuarium cæleste inferendi & in conspectu Patris perpetuò sistendi: ut sciamus, reconciliationem nostri perpetuam esse, nulloque momento interrumpi. Vide Heb.10. v.12.& 14. item cap.4.v.24.25.& 26.

Evangeliũ. 16 Ex v.19.20.& 21. Evangelium detegit hypocrisin, ideoque necesse est mundum ad ejus exortum tumultuari. Vide Matt.10. v.34.35.& 36. Non veni ut mittam pacem. Luc.2.v.34. Positus in signum cui contradicitur.

Evangeliũ. 17 Ex v.24. Quanquam doctrina Evangelii clara & perspicua est, tamen increduli de illius obscuritate conqueruntur: qui quò minùs ejus lucem cernant, innatâ malitiâ impediuntur.

Evangeliũ. 18 Ex vers.25. Veritas doctrinæ evangelii divinis operibus seu miraculis Christi abundè testata est, ut de illa dubitare nefas sit.

19 Ex v.26.& 27. Pii ministri verbi Dei, quum perturbantur paucitate credentium, consolentur se (exemplo Christi) consideratione arcanæ voluntatis Dei; sciantque semper esse aliquos electos, qui credunt. *Consolatio contra paucitatem credentium.*

20 Ex v.28.29.& 30. Quicunque à Deo donantur verâ fide, donantur etiam perseverantiâ in fide. Porrò fidem conjunctum habere perseverantiæ donum, probatur duobus argumentis ex verbis Domini desumtis. Unum est à fine, qui est vita æterna. ait enim Christus, se ovibus suis quæ vocem suam audiant & se sequantur, dare vitam æternam. Ergo dat eis quoque perseverantiam in fide quæ ad vitam æternam consequendam necessaria est. Alterum argumentum sumitur à causa efficiente, quæ est omnipotens. ait enim, Neminem rapturum suas oves è manu sua, quia ipse sit unum cum Patre, ac proinde major sive potentior omnibus, nempe creaturis, ac nominatim diabolis, lupis illis qui ovibus Christi insidiantur. Vide Rom.8.v.38.& 39. *Fides.*

21 Ex v.30. Æternus pater & filius, itemque Spiritus sanctus, sunt quidem distinctæ personæ: sed tamen sunt unus Deus seu Jehovah. Confer 1.Joh.5.v.7. *Deus.*

22 Ex v.31.32.& 33. Diabolus non potest ferre doctrinam de deitate Christi: unde eam per sua organa quantum potest, tanquam blasphemam damnat, & persequitur, in iis etiam qui citra controversiam multa laudabilia fecerunt. *Christi deitas.*

23 Ex v.34. Quum Deus dignetur magistratus & judices suo ipsius nomine: æquum est ut & illi officium sibi à Deo mandatum in timore Dei administrent; cogitantes, judicium Dei esse: ac proinde ex voluntate Dei verbo ipsius testatâ, non autem ex affectibus humanis aut etiam judicio rationis humanæ pronuntiandam sententiam esse. Deinde par quoque est, ut nos eos tanquam Dei ministros revereamur, nosque eorum gubernationi subjiciamus. Vide Rom.13. *Magistratus.*

24 Ex v.35. Scripturæ propheticæ, itemque apostolicæ, testimonium, authenticum & αὐτόπιστον est: ac proinde non licet illi contradicere. Vide 2.Pet.1.v.19.20.& 21. *Scriptura sacra.*

25 Ex v.36. Christum esse Deum, probatur ex ipsius officio, quòd nimirum à Patre sanctificatus, id est, ordinatus est in servatorem mundi: quod officium, nisi Deus esset, administrare non potuisset, nec adhuc posset. Mundus enim non potuit ab eo servari, nisi victo diabolo, sub cujus potestate erat. *Christi deitas.*

26 Ex vers.37.& 38. Deitas Christi ex divinis ipsius operibus abunde cognoscitur. *Christi deitas.*

27 Ex v.39.40.41.& 42. Christus vitavit periculum, & secessit, non diffidentiâ, nec mortis metu, nec otium captans: sed ut alibi ecclesiam colligeret. *Periculum.*

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continetur historia Lazari à Christo excitati è morte. Partes principales tres sunt. Prima continet ea quæ excitationem antecesserunt; usque ad 43. Secunda formam rei gestæ, v.43 & 44. Tertia eventum, seu ea quæ consecuta sunt, usque ad finem capitis.

PRIMA PARS.

Quæ Lazari excitationem antecesserunt.

ÆGrotabat autem quidam *nomine* Lazarus, à Bethania, ex vico Mariæ & Marthæ sororis ipsius.

2 Maria autem ea erat quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus ægrotabat.

3 Miserunt ergo sorores ejus ad ipsum, dicentes; Domine ecce, *is* quem amas, ægrotat.

4 Jesus autem *hoc* audito, dixit; Morbus iste non est *immissus* ad mortem, sed pro Dei gloria, ut per eum *morbum* glorificetur Filius Dei.

5 Diligebat autem JESUS Martham & sororem ejus, & Lazarum.

6 Ut ergo audivit *illum* ægrotare, tum quidem mansit duos dies in eo loco ubi erat:

7 Deinde postea dixit discipulis, Eamus in Judæam rursus.

8 Dicunt ei discipuli; Rabbi, modò studebant te Judæi lapidare, & rursum illuc abis?

9 Respondit Jesus, Nonne duodecim sunt horæ diei? si quis ambulet interdiu, non impingit: quia lucem hujus mundi videt:

10 Si quis autem ambulet nocte, impingit: quia lux ei non adest.

11 Hæc ait: & postea dixit eis, Lazarus amicus ille noster dormit: sed proficiscor ut à somno excitem eum.

12 Dixerunt ergo discipuli ejus; Domine, si dormit, servabitur.

13 Hoc autem dixerat Jesus de ipsius morte: at illi putarunt eum de dormitione somni dicere.

14 Tunc ergo Jesus dixit eis apertè, Lazarus mortuus est:

15 Et gaudeo propter vos (ut credatis) me illic non fuisse: sed eamus ad eum.

16 Dixit autem Thomas qui dicitur Didymus, condiscipulis; eamus & nos, ut moriamur cum eo.

17 Vênit ergo Jesus, & invênit eum quartum jam diem in monumento agere:

18 Erat autem Bethania prope Hierosolymam ferè stadiis quindecim:

19 Multique ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

20 Martha ergo ut audivit Jesum venire, occurrit ei: Maria verò domi sedebat.

21 Dixit autem Martha Jesu; Domine si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus:

22 Sed & nunc scio fore ut quæcunque petieris à Deo, det tibi.

23 Dicit ei Jesus, Resurget frater tuus.

24 Dicit ei Martha, Scio resurrecturum, *nempe* in resurrectione, ultimo illo die.

25 Dixit ei Jesus, Ego sum resurrectio & vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet:

26 Et quisquis vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?

27 Ait illi, Etiam Domine; ego credo te esse Christum Filium illum Dei, qui in mundum venturus erat.

28 Et quum hæc dixisset, abiit, & clàm vocavit Mariam sororem suam, dicens; Præceptor adest, & te vocat.

29 Illa ut audivit, surgit citò, & vadit ad eum.

30 Nondum autem venerat Jesus in vicum: sed erat in eo loco ubi occurrerat ei Martha.

31 Judæi ergo qui domi erant cum ea, & consolabantur eam: quum vidissent Mariam citò surrexisse, & exiisse, sequuti sunt eam, dicentes; Abiit ad monumentum, ut illic fleat.

32 Maria verò quum venisset eò ubi erat Jesus: viso eo, accidit ad ejus pedes, dicens ei; Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus.

33 Jesus autem ut vidit eam flentem, & Judæos qui unà venerant cum ea, flentes; infremuit spiritu, & turbavit seipsum:

34 Et dixit, Ubi posuistis eum? Dicunt ei, Domine, veni & vide.

35 Lacrymatus est Jesus.

36 Dixerunt ergo Judæi, Ecce quomodo amabat eum!

37 Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere ut & iste non moreretur?

38 Jesus ergo rursum fremens apud semetipsum, venit ad monumentum. erat autem spelunca, & lapis erat ei impositus.

39 Ait Jesus, Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat; Domine, jam olet; quatuor enim dierum est.

40 Dicit ei Jesus, Nónne dixi tibi, fore, si credideris, ut videas gloriam Dei?

41 Sustulerunt ergo lapidem *è loco* ubi mortuus ille fuerat positus. Jesus autem attollens sursum oculos, dixit, Pater gratias ago tibi quòd me audieris.

42 Ego verò sciebam me semper à te audiri: sed propter turbam circumstantem *hoc* dixi, ut credant me à te missum esse.

Primùm accersitur Jesus ad Lazarum ægrotantem sanandum, sed non venit: usque ad v.7. Deinde quum Lazarus jam esset mortuus, venit ut eum excitet, à v.7. usque ad v.18. Tertiò excipitur à sororibus Lazari, Martha & Maria, & Judæis Hierosolymitanis, v.18. usque ad v.33. Quartò turbatur spiritu & lacrymatur, conspecto fletu Mariæ & Judæorum, à v.33. usq; ad v.39. Quintò præparat se ad opus, à v.39. usque ad 43.

SECUNDA PARS.

Exeitatio Lazari.

43 Et quum hæc dixisset, clamavit voce magnâ: Lazare, adesdum foras.

44 Tum qui fuerat mortuus, prodiit pedes & manus vinctus fasciis: facies autem ejus sudario erat obvincta. Dicit ei Jesus, Solvite eum, & sinite abire.

TERTIA PARS.

Quæ excitationem Lazari consequuta sunt.

45 Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam, & conspexerant quæ fecerat JESUS, crediderunt in eum.

46 Quidam autem ex eis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecerat Jesus.

47 Coëgerunt ergo primarii sacerdotes & Pharisæi concilium, & dicebant, Quid agemus? nam hic homo multa signa edit.

48 Si sinamus eum ita, omnes ei credent; venientque Romani, & delebunt tum locum nostrum, tum gentem.

49 Unus autem ex ipsis Cajaphas Pontifex maximus anni illius, dixit eis, Vos nihil scitis.

50 Nec cogitatis conducere nobis ut unus homo moriatur pro populo, & tota gens non pereat.

51 Hoc autem ex semetipso non dixit: sed quum esset Pontifex maximus anni illius, prophetavit fore ut Jesus pro ea gente moreretur:

52 Nec tantùm pro ea gente, sed ut etiam filios Dei dispersos cogeret in unum.

53 Ab illo ergo die consultabant unà ut trucidarent eum.

54 Jesus ergo palàm ampliùs non versabatur inter Judæos: sed abiit illinc in regionem quæ est prope desertum, in urbem quæ dicitur Ephraim: & illic agebat cum discipulis suis.

55 Prope autem erat Pascha Judæorum: & ascenderunt multi Hierosolymam ex illa regione ante Pascha: ut purificarent se.

56 Quærebant ergo Jesum, & loquebantur alii cum aliis in templo stantes, Quid videtur vobis? *an* venturum non esse ad festum?

57 Dederant autem primarii sacerdotes & Pharisæi mandatum; ut si quis nosset ubi esset, indicaret; ut prehenderent eum.

Conspecto hoc miraculo, multi in eum credunt, vers. 45. Alii deferunt eum apud Pharisæos, v.46. Pharisæi consultant de eo interimendo: ac nominatim Cajaphas consilium propheticum proponit de utilitate mortis Christi, à v.47. usque ad 54. Jesus insidiis animadversis, continet se in urbe Ephrem. usque ad festum, v.54. Colloquuntur paulò ante festum de ejus adventu, v.55.56.& 57.

SCHOLIA IN CAP. XI.

1 Ægrotabat autem quidam] ἦν δέ τις ἀσθενῶν. *Pro,* ἠσθένει δέ τις. *Sicut Marc.1.v.4.* ἐγένετο βαπτίζων, *pro* ἐβάπτιζε. *Græcismus. Vel vertendum, Erat autem quidam ægrotus: ut participium* ἀσθενῶν *habeat vim nominis.* A Bethania] ἀπὸ Βηθανίας. *Scilicet oriundus, quasi dicas, Bethaniensis. Sic suprà cap.1. vers.45.* ἦν δὲ ὁ Φίλιππος ἀπὸ Βηθσαϊδά: *Philippus erat à Betsaïda, id est, Bethsaïdensis. Et ibidem vers.45. Invenimus Jesum* τὸν ἀπὸ Ναζαρέθ, *illum Nazarenum.* Ex vico Mariæ] ἐκ τῆς κώμης Μαρίας. *Id est, in quo nata erat Maria. Hoc sensu Luc.2.v.4. Bethleëm vocatur* πόλις Δαβίδ, *urbs Davidis. Porrò hæc verba,* ἐκ τῆς κώμης *&c. præcedentibus annectuntur per epexegesin, ad declarandum scilicet nomen Bethania. planè ut cap.1. vers.45. dicitur,* ἦν δὲ ὁ Φίλιππος ἀπὸ Βηθσαϊδά, ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρέου καὶ Πέτρου. *Nam quòd nonnulli putant, nomine Bethania non vicum, sed tractum montis Oliveti significari, nullâ firmâ ratione nititur. Vide infrà ad v.18.* Ipsius] αὐτῆς. *Scilicet Maria.*

2 Quæ unxit] ἡ ἀλείψασα. *Scilicet paucis diebus ante passionem Domini, ut narratur infrà cap.12. Quare hæc per prolepsin historicam dicuntur ad pleniùs declarandum, quænam fuerit ista Maria.* Cujus frater &c.] ἧς ὁ ἀδελφὸς *&c. His verbis redit ad narra-*

narrationem institutam de Lazaro; quia per digressiunculam inseruerat descriptionem Mariæ.

3 Sorores ejus] αἱ ἀδελφαί. *Sorores illæ. nempe Lazari.* Ad ipsum] πρὸς αὐτὸν. *Nempe Dominum : cujus facta mentio versu superiore.* Is quem amas] ὃν φιλεῖς. *Id est, Lazarus. Descriptio personæ argumentosa, habens πάθος, quasi dicant : Amas Lazarum: ergo tibi dolebit, quum audieris eum ægrotare : ac proinde eum invises, consolandi ejus & sanandi causâ. In ista igitur annuntiatione latet petitio, quâ petunt ut ægrotantem invisat.*

4 *Hoc* audito] ἀκούσας. *Scilicet* τοῦτο. Ad mortem] πρὸς θάνατον. *Præpositione* πρὸς *notatur finis, cujus gratiâ Deus istum morbum Lazaro immiserat : sicut & mox præpositione* ὑπὲρ. *Negatur iste morbus Lazaro immissus esse ad mortem : nempe talem in quâ maneret usque ad communem seu universalem resurrectionem. neque enim ignorabat Christus, Lazarum ex illo morbo moriturum, seque illum excitaturum.* Ut per eum &c.] ἵνα δοξασθῇ *&c. Epexegesis. Itaque perspicuitatis gratiâ suppleri potest,* nempe. Per eum *morbum*] δι' αὐτῆς. *Scilicet* ἀσθενείας. *In versione expressum est antecedens, vitandæ ambiguitatis causâ: quæ in Græco ipsâ generum distinctione evitatur.*

8 Et rursum] καὶ πάλιν. *Pro, & tamen rursum. Interrogatio vim habet dehortandi.*

9 Duodecim] δώδεκα. *Loquitur ex consuetudine Judæorum; qui diem artificialem quemvis distribuebant in duodecim horas.*

10 Quia lux ei non adest] ὅτι τὸ φῶς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ. *Ad verbum, Quia lux illa non est in eo. Quod videtur sic exponendum, Quia lux illa de quâ modò dictum, nempe lux mundi hujus (quæ est lux solis) non est in ipsius oculis. Etenim intra oculos lucem recipere oportet, ut quis videat.*

11 Dormit] κεκοίμηται. *Ad verb. Sopitus est.* A somno excitem] ἐξυπνίσω. *Græcè uno verbo eleganter.*

12 Servabitur] σωθήσεται. *Id est, conservabitur ex hoc morbo, convalescet.*

13 De dormitione somni] περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου. *Hic genitivus speciei regitur à nomine generis. nam dormitio hoc loco tanquam genus distinguitur in duas species, somnum & mortem: quarum illa dormitio nominatur propriè loquendo, hæc verò per metaphoram. Talis est syntaxis in illis verbis Rom. 4. v. 11. Accepit Abraham* σημεῖον περιτομῆς, *signum circumcisionis: id est, circumcisionem quæ erat signum quoddam, nempe signum fœderis.*

15 Illic] ἐκεῖ. *Scil. apud Lazarum.* Non fuisse] οὐκ ἤμην. *Utique corpore. nam deitate sua semper ubique fuit. Synecdoche integri.* Eamus] ἄγωμεν. *Pro,* ὑπάγωμεν. *Sic versu sequente.*

18 Fere stadiis quindecim] ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε. *Id est, fere duobus miliaribus. Vide scholia supr. cap. 6. v. 19. Fuit autem hic vicus Bethania situs in monte oliveti : ut liquet ex collatione duorum locorum apud Lucam, videlicet Luc. 24. v. 50. ubi narrat, discipulos à Christo in cælum ascensuro ductos fuisse Bethaniam usque; & Actor. 1. vers. 12. ubi ait, discipulos posteaquam Christum conspexissent in cælum ascendere, reversos esse Hierosolymam à monte oliveti. Porrò cùm mons oliveti (ut ibidem dicitur) ab Hierosolymis abfuerit itinere sabbathi, hoc est, septem stadiis : ipse autem vicus Bethania ab iisdem Hierosolymis abfuerit ferè stadiis quindecim, ut hîc affirmat Johannes: consequens est, Bethaniam octo fere stadiis retrò à principio montis in ipso monte sitam fuisse : id est, uno miliari & paulò amplius.*

19 Ad Martham & Mariam] πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν. *Ad verb. Ad eas quæ erant circa Martham & Mariam. Metonymia adjuncti, Græcis propria.*

22 Det tibi] δώσει σοι ὁ θεὸς. *Ad verb. Det tibi Deus. Hebræa repetitio antecedentis* πλεοναστική.

24 In resurrectione] ἐν τῇ ἀναστάσει. *In resurrectione illa. Scilicet universali : quam exspectant omnes pii. Syrus vertit* בְּנוּחָמָא *benuhhama; id est, in consolatione : per metonymiam effecti. nam spes resurrectionis mortuorum piis consolationem solidam affert in hac vita, & resurrectio ipsa afferet complementum gaudii in altera vita perpetuò fruendum. Hinc illa exsultatio Jobi cap. 19.*

25 Ego sum resurrectio & vita] *Id est, author atque effector resurrectionis & vitæ : ac proinde possum nunc statim excitare fratrem tuum. Metonymia effecti in consequente enuntiati. Porrò his verbis continetur tacita promissio : cujus meminit Dominus infrà v. 40.* Etiamsi mortuus fuerit] *Scil. corpore.* Vivet] *Reviviscet corpore ad vitam æternam.*

26 Et quisquis vivit] *Scilicet vitâ hac naturali.* Non morietur] *Morte scilicet secundâ seu æternâ.* In æternum] *id est, nunquam.*

29 Vadit] ἔρχεται. *Ad verb. Venit. Metonymia effecti seu finis.*

30 In vicum] εἰς τὴν κώμην. *Nempe Bethaniam. Vide supr. v. 1.*

31 Ad monumentum] εἰς τὸ μνημεῖον. *Nempe Lazari, id est, in quo sepultus erat Lazarus. Ponitur autem* εἰς *pro* πρὸς. *quanquam posset videri accipiendum propriè : quia monumenta Judæorum ita erant constructa, ut pateret in ea ingressus : sicut liquet ex historia resurrectionis Domini : infrà cap. 20. v. 5. 6. 8. 11. & infrà v. 38. expressè dicitur, speluncam fuisse. Sed rectiùs hîc accipitur* εἰς *pro* πρὸς *vel* ἐπί. *nam lapis illi speluncæ erat impositus : ut non pateret ingressus nisi lapide amoto : cujus amovendi causa non videtur fuisse lacrymaturis prope monumenta.*

32 Accidit ad pedes ejus] ἔπεσεν εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ. *Hic* εἰς *manifestè ponitur pro* πρὸς.

33 Spiritu] τῷ πνεύματι. *Id est, animo. hoc est, intimè.* Turbavit seipsum] ἐτάραξεν ἑαυτὸν. *Nempe considerans miseriam generis humani, propter peccatum morti subjecti. Impropriè autem vehemens illa commotio, quâ animus Christi commotus fuit, nominatur perturbatio : quo nomine videlicet excessus affectuum notatur : qui in Christo nullus fuit. Verè quidem affectibus humanis commotus fuit animus Christi, sed sine ἀταξίᾳ : ut si aqua limpida in puro vitro inclusa agitetur ac moveatur.*

35 Lacrymatus est Jesus] ἐδάκρυσεν ὁ Ἰησοῦς. *En* συμπάθειαν *Domini : en verum affectum humanitatis! Quod autem pium pectus hæc seriò legens ac meditans, à lacrymis temperet?*

36 Quomodo] πῶς. *Id est, quantopere, quàm valde.*

37 Non poterat &c.] *En diabolos in medio piorum! Simile exemplum vide Act. 2. v. 13.* Qui aperuit oculos cæci] *Sarcasmus diabolicus. Innuunt enim eum oculos cæci non aperuisse : quippe qui non potuerit amicum tam charum in vivis retinere.* Et iste] καὶ οὗτος. *Conjunctio* καὶ *hoc loco est nota paris : quâ innuitur, parem esse potentiam in aperiendis oculis cæci & amico in vivis retinendo.*

38 Venit ad monumentum] ἔρχεται εἰς τὸ μνημεῖον. *Rursum* εἰς *pro* πρὸς, *ut suprà v. 31.*

39 Olet] ὄζει. *Id est, fœtet : nempe ex putredine. Synecdoche generis verecunda. Sic Germanicè,* Er reucht/ *pro,* Er stinckt. *Syrus quidem & interpres vulgaris,* Fœtendi *verbo hîc usi sunt.* Quatuor dierum] τεταρταῖος. *Ad verb. Quatriduanus. id est, quartum jam diem in monumento jacet. Sic Herodotus lib. 6. utitur vocibus* δευτεραῖος *&* τριταῖος.

40 Nónne dixi] *Scil. suprà v. 25.* Gloriam Dei] τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. *Id est, opus profectum à me mea deitate. Metonymia duplex : prima adjuncti, quâ ex gloria Dei intelligitur ipsa deitas : altera efficientis, quâ ex deitate intelligitur opus deitatis. Sic supr. cap. 1. v. 14. & cap. 2. v. 11.* Quòd me audieris] ὅτι ἤκουσάς μου. *Id est, quòd me exaudieris, videl. petentem ut mihi per te liceret exserere divinam meam virtutem in excitando Lazaro. Etsi autem precatio illa Christi non expressè ab Evangelista narratur; tamen existimandum est, intus precatum fuisse tunc quum spiritu infremuisset, v. 33. & 38.*

42 Ut credant] ἵνα πιστεύσωσιν. *Epexegesis : quâ declarat illa verba, Propter turbam.*

44 Sudario] σουδαρίῳ *Linteo quo sudor abstergitur. Sic etiam in resurrectione Christi fit mentio sudarii, infrà cap. 20. v. 7.*

46 Quidam autem &c.] *En rursum malevolos, ut suprà v. 37.*

48 Gentem] τὸ ἔθνος. *Scilicet* τὸ ἡμῶν, *gentem nostram Judaicam.*

50 Et tota gens non pereat] καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται. *Pro,* μᾶλλον ἢ ἵνα ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται, *potiùs quàm ut tota gens pereat, Instituit enim Cajaphas comparationem duorum malorum, quorum minus eligendum sit.*

51 Pro ea gente] ὑπὲρ τοῦ ἔθνους. *Nempe pro gente Judaica.*

52 Dispersos] τὰ διεσκορπισμένα. *Scilicet passim per totum terrarum orbem, inter omnes gentes.* Cogeret] συναγάγῃ. *Congregaret, colligeret.*

54 Palàm] παῤῥησίᾳ. *Apertè, liberè. Catachresis. nam* παῤῥησία *propriè est libertas dicendi, quum quis omnia quæ sentit, dicit : nihil metu offensionis reticens vel dissimulans :* παρὰ τὸ πᾶν ἐρεῖν. Ephraïm] Ἐφραΐμ. *Vulgata, Ephrem. ut videatur legisse* Ἐφρὴμ. *quomodo & Syrum legisse apparet, qui scripsit* אֶפְרִים *Ephrim, suo more η mutans in ι, ut pro* ἀμὴν אַמִּין *ammin, pro* κηφᾶς כִּיפָא *Kipha. Fieri autem potest, ut quemadmodum ex* יְרוּשָׁלַם *Jeruschalaim (per αι diphthongum) ortum est* Ἱερουσαλὴμ, *similiter ex* אֶפְרַיִם *Ephraïm (item per αι diphthongum) ortum sit* Ἐφρὴμ. Agebat] διέτριβε. *Ad verb. Conterebat. Scilicet* τὸν χρόνον, *tempus. Elliptica phrasis.* Cum discipulis] μετὰ τῶν μαθητῶν. *Id est, Ipse & discipuli.*

55 Pascha Judæorum] τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων. *Subaudi, festum, ne quis putet, fuisse etiam quoddam pascha alterius gentis.*

OBSERVAT. EX CAP. XI.

1 Ex v. 3. Quoties calamitate aliquâ premimur, ad opem Domini confugiamus, certò confisi, eum nobis pro suo erga nos amore opitulaturum : quantum quidem & suæ gloriæ & nostræ salutis interesse judicabit. *Officium hominis Christiani.*

2 Ex v. 4. & 40. Finis miraculorum Christi est, ut ex iis glorificetur, hoc est, agnoscatur divinâ potentiâ præditus, tanquam unigenitus Dei filius : denique ut credatur esse Christus, id est, servator mundi. Vide infrà cap. 20. v. ult. *Miracula Christi.*

3 Ex v. 5. & 6. Quum Christus à nobis invocatus non juvat nos eo modo, qui carni nostræ arridet: non debemus putare hoc inde fieri, quasi non diligat nos. nam ipse pro sua sapientia novit, quomodo nos juvare velit, ut id ad gloriam suam & salutem nostram conducat. *Preces.*

4 Ex v. 7. ex verbis, *Ut per eum &c.* Ex ista epexegesi liquet, *Christi deitas.*

Filium Dei esse Deum: quia nomen DEI per nomen FILII DEI exponitur.

Officium hominis Christiani. 5 Ex v.7.8.9.10. Quoties nobis prælucet vocatio Dei, intrepidè officium nobis commissum administremus, contemtis periculis: ut qui tuti simus sub præsidio Dei.

Mors piorū. 6 Ex v.11. Mors piorum, quasi somnus est, è quo ad vitam æternam suo tempore excitabuntur. Et Deo tam facilè est excitare mortuum, quàm nobis dormientem.

Corpus Christi. 7 Ex v.15. Christus suo corpore non est ubique. Fuisset enim etiam Bethaniæ quum Lazarus moreretur: id quod ipse negat.

Officium hominis Christiani. 8 Ex v.16. Christus nobis deserendus non est, etiamsi cum eo moriendum sit. Veruntamen ita eum ad mortem quoque sequi debemus, ut confidamus, nos sub ipsius præsidio ab æterna morte semper tutos fore.

Consolandi officium & ratio. 9 Ex vers.19. Consolari lugentes, officium pietatis est; dummodo consolationes petantur ex verbo Dei, ac dirigantur ad fulciendum spem resurrectionis ad vitam æternam, 1. Thess. 4. vers.13.

Preces. 10 Ex v.22. Deus preces piorum ex fide profectas exaudit.

Christus servator credentium. 11 Ex v.25. & 26. Christus est unicus servator credentium; quorum & corpora ex morte excitabit ad gloriam æternam, & animas spiritu suo vivificat, & vitam æternam gustandam eis dat etiam in hac vita, nec patitur ut mortem æternam unquam gustent: quippe quam ipse gustavit pro omnibus, Heb. 2. vers.9.

Fidei (seu religionis Christianæ) summa. 12 Ex v.27. Summa fidei Christianæ hæc est, ut credamus, Jesum Nazarenum Mariæ virginis filium esse unigenitum filium Dei, ac promissum Messiam, id est, servatorem mundi. Confer Matth.16.v.16.

Officium hominis Christiani. 13 Ex v.31. Amicis errantibus non indulgendum est, ut fecerunt isti Judæi, sequentes Mariam, quam putabant ad monumentum ire flendi causâ.

Luctus. 14 Ex eod.v. Luctus propter defunctos non est provocandus aut augendus: sed potiùs sedandus ac moderandus, 1. Thess. 4. vers.13.

Gubernatio Dei. 15 Ex eod.v. Deus arcanâ suâ providentiâ stultas hominum actiones ad meliorem finem, nempe ad illustrandum gloriam suam, dirigit. Ita voluit istos Judæos Mariam sequi ad sepulchrum Lazari, ut postea miraculi Christi, quo Lazarum excitavit, spectatores ac testes essent.

Christi adoratio. 16 Ex v.32. Adoratio debetur Christo, quia filius Dei est. Sic Petrus adoravit Christum, quum ex miraculosa piscium captura animadvertit divinam ejus potentiam, Luc.5.8.

Christi humana natura. 17 Christus unà cum carne nostra, humanos etiam omnes affectus, & quidem inprimis misericordiam assumsit: sed absque ulla ἀταξίᾳ vitióve. Vide Heb.2. v.17. 18. & c.4. v.15. Simile: Quemadmodum aqua pura ac limpida vitro puro infusa, si agitetur, spumas quidem concipit, sed turbida non fit: infusa autem vitro impuro ac sordido, si agitetur, non solùm spumas concipit, sed etiam turbida sordidaque redditur: Ita cor Christi ab omni vitio purum, affectibus humanæ naturæ insitis, agitatum quidem fuit, sed nullo peccato sordidatum: at corda nostra affectibus, ita agitantur, ut peccato nobis inhærente sordidentur.

Lachrymatio. 18 Ex vers.35. Lacrymari in adversis casibus amicorum, verum Christianum non dedecet. Nec placet Deo Stoicorum illa ἀπάθεια.

Consolatio contra calumnias. 19 Ex v.37. Non est novum, si piis admixti sint impii, qui actiones piorum calumnientur, & operibus Dei malignè detrahant. Vide Act.2.v.13.

Fidelium infirmitas. 20 Ex v.39. Tanta est naturæ nostræ imbecillitas, ut fides nostra levi momento facilè labascat. Sed ut fides nostra firma constet, oculos à natura rerum ad potentiam Dei, cum ipsius promissione conjunctam, avertere atque attollere oportet.

Incredulitas. 21 Ex v.40. Si velimus experiri potentiam ac bonitatem Dei in nobis juvandis: caveamus ne incredulitate nostrâ manus ejus quasi clausas teneamus. Vide Matth.13.v.ult.

Preces. 22 Ex v.41. Inter precandum oculos in cælum attollere decet: sed cavendum, ne illic Deum cogitatione nostrâ includamus: quippe quem cæli cælorum non capiunt, quique cælum & terram implet: opera autem danda, ut mentes nostræ supra mundum erectæ, Deum in throno majestatis suæ contemplentur, ne quid humile aut terrenum de eo sentiant.

Preces. 23 Ex v.41. & 42. Etsi Christus virtute suæ deitatis Lazarum per se excitare poterat: tamen voluit ejus excitandi facultatem humiliter à Patre petere, in assumta carne, tanquam servus patris: ut doceret, se nostrâ causâ sese patri subjecisse: & nos quoque invocantes patrem, propter ipsum exauditum iri, si petamus secundùm voluntatem ejus.

Resurrectio mortuorum. 24 Ex v.43. Quòd Christus voce Lazarum ex morte excitat: imago est non solùm futuræ resurrectionis universalis, ubi mortui excitabuntur tubâ Dei & voce archangeli: sed etiam imago *Resurrectio spiritualis.* est resurrectionis spiritualis, quâ corda electorum per prædicationem Evangelii ex æterna morte excitantur.

Miracula. 25 Ex v.46. Nullum est Dei opus, quod non impietas veneni sui amaritudine inficiat & corrumpat. Ergo ut proficiant ex Dei miraculis homines, necesse est ipsos cor habere purgatum. Nam apud quos non viget Dei metus & reverentia; etiamsi maxima miracula videant: tamen præfractâ ingratitudine sanam doctrinam respuere nunquam desinent.

Gubernatio Dei. 26 Ex v.48. Quod metuit impius, accidit ei: & eo ipso quo pœnas effugere impii volunt, eas sibi attrahunt.

Gubernatio Dei. 27 Ex v.49.50.51. & 52. Deus impiorum etiam linguas sic interdum flectit, ut vel aliud agentes, veritatem doctrinæ cælestis confirment, & vel inviti piis benedicant. Vide Num.23. & 24. exemplum Bileami.

Pro quibus mortuus sit Christus. 28 Ex v.52. Christus pro omnibus omnium populorum electis, iisque solis mortuus est; qui licet naturâ sint filii iræ, antequam efficaciter vocentur, ac per fidem filii Dei fiant (Johan 1. v.12.) tamen etiam ante vocationem censentur filii Dei, ratione electionis, quàm vocatio efficax suo tempore certò sequitur, Rom.8.v.30.

Officium hominis Christiani. 29 Ex v.54. Credendum quidem impiorum furori, quum sic expedit: ita tamen ut à Dei vocatione minimè recedamus.

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

In hoc capite primùm narratur, quomodo Dominus cœnâ exceptus sit Bethaniæ, & quomodo in illa cœna à Maria sorore Lazari unctus sit: quidq; inde evenerit, usq; ad v.12. Deinde narratur, quomodo Hierosolymam vectus asello, lætis populi acclamationibus & congratulationibus exceptus sit, & quid inde evenerit, usq; ad v.20. Tertiò narratur sermo ejus quem ad discipulos habuit de sua morte, item de sui abnegatione & confessione, item de luce verbi sui, usq; ad v.37. Quartò exponitur causa, cur plerique in eum non crediderint, & cur quidam ex primoribus non ausi sint eum confiteri, usq; ad v.44. Postremò narratur sermo Domini de fide & incredulitate: nempe cur meritò in ipsum credendum sit, & unde fides illa oriatur: & cur increduli meritò condemnentur, usq; ad finem.

PRIMA PARS.

Cœnat Bethaniæ.

JEsus ergo sex ante Pascha diebus venit Bethaniam, ubi erat Lazarus ille qui fuerat mortuus, quem excitaverat à mortuis.

2 Fecerunt igitur ei cœnam illic, & Martha ministrabat: Lazarus autem unus erat ex iis qui simul discumbebant cum eo.

3 Maria ergo, acceptâ librâ unguenti nardi liquidæ multi pretii, unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: domus autem impleta est odore ejus unguenti.

4 Dixit ergo quidam ex discipulis ejus, *nempe* Judas Simonis *filius*, Iscariotes, qui erat eum proditurus;

5 Quare hoc unguentum non væniit trecentis denariis, & datum est pauperibus?

6 Dixit autem hoc, non quòd pauperum ipsi cura esset; sed quia fur erat, & marsupium habebat, & ea quæ injiciebantur, gestabat.

7 Dixit ergo Jesus, Sine eam: in diem funerationis meæ servavit istud.

8 Nam pauperes quidem semper habebitis vobiscum, me verò non semper habebitis.

9 Cognovit ergo turba multa ex Judæis, eum illic esse: & venerunt non propter JESUM tantùm, sed etiam ut Lazarum viderent, quem excitarat à mortuis.

10 Consultarunt autem primarii sacerdotes ut Lazarum etiam trucidarent:

11 Quia multi ex Judæis propter eum abibant, & credebant in Jesum.

V.1. indicantur tempus & locus, quando & ubi illa cœna facta fuit. V.2. indicantur adjunctæ personæ insigniores. V.3. quomodo Maria Jesum unxerit. V.4. & 5. quomodo Judas Iscariotes murmuraverit, & factum Mariæ reprehenderit. V.6. quo animo id fecerit: ubi hypocrisis ejus ab Evangelista detegitur. V.7. & 8. quomodo Christus Mariam contra Judam defenderit. V.9. cur multi Judæi Hierosolymis Bethaniam tunc venerint. V.10. & 11. cur primores consilium ceperint de Lazaro trucidando.

SECUNDA PARS.

Hierosolymam ingreditur ut rex, vectus pullo asini.

12 Postero die turba multa quæ venerat ad festum, quum audissent Jesum venire Hierosolymam:

13 Acceperunt termites palmarum, & egressi sunt ei obviam, & clamabant; Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, rex ille Israëlis.

14 Nactus

14 Nactus autem Jesus asellum, insedit ei: sicut scriptum est,

15 Ne time filia Sion: ecce, rex ille tuus venit, sedens super pullum asinæ.

16 Hæc autem non cognoverunt discipuli ejus primò: sed quum glorificatus esset Jesus, tunc recordati sunt, hæc esse scripta de eo, & sese hæc illi præstitisse.

17 Testabatur verò turba quæ erat cum eo, quòd Lazarum vocasset è monumento, & excitasset eum à mortuis.

18 Propterea etiam obviam vênit ei turba, quia audierat eum edidisse hoc signum.

19 Pharisæi ergo dixerunt inter se, Videtis vos nihil proficere? ecce mundus eum sequutus est.

V.11.& 13.narratur, quomodo populus obviam iverit Domino adventanti ad festum, & quibus verbis eum professi sint Christum. V.14. quomodo Dominus Hierosolymam ingressus sit, nempe vectus asello. V.15. cur id factum sit, nempe ad implendum prophetiam Zach. 9. V.16. monet Evangelista: quo impulsu ista à discipulis & populo facta sint, videl non consilio humano, ut qui ipsi non animadverterent, se honorem Messiæ Domino tribuere: sed impulsu divino, ut impleretur Scriptura. V.17. & 18. quomodo miraculum excitati Lazari à turba celebratum sit. V.19. quomodo Pharisæorum odium erga Dominum his rebus magis inflammatum sit, ac proinde illi se mutuò cohortati sint ad eum persequendum & è medio tollendum.

TERTIA PARS.

Sermo ad discipulos de sua morte &c.

20 Erant autem quidam Græci ex iis qui ascendunt ut adorent in festo:

21 Isti ergo venerunt ad Philippum qui *erat* à Bethsaida Galilææ, & rogarunt eum, dicentes; Domine, vellemus Jesum videre.

22 Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dicunt Jesu.

23 Jesus autem respondit eis, dicens; Vênit tempus illud quo glorificetur Filius hominis.

24 Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si verò mortuum fuerit, multum fructum adfert:

25 Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam.

26 Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi ego fuero, illic & minister meus erit. & si quis mihi ministraverit, honorabit eum Pater.

27 Nunc anima mea turbata est: & quid dicam? Pater, libera me ab hac hora: sed propterea vêni in horam hanc.

28 Pater, glorifica nomen tuum. Vênit ergo vox è cælo, *dicens*, Et glorificavi & rursus glorificabo.

29 Turba ergo, quæ adstabat & audierat, dicebat, tonitru esse factum. Alii dicebant, Angelus ei loquutus est.

30 Respondit Jesus & dixit, Non propter me hæc vox exstitit; sed propter vos.

31 Nunc damnatio adest mundi hujus: nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.

32 Et ego, si exaltatus fuero è terra, omnes traham ad meipsum.

33 (Hoc autem dicebat, significans qua morte futurum erat ut moreretur.)

34 Respondit ei turba, Nos audivimus ex Lege, Christum manere in æternum: quomodo igitur tu dicis oportere exaltari Filium hominis? qui est iste Filius hominis?

35 Dixit igitur eis Jesus, Adhuc parvo tempore lux vobiscum est: ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ deprehendant. nam qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.

36 Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis fiatis. Hæc loquutus est JESUS: & quum abiisset, occultavit se ab eis.

V.20.21.& 22. exponitur occasio sermonis sequentis Domini de morte sua: nempe quòd quidam proselyti qui ex Græcia venerant ad festum, eum cupiebant salutare: quare significabant sibi nomen illius innotuisse. Respondit igitur Dominus, jam instare tempus quo nomen ipsius glorificandum sit, nempe per prædicationem Evangelii in toto terrarum orbe, v.23. & eâ occasione de utilitate mortis suæ disserit. Docet igitur, mortem suam multum fructum allaturam, videlicet redemturam omnes electos: quia ex morte resurrecturus sit ad vitam æternam. Hanc doctrinam proponit sub similitudine grani; quod cùm in terra computruit, revivis cit ac resurgit in aristam, in qua multum fructum fert, v.24. Deinde docet, quanti nos mortem suam & resurrectionem facere debeamus, tanti nimirum, ut etiam cum capitis periculo confiteamur coram mundo, nos in sola Christi morte ac resurrectione vitam æternam habere: quippe quòd Christus suâ morte nobis remissionem peccatorum sit meritus, quodque resurrectione suâ testatum fecerit, se morte suâ plenè pro nostris omnibus peccatis satisfecisse. Hujus igitur confessionis lætum eventum exponit, vitam æternam: non quidem quam confessione nostrâ mereamur, sed quam sine illa consequi non possimus, quamque Deus confessoribus Christi ex gratia daturus sit. Contrà abnegationis tristem eventum indicat, nempe interitum seu exitium æternum, v.25.& 26. Postea v.27. testatur animæ suæ perturbationem, nimirum horrorem quem concepit ex consideratione iræ Dei contra nostra peccata, quæ ipsi erant expianda. In qua perturbatione & anxietate ad Patrem se convertit, & instantem cruciatum mortis tum corporalis tum æternæ deprecatur: ita tamen ut mox in voluntate Patris acquiescat, & sese ad illum cruciatum perferendum promtum ac paratum testetur. Itaq; orat Patrem ut glorificet nomen suum, hoc est, ut mortem ipsius ad gloriam suam dirigat: nempe vires sibi dando quibus mortem vincat, & filios Dei morte suâ redemtos Patri adducat, v.28. Ubi notandum, hoc temporis momento quo hunc horrorem sensit Christus, quievisse ipsius divinitatem, hoc est, non exseruisse suas vires: nisi quatenus naturam humanam sustentavit, & ad Patris opem petendam direxit. Postea eodem versu commemorat Evangelista, quomodo Deus pater Christum consolatus sit voce è cælo emissâ: qua testatus est, se, quemadmodum hucusque glorificaverit nomen suum, per miracula scilicet Christi, ita porrò quoque glorificaturum, nempe per mortem ejus, & resurrectionem, & ascensionem in cælos, & sessionem ad dexteram suam. V.29. commemorat falsa populi de illa voce judicia. V.30. exponit Christus causam, cur illa vox è cælo emissa sit: nempe non tam propter ipsum consolandum (poterat enim illud etiam absque voce fieri, per internam scilicet operationem) quam propter ipsos, ut nimirum audito testimonio Dei patris de suo filio, in eum crederent. V.31. Christus voce illâ auditâ, & consolatione inde perceptâ, magnificè gloriatur de victoriâ: se scilicet mortem victurum & Diabolum resurgendo scilicet ex morte, atque ita damnaturum mundum, hoc est, convicturum incredulos erroris & mendacii, ut qui eum pro Christo nolint agnoscere. Deinde v.32. fructum suæ mortis ad consolandum credentes exponit, nempe se morte suâ omnes ad se tracturum, ut cum ipso conjuncti unà exaltentur in cælestem gloriam ac beatitudinem. V.23. Evangelista verba illa Domini quæ dixerat de fructu mortis suæ, exponit; monens, eum significasse mortem crucis *Exaltandi* verbo: quo quidem simul significasse videtur exaltationem illam in gloriam cælestem, quæ resurrectionem secuta est. quasi dicat Dominus: Vos quidem exaltabitis me è terra, suspendentes me in cruce, extremæ ignominiæ causâ: at scitote fore ut hac ratione ac viâ ego verè exalter in summam gloriam: quippe qui paulo-pòst è morte resurgens ascendam in cælum, & considebo ad dextram patris mei. V.34. recitatur cavillum impiæ turbæ, quo cavillati sunt verba illa Domini de sua morte; concludentes inde, ipsum non esse Christum. Christus, inquiunt, manebit in æternum: teste Scripturâ, quam synecdochicè significant nomine Legis. Atqui tu non manebis in æternum: quippe qui ipse fateris, te exaltatum iri in crucem. Ergo tu non es Christus. Ubi notandum, falsam esse assumtionem. nam etsi CHRISTUS moriturus erat: tamen erat brevi revicturus & ingressurus in gloriam suam, atque erecturus regnum illud suum æternum. V.35. Dominus illis loco responsionis exprobrat malitiam: ut qui in clara luce petulanter oculos claudant, ne veritatem cernant. Itaque eis minatur, fore ut brevi eis adimatur lux verbi: ac proinde ipsi in tenebris ignorantiæ miserè errent, seque perditos eant. Contrà, eos hortatur: si pro filiis lucis haberi velint, hoc est, pro iis qui ad lucem illam cælestem fruendam destinati sunt: ut in lucem credant, hoc est, in ipsum qui per Evangelium patefit, quòd sit servator omnium credentium. Atque his dictis, ab eis discessit; indignos judicans, apud quos plura verba faceret: ut qui doctrinam ejus petulanter contemnebant.

QUARTA PARS.

Cur plerique in eum non crediderint: & cur quidam ex primoribus non ausi sint eum confiteri.

37 Quum autem tot signa coram eis edidisset, non credebant in eum:

38 Ut sermo Esaiæ prophetæ impleretur, quem

dixit; Domine, quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui retectum est?

39 Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias;

40 Excæcavit oculos eorum, & obduravit cor eorum: ut ne videant oculis, & intelligant corde, & sese convertant, & sanem eos.

41 Hæc dixit Esaias quando vidit gloriam ejus, & loquutus est de eo.

42 Veruntamen etiam ex primoribus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos *hoc* non profitebantur, ne synagogâ moverentur.

43 Dilexerunt enim gloriam hominum potiùs quàm gloriam Dei.

Ne quis incredulitate Judæorum de qua dictum est, offendatur: Evangelista illius causam exponit: docens, in causa non fuisse Domini doctrinam, quippe quæ multis miraculis abundè coram eis confirmata esset: sed arcanam voluntatem Dei: cui non nisi paucis potentiam mortis ac resurrectionis Christi revelare & fidem donare placuit: id quod Johannes testimonio prophetæ Esaiæ duplici confirmat: quorum prius v.38. sumtum ex cap.53.v.1. querelam prophetæ continet de paucitate eorum qui doctrinæ de Christo jam tum credebant, atque etiam temporibus Christi & Apostolorum crediturі erant. unde & Paulus Rom.10.v.16. hanc ipsam Esaiæ prophetiam ad incredulitatem Judæorum sui temporis accommodat. Alterum testimonium est ex Esa.6.v.9. ubi propheta quum vidisset Deum insidentem solio, stipatum satellitio Seraphim, id est, angelorum, laudes ei canentium: mittitur à Deo ad Judæos cum hoc mandato, ut eis duritiem ipsorum exprobret & augeat prædicatione verbi, Deo contemtum sui verbi justo judicio ita vindicante: v.40. Huic prophetiæ subjungit Evangelista circumstantiam temporis, quo Esaias ista dixit: ubi docet, Christum esse ipsum Jehovah, quem Esaias solio insidentem vidit, v.41. Postea quasi per correctionem narrat, multos ex primoribus in Christum credidisse, id est, doctrinam ejus approbasse: sed non ausos fuisse confiteri metu Pharisæorum, ne ab illis excommunicarentur. Cujus metus causam evangelista exponit, nempe ambitionem: quam amplificat antithesi: dicens, eos potiùs dilexisse gloriam hominum, id est, gloriam mundanam quæ contingit ab hominibus; quam gloriam Dei, id est, veram illam & solidam gloriam qua Deus facta piorum approbat, v.42. & 43.

QUINTA PARS.

Hortatur ad fidem.

44 Jesus autem clamavit, & dixit; Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.

45 Et qui conspicit me, conspicit eum qui misit me.

46 Ego lux in mundum vêni: ut quisquis credit in me, in tenebris non maneat.

47 Si quis autem audierit verba mea, & non crediderit, ego non damno ipsum. non enim vêni ut damnem mundum, sed ut servem mundum.

48 Qui rejicit me, nec recipit verba mea, habet qui damnet ipsum: sermo quem loquutus sum, ille damnabit eum ultimo illo die.

49 Quia ego ex meipso non sum loquutus: sed qui misit me Pater, ipse mihi mandavit quid dicam & quid loquar.

50 Et scio; mandatum ejus, vitam æternam esse. quæ igitur ego loquor, prout dixit mihi Pater, ita loquor.

V.44. & 45. docet Christus, meritò in se esse credendum: quia ipse unum sit cum Deo Patre, ac proinde verus Deus. deinde, quia qui in ipsum credit, illustretur luce cognitionis Dei & salutis æternæ, ac liberetur à tenebris ignorantiæ ac errorum de Deo & salute æterna, v.46. Ubi simul docet, unde fides illa oriatur: nempe ab efficacia ipsius tanquam mediatoris: quippe qui in mundum venerit lux, id est, ut per prædicationem evangelii & virtutem Spiritus sancti illuminaret corda electorum. Postea docet, unde oriatur condemnatio incredulorum: nempe ex contemtu verbi Dei, nimirum evangelii: quo ipso significat, eos meritò damnari: à v.47. usque ad finem.

SCHOLIA IN CAP. XII.

1 Sex ante Pascha diebus] πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα. *Ad verb. Ante sex dies Pascha. Annotat Tremellius, esse phrasin Syram. Est autem verborum trajectio, pro eo quod dicendum erat, ἓξ ἡμέραις, vel τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ πρὸ τοῦ πάσχα.*

2 Illic] ἐκεῖ. *Videl. in domo Simonis leprosi, Matth.26.v.6.*

5 Trecentis denariis] τριακοσίων δηναρίων. *Si denarius æstimetur quindecim nummis Argentinensibus: tum trecenti denarii facient florenos Francofurdenses (id est quindecim baciorum) triginta septem & dimidium. Vide suprà ad c.6.v.7. Si verò denarius æstimetur duobus baciis & semisse (ut æstimat Matthæus Hostus) ut qui sit octava pars thaleri Imperialis, qui hodie valet baciis viginti: tum trecenti denarii facient thaleros Imperiales triginta septem & semissem.*

7 In diem] εἰς τὴν ἡμέραν. *Subaudiendum* γὰρ, *id est, enim: quæ conjunctio exprimitur Matth.26.vers.12.* Funerationis meæ] τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου. Ἐνταφιάζειν *(ut D. Beza annotat) non est idem quod* θάπτειν, *sepelire: sed quod Latini dicunt Funerare, hoc est, funus ad sepulturam præparare, lotione nimirum & unctione. Usi sunt hoc verbo Græci Bibliorum interpretes Genes. 50. vers.2. ubi narratur, quomodo Joseph curarit cadaver patris aromatibus condiri à medicis. Verba hæc sunt:* καὶ προσέταξεν Ἰωσὴφ τοῖς παισὶν αὐτοῦ τοῖς ἐνταφιασταῖς, ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ. καὶ ἐνεταφίασαν οἱ ἐνταφιασταὶ τὸν Ἰσραήλ. *Significat ergo Christus, hanc sui unctionem, à Maria factam, esse sibi pro funeratione, id est, eo unctionis genere quo corpus suum præparetur ad sepulturam. Etenim ex professo funeratus seu pollinctus non fuit: etsi id operam dederint amici ejus. Vide infrà cap.19. vers.39. & 40.* Servavit] τετήρηκεν. *Vel, Asservavit. Non quòd ipsa hoc consilio usa fuerit: exspectasset enim sepulturæ tempus: sed quòd Deus suâ providentiâ mentem illius ita gubernaverit, ut hoc tempore pretiosum istud unguentum in Dominum effunderet, ad significandum instare mortem & sepulturam ejus.*

8 Nam pauperes quidem] τοὺς πτωχοὺς γάρ. *Prolepsis, quæ respondet objectioni Judæ, v.5.*

12 Postero die] τῇ ἐπαύριον. *Supple* ἡμέρᾳ.

13 Termites] τὰ βαΐα. *Nomen Græcum videtur ortum* παρὰ τὸ βαίνειν, *à scandendo: quòd termites, id est, rami palmæ arboris quo magis premuntur, eò fortiùs se erigunt.* Israëlis] τοῦ Ἰσραήλ. *Id est, populi Israëlitici, seu populi Dei.*

14 Nactus] εὑρών. *Sic Luc.1. v.30. de Maria matre Domini,* εὗρες χάριν παρὰ τῷ θεῷ *Hebraismus.*

15 Filia Sion] θύγατερ Σιών. *Id est, Ecclesia congregari solita in templo exstructo super montem Zijon. Metaphora.*

16 Non cognoverunt] οὐκ ἔγνωσαν. *Id est, non intellexerunt, quorsum ista fierent.* Quum glorificatus esset] *Nempe post resurrectionem & ascensionem Domini in cælum.* De eo] ἐπ' αὐτῷ. *Super eo. Id est,* περὶ αὐτοῦ. *Heterosis ex Hebraismo.* Et sese hæc] καὶ ταῦτα. *Pro,* καὶ ὅτι ταῦτα. *Nam* ὅτι *repetendum est* ἀπὸ κοινοῦ. *Videtur autem potius vertendum,* Et hæc illi præstita fuisse. *nam verbum* ἐποίησαν *non videtur referendum ad discipulos: quum non præcesserit mentio, quòd ipsi asinum Domino adduxerint: sed impersonaliter ad turbam quæ advenientem Christum honorificè excepit, sicut narravit Evangelista.*

19 Mundus] ὁ κόσμος. *Hyperbole:* Die gantze welt folgt jhm nach. Eum sequutus est] ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν. *Ad verb. Post eum abiit. Hebraismus. Id est, ei sese ut magistro addixit. Vide suprà ad cap.1.v.15.*

20 Græci] Ἕλληνες. *Hos Græcos fuisse proselytos, intelligi potest ex eo quod mox additur, fuisse ex iis qui ascenderant Hierosolymam ut adorarent in festo.* Ex iis qui ascendunt ut adorent] ἐκ τῶν ἀναβαινόντων ἵνα προσκυνήσωσιν. *Videtur vertendum,* Ex iis qui ascenderant ut adorarent. *ut* ἀναβαινόντων *positum sit pro* ἀναβάντων. *Secus dicendum fuisset,* ἵνα προσκυνῶσι.

21 Videre] ἰδεῖν. *Id est, salutare, alloqui, notitiam cum eo contrahere.*

23 Glorificetur] δοξασθῇ. *Nempe per Evangelii prædicationem innotescens etiam Gentibus. Hoc dicit occasione illius petitionis proselytorum. Sed mox monet, priùs sibi subeundam mortem.*

24 Nisi granum &c.] *Hæc dicit* ἀλληγορικῶς *de seipso morituro.*

25 Qui amat animam suam] *Nempe tantopere ut ejus retinendæ causâ me abneget. Confer Matth. 10.v.37. Synecdoche generis metonymica.* Qui odit animam suam] *Id est, qui paratus est eam perdere meâ causâ, ita ut eam odisse videri possit. Metonymia effecti. Confer Matth.10.v.39 & Luc.14.v.26.*

27 Turbata est] τετάρακται. *Nimirum cogitatione instantium cruciatuum ex sensu iræ Dei propter peccata electorum, quæ in me suscepi expianda.* Ab hac hora] ἐκ τῆς ὥρας ταύτης. *Id est, ab hoc cruciatu. Metonymia subjecti: quatenus per horam intelligitur aliquid in ea perpetiendum. Hoc enim respectu tempus rationem subjecti habet, cui passio vel actio accidit.* Sed] ἀλλά. *Correctio.* Propterea] διὰ τοῦτο. *Scilicet ut patiar hunc cruciatum.*

29 Quæ adstabat] ὁ ἑστώς. *Pro,* παρεστώς.

30 Non propter me] *Scil. solum (qualis antithesis fuit suprà cap.5.v.22.) hoc est, ad me consolandum.* Sed] ἀλλά. *Id est, Sed etiam.* Propter vos] *Scil. erudiendos de me.*

31 Damnatio] κρίσις. *Synecd. generis.* Mundi hujus] *Id est, Impiorum qui sunt in hoc mundo, atque adeò qui primas in hoc mundo obtinent. Metonymia subjecti, & synecdoche generis.* Princeps mundi hujus] *Id est, diabolus. Periphrasis.* Ejicietur foras] *Id est, Abolebitur à me per mortem meam: ut loquitur Apostolus*

stolus Heb.2.v.14. Manet autem in metaphora: quasi diabolus instar principis in genere humano regnet.

32 Si exaltatus fuero è terra] ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς. *Scilicet in crucem: ut suprà cap.3.v.14. Probabilis tamen videtur sententia D. Bezæ, qui existimat, Dominum in ea lingua qua tum locutus fuit, videlicet Syriaca, usum esse verbo ambiguæ significationis: quo nimirum utrumque significetur, & tolli in sublime, & tolli è medio. Etenim ex posteriore hac significatione orta fuit objectio illa Judæorum, quæ paulo post narratur v.34. Dominus verò ad utramque significationem respexisse videtur: quum mox testetur Evangelista, eum hoc dixisse ut significaret qua morte moriturus esset: videlicet morte crucis. Significasse igitur videtur utrumque, videlicet & se in sublime sublatum iri in cruce, & ita è medio sublatum iri. Porrò verbum illud equidem esse puto id ipsum quo in sua versione usus est Syrus interpres: quod originem habet ab Hebraico verbo* רום *rúm, quod in utraque significatione reperitur. In priore Genes.7.v.17. ubi de arca Noë dicitur,* וַתָּרָם מֵעַל־הָאָרֶץ *vatthárom mehal haáretz: Et elevata fuit è terra. item Genes.31.v.45. Et accepit Jacob lapidem,* וַיְרִימֶהָ מַצֵּבָה *vajeriméah matzebáh: & erexit eum in statuam. In posteriore verò, Dan.8.v.11. Et ab eo sublatum fuit juge sacrificium: Ibi in Hebræo est* הוּרַם *hurám: & significatur, juge sacrificium è medio sublatum seu ablatum esse. Etsi autem verbo illi Hebræo, ratione quidem ambiguitatis, magis respondet τὸ αἴρεσθαι quàm τὸ ὑψοῦσθαι: tamen Evangelista hoc posteriore potiùs usus est, quo supplicium crucis magis videtur exprimi: sicut eodem verbo eandem ob causam usus est & suprà cap.3.v.14. Porrò tum Hebræo* הוּרַם *hurám, tum Græco αἴρεσθαι respondet Latinum Tollo, Sustuli, Sublatum: è cujus ambiguitate elegans jocus captatus est in illo disticho de Nerone:*

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Nempe Nero matrem sustulit è medio; at Æneas patrem sustulit in humeros. Nos tamen utendum duximus verbo quo Græcum illud exprimitur: præsertim quum illud de exaltatione in crucem facilè intelligatur, ex quali exaltatione mors consequi solet. Omnes] πάντας. *Nempe omnes mihi datos à Patre, id est, electos. nam de impiis atque reprobis modò dixit, illorum damnationem adesse.* Traham ad me ipsum] ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. *Videtur Dominus respicere ad dispositionem corporis sui in cruce suspensi, nempe brachiis expansis. quasi dicat, se ideo brachia in cruce expansurum ut electos suos complectatur & ad se trahat. Significat autem, se in cruce electos Patri reconciliaturum, eisque impetraturum Spiritum sanctum, cujus virtute per Evangelii prædicationem ad ipsum trahantur; ut fide ipsi adhæreant & unà cum ipso cælesti hæreditate fruantur.*

33 Qua morte] ποίῳ θανάτῳ. *Quo mortis genere: nempe mortis crucis: in quam fuit sublatus, & (ut Evangelista hic loquitur) ὑψωθεὶς, id est, exaltatus.*

34 Ex Lege] ἐκ τοῦ νόμου. *Id est, E Scriptura. Synecdoche membri.* Christum manere] ὅτι ὁ χριστὸς μένει. *Nempe in vivis. ut Psal.72.v.17. Erit nomen ejus in æternum &c. Psal.89.v.30. Et thronus ejus sicut dies cæli.* Exaltari] ὑψωθῆναι. *Scilicet in crucem. Vel, Tolli: scilicet è medio, è vivis. Vide ad vers.32.* Filium hominis] τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου *Hinc, & ex interrogatione sequente apparet, Dominum vers.32. in tertia persona de se locutum fuisse, nominando se Filium hominis, dicendo scilicet,* Et Filius hominis si exaltatus fuerit è terra &c. *Evangelista igitur ibi non verba, sed sententiam recitavit.*

35 Deprehendant] καταλάβῃ. *Comprehendant, occupent.*

36 Filii lucis] υἱοὶ φωτὸς. *Id est, veræ lucis (nempe felicitatis cælestis) participes. Hebraismus.* Occultavit se] ἐκρύβη. *Passiva vox significatione reciprocâ: ut aliquando apud Hebræos Niphal. Sic 1.Cor.7.v.15. accipitur verbum χωρίζεσθαι.*

37 Quum autem &c.] *Id est, Quanquam autem &c.* tamen *non credebant.*

38 Sermoni] τῇ ἀκοῇ. *Ad verb. Auditui. Metonymia adjuncti, Hebræis usitata.* Brachium Domini] ὁ βραχίων Κυρίου. *Id est, potentia Domini, nempe Christi: quam scil. exseruit in abolendo eo qui mortis habet imperium, id est, diabolo. Metaphora & metonymia subjecti. nam hominis robur in brachio potissimum se exserit.*

39 Quia iterum dixit Esaias] *Hoc est, quia oportuit impleri quod prædictum fuerat per Esaiam.*

40 Obduravit] πεπώρωκεν. *Callo obduxit. nam πῶρος callum significat: id est, duritiem illam cutis in vola manus aut pedis, quæ sensum illi adimit.* Sese convertant] ἐπιστραφῶσι. *Eadem hujus verbi est ratio quæ verbi ἐκρύβη, suprà v.36.*

41 Quando vidit gloriam ejus] ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ. *Nempe Christi. Vide caput sextum Esaiæ, ubi describit, quomodo Dominum viderit insidentem solio, & adstantes illi angelos alatos, quos vocat Seraphim &c. Hæc est illa gloria, hoc est, gloriosa & majestatis plena species, quam hoc loco nominat Johannes.*

42 Ne synagogâ moverentur] ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται. *Id est, ne excommunicarentur. Sic suprà cap.9.v.22.*

43 Gloriam hominum] τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων. *Id est, gloriam quæ ab hominibus proficiscitur. Et sic mox,* Gloriam Dei, *id est, quæ à Deo proficiscitur. Genitivus efficientis. Hæc expositio confirmatur collatione v.44. cap.5. Significat, illos vanam seu inanem gloriam prætulisse gloriæ veræ ac solidæ.*

44 Non credit in me] οὐ πιστεύει εἰς ἐμέ. *Hoc non potest intelligi simpliciter: secus enim Dominus sibi ipse contradiceret. Intelligendum est autem ex falsa opinione Judæorum, qui putabant Christum esse nudum hominem & absque Dei mandato docere: ac proinde in ipsum non esse credendum. Similis est ille locus suprà cap.7.v.16. ubi ait, Mea doctrina non est mea.* Ἀντανάκλασις.

46 Ego lux in mundum veni] ἐγὼ φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα. *Construendum sic,* Ego in mundum veni lux: *id est, tanquam lux,* ὥσπερ φῶς. Ut quisquis &c.] ἵνα πᾶς. *Epexegesis. Est autem hic observanda phrasis Hebræa,* ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων μὴ μείνῃ, *ut omnis credens non maneat: pro,* ἵνα οὐδεὶς ὁ πιστεύων μείνῃ, *ut nullus credens maneat: Sic Rom.3.v.20.*

47 Et non crediderit] καὶ μὴ πιστεύσῃ. *Id est, Et tamen non crediderit.* Non damno] οὐ κρίνω. κρίνειν *pro* κατακρίνειν, *per synecdochen generis. Sic deinceps, hoc versu & sequente.*

50 Mandatum ejus vitam æternam esse] ὅτι ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιός ἐστι. *Id est, Doctrinam quam Pater me jussit annuntiare, causam esse vitæ æternæ: quatenus nimirum illa doctrina fide recipitur. In vocabulo* mandati *est metonymia adjuncti: in vocabulo autem* vitæ æternæ *est metonymia effecti.*

OBSERVAT. EX CAP. XII.

1 Ex v.4.5.& 6. Exemplo Judæ monemur, hypocritas dilectionem proximi præ se ferre, quum interim nil nisi sua ipsorum commoda quærant. *Hypocritarum mores.*

2 Ex v.6. Si contingat, ministrum verbi sceleratum esse: ne propterea doctrinam Evangelii quam annuntiat, in dubium vocemus. Nam & Judas Iscariotes, sceleratus homo fuit: & tamen veram Evangelii doctrinam annuntiavit: quippe quem CHRISTUS alioquin inter Apostolos non tulisset. *Auditores Evangelii.*

3 Ex v.7. Homines sæpe Spiritu Dei directore faciunt ea, quæ ipsi non intelligunt: ut Maria unxit Jesum, ad significandum, corpus ejus propediem sepultum iri. Sic Cajaphas prophetavit de utilitate mortis Christi, suprà cap.11.v.50. Sic discipuli & populus Jesum honore Messiæ affecerunt, imponentes eum asino, & lætis vocibus eum regem Israëlis salutantes, infrà v.13. *Gubernatio Dei.*

4 Ex v.8. Quòd Christus hîc negat, discipulos eum semper habituros, & tamen alibi affirmat (nempe Matth ult. v.ult.) se cum ipsis fore omnibus diebus usque ad consummationem seculi; sciendum, eum sibi ipsum non contradicere; quippe quum ista dicat respectu diverso. nam negat perpetuam suam præsentiam corporalem, id est, per quam adsit corpore, affirmat autem perpetuam suam præsentiam spiritualem, id est, per quam adsit gratiâ & virtute sui Spiritus. Sic Matth.18.v.20. ait, *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, illic sum in medio eorum,* utique non corpore, sed gratiâ & virtute Spiritus; At infrà cap.16.v.28. ait: *Iterum relinquo mundum*; utique corpore; quo ascensurus erat in cælum; non autem deitate, qua replet cælum & terram; nec gratiâ Spiritus sancti, qua adest Ecclesiæ, illuminans & consolans corda electorum. *Conciliatio locorũ Scripturæ in speciem inter se pugnantiũ.*

5 Ex v.10.& 11. Exemplo sacerdotum monemur, hostes veritatis cælestis & doctorum illius eò usque odio suo indulgere, ut etiam eorum quos ipsi innocentes judicant, cædem meditentur; si videant ab illis vel minimam occasionem oriri, ut veritati quam ipsi oderunt, credatur. *Hostes Evangelii.*

6 Ex v.12. Christus quum non ignoraret, se Hierosolymæ in festo paschæ occisum iri: tamen ultrò illuc se confert, ut Legi Dei (sicut vocatio ipsius postulabat) satisfaceret. Quare nos quoque nullis periculis deterreri nos patiamur, quò minùs officio nostro constanter fungamur. *Officium hominis Christiani. Periculum.*

7 Ex eod. v. Quòd Christus ultrò Hierosolymam profectus est, ubi se occisum iri sciebat: argumentum est, quòd mortem nostrâ causâ subierit volens: ut per obedientiam ipsius, inobedientia nostra expiaretur. Vide Rom.5.19. *Obedientia mortis Christi.*

8 Ex v.14.& 15. Jesus Nazarenus, Mariæ virginis filius, est promissus ille Messias seu Christus: quia in eo impleta sunt ea, quæ in Messia impletum iri Deus per prophetas prædixit. *Quòd Jesus sit Christus.*

9 Ex iisdem versibus: Quod Christus pullo asinæ vectus fuit, ut se regem nostrum declararet: argumento est, regnum ejus non esse de hoc mundo. Nam reges Israëlitici terreni non vulgaribus asinis, sed mulis vehebantur: ut videre est 2.Reg.13.v.29. & cap.18.v.9.& 1.Reg.1.v.44. *Christi regnum.*

10 Ex v.19. Tantum abest ut reprobi operibus Dei ad testandum veritatem adhibitis, ab odio veritatis revocentur: ut potius majori odio inflammentur ad veritatis doctores & confessores è medio tollendos. *Reproborum ingenium.*

11 Ex v.23. Quoties nobis mortis nostræ cogitatio ob oculos versatur: opponamus consecuturam gloriam: eaque nos consolemur, quemadmodum Christus caput nostrum fecit. *Consolatio contra mortem.*

12 Ex v.24. Tantum abest ut mortis Christi pudere nos debeat: ut potius debeamus lætari, quòd nobis tam fructuosa fuit: merendo scilicet nobis vitam æternam. *Mors Christi.*

13 Ex v.25.& 26. Ad constantem Christi confessionem animare nos debet lætissimus exitus, nempe vita æterna & honor *Confessio Christi.*

quo à Deo afficiemur. Contrà à Christi abnegatione deterrere nos debet exitium æternum, quod illam comitabitur.

Consolatio contra mortem. 14 Ex v.27. Quoties nos invadit horror mortis, petamus consolationem à Christo: qui & ipse horrorem mortis sensit, ut esset fidelis & misericors Pontifex noster, & nobis succurreret; ut docet Apostolus Heb.2,v.17.& 18.& cap.4.v.15.& 16.

Testimonia de Christo. 15 Ex v.30. Testimonia de Christo nostræ saluti destinata sunt: ut nimirum iis fidem habentes, æternam salutem consequamur. Confer infrà cap.20.v.ult.

Mortis Christi fructus. 16 Ex v.31. Christus per suam mortem ejecit Diabolum foràs, id est, abolevit eum, adimens ei imperium mortis quod habebat, quoque electos miserè torquebat. Vide Heb.2. v.14.& 15.

Consolatio contra ignominiam propter Christum. 17 Ex v.32. Christus è terra in sublimè exaltatus in cruce, extremæ ignominiæ causâ, ex ignominia illa paulò pòst ereptus & in cælum exaltatus est ad dexteram Dei. Sic & illi qui propter Christum ignominiâ afficiuntur, suo tempore eripientur, & in gloriam cælestem extollentur.

Mortis Christi fructus. 18 Ex eod.v. Christus brachiis expansis in cruce pendens, ipso gestu significavit, se per passionem ac mortem suam nos ad se trahere, summoque amore nos complecti.

Consolatio contra abusum Scripturæ. 19 Ex v.34.& 35. Non est quòd moveamur, quum videmus reprobos testimoniis Scripturæ abuti contra manifestam veritatem: sed nos lucem verbi Dei reverenter excipiamus.

Contemtus verbi Dei. 20 Ex v.35. Nisi lucem verbi Dei reverenter exceperimus, credentes Evangelio, & dignè Evangelio viventes; privabit nos Deus tanto bono; unde nil nisi tenebræ errorum exitiales exsistent.

Fidei subjectum. 21 Ex v.37.38.39.40. Fides paucorum est, nempe electorum Dei. Vide 2.Thess.3.2. Tit.1.1. Act.13.48. Matth.13.11.

Evangelii summa. 22 Ex v.38. In Evangelio revelatur brachium Domini, id est, vis seu potentia resurrectionis Christi; Philip.3.v.10. quòd nimirum potenter mortem, quam pro nobis gustavit, devicerit, & nobis æternam justitiam adduxerit.

Reproborum excæcatio & obduratio. 23 Ex v.40. Etsi Deus per prædicationem Evangelii corda reproborum excæcat & obdurat: non habent tamen illi quòd cum Deo expostulent. Judicia enim Domini semper justa sunt, etsi sæpe sunt occulta. Vide Rom.9.v.19.20.& 21. & cap.11.v.33.

Christi deitas. 24 Ex v.41. Christum esse verum Deum, colligitur ex verbis Evangelistæ collatis cum verbis Esaiæ cap.6.v.3. ex quibus duobus locis inter se collatis exstruitur talis syllogismus:

Is quem vidit Esaias insidentem solio, stipatum satellitio Seraphim &c. is, inquam, est Jehovah, hoc est, æternus Deus. Esa.6.3.

Atqui Christus est is quem vidit Esaias insidentem solio &c. hoc versu.

Ergo Christus est Jehovah.

Ambitio. Confessio veritatis cælestis. 25 Ex v.42.& 43. Fugiamus ambitionem, tanquam exitiosam pestem: quippe qua homines impediuntur, ne veritatem cælestem profiteri ausint. Nos verò hanc ingenuè & constanter profiteamur, etiamsi proptereà ignominiâ afficiamur à mundo; certò scientes, Deum nos suo tempore vicissim honoraturum, & quidem solidâ atque æternâ gloriâ. Vide suprà v.26.

Christi deitas. 26 Ex v.44.& 45. Christum esse verum Deum, etiam hinc perspicitur, quòd ita unum est cum Deo patre; ut qui in ipsum credit, necessariò etiam credat in Patrem; quique ipsum cognoscit, necessariò etiam cognoscat Patrem.

Cognitio Dei. 27 Ex v.46. Quicunque verâ & salutari Dei cognitione illuminari cupit, is in Christum credat oportet; & hanc ipsam fidem à Christo petat; quum ipse solus sit illa lux, quæ corda hominum per prædicationem Evangelii lumine fidei donat.

Incredulorum damnatio. 28 Ex v.47.48.49.& 50. Increduli meritò condemnantur, quia contemnunt verbum Dei; quod ut est æterna veritas; ita etiam vitam æternam confert omnibus iis, qui fide ipsum reverenter excipiunt.

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

In hoc capite primùm narrat Evangelista, quomodo Christus laverit pedes discipulorum, usque ad v.18. deinde, quomodo conquestus sit de proditore, à v.18. ad 27. tum, quomodo Judam Iscariotem compellaverit de proditione quam moliebatur, à v.27. usque ad 31. præterea, quomodo discipulos commonefecerit de sui glorificatione, item de suo discessu, & quomodo eis dederit mandatum dilectionis, à v.31. usque ad 36. Postremò, quomodo Petro confidenter promittenti constantiam in vita ejus defendenda, prædixerit lapsum, nempe abnegationem ipsius.

PRIMA PARS.

Lavat pedes discipulorum.

ANte festum autem paschæ, sciens Jesus venisse horam ipsius, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem: quum dilexisset suos, illos qui erant in mundo, usque ad finem dilexit eos.

2 Et dum cæna fieret; quum diabolus jam immisisset in cor Judæ *filii* Simonis, Iscariotæ, ut proderet eum:

3 Sciens JESUS, Patrem omnia dedisse sibi in manus, & se à Deo prodiisse, & ad Deum abire:

4 Surgit è cæna, & deponit pallium: acceptoque linteo, præcinxit se.

5 Deinde immisit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.

6 Venit ergo ad Simonem Petrum: & dicit ei ille: Domine, tu mihi lavas pedes?

7 Respondit JESUS & dixit ei, Quod ego facio, tu nescis nunc; cognosces autem postea.

8 Dicit ei Petrus, Non lavabis meos pedes in æternum. Respondit ei JESUS; Nisi lavero te, nihil mecum habebis commune.

9 Dicit ei Simon Petrus; Domine, non solùm pedes meos, sed etiam manus & caput.

10 Dicit ei JESUS; Ei qui lotus est, non opus est nisi ut pedes lavet; sed est purus totus: & vos puri estis, sed non omnes.

11 Nôrat enim eum qui ipsum prodebat: propterea dixit, Non estis puri omnes.

12 Postquam ergo lavisset pedes eorum, & pallium suum recepisset: rursum dicumbens, dixit eis, Intelligitis quid fecerim vobis?

13 Vos me vocatis, Præceptor ac Domine: & rectè dicitis: sum enim.

14 Itaque si ego lavi pedes vestros dominus & præceptor; vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare.

15 Exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci vobis, *ita* & vos faciatis.

16 Amen amen dico vobis; servus non est major domino suo, neque legatus major eo qui ipsum misit.

17 Si hæc noveritis: beati eritis, si ea feceritis.

V.1. præfatur Evangelista de constanti amore Christi erga suos discipulos; nempe Apostolos nec non cæteros electos: atque ita causam ostendit, quæ Christum ad pedes discipulorum lavandos impulit. V.2. indicat circumstantiam temporis, quando Christus pedes discipulorum laverit: nempe quum Judas jam sibi proposuisset eum prodere: atque ita singularem Christi patientiam in tolerando & humaniter tractando hypocrita commendat. V.3. exponit, quibus cogitationibus se operi accinxerit; nempe cogitationibus suæ gloriæ mortem consecuturæ: atque ita docet, quomodo injuriam proditionis ac metum mortis superârit. V.4. & parte quinti, quomodo se ad lotionem præparârit. V.5. quomodo rem gesserit. V.6. quomodo Petrus lavari recusârit. V.7. quibus verbis Christus Petro persuadere conatus sit, ut lotionem admitteret. V.8. quomodo Petrus iterum recusârit: & quid Christus ei minatus sit, ut ei persuaderet: ubi occasione recusationis Petri Christus docet, quàm necessarium sit nobis, ut abluamur sanguine ipsius à sordibus peccati. V.9. quomodo Petrus persuasus, sese promtissimum ad lotionem exhibuerit. V.10. quomodo Christus aliud mysterium hujus lotionis significaverit, nempe sanctificationem seu regenerationem per Spiritum sanctum, & hypocritam inter eos latentem notaverit, nempe Judam, sicut declarat ipse Evangelista vers.11. Deinceps narrat, quomodo Christus rationem & præcipuum consilium hujus lotionis exposuerit, nempe se discipulis suis præbuisse exemplum modestiæ & humilitatis, & alacritatis in officiis dilectionis mutuò præstandis: ad quas virtutes eos hortatur argumento à minori; nam si ipse dominus & magister hoc servile ac humile officium præstitit discipulis: multò magis ipsi inter se officia ejusmodi præstare debent: à v.12. usque ad 18.

SECUNDA PARS.

Conqueritur de proditore.

18 Non de omnibus vobis loquor: ego scio quos elegerim: sed *oportet* ut impleatur Scriptura; Qui edit mecum panem, sustulit adversum me calcem suum.

19 Jam nunc dico vobis priusquam fiat: ut quum factum fuerit, credatis me *eum* esse.

20 Amen amen dico vobis: Quando aliquem misero; quisquis *eum* recipit, me recipit: qui verò me recipit, recipit eum qui me misit.

21 Quum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, & testatus est, dixitque; Amen amen dico vobis, unus ex vobis prodet me.

22 Disci-

22 Discipuli ergo aspiciebant alii ad alios, hæsitantes de quo diceret.

23 Erat autem quidam ex discipulis Jesu recumbens in sinu ipsius, *nimirum* is quem diligebat Jesus.

24 Innuit ergo huic Simon-Petrus ut percontaretur quisnam esset de quo diceret.

25 Ille verò allapsus ad pectus Jesu, dicit ei; Domine, quis est?

26 Respondit Jesus, Ille est cui ego intinctam offulam dedero. Et quum intinxisset offulam, dedit Judæ *filio* Simonis Iscariotæ.

Conqueritur de perfidia proditoris, simulque consolatur & reliquos discipulos & seipsum contra istam proditoris perfidiam: Discipulos quidem, quòd per ipsius gratiam constantes mansuri sint in studio pietatis: se verò & simul etiam discipulos, quòd proditio illa in Scripturis prædicta sit. nam quod Davidi ut typo accidit Psal. 41. vers. 10. id propriè in Christo implendum fuit. Vers. 19. causam exponit, cur discipulos de proditore præmoneat. V. 20. discipulos ad constantiam in munere Apostolico fungendo hortatur, à muneris Apostolici dignitate. V. 21. apertè monet fore, ut ab uno ex ipsis prodatur. V. 22. 23. 24. 25. & 26. quisnam ille sit, unum ex illis (nempe Johannem) signo docet: videl. offulâ in manum datâ.

Tertia pars.

Proditorem compellat.

27 Et post *sumtam* offulam, tunc ingressus est in illum Satanas. Dicit igitur ei Jesus; Quod facis, fac citò.

28 Hoc autem nemo accumbentium intelligebat quorsum ei dixisset.

29 Quidam enim putabant, quia marsupium habebat Judas, Jesum ei dixisse; Eme, quibus opus est nobis ad festum: aut egenis ut aliquid daret.

30 Ille igitur acceptâ offulâ, statim exivit. Erat autem nox.

V. 27. exponit quibus verbis Christus Judam compellaverit de proditione qua compellatione minimè ei esse voluit sceleris author aut suasor: sed tantùm significavit, sibi de Judæ molitionibus optimè constare, ac proinde perfidiam ei hoc modo exprobravit. V. 28. & 29. quòd reliqui discipuli verba illa Domini non intellexerint. V. 30. quomodo Judas abierit ad proditionem perficiendam.

Quarta pars.

Commonefacit reliquos discipulos.

31 Quum ergo exivisset, dicit Jesus; Nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificatus est in eo.

32 *Quòd* si Deus glorificatus est in eo, Deus quoque glorificabit eum in sese, & statim glorificabit eum.

33 Filioli, adhuc paulisper vobiscum sum. quæretis me: sed sicut dixi Judæis, Quò ego vado, vos non potestis venire; *ita* & vobis nunc dico.

34 Mandatum novum do vobis, ut alii alios diligatis; sicut, *inquam*, dilexi vos, ut vos etiam diligatis alii alios.

35 Ex hoc omnes cognoscent, vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in alios.

Consolatur se Dominus consideratione gloriæ, tum illius quæ cum ipsius morte conjuncta erat, tum illius quæ ejus mortem erat consecutura. Cum morte ejus conjuncta erat gloria tum ipsiusmet, tum Patris. Ipsiusmet; quia ex ejus morte effulsit ipsius amor erga genus humanum, item ipsius obedientia erga Patrem, item ipsius justitia de delendis electorum peccatis. Patris verò gloria conjuncta erat cum ejus morte; quia inde effulgebat summa illius bonitas & misericordia erga electos, propter quos unigenitum filium in mortem dederat; deinde summa justitia in puniendis electorum peccatis morte unigeniti sui filii. Porrò mortem ejus consecutura erat gloriosa resurrectio, qua mortem devicit; item gloriosa in cælum ascensio, qua de hostibus suis Diabolo & mundo triumphavit; tum sessio ad dextram Patris in cælis, ubi in summa gloria regnans gubernat ac defendit suam Ecclesiam, quam sanguine suo acquisivit. V. 34. & 35. mandat discipulis mutuam dilectionem; quod mandatum appellat novum; non quòd non jam olim in Lege esset traditum: sed quòd summo studio observandum sit, non secus ac si novum esset. Solent enim homines leges novas studiosiùs observare; tum paulatim inveterascente lege, de studio remittunt.

Quinta pars.

Petro prædicit lapsum.

36 Dicit ei Simon-Petrus; Domine, quò abis? Respondit ei Jesus; Quò abeo, non potes me nunc sequi; postea verò sequêris me.

37 Dicit ei Petrus; Domine, quare non possum te sequi nunc? animam meam pro te deponam?

38 Respondit ei Jesus, Animam tuam pro me depones? Amen amen dico tibi, non canet gallus, donec ter me abnegaveris.

V. 36. Petrus significat, se individuum Domini comitem fore; sed Dominus negat eum nunc id præstare posse; sed tamen secuturum postea, nempe post ipsius in cælos ascensionem; quibus verbis martyrium Petri innuit. V. 37. Petrus promittit confidenter, se paratum esse ad vitam suam pro Domino deponendam. V. 38. Dominus confidentiam Petri refutat; prædicens ei lapsum, nempe abnegationem ipsius.

Scholia in cap. XIII.

1 Horam ipsius] αὐτοῦ ἡ ὥρα. *Pro,* ἑαυτοῦ. *id est, suam.* Quum dilexisset] ἀγαπήσας. *Hîc incipit* ἀπόδοσις *periodi.* Suos illos] τοὺς ἰδίους. *Videl sibi datos à Patre, id est, electos.*

2 Dum cæna fieret] δείπνου γενομένου. *Omnino pro* γενομένου *videtur legendum* γινομένου*: ac proinde vertendum, Dum cæna fieret, hoc est, inter cænandum: non autem,* cænâ peractâ. *Etenim mox v. 4. dicitur, Christum surrexisse* ἐκ τοῦ δείπνου, *è cæna: & v. 12. dicitur, eum lotione pedum peractâ rursum discubuisse: item v. 26. dicitur offulam intinctam dedisse Judæ: ex quibus omnibus clarè perspicitur, cænam illam tum nondum peractam fuisse. Si tamen intelligatur vocabulum* cænæ *per synecdochen integri de prima illius cænæ parte, tum rectè legitur* γενομένου. *Vide Bezam ad Matth. 26. v. 20.*

4 Deponit] τίθησι. *Pro,* κατατίθησι. *Sic suprà cap. 10. v. 11. 17. 18.* Pallium] τὰ ἱμάτια. *Numero plurali significantur summæ seu exteriores vestes. Videtur igitur Dominus exuisse non solùm pallium, sed etiam tunicam, id est,* τὸν χιτῶνα*: quem tamen Evangelista infrà cap. 19. v. 23.* τοῖς ἱματίοις *opponit.*

6 Tu mihi lavas pedes?] *Interrogatio admirantis & detrectantis tanquam rem absurdam minimeque decentem.*

7 Nescis] οὐκ οἶδας. *Id est, non intelligis quid sibi velit quòd ago.* Cognosces autem postea] *Nempe ex me docente, & mysterium hujus actionis declarante, quod facit infrà v. 12. & deinceps.*

8 In æternum] *Id est, unquam.* Nisi lavero te] *Intellige, non tam extrinsecus hac aqua, quàm intrinsecus meo sanguine. Antanaclasis.*

9 Non solùm pedes &c.] *Sermo concisus, utpote festinantis. Quasi dicat: si tanti est, me abs te lavari: promtissimè tibi offero ad lavandum non solùm pedes, sed etiam manus & caput.*

10 Qui lotus est &c.] *Allegoria, cujus hîc videtur esse sensus: Qui lotus est à peccatis per fidem sanguine meo & spiritu, is non opus habet nisi ut lavet pedes seu sordes pedum, id est, quotidiana peccata quæ ex infirmitate commiserit: dolendo scilicet quòd illa commiserit, petendo eorum remissionem, eamque credendo: petendo etiam gubernationem Spiritus sancti, ne posthac similiter peccet: denique seriò sibi à peccatis cavendo.* Et vos] καὶ ὑμεῖς. *Id est, Et vos quidem.*

11 Qui ipsum prodebat] τὸν παραδιδόντα αὐτόν. *Id est, paulò post proditurus erat: qui jam hoc agebat, & totus in hoc erat ut eum proderet. Sic dicebat illi,* Quod facis, fac citò. *pro, Quod facturus es, seu, quod facere instituisti, infrà v. 27.*

12 Pallium] τὰ ἱμάτια. *Vide suprà ad v. 4.* Recepisset] ἔλαβε. *Id est, iterum induisset. Synecdoche membri.* Rursum discumbens] ἀναπεσὼν πάλιν. *Hîc incipit apodosis periodi; vel consequens enuntiati compositi.* Intelligitis] γινώσκετε. *Id est,* συνίετε. *Interrogatio docturientis quasi dicat: Si intelligitis, bene est: si non intelligitis (quod omnino puto, quodque ex recusatione Petri apparuit) docebo vos. Similia exempla vide Psal. 15. v. 1. Rom. 13. v. 3.*

13 Vocatis] φωνεῖτε. *Id est, salutatis: vel vocantes me appellatis.* Præceptor ac domine] ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος. *Pro,* ὦ διδάσκαλε καὶ κύριε. *Sic Marc. 15. vers. 34.* ὁ θεός μου, ὁ θεός μου, *ex Psal. 22. Quod Matth. 27. v. 46. dicitur,* θεέ μου, θεέ μου. *Enallage casus.*

14 Lavi dominus] ἔνιψα ὁ κύριος. *Id est, quum sim dominus: vel, quanquam sum dominus. His verbis innuitur* τὸ ἧττον*: quia minus videtur decere ut dominus & præceptor lavet pedes servorum ac discipulorum, quàm ut conservi & condiscipuli inter se lavent; quum ille sit superior, isti verò æquales. Vel simpliciter notatur causa corrumpens.* Vos quoque] καὶ ὑμεῖς. *Pro,* πολλῷ μᾶλλον ὑμεῖς, *multò magis vos; qui scilicet non estis alter alterius dominus aut præceptor, sed inter vos æquales ut condiscipuli.* Debetis alii aliorum pedes lavare] *Id est, alii aliis servire; & servilia quoque officia, si opus sit, hoc est, si ædificatio proximi postulet, vobis mutuò præstare. Synecdoche speciei. Exemplum hujus præcepti observati vide in Paulo, 1. Cor. 9. v. 19.*

15 Ut prout ego &c.] *Epexegesis.*

16 Servus non est &c.] *Declarat rationem* τῶ ἥττον *seu minoris, in enthymemate proposito.*

18 Ego scio quos elegerim] *Scilicet ad vitam æternam. Est igitur Christus verus ac æternus Deus.* Sed oportet ut] ἀλλ᾽ ἵνα, *Pro,* ἀλλὰ δεῖ ἵνα. *Ellipsis Quanquam videtur potiùs supplendum,* τοῦτο γίνεται; *ac proinde vertendum,* Sed hoc fit ut &c. *Nempe quòd inter vos est hypocrita, qui perfidè me proditurus est. hoc enim dicit ad se consolandum contra perfidiam Judæ. Et supplementum istud confirmatur ex collatione versus sequentis. Porrò similis ellipseos exempla vide Marc.9.v.12.item cap.14.v.49.* Qui edit] ὁ τρώγων. *Id est, edere solet. Sic Matth.26.v.23. Sententia est: Qui utitur meo convictu.* Sustulit adversum me calcem suum] *Id est, conatus est me proculcare & pedibus terere; ut calcitrones & refractarii equi calcibus solent petere. Sicut eruditè declarant Tremellius & Junius ad Psal.41. unde ista sententia desumta est.*

19 Me *eum* esse] ὅτι ἐγώ εἰμι. *Nempe Christum, de quo Scripturæ testantur.*

22 Aspiciebant alii alios] ἔβλεπον εἰς ἀλλήλους. *Intuebantur alii alios.* Hæsitantes] ἀπορούμενοι. *Hoc verbo Græcum meliùs videtur exprimi, quàm verbo,* Dubitantes: *videturq; illud hîc magis idoneum ad notandum discipulorum anxietatem.*

24 Erat recumbens] ἦν ἀνακείμενος. *Recumbebat. Græcismus.* Is quem diligebat Jesus] *Periphrasis Johannis: ut intelligitur ex collatione versiculi 20. & 24. cap. ult.* Diligebat] *Scil. eximiè, præ cæteris. nam omnes suos dilexit, & quidem usq; ad finem, suprà v.1. Synecdoche generis.*

25 Allapsus ad pectus Jesu] ἐπιπεσὼν ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ. *His verbis exprimitur gestus Johannis admoventis sese propiùs ad os Jesu, ut sibi ex eo in aurem indicaretur proditor.* Dicit] λέγει. *Utique submissâ voce, ne cæteri exaudirent.*

26 Respondet] ἀποκρίνεται. *Utique etiam submissâ voce, ut solus Johannes exaudiret. nam si palàm & cunctis audientibus, hoc responsum pronuntiasset: non habuissent discipuli causam dubitandi, quid sibi vellet Dominus istis verbis Judæ dictis,* Quod facis, fac citò: *vers. seq.* Cui ego intinctam offulam dedero] ᾧ ἐγὼ βάψας τὸ ψωμίον ἐπιδώσω. *Ad verb. Cui ego quum intinxero, offulam dedero.*

27 Quod facis] ὃ ποιεῖς. *Id est, quod facere instituis, quod animo jam moliris & machinaris; ut suprà v.11.*

28 Nemo] οὐδεὶς. *Videtur tamen excipiendus Johannes: qui cognoverat rem ex Domino, v.26. Quanquam fieri potuit ut is quoq; non intelligeret, Dominum hîc loqui de proditione.*

35 Ex hoc] ἐν τούτῳ. *Pro,* διὰ τοῦτο. *Hebr.* בְּזֹאת *besóth, ut Gen.42.v.15. Germanicè,* daran vel darben. Alii in alios] ἐν ἀλλήλοις. *pro,* εἰς ἀλλήλους.

38 Animam tuam pro me depones?] *Interrogatio vim habet negandi, simulq; irridendi jactantiam Petri.*

OBSERVAT. EX CAP XIII.

Dilectio Christi. 1 Ex v.1. Qui semel sensit, se à Christo diligi (sentit autem, quisquis in Christum credit) is certò sibi persuadeat, se ab eo in æternum dilectum iri: ac proinde se extra omne periculum exitii positum esse.

Officium hominis Christiani. 2 Ex v.2. Si Christus Judam à quo sciebat se proditum iri, non solùm toleravit, sed etiam humanissimè atque amantissimè tractavit: idem & nos erga hypocritas faciamus, donec Deus eorum hypocrisin patefaciat.

Consolatio contra perfidiam. 3 Ex v.3. Contra perfidiam & insidias hypocritarum, consolemur nos spe gloriæ cælestis, quæ nobis cum Christo capite nostro communis futura est.

Officium hominis Christiani. 4 Ex v.6. & 7. Mandatis Dei obedire debemus, etiam quum ratio eorum nos latet.

Vita æternæ causa. 5 Ex v.8. Quicunque vitam æternam cum Christo communem habere volunt, necesse est ut ante omnia abluantur sanguine ejus in cruce effuso, hoc est, ut per fidem consequantur remissionem peccatorum, quam Christus suo sanguine meritus est.

Officium hominis Christiani. 6 Ex v.10. Etsi fideles puri censentur à Deo, ut qui & sanguine Christi loti, & spiritu ejusdē sanctificati sint, ita ut & peccata eis remissa sint, & peccatum inhabitans non ampliùs in eis regnet: tamen quia ex infirmitate carnis adhuc quotidie labuntur, opus habent ut quotidie adhuc pedes lavent: nimirum peccata commissa dolendo, remissionem eorum petendo, eamque credendo: petendo etiam gubernationem Spiritus sancti, ne posthac iterum peccent, denique seriò sibi à peccatis cavendo.

Hypocritarum cōditio. 7 Ex v.11. Etsi hypocritæ puri & sancti censentur apud homines: tamen coram Deo impuri sunt.

Officium hominis Christiani. 8 Ex v.13.14.15.&16. Quicunque Christi discipuli haberi volunt; eos modestiæ operam dare oportet, & alacritati in officiis charitatis etiam abjectissimis proximo præstandis. Vide exemplum Pauli 1.Cor.9.v.19.20.21.& 22.

Officium hominis Christiani. 9 Ex v.17. Non est satis scire, quid nostri sit officii: sed oportet etiam facere. Vide Matth.7.v.24.

Bonorum operum origo. 10 Ex v.18. Quòd officium nobis à Deo injunctum præstare possumus: id proficiscitur à gratuitâ electione Dei: qui condidit nos in Christo ad bona opera, eaque præparavit ut in eis ambularemus. Eph.2.v.10. item c.1.v.4.

Antilogiæ apparentis solutio. 11 Ex v.eod. Quòd hîc negat Christus, se Apostolos omnes elegisse, cùm tamen suprà c.6.v.70. affirmarit, se elegisse eos omnes: non sibi ipse contradicit. nam illic loquitur de electione ad munus apostolicum: hîc verò de electione ad vitam æternam.

Christi deitas. 12 Ex eod.v. Christum esse verum Deum, ex eo perspicitur, quòd scit, quinam sint electi ad vitam æternam, quòdque ipse eos elegit. nam cognitio hæc propria est τοῦ καρδιογνώστου: & electio hæc facta est ante jacta fundamenta mundi. Eph.1.v.4.

Consolatio contra perfidiam. 13 Ex v.eod. & 21. Si prodamur à falsis fratribus, & quidem ab iis de quibus optimè meriti sumus: consolemur nos exemplo Christi, cui idem à Juda evênit.

Quòd Jesus sit Christus. 14 Ex v.19. Jesum Mariæ virginis filium, esse promissum illum Messiam; ideo credimus, quia in eo impleta sunt quæ de Messia per Prophetas prædicta fuerunt.

Officium hominis Christiani. 15 Ex v.20. Ministri Evangelii reverenter excipiendi sunt: quia hunc honorem Deus sibiipsi haberi censet.

Dilectionis gradus. 16 Ex v.23. Unum præ alio diligere licet: dummodo dilectio fundata sit in donis Dei, quibus ille quem diligimus excellit; & neminem non diligamus, in quo vel exigua Dei dona conspicimus.

Hypocritarū ingenium. 17 Ex v.26. & 27. Tantum abest, ut benevolentiæ signis ab iniquo odio revocentur hypocritæ, ut potiùs magis exacerbentur, & diaboli instinctui plus loci dent.

Eleemosyna. 18 Ex v.29. Etiamsi non abundemus: tamen decet ut egenis aliquid vel ex parvis nostris facultatibus erogemus.

Consolatio contra insidias impiorū. 19 Ex v.31.32.&33. Quum animadvertimus, impios conspirare in nostram necem: debemus nos consolari consideratione glorificationis, necem consecuturæ. Nam si occidimur cum Christo: certum est quòd cum eodem regnaturi simus. 2.Tim.2. v.11.&12.

Dilectio Christiana. 20 Ex v.34. & 35. Si pro Christianis, id est, Christi discipulis, haberi volumus: oportet ut nos mutuò quàm ardentissimè diligamus, videlicet non verbo solùm neque linguâ, sed opere & veritate. 1.Joh.3.v.18.

Electi. 21 Ex v.36. Deus mirabiliter regit electos suos, ut quem nunc infirmum esse sinit, eum suo tempore ita confirmet, ut vel sanguine suo veritatem cælestem obsignare non dubitet.

Confidentia carnalis. 22 Ex v.37. & 38. Cavenda est confidentia carnalis & præsumtio de nostris viribus: nisi gravissimè labi velimus.

ANALYSIS CAP. XIV.

ARGUMENTUM.

Deinceps per tria capita, videl. decimumquartum, decimumquintum & decimumsextum, Evangelista exponit sermonem Domini ad discipulos extremum: quem scil. ad eos habuit in ultima cœna, & partim post cœnam. In quo sermone Dominus discipulos consolatur contra scandalum suæ mortis, & contra suum ab eis discessum: item hortatur eos ad constantiam in fide erga ipsum, & dilectione mutuâ: denique consolatur eos contra odium & persecutionem mundi.

NE turbator cor vestrum. Creditis in Deum? etiam in me credite.

2 In domo Patris mei mansiones multæ sunt: alioqui dixissem vobis.

3 Proficiscor paraturus vobis locum: & quum profectus fuero, & paravero vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad meipsum: ut ubi ego ero, & vos sitis.

4 Et quò ego abeam scitis, & viam scitis.

5 Dicit ei Thomas; Domine, nescimus quò abeas: quomodo igitur possumus viam scire?

6 Dicit ei Jesus; Ego sum via illa, & illa veritas & vita illa. nemo venit ad Patrem nisi per me.

7 Si nossetis me: patrem etiam meum nossetis: & jam nunc nostis eum, & vidistis eum.

8 Dicit ei Philippus; Domine, ostende nobis Patrem; & sufficit nobis.

9 Dicit ei Jesus; Tantum temporis vobiscum sum, & non nosti me? Philippe, qui vidit me, vidit Patrem: quomodo igitur tu dicis, Ostende nobis Patrem?

10 Non credis, me in Patre & Patrem in me esse? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: sed Pater qui in me manet, ipse facit opera illa.

11 Credite mihi, me in Patre, & Patrem in me *esse*: sin minùs, propter ipsa opera credite mihi.

12 Amen amen dico vobis, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet; & majora istis faciet. Nam ego ad patrem meum proficiscor.

13 Et quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.

14 Si

14 Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.
15 Si diligitis me, mandata mea servate.
16 Ego verò rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum:
17 *Nempe* Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non conspicit eum, nec novit eum: vos autem nostis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit.
18 Non relinquam vos orbos: redeo ad vos.
19 Adhuc paululum, & mundus me non ampliùs conspiciet. Vos autem conspicietis me: quia ego vivo, vos etiam vivetis.
20 In illo die vos cognoscetis, me esse in patre meo, & vos in me, & me in vobis.
21 Qui tenet præcepta mea, & servat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.
22 Dicit ei Judas, non ille Iscariotes; Domine, quid est cur te sis nobis manifestaturus & non mundo?
23 Respondit Jesus & dixit ei; Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus.
24 Qui non diligit me, sermones meos non servat: & sermo quem auditis, non est meus, sed ejus, qui misit me, *nempe* Patris.
25 Hæc loquutus sum vobis, apud vos manens.
26 Advocatus autem ille, *id est*, Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia; & in memoriam revocabit vobis omnia quæ dixi vobis.
27 Pacem relinquo vobis, pacem illam meam do vobis: non prout mundus dat, ego do vobis. Ne turbator cor vestrum, neque formidato.
28 Audivistis me dixisse vobis; Abeo, & redeo ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique quòd dixerim, Proficiscor ad Patrem. nam Pater meus major me est.
29 Et nunc dixi vobis priusquam fiat; ut quum factum fuerit, credatis.
30 Non loquar ampliùs multa vobiscum: venit enim princeps mundi hujus, quanquam in me non habet quicquam.
31 Sed ut cognoscat mundus, me diligere Patrem: & prout mandavit mihi Pater, ita facere: surgite, abeamus hinc.

V.1. consolatur eos contra scandalum suæ mortis: quia etsi in cruce secundùm corpus moriatur, tamen sit verus cum Patre Deus, in quo fiducia certæ salutis collocanda sit.

V.2. & 3. consolatur eos contra suum ab eis discessum, ab illius discessus causa finali: quia ab eis discedat, non ut in æternum separatus ab eis suo corpore maneat: sed ut eis locum in cælo paret, & eos suo tempore, nimirum in die ultimo, quum rediturus est ad judicium, ad se assumat: ut cælesti illâ gloriâ & felicitate unà cum ipso fruantur.

V.4. per prolepsin eis in memoriam revocat doctrinam Evangelii ante id tempus diu multumq; eis à se propositam: nimirum de vita æterna & via quæ ad illam ducit: innuens, se per mortem suam iturum in vitam æternam, idque ipsorum causâ.

V.5. Thomas sermonem Domini interpellans, contradicit ei: negans, se & condiscipulos scire quò abeat: ac proinde de via quoque constare sibi non posse. In qua Thomæ contradictione, magna ejus ruditas & doctrinæ Christi oblivio conspicitur. Christus enim de via vitæ æternæ sæpe multumque eos docuerat.

V.6. Dominus Thomam erudit: docens, se, & quidem se solum, esse viam illam, per quam venitur in cælum, nempe ingrediendo hanc viam pedibus fidei: item se esse veritatem, hoc est, promissum illum Messiam, in quo completa sint & complenda sint quæcunque de Messia prædicta & præfigurata fuerint: denique se esse vitam, id est, vitæ æternæ authorem ac datorem: ut qui eam meriturus sit electis suâ morte, & eandem in cordibus eorum inchoët efficaciâ sui spiritus, donec eos plenè regeneret in resurrectione mortuorum.

V.7. exponit, quónam iturus sit, nempe ad Patrem: & quomodo ille cognoscatur, docet, nempe in ipso tanquam mediatore.

V.8. interpellat Philippus: & petit, sibi & condiscipulis ostendi Patrem, id est, Deum: qua petitione significat: se non credere verbis Christi, quum dixit, eos vidisse Patrem.

V.9. Christus Philippum objurgat propter ruditatem. Deinde eum erudit, quomodo Deus verè cognoscatur, nempe quando ejus majestas cognoscitur in Filio incarnato, in quo tanquam effigie clarissimè refulget. quippe in Christo habitabat & in æternum habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, h. e. in corpore ejus tanquam templo personaliter assumto. Porrò ruditatem Philippi ostendit Christus hoc syllogismo:

Qui vidit me, vidit & Patrem.
Atqui tu Philippe vidisti me.
Ergo vidisti & Patrem: Et per consequens imperitè & ineptè facis quum petis tibi ostendi Patrem.

Assumtio intelligitur ex verbis Philippi, ubi dixit: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* quasi dicat: Nos vidimus quidem, id est, cognovimus te: sed ad cognitionem Dei nobis adhuc deest ut videamus Patrem: quem ubi viderimus, acquiescemus.

V.10. confirmat Dominus propositionem sui syllogismi ex ineffabili illa inhabitatione Patris in ipso, & vicissim sui in Patre: unde fit ut qui Christum cognoscit, is non possit non simul cognoscere Patrem qui in ipso habitat. Hanc autem inhabitationem Patris in se probat ex effectis, videl. ex doctrina sua & miraculis. Christus enim doctrinam arcanam de Deo & hominum salute exposuit, idq; non more prophetarum tanquam acceptam ex revelatione, sed tanquam depromtam è suo ipsius pectore, imò è pectore ipsius Patris, in cujus sinu erat: sup. c. 1. v. 18. Et hanc doctrinam proposuit cum divina authoritate & gratia: ut videre est Matth. 7. v. 28. sup. 7. v. 46. Luc. 4. v. 22. Item miracula ad doctrinam suam confirmandam edidit propriâ authoritate & virtute: non autem ut Prophetæ & Apostoli, invocato Deo: nisi quum specimen humiliationis suæ exhibere simul voluit, ut sup. 11. v. 41. & 42. in excitatione Lazari.

V.11. conclusionem probationis infert per exhortationem ad discipulos: ubi est collatio imparium: qua conferuntur ipsius facta cum ipsius persona: & significatur, sermonem ejus fidem mereri per se, quia scil. proferatur à tali persona: ac proinde multò magis fidem mereri, quòd divinis miraculis eum sæpe confirmarit.

V.12. occasione mentionis operum suorum, redit ad consolationem discipulorum: quibus hîc promittit, se postquam in cælum ascenderit, per manus eorum facturum majora opera, quàm ipsemet corpore præsens fecit. Quibus verbis intelligit non solùm miracula quæ post suum in cælos ascensum per Apostolos edidit, tum Hierosolymis tum apud exteras gentes, ut videre est in Actis Apostolorum: sed inprimis conversionem gentium per evangelii prædicationem. hoc enim maximum ac divinissimum opus est Christi, sedentis ad dextram Patris, & inde mittentis suum Spiritum in corda electorum, eaque per prædicationem evangelii illuminantis & ad Deum convertentis, atq; ita permagnum hominum numerum in toto terrarum orbe absque ullis armis sibi subjugantis. Simile est illud dictum Christi de ministris evangelii post ipsius in cælum ascensionem, quos cum Johanne Baptista comparans ait: Non surrexisse quidem inter natos è mulieribus majorem prophetam seu doctorem Johanne Baptista: veruntamen qui in regno cælorum, id est, tempore prædicationis evangelii minimus futurus sit, eum fore illo majorem. Nisi quòd istud de claritate doctrinæ dictum est: hîc autem de efficacia spiritus loquitur.

V.13. & 14. declarat, quomodo opera illa majora per Apostolos facturus sit, & in quem finem: nempe interveniente eorum invocatione, qua Patrem invocaturi sint in nomine ipsius. Finem autem esse gloriam Patris.

V.15. per prolepsin monet, quomodo debeant suam erga ipsum dilectionem testatam facere. Nam quia eum diligebant, optabant ut perpetuò secum maneret. Dominus igitur monet, ut dilectionem suam erga ipsum testatam faciant, observando ipsius præcepta.

V.16. & 17. aliam consolationem annectit, ad mitigandum dolorem, quem ex corporali ipsius absentia percepturi erant. promittit enim, se imperaturum eis à Patre Spiritum sanctum: qui perpetuò cum eis manens, eos consoletur in omnibus ærumnis, & eos edoceat cælestem illam veritatem; cujus cognitio ad vitam æternam necessaria est: simulq; hoc Dei donum commendat à raritate, per antithesin mundi, id est, impiorum ac reproborum: quibus donum hoc nequaquam commune sit cum electis. Ubi etiam causam proximam exponit, cur reprobis non detur Spiritus sanctus: nimirum quia eum non curant, sed contemnunt, freti scilicet propriâ ratione.

V.18. promissionem hanc repetit: simulque monet, quænam sit piorum conditio absque consolatione Spiritus. nempe esse velut orphanos qui & consilio & opibus destituantur in hoc mundo, omniumque prædæ & injuriis expositi sint. Promittit igitur, se per Spiritum suum ad eos rediturum, atq; ita consilium suggesturum, & opem laturum contra mundi injurias.

V.19. addit alias duas consolationes: unam, quòd etsi paulo pòst fit moriturus & in sepulchro recondendus, brevi tamen rursum ipsum conspecturi sint: quippe qui tertio die erat resurrecturus, seseque discipulis per dies quadraginta ostensurus, deque regno Dei cum eis collocuturus: Actor. 1. v. 3. Hoc beneficium illustrat antithesi, qua discipulis opponit mundum, id est,

homines impios: qui eum non ampliùs in hoc mundo ſint conſpecturi. Altera coſolatio ex priore manat, tanquam ex cauſa. Quia enim reſurrecturus erat Chriſtus in vitam æternam, promittit diſcipulis, ipſos quoque victuros; atque ita ſenſuros fructum reſurrectionis ipſius. Loquitur autem de vita ſpirituali, qua vivit cor fidele virtute Spiritus S. teſtificantis argumento reſurrectionis Chriſti, mortem æternam morte ipſius ſuperatam eſſe, & vitam æternam adductam omnibus Chriſti membris, id eſt, omnibus fidelibus.

Verſ.20. addit aliam conſolationem: nempe quòd poſt ſuum in cælos aſcenſum verè cognituri ſint res duas maximas, quas nunc nondum ſatis intelligant: videlicet unionem Chriſti cum Patre, & unionem fidelium adeoque & ſui ipſorum cum Chriſto: nempe Chriſtum eſſe in Patre, & viciſſim Patrem in Chriſto τῇ ἐσίᾳ, eſſentiâ: ita ſcilicet, ut ſint unus Deus: fideles verò eſſe in Chriſto, & viciſſim Chriſtum in fidelibus per gratiam Spiritus ſancti: qui eos Chriſto per fidem inſerit tanquam membra capiti, tanquam palmites viti: ita ut fideles ex Chriſto ſuccum vitæ æternæ perpetuò hauriant.

V.21. addit aliam conſolationem, à promiſſione triplici: promittit enim eis primùm dilectionem Patris, deinde ſuam, poſtremò manifeſtationem ſui. Quæ quidem omnia non de initio, ſed de augmento intelligenda ſunt: & duo priora non de ipſa dilectione in ſe, ſed de ipſius ſenſu in nobis. Antequam autem hanc conſolationem proponat: monet, quales eos eſſe oporteat, ſi promiſſionum illarum velint fieri participes, nempe oportere eos præditos eſſe ſincerò ipſius amore. Itaque inter ſincerum ac ſimulatum ipſius amorem diſcernit hac notâ, quòd veri amatores ipſius obſervent præcepta ejus, hoc eſt, ex animo ac vero conatu ſtudeant pietati: hypocritæ verò non item.

V.22. interpellat Judas Jacobi frater, ac quærit, cur Dominus ſe ſolis diſcipulis patefacturus ſit, non autem toti mundo. Quod videtur quærere ex falſa opinione de regno Chriſti, quaſi illud terrenum ac mundanum futurum eſſet.

V.23. Chriſtus quæſtione illâ neglectâ ac præteritâ, pergit in inſtituta doctrina, & repetit promiſſionem illam pertinentem ad ſinceros ſui cultores.

V.24. doctrinam hanc illuſtrat à contrario, ſimulque cauſam exponit, cur doctrina ſua meritò fide amplectenda ſit: quia nimirum ſit doctrina cæleſtis, quam à Deo Patre acceptam in mundum attulerit.

V.25.&26. aliam conſolationem addit, quæ ſumta eſt à futura in eis operatione Spiritus S. qui doctrinam ſuam quam hoc tempore nondum ſatis intelligant, ſit eis pleniùs declaraturus: & ſi quid obliti fuerint, in memoriam revocaturus ad ipſos conſolandum.

V.27. conſolatur eos à communicatione ſuæ pacis, hoc eſt, veræ felicitatis, quæ conſiſtit in ſenſu gratiæ Dei, & aliâs pax conſcientiæ vocatur. De qua pace infra cap.16. verſ. 33. ait: *Hæc loquutus ſum vobis ut in me pacem habeatis: in mundo afflictionem habebitis.* Hanc autem pacis communicationem diſcernit ab optatione pacis quæ uſitata eſt in mundo ſeu inter homines: ubi alii aliis pacem, id eſt, felicitatem optant, benevolentiæ teſtandæ causâ, idque interdum non ſeriò: nemo tamen felicitatem alteri largiri poteſt. Poſtea concluſionem præcedentium conſolationum annectit, quam initio hujus ſermonis propoſuerat, verſ.1.

V.28. concluſionem factam amplificat, nempe ob diſceſſum ſuum diſcipulis non ſolùm non eſſe dolendum, ſed etiam gaudendum; quia hic diſceſſus pertineat ad ipſius gloriam & beatitatem. Patrem enim ad quem proficiſcatur, majorem eſſe ſe, hoc eſt, beatiorem ac glorioſiorem: nimirum quatenus ipſe, tanquam ſervus patris, in hoc mundo ſit contemtus & pauper: à quo ſcil. contemtu liberandus ſit per hunc diſceſſum ad Patrem, hoc eſt, aſcenſionem in cælum & ſeſſionem ad dextram Patris: & particeps futurus illius beatitatis & gloriæ Patris. Vide infra 17.v.5.

V.29. cauſam finalem indicat, propter quam diſcipulos præmoneat de ſuo ab eis diſceſſu corporali, & ad eos reditu per Spiritum ſanctum: ut ſcilicet credant ipſius doctrinæ, ac proinde in ipſum credant tanquam ſervatorem.

V.30. cauſam corrumpentem exponit longioris ſermonis, nempe inſtantem mortem: quam circumloquitur à cauſa efficiente, nempe diabolo, quem vocat principem hujus mundi: quia permiſſu Dei tyrannidem exercet in impios, eoſque pro ſua libidine agitat: Simul autem intelligit diaboli organa, nempe Judam proditorem, ſacerdotes, Phariſæos, Pilatum & milites, qui ipſum occiderunt. Præterea docet, ſe moriturum innocentem: quia diabolus nihil in eum habeat juris aut poteſtatis: quippe quum ſit purus à peccato; atque etiam diabolo potentior, nempe Deus.

V.31. exponit cauſam finalem, cur moriturus ſit, quantumvis innocens ac potentior diabolo: nempe ut glorificetur Pater ex ſua obedientia: quum Pater decreverit ut moreretur, eique hoc mandaverit, propter ſalutem electorum. Ad extremum hortatur eos ut ſurgant & ſecum in hortum abeant. Quanquam videtur non ſtatim exiviſſe: ſed ſermonem qui ſequitur duobus ſequentibus capitibus, atque etiam precationem quæ habetur cap.17. habuiſſe in eodem loco ubi cœnarat. Hoc intelligitur ex principio capitis 18. ubi ait evangeliſta: Jeſum poſtquam iſta omnia loquutus eſſet, egreſſum eſſe cum diſcipulis trans torrentem Kedron, ubi erat hortus.

SCHOLIA IN CAP. XIV.

1 Ne turbator] μὴ ταρασσέσθω. *Id eſt, ne committote ut turbetur.* Creditis &c.] πιστεύετε. *Hæc verba ſic ſunt diſtinguenda:* πιστεύετε εἰς θεόν; καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. *Id eſt, Creditis in Deum? Etiam in me credite. hoc eſt, Si creditis in Deum, etiam in me credite. Tales interrogationes & ſubjectæ reſponſiones exſtant 1.Cor.7.v. 18.21.& 27.*

2 In domo patris mei] *Id eſt, in cælo, ſede beatorum. Periphraſis.* Manſiones] μοναί. *Id eſt, habitationes.* Alioqui] εἰ δὲ μή, *Niſi ita eſſet.* Dixiſſem vobis] εἶπον ἂν ὑμῖν. *Id eſt, indicaſſem id vobis: ne ſcilicet lactarem vos inani ſpe.*

3 Proficiſcor] πορεύομαι. *Hæc verba omnino à præcedentibus diſtinguenda ſunt: ut hic incipiat nova periodus. Neque enim certè illis ſubjiciuntur per mimeſin.*

6 Via illa] ἡ ὁδὸς *Scil. quæ ducit in cælum. Metaphora.* Illa veritas] ἡ ἀλήθεια. *Verus ille ſacerdos & rex, per Moſaicos illos præfiguratus. Sic ſuprà cap. 1. verſ. 17.* Vita illa] ἡ ζωή. *Vera illius vitæ, nempe æternæ, author. Metonymia effecti. Sic ſuprà cap. 11. verſ. 25.*

10 Opera illa] τὰ ἔργα. *Nempe eximia illa & mira opera, quæ ego facio.*

12 Majora iſtis] μείζονα τούτων. *Videtur intelligere converſionem populorum per prædicationem evangelii: ut quòd Petrus unâ concione tria millia ad fidem Chriſti adduxit, Act.2.v.41.* Nam ego ad patrem meum proficiſcor] *Id eſt, Nam ego aſcendam in cælum, & inde mittam in vos Spiritum S. cujus virtute inſtructi prædicabitis evangelium in toto mundo. Synecdoche membri.*

16 Rogabo] ἐρωτήσω. *Propriè τὸ ἐρωτᾶν ſignificat interrogare: ſed hîc orare* Advocatum] παράκλητον. *Sic etiam Chriſtus vocatur* παράκλητος, *1.Johan.2.v.1. Conſolator autem; eſt ac ſi dicas* παρακλήτης *vel* παρακλήτωρ. Alium] ἄλλον. *Scil. pro me, ſeu meo loco. Ergo ſe quoque profitetur diſcipulorum* παράκλητον, *id eſt, advocatum ſeu patronum apud Patrem.* In æternum] εἰς τὸν αἰῶνα. *Id eſt, ſemper non autem ad tempus tantùm, ut ego ad tempus vobiſcum fui, nunc autem à vobis diſcedam.*

19 Mundus] ὁ κόσμος. *Id eſt, impii: ut intelligitur ex antitheſi. Metonymia ſubjecti, & ſynecdoche generis: quia impiorum in mundo maximus numerus eſt.* Vos etiam] καὶ ὑμεῖς. *Conjunctio* Etiam *eſt nota paris. Pariter enim eſt vita in capite & in membris.*

22 Non ille Iſcariotes] οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης. *Quaſi dicat: Sed alter ille, Jacobi frater.* ἀνανταπόδοτον.

23 Manſionem faciemus] μονὴν ποιήσομεν. *Manſionem, id eſt, habitationem. Hoc eſt, in eo inhabitabimus tanquam in templo: ſicut paſſim Paulus fideles nominat templa Spiritus ſancti.*

24 Et ſermo] καὶ ὁ λόγος. *Pro,* Quanquam ſermo. *Eſt enim correctio.* Non eſt meus] *Id eſt, non eſt à me excogitatus, tanquam nudo homine, qui deſtituatur vocatione Dei. Sic ſuprà cap.6.v. 38.& cap.7.v.16. Synecdoche generis.*

25 Apud vos manens] παρ' ὑμῖν μένων. *Id eſt, quum adhuc apud vos degerem & vobiſcum verſarer. nam perinde loquitur ac ſi jam non verſaretur cum eis, eò quòd paulò pòſt diſceſſurus erat.*

26 Ille vos docebit] ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει. *Præceſſit,* τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Conſtructio igitur refertur ad ſenſum: & pronomine maſculino notatur manifeſtè perſona. Syneſis: quæ vulgo ſyntheſis. Similis ſyntaxis reperitur 1.Cor.12. verſ. 2.* ἔθνη ἀπαγόμενοι. Omnia] πάντα. *Intellige omnia ad ſalutem neceſſaria. Synecdoche generis.*

28 Nam pater] ὅτι ὁ πατήρ *Rationem affert enuntiati connexi præcedentis,* Si diligeritis me &c. Major] μείζων. *Id eſt, beatior. Synecdoche generis. Sic infrà c.15.v.20.* Me] μου. *Nempe qualis nunc ſum, donec mortuus fuero. Significat, ſe ubi profectus fuerit ad Patrem, participem fore cæleſtis illius beatitatis qua Pater fruitur: quo nomine diſcipuli meritò gaudere debeant, non autem ipſi hanc beatitatem invidere: ſi modò eum diligant.*

29 Credatis] πιστεύσητε. *Nempe in me. Id eſt, in fide creſcatis & confirmemini. Metonymia ſubjecti. Sic ſuprà cap.2.v.11.*

30 Princeps mundi hujus] *Id eſt, diabolus. Periphraſis.* Quanquam] καὶ *pro* καίπερ. In me non habet quicquam] *Id eſt, nihil habet juris in me. Synecdoche generis.*

31 Sed ut cognoſcat &c.] *Bifariam hæc verba poſſunt conſtrui & exponi. Vel ſic:* Sed ſurgite, abeamus hinc (*ſcilicet obviam iis qui me capturi ſunt*) ut cognoſcat mundus &c. *Vel poſt* ἀλλὰ *aliquid ſupplendum, ad hunc modum:* Sed *venit ille (nempe princeps mundi venit, ut me ad mortem rapiat, verſ. præcedente)* ut cognoſcat mundus, me diligere Patrem, & prout mandavit mihi Pater, ita facere. Surgite &c. *Poſſunt etiam ſuppleri verba generalia,* γίνεται τοῦτο *vel* ταῦτα: fit hoc, *vel* fiunt hæc. *Cujus ellipſis exempla plura vide ſupr. cap.13.v.18. in ſcholiis.* Et ita facere] καὶ οὕτω ποιῶ. *Repetendum* ὅτι, ἀπὸ κοινοῦ. *quaſi dicat,* καὶ ὅτι καθὼς *&c.*

OBSER-

OBSERVAT. EX CAP. XIV.

Christi deitas. 1 Christum esse Deum, multis argumentis probatur ex hoc capite. Primum: quia in eum credendum est, v.1. Secundum: quia ascendit in cælum propriâ virtute, vers.2. Tertium: quia assumet credentes ad se in cælum, v.3. Quartum: quia est via, veritas & vita, v.6. hoc est, quia est mediator inter Deum & nos, promissus ille Messias, vitæ æternæ author in credentibus. Quintum: quia tam arctè unitus est cum Patre, ut qui ipsum novit necessariò nôrit & Patrem: quum Pater sit in ipso, & ipse in Patre, per essentiam; v.7.9.10.11.& 20. Sextum: quia doctrinam arcanam de Deo & salute hominum protulit è sinu Patris, idque cum divina authoritate & gratia, v.10. Septimum: quia miracula edidit virtute propriâ, eod.v. Octavum: quia ei loqueti credendum est per se, nempe propter ipsius authoritatem, v.11. Nonum: quia exaudit preces invocantium, corpore longissimè ab illis distans, v.13. Decimum: quia facit unà cum Patre quæ credentes petunt, nempe quæ petunt secundùm voluntatem Dei, eodem vers. & sequenti. Undecimum: quia mandata Dei sunt ipsius mandata, v.15. & 21. Duodecimum: quia unà cum Patre mittit Spiritum sanctum in corda credentium ad eos consolandum, vers.16.17. & 18. Decimumtertium: quia propriâ virtute resurrexit ex morte, vers.19. Decimumquartum: quia vitæ suæ participes facit credentes, eod. vers. Decimumquintum: quia se per Spiritum sanctum patefacit electis, v.21. Decimumsextum: quia unà cum Patre venit ad electos, & apud eos manet, nimirùm habitans in cordibus eorum per fidem, v.23. Eph.3.v.17. Decimumseptimum: quia credentibus dat pacem conscientiæ, v.27. Decimumoctavum: quia prædixit discipulis quæ sibi & illis eventura erant: prædixit autem non tanquam ex revelatione, ut Prophetæ: sed tanquam omnisciens, v.29.

Cælum. 2 Ex v.2. & 3. Cælum in quod Christus ascendit, est locus destinatus Christo & hominib. in Christum credentibus, ut ibi beatè in æternum vivant. Hic locus vocatur domus Patris: quia Pater illic se plenè fruendum dat filiis suis, nempe hominibus quos in filio suo unigenito in filios adoptavit. A Paulo vocatur tertium cælum, 2.Cor.12.v.2. respectu scilicet aëris, quod est primum cælum nobis proximum; in quo quia volant aves, nominantur inde volatilia cæli: & respectu cæli in quo hærent sol, luna, & cæteræ stellæ: quod vulgò cælum, & à nonnullis firmamentum dicitur. Ac de his cælis intelligendum est quod dicit Apostolus Ephes.4.v.10. Christum ascendisse supra omnes cælos, nempe hos aspectabiles. Vocatur etiam ab eodem Paulo hoc tertium cælum paradisus, 2.Cor.12. v.4. propterea quòd ut primi nostri parentes, quamdiu in paradiso, id est, horto illo amœnissimo in quo collocati erant, mandato Dei obedientes permanserunt, beatè vixerunt: ita in hoc cælo perfectissimâ beatitudine fruentur omnes electi. Quæ quum ita sint: falsum est dogma eorum qui dicunt, cælum ubique esse.

Vita æternæ causa. 3 Ex vers.6. Unicus Christus est via ad vitam æternam, & promissus ille Messias, in quo figuræ Mosaicæ impletæ sunt, 2.Cor.1. v.20.

Cognitio Dei. 4 Ex v.7. & 9. Qui Christum novit, Deum novit; Qui Christum ignorat, Deum ignorat. Sic suprà 5.v.23.

Christus. 5 Ex v.10. Dei majestas in Christi tum doctrina tum factis se planè conspicuam præbet.

Preces. 6 Ex v.13. Orandus est Pater in nomine Christi: & confidendum, eum exauditurum.

Officium hominis Christiani. 7 Ex v.15.21.23. & 24. Dilectionem nostram erga Christum testatam facere debemus serio studio pietatis: quo qui destituitur, hypocrita est, & falsò gloriatur, se Christum diligere.

Christi apud nos præsentia. 8 Ex v.16.17.& 18. Christus quamvis corpore suo à nobis absit: tamen per gratiam Spiritus sancti omnibus piis præsentissimus est, in omnibus ærumnis eos consolans.

Vita æterna causa. 9 Ex vers.19. & 20. Vita nostra æterna ex vita æterna Christi fluit: quum ipse sit caput, nos membra: ipse vitis, nos palmites.

Dilectio Christi. 10 Ex v.21. & 23. Diligi nos à Christo & à Patre, inde scimus, quòd Christus se nobis indies magis patefacit: quodq; unà cum Patre per Spiritum suum in nobis habitat.

Spiritus S. operatio. 11 Ex v.26. Spiritus sanctus non inspirat hominibus doctrinam novam: sed doctrinam Christi mentibus electorum declarat, & per eam illos consolatur.

Beneficia Christi. 12 Ex v.27. Pax conscientiæ & sola felicitas à Christo nobis communicatur.

Christi absentia secundùm carnē. 13 Ex vers.28. Tantum abest, ut discessum Christi à nobis secundùm carnem; ægrè ferre debeamus, ut è contrario de eo nos gaudere oporteat: quum per eum glorificatus sit: ex ipsius autem tanquam capitis glorificatione pendeat omnis nostra, tanquam membrorum, benedictio.

Obedientia mortis Christi. 14 Ex vers.30. & 31. Christus non invitus, sed volens; non diabolo obnoxius, sed Patris mandato obediens, mortem subiit; ut illâ innocentis sui obedientiâ nostram culpam atque inobedientiam expiaret.

ANALYSIS CAP. XV.

ARGUMENTUM.

In hoc capite Christus novum sermonem orditur, ac tria potissimùm agit. Primùm hortatur discipulos ad constantiam in fide; docens, eos per fidem sibi, tanquam palmites viti, esse insitos: usq; ad v.8. Deinde hortatur eos ad studium pietatis, ac inprimis ad mutuam dilectionem: à v.8. usq; ad 18. Tum consolatur eos contra odium ac persecutionem mundi: à v.18. usq; ad finem.

PRIMA PARS.

Hortatur discipulos ad constantiam in fide.

EGo sum vitis illa vera; & pater meus est agricola ille.

2 Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut plus fructus ferat.

3 Jam vos puri estis, propter sermonem quem loquutus sum vobis.

4 Manete in me: & ego in vobis *manebo*. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, *id est*, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis.

5 Ego sum vitis, vos palmites: is qui manet in me, & in quo ego *maneo*, hic fert fructum multum. nam seorsim à me nihil potestis facere.

6 Nisi quis in me manserit; abjectus extra *vineam*; statim ut palmes arescit: deinde coguntur isti *palmites*, & in ignem abjiciuntur, & ardent.

7 Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis.

V.1. docet, discipulos & omnes omnino credentes arctissimè secum conjunctos esse, videl. tanquam palmites cum vite. Simul etiam docet, illos sibi insitos esse à Patre, nimirum per Spiritum sanctum, & prædicationem evangelii: qua scil. effectum sit, ut per fidem secum coaluerint.

V.2. ex hac doctrina cohortationem deducit; quâ discipulos hortatur ad ferendum fructum, id est, ad studium bonorum operum, quæ Deo instar suavissimi fructus (quales hominibus uvæ sunt) grata sint. Et huc hortatur ab effectis per antithesin. Exponit enim primùm effectum perniciosum, eventurum iis qui fructum non tulerint, nempe hypocritis: quibus minatur fore, ut è vite exscindantur, id est, à Deo abjiciantur in æternum exitium. Ubi notandum, hypocritas nominari palmites Christo insitos, non quòd reverà ei insiti sint: quippe quum careant fide, qua solâ cum Christo tanquam vite coalescere licet: sed quòd propter fidei professionem insiti esse videantur. Contrà vere-credentibus, & fructum bonorum operum ferentibus, promittit, fore ut à Patre magis subinde purgentur, atque ita copiosiorem fructum ferant, Deoque indies magis placeant. Ubi notandum, purgationem hanc nihil aliud esse quàm renovationis incrementum quotidianum, quâ Deus per Spiritum sanctum & prædicationem evangelii atque etiam (quum lascivia carnis id postulat) per crucem & virgas suas quotidie magis renovat corda credentium ad serium studium pietatis.

V.3. doctrinam hanc generaliter propositam accommodat ad discipulos: eosq; affirmat puros jam esse: non quod omni prorsus vitio carerent, sed quòd renovari jam cœpissent. Simul etiam instrumentalem causam indicat, per quam à Patre purgati ac renovati sint, videl. sermonem suum, id est, doctrinam evangelii jam sæpe multumque eis propositam. Etenim fides quâ Christo inserimur, & ex qua fluit pietatis studium, ex auditu evangelii proficiscitur: ut docet Paulus Rom.10.

V.4. hortatur eos ad constantiam in fide, inquiens: *Manete in me.* scil. per fidem. Argumenta cohortationis affert duo: primum ab effectu utili: promittit enim, se quoque mansurum in eis, nempe per Spiritum suum. Quod non ita est intelligendum, quasi nos fide nostrâ mereamur, ut Christus per Spiritum suum maneat in nobis: sed quòd ei placeat, hoc modo nos in fide & fidei confessione confirmare: quum sciamus, nos magnum constantiæ illius præmium nacturos, gratuitum quidem illud; sicut & ipsam fidem, ut gratuitum donum, à Deo accepimus; cui pro sua bonitate & φιλανθρωπίᾳ placet dona in nobis sua coronare, ut Augustinus ait. Deinde addit alterum cohortationis argumentum; quod sumtum est à fine: ut scil. possint ferre fructum, id est, facere opera Deo grata. quod argumentum illustrat similitudine ante-propositâ palmitum & vitis.

V.5. commoratur in eadem doctrina, similitudinem propositam ampliùs declarans.

V.6. affert aliud argumentum quo eos ad constantiam in fide hortatur; quod idem est cum argumento quo sup. v.2. hortatus eos fuit ad studium bonorum operum; nempe ab effectu pernicioso. Minatur enim eis, qui à se defecerint, rejectionem in æternum exitium: & hoc facit sub similitudine instituta à palmitibus. Tria autem distinctè minatur: primùm ejectionem è vinea Domini, id est, ecclesia: Deinde secuturam destitutionem gratiæ Dei: ita ut apostatæ illi subinde aridiores reddantur, id est, deteriores, minusque idonei ad bona opera, magis autem idonei ad ignem gehennæ. Postremò minatur illis abjectionem in ignem gehennæ, id est, in æternum exitium.

V.7. alio argumento eos hortatur ad constantiam in fide; quod sumtum est ab effectu utili, videl. impetratione rerum ad vitam æternam & muneris injuncti functionem necessariarum. Simul autem docet, quomodo in ipso manere possint, nempe si verba sua manserint in ipsis, hoc est, doctrina sua, nempe doctrina evangelii. Hæc autem in nobis manet per quotidianam meditationem, præcedente invocatione Dei, ut illam nobis subinde magis patefaciat. Quòd autem promissionem hanc generaliter concipit, inquiens, *Quicquid volueritis*: sciendum est, hanc generalem sententiam restringi ex ipsa promissionis formula, ad eas res quæ pertinent ad gloriam Dei & ad salutem credentium. Promissio enim hæc fit iis qui in Christo permanserint fide, & in quibus verba Christi manserint piâ meditatione. Qui autem ex fide petunt, ii non petunt nisi secundùm voluntatem Dei; ac proinde res pertinentes ad Dei gloriam & salutem suam petunt simpliciter & absolutè: res autem pertinentes ad commoda hujus vitæ terrenæ petunt cum hac conditione, Si Deus velit, hoc est, si faciat ad illius gloriam & salutem ipsorum. Similis est locus ille Psalmi, Faciet voluntatem timentium se, Psal. 144.19.

SECUNDA PARS.

Hortatur eos ad studium bonorum operum, ac inprimis ad mutuam dilectionem.

8 In hoc glorificatus est pater meus, ut fructum multum feratis: & eritis mei discipuli.

9 Prout dilexit me Pater, *ita* & ego dilexi vos: manete in illa mea dilectione.

10 Si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut ego patris mei mandata servavi, & maneo in ejus dilectione.

11 Hæc loquutus sum vobis, ut gaudium illud meum in vobis maneat, & gaudium vestrum plenum fiat.

12 Hoc est præceptum meum, ut diligatis alii alios, sicut dilexi vos.

13 Majorem dilectionem nemo habet quàm istam, ut quispiam animam suam deponat pro amicis suis.

14 Vos amici mei eritis, si feceritis quæcunque ego mando vobis.

15 Non ampliùs dicam vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus ipsius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à patre meo, nota feci vobis.

16 Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & constitui vos, ut abeuntes fructum feratis, & fructus vester maneat: ut quicquid petieritis à Patre in nomine meo, det vobis.

17 Hæc mando vobis, ut diligatis alii alios.

V.8. Hortatur eos ad studium bonorum operum, argumento ducto à fine vel etiam effectu utili, videl. gloriâ Patris. Hanc autem gloriam ex bonis operibus discipulorum exsistere, tali syllogismo ostendit:

Si sitis (id est, esse agnoscamini) mei discipuli, hinc glorificatur meus pater.
Atqui si fructum multum feratis, hoc est, si multa bona opera faciatis, eritis (id est, agnoscemini) mei discipuli.
Ergo si multa bona opera faciatis, glorificatur hinc pater meus.

Propositio liquet ex eo, quòd Pater Christum misit ad docendum: quare, qui discipulus Christi est, hoc est, doctrinæ Christi credit, is credit doctrinæ Patris: quæ res pertinet ad ejus gloriam: dat enim ei gloriam veritatis. Sic alibi ait Christus, eum qui credit suæ doctrinæ, obsignare quòd Deus verax sit. Sup. 3. v. 33.

Assumtio liquet ex eo, quòd bona opera facere, est servare præcepta Christi. hæc autem qui servat, verum se illius discipulum demonstrat. Sup. 13. v. 35.

V.9. aliud argumentum ab effectu utili affert, quo eos hortatur ad studium pietatis. Promittit enim fore, ut maneant in sua dilectione, hoc est, ut dilectionem ejus erga se quasi alant & conservent. Dilectionem autem suam erga eos, amplificat ab adjuncta magnitudine: quam innuit collatione parium. comparat enim eam cum dilectione Patris erga se; quam summam esse constat. Porrò argumentum latet in ipsis verbis exhortationis. Quum enim ait, *Manete in illa mea dilectione*, perinde est ac si diceret; Colite me studio pietatis seu observatione meorum mandatorum: sic enim manebitis in mea dilectione. Hanc esse sententiam, liquet ex v. sequente. Est igitur synecdoche metonymica, qua scil. unà cum effectu intelligitur causa: quod tamen dextrè accipiendum est. Sicut explicavimus suprà ad vers. 4. de constantia in fide.

V.10. additur argumenti superiore versiculo instituti declaratio per enuntiatum connexum: quod constituit syllogismi propositionem, ad hunc modum:

Si velitis manere in mea dilectione, oportebit vos servare mea mandata.
Atqui haud dubiè vultis manere in mea dilectione.
Ergo debetis servare mea mandata.

Propositio continetur hoc versu, veruntamen non expressè, sed per reciprocationem elicita, syllogismi formandi causâ. Assumtio tanquam per se nota omittitur. Conclusio continetur v. superiore, in ipsis verbis exhortationis. Propositio confirmatur ab exemplo, videlicet obedientia Christi erga Patrem & dilectione Patris erga Christum.

V.11. Causam finalem superioris argumenti exponit, à dilectionis suæ constantia ducti: ut nimirum apostoli vero illo ac solido gaudio quod ex sensu dilectionis Christi manat, constanter fruantur. Quæ ipsa sententia vim habet novi argumenti, item ab effectu utili ducti. quod argumentum è superioribus ita formari potest, in persona Apostolorum.

Si mandata Christi servabimus, fruemur solido gaudio.
Atqui mandata Christi servabimus.
Ergo fruemur solido gaudio.

Vel sic in persona Christi:

Si velitis frui solido gaudio, servabitis mea mandata.
At vultis frui solido gaudio.
Ergo servate mea mandata.

Porrò gaudium hoc nominat & suum & discipulorum. Suum quidem, quia ex ipso & ab ipso proficiscitur. Discipulorum verò; quia in ipsis est, ut ipsi eo fruantur. Verbo *manendi* constantiam seu perseverantiam in fide notat: verbo *plenum fieri* perfectionem gaudii, non quidem omnibus numeris absolutam in hac vita: veruntamen talem qua omnes ærumnæ facilè superentur & veluti absorbeantur. Nam pax hæc Dei tanta est, ut superet omnem intellectum. Vide Phil. 4.7. item Rom. 8. v. 18.

V.12. institutam exhortationem declarat & genus ad speciem revocat: hortans eos ad mutuam dilectionem: addito argumento à pari seu simili, videl. suo ipsius exemplo.

V.13. argumentum allatum, nempe exemplum sui erga discipulos amoris, amplificat collatione imparium, quâ suam dilectionem tanquam majorem cum quavis alia dilectione humana comparat: idque ex maximi amoris proprio effecto demonstrat, quod est mortem oppetere pro amico.

V.14. docet, quomodo discipuli se gerere debeant, ut maneant amici Christi: nempe quòd debeant observare ipsius mandata: quæ ipsa est sententia institutæ corhortationis.

V.15. rationem exponit, cur discipulos dixerit amicos, à proprio quodam amicorum effecto: nempe quia arcanum Dei consilium de ipsorum salute eis patefecerit: & hanc sententiam illustrat & amplificat antithesi, qua amicis opponit servos: quibus domini non solent aperire, quid facere constituerint.

V.16. per prolepsin occurrens falsæ opinioni, docet, quænam hujus inter se & illos amicitiæ origo seu causa procreans sit, nempe non illos causam esse, sed se: simulq; aliud effectum commemorat, quo demonstrat se illos pro amicis habere: nempe quia eos elegerit ad Apostolatum, munus nimirum omnium honorificentissimum & hominibus utilissimum. quid enim honorificentius, quàm fungi legatione pro Christo? quid hominibus utilius, quàm eos lucrifacere Christo & colligere in horreum Dei? Simul etiam docet, quâ causâ instrumentali opus sit ad fructuosam Apostolatus unctionem, videl. invocatione Dei.

V.17. exhortationem hanc concludit.

TERTIA PARS.

Consolatur eos contra odium ac persequutionem mundi.

18 Si mundus vos odit, scitis me priùs quàm vos, illis odio habitum.

19 Si ex mundo essetis, mundus quod suum est amaret; quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.

20 Mementote sermonis quem ego dixi vobis, Non est servus major domino suo. Si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt.

21 Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum; quia non noverunt eum qui misit me.

22 Si non venissem & loquutus essem eis; peccatum non haberent: nunc autem non habent quod prætexant peccato suo.

23 Qui me odit, *is* etiam patrem meum odit.

24 Si opera non fecissem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me & patrem meum.

25 Sed *hoc faciunt* ut impleatur sermo qui in lege ipsorum scriptus est, Oderunt me immeritò.

26 Quum autem venerit advocatus ille quem ego mittam

mittam vobis à Patre (Spiritus *inquam* ille veritatis qui è Patre emanat) ille testabitur de me.

27 Sed & vos testabimini; quoniam à principio mecum estis.

V.18. consolatur Dominus discipulos contra odium ac persecutionem mundi, argumento ducto à suo exemplo.

V.19. alterum consolationis institutæ argumentum affert, quod sumtum est ab odii illius causa; quæ est quòd electi, id est, segregati sunt ex mundo, hoc est, ex numero impiorum ac filiorum Diaboli, adoptati scilicet in filios Dei. Hoc argumentum illustrat à contrario.

V.20. repetit primum argumentum, nempe à suo exemplo: & pleniùs exponit: confirmans illud testimonio sententiæ proverbialis, & illustrans antithesi.

V.21. tertium consolationis argumentum affert, quod etiam (ut secundum) à causa odii illius sumtum est, quæ est odium nominis Christi, cujus discipulos sese profitebantur, unde liquet, odium hoc esse iniquum. Simul etiam causam procreantem odii (quo scilicet Christum oderant) exponit, videlicet ignorantiam Dei.

V.22. per prolepsin docet, ignorantiam illam hostium suorum non talem esse, qua sese possint excusare; quia de Deo fideliter ab ipso sint edocti. Unde liquet, meram malitiam ipsis obstitisse, quò minùs doctrinæ Christi crederent, atque ita Deum ex illa rectè agnoscerent. Hanc sententiam syllogismo connexo concludit ad hunc modum:

Si non venissem, & loquutus essem eis, peccatum non haberent.
Nunc autem veni, & loquutus sum eis.
Ergo peccatum habent. Pro hoc dicit,
Ergo non habent quod prætexant peccato suo.

Cæterùm syllogismus iste etsi peccat in forma, quia tollit antecedens, ut tollat consequens; tamen bonus est potestate; quia potest fieri bonus, si propositio convertatur; tunc enim tollet consequens, ut tollat antecedens. Idem est judicium de syllogismo qui formatur ex posteriore connexo versiculi vicesimi. Quòd autem ait, *peccatum non haberent*; non est simpliciter, ut verba sonant, accipiendum; sed ex antithesi sic interpretandum; Possent peccatum suum (nempe odium illud iniquum erga me & inde ortam incredulitatem) aliquo modo excusare, nempe quòd à nemine edocti sint, me esse filium illum Dei, servatorem mundi: ac proinde non odio, sed amore; non contemtu, sed fide dignum esse.

V.23. interserit quartum argumentum consolationis: quia odium illud redundet in Patrem: qui scilicet osores suos suo tempore puniturus sit.

V.24 rursùm ostendit, ignorantiam istorum nil facere ad ipsos excusandum, sed petulantem ac malitiosam esse; quia miraculis doctrinam suam confirmarit.

V.25. quintum argumentum consolationis affert, quod sumtum est à prædictione Scripturæ, ac proinde ab arcana Dei voluntate, in qua nimirum est acquiescendum: ubi ex Psal.35. citatur sententia, quæ secundùm historiam quidem ad Davidem pertinet; sed quatenus David typus fuit Christi, simul ad ipsum quoque Christum refertur.

V.26. sextum argumentum consolationis affert, à testimonio Spiritus sancti: quo nimirum vindicanda sit sua gloria à contemtu & iniquo odio hostium suorum. Simul autem exponit, quis Spiritum sanctum ad testandum de ipso missurus sit; & testimonium ejus commendat ab adjunctâ testantis veracitate.

V. ult. annectit septimum consolationis argumentum, à testimonio scilicet ipsorum Apostolorum; quod commendat ab adjuncta ipsorum notitia; ut qui ipsum optimè notum habeant, quippe cum quo jam diu multumque versati sint.

SCHOLIA IN CAP. XV.

1 Ego sum vitis] ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος. *Hunc sermonem videtur orsus Dominus occasione conspecta alicujus vitis inter prætereundum in urbe. Sic enim solebat ex objectis rerum terrenarum occasiones captare docendi de rebus spiritualibus. Cujus rei exempla vide suprà cap.4.v.10 & 32. & 35. & cap.6. v.27. Cæterùm hunc sermonem esse habitum inter eundum in urbe: colligi potest ex collatione versiculi ultimi in capite præcedente, & versiculi primi in capite 18. Etenim loco priore habetur, Dominum dixisse:* Surgite, eamus hinc. *id quod haud dubiè fecerunt, & ex domo ubi præcedentem sermonem habuerat & pascha celebraverat, exiverunt. Posteriore autem loco habetur, Dominum quum illa quæ hoc & sequente capite recitantur, dixisset:* egressum esse cum discipulis trans torrentem Cedron. *Quod utique non potest referri ad domum, è qua jam antea fuerat egressus: quare intelligendum est de urbe, in qua adhuc ibat dum illa diceret.* Vitis illa vera] ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή. *Id est, excellens, insignis: cum qua omnes totius mundi vites non sunt conferendæ.* Agricola ille] ὁ γεωργός. *Id est, vinitor ille.* ὁ ἀμπελουργός.

2 Omnem palmitem in me] *Id est, qui videtur esse in me, quum tamen revera non sit, quippe alioqui ferret fructum. Dictum κατὰ δόξαν. Exempla similia vide 2.Pet.2.v.1. Apoc.22.v.19.* Tollit] αἴρει αὐτό. *Hebræa, eaque pleonastica, repetitio antecedentis per pronomen relativum. Sic mox,* καθαίρει αὐτό. Tollit *autem, id est, aufert, amputat.* Purgat] καθαίρει. *Remotis scilicet superfluis pampinis.*

3 Propter sermonem] διὰ τὸν λόγον. *Nempe evangelii: cui scilicet creditis: excepto Juda: ut suprà cap.13.v.11.*

4 *Id est,* nisi manserit] ἐὰν μὴ μείνῃ. *Similiter interpretandus est ille locus Gal.2.v.16.* εἰδότες ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Scientes non justificari hominem ex operibus Legis,* id est, *nisi per fidem Jesu Christi.*

5 Ego sum vitis, vos palmites] ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος, ὑμεῖς τὰ κλήματα. *Ego sum vitis illa: vos* autem *palmites illius.* Hic] οὗτος. *Epanalepsis antecedentis* πλεοναστική. Seorsim à me] χωρὶς ἐμοῦ. *Id est,* χωρισθέντες ἀπ' ἐμοῦ, *separati à me: nempe ut si palmes separatus sit à vite. Alii vertunt,* Sine me, *vel* Absque me. *unde nonnulli collegerunt fideles posse aliquid boni ac Deo grati facere partim à seipsis seu ex suis ipsorum viribus, partim verò adjutos à Christo seu ex gratia ipsius. Hæc opinio falsa est, & cum hujus loci doctrina pugnat. nam modò v.4. disertè negavit Christus, palmitem à seipso fructum ferre posse, hoc est, credentes à seipsis bona opera facere posse.* Nihil] οὐδέν. *Nempe nihil boni. Synecdoche generis nam perinde est ac si dicat, Nullum fructum potestis ferre. Fructus autem nomine intelligit bona opera.*

6 Abjectus Arescit] ἐβλήθη καὶ ἐξηράνθη. *Pro,* βάλλεται καὶ ξηραίνεται: *quia mox opponuntur,* συνάγουσι, βάλλουσι, καίεται. *Enallage temporis.* Abjectus extra *vineam* statim ut palmes arescit] ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα, καὶ ἐξηράνθη. *Abjicitur foras ut palmes, & arescit.* Deinde coguntur isti palmites &c.] καὶ συνάγουσιν αὐτὰ &c. *Ad verb. Cogunt istos* palmites, *& in ignem abjiciunt. Impersonaliter, subaudiendo vinitores.* Isti *palmites*] αὐτά. *Scilicet* τὰ κλήματα, τὰ ἔξω βληθέντα καὶ ξηρανθέντα. Et ardent] καὶ καίεται. *Id est,* ὥστε καίεσθαι, *ut ardeant.*

7 Petetis] αἰτήσεσθε. *Id est, petere poteritis, petere vobis licebit.*

8 In hoc] ἐν τούτῳ. *In hac re. Scil. quam mox dicam.* Ut fructum] ἵνα καρπόν. *Hæc verba per appositionem cohærent cum illis,* ἐν τούτῳ, *in hoc.* Et eritis] καὶ γενήσεσθε. *Id est, Sic enim cognoscemini esse. quippe ex fructibus arbor cognoscitur: ut alibi Dominus ait. Metonymia subjecti.*

9 Manete] μείνατε. *Id est, Manete igitur, vel, Manete modò.* In illa mea dilectione] ἐν τῇ ἀγάπῃ τῇ ἐμῇ. *Id est, qua ego vos diligo: ex collatione verborum proxime-præcedentium. Sic Rom.8.v 35. & 39. Ergo manere in dilectione Christi, hoc loco est dilectionem ejus erga se retinere. Sed quomodo, inquies, hoc possumus consequi? Id ipse docet verbis sequentibus:* Si mandata mea servaveritis &c.

11 Gaudium illud meum] ἡ χαρὰ ἡ ἐμή. *id est, ex me tanquam materiâ gaudii profectum, quo scilicet gaudebitis in me tanquam vestro mediatore.*

12 Ut diligatis] ἵνα ἀγαπᾶτε. *Conjunctio* ἵνα *non ponitur hîc* τελικῶς, *sed* εἰδικῶς, *seu per appositionem, ad declarandum pronomen* αὕτη, *quod præcessit: ut supr.v.8. Similiter v.seq.13.*

15 Quid faciat] τί ποιεῖ. *Id est, quid facere cogitet seu in animo habeat: dominus servo non patefacit consilia sua. Metonymia subjecti.* Omnia] πάντα. *Nempe omnia ad æternam salutem pertinentia & scitu necessaria. Synecdoche generis.*

17 Hæc] ταῦτα. *Videtur* ταῦτα *positum pro singulari* τοῦτο: *quum mox sequatur conjunctio* ἵνα, *posita* εἰδικῶς: *quumque unicum mandatum exponatur.*

18 Mundus] ὁ κόσμος. *Id est, impii: ut suprà cap.14.v.19. Porrò sententia hujus versiculi tali paraphrasi declarari potest: Si hoc vos turbat, quòd mundus vos odit: contrà consolari & erigere vos debet, quòd scitis, me priùs quàm vos illis odio habitum: me scilicet dominum vestrum: ut declarat paulo-pòst v.20.* Scitis] γινώσκετε. *Vulg. Scitote. id est, consideratote: ut scilicet hac consideratione vos ipsi erigatis & consolemini.* Prius quàm vos] πρῶτον ὑμῶν *Id est,* πρότερον ἢ ὑμᾶς. Me illis odio habitum] ὅτι ἐμὲ μεμίσηκεν. *Scil.* ὁ κόσμος. *Id est, quòd me odio habuit mundus. Unde perspicitur, pronomen* Illis *referri non ad vocem, sed ad sensum: nam vocabulo* τοῦ κόσμου, *id est, mundi, intelliguntur hoc loco impii.*

19 Si ex mundo essetis] *Id est, si ex numero impiorum essetis.* Elegi] *Scil. ad vitam æternam.*

20 Sermonis quem dixi] τοῦ λόγου οὗ εἶπον. *Pro,* ἐκείνου ὃν εἶπον. *Ellipsis Græca.* Major] μείζων. *Id est, præstantior aut beatior.* Si me] *Scil. dominum vestrum. Itaque pronomen* ME *hîc pronuntiandum est cum emphasi.* Et vos] καὶ ὑμᾶς. *Etiam vos. nempe servos meos.* Si sermonem] εἰ τὸν λόγον &c. *Innuit contrarium. quasi dicat: Quum sermonem meum non servaverint, sed contemserint: non debet vobis mirum videri, si & vestrum sermonem contemnant.*

22 Peccatum non haberent] ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον. *Nempe grande hoc peccatum, videlicet petulantem contemtum veritatis cælestis: possent se aliquo modo excusare per ignorantiam. Synecdoche generis. Hanc expositionem innuunt verba,* Si non venissem & loquutus essem eis: *item illa in antithesi,* Nunc autem non habent quod prætexant peccato suo. *Sic mox vers.24.* Quod prætexant] πρόφασιν. *Dicitur* πρόφασις *(à verbo* προφαίνω*) quod quis in lucem profert & obtendit, tanquam causam, quum interim veram causam dissimulet. Germani vocant* einen schein/ *quasi dicas, apparentiam.*

24 Et oderunt] καὶ μεμισήκασι. *Supplendum* tamen. *Quasi dicat: Quanquam viderunt, tamen oderunt: Non igitur peccant ex ignorantia, sed petulanter.*

25 Sed *hoc faciunt* ut] ἀλλ' ἵνα. *Supplementum sumitur ex sententia versus præcedentis.* hoc faciunt, *nempe oderunt me petulanter. Similis ellipseos exempla vide supr. cap. 13. v. 18. item cap. 14. v. ult. Potest etiam suppleri,* τοῦτο γίνεται, *hoc fit.* Ut] ἵνα. *Notatur consilium non ipsorum Judæorum Christum odio habentium, sed Dei hoc illis permittentis & hæc omnia providentiâ suâ gubernantis.* In Lege] ἐν τῷ νόμῳ. *Id est, in Scriptura. Etenim verba quæ citantur, exstant Psalm. 34. Synecdoche membri.* Ipsorum] αὐτῶν. *Id est, ipsis propriè datâ, quaque ipsi excellunt aliis populis.* Immeritò] δωρεάν. *Propriè*, gratis: *quomodo Hebræi interdum usurpant* חִנָּם *hhinnám. Est synecdoche speciei* κατεξοχική. *Nam* חִנָּם *hhinnám, &* δωρεὰν *usitatè rebus bonis accommodantur. Sic Jonathan ajebat patri Sauli. Quare peccares contra sanguinem innoxium, morte afficiendo Davidem* חִנָּם *hhinnám, id est, immeritò. 1. Sam. 19. v. 5.*

26 Advocatus] ὁ παράκλητος. *Vide suprà cap. 14. v. 16.* Ille] ἐκεῖνος. *Ut suprà cap. 14. v. 26.*

27 Testabimini] μαρτυρεῖτε. *Pro,* μαρτυρήσετε. *Enallage temporis, manifesta ex eo quod præcessit,* ἐκεῖνος μαρτυρήσει. A principio] ἀπ' ἀρχῆς. *Inde à principio meæ prædicationis. quasi dicat, Fuistis* αὐτόπται *&* ὑπηρέται *mei, ut ait Lucas cap. 1. v. 2.*

OBSERVAT. EX CAP. XV.

Communio fidelium cũ Christo. 1 Ex v. 1. 2. 3. 4. 5. & 7. Qum Christus sit vitis, credentes verò palmites: quæritur, Cujusmodi sint hi palmites: nativíne an insititii? Respondeo: Non sunt nativi, sed insititii. Rursum quæritur, Quomodo igitur hi palmites isti viti sunt insiti? Respondeo: Insiti sunt fide, quam in eis effecit Spiritus sanctus. De hac insitione testatur Paulus sub similitudine paulùm diversâ, videlicet oleæ & oleastri: Rom. 11 v. 17. & deinceps. Porrò quemadmodum ex vite in palmites influit succus, quo illi vegetantur & apti redduntur ad ferendum dulces uvarum fructus: ita à Christo fidelibus donatur Spiritus sanctus, quo illi vegetantur spiritualiter & apti efficiuntur ad ferendum suaves Deoque gratos fructus bonorum operum. Opus est autem his palmitibus perpetuâ purgatione, id est, meditatione verbi Dei, & precibus, atque etiam cruce.

Hypocritarum conditio. 2 Ex v. 2. & 6. Hypocritæ, qum fidem profiteantur, videntur & ipsi Christo, tanquam palmites viti, insiti; unde etiam à nobis pro palmitibus, id est, fidelibus habentur: sed quoniam fructum pietatis nullum ferunt, sequitur, eos cum vite Christo non coaluisse: ac proinde tandem ex vite auferuntur, id est, hypocrisi detectâ, ad Christum non pertinere declarantur: ac præterea extra vineam, id est, Ecclesiam ejiciuntur: ac tandem ut aridi palmites, in ignem gehennæ ad æternos cruciatus abjiciuntur. Ubi notandum, hypocritarum qui fidem Christianam profitentur similem esse conditionem, qualis est surculorum qui recèns arbori alicui insiti sunt, sed nondum cum illa coaluerunt. Sicut enim illi videri possunt coaluisse, qum tamen non coaluerint: ita hypocritæ videntur in Christum credere, qum tamen non credant.

Scopus vitæ nostræ. 3 Ex v. 8. Scopus qui piis in omni vita propositus esse debet, est gloria Dei. Confer Matth. 5. v. 16. 1. Cor. 10. v. 31.

Discipuli Christi. 4 Ex eod. v. Qui vult haberi pro discipulo Christi, fructibus bonorum operum se id esse demonstret. Confer Matth. 1. v. 21.

Consolatio ex dilectione Christi. 5 Ex v. 9. Magna consolatio est, quòd Christus nos diligit, sicut eum diligit Pater: nempe dilectione æternâ & constante. Sic sup. cap. 13. v. 1. de Christo dicitur, Qum dilexisset suos qui erant in mundo, usque ad finem dilexit eos. Et Paulus Rom. 8. vers. 35. Quis nos separabit à dilectione Christi? Et rursum vers. 38. & 39. Persuasum mihi est, nullam rem creatam separare nos posse à Charitate Dei quæ est in Christo Jesu domino nostro.

Pietatis studium. 6 Ex v. 9. & 10. Studio pietatis nobis opus est ad alendum atque conservandum dilectionem Christi erga nos. Nec tamen putandum: studium illud pietatis vel ex nostris viribus proficisci, vel dilectionem Christi promereri.

Gaudium verum. 7 Ex v. 11. Verum gaudium, quo pii in omnibus ærumnis sustentantur, est gaudium spirituale, ortum ex sensu dilectionis Christi: quod ipsum gaudium Christus per Spiritum sanctum in piis efficit. Vide Rom. 14. v. 17. Philip. 4. v. 7.

Dilectio Christiana. 8 Ex vers. 12. 13. & 17. Ad dilectionem fraternam excitare nos debet tum præceptum, tum exemplum Christi. Vide 1. Johan. 3. v. 11. & cap. 4. v. 21.

Evangelii doctrina. 9 Ex vers. 15. Quæcunque nobis ad salutem scitu necessaria sunt, patefacta sunt nobis in doctrina Evangelii: quæ ipsa doctrina ab Evangelistis & Apostolis descripta exstat. Quare peccant Papistæ, qum Scripturam imperfectionis arguunt. Sic Paulus Act. 20. v. 27. ad ecclesiam Ephesinam dicit: Non subterfugi quò minùs annuntiarem vobis omne Dei consilium, nempe de ratione consequendi salutem.

Consolatio pro ministris verbi Dei. 10 Ex v. 16. Qui legitimè ad munus docendi in Ecclesia vocati sunt: consolentur se hac promissione, quòd à Christo constituti sint ut Deo fructum ferant, multos nimirum ad fidem Christi adducendo: & fructum hunc ipsorum mansurum, id est, semel conversos in fide perseveraturos. Simul tamen meminerint, continenter sibi precandum esse ut Deus laborem ipsorum fructuosum reddat. Vide 1. Cor. 3. v. 6. 7. 8 & 9.

11 Ex vers. 18. 19. 20. & 21. Contra odium & persecutionem mundi pii sese consolentur his argumentis: quòd mundus ipsum quoque Christum odio habuerit ac persecutus sit, nempe dominum nostrum: quo molliùs haberi velle servos non decet. deinde, quòd causa illius odii iniqua est: odit enim nos mundus propterea quòd ab ipso separati per efficacem vocationem Spiritus sancti, nolumus ampliùs consentire in ipsius impietatem. denique odit nos mundus, quia Deum & veritatem doctrinæ Evangelii ignorat. *Consolatio contra odiũ mundi.*

12 Ex v. 22. 23. 24. 25. Qui doctrinam Evangelii ipsis propositam & declaratam oderunt, ejusque confessores hostiliter persequuntur: illis omnis excusatio ademta est. Quare tandem justo Dei judicio pereunt. *Contemtus Evangelii.*

13 Ex v. 26. Qum Spiritus sanctus sit advocatus ille qui efficaciter consolatur fideles: qumque sit Spiritus veritatis, qui veritatem doctrinæ cælestis efficaciter electis persuadet: denique qum à Patre procedat sive emanet: sequitur, eum verum esse Deum, & Patri ὁμοούσιον, personâ ab illo distinctum. *Spiritus sancti deitas.*

ANALYSIS CAP. XVI.

ARGUMENTUM.

Continuat sermonem duobus superioribus capitibus institutum, & tria potissimùm agit. Primùm prædicit eis mala, ipsis eventura à Judæis, usque ad v. 5. Deinde consolatur eos rursum contra tristitiam quam conceperant ex futuro ipsius discessu, usque ad v. 29. Postremò prædicit eis futuram ipsorum fugam, séque contra illam consolatur.

PRIMA PARS.

Prædicit discipulis mala ipsis eventura à Judæis.

HÆc loquutus sum vobis ut ne offendamini.

2 Movebunt vos synagogis: imò veniet tempus qum quisquis trucidabit vos, putabit *se* cultum præstare Deo.

3 Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.

4 Sed hæc loquutus sum vobis, ut qum venerit tempus illud, memineritis eorum, quòd ego *hæc* dixerim vobis. hæc autem vobis à principio non dixi, quia vobiscum eram.

V. 1. indicat finem seu causam finalem seu denique scopum hujus sermonis: significans, propositum sibi esse consolari discipulos, ac fidem eorum præmunire contra eventura scandala, ne scilicet à se deficiant.

V. 2. duo genera injuriarum quæ eis à Judæis eventuræ sint, commemorat; videl. excommunicationem & supplicium capitis: quam posteriorem injuriam amplificat ab adjuncta singulari ignominia; quòd scilicet futurum sit, ut supplicio afficiantur tanquam homines omnium sceleratissimi ac pestes teterrimæ: quod significat ex adjuncta opinione istorum: quippe qui putaturi sint, se Apostolis occidendis singularem cultum præstare Deo.

V. 3. injuriis istis consolationem opponit, ab illarum causa procreante; quam rursus facit ignorantiam Dei, ut suprà 15. v. 21. Sed hanc ignorantiam nihil facere ad illos excusandum, docuit ibidem v. 22. & 24.

V. 4. rursum causam finalem exponit, cur eos de istis injuriis præmoneat, ut scilicet hujus præmonitionis memores, non offendantur. Simul etiam causam exponit, cur non jam pridem de his præmonuerit. Causam hanc affert, quia non fuerit opus: quippe cùm ipse corporaliter præsens, eos contra quasvis injurias defenderit.

SECUNDA PARS.

Consolatur eos contra discessum suum.

5 Nunc autem abeo ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, *dicens*, Quò abis?

6 Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.

7 Sed ego veritatem dico vobis, Confert vobis ut ego abeam. nisi enim abiero, advocatus ille non veniet ad vos: sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos.

8 Et qum venerit ille, arguet mundum de peccato & de justitia & de judicio.

9 De peccato quidem, eò quòd non credunt in me.

10 De justitia verò, eò quòd ad patrem abeam, & ampliùs non conspicietis me.

11 De judicio autem, eò quòd princeps hujus mundi condemnatus sit.

12 Adhuc multa habeo quæ vobis dicam, sed nunc non potestis portare.

13 Qum

13 Quum autem venerit ille, *id est*, Spiritus ille veritatis, introducet vos in omnem veritatem. non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcunque audierit, loquetur; & quæ ventura ſunt renuntiabit vobis.

14 Ille me glorificabit; quia de meo accipiet, & renunciabit vobis.

15 Omnia quæ habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, *illum* de meo accepturum, & renuntiaturum vobis.

16 Pauliſper, & non conſpicietis me: & rurſum pauliſper, & videbitis me: quia ego vado ad Patrem.

17 Dixerunt ergo *quidam* ex diſcipulis ejus, alii ad alios; Quid eſt hoc quod dicit nobis, Pauliſper, & non conſpicietis me: & rurſus pauliſper, & videbitis me: &, Quia ego vado ad Patrem.

18 Dicebant ergo, Quid illud eſt quod dicit, Pauliſper? neſcimus quid loquatur.

19 Cognovit autem Jeſus eos velle ipſum interrogare, & dixit eis; De hoc quæritis inter vos quòd dixi, Pauliſper, & non conſpicietis me: & iterum pauliſper, & videbitis me?

20 Amen amen dico vobis, flebitis vos, & lamentabimini; mundus autem gaudebit: vos verò triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra evadet in gaudium.

21 Mulier, quum parit, dolorem habet, quia vênit hora ejus: quum autem pepererit puerulum, jam non meminit anxietatis, propter gaudium, quòd homo ſit natus in mundum.

22 Et vos igitur nunc quidem triſtitiâ tenemini: ſed rurſum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

23 Et illo die me non interrogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, Quæcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.

24 Uſque adhuc non petiiſtis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis, ut gaudiũ veſtrum ſit plenum.

25 Hæc loquutus ſum vobis per ſimilitudines: at veniet tempus quum jam non per ſimilitudines loquar vobis, ſed apertè de Patre renuntiabo vobis.

26 Illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis me rogaturum Patrem pro vobis.

27 Ipſe enim Pater amat vos; quia vos me amaſtis, & crediſtis me à Deo prodiiſſe.

28 Prodii à Patre, & vêni in mundum: iterum relinquo mundum, & proficiſcor ad Patrem.

V.5. rurſum meminit ſui diſceſſus: & exprobrat diſcipulis ſilentium, quòd non interrogent quò abeat, hoc eſt, quòd non conſiderent in quantam gloriam abeat.

V.6. exprobrat eis triſtitiam, quòd propter diſceſſum ſuum nimiùm contriſtentur.

V.7. conſolationem illi triſtitiæ opponit ab effectu utili, videlicet miſſione Spiritus ſancti.

Deinceps verſ.8.9.10. & 11. utilitates exponit, quas à Spiritu ſancto percepturi ſint. Commemorat autem tria Spiritus ſancti effecta, quæ ille per ipſorum prædicationem effecturus ſit in cordibus auditorum. Illa effecta proponit v.8. deinde ſigillatim & ordine declarat, tribus verſibus ſequentibus. Videtur autem hujus loci, qui ab interpretibus variè exponitur, hîc eſſe ſenſus: *Quum venerit Spiritus ſanctus*, miſſus nimirum in Apoſtolos in die Pentecoſtes: *arguet mundum*, id eſt, convincet impios Judæos, efficax nimirum per prædicationem Apoſtolorum: arguet, inquam, illos primùm *de peccato, eò quòd non crediderint in Chriſtum*; ſed doctrinâ ejus contemtâ, eum tanquam impium ac blaſphemum occiderint: quem ſcil. tunc ſentient regnare in cælo: quippe è quo miſerit Spiritum ſanctum in Apoſtolos, eoſq; mirabili dono linguarum & admirandâ prorſus atque invictâ alacritate & libertate docendi inſtruxerit ad teſtandum de Chriſto. Agnoſcent igitur, in conſcientiis ſuis convicti à Spiritu ſancto per prædicationem Apoſtolorum, ſe graviſſimè peccaſſe, quòd non crediderint in Chriſtum, ſed eum potiùs, qui dux eſt vitæ, interfecerint. Hoc impletum legimus Act. 2. v. 37. ubi auditis iis quæ dicta fuerant à Petro, nempe ipſos Chriſtum innocentem atque adeò filium Dei occidiſſe; illum verò ex mortuis reſurrexiſſe, evectum eſſe dextrâ Dei in cælum, atque inde Spiritum ſanctum cujus effecta coram ſentiant, effudiſſe: his, inquam, à Petro auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum ac reliquos Apoſtolos, Quid faciemus, viri fratres? Quibus verbis certè peccatum ſuum, nempe incredulitatem, ac inde ortum homicidium, agnoſcunt: quippe quum ſoliciti ſint quid ſibi agendum ſit, ut hujus tanti peccati reatu liberentur. Atque hoc primum eſt Spiritus ſancti effectum. *Deinde* arguet idem Spiritus mundum *de juſtitia*, nempe de juſtitia atque innocentia Chriſti; hoc eſt, convincet eos, Chriſtum quem tanquam blaſphemum ac ſeductorem occiderant, fuiſſe juſtum & innocentem. Hoc autem ex eo agnoſcent, *quòd intelligent eum ivisse ad Patrem*, hoc eſt, ex mortuis reſurrexiſſe, aſcendiſſe in cælum, conſediſſe ad dextram Patris, atque illic potenter regnare, & ad finem uſque mundi regnaturum; quippe quum inde miſerit Spiritum ſanctum in Apoſtolos, poſthac non ampliùs corporaliter cum eis in hoc mundo verſaturus. Hoc ipſum impletum quoque eſt in illo ipſo exemplo, quod modò allegavimus ex Actis. nam Judæi illi, ſicut peccatum ſuum agnoverunt, quòd in Chriſtum non crediderint, ſed eum interfecerint: ita ſimul agnoverunt juſtitiam ſeu innocentiam Chriſti. Atque hoc ſecundum effectum Spiritus ſancti eſt. *Tertium* & poſtremum eſt, quòd arguet mundum *de judicio*, h.e. convincet Judæos ut agnoſcant Chriſtum conſtitutum eſſe à Patre judicem diaboli & omnium illi adhærentium. Hoc autem intelligent ex eo, *quòd princeps hujus mundi*, i.e. diabolus, jam ab eo *judicatus ſit*, h.e. foras ejectus (ſup. 12. v.31.) & per mortem ipſius abolitus, adeò ut amiſerit mortis imperium, ac proinde non poſſit poſthac terrere miſeros peccatores qui in Chriſtum credunt, Heb. 2. 14. & 15. quippe quum contra jus Chriſtum per ſua organa occiderit, (ſup. 14. v. 30.) atq; ita ei per mortẽ dominatus ſit ad tempus, nempe uſq; dum Chriſtus ex morte reſurrexit, Rom. 6. v. 9. Et hoc quoq; tertium effectum Spiritus ſancti impletum eſt in jam commemorato exemplo in die Pentecoſtes. quippe Petrus hoc Chriſti judicium & dominationem ad dextram Patris diſertè prædicaverat, citato Pſal. 110. ubi David ait, Dixit Dominus domino meo, ſede ad dextram meam uſque dum ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Ex his verbis utiq; intellexerunt Judæi illi, Chriſtum conſtitutum eſſe judicem mundi: qui ut jam per mortem ſuam diabolum principem mundi aboleverit, ademto ei imperio in credentes; ita aliquando, nempe in die extremi judicii, eum unà cum omnibus illi adhærentibus, æternis ſuppliciis ſit adjudicaturus. In ſumma, tria hæc quæ Chriſtus Spiritum ſanctum prædicit effecturum, impleta atq; effecta ſunt in die Pentecoſtes in concione illa Petri, Act. 2. Nam Petrus de tribus his diſertè teſtabatur; de peccato, inquam, Judæorum, de juſtitia ſeu innocentiâ Chriſti, deq; ejuſdem judicio ac dominatione. De peccato Judæorum dicebat, eos manibus ſceleratis Chriſtum cruci affixum interemiſſe, v. 23. & 36. Hoc autem homicidium conjunctum fuit cum incredulitate; de qua hîc ait Dominus, *Eò quòd non credunt in me.* quippe ex incredulitate homicidium iſtud fuit profectum: nam certè ſi in Chriſtum crediſſent, nunquam eum tanquam hominem impium interfeciſſent. Jam de juſtitia ſeu innocentia Chriſti ajebat Petrus, Jeſum illum Nazarenum quem interemerint, eſſe virum à Deo approbatum apud ipſos præſtantibus factis & miraculis & ſignis, quæ per eum Deus ediderit in medio ipſorum, v. 22. Poſtremò de judicio Chriſti ac dominatione dicebat: Quem Deus excitavit ſolutum doloribus mortis, eò quòd impoſſibile erat ipſum ab ea retineri, v. 24. item, David præſcius locutus eſt de reſurrectione Chriſti, non derelictam eſſe apud inferos animam ejus, neq; carnem ejus ſenſiſſe corruptionem, v. 31. Et mox, Hunc Jeſum excitavit Deus: cujus rei omnes nos (ſcil. Apoſtoli) ſumus teſtes. Itaq; dexterâ Dei evectus, & promiſſum Spiritum ſanctum adeptus à Patre, effudit hoc quod vos nunc ſpectatis & auditis. Neq; enim David aſcendit in cælos: ſed dicit ipſe, Dixit Dominus domino meo, ſede ad dextram meam, uſq; dum ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Tandem concludit: certò ſciat ergo tota domus Iſraël, hunc eſſe factum à Deo dominum & Chriſtum, v. 32. 33. 34. 35. & 36. Atque hoc erat teſtimonium Petri de Judæorum peccato, de juſtitia Chriſti, deq; ejuſdem judicio. Huic autem teſtimonio Judæi illi per efficaciam Spiritus ſancti crediderunt: quippe qui eos de his rebus arguebat & convincebat: adeò ut compungerentur corde & exclamarent, Quid faciemus viri, fratres?

V.12. rejicit pleniorem doctrinæ inſtitutæ expoſitionem: & hujus rejectionis cauſam exponit, videlicet diſcipulorum imbecillitatem: ut qui præ mœrore non poterant doctrinam Domini aſſequi. Nec verò nomine *multorum*, quæ Chriſtus hîc diſcipulis dicere noluit, intelligi poſſunt dogmata non comprehenſa ſcriptis Apoſtolorum: quum certum ſit, eos de multis illis, quorum commemorationem Dominus hîc omiſit, edoctos eſſe à Spiritu ſancto, & illa ipſa fideliter ſuis ſcriptis mandaviſſe, ut ad poſteritatem tranſmitterent. Nequaquam verò intelligi poſſunt dogmata ſcriptis Apoſtolorum contraria, aut nugæ cærimoniarum Papiſticarum. Ἐκδίκησις

V.13. imbecillitati diſcipulorum conſolationem opponit, rurſum eis promittens Spiritum ſanctum: qui eos plenè de myſterio ſalutis ſit edocturus: & hanc doctrinam Spiritus ſancti commendat ab adjuncta veritate: cujus authorem facit Patrem: item commendat eam ab adjuncta claritate, quam ſignificat verbo *ἀναγγελεῖ*, renuntiabit. Porrò *futurorum* nomine intelligit futurum regni ſui ſpiritualis ſtatum: qualem paulò poſt reſurrectionem ejus apoſtoli viderunt: ſed tum comprehendere nullo modo poterant.

V.14. commendat doctrinam Spiritus sancti ab effectu, videl. glorificatione sui, nempe Christi: & hujus rei causam impulsivam exponit, quòd nimirum doctrinam suam accepturus sit ab ipso. Glorificat autem Spiritus sanctus Christum, quando per prædicationem evangelii testimonium ei reddit quòd ipse sit filius Dei & unicus servator mundi: maximè verò quando per hoc testimonium est efficax, efficiens nimirum, ut multa hominum millia in Christum credant, eumque dominum ac servatorem suum profiteantur: quæ res ad gloriam Christi cum primis pertinet. Vide promissionis hujus complementum Actor.2.v.41. ubi uno die unicâ concione Petri ad fidem Christi conversi sunt circiter ter mille. Item v.47. Dominus addebat quotidie ecclesiæ. Item cap.3. v.13.14.15. & 16. ubi Petrus Christum authorem prædicat claudi suâ operâ sanati. Item cap.4.v.4. multi eorum qui audierunt sermonem Petri, quo Christum prædicavit authorem sanati claudi, crediderunt: adeò ut numerus discipulorum fieret circiter quinquies mille.

V.15. per prolepsin docet, cur dixerit, Spiritum sanctum doctrinam suam accepturum ab ipso: unde ipsius cum Patre arctissima atque adeò essentialis unio perspicitur.

V.16. brevibus & subobscuris verbis duo prædicit: primùm suam mortem, deinde suam resurrectionem. De morte ait, *Paulisper, & non conspicietis me*, h. e. Post paululum temporis non conspicietis me: quia scil. crastino die crucifixus recondar in sepulchro. De resurrectione ait, *Et rursum paulisper, & videbitis me*, hoc est, Post paululum temporis, nempe tertio die, rursum videbitis me. quia tum ex morte resurgam, meq; vobis ostendam. Quod autem dicit; *quia ego vado ad Patrem*: synecdochica locutio est: quasi dicat, Quia resurgam ex mortuis, ut post aliquot dies ascendam ad Patrem in cælum. Antequam autem ascenderet, conversatus est cum discipulis per 40.dies, Act.1.v.3.

V.17. & 18. Evangelista commemorat discipulorum solicitudinem de intelligendis prædictis Domini verbis.

V.19. narrat; quomodo eos alioquin interrogaturos Dominus anteverterit.

V.20. Dominus verba sua declarat, sed ita ut non apertè mortem suam & resurrectionem nominet; sed ex effectis utramque innuat; mortem quidem, ex discipulorum fletu & lamentatione & tristitiâ, mundique (id est, impiorum Judæorum) gaudio: resurrectionem verò, ex gaudio discipulorum.

V.21. tristitiam illam discipulorum ex morte ipsius eventuram, simulque gaudium eventurum è sua resurrectione, illustrat & amplificat simili. Comparat enim tristitiam discipulorum cum dolore mulieris parturientis: contra gaudium eorundem comparat cum gaudio mulieris ob infantem quem peperit.

V.22. similitudinem illam ad discipulos accommodat: & resurrectionem suam atque ostensionem sui promittit: simulque gaudium discipulis inde eventurum amplificat, partim à magnitudine, partim ab æternitate.

V.23. ruditati eorum consolationem aliam opponit: promittit enim eis intelligentiæ lucem; quam innuit ex effecto; quia non sint ipsum interrogaturi. scilicet ut paulo-antè volebant interrogare, quum non possent assequi Domini sermonem: suprà v.17.& 18. Nam quòd Act.1.v.6. post resurrectionem interrogarunt, Domine, num hoc tempore restitues regnum Israëli? interrogatio illa non fuit de verbis Domini non intellectis: sed de impletione Scripturæ. Alii tamen hanc promissionem referunt ad illud tempus, quo Apostoli jam acceperant Spiritum sanctum in die Pentecostes. Sed cohærentia sententiarum istam expositionem non videtur admittere, nam verba hęc, *Illo die*, non videntur posse aliò referri, quàm ad id tempus, cujus modò fecerat mentionem: fecerat autem mentionem ejus temporis, quo post resurrectionem sese ostendit discipulis, cumq; eis conversatus est per quadraginta dies. hoc enim tempus significatur istis verbis, *Rursum videbo vos*, v.22. & istis, *Et rursum paulisper, & videbitis me: quia ego vado ad Patrem*, v.16. Nisi dicamus verba illa, *Illo die*, referri quidem ad quadraginta illos post resurrectionem Domini dies, sed ita tamen ut tempus consequens non excludant, sed synecdochicè simul comprehēdant. De quo quidem tempore omnino intelligenda est promissio, quæ proximè sequitur. Nam ad sentētiam præcedentem confirmandum promissionem subjungit exauditionis precū, ut doceat, unde & quomodo lucem illam intelligentiæ adepturi sint, nimirum à Deo patre cælesti per preces fundatas in fiducia ipsius, tanquam mediatoris.

V.24. promissionem modo-propositam illustrat antithesi, quâ superiorem Apostolorum statum consecuturo opponit: negans, eos hactenus quicquam à Patre in suo nomine petivisse. Non quòd non invocarint Deum ex legis præscripto, ex fiducia mediatoris venturi: sed quòd nondum attenderent, ipsum esse hunc Mediatorem. Nec mirum: quum ipse nondum esset officio mediatoris perfunctus. nam necdum seipsum ad expiandum populi Dei peccata in sacrificium obtulerat, nec cæleste sanctuarium ingressus erat. Quoniam autem hæc certò facturus erat: hortatur eos ad petendum, nempe ad petendum à Patre lucem intelligentiæ, ad intelligendum mysteria regni cælorum, idque fiduciâ sui tanquam mediatoris; ac promittit, eos exauditum iri: quod significat expositione effecti, videlicet gaudii illius veri ac solidi, quod ex mysteriis regni Dei intellectis oritur.

V.25. consolationem præcedentem, quâ eis promisit intelligentiæ lucem, repetit, & antithesi illustrat: quâ illi præsentem ipsorum ruditatem opponit. Quòd autem ait, se eis locutum per similitudines, perinde est ac si diceret, sermonem suum eis fuisse obscurum ac difficilem ad intelligendum; non quòd talis fuerit in se: sed quòd illis talis visus sit propter ipsorum ruditatem. Tempus autem claræ intelligentiæ quod hîc promittit, cœpit post ipsius resurrectionem, ut videre est Act.1.v.3. deinde completum est post missum Spiritum sanctum in die Pentecostes.

V.26. rursum monet, unde & quomodo illam intelligentiæ lucem consecuturi sint, nempe à Deo per preces in ipsius nomine, hoc est, ipsius tanquam mediatoris fiduciâ, conceptas. Hanc autem sententiam amplificat correctione, negans se pro eis Patrem rogaturum; quod tamen non simpliciter negat: suprà enim cap.14.v.16. contrarium affirmavit; sed tantùm significat, Patrem suâ sponte eos diligere (sicut declarat v.26.) adeò ut intercessione suâ non sit opus, nempe ad hoc ut eis primùm Patris gratiam conciliet. Quòd autem Pater eos diligat, probat ex effecto, videlicet dilectione ipsorum & fide erga Christum. Nisi enim Pater eos diligeret, fidem hanc eis non donasset. Quare quum ait, *Pater vos amat, quia vos me amastis*; non vult causam indicare amoris Patris erga ipsos; sed argumentum ab effectu sumtum, unde amorem Patris erga se possint perspicere. Simile est illud dictum Christi de muliere peccatrice ad Simonem Pharisæum: Huic multa peccata remissa sunt: quia dilexit multùm, Luc.7.v.47. Porrò fidem Apostolorum describit ex objecto per synecdochen, ubi ait, *Credidistis me à Deo prodiisse*. Quam sententiam v.28. asseveratione confirmat, & pluribus verbis exponit; docens, & qualis persona sit, & quod officium gerat: nempe se esse filium Dei qui missus à Patre, exiverit è cęlesti illa gloria, & venerit in mundum, assumendo naturam humanam; ut in illa patiens ac moriens, satisfaceret pro peccatis electorum, & ex mortuis resurgens ascenderet in cælum, ibique locum pararet iis quos morte suâ redemisset.

TERTIA PARS.

Prædicit eis ipsorum fugam, seq; contra illam consolatur.

29 Dicunt ei discipuli ejus; Ecce, nunc apertè loqueris, nec similitudinem ullam dicis:

30 Nunc scimus, te scire omnia, nec opus esse tibi ut quis te interroget: per hoc credimus, te à Deo prodiisse.

31 Respondit eis Jesus, Nunc creditis?

32 Ecce, veniet tempus, & jam vênit, quum dispergemini unusquisque ad sua, meque solum relinquetis: sed non sum solus: nam Pater mecum est.

33 Hæc loquutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo afflictionem habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

V.29. & 30. narrat Evangelista occasionem istius prædictionis, qua Dominus discipulis prædixit ipsorum fugam ac desertionem sui. Ea occasio fuit professio fidei, qua professi sunt se credere in Dominum.

V.32. fugam prædicit, seque contra illam consolatur à præsentia Patris.

V.33. sermonem hunc concludit, finem seu scopum illius repetens, nempe ut discipuli consolationem habeant in ipso; deinde futuras calamitates rursum prædicens, fore scilicet ut à mundo affligantur; postremò consolationem opponens, quòd ipse mundum vicerit, ita nimirum ut Diabolus & tyranni non possint æternam ipsorum salutem quicquam lædere.

SCHOLIA IN CAP. XVI.

2 Movebunt vos synagogis] *Vide suprà cap.9. vers.22.* Imò] ἀλλά. *Pro,* ἀλλὰ καί. *Sed & quod plus est.* Ja das noch mehr ist. *Ellipsis.* Veniet tempus quum &c.] ἔρχεται ὥρα ἵνα *&c. Vel, veniet* tale *tempus, ut quisquis trucidabit vos, putaturus sit &c. Nam conjunctio* ἵνα *videtur poni* ἰδικῶς, *ut capite superiore aliquoties: nempe v.8.12.13.17.*

4 Quia vobiscum eram] ὅτι μεθ' ὑμῶν ἤμην. *Perinde loquitur ac si jam cum eis non esset: quia paulo-pòst discessurus erat; ut ipse declarat versu sequente.*

5 Et nemo] καὶ οὐδείς. *Id est, Et tamen nemo.*

8 Arguet mundum de peccato &c.] *Hujus loci expositionem vide in Analysi.* Arguet] ἐλέγξει. *Id est, Convincet.* Wird überzeugen oder überweisen.

16 Conspicietis] θεωρεῖτε. *Pro,* θεωρήσετε: *ut & suprà v.10.*

20 Mundus] ὁ κόσμος. *Id est, impii.* Evadet] γενήσεται. *Ad verb. Fiet: id est, mutabitur.*

21 Dolorem] λύπην. *Vel tristitiam, ut versu præcedente.* Hora ejus] ἡ ὥρα αὐτῆς. *Tempus ei decretum à Deo ad pariendum.* Quum pepererit] ὅταν γεννήσῃ. Γεννᾷν, *generare seu gignere, pro* τίκτειν. *parere, per catachresin. sic Matth.2.v.1.& 4.* Puerulum] τὸ παιδίον. Das kindlin. *Græcum nomen & Germanicum utriq; sexui convenit.* Jam non] οὐκ ἔτι. *Non amplius.* Anxietatis] τῆς θλίψεως.

θλίψεως. *Ad verbum, Pressura. Id est, cruciatus quem sensit in pariendo.*

22 Tristitiâ tenemini] λύπην ἔχετε. *Vel, dolorem habetis, ut versu præcedente.* Tollet] αἴρει. *Pro,* ἀρεῖ.

23 Non interrogabitis] οὐκ ἐρωτήσετε. *Quidam, Rogabitis: id est, orabitis: ut suprà cap.14.v.16.*

25 Per similitudines] ἐν παροιμίαις. *Propriè* παροιμία *proverbium significat: proverbia autem ferè constant similitudinibus. Est igitur synecdoche speciei. Ab aliis Evangelistis vocantur* παραβολαί. *Istud autem nomen hoc sensu à Johanne usurpari, liquet ex cap.10.v.6. ubi* παροιμίαν *nominat similitudinem illam Domini de caula ovium. Et sic Hebræi proverbium nominant* משל *quo verbo significatur similitudo.* Jam non] οὐκ ἔτι. *Non amplius.* Apertè] παῤῥησίᾳ. *Sic infrà v.29. Sic suprà cap.10.v.24.& cap.11. v.14. item Marc.8.v.32.*

26 Rogaturum] ἐρωτήσω. *Ut suprà c.14.v.16.* Pro vobis] περὶ ὑμῶν. *Id est,* ὑπὲρ ὑμῶν. *Sic Matth.26.v.28.* τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον.

28 Relinquo mundum] ἀφίημι τὸν κόσμον. *Utique corpore. Quare corpus Christi jam non est in hoc mundo, sed extra hunc mundum, nempe in tertio illo cælo.*

30 Nec opus esse tibi] οὐ χρείαν ἔχεις. *Repetendum* ὅτι *ex præcedente membro: quasi dicatur,* καὶ ὅτι οὐ χρείαν ἔχεις. Per hoc] ἐν τούτῳ. *Pro,* διὰ τοῦτο. *Hebraismus.*

31 Nunc creditis?] ἄρτι πιστεύετε, *Interrogatio significationem habet miserendi simul & reprehendendi inanem jactantiam, quasi dicat, Ah vos miseros: qui vobis videmini adeò constanter in me credere &c.*

32 Et jam venit] καὶ νῦν ἐλήλυθεν. *Vel, Imò jam venit. Nam est correctio.* Quum dispergemini] ἵνα σκορπισθῆτε. *Vel potiùs sit vertendum: Veniet tale tempus, & jam venit, ut dispergamini. ut suprà v.2.* Nam] ὅτι. *Conjunctio causalis, id est, qua causa seu ratio exponitur ejus quod dictum est, è quotunque argumenti genere illa ratio sit desumta. Quod diligenter notandum est propter locum illum Luc.7.v.47. de muliere peccatrice: Remissa sunt peccata ejus multa; nam dilexit multum:* ὅτι ἠγάπησε πολύ. *quo loco Papistæ abutuntur, quasi dilectio nostra causa sit qua Deus moveatur ad remittendum nobis peccata. Cui errori occasionem præbuit vetus interpres, qui vertit; Quoniam dilexit multùm.* — Ἐκδίκησις.

33 In me] ἐν ἐμοί. *Quatenus in me confiditis.*

OBSERVAT. EX CAP. XVI.

Consolatio contra Pontificios. 1 Ex v.2.3.4.20.21.22.24.&33. Sinceri cultores Dei, quum proptèr confessionem doctrinæ Evangelii persecutionem à Pontificiis & aliis patiuntur; consolentur se his rationibus: quòd similis persecutio acciderit sanctis Christi apostolis, v.2.3.20.&33. quòd persecutio ista proficiscatur ex superstitione seu falsa de cultu Dei persuasione, atque adeò ex Dei ignorantia, v.2. &3. quòd à Christo prædicta sit, v.4. quòd tristitia ipsorum evasura sit in gaudium, & quidem gaudium constans ac plenum, v.20. 22. &24. quòd in media persecutione pacem habituri sint in Christo, id est, fruituri sint tranquillitate conscientiæ ex certa persuasione dilectionis Dei erga se in Christo, v.33. [De hac pace loquitur & Paulus Philip.4.v.7. Pax Dei quæ superat omnium intellectum, &c.] denique quòd Christus mundum vicerit, ita ut lædi ab illo non possint, quantum quidem ad æternam salutem attinet, v.eod.

Corpus Christi. 2 Ex v.5.7.16.& 28. Christus per suum in cælos ascensum verè ex hoc mundo abiit, videl. corpore suo. quare errant, qui putant, corpus Christi substantialiter latère in pane sacræ cænæ; longè magis autem, qui opinantur, corpus Christi esse ubique.

Deitas Christi. 3 Ex v.7.14.15.28. & 33. Christi deitas confirmatur his argumentis: quòd misit Spiritum sanctum in Apostolos, v.7. quòd Spiritus sanctus ab eo accepit sapientiam illam arcanam atque cælestem quam renuntiavit Apostolis, vers.14. quòd Christus & sapientiam illam & omnia cum Deo Patre habet communia, nempe omnia quæ ad naturam atque essentiam Dei pertinent, vers.15. quòd à Patre exivit & in mundum venit, nempe per incarnationem, v.28. quòd mundum vicit, nempe divinâ suâ potentiâ, v.33.

Deitas Spiritus sancti. 4 Ex v.7.8.9.10.11.& 13. Spiritum sanctum esse verum Deum, & esse personam à Patre & Filio distinctam, probatur his argumentis: Est παράκλητος, id est, advocatus, qui electorum cordibus inspirat vivam consolationem qua superent omnes tentationes. hoc autem efficere, est certæ personæ; & est Dei proprium. Mittitur à Christo, v.7. item à Patre, suprà c.14.v.26. Ergo est persona à Patre & Filio distincta. Est spiritus veritatis, qui deduxit Apostolos in omnem veritatem, id est, veritatem cælestem de æterna salute per Christum efficaciter eis persuasit, v.13. hoc autem efficere, Dei proprium est. Denique convicit Judæos in die pentecostes per prædicationem Petri, de peccato suo quod in Christo trucidando admiserant: item de Christi ad supplicium ab ipsis rapti justitia atque innocentia: denique de Christi ex mortuis excitati & in cælum ad dexteram Patris evecti divina authoritate judicandi, atque adeò de diabolo jam per ipsum judicato. Hæc convictio, divinæ potentiæ opus fuit.

Consolatio contra desertionem ab amicis. 5 Ex vers.32. Si accidat nos in necessitatibus deseri ab amicis: consolemur nos exemplo Christi, cui idem accidit ab Apostolis: & hac fide, quòd Deus semper nobiscum sit, qui nos nunquam sit deserturus, sed consolatione sui Spiritus perpetuò sustentaturus, suaque divinâ potentiâ protecturus. Confer exemplum Pauli 2.Tim.4.v.16.17.& 18.

ANALYSIS CAP. XVII.

ARGUMENTUM.

Capite decimoseptimo continetur precatio Domini nostri Jesu Christi, quam habuit tanquam populi Dei summus sacerdos, quum suum ipsius corpus paulo post in ara crucis oblaturus esset: qua & seipsum & populum suum Patri commendat. Habet autem precatio hac tres partes. Primùm enim orat pro seipso, usque ad v.6. Deinde pro discipulis, id est, undecim Apostolis, à v.6. usque ad 20. Postremò pro reliquis electis, qui per doctrinam Apostolorum credituri erant usque ad finem mundi.

PRIMA PARS.

Orat pro seipso.

HÆc loquutus est Jesus, & sustulit oculos suos in cælum, dixitque; Pater, venit hora illa, glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus glorificet te:

2 Sicut dedisti ei potestatem in omnem carnem, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam.

3 Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.

4 Ego te glorificavi in terra: opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem:

5 Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temet ipsum eâ gloriâ quam habui apud te priùs quàm mundus esset.

IN prima precationis parte petit à Patre glorificari. Rationes petitionis affert quatuor: primam, quia sit filius ejus: secundam, ut vicissim possit glorificare Patrem: tertiam, ut possit vitam æternam dare electis: postremam, quia fideliter functus sit officio docendi mandato sibi à Patre, jamque paratus sit ad peragendum sacrificium itidem à Patre sibi mandatum.

V.1. Evangelista transitionem facit à superiore sermone ad hanc precationem: ubi simul gestum precantis commemorat. Deinde sequitur precatio: ubi Christus primùm præfatur, inquiens, *Pater, venit hora illa.* hæc præfatiuncula continet occasionem precationis, videl. instantem passionem Domini & mortem. Deinde proponit petitionem, *Glorifica filium tuum.* ubi nomen glorificationis comprehendit resurrectionem Domini ac ascensionem in cælum, sessionem ad dextram Patris & reditum ad judicandum vivos & mortuos. Continetur autem in ipsa petitione ratio petitionis prima, ubi ait, *Filium tuum,* id est, me, qui sum filius ille tuus unigenitus & unicè dilectus. hæc ratio sumta est à causa impulsiva: etenim amor impellit ad benefaciendum ei quem quis amat.

Porrò antequam ad secundam rationem explicandam progrediamur; observandum est, gloriam hanc, qua Christus se petit glorificari, partim ad naturam ejus humanam, partim ad divinam pertinere. orat enim ut Mediator. Et ad humanam quidem naturam pertinent hæc: Corporis excitatio à mortuis, & glorificatio, ascensio in cælum, sessio ad dextram Patris, plena authoritas super omnia. Ad divinam naturam pertinet illius patefactio. nam per resurrectionem ex mortuis declaratus est filius Dei, Rom.1.4. Petit igitur ut deitas sua patefiat orbi & per totum illustretur mundum: hoc est, ut cognoscatur quis sit: nempe non solùm justus & innocens homo, sed verus Dei filius, eoque verus Deus & totius mundi salvator: qui corporis sui sacrificio per Spiritum suum æternum oblato, mundi peccata expiarit: & proinde ut pro tali ab omnibus electis fide recipiatur & colatur. Deinde annectit secundam petitionis rationem; *ut & filius tuus glorificet te.* hæc ratio sumta est à fine. Non potuisset enim Christus Patrem glorificare, nisi ipse priùs à Patre fuisset glorificatus. Ut enim veritas Patris elucesceret, oportuit eum præstare quod promiserat: promiserat autem Filio glorificationem, Psal.110. Sede ad dextram meam, donec ponam &c. Psal.2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem: & possessionem tuam fines terræ. Sic alibi passim. Deinde ex glorificatione Christi elucescit potentia Patris, qui eum excitavit è mortuis.

V.2. sequitur tertia ratio, quæ est, *ut det vitam æternam electis:* hæc ratio similiter à fine sumta est. non potuisset autem Christus vitam æternam dare electis, nisi fuisset à Patre glorificatus. Nisi n. excitatus fuisset ex morte: electi, quorum peccata Pater in eum conjecerat, adhuc in suis peccatis essent: 1.Cor.15.17. non enim haberent testimonium, quòd pro suis peccatis morte Christi sit satisfactum. Ubi autem peccatum, ibi non habet locum vita æterna, sed mors. Deinde nisi ascendisset in cælum: non comparere tin cælesti illo sanctuario coram facie Patris, ad gratiam illius erga electos perpetuò conservandum: ex qua gratia vita æterna

fluit. Præterea nisi consedisset ad dextram Patris, non potuisset inde mittere Spiritum sanctum in Apostolos, eosq; instruere necessariis donis ad Evangelium omnibus populis prædicandum: perque illam prædicationem efficere fidem in electis, sine qua ut remissio peccatorum, ita etiam vita æterna non obtinetur. Postremò nisi rediturus esset ad judicium; non posset electos introducere in cælum, & ad se assumere, ad perfruendum plenè vità æternà. Hæc tertia ratio superiori annexa est tanquam illius confirmatio. nam salus electorum ad gloriam Dei tanquam summum finem dirigitur. ait enim; *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam.* ubi observandum, particulam καθὼς, id est, Sicut, habere vim particulæ causalis *Quia.* quemadmodum exponi potest etiam sup. 15.12. Porrò istis verbis simul causam impulsivam notat, videl. voluntatem & mandatum Patris: qui scil. velit, ut Christus vitam æternam det electis, & hoc ipsum ei mandarit. q.d. Cupio glorificare te, obediendo voluntati & mãdato tuo, in hoc ut vitam æternam dem electis: Ergo ut hoc possim præstare, tu me priùs glorifica. Nomine ἐξουσίας intelligit potestatem seu authoritatem regiam, seu jus gubernandi tum mundum universum, tum præcipuè electos. Carnis vocabulo intelligit homines. Sicut hæc vox accipitur in illo dicto Esaiæ, Omnis caro fœnum. Item in illo dicto Genesis, Omnis caro corruperat viam suam. Electos describit ab adjuncto mandato Patris, qui scilicet eos dedit Christo cum hoc mandato, ut eis det vitam æternam, primùm quidem promerendo eis remissionem peccatorum suâ morte, deinde verò efficiendo in eis fidem vivam per prædicationem Evangelii & Spiritum sanctum.

V.3. declarat, quomodo electis daturus sit vitam æternam, nempe dando eis cognitionem Patris & sui, per prædicationem scil. Evangelii & Spiritum sanctum. ait igitur, *Hæc est autem vita æterna*, id est, hac in re consistit vita æterna electorum; seu hinc pendet: *ut cognoscant te, illum solum verum Deum*, & (ut cognoscant) *eum quem misisti*, nempe *Jesum Christum*. ubi observandum, cùm Christus Patrem vocat illum Deum qui solus verus Deus est: non excludere à deitate seipsum & Spiritum S. sed tantùm deos falsos, fictitios, commentitios. Deinde observandum, cum cognitione Patris conjungi cognitionem Filii tanquam mediatoris, quia Pater non nisi in Filio tanquam mediatore rectè cognoscitur: suprà 14.v.6. & 7. Similem locum vide 1.Cor.8.v.6. Præterea notandum, intelligi hic cognitionem talem quæ cum fide seu fiduciâ conjuncta est. Qui enim Deum agnoscit in Christo tanquam mediatore, is utique agnoscit eum pro patre suo, sibi per Christum reconciliato, ac proinde eo tanquam Patre confidit.

V.4. sequitur quarta petitionis ratio: quia officio à Patre sibi injuncto fideliter functus sit, & jam ampliùs fungi paratus sit. Functus quidem erat officio prophetæ; in docendo Evangelio: fungebatur eo ipso tempore officio summi sacerdotis in orando pro populo: Et mox functurus erat officio præcipuo summi sacerdotis in offerendo suo corpore in sacrificium expiatorium pro peccatis electorum. ubi observandum; mandato Patris, cujus hic fit mentio, tacitè includi promissionem. Ità enim mandaverat Pater Filio officium summi sacerdotis fungendum in terra in summa humilitate, ut simul ei promitteret; se eum officio in terris cum summa humilitate peracto, exaltaturum in cælum, ut ibi porrò in summa gloria fungeretur & summi sacerdotis officio, comparendo in cælesti sanctuario pro electis: & præterea officio regis, in gubernando tum mundo universo, tum præcipuè ecclesiâ electorum per verbum Evangelii & Spiritum sanctum.

V.5. hanc precationis partem concludit, & petitionem repetit, pluribusque verbis declarat; disertè petens, ut Pater gloriam suæ (nempe ipsius Christi) deitatis patefaciat.

SECUNDA PARS.

Orat pro undecim Apostolis.

6 Patefeci nomen tuum hominibus quos dedisti mihi *selectos* è mundo. tui erant, & mihi eos dedisti; & sermonem tuum servaverunt.

7 Nunc noverunt, omnia quæ dedisti mihi, à te esse.

8 Quia verba quæ tradidisti mihi, tradidi eis: & ipsi receperunt *ea*, & verè norunt me à te prodiisse, & crediderunt me à te missum esse.

9 Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro *iis* quos dedisti mihi, quia tui sunt.

10 Et mea omnia, tua sunt; & tua mea *sunt*: & glorificatus sum in eis.

11 Et non sum ampliùs in mundo; sed isti sunt in mundo; ego autem ad te venio. Pater sancte, serva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum prout & nos.

12 Quum essem cum eis in mundo, ego servabam eos per nomen tuum: quos dedisti mihi, ego custodivi; & nemo ex eis periit, nisi filius ille perditionis: ut Scriptura impleretur.

13 Nunc autem ad te venio; & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum plenum apud se.

14 Ego tradidi eis sermonem tuum; & mundus eos odio habuit; quia non sunt ex mundo; prout & ego non sum ex mundo.

15 Non rogo ut tollas eos è mundo, sed ut serves eos à malo illo.

16 Ex mundo non sunt, sicut & ego non sum ex mundo.

17 Sanctifica eos tuâ veritate; sermo tuus veritas est.

18 Sicut me misisti in mundum, *ita* & ego misi eos in mundum.

19 Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati per veritatem.

In secunda parte hujus precationis orat Dominus pro undecim Apostolis, eosque Patri commendat. Petit autem *ut Pater eos servet à malo*, id est, diabolo, v.11. & 15. *utq; eos sanctificet*, id est, Spiritus S. donis instruat ad munus evangelii prædicandi constanter & cum fructu fungendum, v.17. Rationes prioris petitionis affert septem. 1. quòd patefecerit eis nomen Patris, nempe ex ipsius mandato. 2. quòd Pater eos elegerit è mundo, sibique tanquam proprios vendicarit. 3. quòd eos dederit, id est, commiserit ipsi, nempe instituendos & servandos. 4. quòd sermonem Patris servarint, hoc est, fide receperint & vitam ex eo instituerint. Hæ quatuor rationes continentur omnes versu sexto. Deinde v.7. & 8. prima & quarta repetuntur, & pluribus verbis declarantur.

Vers. 9. petitionem proponit, sed in genere & indefinitè: & eam sententiam illustrat antithesi, qua opponit Apostolus mundum, id est, reprobos: simulq; repetit rationem tertiam & secundam. Vers. 10. confirmat rationem secundam & tertiam; & quintam rationem attexit, nempe quòd glorificatus sit in eis, videlicet per fidem & confessionem eorum. V.11. sextam rationem affert; quia eos in mundo relicturus sit; inter medios scilicet hostes: & petitionem primam specialiter proponit. V.12. per prolepsin causam exponit; cur non ante hoc tempus Apostolos patrocinio Patris commendârit: eâque occasione fidem suam in eis custodiendis commemorat: simulque causam exponit interitus Judæ proditoris. V.13. causam finalem exponit, cur hanc precationem audientibus Apostolis habeat. V.14. septimam rationem affert, quia mundo exosi sint. V.15. petitionem repetit, & antithesi illustrat, pleniusque exponit. V.16. repetit septimam rationem. Vers. 17. addit alteram petitionem, eamque declarat. V.18. rationem affert illius petitionis. V.19. alteram ejusdem petitionis rationem adjungit.

TERTIA PARS.

Orat pro reliquis electis.

20 Non tantùm autem pro istis rogo, sed & pro iis qui per sermonem eorum credituri sunt in me:

21 Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, me à te missum esse.

22 Et ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, prout & nos unum sumus.

23 Ego in eis *sum*, & tu in me: ut sint consummati in unum; & ut cognoscat mundus, me à te missum esse, teque eos diligere sicut me dilexisti.

24 Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut conspiciant gloriam illam meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me, ante jacta mundi fundamenta.

25 Pater juste, mundus te non novit: ego autem te novi; & hi noverunt, me à te missum esse.

26 Et notum ipsis feci nomen tuũ, & notum faciam: ut charitas quâ dilexisti me, sit in eis, & ego *sim* in eis.

In tertia parte orat Dominus pro reliquis electis, qui ab illo tempore usque ad finem mundi erant futuri. Hos v.20. describit ex proprio adjuncto, nimirum fide: simulque instrumentum indicat, quo fides à Deo in cordibus electorum efficitur: quod instrumentum est sermo Apostolorum, id est, doctrina Evangelii quam Apostoli prædicarunt, & literis mandatam posteris reliquerunt. Pro his duo petit: primùm ut sint omnes unum in Deo, hoc est, ut per unam fidem inter se devincti tanquam membra unius corporis, cujus caput est Christus, mutuo amore sese complectantur, v.21. deinde ut suo tempore transferantur in cælum: ibique conspectu gloriæ Christi in æternum beati sint: v.24. Priorem petitionem declarat exemplo arctissimæ conjun-

ctionis

ctionis quæ est inter ipsum & Patrem: ejusque petitionis rationem affert à fine, nempe à sua gloria: quam significat his verbis, *ut credat mundus me à te missum esse*, hoc est, me esse filium tuum unigenitum; qui homo factus, à te missus sim ad prædicandum Evangelium, & expiandum peccata electorum, salutemque æternam illis acquirendam. Hic autem finis, ex unitate credentium sic effectus redditur: quia inde perspicitur, eos esse Christi discipulos, supr. 13. v. 35. ac proinde Christum esse filium Dei & servatorem mundi, qui ipsos regat suo Spiritu.

Vers. 22. alteram petitionis rationem affert, quæ sumta est à destinato. quia in hunc finem eis dederit gloriam filiorum Dei, ut se mutuò instar fratrum ament; idque ardentissimo amore, qualis est inter ipsum & Patrem. De hac gloria & dignitate υἱοθεσίας, id est, adoptionis vide supra 1. vers. 12. ubi notandum est discrimen inter gloriam Christi & credentium. Christus enim gloriam hanc habet à natura, ut sit filius Dei unigenitus: at credentes gloriam hanc habent ex gratia Dei, ut sint filii Dei adoptivi, adoptati scilicet in filio dilecto, id est, Christo. Potest tamen hæc gloria etiam intelligi (& fortasse rectiùs) de futura illa gloria cælesti. nam certum est, credentes pro suo modulo gloriæ cælestis Christi participes fore. Quam quidem gloriam regni cælestis Christus discipulis promisit, Luc. 22. v. 29. & 30. Et de eadem mox rursus loquitur hoc loco, vers. 24. Sic autem erit argumentum hoc à fine. nam ut credentes possint gloriam regni cælestis consequi: necesse est, ut in hac vita unum sint, unitate scilicet fidei & charitatis inter se devincti atque colligati, tanquam membra unius corporis sub capite Christo. Porrò utramque hanc gloriam credentium conjungit Johannes 1. Joh. 3. v. 1. & 2. V. 23. tertiam rationem affert, & primam repetit, & quartam annectit. Tertia ratio à destinato sumta est, videl. inhabitatione Christi per Spiritum sanctum, quam significat his verbis, *Ego in eis.* Quarta ratio est à fine, nempe gloria Patris, videl. gloria summæ bonitatis & misericordiæ, ut qui credentes diligat summo amore. quæ dilectio Dei erga credentes elucescit, quum in eis perspiciuntur effecta illius, inter quæ non postremum est mutua illa & fraterna dilectio. V. 24. alteram petitionem affert, & gloriæ suæ causam efficientem exponit, videl. amorem æternum Patris glorificantis.

V. 25. redit ad Apostolos: quos rursum Patri commendat ab ipsorum fide, ac petit, ut sentire possint dilectionem Patris, qua eos complectatur in Christo.

SCHOLIA IN CAP. XVII.

2 Potestatem in omnem carnem] ἐξουσίαν πάσης σαρκός. *Ad verb. Potestatem omnis carnis. Genitivus objecti.* Ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam] ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. *Pro,* ἵνα πᾶσιν οὓς δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ ζωὴν αἰώνιον. *Hebræa loquendi ratio:* לְמַעַן כֹּל אֲשֶׁר נָתַתָּה לוֹ יִתֵּן לָהֶם חַיֵּי-עֹלָם *lemáhan cól aschér nathátthah ló, jitthén lahém haje-holám.*

3 Hæc est autem vita æterna] αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή. *Pro,* τοῦτο δέ. *hoc autem, id est, hæc res, nempe ut te cognoscant &c. Nam conjunctio* ἵνα *hîc rursum ponitur per appositionem seu* εἰδικῶς: *ut suprà cap. 15. v. 8 & 12. &c. Videtur autem pronomen fœmininum* αὕτη *positum absolutè more Hebræorum. sic enim illi loquuntur: ut Psal. 27. v. 4.* אַחַת שָׁאַלְתִּי *áhhath schaálthi; unam petii, id est, unum, seu rem unam. Porrò cognitio Dei dicitur esse vita æterna, per metonymiam effecti: quia illam efficit seu parit. Sic Rom. 7. v. 7.* ὁ νόμος ἁμαρτία; *num Lex peccatum est? hoc est, Num Lex peccatum ex se gignit seu parit?* Ut cognoscant te, illum solum verum Deum] ἵνα γινώσκωσι σὲ, τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν. *Id est, ut cognoscant te, qui es ille Deus qui solus verus est Deus, id est, ille Deus præter quem non est ullus verus Deus: quum quotquot præter illum nominantur dii, sint falsi, fictitii, commentitii dii. Hic autem solus verus Deus, est non solùm Pater, sed etiam Filius & Spiritus sanctus: ut alibi Scriptura docet. Neq; enim sequitur, Pater est ille solus verus Deus: Ergo Filius & Spiritus S. non sunt ille solus verus Deus. quippe de Filio expressè dicitur: Hic est verus ille Deus,* οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεός, *1. Joh 5. 20. item Rom. 9. v. 5.* ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας: *qui est supra omnes Deus laudandus in secula. De Spiritu sancto autē dicit Petrus Act. 5. 4. Non es mentitus hominibus, sed Deo. utiq; Deo illi vero. neq; enim Petrus ullum falsum Deum agnovit.* Et quem misisti Jesum Christum] καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. *Id est, Et ut cognoscant quoq; Jesum Christum, quem tu in mundum misisti, ut sit mediator inter te & ipsos. Post conjunctionem* καὶ *repetenda illa verba,* ἵνα γινώσκωσι.

4 Dedisti] ἔδωκας. *Id est, commisisti, mandasti.*

5 Eâ gloriâ quam habui] τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον. *Pro,* τῇ δόξῃ ἐκείνῃ ἣν εἶχον. Apud te] παρὰ σοί. *Hæc verba, licet ad finem versiculi trajecta sint, tamen pendent à verbo* εἶχον: *ut ex ipsa sententia planum est. Similis trajectionis exemplum vide 2. Tim. 2. v. ult.*

6 E mundo] ἐκ τοῦ κόσμου. *Id est, è genere humano.*

9 Pro eis] περὶ αὐτῶν. *Pro,* ὑπὲρ αὐτῶν. *ut suprà c. 16. v. 26.* Rogo] ἐρωτῶ. *Ut suprà c. 14. v. 16* Pro mundo] περὶ τοῦ κόσμου. *Id est, pro reprobis: ut liquet ex antithesi.* Pro iis quos dedisti mihi] περὶ ὧν δέδωκάς μοι. *Id est,* περὶ ἐκείνων οὓς δέδωκάς μοι. *Est autem hæc periphrasis electorum.*

11 Non sum ampliùs] οὐκ ἔτι εἰμί. *Id est, paulo-pòst non ero, jam jam discedo.* In mundo] ἐν τῷ κόσμῳ. *Id est, in terra. Synecdoche integri.* Per nomen tuum] ἐν τῷ ὀνόματί σου. *Pro,* διὰ τοῦ ὀνόματός σου. *hoc est, per cognitionem tui. Metonymia subjecti.*

12 Quum essem] ὅτε ἤμην. *Ut suprà c. 16. v. 4.* Filius ille perditionis] ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. *Id est, ille perditioni destinatus & addictus. Genitivus notat finem seu causam finalem. At Eph. 2. 3.* τέκνα ὀργῆς, *filii iræ: id est, rei iræ, hoc est, pœnæ à Deo irato infligendæ.*

13 Gaudium meum] τὴν χαρὰν τὴν ἐμήν. *Gaudium illud meum: ut suprà cap. 15. v. 11. Porrò nomen* plenum *à parte posteriore cum verbo* habeant *construendum est: non autem cum nomine* gaudium. *sic enim oporteret Græcè esse* τὴν πεπληρωμένην. Plenum] πεπληρωμένην. *Expletum.* Apud se] ἐν αὐτοῖς. *In se, id est, in corde suo. Synecdoche integri.*

15 Rogo] ἐρωτῶ. *U sup. c. 14. v. 16.* A malo illo] ἐκ τοῦ πονηροῦ. *Id est, à diabolo: qui usitatè nominatur* ὁ πονηρὸς, *ut Matth. 5. 37. & c. 6. v. 13. & c. 13. v. 19. item 1. Joh. 2. v. 13. &c.*

18 Misi eos] ἀπέστειλα αὐτούς. *Nempe ad prædicandum Evangelium & sustinendum propterea mundi persecutionem.*

19 Pro eis] ὑπὲρ αὐτῶν. *Id est, ut eis promerear apud te remissionem peccatorum & vitam æternam. Sic Christus ipse in institutione sacræ cœnæ exponit præpositionem* περὶ, *positam pro* ὑπέρ: *quum ait, Hoc est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis (*περὶ πολλῶν*) effunditur in remissionem peccatorum. Item suprà cap. 6. v. 51. ait, se carnem suam daturum (nempe in mortem crucis) pro mundi vita,* ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς: *id est, ad promerendum vitam æternã omnibus totius mundi electis.* Sanctifico meipsum] ἁγιάζω ἐμαυτόν. *Id est, offero me tibi in sanctam victimã. Ita exponit etiam Chrysostomus homil. 81. in Joh.* Ut sint & ipsi] ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσι. *Hæc videntur addi per epexegesin ad declarandum illud* ὑπὲρ αὐτῶν. Sanctificati] ἡγιασμένοι. *Nempe imputatâ ipsis sanctitate meæ victimæ: sicut declarat Apostolus Heb. 10. 10. inquiens, Quâ voluntate sanctificati sumus (*ἡγιασμένοι ἐσμὲν*) per oblationem corporis Christi semel factam. Et paulo-pòst v. 14. Unicâ oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur,* τοὺς ἁγιαζομένους. Per veritatem] ἐν ἀληθείᾳ. *Nempe per veritatem Dei, id est, sermonem Evangelii: ut modò v. 17. Nisi quis mâlit, propter omissum articulum,* ἐν ἀληθείᾳ *hîc per Hebraismum æquipollere adverbio* ἀληθῶς, *id est, verè: ita ut vera & realis sanctificatio per oblationem corporis Christi facta, opponatur sanctificationi cærimoniali quæ fiebat olim per oblationem pecudum.*

20 Pro istis] περὶ τούτων. *Pro,* ὑπὲρ τούτων. *ut suprà v. 9.*

22 Gloriam] τὴν δόξαν. *Nempe felicitatem illam cælestem.*

24 Velim] θέλω. *Id est, cupio, seu peto. Sic supr. 5. v. 6.* Ubi sum] ὅπου εἰμί. *Id est, ubi paulo-pòst futurus sum.* Et illi sint] κἀκεῖνοι ὦσι. *Nempe suo tempore: post mortem quidem secundùm animam; post resurrectionem verò corporum, animâ simul & corpore.* Quam dedisti mihi] ἣν ἔδωκάς μοι. *Id est, dare decrevisti, ut 2. Tim. 1. v. 9.* χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων, *Gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia. Metonymia subjecti.* Ante jacta mundi fundamenta] πρὸ καταβολῆς κόσμου. Ante fundationem mundi] *Ad verb. Ante dejectionem, scil. fundamentorum,* τῶν θεμελίων. *Ellipsis. Hæc autem verba censeo pendêre non à proximo verbo* ἠγάπησας: *sed à remotiore* ἔδωκας. *Similis trajectio fuit suprà v. 5.*

26 Ut charitas, quâ dilexisti me, sit in eis] ἵνα ἡ ἀγάπη ἣν ἠγάπησάς με, ἐν αὐτοῖς ᾖ. *Per ellipsin dicitur* ἣν *pro* καθ' ἥν. *Id est,* ᾗ. *Sententia est: Ut in cordibus suis per fidem sentiant charitatem illam tuam quâ dilexisti me, & ipsos propter me. quo sensu ait Paulus, charitatem Dei effusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, Rom. 5. v. 5. Metonymia subjecti.* Et ego sim in eis] κἀγὼ ἐν αὐτοῖς. *Et ut ego quoque sim in eis, hoc est, habitem in cordibus eorum per fidem, Ephes. 3. v. 17. Metonymia qualis modò.*

OBSERVAT. EX CAP. XVII.

1 Ex v. 1. Inter precandum attollere oculos in cælum, gestus est precationi conveniens, ad significandum elevationem cordis ad Deum. Sic Paulus 1. Tim. 2. v. 8. jubet inter precandum attollere puras manus. Veruntamen quum ex animi demissione propter conscientiam peccatorum oculi inter precandum in terram dejiciuntur, ne ille quidem gestus Deo displicet: sicut videre est in exemplo illius publicani, unà cum Pharisæo adorantis in templo, Luc. 18. *Preces.*

2 Ex v. 2. 5. & 8. Argumenta pro deitate Christi. Christus habet potestatem electis dandi vitam æternam: v. 2. Ergo est Deus. nam solus Deus vitæ æternæ author est. Deinde Christus habuit gloriam apud Deum Patrem ante mundum conditum, v. 5. Ergo est Deus. nam ante mundum conditum nihil fuit præter Deum. Præterea Christus à Deo Patre exivit, v. 8. nempe tanquam unigenitus ille (ut percipitur ex verbis Johannis suprà c. 1. v. 14.) id est, per arcanam illam atque ineffabilem generationem: sicut splendor exit à sole. Ergo Christus est Deo Patri ὁμοούσιος, ac proinde verus Deus. *Deitas Christi.*

3 Ex v. 3. Vita æterna consistit in cognitione Dei, quâ certò persuasi sumus; Deum verum, esse unicum; eumq; esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: & Filium à Patre missum esse in mundum; ut is assumtâ nostrâ naturâ, esset Jesus Christus, id est, *Vitæ æternæ causa.*

noster servator, summus propheta, summus sacerdos & summus rex: qui scil. arcanum illud consilium Dei de æterna nostra salute nobis exposuerit: qui sese, peccatis nostris in se susceptis, pro nobis Deo cum precibus obtulerit victimam expiatoriam, nosque eo sacrificio Deo reconciliarit: qui sacrificio illo peracto, in sanctuarium cæleste ingressus sit, ibiq; coram facie Patris pro nobis continenter appareat: denique qui in cælis ad dextram Patris regnans, nos Spiritu suo regat, & potentiâ suâ contra hostes protegat, donec suo tempore hostibus plenè abolitis, nos ad se in regnum suum cæleste recipiat.

Deus. 4 Ex eod. v. Verus Deus unicus est: & is est Pater, Filius, & Spiritus S. nam quum hoc loco Christus de Patre dicit, ipsum esse illum solum verum Deum, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, id est, Deum illum qui unicus est, & extra quem nullus verus Deus est: observandum est, his verbis à solius illius veri Dei essentiâ non excludi Filium & Spiritum S. quippe quum illi non sint extra Patrem, sed in Patre: sicut vicissim Pater est in illis: sed excluduntur tantùm dii isti falsi atque commentitii quos confinxerunt Ethnici: quippe qui sunt extra Patrem, videl. creaturæ.

Officium ministrorum verbi. 5 Ex v. 4, 6. 7. & 8. Sicut Christus glorificavit Patrem, quum sedulò docuit Evangelium, sicut à Patre ipsi erat mandatum: ita omnes Evangelii ministri statuant, Deum ministerio suo glorificari, ac proinde sedulò Evangelium doceant.

Pro quibus mortuus sit Christus. 6 Ex vers. 9. & 20. Quum Christus sese victimam oblaturus Patri, oraverit pro solis sibi datis à Patre, id est, pro electis, mando (hoc est, reprobis) disertè à precibus suis excluso: certum est, eum etiam pro solis electis sese obtulisse: de quibus etiam solis loquitur, quum ait vers. 19. *Ego pro eis sanctifico me:* id est, his precibus consecro me tibi in sanctam victimam. Quare quod dicitur 1. Tim 2. v. 6. Christum dedisse sese redemtionis pretium ὑπὲρ πάντων, pro omnibus: item 1. Johan. 2. v. 2. ipsum esse propitiationem pro peccatis totius mundi: ista & illis similia dicta *Antilogia apparentis solutio.* necessariò ad electos restringenda sunt. quum certum sit, Spiritum sanctum per Apostolos locutum esse: is autem Christo non contradicit.

Corpus Christi. 7 Ex v. 11. Quum Christus expressè dicat, se non amplius esse in mundo, videl. corpore suo, post suam in cælos ascensionem: errant igitur qui putant, corpus Christi esse in pane sacræ cænæ; & longè magis, qui opinantur, corpus Christi esse ubique.

Reprobi. 8 Ex v. 12. Sicut Judas, Domini proditor, nominatur filius perditionis, eò quòd perditioni seu exitio æterno à Deo erat destinatus, idq; æterno consilio atq; decreto: (ut percipitur ex verbis Petri Act. 2. v. 23. itemq; ex verbis ecclesiæ Hierosolymitanæ, Actor. 4. v. 27. & 28.) Sic de reprobis omnibus statuendum est, quòd scil. ad æternum exitium æterno Dei decreto sint prædestinati. Et sicut Judas, quamdiu latuit ipsius hypocrisis, propter fidei professionem visus est esse in numero electorum: ita & alii reprobi quamdiu fidem in Ecclesia profitentur, pro electis ex charitate habentur, donec patefiat ipsorum hypocrisis.

Quod Jesus sit Christus. 9 Ex eod. v. Quum Scripturæ Prophetarum de Christo, in Jesu Mariæ virginis filio sint impletæ; sicut ex hoc loco & aliis plurimis perspicuum est: consequens est, hunc JESUM esse CHRISTUM, id est, mundi servatorem. Errant igitur Judæi, qui alium exspectant.

Corpus Christi. 10 Ex vers. 13. Christus per suam in cælum ascensionem verè ad Patrem vênit, & mundum reliquit: sicut ipse hoc loco & alibi passim testatur. Falsum igitur dogma est, corpus Christi ubique esse.

Evangelii scopus. 11 Ex eod. v. Scopus doctrinæ Evangelii est, ut habeamus plenum gaudium & veram consolationem in cruce. Confer dictum Pauli Rom. 15. v. 4.

Gaudii veri origo. 12 Ex eod. Verum gaudium ex fide Evangelii nascitur. Confer Rom. 5. v. 1. & deinceps. Quare ut hoc gaudium consequamur, exerceamus nos in fide Evangelii: quumque Christus promiserit, se hoc gaudium in nobis effecturum, bono animo simus in persecutionibus: Christus juxta promissionem suam replebit nos gaudio, quo superemus omnes tentationes; sicut plurimorum martyrum exempla abundè testantur.

Consolatio contra odiû mundi. 13 Ex v. 14. Si propter Evangelii professionem mundus nos odio habet, ne moveamur: sed cogitemus, istud inde fieri, quòd ab impio mundo sumus segregati, & Christo adhæremus.

Consolatio contra persecutionem. 14 Ex v. 15. Etiamsi fideles quamdiu vivunt in hoc mundo, odium & persecutionem mundi experiuntur: tamen hac firmâ consolatione se possunt sustentare, quòd Christus pro eis rogavit, ut serventur à malo illo, id est, Diabolo, principe illo mundi. quare salus ipsorum æterna in tuto est.

Evangeliû. 15 Ex v. 17. Sermo Evangelii, est veritas illa cælestis, qua electi sanctificantur: dum per illius prædicationem virtute Spiritus sancti corda ipsorum illuminantur fide, & renovantur ad serium studium sanctitatis. Quotquot igitur sanctificari cupiunt (cupere autem omnes debent) isti sermoni diligenter attendant.

Doctrina Evangelii. 16 Ex vers. 18 Doctrina Evangelii per Apostolos annuntiata, est αὐτόπιστος, id est, per se fide digna: quia ad illam annuntiandam missi sunt à Christo eâdem authoritate, quâ ille missus fuit à Patre.

Consolatio contra conscientiam impuritatis. 17 Ex v. 19. Quum nos perturbat nostra impuritas, quòd nimirum peccatis fœdè polluti sumus, ita ut meritò simus abominationi Deo; consolemur nos his verbis Christi, quibus testatur, quòd se pro nobis sanctificârit, hoc est, Patri in sanctam victimam obtulerit ad expiandum omnia nostra peccata; per quam oblationem nos quoque sanctificati sumus, sicut testatur Apostolus Heb. 10. v. 10. & 14. Quòd autem hoc loco dicimur sanctificari per veritatem, ad efficaciam Christi referendum est; sicut alterum ad meritum. Etenim Christus nos sanctificat & servat partim suo merito, partim suâ efficaciâ. Merito, quatenus sanctificans seipsum pro nobis in victimam, oblatione sui expiavit nostra peccata, atque ita illorum remissionem est promeritus. Efficaciâ verò, quatenus curat nobis annuntiari veritatem illam cælestem, id est, sermonem Evangelii, & per illius prædicationem in nobis efficit fidem virtute sui Spiritus; qua fide purgantur corda nostra, quatenus per illam sanguine Christi in cruce effuso asperguntur. *Quot modis nos servet Christus.*

18 Ex v. 20. Quicunque per sermonem Apostolorum, id est, doctrinam Evangelii de Christo edocti, in illum credunt, eoque ut unico suo servatore confidunt: illi certum in se testimonium habent, quòd Christus sese pro eis sanctificaverit atque obtulerit, hoc est, quòd oblatione sui peccata ipsorum expiaverit. Etenim pro illis Christus Patrem rogavit, ut nimirum sacrificium suum pro illis acceptet, ac proinde peccata eis ignoscat, & ipsos à malo illo servet. Quare salus ipsorum certa est & extra periculum posita. Deus enim preces Christi semper exaudivit. *Consolatio fidelium contra conscientiam peccatorum.*

19 Ex eodem v. Sermo Evangelii est instrumentum seu medium per quod Deus in electis efficit fidem. Quare hoc medium ne contemnamus: sed reverenter ac studiosè eo utamur ad fidem tum consequendum, tum conservandum. Confer Rom. 1. v. 16. & cap. 10. v. 17. & 1. Cor. 3. v. 5. *Evangeliû.*

20 Ex v. 21. 22. & 23. Qui verè in Christum credunt, illi etiam inter sese unum sunt, per mutuam scil. charitatem. *Fidei effectum.*

21 Ex v. 22. & 24. Quum à mundo contemnimur, & ignominiâ atque contumeliâ afficimur: consolemur nos promissione Christi, qua nobis promisit communionem atque societatem cælestis suæ gloriæ. Confer Rom. 8. v. 17. & deinceps. Phil. 3. v. 21. 2. Thess. 2. v. 5. & deinceps. 1. Joh. 3. v. 2. *Consolatio contra mundi injurias.*

22 Ex v. 26. Si conscientia nos arguit peccati, ac proinde iram Dei tanquam justi judicis nobis proponit: opponamus promissionem Christi, qua promisit, se nobis patefacturum charitatem Patris, nempe charitatem illam summam qua nos diligit eo ipso amore quo Filium cõplectitur: de quo cælitus pronuntiavit, Hic est filius ille meus dilectus, in quo acquiesco. Confer Rom. 5. v. 5. *Consolatio contra conscientiam peccati.*

ANALYSIS CAP. XVIII.

ARGUMENTUM.

Deinceps cap. 18. & 19. describit Evangelista historiam passionis Domini: quæ universa distribui potest in quatuor principales partes, secundùm circumstantiam locorum, ubi ea gesta sunt quæ Domino evenerunt. Prima pars continet ea quæ gesta sunt in horto: à principio hujus capitis usque ad vers. 13. Secunda pars continet ea quæ gesta sunt in domo Cajaphæ summi sacerdotis, à v. 13. usque ad 28. Tertia pars continet ea quæ gesta sunt in prætorio coram judice Pilato, à vers. 28. usque ad v. 17. cap. 19. Quarta pars continet ea quæ gesta sunt in loco supplicii, qui nominabatur Calvaria, Hebraicè Golgotha, à vers. 17. usque ad 38. à quo v. 38. usque ad finem capitis deciminoni continetur historia sepulturæ Domini.

PRIMA PARS HISTORIÆ PASSIONIS.

Quæ gesta sunt in horto.

HÆc quum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron; ubi erat hortus, in quem introivit ipse & discipuli ejus.

2 Noverat autem eum locum etiam Judas qui prodebat eum; quia Jesus frequenter cum discipulis suis illuc convenerat.

3 Judas ergo quum accepisset cohortem, & à primariis sacerdotibus ac Pharisæis ministros; venit illuc cum laternis & facibus & armis.

4 Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant in se, egressus dixit eis, Quem quæritis?

5 Responderunt ei, Jesum Nazarenum. Dicit ei Jesus, Ego *is* sum. Stabat autem cum eis etiam Judas qui prodebat eum.

6 Ut ergo dixit eis, Ego *is* sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt humi.

7 Iterum igitur rogavit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Jesum Nazarenum.

8 Respondit Jesus, Dixi vobis me eum esse. ergo si me quæritis, sinite hos abire.

9 Ut impleretur sermo quem dixerat; Ex iis quos dedisti mihi, non perdidi quenquam.

10 Simon

10 Simon autem Petrus quum gladium haberet, eduxit eum, & percussit servum summi sacerdotis, & abscidit auriculam ejus dextram. Erat autem nomen servo Malchus.

11 Dixit ergo Jesus Petro, Reconde gladium tuum in vaginam. annon bibam poculum quod dedit mihi Pater?

12 Cohors igitur & tribunus & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & vinxerunt eum.

V.1. indicat Evangelista viam qua Dominus in hortum ivit, nempe trans torrentem Kedron: qua in re typus Christi fuisse videtur David, quum fugiens Absalonem transiret eundem torrentem, ut narratur 2.Sam.15.v.23. V.2.&3. commemorat occasionem, qua Judas proditor usus sit ad Dominum prodendum, nempe consuetudinē Domini quam ille noverat: item comitatum Judæ, videlicet satellitium armatorum. V.4.5.6.7.8.9.10.11.&12. narrat formam seu modum agendi, quomodo Dominus in horto captus sit: nempe quòd obviam iverit iis, quos sciebat adventare ad se capiendum, seque eis ultrò indicaverit, v.4.&5. deinde quòd ex indicio Domini consternati in terram ceciderint, v.6. tum, quòd se iterum eis indicarit, & discipulos tutos præstiterit, ne & ipsi caperentur, v.7.&8. Cujus rei causa exponitur v.9. Præterea quòd Petrus conatus sit Dominum defendere gladio, & quòd Dominus hoc vetuerit, v.10.&11. Postremò, quod à ministris Judæorum vinctus sit.

SECUNDA PARS.

Quæ gesta sunt in domo Cajaphæ summi sacerdotis.

13 Et abduxerunt eum primùm ad Annam: (erat enim socer Cajaphæ, qui erat summus sacerdos anni illius) is verò misit eum vinctum ad Cajapham summum sacerdotem.

14 Erat autem Cajaphas is qui consilium dederat Judæis, expedire ut unus homo moreretur pro populo.

15 Sequebatur autem Jesum Simon Petrus & alius discipulus. discipulus verò ille notus erat summo sacerdoti, & simul introiit cum Jesu in aulam summi sacerdotis.

16 Petrus autem stabat extrà ad ostium. Exivit ergo discipulus ille alter qui erat notus summo sacerdoti, & loquutus est ostiariæ, & introduxit Petrum.

17 Dicit ergo Petro ancilla ostiaria, Num & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille, Non sum.

18 Adstabant autem servi & ministri, factâ strue prunarum; quia frigus erat; & sese calefaciebant. Erat verò cum eis etiam Petrus adstans, & sese calefaciens.

19 Summus sacerdos ergo interrogavit Jesum de discipulis ipsius & doctrina ipsius.

20 Respondit ei Jesus, Ego palàm loquutus sum mundo: ego semper docui in synagoga & in templo, quò undique Judæi conveniunt: & in occulto loquutus sum nihil:

21 Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid sim ipsis loquutus: ecce, hi sciunt quæ dixerim ego.

22 Hæc autem quum ipse dixisset; unus ex ministris qui adstabat, bacillo cecidit Jesum, dicens, Itáne respondes summo sacerdoti?

23 Respondit ei Jesus; Si malè loquutus sum, testare de malo: sin bene, cur me cædis?

24 Miserat igitur eum Annas vinctum ad Cajapham summum sacerdotem.

25 Stabat autem Simon Petrus, & sese calefaciebat: dixerunt igitur ei, Num & tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit, Non sum.

26 Dicit ei quidam ex servis summi sacerdotis, cognatus ejus cujus absciderat Petrus auriculam, Nónne ego te vidi in horto cum eo?

27 Rursus ergo negavit Petrus, & statim gallus cecinit.

Vers.13. narrat quónam deductus sit Christus omnium primò, antequam domum Cajaphæ deduceretur. Vers.14. declarat, quis fuerit ille Cajaphas. Vers.15.&16. narrat, quinam ex discipulis Jesum secuti sint, & quomodo in aulam Cajaphæ intromissi sint. Vers.17.& 18. quomodo Petrus Christum negaverit. Vers.19.20.& 21. quomodo Christus à Cajapha de sua doctrina interrogatus responderit. Vers.22. quâ contumeliâ ob illud responsum affectus sit. Vers.23. quomodo innocentiam suam contra istam contumeliam defenderit. V.24.25.26.& 27. redit Evangelista ad narrandum lapsum Petri, quomodo scilicet Dominum negaverit.

TERTIA PARS.

Quæ gesta sunt in prætorio coram judice Pilato.

28 Ducunt ergo Jesum à Cajapha in prætorium. erat autem manè: & ipsi non introierunt in prætorium; ne polluerentur, sed ut ederent pascha.

29 Exivit ergo Pilatus ad eos, & dixit; Quam accusationem adfertis adversus hominem istum?

30 Responderunt & dixerunt ei; Nisi iste esset facinorosus, non tradidissemus eum tibi.

31 Dicit ergo eis Pilatus; Accipite eum vos, & secundùm legem vestram condemnate eum. Itaque Judæi dixerunt ei; Nobis non licet occidere quenquam.

32 Ut sermo Jesu impleretur, quem dixerat; significans quâ morte futurum erat ut moreretur.

33 Introivit ergo rursus in prætorium Pilatus, & vocavit Jesum: dixitque, Túne es rex ille Judæorum?

34 Respondit ei Jesus; A teipso tu hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

35 Respondit Pilatus, Num ego Judæus sum? gens tua & primarii sacerdotes tradiderunt te mihi: quid fecisti?

36 Respondit Jesus, Regnum meum non est ex hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certassent ne traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc.

37 Dixit ergo ei Pilatus, Ergo rex es tu? Respondit JESUS, Tu dicis me regem esse. ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum ut dem testimonium veritati. Quisquis est ex veritate, audit vocem meam.

38 Dicit ei Pilatus; Quid est veritas? Et quum hoc dixisset, rursum egressus est ad Judæos, & dicit eis; Ego nullum invenio crimen in eo.

39 Est autem vobis consuetudo ut unum dimittam vobis in pascha: vultísne ergo dimittam vobis regem illum Judæorum?

40 Clamaverunt autem rursum omnes, dicentes; Ne istum *dimittito*, sed Barabbam. Erat verò iste Barabbas latro.

Vers.28. narrat Evangelista quando Jesus in prætorium deductus sit, & cur Judæi prætorium noluerint ingredi. Vers.29.30.31.32. quibus verbis eum Pilato tradiderint, supplicio capitis afficiendum, & cur istud factum sit. Vers.33.34.35.36.&37. quomodo Christus à Pilato interrogatus de suo regno, responderit. Vers.38.39.&40. quomodo Pilatus eum innocentem pronuntiarit, ac proinde dimittere studuerit: sed obtinere istud à populo non potuerit.

SCHOLIA IN CAP. XVIII.

1 Trans torrentem Cedron] *πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν κέδρων. Pro, τῶν κέδρων reponendum τοῦ κέδρών. Est autem Kedrón (ut Tremellius annotat) nomen tam vallis quàm torrentis qui per eam fluit, inter Hierosolymam & montem olivarum: sicut ex 2.Sam.15. apparet. Syrus vertit,* ad transitum pedis. *id est, ad vadum. Est enim hæc (ut Tremellius annotat) periphrasis vadi, id est, loci torrentis minus-profundi ubi pede transiri potest.*

2 Illuc convenerat] *συνήχθη ἐκεῖ. Illic congregatus fuerat.*

3 A primariis sacerdotibus] *ἐκ τῶν ἀρχιερέων. Hic ponitur ἐκ pro ἀπὸ: ut suprà cap.17.v.15.*

4 Quæ ventura erant in se] *τὰ ἐρχόμενα ἐπ' αὐτὸν. Pro ἐλευσόμενα, id est, συμβησόμενα: quæ eventura erant sibi.* Egressus] *ἐξελθών. Nempe ex eo loco horti ubi erat illis adventantibus.*

5 Cum eis] *μετ' αὐτῶν. Hæc verba non pendent à proximo participio παραδιδοὺς, sed à remotiore verbo εἱστήκει. Similium trajectionum exempla habuimus suprà cap.18.v.5.& 24.*

9 Ut impleretur] *ἵνα πληρωθῇ &c. Verba Evangelistæ concisè loquentis: nam præmittenda fuerunt hæc verba:* Hoc autem dixit, *vel,* Hoc autem factum est.

10 Eduxit] *εἵλκυσεν. Traxit. Id est, extraxit.*

11 An non bibam &c.] *τὸ ποτήριον ὃ δέδωκέ μοι ὁ πατὴρ, οὐ μὴ πίω αὐτό; In Græco est Hebræa repetitio nominis antecedentis, per pronomen relativum: qualis erat suprà cap.17.v.2.*

15 Alius] *ὁ ἄλλος. Articulus hominem certum videtur notare, & putatur vulgò is esse Johannes: quod tamen eruditissimo*

interpreti non videtur. Vulgari quidem opinioni videtur favere hoc, quòd nullus cæterorum Evangelistarum hujus discipuli mentionem facit. Solet autem Johannes quædam à se gesta, & à cæteris Evangelistis prætèrita, nomine suo suppresso, seq; per periphrasin notato, narrare: ut quòd in extrema cœna recubuerit in sinu Domini, suprà c.13. v.23. Item quòd viderit sanguinem & aquam exire ex latere Domini lanceâ confosso, infrà cap.19. v.35. Item quòd Dominus sibi commendârit matrem, pendens in cruce: cap.19. v.27. Quæ opinio si recipitur: tum ὁ ἄλλος hoc loco vertendum erit alter, *qui scilicet solebat familiariter cum Petro versari: ut colligi potest ex his locis, infrà c.20. v.2. & deinceps, item cap.21. v.21.*

16 Qui erat notus] ὃς ἦν γνωστὸς &c. *Describit se hoc loco Johannes (si tamen is intelligendus est) periphrasi huic narrationi conveniente, & inde natâ: sicut supr. cap.13. v.23. aliâ periphrasi isti narrationi conveniente utitur.* Loquutus est ostiariæ] εἶπε τῇ θυρωρῷ. *Dixit ostiariæ. scilicet, ut intromitteret Petrum.*

18 Factâ strue prunarum] ἀνθρακιὰν πεποιηκότες. *Id est, quum adornassent, instruxissent vel accendissent struem prunarum.* **Als sie ein kohlfeür oder glût gemacht hatten.** Sese calefaciebant] ἐθερμαίνοντο. *Verbum vocis mediæ, significatione reciprocâ: ut apud Hebræos Hitpahél & interdum Niphál.*

20 Mundo] τῷ κόσμῳ. *Id est, quibusvis hominibus in mundo, qui sese mihi obtulerunt.*

23 Si malè] εἰ κακῶς. *Brevissimè & nervosissimè suam innocentiam demonstrat, & adversarium injuriæ convincit, per dilemma: quod dilemma resolvimus in Animadversionibus nostris Dialecticis.*

28 A Cajapha] ἀπὸ τοῦ Καϊάφα. *Id est, ex ædibus Cajaphæ. Metonymia vel subjecti recipientis ad se, vel adjuncti contenti. Sic Marc.5. v.35.* Ne polluerentur] ἵνα μὴ μιανθῶσιν. *Scilicet contactu loci profani ubi degeret homo gentilis, Pilatus: quæ pollutio erat cærimonialis. quanquam nusquam hoc in Lege interdictum erat, hominis profani domum ingredi.* Sed ut ederent Pascha] ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα. *Brachylogia: pro, Sed ut puri permanerent, ac proinde eis liceret edere pascha: à quo edendo arcebantur immundi. Synecdoche membri metonymica. nam ex effectu & unà cum illo intelligitur efficiens.* Pascha] τὸ πάσχα. *Transitum. Id est, agnum illum qui signum memoriale erat illius transitus quo Angelus in Ægypto transiit domos Israëlitarum, quum percuteret primogenita Ægytiorum. Synecdoche generis & metonymia subjecti.*

29 Exivit] ἐξῆλθεν. *Nempe è prætorio.*

30 Nisi iste &c.] *Responsum planè superbum & iniquum.* Non tradidissemus] *Quippe homines tam sancti.*

31 Accipite eum] *Pro,* Accipite igitur eum. *nam ipsorum responsum scitè contra ipsos retorquet. quasi dicat: Si ergo non vultis ut ego ejus causam cognoscam, & vos jam illã cognovistis: accipite eum ipsi, & condemnate.* Condemnate] κρίνατε. *Propriè,* judicate. *Synecdoche generis.* Non licet] οὐκ ἔξεστιν. *Nempe per Cæsarem: qui illis hoc jus ademerat.*

32 Ut sermo &c.] ἵνα ὁ λόγος. *Verba Evangelistæ præcisa, ut suprà v.9.* Quem dixerat] *Videl. Matth.20. v.19.*

34 A teipso &c.] *Videtur Dominus hæc simpliciter quærere, tanquam ignorans, nempe secundùm humanitatem: quo respectu alibi ait, etiam filium ignorare diem & horam finis sæculi, Marc.13. v.32.*

35 Num ego Judæus sum &c.] *Videtur Pilatus his verbis objurgare Christum, ut qui non perceperit sententiam & scopum interrogationis suæ: quasi nimirum ideo interrogarit, an ipse sit rex ille Judæorum, ut eo cognito, in ipsum credat. Negatur igitur se esse Judæum: quâ negatione innuit, se nihil curare regem illum quem Judæi exspectent. Deinde declarat, se ideo istud interrogasse, ut confessione ejus auditâ, de hoc crimine judicet. Colligitur autem tum ex ista interrogatione Pilati, tum ex hac ejusdem ad Christi interrogationem responsione, primarios sacerdotes Christum detulisse apud Pilatum, tanquam authorem seditionis: ut qui doceret, se Judæorum regem esse. Vide Luc.23. v.2.*

36 Certassent] ἠγωνίζοντο ἄν. *Scil. præteritâ nocte quâ Judæis traditus sum.* Nunc autem] νῦν δέ. *Particula* νῦν *quum est συλλογιστική, propriè servit assumtioni. at hîc præponitur conclusioni, ita tamen ut assumtio subaudiatur: quasi dicat: Nunc autem quum ministri mei non certarint ne traderer Judæis: liquet hinc, regnum meum non esse ex hoc mundo. Brachylogia.* Hinc] ἐντεῦθεν. *Id est, ex hoc mundo: ut antè dixit.*

37 Ergo] οὐκοῦν. *Vel, Nónne igitur,* οὐκ οὖν. Tu dicis] λέγεις. *Responsio concedentis seu confitentis: ut liquet ex collatione duorum locorum, videlicet Matth.26. v.64. & Marc.14. v.62. Nam quod apud Matthæum dicitur,* σὺ εἶπας: *pro eo dicitur apud Marc.* ἐγώ εἰμι. Ego ad hoc natus &c.] *His verbis videtur declarare rationem ac naturam regni sui.* Quisquis est ex veritate] πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας. *Similis est phrasis & sententia suprà c.8. v.47. Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

38 Egressus est] ἐξῆλθε. *Videl. è prætorio ante quod Judæi exspectabant: ut colligitur ex v.28.29. & 33. suprà.*

39 In pascha] ἐν τῷ πάσχα. *Id est, in festo paschæ. Metonymia subjecti gemina. Nam primùm ex transitu intelligitur agnus, tanquam transitus signum: deinde ex agno tempus illud quod agno solenniter edendo adjungebatur.* Vultísne dimittam?] βούλεσθε ἀπολύσω; *Pro,* ἵνα ἀπολύσω, *ut dimittam.*

40 Ne istum dimittito] μὴ τοῦτον. *Scil.* ἀπολύσον.

OBSERVAT. EX CAP. XVIII.

1 Ex vers.2. Sicut olim David (quem in multis gessisse typum Christi, extra controversiam est) metu rebellis filii Absolonis ex urbe Hierosolyma egressus est cum servis suis trans torrentem Kidronem, ut narratur 2.Sam.15: ita Christus à rebellibus Judæis extrema passurus, transeuntem torrentem ex urbe egressus est cum discipulis suis. Et sicut in horto Deum cœpimus offendere, transgrediendo mandatum ipsius: ita in horto Christus Deum nobis cœpit placare, gustando iram ipsius adversus nostra peccata, & tam vehementer luctando cum morte, tantamque anxietatem sentiendo, ut sudaret grumos sanguinis. *Typi Christi.*

2 Ex v.2.& 3. Si accidat, nos prodi ab intimis nostris: consolemur nos exemplo Christi, cui idem à Juda discipulo accidit. *Consolatio contra perfidiam.*

3 Ex v.4.5.6.7.8.& 11. Quum Christus non invitus ad supplicium pertractus sit, sed sciens ac volens sese inimicis suis obtulerit, quos & absens poterat evitare, & præsens vel uno verbo perdere: hinc certi sumus, obedientiâ ipsius inobedientiam nostram esse expiatam. Confer Rom.5. v.19. *Obedientia mortis Christi.*

4 Ex v.6. Sicut eadem vox Christi, *Ego sum*, discipulis quidem ipsius consolationem (ut suprà c.6. v.20.& 21.) inimicis verò consternationem attulit, ut videmus hoc loco: ita vox evangelii (quæ & ipsa vox Christi est) reprobis quidem est odor mortis ad mortem, electis verò odor vitæ ad vitam: ut disertè affirmat Paulus 2.Cor.2. v.16. *Evangelii effecta.*

5 Ex v.8.& 9. Christus, quoties ei libet, fideles suos servos ab insultu hostili impiorum tutos præstat; sicut hoc loco tutos præstat discipulos, ne quis eorum capiatur. Quare ejus tutelæ fidamus. Confer exemplum Eliæ 2.Reg.1. quem à militibus ad ipsum adducendum à rege Achasia missis bis ita tutum præstitit, ut milites illos ad preces Eliæ igne cælesti consumserit. Item exemplum Elisæi 2.Reg.6. quem quum exercitus Syrorum à rege Syriæ missus capere conaretur: Deus illum copiis angelorum munivit, & milites illos subito scotomate percussit, ut à Propheta non agnito delusi in urbem Samariam introducerentur, atque ita in potestatem hostium venirent, putantes se duci Dothanem ubi tum Elisæus degebat. *Protectio divina piorum.*

6 Ex v.10.& 11. Quum Christus Petro prohibeat, gladio se defendere: discimus hinc, vindictam privatam esse prohibitam. neque hîc excusat zelus Dei: is enim intra vocationis suæ limites ab unoquoque est continendus. Confer Rom.12. v.19.& Luc.9. v.54.& 55. *Vindicta privata.*

7 Ex v.11. Quum quicquid nobis adversi accidit, sit poculum nobis à Deo datum, id est, voluntate ipsius ac providentiâ destinatum: æquo ac forti animo omnia adversa feramus; certò persuasi, Deum quum fidelis sit, unà cum tentatione daturum evasionem: sicut ait Apostolus 1.Cor.10. v.13. Etenim sicut paterfamiliâs potum inter domesticos distribuens, tantum cuique infundit quantum judicat valetudini ipsius esse accommodatum: ita Deus calamitates inter domesticos suos distribuens, tantum cuique immittit quantum novit ei expedire. *Res adversæ.*

8 Ex v.12.& 13. Si accidat, nos propter confessionem evangelii ab hostibus illius comprehendi, vinciri, ad concilium prælatorum adduci: consolemur nos exemplo Christi domini ac præceptoris nostri, cui eadem acciderunt, memores, eum discipulis suis tales persecutiones prædixisse, simulque hanc regulam indicasse, Non est servus major domino suo. Sup.c.15. v.18.19.& 20. Item, Non est discipulus supra magistrum &c. Matth.10. v.24.25. Et Petrus ait, Christum patiendo pro nobis (id est, propter nos, seu nostræ salutis causâ) reliquisse nobis exemplar, ut insequeremur vestigia ipsius. 1.Pet.2. v.21. *Consolatio contra persecutionem propter confessionem evangelii.*

9 Ex iisdem versibus. Quum hodie videmus, prælatos Pontificios, qui titulo Ecclesiæ sese jactant, hostiliter persequi confessores evangelii: ne offendamur tanquam re novâ: quum hîc videamus idem tempore Christi accidisse. *Consolatio contra Pontificios.*

10 Ex v.15.& 16. Singulari Dei providentiâ factum est, ut unus & alter ex Apostolis in aulam Pontificis maximi ubi concilium contra Christum congregatum erat, intromitterentur: ut nimirum ipsi viderent & audirent quid illic cum Christo ageretur, ac proinde de illis rebus verum ac fide dignum testimonium apud ecclesiam possent perhibere. *Providentia Dei.*

11 Ex v.17.25.& 26. In lapsu Petri, qui Christum ter negavit, habemus vivum exemplum humanæ imbecillitatis, etiam in præstantissimis quibusque, simulatque sibiipsis relinquuntur. Item ex eo quòd Petrus subinde vehementiùs negat, secundâ scilicet vice addito juramento, tertiâ autem vice seipsum exsecrando, sicut alii Evangelistæ narrant: hinc discimus, homines semel lapsos, non modò non posse sese suis viribus erigere, sed etiam in deterius magis ac magis præcipites ruere, donec novâ Dei virtute surrigantur. *Imbecillitas sanctorum.*

12 Ex v.28. Hypocritæ satagunt in observandis cærimoniis ad cultum Dei institutis, quasi in illa externa observatione, summa pietatis & cultus Dei consistat: quum interim indulgeant pravis animi sui affectibus, ac timoris Dei (quæ non minima nec postrema cultus Dei pars est) vacui sint. Hoc planè perspicitur in isto exem- *Hypocrytarum ingenium.*

isto exemplo Judæorum, Christum à se damnatum tradentium judici Pilato, ut illum tanquam facinorosum supplicio capitis plectat. Etenim quum corda ipsorum arderent iniquo odio Christi, interim tamen noluerunt ingredi prætorium, tanquam domum scilicet ethnici, id est, hominis profani: ne illius contactu polluerentur, hoc est, profanarentur seu immundi redderentur secundùm Legem, atque ita impedirentur in obeunda ac celebranda cærimonia solenni agni paschalis: de quo nimirum non licebat edere immundis. Simile hypocriseos istorum exemplum narratur Matth.27. v.6. ubi receptis triginta illis argenteis, pro quibus Christum à Juda proditore emerant, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quoniam pretium sanguinis est. Mira religio! Non dubitant emere & tradere ad necem sanguinem innoxium; & metuunt ne peccent, si sanguinis illius pretium ad sacram pecuniam apponant. Sic culicem percôlant hypocritæ, & deglutiunt camelum: ut eis Christus exprobrat Matth.23.24. ubi commemorasset, quòd in minutis anxii, præcipua negligerent: ibid.v.23. Decimatis mentham & anethum, &c. Et ibid.v.25. & deinceps, ubi Christus ex professo hypocrisin Scribarum & Pharisæorum taxat. At eo major fuit præsens hæc hypocrisis, quòd nusquam in Lege prohibitum erat, domum hominis gentilis ingredi: sed cautio erat à patribus tradita, ne quis per imprudentiam ex domo immunda aliquid contagii accerseret.

Judicum officium. 13 Ex vers.29. Exemplo Pilati admonentur judices, ne quem damnent non auditâ causâ. At in Papatu contra fit, ubi confessores Evangelii ab inquisitoribus hæreseos damnati, traduntur judici politico, & ab illo citra causæ cognitionem ad supplicium damnantur ex solo istorum Prælatorum præjudicio.

Prælatorum Pontificiorum mos. 14 Ex vers.30. *Nisi esset iste facinorosus &c.* Sicut isti primarii sacerdotes, scribæ & Pharisæi, ebrii splendore authoritatis & superbâ opinione sanctitatis, volunt suæ accusationi credi etiam absque probatione: sic hodie idem volunt & factitant Prælati Pontificii; quum confessores Evangelii ad supplicium tradunt judici politico. Quare pii confessores ac martyres sese exemplo Christi, domini & magistri sui, consolentur: cui idem accidisse vident.

Consolatio contra illos *Hypocriseos noxa.* 15 Ex v.31. *Secundùm legem vestram condemnate eum.* Hypocritæ suâ impietate occasionem præbent hominibus profanis irridendi sanctum Dei verbum. ut hoc loco Pilatus quum videret, primarios sacerdotes velle damnari & supplicio affici Jesum causâ non auditâ neque cognitâ, arripit inde occasionem blasphemandi sanctam Dei legem. quasi diceret, Præclaram verò legem vestram, quam vos quidem à Deo ipso vobis datam jactatis: quòd secundùm illam damnandus est homo qui nullius criminis possit convinci. Sic Rom.2.v.24. Dei nomen propter vos blasphematur inter Gentes.

Quòd Jesus sit Christus. 16 Ex eod. *Nobis non licet occidere quenquam.* Quòd Judæis illo tempore judicia capitalia erepta erant per Romanos; debuerunt inde admoneri, tempus jam esse adventus Messiæ, juxta vaticinium Jacobi, Gen.49. Non auferetur sceptrum à Juda, donec veniat Schilô. at jam tum præcipua sceptri, id est, regii dominatus, pars, nempe potestas criminalium judiciorum eis erat ablata. Habebant quidem nascente Christo adhuc aliquam judiciariam potestatem: sed tantùm in causis ecclesiasticis & civilibus: in criminalibus verò non item. Et senatores illi, Sanhedrin dicti, erant ex tribu Juda. Nos verò hac temporum consideratione in fide Christi confirmamur.

Christi regnum. 17 Ex v.33.34.35.36.& 37. Christus est rex ecclesiæ: hoc enim ipse coram Pilato confessus est: sed regnum ejus non est ex hoc mundo seu terrenum, potentiâ scil. opum terrenarum subnixum & vi armatâ tuendum: sed est spirituale, positum nimirum in potentia Spiritus S. veritatem cælestem de recto Dei cultu & vera ratione consequendi salutem cordibus electorum persuadentis, & illa in obsequium Dei flectentis. Hanc Christi de suo regno confessionem commendat Paulus 1.Tim.1.v.13.

Electorum proprium accidens. 18 Ex v.37. *Quisquis est ex veritate, audit vocem meam.* Testimonium veritatis cælestis, id est, Evangelium, ab iis tantùm recipitur, qui sunt ex veritate, hoc est, ab electis, quia à Deo prædestinati sunt ut credant veritati. Quare quibuscunque hoc datum est ut credant veritati Evangelii, illi certum apud se argumentum habent, quòd sint ex numero electorum. Nec est quòd incredulitate aliorum offendamur, ut propterea veritatem cælestem in dubium venire apud nos patiamur: sed acquiescendum est in beneplacito Dei, cui non placuit omnibus hanc gratiam dare ut veritati cælesti subscribant, sed tantùm electis suis. Sic dicebat Christus apostolis: Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant &c. Item Matth.11. agit gratias Patri, quòd mysteria regni cælorum patefecerit parvulis, & contrà occultaverit à sapientibus atque intelligentibus hujus sæculi: & addit. Næ pater: sic fuit beneplacitum coram te. Sic supr.cap.8.v.47. Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Item c.6.v.36.&37. Etiam vidistis me, nec creditis: Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet. Et rursus ibid.v.44.&45. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes (nempe filii ecclesiæ, hoc est, electi) docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me. Item c.10.v.14. Ego sum pastor ille bonus: & agnosco oves meas: & agnoscor à meis. Nota, A meis, inquit, id est, ab electis, mihi datis à Patre. Et ibid.v.26.& 27. Sed vos non creditis, inquit: non enim estis ex ovibus meis, sicut dixi vobis. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego eas agnosco, & sequuntur me.

19 Ex v.38. *Dicit ei Pilatus, Quid est veritas?* Ratio carnalis irridet doctrinam Evangelii & confessores illius, maximè quando propter illius confessionem non recusant vel supplicium capitis subire. Sicut hoc loco videmus irrideri Christum à Pilato, quòd propter doctrinam veritatis cælestis subiret internecinum odium Judæorum. Idem docet Paulus 1.Cor.2.v.14. Animalis homo (ψυχικὸς ἄνθρωπος) non est capax eorum quæ sunt spiritus Dei: sunt enim ei stultitia &c. Et in eâd.epist.cap.1.v.23. Prædicamus, inquit, Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam. Sed nos perverso huic judicio rationis carnalis opponamus mandatum Dei de Filio audiendo, Matth.3.& 17. & judicium Apostoli in loco modò citato, ubi addit; Ipsis autem vocatis, tum Judæis, tum Græcis, Christum Dei potentiam ac sapientiam. *Rationis carnalis judicium de doctrina Evangelii.*

20 Ex eod.v. *Ego nullum invenio crimen.* Quum Christus à judice post causæ cognitionem innocens pronuntiatus sit; & tamen ab eodem in gratiam accusatorum ad supplicium crucis postea sit damnatus; observandum est, Christum non propter sua (quæ nulla habuit) sed propter aliena peccata, nempe peccata electorum quæ ut sponsor in se susceperat, maledictâ illâ mortecrucis affectum esse; atque ita pro illis satisfecisse, ipsosque à maledictione Dei liberasse. *Fructus mortis Christi.*

21 Ex v.39. Mentione consuetudinis Judæorum, qua petebant in festo paschæ sibi unum ex facinorosis dimitti, ad celebrandam nimirum festi sanctitatem; admonemur de vanitate ac perversitate cordis humani; quod dum excogitat & instituit cultus Dei, hoc ipso Deum offendit; quippe agens contra expressum Dei verbum; Nam, teste Scripturâ, abominatio est coram Deo qui nocentem absolvit. *Cordis humani perversitas.*

22 Ex eod.v. Habemus hîc in Pilato exemplum perversi judicii sapientiæ carnalis, facientis malum ut eveniat bonum, dum studet inter duo mala eligere id quod minus est. Etenim Pilatus ut posset dimittere Jesum, quem judicabat esse innocentem; non dubitavit eum tanquam nocentem comparare cum nequissimo latrone Barabba. Quippe duobus malis propositis, nempe ut Jesum innocentem vel damnaret, vel cum nocentissimo nebulone tanquam ipsum quoque nocentem componeret; hoc posterius tanquam minus elegit. Eodem pertinet quòd eum flagellavit. Sed nobis tenendum est illud Apostoli, ne faciamus mala ut eveniant bona, Rom.3.v.8. Et regula de minore malo ex duobus eligendo, non est intelligenda de malo culpæ, id est, peccato: sed de malo pœnæ; seu (ut idem aliis verbis dicam) intelligenda est non de malo turpi, sed de malo molesto atque damnoso. ut quum mercator in periculo naufragii constitutus mavult jacturam facere mercium, quàm amittere vitam. *Rationis carnalis perversum judicium de rebus agendis.*

23 Ex vers.40. Quòd Christus deterior esse judicatus est nequissimo latrone Barabba: consolationem præbet piis contra maledicta malevolorum, clamantium, eos ipsis Turcis deteriores, item Diaboli martyres esse. *Consolatio contra maledicta.*

ANALYSIS CAP. XIX.

Argumentum indicatum est in principio capitis præcedentis.

Adhuc quæ gesta sunt coram Pilato.

TUnc ergo assumsit Jesum Pilatus, & flagellavit.
2 Et milites plexam coronam è spinis imposuerunt ipsius capiti; & pallio purpureo induerunt eum.
3 Et dicebant, Ave rex Judæorum. Et bacillis eum cædebant.
4 Egressus est ergo rursum Pilatus foras, & dixit eis; Ecce, adduco vobis eum foras, ut noveritis me nullum in eo crimen invenire.
5 Egressus est ergo JESUS foras, ferens spineam illam coronam, & purpureum illud pallium. Et dixit eis *Pilatus*, Ecce homo.
6 Quum ergo intuiti essent eum primarii sacerdotes & *eorum* ministri, clamaverunt, dicentes; Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus; Accipite eum vos, & crucifigite. ego enim non invenio in eo crimen.
7 Responderunt ei Judæi; Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori; quia filium Dei se fecit.
8 Quum ergo audivisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.
9 Et rursus ingressus est in prætorium, & dixit Jesu, Unde es tu? Jesus autem responsum ei non dedit.

10 Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? nescis me potestatem habere crucifigendi te, & potestatem habere te dimittendi?

11 Respondit Jesus, Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi *hoc* tibi datum esset è supernis: propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

12 Ex eo *tempore* studebat Pilatus eum dimittere. Judæi verò clamabant, dicentes; Si hunc dimiseris, non es amicus Cæsaris. quicunque se regem facit, contradicit Cæsari.

13 Pilatus ergo quum audisset hunc sermonem, eduxit foras Jesum; consedítque in tribunali, in loco qui dicitur Lithostrôton, Hebraicè autem Gabbatha.

14 Erat autem parasceve Paschæ, hora verò quasi sexta: tum dicit Judæis, Ecce rex vester.

15 Illi verò clamaverunt; Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt primarii sacerdotes, Non habemus regem nisi Cæsarem.

16 Tunc ergo tradidit eum ipsis ut crucifigeretur. Assumserunt autem Jesum, & abduxerunt.

Quæ continentur à principio capitis usque ad vers. 17. cohærent cum extrema parte capitis præcedentis: pertinent enim ad tertiam hujus historiæ partem, de iis quæ cum Christo gesta sunt in prætorio coram judice Pilato. V.1. exponit Evangelista quid fecerit Pilatus, ut posset à populo impetrare dimissionem Jesu. V.2, & 3. quibus contumeliis Jesus affectus sit à militibus Pilati. V.4. quomodo Pilatus secundò innocentem pronuntiarit Jesum. V.5. quomodo conatus sit populum movere ut pateretur Jesum dimitti. V.6. quomodo sacerdotes Jesum postularint crucifigi: & quomodo Pilatus tertiò eum innocentem pronuntiarit. V.7. quod crimen sacerdotes Jesu objecerint. V.8. quid illa criminatio effecerit apud Pilatum. V.9. quomodo Pilatus Jesum interrogarit de patria. V.10. quomodo Pilatus superbè jactaverit suam potestatem. V.11. quomodo Jesus jactantiam illam Pilati retuderit, eumque objurgarit. V.12. quo argumento Pilatus persuasus sit ut Judæis gratificaretur: ubi nova criminatio Christi continetur. Vers. 13. 14. 15. & 16. quomodo Pilatus à Judæis persuasus, consederit in tribunali, & Christum tradiderit ad crucifigendum.

Quarta Pars Historiæ Passionis.

Quæ gesta sunt in loco supplicii, nomine Golgotha.

17 Et *ipse* bajulans crucem suam, inde venit in eum locum qui dicitur Calvariæ, Hebraicè autem Golgotha.

18 Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc; medium autem Jesum.

19 Scripsit autem etiam titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat verò scriptum, JESUS NAZARENUS REX ILLE JUDÆORUM.

20 Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus erat JESUS. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.

21 Dixerunt igitur Pilato primarii sacerdotes Judæorum; Ne scribito, Rex ille Judæorum: sed illum dixisse, Rex sum Judæorum.

22 Respondit Pilatus; Quod scripsi, scripsi.

23 Milites ergo quum crucifixissent Jesum, acceperunt ejus vestimenta (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, à summo contexta tota.

24 Dixerunt ergo inter se; Ne scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus futura sit. ut scriptura illa impleretur, quæ dicit; Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam jecerunt sortem. Milites igitur hæc fecerunt.

25 Stabant autem juxta crucem Jesu, mater ejus & soror matris ejus, Maria Clopæ *uxor*, & Maria Magdalene.

26 Quum vidisset ergo Jesus matrem ac discipulum adstantem quem diligebat, dicit matri suæ; Mulier, ecce filius tuus.

27 Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora recepit eam discipulus ille domum suam.

28 Postea, quum sciret Jesus omnia jam consummata esse: ut perficeretur Scriptura, dixit, Sitio.

29 Vas igitur *illic* erat positum aceto plenum. Illi verò impleverunt spongiam aceto, & hyssopo circumpositam admoverunt ori ejus.

30 Quum autem accepisset JESUS acetum, dixit, Consummatû est: & inclinato capite tradidit spiritum.

31 Judæi ergo, ut non manerent in cruce corpora sabbatho, quoniam erat Parasceve, (erat enim magnus dies illius sabbathi) rogarunt Pilatum ut confringerentur eorum crura, ac tollerentur.

32 Venerunt ergo milites, & prioris quidem *latronis* confregerunt crura, & alterius qui crucifixus fuerat cum eo:

33 Ad Jesum autem quum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non confregerunt ejus crura.

34 Sed quidam ex militibus lanceâ latus ejus fodit, & statim exivit sanguis & aqua.

35 Et qui vidit, testatur; & verum est testimonium ejus: ille, *inquam*, scit se vera dicere, ut *&* vos credatis.

36 Facta sunt enim hæc ut scriptura impleretur, *dicens*, Non confringetur *ullum* os ipsius.

37 Et rursus alia scriptura dicit, Videbunt quem transfixerunt.

V.17. narrat Evangelista, quomodo Christus ad locum supplicii deductus sit. V.18. quomodo crucifixus sit. V.19. & 20. qui titulus cruci inscriptus fuerit, & quibus linguis. V.21. quomodo Judæi à Pilato petiverint, ut titulum illum mutaret. V.22. quomodo Pilatus petitionem illam recusarit. V.23. & 24. quomodo milites inter se partiti sint vestes Jesu. V.25. quæ mulieres cruci astiterint. V.26. & 27. quomodo Jesus Johannem commendarit Mariæ matri, & vicissim Mariam Johanni. V.28. & 29. quomodo sitienti præbitum sit acetum. V.30. quomodo exspirarit. V.31. 32. 33. & 34. quomodo factum sit, ne frangerentur ei crura, & quid ex latere ejus lanceâ confosso effluxerit. V.35. continetur asseveratio rerum proximè narratarum. V.36. & 37. citantur vaticinia Prophetarum, quibus ista eventa prædicta fuerunt.

De Sepultura Domini.

38 Posthæc autem rogavit Pilatum Joseph Arimathæensis (ut qui esset discipulus Jesu, sed occultus propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu: quod permisit Pilatus. Vênit ergo & sustulit corpus JESU.

39 Vênit autem & Nicodemus (is qui venerat ad Jesum nocte primùm) ferens misturæ myrrhæ, & aloës, libras quasi centum.

40 Acceperunt ergo corpus Jesu & obvinxerunt illud linteis cum aromatibus illis, sicut mos est Judæis funerare.

41 In eo autem loco ubi fuerat crucifixus, erat hortus; & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat.

42 Ibi ergo, propter Parasceven Judæorum, quòd monumentum illud propè esset, posuerunt Jesum.

V.38. & 39. indicatur, quinam sepeliverint Dominum, nempe Joseph Arimathæensis & Nicodemus Pharisæus. V.40. quo ritu Jesum funeraverint. V.41. & 42. in quali sepulchro posuerint, & quare.

SCHOLIA IN CAP. XIX.

1 Flagellavit] ἐμαστίγωσε. *Nempe per ministros quibus mandavit ut Jesum flagellarent. Metonymia subjecti. Sic Christus dicitur baptizasse, per discipulos, suprà cap. 4. v. 1.*

2 Plexam coronam] πλέξαντες στέφανον. *Seu quum plexuissent coronam:* Als sie ein kron auß dornen geflochten hatten.

3 Ave rex] χαῖρε ὁ βασιλεύς. *Pro,* ὦ βασιλεῦ. *Enallage casus Attica.* Bacillis eum cædebant] ἐδίδουν αὐτῷ ῥαπίσματα. *Nomen* ῥάπισμα *significat ictum qui virgâ aut baculo aut fuste incutitur. A verbo* ῥαπίζειν, *quod idem valet ac* τῇ βακτηρίᾳ παίσειν, *baculo percutere: sicut ex Plutarcho ostendit D. Beza in annotat. ad Matth. 5. v. 39. Porrò verbum* ῥαπίζειν *deductum est à nomine* ῥαπὶς, *id est, virga.*

5 Spineam illam coronam & purpureum illud pallium] τὸν ἀκάνθινον στέφανον καὶ τὸ πορφυροῦν ἱμάτιον. *Nempe de quibus suprà v. 2. Articuli sunt* ἀναφορικοί. Ecce homo] ἴδε ἄνθρωπος. *Vel,* En hunc hominem. *quasi dicat: Quàm miserè tractatus est hic homo! nam nomen* ὁ ἄνθρωπος *hìc ad Christum refertur, quem ostendebat Pilatus: nec vim habet vocativi, ut suprà v. 3.* ὁ βασιλεύς. *Lutherus:* Sehet/welch ein mensch? *id est, videte qualis homo?*

7 Filium

7 Filium Dei se fecit] ἑαυτὸν υἱὸν θεοῦ ἐποίησεν. *Sic supr. c. 10. v. 33.* ποιεῖς σεαυτὸν θεὸν, *facis te ipse Deum.* Facit *autem, scilicet verbis seu docendo, hoc est, docuit & persuadere hominibus conatus est, se esse filium Dei. Synecdoche generis. Videtur autem hic deesse articulus* τὸν *ante nomen* υἱὸν *nisi dicamus, eos sermonem accommodasse ad ruditatem Pilati, & indefinitè loquutos: quum Pilatus discrimen filiorum Dei ignoraret; nempe unum esse naturalem, cæteros adoptivos.*

11 E supernis] ἄνωθεν. *E supernis. scil. locis. ut suprà cap. 3. v. 31.*

12 Quicunque] πᾶς. *Pro,* πᾶς γάρ. *nam quicunque.* Qui se regem facit] ὁ βασιλέα αὑτὸν ποιῶν. *Ut suprà v. 7.* contradicit] ἀντιλέγει. *Id est, opponit se, resistit, adversatur.*

13. Lithostrôton] Λιθόστρωτον. *Puto dicendum Latinè Lithostrôton, genere scil. neutro: quo etiam positum videtur nomen Græcum. neque enim cohæret cum nomine* τόπον, *tanquam adjectivum illius: sed tanquam nomen substantivum subjicitur participio* λεγόμενον: *ut quemadmodum hîc dicitur,* τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον: *ita etiam dicendum sit* τόπος λεγόμενος Λιθόστρωτον. *non autem* Λιθόστρωτος. *Plinius lib. 36. cap. 25. Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte picturæ ratione; donec Lithostrôta expulere eam. Et aliquanto pòst: Lithostrôta captavere jam sub Sylla, parvulis certè crustis &c. Nomen ipsum compositum est ex* λίθος, *lapis, &* στρώννυμι *sterno.* Gabbatha] Γαββαθᾶ. *Sic nominatur illud pavimentum, quòd esset elevatum: à verbo Hebræo* גָּבָה *gabáh, quod significat elevari.*

14 Parasceve Paschæ] παρασκευὴ τοῦ πάσχα. *Id est, dies proximus ante diem Paschæ: quo ad festum se præparabant. nam* παρασκευὴ *præparationem significat.* Hora verò quasi sexta] ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη. *Vide scholia in Marc. 15. 33.* Ecce rex vester] ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν. *Id est, attendite, hic est ille rex vester.*

16 Assumserunt] παρέλαβον. *Nempe milites, ministri Pilati.*

17 Bajulans crucem suam] *Videlicet ex more Romanorum: Sicut ex Plutarcho ostendit D. Beza.* Inde vênit] ἐξῆλθεν. *Vel,* exivit. *nempe ex urbe, ductus nimirum à militibus.* Golgotha] Γολγοθᾶ. *Pro,* Γολγολθᾶ: *terminatione quidem Syriacâ. nam Hebraicè est* גֻּלְגֹּלֶת *Gulgóleth, id est, cranium seu calvaria: sic dicta à rotunditate & volubilitate: nam* גָּלַל *galál volvere significat.*

22 Quod scripsi, scripsi] *Id est, Quod scripsi, scriptum manebit: non muto. Antanaclasis.*

23 Vestimenta] τὰ ἱμάτια. *Obscurum est, quomodo hîc* τὰ ἱμάτια *&* ὁ χιτὼν *inter se distinguantur: quum tamen &* ὁ χιτὼν *videatur contineri* τῶν ἱματίων *vocabulo. Si legeretur numero singulari* τὸ ἱμάτιον, *tum perspicua esset antithesis, videl. inter pallium vestem extimam, & tunicam vestem interiorem: qualis harum vocum antithesis reperitur Matth. 5. 40. & Luc. 6. 29.* Tunicam] τὸν χιτῶνα. *Nomen Græcum* χιτὼν *videtur ortum ex Hebr.* כְּתֹנֶת *cuttóneth: pro quo Syrus habet* כּוּתִינָא *cutinéh.*

24 Ut Scriptura impleretur] *Verba Evangelistæ præcisa, ut suprà cap. 18. v. 32.* Vestem] τὸν ἱματισμὸν. *Evangelista versu superiore interpretatur* χιτῶνα, *id est, tunicam.*

26 Discipulum quem diligebat] τὸν μαθητὴν ὃν ἠγάπα. *Periphrasis Johannis: ut intelligitur ex capitis ultimi v. 20. & v. 24. inter se collatis.* Ecce filius tuus] ἰδοὺ ὁ υἱός σου. *Id est, hic est filius tuus: hoc est, hunc tibi commendo tanquam filium; vel potiùs te illi commendo, ut tuæ senectutis curam gerat pro me, qui jam abs te divellor.*

27 Ecce mater tua] ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου. *Id est, hæc est mater tua: hanc tibi ut matrem commendo. Sunt autem hîc manifesta metaphora. Etenim Johannes Mariæ filius dicitur, & hæc illius mater: non quòd ex ipsa esset genitus, sed quòd filiali amore & curâ eam deberet complecti.* Domum suam] εἰς τὰ ἴδια. *Ad verbum,* In sua. *Metonymia adjuncti. nam suas quisque facultates domi suæ ferè habet.*

28 Omnia jam consummata esse] ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται. *Nempe omnia quæ requirebantur ad redimendum electos. Etenim sensum iræ Dei jam sustinuerat & superaverat: tum sudans in horto grumos sanguinis, tum exclamans in cruce, Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me? Sic paulo-pòst vers. 30.* Ut perficeretur Scriptura] ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφή. *Hîc incipit consequens enuntiati compositi seu apodosis periodi: nam versiculus præsens sic est construendus: Quum sciret Jesus, omnia jam esse consummata: dixit, Sitio:* hoc autem ideo dixit, *ut perficeretur Scriptura. Nam etsi omnia jam essent consummata quæ requirebantur ad redemtionem electorum: nondum tamen impleta erant omnes prophetiæ de Christo redemtore: sed multa adhuc restabant, ut mors corporis, sepultura, resurrectio, ascensio in cælum, missio Spiritus sancti &c. Inter illa autem quæ adhuc restabant implenda, erat etiam istud quod hoc loco narrat Evangelista, nempe ut ei acetum bibendum daretur.*

29 Hyssopo circumpositam] ὑσσώπῳ περιθέντες. *Observandum, nomen* ὕσσωπος *hîc usurpari non vulgari illâ significatione quam habet apud profanos scriptores: significans nimirum herbam quàm usitatè appellamus* Ysop: *sed ex consuetudine scriptorum sacrorum; apud quos Hebræa vox* אֵזוֹב *esób, propter affinitatem vocum à Græcis interpretibus reddita est* ὕσσωπος: *ut inter alia loca videre est Exod. 12. v. 22. 1. Reg. 4. v. 33. Psalm. 51. v. 9. Nomine autem* אֵזוֹב *esób non significari herbam illam, quam vulgò nominamus hyssopum; Germanicè* Ysop: *intelligi potest ex loco illo 1. Reg. 4. v. 33. ubi* אֵזוֹב *esób inter arbores numeratur, tanquam minima scilicet arborum. Sic enim ibi scriptum est: Et locutus est seu disseruit (nempe Salomon) de arboribus,* מִן הָעֵצִים *min habhetzím, à cedro quæ est in Libano, usque ad esób qui exit (id est, enascitur) in pariete. Quid ergò dicemus significari nomine* אֵזוֹב? *Sunt qui muscum interpretentur: at muscus non est in genere arborum: sicut* בֵּזוֹב, *ut paulo-antè ostendimus. Videtur autem* אֵזוֹב, *ac proinde* ὕσσωπος *hoc loco, esse libanotis arborescens, qui vulgo rosmarinus dicitur, idque propter has rationes. Primùm, quia Judæi eo sunt usi pro aspergillo, ad aspergendum sanguinem victimarum: ut videre est Exod. 12. v. 22. Levit. 14. v. 6. & 7. item ad aspergendum aquam, Num. 19. v. 18. Ad hunc autem usum inprimis idoneus est rosmarinus, propter foliorum densitatem, parvitatem & copiam. Deinde, quia opponitur cedro tanquam arborum minima: libanotidem autem nonnullis locis arborescere, notum est. Tum, quia dicitur nasci in pariete: libanotis autem locis saxosis gaudere traditur. Postremò, quia quod hîc à Johanne nominatur* ὕσσωπος, *id à Matth. cap. 27. v. 48. vocatur* κάλαμος: *quo nomine ipsa stirps libanotidis significari videtur, ramusculis undiquaque resectis. Ad horum confirmationem addere libet, quæ amicus quidam, vir reconditæ doctrinæ inprimis deditus, ex codice quodam suo descripta mecum communicavit: nempe ex libro cujusdam Francisci Georgii Veneti, quem inscripsit Harmoniam mundi. Loca inde exscripta, sunt hæc, Tomo 4. vers. 31. Cantici primi:* Unde *non absre rosmarinus erat in frequenti usu sacrificiorum in lege veteri: quem Hebraicè vocant Ezób: sed ex vicinitate vocabuli, nostri traduxerunt hyssopum. Item cap. 28. Cantici primi, Tomo 7. Celebratur quoque nimis planta illa, quæ in Hebræo dicitur Ezób: quòd ex vicinitate vocabuli traduxerunt hyssopum: sed pro veritate libanotis est: quem Romani priùs, sed hodie Italici omnes rosmarinum dicunt: quæ inter plantas quidem nobilissima est, & magis quàm existimatur excellens: quamvis multitudine & frequentiâ vilescat. Item cap. 17. Cantici secundi, Tomo 3. Hyssopus verò aut libanotis (ut alibi declaravimus) planta quidem est omnium excellentissima, ut sapientibus notum est, & aspersioni aptissima: quum ramusculos habeat ligneos, densissimis & minutis foliis. Hinc ipsâ jubebantur fieri aspersiones &c. Item cap. 6. Cantici secundi, Tom. 4. Aderat quoque in illa expiatione, altissima larix, vel cedrus, & minima omnium hyssopus: quæ aut ipse rosmarinus est, aut species quædam ipsius: ut de mente quorundam alibi diximus: qui est minima arbor &c.*

30 Consummatum est] τετέλεσται. *Nempe quicquid à me fieri debuit ad redemtionem electorum. Sic paulo-antè v. 28.* Tradidit] παρέδωκε. *Nempe in manus Patris: Luc. 23. v. 46.* Spiritum] τὸ πνεῦμα. *Id est, animam.*

31 Erat parasceve] *Vide suprà v. 14.* Erat magnus dies] ἦν μεγάλη ἡ ἡμέρα. *Id est, Sabbathum illud erat maximè solenne; concurrente scilicet duplici solennitate, unâ sabbathi, alterâ festi paschæ.* Ac tollerentur] καὶ ἀρθῶσιν. *Nempe ipsi,* αὐτοί. *Scilicet crucifixi, de cruce.*

33 Ad Jesum autem quum venissent &c.] *Hinc apparet, eos cruribus unius latronis confractis, Jesum in medio pendentem præteriisse, & ad extremum reservasse: hauddubiè, ut eum diutiùs in cruciatu relinquerent.*

34 Latus ejus fôdit] *Nempe ad explorandum an esset mortuus.* Exivit sanguis & aqua] *Quod erat certum signum mortis, transfosso nimirum pericardio & aquæ conceptaculo: quo effuso animal quodvis mori protinus necesse est: sicut D. Junius admonuit.*

36 Scriptura] ἡ γραφή. *Nempe quæ mox citatur ex Exod. 12. At ibi sermo est de agno paschali. Intelligamus igitur, agnum illum fuisse typum Christi, tanquam veri agni qui tollit peccatum mundi.*

37 Videbunt] ὄψονται. *Videl. oculis mentis, hoc est, cognoscent eum tandem pro suo servatore. Metaphora.*

38 Ut qui esset discipulus] ὢν μαθητής. *His verbis indicatur causa impulsiva quæ impulit Josephum, ut corpus Jesu à Pilato peteret.* Propter metum Judæorum] διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων. *Id est, propterea quòd metuebat Judæos, id est, principes Judæorum; qui decreverant, ut si quis Jesum confiteretur esse Christum, synagogâ moveretur: suprà cap. 9. v. 22. Genitivus objecti.* Ut tolleret] ἵνα ἄρῃ. *Id est, ut liceret sibi tollere seu auferre de cruce & sepelire.*

40 Cum aromatibus illis] μετὰ τῶν ἀρωμάτων. *Cum aromatibus illis, quorum scilicet facta est mentio vers. superiore, videlicet cum myrrha & aloë quæ attulerat Nicodemus. Veruntamen aromatibus illis non fuit unctus atque pollinctus, quia non licebat propter temporis brevitatem. Imminebat enim sabbathum. Et mulieres sabbatho demum finito, venerunt ad monumentum ut Jesum ungerent.* Funerare] ἐνταφιάζειν. *Sive pollincere. Vide supr. ad cap. 12. v. 7.*

42 Propter parasceven] *Vide suprà v. 14.*

OBSERVAT. EX CAP. XIX.

Prudentia carnis.

1 Ex vers.1. Hic recurrit eadem observatio quam paulo-antè annotavimus ad v.39. capitis præcedentis, de prudentia carnis ex duobus malis minus eligente. Vide illic.

Consolatio contra contumelias.

2 Ex v.2. & 3. Si accidat, nos propter confessionem regis nostri Christi, omnis generis contumeliis à mundo affici: consolemur nos exemplo illius: cui idem accidisse videmus. Sic quum hodie in Hispania confessores Evangelii ad supplicium adducuntur, pileoli flavi ignominiæ causâ eis imponuntur: item infulæ chartaceæ, in quibus imagines diabolorum & gehennæ depictæ sunt. Nonnulli quoque ad pileolos ejusmodi flavos perpetuò gestandum damnantur.

Consolatio ex passione Christi.

3 Ex v.4. & 6. Quòd innocentiæ Christi toties ab ipso judice testimonium est perhibitum, facit ad nostram consolationem: ut-videlicet sciamus, Christum non propter sua ipsius peccata passum esse, sed propter nostra: ita ut sciamus, sacrificium mortis Christi pro nobis oblatum, Deo fuisse acceptum: quippe quum & sacerdos fuerit sanctus, & victima sancta.

Hostes evangelii.

Consolatio contra illos.

4 Ex vers.5. & 6. Quòd Judæi non fuerunt ad misericordiam commoti miserabilissimo spectaculo Christi flagellati, quo tamen ipse Pilatus homo ethnicus commotus fuit: admonet nos de potentia atque efficacia diaboli in hostibus evangelii. Quòd si accidat ut nos quoque propter evangelii confessionem, ab hostibus illius similem inhumanitatem experiamur: consolemur nos exemplo Christi, domini & magistri & denique capitis nostri.

Consolatio contra crimen hæreseos.

5 Ex vers.7. Criminantur Judæi Christum, quòd se fecerit filius Dei, id est, quòd docuerit se esse filium Dei, quum tamen non sit: & hanc doctrinam blasphemiæ damnant. At Christus hanc suam doctrinam illustribus miraculis & testimoniis, ac inprimis voce ipsius Dei cælitus pronuntiatâ, confirmaverat. Verùm ad hæc argumenta Judæi petulanter & oculos & aures clauserunt, indulgentes falsis suis opinionibus de regno Christi, & odio suo adversus Christum, qui hypocrisin ipsorum reprehenderat. Similiter hodie inquisitores (ut appellantur) hæreticæ pravitatis criminantur confessores evangelii, quòd sint hæretici, quia scil. subscribere nolunt ipsorum placitis & humanis commentis: at interim neque hæreseos illos ex verbo Dei convincunt, neque argumenta quibus illi confessionis suæ veritatem ex verbo Dei demonstrant, audire volunt; sed tantùm eos apud judices politicos ad supplicium deposcunt. Consolentur igitur se confessores evangelii exemplo Christi.

Prælati Papistici.

6 Ex v.8. Pilatus quum audivisset, Jesum accusari quòd sese affirmasset filium Dei, magis timuit eum condemnare: existimans nimirum, gravius esse peccatum, injuriâ afficere aliquem deum, quàm hominem innocentem. Hinc perspicitur, etiam in ethnicis aliquem divini numinis sensum ac metum superesse. Quare ethnicis deteriores esse oportet prælatos Papisticos, qui absque ullo Dei metu doctrinam cœlestem verbo Dei traditam, atque adeò ipsum Dei verbum, tam superbè contemnunt & tam securè irrident, imò etiam hæreseos, id est, mendacii damnant.

Doctrina cælestis nõ quibusvis proponenda.

7 Ex vers.9. Jesus à Pilato interrogatus, unde esset; hoc est, essétne homo mortalis ex terra oriundus, an verò deus quispiam immortalis, oriundus è cælo; nullum responsum dedit: quia nimirum videbat, Pilatum veritatis illius cælestis de sua persona capacem non esse; illamque auditam irrisurum, sicut paulo-antè quum Christus declarasset naturam sui regni, affirmans se ad hoc venisse in mundum, ut testimonium det veritati: Pilatus per contemptum dixit, Quid est veritas? suprà cap.18. v.37. Hinc discimus, non ad quamvis quæstionem respondendum esse: ac nominatim non esse cavillis ac sannis profanorum hominum prostituendam doctrinam cælestem verbi Dei. Sic vetat Christus sanctum dare canibus, & margaritas coram porcis projicere.

Cordis humani vanitas.

8 Ex v.10. Pilatus ægrè fert silentium Jesu, tanquam cum sui contemtu conjunctum, ac proinde quem paulo-antè tanquam Deum quempiam incipiebat revereri, ei nunc tanquam homini mortali minatur, suamque in illum potestatem superbè jactat. Hinc videmus, in hominibus Spiritu Dei non illuminatis non esse constantem, sed evanidum, Dei timorem: & cor hominis fraudulentum esse, sicut Jeremias affirmat, c.17.v.9. Deinde hinc perspicimus, quàm cæca sit superbia. Etenim Pilatus dum jactat se habere potestatem Jesum vel absolvendi vel crucifigendi; hoc ipso se injustitiæ damnat. neque enim habuit absolutam potestatem utrumvis faciendi: sed absolvendi insontem, crucifigendi sontem: at Jesum ipse jam aliquoties insontem pronuntiaverat: non igitur habuit potestatem illum crucifigendi, sed debuit eum absolvere.

Superbia noxa.

Officiũ magistratus.

9 Ex v.11. Quum potestas judiciorum criminalium, atque item civilium, sit à Deo: caveant sibi magistratus, ne illa abutantur pro sua libidine: sed cogitent, se aliquando administratæ illius rationem Deo reddituros.

Peccatorum gradus.

10 Ex eod. Peccata non sunt æqualia, ut Stoici olim docuerunt: sed aliud alio majus est. Sicut hoc loco affirmat Christus, majus esse peccatum Judæorum qui Pilatum ad injustam ipsius damnationem suis minis adigebant, quàm Pilati qui illorum minis cedens ipsum injustè damnaret.

Officium hominis Christiani.

11 Ex v.12.13.14.15. & 16. Pilatus, ne amittat gratiam Cæsaris, non veretur offendere Deum; damnando Jesum, quem judicabat innocentem: ne à Judæis apud Cæsarem accusaretur, quòd non coërceret rebelles, quo crimine Jesum gravabant. Nos contra teneamus illud Christi: ut demus Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt: ac potiorem ducamus gratiam Dei, quàm vel potentissimorum hominum.

Odii iniqui vis.

12 Ex v.15. Sacerdotes dicunt, Non habemus regem nisi Cæsarem. quibus verbis regem sibi promissum, nempe Messiam sive Christum, prorsus repudiant: in quo tamen veram felicitatem repositam esse nôrant. Huc eos adegit vis iniqui odii erga Jesum. Quare caveamus, ne iniquo odio indulgentes, vitâ æternâ nos sponte privemus.

Fructus mortis Christi.

13 Ex v.17. & 18. Considerandum, cur Christum oportuerit ad locum supplicii educi extra urbem: cur crucifigi: cur medium inter duos latrones suspendi? Causa est, ut sciremus, peccata nostra per mortem ipsius esse expiata, nempe quatenus in cruce gustavit pro nobis mortem æternam, Heb.2. v.19. Etenim peccata nostra ei fuisse imposita, atque adeò ipsum omnibus omnium electorum peccatis fuisse onustum: perspicitur ex eo, quòd reputatus est inter latrones, sicut & Esaias (cap.53.) fore prædixit; & quidem inter duos latrones medius suspensus fuit, tanquam illis sceleratior ac detestabilior. Supplicium autem ipsius habuisse rationem sacrificii, quo peccata nostra ipsi imposita, expiarentur; liquet ex eo, quòd extra urbem ad supplicium eductus fuit. sic enim olim hostiæ Christum præfigurantes, quarum sanguis pro peccato fundebatur, solebant extra castra efferri ex legis mandato, Exod.29.14. Levit.4.11. quam Legis figuram in Christo completam esse monet Apostolus Heb.13.v.11. & 12. Eodem pertinet, quòd suspensus fuit de ligno; eâ enim re fuit significatum, Christum pro nobis factum esse exsecrationem, ut nos ab exsecratione Legis redimeret: sicut docet Paulus Gal.3. v.13. quo sensu & Petrus dicit, Christum pertulisse peccata nostra in corpore suo super lignum, 1.Pet.2.v.24.

Providentia Dei.

14 Ex v.19.20.21. & 22. Deus suâ providentiâ ita gubernavit manum Pilati, ut in scribendo titulo crucis, testimonium honorificum Christo, quamvis aliud agens, perhiberet: videlicet ipsum esse regem illum Judæorum, id est, populi Dei. Sic antea rexerat linguam Cajaphæ, ut affirmaret, expedire Jesum mori pro populo: supr. c.11. v.50. & c.18.14. Discamus igitur famam atque existimationem nostram commendare providentiæ Dei: hæc facilè eam tutam præstabit.

Quòd Jesus sit Christus.

15 Ex v.23. & 24. Notetur hîc pars argumenti quo demonstratur, Jesum Mariæ virginis filium esse promissum illum Messiam seu servatorem mundi: nempe quòd in eo impleta est prophetia Davidis quæ exstat Psal.22. de vestibus ipsius.

Fidei exemplum.

Officium hominis Christiani.

16 Ex v.25. Quòd Maria mater Jesu, & reliquæ duæ Mariæ cruci Jesu astiterunt, argumentum fuit fidei ipsarum. nisi enim constanter in eum credidissent, non ita constanter ei extrema patienti adhæsissent. Hanc fidem imitemur, & Christo constante confessione adhæreamus: idque eò magis, quòd jam non pendet in cruce cum ignominia, sed regnat in cælo cum gloria, sedens ad dexteram Patris.

Pietatis erga parentes exemplum.

Exemplum Obedientiæ.

17 Ex v.26. & 27. Quòd Jesus commendat matrem Johanni, alendam scilicet ac defendendam: exemplum est pietatis erga parentes, nobis ad imitandum propositum. Item, quòd Johannes ad commendationem Jesu, Mariam statim ad se recipit: exemplum est promtitudinis atque alacritatis in perficiendis mandatis Christi, nobis item ad imitandum propositum. Commendavit autem nobis pauperes: ergò his promtè & alaciter benefaciamus.

Quòd Jesus sit Christus.

18 Ex v.28. & 29. Rursum notetur pars argumenti quo probatur, Jesum esse promissum illum mundi servatorem: nempe quòd in eo impleta est prophetia quæ exstat Psalm.69. de potu aceti qui ipsi præbendus erat.

Moribundorum officiũ.

19 Ex vers.30. Quum sentiemus adesse horam mortis: commendemus unusquisque animam suam in manus Dei: exemplo Christi. Sic Stephanus animam suam commendavit in manus Christi, Act.7.v.penult.

Quòd Jesus sit Christus.

20 Ex v.31.32.33.34.35.36. & 37. Rursum hîc notentur duæ partes argumenti, quo ostenditur, Jesum esse Christum: quia videlicet in eo impleta est Scriptura de ossibus ejus non frangendis, & de ipso transfigendo.

Hypocritarum ingeniũ.

21 Ex v.31. Exemplo Judæorum rogantium ut corpora tollerentur è crucibus, sicut nimirum Deus in lege præceperat: admonemur de ingenio hypocritarum: qui rebus minutis atque externis tantùm intenti, sine ullo scrupulo maxima scelera prætereunt. nam ut sabbathum suum religiosè celebrent, de externa pollutione anxii sunt: interea non reputant, quàm nefandum fuerit scelus, vitâ privare hominem innoxium. Sic suprà cap.18. vers.28. noluerunt ingredi prætorium ne se polluerent: quum tamen interim totam regionem pollueret eorum impietas. Vide illic.

Fructus mortis Christi.

22 Ex v.34. Christus in cruce mortuus duplici symbolo testificatur, sanguinem ipsius habere vim expiandi, itemque purgandi seu abluendi nos à peccatis, quatenus nimirum paulo-antè effusus fuit, cum sensu iræ Dei.

Typus Christi. 23 Ex v.36. Quod Moses scripsit de agno paschali, id Johannes ad Christum transfert. hinc intelligitur, Agnum paschalem fuisse typum Christi. quod ipsum Paulus quoque significat, 1.Cor.5. inquiens, Pascha nostrum pro nobis immolatum est, nempe Christus.

Confessionis Christi exemplum. Officium hominis Christiani. 24 Ex v.38.&39. In Josepho & Nicodemo proponitur nobis exemplum confessionis Christi. Et certè si illi sese Christi discipulos profiteri non sunt veriti, quum is in extrema jaceret ignominia: quantò magis nos hodie confitebimur Christum: quum jam regnet in cælesti gloria?

Officium hominis Christiani. Resurrectio carnis. 25 Ex vers.40. Sicut olim Judæi spem suam de resurrectione carnis testati sunt pretiosâ aromatum conditurâ: ita nos hodie spem eandem profiteri debemus, sed longè clariore argumento, videl. exemplo resurrectionis Christi.

Providentia Dei. 26 Ex v.41. & 42. Singulari providentiâ Dei factum est, ut corpus Christi sepeliretur in monumento novo, in quo nondum quisquam positus fuerat: ne diabolus posset cavillari, non esse certum, an corpus ipsius Christi, an verò alterius alicujus ex illo sepulchro excitatum sit. Sic igitur Deus fidem nostram undiquaque munitam esse voluit.

ANALYSIS CAP. XX.

ARGUMENTUM.

Deinceps per duo postrema capita narratur, quomodo Christus post resurrectionem suam ex mortuis, sese vivum ostenderit discipulis suis.

PRimo verò *die* hebdomadis Maria Magdalene vadit manè, quum adhuc tenebræ essent, ad monumentum: videtque lapidem sublatum à monumento.

2 Currit ergo & venit ad Simonem Petrum, & ad alterum illum discipulum quem amabat Jesus: & dicit eis; Sustulerunt Dominum è monumento, & nescimus ubi posuerint eum.

3 Exivit ergo Petrus, & alter ille discipulus, & venerunt ad monumentum.

4 Currebant autem duo illi simul: sed alter ille discipulus præcurrit citiùs Petro, venitque prior ad monumentum.

5 Et quum se incurvasset, vidit posita lintea: non tamen introivit.

6 Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum, & conspexit lintea *ibi* posita:

7 Et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteis positum, sed seorsum involutum in unum locum.

8 Tunc ergo introivit etiam alter ille discipulus, qui venerat prior ad monumentum; viditque, & credidit.

9 Nondum enim noverant Scripturam, videlicet quòd oporteret eum à mortuis resurgere.

10 Redierunt ergo illi discipuli ad suos.

11 Maria verò flens stabat ad monumentum foris. Dum ergo fleret, incurvavit se in monumentum;

12 Et conspexit duos angelos albatos, sedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes, *illic* ubi jacuerat corpus Jesu.

13 *Qui* etiam dixerunt ei; Mulier, quid fles? Dicit eis, Sustulerunt dominum meum, nec scio ubi posuerint eum.

14 Et quum hæc dixisset, convertit se retrorsum, conspexitque JESUM stantem: nec sciebat JESUM esse.

15 Dicit ei JESUS; Mulier, quid fles? quem quæris? Illa, putans hortulanum esse, dicit ei, Domine, si tu asportasti ipsum, dicito mihi ubi posueris eum: & ego eum tollam.

16 Dicit ei Jesus, Maria. Illa se convertens dicit ei; Rabboni, quod dicitur Præceptor.

17 Dicit ei Jesus, Ne me tangito: nondum enim ascendi ad patrem meum: sed vade ad fratres meos, & dic eis; Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, & deum meum & deum vestrum.

18 Venit Maria Magdalene annuntians discipulis quòd vidisset Dominum, & *quod* ea sibi dixisset.

19 Quum ergo vespera esset die illo primo hebdomadis, & fores essent clausæ *illic* ubi erant discipuli congregati, propter metum Judæorum, venit Jesus: stetitque in medio *ipsorum*, & dixit eis, Pax vobis.

20 Et quum hæc dixisset, ostendit eis manus ac latus suum. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.

21 Dicit autem eis iterum, Pax vobis: sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.

22 Et quum hæc dixisset, afflavit *eos*, & dixit eis; Accipite Spiritum sanctum.

23 Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.

24 Thomas autem, unus ex illis duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venerat JESUS.

25 Dixerunt igitur ei cæteri discipuli, Vidimus Dominum. Ille verò dixit eis, Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum, & immisero digitum meum in vestigium clavorum, & immisero manum meam in latus ejus; nequaquam credam.

26 Octo ergo pòst diebus rursus erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis: venit JESUS foribus clausis, & stetit in medio *ipsorum*, & dixit, Pax vobis.

27 Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & profer manum tuam, & immitte *eam* in latus meum: & ne esto incredulus, sed credens.

28 Respondit autem Thomas, & dixit ei; Domine mi & Deus mi.

29 Dicit ei Jesus, Quia vidisti me, Thoma, credidisti; Beati qui non viderunt, & crediderunt.

30 Multa verò etiam alia signa edidit JESUS in discipulorum suorum conspectu, quæ non sunt scripta in hoc libro.

31 Hæc autem scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum filium illum Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.

Capitis hujus sunt quatuor principales partes. In prima narratur, cui omnium primo innotuerit Domini resurrectio, & quomodo: nempe Johanni & Petro, qui moti indicio Mariæ Magdalenæ de sublato corpore Jesu, sepulchrum inspexerunt; ac linteis solis repertis, Dominum resurrexisse crediderunt, usque ad v.11. In secunda parte narratur, quomodo eadem Maria viderit in sepulchro duos angelos, & mox extra sepulchrum Jesum ipsum: quem tamen initio non agnovit, donec nominatim ab eo compellaretur: item quomodo mandata Domini ad discipulos detulerit, usque ad v.19. In tertia parte narratur, quomodo se Jesus patefecerit discipulis in domo clausa congregatis; & quibus mandatis, quaque facultate simul & potestate ad ministerium verbi eos instruxerit, usque ad v.24. In quarta parte narratur de Thoma, quomodo is narrationi condiscipulorum, testantium Dominum resurrexisse, fidem detraxerit; & quomodo post octiduum Dominus se ei patefecerit, ejusque incredulitatem reprehenderit: ipse verò fidem suam plenissimè confessus sit, usque ad v.30. Duobus postremis versibus rejicit Evangelista narrationem plurium miraculorum Christi: & causam finalem duplicem exponit, cur ea quæ hoc libro continentur, conscripserit.

SCHOLIA IN CAP. XX.

1 Primò verò *die* hebdomadis] *τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων. τῇ μιᾷ, pro, τῇ πρώτῃ, scilicet ἡμέρᾳ. Hebraismus. Sic Genes.1.v.5. Facta est vespera & factum est manè dies unus. Id est, primus. Σαββάτων autem vocabulo, numero plurali, significatur hebdomas: quanquam apud Hebræos, in sacris quidem literis, in hac significatione non nisi numero plurali reperitur, ad significandum non hebdomadem unam, sed plures: ut Levit.23.v.15. & c.25. vers.8. Ad eundem planè modum loquitur & Matthæus cap.28. v.1. item Paulus, 1.Cor.16.v.2.* Vadit] *ἔρχεται. Ad verb.* Venit. *Metonymia causæ, nempe finis. nam ideo vadebat ut veniret. Similia exempla vide supr.6.v.17.& 11.v.29.& Matth.15.v.5. Sic autem exponi est necesse: ut tollatur apparens ἀντιλογία Marc.16. vers.2. ubi Maria hæc unà cum aliis duabus mulieribus dicitur ad monumentum venisse ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, exorto sole. At hîc de Maria ista dicitur, ἔρχεται πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης, Venit manè quum tenebræ adhuc essent. Statuendum igitur, eam quum tenebræ adhuc essent, ire cœpisse ad monumentum: pervenisse autem ad illud sole demum exorto.* Lapidem] *τὸν λίθον.* Den stein. *nempe qui obvolutus erat ostio monumenti. Articulus est ἀναφορικός.* *Ἀντιλογίας λύσις.*

2 Alterum illum &c.] *Periphrasis Johannis. Vide suprà c.19. v.26.* Sustulerunt] *ἦραν. Pro, sublatus est Dominus. Oratio impersonalis. nam ignorabat, quis sustulisset.*

3 Ad] εἰς. Pro, πρὸς.

Duo illi] οἱ δύο. *Scil. Petrus & alter discipulus. Articulus vim habet ἀναφορικὴν.* Prior] πρῶτος. *Id est,* πρότερος.

5 Qùum se incurvasset] παρακύψας. *Vel, Qùum introspexisset.* **Als er hinein gucket.** *παρακύπτειν, est prono capite & propenso collo accuratè introspicere. Contrà* ἀνακύπτειν *est suspicere, oculis & capite sursum erectis: ut Luc.21.v.28. Qùum hæc fieri incipient,* ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν, *suspicite & attollite capita vestra. Propria illa significatio verbi* παρακύπτειν *liquet etiam ex usurpatione ejus metaphorica Jacob.1.v.25.* ὁ δὲ παρακύψας εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας, *Qui autem introspexerit in perfectam illam legem libertatis.*

8 Viditque] καὶ εἶδε. *Scil. lintea & sudarium.* Et credidit] καὶ ἐπίστευσεν. *Etsi ex collatione versiculi sequentis, itemq; versiculi secundi suprà, videri possit hoc ita exponendum, quòd crediderit Johannes Christum è sepulchro surreptum esse: tamen quia verbum credendi absolutè positum intelligi solet de fide in Christum, videtur potiùs ita exponendum, quòd crediderit Christum resurrexisse, sicut narraverant mulieres teste Lucâ: ex cujus narratione liquet, Petrum tum demum ad monumentum cucurrisse, qùum jam unà cum cæteris Apostolis nuntium illum de Domini resurrectione ex mulieribus audivisset. Vide Luc.24.*

9 Nondum enim noverant] οὐδέπω γὰρ ᾔδεισαν. *His verbis rationem exponit, cur tum demum crediderit, Dominum surrexisse, qùum resurrectionis vestigia vidit in monumento. Nam si cognitam jam tum habuisset Scripturam quæ Christum resurrecturum prædixit: credidisset, etiam signis resurrectionis non conspectis. Si quis verò verbum* credendi *v. præcedente referat ad surreptionem corporis Domini è sepulchro: tum dicendum, exponi hîc rationem, cur Johannes crediderit corpus Domini surreptum esse: non autem crediderit, Dominum surrexisse.*

10 Illi discipuli] οἱ μαθηταί. *Nempe Petrus & Johannes.* Ad suos] πρὸς ἑαυτούς. *Ad se, id est, domum suam. Metonymia.*

11 Incurvavit se] παρέκυψεν. *Vel,* introspexit. *Vide suprà v.5.*

12 Albatos] ἐν λευκοῖς. *Ad verb.* In albis] *Subaudi* ἱματίοις, *vestimentis.* Ad caput] πρὸς τῇ κεφαλῇ **Zun haupten.** *Id est, ad eam sepulchri partem in qua situm fuerat caput Jesu. Metonymia. Sic Genes.47.v.ult. Incurvavit se Israël ad caput lecti sui. id est, ad cervical. Sic mox, ad pedes.* **Zun füssen.**

13 Dominum meum] *Id est, corpus domini mei. Synecd. integri.*

17 Nondum enim ascendi] οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα. *Ex his verbis & proxime sequentibus licet colligere, Mariam eâ mente Christum voluisse tangere, ut cum eo maneret tanquam jam in plenum suæ gloriæ statum ingresso. hunc errorem Christus reprehendit: ac monet, familiarem illam ipsius in gloriam recepti fruitionem reservari alii tempori, qùum scil. ipse jam in cælum ascenderit. Nunc autem aliud urgere quod Maria agendum sit, nempe ut resurrectionem ipsius annuntiet discipulis. Nisi fortè* ἀναβέβηκα, ascendi, *positum est pro* ἀναβαίνω, ascendo. *quasi dicat Dominus: Nondum ascendo, seu nondum adest illud tempus quo ascendam in cælum, atque ita à te cæterisq; discipulis meis discedam: sed ascensus ille meus atque discessus per aliquod tempus differretur, ita ut adhuc satis temporis habitura sis ad familiariter mecum versandum. quare noli nunc moram apud me nectere: sed potiùs id age quod magis necessarium est: nempe ut resurrectionem meam quamprimùm significes discipulis meis, ad ipsorum luctum tollendum, eosq; læto hoc nuntio exhilarandum.* Fratres meos] τοὺς ἀδελφούς μου. *Intelligit discipulos: ut liquet ex collatione versus sequentis.* Ad patrem] πρὸς τὸν πατέρα. *Post articulum* τὸν, *videtur subaudiendum participium* ὄντα. *quasi dicat: Ascendo ad eum qui est pater meus & pater vester, item deus meus & deus vester.*

18 Et quòd ea sibi dixisset] καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ. *Post conjunctionem* καὶ *repetenda est conjunctio* ὅτι, *ex præcedente membro.*

19 Die illo primo hebdomadis] τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων. *Ut suprà v.1.* Propter metum Judæorum] *Ut suprà cap.19.v.38.*

21 Sicut misit me &c.] *Ut suprà cap.17.v.18.*

22 Afflavit eos] ἐνεφύσησε. *Scil.* αὐτοῖς. Accipite Spiritum sanctum] *Ergóne flatus ille erat Spiritus sanctus? Respondeo: Flatus ille sic erat Spiritus sanctus, sicut columba illa quam vidit Johannes Baptista è cælo descendentem super Christum: nempe ut signum seu symbolum. nam hoc flatu testatus est Dominus se discipulis dare Spiritum sanctum, eoq; illos quasi afflare. Synecdoche membri metonymica, qua cum subjecto intelligitur adjunctum.*

23 Remiseritis] *Nempe annuntiando eis remissionem peccatorum, testandoq; remissa eis esse. Metonymia subjecti. nam in remissione peccatorum annuntianda ministri occupantur: propriè autem loquendo solus Deus peccata remittit.* Retinueritis] *Testando scil. quòd eis retineantur, ut suo tempore puniantur à Deo.*

24 Qui dicitur Didymus] ὁ λεγόμενος δίδυμος. *Nempe si interpreteris Græcè. Nam Hebraicè gemini dicuntur* תְּאֹמִים *theomim: Græcè verbo* δίδυμοι, *qui δισσοὶ* τοῦ γαστρὸς ἐξέδυσαν*: id est, qui gemini unóque partu ex utero matris emerserunt. Latinè dicitur geminus vel gemellus: Germanicè* **Zwilling.**

25 Vestigium] τύπον. τύπος *à* τύπτω, *quod percutiendo imprimitur, & à percussione in corpore percusso relinquitur. Hinc* τυπογραφία *dicta, ars illa scribendi non calamo, sed characteribus in chartam percussis atque impressis.*

26 Intus] ἔσω. *Nempe in illa domo in qua sedebant conclusi: suprà v.19.* Venit] ἔρχεται. *Pro,* τότε ἔρχεται, *tum venit. Asyndeton.* Foribus clausis] τῶν θυρῶν κεκλεισμένων. *Id est, Qùum fores essent clausæ. Genitivus absolutè positi, notantes circumstantiam temporis. ut si quæras, Quando venit? respondet Evangelista, Foribus clausis, id est, eo tempore quo fores erant clausæ. Quomodo autem ingressus sit, non exponitur. Ac nimis impudentes sunt, qui contendunt per fores clausas ingressum esse: & quidem id ipsum hoc loco dici.*

28 Domine mi & deus mi] ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου. *Pro,* ὦ κύριέ μου καὶ ὦ θεέ μου. *ut supr. cap.19.v.3. His verbis Thomas suam de Christo fidem confitetur: quam Christus versu sequente approbat.*

29 Quia vidisti me] *Scil. jam à mortuis excitatum.* Credidisti] *Nempe me à mortuis resurrexisse, ac proinde dominum ac deum tuum esse.* Beati qui non viderunt & crediderunt] *Id est, Beati qui quamvis me non viderunt, tamen crediderunt. Prorsus verò inepti sunt qui hoc trahunt ad commendandum errorem eorum qui opinantur, corpus Christi esse in pane cænæ Dominicæ, etsi id ibi non videant. At, inquam, hæc valde dissimilia sunt. nam Christum à mortuis resurrexisse credimus, etsi ipsum nondùm videamus: sed credimus, quia Apostoli id testati sunt: & Thomas quoq; eandem ob causam id credere debuit, tum etiam quòd Christus ipse non semel id prædixerat. At corpus Christi esse in pane cænæ non credimus: nec debemus nec possumus credere: quia Apostoli id nusquam testati sunt: imò contrarium testati sunt, nempe oportere ut cæli Christum capiant usque ad tempora restitutionis omnium. Facessant igitur isti cum puerili sophismate suo.* Ἐνδίκησις.

OBSERVAT. EX CAP. XX.

1 Ex toto hoc capite & sequente. Articulus nostræ fidei, quo credimus & confitemur, Christum ex mortuis resurrexisse tertio die, certus est: quia plurimis iisque fide dignissimis testimoniis & argumentis confirmatus: quæ partim in hoc capite, partim in sequenti recitantur. Hæc autem res primùm facit ad demonstrandum, quòd Jesus ille crucifixus in quem credimus, sit Christus seu promissus ille Messias: quia inter alia hoc quoque in Scriptura de Christo prædictum erat: sicut meminit Evangelista hoc cap.v.9. Unde & Christus ipse hoc signum dederat Judæis ad probandum suam doctrinam: Matth.12.v.39. Joh.2.v.19. *Fructus quatuor doctrinæ de resurrectione Christi.* 1.

Deinde facit hoc ad demonstrandum, quòd peccata nostra (quæ nimirum Christo tanquam nostro sponsori erant imposita) jam sint per sacrificium mortis ejus expiata, nosque ab illis justificati seu absoluti. Etenim si vel unum ex illis peccatis quæ Christus expianda susceperat, inexpiatum mansisset: non potuisset Christus ad vitam æternam & gloriam cælestem adeundam resurgere. Nam ubi peccatum adhuc imputatur, ibi mors adhuc regnum habet. Hunc resurrectionis Christi fructum indicat Paulus Rom.4. v.ult. ubi dicit, Jesum traditum esse (nempe in mortem) propter lapsus nostros (videl. expiandos, suæ mortis sacrificio) & excitatum esse (videl. ex morte) propter justificationem nostri (videl testificandam seu demonstrandam) Item 1.Cor.15. v.17. Si Christus non est excitatus: adhuc estis in peccatis vestris. Ergo è contrario, Si Christus est excitatus: non sumus ampliùs in peccatis nostris. id est, non sumus ampliùs obnoxii pœnis peccatorum nostrorum: sed sumus à peccatis nostris justificati seu absoluti, atq; ita à pœnis eorum liberati: quippe quas scimus Christum pro nobis luisse, & judicio Dei pro illis plenè satisfecisse: sicut resurrectio ipsius clare demonstrat. 2.

Tertius fructus est, quòd sicut Christus resurrectione suâ demonstravit, se morte suâ impetrasse nobis remissionem peccatorum, iram patris placasse & favorem conciliasse: ita ex consequenti simul demonstravit, se impetrasse nobis à Patre Spiritum sanctum, per quem donaremur fide atque ita vivificaremur; item serio studio pietatis, atq; ita in novitate vitæ ambularemus. Hic igitur fructus in genere unus est, videl. donatio Spiritus sancti: in specie autem duplex, vivificatio & vitæ novitas. De priore loquitur Christus Johan.5.v.25. inquiens; Amen amen dico vobis, veniet tempus & nunc est, qùum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent. De posteriore loquitur Paulus Rom.6. v.4. & deinceps; Sepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem; ut sicut excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus &c. 3.

Quartus fructus resurrectionis Christi est, quòd inde certam spem concipimus, nos quoque similiter, hoc est, ad eandem vitam & gloriam resurrecturos. Cujus rei ratio est, quòd per fidem sumus Christi membra. Non convenit autem, ut caput sit in gloria, ac interim membra relinquantur in ignominia. Item, quia ipse est primogenitus inter fideles tanquam fratres. Ergo fideles communem cum ipso habent hæreditatem. Hunc fructum indicat Paulus 1.Cor.15.v.12. & deinceps. Ad quem fructum illustrandum & confirmandum pertinent verba ejusdem Col.1. v.18. Rom.8.v.29. 4.

2 Ex vers.12.& 13. Videmus hîc primùm, Angelos esse: contra errorem Sadducæorum, deinde, illos à Deo mitti ad sanctos homines, ut eis annuntient ea quæ ipsos scire, salutis eorum intersit. Vide Heb.1. vers. ult. Sunt autem cum hoc Johannis loco conferenda quæ de eadem re pleniùs narrant cæteri Evangelistæ. *Angeli.*

Christi præsentia corporalis. 3 Ex vers.17. Jamnondum est tempus ut fruamur corporali præsentiâ & consuetudine Christi: sed istud tum demum futurum est, quum Christus nos in cælum ad se receperit. Interim quærendus & tangendus est manu fidei, in cælum porrectâ. Sicut monet Paulus Col.3. v.1. Si resurrexistis cum Christo, superna quærite; ubi Christus est, ad dextram Dei sedens.

Evangelii. 4 Ex v.21. Quum Apostoli à Christo ipso sint missi ad docendum Evangelium; certum est, Evangelii doctrinam cælestem veritatem esse, ac proinde promtâ fide recipiendam.

Auditorum Evangelii officium. 5 Ex v.22. Quum Christus Apostolos ad prædicandum Evangelium mittens, afflatu testatus sit, se per Evangelii prædicationem afflaturum Spiritu sancto corda electorum, ut Evangelio credant; ne dubitemus, eum istud adhuc hodie præstare: ac proinde libenter Evangelii prædicationem audiamus, ut subinde magis ac magis per Spiritum S. afflemur ac vivificemur. *Prædicationis Evangelii efficacia.* Hinc autem simul perspicitur, Evangelii prædicationem per se non efficere fidem: sed necesse esse ut accedat afflatus Spiritus sancti. hinc dicitur Act.16. v.14. Dominum aperuisse cor Lydiæ ut attenderet ad ea quæ dicebantur à Paulo. Idem docet Christus Joh.6.v.44. & 45. Nemo potest venire ad me (id est, credere in me) nisi Pater qui misit me, traxerit eum, id est, cor à natura refractarium flexerit ad obsequendum mandato Patris quo jubet audire Filium. Item, Est scriptum in prophetis, Et erunt omnes (nempe omnes filii Ecclesiæ, id est, electi) docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me. Sic matt 16.v.17. quum Petrus suam de Christo fidem confessus esset, videlicet quòd ipse sit Christus, filius ille Dei viventis: subjecit Christus: Beatus es Simon Barjona; quia caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cælis; nempe per Spiritum S.

Sacramentalis loqutionis exemplum. 6 Præterea observandum hîc est exemplum loqutionis Sacramentalis. Christus quum afflasset Apostolos, dixit, *Accipite Spiritum S.* ubi afflatum illum nominat Spiritum S. non quòd proprie-loquendo is esset, nec quòd Spiritus sanctus cum illo afflatu substantialiter unitus esset: sed quòd esset signum, quo promittebat se per ipsorum prædicationem afflatum Spiritus S. exserere velle in cordibus electorum. Simili ratione in institutione sacræ cænæ panem nominavit corpus suum, & vinum sanguinem suum; non quòd corpus cum pane, itemque sanguis cum vino substantialiter sit unitus, sed quòd sint signa, quibus promisit corpus ipsius pro nobis traditum iri, & sanguinem ipsius pro nobis effusum iri in remissionem peccatorum.

Officium ministrorum verbi Dei. 7 Ex v.23. Officium ministrorum evangelii est, non solùm annuntiare remissionem peccatorum resipiscentibus & credentibus; verùm etiam denuntiare retentionem peccatorum impœnitentibus & incredulis. Ne autem vel hi vel illi annuntiationem istam parvi faciant, ac proinde nec illi solidam consolationem, nec isti convenientem timorem inde percipiant: observandum testimonium illud, quod utrisque perhibent ministri, tam certum esse, ac si à Deo ipso esset pronuntiatum. hinc enim est, quòd ministri ipsi dicuntur peccata & remittere & retinere: quum tamen propriè loquendo solus Deus peccata remittat aut retineat: ministri autem remissionem illam & retentionem solummodò annuntient.

Christi bonitas ac mansuetudo. 8 Ex v.27. Habemus hîc exemplum insigne bonitatis ac mansuetudinis Christi: qui ad tollendum incredulitatem Thomæ paratus fuit illi præstare ea quæ expetiverat: nempe ut immitteret digitum suum vestigio clavorum &c. quum si pro merito illum tractare voluisset, prorsus eum abjecisset, aut certè graviter eum propter incredulitatem increpasset: ut qui reliquorum Apostolorum testimonio fidem habere noluerit.

Fidei Christianæ summa. 9 Ex v.28. & 29. Vera fides de Christo est, ut credamus & confiteamur, ipsum esse dominum nostrum & deum nostrum. Hanc enim fidei confessionem Dominus ipse in Thoma probat. Est autem dominus noster, non solùm jure creationis, sed etiam jure redemtionis: quia pretio sui sanguinis nos sibi acquisivit: Act.20. v.28. 1.Cor.6.v.ult. Deus item noster est, non solùm quia nos creavit, sed etiam quia è potestate diaboli nos eripuit, & salutem æternam nobis contulit. Heb.2.v.14. Eph.5.v.23.

Fidei origo. Scripturæ intelligentia. 10 Ex v.29. Vera fides ab ore Dei, non ab oculis carnis pendet. Hic autem inprimis curandum; ut verbum Dei rectè intelligamus: ne si illi affinxerimus falsam sententiam, falsò de fide gloriemur. sicut hodie accidit multis, qui verbis Christi in institutione sacræ Cænæ ab ipso pronuntiatis falsam sententiam affingunt: quasi videl. docere voluerit, ex pane suum corpus fieri, aut cum pane suum corpus substantialiter conjungi: quum tamen nihil aliud voluerit docere, quàm quòd panis signum sit sui corporis, quo significet ac testetur, corpus ipsius pro nobis crucifixum iri: atque ita cibum vivificum animarum nostrarum effectum iri, quibus illæ per fidem cibentur ad vitam æternam. Similiter intelligenda verba quæ de vino pronuntiavit. At, inquiunt nonnulli, Christus hoc loco beatos pronuntiat eos, qui non viderunt, & tamen crediderunt: Ergo etsi corpus Christi cum pane præsens non videamus, tamen illud credere debemus. At, inquam, Christus non loquitur in illis verbis de præsentia corporis sui apud panem: sed de præsentia corporis sui apud eos quibus sese post resurrectionem vivum sistere ipsi placuit. Quare verba ista imperitè ad fictitiam illam præsentiam detorquentur.

11 Ex v.31. Finis seu scopus atque etiam fructus evangelii est, fides in Christum. Fidei autem finis ac fructus est vita æterna. Confer Rom.10.v.10. & 17. Rom.1.v.16. 1.Pet.1.v.9. *Evangelii scopus & fructus.*

ANALYSIS CAP. XXI.

ARGUMENTUM.

Adhuc una patefactio Christi post resurrectionem.

Postea patefecit se rursus Jesus discipulis ad mare Ti-
beriadis: patefecit autem sic.
2 Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur
Didymus, & Nathanaël qui erat ex Cana Galilææ, & *fi-
lii* Zebedæi, aliique ex discipulis ejus duo.
3 Dicit eis Simon Petrus, Abeo piscatum. Dicunt
ei, Imus & nos tecum. Profecti sunt, & ascenderunt in
navigium statim: & illâ nocte nihil ceperunt.
4 Manè autem jam exorto stetit Jesus ad littus; non
tamen cognoverunt discipuli Jesum esse.
5 Dicit igitur eis Jesus; Pueri, num quid opsonii ha-
betis? Responderunt ei, Non.
6 At ille dicit eis, Jacite rete in dextram navigii par-
tem, & invenietis. Jecerunt ergo, & non amplius vale-
bant istud trahere præ multitudine piscium.
7 Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus,
Petro; Dominus est. Simon ergo Petrus quum audisset
Dominum esse, amiculum succinxit, (erat enim nudus)
& abjecit se in mare.
8 Ceteri verò discipuli navigio venerunt, (non enim
longè aberant à terra, sed circiter cubitis ducentis) tra-
hentes rete illud piscium.
9 Ut autem descenderunt in terram; vident prunas
positas, & piscem impositum, & panem.
10 Dicit eis JESUS, Adferte ex piscibus quos mo-
dò cepistis.
11 Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram,
plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus:
& quum tot essent, non *tamen* est fissum rete.
12 Dicit eis Jesus, Venite, prandete. Nullus autem
discipulorum audebat eum interrogare, Tu quis es?
quum scirent Dominum esse.
13 Venit ergo Jesus, & accipit panem illum & dat
eis, & piscem illum similiter.
14 Hâc jam tertiâ vice patefecit sese Jesus discipulis
suis, quum resurrexisset à mortuis.
15 Quum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Je-
sus; Simon *fili* Jonæ, diligis me plus quàm hi? Dicit ei,
Certè, domine: tu nosti quòd amem te. Dicit ei, Pasce
agnos meos.
16 Dicit ei rursum secundò, Simon *fili* Jonæ, diligis
me? Ait illi, Certè, domine: tu nosti quòd amem te. Di-
cit ei, Pasce oves meas.
17 Dicit ei tertiò, Simon *fili* Jonæ, amas me? Tristi-
tiâ fuit affectus Petrus, quòd tertiò dixisset ipsi, Amas
me? Dixitque ei; Domine, tu omnia nosti; tu nosti quòd
amem te. Dicit ei Jesus, Pasce oves meas.
18 Amen amen dico tibi, quum esses junior; cin-
gebas te, & ibas quò volebas: quum autem senueris,
extendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet
quò noles.
19 Hoc autem dixit, significans qua morte glori-
ficaturus esset Deum. Et quum hoc dixisset, dicit ei, Se-
quere me.
20 Conversus Petrus vidit illum discipulum quem
diligebat Jesus, sequentem; qui & recubuerat in cæna
illa super pectus ejus; & dixerat; Domine, quis est ille
qui te prodit?
21 Hunc ergo quum vidisset Petrus, dicit JESU;
Domine, hic autem quid?
22 Dicit ei Jesus, Si velim eum manere donec ve-
niam, quid ad te? tu me sequere.
23 Exiit ergo sermo iste inter fratres, discipulum
illum non moriturum: sed non dixerat ei Jesus, Non
morietur: sed, Si eum velim manere donec veniam,
quid ad te?

24 Hic est discipulus ille qui de his testatur, & hæc scripsit: & scimus verum esse testimonium ejus.

25 Sunt autem & alia multa quæ fecit Jesus; quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos qui scriberentur libros. Amen.

Cohæret hoc caput cum præcedente: continet enim adhuc unam patefactionem Jesu post resurrectionem. Sunt autem duæ partes. In prima parte narratur, quomodo se patefecerit Jesus discipulis ad mare Tiberiadis, usque ad v. 15. In altera parte narratur colloquium Domini cum Petro: ubi Dominus ei commendat pascendas oves suas: prædicit ei mortem violentam seu martyrium: & respondet de Johanne, nempe hoc ipso Evangelista, qui hunc librum scripsit.

SCHOLIA IN CAP. XXI.

3 In navigium] εἰς τὸ πλοῖον. *Nempe τὸ τοῦ Πέτρου. ut percipitur ex verbis Petri, Abeo piscatum.*

5 Opsonii] προσφάγιον. *Vox προσφάγιον composita est ex πρὸς & φάγω: significat enim omne id quo cum pane vescimur.*

6 In dextram partem] εἰς τὰ δεξιὰ μέρη. *Hinc intelligi potest, in illa phrasi, ἐκ δεξιῶν, quæ sæpe occurrit, subaudiendum μερῶν.* Præ multitudine] ἀπὸ τοῦ πλήθους. *Hebraismus. Sic enim Hebræi usurpant præpositionem* מן *min. Pro, διὰ τὸ πλῆθος, propter multitudinem.*

7 Discipulus ille quem diligebat &c.] *Periphrasis Johannis: ut percipitur ex collatione v. 20. & v. 24. infrà.* Dominus est] ὁ κύριός ἐστι. *Scil. ὁ ἡμῶν.* **Es ist der Herr.** Amiculum] τὸν ἐπενδύτην. *Indusium,* **Das Hembd.** Succinxit] *Nempe partim pudoris causâ (ut D. Beza annotat) partim etiam (ut opinor) ne indusio laxato ac diffluente impediretur in natando.*

8 Trahentes] σύροντες. *Suprà vers. 6. pro verbo* trahere *in Græco est ἑλκύσαι: quod est generale. at σύρειν est propriè per pavimentum vel solum trahere: quod Germani dicunt* **schläiffen/** *item* **schleppen.** *unde σύρμα vestis caudata matronarum nobilium, cujus cauda per solum trahitur.* Rete illud piscium] τὸ δίκτυον τῶν ἰχθύων. *Id est, in quo erant illi pisces quos ceperant.*

10 Quos cepistis] ὧν ἐπιάσατε. *Pro, ἐκείνων ἃ ἐπιάσατε. Græcismus.*

13 Panem illum] τὸν ἄρτον. *Scil. de quo v. 9. Sic mox,* Piscem illum, τὸ ὀψάριον. *Articuli ἀναφορικοί.*

18 Cingebas te] ἐζώννυες σεαυτόν. *Nam Judæi, more populorum orientalium, prælongas vestes gerebant: quas ambulaturi succingebant, ne essent impedimento.* Extendes manus tuas] *Nempe præbens eas carnifici vinculis constringendas.* Et alius] *Nempe carnifex.* Te cinget] σε ζώσει. *Antanaclasis est in verbo* Cingendi: *quippe quod hîc paulò aliter accipitur quàm antè.*

19 Qua morte] ποίῳ θανάτῳ. *Nempe morte violenta, propter confessionem Christi.*

20 In cœna illa] ἐν τῷ δείπνῳ. *Scil. ultima: suprà cap. 13. v. 23.*

21 Quid?] τί; *Scil. patietur propter nomen tuum.*

25 Ne mundum quidem] *Hyperbole.* Capturum] χωρῆσαι. *Pro, χωρῆσαι ἄν. id est, capere posse. Capere autem hîc est loci, qui capit, hoc est, in suum quasi sinum recipit rem locatam. Sic suprà cap. 2. versu 6.*

OBSERVAT. EX CAP. XXVI.

1 Præcipua ex hoc capite observatio annotata est ad principium capitis præcedentis, videlicet de certitudine resurrectionis Christi & ejusdem fructibus. Illic vide. *Christi resurrectio.*

2 Ex v. 3. & 5. Apostoli quum noctu piscantes, nihil cepissent: manè ad mandatum Christi jacientes rete, ceperunt magnam piscium multitudinem. Hinc apparet divina potentia Christi, qua bruta quoque animantes pro suo arbitrio gubernat: idque ad commodum eorum quos diligit. Quare potentiæ ac benevolentiæ ipsius confidere discamus. Simile exemplum vide Luc. 5. v. 4. & deinceps. *Christi deitas.*

3 Ex v. 15. 16. & 17. Ministri Evangelii officium est, diligenter pascere oves Christi: id est, proponere electis pabulum doctrinæ cælestis, quo pascantur corda eorum ad vitam æternam; & custodire animas eorum ne à lupis, id est, falsis doctoribus occidantur. Confer Act. 20. v. 28. & deinceps. item 1. Pet. 5. v. 1. & deinceps. item Rom. 12. v. 6. 7. & 8. 1. Tim. 3. v. 2. & deinceps. Tit. 1. v. 7. deinceps. *Officium ministrorum Evangelii.*

4 Ex v. 18. Christus prædicit Petro, fore ut alius (nempe carnifex) eum cinget, & transferat quò nolit, nempe ad locum supplicii. Hinc discimus, tametsi martyres promti sint secundùm spiritum ad patiendum cruciatus propter confessionem Christi; id quod historiæ martyrum abundè testantur: tamen secundùm carnem eos à cruciatibus istis abhorrere. Verùm carnis infirmitatem virtus spiritus superat. *Martyrum conditio.*

5 Ex v. 19. Martyres, id est, qui sanguine suo testimonium perhibent veritati Evangelii, suâ morte Deum glorificant: quatenus nimirum toti mundo testatum faciunt, Deum in suo verbo veracem esse, & confessores suæ veritatis virtute ex alto induere, ut toti mundo insultare possint: quippe quum non possint à mundo ullis cruciatibus à veritatis confessione dimoveri. *Martyrii fructus.*

6 Ex vers. 20. 21. & 22. Petrus reprehenditur à Christo, quòd quæreret, quid vellet fieri de Johanne. Hinc discimus, cavendum nobis esse, ne curiosè inquiramus ea quæ scire nostra non interest: sed potiùs operam dandam, ut diligenter attendamus quid nobis à Domino mandetur, atque illius mandatis promtè obsequamur. *Curiositas cavenda.*

7 Ex v. 23. Cavendum ne quod connexè enuntiatum est, tanquam simpliciter dictum accipiamus; ac omnino ne quid certi statuamus de eo de quo nihil certi nobis constat. *Cavenda temeritas in verbis alterius interpretandis.*

8 Ex v. 24. Fideles sciunt (nempe per virtutem Spiritus sancti) testimonium Apostolorum de Christo verum esse. *Fidelium proprietas.*

9 Ex v. 25. Quum Spiritui sancto non sit visum plura dictare Evangelistis quæ scriberent de Christo, quàm ea quæ scripserunt: non est quòd plura desideremus: sed de iis quæ scripta sunt, contentos nos esse decet; ac certò statuere, abundè in illis contineri, quæ nobis ad salutem scitu necessaria sunt. *Scriptura sufficientia.*

FINIS.

ANALY-

ANALYSIS LOGICA
LIBRI S. LUCÆ QUI INSCRIBITUR
Acta Apostolorum.

UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS LOCORUM DOCTRINÆ.

ILLUSTRIBUS AC GENEROSIS DOMINIS:

DOMINO PHILIPPO-LUDOVICO COMITI IN HANAW ET RINECK, DOMINO IN MINTZENBERG &c.

&

DOMINO WOLFGANGO-ERNESTO AB ISENBURG, COMITI IN BÜDINGEN &c.

Gratiam & pacem à Deo patre per Dominum nostrum Jesum Christum.

ILLUSTRES AC GENEROSI *domini. Quum ad gloriam Dei in hoc mundo illustrandam & hominum salutem promovendam plurimum faciat recta atque legitima constitutio religionis: jure laudantur illi magistratus, qui hanc ante omnia sibi curæ esse patiuntur; quippe quum hoc ipsum officium eorum postulet, quumque Deus jam olim operâ illorum ad hanc rem sit usus. Etenim in populo Israëlitico, quem sibi ut peculiarem elegerat, religionem & cultum sui publicum constituit per* MOSEN, *quem eundem populo illi ducem ac veluti regem præfecerat: ut videre est in libris Mosis posterioribus quatuor passim. Per hunc enim principio Israëlitas ex Ægypto educturus, sacramentum victimæ Paschalis & Azymorum ritum instituit. Per hunc deinde eisdem, quum jam ex Ægypto educti ad montem Sinai pervenissent, significavit se fedus cum eis renovare, eos sibi legibus obstringere, observantesque amore prosequi velle, & annuentibus triduum ad se sanctificandos atque comparandos indixit. Huic postremò leges varias, quas populo proponeret, tum civiles sive politicas, tum cærimoniales sive ecclesiasticas, tum etiam morales ad pleniorem Decalogi declarationem pertinentes, tradidit. Quas ipsas leges idem Moses paulò ante mortem suam, quum Israëlitas jam ad fines terræ promissæ perduxisset, diligenter apud eos repetivit & explicavit, ad earumque obsequium ipsos exhortatus est. Atque in illis ipsis legem expressam regi futuro tulit de legibus divinis observandis, ac proinde de religione divinitus instituta conservanda ac tuenda. Quum insidebit, inquit, solio regni sui, describito sibi exemplum hujus legis in libro, ex eo qui erit in conspectu sacerdotum Leviticorum: & esto penes eum, & legito in eo omnibus diebus vitæ suæ: ut discat timere Jehovam deum suum, observare omnia verba hujus legis & statuta ista, faciendo ea: ut ne efferatur animus ejus præ fratribus suis, néve recedat ab hoc præcepto dextrorsum aut sinistrorsum: ut prælonget dies in regno suo, ipse & filii ejus, in medio Israëlis. Tum idem Moses, quum sibi paulò pòst moriendum esse cognovisset, Josuam successorem, Dei jussu, illis præfecit, Legem descriptam sacerdotibus & magistratibus tradidit, ac septimo quoque anno publicè legi jussit. Deinde Mose mortuo, Deus ipse quoque Josuam alloquutus, observantiam Legis iisdem penè verbis, quibus jam antea regi futuro id præceptum erat, ei commendavit. Confirmare, inquit, & fortis esto valde, ut cum observantia facias prorsus secundùm legem illam quam tibi præcepit Moses servus meus: ne recede ab eo dextrorsum aut sinistrorsum: ut secunderis, quocunque iveris. Ne discedito liber iste legis ex ore tuo: sed meditator in eo interdiu & noctu, ut cum observantia facias omnino ut scriptum est in eo. Tunc enim prosperaberis in viis tuis, & tunc secundaberis.*

> De constitutione religionis. — Exod. 12. 13. — Exod. 19. — Exod. 21. & deinceps. Levitico toto. Numerorum bonâ parte. Deut. 4. & deinceps. — Deut. 17. v. 18. & 19. 20. — Deut. 31. — Jos. 1. v. 7. & 8.

Et sanè huic Dei mandato non solùm Josua, sed & post illum alii plurimi populi Dei principes obediverunt: sive religionem legitimè constitutam tuendo, sive collapsam instaurando. Nam JOSUA *quidem mox post Jordanem transitum ac populum Dei in terram promissam introductum, speciali Dei mandato monitus, interruptum circumcisionis usum Gilgale instauravit, ibidemque præstituto tempore pascha celebravit. Deinde penitius in terram ingressus, altare ex Legis prascripto ad sacrificandum Jehovæ Deo Israëlis in monte Ebalis exstruxit, Decalogum lapidibus insculpsit, & benedictiones ac maledictiones Legi annexas pronuntiari curavit. Postremò idem morti vicinus, omnes Israëlitarum seniores (ii autem*

> Jos. 5. — Jos. 8. v. 30. & deinceps. — Jos. 23.

erant magiſtratus & judices) convocavit, & officii illos ſui fideliter admonuit, expreſſè exhortans, ut obſervarent & facerent quicquid ſcriptum eſt in libro legis Moſis: ne recederent ab eo dextrorſum aut ſiniſtrorſum. Poſt mortem verò Joſuæ, temporibus Judicum, quum Deus GIDEONEM ad Iſraëlitas à direptionibus Madjanitarum liberandos vocaret: initium ille à reformatione religionis fecit: dum altari Bahalis diruto; & loco, qui juxta illud erat, ſucciſo; altare exſtruxit Jehovæ, eiq; holocauſtum obtulit. Similiter Judicum poſtremus SAMUEL, quum Iſraëlitæ propter graves oppreſſiones, quas à Philiſtæis ferre cogebantur, miſerè lamentarentur: ille cœtu totius populi convocato, ante omnia ad emendationem religionis jamdiu corruptæ exhortatus eſt, ut ſcilicet auferrent deos alienigenarum, ac nominatim Bahalimos & Aſchtharothas; & Jehovam colerent ſolum. quod etiam ab eis impetravit, & altare Jehovæ exſtruxit. Nec minorem cultus Dei rectè conſtituendi curam poſtea geſſerunt pii Reges: inter quos primus DAVID initio ſtatim regni ſui, poſteaquam Philiſtæos, qui jamdiu temporibus Saulis populum Dei graviter afflixerant, ſubegiſſet: nihil prius habuit, quàm ut arcam Dei in civitatem ſuam deduceret: in cujus deportatione ipſemet omnibus viribus ex ſumma lætitia coram Jehova ſaltavit, ſuumq; hoc factum contra exprobrantem uxorem graviter defendit. Deinde quum Dominus ei quietem dediſſet circumquaque ab omnibus hoſtibus ejus: conſilium de ædificando templo cepit, illudq; cum Nathane propheta communicavit: indignum ſcilicet ratus, ſe quidem habitare in domo cedrina, arcam verò Dei habitare inter aulæa, in tabernaculo nimirum quod ei in civitate ſua tetenderat. Quod ſanctum Davidis conſilium Nathan primùm quidem approbavit, poſtea verò Dei juſſu ei declaravit, id ex vocatione ipſius non eſſe: interim verò filium ei promiſit, qui conſilium illud fideliter exſequuturus eſſet. Et ſanè ita evênit. Nam natus eſt ei poſtea ex Bathſabea SALOMON, qui templum Dei ſumptuoſiſſimum ædificavit, operibus pretioſiſſimis atque magnificentiſſimis exornavit; res à Davide patre conſecratas, puta argentum & aurum & vaſa, in theſauris illius repoſuit: arcam Zijone in aditum, tabernaculum verò & vaſa ſacra Gibeone in theſaurum templi intulit: ubi quum Deus præſentiæ ſuæ ſignum aſpectabile edidiſſet, ipſe unà cum populo ei benedixit, conceptisq; precibus ſacrificavit, domum Dei (id eſt, templum) conſecravit, feſtum tabernaculorum celebravit, ac poſtremò populum ad pietatem hortatus dimiſit. Quin etiam holocauſta & euchariſtica ſacrificia ſuper altare, quod Jehovæ exſtruxerat, obtulit, & ſuffitum in eo quod erat coram Jehova (id eſt, in thymiaterio, quod ante velum adyti collocatum erat) adoleri curavit. Obtulit autem quod quibusque temporibus ſtatutum erat à Moſe: quibusque ſabbathis & noviluniis ſtatisq; temporibus ter quotannis: in feſto ſcilicet azymorum, & in feſto hebdomadum, & in feſto tabernaculorum. Conſtituit etiam ſecundum rationem à Davide patre inſtitutam diſtributiones ſacerdotum in miniſterio eorum, & Levitarum in cuſtodiis ipſorum, ad laudandum & miniſtrandum coram ſacerdotibus, ad quodque officium diurnum die ſuo: Janitores quoque per diſtributiones eorum in unamquamque portam. Veruntamen idem ille Salomon in ſenectute ſua multarum exterarum fœminarum conſortio corruptus, in idololatriam lapſus eſt: adeò ut excelſa ædificârit Camoſo idolo Moabitarum & Molecho idolo Ammonitarum, denique omnibus idolis uxorum ſuarum alienigenarum. Reſipuiſſe verò tandem videtur, & cultum Dei inſtauraviſſe: id quod colligitur tum ex libro Eccleſiaſte, quem ab illo admodum ſene ſcriptum eſſe apparet; tum ex verbis Chronicorum de filio & ſucceſſore ipſius Roboamo: qui dicitur triennio ambulaviſſe in via Davidis & Salomonis. Illo verò triennio elapſo legem Jehovæ reliquit: unde ſubditi ejus exſtruxerunt ſibi excelſa & ſtatuas ac lucos: ſuper omnem collem altum, & ſub omni arbore virente. Tum Abija quoque filius & ſucceſſor Roboami in omnibus peccatis patris ſui ambulavit. ASA verò ſucceſſor & filius Abijæ, fecit quod rectum erat in oculis Jehovæ, ſicut David pater ipſius. Itaque omnes deos ſtercoreos, quos fecerant majores ipſius, amovit. Quinetiam ipſam aviam ſuam Maacham amovit, ne eſſet auguſta, eò quòd fecerat horrendam ſtatuam cum luco: ſtatuamq; illam ſuccîdit & combuſſit. Excelſa tamen non prorſus amovit. Atque illius veſtigiis inſtitit JOSAPHAT filius: qui quidem ſingularem in legitimo Dei cultu conſervando curam adhibuit. Etenim tertio regni ſui anno præfectos & Levitas & ſacerdotes in univerſum regnum dimiſit: qui omnes civitates obeundo, populum ex libro legis Jehovæ de officio ipſius docuerunt. Unde Jehova metum omnibus vicinis regnis ac populis incuſſit, ut contra Joſaphatum bellum gerere non auderent. Poſtea ſub regibus nonnullis cultu Dei iterum corrupto, tandem JOAS parricidio quod Atalja mater in proprios filios exercuerat, ereptus, & à Jojada ſacerdote educatus, templum Dei inſtaurari juſſit. Ejus veſtigiis inſtitit filius AMAZIAS, itemque nepos ASARIAS, qui aliàs USIAS: nec non pronepos JOTHAM. HISKIAS verò (qui vulgò EZECHIAS) cultum Dei ſub patre ipſius Achaſo corruptum quàm diligentiſſimè inſtauravit: quemadmodum libro Chronicorum ſecundo per tota tria capita copioſè narratur. Summa eſt, quòd rex conſtitutus illicò Dei cultum reſtituerit: ſacerdotibus ſanctificationem ipſorum templiq; purgationem imperarit: inq; eo deinde cum populo per ſacerdotes & Levitas multas oblationes magnâ cum lætitiâ obtulerit. Item quòd Judæis Paſcha indixerit. Et denique quòd ſacerdotes ac Levitas in ſuis muneribus & diſtributionibus reſtituerit, deq; cibario eorum proſpexerit; revocatâ primitiarum decimarumq; lege. Similem huic zelum oſtendit illius pronepos JOSIAS. Is enim cultum Dei, ſub Manaſſe avo & Amone patre fœdiſſimè corruptum, fideliſſimè reſtituit. Ac primò ſummum ſacerdotem Hilkijam ad templum inſtaurandum urſit: deinde libro Legis authentico reperto, legi illum ſibi curavit: ejusq; lectione perculſus, Deum conſuluit: tum fedus, adjuncto ſibi populo cum Deo renovavit, templum & regnum ab idololatria repurgavit, idololatriæ authores caſtigavit, paſcha ex Dei inſtituto cum ſumma ſolennitate celebravit.

Ibid.v.7. — Jud.6.v.25. & ſeq. — 1.Sam.7. — 2.Sam.6. — 2.Sam.7. — 1 Reg.6. & 7.& 8. — 2.Chron.8. — 1.Reg.11. — 2.Chron.11. 17. — 2.Chron.12. 1. — 1.Reg.14.23. — 1.Reg.15.3. — Ibid.v.12. — 1.Reg.22.43. — 2.Chron.17. v.7.& ſeq. — 2.Reg.11. & 12. — 2.Reg.14.3. & cap.15. v.3.& 34. — 2.Reg.18. — 2.Chron.29. & 30.& 31. — 2.Reg.22. & 23. — 2.Chron.34. & 35.

Atque hæc pro religione acta à piis regibus. Inſecutis verò temporibus, quum ſequentes reges idololatriam revocaſſent, nec ab illa ſe revocari per prophetas paſſi eſſent, ac proinde tandem tribus Judæ in Babylonicum exilium eſſet abducta: elapſis ſeptuaginta exilii annis, quum Cyrus, Babyloniæ regno occupato, Judæis in patriam revertendi templumq; reædificandi poteſtatem conceſſiſſet: SERUBABEL populi princeps, cum magna populi parte reverſus, itemque Joſua princeps ordinis Levitici, adhibitis cognatis ſuis, exſtruxerunt altare Dei Iſraëlis: eoq; in ſede ſua ſtatuto, obtulerunt in eo holocauſta Jehovæ, unoquoque mane & veſpere: item celebrarunt feſtum tabernaculorum, ſicut præſcriptum erat. Item holocauſtum juge, & in noviluniis & omnibus ſtatis feriis Jehovæ res ſacras. Poſtea templi reædificationem alacriter aggreſſi, nova illius fundamenta, jubilante populo, jecerunt. In quo quidem exſtruendo quum per annos circiter quadraginta unum ab hoſtibus ſuis impediti eſſent: tandem tamen de divina voluntate per prophetas moniti, opus diu intermiſſum reſumſerunt, & quamvis invitis atque reluctantibus inimicis feliciter abſolverunt & conſecrarunt, legitimumq; Dei cultum reſtituerunt. Non multis verò annis pòſt, quum NEHEMIAS nuntium de muro Hieroſolymæ nondum inſtaurato accepiſſet: veniâ à rege Artaxerxe Mnemone impetratâ, in patriam profectus, murum urbis impedimentis graviſſimis ſuperatis inſtauravit: eoq; exædificato, officia domus Dei recognovit, tabernaculorum feſtum ſummo ſtudio ac religione celebrari curavit; ordinibus Iſraëlitarum omnibus author fuit, ut fedus cum Deo renovantes, ſeſe ad Legis & cultus ipſius obſervationem obſtringerent. Poſtremò quum ad regem reverſus, poſt aliquot annos Hieroſolymam rediiſſet; inſtrumenta cujusdam Tobiæ domeſtica ex atrio templi ejecit, & inſtrumenta ſacra illuc retulit: Levitas quinetiam & Muſicos, qui in ſuum quisque agrum diffugerant, in ſtationem ſuam reſtituit, quæſtores fidos ſuper theſauros templi collocavit: denique ſabbathi vaſtationem multiplicem graviſſimè correxit. Hæc ſunt præclariſſima variorum populi Dei magiſtratuum pro legitimo Dei cultu ſuſcepta acta: quibus ſimilia quum

Eſdr.3. — Ibid.cap.4. v.24. — Ibid.cap.5. & 6. — In libro Nehemiæ.

& vos (illustres ac generosi domini) in ecclesiis vestris reformandis nuper fecisse constet: gratulor vobis pietatem hanc, vosq́ue cohortor, ut, si quid in hoc sancto opere adhuc restat, constanter id perficere studeatis. Idq́ue eò magis, quòd Deus talibus magistratibus & successum & omne benedictionis genus promisit. Sic enim inter alia affatus est olim Josuam: Quemadmodum fui cum Mose, ita ero tecum: NON DESERAM TE, NEQUE DERELINQUAM TE. Et quum illum ad observantiam legis suæ cohortatus esset, subjunxit, TUNC enim PROSPERABERIS in viis tuis, & tunc SECUNDABERIS. (Jos.1.v.5. & 8.) Ita quum Salomon gubernacula regni capessens, sapientiam gubernandi à Deo petivisset: responsum hoc amplissimarum promissionum accepit: Eò quòd petiisti rem istam, & non petiisti tibi dies multos, neque petiisti tibi divitias, neque petiisti vitam inimicorum tuorum: sed petiisti tibi discretionem ad intelligendum judicium: ecce facio secundùm sermonem tuum: ecce do tibi animum sapientem, & intelligentem, adeò ut par non fuerit tibi ante te, & post te non resurrecturus sit par tibi. Insuper etiam quod non petiisti, do tibi, tum divitias, tum gloriam: adeò ut non sit par tibi ullus inter reges omnibus diebus tuis. Quòd si ambulaveris in viis meis, observando statuta mea & præcepta mea, quemadmodùm ambulavit David pater tuus; etiam prolongabo dies tuos. (1.Reg.3. v.11.12. 13.14.)

Et sanè Deus successum in religione constituenda cæterisq́ue negotiis administrandis, tum istis, tum in aliis plurimis populi sui principibus præstitit. Sic enim Josuæ adfuit, ut devictis hostibus, populum Israëliticum in terram promissam introduxerit, illamq́ue inter eos distribuerit. (Jos.10. & 11. & 12. & 14. &c.) Sic Davidi ab omnibus ipsius inimicis circumquaque quietem dedit. (2.Sam.7.1.) Sic Salomoni dominatum dedit in omnia regna inde à flumine Euphrate ad terram usque Philistæorum, & usque ad terminum Ægyptiorum: ita ut illi munera ei offerrent ac servirent omnibus diebus vitæ ejus. (1.Reg.4. v.21.) Dedit quoque ei pacem ab omnibus lateribus circumquaque: adeò ut sederent Jehuda & Israël securè, unusquisque sub vite sua & sub ficu suâ, à Dane Bersebahum usque, omnibus diebus Salomonis. (Ibd.v.25.) Tum splendorem quoque domesticum ei concessit magnificentissimum: sicut in historia regum populi Israëlitici per partes narrantur. (Ibid.v.22. & deinceps.) Præterea (quod longè majus est) indidit Deus sapientiam Salomoni, quanta est arena in littore maris: adeò ut sapientiâ omnes Orientales & Ægyptios, & populares quoque suos antecelleret, nomenq́ue ejus in omnes circumquaque gentes pervaderet, multiq́ue ex omnibus populis ad audiendam ejus sapientiam advenirent. (Ibid.v.29. & 30. & 31. & 34.) Sic quia Josaphat requirebat deum patris sui, & in præceptis ejus ambulabat: ideo confirmavit Jehova regnum in manu ejus: ita ut ei omnes Judæi darent munera, ipseq́ue inde & divitiis & gloriâ admodum augeretur. (2.Chron.17. v.4.& seq.) Sic Ezechiam ab obsidione formidabilissimâ Assyriorum potentissimè magnificentissimeq́ue liberavit, strage longè maximâ per angelum in castris illorum editâ, centum scil. octoginta quinque millibus unâ nocte percussis. (2.Reg.19.35.) Cæterùm Serubbabelis & Nehemiæ piis in restituendo legitimo DEI cultu conatibus ita favit, ut ille quidem altare & templum, iste verò sanctæ urbis murum reædificarit. (Esd.3.& 6. Nehem.2. & 4.)

Etsi autem vobis (illustres ac generosi domini) nondum ex voto omnia in suscepta apud vos religionis reformatione succedunt, sed multæ adhuc perturbationes intercurrunt: non tamen spem abjicere oportet: sed potiùs constanter officium faciendum, DEO fidendum, DEUS orandus, atque gratiæ ei pro felici illo initio, pro salutari illâ & amabili verbi divini luce, cærimoniarumq́ue puritate, agendæ. Quippe placet divinæ sapientiæ non uno momento nos plenè beare, sed per gradus suas nobis benedictiones dispensare: ut illæ tanto pluris à nobis fiant, minùs vilescant, gratiori animo usurpentur: ne maturiore successu (ut homines sumus) inflemur, prudentiam nostram exosculemur aut commendemus, atque ita Deum omnis boni datorem debitâ laude spoliemus. Domini, qui bonum jubet, opus est, idem promovere. Qui jubet, is etiam juvat: nostrum est jubenti obsequi, deq́ue ipsius auxilio optimam spem alere. Quando & quantum laboribus nostris benedicere ipsum expediat, ipse omnium optimè novit. Quin etiam ob oculos hîc ponenda exempla piorum principum: qui ipsi quoque mundi odia & injurias propter divini cultus repurgationem experti sunt, sustinuerunt & divinâ ope superarunt. Gideonem, quum altare Baalis diruisset, lucumq́ue adjunctum succidisset: cives ejus ad necem sibi dedi à patre illius postularunt: sed frustrà. (Jud.6.v.30. & 31.) Josaphat reformatione cultus DEI suscepta, excelsa & lucos ex Jehuda prorsus abolere conatus est: totoq́ue regno visitato, subditos ad JEHOVAM deum patrum ipsorum revocavit: veruntamen ut excelsa prorsus amoverentur, obtinere non potuit: eò quòd populus animum suum adhuc non comparaverant erga Deum patrum suorum. (2.Chron.17. v.6. Ibid. cap.19. v.4.) Serubbabel vix jecerat templi reædificandi fundamenta, & ecce hostes Judæorum astu structuram illius conati sunt impedire, offerendo illis suam in ædificando operam; sed fraudulento consilio; ut illis intermisti, operantes inter sese committerent, & ita opus interverterent. (Ibid.c.26. v.33. Esdr.4.) Quumq́ue à Serubbabele cæterisq́ue primoribus repulsam passi essent: impedimenta quæcunque poterant objecerunt; & tandem reges duos, Xerxem & Artaxerxem Longimanum, contra Judæos inflammantes, interdictum exstruendi templi obtinuerunt: quod deinde armis tutati sunt: adeò ut templi exstructio per annos circiter quadraginta sit impedita. Idipsum Nehemias quoque in instauranda urbe expertus est. Etenim hostes Judæorum quum cœptam urbis instaurationem (quam primùm ludificabantur) succedere intelligerent, contra illos conspiraverunt, ut Hierosolymam oppugnarent, aut saltem impedimentum instaurationi illius afferrent. Sed frustrà. Nehemias enim conspiratione eorum intellectâ, Deum precatus est, & disciplinam militarem instituit. (Nehem.4.) Ita divinitus hostium conatus irriti facti, ipsumq́ue instaurationis opus processit.

Inprimis verò hîc considerandum, Satanam potissimùm in novo Testamento, ubi doctrina cœlestis de salute nostra clariùs patefacta est, omni conatu jam inde à principio sese illi opponere solitum esse. Testatur hoc historia evangelica: ubi legimus, quomodo scribæ & Pharisæi doctrinam ipsius Christi, summi illius Prophetæ, & Apostoli atque Pontificis professionis nostræ, rejecerint: atque insuper atrocissimis eum conviciis proscinderint, appellantes eum hominem edacem & vini potorem, publicanorum amicum & peccatorum, item Samaritanum; imò dicentes eum habere dæmonium: (Matth.11. v.19. Joh.8.48.) denique quomodo iidem unà cum sacerdotibus illum propter veritatis confessionem tanquam blasphemum morte condemnarint, ac postea tanquam seductorem populi & seditiosum apud Pilatum accusarint, & ad crucem postularint, nec antè quieverint quàm in crucem sublatum viderent. (Matth.26. v.64.65. & 66. Luc.23. v.2. & 5. Matth.27. v.22. & 23.) Testatur id ipsum hic liber, cujus analysin ad vos mitto: Acta inquam Apostolorum. Apostoli post Domini in cœlum ascensionem, Hierosolymæ, ut jussi erant, Evangelium prædicare cœperunt: sed hoc eis mox à magistratu interdictum fuit. (Act.4.18.) Quod interdictum quum illi essent transgressi, ut qui scirent Deo potiùs obediendum quàm hominibus: virgis propterea cæsi sunt. (Cap.5. v 40.) Non longè pòst vir Apostolicus Stephanus, unus è septem primò creatis diaconis, vir plenus fide ac Spiritu sancto, propter defensionem doctrinæ Apostolicæ de Christo, per furiosum impetum lapidatus est. (Cap.6. & 7.) Per quod ipsum tempus persecutio magna adversus ecclesiam, quæ Hierosolymis erat, orta est: ita ut omnes diffugerent, præter Apostolos. (Cap.8.) Saulus verò vastabat Ecclesiam, intrans in singulas domos: & trahens viros ac mulieres, tradebat eos carceri. Neque contentus ita grassari Hierosolymis; spirans minas ac cædem adversus discipulos Domini, Pontificem max. adiit: & epistolas ab eo Damascum ad synagogas petivit: ut si quos invenisset hujus sectæ, tum viros tum mulieres, eos vinctos Hierosolymam duceret. (Cap.9.) Neque sic diabolus conquievit: sed quum Ecclesiam nihilominùs crescere & Apostolos in Evangelio prædicando pergere videret, excitavit regem Herodem: qui nonnullos ex Ecclesia malè accipere aggressus, Jacobum fratrem Johannis gladio interemit: Petrum verò in carcerem conjecit, eodem supplicio (nisi Deus mirabiliter eum eripuisset) affecturus. (Cap.12.) Atque sic Ecclesiæ novi Testamenti primùm nascenti in Judæa sese opposuit Satan: idem verò & postea apud Gentes quoque fecit. (Cap.13.) Quum enim Saulus ad Christum conversus & ad Apostolatum vocatus, jussu Spiritus sancti, unà cum Barnaba, ab ecclesia Antiochena in Græciam ad Evangelium prædicandum dimissus esset: & in

insula Papho sermonem Dei Sergio Paulo proconsuli annuntiaret: obstitit ei magus quidam pseudopropheta, qui apud proconsulem degebat: sed cum magno suo malo obstitit, subito scotomate per Pauli (qui hoc nomen tunc recens acceperat) imprecationem percussus. Deinde quum venissent Antiochiam Pisidiæ, sermonemq; Dei in synagoga annuntiassent, & mediocrem numerum ad fidem Christi adduxissent:
Cap.14. *Judæi invidiâ repleti, Paulo contradixerunt, doctrinamq; ejus blasphemârunt: & denique persecutione adversus ipsum & Barnabam excitatâ, finibus suis eos ejecerunt. Ad eundem modum exceperunt eos Judæi qui erant in urbe Iconia: imò deteriùs. Nam consilio capto de illis lapidandis, quum ipsi re intellectâ Lystram perfugissent: insecuti eos, Lystrenses commoverunt, ut Paulum lapidarent & extra urbem traherent, existimantes mortuum esse. Nec solùm crudelitate persecutionis Evangelii cursum impedire conatus est Satan: verùm etiam falsâ doctrinâ sinceritatem illius corrumpere tentavit.*
Cap.15. *Excitavit enim Pseudoapostolos quosdam, qui Hierosolymis Antiochiam sese conferentes, docebant: Christianos non posse*
Cap.16. *æternam salutem consequi, nisi ritu Mosis circumciderentur. Unde ortâ seditione ac disceptatione non exiguâ Paulo ac Barnabæ adversus illos: ex decreto Ecclesiæ tum ille tum alii quidam ad Apostolos ac presbyteros Hierosolymam missi sunt, percontaturi de hac quæstione. Postea quum Paulus allecto Silâ venisset Philippos Macedoniæ urbem, ibiq; spiritum Pythonis ex ancillula » quadam ejecisset: domini illius, videntes abiisse spem quæstus sui, prehensum Paulum & Silam traxerunt in forum ad magistra- » tus: & offerentes eos præfectis, dixerunt: Homines isti conturbant civitatem nostram, quùm sint Judæi: & annuntiant ritus quos non licet nobis suscipere neque usurpare; quum simus Romani. Inde factum, ut turba adversus eos insurrexerit: & præfecti*
Cap.17. *diruptis eorum vestibus, virgis eos cædi jusserint, atque insuper multis plagis impositis, in carcerem conjecerint. Similia deinde eis evenerunt Thessalonicæ. Quum enim Paulus in synagoga Christum prædicasset: & nonnulli Judæorum assensi, sese ei & Silæ consociassent: & insuper religiosorum Græcorum multitudo magna, mulieresq; primariæ non paucæ: Judæi qui increduli erant, invidiâ commoti, assumptis quibusdam circumforaneis, viris sceleratis, ac turbâ coactâ, perturbarunt urbem: & adorti do- » mum Jasonis, studuerunt eos ad populum adducere. Sed quum non invenissent eos, traxerunt Jasonem & quosdam fratres ad » præfectos urbis, clamantes: Hi sunt qui orbis terrarum statum subvertunt, & hîc quoque adsunt: Quos excepit Jason: qui omnes contra decreta Cæsaris faciunt: regem alium dicentes esse, nempe Jesum. Deinde iidem Thessalonicenses Judæi, ut cognove-*
Cap.18. *runt, Berœæ quoque à Paulo sermonem Dei annuntiatum esse: venerunt etiam illuc, turbamq; concitarunt. Postea quum Pau- » lus degeret Corinthi: Judæi, proconsule Achaiæ Gallione, concorditer in illum insurrexerunt, & ad tribunal adductum, his ver-*
Cap.19. *» bis accusarunt: Iste (inquiebant) persuadet hominibus colere Deum contra legem. Veruntamen nihil istâ accusatione profecerunt. Ephesi verò, in celeberrima illa Asiæ urbe, quum degeret Paulus, & multos tum Judæos tum Græcos ad fidem Christi adduxisset: tumultus non parvus à Demetrio quodam, signatore argenti, qui faciebat templa Dianæ argentea, excitatus est con- » tra Paulum: quum videret quæstum suum per doctrinam illius perire. Re enim apud opifices, quibus ille quæstum præbebat, » propositâ: tantopere eos commovit, ut pleni excandescentiâ exclamarent, MAGNA Diana Ephesiorum, idq; ad duas circiter*
Cap.21. *horas: ac vix tandem à scriba sedarentur. Et quanquam nihil mali tunc Pauli ab Ephesiis evênit: tamen postea quum Hierosolymam rediisset: quidam Judæi ex Asia, quum eum in templo conspicati essent: totam turbam concitarunt, & manus in eum in- » jecerunt, clamantes: Viri Israëlitæ, succurrite: Hic est homo ille, qui adversus populum & legem & locum hunc omnes ubiq; » docet: atque adeò Græcos introduxit in templum, & polluit sanctum locum istum. Quo clamore quum commota esset urbs tota,*
Cap.ult. *& factus populi concursus: Paulum prehensum è templo traxerunt, verberarunt, & denique trucidare conati sunt. Sed ille à » tribuno ereptus, & in vincula conjectus, tandem Romam (quò appellaverat ad Cæsarem) deductus est. Quò quum pervenisset, » & primis Judæorum ad se vocatis, vinculorum suorum causam exposuisset: tum illi, Velimus, inquiebant, audire quæ sentias. » nam de secta ista (Christianismum intelligebant) notum est nobis, ubiq; ei contradici."*

Ex his quæ ex præsente Actorum Apostolicorum libro recitavi, abundè perspicitur, nihil novi esse, quòd ob doctrinam Evangelii tumultus oriuntur. Quapropter si hodie idem experiamur: ne moveamur tanquam re novâ & insolitâ: néve propterea vel de veritate doctrinæ cælestis dubitemus; vel de officio nostro in illa propaganda remittamus. Sed id unum agamus, ut cum religionis veræ professione & propagatione vitam sanctam & religioni illi conformem ducamus. Odia imperitorum patienter feramus, lucrifacere illos Christo fidelibus monitis & sapiente institutione studeamus: conscientiâ officii facti nos erigamus & consolemur; eventum Deo committamus, nec dubitemus illum & nobis & aliis electis salutarem fore. Quod ut & vobis (illustres ac generosi domini) & omnibus aliis piis magistratibus, qui veram religionem vero zelo tueri & ad posteros propagare student, Deus opt. max. largiatur, toto pectore exopto. Sigenæ, 18. Junii, 1597.

Vestrar. Generositatum

Observantissimus

JOHANNES PISCATOR.

ARGU-

ARGUMENTUM LIBRI QUI INSCRIBITUR

Acta Apostolorum.

Narratur in hoc libro, quid Apostoli tum universi, tum in specie Petrus, Johannes, Jacobus & Paulus: ac præter illos alii quidam sancti viri; ut nominatim Stephanus diaconus, Philippus evangelista, & Barnabas comes Pauli, egerint ac perpessi sint propter Christum & ecclesiam, inde ab ascensione illius.

Primùm autem narrantur ea, quæ illi egerunt ac perpessi sunt Hierosolymis inde à Domini ascensione usque ad ecclesiæ per eos collectæ persecutionem atque dispersionem, à principio libri usque ad capitis 8. v.4. II. quæ Samariæ, c.8. à v.4. & deinceps. III. quæ Damasci, Lyddæ & Joppæ, cap.9. IV. quæ Cæsareæ, cap.10. & 11. V. quæ Hierosolymæ, cap.12. Postremò quæ variis in locis egit ac perpessus est Paulus, à cap.13. usque ad finem libri. Ubi tamen inseritur actio omnium Apostolorum communis, videlicet concilium habitum Hierosolymæ, cap.15.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Præter transitionem, quæ continetur tribus primis versibus, duæ sunt hujus capitis partes: videlicet historia ascensionis Domini, à v.4. usque ad 15. & cooptatio Matthiæ in numerum Apostolorum, à v.15. usque ad finem.

PRimum quidem librum confeci, Theophile, de omnibus quæ cœpit Jesus & facere & docere.

2 Ad eum usque diem quo, quum mandata dedisset Apostolis per Spiritum S. quos elegerat, sursum receptus est.

3 Quibus etiam sese, postquam passus fuit, exhibuit vivum multis indubitatis signis, per dies quadraginta conspectus ab eis, & dicens quæ ad regnum Dei *spectant*.

TRansitio ab evangelio Lucæ ad hunc librum: constans solâ repetitione. Hæc repetitio illustratur antithesi terminorum, id est, principii & finis historiæ in evangelio Lucæ propositæ. Principium seu terminus à quo, indicatur v.1. Finis seu terminus ad quem, indicatur v.2. Tum tempus fini proximum illustratur commemoratione generali factorum & dictorum Domini, & speciali numeri indicatione, v.3.

PRIMA PARS.

Historia ascensionis Domini.

4 Et cum illis conveniens, denuntiavit eis ne abscederent Hierosolymis, sed ut exspectarent promissionem Patris, Quam, *inquit*, audistis ex me.

5 Nam Johannes quidem baptizavit aquâ; vos autem baptizabimini Spiritu sancto post dies hosce non multos.

6 Illi igitur quum convenissent, interrogarunt eum, dicentes; Domine, num hoc tempore restitues regnum Israëli?

7 Dixit autem ad illos, Non est vestrum nosse tempora sive opportunitates, quas Pater in sua ipsius potestate posuit.

8 Sed recipietis virtutem Spiritus S. postquam supervenerit in vos: eritisque mihi testes & Hierosolymæ, & in tota Judæa, Samariaque, & usque ad ultimas terras.

9 Et quum hæc dixisset, aspicientibus ipsis elevatus est: & nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum.

10 Et quum essent intentis in cælum oculis eo proficiscente; ecce, viri duo adstiterunt illis albo vestitu:

11 Qui & dixerunt, Viri Galilæi, quid statis intuentes in cælum? hic Jesus qui sursum receptus est à vobis in cælum, ita veniet, quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in cælum.

12 Tunc reversi sunt Hierosolymam à monte qui vocatur Oliveti, qui est prope Hierosolymam, distans itinere sabbathi.

13 Et quum introiissent, ascenderunt in cænaculum, ubi commorabantur & Petrus & Jacobus, & Johannes & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacobus *filius* Alphæi & Simon Zelotes, & Judas Jacobi *filius*.

14 Hi omnes perdurabant concorditer in oratione & deprecatione, cum uxoribus & Maria matre Jesu, & cum ipsius fratribus.

Ascensionis historia tria membra continet: quorum primum est præparatio ad illam, à vers.4. usque ad 9. alterum ipsa forma, vers.9. tertium eventa, à v.10. usque ad 15. Præparavit Dominus Apostolos ad spectandum ascensionem suam duobus modis: primùm congregando eos in montem Oliveti, deinde dando certa mandata ac promissa. Mandata fuerunt duo: unum, ut exspectarent Hierosolymæ missionem Spiritus S. v.4. alterum ut essent sibi testes per prædicationem evangelii, v.8. Promissa fuerunt item duo: unum, quòd accepturi essent paucis pòst diebus Spiritum sanctum, v.5. & 8. alerum, quòd virtute Spiritus S. freti de ipso essent testaturi, v.8.

Promissionem priorem primùm amplificat collatione temporis præteriti, quo eandem illis fecerat, vers.4. Deinde illustrat antithesi baptismi Johannis; eâdemque operâ similitudine baptismi, v.5. Tum etiam à circumstantia temporis, quòd promissio illa non multò pòst implenda sit, ibid. Præterea antithesi reprehensionis, qua reprehendit Apostolorum curiositatem in cognoscendo tempore inceptionis regni Christi, v.7. Quæ reprehensio illustratur è sua occasione, videlicet interrogatione discipulorum, v.6. Posteriorem promissionem, simulque mandatum, amplificat commemoratione subjectorum locorum, ubi Apostoli evangelium sint prædicaturi, v.8.

Forma ascensionis illustratur ex adjuncto testimonio aspectus discipulorum: & è subjecto vehiculo nubis.

Eventa, alia ex aliis consecuta, narrantur tria. Primum est apparitio duorum angelorum, qui jusserunt discipulos abire; & simul testati sunt, Jesum aliquando eodem modo rediturum, v.10. & 11. Alterum est abitus discipulorum: ubi simul describitur locus unde Dominus ascenderat, v.12. Tertium est commoratio in urbe & exspectatio missionis Spiritus S. v.13. & 14. ubi simul narratur ex quibus & qualibus personis cœtus ille constiterit.

SECUNDA PARS.

Cooptatio Matthæi in numerum Apostolorum.

15 Et per eos dies quum exsurrexisset Petrus in medio discipulorum, dixit, (erat autem turba capitum eodem *loci* quasi centum viginti.)

16 Viri fratres, oportuit impleri scripturam hanc, quam prædixit Spiritus S. per os Davidis de Juda, qui fuit dux viæ iis qui comprehenderunt Jesum:

17 Annumerabatur enim nobiscum, & sortitus erat sortem ministerii hujus.

18 Is igitur acquisivit agrum ex mercede injustitiæ: & præcipitatus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus.

19 Innotuitque omnibus habitantibus Hierosolymæ: adeò ut vocetur ager ille propriâ ipsorum linguâ, Akeldama, hoc est, ager sanguinis.

20 Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat commoratio ejus deserta, & non sit qui habitet in ea. Et, Episcopatum ejus accipiat alius.

21 Oportet igitur ex iis viris qui nobiscum convenerunt, toto tempore quo Dominus Jesus versatus est inter nos,

22 Exorsus à baptismo Johannis, ad eum usq; diem quo sursum receptus est à nobis, unum fieri nobiscum testem resurrectionis ejus.

23 Statuerunt igitur duos, Josephum qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, & Matthiam.

24 Et precantes dixerunt; Tu Domine, qui corda omnium nosti, ostende utrum elegeris ex his duobus.

25 Ut accipiat sortem ministerii hujus & Apostolatus, à quo aberravit Judas, ut abiret in locum suum.

26 Jecerunt igitur sortes eorum: & cecidit sors super Matthiam; qui communibus calculis allectus est cum undecim Apostolis.

Cooptatio Matthiæ in collegium Apostolorum declaratur primùm expositione causæ impulsivæ, usque ad v.23. deinde expositione formæ seu modi agendi, reliquis versibus. Causa quæ Apostolos impulit ut novum Apostolum sibi cooptarent, fuit sermo Petri: quo docuit id fieri oportere. Sermonis hujus narratio illustratur primùm indicatione temporis, quando illum habuit, vers.15: nempe per eos dies quibus Apostoli Hierosolymis exspectarunt missionem Spiritus sancti. Deinde indicatione numeri auditorum ad quos sermonem habuit, ibidem. Cæterùm propositum suum demonstrat Petrus testimoniis Scripturæ: quibus ostendit, oportuisse Dominum ab uno ex Apostolis prodi: & illum oportuisse mortem sibi consciscere, atque ita Apostolatu excidere: & denique oportere in locum illius surrogari alium. Testimonium de proditione Judæ citatur generaliter ex libro Psalmorum: illud autem in specie citatur à Johanne cap.13.v.18. ex Psalmo 41.v.10. Testimonium verò de morte Judæ proditoris unum quidem innuitur mentione agri ex mercede injustitiæ acquisiti: quod citatur expressè à Matthæo c.27. v.9.& 10.ex Zach.11.v.13. Aliud verò citatur expressè ex Psal.69. vers.26. Postremò testimonium de Judæ successore citatur expressè ex Psal.109.v.8. Ex quibus Petrus propositum suum concludit, v.21.& 22. simulque designat ex quo numero novus Apostolus sit eligendus.

Cooptationis forma posita fuit partim in electione, partim in sortitione. Primùm enim elegerunt duos, quos ambos ad Apostolatum idoneos judicabant, v.23. Deinde electionem specialem permiserunt Deo; ut qui intelligerent, Apostolos oportere immediatè à Deo vocatos esse: itaque sortem super duos illos jecerunt, v.26. Hæc sortitio amplificatur ab adjunctis precibus, v.24.& 25. Postremò narratur eventus, in fine v.26.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Primum quidem librum confeci] τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην. *Ad verb.* Primum quidem sermonem feci. *Intelligit autem historiam suam evangelicam.* De omnibus quæ cœpit] περὶ πάντων ὧν ἤρξατο. *Pro,* περὶ πάντων ἐκείνων ἃ ἤρξατο, *de omnibus illis quæ cœpit. Græcismus.*

2 Ad eum usque diem quo quum mandata dedisset] ἄχρι ἧς ἡμέρας ἐντειλάμενος. *Pro,* ἄχρι ἐκείνης ἡμέρας ᾗ ἐντειλάμενος. *Græcismus, qualis modò.* Sursum receptus est] ἀνελήφθη. *Nempe in cælum: ut Marc.ult. vers.pen.*

3 Exhibuit] παρέστησεν. *Græco verbo respondet Germanicum* **darstellen.** Multis] ἐν πολλοῖς. *Ad verbum,* In multis. *Pro,* διὰ πολλῶν. *Hebraismus.* Indubitatis signis] τεκμηρίοις. τεκμήριον *à nomine* τέκμαρ, *id est, finis: quòd afferat controversiæ finem: Aristot. libr.1. Rhetor. Ea autem signa fuerunt, quòd præbuit se eis probè conspiciendum & palpandum, quòd cum eis edit, denique quòd familiariter cum eis collocutus est: ut videre est Luc. ult. & Johan.20. & 21.* Quæ ad regnum Dei spectant] τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. *Subaudi* λεκτέα: *id est, ea quæ sunt vel erant de regno Dei dicenda.*

4 Ne abscederent] μὴ χωρίζεσθαι. *Ad verb.* Ne separarentur: *vel potiùs reciprocè,* Ne se separarent. Promissionem] τὴν ἐπαγγελίαν. *Id est, rem promissam; videl. Spiritum S. ut declaratur vers. seq. Metonymia adjuncti.* Audistis] ἠκούσατε. *Nempe Johan.14.15. & 16.capitib. & Luc.ult.v.49.*

5 Spiritu sancto] ἐν πνεύματι ἁγίῳ. *Ad verb.* In Spiritu sancto. *Pro,* διὰ πνεύματος ἁγίου: *vel,* πνεύματι ἁγίῳ. *Hebraismus.* Post dies hosce non multos] οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας, Non post multos hos dies. *Trajectio verborum.*

6 Restitues] ἀποκαθιστάνεις. *Ad verb.* Restituis] *Enallage temporis.* Regnum] τὴν βασιλείαν. **Das Reich.** *Articulus respicit promissionem à Deo factam per Prophetas: qualis citatur infrà c.15.v.16.* Israëli] τῷ Ἰσραήλ. *Populo Israëlitico, posteris Israëlis sive Jacobi. Metonymia efficientis.*

8 Usque ad ultimas terras] ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. *Ad verb.* Usque ad extremum terræ. *Id est, extremam partem.* ἐσχάτου. *scil.* μέρους.

9 Susceptum eum abstulit ab oculis] ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν. *Ad verb.* Suscepit eum ab oculis. *Ellipsis. Hebr. Pro,* ὑπέλαβε καὶ ἀφεῖλετο.

10 Viri] ἄνδρες. *Id est, Angeli specie virorum. Sic Gen.18.* Albo vestitu] ἐν ἐσθῆτι λευκῇ. *Sic post Domini resurrectionem, Matth. ult.v.3. Marc.ult.v.5. Joh.20.v.12.*

11 Quid] τί. *Pro,* διατί, *Propter quid, Cur. Heterosis.*

12 Distans] ἔχον. *Pro,* ἀπέχον. Itinere] ὁδόν. *Pro,* καθ' ὁδόν. *Ellipsis.* Itinere sabbathi] ὁδὸν σαββάτου, *Id est, quantum conficere in sabbatho licebat Judæis: nempe circiter duo millia passuum minorum, id est, circiter milliare unum: ut docet Tremellius in hunc locum ad paraphrasin Syriacam, quâ reddidit verba illa,* Fere septem stadiis. *Sed quî convenit hoc cum narratione Lucæ in historia evangelica cap.ult.v.50.& 51. quòd Jesus in cælum ascenderit prope Bethaniam: quæ teste Johanne cap.11.v.18. stadiis fere quindecim, id est, milliaribus circiter duobus ab Hierosolyma aberat? Nempe montis Oliveti extrema seu radices ab Hierosolyma aberant stadiis fere septem: at Bethania in illo monte sita erat retrò, ita ut quindecim fere stadiis, id est, duobus circiter milliaribus ab Hierosolymâ distaret.* Antilogia apparentis conciliatio.

13 Judas Jacobi filius] Ἰούδας Ἰακώβου. *Scil.* υἱός. *Alii supplent,* frater: *sed præter morem linguæ. Nominat quidem sese hic Judas fratrem Jacobi, in principio suæ epistolæ, sed inde non evincitur, istud nomen hîc supplendum. nam fuit & frater Jacobi Apostoli, qui minor cognominatur: & filius Jacobi alterius, puta majoris alicujus, qui frater fuerit Alphæi: ita ut Judas hîc & Jacobus minor fuerint fratres non propriè dicti & germani, sed patrueles.*

14 Deprecatione] δεήσει. *A verbo* δέομαι, *quod propriè significat Egeo: unde* ἐνδεής, *egenus: deinde precor, per metonymiam efficientis. nam egestas preces parit.* Fratribus] ἀδελφοῖς. *Id est, cognatis. Synecdoche speciei.*

15 Per eos dies] ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις. *Id est, quodam dierum illorum. Synecdoche integri.* Capitum] ὀνομάτων. *Ad verb.* Nominum. *Id est, hominum. In Græco est metonymia adjuncti: In Latino, synecdoche membri.*

17 Sortitus erat] ἔλαχε. *Sorte acceperat. Sorte autem, id est, providentiâ Dei. Metonymia subjecti. nam sors providentiâ Dei gubernatur.* Sortem ministerii] τὸν κλῆρον τῆς διακονίας. *Id est, ministerium tanquam sortem, id est, rem quæ sorte obvênit. Genitivus speciei, & metonymia efficientis.* Ministerii hujus] τῆς διακονίας ταύτης. *Nempe prædicandi evangelium apud quosvis, seu fungendi apostolatu.*

18 Acquisivit] ἐκτήσατο. *Id est, occasionem dedit Judæis ut illi acquirerent, mercede scil. illâ eis redditâ. Metonymia effecti.* Mercede] μισθοῦ. *Triginta scilicet argenteis nummis, Matth.26.v.15.* Injustitiæ] τῆς ἀδικίας. *Id est, injusti facinoris, nempe proditionis Jesu. Metonymia efficientis, & synecdoche generis.*

19 Akeldama] Ἀκελδαμά. *Voces Syriacæ duæ sunt,* חֲקַל דְּמָא *Hhakál demá.*

20 Fiat commoratio ejus &c.] γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτοῦ &c. *Verba Psalmi sic habent:* Sit castellum eorum desolatum, in tentoriis eorum ne sit habitator. *Quibus verbis Christus (qui in illo Psalmo sub Davidis tanquam typi persona loquens introducitur) judicium Dei imprecatur persecutoribus suis, in quorum numero & Judas. Ad quem Petrus imprecationem istam mutatione numeri speciatim accommodat.* Episcopatum] ἐπισκοπήν. *Q.d. inspectionem. Hebraicè* פְּקֻדָּה *pekudáh, id est, curatio, vel potiùs officium cujus curatio alicui commissa est. In Psalmo David istud inter alia imprecatur uni ex persecutoribus suis: sed sub Davidis tanquam typi persona idem imprecatur Christus Judæ proditori.*

21 Versatus est] εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθε. *Ad verbum,* Ingressus & egressus est. *Phrasis Hebraica. Id est, munere publico (nempe docendi) inter nos functus est. Sicut optimè exponit D. Beza ex Deut.31.1.& 2.Paralip.1.10. Synecdoche generis.*

22 A baptismo Johannis] ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου. *Id est, ab eo tempore quo baptizatus fuit à Johanne: ut liquet ex Matth.3. & 4.& Luc.4. Genitivus adjuncti, & synecdoche generis.* Quo] ἧς. *Pro,* ἐκείνης ᾗ. *Græcismus.* Sursum receptus est] ἀνελήφθη. *Videlicet in cælum: ut suprà v.11.*

24 Ostende utrum elegeris ex his duobus] ἀνάδειξον ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα ὃν ἐξελέξω. *Ad verb.* Ostende ex his duobus unum quem elegisti.

25 Ut accipiat] λαβεῖν. *Pro,* τοῦ λαβεῖν. *Scil.* ἕνεκα. *Vel* ὥστε λαβεῖν. *Pendet hoc verbum à verbo præcedente* ἐξελέξω. Sortem ministerii hujus] τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης. *Ut suprà vers.17.* Et Apostolatus] καὶ ἀποστολῆς. *Epexegesis.* Aberravit] παρέβη. *Ad verbum,* Transgressus est. Ut abiret] πορευθῆναι. *Pro,* τοῦ πορευθῆναι. *scilicet* ἕνεκα. *Ellipsis, qualis modò. Est autem hoc referendum non ad consilium propositúmve Judæ, sed Dei. Confer infrà 2.v.23. Est igitur hîc altera ellipsis, nempe verborum* ὃ γέγονε, Quòd factum est. *Similia exempla vide Matth.2.v.15. & 23.* In locum suum] εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. *Suum: id est, sibi destinatum à Deo, nempe gehennam. Unde Judas à Christo nominatus fuit filius perditionis,* ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *id est, perditioni destinatus.*

26 Sortes eorum] κλήρους αὐτῶν. *Id est, quibus alter ipsorum eligendus erat in Apostolum.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex v.3. Notetur testimonium pro articulo fidei, *Resurrexit à mortuis.* Simul etiam ex aliis Scripturæ locis notentur resurrectionis Christi fructus, qui inde ad nos redundant: ut quòd confirmat fidem nostram, quòd parta nobis sit remissio peccatorum per mortem ipsius, Rom.4. v.ult. 1.Cor.15. vers.17. Item, quòd Resurrectio Christi.

quòd excitat nos ad vitam novam, id est, sanctam, quatenus nimirum fidem remissionis peccatorum in nobis confirmat, Roman.6.v.4. & c.8. v.11. Adhæc quòd gignit in nobis spem, quòd & nos ad similem vitam atque gloriam resurrecturi simus, 1.Cor.15.per totum.

Christi operatio in electis. 2 Ex v.5. Sicut Christus in die pentecostes baptizavit Apostolos Spiritu S. quantum ad donum linguarum & prophetandi (hoc est, divinis verbis mysteria regni Dei enuntiandi) ita baptizat omnes electos Spiritu S. quantum ad donum fidei & sanctificationis. Et illius beneficii divinum testimonium est baptismus aquæ à Christo institutus, & à Johanne primùm administratus.

Curiositas. 3 Ex v.6. & 7. Abstinendum est curiosis quæstionibus, ac nominatim à quæstione de tempore quo Christus venturus est ad communicandum electis regnum gloriæ. Confer Matth.24. vers.36.

Ascensio Christi in cælum. 4 Ex vers.9.10.& 11. Notentur testimonia pro articulo fidei, *Ascendit in cælum*. Et simul ex aliis Scripturæ locis notentur fructus ascensionis illius: ut quòd per eam confirmamur in fide remissionis peccatorum partæ per sanguinem ipsius, Heb.9.v.12. ac proinde devicti peccati ac mortis, à quibus captivi tenebamur, Ephes.4. v.8. Item quòd per eam confirmamur in spe vitæ æternæ in cælo fruendæ, Rom.10.v.6. Eph.2.v.6.

Spiritus S. 5 Ex vers.14. Spiritus sancti gratia assiduis precibus à Deo petenda est. Idque eo magis, quòd Christus illam promisit. Vide Luc.11.v.13.

Reprobi. 6 Ex vers.16. & fine v.25. Etsi reprobi suis sceleribus exitium sibi accersunt, ut liquet in Juda: tamen totum illud accidit ex decreto & gubernatione Dei, Deo interim sancto ac justo permanente. Confer infrà cap.2.v.23.& cap.4.v.27. & 28. Usus hujus doctrinæ est, ut in sancta Dei voluntate acquiescamus & judicia ipsius adoremus. Confer Joh.6.v.36.& 37. Matth.11.v.25. & 26. & Rom.11.v.33.

De primatu Petri. 7 Ex vers.21. & 22. Hinc Pontificii primatum Petri adstruere conantur: quia Petrus hanc Scripturam de novo Apostolo deligendo & solus exposuerit inter collegas, & indefinitum Dei mandatum solus definierit. At hinc non sequitur, Petrum primas inter Apostolos tenuisse: quia utrumque illud etiam minimus Apostolorum facere poterat.

Doctrina Apostolorum. 8 Ex v.24. & seqq. Doctrina Apostolorum est αὐτόπιστος, quia ipsi immediatè à Deo vocati & ad docendum missi sunt.

Sortes. 9 Ex iisdem versibus. Sortes adhibendæ sunt in rebus magni momenti: quia per eas exploratur arcana Dei voluntas. Quare qui sortes adhibent in rebus ludicris, ut hodie usitatum est in olla quam denominant à fortuna: illi sanctum Dei nomen in vanum usurpant.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Quatuor hic narrantur. Primùm missio Spiritus sancti in Apostolos, usque ad v.14. Deinde concio Petri in die Pentecostes habita ad Judaos Hierosolymis congregatos, à v.14. usque ad v.37. Tum effectum concionis illius, à v.37. usque ad v.42. Postremò conversatio & status nova illius Apostolica ecclesia, à v.42. usque ad finem capitis.

PRIMA PARS.

Missio Spiritus sancti in Apostolos.

QUUM autem advenisset dies Pentecostes, erant omnes concorditer eodem *loci*.
2 Tum exstitit repentè è cælo sonitus tanquam ruentis flatus violenti, qui replevit totam domum ubi erant sedentes.
3 Et conspectæ sunt in eis dispertitæ linguæ instar ignis: consedit enim super unumquemque eorum.
4 Repleti sunt autem omnes Spiritu sancto, cœperuntque loqui aliis linguis, prout Spiritus ille dabat eis eloqui.
5 Erant verò Hierosolymis commorantes Judæi viri religiosi, ex omni natione eorum qui sub cælo *sunt*.
6 Orto autem hoc sonitu convênit multitudo, & confusa fuit, quòd audiret unusquisque propriâ linguâ suâ eos loquentes.
7 Obstupescebant autem omnes ac mirabantur, dicentes alii ad alios, Nónne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?
8 Quomodo igitur nos audimus *eos* suâ quisque linguâ in qua nati sumus?
9 Parthi & Medi & Elamitæ, & qui incolimus Mesopotamiam, Judæamque & Cappadociam, Pontum & Asiam,
10 Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ quæ est secundùm Cyrenem, & advenæ Romani, tum Judæi tum proselyti,
11 Cretes & Arabes, audimus eos loquentes nostris linguis magnifica Dei *facta*.
12 Obstupescebant autem omnes, & hæsitabant, dicentes alius ad alium, Quid hoc sibi vult?
13 Alii verò cavillantes dicebant, Vino dulci pleni sunt *isti*.

MIssio Spiritus sancti in Apostolos declaratur primùm ab adjuncto tempore seu à circumstantia temporis, v.1. Deinde à causa procatarctica, ibid. Tum à forma, v.2.& 3. Forma autem illa consistebat in adjunctis signis sive symbolis, per quæ Spiritus sanctus præsentiam & operationem suam testatus fuit. Illa signa fuerunt duo, ventus & ignis. Ventus declaratur partim ex adjuncto tempore, quòd exstiterit repentè: partim ex motu suo seu effectis; quæ narrantur duo, videlicet vehemens sonitus, & repletio domus. Ignis declaratur partim ex adjuncta figura, quòd habuerit figuram linguarum dissectarum: partim ex motu suo, quòd sederit super Apostolos. Postremò narrantur effecta: ac primùm quæ exstiterunt in Apostolis, v.4. deinde quæ in auditoribus eorum, versibus reliquis. Effecta in Apostolis fuerunt effecta per se, eaque duo: facultas loquendi novis linguis, & loquutio ipsa, v.4. Effecta in auditoribus fuerunt effecta per accidens, id est, eventa: quæ pro diversitate auditorum diversa fuerunt. Auditorum enim alii fuerunt pii: hi rem istam admirati sunt, vers.7. & deinceps: alii impii, hi Apostolos irriserunt & calumniati sunt, v.13. Prius genus auditorum amplificatur ab adjuncta varietate nationum, ex quibus constabat, v.5.9.10.11. Cæterùm his præmittuntur communia utrisque effecta duo: concursus & confusio, v.6. Locus etiam rei gestæ exprimitur v.5.

SECUNDA PARS.

Concio Petri in die Pentecostes.

14 Petrus autem quum constitisset cum Undecim, sustulit vocem suam, & affatus est eos, *dicens*; Viri Judæi, & quotquot commoramini Hierosolymis, hoc vobis notum esto, & auribus percipite verba mea.
15 Non enim, ut vos existimatis, isti ebrii sunt; quum sit hora diei tertia:
16 Sed hoc illud est, quod dictum est per prophetam Joëlem:
17 Et erit ultimis temporibus, (dicit Deus) effundam ex Spiritu meo super quamvis carnem: & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.
18 Et quidem super servos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.
19 Et edam miracula in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem & ignem & vaporem fumi.
20 Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, priusquam veniat dies ille Domini magnus & illustris.
21 Et futurum est, ut quicunque invocaverit nomen Domini servetur.
22 Viri Israëlitæ, audite sermones istos. Jesum illum Nazarenum, virum à Deo approbatum apud vos præstantibus factis & miraculis & signis quæ edidit per eum Deus in medio vestri, sicut & ipsi nostis,
23 Hunc *inquam* definito illo consilio & præstituto Dei deditum quum accepissetis, manibus sceleratis *cruci* affixum interemistis.
24 Quem Deus excitavit, solutis doloribus mortis, eò quòd fieri non poterat ut ipse ab ea retineretur.
25 David enim dicit de eo, Prospiciebam Dominum coram me semper: quoniam est mihi ad dexteram, ne concutiar.
26 Propterea oblectatum est cor meum, & exsultavit lingua mea: atque adeò caro mea commorabitur cum spe:
27 Quoniam non derelinques animam meam in sepulchro, nec sines sanctum illum tuum videre corruptionem.
28 Notas mihi fecisti vias vitæ: replebis me jucunditate *quæ est* cum facie tua.
29 Viri fratres, licet liberè dicere apud vos de pa-

triarcha Davide, eum & obiisse & sepultum esse, & monimentum ejus esse apud nos ad hunc usque diem.

30 Propheta igitur quum esset, & sciret, Deum jurejurando sibi jurasse, fore, ut ex fructu lumbi ipsius, quod ad carnem attinet, Christum excitaret, *quem* collocaret super ejus throno:

31 Præscius loquutus est de resurrectione Christi, non derelictam esse in sepulchro animam ejus, neque carnem ejus vidisse corruptionem.

32 Hunc Jesum excitavit Deus: cujus rei omnes nos sumus testes.

33 Itaque ad dexteram Dei exaltatus, & promissum Spiritum sanctum adeptus à Patre, effudit hoc quod vos nunc spectatis & auditis.

34 Neque enim David ascendit in cælos: sed dicit ipse, Dixit Dominus domino meo, Sede ad dexteram meam,

35 Usquedum ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

36 Certò sciat ergo tota domus Israëlis, quòd Deus hunc fecerit dominum & Christum: hunc *inquam* Jesum quem vos crucifixistis.

Hic sermo Petri constat procemio & contentione. Procemium continet προσφώνησιν, & petitionem audientiæ seu attentionis, vers. 14. Contentio constat refutatione calumniæ illorum irrisorum, v. 15. & confirmatione veritatis, v. 16. & deinceps. Refutatio ducitur à circumstantia temporis. Veritas quam proponit quinque pronuntiatis constat. 1. Apostolos loqui ex instinctu Spiritus sancti. 2. Jesum, quem nuper crucifixerant, resurrexisse à mortuis. 3. Eundem ascendisse in cælum, & consedisse ad dexteram Dei. 4. Eundem effudisse Spiritum sanctum in Apostolos. 5. Postremò eundem esse Christum.

Primum pronuntiatum illustrat collatione vaticinii Joëlis, v. 17. 18. 19. 20. 21. Secundum pronuntiatum demonstrat testimonio Davidis: quod ostendit, non posse de ipso Davide intelligi, & inde infert intelligendum esse de Christo. Demonstratio sic habet: Is qui loquitur in psalmo, non fuit sensurus corruptionem in sepulchro, ut ex verbis psalmi patet. Atqui David corruptionem in sepulchro sensit. David igitur non est is qui loquitur in psalmo. Restat igitur, illum esse Christum: quum certum sit, Davidem de Christo prophetasse: quum & propheta fuerit, & promissionem de Christo ex se orituro acceperit. Tertium pronuntiatum demonstrat alio testimonio Davidis, Psal. 110. Quartum & quintum pronuntiatum ex demonstratis infert.

Cæterùm de Jesu verba facturus, commendat illum ab effectis seu factis: eamque commendationem confirmat testimonio conscientiæ auditorum, vers. 22. Deinde occurrit scandalo crucis seu supplicii, quo effectus erat, commemorando supremum illius authorem, & interim excusationem adimendo causis secundis, vers. 23.

TERTIA PARS.

Effecta concionis Petri.

37 *His* autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum ac reliquos Apostolos, Quid faciemus, viri fratres?

38 Petrus autem ait ad eos, Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomen Jesu Christi, in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus sancti.

39 Vestra enim est hæc promissio, & liberorum vestrorum, & omnium qui longè sunt, quoscunque videlicet advocaverit Dominus Deus noster.

40 Aliisque sermonibus pluribus obtestabatur, & exhortabatur *eos*, dicens, Servamini ex natione ista prava.

41 Qui ergo libenter receperunt sermonem ejus, baptizati sunt: & additæ sunt *Ecclesiæ* die illo animæ quasi ter mille.

Effecta sive eventa concionis Petri, quorum alia ex aliis consequuta sunt, narrantur quatuor. Primùm auditores compuncti sunt corde: id est, doluerunt animis quòd crucifixissent Christum, v. 37. Deinde petiverunt à Petro cæterisque Apostolis consilium: quid scilicet sibi faciendum esset, ut sceleris istius veniam consequerentur, ibid. Tum Petrus consilium eis impertivit, v. 38. 39. & 40. Partes illius consilii sunt quatuor. 1. Ut resipiscât: id est, concipiant serium propositum atque ardens studium serviendi Deo seu piè vivendi. 2. Ut credant in Jesum Christum, quòd habeant remissionem peccatorum per illum. 3. Ut fidem hanc per susceptionem Baptismi profiteantur. 4. Ut separent se à natione ista prava, hostium scilicet Jesu, sacerdotum, scribarum & Pharisæorum. Tres partes priores confirmat ab effectu utili, videlicet donatione Spiritus sancti: v. 38. quam ipsam confirmat testimonio promissionis Dei, v. 39. nempe illius ex Joële in principio concionis recitatæ. Quam amplificat distributione eorum ad quos pertineat: quos distribuit in Judæos & Gentes: quas circumscribit ex adjunctis adhærentibus, quòd scil. longè sint à populo Dei, & quòd ad illum sint aggregandæ, v. eod.

Postremum eventum fuit, quòd multi ex illis consilio Petri morem gesserunt, ac proinde baptizati, sese illis adjunxerunt, vers. 41.

QUARTA PARS.

Conversatio & status novæ Ecclesiæ.

42 Erantque perdurantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus.

43 Obortus est autem omnibus timor: multaque miracula & signa per Apostolos fiebant.

44 Omnes autem qui credebant, erant eôdem *loci*; & habebant omnia communia.

45 Et possessiones ac facultates vendebant, & dispertiebant ea omnibus, prout cuique opus erat.

46 Et quotidie perdurantes concorditer in templo, ac frangentes domatim panem, capiebant cibum cum exsultatione & simplicitate cordis:

47 Laudantes Deum, & habentes gratiam apud totum populum. Dominus autem addebat quotidie Ecclesiæ qui salvi fierent.

Hîc narratur conversatio & status novæ illius Apostolicæ ecclesiæ. Ad conversationem quod attinet: commemorantur primùm actiones quatuor laudabiles, v. 42. Deinde una ex illis, videlicet communicatio bonorum, specialiùs declaratur v. 44. 45. & 46. Ad statum quod attinet, primùm fuerunt omnibus terrori, propter miracula Apostolorum, v. 43. Deinde fuerunt in gratia apud populum, v. 47. Postremò aucti sunt numero quotidie. ibid.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Quum autem advenisset dies Pentecostes] καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς. *Ad verbum*, Et in complendo diem (*id est*, dum compleretur dies) Pentecostes. *Id est, ipso die Pentecostes, seu quum jam ageretur dies quinquagesimus à paschate. Capitur autem hîc nomen πεντηκοστὴ substantivè ad significandum certum festum: quum revera sit nomen adjectivum, ad quod subaudiri oportet nomen ἡμέρα. Intelligitur enim dies quinquagesimus à Paschate: qui apud Judæos festus erat, propterea quòd in illo data esset Lex: ut videre est Exod. 19. si illius capitis versus 1. & 11. inter se conferantur. Nominatur & festum hebdomadum, Exod. 34. 22. quia exactis inde à Paschate septem hebdomadibus celebrabatur, Deut. 6. v. 5. & 10.* Omnes] ἅπαντες. *Videl. Apostoli, ex collatione v. ult. cap. præced. & v. 4. 14. & 15. infrà.*

3 In eis] ἐν αὐτοῖς. *Hebraismus, pro* ἐπ' αὐτοῖς. לָהֶם *lahém, pro* אֲלֵיהֶם *alehém: vel* עֲלֵיהֶם *hhalehém, super eis.* Instar ignis] ὡσεὶ πυρός. *Id est, Linguæ illæ erant quasi igneæ. Genitivus materiæ.* Consedit enim] ἐκάθισέ τε. *Ad verb. Consedit que. Sed copulativa ponitur pro causali. Indicatur enim nunc causa quî factum sit ut conspectæ sint super Apostolis linguæ igneæ: quia scil. Spiritus sanctus super eos consedit. Spiritus sanctus autem consedit, id est, linguæ illæ igneæ quæ erant signum præsentiæ singularis Spiritus sancti. Meton. subjecti. Hinc patet, ad verbum* ἐκάθισε *supplendum ex v. seq. nominativum* πνεῦμα ἅγιον. *Simile ellipseos exemplum vide Oseæ 13. v. 9.*

4 Omnes] ἅπαντες. *Scil. Apostoli, ex collatione v. 14. & 15. infrà. Quare inepti sunt Papistæ, qui B. Virginem in medio Apostolorum pingunt descendente Spiritu sancto. Nec rectè illud defenditur ex eo, quod vers. 1. dicitur omnes fuisse pariter in eodem loco. Nam ibi de solis Apostolis sermo est, ut antè ostendi: licet interim non negetur, Mariam quoque & alios cum Apostolis tunc congregatos fuisse. Sanè si in cæteros quoque Spiritus S. tum illapsus esset, illi quoque aliis linguis magnalia Dei essent eloquuti: quum ad hoc ipsum datus illis fuerit Spiritus S. At istud Lucas de solis Apostolis narrat v. 14. & 15.*

5 Eorum qui sub cælo sunt] τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν. *Subaudi* ὄντων.

6 Hoc sonitu] τῆς φωνῆς ταύτης. *Ad verb.* Voce hac. *Synecdoche speciei* χαλδαϊζενσική, *Hebræis usitata.*

10 Proselyti] προσήλυτοι. *Sic dicebantur gentiles qui sese Judæis aggregarant, eorumque religionem amplexi erant. Vide Matt. 23. 15.*

12 Quid hoc sibi vult?] τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι; *Ad verb.* Quid velit hoc esse?

14 Cum Undecim] σὺν τοῖς ἕνδεκα. *Scilicet Apostolis, collegis suis.* Auribus percipite] ἐνωτίσασθε. *Verbum* ἐνωτίζεσθαι *sonat quasi dicas* Inaurire, *id est, in aures recipere: ex præpositione* ἐν *& nomine* οὖς, ὠτός. *Videtur factum ad exprimendum Hebraicum* הַאֲזִין *heësin.*

15 Tertia] τρίτη. Scil. ab ortu solis.

17 Erit] ἔσται. Id est, Fiet, γενήσεται. Hebraismus. Ultimis temporibus] ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις. Ad verb. In ultimis diebus. Synecdoche speciei Hebraica. Pro hoc veritas Hebraica habet, Postea. Dicit Deus] λέγει ὁ Θεός. Hæc sunt verba Petri, quibus monet, quis loquatur apud Joëlem verba illa quæ recitat. Ex spiritu meo] ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου. Veritas Hebraica, Spiritum meum. Synecdoche integri. Quamvis] πᾶσαν. Hanc vocem hîc accipi distributivè, liquet à sequentibus. Non igitur notat singula individua, sed varia genera. Carnem] σάρκα. Id est, homines. Synecdoche membri Hebraica. Et homines: id est, cives populi Dei. Synecdoche generis. Prophetabunt] προφητεύσουσιν. Id est, magnifica Dei facta magnificè ac divinè ex afflatu Spiritûs S. effabuntur. Synecdoche speciei. Visiones videbunt] ὁράσεις ὄψονται. Id est, percipient revelationes mysteriorum cælestium à Spiritu S. Sicut olim fiebat per visiones & somnia. Synecdoche speciei. Vide Num. 12. v. 6.

18 Et quidem] καί γε. Veritas Hebraica, Atque etiam. Ubi Etiam est nota majoris. Q. d. Non solùm super liberas personas (quales hactenus commemoratæ sunt) effundam de spiritu meo: sed etiam, (quod magis mirabile est, & majoris gratiæ opus) super servos & servas. Meos] μου. In Hebræo pronomina illa non sunt addita. Sed Petrus addit, ut moneat, servos & ancillas Hebræorum non esse contemnendos: quia sunt servi & ancillæ Dei. Hoc autem intelligendum est de piis.

19 Miracula] τέρατα. Signa iræ Dei contra contemtores evangelii: qualia conspecta fuerunt sub interitum urbis Hierosolymæ. Sanguinem & ignem &c.] αἷμα καὶ πῦρ &c. Cædes & incendia.

20 Sol convertetur &c.] ὁ ἥλιος μεταστραφήσεται &c. Id est, Tantæ calamitates prement homines, ut putaturi sint omnia tenebris referta esse: neq; solem neq; lunam ampliùs lucere. Metonymia effecti hyperbolica. Dies ille] τὴν ἡμέραν. Nempe dies judicii. Domini] Κυρίου. Christi.

22 Approbatum] ἀποδεδειγμένον. Demonstratum, Erwisen. Nempe quòd esset is quem se esse profitebatur, videlicet Christus. Præstantibus factis] δυνάμεσι. Ad verb. Potentiis. Metonymia efficientis.

23 Præstituto] προγνώσει. Præeunte decreto. Confer Rom. 8. 29. & 1. Pet. 1. 20. Manibus sceleratis] διὰ χειρῶν ἀνόμων. Vel, Manibus sceleratorum. Ut sit ellipsis articuli ante ἀνόμων: Et per τοὺς ἀνόμους intelligantur milites Pilati.

24 Excitavit] ἀνέστησε. Nempe à mortuis. Solutis doloribus mortis] λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου. Seu, dum solvit dolores &c. Jndem er aufgelöset hat &c. Id est, dum solvit mortem dolorum. per hypallagen: hoc est, ad quam per dolores gravissimos adactus fuit. Cæterùm apparet, Petrum hîc usum verbis quæ exstant Psalm. 18 v. 6. ubi in Græco habetur ὠδῖνες ᾅδου: at in Hebr. legitur חֶבְלֵי שְׁאוֹל hheble scheól, id est, funes sepulchri. Interdum autem eâ voce per metaphoram dolores significantur. Lucas igitur in citando sequutus videtur versionem Græcam tum receptam. Attamen nomen funium huc magis quadrare videtur: ut dicatur Deus solvisse funes seu vincula mortis, quibus scil. mors Christum quasi constrictum tenebat: sicut Petrus hîc subjicit. Retineretur] κρατεῖσθαι. Nempe perpetuò, aut saltem diu.

25 De eo] εἰς αὐτόν. Ad verb. In eum, sive, ad eum, scil. respiciens. Vel potiùs εἰς αὐτὸν positum est pro ἐν αὐτῷ: hoc autem pro περὶ αὐτοῦ, per Hebraismum. Prospiciebam] προωρώμην &c. Totus hîc locus citatur, ut exstat in versione Græca, quæ nominatur LXX, exceptâ unicâ voce ᾅδου, pro quâ illic legitur ᾅδην. Hic autem veritas Hebraica habet שִׁוִּיתִי schivvithi, id est, posui. Quum autem dicit Christus, Posui Jehovam coram me: vult dicere, se in angustiis suis, quas propter nostra peccata expertus est, proposuisse sibi tum voluntatem Dei de passione suâ, tum promissionem de sui conservatione, tum verò etiam potentiam in se conservando. Ne] ἵνα μή. Hebr. פָּ בַּל bál, id est, non.

26 Propterea] διὰ τοῦτο. Nempe propter illam Domini præsentiam, de quâ modò dictum in fine v. 25. Lingua mea] ἡ γλῶσσά μου. Hebr. כְּבוֹדִי chebodi, id est, gloria mea, Metonymia subjecti, & synecdoche generis: quia lingua piorum occupatur in canenda & prædicanda gloria Dei. Caro mea] ἡ σάρξ μου. Id est, corpus meum. Synecdoche membri. Commorabitur] κατασκηνώσει. Scil in sepulchro. Cum spe] ἐπ' ἐλπίδι. Scil. resurrectionis & præservationis sui à putredine: ut declaratur v. seq.

27 Non derelinques] οὐκ ἐγκαταλείψεις. O Deus. Apostrophe ad Deum patrem. Animam meam] τὴν ψυχήν μου. Id est, me. Synecdoche membri Hebraica. Et Me, id est, corpus meum. Altera synecdoche, superiori contraria, videl. integri. Quæ expositio confirmatur ex collatione membri sequentis, ubi eandem sententiam aliis verbis repetens ait, Nec sines sanctum illum tuum sentire corruptionem. In sepulchro] εἰς ᾅδου. Scil. οἶκον. Pro, ἐν ᾅδου, scilicet οἴκῳ. id est, in Plutonis sive Orci domo. Vide scholia nostra in Luc. 16. 23. Versio Græca, εἰς ᾅδην. Pro, ἐν ᾅδῃ. Heb. לִשְׁאוֹל lischeól. Nomine autem שְׁאוֹל scheól licet interdum locus ille damnatorum significetur, qui usitatè infernus, in scripturis gehenna, nominatur: tamen hic, ut & alibi passim, significatur sepulchrum: ut ex hac ipsa citatione Petri manifestum est, sicut etiam ex citatione Pauli infrà 13. v. 34. & 35. Sines] δώσεις. Ad verb. Dabis. Zugeben/ id est, zulaassen. Sanctum illum tuum] τὸν ὅσιόν σου. Id est, Me qui sum sanctus ille tuus. Confer Marc. 1. vers. 24. Hebr. חֲסִידְךָ hhasidecha. Id est, beneficum tuum. Et certè Christus eximiè beneficus fuit: quanquam istud nomen etiam aliis sanctis tribuatur: qui benefici sunt ad exemplum patris sui cælestis, Matth. 5. v. 44. & 45. Videre] ἰδεῖν. Id est, sentire seu experiri. Synecd: speciei. Sic vers. 31. Corruptionem] διαφθοράν. Id est, putrefactionem. Hebr. שַׁחַת schábhath: quo nomine etiam fovea significatur, sic dicta ab effectu, quòd cadavera ibi corrumpantur ac putrefiant. Quæ significatio huc minùs quadrabit, si nomine foveæ intelligere velimus sepulchrum. nam sepulchrum certè vidit Christus eatenus, quatenus in eo repositus fuit. Interim tamen non vidit illud ratione effectus, quia non est expertus corruptionem in illo.

28 Notas mihi fecisti vias vitæ] ἐγνώρισάς μοι ὁδοὺς ζωῆς. Id est, Reduxisti me in vitam, eamq; longè jucundissimam. Hebraica veritas habet, Notum mihi facies iter vitæ. Replebis me jucunditate quæ est cum facie tuâ] πληρώσεις με εὐφροσύνης μετὰ τοῦ προσώπου σου. Hebr. Satietas lætitiarum est cum facie tuâ. Quod Græcè sic sonat, πλησμονὴ εὐφροσυνῶν ἐστι μετὰ τοῦ προσώπου σου. Id est, Ex aspectu benevoli vultus tui nascitur summa lætitia. Confer Psal. 17. v. 15.

29 Licet] ἐξόν. Scil. ἐστί. Pro, ἔξεστι. Hebraismus. Monimentum] τὸ μνῆμα. Id est, Sepulchrum. Apud nos] ἐν ἡμῖν. Ad verb. In nobis: id est, inter nos.

30 Ex fructu lumbi ipsius] ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ. Id est, ex virgine Maria, quæ suo tempore ex lumbis Davidis tanquam fructus erat proditura. Periphrasis metaphorica & synecdochica. Carnem] σάρκα. Id est, corpus. Synecdoche membri. Quem collocaret] καθίσαι. Pro, τοῦ καθίσαι. Scil. ἕνεκα: id est, collocandi gratiâ, sive ut collocaret, scilicet illum.

31 Animam ejus] ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Scil. Christi. Hoc est notandum contra expositionem eorum qui in dicto illo Psalmi verba illa, Animam meam, interpretantur per nomen Christi: quasi David Christum appellarit animam suam, id est, vitam suam. At Petrus, optimus interpres, vocabulum Animæ interpretatur de animâ Christi: ac proinde docet, ibi loqui Christum: non autem Davidem sive ecclesiam.

32 Excitavit] ἀνέστησε. Scil. à mortuis.

33 Ad dexteram Dei exaltatus] τῇ δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ ὑψωθείς. Id est, πρὸς τὴν δεξιάν ut alibi Scriptura loquitur. Dativus hîc eandem vim habet, quam in illo Virgiliano, It clamor cælo. Et sic quoque vertit Arabs, ut refert D. Beza. Atque hæc expositio confirmatur ex collatione v. 34. Promissum Spiritum sanctum] τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος. Ad verbum, Promissionem Spiritus sancti. Nomen ἐπαγγελία accipitur pro re promissâ, per metonymiam adjuncti, ut suprà cap. 1. vers. 4. Genitivus autem notat speciem, ut in illo Rom. 4 v. 11. Signum circumcisionis. Nam si quæras, Quam rem promissam adeptus est? respondetur, Spiritum sanctum.

34 Neque enim David ascendit in cælos] οὐ γὰρ Δαβίδ &c. Hîc declaratur id quod antea dixerat, Jesum esse exaltatum ad dexteram Dei. Cum ascensione enim in cælum comprehendit hîc Petrus sessionem ad dexteram Dei, per synecdochen membri: quia illa cum istâ individuo nexu conjuncta fuit, & propter eam suscepta. Itaque Petrus ascensionem Christi probaturus, adducit locum Psalm. 110. qui est de sessione ejus ad dexteram Dei. Dominus] ὁ Κύριος. Hebr. יְהוָה Jehováh: quo nomine Dei proprio, ac tribus personis communi hîc intelligitur Deus Pater, per synecdochen generis. Domino meo] τῷ κυρίῳ μου. Hebr. לַאדֹנִי ladoni. Ubi nomen אָדוֹן adón generale est, quod aliâs etiam hominibus puris tribuitur. Notatur autem eo potestas atque authoritas in subjectos. Sede ad dexteram meam] κάθου ἐκ δεξιῶν μου. Id est, Regna tanquam proximus à me. Metaphora à consuetudine hominum: apud quos interdum filius nomine patris regnat, & in honoris atque potestatis illius testimonium ad dexteram ejus sedere solet. Confer 1. Cor. 15. v. 25.

36 Domus] οἶκος. Familia, gens, populus. Metonymia usitata.

37 His autem auditis] ἀκούσαντες δέ. Scil. ταῦτα: nempe populares qui confluxerant orto sonitu illius flatus, sup. v. 6. Id est, aliqui ex illis Synecdoche integri. Compuncti sunt corde] κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ. Id est, senserunt acutum animi dolorem: quòd nimirum Christum crucifixissent, ex collatione v. 23. & versus proximè præcedentis. Quid faciemus] τί ποιήσομεν. Ut scil. à Deo consequamur remissionem tanti peccati.

38 In nomen] ἐπὶ τῷ ὀνόματι. Pro, εἰς τὸ ὄνομα: ut alibi Scriptura loquitur, ut Matth. ult. v. penult. infrà 19. v. 5. Item 1. Cor. 1. v. 13. In remissionem peccatorum] εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Id est, in testimonium remissionis peccatorum: ut habeatis scilicet testimonium divinum, quòd Deus vobis remiserit peccata vestra propter Jesum Christum, in quem creditis. Metonymia subjecti. Non autem, Ad consequendum remissionem peccatorum per hoc medium sive instrumentum: quia sola fides medium illud sive instrumentum est; quo remissionem peccatorum in evangelio apprehendimus. Baptismus autem est medium seu instrumentum quo Spiritus sanctus utitur ad fidem confirmandam. Nec pendent hæc verba à verbo Resipiscite & verbo Baptizetur simul, ut quidam tra-

dunt: sed à solo verbo. Baptizetur. *Nam si ita esset, tum admittenda esset expositio illa, quam modò falsam esse ostendimus. Nec verò consequens est, ut si verba illa,* In remissionem peccatorum, *hîc dicto modo exponantur, propterea eodem modo exponenda sint in verbis Domini,* Hoc est sanguis meus qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. *Nam satis est, utrobique notari finem præpositione* εἰς: *at interim certum est, alium esse finem effusionis sanguinis Christi, alium verò baptismi cæterorumque sacramentorum. Nam sanguis quidem Christi effusus est ad remissionem peccatorum promerendam: at sacramenta instituta sunt ad meritum illud nobis testificandum, atque ita fidem nostram confirmandam.* Et accipietis] καὶ λήψεσθε. *Id est, Tum accipietis: quum scil. fueritis baptizati. Accipietis autem sive omnes quotquot baptizabimini: sive aliqui saltem ex vobis, quorum scil. operâ Deus uti volet in Evangelio annuntiando.* Donum Spiritus sancti] τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Id est, Spiritum sanctum, qui est donum Dei, seu quem vobis donabit Deus. Genitivus notat speciem, sicut suprà v.33. Spiritus sancti autem nomine intelligit Petrus donum loquendi novis linguis & prophetandi, ut apparet ex versu sequente. Metonymia efficientis.*

39 Vestra enim est] ὑμῖν γὰρ ἐστιν. *Ad verb.* Vobis enim est. *Id est, ad vos pertinet.* Hæc promissio] ἡ ἐπαγγελία. *Nempe paulo-antè à me allata ex Joële, suprà v.17. & deinceps.* Qui longè sunt] τοῖς εἰς μακρὰν. *Scil.* οὖσι *Et,* εἰς μακρὰν, *subaudi* ὁδὸν. *Quasi dicat, Qui longâ viâ absunt à nobis. hoc est, qui longè à nobis discrepant religione. Est periphrasis Gentium. Confer Eph.2.v.17. ubi nominantur* οἱ μακρὰν. *Pro,* οἱ κατὰ μακρὰν. *Et hanc expositionem confirmant verba sequentia,* Quoscunque advocaverit Dominus Deus noster: *id est, sanctâ vocatione ad nos aggregaverit. Et complementum hujus promissionis narratur infrà cap.10. in domesticis & amicis Cornelii centurionis. Itaque etsi ipsa phrasis admittit, ut hic locus accipiatur de Judæorum illorum posteris, & exponatur,* τοῖς εἰς μακρὰν, *scil:* ἐσομένοις, *hoc est, qui longè pòst futuri sunt: subaudito nomine* ὥραν *ad nomen* μακρὰν: *tamen rationes allatæ isti expositioni refragantur. quò accedit ratio ista omnium gravissima, quòd donum linguarum & prophetandi, de quo hîc propriè sermo habetur, non diu duravit: ut hæc promissio in homines longè pòst futuros competere non possit.*

40 Plurimis] πλείοσι. *Ad verbum,* Pluribus. *Comparativus pro superlativo, ut 1.Cor.13.v.13 Videtur tamen hîc propria significatio retineri posse.* Ex natione istâ pravâ] ἀπὸ τῆς γενεᾶς *&c. Scribas & Pharisæos intelligit, ac omnino hostes Domini Jesu.*

41 Ecclesiæ] *Hoc supplementum sumtum est ex vers.ult. infrà.* Animæ] ψυχαί. *Id est, homines. Synecdoche membri Hebraica.* Quasi ter mille] *Quum isti hauddubiè baptizati sint à duodecim apostolis: quippe qui tunc soli, tanquam ministri Evangelii, baptizandi potestatem habuerunt: primâ fronte videri possit, hoc fieri ab illis tam brevi tempore non potuisse. Sed si res accuratiùs consideretur, apparebit istud impossibile non fuisse. Nam si tria millia dividantur per duodecim, proveniunt ducenta quinquaginta. Singuli igitur apostoli baptizandas habuerunt personas 250. Concio autem Petri cœpit sub horam diei tertiam. Detur illi concioni & ambulationi ad aquam hora integra: erunt horæ quatuor. Quibus demtis ab horis duodecim, quot horis apud Judæos dies constabat, Joh.11.v.9: remanent horæ octo, quibus baptizationem istam peragi oportuit. Reperietur autem, si calculi arithmetici subducantur, singulis apostolis baptizandas fuisse personas triginta & unam. Id quod octo horis haud difficulter fieri potuit, si consideretur baptizandi modus quo tunc usi fuerunt, qui modus indicatur Matth,3.v.16. Act.8.v.38. & 39.*

42 In doctrinâ Apostolorum] τῇ διδαχῇ *&c. Scil. quotidie audienda ex ore ipsorum, & meditanda.* Communicatione] τῇ κοινωνίᾳ. *Scil. facultatum: ut declaratur v.44. & 45.* Fractione panis] τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. *Id est, celebratione cænæ Domini. Synecdoche membri: qualis infrà 20.v.7. Quod ipsum clarâ paraphrasi expressit Syrus, vertens;* In fractione Eucharistiæ. *ubi per nomen Græcum* εὐχαριστίας *intelligit panem illum sacrum, qui in eucharistia seu cæna Domini adhibetur.*

43 Omnibus] πάσῃ ψυχῇ. *Ad verb.* Omni animæ. *Id est, omni homini. Synecdoche membri, qualis paulo-antè v.41. Et, Omni homini, scilicet degenti Hierosolymis, nec aggregato ad istum cœtum. Synecdoche generis.*

46 Frangentes &c.] κλῶντες τε *&c. Nempe divites frangebant (id est, distribuebant atque communicabant) panem pauperibus. Quo sensu dictum est illud, Frange esurienti panem tuum, Esa.58. vers.7.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

Spiritus S. 1 Ex quatuor primis versibus. Considerandum hîc est, cur Spiritus sanctus missus sit in Apostolos in die Pentecostes: deinde cur se patefecerit per talia symbola, ventum scil. vehementem & linguas igneas dissectas. Ac primùm ad circumstantiam temporis quod attinet, per mentionem diei Pentecostes videtur nobis in memoriam revocari promulgatio Legis quæ olim die illo facta erat in monte Sinai, Exod.19. & 20. Placuit igitur Deo eodem die promulgare Evangelium: ut sciret populus Dei, Jesum illum Nazarenum esse prophetam illum Deut.18. promissum per Mosen, qui ab omnibus sit audiendus, loquens per Apostolos suos & alios doctores quos missurus erat. Deinde ad symbolum venti quod attinet, eo monemur, Spiritum sanctum per prædicationem Evangelii afflare corda electorum, excitando ea ad actiones Deo placentes: ac inprimis ad confessionem veritatis cælestis, non obstante ullâ persequutione. Sicut ventus vehemens non patitur se impediri aut retineri, quò minùs perrumpat ac penetret: adeò ut etiam robustas sæpe arbores radicitus evellat. Et ita Christus per Evangelii prædicationem dominatur in medio inimicorum suorum: ut jussus est à Patre Psal 110. Porrò quod attinet ad linguas igneas dissectas: monemur, Spiritum sanctum per linguas doctorum Evangelii instar ignis corda auditorum illuminare cognitione Dei, & accendere dilectione tum Dei tum proximi: idque in linguis seu dialectis variis, ac proinde corda electorum in populis variis.

2 Ex v.5. & sequentibus usque ad 14. Quum mirificis Dei operibus movemur & in admirationem rapimur cum timore Dei conjunctam, acceptum id feramus gratiæ ipsius: quum à natura æquè mali ac perversi omnes simus. Quum verò videmus, alios opera Dei & doctrinam cælestem irridere & calumniari: ne propterea perturbemur, quum videamus sanctos Apostolos idem expertos esse. *Officium hominis Christiani. Consolatio contra irrisores operum Dei.*

3 Ex v.14. & seqq. usque ad 37. id est, ex concione Petri, notetur demonstratio veritatis fidei Christianæ, quòd scilicet Jesus ille Nazarenus in quem credimus, sit Christus: quia ea perfecit quæ Scripturæ sacræ de Christo prædixerunt: putà, resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, consedit ad dextram Dei, misit Spiritum sanctum in Apostolos. *Quòd Jesus sit Christus.*

4 Ex v.23. Impiorum scelera pendent à Decreto DEI: quia Deus decrevit permittere Satanæ, ut eos ad scelera impellat. Interim verò Deus manet sanctus, & illi nullam merentur excusationem: quippe quum nec Deus malitiam illis instillet, nec illi respiciant ad voluntatem Dei, sed ad explendum libidines suas, idque contra expressa interdicta Dei. Confer infrà c.4.v.27.& 28. *Scelera. Gubernatio Dei.*

5 Ex v.27. *Non derelinques animam meam in sepulchro.* Falsò ex his verbis statuunt Pontificii, animam Christi descendisse (motu scilicet locali seu mutatione loci) in infernum, locum scilicet damnatorum. quia vox שְׁאוֹל scheól, qua hîc utitur David, non significat hîc infernum, id est, locum damnatorum qui aliàs dicitur gehenna: sed sepulchrum. Et nomine animæ per synecdochen Hebraicam significatur totus homo: ac rursus per alteram synecdochen corpus hominis. Hæc expositio confirmatur partim ex collatione membri sequentis, ubi more prophetico eadem sententia aliis verbis repetitur, his scilicet: *Nec dabis, sanctum tuum,* sive (ut in Hebræo habetur) *beneficum tuum videre corruptionem.* unde perspicitur, æquipollere hîc ista duo, *Animam meam* & *Beneficum tuum:* itemque ista, *Derelinqui in scheól,* & *Videre corruptionem.* Deinde idem confirmatur ex præsente allegatione Petri: qui totum illud dictum ad nihil aliud probandum citat, quàm quòd Christus à mortuis resurrexerit: ut planum est ex v.24. & deinceps. nam v.24. proponit hanc sententiam, *Quem* (scil. Jesum Nazarenum) *Deus excitavit, solutis doloribus mortis &c.* Deinde v.25. annectit probationem his verbis: *David enim dicit de eo &c.* ubi inter alia hoc ipsum dictum recitat. Item v.31. expressè dicit, *Davidem* in illis verbis *loquutum esse de resurrectione Christi.* *De descensu Christi ad inferos.*

6 Ex v.33. & 34. Quum Christus ideo ascenderit in cælum ut sederet ad dexteram Dei: falsum igitur docent qui dicunt, illum ad dexteram Dei consedisse in utero matris. At sessionem ascensioni successisse, ex pluribus Scripturæ locis liquet: ut Rom.8.34. Heb.1.3. & cap.10.v.12. *De sessione Christi ad dexteram Dei.*

7 Ex vers.37. Electi de peccatis suis ex verbo Dei admoniti, compunguntur corde, & Deo reconciliari desiderant, & modum reconciliationis ex Dei verbo cognoscere expetunt. Usus hujus doctrinæ duplex est: unus, ut verbum Dei sedulò audiamus spe tanti fructus: alter, ut quum effecta illa in nobis senserimus, argumentum habeamus nostræ electionis. *Electorum proprietas.*

8 Ex v.38. Ad consequendum à Deo remissionem peccatorum opus est resipiscentiâ & fide in Christum: ut qui omnibus resipiscentibus & in ipsum credentibus remissionem peccatorum suâ morte impetrarit: ut passim Scriptura docet. *Remissio peccatorum.*

9 Ex eod. v. Baptismus est divinum testimonium, credentibus in Christum remissa esse peccata propter mortem illius. *Baptismus.*

10 Ex v.40. Quibus salus sua cordi est, segregent sese à falsis doctoribus: quales hodie sunt inprimis Jesuitæ, natio verè prava & contorta. Confer Psal.1.v.1. *Falsi doctores.*

11 Ex v.41. Etsi non omnes qui sermonem Evangelii audiunt per illum convertuntur: tamen quoties Deo visum est, magnus audientium numerus convertitur: atque adeò subinde aliqui convertuntur. Confer infrà v.ult. & cap.4.v.4. & cap.5.v.14. *Evangelium.*

12 Ex v.42. Notentur hîc veræ Ecclesiæ signa quatuor, eademque officia verorum Ecclesiæ civium: videlicet doctrinæ Apostolicæ prædicatio & auscultatio, communicatio facultatum cum fratribus egenis, legitima administratio Sacramentorum, & communes preces. *Ecclesia.*

13 Ex v.43. Dominus, quoties expedit, hostium Ecclesiæ rabiem frænat, ut Ecclesia plantari & recreari possit. B.* *Ecclesia.*

*Id est, Beza. Sic deinceps.

14 Ex v.44. & 45. Errant Anabaptistæ, qui ex isto exemplo commu-

Communio bonorum. communionis bonorum regulam faciunt: quum illa nemini ab Apostolis fuerit præcepta, sed liberè à ditioribus suscepta. Confer infrà cap.5. v.4.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Narratur quomodo Petrus & Johannes sanaverint claudum, usque ad v.12. Deinde quomodo Petrus eâ occasione prædicaverit Christum, à v.12. usque ad finem. Ita sunt duæ partes.

PRIMA PARS.

Sanatio claudi per Petrum & Johannem.

CÆterùm Petrus & Johannes simul ascendebant in templum, sub horam precationis, *nempe* nonam:

2 Quidam autem vir claudus ab utero matris suæ, portabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab iis qui ingrediebantur in templum.

3 Is quum vidisset Petrum ac Johannem ingressuros in templum, rogavit ut eleemosynam acciperet.

4 Intentis autem in eum oculis Petrus cum Johanne, dixit; Aspice ad nos.

5 Ille igitur attendebat eos, sperans, se aliquid ab eis accepturum.

6 Petrus autem dixit, Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do; In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.

7 Et prehensâ manu ejus dexterâ, erexit *eum*: illico verò confirmati sunt pedes ipsius ac malleoli.

8 Et exsiliens stetit, & ambulavit, & ingressus est cum eis in templum, ambulans & saliens, & laudans Deum:

9 Viditque eum totus populus ambulantem & laudantem Deum:

10 Et eum agnoverunt illum esse qui ad *petendam* eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt pavore & stupore super eo quod ei contigerat.

11 Quum autem claudus ille qui sanatus fuerat, teneret Petrum & Johannem, cucurrit totus populus ad eos in porticum quæ appellatur Solomonis, expavefactus.

NArratio sanati claudi constat ex quatuor principalibus membris: videlicet occasione, causis instrumentalibus, formâ, & eventis. Occasionem huic sanationi præbuit partim actio Petri & Johannis, partim actiones claudi. Actio illorum fuit, quòd simul ascenderunt in templum, v.1. Hæc actio illustratur ab adjuncto tempore, quòd ascenderint sub horam precationis, nempe nonam. Ubi simul notatur finis: quòd scilicet ascenderint precandi causâ. Actiones claudi fuerunt duæ, una, quòd curavit se deportari ad portam templi quæ dicebatur Speciosa, v.2. Hæc actio illustratur à fine, qui erat, petere eleemosynam ab iis qui ingrediebantur in templum. Atque ita simul indicatur locus ubi ille sanatus fuit. Adhæc morbus claudi amplificatur à causa procreante, quòd claudus fuerit à natura, quippe ab utero matris: itemque ab adjuncta duratione, quòd claudus fuerit per omnem vitam, quippe ab utero matris. Altera claudi actio fuit, quòd petivit à Petro & Johanne eleemosynam, v.3. Atque hæc de occasione.

Causæ instrumentales, id est, actiones ad hanc sanationem adhibitæ, narrantur quinque: quarum aliæ fuerunt Petri & Johannis, aliæ claudi. Primùm Petrus cum Johanne intendit in claudum oculos, v.4. ut nimirum intuitu illius afficerentur ad impetrandum ei arcanis precibus sanationem à Domino. Secundò Petrus jussit illum ipsos aspicere, ibid. ut nimirum eum erigeret in spem beneficii ab ipsis accipiendi. Tertiò claudus eos attendit, v.5. Hæc actio illustratur ab adjuncta spe accipiendi ab illis eleemosynam. Quartò Petrus jussit claudum surgere & ambulare in nomine Jesu Christi, eâdemque operâ sanationem illi promisit, v.6. Hæc promissio illustratur antithesi diversorum, quòd non sit daturus illi argentum vel aurum. Cujus beneficii omissionem excusat commemoratione causæ corrumpentis, videlicet inopiæ suæ. Quintò & postremò Petrus prehensâ claudi manu dexterâ, erexit eum, v.7.

Forma sanationis hujus miraculosæ fuit, quòd illico confirmati sunt claudi pedes ac malleoli: quum primùm scilicet ille fidem adhibuit promissioni per Petrum factæ, ut colligitur tum ex cohærentia sententiarum, tum ex vers.16. infrà. Miraculi ergo ratio fuit in subita illa confirmatione virium claudi per potentiam Dei.

Eventa distribuuntur è personis, tanquam subjectis recipientibus. Alia enim evenerunt in ipso claudo sanato, alia in populo. In claudo evenerunt hæc quinque: 1. Exsiliit. 2. Stetit. 3. Ambulavit. 4. Saliit. 5. Laudavit Deum.

Ambulatio illustratur partim ex adjunctis comitibus, Petro scilicet & Johanne: partim è subjecto loco, videlicet templo. Eventa in populo iterum distribuuntur è populi membris, in ea scilicet quæ evenerunt in populo jam tum præsente, v.9. & 10. & in ea quæ evenerunt in populo tum absente, v.11. Utrique pavore & stupore repleti sunt: illi quidem abducti conspectu claudi sanati, isti verò accurrentes ad illum videndum, simulque Petrum & Johannem.

SECUNDA PARS.

Concio Petri.

12 Quo viso Petrus respondit populo; Viri Israëlitæ, quid miramini super hoc? aut quid intentos oculos in nos habetis, quasi propriâ vi aut pietate effecerimus ut hic ambulet?

13 Deus ille Abrahami & Isaaci & Jacobi, Deus, *inquam*, Patrum nostrorum glorificavit puerum suum Jesum, quem vos tradidistis & abnegastis in conspectu Pilati, quum ille judicasset, esse dimittendum.

14 Vos autem sanctum illum & justum abnegastis, & postulastis homicidam donari vobis:

15 Ducem autem vitæ trucidastis, quem Deus excitavit à mortuis: cujus *rei* nos testes sumus.

16 Et per fidem in nomen ipsius, hunc quem conspicitis ac nostis, confirmavit nomen ipsius: fides inquam quæ in ipsum *est*, dedit isti integritatem hanc coram omnibus vobis.

17 Sed nunc, fratres, scio, vos per ignorantiam *ista* fecisse, sicut & primores vestros.

18 Deus autem quæ prænuntiaverat per os omnium Prophetarum suorum, CHRISTUM passurum, ita implevit.

19 Resipiscite igitur, & convertite *vos*, ut deleantur peccata vestra: postquam venerint tempora refrigerationis à conspectu Domini,

20 Et miserit prænuntiatum vobis Jesum Christum:

21 Quem oportet quidem ut cælum capiat, usque ad tempora restitutionis omnium quæ loquutus est Deus per os omnium sanctorum suorum à sæculo Prophetarum.

22 Moses etenim ad Patres dixit; Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester ex fratribus vestris, sicut me; audietis eum in omnibus quæ loquutus fuerit vobis.

23 Futurum est autem, ut quisquis non audierit Prophetam illum, disperdatur è populo.

24 Sed & omnes Prophetæ à Samuele & iis qui deinceps *fuerunt*, quotquot loquuti sunt, etiam prænuntiarunt dies istos.

25 Vos estis filii Prophetarum & pacti quod pepigit Deus erga patres nostros, dicens ad Abrahamum, Et per semen tuum benedictionem consequentur omnes familiæ terræ.

26 Vobis primùm Deus excitatum puerum suum Jesum misit, qui benediceret vobis, unoquoque sese avertente à pravitatibus suis.

Concionis hujus quinque sunt partes. Primò reprehendit falsam populi opinionem de miraculi per ipsum & Johannem facti causis procreantibus, vers.12. Secundò indicat authorem verum, v.13. & 16. Tertiò reprehendit populum quòd Jesum crucifixissent, vers.13.14. & 15. Quartò eos contra istius sceleris conscientiam consolatur, v.17. & 18. Quintò hortatur eos ad pœnitentiam & fidem in Christum, v.19. & deinceps.

Quod ad primum, negat se & Johannem propriâ vi aut pietate miraculum istud effecisse. Quod ad secundum, affirmat authorem illius miraculi esse Deum & Filium Dei Jesum. Ubi Deum describit ex effectis, videlicet patefactionibus antiquis erga patres. Simulque finem miraculi indicat: ut scilicet Jesum glorificaret, demonstrando nimirum deitatem illius & majestatem cælestem. Deinde vers.16. idem repetit, & simul causam sine qua non, commemorat, videl. fidem istius claudi quam habuit promissioni sibi factæ in nomine Jesu. Quod ad tertium, crucifixionem Domini amplificat antithesibus quatuor. 1. Vos Jesum tradidistis Pilato crucifigendum, & eum coram illo abnegastis: at

Pilatus judicavit eum absolvendum, v.13. 2. Vos Jesum abnegastis: attamen ille fuit sanctus & justus, v.14. 3. Postulastis vobis donari homicidam, videl. Barabbam: at Jesum, principem vitæ, trucidastis, v.14. & 15. 4. Vos Jesum trucidastis: at Deus excitavit eum à mortuis. Quod ad quartum, consolatur eos duobus argumentis: primùm à causa impulsiva, videl. ignorantiâ ipsorum, v.17. deinde ab eventu utili, videlicet impletione scripturarum prophetantium de Christo: cujus eventus causam efficientem per se simul indicat, nempe Deum, v.18. Quod ad quintū, ad pœnitentiam & fidem eos hortatur ab effectis utilibus, videl. remissione peccatorum & vitâ æternâ, per Jesum Christum ipsis donandâ, v.19. Ubi vitam æternam seu gaudia cælestia nominat tempora refrigerationis: & donationem illius declarat à circumstantia temporis futuri, nempe adventus Christi ad judicium, vers. 20. Quem ipsum adventum amplificat antithesi status præsentis, quòd scil. interim dum adveniet, eum oporteat cælo capi, v.21. Ubi diem judicii vocat tempora restitutionis omnium. Ejusque adventum confirmat testimonio generali prophetarum. Deinde adducit testimonium speciale Mosis, vers. 22. & 23. ubi ex mentione exitii quod manet contemtores Christi, relinquitur intelligenda salus credentium in illum, ex natura contrariorum. Tum repetit testimonium generale, v.24. Postea aliud institutæ hortationis argumentum affert, quod sumtum est à causa impulsiva, quòd scil. ipsi sint filii prophetarum & pacti quod pepigit Deus erga patres. Quo ipso hortatur ut credant promissionibus Prophetarum de Christo, in pacto seu federe illo comprehensis. Postremò adhuc unum argumentum addit, quod & ipsum à causa impulsiva sumtum est, videlicet quòd Deus ipsos hoc honore afficiat, ut eis primùm excitaret & mitteret Christum, in principio v.26. Ubi repetit duo argumenta prima, quæ sumta sunt ab effectis utilibus: quæ comprehendit nomine benedictionis: & addit tertium, videlicet renovationem Spiritus sancti, qua avertantur à pravitatibus seu sceleribus suis.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Nonam] τὴν ἐννάτην. *Scilicet ab ortu solis: à qua incipiebat vespera, & ante occasum solis offerebatur juge sacrificium vespertinum.*

6 In nomine] ἐν τῷ ὀνόματι. *Id est, ex mandato. Hoc autem mandatum includebat promissionem valetudinis eo ipso momento dandæ isti claudo, si crederet. Dicit enim postea Petrus, datam ei integritatem per fidem in nomen Christi.*

7 Confirmati sunt] ἐστερεώθησαν. *Ad verbum,* Consolidati sunt. Pedes] αἱ βάσεις. *Ad verbum,* Gressus. *Metonymia effecti.*

11 Teneret] κρατοῦντος. *Eis adhæreret, non passus se ab eis divelli: sed eos sectatus ut benefactores suos.* Expavefactus] ἔκθαμβοι. *Ad verb.* Expavefacti. *Scil. populares. Convenit cum nomine* λαὸς *non voce, sed sensu. Synesis.*

12 Vi] δυνάμει. Kraft. Pietate] εὐσεβείᾳ. *Qua impetraverimus à Deo ac meriti simus, ut in nostram gratiam sanaret istum.*

13 Glorificavit] ἐδόξασε. *Id est, à mortuis excitatum in summam gloriam cælestem evexit, ita ut ille per ministerium nostrum nunc edat talia miracula.* Puerum] τὸν παῖδα. *Id est, ministrum seu servum. Synecd. speciei Hebraica. Sic infrà 4. v.25. Confer Esa. 53.11.* Tradidistis] παρεδώκατε. *Pilato, crucifigendum.* Abnegastis] ἠρνήσασθε. *Negastis, illum esse regem vestrum, scil. Christum.*

14 Homicidam] ἄνδρα φονέα. *Ad verbum,* Virum occisorem. *Nempe Barabbam.* Donari] χαρισθῆναι. *Id est, in gratiam vestram dimitti, & à merito supplicio liberari: postulato interim Jesu innocente ad crucem.*

15 Ducem] ἀρχηγόν. *Id est, authorem. Metaphora.* Vitæ] τῆς ζωῆς. *Scil. æternæ. Synecdoche generis.*

16 In ipsum] δι' αὐτοῦ. *Ex collatione membri præcedentis, quod hîc repetitur, percipitur istas voces hîc idem significare quod* ἐν αὐτῷ *vel* εἰς αὐτόν, *id est,* in eo, *vel* in eum. *Syrus* דְּבֵה *debéh: quod exponi potest tum* ἡ δι' αὐτοῦ, *tum* ἡ ἐν αὐτῷ. *Et Petrus Syriacè loquens illa voce haud dubiè usus fuit.*

19 Ut deleantur peccata vestra] εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι &c. *Id est, ut deletis seu remissis peccatis vestris recipiamini in cælum ad fruendum æternis gaudiis. Synecdoche membri.* Postquam] ὅπως ἄν. *Pro,* ἐπειδάν. *Vide annotationes D. Bez.* Refrigerationis] ἀναψύξεως. *Recreationis piorum qui in hoc mundo variis calamitatibus & persecutionibus subjecti sunt. Metaphora.* Miserit] ἀποστείλῃ. *Nempe denuò, in secundo adventu.*

21 Quem oportet quidem ut cælum capiat] ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι. *Id est,* δεῖ ἵνα ὁ οὐρανὸς δέξηται αὐτόν, τὸν Χριστόν. *Oportet ut cælum capiat ipsum, nempe Christum. Inversio constructionis in relativo pronomine, Petro usitata. Sic 1. Pet. 3. v.21.* ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. *Sensus est: Baptisma correspondens conservationi Noë in aqua, nunc servat nos. Sic 2. Pet. 1.19.* ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες. *Sententia est: Rectè facitis quòd attenditis sermoni illi prophetico. Et hanc syntaxin confirmat nativa significatio verbi* δέχεσθαι: *quod significat recipere in se vel ad se. Unde aptè dicitur, Cælum* δέχεται, *recipit Christum, nempe in se, ut locus rem locatam: non autem aptè diceretur, Christus* δέχεται *cælum. Cæterùm calumniantur qui verbum illud* Capere *exponunt per* Concludere tanquam in carcere. *Nam verbo illo boni authores utuntur, de libera sive commoratione sive habitatione loquentes, ut Terent. Heautont. act. 2. scen. 3. ubi Syrus de adventante mulierum turba loquens ait:* Dii boni, quid turbæ est, ædes nostræ vix capient scio. *Sic Cic. Offic. lib. 1. ubi de societatis humanæ gradibus disserēs inter alia sic ait:* Sequuntur fratrū conjunctiones, pòst consobrinorum sobrinorumque: qui quum unâ domo jam capi non possint, in alias domos tanquam in colonias exeunt. Usque ad tempora restitutionis omnium] ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. *Id est, usque ad diem judicii universalis, quo omnia restituentur in integrum, quæ nunc propter peccatum vanitati subjecta sunt. Periphrasis. Confer Rom. 8. v.20. &c.* Quæ loquutus est] ὧν ἐλάλησεν. *Pro,* ἐκείνων ἃ *vel* οὓς ἐλάλησεν: *prout relativum refertur vel ad proximum nomen* πάντων, *vel ad remotius* χρόνων. *Ad proximum autem potiùs referendum videtur: quia Deus non restituet simpliciter omnia, sed tantùm ea omnia quæ promisit se restituturum: nempe electos homines, & cælum atque terram, id est, mundum hunc inferiorem.* A sæculo] ἀπ' αἰῶνος. *Pro,* τῶν ἀπ' αἰῶνος, *scil.* γεγονότων: *id est, qui à sæculo fuerunt. Ut sit ellipsis gemina. Vel,* ἀπ' αἰῶνος *regitur à verbo* ἐλάλησεν, *loquutus est: & tum vertendum,* Quæ à sæculo loquutus est per os omnium sanctorum suorum prophetarum. ἀπ' αἰῶνος *autem, hîc valet, inde ab origine mundi, ut Joh. 9. v.32. Ex illis prophetis fuit Enoch, de quo in epistola Judæ v.14.*

22 Dixit] εἶπεν. *Scil. Deut. 18. v.15.* Prophetam] ὅτι προφήτην. *Conjunctio* ὅτι *servit mimesi. Prophetam autem, id est, doctorem eximium extra ordinem à Deo missum.* Sicut me] ὡς ἐμέ. *Talem qualis sum ego, seu similem mihi: nempe excellentem sapientiâ doctrinæ cælestis, & magnitudine miraculorum, & insuper mediatorem inter Deum & populum Dei.* Audietis eum] αὐτοῦ ἀκούσεσθε. *Id est, auditote eum. Enallage Hebraica. Hoc est, obeditote ei. Synecdoche membri. Sic versu sequente.*

23 Futurum est autem ut disperdatur] ἔσται δέ, ἐξολοθρευθήσεται. *Ad verb.* Erit autem, disperdetur. *Appositio Hebraica: quæ verbo generali apponitur speciale cum illo conveniens in numero & persona.* Quisquis] πᾶσα ψυχὴ ἥτις. *Ad verb.* Omnis anima quæ. *Id est, Omnis homo qui. Synecdoche membri Hebraica.* Disperdatur è populo] ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ. *Apud Mosen habetur,* Ego reposcam (*seu* requiram) ab illo. *hoc est, puniam illum.*

24 Et iis qui deinceps fuerunt] καὶ τῶν καθεξῆς. *Scil.* γεγονότων.

25 Pacti quod pepigit] διαθήκης ἧς διέθετο. *Pro,* διαθήκης ἐκείνης ἣν διέθετο. Dicens] λέγων. *Scil. Genes. 22.18. Nam hic locus potiùs citari videtur quàm ille Gen. 12. v.3. Quippe in quo non habetur,* In semine tuo: *sed,* In te. Per semen tuum] τῷ σπέρματί σου. *Id est,* διὰ τοῦ σπέρματός σου. *Videtur autem hîc legendum,* ἐν τῷ σπέρματί σου. *Nam sic legitur loco citato.* Familiæ] αἱ πατριαί. *Apud Mosen Gen. 22. v.18. habetur,* Gentes. *Sed nomen* πατριαὶ *pro illo repositum est ex Gen. 12. v.3.*

26 Excitatum misit] ἀναστήσας ἀπέστειλεν. *Id est, Excitavit & misit.* Excitavit *autem, id est, exhibuit & in lucem produxit. Sic infrà cap. 13. v.22. & 23. & 32.* Puerum] τὸν παῖδα. *Ut suprà vers. 13.* Unoquoque sese avertente] ἐν τῷ ἀποστρέφειν ἕκαστον. *Vel,* Convertendo unumquemque vestrûm. *Ita ut hæc actio ad Christum referatur.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex vers. 1. Etsi utile est, certas horas in ecclesiis Christianis quotidie constitutas esse, quibus populus Christianus ad audiendum Dei verbum & preces communes conveniat: sicut olim ex Dei mandato populus Israeliticus quotidie bis conveniebat, manè scilicet & vesperi tempore jugis sacrificii, de quo Exod. 29.38. & deinceps: tamen istiusmodi horarum observatio vacare debet opinione necessitatis & cultus divini: quum non sit in N.T. à Deo præcepta. *Preces.*

2 Ex v.2. & deinceps. Considerandus est finis hujus miraculi, sanati scil. claudi per Petrum. Is fuit, ut hoc modo obsignaretur ipsius cæterorumque Apostolorum doctrina. Quare doctrinam Apostolorum pro certa & indubitata amplecti debemus. *Doctrina Apostolorum.*

3 Ex v.6. Sicut ex verbis Petri dicentis claudo, *Surge & ambula,* falsò colligeretur, illum vires jam tum habuisse ad surgendum & ambulandum: ita ex mandatis divinis ad nos in verbo pronuntiatis falsò colligunt nonnulli, nos jam antea vires habere ad illa exsequendum. Deinde sicut Christus, dum Petrus in nomine ejus claudum surgere & ambulare jussit, hoc ipso mandato (quatenus illud promissionem includebat) & fidem futuræ per ipsum sanationis in claudo effecit, & vires surgendi atq; ambulandi ei infudit: ita idem Christus, dum per ministros verbi ad pœnitentiam & fidem hortatur peccatores, & pœnitentibus atque credentibus gratiam suam promittit, hoc ipso vires illis (dummodo ex numero electorum sint) infundit, quibus & resipiscant & in ipsum credant. *Vires liberi arbitrii.*

4 Ex v.8. & 9. Exemplo illius claudi, beneficio aliquo à Deo affecti, gratis animis bonitatem ejus laudemus atq; celebremus. *Officium hominis Christiani.*

5 Ex v.10. Exemplo illius populi, mirifica Dei opera admiremur, & ad finem eorum attendamus: qui est ut confirmemur in fide doctrinæ cælestis per servos Dei, per quos illa opera Deus edidit, traditæ. *Officium hominis Christiani.*

6 Ex v.12. Miracula quæ Apostoli fecerunt, nec propriâ potentiâ fecerunt: nec suâ pietate apud Deum promeriti sunt, ut per ipsos illa facerent. *Miracula.*

Sanctitas Christi. 7 Ex v.14. Notandum testimonium de sanctitate Christi. Et simul notanda illius causa finalis. Ea autem fuit, ut Christus pro nobis esse posset sanctus sacerdos & sancta victima ad expiandum nostra peccata. Vide Heb.7.v.26. *Talis nos decebat pontifex, pius sive sanctus, ὅσιος &c.* Item 1.Pet.1.v.18.& 19. *Redemti estis pretioso sanguine Christi, tanquam agni immaculati & incontaminati.* Et cap.3.v.18. *Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis.*

Meritum & efficacia Christi. 8 Ex vers.15. Notandum testimonium de merito & efficacia Christi. Nominatur enim dux vitæ, utriusque respectu: quippe qui & morte sua vitam nobis est promeritus, & Spiritu suo nos vivificat per fidem, atque etiam sanctificat ad vitam & gloriam cælestem.

Fides. 9 Ex v.16. Sicut claudus ille per fidem in nomen Christi sanitatem corporis adeptus est, quatenus nimirum credidit promissioni sanationis nomine Christi à Petro sibi factæ: ita nos per fidem in nomen Christi consequimur salutem animæ, quatenus credimus promissioni remissionis peccatorum, quæ nomine Christi à ministris verbi nobis proponitur.

Antilogiæ apparentis solutio. 10 Ex v.17. *Scio vos per ignorantiam ista fecisse, sicut & primores vestros.* Quæri potest, quomodo conveniat hoc pronuntiatum, quantum quidem ad primores Judæorum attinet, cum pronuntiatis Christi; quibus exprobravit Pharisæis nonnullis, quòd blasphement Spiritum sanctum, Matth.12.v.31.& 32. Item quòd si cæci essent, non haberent peccatum, Joh.9.v.41. & c.15. v.22.& 24. Dicendum, Petrum hoc loco non intelligere primores omnes, sed aliquos: indefinitè autem loqui, ut eò plures, spe veniæ propositâ, lucrifaciat.

Peccatum. 11 Ex eod.v. Quæri potest & hoc, an illi tantùm spem veniæ habere possint, qui peccant ex ignorantia? hoc enim per tacitam antithesin innuere videntur verba Petri, quasi diceret: Quòd si non per ignorantiam occidissetis Christum, sed contra conscientiam: non esset vobis spes veniæ reliqua. Respondeo: Petrus hoc loco peccatum ex ignorantia admissum non opponit cuilibet peccato contra conscientiam, sed tantùm peccato in Spiritum S. non poterat utique ignorare quisquam Judæorum, quòd non esset occidendus homo sanctus & justus, qualem Jesum esse sciebant: & ita eo occidendo contra conscientiam peccabant omnes: sed aliqui tantùm ex ipsis erant qui in animis suis convicti erant, Jesum esse doctorem à Deo missum, ac proinde doctrinam ejus esse veram: & tamen eum tanquam seductorem accusabant, & tanquam blasphemum morte damnabant. Hi peccabant in Spiritum sanctum, & his nulla relicta erat veniæ spes.

Gubernatio Dei. 12 Ex v.18. Mirabilis est Dei sapientia & bonitas: qui malis hominum voluntatibus utitur ad bonum: quemadmodum apparet in passione Christi.

Pœnitentia. 13 Ex v.19. Quos per gratiam Dei peccatorum admissorum pœnitet, & remissionem eorum desiderant, & in Christum credunt: illi sciant, & remissionem peccatorum & vitam æternam sibi à Deo promissam esse, certoque præstari.

Corpus Christi. 14 Ex v.21. *Quem oportet quidem ut cælum capiat, &c.* Rectè ex his verbis colligitur, corpus Christi non esse hodie in terris, ac proinde nec in pane cœnæ Dominicæ, & quidem in singulis crustulis quas hostias in Papatu nominant. Quum enim Christus hodie corpore suo sit in cælo, ibique mansurus sit usque ad diem judicii universalis, teste Petro: quumque habeat copus verum, quippe nobis similis factus per omnia, excepto peccato: & verò nullum verum corpus simul esse possit in pluribus locis: sequitur certè, corpus Christi non esse hodie in terris, ac per consequens nec in tot mille hostiis.

Munus propheticum Christi. 15 Ex v.22. & 23. Notetur testimonium de munere prophetico Christi. Porro quum Christus nobis à Patre ordinatus sit in prophetam citra exceptionem audiendum: sedulò doctrinam ejus cognoscamus, & observemus.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Hic primùm narrantur eventa concionis Petri superiore capite recitatæ, ac inter illa inprimis actio judicialis contra Petrum & Johannem à primoribus populi instituta: usque ad v.23. Deinde recitatur precatio credentium pro Apostolis, à v.23. usque ad v.32. Postremò commemoratur credentium conversatio & status, à v.32. usque ad finem.

PRIMA PARS.

Actio judicialis contra Petrum & Johannem.

Loquentibus autem ipsis ad populum, supervenerunt sacerdotes, & præfectus templo, & Sadducæi:

2 Molestè ferentes quòd docerent populum, & annuntiarent in nomine Jesu resurrectionem ex mortuis.

3 Et injecerunt eis manus, posueruntque eos in custodiam in posterum *diem.* Nam erat jam vespera.

4 Multi verò eorum qui audierant sermonem, crediderunt: & factus est numerus virorum quasi quinquies mille.

5 Factum est autem postero *die* ut cogerentur primores eorum, & seniores, & scribæ qui *erant* Hierosolymis:

6 Et Annas pontifex maximus, & Cajaphas, & Johannes, & Alexander, & quotquot erant ex genere pontificio.

7 Quum igitur statuissent eos in medio, percontati sunt, Qua potentia, aut quo nomine vos hoc fecistis?

8 Tunc Petrus repletus Spiritu sancto, dixit eis; Primores populi & seniores Israëlis,

9 Quandoquidem de nobis hodie quæstio habetur super beneficio in hominem ægrotum *collato*, quomodo *videlicet* iste servatus sit:

10 Notum sit omnibus vobis & toti populo Israëlis; per nomen Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus excitavit à mortuis, per hoc, *inquam,* istum adstare in vestro conspectu sanum.

11 Hic est lapis ille pro nihilo habitus à vobis ædificantibus, qui factus est caput anguli:

12 Nec est in alio quoquam salus. nec enim aliud nomen est sub cælo quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.

13 Conspectâ verò Petri in dicendo libertate & Johannis: compertoque, homines esse illiteratos & idiotas: admirabantur, & agnoscebant, eos cum Jesu fuisse.

14 Illum verò videntes stantem cum eis qui sanatus fuerat, nihil poterant contradicere.

15 Jussis autem ipsis extra concilium abire, conferebant inter se,

16 Dicentes, Quid faciemus hominibus istis? nam conspicuum signum editum esse per eos, manifestum est omnibus habitantibus Hierosolymæ, nec possumus negare:

17 Sed ne *id* ampliùs serpat in populum, minaciter interminemur eis, ne posthac ulli hominum loquantur in nomine isto.

18 Itaque vocatis ipsis, denuntiarunt ne omnino loquerentur, vel docerent, in nomine Jesu.

19 Petrus autem & Johannes respondentes, dixerunt eis; An justum sit apud Deum, vobis potiùs auscultare quàm Deo, judicate.

20 Non enim possumus nos quæ vidimus & audivimus, non loqui.

21 Illi verò, non invenientes quomodo punirent eos, additis minis eos dimiserunt, propter populum; quia omnes glorificabant Deum super eo quod factum fuerat.

22 Annorum enim erat ampliùs quadraginta homo ille in quo editum fuerat signum istud sanationis.

Eventa concionis Petri quæ actionem illam judicialem præcesserunt, sunt ista. 1. Primores populi supervenerunt. 2. Molestè tulerunt, quòd Petrus & Johannes docerent. Cujus indignationis causa exprimitur, videl. quòd docerent resurrectionem ex mortuis per Jesum. 3. Posuerunt eos in custodiam. 4. Multi eorum qui sermonem Petri & Johannis audierunt, crediderunt. Hæc multitudo credentium illustratur indicatione speciali, quòd fuerint circiter bis mille: id quod significatur ex effectu, quia per illorum accessionem numerus credentium effectus est quasi quinquies mille: qui antea erat tantùm ter mille, sup. 2.41. Quanquam fieri potest ut interim plures accesserint: ut videtur posse colligi ex capitis secundi versu ultimo. Nisi dicamus, illic contineri sententiam generalem quæ deinceps per exempla declaretur: è quibus exemplis hoc primum est, hæc inquam accessio credentium facta per sermonem illum Petri qui recitatur capite tertio. Atq; ista quatuor eventa actionem judicialem præcesserunt: quæ fuit eventum quintum: & describitur à vers.5. & deinceps. Actio illa describitur primùm à circumstantia temporis, quòd suscepta sit postridie quàm Petrus & Johannes in custodiam fuerant positi, vers.5. Deinde ab enumeratione actorum eorundemque judicum: quæ enumeratio partim est generum, id est, ordinum è quibus judicium sive concilium illud constabat, v.5. partim specierum sive personarum singularium, v.6. Tum narratur quæstio Petro & Johanni proposita: v.7. cujus scopus est, accusare illos seditionis, quippe quòd docuissent in templo & claudum sanassent absq; potestate sibi ab ipsis, tanquam magistratibus & gubernatoribus populi Dei, concessa. Quartò recitatur responsio Petri: cujus summa est, quòd ista fecerint ex potestate sibi datâ à Jesu

Nazareno: quodq; ille resurrexerit à mortuis, & sit Christus. Hæc responsio primùm amplificatur à causa procreante, videl. Spiritu S. quo Petrus fuit repletus, v. 8. Deinde partem illam sermonis qua affirmat Petrus, Jesum esse Christum, confirmat vaticinio Psal. 118. quod in Jesu sit impletum. Demonstratio sic habet:

Lapis ille cujus fit mentio Psal. 118. est Christus.
Atqui Jesus Nazarenus quem vos crucifixistis, est ille lapis.
Ergo &c.

Tum amplificat istius pronuntiati consequens adhibitâ definitione, v. 12. quòd scil. Christum esse nihil aliud sit, quàm hominibus esse authorem salutis, eumq; unicum. Atque hoc quartum istius actionis membrum est. Quintò narrantur istius responsionis eventa partim in actoribus, partim in reis. 1. Admirati sunt actores Petri & Johannis in dicendo libertatem: cujus admirationis causa per se exprimitur, quòd noverant esse homines illiteratos & idiotas, v. 13. 2. Non ausi sunt contradicere. Cujus metus causa per se exprimitur, præsentia claudi sanati, v. 14. 3 Decretum fecerunt de interdicenda illis annuntiatione nominis Jesu, v. 15. 16. & 17. Hoc decretum amplificatur primùm tacitâ antithesi & negatione decreti durioris, nempe de afficiendis illis supplicio capitis: quæ negatio innuitur commemoratione causæ corrumpentis, quòd non poterant negare, manifestum signum sive miraculum per illos esse editum. Deinde amplificatur decretum illud à fine: ne scil. notitia Jesu ampliùs serpat in populum: ubi relinquitur intelligendus finis alter, isque principalis: ne scil. ipsi confunderentur, quòd Christum, principem vitæ, crucifixissent. 4. Decretum illis proponunt, v. 18. 5. Petrus & Johannes contrà protestati sunt, profitentes, se nolle decreto isti obedire. Hęc protestatio confirmatur à causis impulsivis duabus, videl. mandato Dei contrario, v. 19. & conscientiâ veritatis v. 20. 6. Cum minis eos dimiserunt. Quæ dimissio primùm amplificatur ab adjuncta cupiditate puniendi: deinde declaratur è causa impulsiva, videl. metu populi, v. 21. Qui ipse metus è sua causa declaratur: quòd videl. populus Deum laudaret propter miraculum per Petrum & Johannem editum: ibid. Quod ipsum miraculum amplificatur ab adjuncta sanati ætate, v. 21. quæ ætas speciem habet causæ corrumpentis: quasi scilicet fieri non potuerit ut illi integritas virium daretur, propter diuturnam morbi durationem, unde radices egerat & habitum contraxerat.

SECUNDA PARS.
Precatio Ecclesiæ pro Apostolis.

23 Dimissi autem *illi* venerunt ad suos, & annuntiaverunt quæ principes sacerdotum & seniores ipsis dixerant.

24 Isti verò, quum *hæc* audissent, concorditer sustulerunt vocem ad Deum, dixeruntque: Domine, tu *es* Deus ille qui fecisti cælum ac terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt:

25 Qui per os Davidis pueri tui dixisti, Cur fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?

26 Adstiterunt reges terræ & principes coacti sunt eòdem *loci* adversus Dominum, & Christum ejus.

27 Congregati enim fuerunt verè adversus sanctum puerum tuum Jesum quem unxisti. Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israëlis:

28 Ut facerent quæcunque manus tua & consilium tuum priùs definierat ut fierent.

29 Nunc igitur Domine intuere in minas eorum, & da servis tuis, ut cum omni libertate loquantur sermonem tuum,

30 Manu tuâ à te extentâ ad sanandum, *atque* signa & miracula edantur per nomen sancti pueri tui Jesu.

31 Quum autem precati essent, concussus est locus in quo erant congregati: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquuti sunt sermonem Dei cum libertate.

Narrationis hujus membra principalia sunt tria. Primùm enim narratur causa hujus precationis impulsiva, v. 23. Deinde recitatur precatio ipsa, v. 24. & deinceps. Postremò narrantur illius eventa, v. 31. Causa impulsiva fuit relatio interdicti, de quo suprà v. 17. Precatio ipsa amplificatur ab adjunctâ concordiâ precantium, atque adeò à precantium multitudine, quòd videl. credentes omnes precati sint, in principio vers. 24. Partes sunt tres: prooemium, v. 24. narratio, à 25 usq; ad v. 29. & peroratio, v. 29. & 30. In prooemio laudant Deum ab opere creationis, ad confirmandum suam fidem consideratione omnipotentiæ Dei. Narratio continet hostilia facta hostium Jesu erga illum: & amplificatur collatione prophetiæ Davidis Psal. 2. adhibitâ ad consolandum sese contra injurias Domino Jesu illatas, consideratione voluntatis ac providentiæ Dei, ut apparet ex v. 8. Peroratio continet petitionem triplicem, ut patet. Atque hæc de ipsâ precatione. Eventa narrantur tria, ut patet in v. 31.

TERTIA PARS.
Conversatio credentium.

32 Multitudinis autem eorum qui crediderant, erat cor & anima una: nec quisquam aliquid eorum quæ habebat, suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia.

33 Et Apostoli magnâ potentiâ edebant testimonium resurrectionis Domini Jesu: & gratia magna erat super eos omnes.

34 Nullus enim erat egens inter eos. quotquot enim erant possessores agrorum aut domorum, vendentes adferebant pretia eorum quæ vendita fuerant:

35 Et deponebant ad pedes Apostolorum. distribuebatur autem *hoc* singulis prout cuique opus erat.

36 Joses ergo qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, (quod est, si interpreteris, filius consolationis) Levites, Cyprius genere,

37 Quum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pecuniam, deposuitque ad pedes Apostolorum.

Narrationis hujus summa est, quòd conversatio credentium fuerit amica & benefica: quodque Apostoli strenuè prædicarint Christum: & denique quòd magna omnium fuerit gratia & authoritas ad populum. Beneficentia autem quam divites erga egenos exercuerunt, illustratur facto speciali, v. 34. & 35. Cujus facti exemplum speciale subjicitur versibus duobus ultimis.

SCHOLIA IN CAP. IV.

3 In posterum diem] εἰς τὴν αὔριον. *Scil.* ἡμέραν.

4 Sermonem] τὸν λόγον. *Nempe Petri, suprà c. 3. v. 12. & sequentibus. Itaque articulus est ἀναφορικός.* Et factus est] καὶ ἐγενήθη. *Id est, Et ita factus est,* καὶ οὕτως ἐγενήθη: *nempe per accessionem illorum qui secundâ illâ concione Petri ad fidem fuerant adducti. Etenim verbis illis notatur πόρισμα seu corollarium, quo significatur quid ex eo evenerit, quòd tum quoq; multi crediderunt; nempe ut numerus credentium in magnam summam excreverit, & ferè duplò auctus fuerit. Quod si de illis loqueretur Lucas qui tum crediderunt, dixisset,* οἵτινες ἦσαν ὡσεὶ χιλιάδες πέντε, *Qui erant circiter quinq; millia. Simile ellipseos exemplum vide Luc. 24. v. 26.* Virorum] τῶν ἀνδρῶν. *Nempe illorum qui adhærebant Apostolis.* Quasi quinquies mille] ὡσεὶ χιλιάδες πέντε. *Quum antea essent quasi ter mille, suprà 2. 41.*

5 Postero die] ἐπὶ τὴν αὔριον. *Scil.* ἡμέραν. *Pro,* ἐν τῇ αὔριον. *Heterosis.* Ut cogerentur] συναχθῆναι. *Seu* congregarentur. Qui erant Hierosolymis] εἰς Ἱερουσαλήμ. *Pro,* οἱ ἐν Ἱερουσαλήμ *Scilicet* ὄντες. *Ellipsis articuli, & heterosis Hebraica. His enim verbis distinguuntur scribæ Hierosolymitani à cæteris qui extra urbem in aliis oppidis degebant.*

7 Eos] αὐτοὺς. *Petrum &* Johannem. Quâ potentiâ] ἐν ποίᾳ δυνάμει. *Ad verb.* In quali potentiâ. *Præpositio redundat ex Hebraismo: & ποίᾳ ponitur pro τίνι, per heterosin Græcam. Sententia est, Cujus potentiâ fecistis hoc?* **Durch weß kraft ꝛc.** Quo nomine] ἐν ποίῳ ὀνόματι. *Ad verbum,* In quali nomine. *Hebraismus & Græcismus, qualis modò antecessit. Sensus est, Cujus nomine seu mandato?* Hoc] τοῦτο. *Sanationem claudi, suprà cap. 3.*

9 Quandoquidem] εἰ. *Vel,* Siquidem. *Pro,* ἐπεὶ *vel* ἐπειδὴ. *Heterosis.* De nobis quæstio habetur] ἡμεῖς ἀνακρινόμεθα. *Ad verbum,* Nos judicamur. Quomodo] ἐν τίνι; *Vel,* Per quem. *Pro,* διὰ τίνος; Servatus sit] σέσωσται. *Senatus. Synecdoche generis.*

10 Per nomen &c.] ὅτι ἐν τῷ ὀνόματι. *Hæc verba pendent à verbo* παρέστηκεν, adstare, *in fin. vers.*

11 Hic] οὗτος. *Jesus Nazarenus.* Qui factus est caput] ὁ γενόμενος εἰς κεφαλήν. *Ad verb.* Qui factus est in caput. **Der zum eckstein gemacht ist:** *id est, ut sit caput anguli. Hebraismus.*

12 In alio] ἐν ἄλλῳ. *Id est, Per alium.* Aliud nomen] ὄνομα ἕτερον. *Id est, alius. Metonymia adjuncti.* Per quod] ἐν ᾧ. *Ad verbum,* In quo.

17 Minaciter interminemur] ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα. *Ad verb.* Minis minemur. *Pleonasmus Hebraicus, sed emphaticus: pro, Gravissimè minemur.*

21 Quomodo] πῶς. *Quâ specie recti, quóve prætextu juris. Synecdoche generis.*

22 Signum] τὸ σημεῖον. *Miraculum.*

24 Isti verò] οἱ δέ. *Pro,* αὐτοὶ δέ. Tu es Deus] σὺ ὁ Θεὸς. *Scil.* εἶ. *Ellipsis Hebraica.*

25 Pueri tui] τοῦ παιδός σου. *Id est, servi tui. Sic suprà cap. 3. v. 13. & 26. Hebraismus. Sic Josua, quamvis ætate vir, vocatur puer Mosis. Est synecdoche generis: quia pueri inprimis adhibentur ad serviendum.* Cur] ἵνα τί. *Ad verb.* Ut quid. *Sic Græci interpretes passim in Psalmis expresserunt vocem Hebraicam* למה *lamáh: id est, Ad quid, vel propter quid:* εἰς τί *vel* διὰ τί.

27 Coacti sunt] συνήχθησαν. *Vel,* Congregati sunt. Puerum] παῖδα. *Sic paulò pòst v. 30. Confer c. 3. v. 13.* Unxisti] ἔχρισας. *Scil.*

Spiritu

Spiritu sancto ad serviendum tibi in munere prophetico, sacerdotali & regio. Metaphora.

28 Ut facerent &c.] ποιῆσαι. *Pro,* τὸ ποιῆσαι. *Scil.* ἕνεκα. Quæcunque manus tua &c.] ὅσα ἡ χείρ σου. *Confer suprà cap.2. v.23.*

30 Omnes] ἅπαντες. *Scil. Apostoli: pro quibus istæ preces fuerunt concepta, ex v.29.*

32 Cor] ἡ καρδία. *Scil.* μία. *unum. Per* ὑπόζευγμα.

33 Potentia] δυνάμει. *Scil. persuadendi. Synecdoche generis.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

Consolatio contra persecutionem. 1 Ex vers.1. & seqq. Contra persecutionem quâ hodie multi, qui principem in ecclesia locum tenent, tum prælati ecclesiastici, tum magistratus politici, nos propter Evangelii professionem variis modis persequuntur: consolemur nos exemplo Apostolorum, quibus idem à prælatis & magistratibus Hierosolymitanis evênit.

Officium hominis Christiani. 2 Ex v.8. & seqq. Quoties de factis nostris aut religione nostrâ ab illis qui rerum potiuntur, interrogamur: debemus exemplo Petri ingenuam confessionem edere. Confer 1.Pet.3.vers.15. Matth.10.v.32. & 33.

Consolatio contra metum adversariorum Evangelii. Confessio fidei. 3 Ex v.8. ex verbis, *Tunc Petrus repletus Spiritu sancto.* Quum nobis edenda est fidei nostræ confessio coram principibus & magnatibus quos scimus illi adversari: bono animo simus, sperantes nos Spiritu sancto repletum iri ad veritatem cælestem rectè exponendam, & ex verbo Dei demonstrandam. Hoc enim promisit Christus omnibus confessoribus suis, Luc.21.v.15.

Ecclesia. 4 Ex v.11. Christus est fundamentum Ecclesiæ: super quod per fidem ædificari oportet quotquot salutem æternam adepturi sunt. Confer Eph.2.v.20. & seq. 1.Pet.2.v.4. & seq.

Vita æterna. 5 Ex v.12. Solus Christus est author salutis æternæ, quo ad meritum. Nam ipse solus illam nobis est promeritus morte suâ: quatenus per illam abolevit peccata nostra, Heb.9. v.26. atque ita nos sanctificavit, Hebr.10. v.10.12.14. Deoque nos reconciliavit, Rom.5.v.10. & maledictione à nobis sublatâ, benedictionem nobis attulit, Gal.3.v.13. & 14. & denique libertatem ingrediendi in cælum contulit, Heb.10. v.19. Quo ad efficaciam verò, illa communis est Christo cum Deo Patre & Spiritu sancto. Hunc enim ipse mittit à Patre in corda electorum, ut in illis per Evangelii prædicationem efficiat fidem quâ meritum ipsius amplectantur sibique applicent, & studium bonorum operum per quod tanquam viam in cælum ambulent. Facessant ergo hinc merita hominum, quæ fingunt in Papatu: nec non commentitia media meriti Christi applicandi; ut sunt celebrationes missarum, indulgentiæ, opus (ut vocant) operatum in perceptione Baptismi & Cænæ Domini.

Evangelii hostes. Ambitio. Avaritia. 6 Ex v.13. & sequentibus. Qui odium veritatis cælestis, ambitione & avatiâ ducti, semel conceperunt: illi etiamsi ita fuerint in animis suis convicti, ut contradicere veritatis confessoribus non possint: tamen, quoad possunt, cursum illius impedire, eamque opprimere & æterno silentio sepelire conantur. Caveamus igitur ambitionem & avaritiam, & oremus Deum ut corda nostra flectat in veritatis verbo suo patefactæ amorem.

Obedientia. 7 Ex v.19. & 20. Si superiores aliquid nobis mandent, quod pugnat cum mandato Dei, non debemus eis obedire. Confer infrà 5.v.29. Matth.10.v.37. & 22.v.21.

Consolatio contra hostes Evangelii. 8 Ex v.21. Deus, quoties visum est, cohibet furorem hostium Evangelii, ne quantum vellent, sævire in confessores illius possint. Hoc confessoribus solatium afferre debet.

Consolatio contra hostes Evangelii. 9 Ex v.24. & sequentibus. Minis hostium Evangelii opponere debemus meditationem omnipotentiæ ac providentiæ Dei, & preces, ut nobis det constantiam in veritate confitendâ.

Preces. 10 Ex v.31. Deus preces ex fide profectas & ad gloriam ipsius directas exaudit.

Eleemosyna. 11 Ex v.32. & seqq. Christianos decet de facultatibus suis fratribus egenis communicare, ne quid eis ad vitam sustentandam desit. Interim errant Anabaptistæ, qui communionem bonorum qua nihil cuiquam proprium relinquatur, à singulis postulant. Neque enim talis communio à primis illis Christianis fuit observata: & illa quam observarunt, bonorum suorum communicatio, nemini fuit præcepta, sed liberè ab illis observata: ut liquet ex verbis Pet.c.5.v.4.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Tria narrantur. Primùm quomodo Deus puniverit hypocrisin Ananiæ & Sapphiræ, usque ad v.12. Deinde quis fuerit Ecclesiæ status, à v.12. usque ad 17. Postremò quomodo primores populi seu magistratus Hierosolymitani novam persecutionem susceperint adversus Apostolos, à v.17. usque ad finem.

PRIMA PARS.

Hypocrisis Ananiæ & Sapphiræ punita.

Vir autem quidam nomine Ananias, cum Sapphira uxore suâ, vendidit possessionem:

2 Et intervertit *aliquid* ex pretio, consciâ etiam uxore suâ: allatamque partem aliquam ad pedes Apostolorum deposuit.

3 Dixit autem Petrus; Anania, cur implevit Satanas cor tuum ut falleres Spiritum sanctum, & interverteres ex pretio istius prædii?

4 Nonne dum manebat, manebat tibi, & venundatum in tua erat potestate: quid erat cur induceres in animum rem istam? non es mentitus hominibus, sed Deo.

5 Audiens autem Ananias hos sermones, cecidit & exanimatus est. Et obortus est timor magnus omnibus qui hæc audiebant.

6 Surgentes autem juvenes corripuerunt eum, elatumque sepelierunt.

7 Intercessit autem ferme horarum trium intervallum, quum uxor quoque ipsius, nesciens quod factum fuerat, ingressa est:

8 Dixit autem ei Petrus; Dic mihi, num tanti prædium vendidistis? Ipsa verò dixit; Etiam, tanti.

9 Petrus autem dixit ei, Quid *est* cur convenerit inter vos ut tentaretis Spiritum Domini? ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium *adsunt* & efferent te.

10 Illico verò cecidit ad pedes ejus, & exanimata est: ingressi autem juvenes invenerunt eam mortuam, & elatam sepelierunt juxta virum suum.

11 Et obortus est timor magnus toti ecclesiæ & omnibus qui hæc audiebant.

Narrationis hujus partes principales sunt tres. Primùm hypocrisis Ananiæ & Sapphiræ exponitur, vers.1. & 2. Deinde Ananias à Petro punitur, v.3. & deinceps. Postremò punitur & Sapphira, à v.7. usque ad 12. Hypocrisis seu factum hypocriticum fuit, quòd partem de pretio possessionis à se venditæ deposuerunt ad pedes Apostolorum, interim præ se ferentes, se deponere totum. Putarunt igitur se fallere Apostolos, & quantum in ipsis fuit, fefellerunt, & quæsiverunt gloriam beneficentiæ erga pauperes, & diffisi fuerunt providentiæ Dei: quasi ortâ persecutione ac dispersione discipulorum, fame sibi pereundum esset, nisi partem aliquam pretii penes se clam reservassent. Punitio fuit, quòd Petrus Ananiam occidit suâ reprehensione. Reprehensio amplificatur primùm à causa efficiente principali illius hypocriseos, quæ fuit Satanas implens cor Ananiæ: id est, incitans animum illius ad ambitionem, v.3. Deinde à remotione causæ impulsivæ probabilis: quòd non fuerit ei ab Apostolis mandatum ut venderet prædium suum, pretiúmve illius deponeret, v.4. Tum additur amplificatio ab objecto mendacii Ananiæ, id est, personæ cui mentitus erat, per antithesin disparatorum, ubi ait, *Non es mentitus hominibus; sed Deo*, ibid. Cædes fuit miraculosa: quia statim auditâ reprehensione Petri, concidit Ananias & animam efflavit, v.5. Hæc punitio illustratur ab eventis duobus, videlicet timore qui inde obortus fuit omnibus qui hæc audiebant, ibid. & sepulturâ Ananiæ, v.6. Reprehensio ac punitio Sapphiræ illustratur primùm ab adjuncto tempore, quòd acciderit trium ferme horarum intervallo post maritum interfectum, v.7. Deinde ab occasione, videl. adventu ipsius in cœtum discipulorum: qui adventus illustratur remotione causæ corrumpentis, quòd videlicet nescierit quod factum fuerat de marito, ibid. Tum illustratur ipsa reprehensio à causa impulsiva, quòd videlicet Sapphira mentita fuit Petro de pretio illo agri venditi: quod mendacium declaratur ex occasione, videl. interrogatione Petri, v.8. Præterea reprehensio declaratur ab objecto mendacii Sapphiræ, quòd videlicet tentarit Spiritum Domini. Item à modo agendi, quòd inter ipsam & maritum de isto mendacio convenerit, atque adeò quòd ex proposito & deliberato consilio mentiti sint Apostolis, v.9. Tum additur denuntiatio pœnæ divinæ imminentis, ibid. Cædes Sapphiræ similiter ut Ananiæ, fuit miraculosa, v.10. Postremò narrantur eventa duo: sepultura Sapphiræ, ibidem; & timor inde obortus, v.11.

SECUNDA PARS.

Status Ecclesiæ.

12 Per manus autem Apostolorum edebantur signa & miracula multa in populo: (& erant concorditer omnes in porticu Solomonis.

13 Cæterorum autem nemo audebat se ipsis adjungere: sed magnificabat eos populus.

14 Imò verò adjiciebantur qui crederent Domino, multitudines virorum simul ac mulierum.)

15 Adeò ut in plateas efferrent ægrotos, & ponerent in lectis ac grabatis, ut venientis Petri vel umbra inumbraret aliquem eorum.

16 Conveniebat autem etiam vulgus vicinarum ur-

bium Hierosolymam, ferentes ægrotos ac vexatos à spiritibus impuris: qui sanabantur omnes.

Status Ecclesiæ narratur gloriosus. Gloriæ illius partes narrantur quinque: 1.Miracula Apostolorum, Ecclesiæ illius præfectorum, v.12. item 15. & 16. 2.Frequentia congregatorum in sacro cœtu, vers.12. 3.Terror injectus reliquis, ne auderent sese ipsis aggregare, v.13. 4.Prædicatio populi, ibid. 5.Incrementum seu accessio quotidiana discipulorum, v.14. Miracula narrantur primùm generaliter, v.12. deinde specialiter, v.15.& 16. Specialis illa narratio illustratur distributione ex objectis, id est, personis in quibus illa fuerunt edita. Quæ personæ discernuntur è subjectis locis: Aliæ enim degebant in ipsa urbe, vers.15. aliæ extra urbem, v.16. Utrumque genus personarum illustratur ex adjuncto studio amicorum opem illis ferentium & miraculosæ sanationi Apostolorum eos offerentium. Ac priores quidem elati fuerunt in plateas, posteriores in urbem illati. Præterea priorum sanatio illustratur ex modo agendi, videlicet inumbratione à Petro transeunte.

TERTIA PARS.

Persecutio Apostolorum nova.

17 Exsurgens autem Pontifex maximus, & omnes qui cum eo erant (quæ est secta Sadducæorum) repleti sunt invidiâ:

18 Et injecerunt manus in Apostolos, posueruntq; eos in custodia publica.

19 Sed angelus Domini per noctem aperuit fores carceris: eductisque illis dixit,

20 Ite, & consistentes loquimini populo in templo omnia verba vitæ hujus.

21 Illi verò quum *hæc* audissent, introierunt sub diluculum in templum, & docebant: Adveniens autem pontifex maximus, & qui cum eo *erant*, convocaverunt concilium & universum senatum filiorum Israëlis: miseruntque in carcerem ut illi adducerentur.

22 Quum autem venissent ministri, non invenerunt eos in carcere: *quod* reversi annuntiaverunt,

23 Dicentes, Carcerem quidem invénimus clausum quàm tutissimè & custodes extrà stätes ante fores: quum aperuissemus autem, neminem intus invénimus.

24 Ut verò audierunt hos sermones & pontifex maximus & præfectus templo principesq; sacerdotum, ambigebant de illis, quónam hoc evasurum esset.

25 Adveniens autem quidam, nuntiavit eis; Ecce, viri quos conjeceratis in carcerem, stant in templo, & docent populum.

26 Tunc præfectus abiens cum ministris, adduxit eos, non *tamen* per vim. (timebant enim populum ne lapidarentur.)

27 Adductos autem eos statuerunt in concilio: & interrogavit eos Pontifex maximus,

28 Dicens; Nónne etiam atque etiam denuntiavimus vobis ne doceretis in nomine isto? & ecce, replevistis Hierosolymam doctrinâ vestrâ, & vultis super nos inducere sanguinem hominis istius.

29 Respondens autem Petrus & Apostoli, dixerunt; Obedire oportet DEO potiùs quàm hominibus.

30 DEUS patrum nostrorum excitavit JESUM, quem vos interfecistis suspensum in ligno.

31 Hunc Deus *in* ducem & servatorem exaltavit dexterâ suâ, ut det resipiscentiam Israëli & remissionem peccatorum.

32 Et nos sumus ei testes rerum istarum: atque etiam Spiritus sanctus, quem dedit Deus iis qui obediunt ipsi.

33 At illi *his* auditis frendebant, & consilium inibant eos interimendi.

34 Surgens autem in concilio quidam Pharisæus, nomine Gamaliel, Legis doctor, quem totus populus in pretio habebat, jussit ut paulisper abducerent foras Apostolos:

35 Et dixit illis; Viri Israëlitæ, attendite vobis ipsis, quod ad istos homines *attinet*, quid facturi sitis.

36 Nam ante hæc tempora exortus est Theudas, dicens, se aliquem esse, cui adhæsit numerus virorum circiter quadringentorum: qui interemtus est, & omnes qui assensi sunt ei, dissoluti sunt, & ad nihilum redacti.

37 Post hunc exortus est Judas ille Galilæus, temporibus descriptionis, & avertit populum multum post se: etiam ille periit, & omnes qui assensi fuerant ei, dispersi sunt.

38 Nunc itaque dico vobis, abstinete ab hominibus istis, & sinite eos: quoniam si est ex hominibus consilium sive opus hoc, dissolvetur:

39 Sin ex Deo est, non potestis dissolvere; *& videte* ne etiam cum Deo pugnare comperiamini.

40 Paruerunt autem ei: & quum advocassent Apostolos, cæsis denuntiarunt ne loquerentur in nomine Jesu: & dimiserunt eos.

41 Ipsi ergo à conspectu concilii abierunt, gaudentes, quòd digni habiti essent qui pro nomine Jesu contumeliâ afficerentur.

42 Et quotidie in templo & domi non cessabant docere & evangelizare Jesum Christum.

Persecutio hæc Apostolorum declaratur ex causa impulsiva, & partibus, & partium eventis. Causa impulsiva fuit invidia persequentium, v.17. Partes persecutionis fuerunt duæ. Prior, quòd Apostoli conjecti fuerunt in carcerem, v.18. Posterior, quòd flagellati sunt, v.40. Eventa incarcerationis commemorantur septendecim.

1 Apostoli è carcere educti sunt per angelum, v.19.
2 Jussi sunt docere in templo, v.20.
3 Docuerunt in templo, v.21.
4 Jussi sunt è carcere adduci in concilium, v.21.
5 Non sunt in carcere inventi, v.22.
6 Inopinatus ille eventus annuntiatus est concilio, v.23.
7 Nuntio illo obstupefactum est concilium, v.24.
8 Obstupefactis annuntiatum est, Apostolos docere in templo, v.25.
9 Inde adducti sunt Apostoli in concilium, v.26.
10 Objurgati sunt à Pontifice max. propter transgressionem edicti, v.27.28.
11 Petrus se suosque collegas defendit, eâdemque operâ prædicavit Jesum, v.29.30.31.32.
12 Concilium exacerbatum cœpit consultare de illorum nece, v.33.
13 Consilio isti intercessit Gamaliel, v.34.35.36.37.38.39.
14 Cæteri consilio Gamalielis paruerunt, v.40.
15 Curarunt Apostolos flagellari, ibid.
16 Interdixerunt eis prædicatione Jesu, ibid.
17 Dimiserunt eos, ibid.

Atque hæc de eventis incarcerationis, in quorum numero est & altera persecutionis pars, videlicet flagellatio Apostolorum. Cujus eventa deinceps narrantur duo. Primùm, quòd Apostoli gavisi sunt, vers.41. alterum, quòd in officio suo strenuè perrexerunt, v.ult.

Cæterùm sermo Petri duas habet partes: defensionem & prædicationem Jesu. Defensio constat expositione causæ impulsivæ, in hanc sententiam: Deus non jussit prædicare Jesum: ergo rectè fecimus quòd illum prædicavimus. Objectio: At nos interdiximus. Responsio: At potiùs obediendum Deo quàm hominibus. Hæc apologia petita est à collatione imparium. Majori major debetur obedientia: sique accidat ut non possit utriq; obediri simul, propter mandatorum scil. contrarietatem: tum obediendum majori soli. Prædicatio Jesu tria membra continet, id est, de Jesu tria prædicat: 1. quòd Deus illum excitârit ex mortuis, v.30. 2. quòd eum exaltârit ad suam dexteram, v.31. 3. quòd constituerit eum principem sui populi ac servatorem, ibid. Primum & secundum membrum amplificantur à facto contrario primorum populi: quòd scilicet Jesum occiderint, idque cum ignominia. Tertium membrum declaratur ex effectis duobus, nempe duobus beneficiis Messiæ propriis & ad salutem æternam necessariis: quæ sunt Resipiscentia & Remissio peccatorum. Huic prædicationi additur confirmatio à testimonio duplici: uno ipsorum Apostolorum, altero Spiritus S. quod posterius declaratur ex objecto, id est, personis quibus Spiritus sanctus testimonium illud dicat, v.32.

Porrò Gamaliel laudatur ab adjunctis duobus, videlicet professione seu genere vitæ, quòd fuerit doctor Legis: & honorificâ populi de ipso opinione, quòd populus eum in pretio habuerit, v.34. Sermo autem Gamalielis constat tribus principalibus membris: propositione, confirmatione, & conclusione. Propositionis sententia est: Nolite istos homines damnare ad mortem, v.35. Confirmatio petita est ex eventis per disjunctionem: Quia opus hoc aut sponte dissolvetur, aut dissolvi à vobis non poterit. Approbatio per dilemma è causis procreantibus. Quia hoc opus aut est ex hominibus, & tunc spontè dissolvetur, aut ex Deo, & tunc dissolvi à vobis non poterit, v.38.& 39. Prior dilemmatis pars confirmatur duobus exemplis; uno Theudæ, v.36. altero Ju-

tero Judæ Galilæi, v.37. Posterior dilemmatis pars amplificatur collatione eventi deterioris, videlicet exitio propter θεομαχίαν, v.39. Cæterum conclusio inseritur in principio v.38.

SCHOLIA IN CAP. V.

2 Intervertit] ἐνοσφίσατο. *Seperavit clam ut sibi retineret ad suos usus.*

3 Cur implevit Satanas &c] διὰ τί ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς *&c. Id est, Cur dedisti locum Satanæ? cur cessisti tentationi ejus, ut impleret cor tuum? Synecdoche membri metonymica:* Ut falleres Spiritum sanctum] ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Id est, ut fallere conareris &c.* Daß du den häiligen Gäist betrögest / das ist / dich unterstündest zu betriegen. *Metonymia subjecti.* Spiritum sanctum] τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Id est, Nos Apostolos in quibus agit Spiritus, & quibus revelat quæ opus est ad ædificationem Ecclesiæ. Metonymia adjuncti.* Et interverteres] καὶ νοσφίσασθαι. *Id est, Intervertendo, seu dum intervertisti ex pretio prædii, & interim tamen videri voluisti deponere apud nos totum.*

4 Nonne dum manebat, manebat tibi?] οὐχὶ μένον, σοὶ ἔμενε; *Ad verb.* Nonne manens, tibi manebat? *Dum manebat.* μένον. *Scil. in tua possessione. Hanc expositionem postulat antithesis, quâ verbo* μένον *opponitur verbum* πραθέν. Tibi] σοί. *Id est, ad tuos usus.* Venundatum] πραθέν. *Seu venditum. Scil. prædium,* τὸ χωρίον. *Id est, pretium prædii venditi. Metonymia efficientis, vel subjecti.* Induceres in animum] ἔθου ἐν τῇ καρδίᾳ σου. *Ad verb.* Poneres in corde tuo. *Hebraismus.* Hominibus] ἀνθρώποις. *Nempe nobis Apostolis: ut tu quidem propositum tibi habuisti.* Deo] τῷ Θεῷ. *Nempe Spiritui sancto, qui in nobis agit; & arcana, quum opus est, nobis revelat. id quod tu non attendisti.*

5 Cecidit, & examinatus est] πεσὼν ἐξέψυξε. *Vel,* Collapsus animam efflavit, *sive* exspiravit.

6 Juvenes] οἱ νεώτεροι. Die Jünglinge. *Græcum Latino expressius propter articulum: quo notantur juvenes qui membra erant illius cœtus.*

7 Ingressa est] εἰσῆλθεν. *Sive in templum, sive in domum aliquam. Confer suprà 2.46.*

9 Virum] τὸν ἄνδρα. *Id est, maritum. Synecdoche generis. Sic v. seq.* Te] σε. *Scil. posteaquam collapsa fueris mortua.*

16 Ferentes] φέροντες. *Construitur cum nomine* τὸ πλῆθος, vulgus, *per synesin; quam vulgò synthesin appellant.* Sanabantur] ἐθεραπεύοντο. *Ad verb.* Curabantur. *Pro* ἰῶντο. *Metonymia efficientis* καταχρηστική.

19 Fores] τὰς θύρας. *Sive, januas. Nam carcer habebat plures januas sive portas: ut videre est infrà cap.12. v.6. & 10.*

20 Omnia verba vitæ hujus] πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης. *Videtur esse Hebraismus, pro,* πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταῦτα, Omnia hæc verba vitæ. *Intelliguntur autem verba Evangelii, quæ sunt verba vitæ æternæ: ut nominantur à Petro* Johan. 6. *vers. 68. Id est, quæ cedenti afferunt vitam æternam. Genitivus effecti.*

23 Quàm tutissimè] ἐν πάσῃ ἀσφαλείᾳ. *Ad verb.* In omni securitate: *id est, cum omni securitate. Hebraismus.*

28 Et ecce] καὶ ἰδοὺ. *Vel,* At ecce. *Vel,* Et tamen ecce. *Nam est* ἀντίθεσις. Sanguinem] τὸ αἷμα. *Id est, pœnam sanguinis, effusi scilicet à nobis. Metonymia efficientis: qualis in illo,* Sanguis ejus veniat super nos & liberos nostros. *Matth. 27.25.* Hominis istius] τοῦ ἀνθρώπου τούτου. *Scil.* Jesu *Nazareni.*

30 Excitavit] ἤγειρεν. *Vocavit ad fungendum munere Christi.* In ligno] ἐπὶ ξύλου. *Id est, cruce lignea. Metonymia materiæ. Sic Deut. 21.23. 1. Pet. 2.24.*

31 In ducem] ἀρχηγόν. *Pro,* εἰς ἀρχηγόν. *Id est, ut sit dux. Ellipsis præpositionis, qualis Rom. 4. v.11. Accepit signum circumcisionis,* σφραγῖδα: *pro,* εἰς σφραγῖδα, *in sigillum, id est, ut esset sigillum. Confer suprà 2.36. Potest tamen & sic verti:* Hunc Deus ut ducem & servatorem exaltavit ad dexteram suam. *ut* τῇ δεξιᾷ *valeat,* πρὸς τὴν δεξιάν, *Sicut suprà 2.33.* Ut det] δοῦναι. *Pro,* τοῦ δοῦναι. *Scilicet* ἕνεκα. Israël] τῷ Ἰσραήλ. *Id est, Israëlitis. Metonymia efficientis.*

32 Rerum istarum] τῶν ῥημάτων τούτων. *Ad verb.* Verborum istorum. *Metonymia Hebraica.*

34 Paulisper] βραχύ τι. *Scilicet* μέρος τοῦ χρόνου. *Sic Heb. 2. vers. 9.*

37 Temporibus] ἐν ταῖς ἡμέραις. *Ad verb.* In diebus. *Hebraismus.*

38 Nunc itaque] καὶ τὰ νῦν. *Pro,* νῦν οὖν. *Hebraismus.*

39 *Et videte* ne.] μήποτε. *Pro,* καὶ βλέπετε μήποτε. *Ellipsis Hebraica, qualis Gen. 3.22.*

40 Cæsis] δείραντες. *Posteaquam cecidissent eos, scilicet virgis, seu flagellis.*

42 Non cessabant docere &c.] οὐκ ἐπαύοντο διδάσκοντες *&c. Pro,* διδάσκειν καὶ εὐαγγελίζεσθαι. *Hellenismus.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

Consolatio contra hypocritas.

1 Ex v.1. & sequentibus. Quum comperimus, cœtibus nostris admixtos esse hypocritas: consolemur nos exemplo ecclesiæ Hierosolymitanæ, cui idem evênit. Porrò exemplis punitorum Ananiæ & Sapphiræ moniti, hypocrisin detestemur, Deumque oremus ne illâ corripiamur.

Gubernatio Dei.

2 Ex v.13. & 14. Quoties Deo visum est, etiam inter medios Evangelii hostes Ecclesiam sibi magnam colligit per prædicationem verbi. Atque ita Christus dominatur in medio inimicorum suorum, Psal. 110.

De reliquiis sanctorum.

3 Ex v.15. Hic locus nihil valet ad confirmandum superstitiosum illum contactum reliquiarum Sanctorum. Neque enim ægroti illi umbram Petri venerabantur: nec consequens est, si Deus tunc per umbram Petri (non tamen virtute illius umbræ) ægrotos voluit sanare, idem velle efficere per contactum ossium Sanctorum defunctorum: nec verbum Dei ullum ad hanc Dei voluntatem demonstrandam potest afferri: nec si posset, inde sequeretur, ossa illa esse veneranda.

Consolatio contra persecutionem.

4 Ex vers. 17. 18. 40. 41. & 42. Si fideles ministri verbi Dei propter doctrinam Evangelii ab hostibus illius conjiciantur in carcerem, & verberibus aliisve contumeliis afficiantur, consolentur se exemplo Apostolorum, quibus idem evênit. Imò exemplo illorum gaudeant: & dimissi, constanter in Evangelio docendo pergant.

Angeli.

5 Ex v.19. Dominus, quoties visum est, fideles suos servos per Angelos ex periculis liberat. Confer infr. cap. 12. v.7. & seqq.

Evangelium.

6 Ex v.20. *Loquimini omnia verba vitæ hujus.* Quum Evangelium sit verbum vitæ, id est, per cujus prædicationem & auscultationem Deus in cordibus auditorum operatur vitam æternam: studiosè illud audiamus. Confer Joh. 6. v.68. Rom. 1. v.16. & infrà 26.18.

Hostes Evangelii.

7 Ex v.21. Dominus ex alto ridet hostium suorũ conatus. B.

Tyranni.

8 Ex v.26. Tyranni Deum non metuentes: coguntur servos suos metuere. B.

Tyranni.

9 Ex v.27. & 28. Tyrannis proprium est, mandata sua pro omni ratione obtrudere. B.

Obedientia.

10 Ex v.29. Nulli hominum nisi secundum Deum parendum est. B.

Confessio veritatis cælestis.

11 Ex v.30. 31. & 32. Veritas cælestis ingenuè confitenda est, etiamsi id ægrè ferant illius hostes.

Remissio peccatorum.

12 Ex v.31. *Ut det resipiscentiam Israëli & remissionem peccatorum.* Remissio peccatorum nemini datur nisi resipiscenti.

Pœnitentia.

13 Ex iisdem verbis. Pœnitentia est donum Dei, nempe pœnitentia salutaris, sine qua nemini datur remissio peccatorum.

Doctrina Evangelii.

14 Ex v.32. Veritas doctrinæ de salute per Christum, duplici testimonio confirmatur: uno externo, Apostolorum; Altero interno, Spiritus S.

Hostes Evangelii.

15 Ex v.33. Hostes veritatis cælestis quum verbis refutare eam non possint, vi opprimere conantur. Confer Joh. 8.43. & seq.

Gubernatio Dei.

16 Ex v.34. & sequentibus Christus in ipsa hostium turba quoties expedit, excitat causæ suæ patronos. B.

De consilio Gamalielis.

17 Ex iisdem versibus. Quæri potest, an consilium hoc Gamaliel is fuerit rectum? Mihi quidem partim rectum videtur fuisse, partim non. Rectum fuit primùm ratione finis seu scopi: qui fuit ut impediret, ne effunderetur sanguis innocens, quippe quum Apostolos judicaret innocentes esse. Deinde rectum fuit ratione sententiæ de merito causæ, quatenus significavit, se Apostolos pro innocentibus habere: quippe qui ea, propter quæ supplicio eos afficere collegæ volebant, agerent divinitus, nempe expresso aliquo mandato Dei, aut saltim impulsu Spiritus sancti. hoc significavit quum dixit: *Videte, ne quò modo etiam cum Deo pugnare comperiamini.* Sed non fuit rectum ratione illius connexi, *Si est ex hominibus consilium sive opus hoc, dissolvetur*: quatenus voluit collegas inde colligere, non igitur esse ipsis elaborandum ut opus illud dissolvant. Nam etsi novationes humano consilio & audaciâ susceptæ, tandem dissolvuntur: tamen officium magistratus est, operam dare ut illas compescant & prohibeant, & ejusmodi novatores pro merito puniant, sed præeunte legitima cognitione causæ. Itaque peccavit Gamaliel in defectu, quatenus & sententiam suam de innocentia Apostolorum (quam tum ex illa παῤῥησίᾳ Petri, hominis illiterati, tum ex illa mirabili Apostolorum è carcere evasione & in docendo constantiâ satis videtur perspexisse) non satis apertè est professus, & collegas non est hortatus ad inquisitionem causæ, ut scil. doctrinam Apostolorum diligenter cognoscerent & ex verbo Dei judicarent; ac tum vel eam amplecterentur si veram comperirent: vel si deprehenderent falsam, Apostolos punirent. Animosiùs in simili casu egit Nicodemus: qui quum audisset, collegas Jesum velle condemnare causâ non cognitâ, expresse eos reprehendit, inquiens: *Num lex nostra condemnat quempiam, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit quid faciat?* Johan. 7.51.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Duo hîc narrantur: unum, quomodo Ecclesia Hierosolymitana constituerit diaconos, id est, dispensatores pecuniæ publicæ: usque ad v.8. alterum, quomodo Stephanus à nonnullis Judæorum doctoribus persecutionem passus sit.

PRIMA PARS.

Diaconorum creatio.

CÆterùm per eos dies quum multiplicarentur discipuli, ortum est murmur Græcanicorum ad-

versus Hebræos, quòd ipsorum viduæ despicerentur in ministerio quotidiano.

2 Itaque duodecim illi, advocatâ multitudine discipulorum, dixerunt, Non est æquum nos derelicto sermone Dei, ministrare mensis.

3 Dispicite ergo, fratres, ex vobis viros septem, idoneo testimonio ornatos, plenos Spiritu sancto & sapientiâ, quos præficiamus huic negotio:

4 Nos verò in precibus & administratione sermonis perdurabimus.

5 Placuit autem hæc oratio toti multitudini: & elegerunt Stephanum, virum plenum fide ac Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum proselytum Antiochensem.

6 Quos statuerunt in conspectu Apostolorum: qui quum precati essent, imposuerunt eis manus.

7 Itaque sermo Dei crescebat, & valde multiplicabatur numerus discipulorum Hierosolymis: multaque turba sacerdotum auscultabant fidei.

NARRATIO de constitutione diaconorum tria principalia membra continet: causam impulsivam, formam seu modum agendi, & eventa. Causa impulsiva fuit suasio Apostolorum, v. 2. 3. & 4. Hæc suasio illustratur è suâ causâ impulsivâ, videlicet murmure Græcorum, v. 1. Finis igitur hic scopus suasionis fuit, ut murmur illud tollerent, & concordiam discipulorum foverent. Suasio confirmatur à fine, ut scil. Apostoli possint vacare prædicationi Evangelii, v. 2. & 4. Illustratur autem à diaconorum eligendorum adjunctis tribus: numero, honestâ existimatione, & donis Spiritus sancti, v. 3. Forma seu modus agendi, duobus constat membris: electione, v. 4. & confirmatione seu comprobatione, v. 6. Electio illustratur enumeratione delectorum. Confirmatio declaratur è membris duobus, videlicet precibus Apostolorum, & impositione manuum. Eventa narrantur duo: incrementum prædicationis Evangelii, & incrementum discipulorum: quod posterius illustratur indicatione speciei eximiæ, videlicet sacerdotum: quæ ipsa indicatio amplificatur ab adjuncto numero, quòd fuerit turba multa.

SECUNDA PARS.

Stephani persecutio.

8 Stephanus verò plenus fide ac potentiâ, edebat miracula & signa magna in populo.

9 Exorti sunt autem quidam è synagogâ quæ dicitur Libertinorum, & Cyrenæorum, & Alexandrinorum, & eorum qui sunt ex Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano.

10 Sed non potuerunt resistere sapientiæ & Spiritui per quem loquebatur.

11 Tunc subjecerunt quosdam qui dicerent, se audivisse eum loquentem verba blasphema in Mosen & Deum.

12 Commoveruntque plebem & seniores & scribas: & eum adorti, correptum adduxerunt in concilium.

13 Statueruntque falsos testes qui dicerent, Homo iste non cessat loqui verba blasphema adversus locum hunc sanctum & Legem.

14 Audivimus enim eum quum diceret, JESUM istum Nazarenum destructurum hunc locum, & mutaturum ritus quos tradidit nobis Moses.

15 Tunc intentis in eum oculis, omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus quasi faciem angeli.

Persecutionis Stephani narratio quatuor membra continet: occasionem, causam impulsivam, formam seu modum agendi, & eventum. Occasionem huic persecutioni præbuit altercatio quorundam doctorum cum Stephano: qui distribuuntur in quinque classes è locis ubi degebant, v. 9. Ipsa autem altercatio illustratur è causa impulsiva, videlicet miraculis Stephani, v. 8. Quæ causa fuit procatarctica: antecedens autem fuit adversariorum Stephani invidia.

Causa impulsiva persecutionis fuit confusio illorum per Stephanum, quem non poterant disputando vincere, sed ab ipso vincebantur: Cujus rei causa procreans simul indicatur, videlicet Spiritus sanctus, v. 10. Forma persecutionis quatuor partibus constat. Primùm subjecerunt contra Stephanum falsos testes, v. 11. Deinde concitarunt contra eum plebem & seniores & scribas, v. 12. Tum hostiliter eum adorti corripuerunt & in concilium adduxerunt, ibid. Postremò per falsos suos testes illum blasphemiæ crimine accusarunt, v. 13. & 14. Criminationis syllogismus est:

Qui dicit, locum hunc destructum & ritus Mosaicos abrogatum iri, is blasphemat.
At Stephanus id dixit.
Igitur blasphemavit.

Propositio omissa est. Conclusio præcedit v. 13. Assumtio sequitur v. 14. Sed propositio est falsa: & nititur falsâ opinione Judæorum illius temporis de perpetua templi & cultus Mosaici duratione, & quasi Deus templo & ritibus Mosaicis delectetur per se. Assumtio verò incerta est: attamen verisimilis, aut certè possibilis. Eventum istius criminationis fuit constans & imperterritus Stephani animus, qui ex ipso vultu elucebat, v. 15.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 Græcanicorum] τῶν ἑλληνιστῶν. Ἑλληνισταὶ *à Luca in hoc libro nominantur Judæi qui Biblia tantùm Græcè legere solebant: ἑβραῖοι verò illis oppositi, dicuntur Judæi qui Biblia legebant Hebraicè. Hoc tradit clariss. vir, Josephus Scaliger, in illo reconditæ eruditionis opere De emendatione temporum, cap. De cyclo Judæorum. Quòd autem* ἑλληνισταὶ, *à Luca sic dicti, fuerint Judæi, colligi potest ex iis quæ narrantur infrà cap. 11. v. 19. & 20. Vide ibi scholion ad v. 20.* Despicerentur] παρεθεωροῦντο. *Id est, negligerentur. Respondet verbum Germanicum* **vberſehen werden.** In ministerio quotidiano] ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ. *Id est, in distributione rerum ad victum necessariarum, ut percipitur ex fine versus sequentis. Synecdoche generis.*

3 Quos præficiamus huic negotio] οὓς καταστήσομεν ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης. *Ad verbum,* Quos constituamus super hac necessitate.

5 Placuit toti multitudini] ἤρεσεν ἐνώπιον παντὸς τοῦ πλήθους. *Ad verbum,* Placuit coram omni multitudine. *Hebraismus.*

6 Qui quum precati essent] καὶ προσευξάμενοι. *Scil.* ἐκεῖνοι, οἱ ἀπόστολοι. *Conjunctio copulativa hic connectit diversas personas. Simile exemplum vide infrà cap. 8. v. 17.*

7 Turba auscultabant] ὄχλος ὑπήκουον. *Synesis, quæ vulgò synthesis. qualis in illo,* Turba ruunt. Fidei] τῇ πίστει. *Id est, Evangelio quod est doctrina fidei seu fide apprehendenda. Metonymia adjuncti. Sic Gal. 1. v. 23. Confer etiam Rom. 1. v. 5.*

9 Libertinorum] Λιβερτίνων. *Obscura est vocis hujus ratio. Quidam judicant esse Latinam: alii ex Ægyptiaca Lubratenu corruptam. Vide Bezam in hunc locum, & Franc. Junium in paraphrasi Syriaca.* Disputantes] συζητοῦντες. *Vel,* disquirentes. *Verbum Græcum significat propriè unà cum alio quærere seu inquirere veritatem, per familiare scil. colloquium. Quanquam istis Stephani collocutoribus non veritatis inquisitio, sed oppressio proposita fuit.*

10 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.* Per quem] ᾧ. *Pro,* δι' οὗ.

13 Non cessat loqui] οὐ παύεται λαλῶν. *Pro,* λαλεῖν. *Græcismus.*

15 Quasi faciem angeli] ὡσεὶ πρόσωπον ἀγγέλου. *Resplendentem scilicet seu radiantem. Argumentum animi sibi bene conscii & Spiritu sancto pleni.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

1 Ex v. 1. Si pii diaconi, qui bona ecclesiæ, fidei suæ commissa, fideliter administrant, experiantur aliquorum murmur, quasi non haberent æquam ipsorum rationem: consolentur se exemplo Apostolorum, quibus idem evenit. *Consolatio pro diaconis.*

2 Ex v. 2. Diversa sunt (authoribus Apostolis) nec temerè conjungenda, docendi verbi & administrandi ærarii ecclesiastici munera. B. Quòd autem diaconi ab Apostolis instituti fuerint ad sacræ quoq; mensæ, & (ut Papistæ loquuntur) altaris ministerium, nec non ad evangelii prædicationem: ex hoc loco demonstrari non potest. Videntur quidem Apostoli usi operâ tum illorum, tum aliorum quorundam, in evangelio prædicando; (ut videtur colligi posse ex cap. 8. v. 1. 4. & 5.) sed quòd ad hoc ipsum eos ordinarint, quum eos ordinarunt in diaconos, quodq; proinde hæc fuerit diaconatus illorum pars, id verò neque ex hoc loco, nec aliunde probari potest. *Officia ecclesiastica. De diaconis.*

3 Ex v. 3. 5. & 6. Diaconi à cœtu fidelium eligendi; à pastoribus verò, si idonei comperiantur, ordinandi sunt. *De diaconis.*

4 Ex v. 3. In diaconis eligendis tum honestas ac probitas, tum sapientia ad id munus necessaria, spectanda est. Confer 1. Tim. 3. v. 8. & deinceps. *De diaconis.*

5 Ex v. 7. Quum ministri ecclesiæ strenuè officium faciunt, Deus laboribus illorum abundè benedicit. Cujus benedictionis spe ministros ad sedulitatem in officio suo administrando excitari decet. Nec tamen animis defatisci eos decet, si non semper ex voto habeant compositos auditores. *Officium ministrorum verbi.*

6 Ex v. 9. & 10. Vera sapientia (nempe quam Spiritus sanctus ex verbo Dei suggerit) omnia adversariorum sophismata convincit ac confundit. Ergo verbum Dei dies noctesque meditemur, & suggeri illud nobis à Spiritu sancto petamus, quoties cum adversariis veritatis congrediendum erit: nec nobis ab illorum sophismatis metuamus. *Verbum Dei.*

7 Ex v. 11. & sequentibus. Hostes veritatis, quum veritatem argumen- *Hostes evangelij.*

argumentis refutare non possunt, ad manifestas calumnias & falsas criminationes convertuntur, ut ita veritatis confessores opprimant aut è medio tollant. Ita tanquam filii diaboli, mendacium stabiliunt homicidio. Confer Joh. 8. v. 40. & deinceps.

Martyres. 8 Ex v. 15. Bona conscientia martyrum etiam ex facie ipsorum elucet.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Hic recitatur oratio Stephani ad concilium Hierosolymitanum, unà cum reliqua ejus persecutione, videlicet lapidatione. Sunt autem tria principalia hujus capitis membra: Causa orationis Stephani impulsiva, oratio ipsa, & orationis eventa.

PRIMA PARS.

Causa impulsiva orationis Stephani.

DIXIT autem Pontifex maximus, Num igitur hæc ita habent?

Causa impulsiva fuit interrogatio Pontificis maximi: quæ habuit vim mandati, ut Stephanus ad objecta crimina (de quibus capite præcedente) responderet.

SECUNDA PARS.

Oratio Stephani.

2 Ipse verò dixit, Viri fratres & patres, audite. Deus ille gloriæ visus est patri nostro Abrahæ quum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charran:

3 Et dixit ei, Exi è terra tua, & ex cognatione tua, & veni in terram quam ostendero tibi.

4 Tunc exiit è terra Chaldæorum, & habitavit in Charran: Et illinc, postquam mortuus est pater ejus, transtulit eum in terram hanc in qua nunc vos habitatis.

5 Nec dedit ei possessionem in ea, ne vestigium quidem pedis: quamvis pollicitus esset, se illam daturum ei obtinendam, & semini ejus post eum, quum non haberet prolem.

6 Loquutus autem est ita Deus, Quòd futurum esset semen ejus inquilinum in terra aliena, quòdque servituti subjecturi essent illud & malè accepturi annos quadringentos.

7 Sed gentem cui servierint puniam ego, dixit Deus: & post hæc exibunt, & servient mihi in loco isto.

8 Deditque ei fœdus circuncisionis: & ita *Abraham* genuit Isaac, & circuncidit eum die octavo: Isaac autem *genuit* Jacob, & Jacob duodecim patriarchas.

9 Patriarchæ verò invidiâ moti, Josephum vendiderunt *abducendum* in Ægyptum, sed erat Deus cum eo.

10 Et eruit eum ex omnibus ipsius afflictionibus, deditque ei gratiam & sapientiam coram Pharaone rege Ægypti; qui constituit eum præfectum Ægypto & toti domui suæ.

11 Venit autem fames in universam terram Ægypti & Chanaan, & afflictio magna: & non inveniebant cibos patres nostri.

12 Quum audisset autem Jacob, esse triticum in Ægypto, misit patres nostros primùm.

13 Et in secunda *profectione* agnitus est Joseph à fratribus suis, & innotuit Pharaoni genus Josephi.

14 Missis autem *nuntiis* Joseph accersivit patrem suum Jacob, omnemque cognationem suam, capitum septuagintaquinque.

15 Descendit ergo Jacob in Ægyptum: obiitque ipse, & patres nostri.

16 Et translati sunt in Sichem, & positi in sepulchro quod emit Abraham pretio argenti à filiis Emmor *patris* Sichem.

17 Quum autem appropinquaret tempus promissionis quam juraverat Deus Abrahæ, crevit populus & multiplicatus est in Ægypto:

18 Usque quò exortus est alius rex qui non noverat Josephum.

19 Hic astutè premens genus nostrum, malè accepit patres nostros, *adeò* ut exponerent infantes suos ne sobolescerent.

20 Quo tempore natus est Moses; qui fuit divinitus venustus; & nutritus fuit tres menses in domo patris sui.

21 Expositum autem illum sustulit filia Pharaonis, & nutrivit eum sibi pro filio.

22 Et eruditus est Moses omni sapientia Ægyptiorum: eratque potens dictis & factis.

23 Ut verò expletum est ei quadraginta annorum tempus, subiit in cor ejus ut inviseret fratres suos, filios Israël.

24 Et quum vidisset quendam injuriâ affici, tutatus est, & percusso Ægyptio, vindicavit eum qui opprimebatur.

25 Existimabat autem, fratres suos intelligere; Deum per manum ipsius dare eis salutem: At illi non intellexerunt.

26 Porro sequenti die visus est ipsis pugnantibus, & compulit eos in pacem, dicens, Viri, fratres estis vos: cur alii alios injuria afficitis?

27 Is autem qui injuria afficiebat proximum, repulit eum, dicens, Quis te constituit principem & judicem super nos?

28 Num tu me vis interimere, quemadmodum interemisti heri Ægyptium?

29 Ob hunc autem sermonem Moses fugit, & factus est advena in terra Madian, ubi genuit duos filios.

30 Expletis verò annis quadraginta, visus est ei in deserto montis Sina Angelus Domini in flammeo igne rubi.

31 Moses autem ut conspexit, admiratus est visum: & quum accederet ad considerandum, exstitit ad eum vox Domini, *dicentis*:

32 Ego *sum* Deus ille patrum tuorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. Tremefactus autem Moses non audebat considerare.

33 Dixit autem ei Dominus, Solve soleas pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est.

34 Vidi, vidi vexationem populi mei; qui *est* in Ægypto, & suspiria eorum audivi, & descendi ut eruam eos: nunc ergo adesdum, mittam te in Ægyptum.

35 Hunc Mosen quem abnegaverant, dicentes, Quis te constituit principem & judicem? hunc *inquam* Deus principem & redemtorem misit, ductu Angeli qui visus fuerat ei in rubo.

36 Hic eduxit illos, editis miraculis & signis in terra Ægypti, & in rubro mari, & in deserto, annos quadraginta.

37 Hic est Moses ille qui dixit filiis Israël, Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester è fratribus vestris sicut me: eum audite.

38 Hic ille est qui quum conventus ageretur in deserto, fuit cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris; *quique* excepit viva eloquia quæ nobis traderet.

39 Cui noluerunt auscultare patres nostri, sed repulerunt *eum*, & aversi sunt cordibus suis in Ægyptum:

40 Dicentes Aharoni, Fac nobis deos qui præeant nobis. Mosi enim isti qui eduxit nos è terra Ægypti, nescimus quid acciderit.

41 Et vitulum fecerunt per illos dies, obtuleruntque sacrificium isti idolo, & exhilararunt sese operibus manuum suarum.

42 Vertit autem *se* Deus, & tradidit eos ut servirent exercitui cæli: sicut scriptum est in libro Prophetarum, Num victimas & oblationes obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israël?

43 Imò bajulastis tabernaculum Moloch, & sidus dei vestri Remphan: quas figuras fecistis ut eas adoraretis. itaque transferam vos ultra Babylonem.

44 Tabernaculum testimonii fuit patribus nostris in deserto, prout præceperat is qui dixerat Mosi, ut faceret illud secundùm exemplar quod viderat.

45 Quod etiam acceptum introduxerunt patres nostri cum Jesu in possessionem Gentium, quas expulit Deus à conspectu patrum nostrorum, usque ad dies David.

46 Qui nactus est gratiam apud Deum, petiitque ut compararet tabernaculum Deo Jacob.

47 Solomon autem ædificavit ei ædem.

48 Sed excelsissimus ille in manufactis templis non habitat, sicut Propheta dicit,

49 Cælum mihi thronus est; terra autem, scabellum pedum meorum. Quam ædem ædificabitis mihi, dicit Dominus: aut quis est locus requietis meæ?

50 Nonne manus mea fecit hæc omnia?

51 Duri cervice, & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui S. obnitimini, sicut patres vestri, *ita* & vos.

52 Quem Prophetarum non sunt persequuti patres vestri? trucidarunt, inquam, eos qui prænuntiarunt adventum justi illius, cujus nunc vos proditores & occisores fuistis.

53 Qui accepistis Legem per dispositionem angelorum, nec servastis.

Orationis hujus scopus videtur esse, ut refutet Stephanus accusationis fundamentum: nimirum opinionem qua nititur syllogismi accusatorii propositio, Quasi scil. Deus templo & ritibus Mosaicis delectetur per se, & quasi utrumque perpetuò durare velit.

Contrarium ostendit Stephanus quinque argumentis: exemplo Abrahami, testimonio Mosis, exemplo impiorum patrum, qui vixerunt inde à constructo tabernaculo usque ad exstructum templum, exemplo piorum patrum, qui iisdem temporibus vixerunt, & denique testimonio ipsius Dei. Ab exemplo Abrahami ratiocinatur ad hunc modum. Abraham rectè Deum coluit, antequam vel templū vel tabernaculum esset exstructum, ritúsve à Mose traditi: Ergo rectus Dei cultus non est præcisè alligatus ad templum & ritus Mosaicos. Antecedens declarat narratione patefactionum Dei Abrahamo factarum, in quibus illi dedit mandata & promissiones: quorum illis Abraham obedivit, istas verò amplexus est fide, & ita Deum rectè coluit. Narrat autem primùm vocationem Abrahami ex Ure Chaldæorum, v. 2. & 3. Deinde vocationem ejus ex Harane in terram Chanaan, v. 4. & 5. Tum promissionem de posteris Abrahæ, post aliquot sæcula & antecessuram servitutem in Ægypto, in terram Chanaan introducendis, v. 6. & 7. Adhæc institutionem circumcisionis, v. 8. Atque ex hac narratione pietas Abrahami elucet. Postea promissionem illam Abrahamo datam (quam narravit v. 6. & 7.) illustrat narratione eventus, quomodo scil. Deus illam mirabiliter impleverit: ac primùm qua occasione posteri Abrahæ habitare cœperint in Ægypto, à v. 9. usque ad 16. Versu autem 16. commendatur pietas Jacobi & Josephi, qui fidem suam professi sunt, dum suis mandarunt, ut ipsorum ossa deveherent in terram promissam, ibique sepelirent. Deinde narrat Stephanus, qua occasione & quàm mirabiliter effectum sit, ut posteri Abrahæ ex Ægypto educerentur per Mosen, à v. 17. usque ad v. 37. Atque ita tractatur argumentum primum.

Secundum argumentum, videl. testimonium Mosis, ex occasione recitatur v. 37. Testimonio illo testatur Moses, Christum futurum prophetam, qualis sit ipse, quo significat, instituturum novos ritus, & legationem suam miraculis confirmaturum. Id quod Jesus jam ipse fecerat, dum adhuc in terris degeret: & tum quotidie factitabat per Apostolos. Ergo falsò opinabantur Judæi, ritus Mosaicos ex Dei voluntate perpetuò duraturos: quum Moses præceperit ut novum illum prophetam audirent, id est, ei obedirent. Porrò huic testimonio authoritatem conciliat à commercio Mosis singulari cum Deo, quo hic illum dignatus fuit: itemq; à reverentia piorum patrum, qui dicta ejus tanquam dicta legati Dei exceperunt, v. 38. Deinde per occasionem narrat factum contrarium impiorum patrum: qui Mosi auscultare noluerunt, & contra illius præceptum vitulum aureum fecerunt & adorarunt, v. 39. 40. & 41. Cujus narrationis scopus videtur esse, ut sese consoletur Stephanus contra adversariorum suorum rebellionem: quasi dicat, non debere mirum videri, si isti obedientiam detrectent prophetæ illi novo, nempe Jesu Christo: quum similiter obedientiam detrectarint impii patres Mosi. Atque hæc de argumento secundo. Tertii argumenti, quod sumtum est ab exemplo impiorum patrum qui vixerunt iis temporibus quibus cultus Dei alligatus erat tabernaculo, hæc videtur esse vis. Patres illi quantumvis cultum Dei externum exercerent in tabernaculo, tamen interim Deum non rectè coluerunt: quia sacrificia sua obtulerunt idolis, v. 42. & 43. Ergo pari ratione non est satis, externum Dei cultum obire in templo; si interim cultores illi observent traditiones humanas: id quod Judæi, & maximè Pharisæi, tum temporis factitabant. Antecedens probatur testimonio prophetæ Amos. Hoc argumentum præcedentibus annectit ex occasione: quia mentionem fecerat similis idololatriæ veterum patrum. Jam quartum argumentum superiori annecti videtur per prolepsin. Ne enim videatur Stephanus tabernaculi usum prorsus rejicere, narrat, primos patres illo rectè usus, idque usq; ad tempora Davidis, inclusivè scil. Vis autem argumenti hæc est. Tabernaculi usus certo tantùm tempore durare debuit: Ergo non debet absurdum videri, si idem statuatur de duratione templi. Est enim par ratio. Tum ibi per occasionem narrat de exstructione templi: quomodo David illud exstruere cupiverit, v. 46 Solomon autem exstruxerit, v. 47. Et hac occasione transit ad argumentum quintum & postremum, videl. testimonium Dei de templo: quod superioribus annectit per prolepsin. Objectio: Deus repudiato tabernaculo voluit sibi ædificari templum: Ergo magis delectatur templo: ac proinde in illo habitare perpetuò decrevit. Respondet Stephanus negando: & negationem suam confirmat testimonio ipsius Dei ex propheta Esaia, v. 48. 49. & 50. Postremò Stephanus ex tota illa narratione deducit reprehensionem patrum illorum qui in concilio sedebant: qua reprehendit eorum rebellionem, ut qui obnitantur Spiritui S. qui tum loquebatur eis per Apostolos & alios Dei servos, adeoque ipsum Stephanum, v. 51. Item crudelitatem eorum, per quam occiderant Jesum, v. 52. Rebellionem amplificat antithesi circumcisionis quasi dicat, Estis circumcisi carne: at non corde. Item exemplo similium patrum. Crudelitatem similiter amplificat exemplo similium patrum: qui pari crudelitate occiderunt prophetas. Deinde antithesi causæ corrumpentis duplicis: 1. Jesus fuit justus: & tamen eum occidistis. 2. De Jesu tanquam Christo prophetarunt sancti prophetæ; & tamen eum occidistis. Postremò à toto: Violatis legem Dei non solùm homicidiis, sed etiam in aliis partibus, v. 53. Hanc violationem amplificat antithesi causæ corrumpentis, qua debuerant à Legis violatione deterreri: quia scilicet tradita fuit per dispositionem angelorum.

TERTIA PARS.

Eventa orationis Stephani.

54 Audientes autem hæc, frendebant cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.

55 Quum autem esset plenus Spiritu sancto, intentis in cælum oculis vidit gloriam Dei, & Jesum adstantem ad dexteram Dei.

56 Et ait; Ecce, conspicio cælos apertos, & Filium hominis adstantem ad dexteram Dei.

57 Exclamantes autem *illi* voce magnâ, compresserunt aures suas, & irruerunt concorditer in eum.

58 Et ejectum eum extra urbem lapidabant: testes autem deposuerunt pallia sua ad pedes adolescentis qui vocabatur Saulus.

59 Lapidarunt igitur Stephanum, invocantem & dicentem; Domine Jesu, suscipe spiritum meum.

60 Positis autem genibus, clamavit voce magnâ; Domine, ne statuas eis hoc peccatum. Et quum hoc dixisset, obdormivit.

Eventa orationis Stephani, quorum alia ex aliis consecuta fuerunt, narrantur tredecim.

1 Patres illi offensi oratione Stephani, frendebant cordibus, (v. 54.
2 Stridebant dentibus, ibid.
3 Stephanus vidit gloriam Dei, & Jesum stantem ad dexteram Dei, v. 55.
4 Idipsum verbis professus est, v. 56.
5 Patres eo audito exclamarunt, v. 57.
6 Compresserunt aures suas, ibid.
7 Irruerunt concorditer in eum, ibid.
8 Ejecerunt eum ex urbe, v. 58.
9 Lapidarunt eum, ibid.
10 Testes pallia sua deposuerunt ad pedes Sauli, ibid.
11 Stephanus, dum lapidaretur, commendavit Domino Jesu spiritum suum, v. 59.
12 Positis genibus oravit pro iis à quibus lapidabatur, v. ult.
13 Eo facto obdormivit, ibid.

SCHOLIA IN CAP. VII.

2 Deus ille gloriæ] ὁ Θεὸς τῆς δόξης. *Id est, Deus ille gloriosus, seu gloriâ & majestate plenus. Genitivus adjuncti. Sic 1. Cor. 2. 8.*

5 Possessionem] κληρονομίαν. *Ad verb.* Hæreditatem.

6 Loquutus est] ἐλάλησε. *Scilicet Genes. 15. vers. 13.* Quòd futurum esset semen ejus &c.] ὅτι ἔσται τὸ σπέρμα αὐτοῦ *&c. Sic verti, ut nimirum mimesis sit obliqua. Hoc omnino postulat pronomen* αὐτοῦ. *Pro quo si legeretur* σοῦ, *tum esset mimesis recta, ac tum vertendum,* Erit semen tuum inquilinum &c. *Cum quo quidem sermone meliùs cohæret versus sequens. Semen autem propo-*

pro posteris, per metonymiam materia Hebraicam dicitur. In terra aliena] ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ. *Videl in Ægypto.* Annos quadringentos] ἔτη τετρακόσια. *Hi anni incipiunt à nato Isaaco. Quadringenti autem & triginta anni qui narrantur Galat.3. v.17. incipiunt ab exitu Abrahami ex Ur Chaldaeorum. Vide annotationes D. Bezæ.*

7 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa, ut suprà 6.10.* Puniam] κρινῶ. *Ad verbum,* Judicabo. *Synecdoche generis. Sic 1. Cor. 11. 31.* Et servient mihi in loco isto] καὶ λατρεύσουσί μοι ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ. *Hæc verba non reperiuntur præcedentibus adjuncta Gen.15. sed exstant his affinia Exod 3.12. in sermone Domini ad Mosen.*

8 Ei] αὐτῷ. *Scil. Abrahamo, ex collatione versus secundi.* Fedus circumcisionis] διαθήκην περιτομῆς. *Id est, fedus gratiæ quod obsignavit ei circumcisione. Genitivus adjuncti.*

9 Sed] καὶ. *Ut v.7.*

14 Capitum] ἐν ψυχαῖς. *Ad verb.* In animabus. *Vide suprà 2.41.*

16 Translati sunt] μετετέθησαν. *Scil. οἱ πατέρες ἡμῶν, patres nostri: hoc est, duodecim patriarchæ. Id est, ossa eorum translata sunt. Synecdoche integri. Nempe unà cum ossibus Josephi, de quibus vide Gen. ult. vers. ib. duob ult. & Jos. ult. v. penult. Nam ad Jacobi ossa quod attinet, illa à Josepho translata sunt Hebronem, ibiq; sepulta in spelunca Macbela, Gen ult. v.13.* Quod emit Abraham] ὃ ὠνήσατο Ἀβραάμ. *Hic manifestum est mendum in nomine Abrahami: quum certum sit ex Gen.33.19. & Jos. ult. v.32. hæc ad Jacobum pertinere. Quare probatur mihi conjectura D. Bezæ, quòd nullum planè proprium nomen hic scriptum fuerit, sed ἀπὸ κοινοῦ ad verbum ὠνήσατο repetendum fuerit nomen Jacobi ex versiculo præcedente, quod aliquis non attendens, temerè inseruit nomen Abrahami, lapsus memoriâ historiæ, quum scil. de Abrahamo quoq; talis emtio sepulchri apud Mosen narretur, nempe Gen.23.55.*

17 Tempus promissionis] ὁ χρόνος τῆς ἐπαγγελίας. *Quo præstanda erat promissio Abrahæ facta de educendis ex terra aliena & à servitute liberandis ipsius posteris. Promissio pro re promissa; per metonymiam adjuncti.* Quam juraverat] ἧς ὤμοσεν. *Pro, ἐκείνης ἣν ὤμοσεν. Quam juraverat, id est, cum juramento fecerat. Hoc autem juramentum non expresè narratur Gen.15. sed significatur nomine federis, ibid. v.18. Exprimitur autem juramentum illud Gen.22. vers.16.*

20 Divinitus] τῷ Θεῷ. *Id est, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, à Deo: singulari consilio Dei: ut scil. pulchritudine puerili mota filia Pharaonis, illum sibi adoptaret atque educaret. Dativus hic notat causam efficientem.*

21 Sustulit] ἀνείλετο αὐτὸν. *Pronomen αὐτὸν redundat ex Hebraismo.*

23 Subiit] ἀνέβη. Ascendit. *Hebraismus.* Fratres] τοὺς ἀδελφοὺς. *Populares. Synecdoche speciei.*

24 Injuriâ affici] ἀδικούμενον *Pro, ἀδικεῖσθαι. Græcismus.* Percusso] πατάξας. *Id est, occiso. Synecdoche generis.*

25 Dare] ὅτι δίδωσι. *Id est, daturum.* Dare eis salutem] ὅτι δίδωσιν αὐτοῖς σωτηρίαν. *Id est, liberaturum à servitute Ægyptiorum. Synecdoche generis.*

29 Ob hunc sermonem] ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ. *Ad verb.* In sermone hoc. *Hebraismus.*

30 In flammeo igne] ἐν φλογὶ πυρὸς. *Ad verb.* In flamma ignis. *Hebraismus duplex. Primùm hypallage Hebraica, pro ἐν πυρὶ φλογὸς, in igne flammæ: deinde substantivum nomen vice epitheti.*

33 Soleas] τὸ ὑπόδημα. *Græca appellatio à subligando dicta est, & sonat subligar seu subligaculum: id est, calceamentum quod subligatur pedi.*

34 Vidi, vidi] ἰδὼν εἶδον. *Vel,* Omnino vidi. *Ad verb.* Videns vidi. *Geminatio Hebraica ad emphasin.*

35 Redemtorem] λυτρωτὴν *Id est, liberatorem. Synecdoche speciei καὶ ἐξοχὴν, nam λυτρωτὴς propriè dicitur, qui aliquem solvit è vinculis, expenso λύτρῳ, id est, pretio redemtionis.* Ductu] ἐν χειρὶ. *Ad verb.* In manu. *Id est, per manum.*

36 Hic] οὗτος. *Scil. Moses.* In terra Ægypti] ἐν γῇ Αἰγύπτῳ. *Id est, in terra seu regione illa quæ nominatur Ægyptus. Genitivus speciei.*

37 Audite] ἀκούσεσθε. *Ad verb.* Audietis. *Enallage modi Hebraica.*

38 Quum conventus ageretur] ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. *Ad verb.* In congregatione. *Id est, quum congregati essent filii Israël ad montem Sinai, Exod.19. & deinceps.* Viva eloquia] λόγια ζῶντα. *Id est, vivâ voce pronuntiata & auribus accepta: non autem per ecstasin aut somnium. Confer Num.12. v.6.7.8. Nam ut ζῶντα hic exponatur per ζωοποιοῦντα, id est, vivifica, sicut Joh. 6.51. alienum est à naturâ Legis, de quâ hic (saltem principaliter) sermo est.*

40 Mosi enim isti] ὁ γὰρ Μωσῆς οὗτος. *Nominativus absolutè positus, more Hebræorum: quasi dicatur: Ad Mosen enim istum quod attinet &c. nescimus quid acciderit ei.* Quid acciderit] τί γέγονεν αὐτῷ. *Vel,* Quid factum sit eo.

41 Vitulum fecerunt] ἐμοσχοποίησαν. *Quasi dicas,* Vitulificarunt. Obtulerunt] ἀνήγαγον. *Ad verb.* Subduxerunt. *Catachresis. Pro, προσέφερον.* Isti idolo] τῷ εἰδώλῳ. *Nempe vitulo quem fecerant. Articulus vim habet ἀναφορικὴν.* Exhilararunt sese] εὐφραίνοντο. *Nempe edendo, bibendo & ludendo: ut Moses narrat.* Operibus manuum suarum] ἐν τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν αὐτῶν. *Id est, vitulo illo aureo quem conflaverant per Aharonem. Periphrasis synecdochica, innuens contemtum.*

42 Vertit autem se] ἔστρεψε δὲ. *Mutavit se ex beneficio patre in severum judicem.* Tradidit eos] παρέδωκεν αὐτοὺς. *Nempe in mentem omnis judicii expertem, εἰς ἀδόκιμον νοῦν: ut loquitur Paulus Rom.1.28.* Exercitui cæli] τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ. *Id est, stellis. Metaphora.* In libro prophetarum] ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν. *Scil. minorum, qui in uno volumine erant descripti. Locus exstat Amos.5.25. & deinceps.* Obtulistis mihi] προσηνέγκατέ μοι. *Accentu expresso in pronomine μοὶ, non autem per ἔγκλισιν abjecto; propter istius vocis in hoc loco emphasin. Est enim tacita antithesis: quasi dicat, Non* MIHI *obtulistis, sed dæmonibus ut apertè eis exprobrat Moses Deut.32. v.17. Hanc expositionem confirmat collatio versus sequentis.*

43 Imò bajulastis] καὶ ἀνελάβετε. *Καὶ pro ἀλλὰ, more Hebræorum. Item ἀναλαμβάνειν, suscipere sive sustollere, pro sublatum in humeros portare seu bajulare, per synecdochen membri metonymicam Hebræis usitatam.* Tabernaculum Moloch] τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ. *Quomodo hæc verba & sequentia varient ab Hebraicâ veritate, vide apud D. Bezam.* Ultra babylonem] ἐπέκεινα Βαβυλῶνος. *Videl. in Persida & regionem Caspiorum: ut docet Fr. Junius annotationibus in hunc locum Prophetæ.*

44 Tabernaculum testimonii] ἡ σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου. *Apud Mosen vocatur* אהל מועד *óhel mohéd, id est, tentorium condictionis, eò quòd indictum esset Israëlitis ut eò convenirent consulturi Dominum, Exod.40 2. collato cum Exod.33.7. Nomine deducto à verbo* יעד *jahád, quod significat indicere sive condicere. At Græci interpretes putarunt ortū à radice inusitatâ* עוד *hid, unde* העיד *hebhid, testificatus est.*

45 Acceptum] διαδεξάμενοι. *Quum per successionem accepissent.* Cum Jesu] μετὰ Ἰησοῦ. *Qui aliàs Josua.* In possessionem] ἐν τῇ κατασχέσει. *Pro, εἰς τὴν κατάσχεσιν. Heterosis Hebraica. Porrò κατάσχεσις, detentio seu obtentio, pro terrâ quâ obtinetur, per metonymiam adjuncti. quo modo & possessio apud Latinos, pro re quâ possidetur.* Gentium quas expulit] τῶν ἐθνῶν ὧν ἐξῶσεν. *Pro, ἐκείνων ἃ.*

46 Nactus est gratiam &c.] εὗρε χάριν &c. *Sic Luc.1.30. Hebraismus.* Compararet] εὑρεῖν. *Id est, ædificaret. Ad verb.* Invenire. *Hebraismus.*

51 Obnitimini] ἀντιπίπτετε. *Ἀντιπίπτειν est è regione sive ex adverso irruere more hostili.*

52 Justi illius] τοῦ δικαίου. *Nempe Jesu Nazareni, quem vos ut maleficum trucidastis.*

53 Legem] τὸν νόμον. *Nempe legem Dei. Græcum expressius propter articulum.* Per dispositionem] εἰς διαταγὰς. *Id est, ministerio. Pro, ἐν διαταγαῖς: & hoc pro διὰ διαταγῶν: & hoc pro, διὰ διαταγῆς. Confer Gal.3.19.*

55 Gloriam Dei] δόξαν Θεοῦ. *Id est, gloriosam illam & majestatis plenam constitutionem cæli, qui est thronus Dei.*

56 Filium hominis] τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. *Jesum Christum. Periphrasis.*

59 Spiritum] τὸ πνεῦμα. *Animam.*

60 Obdormivit] ἐκοιμήθη. *Mortuus est. Metaphora.*

OBSERVAT. EX CAP. VII.

1 Ex sermone Stephani primò discendum est, verum Dei cultum non consistere in observatione cærimoniarum etiam à Deo ipso præscriptarum, quasi Deus illis per se delectetur: sed in fide erga promissiones Dei, & in obedientiâ erga ipsius mandata, maximè moralia. Hoc docet Stephanus exemplo sanctorum patrum, ac inprimis Abrahami: ut qui Deum rectè coluit etiam ante cærimonias illas Mosaicas à Deo institutas: coluit enim eum fide & obedientiâ, v.4. & seq. *Cultus Dei.*

2 Deinde ex eodem sermone discendum est, cærimonias Mosaicas non fuisse à Deo institutas ut durarent perpetuò, sed tantùm usque ad adventum Christi: quippe qui tanquam propheta eximius ac Mosi similis, novas cærimonias fuit instituturus, ipso Mose teste, v.37. *Cæremonia Mosaica.*

3 Tertiò: Sicut olim gratia Dei non fuit alligata templo Solomonis: ita nec hodie alligatam esse ullis rebus externis; ac proinde nec Sacramentis, Baptismo & Cænæ Domini, v.48. *Gratia Dei.*

4 Quartò: Nihil esse novi, si etiam hodie in populo Dei seu Ecclesiâ visibili reperiantur homines mali, refractarii, idololatræ, persecutores denique piorum doctorum: quum tales jam olim in populo Dei reperti sint, ut ex narratione Stephani patet, v.39. & seq. Item v.51. & seq. *Ecclesia.*

5 Ex v.54. Satan deprehensus, apertiùs furit B. *Satan.*

6 Ex v.55. & 56. Quò magis supplicium sibi imminere vident martyres, eò magis à Deo confirmantur, & eò liberiùs spem suam profitentur. *Martyres.*

7 Ex v.57. & seq. Zelus tum hypocritarum, tum etiam superstitiosorum, tandem in manifestam rabiem exit. B. *Hypocritæ. Superstitiosi.*

8 Ex v.59. & 60. Fides & charitas veros Dei servos ad extremum usque halitum comitantur B. *Servi Dei.*

9 Ex v.59. Spiritus seu animæ piorum post discessum è corpore transferuntur in cælum. *Animæ piorum.*

Resurrectio mortuorum. 10 Ex v.60. Mortui suo tempore evigilabunt, id est, vitæ restituti excitabuntur & resurgent.

ANALYSIS CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

In duabus præcipuè rebus narratio hic continetur: primùm de ecclesia Samaritana, usque ad v.26. deinde de Æthiope eunucho ad fidem Christi adducto, reliquâ capitis parte.

PRIMA PARS.

De ecclesia Samaritana.

SAULUS autem ultrò consenserat in necem ejus. Orta est verò illo die persequutio magna adversus ecclesiam quæ *erat* Hierosolymis: & omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos.

2 Comportarunt autem Stephanum viri religiosi, feceruntque planctum magnum super eum.

3 Saulus verò vastabat ecclesiam, intrans passim in domos: & trahens viros ac mulieres, tradebat *eos* in custodiam.

4 Illi igitur qui dispersi fuerant peragrabant *regionem*, evangelizantes sermonem.

5 Philippus verò quum devenisset in urbem Samariæ, prædicabat eis Christum.

6 Attendebant autem turbæ concorditer ea quæ à Philippo dicebantur, audientes & videntes signa quæ edebat.

7 Spiritus enim impuri ex multis qui *eis* tenebantur, exibant, clamantes voce magnâ: multique paralytici & claudi sanati sunt.

8 Et gaudium magnum exstitit in illa urbe.

9 Vir autem quidam, nomine Simon, antea in urbe illa exercuerat artem magicam, & gentem Samariæ obstupefecerat, dicens se esse quempiam magnum,

10 Quem attendebant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes; Iste est potentia illa DEI magna.

11 Attendebant autem eum propterea quòd multo tempore magicis artibus eos obstupefecerat.

12 Quum verò credidissent Philippo evangelizanti quæ ad regnum Dei & nomen Jesu Christi *pertinent*, baptizabantur tum viri, tum mulieres.

13 Simon verò & ipse credidit: & baptizatus perdurabat apud Philippum: & conspiciens signa & virtutes magnas edi, obstupefiebat.

14 Quum autem audissent Apostoli qui erant Hierosolymis, Samariam recepisse sermonem Dei, miserunt ad eos Petrum ac Johannem.

15 Qui quum descendissent, precati sunt pro eis, ut acciperent Spiritum S.

16 (Nondum enim in quenquam illorum illapsus fuerat, sed baptizati tantùm fuerant in nomen Domini Jesu.)

17 Deinde imposuerunt eis manus, & receperunt *illi* Spiritum sanctum.

18 Quum autem conspexisset Simon, per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum sanctum; obtulit eis pecunias;

19 Dicens; Date etiam mihi potestatem istam, ut cuicunque imposuero manus, recipiat Spiritum sanctum.

20 Petrus autem dixit ei, Pecunia tua tecum pereat, qui donum Dei existimaris pecuniis acquiri.

21 Non est tibi pars neque sors in hoc negotio: cor enim tuum non est rectum in Dei conspectu.

22 Resipisce igitur ab ista malitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi machinatio cordis tui.

23 Video enim te in felle amarissimo & nexu injustitiæ positum.

24 Respondens autem Simon dixit, Deprecamini vos pro me apud Dominum, ne quid me invadat *istorum* quæ dixistis.

25 Illi igitur testificati, & loquuti sermonem Domini, reversi sunt Hierosolymam, & multis vicis Samaritanorum evangelizarunt.

DE ecclesia Samaritana duo præcipuè narrantur: plantatio ejus & amplificatio. Plantatio à principio capitis usque ad v.14. amplificatio deinceps. Plantatio illustratur primùm ex occasione seu causâ procreante per accidens, quatuor primis versibus: deinde ex causis instrumentalibus, v.5.6.& 7. tum ex eventis, versib. reliquis. Occasionem huic plantationi præbuit dispersio discipulorum qui agebant Hierosolymis: quæ dispersio illustratur è causa procreante, videlicet persecutione, v.1. Quæ ipsa persecutio illustratur exemplo speciali unius è persecutoribus, v.3. Vers. autem 2. inseritur narratio sepulturę Stephani, quasi per prolepsin: quasi dicat Lucas, Etsi hostes Jesu discipulos illius valde persequebantur, tamen id illi obstare sibi non sunt passi, quò minùs Stephanum tanquam condiscipulum & virum pium honestè sepelirent. Causæ instrumentales duorum sunt generum: unum agentis: is fuit Philippus, unus è septem illis diaconis, de quibus supr. c.6. Alterum actionum: quarum aliæ fuerunt Philippi, aliæ Samaritanorum. Philippus prædicavit Christum, v.5. & prædicationem suam miraculis confirmavit, v.6. Samaritani prædicationi Philippi attenderunt, & miracula ab ipso edita viderunt, v.6. Eventa narrantur quatuor. Primùm gaudium magnum ortum fuit in illa urbe, v.8. Quod gaudium nimirum exstitit partim ac præcipuè ex notitia salutis per Christum partæ: partim etiam ex sanatione ægrotorum. Deinde abjecerunt falsam opinionem de Simone mago, quasi ipse esset virtus Dei magna, v.10. & 12. Quæ opinio declaratur è causa procreante, videlicet professione & magicis artibus istius Simonis, quibus eos dementaverat, v.9. & 11. Tum baptizati sunt in nomen Jesu, v.12. Hæc actio amplificatur distributione ex adjuncto sexu, quòd baptizati sint tum viri tum mulieres. Postremò ipse quoque Simon baptizatus est, professus fidem Christi, & Philippo adhærens: Quæ actio illustratur è causa procreante, videl. conspectu miraculorum, v.13. Atque hæc de ecclesiæ Samaritanę plantatione. Amplificatio atque exornatio illius ecclesiæ posita fuit partim in collatione doni Spiritus sancti, videl. doni loquendi linguis: ut percipitur ex collatione similis exempli infr. c.10. v.45. & 46. partim verò in prædicatione evangelii. Illius doni in Samaritanos collatio illustratur partim è causis instrumētalibus, partim ex eventis. Instrumentales causæ narrantur duorum generum: videl. personæ agentes, & earum actiones. Personæ agentes fuerunt Petrus & Johannes. Horum adventus declaratur è causa impulsiva, videl. missione collegarum: Quæ ipsa missio declaratur è sua causa impulsiva, videl. famâ de plantatione ecclesiæ Samaritanæ, v.14. Actiones illorum narrantur duæ: precatio, v.15. & impositio manuum, v.17. Ipsa autem doni collatio illustratur antithesi diversorum, v.16. Eventa, alia ex aliis consecuta, narrantur tria. Primùm Simon magus pecuniis oblatis petivit à Petro & Johanne ut sibi darent potestatem conferendi donum Spiritus S. v.18. & 19. Deinde Petrus illum propter hypocrisin gravissimè reprehendit, & ad resipiscentiam hortatus est, v.20. 21.22. & 23. Postremò Simon illos rogavit, ut Dominum pro se orarent, v.24. Atque hæc de prima amplificationis ecclesiæ Samaritanæ parte. Altera pars fuit prædicatio evangelii per Petrum & Johannem: cui annectuntur duo eventa: unum, quòd reversi sint Hierosolymam: alterum, quòd multis vicis Samaritanorum evangelizarint, v.25.

SECUNDA PARS.

De Æthiope eunucho ad fidem Christi adducto.

26 Angelus autem Domini loquutus est Philippo, dicens; Surge, & vade meridiem versus, ad viam quæ ab Hierosolyma descendit Gazam: quæ *via* est deserta.

27 *Is* igitur surgens profectus est, & ecce, *occurrit ei* quidam Æthiops eunuchus, dynastes Candaces reginæ Æthiopum, qui præerat universis illius opibus; qui venerat Hierosolymam, adoraturus:

28 Et revertebatur & sedebat in curru suo, legebatque Esaiam prophetam.

29 Dixit autem Spiritus Philippo; Accede, & adjunge te ad currum istum.

30 Accurrens autem Philippus audivit eum legentem Esaiam prophetam, & dixit; Nempe intelligis quæ legis?

31 At ille ait, Quî enim possim, nisi quis mihi præierit? & precatus est Philippum ut ascenderet, consideretque secum.

32 Locus autem Scripturæ quem legebat, hic erat, Ut ovis ad mactationem ductus est: & ut agnus coram suo tonsore mutus, ita non aperuit os suum.

33 In ipsius dejectione judicium ejus sublatum est: sæculum

sæculum autem ejus quis enarrabit? quoniam tollitur è terra vita ejus.

34 Respondens autem eunuchus Philippo, dixit; Rogo te, de quo propheta hoc dicit? de seipso, an de alio quopiam?

35 Tum Philippus aperiens os suum, & incipiens à scriptura ista, evangelizavit ei Jesum.

36 Quum verò pergerent in via, venerunt ad quandam aquam: tum ait eunuchus, En aquam: quid prohibet me baptizari?

37 Dixit verò Philippus, Si credis ex toto corde, licet. Respondens autem *ille* dixit, Credo, Jesum Christum esse Filium illum Dei.

38 Jussitque sisti currum: ac descenderunt ambo in aquam illam, Philippus simul & eunuchus: & *ille* baptizavit eum.

39 Quum autem ascendissent ex aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, nec ampliùs vidit eum eunuchus: pergebat enim in via sua, gaudens.

40 Philippus autem inventus est Azoti: & præteriens evangelizavit omnibus urbibus, usquedum veniret Cæsaream.

Hîc narratur, quomodo Æthiops quidam eunuchus ad fidem Jesu adductus sit: cujus narrationis tres principales sunt partes. Primùm enim exponuntur causæ sine quibus non, seu præparatoriæ, usque ad v. 35. deinde causæ instrumentales, v. 35. Postremò eventa, versibus reliquis. Causæ sine quibus non, seu præparatoriæ, quarum aliæ ex aliis nexæ fuerunt, narrantur undecim. Primò Philippus ab angelo Domini jubetur ire ad viam illam qua ei occursurus erat Æthiops, v. 26. Secundò Philippus eò proficiscitur, v. 27. Tertiò, Æthiops ei occurrit, v. eod. Quartò, Æthiops tum legebat locum in propheta Esaia de passione & resurrectione Christi, v. 28. 32. & 33. Quintò Spiritus jubet Philippum ad currum eunuchi accedere, v. 29. Sextò, Philippus accedit, v. 30. Septimò audit illum legentem, ibid. Octavò, Quærit ex eo, an intelligat quæ legebat, ibid. Nonò, ille negat se intelligere, v. 31. Decimò, rogat Philippum ut currum conscendat, ibid. Undecimò, rogat eum, ut sibi locum illum Esaiæ declaret, v. 34. Atque hæ sunt causæ sine quibus non. Instrumentales sunt duplicis generis: persona agens, & illius actio. Persona fuit Philippus: actio, prædicatio Evangelii, seu evangelizatio Jesu, v. 35. Eventa, quorum alia ex aliis consecuta sunt, narrantur octo. Primò, eunuchus petivit baptizari: quæ petitio illustratur indicatione occasionis, v. 36. Secundò, Philippus id ei promisit sub conditione, v. 37. Tertiò, eunuchus conditionem implevit, ibid. Quartò, baptizatus est: quæ actio illustratur ex modo agendi, v. 38. Quintò, Spiritus Domini abripuit Philippum, v. 39. Sextò, eunuchus perrexit in itinere suo gaudens, ibid. Septimò, Philippus inventus est Azoti, v. ult. Octavò, præteriens evangelizavit urbibus, donec veniret Cæsaream, ibid.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

1 Ultrò consenserat in necem ejus] ἦν συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ. *Vel*, Approbaverat necem ejus: *vel*, acquieverat in nece ejus: **Er hatte ein gefallen dran gehabt/ daß er alſo hingerichtet worden.** ἦν συνευδοκῶν *pro* συνευδόκει, *Græcismus*. Omnes] πάντες. *Nempe omnes doctores illius ecclesiæ: quum postea v. 4. dicatur, illos peragrasse (nempe Judæam & Samariam, ex collatione hujus versus) & evangelizasse sermonem. Ex quorum numero fuit Philippus, unus ex diaconis, ut liquet ex v. seq. Et fortassis ex eodem numero fuerunt cæteri quoque diaconi.*

2 Comportarunt] συνεκόμισαν. *Collatis operis exportarunt.* Stephanum] τὸν Στέφανον. *Corpus Stephani. Synecdoche integri.*

3 Intrans passim in domos] κατὰ τοὺς οἴκους εἰσπορευόμενος. *Præpositio* κατὰ *notat distributionem, sed indefinitè: ut Matth. 24. 7.* Tradebat] παρεδίδου. *Scil. magistratibus. Confer infr. c. 9. v. 1. 2.* In custodiam] εἰς φυλακήν. *Scil. abducendos, seu ut custodia mandarentur.*

4 Sermonem] τὸν λόγον. *Scil. Dei. ut exprimitur infrà v. 14. Græcum expressius propter articulum. Synecdoche generis* κατ' ἐξοχήν: *qualis Gal. 6. 6.*

5 In urbem Samariæ] εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας. *Id est, in urbem Samariam. Genitivus speciei: ut suprà cap. 7. v. 36. & 40.*

6 Audientes & videntes] ἐν τῷ ἀκούειν καὶ βλέπειν. *Ad verb.* In audiendo & videndo. *quod dicitur per Hebraismum, pro eo quod est*, Audiendo & videndo: *id est, dum audiebant & videbant: vel, eò quòd audiebant & videbant.* Signa] τὰ σημεῖα. *Miracula. Synecdoche generis.*

7 Sanati sunt] ἐθεραπεύθησαν. *Pro*, ἰάθησαν. *Metonymia efficientis* καλλιεργητική.

8 Exstitit] ἐγένετο. *Sive*, ortum est.

10 Quem attendebant] ᾧ προσεῖχον. *Cui adhibebant. Scil. aures.* A minimo usque ad maximum] ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου. *Ad verb.* A parvo usque ad magnum. *Id est, tam magni quàm parvi.*

11 Multo tempore] ἱκανῷ χρόνῳ. *Ad verbum*, Sufficiente tempore. **Ziemlich lang/ ein geraume zeit.**

13 Credidit] ἐπίστευσε. *Id est, professus est fidem. Metonymia subjecti. Sic Johan. 2. v. 23.* Virtutes] δυνάμεις. *Id est, miracula. Ad verb.* potentias: *id est, opera potentiæ Dei. Metonymia efficientis. Sic 1. Cor. 12. v. 28. & 29.*

14 Samariam] ἡ Σαμάρεια. *Id est, Samaritanos. Metonymia subjecti.*

15 Pro eis] περὶ αὐτῶν. *Pro*, ὑπὲρ αὐτῶν. *Nempe pro aliquibus eorum. Nam donum illud Spiritus sancti conferebatur ad prædicandum Evangelium, aut saltem ad prophetandum: quorum neutrum singulis Ecclesiæ membris commune erat. Synecdoche integri.* Spiritum sanctum] πνεῦμα ἅγιον. *Id est, dona illa singularia Spiritus sancti, quæ tum serviebant plantationi ecclesiarum: & commemorantur 1. Cor. 12. v. 28. & deinceps: inprimis verò donum linguarum & prophetandi: ut liquet ex collatione cap. 10. infra v. 44. & sequentibus, item cap. 19. v. 6. Metonymia efficientis, & synecdoche generis. Sic deinceps.*

16 Illapsus fuerat] ἦν ἐπιπεπτωκός. *Pro*, ἐπεπεπτώκει. *Græcismus. Sic infrà 10. 44.* In nomen] εἰς τὸ ὄνομα. **Auf den namen.** *ut Matth. 28. 19. & 1. Cor. 1. 13. Id est, in hunc finem ut testarentur se credere in Dominum Jesum: nec non in Deum patrem & Spiritum sanctum: qui simul hic intelligendi sunt per synecdochen membri. Jesus autem nominatim exprimitur propter principatum in administrando negotio salutis nostræ.*

17 Et recepetunt] καὶ ἐλάμβανον. *Conjunctio* καὶ *connectit hæc diversas personas, ut supra 6. 6.*

20 Pecunia tua] τὸ ἀργύριόν σου. *Ad verb.* Argentum tuum. *Metonymia materiæ.* Tecum pereat] σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν. *Vel*, Tecum maneat in exitium. *Id est, Tibi maneat & tibi cedat in exitium.*

21 In hoc negotio] ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ. *Ad verb.* In sermone hoc, *sive* in verbo hoc. *Metonymia adjuncti Hebraica.*

23 In felle amarissimo positum] εἰς χολὴν πικρίας ὄντα. *Ponitur* εἰς χολὴν, *pro* ἐν χολῇ, *per heterosin Hebraicam. Et* χολὴ πικρίας *pro* χολὴ πικρά, *per syntaxin Hebraicam. Et* ὄντα *pro* εἶναι *per Græcismum. Hisce autem verbis metaphoricè describit malitiam Simonis, videl. hypocrisin & ambitionem ejus: quæ animus ejus veluti devinctus erat, quaque Deum gravissimè offendebat, ut amaritudo fellis offendit hominis gustum.*

24 Istorum quæ dixistis] ὧν εἰρήκατε. *Pro*, ἐκείνων ἃ εἰρήκατε. *Græcismus.* Dixistis] εἰρήκατε. *Nempe tu Petre, & tu Johannes. hinc perspicitur, Johannem verba Petri approbasse.*

25 Illi igitur] οἱ μὲν οὖν. *Scil. Petrus & Johannes, suprà v. 14. Pro*, αὐτοὶ μὲν οὖν. *Græcismus.*

26 Is igitur surgens] καὶ ἀναστάς. *Hic rursus per conjunctionem* καὶ *transitur ad aliam personam, ut suprà v. 17.*

27 Quidam Æthiops] ἀνὴρ Αἰθίοψ. *Ad verb.* vir Æthiops. *Hebraismus.* Eunuchus dynastes] εὐνοῦχος δυνάστης. *Horum nominum prius per posterius explicatur. Nominantur enim in Scriptura eunuchi regum & reginarum tum cubicularii, tum alii principes quorum ministerio illi in aulis suis utuntur. Vide Gen. 37. v. ult. & cap. 40. v. 1. Item Esther. 4. v. 5.* Candaces] Κανδάκης. *Nomen hoc commune traditur fuisse reginarum Æthiopiæ: sicut Pharaonis nomen commune erat regum Ægypti.* Opibus] τῆς γάζης. *Vocem istam Persicam esse tradunt.* Venerat Hierosolymam, adoraturus] ἐληλύθει προσκυνήσων εἰς Ἱερουσαλήμ. *Vel*, Venerat adoraturus Hierosolymæ. *Et sic* εἰς Ἱερουσαλὴμ *positum erit pro*, ἐν Ἱερουσαλήμ: *quæ heterosis frequentissima est. Confer infr. 24. 11.*

29 Spiritus] τὸ πνεῦμα. *Sive Spiritus sanctus, intus: sive foris angelus ille Domini, de quo v. 26. Prius malo*, Adjunge te] κολλήθητι. *Propriè, agglutinator, sive agglutinato te. Metaphora* κολλητική.

32 Locus] ἡ περιοχή. *Propriè* comprehensio: *id est, pars sermonis qua continetur certum pronuntiatum certave pronuntiata.* Coram suo tonsore] ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτόν. *Ad verb.* Coram tondente ipsum. Aperuit] ἀνοίγει. *Ad verb.* Aperit. *Pro*, ἀνέῳξε. *Enallage temporis.*

33 In ipsius dejectione &c.] ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ &c. *Hebraicus textus habet*, A coarctatione & à judicio tollitur. *Vide Fr. Junium annotat. in Esaiam.* Sæculum] τὴν γενεάν. *Sive* ætatem, *seu* ævum. *Id est, durationem vitæ.*

35 Aperiens os suum] ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ. *Id est, Componens se ad dicendum. Synecd. generis. Sic Matth. 5. 2.* A scriptura ista] ἀπὸ τῆς γραφῆς ταύτης. *Id est, ab isto Scripturæ loco, supr. v. 32. Sic Joh. 19. 37.*

36 Aquam] ὕδωρ. *Id est, fluvium vel amnem vel stagnum. Synecd. generis.* Tum] καί. *Pro*, τότε.

37 Jesum Christum esse Filium illum Dei] τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν Ἰησοῦν Χριστόν. *Partes enuntiati in Græco sunt transposita: sed rectum ordinem indicat articulus nomini* Ἰησοῦν *præpositus.*

39 Rapuit] ἥρπασε. *Confer 1. Reg. 18. 12. & 2. Reg. 2. 16.*

40 Azoti] εἰς Ἄζωτον. *Pro*, ἐν Ἀζώτῳ. Præteriens] διερχόμενος. *Peragrans regionem illam.* **Im durchziehen oder durchraisen.**

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

1 Ex v. 1. Pii qui hodie patiuntur persecutionem propter E- *Consolatio*

contra persecutionem. vangelii doctrinam, consolentur sese exemplo ecclesiæ Hierosolymitanæ.

Cura defunctorum. 2 Ex v.2. Pii defuncti, lugendi & honestè sepeliendi sunt.

Consolatio contra persecutionem. 3 Ex v.4. Persecutiones, quibus Satan impedire conatur Evangelii cursum, eidem promovendo per Dei providentiam serviunt. Hoc facit ad piorum, qui persequutionem patiuntur, consolationem.

Miracula. 4 Ex v.6.&12. Miraculorum per primos Evangelii præcones editorum usus fuit, ut auditores excitarentur ad attendendum doctrinæ ipsorum, atque ita per doctrinæ auscultationem ad fidem adducerentur.

Officium hominis Christiani. 5 Ex v.8. Ob Dei beneficia gaudendum est, Deoque gratiæ agendæ.

Christus. 6 Ex v.9.&seq. Christus Satanam, quoties libuit, victum vel ut in triumpho ducit, iis ipsis spectantibus quos fascinavit.B.

Reprobi. 7 Ex v.13. collato cum 18.19.&23. Reproborum quoq; nonnulli per Evangelii auscultationem fidem ejus concipiunt, sed non veram illam quæ est firma de gratia Dei persuasio, sinceram Dei & proximi dilectionem ex sese pariens: sed temporariam quæ radices non agit, nec ex se parit Dei & proximi sinceram dilectionem. Confer Matth.13.21.

Officium ministrorum verbi. 8 Ex v.14. Pastores Ecclesiæ operam dare debent, ut quantum vocationis ipsorum ratio patitur, vicinas quoque ecclesias, præsertim recens plantatas, adjuvent, ut in fide confirmentur, & in cognitione mysterii Evangelii crescant.

De fictitio sacramento confirmationis. 9 Ex v.15.16.&17. Frustra hunc locum ad fictitium illud Confirmationis sacramentum adhiberi, ex eo judicari potest, quòd tradunt, per istud sacramentum conferri augmentum regenerationis & renovationis Spiritus sancti. At de hac gratia Spiritus sancti nullus hic habetur sermo, sed tantùm de dono loquendi novis linguis & prophetandi: ut intelligi potest primùm ex ipsa phrasi, qua dicitur, *Spiritum sanctum nondum fuisse in quenquam illorum illapsum*: qua phrasi infr. c.10.v.44. nihil aliud significatur quàm collatio donorum modo commemoratorum, ut ibid liquet ex collatione, v.45.&46. Deinde ex eo, quòd *Simon* dicitur *conspexisse, Spiritum sanctum dari, per impositionem manuum Apostolorum*. Id quod haud dubiè intelligendum est, ut in loco cap. decimi modò citato, quòd scil. *audierit eos loquentes linguis & magnificantes Deum*. Nam augmentum illud regenerationis quî potuit videre Simon? Non certè in ipsomet, quum intus in corde lateat. Ergo ex effectis. At quibus? Num ex eo quòd audiebat eos loqui linguis & magnificare Deum? At hæc non sunt effecta regenerationis propria: quum cadant etiam in hypocritas: ut constat ex dicto Domini Matth.7.21. *Multi dicent mihi in illo die, Domine, domine, nónne per nomen tuum prophetavimus? &c. tum profitebor eis, Nunquam novi vos: discedite à me qui operamini iniquitatem.*

Hypocrita. 10 Ex v.18.&19. Ambitio & avaritia hypocritas tandem è suis latebris eliciunt.B.

Rerũ sacrarum emtio venditio. 11 Ex v.20. Simonis, non Petri, sed magi, sunt successores, qui res sacras aut emunt aut vendunt.B.

Peccatores. 12 Ex v.22. Bene de summis etiam peccatoribus sperandum: quoad ejus fieri potest.B.

Officium ministrorum verbi. 13 Ex eod. v. Qui post professionem fidei Christianæ in manifesta peccata labuntur, à ministris verbi ad pœnitentiam exhortandi sunt, & spe veniæ erigendi.

De fictitio pœnitentiæ sacramento. 14 Ex eod. v. non rectè colligunt Pontificii, lapsis post baptismum secundam quasi tabulam post naufragium & proximum remedium esse pœnitentiæ actionem, id est, actum illum pœnitentialem in Papatu usitatum, quem sacramentum nominant. Neque enim hîc de tali actu loquitur Petrus, sed de vera pœnitentia quæ in corde consistit.

De dubitatione Papistica. 15 Ex verbis Petri, *Si forte remittatur tibi &c.* non rectè colligunt Papistæ, ne pœnitentes quidem certam spem veniæ concipere debere. Petrus enim istis verbis nihil aliud quàm gravitatem peccati Simonis significare voluit: quasi dicat, tam grave esse ut non temere (saltem humanitus) dubitare quis possit, an veniam illius sit impetraturus. Ideo autem hanc peccati gravitatem Simoni significavit, ut illum eò magis ad veram ac seriam pœnitentiam excitaret. Aliàs idem Petrus ad alios, quos pro pœnitentibus habebat, scribens, ait, eos SCIRE, εἰδότες, quòd redemti sint per Christum, 1.Pet.1.v.18.&19.

Electi. 16 Ex v.26.&seqq. Historia eunuchi illius nos monet, Deum aliquando mirabiliter electos suos ad salvificam sui cognitionem adducere: ac inprimis tum quum illi in legenda sacra *S. Scriptura.* Scriptura sese exercent. Quo nomine sacræ Scripturæ lectio commendata nobis esse debet.

Baptismus. 17 Ex v.36.&seqq. Adulti antequam baptizentur, suam in Christum fidem profiteri debent.

Fides. 18 Ex v.37. Non est satis, fidem ore profiteri: sed ipsam in corde sinceram esse oportet. Confer Jac.2.v.14.& deinceps.

Fides. 19 Ex v.39. Vera fides ex se parit gaudium: quod gaudium est initium vitæ æternæ. Vide Rom.14.17.

ANALYSIS CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Quatuor in hoc capite narrantur; Conversio Sauli & vocatio ad Apostolatum, usque ad v.31. Ecclesiarum in Judæa, Galilæa & Samaria status, v.31. Sanatio Æneæ paralytici per Petrum in oppido Lydda, à v.32. usque ad 36. & excitatio Tabithæ per Petrum in urbe Joppe, à v.36. usque ad finem.

PRIMA PARS.

Conversio Sauli, & vocatio ad Apostolatum.

SAULUS autem adhuc spirans minas ac cædem adversus discipulos Domini, adiit Pontificem maximum,

2 Et petiit ab eo epistolas *perferendas* Damascum ad synagogas: ut si quos invenisset hujus sectæ, tum viros tum mulieres, vinctos duceret Hierosolymam.

3 Quum autem iter faceret, factum est ut appropinquaret Damasco: & repentè circumfulsit eum lux è cælo:

4 Et collapsus in terram, audivit vocem dicentem sibi; Saul, Saul, quid me persequeris?

5 Dixit autem, Quis es, domine? Dominus autem dixit, Ego sum Jesus quem tu persequeris: durum *fuerit* tibi contra stimulos calcitrare.

6 *Is verò* tremens & pavens dixit, Domine, quid me vis facere? Tum Dominus ad eum; Surge & ingredere urbem, & dicetur tibi quid te oporteat facere.

7 Viri autem illi qui cum Saulo iter faciebant, steterunt attoniti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.

8 Surrexit autem Saulus è terra: apertisque oculis suis, neminem videbat: *illi* verò manu ducentes eum introduxerunt Damascum.

9 Fuitque tres dies, non videns: & non comêdit, neque bibit.

10 Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias; ad quem dixit per visionem Dominus, Anania. Et ille ait, Ecce, ego *adsum*, Domine.

11 Tum Dominus ad eum; Surge, & vade in vicum qui vocatur Rectus, & quære in domo Judæ Saulum *quendam* nomine, Tarsensem. ecce enim precatur.

12 Et vidit per visionem virum, Ananiam nomine, introëuntem, & imponentem sibi manum ut visum recipiat.

13 Respondit autem Ananias; Domine, audivi ex multis de viro isto, quot malis affecerit sanctos tuos Hierosolymis.

14 Quin etiam hoc loco habet potestatem à principibus sacerdotum, vinciendi omnes qui invocant nomen tuum.

15 Dixit autem ad eum Dominus, Vade: nam instrumentum electum est mihi iste, ut portet nomen meum in conspectum Gentium, & regum, & filiorum Israël.

16 Ego enim ostendam ei, quàm multa oporteat ipsum pro nomine meo pati.

17 Abiit igitur Ananias, & introivit domum illam; & impositis ei manibus, dixit; Saul frater, Dominus misit me (JESUS, *inquam*, qui conspectus est tibi in via quâ veniebas) ut visum recipias, & implearis Spiritu sancto.

18 Statim autem deciderunt ab oculis ejus quasi squamæ, & visum recepit illico: ac surgens baptizatus est.

19 Quumque cepisset cibum, corroboratus est. Fuit autem Saulus cum discipulis qui erant Damasci, per dies aliquot.

20 Et statim in synagogis prædicavit Christum, *nempe* hunc esse Filium illum Dei.

21 Obstupescebant autem omnes qui eum audiebant, & dicebant; Nónne hic est qui vastavit Hierosolymis eos qui invocabant nomen istud, & huc idcirco vênit ut vinctos eos adduceret ad principes sacerdotum?

22 Saulus autem magis invalescebat, & confundebat Ju-

bat Judæos qui habitabant Damasci, collatis testimoniis demonstrans, hunc esse Christum.

23 Expleto autem multo tempore, inierunt inter se Judæi consilium illum interimendi.

24 Sed intellectæ sunt Saulo insidiæ eorum. adservabant autem portas die ac nocte, ut eum interimerent.

25 Acceptum igitur eum discipuli nocte, per murum demiserunt, fune summissum in sporta.

26 Quum verò Saulus venisset Hierosolymam, tentabat se adjungere discipulis: sed omnes timebant eum, non credentes eum esse discipulum.

27 Barnabas autem acceptum eum duxit ad Apostolos, & narravit eis quomodo in via vidisset Dominum, & quòd loquutus esset ei, & quomodo Damasci liberè loquutus esset de nomine Jesu.

28 Versabatur ergo cum eis Hierosolymæ.

29 Et liberè de nomine Domini Jesu loquebatur & disputabat cum Græcanicis: illi verò conabantur eum interimere.

30 Quod quum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & miserunt Tarsum.

Tria sunt principalia hujus narrationis membra. Primùm enim narratur conversio Sauli, usque ad v. 9. Deinde significatur ejusdem vocatio ad Apostolatum, v. 9. Postremò narrantur utriusque (tum conversionis inquam, tum vocationis ad Apostolatum) eventa, versibus reliquis. Conversionis narratio duo habet principalia membra. Primùm enim narratur causa corrumpens, v. 1. 2. & parte tertii. Deinde forma seu modus agendi, à v. 3. usq; ad 9. Causa corrumpens quæ per se & naturâ suâ poterat conversionem impedire, fuit persecutio Sauli; quæ declaratur è Sauli actionibus, tum interioribus, tum exterioribus. Interior actio fuit, quòd spiravit minas ac cædem adversus discipulos Domini, v. 1. Exteriores actiones fuerunt: quòd adiit Pontificem maximum, v. 1. & petiit ab eo epistolas Damascum ad synagogas &c. v. 2. Denique quòd Damascum iter fecit, ut inde Christianos vinctos adduceret, v. 3. Forma conversionis declaratur tum ex actionibus Domini Saulum convertentis, tum ex actionibus Sauli, tanquam actionum Domini effectis: in quibus notandi sunt certi gradus. Huic autem narrationi formæ præmittitur indicatio loci, ubi res hæc gesta fuit, videlicet in via prope Damascum, v. 3. Actio Domini prima fuit, quòd in Saulum immisit fulgur, v. 3. Hinc orta fuit prima actio, vel potiùs passio Saulis, quòd cecidit in terram, perculsus scilicet metu ex sensu majestatis divinæ, v. 4. Secunda Domini actio fuit, quòd Saulum allocutus est, expostulans cum eo de sui persecutione, v. eod. Hinc orta fuit actio Sauli secunda, quâ rogavit Dominum quis esset, v. 5. Tertia Domini actio fuit, quòd Dominus se Saulo patefecit, simulque à persequendis discipulis suis dehortatus est, argumento ab effectu pernicioso: quod illustratur simili sub modo loquendi proverbiali, v. 5. Hinc nata fuit actio tertia Sauli, quâ professus est, se paratum esse ad capessendum Domini mandata, v. 6. Quarta Domini actio fuit, quòd jussit Saulum ingredi urbem, & ibi mandata sua exspectare, v. eod. Hinc exstitit actio Pauli quarta, quâ mandatum Domini exsequutus fuit, v. 8. Cæterùm v. 7. inseritur illustratio præcedentium actionum ex antithesi eventuum diversorum in comitibus Pauli: quæ antithesis duorum est membrorum. Primùm enim illi steterunt: Saulus autem ceciderat. Deinde illi audiverunt tantùm vocem Domini, ipsum autem non viderunt: at Saulus illum & audivit & vidit. Porrò quarta Pauli actio illustratur ex eventis: quòd scilicet quum ad pergendum sese compararet, subitaneo impedimento visus fuerit affectus, quia scilicet oculi ejus obducti erant squamis, ut percipitur ex vers. 18. Deinde quòd manu comitum suorum introductus sit Damascum. Quo ipso indicatur locus ubi facta est vocatio ejus ad Apostolatum, de quâ v. sequente. Atque hæc de Sauli conversione: ubi notandi gradus tres. Primùm enim ferocia ejus fuit edomita cælesti illâ luce, ut ad Deum audiendum sese docilem præberet. Deinde docilem sese præbuit, & fide habitâ verbis Domini, operam suam & obsequium ei obtulit. Postremò mandato illius promptè obsequutus fuit. Ex his actionibus vera Sauli fides elucet. Nam nisi credidisset, Jesum esse Christum, quem is se esse affirmaverat: nunquam illi suum obsequium ita obtulisset, nec mandato ejus obsecutus fuisset. Jam vocatio ejus ad Apostolatum significatur v. 9. disertè autem exponitur v. 15. ex cujus collatione hic est interpretandus. Nam quod Saulus toto triduo videndi usu caruit, & neque edit neque bibit: argumento est, illum per id tempus occupatum fuisse interioribus visionibus per quas Dominus suam ei voluntatem patefecerat, juxta promissionem ei factam, v. 6. Nempe quòd velit ejus operâ uti in prædicando Evangelio tum apud Judæos, tum maximè apud Gentes: sicut ipse declarat Ananiæ, dicto versu 15. Atque hæc de vocatione ad Apostolatum.

Eventa utriusque (tum conversionis, tum vocationis ad Apostolatum) narrantur deinceps viginti. Primò mittitur ad eum Ananias propter tres causas: videlicet ut ei reddat visum, v. 17. ut eum instruat donis Spiritus S. ad Apostolatum necessariis, ibid. & denique ut eum baptizet, ut colligitur ex v. 18. & expresè narratur ab ipso Paulo infr. cap. 22. v. 16. Missionis autem Ananiæ narratio quatuor constat membris. Primùm indicatur missionis forma, quòd scilicet mandatum acceperit per visum, v. 10. Deinde mandatum ipsum recitatur v. 11. & 12. Tum excusatio Ananiæ subjicitur v. 13. & 14. Postremò adjicitur mandati repetitio & excusationis dilutio, v. 15. & 16. Atq; hoc primum eventum est. Secundò Ananias mandatum Domini erga Saulum exsequutus fuit, v. 17. Tertiò, Saulus visum recuperavit, v. 18. Quartò baptizatus fuit, ibid. Quintò, cibo se refecit, v. 19. Sextò, conjunxit se discipulis Damascenis, ibid. Septimò, prædicavit Christum in synagogis urbis Damasci, v. 20. Octavò, Damasceni inde obstupuerunt, v. 21. Nonò, Saulus disputando confudit Judæos Damascenos, v. 22. Decimò, Judæi struxerunt ei insidias, v. 23. Undecimò, Saulus insidias eorum effugit, v. 24. & 25. Duodecimò, rediit Hierosolymam, v. 26. Decimotertiò, tentavit se adjungere discipulis, ibid. Decimoquartò, non fuit admissus, ibid. Decimoquintò, per Barnabam adductus est ad Apostolos, v. 27. Decimosextò, versatus est cum illis, v. 28. Decimoseptimò, prædicavit Christum, v. 29. Decimooctavò, disceptavit cum Græcis, ibid. Decimononò, Græci conati sunt eum interimere, ibid. Vigesimò, per fratres abductus est Cæsaream, & inde emissus Tarsum.

SECUNDA PARS.

Status ecclesiarum.

31 Ecclesiæ igitur per totam Judæam & Galilæam & Samariam habebant pacem, & ædificabantur: & pergentes *in* timore Domini, & consolatione sancti Spiritus, multiplicabantur.

Hic narratur status ecclesiarum quæ tum erant in Judæa, & Galilæa & Samaria. Is status significatur fuisse felix. Felicitas illa declaratur per partes: quæ ita possunt distingui. Felices fuerunt ecclesiæ illæ tum secundùm carnem seu corpus, tum secundùm spiritum seu animum. Secundùm carnem: quia habebãt pacem, id est, expertes erant persecutionis. Secundùm spiritum verò felices fuerunt, partim quia ædificabantur, partim verò quia multiplicabantur. Ædificationis vocabulo intelligitur confirmatio fidelium: multiplicationis verò nomine significatur novorum fidelium seu discipulorum accessio. Porrò ædificatio illa seu confirmatio declaratur ex membris duobus. Confirmati enim fuerunt tum in timore Domini, filiali scilicet, ex quo manat sancta obedientia erga præcepta illius: tum in fide ac spe vitæ æternæ per consolationem Spiritus sancti.

TERTIA PARS.

Sanatio Æneæ paralytici per Petrum.

32 Factum est autem, ut Petrus, dum per omnes pertransiret, deveniret etiam ad sanctos qui habitabant Lyddæ.

33 Reperit autem illic quendam nomine Æneam, ab annis jam octo decumbentem in grabato, qui erat paralyticus.

34 Et dixit ei Petrus; Ænea, sanat te JESUS CHRISTUS: surge, & sterne tibiipsi. *Is* autem statim surrexit.

35 Et viderunt eum omnes qui incolebant Lyddam & Sarona, qui converterunt *se* ad Dominum.

Narratio hujus sanationis miraculosæ quinq; constat membris. Primò narratur hujus miraculi edendi occasio, videl. adventus Petri in oppidum Lyddam, ac nominatim ad hunc Æneam, v. 32. & 33. Adventus iste illustratur è causa finali, quòd videlicet ascenderit eò ad invisendum sanctos. Secundò indicatur morbi gravitas ex adjuncta duratione, v. 33. Tertiò narratur sanationis modus, quòd scil. Petrus Æneam illum sanaverit verbo seu sermone, v. 34. Sermo autem ille duobus constat membris: promissione & mandato. Promissionis verba sunt; *Ænea, sanat te Jesus Christus.* Id est, Jam jam te sanaturus est, si credis. Mandatum est; *Surge & sterne tibi ipsi.* Quod mandatum non poterat expedire, nisi priùs sanatus fuisset. Quartò narratur miraculum ipsum, nempe quòd Æneas ille statim surrexerit, v. eod. Quintò & postremò narratur eventus, nempe conversio Lyddanorum & Saronensium, v. 35.

QUARTA PARS.

Excitatio Tabithæ per Petrum in urbe Joppe.

36 Joppæ verò fuit quædam discipula nomine Tabitha; quæ, si interpreteris, dicitur Caprea. Hæc erat dives operum bonorum & eleemosynarum quas præstabat.

37 Factum est autem per illos dies ut ex morbo

moreretur; quam quum lavissent, posuerunt in cænaculo.

38 Quum autem Lydda esset prope Joppen; discipuli, audito Petrum illic esse, duos viros miserunt ad eum, rogantes ne cunctaretur usque ad ipsos progredi.

39 Exsurgens igitur Petrus venit cum eis: quem, ubi adfuit, duxerunt in cænaculum: ubi adstiterunt ei omnes viduæ, flentes, & ostendentes tunicas & vestimenta quæ Caprea faciebat quum unà cum ipsis esset.

40 Ejectis verò omnibus foras, Petrus positis genibus precatus est: & conversus ad corpus, dixit, Tabitha surge. Illa verò aperuit oculos suos, & viso Petro resedit.

41 Datâ autem ei manu *Petrus* erexit eam: & vocatis sanctis ac viduis, eam vivam repræsentavit.

42 *Id* autem innotuit per totam Joppen, & multi crediderunt in Dominum.

43 Factum est autem ut dies multos maneret Joppæ apud Simonem quendam coriarium.

Narratio hæc septem constat membris. Primò exponitur nomen Tabithæ, v.36. Secundò ipsa à factis laudatur, ibid. Tertiò narratur ejus mors, tanquam causa sine qua non. Mors autem illa declaratur partim è causa efficiente per se & naturali, nempe morbo: partim ex adjunctis cadaveris: quod fuit lotum & repositum in cænaculo, v.37. Quartò exponitur causa impulsiva, videlicet petitio discipulorum Joppensium, v.38. & 39. Petitio illa declaratur partim ex occasione, partim è membris. Occasionem petitioni præbuit præsentia Petri in loco vicino, v.38. Membra petitionis fuerunt duo. Primùm enim rogarunt Petrum ut ad se veniret, v.38. deinde ut Tabitham excitaret, v.39. Quæ posterior petitio non exprimitur, sed significatur ex effectis destinatis: quæ commemorantur tria: unum, quòd duxerunt eum ad cadaver Tabithæ: alterum, quòd ibi adstiterunt viduæ flentes: tertium, quòd ostenderunt Petro opera illius artificiosa. Quintò, narratur forma seu modus miraculosæ excitationis, v.40. quæ constat tribus membris. Primùm Petrus omnes ejecit è cœnaculo ubi Tabithæ cadaver jacebat. Deinde positis genibus precatus est. Postremò conversus ad corpus, dixit, *Tabitha surge*. Sextò narratur miraculum ipsum his verbis: *Illa verò aperuit oculos suos*. Septimò & postremò narrantur eventa numero sex. 1. Tabitha viso Petro, resedit. 2. Petrus datâ ei manu, erexit eam. 3. Vocatis sanctis ac viduis, eam vivam illis stitit. 4. Miraculum hoc innotuit per totam Joppen. 5. Multi eo moti crediderunt in Dominum. 6. Petrus dies multos mansit Joppæ apud Simonem quendam coriarium.

SCHOLIA IN CAP. IX.

1 Spirans minas ac cædem] ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου. *Ad verb.* Spirans minarum & cædis. *Syntaxis obscura. Videtur subaudienda præpositio* ἕνεκα *quasi dicatur: Spirans, quod ad minas & cædem attinet.*

2 Hujus sectæ] τῆς ὁδοῦ. *Scil.* ταύτης. *Ad verb.* Hujus viæ. *Hebraismus. Nempe religionis Christianæ.*

4 Saul] Σαοὺλ. *Græcum dissyllabum est, sicut & Hebræum* שָׁאוּל *Schâûl.*

5 Domine] κύριε. *Utraque vox & Græca & Latina, scribenda hîc per primam minusculam: ut putetur hic significari certam personam, videlicet Christum. Neque enim adhuc sciebat Paulus, quisnam ille esset, qui ipsum alloquebatur: sed quum videret esse personam reverendam, quam non nôrat, honoris ergo dominum appellat ex more Hebræorum.* Durum] σκληρὸν. *Difficile. Metaphora.*

7 Steterunt] εἱστήκεισαν. Restiterunt, *vel* substiterunt. **Sind stehen bliben.** *Id est, non aufugerunt. nam alioquin ipsi quoque unà cum Saulo prostrati fuerunt, infra 26.14.* Vocem] τῆς φωνῆς. *Nempe illius qui loquebatur cum Saulo: ut colligitur è verbis sequentibus. At infr. 22.9. Paulus ait, quòd vocem illius non audierint. Hic nodus videtur ita solvendus, quòd audierint confusum vocis sonum, non autem expressa verba. Vel, sic, Quòd vocem quidem audierint, sed non intellexerint.* Neminem] μηδένα. *Scil. qui loqueretur cum Saulo. Synecdoche generis.*

12 Et vidit] καὶ εἶδεν. *Dubium est, continuetúrne hîc sermo Domini ad Ananiam: an verò sint hæc verba Lucæ. Prius mihi verisimilius: itaq; in fine versus pro* reciperet *reposui* recipiat.

15 Instrumentum electum] σκεῦος ἐκλογῆς. *Ad verb.* Instrumentum electionis. *Hebraismus.* σκεῦος *autem generalem significationem habet, ut apud Hebræos* כְּלִי *kéli: significans scilicet non solùm vas seu receptaculum, sed quodvis instrumentum atque utensile.*

20 Hunc] οὗτος. *Scilicet Jesum Nazarenum nuper Hierosolymis crucifixum. Sic v.22.*

21 Multo tempore] ἡμέραι ἱκαναί. *Ad verb.* Diebus sufficientibus **Zimlich vil tage.** *Dies pro tempore, per synecdochen Hebraicam: &* ἱκανὸν *pro* πολὺ, *per Græcismum. Tempus autem hoc fuit spatium triennii, ut percipitur ex Gal. 2.18.*

26 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.*

27 De nomine] ἐν τῷ ὀνόματι. Gr. In nomine. *Hebraismus. Sic v.29.*

28 Versabatur cum eis] ἦν μετ᾽ αὐτῶν εἰσπορευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος. *Ad verb.* Erat cum eis ingrediens & egrediens. *Hebraismus.*

29 Græcanicis] ἑλληνιστάς. *Vide suprà scholion ad cap.6.v.1.*

32 Per omnes] διὰ πάντων. *Nempe sanctos, ex collatione verborum sequentium. Synecd. generis.*

35 Converterunt se] ἐπέστρεψαν. *Scil. moti miraculosâ sanatione Æneæ per Petrum.*

36 Quas] ὧν. *Pro* ἅς. *Græcismus.*

40 Ejectis] ἐκβαλὼν. *Id est, exire jussis. Sic. Marc.5.40.*

41 Repræsentavit] παρέστησεν. Coram eis stitit. **Hat sie dargestelt.**

42 Crediderunt] ἐπίστευσαν. *Moti scilicet Miraculo excitatæ à mortuis Tabithæ per Petrum.*

43 Multos] ἱκανὰς. *Ad verbum,* Sufficientes. *Græcismus.*

OBSERVAT. EX CAP. IX.

1 Ex v.1. & seqq. In historia Sauli ad Christum conversi proponitur nobis illustre exemplum misericordiæ Dei erga peccatores. Confer 1. Tim.1.v.15.16. Confer etiam exempla alia: ut Davidis, Petri, Mariæ Magdalenæ, latronis in cruce, item regis Manassis. *Misericordia Dei.*

2 Ex v.10. & seqq. Ministerium verbi Dei in pretio habendum est: quia Deo placuit illo uti ad erudiendum nos de voluntate sua. *Ministerium verbi.*

3 Ex v.20. Exemplo Pauli monemur, quum primùm de voluntate Dei nobis constat, non esse nobis cunctandum: sed illam sine mora ac sedulo exsequendam. Confer Gal.1.v.16. & 17. Confer etiam exemplum Abrahæ immolaturi Isaacum, Genes.22. v.2. & 3. *Officium hominis Christiani.*

4 Ex v.22. Quum Paulus, jam Apostolus, testimonia Scripturæ adhibuerit ad demonstrandum doctrinam fidei: multò magis id ab aliis Ecclesiæ doctoribus requiritur. *Doctorum officium.*

5 Ex v.23. & seqq. Quum experimur insidias nobis strui ab hostibus veritatis cælestis quàm profitemur, consolemur nos exemplo Pauli, cui idem accidit: nec non liberationis qua ex istis insidiis liberatus fuit. Deus enim nos nòn minùs liberaturus est, si ei placuerit operâ nostrâ diutiùs uti in Ecclesia ædificanda. *Consolatio contra hostes Evangelij.*

6 Ex v.25. Hostium insidias vitare licet, quoad salva vocatione id fieri potest. Confer exemplum Christi Matth.12.15. Joh.7.1. & 8.59. Item aliud exemplum Pauli, infrà v.30. item cap.17.v.13. & 14. Item Pauli & Barnabæ simul, cap.14.v.5. & 6. Confer etiam præceptum Christi Matth.10.23. *Vitatio insidiarum.*

7 Ex v.26. Non temere in familiaritatem nostram admittendi, quorum fides nobis jure suspecta est. *Prudentia.*

8 Ex v.29. Pericula ex periculis exspectanda constantibus Dei servis: sed Deus semper pro eis excubat. B. *Consolatio contra pericula.*

9 Ex v.31. Quoties Deo visum est, Ecclesiæ suæ pacem largitur, ut subinde plures erudiri & in ipsam adduci possint. *Ecclesiæ conditio.*

10 Ex v.32. Si ex ista visitatione Ecclesiarum rectè colligitur primatus Petri, & Papa eundem primatum jure successionis sibi rectè usurpat: age imitetur hoc factum Petri, & ipse Ecclesias obeat ac visitet. *Papa.*

11 Ex v.33. & seqq. Quum doctrina Petri insignibus miraculis confirmata sit: non est quòd de illius veritate dubitemus. Quid autem docuerit, continetur partim in hoc libro, partim in epistolis ejus. Vide suprà cap.2.v.22. & deinceps. Item cap.3.v.13. & deinceps. Item cap.4.v.8. & deinceps. Item c.5.v.30. & deinceps. *Doctrina Petri.*

ANALYSIS CAP. X.

ARGUMENTUM.

Hic narratur, quomodo centurio quidam in urbe Cæsarea, nomine Cornelius, unà cum familia sua, ad fidem Jesu Christi per Petrum adductus sit.

Sunt autem hujus narrationis membra principalia duo. Primùm enim exponuntur causa efficientes sermonis Petri, per quem Cornelius ad fidem Jesu adductus fuit. usq; ad v.34. Deinde ipse sermo Petri recitatur. Ita dua sunt capitis partes.

PRIMA PARS.

Causa efficientes sermonis Petri apud Cornelium habiti.

PORrò quidam erat Cæsareæ, nomine Cornelius, centurio ex cohorte quæ vocatur Italica:

2 Pius ac timens Deum, cum tota domo sua: qui & præstabat eleemosynas multas populo, & Deum precabatur omni *tempore*.

3 *Hic* vidit per visionem manifestè quasi horâ diei nonâ, angelum Dei introëuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli.

4 At ille

4 At ille intentis oculis in eum, & expavefactus, dixit; Quid est domine? Dixit autem ei; Preces tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram DEO.

5 Nunc igitur mitte aliquos Joppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus.

6 Hic diversatur apud Simonem quendam coriarium, cui est domus apud mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere.

7 Ut autem discessit angelus qui loquebatur Cornelio, vocavit duos ex famulis suis, & militem pium ex iis qui cum ipso assidui erant:

8 Et quum eis exposuisset omnia, misit eos Joppen.

9 Postridie verò illis iter facientibus, & appropinquantibus urbi, ascendit Petrus in tectum ut precaretur, circa horam sextam.

10 Correptus est autem fame, voluitque capere cibum: parantibus autem illis, incidit in eum mentis excessus.

11 Conspexitque cælum apertum, ac descendens ad se vas quoddam ut linteum magnum, quatuor extremis devinctum, quod demittebatur in terram:

12 In quo erant quævis quadrupedia terræ, & feræ, & reptilia, & volucres cæli.

13 Et exstitit vox ad eum; Surge Petre, macta & vescere.

14 Petrus autem dixit, Nequaquam domine: nunquam enim êdi quicquam commune vel impurum.

15 Tum vox rursus ad eum secundò, Quæ Deus purgavit, tu ne communia feceris.

16 Hoc autem factum est ter: & rursum receptum est vas illud in cælum.

17 Quum autem apud sese ambigeret Petrus, quidnam esset visio illa quam viderat; tum ecce, viri qui missi erant à Cornelio, percontati de domo Simonis, supervenerunt ad vestibulum.

18 Et evocato *quopiam*, percontati sunt, an Simon qui cognominaretur Petrus, illic diversaretur.

19 Petro verò cogitante de visione, dixit ei Spiritus; Ecce, tres viri quærunt te:

20 Surgens itaque descende, & nihil hæsitans proficiscere cum eis: nam ego eos misi.

21 Descendens ergo Petrus ad viros qui ad ipsum missi fuerant à Cornelio, dixit; Ecce, ego *is* sum quem quæritis: quæ causa *est* propter quam adestis?

22 Ipsi verò dixerunt, Cornelius centurio, vir justus & timens Deum, & testimonio ornatus à tota gente Judæorum, divinitus admonitus est ab angelo sancto ut accerseret te domum suam, & abs te quædam audiret.

23 Intrò vocatos igitur eos, accepit hospitio. Postridie verò Petrus abiit cum eis, & quidam ex fratribus Joppensibus comitati sunt eum.

24 Et postridie introierunt Cæsaream. Cornelius autem exspectabat eos, convocatis cognatis suis & necessariis amicis.

25 Quum autem factũ est ut introiret Petrus, occurrens ei Cornelius, & accidens ad ejus pedes, adoravit.

26 Petrus verò erexit eum, dicens; Surge: & ego ipse homo sum.

27 Et colloquens cum eo, ingressus est, invênitque multos qui convenerant:

28 Dixitque eis; Vos scitis, Judæo nefas esse adjungere se aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, ne quem communem aut impurum hominem dicerem.

29 Quapropter etiam sine contradictione vêni accersitus. Percontor igitur quam ob causam me accersiveritis.

30 Tum Cornelius ait, Nudiusquartus usque ad hanc horam eram jejunus, & horâ nonâ precabar domi meæ: & ecce, quidam stetit coram me in veste splendida:

31 Dixitque; Corneli, exauditæ sunt preces tuæ, & eleemosynæ tuæ in memoriam venerunt coram Deo.

32 Mitte ergo Joppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus: hic diversatur in ædibus Simonis coriarii apud mare: qui quum adfuerit, loquetur tibi.

33 Eodem igitur *momento* misi ad te: & tu bene fecisti qui adveneris. Nunc ergo omnes nos in conspectu Dei adsumus, ut audiamus omnia quæ tibi præcepta sunt à Deo.

Causarum expositioni præmittitur descriptio personæ Cornelii, de quo hæc tota narratio principaliter est instituta. Is igitur describitur à sex rebus.

1 A loco ubi degebat: qui fuit urbs Cæsarea, v. 1.

2 Ab adjuncto vitæ genere: quòd fuerit centurio, ibid.

3 Ab origine seu gente: quòd oriundus fuerit ex gente Italica: id quod significatur ex eo, quòd fuerit centurio ex cohorte quæ dicebatur Italica, ibid.

4 Ab adjuncta pietate: quòd fuerit pius ac timens Dei, v. 2.

5 Ab adjuncta familia: quòd fuerit pius cum tota domo sua, ibid.

6 A factis: quòd eleemosynas multas dederit populo, quòdque assiduè precatus sit, ibid.

Hac personæ descriptione præmissâ, aggreditur Lucas exponere causas efficientes sermonis Petri, apud Cornelium habiti: ac primùm exponit causas impulsivas, videlicet petitionem Cornelii, à v. 3. usque ad 9. & mandatum Dei, à v. 9. usque ad v. 21. Deinde causas sine quibus non, videlicet consensum Petri, à v. 21. usque ad 24. & adventum ad Cornelium, à v. 24. usq; ad 28. Tum causam impulsivam, nempe petitionem Cornelii repetit, à v. 28. usque ad 34.

Petitionis Cornelii narratio prior illustratur primùm expositione causæ impulsivæ, qua scil. impulsus Cornelius, petitionem illam apud petrum fecit, ut ad se veniret & sermonem ad se haberet: deinde expositione causæ instrumentalis. Causa impulsiva fuit mandatum divinum per angelum allatum: ubi narrantur quinque.

1 Qualiter angelus Cornelio apparuerit, nempe vigilanti, v. 3.

2 Quo tempore ei apparuerit, nempe circiter horam diei nonam: quo scil. tempore populus Dei Hierosolymæ ad preces & ad sacrificium vespertinum conveniebat in templo: ibid. quo tempore ipse quoque Cornelius precabatur: ex collatione v. 30.

3 Ubi ei apparuerit Angelus, nempe domi ipsius in conclavi ubi precabatur. Dicitur enim Angelus ingressus, eod. v. 3.

4 Quomodo Cornelius ex Angeli conspectu fuerit affectus, & quomodo illum exceperit: nempe quod fuerit expavefactus, v. 4. conspecto scil. splendore cælesti in Angelo: (ex collatione v. 30.) quòdque eum interrogarit, quidnam esset, hoc est, quid ille se vellet, ibid.

5 Quibus verbis Angelus mandatum Dei Cornelio proposuerit. Qui sermo continet duo membra: laudationem pietatis Cornelii, v. 4. (quâ laudatione continetur promissio novi beneficii Dei, per ratiocinationem à causâ ad effectum) & mandatum de Petro accersendo ac audiendo, v. 5. & 6.

Atque hæc de causa impulsiva, quâ motus Cornelius Petrum accersivit. Causa instrumentalis fuerunt ministri, per quos illum accersivit: ubi narrantur tria.

1 Quando illum accersiverit, videl. statim post Angeli discessum, v. 7.

2 Per quos: nempe per duos ex famulis & militem pium, ibid.

3 Quomodo: videlicet præmissâ expositione apparitionis Angeli, v. 8.

Atq; hæc de priore narratione causæ impulsivæ prioris, nempe petitionis Cornelii ad Petrum. Jam ad alteram causam impulsivam sermonis Petri quod attinet, nempe mandatum Dei: illud fuit geminum. Primum propositum ei fuit in genere seu indefinitè, idque per visum: alterum in specie seu definitè, idque per revelationem. Quod ad visum Petro exhibitum attinet, de illo narrantur quinque.

1 Ubi hoc visum Petro oblatum sit, nempe supra domum Simonis coriarii, hospitis sui, v. 9.

2 Quid egerit Petrus, quum ei visum offerretur, nempe quòd fuerit precatus, ibid.

3 Quo tempore id factũ sit, nempe circa horam sextam, ibid.

4 Quid Domino præbuerit occasionem ad tale visum Petro offerendum, nempe quòd ille valde esuriret, v. 10.

5 Visum ipsum narratur. Cujus finis seu scopus erat, docere Petrum, non esse posthac vitandam conversationem cum Gentilibus: quia ex illis quoq; nonnulli sint sanctificandi & ad populum Dei aggregandi, à v. 11. usque ad 17. Confer v. 28.

Atq; hæc de mandato primo, quod fuit generale. Jam ad alterum mandatum, idque speciale, quod attinet: narratio illius membra continet duo, videl. causas impulsivas duas, & mandatum ipsum.

1 Causa una fuit, quòd Petrus de visi significatione ambigeret, v.17.

2 Altera causa fuit, quòd nuntii Cornelii jam adessent & de Petro percontarentur, ibid. & v.18.

3 Mandatum ipsum narratur, v.19. & 20.

Adhuc expositæ sunt causæ impulsivę sermonis Petri: sequuntur causæ sine quibus non, hoc est, quæ nisi intervenissent, Petrus sermonem illum ad Cornelium non habuisset. Ejus generis causæ exponuntur duæ: consensus Petri in petitionem Cornelii, & adventus ipsius ad illum.

Consensus Petri indicatur ex effectis quatuor.

1 Stitit se nuntiis à Cornelio missis, de quibus jam erat per revelationem admonitus, v.21.

2 Quæsivit, quid se vellent, ibid.

3 Petitione illorum auditâ, hospitio eos excepit, v.22. & 23.

4 Postridie cum eis abiit: Qui abitus illustratur ab adjunctis comitibus, v.23.

Atque hæc de consensu Petri. Jam de adventu illius ad Cornelium narrantur quatuor.

1 Quòd illum Cornelius unà cum amicis exspectarit, v.24.

2 Quòd advenientem adorarit, v.25.

3 Quòd Petrus id prohibuerit, v.26.

4 Quòd collocutus cum eo, ingressus sit, v.27.

Adhuc expositæ sunt causæ sermonis Petri sine quibus non: sequitur iterata narratio causæ impulsivæ, nempe petitionis Cornelii, ab ipsomet scil. Cornelio præsenti jam Petro expositæ. Ubi principaliter duo narrantur, occasio petitionis proponendæ, & petitionis ipsius narratio. Occasionem Cornelio præbuit sermo Petri.

1 Quo primùm exponit causam cur non recusarit ad ipsos venire, circumcisus scil. ad incircumcisos, v.28.

2 Quærit quid se velint, v.29.

3 Cornelius causam exponit cur eum accersiverit, atque ita petit coràm ut se suosque de religione magis erudiat: à vers. 30. usque ad 34.

SECUNDA PARS.

Sermo Petri ad Cornelium & amicos ejus.

34 Tum aperuit Petrus os, & dixit; Verè comperio, Deum non accipere faciem;

35 Sed in quavis gente acceptum ei esse qui eum timeat, & operetur justitiam.

36 Quod attinet ad sermonem quem misit filiis Israël, annuntians pacem per Jesum Christum; (hic est omnium dominus.)

37 Vos nostis quod gestum est in tota Judæa, initio facto à Galilæa, post baptisma quod prædicavit Johannes:

38 Quod, inquam, attinet ad Jesum Nazarenum, *vos nostis* quomodo unxerit eum Deus Spiritu sancto & potentiâ; qui obambulavit beneficiis afficiens & sanans omnes sub diaboli potestatem redactos; quoniam Deus erat cum eo.

39 Quorum omnium quæ & in regione Judæorum & Hierosolymis fecit, nos testes sumus: quem interemerunt suspensum in ligno.

40 Hunc Deus excitavit tertio die, fecitq; ut conspicuus fieret:

41 Non toti populo, sed testibus priùs designatis ab ipso: *nimirum* nobis, qui comedimus ac bibimus cum eo posteaquam resurrexit à mortuis.

42 Præcepit autem nobis ut prædicaremus populo, ac testificaremur, ipsum esse qui definitus sit à Deo judex vivorum ac mortuorum.

43 Huic omnes prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum.

44 Adhuc loquente Petro verba ista, illapsus est Spiritus sanctus in omnes qui audiebant hunc sermonem.

45 Fideles autem qui *erant* ex circumcisione, quotquot venerant cum Petro, obstupuerunt: quòd etiam in Gentes effusum esset donum Spiritus sancti.

46 Audiebant enim eos loquentes linguis, ac magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus,

47 Num quis aquam prohibere potest quò minùs baptizentur Isti qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos?

48 Jussitque eos baptizari in nomen Domini. Tunc rogaverunt eum ut *ibi* permaneret ad dies aliquot.

Primùm uno verbo indicatur præparatio ad hunc sermonem, v.34. Deinde sermo ipse recitatur, à vers. 34. usque ad 44. Postremò narrantur sermonis illius eventa, à v. 44. usque ad finem capitis.

Hic sermo Petri tribus principalibus membris constat: exordio, propositione, & confirmatione. Exordium ductum est à thesi seu sententiâ generali de benevolentia Dei ergà pios cujusvis gentis: quæ thesis per tacitam antithesin continet ἔλεγχον falsæ opinionis de eâdem re, quâ opinione antea imbutus fuerat Petrus, & adhuc illo tempore imbuti erant Judæi: quasi scil. *Deus bene vellet Judæis propter gentem, quòd scil.* orti essent ex gente sancta, seu quòd essent filii Abrahæ. Cæterùm thesin suam confirmat Petrus testimonio experientiæ seu exempli specialis præsentis, benevolentiæ nimirum quam Deus jam cœperat declarare, & tunc declarabat, erga Cornelium & amicos illius, homines ethnicos. Est autem ista thesis exornata schemate exclamationis, quæ vim habet asseverandi. Porrò benevolentiam Dei erga pios declarat ex causa procreante, videl. pace factâ per Jesum Christum: quam ipsam causam confirmat testimonio doctorum Evangelii, quorum alii superioribus annis prædicaverant, alii etiam tunc prædicabant filiis Israël: qui erant Johannes Baptista, Jesus ipse & Apostoli. Propositio est: Jesum esse Christum ac dominum omnium in ipsum credentium ex quacunq; gente: in fine v.36. Confirmatio duo continet argumentorum genera: unum à factis, alterum à testimoniis. Facta Jesu quibus probat ipsum esse Christum, trium sunt generum. Primum genus est muneris prophetici: quòd tanquam propheta ille à Mose promissus & Spiritu sancto ad evangelizandum unctus, docuerit in Judæa, & doctrinam suam miraculis confirmarit, v.37. & 38. Horum factorum commemorationem confirmat testimonio duplici: uno, conscientiæ ipsorum auditorum, ubi ait, *Vos nostis*, v.37. altero, suo ipsius & collegarum, v.39. Secundum factorum genus est muneris sacerdotalis: quæ facta significat his verbis, *Quem interemerunt suspensum in ligno*, v. eod. Tertium genus factorum est muneris regii: cujusmodi facta tria commemorat, cætera autem subintelligit. Primum est, quòd resurrexit à mortuis, v.40. & 41. Quod ipsum confirmat testimonio suo & collegarum, ut qui redivivum viderint, atque adeò cum eo ederint ac biberint. Sub hoc facto simul intelligenda relinquuntur ascensio in cælum & sessio ad dexteram Dei. Alterum factum regium quod commemorat, est emissio Apostolorum ad prædicandum Evangelium, vers. 42. Tertium factum est futura celebratio judicii universalis, quo hostes suos ad æternos cruciatus relegabit, cultores autem suos in communionem regni sui recipiet: v. eod. Atque hæc est probatio propositi à factis. Huic addit probationem à testimoniis prophetarum, v.43.

Atque hæc de Petri sermone. Jam ad eventa illius sermonis quod attinet, ea narrantur quatuor.

1 Spiritus sanctus illapsus est in omnes qui illum audiebant, v.44. id est, infusum est eis donum loquendi linguis & prophetandi, seu sermone prophetico celebrandi mysterium salutis: ut percipitur ex collatione v.46.

2 Comites Petri obstupuerunt, v.45.

3 Petrus jussit illos baptizari, v.47. & 48. Hoc mandatum illustratur expositione causæ: quia acceperint Spiritum sanctum: id est, non solùm donum linguarum & prophetandi, sed etiam fidei Christianæ. Et causæ hujus expositio illustratur à pari, seu exemplo simili Petri & comitum ipsius, ubi ait, *Sicut & nos*.

4 Cornelius cum suis rogavit Petrum, ut ad dies aliquot secum perseveraret. Hic relinquuntur intelligenda eventa duo: unum, quòd Cornelius & amici ejus fuerunt (ut Petrus jusserat) baptizati: quod fuit eventum ordine quartum: alterum, quòd Petrus cum Cornelio & amicis ejus (sicut rogaverant) per aliquot dies manserit: quod fuit eventum ordine sextum.

SCHOLIA IN CAP. X.

2 Domo] τῷ οἴκῳ. *Familiâ. Metonymia subjecti.* Qui & præstabat &c.] ποιῶν τε &c. *Sic verto propter conjunctionem* τε, *quæ è regione respondet proxime-sequenti conjunctioni* καὶ. *Deinde ante* εἶδεν *in principio versus sequentis suppleo pronomen* οὗτος, *cum paraphraste Syro.* Omni *tempore*] διὰ παντός. *Scil.* χρόνου.

3 Hora] ὥραν. *Pro*, καθ' ὥραν. Nona] ἐννάτην. *Scil. ab exortu solis. Id est, incipiente vesperâ: cui cedebant tres postremæ diei horæ ex duodecim. Et tunc offerebatur juge sacrificium, de quo Exod. 29.41. Cum quo sacrificio conjungebantur preces.* Ad se] πρὸς αὐτόν. *Pro*, πρὸς ἑαυτόν. Sibi] αὐτῷ. *Pro*, ἑαυτῷ.

4 Expavefactus] ἔμφοβος γενόμενος. *Vel, timore repletus.* Quid est] τί ἐστι. *Sic judico hîc scribendum verbum substantivum, cum accentu, propter emphasin: repudiatâ enclisi.* Domine] κύριε. *Utrumq; nomen primam literam habere debet cæteris similem, non autem majusculam: Ne putetur significare Deum. Hebræi dicunt* אֲדֹנִי *adoni, id est, domine mi: quum viro alicui honorem habent. Pro viro enim hunc angelum aspiciebat Cornelius.* Ascen-

derunt in memoriam coram Deo] ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *Pro, εἰς μνημόσυνον. Heterosis. Est autem phrasis Hebraica: qualis,* Ascendere in cor. *Confer infrà v.31.*

5 Nunc igitur] καὶ νῦν. *Hebraismus,* וְעַתָּה *vehattáh.* Aliquos] ἄνδρας. *Ad verb.* Viros. *Hebraismus.*

9 In tectum] ἐπὶ τὸ δῶμα. *Vide scholia nostra in Matth.24.v.7.* Ut precaretur] προσεύξασθαι. *Pro, τοῦ προσεύξασθαι. Scil. ἕνεκα.* Sextam] ἕκτην. *Scil. ab ortu solis. Id est, meridie. Confer Psal.55. versu 18.*

10 Correptus est fame] ἐγένετο πρόσπεινος. *Ad verb.* Factus est famelicus. *quasi dicas, affamis.* Capere cibum] γεύσασθαι. *Ad verb.* Gustare. *Metonymia effecti destinati. nam ideo cibos gustamus, ut si sapiant, comedamus.* Mentis excessus] ἔκστασις. *Quum quis quasi extra seipsum constituitur, ut nihil extra se positum sensu percipiat, sed mente totâ convertatur in imagines intus objectas.*

11 Conspexit] θεωρεῖ. *Scil. mente. Ex collatione versus pracedentis. Pro, τεθεώρηκε.* Extremis] ἀρχαῖς. *Ad verb.* Initiis.

12 Quævis] πάντα. *Omnis generis.* **Allerlai.** *Sic 1.Tim.2.v.4.* Cæli] τοῦ οὐρανοῦ. *Quæ volant in cœlo, scil. infimo, id est, aëre. Synecdoche generis: & genitivus subjecti.*

14 Domine] κύριε. *Ut v.4.* Quicquam] πᾶν. *Sic πᾶσα σάρξ, ulla caro, Rom.3.v.20.* Commune] κοινόν. *Hoc mox exponitur per vocabulum sequens. Opponitur autem commune sancto. Vide scholia nostra in Matth.15.v.11.*

15 Ne communia feceris] μὴ κοίνου. *Id est, ne communia dixeris. Sic exponitur infr.v.28. Tali significatione usurpantur verba* הִצְדִּיק & הִרְשִׁיעַ *justificare & improbificare; Prov.17.v.15. & alibi passim. Item μακαρίζειν, beatificare, Luca 1.v.48. Rom.4. v.6. & 9.*

17 Quidnam esset] τί ἂν εἴη. *Id est, Cujus rei signum esset, seu quidnam significaret. Metonymia subjecti.*

19 De visione] περὶ τοῦ ὁράματος. *Græcum expressius propter articulum ἀναφορικόν.* Spiritus] τὸ πνεῦμα. *Nempe Spiritus sanctus. Synecdoche generis.*

20 Hæsitans] διακρινόμενος. *Διακρίνεσθαι est judicio in diversas quasi partes propendêre, nunc scil. in affirmationem, mox in negationem: & vicissim.*

23 Postridie] τῇ ἐπαύριον. *Scil. ἡμέρᾳ. Sic v. seq.*

27 Invenitq;] καὶ εὑρίσκει. *Græcè.* Et invenit, *tempore præsenti. Enallage, pro, εὕρηκε.*

28 Judæo] ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ. *Ad verb.* Viro Judæo. **Einem Jüdischen mann.** Communem] κοινόν. *Ut suprà v.14.* Hominem] ἄνθρωπον. *Potest in versione omitti. Nam ponitur πλεοναστικῶς.*

29 Quam ob causam] τίνι λόγῳ. *Ad verb.* Quâ ratione. *Vel,* Quam ob rem. *Si nomen λόγος accipiatur per metonymiam Hebraicam.*

30 Horâ nonâ] τὴν ἐννάτην ὥραν. *Subaudi κατά.* Quidam] ἀνήρ. *Ad verb.* Vir. *Synecdoche speciei Hebraica.*

31 In memoriam venerunt coram Deo] ἐμνήσθησαν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *Eadem phrasis occurrit Apocal.16.v.19. Est autem phrasis Hebraica.*

33 Eodem igitur momento] ἐξ αὐτῆς οὖν. *Scil. ὥρας.* Ut audiamus] ἀκοῦσαι. *Pro, τοῦ ἀκοῦσαι. Scil. ἕνεκα.*

34 Aperuit os] ἀνοίξας τὸ στόμα. *Ut suprà 8.v.35.* Verè] ἐπ' ἀληθείας. *Ad verb.* In veritate. *Periphrasis adverbii Hebraica.* Non accipere faciem] ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης. *Hujus meæ versionis rationem reddidi Rom.2.v.11.*

35 Quavis] παντί. *Ut suprà v.12. Confirmatur autem hæc expositio ex antithesi.*

36 Quod attinet ad sermonem] τὸν λόγον. *Accusativus positus absolutè. Sic Matth.21.v.42.* Pacem] εἰρήνην. *Nempe & cum Deo & inter ipsos electos homines. Confer Ephes.2. vers.13. & seqq.* Omnium] πάντων. *Sive, omnium rerum: sive omnium hominum. Confer Rom.3.v.29.*

37 Quod gestum est] τὸ γενόμενον ῥῆμα. *Ad verb.* Verbum quod factum est. *Metonymia Hebraica.* **Den handel der sich zugetragen hat.**

38 Quod inquam attinet ad Jesum Nazarenum] Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρέθ. *Iterum accusativus absolutè positus, ut suprà v.36.*

39 Nos] ἡμεῖς. *Apostoli.* In ligno] ἐπὶ ξύλου. *Ut suprà 5.v.30.*

41 Priùs designatis] προκεχειροτονημένοις. *Verbum Græcum notat propriè electionem per suffragia seu manuum elationem. Est igitur metaphora καταχρηστική.* Ab ipso] ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. *Ad verb.* A Deo. *Antecedens repetitum loco relativi, more Hebræorum.*

43 Quemvis] πάντα. *Cujuscunq; gentis sit. Confer suprà 35.*

44 Spiritus sanctus] *Id est, donum Spiritus sancti, videl. donum loquendi linguis & prophetandi: ut declaratur duobus versibus sequentibus. Metonymia efficientis.*

49 In nomen] ἐν τῷ ὀνόματι. *Pro, εἰς τὸ ὄνομα. Heterosis Hebraica. Confer suprà 8.16.*

OBSERVAT. EX CAP. X.

Ecclesia N.T.

1 Ex toto capite. Historia de Cornelio & iis qui cum ipso erant, in Ecclesiam receptis, ostendit: Gentes in N.T. sine circumcisione & cæteris cærimoniis Mosaicis in Ecclesiam recipiendas esse, idque per baptismum.

Bona opera.

2 Ex v.4. *Preces tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo.* Deus bona opera remuneratur: & gratiam suã auget iis qui bene illâ utuntur. Interim tenendum, ipsum bonum gratiæ usum donum Dei esse: quippe qui dat & velle & perficere. Sed quæritur hîc, quî factum sit ut preces & eleemosynæ Cornelii placuerint Deo: quum ille videatur adhuc expers fuisse fidei, ut qui adhuc ignoraret Christum: sine fide autem impossibile sit placere Deo. Respondeo: Etsi Cornelius ignoravit, Christum jam venisse; & Jesum illum Nazarenum nuper Hierosolymis crucifixum, esse Christum: tamen credidit in Christum, sed tanquam venturum. Dicitur enim fuisse pius ac timens Deũ, v.2. item testimonio ornatus à totâ gente Judæorum, v.22. denique dicitur precatus esse horâ nonâ, quæ scil. hora precationi erat destinata apud Judæos, suprà 3.v.1. Ex quibus omnibus colligitur, Cornelium ex auscultatione Legis & Prophetarum in synagogis doctrinam de vero Deo & Christo percepisse, & fide apprehendisse: ex quâ fide & Deum colebat assiduis precibus, & proximis egenis eleemosynas dabat ex Charitate à Deo in Lege mandatâ. Simile pietatis exemplum proponitur in centurione illo qui agebat Capernaümi, Matth.8. & Luc.7. *De fide Cornelii.*

3 Ex v.14. & seq. *Petrus autem dixit, Nequaquam domine: nunquam enim edi quicquam commune &c.* Quum Petrum quoq; post acceptum in die Pentecostes Spiritum sanctũ oportuerit in cognitione beneficii Christi proficere; quippe qui tempore hujus visionis adhuc ignoravit, leges Mosis cærimoniales abrogandas, & Gentes absq; circumcisione & aliarum legalium cærimoniarum observatione populo Dei aggregandas esse: non est quòd quisquam nostrûm sibi persuadeat, se perfectam illius mysterii cognitionem habere. Quare singulis ex assiduâ meditatione Scripturarum proficiendum est. Interim electi tantâ beneficii Christi notitiâ donantur, quanta singulis ad salutem sufficit. Confer 1.Cor.13.v.9 Phil.3.v.8. & seqq. 1.Pet.1.v.12. *Cognitionis nostræ imperfectio.*

4 Ex v.23. *Intrò vocatos igitur eos accepit hospitio.* In Petro proponitur nobis exemplum hospitalitatis. Confer Heb.13.v.2. *Hospitalitas.*

5 Ex v.24. *Cornelius autem exspectabat eos, &c.* In Cornelio proponitur nobis exemplum studii adhibendi in audiendo verbo Dei. Exspectabat ille unà cum convocatis cognatis & amicis adventum Petri, ut ex illo audiret verbum Dei: non differebat convocationem illius cœtus, donec advenisset Petrus. Ita decet Christianos in cœtu Ecclesiæ audituros verbum Dei, maturè congregari, & ministrum verbi Dei exspectare. *Auditores Evangelij.*

6 Ex v.25. & 26. Adoratio religiosa uni Deo convenit: civilis autem & ipsa periculosè ministris verbi tribuitur. B. Confer Apoc.19.v.10. *Adoratio.*

7 Ex v.30. *Nudiusquartus usq; ad hanc horam eram jejunus, & hora nona precabar.* Jejunii legitimus usus est ut serviat precibus rectè concipiendis. *Jejunium.*

8 Ex v.31. & 32. Exemplo Cornelii monemur, Deum preces ex fide profectas exaudire: ac nominatim si petamus ampliorem ipsius cognitionem. Confer Luc.11.v.13. *Preces.*

9 Ex v.34. *Verè comperio, Deum non accipere faciem.* Hoc Petri pronuntiato abutuntur, qui inde inferunt, Deum ex genere humano in peccatum lapso non elegisse certos aliquos ad vitam æternam, cæteris reprobatis. Nam etsi hoc fecit Deus, ut passim Scriptura tradit: hinc tamen non sequitur, eum esse προσωπολήπτην, acceptorem personarum, vel potiùs acceptorem faciei. Nam προσωπολήπτης is demum dicitur, qui ad benefaciendum alicui indigno movetur consideratione alicujus qualitatis illi adhærentis, quæ homini apud alios homines favorem vel authoritatem conciliare solet: cujusmodi qualitates sunt divitiæ, potentia, nobilitas, patria, formæ elegantia, & si quid est aliud hujus generis. Sic Petrus hoc loco negat, personarum acceptorem esse Deum, quia non discernat inter Judæos & Gentiles: ut consideratione gentis illis benefaciat, istos negligat. Similiter ut eligeret Deus certos ex genere humano, nullius ejusmodi qualitatis consideratione motus fuit: sed id ex liberrima sua potestate & misericordia fecit. Si quis excipiat, adhuc videri προσωπολήπτην Deum, si quum omnes miseri peccatores sint, aliquibus tantùm misericordiam exhibeat, reliquos verò pro merito judicet: quum nemo dubitet, judicem illum προσωπολήπτην esse, qui ex duobus reis qui in pari culpa sunt, unum ex misericordia absolvat, alterum pro ipsius merito damnet: sciendum, dissimilem esse Dei & hominis rationem. Homo enim judex tenetur judicare secundùm legem à Deo sibi latam, ac proinde ex merito causæ: at Deus nulli legi subjectus est, sed liberam habet agendi potestatem. *De divinâ electione.*

10 Ex v.35. *Sed in quavis gente acceptum ei esse qui eum timeat, & operetur justitiam.* Quæri hîc potest, an conciliemus nobis amorem Dei nostrâ pietate? Hoc enim videntur significare verba Petri. Sed quomodo istud convenit cum verbis Johannis: *In hoc est charitas: non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos &c.* 1.Johan.4.v.10. Item cum verbis Pauli 2.Cor.5.v.18. *Hæc autem omnia sunt ex Deo: qui reconciliavit nos sibi per Jesum Christum.* Respondeo: Quod ad primam conciliationem amoris Dei attinet, illa non efficitur per nostram pietatem, sed contrà pietas nostra fluit ex illa: nam quos sibi Deus ex gratuito amore conciliavit per Christum, eos etiam sanctificat per Spiritum suum: & de hac conciliatione loquuntur dicta allegata. Quod verò attinet ad amoris DEI nobis semel conci- *Antilogiæ apparentis conciliatio.*

liati cõservationem & incrementum, illa sanè efficitur ex nostra pietate: cujus quidem radix est vera in Christum fides: & de hac loquitur hîc Petrus.

Evangelium. 11 Ex v.36.& sequentibus. *Quod attinet ad sermonem quem misit filiis Israël &c.* Ex ista concione Petri notanda sunt præcipua capita Evangelii seu doctrinæ de salute per Christum. Ea sunt, quòd Christus nobis acquisiverit pacem (v.36.) seu remissionem peccatorum (v.34.) nempe quatenus suspensus in ligno (v.39.) factus est pro nobis maledictio, Galat.3.13. seu sacrificium pro peccato, sive expiatorium, Rom.8.v.3. Heb.9. v.26. & cap.10.vers.12. Deinde quòd resurrexerit à mortuis (v.41.) videlicet propter justificationem nostri, Rom.4.vers.25. Id est, ad demonstrandum quòd suâ morte nobis justificationem seu remissionem peccatorum certò acquisiverit. Item quòd è cælo rediturus sit ad judicandum vivos & mortuos (v.42.) ac proinde ad plenè beatos reddendos eos qui in ipsum crediderint, Deoq; ex illa fide serviverint: dum eos liberabit ab inhabitante peccato & castigationibus propter quotidiana peccata, & à persecutione mundi, transferendo eos glorificatos & plenè sanctificatos in cælum ad fruendum æternis gaudiis & cælesti gloriâ. Denique quòd hanc salutis doctrinam ipsemet annuntiarit, v.36. quodque Deus prædicationem ejus stabiliverit seu confirmarit tum singulari ac divina eloquentia à Spiritu sancto dictata, tum miraculis adjunctis, v.38. Et quidem miraculis officio ipsius, ut servatoris, accommodatissimis: per quæ scil. benefecit hominibus, sanando eos à variis morbis & vitiis corporis, & liberando ab inhabitatione malorum spirituum: ut ita significaret, se sanaturum quoque animas, & à potestate diaboli spiritualiter liberaturum.

Baptismus. 12 Ex v.37. *Post baptisma quod prædicavit Johannes.* Baptismi administrationem præcedere debet prædicatio evangelii: qua vel ipsi baptizandi, si adulti sint; vel eorum parentes ac fidejussores, si sint infantes; erudiantur admoneantúrve de salute per Christum partâ omnibus in ipsum credentibus, & de ipsorum gratitudine erga Deum pro tanto beneficio. Porrò quum prædicandi munus interdictum sit mulieribus: sequitur, baptismi quoq; administrationem eis interdictam esse. Quorum enim est baptizare, eorundem est & prædicare.

Patrum in V.T. salus. 13 Ex v.43. *Huic omnes prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum &c.* Quum patribus quoq; in vetere Testamento æternæ salutis ratio annuntiata sit: consequens est, illorum quoque nonnullos servatos esse, idq; eâdem ratione qua nos in novo Testamento servamur, nempe per fidem in Christum. Contra errorem Anabaptistarum.

Prædicatio Evangelij. 14 Ex v.44.& duobus sequentibus. Proponitur hîc imago operationis Spiritus sancti per prædicationem Evangelii. Nam sicut per prædicationem Petri Spiritus sanctus, quo ad donum loquendi linguis ac prophetandi, illapsus fuit in Cornelium & illos qui cum eo congregati erant; ita idem per prædicationem cujusvis pastoris Ecclesiæ Christum annuntiantis illabitur, quo ad donum fidei, charitatis & spei, in corda quorumvis electorum qui audiunt sermonem. Ergo sermo Evangelii reverenter & attentè audiendus.

Baptismus. 15 Ex v.47.& 48. Adulti de quibus constat ex probabilibus argumentis, quòd credant in Christum, per Baptismum in Ecclesiam recipiendi sunt.

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Duo hîc narrantur: Primùm, apologia Petri apud fratres Hierosolymitanos de suo ingressu ad Cornelium, usq; ad v.19. Deinde plantatio ecclesiarum in Phœnicia & Cypro, & maximè Antiochia, à v.19.& deinceps.

PRIMA PARS.

Apologia Petri de suo ingressu ad Cornelium.

Audierunt autem Apostoli & fratres qui erant in Judæa, Gentes etiam recepisse sermonem Dei.

2 Quum igitur ascendisset Petrus Hierosolymam, altercati sunt cum eo qui *erant* ex circumcisione.

3 Dicentes; Ad viros præputium habentes introisti, & edisti cum eis.

4 Exorsus autem Petrus, *omnia* exposuit eis ordine, dicens;

5 Ego eram in civitate Joppe precans: & visionem in mentis excessu vidi, *nempe* descendens vas quoddam, ceu linteum magnum, quod quatuor extremis demittebatur è cælo; & ad me usque venit.

6 In quod quum intendissem oculos, consideravi, & vidi quadrupedia terræ, & feras, & reptilia, & volucres cæli.

7 Audivi autem etiam vocem dicentem mihi; Surge Petre, macta & vescere.

8 Dixi verò, Nequaquam domine: nam nihil commune aut impurum unquam introivit in os meum.

9 Respondit autem mihi vox secundò è cælo, Quæ Deus purgavit, tu ne communia feceris.

10 Idque ter factum est: & rursus omnia sursum retracta sunt in cælum.

11 Tum ecce eodem momento tres viri supervenerunt in ædes in quibus eram, Cæsareâ missi ad me.

12 Dixit verò mihi Spiritus ut irem cum eis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum etiam sex isti fratres, & ingressi sumus domum viri illius.

13 Qui annuntiavit nobis, quomodo vidisset angelum domi suæ, qui adstitisset ac dixisset ipsi; Mitte aliquos Joppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus:

14 Qui tibi ea dicturus est per quæ serveris tu & tota domus tua.

15 Quum autem cœpissem loqui, illapsus est Spiritus sanctus in eos, quemadmodum & in nos in principio.

16 Recordatus sum verò illius dicti Domini, quum diceret; Johannes quidem baptizavit aquâ, vos verò baptizabimini Spiritu sancto.

17 Postquam igitur par illud donum dedit eis Deus ut & nobis, quum crediderunt in Dominum Jesum Christum; quis eram ego qui Deum possem prohibere?

18 His autem auditis quieverunt, & glorificaverunt Deum, dicentes, Nempe etiam Gentibus Deus resipiscentiam dedit ad vitam.

Tria sunt principalia hujus narrationis membra. Primùm enim narratur Petri accusatio seu reprehensio, id est, qua ille fuit accusatus seu reprehensus, tribus primis versibus. Deinde ejusdem apologia, qua se ipse defendit, à v.4. usque ad 18. Postremò apologiæ illius eventa, v.18. Accusationis seu reprehensionis narratio illustratur primùm ex causis impulsivis, deinde speciali indicatione accusatorum, tum recitatione verborum formalium. Causæ impulsivæ quæ fratres illos ad reprehendendum Petrum moverunt, indicantur duæ: prior, quòd audivissent, Gentes etiam recepisse sermonem Dei: id est, Cornelium cum suis à Petro institutum fuisse in doctrina Evangelii. Posterior, quòd Petrus Hierosolymam rediit. Specialis indicatio fratrum illorum qui Petrum reprehenderunt, continetur his verbis, *Qui erant ex circumcisione.* Id est, qui erant Judæi, & circumcisionem urgebant in gentibus qui Evangelium amplectebantur, Ecclesiæque sese adjungebant. Verba formalia continentur v.3. quæ suppeditant syllogismi accusatorii assumtionem. Syllogismus autem hic est:

Judæus, qui familiariter vivit cum gentilibus, peccat. quia scil. Deus tali conversatione interdixit.
Tu Petre, qui Judæus es, id fecisti.
Peccasti igitur.

Apologia Petri constat demonstratione contrarii, nempe se non peccavisse, sed rectè egisse. Id quod ostendit duplici genere argumentorum. Primùm à causa impulsiva legitima, videlicet mandato Dei: deinde ex eventu felici, tanquam testimonio Dei factum ipsius approbantis. Mandatum Dei narrat Petrus triplex. Primùm αἰνιγματῶδες & subobscurum, visum scilicet omnis generis animalium, de quibus à Deo jussus est edere, cum hac pronuntiatione, quòd nullum eorum immundum sit, sed omnia sint à Deo purgata, seu pura & munda constituta: à vers.5. usque ad 11. Secundum mandatum fuit manifestum ac disertum: quo jussus est, à Spiritu sancto ire cum nuntiis Cornelii absque ulla hæsitatione, vers.11. & 12. Tertium mandatum etiam disertum & apertum fuit: videlicet mandatum Cornelio datum per angelum de Petro accersendo, vers.13. & 14. Atque hæc de mandatis. Eventus fuit illapsio Spiritus sancti in Cornelium & socios illius: quo facto Deus ipse factum Petri approbavit, v.15. Hunc eventum Petrus illustrat exemplo simili, v.eod. Istud autem ipsum exemplum illustrat à simili, videl. à promissione collatâ cum eventu, vers.16. Et postremò ex illo eventu deducit conclusionem, nempe affirmationem suæ innocentiæ, vers.17. amplificatam ab eventu absurdo contrarii: nempe nisi sic egisset, futurum fuisse θεομάχον, ut qui Deum prohibere vellet ne pro suo placito adscisceret populo suo quoscunque & quocunq; modo vellet. Hactenus apologia Petri: ex qua potest intelligi, propositionem syllogismi accusatorii illo tempore (sicut etiamnum hodie) fuisse falsam: etsi ante id tempus esset vera: quia Deus tunc discrimen illud inter Judæos & reliquas gentes volebat tollere, & circumcisione abolitâ gentes quoque in societatem populi Dei admittere per baptismum.

Eventa

Eventa illius apologiæ narrantur duo: unum, quòd accusatores Petri acquieverunt: alterum, quòd Deo gratias egerunt pro conversione Cornelii & amicorum illius, v.18.

SECUNDA PARS.

Plantatio ecclesiarum in Phœnicia & Cypro & Antiochia.

19 Cæterùm qui dispersi fuerant ex afflictione orta ob Stephanum, pervenerunt usque in Phœniciam, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes sermonem nisi solis Judæis.

20 Erant autem quidam ex iis Cyprii & Cyrenenses: qui ingressi Antiochiam, loquuti sunt Græcanicis, evangelizantes Dominum Jesum.

21 Fuit autem manus Domini cum eis: multusque numerus credidit & convertit *se* ad Dominum.

22 Pervênit autem hic rumor ad aures ecclesiæ quæ erat Hierosolymis: miserunt igitur Barnabam ut pergeret Antiochiam usque.

23 Qui quum advenisset, & vidisset gratiam Dei; gavisus est, & hortatus est omnes ut proposito cordis permanerent cum Domino.

24 Nam erat vir bonus & plenus Spiritu sancto & fide. & adjuncta est multa turba Domino.

25 Abiit autem Barnabas Tarsum, ut requireret Saulum: & eum inventum duxit Antiochiam.

26 Factum est autem ut annum totum convenirent in ecclesia, docerentque turbam multam, & discipuli nominarentur primùm Antiochiæ Christiani.

27 Per id tempus autem descenderunt Hierosolymis prophetæ Antiochiam.

28 Et unus eorum surgens, nomine Agabus, significavit per Spiritum, famem magnam futuram in toto terrarum orbe: quæ etiam fuit sub Claudio Cæsare.

29 Singuli verò discipulorum, prout cuique suppetebat, decreverunt subministrationis causâ mittere *aliquid* fratribus habitantibus in Judæâ.

30 Quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manum Barnabæ & Sauli.

Primùm de istis tribus locis narratur in communi, v.19. deinde de Antiochia in specie versibus reliquis. In communi duo indicantur: authores istius plantationis, & objectum seu subjectum occupans. Authores fuerunt discipuli illi qui dispersi fuerant Hierosolymis ex oppressione orta ob Stephanum. Objectum, id est, homines in quibus plantandis & ad fidem Christi adducendis elaborarunt, fuerunt soli Judæi. Atque hæc de tribus illis locis in communi. Jam in specie de Antiochenæ ecclesiæ plantatione narrantur octo. Primò indicatur aliud objectum, videl. Græcanici, ἑλληνιστὰς: v.20. Secundò successus seu felix eventus ex benedictione Domini, vers.21. Tertiò adjuncta confirmatio & augmentatio per adventum Barnabæ, v.22.23. & 24. ubi inseritur laus Barnabæ ex adjunctis inhærentibus. Quartò confirmatio & augmentatio per Saulum simul & Barnabam, v.25.& 26. Quintò adjunctum novum nomen discipulorum, in fine vers.26. Sextò adventus prophetarum ex urbe Hierosolyma, v.27. Septimò prophetia Agabi de fame, vers.28. Postremò eleemosynæ collectæ ac missæ ad fratres in Judæa, v.29.&30.

SCHOLIA IN CAP. XI.

2 Qui erant ex circumcisione] οἱ ἐκ περιτομῆς. Scil. ὄντες. *Id est, qui erant ex fidelibus Judæis sive Israëlitis. Atque hoc modo distinguuntur fideles ecclesiæ Hierosolymitanæ in duas classes, videlicet Judæorum seu Israëlitarum & proselytorum. Nam nullos adhuc incircumcisos è gentibus adjunctos illis fuisse, patet ex v. 3. & 18. Est igitur hîc primùm metonymia adjuncti, quatenus circumcisio dicitur pro circumcisis: deinde synecdoche generis, quatenus per circumcisos intelliguntur soli Israëlitæ, quum tamen & proselyti essent circumcisi.*

9 Communia feceris] κοίνου. *Vide suprà 10.v.15.*

12 Viri illius] τοῦ ἀνδρὸς. *Nempe de quo mecum expostulastis, quòd ad eum introierim & eos qui cum ipso erant, suprà vers.3. Articulus vim habet ἀναφορικὴν.*

14 Per quæ] ἐν οἷς. *Pro, δι' ὧν. Hebraismus: qualis in illo,* Homo qui fecerit hæc, vivet in eis.

15 In principio] ἐν ἀρχῇ. *Scil. functionis nostræ Apostolicæ apud quoslibet. Nempe in die Pentecostes, suprà cap.2.*

16 Quum diceret] ὡς ἔλεγεν. *Suprà 1.v.5.* Spiritu sancto] ἐν πνεύματι ἁγίῳ. *Vide suprà 1.v.5.*

19 Sermonem] τὸν λόγον, *Scil. Dei,* τοῦ Θεοῦ: *ut exprimitur suprà v.1.* Nisi solis] εἰ μὴ μόνον. *Vel,* Nisi solùm. *Redundat autem posterior vox.*

20 Græcanicis] πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς. *Ut suprà 9.29. Superiore versu dicitur, illos nemini loquutos nisi solis Judæis. Hîc autem dicitur, loquutos esse πρὸς τοὺς ἑλληνιστὰς. Hinc sequitur, illos ἑλληνιστὰς fuisse Judæos.*

21 Manus] χεὶρ. *Id est, Potentia. Metonymia subjecti Metaphorica.* Credidit & convertit se] πιστεύσας ἐπέστρεψεν. *Vel,* Fidem amplexus convertit se.

22 Pervênit autem hic rumor ad aures] ἠκούσθη δὲ ὁ λόγος εἰς τὰ ὦτα. *Ad verb.* Auditus est autem hic sermo in aures.

26 Convenirent] συναχθῆναι. *Vel,* Congregarentur.

27 Per id tempus] ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις. *Ad verb.* In istis diebus. *Hebraismus.*

OBSERVAT. EX CAP. XI.

1 Ex v.1.& deinceps. Nullius pastoris Ecclesiæ tanta debet esse authoritas, ut non teneatur rationem factorum suorum reddere fratribus. *Pastores Ecclesiæ.*

2 Ex v.18. De veritate incomperta quærentes, placidè audiendi: sed vicissim ejusdem declarationi acquiescendum est.B. *Veritas.*

3 Ex v.19. Quum cœtum aliquem piorum dispergi videmus, non est quòd nimiùm perturbemur: quia per Dei providentiam fieri consuevit, ut eâ occasione doctrina cælestis latiùs spargatur, & plures Christo lucrifiant. *Consolatio contra dispersionem fidelium.*

4 Ex v.20. Quum Antiochena ecclesia per ministros extra ordinem vocatos plantata sit: non est, quòd in plantandis ecclesiis semper ordinariam vocationem requiramus: dummodo qui extra ordinem vocantur, Dominum Jesum Evangelizent. *Ministrorum verbi vocatio.*

5 Ex v.21. Deus piis & sanctis laboribus fidelium ministrorum verbi benedicit, ut per ipsos multi ad fidem & pietatem adducantur. Hac spe freti fideles ministri verbi, sedulò in docendo & exhortando elaborent. *Officium ministrorum verbi.*

6 Ex vers.22. & 23. Extraordinaria vocatio non temere damnanda est, sed prudenter ex effectu dijudicanda. *Vocatio ministrorum verbi.*

7 Ex v.25. Nulla fuit inter Apostolos de usurpandis aut retinendis sedibus ac gradibus contentio.B. *Ambitio.*

8 Ex v.26. Quotquot sese discipulos Christi, tanquam summi præceptoris, esse profitentur: illos ab eodem denominari decet, non autem ab ullo homine. *Discipuli Christi.*

9 Ex v.27.& 28. Dominus suis flagellis sic cum impiis involvit Ecclesiam: ut tamen ei, quacunque ratione expedit, in tempore prospiciat.B. *Ecclesia.*

10 Ex v.29.& 30. Si qua ecclesia aliam egere videt, debet ejus inopiam è suis copiis sublevare. *Eleemosyna.*

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Quinque hîc narrantur, 1. Mors Jacobi fratris Johannis. 2. Petri è carcere liberatio. 3. Exitus Herodis. 4. Status ecclesiæ Hierosolymitanæ. 5. Reditus Barnabæ & Pauli Antiochiam.

PRIMA PARS.

Mors Jacobi fratris Johannis.

CÆterùm per id tempus injecit rex Herodes manus, ut infestaret quosdam ex ecclesia.

2 Interemit autem Jacobum fratrem Johannis gladio.

DE morte Jacobi duo indicantur: author & forma. Author fuit Herodes, v.1. Forma, fuit supplicium gladii, v.2. Hoc supplicium amplificatur collatione similium exemplorum, v.1.

SECUNDA PARS.

Liberatio Petri è carcere.

3 Et quum vidisset *hoc* gratum esse Judæis, perrexit comprehendere etiam Petrum: (erant autem dies Azymorum.)

4 Quem etiam prehensum conjecit in carcerem, traditum quater quaternis militibus, ut eum servarent; volens post pascha producere eum populo.

5 Petrus igitur servabatur in carcere: preces autem intentæ fiebant ab ecclesia ad Deum pro ipso.

6 Quum verò esset producturus eum Herodes, nocte illa dormiebat Petrus inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium observabant carcerem.

7 Et ecce, angelus Domini supervênit, & lux splenduit in carcere: & pulsato latere Petri excitavit eum, dicens, Surge velociter. Et exciderunt ei catenæ ex manibus.

8 Dixitque ei angelus, Præcingere, & subliga sandalia tua. Fecit autem ita. Tum *ille* dixit ei, Amicitor pallio tuo, & sequere me.

9 Itaque egressus sequebatur eum, nec sciebat verum esse quod fiebat per angelum, sed putabat, *se* visionem videre.

10 Quum autem transivissent primam ac secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit in civitatem: quæ sponte aperta est eis: & egressi, progressi sunt vicum unum: & statim abscessit angelus ab eo.

11 Tum Petrus ad se reversus dixit; Nunc verè agnosco, Dominum emisisse angelum suum, & eruisse me è manu Herodis, & ex omni exspectatione populi Judæorum.

12 Et *re* consideratâ, vênit domum Mariæ matris Johannis, qui cognominabatur Marcus, ubi erant multi congregati & precantes.

13 Quum pulsasset autem Petrus ostium vestibuli, accessit puella ut subauscultaret, nomine Rhode.

14 Quæ agnitâ voce Petri, præ gaudio non aperuit vestibulum; sed intrò currens annuntiavit, adstare Petrum ante vestibulum.

15 Illi verò dixerunt ei, Insanis. Illa autem asseverabat, ita se *rem* habere. At illi dicebant, Angelus ejus est.

16 Petrus verò perseverabat ibi pulsans: quum autem aperuissent, viderunt eum, & perculsi fuerunt.

17 *Ipse* verò manu postulato ab eis silentio, narravit eis quomodo Dominus ipsum eduxisset è carcere: dixitque, Annuntiate ista Jacobo & fratribus. Et egressus, profectus est in alium locum.

18 Orto autem die fuit tumultus non parvus inter milites, quidnam factum esset Petro.

19 Herodes verò, quum eum requisivisset & non invenisset; quæstione de custodibus habitâ, jussit *eos* ad supplicium abduci.

Tria hîc principaliter narrantur. 1. Conjectio Petri in carcerem. 2. Liberatio ex illo. 3. Eventa liberationis illius. Conjectio Petri in carcerem illustratur 1. ex causa procreante, 2. ex adjuncto tempore, 3. ex adjunctis custodibus, 4. ex adjuncto proposito Herodis, 5. ex adjuncta custoditione. Causa procreans seu author conjectionis Petri in carcerem fuit Herodes: cujus factum hoc illustratur ex causa impulsiva; quæ fuit, ut gratificaretur Judæis, v. 3. Tempus, fuit festum azymorum, ibid. Custodes fuerunt quater quaterni milites, v. 4. Propositum Herodis fuit, Petrum post pascha producere populo, ibid. Custoditio significatur his verbis, *Petrus igitur servabatur in carcere*, in principio v. 5. Atque hæc de conjectione in carcerem. Liberatio illustratur partim ex causâ impulsiva, partim ex causa ministra. Causa impulsiva quæ Deum movit ut Petrum è carcere liberaret, fuerunt preces ecclesiæ Hierosolymitanæ, v. 5. Causa ministra fuit angelus Domini: cujus actiones narrantur decem. 1. Ingressus est carcerem. Hic ingressus amplificatur ex adjuncto tempore: quòd videl. ingressus sit illa nocte, postquam Herodes Petrum erat producturus. Item amplificatur ille ingressus & sequuta liberatio Petri à causis corrumpentibus, videl. præsentiâ duorum militum, catenis Petri, & observatione custodum ante ostium. Unde colligitur, Deum custodibus illis altum soporem injecisse, ne sentirent quid in carcere à se cum Petro ageretur. 2. Angelus suo adventu carcerem illustravit seu luce replevit, ut scil. Petrus posset videre. 3. Pulsato latere Petri excitavit eum. 4. Effecit ut catenæ caderent ex manibus illius. 5. Jussit ut se accingeret itineri. 6. Eduxit eum. 7. Traduxit eum per primam & secundam custodiam. 8. Effecit ut porta ferrea per quam exeundum erat, sponte se aperiret, atque ita illum eduxit in civitatem. 9. Progressus est cum eo vicum unum. 10. Discessit ab eo. Atq; sic Petrus è carcere mirabiliter liberatus fuit. Eventa istius liberationis distingui possunt ex objectis, videl. personis, in tres classes. Alia enim evenerunt in ipso Petro: alia in amicis ejus: alia denique in custodibus carceris. Sunt autem in universum sedecim: quorum alia ex aliis consecuta sunt hoc ordine. 1. Angelo digresso, Petrus demum agnovit se verè ex carcere eductum esse: qui antea putabat rem geri per visum seu ecstasin. 2. Re consideratâ, quid sibi porrò agendum esset, vênit ad domum quandam ubi congregati erant ipsius amici, videl. sancti seu discipuli. 3. Pulsavit ostium vestibuli. 4. Puella pulsanti apertura, Petrum ex voce agnovit: & vestibulo non aperto, mox rem intrò nuntiavit. 5. Derogata illi fuit fides. 6. Illa in sua affirmatione perseveravit. 7. Responderunt, angelum Petri esse. 8. Petrus perseveravit pulsando. 9. Aperuerunt ei. 10. Viso eo obstupuerunt. 11. Petrus manu eis indixit silentium. 12. Narravit eis rem gestam. 13. Jussit ut id annuntiarent Jacobo (scil. minori, cognomine Alphæo sive Thaddæo) & fratribus reliquis. 14. Egressus, profectus est in alium locum. 15. Orto die extitit tumultus inter milites quid factum esset Petro, aliis scil. alios accusantibus vel negligentiæ vel perfidiæ nomine in illo custodiendo. 16. Herodes quæstione de illis habitâ, jussit eos ad supplicium rapi.

TERTIA PARS.

Exitus Herodis.

Et quum descendisset è Judæa Cæsaream, *ibi* commoratus est.

20 Herodes autem infenso animo erat in Tyrios & Sidonios; at illi concorditer venerunt ad eum; & illecto Blasto, qui præerat cubiculo regis, petebant pacem: eò quò aleretur regio ipsorum ex regis *agro*.

21 Statuto autem die, Herodes indutus veste regiâ, & considens pro tribunali, concionabatur ad eos.

22 Populus verò acclamabat; Vox Dei, & non hominis.

23 Illico verò percussit eum angelus Domini, eò quòd non tribuisset gloriam Deo: & erosus à vermibus, exanimatus est.

Exitus Herodis illustratur primùm à loco ubi accidit, deinde ab occasione unde accidit, tum à causa impulsiva quæ Deum ad illum è medio tollendum movit, postremò à formâ supplicii. Locus fuit Cæsarea, v. 19. Occasionem præbuit legatio Tyriorum & Sidoniorum, v. 20. & blasphema populi adulantis laudatio, quâ prosecuti sunt orationem ejus quam ad legatos habebat, v. 21 & 22. Causa impulsiva fuit, quòd Herodes non tribuisset gloriam Deo, silentio scil. suo approbans & acceptans honorem divinum à populo sibi oblatum, v. 23. Forma supplicii fuit, erosio à vermibus, ex percussione angeli Domini allatâ, ibid.

QUARTA PARS.

Status ecclesiæ Hierosolymitanæ.

24 Sermo verò Dei crescebat ac multiplicabatur.

His verbis significatur, statum illius ecclesiæ tum fuisse felicem, quantum ad corpus attinet: quia post Herodis discessum quies aliqua & libertas concedebatur sanctis ad tractandum verbum Dei.

QUINTA PARS.

Reditus Barnabæ & Sauli Antiochiam.

25 Barnabas autem & Saulus reversi sunt Hierosolymis, expleto ministerio, simul assumto etiam Johanne, qui cognominabatur Marcus.

Hic reditus illustratur partim à tempore, partim ab adjuncto comite. Redierunt Antiochiam duo illi, posteaquam expleverant Hierosolymæ ministerium illud quod eis erat mandatum à fratribus Antiochenis, nempe afferendi fratribus Hierosolymitanis eleemosynam, suprà cap. 11. v. 29. & 30. Comes fuit Marcus quidam.

SCHOLIA IN CAP. XII.

1 Herodes] *Cognomento Agrippa.*

3 Perrexit comprehendere] προσέθετο συλλαβεῖν. *Ad verb.* Apposuit comprehendere. *Hebraismus.*

4 Producere] ἀναγαγεῖν. *Id est,* προάγειν. *ut v. 6.*

7 In carcere] ἐν τῷ οἰκήματι. *Ad verb.* In habitaculo, *seu* in conclavi. *Synecdoche generis.*

11 Emisisse] ὅτι ἐξαπέστειλε. *E cælo videlicet.*

12 Ipse verò manu postulato ab eis silentio] κατασείσας δὲ αὐτοῖς τῇ χειρὶ σιγᾷν. *Ad verbum,* Quum decussisset eis manu ut silerent: *id est, quum eis decussione manus significasset se cupere ut silerent. Sic infrà 21.40. At infrà 19.32. habetur* κατασείειν τὴν χεῖρα, *decutere seu deorsum quatere manum. Quæ videtur prima & regularis hujus verbi syntaxis. Unde postea dictum* κατασείειν, *per ellipsin nominis* χεῖρα. *Et tandem, tanquam* κατασείειν *significet in genere signum dare, adjunctus fuit dativus instrumenti* τῇ χειρὶ.

18 Quidnam factum esset Petro] τί ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο. *Ad verb.* Quidnam factus esset Petrus.

20 Ex regis *agro*] ἀπὸ τῆς βασιλικῆς. *Subaudi,* χώρας. *Id est,* Ex *agro regio.*

22 Vox Dei] Θεοῦ φωνή. *Scil* αὕτη ἐστὶν, *hac est.*

24 Crescebat] ηὔξανε. *Id est, à multis recipiebatur. Metaphora.*

25 Expleto ministerio] πληρώσαντες τὴν διακονίαν. *Id est, traditâ fratribus collectâ quam miserant Antiocheni, suprà 11. v. 29. & 30. Synecdoche generis. Græcum verò expressius est propter articulum* ἀναφορικόν.

OBSERVAT. EX CAP. XII.

1 Ex v. 1. Concedit quidem inducias ecclesiæ suæ Dominus, sed ad tempus. B. Ecclesia.

2 Ex v. 2.

Tyranni. 2 Ex v.2. & 3. Tyrannorum vetus mos est, piorum sanguine redimere impiorum gratiam. B.

Preces. 3 Ex v.4. & seqq. Preces consilia tyrannorum evertunt, angelos à Deo impetrant, carcerem perfringunt, catenas dissolvunt, Satanâ deniq; profligato ecclesiam servant. B.

Conventus ecclesiastici. 4 Ex v.12. Sacri nocturni conventus tum virorum tum mulierum, quum diurnis locus non datur, Apostolico exemplo comprobantur. B. Idem judicandum de conventibus clandestinis diurnis, quum non conceduntur publici.

Angeli. 5 Ex v.15. *Dicebant, Angelus ejus est.* Ex his verbis colligitur, veteres Hebræos persuasos fuisse, singulis piis certum angelum tanquam custodem esse additum. Quod tamen ex Scriptura demonstrari posse haud videtur. Interim è Scriptura certum est, angelos esse destinatos in custodiam piorum: sive singulis certi additi sint tanquam custodes perpetui: sive promiscuè nunc hic nunc ille ad custodiendum mittatur, quum necessitas postulat.

Officium ministrorum verbi. 6 Ex v.17. Cedendum quidem interdum furori: sed ita ut nihilo negligentius fiat opus Domini. B.

Tyranni. 7 Ex v.18. & 19. Qui tyrannis serviunt in persequendis piis, illi interdum dignam mercedem ab illis reportant: ut scilicet in offensionem illorum incurrentes, è medio tollantur. Quare vitanda tyrannorum necessitudo.

Hostes ecclesiæ. 8 Ex v.20. & seqq. Hostes Ecclesiæ tandem tristem ac pudendum sortiuntur exitum. B.

Adulatio. 9 Ex v.22. Popularis adulatio stultos infatuat. B.

Superbia. 10 Ex v.23. Superbis Deus resistit. B.

Veritas cœlestis. 11 Ex v.24. Tyranni veritatis cælestis prædicationem opprimere non possunt: sed quò magis id conantur, eò magis illa instar palmæ sese erigit.

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

Quatuor hîc narrantur. Primùm profectio Pauli & Barnabæ ad gentes: deinde quid egerint Salamine: tum quid Paphi: postremò, quid Antiochiæ urbe Pisidiæ.

PRIMA PARS.

Profectio Pauli & Barnabæ ad gentes.

Erant autem Antiochiæ in ecclesia quæ *illic* erat, quidam prophetæ & doctores; Barnabas, & Simeon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenæus, & Manahen qui fuerat unà cum Herode tetrarcha educatus, & Saulus.

2 Quum igitur ii ministrarent Domino & jejunarent; dixit Spiritus sanctus, Separate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod eos advocavi.

3 Tunc *igitur* quum jejunassent & precati essent, & imposuissent eis manus, dimiserunt *eos*.

4 Ipsi igitur emissi à Spiritu sancto, descenderunt Seleuciam, & illinc abnavigarunt in Cyprum.

Profectio hæc illustratur partim à causa impulsiva, partim à forma dimissionis, partim à specie loci in quem primò pervenerunt & ubi primò evangelium prædicarunt. Causa quæ Paulum & Barnabam impulit ut ad gentes proficiscerentur prædicandi evangelii causâ, fuit mandatum Spiritus sancti, fratribus Antiochenis datum, de illis dimittendis. Istius mandati narratio illustratur partim enumeratione doctorum ecclesiæ Antiochenæ quibus mandatum istud datum fuit, v.1. partim indicatione temporis quo datum fuit, nempe quum illi Domino ministrarent & jejunarent, v.2. Forma dimissionis fuit, quòd præmisso jejunio & precibus, imposuerunt eis manus, v.3. ad significandum scilicet, Deum illos donis Spiritus sancti abundè instructurum ad rectè & cum fructu fungendum apostolatu inter gentes. Locus in quem primò pervenerunt, & ubi primò evangelium prædicarunt, fuit insula Cyprus, v.4.

SECUNDA PARS.

Quid egerint Salamine.

5 Quumque pervenissent Salamina, annuntiarunt sermonem Dei in synagogis Judæorum: habebant autem etiam Johannem ministrum.

Duo hîc narrantur. Unum, quòd Barnabas & Paulus evangelium prædicarint in urbe Cypri Salamine: ut quæ prima illis è Syria in illam insulam profectis occurrerat. Et hoc declaratur indicatione loci specialis, quòd scilicet prædicarint in synagogis Judæorum. Deinde indicatur, quem secum habuerint ministrum, nempe Johannem illum cognomento Marcum: de quo suprà cap.11. v.12. & 25.

TERTIA PARS.

Quid egerint Paphi.

6 Peragratâ verò insulâ Paphum usque invenerunt quendam magnum pseudoprophetam Judæum, cui nomen *erat* Barjesus.

7 Qui erat cum proprætore Sergio Paulo, viro prudente. Hic advocatis Barnabâ & Saulo, efflagitavit audire sermonem Dei.

8 Obsistebat autem eis Elymas, *id est* magus, (ita enim explicatur nomen ejus) quærens avertere proprætorem à fide.

9 Saulus autem (qui & Paulus) repletus Spiritu sancto, intentis in eum oculis,

10 Dixit; O plene omni dolo & omni maleficentiâ, fili diaboli, hostis omnis justitiæ, non cessabis invertere vias Domini rectas!

11 Nunc igitur ecce, manus Domini adversum te: erisq; cæcus, non videns solem ad tempus. Illico verò incidit in eum caligo ac tenebræ: & circumiens quærebat qui ipsum manu ducerent.

12 Tunc proprætor quum vidisset quod factum fuerat, credidit, perculsus super doctrinâ Domini.

Summa narrationis est, quòd Paulus & Barnabas Paphi ad fidem Christianam adduxerint proprætorem. Membra narrationis sunt quinque. Primò indicatur causa corrumpens, videl. vir quidam Barjesus: qui conatus fuit impedire illos quo minùs proprætorem ad fidem adducerent. Is describitur partim ex duabus adjunctis malis artibus, quòd fuerit magus & pseudopropheta: partim è causa procreante, quòd genere seu natione fuerit Judæus: partim è subjecto recipiente ad se, quòd fuerit cum proprætore, v.6. & 7. Secundò indicatur causa procreans, videlicet prædicatio Evangelii per Paulum & Barnabam apud proprætorem. Et ibi primùm proprætor describitur à nominibus, quæ sunt Sergius Paulus: deinde ab adjuncto inhærente laudabili, quòd fuerit vir prudens. Deinde indicatur causa impulsiva, quæ Paulum & Barnabam movit ad Evangelium illi prædicandum, nempe petitio illius, v.7. Tertiò narratur causæ corrumpentis, id est, illius Barjesu, actio, quâ propositum Pauli & Barnabæ conatus fuit impedire, v.8. Quartò narratur actionis illius remotio, videl. sermo Pauli ad illum. Qui sermo illustratur partim à causa impulsiva, quòd Paulus illum habuerit repletus Spiritu sancto: partim ab adjuncto gestu, quòd illum pronuntiarit intentis in istum pseudoprophetam oculis, v.9. Sermo autem ipse duo habet membra: reprehensionem malitiæ, vers.10. & denuntiationem pœnæ divinæ, videl. cæcitatis, v.11. Quintò narrantur eventa duo: cæcitas Barjesu, v.11. & fides proprætoris, versu 12.

QUARTA PARS.

Quid Paulus & Barnabas egerint Antiochiæ urbe Pisidiæ.

13 Provecti autem Papho Paulus & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ *urbem*. Johannes verò abscedens ab eis, reversus est Hierosolymam.

14 At ipsi quum perrexissent Pergâ, venerunt Antiochiam Pisidiæ, & ingressi synagogam die sabbathi, consederunt.

15 Post lectionem autem Legis & Prophetarum miserunt præfecti synagogæ ad eos, dicentes; Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad populum, dicite.

16 Quum surrexisset igitur Paulus, manu silentio postulato, ait; Viri Israëlitæ, & qui timetis Deum, audite.

17 Deus populi hujus Israëlis elegit patres nostros, & populum evexit, quum essent incolæ in terra Ægypti, & ex ea eduxit eos elato brachio.

18 Et circiter quadraginta annorum tempus mores eorum pertulit in deserto.

19 Et quum delevisset septem gentes in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram earum.

20 Et postea annis circiter quadringentis quinquaginta dedit judices usq; ad Samuelem Prophetam.

21 Et exinde petierunt regem, deditque eis Deus Saulem filium Cis, virum ex tribu Benjamin, annis quadraginta.

22 Et amoto illo, excitavit eis Davidem in regem: cui etiam testimonio dato dixit, Invêni Davidem *filium* Jesse, virum secundùm cor meum, qui exsequetur omnes voluntates meas.

23 Hujus è semine Deus secundùm promissionem excitavit Israëli servatorem Jesum:

24 Quum antè prædicasset Johannes coram eo jam adventante baptismum resipiscentiæ toti populo Israëli.

25 Quum autem expleret Johannes cursum, dixit, Quem me suspicamini esse? non *is* sum ego; sed ecce, venit post me cujus pedum soleam non sum dignus qui solvam.

26 Viri fratres, filii generis Abrahæ, & qui inter vos timent Deum, vobis sermo salutis hujus missus est.

27 Qui enim habitabant Hierosolymis, & primores eorum, quum hunc ignorarent, & voces prophetarum quæ per omne sabbathum leguntur, *ipso* condemnato impleverunt:

28 Et nullâ causâ mortis inventâ, petierunt à Pilato ut necaretur.

29 Quum verò perfecissent omnia quæ de eo scripta sunt; detractum è ligno, posuerunt in monumento.

30 Deus autem excitavit eum à mortuis.

31 Qui conspectus est per dies complures iis qui simul ascenderant cum eo à Galilæa Hierosolymam, qui sunt testes ejus ad populum.

32 Et nos vobis evangelizamus, eam promissionem quæ patribus facta est, Deum explevisse filiis illorum, *id est* nobis, excitato Jesu.

33 Ut etiam psalmo secundo scriptum est; Filius meus es tu, ego hodie genui te.

34 Quòd autem excitaverit eum à mortuis, non ampliùs reversurum in sepulcrum, ita dixit; Dabo vobis firmas illas Davidis beneficentias.

35 Ideo & alibi dicit, Non dabis sanctum illum tuum videre corruptionem.

36 Nam David quidem postquam suâ ætate inservivit Dei consilio, obdormivit, & appositus est patribus suis, viditq; corruptionem:

37 At is quem Deus excitavit, non vidit corruptionem.

38 Notum igitur sit vobis, viri fratres, annuntiari vobis remissionem peccatorum per hunc:

39 Et ab omnibus à quibus per legem Mosis justificari non potuistis, per hunc, quemvis qui credat, justificari.

40 Videte ergo ne veniat super vos quod dictum est in prophetis.

41 Videte, ô contemtores, & admiramini, & evanescite: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod nequaquam credetis si quis enarraverit vobis.

42 Egressis autem è synagoga Judæis, rogarunt Gentes, ut intra proximè sequens sabbathum dicerentur sibi hæc verba.

43 Soluto autem conventu, sequuti sunt multi ex Judæis & religiosis proselytis Paulum ac Barnabam: qui alloquentes eos, persuaserunt eis ut permanerent in gratia Dei.

44 Sequente verò sabbatho urbs propè tota congregata est ad audiendum sermonem Dei.

45 Visâ autem turbâ, Judæi repleti sunt invidiâ, & contradicebant iis quæ à Paulo dicebantur, contradicentes ac blasphemantes.

46 Tunc libertate usi Paulus ac Barnabas dixerunt, Vobis necesse fuit primùm exponi sermonem Dei: postquam autem repellitis illum, & indignos vos ipsos decernitis æternâ vitâ, ecce, convertimus nos ad Gentes.

47 Sic enim nobis mandavit Dominus, *dicens*, Constitui te ut sis lux Gentium, ut sis saluti usque ad ultimas terras.

48 Gentes autem hæc audientes, gavisæ sunt, & glorificabant sermonem Domini: & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.

49 Perferebatur autem sermo Domini per totam illam regionem.

50 Judæi verò exstimularunt mulieres religiosas & honoratas, & primos urbis, & excitarunt persequutionem in Paulum ac Barnabam, ejeceruntq; eos è finibus suis.

51 At illi excusso pulvere pedum suorum in eos, venerunt Iconium.

52 Discipuli verò replebantur gaudio & Spiritu sancto.

Summa narrationis est, quòd Paulus habuerit sermonem in synagoga. Partes narrationis sunt quinque. Primùm narratur, quid Paulo & Barnabæ acciderit in itinere, quum Papho Antiochiam proficiscerentur, nempe quòd deserti sint à ministro suo Johanne Marco, in urbe Pamphyliæ Perga, v.13. Deinde narratur sermonis illius causa impulsiva, videl. petitio præfectorum synagogæ, v.15. quæ illustratur partim è sua impulsiva sive occasione, videl. præsentiâ Pauli & Barnabæ, v.14. partim è circumstantia temporis, quòd petitionem illam fecerint post lectionem Legis & Prophetarum, v.15. partim denique ex forma seu modo agendi, quòd ad eos miserint ministrum: ubi & verba petitionis recitantur, v. eod. Tum narratur Pauli ad sermonem illum præparatio: constans actionibus duabus, tanquam effectis destinatis: primùm enim surrexit, deinde manu silentium fecit, vers.16. Postea recitatur sermo ipse: qui quinque constat partibus; exordio, narratione, propositione, confirmatione, & conclusione. Exordium continet προσφώνησιν & petitionem audientiæ, v.16. Narratio est beneficiorum Dei erga populum Israëliticum præteritorum: quæ in genere duo sunt: unum, quòd hunc populum elegit: alterum, quòd eum exaltavit: v.17. Exaltatio autem ista declaratur per partes numero quinque, nempe quòd Deus Israëlitas eduxit ex Ægypto, v.17: quòd eos sustinuit & sustentavit in deserto, v.18: quòd eos introduxit in terram Chanaan, incolis deletis, v.19: quòd eis dedit judices, v.20: denique quòd dedit eis reges, & in his Davidem: cui promisit Christum ex ipso oriturum, v.21. & 22. Propositio est, quòd Jesus ille Nazarenus sit Christus sive servator populi Dei, v.23. Confirmatio duob. constat argumentis: testimonio Johannis Baptistæ, v.24. & 25: & eventis Christi propriis, v.27. & deinceps. Versu autem 16. renovatur attentio, ut animi præparentur ad sequentem demonstrationem. Summa demonstrationis est: In hoc Jesu evenerunt ea quæ de Christo à prophetis prædicta sunt: Ipse igitur est Christus. Antecedens hujus enthymematis duo continet, eventa & prædictiones eventorum. Eventa narrantur à v.27. usq; ad 33. numero tria: videl. supplicium allatum à Judæis, v.27.28.&29. Sepultura, v.29. & resurrectio à mortuis, v.30.&31. Tum propositio repetitur, v.32. Postea citantur prædictiones prophetarum, una de productione Christi è lumbis Davidis, v.33. altera de ejusdem excitatione à mortuis, v.35. Quod dictum deinceps per prolepsin ostenditur non pertinere ad Davidem, sed ad Christum, ac nominatim ad Jesum, v.36.&37. Conclusio duobus constat membris: corollario de beneficio remissionis peccatorum per Christum, v.38.&39.& admonitione de cavendo illius contemtu, v.40.&41. Postremò narrantur sermonis illius eventa, numero quindecim. Primum ibi, *Egressis autem.* Secundum ibi, *Soluto autem.* Tertium ibi, *Qui alloquentes.* Quartum ibi, *Sequente verò.* Quintum ibi, *Visâ autem.* Sextum ibi, *Tunc libertate.* Septimum ibi, *Gentes autem.* Octavum ibi, *Et glorificabant.* Nonum ibi, *Et crediderunt.* Decimum ibi, *Perferebatur.* Undecimum ibi, *Judæi verò.* Duodecimum ibi, *Et excitarunt.* Decimumtertium ibi, *At illi.* Decimumquartum ibi, *Venerunt Iconium.* Decimumquintum ibi, *Discipuli verò.*

SCHOLIA IN CAP. XIII.

1 Prophetæ] προφῆται. *Præditi dono interpretandi scripturas propheticas ex revelatione Spiritus sancti, & nonnulli etiam dono prædicendi futura quæ scire ecclesiæ intererat: qualis erat Agabus ille suprà 11.28. & infrà 21. v 10. & 11. Confer 1.Cor.14.*

2 Ad quod advocavi] ὃ προσκέκλημαι. *Verbum regit accusativum vi præpositionis, more Græcorum: pro eo quod est, πρὸς ὃ κέκλημαι. Item præteritum passivum usurpatur in significatione activa.*

5 Salamina] ἐν Σαλαμῖνι. *Urbem Cypri, ut patet ex collatione versus sexti.* Johannem] Ἰωάννην. *Cognomento Marcum, suprà 12.v.25.* Ministrum] ὑπηρέτην. *Id est, tanquam ministrum, qui scilicet ipsis ministraret.* Sie hatten Johannem zum diener / der auf sie wartet.

6 Insula] τὴν νῆσον. Insulâ illâ. *Videlicet Cypro, versu quarto. Græcum expressius propter articulum.*

7 Proprætore] τῷ ἀνθυπάτῳ. *Ad verbum,* Proconsule. *Catachresis. Vide annotationes D. Bezæ.*

8 Avertere à fide] διαστρέψαι ἀπὸ τῆς πίστεως. *Ad verbum,* Pervertere à fide, *id est, pervertendo abalienare à fide.* A fide] ἀπὸ τῆς πίστεως. *Scilicet Christianâ; id quod notat articulus. Synecdoche generis.*

9 Qui & Paulus] ὁ καὶ Παῦλος. *Sic primùm nominatus videtur à familia istius proprætoris, propter nominum affinitatem.*

10 Maleficentiâ] ῥᾳδιουργίας. Sive scelere. *Vox Græca sonat fa-*

cilitatem agendi, & per synecdochen generis significat vitium illud, quo qui laborat, facilis ac propensus est ad quodvis scelus perpetrandum. Invertere] διαστρέφων. *Sive,* Pervertere. *Et positum est participium pro infinitivo per Græcismum.* Vias] τὰς ὁδὸς. *Mandata, præcepta, & omnino doctrinam. Metaphora.*

11 Nunc igitur] καὶ νῦν. *Ad verb.* Et tunc. *Hebraismus.* Manus] χεὶρ. *Id est, vindicta, quâ te feriet. Metaphora.*

13 Provecti] ἀναχθέντες. *Ad verbum,* Subvecti. *nempe in altum.* Johannes] Ἰωάννης. *De quo v.5.*

14 Antiochiam Pisidiæ] εἰς Ἀντιόχειαν τῆς Πισιδίας. *Scil.* πόλιν. *Id est, Eam quæ sita est in Pisidia. Sic nominatur discriminis causâ, ut scilicet discernatur ab Antiochia Syriæ, cujus mentio facta in principio capitis.* Sabbathi] τῶν σαββάτων. *Pro,* τοῦ σαββάτου. *Enallage numeri. Sic Marc.1. 21. & apud eundem evangelistam: nec non apud Matthæum & Lucam, creberrimè.*

16 Manu silentio postulato] κατασείσας τῇ χειρί. *Subaudi* σιγᾶν: *quod exprimitur sup.12.17.*

17 Quum essent incolæ] ἐν τῇ παροικίᾳ. *Ad verbum,* In incolatu. *Id est, tempore incolatus ipsorum.*

20 Et postea annis circiter &c.] καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι &c. *De hujus loci variâ lectione & annorum istorum supputatione vide annotationes D. Bezæ.*

22 In regem] εἰς βασιλέα. *Id est,* εἰς τὸ εἶναι βασιλέα, *ut esset rex.* Omnes voluntates meas] πάντα τὰ θελήματά μου. *Id est, Omnia quæ volo.*

24 Coram eo jam adventante] πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ. *Ad verb.* Ante faciem ingressus ejus.

25 Cursum] τὸν δρόμον. *Sui scil. ministerii. Metaphora.* Is] *Scilicet Christus.*

27 Et voces] καὶ τὰς φωνὰς &c. *Hic incipit apodosis periodi, seu consequens enuntiati relativi causâ. Et conjunctio copulativa è regione respondet sequenti, habens vim distributivam.* Ipso condemnato] κρίναντες. *Ad verb.* Quum judicassent, *scil. Jesum: cujus facta mentio v.23. Judicare autem pro condemnare, per synecdochen generis.*

28 Nullâ causâ mortis inventâ] μηδεμίαν αἰτίαν θανάτου εὑρόντες. *Id est, Quanquam nullam causam mortis invenissent, tamen petierunt &c.*

29 E ligno] ἀπὸ τοῦ ξύλου. *Scil. crucis. Synecdoche generis. Græcum expressius propter articulum.* Posuerunt] ἔθηκαν. *Hoc accipiendum tanquam dictum impersonaliter: neq; enim referri potest ad illos de quibus dicta quæ proximè præcedunt.*

31 Complures] πλείους. *Ad verb.* Plures. *Alibi* ἱκανάς. *Nempe per dies quadraginta, suprà 1.3.* Testes ejus] μάρτυρες αὐτοῦ. *Qui de ipso testantur. Genitivus subjecti, seu objecti.*

32 Excitato] ἀναστήσας. *Id est, exhibito: ut suprà v.23. Neq; enim hic loquitur de excitatione à mortuis: ut planum evadit ex antithesi v.34. Confer Heb.1.v.5. & 6.*

33 Filius meus &c.] υἱός μου &c. *Expositionem hujus dicti reperiet studiosus lector in nostra analysi Heb.1.v.5.*

34 Sepulchrum] διαφθοράν. *Ad verb.* Corruptionem. *Metonymia effecti vel adjuncti Hebraica: nam foveam, & per synecdochen generis sepulchrum, Hebræi nominant* שחת *schâhhath, id est,* corruptionem: *quòd cadavera ibi sepulta putrescant & corrumpantur.* Firmas illas Davidis beneficentias] τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά. *Seu,* Certissima illa Davidis beneficia. *Id est, Davidi promissa, videl. de filio possessuro regnum æternum, 2.Sam.7. Ad verb.* Sancta Davidis fidelia. *Sic exstat in versione Græcorum: qui nomen* חסיד *hhasid, quod significat beneficium, verterunt* ὅσιον: *itemq;* חסדים *hhasadim, quo significantur beneficia, reddiderunt* τὰ ὅσια.

35 Alibi] ἐν ἑτέρῳ. *Scil.* τόπῳ, *vel,* ψαλμῷ. Dicit] λέγει. *Scil. scriptura, vel David.*

36 Non dabis videre] οὐ δώσεις ἰδεῖν. *Id est, non sines seu non permittes ut videat. Ad eundem modum loquitur Virgilius Æn.6.*

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare priùs, quam sedibus ossa quierunt.

Sanctum illum tuum] τὸν ὅσιόν σου. *Hebr.* Beneficium illum tuum. Videre corruptionem] ἰδεῖν διαφθοράν. *Id est, experiri corruptionem. Hebraismus.*

38 Per hunc] διὰ τούτου. *Ut quæ (remissio peccatorum) contingat per hunc. Præpositio hic non regitur à verbo expresso* καταγγέλλεται*), sed à participio subintellecto* γενομένη.

39 Ab omnibus à quibus] ἀπὸ πάντων ὧν. *Pro,* ἀπὸ πάντων ἀφ' ὧν. *Græcismus.* Per legem] ἐν τῷ νόμῳ. *Pro,* διὰ τοῦ νόμου. *Hebraismus.* Justificari] δικαιωθῆναι. *Justi à Deo pronuntiari.*

40 In prophetis] ἐν τοῖς προφήταις. *In volumine prophetarum minorum, nempe in propheta Habacuc. Synecdoche integri: qualis suprà 7.48.*

41 O contemtores] οἱ καταφρονηταί. *Apud prophetam legitur* בגוים *baggojim, id est,* in gentibus: *pro quo (ut non malè conjicit D. Beza) Græci interpretes videntur legisse* בוגדים *Bogedim, id est,* perfidi. *Quanquam Fr. Junius putat hanc vocem huc assumtam ex Esa. 28. 14. ubi habetur* אנשי לצון *ansche-lazon,* Viri irrisionis, *id est,* irrisores: *ac proinde per illud* ἐν τοῖς προφήταις, *quod præcessit v.40. significari dicta prophetarum complurium. Parall. 95.* Et evanescite] καὶ ἀφανίσθητε. *Vel,* Et devastamini. *Hebr.* Et obstupescite. Quod] ὅ. *Apud prophetam in Græco legitur* ὃ. *quod rectius puto.*

42 Intra proxime-sequens sabbathum] εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον. *Ad verb.* In sabbathum quod erat in medio, seu interjectum. *Obscura loquutio. Fortasse pro* σάββατον *legendum* σαββάτων: *ut* εἰς *sit positum pro* ἐν: *quasi dicatur,* ἐν τῷ μεταξὺ σαββάτων, *scil.* χρόνῳ. *Id est, in tempore sabbathis interjecto, diebus scil. profestis.*

43 Conventu] τῆς συναγωγῆς. *Vel,* Congregatione. Proselytis] προσηλύτων. *Sic dicti* παρὰ τὸ προσεληλυθέναι, *quòd accesserant ad religionem Judæorum. Vide suprà 2.8. Verùm ista vox hic omnino videtur redundare: nec à Luca scripta esse; sed in textum irrepsisse, quum esset à quopiam adscripta tanquam glossema verbi præcedentis* τῶν σεβομένων. *Sed glossema istud falsum est, quia Lucas in hoc libro per* τοὺς σεβομένους *non intelligit proselytos, sed Ethnicos qui* DEUM *Judæorum colebant (externè quidem) solâ auscultatione verbi ipsius in synagogis, & precibus: qualis fuit ille Cornelius capite 10. Et qualium fit mentio cap.17. v.4. & 17. Item cap.18. vers.7. Deinde orietur hinc falsa distributio proselytorum, quasi scilicet quidam eorum fuerint* σεβόμενοι, *id est, verum Deum colentes, alii verò non item. At omnes proselyti erant* σεβόμενοι: *et si non omnes* σεβόμενοι *proselyti.* Persuaserunt eis] ἔπειθον αὐτούς. *Vel,* suaserunt eis.

44 Urbs] ἡ πόλις. *Id est, cives. Metonymia subjecti.*

47 Ut sis lux] εἰς φῶς. *Ad verb.* In lucem. *Id est,* εἰς τὸ εἶναί σε φῶς. Usque ad ultimas terras] ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. *Ad verbum,* Usque ad extremum terræ.

48 Ordinati] τεταγμένοι. *Prædestinati.*

49 Perferebatur] διεφέρετο. Differebatur; *id est, in diversas partes ferebatur.*

50 Religiosas] τὰς σεβομένας. *Religionem Judaicam amplexas.* Honoratas] τὰς εὐσχήμονας. Die stattlichen weiber.

51 Excusso pulvere] ἐκτιναξάμενοι τὸν κονιορτόν. *Confer Matth. 10.v.14.*

OBSERVAT. EX CAP. XIII.

1 Ex v.1. & seqq. Quum Apostolus Paulus per singulare mandatum Spiritus sancti emissus sit ad docendum: non est quòd de veritate doctrinæ ejus dubitemus. *Doctrina Pauli.*

2 Ex v.3. Impositio manuum in ordinandis Ecclesiæ pastoribus, exemplo Ecclesiæ Antiochenæ comprobatur. *Ordinatio ministrorum Ecclesiæ.*

3 Ex v. 8. & seqq. Satan sese Christo opponens, ejus victoriam illustrat. B. *Gubernatio Dei.*

4 Ex 13. *Johannes verò abscedens &c.* Nihil novi est, si in ecclesia aliqui à præclaris cœptis, molestiis fracti ac victi, resiliant, & suæ quieti consulant. *Consolatio contra ignavos.*

5 Ex v.14. & seqq. Sicut olim in synagogis Judæorum legebatur primò textus aliquis è sacra scriptura, deinde ab aliquo doctore addebatur exhortatio: ita in cœtibus quoque Christianorum fieri decet. *Docendi ratio in Ecclesia.*

6 Ex v. 16. & seqq. Ex illo sermone Pauli præcipuè notanda est demonstratio, qua ostenditur, Jesum illum Nazarenum, Hierosolymis crucifixum, esse Christum seu servatorem mundi: quia scilicet in eo evenerunt quæ prophetæ de Christo prædixerant. Natus est enim è semine Davidis, v.23. Præcursorem habuit Johannem Baptistam, vers.24. Crucifixus est à civibus Hierosolymitanis sine suo merito, v.27. & 28. Sepultus est, v.29. Excitatus est à mortuis, v.30. *Quòd Jesus sit Christus.*

7 Ex v.38. & 39. inter se collatis. Justificatio hominis coram Deo, nihil aliud est quam remissio peccatorum. Justificatur autem homo per fidem: dum scil. credit, omnia peccata sua à Deo sibi esse remissa propter obedientiam mortis Christi, qua pro illis judicio Dei satisfecit. *Justificatio.*

8 Ex v.40. & 41. Nihil novi est, si in cœtu eorum quibus prædicatur Evangelium, reperiantur contemtores. Sed illi Deo tandem pœnas dabunt. *Consolatio contra contemtores verbi.*

9 Ex v.42. & 44. Verbum Dei non solet frustra annuntiari: sed semper aliqui reperiuntur qui illud cū gaudio amplectantur. *Verbum Dei.*

10 Ex v.43. *Ut permanerent in gratia Dei.* Non est satis, cœpisse credere: sed in gratia Dei perseverandum. nam is demum servabitur, qui perseveraverit usq; ad finem. Hæc autem perseverantia in fide quum sit donum Dei, sicut ipsum fidei initium: precibus à Deo impetranda est, & adhibenda continua verbi Dei meditatio. *Perseverantia.*

11 Ex v.45. Nihil novi est, quum veritati cælesti à multis contradicitur. *Oppugnatio veritatis cælestis.*

12 Ex v.46. *Indignos vos ipsos decernitis æterna vita.* Doctrina Evangelii affert vitam æternam credentibus. Ergo fide amplectenda, & diligenter cognoscenda. Sic Petrus dicebat Christo, Joh.6. *Verba vitæ æternæ habes.* Et Paulus Rom.1. *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* *Evangelium.*

13 Ex v.47. *Constitui te ut sis lux gentium.* Quòd nobis quoque qui ex Gentibus orti sumus, illuxit doctrina salvifica de Christo: id æterno Dei decreto atque beneplacito acceptum ferre debemus. *Gentium vocatio.*

14 Ex v.48. *Gentes autem hæc audientes, gavisæ sunt.* Verum gaudium illud demum est, quod nascitur ex consideratione benevolentiæ Dei erga nos in Christo. *Gaudium.*

Fides. 15 Ex eod. v. *Et crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam aeternam.* Fides non est omnium: sed tantùm electorum Dei: quippe quæ ex electione dependet. Tit. 1. 1. Rom. 8. 30.

Persequutio. 16 Ex v. 50. Si contingat nos persequutionem pati propter doctrinam Evangelii: consolemur nos exemplo Pauli ac Barnabæ, fidelissimorum Dei servorum: quibus idem accidit.

Persequutores. 17 Ex v. 51. *Excusso pulvere pedum suorum in eos.* Persequutores confessorum Evangelii manet æterna damnatio, nisi resipuerint.

ANALYSIS CAP. XIV.

ARGUMENTUM.

Hic continuatur historia legationis Pauli & Barnabæ ad gentes: & narrantur quinq. Primùm quid egerint ac perpessi sint Iconii: deinde quid Lystris: tum quid Derbæ, & iterum Lystris, Iconii & Antiochiæ Pisidiæ: postea quid Pergæ: postremò quid Antiochiæ Syriæ, quum eò essent reversi.

PRIMA PARS.

Quid Paulus & Barnabas egerint ac perpessi sint Iconii.

FActum est autem itidem Iconii ut introirent synagogam Judæorum, & ita loquerentur, ut crederet Judæorum simul & Græcorum magna multitudo.

2 Qui verò increduli fuerunt Judæi, incitarunt & malè affectos reddiderunt animos Gentuim adversus fratres.

3 Multum igitur tempus *ibi* egerunt, liberè loquentes, freti Domino, qui testimonium dabat sermoni gratiæ suæ, dabatque ut signa & miracula ederentur per manus eorum.

4 Scissa est autem multitudo urbis: & alii quidem erant à Judæis, alii verò ab Apostolis.

5 Quum autem factus esset impetus Gentium ac Judæorum unà cum suis primoribus, ad eos injuriis afficiendos & lapidandos:

6 Re consideratâ, perfugerunt in civitates Lycaoniæ, Lystram & Derben, & circumjacentem regionem.

SUmma est, quòd prædicarint Evangelium primùm in synagoga, v. 1. deinde passim in urbe, v. 3. quodque miraculis doctrinam suam confirmarint, v. eod. Hinc autem evênit ut experirentur odium & persecutionem incredulorum tum Judæorum tum Gentium, v. 2. 4. 5. ac tandem fugerent, v. 6. ubi indicatur, in quæ loca fugerint.

SECUNDA PARS.

Quid egerint ac perpessi sint Lystris.

7 Et illic evangelizabant.

8 Quidam autem vir Lystris captus pedibus sedebat, claudus ab utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat.

9 Hic audivit Paulum loquentem: qui quum intendisset in eum oculos, & vidisset quòd fidem haberet, *se* liberatum iri:

10 Dixit voce magnâ; Surge in pedes tuos rectus. Tum *ille* exsiliit & ambulavit.

11 Turbæ verò quum vidissent quod fecerat Paulus, sustulerunt vocem suam, Lycaonicè dicentes; Dii assimilati hominibus, descenderunt ad nos.

12 Vocabantque Barnabam quidem Jovem; Paulum verò, Mercurium: quoniam is erat dux sermonis.

13 Sacerdos autem Jovis collocati ante illorum urbem, quum tauros vittatos ad vestibula adduxisset, volebat cum turba sacrificare.

14 Quod quum audissent Apostoli Barnabas & Paulus, diruptis palliis suis insilierunt in turbam, clamantes,

15 Ac dicentes; Viri, cur ista facitis? nos quoque sumus homines, iisdem quibus vos affectionibus obnoxii, annuntiantes ut à vanis istis rebus convertatis vos ad Deum illum vivum, qui fecit cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt:

16 Qui præteritis ætatibus sivit omnes Gentes suis ipsarum viis incedere.

17 Quanquam non passus est se *esse* expertem testimonii, *nobis* benefaciendo, dans nobis cælitus pluvias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda nostra.

18 Et hæc dicentes, vix compescuerunt turbam ne ipsis sacrificaret.

19 Supervenerunt autem Judæi Antiochiâ & Iconio; qui persuasâ turbâ, Paulum lapidarunt, traxeruntque extra urbem, existimantes eum mortuum esse.

20 Sed quum circumstetissent eum discipuli, surrexit, & ingressus est urbem: & postridie abiit Derben cum Barnaba.

Quatuor hîc narrantur. 1. Paulus sanat quendam claudum. 2. Lystrenses volunt ipsi & Barnabæ sacrificare. 3. Ipsi eos compescunt. 4. Paulus lapidatur. Ad sanationem claudi quod attinet; primùm describitur illius miseria, v. 8. Deinde occasio sanationis, nempe quòd audierit Paulum loquentem, v. 9. Tum causa impulsiva quæ Paulum ad sanandum illum movit, nempe quòd videret illum habere fidem, v. eod. Postea modus agendi, nempe quòd dixerit voce magnâ, *Surge &c.* v. 10. Postremò miraculum ipsum, ibid. Quod ad conatum sacrificandi in Lystrensibus: exponitur primùm causa illius impulsiva, nempe quòd vidissent miraculum à Paulo editum in claudo, quodq; inde concepissent opinionem, illos esse deos, v. 11. Quæ opinio illustratur indicatione specierum: nempe quòd Barnabam habuerint pro Jove, Paulum verò pro Mercurio, v. 12. Deinde narratur ipsum factum, nempe sacrificandi conatus, v. 13. Quod ad cohibitionem istius conatus attinet: Barnabas & Paulus illos cohibuerunt tum factis tum verbis. Factis: quòd diruperunt pallia & insilierunt in turbam, v. 14. Verbis: quòd cum clamore eos dehortati sunt, v. 15. 16. & 17. Quarum actionum eventus indicatur v. 18. Porrò dehortationis suæ argumentum hoc afferunt, quòd honos ille debeatur soli Deo vivo ac vero. Et simul verum Deum describunt ex effectis, videl. opere creationis, v. 15. opere gubernationis hominum, v. 16. & opere sustentationis, v. 17. Quod ad lapidationem Pauli attinet: indicantur illius authores, v. 19. & eventa tria. Primum ibi, *Traxerunt.* Secundum ibi, *Sed quum cinxissent.* Tertium ibi, *Et postridie.*

TERTIA PARS.

Quid egerint Derbæ, & iterum Lystris &c.

21 Quumque evangelizassent urbi illi, & discipulos multos fecissent, reversi sunt Lystram & Iconium & Antiochiam:

22 Confirmantes animos discipulorum, hortantes ut permanerent in fide, & *dicentes*, oportere per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.

23 Quumque ipsis per suffragia creassent per singulas ecclesias presbyteros, precatique essent cum jejuniis, commendarunt eos Domino in quem crediderant.

Summa est, quòd Derbæ evangelizarint: v. 21. Lystris verò, Iconii, & Antiochiæ (nempe Pisidiæ) animos discipulorum confirmarint, vers. 22. & presbyteros per singulas ecclesias crearint, v. 23. & deniq; Domino eos commendarint, ibid.

QUARTA PARS.

Quid egerint Pergæ.

24 Peragratâque Pisidiâ, venerunt in Pamphyliam.

25 Ac Pergæ loquuti sermonem, descenderunt Attaliam.

Primùm indicatur iter quo venerunt Pergam, v. 24. Deinde quòd Pergæ evangelizarint, v. 25. Postremò quòd inde descenderint Attaliam, redituri scilicet Antiochiam Syriæ.

QUINTA PARS.

Quid egerint Antiochiæ Syriæ, quum eò essent reversi.

26 Et illinc abnavigarunt Antiochiam, unde fuerant commendati gratiæ Dei ad opus quod expleverant.

27 Quum autem venissent & congregassent ecclesiam, retulerunt quæcunque Deus per ipsos effecerat, eumq; aperuisse Gentibus ostium fidei.

28 Et egerunt illic non parvum tempus cum discipulis.

Tria narrantur. Primùm quòd Antiochiam Syriæ redierint, legatione perfuncti, v. 26. Deinde quòd retulerint ecclesiæ quid egissent atque effecissent, v. 27. Postremò quòd ibidem commorati sint.

SCHO-

SCHOLIA IN CAP. XIV.

1 Itidem] κατὰ τὸ αὐτό. *Scil. ut nuper Antiochiæ in Pisidia, suprà 13. v. 14.*

2 Qui verò increduli fuerunt] οἱ δὲ ἀπειθοῦντες. *Vel,* Immorigeti: *qui non obediverunt evangelio, qui non passi sunt sibi persuaderi veritatem evangelii.* Malè affectos reddiderunt] ἐκάκωσαν. *Græco verbo respondet phrasis Germanica,* Einen bös machen / *aliquem malum reddere, id est, iratum.* Animos] τὰς ψυχάς. *Ad verb.* Animas. Adversus fratres] κατὰ τῶν ἀδελφῶν. *Sic nominat credentes, ut qui unum in cælis patrem invocent, & fraterno amore sese mutuò complectantur.*

3 Multum tempus] ἱκανὸν χρόνον. *Ad verb.* Sufficiens tempus, *Græcismus. Sic Germani,* eine zimliche zeit. Egerunt] διέτριψαν. *Vel,* Commorati sunt. *Ad verb.* Contriverunt. *Phrasis Græca.* Freti Domino] ἐπὶ τῷ Κυρίῳ. *Ad verb.* Super Domino. *Subaudi innitentes, tanquam super scipione.* Sermoni gratiæ] τῷ λόγῳ τῆς χάριτος. *Id est, quo annuntiatur Dei gratia credentibus in Christum. Genitivus subjecti, & periphrasis evangelii.* Dabatque &c.] καὶ διδόντι &c. *Epexegesis. Declarat his verbis quomodo Dominus testimonium dederit doctrinæ Pauli & Barnabæ. Confer Marc. ult. v. ult.*

4 Scissa est] ἐσχίσθη. *Sic Virgil.* Scinditur incertum studia in contraria vulgus. *Germani dicunt,* Sich trennẽ. Erant à Judæis] ἦσαν σὺν τοῖς Ἰουδαίοις. *Ad verb.* Cum Judæis. *Stabant à partibus Judæorum, faciebant cum Judæis,* Hieltens mit den Juden.

6 Et circumjacentem regionem] καὶ τὴν περίχωρον. *Subaudi,* γῆν.

7 Evangelizabant] ἦσαν εὐαγγελιζόμενοι. *Ad verb.* Erant evangelizantes. *Græcismus.*

8 Lystris] ἐν Λύστροις. *Seu,* apud Lystros: *si Λύστροι nomen populi est, ut Λύστρα urbis.* Captus pedibus] ἀδύνατος τοῖς ποσίν. *Ad verb.* Impotens pedibus. Lahm an füssen.

9 Se liberatum iri] τοῦ σωθῆναι. *Ad verbum,* Se servatum iri. *Id est, se sanatum iri, seu liberatum iri à vitio sui corporis. Synecdoche generis.*

10 Exsiliit] ἥλατο. *Ad verb.* Saliit. Ist aufgehupft / oder aufgesprungen.

13 Jovis collocati] τοῦ Διὸς τοῦ ὄντος. *Id est, statua Jovis collocata. Metonymia subjecti.* Collocati] τοῦ ὄντος. *Ad verb.* Entis; *seu,* qui erat. Tauros vittatos] ταύρους καὶ στέμματα. *Ad verb.* Tauros & coronas ἓν διὰ δυοῖν. *Vide annotationes D. Bezæ.*

14 Apostoli Barnabas &c.] οἱ ἀπόστολοι Βαρνάβας. *De apostolatu Barnabæ vide suprà 13. 2.*

16 Præteritis] ταῖς παρῳχημέναις. *Ad verbum,* Prætervectis.

17 Cibo & lætitiâ] τροφῆς καὶ εὐφροσύνης. *Id est, lætitiâ ex cibi copia* ἓν διὰ δυοῖν.

19 Traxerunt] ἔσυρον. *Nempe per terram: quæ est emphasis Græci verbi: unde syrma, vestis caudata matronarum nobilium, cujus cauda per solum trahitur. Germanicè* schläiffen.

21 Discipulos fecissent] μαθητεύσαντες. *Sic Matth. ult. v. 19.* Multos] ἱκανούς. *Ad verbum,* Sufficientes. Zimlich vil. *Græcismus.* Antiochiam] Ἀντιόχειαν *Scil. Pisidiæ. Suprà 13. 14.*

25 Sermonem] τὸν λόγον. *Scil. Dei.*

26 Antiochiam] εἰς Ἀντιόχειαν. *Scil Syriæ,* Fuerant commendati] ἦσαν παραδεδομένοι. *Suprà cap. 13. in principio.*

27 Retulerunt] ἀνήγγειλαν. *Ad verb.* Renuntiarunt. Sie haben erzehlet. Per ipsos] μετ᾽ αὐτῶν. *Ad verb.* Cum ipsis. *Pro,* δι᾽ αὐτῶν, *ut habetur infrà 15. 12.* Aperuisse ostium fidei] ὅτι ἤνοιξε θύραν πίστεως. *Id est, præbuisse amplissimam occasionem perveniendi ad fidem salvificam. Metaphora.*

28 Egerunt] διέτριβον. *Ut suprà v. 3.* Non parvum tempus] χρόνον οὐκ ὀλίγον. *Vel,* non parum temporis. *Id est, bene longum tempus.* Λιτότης.

OBSERVAT. EX CAP. XIV.

Ministri verbi. 1 Ex v. 1. Ministri verbi Dei strenuè in prædicando verbo pergere debent: præsertim quum illud nunquam sine fructu prædicetur.

Hostes Evangelii. 2 Ex v. 2. Nihil novi est quum increduli fideles Evangelii præcones hostiliter invadunt.

Evangelium. 3 Ex v. 3. Quum doctrina Evangelii miraculis confirmata sit, non est quòd de illius veritate dubitemus.

Evangelium. 4 Ex v. 4. Nihil novi est si scindatur aliqua civitas, quum evangelium prædicatur: sed culpa ejusmodi seditionis est in evangelii hostibus, qui ferre illud non possunt. Huc pertinet illud Christi: *Non veni missurus pacem, sed gladium &c.*

Fuga. 5 Ex v. 5. & 6. Quum hostes evangelii vim intentant, fugere licet.

Evangelium. 6 Ex v. 8. & seqq. Sicut Deus per verbum Pauli sanavit claudum: ita necesse est ut nos quoq; sanet per verbum evangelii, ut ambulare possimus in mandatis ipsius.

Homo. 7 Ex v. 11. & seqq. Homines à natura immersi sunt crassissimæ ignorantiæ veri Dei, & contrà propensi ad idololatriam seu cultum falsorum deorum. Itaq; Deo gratias agamus, quòd mentes nostras verâ & salvificâ sui cognitione per certum verbum illustravit.

Deus. 8 Ex v. 15. *Convertatis vos ad Deum illum vivum &c.* Deus verus non nisi unus est.

9 Ex eod. versu: *Qui fecit cælum &c.* Mundus non fuit ab æterno: sed à Deo creatus est. *Mundus.*

10 Ex v. 16. Consuetudo quantumlibet vetus, non excusat idololatras. B. *Idololatria.*

11 Ex eod. v. Quòd non incedimus in viis nostris, id est, in falso Dei cultu, atq; adeò in ignoratione veri Dei: sed verum Deum rectè colimus ex præscripto verbi ipsius, id singulari ejus gratiæ acceptum ferre debemus: quia naturâ non sumus meliores gentibus illis priscis, quas Deus sivit multis ætatibus incedere in viis ipsarum. *Cultus Dei.*

12 Ex v. 17. Nullus hominum excusationem habet coram Deo, si illum non agnovit neq; coluit ut decet: quia Deus per opera creationis abundè testatam fecit omnibus potentiam, sapientiam, bonitatem, deniq; majestatem suam. Confer Rom. 1. *Patefactio Dei.*

13 Ex v. 19. & 20. Diabolus in extremum redactus, tandem apertè furit: sed frustra, tunc quoq; quum videtur esse superior. B. *Diabolus.*

14 Ex v. 21. Per medias mortes nihilominus in vocatione pergendum. *Vocatio.*

15 Ex v. 22. Ministrorum est, non tantùm docere: sed etiam jam doctos confirmare & ad crucem præparare. B. *Ministri.*

16 Ex eod. v. *Oportere per multas afflictiones &c.* Quum ita à Deo decretum atque ordinatum sit, ut per multas afflictiones in cælum ingrediamur, eâdem scil. viâ qua nos antecessit dux noster Jesus Christus: tantum abest ut perturbari debeamus si propter doctrinam evangelii affligamur, ut potiùs eo nomine nobis gaudendum sit. Confer Matth. 5. v. 10. & 11. Item suprà c. 5. v. 41. *Persequutio.*

17 Ex v. 23. Pastores certis ecclesiis addicti, primitus ab Apostolis constituti fuerunt. B. *Pastores.*

18 Ex v. 7. *Aperuisse Gentibus ostium fidei.* Per Evangelii prædicationem aperitur hominibus ostium fidei: per quod ostium qui ingredi noluerint in ecclesiam, quæ est domus Dei, illis ostium cæli (quod & ipsum domus Dei est) in æternum claudetur. *Evangelium.*

ANALYSIS CAP. XV.

ARGUMENTUM.

Duo hîc narrantur. Primùm, quomodo concilium Hierosolymis celebratum sit per Apostolos propter controversiam Antiochiæ exortam de circumcisione Gentium fidem Christianam amplexarum, & de justificatione. Deinde, quomodo Paulus & Barnabas in dissidium sive discordiam inciderint propter Johannem Marcum.

PRIMA PARS.

Concilium Hierosolymis celebratum.

Porrò quidam qui descenderant à Judæa, docebant fratres, *& dicebant,* Nisi circumcidamini ritu Mosis, non potestis servari.

2 Ortâ igitur repugnantiâ ac disceptatione non exiguâ Paulo & Barnabæ adversus illos constitutum fuit ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex illis, ad apostolos ac presbyteros Hierosolymam, *percontaturi* de hac quæstione.

3 Illi ergo deducti ab ecclesia, peragrarunt Phœnicen & Samariam, narrantes conversionem Gentium: & adferebant gaudium magnum omnibus fratribus.

4 Quum autem advenissent Hierosolymam, excepti sunt ab ecclesia & ab apostolis ac presbyteris, & retulerunt quæcunq; Deus per ipsos effecerat.

5 Sed (*ajebant*) quidam surrexerunt è secta Pharisæorum qui crediderunt, dicentes, oportere circumcidere eos, & præcipere ut observent legem Mosis.

6 Congregati sunt igitur apostoli & presbyteri ut dispicerent de hoc negotio.

7 Quum autem multa disceptatio fuisset, surgens Petrus dixit eis, Viri fratres, vos scitis Deum jampridem inter nos elegisse *me*, ut per os meum audirent Gentes sermonem evangelii, & crederent.

8 Et Deus qui novit corda, dedit eis testimonium, dato ipsis Spiritu sancto, sicut & nobis.

9 Nihilque discrevit inter nos & illos, ut qui fide purgarit corda eorum.

10 Nunc ergo quid tentatis Deum, imponendo jugum cervici discipulorum, quod neque patres nostri neq; nos portare voluimus?

11 Imò per gratiam Domini Jesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum & illi.

12 Tacuit autem tota multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum exponentes quæcunque Deus ediderat signa & miracula per ipsos inter Gentes.

13 Postquam autem ipsi conticuissent, respondit Jacobus, dicens; Viri fratres, audite me.

14 Simeon exposuit quomodo primùm Deus respexerit Gentes, ut sumeret ex ipsis populum nomini suo.

15 Et huic *rei* consonant verba prophetarum: sicut scriptum est:

16 Post hæc revertar, & restaurabo tabernaculum David collapsum, & dirutas *partes* ejus restaurabo, & rursus erigam illud:

17 Ut requirant reliqui homines Dominum, & omnes Gentes quæ vocatæ fuerint de nomine meo: dicit Dominus quæ facit hæc omnia.

18 Nota sunt Deo ab *omni* ævo omnia opera sua.

19 Quamobrem ego censeo, non esse obturbandos eos ex Gentibus qui ad Deum se convertunt:

20 Sed ad eos scribendum ut abstineant à pollutionibus idolorum, & scortatione, & suffocato, & sanguine.

21 Moses enim ab ætatibus antiquis per singulas civitates habet qui ipsum prædicent, quum in synagogis per singula sabbatha legatur.

22 Tunc visum est apostolis & presbyteris cum tota ecclesia, delectos ex sese viros mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba: *nempe* Judam qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primarios inter fratres:

23 Istis per eos scriptis: Apostoli & presbyteri & fratres, iis qui sunt Antiochiæ & in Syria & in Cilicia fratribus, qui *sunt* ex Gentibus, salutem.

24 Quoniam quosdam è nobis egressos audivimus vos turbasse verbis, labefactantes animas vestras, dicentes, *oportere vos* circumcidi, & servare Legem, quibus *hoc* non mandaveramus:

25 Visum est nobis concorditer congregatis delectos viros mittere ad vos, cum dilectis nostris Barnabâ & Paulo,

26 Hominibus qui exposuerunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.

27 Misimus ergo Judam & Silam, qui & ipsi *vobis* eadem verbis referent.

28 Visum est enim Spiritui sancto ac nobis, ne quod ampliùs imponeremus vobis onus præter necessaria ista:

29 *Videlicet* ut abstineatis ab iis quæ sunt immolata idolis, & sanguine, & suffocato, & scortatione: à quibus si servetis vos integros, bene agetis. Valete.

30 Illi igitur dimissi venerunt Antiochiam: & congregatâ multitudine, reddiderunt epistolam.

31 Quam quum legissent, gavisi sunt super exhortatione.

32 Judas quoque & Silas, quum essent & ipsi prophetæ, multo sermone adhortati sunt fratres, & confirmarunt.

33 Et quum egissent *illic* aliquandiu, dimissi sunt cum pace à fratribus ad Apostolos.

34 Sed Silæ visum est ibi manere.

Tria sunt principalia narrationis hujus membra. Primùm narrantur concilii istius causæ procreantes, usque ad v.6. Deinde ipsa concilii acta, à v.6. usq; ad 30. Postremò eventa, à v.30. usque ad 35. Causæ concilii procreantes narrantur quinq;: quarum aliæ ex aliis consecutæ sunt. Prima & originalis causa fuit dogma quorundam qui descenderant à Judæa, v.1. Secunda causa fuit dogmatis illius oppugnatio per Paulum & Barnabam, seu controversia inde nata, v.2. Tertia causa fuit decretum ecclesiæ Antiochenæ de mittendis legatis ad Apostolos Hierosolymam, ibid. Quarta causa fuit decreti illius executio, seu ipsa legatorũ missio, v.3. Quinta causa fuit legatorum apud Apostolos propositio atq; petitio, v.4. & 5. Harum causarum quarta illustratur è subjectis locis, per quæ legati illi profecti fuerunt: & ex eorundem facto seu actione laudabili in illis locis: ejusdemque actionis eventu. Quinta autem causa illustratur ex adjuncta narratione rerum ab illis legatis gestarum apud Gentes. Cæterùm controversia fuit duplex, quarum una alteram secum traxit. Prima fuit, an gentiles qui tum fidem Christianam amplexi erant in ecclesia Antiochena, sint circumcidendi? Pharisæi qui Hierosolymis Antiochiam descenderant, id affirmabant: Paulus & Barnabas negabant. Affirmationem suam probabant illi hoc argumento, quod secus non possent servari: quod argumentum fundabatur in hac sententia generali: Neminem posse servari nisi per circumcisionem, & ex consequente per observationem legis Mosaicæ. Id quod rursum Paulus & Barnabas negabant. Syllogismus igitur Pharisæorum hic erat:

Si nemo potest servari nisi per circumcisionem, ac omnino per observationem legis Mosaicæ: certè Gentiles qui fidem Christianam fuerint amplexi, circumcidi oportet: si modò servari velint.

Atqui nemo potest nisi per circumcisionem ac omnino legis Mosaicæ observationem servari.

Ergo Gentiles illos circumcidi oportet, si servari velint.

Hujus syllogismi assumtionem negabant Paulus & Barnabas: & hic erat τὸ κρινόμενον, atque controversia principalis. Hactenus de concilii causis procreantibus.

Jam ad acta ipsa quod attinet, ea narrantur quinque. Primùm de quæstione proposita fuit disceptatum, vers.7. Deinde Petrus suam pronuntiavit sententiam, concludendo partem negativam, videl. Gentes non esse circumcidendas, & salutem non pendêre ab observatione legis Mosaicæ, à v.7. usq; ad 11. Tum Barnabas & Paulus narrarunt res à se gestas apud Gentes, v.12. Postea Jacobus sententiam dixit: qua & sententiam Petri confirmavit, & aliquid adjecit de abstinentia à certis quibusdam rebus observandâ Gentilibus ad Christum conversis, à vers.13. usque ad 22. Postremò totum concilium fecit decretum de sententia à Petro & Jacobo propositâ ecclesiæ Antiochenæ exponendâ, partim per legatos, vers.22. partim per epistolam, quæ recitaturâ vers.23. usque ad 30. Cæterùm ad sermonem Petri quod attinet, duo sunt principalia illius membra. Priore ostendit, gentiles qui tum Christianam fidem amplectabantur, non esse circumcidendos, vers.7.8.& 9. Posteriore ostendit, salutem non pendêre ab observatione legis Mosaicæ, vers.10.& 11. Prior demonstratio directa est contra syllogismi Pharisæorum conclusionem: posterior contra assumtionem. Priorem sententiam probat Petrus à pari, videlicet exemplo gentilium ministerio suo ad fidem adductorum Cæsareæ apud Cornelium centurionem. Nam si gentiles Antiocheni, aliique qui tum Christianam fidem amplectabantur, fuissent circumcidendi: pari ratione circumcidendi fuissent gentiles illi Cæsarienses. At illi non fuerunt circumcidendi. Nec isti igitur. Assumtionem probat testimonio Dei, quod positum est in facto, videlicet donatione Spiritus sancti. Nam nisi Deus gentiles illos gratos atque acceptos habuisset absque circumcisione propter solam in Christum fidem: non dedisset eis Spiritum sanctum, id est, facultatem prophetandi seu mysteria cælestia enarrandi peregrinis linguis. Atqui dedit eis Spiritum sanctum. Ergo acceptos illos habuit absque circumcisione. Atque hæc de sententia priore. Posteriorem probat Petrus duobus argumentis. Primùm à consequente absurdo. Nam si salus penderet ab observatione legis Mosaicæ, nemo servaretur. At certum est, aliquos servatum iri. Non igitur pendet salus ab observatione legis Mosaicæ. Connexum probat ab adjuncto Legis inseparabili in hac vita, quòd scil. lex sit onus importabile: id est, quòd observatu impossibilis sit. Quam sententiam illustrat & amplificat distributione, ubi ait: *Neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus.* Cujus impossibilitatis causa est naturalis impotentia hominis per lapsum primorum parentum corrupti & peccato infecti. Deinde idem probat à contrario. Quicunq; servantur, servantur ex gratia Dei propter Christum: Nemo igitur servatur per observationem Legis: sic enim servaretur aliquis ex merito, ac proinde non ex gratia. Antecedens illustrat distributione, ubi ait: *Credimus nos servatum iri, quemadmodum & illi*, videl. patres, servati fuerunt. Hic sermo Petri illustratur ex eventu, quòd scil. tota multitudo tacuerit, id est, silentio suo sententiam Petri approbarit. Jam ad sermonem Jacobi quod attinet, illius quoq; duo principalia membra sunt. Nam primùm confirmat sententiam Petri, à v.14. usque ad 20. Deinde aliquid adjicit, v.20. & 21. Sententiam Petri confirmat primùm testimonio prophetæ Amos ex cap.9. v.11. & 12. Deinde à natura Dei, videl. à Dei sapientia: cujus ea est ratio, ut quicquid in tempore agit, id ab æterno agere decreverit, v.18. Unde sequitur, ab æterno quoque decrevisse Gentes absque circumcisione in communionem populi sui vocare per Evangelii prædicationem: quippe quum illud isto tempore jam facere cœperit. Contra decreta autem Dei non est fas homini quicquam moliri aut agere. Ex istis argumentis deducit conclusionem, v.19. fideles ex gentibus non esse obturbandos, adigendo scilicet eos ad circumcisionem.

Adjectio Jacobi est de abstinentia à quatuor rebus, quibus gentes assuetæ erant: quum tamen una ex illis, videlicet scortatio, prohibita sit lege morali: reliquæ verò tres ejusmodi sint, ut Judæi planè ab illis abhorrerent: Gentes verò absq; ulla difficultate abstinere ab illis possent. Per pollutiones autem idolorum intelliguntur carnes idolis immolatæ, ut percipitur ex collatione v.29. Hanc adjectionem confirmat Jacobus à causa finali, ne scil.

temere offendantur fideles ex Judæis. Fore autem ut offendantur, probat à causa procreante, videl. persuasione quam de illis rebus hauserant jam longo tempore ex lectione legum Mosaicarum, quibus res istæ prohibentur, v.21. Unde pii ab illis meritò abhorrebant. Atq; hæc de sermone Jacobi. Jam epistola concilii tribus principalibus partibus constat, salutatione, v.23. expositione decreti, & conclusione. Expositio decreti rursùm duabus constat partibus: expositione causæ impulsivæ, v.24. & indicatione membrorum: quæ duo sunt: unum de legatis mittendis, v.25, 26. & 27: alterum de scribendo suo postulato, v.28. & 29. Conclusio est ibi, *A quibus si servetis vos, &c.* Atque hæc de concilii actis. Jam eventa narrantur septem: 1. Legati venerunt Antiochiam. 2. Coactâ multitudine reddiderunt epistolam. 3. Illi epistolâ lectâ, gavisi sunt super exhortatione. 4. Judas & Silas, legati nimirum, eos confirmarunt. 5. Aliquandiu illic substiterunt. 6. Tandem à fratribus Antiochenis dimissi sunt. 7. Silas tamen remansit.

SECUNDA PARS.

Dissidium Pauli & Barnabæ.

35 Paulus autem & Barnabas egerunt Antiochiæ, docentes & evangelizantes cum aliis etiam multis sermonem Domini.

36 Post aliquot autem dies dixit Barnabæ Paulus, Reversi invisamus fratres nostros per omnes civitates in quibus annuntiavimus sermonem Domini, *cognituri* quomodo se habeant.

37 Barnabæ verò consilium erat assumere secum Johannem qui vocabatur Marcus.

38 Paulus autem æquum censebat, eum non simul assumere, qui abscessisset ab ipsis ex Pamphylia, nec cum ipsis profectus esset ad illud opus.

39 Sic igitur sunt exacerbati, ut alter ab altero discederet: & Barnabas assumto Marco enavigaret in Cyprum:

40 Paulus verò allecto Silâ abiit, commendatus gratiæ Dei à fratribus.

41 Peragravitque Syriam ac Ciliciam, confirmans ecclesias.

Tria sunt principalia narrationis hujus membra: Causæ procreantes dissidii, dissidium ipsum, & eventa. Causæ procreantes narrantur duæ: quarum una fuit in Barnaba, altera in Paulo: illa quidem per accidens causa, videl. consilium Barnabæ de Johanne Marco ad commune iter assumendo, v.37: ista verò per se, videl judicium Pauli de iniquitate rei propter Marci illius indignitatem, v.38. Cæterùm consilium Barnabæ declaratur è sua occasione, videl. conventione cum Paulo de suscipiendo itinere ad invisendum fratres apud gentes, v.36. ubi latet causa impulsiva à fine: Ideo enim id consuluit Barnabas, ut ministrum in itinere haberent: quo nimirum & antea usi fuerant. Porrò ista conventio inter Paulum & Barnabam declaratur è causa procreante, videl. conjunctione ipsorum in docendo apud Antiochenos, v.35. Dissidium ipsum amplificatur vocabulo paroxismi seu exacerbationis animorum, v.39. Eventa narrantur quatuor: 1. Alter ab altero discessit. 2 Barnabas assumto Marco navigavit in Cyprū. 3. Paulus allecto Silâ abiit, commendatus gratiæ Dei à fratribus. 4. Idem peragravit Syriam ac Ciliciam, confirmans Ecclesias.

SCHOLIA IN CAP. XV.

2 Repugnantiâ] στάσεως. *Pro,* ἀντιστάσεως. Non exiguâ] οὐκ ὀλίγης. *Id est, maximâ.* Λιτότης. Constitutum fuit] ἔταξαν. *Ad verb.* Constituerunt, *scil. fratres qui erant Antiochiæ.*

3 Adferebant] ἐποίουν. *Ad verb.* Faciebant.

4 Per ipsos] μετ' αὐτῶν. *Ut suprà 14.27.*

5 Eos] αὐτοὺς. *Nempe Gentes fidem Christianam amplexas.* Legem] τὸν νόμον. *Non solùm moralem, sed & cærimonialem: idq; ad promerendum vitam æternam. Ex collatione v.10.*

6 De hoc negotio] περὶ τοῦ λόγου τούτου. *Ad verb.* De sermone hoc. *Metonymia Hebraica.*

7 Jampridem] ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων. *Vel,* Jam inde ab initio. *Scil. prædicati post Domini ascensionem Evangelii. Ad verb.* A diebus antiquis. Elegisse me] ὅτι ἐξελέξατο. *Vide suprà c.10.*

8 Spiritu sancto] τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Vide suprà c.10. v.44. & seq.*

10 Imponendo] ἐπιθεῖναι. *Id est,* τοῦ ἐπιθεῖναι. *Dum vultis imponere.* Jugum] ζυγὸν. *Nempe legem Mosis. Ex collatione vers.5. Metaphora.*

11 Imò] ἀλλά. *Quasi dicat, Non per legem (ut cujus perfecta observatio sit impossibilis) sed per gratiam.* Quemadmodum & illi] καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι. *Scil. servati fuerunt,* ἐσώθησαν. Illi *autem, id est, patres nostri: ex collatione versus præcedentis. Quum enim dixisset, ne patres quidem potuisse portare jugum legis Mosaicæ: promtum erat quærere, quomodo igitur servati sint: & quomodo item nos servemur qui itidem jugum illud portare non possimus. Respondet,* Per gratiam Christi, *id est, per gratiam Dei partam morte Christi. Sic genitivus notat causam efficientem.*

12 Tota multitudo] πᾶν τὸ πλῆθος. *Scil apostolorum & presbyterorum, ex collatione v.6. ad quem respicit articulus* ἀναφορικός *Nisi malimus nomine multitudinis intelligere ecclesiam, cujus mentio fit infrà v.22.*

14 Respexerit] ἐπεσκέψατο. *Ad verb.* Visitaverit, *seu,* inviserit. Respexerit Gentes ut sumeret ex ipsis] ἐπεσκέψατο λαβεῖν ἐξ ἐθνῶν. *Ad verb.* Visitaverit accipere ex gentibus. Nomini suo] ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. *Vel,* Sub nomine suo. *Id est, qui nominaretur ipsius populus: ex collatione v.17.*

16 Dirutas *partes*] τὰ κατεσκαμμένα. *Scil.* μέρη. *Ad verb.* Suffossas *partes. Metonymia efficientis.*

17 Quæ vocatæ fuerint de nomine meo] ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ' αὐτοὺς. *Ad verb.* Super quos invocatum fuerit nomen meum super ipsos. *Hebraismus geminus: unus in phrasi, alter in repetitione pronominis.*

19 Non esse obturbandos] μὴ παρενοχλεῖν. *Scil.* δεῖν. *Ellipsis Græca.*

20 A pollutionibus idolorum] ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων. *Id est, à carnibus pollutis per idola, eò quòd illis fuerunt immolata. Quæ infrà v.29. nominantur* εἰδωλόθυτα. *Genitivus* τῶν εἰδώλων *notat causam efficientem.*

21 Per singulas civitates] κατὰ πόλιν. *Videtur subaudiendum* πᾶσαν: *sicut extat integrè infrà v.36. Et sic mox dicit,* κατὰ πᾶν σάββατον. Ipsum] αὐτὸν. *Id est, doctrinam ipsius. Metonymia adjuncti. Sic mox:* Quum legatur, *scil. Moses: id est, libri Mosis.*

23 Istis per eos scriptis] γράψαντες διὰ χειρὸς αὐτῶν τάδε. *Id est, Istis quæ sequuntur scriptis, ac missis per eos. Ellipsis usitata.* Per eos] διὰ χειρὸς αὐτῶν. *Ad verb.* Per manum eorum. *id est, ministerio eorum. Hebraismus. Quanquam hoc accipi potest propriè: quia literæ quæ aliò mittuntur, dantur in manum ei qui fert.* Salutem] χαίρειν. *Ad verb.* Gaudere. *Quem Græcismum imitatus est Horatius in epistola quæ incipit,* Celso gaudere.

24 *Oportere vos* circumcidi] περιτέμνεσθαι. *Scil.* δεῖν ὑμᾶς. *Ellipsis gemina.* Legem] τὸν νόμον. *Ut suprà v.5.*

25 Concorditer congregatis] γενομένοις ὁμοθυμαδὸν. *Vel,* Concorditer consentientibus. *Ad verb.* Factis unanimiter. Delectos viros mittere] ἐκλεξαμένους ἄνδρας πέμψαι. *Vel,* σαφέστερον, Deligere viros & mittere. *Ad verb.* Postquam delegissemus viros, mittere *eos.*

26 Qui exposuerunt] παραδεδωκόσι. *Ad verb.* Qui tradiderunt.

27 Verbis] διὰ λόγου. *Ad verb.* Per sermonem.

28 Visum est] ἔδοξε. *Vel,* Placuit. Spiritui sancto ac nobis] τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν. *Id est, Visum est nobis ex instinctu sive suggestione Spiritus sancti.* ἐνδιαδύω. Præter necessaria] πλὴν τῶν ἐπάναγκες. *Pro,* τῶν ἀναγκαίων. *Nomen indeclinabile. Nisi fortè sit adverbium, & subaudiatur* ἐχόντων; *& dicantur* τὰ ἐπάναγκες ἔχοντα, *ea quæ se habent necessariò, per periphrasin. Necessaria autem hîc intellige ad pacem ecclesiæ, quæ tum erat, per tolerantiam infirmorum: non autem necessaria semper & ubiq;, nec necessaria ad salutem per se & simpliciter. Exceptâ tamen scortatione. Quæ quidem ideò hîc inter adiaphora enumeratur, quia à Gentibus non habebatur pro flagitio: ut videre est ex 1.Cor.6.15. & deinceps: & notum est ex illo Terentiano,* Non est flagitium (mihi crede) adolescentulum scortari &c. *Adelph. act.1. scen.2.*

29 Ab iis quæ sunt immolata idolis] εἰδωλοθύτων. *Confer 1.Cor.8.*

32 Prophetæ] προφῆται. *Id est, doctores ecclesiæ, præditi singulari dono interpretandi scripturas propheticas.*

33 Et quum egissent *illic* aliquamdiu] ποιήσαντες δὲ χρόνον. *Subaudi* τινὰ: *ut plenè loquitur Lucas infrà 18.23. Item ante* χρόνον *subaudiendum* κατὰ *Verbum autem* ποιεῖν *in hac phrasi usurpatur ut apud Latinos verbum* Agere, *pro* Vivere *vel* degere. *Vide scholia nostra in Jac.4.12.*

35 Egerunt] διέτριβον. *Scil.* τὸν χρόνον. *Id est, Contriverunt tempus. Ellipsis Græca.*

36 Reversi invisamus] ἐπιστρέψαντες ἐπισκεψώμεθα. *Vel,* Revertamur & invisamus. Per omnes civitates in quibus] κατὰ πᾶσαν πόλιν ἐν αἷς. *Ad verb.* Per omnem civitatem in quibus. *Relativum refertur ad sensum, non ad vocem. Synesis.*

37 Consilium erat] ἐβουλεύσατο. *Vetus interpres & Syrus paraphrastes,* Volebat. *Videntur igitur legisse* ἐβούλετο.

38 Qui abscessisset] τὸν ἀποστάντα. *Suprà 13.13.* Ad illud opus] εἰς τὸ ἔργον. *Scilicet conficiendum. Nempe opus illud ad quod ipsos advocaverat Spiritus S. supr.13.2. Articulus igitur est* ἀναφορικός.

39 Sic igitur sunt exacerbati] ἐγένετο οὖν παροξυσμὸς. *Ad verb.* Facta est igitur (*vel,* exstitit igitur) exacerbatio.

OBSERVAT. EX CAP. XV.

1 Ex v.1. Nihil est novi, si ex doctoribus ecclesiæ exoriantur qui falsam de causis salutis doctrinam tradant: quum videamus id accidisse ecclesiæ Antiochenæ, quæ clarissimis doctoribus abundabat. *Falsi doctores.*

2 Ex v.2. Falsa docentibus de causis salutis, acriter resistendum est: sique necessitas postulet, cognitio causæ aliis fidis doctoribus deferenda, ut communi illorum consensu veritas stabiliatur. *Falsi doctores.*

3 Ex v.3. *Adferebant gaudium &c.* Quum audimus ecclesias alibi plantari, gaudere debemus. *Officium hominis Christiani.*

Ministerium verbi. 4 Ex v.4. *Quæcunque Deus per ipsos effecerat.* Efficacia ministerii verbi Deo accepta ferenda est. Confer 1.Cor.3. v.5.& deinceps.

Controversia de religione. 5 Ex v.6. *Congregati sunt &c.* Controversiæ de religione per pastores ecclesiæ congregatos dijudicandæ sunt.

Fides. 6 Ex v.9. *Ut qui fide purgarit corda eorum.* Declarandum hîc, quomodo per fidem Deus purget corda. Id autem facit, quatenus per fidem imputat obedientiam mortis Christi ad justitiam seu in remissionem peccatorum, morte Christi partam. Nam sanguis Christi purgat nos ab omni peccato, 1.Joh.1.quatenus nimirum pro nobis effusus est in cruce cum sensu iræ Dei. Vide Heb.9.14.& cap.10.v.22.& 23.

Vita æterna. 7 Ex v.10.& 11. Salutem seu vitam æternam nemo per bona opera in lege Dei præcepta mereri potest: quia nemo illa perfectè præstare potest: sed datur salus ex gratia iis qui credunt in Christum, idque propter meritum illius: quippe qui judicio Dei pro nostris peccatis satisfecit luendo pœnam illorum, atque ita favorem Dei (qui vitæ æternæ fons est) nobis conciliavit.

Status patrum in V.T. 8 Ex v.11. *Quemadmodum & illi.* Sancti patres in V.T. non minùs quàm nos in N.T. per gratiam Christi (quippe in quem tanquam venturum crediderunt) servati sunt. Huc pertinet illud Hebr.13.8. *Jesus Christus heri & hodie idem est, & in secula.* Item illud Joh.8.56. *Abraham gestivit ut videret diem meum,* (ait Christus) *& vidit ac gavisus est.* Confer etiam Heb.11.

Veritas cælestis. Synodus. 9 Ex v.12. *Tacuit autem tota multitudo.* Si quis in synodo veritatem cælestem clarè exposuerit, ut hîc fecit Petrus: tum cæterorum est, acquiescere, & Deo gloriam dare. Huc pertinet exemplum patrum in concilio Niceno amplectentium sententiam Paphnutii, contradicentis legi sive canoni de omittendo clericis seu ministris ecclesiæ concubitu cum uxoribus. Hist. tripart. lib.2.c.14.

Synodus. 10 Ex v.14. & sequentibus. Qui in synodo authoritate præ cæteris valent, uti tunc Hierosolymis valebat Jacobus: illos decet veritatem ab aliquo ex fratribus expositam non solùm unà cum cæteris approbare, sed etiam per testimonia scripturæ confirmare.

Adiaphora. 11 Ex v.20. *Ut abstineant à pollutionibus idolorum &c.* In rebus mediis (seu adiaphoris) hactenus communicandum cum fratrum infirmitate, ut eis concedatur discendi spatium. B.

Conventus ecclesiastici. 12 Ex v.21. *Moses enim &c.* Sicut olim Judæi singulis sabbathis convenerunt ad legendum & audiendum scripta Mosis: ita in N. T. debent Christiani convenire singulis diebus Dominicis ad legendum & audiendum scripta tum Mosis, tum prophetarum & apostolorum quæ sacro canone continentur. Confer 1.Cor.16.2.

Synodus. 13 Ex v.22. & seq. In legitima synodo nec ii quibus permittitur judicium, quicquam tyrannicè statuunt: nec communis cœtus tumultuosè se opponit sedentibus ex Dei verbo judicibus: nec dissimilis ratio observatur in significandis & stabiliendis quæ ita fuerint decreta. B.

Synodus. 14 Ex v.28. *Visum est enim Spiritui sancto & nobis.* Ea demum est legitima synodus cui Spiritus sanctus præest. B. Is autem tunc præest, quum qui congregati sunt, illum ex vero corde à Deo petunt, Luc.11.v.13.

Charitas. 15 Ex eod. v. *Præter necessaria ista.* Charitas res naturâ suâ liberas seu medias atque indifferentes, tanquam necessarias observat in gratiam fratrum infirmorum: ne intempestivo earum usu illi offendantur.

Controversia. 16 Ex v.31. *Gavisi sunt super exhortatione.* Quum controversiæ in ecclesia exortæ, ex verbo Dei per legitimos pastores decisæ sunt: ecclesia eo nomine gaudere debet, & Deo gratias agere.

Ministri. 17 Ex v.32. *Adhortati sunt fratres & confirmarunt.* Fidelium verbi ministrorum est, nullam occasionem prætermittere rudes erudiendi, & infirmos in fide confirmandi.

Ministri. 18 Ex v.36. *Invisamus fratres.* Non est satis, ecclesias passim plantare: sed perpetuâ inspectione ac crebrâ visitatione opus est, ut singuli in officio contineantur.

Pastores ecclesiæ. 19 Ex v.37. & seq. Si contingat, præcipuæ authoritatis pastores vehementiùs erga se mutuò exacerbari: deploranda quidem est naturæ humanæ infirmitas, veruntamen eâ re non nimis nos offendi oportet: quum videamus idem sanctissimis viris Barnabæ ac Paulo accidisse, & Deum ejusmodi distractionibus ad amplificandam suam ecclesiam uti solere.

ANALYSIS CAP. XVI.

ARGUMENTUM.

Hîc narratur primùm, quid egerit Paulus tum Lystræ tum in aliis urbibus, ubi antea unà cum Barnaba ecclesias plantaverat, usq; ad v.6. Deinde quid ei acciderit volenti evangelium prædicare in Asia & Bithynia, v.6. & 7. Tum quid ei acciderit Troade, à v.8. usq; ad duodecimi medium. Postremò quid egerit ac perpessus sit Philippis, à v.11. usq; ad finem.

PRIMA PARS.

Quid egerit Paulus Lystræ & in cæteris urbibus illius regionis.

Pervênit autem Derben & Lystram: & ecce, discipulus quidam erat illic, nomine Timotheus, filius mulieris cujusdam Judææ fidelis, patris autem Græci.

2 Huic dabant testimonium fratres qui Lystris erant & Iconii.

3 Eum itaque voluit Paulus secum proficisci: & assumtum eum circumcîdit, propter Judæos qui in illis locis erant: sciebant enim omnes, patrem ejus Græcum esse.

4 Prout autem pertransibant urbes, tradebant eis servanda instituta, quæ decreta fuerant ab apostolis & presbyteris qui Hierosolymis erant.

5 Itaque ecclesiæ confirmabantur fide, & exuberabant numero quotidie.

Duo principaliter narrantur: unum, quòd Paulus Lystris assumserit comitem Timotheum, tribus primis versibus: alterum, quòd unà cum Sila ecclesiis quas invisebat tradiderit servandum decretum concilii Hierosolymitani, de quo in capite præcedente, v.4.& 5. Assumtio Timothei illustratur primum ab illius descriptione, v.1. Deinde ab assumendi causa impulsiva, v.2. Postremò ab assumti præparatione ad propositum iter, v.3. Timotheus describitur à causis procreantibus, videlicet parentibus. Causa assumendi impulsiva fuit testimonium fratrum illius loci de Timotheo. Præparatio assumti ad propositum iter fuit circumcisio: quæ illustratur ex causa finali, videlicet ne Judæi quibus Paulus cum sociis prædicaturus erat, à Timotheo abhorrerent: quippe qui nondum intelligebant, circumcisionem abolitam esse. Traditio decreti Hierosolymitani illustratur ex eventis, videlicet ecclesiarum tum confirmatione, tum incremento.

SECUNDA PARS.

Quid Paulo acciderit volenti prædicare in Asia & Bithynia.

6 Phrygiâ autem peragratâ & Galaticâ regione, prohibiti à Spiritu sancto loqui sermonem in Asia.

7 Quum venissent in Mysiam, tentabant ire versus Bithyniam: sed non sivit eos *ire* Spiritus.

Summa est, quòd Paulus & socii à Spiritu sancto sint prohibiti, ne in Asia & Bithynia prædicarent.

TERTIA PARS.

Quid Paulo acciderit Troade.

8 Præteritâ autem Mysiâ descenderunt Troada.

9 Et visum per noctem conspectum est Paulo: Vir Macedo quidam adstabat precans eum, & dicens, Trajice in Macedoniam, & succurre nobis.

10 Ut autem hoc visum vidit, statim studuimus abire in Macedoniam, collatis argumentis colligentes quòd advocasset nos Dominus ut eis evangelizaremus.

11 Profecti igitur Troade, rectum cursum tenuimus Samothracen, & sequente die Neapolin.

12 Et illinc Philippos, quæ est prima hujus partis Macedoniæ urbs, colonia:

Summa est, Paulum unà cum sociis divinitus evocatum esse Troade in Macedoniam ad prædicandum illic Evangelium. Ista evocatio declaratur ex forma seu modo agendi, quòd scilicet vir Macedo in viso nocturno rogaverit Paulum, ut Macedonibus succurreret, v.9. Hoc visum illustratur ex eventis: quòd scil. Paulus & socii inde collegerint suam vocationem, v.10. quodque mox in Macedoniam sint profecti, ac primùm venerint Philippos, v.11.& 12.

QUARTA PARS.

Quid Paulus & Silas egerint Philippis, quidq; ibi sint perpessi.

Egimus autem in ea urbe aliquot dies.

13 Et die sabbathi egressi sumus ex urbe ad flumen, ubi solebat esse precatio: ubi quum consedissemus, alloquuti sumus mulieres quæ convenerant.

14 Quædam autem mulier nomine Lydia, quæ purpuram vendebat in urbe Thyatirorum, Deum colens, *nos* audivit: cujus Dominus adaperuit cor ut attenderet ea quæ dicebantur à Paulo.

15 Quum verò baptizata esset, & domus ejus, rogavit *nos*, dicens; Si judicastis me fidelem esse Domino, ingressi domum meam, manete. Et adegit nos.

16 Factum est autem proficiscentibus nobis ad precatio-

precationem, ut ancillula quædam habens spiritum Pythonis occurreret nobis; quæ quæstum magnum præbebat dominis suis, vaticinando.

17 Hæc subsequuta Paulum ac nos, clamabat dicens; Isti homines, servi sunt Dei illius altissimi, qui annuntiant vobis viam salutis.

18 Hoc autem faciebat ad multos dies. sed moleste ferens Paulus, & sese convertens, spiritui illi dixit; Præcipio tibi per nomen Jesu Christi ut exeas ab ea. Exiit igitur eodem illo momento.

19 Videntes autem illius domini, abiisse spem quæstus sui, prehensum Paulum & Silam traxerunt in forum ad magistratus.

20 Et quum adduxissent eos ad prætores, dixerunt; Homines isti conturbant civitatem nostram, quum sint Judæi.

21 Et annuntiant ritus quos non licet nobis suscipere, neque usurpare, quum simus Romani.

22 Unà autem insurrexit turba adversus eos: & prætores diruptis eorum vestibus jusserunt *eos* virgis cædi.

23 Quumque multas plagas eis imposuissent, conjecerunt *eos* in carcerem, additis mandatis commentariensi ut tutò eos asservaret.

24 Qui quum tale mandatum accepisset, conjecit eos in intimum carcerem, & pedes eorum adstrinxit numellâ.

25 Mediâ autem nocte precantes Paulus & Silas hymnis laudabant Deum: & qui vincti erant, exaudiebant eos.

26 Repentè verò terræmotus magnus exstitit, ita ut concuterentur fundamenta carceris: & illico apertæ sunt omnes fores, & omnium vincula laxata.

27 Expergefactus autem commentariensis, quum videret fores carceris apertas, educto gladio erat seipsum interemturus, existimans vinctos effugisse.

28 Clamavit autem Paulus voce magnâ, dicens; Nequid feceris tibiipsi mali: omnes enim hìc sumus.

29 Is verò petito lumine irrupit, & tremefactus accidit Paulo & Silæ *ad pedes*.

30 Et productis ipsis foras, ait, Domini, quid me oportet facere ut server?

31 At illi dixerunt, Crede in Dominum Jesum Christum; & servaberis, tu ac domus tua.

32 Et loquuti sunt ei sermonem Domini, & omnibus qui erant domi ipsius.

33 *Ipse* verò illis assumtis eâ ipsâ horâ noctis, lavit *eorum* plagas: & baptizatus est, ipse & omnes *domestici* illius, illico.

34 Et ipsis deductis domum suam, apposuit mensam: & exsultavit quòd cum universa domo sua credidisset Deo.

35 Die autem exorto prætores miserunt viatores qui dicerent, Dimitte homines illos.

36 Annuntiavit autem commentariensis hos sermones Paulo; Miserunt, *inquit*, prætores ut dimittamini: nunc igitur egressi, ite in pace.

37 Paulus autem dixit eis; Cæsos nos publicè, indictâ causâ, quum simus Romani, conjecerunt in carcerem; & nunc clam nos ejiciunt? Non profectò: sed veniant ipsi, & nos educant,

38 Renuntiarunt autem prætoribus viatores verba ista: timueruntque audito eos Romanos esse.

39 Et venientes precati sunt eos, & eductos rogarunt ut egrederentur ex urbe.

40 Egressi autem è carcere introierunt ad Lydiam: & visis fratribus, consolati sunt eos, & egressi sunt.

Narrationis hujus partes principales sunt quinque: videlicet conversio Lydiæ, usque ad v.15. Ejectio spiritus Pythonis ex ancillula quadam, à v.16. usque ad v.19. Injuriæ atque contumeliæ Paulo & Silæ à quibusdam illatæ, à v.19. usque ad 25. Conversio commentariensis seu custodis carceris, à v.25. usque ad 35. Et postremò dimissio Pauli & Silæ ex carcere, versibus reliquis.

Conversio Lydiæ illustratur primùm à tempore quo accidit, videlicet die sabbathi, v.13. Deinde à loco ubi accidit, videlicet extra urbem ad flumen ubi solebat esse precatio, ibid. Tum à causa instrumentali, videlicet sermone Pauli, v.13. & 14. Postea ab alia causa instrumentali, videlicet auscultatione Lydiæ, v.14. Præterea à causa procreante principali, videlicet apertione cordis Lydiæ per Dominum, ibid. Postremò ab eventis numero tribus. 1. Baptizata est. 2. Curavit baptizari domesticos suos. 3. Excepit Paulum cum sociis hospitio. Quæ exceptio illustratur recitatione verborum quibus illos rogavit: & amplificatur verbo adigendi, v.15. 1.

Ejectio spiritus Pythonis ex ancillula declaratur primùm à causa impulsiva, deinde à forma seu modo agendi. Causa impulsiva quæ Paulum ad spiritum illum ejiciendum movit, fuit pronuntiatum illius de Paulo & sociis, quo testimonium illis dedit vocationis & doctrinæ, v.17. Istud pronuntiatum illustratur ex occasione, videlicet occursu ancillulæ istius, v.16. Item ab adjuncta iteratione, v.18. Forma seu modus agendi fuit mandatum Pauli, ibid. 2.

Injuriæ atque contumeliæ Paulo & Silæ illatæ narrantur septem. Primò, tracti sunt ad magistratus à dominis illius ancillulæ, v.19. Quæ injuria illustratur à causa impulsiva, videlicet dolore ob ademtam spem quæstus quem facere solebant ex ancillulæ vaticinationibus. Secundò, falsò accusati sunt quòd turbent civitatem suâ doctrinâ, ac proinde quòd trahant falsam doctrinam: Id quod probant à testimonio communis consensus idololatrarum in illa urbe degentium, v.20. & 21. Tertiò, turba adversus eos insurrexit, v.22. Quartò, præfecti diruptis eorum vestibus jusserunt eos virgis cædi, ibid. Quintò, multas plagas eis imposuerunt, v.23 Sextò, conjecerunt eos in carcerem, ibid. Hæc injuria amplificatur ab adjuncto singulari mandato ad commentariensem de eis tutò asservandis. Septimò, commentariensis conjecit eos in intimum carcerem, & pedes eorum adstrinxit numellâ, v.24. 3.

Conversio commentariensis declaratur partim è causis procreantibus, partim ex effectis. Causæ procreantes narrantur duæ: miraculum editum in Paulo & Sila, & prædicatio Evangelii per eosdem. Miraculum fuit, quòd ipsis canentibus terræmotu concussa sunt fundamenta carceris, & illico fores omnes apertæ sunt, omniumque vincula laxata, v.25. & 26. Quo miraculo Deus testimonium innocentiæ Paulo & Silæ præbuit, atque ita illorum doctrinam de consequenda salute confirmavit. Istud miraculum illustratur ex effectis in commentariensi: nempe quòd fuerit expergefactus, v.27. quòd viderit fores carceris apertas, ibid. quòd voluerit se ipse interimere gladio, ibid. quòd cohibitus sit à Paulo, v.28. quòd tremefactus acciderit Paulo & Silæ ad pedes, v.29. quòd produxerit eos foras, v.30. quòd petiverit ab illis institui de ratione consequendi salutem, ibid. Prædicatio Evangelii per Paulum & Silam apud istum commentariensem amplificatur ab adjuncto illius comitatu, quòd videlicet domesticis ejus simul prædicarint, v.31. & 32. Effecta conversionis in commentariensi narrantur sex: 1. Lavit plagas Pauli & Silæ. 2. Baptizatus est. 3. Baptizari curavit omnes domesticos suos. 4. Paulum & Silam duxit domum suam. 5. Apposuit eis mensam. 6. Exsultavit quòd cum universa domo sua credidisset Deo, v.33. & 34. 4.

Dimissio Pauli & Silæ è carcere illustratur ex actionibus tribus. Primùm, præfecti urbis per viatores mandarunt commentariensi ut illos dimitteret, v.35. Deinde, commentariensis mandatum illud Paulo retulit, atque ita abeundi potestatem eis fecit, v.36. Postremò, præfecti ipsi venientes precati sunt eos ut è carcere exirent, & eductos rogarunt ut ex urbe egrederentur, v.39. Hæc tertia actio declaratur partim ex causis impulsivis, videlicet relatu viatorum de querela Pauli & Barnabæ super injuria incarcerationis, & inde orto metu in præfectis, v.37. & 38. partim ex eventis in Paulo & Sila: quæ narrantur tria, v.ult. 1. Egressi è carcere introierunt ad Lydiam. 2. Visis fratribus consolati sunt eos. 3. Egressi sunt urbe. 5.

SCHOLIA IN CAP. XVI.

1 Fidelis] πιστῆς. *Id est, credentis in Christum.* Græci] Ἕλληνος. *Tum natione scil. tum religione.*

2 Huic dabant testimonium fratres] ὃς ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν. *Vel,* Qui testimonio ornabatur à fratribus. *Porrò relativum pronomen refertur ad nomen Timothei.*

3 Propter Judæos] διὰ τοὺς Ἰουδαίους. *Ut ne repudiarent illum Judæi, tanquam incircumcisum: quia nondum intelligebant, circumcisionem esse abrogatam.* Sciebant enim omnes, patrem ejus Græcum esse] ᾔδεισαν γὰρ ἅπαντες τὸν πατέρα αὐτοῦ ὅτι Ἕλλην ὑπῆρχεν. *Ad verb.* Sciebant enim omnes patrem ejus, quòd Græcus esset. *Trajectio Græca.*

4 Instituta] τὰ δόγματα. *Vel,* Placita: *vel,* decreta. *Nomen conjugatum est verbo δοκεῖν, quo usus fuit Lucas suprà 15.28.*

5 Exuberabant] ἐπερίσσευον, *id est, augebantur.*

7 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa, ex Hebraismo.* Spiri-

tus] τὸ πνεῦμα. *In nonnullis exemplaribus, teste D. Beza, additum est nomen Jesu.*

9 Adstabat] ἦν ἑστὼς *Ad verb.* Erat stans. *Græcismus.*

10 Studuimus] ἐζητήσαμεν. *Ad verb.* Quæsivimus. ***Hebraismus.*** *Sic Marc.12.v.12.*

11 Profecti] ἀναχθέντες. *In altum subvecti. Sic suprà 13.* Et sequenti die] τῇ τε ἐπιούσῃ. *Scil.* ἡμέρᾳ. *Ad verb.* Succedente die. *Hinc* ἄρτος ἐπιούσιος.

12 Egimus] ἦμεν δὲ διατρίβοντες. *Vel,* Commorati sumus. *Pro,* διετρίβομεν. *Scil.* τὸν χρόνον. *Græcismus geminus.*

13 Sabbathi] τῶν σαββάτων. *Pro* τοῦ σαββάτου. *Ut suprà 13.14.* Solebat] ἐνομίζετο. Νομίζεσθαι. *pro, moris esse, sive in more positum esse, reperitur passim apud Græcos authores: ut exemplis confirmat Henr. Steph. in suo Thesauro.* Precatio] προσευχή. *Syrus paraphrastes vertit* domum precationis. *Et sanè domos illas in quibus convenire solebant Judæi ad legendum Scripturam & precandũ, appellabant* προσευχάς: *quam vocem Romani quoq; usurparunt, nominantes proseuchas, quasi dicas oratoria. Sed istam interpretationem hoc quidem loco repudiant verba* ἐνομίζετο εἶναι.

15 Domus] ὁ οἶκος. *Id est, familia. Metonymia subjecti.* Domino] τῷ Κυρίῳ. *Christo scil.*

16 Ad precationem] εἰς προσευχήν. *Vel,* Ad proseucham. *id est, domum precationis. nam ista expositio huc quadrat. Et* εἰς *ponitur pro* πρός. Spiritum Pythonis] πνεῦμα πύθωνος. *Id est, spiritum pythonem. Genitivus speciei. Dicitur autem* πύθων *spiritus vaticinans,* δαιμόνιον μαντικὸν, *nomine deducto ab urbe Phocidis Pytho sive Pythone, quæ aliàs Delphis: ubi talis spiritus responsa dabat consulentibus, idq; sub nomine Apollinis, è ventre anus fatidicæ.*

18 Molestè ferens] διαπονηθείς. *Quasi dicas,* molestatus, *seu,* molestiâ confectus. Per nomen] ἐν τῷ ὀνόματι. *Ad verb.* In nomine. *Hebraismus. Id est, ex mandato.*

19 Illius] αὐτῆς. *Scil.* τῆς παιδίσκης, *ancillulæ, ex v.16. Græcum clarius propter terminationem fœmininam.*

20 Ad prætores] τοῖς στρατηγοῖς. στρατηγοὶ *propriè duces exercitus, ei* ἄρχοντες τοῦ στρατοῦ. *Vide annotationes D. Bezæ.*

21 Ritus] ἔθη. *Mores,* sitten.

22 Jusserunt virgis cædi] ἐκέλευον ῥαβδίζειν. *Ad verb.* Jusserunt virgis cædere. *Græcismus. Id est, jusserunt ut ministri eos virgis cæderent.*

23 Imposuissent] ἐπιθέντες. *Nempe ministri, seu lictores.*

24 Adstrinxit] ἠσφαλίσατο. *Quasi dicas,* assecuravit. *Id est, ita adstrinxit ut securus esset de ipsorum fuga. Metonymia effecti synecdochica.* Numellâ] εἰς τὸ ξύλον. *Ad verb.* In lignum. *Metonymia materiæ.*

29 Irrupit] εἰσεπήδησε. *Vel,* insiliit, *seu,* intrò saliit. Ist hineyn gesprungen.

31 Domus tua] ὁ οἶκός σου. *Familia tua. Metonymia subjecti. Sic v.34.*

33 Lavit *eorum* plagas] ἔλουσεν ἀπὸ τῶν πληγῶν. *Ad verb.* Lavit eos à plagis. *Id est, lavando purgavit. Synecdoche membri metonymica. Vel ellipsis, subaudito participio* καθαρίζων.

35 Viatores] τοὺς ῥαβδούχους. *Sic dicti apud Græcos, quòd gestarent bacillos seu virgas,* παρὰ τὸ ἔχειν ῥάβδους. *Vide annotationes D. Bezæ.*

37 Indictâ causâ] ἀκατακρίτους. *Sive,* indemnatos: *id est, non damnatos.* Et nunc clam nos ejiciunt?] καὶ νῦν λάθρᾳ ἡμᾶς ἐκβάλλουσιν; *Interrogatio est indignantis: quasi dicat, Nequaquam ita fieri debet.*

38 Audito] ἀκούσαντες. *Quum audissent.*

40 Ad Lydiam] εἰς τὴν Λυδίαν. *Pro,* πρὸς τὴν Λυδίαν. *Nisi forte legendum,* εἰς τὴν Λυδίας. *Scilicet* οἰκίαν. *Ut suprà v.15.* Egressi sunt] ἐξῆλθον. *Scilicet ex urbe.*

OBSERVAT. EX CAP. XVI.

Vocatio ministrorum. 1 Ex v.2. ***Huic dabant testimonium.*** Testimonio piorũ ornatum esse oportet eum qui ad ministeriũ verbi Dei vocandus est.

Charitas. 2 Ex v.3. ***Circumcidit propter Judæos.*** Exemplo Pauli & Timothei ne gravemur ad lucrifaciendum infirmos, etiam res molestas, quas alioquin bonâ conscientiâ omittere poteramus, suscipere. Confer 1.Cor.9.v.19.& seq.

Charitas. Adiaphora. 3 Ex v.4. ***Tradebant eis servanda instituta &c.*** Servanda in rebus mediis charitas; tum ut infirmis, tum ut Ecclesiæ paci consulatur. B.

Veritatis cœlestis patefactio. 4 Ex v.6. ***Prohibiti à Spiritu sancto &c.*** Et v.7. ***Non sivit eos Spiritus.*** Deus sua momenta constituit patefaciendæ veritati: ut sit prorsus gratuita tum electio tum vocatio. B.

Ministri. 5 Ex v.9. ***Succurre nobis.*** Evangelii ministri ii sunt, per quos Dominus pereuntibus opitulatur. B. Sic Christus Apostolos ad Evangelium in terra Israëlitica prædicandum emittens, dicebat: *Proficiscimini ad oves perditas domus Israël,* Matth.10.v.6.

Obedientia. 6 Ex v.10. ***Statim studuimus &c.*** Cognitâ Dei voluntate, promtè & absque mora illi obsequendum est. Confer exemplum Abrahæ, Gen.22.3.

Gubernatio Dei. 7 Ex v.14. ***Quædam autem mulier &c.*** Deus à mulierculæ conversione suum in Macedonia regnum auspicatus, ostendit nullam esse in Evangelio personarum acceptionem. B.

Verbi Dei. 8 Ex eod. vers. ***Cujus Dominus adaperuit cor &c.*** Dominus quidem unus cor aperit, sed ad audiendum verbum quod prædicatur. B.

9 Ex v.15. *Ingressi domum meam &c.* Vera in Christum fides continuò ex se gignit charitatem ac beneficentiam erga proximum, inprimis erga fidos Christi servos. *Fides.*

10 Ex vers.18. *Sed molestè ferens Paulus &c.* Diabolus etiamsi vera loquatur, non tamen audiendus est: quia verum interdum testando, hoc agit, ut postea eos qui ipsi aures præbent, fallat. Confer exemplum Christi Marc.1.25. Item pronuntiatum Joh.8.44. *Diabolus.*

11 Ex eodem v. *Exiit igitur.* Mandato Christi obediunt mali spiritus, vel inviti. Hinc divina ejus potentia perspicitur. Confer exempla dæmoniorum ab ipso Christo immediatè ejectorum. *Mali spiritus. Deitas Christi.*

12 Ex v.19. *Abiisse spem quæstus sui.* Causa quæ multos ad persequendum confessores veritatis cælestis movet, est cupiditas quæstus seu avaritia: quæ, teste Apostolo, radix est omnium malorum. *Persecutio.*

13 Ex v.20. *Homines isti conturbant civitatem &c.* Persecutores veritatis prætexunt avaritiæ suæ studium tum publicæ pacis, tum etiam pietatis. B. *Persecutores.*

14 Ex v.21. *Quum simus Romani.* Impii verbo Dei opponere audent placita humana. *Impii.*

15 Ex v.22. *Jusserunt eos virgis cædi.* Iniquorum magistratuum exemplum, populi furori obsequentium. B. Confer exemplum Pilati in damnando Christo. *Magistratus.*

16 Ex v.26. *Repentè verò terræmotus exstitit.* Sanctorum preces cælum & terram concutiunt. B. *Preces.*

17 Ex v.27. & seq. In conversione istius commentariensis proponitur nobis insigne exemplum misericordiæ Dei. *Misericordia Dei.*

18 Ex v.31. *Crede &c.* Et v.33. *Lavit eorum plagas.* Et v.34. *Apposuit eis mensam.* Salutis via est fides in Christum: quæ quidem fides per dilectionem operatur, Gal.5.v.6. *Fides.*

19 Ex eod. v. *Servaberis, tu ac domus tua.* Patrisfamiliâs est curare ut domestici sui veram religionem unà cum ipso amplectantur, ut ita unà cum ipso serventur. Confer exemplum Abrahæ Gen.18.19. & Cornelii supr.10.2. Item præceptum Dei generale, Deut.6.7. & speciale, Exod.12.v.26. & 27. *Paterfamiliâs.*

20 Ex v.37. *Veniant ipsi &c.* Non sunt quidem retaliandæ injuriæ, sed nihilominus utendum est adminiculis à Domino porrectis, ad cohibendum impiorum libidinem: ne saltem aliis similiter noceant. B. *Injuria.*

21 Ex v.38. *Timueruntq; &c.* Impii non Dei, sed hominum metu moventur: & Deus hac etiam ratione suis prospicit, quum opus est. B. *Impii.*

22 Ex v.39. *Et venientes precati sunt &c.* Ignominia tandem iniquorum magistratuum merces. B. *Magistratus.*

23 Ex v.40. *Introierunt ad Lydiam &c.* Sic vitanda pericula, ut nunquam negligatur officium. B. *Pericula.*

ANALYSIS CAP. XVII.

ARGUMENTUM.

Hic narratur quid Paulus egerit ac perpessus sit primùm Thessalonicæ, usq; ad v.10: deinde Berœæ, à v.10. usq; ad 16. postremò Athenis, à v.16. usq; ad finem. Ita tres sunt capitis partes.

PRIMA PARS.

Quid Paulus egerit ac perpessus sit Thessalonicæ.

QUum autem iter fecissent per Amphipolin & Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum.

2 Paulus autem, sicut consueverat, introivit ad eos, & per sabbatha tria disseruit *cum eis* ex scripturis,

3 Explicans & ob oculos ponens, oportuisse Christum pati, & resurgere à mortuis: & hunc esse Christum, *nempe* JESUM, Quem ego, *inquit*, annuntio vobis.

4 Nonnulli igitur eorum assensi sunt, & consociati sunt Paulo & Silæ, & religiosorum Græcorum multitudo magna, & ex mulieribus primariis non paucæ.

5 Sed invidiâ commoti Judæi qui increduli erant, assumtis quibusdam circumforaneis, viris sceleratis, ac turbâ congregatâ, turbaverunt civitatem, & adorti domum Jasonis, studebant eos adducere ad populum.

6 Et quum non invenissent eos, traxerunt Jasonem & quosdam fratres ad magistratus civitatis, clamando, Isti qui orbis terrarum statum subverterunt, etiam hìc adsunt:

7 Quos excepit Jason: qui omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, *nempe* Jesum.

8 Commo-

8 Commoverunt autem turbam & magistratus civitatis hæc audientes.

9 *Qui* tamen quum satis accepissent ab Jasone, & cæteris, dimiserunt eos.

10 Fratres verò statim per noctem emiserunt Paulum simul & Silam Berœam.

Summa est, Paulum in synagoga disseruisse de Christo, & propterea ab incredulis Judæis cum sociis quæsitum esse ut traheretur in judicium. Dissertatio Pauli illustratur ex effectu, videlicet assensione nonnullorum, tum Judæorum tum Græcorum, v. 4. Inquisitio declaratur è loco ubi quæsiti fuerunt, videlicet domo Jasonis, v. 5. & eventis: quòd non sint inventi, v. 6. quòd Jason & quidam fratres tracti sint ad præfectos urbis, & accusati doctrinæ seditiosæ; ibid. & v. 7. quòd istâ accusatione præfecti turbati sint, v. 8. quòd Jason & cæteri satisdatione factâ dimissi sint, v. 9. quòd Paulus & Silas noctu per fratres emissi sint, v. 10.

SECUNDA PARS.

Quid Paulus egerit ac perpessus sit Berœa.

Qui quum advenissent, abierunt in synagogam Judæorum.

11 Fuerunt autem isti generosiores iis *Judæis* qui erant Thessalonicæ, ut qui receperint sermonem cum omni alacritate, quotidie scrutantes scripturas, an hæc ita se haberent.

12 Multi igitur ex eis crediderunt, & Græcarum mulierum honoratarum, & virorum non pauci.

13 Ut autem cognoverunt Thessalonicenses Judæi, Berœæ quoque annuntiatum esse à Paulo sermonem DEI, venerunt etiam illuc, concitantes turbam.

14 Sed statim tunc Paulum emiserunt fratres, ut iret velut ad mare: Silas autem & Timotheus remanserunt illic.

15 Qui verò Paulum susceperant tuto loco constituendum, deduxerunt eum Athenas usque: & accepto mandato ad Silam ac Timotheum, ut quamcitissimè ad ipsum venirent, abierunt.

Summa est, Paulum in synagoga Berœensium disseruisse de Christo, & propterea à Judæis Thessalonicensibus turbam contra eum concitatam esse. Dissertatio Pauli declaratur ex effectis: quòd Berœenses Judæi doctrinam ejus receperint, & è Scripturis examinarint, v. 11. quòd etiam ex Græcis non pauci crediderint, v. 12. Concitatio turbæ illustratur partim è causa impulsiva, videlicet rumore de facto Pauli, v. 13. partim ex eventis, videlicet subductione Pauli & evasione per fratres, ejusdemque deductione Athenas usque, denique mandato ejus ad Silam & Timotheum qui Berœæ substiterant, v. 14. & 15.

TERTIA PARS.

Quid Paulus egerit ac perpessus sit Athenis.

16 Paulo autem Athenis illos exspectante, exacerbabatur spiritus ejus in ipso, quum conspiceret urbem idolis refertam.

17 Disserebat igitur in synagoga cum Judæis & religiosis, & in foro quotidie cum quibusvis obviis.

18 Quidam autem ex Epicureis & Stoicis philosophis conferebant cum eo: & quidam dicebant, Quid vult blaterator iste dicere? Alii verò, Peregrinorum deorum videtur annuntiator esse. quia Jesum & resurrectionem ipsis annuntiabat.

19 Et prehensum eum duxerunt in Areopagum, dicentes; Possumúsne scire, quæ sit ista nova quæ à te prædicatur, doctrina?

20 Peregrina enim quædam ingeris auribus nostris. Volumus ergo scire, quidnam ista sibi velint.

21 (Cæterùm Athenienses omnes & advenæ hospites nulli alii rei vacabant, nisi ad dicendum aut audiendum aliquid novi.)

22 Quum autem constitisset Paulus in medio Areopago, dixit; Viri Athenienses, omnino conspicio vos quasi religiosiores.

23 Pertransiens enim & contemplans sacra vestra, inveni etiam aram cui inscriptum erat, Ignoto Deo. Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego vobis annuntio.

24 Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, quum sit cæli & terræ dominus, in manufactis templis non habitat:

25 Nec manibus hominum colitur, alicujus rei egens; quum ipse det omnibus vitam & halitum & omnia.

26 Fecitque ex uno sanguine totam gentem hominum, ut habitarent super universa superficie terræ, definitis statis temporibus & positis terminis habitationis eorum:

27 Ut quærerent Dominum, si forte palpando eum attingerent & invenirent: quanquam profectò non longe abest ab unoquoque nostrûm.

28 In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus: sicut & quidam vestratium poëtarum dixerunt, Nam hujus progenies etiam sumus.

29 Progenies ergo Dei quum simus: non debemus existimare, auro aut argento, aut lapidi, *nempe* sculpturæ artificiosæ & ab homine excogitatæ, numen esse simile.

30 Temporibus igitur istius ignorantiæ dissimulatis, Deus nunc denuntiat omnibus ubique hominibus ut resipiscant:

31 Eò quòd statuit diem quo justè judicaturus est orbem terrarum per eum virum quem definiit, fide palàm factâ omnibus, illo à mortuis excitato.

32 Quum audissent autem resurrectionem mortuorum: alii quidem cavillabantur; alii verò dicebant, Audiemus te rursus de hac re.

33 Et ita Paulus exivit è medio eorum.

34 Quidam verò ei adhæserunt & crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.

Tria hîc principaliter narrantur. Primùm, Paulum Athenis disseruisse de Christo: deinde ob eam causam persecutionem passum à quibusdam philosophis: postremò sermonem habuisse ad Areopagitas. Dissertatio Pauli declaratur primùm à causis impulsivis: videl. quòd spiritus ejus fuerit irritatus, quum conspiceret urbem idolis deditam, v. 16. Deinde à locis ubi, & à personis cum quibus disseruit: nempe tum in synagoga cum Judæis & religiosis, tum in foro cum quibusvis obviis, v. 17. Postremò ex eventu, videlicet persecutione philosophorum, v. 18. 19. & 20.

Persecutio illa declaratur per partes. 1. Conflictati sunt cum ipso. 2. Quidam per contumeliam nugatorem vocarunt. 3. Alii crimen capitale ei intentarunt, quòd videretur annuntiare peregrinos deos. 4. Traxerunt illum in Areopagum. 5. Ibi eum accusarunt novitatis doctrinæ: quæ accusatio sequenti sermoni causam præbuit. Cui sermoni præmittitur narratio de ingenio & more Atheniensium, v. 21. ut causa significetur, qui factum sit ut Paulum patienter audirent. Deinde sermo ipse recitatur. Postremò narrantur eventa. Cæterùm sermo ipse tribus partibus constat; exordio, propositione doctrinæ, & conclusione. Exordium continet narrationem casus qui Paulo Athenis acciderat, unde occasionem sumit veræ de Deo & cultu Dei doctrinæ proponendæ. Casus ille fuit, quòd Athenis invenerat aram cui inscriptum erat, IGNOTO DEO. Hujus casus narrationem amplificat corollario reprehensionis Atheniensium propter superstitionem: atque ita significat, opus eis esse institutione veræ religionis, v. 22. & 23. Propositio doctrinæ duo capita continet: unum, quisnam sit verus Deus: alterum ex priore deductum, quomodo verus Deus sit colendus. Summa est, Verum Deum esse illum solum qui fecit mundum, & proinde est cæli & terræ dominus: item qui omnibus hominibus dat vitam & halitum, & omnia: quique ex uno sanguine omne genus hominum condidit: qui illis orbem terrarum inhabitandum concessit: qui singulis dat vitam & motum, singulorumque substantiam conservat: ac proinde Deum non esse colendum per idola. Cæterùm doctrinam suam de Deo confirmat testimonio poëtæ Arati ex Phænomenis: quia judicabat, illud aliquid ponderis apud ipsos habiturum, ut eò faciliùs crederent veritati, v. 24. & deinceps. Conclusio continet exhortationem ad pœnitentiam: quam confirmat à fine, ut scilicet possint consistere in judicio Dei, v. 30. & 31. Eventa illius sermonis, ac nominatim extremæ clausulæ ubi mentionem fecerat resurrectionis mortuorum, narrantur quatuor, v. 32. & seq. 1. Quidam cavillati sunt. 2. Alii dixerunt, *Audiemus te rursus de hac re.* 3. Paulus exivit è medio eorum. 4. Quidam ei sese adjunxerunt, doctrinæque ejus crediderunt. Hoc postremum eventum illustratur indicatione exemplorum specialium duorum, v. ult.

SCHOLIA IN CAP. XVII.

1 Synagoga] ἡ συναγωγὴ. *Articulus hoc loco vim habet infinitam, ut nomen* τίς.

2 Paulus autem sicut consueverat, introivit.] κατὰ δὲ τὸ εἰωθὸς τῷ Παύλῳ, εἰσῆλθε. *Pro*, ὁ δὲ Παῦλος εἰσῆλθε κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ. *Hebraismus.*

3 Explicans] διανοίγων. *Ad verb.* Adaperiens. *Metaphora.* Ob oculos ponens] παρατιθέμενος. Er thate dar. Christum] τὸν χριστὸν. *Indefinitè dictum: ut Luc.24.26.*

4 Assensi sunt] ἐπείσθησαν. *Ad verb.* Persuasi sunt. *Metonymia efficientis.* Consociati sunt] προσεκληρώθησαν. *Adjuncti sunt quasi sorte lecti. Synecdoche speciei* χαλδαϊστική. Non paucæ] οὐκ ὀλίγαι. *Id est, plurima.* λιτότης.

5 Qui increduli erant] οἱ ἀπειθοῦντες. *Ut suprà 14.2.* Turbaverunt] ἐθορύβουν. Haben verunruhiget: *fecerunt ut tumultuaretur civitas.* μεταβατικῶς *usurpato verbo* θορυβεῖν: *quòd usitatiùs capitur* ἀμεταβάτως. Studebant] ἐζήτουν. *Ad verb.* quærebant.

6 Qui orbis terrarum statum subverterunt] οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες. *Vel*, qui orbem terrarum ad seditionem excitarunt. *Verbo* ἀναστατοῦν *deducto à nomine* ἀνάστασις, *quatenus eo significatur insurrectio, quum alii adversum alios insurgunt: pro quo usitatè dicitur* στάσις, *seditio.*

8 Alium] ἕτερον. *Nempe præter Cæsarem.*

9 Quum satis accepissent] λαβόντες τὸ ἱκανὸν. *Syrus*; Et acceperant fidejussores, *sive* sponsores: *qui scil fidejusserunt, quòd vellent se judicio sistere, si illi elaberentur.* Quum advenissent] παραγενόμενοι *Scil. Berœam.*

11 Sermonem] τὸν λόγον. *Scilicet Dei. Græcum expressius propter articulum.* Scrutantes] ἀνακρίνοντες. *Vel*, interrogantes. *Nisi fortè* ἀνακρίνοντες *positum est pro* συγκρίνοντες, *id est*, comparantes: *nempe comparantes scripturas cum doctrina Pauli, ut per illam collationem deprehenderent consensum, vel discrepantiam.*

12 Græcarum mulierum] τῶν ἑλληνίδων γυναικῶν. *Scil.* οὐκ ὀλίγαι. *Est enim hoc loco* ἀπὸ κοινοῦ.

13 Concitantes] σαλεύοντες. Quatientes, concutientes. *Metaphora ab ædificiis quæ concutiuntur vento.*

15 Qui verò Paulum susceperant tuto loco constituendum] οἱ δὲ καθιστῶντες τὸν Παῦλον. *Ad verb.* Qui constituebant Paulum. *Id est, in eo elaborabant ut constituerent, scilicet tuto loco. Metonymia effecti seu finis, & synecdoche generis. Vide annotationes D. Bezæ.*

16 Spiritus] τὸ πνεῦμα. *Id est, animus. Hebraismus.*

17 Religiosis] τοῖς σεβομένοις. *Proselytis nimirum. quod nomen additur suprà 13.43.*

18 Conferebant cum eo] συνέβαλον αὐτῷ. *Scilicet* λόγους, *id est, sermones. Ellipsis.* Blaterator] ὁ σπερμολόγος. *Vel*, Seminilega. *Tradit enim Eustathius, referente Henrico Stephano,* σπερμολόγους *Atticis nominari* τοὺς περὶ ἐμπόρια καὶ ἀγορὰς διατρίβοντας, *nimirum* διὰ τὸ ἀναλέγεσθαι τὰ ἐκ τῶν φορτίων ἀπορρέοντα, καὶ διὰ ζῆν ἐκ τούτων: *id est, eos qui in foro grana seu semina colligunt è saccis effusa, atque inde victum quærunt. Significantur ergo hoc nomine homines viles & contenti. Aliis placet, sic dici blateronem sive garrulum, per metaphoram, quòd similis sit avi quæ nominatur* σπερμολόγος, *Latinè frugilega: quia rostro refossa semina legit & depascitur.*

19 Areopagum] ἄρειον πάγον. *Quasi dicas, Martium collem. Erat curia sita non procul Acropoli. Vide annotationes D. Bezæ.* Prædicatur] λαλουμένη. *Loquendo proponitur.*

21 Aliquid novi] τι καινότερον. *Pro*, καινόν τι. *Comparativus pro positivo.*

22 Religiosiores] δεισιδαιμονεστέρους. Numinis metuentiores. *Nam dictus est* δεισιδαίμων, *quasi* δεδιὼς τὸ δαιμόνιον, *metuens numen. Aliàs valet superstitiosum.*

23 Pertransiens] διερχόμενος. *Scil.* τὴν πόλιν, *urbem.*

25 Alicujus rei egens] προσδεόμενός τινος. *Id est,* ὡς προσδεόμενός τινος, *tanquam alicujus rei egens.*

28 In ipso] ἐν αὐτῷ. *Id est, Per ipsum, seu virtute ipsius.* Nam hujus &c.] τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *Hemistichium hoc ex Phænomenis Arati sumtum est.*

29 *Nempe sculpturæ &c.*] χαράγματι. *Appositio* ἐξηγητική. *Quia commemoraverat solas materias: nunc declarat, se intelligere materias illas certâ figurâ informatas, id est, simulachra.* Sculpturæ artificiosæ & ab homine excogitatæ] χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου. *Ad verbum*, Sculpturæ artis (*seu* artificii) & cogitationis hominis. *Genitivi notantes causam efficientem.*

30 Dissimulatis] ὑπεριδὼν. *Græco verbo respondet Germanicum* überſehen: *ut quum dicimus,* Einem etwas überſehen/*item,* Einem durch die finger ſehen/ *quod Latini dicunt, alicui connivere.*

31 Justè] ἐν δικαιοσύνῃ. *Ad verb.* In justitia. *Periphrasis Hebraica.* Per eum virum] ἐν ἀνδρὶ. *Pro,* δι' ἀνδρὸς. *Hebraismus.* Quem definiit] ᾧ ὥρισε. *Pro,* ὅν ὥρισε. *Græcismus.*

34 Quidam verò] τινὲς δὲ ἄνδρες. *Ad verbum,* Quidam verò viri. *Synecdoche speciei Hebraica: ut liquet ex eo quòd mox inter illos qui crediderunt, commemoratur mulier quædam.*

OBSERVAT. EX CAP. XVII.

1 Ex v.2. *Disseruit cum eis ex scripturis.* Veritas doctrinæ Christianæ ex testimoniis scripturæ demonstranda est. *Doctrina Christiana.*

2 Ex v.3. *Oportuisse Christum pati & resurgere à mortuis.* Duo principalia doctrinæ Christianæ capita sunt: Christum esse passum propter peccata nostra, scil. expianda: & à mortuis resurrexisse propter justificationem nostri, scilicet demonstrandam. Rom.5.v.ult. Luc.ult.v.26.1.Cor.15.v.3.& 4. *Doctrina Christiana.*

3 Ex v.4. Verbum Dei nunquam frustra prædicatur: sed semper aliquos reperit qui assensum ei præbeant. *Verbū Dei.*

4 Ex v.5. & seqq. Diabolus semper aliquos excitat, qui se verbo Dei opponant, & doctores illius opprimere conentur. Non igitur est quòd hac re tanquam novâ & insolitâ nimis perturbemur. *Verbū Dei.*

5 Ex v.6. *Isti qui orbis terrarum statum subverterunt.* Hostes Evangelii culpam motuum ac seditionum, quæ exoriuntur ad illius prædicationem, conferunt in præcones illius, sed falsò ac immeritò. *Hostes evangelij.*

6 Ex v.7. *Regem alium dicentes esse.* Nihil novi est, si hostes Evangelii doctrinam illius calumniantur. *Hostes Evangelij.*

7 Ex v.10. Furori hostium Evangelii cedendum est, quum id fieri potest absque jactura gloriæ Dei. *Hostes Evangelii.*

8 Ex v.11. Quòd in eadem gente alii Evangelium promtè amplectuntur, alii respuunt: argumentum est adorandæ illius potestatis Dei: qua cujus vult, miseretur: & quem vult, indurat, Rom.9.18. *Evangeliū.*

9 Ex v.13. Habet etiam Satan zelotas suos: & eos quidem quos minimè oportuit. B. *Zelus.*

10 Ex v.14. Non est consilium, nec rabies contra Dominum. B. *Gubernatio Dei.*

11 Ex v.15. Decet pios, ut pastorum suorum saluti, quoad possunt, prospiciant. *Auditores Evangelij.*

12 Ex v.16. Pius zelus est, exacerbari propter idolorum cultum. *Zelus.*

13 Ex v.17. Nulla occasio dimittenda est lucrifaciendi aliquos Christo. *Officium hominis Christiani.*

14 Ex v.18. Religionem Christianam philosophi mundani irrident: politici verò mundani oderunt, quum animadvertunt eam receptæ idololatriæ adversari. *Religio.*

15 Ex v.21. Vanitas est, novis dicendis ac audiendis nimis intentum esse. Interim non est damnandum studium cognoscendi statum ecclesiæ in peregrinis locis, si hunc scopum habeat, ut vel cum gaudentibus gaudeamus, vel cum flentibus fleamus: id est, ut vel agamus Deo gratias pro statu fratrum secundo: vel pro eisdem oremus quum premuntur rebus adversis. *Nova.*

16 Ex v.23. Sapientis est, occasionem in religione rudes informandi arripere. *Religio.*

17 Ex v.24. & seq. Fundamentum veræ religionis est, ut credatur in Deum quatenus est creator mundi & conservator atque gubernator. Quo fundamento jacto, doctrina de salute per Christum parta, adjungenda est. *Religio.*

18 Ex v.28. Deus omnium motuum in hominibus causa prima est, quatenus scilicet motus sunt. Nam quatenus eis accidit ut sint peccata, eatenus diabolum & ipsam hominum voluntatem pro causis habent. *Gubernatio Dei.*

19 Ex v.28. Testimoniis humanis in doctrina Christiana, quæ quidem cum verbo Dei consentiunt, uti licet: quum spes est, nos eò faciliùs veritatem illis quibuscum loquimur, persuasuros. *Doctrina Christiana.*

20 Ex v.29. Deum figurâ aliquâ repræsentare nefas est: quia sic majestas ejus minuitur. Confer Rom.1.23. *Deus. Imagines.*

21 Ex v.30. Vetustas erroris errantes non excusat, sed Dei patientiam commendat: qui tamen futurus est justus contemtorum judex. B. *Error.*

22 Ex v.31. Notetur testimonium pro articulo fidei, Inde venturus est ad judicandum vivos & mortuos. *Judicium ultimum.*

23 Ex v.32. Quum resurrectio mortuorum rationi humanæ ridicula videatur: nostrum est, fidem nostram fulcire consideratione potentiæ ac voluntatis Dei, quarum hanc plurimis testimoniis in Scriptura patefecit. Confer Matth.22.29. *Resurrectio mortuorum.*

24 Ex v.34. Verbum Dei nunquam sine fructu prædicatur. *Verbum Dei.*

ANALYSIS CAP. XVIII.

ARGUMENTUM.

Tria hîc narrantur. Primùm, quid Paulus egerit ac perpessus sit Corinthi, usq; ad v.18. Deinde quid idem egerit rediens Antiochiam Syriæ, atq; illinc rursum abiens, à v.18. usq; ad 24. Postremò inseritur historia Pauli narratio de quodam Apollo, quid ille docuerit Ephesi, à v.24. usq; ad finem.

PRIMA PARS.

Quid Paulus egerit ac perpessus sit Corinthi.

POstea Paulus quum discessisset Athenis, vênit Corinthum:

2 Et reperto quodam Judæo, nomine Aquilâ, Pontico natione, qui nuper venerat ex Italia, & Priscilâ uxore

lâ uxore ejus (eò quòd edixisset Claudius ut omnes Judæi Româ excederent) venit ad eos:

3 Et quia ejusdem erat artificii, mansit apud eos, & operabatur: erat enim ars illorum, conficere tentoria.

4 Disserebat autem in synagoga omnibus sabbathis, & in sententiam suam adducebat tum Judæos tum Græcos.

5 Ut autem venerunt è Macedonia Silas & Timotheus, constringebatur spiritu Paulus, pergens testificari Judæis Jesum *esse* Christum.

6 Ipsis autem sese opponentibus, ac blasphemantibus, excussis vestibus dixit eis; Sanguis vester *esto* super caput vestrum: purus ego, ab hoc tempore ad Gentes proficiscar.

7 Et digressus illinc, introiit domum cujusdam, nomine Justi, colentis Deum, cujus domus erat confinis synagogæ.

8 Crispus autem, præfectus synagogæ, credidit Domino cum tota domo sua: Multique Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

9 Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo; Ne time, sed loquere, & ne tacueris.

10 Nam ego sum tecum, & nemo te invadet ut tibi malefaciat: quoniam populus est mihi multus in hac urbe.

11 Commoratus est itaque *illic* annum & sex menses, docens apud eos sermonem Dei.

12 Quum autem Gallio esset proconsul Achaiæ, insurrexerunt concorditer Judæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal,

13 Dicentes; Iste persuadet hominibus colere Deum contra Legem.

14 Paulo verò jam os aperturo, dixit Gallio Judæis; Si qua injuria esset, aut facinus malum, Judæi: quatenus æquum esset, vos tolerarem:

15 Sin verò quæstio est de sermone & nominibus & lege vestrate, ipsi videritis: judex enim ego istarum rerum esse nolo.

16 Et abegit eos à tribunali.

17 Prehensum autem omnes Græci Sosthenem, præfectum synagogæ, verberabant ante tribunal: neq; quicquam eorum Gallioni curæ erat.

Duo sunt principalia narrationis hujus membra. Primùm enim narrantur quæ Paulus Corinthi egit ac perpessus est ante proconsulatum Gallionis, usque ad v.12: deinde quæ ibi est perpessus sub illius consulatu, versibus reliquis. Quæ Paulus ante Gallionis proconsulatum Corinthi egit ac perpessus est, sunt hæc octo: Primò, conjunxit se cum Aquila & Priscilla, & unà cum illis artem suam exercuit, videlicet artem conficiendi tentoria, v.2. & 3. Hoc membrum illustratur expositione causæ qua moti Aquila & Priscilla Corinthum recens venerant, videlicet edicto Claudii Cæsaris, v.2. Secundò, disseruit in synagoga, v.4. Tertiò, constrictus fuit spiritu propter incredulitatem Judæorum, v.5. Quartò, contra blasphemantes Judæos excussit vestes, eisque judicium Dei denuntiavit, v.6. Quintò, digressus est in domum cujusdam Græci sive Gentilis, nomine Justi, v.7. Sextò, quidam doctrinam ipsius amplexi sunt, v.8. Septimò ipse per visum nocturnum à Domino confirmatus fuit contra odium incredulorum, v.9. & 10. Octavò, commoratus ibi, docuit sermonem Dei, v.11. Quæ perpessus est Paulus sub Gallione proconsule, sunt hæc quatuor. Primò, à Judæis incredulis cum tumultu adductus est ad tribunal, v.12. Secundò, accusatus est falsæ religionis, v.13. Tertiò, denegata est illi à proconsule apologia, v.14. & 15. Quartò, abactus est unà cum suis accusatoribus à tribunali, v.16. Denegatio illa illustratur expositione causæ: quia quæstio illa non conveniat suo foro. Quæ ipsa excusatio amplificatur antithesi quæstionum diversarum foro suo convenientium. Abactio illa amplificatur ex eventu, videlicet contumeliosa verberatione Sosthenis principis accusatorum per Græcos, eâque impuni, connivente Gallione.

SECUNDA PARS.

Quid Paulus egerit rediens Antiochiam Syriæ.

18 Paulus verò quum adhuc *illic* permansisset dies multos, valedicto fratribus, enavigavit in Syriam: & cum eo Priscilla & Aquila, quum totondisset caput Cenchreis: habebat enim votum.

19 Pervenit autem Ephesum, & eos ibi reliquit: ipse verò ingressus synagogam, disseruit cum Judæis.

20 Rogantibus autem ipsis ut diutius apud ipsos maneret, non annuit:

21 Sed valedixit eis, dicens, Oportet omnino me festum quod instat, agere Hierosolymis: sed iterum revertar ad vos, Deo volente. Et provectus est Epheso.

22 Quumque descendisset Cæsaream, ascendissetque *Hierosolymam*, ac salutasset ecclesiam, descendit Antiochiam.

23 Et quum egisset *illic* aliquantum temporis, abiit, peragrans ordine Galaticam regionem & Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

Narrationis hujus membra sunt decem: Primò, Paulus Antiochiam rediturus, valedixit fratribus qui erant Corinthi, v.18. Secundò, enavigavit in Syriam, ibid. Tertiò, cum eo profecti sunt Priscilla & Aquila, ibid. Quartò, caput totondit Cenchreis: cujus rei causa exponitur, quòd habuerit votum, ibid. Quintò, Ephesi Priscillam & Aquilam reliquit, v.19. Sextò, ibid. in synagoga cum Judæis disseruit, ibid. Septimò, recusavit apud illos manere, promisitque se ad eos reversurum, v.20. & 21. Octavò, Hierosolymæ salutavit ecclesiam, v.22. Nonò, Antiochiæ peregit aliquantum temporis, v.23. Decimò, inde abiens peragravit regionem Galaticam & Phrygiam, confirmans omnes discipulos, v.23.

TERTIA PARS.

Quid Ephesi docuerit Apollos.

24 Judæus autem quidam, Apollos nomine, Alexandrinus natione, vir eloquens, pervenit Ephesum, potens in scripturis.

25 Hic erat initiatus viâ Domini: & fervens spiritu, loquebatur & docebat accuratè ea quæ sunt Domini, sciens tantùm baptisma Johannis.

26 Cœpitq; liberè loqui in synagoga. Quem quum audissent Aquila & Priscilla, assumserunt eum, & exquisitiùs ei exposuerunt viam Dei.

27 Quum autem vellet transire in Achaiam, fratres *eum* adhortati, scripserunt discipulis ut exciperent eum: qui quum advenisset, multum contulit iis qui crediderant per gratiam.

28 Magna enim contentione Judæos magis ac magis redarguebat publicè, ostendens per scripturas, Jesum esse Christum.

Narrationis hujus membra sunt quinque. Primò, Apollos iste describitur à patria & adjunctis animi dotibus, v.24. Secundò, narratur quid Ephesi docuerit, nempe doctrinam de Christo quam tradiderat Johannes Baptista, v.25. Tertiò, narratur à quibus in cognitione doctrinæ Christianæ profecerit, vers.26. Quartò, quòd per epistolam à fratribus Ephesinis commendatus sit fratribus in Achaia, v.27. Quintò, quòd in Achaia ac nominatim Corinthi (ut colligitur ex collatione vers. primi capitis sequentis) multum contulerit fidelibus. disceptando cum Judæis, v.27. & 28.

SCHOLIA IN CAP. XVIII.

2 Eò quòd edixisset] διὰ τὸ διατεταχέναι. *Hinc* διατάξεις, *constitutiones seu edicta Imperatorum in Jure nominatæ sunt.*

3 Erat enim ars illorum conficere tentoria] ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. *Ad verb.* Erant enim confectores tentoriorum quod ad artem attinet. *Ante* τέχνην *subauditur* κατὰ. Sie waren Zeltenmacher.

4 In sententiam suam adducebat Judæos] ἔπειθε Ἰουδαίους. *Ad verb.* Persuadebat Judæis, *scil. doctrinam suam.*

5 E Macedonia] ἀπὸ τῆς Μακεδονίας. *Confer suprà 17. v.14. & 15.* Spiritu] τῷ πνεύματι. *Animo.* Pergens testificari] διαμαρτυρόμενος. *Verbo* pergendi *exprimitur vis præpositionis* διὰ. *Vel potiùs* Exactè testificans, *ut præpositio* διὰ *notet penetrationem controversiæ.* Jesum *esse* Christum] τὸν χριστὸν Ἰησοῦν. *Scilicet* εἶναι. *Quod verbum exprimitur infrà versu ultimo. Potest etiam exprimi articulus, ut dicatur,* Jesum esse Christum illum, *scilicet per prophetas promissum.*

6 Excussis vestibus] ἐκτιναξάμενος τὰ ἱμάτια. *Confer supr. 13. 51.* Sanguis vester *esto* super caput vestrum] τὸ αἷμα ὑμῶν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ὑμῶν. *Supple* ἔστω. *Imprecatio: qualis illa Matth.27.25. Quasi dicat: Deus peccatum vestrum capiti vestro quasi imponat, atque ita merito supplicio vos addicat. Phrasis videtur orta ex consuetudine Judæorum, apud quos solebant testes imponere manus capiti rei. quo ritu videtur significatum fuisse, testes peccatum de quo testabantur, quasi imponere capiti rei, atque ita eum supplicio consecrare: quemadmodum pecudes immolandæ*

ejusmodi manus impositione mactationi destinabantur, ut videre est Lev. 1.4. & 3.2. Item Exod. 29.10. Sanguis igitur alicujus dicitur imponi capiti ipsius, per metonymiam effecti: quia scilicet peccatum imponitur quo meritus est ut ipsius sanguis effundatur. Purus ego] καθαρὸς ἐγώ. *Id est, innoxius,* ἀθῷος. *Scilicet à sanguine vestro. hoc est, Ego nullam culpam sustineo exitii vestri. Sic infrà 20.26.*

7 Colentis Deum] σεβομένου τὸν Θεόν. *Id est, proselyti. Periphrasis.*

8 Domo] τῷ οἴκῳ. *Familiâ. Metonymia subjecti.*

10 Te invadet] ἐπιθήσεταί σοι. *Ad verb.* Superponet tibi. *Scilicet* τὰς χεῖρας, *manum. Ellipsis Græca.* Niemand wird hand an dich legen.

11 Commoratus est] ἐκάθισε. *Ad verb.* Consedit. *Metonymia effecti destinati.* Apud eos] ἐν αὐτοῖς. *Ad verb.* In eis: *Id est, inter eos.*

13 Contra legem] παρὰ τὸν νόμον. *Scilicet nostram ex collatione v.15. Permiserant enim Romani Judæis ipsorum religionem.*

14 Jam os aperturo] μέλλοντος ἀνοίγειν τὸ στόμα. *Confer suprà 8.35.* Quatenus æquum esset] κατὰ λόγον. *Ad verb.* Secundum rationem.

18 Dies multos] ἡμέρας ἱκανάς. *Ad verb.* Sufficientes. *Sic sæpe in hoc libro.*

21 Hierosolymis] εἰς Ἱεροσόλυμα. *Pro,* ἐν Ἱεροσολύμοις. *Heterosis Hebraica: qualis suprà 8.27.* Provectus est] ἀνήχθη. *Ut suprà 14.13.*

22 Antiochiam] εἰς Ἀντιόχειαν. *Receptum est ut Latinè pronuntietur* Antióchia *per i brevem in penultima. At ex ratione originis pronuntiandum erat* Antiochēa, *per e longam: sicut in principio versus,* Cæsaréa, *ex* Καισάρεια. *Idem judicandum de nomine* Alexandria.

23 Quum egisset *illic* aliquantum temporis] ποιήσας χρόνον τινά. *Vide suprà 15.33.*

25 Initiatus] κατηχημένος. *Vivâ voce institutus.* Viâ Domini] τὴν ὁδὸν τοῦ Κυρίου. *Subaudi* κατὰ. *Et intellige doctrinam de Domino, nempe de Christo. Metaphora Hebraica, & genitivus subjecti, nempe subjecti occupantis, sive objecti.* Spiritu] πνεύματι. *Animo. Sed alterum* ἐμφατικώτερον. Sciens] ἐπιστάμενος. *Quamvis sciret.* Baptisma Johannis] τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. *Id est, doctrinam de Christo quam Johannes tradiderat, & baptismate obsignaverat discipulis suis. Synecdoche metonymica.*

Viam Dei] τὴν τοῦ Θεοῦ ὁδόν. *Doctrinam de Deo. Metaphora, & genitivus objecti.*

27 Multum contulit iis &c.] συνεβάλετο πολὺ &c. *Id est, multùm adjuvit eos, multum adjumenti eis attulit.* Per gratiam] διὰ τῆς χάριτος. *Ambiguum est, an hæc verba regantur à participio* πεπιστευκόσι, *an à verbo* συνεβάλετο. *Syrus quidem posteriorem syntaxin sequutus est. Utraque veram sententiam gignit.*

OBSERVAT. EX CAP. XVIII.

Ministri verbi. 1 Ex v.3. Veri ministri adeò non quærunt quæ sua sunt, ut suo juri ultrò renuntient, potiùs quàm vel tantillum impediatur Evangelii progressus. B. Confer 1. Cor. 9. v. 15. & seq.

Ministri verbi. 2 Ex v.4. & 5. In Paulo proponitur ministris verbi exemplum sedulitatis. Confer etiam exemplum Christi Matth. 9. 35. Luc. 4. 43. Et rursus Pauli Rom. 15. v. 19. & seq.

Ministri verbi. 3 Ex v.6. Omnibus frustra tentatis, non desistendum ab opere: sed contumacibus omissis, ad morigeros transeundum. B.

Ministri verbi. 4 Ex v.9. & 10. Dominus constantiæ servorum suorum vindex & assertor est. B.

Electio divina. 5 Ex v.10. *Populus est mihi multus.* Notetur testimonium de electione divina. Confer Matth. 1. 21. Rom. 11. 2.

Impii. Gubernatio Dei. 6 Ex v.12. & seq. Impii malè agendo non defatigantur: sed Dominus eorum conatus miris modis irridet. B. Confer. Psal. 2.

Judex. 7 Ex v.14. Judicis civilis est, cognoscere de injuriis, & innocentes vindicare.

Judex. 8 Ex v.15. Sapientiæ est, detrectare judicium controversiæ quam non intelligas.

Judex. 9 Ex v.17. Peccat judex, qui ad manifestas injurias connivet.

Officium hominis Christiani. 10 Ex vers. 18. Exemplo Pauli debemus omnia fieri omnibus, ut multos Christo lucrifaciamus. Confer 1. Corinth. 9. v. 19. & seq.

Apostoli. 11 Ex v.20. Apostoli non hominum arbitrio, sed Spiritus S. ductu fuerunt circumacti. B.

Ecclesia. 12 Ex v.23. Non satis est, ecclesias plantare: sed oportet etiam confirmare.

Discendi studium. 13 Ex v.24. & seq. Neminem quantumvis doctum & disertum pudere debet, ut ea quæ nondum novit, discat etiam à vilis conditionis hominibus.

ANALYSIS CAP. XIX.

ARGUMENTUM.

Hîc narratur, quid Paulus egerit ac perpessus sit Ephesi, quum eò è Syria esset reversus. Sunt autem septem principales istius narrationis partes. 1. Quid egerit Paulus cum duodecim quibusdam rudibus discipulis. 2. Quomodo docuerit in schola Tyranni. 3. Quomodo doctrinam suam confirmarit miraculis. 4. Quomodo doctrina & miracula ipsius asserta sint contra septem exorcistas. 5. Quàm efficax fuerit doctrina ipsius in multis auditorum. 6. Propositum ejus proficiscendi Hierosolymam & Romam. 7. Tumultus contra ipsum & discipulos excitatus per Demetrium quendam fabrum argentarium.

PRIMA PARS.

Quid Paulus egerit cum duodecim quibusdam rudibus discipulis.

Factum est autem interim dum Apollos esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum: ubi quum discipulos quosdam invenisset.

2 Dixit eis; Num Spiritum sanctum accepistis posteaquam credidistis? At illi dixerunt ei, Imò ne *hoc* quidem audivimus, an sit Spiritus sanctus.

3 Tunc dixit eis, In quid ergo baptizati estis? At illi dixerunt, in Johannis baptisma.

4 Dixit autem Paulus; Johannes quidem baptizavit baptismate resipiscentiæ, dicens populo, ut in eum qui venturus erat post ipsum, crederent, hoc est, in Christum Jesum.

5 Quum autem hæc audivissent, baptizati sunt in nomen Domini Jesu.

6 Et quum imposuisset eis manus Paulus, venit Spiritus sanctus in eos: & loquebantur linguis, & prophetabant.

7 Erant autem omnes isti viri circiter duodecim.

Summa est, quòd Paulus discipulos illos erudiverit de doctrina Christiana, atque ita eis persuaserit ut iterum baptizarentur, quum non fuissent rectè baptizati: deinde quòd in eos contulerit donum linguarum & prophetandi. Primum autem narratur, ubi tum fuerit Apollos quum Paulus venit Ephesum: nempe Corinthi, v.1. quo videtur commendari bonitas ac providentia Dei: qui fidelibus Corinthiis per alium idoneum doctorem prospexerit, dum Paulo ibi agere non liceret. Deinde narratur, quomodo Paulus ruditatem istorum discipulorum cognoverit, nempe ex absurdo eorum responso duplici. Primùm enim interrogati, an accepissent Spiritum sanctum (id est, donum linguarum & prophetandi) quum recèns fidem Christianam amplexi essent: respondent, ne hoc quidem se audivisse an sit Spiritus sanctus, v.2. Quæ sanè magna erat ruditas in illis qui se profitebantur discipulos: quum discipuli solerent baptizari in nomen Dei Patris & Filii & Spiritus sancti. Deinde iterum interrogati, in quid ergo baptizati sint: respondent, In baptisma (id est, in doctrinam) Johannis, v.3. Id quod ab illis affirmabatur absurdè; quum doctrinam Johannis non tenerent: sicut apparet ex eventu. quippe posteaquam à Paulo de doctrina Johannis essent informati, Johannem videlicet docuisse, Jesum illum Nazarenum esse Christum: tum demum baptizantur in nomen illius, v.4. & 5. Collatio doni linguarum illustratur ex modo agendi, videlicet impositione manuum, v.6.

SECUNDA PARS.

Quomodo Paulus docuerit in schola Tyranni.

8 *Ipse* porrò ingressus synagogam, liberè loquebatur, ad tres menses disserens & suadens quæ ad regnum Dei *pertinent.*

9 Quum autem quidam indurarentur, & parêre nollent, malè loquentes de via illa apud multitudinem; abscedens ab illis, separavit discipulos, quotidie disserens in schola Tyranni cujusdam.

10 Hoc autem factum est per biennium: *ita* ut omnes qui habitabant in Asia, tum Judæi tum Græci, audirent sermonem Domini Jesu.

Tria hîc indicantur. Primùm causa impulsiva, quæ Paulum movit ut in schola Tyranni doceret, nempe quòd videret se nihil proficere disserendo in synagoga, propter contumaciam & blasphemias quorundam, v.8. & 9. Deinde indicatur tempus, quamdiu illa institutio duraverit, nempe per biennium, v.10. Postremò indicantur auditores seu discipuli qui in illam scholam convenire sunt soliti, nempe omnes qui habitabant in Asia, tum Judæi tum Græci: quotquot scilicet volebant Paulum docentem audire, eodem versu.

TERTIA PARS.

Miracula Pauli Ephesi edita.

11 Virtutesque non vulgares edebat Deus per manus Pauli:

12 *Ita* ut etiam ad ægrotos deferrentur à corpore ejus sudaria seu semicinctia, & discederent ab eis morbi, & spiritus mali ab eis exirent.

Miracula

Miracula Ephesi per Paulum edita, narrantur in genere: eaque duplicis generis: videlicet sanatio ægrotorum & ejectio malorum spirituum. Et utrumq; genus illustratur à modo agendi, videlicet impositione sudariorum sive semicinctiorum quæ contacta fuerant à corpore Pauli.

QUARTA PARS.

Assertio doctrinæ & miraculorum Pauli.

13 Aggressi sunt verò quidam ex circulatoribus Judæis exorcistis nominare super eos qui habebant spiritus malos, nomen Domini JESU, dicentes; Adjuramus vos per JESUM quem Paulus prædicat.

14 Erant autem quidam filii Scevæ Judæi primarii sacerdotis septem, qui hoc faciebant.

15 Respondens verò spiritus malus, dixit; Jesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis?

16 Et insiliit in eos homo in quo erat spiritus malus, & superatis illis, invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent ex domo illâ.

17 Id verò innotuit omnibus tum Judæis tum Græcis qui habitabant Ephesi: & incidit timor in eos omnes, & magnificabatur nomen Domini Jesu.

Assertio doctrinæ & miraculorum Pauli posita fuit in vulneratione septem exorcistarum ab homine dæmoniaco è quo conabantur spiritum malum ejicere, adjurando illum per Jesum quem Paulus prædicabat. Hinc enim apparuit, illos non esse servos Dei: servum verò Dei esse Paulum; quippe quo imperante, mali spiritus ex obsessis exibant.

QUINTA PARS.

Efficacia doctrinæ Pauli.

18 Et multi eorum qui crediderant, veniebant confitentes & indicantes facta sua.

19 Multi verò ex iis qui curiosa ista exercuerant, comportatos libros combusserunt in omnium conspectu: quorum supputatis pretiis, repererunt denariorum quinquaginta millia.

20 Ita fortiter crescebat sermo Domini & invalescebat.

Duo fructus doctrinæ Pauli hîc narrantur: confessio peccatorum & exustio noxiorum librorum. Quæ exustio amplificatur à causa corrumpente, quæ scilicet illam poterat impedire. Ea fuit magnitudo pretii librorum illorum.

SEXTA PARS.

Propositum Pauli proficiscendi Hierosolymam & Romam.

21 His autem expletis, induxit in animum Paulus, peragratâ Macedoniâ & Achaiâ proficisci Hierosolymam, dicens; Postquam fuero illic, oportet me etiam Romam videre.

22 Missis autem in Macedoniam duobus ex iis qui ministrabant ei, *videl.* Timotheo & Erasto; ipse substitit ad tempus in Asiâ.

Primùm significatur propositi istius causa impulsiva, ubi dicitur, *His autem expletis.* Nempe quòd judicabat Paulus, suâ præsentiâ non tantopere posthac fore opus Ephesi: quum videret, doctrinam suam tantos fructus tulisse. Deinde indicatur via per quam iter illud voluit facere, nempe per Macedoniam & Achaiam: quo innuitur, propositum ei fuisse in transitu invisere ecclesias in illis regionibus à se plantatas. Postremò indicatur, quomodo se cœperit ad iter illud præparare, præmissis in Macedoniam duobus ex ministris suis.

SEPTIMA PARS.

Tumultus contra Paulum excitatus per Demetrium fabrum argentarium.

23 Ortus est autem illo tempore tumultus non parvus ob viam illam.

24 Nam quidam nomine Demetrius signator argenti, qui faciebat templa Dianæ argentea, præbebat artificibus non parvum quæstum.

25 Quibus ille congregatis, & istiusmodi rerum opificibus, dixit; Viri, scitis, ex hoc quæstu nostras esse copias:

26 Et spectatis & auditis, Paulum istum non solùm Ephesinam, sed propè totius Asiæ multam turbam persuadendo avertisse, quòd dicat, deos illos non esse qui manibus fiant.

27 Non solùm autem periculum est, ne istud quod nobis est peculiare, nobis probrosum evadat: sed etiam ne magnæ deæ Dianæ templum pro nihilo putetur, futurumque sit ut etiam destruatur majestas ejus; quam tota Asia & orbis colit.

28 *His* autem auditis, pleni excandescentiâ, clamaverunt dicentes; Magna *est* Diana Ephesiorum.

29 Et impleta est civitas tota confusione: & irruerunt concorditer in theatrum, correpto Gaio & Aristarcho Macedonibus, sociis peregrinationis Pauli.

30 Paulo verò volente prodire ad populum, non siverunt eum *prodire* discipuli.

31 Sed & quidam ex Asiarchis quum essent ei amici, *nuntiis* ad eum missis, rogarunt ne se daret in theatrum.

32 Alii igitur aliud clamabant. erat enim concio illa confusa, & plerique nesciebant cujus *rei* causâ convenissent.

33 Ex turba verò produxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander igitur manu silentio facto volebat causam dicere apud populum.

34 Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox exstitit una ab omnibus, quasi ad horas duas clamantibus, Magna *est* Diana Ephesiorum.

35 Tum scriba quum repressisset turbam, dixit; Viri Ephesii, quisnam est hominum qui nesciat Ephesiorum urbem æredituam esse magnæ deæ Dianæ, & à Jove delapsi simulacri?

36 Quum igitur istis non possit contradici; oportet vos sedatos esse, nec quicquam præceps facere.

37 Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque contumeliosos in deam vestram.

38 Quòd si Demetrius & qui cum eo sunt artifices, negocium habent cum aliquo; agitur forum, & proconsules sunt, alii alios in jus vocent:

39 Si quid autem de rebus aliis requiritis, in legitima concione explicabitur.

40 Nam periculum est ne postulemur seditionis propter *diem* hodiernum, quum nulla subsit causa, ob quam possimus reddere rationem concursus istius. Et quum hæc dixisset, dimisit concionem.

Duo principaliter hîc narrantur: tumultus & sedatio tumultus. Tumultus narratur usq; ad v.34. Sedatio versibus reliquis. Narrationi tumultus præmittitur propositio generalis, v.23. ubi indicatur tumultus occasio seu causa impulsiva, nempe *ob viam Domini*, id est, ob doctrinam Pauli de salute consequendâ per fidem in Jesum Christum. Deinde verò in narratione speciali describitur primùm author tumultus, v.24. Deinde sermo quo tumultum excitavit, à v.25. ad 28. Tum sermonis illius effectus, videlicet ipse tumultus, v.28. & 29. Postea adduntur eventa alia; videl. quòd Paulus voluit prodire ad populum, compescendi scil. tumultus causâ: sed quòd fuerit prohibitus à discipulis, v.30. Item à primoribus Asiæ, v.31. Versu autem 32. repetitur narratio tumultus: & postea annectuntur eventa alia: nempe productio Alexandri tanquam unius è sociis Pauli, v.33. Prohibitio illius ne sermone se defenderet, v.34. Sedatio tumultus effecta fuit per sermonem scribæ: qui illos à tumultu ac seditione dehortatur tribus argumentis. Primùm, quòd non habeant tumultuandi causam: quum nemo sit qui ipsorum pronuntiato de cultu Dianæ contradicat, v.35.36. & 37. At hoc erat falsum: contradicebat enim Paulus & omnes qui Ephesi erant Christiani. Deinde quòd possint agere legitimè, si quid contra aliquem habeant, aut si quid aliud requirant, v.38. & 39. Postremò quòd periculum sit, ne postulentur apud Cæsarem seditionis, v.40.

SCHOLIA IN CAP. XIX.

2 Spiritum sanctum] πνεῦμα ἅγιον. *Id est, donum loquendi linguis & prophetandi, ex collatione v.6. Metonymia efficientis, ut suprà 10. v.44. & 47.* Ne hoc quidem &c.] ἀλλ' οὐδὲ &c. *Quasi dicant, Ne dum ut acceperimus Spiritum sanctum.*

3 In quid ergo baptizati estis?] εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; *quasi dicat: Miror, vos ne an sit quidem Spiritus sanctus, audivisse: quum qui Christo nomen dant, ejusq; discipulos se profiteri incipiunt, baptizari soleant in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti: quo fit ut Spiritum S. esse, ignorare non possint; quippe de quo antea fuerunt edocti. Quum igitur vos hoc ignoretis: quæro, in quid sitis baptizati, id est, in quam doctrinam sive religionem? in cujus doctrinæ religionis ve obsignationem?* In Johannis baptisma]

εἰς τὸ Ἰωάννε βάπτισμα. *Id est, in Johannis doctrinam, à Johanne scilicet traditam, & baptismo obsignatam. Metonymia adjuncti. Quod ipsum Paulus mox tanquam falsum refutat. Unde videntur ab aliquo discipulo Johannis baptizati fuisse, idq; non rectè: quia non in nomen Jesu quem prædicaverat Johannes, sed in nomen Johannis. nam fuisse ejusmodi discipulos Johannis qui Johanni honorem Christi tribuerent, satis liquet ex Johan. 3.26. & seq.*

4 Johannes quidem &c.] Ἰωάννης μὲν &c. *Hæc est syllogismi propositio. Assumtio est subaudienda: nempe,* At vos non estis baptizati in nomen Jesu Christi. Baptismate] βάπτισμα. *Subaudiendum* τό.

5 Quum autem hæc audivissent] ἀκούσαντες δέ. *Nempe duodecim illi discipuli quos Paulus alloquebatur. Nam ut hoc referatur ad auditores Johannis: quasi hæc adhuc sint verba Pauli, per mimesin recitata: ratio loquendi nequaquam admittit. Dicendum enim fuisset,* οἱ δὲ ἀκούοντες ἐκείνε, *vel potius,* οἱ δὲ ἀκηκοότες ἐκείνε: *id est,* Qui verò audiverunt illum. *Nam si maximè diceretur,* οἱ δὲ ἀκούσαντες: *tamen stylus Lucæ in hoc libro postularet exponi* οἱ δὲ *per* αὐτοὶ δὲ. *Exempla loqutionis prioris, sine scilicet articulo, vide supr. 2.37. & 5.21. item 33. & 11.18. & 17.32. Item infrà hoc cap. v. 28. & 22.2. Exempla posterioris loqutionis, cum articulo scilicet vide suprà 5.33. & 4.23. & infrà 21.20. Eadem syntaxis confirmatur ex verbis proximè seqq.* Et quum imposuisset eis manus Paulus. *Nempe eis quorum proximè facta mentio; qui scilicet fuerunt baptizati in nomen Jesu. At Paulus non imposuit manus auditoribus Johannis, sed istis duodecim discipulis. Ergo iidem sunt de quibus dicitur,* Quum audivissent hæc. *Scilicet quæ dixerat eis Paulus. Nec verò necesse est ut conjunctio* δὲ *è regione respondeat conjunctioni* μὲν *in principio versus præcedentis: quum nihil vetet quin sit sermo* ἀνανταπόδοτος, *& conjunctio* δὲ *sit transitiva: sicut & in locis illis paulò antè annotatis.* In nomen Domini Jesu] εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίε Ἰησοῦ. *Hinc colligitur, antea baptizatos fuisse non in nomen Jesu, sed in nomen Johannis: putantes illum esse Christum.*

6 Spiritus sanctus] τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Ut suprà v. 2.* Et loquebantur &c.] ἐλάλεν τε &c. *Nempe ex afflatu Spiritus sancti.* Prophetabant] προεφήτευον. *Sermone prophetico ac divino pronuntiabant mysteria religionis Christianæ.*

7 Duodecim] δεκαδύο. *Pro,* δώδεκα.

9 De via illa] τὴν ὁδὸν. *Id est, de doctrina illa, nempe Christiana. Confer suprà 18.25.* Tyranni] Τυράννε. *Omnino videtur hic esse nomen proprium.*

10 Sermonem Domini Jesu] τὸν λόγον τοῦ Κυρίε Ἰησοῦ. *Id est, de Domino Jesu. Genitivus subjecti, seu objecti.*

11 Virtutes] δυνάμεις. *Id est, miracula.*

12 Et discederent ab eis morbi] καὶ ἀπαλλάσσεσθαι ἀπ' αὐτῶν τὰς νόσους. *Id est,* Et liberarentur ab eis morbi. *Pro,* καὶ ἀπαλλάσσεσθαι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν νόσων; *id est,* Et ipsi liberarentur à morbis. *Hypallage.*

16 Superatis illis] κατακυριεύσας αὐτῶν. **Er ward jhrer mächtig/Er überwältigte sie/Er übermäisterte sie.**

19 Denariorum quinquaginta millia] ἀργυρίε μυριάδας πέντε. *Ad verb.* Argenti myriades quinque. *Vide annotationes D. Bezæ.*

20 Crescebat sermo Domini] ὁ λόγος τοῦ Κυρίε ηὔξανε. *Ut suprà 12.24.*

21 His autem expletis] ὡς δὲ ἐπληρώθη ταῦτα. *Id est, peractis. Phrasis Hebræa.* Induxit in animum] ἔθετο ἐν τῷ πνεύματι. *Ad verb.* Posuit in spiritu. *Phrasis. Hebr. Sic enim Hebræi dicunt,* Ponere super cor suum.

22 Substitit] ἐπέσχε. *Ad verb.* Inhibuit. *Scilicet susceptam profectionem.* Ad tempus] χρόνον. *Id est,* καὶ χρόνον τινά. In Asia] εἰς τὴν Ἀσίαν. *Pro,* ἐν τῇ Ἀσίᾳ: *nempe Ephesi, ut liquet ex sequente historia.*

23 Non parvus] οὐκ ὀλίγος. *Id est, maximus.* Λιτότης. Ob viam illam] περὶ τῆς ὁδοῦ. *Ut suprà v. 9.*

24 Signator argenti] ἀργυροκόπος. **Ein goldschmidt oder müntzer.** Faciebat templa argentea] ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς. *Nempe parvula. Vel, templa istiusmodi inprimebat nummis quos percutiebat. Vide annotationes D. Bezæ.*

26 Multam turbam] ἱκανὸν ὄχλον. *Ad verb.* Sufficientem turbam. *Phrasis Lucæ familiaris in hoc libro.*

27 Probrosum evadat] εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν. *Ad verb.* In refutationem sive increpationem veniat.

31 Ex Asiarchis] τῶν Ἀσιαρχῶν. *Vide annotationes D. Bezæ.*

32 Concio illa] ἡ ἐκκλησία. *Conventus ille civium qui in theatrum confluxerant, v. 29. Articulus est ἀναφορικός.*

33 Produxerunt] προεβίβασαν. *Impersonaliter dictum. Produxerunt aliqui: seu productus fuit Alexander.* Manu silentio facto] κατασείσας τὴν χεῖρα. *Ad verb.* Quum decussisset manum. *Vide suprà 13.16. & 12.17.* Causam dicere] ἀπολογεῖσθαι. *Defendere se sermone.*

34 Ab omnibus] ἐκ πάντων. *Pro,* ὑπὸ πάντων, *vel,* ἀπὸ πάντων.

37 Homines] ἄνδρας. *Viros.*

38 Negotium] λόγον. *Ad verb.* Sermonem. *Hebraismus, ut suprà 8.21.* Agitur forum] ἀγοραῖοι ἄγονται. *Fortasse legendũ,* ἀγοραῖαι ἄγονται: *i.e.* fasti dies aguntur. **Es werden gerichstage gehalten.**

40 Propter diem hodiernum] περὶ τῆς σήμερον. *Scil.* ἡμέρας.

OBSERVAT. EX CAP. XIX.

1 Ex v. 2. Primis illis ecclesiæ Christianæ temporibus multi qui recens fidem Christianam erant amplexi, donabantur à Deo facultate loquendi variis linguis & prophetandi, id est, mysteria regni cælorum per afflatum Spiritus sancti enuntiandi: ut Evangelii doctrina hoc modo & commendaretur & faciliùs propagaretur. *Doctrina Evangelij.*

2 Ex v. 3.4.5. Si accidat ut quis non rectè baptizetur, is pro non baptizato habendus est, ac proinde si Ecclesiæ Christianæ membrum haberi velit, rectè baptizandus est. Rectè autem baptizatur, qui baptizatur in nomen Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, id est, in doctrinam de vero Deo in sacris literis traditam: idque ab aliquo verbi divini ministro. *Baptismus.*

3 Ex v. 9. Qui legitimè ad docendum Evangelium sunt vocati, si veritatem illius non possint persuadere omnibus, sed immorigeros aliquos experiantur: abscedere ab illis debent, & discipulos separare, exemplo Pauli. Istud quum fecerint patrum nostrorum memoriâ Lutherus & Zwinglius: immeritò à Pontificiis tanquam schismatici atque hæretici accusantur & damnantur. *Ministri verbi.*

4 Ex v. 11. & 12. Quum doctrina à Paulo prædicata (quam eandem in suis quoq; epistolis hauddubiè tradidit) miraculis divinis sit confirmata: non licet de illius veritate dubitare. Quam doctrinam qui retinent & Ecclesiæ tradunt, ab illis nullo jure miracula nova postulantur. *Doctrina Pauli.*

5 Ex v. 13. & seq. Notandum exemplum vindictæ divinæ in eos qui sancto ipsius nomine abutuntur. *Nominis divini abusus.*

6 Ex v. 18. Vera in Christum fides confessionem delictorum ex se parit ad gloriam Dei & ædificationem Ecclesiæ. *Fides.*

7 Ex v. 19. Libri perniciosi comburendi sunt, nullâ habitâ ratione pretii eorum. *Libri perniciosi.*

8 Ex v. 21. In Paulo proponitur ministris verbi exemplum studii ac zeli in propagando regno Dei. *Zelus.*

9 Ex v. 23. & seq. Quæstus vera causa est idololatriæ pertinaciter defendendæ: sed hæc ab idololatris palliari solet prætextu pietatis. B. *Idololatria.*

10 Ex v. 30. & 31. Invicta quidem constantia decet verbi ministros: sed quæ tamen sanctâ prudentiâ modestè se regi patiatur. B. *Ministri verbi.*

11 Ex v. 34. Idololatris pro omni ratione sufficiunt rabies & clamores. B. *Idololatræ.*

12 Ex v. 35. & seq. Hominis politici exemplum, mendaciis pacem redimentis. B. *Politici.*

ANALYSIS CAP. XX.

ARGUMENTUM.

Quatuor hîc narrantur. Primùm, quibus itineribus Paulus Epheso venerit Troadem, usq; ad v. 7. Deinde quid Troade egerit, à v. 7. usq; ad 13. Tum quibus itineribus Troade venerit Miletum, à v. 13. usq; ad 17. Postremò quid egerit Mileti, à v. 17. usque ad finem.

PRIMA PARS.

Quibus itineribus Paulus Epheso venerit Troadem.

POstquam verò cessavit tumultus; Paulus quum advocasset discipulos, & complexus esset, abiit profecturus in Macedoniam.

2 Quum autem illas partes peragrasset, & hortatus illos fuisset multo sermone, vênit in Græciam.

3 Et *ibi* commoratus menses tres: quum ei in Syriam provehendo factæ fuissent à Judæis insidiæ, censuit revertendum per Macedoniam.

4 Comitabatur autem eum usque in Asiam Sopater Berœensis: ex Thessalonicensibus verò, Aristarchus, & Secundus, & Gajus Derbæus, & Timothæus: Asiani verò, Tychicus & Trophimus.

5 Hi quum præivissent, exspectarunt nos Troade:

6 Nos verò enavigavimus Philippis post dies azymorum, & venimus ad eos Troadem intra dies quinque, ubi egimus dies septem.

ITinera fuerunt hæc. 1. Epheso profectus est in Macedoniam. 2. Ex Macedonia vênit in Græciam. 3. Volebat ex Græcia rectà pergere in Syriam: sed propter insidias Judæorum reversus est in Macedoniam. 4. Ex Macedonia rediit in Asiam, ac vênit Troadem. Hic enumerantur comites qui se ei in Macedonia adjunxerunt, v. 4. Indicatur quoque tempus quo Philippis Troadem profectus fuit Paulus, & quo Troade commoratus fuit, vers. 6.

SECUNDA PARS.

Quid Paulus egerit Troade.

7 Primo autem die hebdomadis quum congregati essent discipuli ad frangendum panem; Paulus sermonem

monem habebat ad eos, abiturus postridie: produxitque sermonem in mediam usque noctem.

8 Erant verò lucernæ multæ in cænaculo ubi erant congregati.

9 Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus in fenestra, demersus somno profundo, quum diutiùs dissereret Paulus, præ somno deturbatus, decidit ex tertia contignatione deorsum: & sublatus est mortuus.

10 Paulus autem quum descendisset, prolapsus est in eum: & *eum* complexus dixit; Ne tumultuamini: anima enim ejus in ipso est.

11 Quum igitur ascendisset, fregissetque panem, & cibum cepisset ac gustasset, diu colloquutus usque ad diluculum, ita *demum* profectus est.

12 Adduxerunt autem puerum vivum, & recreati sunt non mediocriter.

Quatuor hîc acta Pauli narrantur. Primùm habuit sermonem ad discipulos, v.7. & 8. Deinde Eutychum ex casu mortuum vitæ restituit, v.9. & 10. Tum panem fregit, id est, cænam Domini cum discipulis celebravit, v.11. Postremò diu cum eis collocutus usque ad diluculum, abiit. Excitatio Eutychi amplificatur ab eventu, v.12.

TERTIA PARS.

Quibus itineribus Paulus Troade venerit Miletum.

13 Nos verò progressi ad navem, provecti sumus Asson, illinc recepturi Paulum. sic enim mandarat, pedibus ipse iter facturus.

14 Ut autem conjunxit *sese* nobiscum apud Asson; recepto eo venimus Mitylenen.

15 Et quum illinc abnavigassemus, sequenti die pervenimus è regione Chii: postridie verò appulimus Samum: & quum diversati essemus apud Trogillium, sequenti die venimus Miletum.

16 Decreverat enim Paulus præternavigare Ephesum, ne ei contingeret tempus terere in Asia. Festinabat enim, si possibile ei esset, ut die Pentecostes esset Hierosolymis.

Itinera sunt hæc: 1. Troade vênit Asson. 2. Asso vênit Mitylenen. 3. Mitylene vênit contra Chium. 4. Chio vênit Samum. 5. Samo vênit Trogyllium. 6. Trogyllio vênit Miletum. V.16. exponitur causa cur Paulus non redierit Ephesum, quum jam tam propè inde abesset.

QUARTA PARS.

Quid Paulus egerit Mileti.

17 Missis autem Mileto *nuntiis* Ephesum, accersivit presbyteros ecclesiæ.

18 Qui quum ad ipsum venissent, dixit eis; Vos scitis, quomodo à primo die quo ingressus sum Asiam, vobiscum per id omne tempus fuerim:

19 Serviens Domino cum omni modestia, & multis lacrymis ac tentationibus, quæ mihi evenerunt ob insidias Judæorum:

20 Ut nihil subterfugerim eorum quæ *vobis* conducerent, quo minùs *ea* vobis annuntiarem, & docerem vos publicè & domatim:

21 Testificans Judæis simul & Græcis conversionem ad Deum, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.

22 Et nunc ecce, ego vinctus spiritu, proficiscor Hierosolymam, ignorans quæ in ea mihi occurrent:

23 Nisi quòd Spiritus sanctus oppidatim testificatur, dicens, vincula & afflictiones me manere.

24 Sed nullius rei habeo rationem, neq; vita mea mihi ipsi cara est, ut peragam cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi à Domino Jesu, ad testificandum evangelium gratiæ Dei.

25 Et nunc ecce, ego scio non ampliùs visuros faciem meam ullos ex vobis omnibus, per quos transivi prædicans regnum Dei.

26 Ideo testor vobis hodierno die, me purum esse à sanguine omnium.

27 Non enim subterfugi quo minùs annuntiarem vobis omne Dei consilium.

28 Attendite igitur vobis ipsis, & toti gregi in quo vos Spiritus sanctus constituit episcopos, ad pascendam ecclesiam Dei, quam proprio illo sanguine acquisivit.

29 Ego enim hoc novi, post discessum meum lupos graves, non parcentes gregi, ingressuros esse in vos:

30 Et ex vobis ipsis exorituros qui loquantur perversa, ut discipulos post se abstrahant.

31 Ideo vigilate, memores, me per triennium nocte & die non cessasse cum lacrymis monere unumquemque.

32 Et nunc quoque, fratres, commendo vos Deo & sermoni gratiæ ipsius: qui potest vos superstruere, & dare vobis hæreditatem inter sanctificatos omnes.

33 Argentum aut aurum aut vestem nullius concupivi.

34 Imò ipsi nostis, usibus meis, & iis qui mecum sunt, manus istas ministrasse.

35 In omnibus ostendi vobis, oportere sic laborando suscipere infirmos, & meminisse verborum Domini Jesu, ipsum *videlicet* dixisse; Beatum est dare potiùs quàm accipere.

36 Et quum hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum illis omnibus.

37 Magnus autem fletus omnium ortus est: & ruentes in collum Pauli, deosculabantur eum.

38 Cruciati maximè ob sermonem quem dixerat, ipsos non esse ampliùs faciem ejus conspecturos: & deduxerunt eum ad navim.

Tria hîc narrantur quæ Mileti egit Paulus. Primùm accersivit eò presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ, v.17. Deinde valedixit eis, à v.18. usque ad 36. Postremò oravit cum eis, v.36. Sermo quo eis valedixit, quatuor principalia continet membra: commemorationem vitæ suæ apud ipsos actæ, prædictionem rerum sibi eventurarum, exhortationem ad vigilantiam pro salute ecclesiæ sibi commissæ, & valedictionem ipsam. Horum membrorum primum proponitur partim in principio sermonis, v.18.19. 20. & 21: partim in medio, v.26. & 27: partim denique in extremo v.33.34. & 35. Secundum membrum continetur à v.22. usque ad 26. Tertium continetur à v.28. usque ad 32. Quartum v.32. Commemorationem suæ vitæ confirmat testimonio conscientiæ ipsorum, v.18. Commemorat autem tum ea quæ ad mores, tum ea quæ ad functionem apostolatus pertinent. De moribus suis commemorat virtutes quatuor: modestiam, patientiam, puritatem ab avaritia, & sedulitatem in laborando ad parandum sibi suisque victum, v.19.33. & 34. De functione apostolatus commemorat hæc: studium gloriæ Domini, ubi ait, *se servivisse Domino*, v.19. deinde fidelitatem in docendo, v.20. & 27. tum assiduitatem in docendo, v.20. & 31. (Cæterùm v.21. summam doctrinæ à se propositæ indicat, duobus capitibus constantem, pœnitentiæ & fidei.) Postremò studium lucrifaciendi infirmos, v.35. Quod suum studium amplificat corollario exhortationis, qua illos hortatur ad exemplum suum imitandum. Et exhortationem illam ampliùs confirmat ab adjuncta beatitudine: quòd beatum sit dare potiùs quàm accipere. Quod ipsum pronuntiatum testimonio Christi confirmat. Atque hæc de primo membro. Jam prædictio rerum sibi eventurarum duas partes habet. Primùm enim prædicit, se Hierosolymis manere vincula & afflictiones; deinde ipsos non ampliùs visuros faciem suam id est, se non ampliùs ad ipsos rediturum, v.35. Priorem prædictionem partim declarat, partim confirmat, partim denique amplificat. Declarat antithesi, ubi ait, *se ignorare quæ sibi occursura sint Hierosolymis*, v.22. nempe quæ afflictiones in specie. Vult dicere, se ignorare an ibi supplicio capitis afficiendus sit. Confirmat prædictionem vinculorum, testimonio Spiritus sancti: sive hoc intelligat de revelationibus arcanis ipsimet factis, sive de illis quæ fiebant aliis de ipso: cujus rei exemplum occurret infr. cap.21. v.10. & 11. Amplificat autem hanc prædictionem partim ex eventu inopinato, ubi ait, *se paratum esse ad vitam amittendum propter gloriam Christi & salutem Ecclesiæ*, vers. 24. Partim verò corollario protestationis sive obtestationis, vers. 26. ubi protestatur se in culpa non esse, si quis ex eis quos Ephesi & in reliqua Asia docuerat, pereat: atque ita redit ad commemorandum fidelitatem suam in fungendo apostolatu, v.27. Atque hæc de secundo membro. Porrò ad vigilantiam in gerenda cura pro salute ecclesiæ eos exhortatur quatuor argumentis. Primùm à

causa impulsiva, videlicet mandato Dei, v.28. Deinde à comparatis, quòd Deus ipse ecclesiam plurimi faciat, quippe quam proprio sanguine acquisiverit, ibid. Tum ab alia causa impulsiva, videlicet exoriturâ seductione per falsos doctores, v.29 & 30. Quorum noxios conatus illustrat & amplificat simili, dum eos vocat *lupos graves*. Item distribuit eos in duas classes: unam eorum qui ingressuri sint, alteram eorum qui ex ipsismet sint exorituri. Postremò hortationem institutam confirmat à suo exemplo, quod eis imitandum proponit, v.31. Atq; hæc de membro tertio. Valedictio continet votum quo commendat eos Deo: & rationem voti à Dei potentia & voluntate: quarum illam expresè nominat, hanc significat vocabulo *sanctificatorum*. Quos enim Deus sanctificavit, eos vult salvos facere. Votum autem amplificat expositione causæ instrumentalis qua Deus utitur in electis suis consolandis & salvandis, nempe *sermone gratiæ*, id est, sermone Evangelii de gratia Dei propter Christum erga omnes credentes. Hactenus de sermone Pauli. Tertia ejus actio, videlicet oratio sive precatio illustratur ab adjuncto gestu, quòd oraverit positis genibus. Item ab adjuncto comitatu, quòd oraverit cum presbyteris illis omnibus. Eventa istius sermonis narrantur tria: 1. Magnus omnium fletus ortus est. 2. Ruentes in collum Pauli, deosculati sunt eum. 3. Deduxerunt eum ad navim. Fletus ille illustratur expositione causæ præcipuæ, in principio versus ultimi.

SCHOLIA IN CAP. XX.

3 Et *ibi* commoratus menses tres] ποιήσας τε μῆνας τρεῖς. *De hac phrasi vide suprà 15.33.*

5 Exspectarunt] ἔμενον. *Ad verb.* Manserunt. *Metonymia effecti destinati.*

6 Intra dies quinque] ἄχρις ἡμερῶν πέντε. *Ad verb.* Usque ad dies quinque. *Id est, proficiscendo ad quintum usque diem.* Egimus] διετρίψαμεν. *Vel* commorati sumus. *Ad verb.* contrivimus. *Scil.* τὸν χρόνον, *tempus. Ellipsis Graca.*

7 Primo autem die] ἐν δὲ τῇ μιᾷ. *Subaudi* ἡμέρᾳ. *Est autem Hebraismus geminus: unus in præpositionis expressione, alter in enallage nominis numeralis cardinalis pro ordinali, nempe* μιᾷ *pro* πρώτῃ. Hebdomadis] τῶν σαββάτων. *Ad verb.* Sabbatorum. *Enallage numeri, & synecdoche membri.* Ad frangendum panem] τοῦ κλάσαι ἄρτον. *Scilicet* ἕνεκα. *Id est, ad celebrandum cœnam Domini. Synecdoche membri, ut suprà 2.42.* Sermonem habebat ad eos] διελέγετο αὐτοῖς. *Ad verb.* Disserebat eis, *vel*, cum eis. *Confirmatur autem nostra interpretatio per verba sequentia,* παρέτεινέ τε τὸν λόγον *&c.*

8 Multæ] ἱκαναί. *Ad verb.* Sufficientes. Zimlich vil. *Phrasis crebrò occurrens in hoc libro.*

9 Præ somno] ἀπὸ τοῦ ὕπνου. *Ad verb.* A somno: *id est, vi somni.* Prolapsus est] ἔπεσεν. *Vel*, illapsus est. *Ut olim fecerat Elisaus, 2.Reg.4.32.*

10 Anima enim ejus in ipso est] ἡ γὰρ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν αὐτῷ ἐστι. *Sic loquitur, vel quia anima istius adolescentis jam in ipsius corpus redierat, post preces nimirum Pauli inter illum complectendum conceptas: vel quòd certò confideret, mox esse reversuram. quomodo Christus ajebat, puellam excitaturus:* Non est mortua, sed dormit.

11 Fregissetque panem] κλάσας ἄρτον. *Nempe panem Domini in celebranda sacra cœna.* Cibum cepisset] γευσάμενος. *Ad verb.* Gustasset, *ut suprà 10.10. Nempe in agapis quæ cum celebratione cœnæ Domini conjungebantur.* Diu] ἐφ' ἱκανόν. *Subaudi,* χρόνον. *Ad verbum,* Ad sufficiens, *scil. tempus, Phrasis Lucæ usitata.*

12 Puerum] τὸν παῖδα. Den knaben. *Græcum expressius propter articulum: qui est ἀναφορικός. Suprà v.9. vocavit* νεανίαν, *adolescentem.* Recreati sunt] παρεκλήθησαν. Consolatione affecti sunt. Sie warden getröst/das ist/erfräwet. Non mediocriter] οὐ μετρίως. *Id est, valde.* Λιτότης.

13 Recepturi] μέλλοντες ἀναλαμβάνειν. *Scilicet in navem.* Mandarat] ἦν διατεταγμένος. *Vel, constituerat nobiscum. Gracismus.* Also hatte ers mit vns verlaassen. Apud Asson] εἰς τὴν Ἄσσον. *Pro,* πρὸς τὴν Ἄσσον.

15 Sequenti die] τῇ ἐπιούσῃ. *Scil.* ἡμέρᾳ.

16 Die pentecostes] τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς. *Subaudi* κατά. *Et diem pentecostes intellige diem quo celebratur festum quod nominatur pentecoste. Vide suprà 2.1.* Hierosolymis] εἰς Ἱεροσόλυμα. *Pro,* ἐν Ἱεροσολύμοις.

19 Tentationibus] πειρασμῶν. *Id est,* θλίψεων, *afflictionibus. Sic 1.Pet.1.6.* Ob insidias] ἐν ταῖς ἐπιβουλαῖς. *Ad verb.* In insidiis. *Hebraismus.*

21 Conversionem] μετάνοιαν. *Ad verb.* Resipiscentiam. *Confer cum mandato Christi, Luc.24.47.*

22 Vinctus Spiritu] δεδεμένος τῷ πνεύματι. *A Spiritu sancto impulsus.*

23 Manere] μένειν. *Id est, exspectare, parata mihi esse.*

24 Vita] τὴν ψυχήν. *Ad verb.* Animam. *Metonymia efficientis.* Ut peragam cursum meum] ὡς τελειῶσαι τὸν δρόμον μου. *Confer 2.Tim.4.7.* Et ministerium] καὶ τὴν διακονίαν. *Epexegesis.* Ad testificandum] διαμαρτύρασθαι. *Pro,* τοῦ διαμαρτύρασθαι. *Scilicet* ἕνεκα. Evangelium gratiæ] τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος. *Id est, quod testatur de gratia. Genitivus subjecti, sive objecti.*

25 Per quos] ἐν οἷς. *Pro,* δι' ὧν.

27 Omne Dei consilium] πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ. *Scil. de vestra salute. Synecdoche generis.*

28 Attendite] προσέχετε. *Id est, cavete.* Sehet euch für. Gregi] τῷ ποιμνίῳ. *Multitudini fidelium. Metaphora.* Episcopos] ἐπισκόπους. *Inspectores,* auffseher: *seu curatores.* Ad pascendam] ποιμαίνειν. *Manet in metaphora, quia Ecclesiam nominaverat gregem.* Dei] τοῦ Θεοῦ. *Id est, Christi, Filii Dei unigeniti: qui unà cum Patre & Spiritu sancto unus ille & verus Deus est. Synecdoche generis, qua nomen tribus personis commune, specialiter intelligitur de persona secunda.*

29 Lupos] λύκοι. *Sic vocat pseudoprophetas seu falsos doctores per metaphoram, quam ipse mox seq. versu per epexegesin declarat. Confer Matth.7.15.* Gregi] τοῦ ποιμνίου. *Id est, Ecclesia. Manet in metaphora.*

30 Et exorituros] καὶ ἀναστήσονται. *Repetenda* ἀπὸ κοινοῦ *conjunctio* ὅτι *ex versu præcedente.*

32 Sermoni gratiæ] τῷ λόγῳ τῆς χάριτος. *Id est, quo annuntiatur gratia. Genitivus subjecti, & periphrasis Evangelii.* Qui potest] τῷ δυναμένῳ. *Ambiguum est, referendúmne hoc sit ad nomen sermonis, an verò Dei. Prior expositio congruit cum eo quod alibi pronuntiatur de Evangelii ministris, nempe 1.Tim.4.16. At posteriori magis favet verbum* δῦναι. Superstruere] ἐποικοδομῆσαι. *Videlicet super Christum, tanquam Ecclesiæ fundamentum. Confer Ephes.2.v.20.21.22.* Hæreditatem] κληρονομίαν. *Nempe vitam æternam.*

34 Manus istas ministrasse] ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται. *Confer supr.18.3. & 1.Cor.9.15. & deinceps.*

35 Infirmos] τῶν ἀσθενούντων. *Scil. in fide, Rom.14.1.*

37 Magnus] ἱκανός. *Ad verb.* Sufficiens. *Pro,* πολύς, *vel,* μέγας. *Phrasis Lucæ usitata.*

38 Quem dixerat] ᾧ εἰρήκει. *Prò,* ἐκεῖνο ὃ εἰρήκει. *Gracismus.*

OBSERVAT. EX CAP. XX.

1 Ex v.1. & 3, Furori hostium Evangelii, quoad salvâ vocatione licet, cedendum est. *Fuga periculorum.*

2 Ex v.3. Præposterus zelus etiam homicidiorum magister est. B. *Zelus.*

3 Ex v.7. & seq. Nocturni cœtus per se damnari nec possunt nec debent, quum justa eorum causa subesse possit. B. *Cœtus nocturni.*

4 Ex v.7. *Ad frangendum panem.* Quum tota cœnæ Dominicæ actio à fractione panis denominetur: id argumento est, illam ab Apostolis fuisse adhibitam; ac proinde hodie quoque ab Ecclesiæ ministris esse adhibendam. *Fractio panis in cœna Dominica.*

5 Ex v.9. & seq. Quæ Diabolus molitur ad Ecclesiæ perturbationem, ea Deus convertit ad ejusdem confirmationem. *Gubernatio Dei.*

6 Ex v.18. & seq. In exemplo Pauli observent atque imitentur pastores Ecclesiæ veras doctoris evangelici virtutes. *Ministri verbi.*

7 Ex v.27. Doctrina Apostolica est omnibus modis absolutissima. B. *Doctrina Apostolica.*

8 Ex v.28. Sanguis quo Ecclesia acquisita est, est longè pretiosissimus: quippe quum sit sanguis Dei, nempe filii Dei, Domini nostri Jesu Christi. Quare non est quòd dubitemus, illo sanguine pro nostris peccatis plenissimè esse judicio Dei satisfactum. Confer 1.Joh.1.7. *Sanguis Christi.*

9 Ex v.29. & 30. Ut quis pro vero Ecclesiæ pastore habendus sit, non est satis, legitimè esse vocatum: sed inprimis retinere oportet sanam doctrinam ab Apostolis traditam. Quam qui abjiciunt aut corrumpunt, illi ex pastoribus in lupos degenerant. Id quod videmus accidisse in Papatu. *Pastor Ecclesiæ.*

10 Ex v.32. Spes Christianorum duobus quasi fulcris nititur: potentiâ Dei, & verbo Dei seu promissione gratiæ. *Spes.*

11 Ex v.37. Evangelium non tollit, sed regit naturales affectus. B. *Affectus.*

ANALYSIS CAP. XXI.

ARGUMENTUM.

Duo in summa hic narrantur. Primùm, quibus itineribus Paulus Mileto pervenerit Hierosolymam, & quid in illo itinere ei memorabile acciderit, usque ad v.17. Deinde quid egerit atque perpessus sit Hierosolymæ.

PRIMA PARS.

Quibus itineribus Paulus Mileto venerit Hierosolymam, & quid in illo itinere memorabile ei acciderit.

Ut autem provecti sumus, avulsi ab eis; recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum, & illinc Patara.

2 Et inventâ navi quæ trajiciebat in Phœnicen, eâ conscensâ, provecti sumus.

3 Quum autem cœpisset nobis apparere Cyprus, & eam ad sinistram reliquissemus, navigavimus in Syriam, & devecti sumus Tyrum: illic enim navis exposituta erat onus.

4 Quumque invenissemus discipulos, permansimus ibi-

mus ibidem dies septem, inventis discipulis: qui Paulo dicebant per Spiritum, ne ascenderet Hierosolymam.

5 Sed quum explevissemus illos dies, egressi iter suscepimus, omnibus deducentibus nos cum uxoribus & liberis extra urbem usque: & positis genibus in littore, precati sumus.

6 Et alii alios complexi, conscendimus navim: illi autem reversi sunt domum.

7 Nos verò navigatione perfectâ, pervênimus Tyro Ptolemaïda: & salutatis fratribus, mansimus diem unum apud eos.

8 Postridie verò egressi Paulus & qui cum eo erant, venerunt Cæsaream: & ingressi domum Philippi evangelistæ (qui erat unus ex illis septem) mansimus apud eum.

9 Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.

10 Et quum *illic* permansissemus dies complures, descendit ex Judæa quidam propheta, nomine Agabus:

11 Qui quum venisset ad nos, & sumsisset zonam Pauli, vinctis sibi manibus ac pedibus, dixit; Hæc dicit Spiritus sanctus, Virum cujus est hæc zona, ita vincient Hierosolymis Judæi, tradentque in manus Gentium.

12 Ut verò ista audivimus, rogabamus & nos & ejus loci incolæ, ne ascenderet Hierosolymam.

13 Sed respondit Paulus; Quid facitis, flentes & comminuentes cor meum? Nam ego non solùm vinciri, sed & mori paratus sum Hierosolymis pro nomine Domini Jesu.

14 Quum igitur non assentiretur, acquievimus, dicentes; Fiat Domini voluntas.

15 Porrò post dies istos collectis sarcinis ascendimus Hierosolymam.

16 Unà autem profecti sunt etiam *aliqui* ex discipulis Cæsaréa nobiscum, adducentes apud quem hospitaremur, Mnasonem quendam, Cyprium, antiquum discipulum.

Itinera quibus Paulus Mileto Hierosolymam pervênit, sunt ista: 1. Mileto vênit Coum. 2. Coo Rhodum. 3. Rhodo Patara. 4. Pataris Tyrum. 5. Tyro Ptolemaida. 6. Ptolemaide Cæsaréam. 7. Cæsaréa Hierosolymam. In isto itinere duo memorabilia Paulo acciderunt: unum Tyri, alterum Cæsaréæ: utrumque ejusdem generis, videlicet quòd ei disfuasum fuit à prophetis & fratribus, ne pergeret Hierosolymam, propter periculum quod illic eum maneret. Ac Tyri quidem qui iter illud disfuaderent, fuerunt complures, v. 4. Cæsaréæ verò unus, v. 10. Utraque disfuasio illustratur narratione eventus, nempe quòd Paulus eâ non fuerit passus à proposito itinere se deterreri, sed Hierosolymam perrexerit. Cæterùm continuatio itineris è Tyro illustratur ex adjuncta honorifica deductione fidelium, item precatione & valedictione, v. 5. & 6. Disfuasio verò quæ accidit Cæsaréæ, illustratur primùm à loco ubi accidit, videlicet domi Philippi evangelistæ, v. 8. Qui Philippus describitur partim ab adjuncto honorifico officio diaconatus, v. 8. partim ab adjuncto honorifico comitatu filiarum, v. 9. Deinde à nomine illius qui prophetiam de vinculis Pauli protulit: unde disfuasio illa nata fuit, v. 10. Tum à modo agendi quo propheta ille usus fuit, v. 11. Præterea indicatione eorum qui iter Hierosolymitanum disfuaserunt, v. 12. Postremò ab eventis, videlicet Pauli recusatione, v. 13. fratrum consensu, v. 14. & Pauli cum sociis profectione, v. 15. & 16. Ubi nominatim indicatur ex comitibus Pauli unus, quo hospite Hierosolymis usurus erat.

SECUNDA PARS.

Quid Paulus ex Asia Hierosolymam reversus, illic egerit ac perpessus sit.

17 Quum igitur pervenissemus Hierosolymam, libenter exceperunt nos fratres.

18 Sequenti verò die introiit Paulus nobiscum ad Jacobum: & omnes presbyteri adfuerunt.

19 Quos complexus, exposuit ordine singula quæ Deus fecerat inter Gentes per ipsius ministerium.

20 At illi *his* auditis, glorificarunt Dominum: & dixerunt ei, Conspicis, frater, quot sint millia Judæorum qui crediderunt; suntque omnes accensi zelo Legis.

21 Audierunt autem de te ex aliorum sermone, te defectionem à Mose docere omnes qui inter Gentes sunt Judæos, & dicere eos non debere circumcidere filios, neque secundùm ritus ambulare.

22 Quid est ergo? Omnino oportet convenire multitudinem. audient enim, te venisse.

23 Hoc igitur fac, quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor voto obnoxii:

24 His assumtis, sanctificator cum eis, & adde ad eorum sumtus, ut radant caput: & norint omnes nihil esse eorum quæ de te famâ acceperunt, sed te quoque ita incedere ut Legem observes.

25 De iis autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus *ad eos*, & decrevimus ne quid hujusmodi observent, nisi ut caveant ab iis quæ sunt immolata idolis, & à sanguine, & suffocato, & scortatione.

26 Tum Paulus assumtis viris illis, sequente die cum eis sanctificatus ingressus est in templum, denuntians expletionem dierum sanctificationis, usquedum oblata fuit pro unoquoque eorum oblatio.

27 Quum autem septeni illi dies jam essent explendi: qui ex Asia *advenerant* Judæi, eum conspicati in templo, conturbarunt totam turbam, & injecerunt manus in eum:

28 Clamantes; Viri Israelitæ, succurrite: hic est homo ille qui adversus populum & Legem & locum hunc omnes ubique docet: atque adeò Græcos introduxit in templum, & polluit sanctum locum istum.

29 (Viderant enim antea Trophimum Ephesium in urbe cum eo, quem existimabant fuisse à Paulo introductum in templum.)

30 Commota est igitur urbs tota, & factus est concursus populi: & prehensum Paulum trahebant è templo: statimque clausæ sunt fores.

31 Studentibus autem ipsis eum trucidare, pervênit rumor ad tribunum cohortis, totam Hierosolymam conturbatam esse.

32 Qui eo ipso *momento* assumtis militibus ac centurionibus, decurrit ad illos. At illi quum vidissent tribunum & milites, cessarunt verberare Paulum.

33 Tunc appropinquans tribunus prehendit eum, & jussit vinciri catenis duabus: & percontatus est quisnam esset, & quid fecisset.

34 Alii autem aliud clamabant in turba: & quum non posset certi *quicquam* cognoscere propter tumultum, jussit eum duci in castra.

35 Quum autem pervenisset ad gradus, evênit ut portaretur à militibus propter violentiam turbæ.

36 Sequebatur enim multitudo populi, clamans, Tolle eum.

37 Et quum jam futurum esset ut introduceretur in castra Paulus, dicit tribuno; Licétne mihi aliquid tibi dicere? Qui dixit, Græcè nosti?

38 Nónne tu es Ægyptius ille qui ante hos dies ad seditionem concitavit & eduxit in desertum quatuor illa millia sicariorum?

39 Dixit autem Paulus, Ego quidem sum Judæus Tarsensis, urbis in Cilicia non obscuræ civis: cæterùm rogo te, permitte mihi ut alloquar populum.

40 Quum igitur ille permisisset; Paulus stans in gradibus, manu silentium postulavit à plebe: & magno silentio facto, alloquutus est *eos* linguâ Hebræâ, dicens.

Hîc primùm narratur, quid Paulus Hierosolymam iterum reversus egerit, usq; ad v. 27. deinde quid perpessus sit, versibus reliquis. Acta Pauli narrantur in summa duo: relatio rerum à se inter Gentes gestarum apud presbyteros, & sanctificatio cum quatuor fratribus voto obnoxiis. Relatio illa amplificatur exeventu, quòd presbyteri Dominum glorificarint, v. 20. Sanctificatio verò Pauli declaratur ex causa impulsiva, videl. suasu atq; rogatu presbyterorum, v. 20. & deinceps. Suasionis ratio est ab e-

ventis: videl. eventu utili si pareat, nempe ut toleretur à Judæis fidelibus: & contrà eventu pernicioso, nisi pareat, videl. detestatione & rejectione à fratribus illis. Utraque hæc ratio significatur per eventum priorem, nempe opinionem Judæorum illorum de Paulo, quòd & ipse ritus Legis observet, non autem contemnat, sicut isti famâ acceperant, v.24. Hæc ratio amplificatur antithesi de fidelibus Gentilibus, quòd scil. ab illis non postulent observari ritus Mosaicos, exceptis iis tantùm de quibus jam antea factum fuerat decretum, v.25. Sanctificatio Pauli & actiones legales cum ea connexæ, narrantur v.26. Atq; hæc sunt quæ Paulus egit. Jam quod attinet ad ea quæ perpessus est, quæque ex illa Pauli sanctificatione evenerunt, ea sunt octo. Primò concitata est contra eum turba à Judæis quibusdam ex Asia, v.27. Secundò injecerunt manus in eum, ibid. Tertiò criminati eum sunt tanquam falsum doctorem & violatorem templi, v.28. & 29. Quartò traxerunt eum è templo, v.30. Quintò studuerunt eum trucidare, v.31. Sextò prehendit eum tribunus cohortis & catenis duabus vinciri jussit, v.31.32. & 33. Septimò quum in castra duceretur, evênit ut portaretur à militibus propter violentiam turbæ, v.34.35. & 36. Octavò suspectus fuit tribuno, quòd esset Ægyptius quidam qui nuper concitarat seditionem, v.37. & 38. Contra quam suspicionem Paulus se purgavit atque defendit, v.39. Et tandem dicendi copiâ à tribuno impetratâ, ad dicendum sese comparavit, v.ult.

SCHOLIA IN CAP. XXI.

2 Quæ trajiciebat] διαπερῶν. *Id est, quæ trajectura erat: seu cujus dominis propositum erat trajicere. Enallage temporis, & metonymia adjuncti vel subjecti. Adjuncti, quatenus navi utuntur vectores. Subjecti, quatenus eadem continentur.*

3 Quum cœpisset nobis apparere Cyprus] ἀναφανέντες τὴν Κύπρον. *Pro*, ἀναφανείσης ἡμῖν τῆς Κύπρου. *Hypallage: qualis in illo Rom.3.2.* ἐπιστεύθησαν (οἱ Ἰουδαῖοι) τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, Credita sunt eis eloquia Dei, *Sic 1.Cor.9.17.* οἰκονομίαν πεπίστευμαι, dispensatio credita est mihi. Expositura erat] ἦν ἀποφορτιζόμενον. *Sive exoneratura. A nomine* φορτίον, *quo significatur onus;* παρὰ τὸ φέρειν, *à ferendo.* Onus] τὸν γόμον. *Id est, merces impositas. Significat enim* γόμος *propriè onus quo repleta est navis,* παρὰ τὸ γέμειν, *id est, plenum esse.*

4 Discipulos] τοὺς μαθητάς. *Pro,* μαθητάς τινας. *Articulus æquipollens pronomini indefinito, ut suprà 17.1.* Dicebant per Spiritum, ne ascenderet Hierosolymam] ἔλεγον διὰ τοῦ πνεύματος, μὴ ἀναβαίνειν εἰς Ἱερουσαλήμ. *Hoc est, Dicebant per Spiritum seu ex revelatione Spiritus sancti, fore ut Paulus Hierosolymis in maximo periculo esset. qua revelatione ipsi moti, suaserunt ei ex charitate, ne ascenderet Hierosolymam, ad illud periculum scilicet evitandum. Est Metonymia effecti. nam periculum solet homines deterrere à proposito. Et hac ratione conciliandus est hic locus cum illo suprà 20.22.*

6 Domum] εἰς τὰ ἴδια. *Ad verb.* Ad propria, *sive* ad sua.

7 Navigatione perfectâ] τὸν πλοῦν διανύσαντες. *Verbo* διανύειν *peculiariter utuntur scriptores Græci, quum de profectionum vel itinerum absolutione loquuntur.*

8 Postridie] τῇ δὲ ἐπαύριον. *Scil.* ἡμέρᾳ. Paulus & qui cum eo erant] οἱ περὶ τὸν Παῦλον. *Ad verb.* Qui circa Paulum erant. *Synecdoche membri: qualis suprà 13.v.13.* Evangelistæ] τοῦ εὐαγγελιστοῦ. *Id est, annuntiatoris seu præconis Evangelii. Sic Ephes.4.v.11. Item 2.Tim.4.v.5.* Ex illis septem] ἐκ τῶν ἑπτά. *Scil. diaconis. Vide suprà cap.6.* Mansimus] ἐμείναμεν. *Diversati sumus apud eum, hospitio ejus usi sumus.*

9 Prophetantes] προφητεύουσαι. *Hoc videtur intelligendum de dono prædicendi futura. nam munus docendi in ecclesia sexui muliebri interdicitur 1.Cor.14.v.34. & 1.Tim.2. v.12. Si magis placet hoc intelligere de interpretatione scripturæ propheticæ per singularem revelationem Spiritus sancti: tum hoc exemplum fuit singulare, ex quo non licet facere regulam.*

10 Agabus] Ἄγαβος. *De quo & suprà 11.v.28.*

11 Ita vincient] οὕτω δήσουσιν. *Impletionem vide infrà v.33.*

12 Rogabamus] παρεκαλοῦμεν. *Ex charitate.*

13 Comminuentes] συνθρύπτοντες. *Vel,* Frangentes. *Sic malo, quàm* emollientes. *nam ista significatio per synecdochen generis huic verbo tribuitur, quum sermo est de luxu, quo animus veluti frangitur. At hîc sermo est de lacrymis, quibus cor dicitur frangi seu comminui, μεταφορικῶς.* Hierosolymis] εἰς Ἱερουσαλήμ. *Pro,* ἐν Ἱερουσαλήμ.

14 Quum non assentiretur] μὴ πειθομένου. *Ad verb.* Quum non persuaderetur. *hoc est, quum non pateretur sibi persuaderi. Metonymia efficientis.*

16 Aliqui ex discipulis] τῶν μαθητῶν. *Subaudi* τινές. Mnasonem] Μνάσωνι. *Pro,* Μνάσωνα. *Cohæret cum articulo* ᾧ, *in* παρ' ᾧ.

17 Quum pervenissemus] γενομένων. *Pro,* παραγενομένων.

19 Exposuit ordine singula quæ &c.] ἐξηγεῖτο καθ' ἓν ἕκαστον ὧν ἐποίησεν &c. *Græca sic construenda ut* καθ' ἓν *separetur ab* ἕκαστον, & ἕκαστον *regatur ab* ἐξηγεῖτο, & *deniq;* ἕκαστον ὧν *exponatur per* ἕκαστον ἐκείνων ἅ. *Græcismus.*

21 Audierunt ex aliorum sermone] κατηχήθησαν. *Quasi dicas,* Sono imbuti sunt. A Mose] ἀπὸ Μωϋσέως. *Id est, à lege Mosis, quam scil. tulit Moses. Metonymia adjuncti.* Filios] τὰ τέκνα. Liberos. Die kinder. *Synecdoche generis.* Secundùm ritus] τοῖς ἔθεσι. *Id est,* κατὰ τὰ ἔθη, *sive* ἐν τοῖς ἔθεσι. *Intellige ritus in lege Mosis præceptos.*

23 Voto obnoxii] εὐχὴν ἔχοντες ἐφ' ἑαυτῶν. *Ad verb.* Votum habentes super se.

24 Eorum quæ famâ acceperunt] ὧν κατήχηνται. *Pro,* ἐκείνων ἃ κατήχηνται. *Græcismus.*

25 De iis autem &c.] περὶ δὲ τῶν &c. *Id est,* Ad eos autem quod attinet qui &c. De iis qui crediderunt ex gentibus] περὶ τῶν πεπιστευκότων ἐθνῶν. *Ad verb.* De gentibus quæ crediderunt. *Synecdoche integri.* Scripsimus *ad eos*] ἐπεστείλαμεν. *Scil.* αὐτοῖς. *Literas misimus ad eos. Vide suprà cap.15.*

26 Sequente] τῇ ἐχομένῃ. *Ad verb.* Continente.

27 Quum autem septeni illi dies jam essent explendi] ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι *I.e. Quum autem septenorū illorum dierum finis instaret: hoc est, paulò ante finem septenorum illorum dierum, hoc est, illarum hebdomadum quæ numerabantur à die oblationis manipuli spicarum usq; ad diem pentecostes: ut in annotatione sua docet D. Beza.* Qui ex Asia advenerant] οἱ ἀπὸ τῆς Ἀσίας. *Scil.* παραγενόμενοι *seu* παραγεγονότες. *qui advenerant ad festum pentecostes celebrandum.* Conturbarunt] συνέχεον. *Ad verb.* Confuderunt. *Sic v.31.*

28 Polluit] κεκοίνωκε. *Vel,* profanavit. *Ad verb.* Communem fecit. *Ut suprà 10.v.15.*

31 Studentibus] ζητούντων. *Ad verb.* Quærentibus. Pervênit] ἀνέβη. *Ad verb.* Ascendit.

32 Eo ipso momento] ἐξ αὐτῆς. *Scil.* ὥρας. Ad illos] ἐπ' αὐτούς. *Vel,* contra illos. Cessarunt verberare] ἐπαύσαντο τύπτοντες. *Pro,* τύπτειν. *Græcismus.*

35 Pervenisset] ἐγένετο. *Id est,* παρεγένετο.

36 Tolle] αἶρε. *Scil. è medio. Id est, occide.*

37 Licétne] εἰ ἔξεστι. *Ad verb.* Si licet. *Græcismus.*

39 In Cilicia] τῆς Κιλικίας. *Ad verb.* Ciliciæ. *Sed studendum fuit perspicuitati.*

40 Manu silentium postulavit à plebe] κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ. *Ad verb.* Decussit manu populo, *id est, ad populum, seu versus populum. Vide suprà 12.17.* Alloquutus est *eos*] προσεφώνει. *Scil.* αὐτοῖς. *Ex collatione v.2. cap. seq.*

OBSERVAT. EX CAP. XXI.

1 Ex v.4. & seq. Item ex v.10. & seq. Vocationis cursum interdū homines non tantùm amici, sed etiam Spiritu Dei prædîti, conantur remorari: sed nostrum officium est, ubi nos vocari à Deo scimus, sine ulla prorsus exceptione pergere. B. *Vocatio.*

2 Ex v.14. Dei voluntas omnium affectuum frenum est in iis qui Dei gloriam seriò quærunt. B. *Affectus.*

3 Ex v.19. Deus author celebrandus omnium rectè dictorum & factorum. B. *Bona opera.*

4 Ex v.20. & seq. In rebus mediis seu adiaphoris (quales tempore Pauli erant legales cærimoniæ, tantisper dum plenius patefieret Judæis Christiana libertas) præcipit charitas, ut fratribus non præfractè & malitiosè reluctantibus veritati, sed nondum plenè institutis, quoad ejus fieri potest (præsertim quum de tota aliqua multitudine agitur) nos accommodemus. B. Confer suprà 16.3. *Adiaphora.*

5 Ex v.27. & seq. Zelus præposterus, maximæ confusionis & magnorum scelerum sæpe causa existit. B. *Zelus.*

6 Ex v.31. Dominus interdum etiam profanorum hominum operâ utitur in fidelibus suis servis protegendis. *Gubernatio Dei.*

ANALYSIS CAP. XXII.

ARGUMENTUM.

Duo hîc narrantur: sermo Pauli ad populum Hierosolymitanum, & sermonis illius eventa.

PRIMA PARS.

Sermo Pauli ad populum Hierosolymitanum.

Viri fratres & patres, audite meam, quâ nunc apud vos utor, defensionem.

2 (Quum audissent autem eum Hebræâ linguâ ipsos alloqui, magis præbuerunt se quietos. & dixit,)

3 Ego quidem sum Judæus, natus Tarsi, urbe Ciliciæ, nutritus verò in hac ipsa urbe apud pedes Gamalielis, institutus ad exquisitam formam patriæ legis, zelo Dei accensus, sicut & vos omnes estis hodie:

4 Qui hanc viam persequutus sum usque ad mortem, vinciens ac tradens in carceres tum viros tum mulieres.

5 Ut & Pontifex maximus mihi testis est, & totus seniorū ordo: à quibus etiam epistolis ad fratres acceptis, Damascum proficiscebar, adducturus etiam eos qui illic essent, vinctos Hierosolymam, ut punirentur.

6 Evênit autem mihi iter facienti, & appropinquanti Damasco circiter meridiem, ut repente è cælo circumfulserit me lux multa:

7 Cecidi-

7 Cecidique in solum, & audivi vocem dicentem mihi; Saul, Saul, quid me persequeris?

8 Ego verò respondi, Quis es domine? Dixitque mihi, Ego sum Jesus ille Nazarenus, quem tu persequeris.

9 Porrò qui mecum erant, lucem quidem conspexerunt, & expavefacti sunt: vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum.

10 Dixi verò, Quid faciam, domine? Dominus autem dixit mihi, Surge ac vade Damascum: & illic tibi dicetur de omnibus quæ constitutum est tibi ut facias.

11 Quum verò non viderem præ claritate lucis illius, manu deductus ab iis qui mecum erant, vêni Damascum.

12 Ananias autem quidam, vir pius secundùm Legem, testimonio ornatus ab omnibus *illic* habitantibus Judæis,

13 Veniens ad me, & adstans, dixit mihi; Saul frater, suspice. Et ego eodem illo momento suspexi in eum.

14 Ipse autem dixit, Deus patrum nostrorum designavit te qui cognosceres ipsius voluntatem, & videres justum illum, & audires vocem ex ore ipsius.

15 Nam eris ei testis apud omnes homines, *eorum* quæ vidisti & audisti.

16 Nunc igitur quid cunctaris? Surgens baptizator, & abluitor à peccatis tuis, invocato nomine Domini.

17 Evênit autem mihi reverso Hierosolymam, ut & quum precarer in templo, raperer extra me,

18 Et viderem eum dicentem mihi; Festina, & exi citò Hierosolymis: quoniam non accipient testimonium tuum de me.

19 Et ego dixi; Domine, ipsi sciunt me pertraxisse in carcerem, & verberibus affecisse per singulas synagogas eos qui credebant in te.

20 Et quum effunderetur sanguis Stephani martyris tui: ego quoque adstabam, & assentiebar interfectioni ejus, & custodiebam pallia eorum qui interficiebant eum.

21 Tum *is* dixit mihi, Proficiscere: nam ego te procul ad Gentes emittam.

SErmonis hujus scopus est, ut Paulus se defendat, v.1. id est, ut ostendat suam innocentiam, se scilicet nullam causam præbuisse isti tumultui qui propter ipsum erat excitatus, & in quo ipse tanquam noxius erat comprehensus & verberatus. Versu 2. infertur expositio causæ, qua factum est ut loqui incipienti præberent silentium. Sermo ipse continet narrationem bimembrem. Prius membrum est de suo zelo pro religione Judaica contra Christianam, v.3.4. & 5. Posterius membrum est de sui conversione ad religionem Christianam & vocatione ad apostolatum, versibus reliquis. Scopus narrationis est, ut ostendat, se in nulla versari culpa, quòd nunc religionem Christianam & profiteatur & doceat: quippe quum nec temere eam sit amplexus, sed divinitus edoctus: nec privatâ authoritate illam doceat, sed ex mandato Dei. Et nisi sermo ejus interruptus fuisset, addidisset haud dubiè, quomodo Evangelium prædicaverit in Asia: unde factum sit ut Asiani isti odio ipsum prosequerentur, atque ex illo odio tumultum istum excitarent. Cæterùm narrationi sui zeli pro religione Judaica præmittit brevem indicationem de sua gente, patria & educatione. Et zelum suum illustrat exemplo simili auditorum, v.3. Deinde zelum suum demonstrat ex factis suis, videl. persecutione Christianorum, v.4. & 5. Eamq; narrationem confirmat testimonio Pontificis maximi & seniorum, ibidem. Conversionem verò sui ad religionem Christianam & vocationem ad apostolatum illustrat primùm ex loco ubi accidit, v.6. Deinde à tempore quo accidit, ibid. Tum à modo quo accidit, à v.6. usque ad 7. Modus ille duarum personarum actiones continet: ipsius scilicet Jesu & Ananiæ. Actiones Jesu fuerunt duæ, colloquium, v.7.8.9. & 10. & inflictio cæcitatis, v.11. Ananiæ actiones fuerunt item duæ, restitutio visus, v.13. & sermo ad ipsum: qui duo mandata continet; unum, ut sit Domino Jesu testis apud omnes homines, v.15. alterum, ut amplectatur fidem Christianam, vers.16. Huic narrationi annectit alteram de sui in apostolatu confirmatione & instructione speciali, ubi locorum & gentium fungi eo debeat, v.17. & deinceps. Istam sui confirmationem declarat ex modo agendi, quòd scil. sibi illa acciderit in ecstasi, v.17. Quam ecstasin declarat ex loco ubi accidit, videlicet in templo: & ex tempore quo accidit, videl. dum precaretur. Speciale mandatum bimembre est. Prius membrum est negativum, Ne fungatur suo apostolatu Hierosolymis. Cujus mandati ratio adjicitur ab eventu, videlicet quòd non sint accepturi Hierosolymitani testimonium ipsius. Quæ ratio amplificatur à testimonio approbationis Pauli: quâ exponitur causa cur Hierosolymitani repudiaturi sint testimonium ipsius, quia scilicet habituri ipsum sint pro homine levi ac temerario, qui nunc profiteatur ac doceat eam religionem quam paulò antè ut falsam fuerat persecutus, v.19. & 20. Alterum mandati membrum est affirmativum, ut proficiscatur ad Gentes.

SECUNDA PARS.

Eventa sermonis Pauli ad populum Hierosolymitanum habiti, necdum ad finem perducti.

22 Audiebant autem eum ad hunc usque sermonem: tum verò sustulerunt vocem suam, dicentes, Tolle è terrâ *hominem* istiusmodi: non enim convenit eum vivere.

23 Clamantibus autem eis, & projicientibus pallia, & pulverem jactantibus in aërem;

24 Jussit tribunus eum duci in castra, dixitque ut in eum flagris inquireretur: ut resciret quam ob causam sic clamarent adversus eum.

25 Quum autem distendissent eum loris *cædendum*, dixit astanti centurioni Paulus, Num hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?

26 *Hoc* verò quum audisset centurio, adiit tribunum, & *hoc* annuntiavit ei, dicens, Vide quid facturus sis: homo enim iste, Romanus est.

27 Accedens autem tribunus dixit ei; Dic mihi, num tu Romanus es? At ille dixit, Etiam.

28 Et respondit tribunus, Ego multâ summâ civitatem istam acquisivi. Paulus autem ait, Ego verò etiam natus sum *civis*.

29 Statim igitur abscesserunt ab eo qui fuerant in eum inquisituri: sed & tribunus timuit, cognito eum Romanum esse, quoniam eum vinxerat.

30 Postero autem *die* volens certum scire, cujus *rei* accusaretur à Judæis, solvit eum è vinculis, & jussit primarios sacerdotes venire, totumq; ipsorum consessum: ac deductum Paulum statuit coram eis.

Eventa sermonis Pauli, ac nominatim clausulæ ultimæ de suo apostolatu fungendo apud gentes, narrantur duo. Primum, tumultuatio populi, v.23. Alterum, propositum tribuni inquirendi in Paulum per flagellationem, v.24. & deinceps. Tumultuatio populi tribus partibus constat: clamore, projectione palliorum, & jactatione pulveris in aërem. Propositum tribuni declaratur primùm ex mandato, vers.24. Deinde ex conatu mandati exsequendi, v.25. Tum ex conatus illius impeditione, v.25. & deinceps. Postremò ex eventis, v.29. & 30. Impeditio illa posita fuit in protestatione Pauli provocantis ad jus civitatis Romanæ. Ista provocatio illustratur partim relatione illius ad tribunum, v.26. partim inquisitione tribuni apud Paulum, vers.27. & 28. Porrò eventa illius propositi narrantur tria: metus tribuni, quòd Paulum vinxisset, v.29. & solutio ejus è vinculis, & denique convocatio synedrii ad eum audiendum, v.ult.

SCHOLIA IN CAP. XXII.

1 Defensionem] ἀπολογίαν. *Sermonem defensorium.*

2 Præbuerunt se quietos] παρέσχον ἡσυχίαν. *Ad verb.* Præbuerunt quietem.

3 Judæus] ἀνὴρ Ἰουδαῖος. *Ad verb.* Vir Judæus, **Ein Jüdisch mann.** Apud pedes Gamaliëlis] παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιήλ. *Scil. Sedens, ut discipulus. Cæterùm de isto Gamaliële mentio quoq; fit suprà 5.34.* Ad exquisitam formam] κατ' ἀκρίβειαν. *Ad verb.* Secundùm accurationem.

4 Viam] ὁδόν. *Id est, religionem. Metaphora Hebraica.* Usque ad mortem] ἄχρι θανάτου. *Id est, eò usque ut ejus religionis confessores ad mortem tradiderim.*

5 Seniorum ordo] τὸ πρεσβυτέριον. *Videl.* τὸ συνέδριον. *Alibi significat hæc vox ordinem seniorum, qualis institutus fuit in ecclesiis per Apostolos plantatis, ut 1.Tim.4.v.14.* Epistolis acceptis] ἐπιστολὰς δεξάμενος. *Vide suprà cap.9.* Ad fratres] πρὸς τοὺς ἀδελφούς. *Id est, ad synagogas, suprà 9.2.*

6 Lux multa] φῶς ἱκανόν. *Ad verb.* Lux sufficiens. *Phrasis Lucæ usitata.*

8 Domine] κύριε. *Non scribendum in textu per majusculam ab initio, quia capitur generaliter, ut verbum honoris.*

9 Expavefacti sunt] ἔμφοβοι ἐγένοντο. *Metu repleti sunt.* Vocem autem non audierunt] τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν. *Vel,* non intellexerunt. *ut 1.Cor.14.21. Confer suprà 9.7.*

10 De omnibus quæ constitutum est] περὶ πάντων ὧν τέτακταί. *Pro,* περὶ πάντων ἐκείνων ἃ τέτακταί *&c.* Constitutum est tibi] τέτακταί σοι. *Id est, Decretum est à Deo de te. Dativus hic notat objectum.*

11 Præ gloria] ἀπὸ τῆς δόξης. *Ad verb.* A gloria, *id est, vi claritatis. Sic accipitur ista vox 1. Cor. 15. v. 40. & 41.*

13 Suspice] ἀνάβλεψον. Sih über sich. *ut apud Cic. in Somn. Scip. in principio, ubi Scipio narrans, quomodo se exceperit Masinissa, sic loquitur:* Ad quem ut vêni, complexus me senex collachrymavit: aliquantoque pòst suspexit in cælum: & Grates, inquit, tibi ago, summe Sol &c. *Ut* ἀναβλέπειν *non sit* ἀναλαμβάνειν τὴν τοῦ βλέπειν δύναμιν, *sed* ἄνω βλέπειν. *Hanc expositionem confirmant verba sequentia.*

14 Justum illum] τὸν δίκαιον. *Nempe Jesum Christum.*

15 Eorum quæ vidisti] ὧν ἑώρακας. *Pro,* ἐκείνων ἃ ἑώρακας. *Græcismus.*

16 Nunc igitur] καὶ νῦν. *Ad verb.* Et nunc. *Hebraismus.* Et abluitor à peccatis tuis] καὶ ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας σου. *Verbo* ἀπόλουσαι *accepto passivè, ut capitur proximè præcedens* βάπτισαι: *& præpositione* κατὰ *deficiente ante accusativum. Vel,* abluito à te peccata tua. *Verbo* ἀπόλουσαι *accepto activè, & subaudito pronomine* σεαυτόν: *qualis syntaxis reperitur apud Homerum Iliad. σ.*

——————————— ὄφρα τάχιστα
Πάτροκλον λούσαιεν ἀπὸ βρότον αἱματόεντα.
——————————— Ut quam celerrimè
A Patroclo abluerent saniem sanguinolentam.

17 Ut & quum precarer &c.] καὶ προσευχομένου. *Conjunctio* καὶ *è regione respondet conjunctioni* καὶ *in principio versus sequentis: ideo eam expressi.*

18 Viderem] ἰδεῖν. *Scil. in ecstasi. ex collatione verborum præcedentium.*

19 Me pertraxisse in carcerem] ὅτι ἐγὼ ἤμην φυλακίζων. *Ad verb.* Quòd ego eram carcerans.

20 Effunderetur] ἐξεχεῖτο. *Per lapidationem, suprà cap. 6. in fine.* Martyris tui] τοῦ μάρτυρός σου. *Sive,* testis tui: *hoc est, qui tibi testimonium perhibuit quòd sis Christus. Genitivus subjecti, sive objecti. Porrò nomen Græcum* μάρτυρος *à Latinis quoque retentum est, quum loquuntur de testibus qui sanguine suo veritatē religionis Christianæ testificati sunt, per synecdochen generis.* Assentiebar interfectioni ejus] ἤμην συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ. *Vel,* approbabam interfectionem ejus: *Sic suprà 8. 1. Græcismus.*

22 Ad hunc usque sermonem] ἄχρι τούτου τοῦ λόγου. *Vel,* ad hoc usque verbum.

25 Quum autem distendissent eum loris] ὡς δὲ προέτειναν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν. *Videtur* προτείνειν *hîc positum pro* διατείνειν: *ut intelligatur distentio membrorum corporis quæ fit per alligationem ad palum aut columnam. Nisi potiùs sic vertendum:* Quum autem produxissent eum ad lora, *id est, ut loris cæderetur. Vel,* Quum objecissent eum loris. Num] εἰ. *Ad verb.* Si. *Græcismus. Sic paulo-pòst v. 27.*

28 Multâ summâ] πολλοῦ κεφαλαίου. *Ad verb.* Multo capite] *Caput pro summa dicitur per Hebraismum, cujus exemplum occurrit Exod. 30. v. 12. Quando tuleris summam filiorum Israël, ubi pro summa in Hebræo exstat* ראשׁ *rósch, id est, caput.* Civitatem] τὴν πολιτείαν. *Id est, jus civitatis,* das Burgerrecht. Quoniam] καὶ ὅτι. *Istud* καὶ *omnino videtur redundare: & videtur insertum ab aliquo qui putavit orationem aliâs hiulcam esse, quia præcessit,* ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι. *Sed is non attendit, hoc posterius* ὅτι *non pendêre à participio* ἐπιγνοὺς, *sed à verbo* ἐφοβήθη. *Denique ratio non patitur ut dicatur* ἐπιγνοὺς ὅτι ἦν αὐτὸν δεδεκώς: *id est,* Quum cognovisset quòd eum vinxisset. *quod tamen retento illo* καὶ *dicendum foret.*

30 Postero autem die] τῇ δὲ ἐπαύριον. *Scil.* ἡμέρᾳ. Certum] τὸ ἀσφαλές. *Ad verb.* Securum, tutum. Cōsessum] τὸ συνέδριον. *Sive concilium, sive senatum.* Coram eis] εἰς αὐτούς. *Id est,* πρὸς αὐτούς.

OBSERVAT. EX CAP. XXII.

Confessio peccatorum. 1 Ex v. 3. & seq. Exemplo Pauli, quoties vel necessitas postulat, vel proximorum ædificatio suadet, tum peccata nostra, tum Dei erga nos beneficia commemorare debemus.

Superbia. 2 Ex v. 22. Pervicax superbia, neque veritatem ipsa amplecti, neque ut ab aliis recipiatur, pati potest. B.

Prudentia carnis. 3 Ex v. 24. Prudentia carnis non quid justum, sed quid utile sit, considerat: & ita quidem ut utilitatem ex præsenti aspectu metiatur. B. Confer exemplum Pilati flagellantis Christum, item comparantis eum cum Barabba latrone.

Injuria. 4 Ex v. 25. Licet homini Christiano justis adminiculis à Deo subministratis injuriam repellere. B.

ANALYSIS CAP. XXIII.

ARGUMENTUM.

Duo in summa hîc narrantur. Primùm, quid Paulo acciderit, quidve ille egerit coram synedrio, ante quod tribunus ipsum statuerat, usque ad v. 11. Deinde, quomodo ereptus sit ex insidiis Judæorum, versibus reliquis.

PRIMA PARS.

Quid Paulo acciderit coram synedrio, quidve ille ibi egerit.

INtentis autem in consessum oculis Paulus ait; Viri fratres, ego omni conscientiâ bonâ servivi Deo ad hunc usque diem.

2 Ananias autem Pontifex maximus imperavit iis qui ipsi adstabant, ut os ejus percuterent.

3 Tum Paulus dixit ei; Futurum est ut percutiat te Deus, paries dealbate. & tu sedes, judicans me secundùm Legem, & Legem transgrediens jubes me percuti?

4 Tum qui adstabant, dixerunt; Pontifici maximo Dei conviciaris?

5 Dixit autem Paulus, Nesciebam, fratres, Pontificem esse maximum. scriptum est enim, Principi populi tui non maledices.

6 Quum verò nosset Paulus, unam quidem partem esse Sadducæorum, alteram verò Pharisæorum, clamavit in consessu; Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi: de spe & resurrectione mortuorum ego in judicium vocor.

7 Quum autem hæc esset loquutus, orta est seditio inter Pharisæos ac Sadducæos: & scissa est multitudo.

8 Nam Sadducæi quidem dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum neq; spiritum: Pharisæi autem ambo ista confitentur.

9 Ortus est igitur clamor magnus: & quum surrexissent scribæ ex partibus Pharisæorum, depugnabant, dicentes; Nihil mali invenîmus in homine isto: quòd si spiritus loquutus est ei, seu angelus, ne repugnemus Deo.

10 Et quum magna esset orta seditio, veritus tribunus ne Paulus ab ipsis discerperetur, jussit militum manum descendere, & eum rapere de medio eorum, ac ducere in castra.

MEmbra istius narrationis sunt septem: Primò, Paulus verba facturus ad consessum patrum, orditur à professione bonæ suæ conscientiæ, v. 1. Secundò, hac professione commotus pontifex maximus, imperavit adstantibus ut os ejus cæderent, v. 2. Tertiò, Paulus hanc contumeliam indignè ferens, pontifici maximo denuntiavit judicium Dei, exprobratâ hypocrisi, ac demonstratâ iniquitate, vers. 3. Quartò, adstantes reprehenderunt Paulum, quòd pontifici maximo conviciaretur, vers. 4. Quintò, Paulus convicium suum excusavit: sive seriò per ignorantiam suam, sive ironicè per hypocrisin & indignitatem pontificis maximi, v. 5. Sextò, Paulus quodam quasi stratagemate usus, dissidium inter partes excitavit, atque ita eos distraxit: professus, se esse Pharisæum, & in judicium vocari de spe resurrectionis mortuorum, v. 6. 7. 8. & 9. Cujus dissidii causa per se, erat dissensio patrum illorum de religione. Septimò, Paulus per tribunum reductus est in castra; ut qui metuebat, ne si illum diutiùs coram synedrio relinqueret, ab adversariis suis discerperetur, v. 10.

SECUNDA PARS.

Quomodo Paulus ex insidiis Judæorum ereptus sit.

11 Sequente verò nocte adstans ei Dominus, dixit; Confide Paule. Ut enim testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet etiam Romæ testificari.

12 Orto autem die, quidam ex Judæis factâ coïtione devoverunt sese, dicentes, neque esuros se neque bibituros, donec trucidassent Paulum.

13 Erant autem plures quadraginta viri, qui hanc conjurationem fecerant.

14 Qui adierunt primarios sacerdotes & seniores, & dixerunt; Devotione devovimus nos ipsos, nihil gustaturos, donec trucidaverimus Paulum.

15 Nunc ergo vos indicate tribuno ex consessus voluntate, ut eum cras ad vos deducat, veluti exquisitiùs percognituros de iis quæ ad eum *spectant*: nos verò, priusquam appropinquet, parati sumus ipsum interimere.

16 Quum autem filius sororis Pauli audisset insidias istas; vênit, & ingressus in castra annuntiavit Paulo.

17 Paulus autem advocato quodam ex centurionibus, ait; Adolescentem hunc abduc ad tribunum: habet enim quod annuntiet ei.

18 Ille igitur assumtum eum duxit ad tribunum, & dixit; Vinctus ille Paulus advocatum me rogavit ut hunc adolescentem ducerem ad te, qui aliquid habeat quod tibi loquatur.

19 Tribunus verò prehensâ ejus manu; quum secessisset

sisset seorsum, percontatus est; Quid est quod habes mihi annuntiandum?

20 *Ille* autem dixit, Judæi constituerunt te rogare, ut cras Paulum deducas in consessum, quasi aliquid exquisitius percontaturi sint de eo.

21 Tu verò ne ipsis assentitor. insidiantur enim ex istis viri plures quadraginta, qui seipsos devoverunt neque esuros neque bibituros donec interemerint eum: & nunc parati sunt exspectantes quid à te renuntietur.

22 Tribunus igitur dimisit adolescentem, quum ei præcepisset ut nulli effutiret quòd hæc ipsi indicasset.

23 Et advocatis duobus quibusdam ex centurionibus; Parate, ait, milites ducentos qui proficiscantur Cæsaréam usque, & equites septuaginta, & stipatores ducentos, à tertia hora noctis:

24 Et ut jumenta præberent, ut impositum Paulum salvum perducerent ad Felicem præsidem:

25 Scriptâ epistolâ quæ hanc summam contineret;

26 Claudius Lysias præstantissimo præsidi Felici salutem.

27 Virum hunc comprehensum à Judæis, quum jam futurum esset ut ab eis interimeretur, superveniens cum militum manu erui, quum cognovissem, Romanum esse.

28 Et volens scire causam cur eum criminarentur, deduxi eum in ipsorum consessum.

29 Quem comperi accusari de quæstionibus Legis ipsorum, nullius autem criminis reum esse quod sit dignum morte aut vinculis.

30 Indicatis autem mihi insidiis adversus hunc virum eventuris à Judæis, eo ipso momento misi *eum* ad te: & denuntiavi quoque accusatoribus, ut quæ habent adversus eum, dicant apud te. Vale.

31 Milites igitur, sicut ipsis præceptum erat assumptum Paulum duxerunt nocte Antipatrida.

32 Postero autem die, reversi sunt in castra, relictis equitibus qui cum eo proficiscerentur.

33 Qui quum venissent Cæsaréam, & reddidissent epistolam præsidi, stiterunt coram eo etiam Paulum.

34 Quum legisset autem *literas* præses, & interrogasset ex qua provincia esset, ac cognovisset esse ex Cilicia:

35 Audiam te, inquit, quum accusatores quoque tui adfuerint. Jussitq; in prætorio Herodis ipsum custodiri.

Quinque hic in summa narrantur: præparatio Pauli contra metum futurarum insidiarum, insidiæ ipsæ, insidiarum detectio, Pauli ex insidiis ereptio per translationem Cæsaréam, & denique Pauli exceptio Cæsaréæ à præside.

1. Præparatio contra metum insidiarum posita fuit in consolatione Domini & promissione de Pauli adventu in urbem Romam, v.11.

2. Insidiæ narrantur à v.12. usque ad 16.

3. Detectio insidiarum tres habet gradus. Primùm innotuerunt insidiæ istæ nepoti Pauli ex sorore, v.16. Deinde per illum detectæ sunt Paulo, ibid. Postremò monitu Pauli & operâ centurionis per eundem indicatæ sunt tribuno, à v.17. usque ad 23.

4. Ereptio Pauli ex insidiis & translatio Cæsaréam narratur à v.23. usque ad 34. Ubi primùm indicantur causæ instrumentales: putà tum ministri, v.23. tum jumenta, v.24. Deinde recitatur adjuncta epistola de causa istius translationis, vers. 25. & deinceps. Tum deductio Pauli & translatio ipsa, v.31.32.&33.

5. Exceptio Pauli à præside narratur duobus versibus ultimis. Summa est, quòd præses Paulo promiserit audientiam: & quòd eum jusserit custodiri.

SCHOLIA IN CAP. XXIII.

3 Paries dealbate] τοῖχε κεκονιαμένε. *Id est, hypocrita. Periphrasis metaphorica. Confer Matth.22.27.*

5 Nesciebam &c.] οὐκ ᾔδειν &c. *Dubiũ est, dixeritne Paulus ista seriò, an verò per ironiam. Priori sententiæ favet collatio verborum sequentium,* Scriptum est enim &c. *Quasi dicat: Si scivissem esse pontificem maximum, abstinuissem à convicio, memor interdicti divini. Quòd si ista dixit per ironiam, tum verba illa sequentia tribuenda erunt Lucæ, tanquam exponenti rationem, cur adstantes Paulum reprehenderunt, v. præced.*

8 Neque spiritum] μήτε πνεῦμα. *Id est, animam: siquidem ab Angelo distinguitur. Nisi potiùs dicendum, nomine* πνεύματος *hîc intelligendum angelum: ac proinde illa verba,* μηδὲ ἄγγελον, *tanquam glossema in contextum irrepsisse. Cui conjecturæ favet verbum sequens,* τὰ ἀμφότερα. Ambo ista] τὰ ἀμφότερα. *Id est, Et resurrectionem corporum & angelos atque animas: quæ duo hic tacitè ad unum genus referuntur. Nisi potior est conjectura modò annotata.*

9 Spiritus] πνεῦμα. *Id est,* Spiritus aliquis, *indefinitè: non enim dicitur* τὸ πνεῦμα, *ut intelligi debeat de Spiritu S. Spiritus autem vocabulo intelligunt angelum aliquem, sicut Lucas mox exponit, subjungens* ἢ ἄγγελος: *ut hoc ipso ægrè faciant Sadducæis, quos sciebant angelos negare. Et hic locus confirmat conjecturam quam annotavi ad versum præcedentem, quòd illud* μηδὲ ἄγγελον *irrepserit in contextum, tanquam glossema illius,* μήτε πνεῦμα. Ne repugnemus Deo] μὴ θεομαχῶμεν. *Qui scilicet angelum miserit ad Paulum.*

11 Hierosolymis] εἰς Ἱερουσαλήμ. *Pro,* ἐν Ἱερουσαλήμ. *Sic mox,* εἰς Ῥώμην, *Pro,* ἐν Ῥώμῃ.

12 Factâ coitione] ποιήσαντες συστροφήν. *Id est, conjuratione seu conspiratione.* Donec] ἕως οὗ. *Subaudi,* χρόνε.

13 Plures quadraginta] πλείους τεσσαράκοντα. *Pro,* πλείους ἢ τεσσαράκοντα. Plures quam quadraginta. *Sic infrà v.21.*

14 Devotione devovimus] ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν. *Id est, gravissimè devovimus. Hebraismus.*

15 Indicate] ἐμφανίσατε. *Quasi dicas,* dilucidare. Ex consessus voluntate] σὺν τῷ συνεδρίῳ. *Ad verb.* Cum consessu *seu* concilio.

21 Ne ipsis assentitor] μὴ πεισθῇς αὐτοῖς. *Ut sup.21.14.*

22 Adolescentem] τὸν νεανίαν. **Den jüngling.** *Græcum expressius propter articulum ἀναφορικόν.* Quòd hæc ipsi indicasset] ὅτι ταῦτα ἐνεφάνισας πρός με. *Ad verb.* Quòd hæc declarasti (*seu* patefecisti) apud me. *Similia personâ mutatâ exempla vide suprà 1.4. & 15.5. & 17.3.*

23 Stipatores] δεξιολάβους. *Fortè legendum* δεξιοβόλους. *Vide annotationes D. Bezæ.*

24 Et ut jumenta præberent] κτήνη τε παραστῆσαι. *Hîc sermo rectus permutatur obliquo, unde existit ἀνωμαλία. Nam ut sermo esset regularis: aut hic dicẽdum fuit,* κτήνη τε παραστήσατε, ἵνα ἐπιβιβάσαντες τὸν Παῦλον διασώσητε &c. *vel versu præcedente sit,* εἶπεν (*vel.* ἐκέλευσεν) ἑτοιμάσαι στρατιώτας &c. Impositum] ἐπιβιβάσαντες. *Verbum Græcum specialius est, & propriè significat efficere ut quis conscendat jumentum. Sic Luc.19.35.*

25 Hanc summam] τὸν τύπον τοῦτον. *Sive,* Hanc formam.

27 Erui] ἐξειλόμην αὐτὸν. *In Græco redundat pronomen ex more Hebræorum.* Quum cognovissem] μαθών. *Ad verb.* Quum didicissem. *Metonymia effecti destinati: ideò enim discimus ut cognoscamus. Sic nos,* **Als ich erlernet hatte.**

29 Nullius criminis reum esse] μηδὲν ἔγκλημα ἔχοντα. *Ad verb.* Nullum crimen habentem, *id est, habere. Græcismus.*

30 Eo ipso momento] ἐξ αὐτῆς. *Subaudi,* ὥρας. *E vestigio.* Accusatoribus] τοῖς κατηγόροις. *Græcum expressius propter articulum; qui est ἀναφορικός.*

32 Postero autem die reversi sunt &c.] τῇ δὲ ἐπαύριον ἐάσαντες &c. *In Græco sententiæ sunt trajectæ.*

33 Qui] οἵτινες. *Scil. equites.*

35 Audiam te] διακούσομαί σου. *Quasi dicas,* Peraudiam te. *Sic nos,* **Ich wil dich verhören.**

OBSERVAT. EX CAP. XXIII.

1 Ex v.1. Exemplo Pauli studendum bonæ conscientiæ, ut in-de quum opus erit, consolari nos possimus. *Conscientia.*

2 Ex v.2. Tandem coguntur hypocritæ suâ ipsorum intemperie se prodere. B. *Hypocritæ.*

3 Ex v.3. De injuriis queri, & impios ad Dei tribunal citare licet: modò id sine odio & sedato animo fiat. B. Confer exemplum Christi, quum à famulo pontificis percussus esset. *Injuria.*

4 Ex v.5. Magistratibus ex animo deferendus honor, etiam tyrannis. B. *Subditi.*

5 Ex v.6. Impios licet interdum inter se committere, ut ab oppugnatione veritatis desistant: modò id nullâ veritatis jacturâ fiat. B. *Veritas cælestis.*

6 Ex v.7. Infirma est malorum concordia, quantumlibet ad opprimendam veritatem conspirent. B. *Concordia.*

7 Ex vers.8. Negare angelorum & animarum hypostasin, & mortuorum resurrectionem, vetus Sadducæorum hæresis est. B. *Sadducæorum hæresis.*

8 Ex vers.9. Dominus inter ipsos hostes invenit, quum libet, causæ suæ patronos. B. *Gubernatio Dei.*

9 Ex v.10. & 11. Deus suos ad extremum non deserit. B. *Gubernatio Dei.*

10 Ex v.12. & seq. Stulto zelo correpti, mentiri & occidere, quidvis denique sibi licere arbitrantur. B. Quo ipso ostendunt, se esse diaboli filios, Joh.8.v.44. *Zelus.*

11 Ex v.17. Cum simplicitate conjungenda est prudentia spiritus. B. *Officium hominis Christiani.*

12 Ex v.22. & seq. Non est consilium contra Dominum & ipsius servos. B. *Gubernatio Dei.*

ANALYSIS CAP. XXIV.

ARGUMENTUM.

Hîc narratur quid cum Paulo actum sit Cæsaréæ apud præsidem Felicem. Sunt autem duæ principales capitis partes. In priore narratur processus judicialis cum Paulo institutus coram Felice, us-

quæ ad v.23. In posteriore narrantur actiones quædam Felicis erga Paulum.

PRIMA PARS.

Processus judicialis cum Paulo institutus coram præside Felice.

QUinque autem pòst diebus descendit pontifex maximus Ananias, cum senioribus & Tertullo quodam oratore: qui declararunt præsidi *quæ habebant* contra Paulum.

2 Citato igitur eo, cœpit accusare Tertullus, dicens;

3 Quum multâ pace potiamur per te, quumque *multa* rectè ac feliciter gesta contingant genti huic per tuam prudentiam: semper & ubique *id* accipimus, præstantissime Felix, cum omni gratiarum actione.

4 Ne verò te diutiùs interpellem, precor te ut audias nos paucis pro tua æquitate.

5 Comperimus enim, virum hunc esse pestem, & qui moveat seditionem omnibus Judæis per orbem terrarum, & antesignanum hæresis Nazarenorum.

6 Qui templum quoque tentavit profanare: quem etiam prehensum voluimus secundùm legem nostram judicare.

7 Sed adveniens tribunus Lysias, cum magna vi abduxit eum è manibus nostris:

8 Jussis ipsius accusatoribus ad te venire: ex quo poteris ipse, inquisitione habitâ, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos eum accusamus.

9 Consenserunt autem etiam Judæi, dicentes hæc ita se habere.

10 Respondit autem Paulus, quum innuisset ei præses ut loqueretur, Quia te à multis annis isti genti præfuisse scio, eò meliore animo quæ ad me attinent, pro mei defensione dicam.

11 Quum tu possis certior fieri, non plures *exactos* esse dies quam duodecim, ex quo ascendi adoraturus Hierosolymis.

12 Neque verò me in templo invenerunt cum aliquo disserentem, aut coitionem turbæ facientem, neque in synagogis, neque in urbe:

13 Neque probare possunt ea de quibus nunc me accusant.

14 Hoc verò tibi confiteor, me secundùm viam illam quam hæresin dicunt, ita servire patrio Deo, ut qui credam omnibus quæ in Lege & in Prophetis scripta sunt:

15 *Et* spem habeam in Deum, fore quam etiam ii ipsi exspectant, resurrectionem mortuorum, tum justorum, tum injustorum.

16 Interea verò ipse *me* exerceo ad conscientiam habendam sine offendiculo apud Deum & apud homines semper.

17 Pluribus autem annis interjectis vêni eleemosynas exhibiturus genti meæ & oblationes.

18 Inter quæ invenerunt me sanctificatum in templo, non *tamen* cum turba, neque cum tumultu, quidam ex Asia Judæi.

19 Quos oportuit apud te adesse, & accusare si quid haberent adversum me.

20 Aut hi ipsi dicant si quod invenerunt in me injustè factum, quum ego starem in consessu.

21 Nisi de hac una voce qua clamavi quum inter eos starem, De resurrectione mortuorum ego in judicium vocor hodie à vobis.

22 Auditis autem his, Felix distulit eos, ut qui exquisitè noverat quæ ad viam istam pertinent: inquiens, Quum tribunus Lysias descenderit, pernoscam vestrum negotium.

TRia principaliter hîc narrantur: accusatio Pauli per Tertullum nomine Judæorum Hierosolymitanorum, apologia Pauli, & sententia judicis Felicis. Oratio Tertulli constat quatuor membris: exordio, propositione, prolepsi, & conclusione. Exordium comparatum est ad captandum tum benevolentiam judicis, tum attentionem. Benevolentiam captat laudatione illius, v.3. Attentionem verò petitione, & promissione brevitatis. vers. 4. Propositio continet ipsa crimina quibus Paulum accusarunt: ác primùm crimen generale, quòd sit homo pestilens: deinde specialia tria; quòd moveat seditionem omnibus Judæis per totum orbem, quòd sit princeps sectæ Nazarenorum, v.5. & quòd tentaverit profanare templum, v.6. Prolepsis continet excusationem. Objectio tacita Felicis: Si homo iste contrariam vestræ docet religionem, sique profanare tentavit templum vestrum: cur non judicastis eum secundùm vestram legem, sed permisistis causæ hujus cognitionem ad me deferri? Responsio Tertulli: Id non nostrâ, sed Lysiæ tribuni culpâ factum est. Nos enim prehensum illum voluimus secundùm legem nostram judicare: sed interveniens tribunus Lysias magnâ vi abduxit eum è manibus nostris, jussis ipsius accusatoribus ad te venire, vers. 6.7.& 8. Conclusio continet petitionem, ut Felix inquirat & causam cognoscat, v.8. Huic orationi adjicitur narratio de illius confirmatione per consensum atque testimonium Judæorum qui coram Felice comparuerant, v.9. Apologia Pauli tribus principalibus membris constat: exordio, responsione ad crimina objecta, & innocentiæ suæ demonstratione. In exordio profitetur suam æquanimitatem in causa dicenda coram hoc judice, ut qui ad hoc judicium sit idoneus: quum ei de istis criminibus possit constare, v.10.& 11. In responsione ad crimina utitur partim inficiatione, partim confessione. Inficiatur crimen profanati à se templi & motæ seditionis, v.12. item 17.& 18. Confitetur se amplecti fidem Christianam: sed negat illam esse sectam, id est, religionem ab hominibus excogitatam, ac proinde falsam, v.14. Hanc autem confessionem illustrat commemoratione vitæ suæ sanctæ, v.14. & 16. Et fidei suæ sive religionis veritatem confirmat à consensu Legis & prophetarum, v.14. Item ex parte à consensu suorum adversariorum, v.15. Porrò innocentiam suam demonstrat partim à defectu testium idoneorum, v.13. & 19. partim à defectu justæ causæ irritationis adversariorum, vers. 20. & 21. Hæc de apologia Pauli. Sententia judicis Felicis fuit, sibi non liquere, ac proinde se causam alio tempore exquisitiùs cogniturum, v.22.

SECUNDA PARS.

Actiones quædam Felicis erga Paulum.

23 Edixit etiam centurioni ut servaretur Paulus ac laxaretur, & ne quem prohiberet ex ipsius familiaribus ei ministrare, aut eum adire.

24 Aliquot autem pòst diebus quum adesset Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, accersivit Paulum, & audivit eum de fide quæ est in Christum.

25 Disserente autem ipso de justitia, & continentia, & judicio futuro, expavefactus Felix respondit, Ad præsens abi: opportunitatem autem nactus accersam te.

26 Simul & illud sperans, fore ut pecunia ipsi daretur à Paulo, ut eum *vinculis* exsolveret: quamobrem etiam frequentiùs eum accersens, colloquebatur cum eo.

27 Biennio autem expleto accepit successorem Felix Porcium Festum: & volens gratiam inire à Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

Actiones Felicis erga Paulum narrantur in summa quatuor: quarum prima & ultima, fuerunt publicæ seu judiciales; duæ intermediæ verò, privatæ atque familiares. Primùm igitur præcepta dedit centurioni de ratione Pauli in vinculis servandi, v.23. Deinde audivit Paulum disserentem de fide Christiana, vers. 24. & 25. Quæ actio amplificatur primùm ex adjuncto comite, videlicet uxore. Deinde ex argumento sive subjecto sermonis Pauli: quòd disseruerit (nempe præter doctrinam de fide) de justitia & continentia & judicio futuro: quia videbat Felicem & uxorem illius contrariis vitiis laborare. Tum adduntur eventa tria: unum, quòd Felix fuerit expavefactus, nempe doctrinâ de judicio futuro: alterum, quòd Paulum à se dimiserit cum silentio (id est, non expositâ sententiâ suâ de doctrina ab illo proposita) & cum promissione aliâs iterum accersendi eum, innuens nimirum, sibi doctrinam à Paulo propositam non prorsus displicere. Tertium eventum fuit, quòd Felix speravit se pecuniam à Paulo accepturum, ut eum ex vinculis exsolveret: quippe quum sentiret Paulus, Felicem bene erga se esse affectum. Tertia actio, ad eundem δωροδοκίας finem directa, fuit: quòd Felix Paulum crebrò accersens, familiariter cum eo collocutus fuit. Quarta denique & postrema actio fuit, quòd ex provincia decedens, Paulum vinctum reliquit. Quæ actio illustratur à fine: nempe quòd voluerit gratiam inire à Judæis.

SCHOLIA IN CAP. XXIV.

1 Declararunt præsidi quæ habebant contra Paulum] ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι κατὰ τοῦ Παύλου. *Ante* κατὰ *subaudio* τὰ: *&* ἐμφανίζειν *expono ut suprà 23.22. Confer etiam infrà 25.15.*

3 Semper] πάντῃ. *Sic reddo cum vetere interprete, quia sequitur* πανταχοῦ. *quasi dicat, Omnibus & temporibus & locis.*

4 Paucis]

4 Paucis] συντόμως. Succinctè. Scil. λεγόντων, dicturos.
5 Pestem] λοιμόν. Id est, pestilentem seu pestiferum. Metonymia effecti hyperbolica. Per orbem terrarum] κατὰ τὴν οἰκουμένην. Subaudi γῆν. Ad verb. Per habitabilem, scil. terram. Antesignanum] πρωτοστάτην. Metaphora à re militari: nam πρωτοστάτης dicitur qui primus stat in acie. Hæresis] τῆς αἱρέσεως. Id est, eorum qui amplectuntur heresin Nazarenorum. Metonymia subjecti. Heresin autem Nazarenorum vocat religionem Christianorum ut qui amplectantur doctrinam Jesu Nazareni.
7 Interveniens] παρελθών. Sive, adveniens.
8 De quibus] ὧν. Pro, περὶ ὧν.
10 Pro mei defensione dicam] ἀπολογοῦμαι. Pro, ἀπολογήσομαι.
11 Duodecim] δεκαδύο. Pro, δώδεκα. Sic suprà 19.7. Ex quo ascendi] ἀφ' ἧς ἀνέβην. Id est, ἀπ' ἐκείνης ἡμέρας ἧ ἀνέβην. Ascendi autem, id est, perveni, ut suprà 21.31. Metonymia effecti destinati.
13 Probare] παραστῆσαι. Ad verb. Sistere. Germ. darthun.
14 Viam] ὁδόν. Id est, religionem: ut sup. 22. v. 4. Dicunt] λέγουσι. Scil. accusatores mei. Confer sup. v. 5.
16 Interea] ἐν τούτῳ. Scil. χρόνῳ. Semper] διαπαντός. Id est, διὰ παντὸς χρόνου.
17 Oblationes] προσφοράς. Conf. sup. 21. v. 26.
18 Inter quæ] ἐν οἷς. Id est, Quæ dum ago.
19 Voce qua clamavi] φωνῆς ἧς ἐκέκραξα. Pro, ἣν ἐκέκραξα. Græcismus.
22 Distulit eos] ἀνεβάλετο αὐτούς. Vel, ampliavit eos. Id est, cognitionem causæ, & sententiæ pronuntiationem rejecit in aliud tempus. Exquisitè] ἀκριβέστερον. Pro, ἀκριβῶς. Enallage gradus: qualis sup. 17. v. 21. Ad viam istam] περὶ τῆς ὁδοῦ. Nempe ad religionem Christianam, quam Tertullus nominaverat heresin Nazarenorum.
23 Edixit etiam] διαταξάμενός τε. Subaudi, ὤν: pro, καὶ διέταξε. Ac laxaretur] ἔχειν τε ἄνεσιν. Ad verb. Haberetque relaxationem. Familiaribus] τῶν ἰδίων. Ad verbum, Propriis.
25 Expavefactus] ἔμφοβος γενόμενος. Metu correptus seu repletus.
27 Gratiam inire à Judæis] χάριτας καταθέσθαι τοῖς Ἰουδαίοις. Ad verb. Gratias deponere Judæis.

OBSERVAT. EX CAP. XXIV.

Hypocrita. 1 Ex v. 1. & seq. Hypocritæ quod ne vi nec fraude possunt, tandem juris specie nituntur obtinere. B.

Veritas. 2 Ex v. 10. & seq. Exemplo Pauli veritas coram judice intrepidè & sincerè confitenda ac narranda est.

Gubernatio Dei. Veritas. 3 Ex vers. 23. Fidus est suorum custos Dominus: & incredibilis quædam virtus veritatis, etiam inter homines alioqui profanos B.

Homines profani. 4 Ex v. 25. & 26. Homines profani & avari expavescunt quidem admoniti de judicio Dei: sed non penitus afficiuntur, ita ut seriò studeant cognoscere quomodo in illo possint consistere.

Homines profani. 5 Ex vers. 27. Quibus non est cordi pietas, illi in gratiam potentiorum deferunt miseros: quos tutari aut eripere poterant ac debebant.

ANALYSIS CAP. XXV.

ARGUMENTUM.

Hic narratur, quid ampliùs Cæsaréæ cum Paulo actum sit. Primùm coram præside Festo, usque ad v. 13. Deinde coram rege Agrippa, versibus reliquis.

PRIMA PARS.

Quid Cæsaréæ cum Paulo actum sit coram præside Festo.

Festus ergo ingressus provinciam, triduo pòst ascendit Hierosolymam Cæsaréâ.
2 Declararunt autem ei Pontifex maximus & primarii ex Judæis *quæ habebant* contra Paulum: & eum precati sunt,
3 Petentes gratiam adversus eum, ut accerseret eum Hierosolymam; facturi insidias ut eum in via interimerent.
4 Festus autem respondit, servari Paulum Cæsaréæ, se verò citò *illuc* profecturum.
5 Qui ergo inter vos, inquit, possunt, unà descendant: & si quid est in hoc viro improbum, accusent eum.
6 Quum autem contrivisset apud eos dies non plures quàm decem, descendit Cæsaréam; & postero die quum consedisset in tribunali, jussit Paulum adduci.
7 Qui quum venisset, circumsteterunt *eum* qui Hierosolymis descenderant Judæi, multas & graves criminationes adferentes adversus Paulum, quas non valebant demonstrare:
8 Quum ipse pro sui defensione diceret, Neque in legem Judæorum, neque in templum, neq; in Cæsarem quicquam peccavi.
9 Sed Festus volens gratiam inire à Judæis, respondens Paulo, dixit; Vis Hierosolymam ascendere, & illic de his judicari apud me?
10 Dixit autem Paulus, Ad tribunal Cæsaris sto, ubi me oportet judicari. Judæis nulla in re injuriam feci, sicut & tu pulchrè nosti.
11 Nam si quam injuriam ac dignum morte aliquid feci, non recuso mori; sin verò nihil est *eorum* quorum isti me accusant, nemo potest me illis condonare: Cæsarem appello.
12 Tunc Festus cum consilio colloquutus, respondit, Cæsarem appellasti? ad Cæsarem proficisceris.

Tria hic principaliter narrantur. Primùm quæ processum istum judicialem coram Festo præcesserunt: deinde processus ipse: postremò eventus. Processum præcesserunt tria. Primùm Judæi à Festo Hierosolymæ petiverunt, ut Paulum eò accerseret, tribus primis versibus. Ista petitio illustratur à fine: qui fuit, ut Paulum in via per insidias interimerent, v. 3. Deinde Festus recusavit Paulum Hierosolymam accersere, & potestatem fecit Judæis ut secum descendentes Cæsaréam, illic eum coram se accusarent, vers. 4. & 5. Postremò Judæi cum Festo Cæsaréam profecti sunt, v. 6. Processus duobus constat principalibus membris: actione inter partes litigantes, & actione judicis cum reo. Prior actio rursum duo habet membra, accusationem, vers. 7. & negationem criminum objectorum, v. 8. Actio judicis cum reo, fuit obliqua suasio ut se judicio sisteret Hierosolymæ, v. 9. Hæc actio illustratur ex eventu, videlicet recusatione Pauli & appellatione Cæsaris, v. 10. & 11. Recusatio illustratur ex adjecta ratione, videlicet innocentia Pauli & injustitia petitionis ~~Felicis~~, Festi versibus iisdem. Eventus totius processus fuit sententia Felicis, quòd Paulo ad Cæsarem sit proficiscendum, v. 12.

SECUNDA PARS.

Quid Cæsaréæ cum Paulo actum sit coram rege Agrippa.

13 Diebus autem aliquot exactis, Agrippa rex & Bernice venerunt Cæsaréam, salutaturi Festum.
14 Et quum dies complures illic contrivissent, Festus regi exposuit quæ ad Paulum *spectabant*, dicens; Vir quidam est relictus à Felice in vinculis:
15 De quo, quum essem Hierosolymis, declararunt mihi principes sacerdotum & seniores Judæorum, petentes damnationem adversus eum.
16 Quibus respondi, non esse Romanis morem, quempiam perdendum concedere, priusquam is qui accusatur, in conspectu habeat accusatores, & locum defensionis accipiat super criminatione.
17 Quum ergo huc convenissent: absque ulla dilatione, consequenti die, quum consedissem in tribunali, jussi adduci hominem.
18 De quo accusatores quum adstarent, nullum crimen objiciebant eorum quæ ego suspicabar.
19 Sed quæstiones quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, & de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.
20 Dubitans autem ego quod ad quæstionem de hac reattinet, dixi num vellet proficisci Hierosolymam, & illic judicari super istis.
21 Quum verò Paulus appellasset ut servaretur Augusti cognitioni, jussi eum servari donèc mitterem eum ad Cæsarem.
22 Agrippa verò dixit Festo; Velim & ipse hominem audire. At ille, Cras, inquit, eum audies.
23 Postero igitur die quum venisset Agrippa & Bernice cum multa ostentatione, & introisset in auditorium cum tribunis & eminentibus ejus urbis civibus; jubente Festo adductus est Paulus.
24 Tum Festus; Agrippa rex, inquit, & omnes qui simul adestis nobiscum, conspicitis istum de quo omnis multitudo Judæorum compellavit me & Hierosolymis & hîc, vociferantes non oportere eum vivere ampliùs.
25 Ego verò quum comperissem, nihil dignum morte eum fecisse, & is ipse appellasset Augustum, decrevi eum mittere.
26 De quo certi quid scribere domino non habeo, quapropter produxi eum ad vos, & maximè ad te, rex Agrippa, ut inquisitione habitâ, habeam quod scribam.

27 Nam præter rationem mihi videtur, quum mittam vinctum, non etiam crimina in eum *collata* significare.

Duo in summa hic narrantur. Primùm occasio qua factum est ut Paulus in conspectum Agrippæ produceretur, usq; ad v.23. Deinde productio ipsa, versibus reliquis. Occasionem huic productioni præbuit adventus Agrippæ Cæsaréam, ad invisendum Festum: unde factum ut causâ Pauli ex illo auditâ, peteret ipsummet audire. Productio ipsa illustratur primùm à magnificentia personarum in quarum conspectum adductus fuit Paulus, v.23. Deinde à sermone Festi ad Agrippam cæterosque auditores de causa cur Paulum ad eos produxerit: nempe ut ex sermone illius crimina in eum collata cognoscat, eaque ad Cæsarem perscribat, v.24. & deinceps.

SCHOLIA IN CAP. XXV.

2 *Quæ habebant* contra Paulum] κτ̄ Παύλου. *Subaudio* τὰ, *ut suprà 24.1.*

3 Facturi insidias] ἐνέδραν ποιοῦντες. *Pro,* ποιήσοντες: *si scil. Festus ipsorum petitioni locum dedisset.*

9 Gratiam inire à Judæis] τοῖς Ἰουδαίοις χάριν καταθέσθαι. *Ad verb.* Judæis gratiam deponere. *Sic suprà 24.27.* Apud me] ἐπ' ἐμοῦ. *Vel,* Sub me.

10 Nulla in re] οὐδέν. *Subaudi* κτ̄. Pulchrè] κάλλιον. *Ad verb.* Pulchriùs.

11 Nam si quam injuriam &c.] εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ. *Ad verb.* Nam si injuriam facio, *vel uno verbo,* injurior. *Enallage temporis.* Eorum quorum accusant] ὧν κατηγοροῦσι. *Pro,* ἐκείνων ἃ κατηγοροῦσι. *Græcismus.*

12 Cum consilio] μετὰ τοῦ συμβουλίου. *Id est, cùm iis qui Festo tanquam judices assidebant. Metonymia subjecti: nam in consilio inter se communicando judices occupantur. Et hoc tropo Cicero quoque usus est pro Rosc. Amerino, ubi judices affatur his verbis:* Qui ex civitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter severitatem. Cæsarem appellasti? ad Cæsarem proficiscêris] Καίσαρα ἐπικέκλησαι; ἐπὶ Καίσαρα πορεύσῃ. *Elegans loquendi forma. Id est, Quoniam Cæsarem appellasti, ad Cæsarem proficiscêris. Affinia exempla vide 1 Cor.7. v.18. & 21. & 27. item Rom.13.3. Quæ tamen in hoc differunt à præsente exemplo, quòd in illis expositio facienda est non per* Quoniam, *sed per* Si: *id est, non per causalem conjunctionem, sed per connexivam.*

14 In vinculis] δέσμιος. *Ad verb.* Vinctus, *nominaliter voce acceptâ. Ideo consulendum fuit perspicuitati, ne* Vinctus *putetur esse participium, quod regatur à verbis illis,* A Felice: *quum sit nomen quod regitur à verbo* Relictus est.

15 Hierosolymis] εἰς Ἱεροσόλυμα. *Pro,* ἐν Ἱεροσολύμοις. Damnationem] δίκην. *Pro,* καταδίκην: *ex collatione versus sequentis. Synecdoche generis.*

16 Perdendum] εἰς ἀπώλειαν. *Ad verbum,* Ad perditionem. Concedere] χαρίζεσθαι. *Donare. Catachresis. Nam ne causâ quidem cognitâ, Romani reum adversariis condonabant seu concedebant pro lubitu puniendum.*

17 Consequenti die] τῇ ἑξῆς. *Scilicet* ἡμέρᾳ. Hominem] τὸν ἄνδρα. *Ad verb.* Virum illum, *nempe Paulum. nam articulus est* ἀναφορικός.

18 De quo] περὶ οὗ. *Hæc pendent à verbo* ἐπέφερον, *objiciebant.* Objiciebant] ἐπέφερον. *Vel,* Proferebant, in medium afferebant. Eorum quæ ego suspicabar] ὧν ὑπενόουν ἐγώ. *Pro,* ἐκείνων ἃ ὑπενόουν. *Græcismus.*

20 Quod ad quæstionem de hac re attinet] εἰς τὴν περὶ τούτου ζήτησιν. *Subaudio* ἀναβλέπων, *respiciens. Nisi mavis* εἰς ζήτησιν *positum pro* ἐν ζητήσει, *per heterosin Lucæ usitatam.* Num vellet] εἰ βούλοιτο. *Ad verb.* Si vellet. *Græcismus.*

21 Augusti] Σεβαστοῦ. *Sic honoris causâ nominat Cæsarem ex more Romanorum.*

23 Bernice] *Agrippæ soror.* Ostentatione] φαντασίας. *Vel,* splendore. *Lutherus reddidit* geprenge, *accommodatissimo vocabulo.* Eminentibus] τοῖς κατ' ἐξοχὴν οὖσι. *Ad verb.* Qui secundùm eminentiam sive excellentiam erant. Jubente] καὶ κελεύσαντος. *Conjunctio* καὶ *aut redundat, aut ponitur more Hebræorum pro* τότε. *hîc enim incipit apodosis periodi, seu consequens enuntiati: quod est relativum temporis.*

26 Certi quid] ἀσφαλές τι. *Sic supr.22.30.* Domino] τῷ κυρίῳ. *Id est, Cæsari. Synecdoche generis.*

OBSERVAT. EX CAP. XXV.

Gubernatio Dei. 1 Ex v.1. & seq. Diligentes sunt ministri Satanæ in captandis omnibus occasionibus: sed excubans Dominus pro suis, omnia eorum consilia nullo negotio impedit. B.

Gubernatio Dei. 2 Ex vers.9. & seq. Dominus malorum consilia non tantùm avertit, sed etiam in ipsorum caput retorquet. B.

Gubernatio Dei. 3 Ex v.13. & seq. Singulari Dei providentiâ fit, ut innocentia piorum magis ac magis in lucem proferatur.

Homines profani. 4 Ex v.19. Homines profani ex intestinis doctorum ecclesiæ rixis occasionem veræ doctrinæ damnandæ arripiunt.

Homines profani. 5 Ex v.22. Homines profani cupiunt interdum cognoscere doctrinam cælestem, sed non sincero animo, ut scilicet illam amplectantur.

ANALYSIS CAP. XXVI.

ARGUMENTUM.

Continuatur narratio superiore capite cœpta, de actis Pauli coram rege Agrippa: ac duo in summa narrantur, sermo Pauli ad illum cæterosq; auditores, & sermonis illius eventa.

PRIMA PARS.

Sermo Pauli ad Agrippam.

Agrippa verò Paulo dixit, Permittitur tibi pro teipso dicere. Tunc Paulus extentâ manu, hac defensione usus est:

2 Super omnibus de quibus accusor à Judæis, rex Agrippa, beatum me duco quòd sim hodie causam apud te dicturus:

3 Maximè quòd te gnarum esse sciam omnium quæ apud Judæos sunt & consuetudinum & quæstionum. ideo rogo te ut patienter me audias.

4 Vitam igitur meam actam à juventute, quæque à principio fuit in gente mea Hierosolymis, sciunt omnes Judæi:

5 Ut qui antea noverint, me jam inde à majoribus (si velint testari) secundùm exquisitissimam illam hæresin nostræ religionis vixisse Pharisæum:

6 Nunc verò ob spem promissionis patribus factæ à Deo, sto in judicium vocatus:

7 Ad quam duodecim tribus nostræ, *Deo* nocte & die intentè servientes, sperant se perventuras. de qua spe accusor, rex Agrippa, à Judæis.

8 Quid? Incredibile judicatur apud vos quòd Deus mortuos excitet?

9 Equidem statueram apud me, adversus nomen Jesu Nazareni multa oportere *me* contraria facere.

10 Quod etiam feci Hierosolymis: & multos sanctorum ego carceribus inclusi, à principibus sacerdotum potestate acceptâ: & quum ab *eis* interimerentur, tuli suffragium.

11 Ac per omnes synagogas sæpe ipsos puniens coëgi ad blasphemandum: & supra modum furens adversus eos, persequutus sum *ipsos* etiam in exteras usque civitates.

12 Inter quæ etiam proficiscens Damascum cum potestate & procuratione à principibus sacerdotum *datâ*,

13 Die medio, rex, in via vidi cælitus lucem, quæ splendorem solis superans circumfudit me suo splendore & eos qui mecum iter faciebant.

14 Quum autem omnes nos collapsi essemus in terram, audivi vocem alloquentem me, ac dicentem Hebraicâ linguâ; Saul, Saul, quid me persequeris? durum *erit* tibi contra stimulos calcitrare.

15 Ego autem dixi, Quis es, domine? At ille dixit, Ego sum Jesus quem tu persequeris.

16 Sed exsurge, & sta in pedes tuos: idcirco enim apparui tibi ut designarem te ministrum ac testem tum eorum quæ vidisti, tum eorum in quibus apparebo tibi:

17 Eruens te ex hoc populo, & Gentibus, ad quos nunc te mitto,

18 Ut aperias oculos eorum, & convertas *eos* à tenebris ad lucem, & *à* potestate Satanæ ad Deum, ut remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos accipiant, per fidem quæ est in me.

19 Unde, rex Agrippa, non fui rebellis cælesti illi apparitioni.

20 Sed iis qui sunt Damasci primùm, & Hierosolymis, & in omni regione Judææ, *deinde* & Gentibus annuntiavi ut resipiscerent & converterent *se* ad Deum, opera facientes convenientia resipiscentiæ.

21 Horum causâ Judæi me in templo comprehensum tentarunt manibus *suis* interficere:

22 Sed auxilium quod *est* à Deo; nactus perstiti in hunc usque diem, testificans *ista* tum parvis tum magnis, nec quicquam dicens extra ea quæ prophetæ ac Moses futura prædixerunt:

23 Nempe

23 *Nempe* Christum fuisse passurum, ac primum ex resurrectione mortuorum, lucem annuntiaturum huic populo & Gentibus.

Sermoni præmittitur præparatio, in duabus rebus posita: permissione dicendi & dicturi gestu. Sermo constat exordio, narratione vitæ Pauli, & demonstratione doctrinæ ipsius. In exordio profitetur gaudium suum, quòd sibi causa dicenda sit coram Agrippa, petitque patientiam in audiendo, v.2.&3. Narratio vitæ tria habet principalia membra. Primùm enim narrat quæ egit ante suam ad fidem Christianam conversionem, à vers.4. usque ad 12. deinde narrat conversionem ipsam, unà cum vocatione ad apostolatum, à v.12. usque ad 19. postremò quæ egit post illam, v.19.& 20. In narratione vocationis Pauli ad apostolatum continetur pulchra apostolatus descriptio ex finibus, iisdemque effectis, numero quinque; videl. conversione, fide, remissione peccatorum, sanctificatione & vitâ æternâ, v.18. Doctrinam suam demonstrat primùm à testimonio sanctorum patrum, v.6. deinde à testimonio sanctorum Judæorum illius ætatis, v.7. tum à potentiâ Dei, v.8. Postremò à testimonio Scripturæ, v.22.& 23.

SECUNDA PARS.

Eventa sermonis Pauli ad Agrippam habiti.

24 Hæc autem ipso ad sui defensionem dicente, Festus magnâ voce ait; Insanis Paule: multæ literæ te ad insaniam adigunt.

25 Tunc ille, Non insanio, inquit, præstantissime Feste, sed vera ac sobria verba eloquor.

26 Scit enim ista rex, apud quem etiam liberè loquor: nam latêre eum quicquam horum, nequaquam mihi persuadeo. neque enim id in angulo gestum est.

27 Credis, rex Agrippa, prophetis? scio te credere.

28 Agrippa verò dixit Paulo, Propemodum persuades mihi ut fiam Christianus.

29 Tum Paulus dixit, Optarim à Deo ut & propemodum & admodum non tu modò, sed omnes etiam qui me audiunt hodie, facti essetis tales qualis ego sum, exceptis istis vinculis.

30 Quumque hæc dixisset: surrexit rex, ac præses, & Bernice, & qui consederant cum eis.

31 Et quum secessissent, loquebantur alii ad alios, dicentes, Nihil morte aut vinculis dignum facit homo iste:

32 Agrippa verò Festo dixit; Dimitti poterat homo iste, nisi appellasset Cæsarem.

Eventa sermonis à Paulo habiti narrantur quatuor. Primum in Festo: secundum in Agrippa: tertium in toto consessu: quartum iterum in Agrippa. Festus dixit Paulum insanire, v.24. Huic criminationi Paulus contradixit, & provocavit ad judicium Agrippæ, v.25.26.& 27. Agrippa dixit, se propemodum persuaderi ut fiat Christianus, v.28. Paulus excepit, se id exoptare tum illi tum reliquis qui aderant, vers.29. Totus consessus dixit inter se, Paulum esse innocentem, v.30.& 31. Agrippa dixit Festo, potuisse Paulum dimitti nisi appellasset Cæsarem.

SCHOLIA IN CAP. XXVI.

2 Duco] ἥγημαι. *Pro,* ἡγοῦμαι.

3 Maximè quòd te gnarum esse sciam] μάλιστα γνώστην ὄντα σε εἰδώς: *Deest in nonnullis exemplaribus participium* εἰδώς: *sed illud redditum est à paraphraste Syro.* Consuetudinum] ἐθῶν. *Id est, rituum seu cærimoniarum. Synecdoche generis.*

4 Vitam actam] τὴν βίωσιν. *Quasi dicas,* Victionem.

5 Hæresin] αἵρεσιν. *Sive sectam. Erant enim tunc tres hæreses sive sectæ apud Judæos: Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum.*

6 Patribus] πρὸς τοὺς πατέρας. Ad patres. *Scil. nostros. quod innuit articulus.* Sto] ἕστηκα. *Ad verb.* Steti. *Enallage temporis Hebraica.* In judicium vocatus] κρινόμενος. *Vel,* reus: *vel,* & judicor.

7 Ad quam] εἰς ἣν. *Scil.* ἐπαγγελίαν, *promissionem, id est, rem promissam, nempe vitam æternam. Metonymia adjuncti. Vel,* Ad quam spem. *Id est, rem speratam. Eodem sensu, & per eundem tropum.* Duodecim tribus] τὸ δωδεκάφυλον. *Id est,* αἱ δώδεκα φυλαί. Intentè] ἐν ἐκτενείᾳ. *Pro,* μετ᾽ ἐκτενείας, *cum intentione. Periphrasis adverbii Hebraica.*

10 Et multos] καὶ πολλούς. *Id est,* Nam multos. *Sequitur enim declaratio specialis confessionis generalis quæ præcessit.* Tuli suffragium] κατήνεγκα ψῆφον. *Ad verb.* Detuli calculum. *Id est, approbavi. Confer suprà 22.20.*

11 Furens adversus eos] ἐμμαινόμενος αὐτοῖς. *Pro,* μαινόμενος ἐν αὐτοῖς, *id est,* εἰς αὐτούς. *Græcismus & Hebraismus.*

12 Inter quæ] ἐν οἷς. *Ut suprà 24.18.* A principibus sacerdotum *data*] τῆς παρὰ τῶν ἀρχιερέων. *Scil.* δοθείσης.

16 Tum eorum quæ vidisti &c.] ὧν τε εἶδες, ὧν τε ὀφθήσομαί σοι. *Pro,* ἐκείνων τε ἃ εἶδες, καὶ ἐκείνων ἐν οἷς ὀφθήσομαι σοί.

17 Gentibus ad quos] τῶν ἐθνῶν εἰς οὓς. *Pro,* εἰς ἅ. *Syntaxis refertur non ad vocem, sed ad sensum. Per gentes enim intelliguntur homines. Synesis, quæ vulgò synthesis.*

19 Rebellis] ἀπειθής. *Sive, inobediens.* Cælesti illi apparitioni] τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ. Der himlischen erscheinung. *Quid intersit inter* ὀπτασίαν, *apparitionem, &* ὅραμα *sive* ὅρασιν, *visionem seu visum, dixi in Matth.17.8.*

20 Et in omni regione] εἰς πᾶσάν τε τὴν χώραν. *Pro,* ἐν πάσῃ τῇ χώρᾳ. *Heterosis Hebraica.* Annuntiavi] ἀπήγγελλον. *Quidam codices habent* ἀπαγγέλλων. *Scilicet* ἦλθον. *Per Hebraismum.* Convenientia resipiscentiæ] ἄξια τῆς μετανοίας. *Ad verb.* Digna resipiscentiâ. *Syrus* דשׁוין לתיבותא *deschavin lattejabuthâ, id est,* qui æquales sint conversioni: *hoc est, qui deceant conversionem.*

22 Quod est à Deo] τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ. *Scil.* γενομένης. Tum parvis tum magnis] μικρῷ τε καὶ μεγάλῳ. *Ad verb.* Et parvo & magno. Baides klainhans vnd grosshans. *Id est, tum plebeiis tum illustribus personis.* Extra ea quæ prophetæ ac Moses futura prædixerunt] ἐκτὸς ὧν τε οἱ προφῆται ἐλάλησαν μελλόντων γίνεσθαι καὶ Μωσῆς. *Pro,* ἐκτὸς ἐκείνων τῶν μελλόντων γίνεσθαι ἃ οἵ τε προφῆται ἐλάλησαν καὶ Μωσῆς. *Trajectio & Græcism.*

23 Nempe Christum fuisse passurum &c.] εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς &c. *Ad verb.* Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum lucem annuntiaturus sit. *Id est, An futurum sit ut patiatur Christus, an primus &c.* Ex resurrectione mortuorum] ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. *Bifariam potest accipi. Vel,* Ex iis qui resurgunt à mortuis: *vel,* à resurrectione mortuorum, *id est, postquam resurrexerit à mortuis. Secundùm priorem expositionem præpositio* ἐξ *pendet à nomine* πρῶτος: *secundùm posteriorem à verbo* καταγγέλλειν. *Priori expositioni congruit dictum Pauli Col.1.18.* ὅς ἐστιν ἀρχὴ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν.

25 Vera ac sobria verba] ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα. *Ad verb.* Veritatis & sobrietatis verba. *Hebraismus.*

26 Nequaquam mihi persuadeo] οὐ πείθομαι οὐδέν. *In Græco gemina negatio, fortius negans, more Græcorum.*

31 Facit] πράσσει. *Pro,* fecit, πέπραχε. *Enallage temporis.*

OBSERVAT. EX CAP. XXVI.

1 Ex v.2.& seq. Exemplum ingenuæ defensionis, & confessionis doctrinæ cælestis. *Confessio.*

2 Ex vers.18. Evangelii finis seu scopus est, ut homines adducat ad fidem in Christum, & per fidem ad possessionem vitæ æternæ. *Evangelium.*

3 Ex v.22. Doctrina Evangelii cum doctrina Mosis à prophetarum consentit, atque adeò in illis fundata est. Quare libri Mosis & prophetarum in ecclesia Christiana sunt retinendi, & proponendi atque explicandi. Confer Joh.5.v.39.& 46. Luc.ult.44. 1.Cor.15.v.3.& 4. 2.Pet.1.v.19. *Evangelium.*

4 Ex v.24. & 25. Sapientia Dei est profanis hominibus insania: sed nihilominus constanter asserenda est veritas. B. Confer 1.Cor.1. v.18. & seq. *Profani.*

ANALYSIS CAP. XXVII.

ARGUMENTUM.

Hic narratur, quibus itineribus Paulus, Romam deducendus, unà cum sociis seu vectoribus reliquis venerit in insulam Melitam: & quomodo ipse unà cum illis ex naufragio salvus evaserit.

Ut autem decretum fuit ut nos abnavigaremus in Italiam, tradiderunt tum Paulum, tum quosdam alios vinctos centurioni, nomine Julio, cohortis Augustæ.

2 Conscenso igitur navigio Adramitteno, navigaturi secundùm Asiæ regiones, profecti sumus, & nobiscum erat Aristarchus Macedo Thessalonicensis.

3 Altero autem *die* devecti sumus Sidonem, & Julius humaniter tractato Paulo, permisit ut ad amicos profectus, ab illis curaretur.

4 Illinc verò profecti sublegimus Cyprum, quòd venti essent adversi.

5 Et pelagus quod est secundùm Ciliciam & Pamphyliam, emensi, devenimus Myra *urbem* Lyciæ.

6 Et illic nactus centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, imposuit nos in eam.

7 Quumq; multis diebus tardè navigaremus, vixq; pervenissemus secundùm Cnidum, non admittente nos vento, sublegimus Cretam secundùm Salmonen:

8 Et illam vix præterlegentes, pervenimus in locum quendam quem vocant Pulchros portus, cui propinqua erat civitas Lasæa.

9 Multo autem tempore elapso; & quum jam esset periculosa navigatio, quòd jam etiam jejunium præteriisset, adhortabatur eos Paulus:

10 Dicens eis; Viri, video cum injuriâ multoque

damno non solùm oneris & navis, sed etiam capitum nostrorum, futuram navigationem.

11 Centurio autem gubernatori & nauclero potiùs assentiebatur quàm iis quæ à Paulo dicebantur.

12 Et quum appositus portus non esset ad hybernandum, plerique ceperunt consilium solvendi etiam illinc, *experturi* si quo modo possent Phœnica pervenire, & illic hybernare: qui portus est Cretæ, spectans ad Africum & Chorum.

13 Quum autem aspirasset Notus, visi sibi propositi compotes, quum solvissent, propiùs prælegebant Cretam.

14 Verùm haud multò post impegit in eam ventus turbulentus qui vocatur Euroclydon.

15 Quumque abreptum esset navigium, nec posset obniti vento, dato *navigio flatibus*, ferebamur.

16 Et quum infra parvam quandam insulam quæ Clauda vocatur, cursu delati essemus, vix valuimus scaphæ compotes fieri.

17 Quâ subductâ, adjumentis utebantur, succingentes navim: timentesque ne in Syrtim inciderent, summissis velis, ita ferebantur.

18 Quum autem vehementi tempestate jactaremur, sequenti *die* jacturam fecerunt:

19 Ac tertio die ipsi nostris manibus armamenta navis abjecimus.

20 Quum autem neq; sol neque sidera apparuissent ad complures dies; & tempestas non parva incumberet, jam ablata erat omnis spes salutis nostræ.

21 Et quum multa jam fuisset inedia, tunc Paulus quum constitisset in medio eorum, dixit; Oportebat quidem, ô viri, mihi obediendo non provehi à Creta, & vitare injuriam hanc & damnum.

22 Sed nunc adhortor vos ut bono animo sitis: jactura enim nulla erit cujusquam ex vobis, sed tantùm navis.

23 Adstitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cujus sum ego, cui etiam servio:

24 Dicens, Ne metue Paule, oportet te Cæsari sisti: & ecce, donavit tibi Deus omnes qui tecum navigant.

25 Propterea bono animo estote, viri: credo enim Deo, ita fore quemadmodum loquutus est mihi.

26 In insulam autem quandam excidere nos oportet.

27 Cæterùm quum quartadecima nox advenisset, & jactaremur in Adria, nautæ circa medium noctis suspicati sunt appropinquare sibi aliquam regionem.

28 Et demissâ bolide invenerunt passus viginti: & paululum inde progressi, rursum demissâ bolide, invenerunt passus quindecim.

29 Timentesque ne quo modo in aspera loca excidерent, jactis è puppi anchoris quatuor, optabant diem oriri.

30 Quum verò nautæ studerent fugere è navi, & demisissent scapham in mare, sub obtentu velut è prora anchoras extensuri;

31 Dixit Paulus centurioni & militibus, Nisi isti in navi manserint, vos servari non potestis.

32 Tunc absciderunt milites funes scaphæ, & siverunt eam excidere.

33 Interim autem dum orirетur dies, hortabatur Paulus omnes ut caperent cibum, dicens, Dies hic est decimusquartus ex quo exspectantes, jejuni permanetis, nihil *cibi* sumentes:

34 Ideo vos hortor ut sumatis cibum; hoc enim ad salutem vestram spectat. nullius enim vestrûm capillus ex capite cadet.

35 Et quum hæc dixisset, & accepisset panem, gratias egit Deo in conspectu omnium: & quum fregisset, cœpit edere.

36 Omnes verò quum jam bono animo essent, sumserunt & ipsi cibum.

37 Eramus autem universa capita in navigio ducenta septuaginta sex.

38 Cæterùm satiati cibo, allevabant navim, projicientes frumentum in mare.

39 Quum autem dies ortus esset, terram illam non agnoscebant; sinum verò quendam animadverterunt habentem littus, in quem consilium ceperant, si possent, expellere navim.

40 Igitur anchoris sublatis, permiserunt *eam* mari, simul laxatis vinculis gubernaculorum, & sublato artemone ad venti flatum, tendebant ad littus.

41 Sed quum incidissent in locum bimarem, illiserunt navem: ac prora quidem infixa manebat immota, puppis verò solvebatur præ undarum violentiâ.

42 Militum autem consilium erat ut vinctos trucidarent, ne quis quum enatasset, effugeret.

43 Sed centurio volens conservare Paulum, prohibuit eos ab hoc consilio: jussitque ut qui possent natare, abjicerent *se* primos, & in terram evaderent:

44 Reliqui verò partim in tabulis, partim in quibusdam navis *fragmentis*. & ita factum est ut omnes salvi evaderent in terram.

Itinera quæ hîc narrantur, sunt ista. 1. Cæsareâ venerunt Sidonem, v. 3. 2. Sublegerunt Cyprum, v. 4. 3. Emensi pelagus quod est secundùm Ciliciam & Pamphyliam, devenerunt Myra urbem Lyciæ, v. 5. 4. Navigantes secundùm Cnidum, sublegerunt Cretam secundùm Salmonen, v. 7. 5. Pervenerunt ad Pulchros portus, v. 8. 6. Prælegerunt Cretam, v. 13. 7. Delati sunt infra insulam Claudam, v. 16. 8. Naufragio facto evaserunt in insulam Melitam, v. ult. ex collatione versus primi cap. seq. Atq; hæc fuerunt itinera. Jam ad naufragium quod attinet: quatuor principaliter narrantur; præmonitio Pauli, periculum naufragii, naufragium ipsum, & evasio naufragorum. Præmonitio Pauli narratur v. 9. & 10. Et illustratur eventu, videl. diverso judicio centurionis & gubernatoris & naucleri, vers. 11. Periculum naufragii narratur à v. 14. usque ad 41. Et illustratur ex effectis variis, videl. tum factis destinatis ad naufragii aut saltem submersionis evitationem, tum factis destinatis ad consolationem atque recreationem ex metu. Ut, quòd assumserunt scapham repertam, v. 16. Quòd scaphâ illâ subductâ, navim succinxerunt, v. 17. Quòd vela submiserunt, ibid. Quòd jacturam fecerunt, v. 18. Quòd armamenta navis abjecerunt, v. 19. Quòd Paulus socios consolatus est promissione divinâ evasionis è naufragio, à v. 21. usq; ad 37. Quòd nautæ bolidem demiserunt, idq; bis, v. 28. Quòd iidem anchoras quatuor è puppi jecerunt, v. 29. Quòd nautæ studuerunt fugere è navi, dimissâ scaphâ in mare, v. 30. Quòd iidem monitu Pauli retenti sunt in navi, v. 31. & 32. Quòd vectores omnes hortatu Pauli sumserunt cibum, à v. 33. usque ad 38. Quòd projecerunt frumentum in mare ut allevarent navim, v. 38. Quòd nautæ conati sunt navim expellere in sinum quendam qui habebat littus, v. 39. & 40. Atque hæc de naufragii periculo & effectis illius. Naufragium ipsum describitur v. 41. Evasio naufragorum narratur versibus reliquis. Ac primùm specialiter evasio vinctorum declaratur remotione causæ corrumpentis. Nam milites volebant illos occidere: ne quis quum enatasset, effugeret, v. 42. Sed centurio conservandi Pauli gratiâ id prohibuit, v. 43. Deinde evasio universorum declaratur distributione. Alii enim evaserunt natando, v. 43: reliqui verò partim in tabulis, partim in fragmentis navis, v. ult.

SCHOLIA IN CAP. XXVII.

1 Vinctos] δεσμώτας. *Aliâs* δεσμίους.

3 Altero autem die] τῇ ἑτέρᾳ. *Scil.* ἡμέρᾳ. Ab illis curaretur] ἐπιμελείας τυχεῖν. *Ad verb.* Curationem *eorum* consequeretur. *Id est, officia humanitatis ad corpus curandum pertinentia ab eis perciperet.*

6 Nactus] εὑρών. *Ad verb.* Quum invenisset. *Hebraismus.* Imposuit] ἐνεβίβασεν. *Effecit ut inscenderemus.*

9 Jejunium] τὴν νηστείαν. *Articulus innuit aliquid certi, nempe* τὴν τῶν Ἰουδαίων, *id est, jejunium Judæorum: ut Syrus declarat: hoc est, à Judæis observari solitum, in festo scil. expiationis, quod incidebat in septimum mensem ad occasum Vergiliarum: quod tempus incommodum est navigantibus. Jejunium autem pro tempore quo jejunium celebrabatur, per metonymiam subjecti vel adjuncti dicitur.*

10 Capitum nostrorum] τῶν ψυχῶν ἡμῶν. *Ad verb.* Animarum nostrarum. *Id est, vita nostra. Metonymia efficientis.*

11 Assentiebatur] ἐπείθετο. *Vel,* obediebat. *Ad verb.* Persuadebatur. *Metonymia efficientis.*

12 Ad hybernandum] πρὸς παραχειμασίαν. *Quasi dicas,* Ad hybernationem. Solvendi] ἀναχθῆναι. Ut proveherentur.

14 Impegit in eam] ἔβαλε κατ' αὐτῆς. *Vel,* irruit in eam. *Metaphora ab irruptione hostium in bello.*

16 Scaphæ] τῆς σκάφης. *Pro,* σκάφης τινὸς.

17 In syrtin] εἰς τὴν σύρτιν. *Pro,* εἰς τινα σύρτιν: *id est, in syrtin aliquam,*

quam, hoc est, locum arenosum & vadosum, qui naves ei appulsas veluti trahit & retinet & denique absorbet: à verbo σύρειν, quod est trahere. Hujusmodi loca Latini vocant brevia: ut videre est apud Virgil. Æneid. 1. in descriptione naufragii Æneæ, ubi inter alia sic ait:

——————Treis (naves) Eurus ab alto
In brevia & syrtes urget (miserabile visu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.

18 Sequenti die] τῇ ἑξῆς. *Scil.* ἡμέρᾳ.

19 Tertio die] τῇ τρίτῃ. *Scil.* ἡμέρᾳ.

20 Salutis nostræ] τοῦ σώζεσθαι ἡμᾶς. *Id est,* τῆς σωτηρίας ἡμῶν. *Heterosis.*

21 Vitare injuriam hanc] κερδῆσαι τὴν ὕβριν ταύτην. *Ad verb.* Lucrari &c. *Metonymia effecti. Id est, vitando injuriam hanc, lucrum facere.*

22 Cujusquam] ψυχῆς. *Ad verb.* Animæ: *id est, hominis. Synecdoche membri Hebraica.* Sed tantùm] πλὴν. *Ad verb.* Præterquam. *Genus loquendi præcisum seu* ἐλλειπτικὸν, *deficientibus particulis exegeticis* τοῦτ' ἔστι. *Ad quas quidem particulas* ἀπὸ κοινοῦ *quædam verba ex præcedente membro repetenda sunt, quasi ita diceretur:* ἀποβολὴ γὰρ ψυχῆς οὐδεμία ἔσται ἐξ ὑμῶν, τουτέστιν ἀποβολὴ οὐδεμία ἔσται πλὴν τοῦ πλοίου. Jactura enim nulla erit cujusquam ex vobis: *hoc est,* Jactura nulla erit præterquam navis. *Similem ellipsin annotavi Gal. 2. v. 16.*

24 Donavit tibi] κεχάρισταί σοι. *In tuam gratiam vivos conservabit, ne pereant naufragio.*

26 Excidere] ἐκπεσεῖν. *Nempe ab instituto cursu aberrantes.*

27 Quum jactaremur] διαφερομένων ἡμῶν. *Ad verb.* Quum differremur, *id est, huc illuc ferremur, navi scil. à ventis agitatâ.* Appropinquare sibi] προσάγειν αὐτοῖς. *Vel,* accedere ad se. *Ad verbum,* Adducere, *scil. seipsam. Hypallage pro, se accedere ad regionem aliquam.*

34 Ad salutem] πρὸς σωτηρίας. *Id est, conservationem corporis & vitæ.* Nullius enim vestrûm capillus &c.] οὐδενὸς γὰρ &c. *Id est, Nam ne capillus quidem ex capite ullius vestrûm cadet. q.d. Multò minùs vitam quisquam amittet.*

37 Universa capita] αἱ πᾶσαι ψυχαί. *Ad verb.* Omnes animæ. *Synecdoche membri: qualis sup. v. 22.*

40 Ad venti flatum] τῇ πνεούσῃ. *Subaudi* αὔρᾳ, *vel,* πνοῇ: *quo vocabulo ad significandum ventum usus est suprà 2. 2.*

44 Salvi evaderent in terram] διασωθῆναι ἐπὶ τὴν γῆν. *Id est,* διασωθέντας ἐξιέναι ἐπὶ τὴν γῆν. *Ellipsis Hebraica.*

OBSERVAT. EX CAP. XXVII.

Providentia Dei. 1 Ex v. 9. & seq. Providentia Dei, etiam quum accessit extraordinaria eventus patefactio, causas medias non tollit: sed ordinat potiùs ac disponit rectum illarum usum. B.

Homines profani. 2 Ex vers. 11. & seq. Homines profani suæ potiùs prudentiæ quàm Deo per os servorum suorum loquenti obtemperantes, ultrò sese in maxima pericula conjiciunt. B.

Gubernatio Dei. 3 Ex v. 21. & seq. Deus parcit etiam impiis ad tempus, propter electos suos. B. Confer Gen. 18. responsionem Domini ad intercessionem Abrahæ pro Sodomitis.

Media. 4 Ex vers. 31. Etsi promissionum Dei exitus à causis mediis simpliciter non pendet: tamen Dei beneficentiâ indignos se reddunt, qui oblata media vel temere vel diffidentiâ non amplectuntur. B.

Fideles. 5 Ex vers. 33. & seq. Trepidante mundo, soli fideles nos firmant. B.

Increduli. 6 Ex v. 42. Incredulis nihil est magis ingratum. B.

Gubernatio Dei. 7 Ex vers. 43. Deus inter suos etiam hostes invenit, quorum operâ suos conservet. B.

Bonitas Dei. 8 Ex v. 44. Hominum malitiam vincit DEI bonitas. B.

ANALYSIS CAP. XXVIII.

ARGUMENTUM.

Tria hic in summa narrantur. Primùm, quid memorabile Paulus egerit in insula Melite: deinde quibus itineribus inde venerit Romam: postremò quid Romæ egerit memorabile.

PRIMA PARS.

Acta Pauli in insula Melite.

ET quum salvi evasissent, tunc agnoverunt insulam vocari Melitam.

2 Barbari verò præstabant nobis non vulgarem humanitatem: accensâ enim pyrâ, acceperunt nos omnes, propter imbrem urgentem, & propter frigus.

3 Quum autem convertisset Paulus nonnihil sarmentorum, & imposuisset in pyram, vipera è calore prorepens invasit ejus manum.

4 Ut verò barbari viderunt pendentem bestiam è manu ejus, alii aliis dicebant; Omnino homicida est homo iste, quem servatum è mari ultio non sivit vivere.

5 At ille excussâ bestiâ in ignem, nihil mali passus est.

6 Illi verò exspectabant dum intumesceret, aut collaberetur repentè mortuus: sed quum diu exspectassent, & viderent nihil incommodi illi accidere, mutati, dicebant, eum esse Deum.

7 Cæterùm circa locum illum erant prædia primario insulæ, nomine Publio, qui nos exceptos, triduò peramicè hospites habuit.

8 Factum est autem ut pater Publii febribus ac dysenteriâ detentus, decumberet: ad quem Paulus ingressus, & precatus, impositis ei manibus sanavit eum.

9 Hoc igitur facto, reliqui etiam qui morbis tenebantur in illa insula, accedebant & sanabantur.

10 Qui etiam multis honoribus nos honorarunt, & quum proveheremur, imposuerunt quæ usui *nobis* erant.

ACta Pauli in insula Melite narrantur in summa duo: excussio viperæ in ignem, quæ manum ejus invaserat, ita ut nihil ab illa læderetur: & sanatio ægrotorum. Casus ille de vipera illustratur ex effectis contrariis, videlicet contrariis judiciis incolarum: qui primùm judicarunt Paulum esse homicidam, v. 4. deinde esse Deum, vers. 6. Sanatio ægrotorum illustratur distributione: primùm enim sanavit à febri & dysenteria patrem primarii insulæ, v. 7. & 8. deinde reliquos insulanos à morbis variis, v. 9. Hoc beneficium illustratur ab effectu, videlicet gratiâ ab insulanis relatâ, v. 10.

SECUNDA PARS.

Itinera Pauli ex insula Melita in urbem Romam.

11 Tribus itaque pòst mensibus provecti sumus navi Alexandrinâ, quæ in illa insula hyemaverat, cui erat insigne Castor & Pollux.

12 Et devecti Syracusas, *illic* mansimus triduum.

13 Unde circumlegentes devenimus Rhegium: & altero pòst die quum supervenisset Auster, secundo die venimus Puteolos.

14 Ubi repertis fratribus, rogati sumus ut permaneremus apud eos dies septem. & ita contendimus Romam.

15 Unde quum audissent fratres de rebus nostris, prodierunt nobis in occursum usque ad Appii forum & tres Tabernas: quos quum vidisset Paulus, gratiis actis Deo, sumsit fiduciam.

16 Quum verò venissemus Romam, centurio tradidit vinctos præfecto exercituum: sed permissum est Paulo, ut habitaret seorsim, cum milite qui ipsum custodiret.

Itinera fuerunt hæc: 1. Ex insula Melite venerunt Syracusas, v. 12. 2. Devenerunt Rhegium, v. 13. 3. Venerunt Puteolos, v. eod. 4. Puteolis venerunt Romam, v. 14. Adventus Romam illustratur partim ab exceptione fratrum ad Appii forum & tres Tabernas, v. 15. partim ex Pauli traditione præfecto exercituum, & liberali custodiâ, v. 16.

TERTIA PARS.

Acta Pauli Romæ.

17 Factum est autem, ut tertio pòst die convocaret Paulus Judæorum primos: qui ubi convenissent, dixit eis; Ego, viri fratres, quum nihil fecerim adversus populum aut ritus patrios, vinctus traditus sum Hierosolymis in manus Romanorum:

18 Qui quæstione de me habitâ, volebant me dimittere, quòd nullum sit in me crimen capitale:

19 Sed contradicentibus Judæis coactus sum appellare Cæsarem: non *tamen* quasi habeam, de quo gentem meam accusem.

20 Ob hanc igitur causam vos advocavi, quos viderem & alloquerer. nam propter spem Israëlis circumdatus sum hac catenâ.

21 Illi verò dixerunt ei, Nos neque literas accepimus de te ex Judæâ; neque adveniens quisquam fratrum annuntiavit aut loquutus est aliquid de te mali.

22 Volumus autem ex te audire quæ sentias. nam de hæresi ista notum est nobis, ubique ei contradici.

23 Quum igitur constituissent ei diem, venerunt ad eum in hospitium complures: quibus cum testificatione exponebat regnum Dei, studens eis persuadere quæ de Jesu Christo sunt, ex lege Mosis, & prophetis, à mane usque ad vesperam.

24 Et alii quidem assentiebantur iis quæ dicebantur, quidam verò non credebant.

25 Quum autem inter se discordes essent, digressi sunt: quum Paulus hoc verbum dixisset; Rectè sanè Spiritus sanctus loquutus est per Esaiam prophetam patribus nostris,

26 Dicens; Vade ad populum istum, & dic; Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non cernetis.

27 Pinguefactum enim est cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculis suis conniverunt: ne cernant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertant *sese*, & sanem eos.

28 Notum ergo sit vobis, missam esse Gentibus hanc Dei salutem; ipsi etiam audient.

29 Quum ergo hæc dixisset, exierunt Judæi, multam habentes inter se disceptationem.

30 Mansit autem Paulus biennium totum in proprio conducto: & excipiebat omnes qui ad ipsum ingrediebantur:

31 Prædicans regnum Dei, ac docens quæ sunt de Domino Jesu Christo, cum omni libertate, nemine prohibente.

Acta narrantur tria: quorum duo sunt specialia, tertium generale. Primum est, quòd Judæis convocatis ad se exposuit suam causam atque innocentiam, à v.17. usq; ad 23. Hæc actio illustratur ex eventis duobus, videlicet acceptatione excusationis Pauli, v.21: & petitione expositionis fidei Christianæ, v.22. Secunda actio fuit expositio fidei Christianæ apud Judæos, v.23. Quæ illustratur ex eventis quatuor. 1. Alii sunt assensi, v.24. 2. Alii non crediderunt, v.eod. 3. Paulus contra incredulos illos ad confirmationem credentium protulit prophetiam Esaię, v.25.26.& 27. & adjecit, Gentibus hoc mysterium posthac communicandum esse, v.28. 4. Judæi exierunt, disceptantes inter se, v.30. Tertia actio est generalis, videlicet prædicatio Evangelii apud omnes à quibus invisebatur, duobus versibus ultimis.

SCHOLIA IN CAP. XXVIII.

1 Melitam] μελίτη. *Hanc quidam tradunt esse insulam illam quæ hodie dicitur Maltha. Sed Matthæus Beroaldus Chronici sui lib.4. cap.6. tradit, esse insulam Melitam sive Meladam, quam Ptolemæus post Corcyram, quæ veluti fauces sinus Adriatici occupat, collocet. Rationem hanc affert, quia naufragium cujus occasione in insulam illam ejecti sunt Paulus cum sociis, accidit in mari Adriatico: ut videre est cap. præcedente v.26.& 27. Maltha verò jacet in mari Africo.*

2 Urgentem] τὸν ἐφεστῶτα. *Qui ingruerat & nos premebat.*

3 E calore prorepens] ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα. *Vel*, vi caloris egressa. *nempe ex pyra illa.* Invasit] καθῆψε. *Ad verb.* Attigit.

4 Non sivit vivere] ζῆν οὐκ εἴασεν. *Ita de Paulo loquuntur, ac si jam esset mortuus: quia pro certo habebant, paulo-pòst moriturum. Simile exemplum vide suprà 20.10.*

6 Exspectabant dum intumesceret &c.] προσεδόκων αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι. *Ad verb.* Exspectabant fore ut intumesceret: *id est, exspectantes putabant. Et consequente intelligitur antecedens.* Ut intumesceret] πίμπρασθαι. *Ad verb.* Ut incenderetur. *nempe ex veneno viperæ. Metonymia efficientis.* Diu] ἐπὶ πολύ. *Scil.* μέρος τοῦ χρόνου, *ad multam partem temporis.* Mutati] μεταβαλλόμενοι. *Ad verb.* Mutantes sese. *id est, mutatâ sententiâ.*

9 Qui morbis tenebantur] οἱ ἔχοντες ἀσθενείας. *Ad verb.* Qui habebant infirmitates. Sanabantur] ἐθεραπεύοντο. *Ad verb.* Curabantur. *Metonymia effecti destinati* καταχρηστική. *nam Paulus non curabat adhibitis medicamentis, sed sanabat miraculosè per nomen Jesu.*

10 Imposuerunt] ἐπέθεντο. *Scil. in navem.*

14 Contendimus Romam] εἰς τὴν Ῥώμην ἤλθομεν. *Ad verb.* Romam venimus. *Metonymia effecti, vel causa finalis. Sic Joh.6. v.17. Luc.15 20.*

16 Habitaret seorsim] μένειν καθ' ἑαυτόν. *Ad verb.* Maneret secundùm se.

17 Ritus] ἔθεσι. *Ad verb.* Consuetudines.

18 Crimen capitale] αἰτίαν θανάτου. *Ad verb.* Causa mortis. *quod potest accipi simpliciter: vel ut* αἰτία *per synecdochen generis notet crimen, &* θανάτου *habeat vim epitheti more Hebræorum. Crimen mortis, id est, morte dignum, morte plectendum.*

20 Propter spem Israëlis] ἕνεκεν τῆς ἐλπίδος τοῦ Ἰσραήλ. *Id est, propter resurrectionem mortuorum & vitam æternam, quam Israëlitæ ex promissione Dei sperant & exspectant. Metonymia adjuncti.*

22 Hæresi] αἱρέσεως. *Id est, religione.* Istâ] ταύτης. *Nempe Christianâ: quam Judæi hæresin Nazarenorum appellabant, suprà 24. v.5.* Ubique ei contradici] ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται. *Ad verb.* Quòd (*hæresis illa*) ubique contradicitur, *id est, contradictionem patitur. Sic Luc.2.34.* Hic positus est εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, in signum cui contradicitur.

23 Studens eis persuadere] πείθων αὐτούς. *Ad verb.* Suadens eis.

24 Assentiebantur] ἐπείθοντο. *Ad verb.* Persuadebantur. *ut suprà 21.14.*

27 Pinguefactum est] ἐπαχύνθη. *Ad verb.* Incrassatum est.

28 Hanc Dei salutem] τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. *Pro,* τὴν σωτηρίαν τοῦ θεοῦ. *Sic Luc.2.30. Id est, quæ à Deo revelatur & præstatur credentibus promissioni ipsius. Genitivus adjuncti occupati, vel efficientis.* Ipsi etiam audient] αὐτοὶ καὶ ἀκούσονται. Und sie werdens auch hören/ *id est,* annemen. *Hæc verba non pendent à conjunctione* ὅτι, *sed annectuntur per* ἀποσιώπησιν.

31 Libertate] παῤῥησίας. *Dicendi libertate.* Nemine prohibente] ἀκωλύτως. *Quasi dicas,* improhibitè, unverhindert.

OBSERVAT. EX CAP. XXVIII.

1 Ex v.2. In Melitensibus proponitur exemplum humanitatis erga peregrinos afflictos. *Humanitas.*

2 Ex v.3. & seq. Pios pericula quidem ex periculis manent, sed glorioso semper exitu. B. *Pii.*

3 Ex vers.4. Etsi res adversæ sunt peccatorum pœnæ; tamen quum Deus in affligendis hominibus non semper respiciat peccata, temere judicant qui vel non exspectant exitum, vel ex rebus prosperis aut adversis unumquemque æstimant. B. *Res adversæ. Judicium de proximo.*

4 Ex v.6. Hominibus veræ religionis ignaris nihil in utramque partem instabilius. *Religio.*

5 Ex v.7. & seq. Servum Dei quamvis miserum & egentem excepisse, nullum unquam pœnituit. B. *Ministri verbi.*

6 Ex vers.10. Deus in suorum gratiam etiam exteris qui cum ipsis versantur, benefacit. B. *Pii.*

7 Ex v.11. Idola sanctos nullo modo consentientes non polluunt. B. *Idola.*

8 Ex vers.15. & 16. Deus nunquam patitur suos supra vires affligi. B. *Pii.*

9 Ex v.17. & seq. Ministri verbi operam dare debent, ut sinistris de se suspicionibus quàm primùm occurrant. *Ministri verbi.*

10 Ex v.23. Evangelii doctrina fundamentum habet in libris Mosis & Prophetarum. *Evangelium.*

11 Ex vers.24. & seq. Evangelium credentibus odor vitæ est, contumacibus odor mortis. B. *Evangelium.*

12 Ex v.26. & 27. Increduli sponte quidem reluctantur veritati, non tamen fortuitò. B. *Increduli.*

13 Ex v.28. Incredulitas reproborum non potest irritam facere Dei fidem. B. *Incredulitas.*

14 Ex v.29. Non Evangelium, sed Evangelii contemtus, dissidiorum causa est. B. *Dissidia.*

15 Ex duob. versib. ultimis. Verbum Dei non potest vinciri. B. *Verbũ Dei.*

F I N I S.

ANALY-

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PAULI Ad Romanos;

UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS LOCORUM DOCTRINÆ.

ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO, DOMINO LUDOVICO A SAIN, COMITI AD WITGENSTEIN, DOMINO HOMBURGI, &c. DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

Johannes Piscator S. P. D.

ILLUSTRIS *ac generose domine Comes, domine clementissime: Cùm omnes omnino Apostoli Pauli epistolæ lectu & cognitu dignissimæ utilissimæq; sunt; quippe Spiritus sancti instinctu atque suggestione scriptæ, & fidem pariter ac vitam Christianam divinissimè edocentes: tum præ cæteris ea, quam scripsit* ad Romanos, *crebram lectionem assiduamq; meditationem meretur; ut quæ reliquas tum sapientiâ methodi, tum rerum propositarum & illustrissimis declarationibus & solidissimis nervosissimisq; demonstrationibus antecellit. Nam ad methodum quod attinet, ea maximam partem naturalis & verè logica est, à prioribus nimirum ac notioribus naturâ ad posteriora & minus-nota progrediens: uno verò loco prudentissimam inversionem (quam Logici κρύψιν appellant) continet. Et quanquam hoc ipsum in Animadversionibus meis Dialecticis jam ante aliquot annos declaravi: tamen non puto alienum aut supervacaneum, ut hîc quoque divinissimam hujus epistolæ methodum lectoribus paulò fusiùs explanem & ante oculos ponam. Epistola igitur hæc in tres principales partes à nobis distribuitur: in prooemium, institutionem doctrinæ Christianæ, & perorationem. quarum partium ordo utique naturalis est. Prooemium seu præfatio continetur capite primo usque ad versum decimumsextum. Institutio incipit versu decimosexto capitis primi, & absolvitur versu decimoquarto capitis decimiquinti: ubi succedit peroratio, usque ad epistolæ finem. Deinde verò ipsa doctrinæ Christianæ institutio rursum in quinque partes à nobis distribuitur: videlicet de peccato, de justificatione hominis coram Deo, de hominis justificati sanctificatione, de prædestinatione sive electione quorundam & cæterorum reprobatione, denique de studio bonorum operum.*

Methodus epistolę hujus ad Romanos.

Primò igitur omnium disserit Apostolus de peccato; demonstrans, omnes homines, sive Græcos, sive Judæos (his enim duobus nominibus cunctas nationes comprehendit) omnes, inquam, peccatores esse: atque hoc tribus primis capitibus ostendit.

Secundò de justificatione disputationem ex priori deducit: ostendens, neminem justificari (hoc est, in judicio Dei justum pronuntiari) ex operibus Legis: quippe quòd (ut ex priore disputatione liquet) nemo Legem præstet: ac proinde quotquot justificantur, eos justificari solâ fide in Christum mediatorem, ut qui pro peccatis credentium judicio Dei satisfecerit, dum illorum pœnam pro ipsis luit moriendo, & quidem (quod præcipuè requirebatur) æternam pro ipsis mortem gustando. Hæc disserit capite tertio, quarto & quinto.

Tertio loco ad justificatorum sanctificationem transit: docens, quicunque fide justificantur, eos etiam Spiritu Dei sanctificari, ita ut donentur serio proposito sanctè vivendi, seseq; pro summo justificationis gratuitæ beneficio gratos erga Deum declarandi: Veruntamen sanctificationem hanc in ista vita mortali imperfectam esse, suo ipsius exemplo demonstrat. atque hæc agit capite sexto, septimo & octavo. Præterea octavo capite nominatim de quadam sanctificationis parte, vel potiùs de instrumento quodam & (ut vocant) medio, quo Spiritus sanctus ad credentium sanctificationem perficiendam utitur, disserit, videlicet de tolerantia crucis & spe vitæ æternæ: admonens, eos qui fide justificati sunt, & spiritu sanctificari cœperunt, patienter ferre afflictiones propter Christum illatas, easq; vincere ac superare spe certissimâ vitæ æternæ.

Quarto loco ad doctrinam illam maximè arduam ac sublimem de divina prædestinatione accessurus, eam cum doctrina justificationis jam proposita atque demonstrata per prolepsin connectit, atque ita refutationem objectionis Judæorum instituit: quibus promtum erat Paulum sic oppugnare: Si per solam fidem in Jesum illum crucifixum justificarentur homines, ac tandem salvi fierent, sicut tu Paule contendis: oporteret Judaicam quoque gentem in eum credere, ut salva fieret: quippe quæ peculiaris Dei populus est, in singulare fedus gratiæ jam olim cum Abrahamo pactum ab illo receptus. At videmus, eam gentem, saltem maxima ex parte, in Jesum illum crucifixum non credere: sed potiùs doctrinam istam Evangelii (quod nominatur) odisse ac hostiliter persequi. Ergo non videtur vera esse tua illa, Paule, de justificatione doctrina. Respondet Apostolus ex arcana doctrina de divina quorundam ad vitam æternam electione, aliorum verò reprobatione ac rejectione: significans, incredulitate illâ maximæ partis Judæorum neminem moveri debere, ut propterea veritatem doctrinæ evangelicæ de justificatione & salute æterna per solam in Jesum crucifixum fidem in dubium vocet: quippe quòd incredulitas ista & rejectio Judæorum ab arcana Dei voluntate pendeat, sicut jam olim per prophetas fuit prædictum. Hæc agit tribus integris capitibus, nono, decimo & undecimo. Et sanè Christus ipse contra Judæorum, quibus Evangelium prædicabat, incredulitatem eodem sese argumento consolatus fuit, suamq; apud discipulos doctrinam asseruit. Quum enim docuisset Johannis sexto, se esse panem illum vitæ, qui de cælo descenderit, animadvertissetq;, maximam partem Judæorum huic doctrinæ non credere, sic sponte infit: Sed dixi vobis, Etiam vidistis me, nec creditis. *Sed quænam erat istius incredulitatis causa? Continenter hanc ipse indicat, inquiens:* Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet. *quasi dicat, Sed causa quòd ad me non vultis venire, id est, quòd non vultis in me credere, hæc est, quòd non estis mihi dati à Patre, hoc est, quòd non estis ad vitam æternam electi. Et rursum capite octavo:* Vos, inquit, quia

veritatem dico, non creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? quòd si veritatem dico: quare non creditis mihi? *tum mox incredulitatis hujus causam exponens, subjicit*, Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. *Ecce*, Quia non estis ex Deo, *inquit*, *hoc est*, *quia non estis à Deo electi ad vitam æternam, nec mihi dati à patre meo*, propterea non auditis verba Dei, *hoc est, non creditis Evangelio. Sed ut ad Paulum revertar: is doctrinâ fidei Christianæ copiosè disputatâ, ad Christianam vitam transit, & postremo loco Christianos ad studium bonorum operum exhortatur, variaq́ vitæ Christianæ præcepta tradit: id quod facit reliquis quatuor capitibus, usque ad perorationem, videlicet capite duodecimo, decimotertio, decimoquarto & decimoquinto. Nunc restat ut consideremus, quo ordine hæ institutionis partes aliæ alias sequantur. Is autem ordo naturalis est, quo priora naturâ semper præcedunt. Primùm enim peccatum prius est justificatione. nam si peccatum non sit, non est necesse justificationem, id est, absolutionem à peccato seu condonationem peccati esse: at si justificatio ista sit, necesse est peccatum præcessisse. Deinde justificatio prior est sanctificatione. nam etsi nunquam est sine illa, sicut sol nunquam est sine calore & splendore: tamen prior est, ut causa originalis: quippe ex fide, qua justificatio constat, sanctitatis studium & initium nascitur. Fieri enim non potest, quin qui fide cognovit, quantum sit justificationis gratuitæ beneficium; quanti constiterit Christo peccatorum suorum expiatio; quàm tetrum malum sit peccatum, quod non nisi sanguine filii Dei potuerit expiari; denique quàm ipse hac tantâ Dei gratiâ & misericordiâ, hac tantâ Christi Mediatoris dilectione sit indignus: fieri, inquam, non potest, quin qui hæc omnia probè perpenderit, & rectè æstimârit, is toto pectore peccatum exsecrari ac fugere, & contrà justitiam sectari & sanctitati studere incipiat, in eoq́ studio indies magis ac magis progrediatur & pergat. Liquet igitur, doctrinam de justificatione doctrinâ sanctificationis ordine naturæ priorem esse. Jam eadem illa de justificatione fidei doctrina ac demonstratio, prior est etiam refutatione objectionis contrariæ. nam si doctrina illa sit, non est necesse eam ut falsam reprehendi: at reprehendi illa non potest, nisi sit. Veruntamen hîc incidit quædam* κρύψις, *id est, methodi atque ordinis naturalis inversio: quatenus nimirum Apostolus in ista refutatione de fidei & incredulitatis, ac proinde etiam justificationis & condemnationis causa prima atque suprema disputat, videlicet de æterna Dei prædestinatione. Postremò tota illa præcedens doctrina tum de justificatione & sanctificatione, tum de divina electione, prior est cohortatione ad studium bonorum operum: quum beneficium prius sit gratiarum actione: studium autem bonorum operum, gratiæ Deo referendæ causâ à Christianis, id est, ab electis, justificatis & sanctificatis suscipiatur. Sed hæc hactenus de epistolæ hujus methodo: jam ad rerum propositarum declarationes & demonstrationes quod attinet; harum quoque excellentiam uno atque altero exemplo ostendam. Demonstratio justificationis fidei, syllogismo disjuncto firmissimo constat,*

Demonstratio justificationis fidei.

nempe isto: Aut propter nostram ipsorum justitiam, ex observatione scilicet legis Dei naturalibus nostris viribus præstitâ profectam, justificamur: aut propter justitiam alienam, id est, ab alio pro nobis præstitam, nobisq́ gratuitâ promissione donatam, & per promissionis illius fidem imputatam: quæ nimirum est justitia parta morte Christi. *Atqui non justificamur propter nostram ipsorum justitiam: quippe quum tanta sit naturæ nostræ corruptio & vitiositas, ut ad legem Dei perfectè præstandam viribus destituamur, atque adeò, ut sanctissimam Dei legem multis modis transgressi simus, & adhuc quotidie transgrediamur. Ergo justificamur propter justitiam alienam, id est, ab alio pro nobis præstitam. Ea autem est obedientia illa filii Dei Domini nostri* Jesu Christi, *qua Patri obediens factus usque ad mortem crucis, maledictionem Dei (cujus maledictionis crux symbolum erat) seu ut Apostolus ad Hebræos vocat, mortem (nempe æternam) pro nobis gustavit, atque ita justo Dei judicio pro nobis satisfecit, pœnam illam luendo, quæ nobis propter transgressiones nostras debebatur. Est igitur hoc demonstrationis clarissimæ solidissimæq́ illustre exemplum. Non minùs firma demonstratio est illa, qua objectionem Judæorum, quæ*

Refutatio objectionis contra justificationem fidei.

contra demonstratam justificationis doctrinam poterat afferri, refutat: nempe objectionem illam à testimonio atque judicio Judæorum, id est, ab illorum incredulitate. Nam æquum non esse, ut quis perverso isto judicio & incredulitate moveatur ad doctrinam de justificatione per fidem in Christum improbandum, firmissimo argumento è causa & testimonio divino demonstrat ad hunc modum: Quod à voluntate Dei atque adeò ab æterno Dei decreto dependet, & à Deo jam ante multa sæcula prædictum est, eo nemo offendi ac moveri ita debet, ut propterea de doctrina ex verbo Dei clarè demonstrata dubitet: quantumcunque etiam istud doctrinæ huic adversetur. *Atqui incredulitas maximæ partis Judæorum in principio regni Christi, atque adeò tempore Apostolorum futura, à voluntate Dei æternoq́ Dei decreto dependet, & à Deo jam olim per prophetas est prædicta. Ergo incredulitate ista Judæorum nemo moveri debet, ut propterea fidem deroget doctrinæ justificationis ex verbo Dei clarissimè de-*

Illustratio doctrinæ de justificatione.

monstratæ. En alterum luculentissimæ demonstrationis exemplum. Declarationum verò exempla ista sunto: Capite quinto *posteaquam doctrinam de justificatione abundè demonstrasset, illustrat eam primùm ex effectis utilissimis, quæ inde ad nos redundat: cujusmodi sunt pax seu tranquillitas conscientiæ, patientia in afflictionibus, spes vitæ æternæ seu beatæ illius immortalitatis gloriæq́ cælestis cum* Christo *fruendæ; denique gustus charitatis* Dei *etiam in hac vita in cordibus nostris per Spiritum sanctum diffusæ. Deinde verò in reliqua capitis parte eandem justificationis doctrinam illustrat antithesi pulcherrima atque luculentissima, qua Adamum Christo opponit, eosq́ inter se tanquam duas stirpes comparat: quarum utraque suis ramis communicat & confert quod habet: Adam quidem suâ inobedientiâ hominibus omnino omnibus naturaliter ex ipso ortis atque progenitis duo maxima mala, peccatum scilicet & mortem: Christus verò suâ obedientia omnibus credentibus (hi enim soli ipsi tanquam palmites viti sunt insiti) duo maxima bona, justitiam videlicet & vitam. Quid hac comparatione at-*

Illustratio doctrinæ de sanctificatione.

que antithesi ad propositum illustrandum afferri poterat accommodatius? Alterum clarissimæ illustrationis exemplum exstat capite septimo, ubi de sanctificationis nostri in hac vita imperfectione differens, peccati in nobis habitantis vim & luctam, quæ inde inter carnem & spiritum exsistit, suo ipsius exemplo multis verbis declarat. Ut jam nihil dicam de sapientissima præceptorum vitæ Christianæ distributione in generalia & specialia. Ac generalia quidem, id est, omnibus Christianis communia, tradit partim capite duodecimo, partim decimoquarto & decimoquinto. Specialia verò, id est, certis vocationibus seu functionibus tum Ecclesiasticis, tum Politicis propria, tradit, illa quidem capite duodecimo, ista verò decimotertio. Ex his liquere jam arbitror, epistolam hanc & methodi sapientiâ & demonstrationum soliditate & illustrationum claritate excellere. Quæ quum ita sint, meritò à maximi judicii Theologis *jam pridem studiosæ juventuti commendata fuit, tanquam totius Scripturæ janua & clavis. Aperit enim certè epistola hæc verum intellectum sive sensum tum promissionum sanctis illis Patribus, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Davidi à Deo factarum: tum concionum Propheticarum, quas Prophetæ ad populum Dei de futuro regno Christi habuerunt, quæ qui intelligit, is utique intelligit, quod in Mose, Psalmis & Prophetis, hoc est, tota veteris Testamenti scriptura præcipuum est.*

Atque hæc etiam causa me movit, ut quum præter profanas, quas vocant, literas, ad sacras quoque docendas vocatus essem: epistolam hanc tanquam doctrinæ Christianæ institutionem plenissimam ac solidissimam discipulis meis proposuerim: primùm quidem in illustri quondam schola Mœrsensi, quæ (proh dolor) vix dum enata ac florere incipiens, in ipsis (ut ita dicam) incunabulis exorto in vicinia bello dissipata atque exstincta est. Deinde verò quum ex isto belli incendio Dominus me clementer cum uxore & liberis eripuisset, & salvum ac incolumem in Palatinatum reduxisset, mecumq́ jam de munere scholastico illic suscipiendo ageretur: en præter opinionem ac spem meam, illustris ac generosissimi Domini, Dn. Johannis *patris,*

Comitis

Comitis Nassovii, domini mei clementissimi literis, ad scholam Herbornensem tum recens cœptam, pro parte gubernandam vocor: cui vocationi eò faciliùs atque promptiùs assensi, quòd meam operam in Palatinatu nondum addixeram, & vocationem hanc Herbornensem à singulari Dei providentia proficisci sentiebam. Huc ergo quum venissem: placuit piæ memoriæ Oleviano nostro, penes quem (ut G.T. novit) summa scholæ constituendæ authoritas erat, placuit inquam illi, ut epistolam hanc publicè in schola interpretarer. id quod eò libentiùs feci, quòd eam jam semel Mœrsæ interpretando absolveram. Itaque pristinam illam hujus epistolæ analysin meam, quam in schola Mœrsensi dictaveram, in incudem quasi reposui, accuratiusq́ elimavi atque expolivi: non eo quidem consilio ut eam aliquando in lucem ederem, sed tantùm ut auditoribus meis dictarem, fusiusq́ exponerem. Veruntamen quum typographus noster libellum aliquem typis suis exprimendum à D. Oleviano jam ante biennium peteret, placuit illi tunc, ut hanc meam analysin (quam ipsemet, in schola à me dictari maxima ex parte audierat) excudendam darem. Cui ego ita assensi, ut dictata hæc mea priùs ab ipso perlegi & sicubi opus esset, corrigi peterem. Quod quidem officium ille mihi præstitit: sed sub illud tempus in gravissimum morbum incidens (quo etiam non ita longè post exspiravit) quum jam ægrotans libellum dictatorum mihi redderet, commonefecit ut adhuc semel recognóscerem, antequam divulgari paterer. Quæ commonefactio me movit, ut editionem hujus analyseos minimè festinandam judicarem, sed adhuc aliquantisper premendam, donec & diligenter recognovissem, & editio denuò à me flagitaretur. Ita accidit, ut jam fermè biennium elapsum sit, quo & istam Analysin & alias nonnullas, quas & ipsas in schola nostra dictavi, premendas esse censui. Quod autem hoc tempore & hanc Analysin in lucem edo, & reliquas quoque paulò post emittere decrevi: petitiones & cohortationes amicorum quorundam me commoverunt, inter quos vel principem locum tenet ornatissimus vir Doctor Paulus Crocius, Ecclesiarum in Generositatis tuæ ditione inspector vigilantissimus: qui posteaquam meo rogatu Analyses istas meas perlegisset, meq́ de nonnullis corrigendis candidè admonuisset, vehementer per literas hortatus est, ut & editionem maturarem, & opus per DEI gratiam bene cœptum continuarem atque absolverem: quippe qui judicaret, laborem hunc ejusmodi esse, ut ecclesiæ Christi sit profuturus: quam ipsam quoque prudentissimi pientissimiq́ viri Dn. Johannis Wicradii Generositatis tuæ concionatoris aulici sententiam esse scripsit. Visum est autem mihi de consilio amicorum quorundam, analysibus singulorum capitum subjicere scholia, quibus verba textus tum singula tum conjuncta quam-accuratissimè explanantur; ex qua explanatione veritas analysium faciliùs elucescit & confirmatur. Si quid autem in istis scholiis videbitur deesse, id in Annotationibus clariss. viri D. Theodori Bezæ abundè expositum reperietur. Nam quæ ipse copiosè annotavit, eorum ego summam paucis verbis comprehendere studui, tropis & figuris rhetoricis accuratioris declarationis causâ diligenter indicatis. Quinetiam versionem ejusdem D. Bezæ, ut analysibus meis accommodatior esset, partim ex postrema ipsius recognitione nuper editâ, partim pro Christianæ libertatis jure ex meo ipsius judicio passim mutavi: quæ quidem omnia nullo alio consilio ita elaboravi, quàm ut quantum per Dei gratiam possem, hoc meo labore juventuti sacrarum literarum studiosæ adjumenti aliquid afferrem ad divinam hanc epistolam quàm-plenissimè intelligendam.

Nec verò ab editione istarum lucubrationum mearum absterreri me passus sum, quòd sinistra quorundam judicia mihi subeunda cogitabam, quibus Iliada post Homerum scribere voluisse videbor, qui post tam doctos clarissimorum nostræ ætatis Theologorum commentarios, etiam ipse aliquid in isto genere conari non sim veritus. Laudem suam clarissimi isti viri per me illibatam retinent: veruntamen quis affirmare ausit, illos tantam lucem commentariis suis epistolæ huic intulisse, ut alii post illos clariorem intelligentiæ lucem non possint per Spiritus sancti revelationem accendere?

Nec verò quum hoc dico, quicquam mihi arrogo, quasi ego plus cæteris præstitisse mihi videar: sed hoc tantùm admoneo, priorum studiis atque laboribus neminem deterreri debere, quò minùs & ipse studium suum ad explicationem sacrarum literarum conferat, inq́ iis illustrandis quam-diligentissimè elaboret: & si quid tali studio per Dei gratiam sit consecutus, quod viris piis & doctis probetur, idipsum cum tota ecclesia Christi liberaliter communicet. Tantum autem abest, ut ego mihiipsi addictus, judicia & expositiones aliorum in hac analysi concinnanda contemserim, ut potiùs profitear, me in difficilioribus locis commentaria illorum quam-studiosissimè consuluisse, ac in plerisque secutum esse. In hoc tantùm singulari studio elaborandum mihi duxi, de quo illos non adeò solicitos fuisse animadverti: nempe ut sententiarum inter se omnium cohærentiam ostenderem; quippe ex qua singularum genuinus ac nativus sensus dependet: id est, ut analysin logicam perpetuam texerem. Verùm enimverò ne quis vocabulo isto Analyseos logicæ offendatur, quasi eo significetur, sacras literas judicio rationis humanæ à nobis subjici: quum tamen Apostolus testetur, hominem ψυχικὸν, id est, merè animalem, naturalem, carnalem, necdum Spiritu Dei regenitum, non capere quæ sunt Spiritus Dei, id est, res spirituales, ad cultum Dei & hominis salutem pertinentes, quales nimirum sacris literis continentur: observandum est, nos per Analysin logicam nihil aliud intelligere, quàm applicationem præceptorum artis Logicæ seu Dialecticæ: quæ quum ars generalis sit, tam ad res spirituales ac divinas, quàm ad humanas & profanas applicari potest. Quod quum fit: non propterea res divinæ judicio humano subjiciuntur: quasi scilicet id demum in rebus divinis verum ac rectum statuatur, quod judicio hominis naturali probatur: sed tantùm rerum spiritualium doctrina, de cujus veritate jam per Spiritum Dei persuasi sumus, eruditè & scienter atque artificiosè explicatur.

Porrò quum de consilio amicorum mihi proposuerim, istas meas epistolarum Pauli Analyses Comitibus hujus regionis evangelicis sigillatim dedicare: equidem primum inter illos locum Generositati tuæ multis gravibus de causis tribuere mihi videor. Tu enim literarum tum humanarum tum divinarum peritiâ inter ordinis tui homines in hac regione excellis, & tanquam lucidissima aliqua stella inter eos emicas ac scintillas: tum primus inter illos notitiam mecum ultrò contraxisti, tuamq́ erga me benevolentiam multis jam longo tempore argumentis testatam fecisti: tu sicut de doctrina Christiana rectè judicare potes, ita scripta eorum, qui isti doctrinæ lucem aliquam majorem commentationibus suis afferre conantur, studiosè ac diligenter evolvere consuevisti: tu denique, ut hæ meæ Analyses in lucem ederentur, non obscurè tibi placere significasti. Quare mei officii esse duxi, ut hac dedicatione & meam erga tuam Generositatem observantiam testarer, & simul aliquam pro acceptis beneficiis grati animi significationem ederem: eâdemq́ operâ hunc meum laborem hominibus nostris acceptiorem redderem.

Quæ quum ita sint: spero, generosissime Comes, te libellum hunc meum eâdem frontis serenitate animiq́ benevolentiâ excepturum, quâ me ipsum excipere soles: nostrosq́ homines authoritate nominis tui adductos, eò libentiùs illum perlecturos. Faxit Deus pater Domini nostri JESU CHRISTI, ut hic meus labor non sit irritus, sed apud quam-plurimos fructuosus ad pleniorem veritatis cœlestis cognitionem adipiscendum. Amen.

BREVIS ANALYSIS EPISTOLÆ AD ROMANOS.

Epistolæ ad Romanos partes tres:

- Procœmium, *usque ad v.16.cap.1: ubi*
  - *Describit personam Christi, vers.3.& 4.*
  - *Gratulatur eis fidem, v.8.*
  - *Testatur de suo proposito eos invisendi, v.9.& seqq.*
- Institutio *doctrina Christiana de*
  - Justificatione. *Justificamur aut fide, aut operibus Legis. Non autem operibus. nam omnes peccarunt. Fide igitur. à v.16.cap.1.usque ad cap.6.*
    - *Assumtionis probatio continetur cap.1.2.3. de*
      - *Gentibus.*
      - *Judais.*
  - Sanctificatione. *Qui justificantur, etiam sanctificantur, sed imperfectè in hac vita, cap.6.7.8. Praterea de* tolerantia crucis & spe vitæ æternæ, *cap.8. Imperfectio sanctificationis describitur cap.7.in lucta carnis & spiritus, in exemplo ipsius Apostoli.*
  - Prædestinatione. *Incredulitas Judaorum nil derogat doctrina Evangelii de justificatione per fidem. non enim omnes Judai sunt populus Dei; sed tantùm electi: pleriq; autem rejecti sunt, & in eorum locum gentes vocata. Quanquam & Judai rursus vocabuntur, quum plenitudo gentium introierit, cap.9.10.11.*
  - Bonis operibus *seu officiis hominis Christiani, cap.12.13.14.15.*
- Peroratio *ubi*
  - *à v.14. cap.15. usque ad fin. cap.*
    - *1 Excusat scriptionem.*
    - *2 Commendat suum apostolatum.*
    - *3 Promittit suum adventum.*
    - *4 Petit ut Deum se orent.*
  - *cap.ult.*
    - *5 Salutat & commendat quosdam.*
    - *6 Admonet de cavendis falsis fratribus.*
    - *7 Annuntiat salutationes quorundam.*
    - *8 Concludit gratiarum actione & laudatione Dei.*

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PAULI AD ROMANOS.

ARGUMENTUM SIVE SUMMA, SEU DENIQUE SUMMÆ PARTES, EARUMQUE ORDO, id est, methodus totius epistolæ.

EPISTOLA Pauli ad Romanos, *præter exordium & perorationem, institutionem continet doctrina Christiana, divisam in quatuor partes. Docet enim Apostolus primùm de justificatione, deinde de sanctificatione, tum de prædestinatione, postremò de bonis operibus. Justificationis vocabulum hîc forense est, & idem significat quod apud Latinos absolutio: quum judex reum dicitur absolvere culpâ, id est, justum atque innocentem pronuntiare. Docet igitur Apostolus, hominem justificari coram Deo, id est, justum à Deo censeri ac pronuntiari solâ fide in Christum, id est, propter solum Christum fide apprehensum in promissione Evangelii: atque ita hominem justificari ex merâ Dei gratiâ, non autem ex merito operum suorum. Hoc docet à v.16.c.1.usq; ad initium cap.6. Sanctificationis verbo intelligimus natura hominis instaurationem seu reformationem ad imaginem Dei à Spiritu S. cùm mentem hominis illuminante, tum voluntatem & affectus renovante & quasi regenerante: unde hac sanctificatio etiam regeneratio nominari solet: qua fit, ut homo bonâ Dei & sanctâ voluntate cognitâ studeat illi perpetuò obsequi & placere, vitando peccata & agendo qua recta sunt. Docet igitur Apostolus: quotquot justificantur, eos etiam sanctificari: sed hanc sanctificationem in hac vita esse imperfectam, propter inhærentes in renatis reliquias peccati. Speciatim autem sub finem hujus de sanctificatione disputationis, hortatur ad tolerantiam crucis propter confessionem Christi evenire solita, ad sanctificationem indies magis ac magis perficiendam. Hæc agit capitibus sexto, septimo & octavo. Jam prædestinationis vocabulo intelligitur aternum Dei decretum, quo aliquos hominum ante jacta mundi fundamenta ex mera gratia elegit in Christo ac prædestinavit ad vitam aternam: alios verò ex justo & occulto judicio reprobavit, ac prædestinavit ad exitium sempiternum. Ad hanc inprimis arduam ac sublimem disputationem transit Apostolus ex abrupto: veruntamen ex ipso disputationis ordine perspici potest, hanc doctrinam cum superiore cohærere per occupationem. Quum enim videret Apostolus, quid contra justificationem fidei posset atque etiam soleret objici, nempe incredulitas gentis Judaica: ad hanc objectionem diluendam Apostolus arcanam illam prædestinationis doctrinam in medium affert. Objectio igitur doctrina Apostoli contraria, hac erat: Si per solam fidem in Christum justificarentur homines, ac tandem salvarentur: oporteret Judaicam quoque gentem in Christum credere: quippe qua sit populus Dei. At ea gens in Christum non credit. Ergo non videtur vera esse illa Pauli de justificatione doctrina. Respondet Apostolus ex arcana doctrina de prædestinatione: docens, promissiones Dei huic populo factas, pertinere propriè ad electos, & in illis solis complementum suum habere: incredulitatem verò maxima partis Judaorum illius temporis, ab aterna Dei reprobatione ac rejectione pendêre: qua quidem reprobatio justissima sit, licet ratio carnis variè ogganniat. Unde etiam hanc disputationem admiratione profundissima sapientia ac justitia Dei concludit. Hac agit capitibus nono, decimo & undecimo. Postremò agit de bonis operibus seu officiis Christianorum, & ad eorum studium Christianos omnes hortatur: ac inprimis de charitate erga fratres infirmos exercendâ multum pracipit. Hac agit à principio capitis duodecimi usque ad v.14.capitis decimiquinti: ubi peroratio seu conclusio epistola incipit.*

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Primum caput distingui potest in quatuor partes. Pars prima continet ea, qua ante epistolas pramitti solent, (τὰ πρὸ τῆς ἐπιστολῆς) videl. subscriptionem & inscriptionem, usq; ad v.8. Secunda pars continet exordium, à v.8.usq; ad v.16. Tertia pars continet propositionem disputationis de justificatione, v.16.& 17. Quarta pars continet initium demonstrationis, qua sententiam de justificatione propositam demonstrat, à v.18. usq; ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE.

PAulus servus Jesu Christi, *ex Dei* vocatione Apostolus, separatus ad *pradicandum* Evangelium Dei.

Subscriptio quatuor particulas continet: primùm nomen authoris proprium, deinde duo nomina officii, tum officii declarationem: postremò digressionem in commendationem Evangelii. Nomen authoris proprium est *Paulus*: de quo vide Bezam annotat. in Actor. 13. v. 9. ubi docet, sic vocatum fuisse à Græcis, ut qui eo tempore Romanis nominibus magis assueverant: quum antea inter Judæos & Syros versans nominaretur Saulus. Officii nomen primum est, *servus Jesu Christi*: quod nomen est generale & omnibus ecclesiæ novi Testamenti doctoribus commune: quippe qui omnes docendo Evangelio serviunt Christo. Alterum nomen officii est, κλητὸς ἀπόστολος, *vocatus apostolus*, hoc est, ex vocatione (scilicet Dei) apostolus, id est, vocatus à Deo ad apostolatum seu munus apostolicum. Hoc nomen speciale est: nam apostoli erant doctores Evangelii, immediatè à Christo vocati, & ad quasvis nationes promiscuè missi. quanquam Paulus præcipuè missus erat ad gentes incircumcisas seu paganos, quos vulgò ethnicos dicimus, Germanicè **die Heiden**: ut videre est Act. 9. 15. item Act. 13. item 1. Tim. 2. 7. De vocatione Pauli ad apostolatum & mirabili conversione vide Actor. 9.

Porrò nomen *apostoli* Græcum est, & Latinè legatum significat, Germanicè **einen gesandten**. Cujus nominis rationem explicat Apostolus 2. Cor. 5. 20. ubi ait, *Pro Christo igitur legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: postulamus pro Christo, Reconciliamini Deo.* Declaratio officii continetur his verbis, ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, *Separatus ad Evangelium Dei*; scilicet prædicandum, seu ad Evangelii prædicationem: ut sit metonymia subjecti. Sed quis eum separavit? Primò quidem Deus arcanâ suâ prædestinatione: de qua separatione ait Apostolus Gal. 1. v. 15. *Deus separavit me ab utero matris meæ.* Deinde separavit eum ecclesia è singulari Dei mandato: de qua separatione testatur Lucas Act. 13. v. 2. Porrò *Evangelii* nomen Græcum est, & Latinè bonum nuntium significat. Intelligitur autem hîc (ut passim in scriptis Evangelistarum & Apostolorum) doctrina de remissione peccatorum gratuitâ, itemque donatione Spiritus sancti & vitæ æternæ propter Christum: quam homines à Deo vocati & ad docendum missi, aliis hominibus annuntiant. Vocat evangelium Dei, ab authore: quia Deus illius doctrinæ author est, eamque hominibus annuntiari præcipit. Cæterùm vocationem suam allegat Apostolus: ut ostendat, se legitimè & per voluntatem Dei ad docendum accessisse, ac proinde audiendum esse.

2 Quod antè promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis,

3 De filio suo, (qui ortus est ex semine Davidis secundùm carnem:

4 Declaratus *autem* filius DEI potenter secundùm spiritum sanctificationis, per resurrectionem à mortuis) *de* Jesu Christo *inquam* domino nostro.

5 Per quem accepimus gratiam & apostolatum ad obedientiam fidei, inter omnes gentes, pro ipsius nomine:

6 Inter quas estis etiam vos: vocati à JESU CHRISTO.

Hîc commendat Evangelium partim ab adjuncta promissione prophetarum, partim à subjecto occupante quod est Christus: ubi describit personam Christi. Deinde redit ad mentionem sui apostolatus. Quod ad promissionem prophetarum attinet: ait, *Deum antè*, id est, jam olim, *promisisse Evangelium per prophetas suos in scripturis sanctis.* Personam Christi describit, quòd sit *filius Dei*, *factus è semine Davidis secundùm carnem.*

7 Omnibus qui Romæ estis, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia *sit* vobis & pax à Deo patre nostro & Domino JESU CHRISTO.

Inscriptio & salutatio.

DE SECUNDA PARTE.

8 Primùm quidem gratias ago DEO meo per JESUM Christum, super omnibus vobis, quòd fides vestra annuntiatur in toto mundo.

9 Testis enim mihi est DEUS, cui servio spiritu meo in Evangelio filii ipsius, me indesinenter mentionem facere vestri.

10 Dum semper in precibus meis rogo, ut, si quo modo tandem aliquando prosperum iter mihi detur pro voluntate DEI, veniam ad vos.

11 Desidero enim videre vos, ut aliquod impertiar vobis donum spirituale, ut vos stabiliamini:

12 Hoc est, ad communem consolationem percipiendam apud vos, per mutuam fidem, vestram simul & meam.

13 Nolim autem vos ignorare, fratres, me sæpe proposuisse venire ad vos (sed prohibitus fui usque adhuc) ut fructum aliquem haberem inter vos quoque, sicut & inter reliquas gentes.

14 Græcis juxtà ac barbaris, sapientibus juxtà ac insipientibus debitor sum.

15 Itaque quicquid in me situm est, promtum est ad vobis quoque qui Romæ estis, evangelizandum.

Secunda pars capitis, exordium sive prooemium: in quo gratulatur Romanis fidem: simulque testatur de sua erga eos benevolentia: ut qui gaudeat eorum bonis, qui ipsorum memor sit in suis precibus, denique qui cupiat eos invisere mutuæ consolationis causâ. Cæterùm gratulationem suam confirmat testimonio divino, videlicet jurejurando. Præterea promissionem sui adventus illustrat expositione finis: ut scilicet ipsis docendis fructum capiat. Tum hunc finem amplificat occupatione. Ne quis enim cogitaret, eum ineptè agere, qui velit docere Romanos, homines scilicet sapientiâ & peritiâ rerum excellentes: demonstrat, se rectè agere: quia agat ex officio: quippe qui tam sapientes quàm insipientes docere debet.

DE TERTIA PARTE.

16 Non enim me pudet evangelii Christi. potentia siquidem est Dei ad salutem cuivis credenti; Judæo primùm, tum etiam Græco.

17 Justitia enim Dei per illud retegitur ex fide in fidem: sicut scriptum est, Justus autem ex fide vivet.

Hîc incipit prima disputatio Apostoli, seu prima pars institutionis doctrinæ Christianæ, quæ est de *justificatione*. Cujus naturam declarat Apostolus ex causis effectis, adjunctis & contrariis. Causas tractat partim efficientes, easque cùm principales, tum instrumentales: partim materialem: partim formalem. Primò autem omnium agit de instrumentali in homine, nimirum fide: docens, hominem justificari fide: usque ad caput quintum. Deinde cap. 5. exponit justificationis effecta: ibidemque agit etiam de causa materiali, videlicet de obedientia mortis Christi: simulque de causa formali: quæ est obedientiæ hujus imputatio. Tertiò illustrat justificationem à contrario, videlicet condemnatione nostri per inobedientiam Adæ: à v. 12. cap. 5. usque ad finem illius capitis.

Quartò agit de necessario quodam justificationis adjuncto, videlicet sanctificatione; de qua agit toto capite sexto & parte septimi. Quæ disputatio quia prolixior est, pro peculiari susceptæ institutionis parte eam in argumento proposuimus.

Quintò agit de causis efficientibus principalibus: quas proponit duas: videlicet Deum patrem qui misit filium, & filium qui Legi pro nobis satisfecit. hæc tradit capite octavo: iisque explicatis redit ad adjunctum, videlicet sanctificationem justificatorum, usque ad finem capitis. His igitur quinque partibus doctrina de justificatione hîc absolvitur: ex quibus tamen pars quarta, quæ est de sanctificatione, pro secunda susceptæ institutionis parte seorsim à nobis considerabitur.

DE PRIMA PARTE TRACTATUS DE JUSTIFICATIONE.

PRimò omnium (ut dixi) agit Apostolus de justificationis causa instrumentali in homine, videlicet fide: docens, hominem justificari fide, hoc est, coram tribunali Dei à peccatis absolvi, & justum atque innocentem pronuntiari, quatenus credit in Christum, hoc est, quatenus credit promissioni Evangelii de remissione peccatorum propter Christum: quòd scil. Deus sibi peccata sua condonaverit atque ignoverit propter Christum, qui pro illis suâ morte satisfecit. Hanc justificationis causam concludit Apostolus argumento divisionis, in hanc sententiam:

Homo justificatur aut ex operibus Legis, aut ex fide.
Non autem ex operibus. Ergo ex fide.

Hujus syllogismi propositionem (hoc est, sententiam primam, qua continetur divisio) Apostolus tanquam per se manifestam certamque omittit ac præsupponit. Certum enim est, hominem justificari aut suâ justitiâ (id est, ex Lege suis viribus præstitâ) aut alienâ justitiâ, id est, ex fide apprehendente, sibique applicante justitiam alienam. Nam si quis Legem suis viribus impleret, is justificaretur suâ justitiâ: sicut is qui credit, Christum pro se Legi satisfecisse, justificatur justitiâ alienâ, nempe Christi, sibi per fidem imputatâ ac donatâ. Assumtionem verò, hoc est, secundam sententiam, qua negatur, hominem justificari ex operibus, approbat primùm tali syllogismo:

Nullus transgressor Legis ex operibus Legis justificatur.
At omnis homo transgressor Legis est.
Nullus igitur homo ex operibus Legis justificatur.

Hujus syllogismi propositio extra controversiam est. Assumtionem approbat Apostolus primùm de Gentibus incircumcisis (quæ tamen demonstratio etiam pertinet ad Judæos) à v. 18. c. 1. usque ad v. 17. cap. 2. deinde de Judæis cap. 2. v. 17. & deinceps, item c. 3. v. 10. & deinceps. Atque hæc de assumtione prosyllogismi, videl. omnes homines transgressos esse legem Dei. Deinde assumtionem syllogismi principalis, videlicet hominem non ju-

ſtificari ex operibus Legis, approbat aliis quoque argumentis, cap. 4. videlicet exemplo Abrahæ, in principio capitis: deinde effecto Legis, v. 15. Atque hæc prima diſputationis de juſtificatione pars eſt, videl. de cauſa inſtrumentali in homine.

Cæterùm his duobus verſibus continetur tertia pars capitis, videlicet propoſitio diſputationis de juſtificatione: ad quam tranſit per prolepſin. Quum enim exordium concluſiſſet hac ſententiâ, quòd paratus ſit etiam Romanis evangelizare: occurrit jam tacitæ objectioni de Evangelii contemtu: cui opponit ejusdem commendationem ab ipſius vi & efficaciâ, quòd ſcilicet Deus prædicatione Evangelii utatur ad ſalutem eorum qui Evangelio credunt, verſ. 16. Atque hac occaſione proponit doctrinam de cauſa inſtrumentali juſtificationis, nimirum fide, per ratiocinationem à cauſa. nam quod eſt cauſa cauſæ, id etiam eſt cauſa cauſati. Ergo quum fides ſit cauſa juſtitiæ: ſequitur, eandem eſſe quoque cauſam ſalutis. Fidem autem eſſe cauſam juſtitiæ, nempe inſtrumentalem, docet ac teſtatur Evangelium: quod Evangelii teſtimonium illuſtrat & confirmat ſimili teſtimonio prophetæ Abacuc, v. 17.

DE PARTE QUARTA.

18 Palàm enim eſt ira Dei è cælo adverſus omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum qui veritatem injuſtè detinent.

19 Quoniam id quod de DEO cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in ipſis. DEUS enim eis manifeſtum fecit.

20 Ipſius enim inviſibilia, jam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta pervidentur, æterna *videlicet* ejus tum potentia tum divinitas: adeò ut ſint inexcuſabiles:

21 Propterea quòd quum Deum cognoverint, *tamen* ut Deum non glorificaverunt, neque gratias *ei* egerunt: ſed vani facti ſunt in ratiocinationibus ſuis, & obtenebratum eſt deſipiens cor eorum.

22 Quum ſe dictitarent ſapientes, ſtulti facti ſunt.

23 Mutarunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volúcrium, & quadrupedum, & reptilium.

24 Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipſorum ad impuritatem, ut ignominiâ afficerent corpora ſua inter ſe.

25 Ut qui Dei veritatem transmutarint in falſitatem, & coluerint ac ſervierint rebus creatis, præterito creatore; qui eſt benedictus in ſæcula: Amen.

26 Propterea, *inquam*, tradidit eos Deus ignominioſis affectibus. nam & fœminæ illorum transmutarunt naturalem uſum in eum qui eſt præter naturam.

27 Similiterque etiam maſculi, relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt ſuâ libidine alius in alium, maſculi in maſculis dedecus perpetrantes, & compenſationem (quam oportuit) erroris ſui in ſeſe recipientes.

Hic incipit quarta pars capitis, ubi accedit ad demonſtrationem ſententię de juſtificatione propoſitę. Primò autem omnium probat aſſumtionem ſyllogiſmi principalis, nempe, neminem juſtificari ex operibus Legis. ubi notanda eſt ellipſis, id eſt, omiſſio illius aſſumtionis: cum qua propriè cohæret conjunctio rationalis γὰρ. Quum enim dixiſſet, hominem juſtificari & ſalvari ex fide: promtum erat quærere, Et cur non ex operibus Legis? quæ tunc apud maximam hominum partem recepta erat (ſicut etiamnum hodie eſt) opinio. Hæc igitur interrogatio omiſſa eſt: & tanquam eſſet poſita, ita nunc ratio ſubjungitur, *Palam eſt enim ira Dei &c.* Sententia eſt: Ideo non ex operibus Legis juſtificatur homo, quia homo opera Legis non facit. Id quod primùm probat de lege naturæ & de gentibus incircumciſis. Eſt autem lex naturæ nihil aliud quàm notitia naturalis, omnium hominum mentibus impreſſa, quòd Deus tanquam optimus ac potentiſſimus diligendus & timendus, adeoque glorificandus ſit: quodque ita nos gerere debeamus erga proximum, ut vellemus eum ſe gerere erga nos. Ita lex naturæ complectitur duas partes: videlicet cultum Dei, & amorem proximi. Apoſtolus primùm agit de cultu Dei: oſtenditque, Gentes legem naturæ de cultu Dei violaſſe. Primùm autem probat notitiam Dei hominibus eſſe inſitam: quia Deus ſeſe patefecit per creationem mundi: hominibusque mentem dedit cujus vi ex effectis de efficiente & conditore Deo ratiocinarentur: concludentes, Deum æternâ & immensâ potentiâ, ſapientiâ, juſtitiâ ac bonitate præditum eſſe. Deinde oſtendit, Gentes legem naturæ de Deo verè colendo violaſſe: id quod probat ex idololatria. Tum hoc ipſum confirmat ex effectis, videlicet ex pœnis graviſſimis, nempe deteſtandis flagitiis ac ſceleribus quæ commiſerunt in reprobum ſenſum juſto Dei judicio traditi: quorum ſcelerum prolixum catalogum in fine capitis recenſet; quo ipſo etiam demonſtrat, Gentes violaſſe legem naturæ de dilectione proximi. Hîc obſervandum, etſi hæc de violata lege naturæ demonſtratio de ſolis gentibus incircũciſis ex profeſſo agit: tamen eam ad Judæos quoque pertinere, ut qui naturâ gentibus reliquis meliores non erant.

V. 20. *Ipſius enim inviſibilia*] Videntur hæc verba continere occupationem. OBJECTIO: Deus eſt inviſibilis: ergo cognoſci ab homine non poteſt. Apoſtolus negat conſequentiam: Quia inviſibilia attributa Dei cognoſci poſſunt ex viſibilibus ejus operibus, ratiocinando ab effectis ad cauſam efficientem.

V. 26. *Propterea inquam*] Repetit quod dixerat verſ. 24. & per ſpeciem declarat, videlicet flagitium de quo exſtat lex Dei Levit. 18. 22.

28 Et ſicut non viſum eſt eis Deum in notitia retinere: *ita* tradidit eos Deus in mentem omnis judicii expertem, ut facerent quæ minimè conveniebat:

29 Oppleti omni injuſtitiâ, malitiâ, ſcortatione: improbitate, avaritiâ: pleni invidiâ, cæde, contentione, dolo, malignitate:

30 Suſurrones, obloquutores, Dei oſores, contumelioſi, ſuperbi, jactatores, inventores malorum, parentibus immorigeri,

31 Deſipientes, fedifragi, charitatis expertes, implacabiles, immiſericordes:

32 Qui illo Dei jure cognito, *nempe* eos qui talia faciunt, dignos eſſe morte: *tamen* non ſolùm ea faciunt, ſed etiam facientibus applaudunt.

Gentes violaſſe legem naturæ, hactenus probavit ex duabus ſpeciebus peccati, videlicet idololatria & præternaturali concubitu: quorum peccatorum poſterius è priori ortum eſſe, eisque tanquam pœnam juſtiſſimo Dei judicio inflictum, admonuit. Deinceps tranſit ad alias peccati ſpecies: quas per congeriem enumerat plurimas: rurſum admonens, illa peccata ex idololatria tanquam divinam pœnam orta eſſe.

SCHOLIA IN CAP. I.

VERSU 3. Orto] Τοῦ γενομένου. *Sic malo quàm* facto, *ne putetur, in Græco eſſe* πεποιημένου. *Eſt hîc illuſtre exemplum communicationis (quam vocant) idiomatum. nam Chriſto denominato à natura ſua divina, tribuitur proprietas naturæ ipſius humanæ: ſicut Apoſtolus ipſe mox declarat, diſtinctione naturarum expreſsè adhibitâ. Quæ ipſa diſtinctio in ſimilibus quoq; dictis intelligenda eſt. nam quòd hoc loco diſtinctio illa & limitatio ſive reſtrictio exprimitur, fit propter ſequentem antitheſin: ubi carni ſpiritum, hoc eſt, humanæ naturæ divinam (vel* Spiritum S.) *opponit.* Secundùm carnem] κατὰ σάρκα. *Id eſt, ſecundùm corpus. Synecdoche membri.*

4 Potenter] ἐν δυνάμει. *Ad verb.* In potentia: *id eſt, cum potentia. Periphraſis adverbii Hebraica.* Secundùm ſpiritum ſanctificationis] κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης. *Id eſt,* Per Spiritum ſanctum. *Confer infrà cap. 8. v. 11. Similes antitheſes, ubi ſcil. carni Chriſti opponitur Spiritus ſanctus, vel Chriſti deitas, vide* Joh. *6. v. 63. 1. Tim. 3. v. 16. 1. Pet. 3. v. 18.*

5 Gratiam & apoſtolatum] χάριν καὶ ἀποστολήν. *Id eſt, gratiam apoſtolatus,* χάριν ἀποστολῆς. *Figura ſermonis, quam Grammatici vocant hendiadys. Nominanda autem erant* ἓν διὰ δύο, *vel* ἓν διὰ δυοῖν. Ad obedientiam fidei] εἰς ὑπακοὴν πίστεως. *Id eſt, ut Gentes obediant fidei: hoc eſt, doctrinæ fidei, nempe Evangelio. Sic fuerit metonymia adjuncti in vocabulo* fidei, *ſicut 1. Tim. 1. 19. Et ſic reddidit Syrus paraphraſtes:* Ut obediant fidei. *Vel,* Ut gentes fide *obediant, ſcil. Evangelio. Sic fuerit ſyntaxis qualis in illo,* Signum circumciſionis, *infr. 4. v. 11.*

7 Et pax] καὶ εἰρήνη. *Poteſt quidem hoc, ex phraſi Hebræorum, exponi de omnium rerum felici ac proſpero ſucceſſu: veruntamen neſcio quomodo mihi magis tanquam* θεολογικώτερον *& majori cum conſolatione conjunctum arridet, ut hæc pax intelligatur de pace illa quam habemus erga Deum per Chriſtum: de qua disertè loquitur infrà cap. 5. v. 1. ex qua pace nimirum exoritur altera pax, videl. pax ſeu tranquillitas conſcientiæ acquieſcentis in Deo, tanquam ſibi reconciliato & placato, quam ipſam vocat pacem Dei, Philip. 4. v. 7. De qua eâdem pace loquitur Chriſtus* Joh. 16. *v. ult. ubi ait diſcipulis,* Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis: in mundo oppreſſionem habebitis. Et Domino] καὶ κυρίου. *Repete* ἀπὸ. *pro,* καὶ ἀπὸ κυρίου. *Nam nomen* κυρίου *non copulari cum præcedente pronomine* ἡμῶν, *vel ex eo judicari poteſt, quòd ordo præpoſterus eſſet. dicendum enim potiùs fuiſſet,* ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς τοῦ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ καὶ ἡμῶν. *quum Deus primò ſit pater Domini noſtri* Jeſu *Chriſti, ſecundariò autem noſter pater propter Chriſtum.*

8 Primùm quidem] πρῶτον μὲν. *Sic malo quàm* inprimis, *ut nimirum notetur ordo. Nec obſtat quòd non ſequitur alia particula ordinis, iſti reſpondens. Eſt enim ſpecies quædam τοῦ ἀνανταποδότου:*

cujus

cujus exempla passim occurrunt: ut apud Cic. lib. 1. de offic. Principio generi animantium omni est à natura tributum &c. *Sic infrà c. 3. v. 2.* Deo meo] Τῷ Θεῷ μου. *Quem ego propitium mihi patrem esse sentio, & ex hac fide colo. Vox fidei est. Sic Gal. 2. v. 20. de Christo loquens ait;* Qui dilexit me, & semetipsum tradidit pro me. Annuntiatur] καταγγέλλεται. *Id est, prædicatur seu celebratur, denique commemoratur & laudatur. Sic 1. Cor. 11.* Mortem Domini καταγγέλλετε. In toto mundo] *Id est, in omnibus ecclesiis totius mundi. Synecdoche generis hyperbolica. nam intelligit ecclesias plurimas. Talis synecdoche (quamvis non hyperbolica) est 1. Joh. 2. v. 2.* Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi peccatis. *id est, sed etiam pro peccatis credentium totius mundi, hoc est, per totum mundum dispersorum. Hanc enim expositionem postulat antithesis pronominis ἡμετέρων: quod utiq; Johannes de sese & iis ad quos scribit, nempe credentibus, intelligit.*

9 Spiritu meo] ἐν τῷ πνεύματί μου. *Præpositio præposita est more Hebræorum, habens significationem instrumenti. Sic Joh. 4. 23.* In Evangelio] ἐν εὐαγγελίῳ. *Puto hunc locum simpliciter exponendum ad hunc modum: Cui servio in Evangelio filii ipsius, hoc est, in annuntianda seu prædicanda læta illa doctrina de filio ipsius. quemadmodum suprà dixit, se esse separatum ad Evangelium Dei, id est, ad prædicationem Evangelii Dei. Ut Evangelii nomine hic intelligatur subjectum, in quo occupatum fuit ministerium Pauli.*

10 Tandem aliquando] ἤδη ποτὲ. *His adverbiis desiderium suum innuit.* Prosperum iter mihi detur] εὐοδωθήσομαι. *Eras.* Prosperum iter contingat. *Quam interpretationem tolerabilem judico. Neq; enim contingendi verbo Fortuna illa fictitia necessariò innuitur: quemadmodum nec vocabulo casus. quippe etiamsi providentiâ Dei omnia reguntur: tamen hominibus accidunt & contingunt. Contingendi autem verbum ideo hìc appositum videtur, quòd connotat rem bonam atque desideratam: ut demonstrant hæc exempla: Horat. 1. Epist. 4.*

Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quàm sapere & fari ut possit quæ sentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abundè.

Terent. Andr. 4. 2. ubi Pamphilus de Glycerio ait: Hanc mihi expetivi: contigit. *Videtur tamen potiùs exponendum,* Prosperer, *sive (si ita licet loqui) feliciter. Quæ significatio metaphorica usitata est, & respondet hoc verbum verbo Hebr.* הַצְלִיחַ *hitzliahh.* Per voluntatem Dei] ἐν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ. *Hebraismus, pro* διὰ τοῦ θελήματος τοῦ Θεοῦ.

11 Desidero] ἐπιποθῶ. *Magis hìc arridet verbū desidero quàm expeto. nam πόθος, desiderium significat. Germanicè,* Es verlanget mich/ *vel,* Ich hab ein verlangen. *qua phrasi notatur moræ molestia. quasi dicas, Nimis diuturna mihi videtur mora. Cic. de natur. deor.* Hæc enim scire desidero.

12 Ad communem consolationem percipiendam] συμπαρακληθῆναι. *Etsi* παράκλησις *in genere exhortationem quoque significat: tamen videtur hìc propriè significare consolationem, propter id quòd sequitur,* Per mutuam fidem: *& propter conditionem perpetuam Christianorum, ac nominatim tunc Romanorum: qui propter religionem Christianam exosi erant paganis. Sic infrà 15. 4.*

13 Fructum] καρπόν. *Nempe conversionem plurium ad Christum, & conversorum confirmationem. Hic enim est effectus prædicationis Evangelii; qui piis doctoribus instar suavissimi fructus, longè jucundissimus accidit. Metaphora. Sic Joh. 15. v. 16.*

14 Et Græcis & barbaris, tum sapientibus tum insipientibus] *Puto, prius membrum per posterius declarari. nam Græci, sapientes haberi volebant: cæterasq; gentes, ut barbaras & insipientes contemnebant.*

15 Quicquid in me situm est, promtum est] τὸ κατ᾽ ἐμὲ, πρόθυμον. *Ellipsis gemina: Pro,* τὸ κατ᾽ ἐμὲ ὂν, πρόθυμόν ἐστι.

16 Evangelii Christi] εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. *Id est, Evangelii de Christo: ut supr. v. 9.* In Evangelio filii ipsius. *Genitivus objecti.* Potentia Dei] δύναμις Θεοῦ. *Sic 1. Cor. 1. 18.* Sermo ille crucis, nobis qui servamur, potentia Dei est. *Id est, instrumentum per quod Deus potentiam suam exserit, creando scil. fidem in electis. Metonymia adjuncti.*

17 Justitia Dei] *Puto simpliciter exponendum, Quam donat Deus, imputando scil. per fidem justitiam partam morte Christi. Genitivus adjuncti occupati. Interim fateor, hanc justitiam opponi justitiæ hominum, hoc est, quam homines adipiscerentur, si ex propriis viribus satisfacerent Legi: quam antithesin apertè instituit Apostolus infrà c. 10. v. 3. item Philip. 3. 9.* Per illud] ἐν αὐτῷ. *Vel, in eo, scil. tanquam in speculo.* Justus autem, ex fide vivet] ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. *Hæc sententia sumta est ex Habac. 2. v. 4. generalis quidem in sese: veruntamen illic specialiter intellecta de justis seu piis qui unà cum impiis experturi erant irruptionem hostilem Chaldæorum. Etenim quid utrisq; tunc eventurum sit, propheta Dei verbis sic pronuntiat:* Ecce ebullat in quo non est rectus animus ipsius: justus autem, ex fide suâ vivet. *Quibus verbis significatur: in clade illa à Chaldæis populo Dei inferenda (quæ pronuntiata fuit capite primo) disparem fore eventum piorum & impiorum. hos enim ex diffidentia sua erga Deum & confidentia in præsidiis humanis tanquam ebullaturos, id est, instar bullæ evanituros, omni scil. solatio destitutos: at illos ex fide sua, qua scil. certò persuasi sunt, Deum ipsis esse propitium propter Christum, ac proinde ipsos in omnibus periculis clementer velle conservare, nec non illud posse: ex hac inquam fide illos victuros, id est, verâ consolatione fruituros: quæ quidem consolatio initium vitæ æternæ est. Ex hac expositione perspici potest, verba ista non incommodè nec præter mentem Prophetæ ab Apostolo ad probandum justificationem fidei citari. Similiter hunc locum citat Galat. 3. 11. Præterea ex hac eâdem expositione liquet, verba illa* ἐκ πίστεως, *id est,* Ex fide, *regi à consequente enuntiati seu prædicato, sic:* Justus, vivet ex fide: *non autem ab antecedente seu subjecto, quasi scil. distinguendum sit sic:* Justus ex fide *(id est, is qui justus est ex fide)* vivet.

18 Palàm enim est] ἀποκαλύπτεται γὰρ. *Cohærentia sententiarum hoc loco subobscura est, propter ellipsin ejus sententiæ, cum qua propriè cohæret conjunctio rationalis* γὰρ. *Id quod jam exposuimus in Analysi: ubi vide.* Palàm est, *inquit: nempe ex pœnis, quas Deus propter violatam naturæ legem hominibus infligit: ut docebit infrà v. 24. & 26. & 28.* Impietatem & injustitiam] ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν. *Harum illa fertur adversus Deum: ista, adversus proximum: ac proinde hæc tabulæ decalogi secundæ, illa primæ adversatur. Utramq; deinceps Apostolus de Gentibus probabit: impietatem quidem à v. 19. usque ad 24. injustitiam verò deinceps usq; ad finem capitis.* Eorum qui detinent] τῶν κατεχόντων. *Puta hìc describi gentes profanas, id est, quæ tum carebant verbo Dei, nec dum vocatæ erant ad societatem populi Dei. Nam si de toto genere humano ex professo loqueretur Apostolus: tum nomine* ἀνθρώπων *præposuisset articulum* τῶν. *Et sequentia satis declarant, Apostolum ex professo hìc loqui de gentibus idololatricis. Quod ipsum etiam inde perspicitur, quòd c. 2. v. 19. nominatim Judæos aggreditur, qui de puro Dei cultu gloriabantur. Interim non nego, hanc gentium profanarum reprehensionem etiam ad Judæos pertinere, ut qui naturâ cæteris gentibus meliores non erant. Similis periphrasis gentium profanarum exstat infr. c. 2. 14.* ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα. *ubi similiter abest articulus, nempe* τὰ, *ante* ἔθνη. Veritatem] τὴν ἀλήθειαν. *Id est, veras notitias de cultu Dei. Synecdoche generis, ut liquet ex versu sequente.* Injustè] ἐν ἀδικίᾳ. *Id est, violenter, seu per vim. Pro,* μετ᾽ ἀδικίας, *sive* ἀδίκως. *Hebraismus, ut suprà v. 4.* ἐν δυνάμει, *potenter.*

19 Quoniam id quod de Deo cognosci potest] *Ex his verbis & sequentibus manifestè perspicitur, Apostolum hìc loqui de gentibus profanis. Nam de Judæis loquens infr. c. 2. v. 17. tribuit eis cognitionem Dei ex Lege, id est, verbo scripto. quâ ipsâ notâ eos discernit à gentibus profanis, ut quæ Deum non cognoverint ex Lege, sed tantùm ex rebus ab ipso conditis.*

20 Ipsius enim invisibilia] τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ. *Olevianus, piæ memoriæ, expositurus mihi suam de his verbis convertendis sententiam, recitavit hæc verba,* τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου. *tum ego statim ex ipsa pronuntiatione, tanquam divinitus admonitus, sensi quid vellet: ejusq; sententiam prior exposui, nempe sic vertendum:* Ipsius enim invisibilia inde à creatione mundi, dum ex rebus conditis intelliguntur, perspiciuntur. *Et certè huic expositioni favet tum ipsa verborum cohærentia & distinctio in Græco textu observata: tum incommodum tautologiæ, quod ex diversa distinctione atque expositione nascitur. Porrò istud,* ἀπὸ κτίσεως κόσμου, *intelligendum tunc erit, sicut illud* ἀπὸ καταβολῆς κόσμου: *Matth. 25. 34. & Heb. 9. v. 26. Et sanè Syrus paraphrastes reddidit* מֶן תַּרְמִיתֵה דְעָלְמָא *men tarmithéh deholmá, id est,* ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *à fundatione mundi, seu à jactis fundamentis mundi. Sententia igitur est, inde ab origine mundi homines continuo quasi actu videre invisibilia Dei ex effectis operibus. Denique* ἀπὸ *hìc tempus notat, non autem materiam subjectam: cui servit præpositio* ἐν. Ex rebus conditis] τοῖς ποιήμασι. *Vel ex effectis operibus; pro,* διὰ τῶν ποιημάτων. Æterna videlicet ejus tum potentia tum divinitas] ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης. *Distributio quædam, quæ adhibetur ad declarandum nomen generale quod præcessit in principio versiculi, nempe* τὰ ἀόρατα αὐτοῦ. *Etenim conjunctiones* τε *&* καὶ *inter se opposita distributionem notant: quemadmodum &* καὶ *&* καὶ. *Sic apud Demosth. Olynthiacâ primâ:* τὸ γὰρ εἶναι πάντων ἐκεῖνον, ἕνα ὄντα, κύριον, καὶ ῥητῶν καὶ ἀπορρήτων. Divinitas] θειότης. *Id est, majestas seu gloria, ut nominat paulopòst v. 23. quæ nimirum resultat ex ipsius potentia, sapientia ac bonitate.* Adeò ut sint inexcusabiles] εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. *Quanquam in Græco exprimitur* αὐτοὺς: *tamen in Latino pronomen ipsi elegantiùs omitti puto, absque ulla sensus injuria. Nam apud Latinos pronomen ipse emphaticè usurpari solet, ut antithesin vel collationem innuat, quemadmodum &* αὐτὸς *apud Græcos. Demosth. Olynth. 1.* χρήματα εἰσφέροντας προθύμως, καὶ αὐτοὺς ἐξιόντας. *id est, ita ut pecuniam promtè contribuatis, & ipsi exeatis, scilicet in militiam. quasi dicat: non autem mittatis peregrinum militem. Omnino* αὐτοὺς *hìc redundat ex idiotismo Hebræorum: ut aliàs sæpe. Etsi autem consilium Dei in sese per res conditas patefaciendo præpositione* εἰς *videtur notari: tamen cùm hæc verba pendeant à verbo* καθορᾶται, *quod utique de hominibus intelligitur: simplicius mihi quidem videtur, ut statuamus hìc notari eventum: ac proinde* εἰς τὸ εἶναι

dictum esse pro ὥστε εἶναι. Pervidentur] καθορᾶται. Hoc verbum emphasin Græci verbi videtur exprimere. Et hac voce sic usus est Columella lib 2 cap.1. Videt sine dubio, quid eveniat: sed cur id accidat, non pervidet.

21 Neque gratias ei egerunt] ἢ ηὐχαρίστησαν. Pro, οὔτε ηὐχαρίστησαν αὐτῷ. Heterosis conjunctionis, & ellipsis pronominis.

22 Cùm se dictitarēt esse sapientes] Ex his quoq; verbis intelligitur, Apostolum hîc ex professo loqui de gentibus profanis, quas Græcorum nomine intelligere solet. Græci enim (ut ad Corinthios ait) sapientiam quærunt, 1.Cor.1.22.

23 Mutarunt enim] καὶ ἤλλαξαν. Rectè, enim. Sequitur enim declaratio verbi ἐμωράνθησαν. Gloriam] τὴν δόξαν. Id est, majestatem, μεγαλωσύνην: ut nominatur Hebr.1.3. item 8.1. Sic à Stephano nominatur ὁ Θεὸς τῆς δόξης, Deus ille gloriæ, i.e. gloriosus seu gloriâ ac majestate præditus, Act.7.2 Similiter & Paulus Christum vocat τὸν κύριον τῆς δόξης, Dominum gloriæ, id est, Jehovam gloriosum, 1.Cor.2.8.

24 Quamobrem etiam] διὸ καί. Conjunctio καὶ rectè expressa est: & rectè à D. Beza annotatum, eam conclusionibus inservire. Sic Cic. lib.3. Offic. ubi de lege naturæ disputat, & soriten instituit: tandem concludit his verbis: Verum autem primum: Verum igitur & extremum. Nam conjunctio et hîc idem valet quod etiam. Cupiditatibus] ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις. Ego puto, ἐν positum esse pro εἰς. sic enim loquitur infr. v.26. παρέδωκεν αὐτοὺς εἰς πάθη ἀτιμίας. Item v.28. παρέδωκεν αὐτοὺς εἰς ἀδόκιμον νοῦν. Item puto, istud ἐν respondere Hebræorum præpositioni Beth. Exempla hujus locutionis vide Gen.30.35. & 39.22. Exod.23.31. Levit.26.25.

25 Veritatem Dei] τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ. Id est, veras illas de Deo notitias, mentibus ipsorum à Deo in creatione inditas, & post lapsum relictas: ut suprà v.18. Genitivus in hac phrasi notat causam efficientem, ut in illâ, Justitia Dei, supr. v.17. In falsitatem] ἐν τῷ ψεύδει. pro, εἰς τὸ ψεῦδος. Hebraismus. Coluerint ac servierint rebus creatis] ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει. Species solœcismi: cùm non dicatur σεβάζεσθαι τῇ κτίσει, sed τὴν κτίσιν, nec colere rebus creatis, sed res creatas. Sed potest excusari per zeugma. Rebus creatis] τῇ κτίσει. Ad verbum, Creationi. Metonymia efficientis.

26 Ignominiosis affectibus] εἰς πάθη ἀτιμίας. Ad verb. In affectus ignominiæ: ex idiotismo Hebræorum. Nam & fœminæ] αἵ τε γὰρ θήλειαι. Conjunctio τε, id est, &, distributiva est. distribuit enim hoc loco Apostolus homines in fœminas & masculos. Naturalem usum] Scil. viri, nempe ad concumbendum. Synecdoche verecunda: quæ Græcè dicitur σεμνή.

27 Similiterque etiam] ὁμοίως τε καί. Particulæ ὁμοίως τε redundant. Cùm enim in priore distributionis membro præcesserit conjunctio τε: satis esset, posterius membrum annecti per conjunctionem καί. Sed sic meliùs exprimitur collatio parium. Masculi] οἱ ἄρρενες. Articulus innuit pronomen αὐτῶν, id est, eorum: quod in priore membro est expressum. Rursum autem perspicitur, Apostolum de certo hominum genere loqui, videlicet de profanis gentibus: quarum monstrosæ libidines, maximè Græcorum, ex historiis notæ sunt. Suâ libidine] ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν. Præpositio ἐν redundat ex idiotismo Hebræorum. In sese] ἐν ἑαυτοῖς. videlicet in corporibus suis.

28 Non visum est eis] οὐκ ἐδοκίμασαν. Ad verb. Non probaverunt, seu explorarunt Metonymia effecti destinati. Omnis judicii expertem] ἀδόκιμον. Valde mihi placet hæc D. Bezæ expositio. Video enim, Apostolum per paronomasiam instituere antithesin, quâ pœnam talionis innuit. Illi, inquit, non ἐδοκίμασαν, id est, non judicarunt rectum esse, ut Deum vero cultu in notitiâ retinerent, sed horrendâ idololatriâ majestatem ejus minuerunt: Ergo Deus tradidit eos justo judicio in mentem ἀδόκιμον, adeò ut ne de moribus quidem judicare rectè possent, sed fœdissimis libidinibus indulgerent. Atque hunc sensum videtur quoq; secutus paraphrastes Syrus, ut qui verterit מַדְעָא דַסְרִיקוּתָא maddehá dasrikuthá, Mentem inanitatis, hoc est, inanem: nempe vacuam judicio. Ut facerent] ποιεῖν, id est, ὥστε ποιεῖν. vel τοῦ ποιεῖν, scilicet ἕνεκα. Ellipsis Græca.

29 Oppleti] πεπληρωμένους. Accusativus Græcus pendet à verbo ποιεῖν: nominativus Latinus à verbo facerent. Sequitur autem generalis sententia, in fine superioris versiculi posita, declaratio per enumerationem specierum copiosissimam. Scortatione, improbitate] πορνείᾳ, πονηρίᾳ. Mihi non videtur nomen πονηρίᾳ irrepsisse: sed Paulum istorum verborum paronomasiâ delectatum fuisse. Hujus enim schematis exempla alia duo sequuntur, nempe φθόνου, φόνου. & v.31. ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους.

31 Fœdifragi] ἀσυνθέτους. Id est, qui non servant, sed violant τὰς συνθήκας, hoc est, pacta conventa. Libanius in argumento primæ Olynthiacæ, de Olynthiis loquens, qui violarant pacta conventa cum Philippo Macedonum rege inita: ἀποδημοῦντα δὲ τηρήσαντες αὐτὸν, πέμψαντες πρέσβεις πρὸς Ἀθηναίους, κατελύσαντο τὸν πρὸς αὐτοὺς πόλεμον· ποιοῦντες τοῦτο παρὰ τὰς συνθήκας τὰς πρὸς Φίλιππον. συνετέθειντο γὰρ, καὶ κοινῇ πολεμεῖν πρὸς Ἀθηναίους, κἂν ἄλλο τι δόξῃ, κοινῇ σπείσασθαι. Item paulò pòst, ὡς τὰς συνθήκας παραβεβηκόσι πόλεμον ἐπήνεγκεν. Porrò à nomine ἀσύνθετος derivatur verbum ἀσυνθετεῖν, id est, prævaricari, seu pacta conventa violare: cujus verbi exemplum reperitur in Græca Bibliorum versione Esdræ 10. v.10. Ubi Esdras cum Judæis expostulans ait: Vos prævaricati estis, quod consociastis domo uxores alienigenas. Ubi in Græco legitur, ὑμεῖς ἠσυνθετήκατε, καὶ ἐκαθίσατε γυναῖκας ἀλλοτρίας.

32 Nempe eos] ὅτι. Conjunctio ὅτι hîc accipitur εἰδικῶς. Tamen non solùm] οὐ μόνον. Perspicuitatis gratiâ addita est conjunctio adversativa tamen. Continetur enim hîc enuntiatum discretum. quasi dicatur: Qui quanquam jus illud Dei cognoverint, nempe eos, qui talia faciunt, dignos esse morte: tamen non solùm ea faciunt, sed etiam facientibus applaudunt Applaudunt] συνευδοκοῦσι. Applaudendi verbo animi comprobatio (id est, ἡ συνευδοκία) magis notari videtur, quàm verbo patrocinandi: cùm fieri possit ut quis alteri patrocinetur, cujus tamen causam non probet. Plautus in Pseudolo: Si vultis applaudere atque approbare hunc gregem & fabulam.

OBSERVAT. EX CAP. I.

Ministri Evangelii.

1 Ex v.1. Nemo ad docendum Evangelium accedat, nisi vocatus à Deo; exemplo Pauli. Confer Heb.5.v.4.& 5. Jer.23.v.21.

Discrimen inter Evangelium & promissiones prophetarum.

2 Ex v.2. ex verbis, Quod antè promiserat. Ex his verbis licet colligere, aliud esse Evangelium, aliud promissiones prophetarum: cùm Evangelium per Prophetas promissum sit. Est autem Evangelium propriè loquendo solenne præconium de Christo jam exhibito & manifestato: quum promissiones Prophetarum sonent de eodem exhibendo.

Evangelii præstantia.

3 Ex iisdem verbis. Magnam oportet esse præstantiam Evangelii: quum tanquam singulare & eximium bonum promissum sit jam olim per prophetas: quumque illæ promissiones literis sit mandatæ, ad spem piorum perpetuò usque ad Christi adventum alendam. Atque hinc est, quòd Christus beatos prædicat oculos & aures discipulorum suorum: ut qui viderent & audirent, quæ multi pii reges ac prophetæ desiderarant videre & audire: quod tamen illis non contigerat. Audiebant enim Christum prædicantem Evangelium, & videbant miraculis doctrinam suam confirmare. Sed nos hodie non minùs beati, imò etiam magis quàm illi tunc. quia etsi illi Christum viderunt in carne, & ipsum docentem audierunt: tamen tunc quidem nondum audiebant, quòd ipse pro nobis esset mortuus, quodque plenissimè expiatis suâ morte nostris peccatis, à mortuis resurrexisset, in cælum ascendisset, & ad dextram Dei patris consedisset. quæ omnia in Evangelio annuntiantur nobis. Unde Christus affirmat, etsi Johannes Baptista maximus sit inter prophetas sive doctores populi Dei: tamen majorem fore illo eum qui in regno cælorum vel minimus sit futurus: id est, vel infimum Evangelii prædicatorem, post Christi mortem, & ascensionem in cælos, vocandum. Quare tantum Dei beneficium lætis animis accipiamus ac celebremus, & omni studio pietatis pro illo gratos nos declaremus. id quod proh pudor paucos hodie facere videmus: quum plerosque, in nostra quidem Germania, cœperit Evangelii tædium: imò verò quum apud maximam partem regnet verbi Dei contemtus & carnalis securitas.

Persona Christi.

4 Ex v.3. & 4. Notetur hîc definitio personæ Christi: quòd sit filius ille Dei (videl. unigenitus ille) ortus ex semine Davidis secundùm carnem: id est, qui naturam humanam ex filia Davidis, Maria virgine, assumsit, sibique personaliter univit. Unde intelligimus, personam Christi constare ex duabus naturis, divina & humana: ita quidem ut humana natura in unitatem personæ à filio Dei assumta sit. nam nomen filii personam significat. Fuit autem Christus filius Dei, antequam fieret è semine Davidis, hoc est, antequam nasceretur homo ex Maria virgine, quæ orta fuit è semine Davidis. Confer Joh.1.14. infr.9.5. Gal.4.4. 1.Tim.3. v.16. Heb.2.v.14.16.17.

Loqutiones de Christo.

5 Ex iisdem versib. ex verbis, Secundùm carnem. Notandæ hîc sunt loqutiones distinctivæ, quibus admonemur de distinguendis attributis, quæ de persona Christi enuntiantur. Alia enim attribuuntur Christo respectu naturæ humanæ, alia verò respectu naturæ divinæ: interim utraq; dicuntur de uno eodemque Christo: sive is à natura divina, sive ab humana, sive ab utraque denominetur. Atque hac distinctione tum maximè opus est, quum quod proprium est naturæ humanæ, tribuitur ipsi personæ, denominatæ à natura divina: vel contrà. ut hîc quum dixisset Apostolus, Filium Dei factum esse è semine Davidis, ne quis putaret, eum factum esse quatenus est filius Dei, hoc est, secundùm naturam divinam: mox addit, κατὰ σάρκα, secundùm carnem, hoc est, naturam humanam. Ex hoc loco convincitur erroris Nestorius: qui negavit, Mariam matrem Domini rectè dici θεοτόκον, id est, deiparam. at Apostolus ait: Filium Dei ortum esse è semine Davidis. Peperit ergo Maria filium Dei, ac proinde Deum: hoc est, talem personam quæ erat Deus: at non peperit eum secundùm deitatem, sed secundùm carnem, id est humanitatem.

Communicatio idiomatum.

Hanc loquendi formam de Christo vocarunt veteres κοινωνίαν ἰδιωμάτων, communicationem proprietatum: quæ nihil aliud est, quàm ejusmodi loquendi forma de Christo, qua quod unius naturæ proprium est, id tribuitur ipsi personæ denominatæ à natura altera: ut 1.Cor.2.8. Dominum gloriæ crucifixerunt. Act.20.28. Deus proprio sanguine acquisivit ecclesiam. Sic Johannes ait, se, cæterosq; Apostolos, spectasse contrectasseq; sermonem illum vitæ, id est, æternam illam Sapientiam Patris, Filium Dei unigenitum, 1.Joh.1.

1.Joh.1.1. Hic quæ propriè pertinent ad naturam humanam, tribuuntur personæ denominatæ à natura divina. Contrà Joh.3.13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo: filius hominis qui est in cœlo.* hic quod propriè tunc pertinebat (sicut & semper pertinet) ad divinam naturam Christi, tribuitur ejus personæ denominatæ à natura humana. Sic Joh.6.62.

Humana natura Christi.

6 Ex v.3. ex verbis, *Orto ex semine Davidis secundùm carnem.* His verbis astruitur veritas naturæ humanæ Christi: quam olim destruxerunt Eutychiani, hodie Schwenckfeldiani, Anabaptistæ & Ubiquitarii. Confer Luc.1.42.ubi nominatur fructus uteri Mariæ. Gal.4.4. ubi dicitur ortus ex muliere. Heb.2.17.ubi dicitur fratribus similis factus per omnia: & paulo-antè v.14. particeps factus carnis & sanguinis.

Deitas Christi.

7 Ex v.4. ex verbis, *Declarato filio Dei per resurrectionem à mortuis.* Christi deitas probatur ex eo quoque, quòd propriâ virtute resurrexit à mortuis. Huc pertinet illud, Habeo potestatem ponendi animam meam, & habeo potestatem rursus sumendi eam: Joh.10.18. Nec repugnat, quòd Pater eam excitasse dicitur, infr.8.11. Eph.1.20. & alibi: nam opera S. Trinitatis ad extra (ut vocantur) sunt indivisa, hoc est, tribus personis communia.

Ministerium Evangelii.

8 Ex v.5. ex verbis, *Gratiam & Apostolatum.* Apostolatus, & omnino ministerium Evangelii, est singularis gratia seu beneficium Dei. Quare quos Deus illo dignatus est, gratis animis agnoscant: seque contra contemtum mundi consolentur.

Hominis Christiani officium.

9 Ex eod.v. ex verbis, *Ad obedientiam fidei.* Semper nobis in auribus sonet ac in animis obversetur mandatum Dei de Filio audiendo & amplectendo, ut debitam illi obedientiam præstemus. Exstat autem illud mandatum Psal.2.12. *Osculamini filium.* & Matth.17.5. *Ipsum audite.* item Deut.18.15.

Sancti.

10 Ex v.7. ex verbis, *Vocatis sanctis.* Qui efficaciter per Evangelium vocati sunt, ita ut in Christum credant & sanctitati studeant, pro sanctis habendi sunt etiam dum hîc vivunt. Contra opinionem Papistarum: qui quum sanctos nominari audiunt, solos defunctos intelligunt, qui dum viverent, sanctitatis nomine celebres fuerunt. Etenim omnes verè in Christum credentes, sanctificati sunt sanguine & spiritu Christi.

Beatitudo.

11 Ex eod v. ex verbis, *Gratia sit vobis & pax, &c.* Qui gratiâ seu favorem Dei in cordibus suis persentiscunt, certò persuasi se pacem habere apud Deum, seu Deo reconciliatos esse per Christum, ac proinde pacata atque tranquilla conscientia fruuntur, illi verè beati sunt. quippe Apostolus Romanis veram felicitatem exoptaturus, hæc ipsa eis exoptat. Quare fideles hac pace sese contra mundi persecutiones consolentur. id quod Christus ipse monet discipulos Johan.14.27.& cap.16.v.33. Confer etiam Philip.4.7.

Fides.

12 Ex v.8. ex verbis, *Deo meo.* Fidei ingenium atque natura est, ut gratiam Dei omnibus fidelibus promissam, privatim sibi applicet. Sic Gal.2.20. *Qui dilexit me, &c.*

Officium hominis Christiani.

13 Ex vers.8.9.10.& 11. Exemplo Pauli debemus charitatem ostendere erga fratres: agendo gratias Deo pro illorum fide, orando eundem ut illis fidem conservet & augeat, atque etiam adhibendo institutionem, consolationem & exhortationem, pro dono Spiritus sancti nobis concesso.

Juramentum.

14 Ex v.9. ex verbis, *Testis enim mihi est Deus.* Exemplo Pauli monemur, licitum esse Christianis jurare: quoties nimirum id postulat gloria Dei & salus proximi.

Ministri ecclesiæ.

15 Ex eod.v. ex verbis, *Cui servio spiritu meo in Evangelio filii ipsius.* Exemplo Pauli monentur ministri ecclesiæ, non esse satis ut Deo serviant obiter in prædicando Evangelio: sed requiri ut serviant ei spiritu suo, id est, serio studio ac toto conatu. Hoc suum studium Paulus etiam alibi celebrat, ac omnibus Evangelii ministris imitandum proponit: ut infrà 15. 20. & deinceps. 1.Cor.9.per totum caput. 1.Cor.15.10.2.Cor.11.23. & deinceps. Phil.1.v.23.& deinceps. Col.1.24. & deinceps. 1.Thess.2.v.11. & 12. 1.Tim.4.7.

Officium hominis Christiani.

16 Ex v.10. ex verbis, *Si quo modo tandem aliquando prosperum iter mihi detur.* Iter facturi exemplo Pauli oremus Deum ut illud reddat prosperum. Confer Jacob.4.v.13.14.15.

Modestia ministri Ecclesiæ.

17 Ex v.12. ex verbis, *Hoc est, ad communem consolationem percipiendam &c.* Quum Paulum, tantum Apostolum, non puduerit profiteri, se cupere consolationem percipere è sermone fidelium Romanorum: exemplum hoc modestiæ ministri Ecclesiæ imitandum sibi proponant. Similis est illa modestia Petri, 1.Pet.5.v.1. ubi se nominat συμπρεσβύτερον illorum presbyterorum ad quos speciatim scribebat. Sic & Paulus Epaphram vocat σύνδουλον, conservum suum, Col.1.v.7. Similiter & Tychicum, ejusdem epist.cap.4.v.7.

Officium hominis Christiani.

18 Ex v.13. ex verbis, *Me sæpe proposuisse venire ad vos: sed prohibitus fui usque adhuc.* Quum sancta etiam proposita piorum hominum sæpe impediantur: operæ pretium est, ut quicquid agere instituimus, divinæ providentiæ nos permittamus, & patienter subjiciamus.

Evangeliũ.

19 Ex eod.v. ex verbis, *Ut fructum aliquem haberem &c.* Efficacia Evangelii in auditoribus animadversa à piis ministris, est illis instar suavissimi fructus, atque adeò Deo ipsi.

Evangeliũ.

20 Ex v.14. & 15. Evangelium promiscuè variis nationibus destinatum est, citra respectum personarum. Quare nemo alterum propter nationem contemnat: quum Deus etiam barbaras nationes Evangelio suo dignetur. Confer Act.10.v.34.& 35. item Col.3.11.

Officium hominis Christiani.

21 Ex v.16. Quum Deus prædicatione Evangelii potenter utatur ad fidem creandam atque confirmandam in cordibus electorum, atque ita adducendum illos ad salutem: officii nostri est ut illam in pretio habeamus, seduloque ac reverenter audiamus. Confer inf.10.17. item 1.Cor.1.v.18.21.24. item 1.Tim.4.v.16. & 2.Tim.3.15. Joh.5.25.

Justitia duplex.

22 Ex v.17. ex verbis, *Justitia enim Dei.* His verbis admonemur de duplici justitia: quarum una nominatur justitia Dei, item fidei, item Evangelii: altera verò dicitur justitia propria, item operum, item Legis. Ac justitia quidem Legis dicitur quam Deus in Lege requirit, & cujus regula est ipsa Lex. Eadem dicitur justitia operum, quia consistit in operibus Legi conformibus. Denique dicitur justitia propria, quia in illa acquirenda elaboratur propriis viribus, homini à natura insitis. Contra justitia Evangelii dicitur, quam Deus in Evangelio patefecit. Eadem dicitur justitia fidei, quia fide seu per fidem obtinetur. Denique dicitur justitia Dei, quia Deus illam donat & per fidem imputat, & in judicio suo approbat. Confer Philip.3.v.9.

Notitiæ de Deo naturales.

23 Ex v.18.19.20.21.22.23.& 25. Etsi genus humanum per lapsum illum ac defectionem primorum parentum bona ex parte privatum est imagine illa Dei, ad quam homo initio fuit conditus, ac proinde amisit salutiferam seu beatificam Dei notitiam: tamen aliquas de Deo notitias retinuit: ut esse Deum, & esse mundi opificem, & esse præditum summâ potentiâ, sapientiâ & bonitate, ac denique divinitate, seu gloriâ, seu majestate: ac proinde humilimâ obedientiâ colendum esse. Verùm illæ notitiæ per se non sunt efficaces ad hominem beandum: sed tantùm ad reddendum inexcusabilem coram Deo: eò quòd homo notitias illas ex innata malitia partim corrumpit, veritatem Dei (ut Apostolus loquitur) in mendacium mutans, & in ratiocinationibus suis evanescens ac stultescens: partim verò contemnit, nec Deum secundùm illas, seu ex earum præscripto colit: sed pro Deo & loco Dei colit creaturas. Quare hanc naturæ nostræ corruptionem agnoscamus, ac inde coram Deo humiliemur: gratiasque ei agamus, quòd mentes nostras virtute Spiritus sui illuminavit per verbum suum cognitione sui salvificâ: eundemque oremus assiduè ut nos indies magis ac magis illuminet, mediisque ad hoc ab ipso ordinatis, ministerio scilicet verbi & sacramentorum, studiosè utamur.

Imagines Dei.

24 Ex v.23. & deinceps usque ad finem capitis. Quum Deus per imagines rerum creatarum ab hominibus vel repræsentatur vel colitur, gravissimâ contumeliâ afficitur; quippe quum majestas ejus sic minuatur: ac proinde gravissimè offenditur, gravissimeque illum sui contemtum vindicat. Quare idola & idololatriam toto pectore detestemur ac fugiamus.

Gubernatio Dei.

25 Ex v.24.& 26.& 28. ex verbis, *Quamobrem etiam tradidit eos &c.* item, *Propterea inquam tradidit eos &c.* item, *Et sicut non visum est eis &c.* Deus justissimo judicio punit peccata peccatis, sicut hoc loco testatur Apostolus, Deum Gentes tradidisse in reprobum sensum propter ipsarum idololatriam. Quare ab idololatria, ac omnino ab omni peccato, studiosè nobis caveamus, Deumque assiduè oremus, ut nos animo & corpore impollutos conservet.

Officium hominis Christiani.

26 Ex v.25. ex verbis, *Qui est benedictus &c.* Exemplo Pauli, quoties de majestate Dei verba facimus, erumpamus in laudes ipsius. Similia exempla vide infr.9.5.1.Tim.1.17.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Quatuor sunt hujus quoq; capitis partes. Primùm enim reprehendit Apostolus hypocritas, eisq; minatur judicium Dei. Deinde judicii divini justitiam describit: & utrisque, tum Judæis tum Gentibus, excusationes suas adimit. Tum nominatim peccati arguit Judæos: eosq; convincit testimonio scripturæ prophetico. Postremò refellit inanem fiduciam atq; gloriationem in circumcisione. Secunda pars incipit v.6. tertia 17. quarta 25.

QUapropter inexcusabilis es, ô homo quisquis *alium* damnas. In quo enim damnas alterum, teipsum condemnas: eadem enim facis *tu* qui *alium* damnas.

AD reprehensionem hypocritarum transit per ratiocinationem à pari. quasi dicat: Quoniam igitur inexcusabiles sunt coram tribunali Dei qui apertè peccant: ut hactenus admonui: consequens est, te quoque inexcusabilem esse, qui licet apertè peccantes reprehendas, tamen clàm peccas, ad minimum internis animi motibus.

2 Scimus verò, judicium Dei esse secundùm veritatem adversus eos qui talia agunt.

3 Cogitas autem hoc, ô homo qui damnas eos qui talia faciunt, & facis ea, fore ut effugias judicium Dei?

Minatur hypocritis judicium Dei: quod & justum esse admonet & certum, hoc est, tale, ut nemo illud possit effugere.

Cogitas] Hac interrogatione perstringit vanam persuasionem hypocritarum, quasi possint effugere judicium Dei.

4 An divitias benignitatis ejus & tolerantiæ ac lenitatis contemnis, ignorans te benignitate Dei ad reſipiſcentiam deduci?

Invehitur graviſſimè in hypocritarum ſecuritatem; ut qui lenitate Dei abutantur ad accumulandum peccata: rurſumque eis minatur judicium Dei. Utitur autem interrogatione quæ vim habet objurgandi.

5 Sed pro duritia tua & corde, quod reſipiſcere neſcit, theſaurizas tibi iram in diem iræ & patefactionis juſti judicii Dei.

Sententiam verſus præcedentis illuſtrat oppoſitione contrarii. Debebas, inquit, benignitatis divinæ ſenſu moveri ad pœnitentiam: at tu pœnitentiam non agis, ſed tuâ ſecuritate Deum quotidie magis offendis, atque ita iram ejus provocas.

6 Qui reddet unicuique ſecundùm opera ipſius.

7 Iis quidem, qui per tolerantiam operis boni, gloriam & honorem & immortalitatem quærunt, vitam æternam:

8 Rixoſis verò, & veritati quidem non obtemperantibus, obtemperantibus autem injuſtitiæ, *reddetur* excandeſcentia & ira.

9 Afflictio *inquam erit* & anguſtia in omnem animam hominis perpetrantis malum, Judæi primùm, tum etiam Græci:

10 Gloria verò & honor & pax *erit* cuivis operanti bonum, Judæo primùm, tum & Græco.

Sequitur ſecunda pars capitis, ubi judicii Dei, quod in prima parte hypocritis minatus fuit, juſtitiam deſcribit, per diſtributionem ex objectis, videl. hominibus, quos Deus judicaturus eſt, præmiaq; & pœnas eis redditurus. Ait igitur, Deum pios remuneraturum, impios autem puniturum, ſine reſpectu perſonarum; hoc eſt, non habitâ ratione rerum externarum, quibus judices injuſti moveri ſolent, ut vel parcant nocenti, vel innocentem puniant: cujusmodi ſunt, generis nobilitas & obſcuritas, divitiæ & paupertas, & id genus alia.

11 Non enim eſt faciei acceptio apud Deum.

Rationem exponit, cur Deus ſuo judicio æqualem ſe præbeat Judæis & Græcis.

12 Quicunque enim ſine Lege peccaverunt, ſine Lege quoq; peribunt: & quicunque in Lege peccaverunt, per Legem damnabuntur.

Deinceps declarat propoſitum per ſpecies; nempe judicium Dei juſtum eſſe in damnandis hominibus: tum Gentibus, tum Judæis.

13 Non enim qui audiunt Legem, juſti ſunt apud Deum, ſed qui Legem præſtant, juſtificabuntur.

Deinceps adimit utriſque, hoc eſt, & Judæis & Gentibus, excuſationes ſuas. Judæi poterant objicere: Nos ſedulò audimus legem Dei: quam aliæ gentes aut ignorant aut contemnunt: Ergo nos juſtificabimur, hoc eſt, juſti pronuntiabimur à Deo. Reſpondet Apoſtolus: Non eſt ſatis, Legem audire: oportet etiam præſtare; juxta illud, Qui fecerit ea homo, vivet in eis.

14 Nam quum gentes quæ Legem non habent, naturâ quæ Legis ſunt faciunt, iſti quamvis Legem non habent, *tamen* ipſi ſibi ſunt lex:

15 Ut qui oſtendant opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, unà teſtimonium reddente ipſorum conſcientiâ, & cogitationibus inter ſeſe accuſantibus, aut etiam excuſantibus,

16 In die quo judicabit Deus de occultis hominum, ex evangelio meo, per Jeſum Chriſtum.

Hîc adimit excuſationem Gentibus: quæ poterant objicere, ſe non habere legem Dei ſcriptam: ac proinde non poſſe meritò damnari, tanquam Legis transgreſſores. quippe ubi non eſt lex, ibi nec transgreſſio eſt: ut ipſe Apoſtolus infrà ait, c. 4. v. 15. Reſpondet: Etſi Gentes non habent legem Dei ſcriptam: tamen habere opus Legis ſcriptum in cordibus. (quæ vocatur lex naturæ) id quod probat ex effectis: quia ſcil. faciant (nempe externè) ea quæ in Lege præcipiuntur; & quia ſentiant teſtimoniũ conſcientiæ, vel accuſantis facta ipſorum, vel excuſantis.

17 Ecce, tu cognominaris Judæus, & acquieſcis in Lege, & gloriaris in Deo.

18 Et noſti ejus voluntatem, & exploras quæ excellunt, inſtitutus ex Lege.

19 Confidisque te ducem eſſe cæcorum, lucem eorum qui *ſunt* in tenebris.

20 Eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium; quòd habeas informationem illam cognitionis ac veritatis in Lege.

21 Qui igitur doces alium, te ipſum non doces? qui prædicas non furandum, furaris?

22 Qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, ſacrilegium admittis?

23 Qui de Lege gloriaris, per Legis transgreſſionem Deum dedecoras?

24 Nam Dei nomen propter vos blaſphematur inter Gentes, ſicut ſcriptum eſt.

Sequitur pars capitis tertia, ubi nominatim aggreditur Judæos: eosque peccati convincit, recitato teſtimonio ſcripturæ: quod apud duos prophetas reperitur, videl. Eſa. 52. 5. & Ezech. 36. 20. & 23. Primùm autem exponit Judæorum prærogativas ſeu dotes, quibus à Deo præ cæteris gentibus erant ornati; eorumque in illis gloriationem. Deinde v. 21. adjungit eorundem objurgationem propter ipſorum ingratitudinem in transgrediendo Legem. Poſtremò v. 24. objurgationem ſuam confirmat teſtimonio ſcripturæ.

25 Nam circumciſio quidem prodeſt, ſi Legem exſequaris: quòd ſi transgreſſor Legis fueris, circumciſio tua facta eſt præputium.

26 Itaque ſi præputium ſtatuta Legis ſervâverit; nonne præputium illius pro circumciſione reputabitur?

27 Et quod eſt ex naturâ præputium, ſi Legem perficiat; damnabit te qui per literam & circumciſionem transgreſſor es Legis?

28 Non enim qui eſt in propatulo *Judæus*, Judæus eſt: nec ea quæ *eſt* in propatulo *circumciſio*, *id eſt* in carne, circumciſio *eſt*:

29 Sed qui in occulto Judæus *eſt*, & circumciſio cordis, *id eſt* in ſpiritu, non literâ: cujus *Judæi* laus non *eſt* ex hominibus, ſed ex Deo.

Sequitur quarta pars capitis, videlicet occupatio, quâ occurrit Apoſtolus tacitæ objectioni Judæorum, quos in parte ſecunda & tertia æquè arguerat & convicerat atq; Gentes, quòd peccatores eſſent & æternæ damnationi obnoxii. Contra hanc ſui cum Gentibus exæquationem poterant objicere, Nihílne igitur nobis prodeſt circumciſio? quaſi dicerent: Si circumciſio prodeſt, neceſſe eſt ut noſtra conditio ſit melior quàm Gentium. At circumciſio prodeſt. Ergo noſtra conditio melior eſt quam Gentium: ac proinde non ſumus Gentibus æquales. Apoſtolus reſpondet ad aſſumtionem per diſtinctionem: & ita illam partim concedit, partim negat. Negat intellectam ſimpliciter & per ſe; concedit intellectam ſecundùm quid, videl. cum hac conditione, *Si legem exſequaris.* Quam conditionem quum Judæi non præſtarent, ut antea demonſtravit: relinquit intelligendum Apoſtolus, circumciſionem eis nihil prodeſſe ad hoc, ut meliore conditione ſint coram Deo quàm gentes. Itaque reſponſio Apoſtoli conſtat hoc enuntiato connexo: Si legem exſequaris, Judæe, circumciſio tibi prodeſt. Hoc enuntiatum illuſtrat collatione parium in contrariis: Quòd ſi transgreſſor Legis fueris, circumciſio tua facta eſt præputium, hoc eſt, non prodeſt tibi ad hoc, ut meliore ſis apud Deum conditione quàm præputiati, id eſt, Gentes. Deinde v. 26. hoc ſecundum enuntiatum illuſtrat aliâ collatione parium: Sicut, ſi tu Judæe, fueris transgreſſor Legis, circumciſio tua facta eſt præputium: ſic ſi præputium, id eſt, præputiatus ſeu ethnicus, jura Legis ſervaverit, præputium illius reputabitur pro circumciſione. Tum v. 27. apodoſin proximæ collationis amplificat collatione majoris. q. d. Non ſolùm reputabitur præputium illius pro circumciſione, ſed etiam damnabit te. Ubi rurſum eſt oppoſitio contrariorum, quâ inter ſe opponuntur preputiati Legem ſervantes, & circumciſi Legem transgredientes.

Poſtremò duobus ultimis verſiculis illuſtrat propoſitum diſtinctione, quâ diſtinguit circumciſionem in circumciſionem carnis & circumciſionem cordis: & hanc illi anteponit, ut quæ Deo per ſe placeat: quum illa non placeat niſi propter hanc, id eſt, quatenus cum hac conjuncta eſt, & ad eam tanquam finem ſuum refertur.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Quapropter] διὸ. *Videntur hæc è præcedentibus deduci per ratiocinationem à pari. q. d. Apoſtolus: Quoniam igitur inexcuſabiles ſunt coram tribunali Dei qui apertè peccant: (ut hactenus admonui) conſequens eſt, te quoq; inexcuſabilem eſſe, qui etſi apertè peccantes reprehendis, tamen clàm peccas, ad minimum internis animi motibus.* Quiſquis alium damnas] πᾶς ὁ κρίνων. *Ad verb.* Omnis judicans. *Sed hîc in vertendo habita eſt ratio, tum ſignificationis, tum figuræ dictionis, videl. paronomaſia in verbis* κρίνειν, κατακρίνειν: damnare, condemnare. In quo enim] ἐν ᾧ γὰρ. *Id eſt*, In quo facti genere. *Hanc verſionem confirmant verba continenter annexa, nempe*, Eadem enim facis &c. *Intelligendum autem, hypocritas eadem facere, quæ faciunt qui apertè peccant: licet non faciant eodem modo, ſed clàm. Confer exemplum Phariſæorum adducentium adulteram ad Jeſum, Joh. 8.*

2 Scimus]

2 Scimus] οἴδαμεν. *Quod dicit, confirmat testimonio sensus communis, ut appellant, id est, communis omnium sanorum judicii.* Adversus] ἐπί. *Hebr.* על, *ut Psal.2.v.2.* Qui talia agunt] *Sive scil. agant palam, sive clàm.*

3 Cogitas] λογίζῃ. *Hac interrogatione perstringit vanam persuasionem hypocritarum: qui falsò argumentantes à pari, existimant, quia hominum judicium effugiant, se Dei quoque judicium posse effugere.*

4 Lenitatis] μακροθυμίας. *μακρόθυμος videtur dictus, quasi μακρύνων θυμὸν, prolongans seu differens iram, ita ut non statim puniat.* Benignitate] τὸ χρηστὸν. *id est,* ἡ χρηστότης. Resipiscentiam] μετάνοιαν. *Gracam vocem non planè exprimit Latina. nam resipiscere est, sapientiam recuperare: at μετανοεῖν est vel μεταβάλλειν τὸν νοῦν, mutare mentem, vel (quod magis placet) μετὰ τὸ πραχθὲν νοεῖν, post factum sapere. Sic enim illi opponitur τὸ προνοεῖν, ante factum sapere, apud Platonem in Gorgia:* ταῦτα γὰρ προνοήσασι μὲν, δυνατά. μετανοήσασι δὲ, ἄπορα. *Prioris significationis exemplum exstat apud Xenophon. lib.1.* παιδείας, *statim in principio: ubi cùm dixisset, facilius esse homini, imperium habere in quodvis belluarum genus, quàm in ipsos homines, subjungit, de Cyri prastantiâ loquens:* ἐκ τούτου δὲ ἠναγκαζόμεθα μετανοεῖν. *id est, hinc coacti sumus mutare sententiam.*

6 Secundùm opera ipsius] κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. *Id est, prout quisque operibus declaraverit, se esse in numero filiorum Dei, vel non esse. Nam vita aterna à judice Christo adjudicabitur piis, non ex merito operum, sed ex eo quòd per fidem in Christum sunt filii Dei: quod quidem operibus declararunt. qua de re vide qua Christus dicit Matth.25.v.34.35. & deinceps. Impii similiter relegabuntur in ignem aternum, non tam ex merito operum, quàm ex eo quòd non sunt filii Dei, sed maledicti: id quod ipsi quoque operibus suis declararunt. Vide ibid.v.41.42. & deinceps.*

7 Iis quidem] τοῖς μὲν &c. *Probo hoc loco distinctionem quam observarunt vetus interpres & Erasmus: ut scil. conjungantur ista verba,* καθ᾽ ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ. *deinde ista,* δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσι. *ac tum ex pracedente versu repetatur verbum* ἀποδώσει: *ut conjungantur ista,* ἀποδώσει ζωὴν αἰώνιον. *nam ista verba* ζωὴν αἰώνιον, *pendere à verbo* ἀποδώσει: *liquet ex antithesi versiculi sequentis, ubi ista verba* θυμὸς καὶ ὀργὴ, *similiter in fine posita, idem verbum (quanquam mutatâ voce) subintelligi postulant, nempe* ἀποδοθήσεται, *scil.* ὑπὸ Θεοῦ. Tolerantiam *autem* operis boni, *interpretor tolerantiam persecutionis propter opus bonum. ut sit metonymia efficientis. Syntaxis versiculi hac est:* τοῖς μὲν ζητοῦσι δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν, καθ᾽ ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ, ἀποδώσει ζωὴν αἰώνιον. *Id est, Iis quidem, qui quarunt gloriam & honorem & immortalitatem secundùm tolerantiam operis boni, reddet vitam aternam. Atque hanc syntaxin Syrus quoque paraphrastes observavit.*

8 Rixosis verò] τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας. *Scilicet* οὖσι. *Videtur esse Hebraismus, q.d.* τοῖς δὲ υἱοῖς τῆς ἐριθείας. *Sicut Joh.8.47.* ὁ ὢν ἐκ τοῦ Θεοῦ, *qui est ex Deo, hoc est, filius Dei,* τέκνον τοῦ Θεοῦ.

9 Afflictio *inquam*] θλῖψις. *Integra oratio sic esset,* θλῖψις μὲν ἔσται. *Nam ex collatione versiculi sequentis perspicitur, his duobus versibus repeti antithesin comprehensam v.7. & 8. sed hac repetitio fit ordine inverso. Rectè igitur ad perspicuitatem suppletur particula* inquam. Judæi primùm] *Hìc dividit universum genus humanum in duas species, videlicet in Judaos & Gentes. nam nomine Gracorum intelligit omnes reliquas gentes prater Judaos.*

10 Gloria verò] δόξα δέ. *Apodosis versiculi pracedentis. unde apparet, antithesin v.7. & 8. comprehensam, repeti v.9. & 10. sed ordine inverso: ac proinde perspicuitatis gratiâ v.9. inseri posse verbum* inquam: *ut dicatur,* Afflictio inquam.

11 Faciei acceptio] προσωποληψία. *Sic potiùs vertendum, quàm personarum acceptio. nam πρόσωπον propriè faciem significat: & hac est phrasis scriptura usitata,* Accipere faciem alicujus: *pro facere aliquid in gratiam alicujus, consideratis scil. externis illius adjunctis, qua in oculos nostros incurrentia hominem nobis commendabilem reddunt: ut sunt divitia, honor, dignitas, amicitia & similia. Exempla vide Genes.19.21. Levit.19.v.15. Deut.10.17. 1.Sam.25.35. 2.Reg.3.14. Prov.6.v.ult. item 18.5. Sententia hujus loci est: Deus non habet rationem dignitatis populorum, ut eâ moveatur ad benefaciendum uni pra altero: aut indignitatis, ut eâ moveatur ad puniendum unum pra altero. Vide Act.10.34. & 35.*

12 Quicunque enim sine Lege] *Periphrasis Gentium: sicut mox additur periphrasis Judaorum.* Sine Lege] *Scil. scriptâ: qua dicitur lex Mosis. Et sic mox in membro opposito,* In Lege, ἐν νόμῳ, *id est, habentes Legem. Synecdoche generis.*

13 Non enim] οὐ γάρ. *Prolepsis contra Judaos, qui sibi videbantur ex eo justi, quòd Legem frequenter audirent.* Apud Deum] *Quasi dicat, licet justi videri possint hominibus. Tacita antithesis.* Sed qui Legem præstant, justificabuntur] ἀλλ᾽ οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται. *Cave putes Apostolum innuere, esse aliquos qui Legem prastent, nempe ita perfectè ut ex Lege justificentur: sed tantùm monet, prastationem Legis requiri, si quis ex ea justificari velit.*

14 Nam cùm] ὅταν γάρ. *Cohaeret hac sententia cum priore parte versiculi duodecimi: sicut cum posteriore ejusdem parte cohaeret versus pracedens.* Gentes quæ legem non habent] ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα. *Periphrasis gentium profanarum. nam nomen* ἔθνη, *tanquam generale, puto restringi per verba sequentia ad certam speciem: propter omissum articulum ante* ἔθνη, *qui si additus esset, nomen* ἔθνη *per se acciperetur synecdochicè de gentibus profanis. Similem observationem annotavimus supr. ad v.18.c.1. Atque idcirco nomen* gentes *hoc loco scribendum est per g parvum, & sequentia verba absque interciso adjungenda.* Legem] *Scil. scriptam mandato Dei per Mosen.* Quæ legem non habent] τὰ μὴ νόμον ἔχοντα. *Pro,* τὰ νόμον μὴ ἔχοντα. *Trajectio negationis.* Naturâ] φύσει. *id est, naturali judicio: naturali instinctu atque impulsu: naturali ratione eis dictante, quid honestum, quid turpe sit.* Quæ Legis sunt, faciunt] τὰ τοῦ νόμου ποιῇ. *Puto,* ὅταν ποιῇ, *vertendum,* Cùm faciunt, *hoc est, quando faciunt. Judico enim, Apostolum innuere, homines profanos interdum facere ea qua sunt Legis: ut cùm abstinent ab alienis bonis, item ab illicita Venere, à cade, ab injuriis: cùm benefaciunt alii aliis: denique cùm faciunt externa opera secunda tabula. nam de mandatis, item de pœnis ac pramiis interpretari, à simplicitate litera nimiùm videtur recedere: cùm illa ad magistratus propriè pertineant; Apostalus autem in genere de profanis hominibus loquatur.* Isti] οὗτοι. *Pronomen refertur ad sensum, non ad nomen* ἔθνη. *Synesis.* Ipsi sibi] ἑαυτοῖς. *Sic Vulgata eleganter. Sic enim Terentius Andr.2.3.* Ipsus sibi esse injurius videatur. *Item 3.2.* Certè hercle nunc hic se ipsus fallit. *Item prolog. Adelph.* Indicio de se ipse erit. Sunt lex] εἰσὶ νόμος. *Id est, instar legis. Metaphora.*

15 Opus Legis] τὸ ἔργον τοῦ νόμου. *id est, rem ipsam sive sententiam Lege comprehensam. hoc opponit literis & syllabis, tanquam externis adjunctis atque notis.* Scriptum] γραπτὸν. *id est,* γεγραμμένον. Unà testimonium reddente] συμμαρτυρούσης. *q.d. coattestante.* Inter sese] μεταξὺ ἀλλήλων. *Non puto apostolum hoc velle, quòd cogitationes alia alias accusent, aut excusent: sed quòd alternis vicibus accusent & excusent ipsum hominem propter conscientiam malè vel rectè factorum. Nam adverbium* μεταξὺ *intervallum notat, & quidem temporis, hoc loco: nomen autem* ἀλλήλων *(quod ab adverbio illo dependet: non autem à participiis* κατηγορούντων, ἀπολογουμένων*) notat vicissitudinem. Vertendum igitur:* Et cogitationibus alternatim (vel vicissim) inter sese accusantibus &c. *Ad hanc versionem illustrandam adhiberi potest locus ille Virg. Eclog.3. ubi Damœtas pastor Menalcam socium alloquitur his verbis:*

> Vis ergo inter nos quid possit uterque, vicissim
> Experiamur?

quòd Gracè diceretur θέλεις οὖν ἵνα μεταξὺ ἀλλήλων πεῖραν λάβωμεν τῆς ἀμφοτέρου δυνάμεως; *Fortasse etiam sic rectè expresseris Apostoli mentem, si dicas:* Et cogitationibus per intervalla vicissim accusantibus. *Quin potiùs verba illa* μεταξὺ ἀλλήλων *simplicissimè & rectissimè reddita videntur à vetere interprete his verbis,* Inter se. *Sic enim loquitur Virgilius ubi ait:*

> Illi inter sese multâ vi brachia tollunt. *Id est,*
> ἐκεῖνοι μεταξὺ ἀλλήλων τοὺς βραχίονας αἴρουσι.

16 In die quo] ἐν ἡμέρᾳ ὅτε. *Ad verbum,* In die cùm. ἑτέρωσις, *qualis crebrò occurrit apud Ciceronem: ut 3. Famil.10.* Multaque mihi veniebant in mentem, quamobrem istum laborem tibi etiam honori putarem fore. *hìc* quamobrem *per* ἑτέρωσιν *positum est pro* propter quæ. Ex evangelio meo] κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου. *Sive,* secundùm evangelium meum: *hoc est, secundùm testimonium evangelii mei: videlicet credentibus in Christum dando pramium vita aterna, infideles autem ad aterna supplicia abjiciendo.* Per Jesum Christum] διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Hic enim est vir ille, quem Deus definiit (id est, constituit) judicem orbis terrarum, ut ait Paulus Act.17.v.31. & ipse Christus docet Matth.25.v.31. & deinceps.*

17 Ecce] ἴδε. *Hac voce vult Judaos tanquam torpentes excitare, ut sese paulò diligentiùs examinent.* Tu cognominaris Judæus] *Nempe à Jehuda patriarcha, filio Jacobi sive Israëlis: cui pater moriturus promisit, Messiam seu Christum oriturum è stirpe ipsius, Gen.48.10. Hinc apparet, Judaos tunc in hoc nomine gloriatos fuisse: id quod etiam perspicitur in similibus appellationibus, 2.Cor.11.22. & Phil.3.5.* Acquiescis in Lege] *Id est, in Legis cognitione, lectione, auscultatione, meditatione.* Gloriaris] καυχᾶσαι. *Pro,* καυχᾷ. *Paragoge. Videtur corruptum ex* καυχᾷ σοι: *ut* σοι *sit* πλεοναστικόν: *quod pronomen eleganter redundare solet apud Latinos.* Gloriaris in Deo] *Tanquam ad cujus populum pertineas. Catera enim gentes tunc erant* ἄθεοι, *sine Deo, seu expertes Dei in mundo: ut ait Apost. Ephes.2.12.*

18 Ejus voluntatem] τὸ θέλημα. *Pronomen* ejus *latet in articulo* τὸ. *unde non videtur tanquam supplementū scribendum.* Quæ excellunt] τὰ διαφέροντα. *vel, ut Erasmus,* eximia. *ut sensus sit, Exploras, qua bona opera quibus prastent & antecellant. Certè* διαφέρειν *activâ voce pro excellere seu prastare, sapissimè usurpatur: at pro discrepare seu dissidere, exemplum nullum satis commodum memini in voce activa, sed in passiva,* διαφέρεσθαι, *quod est quasi dicas differri, hoc est, in diversas partes ferri. Atque in hunc sensum Syrus paraphrastes vertit,* ופרש אנת וליתא

vepharésch anth valaithá, Et discernis utilia: interprete Tremellio. quod tamen mihi videtur vertendum, Discernis officia, τὰ δέοντα. Etenim nomen וְלַיִתָא deductum videtur à verbo לָא valé: quod significat δεῖ, oportet. Institutus] κατηχέμϑ. Id est, quippe institutus. Nominativus post verbum, notans statum agentis, vel potius causam. κατηχεῖν est propriè viva vocis sono institui atque erudiri. q. d. circumsonari. quo verbo (quanquam paulò aliter, nempe genere neutro) usus est Cicero in re simili, lib. 3. Offic. ubi ait in præfatione ad Marcum filium: Quanquam à Cratippo vestro, principe hujus memoriæ philosophorum, hæc te assiduè audire atque accipere confido: tamen conducere arbitror, talibus aures tuas vocibus undique circumsonare, nec eas (si fieri possit) quicquam aliud audire. Nisi fortè illic legendum circumsonari. Sic usurpatur hoc verbum κατηχεῖν, Act. 18. 25. & Gal. 6. 6. Ex lege] ἐκ τοῦ νόμου. Scilicet Dei, quod notat articulus τοῦ.

19 Ducem] ὁδηγὸν. nempe viæ ducem. Germanicè ein Wegweiser. Aliàs specialiùs dux est στρατηγὸς, Ein Hertzog. Cæcorum] τυφλῶν. Id est, insipientium; nempe ignorantium Deum: ut ipse exponit v. seq. Sic passim in Scriptura, ignorantia Dei appellatur cæcitas, μεταφορικῶς. ut Johan. 9. v. 39. 40. 41. Matth 15. 14. Item 23. v. 16. 17. 19. 24. 26. ubi Dominus cæcitatem Pharisæis identidem objicit. Lucem] φῶς. Id est, illustratorem ac veluti solem. Metonymia adjuncti metaphorica. Lux enim est in sole: & ut Sol pellit tenebras, aëremq; illustrat: sic qui ignorantem Dei de Dei natura & voluntate edocet, pellit tenebras è corde ejus & cor ejus illustrat. hac allegoriâ utitur & Christus ad discipulos, cùm ait, Vos estis lux mundi, Matth. 5. v. 14. Eorum qui sunt in tenebris] τῶν ἐν σκότει. scil. ὄντων. Ellipsis usitata.

20 Eruditorem] παιδευτήν. Sequitur superioris versiculi epexegesis. παιδευτὴς autem propriè, qui instituit puerum castigando. à παιδεύειν & παῖς. Magistrum] διδάσκαλον. vel doctorem, ein Lehrer. Infantium] νηπίων. id est, eorum, qui instar infantium rudes atq; imperiti sunt. Metaphora. Sic Matth. 11. 25. opponit Christus inter se σοφοὺς καὶ συνετοὺς & νηπίους. Quòd habeas] ἔχοντα. id est, quippe quòd habeas; vel, ut qui habeas, αἰτιολογικῶς. Informationem illam] τὴν μόρφωσιν. Articulo expresso. Illam, quam scilicet & reliqui Judæi habent: quæq; per totum terrarum orbem celebratur. Nomine μόρφωσις sic utitur etiam 2. Tim. 3. 5. Cognitionis & veritatis] τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας. id est, veritatis cognoscendæ. ἓν διὰ δυοῖν. In Lege] ἐν τῷ νόμῳ. Vel pendent hæc à participio ἔχοντα, vel subaudiendus articulus quasi dicatur, τῆς ἐν τῷ νόμῳ, scil. οὔσης, ἤγουν περιεχομένης.

21 Qui igitur doces] Hactenus exposuit gloriationem Judæorum ob suas prærogativas: nunc eos objurgat ob istarum prærogativarum abusum, & ingratitudinem erga Deum in violanda ipsius lege. Utitur autem interrogatione gravissimâ, habente vim objurgandi. quasi dicat: Annon pudet te, profiteri te doctorem aliorum; cùm interim teipsum non doceas, sed eadem committas ac perpetres, quæ in aliis vituperas? Certè enim (ut vel pueris ex Catone notum est) turpe est doctori, cùm culpa redarguit ipsum. Porrò in verbo διδάσκειν repetito elegans ἀντανάκλασις est. nam alios docemus, cùm ipsis præcepta tradimus: nos ipsos verò, cùm rectis præceptis paremus. Præterea est hîc schema dictionis, ἐπάνοδος, in verbis διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις. Est autem ἐπάνοδος, quando duo soni similes ordine inverso in diversis sententiis iterantur: ut, Gratiam qui refert, habet: & qui habet, refert. Qui prædicas] Sequitur ἐργασία, expolitio; sive ἐπεξήγησις εἰδική, expositio specialis, ejus quod dixerat ὁλικῶς, generatim. κηρύσσειν autem significat proclamare, id est, publicè & alta voce pronuntiare: quod qui faciebant, dicebantur κήρυκες. Prædicare Latinis propriè significat publicè laudare: unde dicti præcones, quasi prædicones, qui publicè laudabant victorem publici certaminis. Sed hîc, ut passim in novo Testamento, est publicè docere, per metaphoram. E Latino ortum est Germanicum Predigen. Non furandum] μὴ κλέπτειν. scilicet δεῖν. Ellipsis Græca. Furaris] Scilicet per avaritiam, seu malis artibus facultates proximi ad te pertrahendo sub specie sanctitatis: sicut objicit Christus Pharisæis Matth. 23. 14.

22 Non mœchandum] μὴ μοιχεύειν. scil. δεῖν. Verbo mœchari Horatius & Catullus usi sunt, à μοιχὸς, mœchus seu adulter. Idola] τὰ εἴδωλα. die götzen. Articulus notat aliquid certi. q. d. idola Gentium, id est, quæ habent & adorant Gentes. Sacrilegium admittis] ἱεροσυλεῖς. Ad verb. Templum despolias. Ex ἱερὸν & συλᾶν. Germanica respondent, kirchenraub / sacrilegium: kirchenräuber / sacrilegus. Porrò crimine sacrilegii videtur hîc notare contemtum majestatis divinæ, per synecdochen speciei. nam ἱερόσυλοι, id est, sacrilegi, propriè apud Ethnicos dicebantur, qui res sacras è fanis legebant, id est, colligebant ac surripiebant. Res sacræ autem illis erant idola, & quicquid eis ad cultum idolorum serviebat. qualis sacrilegus erat Dionysius tyrannus Siciliæ: de quo Cic. lib. 3. de natur. Deorum.

23 Qui de Lege gloriaris] Præcisio, quæ institutam enumerationem abrumpit. quasi dicat: Deniq; qui &c. Transgressionem] παραβάσεως. id est, violationem. Metaphora, quâ Lex comparatur metis: violatio Legis, transgressioni metarum.

24 Nam Dei] Accusationem suam confirmat testimonio prophetico. Unde ducitur tacita ratiocinatio à pari: quippe qui tunc vivebant Judæi, meliores non erant patribus suis, qui propter sua peccata in Babylonem captivi fuerant abducti.

25 Si Legem exsequaris] ἐὰν νόμον πράσσῃς. Ad verb. Si Legem egeris vel feceris. hoc est, ea quæ Lege mandata sunt. Facta est præputium] ἀκροβυστία γέγονεν. hoc est, reputatur pro præputio: sicut versu sequente loquitur de circumcisione. ἀκροβυστία est pellicula in extremo membri virilis: unde ab Aristotele vocatur ἀκροποσθία: ex ἄκρον extremum, & πόσθη membrum virile. Itaq; Paulinam hanc vocem ex illa Aristotelica corruptam esse, probabile est. Latini dixerunt præputium à præputando: quia Judæi pelliculam illam præputabant, id est, amputabant, atq; ita membrum circumcidebant.

26 Præputium] ἡ ἀκροβυστία. id est, præputiatus. Metonymia adjuncti. Servaverit] φυλάσσῃ. Ad verb. custodivit. Metaphora usitata scripturæ. Statuta] τὰ δικαιώματα. Ad verb. justificationes, vel potiùs (si ita liceret dicere) justificamenta, hoc est, mandata, per metonymiam effecti. nam mandata Legis, si serventur, justificant. Vocat autem Paulus vocabulo in versione Bibliorum Græca usitato δικαιώματα, quæ in Hebræo nominantur חֻקִּים hhukkim, & חֻקּוֹת hhukkóth, id est, statuta: ut videre est Psal. 119. in plurimis versiculis, ut 5. 8. 12. &c. Illius] αὐτοῦ. nempe præputiati, τοῦ ἀκροβύστου. Constructio refertur ad sensum, non ad vocem. nam præcessit ἀκροβυστία. Itaq; reddendum erat αὐτῆς. Sed ex hoc ipso relativo αὐτοῦ intelligitur, ἀκροβυστίαν ibi significare τὸν ἀκρόβυστον, id est, τὸν ἄνθρωπον τὸν ἔχοντα ἀκροβυστίαν. Synesis. Pro circumcisione reputabitur] εἰς περιτομὴν λογισθήσεται. hoc est, præputiatus habebitur pro circumciso: æquè Deo erit acceptus, ac si esset circumcisus.

27 Si legem perficiat] τὸν νόμον τελοῦσα. hoc est, ἐὰν τελῇ. Sic enim exponendum esse, admonent verba præcedentia, v. 25. ἐὰν νόμον πράσσῃς. Item v. 26. ἐὰν τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ. Damnabit] Nempe suis factis. h. e. præbebit Deo judici occasionem justam te damnandi: ut qui piè vixerit etiam sine lege scripta: quam tu habens, vixisti impiè. Est metonymia effecti: Damnabit, id est, movebit Deum ad damnandum. Per literam & circumcisionem] διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς. hoc est, per circumcisionem literæ, id est, literalem seu externam, ἓν διὰ δυοῖν. Sententia est, Dum confidis circumcisioni carnis. quasi propter illam placeas Deo. Literæ vocabulo intelligit Apostolus hoc loco rem externam: ut intelligitur ex antithesi, v. 29. ubi literæ opponit spiritum; Spiritus vocabulo intelligens rem internam, nempe affectum animi. Rem autem externam seu cærimoniam vocat literam, quia cærimoniæ literis erant mandatæ à Mose jussu Dei. Est metonymia adjuncti. Transgressor es Legis] Scil. moralis seu decalogi. Synecdoche generis. nam cærimonialem legem observabant Judæi: ut ex hoc ipso loco apparet.

28 Qui est in propatulo Judæus] ὁ ἐν τῷ φανερῷ. Scil. ὢν. scil. Ἰουδαῖος. Gemina ellipsis: quarum prior intelligitur ex articulo ὁ, posterior ex prædicato. In manifesto] ἐν τῷ φανερῷ. Id est, coram hominibus: quem Judæum esse apparet ex observatione cærimoniarum. Judæus est] Scil. coram Deo. hoc est, acceptus Deo. Est antanaclasis elegans ob speciem contradictionis. Non enim est vera contradictio: quia non dicuntur ad idem, sed πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο. quasi dicat, Tu es Judæus, & tamen non es Judæus. Judæus es apud homines: at non es Judæus apud Deum: sicut ipse explicat in fine cap. Id est, in carne] ἐν σαρκὶ. Pro, ἡ ἐν σαρκὶ. scil. οὖσα. Circumcisio est] περιτομή. scil. ἐστι. nempe placens Deo.

29 Sed qui in occulto Judæus est] ἀλλ' ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος. supple ex versu præcedente, Ἰουδαῖος ἐστιν. Sic mox, Et circumcisio cordis, καὶ περιτομὴ καρδίας. supple περιτομή ἐστιν. Circumcisio cordis] Sic dicitur per metaphoram, amputatio pravorum affectuum & cupiditatum. Id est, in spiritu] ἐν πνεύματι. Pro, ἡ ἐν πνεύματι. Cujus Judæi laus non est ex hominibus, sed ex Deo] Hoc est, Quem solus Deus καρδιογνώστης judicare & pro merito laudare potest.

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 Ex v. 1. 2. & 3. Hypocritæ dum proximum apertè peccantem damnant, simul seipsos condemnant: propterea quòd eadem faciunt occultè. Exempla vide: Judæ patriarchæ damnantis nurum Thamarem ob scortationem, Gen. 38. & Davidis damnantis civem qui vicino pauperi rapuerat ovem ad excipiendum hospitem, 2. Sam. 12. & Pharisæorum adducentium adulteram ad Jesum, Joh. 8. Quare hypocrisin detestemur ac fugiamus. *Hypocrita.*

2 Ex v. 4. & 5. Quum Deus non statim nos punit ut meriti sumus: hac illius benignitate & tolerantiâ ac lenitate moveri debemus, ut maturè & absque ulteriori mora resipiscamus: ne benignitatem Dei contemnentes & peccata securè accumulantes, accumulemus quoque nobis justam Dei iram & pœnam gravissimam. Deus enim tarditatem supplicii (ut scitè & graviter Valerius Maximus lib. 1. cap. 2. scripsit) gravitate compensat. Et vulgò item scitè dicitur: Gott richtet wol nicht von stund / Er richtet aber zu grund. *Officium hominis Christiani.*

3 Ex v. 6. 7. 8. 9. & 10. Quum Deus unicuique redditurus sit secundùm opera ipsius: studeamus igitur operibus bonis, ut præmia illorum à Deo recipiamus: interim scientes, & bona nostra opera & præmia illorum à gratuita Dei bonitate proficisci. *Bona opera.*

4 Ex iis-

An bonis operibus mereamur vitam æternam.

4 Ex iiſdem verſibus: Quum Apoſtolus dicat, Deum unicuique redditurum ſecundùm opera ipſius; videtur hinc ſequi, ſicut impii malis operibus merentur mortem æternam, ita pios bonis operibus mereri vitam æternam. quod poſterius pugnat cum Scripturis: quæ teſtantur paſſim, vitam æternam donari piis ex gratia, non autem reddi ex debito. Reſpondeo: Si pios conſideres in ſeipſis, certum eſt, vitam æternam eis donari ex gratia: quippe quum eis ex gratia donata ſit fides, per quam meritum Chriſti, quo vita æterna parta eſt, ipſis imputatur. Si verò pios conſideres in Chriſto, quatenus nimirum ei per fidem ſunt inſiti: debetur eis vita æterna, quippe quam Chriſtus eis promeritus eſt. Sed quum Deus vitam æternam daturus ſit piis propter Chriſtum, non autem propter ipſorum opera: cur ergo Apoſtolus, Chriſti mentione hîc omiſsâ, operum mentionem facit? Reſpondeo: Quia ex bonis operibus agnoſcitur, pios Chriſto per fidem eſſe inſitos. Bona enim opera ſunt fructus veræ fidei. Ex fructibus autem arbor agnoſcitur. Chriſti autem mentionem ideo nondum hîc facit, quoniam adhuc ex notitiis naturalibus diſputat. Jam omnes vi naturæ judicant, juſtum eſſe ut Deus piis pro bonis operibus reddat præmia, impiis contrà pro malis operibus pœnas. Sed præmia illa piis à Deo dari ex gratia propter Chriſtum, hoc nemo naturâ novit: ſed ex verbo Dei diſcitur.

Vindicatio verborum Pauli. Non eſt προσωποληψία apud Deum.

5 Ex verſ. 11. Cavendum, ne verbis Apoſtoli abutamur contra doctrinam verbi Dei de electione certorum hominum ad vitam æternam. nam etſi Deus non omnes homines, ſed aliquos tantùm ad vitam æternam prædeſtinavit: quos etiam ſolos, cæteris præteritis, efficaciter per Evangelium vocat; ut verbum Dei paſſim teſtatur: tamen inde non ſequitur (ut quidam putant, & rectè docentibus objiciunt) Deum eſſe προσωπολήπτην, acceptorem (uti loquuntur) perſonarum. Nam προσωποληψία non eſt (ut illi putant) ſimpliciter æqualibus tribuere inæqualia, aut inæqualibus æqualia: ſed facere illud contra jus & leges, idque ex cauſis inidoneis, & ad rem judicandam non pertinentibus. ut quum judex nocentem abſolvit, quia illi favet propter merita, aut quia eum metuit propter potentiam: item quum inſontem condemnat, quia eum odit propter offenſas, aut quia aliis vult gratificari. At Deus quùm ab æterno alios hominum prædeſtinavit ad ſalutem, alios ad exitium: primùm nihil egit contra jus & leges: quis enim ſuperior Deo, ut præſcribat ei leges, legislatori ſcil. ſummo? Deinde nihil egit ex cauſis inidoneis. Quum enim ſapientiſſimus ac juſtiſſimus ſit: neceſſe eſt ut illi omnium ſuarum actionum idoneæ cauſæ conſtent. Nec verò quos prædeſtinavit ad ſalutem, prædeſtinavit propter ipſorum merita. quid enim poterant mereri qui nondum erant? aut quid boni poterant mereri, qui futuri erant mali? Sed quoſcunque ad vitam elegit, ex favore gratuito elegit, ſecundùm beneplacitum voluntatis ſuæ. Neque ſanè illos elegit, quòd eorum metueret potentiam. quæ enim potentia mortalis hominis, comparati cum immortali atque omnipotente Deo? Neque etiam quos prædeſtinavit ad exitium, prædeſtinavit propter ipſorum offenſas. quomodo enim potuerunt eum offendere qui nondum erant nati, ac proinde nihil dum mali fecerant? Sed reprobavit eos ex odio libero, eoq; ſancto & juſto: licet nobis juſtitiæ illius ratio ſit occulta. Denique non reprobavit illos ut cuiquam gratificaretur. quis enim ſuperior Deo, ut opus habeat illius gratiam captare? Quæ omnia quum ita ſint: liquet, προσωποληψίαν in æterna illa Dei prædeſtinatione, qua hominum alios ad vitam elegit, alios ad mortem reprobavit, locum nullum habere. Præterea hoc quoque notandum, Deum quum judicis partes in genere humano acturus eſt, non æqualibus inæqualia, aut inæqualibus æqualia: ſed inæqualibus inæqualia, & æqualibus æqualia tributurum. Tribuet enim fidelibus omnibus vitam æternam: infidelibus item omnibus æternam mortem.

Gentium damnatio.

6 Ex v. 12. 14. & 15. Gentes quæ caruerunt, itemque quæ adhuc carent, lege Dei ſcriptâ: non habebunt coram Deo excuſationem, quòd eum non ſanctè coluerunt. quia habuerunt habéntve legem naturæ, inſcriptam ſuis cordibus: quam illi ſecurè ac multipliciter violarunt, & violant: cujus violationis propria eorum conſcientia ſingulos convincit. Quare caveamus nobis, ne Deum vocemus in ſuſpicionem injuſtitiæ, propterea quòd totas gentes damnaturus eſt, nempe omnes qui verbo ipſius caruerunt: quippe citra quod nemini ſalus contingit.

Juſtitia Legis.

7 Ex v. 13. Ad juſtitiam conſequendam ex Lege, non eſt ſatis, Legem audire & cognitam habere: ſed oportet eam præſtare, idque perfectè, quoad externas & internas actiones. Quod quum in hac naturæ corruptione nemo poſſit: (quis enim eſt qui non ſaltem concupiſcentiis pravis afficiatur?) conſequens eſt, ex Lege juſtificari neminem poſſe.

Peccata occulta.

8 Ex v. 16. Qui occultè peccant, ne perſuadento ſibi, ſe latêre Deum: aut judicium illius effugituros. Judicabit enim ille (ut hoc loco Apoſtolus ait) de occultis hominum, proferendo ea in lucem coram toto mundo: ut qui ſit καρδιογνώστης. Quare nemo peccet ſpe latendi. nam oculis Dei omnia reſupinata & aperta ſunt, Heb. 4. 13.

Conſolatio pro pavidis conſcientiis fidelium.

9 Ex eod. v. Quum Chriſtus in ultimo judicio ſententiam pronuntiaturus ſit ex Evangelio ſeu ſecundùm tenorem ac teſtimonium Evangelii: conſolationem hinc petant pavidæ conſcientiæ fidelium. Etenim Evangelium teſtatur: quicunque in Chriſtum credunt, eos non condemnatum iri nec perituros, ſed habituros vitam æternam, Joh. 3. v. 15. 16. 17. 18.

Puritas cordis.

10 Ex v. 17. & deinceps uſque ad finem. Ut Deo placeamus: non eſt ſatis voluntatem ejus ex verbo cognoviſſe, deque illa alios poſſe erudire, aut etiam externa gratiæ Dei teſtimonia (quale olim erat circumciſio) habere: ſed requiritur puritas cordis, quæ hîc v. 29. circumciſio cordis nominatur. Illa autem conſiſtit in fide & ſtudio pietatis.

Officium hominis Chriſtiani.

11 Ex v. 24. Pietati præter alias cauſas etiam ideo ſtudere debemus: ne propter nos nomen Dei blaſphemetur inter infideles: ſed potiùs, ut per nos glorificetur, Matth. 5. 16.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hoc caput in tres partes diſtingui poteſt. Prima pars continet refutationem aliquot objectionum, uſq; ad v. 10. In ſecunda parte recitantur aliquot teſtimonia Scripturæ ad convincendum Judæos peccati, uſque ad v. 20. In poſtrema parte concludit Apoſtolus, tam Judæos quàm Gentes juſtificari ſolâ fide.

DE PRIMA PARTE.

Quæ eſt igitur præſtantia Judæi? aut quæ utilitas circumciſionis?

2 Multa per omnem modum. Primùm enim *eo præſtant*, quòd eis credita ſunt eloquia Dei.

Prima objectio, eaque gemina, ex poſtrema parte capitis ſuperioris promanans: quæ objectio ſyllogiſmis connexis concludi poteſt, ad hunc modum:

Si Judæi non præſtant Gentibus circumciſione, nullâ igitur re præſtant.
At aliquâ re præſtant.
Præſtant igitur circumciſione.

Altera objectio hæc eſt:

Si circumciſio non reddit Judæos Deo acceptos præ Gentibus, nulla igitur circumciſionis eſt utilitas.
At eſt aliqua circumciſionis utilitas.
Circumciſio igitur Judæos Deo præ Gentibus acceptos reddit.

Apoſtolus reſpondet ad objectionem priorem, probando contrarium propoſitionis, atque ita propoſitionem tacitè negando. Probat enim, Judæos Gentibus præſtare, etiamſi non præſtarent circumciſione: quia eis à Deo commiſſæ ſint tabulæ federis, utiles nimirum ad confirmandam ipſorum fidem. Ad poſteriorem verò objectionem de utilitate circumciſionis hîc non reſpondet: ſed hanc quæſtionem explicat infrà cap. ſeq. v. 11. Ex qua explicatione apparet, propoſitionem ſyllogiſmi propoſiti falſam eſſe: quia etſi circumciſio Judæos per ſe non commendabat Deo præ Gentibus: tamen erat eis utilis ad confirmandum ipſos in fide, tanquam ſignum federis.

3 Quid tum enim, ſi perfidi evaſerunt quidam? num ipſorum perfidia fidem Dei inanem reddet?

4 Abſit: imò eſto Deus verax, omnis autem homo mendax: ſicut ſcriptum eſt, Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas quando tu judicas.

Secunda prolepſis: qua occupat objectionem natam ex commemorata Judæorum prærogativa. Syllogiſmus ita formari poteſt:

Si multi Judæorum non crediderunt eloquiis Dei, ergo illa fruſtra Judæis commiſſa ſunt.
Sed illud verum. Ergo & hoc.

Apoſtolus negat propoſitionem. quia etſi quidam non crediderunt: tamen fuerunt etiam quidam qui crediderunt: atque ita fides Dei non eſt exinanita: quia credentibus illis præſtitit ac præſtat quæ promiſit. Dei autem fidem ac veritatem illuſtrat antitheſi mendacitatis ac perfidiæ hominum: & præterea confirmat exemplo ac teſtimonio Davidis, ex Pſal. 51. v. 6.

5 Quòd ſi injuſtitia noſtra Dei juſtitiam commendat, quid dicemus? num injuſtus Deus, qui inferat iram? (humano more loquor.)

6 Abſit: alioquin quomodo judex erit Deus mundi?

Sequitur tertia occupatio, ex illo Davidis exemplo promanans:

Si injuſtitia hominum commendat juſtitiam Dei: videtur, Deum eſſe injuſtum qui inferat injuſtis pœnam.
Sed antecedens eſt verum: ut patet in exemplo illo Davidis: cujus injuſtitia commendavit juſtitiam Dei: quatenus Deus illi promiſſa ſervavit, nec eum propter injuſtitiam abjecit.
Ergo videtur verum & conſequens.

Apoſtolus negat conſequens, videlicet Deum eſſe injuſtum: contrariumque probat à neceſſario & proprio effecto Dei, quod eſt, judicare mundum. Porrò ad ipſum argumentum reſponderi poteſt, eſſe fallaciam accidentis. nam perfidia hominum non illuſtrat fidem Dei per ſe, ſed per accidens, nimirum propter bonitatem Dei & favorem ergà electos: quos etiam ſuo tempore ſanctificat & emendat.

7 Etenim si veritas Dei per meum mendacium redundavit in gloriam ipsius, cur ampliùs ego ut peccator condemnor?

8 Ac non *potiùs dicitur*, (sicut de nobis malè loquuntur, & sicut quidam ajunt nos dicere,) Faciamus mala ut veniant bona? quorum damnatio justa est.

Repetitur hîc tertia objectio, & augetur additione majoris: *Si perfidia hominum commendat veritatem Dei; ergo homo perfidus non solùm non est à Deo puniendus, verùm etiam peccatis contra fidem Deo datam indulgendum est: ut ita amplificetur gloria veritatis Dei.* Consequentis membrum posterius amplificatur testimonio, sed falso, malevolorum & calumniatorum. Apostolus tantùm respondet ad illud testimonium; i.e. ad illam calumniam, & denuntiat calumniatoribus istis justam pœnam Dei.

9 Quid igitur? præcellimus? Nullo modo: nam antè criminati sumus, & Judæos & Græcos omnes esse sub peccato.

Sequitur quarta objectio, quæ nascitur ex responsione ad objectionem primam, v. 2. ubi fassus est, Judæos multùm præstare Gentibus. Id quod Judæi accipere poterant, tanquam præstarent naturâ. Quod hîc negat Apostolus, & ita transit ad secundam capitis partem, ubi testimoniis Scripturæ probat, Judæos æquè peccatores esse ac Gentes, ac proinde naturâ nihilo Gentibus meliores esse.

De Secunda Parte.

10 Sicut scriptum est, Non est justus, ne unus quidem:

11 Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum.

12 Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

13 Sepulchrum apertum *est* guttur eorum: linguis suis ad dolum usi sunt: venenum aspidum *est* sub labiis eorum.

14 Quorum os diris & amarulentiâ plenum est.

15 Veloces *sunt* pedes eorum ad effundendum sanguinem.

16 Contritio & calamitas *est* in viis eorum.

17 Ad viam pacis non cognoverunt.

18 Non est timor Dei coram oculis eorum.

19 Scimus autem; quæcunque Lex dicit, iis, qui in Lege sunt, dicere: ut omne os obthuretur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.

Sequitur secunda pars capitis, videlicet testimonia Scripturæ ad convincendum Judæos peccati. Primùm autem recitat testimonia ex Psal. 14. & 53. ubi David loquitur de universo genere humano, ut apparet ex illis verbis, Deus è cælo prospexit super filios hominum &c. Deinde v. 13. recitat testimonia ex aliis Psalmis: ubi David de hostium suorum improbitate conqueritur, sub illorum persona repræsentans omnes qui alieni sunt à Christo: quippe quum in se ac suis typum quendam regni Christi adumbret. Sunt autem naturâ alieni à Christo, omnes in universum homines, donec ei per fidem inserantur. Tum v. 19. occupationem addit. Poterant enim excipere Judæi, citata Scripturæ testimonia nihil ad se pertinere. Apostolus igitur affirmat contrarium, suamque affirmationem confirmat à fine: Vos Judæi, inquit, estis in Lege: hoc est, vos estis ii quorum usibus destinata est Lex: Ergo Legis dicta ad vos pertinent. Hinc syllogismus: *Qui in Lege sunt, eis dicit Lex quæcunq; dicit. At vos Judæi in Lege estis. Vobis igitur dicit Lex quæcunque dicit:* & per consequens, dictis illis commemoratis peccata vestra accusat: quippe qui majoribus vestris, de quibus querelæ istæ propriè enuntiatæ fuerunt, meliores non estis. Hujus syllogismi propositionem confirmat testimonio communis omnium Judæorum sententiæ & confessionis, ubi ait, *Scimus*.

De Tertia Parte.

20 Propterea ex operibus Legis non justificabitur ulla caro in conspectu ejus. per Legem enim agnitio peccati *est*.

Sequitur tertia, eaque postrema pars capitis: ubi demonstrat, omnes homines, quotquot justificantur, sive ex Judæis sive ex Gentibus, justificari solâ fide. Hoc demonstrat argumento distributionis: quod concluditur hoc syllogismo disjuncto:

Aut fide justificamur, aut operibus Legis.
Non autem justificamur operibus Legis.
Justificamur ergo fide.

Propositionem omittit ut per se notam ac certam. Qui enim à Deo justificatur, id est, justus pronuntiatur: eum oportet justum esse, aut justitiâ propriâ suisque viribus partâ, observatione nimirum perfectâ legis Dei; aut justitiâ alienâ, sibi tamen donatâ & imputatâ, non autem suis ipsius viribus partâ. Ea autem justitia est justitia parta morte Christi: quatenus is pœnas nobis propter Legis transgressionem debitas luit, atque ita justitiæ Dei pro nobis satisfecit. quæ Christi justitia & satisfactio non nisi credentibus donatur, nec nisi per fidem imputatur. Unde perspici jam potest, propositionem syllogismi propositi, quæ demonstrationis Paulinæ fundamentum est, perfectâ & sufficienti divisione constare, ac proinde necessariò veram esse. Assumtionem ponit Apostolus hoc versu, eamque ex præcedentibus tanquam conclusionem deducit: & insuper alio argumento confirmat, à repugnantibus sumto: *Per Legem*, inquit, *convincimur peccati, non igitur per Legem justificamur.* Quæ duo inter se esse repugnantia, sic ostendo: Quoniam qui justificatur, eum necesse est priùs demonstrari justum esse: cui è regione adversatur, convinci peccati seu injustitiæ. Latet igitur hîc duplex argumentum, ac proinde duo syllogismi, quorum principalis hic est:

Quâ re justificamur, eâdem justi esse demonstramur.
Atqui Lege non demonstramur justi.
Lege igitur non justificamur.

Prosyllogismo approbatur assumtio syllogismi principalis.

Quâ re convincimur peccati, eâ non demonstramur justi.
Atqui Lege convincimur peccati.
Lege igitur non demonstramur justi.

Prioris syllogismi argumentum, à causa efficiente sumtum est: nam justitiæ atque innocentiæ demonstratio, justum judicem ad absolvendum reum impellit. Posterioris syllogismi argumentum sumtum est à contrariis adversis: ut patet.

21 Nunc verò absque Lege justitia Dei patefacta est, comprobata testimonio Legis ac prophetarum.

Hîc sententiam conclusionis principalis annectit per prolepsin & antithesin. Quum enim è superioribus intulisset, neminem justificari ex operibus Legis: promtum erat quærere, Unde igitur justificamur? Respondet, Justificamur justitiâ Dei, quæ patefacta est sine Lege, hoc est, (ut ipse versiculo sequente exponit) justificamur justitiâ Dei, quæ est per fidem Jesu Christi, ac proinde non est nata ex eo, quòd nos Legem præstiterimus: sed quòd credimus, Christum Legis à nobis violatæ pœnas pro nobis luisse. Hanc antithesin, quâ justitiam sine Lege justitiæ Legis opponit, illustrat aliâ antithesi, quâ inter se opponit tanquam diversa, hæc duo, *Esse sine Lege, & comprobari testimonio Legis.*

22 Justitia, inquam, Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt: non enim est distinctio.

23 Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei:

24 Ut qui justificentur gratis, *id est*, ejus gratiâ, per redemtionem factam in Jesu Christo.

Sequitur epexegesis versiculi præcedentis, amplificata commoratione & expressione signi universalis, & enuntiati illius universalis confirmatione à pari, videl. à pari ratione contrariarum causarum & effectorum: quam confirmationem duobus sequentibus versiculis persequitur & exponit. Summa hæc est: Omnes (id est, tam Judæi quàm Gentes) propter peccatum deficiuntur gloriâ Dei, hoc est, gloriâ illâ quâ Deus justos afficit. Ergo etiam omnes (id est, tam Judæi quàm Gentes) propter peccati remissionem, quæ per fidem contingit, gloriam Dei & justitiam consequuntur. Hujus enthymematis antecedens ponitur v. 23. Consequens verò ponitur vers. 24. illustratum expositione causarum. Exponit enim justificationis causas procreantes duas: alteram principalem, gratiam scil. Dei patris: alteram verò instrumentalem, videl. redemtionem factam per Christum.

25 Quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrandam justitiam suam, propter remissionem ante-commissorum peccatorum:

26 Deo illa tolerante: ad demonstrandam *inquam* justitiam suam præsenti tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu.

Duobus istis versiculis continetur ἐπιμονὴ & ἐπεξεργασία. Commoratur enim in exponendis causis justificationis, eamque quæstionem pluribus verbis expolit. Primùm autem ponit Deum tanquam authorem, deinde Christum tanquam mediatorem: tum fidem tanquam instrumentum ex parte nostra: posteà sanguinem Christi tanquam instrumentum ex parte Christi: id est, tanquam causam impulsivam quâ Christus ut mediator Deum ad justificandum nos movet: præterea remissionem peccatorum tanquam formam: postremò declarationem seu demonstrationem justitiæ Dei, tanquam finem.

27 Ubi igitur gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? operum? non: sed per legem fidei.

Annectit per digressiunculam πόρισμα seu corollarium: cujus hæc est sententia: Quum igitur justificemur ex gratiâ Dei, per remissionem peccatorum, propter Christum fide apprehensum:

hensum: sequitur, ademtam nobis esse gloriationem, hoc est, nos non posse verè gloriari de nostra justitia seu de justitia Legis: quasi propterea justi censendi ac pronuntiandi simus à Deo, quia ipsius legem præstiterimus.

28 Concludimus igitur, fide justificari hominem absque operibus Legis.

29 An Judæorum Deus solùm? annon & Gentium? Certè & Gentium.

30 Siquidem Deus, unus *est*: qui justificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.

Hæc est conclusio principalis: quam illustrat prolepsi. Concludit enim indefinitè (ac proinde universaliter) de quovis hominum genere. *Concludimus*, inquit, *hominem*, (nempe quincunque sit, sive ex Judæis, sive ex Gentibus) *justificari fide*. Contra hoc poterant objicere Judæi: Imò soli Judæi justificantur, non etiam reliquæ gentes. Respondet. Imò hæc justitiæ ratio etiam ad gentes reliquas pertinet: quia Deus etiam illarum Deus est. Quod argumentum repetit v.30. unà cum conclusione principali.

31 Legem igitur inutilem reddimus per fidem? Absit. Imò Legem stabilimus.

Prolepsis: Non tamen per justificationem fidei tollitur Lex, sed potiùs stabilitur.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Igitur] οὖν. *Si scilicet circumcisio non prodest Judæis ad commendandos ipsos Deo præ Gentibus.* Præstantia] τὸ περισσὸν. *Calv. prærogativa. Propriè,* superfluum. U*nde* ἀριθμὸς περισσὸς, *numerus impar: quia si dividatur in partes æquales integras, relinquitur unitas superflua.* Quæ] τί. *Quasi dicat, nulla.* Judæi] *Nempe præ Gentili.*

2 Multa] *scilicet præstantia.* πολὺ. *scil.* τὸ περισσὸν. *Respondet ad objectionem priorem, ut ex sequentibus percipitur.* Per omnem modum] κατὰ πάντα τρόπον. *Hos modos ac prærogativas Judæorum copiosiùs recenset infrà c.9.v 4. & 5. Nam hîc unico commemorato, institutam enumerationem abrumpit occupatione aliâ, v.seq.* Primùm enim *eo præstant*] πρῶτον μὲν γὰρ. *Sic puto* πρῶτον *vertendum adverbialiter, ut subaudiatur verbum* περισσεύουσιν, *id est, præstant seu excellunt, scilicet Judæi. nam si poneretur nominaliter, præponeretur articulus, ad hunc modum:* τὸ μὲν γὰρ πρῶτον. *scilicet* ἐστὶ. *sed utro modo accipiatur, negari non potest quin sit* ἀνανταπόδοτον. *Cùm enim præposuisset, præstantiam Judæorum esse multam, id est, multiplicem: hoc probaturus, incipit enumerare species: nec tamen plures quàm unam commemorat. Item utitur particula* μὲν: *quæ requirit in apodosi* δὲ. *Simile exemplum* ἀνανταποδότου *fuit suprà c.1.vers.8.* Quòd eis credita sunt] ὅτι ἐπιστεύθησαν. *Subaudi,* αὐτοί. *Sic 1.Timoth.1.11.* ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ: *quod concreditum est mihi, nempe Evangelium.* Eloquia] τὰ λόγια. *Alii, oracula. A qua voce non videtur abhorrendum, quòd Ethnicorum superstitionibus contaminata sit. Nam Spiritus sanctus ipse non abhorret à voce* χρησμὸς & χρηματίζεσθαι: *quibus vocibus Ethnici non minùs de oraculis suis superstitiosis usi sunt. Intelligit autem verba Legis, ore Dei pronuntiata in monte Sinai, & in familiaribus collocutionibus cum Mose: quorum illa ipsius Dei digito tabulis lapideis inscripta, ista verò jussu Dei à Mose literis mandata, & apud Judæos ad custodiendum deposita fuerunt.*

3 Quid tum enim] τί γάρ. *Subaudi,* ἐροῦμεν, *id est, dicemus. sicut plenè loquitur infr. v.3. item c.6. v.1.* Perfidi evaserunt] ἠπίστησαν. *Id est, non servarunt fidem. Hanc esse genuinam expositionem, judicari potest ex antithesi mox sequente, inter* ἀπιστίαν *istorum &* πίστιν *Dei.* Perfidia] ἀπιστία. *Hæc significatio confirmatur ex antithesi. Hac significatione videtur hoc verbum usurpatum ab Hesiodo in isto versu:* πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας. Fidem Dei] τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ. *id est, constantiam in servandis promissis, ut intelligitur ex collatione versus sequentis: Est autem elegans paronomasia in verbis* ἀπιστία & πίστις: *sicut in Latinis* perfidia & fides. Inanem reddet] καταργήσει. *Abolebit, otiosam seu ignavam (id est, inanem, inefficacem) reddet: scil. ut Deus non sit amplius Deus hujus populi, sicut promisit Abrahamo, Ero Deus tuus & seminis tui post te:* ἀργὸς, *quasi* ἄεργος, *id est,* ἄνευ ἔργου.

4 Absit] μὴ γένοιτο. *Ad verb.* Ne fiat, *id est, absit ut cogitemus vel dicamus, id fieri posse. Hæc formula Paulo familiaris est in negando, & detestationis significationem habet; quæ objectionis consequens, tanquam blasphemum detestatur. sic infrà v.6. item c.6.v.2.c.7.v.7.c.9.v.14.c.11.v.1.* Esto] γινέσθω. *id est, esse judicator, habetor, dicitor. Sic* Joh.*15.v.8.* Et eritis mei discipuli, *hoc est, cognoscemini esse. Metonymia subjecti.* Verax] ἀληθής. *nempe in suis promissis ac minis. Hinc perspicitur, quid v. præcedente significet* πίστις Θεοῦ. Mendax] ψεύστης. *id est, perfidiosus, fallens fidem tum Deo tum hominibus datam, non servans fidem. Hoc intelligendum est de natura hominis: quæ in electis spiritu Dei emendatur.* Ut justificeris] ὅπως ἂν δικαιωθῇς. *Hæc verba exstant Psal.51.6. & pendent à verbo* Agnosco, *quod in eo versu intelligendum, & ex præcedente versu repetendum est. Sententia est: Ego David agnosco me peccasse, stuprando uxorem Uriæ, & ipsum Uriam per duces meos hostibus ad cædem objiciendo: atque hoc ideo agnosco & confiteor, ut tu Deus justificeris, hoc est, justus seu verax prædiceris ab omnibus, quibus hæc mea confessio innotescet: ut, inquam, justus prædiceris in sermonibus tuis, hoc est, in promissionibus tuis mihi factis, servans scil. illas mihi ac benefaciens, qui potiùs meritus sum ut rejiciar. deinde etiam ut vincas, hoc est, ut justitiæ laudem obtineas, quando tu judicas, hoc est, quando punis peccatores: sicut scil. me puniturus, vel potiùs castigaturus, es propter admissum adulterium & homicidium. Ubi notandum, pro illis verbis,* καὶ νικήσῃς, *id est,* & vincas, *in Hebræo legi* תִזְכֶה, *tiskéh, id est,* ut purus sis. *Sed Apostolus allegavit ut exstat in versione Græca.* In sermonibus tuis] ἐν τοῖς λόγοις σου. *Hebr.* בְּדָבְרֶךָ *Bedobrécha: quòd est ad verb.* In loqui tuo, *vel,* In loquendo te. *Græcè,* ἐν τῷ λαλεῖν σε. *hoc est, cùm tu loqueris.* Et vincas] καὶ νικήσῃς. *Hebraicè, quemadmodum diximus,* ut purus sis, *hoc est, ut purus seu sanctus esse agnoscaris ac prædiceris.* Quando tu judicas] ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. *Hebr.* בְּשָׁפְטֶךָ *Beschophtécha. Ad verb.* in judicando te, *i.e. cùm tu judicas: Quæ expositio confirmatur partim collatione cum membro præcedente,* In loquendo te: *partim voce Hebræâ, quæ activa est.*

5 Injustitiâ] ἀδικία. *id est, perfidiâ. Synecdoche generis. Sic mox,* Dei justitiam, *id est, fidem ac veritatem.* Num injustus Deus] μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς. *Supple* ἐστὶν, *est.* Qui inferat] ὁ ἐπιφέρων. *Id est, ut qui inferat.* αἰτιολογικῶς. Iram] τὴν ὀργήν. *Nempe iram suam. hoc enim notat articulus* τὴν. *Per iram autem intelligit pœnam. Metonymia efficientis metaphorica.* Humano more loquor] κατὰ ἄνθρωπον λέγω. *Ad verb.* secundùm hominem dico. *scilicet ista. Occupatiuncula est, quæ occurrit suspicioni blasphemiæ: quasi delectaretur blasphemis istiusmodi consectariis seu enthymematis. Profitetur igitur, se afferre ratiocinationes usitatas hominibus: ut scil. eas refellat.*

6 Absit] μὴ γένοιτο. *ut vers.4.* Alioquin] ἐπεί. *Ad verb.* Quoniam. *Scil. si Deus esset injustus: ut concludit præcedens objectio.* Quomodo judex erit] πῶς κρινεῖ. *quasi dicat, Tum Deus non posset judicare mundum: at certum est, Deum judicare mundum. Videtur autem Apostolus loqui de ultimo judicio, quia utitur verbo futuri temporis. Sed potest etiam intelligi de actu continuo, & gubernatione mundi perpetuâ: ut Gen.18.v.25. ubi ait Abraham,* An judex totius terræ non faceret judicium? Mundi] τοῦ κόσμου. *id est, hominum, qui degunt in mundo. Metonymia subjecti.*

7 Etenim si veritas &c.] *Repetit sententiam versus quinti.* Per mendacium] ἐν τῷ ψεύσματι. *Hebraismus. Sic enim Hebræi usurpant præpositionem Beth.* Redundavit] ἐπερίσσευσεν. *Id est, redundat, redundare solet. Vel,* excelluit: *id est, excellit seu excellere solet. In qua significatione verbum istud reperitur 1.Thess.4.1. Item Matth.5.20.* In gloriam ipsius] *Hoc est, Si meum mendacium commendat veritatem Dei: ut suprà locutus est v.5. Porrò* ψεύσματος *nomine intelligit perfidiam, vel potiùs perfidum factum. Est enim* ψεῦσμα *factum, quo quis* ψεύδεται, *id est, fallit seu mentitur, hoc est, fidem datam violat.* ψεῦδος *autem ferè de dicto seu sermone intelligitur.* Cur] τί. *id est,* διὰ τί. *Ellipsis. quâ etiam Latini utuntur, & nos in lingua vernacula.* Ut peccator] ὡς ἁμαρτωλός. *ut qui peccatis commissis violarim fidem Deo datam.* Condemnor] κρίνομαι. *judicor. Synecdoche generis.*

8 Ac non] καὶ μή. *Supple,* λέγεται. *id est, Ac non potiùs dicitur. Hoc enim verbum supplendum est ex verbis sequentibus, quæ per* ἐπεμβολὴν *inseruntur.* Sicut de nobis malè loquuntur] καθὼς βλασφημούμεθα. *Germ.* **Wie wir gelestert werden.** βλασφημεῖν, *est* βλάπτειν φήμην, *lædere famam.* Ajunt] φασί. *scilicet falsò & per calumniam. Calumnia enim est bene dicti callida & malitiosa interpretatio, atque in alienum sensum detorsio: aut cùm ex bene dicto malum quid ratiocinando deducitur atque colligitur. Sicut hodie Pontificii per calumniam ex nostra doctrina, quòd solâ fide justificemur sine operibus; deducunt, nos vetare bona opera: quia scilicet docemus, bona opera nostra nihil conferre ad promerendum salutem.* Faciamus] ὅτι ποιήσωμεν. *Conjunctio* ὅτι *servit mimesi, hoc est, recitationi verborum. nam recitat verba, quæ calumniatores isti falsò tribuebant Apostolis.* Faciamus mala, ut veniant bona] *Id est, peccemus ut amplificetur gloria Dei.* Damnatio] τὸ κρίμα. *Judicium. Synecdoche generis.*

9 Quid igitur] τί οὖν. *Subintellige,* ἐροῦμεν, *dicemus. q.d. Quoniam fassus sum, multam esse præstantiam Judæi: idne interpretabimur de natura, quasi præcellamus profanas gentes naturâ, eisque meliores simus?* Præcellimus] *Scil. nos Judæi. Præcellimúsne paganos?* Nullo modo] οὐ πάντως. *Subjectio, id est, responsio ad præcedentem quæstionem. Ad verb.* Non omnino. *Trajecta est negandi particula. pro,* πάντως οὐ, *omnino non,* **gar nicht.** *Itaque post* οὐ, *scribenda nota* ὑποδιαστολῆς: *sic,* οὐ, πάντως. *Nam hæ duæ voces,* οὐ πάντως, *si legantur* ὑφ' ἕν, *contrarium significant, nempe,* Non omnino. *quasi dicas, Non omni modo, sed tamen ex parte seu aliquo modo.* Antè criminati sumus] προῃτιασάμεθα. αἰτιᾶσθαι *est criminari, accusare: verbum forense: ab* αἰτία, *causâ, quasi dicas causari, id est, causam attribuere, in causa esse dicere. Ut si accusator dicat reo, Tu es in causa quòd hoc factum est: tu es author (*αἴτιος*) hujus mali.* Esse sub peccato) ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι. *hoc est, subjectos seu obnoxios esse maledictioni atque damnationi quæ peccatis debetur. Metonymia efficientis. quod uno verbo dicitur* ὑπόδικος, *infrà v.19.*

10 Non eſt] ὅτι οὐκ ἔϛι. ὅτι redundat, ut ſuprà v.8. Ne unus quidem] οὐδὲ εἷς. Pſalm.14.v.3. in Hebræo ita habetur: Non eſt faciens bonum, non etiam unus, id eſt, non eſt vel unus. Verſu tamen primo ibid. non adduntur iſta verba אֵין גַּם אֶחָד Non etiam unus.

12 Inutiles facti ſunt] ἠχρειώθησαν. Sic etiam in verſione Græca. Heb. נֶאֱלָחוּ neëláhhu. quod novi noſtri interpretes reddiderunt, putidi facti ſunt, opponentes hoc verbum verbo intelligens, quod præceſſit. quaſi dicat David: Tantum abeſt, ut poſſint adorari, hoc eſt, intelligere quæ ſit voluntas Dei, ut etiam ipſi putidi ſint. Si malimus vertere, ſpumæ inſtar putruerunt: erit ſynecd. ſpeciei. quæ enim putria ſunt, inutilia ſunt: ſed non viciſſim. Bonum] χρηστότητα. Bonitatem, benignitatem. Heb. טוֹב tob, id eſt, bonum, abſolutè. LXX. οὐκ ἔϛι ποιῶν ἀγαθόν. Non eſt uſque ad unum] οὐκ ἔϛιν ἕως ἑνός. Sic etiam LXX. In Hebræo eſt אֵין גַּם אֶחָד En gam ehhád, id eſt, Non etiam unus, non eſt vel unus, id eſt, ne unus quidem, auch nicht äiner.

13 Sepulchrum apertum eſt guttur eorum] τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν. In Græco percipitur ſubjectum ſeu antecedens enuntiati ex articulo: Subauditur autem verbum ſubſtantivum ἐϛί: quod in Latino σαφηνείας ἕνεκα expreſſimus. Venenum aſpidum] ἰὸς ἀσπίδων. Supple, ἐϛίν, eſt. Ex Pſal.140.v.3. ubi novi noſtri interpretes vocem Hebr. עַכְשׁוּב Hhachſchúb vertunt ptyadem, hoc eſt, aſpidem illam quæ ſuo loco ſtans, venenum ſuum procul exſpuit. παρὰ τὸ πτύειν, à ſpuendo.

14 Diris] ἀρᾶς. Ad verb. exſecratione. Sed Latini diras vocant; ſubaudiendo (ni fallor) pœnas. ut cùm dicunt, Diris aliquem devovere. Et amarulentiâ] καὶ πικρίας. Sic LXX. Sed in Hebræo eſt וּמִרְמוֹת umirmóth, & fraudibus: pro quo LXX. videntur legiſſe וּמְרוֹרוֹת umerorôth, & amaritudinibus.

15 Veloces pedes] ὀξεῖς οἱ πόδες. Sumta ſunt hæc verba ex Eſa.59.v.7. & 8. ubi etſi quædam verba ſunt addita: tamen Apoſtolus ſine injuria ſenſus ea omittit. Sanguinem] αἷμα. In Hebræo additur נָקִי naki, innocentem ſeu innoxium.

16 Contritio & calamitas] σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία. Hebr. שֹׁד וָשֶׁבֶר ſchad veſchéber, vaſtitas & contritio.

17 Viam pacis] Id eſt, quæ ducit ad pacem. hoc eſt, Vitam cui pax & proſperitas ſeu felicitas proximi eſt propoſita. Genitivus ſubjecti, nempe ſubjecti occupantis.

19 Lex] ὁ νόμος. hoc eſt, ſacra ſcriptura contenta lege Moſis & libris Prophetarum ac Pſalmis: ut apparet ex verbis Chriſti Luc. ult. v.44. Eſt igitur hîc ſynecdoche membri. Quæ expoſitio confirmatur collatione hujus verſiculi cum præcedentibus, à decimo uſque ad hunc: ubi citavit Scripturæ teſtimonia partim ex Pſalmis, partim ex propheta Eſaia. Iis qui in Lege ſunt] τοῖς ἐν τῷ νόμῳ. ſcil. οὖσι. In Lege, i.e. in politia Moſaica, per legem Moſis conſtitutâ, ac per prophetas ſubinde correctâ atque emendatâ. Metonymia adjuncti vel efficientis. Eſtque ſimul antanaclaſis in repetitione vocabuli νόμος. Omne os] πᾶν ϛόμα. id eſt, omnium hominum ora. Synecdoche generis. Obthuretur] φραγῇ. Metaphora. Nam φράττειν propriè eſt ſepire: unde φραγμὸς & φράγμα, ſepes. Videtur hîc poſitum pro διαφράττειν, id eſt, interſepire: ut intelligatur aliquid in os injectum quo intercludatur vox, & intercipiatur ſermo. Sententia eſt: Ut omnibus hominibus auferatur cauſa gloriandi in ſeipſis. Metaphora & meton. effecti deſtinati: nam illa διάφραξις deſtinatur ad ſermonem impediendum, ſeu intercipiendum. Id quod noſtrâ ætate non in paucis martyribus uſurpari ſolet: ut teſtatur pictura inquiſitionis Hiſpanicæ. Et obnoxius fiat] Hæc eſt præcedentis metaphoræ epexegeſis. Porrò in nomine ὑπόδικος eſt ſynecdoche generis: quoniam δίκη hîc notat καταδίκην: ut eruditè D. Beza annotavit. Mundus] ὁ κόσμος. Id eſt, genus humanum. Metonymia ſubjecti, nempe loci pro re locata. Sicut Johan.3. Sic Deus dilexit mundum. Item ſup. v.6. Ex operibus Legis] ἐξ ἔργων νόμου id eſt, ex eo quòd præſtetur Lex. Eſt metonymia ſubjecti. Non juſtificabitur ulla caro] οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ. Similis phraſis exſtat Matth.24.v.22: οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ, non ſervaretur ulla caro. Item 1. Johan.3.v.15. πᾶς ἀνθρωποκτόνος οὐκ ἔχει ζωὴν αἰώνιον. Nullus homicida habet vitam æternam. Quo loco libet aliquid obiter annotare (quod vulgò non traditur in Logicis) de duplici contradictione. Planum eſt enim, huic enuntiato, Omnis caro juſtificatur ex Lege, bifariam contradici poſſe: nempe vel ſic, Non omnis caro juſtificatur ex Lege; vel ſic, Omnis caro non juſtificatur ex Lege. quod uſitatè dicitur, Nulla caro juſtificatur ex Lege. Quin prior ille oppoſitionis modus contradictio ſit, nemo Logicorum dubitat: opponitur enim univerſali affirmanti particularis negans. quippe iſtud enuntiatum, Non omnis caro juſtificatur ex Lege, æquipollet huic, Quædam caro non juſtificatur ex Lege. Sed de poſteriore modo vulgò dubitatur, an is quoque contradictionis nomen mereatur. Vulgares enim Dialectici iſta enuntiata, Omnis caro juſtificatur, Nulla caro juſtificatur, opponi dicunt; non ἀντιφατικῶς, id eſt, contradictoriè, ſed ἐναντίως, id eſt, contrariè. Eſſe autem in illo quoque altero oppoſitionis genere contradictionem, liquet ex contractionis definitione. Contradictio enim nihil aliud eſt, quàm affirmatio & negatio inter ſe oppoſitæ. Et ſic definit ipſe

Contradicendi modus duplex.

Ariſtoteles περὶ ἑρμηνείας cap.4. ubi ait, ἔϛω δὲ τοῦτο ἀντίφασις, κατάφασις καὶ ἀπόφασις αἱ ἀντικείμεναι. At iſta enuntiata, Homo juſtificatur ex Lege, Homo non juſtificatur ex Lege: vel quod idem valet, Omnis homo juſtificatur ex Lege: Nullus homo juſtificatur ex Lege: iſta, inquam, enuntiata continent affirmationem & negationem inter ſe oppoſitas: quippe idem de eodem (nempe juſtificatio ex Lege de toto genere humano) affirmatur & negatur. Liquet ergo, iſtis enuntiatis contradictionem contineri. Verùm enimverò, cùm hoc genus contradictionis à ſuperiore diverſum ſit; operæpretium eſt de diſcrimine admonere. Dico igitur, contradictionem eſſe duplicem: unam ſigni, alteram vinculi, quam copulam vulgò nominant. In priore illa oppoſitione eſt contradictio ſigni: quippe quæ ſigno univerſali præponitur negationis nota: nempe, Omnis caro juſtificatur ex Lege, Non omnis caro juſtificatur ex Lege. In altera oppoſitione eſt contradictio vinculi ſeu copulæ: nam manente eâdem enuntiati quantitate, qualitas mutatur, Logicè quidem loquendo, ita ut negationis nota præponatur vinculo ſeu copulæ: nempe, Omnis caro juſtificatur, Omnis caro non juſtificatur. at uſitata loquendi ratio poſtulat, ut negatio comprehendatur ſigno univerſali, & dicatur, Nulla caro juſtificatur. Inter has duas contradictionis ſpecies hoc quoque intereſt: quòd contradictio ſigni ſemper dividit verum à falſo: at contradictio vinculi non ſemper: id quod Ramus in ſua Dialectica clariſſimis exemplis demonſtravit. Ex quo perſpicitur, non rectè ab interpretibus Ariſtotelis in contradictionis definitione adjectam eſſe hanc particulam, quæ affirmatur, contradictionem ſemper diſtinguere verum à falſo. Sic enim illi teſte Sturmio definiunt: ἀντίφασις μάχη ἐϛὶ καταφάσεως καὶ ἀποφάσεως διαιρεῖσθαι ἀεὶ τὸ ἀληθὲς ἀπὸ τοῦ ψεύδους. Sed hæc obiter. Caro] σάρξ. id eſt, homo. Synecdoche membri, ſed emphatica, quæ emphaſis manifeſte innuitur Gen.6.v.3. & 12. Lib.2.Partit. Dialect. c.4.

21 Nunc verò] νυνὶ δέ. Non eſt ſyllogiſmi aſſumtio: ſed concluſio annexa per prolepſin & antitheſin: ſicut declaratum eſt in Analyſi. Comprobata teſtimonio &c.] μαρτυρουμένη &c. Idem & Chriſtus affirmat Joh.5.v.39. ubi ait, Scripturæ teſtificantur de me. Et Petrus Act.10.v.43. inquiens, Huic (nempe Chriſto) omnes prophetæ teſtimonium dant &c. Legis] τοῦ νόμου. Elegans antanaclaſis eſt in vocabulo νόμος, diverſâ ſignificatione repetito: nam in priore membro accipitur hoc nomen pro operibus Legis, in poſteriore pro libris Moſis.

22 Juſtitia, inquam, Dei per fidem] δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως. Pro, ἡ διὰ πίστεως, quæ eſt per fidem, ſeu quæ conſtat fide, quæ imputatur per fidem. Ellipſis articuli, ut ſuprà cap.2.v.28. & 29.

23 Deficiuntur gloriâ Dei] ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. Id eſt, deſtituuntur gloriatione coram Deo: ita ut non poſſint gloriari coram Deo, quaſi Legem præſtiterint: quippe quam omnes peccando violarunt. In hanc ſententiam exponit Olevianus: & huic expoſitioni favent quæ dicuntur infr. v.27. & cap.4. v.2. Itaque rectè videtur vertiſſe Lutherus, vnd mangeln des ruhms/ den ſie an Gott haben ſolten. id eſt, deſtituuntur eâ gloriâ vel gloriatione quam debebant habere in Deo. Malim tamen, vor Gott/ id eſt, coram Deo. Hæc enim eſſet hominis gloria, Si Deus approbaret facta ipſius, ut qui Legem Dei præſtitiſſet. Atque in hanc ſententiam exponit quoque D. Calvinus. Gloriam Dei (inquit) accipit pro ea, quæ coram Deo locum habet: ut apud Johan.12.v.43. Dilexerunt magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Veruntamen quia inſolens eſt, vocabulo δόξης ſignificari gloriationem: ego ſimpliciſſimum ac genuinum eſſe puto, ſi per δόξαν Θεοῦ hîc intelligatur gloria quâ Deus hominem afficit: ſicut intelligitur infr. cap.5.v.2.

24 Ut qui juſtificentur] δικαιούμενοι. Participium. δικαιούμενοι pendet à verbo ὑστεροῦνται: ut nominativus poſt verbum, notans cauſam. Cùm enim homines ex gratiâ juſtificentur: conſequens eſt, eos non juſtificari ex merito præſtitæ Legis, ac proinde deſtitui illâ gloriatione coram Deo. Gratis. δωρεάν. Id eſt, κατὰ δωρεάν: ſecundùm donum, ſive per donum, ſeu denique ex dono. Ellipſis.

25 Quem propoſuit DEUS placamentum] ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον. Pro, εἰς ἱλαστήριον, in ἱλαστήριον, in placamentum. Luth. Welchen Gott hat fürgeſtelt zu einem gnaadenſtul. Id eſt, quem Deus propoſuit in thronum gratiæ, hoc eſt, ut eſſet thronus gratiæ. Nomine autem illo gnaadenſtul/ idem apud Moſen vertit vocabulum כַּפֹּרֶת cappóreth, quo operculum arcæ fœderis appellatur, quod erat typus Chriſti: ut perſpici poteſt ex Heb.4. v.ult. ἱλαστήριον propriè notat inſtrumentum propitiationis ſeu placationis: ac proinde optimè in Chriſtum quadrat, per quem Pater nobis placatus eſt. Per fidem in ſanguine ipſius] διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. Omnino exiſtimo, pro αὑτοῦ cum ſpiritu denſo, legendum αὐτοῦ cum ſpiritu tenui: & ἐλλείπειν articulum τῷ ante præpoſitionem ἐν, repetendum ex præcedentibus: ac proinde ἐν poſitum pro εἰς: denique poſt nomen fidem, delendum inciſi ſignum. Clarior erit verſio, ſi dicas, Per fidem in ſanguinem ipſius. Videtur autem ſpiritus in pronomine αὑτοῦ eâ occaſione mutatus, quòd mox ſequitur αὐτοῦ. Sed illud refertur ad nomen ὁ Θεὸς: ad quod prius illud αὐτοῦ referri non poteſt. Ad demonſtrandum juſtitiam ſuam] εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ. Juſtitiæ nomine videtur hoc loco Apoſtolus per ſynecdochen generis intelligere veritatem Dei in ſervandis promiſſis. Promiſerat enim in

Lege

Lege Christum mediatorem, per quem ipso placandus nobis esset: Christo igitur exhibito, demonstravit, se justum & in servandis promissis constantem esse. Nisi potius per justitiam Dei, *hic quoque intelligenda est justitia quam Deus credentibus donat, & per fidem imputat, ut suprà v.21. & 22.* Propter remissionem antecommissorum peccatorum] διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων. *id est, propterea quòd cuiq; in Christum jam exhibitum credenti, remittit peccata antè ab ipso commissa. Videtur enim Apostolus epitheton* προγεγονότων *ideo adjecisse, ut occurreret falsæ opinioni eorum, qui putant, peccatis sibi per fidem remissis, liberum esse peccare. Sed quid, si quis remissione peccatorum ante-admissorum acceptâ, iterum peccet: sicut sanè quotidie nobis accidit: num illi non restat spes veniæ seu novæ remissionis? Respondeo. Maximè. Ideo enim Christus nobis præcepit, ut quotidie peteremus à Deo remissionem peccatorum: ut nimirum doceret, & nos quotidie peccare, & Deum quotidie nobis remissionem per Christum petentibus, peccata remittere. Quod ipsum & Johannes docet 1.Joh.1.v.9. & cap.2.v.1.*

26 Deo illa tolerante] ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ. *Vel, per tolerantiam Dei. Hac particula omnino videtur addenda versiculo præcedenti: cùm pendeat à participio* προγεγονότων. *Sententia enim videtur hæc esse, Peccata quæ nobis Deus per fidem in Christum remittit, antè admissa à nobis esse per ipsius tolerantiam: ut qui non statim cùm peccaremus, nos perdiderit: sed toleranter exspectarit illud tempus, quo peccata admissa agnosceremus & eorum remissionem per fidem consequeremur. Et alioquin concinnior est sententiarum hujus loci collocatio, si hic versiculus incipiat à verbis* πρὸς ἔνδειξιν. *Cùm enim hic resumat verba illa versiculi præcedentis,* εἰς ἔνδειξιν: *planum est, quæcunq; verba ab illis usque ad ista hic comprehenduntur, ad præcedentem illam sententiam pertinere.* Suam] αὐτοῦ. *Puto legendum* αὑτοῦ, *sicut versu superiore: cùm eadem planè sententia iisdem penè verbis repetatur. quanquam apud Græcos reperitur etiam* αὐτοῦ *pro* ἑαυτοῦ *vel* αὑτοῦ. *Sed illud rectius videtur. Rursum autem occasio mutati spiritus orta videtur ex verbis sequentibus, ubi legitur* αὐτόν. Justus & justificans] δίκαιον καὶ δικαιοῦντα. *Elegans paronomasia.*

27 Per quam legem?] διὰ ποίου νόμου; *id est, per quam doctrinam? Synecdoche speciei.* Per legem fidei] διὰ νόμου πίστεως. *Elegans antanaclasis in vocabulo* νόμος: *quod cùm propriè operibus soleat tribui, hic ad fidem transfertur.*

28 Concludimus] λογιζόμεθα. *id est,* συλλογιζόμεθα. *Nam Apostolus firmissimam* ἀπόδειξιν *hic concludit.* Absque operibus Legis] χωρὶς ἔργων νόμου. *Id est, Absque hoc quòd præstiterit opera Legis, seu absq; merito per opera Legis.*

29 An Judæorum Deus solùm?] ἢ ἰουδαίων ὁ Θεὸς μόνον; *Subobscura sententia propter ellipsin. pro,* ἢ ὁ Θεὸς, ἰουδαίων μόνον θεός ἐστι; *An Deus Judæorum solùm Deus est? Id est, an cum solis Judæis fedus gratiæ pepigit? Respicit enim Apostolus ad promissiones factas Abrahamo de constituendo ipso patre multarum gentium, & de benedicendis in ipsius semine cunctis gentibus terræ. Genes.17. v.5. & c.22.v.18.* Gentium] ἐθνῶν. *id est, gentium reliquarum præter Judæos. Synecdoche generis.*

30 Deus unus est] εἷς ὁ Θεός. *In Græco articulus monstrat subjectum seu sententiæ partem antecedentem.*

31 Legem] νόμον. *Puto, Apostolum propriè loqui de lege Mosis: nam eum loqui de lege scripta, intelligi potest ex verbo* καταργοῦμεν, *pro quo Latini dicunt antiquare vel abrogare.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

Verbū Dei. 1 Ex v.1.& 2. Verbum Dei tam pretiosus thesaurus est, ut penes quem populum illud est depositum, is cæteris præstare jure putandus sit. Quare Deo gratias agamus, quòd hoc thesauro nos quoque dignatus est, eumque fideliter custodiamus.

Officium hominis Christiani. 2 Ex v.3. & 4. Quum Deus verax sit in promissionibus suis: ergo illis firmiter credamus. Huc pertinet illud Joh.3.v.33. *Qui recipit ejus (nempe Christi) testimonium, is obsignavit quòd Deus verax sit.*

Officium hominis Christiani. 3 Ex v.5.6.7. & 8. Quicquid ratio humana contra justitiam Dei argutetur, illa nobis semper extra dubium ponenda est.

Officium hominis Christiani. 4 Ex v.8. Sicut non facienda mala, ut eveniant bona: ita nec sunt dicenda falsa, ut obtineantur vera. Et contrà non sunt bona omittenda, etiamsi metuantur inde eventura quæ rationi carnali videntur mala. Verbi gratiâ; non est omittenda reformatio sive correctio cærimoniarum sacrarum in ecclesia, etiamsi metuendum sit eventuras inde offensiones imperitorum ac superstitiosorum hominum: quæ offensiones rationi carnali videntur malæ.

Officium hominis Christiani. 5 Ex eod.v.ex verbis: *Quorum damnatio justa est.* Qui petulanter calumniantur doctrinam sanam (ut hodie faciunt Pontificii, quum dicunt, Evangelicos vetare bona opera) illis judicium Dei, exemplo Apostoli, denuntiandum est.

Homo. 6 Ex v.9.& deinceps usq; ad 20. Naturâ nullus populus, nullúsve homo, alium antecellit coram Deo: sed omnes sub peccato sunt: ita ut nemo de sua sanctitate coram Deo possit gloriari.

Officium hominis Christiani. 7 Ex iisdem versibus. Quum tanta sit naturæ nostræ corruptio seu vitiositas, quanta hic multis verbis atque sententiis ab Apostolo exponitur: decet nos demissè de nobis sentire, & ad gratiam Dei confugere. nam si ex merito nobiscum vellet agere Deus: omnes in universum damnaret.

Legis usus. 8 Ex v.20. Legis usus est, ut ex ea agnoscamus peccatum. Id quod fit collatione nostri (videlicet tum naturæ, tum vitæ nostræ) cum Lege: in qua collatione, si eam seriò & accuratè instituerimus, reperiemus perpetuam discrepantiam nostri à Lege: quæ ipsa discrepantia peccatum est, authore Johanne: qui peccatum ita definit, ut dicat esse τὴν ἀνομίαν, 1.Johan.3.v.4. hoc est, discrepantiam (videl. hominis) à Lege. Res potest illustrari hoc simili, quòd peccatum cognoscamus ex Lege, velut è speculo. nam ut speculum intuenti ostendit maculas faciei: ita Lex contemplanti sese in illa, seque ad illius normam examinanti, ostendit maculas animæ, id est, fœditatem peccati.

Quibus operibus vim justificandi adimat Paulus. 9 Ex eod.v. convincitur effugium Papistarum & corruptela doctrinæ Paulinæ de justificatione: quum scil. dicunt, Paulum justificandi vim adimere operibus solius Legis cærimonialis, non etiam moralis. At contrarium liquet ex hoc versu. Quum enim dixisset, *Ex operibus Legis non justificabitur ulla caro in conspectu ejus*: continenter annectit rationem his verbis, *Per Legem enim agnitio peccati*: ubi planum est, intelligi Legem præcipuè moralem.

Justitia duplex. 10 Ex v.21. ex verbis, *Nunc verò absque Lege justitia Dei patefacta est.* De duplici justitia (unâ Legis, alterâ Evangelii) vide suprà observationem 22. cap.1.

Justificatio fidelium in V.T. 11 Ex eod.v. ex verbis, *Comprobata testimonio Legis ac prophetarum.* Quum justitia Evangelii seu fidei comprobata sit testimonio Mosis cæterorumque prophetarum: consequens est, patres ante Christum exhibitum non minùs fide justificatos esse, quàm nos post exhibitum. Credebant enim in eum quem Moses & prophetæ venturum prænuntiabant.

Justificationis causæ. 12 Ex v.22.23.24.25. & 26. Observandæ hîc sunt causæ variæ, justificationis seu justitiæ illius cujus respectu coram Deo justificamur. Causa efficiens principalis & agens est Deus. hinc enim nominatur justitia Dei, v.21. & 22. id est, justitia quam Deus nobis donat & imputat. item v.26. *Ut sit ipse justus & justificans &c.* Causæ efficiens ad agendum impellens, eaque interna, quæ Græcis nominatur αἴτιον προηγούμενον, est cùm gratia Dei, v.24. tum justitia seu veritas Dei, v.25. & 26. Causa efficiens ad agendum impellens, eaq; externa, (quæ etiam vocari potest causa instrumentalis extra nos) est redemtio facta per Christum, v.24. videl. per sanguinem illius, v.25. Hæc à nonnullis vocatur justitiæ nostræ materia. Et sanè sic nominari posse videtur; quatenus est illa ipsa res quæ nobis ad justitiam imputatur: ita ut justitia nostra ex ea veluti constet. Causa instrumentalis in nobis, est fides quâ redemtionem illam seu satisfactionem Christi apprehendimus, v.22.25. & 26. Forma est remissio peccatorum, v.25. Finis est declaratio justitiæ Dei, v.25. & 26.

Officium hominis Christiani. 13 Ex v.27. Nemo glorietur in operibus suis, quasi illis vitam æternam à Deo mereatur: sed qui gloriatur, glorietur in Domino, quòd scil. ex gratiâ Dei redemtus & justificatus sit, & præterea, efficaciter vocatus seu fide donatus, ac proinde certò glorificandus. Confer 1.Cor.1.v.26. & deinceps.

Dogma Papistarum de justificatione refellitur. 14 Ex v.28. Quum clarè pronuntiet Apostolus, hominem justificari fide absq; operibus Legis: falsum est igitur dogma Papistarum, quo tradunt, hominem justificari partim fide, partim operum meritis. Nec verò pro eis facit dictum Jacobi c.2.v.24. ubi ait, *Videtis igitur, ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantùm.* Iis enim verbis Jacobus nihil aliud vult dicere, quàm hominem justificari non ex quavis fide, sed ex ea demum fide, quæ cum studio bonorum operum sit conjuncta: id quod ex toto illo sermone manifestum evadit. Hoc verò non adversatur doctrinæ Pauli: sed cum ea planè consentit, quippe Paulus ipse quoque talem fidem intelligit: ut perspicitur ex c.6. ubi monet, cum justificatione fidei sanctificationem seu studium bonorum operum tanquam necessarium effectum cohærere. Et sic alibi affirmat, fidem quâ justificamur, efficacem esse per charitatem: Gal.5.v.6.

Fedus gratiæ. Vocatio gentium. 15 Ex v.29. & 30. Etsi fedus gratiæ olim cum Abrahamo ac posteris illius pactum fuit: tamen Christo exhibito ad reliquas quoque gentes pertinet: quippe quæ ad illius communionem vocari debuerunt secundùm promissiones Abrahamo factas. Id quod pertinet ad consolationem nostri, qui non ex Judæis, sed Gentibus oriundi sumus: ut qui sciamus, fedus illud gratiæ ad nos quoque pertinere, dum modò stipulatam in federe fidem præstemus: id est, in Christum federis mediatorem credamus, & integrè coram Deo ambulemus. Confer Ephes.2.v.11. & deinceps.

Doctrina de justificatione fidei. 16 Ex v.31. Doctrina Evangelii de justificatione per solam fidem, non abolet Legem: sed potiùs stabilit: idque variis modis. Ac primùm quidem, quia Evangelium testatur, per Christum esse impleta quæ per Legis cærimonias fuerunt præfigurata *a*: deinde, quia testatur, Christum Legi pro nobis satisfecisse, quatenus maledictionem, quam nos Legis transgressione sumus meriti, ipse sustinuit *b*: tum verò etiam, quia illa demum erga Legem obedientia (quantumvis imperfecta) Deo placet, quæ ex vera in Christum fide, atque adeò à justificatis fide proficiscitur *c*. Hinc convincitur error Antinomorum, qui doctrinam Legis ex ecclesia exterminandam putant. Manet enim lex moralis perpetua regula vitæ justificatorum ex fide.

a Coloss.2.17. Heb.10 1.
b Gal.3.13.
c Hebr.1.11. v.4.& 6.

ANALYSIS CAP. IV.

Argumentum.

In hoc capite plura argumenta ab Apoſtolo afferuntur, ad do-
ctrinam de juſtificatione (ſuperioris capitis verſiculo 28. conclu-
ſam) ſtabiliendum: quorum primum ac præcipuum eſt ab exem-
1. *plo Abrahæ, hoc eſt, à pari collatione Abrahæ tanquam patris,*
cum reliquis benedicendis ſeu ſalvandis, tanquam filiis: quippe
quum unâ eâdemq́ ratione juſtificentur pater & filii: at pater
Abraham fide juſtificatus fuit. Ergo pari ratione & filios Abra-
hæ, hoc eſt, cæteros benedicendos Abrahamum ſecutos, juſtifica-
ri oportet. Et ſic declarat, quod ſuperiore capite v. 21. dixit, juſti-
tiam Dei, id eſt, juſtitiam fidei, quam Deus per fidem imputat,
comprobatam eſſe teſtimonio Legis & prophetarum. Exemplum
enim Abrahæ petitum eſt ex Lege, videlicet libro primo Moſis,
cui verſ. 6. adjungit teſtimonium prophetæ David, ad eandem
2. *doctrinam confirmandum. Simul autem docet, juſtitiam fidei*
3. *non ad ſolos Judæos, ſed etiã ad Gentes pertinere, ibidemq́ circum-*
4. *ciſionis uſum declarat, v. 9. & deinceps. Tum aliud argumen-*
tum pro juſtitia fidei affert, ex natura promiſſæ hæreditatis, v. 13.
5. *& deinceps. Poſtea fidem Abrahæ commendat, v. 18. & deinceps.*
6. *Poſtremò exemplum Abrahæ ad ſe & Romanos accommodat:*
& fidem juſtificantem è ſubjectis occupantibus declarat, v. 23.
uſque ad finem capitis.

De Prima Particula.

QUID igitur dicemus Abraham patrem noſtrum nactum eſſe ſecundùm carnem?

2 Nam ſi Abraham ex operibus juſtificatus fuit, habet quòd glorietur: at non apud Deum.

3 Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam.

4 Atqui ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, ſed *datur* ex debito:

5 Ei verò qui non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium, imputatur fides ſua ad juſtitiam.

AD exemplum Abrahæ tranſit Apoſtolus per corollarium. nam ex doctrinâ juſtificationis jam demonſtratâ & concluſâ infert: Abrahamum (quem ſcilicet Judæi tanquam ex operibus juſtificatum, doctrinæ Apoſtoli opponebant) nihil adeptum eſſe ſecundùm carnem, hoc eſt, nullam coram Deo gloriandi materiam adeptum eſſe ex operibus Legis, quæ in carnales oculos incurrunt, & carnali ſeu naturali judicio approbantur. Hanc ſententiam v. 2. illuſtrat prolepſi: nam Judæi poterant objicere, Abrahamum ex operibus adeptum eſſe laudem juſtitiæ. Reſpondet Apoſtolus per diſtinctionem: fatetur enim, Abrahamum ex operibus adeptum eſſe laudem juſtitiæ apud homines: negat autem, eum adeptum illam laudem apud Deum. Tum v. 3. reſponſionem ſuam confirmat à contrario: & iſtud argumentum comprobat teſtimonio Moſis Gen. 15. v. 6. Abraham, inquit, teſte Moſe, adeptus eſt laudem juſtitiæ apud Deum, per imputationem: non igitur ex operibus. Iſtud autem argumentum hoc ſyllogiſmo concludit:

Quod datur pro operibus, id non imputatur ex gratiâ.
Atqui juſtitiæ laus imputata fuit Abrahamo ex gratiâ.
Ergo juſtitiæ laus non fuit data Abrahamo pro operibus.

Hujus ſyllogiſmi concluſio præcedit verſ. 2. deinde additur aſſumtio v. 3. Poſtremò annectitur propoſitio v. 4. Aſſumtionem confirmat teſtimonio Moſis. Propoſitionem verò illuſtrat antitheſi contrariorum, v. 4. & 5.

De Secunda Particula.

6 Sicut etiam David dicit, beatificationem *eſſe* ejus hominis, cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus; *dicens,*

7 Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata:

8 Beatus vir, cui non imputârit Dominus peccatum.

Occaſione teſtimonii Moſaici de juſtitiâ imputatâ Abrahamo, annectit ſimile dictum Davidis è Pſalm. 32. ad confirmandum propoſitum principale de juſtificatione fidei: unde exſiſtit tale enthymema: Quibus non imputantur peccata, beati ſunt: ergo etiam juſti. Argumentum eſt ab effectu: nam juſtitia eſt cauſa ſine qua nemo poteſt eſſe aut fieri beatus. Antecedens probatur teſtimonio Davidis.

De Tertia Particula.

9 Iſta igitur beatificatio, in circumciſionem *ſolùm,* an & in præputium *cadit?* Dicimus enim, imputatam fuiſſe Abrahæ fidem ad juſtitiam.

10 Quomodo ergo imputata eſt? quum eſſet in circumciſione, an *quum eſſet* in præputio? Non in circumciſione, ſed in præputio.

11 Et ſignum accepit circumciſionis *in* ſigillum juſtitiæ fidei, receptæ in præputio: ut eſſet pater omnium credentium in præputio, ut imputetur etiam ipſis juſtitia:

12 Et pater circumciſionis, iis *videlicet* qui non ſolùm ſunt ex circumciſione, ſed qui etiam incedunt veſtigiis fidei patris noſtri Abrahami, quæ fuit in præputio.

Interſerit quæſtionem de proprio juſtitiæ imputativæ ſubjecto: hoc eſt, quibus hominibus juſtitia per fidem imputetur: num ſolis circumciſis ſeu Judæis, an verò etiam incircumciſis, ſeu reliquis gentibus? Hæc quæſtio videtur per prolepſin adjungi, propter exemplum Abrahami quod præceſſit: quod Judæi poterant ita interpretari, quaſi ea juſtitiæ ratio, quam Scriptura prædicat de Abrahamo, pertinebat ad ſolos circumciſos, id eſt, Judæos: eò quòd illi ſoli ex Abrahamo erant orti ſecundùm carnem. Apoſtolus igitur in exemplo Abrahami demonſtrat è temporis circumſtantiâ, juſtitiam illam fidei imputativam, communem eſſe incircumciſorum & circumciſorũ: quippe quòd Abrahamo nondum-circumciſo fides ſua pro juſtitia imputata ſit. Syllogiſmus formari poteſt ad hunc modum:

Si juſtitia imputaretur tantummodò credentibus circumciſis: non fuiſſet imputata Abrahæ credenti nondum-circumciſo.
Atqui juſtitia fuit imputata Abrahæ credenti nondum-circumciſo.
Ergo juſtitia non imputatur ſolis circumciſis credentibus: & per conſequens, imputatur etiam incircumciſis.

Sententia concluſionis præcedit hoc verſu, ſub forma quæſtionis, illuſtrata oppoſitione objectionis contrariæ. Aſſumtio ſequitur v. 10 exornata dialogiſmo & communicatione rhetoricâ. Porrò ad aſſumtionis intelligentiam & confirmationem ſciendum eſt, juſtitiæ teſtimonium datum fuiſſe Abrahæ ante natum Iſmaëlem, ut liquet ex collatione cap. 15. Gen. & cap. 16. Nam teſtimonium juſtitiæ Abrahamo datum, exſtat Gen. 15. 6. quo ipſo tempore liberis adhuc carebat: ſicut ibidem ipſe conqueritur verſ. 2. Iſmaël autem poſtea demum natus eſt, anno ætatis Abrahæ octogeſimoſexto, ut habetur Geneſ. 16. v. ult. Circumciſio verò inſtituta demum fuit anno ætatis Abrahæ nonageſimonono, ut intelligitur ex cap. 17. ex collatione verſiculi primi & decimi. Ex quibus omnibus perſpicitur, juſtitiæ fidei teſtimonium Abrahamo datum fuiſſe plus quàm tredecim annis ante circumciſionem inſtitutam. Quod ipſum quoq; manifeſtè colligitur ex collatione verſiculi 24. & 25. ejuſdem cap. 17. ubi Abraham narratur circumciſus eſſe anno ætatis 99; Iſmaël autem, anno ætatis 13. Eodem autem die circumciſi ſunt: ut habetur ibid. v. 23. Quum ergo ante Iſmaëlem natum, illud juſtitiæ teſtimonium adeptus ſit Abraham: neceſſe eſt ut plus quàm tredecim annis ante circumciſionem teſtimonium illud ſit adeptus. Cæterùm aſſumtionem ſyllogiſmi propoſiti amplificat Apoſtolus prolepſi, v. 11. ubi circumciſionis uſum exponit. OBJECTIO: Si Abraham fuit juſtificatus, antequam eſſet circumciſus: cur igitur fuit circumciſus? Apoſtolus affert duas cauſas: unam, ut juſtitia Abrahami ipſi obſignaretur: alteram, ut ipſe fieret pater omnium credentium, nempe tum circumciſorum, tum incircumciſorum. quæ poſterior cauſa ſimul pertinet ad confirmandum ſententiam ab Apoſtolo propoſitam, de iis ad quos juſtificatio fidei pertineat.

De Quarta Particula.

13 Non enim per Legem promiſſio *data eſt* Abrahæ, & ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi: ſed per juſtitiam fidei.

14 Etenim ſi ii qui ex Lege *ſunt,* hæredes *ſunt,* inanis facta eſt fides, & vana reddita eſt illa promiſſio.

15 Nam Lex iram efficit: ubi enim non eſt lex, ibi nec transgreſſio *eſt.*

Annectit aliud argumentum ad probandum propoſitum principale, videl. hominem juſtificari fide: quia ſcil. fide conſequatur hæreditatem vitæ æternę. quod argumentum ab effecto eſt. nam juſtitia eſt cauſa ſine qua nemo vitam æternam poteſt conſequi. Hoc argumentum tractat in exemplo ſpeciali Abrahæ, tanquam patris ſalvandorum poſt-ſecutorum: & confirmat ipſum à forma promiſſionis Dei, tanquam cauſa efficiente vitæ æternæ. Etenim vitam æternam nemo poteſt aliâ ratione conſequi, quàm quâ ratione à Deo promiſſa eſt: pendet enim illa à voluntate Dei promittentis. Atqui Deus promiſit vitam æternam Abrahamo & ejus ſemini, id eſt, poſteris, non per Legem, hoc eſt, conditione implendæ Legis: ſi ſcilicet cùm ipſe Abraham, tum ejus poſteri implerent legem Dei, hoc eſt, facerent omnia quæ Deus in Lege præcipit: ſed conditione fidei, hoc eſt, ſi crederent Deo promittenti. Ergo quicunque vitam æternam conſequuntur, conſequuntur eam fide, non autem obſervatione Legis. Hujus demonſtrationis ſyllogiſmus principalis, hic eſt:

Qua ratione promiſſa eſt ſalus, eâdem obtinetur.
At promiſſa eſt non implenti Legem, ſed credenti.
Ergo etiam obtinetur fide, non per Legem.

Aſſum-

Assumtionis partem priorem confirmat v.14. ab effecto, id est, à consequente absurdo, ad hunc modum:

Si salus promissa esset sub conditione implendæ Legis: tum fides, qua promissioni crederetur, fieret inanis: ac proinde vana quoq; redderetur Dei promissio.
At promissio Dei vana reddi non potest.
Ergo salus non est promissa sub conditione Legis.

Hujus syllogismi propositionem confirmat à contrario, v.15.

Quod efficit iram Dei, id tollit Dei gratiam.
Atqui Lex efficit iram Dei.
Ergo Lex tollit Dei gratiam: & per consequens, si promissio gratiæ esset facta sub conditione Legis: tolleretur & evanesceret.

Hujus syllogismi assumtionem probat ab adjuncto:

Transgressio legis Dei efficit iram Dei.
At lex lata naturæ corruptæ, necessariò secum trahit transgressionem sui. Ergo Lex lata naturæ corruptæ, necessariò efficit iram Dei.

Loco assumtionis ponit ejus probationem à contrario: nam sicut ubi non est lex, ibi nec transgressio est: ita contrà ubi est lex (intellige, proposita naturæ corruptæ) ibi necessariò est transgressio.

16 Propterea ex fide *est hæreditas*, ut *sit* per gratiam, ut firma sit promissio toti semini, *id est*, non solùm ei quod *est* ex Lege, verùm etiam ei quod *est* ex fide Abrahami, qui est pater omnium nostrûm:

17 (Sicut scriptum est, Patrem multarum gentium constitui te) coram eo cui credidit, Deo *videlicet*, vivificante mortuos, & vocante quæ non sunt, tanquam sint.

Infert conclusionem syllogismi principalis, & inserit alia duo argumenta: quorum utrumque sumtum est à fine seu scopo Dei salvantis, videlicet gloria tum gratuiti favoris ac benevolentiæ, tum constantiæ in servandis promissis. Porrò promissionem Abrahæ factam de hæreditate danda semini ipsius, illustrat distributione. Distribuit enim semen Abrahæ, cui promissio gratiæ facta est, in duo genera: alterum eorum qui crediderunt sub Lege, alterum eorum qui crediderunt post Legis cærimonias jam abolitas. Tum hanc distributionem confirmat v.17. testimonio Mosis: & præterea fidem Abrahæ (cujus nimirum similitudine semen Abrahæ censetur) declarat è subjecto, id est, Deo cui ille credidit: è cujus effectis declarat, quomodo Abraham factus sit pater utriusque seminis: quia scilicet Deus vivificarit quasi mortuos, Abrahamum & Saram, largiendo illis jam decrepitis facultatem procreandi promissum Isaacum, unde nasciturus erat suo tempore Christus: & quia gentes reliquas, quæ tum non censebantur in populo Dei, ad populum Dei aggregârit: donando scilicet illis fidem in Christum jam exhibitum, per prædicationem Evangelii.

DE QUINTA PARTICULA.

18 Qui *Abraham* contra spem sub spe credidit, fore ut ipse fieret pater multarum gentium, secundùm id quod *ei* dictum fuerat, Ita erit semen tuum.

19 Ac minimè debilis fide, non consideravit suum ipsius corpus jam emortuum, quum centum circiter natus esset annos, nec emortuum uterum Saræ.

20 Ad hanc promissionem autem Dei non disceptavit incredulitate: sed corroboratus est fide, tributâ gloriâ Deo:

21 Ac plenè persuasum habens, *eum* quod promiserat, posse etiam facere.

22 Quapropter etiam *hoc* imputatum est ei ad justitiam.

Quoniam mentionem fecit potentiæ Dei in fœcundandis Abrahamo & Sara, itemque in vocandis Gentibus: hac occasione deinceps describit firmitudinem fidei Abrahæ: quæ scilicet nixa fuit illâ Dei potentiâ. Fidem autem Abrahæ declarat primùm è subjecto, videlicet promissione Dei cui credidit, vers.18. Deinde v.19. firmitudinem fidei Abrahæ declarat è causa corrumpente, seu è causa contrarii, nempe imbecillitatis: videl. impotentiâ naturali ad procreandum, tum in ipso, tum in uxore. Postea v.20. illustrat fidem Abrahæ, partim ex effecto contrarii, videlicet disceptatione quæ oritur ex incredulitate: partim è subjecto occupante, videlicet Deo cui credidit. quam illustrationem declarat v.21. è subjecti illius adjuncto inhærente, videl. potentiâ. Declarat etiam eo versu firmitudinem fidei Abrahæ, eleganti similitudine à navi quæ plenis velis fertur: quæ similitudo latet in verbo πληροφορηθεὶς. Postremò v.22. ex illa fidei Abrahæ descripione deducit πόρισμα de justificatione Abrahæ.

DE SEXTA PARTICULA.

23 Non scriptum est autem propter eum solum, quòd *hoc* imputatum fuerit ei:

24 Sed etiam propter nos, quibus futurum est ut imputetur, iis *nimirum* qui credunt in eum qui excitavit Jesum Dominum nostrum à mortuis.

25 Qui traditus est propter lapsus nostros, & excitatus est propter justificationem nostri.

Hîc per prolepsin, ex illa conclusione de justificatione Abrahæ deducit conclusionem principalem: & ita exemplum Abrahæ ad se & Romanos accommodat. Nam ne quis cogitaret, Abrahamum quidem fide justificatum fuisse, teste Scripturâ: sed fortasse aliam esse justitiæ rationem in aliis; Apostolus è fine seu scopo Scripturæ demonstrat, alios quoque, qui Deum è Scriptura cognoscere cupiunt, eâdem ratione justificatum iri. Etenim exemplum illud Abrahæ scriptum esse propter nos, qui scilicet Deum è suo verbo cupimus cognoscere. Sed quæri potest, Quomodo illo Abrahæ exemplo Deus per Scripturam nos doceat, nos quoque similiter justificatum iri? Respondeo: Quia Deus alibi in Scriptura docet, se sibi perpetuò esse similem, & præterea summè justum. Est autem justitiæ similiter agere cum similibus. Quum ergo Deus justitiam imputârit Abrahæ per fidem: consequens est, eum aliis quoque similiter credentibus, ut Abraham credidit, similiter justitiam imputaturum. Similiter credentibus, dico: non æqualiter. nam etsi non omnium fides æqualis est fidei Abrahæ, hoc est, tam firma, sed multorum sæpe valde infirma atque exigua: tamen si modò fides nostra similis sit fidei Abrahæ, hoc est, nitatur potentiâ & veritate promittentis Dei: hoc ad justitiam & salutem sufficit. Porrò vers.24. fidem justificantem apertissimè declarat è subjectis occupantibus: videlicet è potentia Dei patris, quam exseruit in excitatione Christi à mortuis, & ipsius Christi tum morte, tum resurrectione; Per quarum illam justitia nobis parta est: per hanc verò in lucem producta, & evidenter demonstrata.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Secundùm carnem] κατὰ σάρκα. *Hanc particulam pendere à verbo* εὑρηκέναι, *& exponendam esse*, ex operibus: *non solùm liquet ex plana verborum collocatione, sed etiam ex collatione versiculi sequentis, ubi Apostolus ipse sic exponit. quod enim hîc dicit,* κατὰ σάρκα, *ibi dicit,* ἐξ ἔργων.

2 Nam si Abraham ex operibus justificatus fuit] *Ut scil. opponere mihi aliquis posset, & ut verum est. Continetur enim his verbis prolepsis seu occupatio, cui servit conjunctio* γὰρ. *Objectio est contra sententiam versiculi præcedentis, Negas Abrahamum quicquam adeptum secundùm carnem, id est, ex operibus? At est adeptus laudem justitiæ. Respondet Apostolus per distinctionem: Fateor Abrahamum ex operibus adeptum laudem justitiæ apud homines: at nego adeptum illam laudem apud Deum.* Quod glorietur] καύχημα. *quasi dicas, gloriandi materiam.* At non] ἀλλ' οὐ. *Videri possit, his verbis contineri assumtionem syllogismi connexi, cujus præcesserit propositio: ut concludatur, Abrahamum non fuisse justificatum ex operibus. Sic cohæreret hic versiculus cum superiore per ætiologiam, non autem per prolepsin. sed si hæc esset mens Apostoli, sic verba collocasset:* εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα πρὸς τὸν Θεόν. ἀλλ' οὐκ ἔχει. *Id est, Si enim Abraham ex operibus justificatus fuit, habet quod glorietur apud Deum. At non habet. Præterea hæc cum præcedentibus cohærere per prolepsin, satis liquet attendenti. Apostolus enim suâ interrogatione innuerat, Abrahamum nihil adeptum esse secundùm carnem: quod quoniam indefinitè dictum erat, poterat ei objici laus justitiæ quam Abraham adeptus erat apud homines. De ista igitur laude hîc respondet, eamq; Abrahamo concedit.* Ad justitiam] εἰς δικαιοσύνην. *Hac phrasi notatur finis vel effectum fidei imputatæ, quanquam est hypallage: nam propriè loquendo imputavit ei justitiam per fidem: sicut Apostolus loquitur v.6. & 11.*

4 Non imputatur ex gratia, sed *datur* ex debito] οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα. *Concisa &* ἐλλειπτικὴ *oratio: pro eo quod plenè diceretur,* οὐ λογίζεται, τουτέστιν, οὐ δίδοται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα. *hoc est, Non imputatur, id est, non datur ex gratia, sed ex debito. Nam certè ex debito non dicitur quippiam imputari: cùm imputatio sit rei quæ non debetur: Quare in versione interposui supplementum ad hunc modum:* Sed datur *ex debito. ut intelligatur, verbum* imputatur *non esse repetendum* ἀπὸ κοινοῦ. *Vim autem præsentis argumenti sitam esse in verbo imputandi, liquet ex collatione tum præcedentis versiculi, tum sequentis. Sic enim argumentatur Paulus:*

Ei qui operibus meretur, merces non imputatur, v.4.
Atqui Abrahamo justitia fuit imputata, nempe per fidem, vers.3.
Ergo Abrahamus justitiam non est meritus operibus.

Quanquam verum est, hoc argumentum illustrari ex natura contrariorum: imputationi enim gratuitæ opponit redditionem mercedis ex debito.

6 Dicit beatificationem *esse* ejus hominis cui &c.] λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου ᾧ. *id est, Dicit, beatum esse eum hominem cui &c.*

7 Beati] μακάριοι. *Subaudi,* εἰσί, *sunt. In hoc enuntiato & sequente v.8. ordo partium inversus est ex consuetudine Hebræorum. Sic Psal.1.1.*

8 Beatus vir] μακάριος ἀνήρ. subaudi ἐστὶν, est. Non] οὐ μή. Gemina negatio apud Græcos fortius negat.

9 Beatificatio] μακαρισμός. Hoc verbum theologicis auribus æquè tolerabile esse debet atque justificationis nomen. Neque verò hoc referendum est ad pronuntiationem Davidis, qua is beatos esse pronuntiat: sed ad beandi rationem, qua Deus homines beat. Quippe sic cohærent hæc verba cum verbis versiculi septimi, ὁ μακαρισμὸς ἐν οὗτος, scilicet ὃν λέγει ὁ Δαβίδ. Id est, Beatificatio igitur hæc: scilicet, quam exponit David. In circumcisionem solùm] ἐπὶ τὴν περιτομήν. Exsequitur hîc Apostolus quod proposuerat sup. cap. 3. vers. 21. nempe justitiam Dei, qua justificamur, comprobatam esse testimonio Legis & prophetarum. Nam in hoc capite primùm tractat exemplum Abrahami, quod sumtum est ex Lege, id est, libris Mosis, nempe libro primo seu Gen. deinde v. 6. interserit testimonia ex psalmis prophetæ David usque ad v. 10. ubi ad exemplum Abrahami redit. Porrò vis exempli Abrahæ consistit in collatione parium. Argumentatur enim à pari collatione Abrahami tanquam patris, cum reliquis benedicendis seu salvandis, tanquam filiis, quippe quòd unâ eâdemque ratione justificentur pater & filii. Fidem] ἡ πίστις. nempe ἡ αὐτοῦ. id est, fidem ipsius.

10 Quomodo] πῶς. Id est, quo statu Abrahami: ut intelligitur ex sequentibus.

11 Signum circumcisionis] σημεῖον περιτομῆς. Genitivus speciei, id est, notans speciem. Sententia est, Accepit circumcisionem tanquam signum fœderis. Et ita Syrus: Signum enim accepit ipsam circumcisionem. Vide Gen 17. In sigillum] σφραγῖδα. subaudienda est præpositio εἰς, quæ causam finalem notat.

12 Sed qui etiam incedunt] ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι. Redundat articulus τοῖς: quia conjunctio καὶ cohæret cum participio στοιχοῦσι: quod pendet ab articulo τοῖς membri præcedentis. quasi dicatur: τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον οὖσιν, ἀλλὰ καὶ στοιχοῦσι. Qui incedunt vestigiis fidei] στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι τῆς πίστεως. id est, Qui incedunt fide tanquam vestigiis, hoc est, qui imitantur fidem Abrahæ, atque ita quasi vestigiis ejus incedunt, credentes ad illius exemplum. Similis syntaxis ut versu superiore: nisi quòd hîc vocabulum generis per metaphoram accipitur. nam vestigiorum metaphora, tanquam genus ad plures species accommodari potest: ut si dicas, vestigia virtutis, vitii, sapientiæ, doctrinæ.

13 Non enim per legem &c.] οὐ γὰρ διὰ νόμου &c. Hæc sententia non cohæret cum proxime-præcedente, sed cum sententia versus tertii & sexti. Data est] Puto supplendum verbum δέδοται, data est, vel, γέγονε, facta est. nam quod sequitur, τὸ κληρονόμον εἶναι, ut hæres esset, nihil vetat exponi per enallagen. quasi dixisset Apostolus, τὸ κληρονόμον ἔσεσθαι, hæredem fore. Reperiuntur enim passim hujus enallages exempla. Ac mihi quidem hîc tanquam simplex & genuina arridet sententia eorum, qui mundi nomine intelligunt hæreditatem cælestem, per possessionem terræ Chanaan tanquam præstantissimæ mundi partis olim adumbratam. Quare censeo, verba hujus versiculi, Ut hæres esset mundi, & verba vers. seq. Si ii qui ex Lege sunt, hæredes sunt; ad eundem modum esse exponenda: quippe cùm istæ sententiæ manifestè cohæreant, tanquam propositio & ejus ratio. Propositio est, Abraham & semen ejus non est hæres mundi per Legem. Ratio: Nam si illi essent hæredes mundi per Legem, tum inanita esset fides & abolita promissio. Ad eundem modum paulo-pòst loquitur in conclusione vers. 16. inquiens, Propterea ex fide est hæreditas. nempe hæreditas cælestis seu vita æterna. de hac enim Apostolum loqui dubium videri non debet, & tota hæc de justificatione disputatio id satis ostendit. Mundi] τοῦ κόσμου. id est, vita æterna per terram Chanaan optimam mundi partem olim adumbrata. Synecdoche integri, & metonymia adjuncti. Confer cum his Apostoli verbis verba Stephani Actor. 7. v. 5. Illic enim meminit Stephanus hujus promissionis, cujus hoc loco Paulus: & utitur verbo δοῦναι pro δώσειν: quemadmodum hoc loco Paulus utitur verbo εἶναι pro ἔσεσθαι. Sed per justitiam fidei] ἀλλὰ διὰ δικαιοσύνης πίστεως. Ex hac antithesi intelligitur, illud in principio versus, διὰ νόμου, id est, per Legem, idem valere atque διὰ δικαιοσύνης νόμου. per justitiam Legis, hoc est, τῆς ἐκ νόμου, quæ est ex Lege, scil. præstita: ut loquitur infrà cap. 10. v. 5. item Phil. 3. v. 9.

14 Ii qui ex Lege sunt] οἱ ἐκ νόμου. Supple ὄντες. Hæredes sunt] κληρονόμοι. Supple εἰσί. Hæredes autem, nempe mundi, id est, vitæ æternæ, ut intelligitur ex collatione versiculi præcedentis. Vana reddita est] κατήργηται. Abolita est, antiquata est, vel inefficax reddita est. Illa promissio] ἡ ἐπαγγελία. nempe hæreditatis. quod notat articulus.

15 Iram] ὀργήν. Id est, damnationem seu pœnam. Metonymia efficientis metaphorica. Videtur enim Deus irasci, cùm punit. Iram efficit] ὀργὴν κατεργάζεται. Scil. non per se, sed per accidens: videlicet quatenus transgressione violatur. sicut declaratur verbis sequentibus. Ubi] οὗ. Sic rectiùs, quàm (ut alii) Cujus. Non enim dicitur esse transgressio ejus, cujus est lex, sed transgressio legis, παράβασις τοῦ νόμου. Nec dicitur esse lex alicujus, pro eo, quod est, lex de aliqua re. Syrus consimili ratione adhibuit adverbium temporis כַּד cad, id est, quum. Confer infr. 5. v. 20. οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία &c. ubi Syrus similiter habet כַּד cad, & ibidem in consequente enuntiati supplet תַּמָּן tammán, id est, ibi.

16 Toti semini] παντὶ τῷ σπέρματι. nempe τῷ τοῦ Ἀβραάμ. id est, Abrahæ, hoc est, omnibus posteris seu filiis Abrahæ, nempe omnibus credentibus. Metonymia materiæ, & metaphora. Id est, non solùm] Sequitur distributio integri in membra, vel etiam generis in species. Ex fide Abraham] ἐκ πίστεως Ἀβραάμ. scil. solùm, μόνον: non autem simul ex Lege: quales erant credentes Judæi. Sententia est, Verùm etiam semini quod incedit vestigiis fidei Abrahæ, id est, credit, sicut Abraham credidit, etiamsi non sit subjectum cærimoniis legis Mosaicæ.

17 Coram eo cui credidit] κατέναντι οὗ ἐπίστευσε. pro, κατέναντι ἐκείνου ᾧ ἐπίστευσε. Vivificante mortuos] τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκρούς. Hoc declarat Apostolus in sequentibus per fœcundationem emortuorum corporum Abrahæ & Saræ. Vocante quæ non sunt, tanquam sint] καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα. Videtur Apostolus respicere ad verba Dei quæ ex Osea recitat infrà cap. 9. vers. 25. & 26. Videtur quoque simul respicere ad creationem lucis, quam Deus vocavit & splendescere jussit è tenebris, Genes. 1. v. 3. Confer 2. Cor. 4. v. 6.

18 Contra spem sub spe] παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι. Elegans antanaclasis propter speciem contradictionis. nam hæc dicuntur πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο. Contra spem, scilicet quam concipere poterat ex consideratione naturæ rerum: cùm scil. ipsius corpus jam esset effœtum, atque etiam uterus uxoris: ut declaratur vers. sequente. Sub spe] Scilicet quam concipiebat ex consideratione potentiæ Dei: ut qui posset vivificare mortuos, atque effœtos ac steriles fœcundare. Similiter laudatur fides Abrahæ Heb. 11. v. 19. quòd videl. crediderit, Deum posse etiam ex cineribus Isaacum immolatum in vitam reducere. Syrus, in spem, hoc est, in promissionem. Metonymia efficientis. Fore ut ipse fieret] εἰς τὸ γενέσθαι. Erasm. se fore. quod etsi non respondet Græcis, tamen mentem Apostoli videtur exprimere. Non enim credidit Abraham hoc consilio ut fieret pater multarum gentium, id quod Græca verba innuunt: sed credidit eventurum ut ipse fieret pater multarum gentium: credidit enim huic promissioni Dei, Patrem multarum gentium constitui te. Item isti quam hîc subjungit Apostolus. Ita] οὕτως. Nempe ut sunt stellæ cæli. Jusserat enim illum Dominus intueri cælum & numerare stellas, Gen. 15. v. 5.

19 Nec] οὐ. Negandi adverbium repetendum est ex præcedente membro, pro consuetudine Hebræorum: vel potiùs negandi adverbium unà cum verbo, nempe οὐ κατενόησε. Emortuum uterum] τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας. Ad verbum, Mortificationem uteri. id est, sterilitatem. Plinius uterum mulieribus tribuit, vulvam cæteris animalibus, lib. 11. c. 37. Saræ] Σάῤῥας. Græci delectantur geminatione literæ caninæ: à qua Hebræi abhorrent. Ita dicunt, ἐπίῤῥημα, pro, ἐπίρημα. Item ἀῤῥωσία, pro, ἀρωσία &c.

21 Plenè persuasum habens] πληροφορηθείς. Plenè persuasus, vel persuasissimum habens, ut loquitur Columella lib. 12. cap. 1. vel persuasionis plenus. quemadmodũ loquitur Suetonius in Tiberio; Persuasionisque plenus, cuncta fato agi. Videtur autem propriè dici πληροφορεῖσθαι is, qui quasi plenis velis, sic fiduciâ suâ fertur ad eam rem qua confidit: ut sit metaphora à navibus. Nec placet conjectura Roberti Constantini, cui videtur hoc verbum in tertia syllaba scribendum per ω; quasi sit ἀπὸ τοῦ φωρᾶν; id est, comperire, deprehendere. Nam præterquam quòd non dicitur πληροφωρᾶσθαι, sed, πληροφορεῖσθαι, constanter scribitur per ο μικρὸν. ut taceam, quòd φωρᾶν propriè significat, in furto deprehendere. à nomine φώριον, furtum, & φώρ, fur. quæ significatio hîc inepta est. Quod promiserat] ὃ ἐπήγγελται. Vox passiva significationem habens activam, Græcismus. Sic apud Libanium in argumento primæ Olynthiacæ, διείλεκται ὁ ῥήτωρ: differit orator. Posse] δυνατός ἐστι. Græcum ἐμφατικώτερον est.

24 Qui excitavit Jesum &c.] Id est, qui excitando Jesum sponsorem nostrum à mortuis, eo ipso demonstravit, sibi per mortem illius pro nobis esse satisfactum, seque nobis esse reconciliatum: ac proinde se nos justificare, id est, peccata nobis remisisse ac ab illis absolvere. Hinc versu sequente dicit, Jesum excitatum esse propter justificationem nostri. Simul autem respicit ad potentiam Dei quam in Christo excitando exseruit: atque ita applicat hanc sententiam ad exemplum Abrahæ, cujus fidem laudaverat inprimis ex eo, quòd Deo dedisset laudem potentiæ.

25 Qui traditus est] ὃς παρεδόθη. Scil. in mortem. idque à Deo patre: infrà cap. 8. v. 32. Propter lapsus nostros] διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν. Id est, propter peccata nostra, scil. expianda. Propter justificationem nostri] διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν. Scil. in lucem proferendam seu demonstrandam. Nisi enim Christus sua morte peccata nostra expiasset, ac justificationem nobis impetrasset: resurgere ex morte ad vitam æternam non potuisset.

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex v. 1. & 2. Non statim justus est coram Deo, qui justitiæ laudem meretur apud homines. Cujus rei causa est, quòd homines contenti sunt specie externa: at Deus intimos cordis affectus requirit. Huc pertinet illud Pauli 1. Cor. 4. v. 4. Nullius rei mihi conscius sum: sed non per hoc justificatus sum. Item ea quæ de externâ suâ justitiâ narrat Philip. 3. v. 4. & deinceps. *Justitia coram Deo.*

2 Ex v. 4. & deinceps usque ad 12. Observandæ sunt hoc loco phrases æquipollentes de justitiâ imputativâ: nempe quòd dicitur imputari fides in justitiam, v. 3. 5. 9. 10. Item dicitur imputari *De justitia imputativa phrases æquipollentes.*

justitia,

justitia, scil. per fidem, v. 6. & 11. Item pro eodem dicitur, *remitti iniquitates, obtegi peccata, non imputari peccata*: ut planum est ex collatione versiculi septimi cum sexto. Quum enim v. 6. dixisset, *à Davide beatum pronuntiari eum hominem cui Deus imputat justitiam*: illud probaturus verbis Davidis, mox adducit verba illa ex Psal. 32. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* unde percipitur, hæc verba idem valere, ac si diceretur: Beati quibus imputata est justitia. Similiter pro æquipollentibus usurpantur Luc. 18. v. 13. & 14. ista duo: Deum esse propitium peccatori (quod nihil aliud est quàm peccata illi remittere) & justificari. Quum enim Christus commemorasset verba publicani precantis Deum, nempe, *Propitius esto mihi peccatori*: continenter admonet, quid illâ prece effecerit, inquiens: *Dico vobis, Descendit iste justificatus &c.* Hæc phrasium illarum æquipollentia ideo diligenter est notanda, quia facit ad confirmandam propositionem syllogismi demonstrativi, quo demonstratur, Rem illam quæ nobis ad justitiam imputatur, esse solam satisfactionem seu obedientiam Christi patientis pro nobis, & quidem potissimùm cruciatus infernales. Syllogismus autem quem dicimus, est hic:

In quo peccata nostra sunt expiata, nobisq; remissio illorum à Deo impetrata, est idipsum quod nobis ad justitiam à Deo imputatur.

At sola obedientia patientis pro nobis Christi, est id à quo peccata nostra expiata sunt, nobisq; remissio illorum à Deo impetrata.

Ergo sola obedientia patientis pro nobis Christi, est id quod nobis ad justitiam à Deo imputatur.

Hujus, inquam, syllogismi propositio confirmatur ex illa æquipollentia phrasium Pauli, qua imputationem justitiæ & remissionem peccatorum pro una eademque re usurpat. unde sequitur: propter quam rem nobis remittuntur peccata, propter eandem imputari nobis justitiam: seu (quod idem valet) eam ipsam nobis ad justitiam imputari. Assumtio autem syllogismi propositi plurimis Scripturæ testimoniis confirmari potest: quæ recitare, non est hujus loci.

Sacramenta. 3 Ex v. 11. Sicut olim circumcisio signum fuit federis gratiæ, & sigillum, quo credentibus obsignata fuit justitia fidei, id est, quo illi certiores sunt redditi, sibi remissa esse peccata propter futuram satisfactionem Christi, ac proinde se habere Deum propitium ac faventem: ita cætera quoque Sacramenta (quæ nominantur) tum Veteris & N. T. signa ejusdem federis ac sigilla ejusdem justitiæ fuerunt & sunt. Etenim res significata omnium Sacramentorum una & eadem est, nempe illud ipsum fedus gratiæ: quæ res in institutione quoque sacræ cænæ apertè indicatur, ubi dicitur: *Hoc poculum est novum istud testamentum seu fedus* (ἡ καινὴ διαθήκη) *in meo sanguine.* id est, est novi illius federis signum. Similiter & finis seu scopus omnium Sacramentorum unus idemque est, videlicet obsignatio justitiæ fidei, (ut hic loquitur Apostolus) quæ vulgò dicitur Fidei confirmatio: & alibi à Paulo, Communio corporis & sanguinis Christi, 1. Cor. 10. v. 16. Sicut autem corpus & sanguis Christi, quorum passione fedus illud gratiæ confirmatum est, non fuerunt inclusa in circumcisione, aut agno paschali, aut sacrificiis expiatoriis Leviticis, aut pane illo cælesti in deserto, aut aquâ illâ profluente ex petra deserti; neque etiam inclusa sunt in aqua Baptismi: pari ratione non sunt inclusa in pane & vino cænæ Domini: & nihilominus tamen cæna Domini signum federis est certissimum, & sigillum justitiæ fidei infallibile, & ex operatione Spiritus sancti efficax in electis ad salutem æternam.

Sacramentorum usus. 4 Ex v. 12. Non est satis, eorundem Sacramentorum cum fidelibus participem esse: sed ad salutarem illorum usum fides cumque necessaria est. Confer 1. Cor. 10. v. 1. & deinceps.

Justificatio fidei. Consolatio contra persecutiones. 5 Ex v. 13. & 14. Qui fide justificati sunt, iidem sunt hæredes vitæ æternæ. Hoc facit ad fidelium consolationem, quùm in hoc mundo propter fidei Christianæ confessionem in exilium pelluntur. Confer Heb. 13. v. 13. & 14.

Vindicatio verborum Pauli, Ubi non est lex, ibi nec transgressio est. 6 Ex v. 15. Occurrendum hic est deductioni consequentis absurdi. nam ex eo quod Apostolus hic dicit, *Ubi non est lex, ibi nec transgressio est*: videri alicui posset, apud Gentes igitur nullam fuisse transgressionem: quippe quum non habuerint Legem, sicut Judæi. At, inquam, etsi Gentes non habuerunt legem Dei scriptam, sicut Judæi: habuerunt tamen legem naturæ seu opus Legis inscriptum cordibus suis, ut Apostolus docuit suprà cap. 2. v. 14. 15. Quam legem multipliciter transgressi sunt: ut prolixè ostensum est capite primo. Judæi autem tantò magis iram Dei transgressione Legis sibi attraxerunt, quantò clariùs in Lege scripta illis patefacta est voluntas Dei.

Refutatio dogmatis de meritis bonorum operum. 7 Ex v. 16. ex verbis, *Ut sit per gratiam.* Quum Deus in justificatione nostri & salutis æternæ adeptione elucere velit suam gratiam: perversè igitur agunt Papistæ, qui merita suorum operum admiscent. Nam si salus contingit per gratiam, non igitur ex operibus: alioquin gratia non esset gratia, infrà cap. 11. v. 6.

Officium hominis Christiani. 8 Ex v. 17. ex verbis, *Deo vivificante mortuos.* Quum tanta sit Dei potentia, ut mortuos vivificet: æquum est ut illi credamus, quoties res secundùm naturam & judicio nostræ rationis impossibiles nobis promittit.

Vocatio gentium. 9 Ex eodem versu, ex verbis, *Vocante qua non sunt, tanquam sint.* In vocatione Gentium consideranda est Dei potentia, quam idem Apostolus considerandam quoque proponit Ephes. 1. v. 19. & 20. & cap. 2. v. 1. & deinceps: item 2. Cor. 4. v. 6. Et Christus Johan. 5. v. 25.

10 Ex v. 16. 19. 20. & 21. Exemplo Abrahæ, firmiter debemus credere Deo promittenti, etiamsi promittat secundùm naturam impossibilia. Simile exemplum ejusdem Abrahæ vide Hebr. 11. v. 17. 18. & 19. itemque in eodem capite alia id genus exempla complura. *Officium hominis Christiani.*

11 Ex v. 21. 22. & 24. Fides justificans & salvifica nititur potentiâ Dei promittentis. *Fides.*

12 Ex v. 23. & 24. Quicquid in scriptura sacra continetur, scriptum est ad usum ecclesiæ militantis perpetuum. Quare officii nostri est, scrutari scripturas, & doctrinam earum sapienter ad nostros usus accommodare. Confer Johan. 5. v. 39. infrà c. 15. v. 4. 2. Tim. 3. v. 15. 16. 17. 2. Pet. 1. v. 16. Jacob. 1. v. 25. *S. scripturæ usus.*

13 Ex v. 23. ex verbis, *Qui traditus est propter lapsus nostros.* Quum Christus à Deo patre traditus sit in mortem ad expiandum nostra peccata: sequitur, peccata nostra per mortem illius expiata esse. Deus enim suo fine nunquam frustratur: sed semper efficit quod efficere sibi proposuit. Notandum est autem, Apostolum loqui generaliter de nostris peccatis: neque vel hic vel alibi usquam excipere aliqua peccata, quæ aliter quàm per mortem Christi expiata sint. Quum autem nulla peccata nobis à Deo remittantur, nisi sint expiata: non est igitur putandum, peccatum originis remitti nobis propter sanctam Christi conceptionem: item peccata quæ vocantur omissionis, remitti nobis propter sanctam Christi vitam. Oporteret enim ista peccata per illas Christi actiones esse expiata: id quod non est: quippe quum omnia nostra peccata expiata sint per solam passionem & mortem Christi. Ad quam sententiam confirmandam, præter hunc locum alia plurima Scripturæ testimonia faciunt: è quibus nonnulla huc annotare haud pigebit. *Justificationis causa meritoria.*

Matth. 20. v. 28. Filius hominis venit ut daret animam suam in redemtionis pretium pro multis.

Matth. 26. v. 28. & Luc. 22. v. 20. Qui sanguis pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.

Johan. 1. v. 29. Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Nota: tollit ut agnus, id est, victima.

Actor. 20. v. 28. Deus acquisivit ecclesiam per proprium sanguinem.

Rom. 3. v. 24. & 25. Justificantur per redemtionem factam in Jesu Christo. quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius.

Rom. 5. v. 9. Justificati igitur ejus sanguine &c. Et mox v. 10. Reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus.

Rom. 8. v. 3. Quod impossibile erat Legi, Deus *fecit*, filio suo misso in similitudine carnis peccato obnoxiæ: & *sacrificio* pro peccato condemnavit peccatum in carne.

Galat. 3. v. 13. Christus redemit nos ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio. Scriptum est enim, Exsecrabilis omnis qui pendet in ligno.

Tit. 2. v. 14. Christus dedit se pro nobis, videlicet in mortem, ut redimeret nos ab omni iniquitate. Nota, Ab omni iniquitate, nullâ exceptâ.

Hebr. 2. v. 14. & 15. Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem: ut per mortem (nota, Per mortem) aboleret eum qui mortis imperium habet, hoc est diabolum: & liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti.

Hebr. 9. v. 12. Per proprium sanguinem (nota, Per sanguinem) ingressus est semel in sacrarium, æternam redemtionem nactus. Et mox vers. 14. Quantò magis sanguis Christi (qui per Spiritum æternum, seipsum obtulit inculpatum Deo) purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus? Et vers. 22. Absque sanguinis effusione non fit remissio. χωρὶς αἱματεκχυσίας. Rursus in eodem capite, v. 26. Christus semel in consummatione sæculorum, ad abolendum peccatum per immolationem sui ipsius, patefactus est.

Heb. 10. v. 10. Quâ voluntate sanctificati sumus (id est, à peccatis purgati) per oblationem corporis Jesu Christi semel factam. Et v. 12. Hic verò (nempe Christus) unâ pro peccatis oblatâ victimâ, in perpetuum, consedit ad dextram Dei. Et rursus vers. 14. Unicâ enim oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur. Item v. 18. Habemus libertatem ingrediendi sacrarium (hoc est, cælum) per sanguinem Jesu.

1. Pet. 1. v. 19. Redemti estis pretioso sanguine, tanquam agni immaculati & incontaminati, Christi. ubi vocabulo *agni* notatur victima.

1. Pet. 2. v. 24. Christus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. nempe super lignum crucis, cui affixus fuit.

1. Pet. 3. v. 18. Christus semel pro peccatis (nempe nostris) passus fuit: justus pro injustis: ut nos ad Deum adduceret.

1. Joh. 1. v. 7. Sanguis Jesu Christi, filii ejus, purgat nos ab omni peccato. Nota, *Ab omni.* Et c. 2. v. 2. Ipse (nempe Christus) est propitiatio pro peccatis nostris. ἱλασμός. quatenus nimirum propositus est à Patre εἰς ἱλαστήριον per fidem in sanguine ipsius: ut loquitur Paulus suprà cap. 3. v. 25.

Cæterùm contra hanc doctrinam objicitur illud infrà c. 5. v. 19. *Objectionum*

quarundam solutio. *Sicut per inobedientiam unius hominis* (videl. Adami) *peccatores constituti sunt multi: ita per obedientiã unius* (videl. Christi) *justi*
1. *constituentur multi.* quasi nimirum Apostolus obedientiæ vocabulo illic comprehendat sanctam Christi vitam. At si sic intelligeret, ipse sibi adversaretur: ut patet ex dictis. quare dictum hoc exponendum est ita, ut cum reliquis ejusdem Apostoli dictis & perpetua ipsius doctrina consentiat: videlicet ut dicamus, eum intelligere obedientiam illam quâ patri obedivit patiendo pro nobis mortem crucis: de quâ eâdem in eâdem quæstione etiam
2. loquitur Heb. 10. v. 5. & deinceps. Objicitur etiam dictum illud Christi Joh. 17. v. 19. *Ego pro eis me sanctifico.* quasi illic loquatur de sancta sua vita. Sed planum est ex toto illo sermone & ex ipsa temporis circumstantia, Christum illic loqui de sanctificatione sui in victimam expiatoriam pro omnibus ipsi à Patre datis, hoc
3. est, electis. Præterea objicitur illud Pauli infrà c. 5. v. 10. *Si quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus: multò magis reconciliati, servabimur per vitam ipsius.* Quasi scil. Paulus illic salutem nostram adscribat sanctæ Christi vitæ. At planum est, Apostolum loqui de vita Christi gloriosa, ad quam resurrexit ex morte: neque aliud velle, quàm Christum salutem nobis morte suâ partam, virtute seu potentiâ suâ in æternum tueri.

Vita æternæ causa meritoria. 14 Porrò hoc loco illud quoq; observandum: sicut per obedientiam Christi patientis pro nobis, parta nobis est remissio peccatorum & liberatio à morte æterna: (sicut dicta paulo-antè commemorata abundè testantur) ita etiam per eandem obedientiam partam nobis esse vitam æternam. Id quod tum ex re ipsa liquet: nam ubi est remissio peccatorum, (sicut rectè Lutherus in sua Catechesi tradit) ibi etiam est vita ac salus: tum verò ex ipsis verbis nonnullorum dictorum, ut Gal. 3. v. 13. & 14. *Christus redemit nos ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio (Scriptum est enim, Exsecrabilis quisquis pendet in ligno) ut in Gentibus benedictio Abrahæ* (hoc est, Abrahæ promissa) *exstet.* At illa benedictio comprehendit vitam æternam, atque adeò de illa potissimùm intelligitur, Heb. 2. v. 9. & 10. *Ut gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum propter quem sunt omnia & per quem sunt omnia, ut multos filios in gloriam adducturus, principem salutis eorum per afflictiones consecraret.* Hîc ex cohærentiâ sententiarum potest colligi, Deum filios suos (id est, electos) in gloriam adducere per mortem filii unigeniti, quam ille pro istis omnibus gustavit. Item Heb. 10. v. 19. *Habemus libertatem ingrediendi in sacrarium, per sanguinem Jesu.* Ecce jus ingrediendi in sacrarium, nempe cælum, hoc est, jus vitæ æternæ nobis partum, adscribit sanguini Christi. Sic 1. Pet. 3. v. 18. *Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis: ut nos ad Deum adduceret.* Quod quid aliud est, quàm ut introduceret nos in cælum ad fruendum vitâ æternâ? Quare non rectè à nonnullis possessio vitæ æternæ, tanquam effectum adscribitur obedientiæ Christi quam Patri præstitit sanctè vivendo secundùm Legem.

Resurrectio Christi quid faciat ad justificationem nostri. 15 Ex eodem versu, ex verbis, *Et excitatus est propter justificationem nostri.* Resurrectio Christi est evidens demonstratio partæ nobis justificationis per mortem Christi. Nisi enim Christus suâ morte pro omnibus nostris peccatis (quæ luenda ut sponsor in se susceperat) plenissimè Deo satisfecisset: resurgere ex morte ad vitam æternam non potuisset. unde Apostolus ait 1. Cor. 15. v. 17. *Si Christus non est excitatus, adhuc estis in peccatis vestris.* Quare resurrectio Christi ad consolationem nostram plurimùm facit.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Hactenus Apostolus demonstravit, hominem justificari fide: deinceps hoc capite justificationem fidei ampliùs declarat & illustrat, partim ex effectis, partim ex oppositis. Posterior pars incipit v. 12.

DE PRIORE PARTE.

JUstificati igitur ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum:

2 Per quem etiam fide adducti fuimus in gratiam hanc: in qua stamus, & gloriamur ob spem gloriæ Dei.

3 Neque *id* solùm, sed etiam gloriamur de afflictionibus; ut qui sciamus quòd afflictio tolerantiam efficiat:

4 Tolerantia verò experientiam, experientia autem spem:

5 Porrò spes non pudefacit: eò quòd charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

6 Christus enim, quum nullis adhuc viribus essemus, suo tempore pro impiis mortuus est.

7 Enimverò vix pro justo quisquam moriatur: nam pro *viro* bono fieri potest, ut aliquis etiam mori sustineat.

8 Commendat autem suam erga nos charitatem Deus *eo*, quòd quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.

9 Multò igitur magis, justificati nunc sanguine ejus, servabimur per eum ab ira illa.

10 Nam si quum inimici essemus, reconciliati fuimus DEO per mortem filii ejus: multò magis reconciliati, servabimur per vitam ipsius.

11 Neque *id* solùm, verùm etiam gloriamur de DEO per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

EFfecta justificationis exponit duo: primùm pacem erga Deum, id est, tranquillitatem conscientiæ, ortam ex notitia reconciliationis cum Deo, v. 1. Deinde spem gloriæ Dei, hoc est, gloriæ cælestis, qua Deus in vita æterna justificatos ornaturus est, v. 2. & deinceps. Prius effectum, videlicet pacem erga Deum, declarat expositione alterius causæ efficientis: quæ est Dominus noster Jesus Christus. Is enim sua morte pro nostris peccatis satisfecit, & ita Deum nobis antea propter peccata iratum reconciliavit. Deinde v. 2. hoc beneficium Christi amplificat collatione beneficii patris: quod est fides in Christum, per quam aditum habuimus in hanc gratiam reconciliationis. Nisi enim fide essemus justificati, non essemus certi de hac pace erga Deum. Præterea fidem illam declarat ex adjuncta perseverantia: ubi ait, nos in hac gratia stare. Atque hæc de priore justificationis effecto. Posterius effectum, videlicet spem gloriæ Dei, amplificat ex effecto, videlicet gloriatione: docens, tantam esse tamque certam eam spem, ut sub ea seu ob eam, id est, ejus vi, gloriemur de futura gloria, non secus ac si eâ jam frueremur. Deinde hanc gloriationem amplificat collatione majoris. Confert enim gloriam futuram cum afflictionibus quæ credentibus eveniunt in hac vita: & ait, nos gloriari etiam in afflictionibus: quod scilicet magis admirandum est, quàm quòd gloriamur ob spem gloriæ. Ne quis autem cogitet, credentes gloriari ob afflictiones per se, quasi illis gauderent tanquam re jucundâ: exponit causam, cur credentes ob afflictiones glorientur: videlicet quia Deus afflictionibus illis utitur ad spem illam gloriæ augendam, id quod hoc sorite demonstrat:

Afflictio efficit patientiam:
Patientia experientiam:
Experientia spem.
Ergo afflictio efficit spem.

Atque ita redit ad spem: ejusque certitudinem innuit ex effecto, quia scilicet spes illa non pudefacit. Deinde spei illius certitudinem atque etiam magnitudinem demonstrat è causa efficiente, videlicet sensu charitatis Dei, qua nimirum Deus nos dilexit in Christo. Tum exponit hujus sensus & fidei causam efficientem: quæ est Spiritus sanctus, qui datus est nobis. Spiritus enim sanctus est is qui testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filii Dei, id est, quòd Deus nos paternè diligat. Postea v. 6. quod dixit de charitate Dei, confirmat ex effecto: quia nimirum in mortem pro nobis dedit Christum, nempe filium suum, ut ait v. 10. Et hoc effectum amplificat ex adjuncto seu circumstantia temporis, per collationem imparium: Christus, inquit, mortuus est pro nobis tunc quum nullis essemus viribus. id est (ut ipse Apostolus exponit) quum essemus impii & peccatores, hoc est, quum nondum in Christum crederemus. quasi dicat, Si quis moreretur pro viro justo ac bono; fatendum certè esset, hanc esse magnam charitatem: ergo longè major fuit charitas quòd filius Dei mortuus est pro nobis injustis & peccatoribus. Hujus enthymematis antecedens ponit v. 7. ubi ait, *Enimverò vix pro justo quisquam moriatur.* quasi dicat, Vix tanta charitas cujusquam hominis erga hominem justum reperitur, ut sustineat pro illo mori: Si quis ergo id facere sustineat: omnes judicant & fatentur, hanc esse raram & eximiam charitatem. Deinde ut charitatem hanc Dei, hac collatione charitatis hominum magis amplificet: repetit quod dixerat de charitatis illius raritate, & eandem sententiam enuntiat dubitando, inquiens, τάχα, id est, forsitan aliquis sustineat pro bono (scilicet viro) mori: quasi dicat: Fieri id quidem potest: at factum unquam esse, exemplum nullum mihi occurrit. Tum vers. 8. repetit quod dixerat v. 5. & 6. de charitate Dei erga nos. Postea v. 9. deducit πόρισμα ex illa, de qua dictum est, temporis circumstantia, per argumentationem à minori. Si, quum essemus adhuc impii, Christus pro nobis mortuus est: ergo multò magis nunc quum simus justificati ejus sanguine, hoc est, justi pronuntiati & absoluti per fidem, qua credimus, sanguinem Christi pro nobis esse effusum: multò magis, inquam, nunc justificati, servabimur per eum ab ira, hoc est, à pœnis & cruciatibus æternis, quibus Deus iratus afficiet impios. Posteà v. 10. hanc argumentationem repetit pleniùs, & tria tribus opponit. 1. Inimicos reconciliatis. 2. Reconciliationem conservationi. 3. Mortem Christi opponit ejusdem vitæ. Harum oppositionum prima, est adversorum: secunda, diversorum: tertia, privantium. Postremò v. 11. gloriationem illam, de qua dixerat v. 3. & quam hactenus declaraverat expositione causarum, ampli-

amplificat collatione majoris: Gloriamur, inquit, non solùm in afflictionibus, sed etiam (quod plus est) in ipso Deo: quem scil. scimus esse nostrum, quippe nobis reconciliatum per Christum. Hactenus de prima capitis parte.

De Posteriore Parte.

12 Propterea sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pervasit, eò quòd omnes peccarunt.

13 Nam usque ad Legem peccatum erat in mundo: peccatum verò non reputatur quum non lex est.

14 Sed *tamen* regnavit mors ab Adam usque ad Mosen, in eos etiam qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam; qui est typus illius qui erat futurus.

15 At non ut lapsus ille, ita etiam *est* donum. nam si illius unius lapsu multi illi mortui sunt: multò magis gratia Dei & donum per gratiam, quæ *est* unius illius hominis Jesu Christi, in multos illos redundavit.

16 Neque ut *illud quod introiit* per unum qui peccavit, *ita est* donum. nam reatus quidem ex uno *lapsu* ad condemnationem: donum autem *est* ex multis lapsibus ad justificationem.

17 Etenim si per unius illius lapsum mors regnavit per illum unum: multò magis *ii* qui redundantiam illius gratiæ & doni justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per illum unum Jesum Christum.

18 Nempe igitur sicut per unius lapsum *reatus venit* in omnes homines ad condemnationem: ita per unius justitiam *donum redundavit* in omnes homines ad justificationem vitæ.

19 Sicut enim per illam inobedientiam illius unius hominis, peccatores constituti sunt multi illi: ita per illam unius illius obedientiam, justi constituentur multi illi.

20 Lex verò præterea introiit ut augeretur lapsus ille: sed ubi auctum est peccatum illud, *ibi* superabundavit gratia.

21 Ut quemadmodum regnaverat peccatum ad mortem, ita etiam gratia regnaret per justitiā ad vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Hæc est secunda capitis pars, ubi doctrinam de justificatione fidei illustrat collatione oppositorum, partim simili, partim dissimili. Comparat enim authorem justitiæ & vitæ, videlicet Christum, cum authore peccati & mortis, videlicet Adamo, primo nostro parente: partim ut similem: quia sicut per Adamum peccatum in omnes homines introiit, & per peccatum mors: ita per Christum justitia in omnes credentes intrat, & per justitiam vita: partim ut dissimilem: quia peccatum Adami, per quod mors in omnes introiit, fuit unum tantùm: at justitia Christi (id est, parta morte Christi) quæ credentibus imputatur, delet non solùm peccatum illud unum, sed etiam alia plura, videlicet peccata credentium omnia. Similitudo exponitur v.12.13.& 14. ubi observandum est, apodosin illius similitudinis non esse directam & plenam: sed obliquè & imperfectè notari iis verbis, ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος, id est, *Qui* (scilicet Adam) *est typus illius futuri.* id est, illius Adami qui erat futurus seu venturus, nempe Christi. Dissimilitudo indicatur v.15. & deinceps exponitur ac declaratur v.16.& 17. Tum redit Apostolus ad similitudinem, eamque plenè & clarè exponit v.18. & 19. Duobus autem versiculis postremis, 20.& 21. occupat objectionem, quæ nascitur ex eo quòd in præcedentibus aliquoties dixerat, videlicet homines per obedientiam unius Christi justificari. Hac generali analysi præmissâ, deinceps singula spectemus.

12 *Propterea*] Hoc versu enuntiat protasin similitudinis, qua Christum comparat cum Adamo: eamq; tanquam corrollarium (ut videtur) deducit è sententia proximè-antecedente, ubi dixit, nos per Christum accepisse reconciliationem. quasi dicat. Quum igitur per Christum acceperimus reconciliationem: consequens est, Christum similem esse Adamo, per quem Deum offendimus, peccantes in illius lumbis.

13 *Nam usque*] Hactenus protasis similitudinis: quæ hîc relinquitur ἀνανταπόδοτος, hoc est, sine redditione, propter prolepsin objectionis, quam hoc versu quasi per digressiunculam inserit. Objici enim poterat:

> *Si omnes peccarunt: peccarunt igitur etiam qui vixerunt ante legem per Mosen latam.*
>
> *Atqui ante legem Mosis non potuit quisquam peccare: quia ubi non est lex, ibi nec transgressio est. sup. 4.15.*
>
> *Ergo non omnes peccarunt, ut dixisti Paule.*

Apostolus negat assumtionem, quatenus contrarium affirmat, nempe usque ad legem Mosis peccatum fuisse in mundo. Hanc autem affirmationem amplificat antithesi diversorum, qua distinguit inter *Esse & Reputari*: cujus antitheseos sententia cum altera sententia cohæret per enuntiatum discretum. quasi dicat, Quanquam peccatum non reputatur quum non est lex; ac proinde ante Legem per Mosen latam peccatum non reputabatur: tamen peccatum tum erat.

14 *Sed tamen regnavit*] Sententiam versiculi præcedentis, videlicet ante Legem peccatum fuisse in mundo, probat ex effectu, videlicet morte: & simul accommodat ad probandum enuntiatum illud universale, propositum v.12. videlicet omnes homines peccavisse. Distinguit igitur homines in adultos & infantes: quos utrosque ante Legem morti obnoxios fuisse, mortisque dominatum sensisse affirmat. Postremò in fine versiculi annectit sententiam ἀποδόσεως collationis institutę v.12. Quum enim ait, Adamum esse typum illius qui erat futurus, nempe Christi: vult intelligi alteram inchoatæ similitudinis partem. Etenim inter typum seu figuram & rem typo adumbratam ac præfiguratam oportet esse similitudinem. Plena autem comparatio sic habet: Quemadmodum per Adamum peccatum introiit in omnes homines, & per peccatum mors, eò quòd in Adamo omnes peccarunt: Sic per Christum justitia introiit in omnes credentes, & per justitiam vita: eò quòd in Christo omnes credentes pro peccatis satisfecerunt.

15 *At non ut lapsus*] Hactenus similitudo inter Christum & Adamum: sequitur dissimilitudo inter eosdem: ad quam transit per correctionem; quasi dicat, Etsi Christus & Adam hactenus similes sunt, quòd ut peccatum Adæ, sic etiam justitia Christi (id est, parta morte Christi) redundavit in multos: illud quidem ad mortem, hæc autem ad vitam: tamen dissimiles sunt, quantum attinet ad justitiæ Christi magnitudinem atque efficaciam, collatæ cum peccato Adæ. nam justitia Christi efficax est ad delendum non solùm peccatum illud Adæ, sed etiam reliqua credentium peccata, quæ plerique multa commiserunt: sicut Apostolus ipse declarat versu sequente. Sententia igitur verborum Apostoli in hoc versu videtur hæc esse: Etsi illius unius lapsu multi mortui sunt: tamen multò major & efficacior est justitia Christi, quæ & ipsa in multos redundavit. Verba tamen Apostoli præ se ferunt non ejusmodi enuntiatum discretum, sed enuntiatum connexum continens ratiocinationem à minori. Et in hanc sententiam exponit Apostoli verba Augustinus lib.1. contra Julianum, ubi ait: *Si enim unius dilectio multi mortui sunt: multò magis gratia Dei & donum per gratiam quæ est unius hominis Jesu Christi, in multos redundavit. Multò enim hoc rationabilius. Nā alium* per alium damnari, non valde videtur habere rationem: alium autem per alium servari, & decentius magis & rationabilius apparet. Si igitur illud factum est: multò magis hoc.* Hactenus Augustinus. Sed ego priorem expositionem genuinam puto. planum est enim, Apostolo in his verbis nihil aliud propositum esse, quàm ut dissimilitudinem inter Christum & Adamum, cujus mentionem fecerat, declaret.

* Apud Aug. mendosè legitur, *pro alio*, sic rursum paulò pòst.

16 *Neque ut*] Sequitur ἐπιμονή, commoratio in eâdem re, seu ἐπεξεργασία, expolitio: quâ declarat sententiam versiculi præcedentis, nimirum dissimilitudinem quæ est inter Christum & Adamum. Sententia est: Beneficium Christi erga credentes, dissimile est reatui, quo eos implicavit atque involvit Adam. nam reatus quidem ex uno Adami delicto in credentes manavit ad condemnationem: at beneficium Christi, videlicet expiatio peccatorum & fidei donatio, datur credentibus ex multis delictis ad justificationem. quippe Christus satisfecit non solùm pro uno illo delicto Adæ, sed etiam pro omnibus aliis credentium peccatis: Sanguis enim Christi, ut Johannes ait, purgat nos ab omni peccato.

17 *Etenim si*] Sequitur altera repetitio ejusdem sententiæ, paulò plenius exposita.

18 *Nempe igitur*] Redit ad similitudinem institutam vers.12. eamque integram proponit.

19 *Sicut enim*] Repetit sententiam versiculi præcedentis, sed plenius & planius. hîc enim nulla est ellipsis, sed oratio integra: & significantissimis nominibus appellantur tum peccatum Adæ, tum illi opposita justitia Christi.

20 *Lex verò*] Prolepsis, quâ solvit objectionem natam ex eo quod in præcedentibus aliquoties dixerat, videlicet hominem justificari per unius Christi obedientiam. Objectio est: Si ex sola gratia Dei, propter obedientiam Christi, justificamur & donamur vitâ æternâ: Ergo Lex frustra per Mosen lata est: At Lex frustra lata non est. Non igitur ex sola gratia propter obedientiam Christi justificamur. Apostolus negat propositionem: docens, etsi Lex non ideo lata sit, ut ejus observatione homo justificaretur: tamen non esse frustra latam: quippe quæ lata sit, ut peccatum augeretur, hoc est, plenius cognosceretur, ac proinde excellenter augeretur gratia Dei, hoc est, ut summa illius efficacia cognosceretur: quippe quâ peccatum, quantumvis magnum, deletur. Hanc autem gratiæ amplitudinem declarat vers. ult. ex effecto, videlicet vitâ æternâ: eamque effecti expositionem illustrat similitudine regni, item collatione pari contrariorum, videlicet peccati & mortis.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 Justificati igitur &c.] δικαιωθέντες οὖν &c. *Hac sententia videtur cohærere cum sententia versiculi 24. capitis præcedentis: ubi dixit, fidem imputari ad justitiam iis qui credunt in eum qui excitavit* Jesum Dominum *nostrum à mortuis. Inde jam infert per ratiocinationem ab effecto ad causam: nos fide justificatos, pacem habere erga Deum per Christum: hoc est, nos per fidem scire, quòd Deus nobis reconciliatus sit per mortem Christi: quippe quem à mortuis excitavit: id quod non fecisset, si ille per suam mortem pro nostris peccatis non satisfecisset, atque ita ipsum nobis reconciliasset pacémve apud eum impetrasset.* Pacem ergà Deum] εἰρήνην πρὸς τὸν Θεόν. *Pacatam seu tranquillam conscientiam, ortam ex notitia & sensu reconciliationis cum Deo. Metonymia efficientis.*

2 Adducti fuimus] προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν. *Nempe tunc cùm credere cœpimus. Ad verb.* Adductionem habuimus: *ut intelligamus nos non sponte & ultrò in gratiam hanc adiisse seu accessisse, sed huc adductos esse.* In gratiam hanc] εἰς χάριν ταύτην. *Puto gratiæ vocabulo hîc significari gratiam reconciliationis nostri cum Deo: quod beneficium commemoravit versu præcedente, quò respicit pronomen* ταύτην. Stamus] ἑστήκαμεν. *Id est, perseveramus: neque unquam eâ gratiâ excidimus: manet enim Deus nobis in æternum reconciliatus, neque quisquam nos rapere potest ex manu Patris & Filii.* Gloriamur] καυχώμεθα. *Nempe in Domino.* Ob spem gloriæ Dei] ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. *Id est, ut qui speremus nos participes fore gloriæ cælestis à Deo nobis donandæ. Genitivus adjuncti occupati. Hanc interpretationem confirmat collatio versiculi sequentis, ubi per antithesin dicitur,* καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν, *id est, gloriamur in afflictionibus, vel de afflictionibus, id est, nomine afflictionum, seu ob hoc ipsum quòd affligimur.* Ἐν *hic valet Propter, ex Hebraismo.* Quòd afflictio tolerantiam efficiat] *Sed quomodo? Non certè per se & suâ naturâ, sed per accidens: videl. ex consideratione voluntatis Dei & conformationis nostri cum Christo capite, per quam considerationem Spiritus sanctus patientiam in nobis efficit.*

4 Experientiam] δοκιμήν. *ut nimirum experiamur, nos verè esse filios Dei, ut qui ex voluntate Dei conformemur filio Dei in cruce, & crucem per Dei gratiam & consolationem Spiritus sancti patienter ac fortiter feramus. Sic igitur intelligimus, nos probatos esse, non autem adulterinos.* Spem] ἐλπίδα. *nempe spem gloriæ Dei, suprà v.2. Nam qui filio Dei jam conformantur in cruce, eidem conformabuntur & in gloria: infrà 8. v.29. Philip.3. v.ult.* Joh.17. *v.24.*

5 Spes non pudefacit] *Ut scil. pudefacit spes rerum promissarum ab hominibus: de qua spe jactatur apud Germanos proverbium,* Hoffen vnd harren/macht manchen narren. *id est, ut simpliciter dicam, Sperare & exspectare, multos reddit stultos.* Eò quòd] ὅτι. *Rationem exponit, cur spes gloriæ cælestis credentes non pudefaciat.* Charitas Dei] ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ. *vel, dilectio Dei. nempe* ἡ εἰς ἡμᾶς, *quæ est erga nos: ut exponitur infrà v.8. id est, quâ Deus diligit nos, ac proinde activè hoc accipiendum. Passivè autem tunc acciperetur, si intelligeretur de dilectione quâ diligitur Deus à nobis. Sed quomodo hæc dilectio Dei effusa dicitur in cordibus nostris? Nempe quia sensus illius in cordibus nostris effusus est. Sentimus enim nos à Deo diligi: & gustamus quàm bonus sit Deus, quamque paternè erga nos affectus. Dicitur ergo hoc per metonymiam subjecti. nam dilectioni huic Dei accidit atque adjungitur, ut à nobis sentiatur, seu ut nos eam sentiamus.*

6 Suo tempore] κατὰ καιρόν. *Confer Gal.4. v.4.*

7 Pro viro bono] ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ. *Idem hîc nominatur* ἀγαθός, *qui superiore membro* δίκαιος: *ut intelligitur ex cohærentia sententiarum. Cohæret enim hæc sententia cum præcedente per prolepsin, quam notat conjunctio* γάρ. *Cùm enim dixisset, vix pro justo quenquam moriturum, hoc ipso innuit accidere posse ut aliquis pro viro justo moriatur. Contra hoc poterat alicui in mentem venire: me illud quidem accidere posse: cùm cuique nihil charius sit suâ vitâ. Apostolus igitur contrarium affirmat, sed adhibitâ particulâ dubitantis* τάχα, *quâ innuit, illud esse de rarò contingentibus. Porrò nomine* δικαίου *intelligendum hîc esse* τὸ δίκαιον, *nempe* ἄνθρωπον: *non autem* τὸ δίκαιον, *nempe* πρᾶγμα: *evidens est cùm ex præcedentis, tum ex sequentis versiculi collatione: ubi Christus dicitur mortuus pro impiis,* ὑπὲρ ἀσεβῶν: *cui opponitur illud* ὑπὲρ δικαίου. *Atque in hunc sensum Syrus quoque interpretatur.* Fieri potest ut] τάχα. *Hac periphrasi uti malui quàm adverbio Forsitan, quod à nomine illius impiè-confictæ deæ Fortis seu Fortunæ est deductum. Græcum quidem* τάχα *propriè significat citò: quæ vox hîc non quadrat. In Gallica versione hæc vox eâdem periphrasi declarata est, nempe, pourroit il estre que, id est, fieri potest ut. Quæ periphrasis cùm & Latinis usitata atque etiam elegans sit: non video cur non meritò hîc adhibeatur.* Etiam] καί. *Innuitur tacita collatio minoris: q.d. non solùm acerba quæque perpeti, sed etiam mori.* Sustineat] τολμᾷ. *Eleganter. Sic 1.Cor.6.v.1. Ovid.* Sustinet OEnonen deseruisse Paris.

8 Commendat] συνίστησι. *Id est, commendabilem reddit, & maximam esse demonstrat. Illud enim hîc agit Apostolus, ut ostendat magnitudinem dilectionis Dei erga nos.* Erga nos] εἰς ἡμᾶς *pro,* τὴν εἰς ἡμᾶς. *Neque enim hæc pendent à verbo* συνίστησι.

Cùm adhuc essemus peccatores] ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν. *Quarat hoc loco aliquis: Num ergo jam, postquam in Christum credimus & Spiritu ejus regenerati sumus, non ampliùs sumus peccatores? Resp. Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est: 1.Joh.1.v.8. Veruntamen non ampliùs nominandi sumus peccatores: quia & peccata nobis remissa sunt, & peccatum non ampliùs in nobis regnat: denominatio autem fit à principaliore. quare hîc per synecdochen generis intelliguntur peccatores profani, id est, non regenerati, & peccatis dediti: ut* Joh.9.v 31.Luc.7.v.34. Ab ira illa] ἀπὸ τῆς ὀργῆς. *Nempe, ab ira illa ventura: ait enim,* σωθησόμεθα, *servabimur: & hoc ipsum innuit articulo* τῆς. *id est, à morte æterna seu cruciatu damnatorum. Metonymia efficientis, metaphorica.* Reconciliati] καταλλαγέντες. *id est, cùm jam sumus reconciliati. ut intelligitur ex antithesi.* Per vitam] ἐν τῇ ζωῇ. *pro,* διὰ τῆς ζωῆς: *ut intelligitur ex antithesi. Hebraismus.* Antilogiæ apparentis conciliatio.

11 Neque id solùm] οὐ μόνον δέ. *Cohæret hic versiculus cum v.3. ubi dixit, Nos gloriari in afflictionibus. Nunc enim addit tertium gradationis institutæ membrum. Integra enim gradatio trimembris est, ad hunc modum, Gloriamur in spe gloriæ Dei: neque id solùm, sed etiam gloriamur in afflictionibus: neque id solùm, verùm etiam gloriamur in ipso Deo.* Gloriamur de Deo] καυχώμενοι ἐν τῷ Θεῷ. *hoc est, gloriamur, Deum esse deum nostrum, vel quod idem est, nos esse filios Dei. Aliter accipitur hæc phrasis 1.Cor.1.v.ult. ubi,* In Domino gloriari, *est Deo omnia tribuere cum gratiarum actione. Intelligitur autem hîc Deus pater: mox enim distinguitur à persona Filii.*

12 Propterea] διὰ τοῦτο. *Consimilis obscuritas hîc est in cohærentiâ sententiarum: qualis erat suprà in principio cap. secundi. Mihi quidem videtur sequens similitudo, quâ illustratur beneficium Christi in credentes, tanquam* πόρισμα *seu corollarium deduci è sententia proximè-antecedente, ubi dixit, nos per Christum accepisse reconciliationem. Quasi dicat, Quum igitur per Christum acceperimus reconciliationem: consequens est, Christum similem esse Adamo, per quem Deum offendimus peccantes in illius lumbis.* Per unum hominem] *Nempe Adamum, primùm nostrum parentem.* Peccatum] ἡ ἁμαρτία. *Loquitur Apostolus propriè de peccato illo primo, quod primi nostri parentes admiserunt in paradiso, & nos unà cum illis, ut qui eramus in lumbis eorum. Quod peccatum omnium reliquorum fons & origo est, videlicet cùm corruptionis naturæ seu peccati inhabitantis (de quo infrà cap.7.) tum cæterorum peccatorum, quæ actualia nominantur; ut quæ cogitando, loquendo, aliisque actionibus admittimus.* In mundum] εἰς τὸν κόσμον. *id est, in totum genus humanum, seu omnes homines, ut ipse Apostolus mox exponit.* Introiit] *Nempe per imputationem, idque jure hæreditario, propagatum scilicet per generationis naturalis successionem.* Ac per peccatum mors] *Juxta illud, Quocunque die comederis ex fructu vetito, moriendo morieris.* Et ita] καὶ οὕτως. *scilicet per peccatum seu propter peccatum. Eandem sententiam repetit ordine inverso, nisi in præcedente membro vocabulum* mundi *propriè accipiamus: tum enim hîc aliquid diversi & plus dicetur: quod quidem innuit particula* οὕτως. *Cæterùm quò minùs hîc incipiat apodosis institutæ collationis: non impedit particula* καί, *ut Stapulensis putavit; sed ipsa sententia: cùm idem repetatur, quod præcedentibus verbis dictum fuit. Aliâs* καί *more Hebræorum interdum apodosin annectit.* In omnes homines] *Scilicet consueto naturæ ordine è primo illo homine progenitos.* Mors] *Tanquam stipendium peccati.* Pervasit] διῆλθεν. *quemadmodum lues gregem aliquem pervadit, & singulas oves contagio inficit. Sic Lutherus,* Ist durchgedrungen. *id est, penetravit.* Eò quòd] ἐφ' ᾧ. *Sic puto vertendum: non autem,* In quo: *scilicet Adamo. Pendet enim hæc sententia à proximè-præcedente, ubi nulla Adami fit mentio. Referre autem hoc pronomen relativum ad nomen illius unius hominis, cujus mentio fit in primo hujus versiculi membro, nimis contortum est. Nec puto* ἐπί *pro* ἐν *reperiri hoc sensu. Adde quòd Apostolus 1.Cor.15.22. in cognata huic sententia utitur præpositione* ἐν, *inquiens: Sicut enim in Adam (*ἐν τῷ Ἀδάμ*) omnes moriuntur &c. Interim ad verbum* ἥμαρτον, *id est, peccarunt, subintelligo hîc illud ipsum, In illo uno nempe Adamo. Et sic exposuerunt quoque D.Calvinus & D.Martyr: quorum ille vertit,* Quandoquidem: *iste verò,* Eò quòd. *Nec non Syrus interpres: qui vertit,* In eo quòd, *id est, propterea quòd.* Omnes] πάντες. *nempe omnes filii Adæ naturaliter ex eo orti.* Peccarunt] ἥμαρτον. *nempe in illo uno homine, cujus paulò-antè mentionem fecit, id est, in Adamo, primo nostro parente: quippe in quo omnes mortui sunt, teste Apostolo 1.Cor.15.22. Sed quomodo omnes peccarunt in Adamo? Nempe, sicut Levi decimatus fuit in Abrahamo, nimirum in lumbis illius: ut scriptum est Hebr.7 v.9. & 10. Peccarunt igitur omnes in Adamo: ut in communi stirpe, unde omnes tanquam rami prodierunt.*

13 Nam usque] ἄχρι γὰρ &c. *Cohærent hæc cum proximè-præcedente sententiâ per prolepsin. Dixerat, omnes peccasse. Contrà poterat objici: Ubi non est lex, ibi nec peccatum est. Atqui ab Adamo usque ad Mosen non erat lex: quare nec peccatum. De cujus syllogismi forma postea aliquid dicemus: nam videbimus, quid Apostolus respondeat. Apostolus igitur contradicit conclusioni per enuntiatum discretum, quo discernit hæc duo,* esse & existimari. *Sententia est, Quanquam ante Mosen non existimabatur esse*

tur esse peccatum, quia tum nondum erat Lex lata: tamen peccatum tum erat, id quod sequente versu probat ex effecto, videlicet morte. Porrò syllogismus à nobis propositus videtur peccare in forma: ut qui concludat ex puris negativis. Sed sciendum, formam esse bonam, & syllogismum firmum atque constantem. quia etsi assumtio nudè ac per se spectata, negativa est, tamen eadem collata cum propositione, vim affirmandi habere percipitur. Repetit enim ex propositione argumentum seu medium, quale ibi habetur: videl. negandi adverbio constans. itaq; perinde est, ac si diceretur: Atqui ab Adamo usque ad Mosen fuit ejusmodi tempus, quo non fuit Lex. quam sententiam affirmantem esse, omnes intelligunt. Usque ad Legem] ἄχρι νόμου. nempe legem Dei, latam per Mosen. Synecdoche generis. In mundo] ἐν κόσμῳ. Vel propriè, vel metonymicè: pro, in hominibus: ut v. praeced. Non reputatur] οὐκ ἐλλογεῖται. id est, non habetur pro peccato, non judicatur esse peccatum. Planum est enim, Apostolum hic instituere enuntiatum discretum, & inter se opponere ista duo verba, εἶναι & ἐλλογεῖσθαι: id est, esse & reputari. Et sanè Syrus interpres discretivum enuntiatum hic expressit, sic vertens: Usq; enim ad Legem peccatum quum esset (seu quamvis esset) in mundo, non reputabatur peccatum. Et hanc expositionem planè postulat prolepsis. Objectio enim est: Cùm non est lex, non est peccatum. Respondet Apostolus. Cùm non est lex, non reputatur peccatum: interim tamen peccatum erat, etiam tum, cùm lex nondum esset lata. Quòd si ἐλλογεῖσθαι ἁμαρτίαν, hic exponamus, peccatum puniri: tum contorta erit verborum atque sententiarum cohaerentia. Et Apostolo sic potiùs dicendum fuisset: ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ. ἁμαρτία γὰρ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νῦν δὲ ἐβασίλευσεν &c. id est, Nam usq; ad Legem peccatum erat in mundo: peccatum enim non imputatur (hoc est, non punitur) nisi sit: nunc verò regnavit mors &c. hoc est, peccatum punitum fuit inde ab Adamo. Nec verò de certo tempore ac certis hominibus haec dicuntur, etiamsi verbum ἐλλογεῖσθαι accipiamus pro reputari ab hominibus: sed manet sententia generalis atq; indefinita. Sententiarum enim ordo hic est: inde ab Adamo usque ad Legem peccatum erat quidem in mundo, sed non habebatur ejus ratio; nam peccati ratio non habetur, cùm non est lex. Expositio, quam attuli, simplex & plana est: nec quicquam incommodi habet. Denique ἐλλογεῖται, hic valet idem quod, Non habetur ἐν λόγῳ (ut memini Martinum Crusium linguae Graecae peritissimum exponere) id est, non habetur ejus ratio. Et in hunc sensum reddidit Lutherus, inquiens, **Wo kein gesetz ist / da achtet man der sünden nicht.** id est, ubi non est lex, ibi non habetur ratio peccati. Et sic D. Martyr quoque exponit, inquiens: Vult ergo Apostolus his verbis, Peccata quamvis revera existerent, tamen cognita non fuisse apud homines nisi praescripto Legis. *Et paulo post:* Apostolus hoc loco dicit, ante Legē multa fuisse peccata, quae tamen ab hominibus non reputabantur. *Nec ab hac sententia videtur alienus fuisse D. Calvinus, qui hic annotavit haec verba:* Sine Legis objurgatione, malis nostris quodammodo indormimus. Cùm non est lex] μὴ ὄντος νόμου. *Apostolus intelligit legem latam per Mosen & scriptam, quâ homines de peccatis admonentur: ut intelligitur ex praecedentibus & sequentibus verbis.*

14 Sed tamen regnavit] ἀλλ' ἐβασίλευσεν. *Est hoc loco epanalepsis, quâ resumitur & ampliùs declaratur quod dictum est vers. 12. Nam versiculo 13. instituta oratio per prolepsin abrupta fuit. Epanalepsi autem servit conjunctio* ἀλλὰ: *id est, sed: quae est corrigentis, vel certè rejicientis. quasi dicat Apostolus: Sed tamen quicquid sit de ista objectione, quòd ante Mosen non fuerit Lex, ac proinde nec peccatum: ego quidem ad id redeo quod dicere institueram: & affirmo, omnes peccasse: idq; clarissimo hoc argumento demonstro, quòd inde ab Adamo usque ad Mosen mors in omnes regnaverit. Talis abruptio instituta orationis per prolepsin, exstat sup. 3. v. 2.* Ab Adam usque ad Mosen] *Id est, à lapsu Adami usq; ad legem Mosis. Metonymia effecti.* Regnavit in eos &c.] ἐβασίλευσεν ἐπὶ τοὺς &c. *hoc est, instar regis, qui hostes devicit, in eos saeviit. Metonymia efficientis, & metaphora. id est, Diabolus per mortem regnavit: is enim est, qui mortis habet imperium, v. 2. v. 14. Metonymia effecti.* In eos etiam] *Hoc est, non solùm in adultos: qui, ut Adam transgressus est legem illam singularem de fructu certae arboris non edendo, in sua ipsius persona; sic ipsi transgressi sunt legem moralem, sive inscriptam cordibus, sive ore Dei pronuntiatam ac per Mosen latam, in sua quisq; persona: sed etiam in infantes, quorum nullus in sua ipsius persona ullam legem transgredi potuit: quum nullus per infirmitatem aetatis, legem ullam potuerit intelligere, aut ratione inter rectum & pravum discernere atque dijudicare.* Qui est typus] *His verbis continetur sententia* ἀποδόσεως *comparationis institutae v. 12. Cùm enim ait, Adamum esse typum illius futuri, scilicet Adami, id est, Christi: vult intelligi alteram inchoatae similitudinis partem. Etenim inter typum seu figuram & rem typo adumbratam ac praefiguratam oportet esse similitudinem. Quomodo autem plena comparatio hic instituenda sit, dictum est in Analysi, unde percipitur anomalia sermonis. Porrò illa Adami & Christi inter se comparatio illustrari potest simili duarum stirpium: quarum utraq; suis ramis communicat quae habet: Adamus quidem suis ramis (id est, omnibus hominibus naturaliter ex ipso ortis) duo mala, peccatum & mortem: Christus verò suis ramis (id est, omnibus qui fide ipsi inseruntur) duo contraria bona, videl. justitiam & vitam.* illius qui erat futurus] τοῦ μέλλοντος. *Sic rectiùs quàm* illius futuri: *ut intelligatur, tempore quidem Adami venturum fuisse hunc alterum Adamum: sed tempore Apostoli jam advenisse. Syrus: Illius qui futurus, scil. erat.*

15 Ut lapsus ille] ὡς τὸ παράπτωμα. *nempe Adami:* τοῦ Ἀδάμ. *à* παραπίπτω, *hoc est, praeterlabor vel prolabor.* Multi illi] οἱ πολλοί. *nempe omnes homines ex Adamo naturaliter progeniti.* Mortui sunt] ἀπέθανον. *hoc est, morti illi addicti sunt, quam Deus Adamo mandatum ipsius transgressuro fuerat minatus. Illa autem est mors potissimùm aeterna, hoc est, cruciatus aeterni in gehenna. Hujus mortis reatum postea v. 16. vocat* κρίμα, *id est, judicium.* Multò magis] πολλῷ μᾶλλον. *Verba Apostoli prae se ferunt argumentationem à minori. Verùm si quis accuratiùs consideret, videbit Apostolum hic non argumentari: sed tantùm dissimilitudinem inter Christum & Adamum inchoatam declarare ex collatione imparium. Sicut fusiùs exposuimus in Analysi.* Gratia Dei] ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ. *id est, favor seu benevolentia Dei.* Donum per gratiam] ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι. *id est, justitia parta morte Christi, quam Deus pater ex gratia donat credentibus.* Quae est unius hominis] τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου. *In quibusdam libris omissus est articulus* τῇ. *qui si omittatur, puto vertendum,* Quod est &c. *ut haec verba pendeant à nomine* δωρεά: *quasi dicat,* ἡ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου. *Sententia est,* Quod donum contingit nobis per Christum. *Vocat autem Christum, hominem: vel propter antithesin, quâ illum opponit primo illi homini seu Adamo, vel etiam propter passionem ac mortem, quam in natura humana sustinuit, ut nos in gratiam cum Deo reduceret. Similis videtur esse locus 1. Timoth. 2. v. 5.* In multos illos] εἰς τοὺς πολλούς. *nempe omnes credentes, qui nimirum Christo fide ut rami inseruntur. Sic Matth. 26. v. 28. Sanguis qui effunditur* περὶ πολλῶν, *pro multis: hoc est, pro tota multitudine credentium.* Redundavit] ἐπερίσσευσε. *id est, copiosè effusum est. Metaphora à fluminibus.*

16 Neque ut] καὶ οὐχ &c. *Sequitur* ἐπιμονή, *commoratio in eadem re; seu* ἐπεξεργασία, *expolitio versiculi praecedentis obscurior quidem illa propter crebras ellipses.* Illud quod introiit] *Haec verba supplentur ex v. 12. & intelligitur peccatum.* Ita est donum] τὸ δώρημα. *Quod mox vocat* χάρισμα: *ut ex consecutione verborum clarè liquet. Intelligit autem justitiam morte Christi partam, nobisq; ex gratia donatam.* Nam reatus] τὸ μὲν γὰρ κρίμα. *Declarat sententiam praecedentem. Et quod ibi vocavit* τὸ δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, *hic vocat* κρίμα: *item quod ibi nominavit* τὸ δώρημα, *hic* τὸ χάρισμα *appellat. Nomine autem* κρίματος, *id est, judicii, intelligit reatum, per metonymiam adjuncti: nam judicium Dei occupatur in reatu ei qui peccavit adjudicando seu imputando. Qui enim peccavit, is judicatur reus poenae.* Ex uno lapsu] ἐξ ἑνός, *scilicet* παραπτώματος. Ad condemnationem] *Qua scilicet Deus judex peccatores addicit aeternis cruciatibus.* Donum autem] τὸ δὲ χάρισμα. *Quod hic vocat* χάρισμα, *paulò antè nominavit* δώρημα. Ex multis lapsibus] ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων. *nempe non solùm lapsu Adae, sed etiam lapsibus singulorum credentium propriis. nam (ut ait Johan.) sanguis Christi purgat nos ab omni peccato: 1. Johan. 1. 7. Augustin. lib. 1. contra Julian.* Gratia, inquit, non unum tantummodo illud interfecit peccatum: sed etiam post illud introëuntia peccata. Ad justificationem] *Qua scil. Deus justos pronuntiat credentes in Christum.*

17 Multò magis ii &c.] *Hoc est, multò major est & efficacior justitia parta morte Christi, credentibus ex gratiâ donata ad vitam illis conferendam.* Redundantiam illius gratiae & doni justitiae] τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης. *hoc est, justitiam partam morte Christi, quae ex gratia Dei donatur credentibus & copiosa est atque abundè efficax ad credentes ab omnibus peccatis liberandos. Hypallage gemina: item geminum* ἓν διὰ δυοῖν. Accipiunt] λαμβάνοντες. *Scilicet tanquam manu. Metaphora.*

18 Reatus venit in omnes homines] *Nempe qui ex primo illo naturaliter propagati sunt: ac proinde in omnes simpliciter, solo Christo excepto.* Ad condemnationem] *Hoc est, mortem aeternam. Metonymia adjuncti vel efficientis.* Per unius justitiam] δι' ἑνὸς δικαιώματος. *Vocabulo* δικαίωμα *idem hic significatur quod versu praecedente per nomen* δικαιοσύνη, *videl. obedientia illa Christi, qua Patri factus est obediens patiendo pro nobis. Quare* δικαιοσύνη, *id est, justitia, versiculo superiore, non est intelligenda de qualitate in Christo haerente, nec etiam de essentiali ejus justitia: sed de illa obedientia cujus mox fit mentio versu sequente. Apparet enim cohaerentia sententiarum: vocabulis istis* δικαιοσύνη, δικαίωμα, ὑπακοή, *quae hic Christo attribuuntur, unam eandemq; rem significari v. 17. 18. 19. & 21.* Donum redundavit in omnes homines] *Nempe, quotquot isti uni (videl. Christo) per fidem sunt insiti & annexi: tanquam palmites viti, tanquam membra capiti.* Justificationem vitae] *Hoc est, unde nascitur vita. scil. aeterna. Genitivus effecti, & synecdoche generis.*

19 Per illam inobedientiam] διὰ τῆς παρακοῆς. *Nempe quae omnibus Christianis notissima esse debet: qua scil. primus noster parens, inobediens fuit mandato Dei in paradiso.* Unius illius hominis] τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου. *nempe Adami, primi parentis.* Peccatores constituti sunt multi illi] οἱ πολλοί. *nempe quotquot ex illo na-*

turaliter sunt progeniti, hoc est, omnes homines, excepto Christo. Per illam unius illius obedientiam] διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνός. *Id est, per illam (quæ omnibus Christianis notissima debet esse) obedientiam illius unius, nempe Christi: qua scilicet Christus Patri obediens factus fuit offerendo illi suum corpus in victimam expiatoriam pro nobis, Hebr.10.vers.9. & 10. Alii hoc exponunt de obedientia vitæ Christi, quam nominant nonnulli activam; sicut alteram, passivam. Sed illa expositio non consentit cum reliquis Pauli verbis in hac disputatione: quippe qui in hac tota disputatione de justificatione hominis coram Deo, nusquam commemorat sanctam vitam Christi, taquam eam rem per quam justificemur, quæve nobis ad justitiam à Deo imputetur: sed ubiq; commemorat sanguinem Christi, fusum scilicet cùm sensu iræ Dei propter nostra peccata, quæ Christus expianda in se susceperat. Vide sup.cap.3.v.24.25. & cap.4.v.24.25. & hoc ipso capite v.9.10. & cap.8.v.3.4. item v.32.33.34. Quod ipsum alibi quoque Scriptura tradit: sicut abundè ostendimus suprà in observatione 13.capitis quarti. Et sanè si obedientia vitæ Christi nobis ad justitiam imputaretur: non fuisset opus Christum pro nobis mori. Mori enim illum necesse fuit pro nobis injustis, 1.Pet.3.v.18. Quòd si ergo justi effecti sumus per vitam illius: causa nulla relicta fuit cur pro nobis moreretur. Imò justitia Dei non patitur ut puniat justos. At punivit nos in Christo, seu quod idem valet, punivit Christum pro nobis & loco nostri; posteaquam ille sanctè vixisset: ut certum est è Scriptura. Ergo non sumus justi effecti per sanctam vitam Christi. Item Christus mortuus est ut justitiam illam Dei nobis acquireret, 2.Cor.5. vers.ult. Non igitur acquisiverat illam ante mortem, sanctè scilicet vivendo.* Justi constituentur multi illi] οἱ πολλοί. *nempe quotquot in Christum credunt.* Constituentur] κατασταθήσονται. *Videtur Apostolus de industria uti verbo futuri temporis; propter eos qui tum credituri erant & etiámnum credituri sunt.* Præterea introiit] παρεισῆλθε. *id est,* παρὰ τὴν ἐπαγγελίαν εἰσῆλθε, *præter promissionem gratiæ (tanquam doctrinam principalem) introiit. scilicet in populum Dei.* Ut augeretur lapsus ille] τὸ παράπτωμα. *lapsus ille, scil. Adami, hoc est, cognitio illius lapsus. Metonymia subjecti. Sed quomodo illius lapsus cognitio augetur per Legem? Respondeo: Quia Lex postulat dilectionem Dei ex toto corde, & proximi ut sui ipsius: quam dilectionem homo ideo præstare non potest, quòd per lapsum illum corruptus est: unde jam cognoscitur lapsus illius efficacia.* Peccatum illud] ἡ ἁμαρτία. *Peccatum illud, scilicet primum: quod modò nominavit* τὸ παράπτωμα, *& superiore versiculo* παρακοὴν, *inobedientiam.* Superabundavit gratia] *Id est, supra peccatum illud abundavit: hoc est, cognitum est, gratiam seu obedientiam Christi, quæ credentibus ex gratiâ imputatur, longè esse efficaciorem quam fuerit peccatum Adæ: quippe quæ deleat non solùm peccatum illud Adæ, sed etiam omnia alia credentium peccata, ex primo illo orta.* Gratia] ἡ χάρις. *id est, obedientia illa Christi, ex gratia credentibus à Deo imputata. Metonymia adjuncti. Hanc expositionem autem postulat antithesis.*

21 Regnaverat peccatum] *Id est, ira Dei per peccatum. Meton. effecti. Hanc expositionem postulat antithesis. Sequitur enim:* Regnaret gratia: *(nempe Dei)* per justitiam. Regnaverat] *Nempe in omnibus etiam credentibus, videl. ante ipsorum conversionem.* Ad mortem] ἐν τῷ θανάτῳ. *pro,* εἰς τὸν θάνατον. *scil. ad mortem æternam: ut intelligitur ex antithesi.* Gratia] ἡ χάρις. *nempe gratia Dei erga credentes.* Per justitiam] *Scil. Christi, credentibus imputatam: nempe justitiam obedientiæ, de qua v.19.* Per Jesum &c.] *Hic jam indicat illius, de qua dixit, justitiæ authorem.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

Consolatio contra persecutionem. 1 Ex v.1.2.3.4.& 5. Notanda hîc sunt aliquot argumenta consolationis contra persecutiones mundi propter evangelii confessionem: ut quòd pacem habemus erga Deum, vers.1. quòd in gratia Dei nobis reconciliata stamus, id est, firmiter persistimus, v.2. quòd habemus spem gloriæ Dei, id est, gloriæ cælestis quam Deus suo tempore nobis daturus est, v.2. quòd Deus persecutionem Spiritu suo efficacem reddit ad efficiendum in nobis patientiam, v.3. item experientiam & spem, v.4. denique quod charitas seu dilectio Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum: id est, quòd Spiritus sanctus testimonium reddit cordibus nostris, quòd Deus nos propter Christum paterno & æterno amore diligat, v.5.

Spes. 2 Ex v.5. Notandum hîc est discrimen inter spem Christianorum & spem vulgarem seu humanam. Spes vulgaris sæpe pudefacit: quia fundatur in homine: qui suâ naturâ mendax est; aut si maximè cupiat promissis stare, viribus quandoque destituitur. At spes Christianorum non pudefacit: quia fundatur in Deo: qui mentiri nequit, & cui nihil impossibile est: itaque quicquid promisit (promisit autem credentibus in Christum, vitam æternam) id præstare & vult & potest: ac proinde certò præstat.

De tempore passionis Christi. 3 Ex v.6. ex verbis, *Suo tempore.* Quum Deus æterno decreto tempus passionis Christi definierit: cavendum est nobis, ne curiosè inquiramus cur illo potiùs quàm alio tempore eum pati voluerit. Extra dubium enim apud nos esse debet, decreta Dei omnia sapientissima esse: licet nobis eorum ratio non constet. Sic apud Evangelistas passim fit mentio horæ Christi: id est, temporis à Deo definiti ut in illo pateretur: ut Matt.26.v.45. Marc.14.v.41. Luc.22.v.53. Joh.7.v.30. item cap.8.v.20. & cap.12.v.23. & cap.17.v.1.

Dilectio Dei erga fideles. 4 Ex v.6.7.8.9.10. & 11. Quũ Deus pater tantopere nos dilexerit, ut filium suum unigenitum pro nobis dederit in mortem; & quidem pro nobis nihil tale meritis, sed potiùs meritis Dei iram: quumque Filius ipse tantopere nos dilexerit, ut seipsum dederit pro nobis in mortem: non est quòd dubitemus quin dilectio illa æterna sit. unde porrò statuendum, quòd afflictiones nobis immittat non ex odio, sed ex dilectione: ut ita ad salutem æternam nos adducat.

Justificationis causa meritoria. 5 Ex vers.9.& 10. Notandum hîc, quænam sit ea res propter quam justificamur, quæve nobis ad justitiam imputatur: videl. sanguis seu mors Filii Dei. Quam doctrinam fusiùs expositam & confirmatam vide suprà in observatione ex v.4. capitis quarti, item ex v.25. ejusdem capitis.

Peccatum originale. 6 Ex v.12. & deinceps usque ad finem capitis. Notanda hîc sunt testimonia de priore parte peccati originalis, quæ est defectio omnium naturalium hæredum Adæ in lumbis illius. De posteriore verò parte, quæ est corruptio naturæ ex illa defectione secuta, habentur testimonia infr. c.7.v.7. & deinceps. Igitur de illa defectione loquitur hoc loco Apostolus, quum ait: *per unum hominem* (videlicet Adamum) *peccatum introiisse in mundum:* item *omnes peccavisse*, nempe in Adamo: quippe in quo omnes mortui sunt, ut expresè dicitur 1.Cor.15.v.22. Præterea dicit hoc loco Apostolus v.14. *Mortem regnavisse ab Adam usque ad Mosen, in eos quoq; qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam*, hoc est, in infantes: qui non peccaverant in suâ personâ, ut Adam: sed peccaverant tantùm in illo seu in lumbis illius. Rursus v.15. dicit, *illius unius* (nempe Adami) *lapsu mortuos esse multos.* nẽpe omnes illius naturales hæredes. Item v.16. ait, *reatum esse ex uno lapsu* (videl. Adami) *ad condemnationem:* loquitur autem de reatu totius generis humani. Et rursus v.17. ait, *per unius illius* (nempe Adami) *lapsum mortem regnavisse* (nempe in genere humano) *per illum unum.* Item v.18. *per unius lapsum reatũ venisse in omnes homines ad condemnationem.* Item v.19. *per inobedientiam illam unius hominis peccatores constitutos esse multos.* Errant igitur Anabaptistæ: qui peccatum originis negant: quod idem olim negarunt Pelagiani, copiosè refutati ab Augustino.

Vita æterna causa meritoria. 7 Ex v.17.18. & 21. Notandum, Apostolum justitiæ illi qua justificamur coram Deo, adjungere vitam æternam, tanquam necessarium consequens & effectum. ait enim v.17. *Multò magis ii qui redundantem illam gratiam & donum justitiæ accipiunt, in vita regnabunt.* Et v.18. nominat *justificationem vitæ.* Et v.21. ait, *gratiam regnare per justificationem in vitam æternam.* Justitia autem illa nihil aliud est quàm remissio peccatorum: ut patet ex cap.4. sup. ex collatione versiculi sexti & septimi. Certum est autem, remissionem peccatorum partam nobis esse solâ obedientiâ patientis Christi: id quod suprà copiosè à nobis est ostensum cap.4.v.25. Quare necesse est, vitam quoque nobis solâ illâ obedientiâ partam esse. Errant igitur qui putant, vitam nobis esse partam per sanctam vitam Christi, quam nonnulli vocant obedientiam activam; sicut alteram illam nominant obedientiam passivam.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

In hoc capite duo potissimùm agit Apostolus. Primùm docet, credentes non posse indulgere pravis cupiditatibus, & petulanter in peccatis pergere. Deinde hortatur eos, ut pravis cupiditatibus reluctentur, & contrà obediant voluntati Dei, v.12. & deinceps. Sed ne cui videatur hæc exhortatio supervacanea; sciendum est, hujusmodi exhortationes ad pietatem, esse instrumenta, quibus Spiritus sanctus utitur ad pietatis studium in credentibus excitandum & augendum. Principali autem causâ positâ, non tollitur instrumentalis: sed potiùs ponitur. Etsi enim vis causæ corrumpentis, quâ peccata in credentibus impediuntur & evitantur, tota est penes Spiritum sanctum in credentibus habitantem, itemque vis contraria causæ generantis, quâ scilicet in credentibus generatur studium pietatis: tamen placuit Spiritui sancto, ministerio verbi uti ad utrumque in nobis efficiendum, hoc est, (ut Apostolus loquitur) & ad carnem mortificandum & ad spiritum vivificandum. Non igitur supervacanea est illa Apostoli exhortatio.

DE PRIORE PARTE.

QUid igitur dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia auctior fiat?

AD doctrinam de credentium regeneratione transit per prolepsin, quæ exsistit ex fine capitis præcedentis: ubi dixerat, aucto per Legem peccato, supra modum auctam fuisse gratiam. Hinc enim imperiti aut malevoli poterant ratiocinari, in peccato igitur esse permanendum: hoc est, securè atque etiam studiosè peccandum: ut scilicet subinde magis augeatur Dei gratia. hanc enim augeri, bonum est. Si autem bonum est quod alicunde seu alicujus vi efficitur: consentaneum est, etiam idipsum, unde seu cujus vi efficitur, bonum esse. Qualia enim sunt effecta, tales

etiam

etiam esse solent causæ efficientes. Hanc objectionem breviter proponit Apostolus per communicationem.

2 Absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?

Ad objectionem propositam respondet: negans consequens enthymematis hujus; *Gratiam augeri, bonum est, ergo peccare, bonum est: & per consequens, credentes debent in peccato permanere.* Vel, *Credentes debent operam dare, ut gratia Dei augeatur, hoc est, quam plenissimè cognoscatur & celebretur: ergo credentes debent permanere in peccato, hoc est, operam dare peccatis.* Hujus enthymematis consequens negat Apostolus: ad argumentum verò non respondet. Sed facilis responsio est, videl. esse fallaciam ambiguitatis. Apostolus enim non de peccati perpetratione locutus fuit, sed de ipsius agnitione: qua crescente in credentibus, crescit etiam cognitio gratiæ Dei, ex qua peccata omnia, quantumvis magna & multa, ipsis remissa sunt. Quòd si quis contendat, Apostolum locutum esse de peccati perpetratione: quippe quòd per Legem non solùm agnitio peccati fit, sed etiam irritentur cupiditates ut nitantur in contrarium, juxta vulgarem versiculum, *Nitimur in vetitum*: si quis ergo Apostoli verba ad hunc modum interpretetur: tum in proposito enthymemate erit fallacia accidentis. nam peccati perpetratio non est per se causa gratiæ Dei: quum per se, hoc est, suâ naturâ & vi genuinâ sit causa iræ Dei: sed accidit peccato, ut ex gratia remittatur. Verùm prior expositio verborum Apostoli, & enthymematis objecti solutio genuina videtur. Porrò occasione hujus responsionis Apostolus transit ad novum doctrinæ Christianæ caput, videl. de regeneratione. Negationem enim suam probaturus, argumentum petit ab hominis fide justificati regeneratione, tanquam à causâ efficiente. Vocatur autem regeneratio, renovatio illa naturæ, cujus author & effector est Spiritus sanctus; quæ renovatio duas habet partes, videl. mortificationem veteris hominis, & vivificationem novi, hoc est, abolitionem aut certè labefactionem vitiositatis naturalis, & instaurationem atque augmentationem primævæ bonitatis, cum qua homo à Deo fuit conditus. Apostolus argumentatur à priore regenerationis parte. *Si credentes mortui sunt peccato, non possunt vivere in peccato: Sed credentes mortui sunt peccato. Ergo credentes non possunt vivere in peccato.* Argumentum est à contrario, ac proinde à causâ corrumpente: nam contraria à contrariis corrumpuntur, & sic morte vita exstinguitur. Apostolus propositionem omittit: Assumtionem verò & conclusionem enthymematicè conjungit.

3 An ignoratis, nos, quotquot baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus esse baptizatos?

Assumtionem syllogismi propositi confirmat à societate seu communione credentium cum Christo, tanquam à causâ efficiente: & argumentatur à Christi morte. *Si peccato mortuus est Christus; ergo etiam credentes peccato mortui sunt. Atqui Christus mortuus est peccato. Ergo etiam credentes.* Propositio liquet ex credentium cum Christo communione: quam communionem Apostolus confirmat testimonio Baptismi, argumentans ab illius fine. ait enim, credentes baptizatos esse in mortem Christi: hoc est, ut acciperent & haberent testimonium divinum suę cum Christo mortuo societatis: quòd scilicet Christus sua morte non solùm satisfecerit pro ipsorum peccatis, & eorum remissionem ipsis à Patre impetrarit: verùm etiam quòd eis eâdem sua morte impetrarit Spiritum sanctum, cujus virtute peccato morerentur, hoc est, peccare desinerent, saltem petulanter. Hunc autem Baptismi finem specialem confirmat ab ejusdem fine generali: Credentes baptizati sunt in Christum: Ergo baptizati sunt in mortem Christi. Ubi notandum, Baptizari in Christum, esse baptizari; partim ut habeamus testimonium divinum, quòd Christus noster servator sit & dominus: partim ut nos ipsi testemur & confiteamur, nos Christo ut servatore nostro confidere, & eidem ut domino nostro servire velle. Quo fit, ut Baptismus testimonium & pignus seu sigillum sit & remissionis peccatorum, & regenerationis seu renovationis.

4 Sepulti sumus igitur cum eo per Baptismum in mortem: ut sicut excitatus est Christus ex mortuis ad gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

Illustrat propositum à contrario, videlicet à Christi ex mortuis resurrectione: idq; per collationem parium. Sicut teste Baptismo societatem habemus cum Christo moriente: sic eodem Baptismo teste societatem habemus cum Christo ex mortuis resurgente. Ergo sicut mortui sumus peccato, vi mortis Christi: sic cœpimus vivere justitiæ vi resurrectionis Christi. Et sicut Christus excitatus est ad vitam novam, & gloriosam & cælestem: sic nos renovati sumus ad vitam novam & sanctam. Rationem autem testimonii, quam Baptismus habet, declarat ex ejus cum rebus testatis analogiâ, ubi ait, *Sepulti sumus unà cum eo per Baptismum in mortem.* q. d. Sicut qui in Christum baptizantur, videntur in aqua submergi & sepeliri, & tamen vivi inde educuntur: sic iidem, quatenus in Christum credunt, quasi cum eo crucifixi & mortui sepeliuntur, & cum eodem in novam vitam resurgunt.

5 Nam si cum *eo* plantatione coaluimus conformatione mortis ejus, nimirum etiam resurrectionis *conformatione* coalescemus.

Sententiam versiculi præcedentis repetit, & illustrat similitudine plantationis: comparans credentium cum Christo communionem coalitioni plantarum cum ea arbore cui sunt insitæ. Confer Johannis cap. 15.

6 Illud scientes, veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati; ne posthac serviamus peccato.

Repetit argumentum principale, nempe nostram communionem cum Christi morte: idque declarat per speciem, indicans genus mortis, videlicet crucifixionem; & ex illius similitudine propositum declarans. Sententia est: Sicut corpus Christi crucifixum est propter nostra peccata: sic corpus peccati in nobis, vi mortis Christi crucifixum est, hoc est, vis peccati seu proclivitas illa ad peccandum, est enervata & retusa, ut non possit tanto impetu erumpere ut ei serviamus.

7 Etenim qui mortuus est, liberatus est à peccato.

Confirmat propositum à contrario.

Qui liber est à peccato, is non ampliùs servit peccato.

Atqui credentes liberi sunt à peccato: quia mortui sunt peccato, quatenus mortui sunt cum Christo.

Ergo credentes non ampliùs serviunt peccato.

8 Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus, fore ut etiam vivamus cum eo.

Illustrat propositum à contrario, per collationem parium: ex communione nostra cum morte Christi colligens communionem cum ejusdem vita.

9 Ut qui sciamus, Christum excitatum ex mortuis, non ampliùs mori: mortem, *inquam*, ei non ampliùs dominari.

Declarat & amplificat vitam Christi ex adjunctâ perpetuitate: ut inde colligat perseverantiam credentium in vitæ novitate, hoc est, studio pietatis.

10 Nam quòd mortuus est, peccato mortuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo.

Illustrat mortem & vitam Christi è finibus: dicens, mortuum esse peccato, id est, ad peccatum delendum: vivere autem Deo, id est, ad gloriam Dei patris celebrandam.

11 Ita etiam vos reputate, vos tum mortuos esse peccato, tum verò vivere Deo per Christum Jesum Dominum nostrum.

Concludit propositum, & conclusionem illustrat collatione pari contrariorum. Credentes igitur, & mortui sunt peccato, hoc est, vis peccati in ipsis est mortificata: & vivunt Deo per Christum, hoc est, per Spiritum sanctum merito Christi impetratum, adepti sunt serium propositum ita vivendi, ut Deo placeant, & ut Deus glorificetur.

De secunda parte.

12 Ne regnato igitur peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis peccato in cupiditatibus corporis.

Sequitur altera pars capitis, in qua dehortatur Apostolus Romanos credentes à peccandi securitate. Hanc exhortationem illustrat similitudine, qua peccatum comparat domino cui servus obedit.

13 Neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato: sed sistite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra vestra, arma justitiæ Deo.

Illustrat propositam exhortationem antithesi: qua ut dehortatur à servitute peccati, sic contra adhortatur ad servitutem justitiæ.

14 Peccatum enim vobis non dominabitur. non enim estis sub Lege, sed sub gratia.

Illustrat propositum prolepsi. Objectio: Dehortaris à servitute peccati, at frustra. nam tantam sentimus peccati vim, ut metuendum sit, ne nobis perpetuò dominetur, vel invitis. Respondet. *Peccatum vobis non dominabitur.* Negat igitur enthymematis antecedens. Hanc autem negationem probat ab adjuncto Romanorum statu seu conditione. *Non enim estis* (inquit) *sub Lege, sed sub gratia*, hoc est. Non estis ampliùs sub maledictione Legis, sed estis sub gratia Dei: hoc est, Peccata vobis ex gratia remissa sunt per Christum, Legi satisfecistis in Christo: fide justificati estis & Spiritu sancto sanctificati: ac proinde vis peccati non est in vobis tanta ut possit vobis dominari.

15 Quid igitur? Peccabimus, quòd non simus sub Lege, sed sub gratia? Absit.

Sequitur alia prolepsis, qua occupatur objectio nascens è versiculo præcedente. Si credentes non sunt sub Lege, ergo licet eis securè peccare. Apostolus ad argumentum non respondet; sed negat conclusionem, atque ita redit ad institutam exhorta-

tionem. Facilis autem responsio est ad istud argumentum, esse fallaciam ambiguitatis in verbis, *Esse sub Lege*: quæ Apostolus intellexit de Legis maledictione: at in ista objectione intelliguntur de Legis obedientia. Etsi autem credentes non sunt sub Lege, id est, sub Legis maledictione: sunt tamen sub Lege, id est, sub Legis regimine & disciplina atque institutione.

16 An nescitis quòd cui sistitis vos servos ad obediendum, ejus servi estis cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad justitiam?

Exhortationis propositæ argumentum seu rationem affert ab effectis. Summa est, Nolite servire peccato: nam præmium peccati est mors. Contrà servire justitiæ: nam præmium justitiæ est vita.

17 Gratia autem *sit* Deo, quòd fuistis *quidem* servi peccati, sed ex corde obedistis ei formæ doctrinæ in quam estis traditi:

18 Et liberati à peccato, mancipati estis justitiæ.

His duobus versibus secundùm argumentum affert, quòd à causa sumtum est, videl. jure emancipationis & mancipationis. Sententia est: Manumissi estis & liberati è servitute peccati: ergo non debetis posthac peccato servire. Contrà, mancipati estis justitiæ: ergo debetis posthac justitiæ servire.

19 Hominum more loquor, propter infirmitatem carnis vestræ. Nempe sicut stitistis membra vestra serva impuritati & iniquitati, ad *patrandam* iniquitatem: ita nunc sistite membra vestra serva justitiæ ad sanctimoniam.

Hîc tertium argumentum adjungit, quod sumtum est à pari ratione contrariorum. Ante conversionem servivistis peccato studiosissimè summaque alacritate: Ergo & nunc conversi, summo studio servite justitiæ.

20 Quum enim servi eratis peccati, liberi eratis justitiæ.

Causam indicat illius studii, quo Romani ante conversionem peccarant.

21 Quem igitur fructum habebatis tunc *ex iis*, de quibus nunc erubescitis? nam finis illorum, mors *est*.

22 Nunc verò liberati à peccato, mancipati autem Deo, habetis fructum vestrum in sanctimoniam: finem autem, vitam æternam.

23 Nam stipendia peccati *sunt* mors: donum autem Dei, *est* vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.

His tribus versibus repetit argumentum primum, sed auctum nova specie: nam præter duo illa effecta, mortem & vitam, indicat alia duo, videlicet ignominiam & laudem. Sententia est: Nolite servire peccato: nam peccati præmia sunt, ignominia & mors. Contrà, Servite justitiæ: nam justitiæ præmia sunt, laus & vita. Vocat autem studium justitiæ seu sanctitatis τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, donum Dei, per metonymiam efficientis: quia ex dono Dei proficiscitur. Hoc autem studium ait esse vitam æternam: non quidem ex merito, sed ex ordinatione Dei.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 Permanebimus in peccato?] ἐπιμένωμεν τῇ ἁμαρτίᾳ; *id est, indulgebimúsne peccâto, hoc est, vitiositati naturæ? laxabimúsne fræna cupiditatibus?* Gratia] ἡ χάρις. *scilicet Dei, quæ peccata, quantumvis multa, remittit.* Auctior fiat] πλεονάσῃ. *id est, ampliùs innotescat & illustrior reddatur.*

3 In mortem ejus] εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ. *ut perciperemus vim mortis ejus, non solùm quod ad meritum, quo remittuntur nobis peccata; sed etiam quod ad efficaciam Spiritus sancti naturam reformantis, quem sua morte Christus nobis impetravit. Hoc explicat ipse Apostolus v.6.*

4 Sepulti igitur sumus] συνετάφημεν οὖν. *Videtur respicere ad veterem ritum, quum toto corpore in aquam mergebantur, atque ita quasi sepeliebantur, ac mox rursus extrahebantur tanquam è sepulchro.* Ad gloriam Patris] διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός. *Pro,* πρὸς τὴν δόξαν τοῦ πατρός, *Sic 2. Pet. 1. v. 3.* τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς. *pro,* πρὸς δόξαν καὶ ἀρετήν. *Heterosis.*

6 Veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse] *Id est, merito crucifixionis Christi impetratum esse nobis Spiritum sanctum, qui veterem nostrum hominem crucifigat. Christus enim sua morte non solùm nobis meritus est remissionem peccatorum, sed etiam ex consequenti Spiritum sanctum. Cùm enim Deus remisit nobis peccata & in gratiam recepit, donat etiam nobis Spiritum sanctum, qui naturam nostram instauret.* Aboleatur] καταργηθῇ. *Significat Apostolus, fore ut peccatum seu vitiositas illa prorsus ex natura deleatur. Verbis autem sequentibus innuit, abolitionem illam peccati non perfici in hac vita.* Corpus peccati] τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας. *id est, vis peccati, vel potiùs peccatum ipsum, quod est veluti corpus & res per se subsistens. tantas in nobis vires exserit. Appositio, ut supr. 4.11.* Signum circumcisionis: *& metaphora, & synecdoche speciei, nata ex opinione rudiorum: qui quicquid per se subsistit, corporeum sibi imaginantur. Sic infr. 7.24.* corpus mortis. *Sic Col. 2. v. 9.* σωματικῶς, *id est,* οὐσιωδῶς, *vel* ὑποστατικῶς.

7 Liberatus est] δεδικαίωται. *id est,* ἠλευθέρωται *quo verbo utitur Apostolus infrà v.18. Synecdoche speciei Hebraica. nam qui justificatur, id est, in judicio absolvitur, is liberatur à pœna quam videbatur subiturus.*

10 Peccato mortuus est] τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν. *id est, propter peccatum, ut illud expiaret ac tolleret. Dativus objecti.* Vivit Deo] ζῇ τῷ Θεῷ. *id est, Vivit ad gloriam Dei. nam ratio antitheseos postulat, ut de causa finali exponatur.*

12 Peccatum] ἡ ἁμαρτία. *id est, vitiositas illa naturæ, ex primo peccato orta. Metonymia efficientis. Augustinus contra duas epist. Pelagianor. ad Bonifac. lib. 1. cap. 13. vocat concupiscentiam carnis, deque ea sic pronuntiat:* Sed hæc (*inquit*) etiamsi vocatur peccatum: non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur: sicut scriptura, manus cujusque dicitur, quòd manus eam fecerit. *Item lib. 1. de nupt. & concupisc.* Quia concupiscentia (*inquit*) modo quodam loquendi peccatum vocatur, quòd peccato facta est; & peccatum si vicerit, facit: reatus ejus valet in generato. *Et paulò post:* Sic autem vocatur concupiscentia peccatum, quia peccato facta est, cùm jam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua: & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum: non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat. *Item c. 24.* Ex hac, inquam, carnis concupiscentia, tanquam filia peccati, & quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorum matre multorum: quæcunque nascitur proles, originali est obligata peccato.

13 Peccato] τῇ ἁμαρτίᾳ. *scil. tanquam imperatori.* Et membra vestra] καὶ τὰ μέλη ὑμῶν *Repete* παριστάνετε, *sistite.*

14 Non dominabitur] οὐ κυριεύσει. *id est, non poterit dominari: ut intelligitur ex ratione quæ subjicitur. Ne quis exponat, Non debet dominari. Continetur enim his verbis non mandatum, sed promissio.* Sub lege] ὑπὸ τὸν νόμον. *Id est, Sub maledictione Legis. Synecdoche generis. Hæc expositio confirmatur è sequente antitheto. Sic Gal. 4.5.*

16 Sive obedientiæ ad justitiam] *Pro, Sive justitiæ ad vitam. Metonymia efficientis.*

17 Quòd fuistis *quidem* servi peccati, sed &c.] ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ *&c. Hæ duæ sententiæ cohærent per enuntiatum discretum. q. d. Quòd cùm olim essetis servi peccati, jam tamen obedistis &c. Cavenda igitur hoc loco fallacia διαιρέσεως: nam si prior sententia à posteriore divellatur, videbitur Apostolus Deo gratias agere, quòd Romani fuerint servi peccati. id quod absurdum est. nam gratiarum actio, qua hîc utitur Apostolus, ad posteriorem sententiam propriè pertinet: quæ hîc illustratur antithesi contrariorum. Quare D. Beza rectè supplevit particulam* quidem, *quæ enuntiatum discretum innuitur.* Obedistis ei formæ doctrinæ in quam estis traditi] ὑπηκούσατε εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς. *pro,* ὑπηκούσατε τύπῳ διδαχῆς εἰς ὃν παρεδόθητε. *Hypallage, quæ valde illustratur exemplo illo Terentiano,* Restitue in quem me accepisti locum: *pro, Restitue in locum, in quo me accepisti.*

19 Hominum more loquor] ἀνθρώπινον λέγω. *Tali phrasi usus est Christus Joh. 3.12.* Si terrena dixi vobis. Carnis vestræ] τῆς σαρκὸς ὑμῶν. *id est, carnalis intellectus vestri.* Nempe sicut] ὥσπερ γὰρ. *vel,* nam sicut. *Causalis enim particula cum superioribus connecti potest ad hunc modum. q. d.* Nam *ut quod me facturum dixi, faciam: id est, humano more loquar, & similitudine à negotiis humanis ductâ utar,* Sicut stitistis &c.

21 Ex iis de quibus] ἐφ' οἷς. *Pro,* ἐξ ἐκείνων ἐφ' οἷς. Finis] τέλος. *vel, merces, ut 1. Pet. 1.9.* Reportantes mercedem (τὸ τέλος) fidei vestræ. *Synecdoche generis. Contrà vita æterna vocatur merces, per synecdochen speciei: quia est finis operis, hoc est, datur piis post boni operis tolerantiam seu post labores ob bona opera exantlatos: licet illi hanc suis operibus & laboribus non mereantur.*

23 Sunt mors] θάνατος. *supple* ἐστί. Donum autem Dei] τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ. *Puto, propriè intelligendum de studio sanctitatis quod proficiscitur ex dono Dei. hoc enim poscit antithesis. Metonymia efficientis. Hoc autem studium ait esse vitam æternam, hoc est, afferre secum vitam æternam: non quidem ex merito, sed ex ordinatione Dei. Phrasis metonymica: qualis infrà 7.7.* ὁ νόμος ἁμαρτία; *Num lex peccatum est? hoc est, peccatum parit? At vulgò per inversionem syntaxeos sententiam alienam his verbis attribuunt: quasi nimirum hîc dicatur, vitam æternam esse donum Dei, id est, donari à Deo. Quæ sententia per se quidem vera est, sed non hîc traditur. neque enim illam syntaxin vel articulus* τὸ *ante nomen* χάρισμα, *vel antithesis sententiarum, vel denique scopus seu quæstio hujus loci admittit. Denique sententia illa postulat hæc verba:* ἡ δὲ ζωὴ αἰώνιος χάρισμα τοῦ Θεοῦ ἐστί.

OBSERVAT. EX CAP. VI.

1 Ex v. 1. Cavendum ne doctrinâ de gratiâ Dei abutamur ad licentiam sive securitatem carnis. nam etsi certum est ex doctrina Evangelii, Deum nobis qui in Christum credimus, ex gratiâ & remisisse peccata & deinceps remissurum: tamen non debemus peccato indulgere spe veniæ impetrandæ: sed potiùs operam dare. *Gratia Dei. Officium hominis Christiani.*

ram dare, ne tam clementem patrem peccatis nostris offendamus. Confer Gal.5.v.13.

Fides. 2 Ex v.2.& deinceps usque ad 12. Impossibile est ut qui verè in Christum credunt, peccatis securè indulgeant aut petulanter operam dent. Ratio est: quia in quibus Spiritus sanctus operatur veram in Christum fidem, in eisdem operatur quoque serium studium pietatis; reprimendo scilicet pravas cupiditates, accendendo desiderium placendi Deo, ac proinde constans propositum vivendi secundùm omnia Dei mandata. Illud autem studium in credentibus efficit Spiritus sanctus per considerationem mortis & resurrectionis Christi: idque variis modis. Etenim quum considerant, peccatum tantum esse malum ac tam pestilens virus, ut non potuerit expiari nisi morte unigeniti filii Dei: fieri non potest quin peccatum incipiant odisse ac detestari. Item quum considerant, se per mortem filii Dei à peccatis & morte æternâ esse liberatos, vitamque æternam sibi esse partam, idque ex merâ Dei patris & filii dilectione, absq; ullo suo merito, imò contra sua merita, ut qui meriti sint odium Dei ac mortem æternam: fieri non potest, quin accendantur studio referendi Deo gratiam pro tantis beneficiis, ac proinde illi placendi, sanctéque secundùm ipsius mandata vivendi. Et hanc ratiocinationem confirmat consideratio resurrectionis Christi: quam intelligunt esse evidens testimonium, quòd remissio peccatorum & vita æterna ipsis per mortem Christi parta sit.

Baptismus. 3 Ex v.3. & 4. Baptismus est divinum testimonium, quòd credentibus per mortem Christi parta sit remissio peccatorum & regeneratio Spiritus sancti. Confer Col.2.v.11.12.13.14.15. Tit.3.v.5.6.7.

Baptismus. 4 Ex v.5. & deinceps usque ad 12. Item Baptismus testimonium divinum est credentibus, quòd cum Christo quasi coaluerint, plantati scil. in illum, seu insiti ei per Spiritum sanctum: qui proinde similia operetur in ipsis & in Christo: videl. ut moriantur peccato & vivant Deo. Ubi tamen diligenter notandum est discrimen. Christus enim peccato mortuus est, quatenus mortuus est ut peccata nostra expiaret, & nobis impetraret Spiritum sanctum, qui peccatum in nobis mortificaret: nos verò morimur peccato, quum pravis nostris cupiditatibus resistimus, illasque exstinguere conamur. Confer Joh.15.v.1.& deinceps.

Officium hominis Christiani. 5 Ex v.12. & deinceps usque ad finem capitis. Credentes debent peccato quidem resistere, justitiæ verò operam dare: ut & ignominiam ac mortem, quæ ex peccato oriuntur, evitent: & laudem ac vitam æternam, quæ sequuntur justitiam, adipiscantur.

Fides. 6 Ex v.14. Qui liberati sunt à maledictione Legis, & fide gustant gratiam Dei sibi per Christum reconciliati: illi liberati quoque sunt à dominatu peccati: ita ut peccatum inhabitans non possit eis dominari, ut ipsi peccent volentes lubentes seu plenâ voluntate: sed quum peccant, peccant ex infirmitate. Confer observationem annotatam paulo antè ad v.2. Item textum Pauli infr. cap.7.v.14.& deinceps Item 1.Joh.3.v.9.

Vindicatio verborum Pauli, Non estis sub Lege. Quatenus fideles liberati sint à Lege. 7 Ex eod.v.ad verba: *Non enim estis sub Lege.* Cavendum ne his verbis abutamur ad stabiliendum errorem Antinomorum, qui doctrinam Legis ex ecclesia Christiana exterminandam opinantur. At Paulus id non vult: sed vult dicere, fideles esse liberatos à Legis maledictione: sicut ipse declarat Gal.3.v.13. At istud non obstat, quò minùs Lex maneat perpetua regula vitæ fidelium: unde illi quotidie proficiant in cognitione peccati & studio pietatis. Neque enim certè Apostolus sibi ipsi adversatur, qui sup.c.3.v.ult. dixit, se per fidem non abolere Legem, sed stabilire. id quod hac quoque ratione fit, quòd illa demum erga Legem obedientia Deo placet, quæ à justificatis fide proficiscitur.

8 Ex v.15. Recurrit hic observatio annotata ad v.1.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Partes hujus cap. tres sunt. Primùm docet, credentes liberatos esse à Lege, id est, à Legis maledictione & irritatione ad peccandum, usq; ad v.7. Deinde disputat de usu seu effectu Legis, usq; ad v.14. Postremò exemplo sua ipsius persona docet, cujusmodi lucta sit in renatis inter carnem & spiritum, usq; ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE.

AN ignoratis, fratres, (peritos enim Legis alloquor) legem *tantisper* dominari homini quoad *ipse* vixerit.

2 Nam subjecta viro mulier, viventi viro devincta est per legem: quòd si mortuus fuerit vir, liberata est à lege viri.

3 Proinde vivente viro mœcha vocabitur, si fiat alterius viri: sin autem mortuus fuerit vir, libera est à lege illâ: ut non sit mœcha, si fiat alterius viri.

4 Itaque, fratres mei, vos quoque mortificati estis Legi per corpus Christi: ut essetis alterius, ejus *videlicet*, qui ex mortuis excitatus est, ut fructum feramus Deo.

PRimus versus cohæret cum v.14. capitis præcedentis, ubi dixit, *Credentes non esse sub Lege, sed sub gratia.* nam hactenus ab illo versu usque ad initium hujus capitis occupatus fuit refutanda quadam objectione, quæ ex iis verbis poterat concludi. Nunc igitur redit ad sententiam illo versu propositam: eamque demonstrare aggreditur, & concludit hoc syllogismo:

Mortuo eo qui alium per legem aliquam sibi obligavit, liberatur alter ab illa lege, v.1.

Atqui maledictio Legis & irritatio ad peccandum, cui eratis obligati & obnoxii, mortua atq; sublata est, v.4.& 6.

Ergo vos à Legis maledictione & irritatione liberati estis, v.4.& 6.

Propositionem confirmat testimonio Romanorum, v.1.& eandem declarat exemplo conjugii, v.2. & 3. Assumtionem probat à causa efficiente, videlicet crucifixione corporis Christi, v.4: item à resurrectione Christi, ibid. Ex hac autem doctrina deducit exhortationem, quâ hortatur credentes, ut Deo patri qui per Christum eos liberavit, ferant fructum, id est, ut faciant opera Deo grata, instar dulcissimi fructus.

5 Quum enim essemus in carne: affectus peccatorum per Legem *exsistentes* vigebant in membris nostris, ad fructum ferendum morti.

6 Nunc autem liberati sumus à Lege, mortuo *eo* in quo detinebamur: ut serviamus in novitate spiritus, ac non *in* vetustate literæ.

Exhortationem proximam confirmat, repetendo eam ipsam rationem unde illam deduxerat: eandemque confirmando à pari collatione contrariorum: nam contrariarum causarum sunt contrarii effectus. Ergo si obligatio Legis antea efficax fuit ad fructum ferendum diabolo: consequens est, ut liberatio à Lege jam efficax sit ad fructum ferendum Deo.

DE SECUNDA PARTE.

7 Quid ergo dicemus? Lex peccatum *est*? Absit. Imò peccatum non cognovi nisi per Legem. nam etiam cupiditatem non nossem, nisi Lex dixisset, Non concupisces.

Deinceps usque ad v.14. disputat de usu Legis: quem tradit triplicem in non-renatis: primùm, peccati veram cognitionem: alterum ejusdem irritationem & incrementum: tertium, mortem seu sensum iræ Dei. Accedit autem ad hanc disputationem per occupationem objectionis quam malevoli per calumniam colligere poterant ex verbis Apostoli v.5. ubi dixit, *affectiones peccatorum per Legem exsistere.* Ergóne (dicere poterant illi) tu Legem causam statuis peccati per se & suâ naturâ? Hanc calumniam simpliciter rejicit: & contrarium probat ex primo usu Legis: *Lex peccatum ostendit & arguit: non igitur ex sese gignit.* Antecedens probat testimonio suæ experientiæ, & declarat exemplo speciali decimi præcepti.

8 Sed peccatum occasione per illud mandatum sumtâ, effecit in me omnem cupiditatem. Nam absque Lege, peccatum mortuum *est*.

9 Ego verò vivebam absq; Lege quondam: mandati autem illius adventu peccatum *quidem* revixit.

Postquam ex primo Legis usu docuit, Legem non esse causam peccati per se: jam ostendit, quomodo per Legem exsistant affectiones peccatorum & cupiditates: & ita secundum Legis usum tradit. Docet autem, id fieri per accidens: quia pravitas naturæ nostræ, occasione Legis mala vetantis irritetur, ut mala illa committat id quod declarat proposito speciali exemplo decimi præcepti, & confirmat rursum suæ ipsius experientiæ testimonio.

10 Ego verò mortuus sum: & repertum est, illud mandatum, quod *ducebat* ad vitam, mihi *cedere* ad mortem.

Hic addit tertium usum Legis: qui præcedentis effectus est: videlicet mors, id est, sensus iræ Dei & metus æternæ mortis, ortus ex comminatione Legis, quæ ait, *Maledictus omnis qui non manserit in omnibus.* Hunc tertium Legis usum illustrat antithesi contrariorum effectorum.

11 Nam peccatum occasione per illud mandatum sumtâ, seduxit me, & per illud occidit.

Repetit secundum & tertium usum Legis.

12 Itaque Lex ipsa quidem, sancta: & mandatum illud sanctum ac justum & bonum *est*.

Conclusio: nempe, Legem non esse causam peccati.

13 Ergo quod bonum *est*, mihi factum est mors? absit: imò peccatum *mihi factum est mors*: ut appareret *esse* peccatum, quippe quod per id quod bonum est, mihi efficeret mortem; *id est*, ut peccatum fieret summè peccans per illud mandatum.

Illustrat conclusionem occupatione. OBJECTIO: Dixisti (v.11.) peccatum occidisse te per Legem: & jam dicis, Legem esse bonam. hinc efficitur, id quod bonum est, tibi factum esse mortiferum. Apostolus calumniam rejicit: & verba illa, unde calumnia nascebatur, amplius declarat: admonens, Legem non occidere per se, sed propter peccatum nobis inhabitans.

DE TERTIA PARTE.

14 Scimus enim, Legem esse spiritualem: at ego carnalis sum, venditus ut subjicerer peccato.

Sequitur tertia pars capitis, in qua exemplo suo ipsius docet, cujusmodi lucta sit in renatis inter carnem & spiritum. Initio autem amplius declarat, quomodo peccatum per Legem gignat mortem, & hac occasione transit ad sequentem luctæ descriptionem. Opponit autem inter se obedientiam, qualem Lex postulat, & naturam hominis. Lex (inquit) est spiritualis, id est, postulat ab homine obedientiam spiritualem, hoc est, è spiritu seu corde profectam, quæve sine Spiritus sancti gratia præstari non potest: quam obedientiam nisi homo præstet, minatur illi mortem atque eandem etiam gignit. At contra homo naturâ suâ est carnalis, id est, pronus & proclivis ad desideria carnis omnisque generis pravas concupiscentias: denique venditus est sub peccatum, seu ut subjiceretur peccato, hoc est, pravæ naturæ suæ tanquam tyranno obedire cogitur contra legem Dei.

15 Quod enim perpetro, non agnosco. non enim quod volo, hoc ago: sed quod odi, hoc facio.

16 Quòd si id facio quod nolo, consentio Legi quòd bona *sit*.

17 Nunc itaque non ampliùs ego id perpetro: sed peccatum quod in me habitat, *id perpetrat*.

18 Novi enim, non habitare in me (id est, in carne mea) bonum. nam velle *quidem* adest mihi: sed ut quod bonum est, perficiam, non assequor.

19 Non enim facio bonum quod volo: sed malum quod nolo, hoc ago.

20 Quòd si id facio quod ego nolo, non ampliùs ego id perpetro: sed peccatum, quod in me habitat, *id perpetrat*.

21 Comperio igitur, volenti mihi facere bonum hanc legem *impositam esse*, quòd mihi malum adjaceat.

22 Delector enim lege Dei, quod ad interiorem hominem:

23 Sed video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis.

Hîc incipit ipsa luctæ descriptio: ubi Apostolus fatetur, se peccato in se habitante impediri ne agat bonum quod velit, & contrà ab eodem impelli ad agendum malum quod nolit. Quam ipsam sententiam distinctione declarat: qua docet, se velle bonum quatenus renatus sit, malum verò quatenus non sit renatus.

24 Miser ego homo! quis me eripiet ex isto corpore mortis?

25 Gratias ago DEO per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum. Nempe igitur idem ego mente quidem servio legi Dei, carne verò legi peccati.

Concludit hunc locum epiphonemate: quod continet lamentationem de miseria istius luctæ. Cui subjungit consolationem ex consideratione meriti Christi, & efficaciæ.

SCHOLIA IN CAP. VII.

1 Peritos Legis] *Nempe Mosaicæ.* Liberata est] κατήργηται, *id est*, ἠλευθέρωται.

2 A lege viri] ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός. *Et nomen & articulum Græcum bene expressit Syrus, ad hunc modum: A lege mariti sui. Similiter versu sequente.*

3 Si fiat alterius viri] ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ. *id est, si nubat alteri viro. Sic mox.*

4 Mortificati estis Legi] ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ. *id est, respectu Legis, ita scil. ut Lex non possit in vos (quippe mortuos) vim suam exserere, vim nimirum maledicendi & ad peccandum irritandi. Intelligenda autem hîc est mortificatio carnis seu peccati inhabitantis.* Per corpus Christi] διὰ τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ. *videl. quatenus illud pro vobis mortificatum est, qua mortificatione Christus vobis impetravit remissionem peccatorum & Spiritum sanctum, per quem mortificatur in vobis caro seu peccatum inhabitans.* Deo] τῷ Θεῷ, *id est, in usus Dei, videl. ad gloriam Dei, juxta illud Matth. 5.* Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum, qui est in cælis.

5 Quum enim essemus in carne] ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκὶ. *id est, Quum caro in nobis nondum esset per Spiritum sanctum mortificata, sed vires suas adhuc haberet integras.* Per legem existentes] τὰ διὰ τοῦ νόμου. *supple γενόμενα. non quidem vitio aut culpâ Legis, sed natura nostra corrupta, qua nitimur in vetitum.* Ad fructum ferendum morti] *Id est, ad peccandum, atque ita mortem in nos attrahendum.* Stipendia enim peccati sunt mors: *suprà cap. 6. v. ult.*

6 Nunc autem liberati sumus à Lege] *Id est, à maledictione & rigore Legis, seu irritatione illa ad peccandum.* Liberati sumus] κατηργήθημεν. *id est*, ἠλευθερώθημεν: *quo verbo usus est suprà cap. 6. v. 22.* Mortuo eo in quo detinebamur] ἀποθανόντος ἐν ᾧ κατειχόμεθα. *subaudito pronomine* ἐκείνῳ, *idq́; genere neutro seu absolutè. Est enim hac periphrasis carnis seu peccati inhabitantis: cujus respectu suprà v. 4. dixit, nos esse mortificatos, itemque v. 5. significavit, nos non esse ampliùs in carne. Nunc verò dicit, illud in quo detinebamur (nimirum ante regenerationem) id est, carnem seu peccatum inhabitans, esse mortuum, hoc est, vires illius esse fractas per Spiritum sanctum.* Ut serviamus] ὥστε δουλεύειν, *pro* εἰς τὸ δουλεύειν. *Heterosis. Particula* ὥστε *usurpata* τελικῶς: *quod rarum est. Notatur enim finis regenerationis & liberationis à Lege. Quanquam nihil vetat accipi simpliciter de effectu, sic,* ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς, *ut serviamus: quasi dicat, Quo fit ut servire debeamus.* Serviamus] δουλεύειν. *nempe Deo, vel Christo, novo nostro marito.* In novitate spiritus] ἐν καινότητι πνεύματος. *id est, in novitate vitæ (ut suprà locutus fuit, 6. 4.) quam novitatem efficit Spiritus sanctus. Genitivus efficientis.* In vetustate literæ] παλαιότητι γράμματος. *id est, in vetustate naturæ (quem veterem nostrum hominem suprà dixit, 6. 6.) quæ à litera, hoc est, lege Dei, Spiritu destituta, irritatur in non renatis ad peccandum. Metonymia adjuncti.*

7 Lex peccatum *est?*] ὁ νόμος ἁμαρτία; *id est, Estne lex causa peccati? Metonymia effecti. Est autem hîc tropus in attributo seu prædicato: sicut & in verbis Cœnæ,* Hoc est corpus meum. *Nascitur autem hæc objectio ex eo quod dixerat v. 5. affectiones peccatorum per Legem exstitisse.* Imò] ἀλλὰ *q. d.* ὁ νόμος οὐ μόνον οὐκ ἔστιν ἁμαρτία, ἀλλὰ καὶ τὴν ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνων εἰ μὴ διὰ νόμου. *id est, Lex non solùm non est peccatum: sed etiam peccatum non cognovi nisi per Legem. in quam sententiam rectè D. Beza ista verba exponit.* Cupiditatem] τὴν ἐπιθυμίαν. *Hoc nomine intelligit cupiditates pravas seu primos illos motus sive appetitus, quibus titillamur & ad malum solicitamur: utcunque non accedat consensus. Sicut liquet ex collatione versiculi sequentis, ubi dicit,* Peccatum in se effecisse omnem cupiditatem, *id est, omnis generis pravas cupiditates.* Non nossem] οὐκ ᾔδειν. *scilicet esse peccatum.* Non concupisces] οὐκ ἐπιθυμήσεις. *Paulus studio brevitatis omittit verba in Decalogo annexa, nempe,* uxorem proximi tui &c.

8 Peccatum] ἁμαρτία. *id est, vitiositas seu pravitas naturæ. Vide suprà cap. 6. v. 12. Sic accipitur hoc vocabulum deinceps v. 9. 11. 13. 17. 20. 23. 25.* Per illud mandatum] διὰ τῆς ἐντολῆς. *Nempe per illud,* Non concupisces. *Omnino autem simplex & planum puto, ut hæc verba conjungantur cum participio* λαβοῦσα. *Nam per Legem sive ex Lege arripit peccatum occasionem gignendi peccata. Et hæc sententia confirmatur ex collatione versus sequentis, ubi ait,* Absque Lege peccatum fuisse mortuum: revixisse autem adventu illius mandati, *hoc est, inde arripuisse occasionem suas vires exserendi. Tollenda igitur erit distinctio post* ἁμαρτία, *& reponenda post* ἐντολῆς, *ad hunc modum:* ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς, κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν. Effecit] κατειργάσατο. *At contra Jacobus dicit,* Cupiditas parit peccatum, *Jacob. 1. 15. Respondeo: Non pugnat Jacobus cum Paulo: sed idem quod ille, dictum vult. Etenim nomine peccati Paulus intelligit pravitatem appetitus, quam Jacobus nominat cupiditatem. Nomine verò cupiditatis Paulus intelligit peccatum actuale ipsius appetitus: Jacobus nomine peccati intelligit peccatum actuale exterius.* Omnem cupiditatem] πᾶσαν ἐπιθυμίαν. *id est, Omnis generis cupiditates: sicut in illo præcepto,* Non concupisces, *nonnullæ species enumerantur. Hîc observandum, nomine* ἐπιθυμίας *non posse in hac disputatione intelligi ipsam naturæ vitiositatem: quum ea intelligatur vocabulo Peccati: quod Apostolus hoc loco disertè à cupiditate distinguit, tanquam causam procreantem à suo effecto.* Absque Lege peccatum mortuum *est*] χωρὶς νόμου ἁμαρτία νεκρά. *id est, Quum non consideratur Lex, peccatum non ita exserit suas vires, terrendo scilicet conscientiam aut irritando cupiditatem.* Antilogiæ apparentis conciliatio. Vindicatio à falsa expositione.

9 Vivebam] ἔζων. *id est, videbar mihi vivere, securus eram, non terrebatur mea conscientia, quamdiu Legem non rectè considerabam, nempe Legem pravas quoque cupiditates damnare.* Mandati autem illius adventu] ἐλθούσης δὲ τῆς ἐντολῆς. *Intelligit mandatum illud,* Non concupisces. *quod dicit advenisse, quatenus cœpit illud rectè considerare.* Peccatum quidem revixit] ἡ ἁμαρτία ἀνέζησεν. *id est,* vivere cœpit, & quasi sursum atque in lucem emergere. *hæc videtur hoc loco esse vis adverbii* ἄνω, *vel præpositionis* ἀνὰ. *sicut passim apud Evangelistas* ἀναβλέπειν *suspicere significat, & incipere videre. Similis vis est in verbis* ἀναβλαστάνειν, ἀνατέλλειν, ἀνίσταμαι. Mortuus sum] ἀπέθανον. *Latinum obscurius est, propter homonymiam: posset enim intelligi* νεκρὸς εἰμι. *Sed homonymiam tollit antithesis. Videtur*

tamen perspicuitatis gratiâ posse verti, Moriebar. *Narrat enim Apostolus, quid sibi acciderit, cùm ad illius mandati intelligentiam perveniret: nempe conscientiam suam fuisse letaliter vulneratam: cùm antea in cupiditatibus suis securus esset.*

10 Quod *ducebat* ad vitam] ἡ εἰς ζωήν. *scil.* ἄγουσα. Mihi *cedere* ad mortem] αὕτη εἰς θάνατον. *scil.* τυγχάνει *vel* ἐκβαίνει, *evenire.*

13 Ergo quod bonum est &c.] τὸ οὖν ἀγαθὸν &c. *Hæc conclusio infertur è duabus præmissis quæ proximè præcesserunt; propositio quidem v.10.& 11 assumtio verò v.12. Syllogismus concluditur in tertia figura Aristotelis, ad hunc modum:*

Mandatum de concupiscentia mihi cessit ad mortem, seu occidit me, v.10.& 11.

Atqui mandatum illud est bonum, v.12.

Ergo quod bonum est, mihi factum est mortiferum, v.13.

Atq; hoc exemplum eò diligentiùs notandum, quòd tales syllogismi plenè & explicatè conclusi rarò occurrunt. Quippe quòd efficeret] κατεργαζομένη. *Participium* κατεργαζομένη, *pendet à verbo* φανῇ, *tanquam nominativus notans causam.*

14 Legem esse spiritualem] *Id est, postulare obedientiam à spiritu Dei profectam. hanc expositionem poscit antithesis.* Carnalis] *Hoc ipsemet exponit per verba sequentia.*

15 Non agnosco] οὐ γινώσκω. *id est, Non approbo. ut liquet ex sequentibus. Metonymia efficientis Hebraica. Sic Psalm.1.* Jehova novit viam justorum.

18 Id est, in carne mea] *Pro, quatenus carnalis sum. nam regenerati, ex parte quidem majore sunt spirituales; interim tamen ex parte sunt adhuc carnales.*

23 Membris] μέλεσι. *Ego simplex & verum puto, ut propriè intelligantur membra corporis: tanquam in quibus peccatum suas vires exserit.* Mentis meæ] τοῦ νοός μου. *Mentem opponit membris: & mentem vocat, quem superiore versu interiorem hominem dixit: videlicet mentem à spiritu Dei renovatam.*

24 Miser ego] *Exclamatio dolentis. q.d. O me miserum! vel, Hei quam miser sum!* Ex isto corpore mortis] ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου. *Pronomen* τούτου *videtur rectiùs jungi cum nomine* σώματος, *quàm cum nomine* θανάτου. *Atq; eandem syntaxin Syrus quoque interpres observat. Sententia est: Quis me eripiet ex hac morte, quæ veluti corpus quoddam seu res per se subsistens, in me suas vires exserit, meq; miserè vexat. Syntaxis, qualis in illis,* Signum circumcisionis, *suprà 4.11.* Vestigia fidei, *ibid.v.12. Mortem autem* μετωνυμικῶς *intelligit peccatum inhabitans, tanquam rem mortiferam. sicut discipuli Elisæi dicebant,* O vir Dei, mors est in olla: *intelligentes inesse herbas mortiferas. Sup.6.6. appellavit* corpus peccati.

25 Gratias ago Deo] εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ. *Scilicet quòd me jam liberavit à maledictione Legis; & à dominatu peccati: quodq; mihi promisit, se plenè me ab isto dominatu liberaturum.* Idem] αὐτός. *Videtur enim* αὐτὸς *positum, pro,* ὁ αὐτός: *propter distributionem quæ additur.* Mente] νοΐ. *sicut v.23.* Carne] τῇ σαρκί. *id est, vitiositate seu pravitate naturæ quæ in carne sese exserit: vel, quæ ex carnali generatione orta est. Sed quomodo fieri potest, ut Paulus servierit & legi Dei & legi peccati: quum illæ duæ leges inter se adversentur, adversantibus autem inter sese dominis servire nemo possit? Sanè uno eodemq; tempore utramque illam servitutem servire non potuit. Itaque quod dicit, referendum est ad tempora diversa: & ita quidem ut dicatur legi Dei servivisse crebriùs & quasi ordinariè: legi verò peccati rariùs & quasi extra ordinem.*

OBSERVAT. EX CAP. VII.

Mors Christi. 1 E sex primis versibus. Credentes, tum à maledictione Legis, tum à dominatu peccati inhabitantis quod per Legem irritatur, liberati sunt per mortem Christi.

Peccatum originale. 2 Ex v.7.& deinceps usque ad finem capitis. Observanda hîc sunt testimonia de altera parte peccati originalis, videlicet de corruptione seu vitiositate naturæ. nam de priore parte, videlicet defectione à Deo, habuimus testimonia supr. cap.5. v.12. ac deinceps. E quorum duorum locorum inter se collatione sumi potest plena descriptio peccati originalis: nempe quòd sit defectio omnium naturalium hæredum Adæ; qui scilicet à Deo ad Diabolum defecerunt in lumbis illius: & corruptio seu vitiositas naturæ, propter defectionem illam justo Dei judicio homini inflicta: quæ ambo hominem miserum & iræ Dei atque æternæ damnationi obnoxium reddunt, donec ab illa miseria liberetur per Christum. Porrò corruptionem seu vitiositatem naturæ hominis Apostolus hîc nominat peccatum, & illi tribuit effectionem pravarum cupiditatum & pravorum factorum. Errant igitur Anabaptistæ, qui peccatum originis negant: dum affirmant, infantes omni peccato carere.

Lex. 3 Ex v.7. Quum per Legem cognoscatur peccatum, ut hîc affirmat Apostolus: peccati verò cognitio homini Christiano necessaria sit: sequitur, doctrinam Legis in Ecclesia necessariam esse: ac proinde non esse ex Ecclesia exterminandam: ut faciunt Antinomi.

Præcepta decalogi. 4 Ex eodem versu, ex verbis, *Non concupisces.* Quum Apostolus præceptum decalogi de concupiscentia citet uno verbo generali, quo omnes species in decalogo enumeratæ continentur; planum est, eum non fecisse duo præcepta de concupiscentia, sed unicum: ac proinde ut numerus denarius præceptorum constet, præceptum de imaginibus non esse habendum pro parte primi, ac multò minùs expungendum; sed constituendum præceptum peculiare, videlicet secundum. Peccant igitur Papistæ & alii, qui præceptum illud de imaginibus omittunt, & præceptum de concupiscentia in duo discerpunt: quod dum faciunt: non possunt certò ostendere præceptum nonum: quum ordo exemplorum (saltem duorum primorum) in Exodo & Deuteronomio invertatur. nam in Exodo sic habetur: *Ne concupiscito domum proximi tui: ne concupiscito uxorem proximi tui:* at in Deuteronomio ordo invertitur: *Ne concupiscas proximi tui: neque expetas domum proximi tui.* Utrum igitur horum statuere volunt præceptum nonum: in promtu erit reprehensio ex verbis Mosis.

5 Ex v.8.9.10.11.13.14. Tanta est naturæ hominis corruptio & pravitas atque perversitas, ut quò magis voluntatem Dei sanctam ex Lege cognoscit, eò magis contra furat. *Homo.*

6 Ex v.14.& deinceps usque ad finem capitis. Quum Apostolus apertè fateatur, in se adhuc habitare peccatum, & vim suam, quamvis se invito, exserere: nobis quoque idem fatendum est, qui Apostolo sanctiores non sumus. Quare detestabilis est superbia illorum qui nominantur Perfectistæ: qui nimium gloriari audent, se non ampliùs peccare: ac proinde nec recitant orationem Dominicam, ne cogantur dicere: Remitte nobis debita nostra. At sanctus Johannes: *Si dixerimus,* inquit, *nos peccatum non habere: nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. 1. Joh. 1. 8.* *Imperfectio fidelium.*

7 Ex iisdem versibus. Renati perpetuò luctantur cum peccato inhabitante: nec quicquam illis magis dolet, quam quòd Deo secundùm ipsius legem perfectè obedire non possunt. *Renati.*

8 Ex v.20.& 21. Quum Apostolus dicat, *peccatum in se habitare,* item *malum sibi adjacere:* expressè discernit animam ab inhærente vitiositate, quæ usitatè dicitur corruptio naturæ, atque etiam synecdochicè peccatum originis. Errant igitur, qui dicunt, peccatum esse de hominis substantia, quippe quòd sit ipsa anima rationalis. *Peccatum originis.*

9 Ex versu ult. Contra vexationem peccati inhabitantis, à quo renati perpetuò vexantur, consolationem habent præsentem in Christo. quippe per quem nôrunt omnia sua peccata esse expiata, ita ut ipsis non imputentur ad æternam damnationem: quo nomine etiam Deo gratias agunt. *Peccatum originis.*

ANALYSIS CAP. VIII.
ARGUMENTUM.

Hoc caput in duas principales partes distingui potest: in quarum prima Apostolus permixtim agit de justificatione & sanctificatione, usq; ad v.17. In altera parte agit de cruce seu afflictionibus credentium, usque ad finem cap. Ac de justificatione quidem perpaucis hîc agit, v.1.3. & 4. concludens doctrinam suprà cap. 4.& 5. copiosiùs expositam & demonstratam. Summa est: Qui credunt in Christum, ii sunt justificati: quia Deus peccatum eorum in carne Christi condemnavit. De sanctificatione autem pluribus disputat: partim affirmans, credentes sanctitati vitæ studere; quia donati sint spiritu Christi, v.1.2.4.5.9.10.11. partim verò illos ad vitæ sanctitatem exhortans, exponendo effectus: videlicet tum bonum & expetendum effectum vitæ sanctæ, qui est vita æterna: tum è contrario malum effectum vitæ peccatricis, qui est mors: v.6.7.8.12.13.14.15.16.17.

DE PRIMA PARTE.

NUlla igitur nunc *est* condemnatio iis qui *sunt* in Christo Jesu, *nempe* iis qui non secundùm carnem incedunt, sed secundum spiritum.

SEquitur hîc ad disputationem superiorem regressio, nempe ad disputationem de justificatione, copiosè expositam cap.4.& 5.q d. Quum igitur Abrahamo, teste Scripturâ, justitia imputata fuerit, quatenus credidit in Christum: & illud scriptum sit propter nos posteros, ut doceremur, nobis justitiam similiter imputatum iri: quippe quòd Christus propter nostra peccata in mortem est traditus, & propter justificationem nostri resurrexit: ex istis & cæteris in eandem sententiam dictis efficitur, nullam nunc esse condemnationem iis qui sunt in Christo Jesu: hoc est, eos qui Christo per fidem sunt insiti & in ipso manent, non esse obnoxios condemnationi divinæ ad æternos cruciatus: sed contrà esse à Deo justificatos, id est, justos pronuntiatos & absolutos propter justitiam Christi (id est, partam morte Christi) ipsis per fidem imputatam ac donatam. Cæterùm huic sententiæ de justificatione continenter annectit sententiam de sanctificatione, qua affirmat, justificatos seu credentes studere vitæ sanctitati. Id quod hoc consilio facere videtur, ut occurrat falsæ persuasioni & gloriationi hypocritarum, qui de fide ac proinde de justificatione & gratia Dei falsò solent gloriari. Docet igitur Apostolus, cum vera in Christum fide semper ac necessariò cohærere & conjunctam esse sanctificationem seu studium sanctè vivendi, Studium autem sanctitatis describit ex causa procreante, quam vocat *Spiritum*, intelligens novitatem naturæ effectam per regenerationem Spiritus sancti, vi-

tiositate naturali emendatâ. Porrò hanc causæ expositionem illustrat per contrarium seu causam corrumpentem, quam vocat *Carnem*, intelligens naturæ humanæ corruptionem, id est, pravitatem seu vitiositatem, quæ homini per carnalem generationem insita est. juxta illud Joh.3.v.6. *Quod ex carne genitum est, caro est.* Præterea sententiam hanc illustrat similitudine à viatoribus sumtâ, ubi ait, *justificatos ambulare secundum spiritum*, quibus verbis studium sanctitatis comparat ambulationi seu itineri. Quemadmodum enim qui ambulant, certum terminum itineris ad quem tendant, propositum habent: ita unusquisque suis actionibus ad certum quasi scopum tendit. qui scopus piis triplex est propositus; gloria Dei, salus propria, & salus proximi. Ducem autem itineris pii habent Spiritum.

2 Nam lex Spiritus vitæ *qui est* in Christo Jesu, liberavit me à lege peccati & mortis.

Deinceps duas sententias primo versu propositas probat, sed ordine inverso. Posteriorem igitur sententiam, videlicet credentes seu justificatos studere sanctitati vitæ, probat hîc à causa procreante, quæ est Spiritus sanctus credentibus donatus. Observanda autem hîc est enallage personæ: nam quòd modò dixit in persona tertia, id hîc dicit in persona prima. quæ quidem enallage non caret ratione, sed continet argumentum à testimonio, videlicet experientiâ Apostoli, & ita simul argumentum à pari. quod enim Apostolus in se ipse expertus fuit, id pari ratione omnes credentes in se experiuntur, nempe operationem illam Spiritus sancti regenerantis. Porrò studium sanctitatis vocat *legem Spiritus*: eò quòd à Spiritu sancto profectum, sanctas actiones instar legis imperet. Spiritum autem sanctum vocat *Spiritum vitæ*, id est vivificantem seu vitæ authorem. nam Spiritus sanctus in electis author atque effector est primùm fidei, deinde sanctitatis, postremò vitæ ac salutis. Postea argumentum propositum confirmat ab alia causa procreante: videlicet à communione credentium cum Christo in quem credunt. ubi ait, *Spiritum illum vitæ esse in Christo Jesu*; quasi dicat: Spiritus sanctus est in Christo: ergo etiam in credentibus: quippe qui, quum Christo per fidem sint insiti, cum eodem ut palmites cum vite & ut membra cum capite cohærent; ac proinde Spiritus sanctus à Christo in credentes quasi manat atque influit: non secus atque succus ex vite in palmites, & sensus ex capite in subjecta membra. Porrò legi spiritus vitæ opponit *legem peccati & mortis*: quo nomine intelligit studium seu libidinem peccandi, quæ libido à peccato inhabitante orta & mortem secum trahens, instar legis homini imperat multa & varia peccata.

3 Nam quod erat impossibile Legi, quatenus infirmabatur per carnem, *id* Deus *fecit* suo ipsius filio misso in forma consimili carni peccato obnoxiæ, & *sacrificio* pro peccato condemnavit peccatum in illa carne.

Jam accedit ad probationem sententiæ prioris quæ fuit de justificatione: nempe credentes in Christum, esse justificatos, seu (ut Apostolus hîc loquitur) nullam eis esse condemnationem. Hanc igitur sententiam hîc probat à causa efficiente, quia nimirum Deus peccata credentium condemnavit in carne sui filii. Quam sententiam illustrat antithesi rei disparatæ, videlicet Legis. Lex non potuit homini conferre justitiam: at Deus potuit, atque etiam fecit erga omnes credentes. Simul etiam sententiæ oppositæ causam exponit, videlicet Legem non potuisse homini conferre justitiam, quia fuit inefficax reddita per carnem, id est, per vitiatam hominis naturam. Ait igitur; quod Legi impossibile erat, nempe condemnationem ab homine auferre, eò quòd infirma reddebatur per carnem: id Deum fecisse, quum misit filium suum, qui carnem nostræ similem, veruntamen puram, assumeret: atque ita Deum in carne filii innocente condemnasse, id est, abolevisse, nostrum peccatum, illius carni impositum, quatenus ille carnem suam obtulit Deo in victimam pro peccato.

4 Ut justificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem incedimus, sed secundùm spiritum.

Hîc indicat finem, cujus gratiâ Deus in carne filii sui condemnaverit peccatum nostrum, ut scilicet justificatio Legis in nobis compleretur. hoc est, ut justificaremur, præditi eâ justitiâ quam Lex à nobis postulat. Lex enim à nobis postulat perfectam obedientiam, ut scilicet & omnia ea faciamus quæ ipsa imperat, & omnia ea omittamus quæ vetat. Nos autem utroque modo inobedientes fuimus, atque ita duplici peccatorum genere legem violavimus. Sed Christus suâ morte nobis acquisivit remissionem omnium peccatorum, ac proinde effecit ut habeamur pro iis qui perfectam Legi obedientiam præstiterint. Ergo Legi satisfecimus in Christo: & proinde Lex non potest nos condemnare, sed tenetur nos justificare. Et hoc est quod dixit supr. cap.3.v.ult. *Legem per fidem stabiliri.* Hac sententiâ expositâ, redit ad doctrinam de sanctificatione, propositam in posteriore membro versus primi, & demonstratam v.1. Illam igitur nunc denuò proponit, affirmans, justificatos seu credentes sanctitati vitæ studere. quod deinceps probat duobus syllogismis: quorum unus hic est:

Qui sunt secundùm carnem, ii ambulant secundùm carnem, v.5.
Vos autem non estis secundùm carnem, v.9.
Ergo vos non ambulatis secundùm carnem, v.4.

Hic syllogismus licet in forma peccare videatur, tamen firmus est propter reciprocos terminos propositionis: unde illa converti potest simpliciter, ut syllogismus sit secundæ figuræ.

Alter syllogismus ejusdem sententiæ est in contrariis.

Qui sunt secundum spiritum, ii ambulant secundùm spiritum, v.5.
Vos autem estis secundùm spiritum, v.9.
Ergo vos ambulatis secundùm spiritum, v.4.

5 Nam qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt desiderant: qui verò *sunt* secundùm spiritum, quæ spiritus sunt.

Hîc est propositio utriusque syllogismi; sed prioris, quatenus sententia est reciproca. Aliâs syllogismus vitiosus esset, concludens nimirum ex minore negativa in prima figura. Esse autem reciprocam, apparet ex antithesi: cujus hæc est vis, q.d. Apostolus, Ii tantùm qui secundùm carnem sunt, desiderant ea quæ sunt carnis: at contrà ii qui non sunt secundùm carnem, sed secundùm spiritum, desiderant ea quæ sunt spiritus. Porrò *Secundùm carnem esse* & *In carne esse* (ut loquitur infrà 9.) nihil aliud significat Apostolo, quàm esse in carnali naturæ statu, id est, infectum esse vitiositate, quæ carnali generatione in singulos propagata est, ita scilicet ut vitiositas illa nondum sit ullâ ex parte per inhabitantem Spiritum sanctum emendata: Contrà, *Secundùm spiritum esse* & *In spiritu esse*; significat Spiritum S. in se inhabitantem habere, qui vitiositatem naturalem emendat, non quidem in totum, sed tamen maximâ ex parte. Ad extremum, *Desiderare quæ sunt carnis*, est operam dare operibus malis, ad quæ impellit caro, id est, corrupta natura: & contrà, *Desiderare quæ sunt spiritus*, est operam dare operibus bonis & sanctis, ad quæ impellit Spiritus sanctus.

6 Nam desiderium carnis, mors est: desiderium verò spiritus, vita & pax.

Doctrinæ infert exhortationem. Docuit credentes sanctitati studere: nunc eosdem ad sanctitatem, quanquam non expressè, hortatur. Argumentum exhortationis sumtum est ab effectis. *Studium malorum operum seu libido peccandi, parit mortem: Ergo fugiendum. Contrà studium bonorum operum parit vitam & felicitatem: ergo prosequendum.* Hîc ponit solum argumentum: conclusionem tantùm innuit: infrà autem expressè ponet v.12. Vocat autem Paulus hoc loco libidinem peccandi φρόνημα τῆς σαρκὸς, id est, desiderium seu sensum seu affectum carnis: nomine *carnis* intelligens pravitatem naturæ seu peccatum inhabitans: cui tribuit affectum seu cupiditatem & studium. Similis locus est Galat.5.24. *Qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.* Ait autem, *desiderium carnis esse mortem*, hoc est, rem mortiferam, quæ mortem æternam parit. Contrà studium sanctitatis vocat *desiderium spiritus*; nomine *spiritus* intelligens naturæ novitatem: & ait, *desiderium spiritus esse vitam & pacem*, id est, causam vitæ & pacis, hoc est, felicitatis. non quòd studium sanctitatis vitam æternam mereatur: hanc enim nobis solus Christus suâ morte promeritus est: sed quòd sit causa sine qua non, hoc est, sine qua Deus nemini vult conferre vitam. Dei enim hæc est voluntas & ordinatio, ut credentes per studium pietatis tanquam per viam ad vitam tendant: quam sibi jam donatam esse, ac merito Christi partam, certò nôrunt.

7 Propterea quòd desiderium carnis, inimicitia *est* adversus Deum. Legi enim Dei non subjicitur: neque enim potest.

Argumentum exhortationis confirmat à causa efficiente: quia nimirum desiderium carnis inimicitia est adversus Deum: quod rursum ex eo probat, quòd desiderium carnis legi Dei non subjiciatur, sed adversetur.

8 Ergo qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

Conclusio argumenti principalis, quòd scilicet desiderium carnis afferat mortem. quam sententiam hîc enuntiat per metonymiam efficientis, nam qui Deo non placent, eos ipse morte afficit.

9 Vos autem non estis in carne, sed in spiritu: siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. Quòd si quis Spiritum Christi non habet, is non est ejus.

Sequitur assumtio ejus syllogismi, cujus propositio præcessit v.5. Nam tribus versibus interjectis, 6.7.& 8. fuit digressiuncula in argumentum exhortationis. Hîc igitur redit ad syllogismum institutum: cujus conclusio præcessit, v.4. propositio verò (ut modò dictum) v.5. Sententia assumtionis est, Credentes non sunt in carne, sed in spiritu: id est, non sunt merè carnales, quales à natura sunt omnes homines: sed sunt majori ex parte spirituales, id est, per spiritum Dei regeniti. quod ipsum probat eo, quòd spiritus Dei in credentibus habitat. quod rursum probat ex communione credentium cum Christo: Quum

sto: Quum enim credentes per fidem sint membra Christi, consequens est ut habeant eundem spiritum, qui in Christo ut capite habitat.

10 Porrò si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum *est* propter peccatum: spiritus autem vita *est* propter justitiam.

Expolitio, ubi efficaciam Christi per spiritum suum habitantis in credentibus, declarat ex effectis contrariis, videlicet mortificatione carnis, ne possit lascivire & ad petulanter peccandum impellere, & vivificatione spiritus impellentis ad justitiæ studium.

11 Nam si spiritus ejus qui excitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis; is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ejus spiritum in vobis.

Commoratur in eâdem sententiâ: & inserit novum argumentum, quod sumtum est à pari: Deus excitavit Christum ex mortuis per suum spiritum: Ergo per eundem spiritum excitabit etiam vos (membra Christi) ex mortuis, id est, vivificabit corpora vestra ad sanctitatem, ut ea sistatis Deo hostiam vivam, &c.

12 Nempe igitur, fratres, debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus; *sed spiritui.*

Hic ex doctrina proposita deducit exhortationem ad vitæ sanctitatem: quam exhortationem v. seq. confirmat ab effectis. Sententia hujus versus est: Quia igitur Deus dignatur in nobis habitare per suum spiritum, per quem nos regenerat ac renovat: sumus certè debitores spiritui, ut secundùm spiritum vivamus: non autem carni, ut secundùm carnem vivamus. Similis deductio fuit suprà c. 5. v. 12.

13 Nam si secundùm carnem vixeritis, futurum est ut moriamini: sed si spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.

Proponit utriusque vitæ, impiæ nimirum & piæ, effectum: ut ab illa quidem dehortetur, ad hanc verò cohortetur. Intelligit autem mortem æternam, id est, cruciatus damnatorum in inferno: itemque vitam æternam, id est, gaudia beatorum in cælo.

14 Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.

15 Non enim accepistis spiritum servitutis rursus ad metum, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, *id est*, Pater.

16 Idem ille spiritus testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei.

17 Quòd si filii, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

His quatuor versibus confirmat argumentum, quo hortatus fuit ad vitę sanctitatem: quia qui sanctè vivant, victuri sint, id est, (ut hìc loquitur) hæredes Dei futuri sint. Hanc, inquam, sententiam probat à causa efficiente, videl. jure filiorum.

Filii sunt hæredes bonorum paternorum, v. 17.
Vos estis filii Dei, v. 16.
Ergo estis hæredes bonorum Dei, seu (quod idem est) vivetis, vers. 13.

Hujus syllogismi assumtionem, videl. Romanos credentes esse filios Dei, probat primùm ex adjuncto, videl. inhabitante Spiritu sancto: quem vocat Spiritum adoptionis: quia Spiritus sanctus credentibus testatur, ipsos esse adoptatos: ut intelligitur ex v. 16. Hanc autem inhabitationem Spiritus sancti in credentibus, probat ex effectu, videl. invocatione, qua credentes Deum filiali fiduciâ invocant ut patrem: quam fiduciam & invocationem in eis gignit inhabitans Spiritus sanctus. Deinde probat assumtionem syllogismi propositi, testimonio duplici: altero Spiritus sancti, altero conscientiæ, v. 16. Porrò argumentum illud ab adjuncto, illustrat antithesi: qua inter se opponit contraria effecta Spiritus sancti, quæ ille in electis efficit per prædicationem Legis & per prædicationem Evangelii, nam per Legem gignit timorem servilem: at per Evangelium, fiduciam filialem, v. 15. Postremò conclusionem confirmat à pari, v. 17. ubi ait, credentes esse cohæredes Christi. q.d. Christus est hæres Dei: ergo & credentes sunt hæredes Dei. quippe ut Christus, Dei filius est per naturam: ita credentes sunt filii Dei per gratiam, nempe à Patre ex gratia in Christo filio unigenito adoptati & in filiorum numerum recepti. Christus igitur est hæres principalis, quippe primogenitus inter multos fratres: credentes autem sunt Christi cohæredes, & hæredes propter Christum, quippe propter quem adoptati sunt.

DE SECUNDA PARTE.

17 Si modò simul *cum eo* patimur, ut etiam simul *cum eo* glorificemur.

Hic incipit altera capitis pars, ubi agit de cruce seu afflictionibus credentium. Hortatur autem ad crucem patienter cum Christo tolerandam: argumentum affert ab effectu utili, videlicet glorificatione seu gloria cælesti: quod argumentum copiosè & variè tractat. Porrò cum exhortatione conjungit consolationem, docens fore ut credentes tandem ex cruce eluctentur, non autem sub illius mole succumbant: id quod probat tribus argumentis: quorum primum sumtum est à certitudine spei credentium, v. 24. & 25. alterum ab ope Spiritus sancti, v. 26. & 27. tertium verò à charitate Dei, qua credentes complectitur in Christo, v. 28. & inde usque ad finem capitis. Hoc autem versu continetur propositio exhortationis, quæ est: *Debemus unà cum Christo pati.* cui annectitur argumentum, *Ut unà cum eo glorificemur.*

18 Nam statuo, minimè *esse* paria quæ præsenti tempore perpetimur, gloriæ in nobis retegendæ.

Amplificat argumentum per comparationem imparium, quâ præsentes afflictiones credentium cum futura eorundem gloria confert, ut minores.

19 Etenim creatura, *quasi* exserto capite observans, exspectat patefactionem filiorum Dei.

Argumentum exhortationis confirmat: probans, futuram illam credentium gloriam esse certam. quod probat à destinato duplici: primùm à desiderio quodam arcano rerum creatarum, v. 19. 20. 21. 22. deinde à desiderio ipsorum credentium, v. 23.

20 Nam vanitati creatura subjecta est, non suâ sponte, sed propter eum qui subjecit *eam isti vanitati.*

Exponit causam procreantem istius desiderii creaturarum, nempe sensum maledictionis divinæ, cui subjectæ sunt propter hominis peccatum, ut constat ex Gen. 3. v. 17. & 18. *Maledicta sit terra propter te, spinas & tribulos feret tibi.* Ab hac autem maledictione terra liberabitur, quum patefiet gloria filiorum Dei, videlicet in resurrectione mortuorum, quando Dominus condet cælum novum & terram novam, juxta dictum Petri, 2. Pet. 3. 13.

21 Sub spe, quòd & ipsa vindicabitur ex servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Hìc exponit finem istius desiderii quod tribuit creaturis. Cur desiderant & exspectant res creatæ patefactionem gloriæ filiorum Dei? Respondet: Quia sperant, se suo modo socias fore illius gloriæ: quippe quæ liberabuntur à servitute interitus. Instituit autem collationem imparium, quum ait, *Et ipsa* q.d. Non solùm filii Dei glorificabuntur: sed etiam (quod magis mirandum est) res creatæ. non quòd res brutæ atq; inanimæ, ejusdem gloriæ participes futuræ sint cum filiis Dei: sed quòd suo modo & suo quæque gradu sociæ futuræ sint melioris status, nempe τῆς ἀφθαρσίας, incorruptionis. Porrò libertatem incorruptionis, in quam res creatæ vindicabuntur, vocat libertatem gloriæ filiorum Dei: quia ex illa gloria hæc libertas & incorruptio dependet, tum demum enim cælum & terra cæteræque res creatæ innovabuntur, quum patefiet gloria filiorum Dei.

22 Scimus enim, omnem creaturam unà suspirare & unà parturire ad hoc usque *tempus.*

Redit ad exponendum illud creaturarum desiderium & exspectationem, de qua dixit v. 19. Est igitur hìc illius sententiæ expolitio, constans geminâ metaphorâ. Ait enim, res creatas *suspirare & parturire.* Suprà dixit eas *exserto capite exspectare.* Quæ quidem metaphoræ valde illustres & emphaticæ sunt.

23 Neque verò *illa* solùm, sed & ipsi qui primitias Spiritus habemus, nos ipsi, inquam, apud nos suspiramus, adoptionem exspectantes, *id est*, redemtionem corporis nostri.

Hactenus prima ratio, qua probavit futuram credentium gloriam esse certam, videlicet à desiderio creaturarum: hic transit ad alteram rationem, quæ sumta est à desiderio ipsorum credentium. Simul autem exponit illius desiderii ac spei causam procreantem, videlicet sensum donorum Spiritus sancti: quæ dona vocat *primitias*, per suavissimam metaphoram, sumtam à more ecclesiæ veteris Testamenti. Offerebant enim ex Dei mandato primitias frugum: partim ut Deo gratias agerent, ut videre est Deut. 26. partim ut reliqua seges sanctificaretur, de quo Levit. 23. 14. & infr. 11. 16. Quemadmodum igitur Israelitæ ex primitiarum oblatione spem concipiebant reliquę segetis suo tempore fruendæ: sic credentes è sensu eorum donorum Spiritus sancti, quibus in hac vita donati sunt, spem concipiunt gaudiorum cælestium suo tempore fruendorum. Porrò hæreditatem cælestem, quam credentes cum desiderio exspectant, vocat primùm *adoptionem*, quia ad eam adoptati sumus: deinde *redemtionem corporis*, quoniam tunc liberati erimus à miseriis hujus vitæ, quibus corpora nostra jam subjecta sunt. quo sensu etiam Christus de die ultimo loquens, nos hortatur ut attollamus capita, quoniam appropinquet redemtio nostra. Aliâs redemtio intelligitur de liberatione à pœnis seu cruciatibus æternis: qua redemtione credentes jam fruuntur: sunt enim redemti pretioso sanguine Christi, ut Petrus ait.

24 Nam spe servati sumus. Spes autem si cernatur, non est spes. Quod enim quis cernit, cur speret?

25 Si igitur quod non videmus, speramus, *nempe* per tolerantiam exspectamus.

Prolepsis. Dixit, nos exspectare redemtionem corporis nostri. Contrà poterat objici, Nónne jam sumus redemti, ac proinde salvi? Quòd si salvi sumus, non igitur redemtionem exspectamus. Respondet distinctione: concedens, nos esse jam salvos, sed spe, nondum re: atque hinc suum propositum rursus concludit:

Si res sperata jam à nobis cernerentur & possiderentur: tum non essemus salvi spe, sed re: nam quod quis cernit, cur speret?
At salvi sumus spe.
Ergo res sperata jam à nobis non cernuntur: ac proinde patienter & cum desiderio exspectantur.

Observandum autem, hac prolepsi simul contineri consolationem contra crucem, à spe hæreditatis cælestis: quæ adeò certa est, ut illius respectu jam salvi simus: quippe qui initia vitæ æternæ etiam in hac vita persentiscimus.

26 Itidem autem & Spiritus unà sublevat infirmitates nostras. Quid enim precemur ut oportet, non novimus: sed ipse Spiritus interpellat pro nobis suspiriis ineffabilibus.

27 Qui verò scrutatur corda, novit quis sit sensus Spiritus. quia secundùm Deum interpellat pro sanctis.

Sequitur altera consolatio: quæ sumta est ab ope Spiritus S. *Spiritus sanctus*, inquit, *sublevat infirmitates nostras*: quatenus nimirum nobis in angustia constitutis dictat ardentes preces, & in cordibus nostris excitat ineffabiles gemitus: quos gemitus & quas preces Deus exaudit, & credentibus opem fert, ne sub onere crucis succumbant.

28 Novimus autem, iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum, iis *videlicet* qui ex proposito *ipsius* vocati sunt.

29 Nam quos præcognovit, etiam prædestinavit, *ut* conformes *fiant* imagini filii sui: ut is sit primogenitus inter multos fratres.

30 Quos verò prædestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.

Sequitur tertia consolatio: quæ sumta est à proposito seu æterno decreto Dei, quo credentes constituit servare. Ex hoc decreto tanquam prima & summa causa concludit futuram credentium gloriam, per soriten:

Quos Deus (inquit) *præcognovit, hoc est, ab æterno decrevit servare, eos etiam prædestinavit, ut conformes fiant imagini filii sui.*
Quos autem prædestinavit, eos etiam vocavit.
Et quos vocavit, eos etiam justificavit.
Quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.
Ergo quos Deus ab æterno decrevit servare, eos glorificavit, hoc est, certò glorificaturus est suo tempore. Ac jam quidem glorificavit spe, atque etiam ex parte re, videl. quatenus eos sanctificavit: glorificabit etiam reipsa plenè suo tempore.

31 Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Deinceps usque ad finem capitis, consolationem tertiam, quam petivit à charitate Dei erga credentes, expolit, & copiosè ac variè amplificat. Continet autem hæc expolitio quadruplicem gloriationem: primam, quòd crux non possit credentibus obesse, v.31. secundam, quòd Deus credentibus omnia ad salutem necessaria certò daturus sit, v.32. tertiam, quòd credentes tuti sint ab accusatione coram Deo & condemnatione, v.33. 34. quartam, quòd sensus charitatis Dei erga credentes, non possit ex cordibus eorum excuti per ullam persecutionem, v.35. & deinceps.

Porrò prima gloriatio exornatur exclamatione, & continet enthymema à contrariis: *Deus pro nobis est: ergo nemo poterit quicquam contra nos.* Antecedens liquet ex præcedentibus; videl. ex aurea illa catena, id est, gradatione & sorite. Ratio consequentiæ est omnipotentia Dei: quæ non patitur resistentiam.

32 Is quidem qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quî non etiam cum eo omnia nobis donabit?

Secunda gloriatio & exclamatio continet enthymema à minori: *Deus donavit nobis proprium filium: ergo multò magis donabit cætera ad salutem necessaria.* Antecedens illustrat antithesi, qua inter se opponit hæc duo, *Parcere*, & *In mortem exponere.*

33 Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus *is est* qui justificat.

34 Quis est qui condemnet? Christus *is est* qui mortuus est, imò verò qui etiam excitatus est: qui etiam est ad dexteram Dei: qui etiam interpellat pro nobis.

Tertia gloriatio & exclamatio continet duo enthymemata à contrariis. 1. *Deus credentes justificat; id est, justos pronuntiat & absolvit: ergo nemo audebit eos accusare apud Deum; aut si quis ausit, frustrà laborabit.* 2. *Christus mortuus est pro credentibus, excitatus etiam est propter justificationem ipsorum: quin etiam nunc sedet ad dextram Dei, defendens illos & deprecans patrem pro illis: ergo nemo poterit credentes condemnare; aut si quis ausit, frustrà id faciet.* Observanda autem hîc est contrariorum trajectio decussatim facta: nam aliàs rectà opponerentur accusatio & intercessio seu patrocinium: deinde condemnatio & justificatio seu absolutio. Nunc verò accusationi opponitur justificatio: condemnationi verò intercessio.

Accusatio ✕ Intercessio.
Condemnatio ✕ Justificatio.

35 Quis nos separabit à charitate Christi? *num* afflictio? num angustia? num persequutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius?

Sequitur quarta gloriatio & exclamatio, quòd sensus charitatis Dei, qua credentes diligit in Christo, per nullam persecutionem ex ipsorum cordibus possit tolli. Hanc gloriationem illustrat enumeratione partium duplici: quarum priore enumerat aliquot genera crucis, v.35. posteriore verò genera hostium, v.38. & 39.

36 Sicut scriptum est, Tui causâ occidimur totum diem, habiti sumus velut oves destinatæ mactationi.)

Crucem quam postremam enumeravit, videl. gladium, confirmat per digressiunculam seu parenthesin, testimonio Scripturæ ex Psal. 44.23.

37 Imò in his omnibus plus quàm victores sumus per eum qui dilexit nos.

Redit ad illam enumerationem calamitatum, & interrogationi suæ ipse respondet. Interrogatio erat, Quæ calamitas separabit nos à charitate Christi? Respondet, Nulla; sed omnes calamitates vincimus ac superamus excellenter ope Dei.

38 Nam mihi persuasum est; neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura,

39 Neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam creatam, posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Sequitur altera pars quartæ gloriationis, continens enumerationem hostium: quæ enumeratio novem est partium, & illustrata est antithesi partim contrariorum, partim diversorum, item præcisione.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

1 Nulla igitur] οὐδὲν ἄρα. *Est novum orationis exordium ex abrupto, & ad superiorem de justificatione disputationem regressus: cui annectit doctrinam de sanctificatione. Talis abruptionis & regressionis exemplum exstat suprà 3.9.* Qui sunt in Christo] *Id est; qui credunt in Christum & per fidem ei sunt insiti. Nempe* iis qui non &c.] μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν. *pro*, τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν. *sicut loquitur infrà v.4. Syrus tamen interpres aliam hîc syntaxin observat, ut qui sic vertat, Proinde non est condemnatio iis qui non ambulant juxta carnem in Jesu Christo. Conjunxit igitur articulum* τοῖς *cum participio* περιπατοῦσι.

2 Lex spiritus vitæ *qui est* in Christo Jesu] τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Placet supplementum*, qui, *ut referatur ad spiritum, & in Græco subaudiatur* τοῦ. *quasi scriptum sit*, τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς, τοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Non enim repetendum esse* τό, *ut referatur ad* ζωῆς: *ex eo intelligi potest, quòd illud* ζωῆς *cum nomine* πνεῦμα *cohæret vice epitheti; quasi dicat*, Spiritus vivifici, τοῦ πνεύματος τοῦ ζωοποιοῦντος: *quod verbum Spiritui S. tribuit infr. v. 11. Sic igitur hunc locum exponendum puto*: Lex Spiritus vivifici qui est in Christo Jesu. *id est, Spiritus S. qui corda vivificans, quique in Christo tanquam capite residens, atque inde in nos tanquam membra influens, instar legis est, imperantis nobis & dictantis quid agere debeamus. Quanquam nihil vetat quin illa verba*, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *construantur cum verbo sequente* ἠλευθέρωσε: *ut nimirum textus distinguatur ad hunc modum*: ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἠλευθέρωσέ με &c. *Id est*, Nam lex Spiritus vitæ, per Christum Jesum liberavit me. *Et tum exponendum, quòd Spiritus S. regenerans, nobis per Christum sit impetratus, videlicet per mortem illius.* Liberavit me] *Enallage personæ. Cujus rationem exposui in Analysi.* A lege peccati & mortis] ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ θανάτου. *Antitheseos ratio videbatur postulare, ut hîc diceretur* τῆς ἁμαρτίας τοῦ θανάτου, *omissâ scilicet conjunctione copulativâ: quemadmodum dixit*, τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς. *Sed quoniam hoc loquendi genus fuisset insolens ac*

durum,

durum, Apostolus conjunctionem interposuit, eodem tamen sensu ac si peccatum mortiferum (ἁμαρτίαν θανατηφόρον) *dixisset. Est igitur hîc figura Grammatica* ἓν διὰ δυοῖν: *ut in illo Virgiliano,* Pateris libabat & auro. *pro, pateris aureis. Sic igitur hæc Apostoli verba sunt exponenda:* A lege peccati *&* mortis: *Id est, à peccato inhabitante & corda occidente, quod instar legis mihi imperabat malas actiones & ad eas me impellebat.*

3 Nam quod &c.] τὸ γὰρ. *Observandum, sententiam hanc non cohærere cum proximè præcedente, sed cum priore membro versiculi primi: sicut declaravi in Analysi. Exemplum talis abruptionis & regressionis vide suprà 4.13.* οὐ γὰρ διὰ νόμου *&c. Quæ sententia non cohæret cum proximè præcedente, sed cum sententia versiculi tertii & sexti. Verba autem Apostoli singula sic puto exponenda:* τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, impossibile Legis: *id est, quod erat impossibile Legi, nempe hominem justificare seu justitiam illi conferre, ut intelligitur ex vers. seq.* Legis] τοῦ νόμου. *nempe Dei.* Quatenus] ἐν ᾧ. *id est,* ἐφ' ᾧ, *quatenus, seu eò quòd. nam certum est, deinceps illius impotentiæ causam exponi. Vult enim docere, quòd Legi impossibile sit nos justificare, culpam non esse Legis, sed carnis, quâ impedimur ut Legem non possimus præstare.* Infirmabatur] ἠσθένει, *hoc est, infirma, invalida, impotens, deniq; inefficax reddebatur.* **Sintemaal das Gesetz unkreftig und kraftloß gemacht wurde.** Per carnem] διὰ τῆς σαρκός. *nempe* τῆς ἐμῆς, *vel* τῆς ἡμετέρας. *per carnem meam vel nostram: id est, vitiositatem carnali generatione nobis insitam.* Nam quod ex carne genitum est, caro est. *Johan.3.6. Sic suprà 7.v.14. dixit, se carnalem esse.* Deus fecit] ὁ Θεός. *Omnino videtur* ἐκεῖνο *verbum* ἐποίησε, *aut simile. nam opponit inter se Legem & Deum ratione unius effecti, quod Lex quidem efficere non potuerit, Deus autem effecerit. Itaque rectè hoc ab Erasmo observatum puto, qui supplevit verbum* præstitit. *quem imitatus est suâ versione Lutherus: quam ipsam retinuit & approbavit Olevianus.* Deus] ὁ Θεός. *Scilicet pater: ut intelligitur è sequentibus. Synecd. gen.* Misso] πέμψας. *Scilicet* εἰς τὸν κόσμον, *πρὸς τοὺς ἀνθρώπους.* In forma consimili carni peccato obnoxiæ] ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας. *Id est, indutum carne quæ similis erat carni peccatrici, sed tamen peccatrix non erat. Subaudito scilicet participio* ὄντα. *Potest tamen, eodem manente sensu, aliter construi, nempe ut illa verba* ἐν ὁμοιώματι, *pendeant à participio* πέμψας, *& ἐν sit positum pro* εἰς. *sic.* Misso in similitudinem carnis peccati. *Id est, in carnem similem carni peccatrici. Confer Phil.2.v.7.& 8. item Hebr.4.v.15.* Carnis peccati] σαρκὸς ἁμαρτίας. *Id est, carnis peccatricis seu peccato infectæ, id est, infectæ istâ vitiositate quæ peccatorum fons est, & carnali generatione innascitur. Genitivus adjuncti.* Et sacrificio pro peccato &c.] καὶ περὶ ἁμαρτίας *&c. Id est, sacrificio expiatorio per Christum oblato è medio sustulit peccatum. Alii,* Et de peccato. *Quod quidam veterum sic exponunt: Deum condemnasse peccatum de peccato, id est, peccati, ut quod vim attulerit Christo innocenti. Cui expositioni favere videtur exemplum similis constructionis, Johan.16.v.9.* Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. ἐλέγξει περὶ ἁμαρτίας, *id est, convincet eum peccati: tum etiam suavitas* ἀντανακλάσεως *Apostolo Paulo usitata: quum scilicet idem verbum repetit paulum diverso sensu. Qualis paronomasia fuit supr.7.13. in consimili sententia:* ἵνα γένηται καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία. *Similis etiam antanaclasis est in illo dicto,* Ero mors tua ô mors. *Sententia igitur verborum Apostoli secundùm illos hæc erit: Deus in carne filii sui condemnavit peccatum (scilicet credentium) de peccato, id est, peccati: hoc est, propterea quòd ipsum in Christum peccavit, afferens illi mortem, quum tamen esset innocens: ac proinde Deus ademit peccato suum jus erga credentes, ut non possit eis posthac nocere. Verùm quum ista expositio videatur argutior, potiùs amplector sententiam eorum qui per illas voces* περὶ ἁμαρτίας, *intelligunt sacrificium pro peccato: quod sic præcisè solet nominari in versione Bibliorum Græca (Levit.4.& 5.) subaudito scilicet nomine* θυσία: *& præpositione* περὶ *usurpatâ loco præpositionis* ὑπέρ. *Atq; sic isti loco similis erit ille 2.Cor.5.v.ult.* Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit. *Id est, victimam pro peccato. Similis ellipseos exemplum exstat Hebr.10.6.& in versione Græca Psal.40.7. Verbum autem,* condemnavit, *pro abolevit, usurpatur per metonymiam efficientis metaphoricam. nam judicis condemnatio facit ut reus è medio tollatur.* In illa carne] ἐν τῇ σαρκί. *nempe* τῇ τοῦ υἱοῦ. *id est, In carne filii, cujus modò mentionem fecit. Ideo puto exprimendum articulum. Atq; ita vertit Syrus,* In carne ejus. *Articulus* διαφορικός. *Damnavit autem Deus peccatum in carne filii, quum hanc propter illud crucifigendam dedit.*

4 Ut justificatio Legis impleretur] ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ. *Hæc verba non sunt intelligenda de naturæ instauratione, sed de venia seu peccatorum remissione. Indicatur enim jam finis, cujus gratia Deus pater in carne filii sui condemnaverit peccatum nostrum: ut scil. justificatio Legis in nobis compleretur, hoc est, ut justificaremur præditi eâ justitiâ quam Lex à nobis postulat. Sicut pleniùs declaravi in Analysi. Porrò nomen* δικαίωμα *valet hîc idem quod* δικαίωσις: *sicut supr.c.5.v.16. ubi* κατάκριμα *&* δικαίωμα *inter se opponuntur. Esse autem hanc sententiam intelligendam de justificatione seu remissione peccatorum: judicari quoq; potest ex connexione sententiæ sequentis. Etenim*

huic planè similis connexio fuit supr.v.1. Qui non secundùm &c.] *Redit ad doctrinam de sanctificatione, propositam in posteriore membro versus primi, & demonstratam v.2. Illam igitur nunc denuò proponit, idq; iisdem verbis: ac deinceps confirmat duplici syllogismo, sicut in Analysi ostendi.*

5 Qui secundùm carnem sunt] οἱ κατὰ σάρκα ὄντες. Secundùm carnem esse, *& infr.9.* In carne esse, *nihil aliud significat Apostolo, quàm esse in carnali naturæ statu, id est, infectum esse vitiositate, quæ carnali generatione in quemq; propagata est, ita scil. ut vitiositas illa nondum sit ullâ ex parte emendata & fracta, per inhabitantem Spiritum S.* Quæ carnis sunt, desiderant] τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσι. *Vel,* quæ carnis sunt, expetunt. *Lutherus eleganter,* **Sie sind flaischlich gesinnet.** *quasi dicas, carnaliter affecti sunt, id est,* **sie sinnen vnd trachten nach solchen wercken / darzu das flaisch (das ist / die böse art) lust hat / nemlich nach bösen vnd sündhaften wercken.** *Eodem sensu mox v.6. nominat* τὸ φρόνημα τῆς σαρκός. Qui verò sunt secundùm spiritum] Secundùm spiritum esse, *item* In spiritu esse *(infr.v.9.) significat Spiritum S. in se inhabitantem habere, qui vitiositatem naturalem emendat, non quidem in totum, sed tamen maximâ ex parte.* Quæ Spiritus sunt] *Supple, desiderant. id est, operam dant operibus bonis & sanctis: ad quæ impellit Spiritus S.*

6 Nam] γὰρ. *pro* δέ, *autem. Heterosis. Non enim probat quod præcessit: sed doctrinæ inserit exhortationem. Docuit, credentes seu justificatos sanctitati studere: nunc eosdem ad sanctitatem, quanquam non expressè, hortatur. Sicut ampliùs declaratum est in Analysi.* Desiderium] φρόνημα. *Significatur hoc nomine studium & cupiditas: ut intelligitur ex verbis,* φρονεῖν τὰ τῆς σαρκός. *Erasmus vertit* affectum: *satis commodè. Veruntamen commodius videtur nomen* desiderii *vel vocabulum* sensus: *quo usus est D. Beza infr. hoc ipso cap. v.26.* Qui verò scrutatur corda, novit quis sit sensus Spiritus, τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, *hoc est, quid velit Spiritus. Et sic usurpavit hoc nomen Cicero pro Ligar.* Quis sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? *Ecce armis Tuberonis, id est, ipsi Tuberoni armato, tribuit sensum, hoc est (ut ipse exponit) cupiditatem & votum seu desiderium, nempe interficiendi Cæsarem. Planè* φρόνημα τῆς σαρκός, *idem hîc est Paulo, quod alibi* ἐπιθυμία τῆς σαρκός, *id est, concupiscentia seu cupiditas seu desiderium carnis: Gal.5.24.* Qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis. Mors *est*] θάνατος. *Supple* ἐστί. *id est, res mortifera. Metonymia effecti. Talis metonymia erat supr.7.7.& 6.23. Sic mox:* Desiderium verò spiritus, est vita & pax] *Id est, causa vitæ & pacis, hoc est, felicitatis. Nam studium sanctitatis etsi non promeretur vitam: tamen est causa sine qua nemo consequetur vitam: idq; ex ordinatione Dei. Simile: Studium sanctitatis ducit ad vitam, sicut via per montem, ad thesaurum qui situs est supra montem. Fac enim, thesaurum illum tibi ab amico donatum esse, ac proinde jam tuum esse, ut non sit tibi opus illum promereri: tamen ad eum non pervenies, nec eum consequeris, nisi per viam montem ascendas. Porrò* pax *pro felicitate accipitur per synecdochen membri, Hebræis usitatam. Est enim pax & tranquillitas, non minima felicitatis pars.*

7 Desiderium] τὸ φρόνημα. *Vide versu superiore.* Inimicitia] ἔχθρα. *pro* ἐχθρόν. *Metonymia adjuncti, ad amplificandum adhibita. Atque ita Syrus paraphrastes tropum explicavit, vertens,* Dominus inimicitiæ: *pro eo quod est,* inimicus. Non subjicitur] οὐχ ὑποτάσσεται, *id est,* Non obedit, *non obtemperat. Ex hoc verbo planum est, hîc sermonem esse de voluntate, non de mente: ac proinde nomen* φρόνημα *hîc non rectè verti,* prudentiam *vel* intelligentiam.

8 Ergo qui in carne sunt] οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες. *Pro* οἱ οὖν, *qui igitur. Heterosis. Videtur enim esse conclusio præcedentis argumenti, vel potiùs conclusionis repetitio aliis verbis, in hanc sententiam: Desiderium carnis adversatur legi Dei: Ergo qui in carne sunt, sunt inimici Dei, ac proinde Deo placere non possunt. Quid autem sit,* in carne esse, *explicavi suprà v.5.*

9 Vos] ὑμεῖς. *Nempe vos Christiani qui estis Romæ. Est enallage personæ: nam in syllogismi hujus conclusione v.4. usus est personâ primâ: hîc in assumtione utitur secundâ.* Habitat] οἰκεῖ. *Metaphora. Sic 1.Cor.6.19. vocat Christianos templa Spiritus sancti.*

10 Si Christus in vobis est] *Scilicet per Spiritum suum: id est, si spiritus Christi in vobis est, ut versu præcedente loquutus fuit.* Corpus] τὸ σῶμα. *Vocabulo corporis videtur hîc idipsum intelligere quod anteà vocavit carnem: quia et opponit Spiritum, ut anteà carni. Intelligit igitur vitiositatem naturæ, quæ in corpore seu membris corporis se exserit: per metonymiam subjecti. Sic infr.13.* Mortuum *est*] νεκρόν. *Supple* ἐστί. *Metaphora. Vult dicere, vitiositatem naturæ esse sublatam atq; exstinctam, saltem ex majori parte.* Propter peccatum] δι' ἁμαρτίαν. *Id est, quod attinet ad peccatum, seu ratione peccati: ne scilicet possit ampliùs impellere nos ad petulanter peccandum. Præpositio* διὰ *hîc notat formam.* Spiritus] τὸ πνεῦμα. *id est, novitas illa naturæ, unde exsistit studium pietatis: cujus novitatis author atque effector est Spiritus sanctus. Metonymia efficientis.* Vita *est*] ζωή. *supple* ἐστί. *id est, vivit. nam opponitur ei quod dixit,* νεκρόν

is. Metonymia adjuncti, item metaphora. nam vult dicere, Novitatem istam, esse actuosam seu operosam & efficacem, ac studium pietatis vigere. Nisi malimus, per metonymiam effecti significari causam efficientem vitæ. Sed priori expositioni favet antithesis. Propter justitiam] διὰ δικαιοσύνην. id est, quod attinet ad justitiam, seu ratione justitiæ: ut nimirum nos impellat ad justas piasq; actiones.

11 Nam si] εἰ δὲ. Pro εἰ γὰρ. Repetit enim & expolit sententiam versiculi præcedentis. Heterosis. Spiritus ejus qui excitavit Jesum ex mortuis] Id est, Spiritus Dei: ut vocavit supra v.9. Est περίφρασις ex effecto, accommodata argumento quæstionis propositæ. nam inferit hic novum argumentum, quod à pari sumtum est: Deus excitavit Christum ex mortuis per suum spiritum: Ergo per eundem spiritum excitabit etiam vos (membra scilicet Christi) ex mortuis: id est, vivificabit corpora vestra ad vitæ sanctitatem. Similis huic est sententia illa Christi Johan.5.25. Veniet tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent. Mortalia] θνητὰ. id est, morti obnoxia propter peccatum. Hoc epitheton adjecit ad suavitatem antitheseos inter vivificari & mortale esse. Corpora] σώματα. Quum certum sit, Apostolum hic non loqui de resurrectione corporum, sed animarum: videri possit, potius debuisse animarum mentionem facere: sed videtur corporis vocabulum prætulisse propter collationem. Confert enim corpora nostra cum corpore Christi excitato. Etsi autem vivificatio illa Spiritus sancti, de qua hic Apostolus loquitur, principaliter in anima perficitur: tamen etiam ad corpus pertinet, tanquam animæ instrumentum, unde infr.12.1. hortatur eos, ut sistant corpora sua hostiam vivam &c.

13 Futurum est ut moriamini] Nempe morte æterna: quo nomine intelliguntur cruciatus damnatorum in inferno. Corporis] τοῦ σώματος. id est, carnis, vide supr. v.10. Vivetis] nempe vita æterna: quo nomine intelliguntur gaudia beatorum in cælo.

14 Aguntur] ἄγονται. id est, impelluntur ad sanctas actiones. **Welche vom Gaist Christi getriben werden.** Filii] υἱοὶ. id est, liberi, τέκνα: ut v.16. **Kinder.** Synecdoche speciei nam sexus muliebris nequaquam excluditur: quum in Christo nec mas sit, nec fœmina: id est, non habeatur sexus ratio.

15 Spiritum servitutis] Sic vocat Spiritum sanctum ab effecto, quod ille efficere solet per prædicationem Legis. Rursus] πάλιν. scil. sicut olim Israëlitæ quum eis Lex promulgaretur, Exod.19. Spiritum adoptionis] Id est, Spiritum sanctum qui credentibus adoptionem ipsorum testatur, nimirum eos esse filios Dei: infr.16. Per quem] ἐν ᾧ. pro, δι᾽ οὗ. Hebraismus. Clamamus] κράζομεν. Enallage personæ: nam modò usus fuit persona secunda, ἐλάβετε. Clamoris autem nomine notantur ardentes illi gemitus, quos Spiritus sanctus in piis excitat, quoties opus est: etsi illi ne verbum quidem loquantur, ut clarè perspicitur in exemplo Mosis: cui ad mare rubrum in summis angustiis ingemiscenti, dixit Deus: Moses, quid clamas ad me? Infr.v.26. ait: Ipsum Spiritum (scilicet sanctum) interpellare pro nobis gemitibus ineffabilibus. Testatur unà cum spiritu] συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι. id est, μαρτυρεῖ σὺν τῷ πνεύματι. Græcismus. Spiritu nostro] τῷ πνεύματι ἡμῶν. id est, animo nostro, corde nostro. Sic 1.Cor.2.11. Filios] τέκνα. Id est, liberos, **Kinder.**

17 Quod si filii] Scilicet sumus. Etiam hæredes] Scilicet sumus. Hæredes Dei] κληρονόμοι Θεοῦ. Id est, bonorum Dei, gaudiorum cælestium. Metonymia subjecti quanquam Deus ipse summum bonum est, cujus fruitione beati erimus. Cohæredes Christi] Nam Christus est hæres principalis: nos verò sumus hæredes propter Christum; quia in Christo sumus adoptati, & in filiorum numerum recepti. Christus alibi vocatur hæres universorum: item primogenitus ex mortuis. nam primogenitus erat principalis hæres: ut qui duplam portionem acciperet. Simul cum eo patimur] συμπάσχομεν. Supple, αὐτῷ, nempe τῷ χριστῷ, cujus modò mentionem fecit. Sic mox. Ut etiam &c.] ἵνα καὶ. Particula καὶ hoc loco nota paris est, & justitiam Dei notat in præmio nobis tribuendo pro exactis laboribus. Quam Dei justitiam exponit Apostolus 2.Thessal.1.v.4.& seqq.

Heb.1.2.
Col.1.18.

18 Paria] ἄξια. Ad verb. Digna: scilicet ut conferantur cum gloria. Pro, ἰσάξια. Sequitur enim, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν. Ubi præpositio πρὸς, comparationem notat. Sic loquitur & Aristot. περὶ κόσμου cap.1. πάντα αὐτοῖς τὰ ἄλλα μικρὰ καταφαίνεται, καὶ οὐδὲν ἄξια, πρὸς τὴν τούτων ὑπεροχήν. Syrus quoq; vertit passiones שוין schavin, id est, pares, quæ eadem voce reddere solet nomen ἄξιος, quum significat dignum. Quæ perpetimur] τὰ παθήματα. Periphrasticè. Ad verb. perpessiones, id est, afflictiones quas perpetimur propter confessionem Christi. Gloriæ in nobis retegendæ] πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς. In Græco trajectio est verborum; pro, πρὸς τὴν δόξαν τὴν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι. In nobis] εἰς ἡμᾶς. Pro ἐν ἡμῖν. nempe tum in animabus, tum in corporibus nostris. Vide Phil.3.21. item 1.Cor.15. copiosè.

19 Etenim creatura quasi exserto capite observans] ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως. Ad verb. Nam exserto capite facta exspectatio creaturæ. Hypallage. Creatura autem vocabulo hic & seqq. duobus versibus significatur mundus: & numero singulari innuitur ejus unitas. Patefactionem filiorum Dei] τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ. Intellige passivè: quâ scil. patefient filii Dei, id est, gloria filiorum Dei. Metonymia subjecti. Ad hunc locum illustrandum, confer illum 1.Joh.3.2.

20 Vanitati] τῇ ματαιότητι. Sequente vers. vocat φθορὰν, corruptionem seu interitum. τὸ μάταιον, vanum, vel potius (ut docendi gratiâ sic dicatur) frustraneum, nominatur, quod sit μάτην, id est, frustra, hoc est, quo agens non assequitur finem, quem in agendo habet propositum. Jam finis proximus rerum creatarum, est incolumitas sui status: huc enim primò tendunt res omnes, ut incolumes in suo statu permaneant. Hujus autem finis adeptionem impedit corruptio seu interitus: atq; ita est causa τῆς ματαιότητος, q.d. frustraneitatis, id est, vanitatis. Est igitur hic metonymia effecti. Creatura] ἡ κτίσις. Synecdoche generis: intelligit enim Apostolus creaturas inanimas ac brutas, ut cælum & elementa &c. Subjecta est] ὑπετάγη. quasi dicas, subordinata est, scilicet voluntate Dei, vel à Deo. Non sua sponte] οὐχ ἑκοῦσα. Non volens, sed invita, ἄκουσα. **ungern.** Metaphora illustris: quæ rebus brutis atq; inanimis sensus animusq; tribuitur.

21 Sub spe quod] ἐπ᾽ ἐλπίδι ὅτι. id est, ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι ὅτι. sub hac spe, quod. Et ipsa] καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις. q.d. οὐ μόνον τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις. Tacita collatio imparium: ut declaratum est in Analysi. Est autem hic relativo pronomini annexum nomen antecedens πλεοναστικῶς. nam satis fuerat dicere, καὶ αὐτὴ, non repetito nomine, ἡ κτίσις. Vel certè aliter distinguendum, nempe ut ἐπ᾽ ἐλπίδι connectatur cum ὑποτάξαντα, & post ἐλπίδι interpungatur. Quæ quidem distinctio mihi magis arridet. Et tum conjunctio ὅτι vertenda erit Nam. posita enim erit non εἰδικῶς, sed αἰτιολογικῶς. Spei enim illius ratio & causa exponetur ad hunc modum: τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ᾽ ἐλπίδι. ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται &c. Ex servitute corruptionis] ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς. id est, A corruptione quæ est quadam quasi servitus: nam sicut servus, invitus servit: (mallet certè, si sapit, liber esse) sic creaturæ, invitæ intereunt: mallent enim in suo statu permanere. Simili genere loquendi suprà dixit, vestigia fidei, 4.12.

23 Qui primitias spiritus habemus] τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες. pro, οἱ τὴν &c. Ellipsis articuli, non rara Apostolo. Nisi malimus, participium ἔχοντες pendere à verbo στενάζομεν, per trajectionem: ut sit nominativus post verbum, notans causam. Tum autem vertendum erit, Ut qui primitias spiritus habeamus; vel, quum primitias spiritus habeamus: Quæ interpretatio mihi quidem non videtur à veritate abhorrere. nam certum est, ex primitiis illis spiritus, spem perfectæ liberationis exsistere. Primitias] ἀπαρχὴν. Id est, primos fructus. Metaphora suavissima, sumta à more Ecclesiæ in V.T. de quo Deut. 26. Lev.23.14. infr.11.16. Cujus metaphoræ explicationem vide in Analysi. Nos ipsi inquam] καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ. Epanalepsis, vel (ut aliis placet) epizeuxis. Apud nos] ἐν ἑαυτοῖς. id est, intus in imo corde. Puto autem, hic elegantiùs omitti Ipsos: quum emphasi careat. Neque enim tacitè subintelligi potest, Non autem apud alios. Adoptionem] υἱοθεσίαν. id est, hæreditatem cælestem ad quam adoptati sumus. Meton. effecti destinati. Redemptionem corporis nostri] τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν. id est, corporum nostrorum: enallage numeri. Redemtionem autem corporis intelligit liberationem à miseriis seu ærumnis hujus vitæ, quibus corpora credentium subjecta sunt: quo sensu etiam Christus de die ultimo loquens, ait, Appropinquat enim redemtio vestra. Est igitur synecdoche generis: nam aliàs redemtio intelligitur de liberatione à pœnis seu cruciatibus æternis, qua redemtione credentes jam fruuntur.

24 Spe] τῇ ἐλπίδι. quasi dicat, Nondum autem re, seu possessione ac plena fruitione. Spes autem] ἐλπὶς δέ. id est, res sperata, τὸ ἐλπιζόμενον; nempe possessio ac fruitio hæreditatis cælestis. Metonymia adjuncti. Sententia est, Quod cernitur, id non speratur: ut liquet ex verbis sequentibus. Est autem hic elegans antanaclasis, Apostolo familiaris. Mox enim in hac eadem sententia repetit nomen spei in nativa significatione. Estq; φαινομένη ἀντίφασις in verbis, Spes non est spes. Sic infr.11.6. Gratia jam non est gratia, opus jam non est opus.

25 Si igitur] εἰ δὲ. δὲ pro οὖν. Est enim hic instituti syllogismi conclusio. Quod non videmus] nempe hæreditatem cælestem. Periphrasis ex adjuncto, synecdochica.

26 Itidem autem] ὡσαύτως δέ. scil. ὡς ἡ ἐλπὶς, sicut spes: de qua dixit. Et Spiritus] καὶ τὸ πνεῦμα. quasi dicat, οὐ μόνον ἡ ἐλπὶς, ἀλλὰ καὶ τὸ πνεῦμα. Intelligit autem Spiritum sanctum, per synecdochen generis. Unà sublevat infirmitates nostras] συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν. Pro, ἡμῖν ἀσθενέσιν ἤγουν ἀσθενοῦσιν. Hypallage. Auxiliatur infirmitatibus nostris, id est, nobis infirmis, seu quum infirmamur, hoc est, quum præ infirmitate non sufficimus oneri crucis portando. Est enim συναντιλαμβάνεσθαι propriè unà cum alio & velut è regione onus sustinere. Latet ergo hic metaphora, qua crux comparatur oneri. Non novimus] οὐκ οἴδαμεν. Exemplum illustre vide Esa.38. in rege Hiskia: qui inter alia ait, Gemebam sicut columba. Interpellat] ὑπερεντυγχάνει. Supple τῷ Θεῷ. i.e. ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ ὑπὲρ ἡμῶν: (præpositio ὑπὲρ redundat in verbo) colloquitur cum Deo pro nobis: interpellat vel potius appellat Deum pro nobis. **Er spricht Gott an für uns:**

Für uns: er wirbet unser sach bey Gott. Id est, facit ut nos interpellemus seu appellemus Deum. nam ipse Spiritus sanctus Deum patrem non invocat: quum non gerat officium Mediatoris. Est igitur metonymia effecti: quæ declaratur supr. v. 15 his verbis, Per quem clamamus, Abba, pater. Ineffabilibus] ἀλαλήτοις. hoc est, quæ non possumus efferri.

27 Qui scrutatur corda] Id est, Deus. Periphrasis: sed argumentosa: continet enim ejus quod de Deo hic affirmatur, argumentum à causa. Scrutatur corda] Id est, intimos cordium recessus intuetur. Metonymia effecti destinati metaphorica: nam qui scrutantur res abditas, ut metalla in montibus: ideo scrutantur, ut repertas intueantur & accipiant atque explorent. Alibi vocatur Deus καρδιογνώστης; Act. 1. 24. Quis sit sensus Spiritus] τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος. id est, quid cupiat, quid desideret, quid expetat spiritus ipsius per illos gemitus. Nomen φρόνημα similiter accepit suprà 6. & 7. Et spiritum intelligit Spiritum sanctum, ut versu præced. Non igitur verti debet, sensus spiritualis. Novit] οἶδε. id est, Et novit & curat atque exaudit. Synecdoche membri. Hanc expositionem postulant verba quæ sequuntur. Quia secundùm Deum interpellat pro sanctis] Id est, (ut bene exponit D. Beza) quia sanctos docet precari ex Dei voluntate. Nam si quid petierint sancti secundùm voluntatem Dei, audit eos, 1 Joh. 5. 14. In verbo ἐντυγχάνει rursum est metonymia effecti. Sanctos autem intelligit credentes: quia licet in eis adhuc hæreant reliquiæ peccati, tamen sancti à Deo censentur, quia peccata eis non imputantur: & sancti etiam sunt, quatenus sanctitati ex animo student.

28 Iis qui diligunt Deum] Id est, credentibus. Periphrasis à proprio adjuncto vel effecto: nam soli credentes Deum diligunt: quia soli eum pro patre agnoscunt. Omnia] πάντα. Sive bona, sive mala: sive sint res secundæ, sive adversæ. Simul adjumento esse] συνεργεῖ. Ergo tantum abest, ut calamitates salutem credentium impediant: ut etiam adjuvent & promoveant. Id quo modo fiat, docuit Apostolus suprà cap. 5. v. 3. 4. 5. Ad bonum] εἰς ἀγαθόν. Nempe ad salutem æternam. Synec. gen. Vocati sunt] Nempe ad regnum Dei, & communionem sanctorum, donatâ eis fide in Christum. Ex proposito] κατὰ πρόθεσιν. Intelligit propositum illud æternum Dei, quo sibi proposuit salvos facere eos, quos in Christo filio dilecto diligere dignatus est. Confer infrà 9. 11. Ephes. 1. 11. 2. Tim. 1. 9.

29 Præcognovit] προέγνω. id est, sibi proposuit salvos facere. Etenim ex cohærentia sententiarum planum evadit, idem hîc significari verbo προγνῶναι, quod modo fuit significatum nomine προθέσεως. Sic infr. 11. 2 Non repulit Deus populum suum ὃν προέγνω, quem præcognovit. Similiter πρόγνωσις Dei significat æternum ejus decretum, Act. 2. v. 23. ubi Christus dicitur deditus fuisse Judæis definito consilio & προγνώσει Dei. Item 1. Pet. 1. v. 20 ubi Christus dicitur προεγνωσμένος ante jacta fundamenta mundi: id est, decretum ut mitteretur in mundum: ut liquet ex antithesi, qua dicitur patefactus esse ultimis temporibus. Et sic verbum γινώσκειν apud Græcos quandoque significat decernere seu statuere ut apud Eurip. Iphigeniâ, ubi Agamemnon de epistola sua ad Clytemnestram posteriore, qua diversam à priore sententiam scribebat, sic loquitur: ἃ δ' οὐ καλῶς ἔγνων τότ', αὖθις μεταγράφω καλῶς πάλιν. Id est, Quæ verò non bene statueram tunc, rursus transcribo nunc. Eadem significatio passim occurrit. Prædestinavit ut conformes fiant] προώρισε συμμόρφους. Scilicet γενέσθαι. Similem ellipsin vide Jac. 2. 5. Imagini filii sui] Scilicet primùm in cruce, deinde in gloria. Confer suprà v. 17. Primogenitus] πρωτότοκον. De jure & privilegiis seu prærogativis primogeniti in V. T. vide Gen. 49. 3. Deut. 21. v. 17. item 2. Paralip. 21. v. 3. Eæ prærogativæ duæ erant: nam & duplicia accipiebat in divisione hæreditatis, & princeps familiæ erat. Inter multos fratres] Nempe omnes credentes, qui sunt filii Dei adoptivi. Confer Col. 1. 18.

30 Vocavit] ἐκάλεσε. Scilicet ad suum regnum & gloriam, 1. Thess. 2. 12. nempe per prædicationem Evangelii donando fidem in Christum, quæ à Theologis nominatur vocatio efficax & interna. nam est alia quam vocant externam, quæ fit per prædicationem Evangelii sine effectu fidei: de qua Christus Matth. 22. 14. Multi vocati, pauci electi. Alteri autem vocati, omnes sunt electi: quia omnes justificati sunt, & glorificati, teste Paulo, hoc loco. Glorificavit] ἐδόξασε. Partim jam glorificavit, ut 2. Cor. 3. 18. partim verò glorificabit, Eph. 5. 27. Phil. 3. 21.

31 Quid igitur dicemus ad hæc?] Q. d. Quum igitur hæc ita sint: hoc est, quum Deus nos qui in Christum credimus, ab æterno servare decreverit: quum nos ad gloriam cælestem quali Christus fruitur, prædestinaverit: quum ad regnum suum vocaverit: quum justificaverit: quum glorificare cœperit & suo tempore plenè glorificaturus sit: quid igitur nunc aliud restat, quàm ut tantorum beneficiorum consideratione commoti exclamemus, & pleno ore de tanto Dei amore erga nos, tantisque beneficiis gloriemur? Si Deus] εἰ ὁ Θεὸς. Subjectio est seu responsio ad præcedentem interrogationem. q. d. Nempe hoc dicemus, Si Deus &c. Figura sententiæ quæ dicitur ἀνακοίνωσις, communicatio. Ponitur autem Si, pro Quia, ut in illo Catonis, Si Deus est animus &c. Vel potiùs est ellipsis assumtionis, quâ repetitur propositionis connexæ antecedens quasi dicat, Si Deus pro nobis est, ut est: quis igitur erit contra nos? id est, nemo quicquam poterit nobis nocere.

32 Proprio] τοῦ ἰδίου. Id est, naturali, unigenito. Pro nobis] Nempe credentibus: loquitur enim credens ad credentes. Sic 1. Johan. 2. 2. Tradidit eum] παρέδωκεν αὐτόν. Scilicet in mortem. Confer dictum Christi Joh. 3. 16. Alibi hoc tribuitur Judæ proditori. Sed nihil vetat quò minùs una eademque actio tribuatur & causæ principali & instrumentali. Deus Christum tradidit ut causa principalis: quippe qui suâ providentiâ & consilio traditionem Judæ, & Judæorum & Pilati, gubernavit: Act. 2. 23. item 4. 28. Judas autem tradidit Christum, ut causa instrumentalis & ministrans. Nec propterea vel Deus in societatem culpæ à Juda commissæ trahendus est: vel Judas propter cooperationem Dei excusandus. nam nec Deus Judæ ut Christum traderet, expresso verbo præcepit, nec ad tradendum coëgit: nec etiam Judas in tradendo Christo hunc scopum sibi propositum habuit, ut Deo ministraret & Dei consilium exsequeretur: sed ut avaritiæ suæ satisfaceret: erat enim fur. Omnia] τὰ πάντα. nempe τὰ ὑπὸ Θεοῦ κεκτισμένα, omnes res creatas: quæ scilicet non sunt conferendæ cum Filio, per quem sunt creatæ.

33 Quis intentabit crimina?] τίς ἐγκαλέσει; ἐγκαλεῖν propriè significat, in jus vocare: sed usitatè capitur pro criminari, per metonymiam effecti destinati. Electos Dei] Id est, homines à Deo electos ad vitam æternam, nempe nos. Genitivus adjuncti: & synecd. generis. Observa, Paulum ita de electis loqui, ut se in eorum numero comprehendat atque includat. Quos enim superiore versu notavit pronomine primæ personæ ἡμῶν, Nobis: eosdem hîc vocat electos Dei. Id nobis imitandum. Qui justificat] Id est, justos pronuntiat electos suos, imputatâ nimirum illis justitiâ partâ morte Christi, per fidem.

34 Qui mortuus est] ὁ ἀποθανών. Scilicet pro electis, & quidem iis omnibus, ut dixit v. 32. Imò verò] μᾶλλον δὲ. Gradatio logica quatuor graduum, à minoribus ascendendo ad majora. Ii gradus sunt: mors Christi, resurrectio, sessio ad dextram patris, interpellatio pro redemtis. Excitatus est] Scilicet ex mortuis: propter justificationem nostri: supr. 4. 25. Est ad dextram Dei] ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ. Id est, sedet ad dextram Dei (ut alibi Scriptura loquitur) hoc est, regnat cum Patre in summa gloria: gloriosus jam non solâ deitate, sed etiam humanitate. Metaphora à consuetudine hominum: cujus exemplum vide 1. Reg. 2. 19. & Psalm. 45. 10. Nam propriè loquendo Deus dextram non habet: quum sit spiritus, Joh. 4. Ἐν δεξιᾷ; id est, πρὸς δεξιάν.

35 Quis] τίς; Hoc pronomine calamitatibus, quas enumerabit, personam tribuit per metaphoram: ut eas tanquam athletas introducat, qui cum credentibus certent. A charitate Christi] Id est, à charitate Dei qua dilexit nos in Christo: sic enim ipse Apostolus exponit v. ult. Quanquam nihil vetat, accipi simpliciter, A charitate Christi, id est, qua Christus nos dilexit. Sed rursum, à charitate, intellige, à sensu charitatis. Tenendum est enim institutum Apostoli: quod est, credentes consolari. Jam ex charitate Dei & Christi nullam in cruce perciperent credentes consolationem, nisi eam in cordibus suis sentirent. Sunt ergo hæc intelligenda per metonymiam subjecti. Sic suprà 5. 5. Charitas Dei effusa est (inquit) in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et hanc expositionem postulat quoque antithesis. nam calamitates & Satan conantur hunc sensum & hanc persuasionem credentibus excutere, sic dicentes: Deus affligit te: ergo non diligit te, sed odit: falsò igitur tibi persuades, te a Deo diligi. Contrà reclamat fides: Imò Deus diligit me æternâ ac constanti dilectione in Christo filio suo dilecto: quantumvis jam ad tempus me affligat. Afflictio] θλίψις. θλίβειν, est premere: Ergo θλίψις est quicquid nos premit, id est, vexat & molestat. Num angustia] ἢ στενοχωρία. Potest etiam verti, Aut, & hîc & in sequentibus incisis. Angustia] στενοχωρία. Propriè angustia loci: ut quum quis à concertante in angustias cogitur, quò minùs possit expeditè pugnare. Sed hîc intelligitur de angustia animi, seu angore & anxietate. Persecutio] διωγμὸς. significat tyrannicam violentiam eorum qui pios in exilium exigunt, ut eis nusquam sit tuta sedes: aut aliàs hostiliter persequuntur. Fames] Quam se expertum gloriatur Apostolus 2. Cor. 11. 27. Nuditas] Quum quis caret vestibus necessariis ad muniendum corpus contra frigus. Confer Heb. 11. 37. Periculum] Quæ multa se expertum gloriatur Apostolus 2. Cor. 11. v. 25. & 26. Gladius] Cædes, supplicium capitis. Metonymia efficientis.

36 Tuâ causâ] ἕνεκά σου. Id est, propter tui confessionem & cultum: quia te solum confitemur Deum nostrum & colimus. Occidimur] θανατούμεθα. Morte mulctamur. Wir werden getödtet. nempe à persecutoribus tyrannis. Totum diem] Per totum diem. ὅλην τὴν ἡμέραν: id est, καθ' ὅλην τὴν ἡμέραν. Ellipsis. Habiti sumus] ἐλογίσθημεν. Reputati sumus, æstimati sumus. Oves destinatæ mactationi] πρόβατα σφαγῆς. Ad verbum, Oves mactationis, id est, mactandæ, seu mactationi destinatæ. Genitivus notans finem. Schlachtschaaff.

37 In his omnibus] Scilicet calamitatibus enumeratis v. 35. Plusquam victores sumus] ὑπερνικῶμεν. q. d. supervincimus: id est, supra modum, seu summè, seu excellenter, seu egregiè vincimus. Metaphora, qua calamitates illæ comparantur hostibus vel athletis, cum quibus pugnandum est. Per eum qui dilexit

nos] *Periphrasis Dei, sed argumentosa: continet enim causam impulsivam, quæ Deum movet ad opem credentibus ferendam. Perinde igitur est, ac si diceret: Ope Dei, ut qui nos in Christo dilexit. Talis periphrasis erat supr. 27.*

38 Mihi persuasum est] πέπεισμαι. *Persuasus sum, persuasum habeo.* **Ich bin dessen beredt.** Neque mortem neque vitam] *Grandis oratio, & magnifica gloriatio, continens enumerationem novem partium, illustratam antithesi partim contrariorum, partim diversorum: item præcisione.* Neque angelos] *Ergóne angeli conantur nos à dilectione Dei separare? Minimè. Sed Paulus ex hypothesi amplificationem deducit: Si vel angeli, creaturæ omnium potentissimæ, conarentur nos à dilectione Dei separare: tamen non possent. Deinde, quanquam boni angeli id non conantur, tamen mali conantur; 1. Pet. 5. 8.* Principatus] ἀρχαί. *Sic vocantur angeli, quia præficiuntur imperiis ad illa tuenda aut oppugnanda. Vide Dan. 10.* Virtutes] δυνάμεις. *Sic videntur appellari propter potentiam seu robur, quo sæpe res maximas gerunt, quando homines puniunt: ut apparet in exemplo cæsi exercitus Sennacheribi, item cæsorum primogenitorum in Ægypto. Malo autem hîc cum vetere interprete* Virtutes *quàm cum novo* Potestates: *quod nomen respondet Græco* ἐξουσίαι. *Quanquam potest hîc dici* Potestates: *quum sic Latini Principes appellent; quos Græci* δυνάστας.

39 A charitate Dei] *Id est, à sensu charitatis Dei.* Quæ est in Christo] τῆ ἐν χριστῷ. *Id est, quâ complectitur nos propter Christum.*

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

Fides. 1 Ex v. 1. & 2. Qui sunt in Christo Jesu, nimirum per fidem ei insiti: illi ambulant quoque secundùm spiritum, non autem secundùm carnem, sequentes scilicet ductum Spiritus sancti in actionibus suis. Spiritus autem sanctus ducit filios Dei per viam mandatorum Dei, inscribens leges illius cordibus ipsorum. Falsò igitur fidem jactant, qui à Spiritu sancto non ducuntur, sed cupiditatibus carnis indulgent.

Communio credentium cum Christo. 2 Ex v. 2. Pro diversa istius versiculi expositione (quam duplicem annotavi in Scholiis) diversæ exsistunt observationes. Una videlicet, quòd Spiritus sanctus habitet in Christo ut in capite, in credentibus autem tanquam in membris hujus capitis. unde percipitur arctissima illa communio quæ est inter Christum & credentes: cujus testimonium quoque est sacra cæna, teste Apostolo 1. Cor. 10. v. 17. Et eandem Christus ipse significat similitudine vitis & palmitum, Joh. 15. Altera vero observatio est, *Mors Christi.* quòd Christus suâ morte nobis impetrârit à Patre non solùm remissionem peccatorum, sed etiam Spiritum sanctum regenerantem corda nostra & vivificantem, videl. creando in eis fidem sive illuminando ea indubitatâ cognitione gratiæ Dei per Christum nobis conciliatæ, & imbuendo eadem gustu illius gratiæ, atque ita vivificando ea seu excitando in eis lætitiam, & impellendo ad studium sanctè vivendi gratitudinis ergò. Atque sic Christus servator noster est tum merito, tum efficaciâ suâ. nam Spiritum sanctum non solùm suâ morte nobis promeritus est, sed etiam eundem ad nos mittit à Patre & unà cum Patre. quod utrumque ipsemet docet Joh. 16. v. 7. Prius, ubi ait: *Nisi abiero: (nempe per mortem, resurrectionem & ascensionem) consolator ille non veniet ad vos.* Posterius, ubi addit: *Sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos.*

Justificatio. 3 Ex v. 3. ex verbis, *Quod erat impossibile Legi, quatenus infirmabatur per carnem.* Impossibile est per Legem justificari: quia justitia Legis consistit in perfecta erga Legem obedientia: hanc autem homo præstare non potest, impeditus corruptione naturæ. Errant igitur Papistæ, Anabaptistæ, & omnes qui per bona opera justificari volunt.

Mediator. 4 Ex eod. v. ex verbis, *Deus fecit, suo ipsius filio misso &c.* Notanda hîc sunt tria requisita, quæ requirebantur in mediatore nostro ad hoc, ut sacrificio suo posset expiare nostra peccata, atque ita justitiam nobis comparare qua consisteremus coram Deo. Unum est, ut esset verus Deus: ut nimirum onus iræ divinæ pro nobis posset sustinere & mortem vincere, & ut sanguis in sacrificio pro nobis effundendus, satis esset pretiosus. hoc requisitum indicat Apostolus, quum ait: *Deum misisse suum ipsius filium.* Quum enim Christus sit filius Dei proprius & unigenitus: consequens est, esse verum Deum. Alterum requisitum est, ut esset verus homo: ut nimirum mortem posset pati, seu ut haberet quod pro nobis offerret, videl. corpus & animam. Hoc requisitum indicat Apostolus, quum ait, *Deum misisse filium suum in similitudine* (seu in similitudinem) *carnis peccati*, hoc est, in carnem similem carni peccatrici. item, *damnavisse peccatum in carne, scil. filii missi.* Tertium denique requisitum mediatoris fuit, ut esset homo sanctus, absque omni labe peccati: idq; ut posset esse & sanctus sacerdos & sancta victima. hoc notat Apostolus, quùm ait, *Filium Dei missum esse in similitudine carnis peccati*, hoc est, in carne quæ similis quidem erat carni peccato infectæ, verumtamen peccato infecta non erat, sed pura & sancta.

Justificatio. 5 Ex v. 4. ex verbis, *Ut justificatio Legis impleretur in nobis.* Etsi nemo justificatur per Legem, tanquam propter obedientiam quam ipse Legi præstiterit, sanctè secundùm illam per omnia vivendo: tamen qui in Christum credunt, per Legem justificantur hactenus, quatenus Christus suâ morte eis acquisivit omnium peccatorum remissionem: quod perinde est ac si perfectam Legi obedientiam præstitissent. Æquipollent enim hæc: Nihil peccavisse, &, Perfectam Legi obedientiam præstitisse.

6 Ex v. 4. & 5. Quum fide justificati, studeant sanctitati vitæ, ut hoc loco Apostolus docet: consequens est, ut qui sanctitati vitæ non student, illi nec fide justificati sint. Quare singuli operam demus, ut fidem studio sanctitatis ostendamus: ne inani fidei nomine aut specie nos ipsos aut alios fallamus. *Justificatio.*

7 Ex v. 6. Quum libido peccandi seu securitas carnalis pariat mortem: studium verò pietatis, vitam & felicitatem; à securitate carnali nobis caveamus, pietati verò operam demus. Porrò studium sanctitatis ducit ad vitam, sicut via per montem ad thesaurum, qui situs est supra montem. Via enim est causa sine qua non: nam nisi quis per viam montem ascenderit, ad thesaurum non perveniet. Interim ambulatio per viam non confert tibi jus & proprietatem thesauri, sed donatio amici. Similiter intelligendum est, quum Scriptura vitam æternam nominat mercedem, item præmium seu βραβεῖον & coronam. Nam Deus filiis suis hunc honorem habet, ut quod eis ex gratia donat, tamen mercedem ac præmium nominet, ad studium pietatis in eis acuendum. Et ut merces peracto demum labore datur, itemq; præmium peracto certamine: sic felicitas illa æterna, peractâ demum luctâ cum tentationibus, dabitur credentibus. *Bona opera. 1. Pet. 1. 9. 1. Cor. 9. 24. 25. 2. Tim. 4. 8.*

8 Ex v. 7. Voluntas hominis ita est per lapsum primorum parentum depravata, ut Legi Dei subjici non possit, sed hostiliter Deo adversetur. *Homo.*

9 Ex eodem v. Qui Legi Dei non vult subjici, is hoc ipso se declarat hostem Dei. Sed væ homini qui se hostem Deo constituit: quippe qui non patitur sibi resisti: sed hostes suos æternis suppliciis punit. Quare oremus Deum, ut voluntates nostras spiritu suo flectat in obsequium Legis suæ. *Lex.*

10 Ex v. 8. Verba Apostoli vindicanda sunt à corruptelâ Papæ Siricii: qui illis abusus fuit contra conjugium: quasi conjuges non possint Deo placere, propterea quòd sint in carne: id est, constituti in vitæ genere carnali ac impuro. At in carne esse, ab Apostolo dicuntur, qui secundùm carnem ambulant, id est, qui vacui spiritu Dei indulgent corruptæ naturæ ad perpetrandum omnis generis peccata. Conjuges verò, quatenus quidem conjuges sunt, non necessariò ambulant secundùm carnem: possunt enim ambulare secundùm spiritum: & verò omnes conjuges verâ in Christum fide præditi, secundùm spiritum ambulant, ac proinde Deo placent. Nec conjugium genus vitæ carnale & impurum est, sed purum & sanctum atq; honorabile inter omnes, teste Apostolo Heb. 13. v. 4. *Vindicatio verborum Pauli, Qui in carne sunt, placere Deo non possunt.*

11 Ex v. 9. Quum Spiritus sanctus ab Apostolo nunc vocetur spiritus Dei, nempe Patris; nunc spiritus Christi: hinc colligitur, illum tam à Filio quam à Patre procedere: item Christum ejusdem cum Patre deitatis esse. *Processio Spiritus sancti.*

12 Ex v. 9. 10. & 11. Omnes qui ad Christum pertinent, seu omnes vere-Christiani, habent Spiritum sanctum in se habitantem; qui in ipsis non est otiosus, sed viget in eis ad mortificandum peccatum, & vivificandum seu excitandum studium justitiæ. *Christianus.*

13 Ex v. 12. & 13. Recurrit observatio annotata ad v. 6.

14 Ex v. 14. 15. 16. & 17. Qui sentiunt, se agi spiritu Dei: illi divinum atq; infallibile apud se testimonium habent, quòd sint filii Dei, ac proinde hæredes vitæ æternæ. Aguntur autem à Spiritu Dei, qui delectantur Lege Dei, & in necessitatibus ad Deum tanquam benevolum patrem ingemiscunt, eumque invocant. Hæc magna piorum consolatio est. *Filii Dei.*

15 Ex v. 16. Quum Spiritus sanctus testetur cordibus fidelium, quòd ipsi sint filii Dei: falsum igitur est dogma Pontificiorum, quòd nobis de gratia Dei perpetuò sit dubitandum. *Dubitatio Pontificia.*

16 Ex v. 17. & deinceps usq; ad finem capitis. Ad crucem seu persecutionem propter Evangelium patienter tolerandam animare nos debent rationes quas Apostolus hoc loco exponit. quarum prima est, quòd persecutionem illam communem habemus cum Christo, filio Dei, tanquam nostro capite: quæ magna est dignitas: v. 17. Secunda, quòd communem quoq; habebimus cum Christo gloriam, eamq; longè maximam, v. 17. 18. & deinceps. Tertia, quòd Deus gemitus nostros quos quum in angustiis constituti sumus, in nobis excitat Spiritus sanctus, exaudit ac proinde opem fert laborantibus, v. 26. & 27. Quarta, quòd Deus æterno atq; immutabili amore nos complectitur in Christo, v. 28. & deinceps usq; ad finem capitis. *Crux seu persecutio.*

17 Ex v. 19. 20. 21. & 22. Quum filii Dei glorificabuntur (id quod fiet in adventu Christi ad judicium) tum mundus renovabitur, sicut hoc loco Apostolus docet. Quare quod Christus dicit Matth. 24. v. 35. *Cælum & terra præteribunt*: non est ita intelligendum, quasi mundus in nihilum redigendus sit & prorsus interiturus: sed intelligendum est per comparationem rei impossibilis, tanquam facilioris: quasi dicat, Cælum & terra citiùs interierint, quàm verba mea: aut certè tanquam per antithesin rei naturâ suâ possibilis, licet nunquam futuræ; quasi dicat, Cælum & terram interire possibile est per naturam: at verba mea perire, simpliciter impossibile est. Quòd si quis dictum illud simpliciter accipiat, nempe quòd mundus præteriturus sit; tum verbum illud *Mundi renovatio. Antilogiæ apparentis conciliatio.*

illud *prætereundi* intelligendum erit non simpliciter de abolitione ipsius substantiæ & in nihilum redactione, sed de abolitione conditionis caducæ: quæ abolitio, ipsa mundi renovatio est. Prima expositio omnium simplicissima videtur. Quanquam posteriori expositioni favet, quòd verba illa Christi videntur sumta ex Psal. 107. v. 27. ubi verbum *Pereundi*, exponitur per verbum *Mutandi*.

Salutis causa. 18 Ex v. 29. & 30. Notandi sunt gradus causarum salutis, qui hîc proponuntur quatuor: videl. prænotio, prædestinatio, vocatio & justificatio: quibus addendus est gradus quintus, sanctificatio. Quæ beneficia Dei omnia quum gratuita sint, nec ullis nostris meritis comparata: consequens est, salutem nostram merè gratuitam esse. Notandus est etiam ordo in his gradibus: qui est hic:

1 *πρόγνωσις, prænotio, Rom. 8. v. 39. sive πρόθεσις, propositum. Rom. 8. v. 28. item Eph. 1. v. 11. aliàs εὐδοκία, beneplacitum, Eph. 1. 5.*

2 *προορισμὸς, prædestinatio, Rom. 8. v. 29. & 30. item Eph. 1. v. 5. aliàs ἐκλογή, electio, Rom. 9. v. 11. Eph. 1. v. 4.*

3 *κλῆσις, vocatio, Rom. 8. v. 30. aliàs υἱοθεσία: Eph. 1. v. 5.*

4 *δικαίωσις, justificatio, Rom. 8. v. 39.*

5 *ἁγιασμὸς, sanctificatio: de qua Rom. 6. & 7.*

Quòd πρόγνωσις & πρόθεσις Paulo in hac doctrina de causis salutis idem significent, liquet ex collatione v. 28. & 29. in hoc capite. nam quod v. 28 ait. iis qui vocati sunt κατὰ πρόθεσιν secundùm propositum sive ex proposito, omnia cooperari in bonum, id est, ad salutem: hoc ipsum v. 29. declarat & confirmat his verbis: Nam οὓς προέγνω, quos prænovit, eos etiam prædestinavit ut conformes fiant imagini filii sui, videl. primùm in cruce, deinde in gloria: quo fit ut illis omnia, ac proinde etiam afflictiones, cooperentur ad salutem. Unde jam liquet, quod primò nominavit πρόθεσιν, propositum servandi: id mox appellare πρόγνωσιν, æternum decretum servandi. Quòd verò etiam εὐδοκία idem hîc significet, quod πρόγνωσις & πρόθεσις: apparet ex eo, quòd sicut hoc loco προορισμὸς deducitur ex προγνώσεως: sic idem ille προορισμὸς Eph. 1. v. 5. deducitur ex εὐδοκίας: ubi dicitur, προορίσας ἡμᾶς &c κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Item ex προθέσεως, ibid. v. 11. ubi dicitur, προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος &c. Deinde quòd hîc æquipolleant προορισμὸς & ἐκλογή: percipitur ex verbis Apostoli Ephes. 1. v. 4. & 5. ubi ait, καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς &c. προορίσας ἡμᾶς &c. Id est, Sicut elegit nos &c. quum (seu quatenus) prædestinavit nos &c. Ad hæc quòd vocatio hîc idem valeat quod υἱοθεσία, id est, adoptio: liquet ex eo, quòd sicut hoc loco ex prædestinatione deducitur vocatio: sic Ephes. 1. v. 5. ex eâdem deducitur adoptio. Nunc restat ut ordo ille graduum demonstretur.

Quòd igitur πρόγνωσις sive πρόθεσις seu deniq; εὐδοκία, præcedat προορισμὸν sive ἐκλογὴν, planum fit ex his dictis: *Quos prænovit, etiam prædestinavit*, hîc. *Electis secundùm prænotionem Dei patris*, 1. Pet. 1. v. 1. & 2. *Quatenus prædestinavit nos secundùm beneplacitum voluntatis suæ*, Ephes. 1. v. 5. *Quum essemus prædestinati secundùm propositum ejus &c.* Ibid. v. 11. Quòd prædestinatio præcedat vocationem, clarum est ex loco præsente, ubi ait Paulus: *Quos verò prædestinavit, eos etiam vocavit*. Postremò quòd justificatio præcedat sanctificationem: planum fit ex 6. & 7. capitibus hujus epistolæ. Sed objici potest, videri quòd electio præcedat πρόθεσιν, ex verbis Apostoli inf. c. 9. v. 11. ubi ait, ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ Θεοῦ πρόθεσις μένῃ. ubi si præpositio κατὰ eodem modo accipitur, ut in illis dictis: προορίσας κατὰ τὴν εὐδοκίαν, Ephes. 1. v. 5. item προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν, ibid. v. 11. notabit causam: ac proinde electio πρόθεσιν præcedet: non autem, ut dictum & demonstratum est, πρόθεσις electionem. Sed observandum, præpositionem κατὰ in illo loco capitis 9. aliter accipiendam: nempe non ut notet causam, sed subjectum occupans seu objectum: ut nominetur ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις, propositum ad electionem pertinens seu spectans. Et in hac significatione reperitur præpositio κατὰ 2. Cor. 11. v. 21. ubi dicitur, κατὰ ἀτιμίαν λέγω, id est, Quantum ad contumeliam dico.

Antilogia apparentis conciliatio. 19 Ex v. 30. Quum Paulus hoc loco doceat, eos tantùm à Deo vocari, qui ab eodem sunt prædestinati seu electi: quæritur, quomodo istud pronuntiatū consentiat cum pronuntiato Christi, dicentis: *Multi vocati, pauci electi*: unde intelligitur, vocari etiam eos qui non sunt electi. Respondeo: Christus loquitur de vocatione externa qua per Evangelii prædicationem ad vitam æternam (nuptias illas cælestes) invitantur promiscuè tum electi, tum reprobi: at Paulus loquitur de vocatione interna atq; efficaci, quâ soli electi per Evangelii prædicationē donantur fide justificante. unde statim subjungit: Quos vocavit, eos etiā justificavit.

Deitas Christi. 20 Ex v. 32. Quum Christus sit filius Dei proprius, id est, (ut à Johanne nominatur) unigenitus: sequitur, eum verum esse Deum.

Justificatio. 21 Ex v. 33. & 34. Quum verbo *Justificandi* hîc opponatur verbum Condemnandi: planum est, verbum illud in disputatione Paulina de justificatione hominis coram Deo, habere significationem forensem seu judicialem: & significari eo actionem judicis quâ reum pronuntiat justum: id quod Latini vocant *absolvere*.

Justificationis causa meritoria. 22 Ex v. 34. Causa quæ Deum judicem movet, ut nos à diabolo accusatos justificet seu absolvat ac justos pronuntiet, est mors Christi: quatenus nimirum per illam satisfactum est pro nobis justitiæ ipsius, ac proinde quatenus illam nobis ad justitiam imputat. Quòd autem per mortem Christi justitiæ Dei plenè satisfactum sit, & peccata nostra omnia perfectè expiata: evidenter demonstrant tum resurrectio Christi ex morte, tum ascensio ejusdem in cælum & sessio ad dextram Patris. Neque enim ex morte ad vitam illam cælestem & gloriosam resurgere potuisset: nisi pro peccatis nostris, quæ ut sponsor in se susceperat, plenè satisfecisset. unde Paulus ait 1. Cor. 15. Si Christus non est excitatus, adhuc estis in peccatis vestris.

23 Ex eod. v. Christus officio sacerdotis adhuc fungitur pro nobis, quatenus in cælesti illo sanctuario pro nobis interpellat, ostendens videlicet Patri corpus suum quod pro nobis in victimam expiatoriam in terra obtulit. Confer Heb. 9. v. 24. & 1. Johan. 2. v. 1. *Sacerdotium Christi.*

24 Ex v. 35. & deinceps usque ad finem. Quum nihil possit credentes separare à dilectione Dei qua ipsos complectitur in Christo: consequens est, illos non posse penitus amittere fidem: per fidem enim charitatem illam Dei sentiunt. *Fides.*

ANALYSIS CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Hactenus disputavit Apostolus de justificatione & sanctificatione: deinceps per tria capita usq; ad caput duodecimum disputaturus est de prædestinatione. *Accedit autem ad hanc doctrinā per tacitam prolepsin. nam contra doctrinam de justificatione traditam objici poterat incredulitas gentis Judaicæ: Si doctrina illa de justificatione per fidem in Christum, esset vera: approbaretur quoq; & reciperetur à gente Judaica quippe quæ tunc erat populus Dei. At Judæi, saltem maxima ex parte, doctrinam illam improbabant ac damnabant. Non ergo videtur doctrina illa esse vera. Apostolus negat propositionem, & respondet ad rationem: docens, non omnes Judæos pertinere ad populum illum Dei, ad quem propriè pertinet promissio gratiæ Dei, sed tantùm eos qui promissioni gratiæ credunt. Quòd autem pauci credunt; pleriq; non credunt, id pendere ab arcana voluntate & prædestinatione Dei: ut qui alios pro sua misericordia elegerit ad vitam æternam, alios verò pro inscrutabili justitia reprobarit: ex qua quidem reprobatione pendeat maximæ partis Judæorum illius temporis rejectio, & contrà Gentium in illorum locum vocatio. Atq; hæc sunt potissimùm quæ docet in hoc capite. Quoniam autem hæc doctrina valde offensura erat Judæos: ideo in principio insinuatione utitur, præfaturq; de summa sua erga ipsos benevolentia & amore, eosq; laudat ob prærogativas, quibus alias gentes antecelluerunt, usq; ad v. 6. Summa igitur quinq; primorū versuum est: Ego Paulus ex animo doleo, quum video, maximam partem Judæorum Evangelio non credere: quumq; considero, eos ideo credere non posse, quòd sunt à Deo rejecti & improbati atq; ad exitium destinati.*

Veritatem dico per Christum, non mentior, (attestante mihi simul conscientiâ meâ per Spiritum sanctum.)

2 Magnam mihi tristitiam esse & perpetuum cruciatum cordi meo.

3 Optarim enim ego ipse anathema esse *separatum* à Christo, pro fratribus meis, cognatis *inquam* meis secundùm carnem.

Affirmationem sui doloris confirmat jurejurando: quia agebatur hîc salus proximi, nempe Judæorum illius temporis: ne illi suspicantes, se à Paulo odio haberi, & ipsum & doctrinam ejus salutarem cum sua pernicie odio prosequerentur. Commoratur autem in eâdem sententiâ: quæ commoratio serium animi affectum significat.

4 Qui sunt Israëlitæ: quorum *est* adoptio, & gloria, & fœdera, & Legis constitutio, & cultus, & promissiones.

5 Quorum *sunt* Patres, & ex quibus *est* Christus quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus laudandus in sæcula, Amen.

Enumerat Judæorum prærogativas, quibus eos Deus præ cæteris populis fuerat dignatus. quæ enumeratio quum ad gloriam illorum pertineret, ipsa quoque ad benevolentiam captandam videtur instituta, vel certè ad rationem justi doloris ostendendam. Enumerat autem novem prærogativas: septem versu quarto, duas quinto.

6 Non tamen *hæc loquor*, quasi quòd exciderit sermo ille Dei. non enim omnes qui *sunt* ex *patre* Israële, *sunt* Israël.

7 Neque quia *sunt* semen Abrahæ, *ideo* omnes *sunt* filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen.

Hactenus testatum fecit suum dolorem, quem perciperat ex rejectione Judæorum: nunc occurrit objectioni. *Si Judæi rejecti sunt, ergo pactum Dei cum Abrahamo & ejus semine sancitum, irritum est: At hoc non est: Ergo nec illud.* Apostolus negat pro-

positionem, id est, consequentiam illius connexi: & rationem negationis affert à distinctione inter duplices filios Abrahæ, videlicet filios carnis & filios promissionis: ac monet, pactum Dei propriè pertinere ad filios promissionis, id est, ad Judæos electos. Etsi ergo filii carnis maxima parte sint rejecti: tamen pactum Dei ratum ac firmum manere erga filios promissionis, id est, erga Judæos electos. Hanc distinctionem confirmat exemplo speciali duorum filiorum Abrahæ, videl. Ismaëlis & Isaaci: quorum ille tantummodo fuit filius carnis, id est, carnaliter ex Abrahamo & Hagara ortus: hic autem fuit filius promissionis, id est, vi promissionis ex Abrahamo & Sara ortus. Pactum autem Dei tantummodo ad Isaacum & reliquos filios promissionis, id est, electos per illum præfiguratos, pertinet: quod Apostolus testimonio ipsius Dei probat, Gen. 21. v. 12.

8 Hoc est, non qui filii carnis, ii filii Dei: sed qui *sunt* filii promissionis, reputantur pro semine.

9 Promissionis enim sermo hic est, Hoc ipso tempore veniam, & erit Saræ filius.

Jam ex speciali exemplo Isaaci, Apostolus colligit doctrinam generalem: ad quos scil. propriè pertineat promissio gratiæ Abrahamo facta, videlicet ad solos electos: quos vocat filios promissionis: quia sicut Isaac vi promissionis fuit ex Abrahamo & Sara genitus: sic electi (inter quos & Isaac) vi Spiritus sancti per Evangelii promissionem regenerantur, & ex singulari gratiâ in filios à Deo adoptantur. Isaacum autem esse filium promissionis, id est, genitum vi promissionis, probat testimonio Mosis Genes. 18. v. 10.

10 Neque *hoc* solùm: sed & Rebecca, quum ex uno concepisset, *nempe* ex Isaac patre nostro, *idem experta est.*

11 Quum enim nondum essent nati *pueri*, neque quicquam fecissent boni vel mali: ut propositum Dei, quod pertinet ad electionem, maneret: non ex operibus, sed ex vocante,

12 Dictum est ei, Major serviet minori.

13 Sicut scriptum est; Jacob dilexi, Esau verò odio habui.

Ad distinctionem propositam confirmandam adducit jam alterum exemplum duorum fratrum, Esavi & Jacobi: qui licet ambo orti fuerint ex Isaaco, idque ex eâdem matre Rebecca, & quidem eodem partu, atque etiam Esau fuerit primogenitus: tamen Esau à Deo fuit rejectus, Jacob verò receptus & adoptatus: idque antequam nati essent, ac proinde antequam quicquam boni vel mali fecissent. Annectit autem hoc exemplum superiori per gradationem, tanquam majus, id est, magis & efficaciùs confirmans propositum: videl. promissionem gratiæ non ex æquo ad omnes Abrahæ posteros pertinere, sed tantùm ad electos. Nam in superiore exemplo de Ismaële & Isaaco excipere poterant Judæi: Ismaëlem meritò rejectum fuisse, quia natus fuerit non ex uxore Sara, sed ex ancilla Hagara: sese autem posteros esse Abrahami & Saræ ex Isaaco, legitimo ipsorum filio. Ostendit igitur Apostolus, promissionem gratiæ ne ad Isaaci quidem filios omnes pertinere: quippe cùm rejectus sit Esau, frater Jacobi germanus, adeoq; uterinus, eodemq; partu & quidem ante fratrem in lucem editus. Syllogismus, quo propositum Apostoli ex præsente exemplo concluditur, hic est: *Si promissio gratiæ* (*nempe*, Ero Deus tuus & seminis tui) *promitteret adoptionem singulis ex Abrahamo vel Isaaco natis, pertinuisset æquè ad Esavum atq; ad* Jacobum. Ratio est, quia omnia sunt paria: sunt ex eodem patre, eâdem matre, gemelli, & (quod plus est) Esau est primogenitus. *Atqui promissio illa ad Esavum non pertinuit, sed ad solum Jacobum*: quod probat duobus testimoniis Scripturæ. *Ergo promissio gratiæ non promittit* (ut Judæi falsò putant) *adoptionem & vitæ æternæ hereditatem singulis* Judæis, *ex Abrahamo vel Isaaco secundùm carnem ortis*: ac proinde Deus sedifragus non est, si Judæos incredulos & contumaces rejicit. Sed, ne hîc quoque Judæi possent excipere, Esavum meritò rejectum fuisse, & contrà Jacobum receptum atque adoptatum: quia Esau malè se gesserit, & homo profanus fuerit, Jacob verò vir probus ac pius: ex quo ipsi sint orti; Apostolus hanc quoque objectionem antevertit, & docet, declarationem consilii Dei de utroque factam esse jam tum, quum nihil fecissent boni vel mali: quippe quum nondum essent nati. Postremò ne rursus possent objicere, propter prævisa utriusque opera Deum sic de illis statuisse, Apostolus hoc planè repudiat: & negat, ex operibus, id est, propter opera illorum, adoptatum fuisse alterum, alterum verò rejectum: contraque affirmat, ex proposito Dei utrumque illud manasse. id quod testimonio Dei ex Malachia confirmat.

14 Quid igitur dicemus? Num injustitia *est* apud Deum? Absit.

15 Nam Mosi dicit, Miserebor cujus misertus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero.

16 Nempe igitur *salus* non est ejus qui velit, neque ejus qui currat: sed ejus qui miseretur, *nempe* Dei.

17 Dicit enim Scriptura Pharaoni, Ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuntietur nomen meum in tota terra.

18 Itaque cujus vult, miseretur: quem autem vult, indurat.

Prolepsis. Objectio: Si Deus cum æqualibus agit inæqualiter, ut cum Esavo & Jacobo; quorum illum odio habuit, hunc dilexit: ergo Deus est injustus. Apostolus primùm detestatur consequens tanquam blasphemum, v. 14. deinde consequentiæ negationem demonstrat, v. 15. & deinceps. Docet igitur Apostolus, Deum quanquam cum æqualibus inæqualiter, quo dictum est modo, agat; nihilominus tamen justum esse ac manere. Rationem hanc affert: quia Deus habet liberrimam agendi potestatem, ac proinde miseretur cujus vult, & contrà indurat quem vult: quod utrumque membrum separatim testimonio Scripturæ probat: prius de misericordia, v. 15. & 16. posterius de induratione, v. 17. Utrumq; autem colligit & concludit v. 18. Cæterum v. 16. per corollarium ex testimonio Mosis, quo instituit refutare objectionem, deducit conclusionem quæstionis principalis, unde scilicet pendeat hominis salus. Concludit igitur, salutem hominis non pendere ex ipsius voluntate aut conatu (id quod antea clarissimo exemplo Jacobi demonstraverat) sed ex gratuita misericordia Dei.

19 Dices ergo mihi, Quid adhuc incusat? nam voluntati illius quis restitit?

20 Imò verò, ô homo, tu quis es qui ex adverso responsas Deo? num dicet figmentum ei qui *ipsum* finxerit, Cur me tale fecisti?

21 Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eâdem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?

Alia prolepsis. Objectio: Voluntati Dei resistere nemo potest: Ergo Deus non habet causam culpandi eos quos vult induratos, ac proinde nec causam habet eos perdendi. Apostolus negat consequentiam: quæ negatio colligitur ex objurgatione, qua gravissimè objurgat illum qui istud consequens blasphemum ex illo vero antecedente ratiocinando deducit. Deinde contrarium consequentis, videlicet Deum potestatem habere indurandi, ac proinde perdendi quos velit, probat à pari. Figulus, inquit, potestatem habet luti, ut ex eo faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus: Ergo etiam Deus potestatem habet condendi hominum alios ad gloriam illam cælestem seu salutem, seu deniq; vitam æternam: alios verò ad æternam ignominiam & interitum seu mortem. Respicit autem Apostolus exemplo illo figuli ad creationem primi hominis, quem Deus formavit ex luto; & sic deinceps mulierem primam formavit ex costa viri, reliquos verò homines formavit & format & formaturus est ex semine parentum: Psal. 139. v. 13.

22 *Quid* si verò volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multâ lenitate vasa iræ coagmentata ad interitum:

23 Et ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam?

Sequitur altera responsio ad præcedentem objectionem: ubi partim à fine, partim à modo agendi ostendit, Deum justas causas habere perdendi reprobos: quia scil. reproborum interitus pertineat ad illustrandum ipsius justitiam & potentiam: nec illis afferatur antè quàm petulanti abusu lenitatis Dei eum sint promeriti. Porrò argumentum à fine sumtum illustrat à contrario: admonens, gloriam seu salutem electorum pertinere ad illustrandum misericordiam Dei: sicut nimirum interitus reproborum pertinet ad illustrandum justam Dei iram.

24 Quos etiam vocavit, *nimirum* nos, non solùm ex Judæis, verumetiam ex Gentibus.

25 Ut etiam apud Oseam dicit, Vocabo populum qui meus non *erat*, populum meum: & eam quæ dilecta non erat, dilectam.

26 Et erit, in loco ubi dictum fuerat eis, Non populus meus vos, illic vocabuntur filii Dei viventis.

27 Esaias autem clamat super Israël, *Etiam* si fuerit numerus filiorum Israël ut arena maris, reliquiæ servabuntur.

28 Rem enim conficiet & concîdet cum justitia: quoniam rem concisam peraget Dominus in terra.

29 Et sicut priùs dixit Esaias, Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, facti fuissemus ut Sodoma, & Gomorrhæ similes facti fuissemus.

A præde-

A prædestinatione transit ad vocationem: ex qua unusquisq; tanquam ex proprio effecto, sui electionem certò potest cognoscere. Hanc autem doctrinam de vocatione illustrat distributione è subjectis: admonens, vocationem esse partim Judæorum, partim Gentium. Et quoniam vocatio Gentium Judæis absurda & incredibilis videbatur, confirmat eam testimonio duplici Oseæ, v. 25. & 26. Præterea vocationem Gentium illustrat antithesi rejectionis Judæorum: quam confirmat testimonio duplici Esaiæ, v. 17. 28. 29. Postremò occurrit objectioni de Gentium & Judæorum operibus: & ea occasione docet, quibus mediis Deus & electos & reprobatos ad suos fines, videl. alteros ad salutem, alteros ad exitium adducat, v. 30. usq; ad finem capitis.

30 Quid igitur dicemus? *Nempe* Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehendisse justitiam, justitiam autem eam quæ *est* ex fide:

31 Israëlem verò, qui sectabatur legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenisse.

32 Quare? Quia non ex fide, sed velut ex operibus Legis. offenderunt enim ad lapidem offendiculi.

33 Quemadmodum scriptum est, Ecce, pono in Sion lapidem offendiculi & petram offensionis: & quisquis credit in eum, non pudefiet.

Sequitur alia prolepsis. OBJECTIO: Quum igitur Deus Gentes vocârit, Judæos maxima ex parte rejecerit: quid dicemus? quasi dicat, Rursúmne accusabimus Deum injustitiæ: ut qui vocârit Gentes quæ justitiam non sectabantur, & contrà rejecerit Judæos, qui legem justitiæ sectabantur? Respondet Apostolus, Imò hoc dicemus, Gentes quantumvis justitiam non sectantes, tamen justitiam apprehendisse, quia credunt in Christum: contrà, Judæos quantumvis justitiam sectantes, tamen ad eam non pervenisse, quia in Christum non credunt, sed per sua opera justitiam quærunt. Simul etiam exponit causam, cur Judæi in Christum non credant, quia scilicet eo offendantur. Qua illorum offensione ne credentes offenderentur, docet, eam jam olim per prophetam Esaiam à Deo prædictam fuisse.

SCHOLIA IN CAP. IX.

1 Per Christum] ἐν χριστῷ. *Id est,* νὴ τὸν χριστόν. *Ita me Christus bene amet. Formula jurantis. Sic 1. Cor. 12. 2.* οἶδα ἄνθρωπον ἐν χριστῷ *&c.* Conscientiâ meâ] τῆς συνειδήσεώς μου. *Syrus vertit,* רַעְיָנִי *wahajáni: id est, mens mea.*

2 Magnam mihi tristitiam esse] *Nempe propter rejectionem & inde ortam incredulitatem Judæorum: ut apparet ex v. seq.*

3 Optarim] ηὐχόμην. *Pro,* ηὐχόμην ἄν. *Nempe si liceret, salvâ pietate. Quidam tamen magni nominis interpres putat, Apostolum id revera optasse, idq; in excessu mentis, quum animum suum altiùs in tanti populi tam exitiosam cæcitatem defixisset.* Anathema] ἀνάθεμα. *id est, optârim rejectus esse à Deo, & exitio sempiterno destinatus.* ἀνάθεμα *vocat Paulus, quod Hebræi* חֵרֶם *chhérem, id est, rem devotam & consecratam Deo: quæ si animata erat, erat immolanda velut hostia: ut apparet ex Jos. 10. 35. Hinc* ἀναθεματίζειν, *diris devovere. Vide Matth. 26. 74. de Petro: item Act. 23. 12. & 14. Dictum est autem* ἀνάθεμα *vel* ἀνάθημα, παρὰ τὸ ἀνατιθέναι, *id est, à reponendo vel seponendo, eò quòd quæ Gentes suis diis consecrabant, dicabántve, ea in illorum templis reponebant, aut statuebant, aut affigebant, aut suspendebant. Sic 1. Cor. 16. 22. Gal. 1. 8. & 9.* Separatum] *Hoc supplementum videtur postulare sequens præpositio* ἀπό. A Christo] ἀπὸ τοῦ χριστοῦ. *Ita ut mihi nulla esset communio cum Christo: in qua utiq; communione consistit æterna salus.* Fratribus] ἀδελφῶν. *id est, cognatis: ut ipse mox exponit. Synecdoche speciei, Hebræis usitata. Consultò autem tam amicâ appellatione utitur, ut scil. suum erga Judæos amorem ostendat, ac proinde eorum sibi benevolentiam conciliet: ut illi doctrinam Evangelii quam tradebat Paulus, benevolè amplectantur.* Secundùm carnem] κατὰ σάρκα. *Carnalem cognationem videtur tacitè opponere spirituali, quæ omnes credentes quarumcunq; gentium inter se cognati sunt.*

4 Israëlitæ] *Orti ex Israële seu Jacobo patriarcha, filio Isaaci, nepote Abrahæ.* Adoptio] ἡ υἱοθεσία. *Nam Dominus præteritis omnibus aliis gentibus, Judæos sibi in peculium selegerat & in filios adoptaverat: quemadmodum sæpe apud Mosen & prophetas testatur: nec contentus simpliciter filios nominare, nunc primogenitos vocat, nunc delicatos, Exod. 4. 22. Jerem. 31. 9. & 20.* Gloria] ἡ δόξα. *Scil. Jehova, id est, arca fœderis, ubi quasi residebat Jehova inter Cherubos. Metonymia subjecti, nempe rei signatæ pro signo.* Fœdera] αἱ διαθῆκαι. *Id est, tabulæ fœderis in arca recondita. Id est, leges morales. Metonymia subjecti, nempe rei signatæ seu testatæ.* Legis constitutio] ἡ νομοθεσία. *Id est, leges judiciales. Synecdoche generis.* Cultus] ἡ λατρεία. *Nempe cultus Dei externus. Synecdoche generis. Id est, leges cærimoniales.* Promissiones] αἱ ἐπαγγελίαι. *nempe promissiones gratiæ Dei, comprehensæ in fœdere, ut illa:* Ero Deus tuus & seminis tui post te.

5 Patres] οἱ πατέρες. *Sancti illi viri, Abraham, Isaac, Jacob: majores Judæorum.* Carnem] σάρκα, *Id est, corpus. Synecdoche membri: ut suprà 1. vers. 3.* Qui est supra omnes Deus &c.] ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεός. *Hic novi Ariani nefariam fallaciam divisionis committunt, ponentes scil. punctum post* πάντων: *& verba sequentia,* Θεὸς εὐλογητὸς *&c. exponentes tanquam votum pertinens ad solum Patrem. At planum est, Apostolum quum mentionem fecisset originis Christi secundùm carnem, voluisse simul commemorare deitatem ipsius, idq; ad laudem Judæorum. Et Syrus vertit: Qui est Deus qui est super omnia.* Laudandus] εὐλογητός. *Ad verbum, Benedictus. Heb.* בָּרוּךְ *barúch.* In sæcula] εἰς τοὺς αἰῶνας. *In æternum, in omne ævum.* Amen] ἀμήν. *Approbantis interjectio.* Ἐκδίκ,

6 Non tamen *hæc loquor* quasi quòd] οὐχ οἷον δὲ ὅτι. *quasi dicat,* οὐ λέγω δὲ οἷον ὅτι ἐκπέπτωκεν *&c. id est, Non dico autem (quod scil. de Judæorum rejectione dico) quasi quòd exciderit &c. hoc est, Ex eo quod dixi, Judæos esse rejectos: non sequitur, excidisse sermonem Dei. Quæ expositio si adhibeatur, mollissimè attexetur ratio, quæ continenter subjicitur: Non enim omnes qui sunt ex Israël, sunt Israël. id est, Non enim omnes Judæi sunt illud semen cui facta est promissio. Alii exponunt,* Fieri tamen non potest ut exciderit: *Subaudientes scil. verbum* ἐστί *post nomen* οἷον, *tanquam posito pro* οἷόν τε, *id est,* δυνατόν. *Sed quum istud nomen illam significationem adsciscit, solet post se regere verbum infinitivi modi. atq; ita dicendum hîc fuisset,* οὐχ οἷόν τε ἐκπεπτωκέναι. *Quare alteram interpretationem præfero, quâ* οἷον *notat similitudinem, & valet adverbium* quasi. *ut apud Platonem in Apologia:* καὶ εἴτε δὴ μηδεμία αἴσθησίς ἐστιν [ὁ θάνατος,] ἀλλ᾽ οἷον ὕπνος. *id est,* Et sive mors non sit aliquis sensus, sed quasi somnus. *Verùntamen illa quoq; interpretatio consistere potest, ac eundem sensum relinquit. Concedit enim non excidisse sermonem Dei: & illud mox declarat.* Sermo ille Dei] ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. *Nempe promissio illa, facta Abrahæ,* Ero Deus tuus & seminis tui post te. Non enim] οὐ γάρ. *q. d. Nam sermo ille Dei tantùm pertinet ad verum Israëlem, & ad veros filios Abrahæ, id est, ad electos: at non omnes qui sunt ex patre Israële, sunt verus Israël: nec omnes qui sunt semen Abrahæ, (id est, qui carnaliter orti sunt ex Abrahamo) sunt filii Abrahæ (nempe tanquam patris credentium:) sed tantùm filii promissionis (id est, electi) censentur in illo semine ad quod pertinet Dei promissio.* Sunt Israël] οὗτοι Ἰσραήλ. *id est, populus ille ad quem propriè pertinent promissiones salutis. Est autem elegans* ἀντανάκλασις *(Apostolo familiaris) in nomine* Israël *diversâ significatione repetito. Item species* ἀντιφάσεως *ex homonymia nominis* Israël, *quatenus populum significat. nam si de carnali populo intelligeretur, vera* ἀντίφασις *esset: at est intelligendum de populo spirituali. Sic mox seq. vers. Sic etiam suprà 4. 18.* Credidit contra spem sub spe.

7 Neque quia sunt semen Abrahæ] *Id est, Quia è semine Abrahæ carnali propagatione orti sunt.* Filii] τέκνα. *id est, filii illi Abrahæ ad quos propriè pertinet promissio gratiæ, Abrahæ facta.* Sed in Isaaco vocabitur tibi semen] *Id est, Sed illi tantùm sunt filii Abrahæ qui sunt filii promissionis, sicut Isaac: juxta dictum ipsius Domini, quum dixit Abrahæ, In Isaac vocabitur tibi semen. id est, Isaac tibi erit ac reputabitur germanus filius & legitimus hæres: non autem Ismaël, qui est filius carnis.*

8 Non qui filii carnis] *Id est, Non quicunq; sunt filii carnis, id est, carnaliter ex Abrahamo geniti.* Filii Dei] *Juxta promissionem, Ero Deus tuus & seminis tui.* Filii promissionis] *Id est, qui singulari Dei gratiâ adoptantur: sicut Isaac singulari Dei promissione fuit genitus.* Reputantur pro semine] *Nempe pro semine illo Abrahæ, cujus fit mentio in promissione, Ero Deus tuus & seminis tui post te.* λογίζεται εἰς σπέρμα: *ad verb.* Reputantur in semen.

9 Hoc ipso tempore] *Scil. post annum.* Über ein jaar umb dise zeit. Veniam] *Scil. ad te. Sunt verba filii Dei, prandentis apud Abrahamum unà cum duobus angelis. Vide Genes. 18.* Et erit] *Hæc est promissio de Isaaco.* Saræ] *Scil. quantumvis jam sit vetula & per naturam ad concipiendum liberos inepta.*

10 Neque *hoc* solùm] οὐ μόνον δέ. *quasi dicat, Non solùm autem hoc accidit quod narravi de duobus filiis Abrahæ: sed & Rebecca uxor Isaaci idem experta est in suis filiis. id est, singulari oraculo admonita est, utrum filiorum suorum Deus elegisset.* Ex uno] ἐξ ἑνός. *Emphaticè: ut innuat, eodem quidem patre & eâdem matre natos, sed non eodem eventu, nec eodem consilio Dei.* Quum concepisset] κοίτην ἔχουσα. *Ad verbum,* concubitum habens, *id est, semen. Metonymia efficientis.* Nempe] *Supplementum, ad declarandum appositionem.* Patre nostro] *Sic loquitur ad captandam benevolentiam Judæorum.*

11 Essent nati] γεννηθέντων. *Ad verbum, generati seu geniti. Catachresis. Sic Matth. 1. 18. item 2. 4.* Boni vel mali] *Quo scil. vel amorem Dei, vel odium mererentur.* Propositum Dei] ἡ τοῦ Θεοῦ πρόθεσις. *id est, decretum æternum, quo Deus sibi proposuit, quos visum est servare, & quos visum est perdere.* Quod pertinet ad electionem] ἡ κατ᾽ ἐκλογήν. *Id est, Ex quo proposito elegit quos voluit. Præpositio* κατά *hîc non notat causam procreantem, sicut Ephes. 1. v. 5. & 11. sed objectum, sicut 2. Cor. 11. v. 21. ubi dicitur,* κατὰ ἀτιμίαν λέγω. *id est,* περὶ ἀτιμίας. Non ex operibus] οὐκ ἐξ ἔργων. *id est, non propter opera, scil. fratrum istorum, Esavi & Jacobi. Præpositio* ἐξ *hîc notat causam impulsivam.* Sed ex vocante] *Id est, Sed ex gratia Dei vocantis electos suos.*

12 Ei] αὐτῇ. Nempe Rebeccæ consulenti oraculum seu os Domini: Genes. 25. v. 22. & 23. Major serviet minori] Hoc dictum Apostolus interpretatur de Esau & Jacob, ut apparet ex cohærentia hujus versiculi cum præcedente: at apud Mosen intelligi videtur de illorum posteris, ut apparet ex iis quæ ante hæc verba proximè præcedunt. Integrum enim oraculum, Rebeccæ datum, sic habet: Duæ gentes sunt in ventre tuo, & duo populi ex ventre tuo separabuntur: & populus populo prævalebit, & major serviet minori. Sed quod de populis qui è duobus illis fratribus oriundi erant, propriè dicitur, id de ipsis quoq; populorum illorum authoribus per synecdochen membri metonymicam (quâ scil. unà cum effecto efficiens significatur) intelligendum est. Nisi malimus dicere, hæc postrema verba, Et major serviet minori, propriè de Esavo & Jacobo intelligenda esse: ut de quibus præcedentia quoq; intelligenda sunt per metonymiam effecti. neq; enim certè propriè loquendo duæ gentes erant in ventre Rebeccæ, sed duarum gentium authores: nempe Esau author Edomitarum, & Jacob author Israëlitarum. Majorem igitur & minorem sic intelligemus de ætate, id est, majorem natu & minorem natu. Atq; in hanc sententiam Syrus vertit, Senior erit servus minori.

14 Quid igitur] Objectionis sententia videtur hæc esse: Si Deus cum æqualibus agit inæqualiter, ut cum Esau & Jacob; quorum illum nondum-natum odio habuit; hunc item nondum-natum dilexit: videtur, Deum esse injustum. Apostolus primùm detestatur consequens, tanquam blasphemum: hoc versu: Deinde consequentiæ negationem demonstrat, vers. seq. & deinceps.

15 Nam Mosi dicit] His verbis Apostolus innuit negationem illius connexi, contrariamq; affirmationem, nempe, Quanquam Deus cum æqualibus inæqualiter quo dictum est modo, agat, nihilominus tamen justum esse ac manere. Rationem hanc affert, Quia Deus habet liberrimam agendi potestatem: ac proinde miseretur cujus vult, & contrà indurat quem vult. quod utrumq; membrum separatim testimonio Scripturæ probat: prius de misericordia, hoc versu & sequente: posterius de induratione, v. 17. Utrumq; autem colligit & concludit v. 18. Miserebor] ἐλεήσω. id est, ex misericordia servabo. Synecdoche metonymica, quâ intelligitur effectum ex causa & unà cum illa.

16 Nempe igitur] Ex testimonio Mosis, quo instituit refutare objectionem, deducit hîc obiter conclusionem quæstionis principalis, unde scilicet pendeat hominis salus. Concludit igitur, salutem hominis nō pendêre ex ipsius volūtate aut conatu: (id quod antea clarissimo exemplo Jacobi demonstraverat) sed ex gratuitâ misericordiâ Dei. Salus] Supplementi hujus veritas colligitur ex collatione versiculi præcedentis. Non est ejus qui velit &c.] Id est, Non pendet ex hominis voluntate aut cursu, sed ex misericordia Dei. Hoc Syrus ita expressit: Non igitur est in manibus ejus qui velit &c. Voluntatis vocabulo videtur notare desiderium salutis: nomine verò cursus, studium demerendi Deum ad salutem impetrandam, de quo studio meminit etiam infrà 10. v. 2. & 3. Ejus qui miseretur, nempe Dei] τοῦ ἐλεοῦντος Θεοῦ. Hæc interpretatio cum præcedentibus analogiam habet, & præterea innuit, illic subaudiendum genitivum ἀνθρώπου. Et hanc interpretationem postulat articulus τοῦ.

17 Scriptura] ἡ γραφή. Scilicet sancta. Synecdoche generis. id est, Deus in Scriptura: Metonymia adjuncti. Atq; ita Syrus reddidit: Dicit enim בִּכְתָבָא bachetabá, in Scriptura, Excitavi te] ἐξήγειρά σε. Hebr. הֶעֱמַדְתִּיךָ hebhemadticha: quod Tremellius & Junius verterunt, Feci ut restares. id est, Non percussi te cū pecudibus: ut intelligitur ex collatione versiculi præcedentis. In quam sententiam verterunt LXX. διετηρήθης, reservatus es: mutatâ tamen personâ & casu. Et hæc sententia etiam D. Calvino in suis in Exodum commentariis arridet. Cæterùm Apostoli verbum etiam sic potest exponi. ἐξήγειρά σε, Excitavi te: hoc est, excitavi animum tuum ad reluctandum mandatis meis & recusandum dimissionem populi mei. Vel, excitavi te: id est, ante totius mundi oculos proposui te & quasi in arenam produxi, qui cum in certamen descenderem. Sed omnium rectissimè videtur exponere D. Beza, Feci ut exsisteres: Id est, creavi te. Sic verbo standi utitur Scriptura Psal. 33. v. 9. Ipse dixit, & fuit (seu factum est:) ipse præcepit, & stetit. Pari ratione creatura vivens corporea nominatur יְקוּם jekúm, substantia, Genes. 7. vers. 4. & 23. Deut. 11. v. 6. Potentiam meam] In Hebræo habetur כֹּחִי cohhi, virtutem meam, seu robur meum, seu vires meas. Meine stercke oder kraft. Ut annuntietur] ὅπως διαγγελῇ. Ad verbum, Ut annuntiet, subaudi, unusquisq;. Loquutio impersonalis ἐλλειπτική, Hebræis usitata. Atque ita exstat hoc loco in Hebræo: לְמַעַן סַפֵּר Lemábhan sappér, propter enarrare, hoc est, ut unusquisque enarret, vel ut enarrent. Est autem verbum διαγγέλλειν emphaticum, ut quod significet, passim & per omnia loca annuntiare. Syrus: Ut prædicetur nomen meum.

18 Itaque] ἄρα οὖν. proinde igitur. Nunc rationem ex utroq; testimonio collectam concludit. Cujus vult, miseretur] Ut nimirum liquet ex testimonio priore, v. 15. Quem autem vult, indurat] Ut scil. liquet ex testimonio posteriore, v. 17. Indurat] σκληρύνει. Notandum, Scripturam de Pharaone interdum dicere, quòd cor suum ipse aggravârit, ut Exod. 8. v. 15. & 32. interdum, quòd Deus cor ejus obfirmârit, seu aggravarit, ut Exod. 9. v. 12. item 10. v. 1. & 20. Unde colligimus, Pharaoni ex aggravatione Dei nullam suppeditari excusationem: quum etiam ipse seipsum pertinaciter & malitiosè obfirmaverit ad refragandum mandato Dei.

19 Quid] τί. id est, propter quid, cur. τί, id est, διὰ τί. Sunt verba hominis reprobi, aut certè rationis humanæ. quasi dicat: Non potest justa causa ostendi, propter quam succenseat. Incusat] μέμφεται. Vel, culpat, reprehendit, videl. si agam more induratorum: quum ipse me indurârit. Quis restitit] τίς ἀνθέστηκε. id est, Quis unquam restitit? quasi dicat, nemo. quo ipso innuitur, neminem voluntati Dei (id est, decreto) resistere posse.

20 Imò verò] μενοῦνγε. Respondet præcedenti objectioni, negando consequentiam: quæ negatio colligitur ex objurgatione, quâ gravissimè eum objurgat, qui istud consequens blasphemum ex illo vero antecedente ratiocinando deducit. Deinde contrarium consequentis, videl. Deum potestatem habere perdendi quos velit, probat à pari, hoc vers. & seq. O homo] ὦ ἄνθρωπε. Emphaticè, quasi dicat: Memento, te miserum homuncionem esse, & velut vermiculum, si cum majestate Dei compareris. Tu quis es] σὺ τίς εἶ; quasi dicat, Memento, te pulverem ac cinerem esse, ac proinde humiliter de te sentias, sicut Abraham fecit Gen. 18. Qui ex adverso responsas] ὁ ἀνταποκρινόμενος. Id est, Qui non acquiescis voluntati Dei: sed de ea disputare audes an justa sit: quæ tamen omnis justitiæ regula est. Germanicè, widerbefzen/ item widerbellen. quasi dicas, relatrare. Num dicet figmentum &c.] Quasi dicat, Sicut non deceret figmentum, si expostularet cum suo fictore: sic te, ô homo, non decet ut expostules cum fictore tuo, Deo. Tale] οὕτως. Ad verb. Sic. Heterosis.

21 An non habet &c.] ἐπιμονὴ καὶ ἐπεξεργασία. Immoratur in instituta comparatione, eamq; expolit. An non habet] Quasi dicat, Maximè habet. Potestatem] ἐξουσίαν. id est, jus. die macht/ fug vnd recht. Ex eâdem massâ] ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος. φύραμα propriè significat farinam humore maceratam & subactam. Germ. ein taig; à verbo φυρεῖν. id est, pinsere, knätten. Hîc per metaphoram significat lutum humore subactum, ein laimenkloß oder klumpen. Aliud quidem] ὃ μὲν Illustrat propositum distributione: nam quum de reprobis quæstio hîc vertatur, electos illis opponit. Ad decus] εἰς τιμήν. Ad verb. In honorem, id est, ad honestum & decentem usum: verbi gratiâ poculum unde bibatur, aut scutellam unde edatur. Ad dedecus] εἰς ἀτιμίαν. Ad ignominiam; id est, ad ignominiosum ac minus-honestum usum; verbi gratiâ matulam quæ excrementa vesicæ & alvi excipiantur.

22 Quid si verò] εἰ δέ. Est hoc loco ἀνανταπόδοτον. Instituitur enim enuntiatum connexum: Sed illius consequens omittitur. Si Deus pertulit vasa iræ &c. Videtur subintelligendum, Quid dicemus? q. d. Dicemúsne Deum esse injustum, ac non potiùs justissimum & sapientissimum? Iram] τὴν ὀργήν. Iram illam suam, nempe justam adversus peccata reproborum. Notam facere] γνωρίσαι. Notificare, nempe omni rationali creaturæ. Potentiam] τὸ δυνατὸν. Ad verb. possibile. pro, τὴν δύναμιν: ut appellavit suprà 17. Nempe potentiam in puniendis reprobis induratâ mente Deo reluctantibus. Pertulit] ἤνεγκεν. id est, toleravit. Multâ lenitate] ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ. Ad verb. In multa lenitate. Hebraismus. Græci dicerent, μετὰ πολλῆς μακροθυμίας μακρόθυμος, quasi longus ad iram, id est, tardus ad iram. der nicht bald zürnt. Vult dicere, Deum non statim punire reprobos quum peccant, sed exspectare pœnitentiam ac emendationem: ut supr. 2. v. 4. Quum autem reprobi pœnitentiam nunquam agant, sed in duritia sua pertinaciter pergant: an non Deus justè agit quòd eos tandem punit? Vasa iræ] σκεύη ὀργῆς. id est, reprobos. Periphrasis metaphorica à fine. Sunt enim reprobi vasa seu instrumenta quibus Deus uti constituit ad ostendendam justam suam iram erga peccatum. Coagmentata] κατηρτισμένα. concinnata, compacta, coaptata. Manet in metaphora. Vult autem dicere, reprobos à Deo conditos esse ad interitum: Sicut vasa quædam à figulo coagmentantur ad dedecus seu usus minus-honestos. Ad interitum] εἰς ἀπώλειαν. id est, ad exitium sempiternum, ad cruciatus sempiternos.

23 Et ut] Videtur primâ fronte etiam hoc loco esse ἀνανταπόδοτον: eò quòd propter conjunctionem copulativam videtur ἀπὸ κοινοῦ repetenda conjunctio connexiva εἰ, id est, si. quasi dicat, Et si, id est, similiter si Deus ut notas faceret &c. Hîc nullum sequitur verbū quod ab illa conjunctione si dependeat: sicut superiore versiculo verbū ἤνεγκεν. Sed accuratiùs cohærentiam horum duorū versuum consideranti, apparebit, conjunctionem copulativam hujus versiculi non pendêre à conjunctione connexiva versiculi præcedentis: sed à participio θέλων, verùm mutatâ constructione. Quod ut planiùs intelligatur, attendatur ad syntaxin, quæ sic habet: Si verò Deus pertulit multâ lenitate vasa iræ coagmentata ad interitum, volens ostendere iram & notam facere potentiam suam; (id est, ut ostenderet iram & notam faceret potentiam suam) & ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ quæ præparavit ad gloriam. Ecce jam plana sunt omnia: si modò consequens connexi instituti suppleatur, nempe, Quid dicemus? Divitias] τὸν πλοῦτον. Sic infrà 11. v. 33. O profunditatem divitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei! Gloriæ suæ] τῆς δόξης αὐτοῦ. Id est, gloriæ gratiæ suæ, seu gloriosæ gratiæ suæ: ut est Ephes. 1. v. 6. Et ibid. v. 7. vocat divitias gratiæ Dei: quod postea v. 14. nominat laudem gloriæ: idq; ipsum v. 6. nominarat

laudem gloriæ gratiæ. Est ergo synecdoche generis. Vasa misericordiæ] σκεύη ἐλέους. *id est, electos: quos ex misericordia elegit ad vitam, & quibus tanquam instrumentis vult uti ad illustrandum suam gloriam.* Præparavit] προητοίμασεν. *Videl dum illa conderet seu fingeret.* Ad gloriam] *Scilicet cælestem: quam Scriptura alibi vocat vitam & salutem & hæreditatem in cælis repositam.*

24 Quos] οὓς. *Scil. electos. pro*, ἃ, *id est, quæ, scil. vasa misericordiæ. Constructio refertur ad sensum, non ad vocem. Synesis.* Etiam vocavit] καὶ ἐκάλεσεν. *quasi dicat, Non solùm ex misericordia elegit & ad gloriam creavit atque præparavit: sed etiam in hoc tempore vocavit. Loquitur autem de vocatione efficaci, qua Deus homines per prædicationem Evangelii ita vocat ad regnum suum & communionem sanctorum, ut per spiritum suum gignat in eis fidem, ut promissioni Evangelii credant. nam hæc vocatio electorum propria est: quum sit proprium effectum electionis: ut patuit ex aurea illa catena, id est, gradatione, suprà 8. v. 30. Sic Tit. 1. Fides electorum Dei. Vocatio autem externa, communis est electorum & reproborum: de qua loquitur Christus, ubi ait, Multi vocati, pauci electi.* Nimirum] *Supplementum ad perspicuitatem appositionis.* Nos] ἡμᾶς. *Nempe qui credimus in Christum. Scripsit enim credens ad credentes.* Non solùm ex Judæis] *Id quod Judæis minùs mirum videbatur.* Verùm etiam ex Gentibus] *Hoc est, cæteris gentibus seu populis. Synecd. generis, Scripturæ usitata. nam utiq; etiam Judæi gens seu populus erant.*

25 Apud Oseam] ἐν τῷ Ὠσηέ. *Ad verb. In Osea. Id est, in libro Oseæ. Metonymia efficientis. Vel, Per Oseam.* Dicit] *Scilicet Deus.* Vocabo populum &c.] *Hæc verba apud prophetam dicuntur de Israëlitis, id est, de decem tribubus in regno Israël. Iis Dominus per prophetam denuntiat rejectionem ipsorum, quòd nimirum eos propter idololatriam nolit posthac agnoscere pro suo populo: tum ad consolationem piorum promittit, se castigationibus tandem effecturum ut ad ipsum revertantur, ac proinde eos in gratiam recepturum, & rursum pro suo populo habiturum. Hoc vaticinium Apostolus accommodat ad Gentes per ratiocinationem à pari: eò quòd Israëlitæ à Deo rejecti, Gentibus pares erant redditi.*

26 Erit] ἔσται. *Id est, fiet.* Illic vocabuntur &c.] ἐκεῖ κληθήσονται. *In Hebræo paulò aliter, eodem tamen sensu: nempe,* Illic dicetur eis, Filii Dei viventis estis. *Verba Apostoli exstant in versione* LXX.

27 Esaias autem] *Dixit de vocatione Gentium: sequitur antithesis de rejectione Judæorum.* Clamat] κράζει. *Id est, clarâ voce & intelligenter pronuntiat.* Reliquiæ servabuntur] *Id est, Tamen solæ reliquiæ servabuntur. Ergo maxima pars peribit. Propheta propriè loquitur de reductione populi è captivitate Babylonica: ait enim,* Reliquum redibit ex eo: *Sed Apostolus illam liberationem considerat, ut typum redemtionis per Christum.*

28 Rem] λόγον. דָּבָר *dabár. Hebraismus.* Conficiet] συντελῶν. *Scil.* ἔσται. *Conficiens erit. Hebraism. pro* συντελέσει. *Sic quod sequitur,* συντέμνων.

29 Dominus Sabaoth] κύριος Σαβαώθ *Heb.* יְהוָה צְבָאוֹת *Jehováh Zebaóth. id est, Dominus exercituum, hoc est, imperium habens in omnium maximos exercitus, videl. omnes creaturas, quæ instar exercitus pulcherrimo ordine disposita, Deo ministrant quoties imperat. Sic Luc. 2. verss. 13. Angeli vocantur exercitus cælestis.* Semen] σπέρμα. *In Hebræo est,* Superstites, utcunque paucos. *Apostolus secutus est versionem* LXX. *qui sensum expresserunt vocabulo metaphorico. Nam quum homines maximam frumenti partem molant, ut inde panem coquant: aliquantulum tamen reservant ad seminandum.* Facti fuissemus ut Sodoma] *Id est, penitus excisi & perditi fuissemus. Nota est historia de excidio Sodomitarum, Genes. 19.* Gomorrhæ] *Alterum oppidum inter vicina quæ unà cum Sodoma incendio consumta sunt. Fuerunt autem quatuor: quæ enumerantur Deut. 29. v. 23. Sodoma, Gomorrha, Adamah & Zebojim.*

30 Igitur] οὖν. *Quum scil. Deus Gentes vocârit, Judæos rejecerit: ut testimoniis Scripturæ demonstratum est.* Quid dicemus?] τί ἐροῦμεν; *Dicemúsne, Ergo injustitia est apud Deum? ut suprà v. 14. Ratio consequentiæ innuitur verbis sequentibus, quæ continent responsum Apostoli: nempe, quia Gentes non fuerunt sectatæ justitiam, sed securè lascivierunt ac indulserunt cupiditatibus carnis: contrà autem Judæi justitiam sectati sunt, studentes bonis operibus quæ Deus in Lege præcepit.* Nempe Gentes] ὅτι ἔθνη. *Responsio Apostoli, quæ sententiam rationi humanæ παράδοξον & absurdam continet: nempe eos qui justitiam non sunt persecuti, tamen assecutos: & contrà eos, qui justitiam studiosissimè persecuti sunt, tamen non assecutos. Quam quidem sententiam quantumvis παράδοξον, tamen veram esse docet Apostolus expositione causarum, quæ sunt fides & incredulitas. Particula* ὅτι *ponitur εἰδικῶς: ac proinde rectè exprimitur per infinitivum:* ὅτι ἔθνη κατέλαβε, *quòd Gentes apprehenderint, id est, Gentes apprehendisse. Cæterùm perspicuitatis gratiâ inserui particulam* Nempe. *quasi dicat,* Nempe hoc dicemus, Gentes &c. Eam quæ est ex fide] τὴν ἐκ πίστεως. *id est, justitiam partam morte Christi, fide in promissione apprehensam. Hic præpositio* ἐκ *notat causam instrumentalem: est enim posita pro* διά. *Sic enim ipse Apostolus exponit sup. 3. v. 30.*

31 Israëlem] *Id est, Israëlitas seu Judæos. Metonymia efficientis.* Legem justitiæ] *Id est, justitiam Legis, hoc est, Lege præceptam. Hypallage. De Gentibus dixit, eas non sectatas justitiam: non autem dixit, eas non sectatas Legem justitiæ: quia Gentes non habebant legem Dei scriptam.*

32 Quia non ex fide] *Subaudi, sectatus est justitiam Israël: id est, quia non quæsivit justitiam in Christo, in quo solo est, & per fidem reperitur.* Ex operibus] *Id est, merito suorum operum.* Offenderunt enim] προσέκοψαν γὰρ. *vel,* impegerunt. *Hic causam exponit incredulitatis Judæorum, cur scil. in Christum non credant Sic 1. Cor. 1. verss. 23.* Prædicamus Christum crucifixum, Judæis offendiculum. Offenderunt enim] *Scil. Judæi. Constructio refertur ad sensum: nam præcessit nomen singulare* Ἰσραήλ. *Synesis.* Lapidem offendiculi] *Id est, Christum: ut disertè exponit Apostolus 1 Cor. 1. v. 23. & Simeon Luc. 2. v. 34.*

33 Ecce pono] *Principium & finis hujus dicti sumtum est ex Esa. 28. v. 16. medium autem ex Esa. 8. v. 14.* Non pudefiet] οὐ καταισχυνθήσεται. *In Hebr.* Non festinabit. *Metonymia efficientis. nam qui nimiùm festinant, solent labi, atq; ita pudefiunt.*

OBSERVAT. EX CAP. IX.

1 Ex v. 1. *Veritatem dico per Christum &c.* In gravibus negotiis, (videl. quum agitur gloria Dei aut salus proximi) concessum est, exemplo Apostoli, sermonem suum confirmare jurejurando. Errant igitur Anabaptistæ, qui putant, homini Christiano jurare simpliciter fas non esse. Sed hîc diligenter observandum, ut juramento non nisi veritatem, cujus tibi probè conscius sis, confirmes: ejusdem Apostoli exemplo. *Juramentũ.*

2 Ex v. 2. & 3. *Magnam mihi tristitiam esse &c.* Malis proximi, ac inprimis quum videmus eum ruere in exitium, respuendo media salutis, debemus vehementer, exemplo Pauli, affici: atque illis meliorem mentem exoptare, ut serventur. Interim tamen in voluntate Dei, rejicientis quos visum est, tanquam sanctissimâ atq; justissimâ, nobis, exemplo ejusdem, est acquiescendum. ait enim, *Optârim anathema esse pro fratribus meis:* si scil. hoc optare mihi liceret per voluntatem Dei. Sic Christus deploravit excæcationem & exitium Judæorum, quum exclamaret, *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare liberos tuos, ut gallina pullos suos? & noluistis,* Matth. 23. v. 37. Et tamen acquievit in voluntate Patris, à quâ excæcationem illam pendêre videbat, quum diceret: *Confiteor tibi, pater, domine cæli & terræ, quòd hæc* (videl. mysteria regni cælorum, quorum cognitio & fides ad æternam salutem est necessaria) *abscondisti à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Na pater: ita fuit beneplacitum coram te.* Matth. 11. v. 25. & 26. *Officium hominis Christiani.*

3 Ex v. 3. 4. & 5. Amoris erga proximum justæ causæ inter alias sunt & istæ, quas hîc cernimus in exemplo Apostoli: videl. cognatio carnalis & dignatio divina, quum scil. Deus proximum dignatur singularibus quibusdam donis ac beneficiis: qualia hîc complura de Judæis Apostolus commemorat. *Dilectio proximi.*

4 Ex v. 4. & 5. Laudes proximi commemorare licet, exemplo Apostoli: quatenus illa commemoratio dirigitur ad proximi ædificationem. ut quum laudamus proximum ad amoliendum suspicionem invidiæ aut odii; & contrà ad demonstrationem benevolentiæ ac favoris: idque in hunc finem, ut ille admonitiones salutares à nobis profectas, eò libentiùs admittat. Vitiosa autem est laudatio proximi quæ dirigitur ad gratiam aucupandam, nostrorum commodorum causâ; quæve conjuncta est cum adulatione. *Laudatio proximi.*

5 Ex iisdem versibus: ex verbis, *Qui sunt Israëlitæ.* item, *Quorum sunt patres.* Judæi non sunt odio habendi propter hoc ipsum quòd sunt Judæi. Videmus enim, eos hoc nomine ab Apostolo Paulo fuisse dilectos: id quod nobis quoque faciendum est, ac proinde studendum ut illos & salutaribus monitis & sanctis moribus Christo lucrifaciamus. Peccat igitur vulgus Christianorũ, quum Judæos petulanter vexant omni genere contumeliarum. nam etsi illi propter suam in Christiana fide repudianda pertinaciam odio digni sunt: tamen nobis ex charitate opera danda, ut eos Christo lucrifaciamus: idque tum quia orti sunt è sanctis patribus, tum quia Deus constituit illos denuò ad Christianam fidem convertere: sicut testatur Paulus in cap. 11. v. 25. & deinceps. *Judæi.*

6 Ex v. 5. *Ex quibus est Christus quod ad carnem attinet.* Observandum hîc est exemplum limitationis, qua quod de persona Christi affirmatur, restringitur ad alteram naturam, ne scil. putetur pertinere ad utramque. Quippe Christus dicitur ortus esse ex Judæis; sed additur, τὸ κατὰ σάρκα, id est, secundùm carnem, sive quod ad carnem (id est, corpus attinet. Sic suprà c. 1. v. 3. Filius Dei dicitur ortus esse (γενόμενος) ex semine Davidis κατὰ σάρκα, secundùm carnem. Sic 1. Pet. 4. v. 1. Christus dicitur passus esse pro nobis ἐν σαρκί, in carne. Hæc limitatio etsi non semper exprimitur: tamẽ ubi res postulat, subaudiri debet. quod nisi fiat, Scripturæ inter se videbuntur pugnare. Verbi gratiâ, Christus ait: *Me non semper habebitis.* deinde idem ait, *Ego sum vobiscum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi.* Hæc primâ fronte inter se videntur pugnare; & certè pugnarent, si intelligerentur dicta simpliciter absque ulla limitatione: at conveniente limitatione adhibitâ, repugnantia ista tollitur. nempe, Christus jam non est nobiscum, scil. secundùm carnem seu humanam naturam: at idem nihilominus est nobiscum, secundùm naturam *Locutiones de Christo.*

divinam, cujus vi nos sanctificat per Spiritum sanctum, quem unà cum Patre mittit in corda nostra.

Deitas Christi.

7 Ex v.5. *Qui est supra omnes Deus &c.* Notandum est clarissimum hoc testimonium deitatis Christi contra Arianos. nam planum est, hæc verba dicta esse de Christo. Quum enim dixisset: *Ex quibus est Christus secundùm carnem*: continenter annectit, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. ut nimirum admoneat, Christum non solùm esse hominem, ut qui ortus sit ex Judæis secundùm carnem, sed etiam Deum illum verũ, qui omnes homines sub sua potestate continet. Quare verba Apostoli corrumpunt, qui accipiunt tanquam dicta modo optandi: quasi nimirum dicat, Is qui supra omnes est Deus, *sit* benedictus in sæcula. Nec verò illa expositio evincitur ex adjecta particula, *Amen*: quippe quæ non semper optantis est, sed interdum asseverantis. ut in verbis Domini identidem repetitis: *Amen amen dico vobis &c.*

Vindicatio verborum Pauli, Qui est super omnes Deus &c.

Promissio gratiæ.

8 Ex v.6 7.8.& 9. *Non tamen* hæc loquor, *quasi quòd exciderit &c.* Promissio gratiæ non ideo est irrita, quia non omnes quibus ipsa annuntiatur, fide eam accipiunt: sed rata est in filiis promissionis, hoc est, in electis: quippe quibus datur ut illam fide accipiant.

Prædestinatio.

9 Ex v.11.12.& 13. *Quum enim nondum essent nati pueri &c.* Prædestinatio Dei qua is alios hominum elegit, ac proinde sibi proposuit eos servare: alios verò reprobavit, ac proinde sibi proposuit eos perdere: non pendet à prævisis operibus bonis vel malis: sed ex libera dilectione & odio Dei: sicut Apostolus in exemplo Jacobi & Esavi clarissimis verbis pronuntiat. Confer Eph.1.4.& deinceps. Errant igitur qui putant, prædestinationem pendêre à prævisis operibus, vel à prævisa fide aut incredulitate. Imò hæc omnia prædestinationis effecta sunt: quomodo igitur possunt statui prædestinationis causæ? De bonis operibus ait Paulus Ephes.1.v.4. *Elegit nos in ipso* (videl. Christo) *antequam jacerentur fundamenta mundi, ut simus sancti & inculpati coram eo per charitatem. Ut simus*, inquit. non ergo quia futuri eramus. De fide idem Apostolus ait ibidem vers. sequente: *Prædestinavit nos* εἰς υἱοθεσίαν, *ad adoptionem, per Jesum Christum in sese, secundùm beneplacitum voluntatis suæ.* Quod perinde est ac si diceret, Prædestinavit nos εἰς πίστιν, ad fidem: quippe quum adoptio illa fide cõstet, juxta illud Joh.1.12. *Quotquot eum* (nempe Christum) *acceperunt, dedit eis hanc potestatem sive hoc jus* (ἐξουσίαν) *ut filii Dei sint, nempe iis qui credunt in nomen ejus.* Si prædestinavit nos Deus ad fidem, id est, ut crederemus: Ergo non propter prævisam fidem, id est, quia credituri eramus. De incredulitate testatur Christus Joh.6.v.36.& 37. & cap.8.v.46. & 47. Sicut in præfatione hujus voluminis declaravi.

Potestas Dei. Justitia Dei.

10 Ex v.14.& deinceps usque ad 24. Quòd Deus miseretur, quorum vult: & contrà indurat quos vult: non est propterea insimulandus injustitiæ: quippe quum habeat liberrimam agendi, quicquid velit, potestatem: quumq; tam interitus reproborum, quàm salus electorum pertineat ad illustrandam ipsius gloriam: quam nimirum illustrari æquissimum est. Errant igitur qui putant, consequi, Deum esse injustum; si dicamus; eum hominum alios condidisse & condere ad gloriam, alios verò ad interitum. At Apostolus hanc consequentiam negat, & justitiam Dei contra judicium humanæ rationis fortissimè asserit. quod idem nobis quoque faciendum est; & temerarium rationis nostræ judicium testimoniis verbi Dei coërcendum. Sed contra hanc doctrinam objiciuntur testimonia quædam Scripturæ, quæ videntur docere, gratiam Dei (qua scilicet in æternum salvos vult homines) esse universalem, hoc est, pertinere ad singulos homines. ut, a *Deus vult omnes homines salvos fieri & ad cognitionem veritatis venire.* b *Qui semetipsum dedit redemtionis pretium pro omnibus.* c *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* d *Deus conclusit omnes sub inobedientiam, ut omnium misereretur.* e *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* f *Dominus est patiens erga nos, non volens aliquos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.* g *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi peccatis.*

Loca quæ afferuntur pro gratia universali.

a 1.Tim.2. v.4. b Ibid.v.6. c Ezech 18. v.23. & c.33. v.11. d Rom.11. v.32. e Joh.3.v.16. f 2.Pet.3.9. g 1.Joh.2.2.

Quòd gratia Dei non sit universalis.

Respondeo, Gratiam Dei qua salvos vult homines, non esse universalem, sed particularem, videl. propriam electorum, id est, eorum quos Deus ex æterno atque immutabili suo decreto elegit ad vitam æternam; planum est tum ex tota hac disputatione Pauli, tum ex aliis Scripturæ testimoniis quamplurimis. Quare necesse est ut dicta illa quæ huic doctrinæ videntur repugnare, alium habeant sensum quàm adversarii Prædestinationis existimant. Et sanè quum Paulus dicit 1.Timoth.2. Deus vult omnes homines salvos fieri: item, Christus dedit se pro omnibus: isthîc per *omnes* non intelligit singulos: sed omnis generis seu omnium ordinum aliquos, videl. electos, ut planum est ex contextu. Etenim versu primo hortatur ut fiant deprecationes pro omnibus hominibus, ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων. Et mox versu secundo istud declarans, subjungit: *Pro regibus & omnibus in eminentiâ constitutis.* quasi dicat, Non solùm pro plebeiis qui magno numero religionem Christianam tum amplectabantur: sed etiam pro magistratibus, qui eandem, saltem plerique, persequebantur: ac proinde simplicioribus videri poterat; non pro illis, sed potius contra illos esse orandum. Monet igitur Apostolus, pro illis quoque esse orandum. Cur? Nempe quia Deus in illo quoq; ordine suos habeat electos, quos salvos velit: quippe qui salvos fieri velit omnes homines, id est, omnis generis homines, videl. electos. Item, quia Christus se dederit pretium redemtionis pro omnibus, nempe pro omnibus electis. Neq; enim certè Apostolus contradicit Christo, qui pretium illud redemtionis persoluturus, mundum (id est, reprobos) disertè exclusit, inquiens Johan.17.v.9. *Non pro mundo rogo: sed pro iis quos dedisti mihi.* qua periphrasi utique intelligit electos discipulos: quibus postea cæteros electos adjungit, v.20. Rogavit igitur Christus pro solis electis, ut Pater pretium redemtionis quod paulò pòst persoluturus erat, pro illis acceptaret.

Vindicatio recitatorum locorum.

Ad locum 1.Tim.2.

Ad locum Ezech.18.

Quod ad dictum illud apud Ezechiëlem attinet: id non est intelligendum simpliciter, sed secundùm quid. Non delector morte improbi: nempe si is resipuerit. sicut ibidem declaratur, nempe Ezech.18.27.& 28. Etenim iis verbis Deus vindicat suam justitiam contra criminationem Judæorum, qui dicebant, Viam Domini non esse æquam: ut qui filios puniret propter peccata parentum, item qui puniret improbos etiamsi resipuissent. Deus ergo non vult mortem peccatoris resipiscentis: at resipiscunt soli electi.

Ad locum Rom.11.

In dicto Pauli infr.11.32. vocabulum *Omnes* non significat singulos homines: sed omnes salvandos tam ex Judæis, quàm ex Gentibus. Et sententia est, Deum omnes quos servat, quósve servare constituit (ii autem sunt soli electi) servare ex misericordia, nullos autem ex merito ipsorum: quippe quum omnes sint peccatores, tam Judæi quàm Gentes. Si verò sententia esset, quam tradunt adversarii prædestinationis, videlicet Deum misereri velle singulorum hominum: tum certè Apostolus sibi ipse contradiceret: ut qui hoc loco expressè dicat, *Deum misereri cujus vult, & indurare quem vult.* unde planum est, eum non velle misereri omnium seu singulorum, sed velle aliquos indurare, & ex consequenti perdere.

Ad locum Joh.3.

In dicto Christi Joh.3. vocabulum *mundi* non est intelligendum de singulis in mundo hominibus: sed tantùm de singulis electis, sive Judæis sive Gentibus. nam opponitur falsæ opinioni Judæorum, qui putabant, se solos à Deo diligi. Sed quomodo Deus dilexit mundum? Subjicit, ut omnis (intellige sive Judæus sive Ethnicus) qui credit in filium, non pereat, &c. At credere non datur omnibus seu singulis hominibus: sed solis electis. Sicut Christus ajebat discipulis: Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: cæteris autem ista dicuntur in parabolis, ut videntes non videant, &c.

Ad locum 2.Pet.3.

Petrus 2.Pet.3.v.9. non loquitur de singulis hominibus, sed tantùm de vocatis: qui ex charitate habentur pro electis. ait electis. ait enim, *Dominus est patiens erga* NOS. Scribit autem vocatus ad vocatos. tum addit, *Nolens aliquos perire.* nempe ex nobis, vocatis & electis: *Sed omnes* (nempe vocatos & electos) *ad resipiscentiam tendere.*

Ad locum 1.Joh.2.

Johannes similiter 1.Joh.2.v.2. non de singulis hominibus, sed tantùm de vocatis & electis loquitur. ait enim, Ipse (nempe Christus) est propitiatio pro peccatis *nostris*, nempe quia in ipsum credimus; scribit enim credens ad credentes. Nec pro nostris solùm, sed etiam pro peccatis totius mundi: id est; omnium credentium in toto mundo. Credunt autem soli electi.

Reproborum interitus. Justitia Dei.

11 Ex v.22. *Pertulit multâ lenitate vasa iræ.* Justitia Dei qua perdit reprobos, elucet ex eo quòd illos multâ lenitate fert in hac vita: non statim scilicet puniendo, sed dando spatium ad resipiscentiam, atq; etiam ad hanc invitando (saltem aliquos) per verbum. Quum igitur illi nunquam resipiscant: jure eos perdi, omnes intelligunt.

Electionis τεκμήριον.

12 Ex v.24. *Quos etiam vocavit.* De electione nostri statuere possumus ac debemus ex vocatione efficaci, tanquam ex certo atq; infallibili effecto. Nam quos Deus ad vitam æternam elegit, seu (ut hoc loco Paulus loquitur) ad gloriam præparavit; eos etiam vocat: idq; non tantùm externè, per prædicationem Evangelii: sed etiam internè, per operationem Spiritus sancti, donando scilicet fidem qua promissionem Evangelii sibi singuli applicant. Confer sup.8.v.30.

Incredulitas Judæorum.

13 Ex v.25. & deinceps usque ad 30. Quum & vocatio Gentium & rejectio Judæorum, longè antè per Prophetas sit prædicta, tanquam suo tempore (nempe sub initium Christi exhibiti) ex decreto Dei futura: non est quòd rejectione Judæorum & incredulitate offendamur: sed est quòd gratias agamus Deo, qui nos quoq; in communionem populi sui vocare dignatus est.

Justitia hominis coram Deo.

14 Ex v.30.31.32. Notandum, justitiam hominis coram Deo, seu quam homines afferunt in judicium Dei, esse duplicem: unam quæ est ex Lege, alteram quæ est ex fide. Illa homini est impossibilis: quia consistit in perfecta erga Legem obedientia, quam nemo potest præstare. Altera non solùm est possibilis, sed etiam facilis & certa: quia credentibus in Christum à Deo imputatur propter Christi pro illis satisfactionem: unde etiam nominatur justitia Dei. Confer infrà 10.v.3, & deinceps: item Philip.3. v.6. & deinceps.

Fides.

15 Ex v.33. Quum Judæi offensi sint Christo, atque ita salute æterna exciderint: oremus Deum ut nos in fide Christi perpetuò conservet.

ANALYSIS CAP. X.

ARGUMENTUM.

In hoc capite de tribus potissimùm rebus disputat Apostolus: primùm de duplici justitia, altera Legis, altera Fidei: deinde de summa Evangelii: postremò de vocatione Gentium. Caterùm primi duo versus continent prolepsin, qua ad doctrinam de duplici justitia transit.

FRatres, propensa quidem voluntas cordis mei & deprecatio ad Deum, pro Israële est ad salutem.

2 Testor enim de ipsis, eos zelum Dei habere, sed non ex notitia.

PRolepsis. OBJECTIO: Dixisti, Judæos offendisse ad lapidem offendiculi, cap. sup. vers. penult. Ergo Judæos odisti. Huic sinistræ suspicioni Apostolus occurrit, testando suam erga Judæos benevolentiam: quam probat ab effectu, quia pro eorum salute Deum oret. Tum etiam suæ erga nos benevolentiæ causam procreantem exponit, videlicet illorum zelum: quia habeant zelum Dei: id est, quia ardentissimo affectu ac studio Deum colant, illique justè vivendo placere studeant. Sed mox illum zelum vitiosum ac præposterum esse excipit: quia non sit ex notitia, hoc est, quia ortus sit ex ignorantia veræ justitiæ, quæ sola Deo placet, hominemq; Deo commendat. Et hac occasione ad justitiæ distinctionem transit, v.2.

3 Nam ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti.

Quod de zelo Judæorum dixit, deinceps declarat, & eâ occasione justitiam in duas quasi species distinguit. Dixit, zelum Dei, quem habeant Judæi, non esse ex notitiâ. hoc nunc ita declarat, quòd Judæi ignorent justitiam Dei, ac proinde studeant constituere seu stabilire justitiam propriam; opinantes nimirum, illam Deo placere, seque illâ Deum demereri. Simul autem hujus præposteri ac perversi zeli perniciosum effectum exponit: quòd videlicet justitiæ Dei non fuerint subjecti. Vocat autem justitiam Dei, justitiam fidei, id est, justitiam partam morte Christi, quam Deus Pater credenti imputat ac donat, atque ita eum justificat, id est, justum censet atque pronuntiat seu absolvit. Justitiam verò propriam, vocat justitiam Legis, quam homo propriis viribus acquirere conatur per opera in Lege præcepta.

4 Nam finis Legis *est* Christus, ad justitiam cuivis credenti.

Exponit causam ejus quod superiore versu dixit, Judæos studere propriam justitiam constituere: hoc est, ignorantiam illam justitiæ Dei meliùs declarat: quòd scilicet ignorent Legis finem seu scopum, ac proinde etiam justitiam Dei. Finem enim Legis esse Christum ad justitiam cuivis credenti. Ubi intelligenda est antithesis finis adversi: quòd scilicet opinentur Judæi, finem Legis esse justitiam operum, hoc est, Deum in hunc finem Legem tulisse, ut ipsius populus operibus in Lege præscriptis justitiam propriam, id est, propriis viribus acquireret. Dicitur autem Christus finis Legis, quia Lex ideo à Deo lata est, ut nos peccati convictos & maledictioni subjectos, ad Christum deduceret, ut per quem à maledictione Legis simus liberati, expiatis scilicet peccatis nostris per mortem illius, quatenus ille in cruce pro nobis factus est maledictio: quæ ipsa mors ad justitiam imputatur cuivis credenti.

5 Moses enim describit justitiam, quæ est ex Lege, *his verbis*, Qui præstiterit ea, vivet per illa.

Deinceps propositam justitiæ distinctionem declarat utriusque membri definitione, vel potiùs descriptione: & primùm justitiam Legis, quam anteà vocavit justitiam propriam, describit ex adjuncta impossibilitate, quòd scil. eam nemo possit consequi: hoc versu. Deinde justitiam fidei, quam antea vocavit justitiam Dei, describit ex adjuncta certitudine & facilitate, v.6.7.& 8. Porrò impossibilitatem justitiæ Legis probat à causa: quæ probatio concluditur hoc syllogismo:

> *Si justitia Legis nascitur ex præceptorum præstatione: sequitur, justitiam Legis impossibilem esse ei qui præcepta præstare non potest.*
>
> *Atqui justitia Legis nascitur ex præceptorum præstatione.*
>
> *Ergo justitia Legis, est impossibilis ei qui præcepta præstare non potest. Et per consequens cunctis hominibus impossibilis est.*

Propositionem ut per se notam omittit. Assumtionem confirmat ab effectu, videl. vitâ æternâ, quæ est justitiæ effectus. Ex observatione Legis nascitur vita: ergo & justitia. Antecedens hujus enthymematis probat testimonio Mosis Levit.18.v.5.

6 At quæ ex fide est justitia, ita dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum? hoc est Christum ex alto deducere.

7 Aut, Quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere.

Certitudinem justitiæ fidei declarat per negationem contrariæ dubitationis: eamque negationem exornat prosopopœiâ, quâ introducitur fidei justitia prohibens dubitationem de salute per Christum parta. Quæ quidem prohibitio illustratur distributione bimembri. Sententia est: Cor credentis & fide justificati non ascendit cogitationibus suis in cælum, ut exploret an sibi Deus reconciliatus sit, & an ipse credens in cælo locum habiturus sit: nam si hac de re dubitaret, dubitandum etiam ei esset, an Christus in cælo sit: imò quantum in ipso est, hac impiâ dubitatione Christum ex alto deduceret. At hoc homo credens nequaquam facit. Quare nec dubitat, an Deus sibi reconciliatus sit, & an locum in cælo sit habiturus. Deinde cor credentis non etiam descendit cogitationibus suis in abyssum, ut exploret an victoria contra mortem æternam parta sit. nam si hac de re dubitaret, dubitandum etiam ei esset, an Christus sit mortuus & ad inferos descenderit: Imò quantum in ipso est, hac dubitatione Christum ex mortuis reduceret, hoc est, infectum seu irritum redderet descensum illius ad inferos & mortem. At hoc cor credentis nequaquam facit. Ergò nec de victoria contra mortem partâ dubitat. Alludit autem Apostolus ad verba Mosis Deut.30.v.12.

8 Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei quod prædicamus.

Jam negationi dubitationis opponit affirmationem certitudinis, & simul facilitatis: ubi Paulus adhuc alludit ad Mosis verba. Sententia est: Fides intuetur & apprehendit verbum DEI sibi in prædicatione Evangelii propositum, nempe promissionem remissionis peccatorum & vitæ æternæ per Christum: atque illud etiam profitetur.

DE SECUNDA PARTE.

9 Nempe, Si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo quòd Deus eum excitavit à mortuis; servaberis.

10 Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

11 Dicit enim Scriptura, Quisquis credit in eum, non pudefiet.

Sequitur secunda pars capitis: ubi summam Evangelii proponit, occasione enuntiati præcedentis: declarat enim nunc, quod sit verbum illud fidei. Præponit autem ordine inverso confessionem fidei, id est, effectum causæ procreanti: quem ordinem mox v.10. immutat. Sententia est: Evangelium docet, justitiam ad salutem sempiternam consistere in vera fide in Christum, qua scilicet credimus ac confitemur, Christum esse nostrum dominum ac servatorem: ut qui mortuus sit propter peccata nostra, & excitatus propter justificationem nostri. Resurrectionis autem solius mentionem facit Apostolus per synecdochen: quia resurrectio publicum testimonium est victoriæ contra mortem & diabolum partæ: & resurrectionem ut mors antecessit, sic secuta est ascensio in cælum & sessio ad dextram patris. Confessionem autem fidei adjungit ut necessarium & proprium effectum, ut inde tanquam ex τεκμηρίῳ & infallibili signo vera fides agnoscatur. Nec confessioni salus adscribitur, quasi confessione salutem mereamur: sed quòd hac viâ ad salutis perfectionem deducamur. nam ut fide justitia, ita etiam salus possidetur: quum salus à justitia separari non possit. Porrò v.11. summam illam Evangelii, nempe sententiam de effectu fidei, quòd homo fide justificetur ac salvus fiat, confirmat testimonio Scripturæ ex Esa.28.vers.16. in quo citando duo verba addit ad sensum illius pleniùs declarandum, nempe signum universale πᾶς, id est, *Omnis*: & pronomen ἐπ' αὐτῷ, *In eo*, scilicet Christo.

DE TERTIA PARTE.

12 Non enim est distinctio vel Judæi vel Græci. nam idem *est* dominus omnium, dives in quosvis qui invocant ipsum.

13 Quisquis enim invocaverit nomen Domini, servabitur.

Sequitur tertia pars capitis, de vocatione Gentium: ad quam transit occasione signi universalis in enuntiato proximè præcedente expressi. Illud enim signum nunc declarat distributione in duas species, videlicet Judæos & Græcos: Græcorum nomine omnes reliquas Gentes intelligens, per synecdochen speciei, κατ' ἐξοχὴν, quòd Græca lingua tunc passim in iis locis usitata erat. Hanc autem vocandorum distributionem confirmat à causa efficiente duplici, videlicet creatione & immensitate misericordiæ. Sententia est: Deus tam creavit reliquas gentes quàm Judæos: ergo tam vult reliquas gentes vocare ad regnum suum, quàm Judæos. Deinde Deus dives est & immensæ bonitatis: ergo sufficit ad sese communicandum omnibus gentibus. Porrò sententiam propositam de vocatione Gentium confirmat testimonio Scripturæ ex Joëlis 2.v.32.

14 Quomodo igitur invocabunt eum in quem non crediderint? quomodo autem credent in *eum* de quo non audierint? quomodo autem audient absque prædicante?

15 Quomodo autem prædicabunt nisi missi fuerint? sicut scriptum est, Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem; evangelizantium bona!

His duobus versibus ex dicto Joëlis soriten deducit, quo concludit Gentium vocationem, Deum scilicet velle ut Gentes per prædicationem Evangelii vocentur ad regnum ipsius & communionem sanctorum. Syllogismus principalis hujus loci est:

Si Gentes Deum invocaturæ sunt, ad eas necesse est mitti doctores Evangelii.
Atqui Gentes Deum invocaturæ sunt, ut liquet ex testimonio Joëlis.
Ergo ad Gentes necesse est mitti doctores Evangelii.

Hujus syllogismi propositio approbatur sorite: qui sic habet:

Si Gentes Deum invocaturæ sunt, necesse est ut in eum credant:
Si credituræ sunt, necesse est ut audiant:
Si audituræ sunt, necesse est ut eis prædicetur:
Si prædicandū eis est, necesse est ad eas mitti qui prædicent.
Ergo si Gentes Deum invocaturæ sunt, necesse est ad eas mitti qui prædicent, id est, doctores Evangelii.

Porrò hanc conclusionem præterea confirmat testimonio Esaiæ ex cap. 52. v. 7. Sorites autem contextus est ex quinq; gradibus, quibus ab effectis proceditur ad causas: ii sunt, invocatio, fides, auditus, prædicatio, missio.

16 Sed non omnes auscultarunt Evangelio. Esaïas enim dicit, Domine, quis credidit prædicationi nostræ?

Inserit hoc versu prolepsin per parenthesin. OBJECTIO: Apostoli (ut tu ex Esaia doces) annuntiarunt pacem omnibus: Ergo omnes pace illâ fruuntur, & per consequens salvi erunt. Apostolus negat consequentiam: & negationis rationem affert hanc, Quia ad pacem illam fruendam & salutem consequendam, non est satis nuntium pacis ac promissionem salutis audire, sed oportet etiam promissioni huic credere. Atqui non omnes crediderunt, neque credunt sermoni Apostolorum de pace & salute, imò credentium Judæorum summa est paucitas. Non igitur omnes pace illâ fruuntur, nec salutem consequuntur. Assumtionem confirmat testimonio Esaiæ ex cap. 53. v. 1. ubi Propheta in persona Apostolorum per prosopopœiam, incredulitatem gentis Judaicæ admiratur, & quasi obstupescit ob tantam credentium paucitatem. In hunc sensum etiam Evangelista Johannes hunc locum allegat cap. 12. v. 37. & 38. *Quum autem*, inquit, *tot signa coram eis* (Judæis) *edidisset* (Christus,) *non credebant in eum: ut sermo Esaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui revelatum est?*

17 Ergo fides ex prædicatione est: prædicatio autem per verbum Dei.

Redit ad soriten, & tres postremas ejus sententias in duas contrahit. Sic enim Apostoli verba accipio, ut vocabulo ἀκοὴ, *auditus*, intelligam prædicationem, sicut vers. præced. Vocabulo autē ῥῆμα, id est, *verbum*, mandatum Dei ad prædicandum mittentis.

18 Sed dico, An non audierunt? Imò verò in totam terram exivit sonus eorum; & in fines orbis terrarum, verba eorum.

OBJECTIO: Dixisti, fidem esse ex prædicatione Evangelii. At Gentes non audierunt illam, hoc est, Gentibus Evangelium non est prædicatum. hinc efficitur, Gentes non credere: ac proinde nec Deum invocare, & per consequens nec salutem adepturas. Apostolus negat assumtionem, quatenus contrarium affirmat, recitans per allusionem verba Psalmi 19. v. 5. quæ propriè de cælis dicta sunt: sed Paulus de Apostolis usurpat & Evangelii prædicatione. Sententia est: Apostolorum prædicationem non minùs in toto terrarum orbe sonuisse, quàm mutum illud cælorum præconium, cujus in Psalmo fit mentio.

19 Sed dico, Nunquid Israël non cognovit *hoc*? Primus Moses dicit, Ego ad æmulationem provocabo vos per gentem quæ non est gens: per gentem intelligentiæ expertem, ad iram vos provocabo.

20 Esaias autem utitur audaciâ, dicitque, Inventus sum ab iis qui me non quærebant, conspicuus factus sum iis qui de me non interrogabant.

21 Adversus Israëlem autem dicit, Toto die expandi manus meas ad populum rebellem & contradicentem:

OBJECTIO: Judæi non cognoverunt è Scriptura, Gentes vocandas esse: ergo earum vocatione meritò offenduntur. Apostolus negat antecedens, dum contrariam affirmationem probat testimonio primùm Mosis, deinde Esaiæ. Porrò vocationem illam Gentium (efficacem scilicet) illustrat & amplificat antithesi vocationis inefficacis Judæorum: quam & ipsam testimonio Esaiæ confirmat.

SCHOLIA IN CAP. X.

1 Fratres] ἀδελφοί. *Blandè eos appellat, ad conciliandum benevolentiam.* Deprecatio] δέησις. *quâ petimus,* ὧν δεῖ, *quæ opus sunt seu quibus opus est, res necessarias.* Est] ἐστὶν. *id est,* γίνεται *fit.* Ad salutem] εἰς σωτηρίαν. *id est, ut salvi fiant, ut æternam salutem consequantur. His verbis non notat effectum suæ deprecationis, sed finem.*

2 Testor de ipsis] μαρτυρῶ αὐτοῖς. *Ad verb. Testor eis, id est, Testimonium do eis.* Eos zelum Dei habere] *Id est, eos ardentissimo affectu & studio Deum colere, illiq́; justè secundùm legem ejus vivendo placere studere.* Sed non ex notitiâ] *Scil. justitiæ Deo placentis (ut Apostolus ipse exponit v. seq. 3.) atq; adeò scopi Legis, ut declaratur v. 4. Putabant enim falsò, scopum Legis esse, ut per illius observationem fierent justi.*

3 Dei justitiam] *Id est, justitiam partam morte Christi, quam Deus credenti imputat ac donat.* Propriam justitiam] *Id est, justitiam Legis, quam homo propriis viribus acquirere conatur per opera in Lege præcepta. Similiter justitiam Dei & justitiam propriam inter se opponit Phil. 3. v. 9.*

4 Nam finis Legis est Christus] τέλος γὰρ νόμου χριστός. *Scilicet partim, quia cærimoniæ Legis Christum præfigurabant: partim verò, quia per Legem tum cærimonialem tum moralem, atq; etiam judicialem, convincebantur peccatorum, atq; ita urgebantur ad quærendam veram peccatorum expiationem, quæ nusquam nisi in Christi sacrificio potest reperiri.*

5 Qui præstiterit] ὅτι ὁ ποιήσας. *vel, Qui fecerit. Conjunctio* ὅτι *servit mimesi. Porrò hoc intelligendum est emphaticè, videlicet per antithesin: quasi dicat, Is demum vivet per illa, qui fecerit ea: Qui verò non fecerit, is non vivet: juxta illud Deut. 27. Maledictus omnis, &c. Sic Christus ajebat: Fac hoc, & vives.* Per illa] ἐν αὐτοῖς. *Ad verb. In illis. Hebraismus.*

6 Ne dixeris] *Verba justitiæ fidei.* Quis ascendet] *Verba cordis de salute dubitantis. Itaq; hîc est gemina prosopopœïa.* Hoc est] *Rursum verba justitiæ fidei: quæ continent rationem prohibitionis, seu dehortationis. quasi dicat, Hoc enim est &c.*

7 Aut, Quis] ἤ τίς. *Id est, Néve dixeris, Quis &c. Secundum membrum distributionis.* Quis descendet in abyssum?] *Scilicet, exploraturus an victoria contra mortem æternam parta sit. Sunt iterum verba cordis de salute dubitantis. Cæterùm abyssi nomine hîc intelligitur gehenna, ut Luc. 8. v. 31. Apoc. 20. v. 1. & 3.* Hoc est] τοῦτ᾽ ἔστι. *pro,* τοῦτο γάρ ἐστι. *hoc enim est: ut v. sup. Sunt autem verba justitiæ fidei.*

8 Sed] ἀλλά. μόριον ἀντιθετικὸν, *particula adversativa. Sunt autem hæc verba Apostoli.* Quid dicit?] *Scilicet justitia fidei: ut intelligitur ex collatione versiculi sexti.* Prope te] *Subjectio seu responsio ad præcedentem interrogationem. quasi dicat, Hoc dicit justitia fidei: Prope te, &c. Sunt igitur hæc verba justitiæ fidei ad hominem credentem: quæ eadem sunt verba Mosis ad populum Israëliticum Deut. 30. v. 14.* Prope te est] *Ergo facilè potest apprehendi.* Verbum] τὸ ῥῆμα. *Scil. Dei. nempe promissio remissionis peccatorum & vitæ æternæ per Christum: ut ipse mox exponit.* In ore tuo] *Id est, ut ore confitearis: sicut mox exponet v. 9.* Et in corde tuo] *Id est, ut corde credas: sicut mox ibidem.* Hoc est] τοῦτ᾽ ἔστι. *pro* τοῦτο δέ ἐστι: hoc autem est. *Ellipsis conjunctionis transitivæ: quam in simili sententiarum cohærentia exprimit Petrus 1. Pet. 1. v. 25. Hactenus fuit prosopopœïa: deinceps rursus loquitur Apostolus.* Hoc] τοῦτο. *nempe hoc verbum quod prope credentem est, hoc est, quod credenti propositum atq; objectum est.* Est verbum fidei] *Id est, promissio Evangelii cui fides habetur, seu quæ fide percipitur. Periphrasis ex adjuncto, & genitivus adjuncti.* Quod prædicamus] *Ego & cæteri Apostoli.*

9 Nempe, Si confessus fueris] ὅτι ἐὰν ὁμολογήσῃς. *Conjunctio* ὅτι *hîc servit mimesi. Recitat enim hîc (idq́; per mimesin) summam verbi illius fidei quod prædicabant Apostoli.* Servaberis] *Scilicet à ventura ira.*

10 Creditur] πιστεύεται. *Impersonaliter.* Man glaubt. *Scilicet Evangelio de Christo. ut liquet ex v. præcedente.* Ad justitiam] *Id est, ut is qui credit, justus sit coram Deo, imputatâ scil. illi per fidem justitiâ partâ morte Christi.* Confessio fit] ὁμολογεῖται. *Impersonaliter.* Man bekent. Ad salutem] *Ita ut qui justificatus est fide & ita jam salvus spe, fiat etiam suo tempore salvus re, redemtionem corporis adeptus: ut sup. 8. v. 23. & 24.* Qui credit in eum] *Scil. Christum.* ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ. *Id est, Qui confidit in eo, vel (quod idem pollet) ei.* πιστεύων, *pro* πεποιθώς, *metonymicè: quia ex fide fiducia nascitur.* Non pudefiet] οὐ καταισχυνθήσεται. *Id est, spe sua quâ vitam æternam ex fide exspectat, non frustrabitur: sed vitam æternam certò adipiscetur. Metonymia effecti. nam ex frustratione sequitur confusio seu pudefactio.*

12 Non enim est distinctio] *Quod scilicet ad fidem & salutem attinet. Sic suprà 2. v. 11.* Nam idem est dominus omnium] *Scil. gentium: tam Græcorum, quàm Judæorum. Sic sup. 3. v. 29.* Dives] πλουτῶν. *Sic Ephes. 1. v. 7. appellat* τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος, *divitias gratiæ.* In quosvis] εἰς πάντας. *Erga quosvis: cujuscunq; gentis aut nationis sint. Nota* πάντας, *pro* quosvis. *Sic 1. Tim. 2. v. 1. 2.*

v.1.2.& 4. Qui invocant ipsum] *Nempe ex fide: ut colligitur ex collatione hujus versiculi cum præcedente. Synecdoche generis.*

14 Quomodo igitur invocabunt?] *Quasi dicat, nullo modo fieri potest ut invocent, nempe Gentes.* Eum in quem] εἰς ὃν. *Pro,* ἐκεῖνον εἰς ὃν. In quem non crediderint] *Id est, in quo non collocarint fiduciam.* In eum de quo non audierint] οὗ οὐκ ἤκουσαν. *Ad verb. quem non audierint. pro* εἰς ἐκεῖνον περὶ οὗ, In eum de quo. *Quum enim sit gradatio: repetitur membrum proximè præcedens.* Absque prædicante] *Absque eo qui prædicet, scil. Evangelium de Christo.*

15 Missi] *Scil. à Deo. Vocati ad docendum.* Quàm speciosi!] *Scil. sunt. Sunt verba Prophetæ Esaiæ, admirantis subitam & insperatam lucem, Ecclesiæ tunc in tenebris sedenti obortam. Est autem illa lux Evangelii, per Apostolos in Judæam, deinde in reliquas orbis terrarum partes allata.* Quàm speciosi pedes!] *Quàm gratus est adventus! Metonymia efficientis.* Evangelizantium pacem] *Apostolorum cæterorumq; Evangelii ministrorum, annuntiantium & Judæis & Gentibus pacem cum Deo per Christum: ut supr. 5.1.* εὐαγγελίζειν *est lætum nuntium annuntiare.*

16 Domine quis credidit] *In eundem sensum allegatur hoc dictum Joh.12.v.37.& 38.* Quis] *Quasi dicat, Nemo, id est, Ferè nemo: perpauci è tanta multitudine.* Prædicationi] τῇ ἀκοῇ. *Ad verb.* Auditui. *Metonymia adjuncti Hebraica. sic v. seq.*

17 Per verbum Dei] διὰ ῥήματος Θεοῦ. *id est, (ut rectè D. Beza exponit) ex mandato Dei: qui Apostolos ad prædicandum misit, & adhuc mittit Evangelii ministros. Hanc expositionem confirmat collatio versiculi decimiquinti. Synecdoche generis.*

18 Sed dico] ἀλλὰ λέγω. *Sententia est: Sed quæro jam, an aliquis mihi velit objicere, Gentes non audivisse, id est, Gentibus prædicatum non esse? At non ita est: nam prædicatio Apostolorum in toto terrarum orbe sonuit: non minùs quàm mutum illud cælorum præconium, cujus in Psalmo fit mentio.* In totam terram] εἰς πᾶσαν τὴν γῆν. *id est,* εἰς ὅλην τὴν γῆν. *hanc expositionem poscit articulus.* Orbis terrarum] τῆς οἰκουμένης. ἡ οἰκουμένη *(scil.* γαῖα*) à Græcis nominatur, quicquid in orbe terrarum inhabitari potest, quum non sit obrutum undis maris.* Nunquid Israël non cognovit *hoc?*] *Scil. Gentes esse vocandas. De hac enim vocatione disputat Apostolus: eamq; testimoniis Scripturæ in sequentibus confirmat.* Primus Moses] πρῶτος Μωσῆς. *id est, primùm Moses.* πρότερον ὁ Μωσῆς. *Heterosis. Sic loquitur, quia vult subjungere testimonium alterum, quod est Esaiæ.* Per gentem quæ non est gens] ἐπ' οὐκ ἔθνει. *Ad verb. Per non-gentem. Pro.* ἐπ' ἔθνει οὐκ ἔθνει. *Sic Deut.32.v.21. unde hic locus adductus,* בְּלֹא עָם *belóhhám, Per non-populum, seu per eum qui non est populus, scil. peculiaris, seu populus Dei. Periphrasis gentium nondum ad Deum conversarum. hinc Paulus de Ephesiis ait, eos ante conversionem fuisse* ἀθέους, *expertes Dei, Ephes.2.v.12.* Expertem intelligentiæ] *Id est, cognitionis Dei. Synecdoche generis.* Provocabo] *Nempe vocando illos & in gratiam recipiendo, seu in populum adoptando.*

20 Utitur audaciâ] ἀποτολμᾷ. *valde audet: audacter & liberè loquitur, nihil veritus offensam Judæorum.* Qui de me non interrogabant] τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσι. ἐμὲ *pro* περὶ ἐμοῦ. *Vulg. ad verb.* Qui me non interrogabant. *quo modo usitatè accipitur hæc phrasis Lucæ 8.v.9.*

21 Adversus Israëlem] *Id est, Judæos. Metonymia efficientis.* Expandi manus] *Id est, Invitavi ad me, variis scilicet beneficiis. Metonymia effecti destinati, metaphorica.* Rebellem] *Hebr.* סורר *sorér, qualis describitur Deut.21.v.18. filius qui parentibus morem non gerit.* Ein ungehorsamer sohn.

OBSERVAT. EX CAP. X.

Officium hominis Christiani. 1 Ex v.1.& 2. Pro iis qui in religione errant, orandum est, exemplo Apostoli: ut videlicet Deus illos ad agnitionem veritatis adducat, atque ita salvos faciat.

Zelus. 2 Ex v.2. Non omnis zelus in religione laudabilis est: sed is demum qui nascitur ex notitia veritatis.

Justitia duplex. 3 Ex v.3.& deinceps usque ad 12. Notanda doctrina Apostoli de duplici justitiâ: una Legis, altera Evangelii. Quarum illa vocatur justitia Dei, quia Deus eam homini imputat ac donat: item justitia fidei, quia fide apprehenditur. Altera nominatur justitia propria, quia homo propriis viribus eam conatur adipisci per observationem Legis. Confer supr. 9.v.30.& Phil.3. v.6. & deinceps.

Lex. 4 Ex v.4. Notandum est pronuntiatum Apostoli de fine seu scopo Legis: quod quomodo sit intelligendum, explicatum est in Analysi & Scholiis.

Fides. 5 Ex v.6.& deinceps usque ad 12. Qui in Christum credit, is ex verbo Evangelii certus est, se & justum esse coram Deo propter satisfactionem Christi, & proinde salutem æternam certò adeptutum.

Fides. 6 Ex v.9.& 10. Cum vera fide conjuncta est confessio: atque hæc ex illa nascitur, ut colligitur ex verbis Apostoli 2.Cor.4.v.13. ubi ait, *Credimus: quamobrem etiam loquimur.*

Fides. Preces. 7 Ex v.14. *Quomodo igitur invocabunt, &c.* Vera invocatio nascitur ex fide. Quare qui fide destitutus est, rectè invocare Deum non potest.

Evangeliū. 8 Ex v.eod. *Quomodo autem credent, &c.* Et v.17. *Ergo fides ex prædicatione.* Quum fides efficiatur per prædicationem Evangelii: ergo hanc studiosè audiamus, ut per ipsam fides in nobis & efficiatur & conservetur atq; augeatur.

9 Ex v.15. *Quomodo prædicabunt nisi missi fuerint?* Et v.17. *Prædicatio autem per verbum Dei.* Ministerio prædicandi Evangelium fungi nemini licet, nisi qui ad id fuerit missus à Deo, seu legitimè vocatus. *Ministerium Evangelij.*

10 Ex v.19. *Per gentem quæ non est gens, &c.* Magnam debemus Deo gratiam, quòd nos sibi vocavit in populum, qui olim non eramus ipsius populus: quodq; nos illuminavit per Evangelium cælesti sapientia, qui olim eramus gens intelligētiæ expers. *Vocatio nostri.*

11 Ex eod. v. *Per gentem intelligentiæ expertem.* Illi tantùm verâ sapientiâ præditi sunt, qui Deum ex Evangelio cognoverunt: quâ sapientiâ qui carent, illi à Deo habentur pro stultis, utut vel sibi vel aliis sapientes videantur. *Sapientia.*

12 Ex v.20. *Inventus sum ab iis qui me non quærebant, &c.* Nisi Deus ultrò se nobis offerat, patefaciat & communicet: nunquam in ejus cognitionem vel communionem perveniemus. Quare quòd Deum cognoscimus & communionem cum eo habemus: id omne meræ ejus gratiæ acceptum feramus. *Cognitio Dei.*

13 Ex v.21. *Toto die expandi &c.* Quum Deus ad nos expandit manus: (id autem facit, quum nos per Evangelium ad communionem sui invitat) caveamus ne simus rebelles, aut vocanti contradicamus. *Evangeliū.*

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

In hoc capite Apostolus primùm docet, Judæos non esse in totum rejectos: sed reliquias aliquas electas & vocatas esse, idq; ex gratiâ; usq; ad v.7. Deinde rejectionem maximæ partis Judæorum ejus temporis confirmat duplici testimonio; altero Esaiæ, altero Davidis: à v.7. usq; ad 11. Tertiò exponit rejectionis illius finem seu causam finalem, hoc est, quo consilio Deus maximam ejus temporis Judæorum partem rejecerit: à v.11. usq; ad 17. Quartò dehortatur vocatos ex Gentibus, ne Judæis rejectis insultent: à v.17. usq; ad 25. Quintò proponit vaticinium de futura Judæorum vocatione, à v.25. usq; ad 33. Sextò & postremò totam hanc de electione & reprobatione, itemq; de vocatione & rejectione, disputationem concludit gravissimis exclamationibus: quibus significat, se admirabili istâ Dei sapientiâ in electis servandis & reprobis puniendis animo percelli: Deiq; justitiam in hoc negotio commendat.

DIco igitur, Num repulit Deus populum suum? Absit. Nam & ego Israëlita sum, ex semine Abrahæ, tribus Benjamin.

2 Non repulit Deus populum suum quem præcognovit.

PRolepsis, quæ nascitur ex testimoniis Mosis & Esaiæ de vocatione Gentium, in fine capitis præcedentis: quæ testimonia simul innuunt rejectionem Judæorum. hinc objectio Judæi, quærentis ex Apostolo: Num igitur doces, Deum rejecisse Judæos? qui tamen sunt populus Dei. Syllogismus:

Populum suum Deus nunquam abjicit.
At Judæi sunt Dei populus.
Judæos igitur Deus non abjecit.

Apostolus primùm respondet ad quæstionem negando: negans, Deum abjecisse Judæos, scilicet in universum seu omnes: & hanc negationem probat à suo ipsius exemplo, id est, à specie.

Ego non sum abjectus.
At ego sum Israëlita.
Ergo non omnes Israëlitæ sunt abjecti.

Deinde ad argumentum respondet distinctione: facit enim populum Dei duplicem: alium quem Deus præcognovit seu ab æterno decrevit servare, alium quem non præcognovit. Hac distinctione positâ, Apostolus concedit syllogismi propositionem, intellectam de eo populo quem Deus præcognovit. Qua interpretatione propositionis innuit negationem assumtionis: negans scilicet, omnes Judæos esse populum Dei, nempe illum populum quem Deus præcognovit. Quærat hîc aliquis, quo sensu dicantur populus Dei, qui tamen à Deo non sunt prædestinati ad vitam æternam? Respondeo: Id fit propter vocationem externam, quam cum vero Dei populo, id est, cum electis communem habent. Quatenus igitur huic vocationi respondent externa oris & vitæ confessione: quantumvis sint hypocritæ, qui nec in Deum credunt, nec Deum proximúmve diligunt, tamen ab hominibus pro civibus populi Dei habentur ex charitate: quæ omnia credit, 1.Cor.13.7. nec in cor cujusquam (quod solus Deus potest) introspicit. *Ἀπ. λύσ.*

2 An nescitis de Elia quid dicat scriptura? quomodo interpellet DEUM adversus Israëlem? dicens,

3 Domine, Prophetas tuos occiderunt; & altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus; & quærunt animam meam.

4 Sed quid dicit ei divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum qui non flexerunt genu imagini Baal.

5 Ita igitur & hoc tempore reservatio secundùm electionem gratiæ facta est.

Deinceps illustrat propositam quæstionem de Judæorum rejectione, exemplo simili ecclesiæ veteris quæ fuit temporibus prophetæ Eliæ. Summa comparationis hæc est: Sicut temporibus Eliæ omnes Israëlitæ videbantur à vero Dei cultu ad cultum Baal defecisse, & tamen multa millia inter eos latebant qui imagini Baal genu non flexerunt: ita hoc tempore, ait Apostolus, multi electi inter Judæos reservati sunt, licet maxima eorum pars abjecta sit, eaque tanta ut totus ille populus abjectus esse videri possit. Protasis comparationis exponitur v. 2. 3. & 4. apodosis quinto. Porrò protasin exornat communicatione Rhetoricà, eâdemque operâ obiter confirmat à testimonio eorum ad quos scribit, nempe ab illorum conscientia & confessione. Continet autem protasis duas partes: querelam Eliæ de universi populi defectione, & testimonium Dei de multorum perseverantia. Porrò in apodosi obiter indicat causam istius reservationis seu istarum reliquiarum, hoc est, efficacis vocationis quorundam Judæorum: qua occasione mox digressiunculam faciet ad causam hanc illustrandam.

6 Quòd si per gratiam, non jam ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia: alioquin opus jam non est opus.

Causam, quam modò dixit, vocationis efficacis quorundam Judæorum, illustrat per antithesin: ubi merita operum ab efficientia vocationis & salutis excludit. Deducit igitur corollarium à contrario. Quod quidem corollarium demonstrat ex absurdo consequente contradictorii: eamque demonstrationem illustrat conversione, & exornat epanodo. In summa, ratiocinatur Apostolus à natura contrariorum, quæ se mutuò excludunt, nec simul consistere possunt: itaque altero posito seu affirmato, alterum tolli seu negari necesse est.

DE SECUNDA PARTE.

7 Quid igitur? *Nempe* quod requirit Israël, hoc non est assequutus: sed electi assequuti sunt, reliqui verò occalluerunt,

8 (Sicut scriptum est, Dedit eis Deus spiritum soporis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant) usque ad hodiernum diem.

9 Et David dicit, Fiat mensa eorum in laqueum, & in tendiculam, & in offendiculum, & in talionem ipsis.

10 Obtenebrentur oculi eorum, ut non cernant: & tergum eorum semper incurva.

Transit ad secundam capitis partem, ubi rejectionem maximæ partis Judæorum ejus temporis confirmat duplici testimonio Scripturæ. Transit autem per prolepsin. OBJECTIO: *Quid igitur?* id est, Num igitur Israëlitæ salutem quam tanto studio operum quærunt, & venantur, non sunt assecuti? quasi dicat, Hoc quidem perabsurdum dictu videtur. Respondet Apostolus, Ita est, licet tibi absurdum videatur. nam quod quærit Israël, hoc non est assecutus. Hanc sententiam illustrat antithesi, inquiens, *Sed electi assecuti sunt.* Quam ipsam sententiam rursum aliâ antithesi illustrat, inquiens, *Reliqui verò occalluerunt*, quam postremam sententiam deinceps testimoniis Scripturæ confirmat. Confer similem locum sup. 9. v. 30. & 31.

DE TERTIA PARTE.

11 Dico igitur, *Num* impegerunt ut laberentur? Absit. sed per eorum lapsum salus *obtigit* Gentibus, ut eos ad æmulationem provocaret.

Sequitur tertia capitis pars, ubi causam finalem exponit rejectionis Judæorum, hoc est, quo consilio Deus maximam Judæorum ejus temporis partem rejecerit: nempe ut in eorum locum Gentes vocaret, & eâ vocatione ipsos ad æmulationem provocaret. Transit autem ad hanc particulam per prolepsin. OBJECTIO: Tu ex Esaia & Davide docuisti, Judæos impegisse: censésne igitur, eos ita impegisse ut planè conciderint seu collapsi sint, hoc est, ut maxima Judæorum pars (quam mox appellabit plenitudinem) semper incredula permansura sit? Apostolus hoc negat, & consilium Dei contrarium exponit.

12 Quòd si lapsus eorum opulentia mundi *est*, & diminutio eorum opulentia Gentium: quantò magis plenitudo ipsorum?

Duos fines exposuit cur Deus rejecerit Judæos: priorem, ut in eorum locum vocaret Gentes: alterum, ut per Gentium vocationem Judæos provocaret ad æmulationem. Nunc ex priore fine deducit corollarium per prolepsin. Objectio alicujus Gentilis, Si Judæorum rejectio servit nunc vocationi Gentium: ergo illorum vocatio serviet harum rejectioni. quod argumentum à natura contrariorum sumtum est. Respondet Apostolus per inversionem argumentando à minori, in hanc sententiam: Rejectio Judæorum promovet vocationem Gentium: ergo multò magis vocatio Judæorum vocationem Gentium promotura est. Rejectionem vocat παράπτωμα, id est, lapsum seu ruinam, quia per illam exciderunt communione regni Dei: item ἥττημα, diminutionem, quia non omnes in universum rejecti fuerunt, sed tantùm numerus eorum qui in ecclesia Dei manerent, imminutus fuit, quanquam maxima ex parte. Vocationem Judæorum destinato tempore futuram nominat πλήρωμα, id est, plenitudinem: eò quòd maximo numero vocabuntur & Evangelium amplectentur. Porrò huic Apostoli à minori ratiocinationi similis videtur illa Domini in Evangelio, Matth. 6. 23. *Si lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ?* Ut enim illic duo contraria subjecta ad idem adjunctum comparantur, videl. lux & tenebræ ad caliginem: ita hîc duæ contrariæ causæ ad eundem effectum comparantur, videl. rejectio & vocatio, sive diminutio & plenitudo Judæorum, ad vocationem Gentium.

13 Nam (quod vobis dico Gentibus) quatenus ego quidem sum Apostolus Gentium ministerium meum illustro.

14 Ut *experiar* si quo modo ad æmulationem provocem consanguineos meos, & servem aliquos ex ipsis.

Jam posteriorem finem confirmat testimonio sui judicii, significans se planè ita persuasum esse, quòd Deus per Gentium vocationem ad æmulationem provocare velit Judæos: quam suam persuasionem ostendit ex effectis, videl. suo studio in fungendo apostolatu apud gentes.

15 Nam si abjectio eorum, est reconciliatio mundi; quæ *erit* assumtio, nisi vita ex mortuis?

Repetit illam argumentationem à minori, aliis verbis. Sententia est: Si abjectio maximæ partis Judæorum servit vocationi Gentium qua illi Deo reconciliantur: multò magis vocatio plenitudinis Judæorum per quam iterum in Ecclesiam assumentur qui antea erant repudiati, medium erit serviens vocationi Gentium, qua illæ ex æterna morte ereptæ, vitæ æternæ restituuntur. Alii sic exponunt, quasi Apostolus proverbiali dicendi figura usus, dicat fore ut ubi Judæi Evangelium fuerint amplexi, mundus quasi reviviscat: qui nunc ex parte Judæorum, velut in morte jacet.

16 Quòd si primitiæ *sunt* sanctæ, *sancta* etiam *est* massa: &, si radix sancta *est*, etiam rami.

Quod dixit de futura Judæorum vocatione, videlicet Judæos, qui hoc tempore sint rejecti, suo tempore rursus à Deo assumtum iri: probat à pari natura seu conditione causæ procreantis & effecti procreati, nempe Abrahami & posterorum ejus: quod argumentum duplici simili illustrat: Abrahamum quidem comparans primùm primitiis, deinde radici: Judæos verò massæ & ramis. Sancti autem nominantur Abraham & ejus posteri, ratione fœderis Dei quo à mundo segregati sunt. Sic 1. Cor. 7. v. 14. liberi fidelium sancti appellantur. Porrò de primitiis massæ vide Levit. 23. v. 14. & 17.

DE QUARTA PARTE.

17 Quòd si nonnulli rami defracti sunt, tu verò quum esses oleaster, insitus es pro ipsis, & particeps radicis & pinguedinis oleæ factus es;

18 Ne gloriare adversus ramos. quòd si adversus *eos* gloriaris; non tu radicem portas, sed radix te.

Sequitur quarta pars capitis, ubi dehortatur vocatos ex Gentibus, ne rejectis Judæis insultet. Ad hanc dehortationem transit occasione similitudinis proxime allatæ, de radice & ramis; dicens, nonnullos ramos defractos esse, hoc est, nonnullos Judæos rejectos esse. Argumentum autem dehortationis sumit à causa impulsiva, videlicet à beneficio Dei quo sint affectæ Gentes occasione rejectionis Judæorum, quòd nimirum in locum illorum receptæ sunt. Quam sententiam Apostolus metaphorâ illâ radicis & ramorum illustrat, ecclesiam Judaicam oleæ comparans, Gentes autem oleastro: denique vocatos ex Gentibus comparat surculis ex oleastro excerptis & in oleam insitis. Deinde v. 18. argumentum dehortationis amplificat comparatione majoris. quasi dicat: Si tu glorieris adversus ramos, hæc ignominia redundatura est in ipsam radicem unde rami orti sunt. At iniquum est, te insultare radici: quum radix te portet & sustentet, oleæ jam insitum.

19 Dices igitur, Defracti sunt rami, ut ego insererer.

20 Rectè per incredulitatem defracti sunt, tu verò per fidem stas. ne effertor animo, sed time.

Illustrat & amplificat propositum prolepsi. Objectio Ethnici vocati: Deus ideo Judæos abjecit, ut me in eorum locum vocaret: Ergo justam habeo gloriandi & Judæis abjectis insultandi causam. Apostolus negat consequentiam, quatenus exponit causam formalem rejectionis, videlicet incredulitatem: quæ scilicet tam in Gentes quàm in Judæos per naturam cadit. quasi dicat, Quum incredulitas tam in te cadat, quàm in Judæos abjectos,

jectos, non habes justam causam eis insultandi: nam nisi tu in fide perstiteris, ipse quoque abjicieris.

21 Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne tibi quoq; non parcat.

Dehortationem institutam illustrat alio argumento: quod sumtum est ab effectu pernicioso, & confirmatum à majori. Si tu petulanter te gesseris, & ita fidem amiseris: tum Deus non parcet tibi, sed te abjiciet. Atqui non debes committere ut Deus te abjiciat. Ergo non debes esse petulans & securus, sed solicitè studere fidei retinendæ. Propositionem probat à majori: Deus non pepercit Judæis, ramis naturalibus: Ergo multò minus parcet tibi, ramo insititio.

Conciliatio locorum in speciem pugnantium.

Oritur ex hoc loco quæstio, An quis possit amittere fidem? Nam Apostolus id videtur hîc affirmare, quum tamen alibi Scriptura neget. Ait enim Apostolus, *Vide ne tibi quoq; non parcat.* id est, ne te quoq; defringat Deus ex olea, seu ex ecclesia ejiciat. Item v. 22. *Si permanseris in benignitate.* quo innuit fieri posse ut quis in fide qua benignitatem Dei amplectimur, non permaneat. Item ait, *Alioquin & tu excideris.* id est, ex ecclesia ejicieris. Respondeo: Veram fidem amittere nemo potest: nam dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα, id est, ejusmodi ut Deum illorum pœnitere non possit, infr. hoc c. v. 29. Est autem fides vera donum Dei, Ephes. 2. 8. & fide verâ vocamur atque adoptamur in filios Dei, Johan. 1. 12. Item Christus oravit pro Petro, ne deficeret fides ejus: Ergo pari ratione orat pro aliis electis. Quòd autem Apostolus hoc loco disputat de quorundam vocatorum rejectione & fidei amissione, id intelligendum est de vocatione externa, & falsa fidei persuasione atque professione, seu potiùs jactantiâ. reprehendit enim istos jactabundos qui proximum præ se contemnunt & verâ fide præditi non sunt: veruntamen quia fidem profitentur, pro fidelibus ab ecclesia habentur tamdiu, donec deficiant. Quum autem defecerint, tum valet quod ait Johannes 1. epist. cap. 2. v. 19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum: sed hoc factum est ut patefieret, non omnes esse ex nobis.*

22 Vide igitur benignitatem ac severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate: alioquin & tu excidêris.

Illustrat propositum expositione causarum procreantium, ad quarum considerationem hortatur Ethnicum vocatum, & ita tertium dehortationis argumentum affert. Deus abjecit Judæos ut severus judex: te verò vocavit ac recepit ut benignus pater. Quare non est quòd glorieris. Nam ex una parte tibi metuenda est Dei severitas, nisi in fide perstiteris: ex alterâ parte agnoscenda immerita benignitas, quòd vocatus es & fide donatus.

23 Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens enim est Deus rursum eos inserere.

Illustrat propositum contrario. Dixerat Ethnico: Tu excidêris, nisi permanseris in fide. nunc opponit: Contrà Judæi rursum inserentur, si non permanserint in incredulitate. Hanc sententiam amplificat prolepsi. nam Ethnicis vocatis impossibile poterat videri, Judæos qui Evangelium & Christum tantopere oderant, aliquando illud amplexuros & in illum credituros, atque ita rursum Ecclesiæ insitum iri. Huic cogitationi Apostolus occurrit, & affirmat, Deum tam esse potentem, ut possit Judæos quantumvis præfractos, tamen emollire, fide donare, & ita eos rursum inserere.

24 Etenim si tu ex naturali exsectus es oleastro, & præter naturam insitus es in veram oleam: quantò magis ii qui naturales sunt, inserentur propriæ oleæ?

Alia prolepsis. Esto, Deum posse Judæos rursum inserere: at non est probabile, eum hoc velle: quum se illi tam pertinaciter verbo ipsius opponant. Respondet Apostolus, Imò vult; idque probat à minori: Deus te ex naturali oleastro exsectum, in veram oleam præter naturam insevit. Ergo multò magis inserere volet ramos naturales oleæ propriæ.

DE QUINTA PARTE.

25 Nolim enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, (ut ne sitis apud vosmetipsos sapientes) obdurationem ex parte Israëli evenisse, tantisper dum plenitudo Gentium introierit.

Quinta capitis pars, quæ continet prophetiam Apostoli de futura Judæorum vocatione. Ad hanc partem transit occasione argumentationis proxime-præcedentis: ubi quum dixisset, Deum posse Judæos rursus vocare, probabili argumento etiam ostendit, eum id velle. Quod ipsum nunc argumento necessario demonstrat, videl. testimonio Dei sibi patefacto: quod vocat mysterium, id est, rem arcanam nec vulgo notam. Itaque hoc elogio huic prophetiæ præfatur ad ipsam commendandam: præfatur item de fine patefactionis, hoc est, quo consilio ipsis hoc mysterium patefaciat, nempe ne sint arrogantes: quæ ipsa fuit præcedens dehortatio. Duo autem de Judæis prædicit: primum, aliquos subinde Judæos vocatum iri & Evangelio credituros: quod indicat iis verbis, *Obdurationem evenisse Israëli ex parte:* alterum, fore aliquando ut plenitudo Judæorum vocetur & Evangelio credat, nempe tum quum plenitudo Gentium fuerit ingressa in Ecclesiam. Plenitudinem autem Gentium, totum veluti corpus intelligit; ita ut nulla gens omittatur quæ non Evangelium saltem ad tempus amplectatur.

26 Et ita totus Israël servabitur: sicut scriptum est, Veniet ex Sion ille liberator, & avertet impietates à Jacob.

27 Et hoc illis à me fedus, Quum abstulero peccata ipsorum.

Prophetiam suam de vocanda plenitudine Judæorum confirmat testimonio Esaiæ duplici. Duo autem illa testimonia in unum contextum conflat, & tanquam unicum testimonium proponit: sicut & fecit suprà vers. 8. Est autem prior hujus testimonii pars sumta ex Esa. 59. vers. 20. quæ recitatur hoc vers. & parte sequentis: posterior verò testimonii pars sumta videtur ex ejusdem Prophetæ c. 27. v. 9. vel potiùs ex Jer. 31. v. 34. ubi summa novi federis exponitur, consistens in remissione peccatorum & renovatione per Spiritum sanctum.

Porrò *totum Israëlem* vocat totum populi Israëlitici corpus, seu ipsam Israëlitarum plenitudinem: ut vocavit suprà v. 12. Ac totius Israëlis salutem opponit obdurationi Israëlis ex parte, de qua vers. præcedente.

Quod autem hoc loco dicitur de toto Israële, non est ad singulos extendendum; quasi nulli inter Judæos tunc futuri sint reprobi aut increduli: sed intelligendum est de maxima parte, à qua denominatio fieri solet. quemadmodum plenitudo Gentium vocatur, quum tamen non singuli Gentiles ad fidem Christianam conversi sint, sed duntaxat magni Gentilium cœtus. Porrò testimonium ex Esa. 59. v. 20. paulò aliter legitur in Hebræo, nempe ad hunc modum: *Veniet Zijoni vindex seu redemtor, & conversis à defectione in Jacob.* Zijonis nomine intelligitur ecclesia Israëlitica, per metonymiam subjecti Scripturæ usitatam, quoniam super montem Zijon in templo olim ecclesia Israëlitica congregabatur ad cultum Dei obeundum. Liberatoris autem seu vindicis redemtorisve nomine intelligitur Dominus noster Jesus Christus. Et videtur simul notari, Christum Judæis fore propinquum, id est, sanguine junctum. nam גאל Goël significat propinquum ad quem pertinet jus vindiciarum, ut redimat hæreditates propinquorum. Vide Levit. 25. versu 25. & Ruth. 3. Verba autem quæ recitantur vers. 27. videri possunt sumta ex Esa. 27. vers. 9. ubi ita legitur in Græco, καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ εὐλογία αὐτοῦ, ὅταν ἀφέλωμαι ἁμαρτίαν αὐτοῦ. id est: *Et hæc est benedictio ejus, quum abstulero peccatum ejus.* Veruntamen addita ista verba potiùs censeo, allusione facta ad locum Jer. 31. vers. 34. & esse compendiariam interpretationem eorum quæ apud Esaiam loco citato de fœdere dicuntur, nempe illorum: *Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo non mutabuntur ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, nec seminis seminis tui.* Nam quum Spiritus Dei per verbum Dei est efficax, & fidem in nobis efficit: statim sensus condonationis peccatorum sequitur.

28 Itaque quod ad Evangelium *attinet*, *sunt* inimici propter vos: quod ad electionem autem, diliguntur propter patres.

Deinceps vocationem futuram Judæorum probat à causis efficientibus impulsivis, videl. ab electione & promissione Dei. Deus magnam Judæorum partem elegit ad vitam æternam: & patribus eorum promisit, se fore Deum ipsorum & seminis eorum: Ergo Deus suo tempore magnam Judæorum partem vocaturus est & servaturus. Ad hoc argumentum transit per prolepsin. Objicere enim poterat aliquis Gentilis: Judæi Evangelium oppugnant, ac proinde Deo exosi sunt: Non igitur à Deo vocabuntur. Apostolus negat consequentiam, dum è contrario exponit causas efficientes vocationis, quibus propositam quæstionem denuò (ut dictum est) confirmat.

29 Nam dona & vocatio Dei ejusmodi sunt ut eorum ipsum pœnitere non possit.

Sequitur præcedentis argumenti confirmatio à natura Dei, videl. ab ejus immutabilitate. Argumentum præcedens concluditur hoc syllogismo:

Quos DEUS *elegit, & quorum patribus promisit, se fore Deum & ipsorum & seminis eorum: hos etiam vocabit.*
At Judæos DEUS *elegit, eorumq; patribus promisit &c. Ergo &c.*

Hujus syllogismi propositionem jam confirmat syllogismo tali:

Si DEUS *immutabilis est: ergo quos elegit, eos etiam vocabit.*
Atqui DEUS *est immutabilis. quod Apostolus enuntiat his verbis, Dona & vocatio Dei sunt* ἀμεταμέλητα. *Ergo &c.*

Hujus syllogismi assumtio, id est, sententia illa Apostoli, faci-

lè demonstrari potest à sapientia Dei. Quum enim Deus sapientissimus sit, nullum unquam consilium capit, nihilq; sibi proponit, nihil deniq; promittit aut facit, cujus eum possit pœnitere. quippe pœnitentia ex insipientia nascitur, quòd quis ex errore quidpiam promisit aut sibi proposuit aut fecit, quod postea intelligit esse malum: quo fit ut eum promissi aut propositi aut facti pœniteat. Quòd autem passim in Scriptura pœnitentia Deo tribuitur, id fit per metaphoram à natura hominum: quam Theologi ἀνθρωποπάθειαν vocant.

30 Sicut enim & vos quondam non paruistis Deo, nunc autem estis misericordiam consequuti per istorum contumaciam.

31 Sic & isti nunc non paruerunt, ut per vestram misericordiam & ipsi misericordiam consequantur.

Sequitur tertium argumentum ad probandum futuram Judæorum vocationem, quod sumtum est à pari. Quanquam hoc argumento sola eventi seu rei eventuræ possibilitas demonstrari videtur, nempe possibile esse, ut Judæi rursum vocentur, quantumvis nunc rejecti sint. Videntur enim hæc dici per prolepsin: quasi Gentilis aliquis objiciat: Judæi non parent Deo, id est, non obediunt Evangelio. Ergo digni sunt odio Dei: ac proinde videtur fieri non posse, ut aliquando rursus misericordiam à Deo consequantur, ac proinde Evangelium amplectantur & salvi fiant. Respondet Apostolus negando consequentiam, quatenus contrarium demonstrat ab ipsorum Gentilium exemplo, argumentando à pari: Si vobis, inquit, non obstitit, quòd olim non paruistis Deo, quò minùs nunc misericordiam sitis consecuti: ergo nec Judæis obstare putandum est, quòd nunc Deo non parent, quò minùs aliquando misericordiam consequantur. idque eò magis, quòd vobis misericordia Dei contigit occasione contumaciæ Judæorum: at illis misericordia Dei continget per vestram misericordiam, hoc est, per misericordiam vobis à Deo exhibitam.

32 Conclusit enim Deus omnes illos sub contumaciam, ut omnium illorum misereretur.

Comparationem propositam amplificat expositione finis, id est, consilii Dei: quo scil. consilio Deus utriusque generis electos, videlicet & ex Judæis & ex cæteris gentibus, concluserit sub contumaciam seu inobedientiam: & ait, ideo id fecisse Deum, ut omnium illorum (nempe omnium electorum, cùm Judæorum tum Gentilium) *misereretur*, hoc est, ut omnes ex quacunque gente electos, ex misericordia salvos faceret, non autem ex ipsorum merito. quid enim mereantur inobedientes & contumaces, præterquam æternam damnationem? Probè igitur hoc loco notanda est emphasis verbi *Misereri*, & articuli, ubi ait, ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ. Quod nonnulli non animadvertentes, & vocem πάντας temere urgentes, in eaque emphasin hujus dicti collocantes, falsò ex his Apostoli verbis colligunt, Deum singulorum hominum misereri velle, ac proinde non esse certum ac definitum numerum salvandorum: quæ sententia cum doctrina Apostoli jam copiosè disputatâ ac demonstratâ, ex diametro pugnat. Porrò similis huic sententia exstat Gal.3.v.22.

(margin: Ἐκδίκ.)

De sexta parte.

33 O profundas divitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei! Quàm imperscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ impervestigabiles!

34 Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit à consilio?

Sequitur sexta, eaque postrema, capitis pars; ubi totam præcedentem de electione & reprobatione, itemque de vocatione & rejectione, doctrinam concludit gravissimis exclamationibus: quibus significat, se admirabili istâ Dei sapientiâ in electis servandis & reprobis puniendis animo percelli: Deique justitiam in hoc negotio commendat. Primùm igitur admiratur Apostolus magnitudinem sapientiæ Dei in administranda hominum salute & interitu: & hanc admirationem significat exclamatione: magnitudinem verò sapientiæ Dei comparat divitiis profundis & altissime-defossis, ac proinde imperscrutabilibus atq; impervestigabilibus, v.33. Tum v.34. sententiam de magnitudine sapientiæ Dei propositam confirmat testimonio Esaiæ ex cap.40.v.13.

35 Aut quis prior dedit ei, & reddetur ei?

36 Nam ex eo, & per eum, & in eum, *sunt* omnia. Ipsi *sit* gloria in sæcula. Amen.

Hactenus prædicavit sapientiam Dei: jam prædicat ejusdem in negotio humanæ salutis justitiam: docens, Deum nemini quicquam debere: unde efficitur, reprobos non habere quod cum Deo expostulent, quòd non ipsi quoque ad salutem æternam, sed contrà ad sempiternum exitium prædestinati sint. Quòd autem Deus nulli sit debitor, probat à causa procreante. Nam si Deus hominibus salutem deberet: necesse esset ut ipsi priores aliquid Deo dedissent, quo nimirum eum sibi obstrinxissent seu obligassent ad salutem ipsis conferendam. At nemo quicquam prior dedit Deo: quia Deus ut omnibus rebus, ita & hominibus dedit quicquid habent. Ergo Deus hominibus salutem non debet. Deinde quòd nemo jure possit conqueri, quasi injuria sibi à Deo facta sit: probat expositione finis, cujus gratiâ res omnes à Deo sunt conditæ: quem finem esse admonet ipsius gloriam. Est autem æquum & justum, ut ad suum quæq; res finem referatur. Quare quum Dei gloria tam elucescat ex interitu reproborum, quàm è salute electorum; ex illo scilicet gloria justitiæ, ex hac verò gloria misericordiæ: consequitur, interitum reproborum justum esse, ac proinde reprobos non habere quòd injustitiæ Deum accusent. Ad extremum concludit voto, quo optat ut gloria Dei illustretur.

SCHOLIA IN CAP. XI.

1 Repulit] ἀπώσατο. *vel, Abjecit. Ad verbum,* Detrusit: *Scil. de gradu dignitatis & gratiæ.* Germanicè verstoossen. Populum suum] τὸν λαὸν αὐτοῦ. *Populum illum suum: nempe Judæos seu Israëlitas. Periphrasis ex adjuncto, argumentosa: latet enim in hac appellatione argumentum à causa impulsiva. Judæi sunt Dei populus: Ergo Deus eos amat, & per consequens non abjicit.* Nam & ego] *Probat à specie, seu exemplo speciali, suo ipsius. q.d. Si omnes Israëlitæ essent à Deo abjecti: oporteret me quoq; abjectum esse. Nota, Apostolum certò statuere, se non esse abjectum, sed electum. Hoc omnes credentes facere oportet.* Abrahæ] *Patris credentium: cum quo Deus fœdus pepigit & cum semine ejus, Genes.17.*

2 Præcognovit] προέγνω. *id est, ab æterno decrevit servare. ut supr.8.29. His autem verbis,* Quem præcognovit, *distinguit Apostolus populum Dei in electos & reprobatos.* An nescitis] *Quasi dicat, Non puto vos nescire.* De Elia] ἐν Ἠλίᾳ. *Hebraism. Sic Psal.87.3. Gloriosa dicta sunt de te* (בָּךְ *bach*) *civitas Dei.* Quomodo interpellet] *Asyndeton. Pendent enim & hæc ab illis verbis,* An nescitis. Adversus Israëlem] κατὰ τοῦ Ἰσραήλ. *nempe querelam proponens de illius Apostasia.*

3 Domine] *Sunt verba prophetæ Eliæ ad Deum, quibus conqueritur de universi populi defectione suiq; persecutione.* Altaria tua] τὰ θυσιαστήριά σου. *Id est, tibi seu in honorem tuum exstructa olim à sanctis patribus: qualia tum passim reperiebantur in excelsis in regno Israël. Non quòd Propheta probet cultum illorum qui in illis tum sacrificarent: quippe qui non ignorabat, certum sacrificandi locum tunc fuisse designatum Hierosolymis: sed quòd detestetur impium animum idololatrarum in regno Israël, quem illi in hoc quoq; ostendebant, quòd nollent sacrificari Jehovæ: ac proinde altaria in illius honorem olim exstructa, & à nonnullis Israëlitis etiam tunc usurpari solita, suffodiebant ac demoliebantur, in Jehovæ scil. ignominiam. Quidam per altaria hîc intelligunt cultum* μετωνυμικῶς. *Sed prior expositio videtur genuina. nam propheta rem gestam simpliciter narrat, ut apparet.* Quærunt animam meam] *Id est, insidiantur vitæ meæ.* Sie stehn mir nach dem leben. *Sic Matth.2.20.*

4 Sed quid] *Verba Apostoli.* Divinum responsum] χρηματισμός. *Oraculum. Sic Matth.2.12. & Luc.2.26.* Reliqui mihi] κατέλιπον ἐμαυτῷ. *Verba Dei.* Septem millia virorum] ἑπτακισχιλίους ἄνδρας. *Vel, septies mille viros. Intelligit multa millia: per synecdochen speciei usitatam Scripturæ. Sic Jacob flexit genu coram fratre septies, Gen.33.3. Sic aurum purgatum dicitur septies, Psal.12.7.* Virorum] *Et mulierum; id est, hominum. Synecdoche speciei.* Non flexerunt genu] *Id est, Non adorarunt. Metonymia adjuncti: vel potiùs synecdoche membri metonymica: nam unà cum adjuncto intelligitur subjectum, id est, cum genuflexione adoratio.*

5 Reservatio facta est] λεῖμμα γέγονεν. *Vel reliquiæ reservatæ sunt. Intelligit autem reliquias Judæorum, qui non sunt à Deo abjecti; sed vocati Evangelio obediunt.* Secundum electionem gratiæ] κατ᾽ ἐκλογὴν χάριτος. *Id est, gratuitam, seu ex gratia profectam. Indicat causam istius reservationis, id est, efficacis vocationis quorundam Judæorum. q.d. Quia Deus eos ex gratia elegit ad vitam æternam. Sic supr.8.30.* Quos prædestinavit, eos etiam vocavit.

6 Quòd si per gratiam] *Scilicet electæ & vocatæ sunt reliquiæ illæ Judæorum.* Non jam] οὐκ ἔτι. *Non ampliùs, id est, certè non. Particula* ἔτι *servit annexioni consequentis in enuntiato connexo. Sic in sequentibus ter.* Ex operibus] *Id est, merito operum Legis quæ præstiterint.* Alioquin] ἐπεί. *Ad verbum, Quoniam. Scilicet, si ex operibus simul & gratia.* ἐλλιπὲς *loquendi genus.* Gratia jam non est gratia] Gratia enim non est gratia ullo modo, nisi sit gratuita omni modo: *sicut Augustinus eleganter & scitè dixit. Est autem elegans* ἀντανάκλασις, *continens* φανερὰν *ἀντίφασιν.* Sin ex operibus] *Quasi dicat. Et è converso, Si Judæi illi electi & vocati sunt ex operibus, id est, propter meritum operum: tum jam non est gratia, id est, electio & vocatio eorum non est facta ex gratia. Metonymia efficientis.* Alioquin] ἐπεί. *Si scil. simul ex operibus & ex gratia electi & vocati sunt; tum opus jam non est opus, hoc est, meritum operis non est meritum. Metonymia efficientis.*

7 Quid igitur] *Id est, Quid igitur dicemus?* τί οὖν. *scil.* ἐροῦμεν. *Sicut aliâs integrè loquitur? ut supr.6.1. & 7.7. & 8.31. Quod postremum exemplum huic planè simile est: quoniam & illic similis*

similis responsio statim subjicitur. Nempe quod requirit] *Subjectio. q.d. Nempe hoc dicemus & fatebimur quod res est: videl. Israëlem suo studio operum salutem non assecutum esse.* Quod requirit] ὃ ἐπιζητεῖ. *id est, quod conatur operibus suis assequi, nempe vitam æternam. Periphrasis ex adjuncto.* Israël] Ἰσραήλ. *Id est, Israëlitæ: videl. carnales illi, qui se Israëlitas jactabant, atque ita in carne gloriabantur. Confer 2. Cor. 11. 22.* Sed electi assecuti sunt] *Similis huic locus est ille sup. 9. 30. & 31.* Electi] ἡ ἐκλογή. *Electio. Metonymia adjuncti. Sed emphatica ad notandum causam illius adeptionis. q.d. Electi, quatenus electi, seu ratione & vi electionis, vitam æternam assecuti sunt.* Reliqui verò] οἱ δὲ λοιποί. *nempe, qui non sunt electi, sed reprobati.* Occalluerunt] ἐπωρώθησαν. *Indurati sunt. Cor eorum callum obduxit. Sicut apud Ezechielem vocatur cor lapideum, id est, durum, indocile, cui nulla doctrina salutis, nullaque fides potest imprimi aut insculpi.* πῶρος *significat callum & duritiem in articulis: unde* πωρόω, *callum obducere. Germanicè* **verharten**. *Metaphora.*

8 Spiritum soporis] *Animum somnolentum & quasi veterno oppressum, adeoque omni sensu privatum; quod modò vocavit* πωρόω, *& mox declarabit.* Soporis] κατανύξεως. *Compunctionis. In Hebr.* תַּרְדֵּמָה *tardemáh: Sed Apostolus retinuit versionem* LXX. *Quid autem, si isti nomen* κατάνυξις *confinxerunt? non tanquam à* κατανύσσω *compungo, sed tanquam à nomine* νύξ *deductum, quasi dicas, obnoctium, ad significandum soporem altum, qualis densissimâ nocte esse solet. Exemplum verbi* κατανύσσω *vide Act. 2. 37. nominis autem* תַּרְדֵּמָה *Gen. 2. 21. & 19. 12.* Oculos ut non videant] ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν. *scil.* ἕνεκα. *id est, oculos tales quibus non possint videre, h.e. mentem talem, qua non possint intelligere veram salutis doctrinam. Metaphora.* Aures ut non audiant] ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν. *scil.* ἕνεκα. *id est, aures tales quibus non possint audire, hoc est, cor tale quo non possint obedire Evangelio.* Usque ad hodiernum diem] *His verbis monet Apostolus, istam Judæorum obdurationem inde à tempore Esaiæ, vel certè inde ab initio prædicati Evangelii durare usque ad præsens tempus. Cohærent enim hæc verba cum verbo* ἐπωρώθησαν *in fine versiculi præcedentis.*

9 Mensa eorum] *Id est, cibus & potus eorum, hoc est, deliciæ eorum. Metonymia subjecti, & synecdoche speciei.* Fiat] γενηθήτω. *id est, mutetur.* **Es werde jhnen jhr tisch zum strick.** *Id est, deliciæ eorum vertantur eis in perniciem. Metaphora tres continuata: prima ab avibus (ut Psal. 124. v. 7.) altera à feris, tertia à saxis aliisve obstaculis in quæ impingimus.* Et in tendiculam] καὶ εἰς θήραν. *Hebr.* לְמוֹקֵשׁ *lemokésch.* θήρα *propriè venationem significat: hîc autem tendiculam qua venamur, per metonymiam effecti.* Et offendiculum] καὶ εἰς σκάνδαλον. Σκάνδαλον *à* σκάζω, *id est, claudico.* Et in talionem ipsis] καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς. *Et in retributionem ipsis. id est, rem ipsis retribuendam. Apud* LXX. *habetur* ἀνταπόδοσις: *In Hebr.* שְׁלוּמִים *schelomim, id est, retributiones: quod ibi positum videtur pro* שִׁלּוּמִים *schillumim, ut legitur Esa. 34. v. 8. nam aliàs* שָׁלוֹם *schalóm, pacem significat.*

10 Oculi] *Id est, mens. Metaph.* Cernant] *Id est, intelligant.* τοῦ μὴ βλέπειν. *scil.* ἕνεκα. *id est,* ὥστε μὴ βλέπειν. Tergum eorum incurva] *In Heb. Lumbos eorum nutare fac. id est, fac ut conscientiis suis trepident.*

11 Ut laberentur] ἵνα πέσωσι. *Sic rectiùs quàm* Exciderent *vel* Conciderent. *partim quòd videatur ista esse hujus verbi vis hoc loco, ut intelligitur ex collatione verbi* ἔπταισαν, *impegerunt: partim ad conservandum conjugationem & paronomasiam verborum* πίπτειν *&* παράπτωμα, *Labi & Lapsus.* Eorum] *Id est, maximæ partis eorum. Synecdoche integri.* Salus obtigit gentibus] ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν. *scil.* ἐγένετο. *id est, Ad salutem vocatæ sunt cæteræ gentes.* Eos] *Nempe Judæos rejectos.* Ad æmulationem provocaret] *Scil. Deus. Hoc ipsum docuit supr. 10. v. 19.*

13 Vobis gentibus] ὑμῖν τοῖς ἔθνεσι. *Vobis qui Gentes estis, hoc est, qui ex gentibus vocati estis. Apostrophe ad Ecclesiæ Romanæ partem alteram: nam altera pars erat Judæorum: quos peculiariter allocutus fuit supr. 4. in principio.* Quatenus] ἐφ' ὅσον. *Vulg.* Quamdiu: *subaudiens nimirum,* χρόνον. *At hoc loco subaudiendum,* μέρος. Apostolus Gentium] *Id est, vocatus à Christo principaliter, ut essem doctor Gentium, ut nomen ipsius portarem ante Gentes. Vide Act. 9. 15. item Gal. 2. 7. & 8.* Ministerium meum illustro] τὴν διακονίαν μου δοξάζω. *Id est, ministerio meo, annuntiandi scil. Evangelium, quamplurimos ex Gentibus ad Christum adducere conor: id quod ministerio meo gloriosum est. Metonymia effecti. Sic alibi gloriatur, se plus laborasse quam cæteros, 1. Cor. 15. 10. Et in hac ipsa epistola c. ult. de isto suo labore illiusque fructu in Domino gloriatur, v. 17. & deinceps.*

14 Consanguineos] σάρκα. *Carnem, id est, oriundos ex eâdem carne, ex eisdem majoribus. Metonymia materiæ, usitata Hebræis. Sic Esa. 58. 7.* A carne tua non abscondas te. *Sic Gen. 29. 14. ait Laban Jacobo,* Os meum & caro mea es. Servem] σώσω. *id est, ad salutem æternam adducam, præbendo illis occasionem amplectendi Evangelium, quæ est doctrina salutis. Sic 1. Tim. 4. v. ult.* Ex ipsis] ἐξ αὐτῶν. *nempe Judæis: quos vocavit suam carnem. Itaque constructio refertur ad sensum, non ad vocem. Sic supr. 2. 26. Synesis.*

15 Eorum] *Judæorum. videl. maximæ partis. Synec.* Est reconciliatio mundi] *Id est, servit vocationi Gentium, q[uæ per il]la Deo reconcilientur. Metonymia effecti. Sic supr. 7. 7.* Lex peccatum est? *Mundus pro Gentibus, ut supr. 12. per metonymiam subjecti, & simul synecdochen integri: quòd Gentes maximam mundi partem incolerent: quum Judæi solam Palæstinam obtinerent.* Erit] *Rectè, nam loquitur de re futura: sicut ipse pleniùs exponit infrà 25.* Assumtio] ἡ πρόσληψις. *Sic appellat (per metonymiam effecti) vocationem plenitudinis Judæorum, per quam iterum in Ecclesiam assumentur, qui antea erant repudiati.* Nisi vita ex mortuis] *Id est, nisi medium serviens vocationi Gentium, qua illæ ex æterna morte erepta, vitæ æternæ restituuntur. Metonymia effecti, & synecdoche generis.*

16 Etiam rami] *Scil. sancti sunt.*

17 Rami] *Id est, Judæi.* Defracti sunt] *Id est, rejecti sunt.* Tu verò] *Apostrophe ad Gentilem aliquem jam vocatum.* Oleaster] *Id est, ramus oleastri. Neque enim totæ arbores inseruntur aliis arboribus, sed rami vel surculi ex arboribus decerpti. Synecdoche integri.* Insitus es] ἐνεκεντρίσθης. κέντρον *stimulum significat, quo fodiuntur boves quum aguntur. hinc* ἐγκεντρίζειν, *pungendo inserere. nam oportet arborem parumper dispungi, ut talea per istam rimam possit inseri. Solet autem succus stolonis sterilis succo arboris generosæ cui insitus fuerit, permutari: quò hîc respexit Apostolus.* Et factus es particeps] *Exponit* τὸ ἐν αὐτοῖς, *id est, eventum illius insitionis.* Radicis] *Hoc est, succi ex radice profluentis ac in singulos ramos manantis. Metonymia efficientis, vel subjecti: nam radix & succum in se continet, & eum quasi parit & ex se diffundit. Sic 1. Cor. 10. 4.* Bibebant ex petra, *id est, ex aqua quæ profluebat ex petra.* Particeps] συγκοινωνός. *Compositio* πλεοναστική, *qui unà cum alio rem quampiam communem habet. Non tamen planè otiosa est præpositio* σύν: *exprimit enim ramos oleæ, cum quibus rami oleastri insititii communionem adepti sunt.* Radicis ac pinguedinis] ἓν διὰ δυοῖν, *pro, pinguedinis ex radice profluentis.* Oleæ] *Id est, Ecclesiæ Israëliticæ. Metaphora.*

18 Ne gloriare] *Sequitur consequens enuntiati connexi, superiore versiculo instituti.* κατακαυχᾶσθαι *propriè est cervicem contra aliquem jactare: quo gestu scilicet utuntur qui aliis insultant, à nomine* αὐχήν, *id est, cervix.* Quòd si adversus eos gloriaris] εἰ δὲ κατακαυχᾶσαι. *scil.* αὐτῶν, *nempe* τῶν κλάδων. *Pro* κατακαυχᾷ, *per paragogen syllabæ* σαι. *Sic supr. 2. 17.* Non tu radicem portas] *Id est, cogita gloriationem tuam iniquam esse, quum radix te portet & sustentet oleæ jam insitum. Synecd. membri metonymica.*

19 Dices igitur] *Permanet in apostrophe instituta.* Defracti sunt] *Mimesis, id est, Abjecti sunt Judæi, ut ego reciperer. In Græco videtur esse paronomasia,* ἐξεκλάσθησαν οἱ κλάδοι. *nam* κλάδος *videtur ortum ex* ἔκλαδον, *aoristo secundo verbi* κλάζω, *id est, frango: eò quòd defringi soleat ramus: vel quòd quasi infringatur, id est, incurvetur & flectatur.*

20 Rectè] *Responsio Apostoli.* καλῶς. *Hoc Adverbio concedit antecedens enthymematis; quasi dicat, Rectè ac verè dicis, Judæos esse rejectos, ut tu vocareris.* Per incredulitatem] τῇ ἀπιστίᾳ. *Est* ἀντικατάλλαξις. *quasi dicat; Sed hoc quoque debes perpendere, quòd Judæi rejecti sint per incredulitatem: cui nimirum tu per naturam æquè subjectus seu obnoxius es, ac illi.* Stas] ἕστηκας. *Enallage temporis.* Ne effertor animo] μὴ ὑψηλοφρόνει. *Quasi dicat,* μὴ ὑψηλὰ φρόνει, *ut loquitur infr. 12. 16. unde vulgata ad verbum,* Noli altum sapere. Sed time] *Id est, modestè ac reverenter Deum cole, de fide retinenda piè solicitus. Neque enim trepidationem de salute & gratia Dei dubitantem præcipit Apostolus. Synecdoche generis.*

21 Naturalibus ramis] *Id est, Judæis in Ecclesia natis, ex sanctis illis patribus, Abrahamo, Isaaco, Jacobo.* Tibi quoque] *Qui scil. es ramus insititius, ex oleastro decerptus.*

22 Vide] ἴδε. *Id est, considera.* Benignitatem ac severitatem Dei] *Scilicet in hoc negotio rejectionis Judæorum & vocationis Gentium: ut ipse mox exponet.* In eos quidem qui ceciderunt] *Id est, in Judæos qui impegerunt in Christum lapidem offendiculi: & increduli facti sunt.* Severitatem] ἀποτομίαν. *Quasi dicas præcisionem. quia homines severi & irati loquuntur* ἀποτόμως, *præcisè.* **Sie hawen jhre red kurtz ab/ sie machen kurtze wort.** *Metonymia effecti metaphorica.* Si permanseris in benignitate] *Id est, in eo statu in quo te Deus per suam benignitatem constituit, nempe in fide. Metonymia efficientis. Sic infr. 31.* Per vestram misericordiam, *id est, fidem vobis à Deo ex misericordia donatam.* Alioquin] ἐπεί. *Ad verb.* Quoniam] *Scilic. si non permanseris.* Et tu] *Non minùs quàm Judæi.* Excidêris] *Ex olea, id est, Ecclesia.*

23 Illi] *Judæi per incredulitatem ex olea excisi.* Inserentur] *Scil. rursus: ut mox dicet.* Potest enim] *Prolepsis.*

24 Etenim si tu] *Alia prolepsis.*

25 Mysterium] μυστήριον. *res arcana, nec nisi initiatis nota.* παρὰ τὸ μύειν, *quod significat claudere sive oculos, sive os: connivere palpebris aut labiis. Unde* μύστης, *sacris initiatus: &* μυστήρια, *sacra arcana & occultanda.* Sapientes] φρόνιμοι. *Phrasis Scripturæ,* Esse sapientem apud se seu in oculis suis, *id est, Sibiipsi sapientem videri. Est periphrasis arrogantis, ex causa*

procreante. nam ista sapientiæ persuasio atq; opinio arrogantiam parit. Sic Prov.3.7. Ne sis sapiens apud temetipsum. *Sic infr.12.16.* Obdurationem ex parte Israëli evenisse] *Nomine* πωρώσεως *intelligit Judæorum contumaciam & incredulitatem, id est,* τὴν ἀπείθειαν, *ut appellabit infr.30. & 32. Metaphora. Vide supr.v.7.* Israëli] *Populo Israëlitico, Judæis. Metonymia efficientis.* Ex parte] *Non autem ex toto, ita ut non omnes in universum sint rejecti, sed reliquiæ aliquæ reservatæ: quæ subinde Evangelium amplexuræ sunt, donec tempus illud advenerit, quo ipsa plenitudo, id est, totum populi corpus Evangelium amplectatur.* Tantisper dum] ἄχρις οὗ. *id est,* ἄχρις ἐκείνε χρόνε ὃ. *usque ad id tempus quo. Ellipsis.* Tantisper dum plenitudo Gentium introierit] *Innuit, postquam plenitudo Gentium in Ecclesiam introierit, tum fore ut & Judæorum plenitudo introëat, id quod mox disertè affirmabit v.seq.* Plenitudo Gentium] *Id est, totum veluti corpus Gentium, ita ut nulla gens omittatur quæ non Evangelium saltem ad tempus amplectatur.* Introiërit] *Scil. in Ecclesiam.*

26 Et ita] καὶ οὕτω. *Quum scil. plenitudine Gentium in Ecclesiam ingressa, plenitudo quoq; Judæorum fuerit ingressa.* Totus Israël] πᾶς ἰσραὴλ. *id est,* ὅλ☉ ὁ ἰσραὴλ: *(Sic supr.10.18.* πᾶσαν τὴν γῆν) *hoc est, totum populi Israëlitici corpus, seu ipsa Israëlitarum plenitudo, ut vocavit sup.12.* Servabitur] *Nempe per prædicationem Evangelii efficaciter vocatus, ac fide in Christum justificatus. Quod autem dicitur de toto Israële, non est ad singulos extendendum: sed intelligendum de maxima parte, à qua denominatio fieri solet.* Ille liberator] ὁ ῥυόμεν☉. *Sic in precatione Dominica,* ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, Libera nos ab illo maligno. Avertet impietates] *Nempe condonando seu remittendo, & justificando fide.* A Jacob] *Id est, à Judæis, posteris Jacobi. Metonymia efficientis.*

27 Fœdus] *Scil. erit.*

28 Quod ad Evangelium] *Id est, quatenus Judæi Evangelium oppugnant. Metonymia subjecti. Innuunt autem hæc verba prolepsin: Objici enim poterat, Judæos non vocatum iri, quum Evangelium oppugnent. Apostolus igitur docet, eos nihilominus vocatum iri.* Sunt inimici] ἐχθροὶ. *Nempe Dei. hoc est, exosi Deo: seu, Deus illis est inimicus. Metonymia efficientis, ad temperandum sententiæ asperitatem. Esse autem hanc veram expositionem, evincitur ex antithesi: quia mox opponit,* ἀγαπητοὶ, *dilecti sunt, hoc est, diliguntur à Deo.* Propter vos] *Ut scilicet vos in eorum locum recipiamini: sicut suprà docuit. Vel,* Propter vos: *id est, quia vos propter Evangelii professionem oderunt ac persequuntur. Ego prius malo.* Quod ad electionem autem] κατὰ τὴν ἐκλογήν. *At secundùm electionem illam, ratione seu respectu electionis illius: nempe quia plurimi ex hac gente à Deo sunt electi ad vitam æternam.* Diliguntur] ἀγαπητοὶ. *scilicet* εἰσί. *chari sunt Deo.* Propter patres] διὰ τοὺς πατέρας. *propter patres illos, id est, propter promissionem factam ipsorum patribus, sanctis illis viris, Abrahamo, Isaaco, Jacobo. Metonymia subjecti & synecdoche generis: quæ tamen nonnihil specificatur (ut ita dicam) articulo* τοὺς.

29 Dona] τὰ χαρίσματα. *quæ Deus hominibus pro sua gratia donat aut promittit, gratuita illa promissiones Dei. Synecdoche generis.* Vocatio] ἡ κλῆσις. *Quæ electos vocare suo tempore constituit.* Ejusmodi sunt ut eorum ipsum pœnitere non possit] ἀμεταμέλητα. *scil.* ἐστι. *Periphrasis ex inopia Latinæ linguæ.*

30 Quondam] ποτέ. *olim videlicet ante Christum exhibitum.* Vos] *Vocati ex Gentibus.* Non paruistis] ἠπειθήσατε. *Inobedientes fuistis: non credentes ejus verbo, nec obedientes ejus mandatis.* Nunc autem] *Christo jam exhibito.* Estis misericordiam consecuti] ἠλεήθητε. *Id est, Ex misericordia estis à Deo vocati efficaciter, & Evangelium amplexi. Synecdoche membri metonymica.* Per istorum contumaciam] τῇ τούτων ἀπειθείᾳ. *Per istorum inobedientiam: id est, occasione hac, quòd Judæi Evangelio credere nolunt, sed illud contumaciter oppugnant.*

31 Per vestram misericordiam] τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει. *Id est, per misericordiam Dei vobis exhibitam, seu erga vos declaratam, donandâ scil. fide, seu efficaciter vos vocando. Synecdoche generis & metonymia efficientis: nempe, per vestram fidem ex misericordia vobis à Deo donatam, hoc est, occasione vestræ fidei.* Misericordiam consequantur] *Id est, Fide donentur ex misericordia.*

32 Conclusit enim] *Similis, & huic planè consentiens, adeoq; hujus exponendi vim habens, est ille locus Galat.3.22.* Conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Conclusit] συνέκλεισε. *id est, quasi colligavit. Metaphora (ut videtur) ab iis qui manipulos colligant.* Omnes illos] τοὺς πάντας. *Articulus monet, Apostolum respicere ad utrumque populum, Hebræos & Gentes: id est, ad utriusque populi electos.* Sub contumaciam] εἰς ἀπείθειαν. *ut Galat.3.22.* ὑπὸ ἁμαρτίαν, *sub peccatum. Contumaciam (ut videtur) comparat ligamento quo manipulus colligatur.* Ut omnium illorum misereretur] ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ. *Id est, ut omnium miserendi occasionem haberet: ut omnes electos, tam ex Judæis quàm ex Gentibus, ex misericordia servaret, non autem ex merito.*

33 O profundas divitias] ὦ βάθ☉ πλούτε. *Hypallage Hebræa, pro* ὦ πλοῦτον βάθους, *τουτέστι* βαθύ. *Sic Prov.3.2.* Anni vitæ, *pro,* vita annorum, *id est, annosa. Sic Luc.1.22.* Viscera misericordiæ, *pro misericordia viscerum, id est, viscera commovens.* Tum sapientiæ tum cognitionis] καὶ σοφίας καὶ γνώσεως. *Conjunctiones* καὶ καὶ *vim habent distribuendi. quanquam hic duobus vocabulis una tantum res notatur, per synonymiam Hebræis familiarem: ut inprimis in Proverbiis Salomonis videre est. Vocat autem hic divitias sapientiæ Dei, copiosam sapientiam Dei: ut ad Ephesios nominat divitias gratiæ Dei, copiosam gratiam Dei: Ephes.1.7. Item conjungit duas voces,* σοφίας *&* γνώσεως, *sicut Coloss.2.3. ubi de Christo loquens, ait,* In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi. Cognitionis Dei] γνώσεως Θεοῦ. *Intelligo activè, id est, qua cognitione Deus cognoscit & sapienter res à se conditas administrat. Aliàs passivè accipitur, id est, qua Deus cognoscitur à nobis, ut Phil.3.8.* Duco omnia damnum esse propter eminentiam cognitionis Christi Jesu Domini mei. Judicia] *Rationes agendi & gubernandi res humanas.* Et ejus viæ] *Epexegesis more Hebræorum. Metaphora.*

34 Quis enim] *Sumta sunt hæc verba ex Esa.40.13. ubi in Hebræo sic habetur,* Quis expendit spiritum Jehovæ? ut vir à consiliis ei, docuit eum? *Apostoli verba exstant in versione LXX.* Mentem] νοῦν. *id est, consilium, propositum. Metonymia subjecti. Hoc Esaias more Hebræorum vocat spiritum.* Quis ei fuit à consilio?] *Scil. quum omnia conderet & ad suos quæque fines destinaret. Loquitur enim propheta de creatione mundi. In Græco,* τίς σύμβουλ☉ αὐτοῦ ἐγένετο; Quis consiliarius ejus fuit? *In Hebr.* Vir consilii. *sicut vir belli, id est, bellator seu miles,* ein kriegsmann.

35 Aut quis prior dedit] *Sumta sunt hæc verba ex Job.41.2. Sunt autem verba Jehovæ ad Jobum, quæ exstant in apodosi insignis illius comparationis, qua Dominus suam potentiam & majestatem declaraturus, balænæ se comparat, sic autem ait:* Quis prævênit me, & rependam? Quicquid subest toti cælo, meum est. Et reddetur] καὶ ἀνταποδοθήσεται. *id est, ut reddendum sit. Hebraismus.*

36 Ex eo] ἐξ αὐτοῦ. *id est, Ab eo,* ὑπ᾽ αὐτοῦ. *Heterosis.* Per eum] δι᾽ αὐτοῦ. *Præpositio* διὰ *sic usurpata causam instrumentalem notat. cujus notatio hic non habet locum. Puto igitur idem repeti aliis verbis: sicut suprà 3.30. idem pollebant hæc duo,* ἐκ πίστεως *&* διὰ πίστεως. *Inepti autem sunt, qui tria ista membra ad tres personas S. Trinitatis applicant: quasi hoc dicto mysterium illud confirmari possit.* In eum] εἰς αὐτόν. *Vulgata,* In ipso. *non rectè notatur enim finis creationis rerum: qui est gloria Dei.* Deus enim omnes fecit propter se, *Prov.16.4.* Ipsi sit] αὐτῷ. *scilicet* ἔστω. *Votum,* δόξα. Amen] *Optantis & comprobantis.*

OBSERVAT. EX CAP. XI.

1 Ex v.2. *Populum suum quem præcognovit.* Populus Dei, duplici ratione dicitur: vel ratione vocationis externæ, vel ratione electionis. Ratione vocationis externæ in populo Dei censentur etiam hypocritæ: ratione verò electionis, soli credentes. Huc pertinet illud Christi: *Multi vocati, pauci electi:* quia multi, & inter illos etiam reprobi, vocantur externè per Evangelii prædicationem: at pauci, videl. soli electi, vocantur etiam internè, ita ut fide donentur per operationem Spiritus sancti. ***Populus Dei.***

2 Ex v.3.& 4. Ecclesia nunquam potest per falsos doctores & tyrannos penitus deleri: quia Deus sibi semper aliquos reservat integros qui in vero ipsius cultu perseverent. Hoc facit ad piorum consolationem: quum vident regnare in Ecclesia idololatriam, & veros Dei cultores persecutionem pati. ***Ecclesia.***

3 Ex v.5. *Secundùm electionem gratiæ.* Quum electio sit gratuita: non pendet à prævisis operibus aut à prævisa fide. Quumque à gratuita electione pendeat efficax vocatio & fides qua justificamur: sequitur, ipsam quoque justificationem ab eâdem gratuitâ electione pendêre, ac proinde gratuitam esse. Id quod Apostolus expressè docuit supr.8.v.30. ubi ait, *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit: quos autem vocavit, eos etiã justificavit.* ***Electio.***

4 Ex v.6. *Quòd si per gratiam, non jam ex operibus &c.* Quum gratia Dei & merita hominis sese mutuò in negotio salutis excludant, ut ex istis Apostoli verbis planum est: falsum est igitur, hominem partim ex Dei gratia, partim è suis meritis coram Deo justificari, atque ita æternam salutem adipisci: seu (quod idem valet) partim fide, partim operibus. ***Justificatio.***

5 Ex v.7. *Quod requirit Israël, hoc non est assecutus.* Frustra laborant qui per opera sua justitiam qua consistant coram Deo, comparare sibi volunt. quia quod quærunt, id (teste Apostolo) non assequuntur. Sic supr.8.v.3. affirmavit, impossibile esse Legi, hominem justificare. Quare justitia qua consistamus coram Deo, alibi quærenda est, videlicet in Christo; in hunc enim qui credit, justificatur. ***Justificatio.***

6 Ex v.8.9.& 10. Quum Deus inde ab initio prædicati Evangelii, Judæorum maximam partem excæcârit atque indurârit, (sicut hoc loco è Scripturis Apostolus confirmat) ita ut illi doctrinam salutis quæ in Evangelio proponitur, nec intelligere valeant, nec recipere velint: agamus nos Deo gratias, quòd ex gratuita misericordia nobis & oculos & aures cordis aperuit per Spiritum suum, ut doctrinam Evangelii & intelligamus & fide recipiamus ad salutem: oremusque ut hanc gratiam Judæis quoque facere velit: ipsosque quantum in nobis est, Christo lucrifacere studeamus. ***Officium hominis Christiani.***

7 Ex v.11. & deinceps usque ad 32. Ex prolixa hac disputatione de vocatione Gentium & rejectione Judæorum observandæ ***Judæi quomodo tractandi.***

vandæ sunt causæ, quæ nos debent movere ut Judæos Christo lucrifacere studeamus. Ac primùm ad hoc movere nos debet, quòd per illorum ruinam seu lapsum nobis obtigit salus, v.11. Ita enim visum est Deo, salutem per Christum partam primò offerre Judæis: quam si illi repudiarent, offerenda erat Gentibus: ut videre est ex verbis Pauli & Barnabæ ad Judæos Antiochenos in Pisidia, Act.13.v.46.& 47. item ex verbis Pauli ad Judæos Romanos, Actor.28.v.25.26.27.&28. Deinde movere nos debet exemplum Pauli, qui omni conatu studuit aliquos ex Judæis servare, v.13.& 14. Tertia causa: quia orti sunt è sanctis patribus, quibus nimirum datæ sunt à Deo promissiones gratiæ tum erga ipsos tum erga semen eorum, v.16. Quarta causa: quia nos adsciti sumus in communionem sanctorum Judæorum, v.17.&18. Quinta causa: quia fidem qua stamus in gratia Dei, non sumus adepti, neque adeptam retinemus nostris vel meritis vel viribus, sed ex mera Dei benignitate: ita ut per nos non stet, quò minùs fide excidamus: v.20.21.& 22. Sexta causa: quia Deus Judæos rursum potest inserere in oleam populi Dei, unde per infidelitatem defracti & excisi sunt: & verò etiam id facere decrevit suo tempore, v.23.& deinceps.

Fides.

8 Ex v.29. *Dona & vocatio Dei &c.* Sicut Deum non pœnitet decreti quo electos suos decrevit efficaciter vocare ac fide donare suo tempore: ita nec pœnitet eum vocationis jam factæ & fidei donatæ: ac proinde fidem illis semel donatam perpetuò conservat: licet illam interdum tentationibus obrui ac velut sepeliri patiatur, quò minùs vim suam evidenter exserat.

Vindicatio verborum Pauli, Ut omnium misereretur.

9 Ex v.32. *Ut omnium misereretur.* Cavendum, ne his Pauli verbis contra ipsius mentem abutamur ad stabiliendum falsum dogma de gratia Dei universali: quasi nimirum Deus velit misereri singulorum hominum, illosque suâ gratiâ salvificâ complecti. Quod dogma toti huic disputationi Pauli de vocatione Gentium & rejectione Judæorum ex diametro adversatur. Quæ autem sit mens istorum verborum, expositum est in Analysi & Scholiis: ac præterea dogma illud refutatum suprà cap.9.observatione ex vers.14.

Prædestinatio. Officium hominis Christiani.

10 Ex v.33.& deinceps usque ad finem: *O profundas divitias, &c.* Quoties ratio nostra offenditur doctrinâ prædestinationis in sacris literis tam expressè traditâ: exemplo Apostoli demus gloriam Deo, & cum humillima reverentia admiremur, tum *sapientiam illam Dei profundam*, ad quam nos acie ingenii nostri nequaquam possumus penetrare: *tum justitiam judiciorum illius inscrutabilem atq; impervestigabilem:* certoque nobis persuadeamus, Deum reprobis non facere injuriam, quòd illos non æquè ac electos, ad salutem prædestinavit, condidit, vocavit, justificavit & sanctificavit: quia Deus nemini obstrictus est: *quum nemo illi prior dederit:* item quia reprobi *sunt ex Deo*, (ut hîc loquitur Apostolus) id est, sunt creaturæ Dei: in quas utique ille liberrimam habet potestatem: denique quia reprobi non minùs quàm electi, *sunt in Deum*, id est, conditi ad gloriam Dei. Quare gloriam Deo in toto hoc negotio unà cum Apostolo tribuamus.

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Hactenus de justificatione & sanctificatione & prædestinatione: sequitur de bonis operibus *usq; ad v.14.c.15. Hortatur autem Apostolus ad bonorum operum studium, & varia vitæ Christianæ præcepta tradit. Atque hoc quidem capite duobus generalibus præceptis præmissis, v.1.& 2. deinceps dehortatur ab arrogantia donorum spiritualium: eaq; occasione admonet, quomodo in fungendis officiis ecclesiasticis Christiani se gerere debeant, à v.3. usque ad 9. Inde ad varias virtutes & officia Christiana ad quotidianum convictum pertinentia exhortatur, usque ad fin. cap. Ita tres sunt præcipuæ capitis partes.*

ADhortor igitur vos, fratres, per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, acceptam Deo, rationalem illum cultum vestrum.

HOrtatur ad serium studium pietatis, illiusque studii expositionem exornat metaphorâ à victimis olim offerri Deo solitis: ipsam verò hortationem confirmat à fine, qui est ut placeamus Deo: quòd ipsum argumentum confirmat à causa efficiente impulsiva, quæ est beneficentia Dei erga nos indignos, quasi dicat: Deus nobis indignis benefecit, ex mera misericordia eligendo nos ad vitam æternam, vocando nos per prædicationem Evangelii, justificando nos fide, sanctificando nos suo spiritu: Ergo æquum est ut studeamus illi placere. Ut autem ei placeamus, studere nos oportet pietati, & ipsius cultui totos velut consecrare. Hanc exhortationem connectit cum præcedenti doctrina per πόρισμα seu corollarium, argumentando (ut dixi) à causa ad effectum.

2 Et ne configuremini sæculo isti, sed transformemini per renovationem mentis vestræ; ad hoc ut probetis quæ sit voluntas Dei, bona illa, accepta ac perfecta.

Hoc versu dehortatur ab imitandis moribus & venando favore filiorum hujus sæculi seu hominum mundanorum: & contrà hortatur ad serium studium placendi Deo; ejusq; studii causam procreantem exponit, videl. mentis transformationem seu renovationem, cujus author & effector est Spiritus sanctus.

DE SECUNDA PARTE.

3 Enimverò per gratiam quæ mihi data est, edîco cuivis versanti inter vos, ne sapiat suprà quàm oportet sapere: sed sapiat ad sobrietatem, prout cuique Deus partitus est mensuram fidei.

4 Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, membra verò non eandem omnia habent actionem:

5 Ita nos multi, unum corpus sumus in Christo: singulatim autem, alii aliorum membra.

6 Habentes autem diversa dona, pro gratia quæ nobis data est; sive prophetiam, *prophetemus* pro proportione fidei:

7 Sive ministerium, *versemur* in ministrando: tum is qui docet, in docendo:

8 Tum qui exhortatur, in exhortatione: qui distribuit, cum simplicitate: qui præest, cum studio: qui miseretur, cum hilaritate.

Hactenus exhortationes generales duæ: altera, ut studeamus placere Deo: altera, ne studeamus placere filiis hujus sæculi. Sequitur secunda pars capitis, videlicet exhortatio specialis, ne quis sibi arroget dona spiritualia, sed contrà modestè de se sentiat, & suis donis rectè utatur. Hanc exhortationem confirmat expositione effecti destinati, videlicet diversitatis donorum in diversis fidelibus: quam diversitatem Deus non ideo instituit, ut is qui præstantiora dona accepit, reliquos contemnat: nec ut is qui accepit minora, reliquis invideat: sed ut unusquisque suis donis contentus, iis utatur ad proximi adeoque totius Ecclesiæ utilitatem. Hanc autem expositionem illustrat similitudine à forma & constitutione corporis humani: in quo singula membra suam habent functionem, ad totius corporis incolumitatem: v.4.& 5. Deinde argumenti expositionem, & simul ipsam exhortationem, illustrat distributione seu enumeratione specierum, v.6.7. & 8. Ubi primùm proponit duo genera spiritualium donorum & officiorum ecclesiasticorum, prophetiam & ministerium: prophetiæ nomine intelligens facultatem interpretandi scripturas. deinde utriusque illius generis species exponit: prophetas quidem distinguens in doctores & eos qui exhortantur, id est, pastores: ministros verò in eos qui distribuunt, id est, diaconos, & eos qui præsunt, id est, seniores seu presbyteros seu gubernatores, & eos qui miserentur, id est, pauperum & maximè ægrotorum curatores: quale tunc erat viduarum collegium, ut videre est 1.Tim.5.9.

DE TERTIA PARTE.

9 Dilectio *esto* minimè simulata.

Sequitur tertia pars capitis, ubi hortatur Apostolus ad varias virtutes Christianas, quarum in quotidiano convictu atque conversatione usus est. Primò autem omnium hortatur ad dilectionem seu charitatem, tanquam fontem cæterorum officiorum quæ quisque Christianus proximo suo debet. nam dilectio est completio Legis, ut ait infr.13.10. Præcipit autem ut dilectio expers sit simulationis, hoc est, ut sit sincera: ut scilicet diligamus non linguâ & ore, sed corde & opere ac veritate, ut Johannes præcipit 1.Joh.3.18.

Estote abhorrentes à malo, agglutinati bono.

Secundum præceptum, quo præcipit odium mali seu malitiæ atque nequitiæ: & contrà studium boni seu pietatis & benignitatis. Confer 1.Cor.13.5.

10 Fraternâ charitate alii ad alios amandos propensi.

Tertium præceptum, vel potiùs primi declaratio, ut charitas Christianorum inter ipsos sit fraterna, ut se mutuò ament instar fratrum. Hujus amoris exemplum illustre exstat in hac epist. supr.c.9. in Apostolo Paulo: qui optavit pro fratribus suis, id est, Judæis, anathema esse.

Honore alii aliis præeuntes.

Quartum præceptum, ut alii alios honorent, eoque studio inter se certent. Sunt autem honorandi fratres propter dona Dei, quibus Deus eos dignatus est. Atque hac re benevolentia & concordia inprimis alitur.

11 Studio minimè pigri: Spiritu ferventes: Domino servientes.

Quintum præceptum, Ne pigrescamus in studio pietatis, sed ardenti studio seu fervente spiritu Domino serviamus. Hujus præcepti exempla illustria sunt in Christo & Elia: quorum ille cùm repurgaret templum, venit discipulis in mentem illud

Psal. 69.10. *Zelus domus tuæ comêdit me*, Joh. 2.17. alter verò dicit, *Zelando zelavi pro Domino &c.* 1. Reg. 19.10.

12 Spe gaudentes: in afflictione tolerantes: in precatione perdurantes.

Sextum præceptum, quomodo nos gerere debeamus in cruce seu afflictionibus: videl. illas spe vitæ æternæ nobis tolerandas, & indefessis precibus opem Dei implorandam esse.

13 Usibus sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes.

Septimum præceptum, quomodo nos gerere debeamus erga pios egenos, nempe ut eorum egestatem atque inopiam beneficentiâ nostrâ & communicatione officiorum ac facultatum sublevemus, ac nominatim ut peregrinos atque exules hospitio excipiamus atque recreemus. Hoc ipsum præceptum exstat etiam Heb. 13. v. 2. ratione confirmatum: *Hospitalitatis ne sitis immemores: per hanc enim quidam inscii exceperunt angelos hospitio.* Ubi intelligit Apostolus Abrahamum & Lotum: quorum historia exstat Gen. 18. & 19.

14 Benedicite iis qui vos insectantur; benedicite, inquam, & ne imprecamini.

Octavum præceptum: quomodo nos gerere debeamus erga maledicos, nempe quòd debeamus eis benedicere, hoc est, bona à Deo precari, non autem mala imprecari. Hoc præceptum tradit & Petrus 1. Pet. 3.9. *Non reddentes malum pro malo, aut convicium pro convicio, sed contrà benedicentes; ut qui sciatis, vos ad hoc vocatos esse ut benedictionis hæreditatem possideatis.* Idem Apostolus in eâdem epist. c. 1. v. 23. proponit nobis exemplum Christi, *qui conviciis affectus, non vicissim conviciabatur: quum malis afficeretur, non minabatur: sed committebat vindictam ei qui justè judicat.* Quin in eâdem epist. c. 4. v. 14. beatos prædicat eos qui probris afficiuntur propter Christum: *Si probris afficimini*, inquit, *propter Christum, beati estis: quoniam & gloriæ & Dei spiritus super vos requiescit.* Quod ipsum Christus ipse antea docuerat Matth. 5. v. 11. *Beati eritis quum conviciati fuerint vobis, & persecuti fuerint, & dixerint quidvis mali adversus vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra multa est in cælis. Ita enim persecuti fuerunt Prophetas qui fuerunt ante vos.*

15 Gaudete cum gaudentibus, & flete cũ flentibus.

Nonum præceptum, quomodo nos gerere debeamus erga proximum in utroque rerum statu, prospero scilicet & adverso: ubi Apostolus à nobis requirit συμπάθειαν, hoc est, ut rebus proximi afficiamur ita, ut rebus ejus lætis & secundis lætemur, & contrà tristibus seu adversis contristemur. Sic Christus interfuit nuptiis in Cana Galilææ, gavisus cum gaudentibus: sic idem amarè flevit ob mortem Lazari, flens cum flentibus, sororibus scilicet defuncti.

16 Eodem animo inter vos mutuò affecti.

Decimum præceptum, ut studeamus concordiæ.

Non alta affectantes, sed ad humilia vos demittentes, Ne estote prudentes apud vosmetipsos.

Undecimum præceptum: ut studeamus modestiæ, fugiamus superbiam & arrogantiam. Hoc præceptum agit de causa concordiæ conservante & corrumpente. Concordia enim ut alitur modestiâ & humilitate, sic violatur & læditur superbiâ atque arrogantiâ.

17 Nemini malum pro malo vicissim reddentes.

Duodecimum præceptum, quomodo nos gerere debeamus erga eos qui nos injuriâ affecerunt, nempe ne injuriam referamus. Hoc præceptum continet in se octavum ante propositum v. 14. tanquam genus speciem.

Procurantes honesta coram omnibus hominibus.

Decimumtertium præceptum; ut studeamus honestè vivere, ut nimirum honestate nostræ vitæ malos emendemus, & malevolis maledicendi occasionem præcidamus. Sic & Petrus 1. Pet. 3. v. 15. & 16. *Estote semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus spei quæ in vobis est, cum lenitate & reverentiâ: conscientiam bonam habentes, ut pro eo quod loquuntur adversum vos tanquam maleficos, pudefiant qui incessunt vestram bonam in Christo conversationem &c.* Et ibid. v. 1. & 2. *Similiter uxores subjectæ sint suis viris, ut etiam si qui non obediunt sermoni, per uxorum conversationem absque sermone lucrifiant: ubi spectarint cum reverentia conjunctam castam conversationem vestram.*

18 Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viventes.

Decimumquartum præceptum; ut studeamus paci, fugiamus contentiones & rixas. Hoc præceptum à superiore decimo diversum videtur. nam illic hortatur ad concordiam mutuam inter ipsos Christianos: hîc verò ad studium pacis colendum cum quibusvis, etiam cum iis cum quibus concordes non sumus, h. e. cum quibus non idem sentimus de religione & ratione salutis nostræ, denique de doctrina Christiana. Itaque addit, *Si fieri potest*; quibus verbis innuit, interdum fieri non posse ut in pace cum proximo vivamus. quod nimirum fit, quum ille nobis consciis ac testibus aliquid agit contra gloriam Dei aut salutem proximi: quod quum quis facit, reprehendendus est, nullâ habitâ ratione contentionis inde nasciturae. Eodem pertinent & illa verba, *Quantum in vobis est.*

19 Non ipsi vosmet ulciscentes, dilecti: sed date locum iræ. scriptum est enim, Mihi *est* ultio: ego rependam, dicit Dominus.

Decimumquintum præceptum, quod idem est cum duodecimo: sed ratione adjectâ confirmatum: quæ ratio sumta est à causa impulsiva, quòd ultio solius Dei sit.

20 Itaque si esurit inimicus tuus, ciba eum: si sitit, da ei potum. hoc enim si feceris, carbones ignitos coacervabis in caput ejus.

Decimumsextum præceptum, quo præcipitur virtus superiori vitio contraria, videlicet benefaciendum esse inimico: id quod expositione duarum specierum illustrat: & rationem adjicit petitam è verbis Salomonis Prov. 25. 22. quæ propter allegoriæ obscuritatem ab aliis aliter exponuntur. Sunt qui per carbones ignis intelligant iram Dei, quæ eò ardentior alicujus capiti immineat, quò major ejus est perversitas. Sed hæc expositio non videtur quadrare proposito Apostoli: Vult enim rationem exponere, cur debeamus benefacere inimico: sic autem præciperet ut quæreremus inimici nostri exitium, aut certè pœnam qualemcunque: quod cum ipsa Apostoli exhortatione pugnat. Quare magis placet expositio eorum qui per coacervationem carbonum ignis in caput inimici, intelligunt commotionem animi ejus & conscientiæ, ut eum suæ malitiæ tandem pudeat, utque nos odisse nobisque malefacere desinat.

21 Ne vincitor à malo, sed vince bono malum.

Repetit decimumsextum præceptum, unà cum sua ratione. Sententia est, Certato beneficiis cum injuriis ab inimico illatis: ita enim fiet, ut si illum viceris beneficiis, simul vincas ejus malitiam, ut is odium erga te deponat, aut certè nonnihil remittat.

SCHOLIA IN CAP. XII.

1 Igitur] οὖν. *Hac conjunctione monemur, sequentem exhortationem ex præcedente doctrina deduci atque inferri: sicut in Analysi est declaratum.* Fratres] *Renovat* προσφώνησιν *amicam, benevolentiæ alendæ causâ.* Per miserationes Dei] *Id est, Quàm chara vobis sunt miserationes Dei: vel, Quàm verè Deus maxima in vos indignos contulit beneficia.* οἰκτιρμοὺς, *id est, miserationes, vocat more Hebræorum opera seu facta misericordiæ Dei. Hebræum* רַחֲמִים *rahhamim, propriè viscera significat, ut 1. Reg. 3. vers. antepen.* Æstuabant viscera ejus erga filium suum. *Hinc apud Evangelistas verbum* σπλαγχνίζεσθαι, *misereri cum commotione viscerum. Item illud in cantico Zachariæ,* σπλάγχνα ἐλέους, *viscera misericordiæ, Luc. 1. 78.* Vivam] ζῶσαν. *Non cæsam aut jugulatam, sed vivam manentem. Videtur autem simul innuere vivificationem Spiritus sancti.* Acceptam] εὐάρεστον. *quasi dicas, beneplacitam seu beneplacentem,* wolgefellig. *Hic latet argumentum à fine.* Rationalem] λογικήν. *id est, spiritualem seu internum: non cærimonialem, ut olim. Talis antithesis est in verbis Christi ad Samaritidem* Johan. 4. 21. & 23. *Nisi malimus opponere pecudibus quæ ex numero τῶν ἀλόγων sunt.*

2 Ne configuremini sæculo isti] *Id est, Ne accommodetis vos ad mores filiorum hujus sæculi seu hominum mundanorum.* Transformemini] μεταμορφοῦσθε. *Id est, orate Deum ut mentes vestras spiritu suo transformet ac renovet. O optatissimam μεταμόρφωσιν!* Ad hoc ut probetis quæ sit voluntas Dei] *Id est, ut studeatis placere Deo, faciendo voluntatem ejus. Metonymia effecti destinati.* Quæ sit voluntas Dei] *Id est, Quid velit Deus vos facere, quæ opera Deo placeant. Hoc autem docet Lex Dei: in qua qui meditatur dies & noctes, beatus prædicatur Psal. 1.* Bona illa] τὸ ἀγαθόν. *Hæc sunt epitheta voluntatis Dei.*

3 Per gratiam quæ mihi data est] *Id est, pro authoritate muneris Apostolici quod mihi à Domino ex gratia concreditum est. Metonymia efficientis.* Edico] λέγω. *Synecdoche generis.* Cuivis] παντί. *q. d. Etiam illi qui sibi maximus & donis spiritualibus præ aliis ornatus videtur.* Versanti] ὄντι. *quasi dicat, enti.* Inter vos] ἐν ὑμῖν. *id est, Cuivis qui se vobis aggregavit, & se fratrem nominat.* Ne sapiat suprà quàm oportet sapere] μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν. *In Græco est pleonasmus. Satis enim fuisset dicere,* μὴ φρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν. *Nisi malimus, esse ellipsin ad hunc modum:* μὴ ὑπερφρονεῖν, τουτέστι, μὴ φρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν. *Qualis ellipsis fuit supr. 4. 4.* ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα. *pro,* ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται, τουτέστιν, οὐ δίδοται κατὰ χάριν *&c. Sententia Apostoli est, Ne quis affectet majora viribus, ne sibi videatur major quàm est, denique ne sit arrogans.* Sed sapiat ad sobrietatem] ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. *Rursum suavissima paronomasia. Id est, sobriè ac modestè de se sentiat.* Partitus est] ἐμέρισε. *id est, distribuit.* Mensuram fidei] *Id est, certam quantitatem cognitionis Dei, & cum ea conjunctorum donorum spiritualium. Synecd. membri. Solebant enim tunc unà cum fide dona quædam Spiritus sancti peculiaria accipere: ut donum loquendi variis linguis, mira-*

culo-

culosè sanandi ægrotos, interpretandi scripturas &c. ut videre est Act.10.v.44.45.46.item cap.19.v.2.& 6. item 1.Cor.12.& 13. & 14.per totum. quanquam hic non tam de temporariis illis donis loqui videtur, quàm de perpetuis. Similis locus est Eph.4.7.

4 Quemadmodum] *Protasis similitudinis: quam etiam proponit & copiosius exponit 1.Cor.12.v.12.& deinceps.*

5 Nos multi] οἱ πολλοὶ. *Pronomen* Nos *notat articulus. Sic 1. Corinth.10.17.* ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν. Unum corpus nos multi sumus. Sumus unum corpus] *Id est, sumus quasi unum corpus, sumus similes uni corpori. Metaphora.* In Christo] *Id est, sub Christo tanquam capite. Christus enim est caput corporis sui, id est, Ecclesiæ: Eph.5.23.* Singulatim autem] *Vel, singuli autem;* ὁ δὲ καθ' εἷς. *Unusquisque per se seu seorsim consideratus. Videtur esse elliptica loquutio, pro,* ὁ δὲ εἷς ἕκαστος καθ' ἑαυτόν. Alii aliorum membra] *Id est, membra ejusdem corporis inter se connexa & cohærentia: cujus connexionis vinculum est spiritus Christi, Ephes.4.3.*

6 Dona] χαρίσματα. *Intelligit dona illa Spiritus sancti quibus ille ornat credentes.* Diversa] διάφορα, *ut intelligetur è sequenti enumeratione.* Pro gratia quæ nobis data est] κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν. *Id est, pro munere seu officio ecclesiastico quod cuique nostrûm commissum est à Deo ex gratia. Metonymia efficientis, ut suprà 3.* Prophetiam] *Id est, donum seu facultatem interpretandi scripturas: sicut hoc verbum exponit Apostolus in simili disputatione 1.Cor.12. v,29.30.31.* Pro proportione fidei] κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως. *Quasi dicat, pro mensura cognitionis nostræ qua Deum & res divinas cognovimus è Scriptura. Vulgò accipiunt in hunc sensum:* Secundum analogiam fidei, *id est, ita ut interpretatio Scripturæ quam afferimus, sit analoga articulis fidei: hoc est, conveniens illis atque consentiens: non autem repugnans. Sed altera expositio videtur genuina, ex collatione tum præcedentis versiculi tertii; tum proximè sequentium 7.& 8. ubi administrationi certorum munerum sive officiorum Ecclesiasticorum subjiciuntur qualitates atq; animi affectiones ipsius administrantis. Atque in hunc sensum Syrus quoque vertit,* Juxta mensuram fidei suæ: *eodem vocabulo hic reddens nomen* ἀναλογίαν, *quo paulò ante v.3. nomen* μέτρον.

7 Is qui docet] ὁ διδάσκων. *Prima species prophetiæ, munus docendi, id est, simpliciter exponendi sensum Scripturæ sine accommodatione ad specialem usum auditorum.*

8 Qui exhortatur] ὁ παρακαλῶν. *Altera species prophetarum, videlicet eorum qui scripturam accommodant ad usus auditorum: qui aliàs dicuntur pastores, sicut alteri nominantur doctores, 1.Cor.12.28. Ephes.4.11.* In exhortatione] *Scilicet versetur.* Qui distribuit] ὁ μεταδιδούς. *Sequitur* ὑποδιαίρεσις τῆς διακονίας, *in tria genera.* Cum simplicitate] ἐν ἁπλότητι. *Scilicet distribuat,* μεταδιδότω. *Sic in duobus sequentibus membris,* προϊστάσθω, ἐλεείτω, *id est, præsit, misereatur. Cæterùm præpositio* ἐν *in his tribus incisis per Hebraismum ponitur pro* μετά.

9 Abhorrentes à malo] *Confer simile præceptum 1.Cor.13. v.5.& 6.*

11 Studio] τῇ σπουδῇ. *nempe studio pietatis. Synecdoch.gen.*

19 Iræ] τῇ ὀργῇ. *nempe Dei,* τῷ Θεῷ. *hoc est, vindictæ. Metonymia efficientis metaphorica.* Mihi est ultio] ἐμοὶ ἐκδίκησις. *id est, Ad me pertinet ultio.*

20 Carbones ignitos] ἄνθρακας πυρός. *Ad verb. Carbones ignis: Hebraismus, & genitivus adjuncti.* Carbones ignitos coacervabis] *Placet mihi expositio eorum, qui per coacervationem carbonum ignitorum in caput inimici, intelligunt commotionem animi ejus, & confusionem conscientiæ: ut eum suæ malitiæ tandem pudeat, utiq; nos odisse nobisq; malefacere desinat. Gratia enim, ut apud Sophoclem est, gratiam parere solet:* χάρις γὰρ χάριν ἐστὶ τίκτουσ' ἀεί, *inquit Tecmessa. Et nostrati proverbio dicitur,* **Ein gut wort findt ein gute stat.** *quasi dicas, Bonum verbum reperit bonum locum. Quantò magis factum? Et hanc expositionem confirmant verba sequentia vers. ult. Hieronymus lib.1. cont.Pelagianos, hunc locum sic explicat:* Carbones ignis congregabis super caput ejus: non in maledictum aut condemnationem, ut plerique existimant: sed in correctionem, resurrectionem & plenitudinem: ut superatus beneficiis, odii igne excocto frigore charitatis, inimicus esse desinat. *Equidem expositionem hanc Hieronymi probo quod ad sententiam attinet: sed non placet quod dicit, Odii ignem excoqui frigore charitatis. Nam non excoquitur ignis, sed igne aliud: nec excoquitur quippiam frigore, sed calore: nec denique charitati frigus convenit, sed calor. Augustinus de Doct. Christ.lib.3.c.16.ait, carbones ignis (hoc loco) esse urentes pœnitentiæ gemitus: quibus superbia sanatur ejus qui dolet, se inimicum fuisse hominis à quo ejus miseria subvenitur.*

OBSERVAT. EX CAP. XII.

1 Ex v.1. *Adhortor igitur &c.* Officium credentium sive Christianorum est, ut sese totos Deo consecrent, & in omni vita cunctisque suis actionibus illi placere studeant, ac proinde ex ipsius præscripto eum colant; idque grati animi testandi causâ pro tot ac tantis quæ ab ipso acceperunt, beneficiis: ut quòd gratis ab eo sunt prædestinati atque electi ad vitam æternam, quòd sunt efficaciter ab eo vocati ac fide donati, quòd fide justificati, quòd per Spiritum sanctum renovati ac donati studio atque etiam facultate quadam sanctè vivendi. *Officium hominis Christiani.*

2 Ex v.2. *Et ne configuremini sæculo isti.* Cavendum est Christianis ne sese conforment moribus filiorum hujus sæculi: ac proinde ne patiantur sese decipi impio isto proverbio quod dicitur, *Cum lupis ululandum esse.* *Officium hominis Christiani.*

3 Ex v.3.& deinceps usque ad 9. *Prout cuiq; Deus partitus est mensuram fidei.* Quum Deo placuerit fidem & cætera dona spiritualia inæqualiter nobis admetiri, seu inæquali mensurâ in nos conferre: officii nostri est ut suis quisque donis contenti, illis quos majora accepisse videmus, non invideamus: nec illos quibus data videmus minora, contemnamus: sed potiùs ut donis nostris utamur ad proximi, atque adeò totius Ecclesiæ, utilitatem. *Dona spiritualia.*

4 Ex v.6.7.& 8. *Sive prophetiam &c.* Notandi sunt hîc gradus officiorum in ministerio Ecclesiastico: de quibus dictum in Analysi. *Ministerium ecclesiasticum.*

5 Ex v.18. *Si fieri potest &c.* Quoties gloria Dei & ædificatio ecclesiæ postulat, cum falsis doctoribus decertandum est. Non ergo est quod quisquam offendatur studiis eorum qui hodie scriptis publicis cum falsis doctoribus contendunt: dummodo id faciant ad vindicandam gloriam Dei, & ædificationem Ecclesiæ, idque absque conviciis. *Falsi doctores.*

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

Superiore cap. Apostolus docuit, quomodo Christiani se gerere debeant in quotidiana conversatione inter ipsos: nunc docet quomodo se gerere debeant erga magistratus. Itaq; præcedens caput fuit ἠθικόν, *hoc autem est* πολιτικόν: *quanquam in hoc quoq; capite ad* ἠθικὴν *præceptionem redit. Sunt enim duæ principales hujus capitis partes. In priore hortatur Apostolus ad obedientiam debitam magistratibus præstandam: in posteriore verò hortatur ad exercendam charitatem, item sobrietatem & castitatem. Posterior pars incipit v.8.*

OMnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto. non enim est potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ.

2 Itaque quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, pœnam sibi auferent.

3 Nam magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non terreri potestate? Quod bonum est facito, & laudem ab ipsa obtinebis.

4 Dei enim minister est tuo bono. Quòd si feceris quod malum est, metue: non enim frustra gladium gestat. nam Dei minister est, ultor ad iram ei qui quod malum est, fecerit.

5 Quapropter necesse est subjici, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.

6 Propter hoc enim etiam tributa solvitis: siquidem ministri Dei sunt, in hoc ipsum incumbentes.

7 Reddite igitur omnibus quod debetis: cui tributum *debetur*, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timor, timorem: cui honor, honorem.

Ad obedientiam erga magistratus hortatur tribus potissimùm argumentis: quorum primum sumtum est à causa procreante, Quia magistratus ordinati atque instituti sint à Deo: unde intelligitur, Deum velle ut magistratibus obediatur: v.1. & 2. Alterum argumentum sumtum est ab effectu pernicioso, Quia qui magistratui resistunt, eos maneat pœna: v.2.3.& 4. Tertium argumentum sumtum est ab effectu utili: Quia qui magistratui obediunt, ab illo laudem obtineant, perque illum defendantur: v.3.& 4. Porrò v.5. hanc exhortationem concludit: versu autem sexto rationem annectit ad superiora argumenta confirmandum: quæ ratio sumta est à testimonio, nimirum à tacita ipsorum confessione & judicio; quod ex factis ipsorum ostendit, videl. solutione tributi. Denique v.7. conclusionem illustrat enumeratione quatuor partium.

DE SECUNDA PARTE.

8 Nemini quicquam debete, nisi *hoc* ut alii alios diligatis. nam qui diligit alterum, Legem implevit.

9 Siquidem illud, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod aliud *est* mandatum, in hoc sermone summatim comprehenditur, nempe, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

10 Charitas proximum non afficit malo. Itaq; charitas est impletio Legis.

11 Idque, perspectâ opportunitate, quòd *videlicet* tempestivum jam *sit* nos à somno expergisci. Nunc enim propiùs *est* nostra salus quàm quum credidimus.

12 Nox processit, dies autem propinquat. Abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur habitu qui luci conveniat.

13 Ut interdiu, compositè ambulemus: non *in* comessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac protervis, non lite & invidiâ.

14 Sed induimini Domino JESU CHRISTO; & carnis curam ne habete ad *explendas* cupiditates.

Ad alteram capitis partem transit occasione conclusionis præcedentis. Quum enim in ea hortatus esset, ut singulis magistratibus sua reddamus debita; nunc similem exhortationem annectit, ut scilicet privatis quoque sua debita reddamus: Cujus sententiæ occasione admonet, esse quoddam debiti genus quod nunquam dissolvere possimus, quin illud perpetuâ quadam obligatione debeamus, videlicet charitatem mutuam ac fraternam: ac proinde ad charitatem hanc hortatur argumento ducto ab effectu utili: quia studium charitatis hujus utile sit ad implendum Legem: quippe quum præcepto charitatis, reliqua Legis (nempe secundæ tabulæ) mandata comprehendantur: quod enumeratione partium declarat vers. 9. Tum v.10. hanc argumenti declarationem & confirmationem concludit. Postea vers.11. novum argumentum affert, quo ad charitatis & justitiæ studium hortatur: quod sumtum est à causa impulsiva, videlicet ratione temporis: quia nunc donati sint verâ cognitione Dei qua olim caruerint. Quod argumentum illustrat similitudine lucis & tenebrarum, sive diei & noctis, v.12. Postremò v.13.&14. argumenti hujus conclusionem adhibet ad alias quoque virtutes Christianas, ut sobrietatem & castitatem & concordiam.

10 *Charitas proximi*] Superiore versu fuit sententia propositionis syllogismi: hîc sequitur assumtio & conclusio. Syllogismus ita formari potest:

Qui non mœchatur, non occidit, non furatur, non dicit falsum testimonium contra proximum, non concupiscit res proximi, id est, qui proximum non afficit malo, is Legem implevit, hoc est, omnia ea præstitit quæ in secunda Legis tabula præcipiuntur, v.9.

At qui diligit proximum, is proximum non afficit malo, v.10.

Ergo qui diligit proximum, is Legem implevit, v.eod.

Nota: Syllogismus hic videtur constare ex assumtione negante in prima figura. Sed assumtio licet per se considerata, negans sit: tamen collata cum propositione, affirmandi vim habet: Affirmat enim antecedens propositionis. quasi diceretur, Qui diligit proximum, is ita comparatus est, ut proximum non afficiat malo.

SCHOLIA IN CAP. XIII.

1 Potestatibus] ἐξουσίαις. *Id est, magistratibus, qui potestatem in subditos habent. Metonymia adjuncti. Sed Latini quoque sic loquuntur: ut Plin.lib.29.c.4.* Mites præstare dominos, potestatesque exorabiles. *Numero autem plurali notat Apostolus omnis generis magistratus. Confer locum similem 1.Pet.2.13.* Subjecta esto] ὑποτασσέσθω. *quasi dicas, subordinata esto. id est, suo loco & ordine subjecta esto.* Et quæ sunt potestates] αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι. *Eandem sententiam repetit aliis verbis.*

2 Quisquis se opponit] ὁ ἀντιτασσόμενος. *Id est, Qui recusat obedire: nempe quatenus magistratus non præcipit pugnantia cum mandatis Dei. In hoc enim casu tenendum est illud Apostolicum apophthegma in Actis,* Oportet obedire potiùs DEO quàm hominibus, *Act.5.29. Sic Christus:* Date, *inquit,* Cæsari quod Cæsaris est: & Deo quod Dei est, *Matth.22.21.* Pœnam] κρίμα. *Sic malo quàm* Condemnationem. *Puto enim hoc intelligendum de pœna quam infert magistratus: sicut verba mox sequentia declarant. Et sic verbum* κρίνεσθαι *accipitur pro* puniri, *1.Cor.11.31.& 32. Judicium autem pro pœna accipitur per metonymiam efficientis, vel effecti destinati.*

3 Bonis operibus] *Id est, iis qui bona opera faciunt, quos Petrus* ἀγαθοποιοὺς *vocat, 1.Pet.2.14. hoc est, qui honestè & justè vivunt. Metonymia effecti.* Malis] *Scilicet operibus. id est, maleficis,* τοῖς κακοποιοῖς: *ut eos Petrus nominat loco citato.* Vis autem] *Id est, cupis autem. Elegans sermocinatio: quam rhetores* ἀνακοίνωσιν *vocant, quum quasi deliberamus cum auditore.* Quod bonum est, facito] τὸ ἀγαθὸν ποίει. *Subjectio ad præcedentem quæstionem, cujus hic erat sensus: Cupis autem scire quomodo te gerere debeas, ut potestas tibi non sit terrori? Audi igitur quid tibi præcipiam, nempe, Fac bonum, id est, honestè justeque vivito. nam juris summa præcepta hæc sunt, ut ait Justinianus:* Honestè vivere: alterum non lædere: suum cuique tribuere. *quorum duo posteriora ad justitiam pertinent.* Laudem] ἔπαινον. *Id est, defensionem seu tutelam: opponitur enim ultioni, de qua v.seq. Metaphora καταχρηστική. Similiter apud Petrum ista duo opponuntur 1.Pet.2.14.*

4 Tuo bono] σοὶ εἰς τὸ ἀγαθόν. *Ad verb. Tibi ad bonum. Sic nos Germani dicimus,* Dir zum guten/ *vel,* dir zum besten. *nempe ut te defendat ac tueatur contra injurias maleficorum.* Metue] *Scilicet pœnam.* Non enim frustra] οὐ γὰρ εἰκῇ. *Videtur positum,* εἰκῇ, *id est, temere, pro* μάτην, *id est, frustra. Quorum illud propriè idem valet quod* Sine ratione, *& ad modum agendi referri solet: hoc autem valet idem quod* Sine causa, *& refertur ad finem agenti propositum. Heterosis. Si adverbium* εἰκῇ *accipiamus propriè: tum hic erit sensus: Magistratus non gestat gladium temere, id est, sine ratione, hoc est, ut eo utatur promiscuè & absque discrimine erga quosvis. Verùm Apostolum de fine, id est, causa finali loqui, satis declarant verba sequentia. Ideo Lutherus rectè vertit,* umb sonst/ *id est, frustrà. Similiter Syrus vertit* סְרִיקָאִית *serikaith, quasi dicas, inaniter. Videtur autem (ut hoc obiter disputem) adverbium* εἰκῇ *deductum esse à verbo* εἴκω, *id est, cedo: ut dicatur is agere aliquid* εἰκῇ, *qui in agendo cedit animi sui affectibus, iisque vincitur: adeò ut rationem in consilium non adhibeat. Quomodo Græci dicunt,* εἴκειν θυμῷ, *cedere iræ, pro* νικᾶσθαι ὑπὸ θυμοῦ, *vinci ab ira,* Sich den zorn überwinden laassen. *Ira autem pessimus consiliarius est.* Gladium gestat] τὴν μάχαιραν φορεῖ. *Syrus significanter, Accinctus est gladio.* Ultor] ἔκδικος. *Magistratus ulciscitur injurias alteri illatas, tanquam minister Dei. Deus autem ulciscitur illas, ut agens principale: de quo suprà 12.19.* Mihi est ultio &c. Ad iram] εἰς ὀργήν. *id est, pœnam quam Deus peccatis iratus infert. Metonymia efficientis: ut supr.3.5.*

5 Subjici] ὑποτάσσεσθαι. *Id est, obedire magistratibus.* Non solùm propter iram] διὰ τὴν ὀργήν. *id est, metu pœnæ. hoc primo repetit, quia postremò exposuerat.* Sed etiam propter conscientiam] διὰ τὴν συνείδησιν. *Id est, metu Dei: ne Deum offendas: sed ut bonam conscientiam retineas coram Deo, qui magistratum tibi præfecit.*

6 Tributa solvitis] *Nempe ut magistratus ad munus suum exsequendum opibus instructi sint.* Tributa] φόρους. παρὰ τὸ φέρειν, *seu* εἰσφέρειν, *ut loquitur Demosthenes, id est, à contribuendo. Germanicè* schatzung *vel* steür. *Quum quisque subditorum certam portionem infert in fiscum, & contribuit.* Ministri Dei] *Nempe ministrantes Deo in tuendis bonis & puniendis malis.* In hoc ipsum] *Scil. ut ministrent Deo iis modis qui dicti sunt.*

7 Quod debetis] τὰς ὀφειλάς. *Debita.* Cui tributum *debetur*] τῷ τὸν φόρον. *scil.* ὀφειλομένῳ. *Simili syntaxi dicunt Græci,* πιστεύομαι τοῦτο, *Creditur seu concreditur mihi hoc: id est, fidei meæ committitur. qua phrasi Apostolus semel atque iterum utitur.*

8 Nemini] *Quasi dicas, Non solùm magistratui, sed etiam privato.* Nemini quicquam debete] *Id est, omnibus reddite quod debetis: ut dixit superiore vers.* Legem] νόμον. *Id est, alteram Legis seu Decalogi partem. Synecd. integri.* Implevit] πεπλήρωκε. *id est, præstitit illius mandata.*

9 Summatim comprehenditur] ἀνακεφαλαιοῦται. *quasi dicas, recapitulatur, hoc est, tanquam ad caput revocatur, vel tanquam sub capite comprehenditur.*

10 Impletio] πλήρωμα. *Videtur simpliciter significari præstatio seu effectio operum Lege præceptorum: sicut v.8.* πληροῦν τὸν νόμον, *nihil aliud est quàm præstare Legem.*

11 Idque] καὶ τοῦτο. *Id est, Et hoc quod dixi, eò studiosiùs facite. Loqutio* ἐλλειπτική. *Cohæret autem hæc particula cum sententia versiculi octavi: Adjungit enim hoc loco Apostolus alterum argumentum ad illam sententiam confirmandum.* Perspectâ opportunitate] εἰδότες τὸν καιρόν. *Id est, Quum intelligatis rationem seu conditionem temporis, quos scil. mores hoc tempus à vobis postulet. Intelligit autem patefactionem voluntatis Dei per prædicationem Evangelii.* Jam] ἤδη. *Scilicet quum vobis patefacta est voluntas Dei per Evangelium. Videtur respicere ad sententiam proverbialem, qua dicitur, Singula (id est, singulas actiones hominum) habere suum tempus: quam sententiam Salomon proponit, multisque exemplis illustrat Eccl.3.* Nos à somno expergisci] *Id est, valedicere securitati carnali. Metaph. Sic Eph.5.12. item 1.Thess.5.v.6.& 7.* Nunc enim] *Scil. quum Deum per prædicationem Evangelii cognovimus.* Nam hæc est vita æterna, *ait Christus Johan.17.* ut cognoscamus Deum patrem, solum illum verum Deum, & quem ille misit, Jesum Christum. Quàm cùm credidimus] ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν. *Id est, Quàm cùm credere incepimus: quum recens audivimus prædicationem Evangelii, perque illam ad Deum conversi sumus. Rectè autem innuit D. Beza, metaphoram sumtam esse ab iis qui in stadio currunt: qui quò longiùs progrediuntur, eò propiùs accedunt ad metam. Sic igitur initium conversionis nostræ simile est ingressui in carceres stadii: continuatio conversionis & incrementum, simile est cursui in stadio: denique ipsa salus seu gloria cælestis, similis est metæ: illam enim adepti, acquiescemus. Hanc similitudinem expressè tractat Apostolus 1.Cor.9.24.& deinceps.*

12 Nox processit] ἡ νὺξ προέκοψεν. *id est, præteriit, transivit.* Die nacht ist fürüber. *hoc est, tempus ignorantiæ, quo nondum præditi fuimus cognitione Dei. Allegoria metaphorica.* Dies] ἡ ἡμέρα. *id est, tempus cognitionis Dei, quo Deum jam cernimus, sed tanquam per speculum & ænigma: ut monet Paulus 1.Cor.13.12.* Propinquavit] ἤγγικεν. *hoc est, jam adest, illuxit.* Opera tenebrarum] *Periphrasis actionum turpium, ex adjuncta circum-*

stantia

stantia. Induamur habitu qui luci conveniat] *id est, vivamus honestè.* Habitu] ὅπλα. *Synecdoche speciei κατ᾽ ἐξοχήν. nam ut armis homo induitur & ornatur, sic etiam veste.*

13 Compositè] εὐσχημόνως. *honestè, decorè, decenter*, erbarlich. Proterviis] ἀσελγείαις. *Lasciviâ.* gailheit.

14 Induimini] ἐνδύσασθε. *Induite vos. nam verbum vocis mediæ habet vim reciprocam. ἐνδύσασθε τὸν κύριον. subauditur πνεῦμα. Id est, Induimini spiritu Christi: sequimini ductum spiritus Christi, habitantis in vobis.* Carnis] *Id est, corporis.*

OBSERVAT. EX CAP. XIII.

Peccatum Papæ & clerici.

1 Ex v. 1, *Omnis anima &c.* Si omnis anima subjecta esse debet potestatibus supereminentibus: ergo etiam Papa subjectus esse debet Cæsari, & clerici (qui vocantur) in quacunque civitate subjecti esse debent illius civitatis primoribus seu magistratibus. Peccant igitur quum sese ab hac subjectione subtrahunt & eximunt.

Subditorum officium.

2 Ex eod. v. *Non enim est potestas nisi à Deo.* Quum omnis potestas sit à Deo: sequitur, etiam tyrannicum magistratum à Deo esse: ac proinde illi quoque obediendum esse, licet imperet iniqua: dummodo non imperet impia, id est, quæ quis bonâ conscientiâ non possit præstare. In hoc enim casu locum habet illud Petri: Obediendum est Deo plus quàm hominibus.

Magistratus.

3 Ex v. 2. *Quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit.* Quum magistratus sit ordinatio Dei: sequitur, hominem Christianum bonâ conscientiâ gerere posse magistratum: contrà quàm sentiunt Anabaptistæ.

Officiũ magistratus.

4 Ex v. 4. *Non enim frustra gladium gestat.* Meminerit magistratus, sibi gladium datum esse à Deo, non ut illum gestet frustra: sed ut eo utatur ad vindictam sceleratorum ac defensionem bonorum.

Justificatio.

5 Ex v. 8. *Qui diligit alterum, Legem implevit.* Cavendum ne quis occasione horum verborum, non rectè intellectorum, in errorem veniat, quasi justificatio sit ex Lege: sic nimirum colligendo:

Legis impletio.

Qui Legem implet, is per Legem justificatur: juxta illud, *Qui fecerit hæc, vivet per illa.*
At omnis Christianus Legem implet.
Omnis igitur Christianus per Legem justificatur.

Assumtio probatur ex præsente dicto Apostoli ad hunc modum:

Qui diligit alterum, Legem implet: teste Apostolo, hoc loco.
Omnis Christianus alterum diligit.
Omnis igitur Christianus Legem implet.

Respondeo ad syllogismum priorem, nihil eo concludi propter homonymiam termini medii: unde exsistunt termini quatuor. Etenim Legem implere, aliter accipitur in propositione; aliter in assumtione. Sententia enim hæc est: Qui Legem implet, id est, omnia in Lege præcepta facit perfectè, idque ex suis viribus, is per Legem justificatur. At omnis Christianus Legem implet, hoc est, omnia in Lege præcepta facit, serio scilicet studio & conatu: non tamen perfectè, nec ex suis viribus, sed ex singulari gratia Spiritus sancti. Atque hinc jam judicari quoque potest syllogismus posterior. Qui diligit alterum perfectè & ex suis viribus, is Legem quoque implet (id est, omnia in Lege præcepta facit) perfectè & ex suis viribus. At homo Christianus, diligit ille quidem alterum serio studio atque conatu, non tamen perfectè, nec ex suis viribus. Non igitur potest concludi, hominem Christianum implere Legem seu facere omnia in Lege præcepta; perfectè ex suis viribus. Sed hoc tantùm concluditur, hominem Christianum Legem implere, id est; omnia in Lege præcepta facere: quippe quum diligat proximum. Sed quomodo & quatenus impleat, alia quæstio est.

Antilogiæ apparentis conciliatio.

6 Sed ampliùs quæritur, quomodo qui diligit proximum, dicatur implere Legem: quum tamen ad impletionem Legis requiratur etiam dilectio Dei: ut liquet ex verbis Christi Matth. 22. ubi summam Legis recitans, dilectionem Dei & proximi conjungit. Responsio duplex afferri potest. Una: quòd Apostolus hìc vocabulo Legis intelligat secundam Legis tabulam: ut liquet ex vers. 9. ubi sententiam propositam confirmaturus, aut certè declaraturus, recitat præcepta ex sola tabula secunda. Altera responsio est: Si quis in illo dicto Legem totam (id est, decalogum totum) intelligat: sic quoque verum est quod affirmat Apostolus: idque propterea quòd dilectio proximi dilectionem Dei semper conjunctam habet: quippe ex qua nascitur ac dependet. Etenim, teste Johanne, *per hoc cognoscimus nos diligere filios Dei, quum Deum diligimus*: 1. Johan. 5. 2. Qui autem Deum diligunt, illi servant ejus mandata, idque absque exceptione (sicut ibidem Johannes mox affirmat) atque ita Legem implent.

Bonorum terrenorum usus.

7 Ex vers. 14. *Carnis curam ne habete ad explendas cupiditates.* Quum Apostolus non vetet omnem corporis curam, sed tantùm curam nimiam unde caro lasciviat: errant igitur qui homini Christiano non ampliorem usum bonorum terrenorum concedunt, quàm qui præcisè requiratur ad corporis sustentationem. Deus enim bona illa condidit non solùm ad necessitatem corporis sustentandi, verùm etiam ad honestam ac moderatam oblectationem; sicut Psalm. 104. v. 15. expresse dicitur, *quòd vino exhilaret cor hominis, & nitidam efficiat faciem ejus oleo.*

ANALYSIS CAP. XIV.

ARGUMENTUM.

In hoc capite disputat Apostolus de adiaphoris, hoc est, rebus indifferentibus seu mediis: sed de iis tantùm quæ sub Lege indifferentes non erant. Præcipit autem quomodo se in earum usu gerere debeant firmi erga infirmos. Firmos vocat eos qui libertatem Christianam intelligebant, ac proinde firmiter persuasi erant, se cærimonias Mosaicas bonâ conscientiâ omittere posse. Infirmos contrà vocat eos: qui quanquam in Christum tanquam servatorem suum credebant; tamen ignorabant, se per illum liberatos esse ab observatione cærimoniarum Legis Mosaicæ: itaq; adhuc observabant discrimen ciborum & dierum; aut si quando negligerent, infirmo assensu ac dubitante conscientiâ id faciebant. Hos contemnebant illi qui libertatem Christianam intelligebant, ac proinde cibis quibuslibet vescebantur, etiam cum infirmorum istorum offensione. Contrà infirmi alteros illos tanquam contemtores Legis Dei ac profanos condemnabant. Huic ergo utrique malo Apostolus hìc remedium adhibet. quare hortatur firmos, ne infirmos contemnant aut offendant, sed potius se ex charitatis lege ad ipsorum infirmitatem accommodent, ac in eorum gratiam à rebus etiam licitis, quas isti tamen illicitas existiment, abstineant. Infirmos autem monet, ne firmos condemnent, néve exemplo firmorum moti, rebus quas illicitas judicent, utantur. Sunt igitur duæ principales quæstiones hujus capitis: una, eaq; præcipua, quomodo firmi se gerere debeant erga infirmos in usu adiaphororum: altera, quomodo infirmi se gerere debeant erga firmos. Hæ duæ quæstiones promiscuè ac permixtim ab Apostolo tractantur.

EUm verò qui fide est infirmus, assumite: non *tamen* ad dijudicationes concertationum.

EXhortatio ad peritiores, ut fraternè agant cum rudioribus, caveantq; ne eos à professione Evangelii deterreant. Vocat autem infirmum fide, eum qui in doctrina Evangelii rudior est, nondum satis edoctus aut persuasus de libertate Christiana: ut qui adhuc ignoret, cærimonias Legis abrogatas esse per adventum Christi.

2 Alius quidem credit, vesci *licere* quibusvis: is autem qui *fide* infirmus est, edit olera.

Distributio ecclesiæ Romanorum in duas partes: unam peritiorum, alteram rudiorum: quod utrumque membrum declarat exemplo discriminis ciborum: quod peritiores sciebant sublatum, rudiores id ignorabant.

3 Qui edit, non edentem ne pro nihilo habeto: & qui non edit, edentem ne condemnato. Deus enim eum assumsit.

Jam præcipit utrisque, quomodo se alteri erga alteros gerere debeant. Peritioribus præcipit, ne rudiores contemnant: rudioribus verò ne peritiores condemnent. Posteriori præcepto annectit rationem: Quia peritiores illi (quales tunc ferè erant vocati ex ethnicis) assumti sint à Deo, ac proinde sint tanquam famuli Dei, in quos solus Deus habeat potestatem: quam similitudinem tractat v. 4.

4 Tu quis es qui condemnas alienum famulum? Proprio domino stat aut cadit. Stabilietur autem: potest enim Deus eum stabilire.

Rationem posterioris præcepti illustrat simili: quæ illustratio exornata est ἀποστροφῇ ad Judæum vocatum, libertatis Christianæ adhuc imperitum. Præterea illustrat illud simile distributione bimembri: cujus distributionis membrum posterius exornatum est correctione: eaque correctio ratione confirmata.

5 Alius quidem æstimat diem præ die, alius autem *peraquè* æstimat quemvis diem. Unusquisque in animo suo plenè certus esto.

Adjungit alterum exemplum adiaphororum, videl. dierum: cujus exempli expositionem item illustrat distributione ecclesiæ Romanorum (ut v. 2.) in rudiores & peritiores: quorum illi dierum discrimen legale observabant, hi negligebant. Monet autem utrosque ut agant bonâ conscientiâ.

6 Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat diem, Domino non curat. Qui edit, Domino edit: gratias enim agit Deo. & qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.

Utriusque exhortationis in utroque exemplo rationem novam affert, à fine quem utrique sibi habeant propositum: quem finem probat ex destinato. Utrique (inquit) propositum sibi habent honorem Christi: quod ex eo liquet, quia utrique illi gratias agunt. Quare neutri ab alteris sunt propter ejusmodi res indifferentes vel contemnendi vel condemnandi.

7 Nullus enim nostrûm sibiipsi vivit, & nullus sibiipsi moritur.

8 Nam sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus.

9 Ad hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit, & revixit; ut & mortuis & viventibus dominetur.

Rationem illam à fine, nunc confirmat à genere, id est, à fine generali & universali vitæ Christianorum: quæ quum tota destinata sit & quasi consecrata gloriæ Dei illustrandæ, consequens est ut etiam actiones illæ particulares circa usum aut neglectum dierum ac ciborum, ad eundem finem destinatæ sint. Amplificat autem hanc rationem collatione pari contrarii: Sicut nemo nostrûm (inquit) sibiipsi vivit, sed Domino: sic etiam nemo nostrûm sibiipsi moritur, sed Domino. Præterea hanc contrariorum collationem amplificat corollario: quo concludit, nos in vita pariter & morte in potestate Domini esse, v. 8. quod mox confirmat ab effecto destinato, v. 9.

10 Tu verò cur condemnas fratrem tuum? aut etiam tu cur pro nihilo habes fratrem tuum? Omnes enim sistemur apud tribunal Christi.

11 Scriptum est enim, Vivo ego, dicit Dominus: Mihi *sese* flectet omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo.

12 Nempe ergo unusquisque nostrûm de seipso rationem reddet Deo.

Repetit utramque dehortationem, & aliam rationem affert, videlicet quòd potestas judicandi de aliorum conscientiis propria sit Christi, quodque unusquisque illi rationem de se ipso redditurus sit. quod probat ex Esa. 45. 23. Quinetiam latet argumentum in nomine *Fratris*: vel quòd frater non sit temere condemnandus, ob naturalem charitatem: vel quòd frater non habeat potestatem in fratrem, quum sint pari jure. Porrò in dicto Esaiæ formula est jurisjurandi divini, usitata in vetere Testamento: ubi ait Deus, *Vivo ego*, id est, Quàm verè vivo: seu, Quàm certum est me vivere. Deus enim jurat per seipsum, quum non habeat majorem. Vide Heb. 6. v. 13.

13 Ne ampliùs igitur alii alios judicemus: sed hoc potiùs judicate, non esse offendiculum ponendum fratri aut scandalum.

Concludit utramque dehortationem: & annectit novam exhortationem ad peritiores, ne scandalum dent rudioribus. Est autem in verbis Apostoli elegans ἀντανάκλασις in verbo κρίνειν, diversâ significatione repetito. Primùm enim capitur pro *condemnare*, deinde pro *judicium adhibere*. Porrò offendiculum fratri ponere, est aliquid agere quo frater infirmus jure offendatur, ut de veritate doctrinæ Christianæ dubitet, quæ res cum ipsius damno conjuncta est. Loquitur ergo de scandalo quod vocant datum. Cui opponitur quod vocant acceptum: quale erat Pharisæorum, qui offendebantur doctrinâ & miraculis Christi, quum nullam justam offensionis causam haberent.

14 Novi, & persuasum habeo per Dominum Jesum, nihil esse impurum per se: sed ei qui existimat aliquid esse impurum, *id* ei impurum *esse*.

Prolepsis. Nullus jam cibus est impurus seu Lege vetitus: Ergo licet jam vesci quovis cibo, etiamsi alii offendantur. Apostolus negat consequentiam, & negationis rationem affert à distinctione: Per se, inquit, id est, suâ naturâ & ordinatione Dei nullus jam cibus impurus est aut vetitus: at per accidens, id est, propter opinionem ejus qui leges de discrimine ciborum abrogatas esse nondum intelligit, impuri adhuc sunt illi cibi qui Lege sunt vetiti, nempe ei qui leges illas abrogatas esse ignorat. Ac proinde etsi per se licet vesci quibusvis cibis tibi, qui abrogationem legis cærimonialis intelligis: tamen per accidens non licet, videl. propter fratrem infirmum, qui tuæ libertatis usu offenderetur. Ideo autem non licet vesci cum offensione fratris, quia id pugnat cum charitate.

15 Verùm si propter escam frater tuus tristitiâ afficitur, non jam secundùm charitatem ambulas. Ne escâ tuâ illum perdito pro quo Christus mortuus est.

Duo hîc argumenta sunt dehortationis propositæ versu decimotertio, nempe ne quis cibo offendat fratrem infirmum. Primum sic concluditur:

Si propter escam frater tuus tristitiâ afficitur, non jam secundum charitatem ambulas.

Atqui debes ambulare secundum charitatem.

Ergo non debes committere ut propter escam tristitiâ afficiatur frater tuus.

Alterum sic:

Pro quo Christus mortuus est, illum tu ne perdito tuâ escâ.

At pro fratre infirmo Christus mortuus est.

Ne igitur illum perdito tuâ escâ.

Quæstio hîc existit, Num quis possit perire eorum pro quibus Christus est mortuus. Nam hoc fieri posse, innuunt verba Apostoli. Respondeo: Pro quibus certum est Christum esse mortuum, eorum nemo perire potest. Christus enim mortuus est pro ovibus suis, sibi datis à patre; *At oves meas*, ait ipse Johan. 10. 28. *nemo eripiet ex manu mea*. Hîc autem loquitur Apostolus de iis qui ex charitatis lege pro ovibus Christi habentur; sive revera sint, sive non sint. Unde fieri potest, ut pereat aliquis eorum qui pro ovibus Christi habentur ex lege charitatis. Quum autem omnes ii qui se oves Christi profitentur, pro ovibus Christi ex charitatis lege sint habendi: consequens est, ut ex eâdem charitatis lege non sint offendendi, atque ita (quantum in nobis est) perdendi. Ἀπ. λύσ.

16 Ne vestrum igitur bonum blasphemator.

Sequitur tertium argumentum:

Si contemtâ infirmitate fratris, vescaris liberè quovis cibo, etiam Lege Dei olim vetito; tum occasionem præbes libertatem Christianam blasphemandi.

At non debes committere, ut blasphemetur libertas Christiana; quum illa sit singulare bonum.

Ergo non debes quovis cibo vesci cum offensione infirmi fratris.

17 Non enim est regnum Dei, esca & potus: sed justitia, & pax, & gaudium per Spiritum sanctum.

18 Nam qui per hæc servit Christo, gratus est Deo, & probatus hominibus.

Quartum argumentum:

Si in cibo & potu non consistit regnum Dei, non est pro illis tanquam rebus ad salutem necessariis contendendum.

Atqui in cibo & potu non consistit regnum Dei.

Ergo non est pro illis tanquam rebus ad salutem necessariis contendendum.

Assumtionem illustrat antithesi diversorum: eamque antithesin v. 18. illustrat corollario.

19 Nempe igitur quæ ad pacem faciunt, sectemur, & quæ ad mutuam ædificationem.

Quintum argumentum:

Quæ ad pacem & mutuam ædificationem faciunt, sectari debemus.

At libertate Christiana non uti in gratiam fratris infirmi, facit ad pacem & mutuam ædificationem.

Ergo id sectandum est, ac proinde libertate Christiana in gratiam infirmi fratris non est utendum.

20 Ne ibi causâ destrue opus Dei. Omnia quidem pura: sed malum *est* homini qui edit cum offendiculo.

Sextum argumentum:

Qui edit cum offensione fratris infirmi, is quantum in ipso est, destruit opus Dei. videl. fidem Christi.

At non debes destruere opus Dei.

Ergo non debes edere cum offensione infirmi fratris.

Huic argumento subjungit prolepsin. Omnes cibi, puri sunt, id est, liciti & concessi homini Christiano: Ergo Christiano licet quovis cibo vesci: sive offendatur alius, sive non. Respondet per distinctionem: Quamvis per se omnes cibi, puri sint: tamen ei qui hoc non intelligit, sed aliquos cibos vetitos esse putat, cibi illi impuri sunt: ac proinde malum ei est, si iis vescatur; quia lædit conscientiam.

21 Bonum *est* non vesci carnibus, neque bibere vinum, neque *quicquam facere* in quo frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmus est.

Sententia conclusionis, quâ exhortationem propositam concludit: Ergo, inquit, bonum est abstinere ab usu earum rerum quarum usu frater infirmus offenditur: ac proinde ne eis offendatur, abstinendum est.

22 Tu fidem habes? Apud temetipsum habe coram Deo. Beatus qui non condemnat seipsum in eo quod approbat.

23 Qui verò ambigit: si ederit, condemnatus est; quoniam non *edit* ex fide. Quicquid verò ex fide non est, peccatum est.

Rursum prolepsis: Ego habeo fidem, id est, novi & persuasus sum, quosvis cibos à Deo concessos esse Christianis: Ergo libertate mea utar, ut fidem meam profitear. Apostolus negat consequentiam, & contradicit ad hunc modum: Quanquam tu fidem (id est, libertatis Christianæ notitiam) habes: tamen non est necesse ut eam profitearis cum offensione fratris infirmi: Nam potes eam habere apud temetipsum coram Deo. Ad extremum monet infirmos, ne quem cibum edant dubitante conscientia: quia secus peccarent. Quod hoc syllogismo concludit:

Quicquid non fit ex fide, peccatum est.

Qui cibum aliquem edit ambigens, is non edit ex fide.

Ergo

Ergo qui cibum aliquem edit ambigens, peccat: ac proinde condemnatus est, hoc est, reus est impietatis coram Deo.

Conclusio præcedit: succedit assumtio: ad extremum sequitur propositio. Porrò conclusionem amplificat antithesi, statim in principio. Cæterùm de forma hujus syllogismi idem judicandum quod admonuimus de syllogismo, quem proposuimus supra in fine capitis decimitertii.

SCHOLIA IN CAP. XIV.

1 Fide] τῇ πίστει. *Fides hic significat persuasionem de usu rerum indifferentium: per synecdochen generis. Et hanc expositionem confirmant verba versiculi sequentis.* Assumite] *Nempe ad vestra colloquia & sermones de doctrina Christiana. Sic esse intelligendum, monet exceptio quæ mox additur.* Ad dijudicationes concertationum] *Scilicet de adiaphoris: ut intelligitur ex verbis sequentibus.*

2 Alius quidem] ὃς μὲν. *id est,* ὅτος μὲν. *nempe is qui doctrinæ Christianæ peritior est, & libertatem Christianam intelligit: ut percipitur ex antithesi.* Vesci licere] φαγεῖν, *Scilicet* ἐξεῖναι. Quibusvis] *Scilicet cibis, sive lege Mosis concessis, sive vetitis.* πάντα, *pro* παντοδαπά. *Sic 1. Tim. 2. v. 1. 2. 4.* Olera] λάχανα. *Potiùs quàm carnes Lege vetitas.*

3 Qui edit] *Scilicet quemvis cibum sine discrimine: ex v. 2. Synecd. generis.* Non edentem] *Scilicet quemvis cibum: sed abstinentem à cibis Lege vetitis.* Ne pro nihilo habeto] μὴ ἐξουθενείτω. *q. d. Ne enihilato, vel annihilato. Germanicè,* **vernichtigen.** *Id est, Ne contemnito, nempe tanquam stupidum ac hebetem, ut qui non possit intelligere libertatem Christianam.* Ne condemnato] *Scilicet tanquam impium & profanum, ut qui contemnat legem Dei.* κρίνειν, *pro* κατακρίνειν, *per synecd. generis.* Assumsit] προσελάβετο. *id est, Recepit quasi in suam familiam, hoc est, ecclesiam seu populum Dei. Sic loquitur de vocatis ethnicis, qui ante vocationem non erant populus Dei. Unde intelligitur, hanc rationem pertinere ad sententiam proxime-præcedentem.*

4 Tu quis es] σὺ τίς εἶ; *Deest particula transitiva. pro* εἶτα σὺ τίς εἶ, *id est, Deinde tu quis es? Additur enim hîc altera ratio posterioris dehortationis superiore versu propositæ.* Alienum famulum] *Sic per similitudinem nominat ethnicum vocatum: Nam verbum* κρίνειν, *id est, condemnandi, è superiore versu repetitum, satis ostendit, hanc rationem pertinere ad dehortationem posteriorem, ac proinde de vocato ethnico intelligendam esse.*

5 Alius quidem] ὃς μὲν. *pro,* ὅτος μὲν. *Sic mox,* ὃς δὲ. *pro,* ἐκεῖνος δὲ. Alius quidem] *Scilicet, rudior adhuc, necdum plenè intelligens libertatem Christianam.* Æstimat diem præ die] *Id est, observat discrimen dierum in Lege præceptum.* Alius autem] *Scil. qui intelligit, cærimonias Legis per adventum Christi esse sublatas.* Peræque æstimat quemvis diem] *Id est, nullum discrimen dierum observat. Phrasis Apostoli obscura est, & videtur* ἐλλιπὴς, *ad hunc modum:* Alius quidem judicat diem præ die: *scil. aptum esse ad cultum Dei: vel observandum esse in cultu Dei:* Alius autem judicat omnem diem: *scil. aptum esse ad cultum Dei.* Unusquisque] *Videl. tum ille, tum iste, de quibus dixit.* Animo] νοΐ. *Mente, id est, sententiâ, judicio.* Plenè certus esto] πληροφορείσθω. *Id est, plenâ animi fiduciâ quasi plenis velis feratur, certus se agere ex præscripto verbi Dei. De verbo* πληροφορεῖν *dixi supr. 4. 21.*

6 Qui curat diem] *Id est, Qui observat legale discrimen dierum.* Domino] κυρίῳ. *id est, In honorem Domini, ut qui discrimen illud dierum præceperit: quod ipse abrogatum esse adhuc ignorat. Sic mox,* Domino edit. *Hanc autem expositionem confirmant verba continenter annexa ad hanc sententiam declarandam, nempe,* Gratias enim agit Deo. Qui non curat diem] *id est, Qui non observat legale discrimen dierum.* Domino non curat] *Id est, Ideo non observat, ut honoret Dominum: ut qui suos credentes à cærimoniis Legis liberaverit: id quod ipse certò novit.* Qui edit] *Scilicet quemvis cibum, non observato discrimine ciborum Legali.* Gratias agit] *Scilicet pro eo cibo quem nactus est, proq; libertate quovis cibo vescendi.* Qui non edit] *Scilicet quemvis cibum, sed tantùm Lege permissum.* Et gratias agit] *Nempe pro eo cibo qui ei beneficio Dei contigit.*

7 Nostrûm] ἡμῶν. *Scil. qui in Christum credimus.* Sibi] *Sed Domino: ut sequitur v. seq.*

8 Sive vivimus &c.] *Pulcherrimum dictionis schema* συμπλοκὴ: *id est,* ἀναφορᾶ *simul &* ἐπιστροφῆ: *nam & principia sententiarum & exitus, similes sonos habent. Estq́; * παρίσωσις *&* ἀντίθεσις.

9 Ad hoc] εἰς τοῦτο. *Id est, In hunc finem, seu propter hanc causam.* Christus] *Quem Dominum vocavit v. sup.* Et mortuis & viventibus] *Loquitur hîc Apostolus de his qui in Christum credunt. Etsi enim Christus dominus est omnium absq; exceptione: tamen peculiari ratione dominatur suis credentibus, nempe per verbum & spiritum suum. Synecd. generis.*

10 Tu verò] σὺ δὲ. *Scilicet, qui observas discrimen ciborum & dierum. Nam de hoc loqui Apostolum, intelligitur ex verbo* κρίνεις, *id est, condemnas, & ex collatione versiculi tertii: item ex collatione membri sequentis.* Condemnas fratrem] *Scil. utentem libertate Christiana, vescendo scil. quibusvis cibis, & dierum quoq; discrimen negligendo. In nomine* Fratris *latet argumentum: vel quòd frater non sit temere condemnandus, ob naturalem charitatem: vel quòd frater non habeat potestatem in fratrem, quum sint pari jure.* Aut etiam tu] *Qui scil. uteris libertate Christiana.* Cur pro nihilo habes fratrem tuum] *Scil. qui nondum utitur libertate Christiana.* Cur?] *Quasi dicat, Non debebas facere, neq; enim potes justam rationem afferre cur facias.* Sistemur apud tribunal Christi] *Synecdoche metaphorica. Id est, judicabimur à Christo, nempe in fine sæculi, seu die ultimo.*

11 Vivo ego] *Id est, Quàm verè vivo; seu, Quàm certum est me vivere: tam certò futurum est, ut mihi sese flectat omne genu.* Mihi] ὅτι ἐμοί. *Particula* ὅτι *redundat, & tantummodo mimesi servit.* Mihi] *Id est, Ad meum honorem, seu mei honorandi causâ.* Sese flectet] κάμψει. *scilicet* ἑαυτό. Omne genu flectet se] *ἀνθρωποπαθῶς ex parte. Id est, omnis creatura rationalis me pro domino suo agnoscet, & mihi factorum suorum rationem reddet.*

13 Judicemus] κρίνωμεν. *Id est, condemnemus: ut supr. v. 3 & 10. Itaque his verbis propriè concluditur exhortatio ad peritiores: sed tamen per synecdochen membri simul intelligere convenit conclusionem exhortationis ad rudiores, videlicet,* Néve alii alios contemnamus seu pro nihilo ducamus, *nam utraque simul fuit proposita v. 10.* Non esse offendiculum ponendum] τὸ μὴ τιθέναι πρόσκομμα. *Ad verbum* τιθέναι *subaudi verbum* δεῖ. *quæ ellipsis Græcis usitata est. Sensus est, Non esse quidquam agendum quo frater infirmus jure offendatur, ut de veritate doctrinæ Christianæ dubitet, quæ res cum ipsius damno conjuncta esset. Loquitur de scandalo quod vocant datum: nam est & acceptum: quale erat Pharisæorum, qui offendebantur doctrinâ & miraculis Christi. Illud est, quum quis non habet justam offensionis causam. Dictum est autem* πρόσκομμα *à verbo* προσκόπτειν: *quod significat impingere,* **anstossen.**

14 Novi &c.] οἶδα. *Sunt verba concedentis. quasi dicat, Dices fortasse, te nosse, discrimen ciborum esse sublatum. Concedo, ita esse: nam & ipse novi.* Per se] δι' ἑαυτοῦ. *id est, suâ naturâ, vel ordinatione Dei.* Sed ei qui existimat] *Id est, sed per accidens, videlicet propter opinionem ejus qui putat quosdam cibos esse impuros, id est, illicitos ac vetitos.* Sed] εἰ μὴ. *pro,* ταῦτα, εἰ μὴ. *Exponit enim præcedentem sententiam. Talis ellipsis est quoque Gal. 2. v. 16.*

15 Propter escam] *Id est, propterea quòd videt te vesci cibis olim Lege vetitis, quos ipse adhuc vetitos putat.* Frater tuus] *Nempe infirmus fide.* Tristitiâ afficitur] *Quia scilicet putat à te contemni mandatum Dei, qui tamen vis haberi cultor Dei.* Non jam secundùm charitatem ambulas] *Quia nimirum non es comis, non suffers infirmitatem fratris: sed inflatus scientiâ libertatis Christianæ, fratrem infirmum pro nihilo ducis. Vide 1. Cor. 13. v. 4. 7.* Escâ tuâ] *Id est, libertate tuâ vescendi quovis cibo, vel potiùs libertatis illius abusu.* Perdito] *Id est, offendito, ut Evangelii professionem deserat, atq; ita extra fidem Christi pereat. Metonymia effecti.* Pro quo Christus mortuus est] *Quippe qui mortuus est pro omnibus credentibus.*

16 Vestrum bonum] *Nempe libertas Christiana, vobis parta per Christum.* Ne blasphemator] *Id est, Ne committito ut blasphemetur. Metonymia effecti.*

17 Non enim est regnum Dei esca & potus] *Id est, Regnum Dei non est positum in cibo & potu, non pendet à cibo & potu.* Sed justitia] *Id est, studium justitiæ præscriptæ in Lege.* Et pax] *Id est, studium pacis cum proximo.* Et gaudium] *Quod gaudium nascitur ex fide qua certò persuasi sumus de Dei erga nos gratia in Christo.* Per Spiritum sanctum] *Id est, Quod gaudium in cordibus nostris excitatur per Spiritum sanctum per quem clamamus, Abba, pater.*

18 Per hæc] ἐν τούτοις. *Id est, vi istarum rerum.* Gratus est Deo] εὐάρεστος τῷ Θεῷ. *supple* ἐστί. *Ad verbum, Bene-placens. Germanicè,* **wolgefellig.** *Innuit, potiùs studendum interno Dei cultui, quàm pugnandum pro rebus externis.*

20 Opus Dei] τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ. *nempe fidem Christi, quam Deus in fratre infirmo effecit. Synecdoche generis.* Omnia quidem pura] *Supple, sunt.* πάντα μὲν καθαρά. *supple,* ἐστί. *id est, Omnes cibi puri sunt, hoc est, liciti & concessi homini Christiano. Synecd. gen.* Sed malum est] *Scil. vesci quibusvis cibis.* Cum offendiculo] *Id est, cum offensione fratris infirmi.*

21 Neque quicquam facere in quo] μηδὲ ἐν ᾧ. *pro* μηδὲ ποιεῖν τι ἐν ᾧ. *ut sit præcisio generalis. Nam ineptum videtur restringere ad potum: maximè quum non sint tam varia potûs genera, neque etiam discrimen potus Lege præceptum fuerit: exceptâ lege de Nazaræis, idem de sacerdotibus tempore ministerii: quarum legum hæc exstat Levit. 10. 19. illa verò Num. 6. 3.* Infirmus est] ἀσθενεῖ. *Id est, nondum satis edoctus est, necdum persuasus est de libertate rebus illis utendi.*

22 Tu fidem habes?] σὺ πίστιν ἔχεις; *Mihi quidem videtur interrogatio hoc loco aptissima esse, quasi dicat, Ain', te habere fidem, id est, certò persuasum esse, quosvis cibos concessos esse Christianis? Esto: sed habe fidem illam apud temetipsum: non autem intempestivè eâ utere apud fratrem infirmum. Similium interrogationum & subjectionum exempla vide 2. Cor. 11. v. 22. & 23.* Beatus] *Supple, est.* μακάριος: *supple,* ἐστί. In eo quod approbat] ἐν

ᾧ δοκιμάζει. pro, ἐν ἐκείνῳ ὃ δοκιμάζει. δοκιμάζειν *autem, id est, examinare seu explorare, pro approbare, id est, tanquam probum & rectum amplecti, per synecdochen generis dicitur.*

23 Non edit ex fide] *Id est, certò persuasus se rectè facere edendo. Quare quod sequitur,* Quicquid non fit ex fide, *perinde valet ac si diceretur, Quicquid fit dubitante conscientiâ. Quanquam vulgò plerique hoc dictum tanquam de fide Christiana in genere intelligendum allegant.*

OBSERVAT. EX CAP. XIV.

Adiaphora. Officium hominis Christiani. 1 Discendum est ex hoc toto capite, quomodo nos gerere debeamus erga fratres rudiores in usu rerum indifferentium: hoc est, quæ à Deo nec imperatæ sunt, nec vetitæ: sed liber earum usus concessus: in quo genere sunt cibi. Sed probè tenendum, sermonem hìc esse de infirmis, qui scilicet ex simplici ignorantia res indifferentes pro præceptis aut vetitis habent: non autem de affectata ignorantia aut etiam malitiosa pertinacia hypocritarum. Contra hos enim libertas Christiana in utendis rebus indifferentibus asserenda est: exemplo Pauli Galat. 2. v. 3. 4. & 5.

Regnũ Dei. 2 Ex v. 17. *Non enim est regnum Dei esca.* Notandum, quibus in rebus consistat regnum Dei: videlicet in justitia, pace & gaudio per Spiritum sanctum. Quæ singula quo sensu dicantur, exposui in Scholiis.

Antilogiæ apparentis conciliatio. 3 Ex v. 20. *Ne cibi causâ destrue opus Dei.* Cum his verbis videtur pugnare dictum Christi Matth. 24. v. 24. *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula: ut seducant (si fieri possit) etiam electos.* quibus verbis docet Christus, fieri non posse ut in errorem exitialem, quo scilicet fides destruatur, inducantur electi. at Apostolus videtur significare, fieri posse ut fides (quam vocat opus Dei) destruatur. nisi enim putaret destrui posse: non dehortaretur à destruendo. Respondeo: Etsi Apostolus dehortatur à fide destruenda: non tamen simpliciter sentit eam destrui posse: quippe qui suprà dixit, vocationem Dei esse ejusmodi ut Deum illius pœnitere non possit: supr. 11. 29. Sed tantùm significat, per homines non stare quo minùs opus illud Dei destruatur: ac proinde in illo conservando piam solicitudinem requiri. Et sanè pia illa solicitudo medium est per quod Deus fidem in electis conservat: sicut & ipsa ad illam solicitudinem exhortatio.

Confessio fidei. 4 Ex vers. 22. *Tu fidem habes? Apud temetipsum habe coram Deo.* Cavendum, ne quis hac sententia abutatur ad palliandum impiam omissionem confessionis fidei: quasi non sit necesse fidem confiteri; sed satis sit, eam apud seipsum habere coram Deo; etsi interim externè facias quæ fidei adversantur. Etenim Apostolus hìc tantùm vetat, ne quis fidem quam habet de rebus indifferentibus, intempestivo illarum usu profiteatur cum infirmorum fratrum offensione. At fidem de summa religionis Christianæ necessariò adjunctam habere confessionem, docet suprà cap. 10. v. 10. ubi ait, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio ad salutem.* Et notum est dictum Christi: *Qui me negaverit coram hominibus, illum & ego negabo coram Patre meo cælesti.*

Officium hominis Christiani. 5 Ex v. 23. *Qui verò ambigit &c.* Caveamus ne quid unquam aggrediamur aut faciamus dubitante conscientia: sed quicquid agimus, de illo certò persuasi simus, placere Deo: ac proinde esse à Deo mandatum, aut saltem concessum.

ANALYSIS CAP. XV.

ARGUMENTUM.

Caput hoc in tres distingui potest partes. In prima parte hortatur Romanos ad humanitatem erga infirmos, & ad patientiam, & concordiam, usq; ad v. 14. In secunda parte exponit causam hujus suæ scriptionis, eâq; occasione apostolatum suum magnificè commendat, à v. 14. usq; ad 22. In tertia parte facit eos certiores de suo ad ipsos adventu, deq; sua profectione Hierosolymam ad eleëmosynas ecclesiarum Macedonicarum ecclesiæ Hierosolymitanæ offerendas: à v. 22. usq; ad finem capitis.

DEbemus autem nos qui firmi *sumus*, imbecillitates infirmorum portare, ac non placere nobisipsis.

2 *Itaq;* unusquisque nostrûm proximo placeat in bonum, *id est,* ad *ejus* ædificationem.

EXhortatio ad tolerandum infirmos, id est, rudiores in doctrina Christiana.

3 Etenim Christus non placuit sibiipsi; sed *accidit ei* sicut scriptum est: Convicia eorum qui conviciantur tibi, inciderunt in me.

Exhortationis ratio seu confirmatio ab exemplo Christi: quod illustrat testimonio Scripturæ ex Psal. 96. v. 10. quo continentur verba Davidis ad Deum: sed David in eo Psalmo gerit figuram Christi.

4 Nam quæ ante-scripta sunt, ad nostram doctrinam ante-scripta sunt: ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum, spem illam teneamus.

Prolepsis. Dictum illud Psalmi pertinet ad Davidem: non ergo ad Christum. Apostolus negat consequentiam: quia Scriptura sacra nobis sit tradita ad doctrinam. Quibus verbis videtur innuere, per Davidem tanquam figuram Christi nos doceri de ipso Christo.

5 Deus autem tolerantiæ & consolationis det vobis ut eodem animo inter vos mutuò affecti sitis, secundùm Christum Jesum.

6 Ut concorditer uno ore glorificetis Deum ac patrem Domini nostri Jesu Christi.

Optat eis concordiam.

7 Propterea assumite alii alios, sicut & Christus assumsit nos in gloriam Dei.

Repetit exhortationem unà cum ratione.

8 *Illud* autem dico, Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis, pro Dei veritate, ut confirmaret promissiones patrum:

9 Et ut Gentes pro misericordia glorificent Deum: sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi inter Gentes, & nomini tuo psallam.

10 Et rursum dicit, Gaudete Gentes cum populo ejus.

11 Et rursum, Laudate Dominum omnes Gentes, & collaudate eum omnes populi.

12 Et rursum Esaias dicit; Erit radix Jesse, & qui exsurgat ad imperandum Gentibus; in ipso Gentes sperabunt.

Deinceps exemplum Christi specialiter applicat, primùm ad Judæos, deinde ad Gentes. Christus dignatus est ministrare Judæis: Ergo non decet ut à Gentibus spernantur. Rursum, Christus assumsit ex misericordia Gentes: Ergo Judæi non debent eas ut extraneas despicere. Assumtionem autem seu vocationem Gentium probat testimoniis Scripturæ.

13 Utinam verò Deus spei impleat vos omni gaudio & pace credendo, ut spe illâ abundetis per virtutem Spiritus sancti.

Optat eis gaudium spiritus & pacem conscientiæ, unà cum harum rerum causis, tum proximis, fide & spe: tum summâ, virtute Spiritus sancti.

DE SECUNDA PARTE.

14 Persuasum autem habeo & ipse ego de vobis, fratres mei, quòd ipsi per vos pleni sitis bonitate, impleti omni cognitione, & qui possitis etiam vos mutuò monere.

15 Audaciùs verò scripsi vobis, fratres, aliquâ ex parte, veluti commonefaciens vos, propter gratiam quæ data est mihi à Deo:

16 At hoc ut sim minister Jesu Christi apud Gentes: operans Evangelio Dei, ut oblatio Gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum sanctum.

Sequitur peroratio epistolæ: in qua primùm se excusat, quòd pluribus ad eos scripserit. Excusationis argumenta duo affert: unum, quòd non tam docendi quàm commonefaciendi animo scripserit: alterum, quòd hoc fecerit ex officio, ut qui sit doctor Gentium à Deo vocatus. Ipsam excusationem amplificat prolepsi pietatis & cognitionis Romanorum. Posterius argumentum excusationis illustrat similitudine oblationis sacræ.

17 Habeo igitur quod glorier per Christum Jesum, in iis quæ ad Deum *pertinent.*

18 Non enim ausim quicquam loqui quod non effecerit Christus per me, *adducendis* ad obedientiam Gentibus, verbis & factis:

19 Virtute signorum ac prodigiorum, virtute Spiritus Dei: adeò ut ab Hierusalem & circumjacentibus *regionibus,* usque ad Illyricum, impleverim prædicandi Evangelii Christi munus.

20 Idque dum ita ambirem prædicare Evangelium, non ubi nominatus esset Christus, ut ne super alienum fundamentum ædificarem:

21 Sed sicut scriptum est, Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.

Secundus locus perorationis, ubi apostolatum suum commendat

mandat ex effectis. Ad hunc locum transit occasione ejus quod dixerat in fine loci præcedentis, exponens alterum argumentum excusationis, à suo officio seu ministerio Evangelii, seu apostolatu. Primum autem gloriatur, sed in Domino, v.17. Deinde rationem exponit, cur ad eum modum glorietur: simulque indicat apostolatus sui effectum, nempe obedientiam Gentium; & formam bimembrem, nempe administrationem verborum & factorum, v.18. Quorum membrorum posterius, nempe administrationem factorum, declarat in principio versus 19. partim per species, partim per causam efficientem. Nisi potius hic declarat utrumque membrum καθ' ὑστέρωσιν, ordine inverso: ita scilicet ut virtus spiritus Dei referatur ad prædicationem verbi. Deinde reliqua parte v.19. apostolatum suum declarat & commendat expositione subjectorum locorum, ubi Evangelium prædicarit. Tum v.20. illa loca declarat (& ita apostolatum suum amplificat) negatione adjuncti, quòd scilicet antea in illis non fuerit Evangelium prædicatum: Cujus rei finem seu consilium exponit. Postremò v.21. finem illum dicto Esaiæ illustrat.

De tertia parte.

22 Quapropter etiam impeditus sum sæpe ne venirem ad vos.

23 Nunc verò quum non amplius habeam locum in his regionibus, desiderium autem habeam veniendi ad vos à multis annis:

24 Quando proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos. Spero enim fore ut *istac* præteriens, spectem vos, & à vobis deducar illuc: si tamen vestrâ consuetudine prius ex parte expletus fuero.

25 Nunc autem proficiscor Hierosolymam, ministrans sanctis.

26 Placuit enim Macedoniæ & Achaiæ conferre aliquid in pauperes sanctos qui sunt Hierosolymis.

27 Placuit enim *eis, inquam*, & debitores illorum sunt. nam si spiritualia ipsorum *bona* Gentes participarunt, debent etiam *ipsæ* in carnalibus eis ministrare.

28 Hoc igitur ubi perfecero, & eis consignavero hunc fructum, abibo isthac in Hispaniam.

29 Scio verò me, quum veniam ad vos, cum plena benedictione Evangelii CHRISTI venturum.

Tertius locus perorationis, ubi Romanis spem facit sui ad ipsos adventus. Primùm autem exponit illius causam corrumpentem, id est, impedimentum, quo impeditus nondum ad eos venerit, v.22. Deinde illum promittit: suique propositi partim causas efficientes exponit, v.23. partim tempus, v.24. Præterea promissionem confirmat significatione suæ spei. Postea exponit causam dilationis, cur scilicet nunc non statim veniat: Quia nunc sibi proficiscendum sit Hierosolymam: Cujus profectionis finem indicat ministerium erga Sanctos, id est, traditionem eleemosynarum, v.25. Has autem eleemosynas declarat expositione causarum procreantium, id est, eorum qui illas contulerint, v.26. Cujus collationis causam impulsivam simul exponit, videlicet beneplacitum illorum. Quam causam v.27. amplificat expositione alterius causæ per correctionem, quòd scilicet ex debito fecerint. quod ipsum probat ex causa efficiente per argumentationem à minori. Postremò hunc locum concludit, & promissionem adventus sui repetit, unà cum temporis circumstantia, v.28. Annectit etiam promissionem adjunctæ utilitatis & jucunditatis, v.29.

30 Precor autem vos, fratres, per dominum nostrum JESUM CHRISTUM, & per charitatem Spiritus, ut mecum certetis *vestris* pro me apud Deum precibus:

31 Ut liberer ab iis qui rebelles sunt in Judæa: utque ministerium hoc meum erga Hierusalem, acceptum sit sanctis:

32 Ut cum gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei, unaque vobiscum refocillet.

33 DEUS autem pacis, sit cum omnibus vobis. Amen.

Quartus locus perorationis, ubi petit à Romanis ut Deum pro se orent ad consequendum duo bona, quæ exponit v.31. Ejusque petitionis finem duplicem exponit, v.32. Denique hunc locum concludit voto seu optatione.

SCHOLIA IN CAP. XV.

1 Firmi] οἱ δυνατοί. *Ad verbum, potentes; id est, validi seu robusti, hoc est, plenius edocti de voluntate Dei. Consimili sensu videtur verbum* δύναμαι *usurpari absolute 1.Cor.3.2. ubi ait,* οὔπω γὰρ ἠδύνασθε, *id est*, Nondum eratis robusti. Imbecillitates] τὰ ἀσθενήματα. *id est, errores in adiaphoris, qui tamen non evertunt fundamentum.* Portare] *Tanquam onus: ut ait alibi; Alter alterius onera portate.* Ac non] καὶ μή. *vel, Non autem,* ἀλλὰ μή. *Est enim antithesis.* Placere] ἀρέσκειν. *id est, superbire ob pleniorem Dei cognitionem, ac proinde infirmis fratribus contemtis, indulgere nostris cupiditatibus in utenda libertate Christiana. Est metonymia efficientis. Sic v.seq.* ἀρεσκέτω, *placeat. item v.3.* ἤρεσεν, *placuit.*

2 In bonum] εἰς τὸ ἀγαθόν. *Articulus videtur notare certum boni genus, nempe salutem æternam. Synecd. gen. Sic suprà 8:28. quamvis sine articulo.* Ad ædificationem] *Id est, ad profectum & incrementum in pietate, ac proinde ad vitam æternam. Metaph.*

3 Sed *accidit ei*] ἀλλά. *supple,* συνέβαινεν αὐτῷ, *vel* συνέτυχε. Convicia &c.] *Sunt verba Davidis ad Deum: David autem in eo psalmo gerit figuram Christi.*

4 Ante-scripta sunt] προεγράφη. *Hic* πρὸ *notat tempus, suprà, ordinem, c.9.v.29. in verbo* προείρηκεν. *Potest tamen verti* præscripta, *eodem sensu. Sic enim Latini usurpant verbum* prædicere. *ut Vellejus Paterculus lib.1.* Nec multò pòst Chalcidenses, orti (ut prædiximus) Atticis, Hippocle & Megasthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. *Hic* prædiximus *idem valet quod* antè diximus. *Et sic sæpe apud eundem auctorem. Atque adeò tali sensu idem auctor usurpat verbum* præscripsimus, *lib.2 pag.44. editionis Lipsianæ.* Per patientiam & consolationem scripturarum] *Id est, per patientiam quæ nascitur ex consolatione scripturarum.* ἐν διὰ δυοῖν. Spem illam teneamus] τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν. *Nempe spem vitæ æternæ, quæ non confundit.* Teneamus] *Id est, non amittamus.*

5 Deus autem tolerantiæ & consolationis] *Id est, Qui tolerantiam & consolationem in nobis efficere solet. Genitivus effecti.*

6 Uno ore] ἐν ἑνὶ στόματι. *Id est, velut uno ore. Redundat autem* ἐν, *ex idiotismo Hebræorum.* Glorificetis] *Nempe gratias agentes pro maximis beneficiis.* Deum ac patrem] τὸν Θεὸν καὶ πατέρα. *Conjunctio copulativa usurpatur hîc* ἑρμηνευτικῶς. *quasi dicat,* Deum, nempe patrem, &c.

7 Assumite] προσλαμβάνεσθε. *Nempe ad familiarem conversationem & convictum, & communicationem officiorum.* In gloriam Dei] *Id est, in vitam illam gloriosam & beatam in cœlo quam Deus credentibus donaturus est. Genitivus adjuncti occupati: ut supr.3.v.23. & c.5.v.2.*

9 Pro misericordia] *Nempe quòd ex mera misericordia assumtæ sunt à Deo in gratiam.* Glorificent Deum] *Id est, Gratias agant Deo.* Confitebor tibi] *Id est, laudabo te, celebrabo te. Synecd. generis Hebræa, quasi dicat, Confitebor beneficia à te accepta, ad laudem tuam.*

10 Gentes cum populo] ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ. *In Hebræo ἐλλείπει conjunctio copulativa, sic enim habetur,* Cantate gentes *&* populus ejus.

12 Radix Jesse] ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαί. *Id est, Christus, ortus è radice Jesse seu Isai, hoc est, è Davide filio Isai, tanquam è radice. Metaphora & metonymia efficientis. Tota autem hæc sententia in Hebræo sic legitur & construitur:* Et erit in die illo ut ad radicem Isai, quæ stabit in vexillum populorum, gentes consulturæ veniant, & sit requies ejus gloria. *Porrò scriptura Græca nominis* Ἰεσσαί, *si rectè pronuntietur, nempe per diphthongum* αι, *non procul recedit ab Hebræo* ישׁי *Jischái: quæ vox* δισύλλαβος *est.*

13 Deus spei] ὁ Θεὸς τῆς ἐλπίδος. *Id est, Deus qui author est illius spei, cujus modò mentionem feci. Genitivus effecti.* Omni gaudio] *Id est, perfecto gaudio.* Gaudio & pace] *Id est, gaudio quod oritur è sensu pacis erga Deum, seu reconciliationis cum Deo.* ἐν διὰ δυοῖν. Credendo] ἐν τῷ πιστεύειν. *Id est,* διὰ τοῦ πιστεύειν. *Præpositio* ἐν *notat causam instrumentalem, more Hebræorum.* Spe illa] ἐν τῇ ἐλπίδι. *nempe spe vitæ æternæ. Præpositio* ἐν *hic notat subjectum.* Per virtutem] ἐν δυνάμει. *id est,* διὰ δυνάμεως: *ut paulo-antè.*

14 Ipsi per vos] καὶ αὐτοί. *Quasi dicat, Etiam me non admonente. Cohæret cum hoc versu versus sequens per enuntiatum discretivum, vel potiùs occupativum: cujus antecedens continetur hoc versu, consequens sequente. quasi dicat, Quanquam persuasum habeo, &c. tamen audacius scripsi, &c.* Omni cognitione] πάσης γνώσεως. *id est, perfectâ: ut supr.13. Perfectam autem intellige: quoad fieri potest in hac vita. nam 1.Cor.13. circa finem docet Apostolus nos cognoscere ex parte, id est, imperfectè. Nisi malimus,* Omni cognitione, *id est, Omnium rerum ad doctrinam salutis pertinentium. Synecd. gen.* Monere] νουθετεῖν. *nempe de officiis hominis Christiani. Synecd. gen.*

15 Audaciùs] *Id est, liberiùs. Hac prolepsi & excusatione videtur uti propter exhortationes capitis 14. & hujus de adiaphoris.* Commonefaciens vos] ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς. *Id est, In memoriam vobis revocans eam doctrinam quam antea didicistis.* Gratiam] *Id est, munus seu officium, nempe Apostolicum. Metonymia efficientis, Paulo familiaris.*

16 Minister] λειτουργόν. *Qui publicum opus administrat.* Apud Gentes] εἰς τὰ ἔθνη. *vel, Inter Gentes, quasi sit,* ἐν τοῖς ἔθνεσι. Operans (ἱερουργοῦντα. ἱερουργεῖν *est sacris operari, sacra obire seu celebrare, Metaph. à sacerdotibus V.T.* Evangelio Dei] *Id est, cujus*

author est Deus. Genitivus effecti. Oblatio Gentium] ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν. *Id est, oblatio qua à me offeruntur Gentes, hoc est, conversio Gentium & fides in Christum, quam per meam prædicationem in illis efficit Spiritus sanctus. Genitivus objecti, & metonymia subjecti.*

17 Quòd glorier] καύχησιν. *Ad verb. Gloriationem, id est, gloriandi materiam. Meton. effecti.* In iis quæ ad Deum pertinent] τὰ πρὸς τὸν Θεόν. *sub.* ἀνήκοντα. *Item in principio subintellige* κατά.

18 Quicquam quod] τι ὧν. *pro,* τι ἐκείνων ἃ. *id est, aliquid eorum quæ: sicut habet vulgata. Puto autem Apostolum hoc velle dicere: Gloriatio mea de qua dixi, vera est: non enim ausim gloriari de ulla re quam Christus non effecerit, quasi eam effecerit: sed de iis tantùm gloriari audeo, quæ Christus per me efficit. Hanc sententiam simplicem esse puto, & verbis accommodatam, nec deniq; quicquam incommodi habere.*

19 Virtute spiritus Dei] *Puto intelligendam virtutem Spiritus sancti, qua efficax fuit in animis auditorum, gignendo in eis fidem per Pauli prædicationem. Ita ut duplex actio à Paulo commemoretur, qua ad fidem adducta sint Gentes: Una externa & in oculos incurrens, altera interna: quarum illa non est efficax ad salutem, nisi hæc accesserit.* Ab Hierusalem & circumjacentibus regionibus] ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ. *pro,* ἀπὸ τῆς Ἱερουσαλὴμ καὶ τῶν κύκλῳ χωρῶν. Impleverim prædicandi Evangelii Christi munus] πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. *Potest etiam verti.* Impleverim omnia ea loca Evangelio Christi. *Lutherus quidem in hanc sententiam vertit.*

20 Alienum] ἀλλότριον. *id est, Ab alio jactum. Non enim intelligit fundamentum alienum à veritate, id est, falsum: sed intelligit ipsum Christum seu doctrinam orthodoxam de Christo. Confer 1. Cor. 3. 11.*

23 Regionibus] κλίμασι. *Sic vocant Græci regiones seu plagas mundi,* παρὰ τὸ κλίνειν, *ab inclinando vel declinando, quòd partes orbis terrarum, propter ipsius rotunditatem, ad polum aliæ aliis magis inclinent, vel ab æquatore aliæ aliis magis declinent. Sic Gal. 1. 21.*

24 Quando] ὡς. *Hic incipit consequens enuntiati relativi causæ: quod ipsum consequens, est enuntiatum relativum temporis.* Spectem] θεάσασθαι. *Scilicet cum voluptate: ut spectantur comœdiæ.* Præteriens] διαπορευόμενος. *quasi dicas, pertransiens. Germanicè,* durchraisend.

26 Macedoniæ & Achaiæ] *Id est, Macedonibus & Achæis. Metonymia subjecti, nempe loci pro locato.* Conferre aliquid] κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι. *Ad verb. Communionem aliquam facere. scilicet, facultatem: ut Act. 2. 42. Synecdoche generis.* In pauperes sanctos] εἰς τοὺς πτωχοὺς τῶν ἁγίων. *In Græco genitivus ponitur partitivè, per Græcismum.*

27 Ministrare] λειτουργῆσαι. *Instar sacerdotis ministrantis Deo in offerendis muneribus. Metaphora* καταχρηστική.

28 Istac] δι᾽ ὑμῶν. *Ad verb. Per vos, id est; per eum locum ubi vos degitis. Meton. adjuncti. Sic apud Terent.* Eamus ad me, *id est, domum meam.*

29 Cum plena benedictione] ἐν πληρώματι εὐλογίας. *Ad verb. In plenitudine benedictionis. pro,* μετὰ πληρώματος *&c. Hebraismus. Id est, cum amplissimo fructu, confirmationis scil. fidei vestræ: qui fructus orietur ex benedictione, id est, benefica operatione Dei. Metonymia efficientis.*

31 Qui rebelles sunt] τῶν ἀπειθούντων. *id est, qui nolunt obedire Evangelio.* Erga Hierusalem] ἡ εἰς Ἱερουσαλήμ. *id est, Erga Hierosolymitanos fratres. Metonymia subjecti.* Sanctis] τοῖς ἁγίοις. *Sic appellat fratres Hierosolymitanos.*

33 Deus pacis] ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης. *Vide suprà v. 5.*

OBSERVAT. EX CAP. XV.

Officium hominis Christiani. 1 Ex v. 1. & 2. Quomodo nos debeamus gerere erga fratres infirmos seu rudiores.

Christus. 2 Ex vers. 3. Christus nobis propositus est in exemplum omnium virtutum Christianarum. Confer Philip. 2. v. 5. item 1. Pet. 2. v. 21. Joh. 13. v. 14. & 15.

Scopus Scripturæ. 3 Ex v. 4. Scopus & usus sacræ Scripturæ est, ut per eam doceamur tum de officio nostro erga Deum & proximum: tum de paterna Dei erga nos voluntate in Christo, ex cujus fide oritur spes hæreditatis cælestis, quæ sola veram ac solidam consolationem nobis affert. Confer 2. Tim. 3. vers. 16. & 17. item 2. Pet. 1. v. 19.

Vocatio Gentium. Salus. 4 Ex v. 9. 10. 11. & 12. Notanda sunt testimonia prophetica de vocatione Gentium: unde discimus, salutem nostram in æterno atque immutabili decreto Dei fundatam esse.

Monitiones. 5 Ex v. 14. *Vos mutuò monere.* Jus monendi inter Christianos mutuum est: quare inferioribus quoque concessum est in superiores, servato interim honore qui cuique debetur. Confer Matth. 18. v. 15. 16.

Gloriatio. 6 Ex v. 17. & deinceps. Gloriari in Deo concessum est: quum scil. ad laudem Dei commemoramus ea quæ ipse per nos mirifica effecit. Confer 1. Cor. 1. v. 31.

Colloquia pia. 7 Ex v. 22. 23. 24. & 32. Sanctis jucundum est, unà versari & colloqui de rebus ad cultum Dei & æternam ipsorum salutem pertinentibus.

8 Ex v. 25. & deinceps. Pauperes sancti omni studio juvandi sunt. *Pauperes.*

9 Ex v. 30. & 31. Quoties vel periculum aliquod imminet, vel aliquid beneficii in proximum conferendum est: preces adhibendæ sunt, ut & à periculo liberemur, & beneficium nostrum proximo reddatur acceptum. *Preces.*

ANALYSIS CAP. XVI.

Commendo autem vobis Phœben, sororem nostram; quæ est ministra ecclesiæ Cenchreënsis:

2 Ut eam accipiatis in Domino, sicut dignum est sanctis: & adsitis ei quacunque in re *ipsi* usus fuerit vobis. nam hæc tum multis hospitium præbuit, tum mihi etiam ipsi.

3 Salutate Priscillam & Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu:

4 Qui pro anima mea suam ipsorum cervicem supposuerunt; quibus non ego solus gratias ago, sed etiam omnes ecclesiæ Gentium.

5 Item ecclesiam quæ in domo eorum est. Salutate Epænetum, mihi dilectum, primitias Achaiæ in Christo.

6 Salutate Mariam: quæ multum laboravit erga nos.

7 Salutate Andronicum & Juniam, cognatos meos, & concaptivos meos; qui sunt insignes inter Apostolos, qui etiam ante me fuerunt in Christo.

8 Salutate Ampliam, dilectum mihi in Domino.

9 Salutate Urbanum, adjutorem nostrum in Christo, & Stachyn mihi dilectum.

10 Salutate Appellen, probatum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristobuli *domesticis*.

11 Salutate Herodionem, cognatum meum. Salutate eos qui *sunt* ex Narcissi *domesticis*, eos, *inquam*, qui sunt in Domino.

12 Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persida dilectam, quæ multum laboravit in Domino.

13 Salutate Rufum selectum in Domino, & matrem ejus ac meam.

14 Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum iis sunt fratres.

15 Salutate Philologum & Juliam, Nereum & sororem ejus, & Olympam, & qui cum iis sunt, omnes sanctos.

16 Salutate alii alios osculo sancto. Salutant vos ecclesiæ Christi.

17 Precor autem vos, fratres, ut observetis dissidiorum & scandalorum authores, contra doctrinam quam vos didicistis: & declinetis ab eis.

18 Nam qui ejusmodi *sunt*, Domino nostro Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri: & per blandiloquentiam & assentationem corda *hominum* minimè malorum seducunt.

19 Vestra enim obedientia ad omnes pervênit. Gaudeo igitur quod ad vos *attinet*: sed volo vos sapientes quidem esse in rebus bonis, simplices verò in malis.

20 Porrò Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò. Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* vobiscum. Amen.

21 Salutant vos Timotheus, adjutor meus, & Lucius, & Jason, & Sosipater, cognati mei.

22 Saluto vos in Domino ego Tertius, qui scripsi hanc epistolam.

23 Salutat vos Gajus hospes meus & ecclesiæ totius. Salutat vos Erastus procurator urbis, & Quartus frater.

24 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum omnibus vobis. Amen.

25 Ei verò qui potest vos stabilire, secundùm Evangelium meum, & præconium Jesu Christi, ex revelatione mysterii quod à temporibus secularibus tacitũ fuit:

26 Nunc

26 Nunc verò factum est manifestum, & per Scripturas propheticas, ex imperio æterni Dei, ad obedientiam fidei, inter omnes gentes declaratum:

27 Soli, *inquam*, sapienti Deo *sit* gloria per Jesum Christum in sæcula. Amen.

Caput hoc in quatuor partes distingui potest. In prima commendat eis Phœben, & petit salutari aliquot fideles in Ecclesia Romanorum: quos quidem nominatim indicat, & meritis laudibus exornat, usque ad vers. 17. In secunda parte monet ut sibi caveant à falsis fratribus: quos tamen non nominat, sed solummodò ex effectis & adjunctis describit: hujusque admonitionis causam impulsivam exponit, videlicet ipsorum simplicitatem, à vers. 17. usque ad 21. In tertia parte annuntiat eis quorundam fidelium quos tunc secum habebat, salutationes: à vers. 21. usque ad 25. In postrema parte concludit epistolam gratiarum actione erga Deum: cujus potentiam & sapientiam ad ipsius laudem & gloriam commemorat.

SCHOLIA IN CAP. XVI.

1 Sororem] *Nempe in Christo.* Ministra] Διάκονον. *nempe ministrans ægrotis ex Ecclesia.*

2 Excipiatis] *Nempe, quando advenerit cum hac epistola.*

10 Ex Aristobuli domesticis] ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου. *Supple* οἰκετῶν *sive* οἰκείων: *sic v. seq.*

19 Vestra obedientia ad omnes pervênit] *Id est, Rumor de vestra obedientia. Metonymia subjecti. Sic sup. 1. vers. 8.* Fides vestra annuntiatur in toto mundo. In rebus bonis] εἰς τὸ ἀγαθὸν *pro,* ἐν τῷ ἀγαθῷ. *Sic max,* εἰς τὸ κακόν. *Vel, Quod attinet ad bonum; item, malum; scilicet procurandum.*

22 Qui scripsi] ὁ γράψας. *Scil. dictante Paulo.*

OBSERVAT. EX CAP. XVI.

1 Ex v. 1. *Quæ est ministra Ecclesiæ.* Cavendum ne quis hoc loco abutatur ad stabiliendum falsam opinionem, quasi mulieribus liceat fungi ministerio Verbi & Sacramentorum. nam quòd Phœbe hîc dicitur ministra Ecclesiæ Cenchreensis: intelligendum est de ministerio quo ministrabat ægrotis. Vide 1. Tim. 5. v. 9. & 10. At ministerio Verbi (& ex consequenti, Sacramentorum) Apostolus mulieribus expresse interdicit, ejusdem epistolæ cap. 2. v. 12. & 1. Cor. 14. v. 34. *Ministerium verbi.*

2 Ex v. 3. & deinceps. Sanctos decet, sese mutuò salutare. *Salutatio.*

3. Ex v. 17. Dissidiorum & scandalorum authores observandi & declinandi sunt. *Dissidia.*

4 Ex v. 20. *Conteret Satanam &c.* Considerandum, quomodo consentiant cum his verbis illa Coloss. 2. v. 15. ubi de Christo dicitur, *quòd exspoliata imperia ac potestates traduxerit palàm, triumphatis illis per crucem.* unde percipitur quòd Christus Satanam jam sub pedes fidelium contriverit. quomodo ergo dicit hoc loco Paulus, quòd adhuc sit contriturus? Respondeo: Contrivit hactenus, ne possit letale vulnus credentibus infligere: quia nihil est condemnationis his qui sunt in Christo Jesu, sup. 8. vers. 1. Veruntamen permittit adhuc Satanæ & angelis ejus, ut fideles vexent ac molestent: unde illi adhuc exspectant redemtionem corporis sui, ut in eodem capite vers. 23. Apostolus loquitur. *Antilogia apparentis conciliatio.*

FINIS.

ANALYSIS LOGICA

UTRIUSQUE EPISTOLÆ PAULI ad Corinthios;

UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS LOCORUM DOCTRINÆ ALIQUOT.

ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO,

DOMINO JOHANNI SENIORI, COMITI IN NASSAU, CATZENELENBOGEN, VIANDEN ET DIETZ, DOMINO IN BEILSTEIN, ETC.

Domino suo clementissimo.

Utilitas prioris epistolæ ad Corinthios ad emendandum præsentem Ecclesiæ statum.

I*Llustris ac generose domine Comes, domine clementissime. Quàm utiles, imò quàm necessariæ sint hoc tempore ambæ epistolæ Pauli ad Corinthios: liquidò nobis constabit, si hodiernum Ecclesiarum in Germania statum cum statu Ecclesiæ Corinthiacæ qualis tunc erat, itemq; fidorum Ecclesiæ doctorum sortem cum sorte Apostoli Pauli paulò diligentiùs comparaverimus. Etenim ex priore epistola apparet, Ecclesiam Corinthiacam multis & variis & iis quidem non levibus vitiis laborasse; ut quòd se alii aliis doctoribus addicebant, ab eorumq; auctoritate pendebant, ac proinde per schismata scissi erant, quòd in scandalis coërcendis securi erant ac segnes; quòd ob res parvi momenti sub Ethnico magistratu litigabant; quòd sacram Domini cœnam irreverenter tractabant; deniq; quòd nonnulli resurrectionem mortuorum (id est, articulum Christianæ fidei) negabant. Iisdem aut certè affinibus vitiis laborant hodie Ecclesiæ in Germania pleræq; nam passim audiuntur nomina ista schismatica Lutheranorum, Zvvinglianorum, Calvinistarum: & disciplina Ecclesiastica, quâ scandala coërceri debent, in multis Ecclesiis jacet, aut certè friget: & multos non pudet ob exiguam sæpe pecuniam ad judicia Papisticorum magistratuum confugere: præterea sacra Domini cœna plerisq; in ecclesiis Germaniæ vitiosè admodum administratur: dum nimirum veræ ac genuinæ cærimoniæ quædam omittuntur, & contrà adulterinæ atque superstitiosæ admiscentur. Denique non desunt qui articulum fidei de veritate naturæ humanæ Christi si non expressis verbis negant, attamen reipsa & in ipso (ut loquuntur) effectu evertunt, dum nimirum dogma illud monstrosum de Ubiquitate corporis Christi articulo illi è diametro repugnans pertinaciter defendunt. Hæc vitia correctione egere, omnes sani judicant; & ut corrigantur, omnes pii exoptant. Quæ autem adhibenda correctionis ratio & forma? Nempe ea quam Apostolus Paulus ad similia vitia ecclesiæ Corinthiacæ corrigenda in hac epistola adhibuit. Primùm igitur factiosis istis, qui se Lutheranos nominant, & à Lutheri auctoritate dependent, quiq; alios odiosè Zvvinglianos & Calvinistas vocant, cum Apostolo Paulo dicendum:* Num dispertitus est Christus? num Lutherus crucifixus est pro vobis, aut in nomen Lutheri baptizati fuistis? *Item:* Quis igitur est Lutherus? Quis autem Zwinglius aut Calvinus: nisi ministri per quos credidistis, & ut cuique Dominus dedit. *Sed excipient hîc factiosi isti, ineptè hæc exempla tranferri ad nostra tempora, ubi dissidia sunt de doctrina, non de personis in doctrina consentientibus. At, inquam, etsi doctores isti nonnihil dissenserunt in doctrina de sacra Domini cœna: tamen consenserunt in doctrinæ Christianæ fundamento, quod est Christus, id est, salus per* CHRISTUM *nobis parta ac donata. Deinde, qui se Lutheranos nominant, non minùs ab auctoritate Lutheri pendent, quàm Corinthii isti pendebant ab auctoritate doctorum suorum, à quibus sese denominabant. Quare eadem in illos reprehensio competit, quæ ab Apostolo in istos affertur.*

Jam ad disciplinam ecclesiasticam quod attinet: videmus, in nonnullis ecclesiis magnam regnare securitatem, ita ut scortatores & adulteri in cœtu sanctorum tolerentur, & ad sacram Domini cœnam admittantur: qui tamen secundùm Apostoli præceptum ab Ecclesiæ communione essent arcendi & Satanæ tradendi, donec sufficientibus resipiscentiæ signis ostensis, in communionem Ecclesiæ iterum reciperentur.

Porrò litigiosis istis qui ob res ad victum pertinentes tam temere fratres in forum & quidem Pontificium trahunt, pudorem incutere meritò debebant verba hæc Apostoli: Itáne non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit dijudicare inter fratres suos? Sed frater cum fratre judicio experitur, idque sub infidelibus. Jàm igitur omnino defectus in vobis est, quòd judicia habetis inter vos. Quare non potiùs injuriam patimini? quare non potiùs damnum accipitis?

Jam de sacræ cœnæ administratione quid dicam? Vitiosè illam in multis Germaniæ ecclesiis administrari quis negare ausit, qui ritus jam usitatos cum ritibus quos Christus ipse & Apostoli adhibuerunt, è regione comparet? Celebravit Christus primam cœnam in mensa: hodie celebratur cœna ad altare. Christus ad sacram cœnam accepit de illo pane quo paulò antè corpus paverant: hodie ad sacram cœnam adhibetur panis singularis, qui corpori pascendo perparum idoneus est, ac nomen panis vix meretur. Christus panem fregit ad repræsentandum fractionem (id est, crucifixionem) sui corporis: hodie fractio illa in multis ecclesiis omittitur. Christus panem à se fractum discipulis porrexit, ac in manum dedit: hodie ministri illum accedentibus in os indunt. Quis non videt, quàm longè hodierna sacræ cœnæ administratio à prima illa ab ipso Domino celebratâ recedat ac discrepet? Quare

pet? Quare quemadmodum Apostolus Paulus Corinthios irreverenter cœnam Dominicam tractantes correcturus, ad ipsam Domini institutionem eos revocat: ita & nobis hodie faciendum est. Tollantur igitur altaria, & reponantur mensæ: nec nominator posthac sacramentum altaris, sed cœna Dominica vel mensa Domini: Sicut à Paulo nominatur. Deinde adhibeatur verus ac vulgaris panis, quo spiritualis ille animarum cibus verè repræsentetur: Sicut Apostolus de sacra cœna loquens simpliciter panem (hauddubiè vulgarem & apud Corinthios usitatum intelligens) nominat. Tum restituatur panis fractio: quum cærimonia hæc à Christo ipso & deinceps ab Apostolis Apostolicisq; viris sit adhibita: quumq; fractio ista non sit cærimonia ἀδιάφορος, sed essentialis ac sacramentalis, ad finem, atque adeò ad formam, sacræ cœnæ omnino pertinens: quippe qua crucifixionem sui corporis repræsentare & in memoriam nobis revocare Dominus voluit. quæ etiam causa est, cur Apostolus quod in pane illo fiebat, atque etiam nunc fieri debet, ipsi corpori Domini per sacramentalem metonymiam attribuat: quum ait, Dominum de pane hoc dixisse, Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur. Ecce fractionem tribuit corpori Christi: quod tamen propriè-loquendo fractum non fuit. Sed significare voluit Apostolus: quemadmodum ille panis qui corporis Christi sacramentum est, frangitur: ita corpus Christi quasi fractum, id est, clavis transfixum esse, ac tandem per mortem ab anima separatum, salutis nostræ causâ. Et frangendi ritum tempore Pauli in ecclesiis usitatum fuisse, clarè liquet ex ipsius verbis quum dixit: Panis quem frangimus, nónne communio corporis Christi est? Præterea aboleatur superstitiosa ista cærimonia, qua ministri panem Domini accedentibus in os indunt, itemq; poculum in os infundunt, ac dentur sacra hæc symbola fidelibus in manum: ut ea quemadmodum Dominus præcepit, accipiant. Nam Accipere (quod apud Evangelistas est λαβεῖν, sive λαμβάνειν) proprii de manu intelligitur: unde & omne id quo res prehenditur, ut capulus, ansa, manubrium, λαβὴ Græcis, & Germanis ein heft / item ein handhab nominatur. Et quis credat, Christum in prima cœna singulis Apostolis panem in os indidisse?

Exposui hactenus, quomodo prior Pauli ad Corinthios epistola utilis sit ad varia ecclesiarum vitia corrigendum. Jam ad redargutionem falsi dogmatis de ubiquitate corporis Christi quod attinet, sequamur & hîc exemplum Apostoli, qui in ista epistola dogma illorum qui resurrectionem carnis negabant, refutaturus, provocat ad doctrinam quam à Christo acceperat & è sacra scriptura hauserat: inquiens, Tradidi vobis inprimis quod & acceperam, Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris secundùm scripturas, & sepultum fuisse & excitatum tertio die secundùm scripturas. Sic & nostri doctores tradant doctrinam de persona Christi, quam ex ipsius sermonibus per Evangelistas annotatis acceperunt, & præterea è scriptura Prophetica & Apostolica hauserunt, nempe Christum filium Dei, esse quoque a filium hominis, similem b nobis per omnia, solo peccato excepto: qui de præsentia sui corporis judicare nos c docuit ex eo quòd verè videri ac palpari præsens possit: qui disertè testatus est, se mundum d relicturum, item nos e pauperes semper habituros, ipsum verò non semper: quem Petrus f testatur oportere cælo recipi usque ad tempus restitutionis omnium: quem Paulus g affirmat corpora nostra conformia redditurum corpori suo glorioso: quæ certè nunquam infinita reddentur, ut ubiq; sint. Sed hæc hactenus de multiplici prioris ad Corinthios epistolæ utilitate: quò aliam adhuc duplicem coronidis vice subjicere libet. Una est ad redarguendum errorem fanaticorum quorundam, qui sibi nescio quam sanctitatis perfectionem in hac vita somniant, unde & Perfectistæ nominari solent. At ubi quæso ista sanctitatis perfectio in ecclesia Corinthiaca apparet? in quo Apostolus tot ac tantos defectus corrigit: atque interim eos Ecclesiam Dei & sanctos nominat. Altera utilitas est ad commonefaciendum nos officii nostri erga fratres egenos, exemplo Corinthiorum: quos Apostolus ad collectam faciendam, id est eleemosynas liberaliter contribuendas, ad fratrum Hierosolymitanorum inopiam sublevandam, in utraq; epistola & maximè in posteriore quam-diligentissimè hortatur, atque etiam rationem aliquam colligendi edocet. Sic nostri quoque ministri exhortentur ditiores ad liberales eleemosynas, ac rationem illas & colligendi & administrandi ostendant.

a Matth. 18. v. 13.
b Heb. 2. 17. & 4. 15.
c Luc. 24. v. 39. 40.
d Joh. 16. 28.
e Matth. 26. v. 11.
f Act. 3. 21.
g Phil. 3. 21.

Videor mihi satis dixisse pro hoc tempore & loco de prioris ad Corinthios epistolæ utilitate. Jam ad posteriorem quod attinet, etsi illius quoque multiplex utilitas commemorari hîc posset: tamen in præsenti contentus ero admonuisse de unico illo fructu, quem in principio uno verbo attigi. Is fructus peculiaris est fidorum Ecclesiæ doctorum: quibus idem hodie evenire solet quod ex ista epistola videmus olim apostolo Paulo accidisse. Ejus enim omnia ferè & dicta & facta pseudapostoli in deteriorem partem rapiebant, & apud Corinthios calumniosè traducebant: quibus ille calumniis in hac epistola occurrit, suam in dictis ac factis constantiam ac sinceritatem prolixè asserens. Quod exemplum fidi doctores imitari debent: ac interim sese hac cum fidissimo apostolo, atque adeò cum ipso Christo, in cruce conformitate consolari: certâ spe freti, fore ut suo tempore immarcessibilem illam gloriæ coronam à Christo accipiant, nec non ipsimet tanquam capiti suo in cælesti illa gloria conformentur.

Utilitas posterioris epist. ad Corinthios ad præsentem Ecclesiæ statum.

Sed hæc hactenus. Dicendum nunc aliquid esset de causis, quæ me moverunt ut hasce meas Analyses typis divulgari paterer: sed illæ jam Cels. tuæ (ut opinor) notæ sunt, & in præfatione ad illustrem Dominum Ludovicum Comitem Witgensteinium, à me sunt expositæ.

Tuæ verò Celsitudini hoc alterum Analysium volumen dedicare volui debitæ observantiæ testandæ causâ. Tu enim me veluti Mæcenas liberaliter alis: tu mihi potestatem sacras literas in illustri Herbornensi schola interpretandi facis. Quare tuæ Celsitudini ex parte debetur hoc quicquid est lucubrationum mearum: Quod utinam ut à me quam-fidelissimè elaboratum est, ita quamplurimùm adjumenti studiosæ juventuti afferat ad sacras literas intelligedum. Tuæ quidem Celsitudini istos meos labores probatum iri confido.

Parcior hîc sum in commemorandis tuis laudibus, generose domine; ne videar Celsitudini tuæ velle adulari: veruntamen ne, dum sinistram hanc suspicionem effugere conor, in crimen ingrati silentii incidam: non possum non occasione hac oblatâ, recensere pauca quædam quæ juventutem nostram ad debitam observantiam Celsitudini tuæ præstandam, & omnes bonos ad Celsitudinem tuam amore complectendam & honore prosequendam possint excitare.

Notum est, & apud omnes rectè judicantes extra controversiam positum, primam Christiani principis curam esse debere, ut rectè constituat cultum Dei. Quum enim Christianus magistratus custos sit utriusq; tabulæ legis DEI: consequens est, ut primam, in qua de cultu Dei præcipitur, primò ac principaliter tueatur & curet. Hanc curam ita suscepisti, ut quæ à majoribus in cultu DEI rectè constituta acceperas, retinueris & huc usque conservâris: quæ verò emendatione aliquâ indigebant, ea ex præscripto verbi Dei singulari cum zelo emendari curaris. Itaque videmus, non solùm puram verbi Dei doctrinam in ditionum tuarum ecclesiis annuntiari, sed etiam sacras cærimonias à Christo institutas (quæ Sacramenta dicimus) purè administrari.

Deinde ad officium pii Principis pertinet, ut ad legum divinarum utrâque tabulâ comprehensarum authoritatem tuendam rectè constituat judicia & juris administrationem. Hinc enim est, quòd Deus expressè Deut. 17. c. præcepit, ut quum Rex sedere cœpisset super solium regni sui, describi sibi curaret exemplum legum Dei: & in eo legeret omnibus diebus vitæ suæ: ut ita disceret timere Dominum Deum suum, & custodire verba in legibus illis præcepta. Hujus rei tu memor, Consiliarios tibi adscivisti juris divini ac humani peritissimos, & consilio pollentes, de quorum sententia jura subditis dicantur.

Præterea à principe Christiano requiritur, ut scholas instituat, in quibus juventus ad munera seu officia tum ecclesiastica, tum politica rectè administranda informetur. Unde Deus apud Esaiam cap. 49. promittit Ecclesiæ novi Testamenti, fore ut reges sint nutritii ipsius. Hanc rem tu perpendens, generose domine, non fuisti contentus scholis puerilibus & privatis, id est, ad usum privatum cujusq; civitatis destinatis: sed aperuisti Herbornæ scholam publicam: ad quam non solùm indigenis, verumetiam exteris liber accessus patet. Atque hîc magnis sumtibus alis tum præceptores classicos, tum publicos professores: quorum omnium labor in hoc desudat, ut juventus primò omnium erudiatur in tribus illis linguis, ad veram sapientiam ex libris tum sacris, tum profanis hauriendam necessariis, Latinâ inquam, Græcâ & Hebraicâ: deinde ut probè omnes instituantur in doctrina Christiana, è sacris literis, id est, sancto Dei verbo, depromtâ: tum etiam ut adolescentibus judicium formetur ex arte disserendi. atque hæc in classibus. Publicè verò tum Philosophia, tum Jurisprudentia, tum denique sacra Theologia quam-diligentissimè fidelissimeq; traditur. Et quanquam hæc magna sunt, magnamq; laudem merentur: tamen munificentia tua in bonarum artium ac disciplinarum magistris ac doctoribus liberaliter alendis non subsistit, sed ulteriùs progreditur: ad ipsos quoque discipulos, earundem studiosos, sese extendit. Quum enim (ut Juvenalis ait)

Non facilè emergant, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi:

Celsitudo tua ad levandum sumptus iis quibus tenuiores sunt facultates, œconomiam instituit: ubi pro pretio tolerabili & exiguo victus præbetur; quin etiam nonnulli gratis aluntur: defectum justi ac sufficientis pretii liberali Cels. tuæ munificentiâ compensante.

Omitto cætera hujus generis, quæ plura in laudem Celsitudinis tuæ verè & absque ullo palpo commemorari ac prædicari possent. nam ex his ipsis cuivis cordato satis apparet, te seriò hoc agere, ut scholam hanc laudabiliter abs te institutam conserves, promoveas, augeas, ornes: denique ut in hac parte non minùs quàm in cæteris, pii & verè Christiani atque heroici Principis officio fungaris.

Quæ quum ita sint: æquum est, ut & nos, tum præceptores tum discipuli, qui sub Celsitudinis tuæ patrocinio in hac schola degimus, debitam observantiam Celsitudini tuæ declaremus; & omnes boni, ad quos laudum tuarum fama pervenerit, singulari amore ac favore pietatem tuam prosequantur.

Quod restat, Deum patrem Domini nostri Jesu Christi oro, ut nobis pacem largiatur, quò juventus in bonis literis & pietate educari apud nos possit: & ut huic tanto bono procurando Celsitudinem tuam quamdiutissimè incolumem ac florentem nobis conservet. Herbornæ 4. Februarii 1589.

C. T.

Subjectiss.

Johannes Piscator.

ARGU-

ARGUMENTUM PRIORIS EPISTOLÆ PAULI AD CORINTHIOS.

Hæc epistola varias variorum vitiorum quibus Corinthiorum ecclesia laborabat, correptiones continet: quarum pleræq; ad vitam Christianam, nonnullæ etiam ad fidem pertinent. Primis enim quatuor capitibus corripit Corinthios fideles propter dissidia seu schismata: scissi enim erant in partes ac factiones ex eo, quòd alii alios doctores unicè sectarentur, admirati sapientiam & eloquentiam, quam isti ostentabant: quare eâdem operâ illorum quoque doctorum fastum & ambitionem perstringit. Capite quinto vehementer eos objurgat propter ἀκηδίαν seu incuriam in ferendo homine impuro, qui novercâ pro uxore abutebatur: ac proinde eis mandat, ut illum è suo cœtu ejiciant atque excommunicent. Sexto capite reprehendit eos propter levitatem in litigando cum fratribus (id est, Christianis ejusdem ecclesiæ sociis) sub magistratu ethnico: ac hortatur ut è suo numero decisores litium constituant. Præterea dehortatur eos à scortatione: quæ tum apud Corinthios aliosq; ethnicos pro peccato non habebatur. Capite septimo erudit eos de conjugio, & quæstiones aliquot explicat: ut, an uxor ducenda sit: quibus ducenda sit: quomodo conjuges se ergà se mutuò debeant gerere: an liceat à conjuge discedere conjugiúmque dirimere, ac nominatim an liceat discedere à conjuge infideli; an cum conjuge infideli habitari possit bonâ conscientiâ: quod sit jus partis desertæ. Et ibi obiter de circumcisione & præputio, item de servitute & libertate: quas res nihil ad Christianismum attinere docet, ac proinde earum rationem habendam non esse, quantum quidem ad conscientiam attinet. Tum ad propositum rediens, disputat de virginibus nuptum dandis aut non dandis; itemq; de uxore ducenda vel non ducenda: tandem etiam de viduis & nuptiis earum. Octavo capite disserit de esu idolothytorum, id est, carnium immolatitiarum, quæ scilicet immolatæ erant idolis: quatenus iis vesci liceat, & quatenus non liceat. Capite nono suum illis exemplum proponit, ut doceat, in gratiam infirmiorum fratrum (id est, eorum qui in fide Christiana nondum satis sunt eruditi) debere eruditiores de suo jure decedere. Decimo capite, proposito exemplo divinarum pœnarum in veterem Dei populum exercitarum, dehortatur eos ab idololatriâ, ac nominatim à communione conviviorum idololatricorum; & eâ occasione rursum de esu idolothytorum disputat, quatènus scilicet iis vesci liceat, & quatenus non liceat. Capite undecimo de publicorum cœtuum rectâ dispositione disserere incipit, ad corrigendum vitia quæ in congregationes Corinthiorum irrepserant: ac primùm quidem disputat de virorum & fœminarum decenti habitu: deinde de rectâ cœnæ Domini administratione. Capite duodecimo disserit de recto donorum spiritualium usu: admonens, ut nec ii qui excellentiora dona acceperant, reliquos contemnant: nec ii qui acceperant dona inferiora, cæteris invideant: omnes verò hortatur, ut dona potiora, id est, Ecclesiæ ædificandæ utiliora expetant. Capite decimotertio comparat alia Spiritus sancti dona, ut donum linguarum, & prophetiæ seu facultatis interpretandi scripturas, & fidei miraculosæ, cum charitate: & hanc illis omnibus, atque adeò ipsi fidei ac spei, præfert: naturámque ejus pluribus verbis describit. Capite decimoquarto inter se comparat donum linguarum & donum prophetiæ, id est, explicationis scripturarum: & hoc illi, tanquam ecclesiæ ædificandæ utilius, anteponit: simulq; præcipit, quomodo dono linguarum in conventu ecclesiæ debeant uti, itemq; dono prophetiæ: tandem mulieribus sermonem in ecclesia expressè interdicit. Capite decimoquinto propugnat ac tuetur articulum fidei Christianæ de resurrectione mortuorum: & mortuos resurrecturos, tum exemplo Christi, tum aliis argumentis probat. ubi notandum, eum propriè disserere de resurrectione fidelium: ita tamen ut resurrectionem infidelium non neget. Docet etiam, qualibus corporibus fideles resurrecturi sint; nempe glorificatis & incorruptibilibus: Item quid futurum sit iis, quos adventus Domini vivos deprehendet, & quomodo in adventu Domini, mortui suscitandi sint. Capite decimosexto (quod ultimum est) hortatur eos ut collectas faciant, id est, ut nummos colligant ac seponant pro eleemosyna afferenda pauperibus Christianis in ecclesia Hierosolymitana, suamq; operam offert in curando ut collectæ istæ fideliter reddantur. Spem quoque facit sui adventus. Præterea commendat eis Timotheum: excusat Apollo, quòd ad eos non sit profectus: hortatur eos ad constantiam in fide & charitate, commendat eis familiam Stephanæ, & ipsum Stephanam & Fortunatum & Achaicum. Salutat eos verbis aliorum. Tandem gravissimam imprecationem annectit contra hypocritas; qui quum se Christianos profiteantur, Christum tamen non amant. Postremò desinit in optatione gratiæ Dei, & charitatis suæ testificatione. Totum hoc argumentum his quatuor versibus comprehendo:

1.2.3.4 5 6 7	*12.13.14.*
Dissidia, Incestus, Lites, Scortatio, Conjux:	*De cœna Domini, tum Spiritualia dona:*
8 9 10 11	*15 16*
Carnes, Infirmi, Pœnæ, Gestusq; decorus:	*Morte resurgemus, Collectæ, Lausq; piorum.*

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Primum caput in tres partes distingui potest. Prima pars continet τὰ περὶ τῆς ἐπιστολῆς, id est, ea quæ epistolis præmitti solent: nempe subscriptionem vers. 1. inscriptionem v. 2. & salutationem v. 3. Secunda pars habet exordium epistolæ, ubi Corinthiis gratulatur dona Spiritus sancti quibus excellebant: & in spe constantis dilectionis Dei eos confirmat, à v. 3. usq; ad v. 10. Tertia pars continet initium disputationis de tollendis schismatibus. Est autem schisma, quum qui in doctrina consentiunt, sese ab aliis sejungunt. His primùm eos ad concordiam hortatur, & contrà à schismatibus dehortatur, v. 10. Deinde cujusmodi Corinthiorum schisma fuerit, exponit: suamq; narrationem testimonio confirmat, v. 11. & 12. Tum dehortationis instituta argumenta affert, v. 13. Postea parumper digreditur in narrationem de ministerio suo, v. 14. 15. 16. 17. ejusq; narrationis occasione perstringere incipit ambitiosos Corinthiorum doctores, qui sapientiam & eloquentiam humanam in docendo affectabant atq; ostentabant, eâdemq; operâ stultos illorũ admiratores ac sectatores reprehendit: contraq; quænam natura & conditio prædicationis Evangelii & verorum illius discipulorum sit, declarat: deniq; quantus in Evangelio thesaurus contineatur, à v. 17. usq; ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE CAPITIS.

Paulus vocatione Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Sosthenes frater.

2 Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatione sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in quovis loco, *domini inquam* tum ipsorum tum nostri.

3 Gratia *sit* vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo.

Primus versus continet subscriptionem, seu nomen autoris qui hanc epistolam scripsit. Is est Paulus Apostolus. Vel potius autor hujus epistolæ (sicut & omnium Apostolicarum epistolarum) est Spiritus sanctus. Quemadmodum enim in veteri Testamento prophetæ à Spiritu sancto impulsi loquuti sunt; 2. Pet. 1. vers. ult.) ita Apostoli in novo. Apostolus igitur Paulus non tam autor, quam scriptor, & quasi amanuensis Spi-

ritus S. fuit, qui hanc ei epistolam (sicut & reliquas) arcano quodam instinctu dictavit. Et hanc ob causam apostolatus sui meminit: significans, se meritò audiendum esse, quum loquatur authoritate Christi à quo ad Evangelium apud quósvis docendum sit vocatus & Spiritus sancti donis instructus. De hac vocatione Pauli ad apostolatum & mirabili ejus conversione vide Actor. 9. & 22. & 2. Corinth. 12. in principio, & Galat. 1. & 2. Pauli nomen (quum antea diceretur Saulus) eo primùm tempore tributum illi videtur fuisse, quum suo apostolatu inter Gentes fungi cœpit, ac primùm ita nominatus esse à familia Sergii Pauli proprætoris Cypri, per ipsius prædicationem ad fidem Christianam conversi. Etenim hanc conversionem tanquam primum specimen prædicationis Pauli narrat Lucas, & in illa narratione eum primùm Paulum nominat, ac deinceps semper. Vide Actor. 13. v. 6. 7. 8. 9. &c.

Adjungit autem sibi Sosthenem, ut duobus testibus sanciatur hæc doctrina, ac proinde ut Corinthii eò magis moveantur ad fidem illi habendam: qui tamen solius Apostoli autoritate meritò ad obedientiam fidei moveri debebant.

Versus secundus habet inscriptionem. Inscribit autem hanc epistolam Paulus fidelibus apud Corinthios: quos vocat Ecclesiam Dei, id est, populum à Deo vocatum ad spem vitæ æternæ. Deinde eandem sententiam repetens, addit quandam Ecclesiæ descriptionem, inquiens: *Sanctificatis in Christo Jesu, vocatione sanctis.* Quibus verbis describit Ecclesiam, atque adeò hominem Christianum, partim ex fide, partim ex resipiscentia. Nam per fidem inserimur Christo, tanquam palmites viti (Johan. 15.) atque ita Christo insiti sanctificamur, id est, separamur à mundo per Spiritum sanctum, qui ex Christo tanquam capite in nos tanquam membra manat: atque ita vocamur ac renovamur ad sanctitatem animi & corporis. Ne autem existiment Corinthii, hanc epistolam ita ipsis propriam esse ut ad alios non pertineat, addit, *Cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in quovis loco, tum ipsorum, tum nostro.* Quibus verbis significat, doctrinam hujus epistolæ omnibus Christianis communem esse: quos à proprio effecto describit, sicut Ananias Actor. 9. versu 14.

Tertius versus habet salutationem; qua optat eis gratiam, & pacem à DEO patre nostro & Domino JESU CHRISTO. Nomine *gratiæ* intelligit gratuitum favorem DEI quo nos complectitur in Christo, id est, propter satisfactionem Christi qui pro peccatis nostris morte sua satisfecit, atque ita irâ Patris sublatâ, favorem ejus nobis acquisivit. Nomine *pacis* intelligit tranquillitatem conscientiæ in favore illo Dei acquiescentis, quippe quem sibi per Christum reconciliatum esse novit: de qua pace loquitur etiam Rom. 5. vers. 1. ubi ait, Justificati fide, pacem habemus erga Deum. Hanc gratiam & hanc pacem optat *à Deo patre*, tanquam fonte omnium bonorum, & *à Christo*, tanquam mediatore, sine quo nihil ad salutem æternam pertinens accipimus.

DE SECUNDA PARTE CAPITIS.

4 Gratias ago Deo meo semper de vobis, ob gratiam Dei quæ data est vobis in Christo Jesu:

5 Quòd omnibus rebus ditati sitis in ipso; omni loquendi facultate, omnique cognitione:

6 Prout testimonium Christi confirmatum fuit in vobis.

7 Adeò ut non deficiamini ullo dono, exspectantes dum patefiat Dominus noster Jesus Christus.

8 Qui etiam confirmabit vos usque ad finem, *ut sitis* inculpati in die Domini nostri Jesu Christi.

9 Fidelis est Deus, per quem vocati estis in communionem filii ipsius Jesu Christi Domini nostri.

In exordio prudenti quadam ac pia insinuatione utitur. Etenim damnaturus multa vitia, incipit à vera virtutum prædicatione; ne odio aut malevolentiâ impulsus postea videatur ad objurgationes descendere: ita tamen ut omnia ad Deum autorem referat: idque in Christo; quo magis pudeat Corinthios sacra Dei dona profanare, vers. 4. Deinde vers. 5. attingit illud nominatim, quo præcipuè abutebantur: nempe donum eloquentiæ & intelligentiæ scripturarum. Tum vers. 6. istorum donorum finem significat, nempe ideo à Deo eis data esse, ut ita confirmaretur apud eos doctrina Evangelii, quam vocat *testimonium Christi*, id est, testimonium Apostolorum de Christo. Apostoli enim à Christo testes constituti sunt eorum, quæ gessit ac perpessus est propter nostram salutem, Actor. 1. vers. 8. Præterea vers. 7. donorum istorum naturam & usum innuit, inquiens, *Corinthios nullo dono deficì, exspectantes dum reveletur Christus.* quibus verbis significat, dona illa præsenti tantùm tempori servire, in adventu autem Christi abolenda esse: ac proinde non esse cum iis, quæ per Christum post hanc vitam donabuntur, comparanda. Postea versu 8. testatur se bene etiam in posterum de eis sperare; ut eò patientiùs ferant, se postea reprehendi. Simul tamen ostendit, Dei unius opus esse tum initium, tum etiam complementum nostræ salutis. Promittit igitur eis perseverantiam in fide, eamque promissionem confirmat vers. 9. à natura Dei autoris fidei.

DE TERTIA PARTE CAPITIS.

10 Precor autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia; sed sitis coagmentati eâdem mente & eâdem sententiâ.

11 Declaratum est enim mihi de vobis, fratres mei, à domesticis Chloës, quòd lites sint inter vos.

12 Hoc autem dico; unumquemque vestrûm dicere; Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo; ego verò Cephæ, ego verò Christi.

13 *Num* dispertitus est Christus? num Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomen Pauli baptizati fuistis?

14 Gratias ago Deo meo, quòd neminem vestrûm baptizaverim, nisi Crispum & Gajum.

15 Ut ne quis dicat, me in meum nomen baptizasse.

16 Baptizavi autem etiam Stephanæ familiam: cæteroquin haud scio num quem alium baptizaverim.

17 Non enim misit me Christus ut baptizarem, sed ut evangelizarem: non *tamen* cum dicendi peritiâ, ne inanis reddatur crux Christi.

18 Nam sermo ille de cruce, iis quidem qui pereunt, stultitia est: iis autem qui servantur, *id est*, nobis, potentia Dei est.

19 Scriptum est enim, Abolebo sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium tollam è medio.

20 Ubi sapiens? ubi scriba? ubi disquisitor seculi istius? Nónne infatuavit Deus sapientiam mundi hujus?

21 Nam postquam in Dei sapientiâ mundus non cognovit Deum per *suam* sapientiam: placuit Deo, per stultam prædicationem servare credentes.

22 Quandoquidem & Judæi signum petunt, & Græci sapientiam quærunt.

23 Nos autem prædicamus Christum crucifixum; Judæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam:

24 Ipsis autem vocatis, tum Judæis tum Græcis, Christum Dei potentiam ac Dei sapientiam.

25 Nam stultitia Dei, sapientior est quàm homines: & infirmitas Dei, robustior est quàm homines.

26 Videtis enim vocationem vestram, fratres: vos *videlicet* non *esse* multos sapientes secundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles.

27 Verùm quæ stulta sunt in mundo, elegit Deus; ut pudefaciat sapientes: & quæ sunt infirma in mundo, elegit Deus; ut pudefaciat robusta:

28 Et quæ ignobilia sunt in mundo, & pro nihilo habita, elegit Deus, & ea quæ non sunt; ut ea quæ sunt aboleat:

29 Ut ne glorietur ulla caro coram ipso.

30 Sed ex ipso vos estis in Christo Jesu: qui factus est nobis sapientia à Deo, justitiaque, & sanctificatio, & redemtio.

31 Ut *fiat* sicut scriptum est; Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Versu 10. absolutâ præfatione, ad rem ipsam accedit; ab obtestatione gravissima incipiens: quasi Christum ipsum, non Paulum, loquentem sint audituri. Hortatur autem eos ad concordiam, & contrà dehortatur à schismatibus.

Versu 11. rationem suæ cohortationis per prolepsin affert: Poterant enim cogitare, Quid te movet ut nos horteris ad concordiam? quis ergo tibi dixit, nos esse discordes? Respondet, Domestici Chloës mihi dixerunt: quæ hauddubiè religiosa matrona fuit.

Versu 12. exponit dissidiorum istorum causam efficientem, quòd nimirum alii ab aliis doctoribus penderent: nonnulli verò etiam ita sibi ipsis addicti essent, ut omnes doctores negli-

gerent, solius Christi sese discipulos, exclusis doctoribus, vocantes. Ponit autem non nomina istorum doctorum, quorum occasione ista dissidia erant exorta, quique illa suâ ambitione (ut ex sequentibus intelligetur) fovebant: sed illis parcens, ponit nomina aliorum; ut suum ipsius & cujusdam Apollo, & Cephæ, id est, Petri. Cujus facti rationem exponit infrà cap.4.v.6. nempe ut Corinthiis exemplum modestiæ præberet, ut qui factiosorum istorum nomina reticens, non dubitârit suum & Apollo nomen substituere ipsorum loco, & eorum dedecus hoc modo velut in se recipere, nedum ut se cuiquam anteponeret. Est igitur hoc loco metaphora καταχρηστική. nam nomina hæc certarum personarum transferuntur ad significandum personas istis similes, quantum quidem ad vitæ genus attinet. erant enim isti doctores Evangelii, ut hi qui nominantur: sed animo tamen multum his dissimiles, quippe ambitiosi & factiosi. De Apollo vide Act.18.v.24.

Versu 13. cohortationis institutæ rationes tres affert: quas singulas vehementibus interrogationibus, vim negandi habentibus, atque adeò ἀνακοινώσει seu communicatione Rhetoricâ exornat. Prima ratio sumta est à pari, videlicet à comparatione capitis cum corpore. Ubi enim unum est caput, ibi quoque unum corpus. Christus autem caput est ecclesiæ fidelium, tanquam corporis. Ergo ecclesiam oportet esse unum corpus, non autem in plura corpora scindi per discordiam: alioquin & ipse Christus tanquam in plura capita discerperetur. Secunda ratio sumta est à causa efficiente denominationis: quæ est jus & dominium in denominatum. Denominantur enim res possessæ à suis dominis. Dominus autem fidelium non est quisquam præter Christum: quippe qui solus pro fidelibus crucifixus est, suoque sanguine eos sibi acquisivit. Confer Actor.20.v.28.& 1.Pet.1.v.19. Tertia ratio sumta est à fine Baptismi: qui est, ut consecremus nos Deo, eique nos totos dedamus atque addicamus, ac proinde ut ab eo solo tanquam magistro ac domino pendeamus, atque ideo etiam ab eo denominemur. id quod ipsa Baptismi formula innuit. Baptizamur enim in nomen (εἰς τὸ ὄνομα, auf den namen/ Matth.28.v.19.) Dei patris, filii, & Spiritus sancti: id est, in hunc finem, ut simus, ac proinde etiam nominemur, cultores ac servi, imò filii, hujus Dei, qui solus est verus Deus; nempe Patris, Filii & Spiritus sancti. Quum igitur non simus baptizati in nomen alicujus doctoris; non debemus etiam nos cuiquam doctori ita addicere, aut ab illius autoritate pendêre, ut ab ipso denominemur.

Versu 14. & deinceps parumper digreditur à proposito, occasione tertiæ rationis proximè præcedentis. Profitetur autem se valde paucos baptizasse; eaque in re divinam providentiam agnoscit, qua factum sit ut sit extra omnem suspicionem, quasi discipulos aliis ereptos velit sibi vendicare. Ex quo intelligere licet, non tantùm discipulos, sed etiam multò magis doctores ipsos hîc reprehendi, qui suos greges sibi separatim cogebant.

Versu 17. huic de sua baptizatione narrationi annectit prolepsin seu occupationem, se non baptismi contemtu paucos baptizasse, sed quòd in doctrina tradenda præcipuè occupatus, tanquam in principali suo officio & vocationis suæ principali fine seu scopo, auditores assentientes committebat aliis, quorum illi copia erat, baptizandos. Non igitur negat simpliciter & in universum, se missum esse ad baptizandum: (nam certum est, baptismi administrationem muneris apostolici partem esse, ut liquet ex mandato Christi Matth.ult. v.penult.) sed hoc intelligit de principali muneris sui parte. Porrò occasione hujus sententiæ qua se dicit potissimùm missum ad evangelizandum, redit ad propositum de schismatibus apud Corinthios; & illorum causam procreantem obliquè significat, nempe vanitatem tum ambitiosorum doctorum, qui affectabant sapientiæ & eloquentiæ laudem, tum stultorum auditorum qui ista in doctoribus admirabantur, & propter judiciorum de istis rebus diversitatem in partes & factiones scindebantur; iis nempe doctoribus singuli adhærentes, quos cæteris sapientiâ atque eloquentiâ præstare judicabant. Horum igitur omnium, tum doctorum tum auditorum, vanitatem perstringens Apostolus, negat se evangelizasse cum sapientia sermonis: id est, negat se more mundanorum oratorum solicitum fuisse de verbis atque sententiis quibus orationem suam exornaret aut probabilem redderet: ex qua negatione contrariam affirmationem intelligere debemus, nempe usum esse genere dicendi simplici, & ad docendum, non autem ad delectandum, accommodato. Cæterùm facti sui rationem affert Apostolus, cur scil. illâ verborum pompâ & orationis pigmentis non sit usus: nempe ne inanis redderetur crux Christi, hoc est, ne doctrina de cruce Christi evanesceret ac sine fructu audiretur. Dum enim animus intentus est ornamentis oratoriis, ut vel delectet dicendo, vel delectetur audiendo: interim negligitur nucleus doctrinæ, in quem solum animus erat intendendus & doctori & auditori: ut nimirum doctor voluntatem Dei de salute nostra per Christum simpliciter patefaciat, & auditor illi cognoscendæ intentus sit, & in eâ cognitâ acquiescat: credendo nimirum promissionibus gratiæ, & affectum animi ad obsequium erga Dei mandata componendo: qui duplex est, isque genuinus, doctrinæ evangelicæ fructus, juxta illud Domini dictum, Resipiscite & credite Evangelio. Potest etiam sic exponi: *Ne inanis reddatur crux Christi*: id est, Ne Evangelio, quod est prædicatio crucis Christi, adimatur proprium suum effectum, nempe fides: dum scil. fides adscribitur eloquentiæ docentium, hoc est, dum existimant se ideo in Christum credere, quia is eloquenti ac sapienti oratione fuerit annuntiatus.

Versu 18. sequitur alia prolepsis. Objectio: Qui fit quòd tu Paule tanti facis sermonem de cruce, ut nolis eum evanescere ac sine fructu abire? Attamen sermo ille stultitia est. Respondet per distinctionem: Iis, inquit, qui pereunt, sermo ille crucis stultitia est: nobis autem qui servamur, potentia Dei est. quasi dicat: Esto, videatur sanè simplex illa Evangelii prædicatio nonnullis stulta: sed non propterea est stulta. nam qui ita sentiunt, sunt ex numero eorum qui pereunt, ac proinde recto judicio carent. Qui verò ad salutem prædestinati sunt, illorum mens ita illuminatur per Spiritum sanctum, ut intelligant, prædicationem Evangelii de salute nostrâ æternâ per crucem Christi partâ, esse potentiam Dei, id est, instrumentum Dei quo potenter utitur ad cognitionem sui salvificam in electis suis efficiendam. Sic Rom.1.v.16.

Versu 19. sequitur alia prolepsis, sed obscurior, propter omissam objectionem. Est autem objectio ista; At qui ita judicant, sermonem scil. de cruce stultitiam esse, sunt homines sapientes, ingeniosi, acuti, eruditi, in rebus occultis contemplandis diu multumque versati. Quare judicium eorum non videtur rejiciendum. Respondet, Esto: sint sanè sapientes secundùm mundum: at quoniam sapientiam Dei quæ in Evangelio patefit, contemnunt: nihil eos juvabit sapientia sua, sed potius propter veræ sapientiæ contemtum, à Deo infatuabuntur, ut de rebus ad salutem æternam pertinentibus nihil prorsus intelligant. Quam sententiam confirmat simili exemplo illorum sapientum qui olim tempore Esaiæ in populo Dei vivebant: quibus Deus propter ipsorum hypocrisin, infatuationem illam per prophetam minatus est. Locus exstat c.29.v.14. Confirmationem ex Esaia præmittit v.19. tum v.20. inde deducit responsionem ad objectionem propositam: cujus responsionis sententia illustratur communicatione rhetoricâ.

Versu 21. exponit causam cur Deo placuerit, per prædicationem crucis servare credentes: quippe quam suprà vers.18. appellavit potentiam Dei qua servamur, id est, instrumentum quo Deus potenter utitur ad nos servandum. Causam docet esse ipsam necessitatem. Nam necesse fuit, nos servari aut per modum qui rationi humanæ videtur sapiens, aut per modum qui eidem videtur stultus. Atqui servari non potuimus per modum qui rationi humanæ videtur sapiens, nempe per cognitionem Dei ex ipsius operibus, ut ex opificio hujus mundi: nam *mundus non cognovit Deum* (id est, homines non cognoverunt Deum) *per sapientiam*, hoc est, per judicium naturale rationis, *in sapientia Dei*, id est, in opificio mundi tanquam objecto contemplationis, in quo pulcherrimè elucet sapientia Dei; sicut & potentia & divinitas ejus æterna, ut docet Apostolus Roman.1.vers.20. Ergo quum non potuerimus per sapientem hunc modum servari: placuit Deo, nos servare per modum judicio rationis humanæ stultum, nempe per stultitiam prædicationis, hoc est, per prædicationem crucis Christi, quæ rationi humanæ videtur stulta: quippe quum prædicatio illa ex morte vitam, ex extrema ignominia summam gloriam petere doceat.

Versu 22. & deinceps sequitur explicatio ejus quod dixerat, Prædicationem Evangelii stultam esse, scilicet opinione hominum nondum efficaciter vocatorum, sed adhuc animalium, ψυχικῶν, ut eos appellabit infrà cap.2. vers.14. Hos igitur distinguit in duas classes, videlicet Judæos & Græcos: id est, habentes legem Dei scriptam & non habentes; qua ratione populos discernit Roman.2. vers. 12.13.14. Et de his distinctè probat ex effectis (nempe factis ipsorum) quòd Evangelii prædicationem stultam existiment. Nam *Judæi*, inquit, *petunt signum*: id est, nolunt credere in Christum, nisi ad eorum placitum edat miracula, quibus potentiam suam ostendat; *Græci autem quærunt sapientiam*, id est, argumenta quæ rationis vi naturali possint comprehendere. At nec Christus nec Apostoli, Evangelium prædicantes, miracula edunt ad placitum Judæorum: nec argumentis ejusmodi utuntur quæ ratione humana possint comprehendi. Quare non est mirum, si prædicatio Evangelii ab utrisque repudietur.

Versu 23. & 24. opponit perversis Judæorum & Græcorum carnalium seu animalium de Christo crucifixo (prædicationis nimirum Evangelicæ subjecto) judiciis, judicium rectum ac verum omnium vocatorum seu spiritualium, id est, per Spiritum sanctum vocatorum efficaciter, atque illuminatorum. *Nos autem*, inquit, nempe nos Apostoli cæterique Evangelii doctores, *prædicamus Christum crucifixum*, id est, docemus, homines vitam æternam adipisci per Christum crucifixum, quatenus nimirum credunt, eum pro ipsorum peccatis crucifixum esse. Tum addit, *Judæis quidem offendiculum*: quia Judæi, quum sibi falsò imaginarentur ac somniarent, Christum fore regem mundanum, qui ipsos potenter liberaturus esset à

potestate Romanorum, offensi sunt humili ac servili forma Domini nostri Jesu Christi, maximè autem omnium, ignominiâ crucis. Tum sequitur, *Græcis verò stultitiam*: quia stultum videbatur Philosophis, vitam petendam esse ex morte: item Christum ex morte revixisse, denique homines mortuos resurrecturos; & quidem in ecclesia Corinthiorum tales erant, qui resurrectionem mortuorum negabant, sicut intelligitur ex capite 15. hujus epistolæ. Hæc igitur erant perversa tum Judæorum tum Græcorum de Christo crucifixo judicia: his opponit Apostolus vers. 24. rectum ac sanum judicium piorum, inquiens: *Ipsis autem vocatis, tum Judæis tum Græcis, Christum Dei potentiam ac sapientiam. Per vocatos* intelligit eos qui vocati sunt in communionem filii Dei, ut locutus est suprà versu nono; vocati, inquam, efficaciter, id est, non solùm externè per prædicationem Evangelii: sed etiam internè per efficaciam Spiritus sancti. Hanc efficacem vocationem communem facit Judæis & Græcis: ne Judæi sibi falsò persuadeant, se solos Dei populum esse, & gratiam Christi ad se solos pertinere. Christum autem crucifixum vocat primùm *Dei potentiam*: id est, eum qui virtute suæ deitatis potenter dissolvit opera diaboli, principem hujus mundi ejecit foras, mundum denique vicit, ac morti mors fuit, quum potenter ex morte resurrexit. Et hoc opponit offendiculo Judæorum: qui offendebantur Christi cruce tanquam re infirma. Deinde Christum crucifixum vocat *Dei sapientiam*: id est, eum qui sapientissimum Dei de nostra salute consilium non solùm nobis patefecit, verùm etiam exsequutus est: qua de re alibi ait, omnes sapientiæ thesauros in Christo esse reconditos: Coloss. 2. versu 3. Porrò hanc Dei sapientiam ac potentiam quam in Christo demonstravit, amplificat versu 25. collatione sapientiæ & potentiæ humanæ, tanquam longè minoris seu inferioris. Vocat autem hîc sapientiam illam Dei, stultitiam: itemque potentiam illam Dei, nominat infirmitatem: per concessionem ironicam, ex opinione scilicet Græcorum & Judæorum perversè judicantium. ait igitur, *Nam stultitia Dei, sapientior est quàm homines: & infirmitas Dei, validior est quàm homines*. quasi dicat: Etsi sapientia illa Dei quam declarat in Christo crucifixo & resuscitato, Græcis videtur esse stultitia: tamen sciendum est, eam esse majorem non dico quàm sit sapientia hominum, sed quàm sint ipsimet homines; quanti sunt, & quicquid sunt & habent. Similiter, etsi potentia illa Dei quam in Christo crucifixo exeruit, infirmitas videtur Judæis: tamen hæc potentia major est non dico quàm potentia hominum, sed quàm ipsimet homines. Hæc autem etiam ad prædicationem Evangelii referenda sunt: per quam Deus illam suam sapientiam & potentiam electis suis patefacit; & ut fructum illius sentiant, efficit.

Versu 26. per prolepsin occurrit tacitæ objectioni. Quum enim dixisset, stultitiam Dei sapientiorem esse quàm homines, id est, prædicationem Christi crucifixi non esse stultitiam: quum Deus per illam patefaciat sapientiam omni sapientiâ humanâ longè majorem: poterat eis in mentem venire; Attamen qui sic judicant, nempe prædicationem Christi crucifixi esse stultitiam, sunt homines sapientes. Respondet Apostolus: Sunt quidem illi sapientes, sed tantùm secundùm carnem: at tales Deus non moratur: id quod ex effecto significat, nempe facto Dei, qui paucos tales vocat, id est, cognitione Christi salvificâ donat: quod testimonio ipsius experientiæ confirmat: eaque occasione aliorum quoque meminit qui in hoc mundo, non minùs quàm sapientes, magni fieri solent, nempe potentium & nobilium; atque ita sententiam propositam de paucitate vocatorum è sapientibus, collatione similium exemplorum illustrat. *Videtis*, inquit, *vocationem vestram fratres*, hoc est, Videtis quales homines Deus ut plurimum vocet in communionem filii sui, qui se vobis proinde aggregent, & sanctam vobiscum communionem colant. Quales igitur plerique vocatorum apud vos sunt? *Non estis multi*, inquit, *sapientes secundùm carnem*, id est, carnali seu humana seu denique mundana sapientia prædìti: quales erant qui philosophi nominabantur. Tum addit duo similia exempla: *Sic nec estis multi*, inquit, *potentes*: repete, secundùm carnem: *nec multi nobiles*; rursum repete, secundùm carnem.

Versu 27. 28. 29. sententiam propositam de vocatione Corinthiorum illustrat antithesi, simulque finem seu causam finalem exponit, cur scil. Deus tales vocet: nempe ut pudefaciat vanam gloriationem hominum, gloriantium scilicet in rebus istis terrenis, sapientia, potentia, nobilitate generis. Hic autem pro vocatione, electionis meminit: quoniam hæc cum illa ut causa cum proprio effectu necessariò cohæret. Nomine *carnis* v. 29. intelligit hominem, ejusque infirmam atque imbecillem naturam ita notat.

Versu 30. occurrit sinistræ cogitationi vocatorum è sapientibus, potentibus & nobilibus. Quum enim proximè dixisset, Deum elegisse homines stultos, infirmos, ignobiles: ut sapientes, potentes ac nobiles pudefaceret: poterant illi cogitare, hoc etiam ad se pertinere. Hoc igitur Apostolus negat, dum affirmat, ipsos omnes vocatos esse ex Deo in Christo: id est, esse à Deo regenitos & in filiorum numerum receptos per & propter Christum mediatorem: unde intelligi vult, eos in eodem esse electos ad vitam æternam, ac proinde non pudefactum iri. Deinde eâ occasione summam Evangelii, seu doctrinæ de Christo, paucis quidem, sed significantissimis verbis exponit: ut intelligant Corinthii, qua in re ipsis gloriandum sit, nempe non in doctoribus sapientiæ & eloquentiæ opinione illustribus, sed in solo Christo. *Christus factus est nobis*, inquit, *à Deo* (nempe Patre) *sapientia justitiaque, & sanctificatio & redemtio*: hoc est, Christus ordinatus est nobis à Patre ad hos fines: Primùm ut illius cognitione verè sapientes simus, intelligentes nimirum mysterium salutis nostræ, in mirabili illo concursu justitiæ & misericordiæ Dei (de quo paulo antè diximus) positum. deinde, ut eâdem Christi cognitione justitiam illam consequamur ac possideamus, quæ sola coram tribunali Dei consistere potest, nempe justitiam partam sanguine ejus, qua induti per fidem justificamur, Esa. 53. Servus meus justus cognitione sua justificabit multos. tertiò, ut per fidem Christo, tanquam palmites viti, insiti; tanquam membra capiti, annexi, Spiritu sancto sanctificemur, hoc est, renovemur ad veram sanctitatem. postremò, ut tandem in fine seculi per eundem Christum tanquam æternum nostrum regem redimamur ac liberemur ab omnibus miseriis quibus in hoc mundo subjecti sumus, atque ita perfectè beati reddamur. Etenim redemtionis verbum hoc loco non de ea redemtione intelligendum est, qua nos redemit è potestate Diaboli suo sanguine, ut Petrus ait: nam hæc intelligenda venit in vocabulo præcedente *justitiæ*: etenim redimendo nos & expiando peccata nostra, justitiam illam æternam (de qua Daniel) adduxit. Sed redemtio corporis hîc intelligenda est: ut eam Apostolus nominat Roman. 8. versu 23. De qua etiam loquitur Christus Luc. 21. versu 28. quum ad conspectum signorum ultimi diei ac judicii jubet nos erigere capita nostra, nempe attendentes ipsius adventum: quia, inquit, appropinquat redemtio vestra.

Versu ult. addit effectum doctrinæ Evangelii modò expositæ: qui est gloria Dei & salus electorum. Hunc effectum enuntiat verbis Dei, quæ exstant apud Jeremiam cap. 9. vers. 23. & 24. sed illic pluribus verbis additis, nempe ad hunc modum: Ne glorietor sapiens in sapientia sua, neque gloriator potens in potentia sua, neque gloriator dives in divitiis suis: Sed glorietur in hoc, qui gloriatur, se intelligere & cognoscere me, me esse Jehovam exercentem benignitatem, jus & justitiam.

SCHOLIA IN CAP. I.

V. 1. Vocatione Apostolus] κλητὸς ἀπόστολος. *Ad verb. vocatus Apostolus. sed alterum magis perspicuum. Vult dicere, se non usurpare sibi apostolatum privatâ libidine, sed ad illum esse vocatum à Deo.* Per voluntatem Dei] διὰ θελήματος θεοῦ. *Scil. Patris. Confer Galat. 1. v. 1.* Et Sosthenes] καὶ Σωσθένης. *Similiter fratres sibi adjungit 2. Cor. 1. v. 1. item Galat. 1. v. 2. Caterùm de Sosthene vide Actor. 18. v. 17.* Frater] ὁ ἀδελφός. *Intelligit fratrem in Christo, & quidem ministrum verbi.*

2 Sanctificatis in Christo Jesu] ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Id est, Per & propter Christum Jesum: videlicet propter satisfactionem illius, & per Spiritum ejus.* Vocatione sanctis] κλητοῖς ἁγίοις. *Ad verb. Vocatis sanctis. ut suprà v. 1. κλητὸς ἀπόστολος. Vult dicere, sanctos esse per vocationem Dei efficacem; qua donati sint fide & studio pietatis, ac proinde sanctificati sanguine & spiritu Christi.* Cum omnibus &c.] σὺν πᾶσι. *Ecclesiæ Corinthiorum conjungit ecclesias totius Achaiæ. Idem facit 2. Cor. 1. vers. 1. Similiter epistolam ad Galatas, totius Galatiæ ecclesiis inscripsit, Galat. 1. versu 2. Meritò autem repudiat D. Beza συμπᾶσι. nam legendum esset σύμπασι, ut ἅπασι.* Qui invocant nomen &c.] τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα. *Id est, Qui in Christum credunt, & religionem Christianam profitentur. Synecdoche membri. Sic Actor. 9. vers. 14. Periphrasis Christianorum.* In quovis loco] ἐν παντὶ τόπῳ. *Scil. Achaiæ: ex collatione 2. Cor. 1. v. 1. Synecdoche generis.*

3 Gratia] χάρις. *Id est, benevolentia seu favor.* Et pax] καὶ εἰρήνη. *Vide Scholia nostra ad Rom. 1. v. 7.*

4 Deo meo] *Vox fidei applicantis sibi gratiam Dei omnibus credentibus communem. Sic Rom. 1. v. 8.* In Christo Jesu] ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Id est, Per & propter Christum Jesum.*

5 Omnibus *rebus* ditati estis] ἐν παντὶ ἐπλουτίσθητε. *Præpositio ἐν redundat ex Hebraismo: cujus exemplum occurrit Ezech. 27. versu 33 Amplitudine opum tuarum ditabas reges terræ. Ibi in Hebræo est* בְּרוֹב *beròb, in amplitudine.* Omnibus *rebus*] ἐν παντί. *scil. πράγματι. id est, Omnis generis donis spiritualibus, ad ædificationem ecclesiæ & cognitionem Dei pertinentibus. Synecdoche generis. Sic Ephes. 1. v. 3.* Ditati] *Id est, copiosè donati. Metaphora.* Omni loquendi facultate] ἐν παντὶ λόγῳ. *Sequitur declaratio ejus quod præcessit, ἐν παντί, id est, Omnibus rebus: quod generaliter dictum declarat hic per duas species. Porrò particulam παντὶ & πάσῃ, puto hic exponendam per,* Omnis generis. *Quasi dicat, παντοδαπῷ λόγῳ καὶ παντοδαπῇ γνώσει. Ita tamen ut restringatur ad doctrinam Christianam.*

6 Prout] *Quod dixit, probat ab effectu.* Testimonium Christi] *Id*

sti] *Id est, testimonium de Christo. Genitivus objecti. hoc est, Evangelium. Periphrasis.* Confirmatum] *Id est, fide receptum. nam qui credit verbo Dei, is obsignat quasi veritatem ejus.* In vobis] ἐν ὑμῖν. *Id est, In animis vestris. Vel, Inter vos, apud vos.*

7 Dono] χαρίσματι. *Scil. spirituali: ut facultate loquendi peregrinis linguis, facultate linguas peregrinas interpretandi, facultate interpretandi scripturas. Synecd. gen.* Dum patefiat] τὴν ἀποκάλυψιν. *Græcum ambiguum est. Sic Luc. 2. v. 34.*

8 Qui] ὃς. *Scil. Deus: ex v. 4. Nam quò minus referendum sit ad nomen Christi proxime præcedens, obstat quod sequitur, Confirmabit vos ut sitis inculpati in die Christi.* Confirmabit] *Sic Philip. 1. v. 6.* Usque ad finem] *Scil. vitæ.* Ut sitis inculpati] ἀνεγκλήτους. *Pro, ὥστε εἶναι ἀνεγκλήτους. Ellipsis: cujus exempla & alibi reperiuntur.* In die Domini] *Id est, Quo Dominus judicabit occulta hominum: Rom. 2. v. 16. Hoc pendet à præcedente nomine ἀνεγκλήτους. Nam quò minus putandum sit, pendere à verbo βεβαιώσει, ac proinde vertendum, In diem: quasi ἐν sit positum pro εἰς, obstat quod præcessit, ἕως τέλους, usque in finem. Nasceretur enim tautologia. Quin ipsa nominis ἀνεγκλήτους significatio alteri syntaxi favet.*

9 Fidelis est Deus] πιστὸς ὁ θεός. *Scil. ἐστί. Sic Johan. 4. πνεῦμα ὁ θεός.* In communionem filii] *Id est, ut habeatis communionem cum Filio. Sic Johan. 1. vers. 3. Notatur scopus Evangelii per quod vocamur.*

11 Declaratum est enim] ἐδηλώθη γάρ. *Conjunctio rationalis servit prolepsi, & refertur ad sententiam subintellectam. quasi dicat: Nec temerè hoc moneo. declaratum est enim mihi &c.*

12 Unumquemque vestrûm dicere, Ego quidem sum Pauli, &c.] *Hoc est, singulos vestrûm jactare suum doctorem: ita ut alius quidem dicat, Ego sum Pauli: alius verò, Ego sum Apollo, &c. Sic exponit Apostolus ipse infr. 3. v. 4. Similis autem locutio est infr. 14. v. 26.* Apollo] Ἀπολλώ. *A nominativo Ἀπολλώς. De hoc vide Actor. 18. vers. 24. & deinceps.* Cephæ] Κηφᾶ. *A nominativo Κηφᾶς. Nomen Syriacum, quod Græcè est πέτρος. Latinè lapis. Vide Joh. 1. v. 43. & Matth. 16. v. 18.*

13 Num dispertitus est Christus?] *Quasi dicat, Christus est unus: quum igitur ipse sit caput Ecclesiæ, oportet omnia ecclesiæ membra sub illo inter se coalescere per concordiam.* Num Paulus crucifixus est pro vobis?] *Vult dicere, Nemo præter Christum vos sibi acquisivit sanguine suo: ergo neminem præter Christum pro domino vestro agnoscite.* Aut in nomen Pauli baptizati fuistis?] *Id est, Num per baptismum consecrati estis ad fidem & cultum Pauli? Sic Matth. 28. v. 19.*

16 Familiam] οἶκον. *Ad verb. Domum. Metonymia subjecti. Sic Actor. 16. v. 31. & 34.* Cæteroquin] λοιπόν. *Id est, Alioquin. Germanicè,* Sonst.

17 Misit] ἀπέστειλε. *Scilicet principaliter. Synecdoche generis. nam certè nisi ad baptizandum quoque missus esset, neminem baptizasset.* Ut baptizarem] βαπτίζειν. *Id est, εἰς τὸ βαπτίζειν, vel, τοῦ βαπτίζειν, scilicet ἕνεκα. Ellipsis. Sic mox, εὐαγγελίζεσθαι.* Non tamen] οὐκ. *Pro, ἀλλ' οὐκ. Annectuntur hæc per ἐπανόρθωσιν.* Cum dicendi peritia] ἐν σοφίᾳ λόγου. *Pro, μετὰ σοφίας λόγου. Hebraismus.* Ne inanis reddatur] *Scilicet in animis auditorum. hoc est, ne auditores dum aures oblectant eloquentiâ humanâ, interim negligant & contemnant doctrinam de cruce Christi. vel, Ne auditores putent, se humana facundia vi ad Christianismum esse adductos, non autem spiritu Christi crucifixi.* Crux] *Id est, doctrina de cruce. Metonymia subjecti.*

18 Sermo ille de cruce] ὁ λόγος ὁ τοῦ σταυροῦ. *Id est, ὁ περὶ τοῦ σταυροῦ. Genitivus subjecti.* Iis quidem qui pereunt] *Similis locus est 2. Cor. 3. v. 4.* Stultitia est] μωρία ἐστί. *id est, videtur esse, δοκεῖ εἶναι.* Potentia Dei] δύναμις θεοῦ. *Sic Rom. 1. v. 16.*

19 Scriptum est enim] *Scilicet Esa. 29. v. 14.* Abolebo] ἀπολῶ. *Latinum videtur ortum è Græco: nempe ex ὀλῶ: unde obsoletum Leo per aphæresin, (unde letum, id est, mors, qua animal delet) cujus composita Aboleo, interpositâ literâ o εὐφωνίας ἕνεκα, & Deleo.* Tollam è medio] ἀθετήσω. *Ad verb. Abrogabo.*

20 Disquisitor] συζητητής. *Vel, disputator. Cic. 1. de offic. Disputator subtilis.*

21 In Dei sapientiâ] ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ θεοῦ. *Id est, in opificio mundi, in quo relucet sapientia Dei. Metonymia adjuncti.* Mundus] ὁ κόσμος. *Id est, homines. Metonymia subjecti.* Non cognovit] οὐκ ἔγνω. *Scil. ad salutem. Synecdoche generis.* Antilogiæ apparentis conciliatio. *Nam quòd Ethnici cognoverint Deum ex opificio mundi, testatur Paulus Roman. 1. vers. 19. & deinceps: sed ad hoc ut sint inexcusabiles.* Per suam sapientiam] διὰ τῆς σοφίας. *Supplendum ἑαυτοῦ. quasi dicat, διὰ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας. id est, per suam sapientiam. Nam versu præcedente dixit, Deum infatuasse sapientiam mundi. hoc jam declarat: quòd mundus per suam sapientiam non cognoverit Deum. Porrò sapientiam mundi seu humanam intellige, quam Deus opifex omnium hominum animabus indidit: unde infr. 2. vers. 14. ψυχικὸς ἄνθρωπος nominatur: ubi similis huic sententia continetur. Denique Apostolus duo duobus opponit, videlicet sapientiæ Dei (id est, fabricæ mundi) stultitiam prædicationis: & sapientiæ mundi, fidem electorum. Est autem hic ἀντανάκλασις in vocabulo sapientiæ.* Per stultam prædicationem] διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος. *Ad verb. Per stultitiam prædicationis. Hypallage Hebraica.*

22 Signum] *Pro, signa; id est, miracula. Enallage numeri. Sic Matth. 12. vers. 38. Præceptor, velimus ex te signum videre.* Sapientiam] *Id est, orationem sapienter exornatam. Synecdoche membri metonymica.*

23 Offendiculum] *Juxta id quod de eo prædixit Simeon Luc. 2. vers. 34.*

24 Vocatis] *Scil. efficaciter, per prædicationem Evangelii, ac proinde à Spiritu sancto illuminatis verâ cognitione Dei. Synecdoche generis.* Dei potentiam] *Id est, Eum per quem Deus exseruit suam potentiam abolendo mortem & reparando vitam. Metonymia adjuncti.* Dei sapientiam] *Id est, Eum per quem Deus sapientissimum suum consilium ac decretum de servandis electis exsequutus est. Item metonymia adjuncti.*

25 Stultitia Dei] τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ. *Seu, quod stultum est in Deo. Rursum utitur concessione, ut versu 21. Est autem hæc concessio ironica. Stultitiam enim Dei vocat eam agendi rationem quæ hominibus videtur stulta, videlicet ut per prædicationem Evangelii servet credentes, sup. 21. Dictum κατὰ δόξαν.* Quàm homines] *Latet hic amplificatio per assumtionem majoris; quasi dicat, Stultitia Dei sapientior est non solùm quàm sapientia hominum: sed etiam quàm ipsi homines, quicquid sunt & habent. Sic in membro sequenti.*

26 Videtis enim] βλέπετε γάρ. *Vel, Videte enim. ut sit hortantis. neque enim id obstat, quò minùs id agat ut probet, quod dixit. Sic infr. cap. 11. v. 26. Quotiescunq; enim ederitis, &c. mortem Domini καταγγέλλετε, annuntiate.* Vocationem vestram] *Hoc non videtur commodè exponi sic, Id est, vocatos vestros. Itaq; rectiùs exponitur de vocandi ratione.* Secundùm carnem] *Id est, secundùm mundum, secundùm homines.*

29 Ut ne glorietur ulla caro] ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σάρξ. *Ad verb. Omnis caro. Syntaxis: Ut omnis caro non glorietur. Hebraismus: pro eo, quod Latini dicunt: Ut nulla caro glorietur. Sic Psal. 143. v. 2. Non justificabitur coram te omnis vivens: id est, ullus vivens. Vide Scholia ad Rom 3. v. 19.*

30 Ex ipso estis] ἐξ αὐτοῦ ἐστε. *Ex Deo esse, idem pollet quod ex Deo genitum esse, hoc est, spiritu Dei regenitum esse; adeoq; esse in filiis Dei. Confer Joh. 8. v. 47. Item 1. Johan. 4. v. 2. 4. 6. & cap. 1. v. 1.* In Christo] *Id est, Quatenus insiti estis Christo, ut palmites viti: quatenus cum Christo coaluistis ut membra cum capite.* Sapientia] *Id est, Is in cujus cognitione consistit vera sapientia. Metonymia adjuncti. Sic Coloss. 2. v. 3. In quo (scil. Christo) sunt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi.* Justitia] *Id est, Is cujus satisfactione nobis donatâ atq; imputatâ justi sumus. Metonymia effecti.* Sanctificatio] *Id est, Is qui spiritu suo nos sanctificat. Metonymia effecti.* Redemtio] *Id est, Is qui nos redemturus est è miseriis quibus adhuc subjecti sumus. Metonymia effecti. Ad Roman. 8. v. 23. vocat redemtionem corporis nostri. Synecdoche generis: qualis Luc. 21. v. 28.*

31 Ut fiat sicut scriptum est &c.] ἵνα καθὼς γέγραπται. *Perspicuitatis gratiâ supplendum γένηται, id est, Fiat. Ne quis putet, verbum* Glorietur *pendere à conjunctione* Ut. *quod non est ita: quum Græcè sit καυχάσθω imperativi modi. nam ἵνα postulat verbum subjunctivi modi, καυχήσηται, ut exstat Ephes. 2. v. 9.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex v. 1. Ad docendum in Ecclesia nemo accedat, nisi legitimè vocatus: exemplo Pauli. Confer Heb. 5. v. 4. Vocatio autem alia est immediata, qualis fuit Apostolorum & Prophetarum: alia mediata, qualis cæterorum doctorum. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex eodem versu. Modestia Pauli imitanda: qui tanquam socium in hac epistola scribenda sibi adjunxit Sosthenem. *Modestia.*

3 Ex v. 2. Pro Ecclesia Dei agnoscendus est cœtus fidelium, profitentium fidem Christianam, etiam si multis & magnis vitiis laboret: modò admonitiones verbi Dei admittat, iisque parêre non recuset. Contra Catharos (qua hæresi hodie infecti sunt Anabaptistæ) qui angelicam puritatem ac perfectionem à Christianis in hac mortali vita degentibus requirunt. *Ecclesia. Cathari. Anabaptista.*

4 Ex eodem versu. Notandum hic argumentum pro deitate Christi. Quum enim invocandus sit, Deum esse oportet: quia solus Deus invocandus est, Psal. 50. v. 15. Matth. 4. v. 10. Apoc. 19. v. 20. & c. 22. v. 8. 9. *Deitas Christi.*

5 Ex v. 3. Is demum verè beatus est, qui fide sentit se habere Deum propitium ac faventem propter Christum. *Beatitudo.*

6 Ex v. 4. 5. 6. 7. Exemplo Pauli gaudere debemus de felicitate proximi, Deoq; propterea agere gratias. *Officium hominis Christiani.*

7 Ex v. 8. & 9. Vera fides adjunctum habet donum perseverantiæ. Confer Rom. 11. v. 29. Philip. 1. v. 6. *Fides.*

8 Ex v. 9. ex verb. *Vocati estis in communionem Filii.* Per fidem ita inserimur Christo, tanquam palmites viti, & tanquam membra capiti: ut omnia cum ipso communia habeamus. Confer 1. Joh. 1. v. 3. *Fides.*

9 Ex v. 10. 11. 12. 13. Schismata fugienda sunt: nec à doctoribus seu pastoribus denominandi sunt Christiani, sed à solo Christo: quia is solus pro nobis crucifixus est, nosque pretioso suo sanguine redemit: item quia in nullius doctoris nomen baptizati sumus, sed in nomen Christi. Hæc admonitio hodie perquam necessaria est: quum nonnulli se ipsi appellant Lutheranos, alios verò nominant Zwinglianos vel Calvinia- *Schisma.*

nos. Etsi enim has appellationes petunt à diversitate doctrinæ: tamen in hoc peccant, quòd autoritati Lutheri tantopere se addicunt, ut non vereantur seipsos ab illo denominare: alios verò per calumniam denominant à Zwinglio & Calvino, quasi ab illorum autoritate pendeant, ac non potiùs doctrinam illorum ideo amplectantur, quòd eam verbo Dei consentaneam esse judicant. Istis igitur merito cum Apostolo dicere possumus: Num Lutherus pro vobis crucifixus est? num in nomen Lutheri baptizati estis? Interim vos verè illis objicere possumus, ipsos esse Lutheranos: quia Luthero addicti sunt, & à Lutheri autoritate pendent; idque in falso dogmate & à veritate doctrinæ Christianæ abhorrente.

Baptismus. 10 Ex v.13. Discendum ex hoc loco, quid sit baptizari in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti: nempe εἰς τὸ ὄνομα, ut habetur Matth.28.vers.19. Videlicet, baptizari in hunc finem, ut simus, ac proinde etiam nominemur, cultores ac servi, imò filii, hujus Dei qui solus est verus Deus: nempe Patris, Filii & Spiritus sancti. Denique, est se addicere cultui hujus veri Dei: qui cultus consistit in fide & nova obedientia: ut scilicet hoc solo Deo tanquam salutis nostræ autore fidamus, & omnibus illius mandatis alacriter obediamus. Itaque præpositio εἰς in hac phrasi notat finem seu causam finalem. Et ubi Scriptura pro illa substituit præpositionem ἐν in sermone de baptismo, dicens baptizandum ἐν τῷ ὀνόματι, in nomine Christi, illic ἐν pro εἰς positum esse per enallagen scriptoribus novi Testamenti usitatam, ex præsente loco & declaratione allata apparet. Germanicè vertendum, **Auf den namen**, nam **In dem namen**/ aliud significat: videlicet mandatum.

Ministri verbi Dei. 11 Ex v.14. & 15. Pastores ac doctores Ecclesiæ, exemplo Pauli abhorrere debent ab ambitione & schismatibus.

Evangelii. Sacramenta. 12 Ex v.17. Plus situm est in prædicatione Evangelii, quàm in administratione Sacramentorum: quia prædicatio Evangelii mandata fuit Apostolis principaliter, administratio autem Sacramentorum secundariò & propter illam, videlicet ad fidem illius profitendam & obsignandam. Quare Sacramenta, Baptismus & Cæna Domini non quidem negligenda aut contemnenda illa sunt, sed in pretio habenda ac reverenter percipienda: attamen cum primis audiendum atque meditandum est verbum Evangelii.

Ministri Evangelij. 13 Ex eodem versu, nec non è sequentibus 19. & 20. Exemplum Pauli, in Evangelio prædicando utentis genere dicendi simplici & ad docendum, non autem ad delectandum, accommodato, omnes pii Evangelii ministri ad imitandum sibi proponere debent, valere jussâ ambitiosâ istâ Rhetoricâ profanorum oratorum, ac omnino eloquentiæ affectatione aut ostentatione. Interim legitimus Rhetoricæ usus non est improbandus, quatenus nimirum adhibetur modestè ac verecundè ad Ecclesiæ ædificationem: quum videamus, Prophetas divinâ quadam Rhetoricâ in populo Dei docendo usos esse. Et Paulus ipse Christum tam luculentâ oratione apud Galatas prædicavit, ut dicat, Christum ob oculos eorum depictum fuisse, atque adeò inter ipsos crucifixum, Galat.3.vers.1.

Evangelii. 14 Ex versu 18. Prædicatio Evangelii studiosè audienda est: quia est potentia Dei ad salutem: id est, medium seu instrumentum in quo Deus potentiam suam exserit adducendis electis ad salutem per fidem in Christum. Confer Rom.1. versu 16.

Cognitio Dei. 15 Ex v.21. Cognitio Dei duplex est: una naturalis, ex contemplatione opificii mundi, in quo lucent Dei æternitas, immensitas, potentia, sapientia ac bonitas: altera spiritualis, ex auscultatione verbi Dei, quod tum de omnibus illis Dei proprietatibus testatur, tum ampliùs de trinitate personarum & de misericordia erga electos quæ illis præstatur propter Christum. Harum cognitionum prior non sufficit ad salutem, sed tantùm ad reddendum homines inexcusabiles coram Deo, Roman.1. vers.20. Altera verò ad salutem sufficit: sicut ait hoc loco Paulus, Placuit Deo per stultam prædicationem servare credentes. Nos igitur qui hanc Dei cognitionem per ipsius gratiam adepti sumus: longè sumus ethnicis illis qui sapientissimi habiti sunt, ut Platone, Aristotele &c. sapientiores ac beatiores. quo nomine gratias Deo agere debemus.

Antilogiæ apparentis conciliatio. 16 Ex eodem versu. Hîc oritur quæstio, Quo sensu hîc neget Apostolus, mundum cognovisse Deum in Dei sapientia, id est, opificio mundi: quum tamen ad Roman.1. affirmet, id quod de Deo cognosci potest, manifestum esse in hominibus; Deum enim manifestum fecisse: Ipsius enim invisibilia inde à creatione mundi, ex rebus conditis intelligi ac perspici, videl. æternam ejus tum potentiam, tum divinitatem: item eos Deum cognovisse, v.19.20.21. Respondeo: Non pugnant inter se hæ duæ sententiæ. nam ad Rom.1. loquitur Apostolus de ea cognitione, quæ tantùm valet (ut paulò antè dictum) ad hoc, ut per eam homines reddantur inexcusabiles, hoc est, ut accusati coram tribunali Dei quòd Deum creatorem suum non glorificarint, ut meritò debuerunt, non possint afferre hanc excusationem suive defensionem, se Deum prorsus non cognovisse; nescivisse scilicet, Deum esse, & conditorem esse mundi potentissimum, sapientissimum, justissimum, benignissimum: alioquin se illum glorificaturos fuisse debito cultu. Hanc defensionem afferre non poterunt: quia ex opificio mundi Deum eo quo dictum est modo cognoverunt. At hoc loco loquitur Apostolus de ea cognitione, quæ satis est ad consequendum salutem seu vitam æternam: ut manifestè apparet ex antithesi. ait enim: *Postquam mundus non cognovit Deum per sapientiam in sapientia Dei; placuit Deo per stultitiam prædicationis servare credentes.* quasi dicat, Quoniam homines non cognoverunt Deum ad salutem ex opificio mundi, tanquam sapientiæ Dei limpidissimo speculo, idque per sapientiam, id est, vi sui ingenii seu rationis naturalis: Deus ad salutem se cognoscendum præbere hominibus voluit per prædicationem Evangelii, per quam efficit fidem in electis suis, qua fide illi salutem consequuntur.

17 Ex v.24. & 25. Considerandum hîc, qua in re consistat sapientia illa Dei quam demonstravit in negotio nostræ salutis. Consistit autem in eo, quòd Deus viam ac rationem invênit, qua & justitiam suam perfectam & misericordiam suam perfectam simul erga nos exerceret. At in Christo utramque erga nos exercet. Ac justitiam quidem: dum peccata nostra in Christo, sponsore ac mediatore nostro, perfectè punivit: misericordiam verò; dum propter illum nostrum mediatorem peccata nobis gratis remittit, Spiritu sancto donat & ad vitam æternam renovat: nihil tale meritos, sed potiùs meritos ac subinde promerentes æternam damnationem. Est igitur hæc admiranda Dei sapientia, qua se non in misericordem patrem & justum judicem (ut de Seleuco Valerius ait) dividit: sed perfectè misericordem patrem & perfectè justum judicem se declarat. *Sapientia Dei.*

18 Ex v.26. Observandum, quòd Apostolus vocationem efficacem & fidem Christianam non in universum negat de sapientibus, potentibus & nobilibus: sed tantùm ex parte, quanquam ex parte maxima. unde Christus propter paucitatem illorum indefinitè pronuntiat, mysteria regni cælorum abscondita esse à sapientibus & intelligentibus, Matth.11. v.25. & Apostolus capite sequente vers.8. ait universaliter, neminem principum sæculi hujus cognovisse illam Dei sapientiam quæ in Evangelio patefit, id est, ferè neminem. Sicut loquitur Johannes Baptista de Christo, Johan.3. vers.32. Quod vidit, inquit, & audivit, hoc testatur: sed testimonium ejus nemo recipit, id est, ferè nemo. nam quòd aliqui testimonium Christi receperint, & ex ipsa experientia notum est, & ex verbis Johannis quæ continenter annectit, inquiens: Qui recipit ejus testimonium, is obsignavit quòd Deus verax sit. *Vocatio efficax.*

19 Ex versu 27. Paulus loquens de Corinthiis vocatis, ait, quòd eos Deus elegerit. Hinc monemur, de electione tum nostri, tum proximi judicandum esse ex vocatione, videlicet ex vocatione efficaci, qua donamur verâ fide ac resipiscentiâ. Cæterùm judicii hujus veritas fundatur in consensione proprii effecti cum sua causa procreante. Quoscunque enim elegit Deus ad vitam æternam in Christo, eos etiam suo tempore per prædicationem Evangelii vocat efficaciter: teste Paulo Rom.8. v.30. *Electio.*

20 Ex vers.27. & 28. Si accidat, nos à filiis hujus sæculi contemni tanquam stultos, infirmos atque ignobiles: consolemur nos consideratione vocationis nostræ, qua Deus nos dignatus est vocare in communionem filii sui, præteritâ interim maximâ parte eorum qui in hoc mundo sapientiæ, potentiæ, ac nobilitatis nomine sunt celebres. *Consolatio contra contemptum mundi.*

21 Ex versu 29. Quum omnis homo sit caro, id est, res infirma atque imbecillis: fugiamus igitur superbiam, & contrà studeamus modestiæ. Confer Esa.40. vers.6. Jacob.1. vers. 9.10.11. *Superbia. Modestia.*

22 Ex vers.30. & 31. Omnium bonorum quæ ad solidam felicitatem requiruntur, summa in Christo nobis reposita est: quippe cujus cognitione verè sapientes sumus, per cujus fidem perfectè justi à Deo censemur, cujus Spiritu, sancti efficimur, & per quem tandem ab omnibus vitæ hujus miseriis liberati in cælum transferemur ad fruendum gaudiis ineffabilibus & gloriâ maximâ in omnem æternitatem. Quare horum tantorum bonorum consideratione in Domino gloriemur: id est, Deo propter illa gratias semper lætis animis agamus. *Christus.*

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

In initio hujus capitis redit Apostolus ad suum ipsius exemplum, quod superioris capitis versu 17. proposuerat: rursumque commemorat, quâ ratione in docendo apud Corinthios Evangelio sit usus: à vers.1. usque ad 6. Deinde docet, qualem sapientiam doctrina Evangelii contineat, vers.6.7.8.9. Tum indicat, quomodo sapientia illa à nobis percipiatur, v.10.11.12. Postea redit ad suam docendi rationem, causamq; exponit cur doctrina Evangelii à paucis intelligatur, à vers.13. usq; ad finem capitis. Itaque quatuor sunt hujus capitis partes.

De prima parte.

Ego igitur quum venirem ad vos, fratres, non vêni cum eminentia sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Dei.

2 Non enim statui quicquam scire inter vos, nisi Jesum Christum, eumq; crucifixum.

3 Sed fui ego cum infirmitate & timore ac tremore multo apud vos.

4 Neque sermo meus & prædicatio *mea versata est* in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritus & potentiæ.

5 Ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei.

Versu primo negat, se in prædicando apud Corinthios Evangelio grandiloquentia aut humanæ sapientiæ argumentis usum esse. quibus verbis vanitatem ambitiosorum, qui apud illos erant, doctorum perstringit: qui istis rebus operam dabant.

Versu 2. & 3. declarat sententiam primi versus ὕστερον πρότερον. nam primùm declarat, quomodo in docendo non sit usus sapientiâ humanâ: quia scilicet omnis sua sapientia fuerit doctrina de Christo crucifixo. deinde declarat, quomodo non sit usus eminentia sermonis: quia scil. infirmus ac timidus fuerit. Versu 4. argumentis sapientiæ humanæ opponit vim Spiritus sancti, quam is in ipsius prædicatione exseruerat. Versu 5. utilem effectum hujusce docendi rationis exponit, videl. fidei ipsorum stabilitatem. Itaque tacitè eos objurgat, quòd grandiloquentiam & acumen rationum humanarum requirentes, maximo fidei adminiculo sese ultrò privent.

De secunda parte.

6 Sapientiam verò loquimur inter perfectos: sapientiam autem non seculi hujus, neque principum seculi hujus qui abolentur:

7 Sed loquimur sapientiam Dei *latentem* in mysterio, *id est*, occultam illam quam præfinivit Deus ante secula ad gloriam nostram.

8 Quam nemo principum seculi hujus cognovit. nam si cognovissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent.

9 Sed *prædicamus*, sicut scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus iis qui ipsum diligunt.

Versu 6. per prolepsin docere incipit, qualem sapientiam doctrina Evangelii contineat. nam negaverat vers. 4. se in docendo usum fuisse persuasoriis humanæ sapientiæ verbis. Jam ne videatur ipsius prædicatio omni sapientiâ caruisse, docet, qualis sit illa sapientia quæ in Evangelio proponitur, videlicet quæ à solis illuminatis intelligatur. Porrò sapientiam quæ in Evangelio proponitur, describit & commendat ex subjecto & ex causa efficiente & finali, vers. 7. item ab adjunctis: ut quòd sit arcana, quòd sit ab æterno decreta à Deo, quòd sit sublimis & supra captum humanæ rationis posita, vers. 7. 8. 9. Subjectum autem & causam efficientem illustrat antithesi, v. 6. Vers. 9. sublimitatem sapientiæ de qua dixit, commendat ac describit verbis prophetæ Esaiæ cap. 64. vers. 4. quibus docet, sapientiam illam tam sublimem esse, ut omnem captum humanum longè superet.

De tertia parte.

10 Nobis autem Deus *ea* revelavit per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.

11 Quis enim hominum novit ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? Ita etiam ea quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei.

12 Nos verò non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui *est* ex Deo: ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.

Deinceps docet, quomodo illa sapientia Dei, quæ in Evangelio proponitur, à nobis percipiatur: nempe per Spiritum Dei, qui per prædicationem Evangelii efficax est in cordibus electorum; illuminans ea, cognitione paternæ benevolentiæ Dei erga se in Christo. Hanc sententiam probat à natura Spiritus Dei: quæ est, scrutari arcana Dei. quod ipsum confirmat à pari, nempe à natura spiritus qui est in homine, id est, animæ hominis. Syllogismus hujus loci est:

Qui præditi sunt spiritu Dei, illi nôrunt quomodo Deus erga se sit affectus, v. 11.

Atqui nos qui in Christum credimus, præditi sumus spiritu Dei, v. 12.

Ergo nos qui in Christum credimus, novimus quomodo Deus erga nos sit affectus, v. 10. & 12.

Propositio confirmatur à pari, vers. 11. Assumtio illustratur antithesi.

De quarta parte.

13 Quæ etiam loquimur, non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus, spiritualibus spiritualia ad aptantes.

14 Animalis autem homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei, sunt enim ei stultitia; nec potest *ea* cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.

15 At spiritualis dijudicat quidem omnia, ipse verò à nemine dijudicatur.

16 Quis enim novit mentem Domini? *quis est* qui instructurus sit eum? nos autem mentem Christi tenemus.

Versu 13. redit ad suam docendi rationem, & causam exponit cur doctrina Evangelii à paucis intelligatur. Negat igitur se in docendo Evangelio uti verbis arte humana excogitatis & conformatis, & contrà affirmat se uti verbis à Spiritu sancto dictatis. Et hujus sui facti rationem exponit, ut nimirum verba rebus sint accommodata. Quum igitur res sint spirituales, verba quoque spiritualia à se adhiberi. Sed quî fit, quòd doctrinam Evangelii tam pauci approbant? Inde fit, quia eam non intelligunt: ideo autem non intelligunt, quia animales sunt, id est, ex naturali intellectu judicant. at doctrina Evangelii est spiritualis, ac proinde non nisi à spiritualibus potest intelligi, hoc est, qui per Spiritum sanctum illuminati sunt: hi demum mentem Christi tenent, nempe eum fraternè erga ipsos affectum esse.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Sapientiæ] *Scil. humanæ.* Testimonium Dei] *Scil. de Christo. Periphrasis Evangelii.*

3 Cum infirmitate & timore] ἐν ἀσθενείᾳ καὶ ἐν φόβῳ. *Infirmitatis nomine intelligit humilem & abjectum suum statum secundùm carnem, ut quòd manibus suis operatus est ad victum sibi quærendum, Actor. 18. v. 3. Timuisse autem se dicit, vel quòd solicitus esset ne mysterium salutis non satis commodè eis proponeret, vel potiùs quòd in multis & magnis periculis propter Evangelii hostes constitutus esset, ut intelligitur ex Actor. 18. v. 9. & 10.*

4 Neque sermo meus &c.] καὶ ὁ λόγος μου &c. *Significat, se simpliciter demonstrasse seu testificatum esse veritatem doctrinæ Christianæ: & per hanc demonstrationem seu testificationem Spiritum sanctum exseruisse suam potentiam, atque efficacem fuisse in cordibus Corinthiorum, ut testimonio illi Dei fidem haberent. Ergo,* In demonstratione spiritus & potentiæ, *perinde valet ac si diceret, In demonstratione per quam spiritus potentiam suam exseruit. Genitivus adjuncti, &* ἓν διὰ δύο.

6 Sapientiam verò loquimur inter perfectos] σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις. *Id est, doctrina, quam nos apostoli cæterique Evangelii doctores tradimus, pro sapientia agnoscitur ab iis, qui jam doctrinam Christianam intelligunt.* Inter perfectos] ἐν τοῖς τελείοις. *Vel (si mavis) inter adultos: ut sit synecdoche generis (perfectos, scilicet ætate) & metaphora: cujus exempla occurrunt infrà 14. v. 20. Ephes. 4. v. 13. Heb. 5. v. 14.* Non sæculi hujus] οὐ τοῦ αἰῶνος τούτου. *Id est, non pertinentem ad hujus vitæ commoditates.* Neque principum sæculi hujus] *Hoc est, neque profectam aut excogitatam ab iis qui propter sapientiæ opinionem in honoribus & dignitatibus constituti sunt in hoc mundo: quales fuerunt Pharisæi, de quibus mox vers. 8.* Qui abolentur] τῶν καταργουμένων. *Sic rectiùs, quàm si vertas,* Quæ abolentur. *nam contortius videtur, hoc referre ad utrumque quod præcessit, videlicet* αἰῶνος *&* ἀρχόντων.

7 Sed loquimur sapientiam Dei] *Id est, à Deo profectam. Genitivus efficientis. Nempe sapientissimum illud consilium servandi nos per Christum, atque ita & summam justitiam & summam misericordiam exserendi. Justitiam, dum peccata nostra punit in Christo sponsore ac mediatore: misericordiam, dum nobis indignis peccata gratis propter Christum remittit.* Latentem in mysterio] ἐν μυστηρίῳ. *Est ellipsis articuli: pro* σοφίαν Θεοῦ τὴν ἐν μυστηρίῳ, *scilicet* οὖσαν. *Sic & Johannes ait, Johan. 1. v. 18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille filius qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.* Quam præfinivit Deus ante sæcula] *Id est, Quam sapientiam ab æterno decrevit exsequi per Christum, atque etiam electis patefacere per prædicationem Evangelii.* In gloriam nostram] *Id est, in hunc finem, ut per hujus sapientiæ cognitionem gloriam illam cælestem & vitam æternam consequamur. nam hæc est vita æterna, ut ipse Christus ait, Johan. 17. ut cognoscamus Deum patrem, & quem is misit, Jesum Christum.*

8 Quam] *Scilicet sapientiam.* Nemo] *Id est, ferè nemo. nam certè cognovit Nicodemus. Synecdoche integri hyperbolica.* Principum sæculi hujus] *Id est, Scribarum & Pharisæorum, item Herodis & Pilati.* Nam si cognovissent.] *Nempe sapientiam illam*

Dei, hoc est, sapientissimum illud consilium Dei, servandi mundum per filium suum Jesum Christum. Nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent] *Id est, Jehovam gloriosum, nempe Jesum Christum, filium Dei unigenitum, qui unus cum Patre & Spiritu sancto Jehova seu Deus æternus est. Hic per tropum quem veteres vocarunt κοινωνίαν ἰδιωμάτων, quod propriè pertinet ad corpus Christi, ac proinde ad naturam ejus humanam, tribuitur personæ denominatæ à natura divina. nam Christus à natura divina nominatur Dominus gloriæ, id est, Jehova gloriosus. Sic Actor. 7. v. 2. ὁ θεὸς τῆς δόξης, Deus ille gloriæ.*

9 Sed prædicamus] *Valde mihi hic probatur conjectura D. Bezæ, germanam hujus loci lectionem esse hanc, ἀλλὰ καθὼς γέγραπται, ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε &c. Hanc enim lectionem videtur omnino postulare antithesis inter hanc sententiam & priorem sententiam præcedentis versus, ad hunc modum: Sapientiam illam Dei nemo principum seculi hujus cognovit: sed oculus non vidit &c. Quæ antithesis ut clariùs perspiciatur: posterior sententia versus præcedentis parenthesi includi poterit: verba inquam ista, Nam si cognovissent &c.*

10 Spiritus] τὸ πνεῦμα. *Nempe Spiritus sanctus. Synecdoche generis.* Omnia scrutatur] πάντα ἐρευνᾷ. *Id est, efficit in nobis, ut scrutando penetremus in omnia, quæ nobis scitu necessaria sunt ad salutem. Metonymia duplex in verbo* scrutandi: *una effecti, altera efficientis. Et synecdoche generis in vocabulo* omnia.

11 Spiritus hominis] τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου. *Id est, mens hominis.*

12 Spiritum mundi] τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου. *Id est, Spiritum illum malignum in quo jacet mundus, ut loquitur Johannes 1. Johan. 5. vers. 19. Seu qui est in mundo: ut loquitur idem 1. Johan. 4. v. 4.* Spiritum qui est ex Deo] *Id est, Spiritum sanctum: qui à Patre & Filio procedit. Periphrasis.*

13 Non sermonibus &c.] οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις. *Ex collatione horum verborum videtur confirmari posse lectio versiculi quarti suprà, οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις. Nam hæc ratio loquendi ut illi similis est, ita tam singularis est quàm illa: Hoc uno excepto, quòd vocabulum διδακτοῖς & alibi reperitur, πειθοῖ non idem.* Adaptantes] συγκρίνοντες. *Huc pertinet illud Petri. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei, 1. Pet. 4. v. 11.*

14 Animalis] ψυχικὸς. *Id est, qui nihil eximium in se habet præter animam rationalem: qui non est regenitus per Spiritum sanctum.* Non est capax] οὐ δέχεται. *Vel, non capit: id est, non potest percipere seu intelligere.* Quæ sunt spiritus Dei] τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ. *Quæ pertinent ad spiritum Dei, seu quæ docet spiritus Dei.* Sunt ei stultitia] *Id est, Videntur ei stulta & inepta atque à ratione abhorrentia, paradoxa.* Nec potest] καὶ οὐ δύναται. *Est igitur in homine φυσικὴ ἀδυναμία, naturalis impotentia, ad cognoscendum atque intelligendum res spirituales.* At spiritualis] ὁ δὲ πνευματικὸς. *Id est, regenitus per Spiritum sanctum.* Omnia] πάντα. *Scilicet quæ pertinent ad cultum Dei & vitam æternam.* A nemine dijudicatur] *Id est, à nullo animali homine convinci potest erroris in judicandis rebus spiritualibus.*

16 Mentem Domini] νοῦν κυρίου. *Etsi malo vocabulum* mentis, *tanquam Græco respondens: tamen quod ad sententiam attinet, non improbo versionem veteris interpretis qui* sensum *vertit, tum hic, tum in sequenti hujus versiculi membro: dummodo Sensus vocabulum accipiatur de animi sensu, ut in illo Ciceronis, Qui sensus erat armorum tuorum? Nam & vocabulum Spiritus apud Hebræos hoc ipsum non rarò significat.* Qui instructurus sit eum] ὃς συμβιβάσει αὐτόν. *Verbum συμβιβάζειν significat efficere condescensionem, ut sic dicam: id est, argumentis propositis efficere ut aliquis tecum in eandem sententiam descendat. Sic Actor. 9. versu 22. Saulus confundebat Judæos qui habitabant Damasci, συμβιβάζων (scil. αὐτοὺς) ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστὸς: id est, assentiri eos cogens, quòd hic (nempe Jesus) sit Christus.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

Ministri verbi Dei.

1 Ex v. 1. & 4. Exemplo Pauli vitanda est pastori Ecclesiæ, affectatio eloquentiæ aut sapientiæ mundanæ.

Evangeliū.

2 Ex eodem versu. Quum Paulus Evangelium vocet testimonium Dei: considerandum, quid Deus per illud testetur. Testatur autem de sua erga nos benevolentia in Christo, se nimirum nobis reconciliatum esse per mortem Christi, qua ille pro nostris peccatis justitiæ ejus satisfecit: seque adoptasse nos in filios, quotquot in Christum credimus, & donasse ac porrò donaturum nos spiritu filii sui ut mentes nostras indies magis ac magis cognitione hac gratiæ Dei illuminet, & corda renovet ad filiale obsequium ei summo studio per omnem nostram vitam præstandum.

Sapientia Christianorum. Officium hominis Christiani.

3 Ex v. 2. Sufficiat nobis cum Apostolo, si Christum probè didicerimus; videlicet ea quæ tradit verbum Dei tum de ipsius persona, tum de officio ac beneficiis in nos collatis. Huc faciunt versiculi vulgares, & pii & elegantes:

Si Christum bene scis; satis est, si cætera nescis.
Si Christum nescis; nihil est, si cætera discis.

Crux Christi.

4 Ex eodem versu. Præcipuum quod de Christo nobis tenendum est, est crux Christi & quæ cum ea cohærent. nam morte crucis Christus nobis acquisivit remissionem peccatorum & vitam æternam. Id autem testatum fecit per gloriosam suam resurrectionem, ascensionem in cælum & sessionem ad dextram Dei.

Fides.

5 Ex v. 4. & 5. Fides Christiana oritur ex demonstratione veritatis, qua Spiritus sanctus illam potenter atque efficaciter electis persuadet: ita ut in ea tanquam clarissimè sibi demonstratâ acquiescant.

Evangeliū.

6 Ex v. 6. Etsi mundus doctrinam Evangelii pro stulta habet: tamen qui per Spiritum sanctum illuminati sunt, pro cælesti sapientia eam agnoscunt & amplectuntur.

Antilogiæ apparentis conciliatio.

7 Ex eodem versu. Quæritur, cur Apostolus credentes nominet perfectos: quum certum sit, nos in hac vita tantùm ex parte cognoscere; id quod Apostolus de seipso fatetur infrà cap. 13. vers. 12. item Phil. 3. vers. 12. & 13. Respondeo: Perfectos nominat, non quòd nihil prorsus eorum cogonitioni desit, sed comparatione seu respectu eorum qui doctrinæ Christianæ adhuc prorsus rudes sunt, aut certè in illa tirones. Confer locum Philip. 3. vers. 15. Nominantur ergo tales perfecti: non absolutè, sed respectu rudium: quos Apostolus aliàs infirmos vocat: ut Rom. 14. v. 1. & 2. Sicut contrà illos nominat firmos, Rom. 15. v. 1.

Evangeliū.

8 Ex v. 7. 8. 9. Doctrina Evangelii rationi humanæ ignota est: & quum illi proponitur, ab ea repudiatur. Quare non est quòd de Evangelii veritate dubitemus, si videamus illud à maxima hominum parte respui: sed potiùs acquiescamus in sapiente & justa voluntate Dei, cui placuit hæc mysteria revelare paucis, & illis quidem maximam partem in hoc mundo contemtis. Confer Matth. 11. v. 25. & 26. Item suprà cap. 1. v. 26. & seq.

Loquutiones de Christo.

9 Ex v. 8. Quæritur hîc, quomodo Deus dicatur crucifixus: quum tamen divina natura crucifigi non possit? Respondeo: Christus qui est verus Deus, crucifixus est in sua carne: 1. Pet. 4. versu 1. quam scil. carnem in unitatem suæ personæ assumsit; unde fit, ut quod carnis proprium est, id personæ quæ hanc carnem personaliter assumtam gestat, verè attribuatur, & quidem ab altera natura, nempe divinâ, denominatæ. Hanc phrasin seu loquendi modum de Christo Græci Ecclesiæ doctores vocarunt κοινωνίαν ἰδιωμάτων. id est, communicationem proprietatum: quo nomine nihil aliud intellexerunt quàm loquendi modum de Christo, quo quod unius naturæ proprium est, attribuitur personæ ab altera natura denominatæ: quo fit, ut ei qui rationem personæ Christi aut non cognitam habet aut non considerat, ipsi illi naturæ à qua fit denominatio, id quod alterius naturæ est, attribui & communicari videatur. ut in exemplo proposito, *Dominus gloriæ crucifixus est.* hîc crucifixio quæ propria est naturæ humanæ, nempe corporis seu carnis, attribuitur personæ Christi denominatæ à natura divina. Sic Actor. 20. v. 28. Deus Ecclesiam proprio sanguine acquisivit. Sic 1. Joh. 1. v. 1. Sermo vitæ auditus, visus, contrectatus est. Sic infrà cap. 11. v. 26. Mortem Domini annuntiate. Sic 1. Johan. 1. vers. 7. Sanguis Filii Dei purgat nos ab omni peccato. Aliàs quod proprium est naturæ divinæ, attribuitur personæ Christi denominatæ à natura humana: ut Johan. 3. v. 13. Filius hominis stans cum Nicodemo in terra, erat in cælo. Istam veterum appellationem hodie falsò interpretantur Ubiquitarii; quasi scilicet communicatio idiomatum sit transfusio proprietatum naturæ divinæ in humanam assumtam: id quod veteres nequaquam senserunt, quippe cum articulis fidei nostræ pugnans. Credimus enim, Christum esse verum Deum ac verum hominem, naturis personaliter quidem unitis, sed salvis tamen utriusque proprietatibus. Si autem proprietates communicarentur, jam proprietates non essent.

Communicatio idiomatum.

Evangeliū.

10 Ex v. 9. Quum in Evangelio revelentur nobis bona arcana & cælestia: decet nos omni studio in illius cognitionem incumbere.

Dilectio Dei.

11 Ex eodem versu. Qui Deum diligunt, certum apud se testimonium habent, quòd bona cælestia ipsis à Deo parata sint. Nec tamen est putandum, propterea Deum illa paravisse, quòd prævideret hos ipsum dilecturos. Sed potiùs contrà, quoniam ipse eos prior dilexit & bona illa eis ex gratia paravit: ideo eos efficaciter vocavit, atque ita fide & dilectione sui donavit. Diligere enim Deum nemo potest, nisi persuasus sit se indignum ab illo dilectum esse ac diligi propter Christum: hoc autem credere nemo potest, nisi à Deo efficaciter per Evangelium vocetur: sic autem nemo vocatur, nisi quem Deus ad vitam æternam eligit, ac proinde bona illa cælestia ultrò illi paravit.

Cognitio rerum spiritualium.

12 Ex v. 10. 11. 12. Mysteria regni cælorum revelantur electis per Spiritum sanctum. Quare quoties verbum Dei ubi mysteria illa recondita latent, lecturi, audituri, meditaturi sumus: oremus Deum ut genuinum illius sensum nobis per Spiritum sanctum aperiat.

Fides.

13 Ex v. 12. & 16. ex verbis, *Ut sciamus, &c.* Item, *Mentem Christi tenemus.* Credentes per Spiritum sanctum ex Evangelio edocti,

lio edocti, certò sciunt quæ bona ipsis à Deo donata sint, & quomodo Christus erga ipsos sit affectus. Impium igitur est dogma Pontificiorum, quòd Christianis perpetuò sit dubitandum, an sint in gratia apud Deū, & an in illa gratia perpetuò sint mansuri.

Ministri verbi Dei. 14 Ex v.13. Doctor Ecclesiæ, exemplo Pauli, abstinere debet à fucosa illa eloquentia mundana; & contra Deum orare, ut per Spiritum sanctum sibi suppeditet verba quæ ad res spirituales explicandas apta sint: quorum quidem copiam lectio librorum sacrorum suppeditabit. Sic noster Apostolus monet Timotheum, ut habeat ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, formam sanorum sermonum.

Evangelii. 15 Ex v.14. & 15. Ad doctrinam Evangelii intelligendam opus est singulari illuminatione Spiritus sancti. Quare hanc perpetuò expetamus.

Homo. 16 Ex vers.14. Notandum est testimonium de parte quadam corruptionis naturæ humanæ, videlicet de cæcitate mentis in cognoscendis & judicandis rebus spiritualibus: pertinentibus scil. ad cultum Dei & æternam hominis salutem.

Fides. 17 Ex v.15. Qui veritatem celestem per revelationem Spiritus sancti ex verbo Dei cognovit, is omnia de religione dogmata judicare potest: ipsius autem fides à nemine potest erroris convinci.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Primùm exponit causam, cur non proposuerit eis doctrinam sublimiorem, sed contentus fuerit tradere eis Christianismi rudimenta, usq; ad v.5. Deinde docet, quid de doctoribus Ecclesiæ sentiendum sit, quoq; loco sint habendi; à v.5. usque ad finem capitis. Ita sunt duæ capitis partes.

DE PRIMA PARTE.

EGo porrò, fratres, non potui loqui vobis ut spiritualibus, sed *loquutus sum* ut carnalibus, *id est*, ut infantibus in Christo.

2 Lactis potu vos alui, & non escâ: nondum enim poteratis *id ferre*: imò ne nunc quidem adhuc potestis.

3 Nam adhuc carnales estis. quum enim inter vos *sint* livor & contentio, & dissidia: nónne carnales estis, & secundùm hominem inceditis?

4 Etenim quum dicit aliquis, Ego quidem sum Pauli; alter verò, Ego *sum* Apollo: nónne carnales estis?

VErsu primo exponit causam cur non proposuerit eis doctrinam sublimiorem, sed contentus fuerit tradere eis doctrinæ Christianæ rudimenta. In causa dicit fuisse ipsorum ruditatem, ut qui fuerint adhuc carnales, hoc est, non nisi ex carne geniti, nondum autem spirituales, id est, ex Spiritu sancto regeniti. Hanc sententiam declarat & illustrat similitudine cibi: comparans doctrinam sublimiorem cibo solido: rudimenta autem doctrinæ Christianæ, lacti: Corinthios verò infantibus; se denique nutrici, v.1. & 2. Ait igitur, *se eis loquutum esse ut infantibus in Christo*, hoc est, ut rudibus in doctrina de Christo. Tum addit: *Lactis potu vos alui, & non escâ*: id est, prima doctrinæ Christianæ rudimenta vobis tradidi, non autem doctrinæ fundamenta profundiora. Tum addit: *Nondum enim poteratis* id ferre. Id est, nondum robusti eratis ad solidum cibum concoquendum: hoc est, nondum eratis idonei ad sublimiorem doctrinam percipiendam. Hanc sententiam amplificat collatione majoris: atque adeò sententiam positam à majori confirmat: *Imò*, inquit, *ne nunc quidem adhuc potestis*. id est, ne nunc quidem satis idonei estis ad sublimiorem doctrinam percipiendam. Hoc probat versu tertio à causâ corrumpente, nempe quòd adhuc sint carnales: scil. magna ex parte. quod ipsum probat ex effectis, nempe affectibus & factis ipsorum: ut invidiâ, contentione & dissidiis: unde concludit, eos *secundùm hominem ambulare*, id est, ex affectibus humanis agere, nempe affectibus naturæ humanæ peccato vitiatæ atque corruptæ. Tum v.4. probationem hanc specialiter declarat: atque ita repetit narrationem factam suprà cap.1.v.12.

DE SECUNDA PARTE.

5 Quis igitur est Paulus, quis autem Apollo, nisi ministri per quos credidistis, & ut cuique Dominus dedit?

6 Ego plantavi, Apollos rigavit: sed Deus dedit incrementum.

7 Itaque neque is qui plantat, est aliquid; neque qui rigat: sed Deus qui dat incrementum.

8 Is verò qui plantat & is qui rigat, unum sunt: unusquisque verò suam mercedem accipiet secundùm suum laborem.

9 Etenim Dei sumus administri: Dei arvum, Dei ædificium estis.

10 Secundùm gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. porrò quisq; videat quomodo superædificet.

11 Nam fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est JESUS CHRISTUS.

12 Quòd si quis superædificet super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos; ligna, fœnum, stipulam:

13 Cujusque opus manifestum fiet: dies enim declarabit: nam per ignem retegetur; & cujusque opus quale sit, ignis probabit.

14 Si cujus opus manserit quod superædificaverit, mercedem accipiet:

15 Si cujus opus exustum fuerit; damnum faciet, ipse verò servabitur, ita tamen ut per ignem.

16 An nescitis vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis?

17 Si quis templum Dei destruit; hunc destruet Deus: nam templum Dei sanctum est, quod estis vos.

18 Nullus seipsum seducat. si quis *sibi* videtur esse sapiens inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, ut fiat sapiens.

19 Sapientia enim mundi hujus, stultitia est apud Deum. scriptum est enim, Carpit sapientes in versutiâ ipsorum.

20 Et rursum, Dominus novit cogitationes sapientum esse vanas.

21 Itaq; nullus glorietur in hominibus: omnia namque vestra sunt:

22 Sive Paulus, sive Apollos, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia, *inquam*, vestra sunt:

23 Vos autem, Christi: Christus verò Dei.

Versu quinto schismata superiore versu commemorata reprehendit ex adjunctis doctorum, propter quos inter sese scindebantur: atque eâ occasione docere incipit, quantum doctoribus tribuendum sit, & quo loco sint habendi. Adjuncta doctorum commemorat duo, primùm ministerium: deinde facultatem docendi. quasi dicat, Doctores ministri vestri sunt, non autem domini: non igitur debetis ab illorum autoritate pendêre. deinde, Non possunt plus in vobis erudiendis, quàm quantum ipsis datur à Domino Jesu Christo: Ergo non debetis eos admirari, tanquam nativa quadam facultate instructos. Rursum autem suum & Apollo nomen pro nominibus illorum doctorum propter quos scindebantur, supponit: & hac occasione inter suum & Apollo cæterorumque similium ministerium discernit, vers.6. Declarat autem ministerium suum cæterorumque Evangelii apud Corinthios doctorum, similitudine duplici: una sumta est ab agricultura, altera ab architectura. Prima tractatur vers.6. 7.8. & parte noni: altera incipit in extremo versu nono, & inde continuatur usque ad vers.18. Ait igitur vers.6. *Ego plantavi, Apollos rigavit.* id est, Ego primus apud vos Evangelium prædicavi, atque ita semen illud verbi Dei unde fides nascitur, apud vos sparsi atque plantavi: Apollos verò post me eandem de Christo doctrinam vobis exposuit, atque ita semen Verbi jam in corda vestra sparsum veluti rigavit. *Sed is* (ait consequenter) *qui incrementum dedit*, hoc est, qui effecit ut ex semine illo Verbi oriretur fides, *is, inquam, est solus Deus.* Versu 7. addit syllogismi instituti propositionem, ut concludat, Paulum & Apollo, id est, doctores Ecclesiæ nihil esse, hoc est, nullâ propriâ docendi facultate instructos esse, ac proinde nec esse ab illorum autoritate pendendum, ita ut inde schismata oriantur. Syllogismus ita est:

Qui plantat & qui rigat, nihil est. v.7.
Paulus plantavit, Apollos rigavit. v.6.
Ergo Paulus & Apollos nihil sunt. v.5.

Versu 8. affert aliud argumentum cur non debeant scindi in factiones propter doctores. Argumentum est à pari: Doctores, inquit, sunt unum: ergo & vos auditores debetis esse unum, ac proinde non debetis scindi in factiones. Manet autem in similitudine instituta, inquiens, *Is verò qui plantat, & is qui rigat, unum sunt*, hoc est, ad unum eundemque scopum tendunt, nempe ut colligant Deo ecclesiam suo ministerio. Huic sententiæ annectit admonitionem de mercede quam unusquisque accepturus sit secundùm suum laborem. quibus verbis obliquè hortatur ambitiosos illos doctores, ut potiùs studeant fideliter in vinea Domini laborare, quàm ut studeant eloquentiæ humanæ seu pompæ orationis: quippe quòd laus ista eloquentiæ, quæ laus ab hominibus proficiscitur, evanida sit: at merces illa quam Deus fidelibus operariis suis daturus est, est æterna, nempe corona illa immarcessibilis gloriæ cælestis, quam alibi Paulus nominat, 2.Tim.4.v.7.8.

Vers.9. declarat verba versiculi præcedentis, quòd is qui plantat & is qui rigat, unum sint. *Etenim*, inquit, *Dei sumus συνεργοὶ, id est, cooperarii*, hoc est, una laboramus in vinea Dei; cui no-

stro labori Deus benedicit, dans incrementum. Porrò sententiam propositam declarat ex relatis, affirmans, *eos Dei arvum esse.* id est, eos sibi à Deo commissos esse quos prædicatione Evangelii veluti excolant, id est, ad fidem Christi adducant & in eâ alant atque confirment. Tum continenter annectit alteram similitudinem, quâ ministerium Verbi architecturæ comparat: *Vos,* inquit, *estis ædificium Dei*, hoc est, domus Dei in qua ædificanda laborant ministri Verbi.

Vers.10. commemorat, quid ipse in hoc ædificio laborârit: quid item alii etiamnum laborent: eaque occasione illos officii sui admonet. *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* id est, doctrinam salutis per Christum partæ tradidi: quæ doctrina fundamentum est totius doctrinæ cælestis. *Alius autem.* nempe qui post me docet. *Superædificat.* nempe super fundamentum à me positum. *Porrò quisque videat quomodo superædificet:* id est, quisque operam det ut doceat fundamento à me posito consentanea.

Vers.11. declarat, quódnam sit illud fundamentum quod ipse apud Corinthios posuerat: nempe Jesus Christus, id est, doctrina de remissione peccatorum & vitâ æternâ per Christi mortem partâ.

Vers.12. distinguit doctrinam eorum qui super fundamentum Christum superædificant, in eam quæ fundamento consentanea est, & in eam quæ à fundamento dissentit: quarum illam comparat materiæ pretiosæ & durabili; ut auro, argento, gemmis: hanc materiæ vili & caducæ; ut lignis, fœno, stipulæ. Vers.13.14.15. monet, quid utriusque doctrinæ doctoribus eventurum sit: ut ex eventis illis obliquè hortetur ad doctrinam fundamento respondentem: quippe unde laus eventura sit doctori: & contrà dehortetur à doctrinâ quæ à fundamento abhorret, quippe unde ignominia doctori eventura sit. Ait igitur, *Nam per ignem retegitur:* hoc est, per lucem veritatis divinæ patefit suo tempore, quæ doctrina sit fundamento consentanea, quæ dissentanea: sicut per ignem patefit, quod aurum sit probum, quod adulterinum: ac omnino quæ materia sit firma & durabilis, quæ infirma & caduca. *Et cujusque opus quale sit, ignis probabit.* quasi dicat, Quemadmodum ignis probat metalla: sic lux veritatis probabit doctrinas. *Si cujus opus manebit quod superædificaverit, mercedem accipiet.* hoc est, Si quis tradiderit doctrinam fundamento consentientem, ac proinde pretiosam, instar auri, argenti, gemmarum: quæ materiæ quum igne explorantur, manent: is accipiet à Deo laudem, juxta illud Domini, Euge serve fidelis: fuisti fidelis super pauca: super multa constituam te, Matth.25.v.21.23. *Si cujus opus exustum fuerit, damnum faciet.* hoc est, Si quis tradiderit doctrinam à fundamento alienam, ac proinde vilem & caducam instar ligni, fœni aut stipulæ; quæ igni exuruntur: is hoc nomine ignominiam reportabit. *Ipse verò servabitur.* hoc est, salutem æternam adipiscetur, si scilicet retineat fundamentum tum docendo tum credendo. *Ita tamen ut per ignem.* hoc est, ita tamen ut cogatur cum ignominia agnoscere vanitatem doctrinæ suæ quam fundamento superstruxerat: quippe quæ igne veritatis cælestis exusta fuerit.

Vers.16. & 17. perstans in ædificii metaphora, docet, non modò inanem esse istam ambitionem, sed etiam cum sacrilegio conjunctam. dicit enim, *Ecclesiam esse instar templi Dei:* quod ipse videl. sibi suo spiritu consecrârit. Deinde ad istos ambitiosos sese convertens, profanari docet ab eis Dei templum: quum inania illa artificia, in quibus sibi tantopere placebant, docet esse totidem sacræ Dei doctrinæ & puritatis Ecclesiæ pollutiones: quod facinus non sit futurum inultum.

Vers.18. occurrit perversæ opinioni Corinthiorum de sapientiâ suorum doctorum, cujus admiratione videbantur obstupefacti, ita ut viderentur admonitioni Apostoli vix locum daturi: qui in præcedentibus vanitatem istorum doctorum vehementer perstrinxerat. Hortatur igitur, ne admirentur sapientiam istam mundanam. Argumentum dehortationis ducit ab effectu inutili: quia sic seipsos seducant. Deinde hanc hortationem amplificat collatione majoris: monens, non solùm sapientiam illam mundanam non esse admirandam & sectandam: sed potiùs contrà sustinendum ut sapientibus sæculi hujus videamur stulti, quatenus nimirum simplicitatem doctrinæ Christianæ pro vera sapientia amplectimur. Deinde vers.19. alterum dehortationis argumentum affert ab adjuncto judicio Dei: quia sapientia mundi hujus stultitia sit *apud Deum*, id est, judicio Dei. id quod confirmat duobus Scripturæ testimoniis: quorum prius exstat Job.5.vers.13. posterius psalmo 94.vers.11. Vers.21. dehortationem institutam concludit, non quidem simpliciter, sed per corollarium amplificatam: monet enim, *ne glorientur in hominibus*, id est, ne admiratione doctorum suorum ducti, ita sibi in illis placeant, ut sese eis addicant in servitutem, & sese ab eis tanquam dominis suis denominent, atque ita in factiones scindantur. Huic exhortationis conclusioni novum argumentum annectit: quod sumtum est à contrario. Monet enim, doctores istos non solùm non esse ipsorum dominos, sed potiùs contrà esse ipsorum servos, hoc est, à Deo ordinatos ipsisque datos, ut serviant saluti eorum promovendæ. Hanc autem sententiam primùm amplificat à genere: ponit enim sententiam generalem, inquiens, *Omnia vestra sunt:* id est, omnes res terrenæ vestris usibus & vestræ saluti à Deo destinatæ sunt, vers.21. Deinde vers.22. sententiam propositam declarat per species: ubi primùm enumerat nomina doctorum; deinde per amplificationem à majoribus, enumerat res in rebus creatis maximas, idque per distributionem. Postea sententiam generalem per epanalepsin repetit. Postremò v.23. sententiæ illi per gradationem adjungit alias duas: quarum prima vim argumenti continet ad propositum concludendum: quia scilicet solus Christus, dominus ipsorum sit; idcirco non debere eos ab hominibus tanquam dominis pendêre. Postremâ sententiâ Christum eis commendat, tanquam filium Dei ipsis in autorem salutis donatum.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Ut spiritualibus] *Id est, ut illuminatis spiritu Dei, & edoctis de doctrina Christiana.* Ut carnalibus] *id est, rudibus & imperitis rerum spiritualium: quales sunt omnes homines quatenus carnales sunt, id est, carnaliter solùm geniti, non autem spiritualiter regeniti.* In Christo] *Id est, in fide Christi, seu in cognitione Christi. Metonymia subjecti.*

2 Poteratis *id ferre*] ἠδύνασθε. *Vel, Robusti eratis. Sic Rom.15. v.1. nominantur robusti* οἱ δυνατοὶ, *& imbecilles* οἱ ἀδύνατοι. *Robusti autem, scil. ad concoquendum solidum cibum: id est, idonei ad intelligendum sublimiorem doctrinam.*

3 Secundùm hominem inceditis] *Id est, more hominum agitis, ut vulgò homines solent, qui spiritum Dei non habent.*

5 Per quos] *Id est, per quorum prædicationem: nam fides ex auditu est, Rom.10.* Ut cuique Dominus dedit] *Id est, Qui docuerunt vos pro ea facultate quam cuiq; Dominus donaverat.*

6 Ego plantavi &c.] *Allegoria metaphorica. Id est, Ego Evangelium primus vobis prædicavi & fundamentum posui, ut infr. dicit v.10. Apollos autem & alii post me in doctrina mea vos confirmarunt: & ipsorum opera non abiit sine fructu, sed fidem in vobis effecit, atq; auxit per gratiam Dei.*

7 Neque is qui plantat, est aliquid] *Id est, Non est talis ac tantus ut debeatis ab eo pendêre. Synecdoche generis. Hæc est propositio syllogismi: Assumtio præcessit v.6. Conclusio autem v.5.*

8 Unum sunt] *Id est, unum eundemq; scopum præfixum habent, scil. ædificandi vos in Christo.*

9 Administri] συνεργοί. *Ad verbum cooperarii. Germanicè,* **mitarbaiter.** *Non quòd doctores Ecclesiæ fidem ex parte efficiant: (Solus enim Deus est, qui incrementum dat, (ut modò dixit v.7.) id est, qui fidem per prædicationem Evangelii efficit & auget: unde etiam fides donum Dei dicitur Eph.2. (Sed quòd Deus operâ ministrorum utatur ad fidem efficiendam in quibus vult.* Ædificium] οἰκοδομή. *Sic ecclesia (de qua hic loquitur Apostolus) appellatur domus Dei, 1. ad Tim.3.v.15.*

10 Secundùm gratiam Dei quæ data est mihi] *Id est, secundùm eam docendi facultatem quam mihi Deus ex gratia dedit. Metonymia efficientis.* Sapiens] σοφός. *Nam & artificibus* σοφία, *id est, sapientia tribuitur: vide Arist. Ethic. lib.6. cap.7.* Fundamentum] *Quod est Christus. ut ipse ait vers. seq. Manet in metaphora: qua ecclesiam appellarat ædificium.*

11 Positum est] *Scil. à me: ut dixit v. præcedente.* Jesus Christus] *Id est, doctrina de Christo. Metonymia subjecti. Videl. doctrina de persona & officio Christi: quòd Christus sit filius Dei unigenitus, qui à patre missus, in hunc mundum venit, assumendo naturam humanam ex Maria virgine: in qua egit servum Patris, tum docendo Evangelium, & miraculis edendis, tum patiendo ac moriendo pro omnibus sibi à Patre datis: deniq; ex mortuis resurrexit, in cælum ascendit, consedit ad dextram Patris, ibiq; potenter regnat ut caput ecclesiæ, donec veniat ad judicandum vivos ac mortuos.*

12 Aurum, argentum, lapides pretiosos] *Id est, doctrinam Evangelii puram & solidam. Allegoria metaphorica.* Ligna, fœnum, stipulam] *Id est, vanas ac curiosas argutias: ut rectè D. Beza judicat.*

13 Cujusque] *Nempe ædificatoris, id est, doctoris.* Opus] ἔργον. *Nempe quod superædificaverit super illud fundamentum. Manet in metaphora.* Dies enim declarabit] *Id est, Deus suo tempore id patefaciet.* Retegetur] ἀποκαλύπτεται, *Ad verbum, Retegitur, tempore præsenti. unde videtur hæc sententia esse generalis, quasi dicat, Nam per ignem* quodque opus *retegitur. Id est, retegi solet. Quæ versio si recipitur: tum conjunctio copulativa in sententia sequente, reddenda erit per conclusivam* Itaque. *Ignis autem nomine intelligit veritatem ex verbo Dei per Spiritum sanctum illucescentem, atq; in animis resplendentem.*

18 Seducat] *Decipiat.* In hoc sæculo] *In rebus hujus sæculi, seu attinentibus ad hoc sæculum.* Stultus fiat] *Abnegando scil. seipsum & carnalem suam sapientiã.* Ut fiat sapiens] *Nempe verè sapiens, in rebus scil. divinis & ad vitam æternam pertinentibus.*

19 Sapientia hujus mundi] *Id est, sapientia mundana, seu hominum mundanorum non regeneratorum Spiritu Dei.* Apud Deum] *Id est, judicio Dei.* In versutia] ἐν τῇ πανουργίᾳ. *Quasi dicat, in media ipsa versutia, seu interim dum versutè aliquid moliuntur & agunt.*

22 Sive mundus &c.] *Magnifica & gravis atque magnani-*

ma enu-

ma enumeratio, ex πληροφορίᾳ fidei profecta: qualis est & illa Rom.8.v.38.

23 Christus verò Dei] *Supple, Est. Scilicet Patris. Sic Joh.14. v.28. Pater major me est.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

Ministri verbi Dei. 1 Ex v.1.& 2. Pastores ecclesiæ doctrinam Christianam captui auditorum, exemplo Pauli, prudenter accommodent. Confer Heb.6.v.1.2.& 3.

Officium hominis Christiani. 2 Ex vers.3. & 4. Livor & contentio & invidia fugienda sunt: quum sint opera carnis, id est, corruptæ naturæ.

Officium auditorum Evangelii. 3 Ex v.4.& 5. item 21.& 22. Non debemus pendere ab autoritate doctorum Ecclesiæ, nósve ab illis denominare: quia illi non sunt nostri domini, sed ministri: nec plus possunt in docendo quàm quantum eis datur à Domino. Peccant igitur qui pendent ab autoritate Lutheri, seque ab illo denominant.

Fides. 4 Ex v.5. ex verbis, *Per quos credidistis.* Fides creatur in cordibus electorum per ministros Evangelii. Quare illi in honore habendi ac studiosè audiendi sunt. Confer Rom.5.vers.16. & cap.10.v.17.

Ministri verbi Dei. 5 Ex eodem versu, ex verbis: *Et ut cuique Dominus dedit.* Quum Dominus sua dona doctoribus Ecclesiæ inæqualiter distribuat: singuli suis, id est, sibi datis contenti sint, eisque ad gloriam Domini utantur. Sicut autem qui acceperunt minora, non debent invidere iis qui acceperunt majora: ita vicissim qui acceperunt majora, non debent reliquos præ se contemnere. Confer infr.cap.12.

Evangelium. 6 Ex v.6. & 7. Efficacia prædicationis Evangelii non est in potestate ministrorum; sed est penes solum Deum. Quare Deus orandus, ut per prædicationem velit esse efficax.

Ministri verbi Dei. 7 Ex v.8. Singuli Ecclesiæ ministri ad unum scopum conspirare ac tendere debent: videl. ut colligant Deo Ecclesiam.

Beatitudo. 8 Ex eod.v. Præmia beatorum in cælo erunt inæqualia: quoniam unusquisque accipiet suam mercedem secundum suum laborem. Confer infr.cap.15.v.41.

Beatitudo. 9 Ex eod.v. Etsi præmia cælestia appellantur nomine mercedis: non tamen hinc est concludendum, nos illa mereri. Quia semper nobis fatendum, nos esse servos inutiles, & fecisse quod facere debuimus. Et præmia illa nominantur merces per metaphoram [illegible], quia cum mercede hoc habent simile, quòd dabuntur in vespera mundi post labores in vinea Domini peractos: ut colligere est ex parabola Evangelica Matth.20.

Antilogiæ apparentis conciliatio. 10 Ex eod.v. Quæritur, quomodo cum sententia proposita de inæqualitate præmiorum conveniat parabola modò allegata: quippe ubi docetur, æqualem mercedem operariis datam esse? Respondeo: Illic per mercedem intelligitur vita æterna seu beatitudo illa cælestis in genere: quæ omnibus piis communis erit. At id non obstat quò minùs futuri sint gradus præmiorum pro gradibus laborum: ut hoc loco Paulus docet.

Ministri verbi Dei. 11 Ex eod.v. Quum plus laborantes in ecclesia ædificanda maneat amplior in cælo merces: ergò strenuè laboremus, ut quam-amplissimam mercedem consequamur.

Ministri verbi Dei. 12 Ex v.9. Magnus est honos, quòd ministri verbi Dei nominantur Dei συνεργοὶ, quasi socii operis Dei, quo ille fidem efficit in electis. Interim sciendum, fidem solius Dei effectum esse: sed Deum ministerio Verbi ad illam efficiendam liberè & pro suo arbitrio uti.

Officium hominis Christiani. 13 Ex v.10. ex verbis: *Secundum gratiam Dei.* Sic decet dona Dei agnoscere & Deo accepta referre. Sic infr. cap.15.v.10. Ampliùs, inquit, quàm illi omnes (nempe cæteri Apostoli) laboravi: non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum est.

Evangelium. Ministri verbi Dei. Religio. 14 Ex v.11. Doctrina Evangelii de persona & officio Christi, est veluti fundamentum religionis Christianæ. Quare omni studio opera danda doctoribus Ecclesiæ, ut illam doctrinam puram atque incorruptam conservent.

Ministri verbi Dei. 15 Ex v.12.13.14.15. Non omnes qui fundamentum religionis Christianæ retinent, fundamento illi consentanea per omnia tradunt. Singulis autem opera danda ut consentanea tradant. Nam qui tradiderit dissentanea, cogetur aliquando illa cum pudore damnare: qui autem consentanea tradiderit, consequetur laudem.

Vindicatio verborum Pauli, Cujusque opus quale sit, ignis probabit. 16 Ex v.13. ex verbis, *Cujusque opus quale sit, ignis probabit.* Ineptiunt qui ex his verbis probant ignem illum purgatorium: quum Paulus de tali igne non loquatur: sed de igne veritatis cælestis quo falsa dogmata tandem exuruntur ex animis doctorum; unde nascitur pudor qui illos urit ac vexat.

Officium hominis Christiani. 17 Ex v.16. & 17. Quum Spiritus sanctus habitet in credentibus: debent illi studere sanctitati, ne tam sanctum tamque exoptatum hospitem contristent.

Sapientia. Officium hominis Christiani. 18 Ex v.18.19.20. Sapientia mundana non solùm non est admiranda & sectanda: sed potiùs contrà sustinendum ut sapientibus sæculi hujus videamur stulti, dum simplicitatem doctrinæ Christianæ pro vera sapientia amplectimur: præsertim quum sapientia mundi revera sit stultitia.

Fideles. 19 Ex v.21.& 22. Magnus est honos credentium, quòd omnes res terrenæ usibus & saluti ipsorum à Deo destinatæ sunt. Affine est illud Rom.8.v.28. His qui diligunt Deum, omnia simul conferunt ad bonum.

20 Ex v.23. Magna est consolatio credentium, quòd sciunt se esse Christi. Sunt autem illius, tanquam ab illo redempti è potestate diaboli. Confer.infr.6.v.ult. item 1.Pet.1.v.18. *Consolatio pro fidelibus.*

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Primo versu repetit admonitionem superiore capite propositam, quo scilicet loco habendi sint doctores Evangelii. Vers.2. illos officii sui admonet. Vers.3.4.5. per occupationem testatur, se nihil morari perversa ambitiosorum de se judicia: & rationes ejus rei affert, atque adeò ipsos ab istiusmodi judiciis dehortatur. Vers.6. rejecto illorum judicio rursum se proponit pro singulari modestiæ exemplo, dum causam exponit cur suum & Apollo nomen substituerit ipsorum loco. Vers.7. arrogantiam istorum rationibus allatis coërcet. Vers.8. vanitatem & ambitiosorum doctorum & stultorum auditorum illos admirantium gravissimâ ironiâ perstringit: quam tamen serio voto corrigit. Vers.9.10.11.12.13. vanæ ambitiosorum doctorum jactantiæ & stultæ auditorum admirationi opponit contumelias ac omnino miserias quas ipse sustineat propter Christum & Evangelii causâ. Vers.14.15.16. per occupationem temperat ironiæ præcedentis acrimoniam, dum causam exponit cur tam acriter eos objurget: atque ea occasione paternum suum erga ipsos affectum profitetur, eosq́; ad se imitandum hortatur. Vers.17. commendat eis Timotheum, ut admonitionibus ejus locum dent. Vers.18.19.20. minatur ambitiosis istis doctoribus suum adventum & redargutionem. Vers.21. qui est ultimus, transit ad reprehensionem gravissimi sceleris, nempe incesti in ecclesia Corinthiorum admissi: qua de re agit toto capite sequente. Incipit autem à significatione suæ indignationis, veruntamen paternæ. Sic varia tractantur in hoc capite. Nunc deinceps singula ordine perpendemus.

SIc de nobis reputet homo ut de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei.

2 Quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus, ut quis fidus reperiatur.

3 Mihi verò pro minimo est quòd à vobis dijudicer, aut ab humano judicio: imò nec ipse me dijudico.

4 (Ac nullius *quidem* rei mihi conscius sum: sed non tamen per hoc justificatus sum.) Is autem qui me dijudicat, Dominus est.

5 Proinde ne ante tempus quicquam judicate, *id est*, usque dum venerit Dominus: qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium: ac tunc laus erit unicuique à Deo.

MOnet, doctores Evangelii habendos esse pro ministris Christi. unde sequitur, illos non esse habendos pro dominis: quum solus Christus Ecclesiæ dominus sit. Deinde declarat, quomodo sint ministri Christi: nempe quia sint dispensatores mysteriorum Dei, hoc est, arcanorum consiliorum Dei de salute nostra æterna. Horum autem consiliorum dispensatio consistit in prædicatione Evangelii & administratione Sacramentorum; quæ & ipsa à veteribus μυστήρια nominantur, eò quòd arcanorum istorum signa & pignora sunt. Vers.2. affirmat, in doctoribus Evangelii requiri fidem seu fidelitatem, ut nimirum fideliter ecclesiæ consilia illa Dei exponant; quod se fecisse apud presbyteros ecclesiæ Ephesinæ gloriatur Paulus Actor.20.vers.20.& 27. Quod ipsum etiam hic innuit, ac proinde significat, se meritò à Corinthiis amandum ac in honore habendum esse. Sed quoniam videbat, se à plerisque præ ambitiosis istis doctoribus contemni; mox significat, se perversa ista judicia nihil morari. Ait igitur vers.3. *Mihi verò pro minimo est quòd à vobis dijudicer.* hoc est, Ego nihil moror sinistra vestra de me judicia, quasi non sim cum ambitiosis istis doctoribus comparandus. Hanc sententiam mox amplificat assumtione generis, inquiens, *Aut ab humano judicio*, hoc est, Imò in universum nihil moror hominum ullorum (quicunque sint) de me judicia, quatenus scilicet more humano judicant, ex affectibus scilicet humanis & ratione humana. Hic igitur continetur prima ratio, cur nihil moretur Corinthiorum illa de se judicia, quibus ipsum contemnebant: nempe quia sint humana, ac proinde temeraria & errori obnoxia. Simul autem illos obliquè ab istiusmodi judiciis dehortatur, id quod expressè faciet v.5. Tum addit secundam hujus dehortationis rationem, inquiens, *Imò nec meipsum dijudico.* Argumentum est à majori: Ego ipse, inquit, non audeo statuere quanti sim faciendus, quum tamen ipse mihi notior sim quam vobis: Ergo multò minùs vos debetis statuere & judicare quanti faciendus sim. Vers.4. per prolepsin adjungit rationem tertiam: *Etsi nullius rei*, hoc est, nullius malæ fidei aut negligentiæ in fungendo meo apostolatu *mihi conscius sum: non tamen per hoc justificatus sum*, id est, absolutus *sum*, nempe coram judicio Dei. Significat, fieri posse ut suæ administrationi multum adhuc desit, si in examen veniat apud Deum. Tum addit tertiam illam ratio-

nem per antithesin, inquiens, *Sed Dominus est is qui me dijudicat.* quasi dicat, Judicare, quantus quisque sit, solius Domini est: qui id patefaciet suo tempore, nempe quum venerit ad judicandum vivos & mortuos: Ergo nolite vobis hoc judicium usurpare. Versu 5. ex ratione tertia infert dehortationem: & illam rationem repetit ac pluribus verbis exponit. *Proinde,* inquit, *ne ante tempus judicate.* Significat, nondum adesse judicii tempus: id quod mox per epexegesin declarat: inquiens: *Usque dum venerit Dominus.* nempe ad judicium. Quale autem judicium illud Domini sit futurum, declarat verbis sequentibus, inquiens, *Qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium.* Hoc judicium tanquam verum & exactum opponit perversis ac temerariis judiciis Corinthiorum, qui judicabant ex larvis externis: quippe qui corda suorum doctorum non poterant introspicere, ut viderent quinam sinceri ac fideles essent, ipsorumque salutem & gloriam Dei ex animo quærerent: & contrà quinam sua ipsorum commoda & suam ipsorum gloriam expeterent. Addit, *At tunc laus erit unicuique* (nempe qui laude dignus fuerit) *à Deo*: hoc est, à Christo: quem modò vocaverat Dominum, id est, Jehovam. His verbis & seipsum consolatur, ut qui speret se meritam laudem suo tempore accepturum à Christo, cui fideliter serviebat: & simul hortatur ambitiosos istos doctores, ut & ipsi sese Christo approbare studeant, non autem vanas istas hominum laudes sectentur.

6 Hæc autem, fratres, figurâ quadam transtuli ad meipsum & Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, supra id quod scriptum est non sapere: ut ne alius pro alio inflemini adversus alium.

7 Quis enim te discernit? quid autem habes quod non acceperis? quòd si etiam accepisti, quid gloriaris ut qui non acceperis?

Versu 6. monet, se nomen suum & Apollo substituisse loco ambitiosorum istorum doctorum, ut exemplum modestiæ eis præberet: ut qui illis parcens, ipsorum dedecus in se receperit: vel potiùs qui nolit à se quenquam discipulorum denominari, quamvis istis doctoribus unde illi sese denominabant, longè sit excellentior.

Versu 7. arrogantiam istorum duabus rationibus coërcet. Prima est, quòd communi hominum infirmitati obnoxii sint. Altera, quòd dotes illas sapientiæ & eloquentiæ non habeant à seipsis, sed à Deo.

8 Jam saturati estis, jam ditati estis, absque nobis regnatis: atque utinam sanè regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.

9 Deus enim, puto, nos ultimos apostolos, spectandos proposuit, tanquam morti addictos. Nam spectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominibus.

10 Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem validi: vos gloriosi, nos ignominiosi.

11 Ad hoc usque tempus & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis sedibus erramus:

12 Et laboramus, operantes propriis manibus; conviciis affecti, bene precamur: persequutionem patientes, sustinemus.

13 Infamati precamur: ut purgamenta mundi facti sumus, & ut omnium deterforium, usque adhuc.

Versu 8. vanitatem eorum gravissimâ ironiâ perstringit. *Jam saturati estis,* inquit, *jam ditati estis*: id est, tot tantisque Spiritus sancti donis præditi estis, ut non solùm nihil ad plenam felicitatem vobis desit, sed etiam ut supersit. *Imò jam regnatis,* id est, jam plenâ felicitati fruimini. Sententia est: Quanquam vobis ad fruitionem plenæ felicitatis adhuc multum deest, tamen non secus gloriamini ac si nihil prorsus vobis deesset. Tum addit correctionem: *Atque utinam sanè regnetis.* q.d. Non invideo vobis plenam felicitatem, sed potiùs exopto: idque eò magis, quòd illa mihi vobiscum communis futura est. addit enim: *Ut & nos simul vobiscum regnemus.* quibus verbis significat, se nondum experiri in se felicitatem illam plenam regni cælestis; sed adhuc experiri omnis generis miserias, sicut deinceps declarabit. Vers. igitur 9. & deinceps usque ad 14. commemorat miserias suas; ut ostendat, se nondum regnare: & suo exemplo Corinthios commonefaciat, ipsos falsò sibi regnum in hac vita persuadere. Utitur autem numero plurali, sive unà secum complectatur comites suos, ut Apollo, Sylvanum, Timotheum: sive de solo loquatur per synecdochen. nam etsi nomen apostoli etiam sociis suis interdum tribuit, eò quòd eodem munere fungerentur, etsi non erant immediatè vocati: ut Rom. 16. 7. & 2. Cor. 8. 23. tamen hic quædam commemorat, quæ ad ipsum solum videntur pertinere: ut quòd vocat *apostolos ultimos*: nam ipse postremus ad apostolatum à Christo vocatus fuit, & videtur etiam hoc nomine fuisse à malevolis contemtus, quòd non esset cum Christo in terris versatus ut cæteri apostoli, sed post ejus ascensionem demum esset vocatus. item quòd ait v. 12. *Laboramus operantes propriis manibus.* quod idem & alibi de se commemorat, & etiam Lucas de ipso Act. 18. 3.

14 Non ut vos pudore suffundam, hæc scribo; sed ut filios meos dilectos admoneo.

15 Nam etsi decem millia pædagogorum habeatis in Christo, at non multos patres *habetis.* in Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui.

16 Precor vos igitur, imitatores mei estote.

17 Propterea misi vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus & fidelis in Domino: qui vobis in memoriam revocabit, quæ sint viæ meæ in Christo, sicut ubique in omnibus ecclesiis doceo.

Versu 14. per prolepsin exponit causam cur eos tam acriter objurget; nempe ut in eos faciat officium patris. Tum v. 15. probat, se esse ipsorum patrem; nempe spiritualem: quippe qui eos genuerit in Christo per Evangelium. hoc est, qui eos ad fidem Christianam adduxerit, per quam Christo fuerunt insiti tanquam palmites viti, tanquam membra capiti. Sententiam autem propositam amplificat antithesi disparatorum. nam sibi ut patri reliquos Corinthiorum doctores opponit, ut pædagogos. Pædagogi autem nec tantopere pueros diligunt ut patres: & plerumque plus æquo severi sunt. unde de hujusmodi doctoribus ait 1. Cor. 11. 20. Toleratis, si quis vos in servitutem adigit: si quis exedit, si quis accipit, si quis attollit sese, si quis vos in faciem cædit. V. 15. ex sententia præcedente deducit exhortationem. Sum vester pater: ergo me imitamini. Filios enim decet insistere præclaris parentum vestigiis. Vers. 17. paternum suum affectum etiam ex eo probat, quòd ad eos miserit Timotheum, ut suis verbis eos officii commonefaciat. Hunc igitur eis commendat.

18 Cæterùm perinde quasi ego non sim venturus ad vos, inflati sunt quidam.

19 Sed veniam brevi ad vos, si Dominus voluerit; & cognoscam non verba istorum qui inflati sunt, sed virtutem.

20 Non enim in verbis *situm est* regnum Dei, sed in virtute.

His tribus versibus minatur inflatis istis doctoribus suum adventum & redargutionem: admonens, regnum Dei non esse situm in verbis, id est, in elegantia & splendore verborum; sed in potentia, hoc est, in efficacia Spiritus sancti.

21 Quid vultis? cum virga veniam ad vos, an cum charitate & spiritu lenitatis?

Hîc transit ad sequentem reprehensionem incesti apud Corinthios commissi, significatione gravissimæ suæ, veruntamen paternæ, indignationis. Quare hic versiculus cum sequenti capite conjungi debuit.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Homo] ἄνθρωπος. *Id est, unusquisque.* Dispensatoribus mysteriorum Dei] *Intelligit capita doctrinæ Christianæ, quorum cognitio hominem per naturam latet, quæque ministri verbi seu doctores Ecclesiæ ex verbo Dei velut ex penu proferunt.*

2 Judicio] ἡμέρας. *Ad verb.* Die. *Metonymia adjuncti: nam judiciorum certi dies sunt.*

4 Ac nullius quidem rei mihi conscius sum] οὐδὲν γὰρ &c. *Videtur hic* γὰρ *positum pro* μὲν γὰρ. *Sententia est, Nullius fraudis aut negligentiæ mihi conscius sum in functione mei ministerii. Synecdoche generis.* Sed non per hoc justificatus sum] *Id est, Non per hoc justitiæ laudem adeptus sum apud Deum, quasi scil. nihil mihi desit, quasi perfectè omnes muneris mei partes impleverim, ut meritò sim laudandus & magnifaciendus.* Is autem qui me dijudicat] *Cohærent hæc cum extrema sententia versiculi præcedentis, per antithesin Itaque perspicuitatis causâ, præcedentes hujus versiculi sententiæ parenthesi à nobis inclusæ sunt.*

5 *Id est,* usque dum venerit] *Videtur hoc præcedentibus annecti per appositionem & expositionem: Itaque perspicuitatis causâ rectè suppleta sunt particulæ exegeticæ.* Id est. *Exponit enim illa verba,* πρὸ καιροῦ. Unicuique] *Nempe qui laude dignus fuerit, qui se laudabiliter gesserit, qui fideliter suo munere functus fuerit. Synecdoche generis.*

6 Supra id &c.] *Magis perspicuè hanc sententiam proponit Rom. 12. v. 13.* μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν. Alius pro alio] εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνός. *Ad verbum, Unus pro uno. Hebraismus. quasi dicat, Unusquisque auditorum pro unoquoque doctorum.* Inflemini] *Id est, superbiatis. Metonymia effecti. nam qui superbiunt, buccis inflatis incedunt. Vel est metaphora. nam superbus animus quasi inflatur atque intumescit.*

7 Discernit] διακρίνει. *Sic* διαφέρειν *pro excellere: ut Matth. 6. v. 26.*

v.26.Rom.2.18. Quid] *Scil.boni: quam dotem animi. Synecdoche generis,ut in illo,Sine me nihil potestis facere,*Johan.15.Acceperis] *Scil. à Deo, ex merâ ejus gratiâ.*

8 Jam ditati] *Crescit oratio. Loquitur autem de donis spiritualibus.*

8 Spectandos proposuit] *ἀπέδειξεν. Quemadmodum scilicet in conspectum hominum producuntur, qui ad bestias, vel ludum gladiatorum, vel aliud supplicii genus damnati sunt.* Spectaculum] *θέατρον. Ut qui in triumpho ducuntur,& inde in carcerem strangulandi abripiuntur.* Mundo] *Id est, creaturis rationalibus in mundo. Metonymia subjecti & synecdoche generis. Sic enim ipse mox exponit per distributionem. Facit autem hîc angelos quoque testes:ut infrà 11.10.*

10 Nos stulti] *Scil.sumus,id est,judicamur.* Propter Christum] *Propter doctrinam quam profitemur & mundo annuntiamus de Christo.* Vos autem prudentes &c.] *Videtur Apostolus his verbis non tam per ironiam Corinthiis doctoribus has laudes tribuere, re autem verâ adimere: quàm eorum superbiam perstringere: ut qui istis laudibus superbiant, non cogitantes, easdem laudes in ipso quoq; Paulo,& quidem majores esse: quum tamen ipse interim minimè superbiat, sed tanquam abjectissimus aliquis vivat. Videtur enim numero plurali de se solo loqui.*

12 Propriis manibus] *Nam Paulus erat σκηνοποιὸς, confector tabernaculorum, Act.18.3. Sic infr.9.6. An solus ego & Barnabas, inquit, non habemus potestatem non operandi?*

13 Purgamenta] *περικαθάρματα.* Keericht/*quisquiliæ.* Detersorium] *περίψημα.* Keerwisch.

14 Ut vos pudore suffundam] *Id est, ut vobis exprobrem: vel, ut ignominiâ vos afficiam. Metonymia effecti.*

15 Decem millia] *Id est, plurimos. Synecdoche speciei hyperbolica, Græcis usitata: ut Latinis, Sexcenta.* Pædagogorum] *Sic vocat per metaphoram doctores ambitiosos Corinthiorum, qui laudem eloquentiæ affectabant. Innuit autem, eos esse mercenarios, nec sincero amore complecti Corinthios.* Patres] *Paterno affectu præditos: qualis scil. ego sum.* In Christo vos genui] *Id est, Fidem in vobis effeci per quam insiti estis Christo, tanquam palmites viti, tanquam membra capiti.* Per Evangelium] *Per prædicationem Evangelii: quod est semen illud spirituale & incorruptibile quo renascimur in vitam æternam, 1.Pet.1.24.* Genui] *Sic etiam ait in epist. ad Philem. v.10. de Onesimo.*

16 Precor igitur] *πόρισμα, id est, corollarium.* Imitatores mei estote] *Id est, subjicite vos cruci propter Christum.*

17 Propterea] *Prolepsis. Quibus in rebus imitabimur te? Respondet, Hoc vos docebit Timotheus. Vel potiùs (ut D.Beza annotat) transitio est ad sequentis capitis disputationem de Corinthio incestuoso, deq; judiciis ecclesiasticis.* Timotheum] *De hoc vide Act.16. à principio. Ad hunc exstant duæ Pauli epistolæ.* Filius] *Ergo optimè res meas novit. Filium vocat μεταφορικῶς, quòd eum diligeret, ut filium, quodq; junior esset: ut intelligitur ex 1.Tim.4. v.12.* Fidelis] *Fidus.* Trew. *cui meritò fidendum est propter integritatem. Hoc quoq; pertinet ad conciliandum testimonio ejus autoritatem.* In Domino] *In timore Domini, ut qui timet Dominum.* Viæ] *Id est, rationes agendi instituta. Metaph.* In Christo] *In administrandis Ecclesiis Christi.*

18 Inflati sunt] *Superbiunt, sese jactant, contemnentes me, & sibi placentes propter eloquentiam.*

19 Virtutem] *Scil. Spiritus, ut supr.4. id est, efficaciam spiritualem: zelum Dei, fidem deniq; charismata spiritus.*

20 Regnum Dei] *Id est, administratio ecclesiæ, per quam Deus regnat suo spiritu in electis. Metonymia effecti.*

21 Quid vultis] *Transitio ad sequens caput.* Virgâ] *Id est, severitate reprehensionum. Metaph. à patre, qui castigat filium.* Spiritu lenitatis] *Id est, affectu lenitatis seu leni. Hebraismus duplex: alter in nomine spiritus, alter in syntaxi. Est autem in nomine spiritus metonymia subjecti. nam spiritus, quum de homine sermo est, Hebræis idem significat quod animus, ut liquet ex v.3. capitis seq. Hîc autem animi affectus intelligitur. Sic Num.5.14. Spiritus zelotypiæ. Qanquam D.Beza judicat, hoc nomine notari, veras virtutes ab afflatu divini spiritus exoriri. Statuit igitur metonymiam efficientis, & synecdochen generis.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

Auditores Evangelii. 1 Ex vers.1. Ministri verbi Dei in honore ac pretio habendi sunt: tum propter Christum, cujus ministri sunt, tum propter mysteria salutis æternæ quæ hominibus dispensant. Confer 2.Cor.5.20.

Ministri verbi Dei. 2 Ex v.2. Ministri Ecclesiæ in dispensando verbo Dei debent esse fideles. Confer exemplum Pauli infr.cap.9.v.26.& 27. item 2.Tim.4.v.7.

Officium hominis Christiani. 3 Ex v.3.4.5. Temeraria aliorum de nobis judicia (sive ad laudem, sive ad vituperium spectent) non debemus curare: sed potiùs operam dare ut nostras actiones approbemus Deo: qui solus rectè judicare potest, & suo tempore judicaturus est.

Conscientia. 4 Ex v.4. Lætandum quidem de bona conscientia: sed coram Deo nequaquam de illa gloriandum: quasi nimirum nihil nobis desit, sed perfectè præstiterimus quæcunque debuimus. Etenim si vita nostra in examen veniat apud Deum, multum adhuc deesse ad perfectam justitiam reperietur. Atque adeò in angelis quoque suis reperit Deus quòd merito desideret, ut habetur Job.4.v.18. Et rursum cap.15.v.15. Cæli (id est, angeli in cælis degentes) non sunt mundi in oculis ejus.

5 Ex v.6.& 7. Ministri Ecclesiæ studere debent modestiæ, & contrà fugere arrogantiam atque superbiam: cogitantes, se dotes quibus excellunt, non habere à seipsis, sed gratis accepisse à Domino. *Ministri verbi Dei.*

6 Ex v.9.10.11.12.13. Exemplo Pauli ministri Ecclesiæ sese comparent ad patienter ferendum omnis generis ærumnas & injurias propter Evangelii fidelem prædicationem. *Ministri verbi Dei.*

7 Ex v.14.& 15. Pastores Ecclesiæ, exemplo Pauli, paternum affectum erga gregem sibi commissum induere debent. *Ministri verbi Dei.*

8 Ex vers.15. Per Evangelium electi regenerantur: quatenus nimirum donantur fide per quam efficiuntur filii Dei. Confer Joh.1.v.12. 1.Pet.2.24. *Evangelium.*

9 Ex eod.v. ex verbis, *In Christo vos genui.* Per fidem inserimur Christo, tanquam vites palmiti, Joh.15. *Fides.*

10 Ex v.16.& 17. Laudabilia doctorum Ecclesiæ exempla auditoribus imitanda sunt: ac proinde illi sese exemplar istis præbere debent. Confer Heb.13.7. 1.Pet.5.3. *Auditores Evangelii.*

11 Ex v.18.19.20. Ministri ecclesiæ, omissâ ostentatione eloquentiæ, orent Deum ut virtute Spiritus sancti efficax sit per ipsorum prædicationem: ut veritatem cælestem auditoribus clarè demonstrent ac certò persuadeant. *Ministri verbi Dei.*

12 Ex v.19. ex verb. *Si Dominus voluerit.* Conditionem hanc promittendi à Christianis requirit Jacobus c.4.v.15. Sic Rom.1. v.10. Non quòd præcisè ad hujusmodi verba obstricti simus: sed quòd animus semper ita comparatus esse debeat, ut à voluntate Dei pendeat. Hinc Apostolus hanc conditionem omisit Rom.15. v.24. Utile tamen est, se hujusmodi verbis assuefacere ad animum commonefaciendum. *Officium hominis Christiani.*

13 Ex v.21. Pastorem ecclesiæ nunc severum, nunc lenem esse oportet: prout necessitas auditorum postulat. *Ministri verbi Dei.*

14 Ex eod.v. Quum Apostolus charitatem opponat virgæ: quærat aliquis, An igitur virga conjuncta sit cum odio? Respondeo: Virga patris nunquam conjuncta est cum odio erga filium: quin potiùs proficiscitur ex amore: nam pater quia amat filium, castigat eum, ait Salomon; sed filio ita videtur propter patris castigantis severitatem & iram. *Charitas.*

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Hoc capite tractatur secundus hujus epistolæ locus, qui continet severissimam reprehensionem gravissimi sceleris, in ecclesia Corinthiorum admissi, nempe incesti, quem quidam perpetraverat cum noverca sua.

OMnino auditur *esse* inter vos scortatio, & ejusmodi scortatio quæ ne inter Gentes quidem nominatur, adeò ut quis uxorem patris habeat.

PRimò scelus istius Corinthii commemorat, & reprehensionem ejus amplificat à majori: *Ne inter Gentes quidem*, inquit, *nominatur ejusmodi scortatio.* quasi dicat, Ergo multò minùs nominari, audiri ac tolerari debebat apud vos, qui jam voluntatem Dei sanctam ex ipsius verbo cognovistis. Uxorem patris periphrasi Hebræâ vocat novercam.

2 Et *tamen* vos inflati estis: ac non potiùs luxistis; ut tolleretur è medio vestri qui facinus hoc patravit.

Reprehendit eorum negligentiam & incuriam in flagitioso isto homine tolerando: & hanc incuriam amplificat collatione imparium à contrario: quòd non solùm non luxerint propter tantum scandalum in ecclesia ipsorum exortum, ac proinde decreverint & curaverint ut iste excommunicaretur: sed etiam contrà inflati sint, hoc est, glorientur ac triumphent de donis nimirum spiritualibus & de præstantia doctorum suorum.

3 Enimverò ego ut absens corpore, præsens autem spiritu, jam ut præsens judicavi, ut is qui hoc ita perpetravit,

4 Vobis & meo spiritu in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis, cum virtute Domini nostri Jesu Christi,

5 Ejusmodi, *inquam*, *homo* tradatur Satanæ ad interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die illo Domini Jesu.

Fert sententiam excommunicationis in flagitiosum istum: & huic dictioni sententiæ autoritatem conciliat partim à mandato Christi, partim ab efficacia ejusdem, partim ab excommunicationis forma & natura. Mandatum significat, quum eos vult ad istum excommunicandum congregari in nomine Christi. Efficaciam verò nominat *δύναμιν*, id est, virtutem seu potentiam. nam Christus potenter operatur per spiritum suum in ministerio verbi, & illud reddit efficax in electis: ut denuntiatione iræ Dei perculsi, resipiscant & gratiam Dei expetant. Formam autem seu naturam excommunicationis hanc esse docet, quòd excommunicando peccator traditur Satanæ, hoc est,

declaratur subjectus esse regno & potestati Satanæ, ac proinde non ampliùs pertinere ad regnum Christi. Ne autem excommunicatus hoc nomine omnem salutis suæ spem abjiciat: monet etiam de excommunicationis fine: qui est excommunicati salus, ut nimirum pudore ac tristitiâ confectus atque emaciatus resipiscat, & rursum in Ecclesiam receptus spem salutis recuperet.

6 Non est bona gloriatio vestra. An nescitis paululo fermenti totam massam fermentari?

Iterum securitatem eorum reprehendit: qui quasi nullam lugendi materiam haberent, securè gloriabantur de sapientia & eloquentia doctorum suorum: atque ita obliquè eos hortatur ut lugeant propter scandalum ab isto flagitioso datum, & ut eundem excommunicent: id quod modò expressè fecerat, sententiam suam pronuntiando, ac rursum faciet versu ultimo. Tum affert hujus hortationis vel potiùs mandati argumentum ab effectu inutili: affirmans, nisi iste excommunicetur, contagionem ad reliquos pervasuram, quippe qui exemplum istius sint imitaturi. Hanc sententiam significat allegoriâ metaphoricâ, similitudine sumtâ à fermento. Nam sicut paululo fermenti tota massa fermentatur: sic unus aliquis in cœtu flagitiosus totum cœtum ad se imitandum allicere potest exemplo suo. Est igitur hîc alius excommunicationis finis, ne contagio ad reliquos pervadat, seu ne alii aliorum contagione inficiantur.

7 Expurgate igitur vetus fermentum, ut sitis nova massa; sicut estis fermenti expertes. Etenim Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, *nempe* Christus.

8 Itaque festum agitemus non cum fermento veteri, nec cum fermento malitiæ & nequitiæ: sed cum non fermentatis *panibus* sinceritatis & veritatis.

Occasione similitudinis fermenti digreditur parumper à proposito, & inserit exhortationem ad vitæ-novitatem seu studium pietatis. Commemorat enim fermentum quod olim in festo paschæ expurgatum oportuit, adeò ut per totos septem dies non nisi panibus non fermentatis (quos azymos Græci vocant) vescerentur. Exod.13. Deut.16.4. Ad hanc igitur cærimoniam allusione factâ, hortatur eos ut expurgent vetus fermentum, id est, vitiosos naturæ veteris seu corruptæ affectus: ut sint nova massa, id est, ut ambulent in vitæ novitate, sicut loquitur Rom.6.v.4. Tum per prolepsin annectit correctionem, inquiens, *Sicut estis fermenti expertes.* quibus verbis significat, eos jam cœpisse mortificare veterem hominem, & spiritu renovari. Postea addit institutæ exhortationis rationem, *Etenim pascha nostrum*, inquit, *pro nobis mactatum est, nempe Christus.* quasi dicat: Quemadmodum olim agno paschali mactato, oportebat vesci panibus non fermentatis per totos septem dies: ita nunc mactato pro nobis Christo qui per agnum illum fuit præfiguratus, oportet nos operam dare sinceritati atque integritati per totam nostram vitam. Vers.8. exhortationem institutam repetit, eamque ex ratione allata infert, expositione similitudinis adjectâ.

9 Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini cum scortatoribus.

10 At non omnino cum scortatoribus mundi hujus, aut cum avaris, aut cum rapacibus, aut cum idololatris: alioquin debetis scilicet è mundo exire.

11 Nunc autem scripsi vobis ne commisceamini; *nempe* si quis quum frater nominetur, sit scortator, aut avarus, aut idololatra, aut conviciator, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi, *inquam*, ne edatis quidem.

12 Quid enim meâ *interest* etiam extraneos judicare? nónne eos qui intus sunt, vos judicatis?

13 Extraneos verò Deus judicat. tollite igitur istum sceleratum ex vobis ipsis.

Revocat eis in memoriam, quid antea ad eos de flagitiosis vitandis scripserit: & illam suam sententiam interpretatur v.10. & 11. admonens, se id non intellexisse de iis qui adhuc extra Ecclesiam sunt, nec dum fidem Christianam receperunt: sed de fratribus, id est, de iis qui unà nobiscum profitentur fidem Christianam. Cum his, ait, si flagitiosè vivant, ne cibum quidem capiendum: ut nimirum sentientes, se familiaritate nostra propter flagitia sua indignos judicari, resipiscant.

Vers.12. & 13. rationem suæ sententiæ exponit: cur scil. de extraneis nolit judicare. Postremò conclusionem annectit, ut incestuosum istum excommunicent.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 Omnino] ὅλως. *Est asseverantis, & simul exponentis rationem sententiæ præcedentis, quasi dicat. Quòd virgam vobis minitor, gravis ratio me movet: nam omnino seu planè auditur inter vos esse scortatio.* Esse] *Supplementum, expressum ad perspicuitatem. Nam verbum* Auditur *intelligendum est de rumore apud exteros, qui etiam ad ipsius Apostoli aures pervenerit.* Scortatio] πορνεία. *In genere accipitur hîc pro commixtione libidinosa illegitima, id est, extra legitimum conjugium. Hoc genus mox restringit ad speciem, videl. incestum.* Inter gentes] ἐν τοῖς ἔθνεσι. *Sic vocat populos alienos à fœdere Dei, per synecdochen generis usitatam scripturæ.* Nominatur] *Hic latet argumentum à majori. quasi dicat, Multò minùs patratur & reipsa committitur.* Uxorem patris] *Id est, novercam. Periphrasis Hebræa: quæ etiam usurpatur in Lege qua Deus hanc speciem incesti vetuit, Levit.18.8. Nuditatem uxoris patris tui ne retegito.* Habeat] *Id est, eâ utatur uxore, rem cum ea habeat, deniq; cum eâ scortetur.*

2 Et *tamen* vos inflati estis] *Antithesis. Ideo supplevi*, tamen. *Cohæret enim hic versus cum superiore per enuntiatum discretum, nempe tale, Quanquam inter vos viget nefaria scortatio: vos tamen interim estis inflati, securi scil. de tanto scelere exterminando.* Ac non potiùs luxistis] *Altera antithesis: Non fuit tempus insolescendi ac superbiendi: sed potiùs lugendi & solicitè procurandi, ut iste tolleretur è medio.* Tolleretur è medio vestri] *Id est, excommunicaretur, è cœtu vestro ejiceretur, atque ex ecclesia (quæ est domus & civitas Dei) exterminaretur. Hanc esse sententiam, declarat ipse Apostolus vers.5. ubi mandat istum tradi Satanæ.*

3 Enimverò ego] ἐγὼ μὲν γὰρ. *Vel, Ego quidem certè. Quasi dicat: Quum igitur vos neglexeritis vestrum officium in isto incestuoso excommunicando: ego certè omnino à vobis postulo, vobisq; mando, ut eum absq; mora excommunicetis: adeoq; ego ipse unà vobiscum jamjam eum excommunico.* Ut absens] *Quasi dicat, Licet absens corpore, tamen præsens spiritu.* Ut præsens] *Non secus ac si essem præsens corpore.* Judicavi] κέκρικα. *Id est, decrevi, conclusi. Metonymia efficientis.* Ita] οὕτω. *Quasi dicat, tam impudenter, tam nefariè.*

4 In nomine Domini] *Id est, ex mandato Domini. Nam his verbis mandatum notari, intelligi potest ex aliis Scripturæ locis: ut Act.3.v.6. ubi Petrus claudum in nomine Christi surgere & ambulare jubet. Sic Matth.7.v.22. ubi introducuntur hypocritæ commemorantes, quòd in nomine Christi prophetarint &c. Sic Luc.24.v.47. Oportet prædicari in nomine ejus (ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ) resipiscentiam & remissionem peccatorum.* Cum virtute] σὺν τῇ δυνάμει. *Hoc interpretor de efficacia: de qua exstat promissio Domini, Quicquid ligaveritis super terram, ligatum erit in cœlis: ac proinde verto,* Cum virtute, *vel,* cum potentia: *Germanicè,* sampt der kraft; *non autem,* Cum potestate. *Nam potestas, id est, autoritas & jus, Græcè ἐξουσία dicitur. Hic versiculus lucem accipiet ex collatione v.20.c.18. Matthæi: ubi similiter & mandati & efficaciæ istius mentio fit, ita ut videatur Apostolus ad illam promissionem hîc respexisse.*

5 Ejusmodi] τὸ τοιοῦτον. *Epanalepsis. Repetit enim vi hujus pronominis illa verba in fine v.3.* τὸν οὕτω τοῦτο κατεργασάμενον. Ad interitum carnis &c.] *Placeret mihi sententia eorum qui exponunt carnem de corruptione seu vitiositate naturæ, itemq; spiritum de ejusdem renovatione: nisi obstaret nomen* ὄλεθρος, *& verbum* σωθῇ. *Nam Apostolus cùm de emendatione vitiositatis innatæ loquitur, nunquam (quod equidem meminerim) vocat* ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, *sed* σταύρωσιν *crucifixionem, aut* θανάτωσιν, *mortificationem, Galat.5.24. Rom.8.13. Nec videtur commodè dici, spiritum (id est, renovationem mentis) servari vel salvum esse in die Christi. Puto igitur* ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, *exponendum de corporis emaciatione, exhausto per tristitiam vitali succo: (Nam spiritus tristis exsiccat ossa, Proverb.17.22.) Spiritus autem nomine (prout postulat antithesis) ipsam animam intelligendam judico. Nam etsi corpora quoq; sanctorum una cum animabus salva erunt in die Christi: tamen hæc salus animabus per synecdochen membri κατ᾽ ἐξοχὴν tribuitur. Sic 1.Pet.1.9.*

6 Paululo fermenti &c.] *Allegoria, eundem sensum habens cum illo proverbio, Una ovis morbida inficit totum gregem. Sententia est, unius hominis flagitiosi societate & familiaritate infici totum cœtum.*

7 Expurgate igitur] *Corollarium. Ex hypothesi deducit thesin, è speciali exemplo admonitionem generalem: ut fugiant peccata, & studeant pietati.* Expurgate vetus fermentum] *Id est, mortificate carnem, resistite pravis cupiditatibus seu desideriis carnis. Epitheton, Vetus, notat, corruptionem naturæ inde ab utero nobis innatam esse, imò inde à primo homine in nos dimanasse. Sicut alibi vocatur vetus homo.* Ut sitis nova massa] *Id est, tanquam nova massa; id est, ut renovemini per Spiritum S. ad studium pietatis.* Sicut estis] *Correctio. Quum enim dixisset,* Ut sitis nova massa: *poterant quærere, Num ergo negas, nos esse renovatos spiritu? Concedit igitur, esse renovatos, nempe ex parte: unde necesse habent ut pergant renovari.* Fermenti expertes] *Id est, renovati spiritu, emendatâ vetere corruptione.* Etenim] *Ratio adhortationis.* Pascha nostrum] *Agnus noster. Metonymia subjecti, nempe rei significatæ pro signo. nam pascha, vox Hebræa, propriè significat transitum. Et intelligitur hoc loco (per synecdochen generis) transitus ille Jehovæ in Ægypto, quum transiit seu transsiliit domos Israëlitarum, dum occideret primogenita Ægyptiorum: cujus transitus monimentum seu signum memoriale erat agnus ille.* Sacrificatum est] *Vulg. Immolatus est. quasi* ἐτύθη *immediatè penderet à* Χριστὸς. *At principaliter pendet à* πάσχα: Χριστὸς *autem per appositionem adjectum est: ad declarandum, quódnam*

quódnam sit pascha nostrum. Christus autem vocatur pascha nostrum, id est, agnus noster, per metonymiam adjuncti, videlicet signi: quia per agnum illum significatus fuit. unde quod de agno illo præceptum fuit, ne quod os illius frangeretur, id Johannes ad Christum accommodavit, cap.19. v.36. Atq; sic in unâ eâdemq; voce concurrunt duo tropi inter se contrarii: videlicet metonymia subjecti & metonymia adjuncti: quibus accidit & tertius tropus, synecdoche generis.

8 Itaque] *Consequens enthymematis. Syllogismus hujus loci est:*

Pro quibus mactatum est pascha, illi debent festum agitare panibus azymis.

Atqui pro nobis mactatum est pascha, nempe Christus.

Nos igitur debemus festum agitare panibus azymis, hoc est, sinceritate & veritate. Propositio omittitur, & per se nota erat ex Exod.12.

9 Festum agitemus] *Allegoria metaphorica: cujus tamen expositio inseritur.* Non-fermentatis panibus] ἐν ἀζύμοις. *Scil.* ἄρτοις. *Quanquam absolutè dici solet* τὰ ἄζυμα. *pro,* ἄρτοι ἄζυμοι: *ut Exod.12.17. Et observabitis azyma. item v.15.18.20.*

10 At non omnino] *Id est, At omnino, non intellexi hoc ita, Ne commisceamini cum scortatoribus mundi hujus, id est, iis qui adhuc pertinent ad mundum, hoc est, impios, huic mundo addictos: qui adhuc sunt extra Ecclesiam. Sic accipitur nomen mundi, Joh.15.v.19. item 17.14.* Aut avaris] *Doctrinam specialem extendit ad genus universum, cujus aliquot species enumerat.* E mundo] *Hoc loco mundus non significat impios, ut paulò antè: sed propriè accipitur, vel certè pro genere humano. Sic Joh.17.15. Non rogo ut tollas eos è mundo.*

11 Nunc autem] *Quasi dicat, Et tamen, vel, Interim tamen, Nihilominus tamen, ut particula* nunc *non notet tempus, sed sit adversativa.* Quum frater nominetur] *Id est, Christianum se profiteatur. nam omnes Christiani fratres sunt in Christo. Et sic in Actis crebrò. Hæc appellatio nititur testimonio ipsius Christi Joh.20.v.17.* Ne edatis quidem] *Quasi dicat, nedum ut intimâ & singulari familiaritate flagitia ejus foveatis. nam* μηδὲ *est nota majoris.*

12 Quid enim] *Ratio præcepti, cur abstinendum sit à consortio fratrum flagitiosorum, non autem extraneorum.* Quid enim mea interest?] τί γάρ μοι; *Fortasse supplendum* ἀνάγκη. *Id est, Quid enim mihi necesse est? Puto autem pronomen* μοι *hoc loco non* ἐγκλίνειν, *sed accentum in eo exprimendum.* Etiam extraneos] *Quasi dicat, non solum fratres, sed etiam extraneos.* τοὺς ἔξω, *eos qui extra sunt, nempe extra Ecclesiam.* Extraneos judicare] τοὺς ἔξω κρίνειν. *Sic malo quàm,* De extraneis judicare. *nam judicare videtur positum pro punire: ut infr.11.31. & 32. item Heb.13.4. Sic mox:* τοὺς ἔσω, *Eos qui intus sunt, nempe in Ecclesia, in cœtu vestro.* Vos] ὑμεῖς. *Argumentum à pari, videlicet ab exemplo ipsorum.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

Excommunicatio. Observatio principalis ex hoc capite est doctrina de excommunicatione: quam comprehendimus sequentibus aphorismis ex toto capite excerptis.

1 Excommunicatio est judicium seu decretum ecclesiæ, quo aliquis ejusdem ecclesiæ socius, si scelere aliquo vel contumaciâ ecclesiam offenderit, ex mandato Christi Satanæ traditur, hoc est, efficaciter declaratur sub regno ac potestate Satanæ esse, nihilque ampliùs ad regnum Christi & ecclesiam pertinere, ac proinde à communione Cœnæ Dominicæ arcetur, donec resipiscentiam suam probabiliter fuerit testatus.

2 Excommunicationem esse judicium seu decretum, seu denique sententiæ dictionem, colligitur ex verbis Apostoli, ubi ait v.3. *Ego judicavi jam ut præsens,* nempe in vestra congregatione seu senatu ecclesiastico, ut intelligitur ex v.4. Item v.12. *Quid meâ interest, etiam de extraneis judicare? Nónne de eis qui intus sunt, vos judicatis?*

3 Excommunicationem esse decretum ecclesiæ, ac proinde fieri debere ab ecclesia seu cœtu presbyterorum nomine ecclesiæ judicantium, intelligitur ex vers.4. ubi ait, *Vobis & meo spiritu congregatis.* Item ex verbis Christi, Matth.18.v.17. *Dic ecclesiæ. quòd si ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut quispiam ethnicus & velut quispiam publicanus.* Item ex verbis Pauli 2.Cor.2.vers.6. ubi de hujus Corinthii excommunicatione loquens, ait: *Sufficit istiusmodi homini ista objurgatio à pluribus profecta;* ὑπὸ τῶν πλειόνων. ubi articulo notantur certi homines, videl. presbyteri.

4 Eum qui excommunicatur, esse ejusdem ecclesiæ socium: intelligitur ex v.10. *Si quis quum frater nominetur, sit scortator &c.* Item ex v.12. *Nónne de iis qui intus sunt, vos judicatis?*

5 Causam impulsivam excommunicationis esse scelus quo offensa est Ecclesia, intelligitur ex v.1.2.3.11.13. Sed præter hanc est & altera, videlicet contumacia: de qua Christus Matth.18. v.17. ait, *Si ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut ethnicus & publicanus.*

6 Excommunicando hominẽ Satanæ tradi, intelligitur ex v.5.

7 Excommunicationem solvi testificatione resipiscentiæ: intelligitur ex epistola posteriore, cap.2. v.6.7.8, ubi hunc ipsum incestuosum hoc nomine absolvi rursumque in ecclesiam recipi jubet.

8 Autor seu institutor excommunicationis est Christus: ut intelligitur ex verbis Apostoli v.4. *Vobis & meo spiritu in nomine* (id est, ex mandato) *Domini nostri Jesu Christi congregatis.* item ex verbis ipsius Christi, Matth.18.v.17. *Dic ecclesiæ: quòd si ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut quispiam ethnicus & velut quispiam publicanus.*

9 Fines excommunicationis tres sunt. Unus, ne blasphemetur nomen Dei apud extraneos, id est, à fide Christianâ alienos: quasi fides Christiana homines sceleratos vel faciat, vel alat ac foveat. De hoc fine vide Rom.1.24. Alter finis est, ne cœtus fidelium consuetudine & familiaritate hominis scelerati inficiatur, neu si ille impunitus maneat, ad exemplum ejus imitandum alii incitentur. De hoc fine ait Paulus v.6. *An nescitis, paululo fermenti totam massam fermentari?* Tertius finis est ipsius excommunicati salus, ut nimirum pudore ac tristitia ductus resipiscat, & in ecclesiam rursum receptus spem salutis recuperet. De hoc fine ait Apostolus v.5. *Tradatur Satanæ ad interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die illo Domini Jesu.* Huc etiam pertinet quod de hoc ipso incestuoso in ecclesiam rursum recipiendo præcipit 2.Cor.2. v.6.7.8.9.10.

10 Effectus excommunicationis est aut exitium impœnitentis, aut salus resipiscentis. De quo effectu ait Paulus v.4. *Cum potentia* (σὺν τῇ δυνάμει) *Domini nostri Jesu Christi.* Et Christus ipse Matth.18.18. Amen dico vobis, Quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo: & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in cælo.

11 Officium ecclesiæ est, seu singulorum in ecclesia, excommunicat. consuetudinem seu familiaritatem vitare: quatenus nimirum id facit ad pudorem illi incutiendum, & quatenus id charitas patitur: ne scil. propter excommunicationem officia charitatis à Deo præcepta negligantur: qualia sunt officia conjugum inter se, item parentum erga liberos, & liberorum erga parentes, dominorum erga servos, & servorum erga dominos, & similium. Consuetudo igitur flagitiosorum fratrum vitanda est, quatenus id salvâ charitate fieri potest. Hoc præcipit Apostolus quum ait v.11. *Cum ejusmodi ne edatis quidem.*

12 Præterea officium ecclesiæ est, excommunicatum posteaquam resipiscentiam suam satis testatus fuerit, consolari, ei condonare rursumque in societatem suam recipere: sicut præcipit Apostolus 2.Cor.2.v.6.7.8.9.10.

13 Abusus excommunicationis est, quum officiales episcoporum in Papatu excommunicant eos qui propter debitum ad forum ipsorum citati, vel non comparent, vel creditori ad præscriptum terminum non satisfaciunt. Nam excommunicatio nec uni homini mandata est, nec propter talem causam: ut liquet ex thesi 3.& 5.

14 Contra excommunicationem objici solet parabola illa Christi Matth.13.de zizaniis: ubi paterfamiliâs servis præcipit, ne zizania colligant, quippe quòd periculum sit, ne simul cum eis eradicent triticum: sed ut sinant simul utraque crescere usque ad messem: tunc se præcepturum messoribus, ut zizania colligant, & in fasciculos ligent ad exurendum; triticum verò cogant in horreum suum. Hoc ita interpretantur, quasi Christus præcipiat ministris Ecclesiæ, ne excommunicent sceleratos, sed tolerent eos cum piis. Et certè primâ fronte hæc videtur esse sententia; sed quia certum est, Christum sibiipsi non contradicere; is autem Matth.18.17. excommunicationem disertè præcepit: necesse est ut dicamus, hanc non esse hujus parabolæ mentem aut scopum, ut de officio ministrorum ecclesiæ præcipiat, sed tantùm ut consoletur omnes pios, quum vident ecclesiam in hac vita non posse ab impiis plenè repurgari: quia id aliquando tamen futurum sit, nempe in fine sæculi. Hunc esse scopum, manifestè potest perspici ex ipsa Domini interpretatione: quippe in qua nullam facit mentionem servorum; sed in hoc potissimùm insistit, ut moneat, in fine sæculi omnia offendicula & omnes impios ex regno suo collectum & in gehennam abjectum iri.

ALIÆ OBSERVATIONES.

2 Ex v.1. Scortatio fugienda est. *Scortatio.*

3 Ex v.2. Unusquisque Christianus fraterno animo erga cæteros Christianos affectus esse debet: adeò ut lugeat si is graviter peccet, ut velut mortuum membrum per excommunicationem à corpore ecclesiæ resecandus sit. *Charitas.*

4 Ex v.7.& 8. Credentibus perpetuò elaborandum est ut expurgent reliquias veteris Adami seu peccati inhærentis, & studeant vitæ novæ ac sanctæ. *Studium pietatis.*

5 Ex v.7. ex verbis, *Pascha nostrum &c.* Christus per agnum paschalem fuit præfiguratus. Hæc enim est ratio cur pascha nostrum appelletur. Confer Joh.19. v.36. Ergo agnus ille non solùm erat monimentum liberationis ex Ægypto, quo respectu nominabatur pascha, id est, transitus: sed erat quoque sacramentum ac testimonium divinum liberationis futuræ per Christum: qua ratione Christus nominatur pascha nostrum: id est, liberator noster per pascha seu agnum illum significatus. *Agnus paschalis.*

6 Ex fine versus septimi & initio octavi. Lætitia illa spiritualis, quæ est initium vitæ æternæ, nascitur ex fide Christi, qua scili- *Fides.*

cet credimus, Christum pro nobis esse mactatum atque sacrificatum in cruce. Hoc innuit conjunctio illativa ὥστε, *Itaque*. quasi dicat Apostolus: Quum igitur Christus (ut modò dixi) pro nobis sit sacrificatus: ergo agitemus festum, simus læti ac hilares in Domino: quippe quum certi simus, nos habere remissionem peccatorum & jus plenæ fruitionis vitæ æternæ per sanguinem Christi in cruce effusum pro nobis cum sensu iræ Dei. Idem docet Christus Joh. 6. 54. ubi ait: Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem: habet vitam æternam: & ego excitabo eum in ultimo illo die. Quum dicit, *Habet*: intelligit initium vitæ æternæ è sensu favoris Dei propter Christum. quum addit, *Et ego excitabo eum &c.* loquitur de plena vitæ æternæ fruitione quæ demum continget credentibus post resurrectionem mortuorum.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Duæ sunt hujus capitis partes. In priore reprehendit eos qui litigabant apud magistratus ethnicos, usque ad v. 12. In posteriore dehortatur eos à scortatione.

DE PRIMA PARTE.

SUstinet aliquis vestrûm, negotium habens adversus alterum, judicio experiri sub injustis, ac non *potiùs* sub sanctis?

2 An ignoratis, sanctos mundum judicaturos? quòd si per vos judicabitur mundus, indigni estis minimis judiciis?

3 An ignoratis fore ut angelos judicemus? nedum *ut* quæ ad hujus vitæ usum pertinent *non judicemus*.

4 Itaque si judicia habeatis de iis quæ ad hujus vitæ usum pertinent, eos qui nullo loco habentur in ecclesia, eos, *inquam*, in subselliis collocate.

5 Ut vos pudeat, vobis *hoc* dico. Itáne non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit jus reddere inter fratres suos?

6 Sed frater cum fratre judicio experitur, idque sub infidelibus?

7 Jam igitur omnino defectus in vobis est, quòd judicia habetis inter vosmetipsos. Cur non potiùs injuriam patimini? cur non potiùs damnum accipitis?

8 At vos injuriam facitis, & damno afficitis, idque fratres.

9 An ignoratis, injustos non esse regni Dei hæreditatem possessuros? ne errate. neque scortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque qui concumbunt cum masculis:

10 Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque conviciatores, neque rapaces, regni Dei hæreditatem possidebunt.

11 Et hæc eratis quidam: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis per nomen Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri.

VErs. 1. proponit reprehensionem illam litium sub magistratibus ethnicis, atque ita ab istiusmodi litibus eos dehortatur: & contrà hortatur, ut lites suas dijudicandas permittant fratribus, id est, Christianis: simulque inserit utriusque hortationis argumenta; quia scilicet magistratus ethnici injusti sint: Christiani autem sancti. Injustos vocat illos, tum quòd verâ justitiâ quæ coram Deo consistat, carent, nempe justitiâ partâ morte Christi quæ credentium tantùm est: quippe quæ per solam fidem imputatur ac donatur: tum etiam quòd carent verâ justitiâ civili, quippe quum actiones suas non referant ad gloriam Dei, quem ignorant, sed ad suam ipsorum gloriam & commoda terrena. Contra Christianos vocat sanctos: quia à mundo segregati sunt per Spiritum S. per quem sunt illuminati salvifica cognitione Dei, & renovati ad veram Deoque placentem sanctitatem, ut scil. sanctè vivere incipiant & sanctitati ex animo studeant. Vers. 2. posteriorem hortationem confirmat à minori: Christiani à Deo digni censentur ut judicent mundum, id est, homines impios: id quod fiet in die Domini, quum judicio Christi impios condemnantis subscribent, Matth. 19. v. 28. Eph. 2. 6. Ergo multo magis digni censendi sunt à vobis, ut judicent de rebus minimis, nempe de rebus ad hujus vitæ usum pertinentibus, ut ipse declarat versu sequente.

Vers. 3. aliud argumentum à minori affert: nempe quòd Christiani judicaturi sint angelos, nempe angelos malos seu diabolos. quod & ipsum fiet in die Domini, quum judicio Domini subscribent, condemnantis diabolos ad æternos cruciatus. Vers. 4. ex argumentis allatis infert conclusionem, amplificatam collatione imparium: Lites ejusmodi judicandas permittite fratribus, & quidem iis qui minimi fiunt in ecclesia. quasi dicat, Tantum abest ut fratres indigni censendi sint qui de istis rebus judicent, ut etiam minimi ex illis digni eo honore censendi sint. Quod tamen non est absolutè intelligendum: nam mox vers. 5. significat, ad litium dijudicationem deligendos ex fratribus esse sapientes & judicandi peritos. Sed quod hîc præcipit, intelligendum est comparatè, nempe potiùs contemtissimis ac rudissimis in ecclesia litium dijudicationem esse committendam, quàm ut eam committant judicibus ethnicis.

Vers. 5. conclusionem factam amplificat additâ reprehensione: qua reprehendit perversa istorum litigantium judicia; qui ipso facto significabant, se existimare, nullum inter ipsos ita sapientem esse ut possit ipsorum lites dijudicare. Sic ista amplificatio ducta est à causa procreante istiusmodi litigationum, videlicet perverso judicio de fratribus.

Vers. 6. & 7. ulteriùs pergit, & reprehendit hoc ipsum, quòd tam temerè litigent: ac monet, istiusmodi lites oriri ex eo, quòd spiritus carni succumbat: contráque hortatur ut potiùs injuriam patiantur & damnum accipiant. V. 8. adhuc ulteriùs pergit, & reprehendit eos qui aliis injuriam faciebant, & alios damno afficiebant: atque ita ab istiusmodi injuriis dehortatur. Cujus dehortationis argumentum affert v. 9. ab effectu seu eventu inutili, quòd nimirum ita excidant hæreditate regni Dei. Tunc per prolepsin monet, ne falsa opinione seipsos decipiant, quasi scilicet hæreditatem regni Dei nihilominus adepturi sint, etiamsi ita pergant in injuriis & aliis peccatis. Cui falsæ opinioni opponit sententiam veram, negans quenquam sceleratum regni Dei hæreditatem possessurum; enumerat autem aliquot scelerum species v. 9. & 10.

Vers. 11. duo argumenta affert, cur ista scelera fugere debeant. Unum est, quia ab illis sint justificati seu absoluti, per fidem in Christum: Ergo non debent se rursum reos illorum constituere, petulanter peccando & gratiam Christi contemnendo. Alterum est, quia sanctificati sint per spiritum Dei. Ergo quum per gratiam Spiritus sancti possint scelera ista vitare, debent id seriò conari.

DE SECUNDA PARTE.

12 Omnia mihi licent, at non omnia conducunt: omnia mihi licent, at ego non redigar sub ullius rei potestatem.

13 Escæ ventri *destinatæ sunt*, & venter escis: Deus autem & hunc & illas abolebit. Corpus verò non scortationi, sed Domino; & Dominus corpori.

14 Deus autem & Dominum suscitavit, & nos suscitabit potentiâ suâ.

15 An ignoratis, corpora vestra esse membra Christi? Num igitur tollens membra Christi, faciam *ut sint* scorti membra? Absit.

16 An ignoratis, eum qui agglutinatur scorto, unum esse corpus *cum scorto*? Erunt enim, inquit, qui duo *erant*, caro una.

17 Qui verò agglutinatur Domino, unus *cum eo* spiritus est.

18 Fugite scortationem. Omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, in proprium corpus peccat.

19 An ignoratis, corpus vestrum esse templum Spiritus sancti, *qui est* in vobis, quem habetis à Deo: neque vos esse vestri ipsorum?

20 Nam emti estis pretio. Glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro: quæ sunt Dei.

Vers. 12. dehortaturus eos à scortatione, incipit à refutatione argumenti eorum qui sibi falsò persuadebant, scortationem esse licitam: quippe quæ sit res indifferens, ut cibus & potus. Itaque in ore habebant istud enuntiatum, *Omnia mihi licent*. quasi dicerent, Licet mihi edere quemvis cibum: licet mihi rem habere cum quavis non conjugata. Apostolus primùm respondet: Etsi omnia licerent, tamen non omnia conducere. q. d. In utendis rebus mediis ac licitis habendam esse rationem proximi, ne is intempestivo istarum rerum usu offendatur. Deinde monet, cavendum esse ne rebus licitis, ut cibo & potu, utamur intemperanter, & ita illis tanquam dominis nos subjiciamus. Vers. 13. monet dissimilem esse rationem scortationis & escarum: ac proinde errare Corinthios qui scortationem æquè ac escas in rebus mediis ponebant. Simul autem monet, etsi escæ ventri destinatæ sint à Deo, tamen fore ut unà cum ventre aboleantur. quibus verbis innuit, escas non esse rem dignam, per cujus intempestivum usum fratres offendantur, quum tantummodò ad hujus vitæ necessitatem pertineant. Quòd autem ait, Ventrem quoque abolitum iri, id non de ipsa ventris substantia in-

tia intelligendum est: nam certum est, corpus integrum & omnibus suis membris ac partibus præditum resurrecturum ad gloriam cælestem: sed intelligendum est de conditione & usu ventris qualis est in hac vita. non enim amplius cibum expetet, aut assumtum concoquet corpori nutriendo. nam in illa vita nec edemus nec bibemus, sed erimus sicut angeli Dei. Porrò dissimilitudinis apodosis continet duo argumenta dehortationis, qua à scortatione dehortatur. ait enim, *Corpus verò non scortationi*, (supple, destinatum est) *sed Domino: & Dominus corpori.* Primum argumentum est: Corpus nostrum destinatum est Domino, nempe Christo: ut scilicet Christo, per quem redemtum est è potestate diaboli, serviat. Servitur autem Christo non scortatione, sed castitate. Alterum argumentum: Dominus vicissim destinatus est corpori, ut scilicet corpus nostrum redimeret suâ morte & sanctificaret suo spiritu: Scortatio autem sanctificationi spiritus repugnat. Vers.14. addit argumentum tertium, à gloriosa corporis resurrectione: Deus, inquit, suscitabit nos potentiâ suâ, sicut suscitavit Dominum: hoc est, reddet corpora nostra gloriosa, quippe conformia corpori Christi: at scortationis merces est ignominia corporis, non gloria. Vers.15. affert quartum argumentum: Membra Christi non sunt facienda membra scorti. At corpora vestra sunt membra Christi. Ergo non debetis ea facere membra scorti. Cæterùm corpora fidelium vocantur membra Christi, quia Christus est caput ecclesiæ, cui capiti singuli fideles per fidem inseruntur. V.16. per prolepsin probat, scortando corpus fieri membrum scorti. Objectio: Hortaris ne corpora nostra faciamus membra scorti; at nos hoc non facimus: quantumvis scortemur. Imò, inquit, scortando corpus redditur membrum scorti. hoc probat à pari: nam sicut maritus cum uxore consuescendo fit unum corpus cum illa, ita etiam scortator consuescendo cum scorto, fit unum corpus cum illo. Antecedens confirmat testimonio Dei ex Gen.2.24. V.17. sententiam propositam illustrat antithesi: qua monet, eum qui Domino agglutinatur, (nempe per fidem & dilectionem) unum spiritum esse, id est, per unum spiritum (nempe per Spiritum sanctum) cum Domino unitum esse. V.18. ex præcedentibus argumentis infert conclusionem: eique mox annectit quintum argumentum ab effectu inutili; quia qui scortatur, suum ipsius corpus polluat & commaculet. hoc argumentum illustrat antithesi cæterorum peccatorum: ut quibus res alienæ lædantur. verbi gratiâ furto læduntur alienæ facultates, homicidio aliena vita, falso testimonio aliena fama. V.19. affert sextum argumentum: Corpus vestrum, inquit, est templum Spiritus sancti. hinc vult intelligi, scortatorem esse sacrilegum, quippe qui templum Dei violet. Qui autem templum Dei violat, hunc perdet Deus: ut dixit supr.cap.3.v.17. Simul etiam monet, unde habeant Spiritum sanctum, nempe à Deo, Patre scilicet & Filio: nam Spiritus sanctus ab utroque procedit & in corda electorum mittitur. Huic argumento annectit septimum: Non estis vestri ipsorum, inquit. Sententia est, Vos estis Christi: ergo debetis glorificare Christum castè vivendo. Antecedens probat versu ultimo. Nam emti estis, inquit, videlicet per Christum, hoc est, redemti è potestate diaboli, idque pretio, nempe pretioso sanguine agni illius immaculati, atque adeò ipsius Dei, nempe filii Dei. Vide 1.Pet.1.v.19. Act.20.v.28. 1 Johan.1.v.7. Tum annectit conclusionem: Glorificate igitur Deum, nempe, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, in corpore vestro & in spiritu (id est, animo) vestro. nam non satis est, à pollutionibus purum conservare corpus: sed animum quoque castum esse oportet. Postremò repetit ultimum argumentum: Quæ, inquit, (nempe corpus vestrum & spiritus) sunt Dei, nempe Patris, Filii, & Spiritus sancti: idque triplici jure, nimirum creationis, redemtionis & sanctificationis.

SCHOLIA IN CAP. VI.

2 Mundum] *Mundi nomine intelligit impios.* Quòd si] καὶ εἰ. *Vel, Si igitur.* καὶ *pro* οὖν *ut supr.5.v.13.* Indigni estis] *Interrogatio vim habet negandi. q.d. minimè certè indigni estis. Ex qua negatione rursum intelligitur contraria affirmatio, nempe, Digni certè estis. Ratiocinatur enim Apostolus à minori,* ἀπὸ τοῦ ἥττον: *id est, ab eo quod minùs probabile est. Si digni estis maximo illo judicio, quo judicabitur à Christo & condemnabitur mundus: certè multò magis digni estis istis minimis judiciis, id est, quæ habentur de rebus minimis seu minimi momenti: quales sunt res pertinentes ad victum* (τὰ βιωτικά, *ut ipse declarat vers.seq.*) *& ejusmodi alia. Porrò* κριτήρια *hic nominat, quæ infr.7. vocat* κρίματα.

3 Quæ ad hujus vitæ usum pertinet] τὰ βιωτικά. *Res pertinentes ad victum,* πρὸς τὸν βίον, *& similes. Synecdoche membri vel speciei.* Nedum] μήτιγε *Vulg. Quantò magis. sensu expresso. Argumentatur enim Apostolus rursum* ἀπὸ τοῦ ἥττον: *ac rursum affirmationem negatione æquipollente permutat.*

4 Judicia] κριτήρια. *Quæ supr.v.2. vocavit* κριτήρια ἐλάχιστα, *ea nunc veluti interpretans appellat* βιωτικά. *Itaq; ut illic, ita hic quoq; non fora ac curias intelligi puto, sed ipsa judicia seu controversias causásve judicandas. Simplex igitur & genuina expositio hæc videtur esse, quasi dicat: Itaque si inciderint apud vos controversiæ seu lites de rebus ad victum pertinentibus &c.* In subselliis collocate] *Id est, committite eis controversias istas cognoscendas & dirimendas seu componendas. Metonymia effecti destinati, vel adjuncti adhærentis. Et nota, metonymiam hic esse non in nomine, sed in phrasi.*

5 Ut vos pudeat] *At suprà cap.4.vers.14. videtur contrarium dicere. Videtur enim utriusq; reprehensionis par ratio. Sed illic intelligit, se nolle eos ignominiâ aut probro afficere: hic autem, se per pudorem cupere eos ad sanum judicium revocare.* Antilogiæ apparentis conciliatio. Sapiens] σοφός. *Id est, intelligens rerum, qui possit judicare de æquo & bono.* Inter fratres] ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ. *Equidem suspicor, pro* τῶν ἀδελφῶν *irrepsisse* τοῦ ἀδελφοῦ, *aut certè in transscribendo omissa esse hæc verba,* καὶ ἀδελφοῦ: *ut integer sermo sit,* ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ καὶ ἀδελφοῦ: *quemadmodum legisse videtur Syrus, ut qui verterit, Inter fratrem & fratrem. Fratris autem nomen intelligit, ut supr. cap.5.v.11.*

6 Sub infidelibus] ἐπὶ ἀπίστων. *Vel, sub incredulis, id est, alienis à fide Christiana.*

7 Defectus] ἥττημα. *A verbo* ἡττάομαι, *quod significat in pugna succumbere, inferiorem esse, superari. Respicit enim Apostolus ad luctam illam inter carnem & spiritum, quam describit Rom.7. & significat, spiritum in Corinthiis succumbere & cedere pravis affectibus.* Judicia] *Id est, Controversias forenses. Metonymia adjuncti.*

9 Ne errate] μὴ πλανᾶσθε. *Id est, Nolite committere ut aberretis à recta vivendi via. Vel, cavete ne quis impostor vos seducat.*

11 Et hæc eratis quidem] καὶ ταῦτά τινες ἦτε. τινές, *id est,* καὶ μέρος *per partes: ita ut alii aliis enumeratis sceleribus essetis obnoxii. Quid si fortè pro* ταῦτά τινες *legendum,* τοιοῦτοί τινες *id est, tales quidam.* Abluti] *Scil. sanguine Christi: qui, ut Johannes ait, purgat nos ab omni peccato. Cujus ablutionis sacramentum est Baptismus. Est igitur hic metaphora metonymica, qua alluditur ad Baptismum.* Per nomen Domini Jesu] ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. *Id est, per Dominum Jesum fide cognitum. juxta illud, Non est aliud nomen sub cælo per quod oporteat nos servari. Act.4.v.13.*

12 Omnia mihi licent] *Videtur exordium sequentis disputationis abruptum esse. nam quò minùs cohærere videatur hæc sententia cum præcedente damnatione variorum peccatorum: obstat, quòd sic illud Omnia extendendum esset ad peccata: quod tamen restringendum est ad ἀδιάφορα. Puto autem hæc esse verba Apostoli, per prolepsin dicta, & enuntiato discreto comprehensa. quasi dicat; Quanquam omnia mihi licent: tamen non omnia conducunt. Quanquam omnia mihi licent: tamen non redigar sub ullius rei potestatem. Nam si verba illa, Omnia mihi licent, dicerentur in persona adversarii: tum ineptè responderet Paulus: At ego non redigar. Respondendum enim fuisset: At non debes redigi &c.* Redigar sub potestatem] ἐξουσιασθήσομαι. ἐξουσιάζω, *verbum fictum à nomine* ἐξουσία: *Cujus activo usus est Lucas c.22.v.25. Aliàs Græci dicunt,* ὑφ' ἑαυτῷ ποιεῖν.

13 Et hunc] *Scil. ventrem, id est, usum ventris qui est in hac vita. Metonymia subjecti. nam venter ipse, quum sit pars corporis, non abolebitur: sed unà cum reliquo corpore excitabitur & clarificabitur. Idem potest dici de escis. nam etsi in mundi renovatione sint permansura ea res quæ nunc adhibentur in cibum: tamen in futuro sæculo non ampliùs illum usum habebunt. tunc enim non edent nec bibent: sed erunt similes angelis.* Corpus verò] *Ostendit dissimilitudinem inter escas & scortationem: quæ pleriq; judicabant similia esse, adeò ut tam liceret corpore uti ad scortandum, quàm escis ad vescendum. Corinthi enim scortatio adeò non habebatur pro peccato, ut ibi esset templum Veneri sacrum, adeóq; locupletatum, ut plus mille puellas haberet quas Corinthii Veneri consecraront, ut in ejus honorem prostarent. Quarum gratiâ frequens undiq; multitudo in urbem confluebat, ibiq; in omnis generis luxum maximos sumtus faciebant: unde proverbium ortum, Non est cujuslibet Corinthum appellere. Hæc & plura recitat ex Strabone Erasmus in proverbii istius explicatione.* Et Dominus corpori] *Puto Apostolum hic simili uti epanodo, ut in sententiâ præcedente. Itaque sententiam hanc simpliciter intelligo, quòd Christus à Patre destinatus sit etiam corpori nostro redimendo, non solùm animæ.*

14 Deus] *Nempe pater.* Et Dominum suscitavit, & nos suscitabit] *Id est, Sicut Dominum suscitavit, nempe ad gloriam cælestem: sic etiam suscitabit nos. Enuntiatum comparativum.* Potentiâ suâ] *Hoc addit, quia resurrectio humano sensui res est incredibilis: & quidem apud Corinthios non deerant, qui de ea dubitarent: ut percipietur infr.c.15.*

15 Corpora vestra] *Quod aliàs toti homini Christiano tribuit, ut infr.cap.12.v.27. id hic restringit ad corpus, alteram partem; quia de corpore quæstio est.*

16 Qui agglutinatur] ὁ κολλώμενος. *Eodem verbo de conjugio utitur Matthæus cap.19.v.5. Metaphora ad notandum copulam carnalem, quam vocant, id est, concubitum.* Erunt caro una] ἔσονται εἰς σάρκα μίαν. *Ad verb. Erunt in carnem unam: hoc est, erunt tanquam una caro.*

17 Qui agglutinatur Domino] *Videlicet per fidem & studium pietatis: nam Dominus est sponsus Ecclesiæ, Ephes.5.* Unus cum eo spiritus est] *Hoc est, Per unum eundemq; spiritum (nempe sanctum) cum Domino cohæret, & uno eodemq; spiritu agitur & regitur. Metonymia efficientis.*

18 Omne peccatum] *Scil. externum, præter scortationem: ut intelligitur ex antithesi. Synecdoche generis.* Extra corpus] *Id est, ubutitur objecto quopiam extraposito: ut ebriosus abutitur vino &c. Ut rectè explicat D. Beza.*

19 Corpus vestrum] *Etiam hîc restringit ad corpus, propter præsentem disputationem, quod supr. 1. v. 17. de toto homine affirmârat.* Quem] οὗ. *Pro* ἐκείνου ὃν. Neque vos esse] καὶ οὐκ ἐστέ. *Repetendum* ὅτι, ἀπὸ κοινοῦ, *sic*, καὶ ὅτι οὐκ ἐστέ. Vestri ipsorum] ἑαυτῶν. *Intelligitur per antithesin,* Sed Christi & Dei: *ut percipitur ex vers. seq.*

20 Emti estis] *Scil. per Christum. Christus emit vos, id est, redemit. Synecdoche generis.* Pretio] τιμῆς. *Pleonasmus emphaticus. Nisi potiùs sit synecdoche generis, ut intelligatur pretium magnum. Pretium autem hoc, est sanguis Christi: 1. Pet. 1. 18. Act. 20. v. 28.* Deum] τὸν Θεόν. *Qui scil. vos per Filium redemit.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

Officium hominis Christiani. 1 Ex v. 1. & sequentibus. Etsi homini Christiano judicio experiri cum alio Christiano, ejusdem Ecclesiæ socio, licet: tamen unusquisque cavere debet ne alterum in jus trahat sub hostibus veræ religionis: néve de rebus parvi momenti vehementer litigando pro litigioso habeatur: sed potiùs injuriam pati debet & damnum accipere.

Fideles. 2 Ex v. 1. ex vocabulo, *Sanctis.* item ex v. 11. Qui credunt in Christum, sancti sunt: quia scil. sanctificati sunt sanguine & spiritu Christi.

Fideles. 3 Ex v. 2. & 3. Magnus est honos credentium, quòd unà cum Christo mundum & angelos judicaturi sunt. Hujus honoris spes erigere atque consolari nos debet contra mundi injurias. Confer Matth. 19. v. 28.

Securitas carnalis. 4 Ex v. 9. & 10. Qui securè perseverant in peccatis, non habent spem vitæ æternæ. Quare peccatis resistamus.

Adiaphora. 5 Ex v. 12. & 13. In utendis rebus mediis seu indifferentibus ac licitis duo nobis cavenda sunt: unum, ne intempestivo illarum usu proximum offendamus: alterum ne cibo & potu utamur intemperanter, & ita illis tanquam dominis nos subjiciamus.

Glorificatio corporum. 6 Ex v. 13. Necessitas edendi ac bibendi qua tenemur in hac vita, abolebitur per corporum glorificationem. Confer Matthæi 22. v. 30. Infrà 15. v. 44.

Resurrectio. 7 Ex v. 14. Fides nostra qua credimus resurrectionem corporum, nititur veritate promittentis Dei & potentiâ ejusdem.

Scortatio. 8 Ex vers. 15. & sequentibus. Scortatio fugienda est. Cujus præcepti rationes quæ in textu continentur, explicatæ sunt in Analysi.

Fideles. 9 Ex v. 15. Credentes sunt membra Christi, & vicissim Christus est credentium caput. Confer Eph. 5. v. 23. & deinceps.

Communio fideliū cum Christo. 10 Ex v. 17. Vinculum quo Christo tanquam membra capiti agglutinamur, est Spiritus sanctus: quatenus nimirum in nobis efficit fidem in Christum & dilectionem Christi: quæ quasi secundaria & formalia vincula sunt, quibus cum Christo colligamur atque unimur: ut ipse sit in nobis, & nos in illo. Confer Joh. 15. v. 1. & deinceps.

Spiritus sanctus. 11 Ex v. 9. Quum credentes sint templa Spiritus sancti: consequens est, Spiritum sanctum esse Deum. Templum enim soli Deo consecratum est.

Officium hominis Christiani. 12 Ex v. 20. Quum & corpus & anima nostra redemta sint è potestate diaboli à Deo, idque pretio longè maximo, videlicet sanguine filii Dei: officii nostri est, ut redemtorem nostrum & corporis & animi actionibus perpetuò glorificemus, sanctè scil. vivendo ex præscripto mandatorum ipsius.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

In hoc capite disputantur duæ quæstiones: una de conjugio, altera de cælibatu: quæ duo tractantur permixtim, ita tamen ut primùm majori ex parte agatur de conjugio, usque ad v. 25. Deinde potissimùm de cælibatu, à v. 25. usq; ad finem capitis. Atq; ita hoc caput in duas partes distingui potest.

DE PRIMA PARTE.

Cæterùm de quibus mihi scripsistis: bonum *fuerit* viro, mulierem non attingere.

2 Sed *tamen* propter scortationes, suam quisq; uxorem habeto, & proprium quæque virum habeto.

3 Uxori vir debitam benevolentiam reddito: similiter autem & uxor viro.

4 Uxor *enim* proprium corpus non habet in potestate, sed vir: similiter autem & vir proprium corpus non habet in potestate, sed uxor.

5 Ne fraudate alius alium, nisi si quid ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & precibus: & rursum in unum convenite, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.

6 Hoc autem dico ex concessione, non ex imperio.

7 Nam velim omnes homines esse ut & ipse *sum:* sed unusquisq; proprium donum habet ex Deo; alius quidem ita, alius autem ita.

8 Dico autem cælibibus & viduis, Bonum eis est si manserint ut ego.

9 Quòd si se non continent, matrimonium contrahant: nam melius est matrimonium contrahere quàm uri.

10 Iis autem qui matrimonio juncti sunt, denuntio non ego, sed Dominus, Uxor à viro ne se separato.

11 Quòd si sese separârit, maneat innupta, aut viro reconciliator: & vir uxorem ne dimittito.

12 Reliquis autem ego dico, non Dominus, Si quis frater uxorem habet infidelem, quæ consentiat ad cohabitandum cum eo, ne eam dimittito.

13 Et mulier quæ habet virum infidelem, qui consentiat ad habitandum cum eo, ne eum dimittito.

14 Maritus enim infidelis sanctificatus est in uxore, & uxor infidelis sanctificata est in viro: alioqui certè liberi vestri impuri essent: nunc autem sancti sunt.

15 At si infidelis sese separet, separatus esto: non est servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi *casibus:* sed ad pacem vocavit nos Deus.

16 Ecquid enim nosti uxor, an virum sis servatura? aut ecquid nosti vir, an uxorem sis servaturus?

17 Sed ut unicuique *donum* partitus est Deus, ut unumquemque vocavit Dominus, ita incedat: & ita in ecclesiis omnibus constituo.

18 Circumcisus aliquis vocatus est? ne attrahat *præputium.* In præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur.

19 Circumcisio nihil est, & præputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei.

20 Unusquisque in qua vocatione vocatus fuit, in eâ maneat.

21 Servus vocatus es? ne sit tibi curæ: (sed si potes etiam liber fieri, potiùs *eo* utere.)

22 Etenim qui in Domino vocatus est servus, libertus Domini est: similiter & qui liber vocatus est, servus est Christi.

23 Pretio emti estis: ne *igitur* estote servi hominum.

24 Unusquisque in quo vocatus fuit, fratres, in hoc maneat apud Deum.

In prima parte ordine hæc agit: Primò omnium commemorat quæstionem de conjugio, sibi à Corinthiis propositam: quam apparet fuisse hanc, An non conduceret homini Christiano à conjugio abstinere? Cui quæstioni occasionem fortasse præbuerunt doctores quidam, ut qui cælibatum vel tanquam sanctius vitæ genus, vel certè tanquam commodius ad sacras literas meditandum commendarent: quorum hoc Apostolus infrà confitetur ac disertè pronuntiat. Sed quæcunque fuerit quæstionis illius occasio, Apostolus ad eam respondet partim per concessionem, concedendo scilicet partem affirmativam, vers. 1. partim per correctionem & exceptionem, excipiens casum necessitatis, videlicet si cui conjugium ut remedium divinitus ordinatum, necessarium sit ad vitandum scortationes, id est, omnis generis pollutiones libidinosas: vers. 2. Secundò hac occasione digreditur ad præcipiendum de conjugum officio: præcipiens ut conjugum alter alteri debitam benevolentiam reddat, v. 3. Cujus præcepti rationem affert, v. 4. Tum præceptum tanquam concludendo seu inferendo repetit, v. 5. Tertiò exceptionem addit: quatenus conjugibus liceat ut se alter alteri subtrahat. Ubi mox hortatur, ut conjuges suo tempore rursum conveniat: eique hortationi rationem subjicit, eod. vers. 5. Quartò declarat proximam hortationem, distinguendo inter concessionem & imperium, v. 6. deinde antithesi sui exempli tanquam dissimilis: cujus expositionem exornat optatione: quam mox corrigit antithesi voluntatis divinæ, cui non est visum continentiæ donum omnibus dare, vers. 7. Quintò doctrinam generalem vers. 2. expositam, de conjugio omittendo vel contrahendo, speciatim accommodat viduis, vers. 8. & 9. nempe ut novum matrimonium omittant, si bonâ conscientiâ omittere possint, hoc est, si donum continentiæ habeant: sin minùs, ut rursum matrimonium contrahant. Cui præcepto rationem hanc adjicit: Quia melius sit, matrimonium contrahere quàm uri: quibus verbis non significat, bonum esse uri: sed tantùm docet, minus malum esse contrahere

trahere matrimonium quam uri: quia nimirum illud duntaxat malum est carni, id est, cum variis molestiis conjunctum est: hoc verò malum est simpliciter, quia conjunctum cum læsione conscientiæ & offensione Dei. Sextò prohibet divortia quæ nascuntur ex dissidiis aut aliqua tali offensione, v.10. & 11. Septimò prohibet divortia, quibus causam præbere posset conjugis infidelitas seu incredulitas, id est, religio: quum scilicet conjunx non profitetur religionem Christianam, vers. 12. & 13. Octavò respondet objectioni: & docet, conjugem fidelem bona conscientia uti posse conjuge infideli, & ejusmodi conjugium sanctum esse: id quod probat ex effectu, videl. sanctitate liberorum qui ex ejusmodi conjugio nascuntur: vers. 14. Nonò admonet: si conjunx fidelis ab infideli deseratur, eum hoc modo à conjugio ejus liberari, versu 15. Huic autem admonitioni annectit cohortationem ad fideles, ut pacificè cum infideli conjuge vivant: atque ita eum Christo lucrifacere studeant: id quod impossibile non sit: versu 16. Decimò occasione conjugii digreditur in doctrinam generalem de vitæ statu & conditione externa, ut circumcisione & præputio, servitute & libertate: monens ut suâ quisque sorte contentus vivat in Domino: quum illa externa per se neque commendent nos Deo, neque minùs acceptos ei reddant. Addit tamen correctionem de servitute, ut servi, si liceat, liberi fieri studeant. Inserit etiam admonitionem, ne servi hominum sint, id est, ne ab hominum authoritate pendeant, seque eis addicant: quam in re Corinthios peccasse, è superioribus intelleximus. Hæc agit à v.17. usque ad 25. Atque hæc de priore capitis parte.

De Secunda Parte.

25 De virginibus autem præceptum Domini non habeo: sed do quod sentio, ut cui Dominus per misericordiam dederit fidum esse.

26 Existimo igitur hoc bonum esse propter instantem necessitatem; bonum *inquam* esse homini, ita esse.

27 Alligatus es uxori? ne quære dissolutionem. solutus es ab uxore? ne quære uxorem.

28 Quòd si etiam duxeris uxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccavit: sed afflictionem in carne habituri sunt *qui sunt* hujusmodi. ego verò vobis parco.

29 Hoc autem ajo, fratres, tempus contractum esse in posterum: ut & qui habent uxores, sint ut non habentes:

30 Et qui flent, ut non flentes: & qui gaudent, ut non gaudentes: & qui emunt, ut non obtinentes:

31 Et qui utuntur mundo hoc, ut non abutentes. præterit enim species mundi hujus.

32 Velim autem vos absque solicitudine esse. Qui cælebs est, curat ea quæ *sunt* Domini, quomodo placiturus sit Domino:

33 At qui duxit uxorem, curat ea quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori.

34 Discretæ sunt ea quæ *est* uxor & ea quæ *est* virgo. quæ *est* innupta, curat ea quæ sunt Domini; ut sit sancta cùm corpore, tum spiritu: quæ verò nupta est, curat ea quæ sunt mundi, quomodo placitura sit viro.

35 Hoc autem dico vestro commodo: non ut laqueum vobis injiciam, sed ut decenter & aptè adhærescatis Domino absque ulla distractione.

36 Cæterùm si quis aliquid non decens *se* committere erga virginem suam putat, si florem ætatis excedat, & ita debet fieri: quod vult, faciat, non peccat: jungantur matrimonio.

37 Qui verò stat firmus in corde, (quum non adigatur necessitate, sed in potestate habeat propriam voluntatem) & hoc decrevit in corde suo, ut servet suam virginem, bene facit.

38 Itaque qui dat nuptum, bene facit: qui verò non dat nuptum, meliùs facit.

39 Uxor alligata est lege quamdiu vivit vir ipsius: quòd si obdormierit vir ipsius, libera est ad cui velit nubendum: tantùm in Domino.

40 Sed beatior est si ita maneat, secundùm meam sententiam: puto autem me quoq; Spiritum Dei habere.

In posteriore hac parte disputat de cælibatu & conjugio virginum: ac præfatus v.25. se nullum de his rebus habere Dei præceptum, sed solùm sententiam suam expositurum, vers.26. pronuntiat, virginitatem sibi videri bonum, sed non per se ac simpliciter, sed propter instantem necessitatem, hoc est, persecutionem Christianorum. Hinc deducit dehortationem, qua virgines à conjugio propter causam expositam dehortatur: eamque dehortationem illustrat dehortatione contraria, qua dehortatur conjuges, ne quærant conjugii dissolutionem, vers.27. Postea occurrit objectioni: admonens, virginibus liberum esse ut matrimonium contrahant: simulque alteram causam suæ sententiæ affert, qua conjugium dissuadet, nempe afflictionem in carne, id est, omnis generis curas & molestias quibus conjuges obnoxii sunt, vers.28. Deinde hortatur conjuges, ut conjugio & aliis id genus rebus externis & ad hunc mundum seu hanc vitam pertinentibus ita utantur, ut ne abutantur, hoc est, ne nimis sint propter ejusmodi res soliciti, néve nimis earum fruitione gaudeant, ut earundem amissione tristentur: quum sint res instabiles, fluxæ & caducæ, v.29.30.31. & initio tricesimi secundi. Postea instituit collationem dissimilium. primùm quidem inter virum cælibem & maritum, exponens dissimilia utriusque studia, vers.32.& 33. deinde etiam inter virginem & uxorem, v.34. Tum consilium suum de cælibatu concludit: eamque conclusionem illustrat antithesi, admonens se nolle eis laqueum injicere, id est, conscientias eorum velut irretire, ut scilicet cum mala conscientia in cælibatu vivant qui dono continentiæ carent, v.35. Postea parentes admonet, ut in liberis matrimonio jungendis prudenter agant: ne vel necessario contra incontinentiam remedio (nempe conjugio) eos privent, v.36. vel ad matrimonium adigant invitos & absque necessitate, v.37. Tum utrumque parentum factum inter se ita comparat, ut cælibatus conservationem conjugio præferat, v.38. Ad extremum admonet de matrimonii vinculo, & ex illo per mortem alterius conjugum liberatione, ac proinde de potestate transeundi ad alteras nuptias: quas ita concedit ac permittit, ut interim viduitatem præferat, v.39. & 40.

SCHOLIA IN CAP. VII.

1 De quibus mihi scripsistis] *Id est, Ut ad ea respondeam, de quibus per literas judicium meum & consilium petivistis.* Bonum fuerit] *Concessio. quasi dicat: Fateor, cælibatum esse rem bonam, id est, commodam &c.* Mulierem non attingere] *Id est, uxorem non ducere. Hanc esse sententiam, apparet ex antithesi vers. seq. Est autem hyperbolica amplificatio à majori,* ἀπὸ τοῦ μείζονος: *Ne attingenda quidem est mulier, nedum uxor ducenda. Nisi malimus, verbo* ἅπτεσθαι *generali, viri cum muliere consuetudinem significari, per synecdochen generis.*

2 Sed *tamen* propter] διὰ δὲ. *Hæc sententia cum præcedente cohæret per enuntiatum discretum. quasi dicat, Etsi bonum fuerit viro, mulierem non attingere: tamen propter fornicationes &c. Itaque* σαφηνείας ἕνεκα *supplevi particulam.* Tamen. Propter scortationes] *Scilicet vitandas. Plurali numero videtur notare quodvis illicitæ Veneris genus, & quamvis libidinosam corporis pollutionem. Quòd si maximè singulari uteretur, tamen per synecdochen speciei exponendum esset. hoc enim requirit scopus: qui est, ut bona retineatur conscientia: at conscientia læditur non solâ scortatione, sed quavis alia libidinosa pollutione.* Habeto] *ac proinde si nondum habeat, ducito. Sic mox,* Proprium quæque virum habeto: *ac proinde nubito, si nondum habet.*

3 Debitam benevolentiam] *Id est, debitum conjugale. Verecunda metonymia efficientis. nam si conjunx conjugi bene velit, non fraudabit eum: ut loquitur infr.5. Cæterùm ut istam periphrasin ita specialiter intelligamus: versiculus sequens omnino videtur postulare.*

4 Uxor *enim*] ἡ γυνὴ. *Ratio præcedentis præcepti. Esset autem cohærentia sententiarum clarior, si expressa esset conjunctio causalis* γὰρ. *quæ quidem ad perspicuitatem à nobis suppleta est.*

5 Ne fraudate] *Repetit præceptum vers.3. propositum, & exceptionem adjicit. Sententia est, Ne subtrahat se alter alteri, sed faciat illi sui corporis potestatem.* Nisi si quid ex consensu] *Id est, Nisi visum est à vobis mutuò abstinere. Oratio elliptica.* Ad tempus] *Id est, aliquanto tempore seu aliquandiu.* Eine zeitlang. *Hoc intelligitur ex antithesi quæ sequitur,* Et *rursum simul convenite.* Et rursum] *Peractis scilicet istis precibus.* In unum] ἐπὶ τὸ αὐτό. *Id est, In eundem torum.* Ne tentet] *Ratio, cur non debeant conjuges à se mutuò in perpetuum abstinere.* Ne tentet vos Satanas] *Hoc est, ne vos impellat ad scortationem aut similem pollutionem.* Propter incontinentiam vestram] *Id est, Quum sitis incontinentes, quum non sitis præditi continentiæ dono.* ἀκρασία *propriè intemperantiam significat: sed hîc per catachresin ponitur pro* ἀκράτεια. *Sicut & apud Aristotelem in Ethicis. nam intemperantiam ille* ἀκολασίαν *vocat.*

6 Hoc autem dico] *Quæritur, quò referendum sit pronomen* τοῦτο. *Mihi videtur referendum ad sententiam præcepti præcedentis. quasi dicat, Quod autem monui, ne alius alium fraudetis, & ut posteaquam ad tempus à vobis mutuò abstinueritis, rursus conveniatis: hoc dico & moneo, tanquam concedens vobis hoc remedium contra incontinentiam: non autem impero, ut inter vos consuescatis, si salvâ conscientiâ abstinere possitis. Hanc esse sententiam, videtur colligi posse ex v. seq.*

7 Nam velim omnes homines esse ut ipse sum] Hoc non simpliciter de cælibatu intelligendum est, sed de dono continentiæ: quo etiam conjuges donari nihil vetat. Et quidem in historia Ecclesiastica exemplum legitur cujusdam, qui cùm nuptiis celebratis in thalamo nuptiali cum sponsa concumbere deberet: persuasit illi, ut potiùs uterq; sese contineret & citra conjugii usum ætatem degerent, virginitatemq; colerent. Hanc autem expositionem dilucidè confirmant verba mox sequentia. Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo. quasi dicat: Sed donum continentiæ quod mihi datum est, non est datum omnibus. quomodo & Christus ait, Non omnes capiunt verbum hoc. Sed] ἀλλά. Correctio.

8 Bonum eis] Nota, quòd non dicit simpliciter, Bonum: sed, Bonum eis. Id est, συμφέρον, expedit eis: ut expositum est ad v.1. Si manserint ut ego] Id est, Si manserint cælibes, si non transeant ad alteras nuptias.

9 Quòd si] Exceptio: qualis & supr. v.2. Se non continent] Id est, continere se non possunt. Et hoc solum intelligit Apostolus, nam etsi aliæ quoq; causæ extra incontinentiam incidere possunt, cur matrimonium contrahere expediat: tamen eæ ad hoc præceptum nihil attinent. Interim verum est, Apostolum dum propter incontinentiam matrimonium imperat, non vetare illud propter alias causas. Melius est matrimonium contrahere, quàm uri] Catachresis in nomine MELIUS, quatenus refertur ad verbum Uri. neq; enim significat bonum esse uri: sed talis est locutio, ac si quis dicat: Melius est Christum confiteri & cum eo pati, quàm in æternum pati in inferno. Uri] πυροῦσθαι. Vel, Ardere, id est, vexari flammis libidinis.

10 Iis autem qui matrimonio juncti sunt] τοῖς δὲ γεγαμηκόσι. Scil. qui ambo sunt fideles seu Christiani. Ex collatione versus 12. Denuntio] παραγγέλλω. Id est, præcipio. Non ego, sed Dominus] Significat, hoc præceptum niti expresso verbi divini testimonio: non autem ex revelatione singulari Spiritus sancti profectum. Ne sese separato] μὴ χωρισθῆναι. Infinitivus pro imperativo, more Græcorum. Subauditur autem verbum δεῖ, oportet. Et verbum χωρίζεσθαι hîc habet significationem reciprocam: ut interdum Niphál apud Hebræos.

11 Quòd si sese separârit] Id est, si maritum deseruerit. Aut] Id est, vel potiùs. Viro reconciliator] Ac proinde ad eum redito, &, ut uxorem decet, cum eo vivito. Ne dimittito] μὴ ἀφιέναι. Id est, Ne repudiato, ne nuntium ei remittito, ne domo sua & contubernio ejicito: nempe quavis de causa, exceptâ scortatione seu adulterio: ut docet Christus Matth. 5.32. & 19.9.

12 Frater] Vir Christianus. Infidelem] ἄπιστον. Vel, Incredulam. Ein ungläubige. id est, non Christianam. Ad habitandum] Prout conjunx habitare tenetur cum viro. Ne eam dimittito] Ut v. sup.

13 Mulier] γυνή. Pro ἀδελφή, soror, id est, mulier Christiana. Synecdoche generis. Dicuntur enim hæc per antithesin versus præcedentis, ubi dixit, εἴ τις ἀδελφὸς &c. Virum] Id est, maritum. Infidelem] ἄπιστον. Vel, incredulum, id est, non Christianum. Sic infr. 14. & 15. Ne eum dimittito] ἀκυρολογία vel κατάχρησις. pro, ne eum deserito, ne sese ab eo separato, ne ab eo discedito: ut loquutus est supr. 10. & loquetur infr. 15.

14 Sanctificatus est] Id est, usus illius ut sanctus & conscientiam uxoris non lædens, concessus est. In uxore] ἐν τῇ γυναικί. In muliere illa Christiana. nam articulus est ἀναφορικός, respiciens ad versiculum præcedentem. Porrò In uxore idem valet quod ob uxorem, seu propter uxorem, vel respectu uxoris. Sic mox, In viro, ἐν τῷ ἀνδρί. Id est, In viro illo fideli seu Christiano. Alioqui] ἐπεί. Ad verbum, Quoniam. subaudi, Nisi ita esset, ut dixi. Impuri] ἀκάθαρτα. Id est, Deo displicentes tanquam immundi & à fœdere alieni. Argumentum ab effectu, videl. consequente absurdo. Nunc autem] νῦν δέ. Id est, Atqui. Porrò loco assumtionis posita est ejus probatio à contrario. Syllogismus ita habet:

Nisi conjunx incredulus sanctificatus esset in credente, liberi eorum essent impuri.
At illi non sunt impuri: sunt enim sancti.
Ergo conjunx incredulus sanctificatus est in credente.

15 Non est servituti subjectus] Id est, Non tenetur obligatus conjugi deserenti. Servitutis nomine vinculi conjugalis obligationem significat: quemadmodum ille apud Terent. ait, Uxorem duxi, libertatem vendidi. quanquam ille libertatis vocabulo abuti videtur ad licentiam scortandi significandam. Sed] Correctio. quasi dicat, Veruntamen ad pacem vocavit nos Deus, id est, ut pacificè unà vivamus. Ergo pacificè vivendum est cum conjuge incredulo: ut sic retineatur, & aliquando lucrifiat. Ad pacem] ἐν εἰρήνῃ. Pro, εἰς εἰρήνην.

16 Ecquid enim] Hæc videntur dici per prolepsin: quasi præcesserit: Ad pacem vocavit nos Deus, & ad lucrifaciendum incredulos: tum quæreretur: Sed potéstne fieri ut conjunx credens lucrifaciat incredulum, si pacificè cum eo vivat? Respondet Apostolus, fieri posse. Quanquam huic expositioni obstare videtur genus interrogationis quo videtur innui negatio: Ecquid enim nosti? quasi dicat, Neq; enim scis. hoc est, Incertum est enim. Veruntamen hac ipsa negatione innuitur affirmatio contingens, quasi dicat: Fieri enim potest, ô uxor, ut virum sis servatura: vel, (ut vulgò loquimur) fortassè enim, ô uxor, virum es servatura. Formula loquendi è medio petita. quemadmodum in vernaculo sermone dicimus, Wer wäiß? Id est, Quis scit? quum innuimus, nos saltem leviter sperare alicujus rei quamvis incertæ eventum. Servatura] Id est, lucrifactura Christo. Confer 1. Pet. 3.1. & 2. Nisi malimus exponere: Ignoras enim, ô uxor, an virum diutiùs viventem sis servatura, an verò morte amissura. Sed prior expositio magis placet: & servandi verbo simili ratione utitur Apostolus 1. Tim. 4.16. Et in hanc sententiam exposuit quoq; interpres Syrus, ut qui verterit, Vivificatura. Similiter & Lutherus: qui vertit sáligmachen.

17 Sed] εἰ μή. Vel, Nisi. Est autem elliptica locutio. quasi dicat, Denique frater aut soror de ejusmodi rebus non sit solicitus: nisi quòd quisq; rationem habere debet doni à Deo sibi dati, & vocationis suæ. Ergo Nisi hîc idem valet quod Tantummodo, vel, Hoc tantùm excepto quod dicam. Sic Germani dicũt, Alláin. Incedat] περιπατείτω. Ambulet, id est, vivat.

18 Circumcisus &c.] Interrogatio & subjecta responsio vim habent enuntiati connexi: cujus antecedens continetur sententiâ interrogationis, consequens autem responsione. quasi dicat, Si quis circumcisus vocatus est, ne attrahat &c. Vocatus est] Videl. ad spem hæreditatis cælestis, per prædicationem Evangelii. Ne attrahat] Hîc allegat D. Beza 1. Machab. 1.16. Similia sunt quæ narrat Josephus Antiq. Judaic. lib. 12. cap. 6.

19 Circumcisio nihil est] Id est, Non commendat nos Deo, nihil facit ad pietatem & cultum Dei. Scil. jam, postquam abrogata est per Christi adventum. Synecd. generis. Observatio mandatorum Dei] Quorum præcipuum est, credere in filium.

20 Vocatione] Id est, conditione seu genere vitæ. Vocatus] Scilicet ad spem vitæ æternæ, per Evangelium. Est igitur hoc loco ἀντανάκλασις in vocandi verbo.

21 Servus &c.] Rursum interrogatio & responsio, ut supr. 18. Sententia est, Si vocatus es ad Christianismum quum esses servus. Sed] Correctio. quasi dicat, Veruntamen.

22 Etenim] Ratio non postremæ sententiæ quæ præcessit: sed ejus quod dixit: Ne sit tibi curæ: Id est, æquo animo fer servitutem. Itaq; perspicuitatis gratiâ verba illa, Sed si potes &c. inclusimus parenthesi. Libertus Domini] Egregia ἀντανάκλασις. nam Libertus hîc dicitur, non qui manumissus est è servitute civili, sed qui liberatus est à servitute peccati: sic in membro sequente Servus dicitur non de conditione civili, sed de statu spirituali.

23 Ne igitur estote] μὴ γίνεσθε. Pro, μὴ οὖν γίνεσθε. Deducitur enim hæc sententia è præcedente. Magno pretio emti estis per Christum: estis igitur servi Christi. Ne igitur estote servi hominum: hoc est, nolite pendêre ab authoritate hominum. nam alioqui charitas jubet, ut nobis mutuò serviamus.

24 In quo] ἐν ᾧ. Id est, In qua vocatione: ut supr. v.20. Apud Deum] Id est, in ecclesia, in qua Deus regnat: ad cujus cultum Christiani vocati sunt.

25 De virginibus] Id est, de cælibatu virginum, an virgines debeant manere cælibes. Præceptum Domini] Scil. specialiter hac de re datum. Do quod sentio] Id est, sententiam meam communico, utiq; consentaneam verbo Dei.

27 Alligatus es &c.] Interrogatio & responsio, qualis supr. 18.

28 Hujusmodi] Id est, conjuges.

29 Tempus contractum esse] ὅτι ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστί. Id est, parum temporis restare ad Domini adventum. Sic enim puto conjunctionem ὅτι exponendam εἰδικῶς, non αἰτιολογικῶς. Ut &] ἵνα καί. Hæc sententia per ellipsin quandam præcedenti annexa est: quasi dicat, Idq; ideo dico seu admoneo, ut &c.

30 Qui flent] Scil. ob uxoris aut liberorum mortem, id est, dolent, mœrent, lugent. Synecdoche generis & metonymia effecti. Sic mox, Qui gaudent] Scil. ob uxorem ductam aut liberos natos.

31 Mundo hoc] Id est, rebus hujus mundi, ad hanc vitam necessariis. Species] τὸ σχῆμα. Nihil enim solidam felicitatem affert in hoc mundo: sed vana sunt quæcunq; sub sole sunt, ut ait Salomon in Eccles.

32 Curat] Id est, licet ei curare.

33 Curat] Id est, solet curare.

34 Placitura sit viro] Ut scil. ei officiis suis præstandis satisfaciat, ne qua in re illum offendat: sed omni ratione honoret ac demereatur ad benevolentiam ejus erga se alendam. Ne quis putet, apostolum propriè loqui de corporis cultu & pulchritudinis conciliatione. Synecd. gen.

35 Hoc autem] Nempe bonum esse homini, ita esse, id est, cælibem vivere. vel, Hoc scil. quod dixi versu 32. me velle atq; optare, vos absq; solicitudine esse, ac proinde in cælibatu vivere. Vestro commodo] Nempe ut commodiùs possitis vacare exercitiis pietatis, & minùs distrahamini curis hujus vitæ. Non ut laqueum vobis injiciam] Id est, Non ut conscientias vestras illaqueem, id est, exitium vobis afferam. Metaphora ab aucupio. Absque ulla distractione] ἀπερισπάστως. Hoc verbo in eâdem planè causa usus est Lucas capite decimo, versu quadragesimo: ἡ δὲ Μάρθα περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν. Illud autem εὐπάρεδρον τῷ κυρίῳ, pulchrè quadrat facto Mariæ sororis Marthæ, quæ assidens ad pedes Jesu, audiebat ipsius sermones, ibidem 39.

36 Erga virginem suam] ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτοῦ. Id est, erga filiam suam quæ est virgo. Metonymia adjuncti, vel synecdoche generis. Si florem ætatis excedat] ἐὰν ᾖ ὑπέρακμος. Scilicet, virgo

filia ipsius. Hoc epitheton ὑπέρακμος refutat expositionem Hieronymi: quia virginitati non convenit, sed virgini. Porrò ἀκμὴ ut hîc accipitur, id est quod apud Terentium flos nominatur. Quod vult, faciat] *Scil. ille qui virginem viro maturam habet. id est, elocet eam matrimonio: sicut mox apostolus ipse exponit.* Jungantur] *Scil. virgo & vir quispiam.*

37 Qui stat firmus in corde] *Id est, qui firmiter decrevit filiam virginem non elocare matrimonio.* Quum non adigatur necessitate, sed in potestate habeat propriam voluntatem] *μὴ ἔχων ἀνάγκην, ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος. Participio ἔχων notatur causa vel saltem occasio illius decreti patris: & in antithesi, ἐξουσίαν ἔχει, ponitur ἔχει pro ἔχων. tum istâ causâ expositione insertâ, fit epanalepsis sententiæ in principio versiculi inchoatæ, ibi, καὶ τοῦτο κέκρικεν.* Ut servet suam virginem] *Id est, ut filiam suam virginem non elocet matrimonio.*

39 Alligata est] *Scil. viro. Sic sup. 27. δέδεσαι γυναικί; Alligatus es uxori?* Tantùm] *Scilicet nubat. Id est, Dummodo nubat in Domino.*

40 Beatior] *Nempe secundùm carnem. id est, paucioribus molestiis obnoxia.* Si ita maneat] *Scilicet vidua.*

OBSERVAT. EX CAP. VII.

Antilogiæ apparentis conciliatio. 1 Ex vers. 1. Quæritur, quomodo cum sententia Pauli quam hîc pronuntiat, conveniat dictum illud Dei, Non est bonum homini esse solum? Respondeo: Dictum illud Dei pertinet ad hominem consideratum in primæva sua natura: tunc enim nondum peccarat homo, nec natura per lapsum corrupta erat: hîc autem apostolus considerat hominem qualis est post lapsum, videlicet peccato corruptus: unde in conjugio variæ molestiæ exortæ sunt. Nec tamen prorsus desiit illud bonum quod fuit ante lapsum: nam uxor viro adhuc est adjutorium, & vir protector uxoris: denique mutua sunt eorum gaudia ex consuetudine conjugali. Sed hæc dulcedo multâ amaritudine atque acerbitate permixta est: ut quod de amore dictum est, in conjugium competat, videlicet esse γλυκύπικρον. Summa, Si homo perstitisset in integritate, conjugium semper jucundum fuisset: nunc verò propter peccatum multis molestiis & curis refertum est.

Conjugium. 2 Ex v. 2. Ex verbis, *Propter scortationes.* Inter alios conjugii fines ad quos à Deo est ordinatum, etiam hic unus est, ut sit remedium ad exstinguendum flammas libidinum & vitandum scortationem similesque pollutiones.

Conjugium. 3 Ex eodem versu ex verbis, *Suam quisq; uxorem &c.* His verbis damnatur polygamia; quoniam apostolus disertè nominat uxorem unicam & maritum unicum: & addit, *Proprium.* Non igitur vult, ut maritus plurium uxorum communis fit.

Conjugum officium. 4 Ex v. 3. 4. 5. De mutuo conjugum officio quid præcipiat apostolus, clarum est ex textu.

Jejunium. Preces. 5 Ex vers. 5. ex verbis, *Ut vacetis jejunio & precibus.* Si qua singularis urgeat necessitas, jejunio & precibus operam dare convenit.

Jejunium. 6 Ex iisdem verbis. Jejunii rectus usus est, ut suscipiatur propter preces: ut videlicet ad has magis idonei simus. Abutuntur igitur jejunio qui per ipsum volunt colere Deum; atque illi ampliùs qui per ipsum volunt mereri remissionem peccatorum.

Officium hominis Christiani. 7 Ex eodem versu, ex verbis, *Ne tentet vos Satanas.* Tentationibus Satanæ circumspectè occurrendum est, utendo remediis peccatorum à Deo ordinatis.

Conjugium cœlibatus. 8 Ex v. 7. & 9. Quum donum continentiæ non sit omnium: incontinentibus autem præceptum sit conjugium: ut tranquillâ conscientiâ Deum possint colere; sequitur, leges Papales de cælibatu sacerdotum atque omnino clericorum quos vocant, item de votis monasticis, iniquas & impias esse. Confer Matth. 19. v. 10. 11. 12. item 1. Tim. 4. v. 3.

De regula, Inter duo mala eligendum minus. 9 Ex versu 9. ex verbis, *Nam melius est, &c.* Considerandum, quando locum habeat illa regula qua dicitur, Inter duo mala eligendum esse minus. nam hæc apostoli sententia videtur regula illi niti. Sciendum igitur, regulam illam locum habere tum, quum proposita sunt duo mala, quorum vel neutrum vel saltem alterum non sit turpe seu peccatum, ut David tribus malis (quorum nullum erat peccatum: sed omnia pœnæ peccati) propositis, elegit id quod videbatur reliquis duobus minus: videlicet pestem triduanam elegit præ fuga hostium trimestri & fame septennali, 2. Sam. ult. Hic autem propositis duobus malis, quorum alterum tantùm non est peccatum, Paulus vult eligi illud tanquam minus. Etenim conjugium est quidem conjunctum cum variis molestiis, veruntamen non est peccatum: at uri flammis libidinis, non solùm molestum est, sed & peccatum. Quum autem utrumque quod tibi agendum proponitur, peccatum est: etiamsi alterum altero videatur esse minus; tamen neutrum est faciendum: neque tum illa regula locum habet. Peccavit enim certè Pilatus, quum regula illa fretus, Christum quem judicabat innocentem, jussit flagellari: ne scilicet cogeretur eum supplicio capitis afficere. Peccavit etiam Loth, quum filias suas flagitiosis istis Sodomitis stuprandas obtulit, ne cogeretur copiam eis facere juvenum, quos hospitio exceperat.

Conjugium. 10 Ex v. 10. 11. 12. 13. Matrimonii seu conjugii vinculum ita arctum & sanctum est, ut non liceat illud dissolvere quavis de causa, ne ob diversitatem quidem religionis. Causa autem divortii legitima, est adulterium: Matth. 5. v. 32. & cap. 19. v. 9. Et desertio, id est, si quis à conjuge deseratur: hîc infrà v. 15.

Conjugium. 11 Ex v. 14. Puris omnia pura sunt. Itaque conjunx pius piâve potest bonâ conscientiâ uti conjuge non pia pióve.

Antilogia apparentis conciliatio. Sanctitas infantium Christianorum. 12 Ex eodem versu, ex verbis: *Nunc autem sancti sunt.* Quæritur, quomodo cum hac sententia apostoli conveniat, quod idem tradit Ephes. 2. Omnes nasci filios iræ: item illa confessio Davidis, In peccato concepit me mater mea: item illa exclamatio Jobi, Quis det mundum de immundo? Et alia his similia Scripturæ dicta; quæ docent, à natura omnes homines jam post lapsum esse impuros & peccato pollutos. Respondeo: Paulus hîc non loquitur de sanctitate quapiam naturali & naturæ liberorum inhærente: sed de sanctitate adhærente eis extrinsecus, videlicet de sanctitate federis: quia credentium liberi federe gratiæ comprehensi sunt; & eatenus sancti à Deo censentur.

Pædobaptismus. 13 Ex iisdem verbis. Quum liberi Christianorum sint sancti, id est, participes federis gratiæ: ergo signum federis, quod est baptismus, eis debetur. Peccant igitur Anabaptistæ qui illis hoc denegant.

Antilogia apparentis conciliatio. Divortium. 14 Ex versu 15. Quæritur, quomodo cum hac sententia Pauli conveniat sententia Christi quæ habetur Matth. 5. vers. 32. & rursus cap. 19. versu 9. ubi solum adulterium statuit legitimam divortii causam. At Paulus hoc loco ejusdem legitimam causam statuit desertionem, qua quis deseritur à conjuge propter religionem Christianam. Respondeo: Christus loquitur de separatione voluntaria ac libera: quum scilicet maritus, adulterio uxoris motus, separat sese ab illa, nec illam ampliùs pro uxore vult agnoscere, illive ut uxori cohabitare. At Paulus loquitur de separatione in vita: quum scilicet conjunx fidelis seu Christianus deseritur à conjuge infideli seu non-Christiano, cui tamen vellet ut conjugi cohabitare. Non igitur dissentiunt Christus & Paulus, quia loquuntur de rebus diversis. Imò quod ad voluntariam separationem attinet, Paulus illam extra rationem adulterii nequaquam concedit: sed potiùs præcipit, ne conjunx à conjuge discedat, sive fideli, sive infideli: dummodò infidelis consentiat ad cohabitandum, nempe conjugialiter: suprà v. 10. 11. 12. 13.

Salutis causa. 15 Ex vers. 16. Magnus est honos, quòd Deus salutem proximi, cujus ipse reverâ solus autor atque effector est, nobiscum quodammodo communicat: quatenus nimirum nos elaboramus in mediis ad salutem ordinatis erga proximum administrandis. Confer 1. Tim. 4. v. ult. Rom. 11. v. 14. Item infr. c. 9. v. 22. Quare in proximo lucrifaciendo & ad salutem adducendo sedulò elaboremus.

Res externæ. 16 Ex v. 17. 18. 19. 20. 21. Externa hominis adjuncta (ut sunt circumcisio, præputium, servitus, libertas, cælibatus, conjugium) nihil faciunt ad hoc, ut quis Deo placeat vel displiceat. Sed placet Deo quicunque observat mandata ejus: displicet, qui non observat; qualiacunque in ipso sint adjuncta illa externa. Confer Gal. 5. v. 6. Coloss. 3. v. 11.

Antilogia apparentis conciliatio. Circumcisio. 17 Ex v. 19. Paulus hîc ait, Circumcisio nihil est. Attamen circumcisio erat signum federis. Respondeo: Erat in V. Testamento: sed non est ampliùs in Novo, quum Paulus istud pronuntiavit. Est enim abolita unà cum reliquis cærimoniis legalibus per Christum. Confer Col. 2. v. 11. & deinceps.

Bona terrena. 18 Ex versu 21. ex verbis, *Si potes etiam liber fieri, potiùs utere.* Bona terrena quum à Deo offeruntur, gratâ manu amplectenda sunt.

Consolatio pro servis Christianis. 19 Ex versu 22. Servi, & quicunque humilis sunt conditionis in hac vita: dummodo Christiani sint, consolentur sese ex hoc, quòd sunt liberti Domini: id est, per Dominum nostrum Jesum Christum manumissi è potestate diaboli. Sic ait Jacobus: Frater qui est abjectus, glorietur in sublimitate sua. Jacob. 1. versu 9.

Officium hominis Christiani. 20 Ex eodem versu. Homo Christianus si sit liber, alisve id genus bonis terrenis præditus: caveat ne illis abutatur ad securitatem carnis; sed cogitet, se esse servum Christi: ac proinde illi fideliter serviat sanctè vivendo. Talem sensum habet illud Jacobi: Frater qui dives est, glorietur in abjectione sui: Jacob. 1. versu 10.

Redemtionis nostri pretium. 21 Ex versu 23. Considerandum hîc, quódnam, item quale & quantum sit illud pretium quo sumus redemti per Christum: videlicet sanguis Christi: quatenus pro nobis fusus est in cruce cum sensu iræ Dei propter nostra peccata: qui sanguis longè pretiosissimus est: quum sit sanguis, non solùm sanctissimi hominis, videlicet agni illius immaculati & incontaminati, 1. Pet. 3. v. 19. sed etiam sanguis filii Dei, 1. Joh. 1. v. 7. atque adeò sanguis ipsius Dei, Act. 20. v. 28.

Officium hominis Christiani. 22 Ex eodem v. Cavendum ne simus servi hominum, id est, ne in negotio religionis aliquid amplectamur aut agamus in gratiam hominum.

Virginitas. Viduitas. Cælibatus. 23 Ex versu 25. & sequentibus. Virginitas, itemque viduitas, ac omnino cælibatus, non placet Deo per se, tanquam sanctius scil. vitæ genus quàm conjugium: sed tum demum Deo

placet, quum cælibes dono continentiæ præditi, cælibatu suo utuntur ad meditandum sacras literas & aliis explicandum. hoc enim est (ut hîc loquitur Paulus) Domino adhærescere, & ea quæ Domini sunt curare.

Officium hominis Christiani.

24 Ex v.29.30.31. Quum parum nobis temporis in hoc sæculo vivendi concedatur: non debemus rebus hujus sæculi nimiùm affici aut occupari: sed potiùs affici atque occupari debemus rebus spiritualibus ac cælestibus, quæ ad cultum Dei & salutem nostram æternam spectant.

Cælibatus. Conjugium.

25 Ex v.35. Quum Paulus solicitè admonuerit, se nolle Corinthiis laqueum injicere, præcipiendo scil. cælibatum, quasi conjugium Deo displiceat: apparet, audaces atque impios esse Papas, qui conjugium clericis (quos vocant) interdicunt, & vota monastica approbant.

Potestas patria. Officium parentum.

26 Ex vers.36.37.38. Potestatis patriæ pars est, contrahere nuptias liberorum. Officium autem parentum est, ut solicitè liberis in hac parte prospiciant.

ANALYSIS CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

In hoc capite incipit disputare de idolothytorum esu, quam disputationem continuabit per duo sequentia capita. Porrò idolothytorum vocabulo intelliguntur carnes immolatitiæ, id est, idolis immolatæ. Istiusmodi carnibus nonnulli in ecclesia Corinthiaca liberè vel potiùs licenter vescebantur: dictitantes se scire, idolum nihil esse, ac proinde carnes idolis immolatas non esse idolorum cultu pollutas, ut homo Christianus illis bonâ conscientiâ vesci non possit. Hoc autem istorum facto offendebantur alii qui infirmiores, id est, rudiores erant, nec intelligebant, carnes istiusmodi suâ naturâ puras, ac proinde earum esum Christiano homini licitum atq; concessum esse: sed judicabant esse immundas, eò quòd idolis immolata essent. Interim tamen quum viderent, scientiores illos & in doctrina Christiana eruditiores liberè ejusmodi carnibus vesci, idq; in ipso idolorum templo, quum scil. ad epulas solennes sacrificiorum ab ethnicis invitati essent: movebantur istorum exemplo, ut auderent & ipsi carnes idolis immolatas edere: qua quidem in re graviter peccabant, facientes nimirum id, quòd, an Deo placerent, dubitabant. Apostolus igitur intempestivum illum & cum scandalo infirmiorum conjunctum idolothytorum esum reprehendit: & istorum argumenta quibus factum hoc suum defendebant, refellit.

CÆterùm de iis quæ idolis immolantur, scimus nos omnes notitiâ esse præditos. Notitia inflat: charitas verò ædificat.

2 Quòd si quis *sibi* videtur aliquid scire, nondum quicquam novit sicut oportet nosse.

3 Sed si quis diligit Deum, hîc cognitus *est* ab eo.

4 De esu igitur eorum quæ idolis immolantur, scimus idolum nihil *esse* in mundo, & nullum *esse* Deum alium nisi unum.

5 Nam etiamsi sint qui dicantur dii & in cælo & in terra: (sicut sunt dii multi, & domini multi)

6 Nobis tamen unus *est* Deus, Pater ille à quo omnia, & nos in ipso: & unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.

7 At non in omnibus *est* ea notitia: sed nonnulli *cum* conscientia idoli usque ad hoc tempus, ut idolis immolatum edunt: & conscientia eorum, infirma cùm sit, polluitur.

8 Cæterùm esca nos non commendat Deo. neque enim si vescamur, abundantiores sumus: neque si non vescamur, pauperiores reddimur.

9 Sed videte, ne quo modo potestas illa vestra offendiculo sit iis qui infirmi sunt.

10 Etenim si quis viderit te, illum notitiâ præditum, in idoleio accumbere; nónne conscientia ipsius, quum infirmus sit, instruetur ad edendum ea quæ sunt idolis immolata?

11 Et tuâ istâ notitiâ frater qui infirmus est, propter quem Christus est mortuus, peribit?

12 Ita autem peccantes in fratres, & vulnerantes ipsorum conscientiam infirmam, in Christum peccatis.

13 Quapropter si esca facit ut offendat frater meus: non vescar carnibus in æternum; nec faciam ut frater meus offendat.

PRimò proponit quæstionem, & argumentum adversariorum: quod concedit, sed consequentiam negat, v.1. Quæstio est de esu idolothytorum: an scilicet Christiano liceat edere idolothyta? Argumentum adversariorum est: Nos scimus, idolum nihil esse; ac proinde idolorum cultu seu immolatione quæ fit idolis, carnes non pollui: Ergo carnibus istiusmodi immolatitiis vesci nobis absque ulla exceptione licet. Apostolus concedit hujus enthymematis antecedens: sed negat consequentiam: seu quod idem est; concedit syllogismi assumtionem, sed negat ejusdem propositionem connexam. Rationem negationis hanc affert, quòd homo Christianus in actionibus suis non solùm suæ scientiæ, sed etiam charitatis erga proximum rationem habere debeat: quippe quòd scientia absque charitate inflet, & proximi rudioris impium contemtum ex se pariat: cujus ædificandi & ad salutem æternam promovendi rationem habere charitas. Falsitas igitur propositionis oritur ex insufficienti enumeratione causarum: quasi scilicet sola scientia causa procreans sit rectæ actionis: quum tamen illius causa procreans etiam sit charitas. Hæc versu primo. Secundò negat, saltem ex parte, ipsum argumentum seu enthymematis antecedens, vers.2. & 3. Negat enim, adversarios verâ scientiâ esse præditos: quippe quum vera scientia rectè agendi conjuncta sit cum dilectione Dei, ac proinde & proximi: qua illos carere innuit. Tertiò repetit adversariorum argumentum, & speciāliùs exponit, & confirmat. Argumentum est: Idolum nihil est in mundo, hoc est, idolum non est numen, nec repræsentat numen. Confirmatio: Quia nullus est Deus alius nisi unus; qui scilicet invisibilis est, ac proinde imagine aliquâ repræsentari non potest. Hanc sententiam illustrat atque amplificat prolepsi, vers.5. & 6. ubi falsæ opinioni ethnicorum de multitudine deorum, opponit sententiam veram Christianorum de Deo unico: quem describit ex proprio effecto, videlicet creatione rerum. Quartò rationem exponit negationis consequentiæ, versu 7. nempe quia ex charitate habenda sit ratio infirmorum: qui cùm scientiâ illâ careant, conscientiam suam polluunt imitando exemplum scientium illorum. Quintò occurrunt cuidam objectioni istorum, admonens, eos non habere justam causam, cur suum jus in idolothytis edendis quovis modo usupare velint, vers.8. Objectio est: An verò propterea æquum fuerit, nos jure nostro fraudari? Imò, inquit Apostolus, nihil quod ad Christianismum attinet, vobis decedet, si abstinueritis in fratrum gratiam: sicut etiam sumtus cibus nihilo vos reddet sanctiores. Sextò per corollarium hortatur eos, ne suo jure abutantur cum scandalo infirmorum, vers.9. Septimò declarat, quomodo infirmi intempestivo illo esu scientiorum offendantur, vers.10. Octavò amplificat istud scandalum ex effectis: videlicet exitio infirmorum, versu 11. & ignominiâ ipsius Christi, versu 12. Postremò concludit, propter infirmos à rebus per se licitis abstinendum esse, versu ult. Hanc sententiam significat commemoratione sui exempli: eamque amplificat à quantitate temporis.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

1 De iis quæ idolis immolantur] *Id est, Quod attinet ad esum earum carnium quæ idolis immolata sunt, infrà vers.4.* Scimus] *Id est, videmur nobis scire, ut versu seq.* Omnes] *Id est, plerosq; omnes. nam versu 7. excipit infirmos. Hyperbole. Genus loquendi petitum è medio.* Notitia] ἡ γνῶσις. *Id est, notitia falsa opinio seu persuasio, quum quis sibi videtur aliquid scire: ut exponit Apostolus ipse versu sequenti. Vel etiam notitia rerum indifferentium vera, sed in iis utendis charitate destituta.* Charitas] *Nempe erga proximum.*

2 Sibi videtur aliquid scire] *Id est, opinione scientiæ turget & inflatus est, seu insolescit.* Nondum quicquam novit &c.] *Quia nisi quis nôrit quid debeat proximo, nondum novit officium suum.*

3 Si quis diligit Deum] *Et proximum propter Deum.* Hic cognitus est ab eo] οὗτος ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ. *Id est, dilectus est ab eo, ac proinde donatus cognitione verâ earum rerum quæ ad ipsius cultum pertinent. Elegans* ἀντανάκλασις *in verbo* cognoscendi *diversâ significatione repetito: qualis exstat quoque Galat.4.v.9. Exemplum autem illud infrà cap.13.v.12. Tunc cognoscam,* καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην*: huic dissimile est, sicut ibidem annotabitur. Cæterùm quòd quidam tradunt, verbum* γνώσκεσθαι *in tribus istis locis habere significationem conjugationis Hebraicæ Hophal: opus est demonstrari exemplis claris, tanquam ὁ μήρεοις τῶν λόγων. Imò ne Hebræum quidem* הוּדַע *hodábh in hac significatione (quod sciam) reperitur, ut significet, Scire factus est, seu cognitione donatus est. Neque etiam Syriacum verbum* אֶתְיְדַע *ethidábh, quo in istis locis interpres Syriacus utitur, significationem illam habet: sed significat, cognitus est.*

4 Nihil esse] ὅτι οὐδὲν. *Supple* ἐστὶ. *Sic mox,* ὅτι οὐδεὶς, *scilicet* ἐστὶ. *Nihil esse, id est, nullum numen repræsentare: ut intelligitur ex sequentibus. nihil esse, ratione significationis. nam ratione substantiæ, est aliquid, ut lignum aut lapis &c. Synecdoche generis. Confer infr. cap.10. vers.19.* Nihil esse in mundo] *Id est, non repræsentare ullum numen quod verè sit in mundo seu rerum natura. Innuit ergo, idolum esse inane figmentum, esse signum fallax seu mendax: quum dii qui per idola repræsentantur, nihil sint, nisi inania figmenta. Sol enim, Luna, Jupiter, Mars &c. non sunt dii: sed falsò finguntur esse dii.* Et nullum] *Probat, idolum nihil esse, id est, nullius numinis signum esse: quia non est nisi*

unus

unus Deus: is autem quum sit invisibilis, nullo visibili signo repræsentari potest. Dii autem qui idolis repræsentantur, non sunt dii.

5 Etiamsi sint] *Scil. opinione hominum, seu idololatris: ut apparet ex antithesi vers. seq. ubi dicit,* Nobis tamen: *id est, secundùm nostram fidem.* Dicantur] *Emphaticè. q. d. quum tamen non sint.* In cælo] *Ut Sol, Luna, cæteræq; stellæ.* In terra] *Ut heroici homines: Jupiter, Mars, Apollo &c. Item bestiæ apud Ægyptios, bos, felis. item res inanimæ, allium, cepa &c.* Sicut sunt] *Scil. opinione idololatrarum. Vel sunt revera: sed tum deorum ac dominorum nomine in hac correctione per parenthesin insertâ, intelligendi erunt angeli: qui passim in Scriptura nominantur Elohim, id est, dii, item principes. Etenim verbum* dicantur *videtur hic corrigere per verbum* sunt.

6 Unus] *Id est, Unus tantùm: non autem plures.* A quo] ἐξ οὗ. *Id est, ὑφ' οὗ. Sic Rom. 11. v. ult.* In ipso] εἰς αὐτὸν. *Pro, ἐν αὐτῷ. Id est, vi seu virtute ejus subsistimus. Sic Act. 17. v. 28. Vel,* In ipsum: *Id est, In gloriam ipsius: ut Rom. 11. v. ult.*

7 At non] *Hæc sententia opponitur sententiæ versiculi quarti, cum qua cohæret per enuntiatum discretum: Qanquam tu scis, idolum nihil esse: non tamen omnes id sciunt.* Ea notitia] ἡ γνῶσις. *Nempe idolum nihil esse. Sicut mox declarat. Articulus habet vim ἀναφορικὴν.* Sed nonnulli] τινὲς δὲ. *Sic malo quàm,* Nonnulli enim. *quoniam est antithesis. Cum* conscientia idoli] τῇ συνειδήσει τοῦ εἰδώλου. *Id est, Cum opinione idoli; opinantes, scilicet, idolum aliquid esse, ac proinde carnes idolis immolatas immundas esse, quibus homo Christianus bonâ conscientiâ vesci non possit.* Usque ad hoc tempus] *Obliquè rudiores istos reprehendit, quòd tanto tempore non plus profecerint in doctrina Evangelii.* Ut idolis immolatum] *Id est, ut pollutum istâ immolatione: hoc est, opinantes esse pollutum.* Infirma] *Id est, rudis, non bene edocta.* Polluitur] *Id est, peccat.*

8 Esca nos non commendat Deo] *Q. d. Ac proinde propter escam nemo debet offendiculum præbere fratri infirmo: quum possit Deo placere, etiamsi non edat idolothyta.* Abundantiores] *Intellige, Coram Deo, id est, in majore gratiâ. Sic quod sequitur,* Pauperiores, *id est, in minore gratiâ.*

9 Potestas] *Id est, Jus seu libertas utendi rebus mediis.* Offendiculo sit] *Id est, faciat ut offendant seu impingant, id est, peccent.* Infirmi] *Id est, rudes, non intelligentes naturam rerum indifferentium.* Si quis] *Scil. infirmus: ut intelligitur ex sequentibus.* In idoleio] *Ut Apostolus vocat εἰδωλεῖον, quod idololatræ appellant ναὸν aut ἱερὸν: sic hodie quam cærimoniam superstitionis & idololatriæ plenissimam Papistæ vocant* Gottestracht / *quasi dicas, Dei gestatio, quum scil. deum illum suum panaceum circumgestant & adorant: nos rectissimè appellabimus* Götzentracht. *id est, idoli gestatio. nam εἰδωλεῖον est* Götzenhaus / *sicut ἱερὸν* Gotshaus. Instruetur] οἰκοδομηθήσεται. *Ad verb. Ædificabitur. Catachresis. id est, adducetur tuo exemplo.*

11 Propter quem &c.] *Amplificatio à contrario & majori: Christus propter illum mortuus est: tu ne à carnibus quidem abstines.* Peribit] *Nempe quia dubitante conscientiâ edit idolothyta, ac proinde cum contemtu Dei.* Peribit] *Nempe per te quidem, seu quantum per te stat.*

12 Vulnerantes] τύπτοντες. *Id est, lædentes. Metonymia efficientis & metaphora.* In Christum peccatis] *Quippe cujus judicium de illis contemnitis, tanti eos facientis, ut propter ipsos sit mortuus. Hanc igitur sententiam deducit ex præcedente.*

13 Quapropter] *Conclusio.* Facit ut offendat] σκανδαλίζει. *Transitivè.* Non vescar] *Accommodat suæ personæ quo faciliùs persuadeat.* In æternum] *Id est, unquam.*

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

Adiaphora. 1 Ex toto capite. In usu adiaphororum, id est, rerum indifferentium seu mediarum, (quæ scil. à Deo nec imperatæ nec vetitæ sunt) rationem habere debemus non solùm conscientiæ nostræ, sed etiam conscientiæ proximi: ita ut in gratiam proximi qui res illas à Deo vetitas esse putat, ab illis abstineamus: ne ille exemplum nostrum contra conscientiam suam imitetur, atque ita æterno exitio pereat.

Cognitio Dei. 2 Ex v. 2. & 3. Vera notitia Dei conjuncta est cum dilectione Dei. Ubi autem dilectio Dei, ibi etiam est dilectio proximi. Hanc doctrinam copiosè exponit Johannes in prima sua epistola: præsertim cap. 2. v. 9. 10. 11. & cap. 13. v. 17. 18. & c. 4. v. 7. 8. item v. 20. 21. & c. 5. v. 1. 2.

Dilectio Dei. 3 Ex v. 3. Dilectio Dei, id est, qua Deum diligimus, certum argumentum est quòd & ipse nos diligat, atque adeò dilexerit ab æterno. Est enim hæc dilectio in nobis dilectionis illius in Deo effectum. quippe quoniam Deus nos dilexit, dedit nobis fidem in Christum: cujus vi ipsum vicissim diligimus, & proximum propter ipsum. Hinc ait Johannes: Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos, 1. Joh. 4. v. 19.

Idola. Imagines Dei. 4 Ex v. 4. Idola (id est, imagines factæ ad repræsentandum Deum) nec dii sunt, nec deorum imagines: quoniam non est nisi unus Deus, & is invisibilis: quo fit ut per nullam imaginem repræsentari possit.

Deus. 5 Ex v. 5. & 6. Contra πολυθεΐαν Ethnicorum notandum est testimonium de uno vero Deo.

Deus. 6 Ex vers. 6. *Nobis tamen unus est Deus &c.* Cavendum ne abutamur his verbis Pauli ad negandum deitatem Christi vel Spiritus sancti. Nam etsi Paulus de solo Patre hîc pronuntiat, eum esse unum illum verum Deum: tamen per hoc non excludit Christum & Spiritum sanctum; sed excludit tantùm deos illos multos quorum fecerat mentionem: ut liquet ex antithesi. at Christus & Spiritus sanctus non sunt in numero illorum deorum: quippe quum non sint extra Patrem, ut illi; sed in Patre: atque adeò unum cum Patre: Sicut alibi Scriptura testatur. Et sicut à summo illo atque absoluto dominatu in omnes creaturas non excluditur Pater per hoc, quòd ille dominatus hîc tribuitur soli Christo: ita vicissim nec Christus excluditur à deitate per hoc, quòd illa hîc tribuitur soli Patri. Est enim in istis par ratio, ut patet.

Conscientia. 7 Ex versu 7. Qui rem per se licitam agunt dubitante conscientiâ, non certò scilicet persuasi esse licitam, illi peccant. Atque hoc sensu dictum est, illud Rom. 14. in fine. Quod non fit ex fide, peccatum est. Quare caveamus ne quid dubitante conscientiâ agamus.

Vindicatio verborum Pauli, Et peribit infirmus frater &c. 8 Ex versu 11. Quòd Paulus ait, fratrem infirmum periturum, propter quem Christus est mortuus, id rectè accipiendum est. Nam certum est; neminem perire posse eorum, propter quos Christus est mortuus: mortuus est enim propter electos. Sed Apostolus intelligit, per istos qui infirmos offendunt, non stare quò minus illi pereant: seu quantum in ipsis est, eos perniciem illis afferre. Qui autem pereunt, illi nunquam ex numero eorum fuerunt propter quos Christus est mortuus: etsi ex judicio charitatis in illo numero ab hominibus sint habiti, quamdiu fidem Christianam sunt professi.

ANALYSIS CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Quoniam superiore capite reprehenderat eos qui idolothytis cum offendiculo infirmorum fratrum vescebantur: concluseratq; se ita animo affectum esse, ut in gratiam illorum, hoc est, ne illis sit offendiculo, vel in perpetuum à carnibus abstinere velit: nunc suum ipsius exemplum intempestivis illis suæ libertatis ac juris usurpatoribus imitandum proponit: ut qui suo jure in re longè majoris momenti ac propemodum necessariâ, usus non sit, videlicet jure Apostolico in accipienda mercede ab ecclesiis, aut certè victu & amictu: qua occasione pluribus verbis de hoc jure disputat.

NOnne sum apostolus? Nónne sum liber? Nónne Jesum Christum Dominum nostrum vidi? Nónne opus meum vos estis in Domino?

2 Si aliis non sum apostolus, at certè vobis sum. nam sigillum apostolatus mei vos estis in Domino.

3 Mea defensio apud eos qui in me inquirunt, hæc est.

4 Annon *igitur* habemus potestatem vescendi ac bibendi?

5 Annon habemus potestatem sororem uxorem circumducendi; ut & reliqui apostoli, & fratres Domini, & Cephas?

6 An solus ego & Barnabas non habemus potestatem non operandi?

7 Quis militat propriis stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit?

8 Num secundùm hominem hæc dico? nónne etiam Lex hæc dicit?

9 Nam in Mosis Lege scriptum est, Non obligabis os bovi trituranti. Num boves curæ sunt Deo?

10 An *hoc* propter nos omnino dicit? propter nos enim *hoc* scriptum est. Nam sub spe debet is qui arat, arare: & qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse.

11 Si nos vobis spiritualia seminavimus: magnum *est*, si nos vestra carnalia messuerimus?

12 Si alii *sui* in vos juris participes sunt, an non potiùs nos? atqui non usi fuimus jure isto. sed omnia sustinemus, ne interrumpamus Evangelium Christi.

13 An nescitis, eos qui sacris operantur, ex sacrario edere? & qui altari assident, cum altari participare.

14 Ita Dominus constituit iis qui Evangelium annuntiant, ut ex Evangelio vivant.

15 Ego tamen nullo istorum sum usus. Neque verò hæc scripsi, ut ita fiat in me. nam bonum est mihi, mori potiùs quàm ut gloriationem meam aliquis inanem reddat.

16 Etenim si evangelizem, non est quòd glorier; necessitas enim mihi incumbit. væ autem mihi est, nisi evangelizem.

17 Nam si volens hoc faciam, mercedem habeo: sin invitus, *nihilominus tamen* dispensatio credita est mihi.

18 Quæ igitur mihi est merces? *hæc nempe* ut quando evangelizo, gratuitum constituam Evangelium Christi; ut ne abutar jure meo in Evangelio.

19 Nam quamvis liber sim ab omnibus, omnibus *tamen* me servum feci, ut plures lucrifacerem.

20 Et factus sum Judæis ut Judæus, ut Judæos lucrifacerem: iis qui sub Lege sunt, ut si *essem* sub Lege, ut eos qui sub Lege sunt, lucrifacerem:

21 Ex legibus ut ex lex, (quamvis non sim ex lex Deo, sed sub lex Christo) ut lucrifacerem ex leges.

22 Factus sum infirmis ut infirmus, ut infirmos lucrifacerem. omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos servarem.

23 Hoc autem facio propter Evangelium, ut consors ejus fiam.

24 An ignoratis, eos qui in stadio currunt, omnes quidem currere, sed unum *tantùm* accipere præmium? sic currite ut comprehendatis.

25 Porrò quisquis certat, in omnibus est continens. Ac illi quidem ut perituram coronam accipiant, *sunt continentes:* nos autem, ut incorruptam.

26 Ego igitur ita curro, ut non in incertum: ita pugilem ago, ut non aërem cædens.

27 Sed contundo corpus meum, & in servitutem redigo: ne quo modo, quum aliis prædicârim, ipse reprobus fiam.

PRimò omnium, Apostolum se esse, partim ab efficiente, videlicet à forma vocationis, vers. 1. partim ab effectu, nempe conversione Corinthiorum confirmat, vers. eodem. Istud autem posterius argumentum expolit ἐπιμονῇ, amplificat antithesi diversorum, & illustrat simili, vers. 2. Tum idem amplificat ab effectu, videl. facto quodam suo, v. 3. Deinde ex eo infert, se habere potestatem accipiendi victum ab ecclesiis, atque etiam facultatibus ecclesiarum alendi uxorem, denique non parandi sibi victum labore manuum, v. 4. 5. 6. Tertiò jus illud apostolicum confirmat: cujus confirmationis argumentum primum ductum est à paribus seu exemplis similibus tribus, videl. jure militum, agricolarum & pastorum, vers. 7. Secundum à testimonio Legis Mosaicæ, per ratiocinationem à minori, vers. 8. 9, 10. Tertium argumentum sumtum est causa procreante, illustratum similitudine seu allegoriâ, amplificatum à minori, vers. 11. Quartum argumentum, ab exemplo aliorum, item amplificatum à minori, vers. 12. Hoc argumentum illustrat antithesi sui exempli, & ita suum exemplum primò proponit, vers. eod. Quintum argumentum rursus à testimonio Legis & exemplo Levitarum, vers. 13. quod exemplum accommodat ad ministros Evangelii, vers. 14. simulque testimonio ipsius Domini confirmat. Hisce argumentis ita expositis, quarto loco rursum proponit exemplum suum, affirmans se jure illo suo non esse usum: simulque per prolepsin asseverat, se nunquam illo jure usurum: eamque sententiam collatione majoris amplificat: se mori malle quàm suo illo jure utentem, præbere malevolis ansam maledicendi Evangelio, vers. 15. Deinde eandem sententiam amplificat antithesi diversorum, atque etiam adversorum: munus evangelizandi sibi necessariò administrandum: se autem id facere velle non invitum, sed libenter, imò gratis, vers. 16. 17. 18. Quintò exemplum illud suum amplificat collatione majoris: se non solùm libertate sua non esse usum, sed etiam seipsum omnibus fecisse servum: quam sententiam declarat enumeratione trium specierum, Judæorum scilicet & Gentium & Christianorum infirmorum. nam quæ quarta species videri posset, eorum scilicet quos sub Lege esse dicit, à prima non differt: nisi fortasse proselytos intelligat, vers. 19. 20. 21. 22. Sextò & postremò causam seu consilium suum exponit, cur suum jus ita omittat, & contrà corpus suum laboribus & abstinentiâ excruciet atque in servitutem redigat: nempe ut unà cum aliis Evangelii particeps fiat. Eaque occasione describit suum studium pietatis & sobrietatis: illudque illustrat eleganti similitudine ab iis qui in stadio currunt, à vers. 23. usque ad finem capitis. Qua quidem similitudine hoc quoque innuere videtur: quòd Corinthii isti in gratiam infirmorum fratrum ab esu carnium immolatitiarum abstinere nollent, ejus mali causam esse, quòd gulæ essent dediti: ac proinde eos ista similitudine & suo exemplo ad sobrietatem & carnis mortificationem vocat: ut causâ sublatâ effectus quoque tollatur.

SCHOLIA IN CAP. IX.

1 Nonne] *Interrogatio continet argumentum à testimonio: nam sic ipsorum Corinthiorum confessionem innuit.* Apostolus] *Magis probo ordinem sententiarum quem observavit vetus interpres, apud quem præcedit* liber, *sequitur* Apostolus. *non solùm quòd duæ propositæ sententiæ per ὑστέρωσιν aptiùs deinceps explicantur: sed etiam ut observetur gradatio Logica à minoribus ad majora. nam plus est, apostolum esse, quàm liberum esse: & plus est Dominum in ecstasi vidisse; quàm vidisse ut reliqui apostoli viderunt: deniq; plus est specimen apostolatus edidisse, quàm ad apostolatum vocatum esse. Probo autem sententiam D. Bezæ, libertatis nomen exponentis de liberatione à Legis cærimoniis. Porrò nomen* apostoli *videtur ab aliquo præpositum esse, qui animadvertit, Paulum deinceps priùs de suo apostolatu differere quàm de sua libertate. Sed ὑστέρωσις in rebus propositis explicandis non est rara sacris scriptoribus.* Nónne Jesum &c.] *Primum argumentum quòd sit apostolus: à forma seu modo vocationis.* Vidi] *Nempe in ecstasi: Actor. 22. v. 17. quomodo & Stephanus vidit, Actor. 7. v. 56.* Nónne opus] *Secundùm argumentum, ab effectu, videlicet conversione Corinthiorum.* Vos] *Id est, fides quæ est in vobis. Metonymia subjecti.* In Domino] *Id est, per Dominum: seu virtute Domini quam exseruit in vobis per meam prædicationem.*

2 Si aliis] *Id est, aliorum judicio & sententiâ. Expolitio: quæ eandem sententiam repetit & illustrat antithesi, item exornat concessione & asseveratione & metaphorâ.* Vobis sum] *i.e. vobis certè videri debeo apostolus, quippe qui apostolatus mei effectum in vobis ipsis experti estis.* Sigillum apostolatus mei] *Id est, quo apostolatus meus obsignatus atq; comprobatus est divinitus, quatenus nimirum Deus per illum fuit efficax in vobis.*

3 Defensio] ἀπολογία. Ἀπολογία *est oratio, qua quis se defendit. Germanicè,* verantwortung. Hæc] αὕτη. *Nempe quam modò exposui: quòd nimirum vos meâ prædicatione ad Christi cognitionem adduxerim. Alii pronomen istud* Hæc, *referunt ad sequentia. Verùm sequentia verba hîc dirigi ad ipsos Corinthios, planè percipitur ex v. 10. 11. 12. 13. Non igitur recitantur ista verba per mimisin, tanquam quæ soleant ad alios à Paulo dici in ipsius apologia cujus mentio præcessit.*

4 An non igitur] μὴ οὐκ. *Pro,* μὴ οὐκ ἔν. *quum scil. sim apostolus, ut probavi.* Habemus] *Id est, habeo.* Potestatem] ἐξουσίαν. *Jus.* Die macht/ das recht.

5 Circumducendi] *Scil. ut comitem individuam: quæ alatur ab iis ecclesiis, ad quas me fuerit comitata.* Fratres Domini] *Johannes & Jacobus, filii Zebedæi: qui fuerunt Christi consobrini.* Cephas] *Petrus. de cujus socru mentio fit Matth. 8. v. 14.* Barnabas] *De hoc vide Act. 13. v. 2.*

6 Non operandi] *Erat autem Paulus* σκηνοποιός. *Act. 18. 3.*

7 Stipendiis] ὀψωνίοις. ὀψώνιον *propriè dicitur piscis assus, ab* ὀπτάω, *asso; deinde per synecdochen speciei, quodvis edulium quod pani additur. Postea per synecdochen* κατ' ἐξοχήν, *stipendium militare, quod apud veteres partim frumento, partim pecuniâ constabat.* Gregem] ποίμνην. ποίμνη *propriè grex ovium: sicut* ποιμὴν *opilio, q.* οἴμην, ὁ τὰς οἴας μένων, τουτέστι, ζητῶν: *ut Grammaticis placet.*

8 Etiam] *Q. d. Non solùm hoc jus usitatum est apud omnes gentes, sed etiam lege Dei sancitum.* Lex] *Scil. Mosis: ut v. seq:* Hæc] *Nempe victum deberi cuiq; pro labore suo.*

9 Lege Mosis] *Id est, per Mosen lata à Deo.* Non obligabis] *Id est, Ne obligato. Hebraismus.* Obligabis os] φιμώσεις. φιμοῦν *est fiscellâ capistrare: à nomine* φιμός, *capistrum, fiscella,* ein maulkorb. Trituranti] *Dictum ex consuetudine veterum: qui frumentum non excutiebant flagellis, ut hodie: sed boves per illud in area dispersum ducebant, qui calcando grana extererent: adhibito etiam plaustro, ut videre est Esa. 28. v. 27. 28. Hinc verbum* Trituro *videtur dictum, quasi triticum tero: à terendo quidem certè dictum est.* ἀλοάω *autem à nomine* ἅλων, *vel* ἅλωη, *id est, area in qua tritura perficitur.* Curæ sunt Deo?] *Scilicet in tantum ut propter illos legem istam tulerit. Synecdoche generis. Hanc esse sententiam, percipitur ex iis quæ antecedunt & sequuntur. nam alioquin etiam vilissimæ aviculæ, ut passeres, Deo curæ sunt, Matth. 10. ac nominatim jumenta ei curæ esse, liquet ex fine prophetiæ Jonæ.*

10 An hoc &c.] *Q. d. Omnino hoc propter nos scriptum est.* Hoc] *Scilicet de bobus non capistrandis.* Sub spe] *Scilicet frugum percipiendarum.* Particeps spei] *Id est, proventus sperati. Metonymia adjuncti.*

11 Spiritualia] *Intelligit doctrinam Evangelii: quæ est res spiritualis, hoc est, pertinens ad spiritum seu animum & vitam æternam. Similis locus est Rom. 15. v. 27.* Magnum est] *Interrogatio vim habet negandi. q.d. Minimè est magnum. Germanicè,* Sol das etwas grosses seyn? *Sententia est: Si accepistis à nobis spiritualia bona: multò magis debetis nobis dare carnalia.*

12 Alii] *Intelligit doctores Corinthiorum.* Sui in vos juris] τῆς ἐξουσίας ὑμῶν. *Id est,* ἣν ἔχουσιν εἰς ὑμᾶς. *Potestatis quam habent in vos. Genitivus* ὑμῶν *non notat hoc loco subjectum recipiens, sed occupans seu objectum. Potestas vestri, id est, quam alii in vobis seu in vos habent atque exercent.* Participes sunt] *Id est, utuntur, fruun-*

tur, fruuntur. An non potiùs nos] *Scil. esse debebamus. Id est, ego Paulus, quippe apostolus: quum illi non sint apostoli, ac fortasse minus egeant: ut qui fortasse domicilia & fundos Corinthi haberent; item quum illi minus fideliter vos doceant.* Omnia sustinemus] πάντα στέγομεν. *Id est, toleramus omnis generis molestias: videl. laboris manuum, item famis & sitis. Synecdoche generis. Hoc malo, quàm* στέργομεν.

13 An nescitis] *Commemorat exemplum Levitarum ex Deut. 18. in principio.* Ex sacrario] ἐκ τοῦ ἱεροῦ. *Vel supplendum* τὰ *q.d.* τὰ ἐκ τοῦ ἱεροῦ, *scil.* ὄντα: *vel potiùs est metonymia subjecti: templum pro rebus in templo oblatis, nempe decimis, primitiis & aliis oblationibus.* Et] *Supplendum,* καὶ ὅτι. Cum altari participare] τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται. *Metaphora illustris, qua rei inanimæ, nempe altari, tribuitur sensus & actus animalis, videlicet vorare. q.d. Altare capit suam partem de oblationibus, & sacerdotes suam.*

14 Ita Dominus] *Apodosis comparationis institutæ.* Constituit] διέταξε. *Ordinavit. Ubi? Nempe cùm emisit apostolos sine pecunia, & jussit ut manerent in ea domo à qua primùm excepti fuissent, & vescerentur appositis, additâ hac sententiâ, Quia dignus sit operarius cibo suo: Matth. 10. v. 10.* Evangelio] *Hoc est, ex iis alimentis quæ ministris Verbi propter Evangelii prædicationem ab Ecclesia tribuenda sunt. Metonymia efficientis.*

15 Ego tamen] ἐγὼ δὲ. *Pro,* ἀλλ' ὅμως ἐγώ. *Heterosis. Est enim hæc sententia consequens enuntiati discreti: Quanquam habeo potestatem accipiendi victum ab ecclesiis: tamen ea potestate nunquam sum usus, imò nec deinceps utar.* Nullo istorum] *Scil. jurium quæ exposuit vers. 4. 5. & 6.* Neque verò] *Prolepsis.* Hæc] *Quæ scil. scripsi de potestate seu jure apostolico à vers. 7. usque ad hunc.* Ut ita fiat in me] *Quemadmodum scil. fit in reliquis apostolis. hoc est, ut ecclesiæ mihi quoq; victum suppeditent.* Nam bonum est mihi mori potiùs] *Pro, Melius est mihi mori. Videtur esse hyperbole. q.d. Malim fame emori, quàm quicquam mercedis ab ecclesiis accipere.* Gloriationem meam] *Quòd scil. gratis seu gratuitò annuntiem Evangelium, (ut ipse exponit vers. 18.) ac proinde quòd Evangelio annuntiando non quæram mea commoda. Hujus gloriationis exemplum vide Actor. 20. v. 33. 34. 35. Sed cur noluit committere Apostolus, ut hæc gloriatio sibi adimeretur? Hoc intelligi potest ex epistola posteriore, cap. 11. & 12. nempe propter pseudapostolos, qui Pauli authoritatem, quantum in ipsis erat, imminuebant; & inter alia calumniabantur, quòd astu & per alios quæstum faceret, & aliquid pecuniæ à Corinthiis emungeret. quam calumniam refutat 2. Cor. 12. v. 16. 17. & 18.*

16 Si evangelizem] *Illustrat propositum antithesi diversorum: quæ sunt, Evangelizare & gratis evangelizare.* Necessitas] *Nempe officii seu vocationis, quia ad hoc sum vocatus, hoc mihi est mandatum.* Væ autem] *Illustrat à contrario. Id est, Maledictio Dei mihi incumbit. Phrasis Scripturæ. Est autem metonymia effecti. nam qui sentient æternam illam maledictionem Dei, propter ineffabiles cruciatus perpetuò exclamabunt, Væ, Væ, id est, heu quàm miseri sumus!*

17 Nam] γὰρ. *Pro, At,* δὲ. *Sequitur enim apodosis antitheseos.* Si hoc faciam] *Id est, evangelizem.* Volens] ἑκὼν. *Id est, Alacri studio promovendi regnum Christi. quod quidem studium in apostolo elucebat ex eo, quòd evangelizaret gratis: sic enim præcavebat calumnias quibus alioquin cursus Evangelii fuisset retardatus.* Mercedem] *Id est, præmium. nempe coronam justitiæ, id est, laudem officii fideliter administrati, ut declarat ipse 2. Tim. 4. v. 7. & 8.* Habeo] *Id est, Habiturus sum, accepturus sum in illo die, quum dicet Dominus, Euge serve bone, &c. Vocantur autem præmia illa cælestia mercedis nomine per metaphoram* κατάχρησιν: *quia non dabuntur nobis ex merito nostro, sed ex Dei gratia. Sed merces vocantur, quia dabuntur post certamina hîc decertata, & labores hîc exantlatos, Deo sua dona in nobis coronante. Nihilominus tamen* dispensatio credita est mihi] οἰκονομίαν πεπίστευμαι. *Ad verb. Dispensationem creditus sum. Hellenismus. Id est, nihilominus tamen dispensatio evangelizandi mihi commissa est: ac proinde nisi eâ fideliter fungar, non mercedem habiturus sum, sed pœnam; non laudem, sed vituperium. Non est directum* ἀντίθετον, *sed ex causa ratiocinandum est effectum: quales multæ sunt antitheses in Proverbiis Salomonis.*

18 Quæ igitur] *Quasi dicat, Sed quærat fortasse aliquis, quænam sit illa merces quam me habiturum dico: vel quâ ratione adepturus sim illam mercedem. ut merces hîc significet causam mercedis procreantem, per metonymiam effecti: qualis habetur Rom. 7. v. 7. Hæc nempe ut]* ἵνα. *Subjectio seu responsio. ubi ad appositionis perspicuitatem supplevimus particulas, Hæc nempe.* Quando evangelizo] εὐαγγελιζόμενος. *Non enim semper evangelizabat, sed pro occasione ubivis oblatâ: reliquo tempore operabatur: ut videre est Act. 18. v. 3.* Gratuitum constituam] ἀδάπανον θήσω. *Id est, gratis annuntiem: ut nullo sumtu constet auditoribus illius annuntiatio sibi facta. Id quod referendum est ad ecclesiam Corinthiacam, & reliquas ecclesias in Achaia: ut declarat apostolus 2. Cor. 11. v. 10. idq; propter gravem causam quam ibidem vers. 12. indicat. Nam ab aliis ecclesiis stipendium se accepisse fatetur ibidem vers. 8. & 9.* Jure meo] *Nempe jure apostolico, de quo suprà v. 4. 5. 6.* In Evangelio] *Scil. annuntiando.*

19 Nam] *Conjunctio* γὰρ *non est hîc causalis, sed tantùm transitiva. Transit enim nunc ad alterum membrum è duobus propositis vers. 1.* Ab omnibus] *Scil. oneribus legalium carimoniarum. ut* πάντων *accipiatur genere neutro absolutè, & exponatur per synecdochen generis: quæ expositio confirmatur ex versu seq. Nisi quis mâlit accipere genere masculino, ut subaudiatur* ἀνθρώπων: *ut commodiùs cohæreat quod sequitur, Omnibus me servum feci.* Servum feci] *Serviendo scil. saluti omnium.* Plures] τοὺς πλείονας. *Id est, multos vel complures. Articulus redundat.* Lucrifacerem] *Scilicet Christo. Id est, servarem: ut loquitur infrà 22. Metaphora à mercatoribus, qui lucri causâ multas ærumnas tolerant. Sic Matth. 18. v. 15.*

20 Et factus sum Judæis &c.] *Declarat per distributionem, quomodo omnibus se servum fecerit.* Iis qui sub Lege] *Primum distributionis membrum aliis verbis repetit. Ac fortasse hîc deest talis sententia,* τοῖς ἔθνεσιν ὡς ἐθνικός. *quod membrum se interponatur: sequetur declaratio utriusq;. Dicuntur autem sub Lege esse Judæi, qui nondum credunt in Christum, per quem lex carimonialis est impleta ac proinde abrogata.*

21 Ex legibus] *Ethnicos vocat* ἀνόμους, *quia illis non erat lata lex Mosis de carimoniis.*

22 Infirmis] *Infirmos intelligit Christianos rudiores, nec satis intelligentes libertatis Christianæ: ut cap. 8.* Omnibus] *Præcisio. quasi dicat, Denique omnibus. Vel,* τοῖς πᾶσι, *illis omnibus.* Factus sum omnia] *Id est, omnium ingeniis me accommodavi in usu rerum mediarum atq; indifferentium. Synecdoche generis, ut supr. 6. vers. 12.* Omnino aliquos] πάντως τινάς. *Vulgata,* Omnes, *id est,* πάντας. *quæ lectio genuina videtur: quum sic ista sententia conformem præcedentibus verborum consecutionem habeat: ut liquet ex collatione v. 20. & 21. Atq; ita Syrum quoque legisse apparet: ut qui verterit* כל-נשׁ *cul-násch, omnem hominem.* Servarem] *Hoc verbo tanquam proprio exponit illud metaphoricum, Lucrifacerem.*

23 Hoc autem] *Deinceps consilium suum seu finem facti sui exponit.* Propter Evangelium] *Hoc mox ipse exponit,* Ut consors ejus fiam: ἵνα συγκοινωνὸς αὐτοῦ γένωμαι. *Id est, ut Evangelii fructum qui est vita æterna, unà cum iis quibus illud annuntio, percipiam. Metonymia efficientis.*

24 Unum] *Tantùm. Nempe qui cursu cæteros anteverterit.* Præmium] τὸ βραβεῖον. *Græco nomine propriè significatur præmium victoriæ in publicis ludis seu certaminibus. Grammaticis placet dictum quasi* ῥαβδεῖον, *à* ῥάβδος, *sceptrum: quòd* βραβευταὶ, *id est, designatores qui præmium victori addicebant, sceptrum gestarent.* Sic currite] *Loco* ἀποδόσεως *comparationis ponit exhortationem inde ortam. Integra comparatio sic esset: Quemadmodum non omnes qui in stadio currunt, præmium accipiunt, sed unus tantùm qui cæteros currendo vicerit: sic non omnes qui Evangelium profitentur, fructum ejus consequuntur, sed ii tantùm qui in studio pietatis se probè exercuerint. Ergo, vos sic currite ut comprehendatis, id est, sic profitemini Evangelium ut ejus fructum consequamini.* Sic currite] *Quasi dicat, Sic igitur vos quoq; currite, id est exercete vos in pietate.* Ut comprehendatis] *Scil. præmium, nempe vitam æternam.*

25 Porrò] *Prolepsis. Sed quomodo curremus ut apprehendamus? quomodo cursum nostrum instituemus? Respondet: Continentia operam date.* In omnibus] πάντα. *Subaudi,* κατὰ. *Intelligit autem cibum & potum.* Illi quidem] *Sequitur dissimilitudo, quòd ad propositum præmium attinet.* Illi] *Scil. gymnastæ, certatores, athletæ.* Incorruptam] *Nempe vitam æternam.*

26 Ego] *Accommodat similitudinem ad suum exemplum.* Ut non in incertum] *Id est, ut qui certò confidam, me præmium reportaturum.* Ita pugilem ago] *Annectit aliam similitudinem ejusdem generis cum priore.* Non aërem] οὐκ ἀέρα. *Sed antagonistam, Germanicè vocantur* Lufftſtreich. *Pugiles dicebantur qui pugnis depugnabant & cæstibus.*

27 Contundo corpus meum] *Id est, cibum delicatiorem & copiosiorem corpori detraho, ne reddatur segne ad exercitia pietatis. Manet in metaphora à pugilibus sumta.* Cum aliis prædicârim] *Id est, quum alios prædicatione meâ ad salutem promoverim. Synecdoche membri metonymica.* Reprobus fiam] ἀδόκιμος γένωμαι. *Id est, æterno exitio damner, atque ita reprobus esse declarer. Metonymia efficientis. Hanc autem expositionem confirmat antithesis.*

OBSERVAT. EX CAP. IX.

1 Ex toto capite. Exemplo Pauli pastores Ecclesiæ cavere summo studio debent, ne hostibus Evangelii præbeant occasionem calumniandi. Item summopere studere debent ut multos Christo lucrifaciant. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex v. 1. & 15. Quærat aliquis, rectène fecerit Apostolus sic gloriando? Respondeo: Rectè fecit. quia non quæsivit suam gloriam, sed gloriam Dei & ædificationem Ecclesiæ: quatenus cavit, ne vel minimam ansam pseudoapostolis præberet calumniandi ministerium ipsius, & ita doctrinam Evangelii suspectam reddendi. *Gloriatio Pauli.*

3 Ex v. 1. *Nonne opus meum &c.* Etsi fides propriè loquendo efficitur à solo Deo: tamen quoniam efficitur per prædicationem Evangelii, rectè quoque opus ministrorum nominatur. Atque hîc magnus est ministrorum Evangelii honos, quòd in *Fides. Ministri verbi Dei.*

re tam præclarâ efficiendâ sunt Dei συνεργοὶ, cooperarii: ut dixit suprà c.3.

Conjugium 4 Ex vers.5. Quum Paulus affirmet, se habere potestatem uxorem circumducendi, & reliquos Apostolos id fecisse testetur: impius igitur est Papa; qui ministris verbi conjugium interdicit.

Ministri verbi Dei. 5 Ex vers.7. & sequentibus usque ad 15. Ministri verbi jus habent accipiendi alimenti ab Ecclesiis quibus verbum administrant: & Ecclesiæ illos alere tenentur. Causæ hujus juris continentur in texto multæ ac variæ, & explicatæ sunt in Analysi.

Antilogiæ apparentis solutio. 6 Ex vers.9. *Num boves curæ sunt Deo?* Quæritur, quomodo hoc dictum consentiat cum aliis Scripturæ locis, quæ testantur, Deo curæ esse omnes suas creaturas, etiam minimas: ut Matth.10. vers.29. Ne passerculus quidem in terram cadit sine patre cælesti: id est, sine ipsius providentia. Psal.36. vers.7. Homines & jumenta conservas Jehova. Matth.6.vers.26. Pater cælestis alit volucres. Respondeo: Quod hic dicit Paulus, non intelligit simpliciter: sed secundùm quid: nempe boves non esse Deo curæ in tantum, ut propter ipsos tulerit legem de eis non capistrandis in triturando: quippe quam legem tulerit propter homines: ut nimirum intelligeremus, illis deberi alimenta pro suis laboribus.

Ministri verbi Dei. 7 Ex vers.22. *Ut omnino aliquos servarem.* Magnus honos ministrorum verbi, quòd dicuntur suâ prædicatione homines servare. Sic 1.Tim.4.v.ult. Rom.11.v.14.

Officium hominis Christiani. 8 Ex vers.24. Summo studio operam nos dare oportet pietati, si vitam æternam adipisci velimus.

Reprobatio. 9 Ex versu ult. *Ne quum alii prædicârim, ipse reprobus fiam.* Quid igitur? Num ergo reprobatio pendet à peccato? Nequaquam: sed pendet a libera Dei voluntate, sicut & electio: id quod expressè docet Apostolus Roman.9.vers.11. in exemplo fratrum geminorum, Esavi & Jacobi; quorum hunc Deus elegerat, illum verò reprobaverat, quum nondum essent nati, nec quicquam boni vel mali fecissent. Attamen verba Pauli hoc loco id videntur innuere. Respondeo: Paulus loquitur hîc impropriè, per metonymiam scilicet efficientis: *Ne reprobus fiam*: id est, ne æterno exitio damner. Ergóne metuebat ne damnaretur? Non metuebat: sed metuebat ne Deum peccatis suis offenderet, atque ita causam sui damnandi præberet. Contrà solicitè colebat Deum ut salutem promissam assequeretur.

ANALYSIS CAP. X.

ARGUMENTUM.

In hoc capite adhuc de idolothytorum esu agit: partim eos dehortans à conviviis idololatricis, partim ab intempestivo & cum fratrum infirmorum scandalo conjuncto idolothytorum esu in conviviis privatis: quorum posterius agit à v.23.usq; ad finem.

DE PRIMA PARTE.

NOlim autem vos ignorare fratres, patres nostros omnes *quidem* sub illa nube fuisse, & omnes per mare transiisse;

2 Et omnes per Mosen baptizatos esse nube & mari:

3 Et omnes eandem escam spiritualem edisse:

4 Et omnes eundem potum spiritualem bibisse. Bibebant enim ex sequente spirituali petrâ: petra verò illa, erat Christus.

5 Sed *tamen* plerosq; illorum non approbavit Deus. prostrati sunt enim in deserto.

6 Hæc autem *ut* typi nostri acciderunt, ut ne concupiscamus res malas, sicut illi concupiverunt.

7 Neque idololatræ estote; sicut quidam eorum: ut scriptum est, Sedit populus ad edendum ac bibendum, & surrexerunt ad ludendum.

8 Neque scortemur; sicut quidam eorum scortati sunt, & ceciderunt uno die viginti tria millia.

9 Neque tentemus Christum; sicut quidam eorum tentârunt, & à serpentibus illis perierunt.

10 Neque murmurate; Sicut quidam eorum murmurârunt, & perierunt, ab Exterminatore.

11 Hæc autem omnia *ut* typi evenerunt illis: scripta verò sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum occurrerunt.

12 Itaque qui *sibi* videtur stare, videat ne cadat.

13 Tentatio vos non cepit, nisi humana. Fidelis autem *est* Deus; qui non sinet vos tentari supra *id* quod potestis: sed præstabit unà cum tentatione etiam evasionem, ut possitis sufferre.

14 Quapropter dilecti mei, fugite ab idololatria.

15 Ut intelligentibus loquor: judicate vos quod ajo.

16 Poculum illud benedictionis, *id est*, quod benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? panis ille quem frangimus, nónne communio corporis Christi est?

17 Quoniam unus panis, unum corpus nos multi sumus: nam omnes nos ex uno illo pane participamus.

18 Videte Israëlem *qui est* secundùm carnem: nónne qui edunt victimas, consortes sunt altaris?

19 Quid ergo dico? idolum aliquid esse? aut quod idolis immolatum est, aliquid esse?

20 Imò *illud dico*, qui immolant Gentes, dæmoniis immolare, & non Deo. nolim autem vos consortes dæmoniorum esse.

21 Non potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.

22 Num provocamus ad iram Dominum? num validiores eo sumus?

IN priore capitis parte primùm eis proponit exemplum patrum, id est, Israëlitarum: qui propter idololatriam & alia peccata in deserto prostrati sint: ut innuat à pari, ipsis quoque similem pœnam à Deo exspectandam, si similiter peccaverint: à principio capitis usque ad vers.15. Deinde demonstrat, eos conviviorum istorum idololatricorum bona conscientia participes esse non posse: quippe qui participes esse soleant Cœnæ Domini: quod argumentum ab adversis est: quia Cœna Domini testatur communionem cum Christo: Convivia autem idololatrica testantur communionem cum diabolo: à v.15. usque ad 23. Atque hæc summatim agit in parte priore. Singulatim autem & ordine sic ista persequitur.

Primùm exponit exemplum patrum, vers.1.2.3.4.5. quæ expositio summatim comprehenditur hoc enuntiato discreto, Quamquam Israëlitæ in deserto omnes sacramenta seu signa gratiæ Dei, cum nostris eadem, perceperunt: tamen plerique illorum propter idololatriam & alia peccata puniti sunt. Hujus enuntiati antecedens continetur quatuor primis versibus: consequens quinto. Sic igitur exemplum Israëlitarum amplificat prolepsi: hanc autem prolepsin illustrat enumeratione speciali quatuor sacramentorum: videlicet nubis, sub qua profecti sunt; maris rubri, per quod sicco pede transierunt; mannæ, quàm cælitus delapsam collegerunt & ederunt; postremò aquæ quæ ex petra baculo Mosis percussa profluxit, eosque per desertum comitata est: de qua & ipsi & ipsorum pecora biberunt. Porrò ex istis quatuor duo priora ab Apostolo conjunguntur, comparanturque cum nostro Baptismo: itemque duo posteriora, quæ comparat cum Cœna Domini. Atque hæc prima primæ partis particula est.

Deinde accommodat exemplum Israëlitarum ad Corinthios; eaque occasione declarat consequens enuntiati propositi, id est, commemorat Israëlitarum peccata, propter quæ à Deo in deserto puniti sunt, ipsosque Corinthios ab istis peccatis dehortatur: à vers.6. usque ad 11. ubi ipsam exempli applicationem repetit. Commemorat autem peccata quatuor: idololatriam, vers.7. scortationem, vers.8. tentationem Christi, vers.9. murmur, vers.10. Porrò argumentum dehortationis sumtum est ab effectu inutili, & confirmatum à pari: Deus Israëlitas propter ista peccata punivit: ergo vos quoque propter eadem puniet: Cavete igitur ab illis, seu fugite illa. Hæc est particula secunda.

Tertiò occurrit objectioni: & monet Corinthios, ne sint securi, quasi non possint cadere, id est, ex fide & gratia Dei excidere. Quod quidem de securitate non spiritus, sed carnis; itemque de fide non vera, sed temporaria intelligendum est. Simul autem per correctionem addit consolationem propter vere-credentes: promittens fore ut illi nunquam in ulla tentatione ita succumbant, ut fidem amittant & gratia Dei excidant: sed potiùs ex tentatione evadant & in fide firmi persistant, vers.12. & 13. Tum reperit dehortationem præcipuam, eamque ex præcedentibus infert atque concludit: nempe ut fugiant idololatriam, id est, convivia illa idololatrica, vers.14. Hæc est particula tertia.

Quartò demonstrat, eos bonâ conscientiâ conviviorum istorum participes esse non posse: quia participes sint Cœnæ Domini. Ad hanc demonstrationem transit versu 15. ubi attentionem eorum excitat. deinde exponit ipsum argumentum: quod primùm tractat tanquam simile, deinde tanquam contrarium. Tanquam simile, ad hunc modum: Qui participes fiunt Cœnæ Domini, eo facto profitentur se communionem habere cum Christo: Ergo etiam qui participes fiunt conviviorum idololatricorum, eo facto profitentur se communionem habere cum idolis, vel potius cum diabolis, vers.16. & 17.

& 17. Hoc argumentum amplificat alio simili argumento: Israelitæ qui edunt victimas, participes sunt altaris, id est, religionis Judaicæ: Ergo etiam Christiani qui edunt victimas idolis immolatas, participes sunt altaris idolorum, id est, idololatriæ, vers.18. Porrò ad alterum argumenti genus transit per prolepsin, vers.19. Quum enim argumentatus esset à Cæna Domini & victimis Israelitarum, ad victimas idolorum; tanquam à pari: poterat videri vim aliquam numinis tribuere idolis. Hoc igitur negat, sicut & suprà negavit; & contrà affirmat, quæ Gentes immolant idolis, ea diabolis immolare. Ex qua sententia deinceps, tanquam à contrario, argumentatur ad hunc modum:

Qui participes sunt idolothytorum, participes sunt dæmoniorum. nam quæ immolantur idolis, immolantur dæmonis, v.20.
Vos autem non debetis esse participes dæmoniorum, v.20.
Ergo nec idolothytorum.

Deinde hoc argumentum repetit ad hunc modum:

Si mensæ Domini participes estis, non potestis etiam participes esse mensæ dæmoniorum, v.21.
Estis autem participes mensæ Domini.
Non igitur potestis participes esse mensæ dæmoniorum.

Postremò conclusionem hujus argumenti amplificat prolepsi: qua Corinthiorum contradictionem retundit gravissima comminatione iræ Dei & certissimi ipsorum exitii, vers.22. Hæc sunt quæ singulatim tractantur in priore capitis parte.

DE SECUNDA PARTE

23 Omnia mihi licent, at non omnia conferunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.

24 Nemo quod suum est, quærat, sed quisque quod alterius est.

25 Quicquid in macello venditur, edite, nihil hæsitantes propter conscientiam.

26 Domini enim est terra & plenitudo ejus.

27 Quòd si quis infidelium vos vocat, & vultis ire; quicquid apponitur vobis, edite, nihil hæsitantes propter conscientiam.

28 At si quis vobis dixerit, Hoc idolis immolatum est: ne edite: propter illum qui indicavit, & propter conscientiam. Domini enim est terra & plenitudo ejus.

29 Conscientiam autem dico non tuam, sed illius alterius. cur enim libertas mea damnatur ab alia conscientia?

30 Et si ego cum gratia *cibum* participo: cur *ob id* tanquam impius traducor, pro quo ego gratias ago?

31 Sive igitur editis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

32 Estote sine offendiculo & Judæis & Græcis, & ecclesiæ Dei.

33 Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipsius utilitatem, sed multorum, ut serventur.

Ad alteram capitis partem transit per prolepsin: qua concedit Corinthiis, esum idolothytorum per se esse licitum; sed reddi illicitum monet, quoties lædit conscientiam proximi: cujus salus nobis potiùs spectanda sit, quam nostra carnalis utilitas, vers.23. & 24. Deinde docet, quatenus liceat vesci idolothytis, nempe quatenus vel in macello fuerint emta instar aliarum carnium, vers.25. cujus regulæ rationem subjungit vers.26. vel quatenus fuerint apposita in convivio privato, vers.27. Tertiò exceptionem adjungit, qua docet, quando non liceat idolothytis vesci, ne in privato quidem convivio: videlicet quoties adsit frater infirmus qui putet, idolothyta bona conscientia à Christiano edi non posse, vers.28. & 29. Quartò hujus exceptionis seu præcepti rationes subjicit duas; utramque ab effectis: quia secus futurum sit ut libertas Christiana malè audiat, & usus beneficii Dei tanquam impietas damnetur, vers.29. & 30. Quintò & postremò concludit hanc disputationem exhortatione generali, qua duos fines præscribit, qui Christiano homini in omnibus suis actionibus debeant esse propositi: videlicet gloria Dei, vers.31. & ædificatio proximi, vers.32. Quorum finium posteriorem per contrarium declarat, & distributione trimembri illustrat, vers.33. Ad extremum verò rursus suum exemplum annectit ad conclusionem confirmandam: quod exemplum suprà copiosius exposuerat, cap.9.v.19.20.21. 22.23. Hæc sunt in universum quæ in hoc capite disputantur.

SCHOLIA IN CAP. X.

1 Omnes *quidem*] πάντες. *Pro,* πάντες μὲν. *nam infrà vers.5. sequitur antithesis,* ἀλλ' οὐκ. *Unde intelligitur, quinque primis versibus contineri enuntiatum discretum; cujus hæc summa est: patres quidem omnes sacramenta gratiæ Dei in deserto perceperunt, sed non omnes Deo placuerunt.*

2 Per Mosen] εἰς τὸν Μωσῆν. *Præpositio* εἰς *posita est pro* ἐν, *& hæc pro* διά. Baptizatos esse] *Quasi dicat, Illi non minùs baptizati sunt quàm nos: nam pro Baptismo eis fuit profectio illa sub nube & per mare.*

3 Eandem] τὸ αὐτό. *Videlicet, nobiscum: seu, eandem atque nos. hoc est, ejusdem rei significativam, nempe Christi crucifixi. quasi dicat, Non solùm æquè baptizati sunt illi ac nos: sed etiam cænam Domini, vel certè huic similem spiritualem escam ac potum perceperunt.* Eandem] *Non symbolis seu signis, sed significatione seu re significatâ: ut ipse declarabit mox versu sequenti. Sic Genes.41. vers.25.26.* Escam spiritualem] *Id est, spirituale aliquid significantem. Intelligit enim manna: quod vocat escam spiritualem, quatenus habebat rationem sacramenti. nam alioquin erat esca corporalis & ventrem pascens, ac corpus alens. Alii exponunt, Eandem, scilicet inter se. Sed ista expositio etsi veram sententiam continet, tamen friget: quia nihil facit ad scopum Apostoli. Est enim Apostolo propositum adimere Corinthiis defensionem, qua alioquin contra ipsius argumentationem potuissent uti. Ait Apostolus: Deus punivit patres propter idololatriam aliaque peccata. Ergo & vos propter eadem peccata puniet. Poterant excipere illi: Imò nobis parcet: nam dedit nobis signa suæ erga nos gratiæ, Baptismum & sacram cænam. Respondet Apostolus: Hoc nihil vos juvabit: nam patres illi eadem sacramenta habuerunt.*

4 Eundem potum] *Hoc mox declarabit.* Ex petra] *id est, aqua quæ profluebat ex petra, percussâ baculo Mosis. Metonymia efficientis, vel subjecti. nam aqua erat in petra, & ex petra profluebat.* Sequente] *Scilicet Israëlitas proficiscentes per desertum. Vide Psalm.105.v.41.* Petra vero illa] ἡ δὲ πέτρα. *Id est, Aqua illa ex petra profluens, quæ Israëlitas sequebatur in deserto. Vis articuli est ἀναφορική.* Erat CHRISTUS] *Id est, erat typus Christi: seu (quod idem valet) significabat Christum. Metonymia in prædicato. nam his verbis declarat, quo sensu petram illam nominarit spiritualem: nempe propter spiritualem significationem. Alii construunt ordine inverso: Christus erat illa petra. Sed malè, ut liquet ex cohærentia sententiarum. Sed hoc illi ideo faciunt, ut possint effugere tropum. Quare petram spiritualem quoque non intelligunt petram deserti, sed ipsum Christum. At hoc non convenit verbis Apostoli, qui affirmat, patres omnes ex petra spirituali bibisse. Certum est autem, ex Christo non bibisse omnes: quia Christus seu Christi sanguis non potest bibi nisi fide: qua plerique istorum patrum caruerunt, ut liquet ex vers.5. Præterea iidem coguntur vim facere verbo ἀκολουθεῖν, id est, sequi: exponendo illud per verbum* Ducere. *nam Christus non fuit comes, sed dux Israëlitarum in deserto: ut videre est Num.9.v.17. Consideranda est autem similitudo seu analogia inter signum & rem significatam: nempe, Quemadmodum Moses baculo percussit petram, & ex ea percussione profluxerunt aquæ largissimæ, quas biberent Israëlitæ & pecora eorum: sic Deus pater per Judæos cruci affixit* CHRISTUM, *qua crucifixione sanguis ejus effusus est, quem biberent fide electi, atque ita remissionem peccatorum & vitam æternam consequerentur.* *Vindicatio hujus loci.*

5 Sed *tamen*] ἀλλά. *Pro,* ἀλλ' ὅμως. *Sequitur antithesis seu consequens enuntiati discreti.* Non approbavit] *Negandi particula in Græco trajecta est.* Prostrati sunt] *Nimirum Deo eos percutiente: excepto solo Caleb & Josua: Num.26.65.*

6 Hæc autem] *Nempe hæ pœnæ, quibus prostrati sunt Israëlitæ in deserto.* Ut typi nostri acciderunt] τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν. *Pro,* ὡς τύποι *&c. Id est, evenerunt illis ita, ut simul essent typi seu imagines respectu nostri, quia scilicet Deus in illis pœnis quasi imaginem nobis ante oculos depinxit pœnarum nostrarum, si similiter peccaverimus. Hanc expositionem & præcedens sententia & sequentes confirmant: maximè collatio versiculi undecimi. Est igitur in nomine* τύπος *metaphora καταχρηστική. nam quemadmodum typus similitudinem habet cum re per typum adumbratâ & significatâ: sic Israëlitarum pœnæ similitudinem habent cum nostris pœnis: & quemadmodum typis Deus res significatas promittit aut minatur: sic istis pœnis, quatenus in Scriptura nobis proponuntur, Deus nobis similes pœnas minatur, si similiter ut Israëlitæ peccaverimus.* Nostri] ἡμῶν, *Id est, pœnarum nostrarum. Metonymia subjecti.* Acciderunt] ἐγενήθησαν. *Evenerunt Israëlitis: ut loquitur infrà versu undecimo.* Ut ne] ἐπεξήγησις. *Declarat quomodo illæ pœnæ Israëlitarum acciderint eis, tanquam typi & exempla nobis proposita.* Ut ne concupiscamus &c.] *Ratiocinantes nimirum à paribus causis ad paria effecta, nempe à paribus seu similibus peccatis ad pares seu similes pœnas.* Sicut illi concupiverunt] *Hoc per synecdochen generis referendum est ad historiam quæ exstat Num.11. de fastidio mannæ & esu coturnicum.*

7 Neque] μηδέ. *Beza,* Ne igitur; *tanquam sequatur* διάπτυξις, *declaratio specialis sententiæ proxime-præcedentis, ut quæ sit generaliter intelligenda. Sed idololatria de qua hoc versu, & murmur de quo vers.10. non videntur concupiscentiæ tanquam generi rectè subjici.* Ne estote] μὴ γίνεσθε. *Vel, Nolite esse idolola-*

tra. hoc est, Nolite interesse conviviis sacris idololatrarum. Hunc esse sensum, intelligitur ex exemplo quod allegat. Sedit populus] *Exod.32. Hoc exemplum accommodatissimum est ad Corinthios idololatriæ convincendos: qui in idoleio sedebant ad edendum de idolothytis.*

Antilogiæ apparentis conciliatio.

8 Viginti tria] *Apud Mosen viginti quatuor. Intellige circiter, hoc est, suprà 22. & infrà 24. Præterquam quòd numerus minor majore continetur.* Porrò *Apostolus hoc loco per occasionem perstringit aliud peccatum apud Corinthios usitatissimum, nec pro peccato habitum, nempe scortationem.*

9 Tentemus Christum] *Scil. prætexendo ejus cognitionem cupiditatibus nostris.* Tentarunt] *Scil. Christum; id est, Filium Dei, qui postea in plenitudine temporis assumtâ naturâ humanâ, dictus est Christus. Synecdoche integri. Sic Joh.8. Antequam Abraham fieret, ego sum.* A serpentibus illis perierunt] ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο. *Articulus notat rem certam & illustrem, atque ex historia Mosis notam. Sic autem loquitur & Demosthenes Olynthiacâ tertiâ,* μὴ σκοπεῖτε, τίς εἰπὼν τὰ βέλτιστα ὑπὲρ ὑμῶν, ὑφ᾽ ὑμῶν ἀπόλεσθαι βουλήσεται: *Nolite exspectare, quis cùm optima suaserit pro vobis, à vobis perire velit.*

10 Murmurarunt] *Nempe contra Mosen & Aharonem, ob plagam inflictam factioni Core & Datan & Abiram, Num.16.* Exterminatore] ὀλοθρευτοῦ. *Pro,* ὀλεθρευτοῦ: *ab* ὄλεθρος, *perditio, interitus. Antistœchon.*

11 Hæc autem omnia] *Id est, omnes hæ pœnæ jam commemoratæ ex Mose.* Ut typi] τύποι. *Id est,* ὡς τύποι ἡμῶν. *tanquam typi, respectu nostri: ut suprà 6. hoc est, ut simul essent nobis proponenda pro exemplis ad doctrinam nostram. Hinc perspicitur, rectè suprà 6. suppleri adverbium similitudinis ut; quasi sit scriptum,* ὡς τύποι, *ut typi.* Scripta vero sunt] ἐγράφη δὲ. *Videtur* δὲ *hic usurpatum pro* γὰρ. *declarat enim nunc, quâ ratione istas pœnas vocaverit* τύπους. Ad nostri admonitionem] *Id est, ut nos admoneremur, & vitaremus similia peccata, ad evitandum similes pœnas.* In quos fines sæculorum occurrerunt] *Id est, qui vivimus in sæculo corruptissimo, ac proinde opus habemus admoneri. Metonymia subjecti. Nam sæculum extremum corruptissimum fore prædixerunt Christus & Apostoli. Christus hæc tempora comparat diebus Noë & Loth. Matth.24. Luc.17. Paulus 1.Tim.4. & 2.Tim.3. Petrus 2.Pet.3.3.*

12 Itaque] ὥστε. *Ex commemoratis exemplis pœnarum & ex mentione corruptissimi sæculi deducit admonitionem contra securitatem carnalem.* Qui sibi videtur stare] *Ut suprà 8.2. Id est, Qui sibi placet in opinione constantiæ, quasi liceat sibi securè vivere.* Stare] *Scil. in fide, ut Rom.11.2. Metaphora à conflictu. nam diabolus insidiatur nostræ fidei & saluti, 1.Pet.5. Luc.22.31. Eph.6.* Videtur] δοκῶν. *Nam qui verè stat, is nunquam cadet: quia oves Christi nemo rapit ex manu ejus: Joh.10.* Ne cadat] *Id est, Ne fide excidat, ne fidem amittat, hoc est, opinionem fidei.*

13 Humana] *Tentationem humanam* (πειρασμὸν ἀνθρώπινον) *vocat, sive quam homo viribus naturalibus possit sustinere ac vincere, ut odia iniqua mundi: sive quæ ab hominibus oriatur atque afferatur, ut sunt illa ipsa odia & persecutiones propter Evangelii confessionem. Huic opponitur tentatio diabolica, quæ oritur & affertur à diabolo, & viribus humanis sustineri ac vinci non potest.* Fidelis autem] *Prolepsis. Ergóne dicis, fore ut deinceps graviùs tentemur? Respondet: Deus non sinet vos tentari ultra vires, quas nimirum ipse suppeditat. Hoc probat à natura Dei: nam fidelis est. Tentationis vocabulo intelliguntur res tam secundæ, quàm adversæ, quatenus diabolus iis tentat & explorat hominis animum, eumque ad peccandum sollicitat. Item perversæ cogitationes quas diabolus mentibus suggerit.* Quod potestis] *Nempe viribus ab ipso suppeditatis. nam sine ipso nihil possumus.* Ut possitis sufferre] *Epexegesis. Id est, Ne succumbatis. Huc pertinet petitio, Ne nos inducas in tentationem. Nam ut jussit petere: ita promisit, Patrem exauditurum precantes ex fide.*

14 Quapropter] *Deducit dehortationem ab idololatria, id est, conviviis sacris idololatrarum.*

15 Ut intelligentibus] *Præfatiuncula in sequentem demonstrationem, continens argumentum à testimonio, videlicet judicio ipsorum Corinthiorum: quod confirmat ab adjuncta peritia seu intelligentia.*

16 Poculum illud benedictionis] τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας. *Ita Syrus quoque articulum expressit, quo demonstratur res illustris & Corinthiis probè cognita. Verba Syri sunt:* כסא הו דתודיתא *cosó haú dethauditho; id est, poculum illud gratiarum actionis. ubi observa, Syrum nomen* εὐλογίας, *exponere per nomen* εὐχαριστίας. *Et sanè in institutione sacræ cœnæ duo ista verba* εὐλογεῖν *&* εὐχαριστεῖν *uno eodemque sensu accipiuntur.* Id est, quod benedicimus] ὃ εὐλογοῦμεν. *Particulas exegeticas supplevi, quoniam apparet, Apostolum velle declarare quo sensu appellarit* τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, *poculum benedictionis, id est, gratiarum actionis, nempe quoniam ministri gratias Deo agendis benedicunt illud. Deinde non puto rectè verti.* Cui benedicimus. *Nam benedicere alicui dicitur homo, quum ei bene precatur seu benedictionem beneficentiamve Dei exoptat: id quod huc non quadrat. Rem autem aliquam dicitur Deus benedicere phrasi Hebræa: quum eam sanctis usui destinat: ut percipitur ex Gen.2.v.3. ubi sic legitur:* Et benedixit Deus diem septimum *(sic enim habetur in Hebræo)* & sanctificavit ipsum. *ubi planum est, verbum Benedicendi per verbum Sanctificandi exponi. Sanctificare autem hoc loco, sicut alibi passim, est ad sanctum usum ordinare. Eadem verba repetuntur Exod.20. in quarto decalogi præcepto. Quòd si legeretur,* ᾧ εὐλογοῦμεν, quo benedicimus: *tum post* εὐλογοῦμεν *subaudiendum esset* τὸν Θεὸν: *& sensus esset. Quo poculo benedicimus Deo, id est, gratias agimus Deo pro benedictionibus seu beneficiis ipsius, eumque laudamus.* Nonne] *Innuit ipsorum confessionem.* Communio sanguinis Christi] *Id est, efficax tessera, symbolum seu pignus communionis nostræ in sanguine Christi, hoc est, communis juris quod habemus in sanguine Christi: quippe qui tam pro me quàm pro quovis alio credente effusus est. Item communis fruitionis: quippe quòd tam ego ex sanguine Christi effuso vitam æternam haurio, quàm quivis alius credentium. Est metonymia subjecti vel effecti. Subjecti; quatenus vinum sacræ cœnæ, signum & pignus est communionis illius: Effecti, quatenus Deus eo utitur ad communionem illam nobis obsignandam & exhibendam.* Panis ille quẽ frangimus] τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν. *Expresso articulo, ut modò. Similiter & apud Syrum:* ולחמא הו *vélachmó haú. Et panis ille: In Græco est* ἀντίπτωσις, *qualis illa apud Virgil.* Urbem quam statuo, vestra est. Quem frangimus] *Scil. exemplo Christi, ad repræsentandum crucifixionem corporis Domini. Unde infrà cap.11. v.24. ait, Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur.* Communio corporis] *Explicatio facilis est ex collatione membri præcedentis.*

17 Quoniam unus panis] ὅτι εἷς ἄρτος. *Sic puto interpretandum: non autem, Quoniam unus* est *panis, suppleto scilicet verbo* ἐστὶ: *partim quòd ipsa verborum collatio illam syntaxin innuit, partim quòd altera interpretatio postulat articulum* ὁ *ante* ἄρτος: *ut intelligatur* ὁ τοῦ κυριακοῦ δείπνου ἄρτος: *sicut mox ait,* ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου. *partim denique quòd ratiocinatio Pauli id postulat. Ratiocinatur enim à signo ad rem significatam, à pane sacramentali ad panem mysticum, seu corpus mysticum: ut patet. Sic ergo construo: Nos multi sumus unus panis, id est, unum corpus: nam omnes nos ex uno illo pane participamus. Sunt autem in istis enuntiatis prædicata metaphorica, quasi dicat Apostolus: Sumus quasi unus panis, & quasi unum corpus.* Nos multi] οἱ πολλοὶ. *Articulus notat certam multitudinem, videl. multitudinem credentium in Christum, quibus Paulus sese aggregat. Sic mox,* οἱ γὰρ πάντες. Ex uno illo pane] ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου. *Videl. pane illo quem frangimus in cœna Domini. Articulus est ἀναφορικός.*

18 Videte] βλέπετε. *Id est, considerate.* Qui est secundùm carnem] κατὰ σάρκα. *Pro,* τὸν κατὰ σάρκα. *Ellipsis articuli: quem Syrus quoque supplevit vertens* דבבסר *debabbesár,* Qui in carne, *scil. est. Sic autem nominat Israëlitas, quatenus obibant cultum Dei carnalem, id est, externum, quive corporis operâ administrabatur. Eâdem ratione Heb.7.v.16. appellatur* ἐντολὴ σαρκικὴ *mandatum carnale, id est, de cultu carnali seu corporali seu denique externo.* Consortes sunt altaris] κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσί. *Id est, esu illo victimarum profitentur se communionem inter se habere in cultu Dei Israëlis, cui victima in altari fuerunt oblatæ, atque adeò se communionem habere cum illo Deo, qui nimirum solus est verus Deus.*

19 Quid ergo?] *Occupatio.* Idolum aliquid esse?] ὅτι εἴδωλον τί ἐστιν; *sic enim puto scribendum & pronuntiandum* τί ἐστιν: *non autem,* τι ἐστιν: *quoniam emphasis hic est in verbo substantivo: quare non est encliticum, sed accentu suo plenè sonat, & quidem in penultimam retracto: ut solet post adverbium* οὐκ: *dicitur enim* οὐκ ἔστι. *Porrò ex his verbis intelligitur, suprà c.8.v.4. verba illa,* ὅτι οὐδὲν εἴδωλον, *scil.* ἐστι, *rectè conversa esse, Idolum nihil esse.* Idolum] *Cui scil. offeruntur victimæ paganorum.* Aliquid esse?] *Vim aliquam numinis habere?* Aut quod idolis immolatum est, aliquid esse?] *Hoc est, religione idoli imbutum esse? Interrogationes istæ vim habent negandi. unde Syrus negandi adverbium expressè subjecit.*

20 Imo] ἀλλὰ. *Quasi dicat, Non dico istud, sed aliud.* Quæ immolant] *Scil. idolis.* Gentes] τὰ ἔθνη, *Ethnici, pagani.* Dæmoniis] *Malis spiritibus.* Et non Deo] *Scilicet ut ipsi putant, & falsò sibi persuadent.* Consortes dæmoniorum esse] κοινωνοὺς τῶν δαιμονίων γίνεσθαι. *Vel, fieri. Id est, communionem habere vel nancisci cum dæmoniis.*

21 Non potestis] *Scil. ritè. ita ut & Deo probetur & vobis prosit.* Poculum Domini] *Id est, à Domino institutum. Vel, quod bibitur in honorem Domini. quia sequitur,* poculum dæmoniorum. *Id est, quod pagani bibunt in honorem dæmoniorum, putantes tamen se id bibere in honorem deorum.* Non potestis mensæ] *Idem repetit aliis verbis.* Mensæ] *Id est, cibi qui mensæ apponitur. Metonymia subjecti. vel,* Mensæ Domini: *id est, ejus cultus qui Domino exhibetur in ipsius mensa. Similiter exponendum quod sequitur,* Mensæ dæmoniorum.

22 Non provocamus] *Interrogatio exprimit affectum deterrendi. q.d. Minimè vobis suadeo ut Dominum irritetis. Videtur esse occupatio contradictionis Corinthiorum, & excusationis suæ contra reprehensionem Pauli & demonstrationem factâ* παραζηλοῦμεν. *Id est,* ἐρεθίζομεν. *Synecdoche speciei.* Num validiores] *Metaphora à certatoribus. Innuit fore ut succumbant, & pereant, qui Do-*

qui Dominum ad pugnam provocant inanibus excusationibus. Et sic conclusionem factam amplificat. Quanquam verbum παραζηλοῦν *videtur postulare aliam expositionem. q.d. Quum vobis demonstrârim, vos pollui idololatria per convivia idololatrica: vultis tamen nihilominus ita pergere, & Dominum per istam idololatriam ad æmulationem provocare, atq; ita quasi in certamen cum eo ingredi? quasi validiores eo essetis.*

23 Omnia mihi licent] *Id est, Omnium creaturarum usus mihi concessus est, ac proinde licet mihi edere idolothyta.* Conferunt] *Scil. proximo.* Ædificant] *Scil. proximum. Id est, meliorem reddunt ac beatiorem. Metaphora Apostolo usitata.*

24 Nemo quod suum est quærat] *Id est, Nemo suis commodis ita addictus sit, ut interim commodum proximi, & maximè, salutem ejus æternam negligat.*

25 Quicquid] *Id est, Quæcunq; caro: sive scil. idolis immolata, sive non. Synecdoche generis.* Edite] *Id est, permitto vobis ut edatis; licet vobis edere. Sic Gen.2.v.16. De fructu omnis arboris horti comedes, id est, comedere poteris, comedere tibi licet. Sic rursus cap.3.v.2.* Nihil hæsitantes] μηδὲν ἀνακρίνοντες· *ἀνακρίνειν significat hæsitare judicio, & in utramque partem apud animum suum disceptare.* Propter conscientiam] *Id est, quasi non possitis bonâ conscientiâ ejusmodi carnes edere.*

26 Domini enim est terra] *Æthiologia vim puto in eo consistere, quòd creatura terrena (sicut & cælestes) condita sint à Deo ad usus hominum: unde efficitur, homines eis bonâ conscientiâ uti posse. ut similis sit sententia 1.Tim.4.4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur. ubi etiam loquitur de cibis.*

27 Quòd si quis] *Exposuit unum casum in quo licet vesci idolothytis, nempe si quis ea emerit ut privatim edat, seu in privato, non autem in sacro convivio: Nunc exponit alterum casum, nempe si quis fuerit invitatus ad hujusmodi privatum convivium.* Infidelium] τῶν ἀπίστων. *Vel incredulorum, id est, eorum qui non profitentur fidem Christianam.* Vos vocat] *Id est, invitat ad convivium.* Et vultis ire] *Scil. ad convivium.* Quicquid apponitur] *Nempe in eo convivio: sive sit caro idolis immolata, sive non.* Nihil hæsitantes] μηδὲν ἀνακρίνοντες. *Id est, Nihil disceptantes apud animum vestrum, an possitis bonâ conscientiâ edere, ut suprà 25.*

28 Si quis] *Scil. infirmus frater*, Vobis dixerit] *Nempe ad vos deterrendum ab esu idolothytorum.* Hoc] *Hæc caro, nobis ad vescendum apposita.* Idolis immolatum est] *Ac proinde Christianus non potest eo vesci quin polluatur idololatriâ.* Ne edite] *Carnem illam.* Propter illum] *Ne offendatis ejus conscientiam.* Et propter conscientiam] Et, *pro*, Id est. Propter conscientiam] *Hoc mox ipse exponit v.seq.* Domini enim] *Puto & ego cum D.Beza, hoc testimonium mendosè hic repetitum esse: quippe adhiberetur una eademq; sententia ad probandum sententias contrarias, nempe edendum esse de idolothytis, & de iisdem non esse edendum. Deinde τὸ τοῦ λόγου ἀκόλουθον, orationis consequentia postulat, ut verba versiculi sequentis immediatè & continenter subjungantur istis verbis*, propter conscientiam. *Cohærent enim per epexegesin. Si tamen illa verba huc pertinent, sic videntur explicanda & ad quæstionem propositam accommodanda: Etsi abstineas in gratiam proximi à carnibus immolatitiis, tamen adhuc satis tibi suppetit quod edas: quum orbis terrarum sit plenus variis cibis, quibus vesci potes sine offensione proximi.*

29 Illius alterius] *Qui indicavit, carnem appositam esse immolatitiam.* Cur enim libertas mea damnatur] *Id est, Cur enim committerem ut libertas mea damnetur, quum possim hoc impedire abstinendo?* Libertas mea] *Scil. vescendi quibusvis cibis, ac proinde etiam idolothytis.* Ab alia] *Nempe fratris infirmi.*

30 Cum gratia] χάριτι. *Id est, cum gratiarum actione. Metonymia subjecti; nam sic Apostolus ipse mox interpretatur, ubi ait,* ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ.

31 In gloriam Dei facite] *Id est, eò tanquam ad scopum dirigite actiones vestras.*

32 Estote sine offendiculo] *Ita vos gerite, ut nemini detis scandalum.* Judæis & Græcis & Ecclesiæ] *Homines qui tunc erant Corinthi, distribuit in tres ordines, sicut & sup.c.9.v.20.21.22. Nam Judæos & Græcos hoc loco de extraneis intelligendos percipi potest ex collatione loci citati cum hoc v.& seq.* Per omnia] πάντα. *Id est,* κατὰ πάντα. Placeo] *Studeo placere.*

OBSERVAT. EX CAP. X.

Officium hominis Christiani. 1 Ex prima parte tota. Cavenda est omnis communio cultus idololatrici: quoniam idololatræ à Deo punientur, si non omnes pœnis temporalibus, ut olim Israëlitæ in deserto; at certè æternis in inferno: quippe quum sint consortes dæmoniorum.

Sacramenta. 2 Ex versibus quinque primis. Errant qui confidunt Sacramentis, Baptismo scil. ac Cæna Domini, tanquam testimoniis gratiæ Dei erga se: quum ipsi interim impiè vivant. Nam veteres quoque Israëlitæ similia Sacramenta habuerunt: & tamen plerique illorum quum impii essent, Deo non placuerunt. Etenim Sacramenta non nisi illis qui in Christum credunt & ex hac fide pietati dant operam, testimonia gratiæ Dei sunt. His enim solis ut gratiam suam verbo Evangelii promisit Deus, ita eandem Sacramentis obsignat.

3 Ex quatuor primis versibus. Sacramenta V. Testamenti à *Sacramenta.* Sacramentis N. Testamenti non differunt in re significata. nam sicut hæc significant Christum: sic illa eundem significabant. Discrimen est in significandi modo. nam vetera significabant ac testabantur credentibus, Christum venturum & sacrificio suo morte peccata ipsorum expiaturum: at nova significant & testantur nobis qui in Christum credimus, illum jam venisse & peccata nostra sacrificio suæ mortis expiasse.

4 Ex vers.3.& 4. Sacramenta sunt res spirituales, quatenus *Sacramenta.* credentibus de bonis spiritualibus, videlicet remissione peccatorum ac donatione vitæ æternæ propter Christum; testificantur: eisdemque tanquam organa seu media divinitus ordinata inserviunt ad bona illa plenius subinde percipiendum ac fruendum.

5 Ex versu 4. Observandum exemplum enuntiati sacramentalis metonymici, ubi scilicet de signo prædicatur res signata: quum dicitur, *Petra illa erat Christus*. Etenim ex contextu clarum est, vocabulo *petræ* hic intelligi petram illam deserti ex qua profluebat aqua, quæ aqua Israëlitas sequebatur per desertum. At de hac petra dicit Apostolus, quòd erat Christus: intelligens nimirum eam fuisse typum Christi, quo Christus fuit significatus atque præfiguratus. Idem tropus est in his enuntiatis sacramentalibus: Circumcisio erat fedus Dei, hoc est, erat signum federis: Genes.17. Agnus paschalis erat transitus Jehovæ, id est, erat signum memoriale seu monimentum illius transitus: Exod.12. Panis sacræ Cænæ est corpus Christi, hoc est, est signum corporis Christi, significans ac testificans credentibus, corpus Christi pro ipsis esse datum in mortem, & fractum, id est, crucifixum atque acerbissime excruciatum. Item poculum sacræ Cænæ est sanguis Christi seu novum fedus in sanguine Christi: hoc est, est signum sanguinis Christi seu federis illius, significans atque testificans credentibus, sanguinem Christi pro ipsis esse effusum, eaque effusione fedus illud novum esse confirmatum, remissionemque peccatorum illis impetratam. *Sacramenta.*

6 Ex vers.6. & sequentibus, usque ad 12. Exempla pœnarum divinitus immissarum Israëlitis propter ipsorum peccata, quæ à Mose narrantur, considerare debemus tanquam proposita nobis ad nostri admonitionem: ut nimirum similia peccata fugiamus, nisi similiter puniri velimus: cogitantes, Deum sui semper similem manere, nec naturam suam justam unquam mutare. *Pœnæ divinæ.*

7 Ex v.9. Quum Paulus dicat, Patres tentasse Christum: & tamen illo tempore Filius Dei nondum assumserit naturam humanam: sequitur, vocabulo *Christi* non semper significari utramque naturam: sed interdum alterutram tantum, per synecdochen videlicet integri. Falluntur igitur & fallunt Ubiquitarii, quum ex dicto Christi, Matth.ult. Ego sum vobiscum omnibus diebus: concludunt, Christum nobiscum esse secundum utramque naturam; quia scil. dicat, E G O; non autem, Natura mea divina. At quid dicent de dicto illo Joh.8. Antequam Abraham erat, ego sum? Certè Christus non fuit ante Abrahamum secundum naturam humanam: quippe quam ex semine Abrahæ longè post Abrahamum assumsit. *Loquutiones de Christo.*

8 Ex v.11. Quum tempore Pauli jam fuerint fines sæculorum: multo utique magis nunc sunt. Quare singulis momentis adventum Domini ad judicium exspectemus. Quanquam interim non ignorandum, Judæos ante Domini adventum ad fidem ipsius conversum iri: ut testatur Paulus, Rom.11.v.25. & deinceps. *Officium hominis Christiani. Finis mundi.*

9 Ex vers.12. Nemo confidat suis viribus, quasi per illas possit stare in tentatione: sed soliciti simus de fide retinenda per serium studium pietatis, atque insuper Deum assiduè oremus, ut ipse nobis fidem conservet, ne in tentatione succumbamus, sed fide vincamus. Petrus viribus suis confidens, turpiter lapsus est. Quare exemplo ejus admoniti sapiamus, & cauti simus. *Officium hominis Christiani.*

10 Ex eod.v. Cavendum ne verbis Apostoli abutamur ad oppugnandum doctrinam in scriptura passim traditam de perseverantia sanctorum in vera fide. nam Paulus hoc loco eos tantum cadere posse significat, qui sibi videntur stare, quum interim vera fide præditi non sint. Aut certè hoc tantùm agit, ut credentes à securitate carnali deterreat: securitati spiritus interim nihil derogans. Nam etiam per vere credentes non stat, quo minus cadant & fidem amittant. Quòd autē cadere ac fidem amittere non possunt: id non pendet ex ipsorum viribus, sed ex decreto & gratia Dei, qui efficit ne fides ipsorum deficiat; sed bonum illud fidei opus quod in eis incepit, perficiet quoque usque ad diem Domini nostri Jesu Christi. *Fides. Vindicatio verborum Pauli, Qui stat, videat ne cadat.*

11 Ex v.13. Tentatio alia est humana, alia est diabolica. Nobis orandus est Deus, ut fidem nobis conservet in utraque & maximè in diabolica: ut quæ viribus humanis sustineri ac superari nullo modo potest. *Tentatio.*

12 Ex eodem versu notandum est testimonium de perseverantia sanctorum in vera fide. Quæ doctrina omnibus vere credentibus & ex fide Deum sincere colentibus magnam consolationem affert, eosque contra ignita diaboli tela munit: ne dubitent, se in fide perseveraturos per gratiam Dei, atque ita merce- *Fides.*

dem seu premium fidei, videl. salutem animarum seu vitam æternam, reportaturos.

Idololatria.

13. Ex vers. 14. Idololatriâ se contaminant etiam ii qui solùm cærimonias idololatrarum obeunt, atque ita externè sese socios illorum profitentur. Licet interim sciant atque intelligant, idola nihil esse, id est, licet idolis nullam vim numinis tribuant. Quippe Paulus idololatriam hic vocat, quod Corinthii interessent sacris idololatrarum conviviis: licet intelligerent, idolum nihil esse. Sic hodie idololatriâ sese polluunt qui in Papatu religiosè, id est, ritu adorantium audiunt Missam: licet non credant, frustulum illud panis quod sacrificulus adorandum populo ostendit, Christum esse.

Sacramenta. Officium hominis Christiani

14. Ex v. 15. Christianis doctrina Sacramentorum optimè debet esse cognita, quia Apostolus à cæna Domini argumentaturus præfatur Corinthios ejus mysterii intelligentes esse.

Judicium de doctrina Christiana.

15. Ex eod. vers. Christianis, etiam plebeiis, permissum est judicium de doctrina Christiana: siquidem Paulus hoc loco judicium Corinthiis permittit de sua doctrina. Judicium autem illud fieri debet è sacris Scripturis, tanquam demonstrationum doctrinæ Christianæ principiis.

Cæna Domini.

16. Ex v. 16. Quum Paulus simpliciter nominet ποτήριον, id est, poculum: non autem κύλικα, id est, calicem: perversè agunt qui pocula vulgari figura prædita repudiant, & calices reponunt: malentes scil. cum Pontificiis alere superstitiosam opinionem populi, quam cum piis doctoribus illam abolere.

Cæna Domini.

17. Ex eod. vers. Observandum, Paulum recedere à verbis Domini, *Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus.* Non est igitur hærendum τῷ ῥητῷ, sed διάνοια inquirenda.

Cæna Domini.

18. Deinde ex iisdem verbis confirmatur expositio verborum Domini, HOC est corpus meum, HOC est sanguis meus: qua traditur, per pronomen HOC in priore enuntiato intelligendum esse panem illum quem Dominus ante oculos discipulorum cum gratiarum actione fregerat: in posteriore verò poculum illud quod Dominus cum gratiarum actione benedixerat seu sanctificaverat, ordinando videl. ipsum in sacramentum sui sanguinis. Nec juvat contra hanc expositionem effugium illius sophismatis, quo nonnulli dicunt, Paulum quum mutat subjectum verborum Domini, mutare etiam prædicatum: id quod nimirum sentiunt illum facere hoc loco: ac proinde hæc duo enuntiata Pauli duobus illis enuntiatis Christi non æquipollere insinuant. At falsum est, inquam, Paulum mutare subjectum. Vocabula quidem mutat, loco pronominis substituens nomen: sed non mutat rem significatam: quin potiùs per nomina declarat quid per pronomina in verbis Christi significetur.

Cæna Domini.

19. Tertiò illud quoque observandum, enuntiata hæc Pauli sacramentalia esse metonymica: quippe in quibus de signis prædicantur res significatæ. nam propriè loquendo, poculum illud sacræ cænæ non est ipsa communio sanguinis Christi: nec panis ille ipsa communio est corporis Christi: alioquin quotquot participes fierent illius poculi & panis, haberent quoque communionem in corpore & sanguine Christi. At poculi & panis illius participes fieri possunt ac fiunt etiam hypocritæ: qui tamen communionem cum vere-credentibus in corpore & sanguine Christi non habent. Sed propriè loquendo panis ille est signum seu tessera, seu denique testimonium communionis quam fideles inter se habent in corpore Christi; tanquam pro ipsis omnibus ac singulis crucifixo. Item propriè loquendo poculum illud est signum seu tessera, seu denique testimonium communionis quam fideles habent in sanguine Christi; tanquam pro ipsis omnibus ac singulis effuso in remissionem peccatorum.

Fractio panis in Cæna Domini.

20. Quartò ex iisdem verbis discimus, Apostolos aliosque ministros Ecclesiæ qui tum vixerunt, solitos fuisse in administratione sacræ cænæ panem frangere. Etenim disertè ait Paulus, de se aliisque ecclesiæ ministris loquens: Panis ille quem frangimus. Et ab illa cærimonia alibi tota Cæna fractio panis nominatur, Actor. 2. 42. Est igitur fractio panis in administratione sacræ cænæ adhibenda. Nec verò habenda est pro ritu adiaphoro: quum & mandato Christi nitatur: qui discipulos jussit edere panem à se fractum in ipsa Cænæ administratione: & præterea sit cærimonia sacræ Cænæ essentialis, quum pertineat ad illius * finem, videlicet ad repræsentandum fractionem, hoc est, crucifixionem corporis Christi. Id quod Paulus significat, quum ait, Dominum dixisse de pane, Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, infrà 11. v. 24. quum tamen propriè loquendo corpus Christi fractum non sit: sed crucifixione acerbè excruciatum: id quod per fractionem panis in sacra Cæna significatur. Sicut pari ratione per effusionem vini è cantharo in poculum, significatur effusio sanguinis Christi.

** Quæ ad finẽ Sacramentorũ pertinent, Sacramentis essentialia sunt: quia in relatione rerum terrenarum ad finẽ seu usum spiritualis significationis ipsa forma Sacramentorum consistit. Sicut forma limitis consistit in relatione lapidis ad certum usum, videl. ad significandam distinctionem agrorum.*

Communio corporis & sanguinis Christi.

21. Ex vers. 16. & 17. inter se collatis. Observandum, quinam communionem habeant in corpore & sanguine Christi: videlicet ii tantum qui sunt unum corpus, nempe corpus illud mysticum cujus caput est Christus. Etenim quum Paulus dixisset, panem illum & poculum illud sacræ Cænæ esse communionem corporis & sanguinis Christi, id est, testimonium divinum, quòd habeamus communionem in corpore & sanguine Christi; mox illud ipsum amplius confirmaturus subjungit: Quoniam unus panis, unũ corpus nos multi sumus. quasi dicat, Quòd communionem habeamus in corpore & sanguine Christi, (id quod panis ille & poculum illud testantur) ex hoc quoque scimus, quòd sumus unum corpus: hoc est, quod fide inter nos uniti sumus in unum quasi corpus, cujus caput est Christus. Falsum est igitur infideles (quos indignos vulgo nominant) communionem habere corporis & sanguinis Christi, quum sacra illa symbola percipiunt.

Cæna Domini.

Fideles. Cæna Domini.

22. Ex v. 17. Christiani vi fidei ac dilectionis sunt quasi unus panis & unum corpus. nam fide adhærent Christo: dilectione autem tum Christo, tum ipsis inter se mutuo. Hanc corporis unitatem ut conservemus, singulis nobis studendum est; idque eo magis, quod propter illam sacra Cæna instituta est: ut scilicet crescentes in fide & dilectione, in unitate illa confirmemur. Confer Eph. 5. v. 23. & deinceps. Item ejusdem epistolæ cap. 4. v. 3. & deinceps. Infrà cap. 12. v. 12. & sequentibus.

Sacramenta.

23. Ex eod. vers. In sacramentis observanda est & consideranda analogia seu similitudo quæ est inter signa & res significatas. Videmus enim, Paulum hic ab unitate panis sacramentalis ratiocinari ad unitatem Ecclesiæ, tanquam à signo ad rem significatam. Monet igitur, per unum illum panem significari unitatem Ecclesiæ: Ecclesia autem una est per unitatem sui capitis, quod est Christus: itemque per unitatem fidei qua capiti illi singula Ecclesiæ membra adhærent.

Cæna Domini. Vindicatio verborum Pauli, Unus panis, unum corpus nos multi sumus.

24. Ex eod. vers. Cavendum, ne verbis Apostoli abutamur ad stabiliendum falsam opinionem de manducatione (quam vocant) indignorum: quasi scilicet hypocritæ quoque quum ex pane illo sacramentali participant, simul & eadem opera participent de corpore Christi, seu communionem percipiant corporis Christi. Etenim Paulus nihil aliud hoc loco vult dicere, quam nos participatione illius panis sacramentalis testari ac profiteri, quod simus unum corpus, ac proinde communionem habeamus in corpore Christi. Certum est enim, hypocritas quantumvis de sacro illo pane participent, tamen non esse cum fidelibus unum corpus: tametsi propter fidei professionem esse videantur.

Cæna Domini.

25. Præterea ex eodem versu quæri potest, an in administratione sacræ Cænæ necessario adhibendus sit unus numero panis. Respondeo: Non. nam quod paulus unum panem nominat: non necessario intelligendum est de unitate individui sive rei singularis: quia potest, & verò etiam debet, intelligi de unitate generis. nam Corinthios non esse usos unico pane, sed pluribus: intelligi potest ex eo, quod magna copia convenerunt ad sacram Cænam celebrandum, & in ea administranda convivati sunt, unde percipitur, eos abunde edisse & bibisse: quam ad rem non sufficiebat utique panis unicus. Et notum est, non ita longè post tempora Apostolorum, quum illorum traditiones adhuc incorruptè servarentur, Christianos ad celebrationem sacræ Cænæ solitos fuisse conferre panes plures: unde sumebatur quantum ad celebrationem sacræ Cænæ satis erat: reliquum dabatur pauperibus. Loquitur igitur Paulus de unitate generis: intelligens panem licet quoad individua, multum: tamen unum genere, id est, communi significatione & usu. nam quotquot panes ad sacræ Cænæ administrationem adhibentur, omnes unum & eundem scopum habent: ut scilicet corpus Christi nobis repræsentent. Sic Eph. 4. v. 5. ait, Una fides, unum baptisma, quod utique non potest intelligi de unitate individui: sic enim tot (ut ita dicam) fides sunt, & tot baptismata: quot sunt fideles & baptizati. Sed genere una fides est & unum baptisma omnium credentium & omnium baptizatorum: quia omnes credunt se per solum Christum servari, & idipsum baptismus omnibus credentibus testatur.

Cultus Dei.

26. Ex v. 18. *Israëlem* qui est *secundùm carnem.* Cultus Dei alius est carnalis, id est, corporalis seu externus, seu denique cærimonialis, positus videlicet in cærimoniis seu ritibus qui peraguntur corpore & externè: alius verò Dei cultus est spiritualis, seu internus, positus in affectibus seu motibus animi: puta reverentia majestatis divinæ, fiducia, dilectione. Carnalis cultus ille hypocritis cum vere-piis communis est, atque adeò in illis ferè excellit: at spiritualis proprius est vere-piorum. Confer Joh. 4. à v. 19. & deinceps.

Idola.

27. Ex v. 19. Notandum testimonium de vanitate idolorum: Unde sequitur, magnam esse stultitiam ac cæcitatem idololatrarum, qui idola adorant tanquam numina: quum tamen idola nihil sint. Hanc stultitiam scitè ridet Spiritus sanctus per Prophetam Esaiam cap. 44. item Psal. 115. & 135.

Cultus Dei.

28. Ex vers. 20. Religione falsa (id est, non præscripta à Deo, sed ab hominibus conficta) non colitur Deus, sed diabolus: nihilque ad idololatriam excusandam valet prætextus bonæ intentionis, quam jactare solent Papistæ. Etsi enim Gentes ea intentione, id est, eo consilio idolis sacrificarent, ut sacrificarent ipsi Deo: tamen Paulus ait, eas quæ idolis immolant, immolare non Deo, sed dæmoniis, id est diabolis. Matth. 15. ex Esaia: Frustra me colunt, docentes doctrinas, mandata hominum. Deut. 12. Non facietis singuli quod vobis rectum videtur &c.

Religio.

29. Ex v. 21. Qui falsæ religionis particeps est, non potest simul, particeps esse religionis veræ, ita nimirum ut ipsius religio Deo placeat. Deus enim solus coli vult, idque ex solo verbi sui

præscri-

præscripto. Et arca fœderis olim apud Philistæos non patiebatur à latere sibi consistere Dagonem idololum Philistæorum. Quare idololatris sacra Domini Cæna deneganda est: ne minister participem se faciat profanationis.

Cæna Domini.

Cæna Domini. 30 Ex eod. vers. apparet, Apostolos in celebranda Cæna Domini usos fuisse mensa, non autem altari: ac proinde Apostolorum exemplo mensam esse adhibendam, non altare. Etsi enim Paulus mensam Domini μετωνυμικῶς appellat sacrum illum cibum ac potum qui in mensa apponi solet convivis Domini: tamen hoc ipso significat, cibum illum ac potum in mensa apponi solitum esse. hinc enim fit ut per metonymiam nomine mensæ appelletur. Et sanè Christus sacram Cænam instituens, discubuit cum Apostolis ad mensam, non stetit ad altare. Porrò altarium nullus est in N. Testamento usus: quia eorum usus unà cum aliis cærimoniis Vet. Testamenti abolitus est per mortem Christi. Quippe altaria destinata erant sacrificiis: at sacrificia Levitica per sacrificium unicum Christi in cruce peractum abolita sunt. ut abundè docet epistola ad Hebræos.

Peccatum. 31 Ex v. 22. Peccata non sunt excusanda: quia sic provocatur ad iram Dominus: cujus ira si exarserit, certum hominibus interitum affert.

Adiaphora. 32 Ex altera capitis parte tota. A rebus adiaphoris, id est, indifferentibus & media natura præditis (quæ scil. nec præceptæ sunt à Deo, nec vetitæ) abstinendum est in gratiam infirmorum, qui putant eas esse vetitas: donec illi erudiantur. Confer cap. 14. ad Romanos.

Convivia. 33 Ex vers. 27. ex verbis, *Et vultis ire.* Non facilè eundum ad convivia incredulorum: ac proinde diligenter deliberandum, an consultum sit id facere, propter periculum scil. familiaritatis cum incredulis. Licet ergo accedere ad convivia incredulorum: sed non temerè id faciendum: verùm tum demum, si spes aliqua nobis affulgeat eos ædificandi. qua ratione Christus quoque conviviis publicanorum interfuit.

Scopus actionum nostrarum. 34 Ex v. 31. 32. 33. Scopus actionum nostrarum principalis debet esse gloria Dei: secundarius, ædificatio seu salus proximi. Huc pertinet quod dicitur Matth. 5. 16. Sic luceat lux vestra, &c. Et illud Roman. 14. 19. Sectemur quæ faciunt ad mutuam ædificationem.

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Duæ sunt hujus capitis partes: in prima agit de decoro ecclesiastico, id est, de virorum & fœminarum decenti habitu in conventibus publicis: in altera agit de ritu Cænæ Domini. Summa primæ partis est. Vir in sacris actionibus capite aperto esto, mulier autem tecto. Atq; hæc Pauli hoc loco traditio est: cui fortasse occasionem dedit, quòd nonnulli apud Corinthios instituere vellent ritum huic contrarium, quem Apostolus eis tradiderat.

IMitatores mei estote, sicut ego Christi.

2 Laudo vero vos, fratres, quod omnia mea meministis, & sicut tradidi vobis, traditiones retinetis.

3 Velim autem vos nosse, Christum esse omnis viri caput: caput autem mulieris, virum: caput verò Christi, Deum.

4 Omnis vir orans aut prophetans operto capite, dedecorat caput suum.

5 Omnis verò mulier orans aut prophetans non velato capite, dedecorat caput suum: nam *id* unum ac idem est ac si rasa esset.

6 Nam si non velatur mulier, etiam tondeatur: quod si turpe mulieri tonderi aut radi, veletur.

7 Ac vir quidem non debet velare caput, quum *is* imago sit & gloria Dei: at mulier, gloria viri est.

8 Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro.

9 Neque enim conditus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum.

10 Propter hoc debet mulier potestatem habere in capite, propter angelos.

11 Attamen neque vir absque muliere *est*, neq; mulier absque viro, in Domino.

12 Sicut enim mulier ex viro *est*, ita & vir per mulierem: omnia verò ex Deo.

13 Apud vos ipsos judicate, *Num* decorum est mulierem non velatam Deum orare?

14 An ne natura quidem ipsa hoc vos docet, quod viro quidem, comatum esse, dedecori sit:

15 Contrà mulieri, comatam esse, decori sit? Nam coma pro velamine data est ei.

16 Quod si quis videtur contentiosus esse; nos ejusmodi consuetudinem non habemus, neq; ecclesiæ Dei.

RAtiones, cur virum deceat in sacris actionibus capite aperto esse, affert duas: quarum prima sumta est ab ordinatione Dei, ac proinde à testimonio divino: quod nimirum Deus ita ordinaverit ut vir sit mulieris caput, id est, uno gradu superior muliere. Decet igitur ut sit capite aperto: quod tunc eminentiæ signum erat. Et sic argumentum principale est à subjecto. Vir eminet: ergo adhibeat eminentiæ signum. Hanc rationem illustrat comparatione parium, ad hunc modum: Quemadmodum Deus pater caput est Christi, itemque Christus caput est viri: ita vir caput est mulieris, vers. 3. Altera ratio à communi naturæ sensu seu judicio sumta est, vers. 4. ad hunc modum: Homines ex ipso naturæ instinctu intelligunt, quod viro comatum esse dedecori sit: Ergo etiam dedecori est viro, capite operto seu tecto esse in actionibus sacris. Et sic argumentum principale est à pari. Atque hæc de viris. Jam verò quòd deceat mulieres in cœtibus publicis capite esse tecto & velato, rationes affert quatuor. Prima sumta est à sensu communi naturæ, hoc modo: Turpe est mulieri, tonderi aut radi: Ergo etiam turpe est mulieri, in cœtibus publicis capite esse aperto. Sit igitur velato, vers. 5. & 6. Hic argumentum principale est à pari. Secunda ratio à fine creationis mulieris sumta est, ad hunc modum: Mulier est gloria viri, id est, condita à Deo ut sua subjectione virum reddat augustiorem: Ergo debet etiam gestare subjectionis signum: quod est velamen in capite vers. 7. Antecedens probat à creatione: & primùm à creationis ordine: Vir, inquit, non est conditus ex muliere, sed mulier ex viro: Ergo vir muliere superior est, tanquam tempore prior, & materiale ejus principium, vers. 8. Deinde à creationis fine: Vir, inquit, non est conditus propter mulierem, sed mulier propter virum: Ergo vir muliere superior est, tanquam finis. Finis enim præstat ei quod ad finem destinatum est, vers. 9. Hanc rationem amplificat correctione: admonens, viros sic eminere, ut interea solos viros non condiderit Dominus, sed etiam fœminas: & ita esse conditam fœminam ex viro, ut viri vicissim interventu fœminæ gignantur, v. 11. & 12. Tertia ratio à fine: Mulier debet habere velamen in capite propter angelos, vers. 10. id quod sic intelligendum videtur; ne offendat sanctos angelos indecenti illa apertione capitis. Quarta ratio etiam à communi naturæ sensu sumta est, & cum prima reipsa est eadem. Natura, inquit, ipsa docet quod mulieri comatam esse gloriæ sit: quum coma pro velamine ei data sit, v. 13. 14. 15. quasi dicat: Natura ipsa velavit mulieris caput, attribuendo scil. ei densam & prolixam comam: Ergo etiam ipsamet mulier, naturam imitata, caput velare debet. Argumentum principale est à pari. Hæc sunt quæ disputat in parte prima.

17 Hoc verò *ita* denuntio ut vos non laudem, quod *videlicet* non cum emolumento, sed cum detrimento convenitis.

18 Primùm enim quum convenitis in ecclesia, audio dissidia inter vos esse: & aliqua ex parte credo.

19 Oportet enim etiam hæreses inter vos esse; ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.

20 Quum igitur convenitis in unum, *hoc* non est Dominicam Cænam edere.

21 Nam unusquisque propriam Cænam præoccupat in edendo, & hic quidem esurit, ille verò ebrius est.

22 Enimverò num domos non habetis ad edendum & bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, & pudefacitis eos qui non habent? Quid vobis dicam? laudabo vos? in hoc non laudo.

23 Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis: Dominum Jesum *videlicet* eâ nocte qua proditus est, accepisse panem.

24 Et gratiis actis fregisse ac dixisse, Accipite, edite: hoc, meum est corpus quod pro vobis frangitur: hoc facite ad mei recordationem.

25 Itidem & poculum, postquam cænassent, dicendo; Hoc poculum, est novum illud fedus per meum sanguinem: hoc facite, quotiescunque biberitis, ad mei recordationem.

26 Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis; mortem Domini annuntiate, usquequo venerit.

27 Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini.

28 Probet autem quisque se: & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat.

29 Nam qui edit & bibit indignè, judicium sibi edit & bibit, non discernens corpus Domini.

30 Propterea inter vos multi *sunt* infirmi & ægroti, & dormiunt multi.

31 Etenim si nos ipsi dijudicaremus, non judicaremur.

32 Sed quum judicamur, à Domino castigamur: ne cum mundo condemnemur.

33 Itaque, fratres mei; quum convenitis ad edendum, alius alium exspectate.

34 Quod si quis esurit, domi edat: ne ad judicium conveniatis. Reliqua vero, quum venero, ordinabo.

In altera hac parte, quæ est de ritu sacræ Cænæ; primò Corinthios reprehendit, quod eam indignè tractarent: partim propter schismata & dissidia, unde fiebat ut alii alios non exspectarent. Sed propriam Cænam præoccuparent: partim propter luxum & gulam, unde fiebat, ut quidam inebriarentur, id est, largiùs biberent quàm Christianam moderationem decet, à v.17. usque ad 23. Secundò institutionem Cænæ Domini repetit: ut inde discant, quomodo ad ipsius Domini exemplum sacram hanc Cænam celebrare debeant: à v.23. usque ad 27. Tertiò admonet quàm graviter peccent qui Cænam hanc indignè tractant: quod scil. rei fiant corporis & sanguinis Domini, hoc est, quod corpus & sanguinem Domini contumelia afficiant, v.27. Quartò, quomodo se quisq; ad eam ritè celebrandam præparare debeat, nimirum seipsum probando, v.28. Quintò, quid evenire soleat iis qui indignè & irreverenter eam celebrant: nempe pœna (vel potius castigatio) divina: id quod ipsa experientia & exemplo Corinthiorum confirmat: quippe quorum multi ægrotent, multi etiam jam mortui sint: v.29.30.31. Sextò consolationem addit, à consilio punientis Dei sumtam: quia nimirum ideo nos puniat, ne cum mundo condemnemur: vers.32. Postremò hortatur ut vitia illa quæ reprehenderat, emendent: argumentum illud ab eventu pernicioso repetens, v.33.34. Atque hæc agit in parte altera.

SCHOLIA IN CAP. XI.

1 Imitatores] μιμηταί. *Hic versus cohæret cum v.ult. capitis præcedentis. Continet enim argumenti ibi propositi confirmationem. Et sequente demum versu transiri ad novum sermonem, perspicuum est ex conjunctione transitiva,* δὲ. Mei] μου. *Latinum minùs clarum propter* ὁμωνυμίαν. Estote] γίνεσθε. *Fitote.* **Werdet meine nachfolger.** Christi] *Vide 1.Pet.2.21.*

2 Laudo vero] ἐπαινῶ δὲ. *Hic continetur propositio hujus loci, seu quæstio: videlicet viros in conventu Ecclesiastico debere esse capite aperto, mulieres velato. Quod quidem hic significat verbo generali* traditionum suarum, *& verbo* laudandi. Omnia mea] πάντα μου. *Id est, omnes meas traditiones: sicut ipse statim interpretatur. Vel,* quod in omnibus mei memores estis: *ut subaudiatur* κατὰ, *q.d.* μέμνησθέ μου κατὰ πάντα. *Cui expositioni favere videtur omissio articuli. nam altera videtur postulare ut legatur,* πάντα τὰ ἐμοῦ. Traditiones] παραδόσεις. *Sic vocat instituta quæ spectabant ad ordinem seu* τάξιν *in conventibus ecclesiasticis: ubi omnia debent fieri decenter & ordine: ut ipse ait infrà c.14.v.ult.*

3 Nosse] *Id est, diligenter expendere, ut sup.10.1.* Viri caput] *Capitis vocabulo præeminentiam intelligit per metaphoram. Caput enim in corpore hominis eminet, & supremo loco situm est, & multitudine sensuum excellit. Est autem Christus caput viri, quatenus est primogenitus inter fratres. Vir est caput mulieris, quatenus sexu præstat & dominus ejus constitutus est.* Deum] *Id est, Deum patrem. Synecdoche generis: qua vocabulum tribus personis commune ad unam restringitur.*

4 Dedecorat caput suum] *Intelligo simpliciter seu propriè, non autem metaphoricè de Christo. quæ expositio confirmatur collatione versiculi sequentis.*

Antilogiæ apparentis conciliatio.

5 Mulier orans aut prophetans] *At alibi vetat ne mulier in ecclesia seu cœtu publico loquatur aut doceat: ut infr.c.14.v.34. Item 1.Timoth.2.v.12. Quidam respondent: Apostolum fortasse intelligere hîc extraordinariam prophetandi actionem: cujus exempla hæc commemorant: Anna vidua, Luc.2.38. Mariæ matris Domini, Luc.1.46. quatuor filiarum Philippi Evangelistæ, Actor.21. v.9. item ex V.T. sororis Mosis, Exod.15. Deboræ Judic.5. Annæ matris Samuelis, 1.Samuel.2. Holdæ, 2.Reg.22. Sed hæc responsio videtur* ἀπροσδιόνυσον. *nam planum est, Apostolum loqui non de re quapiam extraordinaria, sed de ordinario ritu & habitu in congregationibus ecclesiasticis, item de prophetatione & oratione ordinaria. Cæterùm hoc exponendum videtur per synecdochen membri, ad hunc modum: Mulier orans aut prophetans, id est, Mulier orantem aut prophetantem virum in ecclesia auscultans, & ita etiam ipsa orans & quasi prophetans, non quidem oris clarâ voce, sed mentis tacita cogitatione.* Nam id unum &c.] *Ex his verbis perspicitur, vocabulum* capitis *hoc & superiore versu propriè accipiendum.*

6 Quod si turpe] εἰ δὲ αἰσχρὸν. *Supple, Est,* ἐστὶ. *Ut scil. esse omnes sanæ mentis homines judicant.*

7 Ac vir quidem] Ἀνὴρ μὲν γὰρ. *Sic malo, quàm,* Vir enim. *Neq; enim hîc ratio exponitur præcedentis sententiæ, sed transitur ad præceptionem de habitu viri. Cohæret igitur hic versus cum versu quarto.* Velare] κατακαλύπτεσθαι. *Plus significat quàm operire seu tegere, nam pileo tegitur quidem seu operitur caput, at non velatur, non* κατακαλύπτεται. *Ad hoc enim requiritur velamen, quo ipsa quoq; facies involvatur & contegatur.* Imago & gloria Dei] *Id est, imago gloriæ Dei,* ἓν διὰ δυοῖν.

8 Non enim est vir ex muliere] *Scil. conditus. Intellige de prima origine.* Ex viro] *Ex costa viri. Synecd. integri.*

9 Neque enim] καὶ γὰρ οὐκ. *Conjunctio rationalis referenda est ad v.7. estq; posita pro copulativa, pro,* Neque etiam, οὐδὲ. *nam v. supra rationem unam exposuit, hic alteram adjungit.* Propter mulierem] *Nempe ut mulieri serviret tanquam præstantiori. Synecdoche generis. nam alioqui vir propter mulierem quoque conditus est: ut scilicet eam erudiat ad salutem sempiternam, item ut eam protegat contra injurias.* Mulier propter virum] *Scilicet ut eum colat tanquam dominum: item ut eum adjuvet.*

10 Propter hoc] *Vel quod modo dictum est, vel quod mox dicetur, nempe propter angelos: ut sit appositio. Et sic erit ellipsis conjunctionis copulativæ: addit enim aliam rationem. q.d. Præterea propter hoc quoque.* ἔτι δὲ καὶ διὰ τοῦτο. Potestatem] *Id est, velamen quo testatum faciat, se esse sub viri potestate. Metonymia subjecti. nam velamen est signum & testimonium potestatis, vel potiùs subjectionis.* In capite] ἐπὶ τῆς κεφαλῆς: *Supra caput.* Propter angelos] *Videtur simplicissima esse expositio eorum, qui hæc verba sic ad angelos bonos referunt, ut mulieres intelligant, eos tanquam spectatores sacrorum cœtuum reverendos esse, ne illos indecenti habitu offendant.*

11 Attamen] *Correctio ad coërcendum viros & consolandum mulieres: ne scilicet viri suâ potestate & eminentia ad tyrannidem vel contemtum mulierum abutantur: neve mulieres de sua conditione, ut nimium abjecta, conquerantur.*

12 Ex Deo] ἐκ τοῦ Θεοῦ. *Id est,* ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. *ut Rom.11.v.ult.*

13 Apud vos ipsos judicate] *Provocat ad sensum communem.*

14 An ne natura quidem] *Naturam vocat naturale judicium rectæ rationis: vulgò sensum communem nominant. quanquam Aristotelici istâ appellatione aliter utuntur.* Dedecori sit] *Hoc videtur referendum ad morem Græcorum qui tum erat. nam primis seculis viri ubiq; comati & intonsi videntur fuisse, unde Homerus identidem nominat* καρηκομόωντας Ἀχαιούς, *capite comatos Achivos. Romæ demum circa ætatem Africani superioris, tonsoribus uti cœperunt. Veteres quoq; Germani & Galli intonsi fuisse perhibentur. Quòd autem Nazaræi ex lege divina comam aluerunt, hanc habuisse videtur rationem, ut istâ nota habitus indecentis à cæteris qui naturale decorum observabant, discernerentur. Nam oportebat illos à vulgo esse separatos & Domino sanctificatos: unde etiam* נְזִירִים *nesirim, id est, separati, dicti sunt: & ab interpretibus Græcis* ἡγιασμένοι, *id est, sanctificati. Amos 2.12.*

15 Pro velamine] ἀντὶ περιβολαίου. *Id est, tanquam velamen: ad innuendum scil. mulierem esse velandam.*

16 Quod si quis] *Occupatio, qua præcidit contradictiones, seu contrarias objectiones.* Contentiosus] *Qui nolit acquiescere rationibus allatis.* Ejusmodi consuetudinem] *Nempe contendendi. Vel, alio quàm dictum est, capitis habitu in ecclesia comparendi.*

17 Hoc verò] *Nempe quod sequitur, de dissidiis & luxu in celebranda Cæna Domini. Opponuntur autem hæc verba verbis versus secundi.* Non cum emolumento] οὐκ εἰς τὸ κρεῖττον. *Ad verb.* Non ad melius. *Id est, Non ita ut faciat ad ædificationem mutuam.* Cum detrimento] εἰς τὸ ἧττον. *Ad verb.* Ad inferius, *seu* deterius. *Hoc mox declarabit.* Convenitis] *Scil. ad audiendum verbum Dei, & percipiendum sacramenta.*

18 In ecclesia] *In cœtu sacro, congregato ad audiendum verbum Dei & percipiendum sacramenta. Ne quis putet* ecclesiæ *vocabulo significari templum, ut apud scriptores historiæ ecclesiasticæ posteriores, & hodie in Papatu. At Corinthii tum non habebant templum in quo Christianam religionem exercerent.* Dissidia] σχίσματα. *Hoc declarabit Apostolus v.21. nempe quòd ditiores celebrarent sacram Cænam non exspectatis pauperibus.* Aliqua ex parte] μέρος τι. *Subaudiendum* κατὰ. *Et si enim Apostolus de veritate rei non dubitabat; tamen ex charitate innuit, se non facilè aut temerè hoc credere, sed motum ratione quam mox exponet.* Credo] *Scil. dissidia inter vos esse. Hanc expositionem postulat collatio versiculi sequentis.*

19 Oportet] δεῖ. *Id est,* Necesse est. *videl. propter immutabile decretum Dei. Similiter accipitur hoc verbum Matth.26.v.34. Oportet hæc ita fieri. Et Luc.24.26. Oportuit Christum pati. Pro quo Matth.18.7. dicitur* ἀνάγκη ἐστὶ, *necesse est: ubi Christus ait, Necesse est ut veniant scandala.* Etiam hæreses] καὶ αἱρέσεις. *Quasi dicat, non solùm schismata, sed (quod plus est) etiam hæreses. Particula* Etiam *est hic nota majoris.* Ut qui] *Finem hæresium exponit, id est, docet quo consilio Deus permittat, ut hæreses in ecclesia oriantur, quod facit ad consolandum pios: ne existiment, fore ut falsâ doctrinâ seducantur.* Manifesta fiant] *Fides enim in corde latens, manifestatur per tentationem.*

20 Quum igitur convenitis] συνερχομένων οὖν. *Sic malo quàm.*

Itaque quum convenitis. *Non enim infert hanc sententiam ex sententia v.18. sed transit ad illius declarationem.* Convenitis] *Ut v.17. & 18.* Dominicam] κυριακὸν. *Sic denominatur ab authore, vel etiam à fine. nam & à Domino instituta est, & in ejus memoriam celebratur.*

21 In edendo] ἐν τῷ φαγεῖν. *Scil. Cœnam Domini: ex collatione versus præcedentis. Synecd. generis.*

22 Ad edendum & bibendum] *Scil. vulgari modo, corporis alendi causâ.* Ecclesiam] *Id est, pauperes qui sunt de ecclesia: ut mox exponit. Synecdoche integri. Graviter & argumentosè. quasi dicat, Pauperes illi quos contemnitis nec exspectatis in agapis celebrandis, sunt membra Ecclesiæ Dei: ergo non erant à vobis contemnendi. nam quos ipse Deus dignatur familiâ suâ: qui estis vos ut eos contemnatis?* Et] καὶ. *Id est, quatenus, vel quia.* Pudefacitis] *Quatenus illi animadvertunt, se à vobis contemni, propter paupertatem.* Eos qui non habent] *Scilicet bona hujus mundi, ut Jacobus loquitur. Synecdoche generis.* Quid vobis dicam?] δεινότης, *id est, gravitas & severitas apostolica, temperata tamen & mixta charitate.*

23 Accepi à Domino] *At Paulus non fuit versatus cum Domino, quum is adhuc in terris versaretur. ubi ergo & quando à Domino hanc doctrinam accepit? Nempe quum raptus fuit in paradisum seu tertium cœlum.* Proditus est] *Nempe Judæis à Juda.*

24 Gratiis actis] *Nempe Patri pro redemtione ecclesiæ jamjam perficiendâ.* Hoc] *Hic panis.* Meum est corpus] *Id est, signum est mei corporis, seu (quod idem valet) significat meum corpus.* Quod pro vobis frangitur] *Id est, quatenus illud pro vobis frangitur. Sic Johan.6.v.51. Panis quem dabo, caro mea est: quam ego dabo pro mundi vita, id est, quatenus eam dabo.* Frangitur] *Id est, paulo-post frangetur, hoc est, cruci affigetur & occidetur. Enallage temporis & metaphora. Pro hoc apud Lucam habetur,* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. *quod pro vobis datur, nempe in mortem.* Hoc facite] *Id est, hujusmodi panem, videlicet cum gratiarum actione fractum, additâ etiam mysterii explicatione, quòd panis ille sacramentum sit mei corporis, hujusmodi inquam panem edite.* Ad mei recordationem] *Ut mei recordemini, inprimis mortis meæ, & ut eam recordantes annuntietis, id est, prædicetis ac celebretis, & Patri mihiq; pro illa sempiternas gratias agatis; atq; ita in fide, spe & charitate crescatis.*

25 Itidem] *Scil. accepit, nempe gratiarum actione adhibitâ: ut Evangelistæ exprimunt.* Fedus] διαθήκη. *Vel, Testamentum, quia hoc fedus sancitum seu confirmatum fuit morte illius qui ipsum pepigit nobiscum.* Per meum sanguinem] ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι. *Pro,* ἡ ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι: *id est,* διὰ τοῦ ἐμοῦ αἵματος. *Hebraismus. Sententia enim est: quod fedus sancitur & confirmatur effusione mei sanguinis: nempe fedus gratiæ inter Deum & credentes. Porrò talis ellipsis, nempe articuli, fuit supr. cap.10.v.18.* Βλέπετε τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα: *pro* τὸν κατὰ σάρκα. *Qui autem contendunt, hæc verba adjungenda esse nomini poculi, & iis significari causam cur poculum dicatur esse Novum Testamentum, videlicet propter sanguinem Christi in ipso contentum, & ipso mediante prabitum, ut bibatur ore: illi manifestè sophisticantur, fallaciam* συνθέσεως *&* διαιρέσεως *(hoc est, falsæ syntaxeos) committentes. Etenim dicendum fuisset, non:* τοῦτο τὸ ποτήριον ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι: *sed contrà,* τὸ ἐμὸν αἷμα ἐν τούτῳ τῷ ποτηρίῳ. *Quid quòd illi ne sic quidem effugere possunt ellipsin articuli. nam certè si hæc verba,* ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι, *cohærent cum illis,* τοῦτο τὸ ποτήριον: *non nisi interventu articuli cohærent, q.d. Apostolus:* τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι. *Adhuc expositio illorum sibi non constat. nam si (ut dicunt) his verbis causa indicatur, propter quam poculum dicatur esse novum Testamentum, adjungenda erunt non nomini poculi, sed verbo substantivo, Est. quippe quum quæratur, quam ob causam sit.* [Vindicatio hujus loci.]

26 Quotiescunque enim] *Addit declarationem illius clausulæ, Hoc facite.* Annuntiatæ] καταγγέλλετε. *Sic malo quàm, Annuntiatis. quasi dicat, Annuntiare debetis. nam exponit illa verba, Hoc facite ad mei recordationem. Quòd si reddas,* Annuntiatis: *erit ratiocinatio, cujus vis nulla apparet. nempe vos Corinthii celebrantes Cœnam Domini annuntiatis mortem Domini: Ergo Christus præcepit ut hoc faceretis. Quin & determinatio illa temporis videtur imperativum postulare. Annuntiate donec venerit, id est, non solùm vos, sed etiam vos secuturi credentes usque ad finem mundi debent in celebranda sacra Cœna mortem Domini annuntiare. Annuntiare autem hic idem valet, quod prædicare, celebrare, ut Psal.92.v.3. & Psal.51.v.17.*

27 Indignè] ἀναξίως. *Id est, irreverenter, qualiter nimirum sacram Cœnam tractabant Corinthii; quum & schismata inter eos vigerent, & in agapis modum temperantiæ excederent, ita ut nonnulli inebriarentur. supra v.18. & 21.* Reus tenetur corporis &c.] *Qui sic? Nempe quia contumelia, qua afficit sacra symbola, in ipsas res significatas redundat. quemadmodum si quis imaginem aut literas Imperatoris conspueret, laceraret, pedibus conculcaret: is judicaretur commisisse crimen læsæ majestatis. Sicut contumelia, qua afficitur legatus, redundat in principem qui illum legavit.*

28 Probet autem] *Tempestivè hoc monet: ut doceat quid cuiq; agendum sit, & quomodo percipienda sacra Cœna, ne quis reus fiat corporis & sanguinis Domini.* Probet se] *Scil. an sit in fide: ut ait 2.Cor.13.v.5. Apostolus nunc altiùs assurgit; ut ostendat; ad hoc, ut dignè edamus Cœnam Domini, non esse satis ut caveamus schismata & ingurgitationem: sed præterea requiri ut unusquisque in se descendat, seq; penitiùs exploret atque examinet, an verè doleat admissa peccata, an verè credat in Christum peccatorum expiatorem, an serium propositum habeat post hac peccata fugiendi & justè sancteq; vivendi, ut ita se gratum Deo ostendat.* Se] ἑαυτὸν. *Alii,* Seipsum. *Quod nonnulli sic accipiunt, quasi subsit tacita antithesis. & quasi apostolus dicat,* Seipsum, *non autem proximum. Quæ expositio mihi quidem non probatur: quum emphasis hujus dicti non sit in pronomine* ἑαυτὸν: *sed in verbo* δοκιμαζέτω. *Itaq; pro* Seipsum *reposui* Se. Et ita] *Ubi scil. se probaverit, & compererit se esse idoneum ex gratia Dei.*

29 Judicium] κρίμα. *Id est, pœnam: sicut verbum* κρίνεσθαι *v.seq.31. & 32. idem valet quod puniri. Pœnam autem, id est, aliquid cujus abusu sibi accersit pœnam. Itaque est partim synecdoche generis, judicium pro damnatione: partim metonymia efficientis, damnatio pro pœna: partim metonymia effecti, pœna pro re cujus abusu accersitur pœna. Damnationis autem nomen ideo hic non probo, quia ex more Scripturæ de damnatione æterna intelligendum esset. quam non esse mentem apostoli, liquet: tum ex vers. seq. ubi exempla hujus judicii commemorat morbos & mortem corporis, tum maximè ex vers.32. ubi ait nos ideo puniri ne condemnemur. Lutherus vertit,* das gericht. *quasi in Græco sit* τὸ κρίμα, *& de æterna damnatione intelligendum sit. Vertendum est autem,* eine straaff. Sibi] ἑαυτῷ. *Sic malo cum vetere interprete quàm* Sibiipsi: *propter causam modo expositam v. superiore. quippe emphasis non est in pronomine* ἑαυτῷ, *sed in nomine* κρίμα. Non discernens] *Id est, ut qui non discernat. Discernit autem is qui panem hunc tanquam illius sacramentum convenienti religione tractat.*

30 Multi] ἱκανοί. *Satis multi.* ziemlich vil.

31 Si nos ipsi dijudicaremus, non judicaremur] *Scil. à Domino, id est, non esset necesse ut Dominus nos judicaret, hoc est, puniret. Est elegans paronomasia in verbis* διεκρίνομεν, ἐκρινόμεθα.

32 Sed quum judicamur] *Sequitur consolatio, prudenter reprehensioni præcedenti adjecta. Sic suprà cap.10.v.12. & 13.* A Domino castigamur] ὑπὸ κυρίου παιδευόμεθα. *Hæc verba* ὑπὸ κυρίου *possent etiam adjungi participio præcedenti* κρινόμενοι: *sed commodiùs adjunguntur verbo sequenti* παιδευόμεθα: *ut participium* κρινόμενοι *ponatur absolutè, sicut verbum* ἐκρινόμεθα *v. præcedente, unde repetitur. Interim hoc ipsum est subaudiendum. Deus enim is est qui judicat ac punit.* Castigamur] παιδευόμεθα. *Sicut scil. pueri castigantur virgis, & ita erudiuntur ad officium faciendum. Lutherus:* So werden wir vom HERRN gezüchtiget. Cum mundo] *Id est, cum impiis. Metonymia subjecti synecdochica.* Condemnemur] *Nempe ad æternos cruciatus, ad ignem illum qui paratus est Diabolo & angelis ejus.*

33 Itaque] *Concludit exhortatione ad emendandum vitium quod reprehendit.* Ad edendum] *Scil. Cœnam Domini. Synecd. generis.* Alius alium exspectate] *Divites ne præoccupando propriam Cœnam, sed exspectando pauperes.*

34 Quòd si quis esurit] *Ac proinde famem explere vult. Nempe sub ipsum tempus quo celebranda est sacra Cœna.* Domi edat] *Ei licet domi edere, non in ecclesia.* Ad judicium] εἰς κρίμα. *Id est, Ad pœnam: ut supr.29. Porrò* εἰς *notat hic eventum. Sententia enim est, Ne ita conveniatis, ut inde eveniant vobis pœna propter indignam sacræ Cœnæ tractationem.* Reliqua] *Nempe pertinentia ad ordinem politiæ ecclesiasticæ.*

OBSERVAT. EX CAP. XI.

1 Ex v.1. Exemplum Pauli in Ecclesia gubernanda ministris ecclesiæ imitandum est: quoniam ille imitatus est exemplum ipsius Christi. [*Ministri verbi Dei.*]

2 Ex v.2. Vindicandus est hic locus ab abusu Papistarum: qui inde conantur stabilire traditiones suas humanas, ne dicam diabolicas, quas sub titulo traditionum apostolicarum ecclesiæ obtrudunt. Nam etsi ex his verbis Pauli, sicut etiam ex ultimo versu hujus capitis, rectè colligitur, Paulum ecclesiis multa observanda tradidisse viva voce, quæ fortassis non omnia literis mandavit: tamen hinc nulla ratione concludi potest, vel illum vel alios Apostolos quicquam viva voce tradidisse quod scriptis ipsius aut reliquis sacris scripturis repugnaret: aut scriptis suis non tradidisse omnia ea quæ ad æternam salutem consequendam scitu necessaria sunt. Nam ut concedamus, eum ordinasse quædam in ecclesiis quæ ad decentem ordinem externæ administrationis officiorum ecclesiasticorum pertinebant: quæ literis non mandarit: tamen quæ ad internum Dei cultum & administrationem sacramentorum requiruntur, ea tum in hac epistola tum in aliis diligenter tradidit. At hæc idem Apostolus luculenter asseruit, doctrinam in sacris literis traditam ita perfectam esse, ut illæ erudire hominem possint ad salutem: quippe quum tota scriptura à Deo inspirata sit, sitque utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus: 2.Tim.3.v.15.16.17. Quare non est quod de non-scriptis Apostolorum traditionibus laboremus: minimè verò committendum ut pro Apostolicis traditionibus nobis obtrudantur, quæ scriptis illorum repugnant: quales sunt de Missa, de invo- [*Traditiones. Vindicatio verborum Pauli, Laudo vos quod traditiones retinetis.*]

catione sanctorum, de purgatorio & similibus superstitionibus ac falsis cultibus.

Conventus ecclesiastici. 3 Ex v.3.& sequentibus usque ad 16. In conventibus ecclesiasticis omnia geri debent ordine ac decenter.

Uxoris officium. 4 Ex v.7.8.9. Uxor virum honorare ac revereri debet, tanquam dignitate eminentiorem ex ordinatione Dei.

Angeli. Conventus ecclesiastici. 5 Ex v.10.videtur rectè colligi, S.Angelos conventibus ecclesiasticis interesse, ut quæ illic geruntur, audiant ac videant. Quo magis nos decet in illis conventibus reverenter versari: ac inprimis doctores, ut qui tam excellentes auditores habeant. Sed hoc plus est, quòd Christus ipse talibus conventibus interest, secundùm promissionem: Ubi duo tresvè congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum.

Mariti officium. 6 Ex v.11.&12. Vir mulierem ne contemnito: sed pro adjumento necessario & utili agnoscito: ac proinde convenientem illi honorem tribuito. Confer 1.Pet.3.7.

Adiaphora. 7 Ex v.16. De adiaphoris non est in ecclesia contendendum: sed in judicio & constitutionibus piorum pastorum acquiescendum. Pii autem pastores nihil ordinabunt quod verbo Dei adversetur: secus pii non fuerint.

Ministri verbi Dei. 8 Ex versu 17. Pastor ecclesiæ auditores suos nunc laudare nunc reprehendere debet: prout illos vel rectè vel malè agere videt.

Ecclesia. 9 Ex v.18.& 19. Diabolus quiescere non potest, quin subinde dissidia & hæreses in ecclesia excitet.

Schismata. Hæreses. 10 Ex v.19. Schismata & hæreses non eveniunt temerè, sed ex immutabili decreto Dei (quod hic significatur verbo δεῖ, id est, oportet) idque ad gloriam inprimis ipsius Dei qui electos suos donat studio pacis & perseverantia in vera fide: tum ipsorum electorum, qui hac occasione manifesti fiunt, dum scilicet schismatibus ac hæresibus sese opponunt. Interim authores schismatum ac hæresium non merentur excusationem. nam etsi necesse est, ut eveniant scandala; tamen væ homini illi per quem scandalum evenit: ait Christus Matth.18.v.7. Et sanè illi scandalorum authores non magis excusationem merentur, quàm qui Christum ad mortem adduxerunt: id quod tamen ex immutabili decreto Dei factum fuit; ut Scriptura passim testatur: ut Matt.26. v.34. Luc.24.v.26. Act.2.v.23. & cap.4.v.27.& 28. Præterea & hoc tenendum, principalem hæresium ac omnino omnium scandalorum authorem esse diabolum, qui zizania inter bonum triticum serit, Matth.13.v.25.& 39.

Cæna Domini. 11 Ex vers.30. Quum Cæna Domini aliter celebratur quàm Christus tradidit, non est ampliùs Cæna Domini; maximè si omittantur substantialia: ut si non referatur ad eum finem ad quem est instituta, videlicet ut gratias agamus Deo, quòd nos per mortem Filii redemit: sed detorqueatur ad fines alios, putà ut per hoc opus consequamur remissionem peccatorum: quod hodie faciunt multi, maximè in Papatu; vel, ut ventrem pascamus: quod faciebant Corinthii, quo nomine hic à Paulo reprehenduntur. Item si omittatur illa cærimonia quæ ad mortem Christi repræsentandam est à Christo instituta: videlicet fractio panis.

Fractio panis in Cæna Domini. 12 Ex v.23. Ex verbis Apostoli demonstrari potest, fractionem panis in Cæna Dominica habere mandatum Dei. Ait enim, se quod Corinthiis hac de re tradiderit, accepisse à Domino. quod quid aliud est, quàm Dominum nostrum Jesum Christum sibi mandasse, ut illa tum ipsis Corinthiis, tum aliis quibusvis Ecclesiis traderet? Atqui Corinthiis Paulus tradidit fractionem panis in sacra Domini Cæna; ut manifestum est ex ipsius verbis suprà cap.10.v.16. ubi ait, Panis ille quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Loquitur enim de ritu ex traditione ipsius apud Corinthios instituto ac recepto. Quis igitur ausit negare, fractionem panis in sacra Domini Cæna mandatum Domini habere? Errant igitur, qui ritum hunc ἀδιάφορον esse contendunt.

Cæna Domini. 13 Ex v.23. Quum Christus in sacræ suæ Cænæ institutione ac prima celebratione adhibuerit panem usitatum, qualis tunc erat ad manum, & de quo jam ventrem paverant edentes agnum paschalem: apparet, præposterè ac superstitiosè in Papatu institutum esse, ut ad usum sacræ Cænæ pararetur panis singularis, isque ita tenuis ut vix panis nomen mereatur. Item quòd singularis ei figura attributa est, nempe rotunda & parva, qualis nimirum est numorum: unde & panis numularius appellatus est, ad significandum scilicet, quod Christus pro triginta numis à Juda sit proditus. Item quod impressa illi est figura crucifixi Christi. Quæ omnia humani cerebri commenta sunt, partim ex superstitione, partim ex astu ad simplices superstitiosa opinione de transsubstantiatione irretiendos profecta: nec ullum in institutione Christi fundamentum habent. Nec verò concludi potest, panem sacræ Cænæ oportere esse ἄζυμον, id est, fermenti expertem: eo quod Christus tali usus sit. Etenim illius accidentis Christus rationem non habuit in sacra sua Cæna instituenda: sed tali pane tum usus fuit, quia per Legem alio vesci per id tempus non licebat. Qui igitur panem azymum hic necessarium esse contendunt: illi cærimonias Legis, per Christi mortem abolitas, quantum in se est, revocant: atque ita mortem Christi negant. Nec sanè vel minimum indicium in scriptis Apostolorum ostendi potest, quod Apostoli alio pane in Cæna Domini celebranda usi sint, quàm vulgari & quotidiano seu usitato. Certè si Paulus voluisset Corinthios uti pane azymo, aut alias singulari: disertè hoc eis præcepisset: quum panis azymus apud illos non esset usitatus. Sed quum simpliciter panem nominet, planum est, eum de vulgari & omnibus usitato pane loqui.

Cæna Domini. 14 Ex v.24.& 25. Vera consecratio panis & vini in Cæna Domini non est arcana demurmuratio quinque verborum super panem, qualis in Papatu à sacrificulo usurpatur: sed publica gratiarum actio coram ecclesia pro opere redemtionis, item panis fractio, & mysterii declaratio. Etenim hæc tria Christum egisse videmus: primùm gratias egit Patri pro opere redemtionis jam jam peragendo: deinde panem fregit: tum declaravit discipulis, quid sibi illo novo ritu vellet, nempe quod vellet signis illis sui corporis & sanguinis revocare eis in memoriam mortem suam, ut pro illa gratias sibi perpetuo agerent.

Cæna Domini. 15 Ex v.24. Mandatum fractionis panis in sacra Domini Cæna, ex hoc quoque versu demonstrari potest. Etenim mandavit Christus discipulis ut acciperent à se & ederent panem illum modo ante oculos ipsorum ab ipso fractum. Atqui in prima illa Cæna Christus functus est officio ministri; discipuli verò repræsentarunt Ecclesiam seu cœtum fidelium ad mensam Domini accedentium & (ut vulgo loquuntur) communicantium. Quare ut fideles mandato Domini de edendo pane ante oculos ipsorum fracto à ministro obedire possint: necesse est ut ipse minister panem priùs frangat exemplo Christi. Præterea ex verbis Apostoli demonstrari potest, ritum fractionis in sacra Cæna esse substantialem, ac proinde non posse tanquam ἀδιάφορον omitti. Etenim Paulus ait, Christum de pane illo fracto dixisse, Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur. qua formâ loquendi significat, crucifixionem corporis Christi per fractionem panis tanquam per sacramentum seu sacram cærimoniam repræsentari: quum certum sit, proprie loquendo corpus Christi fractum non esse. quare percipitur, fractum dici ab Apostolo per metaphoram, idque propter similitudinem seu analogiam quam habet cum fracto illo pane, tanquam res significata cum signo.

Cæna Domini. 16 Ex v.24. Quum Christus discipulos jusserit panem illum sanctum accipere, utique manu: (quis enim tam fatuus sit ut opinetur, Christum eo verbo jussisse ut Apostoli aperirent ora ad excipiendum particulam panis manu ipsius indendi) perversus igitur ac superstitiosus ritus est ille in Papatu introductus: quo idiotæ seu Laici (quos superbe nominant) non audent attingere illum panem manu, sed eum oris hiatu ex manu sacrificuli excipiunt. Et perversè agunt ministri illi quoque qui Evangelici nominari gaudent, nec tamen auditores suos monent, ut panem hunc accipiant manu, sed illum singulis in os indunt. id quod tum demum cum recta ratione conjunctum esset, & idoneam causam haberet: si is qui sacram Cænam expetit, manibus captus esset.

Cæna Domini. 17 Ex eod.v. Quum Christus jusserit panem illum sanctum edere, id est, mandere seu dentibus commolere ac tum deglutire: superstitiose igitur & contra mandatum Christi agunt, qui illum panem non mandunt, sed integrum deglutiunt.

Cæna Domini. 18 Ex eod.v. Panis Cænæ Dominicæ à communi pane differt non substantiâ seu naturâ, sed officio seu usu, quoniam edendus est non ad pascendum ventrem, sed mentem: quippe quum sit edendus tanquam sacramentum seu sacrum signum corporis Christi, per quod Christus nobis testatur, corpus suum pro nobis esse fractum, id est, crucifixum, atque ita nobis effectum panem vitæ: quo scil. animæ nostræ pascantur ad vitam æternam; sicut ipse copiosè docuit Joh.6.

Antilogiæ apparentis conciliatio. 19 Ex eod.v. Quum Johannes cap.19. Evangelii sui testetur, crura Christo in cruce pendenti non esse fracta: quærat aliquis, cur dicat Paulus, corpus ejus fractum? Responsio patet ex iis, quæ paulo ante diximus; nempe *Frangendi* verbum hoc loco per metaphoram usurpari ad significandum cruciatus quos Christus sensit in cruce: at Johannes verbo *Frangendi* utitur in significatione propria.

Cæna Domini. 20 Ex v.25. Quod paulo ante dictum est de pane sacræ Cænæ, quomodo differat à pane communi: idem hic observandum est de sacro illo vino.

Cæna Domini. 21 Ex eod.v. Poculum eucharisticum, sive (ut appellant) calix, præberi debet communicantibus quibuslibet. Male igitur laici (quos in Papatu nominant) eo privantur.

Cæna Domini. 22 Ex v.24.25. & 26. Finis Cænæ Domini, propter quem instituta est, & proinde a nobis celebrari debet, est: ut mortis Domini recordemur, eamque annuntiemus seu prædicemus, Deoque pro illa gratias agamus. Hic finis ad alios duos subordinatus est: videlicet ad gloriam Domini, & ad nostram consolationem. Hæc enim est singularis gloria Christi, quod ipse sua morte nos redemit: id quod per sacram Cænam profitemur. Deinde hæc eadem est unica nostra consolatio in vita & in morte, quod Christus suâ morte nos redemit: id quod ipse nobis per sacram Cænam testatur. Ad hos igitur fines qui in percipienda sacra Cæna non respiciunt, & maximè ad illum priorem, id est, ad gloriam Christi: illi sacrâ Cænâ abutuntur.

Cæna Domini. 23 Ex iisdem versibus. Ad rectam atque legitimam sacræ Cænæ perceptionem requiritur fides, nempe fides illa qua credimus Christum pro nobis esse mortuum. Etenim si hoc non creda-

credamus: non poterimus Christo pro sua morte gratias agere: quæ tamen gratiarum actio ad rectum sacræ Cænæ usum vel inprimis requiritur, ut superiori observatione admonuimus. Abutuntur ergo sacra Cæna, qui non credunt se remissionem peccatorum per Christum jam habere: sed ideo illam percipiunt ut istam demum consequantur. Quasi scilicet sacra Cæna sit instar potionis medicæ, qua peccata veluti pravi humores expurgentur.

Fedus gratia.

24 Ex v.25. Fedus illud divinum gratiæ nobiscum contractum, solo sanguine Christi sancitum atque confirmatum est, quatenus ille effusus est cum sensu iræ Dei. Quare remissio peccatorum quæ in federe illo promittitur, nullibi nisi in sanguine Christi quærenda est: ac proinde mors Christi sola est quæ nobis ad justitiam coram Deo imputatur: quum justitia nostra qua consistimus coram Deo nihil aliud sit quàm ipsa peccatorum remissio: ut colligitur ex verbis Pauli Rom.4.v.6.& 7.

Cæna Domini.

25 Ex vers.26. Quum Cæna Domini celebranda sit donec Dominus venerit: falsum igitur opinantur qui putant, corpus Christi esse in pane. Si enim esset in pane, venisset utique in panem: quum certum sit, Christum suo corpore quadragesimo die post resurrectionem ascendisse in cælum. Atqui Paulus testatur, venturum demum in fine mundi. Neque juvat hîc effugium, quòd Paulus loquatur de adventu visibili: Etenim de adventu Christi secundùm humanam naturam invisibili nihil quicquam in Scriptura traditur. Imo istud dogma mendacii damnat Christus, Matth.24. v.23.26. & 27. Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hîc Christus aut hîc, ne credite. Item, Si dixerint vobis, Ecce in conclavibus est, ne credite. Sicut enim fulgur exit ab Oriente & apparet usque in Occidentem: ita etiam erit adventus filii hominis.

Ecclesia.

26 Ex iisdem verbis discendum est, ecclesiam & purum Dei cultum permansurum usque ad finem mundi. Quare frustra tumultuantur tyranni, quum ecclesiam persequuntur, & penitus delere atque exstinguere conantur.

Cæna Domini.

27 Ex vers.26.27. & 28. Quum Paulus panem sacræ Cænæ etiam post recitatam illius consecrationem seu sanctificationem, constanter panem appellet: vanam esse liquet Papistarum transsubstantiationem.

Cæna Domini. Vindicatio verborum Pauli, Quisquis ederit panem hunc &c. indignè, reus tenebitur corporis &c.

28 Ex v.27. Ex verbis Pauli malè colligunt quidam, infideles in sacra Cæna edere corpus Christi ac bibere sanguinem ipsius: quia nimirum Paulus dicat, illum qui ederit aut biberit indigne, reum fieri corporis & sanguinis Domini. At primùm errant in eo, quod putant, Paulum loqui de infidelibus. Is verò loquitur de fidelibus, sed qui indigne, hoc est, irreverenter, Cænam Domini percipiunt. hoc planum est, tum ex præcedentibus tum ex sequentibus. In præcedentibus enim reprehendit fideles Corinthios, quod Cænam Domini irreverenter & confuse administrarent: id quod jam nominat, edere ac bibere indigne, ἀναξίως: hoc est, secus ac dignum est tam sancto mysterio. In sequentibus verò de iis quos indigne edere dixit, affirmat quod à Domino castigentur ne cum mundo condemnentur: item ait, illorum nonnullos obdormivisse, utique in fide Christi. Deinde Paulus non dicit, Qui indigne ederit corpus Domini, aut, Qui indigne biberit sanguinem Domini: sed ait, Qui indigne ederit *panem* hunc, item, Qui indigne biberit *poculum* Domini. Et sane corpus & sanguis Domini indigne seu irreverenter edi ac bibi non possunt: quum non possint edi ac bibi nisi fide, ut Christus docet Johan.6. Fides enim reverentiam majestatis divinæ necessariò adjunctam sibi habet. Denique non sequitur, Fiunt rei corporis & sanguinis Christi: Ergo illud edunt atque istum bibunt, quippe quum possint illorum rei fieri atque adeò fiant alia ratione, & alia ex causa, & quidem planè contraria quàm isti putant, videlicet propterea, quòd corpus & sanguinem Christi per incredulitatem repudiant & aspernantur, ac proinde illud non edunt nec illum bibunt: atque ita sacra illa symbola profanant, dum non percipiunt illa tanquam sacramenta corporis & sanguinis Christi ac testimonia divina remissionis peccatorum per Christi passionem nobis partæ.

Cæna Domini.

29 Ex v.28. Ad rectam & salutarem Cænæ Dominicæ perceptionem requiritur, ut homo sese probet, videl. an sit in fide, ut alibi Paulus loquitur. Cum fide autem cohærent alia duo: verus dolor ob admissa peccata, & studium deinceps agendi quæ Deo placent: quorum illud fidem antecedit, istud verò eandem sequitur.

Cæna Domini. Vindicatio verborum Pauli, Homo probet seipsum.

30 Ex eodem v. Etsi peccant qui ita occupantur in judicando proximo, ut quum aliquos ad mensam Domini accedere vident, quos ipsi non judicant idoneos, ipsi quoque abstineant: tamen non rectè ad illos istius peccati convincendum adhibentur hæc verba Pauli, Homo probet ἑαυτὸν, id est, (ut ipsi quidem accipiunt) se ipsum. qua de re diximus in Scholiis. Sed convincendi isti sunt hac potissimùm ratione; quod Christus singulis Christianis mandavit, Accipe, ede, &c. Item quòd unusquisque pro se rationem reddet Deo: & sicut alterius fides te non justificabit, ita nec incredulitas alterius te condemnabit. Quod autem illi prætexunt illud Pauli, Nolite jugum trahere cum infidelibus: sciendum primo, non statim pro incredulo habendum qui vitio aliquo laborat, quum se interim Christianum profiteatur, deinde is demum jugum cum impiis trahit, qui cum eis in impietate consentit: non autem qui sanctis Dei institutis reverenter utitur, quum interim alii eisdem abutantur.

Cæna Domini. Vindicatio verborum Pauli, Qui edit & bibit indignè, judicium sibi edit & bibit.

31 Ex v.29. Male interpretantur verba Pauli, qui dicunt, eum hîc docere, quod nonnulli edant corpus Christi & bibant sanguinem ejus ad æternam damnationem. Nam primò non loquitur hîc Paulus de comestione corporis Christi aut bibitione sanguinis ejus: sed de comestione panis & bibitione poculi Domini, ut liquet ex collatione versuum duorum præcedentium. Deinde nec loquitur de æterna damnatione, sed de pœna aliqua corporali qua castigantur fideles ne cum mundo condemnentur: ut planum est ex collatione sequentium. nam statim versu sequente 30. vocabulum *judicii* per exempla pœnarum seu castigationum corporalium declarat, videl. morbos & mortes. Et v.32. judicium illud appellat παιδείαν, id est, castigationem: illiq; damnationem qua mundus damnatur, opponit.

Castigationes Dei.

32 Ex v.32. Quum Deus nos morbis aut aliis modis flagellat: statuamus, eum id facere animo paterno; ut scil. nos ad resipiscentiam adducat, ne cum mundo damnemur: ac proinde maturè resipiscamus.

Cæna Domini.

33 Ex v.34. Quum Paulus expresse permittat, ut si quis accessurus ad mensam Domini esuriat, domi edat: unde ergo præceptum illud in Papatu, ut jejuni ad Cænam Domini accedamus? Nempe ex superstitione: ut cætera pleraque istorum.

Cæna Domini.

34 Ex eodem versu. Quod Papistæ verba Pauli (Reliqua quum venero, ordinabo) referunt ad superstitiosas suas & idololatricas nugas in Missa: ineptè argumentantur à genere ad speciem affirmando.

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Sequitur deinceps de recto donorum spiritualium usu: quam quæstionem tractabit Apostolus per tria sequentia capita. In hoc autem capite ita de donis spiritualibus disputat, ut non obscurè significet, Corinthios illis fuisse abusos. Nam qui donis excellebant, ambitiosè illa jactantes, Deum eorum authorem suâ laude fraudabant: & nullâ fratrum habitâ ratione, illis ad inanem ostentationem abutebantur, ac proinde ecclesiam eorum usu privabant. Abjectiores autem vicissim excellentioribus invidentes, secessionem meditabantur, ut totum illud corpus velut disjectum ac dissipatum esset. Præcipuè autem perstringit eos qui donis suis abutebantur ad fratrum contemtum.

PORRÒ de spiritualibus *donis*, fratres, nolim vos in ignorantia versari.

2 Scitis, vos Gentes fuisse: qui ad idola illa muta, prout rapi contigisset, abripiebamini.

3 Quapropter notum vobis facio; nullum per Spiritum Dei loquentem, dicere Jesum anathema: & neminem posse dicere Jesum Dominum, nisi per Spiritum sanctum.

4 Distinctiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus.

5 Et distinctiones ministeriorum sunt: sed idem Dominus.

6 Et distinctiones operationum sunt, sed idem est Deus, qui operatur eas omnes in omnibus.

7 Unicuique verò datur declaratio Spiritus ad utilitatem.

8 Nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii verò sermo notitiæ per eundem Spiritum:

9 Alteri verò fides, per eundem spiritum: alii verò dona sanationum, per eundem Spiritum:

10 Alii verò operationes virtutum, alii verò prophetia, alii verò discretiones spirituum, alteri verò genera linguarum, alii verò interpretatio linguarum.

11 Sed omnia hæc efficit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim *illa* singulis sicut vult.

12 Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia verò illa membra corporis quod unum est, multa quum sint, unum sunt corpus: ita & Christus.

13 Etenim per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus: sive Judæi, sive Græci; sive servi, sive liberi: & omnes in unum Spiritum potionati sumus.

14 Etenim corpus non est unum membrum, sed multa.

15 Si dicat pes, Non sum manus; non *igitur* sum ex corpore: non propterea non est ex corpore.

16 Et si dicat auris, Non sum oculus; non *igi-*

tur ſum ex corpore: non propterea non eſt ex corpore.

17 Si totum corpus oculus *eſt*, ubi auditus? ſi totum auditus, ubi odoratus?

18 Nunc autem Deus collocavit membra ſingula ſigillatim in corpore, ſicut voluit.

19 Quod ſi eſſent omnia unum membrum; ubi corpus?

20 Nunc verò multa quidem membra ſunt, unum verò corpus.

21 Non poteſt autem oculus dicere manui, Non eſt mihi opus te: aut rurſum caput pedibus, Non eſt mihi vobis opus.

22 Imo multo potius, quæ videntur membra corporis infirmiſſima eſſe, neceſſaria ſunt.

23 Et quæ putamus *membra* corporis maximè eſſe inhoneſta, iis honorem ampliorem circumponimus: & quæ ſunt in nobis indecora, copioſiorem decorem habent.

24 Nam quæ ſunt in nobis decora, iis *decore* non eſt opus: ſed Deus contemperavit corpus, ei cui deerat, copioſiore tributo honore.

25 Ut ne ſit diſſidium in corpore, ſed membra idem curent alia pro aliis.

26 Itaque ſive patitur unum membrum, ſimul dolent omnia membra: ſive honore afficitur unum membrum, congratulantur omnia membra.

27 Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra particulatim.

28 Et alios quidem conſtituit Deus in eccleſia, primum apoſtolos, deinde prophetas, tertiò doctores: deinde *conſtituit* virtutes; deinde dona ſanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.

29 Num omnes, *ſunt* apoſtoli? num omnes, prophetæ? num omnes, doctores? num omnes, *ſunt* virtutes?

30 Num omnes dona habent ſanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?

31 Sed ſtudioſè ſectamini dona potiora. Et porrò iter ad excellentiam vobis monſtrabo.

A Contemtu fratrum propter dona, dehortatur variis rationibus. Quarum prima, eſt à cauſa efficiente, quod dona iſta acceperint à Deo, idque ex mera gratia & liberalitate, non autem ſuo merito: quum fuerint immerſi tenebris & ſervituti idololatriæ: v.2. & 3. Secunda ratio item à cauſa efficiente ſumta eſt, ſed paulò aliter, nempe ſimul à pari. Quanquam dona ſpiritualia (inquit) alia aliis excellentiora ſunt: tamen omnium author & largitor eſt unus idemq; ſpiritus. Non ſunt igitur contemnendi qui minora dona acceperunt: quia minora illa dona tam ſunt profecta à Spiritu ſancto quàm ſuperborum iſtorum excellentiora, verſ. 4.5.6. Verſu autem 7, inſeritur ratio tertia; quæ ſumta eſt à fine. Dona ſpiritualia (inquit) cuique data ſunt ad utilitatem, id eſt, ut fratribus proſit eorum uſu, eoſque ædificet ac promoveat in cognitione Dei & ſtudio pietatis. Non igitur data ſunt ad fratrum contemtum. Contemtus enim ille non eſt utilis, ſed vehementer nocet: quippe qui fratrum animos alienat, atque ita ſchiſmati occaſionem præbet. Poſtea v.8. & deinceps redit ad rationem ſecundam, eamque primum illuſtrat diſtributione ſeu enumeratione ſpecierum: enumerat enim varias donorum ſpiritualium ſpecies: quorum alia aliis data ſint, v.8.9. & 10. deinde rationem ipſam repetit, verſ. 11. Porrò verſ. 12. & deinceps redit ad rationem tertiam, eamque illuſtrat eleganti ſimilitudine à corpore hominis. Sicut enim membra corporis multa & varia, conſtituta ſunt ad corporis unitatem atque incolumitatem: ſic fideles variis donis ornati ſunt ad totius eccleſiæ utilitatem, v.12. Hanc rationem confirmat teſtimonio baptiſmi & Cœnæ Domini, v.13. Poſtea ex allata ſimilitudine corporis humani, per πρόσταξιν deducit reprehenſionem eorum qui minoribus donis præditi, excellentioribus invidebant, ac proinde ſeceſſionem meditabantur. Monet igitur, illos nihilominus pertinere ad eccleſiam, ac proinde non debere illius unitatem ſcindere, etiamſi aliis inferiores ſint. ſicut membra corporis abjectiora non minus ad corpus pertinent, quàm præſtantiora: à verſ. 14. uſque ad 21. Poſtea redit ad illos qui donis ſpiritualibus excellebant, & eorum ſuperbiam ex eadem ſimilitudine reprehendit: ſimulque quartam rationem exponit, quare iſti non debeant cæteros aſpernari: quia ſcilicet cæterorum dona, licet minùs excellentia, tamen neceſſaria ſint, v.21. 22. 23. Adjungit etiam ejuſdem ſimilitudinis occaſione rationem quintam, quæ ſumta eſt à fine, id eſt, à conſilio Dei, qui varietatis illius donorum author eſt: Sicut Deus ex variis membris corpus hominis temperavit, ut membra alia pro aliis ſolicita ſint, & unumquodque commoda cæterorum curet, denique ut inter ea ſit συμπάθεια: ſic etiam variis donis Chriſtianos ornavit, ut ſuis quisque donis ſerviat cæteris ad incolumitatem totius eccleſiæ, v.24.25.26. Poſtea ſimilitudinis inſtitutæ ἀπόδοσιν plenius exponit: & rurſum varias ſpecies donorum ſpiritualium enumerat, verſ. 27.28.29.30. Poſtremò tranſitionem facit ad ſequens caput, v.ult.

SCHOLIA IN CAP. XII.

1 Porrò] δὲ. *Particula tranſitiva.* De ſpiritualibus *donis*] περὶ τῶν πνευματικῶν. *Subaudi* χαρισμάτων. *Id eſt, quod ad ſpiritualia dona attinet. Sic ſup. 7.1.*

2 Idola] *Intelligit imagines commentitiorum deorum:* Götzen.

3 Per ſpiritum Dei] *Id eſt, ex inſtinctu ſpiritus Dei.* Et neminem] *Antitheſis.*

4 Diſtinctiones autem] *Eſt enunciatum diſcretum. q. d. Quanquam autem diſtinctiones donorum ſunt, tamen idem eſt ſpiritus.* Idem ſpiritus] *Nempe Spiritus ſanctus: qui ſcil. largitor eſt omnium donorum, quantumvis diverſorum atque adeò etiam in ſpeciem humilium & abjectorum.*

5 Et diſtinctiones] *Sententiam generalem v. præcedente propoſitam, exponit & illuſtrat per duas ſpeciales.* Miniſteriorum] *Scil. neceſſariorum ad ædificationem Eccleſiæ.* Dominus] *Eruditè miniſteriis opponit dominum. ſunt enim hæc relata. Videtur autem intelligere Chriſtum: is enim unà cum Patre mittit Spiritum ſanctum in corda credentium.*

6 Operationum] ἐνεργημάτων. *Intelligit opera miraculoſa in quibus elucet virtus ſeu potentia Dei: ut percipitur ex collatione v.10. ubi vocat* ἐνεργήματα δυνάμεων. Deus] *Nempe pater, qui unà cum Filio Spiritum ſanctum mittit.* Qui operatur] ὁ ἐνεργῶν. *Nota paronomaſiam in verbis* ἐνεργημάτων *&* ἐνεργῶν: operationum & operans. Eas omnes] τὰ πάντα. *Nota vim articuli* ἀναφορικὴν. *Intelligit illa* ἐνεργήματα, *quorum modò fecit mentionem. Quare vetus interpres non rectè vertit,* Qui operatur omnia in omnibus. *Quaſi ſcil. Apoſtolus de omnibus hominum operibus loquatur.* In omnibus] ἐν πᾶσιν. *Nempe in quibus facultates illæ ſunt.*

7 Unicuique verò datur] *Intellige, Unicuiq; cui datur, ut modò.* Datur declaratio ſpiritus] *Id eſt, donum ſpiritus, quo dono ſpiritus ſuam in homine præſentiam declarat. Metonymia effecti.* Ad utilitatem] *Scil. Eccleſiæ. Finem indicat: ut ſcil. ſuo quisq; dono ſuisve donis ſerviat Eccleſiæ. Porrò ſi ad utilitatem: non igitur ad contemtum fratrum.*

8 Nam huic] *Enumerat varia dona utriusq; generis, nempe & miniſteriorum & operationum.* Per Spiritum datur] *Scil. à Deo patre & filio. vel* διὰ *poſitum eſt pro* ὑπὸ: *quum infr. v.11. dicat, Sed omnia hæc efficit unus ille & idem ſpiritus.* Sermo ſapientiæ] *Ut poſſit ſapienter exhortari, conſolari, arguere: ut paſtoribus faciendum eſt.* Sermo notitiæ] *Ut ſcienter & peritè & accuratè fidei Chriſtianæ dogmata ex ſacris literis doceat: id quod in doctoribus ſcholarum potiſſimùm requiritur.*

9 Fides] πίστις. *Nempe fides illa ſpecialis, quæ dici ſolet fides miraculorum, quoniam vi illius eduntur miracula, hoc eſt, impetratur à Deo ut edat miracula: de qua iterum loquitur expreſſiùs in principio capitis ſequentis, v.2. Etenim fides illa ſalvifica non datur tantùm paucis quibusdam in Eccleſia, ſed omnibus electis: & quicunq; pro Eccleſiæ membris habentur, illam fidem habere judicantur.*

11 Efficit] ἐνεργεῖ. *In homine & per hominem operatur. Nam præpoſitio* ἐν *connotat ſubjectum vel inſtrumentum.* Singulis] *Nempe quibus illa diſtribuit, ut ſupr. 6. & 7.* Sicut vult] *Scilicet ſpiritus ille.*

12 Corpus] τὸ σῶμα. *nempe* τὸ τοῦ ἀνθρώπου. Chriſtus] ὁ Χριστός. *Id eſt, Eccleſia cujus caput eſt Chriſtus. Synecdoche membri.*

13 In unum corpus] εἰς ἓν σῶμα. *Scil. myſticum. Id eſt, ut eſſemus unius ejusdemq; corporis membra.* In unum ſpiritum] εἰς ἓν πνεῦμα. *Id eſt, ut regeremur ab uno eodemq; ſpiritu, videl. à Spiritu ſancto. Vel, ut eſſet nobis unus ſpiritus, hoc eſt, unum cor, & una anima: ut loquitur Lucas Act. 4. v.32. de concordia Chriſtianorum Hieroſolymitanorum. Quæ expoſitio cum priore in idem recidit: & favet illi antitheſis inter corpus & ſpiritum. quâ expoſitione ſervatâ, ex priore membro repetendum erit ἀπὸ κοινοῦ, illud* ἐν ἑνὶ πνεύματι, *per unum ſpiritum: ſcil. ſanctum.* Potionati ſumus] ἐποτίσθημεν *ſic reddendum cenſeo verbo quo uſus eſt Suetonius, quo Græcum illud probè exprimitur. Nam Potare Latinis idem valet quod Bibere: itemq; Potari idem quod Bibi. unde aurum potabile, quod poteſt bibi. Plin. lib. 11. cap. 37. Guttur homini tantùm & ſuibus intumeſcit, aquarum quæ potantur plerumq; vitio.*

15 Non propterea non eſt ex corpore] οὐ παρὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ σώματος. *Sic rectè vetus interpres, ſed absq; interrogatione: cujus nota mendoſè adſcripta eſt. Etenim adverbium* οὐ *non valet in interrogando* Num, *vel* An, *ſed* Nonne: *Id eſt, innuit affirmationem, non autem negationem. at hic negatio continetur, ut patet. Sic verſu ſequenti. Si eſſet vertendum* Num: *oporteret in Græco eſſe* ἢ *vel* μὴ *vel* ἆρα γε. *Ac Syrum quoque legiſſe* οὐ, *liquet ex ejus verſione: nam reddidit primam hujus ſententiæ vocem*

per ad-

per adverbium negandi לָו *lau: quod quidem non rectè ibi redditum est per* Num. *Etenim hoc interrogandi adverbium Syrus reddit per* או *ú, vel* לְמָא *lemá.*

17 Ubi auditus?] *Ubi igitur erit auditus? Quasi dicat, nusquam erit.*

19 Ubi corpus?] *Scil. esset.*

24 Ei cui deerat] *Scil. membro.*

26 Simul dolent] *συμπάσχει. In Græco est elegans paronomasia in verbis πάσχει & συμπάσχει.*

27 Particulatim] *ἐκ μέρους. Id est, pro se quisque.*

28 Et alios quidem &c.] *καὶ οὓς μὲν &c. Oratio ἀνακόλουθος, id est, inconsequens. Recta consequentia postulabat sic dici: καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀποστόλους, οὓς δὲ προφήτας, οὓς δὲ διδασκάλους, & ita deinceps. At Apostolus relictâ illâ loquendi formulâ unde inchoaverat, substituit aliam, dicens, πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας &c. Quare aut istud οὓς μὲν redundat: aut deest οὓς δὲ, illi respondens, ad hunc modum: οὓς μὲν ἔθετο ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ οὕτως, οὓς δὲ οὕτως: καὶ πρῶτον μὲν ἀποστόλους, δεύτερον δὲ προφήτας &c. Sanè tali formâ loquendi quam hic explevimus, usus est suprà c.7.v.7. ubi ait: Sed unusquisque proprium donum habet à Deo: ὃς μὲν οὕτως ὃς δὲ οὕτως.* Prophetas] *προφήτας. Intelligit eos qui prophetarum scripta ex singulari revelatione Spiritus sancti poterant interpretari: de quibus aget infr. c.14.* Virtutes] *δυνάμεις. Intelligit eos qui poterant edere miracula. Lutherus* wunderthäter / *eleganter. Sic Græci vocant illos θαυματουργούς. Metonymia duæ & quidem inter se opposita: prior efficientis, Virtutes pro miraculis à virtute divina profectis: posterior effecti, Miracula pro miraculorum effectoribus. Prioris metonymiæ exemplum occurrit Matth.11.v.20.* Opitulationes] *ἀντιλήψεις. Id est, diaconos qui opitulantur pauperibus, item curatores ægrotorum.* Gubernationes] *κυβερνήσεις. Id est, Seniores qui gubernant Ecclesiam sanctâ disciplinâ.*

29 Virtutes] *δυνάμεις. Id est, miraculorum effectores; ut v. præcedente.*

30 Interpretantur] *Scilicet linguas.*

OBSERVAT. EX CAP. XII.

Dona spiritualia. 1 Ex toto capite, de recto donorum spiritualium usu in summa hoc tenendum est. Qui donis illis excellunt, ne propterea superbiant, aliósve contemnant: Qui verò acceperunt minora, ne excellentioribus invideant: sed singulis suis donis utantur ad mutuam & communem Ecclesiæ ædificationem: cogitantes, se dona illa non habere à seipsis, sed accepisse à Deo in hunc ipsum finem: item alios aliorum donis opus habere.

Idololatria. 2 Ex v.2. Idololatræ furore quodam Satanico abripiuntur ad colendum idola. Quare idololatriam toto pectore detestemur: & Deo gratias agamus, quod nos ab idololatria tum Ethnica tum Papistica clementer liberavit.

Spiritus sanctus. 3 Ex vers.3. Quod hoc loco Spiritus sanctus vocatur spiritus Dei, nempe Patris: per hoc non excluditur Filius. nam alibi nominatur spiritus Christi: Rom.8.v.9.

Deus. 4 Ex v.4.5.& 6. Ex his tribus versibus confirmari potest axioma illud Theologicum, ab Augustino acceptum, & in scholis Theologorum celebratum: Opera S. Trinitatis quæ sunt ad extra, sunt indivisa: hoc est, tribus personis communia.

Vindicatio verborum Pauli, Qui operatur omnia in omnibus. 5 Ex v.6. Quidam probaturi, Deum operari in hominibus etiam peccata, non quidem quatenus peccata sunt, sed actiones: citant hæc verba Pauli, (ut illa reddita sunt à vetere interprete) *Deus operatur omnia in omnibus*: sed præter Apostoli mentem. Loquitur enim propriè de operibus miraculosis: ut declaratum est in scholiis.

Spiritus sanctus. 6 Ex v.11. Quoniam Spiritui sancto expressè tribuit Paulus voluntatem, docet, eum esse personam. nam Velle, proprium personæ est. Errant igitur qui putant, vocabulo *Spiritus sancti* nihil aliud significari quam bonos motus cordis, seu bonas & sanctas cogitationes atque affectus.

Unio fideliũ in Christo. 7 Ex v.12. & 27. Fideles cum Christo uniti sunt ut membra cum capite: & ipsi quoque inter se, ut membra ejusdem corporis. Hinc consolatio: quia Christus servator est corporis sui, id est, Ecclesiæ: Eph.5.v.23. Item institutio: ut nos mutuo diligamus: quem usum innuit Apostolus infrà v.25.& 26.

Baptismus. 8 Ex v.13. Deus credentibus in Christum testatur per baptismum, se illos per Spiritum sanctum coagmentasse in unum corpus: videl. corpus mysticum cujus caput Christus est. Cæterùm illa coagmentatio sita est partim in fide, qua coagmentamur cum Christo: partim in dilectione, qua coagmentamur & cum Christo & inter nos: & perficitur indies, ut docet Paulus Eph.4. v.12. & deinceps.

Cæna Domini. 9 Ex eodem v. Per sacram Cænam Christus credentibus testatur, se illos velle regere suo spiritu: & illi profitentur, se concordiam inter se colere velle.

Ministri Ecclesiæ. 10 Ex v.28. & 29. Ministrorum Ecclesiæ certi sunt ordines: quorum alii ad tempus tantùm durare debuerunt, donec scilicet Ecclesiæ passim essent plantatæ: ut Apostoli, Prophetæ, & Evangelistæ: Alii verò perpetuò in Ecclesia durare debent usque ad Domini adventum: ut doctores, pastores, diaconi & seniores. Confer Eph.4.v.11. Rom.12.v.6.7.8.

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

Occasione disputationis institutæ de recto donorum spiritualium usu, Apostolus hoc capite digreditur in disputationem de charitate Christiana & fraterna, qua scilicet Christiani sese mutuò ut fratres complecti debent.

SI linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam; factus sum æs resonans aut cymbalum tinniens.

2 Et si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia omnemque notitiam, & si habeam totam fidem, adeo ut montes transponam, charitatem autem non habeam; nihil sum.

3 Et si frustulatim distribuero *egenis* omnes facultates meas, & si tradam corpus meum ut comburar, charitatem autem non habeam; nihil utilitatis *inde* capio.

4 Charitas iram cohibet, benigna est: charitas non invidet; charitas non agit perperam, non inflatur:

5 Non agit indecorè, non quærit quæ sua sunt, non exacerbatur, non cogitat malum:

6 Non gaudet injustitiâ, gratulatur autem veritati:

7 Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia tolerat:

8 Charitas nunquam excidit. at sive prophetiæ *sint*, abolebuntur: sive linguæ, cessabunt: sive cognitio, abolebitur.

9 Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.

10 Postquam autem advenerit quod profectum est; tunc quod ex parte est, abolebitur.

11 Quum essem infans, ut infans loquebar, ut infans sapiebam, ut infans ratiocinabar: postquam autem factus sum vir, abolevi quæ infantis erant.

12 Cernimus enim nunc per speculum *&* per ænigma, tum autem facie ad faciem *cernemus*: nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam sicut cognitus sum.

13 Nunc verò manet fides, spes, charitas, tria hæc: maxima autem harum, charitas.

PRimò charitatem commendat, tanquam cæteris illis donis utiliorem: id quod probat ex illorum donorum cum charitate* comparatione. Cætera, inquit, non nisi interventu charitatis homini prosunt: Ergo charitas plus homini prodest, eumque beatiorem reddit. Antecedens declarat inductione quinque exemplorum: confert enim cum charitate primò donum linguarum, v.1. deinde donum prophetiæ, id est, facultatis interpretandi propheticas scripturas; tertiò donum fidei miraculorum, id est, cujus vi impetrantur à Deo miracula, v.2. quartò eleemosynas; quintò cruciatum corporis voluntarium, v.3. Atque hæc est prima capitis pars. Secundò charitatem describit ex effectis, partim affirmatis, partim negatis, v.4.5.6.7. Sunt autem illa effecta numero quindecim: quæ videntur ad hunc modum distribui posse, ut sequens tabella indicat.

** Comparatio ista duplex est; dissimilium, & imparium. Charitas prodest per se, sine reliquis illis: at illa non prosunt per se, sed si cum charitate cõjungantur. Quod autem per se prodest, præstat ei quod per accidens prodest.*

- Charitatis effecta
  - Generalia
    - Benigna est, v.4.
    - Non quærit quæ sua sunt, v.5.
    - Omnia credit, v.7.
    - Omnia sperat, ibid.
  - Specialia in
    - Bonis
      - Propriis
        - Non agit perperam, v.4.
        - Non inflatur, ibid.
      - Alienis
        - Non invidet, v.4.
        - Gratulatur veritati, v.6.
    - Malis
      - Propriis
        - Iram cohibet, v.4.
        - Non agit indecorè, v.5.
        - Non exacerbatur, ibi.
        - Non cogitat malum, ibid.
        - Omnia suffert, v.7.
        - Omnia sustinet, ibid.
      - Alienis. Non gaudet injustitia, v.6.

Tertiò ad charitatis commendationem redit, ejusque præstantiam ostendit ex adjuncta durabilitate: quia scilicet duret perpetuo, non solùm in hac, sed in altera vita. Hanc charitatis præstantiam illustrat collatione aliorum donorum, tanquam dissimilium, & post hanc vitam abolendorum: ut sunt prophe-

tia, linguæ & cognitio, v.8. Quartò quod dixerat de donorum istorum abolitione, probat ex adjuncta eorum imperfectione, v.9. & 10. quæ probatio concluditur hoc syllogismo: Quum advenerit cognitionis perfectio, tum imperfectio ejus abolebitur. At post hanc vitam veniet cognitionis perfectio: tunc enim cognoscemus Deum sicuti cogniti sumus: & ut Johannes ait, tum videbimus eum sicuti est. Ergo post hanc vitam abolebitur cognitio illa imperfecta quæ est in hac vita. Hujus syllogismi propositionem illustrat similitudine triplici: quarum prima imperfectam cognitionem, qualis est in hac vita, comparat studiis & moribus pueri infantis: perfectam autem qualis erit in altera vita, comparat studiis & moribus viri, v.11. Altera similitudine imperfectam cognitionem comparat aspectui imaginum in speculo: perfectam autem, aspectui rerum ipsarum ante oculos positarum. Tertia denique similitudine imperfectam cognitionem comparat cognitioni, qualis percipitur ex ænigmate, id est, sermone obscuro & tecto, quo aliud dicitur & aliud intelligitur: cui similitudini deest antithesis, qua scilicet cognitio perfecta comparanda erat ei cognitioni quæ percipitur ex sermone claro & aperto, minimeque allegoria involuto, vers.12. Quintò & postremò appendicem annectit, qua commendationem charitatis concludit: comparans eam cum duabus aliis, & quidem ordinariis, virtutibus Christianis, fide & spe: eamque illis quoque anteponens: idque propter eandem rationem, propter quam supra donis illis extraordinariis prælata fuit: nempe propter durabilitatem.

SCHOLIA IN CAP. XIII.

1 Linguis angelorum] *Id est, linguis pulcherrimis, quales essent angelorum, si linguis loquerentur. Synecdoche speciei hyperbolica. Similiter exponi videtur posse illud Psalm.78.25. Panem robustorum (id est, angelorum) comêdit vir. quod dicitur ad commendandum mannam, panem illum quem pluebat Deus è cælo ad pascendum Israëlitas, id est, panem optimum & suavissimum: quali vescerentur angeli, si cibo aliquo vescerentur.* Factus sum æs] *Id est, velut æs. Metaphora. Sensus est, Nemini prosum.*

2 Prophetiam] *Id est, facultatem interpretandi prophetica scripta.* Totam fidem] πᾶσαν τὴν πίστιν. *Non dicit simpliciter,* πᾶσαν πίστιν, *id est, omnem seu quâlibet fidem: sed addito articulo* πᾶσαν τὴν πίστιν, *nempe* τὴν τῶν ἐνεργημάτων, *seu* τῶν δυνάμεων. *vel potiùs ita dicendum; Articulus notat certam speciem fidei: ut ne intelligatur fides in genere. Signum igitur quantitatis universale notat complexum individuorum sub illa specie contentorum. q.d. Quicquid usquam fidei est in singulis* θαυματουργοῖς, *si illud omne in unum conferretur & in me esset. Hoc sensu nihil vetat quò minùs dicatur,* Fidem omnem. *si scil. intelligas de fide miraculorum.* Adeò ut montes transponam] ὥστε ὄρη μεθιστάνειν. *Sic Gellius lib.12.c.1. Arborem in locum alium transpositam:* δένδρον μεθεστα-θέν. *Respicit hauddubiè ad dictum Christi Matth.17.v.20.* Nihil sum] *Id est, nihil mihi prosum: ut exponit v. seq.*

3 Si frustulatim distribuero *egenis*] ἐὰν ψωμίζω. Ἀψωμὸς *vel* ψωμίον *frustum esculentum, buccella,* ein bissen broot oder fläisch/ &c. Ut comburar] *Nempe propter confessionem Christi, ut mea morte testimonium reddam veritati Evangelii.* Nihil utilitatis inde capio] οὐδὲν ὠφελοῦμαι. *Id est, Non placeo Deo, Non accepturus sum præmium à Deo.*

4 Iram cohibet] μακροθυμεῖ. *Vel, Tarda est ad iram, non citò irascitur.* μακρύνει τὸν θυμὸν: *prolongat, hoc est, differt iram. id est, charitas reddit hominem lenem. Et sic deinceps. Metonymia effecti.* Benigna est] χρηστεύεται. χρηστὸς *qui facilem, sui usum aliis præbet, qui omnium usibus veluti patet atq; expositus est:* dienstbar. Inflatur] φυσιοῦται. *Id est, superbit. Metonymia effecti. Sic suprà 10.24. & 33.*

5 Non exacerbatur] οὐ παροξύνεται. *Sic Actor.15.v.39.* παροξυσμὸς *significat vehementem & quasi acutam seu acerbam iram.* Non cogitat malum] *Scilicet afferre aliis: non molitur aliis perniciem.*

6 Gratulatur] συγχαίρει. *In Græco est paronomasia,* χαίρει, συγχαίρει. *Quanquam antithesis videtur postulare ut vertatur, Gaudet autem veritate. q.d.* χαίρει ἐπὶ τῇ ἀληθείᾳ.

7 Omnia suffert] πάντα στέγει. *Pro* στέγει *videtur rectiùs legi* στέργει. *quia mox sequitur,* πάντα ὑπομένει. *Sic sup.9.12.*

8 Nunquam excidit] *Id est, Nunquam desinit: semper durat, videlicet etiam in altera vita.* Prophetiæ] *Id est, interpretationes scripturæ.*

9 Prophetamus] *Id est, Prophetica scripta interpretamur.*

10 Quod perfectum est] *Perfecta cognitio, vel potiùs contemplatio Dei & mysteriorum regni Dei.*

11 Sapiebam] ἐφρόνουν. Ratiocinabar] ἐλογιζόμην. τὸ φρονεῖν, *est affectuum:* τὸ λογίζεσθαι, *mentis. Rom.8.v.7.* τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, *affectus carnis.*

12 Cernimus] *Apodosis similitudinis, ubi alia similitudines duæ.* Per speculum] *Sententia est, Imperfectè nunc cognoscimus mysteria regni cælorum: quemadmodum imperfectè res corporeas aspiciunt, qui earum imagines in speculo aspiciunt.* δι' ἐσόπτρου. *pro* ἐν ἐσόπτρῳ. διὰ *notat instrumentum: ne quis intelligat speculum oculare, quod nonnulli perspicillum vel conspicillum vocant, Germanicè* ein brill vel augenspiegel. *nam illo utimur ad visum juvandum.* Nunc] *In hac vita.* Tunc] *In altera vita.* Facie ad faciem] πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. *Vel, Coràm. Id est, ita ut facies rerum videndarum faciei nostræ opposita atque objecta sit. Hoc opponitur intuitioni imaginum in speculo: tunc enim res non sunt objectæ faciei, sed à tergo posita: exceptâ nostrâ facie & corpore. Sic Moses dicitur cum Deo locutus facie ad faciem, quòd solus cum solo in nube familiariter collocutus sit: sicut amicus cum amico colloquens, faciem ejus intuetur.* Sicut cognitus sum] καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην. *Conjunctio* καὶ *redundat. Sententia autem est, Cognoscam perfectè. Sic enim nos cogniti sumus à Deo. Interim tamen servandum est discrimen inter perfectionem creatoris & creaturæ. Cæterùm expositio allata confirmatur ex antithesi: opponitur enim, Nunc cognosco* ἐκ μέρους, *ex parte: id est, imperfectè. Aliæ expositiones hîc non quadrant. neque enim similia sunt exempla illa supr.8.3. & Gal.4.9. Vide sup. scholia in c.8.v.9.*

13 Maxima autem horum] μείζων δὲ τούτων. *Ad verb.* Major. *Enallage Græca.* μείζων *pro* μεγίστη: *gradus comparativus pro superlativo.*

OBSERVAT. EX CAP. XIII.

1 Ex toto cap. Charitati inprimis opera danda, tum quòd cætera spiritualia dona absque ea non prosunt possidenti: tum quòd illa ipsi fidei ac spei præstat, propter durabilitatem. Interim tenendum, etsi charitas post hanc vitam erit sine fide & spe; quippe quæ abolebuntur: tamen in hac vita istas tres virtutes individuo nexu cohærere. Etenim ex vera in Christum fide non potest non oriri tum spes bonorum per Christum nobis partorum, tum dilectio erga Deum & erga proximum propter Deum. *Charitas. Officium hominis Christiani.*

2 Ex vers.2. Considerandum, in Scriptura tradi varias fidei species: videlicet quatuor: quæ usitatè nominantur: historica, temporaria, justificans, & miraculosa seu miraculorum. Historica fides nominatur, qua quis historiam sacram à Prophetis & Apostolis traditam pro vera atque indubitata amplectitur. Tali fide præditus erat rex Agrippa, ad quem dicebat Paulus, Credis rex Agrippa Prophetis? Scio te credere: Actor.26. vers.27. Hæc cadit etiam in dæmonia seu malos spiritus, teste Jacobo cap.2. Temporaria fides dicitur, qua quis non solùm historiam sacram pro vera amplectitur, sed etiam promissionem gratiæ propter Christum sibi applicat leviter, opinando scilicet illam ad se quoque pertinere: unde gaudium aliquod concipit, sicut docet Christus in parabola de semine quod quadrifariam ceciderat, Matth.13. Sed quoniam persuasio illa est levis & tantùm opinio, non autem firma scientia quæ egerit radices in corde, fit ut talis credat tantùm ad tempus, videlicet quamdiu propter fidei confessionem nulla incumbit persecutio: at tempore persecutionis deficit, & fidem quam antea fuerat professus, negat, & opinionem illam deponit. Justificans fides nominatur, qua quis non solùm historiam sacram pro vera amplectitur, sed promissionem gratiæ propter Christum sibi applicat firmiter, ut qui certò sit persuasus, nihilque dubitet, illam non minùs ad *a* se quàm cæteros electos pertinere: quo fit ut propter satisfactionem Christi ipsi imputatam à Deo *b* justificetur. Atque hæc fides propria est *c* electorum, & donum *d* perseverantiæ adjunctum habet: & per *e* dilectionem fert *f* fructus Deo gratos. Miraculosa vel potiùs miraculorum fides nominatur, qua quis ex singulari revelatione Spiritus S. intelligit, Deum ministerio ipsius uti velle ad edendum aliquod miraculum: itaque Deo invocato miraculum edit, præcipiens creaturæ in nomine Dei ut contra naturam suam moveatur, id est, aliquid agat aut patiatur. De ista fide hoc loco loquitur Paulus, & Christus, Matth.17.v.20. Usus hujus doctrinæ est, ut unusquisque sese exploret an sit in fide: hoc est, an habeat fidem justificantem, sine qua nemo potest servari: ne quis se fallat ex homonymia, putans se habere fidem justificantem ac proinde Deo placere & servatum iri: quum tantùm habeat fidem historicam, vel temporariam, vel miraculosam. Hunc usum doctrinæ tradit Jacobus epistolæ suæ cap.2. de fide historica: & Christus, Matth.7.v.22. de fide miraculosa: & Paulus, 1.Tim.1.v.19. de fide temporaria. *Fides.* *a Gal.2.20. Qui dilexit ME &c. b Rom.3.8. & 4.5. c Tit.1.1. d Rom.8.35. &c. e Gal.5.6. f Matt.13.23.*

3 Ex vers.3. Opera externa quantumvis speciosa, nisi proficiscantur ex charitate ac proinde ex fide, Deo non placent: & per consequens verè bona non sunt. Etenim sine fide impossibile est placere Deo: Hebr.11. *Bona opera.*

4 Ex v.4.5.6. & 7. Charitas ex effectis cognoscenda atque æstimanda est. neque enim est satis, charitatem verbis profiteri. Hinc Johannes monet, ne diligamus verbo aut lingua, sed opere & veritate, 1.Joh.3.18. Similiter & Jacobus negat veram esse charitatem quæ in verbis subsistit, Jac.2.v.15. & 16. *Charitas.*

5 Ex v.9.10.11.12. Nemo sibi persuadeat se perfectam tenere cognitionem Dei aut intelligentiam Scripturæ. Testatur enim Apostolus, utramque esse imperfectam. Quod quum ita sit, quotidiana meditatione verbi Dei in utraque proficiendum. *Cognitio Dei.*

6 Ex v.3. Ineptè argumentantur Papistæ, charitatem justificare, & quidem magis quàm fidem: quia nimirum sit major fide, teste Apostolo hoc loco. Quasi verò justificemur fide, quatenus illa est eximia virtus & donum Dei: ac non potiùs quatenus est veluti manus qua gratiam Dei propter Christum in Evangelio *Justificatio. Vindicatio verborum Pauli, Maxima harum est charitas.*

nobis

nobis oblatam apprehendimus. Charitatis autem natura diversa est, videl. non accipere bona oblata: sed bona quæ possidemus, Deo proximóve dare. Fides similis est radici arboris quæ succum è terra attrahit ut conservetur arbor: at charitas est similis ramis, qui veluti brachia expanduntur, & fructus arboris porrigunt iis qui desiderant.

ANALYSIS CAP. XIV.

ARGUMENTUM.

In hoc capite redit ad quæstionem de recto donorum spiritualium usu, & inprimis hortatur ut studeant prophetiæ, id est, interpretationi Scripturarum propheticarum, potiùs quàm ut loquantur peregrinis linguis in ecclesiastica congregatione.

PErsequimini *igitur* charitatem, studiosè autem sectamini spiritualia: maximè tamen ut prophetetis.

2 Nam qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo. Nullus enim audit: spiritu verò loquitur mysteria.

3 Qui autem prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & consolationem.

4 Qui loquitur lingua, seipsum ædificat: qui verò prophetat, ecclesiam ædificat.

5 Velim autem omnes vos loqui linguis, magis tamen ut prophetetis. major enim *est* qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: excepto si interpretetur, ut ecclesia ædificationem accipiat.

6 Quòd si nunc, fratres, veniam ad vos linguis loquens: quid vos juvabo, nisi vobis loquar aut per revelationem, aut per cognitionem, *id est*, aut per prophetiam, aut per doctrinam?

7 Atqui inanima quæ sonum edunt, sive tibia *sit*, sive cithara, nisi distinctionem tonis dederint, quomodo cognoscetur quod tibiâ canitur aut citharâ?

8 Etenim si incertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum?

9 Ita & vos nisi per linguam edideritis sermonem bene-significantem; quomodo cognoscetur quod dicitur? eritis enim in aërem loquentes.

10 Tot, si ita acciderit, genera vocum sunt in mundo, & nihil eorum est mutum.

11 Nisi igitur sciero vim vocis, ero ei qui loquitur, barbarus: & qui loquitur, apud me barbarus *fuerit*.

12 Ita & vos, quandoquidem studiosi estis spirituum, ad ædificationem ecclesiæ quærite ut excellatis.

13 Quapropter qui loquitur linguâ, precetur ut interpretetur.

14 Nam si precer linguâ, spiritus meus precatur: sed intelligentia mea est infructuosa.

15 Quid est igitur? precabor spiritu, sed precabor etiam intelligentiâ: psallam spiritu, sed psallam etiam intelligentiâ.

16 Quandoquidem si benedixeris spiritu; is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem? nam quid dicas nescit.

17 At tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur.

18 Gratias ago Deo meo, quòd magis quàm vos omnes linguis loquar.

19 Sed in ecclesia malim quinque verba ex intelligentia mea loqui, ut & alios instituam, quàm decem millia verborum lingua.

20 Fratres, ne estote pueri intelligentiâ: sed malitiâ infantes imitamini, intelligentiâ verò adulti estote.

21 In Lege scriptum est, Propterea per diversæ linguæ *homines* & alia labra loquar populo huic, & ita quoque me non audient, dicit Dominus.

22 Linguæ igitur sunt signo, non iis qui credunt, sed incredulis: prophetia verò non incredulis, sed credentib.

23 Porrò si eodem convenerit tota ecclesia, & omnes linguis loquantur; ingrediantur autem idiotæ vel increduli: nonne dicent vos furere?

24 Sed si omnes prophetent, ingrediatur autem incredulus quispiam aut idiota; arguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus.

25 Et ita occulta cordis ejus manifesta fiunt: atque ita procidens in faciem, adorabit Deum; renuntians, Deum verè in vobis esse.

26 Quid igitur est, fratres? quoties convenitis; quisque vestrum canticum habet, doctrinam habet, linguam habet, revelationem habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.

27 Sive linguâ quis loquitur, *fiat* per binos, aut ad plurimum ternos, & vicissim: unus autem interpretetur.

28 Quòd si non sit interpres, taceat in ecclesia *qui loquitur linguâ*: sibiipsi verò loquatur & Deo.

29 Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent.

30 Quòd si *quid* alii patefactum fuerit assidenti, prior taceat.

31 Potestis enim sigillatim omnes prophetare; ut omnes discant, & omnes consolationem accipiant.

32 Et spiritus Prophetarum Prophetis subjiciuntur.

33 Non enim est incompositi status *author*, Deus, sed pacis; ut in omnibus Ecclesiis sanctorum.

34 Mulieres vestræ in conventibus sileant: nec enim permissum est eis ut loquantur, sed *oportet* ut subditæ sint, sicut & Lex dicit.

35 Quòd si quid discere volunt, domi suos viros interrogent. nam turpe est mulieribus in ecclesia loqui.

36 An à vobis sermo Dei profectus est? an ad vos solos devenit?

37 Si quis *sibi* videtur Propheta esse, aut spiritualis; agnoscat, quæ scribo vobis, esse Domini mandata.

38 Qui verò ignarus est, ignarus estò.

39 Itaque fratres, studete, ut prophetetis; & loqui linguis ne prohibete.

40 *Deniq;* omnia decenter & ordine fiant.

PRimùm hortationem proponit, v.1. ejusque rationem affert ab effectu utili per collationem imparium: quod scilicet qui peregrina lingua in Ecclesia loquitur, is seipsum tantùm ædificet: qui autem prophetat, id est, scripturam interpretatur, is ædificet etiam ecclesiam, id est, auditores, v.2.3.4. Hanc rationem amplificat prolepsi, ne videatur simpliciter & per se improbare quod linguis loquantur in ecclesia. Fatetur igitur, se hoc per se non improbare: sed potius eis exoptare: ita tamen ut malit, eos prophetare: ubi rationem ante-expositam repetit, vers.5. Tum eandem rationem iterum exponit exornatam πλάσει, id est, fictione, in sua ipsius persona, v.6. Atque hæc est prima capitis particula. Secundò rationem expositam illustrat similitudine, sumta ab instrumentis musicis, maximè bellicis, ut tuba: quæ si incertum sonū dederit, nemo apparabitur ad bellum: ita nisi is qui peregrina lingua loquitur, interpretationem adjungat, nemo imperitorum quicquam inde discet, v.7. 8. 9. Tertiò adjungit rationem hortationis secundam: quæ sumta est ab effectu inutili, nempe ridiculo. Nisi enim intelligatur ab auditore quod dicitur: tum eum qui peregrina lingua utitur, videri barbarum, ac proinde ineptum & ridiculum, v.10.& 11. Quartò concludit exhortationem, & rationem primam repetit, v.12.13.14.15. Quintò affert tertiam rationem, quæ etiam sumta est ab effectu inutili, nempe indecoro: quia si quis peregrina lingua precetur, idiota non possit testari suum assensum, v.16.&17. Sextò affert rationem quartam, quæ sumta est ab ipsius exemplo: & illustrata est collatione imparium hyperbolica, v.18. & 19. Septimò affert quintam rationem, quæ sumta est ab adjuncta significatione: quia linguarum peregrinarum nec intellectarum usus, signum sit incredulitatis: quum prophetia contrà signum sit fidei: quorum illud confirmat testimonio prophetæ Esaiæ, v.20. 21. 22. Octavò affert sextam rationem, quam occasione dicti Esaiæ (ut videtur) subjungit: quæ sumta est ab effectu turpi & ridiculo: quod scilicet idiotæ vel infideles, si audiant peregrinis linguis loquentes, judicent eos furere. Huic rationi opponit rationem primam de prophetiæ utilitate, eamque speciatim declarat, v.23.24.25. Nonò hortatur in genere, ut suis quisque donis utatur ad ædificationem ecclesiæ: eaque occasione formam seu modum præscribit tum usus linguarum, tum etiam prophetationis, à v.26. usque ad 34. Decimò præcipit mulieribus ut in ecclesia sileant: domi autem, id est, privatim maritos interrogent, v.34.& 35. Undecimò disputationem hanc universam concludit, cùm aspera objurgatione superbiæ Corinthiorum & contentione pertinacium, à v.36. usque ad finem.

SCHOLIA IN CAP. XIV.

1 Persequimini *igitur*] *διώκετε. Pro διώκετε οὖν. Quum scil. sit omnium Christianarum virtutum maxima, ut in fine c.supr. di-*

ctum est. Spiritualia] τὰ πνευματικά. Subaudi, χαρίσματα, dona. Maximè tamen] μᾶλλον δὲ. Pro, μάλιστα δὲ. Enallage, ut sup. 13. v. ult. Rectè autem conjunctio δὲ hic reddita est per Tamen. Est enim enuntiatum discretum: Debetis quidem omnia spiritualia dona studiosè sectari; maximè tamen donum prophetandi. Prophetetis] Id est, prophetica scripta explicetis. Sic deinceps.

2 Qui loquitur lingua] Scil. peregrinâ: hoc est, sermone peregrino. Synecdoche generis, & metonymia efficientis. Sic deinceps. Nullus enim audit] Id est, intelligit. Metonymia subjecti. Nam auditioni sermonis intellectio adjungitur: qua nisi adjungatur, perinde est, ac si sermonem non audivisses. Auditione percipitur sonus vocis: intellectione sententia sermonis. Metonymia usitata Hebræis: ut Gen. 11. 7. Item 42. 23. Spiritu] Id est, ex singulari dono Spiritus S.

3 Ædificationem] Id est, sermonem utilem ad æternam salutem. Hanc metaphoram Apostolus mox declarat subjectione duarum specierum sermonis utilis. Consolationem] παραμυθίαν. Nomen Græcum notat gestum eorum qui alios consolantur, qui scil. assident illis & verba faciunt. Ad verbum sonat alloquium, qua quidem voce in eâdem significatione Latini interdum ad imitationem Græcorum utuntur: ut Horatius Epodôn 13. in fine:

Illic omne malum vino cantuque levato
Deformis agrimoniæ
Dulcibus alloquiis.

5 Major] μείζων. Simile ferè est quod ait Christus de Johanne Baptista, inter natos mulierum non surrexisse majorem illo. Loquitur enim de præstantia ministerii & fructu prædicationis illius. Excepto si interpretetur] ἐκτὸς εἰ μὴ διερμηνεύῃ. Pro, εἰ μὴ: vel, ἐκτὸς εἰ. Pleonasmus. Sic infr. 15. 2. ἐκτὸς εἰ μὴ εἰκῇ ἐπιστεύσατε. Cæterùm hujus pleonasmi exemplum ex Luciano affertur hoc: ἐκτὸς εἰ μὴ τὴν ἀσποδὸν ἡμᾶς σιτεῖσθαι πεπιστεύκατε, Nisi fortè cinere nos vesci creditis. Henr. Steph. in Thesaur. Pro illa formula Latini etiam dicunt, Nisi si, ut Ter. Andr. 1. 5. Repudiatus repetor. quamobrem? nisi si id est, quod suspicor, Aliquid monstri alunt. Columella de arboribus c. 5. Per brumam vitem ne colito: nisi si voles eas radices, quæ in ablaqueatione apparebunt, persequi.

7 Atqui] ὅμως. Omnino videtur ὅμως irrepsisse pro ὁμοίως, id est, Similiter. Nam ὅμως non quadrat proposito, quum innuat ratiocinationem ab impari, videlicet à majori, q. d. Tamen inanima nisi distinctionem tonis dederint, non agnoscitur quod canitur, nedum ut sermo peregrinus, nisi interpretatio accedat, intelligatur. At ex v. 9. perspicitur, Apostolum hîc non ratiocinari à majori, sed tantummodo propositum illustrare simili. ait enim; οὕτω καὶ ὑμεῖς &c. Inanima quæ sonum edunt] Periphrasis instrumentorum musicorum. Sonum] φωνὴν. pro ἦχον vel φθόγγον. Synecdoche speciei καταχρηστική. nam φωνὴ, id est, vox, propriè est animalis, τοῦ ζώου: Est enim sonus ore animalis editus: sive sit articulatus, qui proprius est hominis, & sermo nominatur: sive inarticulatus & confusus: qualis est cæterorum animalium. Sive tibia sit] εἴτε αὐλὸς. scil. ᾖ. Distinctionem] διαστολὴν. Nempe vel sonum hilarem vel tristem & lamentabilem. Vide Luc. 7. v. 32. de puerulis qui tibiis canunt in foro. Item Num. 19. de distinctis sonis tubarum apud Israëlitas. Quomodo] Quasi dicat, Nullo modo; nequaquam.

8 Incertum] ἄδηλον. Id est, quo nihil certi significetur, nam certo tubæ sono canitur classicum, & rursum certo sono canitur receptui. Quis] Quasi dicat, Nemo. ac proinde frustra clangetur tubâ.

9 Ita & vos] Apodosis similitudinis. Per linguam] Id est, loquentes linguâ peregrina. Bene-significantem] εὔσημον. Id est, οὗ ἤγουν καλῶς σημαίνοντα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ: ut eruditè exponit D. Beza. Est autem adverbium Bene per lineolam interductam (quam Hebræi makkáph nominant) adjungendum participio significantem. In aërem loquentes] Id est, temerè & frustra verba fundentes. Finis enim sermonis est, ut ab aliis audiamur atque intelligamur. Affine est illud sup. cap. 9. circa fin. ὡς οὐκ ἀέρα δέρων. Finis enim pugilis est, ferire non aërem, sed adversarium, seu antagonistam.

10 Tot, si ita acciderit] τοσαῦτα εἰ τύχοι. Anantapodoton, & genus loquendi è medio petitum. q. d. Accidere potest ut audias plurima genera vocum. tot enim sunt genera vocum in mundo, quot gentes in mundo habitant. ait igitur, τοσαῦτα γένη φωνῶν ἐστίν. subaudi ὅσα ἔθνη. Syrus sensum simpliciter expressit, pro τοσαῦτα substituens vocem πολλά: ut qui reddiderit סַגִּיאֵא saggejaé, id est, multa. Nihil eorum] οὐδὲν αὐτῶν. Nempe τῶν ἐν κόσμῳ ὄντων. vel, τῶν ἐθνῶν. Relativum sine antecedente. Vocum] φωνῶν. Id est, linguarum seu idiomatum seu dialectorum. Synecdoche generis. In mundo] In orbe terrarum.

11 Vim vocis] Id est, significationem sermonis. Barbarus] Hoc nomine Græci & Romani nominare soliti sunt cæteras gentes, propter inconditum vocis sonum. nam Barbar Arabicè murmur significat, ut Julius Cæsar Scaliger tradit. Vel (ut eidem placet) barbari propterea dicti sunt, quòd incolebant deserta, & ritu ferarum vivebant: nam Bar Arabicè desertum significat. Sophocles: τὴν βάρβαρον γὰρ γλῶσσαν οὐκ ἐπαΐω, Linguam enim barbaram non intelligo.

De subtilit. ad Cardan. Exercit. 15.

12 Ita & vos] Non displicet, has verba præcedentibus annecti: ut tum sequatur nova sententia. ἐπεὶ, pro, ἐπεὶ οὖν. Studiosi estis spirituum] ζηλωταί ἐστε πνευμάτων. Omnino suspicor, pro πνευμάτων legendum πνευματικῶν. Sic enim suprà semel atque iterum dixit, ζηλοῦτε τὰ πνευματικά. Syrus sensum expressit, ut qui verterit, dona Spiritus, מַוהַבָתָה דְרוּחָא mauhabathah deruchha.
Quærite ut excellatis] ζητεῖτε ἵνα περισσεύητε. Hac uno tenore legenda sunt. nam inter se cohærent. Pro, ζητεῖτε περισσεύειν, Studete excellere. ne quis putet, ad verbum ζητεῖτε, subaudiendum esse τὰ πνεύματα, vel πνευματικά.

13 Qui loquitur] ὁ λαλῶν. Scil. in ecclesia precando, vel agendo gratias Deo. Lingua] Scil. peregrinâ. Precetur ut interpretetur] Id est, Petat à Deo donum interpretationis: ut quæ in cœtu fuerit locutus linguâ peregrinâ, eadem interpretetur linguâ vulgari quam auditores intelligunt. Vel, Ita precetur seu preces concipiat clarâ voce in ecclesia, ut mox interpretationem adjungat. Intelligentia mea] ὁ νοῦς μου. Id est, Sensus seu sententia mearum precum. Est infructuosa] Nullum affert fructum seu utilitatem ecclesiæ seu auditoribus: quia nimirum intelligentiam seu sensum mearum precum non percipiunt.

15 Quid est igitur?] Prolepsis: Non licet igitur precari spiritu? Respondet: Licet; sed ita, si intelligentia accedat. Precabor spiritu] Id est, linguâ peregrinâ, quam spiritus mihi dictabit. Metonymia efficientis. Sed precabor etiam intelligentia] Id est, sed addam interpretationem ut à cœtu intelligar.

16 Si benedixeris] Subaudi Deo, id est, gratias egeris. Spiritu] Scil. solo. id est, sermone peregrino quem spiritus dictat, non adhibitâ interpretatione. Subscribo autem D. Bezæ, qui judicat Apostolum hîc attingere solennem gratiarum actionem, quæ adhibebatur in celebratione sacræ Cœnæ: cui populus in fine acclamabat, Amen: ut D. Beza ex Justino docet. Quomodo dicturus est] Id est, Non poterit dicere. Amen] ἀμήν. Adverbium asseverandi & optandi. Alter] ὁ ἕτερος. Qui scil. te precantem audit. Est enim vis articuli ἀναφορική. Non ædificatur] Id est, Nihil inde discit, quum non intelligat.

18 Deo meo] Pronomen Meo est vox fidei, applicantis sibi promissionem gratiæ omnibus credentibus communem. Sic Rom. 1. 8.

19 In Ecclesia] Vide supr. v. 4. Quinque] Id est, paucissima. Synecdoche speciei hyperbolica. Verba] λόγους. Id est, sententias, seu (ut Philosophi appellant) enuntiationes. Ex intelligentia mea] Id est, linguâ mihi & meis popularibus notâ atque usitatâ, qua mentis meæ sensa declarare illis possim. Instituam] κατηχήσω. κατηχεῖν est quasi insusurrare, ut vox instituentis aures discentium circumsonet. Vide Rom. 2. v. 18. Decem millia] Id est, plurima: Synecdoche speciei hyperbolica. Sic suprà cap. 4. v. 15. Decem millia pædagogorum.

20 Intelligentia] ταῖς φρεσίν. Germanicè, am Verstandt. αἱ φρένες propriè præcordia: inde mens, per metonymiam subjecti, quòd mens in corde suam sedem habeat. Malitia] τῇ κακίᾳ. Id est, quod ad malitiam attinet. hoc est, Estote expertes malitiæ, sicut pueri: non quod non pueri quoq; malitiosi reperiantur: sed hoc intelligitur, si comparentur cum adultioribus. nam quantum ætas & intelligentia crescit, tantum & malitia crescit per naturam. Deniq; hîc intelliguntur puerili seu pueri infantes, παιδία καὶ νήπια. Et quidem nomen παιδία, propriè puerulos significat: νήπια verò infantes. Adulti] τέλειοι. Perfectâ ætate præditi, hoc est, viri. Synecdoche generis. Alibi dicit, τέλειος ἀνήρ, Eph. 4. v. 13.

21 In Lege] Id est, in sacra scriptura, & quidem in propheta Esaia. Synecdoche gemina: prior membri. nam scriptura distribuitur in Legem Mosis & Prophetas & Psalmos, Luc. 24. 44. posterior integri. Ejusmodi geminæ synecdoches exemplum est & in illo dicto Christi, Psal. 16. Non relinques animam meam in sepulchro, Animam meam, id est, me: & Me, id est, corpus meum. Sic Marci 3. v. 4. Licétne sabbathis animam (ψυχὴν) servare, an trucidare? Animam: id est, hominem: & hominem, id est, corpus hominis. Per diversæ linguæ homines] ἐν ἑτερογλώσσοις. Scilicet ἀνθρώποις. Id est, διὰ ἑτερογλώσσων. ἑτερόγλωσσος, ὁ χρώμενος ἑτέρᾳ γλώσσῃ. Esaias vocat לַעֲגֵי שָׂפָה lahage-saphah, ridiculos labio, hoc est, peregrinos. nam sermo peregrinus à vulgò non percipiente irridetur. Nisi potiùs est ut illa verba בְּלַעֲגֵי שָׂפָה vertantur, Per sannas labii, hoc est, καθ' ὑπαλλαγὴν, Per labium sannarum: id est, sermonem qui sannis excipitur tanquam ridiculus. Certè vox singularis numeri לַעַג lahág ubique (quod sciam) sannam seu subsannationem significat: nusquam sannionem seu subsannatorem, aut subsannabilem, seu ridiculum. Audient] εἰσακούσονται. Apud Prophetam est, Et noluerunt audire: id est, Deo obedire. Continetur ergo his verbis querela de contumacia & σκληροκαρδίᾳ Judæorum, qui nullis plagis potuerint ad emendationem adduci.

22 Sunt signo] εἰς σημεῖόν εἰσι. Id est, à Deo dantur in signum. Non iis qui credunt] Id est, Non quod edatur propter eos qui credunt, ad eos scilicet consolandum. Sed incredulis] ἀλλὰ τοῖς ἀπίστοις. Scilicet ad eos puniendum. Prophetia] Donum interpretandi scripturas.

23 Porrò si] ἐὰν οὖν. Sic malo, quàm, Itaque si. nam οὖν hoc loco non est particula concludendi, sed tantùm transeundi; Transit enim

enim ad aliud exhortationis argumentum. Eodem] ἐπὶ τὸ αὐτό. *Id eſt, in eundem locum: ἐπὶ τὸν αὐτὸν τόπον. ſic Act.2.44.* Ingrediantur] *Utiq; in domum ubi Eccleſia congregata eſt. neque enim templa tunc habebant Chriſtiani.* Nonne dicent, vos furere?] *Argumentum ab eventu indecoro. neque enim decet Chriſtianos ita ſe gerere quaſi furerent.*

24 Arguitur] ἐλέγχεται. *Id eſt, Convincitur de ſuis peccatis & erroribus ex verbo Dei. Sic mox,* dijudicatur, *eodem ſenſu.*

25 Occulta cordis] *Falſæ perſuaſiones de Deo & pravæ cupiditates.* Adorabit Deum] *Quem ſcil. ex veſtro ſermone cognoverit.* In vobis eſſe] *In cordibus veſtris habitare. Vel, inter vos habitare. Id eſt, vos eſſe populum Dei.*

26 Quisque veſtrûm canticum habet, doctrinam habet, &c.] *Id eſt, Quiſq; ſuum donum habet, alius quidem canticum, alius doctrinam, &c. Simile eſt orationis genus ſupr.1.v.12.* Omnia ad ædificationem fiant] *Id eſt, Quiſq; ſuo dono utatur ad ædificationem Eccleſiæ.*

27 Sive lingua] *Jam modum ſeu formam præſcribit utendi dono linguarum, & dono prophetiæ.*

29 Cæteri] οἱ ἄλλοι. *Scilicet prophetæ. nam vis articuli eſt ἀναφορική.*

30 Patefactum fuerit] ἀποκαλυφθῇ. *Vel, Revelatum fuerit. Hinc colligi poteſt, rectè ſupr.v.6. revelationi ſubjectam eſſe prophetiam, ut effectum cauſæ.*

31 Conſolationem accipiant] παρακαλῶνται. *Vel, Exhortationem: ſub qua continetur conſolatio, ut ſub genere ſpecies.*

32 Prophetis] *Id eſt, Judicio Prophetarum, quod illi faciunt ex verbo Dei & revelatione Spiritus ſancti.*

33 Non enim] *Ratio præcepti à fine, ut ſic ordo & pax atque tranquillitas in Eccleſia conſervetur: cùm ſecus oriretur tumultuatio ſeu incompoſitus ſtatus atque ordinis perturbatio, quæ Deo & Eccleſiæ diſplicet.* Sed pacis] *Id eſt, ordinis, ac proinde etiam pacis. Metonymia ſynecdochica. Opponitur enim τῇ ἀκαταστασίᾳ, tumultuationi ſeu ſtatui incompoſito atq; perturbato.*

34 Lex dicit] *Nempe Gen.3.v.16.*

35 Quod ſi quid] *Prolepſis. Ergo non licet mulieribus interrogare viros de rebus ad ſalutem pertinentibus? Reſpondet: Licet, ſed privatim maritos.* In eccleſia] *Id eſt, in conventu ſacro, ubi fideles congregati ſunt ad audiendum verbum Dei.*

36 An à vobis] *Videtur eſſe alia prolepſis: At nobis aliter de his videtur: & nos poſſumus etiam de his rebus judicare, cùm ſimus prophetæ. Reſpondet: Non eſt, quòd vobis nimium arrogetis; cùm ſermo Dei non ſit à vobis profectus, ſed à Judæis: nec ad vos ſolos devenerit, ſed etiam ad alias gentes. Æquum igitur eſt, ut audiatis judicium meum, tanquam Apoſtoli: & in eo acquieſcatis.*

37 Sibi videtur] δοκεῖ. *Notat falſam opinionem quorundam, & ſuperbiam.* Aut ſpiritualis] *Videtur exponendum: I.e. præditus donis ſpiritualibus: ut genus ſpeciei ſubjectum ſit. q.d. Aut alioquin ſpiritualis.* ἢ ἄλλως πνευματικός.

38 Ignarus eſto] *Videtur ſic exponendum: Id eſt, Illius judicium tanquam ignari & pertinacis contemnitor.*

39 Itaque] *Concluſio hujus diſputationis.* Studete &c.] *Similis ſententiarum collatio eſt in illo dicto Chriſti: Hæc oportebat facere, & illa non omittere.*

40 Denique omnia] *Concluſio generalis capitum 11.12.14. Nam caput 13. habuit digreſſionem.*

OBSERVAT. EX CAP. XIV.

Conventus Eccleſiaſtici. 1 Ex v.2. & deinceps uſque ad 29. Quum Apoſtolus multis verbis improbet uſum linguæ peregrinæ apud fideles ad audiendum verbum Dei congregatos: peccant igitur Pontificii miniſtri recitantes aut canentes coram Eccleſia verbum Dei in lingua Latina, populo ignota: quo fit ut rudes illi ex recitatione non ædificentur, edocti nimirum de voluntate Dei ex ipſius verbo.

Cœna Domini. Vindicatio verborum Pauli, In Eccleſia malim quinq; verba loqui, &c. 2 Ex verſ.19. Ineptiunt Papiſtæ, quum ex hoc loco probare volunt, panem euchariſticum conſecrandum eſſe recitatione ſeu demurmuratione quinque horum verborum, HOC EST ENIM CORPUS MEUM. Etenim Paulus hoc loco de illis verbis non loquitur, neque per λόγους ſingula verba ſeu vocabula, ſed integras ſententias ſeu enuntiationes intelligit: neque de conſecratione panis euchariſtici agit: ſed loquitur in genere de verbis ſive ſententiis paucis lingua auditoribus nota ad illos pronuntiatis ab Eccleſiæ doctore. quod quomodo quadrat ſacrificulo Papiſtico? qui verba illa quinque non pronuntiat ad auditores, ſed ad panem: & pronuntiat non lingua auditoribus nota, ſed ignota. Æquè ineptum eſt quum volunt probare, vi recitationis quinque illorum verborum ſuper panem, mutari illum in corpus Chriſti, atque adeo corpus Chriſti ex illo creari: quum, inquam, hoc volunt probare ab exemplo conceptionis Chriſti in utero Mariæ virginis: quia videlicet Maria virgo corpus Chriſti conceperit vi quinque verborum ab ipſa pronuntiatorum ad angelum, nempe FIAT MIHI SECUNDUM VERBUM TUUM. At primò falſum ſupponunt, dum dicunt concepiſſe vi pronuntiationis illorum verborum: concepit enim vi fidei quam habuit promiſſioni Dei per angelum ſibi annuntiatæ, & verbis confeſſa eſt. Deinde & hoc falſo ſupponunt, quod Maria pronuntiarit in illa fidei ſuæ confeſſione verba quinque: Etenim illa non locuta fuit Latinè, ſed Syriacè: at in ſermone Syriaco ſententia illa comprehenſa eſt verbis quatuor, nempe his יְהֶוֵא לִי אֵיךְ מִלְּתָךְ Jehevéh li éch melletách. Poſtremò, ſi maximè Maria virgo quinque verba pronuntiaſſet, & vi illorum corpus Chriſti concepiſſet: non tamen inde ſequitur, ſacerdotem Papiſticum vi quinque verborum corpus Chriſti ex pane creare.

3 Ex verſ.21. Quum DEUM per ſervos ſuos, videlicet doctores Eccleſiæ, lingua nobis nota nos alloquentem noluimus audire, nec ei obedire: ſolet nobis immittere hoſtes peregrino ſermone utentes qui nos in poteſtatem ſuam redigant, ut DEUM quem nolebamus audire loquentem ſermone nobis noto, cogamur audire loquentem ſermone ignoto cum magno noſtro malo. Etenim per hoſtes alloquitur nos DEUS, quatenus nos per illos flagellat, atque ità ad reſipiſcentiam exſuſcitat. Quare hodie dum audimus DEUM nos alloquentem per miniſtros verbi, ne obthuremus corda noſtra. Ita Chriſtus exprobrabat Judæis, quod non agnoſcerent loquelam ejus: & poſtea propter doctrinæ ſuæ contemtum immiſit eis Romanos, linguâ ipſis ignotâ loquentes: per quos acerrimè eos flagellavit: quod flagellum adhuc hodie ſuper ipſos ex parte viget. *Contemtus verbi Dei.* *Johan.8.43.*

4 Ex verſ.24. & 25. Notandum teſtimonium de efficacia verbi DEI per miniſtros illius apud ignarum veritatis lingua nota pronuntiati: quòd videlicet illius cor ita arguitur & de veritate religionis Chriſtianæ convincitur, ut illam reverenter amplectatur, & DEO pro illius patefactione gratias agat. Sed hæc efficacia propriè pertinet ad electos, quorum corda DEUS ex ſingulari gratia aperit, ſicut aperuit cor Lydiæ, Actor.16.14. Et concioni Pauli de Chriſto apud Antiochenos illi tantùm crediderunt qui ordinati erant ad vitam æternam, Act.13.48. Confer Hebr.4.v.12. *Verbum Dei.*

5 Ex v.30. & 32. In exponendis Scripturis ſacris nemo ita judicio ſuo addictus eſſe debet, quin expoſitionem ſuam aliis Eccleſiæ doctoribus lubens judicandam ſubjiciat. *Scriptura ſacra.*

6 Ex verſ.34. & 35. Quum non ſit permiſſum mulieribus ut in eccleſia adminiſtrent verbum DEI: ſequitur, nec permiſſum eis eſſe ut adminiſtrent Baptiſmum. Peccant igitur quæ id facere audent. At excipitur: Baptiſmum ab illis adminiſtrari non in Eccleſia, in qua nimirum eis interdicitur adminiſtratio verbi: ſed domi intra parietes privatos. Reſpondeo: Id non ſolùm non facit ad illas excuſandum: ſed potiùs culpam auget. Etenim Baptiſmus adminiſtrandus eſt publicè, id eſt, in conſpectu Eccleſiæ: quum ſit pars publici miniſterii. Deinde excipitur, mulieres non baptizare niſi in caſu neceſſitatis, quum ſcilicet infans ita infirmus eſt, ut videatur jamjam moriturus. Reſpondeo: At falsò opinantur, Baptiſmum ita eſſe neceſſarium, ut abſque illo ſervari infans non poſſit. Salus enim hominis non pendet à ſacramentis præciſè: ſed ab electione DEI & fide hominis. Adfertur etiam exemplum Zipporæ uxoris Moſis, quæ circumcidit filium, Exod.4. Reſpondeo: Exemplum diſſimile eſt: quia mulier illa circumcidit filium, non quòd putaret ſalutem illius æternam à circumciſione pendere: ſed ut liberaret maritum à morte corporis: quem propter neglectam filii circumciſionem DEUS volebat occidere. Quòd autem DEUS circumciſione peractâ à Moſe deſtitit: hinc nihil aliud poteſt colligi quàm quòd probarit ſtudium illius mulieris in exſequendo mandato DEI: etſi fieri poteſt ut interim non probarit agendi modum. Deinde diſſimilitudo maxima eſt in hoc, quòd Baptiſmi adminiſtratio expreſsè mandata eſt miniſtris Eccleſiæ: at de circumciſione quoad illud quidem tempus, nihil tale legitur. *Baptiſmus.*

ANALYSIS CAP. XV.

ARGUMENTUM.

In hoc capite diſſerit de reſurrectione mortuorum: de qua tres quæſtiones explicat: quarum prima eſt, an ſit reſurrectio mortuorum: altera, quali corpore mortui reſurrecturi ſint: tertia, quid futurum ſit iis, quos dies Domini vivos deprehendet? Quòd ad primam quæſtionem attinet: reſurrectionem mortuorum eſſe, ſeu mortuos reſurrecturos eſſe, demonſtrat Apoſtolus ſex argumentis. quorum primum ſumtum eſt ab exemplo Chriſti, tanquam à pari, à verſ.3. uſque ad 19. alterum ab effectu contrario, ſeu à conſequente abſurdo ſententiæ contrariæ, verſ.19. tertium à genere, verſ.25. & 26. quartum à teſtimonio, videlicet judicio eorum qui baptizabantur ſuprà mortuos, v.29. quintum etiam à teſtimonio, videlicet judicio confeſſorum Chriſti, & nominatim ſuo, verſ.30. 31. 32. ſextum rurſus ab effectu contrarii ſeu conſequente abſurdo ſententiæ contrariæ, verſ.32. Et hæc de quæſtione prima. Ad ſecundam quæſtionem, quali corpore mortui reſurrecturi ſint: reſpondet, eos reſurrecturos corpore ſpirituali, à v.35. uſque ad 51. Ad tertiam quæſtionem, quid futurum ſit iis quos dies Domini vivos deprehendet; reſpondet, eos mutatum iri, hoc eſt, indutum iri incorruptibilitate atque immortalitate, à v.51. uſque ad v.ult. ubi diſputationem hanc exhortatione inde deductâ concludit. Atque ita tres ſunt partes capitis.

DE PRIMA PARTE.

CÆterùm vobis declaro, fratres, Evangelium, quod evangelizavi vobis; quod & accepistis; in quo etiam statis:

2 Per quod etiam, si retinetis quo sermone vobis evangelizaverim, servamini, nisi si frustra credidistis.

PRoœmium sequentis disputationis, comparatum ad attentionem: quod hæc doctrina pars sit Evangelii, ac proinde cognitio & fides ejus ad salutem necessaria sit: deinde quod ipse, videlicet Apostolus Christi, eam ipsis annuntiarit, ac proinde non sit doctrina parvi momenti: præterea quod ipsi hanc doctrinam acceperint & approbarint, atque etiam constanter adhuc confessi sint: unde turpe eis futurum esset, si eam nunc abnegarent: denique quod hæc doctrina ad salutem æternam necessaria sit.

3 Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, Christum videl. mortuum esse pro peccatis nostris, secundùm Scripturas:

4 Et sepultum fuisse, & excitatum tertio die, secundùm Scripturas:

5 Et visum fuisse Cephæ, deinde duodecim illis.

6 Postea visus est ampliùs quàm quingentis fratribus semel: ex quibus plerique manent usque adhuc, quidam autem obdormierunt.

7 Postea visus est Jacobo, deinde Apostolis omnib.

8 Ultimò verò omnium, velut abortivo, visus est etiam mihi.

9 Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, propterea quòd persequutus sum Ecclesiam Dei.

10 Sed gratiâ Dei sum id quod sum: & gratia ejus quæ in me *collata est*, non fuit inanis; sed ampliùs quàm omnes laboravi: non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum est.

11 Et ego igitur & illi ita prædicamus, & ita credidistis.

12 Quòd si Christus prædicatur ex mortuis excitatus est: quomodo *igitur* dicunt quidam inter vos, non esse resurrectionem mortuorum?

13 Nam si resurrectio mortuorum non est, Christus quoque non est excitatus.

14 Quòd si Christus non est excitatus; inanis videlicet *est* prædicatio nostra, inanis autem *est* etiam fides vestra.

15 Reperimur autem etiam falsi testes Dei: quoniam de Deo testificati sumus, eum excitasse Christum; quem non excitavit, si videlicet mortui non excitantur.

16 Nam si mortui non excitantur, Christus quoque non est excitatus.

17 Quòd si Christus non est excitatus, vana *est* fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris.

18 Nempe & qui obdormierunt in Christo, perierunt.

Primum argumentum ad demonstrandum primam quæstionem, concludit hoc syllogismo:

Si resurrectio mortuorum non est, Christus quoque non est excitatus. Vel, Si Christus excitatus est, mortuorum resurrectio est.
Atqui Christus excitatus est.
Ergo resurrectio mortuorum est.

Apostolus primùm ponit assumtionem, vers. 4. eamque amplificat enumeratione adjunctorum adhærentium proximè antegressorum, videlicet mortis & sepulturæ Domini, v. 3. & 4. deinde eam approbat testimoniis: ac primùm testimonio divino Scripturarum, v. 4. deinde humano, eorum qui Christum à resurrectione ejus viderunt: quos distinguit per sex tempora ordine unum post aliud consecuta, vers. 5. 6. 7. & 8. quorum temporum postremum ipsius Apostoli est: ubi se ipse extenuat commemoratione suæ indignitatis: ita tamen ut suum apostolatum magnificè ab effectis commendet & asserat, v. 9. & 10. Tum approbationem illam à testimoniis Apostolorum repetit, & testimonium ipsorum Corinthiorum adjungit, v. 11. Vers. 12. subjungit syllogismi propositionem conceptam affirmativè. V. 13. eandem repetit, sed conceptam negativè. V. 14. adjungit alias approbationes assumtionis: quarum argumenta sumta sunt ab effectis contrarii, hoc est, à consequentibus absurdis sententiæ contrariæ: quæ absurda enumerat tria, v. 14. & 15. Postea propositionem syllogismi repetit; primùm in fine v. 15. deinde continenter vers. 16. Postea redit ad approbandum assumtionem ab absurdis: & unum ante-commemoratum repetit, & duo alia addit, v. 17. & 18. Atque sic tractat argumentum primum.

19 Si in hac solùm vita speramus in Christum, miserrimi omnium hominum sumus.

Secundum argumentum:

Si Christiani in hac solùm vita in Christum sperant, hoc est, si hujus solùm vitæ beatitatem à Christo sperant, miserrimi omnium hominum sunt.
At Christiani non sunt omnium hominum miserrimi.
Ergo non solùm hujus vitæ beatitatem à Christo sperant, sed etiam venturæ: & per consequens ex mortuis resurrecturi sunt, ut beatitatis illius in altera vita participes fiant.

Apostolus solam ponit propositionem: cujus consequentia & veritas liquet ex eo, quòd Christiani in hac vita omnium hominum calamitosissimi sunt. Assumtionis autem veritas liquet ex pronuntiatis illis Domini Matth. 5. Beati pauperes spiritu &c. ubi novies beatos pronuntiat veros Christianos. item ex illo responso ad mulierem: Beati qui audiunt & conservant sermonem meum.

20 Nunc autem Christus excitatus est ex mortuis: & primitiæ eorum qui obdormierunt factus est.

21 Quia enim per hominem mors; per hominem quoque resurrectio mortuorum.

22 Sicut enim in Adamo omnes moriuntur; ita & in Christo omnes vivificabuntur.

Repetit assumtionem argumenti primi, & annectit propositionis confirmationem à pari duplicem: quarum prima est, quòd Christus factus sit primitiæ eorum qui obdormierunt. quasi dicat:

Quemadmodum se habent primitiæ ad reliquum cumulum fructuum: ita se habet Christus ad fideles.
At in primitiis reliquus cumulus fructuum sanctificatur.
Ergo etiam in Christo resurgente fideles sanctificantur ad beatam resurrectionem.

Altera confirmatio propositionis est, quòd Christus Adamo sit oppositus. Sicut igitur fideles (nam de his disserit) in Adamo omnes moriuntur: ita in Christo omnes vivificantur.

23 Unusquisque autem suo ordine: primitiæ Christus; postea qui *sunt* Christi, in adventu ipsius.

Prolepsis: Si fideles in Christo omnes vivificantur: qui fit ergo, quod quum ille jam resurrexerit, isti tamen nondum resurgant? Respondet, esse certum hìc ordinem: ita ut Christus primus resurrexerit, nempe ad cælestem gloriam: sicut primitiæ primùm decerpuntur aut metuntur: fideles autem resurrecturos in Christi adventu; sicut in messe demum reliqui fructus metuntur ac decerpuntur.

24 Deinde *erit* finis, quum tradiderit regnum Deo ac Patri, quum aboleverit omne imperium, & omnem potestatem & potentiam.

25 Nam oportet eum regnare usquequò omnes inimicos subjecerit pedibus ejus.

26 Ultimus autem hostis aboletur mors.

27 Nam omnia subjecit sub pedes ejus. Quum autem dicit, omnia esse *ei* subjecta; palàm est *hoc dici* excepto eo qui subjecit ei omnia.

28 Postquam verò subjecta fuerint ei omnia, tunc & ipse Filius subjicietur ei qui subjecerit ipsi omnia; ut Deus sit omnia in omnibus.

Occasione mentionis de adventu Christi, digreditur in expositionem eorum quæ adventum illum secutura sunt: quæ sunt finis hujus mundi, traditio regni, subjectio hostium, subjectio filii, denique perfecta beatitudo in Deo, qui erit omnia in omnibus. Et hac ratione exponit tertium argumentum ad probandum resurrectionem mortuorum: quod sumtum est à genere. Omnes hostes subjicientur Christo: Ergo & mors: & per consequens, mortui resurgent. Etsi enim mors ita victa est à Christo, ut credentibus non possit nocere: tamen ut perfectè mors aboleatur necesse est, ut credentes ad beatam vitam resurgant.

29 Alioquin quid facient qui baptizantur supra mortuos? Si omnino mortui non excitantur: cur etiam baptizantur supra mortuos?

Quartum argumentum, à testimonio, videl. judicio & confessione eorum qui baptizantur supra mortuos.

Si mortui non excitantur, non baptizarentur quidam supra mortuos.
At quidam supra mortuos baptizantur.
Ergo mortui excitantur.

30 Cur etiam nos periclitamur omni momento?

31 In dies

31 In dies morior, per gloriationem nostram, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.

32 Si secundùm hominem adversus bestias pugnavi Ephesi, quæ mihi utilitas?

Quintum argumentum, etiam à testimonio, videl. judicio & fide confessorum, id est, eorum qui propter confessionem & prædicationem Evangelii extrema pericula adeunt: ubi nominatim exponit suum ipsius exemplum.

Si mortui non excitantur: edamus & bibamus: cras enim morimur.

33 Ne errate. Mores bonos commercia corrumpunt mala.

34 Evigilate justè & ne peccate: quidam enim Deum non nôrunt; ad pudorem vobis *hoc* dico.

Sextum argumentum, à consequente absurdo.

Si mortui non excitantur, locum habebit sententia Epicureorum, qui judicant voluptatibus hujus vitæ fruendum, quum nulla post hanc restet.

Atqui sententia hæc erronea & perniciosa est, minimeque apud Christianos locum habet.

Ergo Christiani prò certo statuere debent, pios ex mortuis ad meliorem vitam resurrecturos.

Hoc argumentum concludit gravi exhortatione, & quorundam reprehensione.

DE SECUNDA PARTE.

35 At dicet aliquis, Quomodo suscitantur mortui? quali autem corpore prodeunt?

36 Demens, quod tu seris, non vivificatur, nisi mortuum fuerit.

37 Et quod seris, non corpus oriturum seris, sed nudum granum, prout inciderit, tritici aut alicujus ex reliquis *seminibus*.

38 Sed Deus ei dat corpus ut voluit, & singulis seminibus suum corpus.

39 Non omnis caro, eadem *est* caro: sed alia quidem caro hominum, alia verò caro pecorum, alia verò piscium, alia verò volucrium.

40 Et *sunt* corpora cælestia, & *sunt* corpora terrestria: sed alius quidem cælestium decor, alius verò terrestrium.

41 Alius decor solis, & alius decor lunæ, & alius decor stellarum. stella enim à stella differt decôre.

42 Ita *erit* & resurrectio mortuorum. Seritur *corpus* corruptioni obnoxium, excitatur incorruptum.

43 Seritur ignominiosum, excitatur gloriosum. Seritur omnium virium expers, excitatur potens.

44 Seritur corpus animale, excitatur corpus spirituale. Est corpus animale, & est corpus spirituale.

45 Ita etiam scriptum est, Factus est primus ille homo Adam anima vivens: ultimus *autem* ille Adam *factus est* spiritus vivificus.

46 At spirituale non est prius, sed animale; deinde spirituale.

47 Primus homo *fuit* è terra, pulvereus: secundus homo, *est* ipse Dominus è cælo.

48 Qualis pulvereus ille, tales & pulverei *sunt*: & qualis ille cælestis, tales & cælestes *erunt*.

49 Et sicut gestavimus imaginem terreni, gestabimus etiam imaginem cælestis.

50 Hoc autem dico, fratres, quia caro & sanguis non possunt regni Dei hæreditatem consequi: neque corruptio consequetur incorruptæ naturæ hæreditatem.

Sequitur secunda pars capitis, ubi docet, quali corpore mortui resurrecturi sint. Simul autem refutat opinionem eorum qui resurrectionem mortuorum judicabant impossibilem. Apostolus igitur possibilem esse demonstrat collatione rerum è terra nascentium. Quemadmodum enim Deus sua potentia è grano in terra putrefacto educit alia eaque ornatiora grana: ita etiam corpora piorum in sepulchris putrefacta rursum educet, sed longè præstantioribus qualitatibus prædita. Non esse autem Deo difficile, alias qualitates in corpora piorum introducere: demonstrat commemoratione corporum naturalium, in quibus magna conspicitur diversitas, tum in corporibus animalium, tum in corporibus inanimis. Postea instituit antithesin inter conditionem corporis quum sepelitur, & ejusdem corporis quum excitabitur: atque ita docet, corpora piorum in resurrectione effectum iri incorruptibilia, gloriosa, robusta, denique spiritualia, hoc est, (ut ego quidem intelligo) conditione spirituum prædita, ut scilicet vigeant absque cibo & potu & generatione: sicut Christus dixit ad Sadducæos: In resurrectione neque uxores ducunt, neque nuptum dantur: sed sunt ut angeli Dei in cælo, Matth.22.v.30. Esse autem ejusmodi duplex corpus, animale scilicet & spirituale: ostendit ex contrariis causis. nam sicut ex Adamo accepimus corpus animale: ita à Christo accipiemus corpus spirituale. Postremò monet, fieri aliter non posse quin corpora piorum reddantur spiritualia: eò quòd corruptibilitas illa quæ eis nunc inest, in regno cælesti locum non habeat.

DE TERTIA PARTE.

51 Ecce mysterium vobis dico; Non omnes quidem obdormiemus, sed omnes mutabimur, momento & jactu oculi, ad ultimam tubam.

52 Canet enim tubâ; & mortui excitabuntur incorrupti, & nos mutabimur.

53 Oportet enim hoc corruptioni obnoxium induere incorruptam naturam, & mortale hoc induere immortalitatem.

54 Quum autem hoc corruptioni obnoxium induerit incorruptam naturam, & mortale hoc induerit immortalitatem; tunc fiet illud quod scriptum est, Absorpta est mors ad victoriam.

55 Ubi tua, ô mors, victoria? ubi tuus, ô sepulchrum, aculeus?

56 Aculeus verò mortis, *est* peccatum: vis autem peccati, Lex.

57 Sed Deo *sit* gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.

58 Itaque, fratres mei dilecti, firmi estote, immoti, abundantes in opere Domini semper; quum sciatis, laborem vestrum non esse inanem in Domino.

Tertia pars capitis, ubi docet quid eventurum sit iis, quos dies Domini vivos deprehendet, videlicet eos immutatum iri, idque subito: simul etiam indicat resurrectionis causam instrumentalem, videl. clangorem tubæ. Tum doctrinam expositam de mutatione corruptibilitatis & mortalitatis in incorruptibilitatem & immortalitatem, confirmat testimonio prophetico partim ex Esaiæ 25. capite, partim ex Oseæ 13. quod testimonium paucis verbis quasi ἐν παρόδῳ declarat: & tandem doctrinam hanc exhortatione ad studium pietatis concludit.

SCHOLIA IN CAP. XV.

1 Accepistis] παρελάβετε. *Scilicet, A me,* παρ' ἐμοῦ. *Accepistis autem, nimirum fide & professione.*

2 Quo sermone] τίνι λόγῳ. *Id est, quibus rationibus seu argumentis.* Nisi si] ἐκτὸς εἰ μὴ. *Vide supr. cap.14.v.5. annotatinem nostram.*

3 Tradidi enim] *Simili sententiâ utitur supr. cap.11. v.23.* Accepi] παρέλαβον. *Nempe* παρὰ χριστοῦ, *à Christo, in tertio cælo.* Pro peccatis nostris] ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. ὑπὲρ *hic valet* ἕνεκα, *id est, peccatorum nostrorum causâ, ut scilicet expiaret peccata nostra.* Secundum Scripturas] *Id est, sicut testantur Scripturæ.*

5 Cephæ] *Petro. Sic supr. cap.1. v.12.* Duodecim illis] τοῖς δώδεκα. *Scilicet* ἀποστόλοις, *apostolis. At Judas Iscariotes jam tum sese suspenderat, neque dum Matthias in numerum apostolorum erat allectus. Est igitur metonymia adjuncti* καταχρηστικήν: *nam ex adjuncto numero intelliguntur Apostoli* ἀορίστως, *non habitâ numeri ratione. Vel potius* δώδεκα *irrepsit pro* δέκα: *sicut eruditè conjicit Beza: ut hic sermo sit de apparitione quæ narratur Johan.20.v.19. quum Thomas aberat. Nam v.7. aliam ac posteriorem apparitionem narrans, ait, visum esse* τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν, *Apostolis omnibus, videl. omnibus undecim: ut narrat Joh.c.20. v.26. Conjecturam autem illam mutatæ scripturæ confirmat versio veteris interpretis, qui vertit, Undecim: unde apparet, eum legisse* ἕνδεκα. *Itaque cùm nomen* δέκα *mendosum videretur: alii* δώδεκα, *alii* ἕνδεκα *substituerunt.*

6 Fratribus] *Sic vocat discipulos Christi.* Manent] *Id est, vivunt. Sic Johan. ult. v.22.* Obdormierunt] *Id est, mortui sunt. Sic supr.11.30.*

8 Velut abortivo] *Hoc mox declarabit v. sequenti.*

9 Dignus] ἱκανός. *Sic ajebat Johannes Baptista, Matth.3.11. Pro quo scriptum est* ἄξιος, *de filio prodigo, Luc.15.*

10 Quæ in me collata est] ἡ εἰς ἐμὲ. *Subaudi,* δειχθεῖσα, *Id est,* ἡ δοθεῖσά μοι. Inanis] κενή. *Id est, sine effectu, sine fructu: sed multum fructus attulit, ut mox declarat.* Quàm illi] *Apostoli reliqui.* Amplius laboravi] *Vide Rom.15.19.* Non ego tamen] *Scilicet ex meis viribus.* Sed gratia Dei] *Id est, labores illos superavi*

ex gratia Dei, hoc est, ex viribus quas suppeditavit mihi Deus pro sua gratia. Quæ mecum est] ἡ σὺν ἐμοί. Subaudi οὖσα. Vetus interpres, Sed gratia Dei mecum: neglecto articulo, & sensu corrupto.

11 Ita] Nempe ut dictum est: Christum ex mortuis excitatum esse.

12 Quod si prædicatur] Id est, Quum igitur prædicetur. Quomodo igitur] Interrogatio vim habet reprehendendi seu objurgandi. quasi dicat, Non debebant igitur isti negare resurrectionem mortuorum.

13 Nam si] εἰ δὲ. Vel, At si. Nam contra falsam doctrinam modò à se reprehensam disputat.

14 Inanis est prædicatio] Quia sine effectu, nempe persuasione seu fide vestra. Prædicatio nostra] Scil. qua prædicavimus, Christum excitatum esse. Nostra] Id est, mea. Synecdoche integri. Sic deinceps. Fides vestra] Qua credidistis nostræ prædicationi. Est inanis] Quia non consequitur finem: videl. vitam æternam, quæ extra Christum nemini contingit.

15 Falsi testes Dei] Id est, falsum testantes de Deo, ut mox declarat. Genitivus objecti. De Deo] κατὰ τοῦ θεοῦ. Id est, περὶ τοῦ θεοῦ. Deum autem intelligit Patrem, quia personas discernit.

16 Nam si] ἐπιμονὴ καὶ ἐπεξεργασία. Repetit dicta, & expolit.

17 Vana] ματαία. Supr. v. 14. dixit, κενή. Adhuc estis in peccatis vestris] Id est, peccata vobis nondum remissa sunt. Nam si Christus in morte mansit: fuit illa inefficax ad expiandum nostra peccata, propter quæ mortuus est.

18 Qui obdormierunt in Christo] Qui mortui sunt in fide Christi.

19 Si in hac &c.] Occasione proximi absurdi annectit alterum argumentum ad probandum quæstionem principalem. In hac vita] ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ. Id est, Dum hic vivimus. Vel, Propter hanc vitam. ut sit Hebraism. præpositione Beth idem valente quod בַּעֲבוּר bahabúr, id est, Propter. q. d. propter commoda & felicitatem hujus vitæ. Hanc autem vitam tacitè opponit vitæ venturæ: ut facit expressè 1. Tim. 4. v. 8.

20 Nunc autem] Particula νυνὶ servit assumtioni syllogismi: cujus propositio præcessit v. 13. item v. 12. sed aliâ formâ: unde etiam duo modi syllogismi connexi exsistunt. Unus syllogismus est primi modi, sic:

Si Christus excitatus est, resurrectio mortuorum est, v. 12.
Sed Christus est excitatus, v. 20.
Ergo resurrectio mortuorum est.

Alter syllogismus est secundi modi:

Si resurrectio mortuorum non est, Christus non est excitatus, v. 13.
Sed Christus excitatus est, v. 20.
Ergo resurrectio mortuorum est.

Primitiæ] Hoc verbo notatur ratio propositionis, qualiter exstat v. 12. Christus est primitiæ credentium qui mortui sunt: Ergo si Christus resurrexit, illi quoq; resurgent. nam cùm primitiæ sanctificatæ sunt, sanctificati sunt quoque reliqui fructus. Vide Levit. 23. v. 9. & seqq. Eorum qui obdormierunt] Nempè credentium. Synecdoche integri vel generis. Nisi dicamus, ipso verbo Obdormiendi notari mortem credentium, qui obdormiunt in fide ac spe resurrectionis gloriosæ. nam incredulorum nulla est cum Christo communio.

21 Quia enim] Prolepsis: Potestne fieri, ut Christus omnibus credentibus author vitæ sit? Respondetur, Maxime. quia similiter potuit fieri, ut Adam omnibus suis posteris author mortis esset. Per hominem] Scil. Adamum, primum nostrum parentem. Mors] Scilicet orta est, & invasit omnes homines: ac proinde etiam electos. Per hominem quoque] Scil. Christum.

22 In Adam omnes moriuntur] Quippe in quo omnes peccarunt, Rom. 5. 12. Quanquam hîc videtur propriè loqui de credentibus; ut intelligitur ex antithesi vel apodosi, Ita in Christo omnes vivificantur. Neq; enim nisi de credentibus hoc intelligendum est: de quorum resurrectione hîc propriè disputat. Quòd si quis malit prius membrum intelligere generaliter de omnibus ex Adamo ortis: posterius similiter intelligendum erit de omnibus in Christo renatis, non autem simpliciter de omnibus. Similis locus est Rom. 5. v. 18. Sed satius est, in utroq; membro eosdem omnes intelligere: sicut & D. Beza censet.

23 Unusquisque autem] Scilicet vivificabitur, id est, resurget ex mortuis. Suo ordine] Id est, suo tempore, ut colligitur ex verbis sequentibus. Nisi malimus, significari gradus gloriæ cælestis, ad quam resurrecturi sumus: qui videntur notari voce primitiarum, quam Christo hîc rursum attribuit. Primitiæ Christus] Id est, Christus factus est primitiæ eorum qui obdormierunt, supr. v. 20. hoc est, primus resurrexit ad vitam æternam & gloriam cælestem. nam quòd ante Christum nonnulli excitati fuerunt, illi excitati fuerunt ad hanc vitam. Postea] Scilicet resurgent. Qui sunt Christi] οἱ χριστοῦ. Scil. ὄντες. Id est, qui pertinent ad Christum: nempe fideles. In adventu ipsius] Cùm ipse advenerit in fine mundi seu consummatione sæculi. sic enim hæc duo conjunguntur Matth. 24.

24 Deinde erit finis] εἶτα τὸ τέλος. Ego puto, simpliciter intelligendum de fine mundi, sicut Matth. 24. v. 6. & 14. nam quò minùs de perfectione regni Christi intelligatur, videtur obstare, quòd illius nulla præcessit mentio, sed demum sequitur. Quum tradiderit regnum Deo] Id est, quum desinet ita regnare ut nunc regnat, dominando scil. in medio inimicorum: quam potestatem à Patre accepit, & ejus mandato exercet: juxta illud, Sede à dextris meis &c. item. Dominare in medio inimicorum tuorum. Est autem metaphora à rebus humanis. Ut si rex quispiam filium suum cum imperio in aliquam sui regni provinciam mittat ad compescendum rebelles: quibus domitis & subjugatis, ille domum reversus, tradit patri imperium illud, hoc est, resignat ac deponit. Alioquin & Pater nunc regnat per Filium, & Filius in æternum regnabit cum Patre: sed alio modo, hostibus scilicet omnibus subjectis. Deo ac Patri] Conjunctio copulativa est ἑρμηνευτική. Sic 2. Cor. 1. v. 3. Quum aboleverit omne imperium] Id est, (ut D. Beza rectè exponit) quum subjecerit omnes hostes, abolitâ eorum potentiâ; nempe mundi, Diaboli, peccati, & mortis. Hæc expositio confirmatur ex collatione versus sequentis.

25 Oportet eum regnare] Nempe eo quo dictum est modo. Juxta illud Psalm. 110. Sede ad dextram meam; donec ponam &c. Usque quo subjecerit] ἄχρις οὗ ἂν θῇ. Nam postquam inimicos subjecerit, desinet ita regnare ut nunc regnat, quippe traditurus regnum Patri, ut dixit v. præced. Omnes inimicos] Prudenter annotat D. Beza, signum universale apud Davidem non esse expressum: quod tamen exprimit Apostolus, ut innuat rationem argumenti: nempe, Si omnes inimicos subjiciet: Ergo & mortem. Atque hinc perspicitur, indefinita enuntiata æquipollere universalibus.

26 Ultimus autem] Præcessit syllogismi propositio, Omnes hostes subjicientur Christo. sequitur assumtio, At mors est hostis. Et simul conclusio, Ergo mors Christo subjicietur, imò prorsus abolebitur, nempe in membris Christi.

27 Nam omnia] Affert aliud testimonium, ex Psal. 8. Ubi David describit Christi & Ecclesiæ præstantiam. Quum autem dicit] ὅταν δὲ εἴπῃ. Prolepsis cavillationis quæ possit necti ex vocabulo OMNIA.

28 Ei qui subjecerit] τῷ ὑποτάξαντι. Dem der jhm wirdt unterworffen haben. Non igitur vertendum, Ei qui subjecit. Neque enim jam subjecit, sed suo tempore subjecturus est. Ut Deus sit omnia in omnibus] Id est, ut Deus in omnibus electis omnia ea efficiat quæ ad solidam eorum beatitudinem pertinent.

29 Alioqui] ἐπεί. Ad verbum, Quoniam. Si scilicet credentes non sunt resurrecturi ad vitam illam cælestem & gloriosam. Quid facient? τί ποιήσουσιν; Videtur esse enallage temporis, pro, τί ποιοῦσι. quid faciunt? q. d. Temerè igitur & sine ratione agunt, nisi credunt resurrecturos mortuos: quod facto ipso profitentur. Qui baptizantur] Id est, Qui baptizari solent. nam notatur consuetudo quædam, quæ quidem nõ videtur fuisse universalis & in omnibus ecclesiis recepta, nec etiã apud Corinthios. Alioquin enim videtur dicturus fuisse, Cur baptizamini? Suprà mortuos] ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Sic Lutherus, Uber den Todten. Quod quidem accipi potest vel propriè: nam qui super sepulchra baptizantur, illi ex consequenti etiam baptizantur super mortuos in sepulchris jacentes: vel per metonymiam adjuncti, pro, Super sepulchra mortuorum. Atque hæc expositio omnium simplicissima videtur: ut quæ nec per se absurda sit, (neque enim absurdum est, veteres Christianos supra sepulchra baptizari voluisse, ut testarentur se unà cum Christo mortuos esse peccato, & propter Christum paratos esse mori, ac si jamjam in sepulchris recondendi essent) nec etiam verbis Apostoli vim faciat: id quod cæteris expositionibus quas D. Beza recitat, accidit. Certè νεκρὸς significat propriè cadaver hominis: & præpositio ὑπὲρ cum genitivo pro Super vel Supra, ad notandum locum, crebrò reperitur apud Græcos. ut Homerus Iliad. β. ait, στῆ δ᾽ ἄρ᾽ ὑπὲρ κεφαλῆς. de Somnio quod à Jove ad Agamemnonem missum, illi dormienti stetit supra caput. Plato in Timæo: ὑπὲρ γῆς χάλαζα συνίσταται, Supra terram grando concrescit. Theophrast. libr. 3. de caus. plantar. τὰ ὑπὲρ γῆς εὐτραφέστερα ποιεῖ, Vegetiora reddit quæ super terram exstant. In hujusmodi exemplis ὑπὲρ idem valet quod ὑπεράνω. Præterea huic expositioni favet articulus præpositus. Si omnino] εἰ ὅλως. Hanc sententiam connecto cum sequente. nam si annectatur præcedenti, erit illic pleonasmus: cùm ista sententia lateat in particula ἐπεί: sequens autem sententia erit imperfecta, nisi hanc sibi connexam habeat. Cur etiam] τί καί. Particula καὶ eleganter redundat. Baptizantur] Lutherus, Lassen sich täuffen. benè expressâ significatione reciprocâ verbi medii βαπτίζονται.

30 Cur etiam] τί καί. Repete ἀπὸ κοινοῦ ex v. sup. Si mortui non excitantur. Nos] ἡμεῖς. Videl. nos fideles ministri Evangelii. Mox autem suum exemplum nominatim proponit.

31 In dies morior] Hoc est, mortis particula adeò. Metonymia effecti hyperbolica. Sic 2. Cor. 11. 23. in mortibus sæpè se fuisse scribit. Per gloriationem nostram] νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν. Alii ὑμετέραν, vestram. Sed rectiùs puto ἡμετέραν, nostram. id est, meam: quia sequitur, Quam habeo. In Christo] Id est, ex gratia & beneficio Christi, qui me in istis periculis conservavit.

32 Secundùm hominem] Id est, humano consilio, nempe gloriæ causâ. Erant enim apud Romanos bestiarii, qui in publicis ludis cum bestiis decertabant, ut inde gloriam roboris & agilitatis, & denique fortitudinis consequerentur. Adversus bestias pugnavi]

gnavi] ἐθηριομάχησα. Potest fieri ut hoc simpliciter & propriè intelligendum sit de bestiis: etsi Lucas hanc historiam omisit: quod mirum videri non debet, cùm etiam alia omiserit: quæ Apostolus de se commemorat 2.Cor.11. Veruntamen probabilius est, intelligendum metaphoricè de disputationibus quas habuit cum incredulis & pertinacibus Judæis, quarum fit mentio Act.19. v.7.8. Quæ mihi utilitas?] Hic puto signandum punctum interrogationis. nam sententia sequens si huic adjungatur, redundat: nisi autem sequenti adjungatur, tunc illa imperfecta erit. Sic ergo puto hanc periodum distinguendam: Si secundùm hominem adversus bestias pugnavi Ephesi: quæ mihi utilitas? Si mortui non excitantur: edamus & bibamus: cras enim morimur: Edamus &c.] φάγωμεν &c. Hæc verba sumta sunt ex Esa.22. v.13. Suntq; verba Epicureorum (ut nominari solent) in populo Judaico, per mimesin recitata. Ita autem recitantur à Propheta, ut illos hoc nomine objurget, quòd signa iræ Dei securè irriderent, nec resipiscentiæ consilia susciperent. unde etiam mox æternum exitium eis minatur. Quod ipsum Apostolus quoq; videtur innuere voluisse: ut ab isto errore Corinthios revocaret. Edamus & bibamus] Id est, comessemur, indulgeamus genio. Synecd.gen. καὶ εὐφραινώμεθα. ut Matth.24. v.38. de iis qui vixerunt in diebus Noe. Cras enim morimur] αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν. Id est, morituri sumus: hoc est, prorsus desinemus esse. Synecdoche gener. qualis modò.

33 Ne errate] Argumentum propositum amplificat hortatione, quâ innuit, syllogismi assumtionem, nempe sententiam istam Epicureorum esse erroneam & perniciosam. Mores bonos, &c.] Φθείρουσιν ἤθη &c. Senarius est Jambicus ex Menandro sumtus: ut D.Beza annotat.

34 Quidam] Scil. inter vos.

35 Quomodo] Q.d. Nullo modo videntur suscitari posse. Prodeunt] E sepulchris.

36 Demens] Acris objurgatio quæ eos corripit, ut suam stultitiam agnoscant, & veritati locum dent. Sic Gal.3.1. O amentes Galatæ: quis vos fascinavit? Vivificatur] ζωοποιεῖται. Sic malo, quàm Vivişcit. nam apparet, Apostolum de industria usurpasse de semine ea verba quæ propriè pertinent ad corpora piorum.

38 Deus dat] Nempe suâ potentiâ. Ei] αὐτῷ. Nempe τῷ τοῦ σίτου κόκκῳ, tritici grano.

39 Non omnis caro] Quoniam mentionem fecit diversitatis seminum, apponit nunc exempla diversitatis in aliis rebus naturalibus. Eadem caro] Id est, iisdem qualitatibus prædita; sed alia præstantioribus, alia minùs præstantibus.

41 Alius decor solis &c. Q.d. Et non solùm cælestia corpora à terrestribus differunt decôre, sed etiam ipsâ inter se. Stellarum] Scil. reliquarum. nam etiam sol & luna inter stellas (nempe errantes) numerantur. Sed Apostolus loquitur cum Scriptura Genes.1.16.

42 Ita erit & resurrectio mortuorum] Id est, Ita etiam erit in resurrectione mortuorum. hoc est, Corpora sanctorum post resurrectionem plurimùm different à seipsis, qualia fuerunt ante resurrectionem, atque etiam ipsa inter se different claritate. Cæterùm ista verba conjungi debuerunt cùm versu præcedente. Continent enim comparationis ibi institutæ apodosin. Seritur] Id est, sepelitur. Metaphora, quâ Apostolus verba ἐναλλὰξ permutavit de industria. nam supr.36. semini ea attribuit, quæ pertinent ad corpora nostra: hîc contrà corporibus nostris tribuit quæ pertinent ad semen.

43 Potens] ἐν δυνάμει. Id est, ἰσχυρὸν, robustum.

44 Corpus animale] σῶμα ψυχικόν. Id est, cui vitam præstat anima, nempe vitam caducam quæ indiget cibo & potu & generatione: sicuti vita cæterorum animalium. Quanquam quum seritur, id est, sepelitur, tum desiit esse animale, & factum est merè naturale. Corpus spirituale] σῶμα πνευματικόν. Id est, præditum qualitatibus spiritualibus. non enim ampliùs egebit cibo & potu & generatione; quum similes futuri simus beatis angelis: ut Christus Sadducæis respondit, Matth.22.30.

45 Primus ille] ὁ πρῶτος. Nempe ὁ πρωτόπλαστος, qui primus omnium à Deo conditus & formatus est. Scriptum est] Scilicet Genes.2. vers.7. Homo Adam] ἄνθρωπος Ἀδάμ. Omnino verisimile est, nomen ἄνθρωπος tanquam glossema nominis Ἀδάμ, in textum irrepsisse. Anima vivens] εἰς ψυχὴν ζῶσαν. Ad verb. In animam viventem, i.e. animal. Synecdoche membri Hebraica: cujus exempla complura occurrunt, Gen.1. Non autem puto rectè verti, Animal vivens. nam hæc loquendi forma laborat ἀδολεσχίᾳ seu inepto pleonasmo: quum omne animal vitâ sit præditum, idque hoc ipso quòd est animal unde & Græcis ζῶον dicitur ἀπὸ τῆς ζωῆς, à vita: & Latinis animal ab anima à qua vivificatur. Ultimus autem ille] ὁ ἔσχατος. Pro, ὁ δὲ ἔσχατος. nam est antithesis. Vocat autem Christum ultimum illum Adamum, quia in ultimis mundi temporibus exortus est. Factus est Spiritus vivificus] Verbum ἐγένετο ex præcedente membro repetendum, planum est ex antithesi. Sententia autem est: Factus est talis homo qui simul esset spiritus vivificus, hoc est, verus Deus. Quæ expositio confirmatur ex collatione v.47. ubi eandem sententiam repetit his verbis, Secundus homo est ipse Dominus è cælo. Vocat autem hîc spiritum vivificum, respiciens ad quæstionem quàm tractat, ut significet, Christum corpora fidelium vivificaturum & spiritualia effecturum.

47 Pulvereus] χοϊκός. Puto simpliciter exponendum, E pulvere terra factus: scil. ratione corporis. Synecdoche integri. Secundus homo] Id est, Christus.

48 Pulverei] Nempe posteri Adæ, quamdiu hîc vivunt. Cælestes] Id est, Sancti post resurrectionem.

49 Et sicut] ἐπιμονή.

50 Quia caro & sanguis non possunt] ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐ δύναται. Conjunctione ὅτι expositâ non αἰτιολογικῶς, sed αἰτιολογικῶς. nam videtur Apostolus rationem exponere ejus quod dixerat. Sic igitur exponendum censeo: Hoc autem dico,] nempe nos gestaturos imaginem illius cælestis) quia caro & sanguis non possunt regni Dei hæredi[a]tem consequi. Neque corruptio] Hoc est, Corpus quatenus corruptioni obnoxium. Incorruptæ naturæ] ἀφθαρσίαν. Id est, Cæli quòd destinatum est corporibus incorruptibilibus. Vel, corona illius immarcescibilis: quam Petrus nominat 1. Petr.1. v.4. hoc est, gloria cælestis ac vita æterna. Consequetur hæreditatem] κληρονομεῖ. Pro, κληρονομήσει.

51 Non omnes quidem] πάντες μὲν οὐ. Pro, οὐ πάντες μέν. Trajectio. Obdormiemus] κοιμηθησόμεθα. Sopiemur. Id est, moriemur. Mutabimur] ἀλλαγησόμεθα. Id est, corruptibilitas & mortalitas nobis inhærens, mutabitur in incorruptibilitatem, & immortalitatem, ut ipse exponit v.53. Loquitur autem de sanctis. quanquam & reprobi immutabuntur, sed tantùm ut æternos cruciatus sustinere possint: quia vermis eorum non morietur. Præterea ita loquitur, quasi ipse ad diem usque Domini victurus esset. quoniam dies ille & hora ignota sunt hominibus: hoc autem constat, non longè abesse. unde suprà dixit, Incidimus in terminos sæculorum, supr.c.10. v.11. Similiter loquitur 1.Thess.4. v.14. Porrò diversa lectio hujus loci, nempe, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, citatur ab Augustino oratione contra Judæos, cap.20. item contra Adimant. cap.12. Sed non dubito, quin lectio quæ in textu nostro exstat, vera sit. Momento] ἐν ἀτόμῳ. Ad verb. In individuo. Synecd. generis. Intelligitur enim τὸ ἄτομον τοῦ χρόνου: quòd Aristoteles in Physicis τὸ νῦν appellat. Jactu] ῥιπῇ. A verbo ῥίπτειν, id est, projicere. Sic Germani dicunt, Die Augen hin vnd her werffen, id est, oculos huc illuc jacere: quod aliàs Græcè dicitur ὀφθαλμοβολεῖν. ῥιπὴ autem, Augenblick. Cæterùm pro hac voce jactu in veteri versione surrepsit ictu. Ad ultimam tubam] ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι. Ad verb. In ultima tuba, id est, in eo tempore quo clanget ultima tuba. vel, ἐν pro διὰ: ut notetur instrumentum. nam tubâ excitabuntur mortui, ut ait vers.seq. & 1.Thess.4. v.16.

52 Canet enim tubâ] σαλπίσει. Subaudiendum videtur ὁ Θεὸς: vel, ἀρχάγγελος, ex 1.Thess.4.16. Porrò hæc tuba exponitur à quibusdam metaphoricè de præcepto & voluntate Christi. Sed hoc nimis videtur dilutum. Puto igitur, hoc accipiendum de clangore simili clangori tubæ. Sicut in monte Sina, cùm Lex promulgaretur: Exod.19.16. Vide Matth.24.31. & Joh.5.28. Et nos mutabimur] Nempe nos vivi qui reliqui erimus in adventu Domini, idq; postquam mortui fuerint excitati: ut expressè ait 1.Thessal.4. v.15.16 17.

53 Hoc] Videlicet corpus. δεικτικῶς. unde Christiani olim in ecclesia Romana dicebant, Credo resurrectionem hujus carnis. Resurget enim idem corpus quod sepelitur, sed mutatum qualitatibus.

54 Illud quod scriptum est] ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος. Ad verb. Sermo ille qui scriptus est. Metonymia adjuncti Hebraica. Scriptum est] Scil. Esa.25. v.8. his verbis: Absorbebit (Jehova) mortem in victoriam, id est, (exponente Fr. Junio) ita ut in sempiternum devicta & prostrata jaceat, neque ampliùs in beatos illos convivas Christi dominetur. Etenim eo loco sub imagine convivii promittuntur electis beneficia Christi.

55 Ubi tua, ô mors, victoria] Hæc verba desumta sunt ex Ose. 13. v.14 qui versus totus sic legitur in Hebræo: E manu sepulchri redimam eos, à morte vindicabo eos. Ubi sunt pestes tuæ, ô mors? ubi exitium tuum, ô sepulchrum? Verba parumper diversa: sensus idem.

56 Aculeus mortis] Quo scil. mors nos pungit. Peccatum] Nam nisi peccassemus, mors nihil Juris in nos haberet. Vis autem peccati, lex] Nam ex lege est agnitio peccati: & lex auget peccatum; non quidem suo vitio; quum bona & sancta sit: sed vitio naturæ, quia nitimur in vetitum.

57 Sed Deo sit gratia] Similis gratiarum actio exstat Rom.7. v.ult. Victoriam] Contra mortem. Per Christum] Qui peccata nostra expiavit, & ita morti suum in nos jus ademit.

58 In opere Domini] Nempe in fide & studio pietatis. Hoc enim est bonum illud opus quod Deus in nobis incepit. Phil.1. vers.6. Non esse inanem] Id est, Reportaturum mercedem vitæ æternæ. μείωσις. In Domino] Id est, ex gratia & operatione Domini.

OBSERVAT. EX CAP. XV.

1 Ex v.1. Doctrina cælestis de articulo aliquo fidei non semel tantùm atque iterum Ecclesiæ proponenda est: sed quoties necessitas postulat, ampliùs declaranda: exemplo Pauli, apud Corinthios declarantis & confirmantis doctrinam de — *Ministri verbi Dei.*

resurrectione corporum ad vitam æternam: Sic Philip.3.vers.1. Eadem scribere vobis, me quidem haud piget: vobis autem tutum est.

Evangelii. 2 Ex vers.2. Notandum testimonium de efficacia Evangelii: nempe quòd sit instrumentum salutis; per quod homines servantur: si scilicet illi constanter credant. quam quidem ipsam fidem Spiritus S. per ipsum efficit in omnibus electis, ut alibi Scriptura docet.

Officium hominis Christiani. Perseverantia in fide. 3 Ex eod.v. Non est satis ad salutem, cœpisse Evangelio credere: sed in illa fide oportet perseverare. nam Paulus ait, servatum iri Corinthios si retinuerint doctrinam Evangelii à se traditam. Ita & Christus dixit, Qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit.

Fides. Vindicatio verborum Pauli, Nisi si frustra credidistis. 4 Ex eod.v. Quæritur, an vera in Christum fides possit amitti? nam fieri id posse, videntur innuere verba Apostoli dicentis, *Si retinetis*: item, *Nisi si frustra credidistis*. Respondeo: Certum est ex multis Scripturæ testimoniis, veram fidem amitti non posse, obstante nimirùm decreto Dei. At interim quoniam per hominem non stat quo minùs eam amittat, homo indiget perpetuo studio illius retinendæ, item hortatione. Deinde frustra credidisse dicuntur illi qui ad tempus visi sunt credere, sed postea fidem quam fuerant professi, atque ex illa professione pro credentibus habiti, abnegant.

Quòd Jesus sit Christus. 5 Ex v.3.& deinceps usque ad 12. Jesum illum Nazarenum, Mariæ virginis filium, esse Christum, hoc est, Servatorem mundi: inter alia demonstratur argumento resurrectionis, quòd videl. resurrexit ex mortuis ad vitam gloriosam. Illa demonstratio concluditur hoc syllogismo:

Is qui posteaquam à Judæis & Gentibus fuerat crucifixus, propriâ virtute resurrexit ex mortuis, est Christus.

Atqui Jesus hic est is, qui postquam à Judæis & Gentibus fuerat crucifixus, propriâ virtute resurrexit ex mortuis.

Ergo hic Jesus est Christus.

Propositio probatur testimoniis Prophetarum: quod significat Paulus hoc loco, quum ait, Christum excitatum esse secundùm Scripturas. Assumtio probatur testimoniis Apostolorum & aliorum discipulorum Jesu: qui illum à mortuis excitatum viderunt: sicut Paulus hoc loco specialiter commemorat.

Officium hominis Christiani. Confessio peccatorum. 6 Ex vers.8.9.10. Exemplo Pauli debemus, quoties occasio fert, ingenuam edere confessionem peccatorum nostrorum quibus Ecclesiam offendimus: & simul prædicare gratiam Dei in peccatis remittendis. Sic facit idem Apostolus 1.Timoth.1. vers.15.16.17.

Liberum arbitrium. Vindicatio verborum Pauli, Gratia Dei, quæ mecum est. 7 Ex v.10. ex verbis: *Sed gratia Dei quæ mecum est.* Hoc loco abutuntur quidam ad statuendum συνέργειαν, i.e. cooperationem liberi arbitrii cum gratia DEI in negotio salutis, id est, in consequenda fide & per illam vitâ æternâ. quia nimirum Apostolus dicat, *Laboravi: non ego tamen, sed gratia Dei mecum.* At primùm Apostolus hîc non loquitur de ratione suæ salutis, quâ scil. ratione illam sit consecutus: sed loquitur de laboribus quos sustinuerat in prædicando Evangelio & quibus multos ad fidem adduxerat, atque adeò plures quàm cæteri Apostoli omnes. ait enim, Ampliùs quàm illi omnes laboravi. Deinde non dicit, *Gratia Dei mecum*, scil. laboravit: id est, ad fidem illos adduxit: quasi dicat, partim ego id feci: partim gratia Dei: sed dicit: *Non ego tamen, sed gratia Dei*, ἡ σὺν ἐμοί, scil. οὖσα: *quæ mecum est*: hoc est, quæ mihi Evangelium prædicanti adest, atque illam prædicationem fructuosam reddit.

Resurrectio Christi. 8 Ex v.12.20.22.23. Inter fructus resurrectionis Christi unus est, quòd inde scimus, nos quoque similiter resurrecturos, videl. ad vitam æternam & gloriam cælestem. Ratio est: quoniam Christus ad nos sese habet ut primitiæ ad plenam messem. Primitiis autem oblatis, benedicebatur toti messi, & spes concipiebatur illius ubi maturuisset, fruendæ.

Resurrectio Christi. 9 Ex vers.17. Notandus alius fructus resurrectionis Christi: nempe quòd inde certi sumus de remissione peccatorum: id est, peccata nostra per mortem Christi esse expiata, ac proinde nobis remissa. ait enim Paulus, Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris. Cujus connexi ratio est, quòd, si Christus mansisset in morte, id fuisset argumentum quòd peccata nostra quæ in se ut sponsor susceperat, nondum essent per mortem ipsius expiata. Ergo quum ex morte resurrexerit: est illud argumento, quòd peccata nostra per mortem ipsius sint expiata, ac proinde nobis remissa, ita ut non ampliùs simus in peccatis nostris. Idem tradit Apostolus Rom. 4. in fine: his verbis: Qui traditus est propter lapsus nostros, & excitatus est propter justificationem nostri, διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν: id est, ut palàm faceret, nos esse à peccatis nostris justificatos per mortem ipsius.

Consolatio. 10 Ex vers.19. Miseriis hujus vitæ opponamus spem vitæ æternæ.

Quorum servator sit Christus. 11 Ex vers.22. Cavendum ne verbis Apostoli abutamur ad stabiliendum opinionem eorum qui tradunt, omnes omnino homines, nemine excepto, per Christum servatos esse, quia nimirum Apostolus dicit, *In Christo omnes vivificabuntur.* At hoc non posse intelligi de omnibus simpliciter hominibus: primùm liquet ex ipsa experientia quæ testatur, non omnes per Christum vivificari: deinde ex testimoniis Scripturæ, quòd aliqui resurrecturi sint ad sempiternam ignominiam & mortem. Non igitur omnes vivificabuntur, id est, ad vitam æternam excitabuntur. Quærendum igitur restat, de quibus omnibus loquatur Paulus. Dico, eum loqui de omnibus in Christum verè credentibus. Etenim de horũ resurrectione propriè hoc loco disserit: sicut ex toto sermone planum est. At ait: Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur. In Adam autem non soli credentes mortui sunt: sed omnes omnino homines, solo Christo excepto. Videtur ergo de omnibus simpliciter loqui. Respondeo: Etsi verum est, omnes omnino homines (solo Christo excepto) in Adam esse mortuos: tamen inde non sequitur, Apostolum hîc de omnibus illis loqui: De quibus autem loquatur, colligendum est ex sermonis hujus scopo & contextu. Inde autem percipitur, eum hîc propriè loqui de credentibus. Quòd si quis contendat: prius membrum de omnibus hominibus intelligendum esse, inde tamen non efficietur, secundum quoque membrum de omnibus oportere intelligi, quia Adam & Christus inter se comparantur ut duæ stirpes seu arbores: quarum utraque suis ramis communicat quæ habet: Adamus quidem peccatum & mortem omnibus suis posteris naturaliter ex ipso ortis: Christus autem justitiam & vitam omnibus spiritualiter in ipso regenitis, eique per fidem insitis, quæ comparatio copiosiùs traditur Rom. 5. vers.12.& seqq.

12 Ex vers.25. Notandum, quid sit Sedere ad dextram Patris: nempe nihil aliud quàm Regnare mandato Patris. Sic enim Paulus hoc loco phrasin illam quæ habetur Psalm.110. exponit. Quod quidem intelligendum est de dominatione inter inimicos: sicut ex verbis Psalmi & hoc loco Pauli planum est. Etsi autem Christus hoc modo regnare aliquando desinet, nempe quum inimici omnes fuerint subacti: tamen id non obstat, quò minùs regnaturus sit in æternum, sed alio modo. *Sessio Christi ad dextram Dei.*

13 Ex v.33. Caveamus ne impiis sermonibus in exitialem errorem ducamur. *Sermo.*

14 Ex v.34. Qui securè peccatis indulgent, illi Deum non norunt. nam vera cognitio Dei conjunctum habet timorem Dei. *Securitas carnalis.*

15 Ex vers.36. Quærat hîc aliquis, annon Apostolus hîc videatur peccare contra sextum præceptum, in quo explicando Christus ait, Qui dixerit fratri suo, μωρέ, stulte; is reus erit gehennæ. Respondeo: Christus loquitur de maledicto quod provenit ex cupiditate vindictæ: at Pauli istæ objurgationes profectæ fuerunt ex studio gloriæ Dei & salutis proximi. *An peccârit Paulus dicendo, Demens.*

16 Ex vers.38. Ait Paulus, Deum cuique semini dare suum corpus. Ne ergo putemus, naturam operari per se, sine Deo. Et omnino pro eo quod vulgò dicunt, Natura nihil facit frustrà: dicendum, DEUS in natura nihil facit frustrà. quippe natura non est dea aliqua quæ agat consilio; sed est ordo à DEO institutus in rebus creatis: & DEUS est is qui certo consilio ordinem istum conservat, vel etiam quoties libet, immutat. *Natura. Gubernatio Dei.*

17 Ex v.41.& 42. Gloriæ cælestis in sanctis erunt gradus: sicut sunt gradus lucis in stellis. *Gloria cælestis.*

18 Ex v.42.& deinceps usque ad 51. Futura gloria corporum nostrorum consolari nos debet contra illius infirmitatem qualem experimur in hac vita: ut quòd morbis & variis defectibus obnoxium est. *Consolatio.*

19 Ex vers.51. Ad Hebr.9. vers.27. dicit Paulus, Hominibus statutum est semel mori. at hic ait, Non omnes obdormiemus: id est, moriemur. Respondeo: Mutatio illa de qua subjungit, instar mortis erit, quia prior vita (nempe naturalis seu animalis) cessabit. Et Apostolus illic loquitur de communi cursu mundi, qualis quotidie cernitur: nihil interim derogans privilegio eorum qui ad adventum usque Domini victuri sunt. *Mors. Antilogia apparentis conciliatio.*

20 Ex v.52. ex verbis, Et nos mutabimur. Si Paulus tum singulis horis se parabat ad judicium: multò magis id facere debemus nos, qui judicio propiores sumus. *Officium hominis Christiani.*

21 Ex vers.56. Quum mortis aculeus sit peccatum: ergo qui sciunt, peccata sibi esse remissa propter Christum, illi sciunt se à morte (nempe æternâ) esse liberatos: & vitam æternam sibi esse partam. *Consolatio pro fidelibus.*

ANALYSIS CAP. XVI.

ARGUMENTUM.

Hoc caput in duas principales partes secari potest. In prima agit de collecta: in altera de rebus familiaribus.

PORRÒ de collecta *facienda* in sanctos, quemadmodum ordinavi ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite.

2 Primo quoque *die* hebdomadis unusquisque vestrûm apud se reponat, recondens quod pro Dei benignitate licuerit: ne, quum venero, tunc collectæ fiant.

3 Post.

3 Postquam autem advenero; quoscunque probaveritis, cum epistolis hos mittam ut perferant gratiam vestram in Hierusalem.

4 Quòd si res digna fuerit ut & ipse proficiscar, mecum proficiscentur.

5 Veniam autem ad vos quum Macedoniam pertransiero. (Macedoniam enim pertransibo.)

6 Apud vos autem forsitan permanebo, aut etiam hybernabo: ut vos me prosequamini quocunque proficiscar.

7 Nolo enim vos nunc in transcursu videre: sed spero temporis aliquantum permansurum *me* apud vos, si Dominus permiserit.

8 Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten.

9 Nam ostium mihi apertum est magnum & efficax, & adversarii multi.

10 Quòd si venerit Timotheus, videte ut tutò sit apud vos: opus enim Domini operatur, ut & ego.

11 Ne quis igitur illum pro nihilo habeat: sed prosequimini eum cum pace, ut veniat ad me: exspecto enim eum cum fratribus.

12 Porrò de Apollo fratre, multum precatus sum eum ut iret ad vos cum fratribus: sed omnino non fuit *ei* voluntas nunc eundi: venturus est autem quum tempus opportunum habuerit.

13 Vigilate, state in fide, viriliter agite, estote fortes.

14 Omnia vestra cum charitate fiant.

15 Precor autem vos, fratres: nostis familiam Stephanæ esse primitias Achaiæ, & sese in ministerium sanctis addixisse:

16 Ut & vos subjiciamini talibus, & omnibus operam suam conferentibus & laborantibus.

17 Gaudeo verò de adventu Stephanæ & Fortunati & Achaici; quoniam absentiam vestram hi suppleverunt.

18 Refecerunt enim spiritum meum ac vestrum. Agnoscite itaque qui sunt hujusmodi.

19 Salutant vos ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multùm Aquila & Priscilla, cum ecclesia quæ est domi ipsorum.

20 Salutant vos fratres omnes. Salutate alii alios osculo sancto.

21 Salutatio manu meâ Pauli.

22 Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema, marán-athá.

23 Gratia Domini Jesu Christi *sit* vobiscum.

24 Charitas mea *sit* cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.

QUod ad collectam attinet, hortatur eos ut collectam faciant, nimirum pro pauperibus fratribus qui erant Hierosolymis: hujus autem hortationis rationem adjungit ab exemplo ecclesiarum Galatiæ, v.1. Deinde præscribit eis collectæ faciendæ modum, & illud præceptum confirmat à fine, v.2. Tum significat, per quos collectam illam velit mittere, v.3. & 4. Quod ad res familiares attinet, primùm pollicetur se ad eos venturum, & ad tempus apud ipsos commoraturum, v.5.6. & 7. Deinde significat, quamdiu velit manere Ephesi, & cur, v.8. & 9. Tertiò commendat eis Timotheum, v.10. & 11. Quartò excusat se de Apollo, quod is nondum ad eos veniat, v.12. Quintò hortatur eos ad vigilantiam & constantiam & charitatem, v.13. & 14. Sextò commendat eis familiam Stephanæ & similes, v.15. & 16. Septimò laudat & commendat eis Stephanam & Fortunatum & Achaicum, v.17. & 18. Octavò quorundam verbis eos salutat, v.19. & 20. Nonò ipse eos salutat, & gravissimam comminationem adjicit contra hypocritas, v.21. & 22. Decimò & postremò optat eis gratiam Domini, & testatur de sua erga eos benevolentia, v.23. & 24.

SCHOLIA IN CAP. XVI.

1 *Facienda* in sanctos] *τῆς εἰς τοὺς ἁγίους. Scil. κοινωνίας.* In sanctos] *εἰς τοὺς ἁγίους. Nempe fideles Hierosolymitanos. Confer Rom. 15.26.* Ecclesiis Galatiæ] *Id est, quæ sunt in Galatia. Genitivus subjecti.*

2 Primo quoque *die* hebdomadis] *κατὰ μίαν σαββάτων. Præpositio κατὰ hîc notat distributionem: id quod etiam expressit Syrus, vertens* בְּכֻל חַד *becúl chád,* in omni uno, *id est, primo, scil. die. Ad μίαν subaudi ἡμέραν. Et ἡμέραν μίαν intellige τὴν πρώτην, ex Hebraismo, ut Gen.1.v.5. Facta est vespera, & factum est mane, dies unus: id est, primus. Cæterum σαββάτων, hîc & alibi passim videri possit scriptum pro σαββατῶν, ex voce scilicet Hebræâ* שַׁבָּתוֹן *schabbathón: quæ numeri singularis est, & cessationem sive quietem significat, sicut & nomen* שַׁבָּת *schabbáth. Quomodo* Joh.18.v.1. *& 1.Reg.15.13. & passim in illis libris scriptum est Κέδρων pro Κεδρὼν, ex Hebræa voce* קִדְרוֹן *Kedrón: quæ itidem numeri singularis est. Sed huic conjecturæ videtur obstare quòd apud scriptores N.Testamenti passim reperitur dativus pluralis σάββασι: à nominativo scilicet τὰ σάββατα, cujus genitivus est τῶν σαββάτων. Quin & illud obstat, quòd interdum præponitur articulus τῶν: ut Actor.16.v.13. τῇ δὲ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων. Quicquid sit: hebdomadem hîc significari, certum est ex collatione similium locorum Matth.28.v.1. & Actor.20.v.7. Hebdomadem autem unam Hebræi non vocant numero plurali* שַׁבָּתוֹת *schabbathóth: sed illo nomine plures hebdomades intelligunt: ut liquet ex Levit.23 v.15. Septem hebdomades integræ sunto. Et rursum c.25.v.8. Numerabis tibi septem hebdomades annorum. Quod in Hebræo sonat, septem sabbatha. Unde perspicitur, in hac appellatione sic usurpatâ, esse synecdochen membri: quia tota hebdomas ab unico die, eoque præcipuo & ultimo, denominatur κατ᾽ ἐξοχὴν. Sanè Luc.18.v.12. nomen σαββάτου numero singulari positum apertè hebdomadem significat: ubi ait Pharisæus ille, νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου.* Quod pro Dei benignitate licuerit] *ὅ,τι ἂν εὐοδῶται. Ante ὅ,τι videtur subaudiendum κατὰ: ut sit ad verb. Secundum quod prosperatur. Id est, Recondens aliquid ex eo in quo prosperatur, h.e. quod ex Dei benedictione adeptus est. Nam dicitur εὐόδωτος is qui prosperatur seu cui prosperè succedunt res suæ, metaphorâ ductâ ab iis qui feliciter iter faciunt, & ad metam ad quam tendunt, facilè perveniunt.*

3 Probaveritis] *δοκιμάσητε. Id est, probatos & idoneos judicaveritis.* Cum epistolis] *δι᾽ ἐπιστολῶν. Ad verb. Per epistolas. Videtur commodiùs connecti cum sequentibus, & exponendum per μετ᾽ ἐπιστολῶν, cum epistolis.* Gratiam] *χάριν. Id est, donum, munus ex gratia profectum. Sic 2.Cor.8.4. Meton. efficientis. Videtur autem hoc referendum ad gratiam non tam ipsorum Corinthiorum quam Dei, qui Corinthiis istas facultates ex gratia largitus sit. Sic sanè Hebræi vocant Benedictionem, munus aliquod ex Dei benedictione in aliquem profectum: ut Genes.33.11. Jacob munera offerens fratri Esau, ait: Accipe quæso benedictionem meam quæ adducta est ad te, quum gratiosè mihi sit largitus Deus.* In Hierusalem] *εἰς Ἱερουσαλήμ. Elegantiùs] Hierusalemum: vel Hierosolymam.* Gen Jerusalem.

7 Si Dominus permiserit] *Christiana conditio. Vide Jac.4.15.*

9 Ostium mihi apertum est] *Id est, occasio mihi oblata est prædicandi Evangelii. Metaphora. Nam per occasionem quasi introitur in gestionem rei.* Adversarii multi] *Christus enim est positus in signum cui contradicitur, Luc.2.34.*

10 Opus enim Domini operatur] *Id est, prædicat Evangelium, & studiosus est pietatis sincerè & ex animo.*

11 Ne quis igitur illum pro nihilo habeat] *Perstringit superbiam quorundam. Erat Timotheus adhuc juvenis, ut perspicitur ex 1.Tim.4.12. Juvenes autem ferè solent contemni, quum res arduas gerunt.*

12 De Apollo fratre] *Quod ad Apollo fratrem attinet.*

13 Vigilate] *Vigilantiæ nomine timorem Dei notat.*

14 Cum charitate] *ἐν ἀγάπῃ. Vel, Ex charitate.*

15 Precor autem vos] *Ab his verbis pendent verba v. seq. Ut subjiciamini.* Primitias Achaiæ] *Id est, primos ex iis qui conversi sunt in Achaia. Metaphora.*

18 Ac vestrum] *Correctio quædam. q.d. Non tam meum quàm vestrum.* Agnoscite] *Tales ducite quales sunt; ac proinde honorate, quum sint honore digni.*

20 Osculo sancto] *Id est, ex sancto pectore profecto, non hypocritico: quale erat osculum Judæ.*

22 Maran-atha] *Id est, Dominus noster venit. His verbis videntur innuisse, fore ut Dominus suo adventu perdat eum cui maledicebant.*

OBSERVAT. EX CAP. XVI.

1 Ex v.1. & seqq. Quum necessitas postulat, ecclesiæ sese mutuò collectis juvare debent. *Officium hominis Christiani.*

2 Ex v.7. Quum quid instituimus, eventum Deo committere debemus. Confer Jac.4.v.13. *Officium hominis Christiani.*

3 Ex v.9. Occasio promovendi regni Dei non est ministris verbi negligenda. *Ministri verbi Dei.*

4 Ex v.10.11.16.18. Fideles ministri verbi Dei in pretio habendi sunt. *Auditores Evangelii.*

FINIS PRIORIS AD CORINTHIOS.

ANALYSIS LOGICA POSTERIORIS EPISTOLÆ PAULI AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

Occasio scribendi hanc epistolam nata fuit ex malevolentia pseudapostolorum apud Corinthios: qui more suo omnia dicta & facta Pauli in deteriorem partem rapiebant. Promiserat ultimo capite prioris epistolæ suum adventum: sed impeditus variis persecutionibus, non venerat: id adversarii in calumniam rapiebant, quasi argumentum levitatis Pauli: qui facilis esset in promittendo, non perinde facilis in promissis præstandis. Sic quod capite quinto graviter jusserat, illum incestuosum tradi Satanæ, id mirificè exagitabant adversarii, quasi dictum hominis ambitiosi & nimiùm severi censoris. Eodem pacto alia multa rapiebant in calumniam: dictitantes, quòd dominationem quæreret, quòd authoritatem nimiam sibi pararet, Legem everteret, homines carnales & dissolutos efficeret, quòd imperiosus in scribendo esset, persona alioquin per se abjecta & contemtibilis. His & similibus calumniis in hac epistola occurrit: rem apud eos discutiens, apud quos inprimis hostes eum lædebant. Ceterùm præter depulsionem ac refutationem istarum calumniarum, passim testatur suum in Corinthios sincerum amorem: Titi etiam & aliorum commendationem suis locis tempestivè interponit. Præterea Corinthios ad officium hortatur: deniq; suas ipsius laudes, à pseudapostolis coactus, commemorat. Quæ tamen omnia principali instituto serviunt; ut scil. planum faciat, se innocenter traduci à malevolis. Ideo non dubitat se suamq; vocationem cum summis adversariis conferre: doctrinam quoq; suam cum adversariorum doctrina. Summa igitur in his consistit se nullâ levitate in promissis aut dominandi studio quicquam scripsisse: nullâ etiam ambitione quicquam docuisse: sed erga Corinthios singulari amore & benefaciendi studio, omnia & scripsisse & docuisse.

Quod autem ad partium dispositionem attinet: præter inscriptionem, partes præcipuè sex distingui possunt. Prima est exordium, à v.3. usque ad v.8. Secunda pars est narratio apologetica, ubi suam innocentiam contra calumnias adversariorum defendit, à v.8. c.1. usque ad initium c.6. Tertia pars est cohortatio, qua Corinthios auditores suos ad officium Christiani hominis cohortatur, c.6.7.8.9. In quarta parte se iterum à certis calumniis purgat, suasq; laudes commemorat, c.10.11. & duodecimi parte, nempè usq; ad v.14. In quinta parte denuntiat eis suum ad eos adventum, & qualis venturus sit, à v.14. c.12. usque ad v.11. c.13. quod est ultimum. Sexta & postrema pars est epilogus, à v.11. c.13. usq; ad finem.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Caput primum continet inscriptionem, exordium, & primum narrationis locum, ubi diluit crimen levitatis.

PAulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, unà cum sanctis omnibus qui sunt in tota Achaia.

2 Gratia *sit* vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

INscriptio continet tres partes: subscriptionem, inscriptionem specialiter dictam, & salutationem. Subscriptionem vocant, quæ continet nomen ejus qui scribit: eò quòd hodie ferè subscribere suum nomen soleant. Nomen igitur ejus qui scripsit hanc epistolam, est Paulus: de quo diximus in epistola ad Romanos, & priore ad Corinthios. Porrò hoc nomen amplificat partim commendatione sui, vocans se Apostolum Jesu Christi: partim consociatione amici, quem fratrem nominat, adjungens sibi Timotheum. Suum autem apostolatum amplificat expositione causæ efficientis, videl. voluntatis Dei. Atque hæc de subscriptione. Inscriptio specialiter dicta continet nomen ejus ad quem scribitur: est autem hæc inscriptio bimembris. Inscribit enim Paulus hanc epistolam partim ecclesiæ Corinthiacæ, partim cæteris ecclesiis Achaicis. Vocat autem *ecclesiam Dei*, quia à Deo vocata erat per prædicationem Pauli: & *sanctos*, quia per fidem in Christum sanctificati erant sanguine & spiritu illius. Salutatio continet operationem duplicem, videl. gratiæ Dei patris, quæ omnium bonorum & totius beatitatis fons est: & pacis per Christum partæ, cujus interventu sua nos gratia Deus dignatur.

3 Benedictus *sit* Deus ac pater Domini nostri Jesu Christi, Pater, *inquam*, ille miserationum & Deus omnis consolationis:

4 Qui consolatur nos in omni compressione nostra: ut possimus & ipsi in quavis compressione *positos* consolari, eâ ipsâ cōsolatione quâ nos consolatur Deus.

5 Nam sicut redundant perpessiones Christi in nos: ita per Christum redundat etiam consolatio nostra.

6 Sive igitur premimur, pro vestra consolatione ac salute *premimur*: quæ efficitur per tolerationem earundem perpessionum quas & nos perpetimur: sive consolationem percipimus, *consolationem percipimus* pro vestra consolatione ac salute: & spes nostra firma *est* de vobis.

7 Ut qui sciamus, vos, sicut socii estis perpessionum, ita etiam *socios fore* consolationis.

Exordium continet gratiarum actionem, quâ gratias agit Deo pro consolatione sibi præstitâ in suis calamitatibus: quas postea in narratione expositurus est. Primùm autem gratiarum actionem exponit v.3. Deinde rationem subjungit v.4.5.6. & 7. Gratiarum actionem amplificat descriptione Dei patris, partim ex relatione ad filium, partim ex attributo misericordiæ, partim denique ex opere consolandi. quæ descriptio ad propositum, ut liquet, accommodata est. Rationem gratiarum actionis amplificat primùm à fine, exponens causam cur Deus ipsum in suis calamitatibus consoletur: nempe ut ipse quoq; alios suo exemplo & experientiâ consolari possit, v.4. Deinde utrumque, & calamitates suas & consolationem Dei, amplificat ab adjunctâ magnitudine: eamque magnitudinem illustrat pari collatione contrariorum, v.5. Tum expositionem finis reperit, simulq; finem suarum afflictionum exponit: utrumque ad personam Corinthiorum specialiter accommodans, per dilemma, v.6. Postremò finem illum confirmat testimonio suæ spei, in fine v.6. cum quo cohæret versus septimus.

8 Non enim volumus vos ignorare, fratres, de compressione nostra, quæ nobis evênit in Asia, nos summè gravatos fuisse supra vires, adeò ut prorsus animi penderemus, etiam quod ad vitam.

9 Sed ipsi apud nos decretum mortis habuimus, ne confideremus in nobisipsis, sed in Deo qui mortuos excitat:

10 Qui*que* ex tanta morte nos eripuit, & eripit: in quo speramus, eum nos adhuc etiam erepturum;

11 Unà conferentibus operam etiam vobis per preces pro nobis; ut donum ex multis personis in nos *collatum*, per multos celebretur gratiarū actione pro nobis.

12 Nam gloriatio nostra hæc est; testimonium *videlicet* conscientiæ nostræ, quòd cum simplicitate & sinceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed cum gratia Dei versati sumus in mundo, potissimùm autem apud vos.

13 Non enim alia scribimus vobis quàm quæ legitis aut etiam agnoscitis, spero autem vos etiam ad extremum agnituros.

14 Sicut

14 Sicut & aliquatenus agnovistis, nos gloriationem vestram esse: quemadmodum & vos nostra *estis* in die Domini Jesu.

15 Itaque hac fiduciâ priùs volui ad vos venire, ut secundam gratiam haberetis:

16 Et per vos transire in Macedoniam, & rursum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Judæam.

17 Hoc igitur quum deliberarem, num nam levitate sum usus? aut quæ delibero, secundùm carnem delibero? ut sit apud me Etiam & Non?

18 Imò fidelis Deus *novit*, sermonem nostrum apud vos non fuisse Etiam & Non.

19 Nam Dei filius Jesus Christus, qui inter vos per nos prædicatus est, per me, *inquam*, & Silvanum ac Timotheum, non fuit Etiam & Non; sed fuit Etiam in ipso.

20 Quotquot enim *sunt* promissiones Dei, in ipso *sunt* Etiam, & in ipso *sunt* Amen, Ad Dei gloriam per nos.

21 Porrò qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus *est*.

22 Qui etiam obsignavit nos, indiditque arrhabonem spiritus cordibus nostris.

23 Ego verò testem Deum invoco in meam animam, me *idcirco* nondum venisse Corinthum, quòd vobis parco.

24 Non quòd dominemur vestræ fidei, sed *quòd* administri simus gaudii vestri. nam fide statis.

Narratio est apologetica, continens tres locos defensionis. Primùm enim diluit crimen levitatis in promittendo suum adventum, hinc usque ad finem capitis. Deinde removet crimen tyrannidis seu nimiæ severitatis, c.2. usque ad v.12. Tum refutat crimen cauponationis seu adulterationis doctrinæ Evangelii, à v.12. c.2. & deinceps c.3.4. & 5.

DE PRIMO CRIMINE QUOD EST *levitatis seu inconstantiæ.*

Adversarii criminabantur Paulum apud Corinthios, dicentes: Paulus promisit, se ad vos venturum, nec tamen venit: ergo levis est & inconstans. Paulus negat consequentiam, quatenus exponit causam impedientem, quâ impeditus venire nondum potuerit, videl. gravissimam quandam afflictionem. Quam declarat indicatione loci ubi ei evenerit, videl. in Asia: unde sunt qui putent, illam esse seditionem quæ excitata fuit Ephesi per Demetrium, quæ describitur Actor.19. Sed fieri potest, ut alia aliqua fuerit longè major, quæ à Luca non sit conscripta. Deinde describit ejus afflictionis magnitudinem seu gravitatem: nempe tantam fuisse ut de vita desperaverit. Tum exponit ejusdem afflictionis finem, hoc est, quo consilio eam Deus sibi immiserit. Finem autem exponit geminum: unum, ut disceret de seipso suisque viribus desperare: alterum, ut disceret spem omnem ponere in Deo. Quartò, commemorat liberationem evidentem: quam per tria tempora distinguit. Quintò, commemorat causam liberationis adjuvantem, videl. deprecationem Corinthiorum: quam amplificat expositione finis: qui est amplificatio gloriæ Dei ex multorum gratiarum actione. Sextò causam adjuvantem liberationis suæ confirmat expositione causæ impulsivæ, videlicet suæ sinceritatis, quâ erga Corinthios fuerat usus: quam sinceritatem confirmat testimonio suæ conscientiæ, & illustrat antithesi sapientiæ carnalis, & amplificat à multitudine locorum ubi ea usus sit. Atque ita accedit ad crimen levitatis removendum à promissione facta in superiore epistola: cujus promissionis sinceritatem vindicat ab ipsorum Corinthiorum testimonio; quatenus eos revocat ad epistolæ suæ lectionem & pensitationem, item ad vitæ apud eos actæ & mutuæ consuetudinis experientiam. Quibus ita præmissis, promissionem superiore epistola factam confitetur, suique adventus finem duplicem exponit: unum, ut eis communicaret secundam gratiam, hoc est, beneficium, nempe visitationis & confirmationis in fide: alterum, ut è Macedonia reversus ab eis deduceretur in Judæam, hoc est, à comitibus qui collectam erant Hierosolymam deportaturi. Deinde negat, se in illâ suâ promissione usum esse levitate: eamque negationem exornat interrogatione, & amplificat ἐπιμονῇ, quâ levitatem illam explicat partim à causa efficiente, quæ est ingenium carnale seu prudentia carnis, quâ homines omnia metiuntur sua utilitate, ac proinde non diutiùs in consilio persistunt, quàm ipsis utile & commodum videtur: Partim verò declarat levitatem illam à forma, quatenus negat apud se esse Etiam & Non. Levitatis enim in promittendo proprium est, nunc affirmare, nunc negare idem.

18 *Imò fidelis Deus*] Superiore versu negavit, se in promittendo suo ad eos adventu usum esse levitate. eam negationem jam probat à comparatis: Prædicatio Evangelii mea (inquit) apud vos non fuit inconstans aut mendax: ergo nec illa promissio mei adventus inconstans aut mendax fuit. Argumentum est à pari, vel à majori. Hoc argumentum illustrat à materia subjecta suæ prædicationis, quæ est Christus. Quemadmodum Christus (inquit) qui per me prædicatus est, constanter implevit promissiones Dei patribus factas: ita etiam prædicatio mea constanter illud de Christo annuntiavit. Hoc argumentum auget collatione parium, quatenus sibi adjungit Silvanum ac Timotheum, ut qui pari constantia Christum prædicarint. quâ ratione obliquè illos Corinthiis commendat: cæteros autem illorum doctores inconstantiæ & insinceritatis in Christo prædicando perstringit. Præterea idem argumentum amplificat expositione finis vel effecti, videl. gloriæ Dei quæ ex ipsorum prædicatione illustrata sit.

22 *Porrò qui nos*] Prolepsis, quâ occurrit suspicioni arrogantiæ, quatenus constantiæ suæ causam efficientem exponit, & fideles Corinthios sibi socios adjungit: affirmans, Deum esse qui utrosque confirmet, hoc est, qui utrisque constantiam largiatur; ipsis quidem, ut constanter & sincerè Christum prædicent: illis verò, ut constanter in Christum credant. Hanc sententiam declarat expositione modi: admonens, Deum confirmare fideles per suum spiritum: quam sententiam illustrat triplici simili. Comparat enim Spiritum S. primùm oleo quo Deus fideles unxerit, id est, donis suis cælestibus & salutaribus exornarit: ut sunt fides, spes, charitas. Deinde confert Spiritum sanctum sigillo quo Deus nos obsignarit, ut nimirum promissiones ejus apud nos fixæ & ratæ sint. Postremò comparat Spiritum S. arræ; quæ similitudo eundem sensum habet cum proxima.

23 *Ego verò testem*] Hactenus demonstravit, non esse adscribendum levitati, quòd consilium de sua ad eos profectione mutarit: jam consilii mutati causam exponit, ne scilicet, si venisset, cogeretur duriùs, quàm vellet, cum ipsis agere: ut qui ea nondum emendassent, de quibus erant superiore epistola admoniti. Hanc sententiam juramento confirmat. Deinde eam amplificat prolepsi, quâ occurrit suspicioni tyrannidis. quasi dicat, Quanquam coactus fuissem se verior esse in vos propter vitia non emendata: non tamen est quod putetis, me sumere mihi dominatum in vestram fidem: sed potiùs debetis me & collegas habere pro vestris ministris, & quidem talibus ministris qui malimus augere vestrum gaudium ob præstitam obedientiam in vitiis emendandis, quàm dolorem in negligentia vestra acriùs objurganda.

SCHOLIA IN CAP. I.

3 Deus ac pater] *Conjunctio copulativa vim habet ἐξηγητικὴν. Sicut 1.Cor.15.24.*

5 Ita per Christum redundat] *Nempe in alios oppressos.* Consolatio nostra] *Quâ scil. nos consolamur alios.*

6 Sive igitur] εἴτε δὲ. *Puto, δὲ hic positum pro οὖν. Repetit enim & clariùs exponit sententiam proxime præcedentem.* Pro vestrâ consolatione] ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως. *Id est; ut vos inde consolationem percipiatis. Sic mox rursum. Secus quàm vers. sup. Illic enim activè: hic passivè.* Pro vestrâ consolatione ac salute *premimur*] ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας. *Repetendum verbum θλιβόμεθα, ex membro præcedente. Similis ἐλλείψεως exempla vide paulo-pòst in hoc ipso versu: item Rom.12.v.6. Infrà 2.v.10. & cap.5.v.13.* Quæ efficitur per tolerationem] τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ. *Præpositio ἐν more Hebræorum posita pro διά. Sententia similis est illi Rom.5.3. ἡ θλίψις ὑπομονὴν κατεργάζεται.* Et spes] καὶ ἡ ἐλπίς. *Videtur positum καὶ pro καὶ γὰρ, Etenim.* De vobis] ὑπὲρ ὑμῶν. *Id est, περὶ ὑμῶν.*

10 Quique] ὃς. *Vel, Qui quidem, vel, Qui etiam. quasi sit, ὅς γε vel ὃς καὶ.*

11 Per preces] δεήσει. *Dativus instrumenti.*

17 Ut sit] ἵνα ᾖ. *Pro, ὥστε εἶναι. Quæ quidem heterosis quum videatur duriuscula: videtur potiùs retinenda altera lectio, quæ habet. τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ: & facienda ellipsis: ut sententia hæc sic reddatur:* Aut num quæ delibero, secundùm carnem delibero? *Nequaquam. quin potiùs ita me gero*, ut Etiam sit apud me Etiam, & Non Non. *Id est, ut quod affirmo, id ita sit: quod verò nego, non sit. Supplementum Græcum fuerit: οὐδαμῶς. ἀλλ' οὕτως ἀναστρέφω. quo verbo usus fuit Apostolus supr. v.12. in eadem aut certè affini sententia. Veruntamen alteri lectioni favet antithesis quæ habetur v.18.*

19 Sed fuit etiam in ipso] ἀλλὰ ναὶ ἐν αὐτῷ γέγονεν. *Ego puto modum loquendi hic parumper mutatum: neque hic repetendum ἀπὸ κοινοῦ, ὁ Χριστὸς: sed sic construendum, ut particula ναὶ sit loco nominativi antecedentis verbum finitum γέγονεν: ut ἐν αὐτῷ, exponatur ἐν τῷ Χριστῷ. Quam expositionem manifestè videtur postulare versiculus sequens.*

20 In ipso] *Nempe Christo: ut v. præcedente.*

21 Et qui unxit nos] καὶ χρίσας ἡμᾶς. *Scil. Spiritu S. Sic & Johannes loquitur, ubi ait, Unctio docet vos, 1. Joh.2.27.*

22 Obsignavit nos] σφραγισάμενος ἡμᾶς. *Scil. per Spiritum sanctum. Metaphora. Sic Rom. 8. v. 16. Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filii Dei.* Arrhabonem spiritus] τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος. *Id est, Spiritum S. qui est instar arrhabonis. Metaphora, & genitivus speciei: ut in illo: Templum corporis,* Johan. 2. 21. *Est autem arrhabo sive arra, pretii numerandi pars, pignoris loco data: Hebraicè* ערבון *Hherabón, id omne quo dato confirmatur promissio. Germani vocant* Gottspfenning: *item* Pfandschilling.

OBSERVAT. EX CAP. I.

Officium hominis Christiani. 1 Ex v. 3. & sequentibus usque ad 12. Quum Deus nos ex aliquo periculo eripuit: exemplo Pauli celebremus bonitatem ipsius.

Cultus Dei. 2 Ex iisdem versibus observandæ sunt quatuor illæ partes in quibus cultus Dei interior & spiritualis consistit: videlicet adoratio, fiducia, invocatio & gratiarum actio. Adoratio significatur v. 8. & 9. in summa illa dejectione Pauli de vita sua prorsus diffisi. Fiducia significatur v. 9. & 10. expressis verbis. Itemque invocatio & gratiarum actio, v. 10. & 11.

Officium hominis Christiani. 3 Ex v. 4. Exemplo nostro, id est, misericordiæ Dei in nos collatæ, debemus uti ad consolandum proximum. Sic Christus dicebat Petro: Et tu conversus confirma fratres tuos.

Bonitas Dei. 4 Ex v. 5. Fidelis est Deus, qui perpessionibus quas propter Christum nobis immittit, attemperat consolationem, ut possimus eas sufferre. Sic 1. Cor. 10. v. 13.

Spes. 5 Ex vers. 10. Consideratione liberationum à Deo nobis præstitarum spem bonam concipere debemus liberationum futurarum. Simile huic exemplum vide 2. Timoth. 4. vers. 17. & 18. Ereptus fui ex ore leonis: & eripiet me Dominus ab omni opere malo, &c. Sic David quoque recordatione liberationis sui ab ore leonis & ursi, spem concipiebat liberationis à Goliatho.

Officium hominis Christiani. 6 Ex v. 11. Pro fratribus in periculo constitutis preces ab Ecclesia concipiendæ sunt, maximè pro ministris verbi.

Officium hominis Christiani. 7 Ex eod. v. Quum Deus preces nostras exaudivit, gratiarum actione celebrandus est. Sic Psal. 50. Invoca me in die angustiæ: & ego eripiam te: & tu glorificabis me.

Conscientia. 8 Ex v. 12. Magnum bonum est, frui testimonio bonæ conscientiæ ex recordatione officii fideliter functi.

Ministri verbi Dei. 9 Ex eod. v. Ministri verbi, exemplo Pauli, fungantur suo munere cum simplicitate & sinceritate tanquam in conspectu Dei, non autem cum sapientia carnali: ac proinde Deum perpetuo orent ut ipsos suo Spiritu regat & ad veritatem cælestem docendam magis ac magis idoneos reddat.

Officium hominis Christiani. 10 Ex v. 13. Exemplo Pauli de proximo benè sperandum est, ac nominatim de perseverantia in fide.

Gloriatio. 11 Ex v. 15. Sancta quædam gloriatio est, quum gloriamur non in nobis ipsis, sed in Domino: gaudentes & gratias illi agentes, quòd nos idoneos reddiderit ad sibi serviendum.

Ministri verbi Dei. 12 Ex v. 17. & sequentibus. Ministri verbi, exemplo Pauli sinistras ac falsas suspiciones auditorum à se amoliri debent.

Promissiones Dei. 13 Ex v. 20. In omnibus promissionibus Dei considerandum est fundamendum illarum, quod est Christus. nam quicquid nobis promisit Deus in tota Scriptura, id promisit propter Christum, & propter illum nobis promissa præstat: quia ipse nobis paternum ejus favorem quem per peccata amiseramus, recuperavit: dum peccata nostra expiavit sua morte, atque ita judicio Dei pro nobis satisfecit.

Fides. 14 Ex v. 21. 22. Quos Deus semel unxit suo Spiritu, donans eos vera fide in Christum: illos etiam stabilit & confirmat, ut in fide perseverent & spem firmam vitæ æternæ plenè olim fruendæ retineant. nam Apostolus expresè dicit, Qui confirmat seu stabilit nos vobiscum in Christum, &c. Et Spiritum S. comparat arrhaboni: quem qui accepit, is plenam summam suo tempore numerandam jure exspectat.

Juramentū. 15 Ex v. 23. Exemplo Pauli licet jurare, quum gloria Dei & salus proximi id postulat.

Papa. 16 Ex v. 24. Quum Paulus neget, se dominari fidei Corinthiorum: ergo multò minùs Papa potestatem habet dominandi fidei Christianorum: quod tamen ille facit, quum sibi potestatem novos fidei articulos condendi petulanter arrogat. Similiter Petrus hortatur presbyteros, id est, pastores Ecclesiarum, ut pascant Dei gregem, non ut dominantes cleris, sed ut exemplaria gregis, 1. Petr. 5. v. 3.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hactenus diluit crimen levitatis: deinceps se defendit contra crimen nimiæ severitatis: qui est alter apologiæ locus. Nam quia superiore Epistolâ capite quinto Apostolicâ gravitate jusserat excommunicari illum incestuosum, id malevoli calumniabantur, tanquam crimen affectati dominii ac tyrannidis: quare necessaria erat Apostolo defensio: ne factum per se pium & necessarium putaretur tyrannis. Atque id priore hujus capitis parte agit, usque ad vers. 12. In altera parte commemorat, quanto cum fructu Evangelium passim docuerit. In priore autem parte ita se defendit contra crimen nimiæ severitatis, ut simul intercedat pro illo excluso, ostendatque expedire ut miser ille homo recipiatur publicâ authoritate.

Hoc autem apud me statui, me non venturum rursus ad vos cum tristitia.

2 Nam si ego tristitiâ vos afficiam; quis igitur est qui exhilaret me, nisi is qui tristitiâ afficitur ex me?

3 Et hoc ipsum vobis scripsi, ne, quum venero, tristitiam capiam ex iis de quibus oportebat me gaudere: confisus de vobis omnibus, meum gaudium, omnium vestrûm *gaudium* esse.

4 Nam ex multa oppressione & anxietate cordis scripsi vobis, per multas lachrymas; non ut tristitiâ afficeremini, sed ut cognosceretis charitatem, quam habeo abundatissimam erga vos.

5 Quòd si quis tristitiam attulit, non mihi tristitiam attulit; sed quadantenus, ne *illum* aggravem, vobis omnibus.

6 Sufficit istiusmodi *homini* ista mulcta ab amplioribus *profecta*:

7 Ut è contrario potiùs vos *ei* condonetis, *eumque* consolemini; ne quo modo redundante tristitiâ absorbeatur *vir* hujusmodi.

8 Quapropter precor vos ut ratam faciatis in illum charitatem.

9 Nam in hunc finem etiam scripsi, ut cognoscerem probationem vestri, an *scil.* ad omnia obedientes sitis.

10 Cui verò quidpiam condonatis, & ego *condono.* nam & ego si quid condonavi, cui condonavi, propter vos *id feci*, in conspectu Christi, ut ne superemur à Satana.

11 Non enim illius machinationes ignoramus.

Versu primo repetit consilii mutati causam, penultimo versu superiorioris capitis expositam, & ita transit ad quæstionem de Corinthio excommunicando: de quo excommunicando se non ex tyrannide scripsisse ostendit. *Hoc autem mihi faciendum*, inquit, *judicavi*: ut scilicet nondum venirem Corinthum: *ne rursus ad vos veniam cum tristitia.* hoc est, ita ut tristitiâ vos afficiam: hunc enim esse horum verborum sensum, intelligitur ex verbis continenter cohærentibus in principio versus sequentis.

Versu 2. confirmat sententiam præcedentem à consequente absurdo: & mox annectit correctionem. *Nam si ego*, inquit, *tristitiâ vos afficiam: quis est qui exhilaret me?* quasi dicat, Nemo: hoc autem proponit tanquam absurdum: absurdum enim est, se ipsum scientem prudentem omni hilaritate privare. Significat igitur, solos Corinthios eos esse à quibus exhilarari ipse possit: quo ipso innuit, se illos vehementissimè amare. Addit: *Nisi ipse qui tristitiâ afficitur ex me.* Hæc est correctio. quasi dicat, Imò est qui exhilaret me, nempè is ipse qui tristitiâ afficitur ex me: quibus verbis non tam videtur notare Corinthium illum incestuosum, jussu ipsius superiore Epistolâ capite quinto excommunicatum: quàm generaliter Corinthios illos qui superiore Epistolâ fuerunt reprehensi: & huic generali sensui magis videntur favere verba versus sequentis.

Versu 3. ad alterum locum apologiæ accedit, & causarum expositione docet, se in superiore Epistola non esse nimiâ severitate aut asperitate usum, quum præciperet ut Corinthium illum incestuosum è suo cœtu ejicerent. Primùm autem exponit causam finalem: *Ideo*, inquit, *scripsi vobis hoc ipsum*, nempè quo & vos & incestuosum illum tristitiâ affeci: *ne, quum venero, tristitiam capiam ex iis de quibus oportebat me gaudere*: hoc est, ex vobis omnibus, de quorum obedientia & resipiscentia oportebat me gaudere. Significat igitur, se ideò præcepisse ut incestuosus ille excommunicaretur, ut re antè suum adventum peractâ, ipse quum advenisset, gaudium ex eis caperet. unde perspicitur, eum illud scripsisse ex amore erga ipsos: non igitur ex tyrannide, quippe quæ semper cum odio conjuncta est.

Confisus] Causam finalem modo expositam cōfirmat à causa efficiente. Ideò, inquit, scripsi, ut gaudium ex vobis caperem: quia confisus sui certoque mihi persuasi de vobis omnibus, meum gaudium omnium vestrûm gaudium esse, hoc est, vos unà mecum gavisuros ob vestram emendationem, ac proinde operam daturos ut meritò gaudere possim.

Versu 4. exponit alteram causam scriptæ à se sententiæ de incestuoso illo excommunicando: quæ causa est ex genere efficientium.

cientium. Ait enim, ſe ſententiam illam ſcripſiſſe ex multa afflictione & anxietate cordis: quia ſcil. vehementer mœſtus fuit, quòd tantum ſcelus impunitum tolerarent. Hinc autem rurſum intelligitur, eum ſcripſiſſe ex amore erga ipſos: quippe de quibus fuit anxius, ne propter ſuam ſecuritatem à Domino flagellarentur: ſicut dixit ſuperiore Epiſtola c.11. Si nos ipſos judicaremus, non judicaremur: hoc eſt, Si nos emendaremus, non puniremur. Porrò hanc cauſam confirmat ex effectu, videl. lachrymis. ait enim, Se ſcripſiſſe per multas lachrymas, id eſt, cùm multis lachrymis. Lachrymæ enim ex ſerio animi dolore oriri ſolent. Nec ſuſpicio eſſe poteſt, lachrymas eſſe falſas aut fictas, quum quis lachrymatur ſolus, ſine arbitris ac teſtibus. Paulus autem inter ſcribendum lachrymans, utique Corinthios abſentes, teſtes non habebat.

Non ut triſtitiâ] Sequitur tertia cauſa ſcriptæ à ſe ſententiæ de inceſtuoſo excommunicando: quæ item ut prima, finalis eſt: ut ſcil. cognoſcerent Corinthii magnitudinem ſuæ erga ipſos charitatis. Nam quo ardentiùs aliquem amamus, eò acriùs corrigere ſtudemus peccantem. Hanc cauſam amplificat antitheſi: qua negat cauſam falſam & ab adverſariis confictam, quaſi ideò illa ſcripſerit ut eos triſtitiâ afficeret.

Verſu 5. ſequitur quartum argumentum apologiæ hujus, quod ſumtum eſt à pari: Inceſtuoſus ille non mihi ſoli, inquit, triſtitiam attulit, ſed vobis omnibus: Ergo mea de illo excommunicando ſententia meritò vobis debuit probari, ac proinde non videri æquo ſeverior.

6 *Sufficit*] Hactenus defenſio ſeu apologia: nunc addit interceſſionem. Intercedit enim pro inceſtuoſo illo, & hortatur ut eum denuò in Eccleſiam recipiant. Ratio prima eſt ab honeſto, nimirum ab æquitate: quia mulcta ab illis in iſtum profecta ſufficiat, hoc eſt, quia ille jam ſatis diu fuerit excommunicatus. Significat igitur, tenendum eſſe caſtigationis modum, nec tractandum illum nimis rigidè aut ſeveriter.

7 *Ut è contrario*] Primo argumento ſubjicit ipſam exhortationem, ut inceſtuoſo illi, qui jam reſipuerat, peccatum ſuum condonent, eumque conſcientiâ ſceleris anxium ac mœſtum conſolentur. Huic exhortationi annectit argumentum ſecundum: quod ſumtum eſt à pernicioſo vel periculoſo: quia aliàs periculum ſit, ne iſte nimio mœrore abſorbeatur ac deſperet.

8 *Quapropter*] Repetit exhortationem, & inſerit argumentum tertium, quod ſumtum eſt à cauſa efficiente, videl. charitate. Charitas enim omnia credit, & omnia ſperat, ut ait ſupr. Epiſt. cap.13. ac proinde ignoſcit iis qui ſigna reſipiſcentiæ oſtendunt.

9 *Nam in hunc*] Prolepſis: qua occurrit crimini inconſtantiæ. poterant enim Paulum judicare inconſtantem: qui nunc petat recipi illum quem nuper juſſerat excommunicari. Reſpondet, ſe jubendo illius excommunicationem explorare voluiſſe ipſorum obedientiam. quaſi dicat, ſe non hoc voluiſſe ut in ſempiternum abjiceretur. Innuit autem ſimul, ſe confidere, eos nunc quoque obedientiam ſibi præſtituros & illum recepturos.

10 *Cui verò*] Tranſit ad quartum argumentum: quod ſumtum eſt ab eventu pernicioſo. Ait enim, ſe condonaſſe illi propter ipſos. quaſi dicat, Ergo multò magis vos ipſi condonate ei: nam alioqui metuendum eſt ne occupemur vel intercipiamur à Satana, hoc eſt, ne Satanas nos imbuat falsâ hac opinione, quaſi lapſi non ſint recipiendi, ſi maximè reſipiſcentiæ ſigna oſtenderint.

11 *Non enim*] Præcedens argumentum confirmat à teſtimonio ſuæ conſcientiæ vel experientiæ.

12 Porrò quum veniſſem Troadem ad *prædicandum* Evangelium Chriſti; etiamſi oſtium mihi apertum erat per Dominum, non fuit relaxatio ſpiritui meo, eò quòd non inveniſſem Titum fratrem meum.

13 Sed quum illis valedixiſſem, abii in Macedoniam.

14 Deo autem *ſit* gratia, qui facit ut ſemper triumphemus in Chriſto: & odorem notitiæ ſuæ manifeſtum facit per nos omni in loco.

15 Nam Chriſti bona fragrantia ſumus Deo, in iis qui ſervantur, & in iis qui pereunt.

16 His quidem *ſumus* odor mortis ad mortem: illis verò, odor vitæ ad vitam. Sed ad hæc quis idoneus?

17 Non enim, ut plerique, cauponamur ſermonem Dei, ſed ut ex ſinceritate, ſed ut ex Deo, in conſpectu Dei, de Chriſto loquimur.

Altera pars capitis, ubi incipit tertius locus apologiæ, in quo crimen oſtentationis & falſæ doctrinæ amolitur. Primum autem narrat, quo conſilio profectus ſit Troadem, quidque ſibi ibi evenerit, & cur inde mox diſceſſerit in Macedoniam. Conſilium proficiſcendi Troadem ſignificat geminum: unum, ut ibi prædicaret Evangelium: alterum, idque præcipuum, ut ibi conveniret Titum, ex quo ſcilicet cognoſceret res Corinthiorum. Eventus ſimiliter duplex eſt, ſed alter alteri diſſimilis. nam occaſionem quidem prædicandi Evangelii nactus fuit ampliſſimam: ſed Titum non invenit. Quæ etiam cauſa fuit cur mox Troade relictâ, in Macedoniam abiret, quærendi ſcil. Titi cauſâ.

14 *Deo autem*] Altera hujus narrationis pars, ubi exponit prædicationis ſuæ eventum, & Deo pro illius ſucceſſu gratias agit.

15 *Nam Chriſti*] Succeſſum ſuæ prædicationis illuſtrat diſtributione è ſubjectis auditoribus: qui ut ſunt duplices; alii ſcil. electi, alii reprobi: ita etiam eventus prædicationis eſt duplex: aliis enim cedit ad vitam, idque ſuâ naturâ & per ſe: aliis v. ad mortem, idque vitio ipſorum & per accidens.

16 *Et ad hæc quis idoneus?*] Prolepſis, quâ removet à ſe arrogantiæ crimen; agnoſcens, ſe ad res tantas efficiendum nequaquam ex ſeipſo idoneum eſſe: ſed à Deo virtutem iſtam accipere, ut ſincerè Chriſtum prædicet, atq; iſta efficiat.

17 *Non enim*] Poſt interjectam prolepſin redit ad ſententiam ſuperiorem, verſ.15. propoſitam: & cauſam exponit, quî fiat ut ſuum miniſterium Deo gratum ſit, quantumvis multi qui ipſius prædicationem audiunt, pereant: atque hac ratione à ſe removet cauponationis ſeu adulterationis Evangelii crimen.

SCHOLIA IN CAP. II.

2 Quis igitur eſt] καὶ τίς ἐστιν; *Pro,* τίς οὖν ἐστιν; Wer iſt dann?

Niſi] εἰ μή. ἐπισυνάψις *inopinata: quippe quæ ſententia abſoluta ita annectitur, ut illa jam ab hac dependeat per enuntiatum connexum. Perfecta ſententia erat: Si ego triſtitiâ vos afficiam: quis eſt qui exhilaret me? q.d. nemo eſt. At nunc addit,* Niſi &c. *Unde jam exſiſtit hoc connexum: Niſi is qui triſtitiâ afficitur ex me, exhilaret me: quis igitur eſt qui exhilaret me?* Is qui triſtitiâ afficitur] ὁ λυπούμενος. *Non puto Apoſtolum propriè loqui de illo inceſtuoſo: ſed in genere de Corinthiis.*

3 Hoc ipſum] *Nempè me idcirco nondum veniſſe Corinthum, quòd vobis parco, ſupr.1.23. Quanquam verſus ſequens aliam expoſitionem videtur poſtulare: nempè ut referatur ad ſuperiorem Epiſtolam, ubi ſcripſerat ut inceſtuoſum illum excommunicarem.*

4 Non ut triſtitiâ afficeremini] οὐχ ἵνα λυπηθῆτε. *Nam Corinthii triſtitiâ affecti erant ex reprehenſione Pauli quæ continetur ſuperiore Epiſtolâ c.5.v.2.*

5 Si quis] *Notat illum inceſtuoſum. Dicit autem* εἰ *ſi, pro,* εἰ καὶ, *etiamſi.*

6 Iſta mulcta] ἡ ἐπιτιμία αὕτη. *Puto nomen* ἐπιτιμία *hîc non eſſe poſitum pro nomine* ἐπιτίμησις, *id eſt, objurgatio ſeu increpatio: ſed pro nomine* ἐπιτίμιον, *quo ſignificatur mulcta. Nam Paulum hoc nomine intelligere excommunicationem iſtius Corinthii, percipi poteſt ex collatione ſequentium: ubi hortatur Corinthios, ut illi condonent, id eſt, deſinant eum mulctare. Item ut eum conſolentur, ne abſorbeatur redundante triſtitiâ. at unde tanta triſtitia, niſi ex excommunicatione: quum ſentiret, ſe traditum eſſe Satanæ, nec ampliùs pertinere ad Chriſtum? item quòd verſ. nono laudat ipſorum obedientiam in faciendo eo quod ſcripſerat ſuperiore Epiſtolâ, de illo ſcil. tradendo Satanæ, capite quinto. Liquet ergo, quòd eum excommunicârint. Quòd autem dicit,* Sufficit iſta mulcta: *inde non poteſt firmiter colligi, eum hîc non loqui de excommunicatione, quum nulla ſit penes Eccleſiam gravior pœna: quaſi ſenſus ſit, Sufficit iſta increpatio: non igitur debetis ampliùs procedere, ut ſcilicet illum excommunicetis: Sed hoc vult: Sufficere iſtud excommunicationis tempus, hoc eſt, illum jam ſatis diu excommunicatum fuiſſe: tempus nunc eſſe, ut in Eccleſiam iterum recipiatur, quum appareant in ipſo ſigna veræ reſipiſcentiæ. Vox* ἐπιτιμία *in ſignificatione mulctæ ſeu pœnæ reperitur etiam apud Athanaſium in Epiſtola ad Adelphium, ubi ſic legitur:* Εἰ μὲν οὖν φαύλως ἔπραττον πῶς οἱ τοῦ νόμου τούτου καταλιγωρήσαντες ὑπὸ ἐπιτιμίαν ἐγένοντο; γέγραπται γάρ· Ὃς ἐὰν ἐξουθενήσῃ, καὶ μὴ ἀναβῇ, ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ. *Id eſt, Quòd ſi malè agebant (qui non aſcendebant ad templum Hieroſolymitanum adorandi cauſa) quomodo qui legem iſtam parvi pendebant, pœnæ ſubjiciebantur? Scriptum eſt enim, Quicunq; contemſerit, neq; aſcenderit, exterminabitur è populo.*

Ab amplioribus profecta] ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων. *Scil.* γεγονυῖα. *Sive,* à majoribus: *id eſt, præſtantioribus ſive dignioribus: ut Matth.12.41.* πλεῖον Ἰωνᾶ, *Majus quiddam quàm Jonas. Item v.42.* πλεῖον Σολομῶντος *majus quiddam quàm Solomon. Nomine enim* τῶν πλειόνων *intelligit ſeniores Eccleſiæ Corinthiacæ, tanquam amplos dignitate. Cic.3.Philip. Convenerunt corrogati & quidam ampli homines, ſed immemores dignitatis ſuæ.*

10 Ne ſuperemur] ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν. *Vel, Ne ſupplantemur. Germ.* übervortheylet werden.

12 Oſtium] *Ut 1.Cor.16.9.*

15 In iis qui ſervantur &c.] *Id eſt, Non ſolùm in iis qui ſervantur, ſed & in iis qui pereunt.*

17 Ex Deo] *Id est, Ex iis viribus quas suppeditat Deus.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

Excommunicatio. 1 Ex quatuor primis versibus. Exemplo Pauli, Seniores tristitiâ affici debent quum necessitas postulat ut aliquem excommunicent: atque interim tamen excommunicare illum debent ex charitate: videl. tum erga ipsummet quem excommunicant, ut is hoc modo ad resipiscentiam adducatur: tum erga reliquas oves, ne contagione illius inficiantur: neve illius impunitate moveantur ad peccatum illius imitandum.

Excommunicatio. 2 Ex v. 6. & deinceps usque ad 12. Excommunicationis rigor moderandus est promtâ ignoscentiâ & receptione resipiscentis, ejusdemque consolatione per promissiones gratiæ Dei. Peccarunt igitur Novatiani, qui lapsos, quantumvis signa resipiscentiæ ostendentes, recipere noluerunt: contra quos extant disputationes Augustini.

Ministri verbi Dei 3 Ex v. 14. 15. 16. & 17. Ad Evangelium sincerè prædicandum moveri debent ministri præclaris effectis: cujusmodi duo hic indicantur ab Apostolo. Unum, quòd semper triumphant in Christo. nam sive eos audiant electi, illi veritatem cœlestem amplectuntur & sese Christo dedunt ac submittunt: sive audiant reprobi, illi contradicentes nihil solidi afferre possunt quo doctrinam cœlestem falsitatis convincant. Alterum effectum est, quod sunt Christi bona fragrantia Deo: id est, quòd ministerium ipsorum Deo gratum est instar sacrificii: quia nimirum sic promovetur gloria ipsius tum in salute electorum qui Evangelium amplectuntur, tum in perditione reproborum qui illud rejiciunt. Huc accedit, quòd loquuntur in conspectu Dei, qui est καρδιογνώστης.

Ministri verbi Dei. 4 Ex v. 16. ex verbis, *Sed ad hac quis idoneus?* Quum tantus Apostolus sese non satis idoneum judicaverit ad Evangelium dextrè & cum fructu prædicandum: quantò magis alii ministri infirmitatem suam debent agnoscere, ac proinde Deum assiduè orare ut sese idoneos reddat suo spiritu?

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

In hoc capite commendat Apostolus suum ministerium, id est, prædicationem Evangelii, duobus potissimùm argumentis: primum ab effectu, videl. conversione Corinthiorum, usque ad v. 6. deinde comparatione minoris, id est, doctrinæ minus-præstantis, videlicet Legis: à v. 6. usque ad finem capitis. Ita sunt duæ principales hujus capitis partes.

DE PRIMA PARTE.

INcipimus rursus nos ipsos commendare? aut num egemus, ut nonnulli, commendatitiis epistolis apud vos, aut commendatitiis à vobis?

2 Epistola nostra vos estis, inscripta in cordibus nostris, quæ intelligitur & legitur ab omnibus hominibus.

3 Dum palàm fit, vos esse epistolam Christi, subministratam à nobis? inscriptam non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in carneis tabulis cordis.

4 Fiduciam autem hujusmodi habemus per Christum apud Deum.

5 Non quòd idonei simus ex nobisipsis ad cogitandum quicquam, velut ex nobisipsis: sed quòd idonei sumus, *id* ex Deo est.

AD commendationem efficaciæ sui ministerii transit per prolepsin: qua occurrit crimini arrogantiæ, quòd ex præcedentibus verbis poterat à malevolis contexi ad hunc modum: Paulus seipse commendat, quippe qui gloriatur, se non cauponari sermonem Dei, sed prædicare Christum sincerè: Est igitur arrogans. Paulus negat consequentiam: quatenus concedit antecedens, simulque demonstrat, se verè seipsum commendare, nec aliorum commendatione indigere apud Corinthios. ubi perstringit falsos doctores, qui epistolis commendatitiis se passim ecclesiis venditabant.

2 *Epistola nostra*] Rationem subjungit, cur non indigeat commendatione apud Corinthios: quia scilic. ipsorum conversio abundè ipsum commendet, perhibens ei luculentum sanæ doctrinæ & efficacis ministerii testimonium. Porrò conversionem Corinthiorum exornat eleganti metaphora, qua eam comparat epistolæ commendatitiæ. In qua metaphora persistens, exponit primùm conversionis Corinthiorum subjectum recipiens, videl. ipsorum corda, (nam in textu pro καρδίαις ἡμῶν, id est, cordibus nostris, puto legendum καρδίαις ὑμῶν, id est, cordibus vestris, ex collatione versiculi tertii, & ex reipsa) deinde adjunctum adhærens, videl. agnitionem & confessionem cæterarum ecclesiarum: tum causas efficientes, principalem quidem Christum & Spiritum sanctum, instrumentalem verò se: quibus expositis, subjectum repetit.

4 *Fiduciam autem*] Quòd dixit de conversione Corinthiorum, per suum ministerium effecta, nunc amplificat prolepsi, qua occurrit suspicioni arrogantiæ, sibiipsi omnem convertendi alios efficaciam detrahens, eamque Deo in solidum acceptam referens. Cujus sententiæ partem priorem amplificat à majori: pronuntians, sese ne ad cogitandum quidem quicquam quòd ad convertendum alios pertinet, idoneum esse tanquam ex seipso: ne dum ut sit idoneus ad corda efficaciter movendum dicendo aut scribendo.

DE SECUNDA PARTE.

6 Qui etiam fecit ut idonei essemus ministri novi federis; non literæ, sed Spiritus. nam litera occidit, Spiritus autem vivificat.

7 Quòd si mortis ministerium in literis *positum, nempe* informatum in lapidibus, fuit gloriosum, adeò ut non possent intentis oculis intueri filii Israël in faciem Mosis, propter gloriam faciei ejus, quæ *gloria* erat abolenda:

8 Quî non potiùs ministerium Spiritus erit gloriosum?

9 Nam si ministerium condemnationis *fuit* gloriosum; multò magis ministerium justitiæ abundat gloriâ.

10 Etenim quod glorificatum fuit, ne glorificatum quidem fuit hac in parte, *id est*, quod ad superantem gloriam attinet.

11 Nam si quod aboletur, *fuit* gloriosum: multò magis est gloriosum id quòd manet.

12 Itaque quum ejusmodi spem habeamus, multâ in loquendo evidentiâ utimur:

13 Nec sicut Moses imponebat velamen faciei suæ, ne intentis oculis intuerentur filii Israël in finem ejus quod aboletur: *sic & nos facimus.*

14 Itaque occalluerunt mentes eorum. nam usque ad *diem* hodiernum, in lectione veteris federis, idem velamen manet, nec retegitur: nam per Christum aboletur.

15 Igitur ad hunc usque diem, quum legitur Moses, velamen cordi eorum impositum est.

16 Quando verò sese converterit ad Dominum, auferetur velamen illud.

17 Dominus verò, Spiritus ille est, ubi autem Spiritus ille Domini, illic libertas.

18 Nos autem omnes retectâ facie gloriam Domini, ut in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, sicut à Domini spiritu.

Hactenus commendavit suum ministerium à conversione Corinthiorum per illud effecta: deinceps idem ministerium, nempe Evangelii, commendat collatione cum ministerio legali: quod considerat in Mosis persona, per quem videlicet Lex tradita est: cui opponitur Christus, Evangelii author. Cæterùm partes hujus collationis vel ἀντιθέσεως, sunt hæc octo:

Ministerium Evangelicum est	Contrà ministerium legale est
1 *Novi Testamenti*	1 *Veteris Testamenti*
2 *Spiritus*	2 *Litera*
3 *Vita*	3 *Mortis*
4 *Inscriptum cordibus*	4 *Inscriptum lapidibus*
5 *Semper durans*	5 *Abolendum* *
6 *Justitia*	6 *Damnationis*
7 *Excellenter gloriosum*	7 *Illius respectu ἄδοξον.*
8 *Perspicuum.*	8 *Obscurum.*

* *Rom. 8.15. Heb. 12.18. Gal. 4.1.*

Porrò gloriam seu præstantiam ministerii Evangelici concludit syllogismo connexo primi modi:

Si ministerium legale fuit gloriosum, multò magis gloriosum est ministerium Evangelicum.
At ministerium legale, fuit gloriosum.
Ergo multò magis Evangelicum ministerium gloriosum est.

Propositionem confirmat ex effectis: quia ministerium legale occidit, Evangelium autem vivificat. quod utrumque confirmat à causis efficientibus.

Lex occidit; quia est litera, id est, scriptum quoddam per se mortuum & inefficax, non conferens vires quibus ipsa possit impleri: quò fit ut occidat, quatenus nimirùm omnes injustitiæ reos peragit & condemnat. Contrà Evangelium vivificat: quia est spiritus, hoc est, adjunctum habet Spiritum Christi, qui in cordibus electorum gignit fidem, quâ illi justificantur & vivificantur. Atque hæc de propositione. Assumtionem pro-

nem probat ex eventu: nam Mosis legem ferentis facies adeò fuit gloriosa & splendida, ut filii Israël in eam intueri non potuerint: ac proinde Moses coactus fuerit velamen faciei suæ imponere.

9 *Nam si ministerium condem*] Alterum argumentum ad confirmandum propositionem syllogismi propositi: quod tamen primo cognatum est ut causa. nam condemnatio mortem secum affert: sicut justitia vitam.

10 *Etenim*] Infert quandam correctionem assumtionis: pronuntians, ministerium legale ne gloriosum quidem dicendum esse, quatenus cum Evangelico comparatur.

11 *Namsi*] Tertium argumentum ad confirmandum syllogismi propositionem, quod sumtum est ab adjunctis. Lex, inquit, fuit abolenda: neque enim diutiùs durare debuit ministerium legale quàm usque ad Christum: id quod ipse quoque Christus testatus est, quum dixit, Lex & Prophetæ usque ad Johannem prophetarunt. Johannes autem (Baptista scil.) fuit præcursor Christi. Contrà Evangelium manet ac durat usque ad finem mundi.

12 *Itaque quum*] Transit ad postremum membrum collationis: quòd ministerium Legis fuit obscurum, contrà Evangelium sit perspicuum. Porrò obscuritatem ministerii legalis probat testimonio divino velaminis Mosis: quod monet, fuisse symbolum obscuritatis & imbecillitatis hominum, qui Legis fulgore hebetarentur potiùs quàm illustrarentur. Historia habetur Exod. 34. Filii Israël radios faciei Mosis ferre non poterant: ideo velatâ facie illis loquebatur. Eâ cærimoniâ significabatur, doctrinam Mosis velatam, id est, obscuram esse. Porrò illa obscuritas consistebat in ignoratione finis, ad quem cærimoniæ Legis respiciebant. Is finis est Christus, Rom. 10.

14 *Itaque occalluerunt*] Quod dixit de obscuritate Legis, probat testimonio experientiæ in exemplo Judæorum ejus temporis: simulque de remedio monet quo obscuritas illa tollatur, videl. conversione cordis ad Dominum per spiritum Christi. Vide Esa. 25. 7. Rom. 11. v. 26. 27.

18 *Nos autem*] Apodosis antitheseos vel dissimilitudinis, illustrata simili, quo Evangelium comparat limpidissimo speculo, in quo gloriam Domini intueri liceat; & amplificata expositione effecti: quòd ministri Evangelii, ita illustrentur splendore Evangelii ut in eandem imaginem transformentur; hoc est, ut alios vicissim illustrare, hoc est, clarâ Christi cognitione imbuere possint. Ad extremum exponit hujus effecti causam efficientem principalem, videl. Domini spiritum. nam Evangelium causa instrumentalis est.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Rursus] πάλιν. *Scilicet, ut feci suprà cap. 1. v. 12. & deinceps.*

5 Ad cogitandum quicquam] *Scil. boni. Synecd. generis. Sic Christus ajebat, Sine me nihil potestis facere, nempè nihil boni, quòdve Deo placeat.*

6 Literæ] *Id est, Legis in literis hærentis. Metonymia adjuncti.* Spiritus] *Id est, Evangelii, vim Spiritus S. adjunctam habentis. Rursum metonymia adjuncti.* Litera occidit] *Nempè quia non confert vires ad præstandum.* Spiritus vivificat] *Nempè quia gignit fidem in Christum.*

7 In lapidibus] ἐν λίθοις. *Id est, tabulis lapideis: ut appellavit sup. v. 3. Metonymia materiæ.* Intentis oculis intueri] ἀτενίσαι. *Sic Act. 1. 10.* ἀτενίζοντες εἰς τὸν οὐρανὸν: *quum intentis oculis intuerentur in cælum.*

8 Ministerium spiritus] *Id est, ministerium Evangelii quod vim spiritus adjunctam habet.* Ne intuerentur] *Quum hoc non sit referendum ad consilium Mosis, sed divinæ providentiæ: est hîc subaudienda talis sententia,* Quod divina providentia ita contigit. *Sic alibi passim.*

12 Evidentia] παῤῥησία. *In eadem significatione reperitur hæc vox Marc. 8. 32. Joh. 10. 24. & 11. 14. & 16. 19.*

14 Usque ad diem hodiernum] ἄχρι τῆς σήμερον. *Subaudi,* ἡμέρας. Idem velamen manet, nec retegitur] *Dicitur velamen retegi per metonymiam: quum propriè loquendo facies velata retegatur.* Nam] ὅτι. *Hoc rectiùs videtur quàm* ὅ,τι, *quod. nam rationem exponit, qui fiat, quòd velamen adhuc maneat in Judæis. Causa est, Quia illi non credunt in Christum: per quem (id est, per cujus cognitionem) velamen tollitur.*

17 Spiritus ille est] *Id est, spiritum illum dat. unde mox nominatur spiritus Domini. Metonymia subjecti.*

18 In eandem] τὴν αὐτὴν. *Videtur dictum quasi* κατὰ τὴν αὐτήν. *Id est, Per eandem.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

Evangeliũ. 1 Ex v. 1. & 2. Evangelii prædicatio efficax est in electis: quippe per quam in cordibus eorum quasi inscribitur fides in Christum & filialis timor Dei.

Ministri verbi Dei. 2 Ex v. 5. Quum ministri verbi ex seipsis non sint idonei ne ad cogitandum quidem ea quæ Ecclesiæ Dei utiliter proponantur, multo minùs ad illa eloquendum: operæ pretium est ut quoties concionem vel meditaturi, vel habituri sunt, Dei gratiam ardentibus votis implorent.

Consolatio. 3 Ex v. 6. & deinceps usque ad finem capitis. Quum tanta sit Evangelici ministerii præstantia, quantam hoc loco multis rationibus ostendit Paulus: ministri Evangelii contra contemtum mundi consideratione illius præstantiæ sese consolentur.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

In hoc capite primum gloriatur de sua sedulitate & sinceritate in prædicando Evangelio, v. 1. & 2. Deinde occurrit objectioni contra doctrinæ suæ claritatem: & causam exponit, qui fiat, quòd nonnulli lumen Evangelii non possint cernere, v. 3. & 4. Tertiò occurrit suspicioni arrogantiæ, ne putetur sibi & collegis suis arrogare vim illam per Evangelium corda illustrandi. Profitetur igitur, se tantùm esse servos: vim autem illam omnem, qua corda auditorum illustrantur, à solo Deo manare, v. 5. & 6. Quartò occurrit offendiculo crucis: exponens causas cur Dominus excellentissimos servos suos ità velit affligi: ut scilicet omnibus constet, eos non humanâ, sed divinâ virtute fretos consistere: & efficaciam Evangelii non ab ipsis pendere, sed à Deo, à v. 7. usque ad 13. Quintò exponit argumenta consolationis, quibus se ipse sub cruce in constantia officii sustentet: à v. 13. usq. ad finem.

Propterea, quum ministerium hoc habeamus prout misericordiam consequuti sumus; non segnescimus.

2 Sed abdicavimus turpitudinis tegumenta, non incedentes cum calliditate, neque falsantes sermonem Dei; sed declaratione veritatis commendantes nos ipsos apud omnem conscientiam hominum, in conspectu Dei.

Transitio κατὰ τὸ πόρισμα, per corollarium, quod è præcedentibus infert, tanquam è causa procreante: q. d. Quum igitur ministerium Evangelicum adeò præstans sit, ut demonstravi: consentaneum est ut magna sedulitate ac sinceritate in eo versemur: quod & facimus. Exponit autem duas causas suæ diligentiæ: videlicet muneris præstantiam, & vocationis modum gratuitum.

2 *Sed abdicavimus*] A diligentia transit ad sinceritatem: quam illustrat antithesi adversæ calliditatis & falsationis: eandemque confirmat testimonio universali auditorum: item expositione causæ efficientis, videl. reverentiæ erga Deum, qui omnes hominum actiones intuetur.

3 Quòd si tectum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, tectum est:

4 In iis quorum Deus hujus sæculi excæcavit mentes, *nempe* infidelium, ne irradiet eos lumen gloriosi Evangelii Christi; qui est imago Dei.

Secunda pars capitis, continens prolepsin. Objectio: Multi audiunt Evangelium, nec tamen eo illustrantur: Evangelii igitur doctrina non est ita clara, ut dixisti. Resp. culpam non esse Evangelii, sed ipsorum hominum infidelium, & Diaboli qui mentes eorum excæcet. Interea verò nihilominus clarissimam Evangelii lucem à se & suis collegis spectandam proponi: quum Christus quem unum prædicent, is sit, in quo uno Deus cognosci ac veluti perspici possit.

5 Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Jesum *esse* Dominum: nos autem servos vestros propter Jesum.

6 Quoniam Deus, qui dixit ut è tenebris lux splendesceret, *is est* qui splenduit in cordibus nostris, ad præbendum lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi.

Tertia pars, ubi occurrit suspicioni arrogantiæ: negans, se suosque collegas suam ipsorum gloriam quærere, sed Christi: seque ipsorum servos esse, ad hoc destinatos ut eos in cognitionem gloriæ Christi adducant.

6 *Quoniam Deus*] Expositâ causâ conversionis instrumentali, nempe causis adjuvantibus ac ministris, exponit nunc etiam causam principalem, affirmans, Deum illuminare corda cognitione Christi: quam sententiam illustrat collatione paris, videl. creationis lucis.

7 Habemus autem thesaurum hunc in testaceis vasculis; ut ejus virtutis præstantia sit Dei, & nõ ex nobis.

8 Dum in omnibus premimur, at non coarctamur: hæsitamus, at non prorsus hæremus:

9 Persequutionem patimur, sed in eâ non deserimur: dejicimur, at non perimus.

10 Omni tempore mortificationem Domini Jesu in corpore circumferentes; ut etiam vita illa Jesu in corpore nostro manifesta fiat.

11 Semper enim nos qui vivimus, morti tradimur propter Jesum; ut etiam vita Jesu manifesta fiat in mortali carne nostra.

12 Itaque

12 Itaque mors quidem in nobis agit; vita verò in vobis.

Quarta pars ubi occurrit offendiculo crucis. Objectio: Apostoli aliique ministri Evangelii, sunt omnium hominum calamitosissimi: non igitur est probabile, eos annuntiare veram doctrinam. Nam si doctrinam veram & à Deo profectam annuntiarent, Deus non pateretur, eos tam graviter affligi. Apostolus negat consequentiam: quatenus veram causam exponit, cur Deus Apostolos aliosque pios doctores ita affligi velit: nempe ut pii intelligere possint, vim & efficaciam Evangelii non esse in manu ac potestate hominum, sed solius Dei: qui ut servos suos mirabiliter sub cruce tuetur, ita etiam per illos tantum non mortuos vitam mirabiliter in cordibus auditorum efficit.

8 *Dum in omnibus*] Expolitio, qua calamitates suas suorumque collegarum, & contrà admirandam opem Dei per antithesin quadrimembrem exponit, hoc & sequente versu.

10 *Omni tempore*] Altera expolitio; qua declarat causam, cur Deus velit Apostolos ita affligi: nempe ut ità manifesta fiat vita Jesu, hoc est, eos res tantas efficere per spiritum viventis Jesu, non autem ex seipsis: hoc versu & sequentibus duobus.

13 Et quoniam habemus eundem spiritum fidei: *idcirco* secundùm illud quod scriptum est, Credidi, ideo locutus sum; nos quoque credimus, quamobrem etiam loquimur.

14 Scientes fore ut qui excitavit Dominum Jesum, nos quoq; per Jesum excitet, & sistat vobiscum.

15 Nam hæc omnia propter vos *fiunt*; ut gratia illa copiosissima, pluribus gratias agentibus redundet in gloriam Dei.

16 Propterea non segnescimus: sed etiamsi externus homo noster corrumpitur, internus tamen renovatur in dies.

17 Momentanea enim levitas afflictionis nostræ, excellenter-excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis:

18 Dum non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur. nam quæ cernuntur, temporaria sunt: at quæ non cernuntur, æterna.

Quinta pars, ubi exponit argumenta consolationis, quibus se ipse sub cruce in constantia officii sustentet. Primùm est à causa confessionis procreante, videl. fide: illustratum collatione paris, videl. exempli Davidis. David quia credidit, etiam locutus est, hoc est, confessione sua nomen Dei celebravit sub persecutione: Ergo & nos Apostoli quia eandem fidem habemus, loquimur, hoc est, Christum nostra confessione & prædicatione celebramus. Antecedens confirmat testimonio Scripturæ ex Psal.116.10.

14 *Scientes*] Sequitur alterum argumentum, quod etiam sumtum est à causa procreante, videl. spe beatæ resurrectionis. Hoc argumentum illustrat expositione causæ efficientis, quæ est Deus: & confirmat à pari, videlicet exemplo Christi. Deus excitavit Christum: ergo & nos ejus membra excitabit, nempe ad cælestem felicitatem.

15 *Nam hæc*] Sequuntur duo alia argumenta, tertium & quartum: quorum utrumque à fine sumtum est. Nobis apostolis proposita est salus ecclesiarum: Quare propter ecclesias, tot tantasque calamitates constanter sufferimus. Item, nobis proposita est gloria Dei: Quare subimus ac toleramus tam varias calamitates, ut ubi ex iis per gratiam Dei fuerimus erepti, vestra pro illa liberatione gratiarum actio reddundet in gloriam Dei.

16 *Propterea*] Infert conclusionem, & adjicit argumentum quintum, quod sumtum est ab effectu. Corruptio hominis nostri externi, per varias scil. ærumnas, servit renovando homini interno, hoc est, ut proficiamus in cognitione Dei & pietate. Meritò igitur in ærumnis nos constantes præbemus.

17 *Momentanea*] Sequitur sextum & postremum argumentum, quod etiam ab effectu sumtum est. Crux parit gloriam cælestem: meritò igitur sub cruce constantes sumus. Hoc argumentum illustrat expositione adjunctorum per antithesin. nam primùm crucem seu afflictionem vocat momentaneam, gloriam verò æternam: deinde cruci tribuit levitatem, gloriæ gravitatem ac pondus.

18 *Dum non spectamus*] Ἐπιμονή, commoratio in eadem sententia: ubi crucem & gloriam describit ex adjuncto aspectu: crucem vocans ea quæ cernuntur, gloriam ea quæ non cernuntur.

SCHOLIA IN CAP. IV.

4 Gloriosi Evangelii] εὐαγγελίου τῆς δόξης. *Ad verb. Evangelii gloria. Genitivus vim habet epitheti, more Hebræorum. Sic dicitur, ὁ θεὸς τῆς δόξης, Act.7.2. item ὁ κύριος τῆς δόξης, 1.Cor.2.8.* Imago Dei] εἰκὼν τοῦ θεοῦ. *Sic Coloss.1.15. Hebr.1.3.*

6 Qui dixit] ὁ εἰπών. *Id est, qui mandavit. Synecdoche generis.* Is est qui splenduit] ὃς ἔλαμψεν. *Pro, ἐστὶν ὃς ἔλαμψεν. Nisi malimus, ὃς positum pro οὗτος: ut vertamus,* Is splenduit: *absq; supplemento.*

7 Thesaurum hunc] *Scil. cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi; v. sup. O eximium thesaurum, quovis auro longè præstantiorem!* In testaceis vasculis] *Sic per metaphoram vocat apostolos, quatenus cruci erant subjecti: ut ipse declarat v. seq.* Ejus virtutis] τῆς δυνάμεως. *Vel, Ejus facultatis. qua scil. idonei sumus ad prebendum lumen cognitionis &c.* Sit Dei] *Intelligatur esse à Deo. Hanc expositionem confirmat antithesis. Metonymia subjecti, qualis Joh.15.v.8* Et non] καὶ μή. *Id est, non autem. Est enim antithesis.*

13 Eundem spiritum fidei] τὸ αὐτὸ πνεῦμα τῆς πίστεως. *Scil. quem omnes sancti inde à condito mundo habuerunt. Vocat autem Spiritum fidei, per hypallagen, ipsam fidem à Spiritu S. donatam.* Idcirco secundùm illud quod scriptum est] κατὰ τὸ γεγραμμένον. *Conjunctionem relativam causæ supplevi perspicuitatis causâ: ut scil. perspiciatur, hinc incipere apodosin seu consequens enuntiati hujus relativi.* Secundùm illud quod scriptum est] *Id est, exemplo Davidis, quod scriptum exstet Psal.116.10.* Credidi, ideo locutus sum] ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα. *Eadem verba exstant in versione quam vocant LXX. interpretum. In Hebræo habetur* האמנתי כי אדבר *heemánthi chi adabbér: id est,* Credidi quum loquerer. *scil. illa quæ ibi præcedunt: quibus continetur prædicatio beneficiorum Dei, & confessio sua fidei de protectione Dei in futurum. Hæc igitur, inquit David; quum loquerer, credidi: id est, ex vera fide seu fiducia in Deum illa locutus sum. Hinc jam liquet, mutatione illa verborum non tamen mutatum esse sensum.* Nos quoque &c.] καὶ ἡμεῖς &c. *Id est, Nos quoq; loquimur, quia credimus.*

14 Excitet & sistat vobiscum] *Ego simpliciter puto, Apostolum loqui de resurrectione à mortuis & ostensione coram Deo. Itaq; ad verbum παραστήσει, Sistet, subaudiendum puto ἑαυτῷ. Sicut de Christo & Ecclesia loquitur Paulus Ephes.5.27. Et sanè Syrus supplevit* לותה *levatháh id est, ad se, seu apud se. Nam si de suo ad eos adventu loqueretur, dicendum ei fuisset, παραστήσει ὑμῖν, sistet vobis: non autem, σὺν ὑμῖν, vobiscum. Cæterùm allatæ expositioni non obstat particula causalis in principio versus sequentis, sed potiùs eam confirmat: quia rationem indicat cur non dixerit simpliciter,* sistet nos: *sed addiderit,* vobiscum.

15 Pluribus gratias agentibus] διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν. *Sensu eleganter expresso. Ad verb. Per plurium gratiarum actionem.*

16 Externus homo] *Id est, corpus: ut vocavit supr.10.* Internus] *Id est, animus seu mens.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex v.1.&2. Ministri Evangelii magnâ sedulitate ac sinceritate in ministerio suo versentur, exemplo Pauli: idque considerata tum muneris hujus præstantia, tum vocationis suæ modo, qui gratuitus est. nam ex singulari misericordia & gratia Dei singuli idonei redduntur ad tantum munus, videl. ministerium salutis æternæ rectè administrandum. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex v.3.&4. Quum videmus, mundum simplici doctrina Evangelii offendi & contra eam tumultuari, ut qui illam non possit capere & pro vera amplecti: non debet propterea veritas illius in dubium apud nos venire: quia causa illius offensionis est non doctrinæ obscuritas aut falsitas, sed mentium humanarum cæcitas, quam Diabolus in reprobis auget. *Officium hominis Christiani.*

3 Ex v. 4. Deus non nisi in Christo ad salutem cognosci potest. Christus enim est imago Dei. In ipso enim Deus nobis suam erga nos benevolentiam declaravit: ita ut qui hunc videt, videat & Patrem, Joh.14. Qui verò Christum non habet, is nec Patrem habet. Denique hæc est vita æterna, ut cognoscamus Patrem pro illo solo vero Deo, & Jesum, quem misit, esse Christum, Johan.17. *Cognitio Dei.*

4 Ex v.5. Ministri Evangelii modestè de se sentiant: agnoscentes sese pro servis fidelium, non autem se gerentes pro illorum dominis. Confer 1. Pet. 5. vers. 3. Non ut dominantes cleris. *Ministri verbi Dei.*

5 Ex v. 6. Illuminatio cordium seu fides est singulare opus potentiæ Dei: quale fuit illud opus creatæ lucis, Genes.1.v.3. Sic Johan.5.v.25. ait Christus: Amen amen dico vobis, Veniet tempus & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent. Loquitur ibi de voce Evangelii: & monet, necesse esse ut corda excitentur ex morte, si debeant illam audire, id est, fide amplecti. Similiter Paulus Ephes.1.v.19. & 20. commendat potentiam Dei in Credentibus: ut qui credant pro efficacitate fortis roboris Dei, quam exseruit in Christo quum excitavit eum ex mortuis. *Fides.*

6 Ex v.7. Infirmitatibus ministrorum Evangelii non debemus moveri ut contemnamus ipsum Evangelium quod nobis proponunt. nam etsi ipsi sint testacea vascula: tamen interim Evangelium thesaurus pretiosissimus est. *Auditores Evangelii.*

7 Ex eod. v. Cavendum ne tribuamus ministris verbi, quod proprium est Dei: videl. in nobis efficere fidem. *Auditores Evangelii.*

8 Ex v.8.9.10.11.12. Ministri verbi parati esse debent ad sustinendum propter doctrinam Evangelii omnis generis calamitates *Ministri verbi Dei.*

mitates

mitates & persecutiones: & interim se consolari debent consideratione admirandæ protectionis Dei quam in Paulo & sociis illius demonstravit.

Fideles V.T. 9 Ex v.13. Qu̇um patres in veteri Testamento habuerint eundem Spiritum fidei, quem nos habemus in novo: sequitur, illos non minùs quàm nos per Christum servatos esse. Errant igitur qui putant, Christum & vitam æternam nihil ad patres illos pertinere.

Fides. 10 Ex eod. v. Fides seu fiducia filialis erga Deum, est opus & donum Spiritus S. hinc enim est quòd nominatur spiritus fidei. Sic Ephes. 2. fides dicitur esse donum DEI. Et Matth. 16. Christus ait Petro, patrem cælestem illi revelasse cognitionem illam quâ ipsum cognoscebat.

Fides. 11 Ex eod. vers. Vera fides adjunctam habet confessionem. Sic Rom. 10. Corde creditur ad justitiam: ore fit confessio ad salutem.

Consolatio. 12 Ex v.13. & seqq. usque ad finem capitis. Norent ministri verbi, quibus argumentis sese sub cruce in constantia officii possint ac debeant sustentare, exemplo Pauli. Argumenta autem illa declarata sunt in Analysi. Quæ quidem argumenta etiam aliis fidelibus serviunt ad constantiam confessionis.

Resurrectio. 13 Ex v.14. Gloriosa resurrectio Christi, pignus nobis est gloriosæ resurrectionis nostræ. Confer 1. Cor. 15.

Cultus Dei. 14 Ex v.15. Ex præcipuis cultus Dei partibus est gratiarum actio. Sic Psal. 50. Eripiam te: & glorificabis me: videl. gratias mihi agendo pro liberatione.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

In hoc capite tria potissimum agit. Primum exponit suam cæterorumq́; sanctorum spem ac desiderium gloriæ cælestis: deinde commemorat suum studium ac sinceritatem in fungendo munere apostoli, à v.9. usque ad 18. Postremò commendat ministerium Evangelicum, eâq; occasione summam Evangelii de officio Christi & ratione nostræ salutis exponit.

DE PRIMA PARTE.

Scimus enim nos, si terrestris hujus domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium *videl.* non manu factum, *sed* æternum in cælis.

2 In hoc etenim suspiramus; desiderantes domicilio nostro, quod è cælo est, superindui.

3 Siquidem etiam induti, non nudi reperiemur.

4 Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, suspiramus onerati: eò quòd non cupimus exui, sed superindui: ut absorbeatur mortalitas à vita.

5 Porrò Deus *is est* qui nos ad hoc ipsum condidit, qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus.

6 Confidimus igitur semper, idque scientes, nos, dum advenæ sumus in corpore, peregrè abesse à Domino.

7 (Per fidem enim incedimus, non per aspectum.)

8 Confidimus, inquam, & probamus, potiùs peregrè abesse è corpore, & incolere apud Dominum.

Prima capitis pars cohæret cum præcedentibus, ubi exposuit argumentum, quo moveatur ad constantiam sub cruce: quia crux pariat cælestem gloriam. Pergit igitur hujus gloriæ spem ac desiderium commemorare. Nominatim autem disputat de glorificatione seu gloriosa conditione corporis: eámque illustrat antithesi præsentis fragilitatis atque infirmitatis & utramque declarat similitudine ædificii. Primùm spem suam notat, ubi ait, *Scimus*, id est, certò speramus. nam spes Christianorum certa est, quæ non confundit; ut ait ad Romanos 5. Deinde corpus hoc terrenum fragile atque infirmum, variisque in hoc sæculo miseriis obnoxium, comparat domui & tabernaculo. Tertiò describit conditionem corporis glorificati: cujus primùm indicat causam efficientem, videl. Deum: quam illustrat antithesi opificum terrenorum qui domicilia manu faciunt: deinde indicat illius gloriosæ conditionis adjunctam æternitatem: item subjectum locum, videl. cælos.

2 *In hoc enim*] Dixit de spe: nunc addit de desiderio: atque ita quod dixit, probat ab effectu: nam ex certa illa gloriæ cælestis spe desiderium ejusdem nascitur. Hoc desiderium demonstrat itidem ab effectu, videlicet suspiriis. Præterea modum indicat quo cupiant sancti gloriam illam consequi: nempe ita ut eâ superinduantur, hoc est, ut eâ induantur non interveniente morte. Ubi & corpus & gloriosam ejus conditionem vesti comparat.

3 *Siquidem*] Declarat verbum *Superindui*, quo proximè usus fuit. quasi dicat, Nos indutum iri gloriâ cælesti, scimus: ac proinde idipsum perpetuis suspiriis expetimus: an verò futurum sit ut superinduamur, id est, ut Dominus in suo adventu vivos nos deprehendat, ac proinde subito immutet ac superinduat, id verò ignoramus. Est igitur hic quædam correctio. quasi dicat: Non tamen affirmo, fore ut superinduamur: sed tum demum superinduemur, *si reperiemur* (scil. in adventu Domini) *induti*, scil. corporibus, id est, vivi: *non autem exuti*, id est, mortui.

4 *Etenim*] Repetit & pluribus verbis exponit modum desiderii illius. *Etenim* (inquit) *qui sumus in hoc tabernaculo*, id est, in hoc mortali, terreno & fragili corpore; *suspiramus onerati*, id est, ex sensu oneris, hoc est, miseriarum quibus hoc corpus subinde premitur: *eò quòd, vel quatenus* (ἐφ᾽ ᾧ) *non cupimus exui*, scil. hoc tabernaculo corporis: *sed superindui*, scilicet domicilio illo quod è cælo est, hoc est, gloriâ illâ cælesti, id quod mox exponit his verbis: *Ut absorbeatur mortalitas* (corporis hujus terreni) *à vita*, nimirùm illâ cælesti ac æternâ.

5 *Porrò Deus*] Quod dixit de spe gloriæ cælestis, jam confirmat à causa efficiente, videlicet voluntate Dei: quam ostendit à fine creationis nostri, & donati nobis Spiritus S. quasi dicat, Spem nostram de gloria cælesti certam esse, patet ex eo, quod eam nobis conferre vult: quippe qui nos ad hoc ipsum condidit, qui etiam ad hoc ipsum nobis dedit arrhabonem spiritus, id est, Spiritum sanctum, tanquam arrhabonem quo testatur, se nos glorificaturum.

6 *Confidentes*] Ex præcedentibus infert conclusionem de sua spe & fiduciâ, itemque desiderio cælestis gloriæ. quasi dicat, Qu̇um igitur sciamus, manere nos æternum domicilium in cælis: confidimus & bono animo sumus, quamdiu in hoc corpore nobis peregrinandum est: ac proinde gerimus nos tanquam qui à Domino peregrè absumus: id est, ad Dominum suspiramus. Et quanquam in hujus corporis tabernaculo confidimus: tamen mallemus ex illo exire, & ad Dominum habitatum migrare. Hæc est sententia trium sequentium versuum.

DE SECUNDA PARTE.

9 Propterea etiam ambimus, sive incolentes, sive peregrè agentes, ei esse accepti.

10 Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet quæ in corpore *fecerit*, congruenter ad id quod fecerit, sive bonum, sive malum.

11 Scientes igitur terrorem illum Domini, homines ad fidem adducimus, Deo autem manifesti sumus: & spero *nos* etiam conscientiis vestris manifestos esse.

12 Non enim iterum nos ipsos commendamus vobis, sed vobis occasionem præbemus gloriandi de nobis: ut habeatis *quod dicatis* adversus eos qui in facie gloriantur, at non *in* corde.

13 Nam sive insanimus, Deo *insanimus*: sive sanâ mente sumus, vobis *sana mente sumus*.

14 Charitas enim illa Christi constringit nos.

15 Ut qui hoc statuerimus, si unus pro omnibus mortuus fuit, nempe hos omnes fuisse mortuos: & *illum* pro omnibus mortuum esse, ut qui vivunt, posthac non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.

16 Itaque nos posthac neminem novimus secundùm carnem: quòd si etiam cognovimus *aliquando* Christum secundùm carnem, nunc tamen ampliùs non *ita* cognoscimus.

17 Si quis igitur *est* in Christo, nova creatura *est*. Vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia.

Sequitur pars capitis secunda, in qua commemorat suum studium & sinceritatem in fungendo munere apostolico. Hanc partem ex præcedente infert tanquam effectum è causa. quasi dicat: Porrò qu̇um speremus, nos aliquando ad Christum in gloriam cælestem perventuros: hinc fit, ut studeamus ei esse acceptì, hoc est, ei approbare nostram fidem ac sinceritatem in Evangelio prædicando.

10 *Omnes enim*] Exponit aliam causam, quâ moveatur ad officium fideliter faciendum, videlicet metum judicii divini in fine sæculi per Christum exercendi: cujus judicii justitiam ostendit distributione è subjectis, videlicet præmiis & pœnis: quæ quásve Christus judex unicuiq; pro ratione operum ipsius tribuet.

11 *Scientes*] Causam expositam accommodat ad propositum: & inde conclusionem infert de sua sinceritate. Qu̇um igitur sciam, inquit, quantum terrorem judicium illud Domini incussurum sit infidelibus & insinceris servis: ego prædicando Evangelio homines ad fidem adducere studeo, idque

fideliter & sincerè ago: ita ut non dubitem testari & Deum cui manifestus sum, & conscientias quoque vestras, quibus & ipsis me manifestum esse, hoc est, meam sinceritatem probè perspectam esse, confido.

12 *Enimverò*] Rursum suspicioni superbiæ occurrit, & causam exponit cur suam sinceritatem apud eos testatam faciat: nempe ut ipsi habeant quòd opponant pseudapostolis: ut qui sciant, se in doctrina Christiana fideliter à Paulo institutos esse: ac proinde falsam aliorum doctrinam repudient.

13 *Nam sive*] Causam quam exposuit, amplificat prolepsi. q.d. Possim nonnullis videri insanire, quum meam fidem & sinceritatem prædico: sed suspicionem istam nihil moror: quia mihi satis est, me id facere studio gloriæ Dei & vestræ salutis. Hanc autem prolepsin amplificat antithesi. Sive insanire videor, sive sana mente uti in meo munere: utrumque ad gloriam Dei vestramque salutem spectat.

14 *Charitas*] Hic rursus aliam causam exponit, qua impellatur ad officium suum sedulò ac fideliter faciendum, atq; ita homines ad fidem adducendos: videl. considerationem charitatis Christi erga Ecclesiam: quæ tanta fuit ut ipse unus pro omnibus moreretur: item considerationem finis propter quem Christus pro omnibus electis mortuus est: ne scil. post hac sibi seu peccato vivant, ac proinde infideliter quicquam agant: sed ut vivant Christo, eique fideliter serviant.

16 *Itaque*] Repetit conclusionem de sua sinceritate, eamque ex præcedentibus infert. Ait autem, se posthac neminem novisse secundùm carnem, id est, se inde à tempore suæ conversionis neminem censere seu æstimare è rebus externis quæ in oculos incurrunt: cujusmodi sunt, opes, paupertas, honor, ignominia, eloquentia, infantia, &c. quo ipso innuit, se quoque à Corinthiis ita æstimari nolle: sed secundùm spiritum, id est, ex donis Spiritus S. inter quæ non minimum erat constantia & sinceritas in Evangelio prædicando.

Quòd si etiam] Prolepsis quâ occurrit cogitationi eorum, qui poterant objicere tempus ante conversionem, quo tempore Paulus Christum noverat, id est, æstimaverat secundùm carnem, hoc est, ex paupertate & ignominia & odio Pharisæorum. Huic objectioni occurrit distinctione temporum: fatetur enim, se aliquando ita de Christo judicasse: sed nunc non item.

17 *Si quis igitur*] Conclusionem amplius confirmat à causa efficiente contrarii: Sum jam, inquit, nova creatura: non igitur ampliùs quenquam judico secundùm carnem. Novæ autem creaturæ nomine intelligit, se jam regeneratum esse ac renovatum per Spiritum S.

DE TERTIA PARTE.

18 Hæc autem omnia *sunt* ex Deo: qui reconciliavit nos sibi per Jesum Christum, deditque nobis ministerium reconciliationis.

19 Nempe quia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis lapsus ipsorum: posuitque in nobis sermonem reconciliationis.

20 Itaque nomine Christi legatione fungimur: & velut Deo *vos* precante per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini Deo.

21 Fecit enim *ut* is qui non novit peccatum, pro nobis peccatum *esset*; ut nos efficeremur justitia Dei in eo.

Sequitur tertia pars capitis, in qua commendat ministerium Evangelicum, partim ab authore Deo, partim ab effectu, videl. reconciliatione cum Deo. Ad hanc partem à præcedentibus transit, tanquam ab effectis ad causam efficientem. Dixerat, se cæterosque sanctos posthac non sibi vivere, sed Christo: item posthac neminem nosse secundùm carnem, item esse novam creaturam. Nunc harum rerum omnium causam efficientem exponit, videl. Deum, quatenus sibi sanctos reconciliavit per Christum, idque instrumento ministerii Evangelici.

19 *Nempe*] Expolitio, quâ declarat quod dixit de reconciliatione & ministerio. Primùm autem indicat reconciliationis causam efficientem principalem seu authorem: qui est Deus. Deinde causam instrumentalem ministram & adjuvantem, videlicet mediatorem, qui est Christus: tertiò subjectum occupans, quod est mundus, id est, homines passim in mundo degentes: quartò formam, quæ est non imputare peccata: quintò aliam causam instrumentalem ministram, videl. nuntios reconciliationis factæ: qui sunt Apostoli cæterique Evangelii doctores.

20 *Itaque*] Commoratio: ubi repetit pleraque modo exposita, sed adhibita exhortatione.

21 *Fecit*] Expolitio, quâ declarat opus mediatoris, quo ille reconciliationem promeritus est. Primùm autem indicat mediatoris innocentiam, pronuntians, eum non novisse peccatum, hoc est, expertem fuisse peccati seu purum à peccato. deinde monet quid pro nobis passus sit: dicens, eum pro nobis factum esse peccatum, id est, hostiam seu victimam quâ peccata nostra expiarentur. Tertiò finem & effectum passionis ejus exponit: qui est, ut nos efficeremur justitia Dei in eo, hoc est, ut fide in eum insiti, censeremur justi à Deo.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 Terrestris hujus domus nostræ tabernaculum] ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους. *Ad verb. Terrestris nostra domus tabernaculi. Hypallage. Sensus est, Terrestre hoc tabernaculum in quo quasi in domo habitamus.*

2 In hoc] ἐν τούτῳ. *Scil.* τῷ σκήνει. *id est, tabernaculo: ex v. præcedente.* Superindui] ἐπενδύσασθαι. *Ut si quis indutus est thorace, & superinduitur pallio. Putò autem hoc sic explicandum ex v. 4. Sancti cupiunt corpore cælesti ita indui, ut non priùs exuantur corpore mortali, sed superinduantur cælesti seu immortali, hoc est, ut per subitam transmutationem absorbeatur mortalitas ab immortalitate. Quam transmutationem tanquam mysterium docet 1. Thess. 4. 17. & 1. Cor. 15. v. 51. & 52.*

3 Siquidem] εἴγε. *Nam ignorabat, essetne victurus usque ad Domini adventum, quando transmutatio illa futura est.* Induti] *Nempe corpore.* Non nudi] *Id est, Exuti corpore.* Reperiemur] *Scil. in adventu Domini.*

4 In hoc tabernaculo] *In hoc corpore mortali.* Onerati] *Scil. onere peccati & crucis.* Eo quod] ἐφ᾽ ᾧ. *Causam exponit cur suspirent sancti in hac vita. Sic accipiuntur hæ particulæ Rom. 5. 12.* Exsui] *Scil. corpore.* Superindui] *Scil. immortalitate seu gloriâ vitæ cælestis.* Ut absorbeatur] ἵνα καταποθῇ.

5 Qui nos ad hoc ipsum condidit] ὁ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο. *Similis huic est sententia illa Rom. 9. 23. Ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ quæ præparavit ad gloriam.* Qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus] ὁ καὶ δοὺς ἡμῖν τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος. *Id est, qui dedit nobis Spiritum S. tanquam arrhabonem. Syntaxis qualis in illo Rom. 4. Accepit Abraham signum circumcisionis: id est, accepit circumcisionem tanquam signum scil. federis. Genitivus in hac syntaxi notat speciem. Etenim vocabula ὁμώνυμα ex tropo generis rationem quandam habent, quatenus distinguuntur in sua significata. Cæterùm sententiæ propositæ similis est illa Rom. 8. v. 16. Ipse spiritus testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei.*

6 Confidimus] θαρροῦντες. *Subaudi,* ἐσμέν. *Id est, Confidentes sumus. Hebraismus.* Et scientes] καὶ εἰδότες. *Pro* καὶ ταῦτα εἰδότες.

8 Confidimus, inquam, & probamus] θαρροῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν. *Epanalepsis: cui servit conjunctio* δέ: *estq; participium mutatum in verbum indicativi modi. Oratio plana esset ad hunc modum:* θαρροῦμεν οὖν πάντοτε, καὶ εἰδότες ὅτι ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι, ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ κυρίου. θαρροῦμεν, φημὶ, καὶ εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον. *Sed Apostolus in epanalepsi pro participio* θαρροῦντες, *substituit verbum* θαρροῦμεν, *ut cohæreret cum sequente verbo,* εὐδοκοῦμεν. Peregrè abesse è corpore & incolere apud Dominum] ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον. *In Græcis verbis est suavis paronomasia.*

9 Sive incolentes] εἴτε ἐνδημοῦντες. *Scil.* apud Dominum: *ex versu præcedente.* Sive peregrè agentes] εἴτε ἐκδημοῦντες: *Scil. à Domino. Hunc sensum postulat antithesis.*

10 Quæ in corpore fecerit] *Id est, mercedem eorum quæ fecerit. Metonymia efficientis.* In facie] *Id est, rebus externis: ut D. Beza rectè exponit.* In corde] *Id est, in Deo de cujus paterno favore certò persuasi sint. Metonymia duplex: una subjecti, altera adjuncti.*

15 Sive unus pro omnibus mortuus fuit] *Hoc simpliciter accipio de satisfactione pro peccatis nostris.* Unus] *Nempe Christus.* Pro omnibus] *Nempe nobis qui in eum credimus. Sic Hebr. 2. 9. dicitur mortem gustasse pro omnibus, nempe pueris sibi à Deo datis: ut ibidem v. 13.* Nempe hos omnes] ἄρα οἱ πάντες. *Nempe pro quibus ille unus est mortuus. Articulus enim est ἀναφορικός.* Omnes fuisse mortuos] *Id est, perinde esse ac si illi omnes essent mortui, & moriendo pro suis peccatis satisfecissent.* Qui vivunt] οἱ ζῶντες. *Puto, hoc simpliciter accipiendum de vita hac animali seu naturali: & Apostolum delectatum esse antithesi verborum & traductione.* Non sibi vivant] *Non indulgeant cupiditatibus carnis suæ* Et qui, &c.] περίφρασις *Christi argumentosa, continens scil. argumentum à causa. Christo autem vivere, est omnes suas actiones ad illius gloriam referre.*

16 Quòd si etiam cognovimus *aliquando*] εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν. *Particulam* aliquando *adjeci evidentiæ causâ. quoniam mox opponitur,* ἀλλὰ νῦν, *nunc tamen.* Non ampliùs *ita* cognoscimus] οὐκ ἔτι γινώσκομεν. *Particulam.* Ita *adjeci ad perspicuitatem.* Ita *autem, videlicet* secundùm carnem: *ut liquet ex præcedentibus.*

17 Si quis igitur] ὥστε εἴ τις. *Utitur particulâ illativâ loco rationalis.* ὥστε *pro* καὶ γάρ.

19 Mundum] *Id est, homines, nempe electos. Sic Joh. 3. Sic Deus dilexit mundum.* Eis] αὐτοῖς. *Refertur ad id quod intelligitur nomine* Mundi: *alioquin dicendum fuisset* αὐτῷ, *ei Synesis.*

21 Is qui non novit peccatum] τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν. *Id est, qui nullius peccati sibi unquam conscius fuit. Synecd. gener. nam aliâs Christus non ignorabat naturam & vim peccati: imò omnium optimè nôrat: quippe quàm in se fuerat expertus luendo pœnam illius pro nobis.* Pro nobis] ὑπὲρ ἡμῶν. *Hoc Apostolus ipse mox exponit, subjungens: Ut nos efficeremur justitia Dei.* Fecit *ut esset* peccatum] ἁμαρτίαν ἐποίησεν. *Subauditur* εἶναι. *Peccatum autem hic significat sacrificium pro peccato, id est, quo expiatur*

piatur peccatum: per metonymiam subjecti occupantis in veteri Testamento usitatam. Vel potius peccatum hic per metonymiam adjuncti significat summum peccatorem, quatenus Christo imputata fuerunt omnia omnium electorum peccata. Cui expositioni favet sequens antithesis: Ut nos efficeremur justitia Dei: *Id est, justi coram Deo: imputatâ scilicet nobis à Deo justitiâ partâ sacrificio Christi.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

Anima. *Corpus.* 1 Ex v.1.2.3.& 4. Ex eo quòd Apostolus corpus nostrum comparat domui & tabernaculo, discimus: animam nostram in corpore tanquam in domo habitare, & inde aliquando emigraturam: item, habitationem illam non fore diuturnam: quippe tabernacula habitationes temporariæ sunt, in quibus milites belli tantùm tempore commorantur. Admonemur etiam de fragilitate corporis: nam tabernacula facilè dissolvuntur. Talis est & illa similitudo in libro Job, quòd habitemus domus luteas, & terrenum habeamus fundamentum. Eandem corporis fragilitatem notavit superiore Epistola cap.15.v.47. ubi ait, Primus homo è terra terrenus. Hæc doctrina nobis utilis est contra superbiam. cur enim superbiret pulvis & cinis? Deinde ad contemtum hujus vitæ & meditationem futuræ: quum hic non habeamus fixam habitationem.

Consolatio. 2 Ex iisdem versibus. Spes futuræ glorificationis corporum nostrorum solari nos debet contra illius fragilitatem & miserias in hac vita. Sic Phil.3. in fine. E cælis exspectamus servatorem Jesum, qui corpora nostra humilia conformia reddet corpori suo glorioso.

Mors. 3 Ex v.2.& 4. Etiam sancti à morte abhorrent. Mallent enim gloria cælesti superindui absque mortis interventu: quàm priùs per mortem corpore exsui. Veruntamen horrorem illum vincunt fide & spe certâ gloriæ secuturæ. Fide enim in ipsa morte gustant gratiam Dei sibi partam morte Christi: qui pro ipsis gustavit iram Dei, adeò ut ipsi ne guttam quidem iræ Dei gustent, etiam tum cùm luctantur cum morte: sed dolores illos vincant gustu gratiæ Dei.

Adventus Christi ad judicium. 4 Ex v.3. In adventu Domini quidam adhuc corporibus induti reperientur: quorum (de sanctis loquor) corpora tum per subitam mutationem gloriâ cælesti superinduentur. Confer 1.Cor.15.v.51.& 52.

Consolatio pro fidelibus. 5 Ex v.5. Qui verâ in Christum fide sunt præditi, certò statuere debent cum Apostolo Paulo, se ad vitam æternam & gloriam cælestem à Deo esse conditos: ac proinde fieri non posse ut pereant. Etenim consilia Dei immutabilia sunt.

Fideles. 6 Ex eodem v. Omnes verè in Christum credentes, Spiritum S. à Deo acceperunt, tanquam arrhabonem vitæ æternæ seu gloriæ illius cælestis.

Fideles. 7 Ex vers.6.& 8. Christiani dum statum vitæ hujus terrenæ, cum statu vitæ illius cælestis quâ beatæ animæ jam fruuntur apud Christum, considerant: mori desiderant. Quare ad mortis horrorem in nobis minuendum, cælestem illam vitam subinde meditemur. Confer ejusdem Pauli exemplum Phil. 1.v.23.

Ministri verbi Dei. 8 Ex vers.9.10.11.14. Observandæ sunt causæ, quibus minister verbi, exemplo Pauli, moveri debet ad studium & sinceritatem in munere suo fungendo. Illæ causæ explicatæ sunt in Analysi.

Bona opera. Vita æterna. 9 Ex eodem v. Quæritur, An pii suis operibus præmia illa cælestia promereantur? quum dicat Apostolus, unumquemque reportaturum quæ in corpore fecerit, sive bonum, sive malum. Respondeo: Certum est è scriptura, solum Christum promeritum esse piis præmia illa cælestia. Ex operibus autem piorum Christus judicium facturus est de viva fide, qua sola justi censebuntur, & filii Dei ac hæredes gloriæ cælestis: secundùm sententiam ipsius judicis Matth. 25. Venite benedicti patris mei, hæreditario jure possidete (κληρονομήσατε) regnum paratum vobis à jactis fundamentis mundi &c. Sumus autem hæredes Dei sive regni illius cælestis à Deo nobis parati, quia sumus filii, Rom.8.v.17. Filii autem Dei sumus per fidem, quia scil. credimus in nomen unigeniti filii Dei, 1. Johan.1.12. quem nimirum Pater constituit hæredem principalem: Hebr.1.v.2. Porrò fidem adepti sumus non nostris meritis, sed ex mera Dei gratia, Eph.2.v.8.

Ministri verbi Dei. 10 Ex v.13. Ministrum verbi non oportet moveri sinistris suspicionibus malorum aut imperitorum: etiamsi dum officium suum fideliter facit, insanire illis videatur. Consolari se debet sinceritate conscientiæ suæ, quòd omnia agat studio gloriæ Dei & salutis auditorum, idque ex Dei præscripto. Aliud Exemplum de Paulo narrat Lucas Actor. 26. vers. 24. & 25. ubi quum Paulus coram Festo præside Judææ contra criminationes Judæorum sese defendens, prædicasset Christum, ajebat illi: Insanis Paule, multæ literæ te ad insaniam adigunt. Sed Paulus constanter respondet: Non insanio, præstantissime Feste, sed vera ac sobria verba eloquor. Similem calumniam expertus est Christus Johan.10. v.20. ubi quum doctrinam Evangelii sub parabola pastoris divinissimè proposuisset: multi Judæorum dicebant, Dæmonium habet & insanit: quid cum auditis? Sed alii Christum defendentes, dicebant, Hæc verba non sunt dæmoniaci.

Pro quibus mortuus sit Christus. Vindicatio verborum Pauli, Unus pro omnibus mortuus est. 11 Ex vers.15. Cavendum ne abutamur verbis Pauli, ubi ait, *unum pro omnibus mortuum esse*: ad stabiliendum dogma eorum qui contendunt, Christum mortuum esse pro singulis hominibus. At Paulus hic non loquitur de singulis hominibus: sed tantùm de omnibus electis: id quod percipi potest ex verbis quæ continenter annectit, inquiens: *Ut qui vivunt, posthac non sibi vivant*, (seu, non ampliùs sibi vivant) *sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* ubi adverbium μηκέτι, id est, *non ampliùs*, notat conversionem: ut intelligatur, eum loqui de conversis. q. d. Antequam fuistis ad Christum conversi, vixistis vobis ipsis, hoc est, indulsistis pravis vestris cupiditatibus: at nunc posteaquam ad Christum estis conversi, & credidistis illum pro vobis esse mortuum, & ad justificationem vestri resurrexisse, non ampliùs debetis vobis vivere, sed Christo, gratitudinis nimirùm declarandæ causâ.

Judicium de proximo. 12 Ex vers.16.& 17. Proximus nobis æstimandus est non ex carne, id est, rebus externis: sed ex dono renovationis spiritualis: ita ut quem per Spiritum Dei renovatum videmus, eum in honore & pretio habeamus, etiamsi secundùm carnem sit vilissimus: & contrà, homines Spiritu Dei vacuos nihili faciamus, etiamsi rebus carnalibus excellant. Sic Psal. 15. inter notas hominis pii commemoratur & hæc, quod in oculis ejus contemtus sit reprobus: & contrà quod honoret timentes Jehovæ.

Fides. 13 Ex v.17. Qui vera in Christum fide est præditus, is etiam per spiritum Christi est renovatus. Quare frustra & falso jactant fidem, qui sese renovatos esse non demonstrant sancta vita.

Auditores Evangelii. 14 Ex v.18.19.& 20. Ministri Verbi in honore ac pretio habendi sunt: quia sunt legati Dei, & quia per ministerium eorum Deus est efficax ad nos sibi reconciliandum, quatenus nimirum per Evangelii prædicationem in nobis efficit fidem. Atque his ipsis argumentis ministri sese contra contemtum mundi consolentur.

Salutis causa summa. 15 Ex vers.18.& 19. Initium salutis nostræ (sicut etiam progressus & complementum) à Deo est. nisi enim ipse ultro nos sibi reconciliasset: nos de illo nobis reconciliando aut nunquam cogitassemus, aut rectam reconciliandi rationem ignorassemus, aut denique illa cognita, effectam tamen dare non potuissemus. Sic ait Johannes 1. Epist. cap. 4. vers. 10. In hoc est charitas: non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit filium suum ut esset propitiatio pro peccatis nostris.

Vindicatio dicti Pauli, Deus erat in Christo. 16 Ex v.19. Dictum hoc Pauli, *Deus erat in Christo*: vindicandum est à falsa interpretatione & abusu illorum qui ipsum ita interpretantur: quasi æquipolleret huic enuntiato, Christus est Deus: unde porrò inferunt, similiter æquipollere hæc duo; Panis sacræ cænæ est corpus Christi; &: In pane Cænæ est corpus Christi. At, inquam, & falsam consequentiam nectunt illi, & falsum assumunt. Etenim duo illa enuntiata de Christo non æquipollent: quia vocabulum Dei non unam eandemque in utroque habet significationem. nam quum dicitur, *Christus est Deus*: vocabulum Dei notat ipsam divinam essentiam, tribus personis communem. At quum Paulus hoc loco dicit, In Christo erat Deus: vocabulo Dei intelligit primam divinitatis personam, videl. Patrem: id quod liquet ex verbo *reconciliandi* quod continenter annectit. sic enim ait, *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*: & adhuc clariùs v. præcedente, Hæc autem omnia sunt ex Deo: qui reconciliavit nos sibi per Jesum Christum. ubi manifestum est, personam Patris à persona Filii distingui. quæ quidem ratio loquendi passim est obvia apud Apostolum. Et sic Christus quoque ait Johan.14. *Pater est in me*. Deinde si maximè duo illa de Christo enuntiata æquipollerent: hinc tamen non sequitur, æquipollere altera duo de pane eucharistico. Est enim hic magna dissimilitudo in exemplis, eaque gemina: una quòd enuntiatum illud, In pane eucharistico est corpus Christi: nusquam in sacris literis reperitur: altera, quòd humanæ naturæ Christi divina natura unita est personaliter: ita ut utrumque verè dici possit, videlic. Christus est Deus: &, In Christi corpore habitat plenitudo deitatis. At corpus Christi non est pani eucharistico personaliter unitum, neque etiam substantialiter ullo modo.

Justificatio. 17 Ex eodem v.& ex v.21. Reconciliatio nostri cum Deo, seu (quod in idem recidit) justificatio nostri coram Deo, consistit in remissione peccatorum propter Christum: quatenus nimirum Deus non imputat nobis lapsus nostros, (ut hic loquitur Apostolus) sed contrà imputat nobis obedientiam Christi quam is ipsi præstitit luendo lapsuum nostrorum pœnam. Etenim Christum pro nobis fecit Deus peccatum, quatenus illi peccata nostra imputavit ut lueret illorum pœnam: & vicissim nos efficimur justitia Dei in Christo, quatenus nobis à Deo justitia imputatur, nosque pro justis habemur propter imputatam nobis illam Christi obedientiam in luendis peccatorum nostrorum pœnis. Confer similem locum Rom.4.v.6.7.8. Cæterum ista imputatio fit per fidem: ut ibidem docet Paulus v.5.& 9.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Duæ sunt principales hujus capitis partes: In priore pergit declarare rationem sui ministerii, & eâ occasione suas virtutes & miserias commemorat, usq; ad versum undecimum. In posteriore Corinthios dehortatur à societate infidelium in cultu idolorum. Atq; ita hîc incipit quarta Epistolæ pars, ubi Corinthios ad officium Christiani hominis cohortatur.

SEd &, *ut* operam nostram *ei* accommodantes, hortamur ne frustra gratiam Dei receperitis:

2 (Dicit enim *Deus*, Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis succurrit tibi. Ecce nunc *est* tempus acceptum, ecce nunc dies salutis.)

3 Nullam ulla in re præbentes offensionem, ne vituperetur ministerium:

4 Sed in omnibus nos approbantes, ut Dei ministri; in tolerantia multa; in afflictionibus, in necessitatibus, in angustiis:

5 In verberibus, in carceribus, in exagitationibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis:

6 In puritate, in scientia, in lenitate, in benignitate, in Spiritu S. in charitate non simulatâ:

7 In sermone veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ dextra ac sinistra:

8 Per gloriam & ignominiam, per convicia & laudes; ut seductores, & *tamen* veraces:

9 Ut ignoti, & *tamen* noti: ut morientes, & ecce vivimus: qui castigamur, nec *tamen* occidimur:

10 Ut dolentes, semper tamen gaudentes: ut pauperes, sed multos ditantes: ut nihil habentes, sed omnia obtinentes.

SUperioris capitis versu penultimo declarans rationem sui ministerii, dixerat: *Oramus Christi nomine, reconciliamini Deo*: nunc addit alterum gradum: *Hortamur*, inquit, *ne frustra gratiam Dei receperitis.*

2 *Dicit enim*] Quoniam superiore versu reconciliationem qua Deus nos sibi per Evangelium reconciliat, vocarat gratiam: atque ita docuerat, esse gratuitam & ex mera Dei gratia proficisci: nunc illud probat testimonio prophetico ex Esa. 49.8. ubi tempus Evangelii promulgati vocatur *tempus acceptum*, & *dies salutis*, hoc est, tempus quo Deus benevolentiam suam & salutem per Evangelium promulgare decrevit. Monet igitur Apostolus, illud tempus nunc advenisse.

3 *Nullam*] Versu secundo inseruit testimonium propheticum: nunc redit ad sententiam versus primi: eique annectit commemorationem suarum virtutum, quæ in fideli ministro Evangelii requiruntur, quæque ad efficaciam ministerii nonnihil conferunt. Etsi enim efficacia ministerii propriè à solo Deo pendet: tamen Deus per fideles & constantes ministros plus efficit, quàm per infideles & insinceros. Primùm autem generalem gloriationis sententiam proponit hoc versu & initio sequentis, per antithesin: qua primùm à se removet ea vitia, quibus homines offensi ministerium vituperant: deinde sibi tribuit eas virtutes quibus veri ministri Dei sese bonis omnibus approbant & commendant. Postea specialem enumerationem instituit, à v. 4. usque ad. 11.

4 *Sed &*] Hoc versu incipit commemorare suas virtutes, quibus ministerium suum exornet: & primùm nominat tolerantiam, quam declarat ex objectis in quibus illa occupetur: iisque partim non-voluntariis nec ex proposito susceptis, partim voluntariis & ex proposito susceptis: hoc v. & seq.

6 *Puritate*] Hic persequitur enumerationem institutam, & commemorat novem virtutes, hoc versu & sequente.

8 *Per gloriam*] Deinceps constantiam suam illustrat expositione variorum casuum, qui sibi propter fidelem ministerii sui functionem eveniant: quæ expositio novem membris constat, & amplificatur antithesi.

11 Os nostrum apertum est erga vos, Corinthii, cor nostrum dilatatum est.

12 Non habitatis angustè in nobis: sed angusti estis in visceribus vestris.

13 Loquor autem ut filiis de pari compensatione: dilatamini & vos.

14 Ne jugo copulamini cum infidelibus. quod enim consortium justitiæ cum iniquitate? & quæ communio luci cum tenebris?

15 Et quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli?

16 Et quæ consensio templo Dei cum simulacris? nam vos templum estis Dei viventis: sicut dixit Deus, Habitabo in eis, & inambulabo: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.

17 Quapropter exite è medio eorum, & separamini, dicit Dominus: & impurum ne attingite: tum ego excipiam vos:

18 Et ero vobis pro patre, & vos eritis mihi pro filiis ac filiabus, dicit Dominus omnipotens.

Altera pars capitis: ubi dehortaturus Corinthios à societate infidelium in cultu idolorum, id est, in conviviis sacris quæ illi in honorem idolorum celebrabant: præfatur de summo suo & paterno erga eos amore, & conqueritur, illos in redamando patre paria non facere, v. 11. 12. & 13.

14 *Ne jugo*] Post præfationem sequitur ipsa dehortatio: quam confirmat à contrariis. Quod argumentum per commorationem quinque membrorum amplificat: & schemate interrogationis, quod Rhetores ἀνακοίνωσιν, communicationem nominant, exornat, vers. 14. 15. & 16. Ubi assumtionem syllogismi addit, accommodatam extremo commorationis membro, id est, extremæ propositioni. Annectit etiam assumtionis approbationem à testimonio prophetico Ezech. 37. v. 27. ubi extat promissio Dei de gratia regenerationis in suo populo, in regno Christi, quam promissionem Apostolus Corinthiis accommodat.

17 *Quapropter*] Conclusio dehortationis, constans verbis prophetæ Esaiæ cap. 52. v. 11. cui annectitur novum argumentum à promissione Dei, ac proinde à bonis eventuris, si obtemperent.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 Sed & &c.] *Vel, Cooperamur autem & exhortamur.* συνεργοῦντες δὲ. *scil.* ἐσμὲν, *ut sit Hebraismus.* Ut operam nostram *ei* accommodantes] συνεργοῦντες. *Id est,* ὡς συνεργοῦντες. *scil.* αὐτῷ. *Respicit ad id quod dixerat cap. sup. v. 20.* Velut Deo vos precante per nos. *Similiter autem locutus est 1. Cor. 3. v. 9.* θεοῦ γὰρ ἐσμὲν συνεργοί. Frustra] εἰς κενὸν. *Ad verb. In vanum: id est, absq; fructu. Fructus autem est, ut posthac serviant Deo.*

2 Tempore accepto] καιρῷ δεκτῷ. *Esa. 49. vers. 8. habetur.* בְּעֵת רָצוֹן *behhéthratzón: id est, in tempore beneplaciti.* Exaudivi te] ἐπήκουσά σου. *Sunt verba Dei patris ad filium Christum: quibus illi promittit, se eum exauditurum tempore accepto, & in die salutis ei auxiliturum, hoc est, se per Evangelii prædicationem sibi ex gratia reconciliaturum credentes in eum, remissurum eis peccata, & liberaturum; & cætera quæ ibidem commemorantur.* Ecce nunc &c.] ἰδοὺ νῦν &c. *Hæc jam sunt verba Apostoli, accommodantis dictum ex Esaia citatum ad Corinthios.*

3 Præbentes] διδόντες. *Nempe ego Paulus, & mei collegæ, Timotheus & Silvanus. nam pendet hoc participium à verbo* παρακαλοῦμεν, *quod præcessit in principio versus primi.* Ministerium] ἡ διακονία, *Nempe Evangelii: quod innuit articulus.*

9 Ut qui castigamur] ὡς παιδευόμενοι. *Sic 1. Cor. 11. 32. Quum judicamur, à Domino* παιδευόμεθα, *castigamur.*

14 Ne jugo copulemini] μὴ ἑτεροζυγοῦντες. *Vel, Nolite jugum ducere. ut* ἑτεροζυγεῖν, *sit alteram jugi partem trahere. Puto enim hîc simpliciter contineri propositionem dehortationis. Ne habeant commercium cum incredulis, néve communicent illorum impietati. Rationes dehortationis continenter subjunguntur.* Cum infidelibus] *Vel, Cum incredulis.*

15 Belial] βελίαλ. *Vox Hebraica est* בְּלִיַּעַל, *notans nequitiam, hîc intelligitur nequam ille spiritus, Diabolus.* Fideli cum infideli] *Vel, Credenti cum incredulo.*

16 Nam vos &c. *Hæc dicuntur per prolepsin, ad declarandum quòd dixerat de templo Dei. Poterat enim imperitus aliquis, templi mentione auditâ, cogitare: Et quorsum tu nobis templum Dei commemoras: quum nullum habeamus? Respondet, Quod de templo Dei dixi, de vobis ipsis intelligo. nam vos estis templũ Dei.*

17 Tum ego] κἀγὼ. καὶ ἀποδέλνγὸν, *more Hebræorum.* Excipiam] εἰσδέξομαι. *Vel, recipiam.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

1 Ex v. 1. Magnus est honos ministrorum Verbi, quòd nominantur cooperarii Dei. Hoc igitur argumento se consolentur contra contemtum mundi. Confer cap. præced. v. 20. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex eod. v. Non est satis, Deo reconciliatum esse, id est, gratiam ejus recepisse: sed opera danda est, ne illam receperis frustra, hoc est, sine fructu pietatis. Deus enim non ideò se nobis reconciliat, ignoscendo nobis peccata, ut posthac securè in peccatis pergamus: sed contrà quum fidem nobis per Evangelii prædicationem donat, eaque nos justificat: simul etiam nos regenerat ac renovat, ut posthac in nova vita ambulemus, studentes ipsi uni placere. Sic ait Ephes. 2. v. 10. nos esse Dei opus, conditos in Christo Jesu ad opera bona: quæ præparavit Deus, ut in eis ambularemus. *Officium hominis Christiani.*

3 Ex v. 3. & sequentibus usque ad 11. Ministri Verbi proponant sibi imitandum exemplum Pauli, tum in tolerandis variis æ- *Ministri verbi Dei.*

riis ærumnis Evangelii causâ, tum in studio Christianarum virtutum: seque exemplo Pauli contra ærumnas consolentur; nec non consideratione admirandæ protectionis Dei, & efficaciæ ministerii sui. Etenim non debent meliore conditione esse velle quàm Paulus fuit, tam insignis Apostolus: & considerare debent, Paulum in variis periculis mirabiliter à Deo esse protectum: denique illud quoque in mentem eis venire debet, quòd utut ipsi pauperes sint, tamen interim prædicatione Evangelii multos ditent.

Auditores Evangelii. 4 Ex v.13. Ministri Verbi nobis præpositi, præsertim qui paterno amore nos complectuntur, vicissim à nobis amore filiali prosequendi sunt.

Idololatriæ. 5 Ex v.14.15.16.17. A sacris idololatrarum (ut hodie à celebratione Missæ) abstinendum est: quia fieri non potest ut quis & Deum colat & Diabolum. Qui autem idololatriæ participes sunt, Diabolum colunt: ac proinde Deum colere non possunt: citra cujus cultum salus nemini constat. Confer 1.Cor.10. v.14.& deinceps.

Cœna Domini. Vindicatio verborum Pauli, Nolite jugum trahere cũ infidelibus. 6 Ex v.14. Abutuntur hoc loco nonnulli: qui nolunt accedere ad mensam Domini, quum vident accedere aliquos quos ipsi habent pro impiis: quasi nimirum talem cum illis communionem interdixerit Paulus, quum dixit: Nolite jugum trahere cum infidelibus. At Paulus loquitur de iis qui à fide Christiana prorsus erant alieni, nec illam profitebantur: Illi autem cum quibus isti communicare in mensa Domini nolunt, fidem Christianam profitentur: licet fortasse professioni non satis respondeat vita. Deinde Paulus loquitur de societate idololatriæ: quid autem hoc ad sacram Domini cænam? quæ singulis Christianis præcepta est: nec uspiam addita exceptio, ut tum abstineamus si quos videamus accedere qui nobis videantur indigni.

Fideles. 7 Ex v.16.& 18. Magnus est honos Christianorum (nempe verorum Christianorum, id est, verè in Christum credentium) quòd sunt templa Dei, item filii & filiæ Quod ut facit ad illorum consolationem: ita etiam excitare eos debet ad studium sanctitatis ac pietatis: ne scil. templum Dei polluant peccatis, & ut Deum filiali reverentia colant.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Primus versus hujus capitis cohæret cum capite præcedente. Repetit enim in eo conclusionem superioris cohortationis, deductam ex postremo argumento. In reliquo capite ad suam personam redit, exponens tum fidelitatis suæ, tum perpetuæ in eos benevolentiæ argumenta. Quæ omnia eò pertinent, ut superior exhortatio, itemq; quæ pòst sequentur, locum apud eos inveniant.

HAs igitur promissiones quum habeamus, dilecti; purgemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, ad finem perducentes sanctificationem in timore Dei.

2 Accipite nos: nemini injuriam fecimus, neminem corrupimus, neminem quæstui habuimus.

3 Ad condemnationem *vestri hoc* non dico: nam antè dixi, vos in cordibus nostris esse, at simul moriendum & simul vivendum.

4 Multa *est* mihi loquendi libertas apud vos, multa mihi gloriatio de vobis: impletus sum consolatione: vehementer exundo gaudio in omni afflictione nostra.

5 Etenim quum venissemus in Macedoniam, nullam habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus fuimus afflicti: foris *fuerunt* pugnæ, intus terrores.

6 Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos, *nempe* Deus, adventu Titi.

7 Non solùm autem adventu illius, sed etiam consolatione quam ille accepit ex vobis, quum renuntiaret nobis vestrum vehemens desiderium, vestrum ejulatum, vestrum super me ardorem: adeò ut magis gavisus fuerim.

8 Nam etiamsi tristitia vos affeci per Epistolam, non me pœnitet; etiamsi pœnituerit. video enim, Epistolam illam, tametsi ad tempus, tristitia vos affecisse.

9 Nunc gaudeo; non quòd tristitiâ affecti fueritis, sed quòd tristitiâ affecti fueritis ad resipiscentiam. nam tristitiâ affecti fuistis secundùm Deum; ut nulla in re detrimentum acceperitis ex nobis.

10 Nam qui secundùm Deum est dolor, is resipiscentiam efficit ad salutem, cujus nunquam pœniteat: at mundi dolor mortem efficit.

11 Ecce enim istud ipsum, quòd secundùm Deum tristitiâ affecti fuistis, quantum in vobis efficit studium? imò defensionem, imò indignationem, imò timorem, imò vehemens desiderium, imò zelum, imò vindicationem. Per omnia testatum fecistis, vos esse puros in hoc negotio.

12 Itaque etsi scripsi vobis, non *scripsi vobis* ejus causa qui injuriam fecerat, nec ejus causa qui injuriâ affectus fuerat: sed ut apud vos manifestum fieret studium illud nostrum pro vobis in conspectu Dei.

13 Propterea consolationem accepimus ex consolatione vestri: sed longè plurimùm gavisi fuimus ob gaudium Titi, quòd refocillatus sit spiritus ejus ab omnibus vobis:

14 Et quòd si quid apud eum de vobis gloriatus sum, non fui pudefactus: sed ut omnia verè loquuti sumus vobis, ita & gloriatio nostra *qua usus eram* apud Titum, vera comperta sit:

15 Et viscera ejus ampliùs erga vos *affecta* sint, dum reminiscitur obedientiæ omnium vestrûm, & ut cum timore ac tremore ipsum exceperitis.

16 Gaudeo igitur quòd penitus confidam de vobis.

EX postremo cohortationis præcedentis argumento conclusionem infert, illustratam antithesi, cujus prius membrum amplificatum est distributione. Opponit enim inter se inquinamentum & sanctificationem: inquinamentum autem distribuit in inquinamentum carnis & spiritus: denique posterius membrum amplificat expositione causæ procreantis, unde sanctificatio oritur, videlicet ex timore Dei. *Purgemus nos*, inquit, *ab omni inquinamento carnis ac spiritus.* Particula universalis innuit distributionem: quasi dicat, Ab omni inquinamento, videlicet & carnis & spiritus. Hac autem distributione videtur perstringere errorem Corinthiorum & frigidam excusationem: ut qui reprehensi quod interessent conviviis idololatricis, atque ita pollwerentur cultu idolorum: respondebant, se non eo animo accedere ut honorem deferrent idolis: quum probè sciant, idolum nihil esse, hoc est, nullum in idolo numen esse, ac proinde se spiritum à pollutione integrum conservare. Respondet Apostolus: At non est satis spiritum à pollutione purum conservare: sed oportet & carnem seu corpus similiter impollutum retinere.

2 *Accipite nos*] Rogat ut suis hortationibus locum dent, & hac occasione suam qua apud eos usus sit, innocentiam commemorat. *Accipite nos*, inquit, χωρήσατε ἡμᾶς, id est, locum date cohortationibus meis. Et mox rationẽ hujus suæ petitionis subjungit, inquiens, *Nemini injuriam fecimus, &c.* q.d. Æquũ est ut mihi tanquam salutaria vobis suadendi aures præbeatis: quippe qui non quæro vestra, sed vos, hoc est, salutem vestram. Simul autem perstringit per tacitam antithesin mores pseudapostolorum, qui Corinthios expilabant: & argento emungebant. *Nemini injuriam fecimus*, inquit: Hæc sententia est generalis, quæ mox declaratur per duas speciales.

3 *Ad condemnationem*] Prolepsis, qua occurrit suspicioni sinistræ, quasi commemorando suam integritatem interim condemnet Corinthios tenacitatis: ut qui nihil sua sponte servis Dei ad ipsos alendum offerant. Negat Apostolus, se hoc animo ista commemorasse, quasi eis ulla ratione sit offensus: contraque suum erga eos ardentissimum amorem testatur.

4 *Multa mihi*] Transit ad exponendum argumentum ardentissimi illius sui erga eos amoris: quod videl. in maximis animi sui angustiis consolationem perceperit ex Titi relatione de ipsorum pio affectu erga se, & resipiscentia orta ex objurgatione superioris Epistolæ, item ex reverentia erga Titum. Hoc autem versu continetur hujus expositionis propositio: quam deinceps v.5.& 6. declarat Propositio quatuor sententiis constat: quarum summa est, Vehementer lætor pietate vestra.

5 *Etenim*] Propositionem declarat expositione suæ miseriæ, in qua consolationem perceperit ex pietate ipsorum. Ubi & locum indicat, ubi illam miseriam sit expertus, nempe in Macedonia: & miseriam distribuit in duo genera, exteriorem & interiorem. *Foris*, inquit, *pugnæ: intus terrores.* ubi notat concertationes cum pseudapostolis, & animi angustias.

6 *Sed qui consolatur*] Superiore versu exposuit miseriam: jam opponit consolationem: cujus causam efficientem commemorat duplicem: alteram principalem, Deum: alteram ministram, Titum.

7 *Non solùm*] Declarat consolationis formam seu modum: quomodo scil. à Tito consolationem perceperit: nempe partim ipsius conspectu, partim verbis: quatenus ille Apostolo narravit pium Corinthiorum erga ipsum affectum.

8 *Nam etiamsi*] Pergit declarare consolationis modum: quatenus nimirum ex Tito intellexerit de ipsorum resipiscentia, orta ex objurgatione superioris Epistolæ. Huc transit per prolepsin: cujus sententia est, Quanquam dolebam quum intelligerem, vos mea objurgatione tristitia fuisse affectos: tamen rursus gavisus sum, quum intellexi, tristitiam illam vobis fuisse utilem ad resipiscentiam.

9 *Nunc gaudeo*] Pergit in sententia prolepseos: & declarat, qualis fuerit illa tristitia, nempe secundùm Deum, hoc est, profecta à spiritu Dei, Deoque placens, quaque dolebant se offendisse Deum sua securitate.

10 *Nam qui*] Illustrat propositum distributione: qua tristitiam distinguit in duo genera: unam secundùm Deum, alteram mundi. De priore jam diximus. Tristitia mundi est, qua quis dolet ut homines huic mundo addicti, nec spiritu Dei regenerati, nempe vel propter commodorum amissionem, vel malorum sensum aut metum. Utramque hanc tristitiam declarat ex effectis. Prior efficit resipiscentiam, & ex consequenti salutem: altera efficit desperationem, & ex consequenti mortem. Prioris generis fuit tristitia Davidis & Petri: posterioris tristitia Saulis & Judæ.

11 *Ecce enim*] Sequitur expolitio & confirmatio ejus quod dixerat de Corinthiorum tristitia: ex qua ortam fuisse ipsorum resipiscentiam, probat ex effectis, nempe affectibus & factis Corinthiorum: quæ commemorat septem per gradationem quandam.

12 *Itaq;*] Causam finalem exponit, cur scripserit, ut incestuosus ille excommunicaretur: atque ita suum erga eos amorem testatur: ut qui pro ipsorum salute tantopere sit solicitus.

13 *Propterea*] Concludit narrationem de consolatione quam perceperit ex Titi relatione de ipsorum resipiscentia: & transit ad aliam consolationem quam perceperit ex narratione de ipsorum erga Titum reverentia: qua se gavisum dicit partim propter ipsum Titum, quod ejus spiritus ab eis fuerit refectus: partim propter seipsum, quod sua apud Titum de Corinthiis gloriatio vera deprehensa sit, v.14: partim denique propter ipsos Corinthios, utpote erga quos Titus summo amore affectus sit, v.15. ubi reverentiam Corinthiorum erga Titum pluribus verbis declarat. Versu ult. concludit postremam consolationem.

SCHOLIA IN CAP. VII.

1 Carnis ac spiritus] σαρκὸς καὶ πνεύματος. *Pro,* σαρκός τε καὶ πνεύματος: *& carnis & spiritus. Est enim distributio.* Ad finem perducentes] ἐπιτελοῦντες. *Quasi dicat,* ἐπὶ τέλος ἄγοντες. *Vel, perficientes.*

2 Accipite nos] χωρήσατε ἡμᾶς. *Vel, locum date nobis.* Nemini injuriam fecimus] οὐδένα ἠδικήσαμεν. *Subaudi* γὰρ, *Enim. Similis est gloriatio Apostoli apud* Ecclesiam Ephesinam, *Actor.20. v.33.* Neminem corrupimus] *Puto intelligendum de blanditiis quibus pseudapostoli munera eliciunt.* Neminem expilavimus] οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν. *Hoc verbo notantur fraudes in contractibus.* **Wenn man einen vbervortheylet.** *Sic igitur blanditiis quæ in oculos incurrunt, occultæ fraudes opponuntur.*

3 Antè dixi] *Nempe sup.c.6.v.12. Similiter accipitur verbum* προείρηκα, *Rom.9.29.*

5 Caro] *Id est, corpus: ut supr.v.1.* Foris] *Id est, in corpore.* Intùs] *Id est, in animo.*

6 Adventu] ἐν τῇ παρουσίᾳ. *Id est,* διὰ τῆς παρουσίας. *Hebraism. Sic v.seq. & v.8.*

8 Video enim] *His verbis non exponit rationem, neq; cur se pœnituerit, neq; cur se non pœniteat; sed cur dixerit,* Etiamsi tristitiâ affeci vos. *Poterat enim aliquis objicere, Quî scis, te nos tristitiâ affecisse? Respondet, Video, ita esse.*

9 Ut nulla in re detrimentum acceperitis] ἵνα ἐν μηδενὶ ζημιωθῆτε. *Pro,* ὥστε ζημιωθῆναι. *Heterosis. nam* ἵνα *consilium notat,* ὥστε *eventum.*

11 Defensionem] ἀπολογίαν. *Vel, Excusationem.* Testatum fecistis] συνεστήσατε. *Græco verbo respondet aliquo modo Germanicum,* **darthun.**

12 Ejus causa &c.] *Periphrasis illius incestuosi.*

13 Ab omnibus vobis] ἀπὸ πάντων ὑμῶν. *Præpositio* ἀπὸ *videtur notare objectum seu materiam subjectam. nisi malimus, positam pro* ὑπὸ, *ut notet efficientem.*

14 Apud eum] αὐτοῦ. *Pro,* παρ' αὐτοῦ. *Sic sup.2.1.* ἔκρινα ἐμαυτῷ *pro,* ἔκρινα παρ' ἐμαυτῷ.

OBSERVAT. EX CAP. VII.

Missa. 1 Ex v.1. Quum Apostolus moneat, carnem quoque impollutam esse conservandam: peccant igitur ii qui quũ Missam idololatriam esse intelligant, tamen ei interesse suaque præsentia eam approbare non verentur: prætexentes interim, se spiritum à pollutione integrum conservare.

Sanctificatio. 2 Ex eod. v. Ex eo quòd hortatur Paulus ut perficiamus sanctificationem, discamus, sanctificationem nostram in hac vita esse imperfectam, ut quæ perpetuo profectu indigeat: Contra vanissimam persuasionem superbissimorum spirituum, qui se perfectos esse gloriantur: quos inde vulgò perfectistas nominant.

3 Ex eod. v. Ex eo quod dicit Paulus, *Sanctificationem perficiamus in timore Dei*, discamus, eos falsò jactare timorem Dei, in quibus nullum sanctitatis studium conspicitur. nam ex timore Dei, studium sanctitatis tanquam ex fonte manat. *Studium sanctitatis.*

4 Ex v.2. Opera danda ministris Verbi, ut possint cum Paulo apud auditores gloriari de sua innocentia & integritate. *Ministri verbi Dei.*

5 Ex v.3. Ministri Verbi auditores suos summè diligere debent, exemplo Pauli. *Ministri verbi Dei.*

6 Ex v.4. & deinceps usque ad finem capitis. Ministri Verbi, exemplo Pauli, gaudere debent de auditorum suorum emendatione & pietate. *Ministri verbi Dei.*

7 Ex v.6. Quum contemnimur in hoc mundo: succurrat nobis, Dei proprium esse, consolari humiles. *Consolatio.*

8 Ex v.9.10.11. Utile est tristitia affici propter conscientiam peccatorum. hic enim est primus ad resipiscentiam & salutem gradus: quum scil. dolemus, nos Deum peccatis nostris offendisse, & cum nobis reconciliari cupimus. *Tristitia.*

ANALYSIS CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

In hoc capite primùm hortatur Corinthios ad collectam, quam superiore anno inchoarant, absolvendam: deinde commendat eis Titum & alios duos fratres, quos ad collectam illam ab ipsis accipiendam mittebat. Posterior pars incipit v.16.

DE PRIORE PARTE.

PORRÒ notam facimus vobis, fratres, gratiam Dei præstitam Ecclesiis Macedonum:

2 *Nempe* in multa probatione afflictionis abundans gaudium ipsorum, & profundam eorum inopiam redundasse in copiosam benignitatem ipsorum.

3 Nam pro viribus (testor) atque supra vires voluntarii *fuerunt*:

4 Multis cum precibus nos rogantes, ut gratiam & communicationem quæ subministratur sanctis, susciperemus.

5 Ac non prout sperabamus, *ita fecerunt*: sed semetipsos dediderunt primùm Domino, *deinde* & nobis, per voluntatem Dei:

6 *Rogantes* ut adhortaremur Titum, ut sicut antè cœpit, ita etiam absolvat apud vos hanc quoque gratiam.

7 Itaque sicut omnibus abundatis, *nempe* fide & sermone, & notitiâ & omni studio, & vestrâ in nos charitate, *videte* ut in hac quoque gratia abundetis.

8 Non ex imperio loquor, sed aliorum studio vestræ quoque dilectionis sinceritatem reddens exploratam.

9 Nostis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, eum *videlicet* propter vos pauperem factum esse, quum esset dives: ut vos illius paupertate ditesceretis.

10 Et sententiam in ea re *meam* edo. nam hoc vobis conducit: qui non solùm facere, sed etiam velle antè cœpistis anno superiore.

11 At nunc etiam illud ipsum facere absolvite: ut sicut *adfuit* promtum illud velle, ita etiam *adsit* ipsum perficere ex eo quod habetis.

12 Etenim si priùs adsit promtus animus, aliquis acceptus *est* pro eo quod habet, non pro eo quod non habet.

13 Non enim *dico* ut aliis relaxatio *sit*, vobis autem afflictio: sed ut pari conditione hoc tempore vestra abundantia *suppleat* quod illis deest.

14 Ut & illorum abundantia quod vobis deest suppleat, ut fiat æquabilitas.

15 Sicut scriptum est, Qui multum *collegit*, non habuit plus: & qui paulum, non habuit minus.

AD collectam absolvendam hortatur sex argumentis. 1. ab exemplo Macedonum. 2. ab eorundem de Corinthiis judicio ac spe. 3. à collatione cæterarum virtutum Christianarum quibus Corinthii erant præditi. 4. ab exemplo Christi. 5. à fructu laudis, quem ex beneficentia ista erant percepturi. 6. à spe remunerationis. Interseruntur autem aliquot prolepses: quas suis locis indicabimus.

1 *Porrò notam*] Primum argumentum hortationis, videl. exemplum Macedonum, tractatur per quinque versus. Porrò beneficentiam Macedonum in conferenda eleemosyna variè collaudat & amplificat. Primùm appellat gratiam Dei in eos collatam:

collatam: quo docet, illam singulare Dei donum esse, v.1. Deinde amplificat eam antithesi causæ corrumpentis, videl. paupertatis eorum: quòd non passi sint sibi obstare profundam paupertatem, quin alacriter & liberaliter conferrent, vers. 2. Tertiò amplificat Macedonū liberalitatem expositione adjunctæ quantitatis per collationem imparium, quòd liberales fuerint non solùm pro facultatibus, sed etiam supra facultates: quam sententiam obiter suo testimonio confirmat, v.3. Quarta amplificatio sumta est ab adjunctis precibus, quibus rogarunt Paulum ut illam collectam susciperet, vers. 4. Quinta amplificatio sumta est à comparatione majorum: quòd non solùm dederint pecuniam, sed seipsos, primùm Domino, deinde apostolo Paulo.

6 *Ut adhortaremur*] Sequitur sexta amplificatio: quod rogarint Apostolum, ut Titum ad Corinthios remitteret ad collectam ab eis accipiendam. Quod jam est secundum argumentum: Macedones de vobis ita persuasi sunt, vos liberaliter collaturos; Date igitur operam ne tam præclaram illorum de vobis spem fallatis.

7 *Itaq;*] Tertium argumentum: Excellitis aliis virtutibus Christianis; Ergo date operam ut hac quoque beneficentia erga pauperes fratres excellatis.

8 *Non ex*]Prolepsis: Peto hoc officium à vobis, non tanquam imperans & extorquens ab invitis: sed tanquam excitans vestrum studium laudabili studio fratrum Macedonum.

9 *Nostis*] Quartum argumentum ab exemplo Christi: quod amplificat antithesi: Christus, inquit, vos ditavit: cælestibus nimirum bonis: & ut hoc consequeretur, non recusavit fieri pauper, quum esset dives. hoc est, Quum præditus esset æquali gloriâ cum Deo patre, inanivit se propter nos, sumta servi forma, &c. Phil.2.

10 *Et sententiam*] Quintum argumentum, à laude constantiæ: confirmatum judicio Apostoli: Hoc, inquit, vobis conducit. nempe ad consequendum laudem constantiæ, & effugiendum crimen inconstantiæ: quippe quòd anno superiore cœpistis non solùm *facere*, id est, colligere: sed etiam *velle*, id est, alacriter colligere.

11 *At nunc*]Conclusio hortationis, deducta ex quinto argumento: cui annectitur prolepsis, quâ occurrit excusationi tenuiorum: qui poterant prætexere, se non posse multum conferre, quum parum habeant. Respondet: Deo acceptum esse quicquid pro facultatibus datur, si modo adsit promtus animus.

13 *Non enim*] Alia prolepsis: Si nos multum conferamus: tum nos quidem egebimus, illi verò abundabunt id quod iniquum esset. Respondet, se hoc non petere: sed tantùm ex sua abundantia aliquid decidant, quo illorum defectus suppleatur: & hac occasione annectit sextum argumentum, à spe remunerationis: quod confirmat à fine, eamque confirmationem illustrat dicto Mosis de collectione & distributione Mannæ, Exod.16.18.

DE ALTERA PARTE.

16 Gratia verò *sit* Deo: qui cordi Titi indidit idem studium pro vobis:

17 Quòd tum exhortationem illam gratam habuit; tum verò majore studio usus, ultrò ad vos iter suscepit.

18 Misimus autem unà cum eo fratrem illum cujus laus est in Evangelio per omnes ecclesias:

19 (Nec *id* solùm, sed etiam suffragiis delectus est ab Ecclesiis socius peregrinationis nostræ, cum hac gratiâ quæ administratur à nobis ad ipsius Domini gloriam, secundùm promtitudinem animi vestri:)

20 Vitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac ubertate quæ administratur à nobis:

21 Ut qui procuremus honesta non solùm coram Domino, sed etiam coram hominibus.

22 Misimus autem cum eis fratrem nostrum, quem sæpè in multis comperimus studiosum esse, nunc autem multo studiosiorem, ob multam *meam* fiduciam in vobis.

23 Sive de Tito *quæritur*; socius meus *est*, & apud vos adjutor: sive de fratribus nostris; legati *sunt* Ecclesiarum, & gloria Christi.

24 Itaque demonstrationem charitatis vestræ, & nostræ de vobis gloriationis editæ in eos, in conspectu Ecclesiarum.

Altera pars capitis, ubi commendat tres legatos Macedonum, singulos seorsim: ac primò Titum: cujus laudat promtitudinem ac studium in legatione hac suscipienda & obeunda.

18 *Misimus*]hîc commendat collegam Tito additum; quem judicant fuisse Barnabam. Vide Act.13. in principio.

20 *Vitantes*]Causam exponit, cur plures mittat ad collectam accipiendam.

22 *Misimus*]Commendatio alterius collegæ Titi: quem nonnulli putant fuisse Lucam.

23. *Sive*]Nunc tres illos conjunctim laudat: sequente versu eos Corinthiorum charitati commendat.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

2 *Nempe* redundasse] ὅτι ἐπερίσσευσεν. *Particula* ὅτι *hoc loco videtur posita non αἰτιολογικῶς, sed εἰδικῶς. Particula autem* Nempe *est inserta perspicuitatis causâ, ad significandam appositionem, sive expositionem. Exponit enim nunc & declarat, quæ sit illa gratia Dei quæ ecclesiis Macedonum fuerat præstita: cujus fecerat mentionem v. præced.* In multa probatione afflictionis] ἐν πολλῇ δοκιμῇ θλίψεως. *I.e. multa afflictione per quam fuerunt à Deo probati, sive explorati. Hypallage Hebraica: Probatio afflictionis, pro: Afflictio probationis, i.e. probans. Sic mox:* Abundans gaudium, ἡ περισσεία τῆς χαρᾶς. *Pro*, ἡ χαρὰ τῆς περισσείας, *gaudium abundantiæ, id est, abundans. Item:* In copiosam benignitatem, εἰς τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος. *Ad verb. In divitias simplicitatis hoc est*, εἰς τὴν ἁπλότητα τὴν πλούσιαν, *In simplicitatem divitem seu copiosam. Simplicitas autem hic significat benignitatem seu liberalitatem è simplicitate animi profectam, per metonymiam efficientis.*

4 Ut gratiam & communicationem &c.] *Intelligit eleemosynam sive collectam quam dederant Macedones, ut afferretur fratribus Hierosolymitanis: de qua vide 1.Cor.16. in principio.* Gratiam] χάριν. *Id est, donum ex gratia profectum: ut 1.Cor.16.3. Metonymia efficientis.* Et communicationem quæ subministratur sanctis] καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους. *Hac addit ut declaret nomen gratiæ. Ad verb. Communicationem ministerii, quod fit in sanctos. Vocabulo* κοινωνίας *intelligit ipsum illud donum quod Macedones communicaverant fratribus Hierosolymitanis: per metonymiam efficientis. Ipsam autem de suis bonis communicandi fratribus pauperibus actionem notat hac vox Act.2.v.42. ubi de Christianis illis Hierosolymitanis dicitur: Erant perdurantes in doctrina Apostolorum & communicatione*, καὶ τῇ κοινωνίᾳ, *&c. Communicationem autem ministerii nominat phrasi Hebræâ, donum quod subministrandum erat sanctis: nempe fratribus Hierosolymitanis.*

5 Ac non prout sperabamus, *ita fecerunt*] καὶ οὐ καθὼς ἠλπίσαμεν. *Talis ellipsis quoq; est Rom.8.3. Nam speciali verbo quod exprimitur, innuitur omissum generale.*

6 *Rogantes* ut adhortaremur] εἰς τὸ παρακαλέσαι ἡμᾶς. *Participium* rogantes *suppleo ex collatione v.4. Secus oratio fuerit imperfecta.* Hanc quoque gratiam] καὶ τὴν χάριν ταύτην. *Gratiæ vocabulo iterum intelligit collectam, ut v.4. Quorsum autem addat conjunctionem* καὶ, *(quæ hic nota est parium) declarabit v. seq. ubi hanc liberalitatem comparabit cum aliis virtutibus Corinthiorum.* In hac quoq; gratia] καὶ ἐν ταύτῃ τῇ χάριτι. *Gratiæ vocabulo iterum intelligit collectam, vel potius liberalitatem, ex qua collecta debeat proficisci: ut liquet ex collatione versus præcedentis. Apparet autem ex hoc loco, liberalitatem illam nominari gratiam respectu Dei; qui illam virtutem ex gratia donat, sicut & reliquas.*

13 Non enim *dico* ut] οὐ γὰρ ἵνα *&c. Ellipsis verbi* λέγω, *id est, dico, qualis Rom.9.v.6.q.d. Non enim peto tantùm vos conferre, ut aliis relaxatio sit, &c. Vel potest suppleri verbum* δεῖ, *cujus exempla apud sacros hosce scriptores passim occurrunt.* Sed ut pari conditione &c.] ἀλλ' ἐξ ἰσότητος *&c. Ad verb.* Sed ut ex æqualitate in hoc tempore vestra abundantia *fiat* ad illorum defectum, *scil. supplendum. Post* ἀλλὰ *repetenda est conjunctio* ἵνα *ex membro præcedente: & post* περίσσευμα *supplendum verbum* γένηται; *ex collatione v. sequentis.*

19 Secundùm promtitudinem animi vestri] καὶ προθυμίαν ὑμῶν. *Pro* καὶ *legendum puto* κατὰ.

23 Sunt gloria Christi] *Metonymia effecti: ut in annotat. D. Beza declarat.*

24 In conspectu] εἰς πρόσωπον. *Pro* ἐν προσώπῳ, *id est*, ἐνώπιον.

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

1 Ex priore parte capitis. Si accidat ut ecclesia aliqua egeat alimentis: officium cæterarum ecclesiarum est, ut illius inopiæ per liberalem collectam succurrant: exemplo ecclesiæ Macedonicæ & Corinthiacæ, quæ collectam miserunt ad ecclesiam Hierosolymitanam. *Officium hominis Christiani. Collecta.*

2 Ex v.9. Ad beneficentiam erga egenos moveri debemus exemplo Christi: qui pauper factus est ut nos ditaret, & quidem cælestibus divitiis. *Beneficentia.*

3 Ex v.10.11.12. Eleemosyna tum demùm Deo placet, quùm proficiscitur ex animo promto. nam hilarem datorem diligit Deus. Et sic etiam parva eleemosyna Deo grata est: atque adeò gratior quàm magna illorum in quibus non est tanta animi promtitudo: ut liquet ex sententia Christi quam pronuntiavit de munere oblato in gazophylacium à paupere vidua. *Eleemosyna.*

4 Ex vers.14. & 15. In eleemosynis distribuendis diaconi observare debent proportionem geometricam: quam hoc loco Apostolus intelligit vocabulo ἰσότητος: ut percipi potest ex *Eleemosyna.*

dicto Scripturæ, quod huc citat ex Exodo. Ita nimirum, ut plus dent ei qui majorem habet familiam: minus ei qui minorem. Sic enim apud Israëlitas qui majorem habebat familiam, plus Mannæ colligebat, quàm qui minorem. Colligebant enim pro numero capitum certas mensuras. Idem videtur observandum in stipendiis ministrorum Verbi.

Ministri Evangelii. 5 Ex altera parte. Ministri Verbi, quoties usus postulat, ab aliis authoritate præditis ornandi sunt suis laudibus.

Bona ecclesiastica. 6 Ex v.20.& 21. Qui præsunt bonis Ecclesiasticis, providè, & circumspectè ea administrent: ne sinistram aliquam opinionem de sese excitent.

Officium hominis Christiani. 7 Ex eod. v. Non est satis, bonam habere conscientiam coram Deo: sed studendum præterea ut ita nos geramus coram hominibus, ne qua sinistra suspicio de nobis meritò possit concipi.

ANALYSIS CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Pergit in eâdem quæstione, nempe de collectâ: ac primùm causam exponit, cur tres illos fratres collectæ absolvendæ gratiâ ad eos miserit: deinde eos hortatur, ut liberaliter conferant. Altera pars incipit v.6.

NAm de subministratione quidem quæ fit in sanctos, supervacaneum est mihi, scribere vobis.

2 Novi enim promtum animum vestrum, quem de vobis jacto apud Macedones: Achaiam videl. paratam esse ab anno superiore: & ex vobis *ortus* zelus provocavit complures.

3 Misi autem hos fratres, ne gloriatio nostra de vobis inanis fiat hac in parte: ut (sicut dicebam) parati sitis.

4 Ne quo modo, si mecum venerint Macedones, & offenderint vos imparatos, nos pudefiamus (ut ne vos dicam) in præfidente ista gloriatione.

5 Itaque necessarium putavi adhortari hos fratres ut priores venirent ad vos, & priùs absolverent anteadenuntiatam benedictionem vestram: ut ea sit parata ita ut benedictio, & non ut extortum aliquid.

A Conclusione commendationis præcedentis huc transit per prolepsin. Hortatus fuerat ut tres illos fratres honorificè exciperent, suamque charitatem erga illos demonstrarent. Hîc poterant Corinthii cogitare, cur non potiùs hortatur, ut illis magnam collectam tradamus: quum hujus rei gratiâ eos mittat? Respondet, hanc hortationem apud eos esse superfluam: & hac occasione promtitudinem ipsorum collaudat.

3 *Misi autem*] Rursùm per prolepsin transitionem facit ad causæ expositionem. Poterant enim cogitare Corinthii: Si tanta est quantam testaris, nostra promtitudo ad collectam faciendam: quorsum igitur hos fratres misisti, ut ad collectam absolvendam apud nos instarent? Respondet, se ideo eos misisse, ut collectam haberent paratam in ipsius adventu: ne & ipse & illi unà secum pudefiant.

6 Hoc autem *dico*, Qui serit parcè, parcè etiam metet: & qui serit copiosè, copiosè etiam metet.

7 Quisque sicut præoptat corde, *ita* agat: non ex tristitia aut necessitate. nam hilarem datorem diligit Deus.

8 Potens *est* autem Deus efficere ut omnis gratia in vos redundet: ut in omnibus omni tempore omne quod sufficiat, habentes, abundetis ad omne opus bonum:

9 Sicut scriptum est, Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum.

10 Porrò qui suppeditat semen serenti & panem ad escam, *is* suppeditet & multiplicet sementem vestram, & augeat fructus justitiæ vestræ.

11 *Vobis* omni modo ditatis ad omnem benignitatem, quæ per nos efficit ut gratiæ agantur Deo.

12 Nam subministratio oblationis istius non solùm supplet quæ sanctis desunt, sed etiam redundat per multas gratiarum actiones in Deum per approbationem istius subministrationis.

13 (Dum Deum glorificant de vestra testata subjectione in evangelium Christi, deque benigna in se & in omnes communicatione.)

14 Et per illorum preces pro vobis, maximo vos amore complectentium, propter gratiam Dei in vobis exuberantem.

15 Gratia autem *sit* Deo super inenarrabili suo dono.

Deinceps hortatur ad liberalitatem in illa collecta præstandam, argumento ab effectis in utramque partem, sub allegoria sationis & messis: quarum illi comparat eleemosynam, huic remunerationem divinam.

7 *Quisq; sicut*] Per prolepsin admonet, de illius beneficentiæ modo seu forma: ut scil. sit voluntaria.

8 *Potens* est] Redit ad argumentum à remuneratione Dei: quod confirmat testimonio ex Psal.112.9.

10 *Porrò qui*] Interserit optationem ex superiore similitudine deductam: & ita obliquè argumentum hortationis repetit.

11 *Vobis omni modo*] Annectit alterum argumentum ab effectu, videl. glorificatione Dei.

12 *Nam subministratio*] Expolitio, quâ argumentum modo allatum pluribus verbis exponit: ac simul inserit tertium argumentum ab effectu, videl. recreatione sanctorum, per collationem imparium.

14 *Et per illorum preces*] Annectit quartum argumentum ab effectu, videl. precibus pauperum sanctorum pro ipsis.

15 *Gratia autem*] Concludit gratiarum actione erga Deum pro inenarrabili ipsius erga fideles beneficentia, quippe quibus filium suum unigenitum donavit.

SCHOLIA IN CAP. IX.

1 De subministratione] περὶ τῆς διακονίας. *Id est, de collecta subministranda. Meton. adjuncti.*

5 Benedictionem] εὐλογίαν. *Id est, munus liberale. Metonymia efficientis. Sic mox iterum.* Ut extortum aliquid] ὡς πλεονεξίαν. *Vel, ut illiberale aliquid. Ad verb.* Ut avaritia. *Metonymia efficientis.* πλεονεξία *propriè significat plus habendi cupiditatem.*

6 Copiosè] ἐπ᾽ εὐλογίαις. *Seu, liberaliter. Ad verb. In benedictionibus. Hebraismus. Sic Psal.84.7. Etiam* in *benedictionibus operiet* eos *pluvia. Item 34.26. Imbres benedictionis: id est, largè seu copiosi.*

9 Justitia ejus] ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ. *Sunt qui hanc vocem isto loco exponendam censeant beneficentiam vel eleëmosynam, per synecdochen scil. generis. Sed puto, simplicius esse, ut accipiatur pro pietate.* Manet] μένει. *Nempe in memoria hominum. Id est, laudatur. Sic v. sequente.*

10 Porrò qui &c.] *Textum Græcum distingue sic:* ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν, χορηγήσαι καὶ πληθύναι τὸν σπόρον &c.

11 *Vobis* omni modo ditatis] ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι. *Pro* πλουτιζομένων ὑμῶν. *Participium positum absolutè: ut infrà v. 13.* Benignitatem] ἁπλότητα. *Ad verb. Simplicitatem. Metonymia efficientis.*

12 In Deum] *Hoc est, in laudem Dei.* Per approbationem] *Id est, dum approbatur subministratio, ac proinde gratiæ aguntur Deo.*

13 Dum Deum glorificant] δοξάζοντες τὸν Θεόν. *Id est, Dum glorificabunt Deum. Enallage temporis, & oratio absoluta, ut suprà v.11. Pro* δοξαζόντων αὐτῶν, *vel* ἐν τῷ δοξάζειν αὐτούς. De benigna communicatione] ἐπὶ τῇ ἁπλότητι τῆς κοινωνίας. *Ad verb. De simplicitate communicationis. Hypallage Hebræa.* Et communicatio *pro dono quod communicaturi erant: ut supr. c.8. v.4.*

15 Super inenarrabili suo dono] ἐπὶ τῇ ἀδιηγήτῳ αὐτοῦ δωρεᾷ. *Hoc donum est Christus: Sicut ipse se nominat, Joh.4. v.10.*

OBSERVAT. EX CAP. IX.

Ex toto capite. Fratrum (nempe fratrum in Christo) inopiæ succurrere debemus ex nostris facultatibus, idque promtò animo ac liberaliter, moti ad hoc tum spe remunerationis divinæ, tum veræ laudis in Ecclesia, tum inprimis glorificatione nominis Dei. *Beneficentia.*

ANALYSIS CAP. X.

ARGUMENTUM.

Refellit calumniam quandam pseudapostolorum, eorumq; vanam gloriationem obliquè reprehendit. Calumniam illam arripuerant ex objurgationibus superioris Epistolæ, dicentes: Paulum in Epistolis affectare aliquam gravitatem, qui tamen coràm sit humilis & abjectus. Apostolus primùm negat, se ambulare secundùm carnem, hoc est, se in ministerio suo affectare eloquentiam & ejusmodi res externas: & quanquam soleat se gerere humiliter, præditum tamen esse potestate & efficaciâ spirituali, quâ & dociles ad obediendum Christo adducat, & refractariorum contumaciam vindicet. Hac agit usq; ad v.12. Deinde ministerii sui efficaciam ita asserit, ut obliquè perstringat pseudapostolorum vanam gloriationem & jactantiam, à v.12. usque ad finem capitis.

PRIMA PARS.

CÆterùm precor vos per clementiam & æquitatem Christi, ego ipse Paulus, qui coràm quidem humilis sum inter vos; absens verò, sum erga vos confidens.

2 *Hoc* autem rogo, ne præsens confidenter agam fiduciâ, quâ existimor audax fuisse in quosdam qui de nobis existimant quasi secundùm carnem incedamus.

3 Nam etsi in carne ambulamus, non *tamen* secundùm carnem militamus.

4 Arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed divinitus valida ad subversionem munitionum:

5 Ratiocinationes evertendo, omnemque sublimitatem quæ sese extollit adversus cognitionem Dei: & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo:

6 Et paratum habendo quo vindicemus omnem obedientiam, postquam impleta fuerit vestra obedientia.

7 Quæ ob oculos sunt, aspicitis? Si quis apud se confidit, se Christi esse, hoc vicissim cogitet ex sese; quemadmodum ipse Christi *est*, ita & nos Christi *esse*.

8 Nam si ampliùs etiam quippiam glorier de potestate nostra, quàm dedit Dominus nobis ad ædificationem, ac non ad subversionem vestri; non pudefiam.

9 Ne videar ceu perterrefacere vos per epistolas.

10 Nam epistolæ quidem (inquit) graves sunt & validæ: sed præsentia corporis infirma *est*, & sermo *est* nihili.

11 Hoc cogitet *qui* istiusmodi *est*, quales sumus verbo per epistolas quum absumus, tales etiam *nos fore* reipsa quum aderimus.

2 *Cæterùm precor*] Novum exordium est, ex abrupto, continens obtestationem ad Corinthios, ne sua contumacia necessitatem sibi afferant agendi cum ipsis asperiùs ac duriùs, ubi ad eos venerit: quâ occasione calumniam istam commemorat.

3 *Nam in carne*] Respondet ad calumniam distinctione diversorum: concedens, se ambulare in carne, id est, subjectum infirmitatibus hujus vitæ corporalis: negans autem, se secundùm carnem militare, id est, in ministerio suo fungendo affectare præsidia humana, aut iis niti atque confidere.

4 *Arma enim*] Negationem propositam probat à causa instrumentali, illustrata è conjugatis: *Non milito*, inquit, *secundùm carnem: nam militiæ meæ arma non sunt carnalia.* Et hanc sententiam illustrat è contrario: *Sed arma*, inquit, *mea sunt δυνατὰ τῷ Θεῷ*, hoc est, *potentiam seu efficaciam nacta à Deo.* unde perspicitur, Carnalia arma hic dici, facultatem loquendi humanam, & ex viribus naturæ aut artis humanæ profectam: qualis erat in pseudapostolis. Deinde incipit describere vim & usum illorum armorum, ac proinde efficaciam ministerii sui. *Ad subversionem*, inquit, *munitionum*: hoc est, sapientiæ & eloquentiæ humanæ: quibus rebus homines perversè sese muniunt contra prædicationem Evangelii, ne Christo obedire cogantur.

5 *Ratiocinationes evertendo*] Quod de vi & efficacia ministerii sui uno verbo dixit, id jam pluribus declarat & exponit, adhibitâ distributione bimembri pro diversitate auditorum: qui aut dociles sunt & electi, aut refractarii ac reprobi: quorum illos profitetur suo ministerio adduci ad obediendum Christo: istorum verò contumaciam vindicari, dum scil. Satanæ traduntur.

7 *Quæ ob oculos*] Reprehendit perversum ac pravum Corinthiorum judicium, ut qui doctores Ecclesiæ seu ministros Christi æstiment ex rebus externis & confidenti gloriatione: itaque asseverat, se non minùs esse idoneum ministrum Christi, quàm gloriosos illos: imò si velit, se plùs posse gloriari de potestate sibi à Domino data. Quæ sententia ne videri possit ambitiosè dicta, munit eam prolepsi; & in quem finem sibi potestas illa data sit, exponit: videl. ad proborum ædificationem, i.e. incrementum in cognitione Dei & studio pietatis.

9 *Ne videar*] Redit ad expositionem calumniæ.

11 *Hoc cogitet*] Respondet ad calumniam: & calumniatori minatur suæ præsentiæ se veritatem.

SECUNDA PARS.

12 Non enim audemus nos adjungere vel conjungere cum quibusdam qui seipsos commendant: sed non intelligunt quòd ipsi sese seipsis metiuntur, & sese sibiipsis comparant.

13 At nos non gloriabimur de iis quæ mensuræ *nostræ* non sunt, sed secundùm modum nobis ad regulam admensum, *id est*, ejus quàm distribuit nobis Deus mensuræ, *gloriabimur* nos pervenisse ad vos etiam usque.

14 Non enim ut si non pervenissemus usque ad vos, extendimus nos ipsos ultrà quàm deceat: nam usque ad vos etiam pervenimus in evangelio Christi.

15 Non *igitur* de iis quæ mensuræ *nostræ* non sunt, gloriamur, *id est*, de alienis laboribus; sed speramus fore ut, augescente fide vestrâ in vobis, amplificemur in attributâ nobis nostrâ mensurâ ulteriùs:

16 *Id est*, ut in iis *regionibus* quæ ultra vos *sunt*, evangelizem: non ut in alteri attributâ mensurâ de præparatis gloriemur.

17 Cæterùm qui gloriatur, in Domino glorietur.

18 Non enim qui seipsum commendat, is probatus est: sed is quem Dominus commendat.

Deinceps perstringit vanam gloriationem pseudapostolorum: suamque veram de sui ministerii efficacia gloriationem illi opponit, usque ad finem capitis.

SCHOLIA IN CAP. X.

2 Rogo ne confidenter agam] *δέομαι, τὸ μὴ θαῤῥῆσαι. Id est, ne causam mihi præbeatis necessitatémve afferatis agendi confidenter, id est, duriùs sive asperiùs. Metonymia effecti.* Secundùm carnem] *Carnis nomine puto hîc notari externas hominis dotes: ut liquet ex antithesi quæ continetur v. 4.*

3 In carne, non tamen secundùm carnem] *Est hîc elegans antanaclasis in vocabulo* carnis: *quæ figura Apostolo familiaris est.*

6 Inobedientiam] *παρακοήν. Sic malo quàm,* Contumaciam: *tum propter suavem oppositionem vocum παρακοή, ὑπακοή, id est, inobedientia, obedientia: tum quòd hæc propria ejus nominis significatio est. nam* Contumacia *respondet Græco ἀπείθεια.*

8 Quam dedit] *ἧς ἔδωκεν. Pro, ἐκείνης ἣν ἔδωκεν.*

12 Non enim audemus] *οὐ γὰρ τολμῶμεν. Hoc dicit per ironiam. nam contrarium intelligit: ut liquet.*

15 Gloriamur] *καυχώμενοι.* Speramus] *ἐλπίδα ἔχοντες. Participia posita sunt more Hebræorum, subintellecto verbo substantivo ἐσμὲν. pro καυχώμεθα, ἔχομεν.* Mensura] *κανόνα. Intelligit spatium admensum, per metonymiam adjuncti.*

OBSERVAT. EX CAP. X.

1 Ex parte prima. Minister Verbi falsa crimina sibi à malevolis imposita, quæ fructum ministerii ejus impedire possent: refutare debet; exemplo Pauli. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex v. 4. 5. 6. Ministerium Verbi efficax est tum in electis ac docilibus, tum in reprobis ac refractariis: quorum illos adducit ad obediendum Christo: istorum autem ratiocinationes evertit & contumaciam vindicat. *Ministerium Verbi.*

3 Ex altera parte. Fugienda est vana gloriatio: & contrà non nisi in Domino gloriandum, id est, humiliter gratiæ illi agendæ pro suis donis quibus nos ornare ei placuit ad gloriam suam & Ecclesiæ ædificationem. *Gloriatio.*

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Pergit in eadem quæstione, reprehendens Corinthiorum pravum judicium in honorandis pseudapostolis ambitiosè gloriantibus, & contemnendo ipso sese modestè demittente: item describens pseudapostolorum hypocrisin & avaritiam: seq. illis gloriando partim æquiparans, partim anteponens: ubi multas & varias suas calamitates & pericula & molestias atq. curas commemorat. Ita partes possunt constitui tres. I. Reprehensio Corinthiorum, usque ad v. 13. II. Descriptio pseudapostolorum, à v. 13. usq. ad 22. III. Comparatio sui cum pseudapostolis, à v. 22. usque ad finem cap.

PRIMA PARS.

UTINAM tolleraretis me paulisper quòd ad desipientiam *attinet*: imò etiam tolerate me.

2 Ambio enim vos Dei zelotypiâ. Aptavi enim vos *quos* uni viro *ut* virginem puram sistam, *nempe* Christo:

3 Sed metuo ne quo modo, sicut serpens ille Evam seduxit calliditate sua, ita corruptæ mentes vestræ *degenerent* à simplicitate quæ est in Christo.

4 Enimverò si veniat qui alterum Jesum prædicet quem non prædicaverimus, aut *si* spiritum alterum accipiatis quem non acceperitis, aut Evangelium alterum quòd non receperitis, rectè *illum* toleraveritis.

5 Puto enim, me nihilo inferiorem fuisse illis plùs quam summis apostolis.

6 Quòd si rudis *sum* sermone, non tamen *sum rudis* notitiâ: sed omnino manifesti facti sumus in omnibus apud vos.

7 Num peccavi quum me demitterem ut vos attolleremini? nam gratuitò Evangelium Dei Evangelizavi vobis.

8 Alias ecclesias spoliavi, accepto *ab eis* stipendio, ut vobis inservirem: & quum apud vos essem & egerem, non obtorpui cum cujusquam incommodo.

9 Quod enim me deficiebat, suppleverunt fratres quum venissent è Macedonia: & in omnibus me præstiti vobis minimè onerosum, & præstabo.

10 Est veritas Christi in me, quòd hæc gloriatio non obstruetur in me in regionibus Achaiæ.

11 Quapropter? *an* quòd non diligam vos? Deus novit.

12 Sed quod facio, etiam faciam: ut amputem occasionem iis qui exoptant occasionem, ut in *eo de* quo gloriantur, reperiantur quales & nos.

1 *Utinam toleraretis*] Novum exordium, ex abrupto: continens prolepsin. Quum enim velit prædicare suas laudes ad os obthurandum pseudapostolis: venit ei in mentem, istam gloriationem videri posse stultam, ac proinde omittendam. Hujus objectionis antecedens concedit: sed consequentiam negat: quatenus petit, hanc suam gloriationem à Corinthiis tolerari. Est autem hæc petitio exornata partim exclamatione optativa, partim correctione.

2 *Ambio enim*] Petitionem propositam confirmat, ut ostendat, æquam & justam esse: quia scil. ad gloriationem illam moveatur studio salutis ipsorum: quod exornat eleganti metaphora à zelo paranymphi pro gloria sponsi & salute sponsæ. Corinthiorum igitur ecclesiam comparat sponsæ virgini: Christum verò sponso: se denique paranympho.

3 *Sed metuo*] Quod dixit de Corinthiorum salute & spirituali castitate, id nunc amplificat querelâ de eorundem corruptione per pseudapostolos: quam querelam illustrat exemplo Evæ, seductæ per serpentem, hoc est, diabolum, Gen. 3.

4 *Enimverò*] Hic jam incipit reprehendere pravum Corinthiorum judicium, quo ambitiosos doctores Paulo anteponebant. Monet igitur, se illis (quos εἰρωνικῶς plus quàm summos apostolos nominat) nihilo inferiorem fuisse: quippe quum illi non prædicarint Jesum aliquem, id est, verum salutis authorem, quem non æquè ipse prædicarit: quumque ipsi non acceperint alium spiritum (nempe spiritum fidei) aut aliud Evangelium per illorum ministerium, quàm per suum. Quum igitur in utrisque pares sint honoris causæ: consentaneum est ut & honor utrisque par exhibeatur, ac proinde ambitiosi isti doctores Paulo non præferantur.

6 *Quòd si rudis*] Quod affirmavit de æquali sua cum ambitiosis istis doctoribus præstantia, id hic amplificat prolepsi. Rudis es sermone: non igitur es illis par, quippe qui eloquentiâ excellunt. Apostolus concedit antecedens: sed consequentiam negat, quatenus κατ' ἀντάλλαξιν, per compensationem, ruditati sermonis opponit perfectionem cognitionis: quam in se esse confirmat testimonio experientiæ ipsorum. Cur autem Paulus rudi ac simplici sermone in prædicando Evangelio uti voluerit, causam ipsemet exponit, 1. Cor. 1. v. 17. Interim tamen epistolæ ab eo scriptæ testantur, præditum eum fuisse nativa quadam, ac potiùs divinâ eloquentiâ: etsi à pigmentis illis fucatæ Rhetoricæ consultò abstinuit. Unde B. Augustinus haud immeritò inter tria illa sua vota, etiam hoc optavit, ut Paulum in ore (id est, Evangelium prædicantem) vidisset.

7 *Num peccavi*] Deinceps gloriatur de sua modestia & liberalitate erga Corinthios: & ita obliquè ambitiosorum istorum fastum & avaritiam perstringit, seque illis istarum virtutum ratione anteponit. *Num peccavi*, inquit, scil. in vos. hoc est, Num ideò me contemnitis & ambitiosis istis postponitis, quòd tam humiliter ac modestè me erga vos gessi? Innuit, se ob istam modestiam nequaquam contemnendum aut odio habendum: & hanc sententiam confirmat à causa finali: quia ideò se demiserit, ut ipsi extollerentur, hoc est, ut Christianam fidem adepti, unà cum Christo sederent in cælestibus: ut alibi ait. Porrò huic gloriationi de sua modestia annectit gloriationem de sua erga eos liberalitate, quòd scil. eos docuerit gratis. Quam quidem sententiam superiori ita annectit, ut illam per hanc declaret.

8 *Alias ecclesias*] Quòd dixit de sua erga Corinthios liberalitate, amplificat expositione causarum procreantium: quas exponit duas: unam, quòd ab aliis ecclesiis eò plus stipendii acceperit, ut ne cogeretur à Corinthiis aliquid accipere: alteram, quòd labore manuum sibi victum pararit, ne cui Corinthiorum esset gravis. Vide Act. 18. 3.

9 *Inopiam enim*] Priorem causam declarat exemplo speciali ecclesiarum Macedonicarum: ipsamque gloriationem rursum exponit, amplificatam distributione temporum, præteriti scil. & futuri.

10 *Est veritas*] Posteriorem distributionis partis, videl. gloriationem de tempore futuro, confirmat jurejurando.

11 *Quapropter*] Per prolepsin causam illius sui propositi de quo gloriatur, exponit. Primùm autem removet causam falsam, adhibito jurejurando: hoc versu.

12 *Sed quid*] Hic exponit veram causam propositi & consilii sui, nempe ut pseudapostolis amputet occasionem calumniandi, quasi ex avaritia doceret: & ut eorum hypocrisin convincat.

SECUNDA PARS.

13 Nam istiusmodi pseudapostoli, operarii dolosi sunt, transfigurantes se in apostolos Christi.

14 Neque id mirum. ipse enim Satanas se transfigurat in angelum lucis.

15 Non magnum est igitur, si etiam ejus ministri transfigurant se tanquam *sint* ministri justitiæ: quorum finis erit secundùm opera ipsorum.

16 Rursum dico, ne quis me putet desipientem esse: alioquin vel ut desipientem recipite me, ut paululum quiddam & ego glorier.

17 Quod dico, non dico secundùm Dominum, sed ut desipiens, in præsidente ista gloriatione.

18 Quandoquidem multi gloriantur secundùm carnem: & ego gloriabor.

19 Libenter enim toleratis desipientes, quòd sitis sapientes.

20 Toleratis enim si quis vos in servitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit, si quis extollit sese, si quis vos in faciem cædit.

21 Quantum ad contumeliam, dico: sicuti quòd nos infirmi fuimus: imò in quocunque audaciâ uti velit aliquis, (ut desipiens loquor) audaciâ velim uti & ego.

13 Deinceps hypocrisin pseudapostolorum describit, per tres versus.

14 *Neque id mirum*] Quod de pseudapostolis dixit, eos transformare se in apostolos Christi, id hic per prolepsin probat à minori, ab exemplo Satanæ. Cujus enthymematis antecedens continetur hoc versu.

15 *Non magnum*] Sequitur enthymematis instituti consequens. Cui annectit comminationem: Quorum finis, inquit, erit secundùm opera eorum: hoc est, Qui tandem à Deo propter suam hypocrisin punientur.

16 *Rursum dico*] Repetit sententiam exordii versu primo propositam: rursumque occurrit suspicioni κενοδοξίας, quæ oriri poterat ex sequente gloriatione.

18 *Quandoquidem*] Propositio sequentis gloriationis.

19 *Libenter*] Ratio propositionis, figurata ironia sub acerba.

20 *Toleratis*] Declaratio rationis: ubi perstringit Corinthiorum simplicitatem in tolerandis injuriis pseudapostolorum.

21 *Quantum ad*] Pergit in declaratione rationis: & repetit propositionem sequentis gloriationis.

TERTIA PARS.

22 Hebræi sunt? *sum* & ego. Israëlitæ sunt? *sum* & ego. semen Abrahæ sunt? *sum* & ego.

23 Ministri Christi sunt? (desipiens loquor) supero ego: in fatigationibus ampliùs: in plagis supra illos: in carceribus ampliùs: in mortibus sæpe.

24 A Judæis quinquies accepi quadragenas *plagas*, unâ minus.

25 Ter virgis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi.

26 In itineribus sæpe *fui*, *in* periculis fluminum, periculis latronum, periculis à *meis* gentilibus, periculis à Gentibus, periculis in civitatibus, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis inter falsos fratres:

27 In fatigatione & ærumna, in vigiliis sæpe, in fame & siti, in jejuniis sæpe, in frigore & nuditate.

28 Absque iis quæ extrinsecus *eveniunt*, *urget* agmen illud in me quotidie consurgens, *id est*, solicitudo de omnibus ecclesiis.

29 Quis affligitur, quin ego affligar? quis offenditur, quin ego urar?

30 Si gloriari oporteat, de iis quæ infirmitatis meæ *sunt*, gloriabor.

31 Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, laudandus in sæcula, novit, me non mentiri.

32 Damasci, gentis præfectus, nomine Aretæ regis, præsidio

præsidio tenebat Damascenorum urbem, cupiens me prehendere:

33 Sed per fenestram in corbe fune demissus fui per mœnia,& ejus manus effugi.

Deinceps gloriationem texit, comparans sese cum pseudapostolis illis, id est, ambitiosis Corinthiorum doctoribus, partim ut parem dignitate generis, v.22. partim ut superiorem, videlicet in fungendo ministerio Evangelii, v.23. & deinceps usque ad finem capitis.

23 *Ministri Christi*] Hîc quatuor rerum genera exponit, quibus antecellat.

24 *A Judæis*] Hîc genera illa declarat per exempla specialia, quæ sola numeri indicatione notat.

26 *In itineribus*] Hic enumerat varia genera periculorum, quæ in suo ministerio expertus sit.

27 *In fatigatione*] Hic exponit genera quædam molestiarum.

28 *Absq; iis*] Annectit singulare genus molestiæ, videl. solicitudinem de omnibus ecclesiis.

29 *Quis affligitur*] Concludit generali sententia per collationem parium.

30 *Si gloriari*] Annectit exemplum speciale periculi quod expertus fuit in urbe Damasco: in cujus exempli expositionem hic præfatur.

31 *Deus*] Expositionis hujus veritatem confirmat jurejurando.

32 *In urbe*] Hîc rem ipsam exponit: indicans locum ubi istud periculum sit expertus: deinde periculi authorem; tum instrumenta seu ministros: postea ipsam periculi formam, hoc versu. Postremò eventum, nempe evasionem, quomodo è periculo isto evaserit, v.ult.

SCHOLIA IN CAP. XI.

1 Utinam toleraretis me paulisper quod ad desipientiam *attinet*] ὄφελον ἠνείχεσθέ μου μικρόν τι τῆς ἀφροσύνης. *Alii, Utinam toleraretis paulisper desipientiam meam. eodem sensu. Veruntamen pronomen* μου *non pendere à nomine* ἀφροσύνης, *sed à verbo* ἠνείχεσθε; *liquet ex sequente correctione,* ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου. *Ergo ad* τῆς ἀφροσύνης *subaudiendum est* ἕνεκα: *& sic exponendum ut fecimus. Porrò desipientiæ nomine intelligit gloriationem seu prædicationem laudum suarum: per metonymiam efficientis. nam gloriatio & suiipsius prædicatio ferè ex insipientia & stulta ambitione seu* κενοδοξίᾳ *proficiscitur.*

5 Illis plus quàm summis apostolis] τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων. *Ad verb. Illis super nimis apostolis: id est, qui plusquam nimis videntur esse apostoli. Ironia qua perstringit vanam tum illorum de seipsis, tum Corinthiorum de illis persuasionem.*

7 Nam] ἤ. *Apostolus his verbis declarat sententiam præcedentem, quomodo se demiserit apud Corinthios. Quod ut intelligeretur: interrogationis signum ab hac sententia removimus: & conjunctionem* ὅτι *vertimus*, Nam: *ut qua posita sit non* εἰδικῶς, *sed αἰτιολογικῶς, vel potiùs δηλωτικῶς. Nam si εἰδικῶς posita sit: non erit satis congrua syntaxis. Dicendum enim potiùs fuisset,* καὶ δωρεὰν εὐαγγέλιον εὐηγγελισάμενος: *quia præcessit* ταπεινῶν: *aut certè sic,* ὅτι ἐταπείνωσα καὶ ὅτι εὐηγγελισάμην. Gratuito] *Non accipiens à vobis stipendium, sed labore manuum mearum victum quærens: quæ certè insignis fuit animi demissio.*

8 Spoliavi] ἐσύλησα. *Grandis metaphora, quam mox declarat.* Ut vobis inservirem] πρὸς τὴν ὑμῶν διακονίαν. *Sententia perspicuè expressa. Ad verb. Ad ministerium vestrum vel vestri, hoc est, quo vobis inservitum fuit à me.*

9 Fratres, quum venissent] *Nomine fratrum intelligendi socii ministerii Pauli de quibus sup.9.3.8.16. & deinceps.*

10 Est veritas Christi in me, quod &c.] *Hoc est, Quàm verè in me est Christi veritas, tam verè sic affectus sum, ut nolim gloriationem hanc obstrui. vel, Ne censeatur in me esse Christi veritas, nisi ita affectus sum, ut nolim &c.* Hæc gloriatio non obstruetur in me] ἡ καύχησις αὕτη οὐ φραγήσεται εἰς ἐμέ. *Pro,* ἐν ἐμοί. *Videtur enim esse metonymia effecti. Pro, Os non obstruetur in me quò minùs glorier de hac re.*

11 Deus novit] *Scilicet quòd diligam vos. Est & hæc quædam jurisjurandi formula. q.d. Deum καρδιογνώστην testor, vos à me diligi.*

14 Angelum lucis] *Id est, qui habitat in cælesti luce: sicut diaboli habitant in infernalibus tenebris, aut certè habitaturi sunt post Domini adventum, 2.Pet.2.4. Judæ.v.6. Sic Luc.16.8. dicuntur filii lucis, qui luci illi cælesti fruendæ destinati sunt.*

15 Finis] τέλος. *Id est, merces: quæ est finis operis, id est, quæ datur opere peracto. Synecd. generis. vel metonymia subjecti Hebræa. Sic 1.Pet.1.v.9. Reportantes finem fidei vestræ.*

16 Dico] λέγω. *Id est, peto. Synecd. generis.* Ne] μή. *Pro,* ἵνα μή. *quia sequitur* δόξῃ, *verbum subjunctivi modi.* Alioquin] εἰ δὲ μήγε. *Vel, Sin minùs.* Accipite] δέξασθε. *Id est, tolerate, ut dixit sup.v.1.* Rursum] πάλιν. *Scilicet ut feci sup.v.1.*

17 Secundùm Dominum] κατὰ κύριον. *Id est, tanquam profectum à spiritu Domini: si scil. consideretur in sese. nam Spiritus S. non docet nos gloriari de dotibus nostris.*

19 Quod sitis] ὄντες. *Vel, Quum sitis. Est autem ironia.*

22 Hebræi sunt? *sum & ego*] *Interrogatio cum subjecta responsione vim habet enuntiati connexi: Si Hebræi sunt (hoc est, si jactant se Hebræos esse) sum & ego, id est, sciant vel cogitent, me quoq; Hebræum esse. Sic in sequentibus.*

23 Ampliùs] *Scil. fui, sic deinceps.* In plagis] ἐν πληγαῖς. *Vel, in verberibus. Puto Apostolum intelligere plagas, quarum exempla affert versu sequente.* In mortibus] *Sic per metonymiam effecti hyperbolicam nominat gravissima ac præsentissima mortis pericula. Sic sup.1.10.*

31 Deus novit &c.] *Jurisjurandi formula.*

33 Fune demissus fui] ἐχαλάσθην. *Nomen* Fune *additum est ad exprimendum vim verbi Græci: ut & factum est Marc.2.4. item Actor.9.25.*

OBSERVAT. EX CAP. XI.

1 Ex parte prima & tertia. Quum postulat utilitas auditorum, minister Verbi commemorare apud eos debet quæ pertinent ad ministerii sui commendationem: exemplo Pauli. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex v.2. & 3. Ministri Verbi elaborare debent ut Ecclesiam adducant Christo sponso suo tanquam virginem puram, id est, præditam vera fide ac dilectione Christi. *Ministri verbi Dei.*

3 Ex v.12. Minister Verbi occasionem calumniandi malevolis, quoad potest, præcidere debet. *Ministri verbi Dei.*

4 Ex secunda parte. Minister Verbi hypocrisin falsorum doctorum apud Ecclesiam detegere debet, ut possit illos cavere. *Ministri verbi Dei.*

5 Ex v.23. & deinceps. Tantùm abest ut pudere nos debeat ignominiarum & injuriarum quas perpessi sumus propter confessionem doctrinæ Christianæ, ut debeamus etiam, quum gloria Dei & ædificatio proximi postulat, de illis gloriari. *Confessio fidei.*

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Pergit in instituta gloriatione, & exponit eximiam quandam visionem, quondam à Domino sibi oblatam: usq; ad v.7. Deinde commemorat singularem quandam tentationem qua subinde à Satana vexetur: à v.7. usq; ad 11. Tertiò gloriationem factam excusat, eâq; occasione Corinthiis ingratitudinem exprobrat, ac rursum de sua erga eos liberalitate & amore ardentissimo gloriatur: à v.11. usq; ad 16. Quartò refellit calumniam avaritiæ occultæ & astutæ: à v.16. usq; ad 20. Postremò objurgat eos propter quædam peccata; minaturq; eis præsentiæ suæ severitatem, nisi ante adventum ejus resipuerint. duobus postremis versibus.

PRIMA PARS.

Gloriari sanè non expedit mihi, veniam enim ad apparitiones & revelationes Domini.

2 Novi hominem, per Christum, ante annos quatuordecim, (an in corpore, nescio: an extra corpus, nescio: Deus novit) raptum in tertium usq; cælum.

3 Et novi hujusmodi hominem (an in corpore, an extra corpus, nescio: Deus novit.)

4 Raptum fuisse in paradisum, & audisse ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui.

5 Super ejusmodi *homine* gloriabor: de me ipso verò non gloriabor, nisi ex infirmitatibus meis.

6 Nam si voluero gloriari, non ero desipiens: veritatem enim dicam: sed parcè loquor, ne quis de me cogitet supra *id* quod videt *esse* me, aut *quod* audit ex me.

1 *Gloriari sanè*] Transitio amplificata prolepsi: Quanquam non expedit mihi gloriari de eximiis illis rebus, quibus me dignatus est Deus, nempe de visionibus & revelationibus: tamen gloriabor; quum scilicet vestra salus id postulet. Sed cur dicit, Gloriari non expedire sibi? Hoc declarat infrà v.7. unde intelligitur, recordationem tam excellentium revelationum conjunctam fuisse cum periculo superbiæ.

2 *Novi*] Hîc exponit visionem, loquens de se ipso in tertia persona modestiæ causâ, & visionis excellentiam describens ex ignoratione formæ seu modi. Versu 3. repetit eandem sententiam; Versu 4. exponit adjunctam visioni revelationem; Versu 5. addit epiphonema & apodioxin; Versu 6. adjungit rationem ἀνθυποφορικῶς per prolepsin.

SECUNDA PARS.

7 Et ne excellentia revelationum supra modum efferrer, datus est mihi surculus infixus carni, *nempe* angelus Satanæ, ut me colaphis cædat, ne supra modum efferar.

8 Super hoc ter Dominũ rogavi, ut abscederet à me.

9 Sed dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; nam potentia mea per infirmitatem ad finem suum adducitur. Libentissimè igitur gloriabor potiùs de infirmitatibus meis, ut inhabitet in me potentia Christi.

10 Propterea oblector in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustiis pro Christo: quum enim infirmus sum, tunc potens sum.

Commemorat singularem tentationem à Satana: & primùm ejus causam, videl. in quem finem seu quo consilio Deus istam tentationem ei immittat: deinde ipsam tentationis formam: tum finem repetit. Versu 8. exponit quomodo se in hac tentatione gesserit: quodque remedium illius quæsierit, ut ea liberaretur. Versu 9. narrat, quid suo conatui evenerit. hoc est, quid responsi à Domino cujus opem implorarat, acceperit. Recitat autem responsum per mimesin, constans recusatione & recusationis ratione. Cui subjungit πόρισμα, quo docet, cur malit gloriari in suis infirmitatibus, quàm in revelationibus divinis. Versu 10. annectitur expolitio sententiæ proximæ, continens infirmitatum quarundam commemorationem.

TERTIA PARS.

11 Fui desipiens in gloriando: vos me coëgistis. nam ego debueram à vobis commendari: nulla enim in re inferior fui illis plùs quàm summis apostolis, tametsi nihil sum.

12 Indicia quidem apostoli edita sunt apud vos cum omni tolerantia, per signa & prodigia & virtutes.

13 Nam quid est in quo fueritis inferiores cæteris ecclesiis, nisi quòd ego ipse non obtorpui cum vestro incommodo? Condonate mihi hanc injuriam.

14 Ecce, tertiò paratus sum venire ad vos, nec cum vestro incommodo obtorpescam. non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. non enim debent filii parentibus thesauros congerere, sed parentes filiis *thesauros congerunt.*

15 Ego verò libentissimè sumtum impendam, & expendar pro animabus vestris: etiamsi abundè vos diligens, minùs diligar.

Gloriationem factam excusat, quod fecerit coactus à Corinthiis: quod ipsum mox declarat, quia ipsi debuerant Apostolum commendare. Latet hic syllogismus disjunctus:

Necesse fuit ut aut vos me commendaretis, aut ego ipse.
At vos non commendastis me.
Ergo necesse fuit ut ego me ipse commendarem.

Rursus autem sese cum ambitiosis Corinthiorum doctoribus comparat: & suum apostolatum ex effectis in ecclesia Corinthiorum commendat. Versu 13. sententiam proximam illustrat collatione similium: & mox per correctionem excipit aliquid dissimile, quòd videlicet non acceperit ab eis stipendium. Versu 14. sententiam proximam amplificat collatione similis suæ voluntatis in tempore futuro. Cujus suæ voluntatis expositionem illustrat oppositione diversorum: & confirmat pulchra gnoma de officio parentum erga liberos. Versu 15. voluntatem istam suam amplificat collatione majoris, videlicet ardentissimi sui amoris erga ipsos: cujus expositionem amplificat oppositionem diversorum.

QUARTA PARS.

16 Sed esto, ego vos non gravavi: sed quòd sim callidus, dolo vos cepi.

17 Num per quenquam eorum quos misi ad vos, quæstui vos habui?

18 Precatus sum Titum, & cum eo misi fratrem. num aliqua in re vos quæstui habuit Titus? nónne eodem spiritu incessimus? nónne iisdem vestigiis?

19 Rursum putatis quòd nos vobis excusemus? In conspectu Dei, per Christum loquimur: omnia autem hæc, charissimi, pro vestri ædificatione.

Refellit calumniam astutæ expilationis. Primùm autem exponit adversariorum objectionem. Deinde vers. 17. & 18. innocentiam suam demonstrat ipsorum confessione: quam innuit interrogando. Versu 19. per prolepsin docet, in quem finem seu quo consilio innocentiam suam & integritatem tam solicitè apud eos defendat.

QUINTA PARS.

20 Nam metuo ne quo modo, quum venero, non quales velim reperiam vos, & ego reperiar vobis qualem nolitis: ne quo modo *sint* lites, æmulationes, excandescentiæ, rixæ, obtrectationes, susurri, tumores, tumultuationes:

21 Ne me, postquam iterum venero, deprimat Deus meus apud vos, & lugeam multos eorum qui antè peccarunt, nec resipuerunt super impuritate & scortatione & protervià quam patrârunt.

Objurgat eos propter quædam peccata, suæque præsentiæ severitatem eis minatur. Præmittit autem sententiam generalem: quam deinde per species declarat. Est autem sententia duplex: una de Corinthiis, altera de sese. *Ne quo modo sint*] Declaratio prioris sententiæ. *Ne iterum*] Declaratio posterioris sententiæ. *Qui antè peccarunt*] Redit ad priorem sententiam.

SCHOLIA IN CAP. XII.

1 Gloriari sanè &c.] *Lectionem, quam sequitur D. Beza, genuinam existimo. Est enim transitio ad novum gloriationis genus: cujus sententiæ cohærent per enuntiatum discretum, q.d. Quanquam gloriari mihi non expedit, tamen gloriari pergam, & commemorabo visiones & revelationes Domini.* Veniam enim] ἐλεύσομαι γὰρ. *Conjunctio rationalis non refertur ad totam sententiam præcedentem: sed tantùm ad verbum Gloriari, idq; per quandam prolepsin. Quum enim dicit, Gloriari sanè non expedit mihi, innuit sese porrò gloriaturum. quærere ergo aliquis poterat, Et quânam de re vis deinceps gloriari? Respondet, Gloriabor de visionibus quibus Dominus me dignatus est.* Apparitiones] ὀπτασίας. *Discrimen est inter ὀπτασίας, id est, apparitiones, & ὁράματα, id est, visiones. quippe illæ citra ecstasin fiunt: qualis erat apparitio angelorum facta mulieribus ad sepulchrum Domini post ejus resurrectionem: hæ verò per ecstasin fiunt: qualis fuit visio Petri in Actis.*

2 Per Christum] ἐν Χριστῷ. *Id est, cujus meæ affirmationis testem invoco Christum. Sic accipitur præpositio ἐν, ad notandum videl. juramentum, Matth. 5. v. 34. 35. 36. & Rom. 9. v. 1.* In tertium usque cælum] *Nempe in quo Christus est, & beati angeli atq; animæ defunctorum. quod mox v. 4. appellat paradisum.*

4 Audisse] *Nempe à Christo.*

5 Surculus infixus carni] *Sunt qui putent Paulum hac metaphora notare stimulos libidinis. Sed si hi molesti ei fuissent, duxisset uxorem: quippe quum hoc remedium aliis præceperit 1. Cor. 7. v. 9.* Angelus Satanæ] ἄγγελος Σατᾶν. *Pro, τοῦ Σατᾶν sive Σατανᾶ. Id est, malus aliquis spiritus à Satana seu Diabolo emissus. Sic Christus quoq; nominat angelos Diaboli Matth. 25. v. 41.* Ut me colaphis cædat] *Sitne hoc propriè intelligendum, an per metaphoram aut synecdochen de pudefactione: quis certò affirmet? Sanè id quod subjungit, se rogasse ut abscederet à se ille angelus: favet propriæ acceptioni.*

9 Sed dixit] καὶ εἴρηκε. *Pro, ἀλλ' εἴρηκε. nam est antithesis.*

10 Infirmus] *Nempe quod ad meas vires attinet.* Potens] *Nempe quod ad vires à Christo suppeditatas.*

11 Vos] *Id est, Sed vos.* Me coëgistis] *Scil. gloriari.*

13 In quo] ὅ. *Id est, καθ' ὅ.* Fueritis inferiores cæteris ecclesiis] ἡττήθητε ὑπὲρ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας. *Ad verb. Succubueritis supra cæteras ecclesias, id est, plùs quàm cæteræ ecclesiæ. Vulg. Præ cæteris, judicans (ut opinor) præpositionem ὑπὲρ hoc loco respondere Hebræorum præpositioni* מִן *min.* Condonate] *Ironia.*

17 Eorum quos misi] ὧν ἀπέσταλκα. *Pro, ἐκείνων οὓς ἀπέσταλκα.*

19 Per Christum] ἐν Χριστῷ. *Ut suprà v. 2.* Omnia autem hæc] *Repete* ἀπὸ κοινοῦ, loquimur.

20 Tumultuationes] ἀκαταστασίαι. *Sup. 6. 6. vertimus* exagitationes. *Sed illic suas ærumnas commemorat, hic vitia Corinthiorum.*

21 Quam patrarunt] ᾗ ἔπραξαν. *Pro, ἐκείνῃ ἥν.*

OBSERVAT. EX CAP. XII.

1 Ex tribus primis partibus. Redit hîc observatio annotata in principio capitis præcedentis.

2 Ex v. 2. & 4. Observandum, in Scriptura proponi triplex cælum: vid. cælum *a* in quo volant aves, quod aliâs nominatur aër: & cælum *b* in quo hærent stellæ, quod nominari solet firmamentum: & denique cælum quod hoc loco Paulus ab ordine & situ appellat tertium, & à felicitate incolarum idem nominat paradisum. Degunt enim in illo beati *c* angeli, & beatæ *d* animæ hominum in fide Christi de mortuorum, nec non ipse *e* Christus: & *f* corpora quoq; piorum in die universalis illius judicii in illud transferentur, ut sint cum Domino.

Cælum. a Matt. 6. 26. b Matth. 24. 29. c Matt. 18. 10. d Luc. 16. 22. Phil. 1. 23. e Act. 3. 21. Phil. 3. 20. Col. 3. 1. f Matth. 25. v. ult. 1. Thess. 4. 17.

3 Ex v. 6. Cavere debet minister Verbi, ne nimis magni fiat ab auditoribus: ac proinde auditores quoque cavere debent ne doctores suos nimis magni faciant. quòd utinam hodie perpenderent quidam, qui in nomine Lutheri gloriantes, idolum ex illo faciunt. *Ministri verbi Dei.*

4 Ex v. 7. & 8. Quum Deus singulari aliqua cruce nos invisit atque exercet: statuamus, eum id facere nostro bono, videl. ut nos contineat in vera humilitate, ne donis nostris efferamur: & sufficiat nobis gratia ipsius. *Crux.*

5 Ex v. 14. Ad officium parentum pertinet, ut thesauros congerant filiis: id est, ut de bonis suis quæ ex Dei benedictione per labores suæ vocationis acquisiverint, aliquid comparcant & asservent liberis suis: unde illi alantur si parentibus fuerint orbati, aut unde dotentur matrimonium contracturi. Sed interim meminisse debent, præcipuum thesaurum esse cælestem illum qui consistit in vera cognitione Dei ex ipsius verbo hausta. Hunc igitur in animis liberorum quotidie singulari *Officium parentum.*

singulari

gulari cura recondant. Confer 1. Timoth. 5. v. 8. & Matth. 6. v. 19. 20. 21.

Ministri verbi Dei. 6 Ex quarta parte. Opera danda est ministro Verbi, ut possit, si necessitas postulet, gloriari apud auditores de sua sinceritate atque integritate.

Ministri verbi Dei. 7 Ex quinta parte. Minister Verbi lugere debet, quum videt auditores suos non resipiscere. Interim verò severè illos debet objurgare, ut ad resipiscentiam eos adducat.

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

Primùm repetit comminationem suæ severitatis, ejusque rationem exponit, contrariamque objectionem refutat, usque ad v. 7. Deinde comminationem istam mitigat optatione & propositi conatusque sui expositione, à v. 7. usque ad 11. Postremò concludit epistolam partim cohortatione ad virtutes Christianas, partim salutatione.

DE PRIMA PARTE.

Tertiâ hac vice venio ad vos. Ex ore duorum testium aut trium firmum erit omne verbum.

2 Prædixi & secundò prædîco, ut præsens & absens nunc scribo iis qui antè peccârunt, & reliquis omnibus, fore ut, si denuò venero, non parcam.

3 Quandoquidem experimentum quæritis in me loquentis Christi; qui erga vos non est infirmus, sed potens est in vobis.

4 Nam etsi crucifixus fuit ex infirmitate, vivit tamen ex potentia Dei. nam & nos infirmi sumus cum eo; sed vivi erimus cum eo, ex potentia Dei apud vos.

5 Vos ipsos tentate an sitis in fide, vos ipsos probate, annon agnoscitis vosmetipsos, *videl.* Jesum Christum in vobis esse? nisi reprobi estis.

6 At spero fore ut cognoscatis, nos non esse reprobos.

Severitatis causas exponit duas: unam, quod eos jam bis præmonuerit, v. 1. 2. alteram, quòd ipsi eum tentent, v. 3. & 4. ubi continetur objectio: Tu es infirmus, id est, humilis & contemtibilis: Ergo non audebis esse severus erga nos. Respondet partim negatione antecedentis, quatenus negat, Christum per suum ministerium fuisse infirmum erga ipsos; partim distinctione: Etsi sum infirmus ut homo, tamen sum potens ut minister Christi. Hoc consectarium confirmat à pari in exemplo Christi: qui etiam fuit infirmus secundùm humanitatem: sed potens secundùm deitatem, v. 5. Negationem antecedentis probat testimonio experientiæ Corinthiorum, ad quam provocat. Eamque confirmat à consequente absurdo: quod v. 6. illustrat antithesi.

DE SECUNDA PARTE.

7 Opto autem à Deo, ne quid mali faciatis: non ut nos probati comperiamur, sed ut quod honestum est, faciatis, nos verò velut reprobi simus.

8 Non enim possumus quicquam adversus veritatem, sed pro veritate.

9 Gaudemus enim quum nos infirmi sumus, vos autem validi estis: hoc autem etiam optamus, vestram *videlicet* instaurationem.

10 Propterea hæc absens scribo, ne præsens severitate utar, ex potestate quam dedit mihi Dominus ad ædificationem, ac non ad destructionem.

Optat eis resipiscentiam & emendationem: & per prolepsin rationem suæ optationis exponit: quam v. 8. confirmat à generali sua consuetudine & proposito agendi. V. 9. repetit optationem. V. 10. amplificat optationem expositione sui consilii, cur severitatem eis comminetur.

DE TERTIA PARTE.

11 Quod superest, fratres, valete, instauramini, consolationem habete, idem sentite, in pace agite: & Deus charitatis ac pacis erit vobiscum.

12 Salutate alii alios sancto osculo. Salutant vos sancti omnes.

13 Gratia Domini Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti *sit* cum omnibus vobis. Amen.

Cohortatur eos ad virtutes Christianas: Deinde salutat eos.

SCHOLIA IN CAP. XIII.

1 Verbum] ῥῆμα. *Id est, negotium. Hebraismus.*

5 Nisi reprobi estis] εἰ μή τι ἀδόκιμοί ἐστε. *Quasi dicat: Si Christus non esset in vobis, posteaquam ille vobis tam fideliter à me est prædicatus: id esset argumento, vos esse reprobos, non autem à Deo electos ad vitam æternam. At hoc nequaquam debetis statuere. Ergo debetis agnoscere, Christum esse in vobis; & per consequens, me esse verum Christi apostolum.*

6 Nos non esse reprobos] *Id est, me tam fideliter Christo servire, ut aliud statuere non possitis quàm me esse electum, ac proinde in pretio à vobis habendum.*

11 Deus charitatis ac pacis] ὁ Θεὸς τῆς ἀγάπης καὶ εἰρήνης. *Scil. author. phrasis Hebræa.*

OBSERVAT. EX CAP. XIII.

1 Ex parte prima & secunda. Minister Verbi, quum videt postulare ita necessitatem, auditores suos severè objurgare debet: atque interim tamen debet dare operam ne cogatur esse severus: exoptando videl. illis resipiscentiam à Deo. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex v. 3. & 4. Ministri Verbi contra conscientiam infirmitatum suarum consolentur sese consideratione efficaciæ Christi quam exserit per ministerium ipsorum. *Ministri verbi Dei.*

3 Ex v. 5. Qui fide in Christum donati sunt, inde sciant, se esse electos. nam reprobis fides non datur, sed illi doctrinæ Evangelii pertinaciter sese opponunt, neque unquam eam ex animo amplectuntur. *Fides.*

4 Ex tertia parte. Minister Verbi auditores suos exhortari debet ad virtutes Christianas: eisque gratiam Dei exoptare. *Ministri verbi Dei.*

SOLI DEO GLORIA.

ANALYSIS LOGICA

SEX EPISTOLARUM PAULI,

Videlicet ad { Galatas. Ephesios. | Philippenses. Colossenses. }

Utriusque ad Thessalonicenses.

UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS LOCORUM DOCTRINÆ.

ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO, DOMINO CUNRADO, COMITI IN SOLMS, DOMINO IN MYNTZENBERG ET SONNENWALD, Dn. SUO CLEMENTISSIMO.

ILLUSTRIS *ac generose domine Comes, domine clementissime; Cœpi nuper hortatu amicorum & studio benemerendi de Ecclesia in lucem edere analyses meas logicas epistolarum Pauli, quas hactenus auditoribus meis in schola Herbornensi exposui: nunc telam feliciter inchoatam iisdem rationibus motus pergo pertexere. Itaq; post editas analyses epistolæ ad Romanos & utriusq; ad Corinthios, nunc sex proxime-sequentium epistolarum analyses divulgo: longiùs enim in schola nondum sum progressus. Est autem quæ doctrinæ in singulis istis epistolis contineantur, ipsæ analyses accuratè ostendunt: tamen præcipuas illarum hic quoq; delibare visum est, ut principale voluminis hujus argumentum in conspectu ponatur.*

Fides & bona opera. *Quemadmodum in cæteris plerisque, ita in his quoq; sex epistolis, duo potissimùm doctrinæ Christianæ capita ab Apostolo tractantur; videlicet fides & bona opera: cujus utriusq; recta cognitio, & seria praxis, ad salutem æternam unicuiq; necessaria est. Nam etsi nec propter fidei dignitatem, nec propter operum merita cuiquam vita æterna confertur: tamen illam consequitur nemo, nisi & verâ fide meritum Christi in Evangelio oblatum apprehendat, & serio studio pietatis tanquam veræ fidei fructu suam erga* DEUM *gratitudinem testetur.*

Fides. Justificatio. *Ac de fide quidem constans & perpetua Apostoli doctrina est, illa hominem justificari, hoc est, à Deo remissis homini peccatis propter satisfactionem Christi, justum eum censeri ac pronuntiari: quatenus nimirum satisfactio Christi, quâ ille pro electis satisfecit justitiæ Dei, luendo pœnam peccatis illorum debitam, credenti unicuiq; ad justitiam imputatur; ita ut quicunq; Evangelio credit, hoc ipso nomine justus à Deo censeatur, quia per fidem apprehendit sibiq; applicat seu appropriat illam Christi satisfactionem, tanquam pro se non minùs quàm pro aliis electis omnibus ac singulis præstitam. Quam quidem fidei naturam atq; ingenium* vers.20. *Apostolus in suo ipsius exemplo clarissimè exprimit, quum ad Gal.2. ait,* Vivo per fidem filii DEI: qui dilexit ME, & tradidit semetipsum pro ME. *Utiq; Christus non solùm Paulum dilexit, nec pro illo solo sese in mortem tradidit: sed dilexit omnes à Patre sibi datos, proq; illis omnibus sese Patri obtulit, sicut ipsemet docet Johan.17. Verum Paulus beneficium Christi omnibus electis commune, sibi privatim per fidem applicat. Nec verò solùm docet, hominem justificari hâc fide; sed justificari illum asserit eâ fide solâ, id est, absq; ullo merito operum Legis. Huc pertinēt verba illa quibus narrat, se usum esse in reprehendendo Petro, quum videret, illum Antiochiæ non recto pede incedere, ut veritati Evangelii congruebat: quippe qui in gratiam quorundam Judæorum, à Gentibus, cum quibus ante illorum adventum ederat, sese subducebat: atq; ita simulabat, se adhuc observare discrimen ciborum in Lege præceptum, quasi illud non jam esset per Christum sublatum, & quasi observatio Legis ad justitiam homini comparandam esset ne-* Gal.2. vers. 14.15.16. *cessaria. Petro igitur ita claudicandi Paulus coram omnibus dixit:* Si tu quum sis Judæus, gentiliter vivis, ac non Judaicè: cur Gentes cogis judaizare? *tum addit:* Nos naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores scientes, non justificari hominem ex operibus Legis, id est, nisi per fidem Jesu Christi: etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: propterea quòd non justificabitur ex operibus Legis ulla caro. ver.6.7.8.9. *Deinde cap.3. exemplum Abrahami tanquam patris credentium inducit:* Sicut Abraham *(inquit)* credidit Deo, & imputatum est ei ad justitiam. Nostis igitur, eos qui ex fide sunt, esse filios Abrahæ. Providens autem Scriptura, Deum vers.22. ex fide justificaturum Gentes, ante-evangelizavit Abrahæ, Benedicentur, inquiens, in te omnes Gentes. Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli illo Abraham. *Et rursum paulò pòst;* Conclusit Scriptura omnia sub pec- vers.10. catum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. *Porrò hominem non justificari ex Lege, probat his argumentis: quia quum nemo maneat in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis ut ea faciat, fit ut omnes per Legem maledicantur & con-* vers.11.12. *demnentur: deinde, quia propheta Habakuk testatur, justum victurum ex fide: Lex autem non est ex fide, sed promissio Legis sic* vers.18. *sonat, Qui fecerit ea homo, vivet per ipsa. Præterea,* Si ex Lege est hæreditas, non jam ex promissione, *(nempe promissione* vers.21. *gratuitâ:)* Abrahæ verò per promissionem donavit Deus hæreditatem. *Item,* Si data fuisset Lex quæ posset vivificare, *(id est, cordibus vires ad Legem perfectè præstandum infundere)* verè ex lege esset justitia. *Atq; hæc & id genus alia de ju-* Cap.2.v.8. & 9. *stificatione fidei habentur in epistola ad Galatas. Iis consentanea traduntur in cæteris quoq; epistolis: ut ad Ephesios.* Gratiâ estis servati, *(inquit)* per fidem, *(id*que non ex vobis: Dei donum est*)* nō ex operibus: ne quis glorietur. *Sic ad Philippenses* Cap.3.v.8.9. *ait:* Certè duco omnia damnum esse, propter eminentiam cognitionis Christi Jesu Domini mei: propter quem omnibus istis *(nempe prærogativis Judaicis paulò-antè commemoratis)* me ipsum multavi, eaque duco pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam: & comperiar in eo, non habens meam justitiam, nempe quæ est ex Lege: sed eam Cap.1. v.21. 22.23. quæ per fidem est Christi, id est, justitiam quæ est ex Deo per fidem. *Sic in epistola ad Colossenses:* Vos, *inquit,* quondam abalienatos & hostes, mente operibus malis intentâ, nunc sanè reconciliavit in corpore illo carnis suæ per mortem: ut sisteret vos sanctos & irreprehensos & inculpatos coram se: siquidem permanetis in fide fundati & firmi. *Atq;* Justificationis causa meritoria. *hæc de præclaro illo fidei effecto, videlicet justificatione coram Deo. In qua doctrina illud diligenter notandum est, Quænam sit illa res quæ nobis per fidem ad justitiam imputatur: nam justitiam fidei imputativam esse, non autem infusam aliquam atq; inhærentem qualitatem, ex verbis Apostoli ad Rom.4.v.6.7.8. manifestum est, ubi ait:* Ei verò qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam; sicut etiam David pronuntiat beatum eum hominem, cui Deus

cui Deus imputat justitiam absque operibus, dicens: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta
sunt peccata: beatus vir, cui non imputarit Dominus peccatum. *Quum igitur justitia fidei imputativa sit, quæritur,*
Quænam sit propriè illa res quæ nobis per fidem ad justitiam imputatur? Hanc rem Apostolus esse docet satisfactionem Christi,
nempe obedientiam illam passionis ac mortis Christi, quâ Patri obediens factus usq; ad mortem crucis, pro nostris peccatis judicio
ipsius satis fecit, luendo scil. pœnam nobis debitam. Hac enim obedientia peccata nostra expiata sunt, nobisq; remissio illorum, in
qua justitia illa imputativa consistit, à Deo impetrata est. Hoc intelligitur ex verbis illis quæ exstant in epistola ad Gal. ubi ait: Cap.3.v.13. & 14.
Christus redemit nos ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio: Scriptum est enim, Exsecrabilis omnis qui pendet in ligno: ut in Gentibus benedictio Abrahæ exstet in Christo Jesu, & ut promissum illum
spiritum accipiamus per fidem. *porrò fidei hujus justificantis naturam declarat etiam ex aliis quibusdam effectis: ut fiduciâ,* Fidei effecta.
spe, charitate, tolerantiâ crucis. De fiducia & spe sic loquitur ad Gal. Nos, inquit, spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus.
I.e. Nos virtute Spiritus sancti in Christum credimus. & per hanc fidem justi sumus, ac proinde vitam æternam justis promissam Cap.5.v.5.
spe exspectamus. Sic ad Ephesios ait, Nos in Christo habere libertatem & aditum cum fiducia, per fidem ipsius. De charitate ait ad Cap.3.v.12.
Galatas, Fidem per charitatem operari seu efficacem esse. nam qui verè credit ac certò persuasus est, sese indignum tot ac tantis be- Cap.5.v.6.
neficiis à Deo per Christum esse affectum, is fieri non potest quin Deum diligat, & proximum quoq; propter Deum. Similiter cha-
ritatem cum fide conjungit in priore ad Thessalonicenses, nec non tolerantiam crucis: quum ait, se indesinenter memoriâ repetere Cap.1.v.3.
efficacem ipsorum fidem, & laboriosam charitatem, & tolerantem illam spem in Domino nostro Jesu. Ac de tolerantia crucis rur- ver.6.
sus paulò pòst, inquiens: Et vos imitatores nostri facti fuistis & Domini, recepto sermone (*nempe Evangelii*) cum oppressione multa, cum gaudio Spiritus S. *Et rursus in epistola ad Thess. posteriore cum fide & charitatem & tolerantiam cru-* Cap.1.v.3.
cis conjungit, inquiens: Gratias agere debemus Deo semper de vobis, fratres, ut dignum est, quòd vehementer auge- & 4.
scat fides vestra, & abundet mutua uniuscujusq; omnium vestrûm charitas: adeò ut nos ipsi de vobis glorieimur
apud eccl. Dei, *i.e.* de tolerantia vestra & fide in omnibus persecutionib. vestris & oppressionib. quas toleratis. *Atq;*
hæc de fidei effectis. Porrò, ne quis putet, fidem ex nostris oriri viribus: docet, eam esse singulare donum Dei, ac proinde efficientem ejus
caussam esse Deū per Spiritum S. Huc pertinet sententia illa, quâ exoptat Ephesiis illuminatos oculos mentis, ut sciant quæ sit excel- Ephes.1.v. 18.19.20.
lens illa magnitudo potētiæ Dei in nobis qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius, quā exseruit in Christo quū excitavit eum
ex mortuis. Ecce tantum abest ut ex virib. nostris credere possimus: ut ad fidem in nobis gignendam opus sit eâdem potentiâ Dei qua
Christum ex mortuis excitavit. Deinde in eâdem epistola fidem ex nobis esse negat: eamq; Dei donū esse, disertis verbis asserit. Simi- Cap.2.v.8.
liter in epist. ad Phil. Vobis, *inquit,* datum est in Christi negotio, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo affligi. Cap.1.v.29.
Et rursum: (Deus *inquit*) is est, qui efficit in vobis & ut velitis & ut efficiatis, pro gratuitâ suâ benevolentiâ. *Sic in poster.* Cap.2.v.13.
ad Thess. Non omnium (*inquit*) est fides. *quibus verbis innuit, non omnibus à* Deo *datum esse ut in Christum credant, sed fidē* Cap.3.v.2.
hanc esse peculiare donum electorū Dei: *unde etiam istud epitheton illi in epistola ad Tit. adjungit, appellans fidem electorum Dei.* Cap.1.v.1.

Atq; hæc est doctrina Apostoli de fide: à qua dogma Papistarum longissimè recedit, imò ex diametro illi adversatur. Et si e- Papistarum dogma de justificatione.
nim fatentur, hominem fide justificari; id quod negare extremæ impudentiæ foret, quum expressè ab Apostolo affirmetur: tamen
volunt, hominem non justificari fide sola, sed partim fide, partim bonorum operum merito. Quumq; illis opponuntur expressa verba
Pauli ad Gal.2.v.16. Etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus
Legis: *cavillantur, Apostolum quum operibus Legis justitiam adimit, intelligere id de operibus cærimonialibus, non autem de mo-*
ralib. Quod cavillum ipsis Apostoli verbis apertè diluitur, quum in eadem epist. c.3.v.9. & 10. dicit, Itaq; qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli illo Abraham: nam quotquot ex operibus Legis sunt, sub exsecratione sunt: Scriptum est enim,
Exsecrabilis quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis ut faciat ea. *Quis non videt, Apostolum*
hîc à justificatione excludere non tantum opera Legis cærimonialia, sed simpliciter omnia, ac proinde etiam moralia, & hæc quidem
præcipuè? ait enim, Quisquis non manserit IN OMNIBUS quæ scripta sunt in libro Legis.

Verùm enimverò quando nos unà cum Apostolo bonorum operum merita à justificatione excludimus: calumniantur, nos bona opera vetare, aut certè homines à bonorum operum studio deterrere. Quasi verò Apostolus non utrumq; doceat: & operibus suis neminem justificari, & tamen justificatos in studium bonorum operum sedulò incumbere debere! Quare deinceps videamus, quænam Pauli de bonis operibus in hisce epistolis doctrina sit. Summa autem doctrinæ istius est: Gratiâ Dei, quâ solâ justificati sumus absq; ullo operum nostrorum merito, non esse abutentum ad licentiam carnis: sed grati animi testanti causâ seriò pietati studendum esse. Hinc ad Gal posteaquam doctrinam de justificatione gratuita absolvisset, ad studium pietatis exhortari incipit his verbis: Cap.5.v.13.
Vos ad libertatem vocati estis, fratres: tantùm ne libertatem arripite ut datam carni occasionem, sed ex charitate
servite alii aliis. *Sic in epistola ad Eph. posteaquam tribus primis capitibus de variis Dei erga eccclesiam suam beneficiis, & inter hæc de gratuita per fidem justificatione disseruisset: in principio capitis 4. exhortationem ad studium pietatis instituit, inquiens:* Precor itaque vos ego captivus in Domino, ut ambuletis ita ut dignum est vocatione qua vocati estis, cum omni modestia ac mansuetudine, &c. *Similiter ad Phil.1.v.27.* Tantùm ut dignum est Evangelio Christi (*inquit*) Vos gerite, &c. *Sic in epistola ad Colossenses, posteaquam duobus primis capitibus exposuisset doctrinæ Christianæ summam, & de cavendis illius corruptelis admonuisset: tum in reliqua epistolæ parte vitæ Christianæ & veræ pietatis varia præcepta tradit. Sic in priore epistola ad Thessal. posteaquam eos per tria capita in fide confirmasset: capite 4. ad studium pietatis exhortari eos incipit, inquiens:* Quod superest igitur, fratres, rogamus vos & precamur per Dominum Jesum, ut sicut accepistis à nobis, quomodo oporteat vos incedere & placere Deo, magis excellatis. *Similiter in posteriore ad Thess. initio capitis tertii:* quod superest, *inquit,* precamini, fratres, pro nobis, ut sermo Domini currat, &c.

Ex iis quæ hactenus à me exposita sunt, apparet, quàm pulchrè Apostolus doctrinam bonorum operum cum doctrina fidei conjungat, & quàm constanter unam eandemq; de utroq; illo capite in diversis epistolis doctrinā tradat. Quæ quidem unius ejusdemq; doctrinæ repetitio pio pectori non solùm non molesta, sed potiùs jucunda esse debet: quippe quum sic in vera fide pleniùs confirmemur. quemadmodum Apostolus noster ad Phil. ait, Eadem scribere vobis, me quidem haud piget: vobis autem tutum est.

Has autem istarum sex epistolarum analyses sub illustri generositatis tuæ nomine in lucem edere visum est: quia sperabam, me rem tibi gratam facturum, si quid ad te mitterem quod è schola Herbornensi veluti fructus quidam enatum esset. nam quanto favore sanctum hoc institutum prosequaris, & quàm maximè diuturnum esse cupias: testatur munificum tuum donum quod ad studiosos in Communitate pro tolerabiliore pretio alendos contribuisti. Testatur idipsum, quod quatuor ex filiis tuis in schola hac erudiri atq; educari per biennium voluisti: quorum maximus natu Ernestus singularem in lingua Hebræa discenda diligentiam per id tempus adhibuit, meq; docentem assidue audivit. Huc accedit significatio benevolentiæ erga me tuæ, quam non ita pridem ex amica mei salutatione in arce Dillenburgo perspexi. Quæ quum ita sint: confido, hanc dedicationem generositati tuæ non ingratam fore. Deum patrem Domini nostri Jesu Christi oro, ut tibi, genrose Comes, & familiæ tuæ universæ, benedicere pergat: ut ecclesiam Christi & consilio & ope quam-diutissimè adjuvare possitis. Herbornæ, 29. Julii, 1589.

Generositati tuæ.
addictissimus

JOHANNES PISCATOR.

ANALYSIS LOGICA

EPISTOLÆ PAULI Ad Galatas.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

Pseudapostolorum doctrina de justificatione.

OCCASIO *Epistolæ hujus scribendæ fuit, quòd intellexerat Apostolus, Galatas seduci se passos esse per pseudapostolos quosdam, qui puram Evangelii doctrinam quam ipsi à Paulo acceperant, de justitia nimirum fidei, seu de justificatione hominis per solam fidem in Christum, corrumpebant admixtione justitiæ operum, docentes, hominem non justificari seu justum censeri ac pronuntiari à Deo per solam fidem in Christum: sed ad justitiam coram Deo, ac proinde vitam æternam, consequendam opus præterea esse observatione seu præstatione legis Dei per Mosen latæ; & quidem non solùm Legis moralis, verùm etiam cærimonialis: unde urgebant circumcisionem, ut quæ ad salutem consequendam Christianis necessaria esset, Hanc fuisse istorum pseudapostolorum doctrinam, colligitur ex maxima & præcipua epistolæ hujus parte. Apostolus igitur ne officio suo deesset, Galatas quos prædicatione Evangelii ad fidem Christi adduxerat, quum eos seductos videret, hac Epistola in viam veritatis reducere conatur: ac proinde doctrinam de justitia fidei multis argumentis confirmat, eádemq; operâ justitiam operum refutat. Quâ disputatione absoluta, more suo ad studium bonorum operum eos hortatur, inde à v.13. capitis quinti usq; ad versum 11. capitis sexti: ubi ad præcipuum Epistolæ hujus scopum redit, admonens, ne se diutiùs à pseudapostolis seduci patiantur, sed ipsius exemplo in sola cruce Domini nostri Jesu Christi glorientur, id est, justitiam in sola illius morte, non autem in suis ipsorum operibus quærant, & in illa inventa acquiescant.*

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Capite primo post inscriptionem instituit gravem objurgationem Galatarum, reprehendens eorum levitatem per quam à doctrinâ ab Apostolo acceptâ, citò defecerant, doctrinam pseudapostolorum quorundam amplexi. Antequam autem Apostolus ad doctrinam suam argumentis in ipsa quæstione insitis confirmandam accedat, præmittit argumentum assumtum, videl. testimonium ipsius DEI: *quatenus narrat, quomodo ab ipso filio Dei doctrinam suam acceperit, & ad eam inter Gentes annuntiandam vocatus ac missus sit: itemq; quomodo hoc suo apostolatu functus sit, quam narrationem continuat cap. 2. eamq; (ut videtur) extendit usq; ad cap. 3. Quæ quidem narratio primam hujus Epistolæ partem facit, cap. 1. & 2. Tum secunda pars erit disputatio de justificatione, cap. 3. & 4. tertia & postrema, exhortatio ad pietatem, cap. 5. & 6.*

PAULUS Apostolus (non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, ac Deum patrem qui suscitavit eum ex mortuis)

2 Quique mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiæ:

3 Gratia vobis & pax à Deo patre, & Domino nostro Jesu Christo:

4 Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos ex præsenti sæculo malo, secundùm voluntatem Dei & patris nostri.

5 Cui *sit* gloria in sæcula sæculorum, Amen.

INscriptio continet primùm subscriptionem, v. 1. & 2. deinde inscriptionem specialiter dictam, v. 2. tum salutationem v. 3. cui annectit summam Evangelii, v. 4. & δοξολογίαν, id est, celebrationem nominis Dei, v. 5. In subscriptione primùm asserit suum apostolatum, ad conciliandum doctrinæ suæ authoritatem: deinde sibi tanquam socios in hac Epistola scribenda adjungit fratres, id est, Evangelii doctores quos tunc secum habebat, ad testandum illorum consensum, ac proinde ad permovendum Galatas, ut & ipsi doctrinam Pauli tanto libentiùs amplectantur ac retineant. In asserendo suo apostolatu utitur antithesi, qua primùm negat, se apostolum esse (hoc est, ad apostolatum vocatum esse) ab hominibus, neque per hominem. quorum priùs tacitè opponit pseudapostolis, qui ab hominibus tantùm, non etiam à Deo erant vocati: posteriùs opponit doctoribus Evangelii legitimè quidem vocatis & à Deo, sed tamen per homines, nempe per Ecclesiam. Deinde affirmat, se esse apostolum seu vocatum ad apostolatum per Jesum Christum ac Deum patrem, hoc est, se vocatum esse à Christo per voluntatem Dei patris, ut alibi loquitur: videlicet 1. Cor. 1. v. 1. & 2. Cor. 1. v. 1. & Ephes. 1. v. 1. Quod autem ait, *Non per hominem, sed per Jesum Christum*: hinc non est concludendum, Christum non esse hominem. Quum enim negat, se vocatum esse per hominem, intelligit hominem nudum, id est, qui tantùm homo sit: at Christus simul Deus & homo est. Quare potiùs hinc colligendum, Christum aliquid ampliùs esse quàm hominem, nempe esse etiam Deum, unde mox illi Patrem tanquam socium adjungit, Quod autem Deo patri hanc descriptionem annectit, *Qui suscitavit eum à mortuis*: partim innuit potentiam Dei quam in Evangelii prædicatione exserit, excitando corda electorum ex morte spirituali, Ephes. 1. v. 19. 20. partim significat, Christum ex morte excitatum & ad dextram Patris evectum, eandem cum illo potentiam exserere, seque ab illo in cælis regnante vocatum esse. Atque hæc de subscriptione: inscriptio continetur his verbis, *Ecclesiis Galatiæ*. Galatia regio est minoris Asiæ: quam olim Galli ex Europa venientes habitarunt: quæ & Gallogræcia dicta. Ecclesiis Galatiæ optat Apostolus *gratiam*, id est, favorem ac benevolentiam Dei, & *pacem*, id est, omnis generis felicitatem, ac inprimis tranquillitatem conscientiæ ex sensu favoris DEI per CHRISTUM reconciliati ortam: de qua pace ait Rom. 5. v. 1. *Justificati ergo fide, pacem habemus erga* DEUM. Optationi annectit descriptionem Christi è singulari ac proprio ejus facto, pertinente ad officium ejus sacerdotale, inquiens, *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris*. hoc est, Qui tanquam summus Ecclesiæ sacerdos à Patre constitutus, suum ipsius corpus obtulit in cruce ad expiandum peccata nostra, quæ Pater in eum côjecerat, (Esa. 53.) & pro quibus ipsi spoponderat, se satisfacturum. Hoc factum Christi declarat expositione finis, qui est vita æterna. Ideò enim semetipsum pro peccatis nostris dedit, proque iis sua morte satisfecit Christus, ut nobis donaret vitam æternam. id quod significat his verbis, *Ut eximeret seu eriperet nos ex præsenti sæculo malo*. id est, à societate filiorum hujus sæculi, qui (ut Johannes loquitur 1. Johan. 5. 19.) in malo illo, nempe Diabolo, jacent, hoc est, ei toti addicti sunt & ab illo aguntur pro ipsius libidine, donec in æternum exitium ab eo præcipitentur. Similis est loquutio illa Petri Actor. 2. vers. 10. *Servamini ex natione ista prava*. quibus verbis Hierosolymitanos concione sua conversos hortatur, ut sese ab impiis Pharisæis & Scribis, Evangelii hostibus, segregent: aliter enim eos salutem æternam consequi non posse. Præterea ista beneficia Christi amplificat expositione causæ impellentis: quæ est voluntas Dei patris, cui Filius obedivit. Postremò annectit gratiarum actionem pro his tantis beneficiis. Atque hæc de inscriptione: sequitur ipsius Epistolæ initium.

6 Miror vos ita citò, deserto eo qui vocavit vos in gratiam Christi, transferri in aliud Evangelium.

7 Quod non est aliud: sed nonnulli vos turbant, & volunt invertere evangelium Christi.

8 Sed etiamsi nos, aut angelus è cælo, evangelizet vobis præter *id* quod vobis evangelizavimus, anathema esto.

9 Ut ante diximus, etiam nunc iterum dico, Si quis vobis evangelizaverit præter *id* quod accepistis, anathema esto.

Incipit ab objurgatione, arguens eos levitatis, quòd tam cito aures præbuerint pseudapostolis quibusdam qui doctrinam Evangelii de justitia fidei admixtione doctrinæ de justitia ope-

tia operum adulterabant: docentes, Christianos justificari ac servari non posse nisi circumcidantur & legem Dei per Mosen latam servent. Cùm ait, se mirari, eos tam citò seductos esse: significat, se meliora de ipsis sperasse, atque ita suam erga ipsos charitatem innuit: *Charitas enim de proximo optima quæque sperat*: 1.Cor.13. Quo ipso objurgationem magna sapientia mitigat: ne statim initio acriùs eos objurgans, odisse ipsos videatur, ac proinde nihil apud eos proficiat. Postea tamen quum doctrinam suam testimonio divino abundè confirmaverit, acerrimè eos objurgaturus est, infr. cap.3.v.1.& 3. Porrò defectionis istius amentiam significat commemoratione maximi boni quod hoc modo contemnant: videlicet gratiæ Christi. quo ipso innuit, eos tam amentes esse ut nolint per solam Christi gratiam servari: sed velint salutem operibus suis mereri: qui scilicet conatus quantumvis laboriosissimus, frustra tamen ab eis suscipiatur. Aliud Evangelium nominat doctrinam pseudapostolorum, qua sub prætextu Evangelii tradebant doctrinam prorsus diversam, atque adeo Evangelio adversam: nempe non per solam Christi gratiam hominem servari, sed etiam meritis operum Legis. Versu 7. appellationem istam corrigit, negans, doctrinam pseudapostolorum revera Evangelium esse: quum non sit nisi unicum Evangelium: quod illi invertere conentur. Versu 8. & 9. doctrinæ Evangelii quam Galatis annuntiaverat, authoritatem asserit per exsecrationem eorum qui aliquid ei contrarium docuerint. Hanc exsecrationem primùm amplificat collatione minorum ficta. Fingit enim, seu casum (ut loquuntur) ponit, fore, ut ipsemet aut angelus è cælo Evangelium corrumpat. quod si facturi essent, maledictionem Dei ipsis denuntiat. q.d. Quanto magis maledictio Dei incumbet aliis? Deinde hanc ipsam exsecrationem repetit, & generaliter enuntiat.

10 Nunc enim *utrum* homines an Deum suadeo? aut quæro hominibus placere? Enimverò si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

Hîc veritatem doctrinæ suæ ostendit à fine seu scopo, affirmans, sibi solius Christi gloriam propositam esse, seque huic uni placere studere. Eadem autem opera per antithesin perstringit falsitatem doctrinæ pseudapostolorum, qui homines semper in ore habebant & hominibus placere studebant.

11 Notum autem vobis facio, fratres; Evangelium prædicatum à me, non esse secundùm hominem.

12 Neq; enim ego ab homine id accepi, neque edoctus sum, sed patefaciente *id mihi* Jesu Christo.

13 Audistis enim, quomodo versatus sim olim in Judaismo, me *videl.* summè persequutum esse Ecclesiam Dei, eamque vastasse:

14 Et profecisse in Judaismo super multos æquales meos in genere meo, quum vehementiore studio tenerer traditionum quas à patribus meis acceperam.

15 Quando verò placuit Deo (qui separavit me *inde* ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam)

16 Retegere filium suum per me, ut evangelizarem ipsum inter Gentes: non statim rem communicavi cum carne & sanguine:

17 Neque redii Hierosolymam ad eos qui ante me *fuerunt* apostoli: sed abii in Arabiam, ac denuò reversus sum Damascum.

18 Deinde tribus pòst annis redii Hierosolymam, ut viserem Petrum: & permansi apud eum dies quindecim.

19 Alium autem ex apostolis non vidi quenquam, nisi Jacobum fratrem Domini.

20 In iis porrò quæ scribo vobis, ecce coram Deo *affirmo*, me non mentiri.

21 Deinde vêni in regiones Syriæ & Ciliciæ.

22 Eram autem ignotus facie ecclesiis Judææ quæ *erant* in Christo:

23 Sed solùm audierant, *qui dicerent*, Qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam olim vastabat.

24 Et glorificabant Deum de me.

Deinceps doctrinam suam confirmat testimonio divino, affirmans, eam sibi patefactam esse à filio Dei: quod ipsum declarat narratione conversionis & functionis sui apostolatus: ut simul planum faciat, se non esse edoctum à cæteris apostolis: sed statim à Christo vocatum se evangelium prædicasse. Versu 14. commemorat suum studium Legis & traditionum paternarum: ut significet, se nec ex ignorantia nec ex odio doctrinam de justitia operum rejicere: quippe cujus olim fuerit studiosissimus. Versu 15. conversionem sui declarat ex causis procreantibus: quas enumerat tres, videlicet beneplacitum Dei, electionem sui sive separationem sui inde ab utero matris, & vocationem gratuitam. Versu 16. exponit formam conversionis sui, & finem: & incipit narrare administrationem sui apostolatus. Forma conversionis Pauli fuit; quod Deus ei revelavit filium suum. Finis fuit, ut non solùm ipse per agnitionem filii Dei salvus fieret, sed etiam illum evangelizaret inter gentes, atque ita multos ad salutem adduceret. Administrationem apostolatus sui expositurus, primùm negat, se contulisse cum carne & sanguine, id est, cum ullo homine: quibus verbis significat, se vocationem divinam de qua certus erat, noluisse subjicere consilio humano. deinde sententiam hanc generalem & subobscuram declarat sententia speciali, negans, se statim rediisse Hierosolymam ad eos qui ante ipsum fuerant apostoli, ut scilicet de consilio & cum venia ipsorum inciperet apostolatu suo fungi: contraque affirmat, se rectà abiisse Damasco in Arabiam, prædicandi scilicet Evangelii causâ & denuò Damascum reversum esse. Tum narrat, quomodò post triennium demum inviserit Petrum, simulque viderit Jacobum: ac deinde in Syriam & Ciliciam profectus Evangelium docuerit, approbantibus Judææ ecclesiis. Et hanc narrationem jurejurando confirmat. Videbat enim interesse gloriæ Dei & salutis Galatarum, ut de ipsius apostolatu nihil dubitarent: quem pseudapostoli malignè extenuebant: quasi Paulus non esset ex eorum numero quibus sine exceptione credendum sit.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Ab hominibus] ἀπ' ἀνθρώπων. *Scil.* πεμφθεὶς, *id est, missus.* ἀπὸ *pro* ὑπὸ. Neque per hominem] *Scil. purum seu nudum, quem* ψιλὸν ἄνθρωπον *Græci vocant, & nos* einen bloossen Menschen/ *hoc est, qui nil sit nisi homo. Nisi sic exponas: Sequetur, Christum non esse hominem, quippe quem mox tanquam disparatum opponit. Synecd. generis.*

4 Dedit semetipsum] *Nempe in mortem.* Pro peccatis nostris] *Id est, propter peccata nostra, scil. expianda.* Ex præsenti sæculo malo] *Id est, à filiis hujus sæculi, ab impiis huic sæculo addictis, quorum maxima in hoc sæculo seu mundo est copia. Metonymia subjecti.* Dei & patris nostri] *Id est, Dei qui est pater noster. Conjunctio copulativa est hîc* μᾶλλον ἑρμηνευτικὸν, *particula expositiva.*

6 Deserto eo qui vocavit vos] ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς. *Ad verb. Ab eo qui vocavit vos. nempe à me, id est, à meo Evangelio. per hoc enim illos vocaverat Paulus: & hanc expositionem postulat antithesis.* In gratiam] ἐν χάριτι. *Pro,* εἰς χάριτα. *Est* ἑτέρωσις *Hebræa.* Transferri] *Nempe per pseudapostolos.* In aliud Evangelium] *Id est, in aliam doctrinam de consequenda salute, quam pseudapostoli pro Evangelio vobis obtrudunt. Dictum per concessionem, sive* κατὰ δόξαν, *secundùm opinionem: sicut ad Corinthios vocat prædicationem stultam, 1. Cor. 1. v. 21.*

7 Quod non est aliud] ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο. *Bene D. Beza hæc verba exponit per ista,* μὴ ὄντος ἄλλου, *id est, Quum* tamen *non sit aliud, scil. Evangelium. Vocaverat enim superiore versu* Evangelium aliud *per concessionem: quam hîc corrigit.*

8 Præter *id* quod] παρ' ὅ. *Id est, diversum ab eo quod. Sic versu sequente.*

9 Si quis vobis evangelizaverit] εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζηται. *Fortasse pro* ὑμᾶς *legendum* ὑμῖν: *sicut modo locutus est v. superiore. Vel deficit præpositio* πρὸς, *ut legendum sit,* πρὸς ὑμᾶς, *apud vos.* Accepistis] παρελάβετε. *Nempe* παρ' ἐμοῦ, *à me.*

10 *Utrùm* homines an Deum suadeo] ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν θεόν; *Id est, utrùm suadeo, ut hominibus credatis, an potiùs ut credatis Deo, à quo scil. doctrinam meam accepi? Quasi dicat, Certè non illud suadeo, sed hoc. Novè dictum. Nam usitatè significarent ista verba, Utrùm hominibus suadeo, an Deo? quæ sententia huc non quadrat.* Aut quæro] ἢ ζητῶ. *Id est, Aut num studeo hominibus placere? num hunc mihi scopum propositum habeo in Evangelio prædicando? q.d. Minimè.* Adhuc] ἔτι. *Scil. sicut olim, antè meam conversionem, quum placebam primoribus Judæorum, persequendo ecclesiam Dei.*

11 Non esse secundùm hominem] ὅτι οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον. *Hoc mox ipse declarat v. sequente.*

12 Ab homine] *Scil. nudo. Vide suprà versu primo.* Patefaciente id mihi Jesu Christo] δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Ad verb. Per patefactionem seu revelationem Jesu Christi. Sensu dilucidè expresso. Genitivus hîc notat causam agentem, non autem subjectum.*

13 Quomodo versatus sim] τὴν ἐμὴν ἀναστροφήν. *Ad verb. Meam conversationem.* Summè] καθ' ὑπερβολήν. *Ad verb. Secundùm superlationem seu excellentiam, id est, summo studio atq; conatu. Vide Act. 9.* Vastasse] ἐπόρθουν. *Metaphora à re militari. nam* πορθεῖν *(quod & πέρθειν apud Poëtas) propriè dicitur de vastationibus ac populationibus agrorum & urbium.*

14 Æquales] συνηλικιώτας. *Græca vox expressior est, notans eos qui sunt in æquali ævo, hoc est, qui ejusdem sunt ætatis.* ἡλικία

enim primò staturam, deinde per metonymiam effecti ætatem significat: quia ætatis incrementum statura sequitur. Aliâs dicuntur & ἡμήλικες: Latine autem æquales. per synecd. generis. Sic Cicero libr. 3. de Offic. in principio, Catonem dicit fuisse ferè æqualem Scipionis. In genere meo] ἐν τῷ γένει μου. *Id est, in gente mea, nempe* Judaicâ, *seu in gentilibus meis, ut 2. Cor. 11. vers. 26.* Quum vehementiore studio tenerer] περισσοτέρως ζηλωτὴς ὑπάρχων. *Ad verb. Abundantiùs zelotes existens. Nomen* ζηλωτὴς, *quasi dicas*, Zelator, ein Eyfferer / *deductum est à verbo* ζηλόω, *quod ipsum à nomine* ζῆλος, *zelus, studium vehemens & ardens in re quapiam inviolata conservanda: quale est studium mariti in inviolata conservanda pudicitia uxoris. Tale studium notatur illis verbis,* Zelus domus tuæ comedit me. *Et sic in secundo decalogi præcepto Deus dicitur zelotes respectu honoris sui quem illibatum conservari vult, & respectu sui populi quem non vult pollui spirituali scortatione idololatriæ.* Traditionum quas à patribus meis acceperam] τῶν πατρικῶν μου παραδόσεων. *Ad verb. Patriarum sive paternarum mearum traditionum. Puto, Apostolum intelligere non tam traditiones ab hominibus excogitatas (quales de Pharisæis narrant Evangelistæ, in quorum numero ipse quoq; fuit, Actor. 23. v. 6.) quàm traditiones sumtas ex lege Dei: veruntamen infectas falsâ opinione justitiæ per illarum observationem consequendæ coram Deo, id quod colligo ex collatione similis loci, Phil. 3. v. 6 ubi sic de sese loquitur,* Quod ad zelum attinet, persequens Ecclesiam: quod ad justitiam quæ est in Lege, irreprehensus.

15 Qui separavit me] *Scil. ad apostolatum.* Inde ab utero] ἐκ κοιλίας. *Id est, Ex eo tempore, quo eram in utero. Idcirco adjectum est adverbium* Inde, *ad evitandum homonymiam. Similiter Dominus ajebat de Jeremia, quòd eum sanctificaverit ad munus Propheticum antequam prodiret ex utero, Jer. 1. v. 5.* Vocavit] *Scilicet ad apostolatum.*

16 Retegere] ἀποκαλύψαι. *Vel, patefacere, scilicet per prædicationem Evangelii, sicut mox sequitur.* Per me] ἐν ἐμοί. *Id est,* δι' ἐμοῦ. *Hebraismus.* Non statim rem communicavi cum carne & sanguine &c.] εὐθέως οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι. *Hic incipit consequens enuntiati relativi, cujus antecedens incepit versu præcedente in principio,* ὅτε δὲ εὐδόκησεν *&c. Consequens autem istud continuatur per versum sequentem, hoc verborum ordine: Quando verò placuit Deo, patefacere filium suum per me: statim abii in Arabiam, non* autem priùs *rem communicavi cum carne & sanguine &c. Cæterùm verbum* προσανατίθεσθαι *idem hîc censeo significare quod simplex* ἀνατίθεσθαι, *id est, consulere amicum vel fidum hominem & consultum, ac consilium suum vel negotium ei exponere, quemadmodum hoc verbum exponit Budæus infra c. 2. v. 6. ubi Paulus ait,* ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο: *id est, Budæo interprete, Mecum enim qui in primis censebantur, nihil communicaverunt, me consultore non sunt usi, consilia mecum sermonemq; non contulerunt. Et ad hanc interpretationem confirmandam affert ex Diodoro Siculo, de Alexandro,* τοῖς μάντεσι προσανατίθεσθαι περὶ τοῦ σημείου: *id est, Quum super portento illo Chaldæos consuluisset. Ergo hîc,* οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι, *idem valet ac si Latinè dicas: Non adhibui in consilium carnem & sanguinem, non cum civibus & gentilibus meis, neq; cum apostolis, consilia de Evangelica provincia mihi mandata divinitus, communicavi: sed statim profectus sum ad Gentes. Facit quoque ad hanc verbi* προσανατίθεσθαι *significationem confirmandam, ac proinde ad hunc locum illustrandum, locus quem affert Henricus Stephanus in præclaro illo suo Thesauro, ex Luciano in initio Jovis tragœdi:* ὦ Ζεῦ, τί σύννους καὶ κατὰ μόνας λαλεῖς, ὠχρὸς, περιπατῶν, φιλοσόφου τὸ χρῶμα ἔχων; ἐμοὶ προσανάθου, λάβε με σύμβουλον πόνων. *Id est, O Jupiter, quid meditabundus & solitarius loqueris, pallidus, obambulans, philosophi colorem habens? Mecum communicato, cape me consultorem laborum.* Cum carne & sanguine] *Id est, Cum hominibus. Sic Ephes. 6. v. 12. Non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem. Metonymia materiæ synecdochica. Ex carne enim & sanguine homines constant, sed non ex his solis.*

17 Neque redii] *Hic exponit quod modò dixerat, se non communicasse rem cum carne & sanguine.*

19 Fratrem] ἀδελφόν. *Id est, cognatum, nempe consobrinum.*

20 Coram Deo affirmo] ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *Supple* ἀποφαίνομαι. *Est formula jurandi, pro,* τὸν Θεὸν μαρτύρομαι, *Deum testor: vel,* μάρτυς μοι ἐστὶν ὁ Θεὸς *Deus mihi testis est: sicut loquitur Rom. 1. v. 9. Phil. 1. v. 8. Non sunt autem hæc verba parenthesi includenda: quia alioquin hiabit oratio: quum conjunctio* ὅτι *in verbis sequentibus* ὅτι οὐ ψεύδομαι, *pendeat à verbo* ἀποφαίνομαι *subintellecto.*

21 Regiones] κλίματα. *Ad verb. Inclinationes. Sic appellantur à Geographis terrarum tractus,* παρὰ τὸ κλίνειν *ab inclinando: quòd partes terræ propter ipsius rotunditatem à polis alia aliis plus declinent.*

23 Qui persequebatur] ὅτι ὁ διώκων. *Conjunctio* ὅτι *hîc servit mimesi, id est, verborum alienorum directæ recitationi: itaque in vertendo omitti solet, & pro μιμήσεως signo notari litera majuscula à principio sententiæ. Est autem hic modus loquendi sacris scriptoribus, & maximè Evangelistis, familiaris.* Fidem quam olim vastabat] πίστιν ἥν ποτε ἐπόρθει. *Id est, Fidem propter quam olim vastabat ecclesiam, sicut suprà v. 13. magis propriè loquutus est. Duplex igitur hoc loco tropus est: metonymia subjecti in vocabulo* Fidem, *pro Ecclesiam fide præditam: & metaphora in verbo* Vastabat.

24 Glorificabant] ἐδόξαζον. *Laudabant, gloriam bonitatis & misericordiæ illi tribuentes, quam erga Paulum exseruerat.* De me] ἐν ἐμοί. *Id est,* περὶ ἐμοῦ. *Hebraismus. Sic Psalm. 87. vers. 3. Præclara dicuntur in te ô civitas Dei, id est, de te. Item Psalm. 63. vers. 7. In vigiliis meditabor in te, id est, de te. Vel potiùs* δι' ἐμέ, *id est, propter me.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex vers. 1. Nemo ad docendum Evangelium accedat, nisi vocatus à Deo; exemplo Pauli. Confer Hebr. 5. vers. 4. & 5. Jer. 23. v. 21. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex eodem versu. Vocatio Ministrorum Verbi duplex est: una immediata, qualis fuit Prophetarum & Apostolorum, qui immediatè à Deo ipso ad docendum Ecclesiam vocati ac missi sunt: altera mediata, quæ fit per Ecclesiam. *Ministri verbi Dei.*

3 Ex eod. v. Christus non est nudus homo, sed aliquid amplius, videl. verus ille & æternus Deus. *Christus.*

4 Ex eodem versu. Non est putandum, suscitationem Christi ex mortuis, esse opus solius Patris, eò quòd illi soli hîc adscribitur: nam alia Scripturæ loca docent, idem opus esse etiam ipsius Christi, necnon Spiritus sancti. Dixit enim Christus Johan. 10. vers. 18. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus eam assumendi.* Et Paulus Rom. 1. vers. 4. affirmat, Christum declaratum esse filium Dei potenter secundùm spiritum sanctificationis per resurrectionem à mortuis: id est, ex eo quòd propriâ virtute resurrexit à mortuis. Item quòd Pater Christum excitaverit per Spiritum sanctum, colligitur ex verbis ejusdem Epistolæ cap. 8. vers. 11. Ac omnino opera S. Trinitatis quæ nominantur Ad extra (id est, quæ fiunt extra Dei essentiam) sunt indivisa, id est, tribus illis personis communia. *Resurrectio Christi.*

5 Ex versu 2. Doctori Ecclesiæ imitanda est modestia simul & prudentia Pauli: qui Epistolam hanc fratribus (hoc est, ministris Verbi) quos secum habebat, communem facit, ut significatione consensus illorum faciliùs veritatem Evangelii Galatis persuadeat. *Ministri verbi Dei.*

6 Ex vers. 3. Qui gratiam seu favorem Dei in cordibus suis persentiscunt, certò persuasi se pacem habere apud Deum, seu Deo reconciliatos esse per Christum, ac proinde pacata & tranquilla conscientia fruuntur, illi verè beati sunt: quia Apostolus Galatis veram felicitatem optaturus, hæc ipsa eis optat. *Beatitudo.*

7 Ex vers. 4. Sacrificium quo peccata nostra expiata sunt, itemque pretium quo nobis parta est æterna redemtio & salus, est sola mors Christi: quatenus nimirum dum eâ afficeretur, sensit pro nobis iram Dei adversus nostra peccata. Ac proinde sola hujus mortis obedientia est ea res quæ nobis ad justitiam à Deo imputatur: quippe quum illa nostra justitia in peccatorum remissione consistat, ut colligitur ex verbis Apostoli Rom. 4. vers. 6. 7. *Mors Christi.*

8 Ex v. 5. Quoties recordamur beneficiorum Dei: in gratiarum actionem & celebrationem nominis divini erumpere nos decet. *Officium hominis Christiani.*

9 Ex v. 6. In exemplo Galatarum consideranda nobis ac deploranda est ingenii nostri vanitas: qua fit ut facillimè à veritate deficiamus, nisi divinitus retineamur. Ostendunt hoc ipsum & alia exempla: ut Aaronis & populi Israëlici facientis sibi vitulum aureum, dum Moses in monte moratur. Sic populus Judaicus Christo acclamabat, Hosianna filio David: at paulo-pòst quum viderent, sacerdotes & seniores populi Christum persequi, clamabant, Crucifige. Oremus igitur Deum, ut possimus constanter veritatem confiteri, nec patiamur, nos circumagi quovis doctrinæ vento. *Corruptio naturæ nostræ.*

10 Ex v. 7. Notandum, vehementer peccare eos qui sophismatis suis simpliciores turbant, dum scilicet volunt videri doctores Evangelii, & interim doctrinam evangelio Christi repugnantem admiscent. *Ministri verbi Dei.*

11 Ex vers. 8. & 9. Ex ista exsecratione quâ utitur Paulus: discamus, quàm sancta atque inviolabilis sit veritas Evangelii: & quàm graviter Deus vindicaturus sit violationem seu adulterationem illius. Itaque ab hoc tanto scelere nobis caveamus, & contra constanti veritatis confessione Deum glorificemus. *Evangelium.*

12 Ex vers. 10. Diligenter hic observent pastores ecclesiarum, ne studeant placere hominibus, hoc est, ne doctrinam flectant ad appetitus auditorum: sed ut sincerè Christum prædicent. *Ministri verbi Dei.*

13 Ex v. 12. Notetur testimonium de deitate Christi. *Christus.*

14 Ex vers. 13. Imitanda est ingenua confessio Pauli: qualis etiam exstat 1. Tim. 1. vers. 15. & 16. Tales confessiones pertinent ad gloriam Dei, nempe ad celebrandum misericordiam ipsius erga nos. *Confessio peccati.*

15 Ex vers. 14. Non quicquid à Patribus accepimus: rectum & retinendum est. nam Paulus fatetur, se peccasse, dum tradi- *Patres.*

tionibus

tionibus Patriis addictus doctrinam Evangelii odio habuit & hostiliter persecutus est.

Ministri verbi Dei. 16 Ex v.15. Quicunque legitimè ad ministerium Evangelii vocatus est, statuat se inde ab utero matris ad illud à Deo separatum seu sanctificatum esse: idque ex singulari gratia: ac proinde in illo administrando summam diligentiam ac fidem præstet.

Juramentũ. 17 Ex v.20. Quum interesse videmus gloriæ Dei & salutis Ecclesiæ, ut verbis nostris fides habeatur: jurejurando ea confirmare licet, si necessitas ita postulare videatur.

Officium hominis Christiani. 18 Ex v.24. Quum videmus, proximum à sua pravitate ad Deum esse conversum, bonitatem Dei prædicare debemus.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Pergit in instituta narratione: deinde demonstrat, hominem justificari fide: postremò objectionem refutat.

DEinde interjectis annis quatuordecim, rursum ascendi Hierosolymam, unà cum Barnaba, assumto simul & Tito.

2 Ascendi autem ex revelatione, & exposui eis Evangelium quod prædico inter Gentes: sed privatim iis qui putantur *esse aliquid*, ne quo modo frustra currerem aut cucurrissem.

3 Sed neque Titus, qui mecum erat, quamvis esset Græcus, coactus fuit circumcidi.

4 Nempe propter irreptitios falsos fratres, qui irrepserant ad explorandam libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu; ut nos in servitutem adigerent.

5 Quibus ne ad momentum quidem cessimus per subjectionem: ut veritas Evangelii permaneret apud vos.

6 Ab iis autem qui putantur esse aliquid (quales olim fuerint, nihil meâ refert: faciem enim hominis Deus non accipit) ii, inquam, qui putantur *esse aliquid*, nihil mecum communicarunt.

7 Imò è contrario, quum vidissent, mihi concreditum fuisse Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis:

8 Nam qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum circumcisionis, efficax fuit etiam per me apud Gentes.)

9 Quumque cognovissent gratiam mihi datam Jacobus & Cephas & Johannes, qui putantur esse columnæ; dextras dederunt mihi ac Barnabæ societatis: ut nos apud Gentes, ipsi verò apud circumcisos, *apostolatu fungeremur.*

10 Solùm *monuerunt* ut pauperum meminissemus: quod & ipsum studui facere.

11 Quum autem venisset Petrus Antiochiam, in os ei restiti, eò quòd condemnandus esset.

12 Nam antequam venissent quidam à Jacobo, unà cum Gentibus edebat: quum autem venissent, subduxit sese ac separavit ab eis, metuens eos qui erant ex circumcisione.

13 Ac simulabant unà cum eo reliqui etiam Judæi: adeò ut etiam Barnabas simul abreptus fuerit illorum simulatione.

14 Sed quum viderem, eos non recto pede incedere, ut veritati Evangelii congruebat, dixi Petro coram omnibus, Si tu, quum sis Judæus, gentiliter vivis, ac non Judaicè: cur Gentes cogis judaizare?

PRimùm narrat quomodo Evangelium suum approbarit reliquis Apostolis: deinde, quomodo iis consentientibus non sit coactus circumcidi Titus, quum id urgerent falsi fratres: tum quomodo præcipui inter Apostolos apostolatu ipsius approbato, dextras societatis sibi ac Barnabæ dederint, & curam pauperum suorum ipsis mandaverint, ut nimirum pro illis eleemosynam colligerent apud Gentes. Postremò narrat, quibus verbis Petrum palàm reprehenderit Antiochiæ, quum is in gratiam Judæorum quorundam Hierosolymitanorum judaizans, gentes quæ crediderant, offendisset. Ista autem prosopopœia continuatur (ut videtur) usq; ad v.17.

15 Nos naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores:

16 Quum sciremus, non justificari hominem ex operibus Legis, sed per fidem Jesu Christi: etiam nos, *inquam*, in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: propterea quòd non justificabitur ex operibus Legis ulla caro.

Hæc sermocinatio Pauli cum Petro continet demonstrationem quæstionis controversæ de justificatione per solam fidem, & refutationem objectionis contrariæ. Demonstrationis sententia hæc est: Nos quantumvis Judæi simus, quibus nimirum Lex peculiariter à Deo data est: tamen experientia & verbo Dei edocti, hominem ex operibus Legis justificari non posse, quippe quum nemo Legem perfectè possit præstare: credidimus in Christum ut justificaremur ex fide: Ergo pari ratione ac multo magis docendum est, Gentes quibus Lex data non est, ex fide justificari, non autem ex Lege. Vis hujus demonstrationis posita est in syllogismo hoc disjuncto:

Aut ex operibus Legis justificamur, aut ex fide.
Non autem justificamur ex operibus.
Ergo ex fide.

Necessitas disjunctionis pendet ex necessaria partium oppositione. nam justitia qua coram Deo justi censemur, ac pronuntiamur, necessariò aut nostra est aut aliena. *Nostra*, i.e. ex viribus nostris orta & meritis nostris acquisita. *Aliena*, id est, aliunde in nos profecta, nobisque ex mera gratia donata atque imputata. Jam verò justitia nostra, nihil aliud est quàm justitia quæ est ex Lege, ut expresè docet Paulus Phil.3.v.9. Contrà justitia aliena, est justitia Christi (hoc est, parta morte Christi) per fidem nobis imputata, ut ibidem Apostolus docet. Ergo sicut necessarium disjunctum est, justificamur aut nostrâ justitiâ, aut alienâ: sic etiam necessarium disjunctum est hoc æquipollens, Justificamur aut ex operibus Legis, aut ex fide. Assumtionem confirmat testimonio Scripturæ: videl. ex Psal.143.v.2. ubi David ait, *Ne intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo ullus vivens.* quem locum Apostolus verbis parum permutatis, sensu tamen verborum retento, citat. Atque hæc est præsentis loci demonstratio.

17 Quòd si, dum quærimus justificari per Christum, reperimur & ipsi peccatores; num Christus peccati minister est? Absit.

18 Nam si quæ destruxi, ea rursum ædifico, transgressorem meipsum constituo.

19 Ego enim per Legem Legi mortuus sum, ut Deo viverem.

20 Unà cum Christo crucifixus sum. Vivo autem non ampliùs ego; sed vivit in me Christus, & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filii Dei; qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Demonstrationi subjungit refutationem objectionis contrariæ. Objectio est alicujus Judæi, constans sorite, quanquam non satis expresso. Sorites hic est: Si nos Judæi quærimus justificari per Christum, reperimur & ipsi peccatores: si reperimur & ipsi peccatores, Christus peccati minister est: Ergo si nos Judæi quærimus justificari per Christum, Christus peccati minister est. Hoc sorite continentur duo syllogismi: quorum principalis hic est:

Si nos Judæi reperimur & ipsi peccatores, Christus peccati minister est.
At prius. Ergo & posterius.

Altero syllogismo approbatur assumtio syllogismi principalis:

Si nos Judæi quærimus justificari per Christum, reperimur & ipsi peccatores.
Sed prius. Ergo & posterius.

Paulus primùm negat, & per detestationem rejicit consequens syllogismi principalis: deinde negationem hanc confirmat à contrario: Ego, inquit, ita prædicavi justificationem per Christum, ut simul destruxerim peccatum, id est, docuerim, eos qui per Christum justificantur, per ejusdem quoq; spiritum sanctificari, ne peccatum in eis regnet: Non igitur prædicando justificationem per Christum, atque ita omnes homines peccati convincendo, ædificavi peccatum, quasi scil. Christus peccati minister esset, ita ut justificatis per Christum liceret peccare. Hanc responsionem amplificat prolepsi: cujus objectio est: At tu doces, te Legi esse mortuum, id est, te à Lege esse liberatum: Ergo non destruis peccatum, sed ædificas: quippe quum sola Lex justitiæ regula sit. Apostolus negat consequentiam, quatenus exponit finem liberationis sui à Lege. Simul autem etiam liberationis formam seu modum exponit. Ego, inquit, mortuus sum Legi per Legem, ut Deo viverem. q.d. Ego per maledictionem Legis eò sum adductus, ut fiduciam in Lege collocare desierim: non tamen propterea Legis doctrinam rejeci, quasi non sit regula justitiæ seu justæ & sanctæ vitæ: sed ideo fiduciam meam à Le-

ge in Christum transtuli, ut virtute Christi per fidem in me habitantis viverem Deo, id est, viverem justè & sanctè ad gloriam Dei. Porrò hanc sententiam de virtute Christi per fidem in se habitantis, pluribus verbis declarat vers. 20. inquiens, *Unà cum Christo crucifixus sum.* id est, Per fidem in Christum crucifixum hoc sum adeptus, ut caro mea crucifixa sit cum concupiscentiis suis, quemadmodum alibi loquitur, inf. 5. versu 24. Hanc sententiam illustrat à contrariis. Nam crucifixioni atque adeò mortificationi carnis opponit vitam spiritus, quam nimirum Christus per spiritum suum cordibus credentium inspirat. ait igitur, *Vivo autem non ampliùs ego, sed vivit in me Christus.* quasi dicat, Ego non ampliùs vivo ex ductu liberi mei arbitrii, sed ex ductu spiritus Christi. id quod declarat sequentibus verbis, inquiens: *Et vitam quam nunc vivo in carne,* (id est, in hoc mortali corpore) *vivo per fidem filii Dei.* id est, ita vivo ut studeam sanctitati: quod studium fides necessariò ex se parit, quemadmodum suprà est declaratum. Porrò fidem suam declarat verbis sequentibus, ubi ait: *Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* quibus verbis significat, se ad studium sanctitatis permoveri consideratione summi amoris Christi erga ipsum, & summi beneficii ex illo amore ipsi præstiti, nempe quòd morte suâ ipsum è potestate Diaboli redemit, peccata scilicet ipsius expiando.

21 Non abrogo gratiam Dei. nam si per Legem est justitia, igitur Christus frustra mortuus est.

Hìc addit secundum argumentum ad confirmandum assumtionem syllogismi, quo conclusa est quæstio principalis de justificatione fidei. Hoc argumentum est ab eventu, videlicet consequente absurdo:

Si docerem, nos justificari ex Lege, abrogarem gratiam Dei.
At non abrogo gratiam Dei.
Ergo nec doceo, nos justificari ex Lege.

Hujus syllogismi propositionem confirmat his verbis: Nam si per Legem est justitia, Christus frustra mortuus est: ac proinde gratia Dei abrogatur, qui Christum pro nobis in mortem dedit. Hoc argumentum sumtum est à fine mortis Christi: Christus enim ideò mortuus est, ut nobis justitiam suâ morte partam donaret: quum nos justitiâ propriâ, quæ est ex Lege, videret destitui.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Interjectis annis quatuordecim] διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν. *Ad verb. Per quatuordecim annos. Præpositione* διὰ *notatur tractus temporis quem Paulus vivendo quasi peragraverat, progrediendo ab uno termino seu temporis puncto ad alterum.* Unà cum Barnaba] *De hoc Barnaba vide in Actis cap. 11. v. 22. & deinceps.* Tito] *Hic est Titus ille ad quem exstat Pauli epistola.*

2 Ex revelatione] κατ' ἀποκάλυψιν. *Id est, Jussus à Deo per revelationem.* Exposui] ἀνεθέμην. *Ad verb. Deposui scil. tanquam in sinum, familiari declaratione. Potest etiam verti,* Communicavi cum eis evangelium &c. *ut* τὸ ἀνατίθεσθαι *idem hìc significet quod sup. c. 1. v. 16.* τὸ προσανατίθεσθαι: *ubi fusiùs istius verbi usum exposuimus.* Privatim] κατ' ἰδίαν. *Q. d. Quam-familiarissimè ac liberrimè, ut inter amicos privatim colloquentes fieri solet.* Iis qui putantur *esse aliquid*] τοῖς δοκοῦσι. *Ad verb. Iis qui videntur. Scil.* εἶναί τι, *esse aliquid. Id est, iis qui in pretio & honore habentur, qui magnifiunt, quorum magna est authoritas. hinc* δόξα, opinio: *& per synecdochen generis,* gloria: *quia gloria est opinio præclara de alicujus sapientiâ & virtute. Porrò istud supplementum sumsimus ex versu sexto, ubi eodem sensu nominat* τοὺς δοκοῦντας εἶναί τι *&* τοὺς δοκοῦντας *simpliciter, idq; de iisdem loquens de quibus hìc.* Frustra] εἰς κενὸν. *Ad verb. In vanum. Id est, Absque fructu. Fuisset enim fructus prædicationis Pauli apud multos, præcipuè Judæos, interceptus, si putatus fuisset diversam à reliquis apostolis doctrinam tradere.* Currerem &c.] *Currendi verbo significat suum studium in Evangelio prædicando, elegante metaphorâ, ductâ ab iis qui in stadio currunt & cursu certant: quæ similitudo Paulo familiaris est. Vide 1. Cor. 9. circa finem, item 2. Tim. 4. v. 7. & 8.*

3 Quamvis esset Græcus] Ἕλλην ὤν. *Id est,* καίπερ Ἕλλην ὤν. Non fuit coactus] *Id est, Non sum passus ut cogeretur: sicut intelligitur ex versu sequente. Metonymia effecti synecdochica.*

4 Nempe propter] διὰ δὲ. *Vel,* Sed propter, *ut sit expositio causæ προληπτική. quasi dicat, Quod quidem feci, (ut nimirum non paterer, Titum circumcidi) non propter circumcisionis contemtum, sed proter irreptitios &c. nempe ne illi possent nocere ecclesiis, abusi nostro exemplo: quasi nimirum & ego circumcisionem adhuc necessariam ducerem.* Irreptitios] παρεισάκτους. *Sic nominantur qui nemine observante seu animadvertente in cœtum aliquem introducuntur aut sese ipsi insinuant, quasi εἰσαχθέντες παρὰ παρατήρησιν, præter observationem seu animadversionem, id est, (ut dixi) nemine observante seu animadvertente, hoc est, clàm.* Die da häimlich in ein Gemäine eynschleichen/also daß man jhr falsch gemüt nicht mercket. *Hæc enim videtur hìc esse vis præpositionis* παρὰ. *Sic namq; Græci dicunt, aliquid fieri* παρ' ὑπόνοιαν, *præter suspicionem, id est, aliter quàm quis suspicaretur: item* παρὰ προσδοκίαν, *præter exspectationem, id est, aliter quàm quis exspectaret.* Falsos fratres] ψευδαδέλφους. *Sic vocat hypocritas qui præ se ferebant, se unà cum apostolis & sinceris pastoribus doctrinam Evangelii promoturos atque idcirco sese illis adjungere.* Irrepserant] παρεισῆλθον. *Ad verbum, Præteringressi fuerant. nempe præter animadversionem doli ipsorum: ut modò declaravimus in nomine* παρεισάκτους. Libertatem] τὴν ἐλευθερίαν. *Intelligit libertatem qua Christiani liberati sunt à cærimoniis Legis. Sic mox* Servitutis *vocabulo intelligit obligationem ad observandum cærimonias Legis.*

6 Ab iis autem qui putantur esse aliquid] ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι. *In hac sententia est ἀνανταπόδοτον, quod posset perfici verbo* ἐδιδάχθην, *edoctus fui: quo usus est suprà cap. 1. versu 12. Sed huic anomaliæ medetur epanalepsis, quanquam alio loquendi modo concepta, ibi,* ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο. *Non prorsus dissimilis anomaliæ exemplum exstat Roman. 5. vers. 12. & 14. ubi* πρότασις *comparationis in principio vers. 12. relinquitur* ἀνανταπόδοτος: *deinde versu 14. in fine sententiæ* ἀπόδοσις *annectitur; sed aliâ loquendi formâ quàm ut verba protasi respondeant. Puto autem, Apostolum hoc loco per parenthesin opinioni vel potiùs jactationi pseudapostolorum, apostolos reliquos supra Paulum extollentium, opponere eorundem vilem & contemtibilem conditionem: ut qui pauperculi piscatores fuissent. Et ut ita sentiam, moveor ratione quam subnectit, ubi ait,* Faciem hominis Deus non accipit. *quasi dicat, Equidem illos non contemno, quamvis per sese vilis conditionis fuerint: scio enim, Deum externa ista non spectare in hominibus æstimandis. Conjunctio autem* γὰρ, *tantummodo epanalepsi servire videtur. Et ad hunc modum etiam Syrus interpres sententias hujus versiculi distinguit.* Ii, inquam &c.] ἐμοὶ γὰρ. *Conjunctio* γὰρ *(ut modò admonuimus) epanalepsi servit. Repetit enim hìc sententiam in principio versus inchoatam, eamq; absolvit: sed alio loquendi modo.* Qui putantur esse aliquid] οἱ δοκοῦντες. *Supple* εἶναί τι, *ex principio versus.* Nihil mecum communicarunt] ἐμοὶ οὐδὲν προσανέθεντο. *De hujus verbi significatione vide suprà cap. 1. v. 16. Sententia hujus loci est, Apostoli quum eos invisissem Hierosolymis, nullo consilio me instruxerunt, quid aut quomodò docendum mihi esset.*

7 Mihi concreditum fuisse evangelium præputii] ὅτι πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας. *Hoc est, mihi à Christo commissam atque mandatam esse prædicationem Evangelii apud præputiatos seu incircumcisos, id est, (ut usitatè appellantur) Gentes. Gemina metonymia; una subjecti, in vocabulo* Evangelii: *altera adjuncti, in vocabulo* Præputii. *Sic mox* Circumcisio *dicitur pro circumcisis seu Judæis.*

8 Efficax per Petrum] ἐνεργήσας Πέτρῳ. *Participium regit dativum vi præpositionis* ἐν: *quanquam simplex* ἐργεῖν *non est in usu, sed* ἐργάζεσθαι.

9 Gratiam mihi datam] τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι. *Hoc vel intelligendum est de efficacia ministerii atque apostolatus Pauli, vel simpliciter de ipso apostolatus munere: quod & alibi gratiam appellat: ut Rom. 1. vers. 5. ubi ait, Per quem accepimus gratiam & apostolatum. Utro modo accipias, est metonymia efficientis. nam & ex gratia Deus Paulum ad apostolatum vocavit, & ex gratia per apostolatum ejus efficax fuit.* Jacobus] *Nempe frater Domini, sup. cap. 1. v. 19.* Cephas] *Id est, Petrus. Vox Syriaca est, pronuntianda per K, quasi scriptum sit Kephas. Idem significat quod Græcè* πέτρος, *Latinè lapis.* Qui putantur esse columnæ] *Scil. Ecclesiæ, quibus Ecclesia tanquam columnis nitatur. Tantam eis authoritatem tribuebant pseudapostoli. Pro hoc sup. v. 6. dixit,* οἱ δοκοῦντες εἶναί τι. *Metaphora.* Dextras dederunt] *Quasi dicat, Non contemserunt me, ut isti pseudapostoli: sed pro apostolo me agnoverunt.* Apud circumcisos] εἰς τὴν περιτομήν. *Ad verbum, Apud circumcisionem. Metonymia adjuncti.* Pauperum] *Nempe pauperum Christianorum qui tunc erant Hierosolymis.* Meminissemus] *Id est, ut apud ecclesias pro eis colligeremus eleemosynam.*

10 Quod & ipsum studui facere] ὃ καὶ ἐσπούδασα αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι. *Hìc* πλεονάζουσι *duo pronomina* αὐτὸ τοῦτο: *ex more Hebræorum quidem* αὐτὸ: τοῦτο *autem tanquam istius glossema videtur in textum irrepsisse.* Studui facere] *Vide in utraq; epistola ad Corinthios: in priore quidem, caput decimumsextum: in posteriore verò, octavum & nonum.*

11 Antiochiam] *Vide Actor. 11. vers. 20. & deinceps. item Actor. 13. vers. 1.* In os] κατὰ πρόσωπον. *Ad verbum, Secundùm faciem. Germani dicunt,* under augen/ *id est, sub oculis.* Ei restiti] *Eum propter hypocrisin reprehendi: sicut sequentia declarant.* Condemnandus] κατεγνωσμένος. *Ad verbum, Condemnatus. Heterosis. pro* καταγνωστὸς, *condemnandus seu condemnabilis, dignus qui condemnaretur, hoc est, cujus factum damnaretur peccati. Neque enim hoc de æterna hominis damnatione intelligendum est.*

12 A Jacobo] *Id est, Hierosolymis. Metonymia adjuncti. Sic apud Terent. Eamus ad me, id est, Eamus domum meam.* Cum Gentibus] *Cum præputiatis seu circumcisis.* Edebat] *Nempe quosvis cibos, etiam Lege vetitos.* Metuens eos, &c.] *Id est, Metuens ne eos offenderet, néve in eorum reprehensionem incurreret, tanquam contemtor vel certè transgressor legis Dei.* Eos qui erant ex circumcisione] *Id est, Christianos illos qui ex Judæis erant.*

13 Reliqui]

13 Reliqui] *Nempe qui jam antea Antiochiæ degebant.* Adeò ut etiam Barnabas simul abreptus fuerit] ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη. *Exaggerat illam Petri simulationem ex effectis per comparationem imparium. Porrò* ὥστε *hoc sensu cum indicativo constructum (quum usitatiùs regat infinitivum) crebrò reperitur apud Demosthenem.* Illorum simulatione] αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει. *Id est, Per illorum simulationem. Potest etiam verti,* In illorum simulationem, *id est, eò ut unà cum ipsis simularet: nempe se cærimonias Legis putare Christianis necessarias observatu.*

14 Sed quum] ἀλλ' ὅτε. *Pro,* ὅτε οὖν, *Quum igitur. Est enim quadam epanalepsis, quâ transit ad declarandum, quomodo Petro restiterit, eumq́ propter hypocrisin illam objurgarit.* Non recto pede incedere] ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι. *Elegans metaphora: qualis erat & illa prophetæ Eliæ, Quamdiu claudicabitis &c.* Ut veritati Evangelii congruebat] πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου. *Verbotenus, Ad veritatem Evangelii. Præpositio* πρὸς *hîc notat collationem & quasi commensum.* Si tu &c.] *Id est, Si tu ante adventum istorum usus es libertate vivendi Gentiliter, id est, quibusvis cibis vescendi more Gentium: quum tamen sis Judæus & non Gentilis: Ergò multò magis hanc libertatem permittere debes ipsis Gentibus: quippe quibus Lex cærimonialis non est lata, quiq́ in ea non sunt educati. At tu nunc cogis Gentes judaizare, tuo nimirum exemplo: quum nolis ampliùs illâ libertate uti.*

15 Nos naturâ Judæi] *Pergit recitare verba quibus reprehendit Petrum, usque ad finem capitis. Causam verò cur narratio seu recitatio instituta non videatur absolvi versu superiore, in Analysi indicavimus.*

16 Sed per fidem] ἐὰν μὴ διὰ πίστεως. *Ad verbum,* Nisi per fidem. *Est ellipsis formula exegetica,* τοῦτ' ἔστι. *Integra enim oratio esset,* Scientes, non justificari hominem ex operibus Legis: *id est, non justificari eum,* nisi per fidem. *Sententia tamen rectè exprimitur, si* ἐὰν μὴ *exponatur hîc per* ἀλλά. *Cujus quidem conjunctionis adversativæ vim persæpe habet: ut sup. 1. v. 7. 1. Corinth. 7. v. 17. Quod ipsum partim ex antithesi ipsarum rerum, partim ex origine conjunctionis* ἀλλὰ *intelligi potest. Nam* ἀλλὰ *ortum est è Syriaca voce* אֶלָּא *(elló:) quæ ipsa orta est è duabus vocibus Hebr.* אִם לֹא *(im ló,) quæ Græcè sonant* ἐὰν μὴ, *vel* εἰ μὴ. *Similia exempla vide Matth. 12. vers. 4. Johan. 15. vers. 4. Apoc. 9. vers. 4. & cap. 21. vers. 27* Non justificabitur ulla caro] οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ. *Ad verb.* Non justificabitur omnis caro. *Collocatio verborum Hebraica. Ordo nativus est, Omnis caro non justificabitur, pro quo Græci dicunt,* οὐδεμία σάρξ δικαιωθήσεται. *Latini verò,* Nulla caro justificabitur. *Hic Hebraismus etiam exstat Rom. 5. v. 20.* Caro] σάρξ. *Id est, Homo. Synecdoche membri Hebraica, quâ innuitur hominis infirmitas.*

17 Quærimus] ζητοῦντες. *Id est, studemus, cupimus.* Per Christum] ἐν Χριστῷ. *Pro,* διὰ Χριστοῦ. *Hebraismus.* Reperimur & ipsi peccatores &c.] *Sententia horum verborū, sicut & sequentium, quæ certè subobscura sunt, in analysi fusè ac dilucidè exposuimus.*

20 Vivit in me Christus] *Nempe per spiritum suum.* In carne] ἐν σαρκί. *Id est, in corpore: nempe in corpore hoc mortali.* Per fidem filii Dei] ἐν πίστει τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. *Id est, quâ credo in filium Dei, eiq́ confido ut unico meo servatori.* Dilexit me] *Vox fidei, beneficium omnibus credentibus atque electis commune, sibi specialiter applicantis.*

21 Non abrogo] οὐκ ἀθετῶ. *Scilicet meâ doctrinâ.* Gratiam Dei] τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ. *Quâ scil. nobis donavit Christum in justitiam: ut verba sequentia declarant.* Nam si] εἰ γάρ. *Conjunctio* γάρ, *posita est* ἐλλειπτικῶς. *Nam ex verbis præcedentibus poterat aliquis interrogare: Ergóne abrogares gratiam Dei, si doceres, nos justificari ex Lege? Maximè, inquit, nam si per Legem est justitia, Christus frustrà est mortuus: ac proinde gratia Dei abrogatur, quâ Christum pro nobis in mortem dedit.* Frustra] δωρεάν. *Ad verb.* Gratis. *Catachresis Hebraica. Rectè autem vertitur* Frustrà, *hoc est, sine fructu, seu (ut logicè loquamur) sine adeptione finis. nam finis mortis Christi fuit ut nobis mereretur remissionem peccatorum, atq́ adeò ut nos per justitiam morte ipsius partam nobisq́ imputatam justificaremur. quem finem certè ille adeptus non est, si justitia nostra per Legem est. Atq́ hanc expositionem simplicissimam & genuinam puto.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

Ministri verbi Dei. 1 Ex v. 2. ex verbis, *Ne quo modo frustra currerem.* Quum opinio discordiæ ministrorum Verbi impediat atque intercipiat prædicationis fructum: ministris elaborandum est ut de pia ipsorum concordia publicè constet.

Ministri verbi Dei. 2 Ex eodem versu, ex verbis: *Currerem aut cucurrissem.* In ministro Verbi requiritur ardens studium ædificandi Ecclesiam tum doctrinâ salvificâ, tum sanctâ vitâ. Confer 1. Cor. 9. vers. 19. & inde usque ad finem capitis. item 2. Tim. 4. v. 7. & 8. Actor. 20. v. 26. & deinceps. 1. Pet. 5. primis quatuor versibus.

Ministri verbi Dei. Adiaphora. 3 Ex v. 3. 4. & 5. Quum adiaphora obtruduntur Ecclesiæ tanquam observatu necessaria ad salutem: minister Verbi constanter istiusmodi doctoribus resistere debet, exemplo Pauli.

De facto Pauli circumcidentis Timotheum. 4 Ex iisdem versib. Quæritur, an Paulus egerit inconstanter, quòd Titum noluit circumcidi, & tamen circumcidit Timotheum, Act. 16. v. 3. Respondeo: Non egit inconstanter: quia utrumq́ egit bonâ ratione & studio promovendi gloriam Dei & Ecclesiæ ædificationem. nam Timotheum circumcidit propter Judæos infirmos, ne ab illius ministerio abhorrerent: at Titum circumcidi noluit propter Judæos pertinaces, ne exemplo isto abuterentur ad jactandum consensum Pauli de suo dogmate, quasi scil. circumcisio adhuc in novo Testamento sit necessaria ad salutem. *Titum verò circumcidere recusantis.*

Libertas Christiana. 5 Ex v. 4. Christus liberavit credentes novi Testamenti à Lege cærimoniali: quia ipse cærimonias illas sacrificio suæ mortis implevit. Vide Coloss. 2. v. 11. & deinceps Heb. 8. 9. & 10. Perversè igitur agunt Papistæ: qui cærimonias multas ac varias, & quidem ab hominibus excogitatas, in cultu Dei observant; earumque observatione Christianos in servitutem adigunt.

Auditores Evangelii. 6 Ex v. 6. Nemo in ministerio Ecclesiæ aut alio honoris gradu constitutus à nobis contemnendus est, propterea quòd olim fuerit obscurus ac plebejus: sed quemcunq́ Deus in aliquo honoris gradu collocare dignatus est ut in Ecclesia emineat, is à nobis in honore ac pretio habendus est. Interim quibus ita evehi contigit: illos pristinæ suæ conditionis semper memores esse decet, ut ne incidant in superbiam.

Evangelium. 7 Ex v. 8. Deus per ministerium Evangelii efficax est in cordibus electorum, efficiendo scil. in eis fidem & studium pietatis, unde pendet salus ipsorum æterna. Quare ministerio Evangelii reverenter utamur, Deumq́ oremus ut per illud tum in nobis, tum in aliis efficax esse pergat.

Ministri verbi Dei. 8 Ex v. 10. Ministrorum Ecclesiæ officium est, ut meminerint pauperum ad Ecclesiam pertinentium, magnoq́ studio alimenta necessaria eis procurent.

Ministri verbi Dei. 9 Ex v. 11. 12. 13 & 14. Qui publicè peccant, publicè etiam reprehendendi sunt: ut scandalum tollatur. Vide 1. Timoth. 5. versu 20.

Antilogia apparentis conciliatio. 10 Ex v. 15. Quum è Scriptura & experientia constet, omnes homines esse peccatores: quod ipsum Paulus in epistola ad Rom. ex professo tum de Gentibus tum de Judæis ostendit; cur igitur hîc Judæos peccatores esse negat? Respondeo: Peccatorum nomine hîc intelligit eos quibus peccata sua, tanquam alienis à fœdere gratiæ Dei imputantur: quo sensu Judæi, credentes quidem, peccatores non erant.

Justificatio. 11 Ex v. 16. Hominem coram Deo justificari solâ fide, clarum est ex verbis Apostoli. Quare falsum est dogma Papistarum, quòd justificemur partim fide, partim operibus. Nec juvat eos quòd dogma suum tueri conantur ex his ipsis Apostoli verbis, ut qui dicit, Quum sciremus, non justificari hominem ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi. quasi scilic. per vocabulum NISI notetur conditio, sub qua justificetur homo ex operibus Legis: nempe si ad opera accesserit fides. Nam vocabulum illud NISI hîc usurpatum esse pro particula adversativa, SED, declaravimus in scholiis: & id ipsum clarè liquet ex verbis sequentibus, ubi ait: Etiam nos in Christum Jesum credidimus: ut justificaremur ex fide Christi, ET NON ex operibus Legis. Quod quid aliud est, quàm ex fide SOLA: non autem ex fide & operibus simul? Cæterùm per fidem justificari dicimur, quatenus per fidem Deus nobis imputat justitiam, Roman. 4. vers. 6. seu quatenus per fidem nobis remittit peccata, nec illa nobis imputat, ibid. v. 7. & 8. seu denique quatenus nobis ad justitiam imputat satisfactionem Christi, qui mortem æternam pro nobis gustando, judicio ipsius pro nobis satisfecit, nobisque remissionem peccatorum (in qua nostra coram Deo justitia consistit) impetravit.

Justificatio. 12 Ex eodem versu. Quæritur, cur nemo justificetur ex operibus Legis: quum tamen Lex nihil præcipiat, nisi justum & sanctum? Causa est, quia nemo potest opera Legis eo quidem modo quem Deus requirit, præstare: id est, perfectè ex propriis viribus. Id quod Apostolus in epistola ad Romanos copiosè docet.

Lex. 13 Ex v. 17. 18. 19. & 20. Tametsi credentes non observant Legem hoc fine ut per eam justificentur: nihilominus tamen ejus observationi student, idque ut vivant Deo: hoc est, ut vivant justè & sanctè ad gloriam Dei, ut illi placeant. Et hanc ipsam observandi Legem facultatem per fidem in Christum crucifixum adipiscimur. Id quod fit hâc ratione: Per fidem agnoscimus, quàm detestabile malum sit peccatum: quippe quod aliter non potuerit expiari quàm morte filii Dei, eâque ignominiosissimâ, & (quod caput est) cum sensu iræ Dei conjunctâ. Hinc concipimus odium peccati, atque illud omni conatu fugimus: ne Deum benignissimum patrem offendamus, néve offendamus Christum qui propter nostra peccata tantos cruciatus tantamque ignominiam sustinuit: denique ne contristemus Spiritum sanctum, qui peccatum detestatur. Item per fidem agnoscimus, quanto beneficio nos affecerit Deus per Christum: quem tanquam filium unigenitum & unicè dilectum pro nobis dedit in mortem, atq́ ita nos indignos ab æterna morte liberavit. Itaque accendimur studio grati animi declarandi, ipsiq́ placendi per observationem mandatorum ejus.

Fides. 14 Ex v. 20. ex verbis, *Qui dilexit* ME, &c. Fidei natura est, ut beneficium redemtionis omnibus credentibus commune & communiter promissum, sibi speciatim applicet.

Mors Christi. 15 Ex versu 21. Notandus est finis mortis Christi: qui est, ut

nobis justitiam morte suâ partam donaret. Errant igitur Anabaptistæ: qui putant, Christum ideo tantùm pro nobis mortuum esse, ut nobis relinqueret exemplum patientiæ. Errant etiam illi, qui putant, Christum ideo tantùm pro nobis mortuum esse, ut nobis partem aliquam justitiæ, quâ coram Deo consistimus, acquireret: quasi scilicet reliquam partem illius justitiæ quæ nobis imputatur, acquisierit sanctâ suâ conceptione & sanctâ suâ vitâ. At, inquam, solâ suâ morte omnem illam justitiam nobis acquisivit: quippe sanguis ejus purgat nos ab omni peccato. Ut autem illam acquirere nobis suâ morte posset, videlicet tanquam sacrificio: necesse fuit ut & sanctè conceptus esset, & sanctè semper vixisset: ut victima esset sancta & sacerdos sanctus, ac proinde ut & hic & illa Deo placerent. unde Petrus ait 1.Pet.1. versu 19. nos esse redemtos pretioso sanguine Christi, tanquam agni immaculati: quibus verbis notat sanctitatem victimæ. Et Paulus ad Hebr. 7. versu 26. *Talis nos, inquit, decebat pontifex, sanctus, impollutus &c.* quibus verbis testatur de sanctitate sacerdotis.

ANALYSIS CAP. III.
ARGUMENTUM.

Hactenus narravit de suo apostolatu: cujus narrationis postrema pars fuit sermocinatio ipsius cum Petro: nunc quasi redit ad Galatas, ac primùm commendatâ Galatis Evangelii doctrinâ, demonstrat, hominem justificari fide, absq; operibus Legis, contrariasq; objectiones diluit, ac tandem Legem cærimonialem abrogatam esse ostendit.

O Amentes Galatæ, quis vos fascinavit ne obsequeremini veritati: quibus ob oculos Jesus Christus coràm fuit depictus, inter vos crucifixus?

2 Hoc solùm velim discere ex vobis, Ex operibus Legis spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei?

3 Adeò amentes estis? quum spiritu inceperitis, nunc carne perficimini?

4 Tam multa passi estis frustra? si modò etiam frustra.

5 Qui igitur suppeditat vobis spiritum, & efficit facultates in vobis; ex operibus Legis, an ex prædicatione fidei *suppeditat?*

PRimò omnium repetit objurgationem à qua epistolam inchoaverat sup. cap. 1. vers. 6. Sed hîc objurgat eos acriùs: objiciens eis amentiam, & seductionem pseudapostolorum appellans fascinationem; denique defectionem ipsorum amplificans collatione pari contrariorum: nam quò fideliùs atque evidentiùs Christi gratia apud eos prædicata fuit, eò turpior ac fœdior est ipsorum ab illa gratia defectio. Deinde v. 2. commendat eis doctrinam Evangelii à proprio effectu, videl. donatione Spiritus sancti: atque inde versu 3. deducit reprehensionem amentiæ ipsorum: ut qui à gratia Evangelii ad justitiam Legis deflectentes nihil aliud agant, quàm ut à spiritu ad carnem transeant, id est, à facili ac planâ salutis viâ ad difficilem, atque adeò impossibilem; quippe quum carni impossibile sit Legem implere: quum contrà per gratiam spiritus facile sit salutem in Christo consequi. Alii tamen per *Carnem* hîc intelligunt cærimonias Legis, in sua scil. natura consideratas, non autem quatenus suo tempore sacramenta gratiæ erant. Versu 4. præsenti ipsorum sinistro judicio de doctrina Evangelii opponit rectum eorum judicium pristinum, quum propter doctrinam Evangelii multiplicem persecutionem passi sunt, ad testandum scilicet, se doctrinam Evangelii pro vera ac certa habere. Simul autem eos hortatur ad constantiam in recto illo judicio, argumento ab inutili: quia alioqui passi fuerint frustra, hoc est, quia nullam mercedem nullúmve præmium à Deo accepturi sint pro iis perpessionibus quas Evangelii causâ sustinuerint. Versu 5. repetit commendationem illam Evangelii, versu 2. propositam: & huic affinem annectit, à visibilibus illis Spiritus sancti gratiis seu donis: quæ vocat δυνάμεις, id est, facultates.

6 Sicut & Abraham credidit Deo, & imputatum est ei ad justitiam.

7 Intelligitis igitur, eos qui ex fide sunt, esse filios Abrahæ.

Hîc incipit disputare quæstionem principalem, videl. de justificatione hominis coram Deo: ac primò, omnem hominem justificari fide, probat exemplo Abrahæ, tanquam patris credentium: quod argumentum est à pari. Quum enim idem sit fedus adoptionis cum Abrahamo ipsiusque filiis initium, nempe, *Ero Deus tuus & seminis tui post te:* quo federe justificationis gratia continetur: consequens est, ut qua ratione justificatus fuit Abraham, eâdem justificentur & filii Abrahæ. Atqui Abraham teste Mose Genes. 15. justificatus fuit fide. Ergo & filii Abrahæ, id est, omnes credentes, justificantur fide. Assumtio est versu 6. conclusio v. 7.

8 Prævidens autem Scriptura, Deum ex fide justificaturum Gentes, *id* ante-evangelizavit Abrahæ; Benedicentur, *inquiens*, in te omnes Gentes.

9 Itaque qui ex fide *sunt*, benedicuntur cum fideli illo Abraham.

Versu 8. argumentum illud ab exemplo Abrahæ alio testimonio Mosis confirmat, quo exemplum Abrahæ specialiter ad Gentes accommodatur. Illud exstat Genes. 12. v. 3. ubi Deus Abrahæ dicit, *Benedicentur in te omnes gentes. In te*, id est, in Christo ex te nasciturо, in quem tu credis & illæ tuo exemplo creditur æ sunt. Nam hunc esse istius particulæ sensum, liquet ex ipsa Apostoli conclusione v. 9. ubi ex verbis illis ita colligit, *Itaq; qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli illo Abraham.* Cùm ait, *Qui ex fide* sunt perinde est ac si dicat, Qui in Christum Abrahamo promissum & ex Abrahamo ortum credunt. Cùm ait, *Cum fideli illo Abraham*, perinde est ac si dicat, Ad exemplum fidelis illius Abrahæ.

10 Nam quotquot ex operibus Legis sunt, sub exsecratione sunt. Scriptum *est* enim, Exsecrabilis *est* quisquis non manserit in omnibus quæ scripta *sunt* in libro Legis ut faciat ea.

11 Nullum autem per Legem justificari apud Deum, manifestum *est*: quoniam justus ex fide vivet.

12 Lex autem non est ex fide: sed qui fecerit ea homo, vivet per ea.

Versu 10. per prolepsin causam exponit, cur non benedicantur qui ex operibus Legis sunt, hoc est, qui operibus Legis justitiam student consequi. Causam seu argumentum affert à contrario: Quia illi sunt sub exsecratione: id quod probat tali syllogismo:

> *Quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis ut faciat ea, maledictus est: intellige, nisi benedicatur ex gratia per fidem.*
> *At omnium hominum ea est conditio, ut quantumvis omnia Legis mandata servare studeant, servare tamen nō possint.*
> *Ergo omnes homines quantumvis justitiam ex operibus sectentur, maledictioni subjacent: exceptis iis qui ex gratia per fidem benedicuntur.*

Apostolus primùm ponit conclusionem: deinde prosyllogismum propositionis, nempe testimonium Scripturæ: tum ipsam propositionem. Assumtionem verò tanquam satis notam omittit. Est igitur hoc primum argumentum contra justitiam Legis: Ex lege oritur maledictio: non igitur benedictio aut justificatio. Huic annectit argumentum secundum vers. 11. & 12. quod etiam à contrario sumtum est. Syllogismus talis est:

> *Justitia & vita est ex fide.*
> *Lex autem non est ex fide.*
> *Ex Lege igitur non est justitia, nec vita.*

Apostolus primùm ponit conclusionem: deinde propositionem, confirmatam testimonio prophetæ Habakuk: postremò assumtionem, confirmatam à disparatis: Lex promittit vitam facientibus: non igitur credentibus, id est, exspectantibus vitam ex gratuito favore Dei absq; ullo suo merito, imò etiam contra sua merita. Merentur enim omnes mortem, quatenus omnes Legem subinde transgrediuntur.

13 At Christus nos redemit ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio: scriptum est enim, Exsecrabilis *est* quisquis pendet in ligno.

14 Ut ad Gentes benedictio illa Abrahæ perveniret in Christo Jesu, & ut promissum illum spiritum acciperemus per fidem.

Versu 13. per prolepsin respondet ad objectionem quæ oritur ex iis quæ dixit de exsecratione Legis. Quum enim nemo maneat in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis: sequitur inde, omnes esse sub maledictione. Respondet, Etsi per se omnes sub maledictione sunt: tamen nos qui in Christum credimus, à maledictione Legis per eum sumus redemti, dum ipse pro nobis factus est maledictio, suspensus nimirum de ligno crucis, propter nostra peccata quæ in se susceperat expianda. Christum autem hoc modo factum esse maledictionem, probat testimonio Scripturæ ex Deut. 21. v. 23. Versu 14. finem exponit, cur Christus factus sit pro credentibus maledictio: nempe ut in eos veniret benedictio Abrahæ promissa.

15 Fratres, humano more loquor. Hominis licet pactionem authoritate confirmatam nemo abrogat, aut *aliquid ei* superaddit.

16 Abrahæ verò dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, Et seminibus, ut de multis: sed ut de uno, Et semini tuo, qui est Christus.

17 Hoc autem dico, pactionem antè sancitam à Deo respectu Christi, Lex quæ post annos quadringentos

gentos & triginta cœpit, non facit irritam, ut aboleat promissionem.

18 Nam si ex Lege est hæreditas, non jam *est* ex promissione: Abrahæ verò per promissionem donavit Deus *hæreditatem.*

Versu 15. & deinceps usque ad v. 19. aliud argumentum affert, quo ostendit, hæreditatem illam cælestem seu vitam æternam non esse ex Lege. Argumentum est à contrariis: Hæreditas est ex promissione, nempe nudâ ac simplici seu gratuitâ: non igitur ex Lege, id est, promissione conditionali, si quis fecerit Legem, atq; ita faciendo vitam mereatur. Hoc argumentum amplificat à circumstantia temporis: Promissio data est ante Legem: Ergo non est abrogata per Legem. Hoc probat à minori: Pactio hominum authoritate confirmata relinquitur incommutata, ita ut nec abrogetur, nec ei aliquid superaddatur: Ergo multò magis pactio Dei, quæ multis annis ante Legem sancita fuit, incommutata relinquitur, nec per Legem abrogatur. Quæ autem sit illa pactio, declarat: nempe promissiones Dei Abrahamo datæ de paterno ipsius favore erga ipsum & semen ejus, id est, Christum, & quotquot Christo per fidem inseruntur. Hoc argumentum ita amplificatum v. 15. 16. 17. tandem Apostolus concludit syllogismo connexo, v. 18. ad hunc modum:

Si hæreditas est ex Lege, non jam ex promissione.
Atqui hæreditas est ex promissione: ut antè est declaratum.
Non igitur est hæreditas ex Lege.

19 Quid igitur Lex? Transgressionum gratiâ addita est, donec venisset semen illud cui facta est promissio: *Lex, inquam,* ordinata per angelos, per manum internuntii.

20 Internuntius autem, unius non est: Deus verò unus est.

Versu 19. occurrit objectioni: Si ex Lege non est hæreditas: frustra igitur videtur lata. Hoc Apostolus negat, & causam latæ Legis exponit: videlicet ut homines coargueret peccati. Simul etiam monet, quamdiu administratio illa Legis seu regimen Mosaicum in variis cærimoniis positum, debuerit durare, nempe usque ad adventum Christi. Postea ne videatur Legem parvifacere, commendat eam à ministerio angelorum quo Deus in ferenda lege fuit usus: eàdemque occasione meminit ministerii Mosis in legibus Dei à Deo accipiendis & ad populum perferendis: unde eum vocat mediatorem: quia sequester & medius fuit inter Deum & populum, Deut. 5. v. 5. Atq; hinc ostendit, Legem esse signum dissidii inter Deum & homines; ac proinde terrorem potiùs quàm pacem conscientiarum ex Lege oriri.

21 *Num* igitur Lex *addita est* adversus promissiones Dei? Absit. nam si data fuisset Lex quæ posset vivificare, verè ex Lege esset justitia.

22 Sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.

Objectio, quæ oritur ex præcedente argumentatione v. 18. Si ex Lege est hæreditas, non jam ex promissione. ubi Lex promissioni tanquam contraria opponi videtur. Id quod Apostolus hîc negat. Et meritò. Etsi enim contraria sunt hæc duo, Consequi hæreditatem ex Lege, id est, merito operum Legis; &, Consequi hæreditatē ex promissione, id est, ex merâ Dei promittentis gratiâ: tamen non propterea ipsa Lex promissioni contraria est. Hanc igitur contrarietatem quum Apostolus negavit, annectit prolepsin, quâ causam exponit, quî ergo fiat, quòd justitia non æquè sit ex Lege, atque ex promissione. Causam dicit hanc esse, quia Lex non vivificet, hoc est, quia Lex non habeat adjunctum spiritum vivificantem, quo scil. corda vivificentur, id est, vim concipiant ad Legem perfectè præstandum. quo fit ut Lex nihil aliud possit quàm convincere omnes homines peccati, atque ita eos adigat ad justitiam & vitam alibi quærendam, nempe in uno Christo per fidem apprehenso.

23 Antequam autem venisset fides, sub Legis præsidio tenebamur, conclusi in eam fidem, quæ erat revelanda.

24 Itaque Lex pædagogus noster fuit in Christum *respiciens,* ut ex fide justificaremur.

25 At postquam vênit fides, non ampliùs sub pædagogo sumus.

Deinceps monet, quis fuerit usus œconomiæ legalis; & inde infert, illam adventu Evangelii fuisse abolendam. Usum œconomiæ legalis duplicem fuisse docet: unum, ut Judæi velut præsidio quodam custodirentur in spe adventus Christi; alterum, ut de justitia & salute per Christum afferenda erudirentur, veluti à pædagogo quodam. Spes Judæorum alebatur, quia durante œconomiâ legali Deus subinde misit prophetas qui adventum Christi eis promitterent. Erudiebantur autem per cærimonias, ut circumcisionem, agnum paschalem, sacrificia, ablutiones. Per circumcisionem docebantur, Christum nasciturum ex semine Abrahæ, & circumcisurum corda ipsorum, auferendo scilicet peccatum sua morte, & renovando ad studium justitiæ suo spiritu. Per agnum Paschalem admonebantur, Christum tanquam agnum innocentem mactatum iri in cruce ad expiandum ipsorum peccata, atque ita liberandum eos è tyrannide Diaboli. Idem significabatur per alia sacrificia, item per aspersionem sanguinis & ablutiones: nempe sanguine Christi victimæ futuri, aspergi corda ipsorum per fidem, ut ita abluantur à sordibus peccatorum. Porrò quum hæc omnia per legalem œconomiam fuerint adumbrata ac præfigurata, tanquam suo tempore eventura: consequens est, ut quum res ipsæ fuerunt exhibitæ, umbræ illæ ac figuræ desierint. unde infert Apostolus: *At postquam vênit fides*, id est, tempus Evangelii quod fide apprehenditur, *non ampliùs sub pædagogo*, id est, sub lege seu legali illa œconomia, *sumus.*

26 Omnes enim, filii Dei estis, per fidem in Christo Jesu.

27 Nam quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis.

28 Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus ac fœmina; omnes enim vos unus estis in Christo Jesu.

29 Quòd si vos *estis* Christi; nempe Abrahæ semen estis, & secundùm promissionem hæredes.

Hactenus ostendit ex usu seu fine & scopo Legalis œconomiæ, illam jam adventu Christi esse abrogatam: nunc idem ostendit ex oppositione disparatorum. Omnes, inquit, filii Dei estis: Non igitur estis ampliùs servi: quales nimirum eratis sub Lege, sicut clariùs docebit initio capitis sequentis. Antecedens probat à causa instrumentali ὑοθεσίας seu adoptionis, inquiens, *Filii Dei estis per fidem in Christo Jesu.* nam ut Johannes testatur, Joh. 1. v. 12. quotquot Christum acceperunt, eis dedit Deus hanc potestatem ut filii DEI sint, nempe iis qui credunt in nomen ejus. Simul autem significat, nos per fidem Christo inseri, tanquam membra capiti, quum ait, *In Christo Jesu.*

Et hanc insitionem mox probat testimonio Baptismi, inquiens, *Nam quicunq; in Christum baptizati estis, Christum induistis.* ubi notandum, Paulum alloqui fideles, qui testimonio Baptismi credunt, ac proinde rem testatam fide percipiunt. Postea v. 28. particulam universalem *Quicunq;*, qua usus fuit, declarat per species: ut significet, gratiam Christi æquè ad Gentes incircumcisas pertinere, atq; ad Judæos circumcisos. Et illi specierum enumerationi rursum sententiam generalē subjicit, quà affirmat, omnes fideles (sive scil. ex Gentibus sint, sive ex Judæis) unum esse in Christo. Ex qua sententia vers. 29. deducit corollarium; nempe fideles esse semen Abrahæ. Ratio consequentiæ est; quia semen illud Abrahæ est Christus, cui fideles per fidem sunt insiti, ut dixit suprà v. 16. Postremò ex illo ipso corollario deducit aliud, nempe fideles esse hæredes vitæ æternæ secundùm promissionem. Ratio consequentiæ est; quia promissio vitæ æternæ facta est Abrahæ & semini ejus, sup. v. 16.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 O amentes] *ὦ ἀνόητοι. Exclamatio pathetica. qualis est & illa Christi ad duos discipulos euntes in Emmaus, ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ &c. Luc. 24. v. 25. Hactenus fuit recitatio verborum quibus Paulus reprehenderat Petrum Antiochiæ. Nunc iterum se convertit ad Galatas ad quos oratio hujus epistolæ est instituta: itaq; προσφώνησιν renovat.* Quis vos fascinavit?] *τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε; Verbum βασκαίνειν Grammaticis dictum esse placet quasi φασκαίνειν, id est, τοῖς φάεσι καίνειν, oculis occidere, quò pertinet illud Virgilii Eclog. 3. Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos. Nam interficiendi vim oculis fascinatoribus inesse, Plinius lib. 7. cap. 2. exemplis ostendit. Hoc loco videtur notare præstigias, qua præstigiator oculos alterius præstringit, ut pro veris rerum speciebus falsas apprehendant. Ab oculis autem ad mentem hîc translatum est: quasi dicat, Quis vos dementavit?* Veritati] *Nempe veritati cælesti quæ continetur in Evangelio.* Coràm fuit depictus] *προεγράφη. Sic malo quàm,* Priùs fuit depictus. *nam præpositionem πρὸ non puto referendam ad tempus, sed ad locum. Germanicè,* **Fürgemaalet/nemlich/für den augen**/ *ob oculos: sicut Apostolus ipse per pleonasmum declarat.* Crucifixus] *Id est, quasi crucifixus, nempe per graphicam illam & illustrem (id est, ut Græci loquuntur, ἐναργῆ καὶ πρὸ ὀμμάτων ποιοῦσαν) apostoli Pauli prædicationem.*

2 Discere] *μαθεῖν. Id est, cognoscere.* Ex operibus Legis] *ἐξ ἔργων νόμου. Id est, ex prædicatione operum Legis. Metonymia subjecti.* Spiritum] *τὸ πνεῦμα. Nempe Spiritum sanctum regenerantem. Confer Rom. 8. v. 15. item 2. Cor. 3. vers. 6. & 8. item Ephes. 1. v. 13.* Ex prædicatione fidei] *ἐξ ἀκοῆς πίστεως. Ad verb. Ex auditu fidei. hoc est, Ex prædicatione Evangelii de fide in Christum. Ponitur enim utrumq; nomen μετωνυμικῶς: ἀκοὴ, id est, auditus, pro prædicatione quæ auditur, per metonymiam adjuncti: πίστις, fides, pro doctrina de fide, per metonymiam subjecti. Sic Rom. 10. v. 16. & 17.*

3 Spiritu] *πνεύματι. Id est, ex virtute Spiritus sancti regenerantis.* Inceperitis] *Scilicet Deo servire, eiq; placere.* Carne] *σαρ-*

κὶ. Id est, viribus carnalibus seu naturalibus, quibus conamini opera Legis præstare, ut ita Deo placeatis. Perficimini] Id est, Perfici cupitis. quasi nimirum spiritus non sufficeret ad vos servandum & Deo commendandum.

4 Frustra] εἰκῆ. εἰκῆ pro μάτην. nam εἰκῆ, propriè significat Temere. Vide Rom. 13. v. 4. scholia nostra.

5 Spiritum] τὸ πνεῦμα. Nempe spiritum regenerationis: ut versu 2. quam sententiam hîc repetit: id quod innuit particula epanaleptica οὖν. Et efficit facultates] καὶ ἐνεργῶν δυνάμεις. Hîc annectit aliud Evangelii effectum, nempe collationem facultatum ad res præclaras miraculosè præstandum: verbi gratiâ, ad loquendum linguis peregrinis, ad sanandum ægrotos &c. Si quis tamen vocabulum δυνάμεων hîc malit specialiter intelligere de facultate edendi miracula insignia & in oculos incurrentia, sicut videtur accipi 1. Corinth. 12. v. 10. tum dicendum erit, ex una specie universum genus notari per synecdochen. Ex operibus Legis &c.] Expono ut suprà versu 2. itémque verba sequentia, ἐξ ἀκοῆς πίστεως, similiter & verto & expono. Observandum est autem, in hujusmodi interrogatione bimembri quæ constat hac formulâ, Illud ne an hoc, innui negationem prioris membri, & affirmationem posterioris. quasi dicatur, Non illud, sed hoc: ut hîc, Non ex operibus, sed ex fide.

6 Sicut &] καθὼς. Pro, καθὼς καὶ. Subjicit enim nunc exemplum ad confirmandum affirmationem quam innuerat præcedente interrogatione. Etsi enim Abraham non accepit peculiaria illa dona Spiritus sancti: tamen longè majora accepit: & omnino accepit spiritum, cujus operatione credidit contra spem sub spe.

7 Intelligitis igitur] γινώσκετε ἄρα. Hanc non esse apodosin collationis tanquam institutæ superiore versu, ex ipsa sententiarum collatione liquet. Etenim sententia versus sup. aliam apodosin postulat, nempe hanc: Sic & nobis credentibus imputabitur fides nostra ad justitiam: ut Rom. 4. vers. 23. & 24. Porrò verba hujus versiculi sic puto exponenda: Intelligitis igitur, nempe ex illo dicto Mosis de Abrahamo: eos qui ex fide sunt, esse filios Abrahæ. intellige, Ac proinde illis similiter justitiam imputatum iri, & hæreditatem Abrahamo promissam donatum iri.

8 Prævidens] προϊδοῦσα. Id est, Longe-antè videns. Scriptura] ἡ γραφὴ. Scil. sancta, ἡ ἁγία, id est, Deus: ut testatur Scriptura. Metonymia adjuncti.

10 Quotquot ex operibus Legis sunt] Id est, Quotquot per opera Legis suis ipsorum viribus præstita justificari conantur. Sub exsecratione sunt] Non igitur benedicuntur. Argumentum ab adversis.

13 In ligno] ἐπὶ ξύλου. Id est, in palo vel cruce lignea. Metonymia materiæ. Pendet] Nempe supplicii causâ.

14 Ut ad Gentes benedictio illa Abrahæ perveniret] ἵνα εἰς τὰ ἔθνη ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ γένηται. Sententia hujus loci hæc est: Christus nos redemit ab exsecratione Legis, ut benedictio illa Abrahæ promissa (de qua suprà vers. 8.) ad Gentes perveniret in Christo: quatenus nimirum illæ Christo inseruntur per fidem. Atque hinc patet, nos sup. vers. 8. rectè exposuisse, In te, id est, in Christo ex te nascituro. Benedictio illa Abrahæ] ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ. Id est, Benedictio illa Abrahæ promissa à Deo. Articulus ἡ est ἀναφορικὸς, respiciens ad dictum citatum sup. v. 8. Et genitivus notat objectum. Promissum illum spiritum] τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος. Ad verb. Promissionem illam spiritus. Hypallage Hebraica.

15 Aliquid ei superaddit] ἐπιδιατάσσεται. Ad verb. Superdisponit. Sed sensus commodè expressus est. nam relativum Ei refertur ad διαθήκην, pactionem: cujus notatio continetur ipso verbo διατάσσεσθαι.

16 Abrahæ verò dictæ sunt promissiones &c.] Quod ad hujus versus sententiam attinet: puto, Apostolum intelligere promissiones illas Abrahæ & ejus semini factas de terra Canaan, & de vitâ æternâ per illam significatâ. Itaque semen illud Abrahæ cui factæ sunt promissiones, intelligendum est partim de ejus posteris, quatenus carnali generatione ex eo orti sunt: his enim tandem terram Canaan Deus ex promissione attribuit: partim verò intelligendum est illud semen Abrahæ de Christo, & quotquot illi ex quavis gente inseruntur: ac de Christo quidem principaliter, ut qui constitutus est hæres universorum, Heb. 1. Christo enim vita æterna jam attributa est, & suo tempore plenè attribuetur omnibus iis qui in Christum crediderunt, credunt & credituri sunt. Qui] ὃς. Pro ὃ, scilicet σπέρμα: quod semen. Simile exemplum vide 1. Tim. 3. v. 15. Sic apud Cic. Carcer quod Tullianum vocant. Christus] χριστὸς. Nempe Christus mysticus, id est, Ecclesia: sicut 1. Cor. 12. v. 12. Nam quo minùs hoc intelligendum sit propriè, de sola scil. persona Christi: obstat primùm scopus Apostoli: qui est, ut probet, vitam æternam dari credentibus propter Christum, idque secundùm promissionem factam Abrahamo: ut patet ex versu 14. Deinde obstat absurdum hoc, quòd vita æterna soli Christo data esset.

18 Hæreditas] ἡ κληρονομία. Hæreditas illa cælestis Canaan, id est, vita æterna. Non jam est ex promissione] οὐκ ἔτι ἐξ ἐπαγγελίας. Ratio consequentiæ est: quia si est ex Lege, est ex merito: si verò ex promissione, tum est ex dono: at meritum & donum inter se adversantur. Confer Rom. 4. v. 14.

19 Quid igitur Lex?] τί οὖν ὁ νόμος; Id est, Cur igitur lata est Lex, si ex ea non est hæreditas? Transgressionum gratiâ] τῶν παραβάσεων χάριν. Scil. ostendendarum. Hoc est, ut hominibus ostenderet suas transgressiones, eosque peccati convinceret. Donec venisset] Id est, Quæ duraret donec venisset &c. nempe quod ad cærimonias attinet. Confer Coloss. 2. vers. 14. Semen illud] Nempe Christus, ex versu 16. Internuntii] μεσίτου. Ad verb. Mediatoris, id est, Mosis: ut rectè D. Beza exponit & confirmat. Vide Deut. 5. v. 5.

20 Internuntius autem unius non est] ὁ δὲ μεσίτης, ἑνὸς οὐκ ἔστιν. Occasione mentionis internuntii seu mediatoris quo Deus in Lege ferenda usus fuit, aliud argumentum affert contra justificationem ex Lege. quasi dicat: Mediator non est unius, sed duorum inter se dissidentium. Quum igitur in ferenda Lege opus fuerit Mose mediatore: signum hoc est, dissidium inter Deum & vos fuisse: quod quidem dissidium aliunde nasci non potuit, quàm ex eo, quòd vos essetis Legis transgressores. Quomodo igitur ex Lege quæritis justificari, ex qua propter vestras transgressiones exsistit Dei ira? Quòd verò annectit, Deus verò unus est, obscurum est, quem sensum habeat, & quomodo cum præcedente sententia cohæreat. Videtur autem hic esse sensus: Deus sibi semper constat suique similis est, ac proinde hodie non minùs quàm olim transgressoribus Legis irascitur. Quare quum Legis transgressores sitis, non est quòd ex Lege justificationem quæratis: quùm potiùs Dei ira vobis metuenda sit.

21 Vivificare] Id est, Spiritum vivificantem tribuere ad Legem perfectè præstandum. Verè ex Lege esset justitia] Nam si quis perfectam Legi præstiterit obedientiam, is ex Lege justus pronuntiabitur.

22 Scriptura] Id est, Deus in Scriptura. Similis est illa sententia Rom. 11. 32. Conclusit Deus omnes in contumaciam, ut omnium misereretur, hoc est, ut omnes quos servat, ex misericordia servaret, non autem ex merito. Omnia] τὰ πάντα. Id est, omnes homines: ut planum est tum ex re ipsâ, tum ex collatione dicti modò citati. Promissio] ἡ ἐπαγγελία. Id est, hæreditas promissa, nempe vita æterna. Metonymia adjuncti.

23 Fides] τὴν πίστιν. Id est, tempus Evangelii, quod fide apprehenditur. Metonymia adjuncti. Sub Legis præsidio tenebamur] ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα. Id est, Sub Lege tanquam præsidio tenebamur. φρουρεῖσθαι est præsidio custodiri: à nomine φρουρὰ, præsidium; vel φρουρὸς, custos seu miles præsidiarius: sic dictus per crasin & mutationem literæ tenuis in aspiratam, quasi προορὸς. προοράω, prospicio: sicut φροίμιον pro προοίμιον, φροῦδος, pro πρόοδος. Est autem post verbum tenebamur apponenda incisi nota. Conclusi] συγκεκλεισμένοι. Manet in metaphora. Sic enim apud Herodianum (teste Henrico Stephano in Thesauro) ista duo verba conjunguntur: φρουρουμένη καὶ κεκλεισμένη γενναίως ἡ πόλις. In eam fidem quæ erat revelanda] εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι. In Græco verba trajecta sunt, pro εἰς πίστιν τὴν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι. Sic Rom. 8. v. 18.

24 Ex fide] Quasi dicat, Et non ex cærimoniis Legis: quippe quæ nos non in se retinebant, sed ad Christum instar pædagogi ducebant: erudientes nos de justificatione per mortem Christi.

25 Postquam vênit fides] Id est, tempus fidei, hoc est, Evangelii. Metonymia adjuncti, ut v. 23. Sic autem hoc tempus appellatur κατ᾽ ἐξοχὴν: quia Evangelium tantùm postulat fidem; non etiam cærimonias, ut Lex. nam etiam tempore Legis fuisse fidem, certum est.

26 Filii] υἱοὶ. Scilicet jam adulti, non autem ampliùs infantes, aut opus habentes pædagogo. Sic exponit ipse Apostolus versu primo capitis sequentis.

27 In Christum] εἰς χριστὸν. Id est, in nomen Christi. Vide 1. Cor. 1. v. 13.

28 Non est Judæus, neque Græcus &c.] Id est, Deus non habet rationem istarum circumstantiarum, sitne aliquis Judæus an Græcus &c. sed quicunque in Christum credunt, eos pro filiis agnoscit. Unus estis] εἷς ἐστε. Id est, Veluti unus homo. In Christo Jesu] Id est, Quatenus Christo insiti estis per fidem.

29 Nempe Abrahæ semen estis] Ratio consequentiæ est, Quia Christo principaliter facta est promissio, tanquam semini Abrahæ.

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v. 1. ex verbis, O amentes Galatæ, quis vos fascinavit? Ministri
Quæritur, quatenus liceat ministro Verbi tam acriter objurgare verbi Dei.
suos auditores, ut etiam adhibeat verba contumeliosa? Respondeo: Licita & recta est istiusmodi objurgatio; quatenus non conviciandi animo suscipitur, sed emendandi & corrigendi illorum socordiam, eosque excitandi ad seriam considerationem cælestis ac salvificæ veritatis. Et talis est objurgatio Pauli. Talis etiam fuit illa Christi Luc. 24. v. 25. O amentes & tardi corde &c. Simili objurgatione licet quoque uti adversus veritatis divinæ hostes, seu falsos doctores, ad gloriam Dei asserendam: ut colligitur ex exemplo Christi, Matth. 20. v. 34. ubi Pharisæos appellat progeniem viperarum. Item v. 39. ubi eosdem nominat nationem malam & adulteram. Et cap. 23. ubi illos identidem vocat hypocritas. Et Johan. 8. ubi ait, Judæos illos incredulos esse ex patre Diabolo. Similiter & Johannes Baptista Pharisæos & Sadducæos progenies viperarum appellavit. Et Paulus adversarium articuli fidei de resurrectione corporum sic appellat, ἄφρον (id

est, ô

est, ô demens) quod tu seminas &c. 1.Cor.15.v.36. Quanquam hîc observandum quoque videtur decôrum personæ: neq; enim quemvis Verbi ministrum videtur decere, quod Christum, Johannem Baptistam & apostolum Paulum decuit.

Sacramenta. 2 Ex eodem versu, ex verbis: *Quibus ob oculos Christus coràm fuit depictus.* Quum idem sit scopus Sacramentorum qui est Verbi: consequens est, illa quoque Christum crucifixum nobis προγράφειν, id est, ob oculos depingere. Id autem præstant suâ analogiâ seu similitudine quam habent cum re significata: cujus proinde analogiæ respectu rectè nominantur rerum spiritualium imagines, typi, figuræ.

Evangelii. Officium hominis Christiani. 3 Ex v.2. Quum prædicatio Evangelii adjunctam habeat efficaciam Spiritûs sancti: studiosè igitur à nobis est audienda.

Justificatio. 4 Ex v.3. Qui justitiam ex observatione Legis quærunt, frustra laborant: quia carne (id est, corruptione naturali, seu per carnalem generationem innatâ) impediuntur quo minùs Legem perfectè possint præstare. Confer Rom.8.v.3. Quare justitiam quâ consistamus coram Deo, non in observatione Legis, sed in fide Evangelii quæramus.

Confessio Evangelii. 5 Ex v.4. Qui aliquid passi fuerint propter confessionem Christi, mercedem à Deo accipient: dummodo constanter Christo adhæserint. Etenim Christus talibus mercedem promisit, Matth.5.v.11.& 12. Dabitur autem ista merces ex gratia, non autem ex laborantium merito: ut docetur per parabolam de denario dato operariis qui laborant in vinea, Matth.20.

Justificatio 6 Ex v.6.& sequentibus notentur argumenta, quibus ostendit Apostolus, hominem coram Deo justificari fide in Christum, & non ex operibus Legis. Illa singula indicata & declarata sunt in analysi.

Mors Christi. 7 Ex v.14. ex verbis, *Ut ad Gentes benedictio illa Abrahæ perveniret.* Bene hîc notandum est, mortis Christi fructum à Paulo statui non solùm liberationem ab exsecratione Legis, sed etiam

Vita æterna. benedictionem, Abrahæ promissam, i.e. vitam æternam. Quare vita æterna non est ex sancta vita Christi, tanquam fructus illius, deducenda. Interim verum est, sanctam Christi vitam necessariò præcessisse, antequam hic fructus ex ipsius morte produceretur. Nisi enim victima à Christo oblata, fuisset sancta: non conciliasset nobis favorem Dei: qui unicus vitæ æternæ fons est.

Promissiones Dei. 8 Ex v.16. In Christo omnes Dei promissiones sunt Etiam & Amen, id est, ratæ. Hinc promissio Abrahæ facta de danda semini ipsius terrâ Canaan & vitâ æternâ per illam significatâ, exponitur de Christo tanquam semine principali. Etenim Christo principaliter promissa est vita æterna, tanquam primogenito inter multos fratres. Et propter Christum data est semini carnali Abrahæ terra Canaan: & propter eundem datur vita æterna semini spirituali Abrahæ, id est, omnibus qui vestigiis fidei Abrahæ tanquam patris credentium insistunt. Quare quicunque in Christum credunt, spem certam vitæ æternæ habent, propter infallibilem Dei promissionem.

Lex. 9 Ex v.17.18.& 19. Lex non est à Deo lata Judæis, ut per illius observationem justificarentur & vitam æternam consequerentur: sed ut illos coargueret peccati, ac proinde in eis crearet desiderium Christi, tanquam seminis illius cui principaliter facta erat promissio vitæ æternæ, & propter illum omnibus in ipsum credentibus. Aberrant igitur à scopo Legis, qui per eam justificari conantur.

Lex. 10 Ex v.19. ex verbis, *Ordinata per angelos.* Etsi per Legem non contingit nobis justitia & vita æterna: tamen Lex non est propterea contemnenda: sed est in honore ac pretio habenda: quum in illa ordinanda Deus usus sit ministerio sanctorum angelorum, & Mosis tanquam servi fidelis in domo sua. Et sanè Lex semper manet regula vitæ: quum in ea doceat Deus quomodo ipse à nobis coli velit. Cui regulæ omnes nostras actiones conformare debemus: & interim credere, defectus nobis non imputari propter satisfactionem Christi, qui omnium transgressionum nostrarum pœnas perfectè persolvit.

Lex. 11 Ex v.21.& 22. Etsi justitia non contingit homini ex Lege, sed ex promissione gratiæ: tamen Lex non est promissioni contraria. Quin potiùs Lex promissioni inservit: quatenus hominem peccati coarguens, quærere cogit peccati expiatorem, quem promissio ostendit.

Lex. 12 Ex v.21. Quòd justitia non est ex Lege: causa non est, quòd Lex non sit perfecta justitiæ regula: sed quòd prædicatio Legis non habet adjunctum spiritum vivificantem, id est, largientem auditori vires ad Legem perfectè præstandam.

Lex. 13 Ex v.23.24.& 25. De usu Legis cærimonialis, & ejusdem abrogatione, dictum est satis in analysi.

Fides. 14 Ex v.26. Inter fidei effecta est & υἱοθεσία, id est, adoptio, quâ Deus nos habet in numero filiorum propter filium illum unigenitum & summè dilectum. Confer Joh.1.v.12. Eph.1.v.5.& 6.

Baptismus. 15 Ex v.27. Baptismus testimonium divinum est credentibus, quòd Christum induerint seu Christo insiti sint, seu denique quòd propter illum filii Dei sint & hæredes vitæ æternæ. Errant autem qui ex his verbis Apostoli colligunt, singulos qui baptizantur, Christum induere & filios Dei effici: quum experientia testetur, non singulos qui baptizantur, fide donatos esse vel pòst donari: at sine fide nemo (saltem adultus) filius Dei efficitur. Simon magus fuit baptizatus: sed fide donatus non fuit; licet fidem sit professus: quo etiam sensu credidisse dicitur: Actor.8.versu 13.& deinceps.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Hoc caput in tres partes distingui potest: in quarum prima amplius disserit de abrogatione Legis cærimonialis: in secunda suam erga Galatas benevolentiam testatam facit: in tertia novum argumentum contra justificationem ex Lege affert.

HOc autem dico; Quamdiu hæres infans est, nihil differt à servo; quamvis sit dominus omnium:

2 Sed sub tutoribus & curatoribus est usq; ad tempus quod pater præfinierit.

3 Ita & nos, quum essemus infantes, sub elementis mundi eramus in servitutem redacti:

4 At postquam venit plenum tempus, emisit Deus filium suum factum ex muliere, factum Legi subjectum:

5 Ut eos qui Legi erant subjecti, redimeret: ut adoptionem acciperemus.

6 Quoniam autem estis filii; emisit Deus spiritum filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, *id est*, Pater.

7 Itaque non ampliùs es servus, sed filius: quòd si filius, etiam hæres Dei per Christum.

8 Imò tum quidem ignorantes Deum, serviebatis iis qui naturâ non sunt dii.

9 At nunc quum cognoveritis Deum; imò potiùs cogniti sitis à Deo: quomodo convertitis vos retrorsum ad impotentia & egena elementa; quibus, ad superiora regressi, servire vultis?

10 Dies observatis & menses, & tempora, & annos.

11 Metuo de vobis ne frustra fatigatus sim apud vos.

PRima capitis pars cohæret cum præcedentibus tanquam ἐπεξεργασία, id est, expolitio & uberior declaratio. Declarat enim pluribus verbis discrimen illud inter ecclesiam Israëliticam & ecclesiam Christianam: quod discrimen superiore capite v.25.& 26. significaverat his verbis: Nos non ampliùs esse sub pædagogo, id est, cærimoniis Legis, quia simus filii Dei, scilicet adulti, qui jam fruamur jure filiorum. Itaq; cærimonias Legis illic comparavit pædagogo; & paulo antè v.23. comparavit easdem custodi seu militi præsidiario: nunc tertiam similitudinem affert, quâ comparat illas tutori: cui quamdiu subest hæres, nondum fruitur jure filii, nempe libertate; sed est quodammodo conditione servili. Ita fideles veteris Testamenti etsi hæredes erant, tamen adhuc erant sub cærimoniis Legis tanquam sub tutore, ac proinde non fruebantur libertate illa, qua jam nos fruimur. Fruebantur illi quidem libertate conscientiæ: per fidem enim certi erant, se liberatos esse à peccato & Diabolo & morte: sed portare tamen cogebantur jugum multarum ac variarum cærimoniarum: quod jugum per adventum Christi, quem cærimoniæ præfigurabant, ab humeris nostris ablatum est. *Act.15.v.10.* Protasis similitudinis continetur v.1.& 2. apodosis verò tertio, quarto & quinto. In protasi tutelam finiri monet ex ordinatione patris: *Vide Instit. Justin. lib.1. tit.22.* non quòd non plures sint tutelæ finiendæ modi, sed quòd iste congruebat huic proposito. Sicut enim pater certum tempus præfinit quo filius à tutoribus liberetur: sic Deus pater certum tempus præfiniverat quo populus suus liberaretur à cærimoniis Legis. Porrò cærimonias vocat elementa mundi: quia Deus illis tanquam rudimentis veterem mundum erudiit. Plenitudinem temporis seu plenum tempus vocat tempus illud providentiâ Dei ordinatum & constitutum, ut eo expleto filius Dei in carnem veniret. Præterea ait, filium Dei subjectum factum esse Legi, ut eos qui sub Lege, id est, sub maledictione Legis erant, redimeret.

Adoptionis nomine hîc intelligit fruitionem adoptionis, seu juris ac libertatis filiorum, quod ad cærimonias attinet. Vers.6. aliud argumentum affert ad probandum, Galatas esse filios Dei, ac proinde liberos à cærimoniis Legis. Hoc argumentum sumtum est à proprio adjuncto: nam solis Dei filiis donatur spiritus filii Dei, id est, Spiritus sanctus, ut in eorum cordibus generet filialem fiduciam erga Deum. Hanc autem fiduciam in eis esse, ostendit ex effectu, videlicet confidente invocatione Dei. Spiritum sanctum vocat spiritum Filii, non quòd non etiam sit spiritus Patris: sed quòd per eum obsignetur nostra in illo adoptio, & ut notet filialem affectum quem Spiritus sanctus in credentibus gignit. Spiritum sanctum dicit clamare, id est, excitare clamorem in fidelibus, sicut ad Rom. cap.8.v.26. ait, Spiritum sanctum interpellare pro nobis suspiriis ineffabilibus. Clamor au-

tem hic non tam oris quàm cordis est: quum cor ad Deum ex filiali fiducia ingemiscit ac suspirat. Nomen Dei quem fideles ut patrem invocant, bis ponit: Hebraicè nimirum & Græcè: quo innuit, filios Dei tam ex Græcis seu gentibus incircumcisis, quàm ex Hebræis colligi. Versu 7. argumentum proximum concludit, & inde per corollarium deducit conclusionem quæstionis principalis, nempe hæreditatem cælestem esse ex fide in Christum: non autem ex Lege seu merito operum. Versu 8. per prolepsin corrigit sententiam quæ ex dictis poterat colligi, quasi scilicet Galatæ olim fuissent sub cærimoniis Legis. Imò, inquit, fuistis sub servitute longè duriore quàm sit servitus cærimoniarum. Serviebatis enim diis falsis & commentitiis: quippe qui verum Deum ignorabatis. Fuerant enim ethnici & idololatræ. Vers. 9. pristinæ Galatarum ignorantiæ opponit præsentem lucem cognitionis Dei ex Evangelio, atque inde deducit ipsorum reprehensionem, quâ concludit propositum, nempe non debere eos cærimoniis Legis servire: id quod pseudapostoli urgebant. Quòd autem cærimonias Legis impotentia & egena elementa vocat, facit propter opinionem pseuapostolorum & Galatarum, qui per earum observationem quærebant gratiam Dei, quam tamen illæ conferre nequaquam poterant. Et impropriè loquitur, quum ait, *Quibus, ad superiora regressi, servire vultis*: quia, ut dictum est, nunquam antea cęrimoniis Legis servierant. Vers. 10. nomen illud generale elementorum declarat per speciem, nempe dies festos: quos Galatæ, more Judaico, religiosè observabant. Vers. 11. subjungit tristem exclamationem, affirmans, se metuere ne frustra Evangelium Galatis prædicaverit: quibus verbis illos & gravissimè ob cærimoniarum Legalium observationem reprehendit, & simul ab ea deterret argumento ab effectu inutili: quia sic futurum sit, ut Christus nihil eis prosit, quemadmodum expresse ait infr. cap. 5. v. 2. Et hactenus est prima pars hujus capitis.

12 Estote quasi ego: nam & ego *sum* quasi vos: fratres, rogo vos. nihil mihi fecistis injuriæ.

13 Nostis autem, me per infirmitatem carnis vobis priùs evangelizasse:

14 Et experimentum mei quod *fiebat* in carne mea, non pro nihilo habuistis, neque respuistis: sed me ut angelum Dei, ut Christum Jesum, excepistis.

15 Quæ igitur *tum* erat beatitudo vestra? testimonium enim reddo vobis: vos, si fieri potuisset, oculos vestros effossos daturos mihi fuisse.

16 Itaque *num* inimicus factus sum vobis, dum vobis vera loquor?

17 Depereunt vos non bene; imò excludere nos volunt, ut se depereatis.

18 Præclarum est autē, vehementer amare in re bona semper, & non solùm dum præsens sum apud vos.

19 Filioli mei (quos iterum parturio, usquequò formetur Christus in vobis)

20 Velim sanè nunc adesse apud vos, & mutare vocem meam: quoniam hæsito in vobis.

Hæc est secunda pars capitis, ubi acerbitatem præcedentis reprehensionis mitigat significatione suæ erga eos benevolentiæ, & commemoratione humilis suæ ac modestæ apud ipsos conversationis, nec non benevolentiæ ipsorum erga se: præterea commonefactione de fraude pseudapostolorum, item cohortatione ad constantiam in sese tanquam sincero apostolo ac fideli ipsorum doctore amando: denique significatione sui desiderii ac studii in ipsis erudiendis & in viam veritatis reducendis. Hæc agit usque ad v. 21.

21 Dicite mihi qui sub Lege vultis esse, Legem non auditis?

22 Scriptum est enim, Abrahamum duos filios habuisse: unum ex ancilla, & unum ex libera.

23 Sed is qui ex ancilla *natus est*, secundùm carnem natus est: qui verò ex libera, per promissionem.

24 Per quæ aliud figuratur. Nam hæ sunt duæ illæ pactiones, una quidem ex monte Sina, ad servitutem generans: quæ est Agar.

25 Ista enim Agar, est Sina mons in Arabia: eâdem autem serie respondet ei Hierosolymæ quæ nunc *est*, servitque cum filiis suis.

26 Illa verò quæ sursum est Hierusalem, libera est: quæ est mater omnium nostrûm.

27 Scriptum est enim, Lætare sterilis quæ non paris: erumpe & clama quæ non parturis. quoniam plures sunt liberi desertæ, quàm ejus quæ habet virum.

28 Nos igitur fratres, secundùm Isaac promissionis filii sumus.

29 Sed quemadmodum tunc is qui secundùm carnem genitus fuerat, persequebatur eum qui natus erat secundùm spiritum: ita & nunc *fit*.

30 Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus: nequaquam enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

31 Nempe, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ.

Hîc tertia pars capitis sequitur, ubi testimonio ipsius Legis eos redarguit; ostendens, non rectè ipsos facere qui per fœdus Legale justificari velint, non autem per promissionem sive fœdus gratuitum. Hoc testimonium sumtum est ex libro primo Mosis, videl. ex historia de duobus filiis Abrahæ, Ismaële & Isaac: in quibus naturam ac discrimen duorum Dei federum cum populo suo pactorum animadvertere licet. Nam per matrem Ismaëlis Agarem ancillam significatur pactio Legalis: (sicut enim Agar cum Ismaële in Arabia vixit, sic mons Sina in quo Lex est lata, in Arabia situs est) per Saram autem matrem Isaaci significatur pactio evangelica seu promissio gratiæ: nam Sara Isaacum vi promissionis genuit. Jam consideretur utriusque pactionis natura & effecta. Quemadmodum igitur Agar genuit Ismaëlem secundùm carnem, id est, ordinariâ vi naturæ, ad servitutem: sic & Lex. nam justitiarii, id est, qui per Legem justificari volunt, (sicut tunc faciebant Judæi plerique) confidunt viribus naturalibus & rebus carnalibus seu externis, ut cærimoniis externisque operibus: sed quum per vires suas non possint perfectam Legi præstare obedientiam, subjacent maledictioni Legis, ac proinde instar servorum ejiciuntur è familia Dei, nec hæreditatem cælestem adipiscuntur. Contrà quemadmodum Sara genuit Isaacum per promissionem, id est, non vi naturæ, (erat enim & sterilis & effœta) sed vi fidei quam habuit promissioni Dei, dicentis, *Post annum revertar, & erit Saræ filius*: & genuit ad libertatem, ita ut Isaac tandem frueretur hæreditate paternâ: sic & Evangelium seu promissio gratiæ. nam qui per Evangelium justificantur, nempe fideles, illi non confidunt viribus naturalibus: sentiunt enim, se iis destitutos esse ad perfectam Legi obedientiam præstandum: sed gignuntur filii Dei per promissionem gratiæ, quatenus Spiritus sanctus efficit, ut promissioni gratiæ quæ ipsis annuntiatur, credant, & hac fide adoptentur in filios Dei, ac tandem hæreditatem promissam consequantur. *Gen. 18. 10.*

Diagramma propositæ similitudinis.

1 *Agar.*	Lex & Jerusalem terrena.	1 *Sara.*	Evangelium & Jerusalem cęlestis.
2 *Ismaël.*	Justitiarii.	2 *Isaac.*	Fideles.
3 *Generatio secundùm carnem.*	Justificatio per opera.	3 *Generatio secundùm spiritum.*	Justificatio per fidem.
4 *Ejectio ex familia Abrahæ.*	Ejectio ex familia Dei.	4 *Hæreditas bonorum Abrahæ.*	Hæreditas vitæ æternæ.

Apostolus primùm proponit hoc argumentum indicatione generali, significans, se argumentum ad errorem ipsorum redarguendum allaturum ex Lege, id est, ex libris Mosis: simulque authoritatem huic testimonio conciliat ab ipsorummet judicio & confessione: quippe qui Legem tanti faciant, ut sub ea esse cupiant, v. 21. Deinde exponit testimonium illud Legis, videlicet historiam de duobus filiis Abrahæ, v. 22. & 23. quæ est similitudinis institutæ protasis. Tertiò historiam illam allegoricè seu analogicè exponit de duobus illis Dei federibus, legali & gratuito: v. 24. 25. 26. 27. quæ est similitudinis institutæ apodosis. Quartò argumentum expositum applicat ad Galatas: quos affirmat esse filios promissionis, sicut Isaac. quibus verbis significat, eos per promissionem gratiæ adoptatos esse à Deo, ac proinde hæreditatem vitæ æternæ exspectare debere ex eadem illa promissione, non autem ex observatione Legis, v. 28. Quintò consolatur eos contra persecutionem & odium justitiariorum, primùm ab exemplo Isaaci, quem similiter persecutus fuit Ismaël, irridendo, promissiones illi datas: deinde ab eventu seu remuneratione, quia sicut Ismaël tandem ejectus fuit ex familia Abrahæ, nec particeps fuit hæreditatis paternę: ita futurum sit ut justitiarii isti tandem ex familia Dei ejiciantur, ipsi verò tanquam filii promissionis, hæreditatem vitæ æternæ possideant, v. 29. 30. 31.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Hoc autem dico] λέγω δέ. *Pro*, τοῦτο δὲ λέγω. *Id est, Quod autem dixi, Legem fuisse nostrum pædagogum ad Christum, (suprà c. 3. v. 24.) illud sic intelligo & declaro.*

2 Qùum essemus infantes] ὅτε ἦμεν νήπιοι. *Id est, quum essemus adhuc rudes.* Sub elementis mundi] ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου. *Id est, Sub cærimoniis quibus Deus veterem mundum erudiit.* In servitutem redacti] δεδουλωμένοι. *Nam magna servitus erat, obligatum esse ad obeundum tot cærimonias, easque & operosas & sumtuosas.*

4 Plenum tempus] τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου. *Ad verb. Plenitudo*

temporis,

temporis, vel potius complementum temporis. Id est, Posteaquam completum fuit tempus à Deo præfinitum. Emisit] ἐξαπέστειλεν. Nempe è cælo. Sic enim dicit Christus, se descendisse è cælo, Joh.6. v.33. Videtur posse verti, Ablegavit, scil. à se. sic namque ait Christus, se à Deo exivisse, Johan.8.v.42. Factum] γενόμενον. Sive ortum, id est, Qui à Deo emissus, venit in carnem (ut loquitur Johannes) ortus ex muliere: nempe ex Maria virgine: quæ dicitur mulier ratione sexus.

5 Ut eos qui Legi erant subjecti &c.] ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον. Scilicet ὄντας. Hoc est, Qui erant sub maledictione Legis. Synecdoche generis. Sic Rom.6.v.14. Redimeret] ἐξαγοράσῃ. Nempe pretioso suo sanguine in cruce effundendo. Sic enim redemit eos à maledictione Legis, factus pro eis maledictio in cruce, supr.c.3.v.13. Adoptionem] τὴν υἱοθεσίαν. Id est, fruitionem adoptionis seu juris ac libertatis filiorum, tum quod ad cærimonias attinet, tum quod ad gustum paterni favoris Dei.

6 Filii] υἱοί. Nempe filii Dei, impetrato scil. vobis jure filiorum morte filii unigeniti. Clamantem] Id est, per quem clamamus: ut loquitur Rom.8. v.15. Sic dicit, Spiritum interpellare pro nobis suspiriis ineffabilibus, Rom.8.v.26. Est metonymia efficientis.

7 Quòd si filius, etiam hæres] Confer Rom.8.v.17.

8 Tum quidem] Scil. quum adhuc durarent cærimoniæ Legis. Ignorantes Deum] Non quidem prorsus, (nam noverant quadantenus ex operibus creationis, Rom.1.) sed qualem se verbo suo patefecit. Iis qui naturâ non sunt dii] τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. Collocatio adverbii μὴ, innuit antithesin: quasi expressè dicat, μὴ φύσει, ἀλλὰ δόξῃ. Similis ellipsis est Rom.8.v.12. Nisi malimus, particulam μὴ trajectam esse, ut sæpè trajicitur οὐ.

9 Cogniti sitis] γνωσθέντες. Id est, In filiorum numerum à Deo recepti, quos ille novit ut suos, seu agnoscit pro suis. Idem verbum alio sensu repetitum per ἀνάκλασιν, figuram Apostolo familiarem. Similem locum vide 1.Cor.8.v.3. Retrorsum] πάλιν. Id est, ἀνάπαλιν. Ad impotentia & egena elementa] Sic vocat cærimonias Legis, respiciens ad falsam opinionem Galatarum, qua putabant, illas conferre gratiam Dei. Ad superiora regressi] πάλιν ἄνωθεν. Hoc impropriè de Galatis dicitur, ut qui cærimoniis Legis nunquam servierant. Talis catachresis exstat Ruth 1.v.10.& 22. ubi Ruth dicitur cum socru Noomi in terram Judah rediisse, in qua tamen nunquam fuerat.

10 Dies] Nempe dies festos in Lege præscriptos. Observatis] Nempe religiosè.

11 Frustra] εἰκῇ. Id est, μάτην, sine fructu. Fatigatus sim] κεκοπίακα. Scil. prædicando Evangelio.

12 Nam & ego] ὅτι κἀγώ. Conjunctio καὶ redundat eleganter: imò non planè videtur otiosa, quum collationem innuat parium. Nihil mihi fecistis injuriæ] οὐδέν με ἠδικήσατε. Breviter & eleganter. Ad verbum, Nulla in re me affecistis injuriâ. nam ante οὐδὲν subauditur κατὰ. Ellipsis Græca.

13 Per infirmitatem carnis] δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκός. Id est, per varias afflictiones. Caro pro conditione corporis.

14 Et experimentum mei &c.] Id est, afflictiones quibus Deus me exploravit. Ut Christum Jesum] Quippe pro quo legatione fungebar.

15 Quæ igitur tum erat beatitudo vestra?] τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; Id est, Quàm igitur tunc eratis beati? Quasi dicat, Eratis igitur tunc beatissimi: quippe animis optimè affecti erga doctrinam Evangelii & me, qui illam vobis annuntiabam. Interrogatio vim habet admirandi: & μακαρισμὸς ponitur pro μακαριότης. Oculos vestros effossos daturos mihi fuisse] Id est, tanto amore me fuisse complexos, ut etiam rem vobis clarissimam mihi impertiri non recusaretis. Synecdoche speciei hyperbolica.

16 Itaque num inimicus &c.] Interrogatio vim habet negandi. Vis autem & cohærentia sententiarum hæc est, quasi dicat, Quum igitur vos erga me præsentem tam alacres ostenderitis, tantoque amore me amplexi fueritis: non debebatis me nunc pro inimico habere.

17 Depereunt vos] ζηλοῦσιν ὑμᾶς. Metaphora à procis: quibus comparat pseudoapostolos: ut qui non possint in amandis Galatis ferre Paulum tanquam rivalem. Excludere] ἐκκλεῖσαι. Nempe ab amore vestri. Manet in metaphora. Nos] ἡμᾶς. Id est, me Paulum. Non enim legendum ὑμᾶς, vos: ut ex sententia ipsa planum est. Syrus tamen videtur legisse, εἰσκλεῖσαι ὑμᾶς: vel συγκλεῖσαι ὑμᾶς: ut qui verterit לְמֶחְבְּשְׁכוֹן lemechbaschcûn, id est, includere vel concludere seu coërcere vos. Imò] ἀλλά. Correctio. quasi dicat, Pseudapostoli illi non tam depereunt vos, quàm suâ hypocrisi hoc agunt, ut vos depereatis (id est, in summo pretio habeatis) ipsos, me penitus excluso.

18 Vehementer amare] ζηλοῦσθαι. Puto, hoc rectius referri ad Galatas quàm ad Apostolum: quia verbum ζηλοῦτε de illis proximè dictum hic repetit. quasi dicat, Pseudapostoli hoc agunt, ut se vehementer ametis, me excluso: at vos me debetis vehementer amare in re bona: hoc est, quum habeatis justam amandi mei causam: quia scil. etiam absens, in sana de Christo doctrina vos erudio. Et non solùm] καὶ μὴ μόνον. His verbis exponit & declarat adverbium proximè precedens, πάντοτε, id est, Semper. Itaque καὶ vim habet ἐξηγητικόν.

19 Quos] οὕς. Præcessit τεκνία. Ergo constructio refertur non ad vocem, sed ad sensum. Interim parturio] πάλιν ὠδίνω. Quasi dicat, Peperi quidem vos ante hoc tempus, quum apud vos Christum prædicavi: sed quoniam ab illa doctrina defecistis, nunc iterum vos parturio, hoc est, maximo cum dolore enitor ut veritatem Evangelii recuperetis. Metaphora. Formetur] μορφωθῇ. Puto, Apostolum respicere ad formationem fœtus in utero, atque ita in metaphora instituta permanere. Mulier enim gravida non tunc solùm videtur ὠδίνειν, id est, parturire, quum pariendi tempus adest, quumque fœtum jam enititur: sed toto gestationis tempore, hoc est, quamdiu fœtum in utero gestat: qui primùm informis paulatim formatur, non absque variis gravidæ molestiis. Innuit igitur Apostolus, Christum, id est, Christi cognitionem in Galatis esse quidem nonnullam: sed veluti rudem adhuc & informem: quam ipse studeat in hac epistola ad perfectam formam adducere.

20 Velim sanè] ἤθελον δέ. Cohæret hic versus cum præcedente in eadem periodo: & δὲ ponitur pro δὴ, sicut Col.1.21. sicut etiam accipi potest supr.cap.2.v.4. Velim mutare vocem meam] Id est, non ita asperè vos alloqui, ut feci in hac epistola, ut supr.cap.3.v.1. sed blandè, instar matris. Hæsito in vobis] Id est, Dubito, qualinam voce apud vos uti debeam, asperâne an blandâ, ut vos in viam reducam & rursus Christo lucrifaciam.

22 Dicite mihi] Jam blandiùs eos alloquitur, quasi familiariter cum eis colloquens. Rhetores hanc figuram ἀνακοίνωσιν, id est, communicationem nominant. Legem non auditis?] Interrogatio vim habet reprehendendi. q.d. Hoc certè non decet, vos Legem non audire, quum tamen velitis sub Lege esse. Est autem hîc antanaclasis in vocabulo Legis: quod primùm accipitur propriè, deinde metonymicè pro libris Mosis. Similis antanaclasis est Rom.3.v.21.

22 Scriptum est enim] γέγραπται γάρ. Conjunctio γὰρ, posita est προληπτικῶς. quasi interrogarint Galatæ: Num igitur Lex idem docet quod tu? Respondet, Maximè. Scriptum est enim in Lege &c. Unum] Nempe Ismaëlem. Ex ancilla] Scil. Agar. Et unum] Nempe Isaacum. Ex libera] Scil. Sarâ.

23 Secundùm carnem] Per vires carnis secundùm ordinem naturæ. Nam Agar erat liberis pariendis per naturam apta. Per promissionem] Quæ exstat Gen.17.v.19. & c.18.v.10.

24 Hæ sunt duæ illæ pactiones] αὗται εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι. Vel, Hæc sunt duo illa fœdera seu testamenta, nempe vetus & novum. Una quidem] μία μέν. Scilicet pactio, διαθήκη. Ex monte Sina] ἀπὸ ὄρους Σινᾶ. Scilicet προελθοῦσα, provecta. Ad servitutem generans] Nam Lex in monte Sina lata, servilem timorem incutit. Quæ est Agar] ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ. Id est, Quam pactionem significat Agar, seu cujus figura est Agar. nam ordo subjecti & prædicati hic est inversus.

25 Eâdem serie respondet] συστοιχεῖ. Id est. Similis est. nam in diagrammate similitudinis observatur συστοιχία, coordinatio, ut similia è regione inter se ponantur. Ei Hierosolymæ quæ nunc est] τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ. Scil. οὔσῃ. Id est, Illi genti Judaicæ, quæ nunc Hierosolymis degit.

26 Quæ sursum est] ἡ ἄνω. Scil. οὖσα. Nostrum enim πολίτευμα est in cælis, Philip.3.

27 Scriptum est] Scil. Esa.54.v.1. Lætare] Sunt verba Prophetæ ad ecclesiam Christianam: quam vocat sterilem & desertam respectu initii, quum ecclesia Judaica adhuc duraret.

28 Secundùm Isaac] κατὰ Ἰσαάκ. Id est, Sicut Isaac. Promissionis filii] Id est, Geniti per promissionem Evangelii.

29 Tunc] Scil. tempore Abrahæ. Is qui secundùm carnem &c.] Nempe Ismaël. Persequebatur] Nempe irridendo. Gen.21.v.9. Secundùm Spiritum] Vi fidei quam Abraham & Sara habuerunt promissioni Dei de gignendo Isaaco. Ita & nunc fit] Ita & nunc carnalis Israël spiritualem persequitur.

30 Scriptura] Id est, Deus in Scriptura. Ejice] Sunt verba Saræ ad Abrahamum de Agare & Ismaële è domo sua ejiciendis: sed profecta ex instinctu Dei: quippe quæ Deus paulò post approbavit & confirmavit, quum displicuissent Abrahamo. Vide Gen.21. v.10.11.& 12.

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex quinque primis versibus. Notandum est discrimen quoddam veteris & novi testamenti. Nos in novo testamento beatiores sumus quàm illi qui vixerunt in veteri: quia illorum conditio quasi servilis fuit. Etsi enim credentes tum quoque libertate conscientiæ fruebantur; ut qui per fidem scirent, se liberatos esse à peccato, Diabolo & morte propter sacrificium Christi futurum: tamen subjecti erant servituti obeundi multas ac varias cærimonias: à quarum observatione nos per Christum sumus liberati. *Discrimen V.& N.T.*

2 Ex v.4. Est hîc illustre testimonium de persona Christi & duabus in ea naturis. Emisit, inquit, Deus filium suum factum ex muliere. Si emissus est, ergo fuit antequam mitteretur: quid autem aliud fuit, nisi Deus cum Patre & Spiritu sancto? Deinde factus est ex muliere, id est, creatum est ei corpus ex semine & substantiæ Mariæ virginis: quare simul verus homo est. *Christus.*

3 Ex v.5. Considerandum hîc, quomodo & quatenus à Lege redemti simus per Christum. Sumus autem redemti partim à maledictione Legis, partim à cærimoniis; idque per mortem Christi, quatenus nimirum ipse pro nobis factus est maledictio in cruce, supr.3.v.13. Atque huc pertinet illud Johannis cap.1. vers.16. Lex per Mosen data est: gratia & veritas per JESUM *Liberatio à Lege.*

CHRISTUM *exstitit.* Vocabulo *gratia* docet, nos redemtos per Christum à maledictione Legis: nomine autem *veritatis* docet, nos redemtos à cærimoniis tanquam symbolis ac figuris rerum à Christo reipsa præstandarum.

Spiritus S. 4 Ex v.6. Quum Spiritus sanctus sit tam Filii Spiritus, quàm Patris: consequens est, eum tam à Filio quàm à patre procedere: contra opinionem ecclesiæ Græcæ.

Fides. 5 Ex eod.v. Quicunque præditus est vera fide, is ex illa fide Deum ut patrem invocat.

Gemitus. Preces. 6 Ex eod.vers. Gemitus filiorum Dei (id est, credentium in Christum) à Deo exaudiuntur: quia instar clamoris sunt in auribus Dei. Confer Rom.8.v.26.& 27.

Fides. 7 Ex v.7. Quicunque in Christum credit, est hæres Dei: hoc est, vitæ æternæ quam Deus credentibus tanquam filiis suis daturus est. Confer Rom.8.v.17.

Antilogiæ apparentis conciliatio. 8 Ex v.8. Quæri potest, cur dicat Paulus, Galatas, antequam fidem Christianam essent amplexi, Deum ignorasse: quum tamen idem Rom.1. de Gentibus à fide Christiana alienis affirmet, eas Deum cognovisse, idque ex operibus creationis. Respondeo: Galatas Deum ignorasse dicit, non quòd eum prorsus non cognoverint, sed quòd notitiam ejus ex operibus creationis perceptam suffocârint & tantùm non exstinxerint, dum pro diis coluerunt homines mortales & idola. Hanc esse mentem Pauli percipitur ex verbis quæ subjungit, *Serviebatis iis qui naturâ non sunt dii.*

Idololatria. 9 Ex eodem versu, ex verbo: *Serviebatis*, ἐδουλεύσατε Ecce cultum idolorum vocat δουλείαν. Inane igitur & futile est discrimen illud quod excogitarunt Papistæ inter δουλείαν & λατρείαν: quum dicunt, se soli Deo tribuere λατρείαν, Sanctis verò δουλείαν.

Festa. 10 Ex v.9.10.11. Quum dies festi in novo Testamento abrogati sint, ut liquet ex hoc loco Pauli: sequitur, impropriè hodie à nonnullis appellari festum nativitatis Christi, festum paschæ, festum pentecostes, & si quæ similes appellationes in usu sunt. Etenim festa omnia abrogata sunt, tanquam umbræ rerum futurarum, id est, beneficiorum futurorum per Christum: ut percipitur ex verbis Apostoli Col.2.v.16.& 17. Et festum propriè loquendo est publica & solennis cærimonia, à Deo mandata, ut certo anni tempore cum singulari lætitia obeatur, ad gratias agendum Deo pro certo aliquo beneficio in populum suum collato. Sicut ex inductione exemplorum, puta festi paschæ, pentecostes & tabernaculorum colligere promtum est. Atqui tale mandatum in novo Testamento nullum habemus.

Ministri verbi Dei. 11 Ex v.12.& sequentibus usque ad 21. Pastor Ecclesiæ, exemplo Pauli, prudenter dispiciat quomodo tractandi sibi sint sui auditores: ut scilicet, prout ædificatio eorum postulare videbitur, nunc graviter eos objurget: sicut fecit Paulus suprà in principio capitis tertii: nunc verò suaviter & blandè eos alloquatur, ut idem facit hoc loco.

Auditores Evangelii. 12 Ex v.14.&15. Ministri verbi Dei in pretio ac honore habendi sunt, tanquam angeli Dei, imò tanquam ipse Christus. unde & Christus apostolis dicebat, *Qui vos recipit, me recipit.* Confer 1.Cor.4.v.1.& 2.Cor.5.v.20.

Officium hominis Christiani. 13 Ex v.16. Non debet à nobis pro inimico haberi qui nos reprehendit, vera loquens.

Fides. 14 Ex v.19. Prædicatione Evangelii fides in Christum gignitur. Confer 1.Cor.4.v.15.Philem.v.10.

Interpretatio Scripturæ. 15 Ex v.21.& sequentibus usque ad finem capitis. Interpretatio hæc allegorica historiæ de Sara & Agar, non est trahenda in exemplum. Nam de Paulo non est fas dubitare, quin hanc interpretationem (sicut alia quæ scripsit omnia) illi dictaverit Spiritus sanctus: at idem de interpretationibus allegoricis aliorum affirmari non potest. Nimium autem in isto interpretandi genere sibi indulserunt olim Origenes & Philo Judæus.

Consolatio. 16 Ex v.29.30.& 31. Contra persecutiones justitiariorum, videlicet Papistarum, qui volunt justificari ex operibus, & nos propter illius opinionis rejectionem persequuntur: consolemur nos partim exemplo pii Isaaci, cui similis persecutio accidit ab Ismaële; partim exemplo Christianorum tempore Pauli, quibus idem accidit à Judæis: partim denique ac præcipuè, quòd Deus decrevit hæreditatem vitæ æternæ dare nobis, non illis.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

In hoc capite primùm eos hortatur ad constantiam in libertate Christiana, usq; ad v.13. Deinde annectit tertiam epistolæ partem, ubi ad varia pietatis officia eos hortatur.

IN libertate igitur quâ Christus nos liberavit, perstate: & ne regredientes implicamini servitutis jugo.

2 Ecce, ego Paulus dico vobis; si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum.

3 Testor enim rursum omni homini qui circumciditur, eum esse debitorem totius Legis servandæ.

4 Christus vobis factus est otiosus, quicunque per Legem justificamini: à gratiâ excidistis.

5 Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus.

6 Nam in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium: sed fides per charitatem agens.

7 Currebatis pulchrè: quis vos inhibuit, ut non obsequeremini veritati?

8 Hæc persuasio non *est profecta* ex eo qui vocat vos.

9 Paulum fermenti totam massam fermentat.

10 Ego confido de vobis in Domino, vos nihil aliud esse sensuros: sed qui turbat vos, portabit judicium, quisquis fuerit.

11 Ego autem, fratres, si circumcisionem etiam prædico; quid adhuc persecutionem patior? nempe abolitum est offendiculum crucis.

12 Utinam etiam abscindantur qui vos inquietant.

VErsu 1. continetur hortationis propositio, è superiori doctrina deducta atque conclusa, & antithesi illustrata Docuit, fideles esse liberos: quippe qui sint filii promissionis, id est, regeniti per promissionem gratiæ, & fide à Deo adoptati: nunc hortatur ad constantiam in hac libertate qua Christus nos liberavit, nempe ab observatione cærimoniarum Legis: quam hîc vocat servitutis jugum: quo nomine (videlicet jugi) etiam Petrus in Actis utitur. Vers.2. hortationis institutæ argumentum affert ab effectu inutili: cujus argumenti expositionem amplificat asseveratione. *Ecce, inquit, ego Paulus dico vobis: Si circumcidamini*, nempe hac mente ut pseudapostoli volunt, ut nimirum per circumcisionem ac omnino per Legem justificemini: *tum Christus nihil vobis proderit.* Quid ita? Nempe quia Christus iis tantùm prodest qui de sua ipsorum justitia quæ est ex Lege, desperantes, confugiunt fide ad promissionem gratiæ, & in hac promissione remissionem peccatorum merito mortis Christi partam fide amplectuntur. Vers.3. rationem exponit, cur Christus non prosit iis qui volunt per circumcisionem justificari: nempe quia qui justitiam quærit in circumcisione, is pari ratione tenetur eam quærere in reliquis operibus Legis, atque ita debitorem se constituit totius Legis servandæ. Quam cùm servare nemo possit: necesse est maledictionem Legis incumbere iis qui justitiâ operum seu Legis confidunt. Vers.4. repetit argumentum illud ab inutili: *Christus, inquit, factus est vobis otiosus quicunque per Legem justificamini.* hoc est, qui justificari volunt per Legem, ii seipsos spoliant justitiâ partâ morte Christi: quæ tamen omnibus ad vitam æternam consequendam necessaria est. Ratio est: quia justitia Legis affert Deo hominis meritum: at justitia parta morte Christi meritum hominis excludit, quippe quæ illi donatur ex mera Dei gratia. Unde addit, *A gratia excidistis.* quasi dicat, Gratia Dei erga hominem justificandum, & meritum ipsius hominis justificandi, non possunt simul stare. quare merito hominis posito, gratiam Dei tolli necesse est. Vide Rom.11.6. Vers.5. affert argumentum à contrario, ut ostendat, neminem justificari per circumcisionem ac omnino per Legem. *Nos, inquit, exspectamus spiritu spem justitiæ ex fide.* quasi dicat, Non igitur ex observatione Legis. Nomen *spei* hîc ponitur metonymicè pro re speratâ, nempe vitâ æternâ: quæ est justitiæ fructus. Sic Tit.2.13. *Spiritus* nomine intelligit Spiritum sanctum, fidei effectorem: quem tacitè opponit viribus naturalibus justitiariorum, quibus conantur vitam æternam promereri. Sententia igitur est, Nos speramus & exspectamus vitam æternam tanquam justitiæ fructum, ex fide quam Spiritus sanctus in nobis efficit, quaque nobis justitia parta morte Christi imputatur. Vers.6. rationem exponit superioris sententiæ, cur scilicet ex sola fide exspectemus vitam æternam, non autem partim ex fide, partim ex circumcisione aliisque operibus Legis. Ratio est, Quia in Christo sola fides ad justificandum valet. hoc est, quia qui per Christum justificari vult, is non potest simul justificari per Legem: sed necesse est ut per fidem in solo merito Christi acquiescat. Circumcisionem solam fidei opponit: etsi reliqua Legis opera simul intelligat: quia pseudapostoli circumcisionem potissimùm urgebant. Deinde circumcisioni adjungit præputium: ne Gentes sibi ob præputium suum placerent, & Judæos ob circumcisionem contemnerent: quippe quòd nihil horum valeat ad hominem justificandum. Præterea ne Judæi possent objicere, nulla sibi relinqui exercitia pietatis, si tollantur cærimoniæ Legis: monet Apostolus, fidem actuosam esse in exercendis officiis charitatis: atque ita veram fidem à propriis effectis describit. Vers.7. & deinceps institutam exhortationem, quâ eos ad constantiam in libertate Christiana & veritate seu puritate Evangelii hortatur, amplificat à contrario, videlicet reprehensione inconstantiæ ipsorum, & falsæ persuasionis de necessitate circumcisionis ac omnino de justificatione per Legem: simulque monet ut ab ista persuasione diligenter sibi caveant, tanquam à fermento, quo puritas Evangelii corrumpatur. Ac ne acerbitate reprehensionis eos offendat, mitigat illam significatione suæ persuasionis de illorum obsequio in-

quio: interim tamen pœnam Dei minatur pseudapostolis qui ipsos seducebant. Tandem suum ipsius exemplum eis imitandum proponit: ut qui propter puritatem Evangelii de remissione peccatorum per solum Christum crucifixum non recuset persecutionem pati. Postremò zelo gloriæ Dei & Galatarum charitate inflammatus, imprecatur istis pseudapostolis interitum: ut qui libertate per mortem Christi partâ spoliare ipsos velint.

DE SECUNDA PARTE.

13 Vos enim ad libertatem vocati estis, fratres: tantùm ne libertatem *arripite ut datam* carni occasionem, sed ex charitate servite alii aliis.

14 Nam tota Lex uno verbo completur, isto *videlicet*, Diliges proximum tuum ut teipsum.

15 Quòd si alii alios mordetis & devoratis, videte ne vicissim alii ab aliis consumamini.

16 *Hoc* autem dico; Spiritu incedite, & quod concupiscit caro, nequaquam perficietis.

17 Nam caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis.

18 Quòd si spiritu ducimini, non estis sub Lege.

19 Porrò manifesta sunt opera carnis: quæ sunt adulterium, scortatio, impuritas, protervia,

20 Idololatria, veneficium, inimicitiæ, lites, æmulationes, excandescentiæ, rixæ, dissidia, hæreses.

21 Invidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia; de quibus prædîco vobis, sicut & prædixi: eos qui talia agunt, regni Dei non fore hæredes.

22 At fructus spiritus, est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia.

23 Adversus ejusmodi non est Lex.

24 Qui enim *sunt* Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.

25 Si vivimus spiritu, spiritu etiam incedamus.

26 Ne simus inanis gloriæ cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invidentes.

Vers. 13. mirabili artificio transit ad tertiam epistolæ partem, ubi eos ad studium pietatis exhortatur. Simile transitionis exemplum exstat ad Rom. 8. v. 17. Transit autem per quandam prolepsin. nam cùm dixisset, ipsos vocatos esse ad libertatem: ne Galatæ hoc intelligerent de licentia vitæ, quasi Christianis liceret vivere ut libêret: hanc cogitationem antevertit, & à licentia ista carnali dehortatur: contraque hortatur ad quoddam servitutis genus, nempe ut alii aliis serviant ex charitate. Charitatem igitur tanquam fontem & caput officiorum Christianorum proponit. Quòd autem ait, totam Legem præcepto de dilectione proximi contineri: id vel ad posteriorem Legis tabulam restringendum est; vel potiùs ita intelligendum, quòd dilectio proximi dilectionem Dei in sese tanquam effectus causam includat. nam sicut qui proximum non diligit, is nec Deum diligit: ita contrà qui proximum verè diligit, is etiam Deum diligit: quum ea demum vera proximi dilectio sit, qua eum diligimus propter Deum, nempe ut obediamus ac placeamus Deo, qui nobis proximi dilectionem præcepit. Vide 1. Johan. 4. v. 20. & 21. Vers. 15. specialiter dehortatur à contentionibus & criminationibus aliisque injuriis, argumento ab effectu inutili, videlicet consumtione seu ruina atque interitu ecclesiæ ipsorum. Vers. 16. remedium ostendit contra morbum illum contentionum & injuriarum: simulque causam eorum aperit. Causa est concupiscentia carnis, id est, cordis, quatenus adhuc carnale est, hoc est, corruptum vitio originali, necdum renatum per Spiritum sanctum. Remedium est, ambulare spiritu, id est, vivere ex instinctu Spiritus sancti secundùm Legem Dei. Vers. 17. affert rationem consequentiæ connexi præcedentis. Nam etsi versiculo præcedente non est expressum connexum: sunt tamen duæ sententiæ more Hebræorum ita inter se copulatæ, ut posterior ex priore deducatur atque inferatur. nam perinde est ac si diceret, *Spiritu ambulate: nam si hoc feceritis, tum concupiscentiam carnis nequaquam perficietis.* Nam verba illa, οὐ μὴ τελέσητε, non sunt reddenda, *Ne perficite*, quod Græcè est, μὴ τελεῖτε: sed, *Nequaquam perfeceritis seu perficietis.* Istius igitur connexi consequentiam hîc probat à natura contrariorum: quia caro & spiritus inter se è regione adversantur, quo fit ut qui secundùm spiritum vivit, is non possit vivere secundùm carnem. Nomine *carnis* intelligit corruptionem naturæ nobis innatam; contrà nomine *spiritus* intelligit naturam reformatam, seu gratiam regenerationis per Spiritum sanctum. Vers. 18. aliud argumentum affert, cur debeant ambulare spiritu, sicut hortatus fuit v. 16. Argumentum hoc est ab effectu utili: quia sic intellecturi sint, se non esse sub Lege, id est, sub maledictione Legis. nam qui spiritu ducuntur, adversus eos non est Lex, sicut ipsemet ait infrà v. 23. Cujus rei ratio est, quòd ductus ille Spiritus sancti certum testimonium est adoptionis, ac proinde fidei in Christum. Qui autem fide insiti sunt Christo, in iis condemnatio Legis locum non habet, eò quòd obedientia passionis ac mortis Christi ipsis ad justitiam imputatur, Rom. 8. v. 1. Vers. 19. & deinceps declarat per partes quod in genere dixit de carne & spiritu: ac primùm enumerat aliquot opera carnis: eique enumerationi comminationem annectit exitii æterni: ut ita argumento ab effectu inutili ab operibus istis deterreat. Subest autem illi comminationi tacita conditio resipiscentiæ: nempe nisi, qui talia agunt, per gratiam Dei resipuerint, certum exitium sibi attracturos. Similis comminatio exstat 1. Cor. 6. v. 9. & 10. cui mox v. 11. sententia subjicitur, ex qua intelligitur illa quam dixi conditio. Vers. 22. enumerat quædam effecta spiritus; quæ nominat fructus, ut significet, illas virtutes earumque actiones Deo placere instar pulcherrimi suavissimique fructus. Vers. 23. per quoddam epiphonema repetit sententiam paulò antè dictam v. 18. nempe argumentum illud ab utili. Adversus eos, inquit, qui sunt ejusmodi, hoc est, qui virtutibus enumeratis operam dant, atque ita fructus spiritus proferunt, adversus tales non est Lex, hoc est, Lex illos non condemnat: propter causam expositam. Vers. 24. sententiæ præcedenti tanquam syllogismi propositioni annectit assumtionem, ut concludat, Galatas non esse sub Lege. Syllogismus ita est:

Qui ducuntur spiritu, ac proinde proferunt fructus spiritus, illi non sunt sub Lege, v. 18. & 23.

Atqui qui sunt Christi, illi ducuntur spiritu: quia carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis ipsius.

Ergo qui sunt Christi, (quales nimirum vos estis) ii non sunt sub Lege.

Porrò *crucifigendi* verbo innuit causam efficientem regenerationis, nempe Spiritum sanctum morte crucis à Christo sacerdote electis impetratum. Confer Rom. 6. v. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. V. 25. ad exhortationem redit, eamque ex præcedentibus verbis deducit ad hunc modum:

Si vivimus spiritu, spiritu etiam incedamus, id est, fructus spiritus proferamus, sanctè scilicet vivendo.

Atqui vivimus spiritu: quia nimirum mors carnis cum vita spiritus conjuncta est: nos autem carnem crucifiximus atque adeò mortificavimus.

Ergo spiritu incedamus.

Vers. 26. ad speciales exhortationes accedit, prout noverat, Galatas certis vitiis esse obnoxios: à quibus eos dehortatur: ac primùm quidem ab ambitione, obtrectatione & invidia.

SCHOLIA IN CAP. V.

2 Si circumcidamini] *Nempe hoc animo, ut per circumcisionem justificemini. Synecdoche generis.*

4 Christus vobis factus est otiosus] κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. *In Græco est hypallage, emolliendi causâ: quia duriùs sonat,* ὁ Χριστὸς ὑμῖν κατηργήθη. *Talis hypallage est Rom. 6. v. 4.* ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ. *pro,* ὁ νόμος ἐθανατώθη ὑμῖν. *Similis sententia est supr. cap. 2. v. ult. Si per Legem est justitia, Christus frustra mortuus est.* Justificamini] *Id est, justificari vultis.* A gratia] τῆς χάριτος. *Pro,* ἐκ τῆς χάριτος, *Et à gratia. Asyndeton accommodatum* τῇ γοργότητι, *id est, celeritati orationis, ad exprimendum animi affectum.*

5 Spiritu] *Id est, per gratiam & virtutem Spiritus sancti, qui in nobis efficit fidem: sicut statim sequitur,* Ex fide. Spem justitiæ] *Id est, vitam æternam quam Deus promisit justis, quæque ex illa promissione speratur. Spes igitur pro re sperata dicitur per metonymiam adjuncti: Spes autem justitiæ vocatur à causa efficiente, eò quòd ex justitia nascatur.*

7 Currebatis pulchrè] *Id est, Per fidem veritatis Evangelii strenuè tendebatis ad vitam æternam, tanquam ad præmium vobis propositum. Metaphora ab iis qui in stadio currunt.* Veritati] *Nempe Evangelii.*

8 Hæc persuasio] *Scilicet vestra, quâ nimirum vobis persuasum est, Legis observationem conjungendam cum fide Christi, tanquam causam justificationis.* Ex eo qui vocat vos] *Id est, Ex Deo, qui per Evangelium vos vocat ad communionem sui.*

9 Paulum fermenti] *Intelligit fermentum falsæ doctrinæ. Metaphora.*

10 Portabit judicium] βαστάσει τὸ κρίμα. *Id est, justâ pœnâ à Deo afficietur.*

12 Abscindantur] ἀποκόψονται. *Nempe à corpore Christi quod est Ecclesia. Videtur autem alludere ad nomen circumcisionis quam isti urgebant.*

13 Ad libertatem] ἐπ' ἐλευθερίᾳ. *Pro,* εἰς ἐλευθερίαν. Carni] *Id est, corrupta natura ex carnali generatione orta.*

16 Nequaquam perficietis] οὐ μὴ τελέσητε. *Vide analysin: illic enim hujus versionis rationem reddidimus.*

17 Quæcunque volueritis] ἃ ἂν θέλητε. *Nempe secundùm carnem. Id est, quæ carni adlubescunt. Augustinus hæc verba exponit de desiderio carendi concupiscentiis carnis. Sed illa expositio videtur postulare aliam phrasin, nempe,* ὥστε μὴ ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιεῖν. *Vide Augustin. retract. lib. 1. cap. 24. sub finem: item, De verbis*

Apostoli, sermone tertio. Veruntamen ἵνα *pro* ὥστε *etiam alibi reperitur: ut supr. c.1. v.17. Apoc. 13. v.13.*

21 De quibus] ἃ. *Pro,* περὶ ὧν.

22 Fructus spiritus] ὁ καρπὸς τοῦ πνεύματος. *Id est, opera spiritus, hoc est, quæ spiritus in credentibus operatur. Opponitur enim hoc ei quod dixit v.19.* Opera carnis. *Sed Apostolus consultò usus est hac metaphorâ, ad opera pietatis commendanda: quippe quæ Deo suavia, id est, grata & accepta sint instar suavissimi fructus.*

23 Adversus ejusmodi] κατὰ τῶν τοιούτων. *Sive intelligas* τὰ τοιοῦτα, *talia, nempe tales fructus spiritus, quales modò sunt commemorati: sive* τοὺς τοιούτους, *tales, scil. homines qui fructibus illis spiritûs sunt præditi: res eodem redit, ac idem sensus manet.*

24 Carnem] *Id est, pravam suam naturam.* Crucifixerunt] *Respicit ad crucem Christi, atque ita innuit causam quæ credentes movet ut pravis suis cupiditatibus resistant: nempe quatenus perpendunt, peccatum tam tetrum esse malum in conspectu Dei, ut non nisi sanguine filii Dei potuerit expiari.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

Libertas Christiana. 1 Ex v.1. Libertas Christiana studiosè conservanda ac tuenda est: nec committendum ut nobis jugum cærimoniarum Papisticarum aut similium imponi sinamus.

Justificatio. 2 Ex v.2.3. & 4. Justificatio per fidem & justificatio per opera, non possunt simul consistere. Errant igitur Papistæ, qui docent, nos partim fide partim operibus justificari.

Fides. 3 Ex v.6. Vera in Christum fides, actuosa est per charitatem. Fieri enim non potest quin qui verè credit, se indignum à Deo per Christum à morte æterna esse liberatum, idque per mortem illius acerbissimam atque ignominiosissimam: quin, inquam, is pro tanto beneficio Deum diligat, & proximum propter Deum. Quare ubi nulla est dilectio, ibi nec fides est.

Ministri verbi Dei. 4 Ex v.9. Solicitè cavendum ne quid falsi admisceatur veritati doctrinæ cælestis, etiamsi illud non ita magni momenti esse videatur: quia fermentum, licet exiguum sit, tamen totam massam fermentat.

Ministri verbi Dei. 5 Ex v.10. Quum turbatores ecclesiarum judicium Dei portaturi sint: ergo singuli ab ecclesiis turbandis sibi caveant.

Imprecatio. 6 Ex v.12. Quæri potest, an rectè fecerit Paulus quòd pseudapostolis imprecatus est æternum exitium. Respondeo: Rectè fecit: quia fecit inflammatus zelo gloriæ Dei & salutis Galatarum: non autem ex cupiditate vindictæ privatæ.

Libertas Christiana. 7 Ex v.13. Libertas Christiana non est licentia agendi quod carni libet: sed est liberatio à cærimoniis & à maledictione Legis, non autem à Legis obedientia. Quin potiùs quo quis magis libertatem Christianam intelligit, sibique illam donatam esse novit: eò studiosiùs Deo liberatori servit, ejusque mandatis obedit.

Dilectio. 8 Ex v.14. Dilectio proximi dilectionem Dei conjunctam sibi habet: quoniam ex illâ oritur. quippe ea demum vera proximi dilectio est, quâ diligitur proximus propter Deum. Atque sic non pugnat hæc sententia Pauli revocantis summam Legis ad unum caput dilectionis proximi, cum sententia Christi revocantis eandem ad capita duo, videl. dilectionis Dei & dilectionis proximi, Matth. 22. v.37.38.39. & 40.

Officium hominis Christiani. 9 Ex v.15. Contentiones vitandæ sunt: quia afferunt interitum Ecclesiæ.

Regeneratio. 10 Ex v.17. In regeneratis lucta est inter carnem & spiritum. Falsa igitur est opinio Perfectistarum. Confer Rom.7. v.14. & deinceps: ubi ipse Paulus luctam istam in sese agnoscit ac describit.

Ductus Spiritus sancti. 11 Ex v.18. Qui Spiritu sancto ducuntur, illi sciunt, se non esse sub maledictione Legis, quia sciunt, se esse filios Dei: ac proinde obedientiam suam, quamvis imperfectam, Deo placere.

Officium hominis Christiani. 12 Ex v.19.20. & 21. Opera carnis quæ hic ab Apostolo recensentur, vitanda sunt: quia hominem excludunt ab hæreditate regni Dei. Confer 1. Cor. 6. v.9. & 10.

Bona opera. 13 Ex vers.22. Virtutes & bona opera Deo placent, tanquam dulcissimi fructus. Sunt autem illa fructus & effecta Spiritus sancti in nobis: non igitur efficiuntur vi liberi (quod vocatur) arbitrii.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Pergit in institutis exhortationibus usque ad v.11. Deinde epistolam concludit commonefactione de fraude pseudapostolorum.

FRatres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliquo lapsu, vos spirituales instaurate hujusmodi hominem cum spiritu mansuetudinis: considerans *unusquisque* temetipsum, ne & tu tenteris.

2 Alii aliorum onera portate: & ita complete legem Christi.

3 Nam si quis sibi videtur aliquid, quum nihil sit; hunc suus ipsius animus fallit.

4 Opus autem suum probatum reddat unusquisque: & tunc in semetipso solo gloriationem habebit, & non in alio.

5 Nam unusquisque suum onus portabit.

6 Communicet autem qui instituitur in sermone, cum eo qui se instituit, omnia bona.

7 Ne errate: Deus non irridetur. quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet.

8 Nam qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui verò seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam.

9 Porrò ne benefaciendo segnescamus. tempore enim suo metemus, si non elanguerimus.

10 Nempe igitur dum tempus habemus, simus benefici erga omnes, maximè verò erga domesticos fidei.

VErs.1. hortatur ad mansuetudinem in corrigendis lapsibus fratrum, argumento à pari: quia omnes pariter lapsibus subjecti sint, secumque mansuetè agi cupiant. Vers.2. hortatur ad patientiam in portandis fratrum vitiis, adeóque ad dilectionem fraternam à Christo singulariter præceptam. V.3. causam corrumpentem dilectionis illius & patientiæ indicat, videlicet falsam de propria excellentia persuasionem. Vers.4. veram gloriandi rationem ostendit, nempe ut unusquisque vitam suam Deo approbet, non autem se æstimet ex collatione aliorum, tanquam inferiorum. Vers.5. sententiæ præcedentis rationem exponit, sumptam à judicio Dei: qui unumquemque ex sua ipsius vita æstimabit, & non ex comparatione aliorum. Vers.6. hortatur ad præbendum alimenta doctoribus. Vers.7.8. & 9. gravi admonitione præmissâ ad attentionem sibi comparandum, dehortatur ab operibus carnis, & contrà hortatur ad fructus spiritus, argumento ab effectis, videlicet æterno exitio & vitâ æternâ. Hanc autem sententiam enuntiat per allegoriam metaphoricam: quâ vitam tum piam tum impiam sationi comparat; effecta verò illâ, nempe præmium & pœnam, messi. Vers.10. hortatur ad beneficentiam, adhibitâ comparatione imparium, quâ domesticos fidei extraneis præfert.

DE SECUNDA PARTE.

11 Videtis quàm longis literis vobis scripserim meâ manu.

12 Quicunque volunt speciosi apparere in carne, ii cogunt vos circumcîdi; tantùm ne ob crucem Christi persecutionem patiantur.

13 Nam ne ipsi quidem qui circumciduntur, Legem servant: sed volunt vos circumcîdi, ut de vestra carne glorientur.

14 A me verò absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.

15 Nam in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed nova creatio.

16 Et quicunque secundùm hanc regulam incedent, pax *erit* super eos & misericordia, & super Israëlem Dei.

17 De cætero ne quis mihi molestias exhibeto: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.

18 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum spiritu vestro, fratres. Amen.

Vers.11. incipit epistolæ conclusio: ubi primùm suam erga Galatas benevolentiam significat duobus argumentis, partim quòd scripserit ad eos literis longis, partim quòd scripserit suâ manu: nam aliâs solebat epistolas dictare suo Tertio. Deinde v.12. & 15. commonefacit eos de fraude pseudapostolorum: quorum hypocrisin & ambitionem detegit: ut qui externam sanctitatis speciem affectent, quum interim Legem non servent, nec quicquam propter Christum pati velint. Tertiò v.14. suum exemplum pseudapostolis illis opponit: ut qui Christum sincerè doceat & propter illum pati paratus sit, suamque vitam illi approbare. Quam sententiam v.15. sententiâ generali confirmat: quâ monet, eos demum esse veros Christianos qui se gerant ut novas creaturas, id est, qui ambulent in novitate spiritus, ut loquitur Rom. 6. v.16. V.16. ad hoc studium pietatis hortatur ab utili. V.17. pseudapostolorum gloriationi, quâ gloriabantur in circumcisione, opponit suas ærumnas, & plagarum pro Christi nomine sibi impositarum vibices, tanquam longè verioris gloriationis materiam. V.18. epistolam concludit apostolica optatione.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 Cum spiritu mansuetudinis] ἐν πνεύματι πραότητος. *Id est, animo mansueto.* ἐν *pro* μετά: *& genitivus adjuncti. Hebraismus geminus.* Tenteris] πειρασθῇς. *Id est, Soliciteris à Diabolo ad peccandum.*

2 Alii

2 Alii aliorum onera portate] *Id est, aliorum vitia & imbecillitates quæ vobis oneri esse possent, mansueto animo tolerate & emendare studete. Metaphora. Huc pertinet proverbium illud:* Amici vitia noveris, amicum non oderis. Legem Christi] τὸν νόμον τοῦ χριστοῦ. *Id est, mandatum illud Christi de charitate mutua. Vide Joh.13.v.34. & 35.*

4 Probatum reddat] δοκιμαζέτω. *Scil. Deo.*

5 Suum onus portabit] *Nempe in extremo judicio. Id est, suorum factorum rationem reddere cogetur.*

6 Qui instituitur] ὁ κατηχούμενος. κατηχεῖσθαι *est vivâ voce familiariter institui, voce instituentis circumsonante aures ejus qui instituitur: ab* ἦχος, *id est, sonus. Rom.2.v.18.*

7 Ne errate] μὴ πλανᾶσθε. *Vel,* Ne seducimini. *id est, ne sinite vos seduci.* Deus] θεὸς. *Pro,* θεὸς γάρ. *Deus enim. Sed hæc ellipsis servit* τῇ τοῦ λόγου γοργότητι, *id est, orationis celeritati & vehementiæ.* Non irridetur] οὐ μυκτηρίζεται. *Græcum verbum* ἐμφατικώτερον *est, quippe quod gestum irridentis notat, nares videlicet attrahentis: quod Latinus Poëta dixit,* ——Naso suspendit adunco. Seminaverit] ἐὰν σπείρῃ. ἐὰν *pro* ἄν. *Puto autem, Apostolum hac metaphora in genere hoc velle dicere, Unusquisque à Deo accipiet præmium vel pœnam, prout sese gesserit. Non quòd vitam æternam pietate suâ quisquam mereatur: sed quòd Deus sua dona in piis coronaturus sit: quemadmodum scitè Augustinus dixit.*

8 Carni suæ] εἰς τὴν σάρκα ἑαυτοῦ. *Ego* carnis *nomine carnales cupiditates intelligo: quoniam opponitur spiritus, id est, studium pietatis à Spiritu sancto profectum: & quoniam pœna subjungitur, interitus, hoc est, exitium æternum.*

9 Benefaciendo] τὸ καλὸν ποιοῦντες. *Vel,* Bonum faciendo: *ut intelligatur in genere de studio pietatis.* Metemus] *Nempe vitam æternam: ex versu superiore.*

10 Simus benefici] ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθόν. *Nunc specialem exhortationem deducit ex generali.* Domesticos fidei] *Id est, fideles seu Christianos, qui in eâdem nobis domo seu familia, nempe domo Dei (quæ est Ecclesia) versantur.*

11 Quàm longis] *Hoc conjungendum est cum eo quod addit,* Meâ manu. *nam epistolas has longiores scripsit manu alienâ: ad Romanos, manu Tertii, Rom.16.v.22. priorem ad Corinthios (ut probabile est) manu Sosthenis: posteriorem, manu Timothæi.*

12 Speciosi apparere] εὐπροσωπῆσαι. **Einen feinen schein führen.** Ob crucem Christi] *Id est, ob doctrinam Evangelii de salute parta per fidem Christi crucem: ita ut opera Legis ad vitam æternam impetrandam nihil momenti habeant.* Persecutionem patiantur] *Nempe à Judæis, zelatoribus Legis.*

15 Nova creatio] *Id est, cordis regeneratio seu renovatio per Spiritum sanctum.*

17 Ne quis mihi molestias exhibeto] Σεμνῶς καὶ δεινῶς, *id est, graviter & vehementer dictum: ut decuit tantum apostolum.* Stigmata Domini] *Id est, quæ mihi inusta sunt propter Dominum Jesum quem prædico.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

1 Ex v.1. In corrigendis lapsibus fratrum mansuetudo adhibenda est. *Officium hominis Christiani.*

2 Ex v.2. Fratrum vitia patienter toleranda sunt, salvâ interim fraternâ correctione, quoties necessitas postulat. *Officium hominis Christiani.*

3 Ex vers.3. Persuasio de propria excellentia, singulis fugienda est. *Officium hominis Christiani.*

4 Ex versu 4. Vera gloria est, quum vita nostra probatur Deo. *Gloria.*

5 Ex v.5. Unusquisque solicitè studeat vitam suam probare Deo: ut cui de illa rationem redditurus sit. *Officium hominis Christiani.*

6 Ex v.6. Ministris Verbi debentur alimenta. Confer 1.Cor.9. à v.4. usque ad v.15. *Auditores Evangelii.*

7 Ex v.7.8.9.10. Ad bona opera excitare nos debet spes vitæ æternæ: & contrà à malis deterrere æterni exitii metus. Interim verò notandum, vitam piam non esse causam vitæ æternæ meritoriam: (nam hæc, sola Christi mors est) sed tantùm causam sine qua non. Sicut via est causa sine qua non potes montem conscendere, ut illic thesaurum tibi donatum accipias. *Bona opera.*

8 Ex v.14. & 15. Veri Christiani gloriantur in cruce Christi, & propter illum mundo valedicunt. *Officium hominis Christiani.*

F I N I S.

TABULA CONTINENS ANALYSIN TOTIUS EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Partes duæ:

- 1. De beneficiis DEI erga fideles, sive de causis salutis: tribus primis capitibus. *Scopus*, incrementum fidei. Porrò beneficia illa sunt
  - Electio seu prædestinatio.
  - Redemtio.
  - Vocatio efficax.
  - Donatio hæreditatis cœlestis.
- 2. De gratitudine fidelium erga Deum, seu de officiis fidelium, tribus postremis capitibus. *Scopus*, incrementum resipiscentiæ. Hic sunt exhortationes
  - Generales: ubi
    - Hortatur ad
      - pietatem.
      - concordiam.
      - charitatem fraternam.
      - profectum in studio veritatis & charitatis.
      - sinceritatem.
      - facilitatem ignoscendi.
    - Dehortatur à
      - furto.
      - obscœnitate.
      - irâ temerariâ.
      - fœdis libidinibus.
      - avaritiâ.
      - ebrietate.
  - Speciales: ubi hortatur ad debitam subjectionem
    - 1. uxores.
    - 2. filios.
    - 3. servos.
    - Vicissim hortatur
      - maritos, ut diligant uxores.
      - patres, ut bene educent liberos.
      - dominos, ut humaniter tractent servos.

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PAULI ad Ephesios.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

EPISTOLA hæc duas principes habet partes: quarum prior tribus prioribus capitibus, altera tribus posterioribus continetur. In prima parte de mysterio salutis Ephesiorum omniumq; fidelium copiosè ac variè disserit: tum causas salutis exponens, tum pristinam ipsorum miseriam commemorans: eo consilio primùm, ut ipsos in fide confirmet, quippe in qua ipsorum salus consistat: deinde ut ad gratum animum erga Deum servatorem serio pietatis studio declarandum eos excitet: quod posterius in altera epistolæ parte ex professo agit. ubi varia vitæ Christianæ præcepta eis tradit. Breviter: in priore parte fidem confirmat, in posteriore resipiscentiam seu studium pietatis.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Versu 1. continetur subscriptio & inscriptio. Versu 2. salutatio. Versu 3. & deinceps usque ad 15. exponit causas salutis fidelium, Deoq; salutis authori gratias agit. Versu 15. & deinceps usque ad finem capitis hortatur eos ad perseverantiam & profectum in fide, (salutis nimirum adipiscendæ instrumento) sed obliquè; quatenus videlicet testatur, se pro illis gratias Deo agere eumq; precari. hoc enim ipso significat, idem multo magis ipsosmet facere debere, ut in fide proficiant.

PAulus apostolus Jesu Christi, per voluntatem
Dei, sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Jesu:
2 Gratia *sit* vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo.

DE subscriptione & inscriptione & salutatione in superioribus epistolis, maximè in epistola ad Romanos, satis dictum est.

3 Benedictus *sit* Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, in cælis, in Christo.
4 Sicut elegit nos in ipso antequam jacerentur fundamenta mundi, ut simus sancti & inculpati coram eo per charitatem.
5 Quatenus prædestinavit nos quos adoptaret in filios per Jesum Christum in sese, pro beneplacito voluntatis suæ.
6 Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, quâ nos acceptos *sibi* fecit in illo dilecto.
7 In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem, *inquam*, lapsuum, ex divite ipsius gratia:
8 Quâ redundavit in nos omni sapientiâ & intelligentiâ:
9 Patefacto nobis mysterio voluntatis suæ, secundùm beneplacitum suum quod proposuerat in sese:
10 *Nempe* ut in pleni temporis dispensatione recolligeret omnia in Christo, tum quæ in cælis sunt, tum quæ in terra.
11 In ipso, *inquam*, per quem etiam in sortem adsciti sumus, quum essemus prædestinati secundùm propositum ejus qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ:
12 Ut *comparati* simus ad laudem gloriæ ipsius, qui priores speravimus in Christo.
13 Per quem *in sortem adsciti estis* & vos audito sermone veritatis, *id est*, evangelio salutis vestræ: per quod etiam quum credidistis, obsignati estis spiritu illo promissionis sancto.
14 Qui est arrhabo hæreditatis nostræ, dum in libertatem vindicemur, ad laudem gloriæ ipsius.

Expositurus causas salutis, incipit suo more à gratiarum actione: gratias agens Deo patri pro iis beneficiis quibus nos ad salutem adducit. Inter quæ beneficia primùm commemorat benedictionem spiritualem in cælestibus intelligens haud dubiè fidem & resipiscentiam, seu justificationem & sanctificationem, quæ deinceps sigillatim commemorabit: per quæ fit, ut nunc spe in cælis versemur, quippe gustum aliquem percipientes illius cælestis felicitatis & gloriæ. Simul etiam exprimit causam ministram & προκαταρκτικὴν, nempe Christum consideratum cum suo merito & efficacia, v. 3. Deinde altiùs ascendit, & superius quoddam atque antiquius beneficium commemorat, videlicet electionem Dei æternam: cum qua rursum causam προκαταρκτικὴν conjungit, videlicet meritum Christi, quum ait, Deum elegisse nos in Christo: id est, ut servaret nos per Christum, quippe qui nobis suo merito conciliaturus erat DEI gratiam, & suo spiritu fidem in nobis effecturus. Addit autem electionis causam finalem, quæ partim nos respicit, partim DEUM; nempe ut sanctè vivamus: hoc enim & ad naturam nostram instaurandum & ad nomen DEI glorificandum pertinet. Hæc autem ipsa nostri sanctificatio, actio Dei est, quâ nos inter alias ad salutem adducit: ac proinde rationem aliquam causæ efficientis habet, v. 4. Tum v. 5. repetit beneficium electionis alio verbo, vocans scil. prædestinationem: eique annectit beneficium efficacis vocationis quam υἱοθεσίαν nominat, id est, adoptionem, quâ Deus efficaciter nos vocans per Evangelium, & fide donans, per illam ipsam fidem nos in filios adoptat, ut docet Joh. c. 1. v. 11. Sic ad Rom. 8. ait, *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit.* Rursum autem recitat causam administram & προκαταρκτικὴν, nempe mediatorem Christum. Attingit etiam causam finalem, nempe gloriam Dei: quum ait, Deum prædestinasse nos ad adoptionem εἰς ἑαυτὸν, in sese vel ad sese, hoc est, (ut mihi quidem interpretandum videtur) ad gloriam gratiæ suæ, sic infrà expressiùs loquetur, v. 6. & 12. & 14. Et hoc sensu eadem phrasis accipitur Rom. 11. v. ult. ubi ait, ex Deo & per ipsum & in ipsum seu ad ipsum (εἰς αὐτὸν) esse omnia. Postremò annectit causam προηγουμένην, nempe affectum Dei, quo motus nos prædestinavit: Is affectus est ἡ εὐδοκία, id est, beneplacitum voluntatis ipsius, hoc est, amor seu favor gratuitus. V. 6. annectit causam finalem supremam, quæ est laus gloriosæ gratiæ Dei, hoc est, ut laudetur à nobis gratia illa summa Dei erga nos ad ipsius gloriam. Porrò mentioni gratiæ annectit aliud quod ex illa profluit & ad salutem nostram efficiendam necessarium fuit, beneficium, nempe justificationem, quam significat ac describit his verbis, quòd nos sibi gratos seu acceptos effecerit in illo dilecto, nempe filio suo Christo mediatore. propter hunc enim nobis reconciliatus est sanguine ipsius, & peccata nobis remisit, sicut v. seq. declaratur. Versu igitur 7. exponit aliam salutis nostræ efficientem causam, quæ partim principalis, partim instrumentalis est, sed diverso respectu. Christus enim est causa salutis nostræ principalis unà cum Deo patre & Spiritu sancto: quæ sunt tres principales sociæ causæ: nam Pater Christum misit ad nos redimendum & salutem nobis recuperandam; Christus in sua persona nos redemit & salutem nobis acquisivit suâ morte; Spiritus S. redemtionis beneficium cordibus nostris obsignat, ut illius simus participes. Sic tres illæ personæ, suo quæque modo, principales sunt salutis nostræ efficientes causæ. Sed respectu Patris mittentis ac mandantis, Filius est causa instrumentalis, nempe minister seu servus Patris, ut apud Esaiam c. 53. nominatur. Atque ita hîc aliud Dei beneficium ad salutem nobis comparandam necessarium commemoratur, nempe redemtio: quo nomine hîc intelligitur redemtio ex potestate Diaboli, in quam perveneramus per peccatum. Redemit autem nos Pater per Filium, & Filius ipse nos redemit per sanguinem suum, (hæc rursum alia instrumentalis causa est) hoc est, per effusionem sanguinis sui in cruce, quâ peccata nostra expiavit, atque ita Diabolo jus in nos ademit, remissionemque peccatorum à Patre nobis promeritus est atque impetravit. Huic beneficio similiter annectit causam προηγουμένην, quæ est dives gratia Dei, hoc est, immensus erga nos favor. V. 8. exponit aliud Dei erga nos benefi-

beneficium, atque adeò aliam salutis nostræ efficientem causam, nempe donationem fidei: quam κατ' ἐξοχὴν vocat sapientiam & intelligentiam, hoc versu, & mox v. seq. cognitionem arcanæ voluntatis Dei. Versu igitur 9. fidem describere pergit, ac simul causam instrumentalem notat, quâ Deus fidem in nobis efficit, inquiens, eum nobis patefecisse (nempe per Evangelium, quod expresse nominabit infr. v.13.) patefecisse, inquam, nobis mysterium voluntatis Dei. Quibus verbis intelligit consilium Dei de vocandis Gentibus per fidem in societatem populi Dei: sicut apparebit ex sequentibus. Potest tamen etiam simplicius intelligi de voluntate nos servandi per Christum: quæ voluntas rationi humanæ prorsus ignota est, & per Evangelium innotescit electis. sicut ait Johannes, *Deum nemo vidit unquam: filius ille unigenitus qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit*, Joh.1.18. Cæterùm in hoc quoque beneficio causam illam προηγουμένην repetit: nempe τὴν εὐδοκίαν, id est, beneplacitum seu gratuitam benevolentiam Dei, & æternum ejus propositum. V.10. mysterium illud cujus mentionem fecerat, declarat, atque ita beneficium vocationis electorum illustrat distributione, quâ vocandos & servandos distribuit è subjectis locis in eos qui adveniente Christo jam tum erant in cælis, & in eos qui erant ac deinceps futuri erant in terra usque ad finem mundi. Nam quò minùs per ea quæ in cælis sunt, sancti angeli videantur intelligendi: causa est, quòd angeli illi quum non peccârint, non etiam opus habuerint mediatore per quem recolligerentur. V.11. & deinceps aliam distributionem vocatorum annectit, qua superioris distributionis membrum posterius subdividitur. Quos enim vocandos & salvandos Christus adveniens in terra reperit & reperturus erat, illi erant partim Judæi, partim Gentes. Hîc igitur primùm commemorat vocationem Judæorum, quos notat verbo primæ personæ, se nimirum illis accensens: quibus postea v.13. Ephesios atque adeò omnes Gentes per antithesin opponit, utens secundæ personæ verbo. Porrò vocationem hîc notat verbo κληρωθῆναι, quod est in sortem adsciscî. Deus enim quum nos efficaciter vocat, & cognitione paternæ suæ erga nos gratiæ nos donat, adsciscit nos quasi sibi in sortem, ut simus ejus funiculus & hæreditas seu possessio atque peculium: sicut de populo Dei loquitur Moses Deut.32.9. Vocationis autem Judæorum beneficio annectit aliud superius, tanquam illius causam, nempe prædestinationem, sicut & supr. v.5. Ac rursum prædestinationis causam προηγουμένην, videlicet propositum sive consilium & voluntatem Dei liberam: quam proslepsi, id est, assumtione generis illustrat, atque ita argumento generis confirmat. Si enim Deus omnia efficit ex consilio voluntatis suæ: ergo etiam ex consilio voluntatis suæ vocat quoscunque vocat. Quanquam potest hæc Pauli sententia etiam intelligi specialiter de actionibus Dei pertinentibus ad nostram salutem; hoc enim videtur innuere articulus τὰ ante nomen πάντα. ait enim, τοῦ ἐνεργοῦντος τὰ πάντα, id est, qui operatur hæc omnia. intellige quæ ad salutem nostram pertinent. de his enim hîc disserit. V.12. repetit causam finalem prædestinationis, & vocationis, & denique salutis electorum ac vocatorum, videlicet gloriam Dei; & notatione temporis expresse significat, se de Judæis loquutum. Hi enim prius vocati sunt, quam Gentes. Spem autem hîc vocat fiduciam salutis in Christo. V.13. opponit alterum distributionis institutæ membrum, de vocatione Ephesiorum, adeoque omnium gentium. Vocationem autem Ephesiorum declarat duplicem, utramque quidem inter se conjunctam: unam scilicet externam per prædicationem Evangelii; quod vocat sermonem veritatis, ut significet, eos meritò Evangelio credidisse: item, evangelium salutis ipsorum, ut sic eos ab utili effectu in fide Evangelii confirmet. Alteram vocationem facit internam, nempe obsignationem cordium per Spiritum sanctum, qui veritatem Evangelii cordibus eorum obsignarat. Etsi autem verba Apostoli videntur innuere, fidem Ephesiorum antegressam esse, deinde demum obsignationem spiritus secutam: tamen certum est, illa tempore simul esse, & obsignationem spiritus causam efficientem fidei esse: Spiritus enim sanctus obsignando cordibus electorum veritatem promissionis gratiæ, fidem in eis gignit. Atque hinc vocatur spiritus promissionis, ab effectu scilicet illo, quòd promissionem Evangelii cordibus eorum quos vocat, obsignat. Ex his intelligitur, verbum πιστεύσαντες, non vertendum hîc, *Posteaquam credidistis*: sed, *Cùm credidistis*, hoc est, eo ipso tempore quo credere cœpistis. V.14. vocationem illam interiorem Spiritus sancti aliâ metaphorâ declarat. Antea Spiritum sanctum vocantem electos comparavit sigillo, quo scilicet obsignantur promissiones scriptæ, ne de earum veritate dubitetur: nunc eandem comparat arrhaboni: quia quemadmodum arrhabo particula est totius summæ suo tempore dandæ, & simul testimonium obligationis ad totam summam suo tempore numerandam: sic primitiæ illæ Spiritus sancti quas per Evangelium accipiunt electi, testimonium divinum sunt, quo Deus se illis obligat ad plenitudinem sui spiritus seu plenam hæreditatem felicitatis cælestis suo tempore illis communicandum. Hæreditatis enim nomine hîc intelligit ipsam salutem seu vitam æternam & gloriam illam atque felicitatem cælestem: quam eandem mox vocat ἀπολύτρωσιν, redemtionem, nempe redemtionem corporis nostri, ut loquitur, ad Rom. 8. Etsi enim sanguine Christi redemti jam sumus è potestate Diaboli: tamen in hac vita adhuc cum reliquiis peccati & variis calamitatibus conflictandum nobis est, à quibus tum demum redimemur ac liberabimur quum hæreditatem illam cælestem cernemus. Huic autem beneficio perfectæ liberationis ac salvationis nostri rursum annectit causam finalem, nempe gloriam Dei, à cujus nimirum gratiâ omnia ista erga nos beneficia proficiscuntur.

15 Propterea etiam ego, auditâ eâ quæ in vobis est, fide in Domino JESU, & charitate in omnes sanctos;

16 Non desino gratias agere pro vobis, mentionem vestri faciens in precibus meis:

17 Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, pater ille gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & revelationis, ad agnitionem ipsius:

18 Illuminatos oculos mentis vestræ, ut sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius: & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis:

19 Et quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius.

20 Quam exseruit in Christo, quum excitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dextram suam in cælis,

21 Longè supra omne imperium ac potestatem, & potentiam & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, verùm etiam in futuro.

22 Et omnia subjecit ejus pedibus, eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ;

23 Quæ est corpus ipsius, complementum ejus qui omnia implet in omnibus.

Vers.15. 16. & 17. exhortaturus Ephesios ad perseverantiam & profectum in fide & charitate, significat, quanti ipse hæc Dei dona in illis faciat: tanti nimirum, ut pro iis Deo quotidie gratias agat, eumdemque oret ut hæc dona in ipsis augeat. Jam si Paulus tanti facit fidem Ephesiorum: multò magis ipsimet fidem propriam magni æstimare debent. Si Paulus Deum orat, ut fidem Ephesiis augeat: multò magis ipsi Ephesii istud pro se petere à Deo debent. Transit autem ad narrationem hujus facti sui per corollarium. Dixerat, Ephesios obsignatos esse spiritu promissionis sancto, id est, vivâ fide donatos à Deo esse, ad laudem gloriæ ipsius. hinc jam infert, se Deo pro ipsorum fide gratias agere: quippe quòd ista gratiarum actio ad laudem Dei pertinet. Atque hæc est vis conjunctivarum particularum, *Propterea etiam*, videlicet ad laudem gloriæ Dei. Sed quid est quod ait, se fidem Ephesiorum audisse: id est, auditu ac famâ cognovisse? an non enim cognoverat coram? quippe qui ecclesiam Ephesiorum plantaverat? Sanè initia fidei Ephesiorum Actor.19.
coràm viderat Apostolus: sed post ipsius discessum in sancto hoc instituto strenuè perrexerant ac profecerant: de quo profectu hîc loquitur. Porrò fidem magnificè describit & præstantiam ejus amplificat v.17. & deinceps. Primùm vocat spiritum sapientiæ & revelationis ad agnitionem Dei: quibus verbis indicat fidei authorem proximum atque immediatum, nempe Spiritum sanctum. deinde modum generationis fidei, qui est revelatio Spiritus sancti. tum formam: quæ est agnitio Dei, quatenus est Deus Domini nostri Jesu Christi, & pater gloriæ, id est, author gloriæ credentium. V.18. formam fidei illustrat metaphoris, vocans eam illuminationem oculorum mentis. deinde fidem declarat ex quodam effectu, videlicet spe: quam ipsam declarat ex objecto, videlicet opulentâ illâ gloriâ hæreditatis cælestis. Metonymicè autem loquitur, quum dicit: *Ut sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius*, pro, Quæ sit illa gloria hæreditatis cælestis ad quam Deus vos vocavit, quamque vos ex fide speratis. Itaque sequentia verba per epexegesin adjecta sunt, ubi ait: *Et quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis*. V.19. fidem amplificat à causâ efficiente, videlicet potentiâ Dei. V.20. effectionem fidei seu vocationem per potentiam Dei, amplificat collatione effectionis similis, videlicet excitationis Christi ex mortuis & exaltationis ad regnum cæleste: quod regnum v.21. amplificat collatione potestatis angelorum & hominum tanquam minoris: item distributione temporum. V.22. regnum Christi declarat è subjecto occupante, videlicet subditis, qui sunt credentes seu Ecclesia, quam vocat illius corpus, & illum hujus caput: ut doceat, Christum Ecclesiæ omnia ad vitam necessaria suppeditare, idque intimâ quadam ratione, quatenus scilicet spiritu suo credentes replet.

SCHOLIA IN CAP. I.

3 Benedictus sit] εὐλογητὸς. *Scilicet* ἔστω. *Id est, laudetur, celebretur. Phrasis Hebræa.* Qui benedixit nobis] ὁ εὐλογήσας ἡμᾶς. *Id est, Qui benefecit nobis, seu qui beavit nos. Idem verbum alio sensu repetitum per ἀντανάκλασιν. Estq́ rursus phrasis Hebraica.*

Omni benedictione spirituali] ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ. *Id est, Omnis generis donis spiritualibus: quorum species commemorat infr. v. 8. sapientiam & intelligentiam. Præpositio* ἐν *redundat. Similiter accipitur nomen istud quantitatis universalis Luc. 11. 42.* Decimatis mentham & rutham, & omne olus. *Item 1. Tim. 2. 4.* Qui omnes homines vult servari. In cælis] ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. *Scil.* τόποις. *Ad verb.* In cælestibus *locis. Hoc est, Quæ benedictiones seu dona pertinent ad cælestem illam vitam.* In Christo] ἐν χριστῷ. *Tanquam in capite, unde benedictiones illæ in membra subjecta manant. Super Christum enim requiescit spiritus sapientiæ, intelligentiæ, fortitudinis, timoris Dei &c. (ut habetur Esa. 11.) non tantùm in ipsius usum, sed etiam ut ea dona communicet cum membris suis.*

4 Elegit] ἐξελέξατο. *Id est, Eligere proposuit, seu decrevit. Nam electio propriè loquendo refertur ad genus humanum jam conditum & lapsum in mortem. Est igitur hîc metonymia subjecti, videl. subjecti occupantis. Etenim in electione occupatum fuit illud Dei propositum seu decretum æternum.* In ipso] ἐν αὐτῷ. *Nempe Christo: ex versu præcedente. Id est, ut per Christum tanquam mediatorem nos servaret.* Ut simus] εἶναι. *Id est,* ἕνεκα τοῦ εἶναι. Per charitatem] ἐν ἀγάπῃ. *Puto, simplicissimum esse ut hoc connectatur cum proximè præcedentibus, ut declaret vitæ sanctæ originem ac veluti fontem. Nam à verbo* ἐξελέξατο *nimis remotum est: sequens autem participium* προορίσας, *satis suâ causâ declaratur extremis sequentis versiculi verbis, nempe illis,* κατὰ τὴν εὐδοκίαν *&c.*

5 Quatenus prædestinavit] προορίσας. *Participium hoc* προορίσας *pendet à verbo* ἐξελέξατο *v. superiore Declarat enim nunc illa verba,* Elegit nos in ipso. Quos adoptaret in filios] εἰς υἱοθεσίαν. *Ad verb.* Ad adoptionem. *Adoptamur autem à Deo in filios per fidem in Christum, Joh. 1. v. 12. Quare per adoptionem notatur efficax vocatio. Itaq; cum hoc dicto consentit illud Rom. 8. 30.* Quos prædestinavit, eos etiam vocavit. In sese] εἰς αὐτόν. *Vel,* Ad sese. *Hoc est, ad gloriam gratiæ suæ. sicut infrà expressiùs loquetur, v. 6. & 12. & 14.* Pro beneplacito] κατὰ τὴν εὐδοκίαν. *Sic rectè meo judicio verterunt Vulgata & Erasmus: quia* εὐδοκία *non solos electos respicit, sed etiam reprobos: ut planum est ex verbis Christi Matth. 11. v. 25. & 26. ubi causam indicans, cur Deus à reprobis Pharisæis mysteria regni cælorum absconderit, ait:* Etiam Pater, quia ita placuit tibi, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. *Respondet vox Germanica,* wolgefallen. *Infrà in fine v. 11. nominat* τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος, *consilium voluntatis. Hîc tamen per synecdochen generis affectum benevolum significari verum est.*

6 Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ] εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ. *Id est, ut laudetur à nobis gloriosa ipsius gratia. Est autem hîc hypallage Hebræa,* δόξα τῆς χάριτος, *pro* ἡ χάρις τῆς δόξης: *Gratia gloriæ, id est, gloriosa. Vide infr. v. 12.* Quâ nos acceptos sibi effecit] ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς. Ἐν ᾗ *pro* δι' ἧς *vel* ᾗ. *Hebraismus est. Verbum autem* χαριτόω *fictum est ex nomine* χάρις, χάριτος. *Respondet Germanicum,* Begnaden. *Sic Luc. 1. v. 28. In Græco est elegans paronomasia,* τῆς χάριτος ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν. *Porrò nomen* Acceptos *hîc potiùs usurpatum est quàm* Gratos, *ad evitandum homonymiam: ne quis gratos intelligat qui gratiam referunt.* In illo dilecto] ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. *Nempe in Christo, filio Dei unicè dilecto: juxta vocem illam Dei patris è cælo pronuntiatam,* Hic est filius meus ὁ ἀγαπητός, dilectus ille, *Matth. 3. v. ult.*

7 Ex divite ipsius gratiâ] κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ. *Rursum hypallage, ut versu superiore. Potest tamen hoc simpliciter accipi sic, Secundùm divitias gratiæ ipsius.*

8 Quâ redundavit in nos] ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς. *Præcessit* τῆς χάριτος: *cui nunc in casu respondet relativum. Pro* ἐκείνης ᾗ ἐπερίσσευσεν: *scil.* ὁ Θεός. *Ad hunc enim referri postulat participium* γνωρίσας *v. sequente. Alioqui fuerit manifestum* ἀνακόλουθον, *si verbum* ἐπερίσσευσεν *ad ipsam Dei gratiam referas, exponendo* ἧς *per* ἐκείνης ᾗ: *ut fecit vetus interpres. Dicitur autem Deus redundasse in nos, hoc est, abundè seu copiosè sese quasi effudisse in nos, largiendo nobis sapientiam &c. Nam* περισσεύειν *accipitur hîc transitivè, tanquam in Hebræorum conjugatione Hiphil: quatenus illa habet significationem reciprocam: ut subintelligatur accusativus* ἑαυτόν. *quasi dicatur,* ᾗ ἐπερίσσευσεν ἑαυτὸν εἰς ἡμᾶς, *Quâ copiosè se effudit in nos. Simile exemplum vide 2. Cor. 9. 8. ubi sic legitur,* δυνατὸς δὲ ὁ Θεὸς πᾶσαν χάριν περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς. *Aliâs* τὸ περισσεύειν *absolutè acceptum, etiam genitivum regit, ut Luc. 15. 17.* περισσεύουσιν ἄρτων, Abundant panibus. Omni] ἐν πάσῃ. *Præpositio* ἐν *redundat more Hebræorum. Sententia est, Omnis generis sapientiâ, nempe cælesti:* Allerlai weisheit. *nam mysteria regni Dei multa & varia sunt.*

10 In pleni temporis dispensatione] εἰς οἰκονομίαν &c. Εἰς *pro* ἐν. *Porrò* τὸ πλήρωμα τῶν καιρῶν, *plenitudinem temporum, nominat tempus illud quo impleto seu elapso, Christus debuit ex Patris decreto salutem electorum dispensare in corpore suo. Similis est locus Gal. 4. v. 4.* Recolligeret] ἀνακεφαλαιώσασθαι. *Sub unum caput reduceret, id est, in unum corpus conjungeret.* Omnia] τὰ πάντα. *Pro* τοὺς πάντας: *sicut Gal. 3. v. 22. Id est, omnes electos: sicut Rom. 11. 32. Hi enim notantur per articulum: & intelliguntur electi tum ex Judæis tum ex Gentibus.* Tum quæ in cælis &c.] *Id est, tum eos qui jam in cælum sunt recepti, quippe in fide Christi defuncti: tum eos qui adhuc in terris degentes in Christum credunt.*

11 Per quem] ἐν ᾧ. *Ad verb.* In quo. *Hebraism. Sic v. 13.* In sortem adsciti sumus] ἐκληρώθημεν. *Nempe in sortem sive hæreditatem Domini, id est, Ecclesiam.* Omnia] τὰ πάντα. *Vel,* Hæc omnia. *Vide analysin.*

12 Ut comparati simus ad laudem gloriæ ipsius] εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ. *Pro* εἰς ἔπαινον καὶ δόξαν αὐτοῦ. *nempe* τοῦ Θεοῦ. *Et sic resolvi potest etiam supr. v. 6.* εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος, *pro* εἰς ἔπαινον καὶ δόξαν τῆς χάριτος. Qui priores speravimus] τοὺς προηλπικότας. *Hoc dicit de Judæis qui vocati sunt ante Gentes.*

13 Per quem *in sortem adsciti estis* & vos] ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς. *Scilicet* ἐκληρώθητε, *ex v. 11. Hoc dicit de Gentilibus.* Per quod etiam quum credidistis] ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες. *Hæc uno contextu legenda sunt, ita ut participium* πιστεύσαντες *à præcedentibus verbis non divellatur, quippe à quo pendent & reguntur illa* ἐν ᾧ, *scil.* λόγῳ *vel* εὐαγγελίῳ. *Pro* δι' οὗ. *nam per Evangelium tanquam instrumentum fides in nobis efficitur. Sententia est, Quum primùm credidistis per Evangelium, obsignati estis &c. Si quis tamen relativum* ᾧ *referre malit ad Christum, ad quem refertur in membro præcedente: tum vertendum erit,* In quem etiam quum credidistis. *ut hîc positum sit* ἐν ᾧ, *pro* εἰς ὅν, *& præpositione* ἐν *notetur subjectum occupans. Quanquam tunc quoque verti potest,* Per quem: *ut significetur, Spiritum S. datum eis esse à Patre per Christum. Sed tunc præpositio* ἐν *regetur non à participio* πιστεύσαντες, *sed à verbo* ἐσφραγίσθητε. Spiritu promissionis] τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας. *Id est, qui promissionem Evangelii cordibus obsignat. Vel,* Spiritu illo promisso, *id est, quem Deus promisit se effusurum super omnem carnem.*

14 Qui] ὅς. *Refertur ad* τὸ πνεῦμα *ratione sensus: quia Spiritus S. est certa persona. Synesis. Sic Joh. 16. v. 13.* ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Arrhabo hæreditatis nostræ] *Id est, quasi arrhabo, quo de hæreditate quæ nos in cælis manet, suo tempore adeundâ ac cernendâ, certiores reddimur. Metaph.* Dum in libertatem vindicemur] εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως. *Ad verb.* Ad redemtionem assertionis seu vindicationis. *id est, usq; ad diem redemtionis: ut loquitur infr. c. 4. v. 30. Vide annotat. Bezæ.*

17 Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, pater ille gloriæ] ἵνα ὁ Θεὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῆς δόξης. *Fortasse vocabula* Θεὸς *&* πατὴρ *trajecta sunt, & alterum alterius loco positum. Sic enim planior esset & usitatior oratio. Sanè Act. 7. 2. habetur,* ὁ Θεὸς τῆς δόξης, Deus ille gloriæ: *item 1. Cor. 2. v 8. Christus nominatur* ὁ κύριος τῆς δόξης, *Dominus gloriæ, hoc est, Jehova gloriosus. Veruntamen etiam hæc lectio consistere potest: sicut eruditè D. Beza declarat.* Ad agnitionem ipsius] ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ. *Pro,* εἰς ἐπίγνωσιν αὐτοῦ. *Hoc est, ut eum indies magis magisq; agnoscatis, seu ut in fide proficiatis.*

18 Illuminatos oculos] πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμούς. *Pendent hæc à verbo* δῴη: *& per appositionem quandam cohærent hi accusativi cum illo* πνεῦμα σοφίας *&c. Sed quid si legendum sit* πεφωτισμένοις, *casu dativo? ut pendeat à pronomine* ὑμῖν, *illic,* δῴη ὑμῖν. *Tum quidem & plana & elegans esset oratio: subaudito nimirum* κατὰ *ante* τοὺς ὀφθαλμούς.

19 In nobis] εἰς ἡμᾶς. *Pro,* ἐν ἡμῖν. *Vel,* Erga nos. *id est, quam exserit erga nos. Est autem hîc mira & planè divina verborum* ἐμφατικωτάτων, *id est, significantissimorum adeoq; divinissimorum copia.*

23 Complementum] τὸ πλήρωμα. *Hoc nomen* πλήρωμα *cum præcedente nomine* σῶμα *cohæret per appositionem. declarat enim nunc rationem corporis, quatenus cum capite confertur: ac proinde suppleri potest particula declarativa* Scilicet *aut* Videlicet. *Est autem hoc loco perelegans antanaclasis in vocabulis* πλήρωμα *&* πληρουμένου.

OBSERVAT. EX CAP. I.

I. ANALYSIS CAUSARUM SALUTIS NOSTRÆ.

Causæ efficientes agentes.

Deus pater Domini nostri Jesu Christi, v. 3. 17.
Christus, v. 3. 4. 5. 7. 10. 11. 12. 13. 15. 22. 23.
Spiritus sanctus, v. 13. 14. 17.

Actiones.

DEUS pater:
- benedixit nobis, v. 3.
- elegit nos, v. 4.
- prædestinavit nos, v. 5. 11.
- sanctificavit nos ad vitam inculpatam, v. 4.
- adoptavit nos in filios, v. 5.
- gratos sive acceptos nos sibi effecit, v. 6.
- redundavit in nos omni sapientiâ & intelligentiâ, v. 8.
- patefecit nobis mysterium voluntatis suæ, v. 9.
- recollegit omnia in Christo, v. 10.
- in sortem adscivit nos, v. 11.
- proposuit sibi nos servare, v. 9. 11.
- obsignavit nos Spiritu sancto, v. 13.
- dat nobis spiritum sapientiæ & revelationis, v. 17.
- illuminat oculos mentis nostræ, v. 18.
- effecit in nobis fidem, v. 19.
- Christum constituit caput ecclesiæ, v. 22. 23.

Spiritus sanctus:
- obsignat cordibus promissionem gratiæ, v. 13.
- illuminat mentes nostras sapientiâ & revelatione ad cognoscendum DEUM, v. 17. 19.

Causæ

Causæ moventes seu impellentes.

Antecedens seu προηγουμένη.

Beneplacitum voluntatis Dei, movit seu impulit Deum ad prædestinandum nos εἰς υἱοθεσίαν, v.5.

Dives gratia Dei movit Deum ad donandum nobis redemtorem Christum & remittendum nobis peccata, v.7.

Beneplacitum Dei movit eum ad patefaciendum nobis mysterium voluntatis suæ, v.9. & ad recolligendum omnes electos in Christo, v.10. & adsciscendum nos sibi in sortem, v.11.

Propositum Dei movit eum ut prædestinaret nos, v.11.

Irritatrix seu προκαταρκτική.

Meritum Christi fundentis pro nobis sanguinem suum, movit Deum ut nobis remitteret peccata, v.7.

Finalis.

Laus gloriosæ gratiæ Dei, v.6.12.14.

Instrumentales.

DEUS elegit nos seu prædestinavit in Christo, id est, ut adoptaret nos per Christum, v.4.11.

Per Jesum Christum adoptavit nos Deus in filios, v.5.

Gratos seu acceptos nos sibi effecit per illum dilectum, v.6.

Christus redemit nos per sanguinem suum, v.7.

DEUS redundavit in nos omni sapientiâ & intelligentiâ, patefacto nobis mysterio voluntatis suæ per Evangelium, v.8.9.13.17.18.

ALIÆ OBSERVATIONES.

Electio. 2 Ex v.4. Quum Deus nos ad vitam æternam in Christo elegerit ante jacta mundi fundamenta: consequens est, neminem suis operibus à Deo promereri ut eligatur. Confer Rom.9.11.

Electio. 3 Ex v.eod. Quum electi simus in hunc finem, ut simus sancti & inculpati coram Deo: ergo malè argumentantur qui dicunt: Si sum electus, salvus fiam; quicquid egero, seu quomodocunque vixero: ergo securè indulgere cupiditatibus carnis licet. Imò, Si es electus, Deus dabit tibi gratiam ut sanctè vivas, & viâ sanctitatis (viâ, inquam, non merito) ad vitam æternam, ad quam electus es, pervenias.

Justificatio. 4 Ex v.7. Remissio peccatorum (in qua consistit nostra coram Deo justitia, Rom.4.6.& 7.) parta est nobis sanguine Christi: quatenus nimirum ille pro nobis in cruce cum sensu iræ Dei adversus nostra peccata, Christo ut sponsori imposita, effusus est.

Sapientia. 5 Ex v.8.9.10. Sapientia Christianorum est, intelligere mysterium voluntatis Dei de salute nostra per Christum.

Decretum de salute nostra. 6 Ex v.9. ex verbis, *Proposuerat in se*. Innuitur, Deum non prævidisse quicquam in nobis, quo motus sibi proponeret nos servare.

Salutis causa. 7 Ex v.10. Quotquot inde ab origine mundi salutem adepti sunt, ac proinde quorum animæ nunc in cælis sunt: salvati sunt per Christum. Huc pertinet illud Heb.13.v.8. *Jesus Christus heri & hodie idem est, & in sæcula.*

Evangelium. 8 Ex v.13. Evangelii audiendi nulla nos debet capere satietas: quum sit sermo veritatis cælestis, & doctrina salutis, atque adeò salutis adipiscendæ instrumentum. Confer Rom.1. v.16. Joh.6.v.68.

Fideles. 9 Ex v.13.14. Unusquisque fidelis salutis suæ certus est ex testimonio Spiritus sancti. Confer Rom.8.v.16.& 17.

Officium hominis Christiani. 10 Ex v.15.16.17. Pro donis Spiritus sancti in nos vel in alios collatis quotidie Deo gratiæ agendæ sunt, simulque petendum illorum incrementum.

Fides. 11 Ex v.19. & 20. Fides non est res vulgaris, nec ex viribus liberi arbitrii nascitur: quoniam in ea creanda Deus exserit eandem potentiam, quam exseruit in Christo ex mortuis excitando. Confer Johan.5. v.25. ubi Christus ait, *Amen amen dico vobis, veniet tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent.* Ubi Christus non loquitur de mortuis secundum corpus, quorum corpora in sepulchris sunt, (nam de his seorsim loquitur paulo post v.28.) sed loquitur de mortuis secundùm animam seu spiritualiter: quorum aliqui tunc in vitam spiritualem excitabantur voce Evangelii quod Christus prædicabat: sicut percipitur ex verbis, ET NUNC EST.

Sessio Christi ad dextram Patris. 12 Ex v.20. Observa, Sessionem Christi ad dextram Patris, subjici resurrectioni ipsius tanquam tempore posteriorem: sicut alibi passim. Contra eos qui fingunt, Christum ad dextram Dei consedisse in utero matris per ipsam incarnationem. Item observa, Christum ad dextram Patris sedere in cælis. Ergo ex sessione Christi ad dextram DEI falsò colligitur, Christum suo corpore esse ubique. Similis locus exstat Heb.8.v.1. *Consedit ad dextram throni majestatis in cælis.*

Sessio Christi ad dextram Dei. 13 Ex vers.21. & 22. Observa, Quomodo Apostolus definiat sessionem Christi ad dextram Dei, nempe per summam illam potestatem quam exercet in omnes, etiam excellentissimas, creaturas.

Ecclesia. 14 Ex v.22.& 23. Quum Christus sit caput Ecclesiæ, Ecclesia ipsius corpus: ergo eam & donis necessariis Spiritus sancti instruet, & potentiâ suâ contra omnes hostes defendet.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Pergit amplificare beneficium vocationis divinæ seu donationis fidei per Evangelii prædicationem, atq; adeò justificationis. Istud igitur beneficium amplificat hîc ex effectu: quia Deus donando fidem & fide justificando vivificat credentes, hoc est, ex reatu mortis æternæ in spem vitæ æternæ atq; adeò gustum aliquem illius (qui scil. ex sensu gratiæ Dei & spe vitæ promissæ oritur) transfert & asserit. Atque sic illa vivificatio declaratur antithesi duplicis status. Præsentem enim statum Ephesiorum qui erat status gratiæ & fidei, illustrat antithesi conditionis eorum pristinæ, quum propter peccata quibus securè indulgebant, essent sub ira Dei, seu (ut Apostolus loquitur) filii iræ.

ET vos, quum essetis mortui per lapsus & peccata:
2 In quibus olim ambulastis, ut est vita mundi
hujus, secundùm principem cui potestas est aëris, spiritum nunc agentem in filiis contumaciæ:
3 Inter quos & nos omnes conversati sumus olim
in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac
cogitationibus libebant, eramusque naturâ filii iræ, ut
etiam reliqui.
4 Sed Deus, quum dives sit misericordiâ, propter
multam charitatem suam quâ dilexit nos,
5 Nos quum per lapsus mortui essemus, unà vivificavit cum Christo, (gratiâ estis servati)
6 Unaque excitavit, unaque collocavit in cælis in
CHRISTO JESU:
7 Ut ostenderet in sæculis succedentibus summas
opes suæ gratiæ, *suâ* erga nos benignitate in Christo Jesu.
8 Gratiâ enim estis servati, per fidem, (& hoc non est
ex vobis: *sed* DEI illud donum est)
9 Non ex operibus, ut ne quis glorietur.
10 Nam ipsius sumus opus, conditi in CHRISTO
JESU ad bona opera, quæ præparavit DEUS ut in eis
ambularemus.

VErs.1. & 2. pristinam illam Ephesiorum miseriam describit, eamque partim illustrat collatione similium, comparans pristinos eorum mores cum moribus mundi hujus, id est, hominum mundanorum seu huic mundo addictorum, quos Christus filios hujus sæculi nominat, & filiis lucis opponit: Partim verò amplificat illam miseriam, expositione causæ efficientis, nempe Diaboli: quem vocat principem cui potestas sit aëris, eò quòd in sublimi degat, sicut ait infra c.6. v.12. item spiritum agentem in filiis contumaciæ, hoc est, in hominibus contumacibus seu rebellibus, qui scilicet rebelles sunt Deo & veritati ipsius. Censeo enim, τοῦ πνεύματος per antiptosin positum esse pro τὸ πνεῦμα, occasione genitivi præcedentis: ut per appositionem cohæreat cum nomine ἄρχοντα: quoniam tribuitur ei ἐνέργεια, id quod propriè personæ convenit: sicut alibi Spiritui S. tribuitur, 1.Cor.12.11. V.3. per quandam prolepsin (ne scilicet videatur Gentes naturâ deteriores facere quàm Judæos) se cæterosque Judæos conversos illis hac in parte exæquat: atque ita sententiam propositam de pristina Ephesiorum miseria, alterâ collatione similium illustrat. *Eramus, inquit, naturâ filii iræ, ut etiam reliqui.* Quum ait, *Eramus*: significat, se non ampliùs esse filios iræ, id est, reos iræ Dei & æternæ mortis, nempe propter gratiam Christi quam mox commemorabit. Qui enim jam sunt in gratia Dei, iis Deus non ampliùs irascitur. Quum dicit, φύσει, id est, naturâ: significat, se conceptos & natos esse in peccato, ac proinde reos mortis. nam singulis naturaliter nascentibus imputatur Adæ lapsus, & in singulos nascendo propagatur naturæ corruptio seu pravitas. V.4. & deinceps pristino statui misero conversorum tum Ephesiorum tum Judæorum opponit statum præsentem felicem eorundem, affirmans, ipsos jam esse vivificatos, hoc est, fide justificatos, habere spem vitæ æternæ; & sentire gratiam Dei erga se; qui sensus, vitæ æternæ initium est. Hujus autem vivificationis exponit primum causam efficientem agentem. illa est Deus Pater. Deinde efficientem προηγουμένην, id est, antecedentem, quæ DEUM patrem movit atque impulit ad nos vivificandum. Ea est misericordia ejus & charitas erga nos: quam utramq; ab adjuncta copia seu magnitudine amplificat, v.4. Deinde v.5. exponit causam efficientem προκαταρκτικὴν, id est, irritatricem, quæ DEUM patrem ad servandum nos impulit. Ea est meritum Christi: quod notat cùm ait, Deum vivificasse nos unà cum Christo. Ubi per parenthesin causam προηγουμένην repetit, sed alio nomine, videl. nomine χάριτος, id est, gratiæ. V.6. causam προκαταρκτικὴν declarat, inquiens, Deum excitasse nos unà cum Christo, & cum eodem unà collocasse in cælis. quibus verbis significat, Deum per excitationem Christi ex morte & collocationem ejusdem in vita cælesti liqui-

dò demonstrasse, sibi per Christi mortem pro nostris peccatis esse satisfactum, ac proinde nos per fidem in illum (per quem cum eo ut membra cum capite cohæremus) jam esse à peccatis nostris justificatos seu absolutos, & certam spem habere resurrectionis ad vitam æternam unà cum Christo fruendam. V.7. finem exponit, cujus gratiâ Deus nos ita vivificavit, & eâ occasione causam illam προηγουμένην repetit. Finis enim est patefactio, ac proinde laus, suæ gratiæ & benignitatis erga eos quos vivificat & servat. Simul etiam causam προκαταρκτικὴν repetit, cùm ait, *In Christo Jesu*, id est, propter Christum, nempe propter meritum illius. V.8. repetit causam salutis nostræ προηγουμένην, videlicet gratiam, id est, favorem Dei: & addit causam instrumentalem, nempe fidem, quâ nos gratiam Dei in promissione Evangelii amplectimur. Tum per prolepsin (ne scilicet putent, se credidisse ex propriis viribus) exponit causam fidei efficientem, per antithesin, inquiens: *Et hoc non ex vobis: Dei illud donum est.* quibus verbis significat, fidem non oriri ex nostris viribus, sed proficisci ex donatione Dei efficientis illam per Spiritum S. Hæc autem sententia, ad perspicuitatem contextus, parenthesi includenda est. Nam v.9. causam instrumentalem salutis, id est, fidem, amplificat per antithesin, quâ negat, salutem esse ex operibus, id est, ex merito operum nostrorum, quasi scilicet bonis operibus mereamur vitam æternam. Hoc Paulus negat, & causam finalem exponit, cur Deus noluerit ad eum modum nos servare: nempe ne quis glorietur. quibus verbis significat, Deum in solidum velle frui salutis nostræ gloriâ, nobis autem nihil quicquam gloriationis velle relinquere, quâ scilicet gloriemur in nobis ipsis. Hoc idem Paulus tradit in epistola ad Rom.c.3. v.27.c.4.v.2. item 1.Cor.1.v.29.31. V.10. negationem de merito operum propositam confirmat ex natura contrariorum: nihil enim simul potest esse effectum & efficiens unius ejusdemque rei: at bona opera sunt effectum gratiæ Dei: non igitur sunt illius causa efficiens, ut illam promereantur. Ait, nos esse Dei ποίημα, quasi dicas facturam, id est, (ut usitatè appellatur) creaturam, Germanicè, geschöpf. Non autem hoc intelligit de creatione nostri corporis & animæ: sed de renovatione nostræ naturæ seu regeneratione per Spiritum S. quam Christus & suo merito nobis impetravit, & suâ efficaciâ unà cum Patre nobis præstat. unde addit, Nos conditos esse in Christo Jesu ad opera bona, hoc est, ut modò diximus, propter meritum illius, & per efficaciam illius.

11 Propterea mementote, vos quondam *quum essetis* gentes in carne: qui dicebamini præputium ab ea quæ vocatur circumcisio in carne, quæ manibus fit:

12 Vos, *inquam*, illo tempore fuisse absque Christo, alienos à republica Israëlis, & extraneos à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo.

13 At nunc in Christo Jesu, vos qui olim eratis procul, propinqui facti estis, per sanguinem Christi.

14 Ipse enim est pax nostra, qui utraque fecit unum, & intergerini parietis septum solvit:

15 Inimicitiis, *id est*, Lege mandatorum *quæ* in ritibus *posita est*, per carnem suam abolitis: ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem, faciens pacem;

16 Et utrosque in uno corpore reconciliaret Deo per crucem, peremtis inimicitiis per eam.

17 Et veniens evangelizavit pacem vobis, *tum* qui procul, tum qui propè eratis.

18 Quoniam utrique per ipsum habemus aditum per unum spiritum ad Patrem.

19 Nempe igitur non ampliùs estis hospites & inquilini, sed concives sanctorum ac domestici Dei:

20 Superstructi super fundamentum apostolorum ac prophetarum, quum imus angularis *lapis* sit ipse Jesus Christus.

21 In quo totum ædificium congruenter coagmentatum, crescit in templum sanctum in Domino.

22 In quo & vos unà ædificamini, ut sitis domicilium Dei per spiritum.

V.11. transit ad aliam amplificationem, quâ rursum quidem amplificat beneficium vocationis per antithesin pristini eorum status, sed aliter quàm suprà. Suprà enim commemoravit statum naturæ, qui eis cum Judæis fuerat communis: at hîc commemorat statum ipsorum singularem, quo Judæis erant inferiores, nempe quòd essent extra fedus gratiæ Dei in quo erant Judæi: quem illorum statum notat, quum eos vocat præputium, id est, præputiatos. Preputium enim ante regnum Christi, tempore politiæ Mosaicæ, erat signum alienationis à Deo; hoc est, significabat, gentes præputiatas à Deo esse alienas, nec pertinere ad ejus fedus: sicut contrà circumcisio signum erat federis & conjunctionis cum Deo. Innuit autem, plerosque Judæos temere in nuda externa illa circumcisione gloriatos esse: quum interim de circumcisione cordis quæ fit operatione Spiritus sancti, soliciti non essent. id quod expressiùs monet Rom.2.v.25. & deinceps. V.12. statum illum alienationis à Deo copiâ verborum amplificat. 1. *Eratis*, inquit, *absq; Christo*. id est, Christus vobis non prædicabatur, ac proinde nec in illum credebatis. 2. *Eratis alieni à πολιτείᾳ Israëlis.* id est, à religionis & cultus divini formâ quam Deus Israëlitico populo tradiderat. 3. *Eratis extranei à pactis promissionis.* hoc est, promissio federis gratiæ, quâ Deus promittebat remissionem peccatorum propter meritum Christi, & renovationem cordium per efficaciam Christi, nihil ad vos pertinebat. 4. *Eratis spem non habentes.* nempe spem vitæ æternæ. hæc enim nascitur ex fide, quâ illi carebant. *Eratis denique Dei expertes* (ἄθεοι) *in mundo.* hoc est, verum Deum ignorabatis, ac inprimis voluntatem ipsius ergà eos qui in Christum credunt. V.13. pristino illi Ephesiorum statui præsentem opponit, affirmans, eos jam propinquos factos esse Deo per sanguinem Christi, hoc est, Deum propter meritum Christi, sanguinem suum cum sensu iræ Dei in cruce fundentis ad expiandum credentium peccata, in gratiam eos recepisse & in suam quasi familiam cooptasse. V.14. & deinceps reconciliationem Ephesiorum per sanguinem Christi, quam modò commemoravit, amplificat collatione parium: affirmans, eos æquè reconciliatos esse Deo ac Judæos, idque absque interventu cærimoniarum Legis: quippe quas Christus aboleverit, implendo scilicet eas suâ morte, hoc est, reipsa præstando quod illæ præfigurarant. *Ipse*, inquit, (nempe Christus) *est pax nostra*, hoc est, author pacis nostræ, is qui pacem fecit inter Deum & nos. Metonymia effecti. *Qui utraque fecit unum.* hoc est, qui utrumque populum (circumcisorum scilicet & incircumcisorum) in unum populum collegit, hos nimirum illis aggregando. *Et intergerini parietis septum solvit*] His verbis modum aggregationis seu vocationis Gentium ostendit, nempe per abolitionem cærimoniarum Legalium: quas comparat septo, quòd populus Israëliticus illis veluti septo inclusus & ab aliis populis separatus esset: item parieti intergerino, eandem ob causam, nimirum quòd cærimoniis quasi dirimerentur à reliquis populis. V.15. exponit, quomodo Christus cærimonias legis aboleverit, atque ita aditum patefecerit ad Gentes Judæis aggregandum: nempe quòd aboleverit eas *per suam carnem*, id est, per suam mortem, quum suam carnem cruci affigi passus est: ac proinde vocaverit Gentes absque conditione observandi cærimonias Legis. Sic igitur indicat vocationis modum. Porrò cærimonias Legis hîc vocat *inimicitias*, eò quòd signum essent inimicitiarum inter Deum & Gentes, quatenus illis non erant datæ. Erant enim Judæis cærimoniæ Legis, visibiles prophetiæ de Christo, ac proinde testimonia gratiæ Dei. Videtur tamen vocabulo inimicitiarum aliâ significatione uti in fine v.16. nempe ad significandum simpliciter inimicitias inter Deum & homines. Porrò verba illa, *In uno corpore*, idem valent quod, *In unum veluti corpus collectos*. V.17. à merito Christi transit ad efficaciam ipsius, exponens causam instrumentalem, per quam Christus pacem illam seu reconciliationem nostri cum Deo nobis patefecit, nempe prædicationem Evangelii. V.18. pacem illam declarat ex effectu, videlicet libero aditu ad Patrem, per invocationem scilicet: cujus simul & aliam causam procreantem exponit, videlicet operationem Spiritus sancti obsignantis reconciliationem istam nostris cordibus, ac testimonium reddentis spiritui nostro quòd simus filii Dei: sicut ait Rom.8.v.16. V.19. repetit beneficium vocationis Ephesiorum, illudque antithesi amplificat, & metaphoris exornat. V.20. exponit vocationis causam instrumentalem, videlicet doctrinam apostolorum & prophetarum de Christo. Prophetarum nomine videtur hîc intelligere interpretes prophetarum, quia eos apostolis postponit: sicut & infr. c.3. v.5. Porrò doctrinam apostolorum & prophetarum fundamento ædificii comparat: eâque occasione authorem salutis Christum simili metaphorâ illustrat, lapidi angulari eum comparans: itemque Ecclesiam, quam comparat templo in quo Deus habitat per Spiritum sanctum.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Et vos &c.] *Ϗ ὑμᾶς &c. Accusativus iste ὑμᾶς regitur à verbo συνεζωοποίησε, id est, vivificavit. quod sequitur v.5. Est igitur hoc loco hyperbaton, & sinchysis, & ἀποκοπὴ τῆς περιόδου, intercisio periodi: quæ est species τοῦ ἀνανταποδότου. Cujus quidem anomaliæ causa est ἐπεμβολὴ, interjectio sententiæ prolixioris: quæ exponitur status pristinus cum Ephesiorum cæterorumq; Gentilium, tum Judæorum, v.2. & 3. Post quam ἐπεμβολὴν facta est ἀποκοπὴ τῆς περιόδου. Deinde in epanalepsi, hoc est, repetitione sermonis inchoati atque interrupti, (quæ incipit vers.4.) facta est mutatio personæ secundæ in primam, videlicet pronominis ὑμᾶς in pronomen ἡμᾶς, in principio v.5. Cujus mutationis causa est illa σύγχυσις, quæ continetur in epembole: quâ Judæi cum Gentibus tanquam similes, quoad naturæ statum comparantur. unde factum, ut jam in epanalepsi utrosq; illos complectatur pronomine primæ personæ, dicens ἡμᾶς,* Nos: *& intelligens tum se, cæterósque Judæos fideles, tum eos quos alloquitur, fideles Ephesios. Ex quæ sen-*

qua sententiarum cohærentia perspicitur, conjunctionem καὶ *in principio v.5. redundare: appositam tamen esse ut aliquo modo serviret institutæ epanalepsi. Sed perspicuitatis causâ in vertendo à nobis prætermissa est. Neque enim puto, conjunctionem illam hîc esse* συγκριτικὴν, *comparativam, notam scil. paris:* Etiam nos. *scil.* Judæos: *non solùm vos Gentiles. Quod si hîc dictum voluisset Apostolus, aliter verba collocasset, dicens nimirum sic,* καὶ ἡμᾶς ὄντας νεκροὺς: *non autem,* καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκρούς.

2 Ut est vita mundi hujus] κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου. *Ad verb.* Secundùm sæculum mundi hujus. *id est, Ut solet hic mundus seu filii hujus sæculi, hoc est, huic mundo sive sæculo addicti, de altero sæculo seu vita æterna nihil soliciti.* Spiritum nunc agentem] τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος. *Pro,* τὸ πνεῦμα τὸ νῦν ἐνεργοῦν. *Antiptosis. Vide analysin. Talis antiptosis est & infr. cap. 4. v. 15.* In filiis contumaciæ] ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. *Id est, in hominibus contumacibus. Hebrais.*

3 Quæ carni ac cogitationibus libebant] τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς καὶ τῶν διανοιῶν. *Sic D. Beza, eleganter expresso sensu. Ad verb.* Voluntates carnis & cogitationum. Eramusque naturâ filii iræ] καὶ ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς. *Pro,* καὶ ἦμεν φύσει τέκνα ὀργῆς. *Talis trajectio nominis* φύσει *exstat Gal. 4. v. 8.* τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. *Cæterùm filii iræ dicuntur rei iræ, per Hebraismum.*

4 Quum dives sit] πλούσιος ὤν. *Sic potiùs vertendum, quàm,* Qui dives est. *Exponit enim his verbis causam ejus vivificationis de qua loquitur versu sequente.* Quâ dilexit nos] ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς. *Pro,* ἐκείνην ᾗ ἠγάπησεν ἡμᾶς. *Syntaxis Græca.*

5 Nos quùm per lapsus mortui essemus] καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι. *Cur conjunctio* καὶ *hoc loco à nobis sit prætermissa, causam exposuimus ad vers. 1.* Unà vivificavit cum Christo] συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ. *Præpositio* σὺν *refertur ad Christum, sicut Rom. 8. v. 17. item 2. Tim. 2. v. 11. Nam coagmentatio illa Judæorum ac Gentium inter se, indicatur pronomine* ἡμᾶς: *sicut ad v. 1. declaravimus.*

7 Ut ostenderet in sæculis &c.] *Sententia est, ut ostenderet hominibus victuris in seculis &c.*

8 Gratiâ enim] τῇ γὰρ χάριτι. *Nempe* τῇ τοῦ θεοῦ, *id est, Dei: cujus mentionem fecit versu præcedente. Articulus ergo vim habet* ἀναφορικήν. Per fidem] διὰ τῆς πίστεως. *Nempe* τῆς εἰς Χριστόν. Et hoc] καὶ τοῦτο. *Id est, & hæc fides.* Dei illud donum] θεοῦ τὸ δῶρον. *Articulum putavi exprimendum: quoniam videtur illo notari aliquid eximium.*

9 Non ex operibus] *Scilicet servati estis. hoc enim opponit illi quod dixit,* Gratiâ estis servati. Ut ne quis] ἵνα μή τις. *Notatur finis consilii divini.*

10 Nam ipsius sumus opus &c.] *Nos salutem non mereri operibus, probat ex eo, quòd bona nostra opera non proficiscantur ex nostris viribus, sed ex gratia Dei qui nos ad illa condidit, id est, quasi denuò condidit, regenerando scilicet nos per Spiritum sanctum.* Quæ præparavit] οἷς προητοίμασεν. *Pro,* ἐκείνοις ἃ προητοίμασεν. *Syntaxis Græca.*

11 Vos quondam *quum essetis* Gentes] ὅτι ὑμεῖς ποτὲ τὰ ἔθνη. *Ante nomen* τὰ ἔθνη *subaudiendum participium* ὄντες, *ad significandum tempus, liquet ex principio versus sequentis, ubi sententia hîc inchoata & mox per epembolen interrupta, repetitur his verbis,* ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, *id est,* Vos fuisse illo tempore.

12 Spem] ἐλπίδα. *Nempe spem vitæ æternæ. Synecd. generis.*

14 Pax] ἡ εἰρήνη. *Id est, author pacis. Metonymia effecti valde emphatica.* Qui utraque fecit unum] *Id est, qui Judæos & Gentes collegit in unum populum Dei.* Intergerini parietis septem] τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ. *Hypallage; quasi Græcè sit* τὸν φραγμὸν τοῦ μεσοτοίχου. *Appellat autem Apostolus unam eandemque rem (videl. cærimonias Mosaicas) duobus nominibus: videl. septum quo populus Judaicus veluti hortus Domini sepiebatur, & parietem intergerinum quo à reliquis separatus erat.*

15 Inimicitiis &c.] *Hunc versum propter verborum trajectionem subobscurum, D. Beza & verbis commodiùs collocatis & supplementis adhibitis, perspicuum reddidit.* Ex duobus illis conderet unum] τοὺς δύο κτίσῃ εἰς ἕνα. *Ad verb.* Duos illos conderet in unum. *Hebrais. ut in illo,* Erunt illi duo in carnem unam: *quod est, quasi dicatur, Ex duobus illis (viro & uxore) fiet una caro. Unde & subjungit Dominus apud Matthæum,* Itaque non ampliùs sunt duo, sed una caro. *Matth. 19. v. 6. Loquitur autem hîc de duobus populis, videl. Judæis & Gentibus.*

16 Per crucem] *Id est, per mortem suam quam in cruce perpessus est. Metonymia subjecti, vel efficientis.*

18 Vobis, *tum* qui procul &c.] *Continetur his verbis distributio: facilè autem intelliguntur ex v. 12. & 13.*

19 Utique] οἱ ἀμφότεροι. *Nempe & Judæi & Gentes, quotquot in Christum credimus.* Aditum] τὴν προσαγωγήν. *Vide annotat. nostram ad Rom. 5. v. 2.*

20 Super fundamentum apostolorum ac prophetarum] *Id est, (ut rectè D. Beza exponit) super fundamentum quod jactum est à prophetis & apostolis per doctrinam ipsorum: non autem quod fundamentum sint ipsi apostoli ac prophetæ. Genitivus adjuncti.* Quum imus angularis lapis sit] ὄντος ἀκρογωνιαίου λίθου. *His verbis continetur probatio ejus quod dixit, Ephesios superstructos esse super fundamentum apostolorum ac prophetarum, id est, super Christum: quæ probatio sumta est à testimonio Esaiæ, apud quem Christus lapis angularis nominatur. Quod si vertatur,* Cujus imus angularis lapis est Christus: *quum pronomen* Cujus *necessariò referatur ad fundamentum cujus facta est mentio: non poterit satis commodè hoc explicari, Christum videl. & fundamentum Ecclesiæ esse, & fundamenti lapidem angularem. Nisi hunc locum sic malimus exponere: Superstructi super fundamentum apostolorum, hoc est, super doctrinam apostolorum ac prophetarum tanquam super fundamentum: cujus fundamenti imus lapis angularis est ipse Jesus Christus, hoc est, cujus doctrinæ princeps caput est doctrina de Christo, nimirum de persona & officio Christi. Sed prior expositio genuina videtur: cui & sequentia verba favent, imò quam planè videntur postulare.*

21 Crescit in templum sanctum] αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον. *Sic apud Claudianum strages dicuntur crescere in cumulum, id est, ita ut tandem magnus cumulus fiat. Notatur ædificationis effectum.* In Domino] ἐν κυρίῳ. *Hoc additur, ut intelligamus, incrementum illud pendere à Domini virtute.*

22 In quo] *Scilicet Christo, ex v. 20.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 Ex v. 1. 2. 3. Homo naturâ mancipium est Diaboli; cui servit perpetrando peccata: ac proinde est filius iræ, hoc est, reus iræ Dei atque æternæ damnationis. *Homo.*

2 Ex v. 5. & 6. Nostra salus tam certa est, ac si jam eâ potiremur. Certitudo autem hæc pendet à nostra cum Christo communione: in quo tanquam capite nostro gloriam illam cælestem jam possidemus. *Salus fidelium.*

3 Ex v. 7. *Ut ostenderet sæculis succedentibus.* Hinc colligimus, Evangelium usque ad finem mundi prædicatum iri. Sicut etiam dicitur in verbis Cœnæ: *Mortem Domini annuntiate donec venerit.* Christus autem in extremo die venturus est. Ergo eousque etiam cœna Domini celebrabitur, ac proinde usque ad consummationem sæculi Evangelium prædicabitur: quantumvis id impedire conentur tyranni. *Evangelii ministerium.*

4 Ex v. 8. Fides non oritur ex viribus liberi arbitrii, sed est singulare donum Dei. Hinc ad Tit. 1. v. 1. vocatur fides electorum Dei. Et alibi dicitur, *Fides non est omnium.* *Fides.*

5 Ex v. 9. Causa cur Deus nolit homines justificari & servari ex operibus, est, ne quis glorietur, nempe in seipso, in suis scil. viribus ac meritis: quia ipse solus vult habere gloriam salutis nostræ, nempe quòd nos indignos ex mera gratia ac misericordia servârit. Vide suprà c. 1. v. 6. Quare qui docent, hominem justificari & servari ex operibus, illi sunt hostes gloriæ Dei. Confer Rom. 3. v. 27. & cap. 4. v. 2. & 1. Cor. 1. v. 29. & 31. *Justificatio.*

6 Ex v. 10. Qui fide justificantur, illi etiam spiritu Christi regenerantur, atque ita idonei & voluntarii redduntur ad bona opera. *Justificatio.*

7 Ex eod. Regeneratio spiritualis, est opus potentiæ Dei, simile operibus creationis. Sic fideles alibi vocantur nova creatura. *Regeneratio.*

8 Ex v. 12. Miserrimus est status eorum qui sunt extra Christum, hoc est, qui in Christum non credunt: quia non habent spem vitæ æternæ. Contrà igitur felicissimi sunt qui sunt in Christo, hoc est, qui in Christum credunt. *Status hominis extra Christum.*

9 Ex eod. Qui in Christum non credunt, illi sunt ἄθεοι, sine Deo, hoc est, destituuntur verâ cognitione Dei. nam qui non honorat Filium, is nec honorat Patrem: ut Christus ipse docet Joh. 5. v. 23. *Infideles.*

10 Ex v. 13. Sanguis Christi (nempe quatenus in cruce pro nobis effusus) est medium illud, quo Deo reconciliati & in gratiam ejus adducti sumus. *Reconciliatio nostri cum Deo.*

11 Ex v. 14. 15. Observandum est, abrogationem Legis cærimonialis factam esse per sacrificium Christi, sicut ait Joh. cap. 1. v. 17. *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Jesum Christum exstitit.* Præposterè igitur agunt Papistæ, onerantes populum ineptis cærimoniis, sumtis partim à veteri populo, partim ab Ethnicis. Sic Petrus vocat cærimonias in Actis jugum intolerabile, Act 15. *Abrogatio Legis.*

12 Ex v. 16. Rursus observandum, quomodo simus Deo reconciliati, nempe per mortem Christi; unde rectè dicitur: Christum nobis promeritum esse gratiam Dei. *Reconciliatio nostri cum Deo.*

13 Ex vers. 18. Quodnam sit signum, præditos nos esse fide, nempe hoc; Si ausimus prodire in conspectum Dei, & ipsum invocare: invocatio enim pendet ex fide, cùm simus persuasi, Deum nobis bene velle; quæ persuasio pendet à testimonio Spiritus, qui testimonium dat nostro spiritui, nos esse filios Dei. Rom. 8. v. 16. *Fides.*

14 Ex v. 19. Fideles sancti sunt: quia sanctificati sunt sanguine & spiritu Christi. Consideremus, quàm sit res optabilis, esse cives regni Dei & concives sanctorum; & ne pudeat nos pati persecutionem propter Evangelium: cùm satis nobis sit, assumtos nos esse in communionem sanctorum & domesticorum Dei. *Fideles.*

15 Ex v. 20. Quoniam Ecclesia nascitur ex doctrina prophetarum & apostolorum: hinc consequitur, auctoritatem Scripturæ non pendere ab auctoritate Ecclesiæ. *Ecclesia.*

16 Ex eod. Observandum, quid præcipuè quærendum sit in doctrina prophetarum & apostolorum, nempe Christus, doctrina scilicet de persona & officio ejus: qui Christus est fundamentum Ecclesiæ. *Scriptura sacra.*

Fides. 17 Ex v.21. Observa: Fidem esse conjunctam cum sanctitate. Falluntur igitur illi qui fidem jactant, in peccatis interim pergentes.

ANALYSIS CAP. III.

Argumentum.

Quoniam in fine capitis superioris doctrinam apostolorum commemoravit, per quam Ephesii sint vocati: nunc deinceps suum apostolatum asserit contra scandalum vinculorum suorum, in quibus tum Romæ detinebatur: eâque occasione mysterium de vocatione Gentium explicat: tum Galatas ad perseverantiam & profectum in fide Evangelii à se apud ipsos prædicati exhortatur.

HUjus rei gratiâ ego Paulus, captivus ille Christi Jesu pro vobis Gentibus,

2 (Siquidem audistis dispensationem gratię Dei quę data est mihi erga vos:

3 *Deum videlicet* per revelationem notum mihi fecisse mysterium illud (sicut antè scripsi paucis:

4 Ex quo perlecto potestis intelligere, quæ sit mea intelligentia in mysterio Christi)

5 Quod aliis ætatibus non patefactum fuit filiis hominum, ut nunc revelatum est sanctis ejus apostolis & prophetis per spiritum:

6 Gentes *videlicet* esse cohæredes & concorpores, consortesque promissionis ejus in Christo per Evangelium.

7 Cujus factus sum minister ex dono gratiæ Dei, quod datum est mihi secundùm operationem potentem ipsius:

8 Mihi, *inquam*, longè minimo omnium sanctorum, data est hæc gratia evangelizandi inter Gentes, impervestigabiles illas opes Christi.

9 Et in lucem proferendi omnibus, quæ *sit* communio mysterii quod erat absconditum à sæculis in Deo, qui omnia hæc condidit per Jesum Christum.

10 Ut nota nunc fiat per Ecclesiam imperiis ac potestatibus *quæ* in cælis *sunt*, multiformis illa sapientia Dei:

11 Secundùm propositum æternum, quod constituit in Christo Jesu Domino nostro:

12 In quo habemus libertatem & aditum cum fiducia, per fidem ipsius.

13 Quapropter peto ne segnescatis ob afflictiones meas pro vobis; quæ est gloria vestra.)

14 Hujus, *inquam*, rei gratiâ flecto genua mea ad patrem Domini nostri Jesu Christi;

15 Ex quo tota familia in cœlis & in terra nominatur;

16 Ut det vobis, pro divite sua gloria, ut fortiter corroboremini per spiritum suum in interiore homine:

17 *Et* inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.

18 *Dum* in charitate *fueritis* radicati & fundati: ut valeatis assequi cum omnibus sanctis, quæ *sit* illa latitudo, & longitudo, & profunditas & sublimitas:

19 Et cognoscere charitatem illam Christi *omni* cognitione superiorem: ut impleamini ad omnem usque plenitudinem illam Dei.

20 Ei verò qui infinitâ cum redundantiâ potest omnia facere supra ea quæ petimus, aut mente concipimus, pro vi illa agente in nobis:

21 Ei, *inquam*, sit gloria in Ecclesia per Christum Jesum, in omnes ætates sæculi sæculorum, Amen.

VErsu 1. utitur tacitâ inversione: dum monet, se vinctum esse pro illis, hoc est, illorum causâ, ut scil. doctrina ab ipso eis tradita in animis eorum confirmetur. *Hujus rei gratiâ*, inquit, ut scil. vos magis magisq; ædificemini in Christo, superiore capite, v.ult. *Ego Paulus captivus seu vinctus ille Christi*, id est, propter Christum: ex cujus mandato Gentes per Evangelium voco in communionem populi Dei.

Vers.2. apostolatum suum declarat expositione causæ efficientis, id est, authoris à quo sit vocatus, nempe Dei: & formæ, quum apostolatum suum vocat dispensationem gratiæ Dei apud Gentes.

V.3.& 4. commemorat formam vocationis suæ, videl. revelationem mysterii de vocatione Gentium: hoc autem mysterium sibi esse revelatum, probat ex effecto, videl. doctrinâ suâ hac de re paulo-antè traditâ, nempe capite præcedente à v.11. usque ad finem capitis.

V.5. mysterium illud amplificat antithesi temporum: quippe quod antea fuerit ignotum, nunc autem sit revelatum apostolis & prophetis: ubi nomine prophetarum intelligendi sunt non veteres illi qui de Christo venturo prophetarunt; neque enim sententia præsens id patitur: sed interpretes prophetiarum ab illis conscriptarum. In qua significatione hoc nomine etiam utitur Apostolus 1.Cor.14.& inf.c.4.v.11.sicut & cap.præcedente v.20.

V.6. mysterium illud de vocatione Gentium exponit, innuens, eas vocandas esse per Evangelium, absq; obligatione scil. ad cærimonias Legis, ac proinde absque circumcisione. hoc enim erat quo Judæi offendebantur: qui putabant, Gentes non esse admittendas ad societatem populi Dei, nisi circumciderentur. *Gentes esse cohæredes*] Scilicet unà cum Judæis credentibus, hæredes vitæ æternæ. *Concorpores*] Id est, in unum idemque quasi corpus cum Judæis credentibus collectos. *Consortes promissionis ejus*] Nempe promissionis, qua Deus Judæis credentibus promisit remissionem peccatorum & vitam æternam. *In Christo*] Id est, per fidem in Christum. *Per Evangelium*] Quasi dicat, non autem per circumcisionem & alias cærimonias Legis.

V.7. apostolatum suum describit in genere, quum se factum dicit ministrum Evangelii: item ex causâ efficiente, videl. gratiâ Dei: & ex adjunctâ prædicandi facultate, quam vocat donum sibi datum secundùm efficaciam potentiæ Dei.

V.8. per quandam prolepsin & antithesin suæ parvitatis, magnitudinem gratiæ Dei in mandato sibi apostolatu amplificat: vocans se minimum omnium sanctorum. Similes locos vide 1.Cor.15.v.8.& 9.item 1.Tim.1.v.15. Apostolatum verò suum nominat gratiam, per metonymiam efficientis: quia eum ex gratia Dei acceperat. Tum eundem declarat ex objecto duplici: videl. auditoribus quos debuit docere: illi sunt Gentes: nam his peculiariter destinatus erat: deinde ipsius doctrinæ argumento sive summâ, seu denique iis rebus quas debuit docere: eæ sunt, remissio peccatorum, & vita æterna per Christum parta, quas vocat impervestigabiles opes Christi.

V.9. amplificat suum apostolatum ab adjuncto mysterio, admonens, vocationem Gentium sibi mandatam, hactenus rem arcanam fuisse: item ab adjuncto decreto Dei æterno, quum ait, mysterium illud absconditum fuisse à sæculis in Deo. tum annectit argumentum à pari: ut admoneat, vocationem Gentium non debere videri absurdam; ubi ait, Deum omnia condidisse per Jesum Christum. q.d. Si Deus tam Gentes quàm Judæos per Christum condidit: quid miri aut absurdi, si tam illas quàm istos per eundem Christum instauret? Sic Rom.3. quum generatim conclusisset, hominem justificari fide absq; operibus Legis: mox subjungit, *An Judæorum Deus solùm? annon & Gentium? Certè & Gentium.*

V.10. mysterium illud de vocatione Gentium amplificat collatione majorum; affirmans, illud nunc patefieri ipsis quoque angelis. Nominat autem vocationem Gentium, multiformem illam sapientiam Dei, per metonymiam efficientis, quia Deus pro suâ sapientiâ aliter tunc vocabat Gentes quàm olim circumcisos. Circumcisos erudiebat de Christo venturo per varias cærimonias & umbras: Gentes erudiebat de Christo exhibito per clarum testimonium, adhibitis paucissimis iisdemque significantissimis cærimoniis, baptismo scil. & sacrâ cœnâ.

V.11. repetit adjunctum illud Dei decretum sive propositum de Gentibus vocandis & per Christum servandis.

V.12. exponit quædam vocationis effecta: nempe fidem, fiduciam filialem & invocationem ex fiducia. Sed Apostolus hæc tria ordine retrogrado commemorat.

V.13. ex narratione de suo apostolatu deducit exhortationem ad constantiam in fide: ac removet scandalum vinculorum suorum per inversionem; admonens, Ephesios non solùm non debere moveri ipsius vinculis, ut de ipsius apostolatu aut doctrinâ ab ipso eis traditâ dubitent: sed potiùs in illa debere hoc ipso confirmari: quippe quam tanti faciat Apostolus, ut etiam non recuset propter illam sustinere afflictiones; ac nominatim quòd doceret, Gentes ad populum Dei vocandas esse absque obligatione ad cærimonias Legis. Hoc sibi vult quod dicit, hanc esse Ephesiorum gloriam: id est, has suas afflictiones pertinere ad ipsorum gloriam.

V.14.& deinceps pergit eos hortari ad perseverantiam & profectum in fide, sed obliquè & per ratiocinationem: dum scilicet narrat, se Deum pro ipsis orare, ut eis fidem confirmet & augeat. quo ipso innuit, multò magis ipsosmet hac de re solicitos esse debere: quippe quorum res agatur.

V.15. obiter amplificat beneficium vocationis seu adoptionis per Christum, à multitudine vocatorum sive adoptatorum, per distributionem è subjectis locis: quippe quòd pars eorum jam in cælum recepta sit, pars adhuc in terris degat.

V.16.& deinceps 17. 18. 19. exponit, quidnam eis à Deo exoptet, nempe confirmationem in fide & charitate. Hanc confirmationem primùm declarat ex causis, videlicet causâ antecedente, quæ est immensa Dei gratia, quam vocat divitias gloriæ ipsius: tum ex causa efficiente socia, & quasi instrumentali seu admini-

administra respectu Patris mittentis, qui est Spiritus sanctus. Deinde duo illa uno nomine generali complectitur, videl. hominis interioris, v.16. Tum 17. illius totius partem primam exponit, nempe fidem. Postea v.18. addit ejusdem totius partem alteram, nempe charitatem: ibidemque redit ad partem priorem, & fidem seu cognitionem charitatis Dei erga nos in Christo, amplificat à charitatis illius perfectione & excellentia; atque etiam à perfectione ipsius hujus cognitionis: non quòd charitatem Dei erga nos perfectè in hac vita possimus cognoscere: sed quòd qui illam pro modulo fidei sibi à Deo donatæ cognovit, is perfectam salutis suæ notitiam habeat, ita ut nihil ei desit ad salutem per Christum consequendam.

V.20. & 21. concludit hunc locum gratiarum actione seu δοξολογίᾳ, quâ potentiam & bonitatem Dei erga Ecclesiam celebrat.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Hujus rei gratiâ ego Paulus &c.] τούτου χάριν ἐγὼ Παῦλος &c. *Hic iterum occurrit hyperbaton. Etenim enuntiatum quod hic inchoatur, mox vers. sequente interrumpitur, & absolvitur demum vers.14. ubi per epanalepsin repetuntur illa verba,* τούτου χάριν. *Quapropter perspicuitatis causâ versus interpositos omnes notis* παρενθέσεως *inclusimus.*

2 Quæ data est mihi erga vos] τῆς δοθείσης μοι εἰς ὑμᾶς. *Hoc est, quæ data est mihi utenda erga vos.*

3 Mysterium illud] τὸ μυστήριον. *Nempe* τὸ τοῦ χριστοῦ. *ut ipse nominat v.seq. Itaq; articulus bene expressus est.* Sicut ante-scripsi] *nempe in hac ipsa epistola, capite scil. primo.*

5 Non patefactum fuit] οὐκ ἐγνωρίσθη. *Ad verb.* Non notificatum fuit. *nempe à Deo.*

6 Esse] εἶναι. *Pro,* ὅτι ἐστί. Promissionis ejus] τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ. *Nempe Dei. Græcum clarius est propter discrimen generum in vocibus* ἐπαγγελίας αὐτοῦ.

7 Secundùm operationem potentem ipsius] κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. *Ad verb.* Secundùm operationem potentiæ ipsius. *Hebraismus. Genitivus adjuncti.*

9 A sæculis] ἀπὸ τῶν αἰώνων. *Eadem vis est præpositionis* ἀπὸ *in illo Rom.1.v.20.* ἀπὸ κτίσεως κόσμου, *A creatione mundi. Notatur terminus temporis à quo.* Omnia hæc] τὰ πάντα. *Id est, omnes hos populos qui jam in Christum credunt: ut rectè interpretatur D.Beza.*

11 Propositum] πρόθεσιν. *Nempe vocandi & salvandi electos omnium populorum.*

13 Ob] ἐν. *Hebraïs. Præpositio Beth valet Bahhabûr.* Pro vobis] ὑπὲρ ὑμῶν. *Id est, quas sustineo vestrâ causâ, ut nimirum vos meâ constantiâ confirmemini in fide Christi. Nam sanguine martyrum Ecclesia veluti rigatur: ut scitè veteres dixerunt.*

14 Hujus, *inquam*, rei gratiâ] τούτου χάριν. *Particulam* inquam *inserui: quia judico, hic per epanalepsin repeti ista verba ex v.1.*

15 Familia] πατριά. *Seu parentela. Sic Luc.2.v.4. Germanicè,* **Geschlecht.** Nominatur] *Nempe nomine filiorum Dei.*

18 *Dum* in charitate *fueritis* radicati & fundati] ἐν ἀγάπῃ ἐρριζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι. *Sic puto hæc vertenda, tanquam posita absolutè per Hebraismum. Et sic accepisse apparet Syrum interpretem: quasi scriptum esset,* ὑμῶν ἐν ἀγάπῃ ἐρριζωμένων καὶ τεθεμελιωμένων. *Nam trajectio conjunctionis* ἵνα *quam alii hic instituunt, mihi hoc loco durior atque insolentior videtur. Et dissimilia videntur exempla quæ D.Beza hîc tanquam similia annotavit: ut in quibus non tot verba ante conjunctionem* ἵνα, *post illam trajicienda præcedunt: sed tantùm unum aliquod nomen. Vult autem his verbis Apostolus meo quidem judicio significare, eam demum veram esse fidem quæ cum vera dilectione tum Dei, tum proximi conjuncta est: ac proinde fide eis exoptatâ, simul exoptat ut in eis radices agat ac veluti fundetur charitas.*

21 Ei, *inquam, sit* gloria] αὐτῷ ἡ δόξα. *Tales Epanalepses, per pronomen relativum factæ, occurrunt crebræ apud evangelistam Johannem: ut c.1.v.33. c.3.v.26. c.5.v.11.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v.1. Persecutione fidelium Ecclesiæ doctorum non solùm non debemus offendi, ut à veritate Evangelii deficiamus, sed potiùs debemus confirmari in doctrinâ per martyres testatâ. *Persecutio.*

2 Ex vers.2. Ministerium Evangelii in maximo pretio habendum; cùm per illud nobis dispensetur gratia Dei. *Ministerium Evangelii.*

3 Ex v.3.4.5.6. discamus, quò majorem gratiam nobis Gentibus exhibuit Deus, eò studiosiùs ei serviendum esse. quippe non multis cærimoniis nos onerat, & tamen consortes facit populi sui. *Officium hominis Christiani.*

4 Ex vers.7. discamus, ministerium Evangelii magnifaciendum esse, cùm sit donum gratiæ Dei: deinde, adjunctam habere efficaciam Spiritus sancti. Deus enim non frustra Evangelium annuntiari sinit, sed semper adest suo spiritu ad efficaciter vocandum electos. *Ministerium Evangelii.*

5 Ex v.8. Primò, unumquemque Evangelii ministrum indignum se judicare debere tanto officio, idque exemplo Pauli. Deinde, Evangelium sedulò ac studiosè nobis audiendum esse, quia communicat nobis opes Christi, quæ opes anteferendæ sunt omnibus terrenis opibus. *Ministri Evangelii. Auditores Evangelii.*

6 Ex vers.9. Christum esse mediatorem illum inter Deum & homines: per quem sicut omnia condidit, sic quoque per illum instaurat quæcunque vult. *Christus.*

7 Ex v.10. Cùm etiam angeli admirentur sapientiam Dei in Evangelio patefactam: multò magis nos eandem debere admirari. Similis locus est 1.Pet.1.v.12. *Officium hominis Christiani.*

8 Ex v.11. Salutem nostram esse certam, quia fundata est in æterno Dei decreto & proposito. Dona enim Dei & vocatio sunt ἀμεταμέλητα: Rom.11. Et quos prædestinavit, eos etiam vocavit? quos vocavit, etiam justificavit: quos justificavit, etiam glorificavit: Rom.8. *Salus.*

9 Ex v.12. Quænam sit vera fides: quæ nimirum ex se parit fiduciam filialem in favore Dei acquiescentem, & quæ deinde ex se parit invocationem: Rom.10.v.13. *Fides.*

10 Ex v.13. Quænam sit ratio afflictionum quas fideles sustinent pro confessione Evangelii; nempe non esse ignominiosas, sed gloriosas. *Afflictiones.*

11 Ex v.14. Cùm fides sit donum Dei, Deum quotidie orandum esse pro illius incrementis & confirmatione, tum in nobis tum in aliis. Item, quò dirigendæ sint preces nostræ, nempe ad Deum patrem. Quamvis licet etiam distinctè invocare Filium & Spiritum sanctum, sicut Stephanus & Christiani illi Damasceni fecerunt, Act.7.v.59. Act.9.v.14. *Officium hominis Christiani. Preces.*

12 Ex v.15. Quæ sit vis fidei, nempe per illam nos adoptari in filios per Jesum Christum. Confer Joh.1.v.12. *Fides.*

13 Ex v.16. Quis sit author & effector fidei & pietatis, nempe Spiritus sanctus. Idem est efficiens & conservans. *Fides.*

14 Ex v.17. Quæ sit vis & natura fidei, nempe quòd per illam Christus habitet in cordibus nostris. Quod non est intelligendum de corpore, sed de spiritu Christi; quæ inhabitatio nobis prodest: altera illa nihil habet consolationis. *Fides.*

15 Ex v.18. Fideles ut in charitate, sic in fide radicantur per Spiritum sanctum. *Fideles.*

16 Ex eod.v. Charitas Dei erga nos est perfecta; ac proinde satis nobis erit, dare operam ut illam cognoscamus. *Officium hominis Christiani.*

17 Ex vers.19. Etsi mysteria in verbo Dei patefacta captum nostrum superent, tamen elaborare debemus ut in illis proficiamus. *Officium hominis Christiani.*

18 Ex vers.21. Quoties de Dei erga nos beneficiis loquimur, erumpendum est in gratiarum actionem nisi velimus videri ingrati. *Officium hominis Christiani.*

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM TRIUM CAPITUM RELIQUORUM.

Sequitur altera pars epistolæ. nam sicut hactenus per tria capita in hoc elaboravit Apostolus, ut Ephesios confirmaret in fide: ita deinceps per tria capita reliqua omni studio in hoc incumbit, ut eos confirmet in resipiscentia, & in eis formet vitam Christianam. Itaque eos ad varias virtutes hortatur, variaq; eis officia præscribit. Primùm autem tradit præcepta generalia & omnibus fidelibus communia, usque ad v.22. capitis quinti: deinde subjungit præcepta specialia de officiis certarum seu certæ conditionis personarum, ut uxorum & maritorum, liberorum & parentum, servorum ac dominorum: inde usque ad v.10. c.6. Ibi subjungit exhortationem generalem ad constantiam in fide, & pietate, & precibus, ac nominatim se illorum precibus commendat: usq; ad v.21. ubi familiariter exponit, cur Tychicum ad eos miserit: ac tandem v.23. & 24. epistolam salutatione apostolicâ concludit.

PRecor itaque vos ego captivus in Domino, ut ambuletis ita ut dignum est vocatione qua vocati estis:

2 Cum omni modestia ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes alii alios per charitatem:

3 Studentes servare unitatem spiritus per vinculum pacis.

4 Unum *est* corpus, & unus spiritus: sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ.

5 Unus Dominus, una fides, unum baptisma.

6 Unus Deus & pater omnium, qui est super omnes & per omnes & in omnibus vobis.

VErsu 1. cap.4. proponit exhortationem generalem ad studium pietatis.

Versu 2. & 3. hortatur ad studium concordiæ & fraternæ charitatis.

V.4.5.& 6. varia illius proximæ hortationis argumenta affert. 1. quòd sint inter se unum corpus. 2. quòd regantur ab uno spiritu: nempe Spiritu sancto. 3. quòd habeant unam spem, nempe vitæ æternæ. 4. quòd habeant unum dominum, nempe Christum. 5. quòd habeant unam fidem, nempe Christi. 6. quòd habeant unum baptisma, nempe in nomen Christi. 7. quòd habeant unum Deum & patrem.

7 Sed unicuique nostrûm data est gratia pro mensura doni Christi.

8 Quapropter dicit, Quum ascendisset in sublime, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus.

9 Cæterùm illud Ascendit, quid est nisi quòd etiam descenderat priùs in infimas partes terræ?

10 Qui descenderat, is est qui etiam ascendit longè supra omnes cælos, ut impleret omnia.

11 Is igitur dedit alios quidem, apostolos: alios verò, prophetas: alios autem, evangelistas: alios autem, pastores & doctores:

12 Ad coagmentationem sanctorum, per opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi:

13 Donec evadamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum adultum ad mensuram staturæ pleni Christi:

14 Ut ne simus ampliùs pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ, per hominum aleam, per veteratoriam ad insidiosè fallendum versutiam.

Vers. 7. occasione expositorum argumentorum quæ omnia ab unitate ducta sunt, per prolepsin quandam digreditur ad commemorandum discrimina donorum Christi in fidelibus, ac nominatim in Ecclesiæ doctoribus: quorum finem esse monet unitatem fidei sive Ecclesiæ in fide. Primùm autem proponit, dona illa diversâ proficisci à Christo, se Christum eorum esse authorem, vers. 7. deinde id probat ex verbis Davidis Psal. 68. quæ interpretatur de ascensione Christi in cælum, atque adeò ipsius exaltatione ac triumpho de hostibus (nempe mundo, Diabolo, peccato, morte,) devictis: versu 8. Tum exaltationem illam Christi amplificat antithesi antegressæ humiliationis: vers. 9. & 10. postea eandem exaltationem declarat ex effectis, videlicet donis variis Spiritus sancti quibus Christus instruxit Ecclesiæ doctores: quorum quinque genera & quasi ordines recenset vers. 11. Illi sunt: *1. Apostoli*, quorum officium erat passim apud quosvis prædicare Evangelium, & suâ prædicatione ecclesias plantare. *2. Prophetæ*, qui poterant ex revelatione Spiritus sancti dextrè interpretari prophetarum vaticinia de regno Christi: *3. Evangelistæ*, qui erant apostolorum comites, & unà cum illis Evangelium passim prædicabant, ecclesiasque ab apostolis plantatas alebant & conservabant. Talis erat Timotheus: quem Paulus ita affatur, *At tu vigila in omnibus, perfer: opus perage Evangelistæ, ministerii tui plenam fidem facito:* 2. Timoth. 4. v. 5. Item Philippus ille in Actis, cui erant quatuor filiæ virgines prophetantes: Actor. 21. v. 8. 9. *4. Pastores* (qui aliàs presbyteri & episcopi, Tit. 1. vers. 5. & 7. Item 1. Timoth. 3. v. 2.) certis ecclesiis præfecti erant: quas ædificarent docendo, admonendo, exhortando, corripiendo, consolando: talia enim officia viro Dei præscribuntur 2. Timoth. 3. v. 16. ac nominatim Timotheo, ibidem cap. 4. v. 2. Tit. 1. v. 9. *5. Doctores* nominantur qui dextrè possunt tradere fundamenta doctrinæ Christianæ, etsi non possint doctrinam transferre ad praxin exhortando, ut pastores. Nihil tamen vetat, quin unus idemque & pastor & doctor sit. Confer locum 1. Cor. 12. v. 28. & 29. ubi tamen sub nomine doctorum pastores videntur comprehendi: quippe qui illic expresse non nominantur. Veruntamen inter munus docendi & munus exhortandi (quorum hoc pastoris proprium est) distinguit Paulus Rom. 12. v. 7. & 8.

V. 12. & 13. finem illarum Ecclesiasticarum functionum ostendit, qui est unitas fidei; ut scil. fideles per unam fidem coalescant in unum Christi corpus mysticum, & paulatim adolescant, hoc est, in fide seu cognitione filii Dei proficiant. Quam posteriorem sententiam vers. 14. illustrat antithesi ignorantiæ & dubitationis. Ignorantiam significat metaphorâ ætatis puerilis: dubitationem verò & errorem metaphorâ naviculæ quæ ventis circumfertur: ubi etiam errorum causam procreantem exponit, videl. versutiam falsorum doctorum.

15 Sed sincerè nos gerentes in charitate, prorsus adolescamus in eum qui est caput, *nempe* Christum:

16 Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus-agente pro mensura uniuscujusq; membri, incrementum capit corpori conveniens, ad suiipsius exstructionem per charitatem.

Vers. 15. hortatur ad profectum in studio veritatis & charitatis: ubi repetit metaphoram ab adolescentia ductam, item à coalitione membrorum in unum corpus sub uno capite: cui capiti comparat Christum.

Vers. 16. similitudinem illam à corpore humano ductam pluribus verbis exponit.

17 Hoc itaque dico & obtestor per Dominum, ne ampliùs ambuletis, sicut reliquæ Gentes ambulant in vanitate mentis suæ.

18 Obtenebratam cogitationem habentes, abalienati à vita Dei propter ignorantiam quæ est in ipsis per obdurationem cordis ipsorum.

19 Qui posteaquam dedoluerunt; sese dediderunt protervíæ, ad certatim patrandam impuritatem omnem.

20 Vos autem non ita didicistis Christum.

21 Si modò eum audistis, & de eo edocti estis, quomodo sit veritas in Jesu:

22 *Nempe* deponere vos *debere*, quod ad pristinam conversationem attinet, veterem illum hominem qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur:

23 Renovari verò spiritu mentis vestræ,

24 Et induere novum illum hominem, qui secundùm Deum conditus est in justitia & sanctimonia vera.

Vers. 17. & deinceps dehortatur Ephesios à pristinis ipsorum moribus, & contrà hortatur ad vitæ novitatem. Simul autem causas procreantes utriusque vitæ exponit: ut ex contrariis causis contraria effecta concludat. quasi dicat: Sicut olim ignorantia Dei & obduratio cordis in vobis effecerunt omnis generis pravitatem & impuritatem: ita nunc cognitio Dei & regeneratio in vobis debent parere justitiam & sanctitatem.

25 Quapropter deposito mendacio, loquimini veritatem quisque proximo suo. nam sumus alii aliorum membra.

26 Irascimini, & ne peccate: sol ne occidat super exacerbatione vestra:

27 Neque date locum Diabolo.

28 Qui furabatur, non ampliùs furetur: sed potiùs laboret, operando manibus quod bonum sit, ut possit impertiri cui opus fuerit.

29 Nullus sermo putris ex ore vestro egreditor: sed si quis est commodus ad ædificationis usum, ut gratiam auditoribus adferat.

30 Et ne tristitiâ afficite spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemtionis.

31 Omnis amaritudo, & excandescentia, & ira, & clamor, & maledicentia, tollatur ex vobis, cum omni malitia.

32 Sed estote alii in alios benigni, misericordes, condonantes vobis mutuò *offensas*, sicut & Deus in Christo condonavit vobis.

Vers. 25. à generali illa exhortatione ad speciales descendit: ac primùm hortatur ad veritatem, id est, integritatem sive sinceritatem & candorem.

V. 26. dehortatur ab immoderata ira, atq; ita hortatur ad facilitatem ignoscendi: ejusq; hortationis v. 27. argumentum affert ab adjuncto periculo, seu ab eventu pernicioso.

V. 28. dehortatur à furando, & contrà hortatur ad laborandum & inopiæ proximi succurrendum.

V. 29. dehortatur à spurcitie seu obscœnitate sermonis, & contrà hortatur ad sermones qui serviant proximo ædificando. Tum isti dehortationi vers. 30. argumentum annectit ab adjuncto periculo, vel eventu pernicioso.

V. 31. Iterum dehortatur à temeraria ira & vitiis illi cognatis: contrà v. 32. hortatur ad facilitatem ignoscendi, & virtutes cognatas, annexo argumento ab exemplo DEI.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Qua] ἧς. *Pro,* ἐκείνης ἥ. *Syntaxis Græca.*

4 In unam spem] ἐν μιᾷ ἐλπίδι. *Pro,* εἰς μίαν ἐλπίδα. *Heterosis Hebraica.*

5 Unus Dominus] *Subaudi,* Est: *& similiter in seqq.* Unum baptisma] ἓν βάπτισμα. *Pro hoc citat Optatus Afer,* Una tinctio, *lib. 5.*

6 Qui est super omnes &c.] ὁ ἐπὶ πάντων. *Sic malo, quàm, Qui est super omnia & per omnia: ut pronomen* ὑμῖν *in tertio membro appositum per zeugma ad priora quoq; membra accommodetur.*

8 Captivitatem] αἰχμαλωσίαν. *Id est, captivorum multitudinem seu turbam, seu denique ipsos captivos. Metonymia adjuncti.* Dedit dona hominibus] ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. *Verba Hebræa Psalm. 68. vers. 19. sunt,* לקחת מתנות באדם *Accepisti dona in hominibus, id est, Accepisti dona* & posuisti ea *in hominibus. Ellipsis verbi conjugati: qualis Exod. 25. v. 2. & cap. 27. v. 20.*

9 Quid est nisi] τί ἐστιν εἰ μή. *Id est, quidnam aliud innuit. Vel,* quid aliud sibi vult, nisi. Longè supra omnes cælos] *In annotationibus D. Bezæ meritò sophistas vocat eos, qui negant, supra cælos esse locum. quippe nituntur illi sophisticâ, nempe falsâ (quam ab Ari-*

ab Aristotele didicerunt) loci definitione: quasi scilicet locus sit interior superficies corporis continentis. At si hoc esset: sequeretur, unum idemque corpus uno eodemque tempore, & in eodem loco permanere, & locum mutare: id quod est ἀδύνατον & ἄτοπον. Ponamus nobis ob oculos arborem robustam in medio campo sitam, & undique ventis expositam. Sit aër circa illam tranquillus: tum locus illius arboris erit superficies interior aëris tranquilli ambientis. Oriatur ventus qui aërem illum ab arbore depellat, & alium appellat: tum ex definitione propositâ arbor illa mutaverit locum: quippe unà cum aëre sua interior superficies amota est per ventum. Atqui certum est, arborem illam in eodem loco permansisse: quippe quum immota perstiterit, nec de loco in locum translata sit. Sic igitur simul & locum mutaverit & non mutaverit: quod manifestè absurdum est. Absurda ergo est definitio illa loci Aristotelica, unde istud absurdum consequitur. Quid igitur est locus? (dicat aliquis) quomodo definis? Locus, inquam, est spatium corporis contenti: quo nimirum corpus continetur, seu in quo est. Sic arbor manet in suo loco quum immota perstat; nec è suo spatio dimovetur: etiamsi aër circumfusus perpetuo fluxu superficiem suam interiorem mutet. Hanc loci definitionem tradit clarissimus vir & acutissimus philosophus Jul. Cæsar Scaliger de subtilitat. ad Cardan. exercit. 5. sect. 2. & 3.

10 Ut impleret omnia] ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. *Hoc sophistæ Ubiquitarii sic exponunt, quasi diceret Paulus: Ut impleret omnia loca suo corpore. Sed Apostolus se ipse declarat duobus versibus sequentibus: ex quorum collatione perspicitur, Apostolum hoc velle dicere; Christum ascendisse in cælum, ut inde misso Spiritu sancto impleret illius donis omnia Ecclesiæ membra.*

11 Is igitur dedit] & αὐτὸς ἔδωκε. *Rectè hic exponitur & per* ἄν. *Planum est enim, declarationem subjungi præcedentis sententiæ.*

12 Per opus ministerii] εἰς ἔργον διακονίας. *Pro,* ἐν ἔργῳ. *Heterosis. Id est,* δι' ἔργου. *Hebraismus.*

14 Per hominum aleam] ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων. *Hoc puto exponendum de aleatorum astutiis ac fraudibus: quum quod sequitur,* ἐν πανουργίᾳ *&c. planum sit, per appositionem adjungi, ad metaphoram nominis* κυβεία *explicandum.*

15 Sincerè nos gerentes in charitate] ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ. *Vel,* Sincerè colentes charitatem. In eum qui est caput, *nempe* Christum] εἰς αὐτὸν ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ, ὁ Χριστός. *Pro,* τὸν Χριστόν. *Antiptosis, qualis supra c. 2. v. 2.*

18 Abalienati] ὄντες ἀπηλλοτριωμένοι. *Nempe homines Gentiles, nondum ad Christum conversi. Præcessit enim,* τὰ λοιπὰ ἔθνη, *quò referuntur participia* ἐσκοτισμένοι *&* ὄντες ἀπηλλοτριωμένοι, *sensus, non vocis ratione habitâ. Synesis.* Per obdurationem] διὰ τὴν πώρωσιν. *Vel,* Propter obdurationem. *ut sit appositio, qualis sup. 14. in verbis* ἐν τῇ κυβείᾳ, ἐν πανουργίᾳ.

20 Vos autem non ita didicistis Christum] *Scil. ut certatim patretis impuritatem.* Didicistis Christum] *Id est, doctrinam de Christo. Metonymia subjecti.*

21 Eum] *Id est, Doctrinam de eo. Metonymia, qualis modò.* De eo] ἐν αὐτῷ. *Hebraismus: pro,* περὶ αὐτοῦ. *Sic infr. cap. 6. v. 20.* Sicut est veritas] καθώς ἐστιν ἀλήθεια. *Ego puto, concinniorem esse verborum consequentiam & sententiarum connexionem, si adverbium* καθὼς *jungatur cum proxime-præcedente verbo* ἐδιδάχθητε, *& notæ parentheseos tollantur. Sic enim videtur hic locus exponendus: Si modò edocti estis, quomodo sit veritas in Jesu, (h. e. quanam sit vera ratio vivendi in Jesu tanquam in capite, vel in fide Jesu) nempe deponere vos debere &c.*

22 Deponere vos *debere*] ἀποθέσθαι ὑμᾶς. *Subaudi,* δεῖν. *Ellipsis Græca.* Qui corrumpitur] τὸν φθειρόμενον. *Notari videtur continuus actus.*

24 In justitia & sanctimonia vera] ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. *Vel,* Cum justitiâ &c. *hoc est, ita ut præditus sit justitiâ & sanctimoniâ verâ. In Græco est phrasis Hebræa,* Sanctimonia veritatis. *Genitivus adjuncti.*

26 Irascimini, & ne peccate] *Id est, Si contingat, vos irasci, nolite iræ indulgere, ut aliquod gravius peccatum committatis. quanquam hoc ipsum satis grave peccatum est, iram alere ac simultates gerere. nam, ut Johannes ait, qui odit fratrem suum, homicida est.* Sol ne occidat &c.] *Id est, Nolite iram retinere usque ad solis occasum, sed eam mox ex animo expellite.*

27 Diabolo] τῷ διαβόλῳ. *Hoc de Satana, quàm de hominibus calumniatoribus, intelligere malo. Diabolus enim iratorum & simultates gerentium animos veluti possidet ad homicidium perpetrandum.*

29 Putris] σαπρὸς. *Metaphora. Sicut enim gustatus abhorret à putribus cibis: sic aures atque animus abhorrere debent à turpibus sermonibus.*

30 In diem redemtionis] εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. *Intelligit diem adventus Domini ad judicium: quo die credentes plenè liberabuntur. Confer Rom. 8. v. 23. Luc. 21. v. 28.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex v. 1. Officium fidelium esse, sanctè vivere. Ad quod eos impellere debet consideratio vocationis gratuitæ. Scopus verò esse debet gloria Dei. *Officium hominis Christiani.*

2 Ex v. 2. 3. 4. 5. 6. Officium fidelium est, ut inter se colant concordiam sanctam, *Officium hominis Christiani.*

3 Ex v. 8. 9. 10. Admonemur hîc de recto usu donorum spiritualium. Illi qui parciùs donantur illis donis, non debent invidere cæteris, qui acceperunt largiùs. Nam Christus horum donorum author est. Contrà qui plura acceperunt, non contemnant alios; sed cogitent unde dona illa acceperint. *Officium hominis Christiani. Dona spiritualia.*

4 Ex v. 11. In Ecclesia debet esse ordo distinctus ministrorum. Ergo furunt Anabaptistæ, qui prorumpunt in munus docendi sine vocatione Dei. *Ministri verbi Dei. Ecclesia.*

5 Ex v. 12. 13. Doctores Verbi semper in conspectu habere debent scopum officii sui: qui est, ut omnia referant ad ædificationem Ecclesiæ. Deinde proficiendum est fidelibus semper in cognitione Christi. *Ministri verbi Dei. Officium hominis Christiani.*

6 Ex v. 14. Magnâ solicitudine cavenda sunt sophismata falsorum doctorum. *Officium hominis Christiani.*

7 Ex vers. 15. Proficiendum nobis est non tantùm in fide, sed etiam in charitate. *Officium hominis Christiani.*

8 Ex v. 17. 18. 19. Observemus primò, qua causa moveri debeamus ad vitæ novitatem, nempe consideratione pristinæ miseriæ ex qua liberati sumus per Christum. Secundò, qualis homo sit à natura, nempe corruptus à peccato: mens ejus est cæca, nihil rectè intelligit de Deo: cogitationes sunt obcæcatæ, ut non capiat & cernat lucem illam Dei. Tertiò, quid statuendum sit de ignorantia Dei quæ est in non-renatis. An ignorantia illa eos excusat? Non. quia tantum norunt naturâ, ut Deum aliquo modo cognoscere possint; sed homines petulanter exstinguunt illam lucem, nihil quicquam sciunt de pietate, tantummodo volunt indulgere suis libidinibus. Præterea de gradibus quoque peccatorum hîc observandum est. Primus gradus est in indulgentia, cùm homines indulgent suis cupiditatibus & illis frena laxant, quæ illos in omne genus scelerum alliciunt. Deinde admoniti de turpitudine suarum actionum, admonitiones illas contemnunt. Postremò cùm ipsa conscientia illos pungit, Vide quid agis; nihilominus pergunt, nec unquam à peccatis desistunt. *Officium hominis Christiani. Homo. Ignorantia Dei. Peccatum.*

9 Ex vers. 22. 23. 24. Observa primùm partes pœnitentiæ seu conversionis ad Deum: quæ duæ sunt, depositio veteris hominis, & indutio novi, ut Paulus hîc loquitur. Deinde cùm Paulus vocet cupiditates deceptrices, demus operam ut illis resistamus. Præterea cùm Paulus dicit, novum hominem conditum esse secundùm Deum in justitia & sanctitate vera: notetur ibi una pars imaginis Dei, nempe ut tota voluntas sit conformis voluntati Dei: altera, naturâ prior, est cognitio voluntatis Dei: de qua Col. 2. v. 10. *Pœnitentia. Officium hominis Christiani. Imago Dei.*

10 Ex v. 25. Sicut unius ejusdemque corporis membra non cupiunt se mutuò fallere aut lædere, sed potiùs fideliter se mutuò juvant: sic Christiani quum sint unius corporis mystici membra, non debent se mutuò fallere aut lædere mendaciis. *Officium hominis Christiani.*

11 Ex v. 26. & 27. Quum ea sit nostra infirmitas atque fragilitas, ut facilè nos ira occupet; cavere sedulò debemus ne iræ indulgeamus, aut iram retineamus: nam ira est pessimus consiliarius: & Diabolus incendium iræ inflat ad homicidia perpetrandum. Simile: Nemo potest impedire quo minùs aves caput suum transvolent: sed possumus eas abigere, ne in capite nostro nidulentur. Sic non possumus sæpe impedire quo minùs irritemur: sed per gratiam Dei possumus iræ resistere, ne radices in cordibus nostris agat. *Officium hominis Christiani. Ira.*

12 Ex v. 29. Labor est optimum adversus paupertatem, & proinde occasionem furandi, remedium. *Labor.*

13 Ex v. 29. Qualis esse debeat sermo Christianorum. Confer Col. 4. v. 6. *Sermo.*

14 Ex vers. 30. 31. Quum affectus & actiones charitati repugnantes tristitiâ afficiant Spiritum sanctum, sedulò igitur cavendi sunt. *Officium hominis Christiani.*

15 Ex vers. 32. Ad condonandum offensas proximo, moveri debemus exemplo Dei. Vide parabolam de servo debitore, Matth. 18. v. 21. &c. *Officium hominis Christiani.*

ANALYSIS CAP. V.

Estote igitur imitatores Dei, ut filii dilecti:

2 Et ambulate in dilectione; sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.

Versu 1. concludit argumentum in fine superioris capitis propositum: eique vers. 2. alterum ejusdem generis annectit, videlicet ab exemplo Christi: cujus erga nos dilectionem summam ostendit & amplificat ex effectis: simulque mortem illius commendat ex utili effectu, videl. reconciliatione Patris, ut ita obiter fidem Ephesiorum confirmet.

3 Scortatio verò & omnis impuritas aut avaritia ne nominator quidem inter vos, sicut decet sanctos:

4 Et obscœnitas, & stultiloquium, & scurrilitas: quæ non conveniunt; sed potiùs gratiarum actio.

5 Nam hoc nostis; nullum scortatorem, aut impurum, aut avarum (qui est idololatra) habere hæreditatem in regno Christi & Dei.

6 Nemo vos seducat inanibus sermonibus. Propter hæc enim venit ira Dei in filios contumaciæ.

7 Ne igitur estote consortes eorum.

8 Eratis enim olim tenebræ, nunc autem *estis* lux in Domino: ut filii lucis incedite:

9 (Porrò fructus spiritus *situs* est in omni bonitate & justitiâ & veritate)

10 Probantes, quid sit acceptum Domino.

11 Et ne commercium habete cum operibus illis infrugiferis tenebrarum, sed potiùs etiam arguite.

12 Nam quæ occultè fiunt ab istis, turpe est vel dicere.

13 Sed omnia illa dum à luce arguuntur, manifesta fiunt. quicquid enim manifestum fit, lux est.

14 Quapropter dicit *Scriptura*, Excitare qui dormis, & surge à mortuis; & illucescet tibi Christus.

15 Videte igitur quomodo accuratè ambuletis; non ut insipientes, sed ut sapientes:

16 Redimentes occasionem, quoniam dies mali sunt.

17 Propterea ne estote imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Domini.

Vers.3. & 4. dehortatur à fœdis libidinibus & vitiis cognatis, itemque ab avaritia & dicacitate: contraque hortatur ad gratiarum actionem.

V.5. præcedentis dehortationis argumentum adjungit à pernicioso eventu. Avaritiæ etiam turpitudinem amplificat ab adjuncta idololatria.

V.6. per prolepsin contrariæ opinioni occurrit, & argumentum propositum asseverat.

V.7. dehortationem institutam concludit: Contrà v.8.9.&10. hortatur eos ad studium pietatis, allato argumento à præsenti eorum statu tanquam causâ impellente. quam ipsam amplificat antithesi pristini status. Olim, inquit, eratis tenebræ: at nunc estis lux in Domino. quasi dicat, Hoc tempus alios mores postulat.

Vers.11. rursum dehortatur à fœdis libidinibus: quas vocat opera tenebrarum: & contrà hortatur ad istiusmodi opera arguendum.

Vers.12. turpitudinem istorum operum amplificat collatione imparium: Turpe est, inquit, vel dicere quæ occultè fiunt à non regeneratis: quasi dicat, Quantò igitur turpius est illa facere?

V.13. Utilitatem redargutionum ostendit, atque ita hortationem præcedentem ab effectu utili confirmat. nam luce verbi Dei detegitur istorum operum fœditas, ut pudor incutiatur iis qui ea perpetrant: qui pudor primus est ad emendationem ac resipiscentiam gradus.

Vers.14. institutam hortationem confirmat testimonio prophetico; quod videtur sumtum, licet non ad verbum, ex Esa.60. v.1.& 2.

Vers.15. ex testimonio illo prophetico hortationem deducit, quam jam antè proposuerat v.9.

V.16. hortationi argumentum annectit à circumstantia temporum seu ab adjuncto periculo temporum: quia dies mali sint. hoc est, quia periculum immineat piis à corruptelis mundi.

Vers.17. ipsam hortationem ex argumento allato deducit; & simul regulam vitæ ostendit, nempe voluntatem Dei in Lege patefactam.

18 Et ne inebriamini vino (in quo luxus est) sed implemini spiritu.

19 Loquentes inter vos mutuò psalmis & hymnis & cantionibus spiritualibus, canentes ac psallentes in corde vestro, Domino.

20 Gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & patri.

V.18.19.20. dehortatur ab ebrietate: & contrà hortatur ad lætitiam spiritualem & cantiones ad laudem DEI pertinentes.

21 Subjicientes vos alii aliis, in timore Dei.

Hoc versu hortatur ad mutuam subjectionem: quæ videtur esse propositio generalis sequentium hortationum. nam deinceps in specie ad debitam subjectionem hortabitur primùm uxores, deinde liberos, postremò servos. Sed hanc subjectionem erga homines circumscribit & limitat timore Dei: à quo si homines nobis præfecti abducere nos velint, tunc usurpandum erit illud Petri in Actis, *Oportet obedire Deo potiùs quàm hominibus.*

22 Uxores, propriis viris subjicite vos, ut Domino:

23 Quoniam vir est caput uxoris, ut & Christus est caput Ecclesiæ: & is est qui salutem dat corpori.

24 Itaque sicut Ecclesia sese subjicit Christo, ita & uxores suis viris *sese subjiciunto* in omnibus.

Hic incipiunt hortationes speciales. Ac primùm hortatur uxores ad subjectionem erga maritos: cui hortationi argumentum annectit ab exemplo subjectionis Ecclesiæ erga Christum: quod exemplum vers.23. declarat, quatenus similitudinem inter maritum & Christum apertè exponit. Ubi simul continetur argumentum à relatis: Nam si maritus uxori præest tanquam caput: consequens est, uxorem marito debere esse subjectam instar corporis. Deinde addit alterum argumentum, quod sumtum est ab effectu utili: quia sicut Christus salutem dat Ecclesiæ tanquam corpori sibi subjecto: ita etiam maritus suo modo salutem dat sibi subjectæ uxori, quatenus eam tuetur ac defendit.

Vers.24. ex isto argumento ab exemplo Ecclesiæ sumto institutam hortationem concludit, annexâ amplificatione ab adjuncto numero earum rerum in quibus uxores maritis subjectæ esse debeant, nempe IN OMNIBUS: nimirum licitis & à Deo concessis rebus. Semper enim tenenda est illa exceptio in generali hortatione præmissa, ut alii aliis subjecti sint in timore Dei, hoc est, quatenus per Dei mandatum licet.

25 Viri, diligite uxores vestras; sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro eâ:

26 Ut eam sanctificaret, postquam *eam* purgasset lavacro aquæ per verbum.

27 Ut sisteret eam sibi gloriosam, *id est*, ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi; sed ut esset sancta & vitii expers.

28 Ita debent viri diligere suas uxores, ut sua ipsorum corpora. Qui diligit suam uxorem, seipsum diligit.

29 Nullus enim unquam suam ipsius carnem odio habuit; imò enutrit ac fovet eam: sicut & Dominus Ecclesiam.

30 Quoniam membra sumus corporis ejus, ex carne ejus, & ex ossibus ejus.

31 Propterea derelinquet homo patrem suum ac matrem, & agglutinabitur uxori suæ: & qui duo *erant*, fient una caro.

32 Mysterium hoc magnum est: loquor autem de Christo & de Ecclesia.

33 Veruntamen & vos singuli, suam quisque uxorem ita diligito ut seipsum: uxor autem *videto* ut revereatur virum.

Deinceps usque ad finem capitis continetur secunda specialis exhortatio, quâ vicissim maritos hortatur ut uxores suas diligant. Quam hortationem primùm proponit vers.25. deinde argumentum adjungit ab exemplo, videl. ab exemplo dilectionis Christi erga Ecclesiam: quam dilectionem amplificat & probat ex effectis, nempe ex factis Christi quæ in gratiam Ecclesiæ perfecit, videl. quòd se pro ea exposuit in mortem, ut peccatis pollutam purgaret. Purgat autem duobus modis: primùm impetrando remissionem peccatorum merito suæ mortis: quam remissionem credentibus testatur per Verbum & Sacramenta: de hac purgatione loquitur Apostolus vers.26. Deinde purgat eam efficaciâ sui spiritus, sanctificando seu renovando corda credentium indies magis ac magis, donec aliquando penitus perpurget, id quod fiet die resurrectionis: & de hac purgatione loquitur partim v.26. partim v.27.

V.28. & deinceps addit alterum argumentum institutæ hortationis, quod & ipsum à comparatis sumtum est: uxorem enim comparat mariti corpori seu carni: & inde sic argumentatur:

Si unusquisq; diligit suum ipsius corpus sive carnem seu denique seipsum, debet etiam diligere uxorem suam, v.28.
Ratio: Nam uxor est una caro cum marito, ut testatur Moses: v.31.
At unusquisq; diligit suam ipsius carnem, v.29.
Ergo unusquisq; etiam diligat suam uxorem, v.33.

Assumtionem illustrat exemplo dilectionis Christi erga Ecclesiam, v.29. & mox vers.30. rationem illius exempli declarat: quoniam scilicet Ecclesia sit una caro cum Christo, sicut nimirum uxor est una caro cum marito. Quam Christi cum Ecclesia arctissimam conjunctionem amplificat ab adjuncto mysterio per exclamationem, admonens, conjunctionem illam esse arcanam, id est, rationi humanæ ignotam, sed solummodo notam fidei, quippe quâ conjunctio illa constat. Fide enim Christo tanquam membra capiti, tanquam palmites viti, inserimur, & tanquam sponsa sponso adhæremus. Postremò conclusionem amplificat à comparatione parium in relatis, quatenus vicissim hortatur uxores ut revereantur maritos, v.ult.

SCHOLIA IN CAP. V.

2 Ambulate in dilectione] *περιπατεῖτε ἐν ἀγάπῃ. Sic malo, quàm*, Ambulate in charitate; *quia mox sequitur verbum ἠγάπησε, di-*

... dilexit. Apparet autem, Apostolum delectatum fuisse istâ vocum assonantiâ, quam παρήχησιν & παρονομασίαν Græci rhetores appellitant.

5 Nullum scortatorem habere] ὅτι πᾶς πόρνος οὐκ ἔχει. *Ad verb.* Omnem scortatorem non habere. *Hebraism.*

6 In filios contumaciæ] ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας. *Id est, In homines contumaces. Hebraismus: qualis suprà 2. v. 2.*

8 Ut filii lucis] *Id est, Ergo ut filii lucis &c. Ellipsis conjunctionis illativæ. Porrò filii lucis per Hebraismum dicuntur homines fruentes luce: h. e. præditi cognitione Dei & destinati ad fruendum gloriâ cœlesti.*

9 Porrò fructus] ὁ γὰρ καρπὸς. *Videtur* γὰρ *positum pro* δὲ. *nam obiter declarat, quomodo ambulaturi sint ut filii lucis: nempe si proferant fructus spiritus.*

12 Ab istis] *Nempe ethnicis, spiritu Dei carentibus.* Vel dicere] καὶ λέγειν. *Quasi dicat, Quanto magis, facere?* καὶ *hic est nota minoris.*

13 Sed omnia illa] τὰ δὲ πάντα. *Nempe opera illa infrugifera tenebrarum, supr. v. 11. Articulus habet vim ἀναφορικὴν.* Dum à luce arguuntur, manifesta fiunt] ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς, φανεροῦται. *Sic puto distinguendum: nempe ut hæc verba,* ὑπὸ τοῦ φωτὸς, *connectantur cum participio* ἐλεγχόμενα, *& post* φωτὸς *apponatur incisi nota. Hanc verborum collocationem & præcedens sententia & sequens confirmat. Dixerat, homines profanos occultâ quadam scelera committere: nunc per antithesin monet, quomodo illa reddantur manifesta: nempe dum arguuntur à luce verbi Dei. Quam sententiam confirmat sententiâ generali de natura lucis, inquiens: Quicquid enim manifestum fit, lux est, id est, à luce manifestum fit. Nam* πᾶν *cohærere cum* φανερούμενον, *tanquā adjectivum cum substantivo, planum est ex collocatione. Deinde quum verbum* φανεροῦται *præcesserit in voce passiva, non est probabile, continenter repeti in voce media & significatione activa. Denique* Lux est, *pro,* A luce fit: *metonymia est non adeò insolens, saltem apud Paulum, qui dicit Rom. 7. v. 7. Lex peccatum est? pro, Peccatúmne gignit Lex? & alia id genus.*

14 Dicit *Scriptura*] λέγει. *Scilicet* ἡ γραφή. *Similis ellipsis est Jacob. 4. v. 6.*

16 Redimentes] ἐξαγοραζόμενοι. *Metaphora à mercatoribus qui diligenter observatâ occasione, emunt dum forum est.* Occasionem] *Nempe benè agendi.*

18 In quo] ἐν ᾧ *Vel,* Qua in re, *nempe* ἐν τῷ μεθύσκεσθαι, *In eo quòd quis inebriatur.* Luxus] ἀσωτία. *Videtur vertendum,* Mores dissoluti. *nam asoti sunt qui vulgò dissoluti nominantur. Et in hunc sensum Lutherus vertit,* **ein vnordig wesen**/ *quasi dicas, inordinata conversatio: quod ipsum adjectâ glossâ de dissolutis ebriosorum moribus exponit.* Spiritu] ἐν πνεύματι. *Præpositio redundat ex consuetudine Hebræorum.*

19 Domino] *Id est, Ad laudem Domini.*

22 Ut Domino] *Sic infr. c. 6. v. 5.*

23 Est caput] *Id est, veluti caput. Enuntiatum metaphoricum. Sic mox.* Et is est] καὶ αὐτὸς ἐστι. *Videtur vertendum,* Nam is est: *ut conjunctio copulativa more Hebræorum posita sit pro rationali. His enim verbis ratio exponitur, cur Christus dicatur caput Ecclesiæ: quia scil. ei salutem dat, sicut caput corpori. Caput enim pro reliquo corpore tuendo solicitum est.*

26 Sanctificaret] ἁγιάσῃ. *Id est, Renovaret ad studium sanctitatis.* Postquam purgasset lavacro aquæ per Verbum] καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι. *Id est, sanguine suo in cruce effuso, de quo testantur baptismus & Evangelium. nam sanguis Christi purgat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 7. Metonymia adjuncti.*

27 Ut sisteret] ἵνα παραστήσῃ. *Scilicet olim in cœlo, ubi peragentur nuptiæ agni, Cant. 2. v. 17. & c. 4. v. 6. Apoc. 19. v. 6. 7.* Non habentem maculam &c.] μὴ ἔχουσαν σπίλον &c. *Videtur Apostolus hæc verba mutuari à Salomone è Cant. 4. v. 7. ubi Christus sponsus Ecclesiam sponsam affatur his verbis:* Tota pulchra es amica mea, & vitium nullum est in te. Vitii expers] ἄμωμος. *Sic malo quàm,* Inculpata. *quia judico, Apostolum respicere ad locum modo-citatum è Cantico, ubi exstat nomen* מוּם *mum, id est, vitium: unde ortum Græcorum nomen* μῶμος, *idem significans: atque hinc nomen compositum* ἄμωμος, *vitii expers. Similiter accipitur hæc vox 1. Pet. 1. v. 19. ubi nominatur Christus* ἀμνὸς ἄμωμος καὶ ἄσπιλος, *agnus vitio carens & maculâ. Nomen autem* μῶμος, *tanquam idem significans, cum nomine* σπίλος *conjunctum exstat 2. Pet 2. v. 13.*

30 Corporis ejus] *Nempe mystici corporis Christi: ex collatione v. 23.*

32 De Christo] εἰς Χριστὸν. *Εἰς pro* ἐν: *&* ἐν *pro* περὶ. *Hebraismus. Vel,* Loquor autem *hoc, respiciens* ad Christum &c. *Ellipsis.*

33 Veruntamen] πλὴν. *Quasi dicat, Verùm ut ad institutam exhortationem revertar.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

Dilectio. 1 Ex v. 1. & 2. Quibus causis moveri debeamus ad diligendum proximos, nempe exemplo dilectionis Dei patris & Christi erga nos. Confer Matth. 5. v. 45.

Expiatio peccatorum. 2 Ex v. 2. Quomodo peccata nostra expiata sint, nosque Deo reconciliati, videl. sacrificio mortis Christi.

3 Ex v. 3. Sancti sumus, videl. sanctificati sanguine & spiritu Christi: Ergo ab omni impuritate tum corporis tum animi sedulò nobis caveamus. *Officium hominis Christiani.*

4 Ex v. 4. Qualis esse debeat sermo Christianorum. Confer suprà cap. 4. v. 29. *Sermo.*

5 Ex v. 5. Duplicem esse idololatriam, aliam interiorem, quæ est cordis; & vetatur primo præcepto: aliam exteriorem, & est corporis, quæ vetatur secundo præcepto. *Idololatria.*

6 Ex v. 6. Caveamus sedulò, ne seducamur sermonibus Epicureorum irridentium comminationes verbi Dei, ut quum dicunt: **Der Deufel ist nit so schwartz wie man jhn mahlet.** Item, **Die hell ist nicht so haiß/ wie die pfaffen sagen.** Item, **Der himmel ist nicht für die gänse gemacht. Antwort: Er ist auch nicht für die veráchter des worts Gottes gemacht/ sondern die hell ist für dieselben gemacht.** Tales sermones vocantur hîc inanes: quia impii per illos sibi falsò promittunt gratiam Dei. His opponit Apostolus certissimum eventum comminationum divinarum. *Officium hominis Christiani. Sermo.*

7 Ex v. 8. Qualis sit homo à naturâ: nempe mentem habet tenebris involutam, imò homo est ipsæ tenebræ, Joh. 1. v. 5. *Homo.*

8 Ex vers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Quum simus filii lucis, hoc est, divinitus illustrati verâ & salvificâ cognitione Dei: vivamus igitur ut filii lucis, studendo scilicet perficere voluntatem Dei, quam ex verbo ipsius per gratiam Spiritus sancti cognovimus. *Officium hominis Christiani.*

9 Ex v. 19. Qualis esse debeat cantus ecclesiasticus. I. Debet concinere tota ecclesia, ita ut res habeat speciem alicujus colloquii: Hinc apparet, malè agi in Papatu, ubi cantus ab illis quos vocant clericos, peragitur, non autem concentu plebis. II. Cantus debet proficisci ex affectu cordis: Non enim satis est ore canere, sicut in Papatu boant potiùs quàm canunt. III. Præterea finis cantus est, non ut aures nostræ oblectentur: sed gloria Dei & proximi, ac nostri ipsorum ædificatio spectanda est. *Cantus.*

10 Ex v. 20. Quicquid nobis accidat, sive bonum, sive malum sit, semper Deo gratias agere debemus. Sic Job: *Sit nomen Domini benedictum.* *Officium hominis Christiani.*

11 Ex v. 21. 22. 23. 24. 33. Ordo œconomicus & politicus, ubi alii aliis subjecti sunt, non est violandus. Sed obedientia superioribus præstanda est cum timore Dei, hoc est, ita ut timeamus offendere Deum in illorum gratiam. *Obedientia.*

12 Ex v. 23. 30. 32. Unio inter Ecclesiam & Christum arctissima est, sed spiritualis: quā scil. virtute Spiritus sancti per fidem cohærent fideles cum Christo ut membra cum capite, ut uxor cum marito. Sicut caput communicat membris per nervos sensum ac motum; & sicut maritus uxori communicat sua bona: ita Christus fidelibus per Spiritum sanctum communicat cognitionem & timorem Dei. Simile: Eva orta fuit ex latere Adæ: sic Ecclesia quasi orta fuit ex latere Christi pendentis in cruce: quum ex illo lanceâ perfosso effluxit aqua & sanguis ad plenè testandum ipsius mortem. Morte autem suâ Christus Ecclesiam sibi acquisivit. Dissimile: Eva orta fuit ex corpore Adæ: fideles autem inseruntur corpori Christi, vel potiùs ipsi Christo. *Ecclesia. Christus.*

13 Ex v. 26. Cur tribuitur Baptismo & verbo Evangelii, quod proprium est sanguinis & spiritus Christi? Quia testimonia illa certa & infallibilia sunt: ita ut qui illis credit, res testatas certò possideat. *Baptismus. Evangelium.*

14 Ex v. 32. Inepti sunt Papistæ, qui hinc cudunt sacramentum. Quippe nomen μυστήριον hîc non significat sacramentum, id est, signum gratiæ Dei, à Deo mandatum Ecclesiæ: quo sensu sacramenta nominantur Baptismus & sacra Cæna: sed significat rem arcanam seu rationi humanæ ignotam. Deinde non est hîc sermo de conjugio carnali seu corporali, sed de spirituali quod est inter Christum & Ecclesiam: Sicut Apostolus apertè affirmat. Adhæc iidem inconstantes sunt: ut qui conjugium aliâs vocant statum carnalem, in quo nemo possit Deo placere, juxta illud Pauli scil. ad Romanos: *Qui sunt in carne, Deo placere non possunt*: cap. 8. v. 8. At quomodo Deo displiceat conjugium, si est sacramentum, hoc est, gratiæ Dei sacrum signum? *Conjugium. Vindicatio verborum Pauli,* τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστί.

ANALYSIS CAP. VI.

1 Liberi, auscultate in Domino parentibus vestris: id enim est justum:

2 Honora patrem tuum & matrem: quod est præceptum primum cum promissione, *nempe,*

3 Ut bene tibi sit, & sis longævus super terram.

Hactenus uni quasi jugo personarum ad vitam œconomicam pertinentium officia præscripsit, nempe uxoribus & maritis: deinceps sequuntur duo alia juga, videl. liberorum & parentum, servorum & dominorum: quibus & ipsis officia præscribit. Ac primùm liberos hortatur ut parentibus obediant. Hanc tamen obedientiam limitat certâ exceptione, quatenus nimirum liceat per timorem Domini: cui plus obediendum est. Argumentum hortationis primum est ab adjuncta justitiâ, quòd obedientia hæc justa sit, v. 1. Porrò hanc obedientiam esse justam, probat ab adjuncto Dei mandato: quippe quòd hanc obedientiam Deus mandaverit. Istud mandatum recitat v. 2.

Tum annectit argumentum secundum, quod sumtum est ab effectu utili: quoniam ista obedientia secum afferat benedictionem Dei seu felicitatem, ac nominatim vitam longævam. quod ipsum probat testimonio promissionis Dei, quæ isti mandato est annexa: quo ipso nomine istud mandatum cæteris anteponit: v. 2. & 3. Quòd autem dicit; hoc esse præceptum primum cum promissione, ad secundam Legis tabulam referendum est. nam primæ tabulæ præceptum secundum, ipsum quoque promissionem adjunctam habet: quam tamen nonnulli ad universam Legem extendunt. sed in promtu est ratio cur illam promissionem Deus secundo præcepto peculiariter adjecerit, sicut & oppositam comminationem: nimirum ad detestabilem reddendam idolatriam, ut quæ sit apostasia à Deo.

4 Et *vos* patres, ne provocate ad iram liberos vestros, sed enutrite eos cum institutione & commonefactione Domini.

Hoc versu dehortatur patres ab immoderato rigore erga liberos; ac nominatim ne eos ad iram provocent: & contrà hortatur ut eos educent cum institutione & commonefactione Domini, hoc est, ut eos instituant atque erudiant in doctrina Christiana, & subinde piis commonefactionibus ad officia pietatis forment.

5 Servi, auscultate iis qui *vestri* domini sunt secundùm carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, ut Christo.

6 Non ad oculum servientes, ut qui hominibus placere student: sed ut servi Christi facientes ex animo quæ vult Deus:

7 Cum benevolentia servientes ut Domino, & non hominibus.

8 Ut qui illud sciatis, unumquemque, quicquid fecerit boni, hoc reportaturum à Domino; sive servus fuerit, sive liber.

Vers. 5. hortatur servos ad obedientiam erga dominos: quam obedientiam declarat ex adjunctis, ut sunt 1. timor ac tremor, ut scil. solicitè caveant ne Dominos suos offendant. 2. simplicitas cordis, id est, sinceritas, aliena ab omni simulatione & adulatione: quam sinceritatem vers. 6. illustrat à contrario, dehortans eos ne ad oculum serviant, ut qui hominibus placere student: deinde adjunctum illud sinceritatis repetit, hortans eos ut officium faciant ex animo. 3. tum vers. 7. annectit tertium adjunctum, videlicet benevolentiam erga dominos. Cæterùm argumenta hortationis passim inserit: ac primò omnium removet obstaculum seu causam corrumpentem ejus, quam postulat, obedientiæ. Poterant enim cogitare, se per Christum esse liberatos, ac proinde iniquum esse ut adhuc serviant. Huic cogitationi occurrit Apostolus, quum dominos vocat dominos secundùm carnem. ubi est tacita antithesis. q. d. Liberati quidem estis per Christum, sed secundùm spiritum tantùm, hoc est, secundùm animam, à servitute scilicet peccati & mortis. At non estis liberati secundùm corpus, quantum quidem ad servitutem illam humanam in hac vita attinet. Primum argumentum hortationis sumit ab adjunctâ voluntate Dei patris & Christi, vers. 5. 6. 7. Alterum argumentum sumit ab eventu utili: quia reportaturi sint à Domino obedientiæ suæ præmium. Pro hoc argumento ponit ejus probationem, sumtam à genere, inquiens: *Unusquisq; sive servus sive liber, quicquid fecerit boni, reportaturus est à Domino*, vers. 8. Hinc jam efficitur: Ergo & servi obedientiæ suæ erga dominos præmium reportaturi sunt.

9 Et vos domini, eadem facite erga illos, remissis minis: scientes, vestrum etiam ipsorum dominum esse in cælis, nec personæ respectum esse apud eum.

Hoc versu hortatur dominos ad æquitatem & humanitatem erga servos, & contrà dehortatur à minis & austeritate sive asperitate ac duritie. Quum autem ait, *Eadem facite erga illos*, non vult ut domini servis obediant: hoc enim esset naturam rerum & ordinationem Dei invertere: sed pronomen illud refert ad id quod proximè dixerat, *Unusquisq;, quicquid fecerit boni*. Hoc ergo dicit: *Facite eadem erga illos*, scilicet quæ bona, id est, recta ac justa sunt. Justum est autem, quum servi homines sint æquè ac domini, ut domini eos humaniter tractent, non autem ut bestias: sicuti tunc apud ethnicos moris erat. Argumentum hujus hortationis affert à comparatis, videlicet à pari: cujus hæc est vis atque sententia. Velletis, Deum erga vos se præbere clementem, mitem ac benignum: Ergo vos quoque erga servos vestros vos præbete clementes, mites ac benignos. Ratio à pari: quia DEUS tam est vester dominus, quàm vos estis domini vestrorum servorum. Conclusionem amplificat prolepsi. nam poterant cogitare domini, se esse conditione excellentiore quàm sint ipsorum servi: ac proinde licere sibi servos tractare pro suo arbitrio ac libitu. Huic cogitationi occurrit Apostolus, quum negat, apud Deum esse προσωποληψίαν, id est, personæ vel potiùs faciei acceptionem. quibus verbis significat, Deum nihil morari istam dominorum præ servis excellentiam: ut scilicet propterea eis permittat injustitiam erga servos: sed tam puniturum eos propter injustitiam quam servos, itemque servos pios non minùs ei charos esse quam dominos.

10 Quod superest, fratres mei, corroborate vos per Dominum, & per forte ipsius robur.

11 Induite universam illam armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.

12 Quoniam non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus imperia, adversus potestates, adversus mundi principes, *id est*, tenebrarum sæculi hujus, adversus spiritales malitias *quæ sunt* in sublimi.

13 Propterea assumite universam illam armaturam Dei, ut possitis resistere tempore adverso, & omnibus confectis stare.

14 State igitur lumbis circumcinctis veritate, & induti thorace justitiæ:

15 Calceatis pedibus præparatione evangelii pacis.

16 Insuper assumto scuto fidei, quo possitis omnia jacula mali illius ignita exstinguere.

17 Galeam etiam salutis recipite, & gladium spiritus, hoc est, verbum Dei.

18 Omni prece & supplicatione precantes omni tempore per spiritum, & illi ipsi rei invigilantes cum omni perseverantiâ & supplicatione pro omnibus sanctis.

Versu 10. transit ad aliud exhortationis genus, quâ Ephesios hortatur ad constantiam in fide. Argumentum affert ab adjunctâ necessitate, itemque ab adjuncto periculo: quia scil. constantia fidei necessaria sit ad vincendum Diabolum: & quia periculum à Diabolo gravissimum fidelibus immineat, quod non nisi fide superari possit. Simul autem docet, quibus adminiculis seu mediis uti debeant ad fidem alendam atque conservandam, & Diabolum per illam vincendum. Primò omnium ipsam exhortationem proponit vers. 10. deinde adminicula illa sive arma indicat vers. 11. ibidemque argumentum hortationis ab adjunctâ necessitate, itemque ab adjuncto periculo, annectit. Tum versu 12. periculum illud amplificat descriptione hostium, nempe diabolorum: quos describit partim antithesi hominum tanquam minùs potentium, unde eos vocat carnem & sanguinem: partim ab adjunctâ maximâ potentiâ & malitiâ. Versu 13. ex illa periculi commemoratione ipsam exhortationem deducit, & simul docet, quibus armis contra diabolos sit pugnandum. Quæ arma deinceps speciatim enumerat per quinque versus, quibus totam armaturam (πανοπλίαν) militis Christiani, id est, hominis fidelis, admodum graphicè depingit. Ubi notandum, non esse ita scrupulosè aut curiosè similitudinis rationem in singulis partibus investigandam: verbi gratiâ, cur veritatem cingulo militari seu baltheo comparet, justitiam thoraci, & non contrà. Neque enim Apostolo propositum fuit, ista ita subtiliter inter se accommodare & ad vivum (ut ajunt) resecare: sed in genere docere voluit, quibúsnam virtutibus vel potiùs donis Spiritus sancti opus habeant Christiani, ut contra insidias Diaboli firmi perstent, & in tentationibus victoriam obtineant. Sed consideremus arma ista singula ordine, sicut ab Apostolo enumerantur. Ea sunt:

1 Veritas.	4 Fides.
2 Justitia.	5 Verbum Dei.
3 Evangelium.	6 Preces.

1 Veritas vocabulo intelligit conscientiæ integritatem: & hanc comparat cingulo militari seu baltheo.

2 Justitiæ nomine intelligit piam & sanctam vitam: & hanc comparat thoraci.

3 Evangelium (quod vel ab objecto vel ab effectu vocat evangelium pacis: quia scil. de pace seu reconciliatione nostra cum Deo testatur, & quia Spiritus sanctus per ipsum pacatas reddit nostras conscientias) hoc, inquam, comparat calceis.

4 Fidem, nempe quâ credimus in Christum, comparat scuto: & hoc illustrat à relatis. Scutum enim refertur ad jacula quæ scuto excipiuntur. Jacula autem illa quæ excipienda sunt fide, sunt tentationes Diaboli: quas vocat jacula ignita τοῦ πονηροῦ, mali seu nequam ac veteratoris illius: & in metaphora manens, illa non excipi, sed (quod plus est) exstingui fide dicit, ne scil. fidelem lædant.

5 Verbum Dei (quo nomine & promissiones & mandata omnis generis complectitur) comparat partim galeæ, partim gladio: innuens, verbum Dei utile esse tum ad nos muniendum, tum ad hostem Diabolum propulsandum. unde vocat galeam salutarem sive salutis τοῦ σωτηρίου, eò quòd salutem nobis

nobis præstet: & gladium spiritus, hoc est, quo spiritus sive animus noster utitur ad Diabolum propulsandum. Hoc genere armorum quàm dextrè usus sit antesignanus & dux noster Christus, vide Matth. 4. Quippe contra primam Diaboli tentationem protulit promissionem; *Scriptum est*, inquiens, *Non è solo pane vivet homo &c.* Contra secundam verò & tertiam tentationem protulit mandata Dei: nempe, *Non tentabis Dominum Deum tuum*: item, *Dominum Deum tuum adorabis*. Et his quidem armis non solùm se defendit, sed etiam Satanam propulsavit.

6 Postremum genus armorum facit preces: & has nudè absque comparatione proponit: amplificatas tamen partim ex adjuncto tempore, partim ex causâ procreante, Spiritu sancto, partim ex adjunctâ vigilantiâ & perseverantiâ, partim denique à subjecto occupante; ubi hortatur ut precentur non solùm pro seipsis, sed etiam pro omnibus sanctis, id est, fidelibus.

19 Et pro me, ut mihi detur sermo ad apertionem oris mei cum libertate, ut notum faciam mysterium Evangelii:

20 Cujus causâ legatione fungor in catena: ut, *inquam*, de eo liberè loquar, sicut oportet me loqui.

Vers. 19. à genere ad speciem transiens, petit nominatim ut precentur pro ipso, ut possit liberè & perspicuè & convenienter prædicare Evangelium: quod ipsum vers. 20. eis commendat à suo testimonio & præclaro judicio, quippe quod tanti faciat, ut ejus causâ non recuset catenâ vinciri, atque adeò in ipsâ catêna illud prædicet. Commendat etiam idem ab adjunctâ dignitate; quum ait, se illud prædicando legatione fungi, nempe legatione sibi à Deo ipso commissâ. Videri autem possit in fine versiculi 19. expunctum esse nomen τοῦ χριστοῦ: quod si adesset, tunc commodiùs cohæreret initium versiculi 20. ὑπὲρ οὗ: scilicet χριστοῦ. Sic enim loquitur 2. Corinth. 5. vers. 20. ὑπὲρ χριστοῦ πρεσβεύομεν: *Pro Christo* (sive nomine Christi) *legatione fungimur*.

21 Ut autem sciatis & vos res meas, *&* quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charus frater & fidus minister in Domino:

22 Quem misi ad vos ob id ipsum, ut cognoscatis res nostras, & consoletur corda vestra.

Causam indicat cur miserit ad eos Tychicum: fines autem hujus missionis duos exponit: 1. ut ex illo cognoscant statum rerum ipsius. 2. ut ab eo confirmentur in fide. Quo nomine etiam Tychicum eis commendat à suâ erga ipsum charitate, & ipsius fidelitate in ministerio obeundo. Videtur autem de ministerio Verbi loqui: quia mox testatur, se illum misisse ad cosolandum corda Ephesiorum.

23 Pax *sit vobis* fratribus, & charitas cum fide à Deo patre & Domino Jesu Christo.

24 Gratia *sit* cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum, cum incorruptione: Amen.

Epistolam salutatione apostolicâ concludit: quâ eis optat primùm pacem, id est, omne genus prosperitatis: deinde charitatem & fidem, id est, incrementum in charitate & fide: tum gratiam, id est, favorem ac benevolentiam Dei: postremò incorruptibilitatem, id est, immortalitatem & gloriam cælestem in vita æterna.

SCHOLIA IN CAP. VI.

4 Ne provocate ad iram] μὴ παροργίζετε. *Vel, Ne irritate.* Cum institutione] ἐν παιδείᾳ. *Id est, Adhibitâ institutione.* ἐν *pro* σὺν *vel* μετὰ. *Nomen autem* παιδεία *est Latinis educatio, institutio, castigatio. Germanicè,* Zucht.

8 Unumquemque quicquid fecerit] ὃ ἐάν τι ἕκαστος ποιήσῃ. *Pro,* ὃ ἕκαστος ἂν ποιήσῃ, *vel,* ποιήσῃ ἄν. *Posito* ἐὰν *pro* ἂν, *& trajecto: & redundante* τι.

9 Personæ respectum] προσωποληψία. *Vel,* Faciei acceptionem. *De qua phrasi alibi copiosè dixi.*

12 Mundi principes] *id est*, tenebrarum sæculi hujus] τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους αἰῶνος τούτου. *Videtur vertendum*, Principes tenebrosos sæculi hujus. Spiritales malitias] τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας. *Suspicor,* πνευματικὰ *falsò scriptum esse pro* πνεύματα, *ac proinde vertendum,* Spiritus malignos, *qui sunt &c.* In sublimi] ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. *Fortasse legendum* ὑπουρανίοις. *Subaudi,* τόποις. *Id est, In cælestibus vel sub cælestibus locis. Intelligit aërem. Confer suprà cap. 2. v. 2.*

17 Galeam salutis & gladium spiritus] τὴν περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου καὶ τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος. *Sicut antea vocavit thoracem justitiæ & scutum fidei. Ut genitivi non habeant vim epithetorum Hebraicam; sed vim appositionis, quâ nomen metaphoricum per proprium declaratur. quasi dicat, Thorax qui est justitia: scutum quod est fides: galea quæ est salus. Gladius tamen spiritus paulò aliter dici videtur, nempe quo utitur spiritus, id est, animus hominis, vel per quem efficax est Spiritus sanctus.* Hoc est] ὅ ἐστι. Quod est. *Nempe, Qui gladius est. Pro,* ὅς ἐστι. *Relativum pronomen genere consentit cum consequente nomine; non cum antecedente.*

18 Per spiritum] ἐν πνεύματι. *Vel,* In spiritu. *ut Johan. 4. v. 23.* Illi ipsi rei] *nempe precibus. nam ut ad verbum Dei sup. vers. referatur, mihi quidem contortius videtur. nam quod additur,* Cum omni supplicatione; *non est* ἀδολεσχία *putanda: quoniam non simpliciter dicitur, Supplicatione: sed, Supplicatione pro omnibus sanctis.*

20 De eo] ἐν αὐτῷ. *Pro,* περὶ αὐτοῦ. *Sic suprà cap. 4. v. 21.*

24 Cum incorruptione] ἐν ἀφθαρσίᾳ. Ἐν *pro* σὺν.

OBSERVAT. EX CAP. VI.

1 Ex v. 1. Quatenus liberi obedire debeant parentibus, nempe in Domino, hoc est, quatenus obediendo non offendunt Deum: offendunt autem, quum obediunt mandatis cum verbo Dei pugnantibus. *Liberi.*

2 Ex v. 1. 2. 3. Quibus causis liberi moveri debeant ad convenientem obedientiam parentibus præstandam. *Liberi.*

3 Ex v. 4. Quomodo parentes debeant educare liberos. *Parentes.*

4 Ex v. 5. 6. 7. 8. Quomodo servi debeant servire, & quibus causis ad fideliter serviendum debeant moveri. *Servi.*

5 Ex vers. 9. Quomodo domini seu heri debeant tractare servos: & quibus causis debeant ab iniquâ eorum tractatione revocari ac deterreri. *Heri.*

6 Ex v. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Quibus armis adversus Diabolum pugnandum sit. *Pugna adversus Diabolum.*

7 Ex v. 19. 20. Quo animo aggredienda explicatio doctrinæ cælestis, nempe humili: ne fidamus nostro ingenio: sed petamus facultatem à DEO. *Ministri verbi Dei.*

8 Quomodo versandum in explicatione doctrinæ cælestis. Liberè: ne dissimuletur veritas, aut misceantur mendacia ex metu hominum vel in gratiam hominum. *Ministri verbi Dei.*

9 Cujusmodi sit doctrina cælestis. Est mysterium, id est, doctrina rationi humanæ ignota: Non igitur mirum, si eam odit ac persequitur mundus. *Doctrina cælestis.*

10 Quantum munus sit ministerium Evangelii. Est legatio. Legati autem habentur in honore. *Ministerium Evangelii.*

11 Quis status ministrorum Verbi. Sunt expositi odio & persecutioni mundi. *Ministri verbi Dei.*

12 Etiam in mediis persecutionibus faciendum officium: & contrà opponenda dignitas legationis. *Ministri verbi Dei.*

FINIS.

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PAULI ad Philippenses.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

PAULUS in hac epistola Philippenses primò in fide confirmat variis modis: ut, promittendo efficaciam Dei, laudando ipsorum zelum, testificando suum erga eos amorem, removendo scandalum crucis, significando suum studium in ipsis confirmandis. Hæc agit usque ad vers.27. cap.1. Secundò hortatur eos ad studium pietatis: ac nominatim ad tolerantiam crucis, ad concordiam, ad humilitatem seu animi demissionem, ad vitæ puritatem. Hæc agit à versu 27. cap.1. usque ad vers.19. cap.2. Tertiò commendat eis fideles Evangelii doctores, Timotheum & Epaphroditum: inde usque ad finem capitis secundi. Quartò monet eos, ut sibi caveant à falsâ doctrinâ pseudapostolorum, qui justitiam Legis cum justitia fidei pernicioso errore miscebant: quibus suum ipsius exemplum tanquam veri ac sinceri apostoli opponit, & ad illud imitandum hortatur: toto capite tertio. Quintò nominatim ad concordiam hortatur duas mulieres, Evodiam & Syntychen, & viros quosdam, ut illam concordiam concilient: in principio capitis quarti. Sextò redit ad exhortationes generales omnibusq; communes: & hortatur ad moderationem, ad preces, ad virtutes omnes Christianas: à vers.5. cap.4. usque ad vers.10. Septimò laudat ipsorum erga se beneficentiam in communicanda pecunia ad ipsius necessitatem: usque ad vers.21. Octavò & postremò concludit epistolam salutationibus.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Vers.1. continetur subscriptio & inscriptio: v.2. salutatio. Deinde à v.3. usque ad 12. narrat de suis precibus pro ipsis. Tertiò à v.12. usque ad 27. narrat de suis vinculis & de animi sui affectu tum ad moriendum tum ad diutiùs vivendum. Quartò hortari eos incipit ad studium pietatis, ac nominatim ad concordiam & ad tolerantiam.

DE PRIMA PARTE.

PAulus & Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, unà cum episcopis & diaconis:

2 Gratia *sit* vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo.

TImotheum sibi adjungit, ad consensum illius testandum; ac proinde ad Philippenses magis movendos; ut exhortationibus & admonitionibus suis locum dent. Erat enim Timotheus fidelis minister Evangelii: cujus in Evangelio prædicando fides Philippensibus jam erat perspecta, ut testatur Apostolus cap.2. v.22. Fideles Philippenses vocat sanctos in Christo Jesu: ut qui sanctificati essent sanguine & spiritu Christi. Nominatim exprimit episcopos & diaconos: qui cæteris ministerio suo serviebant: episcopi quidem Evangelio prædicando & sacramentis administrandis; diaconi verò eleemosynis curandis. Optat eis primùm gratiam, id est, favorem ac benevolentiam Dei; deinde pacem, id est, felicitatem tum corporis tum animæ, ex gratia illa manantem.

DE SECUNDA PARTE.

3 Gratias ago Deo meo in omni mentione vestri.

4 Semper in omni precatione mea pro omnibus vobis cum gaudio preces faciens,

5 Super vestri in Evangelio communione, à primo die usque ad hoc tempus:

6 Persuasum habens hoc ipsum, fore ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Jesu Christi:

7 Sicut justum est ut ego id sentiam de omnibus vobis; propterea quod animo teneam, vos & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Evangelii, vos, *inquam*, omnes unà mecum fuisse gratiæ meæ participes.

8 Testis enim mihi est Deus, quàm propensè amem vos omnes in visceribus Jesu Christi:

9 Et hoc precor, ut charitas vestra adhuc magis ac magis redundet in cognitione & omni sensu:

10 Ut probetis ea quæ excellunt: ut sitis sinceri & sine offendiculo, ad diem usque Christi:

11 Pleni fructibus justitiæ, qui sunt per Jesum Christum, ad gloriam & laudem Dei.

Primùm narrat, se in suis precibus gratias agere Deo pro ipsorum in Evangelio participatione, hoc est, pro efficaci eorum vocatione, quâ per fidem participes facti sint beneficiorum morte Christi partorum, nempe remissionis peccatorum, donationis Spiritus sancti & vitæ æternæ: v 3.4.5. Deinde exponit suam spem de ipsorum in fide perseverantia: ejusque spei causas procreantes exponit duas: primùm naturam Dei qui bonum istud opus, nempe fidem, in ipsis cœperit: hoc est, qui eos efficaciter vocarit: Vocatio enim Dei (ut ait Rom.11.) est ἀμεταμέλητος, id est, talis ut illius nunquam DEUM pœniteat, sed ut opus inchoatum perficiat & absolvat. Atque ita eos in fide confirmat, promittendo efficaciam Dei. Alteram verò causam procreantem suæ de ipsis spei facit ipsorum zelum in negotio Evangelii: quem ostendit ex effectis, nempe factis ipsorum, quòd scil. sese Paulo propter Evangelium captivo socios addiderant; dolentes nimirum, Evangelii prædicationem impediri, & fidelissimum ejus doctorem affligi. Atque ita fidem ipsorum confirmat, laudando zelum ipsorum. Vocat autem Paulus illam suam captivitatem *gratiam*, id est, beneficium Dei ex gratia ipsius profectum. Sic Act.5.v.41. gaudebant apostoli, quòd digni habiti essent (nempe ex gratia Dei, rem illam ita gubernantis) ut pro nomine Jesu contumeliâ afficerentur, nempe ut virgis cæderentur. Atque hæc secunda institutæ narrationis particula est, quam spem Paulus de Philippensibus habeat: v.6.& 7. Tertiò testatur suum erga eos summum amorem, quo eos intimè amet propter Christum, hoc est, propterea quòd persuasus sit, eos constanter credere in Christum, ipsumque diligere, v.8. quo ipso quoque fidem eorum confirmat: Crescit enim laudata virtus.

Sed ne suis ipsorum viribus virtutes istas adscribant; subjungit quartò, quid pro eis precetur, seu quidnam eis à Deo in suis precibus exoptet; nempe ut in cognitione Dei & studio pietatis crescant & pergant ad finem usque: quo ipso significat, fidem & profectum atque perseverantiam in fide, donum DEI esse: v.9. 10.11. Nomine αἰσθήσεως, id est, sensus, intelligit aut certam discretionem doctrinarum, aut gustum illum bonorum cælestium quæ per Evangelium sunt cognita. Per τὰ διαφέροντα D. Beza intelligit doctrinas falsas à sana doctrina salutis discrepantes: sed alii (quibus assentior) interpretantur præstantia illa bona quæ per Evangelium patefiunt. Sic Rom.2. v.18. Finem seu scopum pietatis facit *gloriam* DEI: sicut & Christus quum dicit discipulis, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona vestra opera, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.*

DE TERTIA PARTE.

12 Velim autem vos scire, fratres, quæ mihi *acciderunt*, magis ad profectum Evangelii evenisse.

13 Adeò ut vincula mea innotuerint in CHRISTO, in toto prætorio, ac reliquis omnibus:

4 Et plerique ex fratribus in Domino, freti vinculis meis, magis audeant impavidè sermonem loqui.

15 Ac nonnulli quidem per invidam & contentionem, nonnulli verò etiam propensâ voluntate Christum prædicant.

16 Alii quidem, *inquam*, per contentionem Christum an-

stum annuntiant non purè, quòd existiment, sese afflictionem addere vinculis meis:

17 Alii verò ex charitate, quòd sciant, me ad defensionem Evangelii constitutum esse.

18 Quid igitur? attamen quovis modo (sive in speciem, sive sincerè) Christus annuntiatur: & de hoc gaudeo, atque etiam gaudebo.

19 Novi enim, fore ut hoc mihi cedat saluti per vestras preces, & suppeditationem spiritus Jesu Christi;

20 Secundùm intentam exspectationem & spem meam, quòd nulla in re pudefiam; sed cum omni libertate, ut semper *ita* nunc quoque magnificabitur Christus in corpore meo; sive per vitam, sive per mortem.

21 Mihi enim vivere, *est* Christus: & mori, lucrum.

22 Si verò *contingat* vivere in carne, hoc mihi *erit* fructus operis: & quid eligam, ignoro.

23 Coarctor enim utrinque, desiderio tendens ad remigrationem, & ut cum Christo sim: nam *id* valde multò melius.

24 Sed permanere in carne, magis necessarium *est* propter vos.

25 Et hoc confisus novi, me mansurum esse, & permansurum cum vobis omnibus, ad vestrum profectum & gaudium fidei:

26 Ut abundet gloriatio vestra in Christo Jesu de me, per meam rursus apud vos præsentiam.

Narrat eventum suorum vinculorum: quæ jam quarta ratio est quâ confirmat Philippensium fidem, nempe removendo scandalum crucis. Metuebant Philippenses, ne Evangelii cursus per vincula Pauli impediretur: sed Paulus narrat eventum prorsus contrarium, nempe vincula sua sibi evenisse ad Evangelii profectum. quod ipsum distributione bimembri declarat; primùm enim significat, causam vinculorum suorum innotuisse & aulicis Cæsaris Neronis & reliquis civibus Romanis: se scil. in vincula conjectum propter Christum, nempe quòd Christum prædicaret esse servatorem mundi. deinde multos ex fratribus (quo nomine intelligit Ecclesiæ doctores) constantiâ ipsius confirmatos eò liberiùs Evangelium prædicare. Tum per prolepsin quandam eos qui tunc Evangelium Romæ prædicabant, distinguit in duas classes, ex adjuncto animi affectu. Alii, inquit, ex odio mei Christum prædicant, ut afflictionem addant vinculis meis: alii ex dilectione mei, ut unà mecum Evangelium defendant ac promoveant. Ubi difficile explicatu est, quomodo isti qui Paulum oderant, existimarint, se prædicando Evangelio afflictionem addere vinculis ipsius. Sunt qui putant, illos doctrinam Evangelii adulterasse & falsâ doctrinâ admixtâ corrupisse: & in hunc sensum exponenda censent verba illa, *Christum annuntiant* οὐχ ἁγνῶς, *non castè*, seu *non purè*. Sed Paulum id intelligere non de doctrinæ puritate, sed de sinceritate animorum: liquet primùm ex antithesi: opponit enim Apostolus inter se 1. φθόνον καὶ ἔριν & εὐδοκίαν. 2. ἐριθείαν καὶ οὐχ ἁγνῶς & ἀγάπην. 3. πρόφασιν & ἀλήθειαν. Quo quidem tertio membro duo priora quasi colligit & κατ' ἐπίλογον repetit: ac rursum ἀληθείας, id est, veritatis nomine non veritatem doctrinæ intelligit, sed animi sinceritatem atque integritatem; ut ex antithesi manifestum est. Deinde testatur vers. 18. se gaudere quòd Christus annuntiatur sive προφάσει sive ἀληθείᾳ: at nisi pura de Christo doctrina proposita ab illis utrisque fuisset, Apostolus certè gavisus non esset: qui infrà c.3. (sicut & alibi) falsos doctores tam seriò caveri jubet. Jam quum utriq; puram de Christo doctrinam tradiderint; quomodo igitur insinceri isti existimarunt, se vinculis Pauli afflictionem addere? Respondet doctissimus interpres, plurimas occasiones nobis esse incognitas, qui temporum circumstantias non tenemus: In quo responso & ingenuâ ignorantiæ confessione equidem acquiescere malo, quàm temerè incertum quid confingere. Calvinus.

Paulus igitur expositâ illâ doctorum Evangelii distributione, adversus insinceros istos sese consolatur duplici ratione: primùm quòd per istos nihilo minùs quàm per sinceros Christus annuntiatur: quâ scil. annuntiatione & gloria Christi innotescit, & salus electorum promovetur, vers. 18. deinde quòd ista afflictio, quam insinceri illi vinculis suis addant, sibi cessura sit in salutem. nam ut ait Rom. 8. v. 28. iis qui diligunt Deum, omnia simul conferunt ad bonum. Quum autem afflictio per se & suâ naturâ salutem nemini afferat: simul exponit illius salutaris eventus causas procreantes per se: nempe preces Philippensium & subministrationem spiritus Christi. Quæ duo inter se videntur cohærere per figuram loquendi quæ dicitur ἓν διὰ δυοῖν (pro ἓν διὰ δύο.) quasi dicat: Per subministrationem spiritus, precibus vestris impetratam. Vult dicere, Spiritum sanctum subministraturum sibi vires ad afflictionem istam tolerandum ac vincendum: & hoc Spiritus sancti beneficium precibus Philippensium impetratum iri.

Atque hæc jam duo argumenta sunt certæ persuasionis Pauli de salutari afflictionum suarum eventu. His alia duo addit vers. seq. 20. videlicet spem suam & temporis anteacti experientiam. Spem suam amplificat vocabulo synonymo emphatico, vocans eam ἀποκαραδοκίαν, quâ voce significatur exspectatio intenta & vehemens desiderium, quum toto animo quippiam exspectatur: à gestu vehementer inhiantium, totoque capite inflexo. nam κάρα caput significat: **Wann einer den kopf außstreckt/ vnd sicht/ ob sein freund / auf den er mit verlangen wartet / komme.** Deinde ipsum eventum quem sperat, declarat antithesi: nempe se non pudefactum iri, sed Christum constanti suâ confessione glorificatum iri. *Nulla in re*, inquit, *pudefiam*. Sic Rom. 5. ait, *Spes non confundit*. Nomine παῤῥησίας (ut & alibi passim) intelligit libertatem ac fiduciam non solùm in dicendo, sed generaliter in agendo: cui metus opponitur. Porrò ab anteacti temporis experientia argumentatur tanquam à pari: *Ut semper*, inquit, *ita etiam nunc magnificabitur Christus in corpore meo*. quasi dicat, Hactenus semper afflictiones quas pro Christo perpessus sum, cesserunt in ejus gloriam: quare posthac quoque idem eveniet. *Christus*, inquit, μεγαλυνθήσεται, *magnificabitur*, id est, magnus atque illustris reddetur, gloria ejus inclarescet seu innotescet: quippe quem tanti faciunt fideles, ut propter eum atrocissima quæque forti animo sustineant, idque per spiritum ipsius. Sic Johannes de Petri supplicio loquens, ait: Dominum voluisse significare, quo mortis genere Petrus ipsum esset glorificaturus: Joh. 21. v. 19. Corporis præcipuè mentionem facit: quia de afflictionibus loquitur quæ corpori infliguntur ab hostibus Evangelii, & in eodem etiam conspicuæ sunt. Glorificationem autem Christi in corpore suo, distributione amplificat: *Sive per vitam*, inquit, *sive per mortem*.

V. 21. distributionis propositæ rationem subjungit. q. d. Christus glorificabitur in meo corpore, si in vivis mansero: Nam mihi vivere est Christus, hoc est, omnes vitæ meæ actiones ac perpessiones ad Christi gloriam tendunt & directæ sunt. Sin verò moriar & supplicio propter Christum afficiar; id non solùm ad gloriam Christi faciet, sed etiam mihi erit lucrum, hoc est, promovebit meam salutem. nam per mortem liberantur fideles ab hujus sæculi molestiis, & transferuntur in sinum Abrahæ, in locum quietis, ubi quiescunt à laboribus suis; denique in cælum, ubi Christus est, ubi vident gloriam ipsius. Alii verba hujus versiculi aliter construunt & exponunt: ita scilicet ut sit enuntiatum unicum, cujus antecedens sit χριστὸς, consequens κέρδος: consequentis appendix τὸ ζῆν καὶ τὸ ἀποθανεῖν, subauditâ præpositione κατά. At quanquam in hac eadem epistola occurrant exempla illius ἐλλείψεως: tamen trajectio isthæc verborum mihi quidem admodum dura, & à simplicitate stili Paulini aliena videtur. Sic enim potiùs verba collocasset, ἐμοὶ γὰρ χριστὸς καὶ τὸ ζῆν καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος: id est, *Mihi enim Christus & in vita & in morte lucrum est*. Huc accedit & illud, quòd sic ista sententia non cohærebit ut ratio cum præcedente: quod tamen postulat conjunctio γάρ. nam aliud est gloria Christi, aliud salus Pauli: quam lucri nomine intelligit. Vult autem ostendere, Christum glorificatum iri & per vitam & per mortem suam: quorum illud expressè declarat; hoc verò ita innuit, ut alium præterea suæ mortis effectum exponat, nempe salutem suam.

V. 22. animi sui affectum exponit tum ad moriendum, tum ad diutius vivendum. Puto autem, versiculum hunc sic exponendum: *Si verò (contingat) vivere in carne, hoc mihi (erit) fructus operis: & quid eligam, ignoro*. Dixerat, mori sibi esse lucrum: nunc opponit, si contingat, se diutiùs vivere, id fore fructuosum Philippensibus, quatenus nimirum eos prædicatione suâ confirmabit in fide, atque ita laboris sui fructum referet. Tum inde infert: se dubitare, utrum horum eligat: quippe quum alterum, nempe mori, lucrosum sit ipsi: alterum verò, videl. diutiùs vivere, fructuosum sit Philippensibus. Quod utrumque verbis sequentibus expressè declarat: illud quidem v. 23. istud verò v. 24. Verbum ἀναλῦσαι (quod hìc commodè exponitur *Migrare*) propriè significat solvere. quo sensu dicuntur solvere nautæ: quum migraturi solvunt rudentes. in qua significatione usus est hoc verbo Homerus Odiss. θ. ubi ait,

——Ἀμβαίνειν ἀνά τε πρυμνήσια λῦσαι.

Id est, Conscendere (scil. navem) & rudentes solvere. Erasmus testatur, Chrysostomum hìc ἀναλύειν vertisse μεθίστασθαι, id est, Commutare sedem seu emigrare. Similibus loquendi formis utitur Paulus 2. Cor. 5. v. 8. videl. ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, id est, Peregrè abesse à corpore. item, Exui tabernaculo corporis, v. 4. In annotat.

V. 25. & 26. prædicit, se hac vice in vivis mansurum, atque adeò è vinculis liberatum iri: quam prædictionem illustrat expositione finis & causarum efficientium. Finis est, profectus fidei Philippensium, videl. per Pauli prædicationem. Efficiens principalis est Christus, qui suâ potentiâ flexurus erat corda hostium Pauli ad ipsum dimittendum: instrumentalis est precatio Philippensium pro liberatione Pauli. Hanc utramque notat his verbis, *Ut abundet gloriatio vestra in Christo Jesu de me*. Gloriationem intelligit, quòd preces ipsorum à Christo exauditæ sint.

DE QUARTA PARTE.

27 Tantùm ut dignum est evangelio Christi, vos ge-

rite; ut sive venero & videro vos, sive absens fuero, audiam de rebus vestris, vos perstare in uno spiritu, uno animo, una certantes cum fide Evangelii:

28 Nec ulla in re territos ab iis qui se opponunt: quod illis quidem est exitii indicium, vobis autem salutis; idque à Deo:

29 Quia vobis donatum est in Christi negotio, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo pati:

30 Idem certamen sustinendo, quale vidistis in me, & nunc auditis de me.

Hîc incipit eos hortari ad studium pietatis seu ad vitam Evangelio dignam, & nominatim ad concordiam & tolerantiam persecutionis. Exhortationis ad tolerantiam argumentum affert ab eventu utili, videlicet salute ipsorum. Simul etiam addit doctrinam de causâ efficiente tolerantiæ: atque etiam salutaris eventus illius: quæ causa est Deus. Particula μόνον est correctiva & transitiva quasi dicat, Sed quicquid de me fiet: sive in vivis mansero & ad vos venero, sive non: hoc tantùm à vobis postulo, ut piè vivatis. Verbum πολιτεύεσθαι significat conversationem in societate civili hominum. Sic infr. cap. 3. dicit, Nostrum πολίτευμα, id est, nostra conversatio, est in cælo. *Vivite*, inquit, *dignè evangelio Christi.* hoc est, ita ut Evangelii doctrina postulat; ut vestra vita professioni doctrinæ respondeat, & cum illa quasi in æquilibrio posita sit. nam ἄγω (unde ἄξιος) etiam pendere significat. *Standi* verbo significat constantiam in confitenda doctrina Evangelii, metaphorâ sumtâ ab athletis, quos decet stare & persistere contra adversarium. *Spiritus & anima* hîc idem videntur significare: quanquam nonnulli sic discernunt, ut πνεῦμα ad mentium atque judiciorum consensum, ψυχὴ verò ad voluntatum conspirationem referatur. Jubet eos συναθλεῖν τῇ πίστει, unà certare cum fide, id est, adjuvare decertantem fidem, hoc est, doctrinam Evangelii: quæ quidem tum certare intelligitur, quum pro ea certant fideles doctores, constanter illam annuntiando. Cæterùm verbo συναθλεῖν inest argumentum ab eventu utili: videl. à præmio quod athletis dari solet, si fortiter pugnaverint. nam verbum ἀθλεῖν à nomine ἆθλον deductum est, quod præmium significat, sed propriè illud præmium quod in medium proponitur athletis, hoc est, certatoribus; ut luctatoribus, cursoribus: quod aliâs βραβεῖον dicitur: quo vocabulo & similitudine utitur Apostolus 1. Cor. 9. circa finem. Similis locus est 2. Tim. 4. ubi de se ait Paulus: *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi: quod superest, reposita est mihi justitiæ corona.* Corona autem pro præmio dari solet certatoribus.

Vers. 28. quod modò dixerat in genere, ut Philippenses pro Evangelio certent, illustrat indicatione cujusdam speciei, *Ut ne turbentur aut expavescant insultibus antagonistarum*, id est, persecutione tyrannorum & aliorum adversariorum. Continuat autem cœptam metaphoram, cùm ait, μὴ πτυρόμενοι: alludit enim ad morem gladiatorum, qui adversarium terribili insultu & gestu ad terrendum illum planè composito aggrediuntur: **Die sich so grausam stellen / als wann sie den** adversarium **fressen wolten.** ἥτις αὐτοῖς] Argumentum ab eventu utili illustrat antithesi. Similis locus exstat 2. Thess. 1. v. 4. 5. 6. 7. ubi ait; ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ Θεοῦ.

Idque à Deo] Digreditur in doctrinam. docet enim, quæ sit causa efficiens, quisve author illius salutaris eventus, qui tolerantiam fidelium excipit & consequitur, videl. Deus. Et hoc illustrat partim notatione causæ impulsivæ, partim collatione imparium. Causam impulsivam notat verbo ἐχαρίσθη. quo significat, Deum non meritis Philippensium, sed suâ gratiâ moveri ad salutem illis conferendum. Collationem autem instituit inter *Credere in Christum*, & *Pro illo pati*, id est, ob illius confessionem. Plus autem est ita in Christum credere, ut fidem illam etiam cum capitis periculo confiteamur, quàm simpliciter in Christum credere. Sic fidem & confessionem conjungit Apostolus Rom. 10. v. 10.

Vers. 30. illustrat afflictiones Philippensium collatione similis exempli, nempe suiipsius: ubi rursum superiori metaphorâ utitur, afflictionem suam ἀγῶνα, id est, certamen vocans.

SCHOLIA IN CAP. I.

3 In omni mentione vestri] ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν. *Hoc est, quoties mentionem vestri facio. Vel, certè,* In omni recordatione vestri: *Id est, quoties vestri recordor: sicut ampliùs declaratur v. seq. qui idcirco non est per parenthesin ab hoc divellendus: quum sententia prorsus cohæreant, sicut Rom. 1. v. 9. 10.*

4 Semper &c. preces faciens] *Vel,* Quum scilicet semper &c. preces facio. *Declarat enim verba proxime-præcedentia,* ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν.

5 Super vestri &c.] ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν. *Hæc verba pendent à verbo* εὐχαριστῶ, *id est*, gratias ago. *indicat enim beneficium pro quo gratias agat.* A primo die &c.] *Hæc cohærent non cum sententia proxime-præcedente, sed cum superiore. His enim verbis declarat & amplificat illud* πάντοτε, Semper, v. 4. *Hæc cohærentia percipitur ex v. seq.* A primo die] *Scil. quo participes facti estis Evangelii.*

6 Opus bonum] *Nempe fidem in Christum, seu communionem Christi per Evangelium.*

7 Ut id sentiam] τοῦτο φρονεῖν. *Nota verbum* φρονεῖν *usurpatum de judicio mentis, non autem de animi affectu, ut plerumque aliâs.*

10 Ut probetis ea quæ excellunt] εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα. *Id est, probando cognoscatis. nempe quæ sit illa latitudo & longitudo & profunditas & sublimitas, ut ait Eph. 3. v. 18.* Et sine offendiculo] καὶ ἀπρόσκοποι. *Id est, Ut non solùm sitis sinceri in animis vestris, sed etiam actionibus vestris nemini sitis offendiculo. Sic accipitur hoc nomen 1. Cor. 10. v. 32. Vel,* Et inoffensi. *Scil.* τὴν συνείδησιν, *conscientiâ: hoc est, habentes conscientiam inoffensam,* ἔχοντες ἀπρόσκοπον συνείδησιν: *ut loquitur noster Apostolus Act. 14. v. 16.*

11 Fructibus justitiæ] καρπῶν δικαιοσύνης. *Ego non puto, Apostolum hic intelligere eam justitiam quâ coram Deo justi sumus, sed justitiam operum. quasi dicat, Pleni operibus justis: quæ sunt veluti fructus suavissimi, Deoque gratissimi. Modus loquendi qualis ille,* Vestigia fidei, *Rom. 4. v. 12.* Qui sunt per Jesum Christum] *Id est, Qui fructus nascuntur vi spiritus Christi. Sicut ipse Christus copiosè docet* Joh. 15.

12 Magis ad profectum] μᾶλλον εἰς προκοπὴν. *Quasi dicat, Tantum abest, ut mea vincula Evangelii cursum impedierint, ut eundem magis promoverint.*

13 Adeò ut vincula mea innotuerint in Christo] ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς ἐν Χριστῷ γενέσθαι. *Hoc est, ut innotuerit, me in vincula conjectum propter Christum, nempe propter Evangelium quod annuntio de Christo, & ex mandato Christi.* Ac reliquis omnibus] καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι. *Ego puto, præpositionem* ἐν *non esse ἀπὸ κοινοῦ repetendam ex inciso præcedente: sed* τοῖς λοιποῖς *respondere casui dativo Latinorum, & subintelligi* Ῥωμαίοις, *vel* τοῖς οὖσι ἐν Ῥώμῃ. *Quod enim dixit, vincula sua innotuisse in prætorio, perinde est ac si dixisset, innotuisse iis qui sunt in prætorio, id est, aulicis Cæsaris. nunc addit, non iis solùm innotuisse, sed etiam cæteris, qui Romæ versentur, omnibus. Sunt autem ad finem hujus versus adscribenda duo puncta: ut intelligatur, periodum nondum absolutam esse, Cohæret enim sequens versiculus.*

16 Alii quidem, *inquam* &c.] οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας &c. *Perspicuitatis gratiâ inserta est particula epanaleptica* Inquam. *Et particula* οἱ μὲν, οἱ δὲ, *idem hîc valent quod sup. v.* τινὲς μὲν, τινὲς δὲ. *Illa autem verba* ἐξ ἐριθείας & ἐξ ἀγάπης, *pendent à verbo* καταγγέλλουσι. *Nam quo minus construatur sic,* οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας, *scil.* ὄντες, *(qua phrasi utitur Apostolus Rom. 2. v. 8.) item,* οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης, *scil.* ὄντες; *obstat hoc, quòd ex illa syntaxi exsisteret* ἀνανταπόδοτον, *seu sententia imperfecta in membro illo antitheto,* οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης.

17 Constitutum esse] κεῖμαι. *Fortasse rectiùs,* In vinculis jacêre.

18 De hoc] ἐν τούτῳ. *Id est,* περὶ τούτου. *Hebraismus.*

20 Ita nunc quoque] καὶ νῦν. *Ellipsis vocis relativæ* οὕτω: *qualis Matth. 6. v. 10. & Luc. 11. v. 2.* Sive per vitam sive per mortem] εἴτε διὰ ζωῆς, εἴτε διὰ θανάτου. *Q. d. Sive contingat, me ex vinculis dimitti ac diutiùs vivere: sive contingat, me in vinculis mori aut supplicio affici.*

21 Mihi enim vivere *est* Christus] ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν, Χριστός. *Id est, Vita mea est occupata in promovenda gloria Christi. Prædicatio metonymica: Est enim metonymia subjecti in enuntiati parte consequente. De syntaxi istorum verborum vide analysin.*

22 Quid eligam] *Nempe vitámne an mortem.*

23 Desiderio tendens ad remigrationem] ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι. *Ad verb.* Cupiditatem habens ad migrandum: *ut si Germanicè dicas,* **Jch hab ein lust zu wandern/** *vel* **aufzuziehen.** *Vide plura in analysi.*

24 Propter vos] *Nempe ut vos pleniùs doceam de Christo.*

26 Gloriatio vestra in Christo] *Quâ gloriabimini, animis occupati in consideratione Christi, cujus beneficio vinculis fuero liberatus. Hîc præpositio* ἐν *notat objectum.* De me] ἐν ἐμοί. *Id est,* περὶ ἐμοῦ. *Sic suprà v. 18.* Per meam rursus apud vos præsentiam] διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας. *Hoc est, Quum vobis fuero restitutus.*

27 Tantùm] μόνον. *Hoc ipse mox exponit ibi,* Sive venero &c. *Vide Analysin.* Vos gerite] πολιτεύεσθε. *Vide Analysin.*

28 Territos] πτυρόμενοι. *Vide Analysin.*

29 In Christi negotio] τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ. *Id est,* ὑπὲρ τοῦ περὶ Χριστοῦ πράγματος. *Ellipsis gemina: & heterosis præpositionis.* In eum credere] εἰς αὐτὸν πιστεύειν. *Id est,* In eo confidere. *quemadmodum dicitur,* Maledictus qui confidit in principibus. *ubi Hebraicè est,* Qui credit in principes. *Ita in symbolo,* Credo in Deum, *id est,* Confido in Deo.

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex vers. 1. *Paulus & Timotheus*] Exemplum humilitatis in Paulo, qui socium sibi adjungit Timotheum, senex juvenem, clarissimus apostolus hominem non ita clarum, denique author præclari operis, eum qui nihil operæ contulit. Sed cavendum ne humilitas sit ficta, quæ duntaxat in ore & gestu consistit, cùm interim animus magnificè de se sentit. Oritur autem vera humilitas tum ex agnitione propriæ infirmitatis, tum ex consideratione alienæ præstantiæ. Ad hanc virtutem hortatur Apostolus inf. c. 2. exemplo Christi. *Humilitas, seu modestia.*

2 Ex iis-

Ministri verbi Dei. 2 Ex iisdem verbis. Est hic etiam exemplum curæ pro Ecclesia, in Paulo. Nam ideo authoritatem conciliat Timotheo apud Philippenses, ut & ipsi & posteri ipsorum doctrinam religionis Christianæ ex illo discerent.

Papa. 3 *Servi Jesu Christi*] Hinc discimus, quòd Papa falsò jactet, se esse successorem apostolorum Petri & Pauli: qúippe qui non est contentus iisdem honoris titulis, sed seipse vicarium Christi & caput Ecclesiæ in terris vocat.

Ministri verbi Dei. 4 Ex iisdem verbis discimus, eximiam esse dignitatem ministrorum Ecclesiæ; quippe qui sunt servi Jesu Christi, regis regum, domini dominantium. Huc facit quod ait Paulus 2.Cor.5. *Legatione fungimur pro Christo.* Item 1.Cor.3. *Sumus Dei cooperarii.* Hęc doctrina facit ad consolationem ministrorum contra odium & contemtum mundi.

Ministri verbi Dei. 5 Ministri Ecclesiæ officii sui se commonefacere debent, ut scilicet Christo serviant fideliter. 1.Cor.4. *Sumus dispensatores mysteriorum* DEI. Requiritur autem in dispensatore ut fidus reperiatur.

Sancti. 6 *Sanctis qui sunt Philippis*] Falsam esse opinionem vulgi, præsertim Papistici, quod putat, nomen *Sancti* competere tantùm pie defunctis & mortuis in Christo.

Sanctitas Christianorum. 7 *Sanctis in Christo Jesu*] Quis sit author sanctitatis Christianorum, videl. Christus. 1.Cor.1.v.30. *Qui factus est nobis sapientia à Deo & sanctificatio &c.*

Episcopi Pontificii. 8 *Unà cum episcopis*] Docemur hîc, quòd episcopi Pontificii Romanenses illi indignè & præter jus nomen hoc seu titulum usurpent. Siquidem nomini huic non respondent. Nam vocabulum *Episcopi*, officii nomen est, & Paulo nihil aliud significat quàm doctorem & gubernatorem Ecclesiæ, quem Petrus *Pastorem* vocat, quippe qui pascat gregem Domini sanâ doctrinâ, eumque gubernet & regat verbo Dei in via pietatis.

Officium hominis Christiani. 9 *Unà cum Episcopis & diaconis*] Nominatim mentionem facit episcoporum & diaconorum, honoris causâ: quod exemplum nobis imitandum est. Sic inf.c.2. circa finem: *Tales in honore habete &c.*

Votum seu optatio. 10 Ex v.2. Est formula pii voti seu piæ optationis, quæ admonet partim de præcipuis adeoq; veris bonis quæ contingere homini possunt, partim de bonorum illorum origine & authore.

Officium hominis Christiani. 11 Ex v.3. *Gratias ago Deo.* Quòd Paulus quoties de rebus lætis facit mentionem, protinus in gratiarum actionem erumpit, exemplum est Christianis omnibus imitandum propositum. Et sanè officium hoc postulat à nobis Deus in tertio præcepto: *Non accipies nomen Domini in vanum.* Intelligendum enim in contrarium est, nomen Domini honorificè & cum veneratione usurpandum; id quod fit, cùm ei aguntur gratiæ. Tribuitur enim ei laus bonitatis ac beneficentiæ; cùm gratiarum actio nihil aliud sit quàm beneficii accepti testificatio. Hortatur etiam Christianos ad hoc officium Paulus Ephes.5.v.18.20. *Implemini spiritu, gratias agentes semper.* Et 1.ad Thess.5. *Semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite*, v.16.17.18.

Fides. 12 *Deo meo*] Quòd Paulus Deum vocat *Deum suum*, argumentum est plenæ in Deum fiduciæ: quæ nobis in exemplum proposita esse debet. Similiter loquitur ad Gal.2.vers.penult. *Qui dilexit* ME, *& semetipsum tradidit* PRO ME. Sic Job: *Scio quòd redemtor* MEUS *vivit.*

Participatio in Evangelio. 13 Ex v.5. Maximum DEI donum est participatio in Evangelio, quippe pro qua Apostolus tam seriò gratias Deo agit.

Docilitas. perseverantia. 14 *A primo die*] Exemplum duplicis virtutis, videl. docilitatis ac promtitudinis in Evangelio amplectendo, & deinde perseverantiæ in ejusdem confessione retinenda.

Spes. 15 Ex v.6. Quæstio, Quomodo quis sperare possit salutem proximi? Resp. Spe charitatis, non autem spe fidei. De illa testatur Paulus 1.Cor.13.v.17. de hac Rom.8.v.38. qua scilicet sperat unusquisque suam ipsius salutem. Illa ratiocinatur è signis externis: hæc acquiescit in testimonio Spiritus sancti.

Fides. 16 Fidei efficiens, procreans & conservans causa, est Deus. Sic ad Ephes.2.v.8. *Dei donum est.* Matth.16. *Caro & sanguis non revelavit tibi.* Johan.6.v.44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Et v.45. *Et erunt omnes* (nempe omnes filii Ecclesiæ) *à Deo docti.* 1.Cor.2.v.14. *Animalis homo non capit ea quæ sunt spiritus Dei.* Hinc coarguitur opinio de libero arbitrio & *συνεργείᾳ*.

Crux. 17 Ex vers.7. Crux confessorum, est indicium gratiæ Dei: & est illis honorifica, cùm sit ἀπολογία Evangelii. hinc Christus Matth.5.v.11.12. *Beati qui persecutionem patiuntur justitiæ causâ.* Act.5.v.41. *Ibant gaudentes &c.* Adde quòd talis crux facit ad gloriam Dei. Joh.21.v.19. *Significans, qua morte glorificaturus esset Deum.*

Juramentũ. 18 Ex v.8. Jurare licet, cùm postulat gloria Dei aut salus proximi. Deut.6.v.13.& cap.10.v.20. *Per nomen meum jurabis.*

Bona opera. 19 Ex v.11. Descriptio bonorum operum à causis. Forma, est conformitas cum Lege. Justum enim est, quod Legi conforme est. Efficiens, est gratia Christi sanctificantis per Spiritum sanctum. Finis, gloria DEI.

Crux. 20 Ex v.12. Exemplum mirabilis eventus crucis piorum quam pro Evangelio sustinent. Diabolus per tyrannos conatur Evangelium opprimere, aut saltem cursum ejus impedire: sed per Dei providentiam Evangelium sic magis promovetur.

Crux. 21 Ex v.13. Crux propter confessionem Evangelii illata, facit ad gloriam Dei & ipsorum martyrum atque confessorum.

Ministri verbi Dei. 22 Ex vers.15. Etiam hodie sunt duo genera doctorum verbi. Nam alii pio studio prædicant Evangelium, ut gloriam Christi & salutem electorum promoveant: alii verò sua tantùm quærunt.

Consolatio. 23 Ex v.19. Iis qui Deum diligunt, omnia simul adjumento sunt ad bonum, Rom.8. Similes promissiones de salutari eventu crucis fidelium sunt istæ: 1.Cor.10.v.13. *Præstabit cum tentatione τὴν ἔκβασιν.* Joh.16.v.20. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Sic Psal.34. *Multæ sunt tribulationes justo, sed ex his omnibus liberat eum Dominus.* Considerentur & hîc exempla Josephi, Davidis, Hannæ, Jobi, & denique ipsius Christi.

Preces. 24 Preces piorum sunt efficaces. Oremus igitur pro fratribus afflictis. Vide Jacob.5.v.14.15.16.17.18.

Spes. 25 Ex v.20. Spes fidelium certa & indubitata est; quia nititur promissionibus verbi Dei. Rom.5. *Spes non confundit.* Et hîc, *Scio.* Huic spei dissimilis est spes vulgaris; quia nititur vel ordine naturæ, qui potest mutari; vel fide & integritate hominis, qui mendax est. Consideretur etiam discrimen inter fidem & spem. *Fides.* Fides intuetur promissionem gratiæ tanquam veram; spes exspectat promissa bona ex gratia, tanquam certò eventura.

Scopus vitæ. 26 Scopus vitæ nostræ debet esse gloria Christi, ac proinde Dei patris. Nam qui honorat Filium, honorat & Patrem, Joh.5. Sic Christus hortatur discipulos Matth.3. *Sic luceat lux vestra &c.* Sic Paulus 1.Cor.10. *Omnia ad gloriam Dei facite.*

Mors. 27 Ex v.21. Mors corporis piis lucrosa est; quia sic commigrant ad Christum, ut cum ipso vitâ beatâ & gloriâ cælesti fruantur. Usus doctrinæ est consolatio in morte.

Charitas. 28 Ex v.22. Charitas non quærit quæ sua sunt, 1.Cor.13. Ut Paulus non quærit suam felicitatem, sed Philippensium.

Mors. 29 Ex vers.23. Etsi mors suâ naturâ terribilis est etiam piis: (2.Cor.5.4. *Non cupimus exui &c.*) tamen pii mortem exoptant ob duas causas: 1. ut liberentur à servitute peccati: Rom.7.v.24. *Miser ego homo, quis me eripiet &c.* 2. ut commigrent ad Christum, cumque eo cælesti beatitate fruantur. Dissimile: Non est justa causa exoptandi mortem tædio vitæ aut impatientiâ, ut cùm Job maledicere diem nativitatis suæ.

Christus. 30 Paulus in terris constitutus, optabat esse cum Christo, nimirum in cælo. Ergo sensit, Christum ita esse in cælis, ut non sit in terra secundùm humanitatem; Nam eum secundùm divinitatem ubique esse non negat Apostolus. Sic Col.3. *Quærite quæ sursum sunt &c.* Item infrà cap.3. *Nostra conversatio in cælis est, unde exspectamus* CHRISTUM JESUM.

Ministerium Verbi. 31 Ex v.24. Ministerium verbi necessarium est etiam apud eos qui jam de Christo sunt edocti, & in eum credunt; ut scil. eorum fides alatur & augeatur.

Officium hominis Christiani. 32 Ex v.27. Opera danda est omnibus illis qui se Christianos & Evangelicos profitentur, ut vitam Evangelio Christi dignam agant: ne doctrina malè audiat & nomen Dei blasphemetur propter mores auditorum. Vide Rom.2.v.24. Ezech.36.v.20. ad Tit.2.v.5.& 10.

Persecutio Consolatio. 33 Ex v.28. Qui propter confessionem Evangelii persecutionem patiuntur, consolari se debent hac cogitatione, quòd hæc persecutio certissimum argumentum atque indicium sit, tum interitus persecutorum, tum verò suæ ipsorum salutis. Vide 2.ad Thess.1.v.4.5.6.7. Rom.8.v.17.18. Item 1.Pet.1.v.6.& 7.

Fides. Tolerantia crucis. 34 Ex vers.28. & 29. Et fides & tolerantia crucis, atque perseverantia in fide, donum Dei est. Quare utrumque à Deo precibus impetrandum, exemplo Apostolorum Luc.17.v.5. Vide Jacob.1.v.5.

Officium hominis Christiani. 35 Ex v.29. & 30. Officium Christiani hominis est: pro fide decertare, & pro Christo, id est, propter confessionem Christi persecutionem pati. Quæ quidem confessio ad salutem necessaria est. Vide Rom.10.v.10. Matth.10.v.32.& 33.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Caput hoc in quatuor partes distingui potest. Primùm enim hortatur eos ad concordiam & modestiam, ab initio capitis usque ad v.15. Deinde hortatur eos ad vitam inculpatam, usq; ad v.19. Tum commendat eis Timotheum, usque ad v.25. Postremò commendat eis Epaphroditum, usque ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE.

SI qua igitur consolatio est in Christo, si quod solatium charitatis, si qua communio spiritus, si quæ viscera ac miserationes;

2 Explete meum gaudium, ut eodem animo sitis affecti, eandem charitatem habentes, unanimes, & idem sentientes:

3 Nihil agentes per contentionem aut per inanem gloriam; sed ex modestia alius alium se præstantiorem existimans.

4 Ne sua quisque spectate, sed unusquisque etiam quæ sunt aliorum.

5 Itaque is sit affectus in vobis, qui fuit & in Christo Jesu:

6 Qui quum esset in forma Dei; non duxit rapinam, esse *se* æqualem DEO:

7 Sed se ipse inanivit, formâ servi acceptâ, similis hominibus factus:

8 Et habitu compertus ut homo, ipse se summisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

9 Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen quod est supra omne nomen:

10 Ut propter nomen Jesu omne genu *se* flectat cælestium ac terrestrium & subterraneorum:

11 Omnisque lingua confiteatur, Jesum Christum *esse* Dominum, ad gloriam Dei patris.

12 Proinde, dilecti mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mea solùm, sed nunc multò magis in absentia mea, cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem conficite.

13 Deus enim is est, qui efficit in vobis & ut velitis & ut efficiatis, pro *suo* beneplacito.

14 Omnia facite absque murmurationibus ac disceptationibus.

Apostolus exhortaturus Philippenses ad concordiam, præmittit argumentum ab effectu utili: quia eorum concordia faciat ad explendum ipsius gaudium. Hoc argumentum amplificat expositione causæ procreantis, per quandam exclamationem & copiam verborum idem significantium. Sententia est: Si me amatis, studete explere meum gaudium: hoc est, studete concordiæ ut ita expleatis meum gaudium: v.1. & 2. Deinde hortationem propositam illustrat antithesi, dehortando scil. à contentione: cui dehortationi alteram cognatam annectit, quâ dehortatur à κενοδοξίᾳ, id est, inani gloriâ, tanquam contentionis matre & causâ procreante. Tum mox opponit hortationem ad modestiam seu animi demissionem, v.3. & 4. Tertiò, hortationem ad modestiam confirmat ab exemplo Christi: cujus modestiam declarat per antithesin præstantiæ ipsius naturalis & humilitatis seu infirmitatis voluntariæ ac sponte susceptæ nostrâ causâ: v.6.7.8. Quartò exponit modestiæ Christi utilem atque honorificum eventum, videl. præmium ei à Patre tributum, quatenus eum Pater in cælestem gloriam exaltavit: v.9.10.11. Porrò hîc continetur argumentum ab utili eventu, per ratiocinationem à pari. nam similium causarum sunt similia effecta. Sicut ergo Christi modestia præmium gloriæ cælestis adepta est: ita etiam modestia Christianorum simile præmium consequetur. Discrimen tamen erit in quantitate: nam prout Christi modestia fuit perfectissima, ita etiam gloria ejus cælestis est summa: at Christianorum gloria suis gradibus erit minor, prout & modestia ipsorum ac omnino pietas minor fuerit. Christus solus præcellit ut caput, & solus sedet ad dextram Patris: at Christiani tanquam membra hujus capitis, ornabuntur & ipsi quidem cælesti gloriâ, sed pro certa portione, nempe pro mensura donationis Christi. Quintò, concludit hortationem propositam; eamque conclusionem amplificat collatione imparium, & antithesi adversorum. Comparat enim obedientiam Philippensium præsentem cum præteritâ tanquam majorem: & suæ præsentiæ absentiam suam opponit: v.12. Sextò annectit quartum institutæ & jam conclusæ hortationis argumentum: quod sumtum est à causâ procreante bonorum nostrorum, ob quæ nonnulli superbire solent: ea est donatio Dei gratuita: v.13. Sic 1.Cor.4.7. *Quid habes, inquit, quod non acceperis? quod si accepisti: cur gloriaris, tanquam non acceperis?* Septimò, repetit dehortationem à discordiâ, v.14.

DE SECUNDA PARTE.

15 Ut sitis irreprehensibiles & sinceri filii Dei, inculpabiles in medio nationis pravæ ac perversæ: inter quos splendetis ut luminaria in mundo:

16 Sermonem vitæ prætendentes: ut gloriari possim in die Christi, me non frustra cucurrisse, nec frustra laborasse.

17 Quin etiamsi pro libamento offerar super hostia sacrificioq; fidei vestræ: gaudeo *tamen* & gratulor omnibus vobis.

18 Itidem autem & vos gaudete, & gratulamini mihi.

Ad vitam inculpatam hortatur primùm ab adjunctâ dignitate: quia sint filii Dei. deinde à circumstante periculo: quia vivant in medio nationis pravæ: solicitè igitur cavendum ne mores filiorum hujus sæculi imitentur. Tum rursus adjunctâ dignitate: quia inter filios hujus sæculi spledeant ut luminaria: decet igitur ut luceat lux ipsorum, ut homines videant bona ipsorum opera: v.15. Quartò à subjecto occupante: quia profiteantur sermonem vitæ, id est, Evangelium: ergo æquum est ut, quemadmodum Evangelio dignum est, vivant, & quemadmodum eos decet qui ex Evangelio vitam æternam exspectant. Quintò ab effectu utili: quia sic futurum sit ut ipse possit gloriari in Domino de fructu laboris sui in ipsis ad pietatem informandis: v.16. Postremò per prolepsin consolatur eos contra metum supplicii sui pro Evangelio sustinendi. Argumenta consolationis ducit ex effectis utilibus: quia supplicium illud suum facturum sit & ad gloriam Dei, tanquam sacrificium; & ad ipsorum salutem, quatenus eo confirmabuntur in fide. Quin & tertium consolationis argumentum addit à pari, nempe à suo ipsius exemplo. Tantum abest, inquit, ut ego metu supplicii pro Evangelio sustinendi contrister, ut potiùs eo nomine gaudeam & vobis gratuler: ergo decet ut & vos non contristemini, sed gaudeatis mihique vicissim gratulemini: v.17.&18.

DE TERTIA PARTE.

19 Spero autem in Domino Jesu, me Timotheum brevi missurum vobis; ut & ego bono sim animo, cognito statu vestro.

20 Neminem enim habeo pari animo preditum, qui germanè res vestras curaturus sit.

21 Nam omnes quæ sua ipsorum sunt, quærunt, non quæ Christi Jesu.

22 Experimentum autem ejus nostis, quòd *videlicet* tanquam cum patre filius, mecum servierit *Deo* in Evangelio.

23 Hunc igitur spero me missurum, simulatque videro rerum mearum statum.

24 Confido autem in Domino, me quoq; citò venturum ad vos.

Timotheum commendaturus, primùm promittit, se eum brevi missurum: eamque promissionem temperat conditione voluntatis Domini, & confirmat expositione finis, nempe ut per illum cognito statu ipsorum, bono sit animo: v.19. Deinde & alterum finem exponit, ut scil. Timotheus curet res ipsorum, id est, in ipsis confirmandis fideliter laboret suâ institutione ad salutem ipsorum. Et hac jam occasione Timotheum commendat à sinceritate ipsius, quam collatione sui exempli tanquam paris amplificat: v.20. Tum sinceritatem illam Timothei amplificat antithesi reliquorum suorum sociorum & asseclarum, tanquam dissimilium. ubi observanda est hyperbolica synecdoche integri, quum dicit OMNES, & intelligit maximam partem: v.21. Postea commendationem Timothei confirmat testimonio experientiæ ipsorum, simulque illustrat expositione causæ sociæ, nempe suiipsius: eamque expositionem similibus illustrat, quatenus seipsum patri, Timotheum filio comparat: v.22. Postremò promissionem de mittendo Timotheo repetit, v.23. eamque simili promissione de suo ipsius adventu amplificat, v.24.

DE QUARTA PARTE.

25 Sed necessarium duxi, Epaphroditum fratrem & collegam ac commilitonem meum, vestrum autem legatum, quique mihi subministravit quibus mihi opus erat, ad vos mittere:

26 Quoniam desiderabat omnes vos, & gravissimè angebatur propterea quòd audissetis eum ægrotasse.

27 Et certè ægrotavit proximè mortem: sed Deus misertus est ejus; nec ejus solùm, sed & mei, ne dolorem haberem super dolorem.

28 Eò studiosiùs itaque eum misi: ut eo rursus viso, gaudeatis, & ego eò minùs doleam.

29 Excipite igitur eum in Domino cum omni gaudio: & tales in pretio habete.

30 Nam propter opus Christi accessit ad mortem usque, non habitâ vitæ ratione, ut suppleret defectum vestri erga me officii.

Epaphroditum commendat partim ex adjunctis: partim ex effectis. Ex adjunctis: 1. quòd sit frater, nempe in CHRISTO. 2. quòd sit suus collega seu cooperarius, συνεργὸς nempe in prædicando Evangelio: quam muneris seu officii societatem illustrat similitudine, quatenus Epaphroditum vocat suum commilitonem, συστρατιώτην. 3. quòd sit ipsorum ἀπόστολος, id est, legatus: nempe ab ipsis missus ad Paulum cum subsidio: ut sequentia declarant. quanquam alii nomen *Apostoli* hîc interpretantur pro doctore Evangelii, per synecdochen speciei καθηγητῶν. nam propriè *Apostoli* dicebantur, qui ab ipso Christo immediatè ad Evangelium docendum vocati atque emissi erant ad quosvis. Porrò ex effectis Epaphroditum commendat, quòd sibi subministraverit pecuniam à Philippensibus missam: quódque eos ex-

eos expetiverit; nimirum redire ad ipsos cupiens. Significat igitur, se illum ad ipsos mittere, v.25. & hujus sui facti causam exponit v.26. nempe illud ipsum Epaphroditi desiderium. ubi simul narrat de ipsius ægrotatione & valetudine divinitùs restituta, v.27. Tum causas missionis rursum exponit v.28. Postremò commendationem institutam concludit, quatenus eos hortatur ad Epaphroditum cum gaudio excipiendum & in pretio habendum: v.29. quam exhortationem additâ ratione confirmat v.30. qua ratione Epaphroditum ex alio quodam facto commendat, nempe quòd sibi in vinculis fideliter ministraverit: quod ministerium amplificat ex eventu, nempe ægrotatione letali: ex qua tamen divinitùs liberatus fuit.

SCHOLIA IN CAP. II.

2 Ut eodem animo sitis affecti] ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε. Vel, Ut eundem geratis affectum. Sic Rom.12. v.16. Idem sentientes] τὸ ἓν φρονοῦντες. In hac significatione usus est verbo φρονεῖν etiam sup.c.1.v.7.

3 Nihil agentes] μηδὲν. Subaudiendum πράττοντες: ut percipitur ex membro antitheto. Opponitur enim, ἀλλὰ ἡγούμενοι &c.

5 Itaque is sit affectus &c.] Hunc locum plerique exponunt de incarnatione filii Dei, ac proinde per formam Dei intelligunt naturam ipsam divinam: itemque per formam servi, naturam humanam. Equidem fateor, utramque Christi naturam ex iis quæ hîc à Paulo dicuntur, firmiter colligi: veruntamen ipsas illas voces de naturis exponendas non censeo, nec Apostolum hîc de filii Dei incarnatione, sed de jam incarnati humiliatione loqui judico. Id quod ex sequente expositione manifestum fiet. Itaque is sit affectus in vobis qui fuit & in Christo Jesu] τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. His verbis innuit Apostolus, se, considerare hîc filium Dei ut jam manifestatum in carne: Hac enim ratione conveniunt ei hæc duo nomina, Christus Jesus: item verbum φρονεῖν, affectum esse, gesinnet seyn. Deinde eandem considerationem videtur postulare Apostoli institutum: Instituit enim imitandum Philippensibus proponere exemplum Christi tanquam vitæ regulam: Ergo considerat facta Christi, quæ in oculos incurrunt: in quorum numero non est incarnatio. Tertiò apparet, Apostolum hîc loqui de ea Christi humiliatione, quæ per exaltationem ejusdem sublata est: at incarnatio (id est, humana natura per incarnationem assumta) sublata non est; quippe quæ in æternum manet.

6 Qui cùm esset in forma Dei] Per formam Dei non puto Apostolum intelligere ipsam naturam divinam: sicut Aristot. in philosophia sua vocabulo μορφῆς intelligit naturam atque essentiam rei. neque enim probabile est, Apostolum hac voce in ea significatione uti quæ solis philosophis nota erat, populo verò ignota. Deinde apparet ex cohærentia sententiæ v 7. & 8. Apostolum tribus his vocibus, μορφὴ, ὁμοίωμα, σχῆμα, rem unam eandemque significare. Præterea si per formam Dei intelligit naturam divinam: consequens est ut pari ratione versu seq. per formam servi intelligat naturam humanam: hoc enim postulat antithesis. At per formam servi non videtur intelligere naturam humanam; quippe quum Christus naturam humanam non deposuerit, nec unquam depositurus sit: at formam servi per exaltationem sui deposuit. quis enim dicat, eum qui se perpetuò declarat ut dominum dominantium, præditum esse formâ servi? Quum igitur Apostolus per formam servi non intelligat naturam ipsam humanam, sed statum seu conditionem servilem, sicut per sequentia verba declarat: consequens est, ut pari ratione per formam Dei non intelligat naturam ipsam divinam, sed statum divinum seu conditionem divinam, nempe gloriam seu majestatem divinam. Quæ quidem gloria à natura dependet, cumque ea necessariò cohæret: Veruntamen ab ea, ratione distinguitur. Christus igitur quamvis esset in forma Dei, hoc est, præditus divinâ gloriâ, quippe Dominus gloriæ seu Jehova gloriosus: tamen non duxit rapinam, se esse æqualem Deo, nempe Patri: hoc est, non ostentavit illam suam gloriam divinam, sicut victores spolia hostibus detracta ostentare solent in triumpho; sed gloriam illam occultavit: id quod intelligendum est de maxima vitæ ipsius parte. nam interdum gloriam illam suam manifestavit per miracula; ut per conversionem aquæ in vinum in nuptiis, Joh.2. v.11. & alia miracula. Unde & Johannes ait, se cæterosque apostolos atque discipulos spectasse gloriam ejus ut unigeniti egressi à Patre, Johan.1. v.14. Hæc expositio hujus versiculi confirmatur tum ex ipsa phrasi, quæ metaphoram habet à triumphatoribus deductam; tum ex antithesi, quæ habetur versu sequente, ubi ait, Sed se ipse exinanivit, vel (si mavis) inanivit. nam in Græco non est ἐξεκένωσε, sed ἐκένωσε: nempe à κενόω, non ab ἐκκενόω. quanquam istis verbis, & simplici & composito, tum apud Græcos tum apud Latinos idem significatur. Quid autem est, Exinanivit se? Id est, gloriâ illâ suâ divinâ se quasi evacuavit, illam veluti deposuit: quatenus scilicet eam non perpetuò manifestavit atque exseruit. Quod ipsum verbis sequentibus declarat Apostolus, ubi ait, Christum se exinanivisse, quatenus formam servi suscepit, id est, * conditionem servilem, humilem & abjectam: sicut ampliùs declarat verbis sequentibus, quòd factus fuerit in similitudine hominum, id est, similis vulgaribus hominibus, subjectus nimirum omnis generis infirmitatibus humanis, peccato solo excepto; ut quòd esuriit, sitivit, dormivit, contristatus est &c. Quod ipsum adhuc ampliùs declarat v.8. inquiens, Et σχήματι, id est, figurâ seu habitu (Luther, an gebärden) compertus ut homo. Ubi notandum, Apostolum in eâdem significatione accipere has voces, μορφὴ, ὁμοίωμα, σχῆμα: Unde scilicet perspicitur, per μορφὴν hîc non intelligendam naturam seu essentiam. Cæterùm pergit Apostolus, & verbum ἐκένωσε exponit per ἐταπείνωσεν, id est, humiliavit se; quam ipsam humiliationem declarat per obedientiam in tolerandis variis afflictionibus, ac tandem ipsâ morte, eâque acerbissimâ & ignominiosissimâ, atque adeò ab ipso Deo maledictâ, videlicet morte crucis. Hunc judico genuinum esse hujus loci sensum: in quem etiam orthodoxi quidam nostræ ætatis theologi, Calvinus scilicet & Wolf. Musculus, verba Apostoli exposuerunt. Nec verò Ubiquitariorum errori hæc expositio patrocinatur aut favet. Etsi enim illi quoque sentiunt, & rectè quidem, formam Dei denotare hîc non essentiam, sed gloriam & majestatem Dei: falsum tamen & hæreticum quod de suo assuunt: nempe significari majestatem Dei in humanam naturam transfusam. Etsi autem veteres Ecclesiæ doctores, tum Græci (ut Basilius, Athanasius, Chrysostomus, Cyrillus, Damascenus) tum Latini, (ut Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Vigilius) istas Apostoli voces de formis substantialibus, hoc est, de ipsis naturis, divina & humana, accipiunt: inde tamen non efficitur, eum reverà hæreticum esse ac ex Ecclesia exturbandum, qui hasce voces de formis accidentalibus tantùm interpretatur: ut nuper quidam inconsideratè scripsit. Neque enim statim hæreticus est qui in loco aliquo Scripturæ exponendo à sententia veterum orthodoxorum recedit: quum illorum expositio non sit regula fidei, nec illi genuinum Scripturæ sensum semper sint assecuti: quumque unius ejusdemque loci expositiones orthodoxæ diversæ afferri possint, & verò sæpe ab interpretibus afferantur. Esse se æqualem Deo] τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Sic rectè vetus interpres, suppleto pronomine reciproco. In nomine autem ἴσα pro ἴσον, enallage gemina est, videl. numeri & generis.

9 Quapropter &c.] διὸ &c. Deinceps humiliationi Christi opponit ejusdem exaltationem, tanquam modestiæ præmium: & ita ad modestiam ab utili eventu hortatur. Quapropter etiam, inquit; quia scil. tam humiliter ac modestè se gessit Christus, tantasque afflictiones obedienter sustinuit ac perpessus est; Deus eum ὑπερύψωσε: quasi dicas, superexaltavit, hoc est, supra modum exaltavit, seu in summam extulit sublimitatem: & donavit ei nomen quod est super omne nomen: hoc est, gloriam summam: ut ad nomen Jesu omne genu se flectat &c. hoc est, ut omnes creaturæ rationales eum agnoscant pro suo domino, eumque adorent, idque ad gloriam Dei patris. nam qui honorat Filium, is & Patrem honorat: & in hominis hujus exaltatione perspicitur summa Dei erga electos suos gratia.

10 Ut propter nomen Jesu omne genu se flectat. Id est, ut Jesum omnes pro domino agnoscant. Metonymia effecti metaphorica. Propter nomen] ἐν ὀνόματι. Ad verb. In nomine. Hebraismus.

11 Jesum Christum esse Dominum] ὅτι κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς. Supple, ἐστι. Cæterùm perspicuitatis causâ in versione verba naturali ordine collocata sunt.

13 Pro suo beneplacito] ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Nempe τῆς αὐτοῦ. Pro, κατὰ τὴν ἑαυτοῦ εὐδοκίαν. Hebraismus.

15 Inter quos] ἐν οἷς. Subaudi, ἀνθρώποις. quod quidem nomen non præcessit, sed illi æquipollens γενεά, id est, natio, genus. Constructio igitur refertur non ad vocem, sed ad sensum. Synesis.

16 Sermonem vitæ] λόγον ζωῆς. Id est, vivificum. Periphrasis Evangelii ab effectu. Prætendentes] ἐπέχοντες. Id est, Dum prætenditis; seu quatenus prætenditis. Regitur enim hoc participium à præcedente verbo, φαίνεσθε: & declaratur his verbis similitudo allata quâ credentes comparantur luminaribus mundi. Quò minùs autem construendum sit hoc participium cum nomine φωστῆρες, per syntaxin scil. convenientiæ: obstat, meo judicio, quod nullus intercedit articulus. dicendum enim fuisset, ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ οἱ λόγον ζωῆς ἐπέχοντες. Ut gloriari possim] εἰς καύχημα ἐμοί. Hæc verba non pendent à proximè-præcedentibus: sed ab illis remotioribus: Omnia facite &c. item, Ut sitis irreprehensi &c. Nisi quis censeat, verbum φαίνεσθε vertendum per modum imperativum, Splendete. In die] εἰς ἡμέραν. Pro, ἐν ἡμέρᾳ. Heterosis frequens.

17 Super hostiâ sacrificioque fidei vestræ] ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν. Sic vocat (ni fallor) prædicationem suam, quâ Philippenses in obedientiam fidei perduxerat, adeoque eos quasi obtulerat & sacrificaverat Domino. Confer verba Apostoli Rom.15. v 16. Alludit enim ad ministerium sacerdotum veteris Testamenti, quod in offerendis hostiis & mactandis victimis bonâ ex parte positum erat. Sed novi Testamenti ministerium præcipuè consistit in prædicatione Evangelii, quâ homines per fidem Deo quasi offeruntur, tanquam hostiæ spirituales. Præpositio ἐπὶ notat objectum, & causam impulsivam connotat; quasi dicat: Quod si etiam contingat ut supplicio afficiar, propterea quòd vobis & aliis Evangelium prædico, & quidem dum ea prædicatione versor eâque occupatus sum &c.

19 Spero in Domino] Id est, confisus benevolentia Domini erga me.

20 Neminem enim habeo] Intellige, excepto Timotheo, ut intelligitur ex collatione v.20. & 22.

21 Omnes] οἱ πάντες. Nempe οἱ ἄλλοι πάντες: cæteri omnes præter Timotheum, qui scilicet mecum sunt. Quæ sua ipsorum sunt].

* Similiter interpretatur glossa Genevensium ad Esa. 52.14. Item Cyprianus

serm. de resurrectione Christi, his verbis: Agunt in cælestibus hæc paschalia gaudia angelici spiritus, & resurgentis Domini gloriam admirantur & lætantur & delectantur in eo quòd forma servi reversa sit in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis redierit majestatem.

Id est, Sua commoda, suum lucrum & gloriam: non autem gloriam Christi.

22 Ejus] *Nempe Timothei, ex v.19.*

23 Simulatque videro] ὡς ἂν ἀπίδω ἐξαυτῆς. *Vel,* Quum videro rerum mearum statum, è vestigio. *Nam* ἐξαυτῆς *valet* ἐξ αὐτῆς, *scilicet* ὥρας.

24 Confido in Domino] *Id est, Confido fretus benevolentiâ Domini erga me. Nam illa verba,* In Domino, *non ita hic pendent à verbo* Confido, *ut in illo,* Maledictus qui confidit in principibus.

25 Legatum] ἀπόστολον. *Vide Analysin.*

26 Desiderabat omnes vos] ἐπιποθῶν ἦν πάντας ὑμᾶς. *Vel,* Desiderio vestri omnium tenebatur *seu* flagrabat.

29 Excipite eum in Domino] *Id est, tanquam Domini servum, vel, eo animo quo debetis affecti esse erga servos Domini.*

30 Defectum vestri erga me officii] τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρός με λειτουργίας. *Ad verb.* Vestrum defectum officii erga me. *Estq; catachresis in nomine* λειτουργία: *quod propriè significat administrationem officii publici, putà magistratus aut sacerdotii: sed hic usurpatur ad significandum officia privata humanitatis ac beneficentiæ erga Paulum vinctum. q.d. Si ipsi mihi adesse possetis, ministraretis mihi vincto: nunc quoniam id non potestis, defectum hunc supplevit Epaphroditus.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

Concordia. 1 Ex v.1.2.&3. Concordia Christianorum consistit partim in consensu sanæ doctrinæ, partim in conjunctione voluntatum in rebus agendis. Prior illa virtus dependet à fide, posterior à charitate. Utramque commendat psalmus 133. *Ecce quàm bonum &c.* Ad utramque colendam hortatur Paulus passim, ut hic & ad Rom.14. & 15.capp. Notanda etiam causa procreans seu origo concordiæ: quæ est humilitas animi seu modestia. Nam huic contraria κενοδοξία, discordiæ mater est.

Humilitas. 2 Ex v.3.4. & 5. Humilitas animi seu modestia est virtus, qua quis alios se ipso præstantiores existimat, ac proinde honorem convenientem eis tribuit. Ei contraria est κενοδοξία, id est, inanis gloriæ cupiditas, cùm quis sibi placet in suis donis, & ob ea se effert, aliosque præ se contemnit. Cæterùm ad humilitatem excitare omnes Christianos debet exemplum Christi, quod hic proponit Paulus; quod etiam facit ad Rom.15.v.2.&3.

Christus. 3 Ex v.6. Notanda hic sunt argumenta pro utraq; Christi natura. Pro divina: 1. CHRISTUS in terris ambulans, fuit in forma Dei, hoc est, præditus fuit divinâ gloriâ seu majestate: Ergo fuit verus Deus. 2. Ad nomen Jesu omne genu se flectit, omnisq; lingua confitetur, eum esse Dominum, v.10.&11. Ergo est verus Deus. Hanc enim gloriam (nempe adorationis) & hoc nomen (nempe Domini seu Jehovæ) Deus alteri non dat: sicut ipse apud Prophetam jurejurando asseverat, Esa.42.v.8. & c.45.v.23. Pro natura humana: 1. Christus naturæ humanæ infirmitatibus (excepto quidem peccato) fuit subjectus, v.7.&8. Ergo fuit verus homo. 2. Christus mortuus est in cruce: Ergo fuit verus homo.

Vindicatio verborum Pauli, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος. 4. Ex v.7. Notandus error Marcionitarum, qui verbis Pauli, quòd Christus factus seu constitutus fuerit in similitudine hominum, abusi sunt ad negandum veritatem naturæ humanæ Christi. Sed hic Paulus *similitudinem* non opponit veritati, sed eam refert ad simile. Non enim propositum ei est docere, qualis fuerit natura humana Christi; sed qualis fuerit Christus in statu humiliationis, videl. quòd inter alia etiam similes affectiones, quales cæteri homines sustinent, perpessus sit, tum animæ tum corporis. Et sic veritatem naturæ humanæ Christi potiùs asserit quàm negat ac destruit.

Meritum Christi. 5 Ex v.9. *Quapropter etiam &c.* Ex his verbis discimus, Christum obedientiâ passionum suarum ac mortis promeruisse sibi summum illum honorem, ut agnoscatur pro filio Dei unigenito, ac proinde tanquam verus Deus unà cum Patre adoretur. Confer Luc.24.v.26. Rom.14.v.9. Heb.12.v.2.

Genuflexio ad nomen Jesu. Vindicatio verborum Pauli, Ut in nomine Jesu omne genu se flectat. 6 Ex v.10. De cærimonia genuflexionis, cùm pronuntiatur nomen JESUS. Videtur hujus cærimoniæ occasio sumta ex hoc loco, ubi dicit Paulus: Christo donatum esse tale nomen *ut in nomine* JESU *se flectat omne genu.* Sed mens Pauli non est, quòd quoties pronuntiatur nomen Jesu, genu flecti debeat, quasi ipsum illud nomen tantæ sit dignitatis: sed per NOMEN intelligit gloriam, cujus gloriæ agnitione vult Christo exhiberi omnem reverentiam & cultum, quem notat per genuflexionem: quo ritu reverentia exhiberi solet. Nam quòd non præcisè genuflexionem postulet: monet ipsa rei natura: vult enim etiam angelos & diabolos genu flectere; qui tamen propriè loquendo id facere non possunt; cùm sint spiritus, ac proinde incorporei.

Antilogia apparentis conciliatio. Salutis causa. 7 Ex v.12. Quæri hic potest, num Paulus sibi ipse contradicat; qui hic jubet Philippenses *salutem suam operari*: cùm tamen alibi doceat, Salutem non operando acquiri, sed donari credentibus? Respondeo: Certum est, Apostolum sibi ipsi non scribere contraria: scripsit enim quæ suggessit Spiritus sanctus; qui labi aut errare non potest; quum sit spiritus veritatis. Deinde certum est, non tantùm ex scriptis Pauli, sed etiam ex totius Scripturæ consensu, salutem non acquiri meritis operum, sed donari per fidem. Notandum igitur, Apostolum hic verbo *operandi* uti generaliter, ita ut etiam fidei operationem comprehendat. Similiter vocabulo *Salutis* totum vocationis cursum comprehendit: Notat enim decursum quasi quendam mediorum eorum, quibus ad salutem tanquam metam tenditur. Monet quippe, ne cursum vocationis impediant contentionibus, pertinaciâ & arrogantiâ, sed ut cum timore & tremore in cœpto cursu ad finem usque pergant. Hanc interpretationem confirmant verba quæ immediatè sequuntur: *Nam Deus est is qui efficit in vobis, & ut velitis & ut efficiatis. Velle* enim est spei, & respicit finem vocationis, qui est salus; *efficere* autem est fidei & charitatis seu novæ vitæ: quæ sunt tanquam media, quæ ad hunc finem ducunt. Media autem quum dico, ordinem à Deo institutum indico: meriti vim nullam mediis illis adscribo.

Salutis causa. 8 Ex v.13. DEUS, salutis nostræ causa & procreans & conservans est; qui primùm dat ut velimus, hoc est, ut salutem expetamus, ut justitiam esuriamus ac sitiamus, peccata nostra seriò agnoscamus & doleamus: deinde dat etiam ut efficiamus, hoc est, ut credamus in Christum salutis nostræ authorem, justitiæ donatorem, peccati expiatorem: item ut ex fide per charitatem bene operemur, carnem cum suis concupiscentiis mortificemus, in novitate vitæ ambulemus: denique ut crucem patienter toleremus, donec tandem per tribulationes in regnum Dei intremus & cum Christo glorificemur. Porrò si solus Deus is est, qui in nobis hæc omnia efficit; sequitur, nos ex nobis ipsis, hoc est, ex naturalibus nostris viribus nec velle salutem, nec efficere quæ ad illam pertinent. id quod passim confirmat Paulus, ut 2.Cor.3. *Non sumus idonei cogitare quicquam &c.* 1.Cor.2. *Animalis homo non capit ea quæ sunt spiritus, &c.* Et Christus Johan.6. *Nemo potest venire ad me &c.* Johan.16. *Sine me nihil potestis facere.* Usus hujus doctrinæ est, ut humiliter agnoscamus DEI gratiam, & cum timore faciamus vocationis officium, nec nisi in DOMINO gloriemur.

Vivere in mundo. 9 Ex v.15. Pii bonâ conscientiâ vivere possunt in mundo, etsi is totus in malo est positus, 1.Joh.5.v.19. Pii enim ex Deo sunt, & non ex mundo, Joh.15.v.19. Sic apud Sodomitas homines nequissimos Lot cum sua familia vixit purus & impollutus, de quo Petrus 2.Pet.2.v.7.8. Jam verò si quis bonâ conscientiâ vivere potest in medio nationis pravæ; sequitur, monachos non justam prætendere causam, se ideò in monasteria concedere, ut relinquant mundum, ne scil. mundi conversatione contaminentur. Quam ob causam olim eremitæ in locis desertis degebant. Sed licitum est uti mundo hoc, dummodo non abutamur, ut monet Paulus 1.Cor.7.v.13. Item Rom.12.v.2. cavendum monet, ne configuremur sæculo huic, id est, ne nos accommodemus ad consuetudinem & mores hujus sæculi.

Evangelium. 10 Ex vers.16. Insigne epitheton Evangelii est, quòd dicitur *Sermo vitæ:* quo notatur ejus vis & efficacia in animis audientium amplectentiumque. Nam dicitur sermo vitæ, id est, vivificus, qui vitam affert credentibus. Vide similia loca Johan.6.v.68. Rom.1.v.16.

Ministri verbi Dei. 11 Exemplum Pauli monet, ministris Ecclesiæ in officio suo currendum esse, h. e. instar cursorum contendendum & elaborandum; in quo & alacritas & studium atq; diligentia requiritur.

Ministri verbi Dei. 12 Ex v.17. Sacrificia & victimæ ministrorum ecclesiæ novi Testamenti non sunt pecudes, ut in V.T. nec etiam fictitia & idololatrica Pontificiorum Missa; sed hostiæ vivæ, nimirum homines fideles. Quod etiam docet Paulus Rom.15.v.15. & 16. Item cap.12.v.1. hortatur fideles, ut ipsi præbeant corpora sua hostiam viventem.

Martyrium. 13 Singularis est honor eximiaque gloria propter professionem & confessionem doctrinæ cælestis ad supplicia rapi. Inde enim est, quòd Paulus hoc nomine tantopere testatur suum gaudium, quodque eandem ob causam etiam Ecclesiam gaudere vult, nimirum quòd ipsum tanto honore dignetur Deus, ut velit eum suo sanguine veritatem doctrinæ cælestis obsignare. Sic Act 5.v.41. Apostoli virgis cæsi, gavisi sunt. At hujuscemodi gaudium hortatur CHRISTUS Matth.5.v.10.&.11.

Officium hominis Christiani. 14 Ex v.19. I. Quicquid nobis ad agendum proponimus aut facturos nos speramus, id totum à voluntate Dei suspendendum est; non autem certò nobis promittendum, ac si in nostris viribus positum esset. Vide Jac.4. v.13. 14. 15. 16. II. Christiani pro se mutuò soliciti esse debent, & cum gaudentibus gaudere, Rom.12.v.15.

Ministri verbi Dei. Antilogia apparentis conciliatio. 15 Ex v.21. Sua quærere, vitium est in ministro. Sed objicitur; Ergóne non licet ministro acquirere facultates quibus alat familiam, quásve in hæreditate relinquat liberis? Cur ergo alibi dicit Paulus, *Qui sua domui præesse non novit, quomodo ecclesiæ Dei curabit?* 1.Tim.3.5. Resp. Non reprehenditur hic simpliciter omnis cura rei familiaris, sed talis quæ animum penitus occupet, quæve tantam, quanta requiritur, Ecclesiæ curam gerere non sinat. Perstringit enim Paulus eos qui ita sua quærunt, ut institutionem Ecclesiæ negligant. Quod autem ad citatum Pauli locum attinet; sciendum, Paulum ibi non loqui de solicitudine acquirendarum facultatum, sed de solicitudine & curâ educandæ in honesta disciplina familiæ; id quod contextus apertè ostendit.

16 Cùm hodie videmus, multos Ecclesiæ ministros sua quærere, hoc est, avaros & ambitiosos esse; non debemus tantopere offendi: quippe cùm audiamus, etiam ætate Pauli, aureo scilicet illo sæculo Ecclesiæ, tam raros fuisse verè cordatos ac fideles Ecclesiæ ministros.

17 Ex v.22.

Officium hominis Christiani. 17 Ex v.22. Exemplum Timothei omnibus juvenibus Ecclesiæ ministris ad imitandum propositum esse debet; exemplum, inquam, modestiæ & reverentiæ erga collegas majores natu; ut nimirum eis sese tanquam filios humiliter submittant. Huc pertinet illud Levitici 19.v.32. *coram cano capite assurgito.* item 1. ad Tim.5.v.8. *Seniorem ne increpato.*

Ministri verbi Dei. 18 Ex v.25. Conditio ministrorum Ecclesiæ ejusmodi est, ut in continua militia versentur: hostem enim habent Satanam qui ipsos non patitur Evangelium absque pugna promovere. Bellum igitur indictum illis ac paratum, qui ad Ecclesiæ ædificationem se accingunt. Et quanquam merere in Christi castris, omnibus Christianis commune est, quia omnium hostis est Satan: tamen præ aliis speciale est ministris Verbi, qui ordines ducunt & vexillum præferunt. Et quidem præcipuè stipendia sua jactare libuit Paulo, qui omni genere præliorum ad miraculum usque exercitatus fuit: ut videre est 2.Cor.11. ubi pugnarum suarum prolixum catalogum recitat.

Auditores Evangelii. 19 Quòd Paulus tantopere commendat Timotheum & Epaphroditum; docet, fideles Ecclesiæ ministros in pretio & honore habendos: quod etiam hîc expressè dicit.

Miracula apostolorum. 20 Ex v.27. Quòd apostoli non sanaverint ægrotos, aliáve miracula ediderint, propriâ virtute ac pro suo arbitrio: argumento esse potest, quòd Paulus (ut ex hujus versiculi verbis apparet) non potuit sanare Epaphroditum, quem tamen sanatum maximè cupiebat.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Sequitur quarta pars epistolæ, ubi eos monet ut sibi caveant à falsâ doctrinâ pseudapostolorum, qui justitiam Legis cum justitiâ fidei pernicioso errore miscebant: quibus suum ipsius exemplum, tanquam veri ac sinceri apostoli, opponit; & ad illud imitandum hortatur.

Quod superest, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem scribere vobis, me quidem haud piget; vobis autem tutum est.

2 Cavete canes, cavete malos operarios, cavete concisionem.

Vers.1. præmissâ generali exhortatione, ut gaudeant in Domino: transit ad sequentem specialem commonefactionem per prolepsin, quâ diluit vitium in ducendo, quod vocatur ταυτολογία, id est, vitiosa atque tædiosa ejusdem doctrinæ iteratio. Ostendit, hanc iterationem non debere Philippensibus tædiosam esse: 1. quia sibiipsi non sit tædiosa. 2. quia eos reddat tutos.

V.2. proponit ipsam commonefactionem: ubi pseudapostolos primùm nominat *canes*, propter impudentiam, quâ falsam doctrinam de justitia operum ecclesiæ Christi profano latratu obtrudebant; tum etiam propter caninos morsus, id est, convitia quibus Paulum aliosque sinceros Evangelii doctores impetebant. Deinde nominat eos *malos operarios*, ut qui infideliter laborarent in vinea Domini: ubi ipsâ voce simul perstringit falsam eorum doctrinam, quasi scilicet homo operum suorum meritis coram Deo justificetur. Postremò vocat eos *concisionem*, tanquam vocaret circumcisionem, id est, circumcisos: qua appellatione innuit, falsos illos doctores esse ex circumcisis, id est, Judæis: & docere, circumcisionem adhuc esse necessariam, atque adeò vi circumcisionis salutem homini contingere: & hanc doctrinam esse & ipsis & ecclesiæ Christi noxiam, quippe qua & sese & alios ab Ecclesia rescinderent. Ex his jam perspicitur, nominibus istis contineri argumenta dehortationis, partim à turpibus adjunctis pseudapostolorum, partim à noxiis effectis. quasi dicat: Nolite auscultare pseudapostolis, qui docent, hominem justificari circumcisione aliisque operibus Legis: nolite, inquam, eis auscultare; nam sunt profani latratores & mordaces conviciatores: sunt mali operarii: denique conantur vos ab ecclesia Christi rescindere.

3 Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Jesu, nec confidimus in carne.

Vers.3. gloriationi pseudapostolorum, qui gloriabantur in circumcisione carnis, quasi propterea placerent Deo, opponit gloriationem in circumcisione cordis, quæ nos verè Deo commendat: qua scilicet Deus per Spiritum sanctum propter Christum circumcidit corda fidelium: sicut promisit Deut.30. hoc est, resecat ex cordibus pravos affectus, ut puritate vitæ Deo serviant. *Nos*, inquit: nempe qui in Christum credimus, & illius solius merito servari cupimus: *sumus circumcisio*, id est, verè circumcisi, *qui Deo servimus spiritu.* Vocabulum *Spiritus* potest intelligi vel de animo, ut opponatur carni in fine versus: sicut etiam accipitur in dicto illo Christi Joh.4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu.* Aut potest intelligi de Spiritu sancto, tanquam circumcisionis istius authore atque effectore. *Gloriamur in Christo Jesu*] Scil. tanquam unico nostro servatore, seu salutis nostræ authore. *Nec confidimus in carne*] Id est, in rebus externis: qualis est circumcisio carnis.

4 Quanquam ego habeo de quo confidam etiam in carne. Si quisquam alius videtur *sibi* confidere posse in carne, ego maximè *videor.*

5 *Quippe* circumcisus octavo die, ex gente Israëlis, tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, religione Pharisæus:

6 Quod ad zelum *attinet*, persequens Ecclesiam: quod ad justitiam quæ est in Lege, irreprehensibilis.

Vers.4. per quandam correctionem instituit commendationem suipsius ab adjunctis externis, ubi se pseudapostolis illis anteponit. Illa autem adjuncta & tanquam privilegia seu prærogativas commemorat v.5.& 6. Talis gloriatio Pauli exstat etiam 2.Cor.11.& 12. Ubi notandum, Apostolum non gloriari de istis rebus ex ambitione, sed quadam necessitate retundendi ambitionem pseudapostolorum qui se super eum efferebant: & præterea consilio eximendi Philippensibus falsam opinionem de rebus istis externis, quasi hominem Deo commendarent: quippe quum videant, Paulum eas non curare, quantumvis iis excelleret.

7 Sed quæ mihi erant lucra, ea duxi propter Christum damnum *esse.*

8 Quinetiam certè duco omnia damnum esse, propter eminentiam cognitionis Christi Jesu Domini mei: propter quem omnibus istis meipsum mulctavi: *eaque* duco pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam:

9 Et comperiar in eo, non habens meam justitiam, *nempe* quæ est ex Lege; sed eam quæ per fidem est Christi, *id est*, justitiam *quæ est* ex Deo per fidem.

Vers.7. & deinceps gloriationi suæ opponit elevationem, qua prærogativas illas suas, ac nominatim justitiam legalem, elevat; idque collatione cognitionis Christi & justitiæ fidei, tanquam bonorum longè majorum, ac de quibus longè magis glorietur. Porrò hanc imparium collationem amplificat verbis emphaticis per antithesin contrariorum, dum privilegia illa sua vocat damna & stercora, contrà autem cognitionem Christi nominat rem eminentem & lucrum, v.8. Tum v.9. justitiæ Legis opponit justitiam Evangelii seu fidei. Justitia Legis, est qua justus à Deo censetur qui ex viribus suis perfectam Legi præstitit ac præstat obedientiam. Hæc homini in hac vita impossibilis est. Itaque de ea falsò gloriabantur pseudapostoli. Justitia fidei est qua justus à Deo censetur qui credit in Christum: sive qui credit promissioni Evangelii, qua Deus promisit remissionem peccatorum credentibus in Christum, hoc est, iis qui Christo confidunt tanquam peccatorum suorum expiatore, qui ea expiaverit sacrificio mortis suæ. Hæc justitia est ex Deo, id est, à Deo: quia à Deo donatur credentibus, ac per fidem imputatur, obedientia illa Christi mortem pro ipsis gustantis, atque ita pro eis satisfacientis, luendo pœnam ipsis debitam.

10 Ut cognoscam eum, & vim resurrectionis ejus, & communionem perpessionum ejus, dum conformis fio morti ejus:

11 *Experiens* ecquo modo perveniam ad resurrectionem mortuorum.

Vers.10. pergit extollere cognitionem Christi: eamque declarat ex nobili & salutari effectu, videl. communione cum Christo: quam ipsam communionem per duas partes explicat, nempe communionem cum Christo moriente, & communionem cum Christo excitato: quas partes Apostolus ordine inverso proponit: simulque innuit communionis illius beatæ effectorem, nempe Spiritum sanctum; qui ut corpus Christi ex morte ad vitam cælestem excitavit, sic etiam animas electorum ex morte spirituali ad vitam spiritualem, seu ex peccato ad studium veræ pietatis, excitat. Hanc vocat vim resurrectionis Christi: de qua vide etiam Eph.1.19.& 20. item Rom.6.v.4.5.& deinceps. Cæterùm communio credentium cum Christo moriente, consistit partim in mortificatione carnis, ut ex locis modò citatis intelligitur; partim in tolerantia crucis, de qua Rom.8.v.17. Similiter communio cum Christo excitato, consistit partim in vivificatione spiritus, partim in gloria cælesti: ut ex iisdem locis perspicitur. Resurrectione mortuorum v.11. intelligit gloriam cælestem & vitam æternam, ad quam Christus excitatus est, quæque credentibus ex morte excitatis à Deo contingit.

12 Non quòd jam *metam* apprehenderim, aut jam perfectus sim; sed persequor, *experiens* an quoque apprehendam; cujus etiam rei causâ apprehensus fui à Christo Jesu.

13 Fratres, ego meipsum non arbitror *metam* apprehendisse.

14 Unum autem *ago*: ea quidem quæ à tergo sunt, obliviscens, ad ea verò quæ à fronte sunt, contendens,

scopum versus feror ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

Vers.12. occurrit opinioni perfectionis, ne quis putet, eum sibi attribuisse perfectam cum Christo communionem. Fatetur igitur, se perfectionem nondum adeptum esse: at interim profitetur, se perfectioni adipiscendæ assiduo conatu studere: facultatem autem adipiscendi non suis viribus vendicat, sed gratiæ & virtuti Christi acceptam fert. Quam sententiam v.13.&14. per ἐπιμονὴν, id est, commorationem, pluribus verbis declarat: & similitudine eorum qui in stadio currunt, illustrat. Similem locum vide 1.Cor.9.v.24.& deinceps.

15 Quotquot itaque perfecti *sumus*, hoc sentiamus: quòd si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus reteget.

16 Attamen *in eo* ad quod pervénimus, eâdem incedamus regulâ, & eodem animo simus affecti.

Hortatur Philippenses ut sententiæ à se expositæ assentiantur: & per prolepsin locum relinquit ampliori patefactioni Dei.

17 Estote simul imitatores mei, fratres, & eos considerate qui ita incedunt sicut habetis nos pro exemplari.

18 Multi enim incedunt, quos sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, hostes *esse* crucis Christi.

19 Quorum finis *est* exitium: quorum Deus *est* venter, & gloria in confusione ipsorum; qui terrestria curant.

V.17. hortatur eos ad imitandum suum exemplum, aliorumq; sibi similium.

V.18.&19. opponit sibi, tanquam valde dissimiles, pseudapostolos: atque ita tacitè monet, eos esse cavendos. Vocat eos *hostes crucis Christi*: sive quòd doctrinam Evangelii de Christo crucifixo irriderent: sive quòd crucem fugerent quæ sinceros Evangelii doctores premebat. Ait, *ventrem esse Deum ipsorum*: id est, instar Dei ab ipsis coli, dum scilicet dediti sint voluptatibus quas homines voluptarii ex ventris repletione, seu cibi ac potus ingurgitatione percipiunt. Ait, *gloriam ipsorum esse in confusione*: hoc est, ipsos gloriari in malitia sua, propter quam potiùs confundi atque erubescere debebant. Postremò ait; *eos curare terrestria*, id est, nihil aliud spectare quàm vitæ hujus commoda; ut voluptates, honores, opes.

20 Nos autem ut municipes cælorum nos gerimus: unde etiam servatorem exspectamus Dominum Jesum Christum.

21 Qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori ejus glorioso, pro efficacitate qua potest etiam subjicere sibi omnia.

V.20. pseudapostolis vicissim opponit se omnesque fideles Ecclesiæ doctores; qui neglectis terrestribus, in cælum toti aspirent: cui sententiæ consolationis gratiâ subjungit expositionem læti eventus: sicut antea exposuerat tristem eventum pseudapostolorum. Illorum finis, inquiebat, est exitium: at fidelium doctorum finis est gloria cælestis, quâ abundè compensabitur miseria quam nunc in corpore suo sustinent Christi causâ. Gloriam autem istam cælestem declarat ex causa efficiente & forma. Efficiens est Christus: forma, conformitas cum glorioso corpore Christi. Illustrat quoque istam gloriam antithesi præsentis humilitatis, id est, miseriæ atque ignominiæ, cui corpus sanctorum in hac vita subjectum est.

SCHOLIA IN CAP. III.

4 Quanquam ego habeo] καίπερ ἐγὼ ἔχων. *Vel* ἔχων *ponitur pro* ἔχω, *more Hebræorum: vel pro* ἔχοντος ἐμοῦ. *Quanquam equidem non memini exemplum, ubi post* καίπερ *sequatur & ab eo regatur verbum indicativi modi.* De quo confidam] πεποίθησιν. *Ad verb.* Fiduciam. *Metonymia adjuncti.*

5 Circumcisus octavo die] περιτομὴ ὀκταήμερος. *Videtur hoc loco vel esse ellipsis horum verborum,* ὢν ἐγώ: *vel potiùs pro nominativo* περιτομὴ *legendum* περιτομῇ, *casu dativo. tunc enim sequentia enumerationis instituta membra quàm planissimè cohærent. Sonat autem istud,* Circumcisione octiduanus. *Apud Syrum est,* Circumcisus filius octo dierum: *id est, natus octo dies, ut elegánter Tremellius vertit.* περιτομὴ *igitur erit pro* περιτμηθεὶς, *duriusculâ* ἐναλλαγῇ.

12 Non quòd] οὐχ ὅτι. *Est quædam correctio, quasi dicat, Quod dixi, me experiri ecquo modo perveniam ad resurrectionem mortuorum: non dixi, quòd existimem, me jam ferè eò pervenisse &c.* Perfectus sim] τετελείωμαι. *Scil. in communione cum Christo. cujus mentionem fecit v.10.* Apprehensus fui] *Præcessit,* Apprehendam. *Est igitur antanaclasis: quali & alibi utitur Apostolus in verbis* γινώσκειν *&* γνώσκεσθαι, *ut 1.Cor.13.12.*

14 Unum autem ago] ἓν δέ. *Subaudiendum,* πράττω. *ut suprà cap.2.v.3.* Ad palmam] ἐπὶ τὸ βραβεῖον. *Vel,* præmium: *ut 1.Cor.9. v.24. Quanquam & illic potiùs palma vertendum videtur. Nam nomen præmii generale est: at* βραβεῖον *(ait in annotationibus suis Erasmus ad locum citatum) propriè est præmium quod datur certantibus ac vincentibus. Existimant enim dictum* βραβεῖον *quasi* ῥαβδεῖον, *commutatis ac translatis duabus literulis: propterea quòd certaminum judices datâ virgâ palmeâ (nam* ῥάβδος *virgam significat) designarent victorem.*

15 Perfecti] τέλειοι. *Id est, Adulti in Christianismo. Quibus opponuntur* οἱ νήπιοι, *id est, infantes in Christo; Hebr.5.v.13.& 14. 1.Cor.3.v.1. item cap.14.v.20. Eph.4.v.13.& 14.* Aliter] ἑτέρως. *Videtur hoc positum pro* ἕτερον, *id est,* aliud: *nempe aliquid sublimius quàm ego jam docui. nam v.seq. addit,* πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν: *quo verbo notat aliquid magnum quod jam adepti sint: interim tamen fatetur, posse aliquid esse sublimius, quod nondum sint adepti, quodq; eis nondum sit revelatum. Porrò istius* ἑτερώσεως *exemplum reperitur apud Homerum in Margite, ubi ait:*

Τὸν δ' οὔτ' ἂρ σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν, οὔτ' ἀροτῆρα,
Οὔτ' ἄλλως τι σοφόν.

Quem locum Aristoteles lib.6. Ethic. Nicomach. cap.7. allegans metalepsi utitur, inquiens, ἄλλο τι σοφὸς.

16 Incedamus] στοιχεῖν. *Pro,* στοιχῶμεν. *Est enim phrasis Græca* ἐλλειπτικὴ, *subaudito verbo* δεῖ, oportet. Et eodem animo simus affecti] τὸ αὐτὸ φρονεῖν. *Vel,* Et eundem geramus affectum: *ut sup. cap.2.v.2.*

19 Qui terrestria curant] οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. *Qui rebus terrenis dediti sunt.*

20 Nos autem] ἡμῶν γὰρ. *Vel,* At nos. *Pro,* ἡμῶν δέ. *Est enim antithesis præcedentium.* Ut municipes cælorum nos gerimus] ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει. *Ad verb.* Nostra civilis vita in cælis est. *Lutherus benè expressit,* **Unser wandel ist im himmel.** *Sic etiam supr.c.1. v.27. verbum* πολιτεύεσθαι *generali sensu accipitur de moribus & actionibus externis.* Unde] ἐξ οὗ. *Scilicet* τόπου. *Secus dicendum fuisset,* ἐξ ὧν. *scilicet* οὐρανῶν. *Hinc perspicitur, nomine* cælorum *notari certum locum. Similiter usurpatur particula* οὗ *Matth.2.v.9. ubi dicitur de stella quæ apparuit Magis:* ἔστη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον οὗ, *scilicet* τόπου. *id est,* ἐπάνω οὗ τόπου ἐν ᾧ ἦν τὸ παιδίον: *Supra locum in quo erat puerulus.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v.1. Gaudere debemus in Christo, quia noster est; ac proinde nostra est ejus victoria, qua vicit mortem, peccatum & Diabolum. Ad hunc modum consolatur Christus ipse discipulos Johan.16.v.ult. Sic Luc.10.v.20. *Nolite gaudere &c.* Col.3.v.17. *Quicquid egeritis &c.* *Consolatio.*

2 Officium doctorum Ecclesiæ est, ut doctrinam necessariam sæpe repetant, quia id utile est auditoribus. *Ministri verbi Dei.*

3 Agnoscere debemus, mentem nostram adeò esse vanam, ut delectemur varietate & novitate doctrinæ, & res consuetæ quantumvis utiles apud nos vilescant, non secus ac olim Israëlitæ panis illius cælestis in deserto pertæsi fuerunt. Oremus igitur Dominum ut nobis gustandam det suavitatem doctrinæ cælestis, ut dicamus cum Petro, *Quò iremus? verba vitæ æternæ habes,* Joh.6. *Homo.*

4 Ex v.2. Cavendi sunt falsi doctores: quia sunt canibus similes. Nam quemadmodum canes sunt voraces, ita isti sunt avari; quippe quorum DEUS est venter. Deinde, quemadmodum canes latrant; ita istorum doctrina nil nisi molestus quidam latratus est, quo aures piorum obtundunt. Tertiò, quemadmodum canes mordent: ita isti non solùm conviciis mordent pios doctores, sed etiam falsâ suâ doctrinâ letales morsus infigunt animis simpliciorum. Quæ omnia cùm vitiosa sint, cavenda sunt doctori Ecclesiæ. Contrà autem discendum à canibus id quod in eis laudabile est, nimirum quòd adhibentur ad custodiam, ut latratu prodant furem. Sic Dominus per Esa.56. cap. exprobrat prophetis & doctoribus populi Israëlitici, quòd sint canes muti, qui non valeant latrare. Doctor igitur Ecclesiæ non debet esse canis mutus: sed debet validè latrare, si fures, hoc est, falsi doctores hæreditatem Domini, quæ est Ecclesia, invadunt. *Falsi doctores.*

5 Spiritus sanctus in suis organis, prophetis & apostolis, non semper refugit lepôrem & facetias, à quibus tamen scurrilitas abest indigna ejus majestate. Nam quòd alibi Paulus Christianis interdicit εὐτραπελίαν, urbanitatem & facetias; judicandum est, Paulum de scurrilitate & ineptiis sermonis loqui, quæ facetiarum & leporis prætextu sæpe teguntur. Similia exempla vide Gal.5.v.12. Esa.5.v.7. Prov.25.v.penult. Os.4.v.15. *Lepor, Facetiæ. Antilogiæ apparentis conciliatio.*

6 Ex v.3. Circumcisio cordis duas habet partes: Est enim abscissio peccatorum per remissionem & renovationem cordis: quarum illa est perfecta. Nam Christus propter nostra peccata è numero viventium excisus, adduxit nobis justitiam æternam: Danielis 9. Altera est inchoata, quia in regeneratis hærent reliquiæ peccati, Rom.7. Joh.15.v.2. *Circumcisio cordis.*

7 Quæstio: Cur circumcisio est abolita, cùm tamen fuerit sigillum justitiæ fidei? Roman.4.v.11. quæ justitia nobis est cum Israëlitis veteribus communis. Resp. Abolita est, quia erat sigillum justitiæ adducendæ per venturum semen, Abrahæ promissum. Justitiâ igitur jam adductâ, circumcisio cessat. Deinde, quia obligavit ad obedientiam totius Legis, atque ita etiam cærimoniarum: quæ erant typi Christi, ac proinde per adventum Christi sunt abolitæ. Vide Gal.3.v.23.24.25.& cap.4. vers.1.2.3.4.5. *Circumcisionis abolitio.*

8 Nulla

Sacramenta. 8 Nullâ re externâ confidendum, ac ne sacramentis quidem, quatenus nimirum actiones externæ sunt: quia sacramenta non sunt instituta ut nos justificent, sed ut nobis testentur, unicam obedientiam mortis Christi nobis ad justitiam per fidem imputari. Abutuntur igitur sacramentis qui eis remissionem peccatorum affigunt, eamque in ipsis quærunt. Et isti ex sacramentis idola faciunt, quippe per quæ à Christo abducuntur.

Gloriatio. 9 Ex v.4.5. & 6. Piis doctoribus licet commemorare dona Dei externa in se collata, quatenus opus est ad retundendum vanam jactantiam aut calumnias falsorum doctorum. Vide 2.ad Cor.11.&12.

Justitia. 10 Ex v.7.8.& 9. De justitia Legis & Evangelii seu operum & fidei; quam utramque in analysi explicavimus.

Fides. 11 Ex v. 8. *Domini mei.* Fidei ingenium est, ut sibi privatim applicet promissionem gratiæ omnibus credentibus communem. Sic ad Gal.2.v.20. Qui dilexit ME &c.

Fides. 12 Ex v.10.11. Vera cognitio Christi seu fides Christiana est, quæ ex se parit studium pietatis: cujus partes sunt mortificatio carnis & vivificatio spiritus, Rom.6.v.4.5.

Studium pietatis. 13 Studium pietatis non oritur ex viribus liberi arbitrii, sed ex vi Spiritus sancti eâdem, quâ is excitavit corpus Christi, Eph.1. v.19.&20.

Persecutio. Consolatio. Confessio. 14 Cùm propter Christum & confessionem veritatis cælestis affligimur, consolemur nos inter alia his duobus argumentis: uno, quòd ita communionem habemus cum perpessionibus Christi, & conformamur ipsius morti: quæ certè magna est dignitas, Filium Dei socium habere perpessionum suarum: altero, quòd certò perventuri simus ad resurrectionem mortuorum, id est, quòd conformabimur Christo in resurrectione & gloria. Vide 2.Tim.2.v.11.12.Rom.8.v.17. 1.Pet.4.v.13.

Officium hominis Christiani. 15 Qui expetit communionem gloriæ Christi, atque conformari cupit Christo excitato atque glorificato, is non debet recusare, ut priùs habeat communionem perpessionum Christi & conformetur Christo mortuo & sepulto; quippe cùm Deus ita ordinârit, ut illa hanc antecedat. Vide 2.Tim.3.v.12. Act.14.v.22.

Felicitas. 16 Vera felicitas, ad quam tanquam metam & finem bonorum totâ nostrâ vitâ tendere debemus, est resurrectio mortuorum, hoc est, gloria cælestis & gaudia vitæ æternæ, quibus omnes pii ex perfecta communione cum Deo fruentur.

Imperfectio sanctorum. 17 Ex v.12.13.14.15.&16. Exemplo Pauli docemur, cognitionem CHRISTI quam habent sancti in hac vita, ac proinde communionem cum ipso, imperfectam esse. Unde continuo profectu nobis opus est. Primùm enim quod ad potentiam resurrectionis Christi attinet, superat illa omnem intellectum humanum. Hinc enim est quod Paulus Ephes.1.v.19. & deinceps. Ephesiis precatur, ut DEUS eis det spiritum sapientiæ & revelationis, ut hanc possint agnoscere. Deinde verò quod ad communionem afflictionum, hoc est, mortificationem carnis & hominis externi attinet, ea quoque imperfecta est propter inhabitans in nobis peccatum, Rom.7. De priori imperfectione loquitur etiam Apostolus 1.Cor.13.v.9. & deinceps.

Officium hominis Christiani. 18 Christianis perpetuo conatu elaborandum est in studio pietatis, ut in ea proficiant quotidie magis ac magis, & tandem ejus perfectionem & fructum consequantur. Quo quidem in conatu ita se gerere debent, ut faciunt cursores qui in stadio currunt: illi enim ubi semel currere cœperint, rectà ad scopum seu metam contendunt, non respectantes quantum spatii jam currendo transmiserint, sed solummodo prospectantes quantum adhuc conficiendum sit reliquum. Ita Christiani ubi semel in carceres Ecclesiæ ingressi, currere cœperint in cognoscendo Christo & piè in Christo vivendo, rectà ad scopum seu metam, nimirum pietatem Deo placentem, contendere debent; non respectare quantum jam in pietate profecerint, sed prospectare tantùm, quàm longè adhuc à perfectione absint. Porrò ad hoc studium pietatis excitare nos debet præmium, quod eos manet qui strenuè cucurrerint, & cursum suum alacriter consummaverint. Illud præmium est vita æterna, cum gloria cælesti conjuncta. Ita hîc Paulus dicit, se cursu suo tendere ad palmam supernæ vocationis Dei, id est, ad gloriam illam cælestem, ad quam Deus vocat omnes electos. Etenim, ut electionis, ita etiam vocationis, finis est gloria cælestis, Rom.8.v.29. & 30. De hoc præmio vide etiam 1.Cor.9.v.24. & 2.Timoth.4.v.7.& 8. 1.Timoth.4.v.8.

Christus. 19 Christus solus is est, in quo & propter quem nobis omnia à Deo patre cælesti beneficia contingunt. Nam sicut hoc loco Paulus testatur, Deum nos vocasse in Christo; ita alibi testatur, in Christo nos elegisse, justificare, glorificare, denique omnis generis beneficiis nos afficere, Eph.1.v.3.&c.

Doctrina salutis. Officium hominis Christiani. 20 Quid faciendum sit iis qui in doctrina cælesti aliquid non assequuntur; nempe exspectandam illis esse revelationem DEI. DEUS enim non omnes vocat ad sui agnitionem eâdem horâ. Paulus hîc præscripserat certam quandam & ritè sapiendi & benè vivendi regulam, nimirum cognitionem Christi talem, qua & cognoscatur potentia resurrectionis ejus, & communicetur ejusdem afflictionibus. Hanc regulam dubitat an Philippenses omnes æquè amplexuri sint. Verùm si qui amplexuri forte non sint, monet, ut exspectent revelationem Dei. Unde sequitur, pertinaciam in ignorantia & errore vitandam esse. Ubi simul & hoc discendum, tolerandam esse ad tempus ignorantiam in fratribus infirmis, & ignoscendum esse, si non statim datum sit penitus nobis rectè sentientibus subscribere: exemplo Pauli, qui licet certus esse de sua doctrina, tamen qui nondum eam poterant percipere, iis dat proficiendi spatium, nec propterea desinit fratrum loco eos habere. Tantùm cavet, ne sibi in errore blandiantur.

Officium hominis Christiani. Ministri verbi Dei. 21 Ex v.17.18.19.20. & 21. Vita sanctorum, ac præsertim doctorum Ecclesiæ, singulis Christianis proposita esse debet tanquam exemplum quod imitentur. Ita enim Paulus hoc loco suiipsius exemplum imitandum proponit Philippensibus. Sic hortatur epist. ad Heb.13.v.7. Atque hîc etiam officii sui commonefacere se debent doctores Ecclesiæ, ut videl. ita sanctè vivant, ut auditores meritò eorum exemplum imitari debeant. Sicuti Petrus hortatur presbyteros 1.Pet.5.v.3. ut ita curam agant gregis Christi, hoc est, Ecclesiæ, ut sint exemplaria, τύποι. quo eodem verbo etiam hîc Paulus utitur. Nec enim satis est ad ædificationem Ecclesiæ, si doctor Ecclesiæ docere possit, sed oportet ut etiam secundùm sanam doctrinam, quam auditoribus proponit, vivat. Nam qui bene docet & malè vivit, is unâ manu ædificat, alterâ rursum destruit.

Zelus. 22 Exemplum ardentis zeli in asserenda veritate cælesti & salute electorum.

Scopus vitæ. 23 Scopus vitæ piorum est gloria cælestis; quò etiam hortatur ad Col.3.v.1.& 2.

Cælum. 24 Cælum hîc appellatur locus: Nam ad pronomen ὃ, subintelligitur τόπον: non igitur est ubique.

Christus. 25 Christus è cælo tanquam loco in terram adventurus exspectatur: ergo nunc est in cælo tanquam loco, ut non simul sit in terra. Etsi enim secundùm deitatem suam ubique est, cælum & terram replens: idque ita ut ne cæli cælorum quidem ipsum capiant: tamen suo corpore, quo in cælum profectus est, & quo è cælo rediturus est, jam tantùm est in cælo & nusquam alibi. Vide Act.4.v.9. item cap.3.v.21. Col.3.v.10.

Glorificatio corporum. 26 De glorificatione corporum vide 1.Cor.15.v.22. & deinceps. item Danielis 12. v.3.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Hoc caput primò continet varias exhortationes, usque ad v.10. Deinde à v.10. usque ad v.21. habetur quædam gratiarum actio. Postremò adduntur salutationes.

ITaque, fratres mei chari & exoptati, gaudium & corona mea, ita state in Domino dilecti.

2 Evodiam precor, & Syntychen precor, ut sint eodem animo affectæ in Domino.

3 Et rogo te quoque, socie germane, opitulare ipsis; ut quæ in Evangelio unà mecum certarunt, unà cum Clemente quoque & reliquis adjutoribus meis; quorum nomina *sunt* in libro vitæ.

4 Gaudete in Domino semper: rursum, inquam, gaudete.

5 Moderatio vestra innotescat omnibus hominibus. Dominus propè *est*.

6 De nulla re soliciti estote: sed omni in re precibus & supplicatione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.

7 Et pax Dei quæ superat omnem intellectum, præsidio erit cordibus vestris, & mentibus vestris in Christo Jesu.

8 Quod reliquum est, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus est, hæc cogitate.

9 Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me; hæc, *inquam*, facite; & Deus pacis erit vobiscum.

IN prima capitis parte hortatur ad perseverantiam in fide, v.1. ad concordiam, v.2.& 3. ad gaudium in Domino, v.4. ad moderationem, v.5. ad animi tranquillitatem, & preces & gratias Deo agendas, v.6.& 7. ad veritatem, gravitatem, justitiam, puritatem, amabiles mores, denique omnem virtutem, v.8.& 9. Atque harum exhortationum nonnullis argumenta sua adjecta sunt: sicut mox singulatim annotabimus.

V.5. *Dominus propè est*] Argumentum ab adjuncta tutela & ope DEI.

V.7. *Et pax Dei &c.*] Argumentum ab eventu utili.

V.9. *Quæ & didicistis*] Hic tria continentur argumenta: primum ab effectis destinatis, secundum ab exemplo ipsius Apostoli, tertium ab adjuncta gratia Dei.

DE SECUNDA PARTE.

10 Gavisus sum autem in Domino magnopere, quòd jam tandem reviruistis in vestra pro me cura: qua de re tamen soliciti eratis, sed destituebamini opportunitate.

11 Non quòd penuriâ laborem, *hoc* dico: nam ego didici, in quibus sum, iis ipsis contentus esse.

12 Novi autem deprimi, novi etiam abundare: ubique & in omnibus initiatus sum, & ad saturitatem & ad esuritionem, *id est*, tum ad abundantiam, tum ad inopiam:

13 Omnia valeo per eum qui me corroborat, *nempe* Christum.

14 Attamen rectè fecistis quòd unà communicastis meæ afflictioni.

15 Nostis autem & vos, Philippenses, quum initio Evangelii proficiscerer è Macedonia, nullum mihi ecclesiam communicasse in ratione dati & accepti, nisi vos solos.

16 Nam etiam Thessalonicæ *cùm essem*, semel & iterum quod opus erat mihi, misistis.

17 Non quòd requiram donum: sed requiro fructum exuberantem, *qui* in rationem vestram *inducatur*.

18 Accepi autem omnia, & abundo: expletus sum, *inquam*, acceptis ab Epaphrodito quæ à vobis *allata sunt*, odorem bonæ fragrantiæ, hostiam acceptam *ac* placentem Deo.

19 Deus autem meus supplebit quicquid opus fuerit vobis, secundùm divitias suas, gloriosè, in Christo Jesu.

20 Deo autem & patri nostro *sit* gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Gratias agit Philippensibus pro pecunia per Epaphroditum missa ad inopiam ipsius sublevandum: atque interim suspicioni avaritiæ occurrit. Porrò hoc Philippensium beneficium primò amplificat ex effectu, videlicet suo gaudio: simulque suspicioni avaritiæ occurrit, dum ait, se gavisum esse in Domino: quibus verbis significat, se non tam suâ causâ gavisum, quàm ipsorum: quippe in quibus animadvertat, Dominum esse efficacem suo spiritu, efficiendo nimirum in eis Christianam dilectionem. Deinde amplificat Philippensium beneficium collatione similium, nempe pristinæ ipsorum erga se beneficentiæ: quam declarat infr. v. 15. & 16. hic autem illustrat elegante similitudine, quâ eam comparat virenti herbæ, ac proinde & floribus jucundæ & fructibus utili. Tum per prolepsin excusat beneficentiæ ipsorum intermissionem, transferendo causam in ἀκαιρίαν, id est, destitutionem opportunitatis.

V. 11. 12. & 13. occurrit suspicioni avaritiæ seu nimiæ cupiditatis atque intemperantiæ: negans, se ipsorum dono tantopere gavisum esse suâ causâ, quòd nimirum per illud subventum esset suæ penuriæ: quippe qui didicerit & penuriam & abundantiam æquo animo ferre; nimirum ut nec propter penuriam contristetur aut contra Deum murmuret, nec propter abundantiam insolescat & intemperantiæ indulgeat: sed ut in utroque statu gratias Deo agat. Ne autem videatur hanc æquanimitatem suis viribus arrogare, profitetur, se illam à Christo habere.

V. 14. ad gratiarum actionem, id est, ad laudationem beneficentiæ ipsorum redit: eamque amplificat ex adjuncto animi affectu, tanquam causâ procreante, nempe συμπαθείᾳ, qua doluerunt Pauli afflictionem.

V. 15. & 16. rursum amplificat præsens Philippensium beneficium, collatione similium, nempe pristinæ ipsorum erga se beneficentiæ: cujus narrationem illustrat expositione temporis & loci. Ipsam autem beneficentiam illam amplificat antithesi privantium, dum negat, alias ecclesias sibi quicquam contribuisse.

V. 17. rursum occurrit suspicioni avaritiæ, expressè negans, se sua commoda quærere: & contrà affirmans, se spectare salutem ipsorum.

V. 18. demum narrat, se pecuniam ab eis missam accepisse: & beneficium hoc amplificat ex duobus effectis, nempe quòd & ipse inde abundet, & Deo gratum illud sacrificium sit.

V. 19. vicissim eis vel promittit vel optat abundantiam bonorum ex beneficentia Dei.

V. 20. locum hunc laudatione nominis Dei concludit.

DE TERTIA PARTE.

21 Salutate omnes sanctos in Christo Jesu. Salutant vos qui mecum sunt fratres.

22 Salutant vos omnes sancti, maximè verò qui sunt ex Cæsaris domo.

23 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum omnibus vobis, Amen.

Petit alios suis verbis salutari: Salutat eos verbis aliorum: & tandem usitato voto concludit.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Gaudium & corona mea] χαρὰ καὶ στέφανός μου. *Id est, Tales ex quorum pietate concipio gaudium, & ut sitis mihi honori. Metonymia effecti, & metaphora ab iis qui currunt in stadio.*

2 Ut sint eodem animo affectæ] τὸ αὐτὸ φρονεῖν. *Vide sup. cap. 3. v. 16. & cap. 2. v. 2. Vertendum autem* affectæ, *genere scil. fœminino. nam sermonem hîc esse de duabus fœminis, planum fit ex collatione versiculi sequentis, ubi duo ista propria nomina referuntur per pronomina generis fœminini, αὐταῖς & αἵτινες.*

3 Socie germane] σύζυγε γνήσιε. *Infirmo argumento utuntur qui hinc colligunt, Paulum habuisse uxorem: quia nimirum nomen σύζυγος sonat conjugem. At nomen illud in genere socium significat: & Paulum non habuisse uxorem quum scriberet epistolam priorem ad Corinthios, liquet ex illius c. 7. v. 8. Quòd autem postea duxerit, nuspiam legitur: nec cum iis quæ leguntur de ipsius vita, convenit. Vide annotationes D. Bezæ.* Quorum nomina *sunt* in libro vitæ] ὧν τὰ ὀνόματα ἐν βίβλῳ ζωῆς. *Id est, Qui à Deo electi sunt ad vitam æternam. ἀνθρωποπάθεια. videl. metaphora à re militari: ubi dux belli milites delectos in libro consignat, reliquis exauthoratis.*

5 Moderatio vestra] τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν. *Id est, ἡ ἐπιείκεια ὑμῶν. Græcismus. Vox composita ex præpositione ἐπὶ & verbo εἴκειν, quod est Cedere. Dicitur enim ἐπιεικής, ὁ ἐπὶ τῷ πράγματι εἴκων, qui in negotio cedit, videl. alteri, idque pacis causâ: non autem rigidè persequitur suum jus. unde ἡ ἐπιείκεια rigori juris opponitur.* Dominus prope *est*] ὁ κύριος ἐγγύς. *Id est, Christus propediem adveniet ad judicium, ac proinde injurias vobis illatas vindicabit.*

8 Quæcunque sunt vera] ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ &c. *Elegans verborum atque sonorum συμπλοκή: & ἀσύνδετον. serviens γοργότητι, id est, celeritati orationis.*

9 Et didicistis & accepistis &c.] καὶ ἐμάθετε, καὶ παρελάβετε &c. *Iterum συμπλοκή: sed habens πολυσύνδετον, figuram præcedenti contrariam.* Deus pacis] *Id est, qui author est pacis.*

10 Reviruistis in vestrâ pro me cura] ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν. *Ante articulum τὸ subaudienda præpositio κατὰ, idem valens quod ἐν. Nisi fortasse verbum ἀναθάλλειν hîc usurpatum est transitivè, ut vertendum sit:* Revirescere fecistis vestram pro me curam. *vel*, Fecistis ut reviresceret vestra pro me cura.

11 Non quòd penuriâ laborem, *hoc* dico] οὐχ ὅτι καθ' ὑστέρησιν λέγω. *Vulgata*, Non quasi propter penuriam dico. *Videtur ergo pro ὅτι legisse ὡς. quæ quidem lectio videtur commodior. quasi dicat: Non hoc dico quasi respectu penuriæ, hoc est, quasi egeam aut eguerim.*

16 Semel & iterum] καὶ ἅπαξ καὶ δίς. *Pro, ἅπαξ ἢ δίς: ut loquuntur Germani,* ein maal oder zwâi*: semel aut bis.*

17 Non quòd requiram] *Id est, Non commemoro hanc vestram erga me beneficentiam ideo, quòd nunc quoque donum aliquod à vobis requiram, quódve mei rationem habeam.*

18 Quæ à vobis *allata sunt*] *Sic malo quàm,* Missa sunt. *ait enim, τὰ παρ' ὑμῶν. scil. ἐνεχθέντα. at verbum* Missa sunt, *postulat potiùs præpositionem ὑπὸ: τὰ ὑφ' ὑμῶν πεμφθέντα.* Odorem &c.] *Hæc cum præcedentibus cohærent per appositionem. quasi dicat, Quæ sunt odor &c.* Placentem] εὐάρεστον. Wolgefellig. *Sic Rom. 12. v. 1.*

19 Deus autem meus] ὁ δὲ Θεός μου. *Id est, quem ego vera fide colo, quem pro meo patre agnosco.*

20 Deo autem & patri] τῷ Θεῷ καὶ πατρί. *Conjunctio copulativa hîc non copulat res diversas, sed diversas voces idem significantes. Habet δύναμιν ἑρμηνευτικήν.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex v. 1. & 2. Quomodo ministri Ecclesiæ cohortari debeant ad perseverantiam, & omnino officii commonefacere auditores; nempe amanter & blandè; cum omni lenitate & mansuetudine: exemplo Pauli, qui blandissimis appellationibus Philippenses alloquitur. Hanc lenitatem Paulus adhiberi etiam vult in reprehensionibus, ut in epistola ad Gal. 6. v. 1. item 2. ad Tim. 2. v. 24. & 25. *Servum Domini non oportet pugnare.* *Ministri verbi Dei.*

2 Ex v. 3. Charitas electos judicat omnes, in quibus probabilia electionis signa conspicit, inter quæ signa etiam est Evangelii professio & propagandi studium: de sua autem quisque electione certus est ex effectis, nempe fide & studio pietatis. *Judicium de proximo. Charitas.*

3 Certus est numerus electorum: hinc enim electio vocatur *liber vitæ*, quòd Deus electos quos ad vitam prædestinavit, quasi in libro consignârit. Metaphora à duce belli: qui milites delectos in libro consignat, exauthoratis reliquis. Quæstio: Num quis possit ex illo libro expungi? Resp. Non potest: nam decretum Dei immutabile est: & vocatio Dei est ἀμεταμέλητος, Roman 11. v. 29. Objectio: At Moses petit expungi, Exod. 32. v. 37. Resp. Etsi zelus Mosis pro gloria Dei & amore erga populum laudem meretur: tamen ista petitio inde profecta reprehensione digna est; quia pugnat cum voluntate & justitia Dei: sicut & à Domino ipso reprehenditur, qui negat, se Mosen insontem deleturum, sed sontes; quos quidem tum delere dicitur, cùm eos puniendo ostendit hy- *Electi. Electio. Antilogia apparentis conciliatio.*

dit hypocritas esse, qui visi fuerant in libro vitæ scripti, cùm tamen reverà scripti non essent. Recentiores tamen pro DELEBO verterunt DELEREM: ut intelligatur hîc connexum hoc: Si quos ex libro vitæ deleturus essem; delerem eos qui me peccatis offenderunt. Porrò petitioni isti Mosis similis est optatio Pauli Rom. 9.v.3. ubi optat ἀνάθεμα fieri pro Judæis, quos intelligebat à Deo rejectos esse. Similis quoque est locutio Psalm. 69. v.29. Ubi David hypocritis imprecatur his verbis: *Deleantur è libro vitæ, & in catalogo justorum non scribantur.* Quibus verbis optat David, ut hypocritæ qui se jactabant vel præcipuos in Dei populo esse, ac proinde in libro vitæ scriptos, ex Ecclesia ejiciantur, atque ita reprobi declarentur. Similis est loquendi ratio Ezech.13.9. Ubi Deus minatur falsis prophetis, inquiens: *In consilio populi mei non erunt, & in descriptione domus Israëlis non scribentur.*

Pii. 4 Ex v.4. Pii semper, ac proinde etiam in afflictionibus, materiam habent gaudendi in Domino, id est, ob gratiam Domini erga se.

Officium hominis Christiani. 5 Ex v.5. Christianos non decet jus suum stricto rigore persequi, sed pacis causâ de suo jure cedere. At cùm agitur de gloria Dei, moderatio ista locum non habet: neque enim nobis licet quicquam remittere de jure Dei; quare tunc zelo & fervore opus est in persequendo jure Dei pro nostra vocatione. Exemplum prioris: Abraham cedens Loto, datâ illi optione, Gen.13.v.9. Exemplum posterioris: Moses nihil remittens apud Pharaonem de mandato Dei, sed inquiens: *Non relinquetur vel ungula*, Exod.10.v.26. Item, idem fregit tabulas, & jussit interfici idololatras, Exod.32.v.19. & 27.

Officium hominis Christiani. 6 Ex v.6. Ne simus soliciti de eventu; sed curam eventus permittamus Deo, nosque illi commendemus precibus. Simus autem soliciti de officio rectè faciendo.

Tranquillitas animi. 7 Ex v.7. Cor hominis tum demum verè tranquillum redditur, cùm persuasum est de pace Dei, id est, reconciliatione sui cum Deo propter Christum.

8 Ex v.8. Christiani in omnium virtutum studium incumbere debent. *Officium hominis Christiani.*

9 Ex v.9. Christiani fidorum suorum doctorum virtutes imitari debent. Sic Heb.13.v.7. *Auditores Evangelii.*

10 Ex v.10. Beneficia quæ in nos conferuntur, grato animo accipienda & laudanda sunt; sed interim cavenda suspicio avaritiæ & intemperantiæ, maximè ministris Verbi. *Officium hominis Christiani.*

11 Ex v.11. & 12. Cùm omnes Christianos, tum inprimis ministros Verbi decet facultatibus suis contentos esse, iisque rectè uti; ita scilicet ut nec murmurent ob inopiam, nec insolescant propter abundantiam. *Officium hominis Christiani. Ministri verbi Dei.*

12 Ex v.13. Christus rogandus ut nos spiritu suo corroboret, ad res tum secundas tum adversas moderatè ferendum. *Officium hominis Christiani.*

13 Ex v.14. Ad communionem sanctorum hoc quoque pertinet, ut alii aliorum communicent afflictionibus, Rom.12.v.15. Heb.13.v.3. *Communio sanctorum.*

14 Ex vers.15. Officium cujusque ecclesiæ est, ministros suos alere. Vide 1.Cor.9.toto capite. item Gal.6.v.6. *Auditores Evangelii.*

15 Ex v.17. Deus nullum beneficium incompensatum relinquit: sed accuratè rationes init, ut singula beneficia remuneretur. Christus dicit, eum qui vel potum aquæ frigidæ alteri dederit, non perditurum mercedem &c. Matth.10.v.ult. Veruntamen hæc merces datur nobis ex gratia, non ex merito. *Beneficentia.*

16 Ex v.18. Quæ ex charitate in pios, maximè ministros Verbi, conferuntur beneficia, ea Deus ipse accepta habet, tanquam gratissima sacrificia. *Beneficentia.*

17 Ex v.19. Credentibus nihil deest ad solidam felicitatem, quia Deus eis suppeditat abundè quicquid opus est. *Fideles.*

19 Ex v.20. Deum laudare debemus, quoties bonitatis ejus mentionem facimus. *Officium hominis Christiani.*

19 Ex v.21. Vera salus, quam in salutando nobis mutuò precamur, in CHRISTO fundata est. Nam extra CHRISTUM nulla salus est. *Salus.*

FINIS.

ANALYSIS LOGICA

EPISTOLÆ PAULI ad Colossenses.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

Præter procemium & epilogum duæ sunt principales hujus epistolæ partes; prima agit de doctrina Christiana, altera de vita Christiana. Prima pars continetur duobus primis capitibus: altera duobus reliquis. Prima illa pars de doctrina rursum distinguitur in tres partes. Primùm enim summam doctrinæ Christianæ exponit, à v.12.capitis 1. usque ad v.23. capitis ejusdem. Deinde hortatur Colossenses ad constantiam in doctrinæ expositæ fide, à v.23. capitis 1. usque ad v.8.capitis 2. Tertiò monet ut sibi à doctrinæ Christianæ corruptelis caveant, à v.8.capitis 2. usque ad illius capitis finem. Atque hæc de prima epistolæ parte: in altera parte tradit præcepta vitæ Christianæ varia: quædam generalia & omnibus Christianis communia, ab initio capitis 3. usque ad v.18. ejusdem, & rursus à v.2.capitis 4. usque ad v.7.ejusdem capitis. alia verò specialia & certis ordinibus propria, ut uxoribus, maritis; liberis, parentibus; servis, dominis: à v.18.capitis 3. usque ad v.2.cap.4.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Primum caput distingui potest in quatuor partes. Pars prima continet τὰ πρὸ τῆς ἐπιστολῆς, id est, ea quæ epistolis solent præmitti, nempe subscriptionem, v.1. inscriptionem & salutationem, v.2. Secunda pars continet procemium, accommodatum ad benevolentiam conciliandum: à v.3. usque ad 12. Tertia pars continet expositionem doctrinæ Christianæ, à v.12.usque ad v.23. Quarta pars continet exhortationem ad constantiam in doctrinæ Christianæ fide, à v.23. usque ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE.

PAulus apostolus JESU CHRISTI per voluntatem Dei, & Timotheus frater:

2 Iis qui *sunt* Colossis, sanctis ac fidelibus fratribus in Christo Jesu. Gratia *sit* vobis, & pax à Deo patre nostro & Domino Jesu Christo.

APostolatui suo authoritatem conciliat mentione voluntatis Dei: ut intelligant Colossenses, doctrinam Pauli absque controversia sibi esse recipiendam. Timotheum sibi adjungit, ut Colossenses doctrinam hujus epistolæ eò libentiùs amplectantur: quippe quum videant, Timotheo quoque, cujus tum in ecclesiis Christi nota erat pietas & sacrarum literarum peritia, eandem doctrinam probari. *Sanctos* vocat fideles Colossenses, ut qui sanctificati essent & sanguine & spiritu CHRISTI. *Gra*[...] nomine intelligit gratuitum favorem ac benevolentiam. *Pacis* vocabulo significat reconciliationem, & quæ inde oritur, tranquillitatem conscientiæ.

DE SECUNDA PARTE.

3 Gratias agimus Deo & patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis precantes:

4 Auditâ fide vestrâ in Christo Jesu, & charitate in omnes sanctos:

5 Propter spem sepositam vobis in cælis: quam priùs audistis per sermonem veritatis, *id est*, Evangelii:

6 Quod pervenit ad vos, sicut & in totum mundum; & fructum profert, sicut apud vos quoque; ex quo die verè audistis & cognovistis Dei gratiam.

7 Sicut & didicistis ex Epaphra, dilecto conservo nostro, qui est fidus pro vobis minister Christi.

8 Qui & declaravit nobis vestram per spiritum charitatem.

9 Propterea & nos, ex quo die *id* audivimus, non desinimus pro vobis orare, & petere ut impleamini agnitione voluntatis ejus cum omni sapientia & intelligentia spirituali:

10 Ut incedatis sicut Domino dignum est, ut ei per

omnia placeatis, omnis operis boni fructum proferentes, & crescentes in agnitione DEI:

11 Omni robore corroborati, secundùm gloriosam potentiam ipsius, ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio.

In hoc procemio primùm gratulatur Colossensibus fidem Evangelii, v.3.4.5. deinde Evangelii doctrinam eis commendat, v.5.6.& 7. postremò ad fidei profectum hortatur, v.8.9.10.11.

V.4. fidei adjungit charitatem, tanquam necessarium illius effectum, & quasi individuum comitem: sicut alibi ait, fidem efficacem esse per charitatem, Gal.5.v.6.

V.5. adjungit etiam spem: quæ alterum fidei effectum est. quanquam ibi per vocabulum spei metonymicè intelligit rem speratam, nempe hæreditatem cælestem. Ubi simul Evangelii doctrinam commendat ab adjuncta veritate.

V.6. Evangelium commendat à mirabili ejus dilatatione & ab efficacia. Ait, *Evangelium pervenisse in totum mundum*, id est, ad omnes populos totius mundi: *& ubivis terrarum fructum protulisse*, hoc est, ex omnibus populis aliquos ad fidem Christi adduxisse. Quæ res cùm per se admiranda est propter temporis, quo peracta est, brevitatem: tum eò plus fidem Evangelii confirmat, quòd hoc ipsum per prophetas prædictum erat, apud quos de vocatione Gentium per Evangelium varia vaticinia exstant. Sed præter generalem illam Evangelii efficaciam apud varios populos, specialiter amplificat efficaciam Evangelii apud Colossenses à circumstantia temporis: ut qui statim eo ipso die quo Evangelium audiverunt, ipsum amplexi sint.

V.7. Commendat Colossensibus doctrinam Evangelii à testimonio Epaphræ.

V.8. Hortaturus eos ad profectum in fide, primùm commemorat fidei eorum effectum, nempe charitatem: deinde v.9.& deinceps significat, se & Timotheum quotidie Deum orare, ut ipsorum fidem augeat & confirmet. Fidem autem hîc describit primùm è subjecto in quo cognoscendo & credendo ipsa occupatur; illud est voluntas Dei de salute credentium per Christum. deinde ex causa procreante; quæ est Spiritus S. hanc notat, quum fidem nominat sapientiam & intelligentiam spiritualem, id est, à Spiritu sancto profectam. tertiò ex effectu generali, videlicet studio pietatis, quod vera fides ex se parit, v.10. quartò rursum ex causa procreante, nempe Spiritu sancto: quem v.11. vocat robur gloriæ, id est, robur gloriosum, Dei: quintò & postremò ex effectis specialibus tribus; nempe tolerantiâ, animi lenitate, & gaudio.

DE TERTIA PARTE.

12 Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit ad participandum sortem sanctorum in luce.

13 Qui, *inquam*, eripuit nos ex potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filii sui dilecti.

14 In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, *id est*, remissionem peccatorum.

15 Qui est imago Dei invisibilis, & primogenitus omnis rei creatæ.

16 Nam per eum condita sunt omnia quæ in cælis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia; sive throni, sive dominatus, sive imperia, sive potestates; omnia, *inquam*, per eum, & ejus respectu condita sunt.

17 Estque ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt.

18 Estque caput corporis, *id est*, Ecclesiæ; estque *etiam* principium & primogenitus ex mortuis, ut primas teneat inter omnes.

19 Quoniam in eo placuit *Patri* omnem plenitudinem inhabitare:

20 Et pace per sanguinem crucis ejus factâ, per eum reconciliare omnia sibi, per eum, *inquam*, tum quæ in terra *sunt*, tum quæ in cælis.

21 Itaque vos quum essetis quondam abalienati & hostes mente, *videlicet* per opera mala: nunc sanè reconciliavit.

22 In corpore illo carnis suæ, per mortem: ut sistat vos sanctos & vitii expertes & irreprehensibiles coram se.

Deinceps traditurus summam doctrinæ Christianæ, exponit salutis nostræ causas efficientes: & quidem tum ipsas personas agentes, tum earum actiones, quibus illæ nos ad salutem perducunt. Personæ agentes sunt, Deus pater, filius & Spiritus sanctus: ex quibus duas priores expressè nominat, tertiam innuit ex propria ipsius actione: ubi ait, *Qui idoneos nos fecit &c.* nam Pater per Spiritum sanctum idoneos facit electos ad participandam vitam æternam. Actiones verò quibus tres illæ personæ nos ad vitam æternam perducunt, sunt hæ. Pater reconciliavit nos sibi per Filium, v.20. quatenus scilicet eum misit in hunc mundum, ut homo factus in se susciperet, & per mortem suam expiaret, nostra peccata; atque ita nos ex potestate Diaboli redimeret. Filius peccatis nostris per sanguinem suum expiatis, nos redemit, v.14. nobisque impetravit remissionem peccatorum, ibid. denique reconciliavit nos tum Patri, tum sibi-ipsi, per mortem suam, vers.21. & 22. Deinde Pater misit in corda nostra Spiritum sanctum, dum per prædicationem Evangelii efficaciter nos vocavit, illuminando mentes nostras cognitione suæ erga nos dilectionis propter Christum, & fiduciâ ejusdem imbuendo nostra corda, atque ita eripiendo nos è potestate tenebrarum, ac transferendo in regnum Filii sui dilecti, denique idoneos nos faciendo ad participandam sortem sanctorum in luce, v.12. & 13. Porrò ut ostendat Apostolus, sanguinem Christi satis pretiosum fuisse ad redimendum nos: magnificè asserit deitatem ipsius, v.15.16.17. Deinde monet, quinam sint illi quos redemit, nempe Ecclesia, id est, homines electi: & quomodo illi redemtionis hujus fiant participes, nempe quatenus Christo tanquam capiti per fidem inseruntur, vers.18. & 19. Hæc istius partis summa est.

DE QUARTA PARTE.

23 Si quidem permanetis in fide fundati & firmi, nec dimovemini à spe Evangelii quod audistis, *Evangelii, inquam*, prædicati apud omnem creaturam quæ sub cælo *est*, cujus factus sum ego Paulus minister:

24 Qui nunc gaudeo de iis quæ patior pro vobis, & reliquias afflictionum Christi vicissim expleo in carne mea, pro corpore ipsius, quod est Ecclesia:

25 Cujus *Ecclesiæ* factus sum minister ex dispensatione Dei, quæ data est mihi erga vos, ad implendum Dei sermonem:

26 *Nempe* mysterium illud quod absconditum fuit à sæculis & ætatibus, nunc autem patefactum est sanctis ejus;

27 Quibus voluit Deus notum facere quæ sint illæ divitiæ gloriosi hujus mysterii inter Gentes; qui est Christus inter vos, spes illa gloriæ:

28 Quem nos annuntiamus, admonentes quemvis, & quemvis docentes de omni sapientia: ut quemvis sistamus perfectum in Christo Jesu:

29 Ad quod etiam enitor, decertans secundùm efficacitatem ipsius, agentem in me potenter.

Ad constantiam in fide Evangelii hortatur eos multis ac variis argumentis: Quorum primum sumtum est ab effectu utili: quia sic, & non aliter, adepturi sint gloriam illam cælestem, ad quam participandam per Christum redemti & per Spiritum sanctum vocati sint: v.23. ibi, *Siquidem permanetis in fide &c.* Ubi notandum, istud argumentum elici ex cohærentia sententiarum. nam hæc sententia cum proxime-præcedente cohæret per enuntiatum connexum, ad hunc modum: Si permanebitis in fide, sistemini coram Christo sancti, id est, consequemini cælestem illam gloriam: si verò non permanebitis in fide, non consequemini illam gloriam. Ergo ut illam gloriam consequamini, in fide permanete. Secundum hortationis argumentum ductum est à consensu electorum per totum terrarum orbem, ut qui doctrinam Evangelii sibi prædicatam amplexi sint, v.eodem. Istud significat Apostolus his verbis, *Evangelii prædicati apud omnem creaturam quæ est sub cælo.* Intelligit enim, Evangelium ferè omnibus populis prædicatum esse efficaciter, ita scilicet ut electi illud sint amplexi. Tertium hortationis argumentum sumtum est à ministerio Pauli, atque adeò ab ipsius testimonio: qui nisi doctrinam Evangelii pro salvifica haberet, nequaquam propter illius prædicationem extrema quæque pateretur: v.23. & 24. Quòd autem dicit, se pati pro Colossensibus, & omnino pro Ecclesia: hoc dicere vult, se pati ad eos in fide Evangelii confirmandum, ut illâ fide salvi fiant. Quartum hortationis argumentum sumtum est à testimonio Dei: quippe qui Paulo mandavit, ut doctrinam Evangelii Gentibus annuntiaret, v.25. Quintum argumentum ductum est à doctrinæ Evangelii præstantia: quippe quæ sit mysterium à sæculis absconditum, nunc autem demum patefactum sanctis Dei servis, apostolis: v.26. & 27. Sextum argumentum ductum est à præstantiâ subjecti, in quo docendo Evangelium occupatur. Illud est Christus, qui est spes illa gloriæ: hoc est, is per quem unum gloriam illam cælestem sperare licet: v.27. Septimum argumentum sumtum est à doctrinæ evangelicæ scopo seu fine, atque adeò effectu utili: qui est perfectio hominis illius qui hanc doctrinam constanter amplectitur. Perfectionis autem nomine intelligitur perfecta sapientia & virtus, adeoque perfecta felicitas: v.28. Octavum argumentum sumtum est à factis Pauli, ut qui singulari studio in hoc elaboret & ad hoc enitatur, ut per Evangelii sedulam prædicationem homines ad perfectionem illam addu-

adducat. Nonum & postremum argumentum ductum est ab efficacia Spiritus sancti, ministerio Pauli adjunctâ: quæ certè veritatem doctrinæ ipsius singulariter commendabat.

SCHOLIA IN CAP. I.

3 Semper pro vobis precantes] *πάντοτε περὶ ὑμῶν προσευχόμενοι. Syrus adverbium πάντοτε retulit ad verbum præcedens, εὐχαριστοῦμεν, & post illud novam sententiam inchoavit, adhibitâ conjunctione copulativâ. Qua syntaxis, etsi eundem sensum gignit, eò quòd gratiarum actio & preces conjungi solent: tamen Apostolus adverbium πάντοτε in hac sententia genere adjungere solet sequentibus: ut videre est Rom.1.v.10. Phil.1.4. Et hanc syntaxin confirmat collatio v.9. ubi ista sententia repetitur his verbis,* Non desinimus pro vobis orare. *Reperitur tamen hoc adverbium etiam adjunctum verbo εὐχαριστεῖν, ut 1.Thess.1.2.*

9 Non desinimus orare & petere] *οὐ παυόμεθα προσευχόμενοι καὶ αἰτούμενοι. Pro, προσευχόμενοι καὶ αἰτούμενοι. Hellenismus.*

10 Ut ei per omnia placeatis] *εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν. Verbotenus,* Ad omnem placentiam; *seu,* Ad omne placitum.

13 Filii sui dilecti] *τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ. Pronomen αὐτοῦ non pendet ab ἀγάπης, sed ab υἱοῦ. à quo eodem etiam pendet (sed aliâ ratione) genitivus ἀγάπης, nempe habens vim epitheti, more Hebræorum. Sic Psalm.15.v.1.* Quis requiescet in monte sancto tuo? *ubi Hebraicè est,* בְּהַר קָדְשֶׁךָ *behár kodschécha, id est,* In monte sanctitatis tuo. *pro quo tamen vulgò dicunt,* In monte sanctitatis tuæ.

15 Imago Dei invisibilis] *εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἀοράτου. Id est, In quo Deus naturâ invisibilis, quasi conspiciendum sese præbuit: dum per illum opera divina (quæ miracula nominantur) ita edidit, ut appareret, Deum in ipso esse, eumq́; divinâ, eâque propriâ, virtute seu potentiâ illa opera facere. Confer Heb.1.v.3. 1.Tim.3.v.16. Johan.1.v.14.* Primogenitus omnis rei creatæ] *πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Hoc exponitur vulgò sic, quasi diceretur: Ante res ullas conditas genitus. Quam expositionem quanquam ut orthodoxam probo: tamen considerandũ propono, an non diversa, quam afferam, expositio genuina sit; nempe ut intelligamus, Christum dici primogenitum omnis rei creatæ, eò quòd sit princeps hæres omnium. Cui expositioni non obstant verba quæ sequuntur,* Nam per eum condita sunt omnia. *Nam hæc ipsa sententia, illi quam exponendi gratiâ attulimus, subjicitur Heb.1.v.2. ubi ita ait Apostolus:* Quem (*scilicet filium, Christum*) constituit (*nempe Deus*) hæredem omnium; per quem etiam mundum condidit. *Quare hoc loco nomine primogeniti puto commodissimè intelligi principalem hæredem, sicut erat primogenitus in veteri Testamento. Nam quò minus hoc nomen πρωτότοκος de divinâ filii Dei ex substantia Patris generatione accipiendum videatur, facit nativa ejus significatio. Propriè enim eum significat qui primo partu in lucem est editus. τίκτειν enim parere significat, non gignere; & matri convenit, non patri. Deinde vix reperitur exemplum, ubi nomen ex πρῶτος & præterito medio compositum, genitivum ita regat, quasi sit participium constans ex præpositione πρό. Ita enim hîc exponitur, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, quasi sit, προτεχθεὶς πάσης κτίσεως, id est, τεχθεὶς πρὸ πάσης κτίσεως.*

16 Nam per eum condita sunt omnia] *His verbis rationem reddit, cur Christus sit primogenitus, i.e. princeps hæres omnium: quia nimirum per eum omnia sunt condita. Sic planè in loco citato Heb.1.v.2.* Per quem etiam mundum condidit; *ubi conjunctio καὶ rationem innuit. quasi dicat: Meritò eum hæredem constituit omnium: quum etiam per eum omnia condiderit.* Per eum] *δι' αὐτοῦ. Ex hac epanalepsi intelligitur, illud ἐν αὐτῷ, in principio versus rectè redditum,* Per eum. *Sic Johan.1.v.3.* Ejus respectu] *εἰς αὐτόν. Ut scilicet ipse sit hæres omnium. Vel,* Ad ipsius gloriam: *ut Rom.1.v.36.*

17 Per eum] *ἐν αὐτῷ. Ut v.supr.*

18 Caput &c.] *ἡ κεφαλὴ &c. Confer Ephes.1.v.22. & cap.4.v.15.16. & cap.5.v.23.* Principium] *ἀρχή. Pro hoc dicit 1.Cor.15.v.20. ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο: id est,* Primitiæ eorum qui obdormierunt, factus est. Primogenitus ex mortuis] *Id est, Primogenitus inter eos qui ex mortuis resurgunt ad hæreditatem cælestem adeundã. Sicut percipitur ex verbis ipsius Apostoli per epexegesin annexis.* Ut primas teneat inter omnes] *ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων. Nempe inter fratres, quorum respectu primogenitus nominatur. Eadem sententia effertur Rom.8.v.29. his verbis: εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς,* Ut ipse sit primogenitus inter multos fratres. *Ex cujus sententiæ collatione patescit, illud ἐν πᾶσιν, rectè hîc redditum esse,* Inter omnes. *Phrasis Græca est. Ne quis putet, vertendum esse,* In omnibus. *scilicet rebus.*

19 Omnem plenitudinem] *πᾶν τὸ πλήρωμα. Id est, Omnem illam copiam donorum spiritualium, quæ ex ipso tanquam capite in credentes tanquam membra exundant ac manant: Sicut ait Johannes cap.1.v.16.* Ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & quidem gratiam pro gratia. *Quam plenitudinem Johannes Baptista significat his verbis: οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα:* Non enim ex mensura, *seu ad mensuram,* dat Deus spiritum, *scilicet Christo: de eo enim loquitur. Vide annotationes D. Bezæ. Synecdoche generis.*

20 Per sanguinem crucis ejus] *Ejus, αὐτοῦ. Nempe Christi. Sanguinem autem crucis vocat, qui in cruce effusus est. Genitivus subjecti.* Sibi] *εἰς αὐτόν. Pro, εἰς ἑαυτόν: id est, ἑαυτῷ. ut loquitur 2.Cor.5.v.19.* Omnia] *τὰ πάντα. Id est, Omnes electos: ut percipitur è subjecta distributione. Sic Eph.1.v.10. ubi vide scholia nostra.* Tum quæ in terra, tum quæ in cælis] *Id est, Tum fideles jam in cælum receptos, tum eos qui adhuc degunt in terra.*

21 Itaque vos] *καὶ ὑμᾶς. Vel, Quare* & vos. *Ellipsis conjunctionis illativæ.* Hostes mente] *ἐχθροὺς τῇ διανοίᾳ. Mihi nomen διανοίᾳ videtur pendere à nomine ἐχθρούς, tanquam dativus significans instrumentum. Et sic Syrus quoq́; construit.*

22 Vitii expertes] *ἀμώμους. Sic Syrus,* דְּלָא מוּם *delo mûm, id est, sine vitio.*

23 Siquidem &c.] *εἴγε. Ἐπιμώνυμος.* Apud omnem creaturam] *ἐν πάσῃ τῇ κτίσει. Id est, Apud omnes gentes. Etenim quod dicitur Marc.16.v.15.* Prædicate Evangelium omni creaturæ: *idem Matth.28.v.19. effertur his verbis,* Docete omnes gentes. *Est igitur synecd.gen. hyperbolica.* Quæ sub cælo est] *τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν: Scil. οὔσῃ. Periphrasis emphatica: qualis Act.2.v.5. & c.4.v.12.*

24 Qui nunc gaudeo] *νῦν χαίρω. Legendum, ὃς νῦν χαίρω, ex codice Claromontano, teste D. Beza. Et sic legisse apparet veterem interpretem. Syrus reddidit,* Et gaudeo, *omisso adverbio temporis: ut videatur legisse, καὶ χαίρω. quæ lectio videtur commodissima.*

27 Quæ sint illæ divitiæ gloriosi hujus mysterii] *τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τοῦ μυστηρίου τούτου. Vel,* Quænam sint gloriosæ illæ divitiæ mysterii hujus.

28 De omni sapientia] *ἐν πάσῃ σοφίᾳ. Ad verb. In omni sapientia. Hebraismus. ἐν pro περί. Sapientiam autem intelligit salvificam, ut 2.Tim.3.15. Synecdoche generis.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex v.1. Nemo sibi sumat partes doctoris in Ecclesia, nisi sit legitimè vocatus; ideo Paulus mentionem facit sui apostolatus. Vide ad Heb.5.v.4. *Ministri verbi Dei.*

2 Doctrina Pauli est doctrina cælestis, quia immediatè ad docendum vocatus est à filio Dei. Ergo testimonia inde depromta, omni exceptione majora sunt. Vide Acto.9. & 22. 1.Cor.11. v.23. 2.Cor.12.v.2.4. *Doctrina Pauli.*

3 Ex v.2. Sanctorum nomen non competit in solos defunctos, sed etiam in viventes, nempe omnes fideles. *Sancti.*

4 Christiani fraterno amore se complecti debent, cùm sint fratres in Christo. *Officium hominis Christiani.*

5 Christus est unus & idem cum Patre Deus, quia unà cum ipso cælestia bona electis communicat. *Christus.*

6 Ex v.3. Officium hominis Christiani est, quotidie Deo gratias agere tum suo tum aliorum nomine, pro dono fidei. *Officium hominis Christiani.*

7 Ex v.4. Vera fides adjunctam habet charitatem. Sic Gal.5. v.6. Quare qui charitatem non ostendunt factis, falsò gloriantur de fide. *Fides.*

8 Ex v.5. Ad charitatem nos excitare debet spes hæreditatis cælestis, quæ non manet nisi filios Dei, fraternâ charitate se mutuò complectentes. Nec tamen putandum, nos charitatis officiis hæreditatem illam mereri. Hæreditas enim non datur ex merito, sed ex gratia. *Charitas.*

9 Evangelium citra omnem dubitationem amplectendum est, quum sit sermo veritatis; id est, verissimus, ac certissimus: quippe per ipsum filium Dei patefactus, Joh.1.v.18. *Evangelium.*

10 Ex v.6. Evangelii veritatem commendat mirabilis ejus efficacia: quòd brevissimo tempore in plurimis locis quamplurimos ad fidem Christi adduxit, quantumvis Satanâ per sua organa reluctante. *Evangelium.*

11 Ex Evangelio cognoscitur Dei gratia, id est gratuitus ejus favor quo nos complectitur in Christo. *Evangelium.*

12 Ex v.8. Charitas debet esse sincera. Vide 1.Joh.3.v.8. *Charitas.*

13 Ex v.9. Vera sapientia, est sapientia illa spiritualis quâ cognoscitur voluntas Dei, patefacta partim in Lege, partim in Evangelio. De Lege ait Moses, *Hæc est sapientia vestra &c.* Deut.4. v.6. De Evangelio ait Paulus infr.c.2.v.3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi.* *Sapientia.*

14 Ex vers.10. Scopus hominis Christiani esse debet, ut per omnia Deo placeat; id quod fit per studium pietatis. *Scopus Christiani.*

15 Agnitio Dei in hac vita imperfecta est, ac proinde quotidie in ea crescendum ac proficiendum per continentem meditationem verbi ipsius. *Cognitio Dei.*

16 Ex v.11. Spiritus sanctus fideles virtute suâ ita corroborat, ut propter Evangelii professionem omnis generis ærumnas, etiam gravissimas, æquo animo tolerent, nec se ipsos vindicare studeant: quin potiùs ut cum gaudio eas suscipiant; quippe quum certi sint, se, quemadmodum capiti Christo conformes redduntur in cruce, ita eidem quoque conformes redditum iri in gloria illa cælesti. *Fideles.*

17 Ex v.12. Nos à natura inepti sumus ad regnum cælorum: alioqui non esset opus ut Deus nos faceret idoneos: id quod facit per spiritum suum. Vide 1.Cor.2.v.13. Matth.16.v.17. 2.Cor.3. v.5. Eph.2.v.8. *Homo.*

18 Vita æterna est sors sive hæreditas: non igitur obtinetur ex merito. Vide Matth.25.v.34. Rom.1.v.17. *Vita æterna.*

19 Si contingat, nos propter veritatis cælestis confessionem *Consolatio.*

Confessio. Persecutio. includi tenebroso carceri, consolemur nos hac ratione, Quòd sumus idonei facti ad participandum sortem sanctorum in luce illa cælesti.

Fideles. 20 Ex v.13. Quomodo simus jam translati in regnum illud cæleste filii Dei? Resp. Partim re, partim spe. Re quidem, quatenus sentimus initia vitæ æternæ, ex gustu nimirum paterni favoris Dei: Spe verò, quia certò speramus plenam cum Deo communionem. Sic ad Eph.2.v.6.

Dilectio Dei. 21 Causa cur nos diligat Deus, est, Quia sumus membra filii ejus dilecti. Eph.1.v.6.

Redemtio. Sanguis Christi. 22 Ex v.14. Sanguis Christi est λύτρον illud quo redemti sumus, seu quo parta nobis est remissio peccatorum, in Christum tanquam sponsorem conjectorum: atque ita satisfactum est justitiæ Dei. Confer 1.Joh.1.v.7.& cap.2.v.2.Rom.3.v.24.& 25.

Christus. 23 Ex v.15. Considerandum, quot modis filius Dei sit imago Dei invisibilis. Resp. Duobus modis. Primùm in seipso consideratus extra incarnationem, nimirum simpliciter, quatenus Deus est. De hac ratione imaginis loquitur Paulus ad Hebræos 1. v.3. ubi dicitur ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Deinde consideratus in carne assumta: De qua ratione loquitur Paulus hoc loco, & 1.Tim.5.v.16. Ubi considerandum, Qualem se Deus nobis patefecerit in filio incarnato. Patefecit se autem summè sapientem, justum & misericordem. Summè sapientem: Quia in Christo erga nos exercuit simul perfectam justitiam & perfectam misericordiam. Perfectam justitiam erga nos in Christo exercuit, atque ita perfectè justum se patefecit; quia in Christo perfectè punivit omnia nostra peccata, ipsi ut sponsori imposita. Perfectam verò misericordiam in Christo erga nos exercuit, atque ita summè misericordem se patefecit: quia nobis propter satisfactionem illius remisit perfectè omnia nostra peccata, nosque hæredes regni cælestis effecit. Dissimile: Celebratur sapientia, simulque justitia & misericordia, cujusdam Zaleuci: qui legem tulerat, ut adultero ambo oculi effoderentur. Cumque filius ejus adulterium commisisset, & subditi pro illo intercederent, ne cogerentur cæcum regem habere: ut legi à se latæ satisfieret, filio quidem ex misericordia alterum oculum reliquit, sed ex justitia sibiipsi unum oculum erui curavit loco filii. Laudabilis quidem sapientia, justitia & misericordia; veruntamen misericordia imperfecta, quia sic utrumque oculum filio reliquisset. imperfecta item justitia, quia sic filio utrumque oculum erui curasset. Præterea ipse filius Dei in carne assumta deitatem suam & virtutes divinas varias demonstravit; ut φιλανθρωπίαν, omniscientiam, omnipotentiam. φιλανθρωπίαν, quòd homo factus est propter nos homines & salutem nostram, quòd misertus est populi famelici in deserto, solicitus, ne fame contabescerent, si jejunos dimitteret. Item quòd populi misertus est, cùm videret, eos esse veluti oves absque pastore. Item quòd tam facilis ac promtus fuit ad opem ferendã afflictis opem ipsius implorantibus. Omniscientiam, quòd vidit cogitationes Judæorum. Omnipotentiam: quòd propriâ virtute maxima miracula fecit: ac inprimis, quòd se ipse ex morte excitavit, Rom.1.v.14.

Christus. 24 Christus est filius Dei æternus, quippe genitus ex Patre, antequam ulla res cõderetur: contra blasphemias Arii & Serveti.

Christus. 25 Ex v.15.16.& 17. Christus est verus Deus: Quia genitus est à Deo patre ante mundum conditum, ac proinde ab æterno: Deinde, quia unà cum Patre & Spiritu sancto omnia creavit: Tertiò, quia ad ipsius gloriam omnia sunt condita: Quartò, quia est ante omnia, ac proinde æternus: Quintò, quia omnia per eum consistunt, id est, in suo esse & statu conservantur.

Papa. 26 Ex v.18. Quum solus Christus sit caput Ecclesiæ: falsò igitur & impiè se caput Ecclesiæ jactat Papa.

Resurrectio fidelium. 27 Quum primogenitus noster frater Christus, ad beatitudinem illam cælestem resurrexerit; consequens est, nos similiter resurrecturos, & beatitudinis unà cum ipso participes fore; singulos quidem pro mensura donationis Christi.

Preces. 28 Ex v.19. Quum in Christo omnis plenitudo gratiarum cælestium inhabitet: ergo quoties sentimus, nos gratiis illis egere, meminerimus, ex ista plenitudine hauriendum nobis esse. id quod fit per seriam invocationem, ex vera fide profectam. Vide Joh.1.v.10.Esa.11.v.1.2.

Consolatio. 29 Ex v.20. Quum tentamur metu iræ Dei ex conscientia peccatorum: consolemur nos hac ratione, quòd Christus Deum nobis pacificavit atque reconciliavit, quum sanguinem suum in cruce effundi passus est ad peccata nostra expiandum.

Homo. 30 Ex v.21. Homo jam post lapsum naturâ suâ est hostis Dei, nec quicquam Deo placens agere potest.

Christus. 31 Ex v.22. Corpus Christi, verum corpus est, nostris corporibus simile, peccato solo excepto. Contra dogma Marcionis, atque etiam Ubiquitariorum.

Mors Christi. 32 Mors Christi, qua nos Deo reconciliavit, non fuit tantùm mors corporis, sed præcipuè sensus iræ Dei adversus nostra peccata. Hanc mortem gustavit Christus pro omnibus electis: ita ut illi nunquam eam gustaturi sint, Heb.2.v.9.

Sanctitas fidelium. 33 Sanctitas ad quam renovamur, in hac vita imperfecta est: perficietur autem in altera vita.

Officium hominis Christiani. 34 Ex v.23. in religione Christiana non est satis cœpisse, sed oportet constanter in fide perseverare. Ait enim Paulus, Colossenses tum demum gloriam illam cælestem adepturos, si permanserint in fide fundati & firmi. Similiter ait Christus Matth.10. v.22. Luc.9.v.ult.

Fides. 35 Fides Christiana, non est incerta opinio: sed certa & in verbo Dei fundata notitia misericordiæ Dei, nobis præstitæ in Christo. Quum enim Paulus ita loquitur, *Si permanetis in fide fundati & firmi*: hoc dicere vult, fidei Christianæ hanc esse naturam, ut qui verè credit, is donum quoque perseverantiæ habeat. Hinc monet Christus, Impossibile esse ut electi in errorem seducantur, id est, à fide avertantur, Matth.24.v.24. Etsi autem perseverantia, Dei donum est, sicut & ipsum fidei initium: non tamen ratione caret, quòd Spiritus sanctus nos ad credendum & in fide perseverandum per ministros Evangelii hortatur. Etenim istis hortationibus utitur ad fidem in electis efficiendum & confirmandum. Hinc Augustinus scitè dixit: Domine, da quod jubes, & jube quod vis.

Fides. 36 Fides spem sibi adjunctam habet: quarum illa intuetur in veritatem promissionis Dei: hæc verò bona à Deo promissa exspectat.

Evangelium. 37 Evangelicæ doctrinæ veritatem & cælestem majestatem arguit mirabilis illa efficacia, prædicationi ejus adjuncta; quòd scil. brevi temporis spatio, Evangelium per paucos homines in toto penè terrarum orbe prædicatum & fide receptum fuit. Confer ad Rom.15.v.19. 1.ad Tim.3.v.ult.

Ministri verbi Dei. 38 Ex v.24. Minister Verbi quum propter Evangelium affligitur, constanter illas afflictiones perferre debet, seque consolari hoc argumento, quòd illa ejus constantia faciat ad Ecclesiam in fide confirmandam. Tertullianus scitè dixit: *Sanguine martyrum Ecclesiam rigari.*

Christus. 39 Christus adhuc hodie patitur in membris suis, id est, confessoribus ipsius. Unde Paulus hìc dicit, *Se reliquias afflictionum Christi vicissim explere in carne sua*: & Christus ipse Paulo Christianos persequenti dicebat, *Saul Saul quid me persequeris?* Hæc doctrina facit ad nostram consolationem. Nam si Christo capiti conformes reddimur in contumelia: scimus fore, ut eidem conformes reddamur in gloria: Rom.8.v.29. 2.Tim.2.v.11.& 12. Et huc facit quòd Ecclesia hìc dicitur corpus Christi. Hinc enim sequitur, eam cùm Christo tanquam capite suo communem habere & crucem & gloriam.

Doctrina Pauli. 40 Ex v.25. Doctrina Pauli citra controversiam, tanquam cælestis & divina, recipienda est; quippe cujus prædicandæ mandatum à Deo ipso accepit.

Evangelium. 41 Ex v.26. & 27. Doctrinam Evangelii commendat ipsius sublimitas, quum sit mysterium, id est, doctrina arcana, quæ ex sola Dei patefactione hominibus innotescit.

Gloria cælestis. 42 Ex v.27. Solus Christus est is, per quem gloriam illam cælestem sperare licet.

Sapientia. 43 Ex v.28. Vera nostra sapientia & perfectio, in cognitione Christi consistit. Confer cap.seq.v.3.

Ministri verbi Dei. 44 Ex v.29. Piorum ministrorum est, in hominibus per prædicationem Evangelii in cognitionem Christi adducendis strenuè eniti & decertare: sed interim meminisse debent, efficaciam sui ministerii penes spiritum Christi esse; quem proinde ardentibus votis expetere debent.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hìc pergit Apostolus hortari Colossenses ad constantiam in fide doctrinæ Christianæ, quam ex Epaphra didicerant, & cujus summam ipse jam in hac epistola exposuerat: usq; ad v.8. Deinde in reliqua capitis parte monet eos, ut sibi à doctrina Christiana corruptelis caveant. Sic sunt duæ principales hujus capitis partes.

DE PRIMA PARTE.

Velim enim vos scire, quantum certamen sustineam pro vobis, & iis qui *sunt* Laodiceæ, & quotquot non viderunt faciem meam in carne:

2 Ut consolationem accipiant eorum corda, ipsis charitate compactis, idq; ad omnem opulentiam certò persuasæ intelligentiæ, ad cognitionem, *inquam*, mysterii Dei ac patris & Christi:

3 In quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi.

4 Hoc autem *ideo* dico, ut ne quis vos falso-ratiocinando fallat probabilitate sermonis.

5 Etsi enim corpore absum, spiritu tamen sum vobiscum, gaudens ac cernens vestrum ordinem & soliditatem vestræ in Christum fidei.

6 Sicut igitur accepistis Christum Jesum Dominum, *ita* in eo incedite:

7 Radicati ac superstructi in eo, ac confirmati fide, sicut edocti estis, abundantes eâ cum gratiarum actione.

Quod

QUOD ultimo versu capitis præcedentis dixerat generaliter ad apostolatum suum commendandum, se ad hoc eniti ac decertare, ut quosvis homines institutione suâ in Christo perfectos reddat: id hîc specialiter applicat Colossensibus & Laodicensibus cæterisque vicinis in Phrygia ecclesiis, quas nondum coram inviserat. Profitetur igitur, se maximum pro illis certamen sustinere, hoc est, maximâ solicitudine in hoc elaborare, ut eas in fide doctrinæ Christianæ quacunque possit ratione confirmet: vers.1. Deinde duplicem doctrinæ Christianæ fructum commemorat, ut eos hac ratione ad constantiam in illius fide hortetur, ab effectu scilicet utili. Unus fructus est consolatio, ut scilicet unusquisque ipsorum solidam habeat contra omnes tentationes consolationem: alter fructus est charitas, ut scilicet inter sese per charitatem compacti sint, atque ita Deo placeant. Ac solidam quidem consolationem ex Evangelio corda percipiunt, quia Deus per Evangelium testatur, se nos propter Christum in gratiam recepisse, ac proinde nos paterno favore in æternum prosequi: Charitate verò ex Evangelio corda accenduntur, quatenus docet, Deum nos indignos charitate illâ ineffabili in Christo complexum esse, ac velle ut nos quoque tanquam filii Dei & fratres inter nos mutuo nos amore complectamur. Huic Evangelii ab effectis commendationi annectit alteram, quæ sumta est ab adjunctis, videlicet partim ab adjunctâ Evangelii certitudine, partim à cælesti ejus sublimitate. Certitudinem notat vocabulo πληροφορίας, quod deductum est à verbo πληροφορεῖσθαι, quod ad verbum significat Plenè ferri, id est, (ut mihi quidem exponendum videtur) plenis quasi velis ferri: ut sit metaphora ducta à navibus, quæ plenis velis (vento scilicet secundo) feruntur. Sic Spiritus S. veritatem doctrinæ cælestis animis electorum tam firmiter obsignat, ut de ea certò persuasi, plenis quasi velis ferantur, nec se ullo obstaculo ab ea credenda impediri patiantur: sicut hanc fidei πληροφορίαν apostolus Paulus ad Roman. 8. circa finem magnificis verbis describit. Sublimitatem verò cælestem doctrinæ de Christo in Evangelio comprehensæ significat nomine τοῦ μυστηρίου, id est, rei arcanæ, ejusque talis ut non possit intelligi à quoquam, nisi ab ipso Deo ei fuerit patefacta. Hæc habentur v.2. Postea v.3. aliam Evangelii commendationem addit ab adjuncta ejus perfectione: quippe quòd in ipso (nempe Christo vel mysterio Christi) omnes thesauri sapientiæ & cognitionis sint absconditi: ita ut qui Evangelii doctrinam tenet, perfectam teneat sapientiam, ut nihil ultra ad salvificam Dei cognitionem possit vel debeat desiderare. Porrò hæ omnes Evangelii commendationes, totidem argumenta sunt quibus hîc Paulus Colossenses ad constantiam in illius fide hortatur.

V.4. transitionem facit ad admonitionem de cavendis evangelicæ doctrinæ corruptelis: veruntamen antequam istas corruptelas recenseat & refellat, denuò pa[illegible]num suum erga ipsos affectum commemorat, v.5. simulque ordinem ipsorum quem observabant in regimine ecclesiastico, ac propterea constantiam ipsorum in fide Evangelii, collaudat. quod jam novum hortationis argumentum est. Crescit enim laudata virtus: quùm omnes honestum sibi ducant, in cursu bene cœpto pergere.

Vers.6. & 7. hortationem institutam concludit: eamque nova hortatione amplificat, qua eos ad gratiarum actionem (pro tanto scil. Evangelii ac fidei dono) hortatur.

De Secunda Parte.

8 Videte ne quis sit qui vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.

9 Nam in eo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter:

10 Et estis in eo completi: qui est caput omnis imperii ac potestatis.

Corruptelas falsorum doctorum qui in ecclesia Colossensium tum versabantur, refutaturus, primùm eas commemorat ac proponit, v.8. Proponit autem tres corruptelarum species: sicut eruditè D. Beza observavit. Prima species est quæ ex speculationibus curiosis, & tamen subtilis cujusdam sapientiæ speciem referentibus, exoritur. hanc notat per vocabulum *philosophiæ & inanis deceptionis*. quo loco non intelligit veram philosophiam seu veram sapientiam humanam, sed inanes illas & fallaces illorum qui se philosophos nominabant, speculationes, de summo bono seu felicitate hominis: id quod partim ex Apostoli instituto, partim ex verbis per expositionem adjectis, planum est. Secunda species corruptelarum, est manifestarum superstitionum, quæ solâ consuetudine fictisque enthusiasmis nituntur. hanc vocat *traditionem hominum*. Tertia species eorum erat qui mundi rudimenta (id est, legalem cultum) cum Evangelio conjungebant. hanc vocat *traditionem secundùm elementa mundi*. ubi per elementa mundi intelligit cærimonias Legis, quibus Deus veterem mundum de Christo erudiit. His corruptelis omnibus primùm opponit refutationem universalem, id est, ad singulas pertinentem, quòd scil. falsam religionem esse necessariò oporteat quæ à Christo abducit, felicitatémve alibi quàm in uno Christo quærere docet. Hanc rationem innuit his verbis, *Et non secundùm Christum*: eamque mox v.9. & 10. confirmat à conditione personæ Christi: quippe qui & verus Deus sit, & secundùm humanam quoque naturam supra omnes sanctos, ipsos etiam sanctos angelos, tanquam caput excellat: ita ut qui ei per fidem sunt insiti, completi seu perfecti sint, ac proinde ad plenam felicitatem nihil ampliùs requirere possint aut debeant.

11 In quo etiam circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus, dum corpus peccatorum carnis exuistis per circumcisionem Christi:

12 Consepulti cum eo per baptismum, per quem etiam cum eo resurrexistis, per fidem Dei efficaciter agentis, qui excitavit eum ex mortuis:

13 Vosque mortuos in peccatis & præputio carnis vestræ, cum eo vivificavit, condonatis vobis omnibus peccatis.

Hîc incipit ὕστερον πρότερον specialiter disputare contra tertiam speciem corruptelarum ex tribus propositis, videlicet adversus eos qui Judaismum urgebant: ac primùm quidem circumcisione externâ nobis opus esse negat, quum absque eâ simus Christi virtute intus circumcisi. Huic rationi subjungit alteram per prolepsin. nam objicere quis poterat; Etsi intus per spiritum Christi circumcisi simus, tamen externam quoque circumcisionem tanquam interioris illius symbolum ac testimonium suscipiendam esse, sicut nimirum olim sancti patres susceperunt. Hoc verò Apostolus negat, propterea quòd jam loco circumcisionis externæ habeamus Baptismum, interioris illius renovationis tesseram ac sigillum efficacissimum. Baptismum igitur declarat ex effecto triplici: mortificatione veteris hominis, vivificatione novi, & remissione peccatorum. Etenim Spiritus sanctus testimonio Baptismi efficaciter persuadet electis, ipsos sanguine Christi in cruce cum sensu iræ Dei effusso ablutos atque purgatos esse ab omnibus peccatis, seu remissionem habere omnium peccatorum. deinde simul utitur hoc Baptismi testimonio ad efficiendum in ipsis serium studium pietatis, ut incipiant peccato mori & justitiæ vivere: quum intelligant, peccatum tam tetrum esse malum ut non potuerit expiari nisi sanguine filii Dei: item cùm intelligant, officii sui esse, ut per omnia posthac Deo placere studeant ad gratias ei pro summo illo redemtionis beneficio agendum. Ex his perspicitur, effecta ista adscribi Baptismo, non ut operi operato, sed ut testimonio divino ac veluti instrumento, quo Spiritus S. in electis est efficax, confirmando nimirum in eis fidem, qua cum Christo magis magisq; coalescunt, atque ita mortis & resurrectionis ipsius fiunt participes: idque tum quod ad remissionem peccatorum, tum quod ad renovationem naturæ attinet. Hoc ipsum docent verba Apostoli v.12. ubi ait, *Colossenses cum Christo esse sepultos per Baptismum, & per eundem cum eo resurrexisse*, διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ θεοῦ, *per fidem operationis seu efficaciæ Dei* (id est, ut ego quidem exponendum censeo, per fidem quam operatus est seu effecit Deus) *qui excitavit eum* (nempe Christum) *à mortuis*. quibus verbis significat, Deum in Colossensibus effecisse fidem eâ ipsa virtute seu potentiâ, quâ Christum excitavit ex mortuis: (sicuti expressiùs docet Eph.1.v.19. & 20.) hanc autem fidem testimonio Baptismi confirmari, atque hac ratione ipsos per Baptismum (id est, testimonio Baptismi) cum Christo consepultos esse, & cum eodem resurrexisse, hoc est, virtute Spiritus sancti cœpisse mortificare peccatum & vivere justitiæ: sicut loquitur Apostolus Rom.6.v.11. ubi hanc ipsam doctrinam ad eundem modum pleniùs tractat.

Vers.13. sententiam modò expositam de renovatione naturæ paulò aliis verbis repetit, & alterum effectum de remissione peccatorum annectit. Ubi *per præputium carnis* intelligit naturæ vitiositatem: quæ sit instar præputii, id est, res apud DEUM abominanda. Per *vivificationem* autem intelligit naturæ renovationem: quod ipsum Rom.6.11. vocat *Vivere Deo*; item, *Ambulare in novitate vitæ*, ibid. v.4. item, *Vivere cum Christo*, ibid. v.8.

14 *Ac* deleto quod adversum nos *erat*, chirographo *in* ritibus *posito*; quod, *inquam*, erat nobis occultè contrarium. *Ipse* verò cruci affixum è medio sustulit:

15 *Et* exspoliata imperia ac potestates traduxit palàm, triumphatis illis per eam.

16 Ne quis igitur vos damnet ob cibum vel potum, aut respectu *alicujus* festi, aut novilunii, aut sabbathorum:

17 Quæ sunt umbra rerum futurarum; at corpus *est* Christi.

Hîc in genere de cærimoniis Legis disserit, & duo simul innuit. unum, illas jam in novo Testamento seu post Christum exhibitum non esse ampliùs observandas: alterum, si maximè adhuc observandæ essent, tamen earum observationem nihil conferre ad justitiam coram Deo. Prius ex eo ostendit, quòd Christus cærimonias Legis sacrificio suæ mortis abolevit: quip-

pe quod sacrificium cærimoniæ illæ præfigurabant. Posterius verò inde demonstrat, quòd cærimoniæ Legis, inprimis sacrificia, quasi chirographa erant nobis contraria: hoc est, erant confessiones peccatorum tanquam debitorum, ac proinde testimonia reatus. Quomodo igitur conferrent ad justitiam, quum testentur injustitiam & culpam? Sed, ut dixi, Apostolus hæc duo simul comprehendit, & ad crucem Christi scitè accommodat; inquiens, *Christum chirographum illud rituum cruci affixisse: atque ita è medio sustulisse.* Quibus verbis significat Christum hoc ipso quòd cruci affixus fuit & clavis transfixus, impetrasse nobis remissionem peccatorum, seu condonationem debitorum nostrorum, atq; ita quasi transfixisse seu conscidisse chirographum quo debita confitebamur.

Vers. 15. sententiam de effectu crucis Christi modò expositam amplificat collatione majorum, idque per tacitam (ut videtur) prolepsin, qua ignominiæ crucis opponit insignem illam victoriam ac triumphum, quæ cum cruce Christi fuerunt conjuncta. quasi dicat, Christus per mortem suam in cruce non solùm abolevit cærimonias veteris Testamenti, nobisq; impetravit remissionem peccatorum: sed etiam liberavit nos à potestate diabolorum: quippe quos morte illâ suâ devicit & exspoliavit, deque eis triumphavit. Confer similem locum Heb. 2. v. 14. & 15. Diabolos autem hîc vocat imperia & potestates, propter illorum potentiam quam exercent in incredulos: ut ita amplificet vim ac potentiam mortis Christi: quæ licet rationi humanæ res infirma videatur, tamen per eam ut rem potentissimam devicti sunt mali illi spiritus, quantumvis magnâ potentiâ præditi.

V. 16. institutam refutationem primæ speciei corruptelarum concludit, idque nominatim expressis certis cærimoniarum speciebus, quas pseudapostoli urgebant.

Vers. 17. conclusioni annectit novum argumentum: quod sumtum est à proprio fine. Cærimoniæ enim illæ à Deo institutæ erant in hunc finem, ut Christum venturum adumbrarent seu præfigurarent: Christo igitur ipso jam exhibito, cærimoniarum illarum nullus ampliùs est usus; quippe quæ officio suo jam sunt perfunctæ.

18 Nemo adversum vos judicis partes sibi ultrò sumat, in demissione animi & cultu angelorum: invadens in ea quæ non vidit, & temerè turgens carnis suæ sensu:

19 Neque obtinens caput, ex quo totum corpus per commissuras & compages suppeditatum & compactum, augescit Dei augmento.

Hîc disputat adversus primam ex propositis corruptelis speciem, cujus exemplum proponit cultum angelorum: quod falsæ religionis genus quatuor argumentis refutat. quorum primum est, quòd qui hujusmodi cultum invehunt, sibi tribuunt quod unius Dei est, nempe jus conscientiarum religione obligandarum: quantumvis ista videantur homines ad humiliter de se sentiendum adducere. Secundum argumentum est, quod hæc visa, hæc audita, sed à se excogitata, pro oraculis temerè obtrudant. Tertium, quòd ista non alio fundamento quàm opinione hominum sibi immodicè in suis commentis placentium innitantur. Quartum denique maximi momenti argumentum est, quòd isti doctores Christum suâ dignitate spolient: ut qui unus toti suo corpori (nempe Ecclesiæ) tum fovendo, tum etiam augendo sufficiat.

20 Itaque si mortui estis cum Christo, *atque ita liberati estis* ab elementis mundi: quid ut viventes in mundo, ritibus oneramini?

21 Ne attigeris, *(ajunt isti)* neque gustâris, neq; contrectâris.

22 Quæ omnia ipso usu pereunt, *præscripta* ex mandatis & doctrinis hominum.

23 Quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & summissione animi, & in eo quòd corpori non parcant: nec *tamen* ullius sunt pretii, *quum* ad ea *spectent* quibus farcitur caro.

Jam ultimo loco pugnat adversus secundæ speciei corruptelas, quæ videlicet meræ sunt superstitiones: veluti quum in certo ciborum genere & cæteris similibus rebus pietas, remissio peccatorum, vis denique aliqua ad cultum Dei pertinens collocatur. Hoc genus corruptelarum oppugnat tribus argumentis; quorum primum à comparatis sumtum est: Liberati estis per mortem Christi à cærimoniis legalibus, quas nimirum Deus ipse instituerat: ita ut jam illis non ampliùs debeatis vacare: Ergo multo minùs committere debetis ut oneremini ritibus quos homines excogitarunt, vobisque imponere conantur; quem quidem superstitiosorum istorum conatum per prosopopœiam seu mimesin exprimit, v. 21. Deinde v. 22. secundum & tertium argumentum affert. Secundum est, quòd res istæ externæ fluxæ & caducæ sunt, quippe quæ ipso usu consumuntur. unde facilè intelligitur, in iis non consistere regnum Dei: quippe quod internum & spirituale & æternum est. Tertium denique argumentum est, quòd isti ritus excogitati ac mandati sint ab hominibus. Quum igitur Deus istarum traditionum author non sit: conscientias non ligant.

V. 23. annectit prolepsin, qua concedit, superstitiosos istos ritus habere quidem speciem sapientiæ & submissionis animi, sed revera nullius esse pretii: quum pertineant solummodò ad carnis seu corporis alimentum: quod jam quartum refutationis argumentum est, vel potiùs secundum, aliis verbis repetitum.

SCHOLIA IN CAP. II.

2 Idq; ad omnem opulentiam &c.] καὶ εἰς πάντα πλοῦτον. *Pro,* καὶ τοῦτο εἰς πάντα πλοῦτον. *Ut significetur finis seu scopus illius* συμβιβάσεως, *id est, compactionis per charitatem: ut scilicet ex charitate se mutuò erudiant de mysterio Evangelii. Syrus ita reddidit, quasi conjunctio* καὶ *hîc esset omissa, & eadem esset posita in principio membri sequentis, nempe* καὶ εἰς ἐπίγνωσιν. Certo persuasæ intelligentiæ] τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως. *Ad verb.* Certæ persuasionis seu certiorationis intelligentiæ. *Hypallage. Cæterùm de vocabulo* πληροφορίας *diximus plura in analysi.* Ad cognitionem *inquam*] εἰς ἐπίγνωσιν. *Apparet, hæc præcedentibus subjungi per appositionem. Itaque in membro præcedente præpositionem* εἰς *vertimus* Ad, *& hîc supplevimus verbum,* Inquam, *perspicuitatis causâ.* Dei ac patris ac Christi] τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ τοῦ Χριστοῦ. *Prius* καὶ *ponitur* ἑρμηνευτικῶς *quasi eo omisso simpliciter diceretur, Dei patris. Porrò* Mysterium Dei & Christi, *hîc idem valet quod,* Mysterium de Deo & Christo. *Genitivus objecti.*

3 In quo] ἐν ᾧ. *Scilicet Christo, vel potiùs mysterio Christi, hoc est, de Christo. Vulgò hunc locum accipiunt de sapientia qua Christus fuit & est præditus. Sed ex collatione verborum præcedentium perspicitur, Apostolum velle aliud; nempe veram ac perfectam sapientiam sitam esse in cognitione Christi, id est, in eo ut Christum rectè cognoscamus. In hunc sensum accepit hæc verba & Lutherus in explicatione Psalm. XXII. tomo tertio Witebergensi, fol. 237. facie 1.*

5 Spiritu] *Id est, Animo.*

7 Radicati & superstructi in eo, ac confirmati fide] ἐῤῥιζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ, καὶ βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει. *Vel,* Ut radicemini & superstruamini in eo, & stabiliamini in fide.

8 Et inanem deceptionem] καὶ κενῆς ἀπάτης. *His verbis declarat quid vocabulo* φιλοσοφίας *intelligat.*

9 Corporaliter] σωματικῶς. *Id est, Substantialiter sive essentialiter & personaliter,* οὐσιωδῶς καὶ ὑποστατικῶς. *Synecdoche speciei* κατ᾽ ἐξοχήν.

11 Dum exuistis corpus peccatorum carnis] ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός. *Id est, Dum exuistis vitiosam seu corruptam naturam, seu veterem hominem: ut loquitur infr. c. 3. v. 9. Similiter Rom. 6. v. 6. corpus peccati nominatur.* Carnis *autem nomen adjici videtur, ut significetur, unde corpus illud peccatorum ortum sit, videl. ex carnali generatione. nam quod ex carne natum est, caro est. Nec obstat, quòd per circumcisionem cordis intelligatur sanctificatio. nam etiam ad Rom. 6. de sanctificatione loquens Apostolus, inter alia ait,* Veterem illum nostrum hominem cum Christo crucifixum esse, ut enervetur corpus peccati. Per circumcisionem Christi] *Sic 1. Cor. 5. v. 7. ait, Pascha nostrum pro nobis sacrificatum esse, nempe Christum.*

12 Cum eo resurrexistis] συνηγέρθητε. *Scil.* αὐτῷ.

13 Præputio carnis] *Id est, Carne quæ est veluti præputium, hoc est, res abominabilis. Nam præputiati olim erant abominabiles Deo & populo Dei.* Carnis *autē nomine intelligitur vitiositas naturæ.*

14 Chirographo *in* ritibus *posito*] χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν. *Pro* τὸ ἐν τοῖς δόγμασιν. *Scil.* ὄν, *vel* κείμενον. *Ellipsis gemina: videl. articuli & præpositionis. Sic Ephes. 2. v. 15.* τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι *pro* τὸν ἐν δόγμασι. *ubi est solius articuli ellipsis.* Affixum] προσηλώσας. *Quasi dicas, Acclavatum, id est, clavis affixum. Quum enim Christus clavis affixus est cruci, ritus Mosaici simul transfixi, id est, aboliti sunt.*

15 Triumphatis illis] θριαμβεύσας αὐτούς. *Illis, nempe imperiis ac potestatibus, hoc est, malis spiritibus. Pronomen igitur* αὐτούς *ad sensum, non ad voces refertur. Synesis. Porrò triumphare aliquem, est aliquem in triumpho ducere: vel (ut Salustius loquitur) aliquem triumphum ducere. Sic enim ille in epist. Mithridatis ad Arsacem, lib. 4. historiar.* Filium ejus Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more triumphum duxêre.

16 Damnet] κρινέτω. *Ad verb.* Judicet. *Synecdoche generis.*

17 At corpus *est* Christi] *Id est, corpus illarum umbrarum est ipse Christus: quippe per illas adumbratus. Confer Heb. 10. v. 1. Metaphora.*

18 Adversum vos judicis partes sibi sumat] ὑμᾶς καταβραβευέτω. *Metaphora ab agonothetis, id est, judicibus publicorum certaminum: qui nominantur etiam* βραβευταί, *eò quòd victoribus decernant* βραβεῖον, *id est, præmium. Vide annotationes D. Bezæ.*

19 Augmento] τὴν αὔξησιν. *Id est,* κατὰ τὴν αὔξησιν. *Ellipsis.*

20 Si mortui estis cum Christo, *atque ita liberati estis* ab elementis mundi] εἰ ἀπεθάνετε σὺν τῷ Χριστῷ ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου. *Ante præpositionem* ἀπὸ, *subauditur* καὶ οὕτως ἀπηλλάχθητε: *ellipsi Hebræis familiari. Lutherus commodissimè vertit,* So jhr dann nu abgestorben seyt den satzungen der welt. *Hoc Paulus Rom. 6. vocat* θανατοῦσθαι τῷ νόμῳ. Mortificari Legi, *vers. 4. Item* κατηργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ νόμου. Liberari à Lege, *vers. 6.*

23 Quum

23 *Quum ad ea spectent quibus farcitur caro*] πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός. *Subaudi* τείνοντα, *vel,* ἀνήκοντα. *Verbotenus*, ad repletionem carnis, *id est, corporis.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

Ministri verbi Dei. 1 Ex v.1. Pastorem Ecclesiæ non oportet certamina & labores defugere, ut gregem sibi commissum in vera fide confirmet.

Evangeliũ. 2 Ex v.2. & 3. Doctrina Evangelii quam commendatissima nobis esse debet; quippe quæ nobis affert veram consolationem, & in nobis gignit ardentem charitatem; quæq; certissima ac vera doctrina seu cælestis est, perfectamque sapientiam continet.

Philosophia. 3 Ex v.3. Errant qui doctrinâ Evangelii non contenti, veram sapientiam & solidam consolationem ex philosophia quærunt, id est, ex libris philosophorum profanorum, qui Christiani non fuerunt.

Evangeliũ. 4 Ex v.4. Doctrina Evangelii constanter credenda est, quantumcunq; etiam probabilitatis speciem habeat quod contra illam affertur.

Ecclesia. 5 Ex v.5. In Ecclesia omnia debent fieri secundum ordinem ac decenter. Deus enim est Deus ordinis, id est, delectatur ordine, seu vult ut ordinem decentem filii sui, in ipsius cultu observent.

Fides. 6 Ex v.5. & 6. Fides Christiana non est vana opinio, sed solida scientia & firma fiducia. Confer Rom.8.v.31. & seq.

Evangeliũ. 7 Ex v. 6. Thesaurus qui nobis in Evangelio offertur, est Christus, nempe cum suo merito & efficacia. Sic Johan.4. seipsé donum illud Dei appellat, quia nobis à Deo donatus est in mediatorem & servatorem.

Officium hominis Christiani. 8 Ex v.7. Officium fidelium est, ut Deo pro donatione & patefactione Christi perpetuò gratias agant.

Philosophia. 9 Ex v.8. Philosophia moralis profanorum authorum, disserentium de summo bono & felicitate hominis, itemque de virtute, nihil aliud est quàm inanis deceptio. Itaque quò majorem probabilitatis & sapientiæ speciem habet, eò diligentiùs cavenda est: quippe quæ nos verâ & solidâ consolatione spoliat, in solo nimirum Christo (nempe merito & efficacia illius) quærendâ: non autem in nostris viribus, meritis aut virtute.

Cærimoniæ. 10 Cùm multæ illæ & variæ cærimoniæ veteris Testamenti fuerint elementa mundi, quibus veterem populum tanquam puerum erudire, sapientiæ Dei visum fuit: perversè igitur agunt tum Judæi, qui cærimonias illas perpetuò durare debere censent: tum Papistæ multò magis, qui suo judicio & arbitratu plurimas cærimonias partim à Judæis partim ab Ethnicis desumtas, in ecclesiam Dei invexerunt, & adhuc retinent.

Felicitas. 11 Quæcunq; de felicitate hominis doctrina adducit à Christo, imò quæ non rectà ad illum adducit, ea tanquam falsa & noxia repudianda est.

Habitatio Dei in Christo, & in sanctis. 12 Ex v.9. Magnum est discrimen inter habitationem Dei in Christo & in sanctis. Nam in his inhabitat Deus, quatenus eis per Spiritum sanctum certa dona confert: At in Christo, nempe in humana ipsius natura, tota plenitudo deitatis inhabitat corporaliter, id est, substantialiter seu personaliter. Quia filius Dei hanc naturam in unitatem personæ assumsit; ita ut hæc una eademque persona, quæ nominatur Christus; & Deus & homo sit.

Consolationes unde petendæ. 13 Ex v.10. Quum in Christo completi simus, id est, plenam ac solidam felicitatem habeamus: stultè igitur faciunt, qui hujus consolationis obliti, consolationes ex doctrina profanorum philosophorum conquirunt. Quanquam illi non tam consolationes, quàm vanam gloriam ac nomen quærere videntur.

Angeli. 14 Quum Christus angelorum quoq; caput ac dominus sit, angeli igitur non sunt à nobis adorandi: sed ipsi unà nobiscum Christum tanquam dominum communem adorare tenentur. Unde angelus Johanni ipsum adoraturo rectè dicebat, *Vide ne feceris: conservus tuus sum: Deum adora*, Apoc.19.v.10.

Baptismus. 15 Ex v.11. Ut Circumcisio, sic & Baptismus, duplex est, exterior in corpore, & interior in corde. Exterior administratur manu ministri; interior peragitur virtute Spiritus S. De interiore exstat promissio Deut.30. *Dominus circumcidet cor tuum &c.* Vide Rom.2.v.28.

Christus. 16 Christus est noster servator non solùm suo merito, sed etiam suâ efficaciâ. Ipse enim est, qui circumcidit corda nostra per Spiritum sanctum, id est, illuminat & renovat, donans fidem & studium pietatis.

Baptismus. 17 Ex v. 12. In locum Circumcisionis successit Baptismus. Quare sicut tam infantes quàm adulti circumcidebantur: sic tam infantes quàm adulti baptizandi sunt. Et sicut externa Circumcisio per se neminem servabat: ita nec Baptismus. Et sicut Circumcisio erat signum federis: ita & Baptismus. Quare cùm infantes Christianorum sint in federe, teste Paulo 1.Cor.7.v.14: tribuendum est eis signum federis. Denique sicut omissio Circumcisionis citra contemtum mandati Dei, non impediebat salutem morientis, ut liquet ex verbis Davidis de infante suo ante Circumcisionem mortuo, 2.Sam.12. v.23: sic nec omissio Baptismi, quæ est absque contemtu mandati Dei, salutem morientis impedit.

Baptismus. 18 Christus per Baptismum testatur credentibus, se spiritu suo eos renovaturum ut moriantur peccato & justitiæ vivant, Roman.6. in principio cap.

19 Ex v.13. Fides non proficiscitur ex viribus hominis, sed est effectum potentiæ Dei, & ejusdem quidem potentiæ quâ excitavit Christum ex mortuis. Corda enim nostra spiritualiter mortua sunt, id est, ad res spirituales intelligendum & credendum movere se naturâ suâ non possunt; sed Deus illa vivificat per Spiritum sanctum. Vide Ephes.1.v.19. & 20. Joh.5.v.25. *Fides.*

20 Deus ad nos redimendum duo nobis beneficia confert per Christum, videl. remissionem peccatorum & vivificationem seu renovationem cordis. *Redemtio.*

21 Ex v.14. & 17. Ritus legales, & maximè sacrificia, erant instar chirographi, quo confitebantur reatum suum: item (ut testatur v.17.) erant veluti umbræ, adumbrantes nimirum ac præfigurantes Christum cum suo sacerdotio. Quare Christo jam exhibito, & reatu per sacrificium ejus expiato, debitoq; persoluto, ac deniq; rebus præfiguratis ipso facto præstitis; consequens est, ut cærimoniæ illæ legales sint abolitæ. *Cærimoniæ Legis.*

22 Ex v.15. Si rationem nostram offendit infirmitas mortis ac crucis Christi, consideremus mirificum ac potentissimum ejus effectum, quippe tantum abest ut Christus in cruce moriendo, Diabolo & organis illius victus sit, ut contra Diabolum cum omnibus ejus angelis ac ministris potentissimè vicerit, deq; illis triumpharit. Vide Heb.2.v.14. & 15. *Mors Christi.*

23 Ex v.16. Christianis bonâ conscientiâ quibusvis cibis vescilicet, quum discrimen ciborum per Christum sit sublatum. Vide 1.Tim.4.v.3. *Cibi.*

24 Ex v.18. Peccant hodie Pontificii, cùm sibi imperiosam quandam potestatem sumunt in ecclesiam Christi, præscribendo scil. leges conscientiis & modum etiam admetiendo quo Deus pœnas (ut loquuntur) indulgeat. Quod dum faciunt, agonothetarum & βραβευτῶν officium usurpant, quasi pleno jure possint de salute vel exitio aliorum, prout ipsis libuit, decernere: quum tamen unicum habeamus βραβευτὴν ac judicem, Jesum Christum; cui Pater omnem in cælis & terris potestatem dedit, & ex cujus voluntate patefactâ sese omnes optimâ fide gerant oportet, quos in hoc mundo familiæ suæ sceptro verbi sui regendæ præfecit. Vide 1.Cor.4.v.1. & 2. *Leges Pontificiæ.*

25 Cavenda est fallax illa & stulta animi demissio, quam Papistæ angelorum & sanctorum defunctorum cultores, superstitioni atque idololatriæ suæ prætexere solent: quasi scil. nimis arrogantes sint qui audent ad Deum rectà accedere, & absque illorum Dei servorum intercessione perrumpere. Contrà tenendum est dictum Johannis, quod nos ad unicum intercessorem Christum remittit 1.Joh.2.v.1. Quod etiam Paulus facit Rom.8. v.34. Heb.9.v.24. *Cultus angelorum & sanctorum.*

26 Detestanda est vanitas illius pseudo-Dionysii, qui de rebus sibi incognitis, nimirum de cælesti hierarchia, confidentissimè scripsit. Similiter detestanda est vanitas Pontificiorum: qui ecclesiasticam hierarchiam tanquam illius antitypum descripserunt; quique purgatorii, limbi, ipsius denique inferni, cænacula depinxerunt. *Hierarchia ecclesiastica.*

27 Ex v.19. Solicitè curandum, ut in cultu Dei retineamus caput, id est, Christum: nec patiamur nos ab illo divelli; ut in Papatu, ubi Mariam virginem Christo ipsi anteponunt, dum eam sic inclamant: *Roga patrem, jube natum, jure matris impera.* Item dum ei epitheta Christo propria attribuunt, dicentes: *Felix cæli porta.* item, *Regina misericordiæ, vita & spes nostra.* *Cultus Dei.*

28 Qui Christo tanquam capiti per fidem insiti sive annexi sunt, accipiunt à Deo Spiritum sanctum, per cujus operationem fides & charitas eorum augetur. Vide Johan.15. ubi Christus seipsum viti, fideles palmitibus comparat. *Fideles.*

29 Ex v.20. Fideles cum Christo tanquam capite suo ita conjuncti ac uniti sunt, ut & mortem & vitam cum ipso communem habeant. Unde hîc dicuntur cum Christo mortui esse, quia Christus pro ipsis mortem æternam gustavit; atque ita sacrificio suæ mortis eos tum ab æternâ morte, tum à cærimoniis Legis, mortem ipsius præfigurantibus, liberavit. Sic alibi dicuntur cum Christo resurrexisse, item sedere in cælestibus, item victuri ac regnaturi. Vide cap. seq. v.1. item Eph.2.v.5. & 6. 2.ad Tim.2. v.11.12. Rom.6.v.8. *Fideles.*

30 Ecclesia Christiana non est ritibus oneranda. Nam rituum multitudinem Deus ecclesiæ Judaicæ propriam esse voluit, ut rudi isti populo Christum venturum variis modis adumbraret. Posteaquam autem Christus jam venit, & re ipsâ præstitit quæ per cærimonias Legis erant præfigurata cærimoniis illis amplius locus non est, sed Evangelium de Christo exhibito prædicandum est; & paucis illis cærimoniis, quas Christus instituit, contentos esse oportet. Sed contrarium fit in Papatu. *Ecclesia.*

31 Ex v.21. Superstitiosum est, à certis cibis religione aliquâ abstinere, quasi scil. bonâ conscientiâ vesci illis non possis: cùm discrimen ciborum olim populo Dei præceptum, jam in novo Testamento sit abolitum. Confer 1.ad Tim.4.v.3. Ubi interdictum ciborum inter doctrinas dæmoniorum in Papatu jam usitatas enumerat. *Cibi.*

32 Ex v.22. Usus rerum externarum, utpote caducarum, per se ad pietatem nihil confert, ac proinde Deo neminem commendat. Confer Rom.14.v.17. 1.Cor.8.v.8. *Res externæ.*

Cultus Dei. 33 Deus non vult coli mandatis ac doctrinis hominum, sed tantùm ex verbi sui præscripto. Confer Matth. 15. v. 9. Deut. 12 v. 23. Contra ἐθελοθρησκείαν Papistarum.

Cultus Dei. 34 Ex v. 23. Falluntur homines superstitiosi in suis electitiis cultibus specie ταπεινοφροσύνης, id est, demissionis animi, dum se objiciunt hominum placitis. Quare fallax illa ταπεινοφροσύνη cavenda est.

Pietas. Abstinentia. 35 Pietas non consistit in eo quòd quis corpori suo non parcit, sed illud defraudat & affligit abstinentiâ cibi & potus. Nam etsi corpus non ita pascendum est ut lasciviat, tamen habendus ei est suus honos, ut rectè valeat. Vide Rom. 13. v. ult. 1. Tim. 4. vers. 8.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hactenus prima epistola pars, quæ fuit de doctrinâ Christianâ: sequitur secunda, quæ est de Christiana vita. Ex doctrina igitur tradita deducit deinceps exhortationes ad Christianam vitam varias: quarum aliæ sunt generales, id est, ad cunctos fideles communiter pertinentes; aliæ verò speciales, pertinentes nimirum ad certos ordines: nempe uxores, maritos; liberos, parentes; servos, dominos. In hoc capite præcedunt exhortationes generales seu communes, usque ad v. 18. deinde sequuntur speciales, usq; ad v. 2. capitis quarti: unde perspicitur, primum illius capitis versiculum non rectè ab hoc capite avulsum esse.

1 ITaque si resurrexistis cum Christo, superna quærite; ubi Christus est, ad dextram Dei sedens.

2 Superna curate, non terrestria:

3 Nam mortui estis; & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

4 Quando Christus vita *illa* nostra, patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis gloriosi.

PRimùm hortatur ad meditationem vitæ cælestis, argumento ducto à causa procreante, videlic. societate resurrectionis Christi. Christus resurrexit ad vitam & gloriam cælestem, & vos resurrexistis cum Christo, id est, socii estis Christi in resurrectione ipsius: Ergo & vos ad vitam illam & gloriam cælestem tendite, nempe per serium studium pietatis. Hoc argumentum tanquam πόρισμα seu corollarium deducit ex sententia paulò antè pronuntiatâ, capite scil. præcedēte, v. 12. ubi dixit, Colossenses per Baptismum (id est, testimonio Baptismi) cum Christo resurrexisse. Porrò isti hortationi oppōnit dehortationem à curâ rerum terrenarum, v. 2. & hanc dehortationem confirmat à causa corrumpente, vers. 3. *Nolite*, inquit, *curare terrestria; nam estis mortui*, quantum scil. attinet ad terrenam felicitatem. hoc est, similes estis mortuis: quippe subjecti omnis generis ærumnis & afflictionibus. Huic sententiæ annectit consolandi gratiâ promissionem vitæ illius & gloriæ cælestis, confirmatam collatione similium. nam sicut Christi, capitis fidelium, vita & gloria cælestis adhuc mundo, atque adeò ipsis quoq; fidelibus quod ad sensum carnis attinet, est abscondita: & tamen suo tempore certissimè patefiet: ita etiam comparatum est cum vita & gloria cælesti fidelium, tanquam membrorum Christi.

5 Mortificate igitur membra vestra terrestria; scortationem, impuritatem, mollitiem, cupiditatem malam, & avaritiam; quæ est idololatria.

6 Ob quæ venit ira Dei super filios contumaciæ.

7 Quibus in *vitiis* & vos ambulastis quondam, quum in iis viveretis.

8 At nunc deponite etiam vos hæc omnia; iram, excandescentiam, malitiam, maledicentiam, verborum turpitudinem ab ore vestro.

9 Ne mentimini alius adversus alium; *sed* exuite veterem illum hominem cum factis ipsius.

10 Et induite novum illum, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus qui ipsum condidit:

11 Ubi non est Græcus & Judæus, circumcisio & præputium, barbarus & Scytha, servus & liber: sed omnia & in omnibus *est* Christus.

Ex allata promissione gloriæ cælestis quæ fideles manet, deducit nunc dehortationem à variis sceleribus ac vitiis: quæ sese per membra fidelium, quatenus illa terrestria sunt, hoc est, terrenis animi affectibus serviunt, solent exserere. Ait igitur, *Mortificate membra vestra terrestria.* ubi notanda est metonymia subjecti: intelligit enim terrenos seu animales ac vitiosos affectus qui sese in membris exserunt: sicut ex annexa enumeratione planum est: ubi enumerat aliquot scelera & vitia, quorum priora contra septimum; postremum (videl. avaritia) contra primum decalogi præceptum committitur. Avaritia enim (ut hîc ait apostolus) est idololatria; quia nimirum avarus fiduciam suam à Deo avulsam, in pecunia sua collocat. Istam dehortationem deinceps confirmat duobus argumentis: quorum prius ductum est ab eventu pernicioso, videlicet æterno exitio eorum qui contumaciter in istis sceleribus perseverant, vers. 6. Posterius à causa procreante, videl. Colossensium conversione seu regeneratione, per antithesin pristini ipsorum status ac vitæ; quum nondum regenerati spiritu Dei neque ad Deum conversi, vitiis istis ac sceleribus indulgerent, vers. 7. & 8. ubi notanda est emphasis adverbii *Nunc*, quum dicit, *At nunc deponite etiam vos &c.* quasi dicat, Nunc, posteaquam estis ad Deum conversi & spiritu Dei regenerati. ut percipitur ex antithesi. Vult dicere, Hoc tempus alios mores postulat. Cæterùm dehortationem institutam hîc amplificat enumeratione plurium vitiorum, vers. 8. & 9. quorum alia ad sextum, alia ad septimum, alia ad nonum decalogi præceptum pertinent. Versu autem 9. species vitiorum enumeratas ad unum genus revocat, appellans illa omnia πράξεις (id est, actiones seu facta) veteris hominis, hoc est, naturæ corruptæ, inde à primo homine in nos propagatæ. Verba autem hujus versiculi sic resolvo: μὴ ψεύδεσθε εἰς ἀλλήλους, ἀπεκδυσάμενοι &c. id est, ἀλλ' ἀπεκδύσασθε καὶ ἐνδύσασθε &c. Sicut paulò pòst vers. 12. ait, ἐνδύσασθε οὖν. Versu igitur 10. dehortationi generali proxime-præcedenti opponit cohortationem generalem ad induendum novum hominem, id est, ad proficiendum in agnitione Dei & studio pietatis. Hanc cohortationem vers. 11. amplificat remotione falsarum causarum, quibus pseudapostoli putabant Christianos Deo commendari, nempe si quis esset Judæus, si circumcisus &c. Apostolus negat, his & similibus rebus quenquam Deo commendari: sed absque ullo rerum ejusmodi externarum respectu Deo placere ait quotquot pietati studentes quippe qui omnes ei propter Christum placeant: sive Judæi sint, sive Græci, sive circumcisi, sive incircumcisi &c.

12 Induimini igitur, ut electi Dei, sancti & dilecti, visceribus miserationum, benignitate, modestiâ, mansuetudine, lenitate:

13 Tolerantes alii alios, & condonantes vobis mutuò, si quis adversus aliquem habuerit querelam: sicut & Christus condonavit vobis, ita & vos.

14 Super hæc autem omnia *induimini* charitate; quæ est vinculum perfectionis.

15 Et pax Dei imperet in cordibus vestris; ad quam etiam vocati estis in unum corpus: & grati estote.

16 Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè cum omni sapientia: docendo & commonefaciendo vos mutuò psalmis & hymnis & cantionibus spiritualibus, cum gratia canendo in vestro corde Domino.

17 Et quicquid feceritis sermone aut opere, *id* omne in nomine Domini Jesu *facite*, gratias agentes Deo & patri per eum.

Exhortationem generalem modò propositam deinceps declarat exhortatione speciali, qua hortatur ad virtutes Christianas varias, ac inprimis ad concordiam & studium assiduum verbi Dei, admixtis passim exhortationum argumentis. nam v. 12. tribus argumentis (quæ tamen ad duo contrahi possunt) hortatur ad beneficentiam & alias quasdam virtutes: nempe quòd sint electi Dei, sancti ac dilecti. q. d. Deus vos dilexit, & in Christo ex mera misericordia elegit ad vitam æternam: Ergo & vos diligite alii alios, & ex misericordia vobis mutuò benefacite. Deinde, Deus vos per Christi sanguinem & spiritum sanctificavit, id est, à mundo segregavit sibi in populum peculiarem: Ergo ita vos gerite ut sanctos decet, operam scilicet dando benignitati, modestiæ &c.

Vers. 13. ad condonationem offensarum hortatur ab exemplo Christi.

V. 14. ad dilectionem fraternam hortatur ab effectu utili: quia charitas sit vinculum perfectionis, hoc est, quia Christiani charitate mutuâ inter se colligentur & compingantur in unum corpus: ex qua corporis unitate & membrorum inter se colligatione perfectio singulorum ipsorum dependet, ita ut nulli membro quicquam desit.

V. 15. ad concordiam hortatur ab effecto destinato, videlicet vocatione Dei: *Vocati estis*, inquit, *in unum corpus*, hoc est, ut sitis inter vos unum corpus, ac proinde ut pacem inter vos mutuò colatis, tanquam unius corporis membra.

V. 16. hortatur ad assiduum studium verbi Dei & exercitia pietatis, ac nominatim ad cantiones spirituales: quarum & formam & finem præscribit. Forma partim in eo est, ut conjunctæ sint cum gratia, seu ut gratiosæ sint, hoc est, ut cum gratia & ædificatione audiantur: partim in eo, ut proficiscantur ex intimo cordis affectu, atque ita Deo placeant. Finis autem est, ut fiant ad gloriam Domini: dum scilicet gratiæ ei aguntur pro acceptis beneficiis.

V. 17. speciali huic exhortationi generalem annectit, qua hortatur ad glorificationem nominis Dei in omnibus dictis & factis, idq; per Christum mediatorem.

18 Vos

18 Vos uxores, subjicite vos propriis viris, ut convenit, in Domino.

19 Vos viri, diligite uxores, & ne estote adversus eas amarulenti.

20 Vos liberi, auscultate parentibus in omnibus: hoc enim gratum est Domino.

21 Vos patres, ne irritate liberos vestros: ne despondeant animum.

22 Vos servi, auscultate per omnia iis qui domini sunt secundùm carnem: non obsequiis ad oculum exhibitis, ut qui hominibus placere student; sed cum simplicitate cordis, timentes Deum.

23 Et quicquid feceritis, ex animo præstate tanquam Domino & non hominibus:

24 Scientes, vos à Domino recepturos mercedem hæreditatis: nam Domino Christo servitis.

25 Qui verò injuriam intulerit, reportabit injuriam quam intulerit: neq; est personarum respectus.

CAP. IV.

Vos domini, æquitatem & æquabilitatem servis exhibete: ut qui sciatis, vos quoque habere dominum in cælis.

Deinceps sequuntur exhortationes speciales, pertinentes ad certos hominum ordines: quorum tria quasi juga seu paria proponit. 1. uxores & maritos. 2. liberos & parentes. 3. servos & dominos.

Vers. 18. uxores hortatur ut subjectæ sint suis maritis: & hanc exhortationem confirmat ab adjuncto decoro: quia hæc subjectio eas decet: tum subjectionem istam certâ limitatione sive exceptione circumscribit, monens ut subjectæ sint in Domino, id est, eatenus, ut interim subjectæ maneant Domino, nec ab illius obedientia in gratiam maritorum discedant. Confer Eph. 5. v. 22. 23. 24. & 33.

Vers. 19. hortatur maritos, ut uxores suas diligant: & contrà dehortatur ab animi amarulentia, id est, inhumanitate & crudelitate erga illas. Confer Ephes. 5. v. 25. & deinceps.

Vers. 20. hortatur liberos ad obedientiam erga parentes, idque in omnibus. ubi intelligenda est exceptio illa de qua modò dictum v. 18. nempe ut obediant parentibus in Domino: quam quidem exceptionem exprimit Apostolus Ephes. 6. vers. 1. Hanc exhortationem confirmat ab effectu utili: quia obedientia ista grata sit Domino, ac proinde benedictionem illius secum trahat: cujus benedictionis expressè meminit Ephes. 6. v. 2. & 3.

Vers. 21. dehortatur patres ne liberos suos irritent: argumentum annectit ab eventu pernicioso: quia periculum sit, ne liberi à parentibus irritati animum despondeant. Confer Ephes. 6. vers. 4.

Vers. 22. hortatur servos ad obedientiam erga dominos: & huic exhortationi primùm inserit consolationem, quatenus dominos vocat dominos secundùm carnem: quo significat, eos tantùm potestatem habere in corpora servorum, non autem in animas & conscientias. deinde formam obedientiæ dominis præstandæ describit, præcipiens ut obedientia ista sit sincera & ex timore Dei profecta: quod ipsum declarat antithesi contrariorum vitiorum, vetans ne obsequia præstent ad oculum, (id quod pugnat cum sinceritate seu simplicitate cordis) hoc est, ne dominis præsentibus & spectantibus solùm satagant & strenuè mandatos labores suscipiant: quàm primùm autem tergum illi verterint, studium remittant ac cessent: deinde ne studeant placere hominibus, (id quod pugnat cum timore DEI) hoc est, ne favorem herorum tantopere demereri sibique conciliare studeant, ut sepositо timore Dei quacunque ratione placere illis studeant. Hanc sententiam v. 23. repetit. Tum v. 24. institutam exhortationem confirmat ab effectu utili: quia sic adepturi sint vitam æternam: sic, inquam, id est, talis obedientiæ viâ, non tamen merito. Ubi notandum, vitam æternam ab Apostolo simul vocari mercedem & hæreditatem. Ac mercedem quidem vocat impropriè, nempe per metaphoram institutæ exhortationi accommodatam: quia disserit de officio servorum: servis autem merces dari solet. Hæreditatem verò nominat propriè: quia vita æterna nobis datur ut filiis, adoptatis scilicet à DEO in filio unigenito, nempe Christo: qui principalis hæres est, nos autem illius cohæredes: quia & ipsi sumus filii Dei: Rom. 8. v. 17. Tum v. 25. servos contra injurias dominorum consolatur sententiâ generali ab effectu jucundo: quia futurum sit ut Deus injurias ipsis à dominis illatas ulciscatur. quam sententiam amplificat prolepsi, qua tollit falsam persuasionem dominorum: quasi propter ipsorum dignitatem Deus ipsis parsurus sit. Contrà ait Apostolus, apud Deum non esse προσωποληψίαν, id est, Deum in judicando nihil morari externas larvas quibus homines ad gratiam aut odium commoveri solent.

Vers. 1. capitis quarti, qui cum instituta exhortatione cohæret, hortatur dominos ut servis exhibeant æquitatem & æquabilitatem, seu quod justum & æquum est: id est, ut labores eorum compensent justâ mercede, ut eis suppeditent victum & amictum, & ut quietem quoque aliquam permittant; ne nimiis oneribus gravati laboribusq; fracti fatiscant ac deficiant. Argumentum exhortationis annectit ab effectu inutili: quia alioqui futurum sit ut à Deo puniantur, tanquam domino ipsorum.

SCHOLIA IN CAP. III.

4 Quando] ὅταν. Pro, Quando autem, ὅταν δὲ. *Confer 1. Joh. 3. v. 2.* Gloriosi] ἐν δόξῃ. *Ad verb.* In gloria, *seu,* Cum gloria. *subaudi,* ὄντες. *Id est, Gloriâ præditi.*

5 Membra] *Sicut sup. cap. 2. v. 11. vitiositatem naturæ vocavit corpus peccatorum: ita nunc cupiditates inde exorientes vocat membra, μεταφορικῶς. Vel dicendum, esse metonymiam subjecti: quia in membris ista scelera sese exserunt.*

6 Filios contumaciæ] τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας. *Id est, Homines contumaces ut Ephes. 2. v. 2 & cap. 5. v. 6.*

8 Ab ore vestro] ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν. *Præpositio ἐκ pendet vel à verbo ἀπόθεσθε, vel à participio ἐκπορευομένην subintellecto.*

9 Sed exuite] ἀπεκδυσάμενοι. *Pro,* ἀλλ᾽ ἀπεκδύσασθε. *Vide Analysin.*

11 Non est] οὐκ ἔνι. *Sic Gal. 3. v. 28.*

12 Electi Dei] ἐκλεκτοὶ τοῦ θεοῦ. *Id est, Electi à Deo ad vitam æternam. Sic Tit. 1. v. 1.* Fides electorum Dei, ἐκλεκτῶν Θεοῦ. *Genitivus adjuncti.*

15 Imperet] βραβευέτω. *Instar brabeutæ seu agonothetæ omnia regat ac moderetur. Vide annot. D. Bezæ.* Grati estote] εὐχάριστοι γίνεσθε. *Sic malo quàm,* Gratias agite. *nam plus est* εὐχάριστοι γίνεσθαι, *quàm* εὐχαριστεῖν. *Germanicè,* **Seyt danckbar.**

16 Docendo &c.] διδάσκοντες &c. *Ad verb.* Docentes. *quasi in præcedentibus dixisset,* τὸν λόγον τοῦ χριστοῦ πραγματεύετε, *Sermonem Christi tractate. Syntaxis igitur refertur ad sensum orationis, non ad voces. Anomalia sermonis.*

17 *Id omne*] πάντα. *Epanalepsis, mutato numero: nam præcessit* πᾶν.

18 Vos uxores] αἱ γυναῖκες. *Pro,* ὦ γυναῖκες. *Sic deinceps.*

24 Recepturos mercedem hæreditatis] *Id est, Recepturos mercedis loco hæreditatem illam cælestem omnibus Dei filiis paratam. Genitivus speciei. Utitur autem mercedis nomine, quia loquitur de servis: & mox ait, eos servire Christo. Quanquam nomen* ἀνταπόδοσις *in genere retributionem significat. Sed hîc per synecdochen generis usurpatur.*

25 Reportabit] κομιεῖται. *Vel,* Auferet. *nempe à Deo.* Injuriam] *Id est, Injuriæ pœnam. Metonymia efficientis.* Neque est] καὶ οὐκ ἔστι. *Pro, Neq; enim est,* καὶ γὰρ οὐκ ἔστι. Personarum respectus] προσωποληψία. Faciei acceptio. *Subaudi,* apud Deum. *quod alibi exprimitur.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v. 1. Fideles cum Christo tanquam membra cum capite vitam communem habent. Itaque sicut Christus per spiritum Dei excitatus est ex morte ad vitam cælestem: ita & fidelium corda per spiritum Dei excitantur ex morte peccati ad vitam justitiæ; nec non corpora eorum excitabuntur ad gloriam illam cælestem. Vide Rom. 8. v. 10. & 11. 1. Cor. 15. per totum caput. *Fideles.*

2 *Superna quærite ubi Christus est*] Christus suo corpore non est ubique, sed tantùm in cælo. Nec ubiquitas corporis Christi concludi potest ex sessione ipsius ad dextram DEI: Quia Apostolus hîc dicit, Christum ad dextram Dei sedere in supernis, (ἐν τοῖς ἄνω, scil. τόποις) id est, in cælis. Sic ad Heb. 8. v. 1. *Christus.*

3 Ex v. 3. & 4. Cùm fideles in hac vita sint mortuis quàm viventibus similiores, propter quotidianas afflictiones: consolari se debent communione seu societate illâ suâ cum Christo; quòd nimirum, sicut jam cum Christo affliguntur, ita suo tempore cum eodem glorificandi sint. Confer Rom. 8. v. 19. 2. Tim. 2. v. 11. & 12. 1. Joh. 3. v. 2. *Consolatio.*

4 Ex v. 5. Observandum, quid sit idololatria, nempe fiduciam suam à Deo avulsam collocare in creatura aliqua. Hoc enim sensu avaritia idololatria ab Apostolo dicitur, & avarus idololatra; quòd avarus fiduciam suam in pecunia collocet. *Idololatria.*

5 Ex v. 6. Oremus Deum ut nos gubernet spiritu suo, ne contumaciter resistamus sanctis ipsius mandatis: In tales enim certò ventura est ira Dei, id est, æternum exitium. *Officium hominis Christiani.*

6 Ex v. 7. & 8. Recordatione veteris nostræ nequitiæ commoveri debemus ad studium pietatis eò ardentiùs suscipiendũ. *Officium hominis Christiani.*

7 Ex v. 9. & 10. In homine Christiano sunt quasi duo homines, vetus & novus; quia fideles per Spiritum sanctum regeniti sunt ex parte tantùm. Remanent igitur in renatis reliquiæ veteris hominis; quæ magis & magis sunt deponendæ; & orandum ut novus homo subinde magis renovetur ac instauretur. *Fideles.*

8 Ex v. 10. Imaginis DEI ad quam homo conditus fuit, pars una fuit sapientia quâ Deum rectè cognoscebat; altera pars fuit restitutio voluntatis, de qua ad Eph. 4. v. 24. *Imago Dei.*

9 Ex v. 11. Res externæ Deo neminem commendant, sed sola fides in Christum, & inde ortum studium pietatis. *Res externæ.*

10 Ex v. 12. 13. 14. & 15. Ad dilectionem proximi excitare nos *Dilectio.*

debemus consideratione dilectionis Dei patris & Christi erga nos, & utilitatis quæ inde ad nos pervenit, (cùm dilectio sit vinculum perfectionis) & voluntatis Dei qui ad eam nos vocavit.

Justificatio. Vindicatio verborum Pauli, Charitas est vinculum perfectionis. 11 Ex v.14. Ineptè ratiocinantur Papistæ, cùm colligunt, nos charitate justificari, quia charitas sit vinculum perfectionis. Neque enim his verbis significatur, nos charitate perfectos reddi ad consistendum in judicio Dei; sed docetur, singulos fideles per charitatem perfici, tanquam membra unius corporis, ita ut nulli quicquam desit, sed singulis necessaria suppetant ex mutuo cum cæteris membris consortio.

Cantus. 12 Ex v.16. Mos canendi psalmos in Ecclesia utilis est, dummodo cantus ille sic administretur, ut serviat doctrinæ & commonefactioni, & proficiscatur ex intimo cordis affectu. Non rectè igitur canunt Papistæ, cùm in canendo utuntur linguâ peregrina & populo congregato ignotâ, videlicet Latinâ: talis enim cantus non assequitur legitimum finem, ut scilicet populus Dei per eum doceatur & commonefiat. Deinde etiam isti cantu psalmorum abutuntur, qui eum dirigunt ad voluptatem aurium: quum dirigendus sit ad doctrinam & commonefactionem. Tertiò non rectè canunt, qui non canunt ex intimo cordis affectu; id quod necesse est accidere iis, qui canunt non intellecta, aut cantum dirigunt ad voluntatem aurium.

Officium hominis Christiani. 13 Ex v.17. Omnis nostri operis initium ab invocatione Dei patris per Christum mediatorem proficisci debet: itemq; omnis nostri operis in timore Dei peracti finis esse debet gratiarum actio.

Obedientia. 14 Ex v.18.20.& 22. Quousque obedientia quam inferiores superioribus sibi præfectis debent, sese extendat: nimirum ad ea omnia quibus præstandis non receditur ab obedientia erga Deum. Quare si præfecti aliquid voluntati Dei repugnans præcipiant, obedire illis non tenemur. Obediendum enim est Deo potiùs quàm hominibus.

Vita æterna. 15 Ex v.24. Vita æterna propriè loquendo hæreditas est, quia nobis confertur ut filiis, nempe fratribus filii Dei unigeniti, Rom.8.v.17. Matth.25. v.34. Interim tamen appellatur etiam merces, per metaphoram. Nam sicut merces operariis datur post opus peractum, (unde & Hebræis עָקֵב hékeb dicitur: voce cognatâ nomini עָקֵב hakéb: quod significat calcaneum, finem scil. pedis: item dicitur אַחֲרִית ahharíth, id est, finis, extremum) ita felicitas illa cælestis dabitur filiis Dei post exantlatos hujus vitæ labores & ærumnas. Et sic Petrus usurpat nomen τέλος, 1.Pet.1.v.9. Infirmum igitur est, quod Papistæ ex vocabulo *mercedis* colligunt, vitam æternam dari propter nostra merita.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Redit ad exhortationes generales: deinde familiaribus salutationibus ac piis commendationibus epistolam concludit.

2 In precibus perdurate, invigilantes iis cum gratiarum actione.

3 Precantes simul etiam pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ut loquamur mysterium Christi; propter quod etiam sum vinctus.

4 Ut, *inquam*, illud patefaciam sicut oportet me loqui.

5 Sapienter vos gerite erga extraneos, opportunitatem redimentes.

6 Sermo vester semper cum gratia *sit*, sale conditus; ut sciatis quomodo oporteat vos unicuiq; respondere.

PRimùm hortatur ad preces, ac nominatim pro se, ut cum fructu prædicare possit Evangelium, v.2.3.& 4. deinde hortatur ut sapienter versentur cum extraneis, id est, iis qui extra Ecclesiam erant, nondum amplexi fidem Christianam: utq; occasionem captent eos Christo lucrifaciendi: v.5. Tum hortatur ut sermonem suum accommodent ad utilitatem audientium, ac nominatim eorum qui contra fidem Christianam disputent, v.6.

7 Res meas omnes vobis notas faciet Tychicus, dilectus frater, & fidus minister, ac conservus in Domino:

8 Quem misi ad vos ob hoc ipsum, ut cognoscat res vestras, & corda vestra consoletur:

9 Cum Onesimo fido & dilecto fratre, qui est ex vobis. Omnia *igitur* vobis exponent quæ hîc aguntur.

10 Salutat vos Aristarchus, meus in captivitate socius, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata, (si venerit ad vos, excipite eum)

11 Et Jesus qui vocatur Justus: qui sunt ex circumcisione: hi soli *sunt* adjutores in regno Dei, qui fuere mihi solatio.

12 Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi, semper certans pro vobis in precibus, ut stetis perfecti & completi in omni voluntate Dei.

13 Hoc enim de eo testor, eum multo vestri studio ardere, & eorum qui sunt Laodiceæ, & eorum qui Hierapoli.

14 Salutat vos Lucas medicus, ille dilectus, & Demas.

15 Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & ecclesiam quæ in domo illius est.

16 Et quum perlecta fuerit apud vos epistola, facite ut etiam in Laodicensium ecclesia recitetur: & eam quæ scripta est ex Laodicea, ut vos quoq; legatis.

17 Et dicite Archippo, Vide ut ministerium quod accepisti in Domino, impleas.

18 Salutatio meâ manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia sit vobiscum, Amen.

Commendat eis Tychicum & Onesimum, & alios nonnullos: Ex quibus duos illos tunc ad ipsos mittebat; cæterorum autem verbis eos salutat, usque ad v.15. Deinde jubet certos quosdam verbis suis salutari, epistolam hanc cum Laodicensibus communicari, & aliam quandam ex Laodicea scriptam, ab ipsis legi, tum Archippum officii studiosè faciendi admoneri. Postremò salutatione suâ adscriptâ, vincula sua precibus ipsorum commendat.

SCHOLIA IN CAP. IV

1 In precibus perseverate] τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε. *Sic Act.1.v.14. Rom.12.v.12.* De quo] περὶ οὗ. *Puto, ad Marcum referri: quoniam de eo principaliter loquitur, & mox eum commendat.* Si venerit] ἐὰν ἔλθῃ. *Pro, Si igitur venerit,* ἐὰν οὖν ἔλθῃ. *nempe Marcus, de quo (nimirum excipiendo) accepistis mandata.*

3 Ostium sermonis] θύραν τοῦ λόγου. *Sic 1.Cor.16.v.9. item 2.Cor.2.v.12.* Propter quod etiam sum vinctus] δι' ὃ καὶ δέδεμαι. *Confer Phil.1.v.13.* Opportunitatem redimentes] τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενοι. *Sic Ephes.5.v.16.*

6 Quomodo oporteat vos unicuiq; respondere] πῶς δεῖ &c. *Confer 1.Pet.3.v.15.*

9 Cum Onesimo] σὺν Ὀνησίμῳ. *De hoc vide in epistola ad Philemonem.*

10 Et Marcus &c.] καὶ Μάρκος &c. *Hic videtur esse is super quo exorta fuit contentio inter Paulum & Barnabam, Actor.15.v.37. & seq.*

11 Ex circumcisione] *Id est, Ex circumcisis, hoc est, Judæis. Metonymia adjuncti.* Hi soli &c.] οὗτοι μόνοι &c. *Confer 2.Tim.4.versu 10.*

12 Epaphras] Ἐπαφρᾶς. *De hoc & supr.1.v.7.* Certans in precibus] *Nota arma Christianorum. Notatur autem hîc singularis ardor precandi.*

14 Lucas] Λουκᾶς. *Hujus mentio quoq; fit 2.Tim.4. v.11. Item Demæ, ibid. v.10.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex v.3.& 4. Laudabilis mos est, quòd prædicationi Verbi præmittuntur preces, quibus ecclesia Deum orat, ut ministro largiatur facultatem rectè prædicandi verbum Dei. *Preces.*

2 Ex collatione utriusq; illius versus. Doctrina Evangelii, est quidem illa mysterium, id est, doctrina arcana & rationi humanæ ignota: veruntamen patefit electis per prædicationem atque institutionem. Eadem est ratio sacramentorum. *Evangelii.*

3 Ex v.5.& 6. Christianos decet sapientia hæc spiritualis, ut diligenter observent occasiones erudiendi ignaros doctrinæ cælestis, iisque oblatis studiosè utantur ad multos Christo lucrifaciendum. Item ut sermonem suum sapienter ad eos quibuscum loquuntur, accommodent. Hujus sapientiæ exempla illustria exstant in sermonibus Christi, ut Joh.4. in colloquio cum muliere Samaritana: Joh.6. in sermone ad Capernaitas de pane cælesti & vivifico. *Officium hominis Christiani.*

4 Ex v.11. Si accidat, nos in periculis à fratribus deseri: consolemur nos exemplo Pauli, cui idem accidit. Confer 2.Tim.4. versu 10. *Consolatio.*

5 Ex v.12. Arma Christianorum sunt preces: in quibus exhibendus est ardor. *Preces.*

6 Ex v.15. Nomen ecclesiæ meretur etiam cœtus fidelium exiguus; quales in familiis esse solent. *Ecclesia.*

FINIS.

ANALYSIS LOGICA

EPISTOLÆ PAULI
ad Thessalonicenses prioris.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

Principalis scopus Apostoli in hac epistola est, confirmare Thessalonicenses in fide Evangelii ab ipso eis prædicati: quo peracto, varia vitæ Christianæ præcepta suo more tradit: quibus etiam doctrinam de resurrectione mortuorum & adventu Domini ad judicium inserit, ad occurrendum (ut apparet) errori quorundam, opinantium scilicet eos tantùm vitæ æternæ cum Christo participes fore, quos ipse adveniens in vivis deprehendisset. Partes igitur hujus epistolæ sunt tres: in quarum prima eos hortatur ad perseverantiam in fide, ab initio usque ad versum 12. cap. 3. in altera hortatur ad vitæ sanctitatem, & varia vitæ Christianæ præcepta tradit à vers. 12. cap. 3. usque ad versum 23. cap. 5. ubi epistolam concludit. Tertia verò pars, quæ doctrinam de resurrectione mortuorum & adventu Domini ad judicium continet, secundæ parti inserta est, videlicet à vers. 13. cap. 4. usque ad vers. 4. cap. 5.

ANALYSIS CAP. I.
ARGUMENTUM.

Apostolus exhortaturus Thessalonicenses ad perseverantiam in fide, narrationem instituit, comparatam partim ad ipsorum laudem, partim ad ministerii sui apud ipsos functi commendationem, partim denique ad sui excusationem, quòd ad ipsos non venerit ut eos coràm consolaretur. Hæc totis ferè tribus primis capp. agit, idque promiscuè. Hoc autem capite post salutationem primùm narrat, quòd ipsorum nomine Deo gratias agat in quotidianis suis precibus, v. 2. deinde beneficia Dei commemorat in ipsos collata, pro quibus Deo gratias agat, vers. 3. & 4. tum eâ occasione suum apud eos functum ministerium commendat ab adjuncta efficacia, v. 5. simulque laudat ipsorum in Evangelio amplectendo alacritatem & constantiam, v. 6. Quas ipsas virtutes postea amplificat ex eventis, videlicet imitatione aliorum, qui scilicet ipsos sint imitati, v. 7. & famâ fidei ipsorum apud complures diffusâ, v. 8. 9. & 10. Porrò duobus ultimis versibus conversionem ipsorum è suis partibus plenè describit.

PAulus & Silvanus & Timotheus, ecclesiæ Thessalonicensium, *quæ est* in Deo patre & Domino JESU CHRISTO. Gràtia *sit* vobis, & pax à Deo patre nostro & Domino JESU CHRISTO.

SAlutatio continet primùm nomen ejus qui scripsit: deinde eorum ad quos scripsit: tum ipsum votum seu precationem qua illis felicitatem exoptat. Nomen ejus qui scripsit, est *Paulus*: de quo diximus in epistola ad Romanos. Adjungit autem sibi Silvanum & Timotheum, tanquam approbatores doctrinæ suæ; quorum in Evangelio prædicando sinceritas Thessalonicensibus haud dubiè perspecta erat. Nomen eorum ad quos scripsit, est *ecclesia Thessalonicensium.* Precatur eis gratiam & pacem à Deo patre & Christo: significans, veram felicitatem à gratia Dei proficisci, & merito Christi credentibus partam esse.

2 Gratias agimus Deo semper de omnibus vobis, mentionem vestri facientes in precibus nostris:

3 Indesinenter memoriâ repetentes efficacem vestram fidem, & laboriosam charitatem, & tolerantem illam spem in Domino nostro Jesu coram Deo & patre nostro:

4 Ut qui sciamus, fratres, dilecti à Deo, electionem vestram.

Prima pars narrationis: ubi narrat, quid quotidie propter Thessalonicenses agat, nempe quòd DEO agat gratias pro donis spiritualibus in ipsos collatis: nimirum fide, charitate & spe: quorum etiam fontem indicat, videl. electionem DEI. Sic ad Rom 8. dicit, *Quos prædestinavit* (ac proinde elegit) *eos etiam vocavit*, hoc est, fide donavit: cum fide autem charitas & spes necessariò cohærent, ut effecta cum sua causa procreante. Hinc colligitur primum argumentum hortationis ad perseverantiam in fide: quia scil. eximiâ fide à Deo ex mera gratia sint donati.

5 Quoniam Evangelium nostrum constitit apud vos non loquutione duntaxat, sed etiam virtute, & Spiritu sancto, & certâ persuasione multâ: sicut nostis, quales fuerimus inter vos propter vos.

Secunda pars narrationis: ubi narrat, qua ratione Evangelium apud ipsos prædicarit, nempe ita ut illi prædicationi adjuncta fuerit virtus seu efficacia Spiritus sancti, & certa prædicantis persuasio seu plena fiducia. Hinc colligitur secundum argumentum hortationis, ut scil. perseverent in fide doctrinæ à Paulo acceptæ; quum viderint eam cælitus comprobari, & animadverterint eam plenâ fiduciâ à Paulo annuntiari, homine aliàs minimè audace aut impudente.

6 Et vos imitatores nostri facti fuistis & Domini, recepto sermone cum afflictione multâ, cum gaudio Spiritus sancti:

7 Adeò ut fueritis exemplaria omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia.

8 A vobis enim non solùm personuit sermo Domini in Macedonia & Achaia, verùm etiam in omnem locum fides vestra quæ est in Deum, dimanavit; ut necesse non habeamus quicquam loqui.

9 Siquidem ipsi de nobis annuntiant, qualem ingressum habuerimus ad vos, & quomodo converteritis vos ad Deum, relictis idolis, ut serviretis DEO vivo & vero:

10 Et exspectaretis filium ejus è cælis, quem excitavit à mortuis, *nempe* JESUM qui eruit nos ab ira illa ventura.

Tertia pars narrationis: ubi narrat, quomodo Thessalonicenses se gesserint, quum Paulus apud ipsos Evangelium prædicaret: nempe quòd doctrinam illam cælestem promtè & alacriter amplexi sint fide. Hanc in credendo alacritatem illustrat primùm collatione similium, quum dicit, *Et vos imitatores nostri facti fuistis & Domini.* quasi dicat, Quàm promtus ac liberalis fuit Dominus in Evangelio vobis mittendo, itemque quàm promtus atque alacris fui ego in Evangelio vobis prædicando: tam promti & alacres fuistis vos in eodem amplectendo. Deinde amplificat istam alacritatem expositione causæ corrumpentis, ubi dicit, *eos recepisse sermonem cum oppressione seu afflictione multa.* quasi dicat, Tanta fuit vestra in Evangelio recipiendo alacritas & constantia, ut non passi sitis vos ab illius professione deterreri ullâ, quantumvis magnâ, persecutione. Tertiò amplificat illam alacritatem ab adjuncto gaudio: quòd in media persecutione nihilominus propter Evangelium sibi patefactum gavisi sint. Quod quidem gaudium vocat gaudium Spiritus sancti, eò quòd Spiritus sanctus ejus author fuisset. Atque hæc habentur versu 6. Quartò amplificat illam alacritatem credendi ab insigni effectu duplici: videl. ab imitatione aliorum, qui ipsorum exemplum sint imitati, v. 7. & ab illustri fama ad complures diffusa, v. 8. & 9. Hinc colligitur tertium argumentum hortationis. nam quum tantâ alacritate Evangelium amplexi sint: turpe esset, in medio cursu deficere. Item quartum, nempe quum tot pios homines testes & approbatores habeant suæ fidei: turpe esset, ab ea deficere, atque ita præclarum illorum de ipsis judicium refellere. Porrò circa finem v. 9. & 10. describit conversionem ipsorum ex adversis terminis. Terminus à quo, sunt idola: terminus ad quem, est Deus vivus & verus, & filius ejus, nempe Dominus noster JESUS CHRISTUS.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Silvanus] Σιλβανός. *Hic Silvanus videtur fuisse ille ipse qui à Luca in Actis Silas nominatur: id quod colligitur ex collatione hujus epistolæ cum Actis. Etenim in Actis narratur, Paulum assumsisse comites & socios peregrinationum suarum Silam & Timotheum; Act. 15. v. 40. & cap. 16. v. 3. Deinde narratur, Silam & Timotheum substitisse Berœæ, quum Paulus proficisceretur Athenas, mandataque accepisse ut quam citissimè ad ipsum venirent, Act. 7. v. 14. & 15. Tum narratur, utrumque è Macedonia (nempe Berœâ quæ in Macedonia sita erat, ut liquet ex cap. 17. v. 10. & 11.)*

venisse ad Paulum, quum is Athenis jam profectus esset Corinthum: Actor.18.v.1.& 5. Jam verò ex hac epistola liquet, Paulum quum hanc epistolam scriberet, secum habuisse Silvanum & Timotheum, cap.1.v.1. deinde & hoc liquet, Paulum antequam hanc epistolam scriberet, ad Thessalonicenses misisse Timotheum Athenis, ita ut ipse solus ibi relinqueretur, cap.3.v.1.& 2. Hinc jam colligitur, à Luca hoc esse præteritum, quòd dum Paulus Silam & Timotheum Athenis exspectaret, solus Timotheus ad eum illuc venerit, & inde ad Thessalonicenses missus sit, relicto scil. Berœæ Silâ qui hic Silvanus nominatur. Postea autem quum à Thessalonicensibus ad Paulum qui interim Corinthum profectus erat, rediturus esset Timotheus, Silam sive Silvanum secum assumsit, & unà cum illo Corinthum ad Paulum venit, unde hæc epistola communi ipsorum nomine ad Thessalonicenses scripta & missa fuit. Quare falsa est annotatio huic epistolæ subjecta, quòd hæc epistola Athenis scripta fuerit: quæ sententia videtur nata fuisse ex loco hujus epistolæ non intellecto, nempe cap.3.v.1.& 2. ubi ait Paulus, se sustinuisse solum relinqui Athenis, & Timotheum ad Thessalonicenses misisse: quæ verba istius annotationis author sic accepit, quasi Paulus Timotheum cum hac ipsa epistola ad Thessalonicenses miserit, ac proinde quasi loquatur de missione præsenti, non autem de præterita. Sed huic expositioni repugnat, quòd hæc epistola ipsius quoq; Timothei nomine scripta est: non igitur per ipsum est missa. Ecclesiæ Thessalonicensium] τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων. Vocabulo ἐκκλησίας intelligitur multitudo vocatorum ad communionem Dei per prædicationem Evangelii. Porrò Thessalonica (unde dicti Thessalonicenses) oppidum fuit in ora sinus Macedonici, medio littoris flexu situm, liberæ conditionis; teste Plinio lib.4.nat.hist.c.10. De hujus autem ecclesiæ origine vide Act.17. à principio. Quæ est in Deo patre &c.] Id est, Quæ fiduciâ suâ recumbit in Deo patre &c. vel, Quæ collecta est per efficaciam Dei patris &c. Gratia] χάρις. Id est, favor seu benevolentia. Pax] εἰρήνη. Id est, Vera felicitas seu beatitudo. Hebraica salutandi forma.

3 Efficacem vestram fidem] ὑμῶν τοῦ ἔργου τῆς πίστεως. Ad verb. Vestrum opus fidei. Trajectio gemina; una pronominis ὑμῶν: altera nominis ἔργου, per hypallagen Hebræam. Dicitur enim τὸ ἔργον τῆς πίστεως, pro, ἡ πίστις τοῦ ἔργου, τουτέστιν ἐργώδης vel ἐνεργουμένη: opus fidei, pro, fides operis, hoc est, operosa seu actuosa, seu deniq; efficax, nempe per charitatem: ut expressè loquitur Gal.5.v.6. πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη: & hic quoq; verbis sequentibus declarat. Est autem eadem hypallage in sequentibus quoq; duobus membris: ubi dicitur κόπος τῆς ἀγάπης, pro ἀγάπη κοπιῶσα: & ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος, pro, ἐλπὶς ὑπομένουσα. Coram Deo &c.] Monet, Deum quasi spectatorem esse commemoratarum virtutum. Et meritò. Is enim καρδιογνώστης est.

4 Ut qui sciamus &c.] εἰδότες. Hæc sententia sic distinguenda est, ut cum vocibus ὑπὸ θεοῦ, conjungatur participium ἠγαπημένοι: ac proinde sic vertendum, Ut qui sciamus, fratres, dilecti à Deo, electionem vestram. Confirmatur hæc distinctio ex collatione v.13.cap.2.epist.poster. ubi habetur, ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ κυρίου: ita ut hæc verba, ὑπὸ κυρίου, non possint conjungi cum alia voce quàm illo participio ἠγαπημένοι.

5 Evangelium nostrum] Id est, à nobis prædicatum: seu, nostra Evangelii prædicatio. Metonymia subjecti. Non loquutione duntaxat &c.] οὐκ ἐν λόγῳ μόνον &c. Confer 1.Cor.2.v.4.5. & c.4.v.20. Sed etiam virtute &c.] ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει. Puto sequentia nomina cum præpositione ἐν pendere omnia à verbo ἐγενήθη: ac proinde sic vertendum, Sed etiam virtute & Spiritu sancto & certâ persuasione multâ. id est, Virtute quam suppeditavit Spiritus sanctus, ac nominatim illa animi certâ persuasione & alacritate. ἓν διὰ δυοῖν, vel potiùs διὰ τριῶν. Nam nomen πληροφορίας hîc referendum esse ad Apostolum prædicantem: intelligitur ex sententia quæ mox subjicitur, ubi enumerata omnia uno verbo complectitur, inquiens, Sicut nostis, quales fuerimus inter vos: quanta scil. libertate atq; alacritate prædicaverim apud vos Evangelium. Inter vos, propter vos] ἐν ὑμῖν, δι' ὑμᾶς. Polyptoton.

6 Recepto sermone] δεξάμενοι τὸν λόγον. Id est, Quatenus recepistis sermonem, nempe sermonem Evangelii. Synecdoche generis. Cum oppressione] ἐν θλίψει. Vel, Cum afflictione. Pro, μετὰ θλίψεως. Hebraismus. De re ipsa vide Actor.17.v.5. & deinceps. Cum gaudio & Spiritus sancti] μετὰ χαρᾶς πνεύματος ἁγίου. Id est, Cum gaudio cujus author atq; effector est Spiritus sanctus. Genitivus efficientis. Illud autem est, quum gaudemus, nos dignos à Deo censeri qui aliquid patiamur propter veritatem ipsius. Act.5.v.41. item qui consortes simus afflictionum Christi, 1.Pet.4.13.

7 Exemplaria] τύπους. Sic 1.Pet.5.v.3. Sic etiam Horatius loquitur, ubi ait:

> Rursum quid virtus, & quid sapientia possit,
> Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem.

8 Sermo Domini] ὁ λόγος τοῦ κυρίου. Id est, Sermo Evangelii: Sic dictus sive ratione objecti, quòd de Domino (nempe Christo) testetur: sive ratione efficientis, quòd Dominum authorem habeat. Non solùm personuit sermo] ἐξήχηται ὁ λόγος οὐ μόνον. Particulæ, οὐ μόνον, trajectæ sunt: ut manifestè liquet ex collatione membri sequentis. Fides vestra dimanavit] ἡ πίστις ὑμῶν ἐξελήλυθε. Id est, fama de vestra fide. Metonymia subjecti. Similiter laudat Romanos c.1.v.8. inquiens, ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ: Fides vestra annuntiatur (id est, prædicatur & sermonibus hominum celebratur) in toto mundo. Quicquam loqui] λαλεῖν τι. Scil. ad commendandum vestram fidem. Synecdoche generis.

9 Ipsi] αὐτοί. Nempe fideles vicinarum ecclesiarum in Macedonia & Achaia. Est autem nomen αὐτοὶ hoc loco emphaticum; q.d. Vel tacente me, ipsi sua sponte prædicant vestram credendi alacritatem. Germanicè, sie selbst. Qualem ingressum habuerimus ad vos] ὁποίαν εἴσοδον ἔχομεν πρὸς ὑμᾶς. Id est, Quàm alacriter me ad vos ingredientem & Evangelium vobis prædicantem exceperitis. Vide Act.17.v.4. Conversi fueritis] Ἐπεστρέψατε. Ad verbum, Converteritis. Scil. vos id est, Reversi sitis, vel reverteritis. Ellipsis Hebraica. Relictis idolis] ἀπὸ τῶν εἰδώλων. Sensu etiã ad ambiguitatem evitandum alio verbo expressa. Ad verbum, ab idolis. Præpositione ἀπὸ notatur terminus quem vocant A quo. Sicut in verbis præcedentibus πρὸς τὸν θεὸν, præpositione πρὸς notatur terminus qui dicitur Ad quem. Deo vivo] Θεῷ ζῶντι. Tacita antithesis, qua innuitur, idola non esse deos, quum careant vita. Et vero] καὶ ἀληθινῷ. Hoc opponi videtur diis illis commentitiis, qui aliquando vixerunt quidem & secundùm animam etiamnum vivunt, sed non sunt veri dii: quum fuerint homines mortales: ut Jupiter, Mars, Mercurius, &c.

10 Qui liberat nos] τὸν ῥυόμενον ἡμᾶς. Qui eripit nos, vel eruit. Nam Latinorum Ruo, unde compositum Eruo, videtur ortum ex Græco hoc ῥύω. Sic in precatione Dominica, ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, Libera seu eripe nos ab illo malo. Potest autem participium ῥυόμενον per enallagen exponi de tempore futuro, quia mox fit mentio iræ illius venturæ. Potest etiam accipi simpliciter de tempore præsente, atq; adeò de actu continuo. Christus enim sicut mortis suæ merito nos semel liberavit à futuris impiorum pœnis: sic quotidie, imò continentèr, Spiritus sui efficaciâ nos eripit ab eisdem pœnis, quatenus nos in vera sui agnitione ac fide conservat. Et tandem in die judicii perfectè nos eripiet, quum nos secum assumet in cœlum. Ab ira illa ventura] ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης. Pro, τῆς ἐλευσομένης. Enallage temporis. Et articulus ante ὀργῆς, notat certam iram, nempe iram Dei: quo nomine hîc per metonymiam efficientis intelliguntur pœnæ damnatorum ab irato Deo inferendæ. Sic loquebatur & Johannes Baptista, compellans Pharisæos & Sadducæos his verbis, Progenies viperarum, quis vobis præmonstravit ut fugeretis à futura illa ira? ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς, Matth.3.v.7. De hac ira loquitur Paulus etiam Rom.12.v.19. Date locum iræ.

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex v.1. Exemplum modestiæ in Paulo: qui sibi Silvanum & Timotheum adjungit, tanquam & ipsi aliquid ad scribendum hanc epistolam contulissent. *Modestia.*

2 Ecclesiæ author est Deus pater & Dominus Jesus Christus. nam Deus pater ecclesiam elegit in Christo, Ephes.1. & Christus ecclesiam suo sanguine acquisivit, Act.20. uterq; autem per Spiritum sanctum eam vocat in cognitionẽ & communionem sui. *Ecclesia.*

3 Vera pax seu felicitas à Dei gratia per meritum Christi parta proficiscitur. *Felicitas.*

4 Ex v.2.3.& 4. Officium Christianorum est, ut Deo quotidie gratias agant: tum pro cæteris omnibus beneficiis, tum inprimis pro donis illis spiritualibus ad vitam æternam necessariis, videlicet fide, charitate & spe: idq; non solùm pro seipsis, sed etiam pro fratribus. *Officium hominis Christiani.*

5 Vera Fides est operosa & efficax per charitatem, estq; conjuncta cum tolerantia crucis & spe vitæ æternæ. Sic Galat.5.v.6. πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. Heb.9.v.36. Pœnitentia vobis opus est. *Fides.*

6 Charitatis est, pro electis habere omnes eos, in quibus fidei, charitatis & spei signa conspicimus. Fides enim propria est electorum, Tit.1.v.1. *Judicium de proximo.*

7 Ex v.5. Quoties Evangelium prædicandum est, orandus est Deus ut prædicationem efficacem reddat per Spiritum sanctum. *Evangeliũ.*

8 Ex v.6. Non est satis, pastorem ecclesiæ fideliter & alacriter verbum Dei ecclesiæ proponere: sed necesse est, ut ecclesia hanc alacritatem imitetur: ut auditores tam sint alacres in verbo Dei recipiendo, atq; pastores in eodem proponendo. *Auditores Evangelii.*

9 Confessionis Evangelii comes est persecutio: quia Diabolus non potest ferre ut homines per agnitionem veritatis cœlestis transferantur ex ipsius regno in regnum Dei. Huc pertinent illa dicta: 2.Tim.3.v.12. Omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Act.14.v.22. Per multas afflictiones oportet nos ingredi in regnum Dei. Joh.15. v.20. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, &c. *Confessio Evangelii. Persecutio.*

10 Spiritus sanctus fideles in persecutione propter Evangelium ita consolatur, ut etiam spirituali gaudio perfundantur. Sic Act.5. circa finem narratur, Apostolos quum virgis cæsi essent propter Evangelii prædicationem, à conspectu concilii abiisse gaudentes quòd digni habiti essent qui pro nomine Jesu contumelia afficerentur. Ad hoc gaudium hortatur Christus Matth.5. versu 11. *Persecutio. Consolatio.*

11 Ex v.7. Illustris fides quorundam in ecclesia aliis imitanda est. Confer Heb.13.v.7. *Officium hominis Christiani.*

12 Ex v.8. Ea demum vera laus est apud pios, quum quis propter fidem, id est, veram cognitionem Christi laudatur. *Laus.*

13 Ex v.9. Vera conversio non est idola deserere, nisi quis simul Deum *Conversio.*

mul Deum verum & vivum in Christo unico redemtore colat. Huc pertinet illud, *Desine à malo, & fac bonum.*

Conversio. 14 Ex eod. vers. Ex propria significatione verbi ἐπεστρέψατε, non potest concludi, hominem ad Deum reverti ex suis ipsius viribus. In singulis enim locum habet illud Jeremiæ; *Converte me Domine, & convertar: postea quàm enim convertisti me, conversus sum.*

Fides. 15 Ex v.10. Vera fides exspectat Christum è cælis, ut nos ab omnibus malis liberatos, regni sui plenè participes faciat.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

In principio hujus capitis redit ad commendationem sui apud Thessalonicenses functi ministerii: quam capite superiore v.5. paucis attigerat. Atq; in hac commendatione partim sibi tribuit boni pastoris virtutes, partim à se removet vitia quæ à pastore debent esse aliena: usq; ad vers.13. Deinde rursum Thessalonicensium alacritatem sua in docendo diligentiæ respondentem, & eorundem infractam patientiam commendat, ipsosq; contra scandalum incredulitatis Judæorum confirmat, à v.13. usq; ad 17. Postremò incipit se excusare, quòd ad ipsos non venerit, coram consolandi causâ, à v.17. & deinceps.

PRIMA PARS.

NAm ipsi nostis, fratres, ingressum nostrum ad vos non fuisse vanum:

2 Imò etiam *multa* priùs passi & contumeliis affecti Philippis, sicut nostis, libertate agendi usi sumus in Deo nostro ad loquendum apud vos evangelium Dei cum multo certamine.

3 Exhortatio enim nostra non fuit ex impostura, neq; ex impuritate, neq; cum dolo.

4 Sed sicut approbati sumus à Deo quibus crederetur Evangelium, ita loquimur; non ut hominibus placentes, sed Deo: qui approbat corda nostra.

5 Neque enim unquam sermone assentatorio usi sumus, sicut nostis; nec avaritiæ causâ quicquam prætexuimus: (Deus testis *est.*)

6 Neque quæsivimus ex hominibus gloriam; nec à vobis, nec ab aliis; quum possemus *vobis* oneri esse, ut apostoli Christi.

7 Sed fuimus placidi in medio vestri, ut si nutrix foveat liberos suos.

8 Ita cupidi vestri, avebamus impertiri vobis non solùm evangelium Dei, sed etiam nostras ipsorum animas; quòd chari nobis essetis.

9 Meministis enim, fratres, laboris nostri ac ærumnæ. nocte enim ac die operando, ne quem vestrûm gravaremus, prædicavimus apud vos evangelium Dei.

10 Vos testes *estis* & Deus, quàm sanctè & justè & inculpatè erga vos qui creditis, nos gesserimus.

11 Sicut nostis, quomodo unumquemque vestrûm tanquam pater liberos suos, hortabamur & consolabamur:

12 Et obtestabamur ut ambularetis sicut dignum est Deo vocante vos ad suum regnum ac gloriam.

VErs.1. suum apud Thessalonicenses ministerium commendat ab effectu; inquiens, *ingressum suum ad Thessalonicenses non fuisse vanum seu inanem*; hoc est, prædicationem suam quâ primùm ad ipsos ingrediens fuerat usus, non caruisse suo fructu, sed fuisse efficacem, gignendo scilicet fidem in cordibus ipsorum.

Vers.2. duas virtutes sibi tribuit: παῤῥησίαν, id est, libertatem agendi, & fortitudinem in sustinendis certaminibus: quæ utraque virtus argumentum est animi sibi bene conscii & bonam causam agentis. Hac igitur commendatione innuit doctrinæ suæ veritatem: unde sequitur, Thessalonicensibus in fide doctrinæ à Paulo acceptæ constanter perseverandum esse. Est igitur hoc aliud hortationis institutæ argumentum. Porrò illam suam libertatem amplificat expositione causæ corrumpentis, nempe afflictionum & contumeliarum quibus propter liberam Evangelii prædicationem paulo antè affectus fuerat Philippis. Historia exstat Act.16. ubi narratur, quomodo Paulus eò quòd spiritum Pythonis ex ancillula quadam ejecisset, à dominis istius unà cum Sila tractus fuerit in forum ad magistratus, & propter Evangelii prædicationem virgis cæsus, ac multis plagis affectus in carcerem conjectus fuerit. Vide Act.16.v.12.& deinceps. Porrò certaminis nomine haudubiè intelligit tumultum illum quem Thessalonicæ adversus Paulum concitaverant increduli Judæi: qui tumultus describitur Act.17.v.5.& deinceps. Nisi isto nomine intelligere malimus concertationes ejus cum incredulis Judæis in synagoga, Actor.17.v.1.2.3.

V.3.4.& 5. commendat suam in Evangelio apud Thessalonicenses prædicando sinceritatem, & contraria vitia à se removet: cujusmodi sunt impostura, impuritas, dolus, assentatio, avaritia. Præterea sinceritatem suam describit ex prædicationis suæ scopo, per antithesin: profitetur enim, se Evangelio prædicando non hoc agere ut placeat hominibus, sed ut placeat Deo. Et hanc ipsam scopi seu finis expositionem amplificat expositione causæ impulsivæ, videl. judicii Dei de se, quòd nimirum Deus se sincerum judicaverit, ac proinde Evangelium sibi crediderit, id est, prædicandum commiserit. Denique hanc suam sinceritatem jurejurando confirmat.

Vers.6. & 7. commendat suam modestiam & humanitatem quâ apud Thessalonicenses usus sit. Modestiam significat, quatenus à se removet ambitionem & usurpationem authoritatis. Humanitatem verò illustrat similitudine nutricis foventis fœtus suos.

V.8. commendat suum erga ipsos amorem ac benefaciendi studium, per collationem imparium.

V.9. ex effectis, nempe ex factis suis, confirmat quod vers.6. dixerat de sua modestia, item quòd à se removerat crimen avaritiæ, v.5. quia labore manuum suarum sibi victum comparaverit. quod ipsum testimonio Thessalonicensium confirmat: & à circumstantia temporis per distributionem amplificat, item expositione causæ finalis.

V.10. quasi summam institutæ inductionis, nempe virtutum suarum enumerationis, colligit; quatenus integritatem suam generalibus verbis commendat: quod ipsum testimonio tum Thessalonicensium, tum ipsius Dei, confirmat.

Vers.11. & 12. paternum suum affectum prædicat in ipsis tum consolandis, tum ad vitæ sanctitatem exhortandis.

SECUNDA PARS.

13 Propterea etiam nos gratias agimus Deo indesinenter, quòd quum accepistis à nobis sermonem Dei auditum, exceperitis *eum* non *ut* sermonem hominum, sed (sicut est verè) *ut* Dei sermonem: qui etiam agit in vobis qui creditis.

14 Vos enim, fratres, imitatores facti estis ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu; quippe quum eadem passi sitis & vos à propriis contribulibus, sicut & illi à Judæis:

15 Qui etiam Dominum Jesum & proprios prophetas occiderunt, & nos exegerunt: neque Deo placent, & omnibus hominibus adversantur:

16 Prohibentes nos Gentibus loqui ut serventur; ut semper compleant peccata sua. Occupavit enim eos ira ad extremum usque.

Redit ad Thessalonicenses: ac primùm laudat ipsorum alacritatem in Evangelio recipiendo. Evangelium autem describit partim à causâ efficiente seu authore, qui est Deus, per antithesin disparatorum, qua negat, Evangelium esse sermonem hominum: partim ab effectu; significans, Deum per Evangelium in ipsis operatum esse fidem & tolerantiam persecutionis. Tolerantiam autem hanc illustrat collatione similis exempli, nempe fidelium in Judæa. nam sicut illi à Judæis propter Evangelium persecutionem passi fuerunt: sic Thessalonicenses à suis contribulibus. Postea ostendit, non esse quòd de veritate Evangelii dubitent propter Judæorum rebellionem: primùm quia nihil hic accidat novi, quum Christum ipsum & prophetas & apostolos persecuti sint: deinde quia sint manifestè impii: postremò quia divinitus sint exitio destinati.

TERTIA PARS.

17 Nos verò, fratres, orbati vobis ad tempus conspectu, non animo, eò vehementiùs studuimus videre faciem vestram, cum multo desiderio.

18 Ideo voluimus venire ad vos (ego quidem Paulus) semel atq; iterum, sed impedivit nos Satanas.

19 Nam quæ est nostra spes aut gaudium, aut corona de qua glorier? annon & vos, in conspectu Domini nostri Jesu Christi, in ejus adventu?

20 Vos enim *certè* estis gloria nostra & gaudium.

Incipit se excusare quòd ad ipsos non venerit consolandi causâ. Ac primùm affirmat, se id seriò cupivisse atque operam dedisse: deinde conqueritur, Satanam impedivisse conatus suos: tum causam impulsivam exponit, cur ad eos venire ipsosque consolari seriò cupiverit, nempe quòd ex ipsorum fide, tanquam fructu ministerii sui, laudem à Christo exspectet in adventu ipsius.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Vanum] κενή. *Sive*, Inanem: *id est, fructu carentem. Vult dicere, suam prædicationem non abiisse sine fructu: sed fuisse efficacem. Hoc sensu rectè negatur, panem & vinum sacræ cœnæ esse inania signa: Quia Spiritus sanctus per illa est efficax in electis, efficiens nimirum ut divinis illis testimoniis fidem habeant, atq; ita per fidem participes fiant rerum significatarum ac promissarum.*

2 Libertate agendi usi sumus] ἐπαῤῥησιασάμεθα. *παῤῥησία propriè est libertas dicendi: ex* πᾶν, *omne, &* ῥῆσις, *dictio: quum quis omne id dicit quod ad rem pertinet, nihil veritus offensionem eorum quibuscum loquitur. Veruntamen apud Paulum accipitur hæc vox plerumq; generaliter pro agendi libertate, quam alibi* πεποίθησιν, *id est, fiduciam, nominat: ut 2.Cor.3.v.4. Et sic* παῤῥησιάζεσθαι *hoc loco est libertate in agendo uti.* In Deo nostro] ἐν τῷ Θεῷ ἡμῶν. *Id est, Freti ope Dei nostri. Deum autem vocat Deum suum, significans suam in illum fiduciam. Sic Gal.2. vers. 20.* Evangelium Dei] τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ. *Id est, cujus author est Deus. Genitivus efficientis.* Cum multo certamine] ἐν πολλῷ ἀγῶνι. *Id est,* μετὰ πολλοῦ ἀγῶνος. *Hebraismus.*

3 Non fuit ex impostura] οὐκ ἐκ πλάνης. *Scil.* ἐγένετο. Ex impuritate] ἐξ ἀκαθαρσίας. *Id est, animo impuro seu sincero.* Cum dolo] ἐν δόλῳ. *Id est,* μετὰ δόλου, *vel* ἐκ δόλου. *Hebraismus. Copia verborum: nam tribus istis vocabulis rem unam eandemq; significat.*

4 Approbati sumus] δεδοκιμάσμεθα. *Id est, Probi & idonei judicati sumus.* Quibus crederetur Evangelium] πιστευθῆναι τὸ εὐαγγέλιον. *Id est, Cujus fidei committeretur Evangelii prædicatio. nam de se solo loquitur plurali numero. Est autem phrasis Græca,* πιστεύομαι τοῦτο. *q.d. Credor hanc rem, pro, Creditur mihi hæc res. Eâdem phrasi utitur 1.Tim.1.v 11.* Non ut hominibus placentes] οὐχ ὡς ἀνθρώποις ἀρέσκοντες. *Id est, Non ut illi qui hominibus placere student, ac proinde doctrinam suam ad hominum gratiam inflectunt.*

5 Neque enim unquam sermone assentatorio usi sumus] οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν. *Ad verbum*, Neque enim unquam in sermone assentationis fuimus. *Hebraismus:* λόγος κολακείας, *pro* κολακευτικός. *Genitivus adjuncti.* Nec avaritiæ causâ quicquam prætexuimus] οὔτε ἐν προφάσει πλεονεξίας. *Repete ex priore membro,* ἐγενήθημεν. *Ad verb.* Nec in prætextu avaritiæ *fuimus. id est, Nihil egimus ex avaritia, interim avaritiæ aliquid prætexentes, ut ferè avari solent.* Deus testis *est*] Θεὸς μάρτυς. *Supple,* ἐστί. *Formula jurandi: quâ & alibi utitur.*

6 Neque quæsivimus] οὔτε ζητοῦντες. *Ad hoc participium repetere* ἀπὸ κοινοῦ *oportet verbum* ἐγενήθημεν, *ex versu præcedente. Ad verbum igitur est,* Neque fuimus quærentes. Ex hominibus] ἐξ ἀνθρώπων. *Id est, Ab hominibus,* ὑπ' ἀνθρώπων, *vel* ἀπ' ἀνθρώπων: *quâ voce mox utitur in subjectâ distributione.* Quum possemus] δυνάμενοι. *Id est, Quamvis possemus;* καίπερ δυνάμενοι. *Enuntiatum discretum.* Oneri esse] ἐν βάρει εἶναι. *Vel, si mavis,* In pondere esse. *Omnino enim & ipsa phrasis, & præcedens ac sequens sententia videntur postulare, ut hæc verba de authoritate apostolica, vel potiùs de illius usu, intelligamus. Sic enim dictum est* ἐν βάρει εἶναι, *ut dicitur* ἐν τιμῇ εἶναι. *Et præcessit*, Non quærentes gloriam à vobis. *Et sequitur*, Sed fuimus placidi in medio vestri. *Videtur igitur sic vertendum,* Quum possemus in pondere esse. *vel,* Quum possemus in authoritate esse. *id est, Quum possemus nos graviter gerere, & pro authoritate apostolica vobis imperare, vos increpare &c. quemadmodum ait ad Corinthios:* Quid vultis? cum virga veniam? &c. *1.Cor.4.v.21. Interim sententiæ diversæ nihil præjudicatum volo, eorum scilicet, qui hoc verbum exponunt ex vers. seq. 9. Ad quam cõfirmandam facit quoq; locus 2.Cor.11.v.9. ubi ait,* ἐν παντὶ ἀβαρῆ ὑμῖν ἐμαυτὸν ἐτήρησα, In omnibus me præstiti vobis minimè onerosum.

7 Placidi] ἤπιοι. *Alii legunt,* νήπιοι, Infantes. *Sed istud rectius: ut liquet ex membro antitheto præcedente, & similitudine mox sequente.*

8 Avebamus] εὐδοκοῦμεν. *Pro,* ηὐδοκοῦμεν. *Præsens pro imperfecto: sicut suprà cap.1.v.9.* ἔχομεν *pro* εἴχομεν. Εὐδοκεῖν *propriè significat, In re quapiam acquiescere, seu Re aliquâ delectari: hîc per metonymiam efficientis idem valet quod Cupere seu Avere.*

9 Operando] ἐργαζόμενοι. *Nempe conficiendo tabernacula: erat enim Paulus* σκηνοποιός, *Actor.18.v.3.* Ne quem vestrûm gravaremus] πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν. *Id est, Ne cui vestrûm gravis & molestus essem exigendo alimenta.*

10 Erga vos nos gessimus] ὑμῖν ἐγενήθημεν. *Ad verb.* Vobis fuerimus.

11 Hortabamur] παρακαλοῦντες ὑμᾶς. *Præcessit* ἵνα ἕκαστον ὑμῶν, *quod hîc* πλεοναστικῶς *repetitur parùm permutatum. Talis epanalepsis exstat Coloss.3.v.17. Porrò ad participium* παρακαλοῦντες, *similiterq; ad duo sequentia,* παραμυθούμενοι *&* μαρτυρούμενοι, *subauditur verbum substantivum* ἦμεν, *more Hebræorum, q.d. Hortantes eramus, & consolantes & obtestantes. Pro,* παρεκαλοῦμεν, παρεμυθούμεθα, ἐμαρτυρόμεθα.

13 Quòd quum accepistis à nobis sermonem Dei auditum, exceperitis eum &c.] ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ Θεοῦ, ἐδέξασθε &c. *Ad verb.* Quòd quum accepistis sermonem auditus (*seu* auditionis) à nobis Dei. *Quæ verba subobscura sunt propter trajectionem: puto autem sic construenda, ut verba illa* παρ' ἡμῶν *regantur à participio* παραλαβόντες: *&* λόγος τοῦ Θεοῦ *dicatur eodem sensu quo paulo-antè v.8. & 9. dictum fuit,* τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, *nempe ab authore: & deniq;* λόγος ἀκοῆς *per Hebraismum dicatur pro* λόγος ἀκουσθείς: *ex quo ipso intelligitur metonymicè* κηρυχθείς, *prædicatus. Sicut hoc nomen* ἀκοή, *metonymiâ Hebraicâ pro prædicatione accipitur, Rom.10.v.16. & 17.* Non *ut* sermonem] οὐ λόγον. *Pro,* οὐχ ὡς λόγον. *Sic mox,* ἀλλὰ λόγον: *pro,* ἀλλ' ὡς λόγον. *Ellipsis adverbii similitudinis.* Qui] ὅς. *Sive sermo, sive Deus. nam uterq; agit in credentibus: hic quidem ut causa principalis, ille verò ut instrumentum. Non prorsus dissimilis amphibolia est Coloss.2.3.* ἐν ᾧ εἰσι πάντες οἱ θησαυροί. *Præcedit autem,* εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ τοῦ χριστοῦ. *unde exponi potest, vel,* ἐν ᾧ, *scilicet* μυστηρίῳ: *vel,* ἐν ᾧ, *scilicet* χριστῷ. *Probabilius autem est, pronomen* ὅς *hîc referendum ad* τὸν λόγον: *quia (ut apparet) Apostolo propositum est, sermonem Evangelii à se prædicatum commendare: commendat autem eum hîc ab efficaciâ.*

14 Vos enim] ὑμεῖς γάρ. *Conjunctio causalis hîc non tàm probationem quàm declarationem notat. Declarat enim hîc specialiter quod modò dixerat generaliter de efficaciâ sermonis Dei in Thessalonicensibus.* A propriis contribulibus] ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν. *Hac voce videtur in genere significare concives eorum, qui increduli permanserant, tum ex Judæis, tum ex Gentilibus.* Sicut & illi &c.] καθὼς καὶ αὐτοὶ &c. *Quid fideles in Judæa, à Judæis passi sint, declarat Apostolus Hebr.10. v.32.33. & 34. ubi in specie commemorat probra & direptionem facultatum.*

15 Exegerunt] ἐκδιωξάντων. *Persequendo ejecerunt.*

16 Loqui] λαλῆσαι. *Nempe* τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *sermonem Dei, comprehensum scil. sacrâ scripturâ.* Ut semper compleant &c.] εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι &c. *His verbis significatur finis seu scopus, non quidem quem ipsi sibi habebant propositum persequendo credentes: sed quem Deus sibi habebat propositum permittendo illis istam persecutionem: Sicut percipitur ex verbis mox sequentibus, quibus horum ratio continetur. Porrò phrasis ista exstat etiam Gen. 15. v. 16. ubi dicitur, nondum esse completam iniquitatem Emoræi, id est, Cananæorum.* Occupavit enim] ἔφθασε δέ. *Conjunctio* δέ *posita est pro* γάρ. *nam (ut modò diximus) rationem præcedentis sententiæ subjicit.* Ira] ἡ ὀργή. *Nempe ira Dei. Synecdoche generis.*

17 Orbati vobis] ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν. *Græca verba emphatikώτερα sunt: quia separationem bis exprimunt per præpositionem* ἀπό. Ad tempus] πρὸς καιρὸν ὥρας. Eine zeitlang. *Sic malo, quàm,* Ad temporis momentum. *Non enim videtur notari breve tempus, sed longiusculum: quippe unde magnum in Apostolo desiderium exstiterit ipsos iterum videndi: sicuti mox narrat.* Cum multo desiderio] ἐν πολλῇ ἐπιθυμίᾳ. *Pro,* μετὰ πολλῆς ἐπιθυμίας. *Hebraismus.*

18 Semel atq; iterum] καὶ ἅπαξ καὶ δίς. *Ad verb. Et semel & bis. Sic Phil.4.v.16.*

19 Nam quæ &c.] τίς γάρ. *Rationem exponit cur eos tantopere cupiat videre & coràm consolari.* Corona de qua glorier] στέφανος καυχήσεως. *Ad verb. Corona gloriationis.* Et vos] καὶ ὑμεῖς. *Scil. sicut aliæ ecclesiæ à me plantatæ. Sunt autem hîc tria enuntiata metonymica. 1. Vos estis mea spes: id est, ii ex quibus spero me adepturum laudem apud Deum. 2. Vos estis meum gaudium: id est, ii qui gaudium mihi afferunt. 3. Vos estis mea corona: id est, ii propter quos coronabor à Christo laude fidelitatis & præmio beatitatis: quum dicet, Euge serve bone, fidelis fuisti &c. intra in gaudium domini tui. Hanc expositionem confirmant, atq; adeò requirunt, verba quæ sequuntur, In conspectu Domini &c.* In ejus adventu] ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ. *Scil. ad judicium.*

20 Vos enim certè] ὑμεῖς γάρ. *Eandem sententiam repetit cum asseveratione, declarans & exprimens vim interrogationis præcedentis. Sunt autem hîc quoq; duo metonymica enuntiata: quæ ex superibus modo-explicatis facilè intelliguntur. Vos estis mea gloria, id est, ii ex quibus mihi accedit gloria &c.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 Ex v.1. Labor fidorum Verbi ministrorum non est vanus seu inanis: quia Spiritus sanctus per ipsorum prædicationem est efficax in electis, efficiendo nimirum veram fidem in Christum, conjunctam cum vero studio pietatis. Quare ministri Verbi fideliter laborent, & Deum ardenter invocent, ut virtute Spiritus sancti per ministerium suum sit efficax. Huc pertinet promissio illa Christi ad apostolos ac sub nomine ipsorum ad universos Verbi ministros usque ad finem mundi, Constitui vos ut eatis & fructum feratis, & fructus vester maneat: ut quicquid petieritis à Patre in nomine meo, det vobis, Joh.15.v.16. item Matth. ult. Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. *Ministerium Verbi.*

2 Ex v.2. &c. usq; ad 13. Pastoris Ecclesiæ virtutes sunt, ingenuè & intrepidè mediis in periculis evangelizare: puram doctrinam puro animi affecti fideliter docere: alienum ab omni assentatione & avaritiâ, Deo suam conscientiam approbare: omni vitatâ elatione, seipsum infirmis quibusvis, eos lucrifaciendi causâ, submittere: gregem sibi commissum propriâ vitâ chariorem habere: suo potius jure cedere, quàm oves gravare: sanctæ & inculpatæ vitæ exemplo cæteris præire: paternum affectum ad exhortationes & consolationes afferre: omnes ad vitam sicut Deo dignum est, instituendam, sedulò & ardenter urgere. Confer 1.Tim.3. in principio, ubi episcopus seu pastor Ecclesiæ *Ministri verbi Dei.*

ex variis

ex variis virtutibus quibus eum præditum esse oportet, describitur. item Tit.1.v.6.7.8.9.

Fides. 3 Ex v.2. Fides promissionem gratiæ omnibus credentibus communem sibi privatim applicat, ac proinde Deum statuit esse Deum suum, id est, sibi privatim faventem, non minùs quàm cæteris credentibus. Sic Gal.2.v.20. ait Paulus de Christo: Qui dilexit ME, & sese tradidit pro ME. Sic Job.cap.19. Scio, quòd redemtor MEUS vivit &c.

Juramentū. 4 Ex v.5.& 10. Deum testem invocare, id est, jurare, licet, quum id gloria Dei & proximi salus postulat. Sic Paulus hoc loco suam integritatem jurejurando asserit: ne veritas cælestis apud Thessalonicenses in suspicionem mendacii veniret: quod & ad contumeliam Dei & ad ipsorum exitium pertinuisset. Similia juramenta Pauli vide Roman 1.v.9.& cap.9.v.1. & 1.Cor.1.v.23. Errant igitur Anabaptistæ, qui putant, homini Christiano nunquam esse licitum jurare.

Auditores Evangelii. 5 Ex v.13. Sermo Evangelii, quem prædicant pastores ecclesiarum, excipiendus est non ut sermo hominum, sed ut sermo Dei: videl. cum conveniente reverentiâ, fide & obedientiâ. Huc pertinet illud Christi ad apostolos: *Qui vos audit, me audit: qui vos contemnit, me contemnit.*

Evangeliū. 6 Ex v.13.& 14. Sermo Dei efficax est in electis: efficiens nimirum fidem, conjunctam cum tolerantia persecutionis.

Officium hominis Christiani. 7 Ex v.14. Aliorum fides & tolerantia imitanda est. Confer Heb.13.v.7.

Persecutio. 8 Ex v.14.& 15. Nihil novi hodie accidit, quum fideles persecutionem patiuntur etiam ab iis quibuscum necessitudine aliquâ conjuncti sunt: ut à propinquis, à popularibus &c. Huc pertinet illud Christi, *Non veni mittere pacem, sed gladium: ut excitarem filium adversùs patrem &c.* Matth.10.v.34.35.36.

Impii. 9 Ex v.15. Impii (sicut & ipse Diabolus) adversantur Deo & electis: non quidem effectu, sed tamen conatu, quia conantur quidem gloriam Dei & salutem electorum opprimere: sed id efficere non possunt.

Providentia Dei. 10 Ex v.16. Deus peccatis impiorum ac hostium populi sui certam mensuram præscripsit suâ providentiâ & æterno decreto: quam mensuram posteaquam illi impleverint, ad merita supplicia divinitus trahuntur, quibus ex justa Dei ira destinati sunt. Confer Gen.15.v.16. de iniquitatibus Cananæorum.

Charitas. 11 Ex v.17.& 18. Veræ charitatis est, fratres afflictos invisere & consolari.

Satan. 12 Ex v.18. Satan pios conatus sæpe impedit, Deo nimirum id permittente. Atque hinc istud ipsum nomen accepit quo adversarius significatur: quia Deo & electis omni conatu adversatur.

Ministri verbi Dei. 13 Ex v.19. Verum gaudium pastorum ecclesiæ est, quum gaudent, se ministerio suo multos Christo lucrifecisse, eoque nomine à Christo (propter felicitatem scilicet in ministerio adhibitam) collaudatum iri.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Pergit in instituta sui excusatione cur ad ipsos non venerit, atque ita exponit quo consilio antea Timotheum ad ipsos miserit, simulque argumenta quædam affert quibus eos ad persecutionis tolerantiam & in fide perseverantiam hortatur, ac tandem de suo ad ipsos veniendi proposito vehementer testatur. Sub finem v. penult. incipit altera epistolæ pars, ubi eos ad vitæ sanctitatem hortatur.

QUamobrem *hoc desiderium* non ampliùs ferentes, optimum duximus, soli Athenis relinqui.

2 Misimusque Timotheum, fratrem nostrum, ac ministrum Dei, & adjutorem nostrum in evangelio Christi, ad vos stabiliendos & exhortandos super fide vestra:

3 Ut nemo commoveatur ob afflictiones istas. ipsi enim nostis, ad id nos esse constitutos.

4 Etenim quum apud vos essemus, prædicebamus vobis, fore ut affligeremur: quod & evênit, & nostis.

5 Quamobrem etiam ego non ampliùs ferens *vestri desiderium*, misi *eum* ut cognoscerem fidem vestram: *veritus* ne quo modo tentasset vos tentator ille, & inanis redditus esset labor noster.

6 Nuper autem quum venisset Timotheus ad nos à vobis, & lætum nuntium nobis attulisset de fide & charitate vestra, & quòd bonam nostri memoriam retineatis, semper cupientes vos videre, sicut nos quoque vos:

7 Propterea consolationem accepimus, fratres, ex vobis, in omni afflictione & necessitate nostra, per vestram fidem.

8 Nunc enim vivimus, si vos perstatis in Domino.

9 Quam enim gratiarum actionem possimus Deo rependere de vobis, super omni gaudio quo gaudemus propter vos coram DEO nostro?

10 Nocte ac die quàm vehementissimè precantes ut videamus vestram faciem, & quæ desunt fidei vestræ, compleamus.

11 Ipse verò Deus & pater noster, & Dominus noster JESUS CHRISTUS dirigat viam nostram ad vos.

QUod superiore capite dixerat de suo desiderio ipsos invisendi, nunc probat ex effectis, videlicet ex missione Timothei. Quum enim ipse impediretur quò minùs venire posset, suo loco misit Timotheum: quamvis ægrè ipso careret. id quod significat his verbis, quòd maluerit solus Athenis relinqui, quàm Thessalonicensibus laborantibus non succurrere; vers.1. Porrò Timotheum commendat ad conciliandum ei authoritatem, quò pleniorem fructum ex ipsius consolatione atque exhortatione caperent: simulque quo consilio eum miserit, exponit: vers.2. Tum vers.3 & 4. argumenta consolationis affert duo: unum, quia hæc sit voluntas Dei, ut fideles in hac vita propter Evangelium persecutionem patiantur: alterum, quia hoc ipsum eis jam ante sit prædictum. Tela autem prævisa (ut dici solet) minùs nocent.

V.5. repetit consilium missionis Timothei, simul exponens causam impulsivam, videlicet solicitudinem de ipsis, ne qui à Diabolo ad defectionem essent tentati, atque ita labor ipsius inanis esset redditus, quem scilicet consumserat in ipsis ad fidem adducendis. Verùm ne significatione istius metus animos infirmorum perterrefaceret, mox v.6. subjicit testimonium Timothei de ipsorum fide & charitate nuper ostensis: atque illud testimonium amplificat ex effectis, videlicet consolatione quam inde perceperit, v.7.& 8. & cupiditate ipsos invisendi, v.10. & 11. Porrò suæ illius consolationis expositionem amplificat ex effectu, v.9 affirmans, gaudium quod ex testimonio Timothei de ipsorum fide & charitate perceperit, tantum esse, ut illud habeat pro maximo Dei beneficio, pro quo non possit pares gratias Deo agere. Cupiditatem verò tum ipsos invisendi & consolandi, ostendit ex effectis, videl. precibus perpetuis iisque ardentissimis, v.10. & voto præsente quo istud ipsum exoptat, v.11.

12 Faxit autem Dominus ut abundetis & exuberetis mutuâ inter vos charitate, & in omnes; quemadmodum & nos in vos.

13 Ut stabiliat corda vestra, *ut sint* inculpata in sanctimonia coram Deo & patre nostro, quum adveniet Dominus noster Jesus Christus cum sanctis suis.

Hîc incipit secunda epistolæ pars, ubi eos hortatur ad vitam Christianam; cujus duo capita generalia hîc proponit, videl. charitatem erga proximum, & cordis puritatem: quæ quidem proponit sub voto, quo significat, virtutes istas non ex viribus humanis, sed ex gratia DEI proficisci.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Ferentes] στέγοντες. Vel, Sustinentes. Hoc desiderium] *Id est, τὴν ἐπιθυμίαν ταύτην. cujus nimirum facta est mentio capite præcedente, v.17. nempe videndi faciem vestram, hoc est, invisendi vos.* Soli Athenis relinqui] καταλειφθῆναι ἐν Ἀθήναις μόνοι. *Hinc colligitur, quum Paulus BerϾa relictis Silâ & Timotheo, solus Athenas esset profectus, ibique illos exspectaret: venisse ad eum Timotheum, ac rursus BerϾam ad Silam rediisse: quod tamen Lucas in Actis silentio prætereit: sicut & alia quædam quæ Paulus de se ipse commemorat 2.Cor.11.v.24 Vide Act.17. v.14.15.16. & cap. 18.v.5. ubi Silas & Timotheus ad Paulum dicuntur venisse (scil. Corinthum, ut habetur ejusdem capitis v.8.) è Macedonia, nempe BerϾa Macedoniæ urbe, ubi dicuntur substitisse, cap.17.v.14.*

2 Misimusque Timotheum] καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον. *Ex collatione horum verborum cum proximè præcedentibus nonnulli colligunt, hanc epistolam missam esse per Timotheum, & scriptam esse Athenis: quod ipsum sub finem annotatum reperitur. At non esse missam per Timotheum, ex eo liquet, quòd Timotheus unus ex iis fuit qui miserunt, quippe quem sibi Paulus adjungit in subscriptione. Deinde scripta potiùs videtur Corinthi: quia illuc ad Paulum dicuntur venisse è Macedonia Silas & Timotheus, Act. 18.vers.1.& 5. quem utrumque sibi Paulus in subscriptione adjungit suprà v.1. ita tamen ut pro Sila Silvanum nominet.* Fratrem] *Fraterno amore conjunctum.* In Evangelio] *Scil. prædicando.* Super fide] *Nempe in* CHRISTUM.

3 Ut nemo commoveatur] τὸ μηδένα σαίνεσθαι. *Verbum σαίνειν propriè significat Quatere seu agitare caudam: ut faciunt canes quum blandiuntur. Hîc autem τὸ σαίνεσθαι generaliter significat Quassari seu concuti, idem scilicet quod σαλεύεσθαι: quo verbo utitur 2.Thess.2.v.2.* Ob afflictiones istas] ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις. *Pro, διὰ τὰς θλίψεις ταύτας. Hebraismus. Vide Actor.17.* Ad id] εἰς τοῦτο. *Nempe ad ferendum afflictiones.* Constitutos] κείμεθα. *Nempe decreto Dei, qui vult nos conformes reddi Christo primùm in cruce, deinde in gloria. Hoc ipso verbo in simili sententia usus est Simeon de Christo loquens, οὗτος κεῖται εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον:* Hic positus est in signum cui contradicatur, *Luc.2.v.34.*

4 Prædicebamus &c.] *Sic Actor.14.v.22. Paulus & Barnabas confirmantes animos discipulorum, dicebant, Oportere nos per multas afflictiones ingredi in regnum Dei.*

5 Tentator ille] ὁ πειράζων. *Id est, Diabolus. Sic Matth.4.v.3.* Inanis redditus esset] εἰς κενὸν γένηται. *Id est, Sine fructu abiisset.* Labor noster] ὁ κόπος ἡμῶν. *Scil.* in prædicando vobis Evangelio. *Synecdoche generis.*

6 Quum venisset] ἐλθόντος. *Id est, Quum rediisset: quippe missus à nobis, v.2. & 5.*

7 Per vestram fidem] διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως. *Id est, ex testimonio de vestra fide. Metonymia subjecti.*

8 Vivimus] ζῶμεν. *Id est, Læti sumus. hoc enim est verè vivere, animo læto ac hilari esse.* Si vos perstatis] ἐὰν ὑμεῖς στήκετε. *Scilicet,* ut perstatis: *ex v.6.*

10 Compleamus] καταρτίσαι. *Seu,* Absolvamus, perficiamus. *ἀριθμὸς ἄρτιος. Græcis dicitur numerus par, quia ita perfectus est ut præcisè dividuus sit in duas partes æquales. hinc καταρτίζειν, perficere.*

12 Faxit abundetis & exuberetis] πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι ὑμᾶς. *Verba Græca posita sunt transitivè, tanquam in Hebræorum conjugatione Hiphil.*

13 Ut stabiliat corda vestra, *ut sint* inculpata] εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας ἀμέμπτους *&c. Ante ἀμέμπτους subaudiendum censeo verbum εἶναι pro, τοῦ εἶναι, scil. ἕνεκα.* Quum adveniet &c.] ἐν τῇ παρουσίᾳ. *Ad verb.* In adventu Domini &c. *Sed voluimus consulere perspicuitati.* Cum omnibus sanctis suis] μετὰ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ. *Cohærent hæc verba cum illis, ἐν τῇ παρουσίᾳ &c. Et nomine τῶν ἁγίων intelligendi sunt sancti angeli, ex collatione v.7. cap.1. epist. ad Thess. poster. ubi dicitur, ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἀπ' οὐρανοῦ μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ. Quòd si quis hæc verba intelligenda putet de sanctis hominibus qui usque ad Christi adventum victuri sunt in terris, tum vertendum erit,* Cum omnibus sanctis ejus: *& referendum hoc incisum ad verbum* στηρίξαι, stabilire.

OBSERVAT. EX CAP. III.

Ministri verbi Dei. 1 Ex v.1.2.4.& 10. Pastoris ecclesiæ officium est, solicitum esse de infirmis in fide confirmandis: item præmonere auditores de persecutione & odio mundi.

Persecutio. Officium hominis Christiani. 2 Ex v.3. Persecutio propter Evangelium æquo animo nobis ferenda est: quia hæc est voluntas Dei immota & fixum decretum, ut illam feramus; ut nimirum hoc modo conformes reddamur Christo capiti nostro. Vide Rom.8.v.17.& 29. & ut hoc modo magis elucescat ipsius justitia, quum nos præmiis ornabit, persecutores autem nostros condemnabit, 2.Thess.1.v.4.5.6.7.

Officium hominis Christiani. 3 Ex v.5. Quum Diabolus tentare soleat credentes, ac moliri ut eos à fide avertat; ne simus igitur securi: sed precibus apud Deum instemus, ne nos in tentationem inducat, hoc est, ne Diabolo permittat ut tentando nos vincat, id est, vel in contemtum verbi Dei, vel desperationem adducat. Porrò contra tentationes Diaboli consolari nos debet communio nostra cum Christo tanquam capite nostro: quippe qui & ipse à Diabolo tentatus fuit; Matth.4. idque in hunc finem, ut posset nobis compati & affici sensu infirmitatum nostrarum, tanquam fidelis noster pontifex, Heb.4.v.15.

Fides. 4 Ex v.6. Vera fides cum charitate conjuncta est. Sic Gal.5. v.6. *Fides per charitatem agens.*

Officium hominis Christiani. 5 Ex v.7.8.9. Christianorum est, gaudere ob fidem & constantiam fratrum, eoque nomine Deo gratias agere.

Officium hominis Christiani. 6 Ex v.11. Iter aliquod suscepturi, oremus Deum ut viam nostram dirigat.

Officium hominis Christiani. 7 Ex v.12.& 13. Orare debemus Deum ut gratiam sui spiritus nobis largiatur, ut in charitate & sanctimonia indies proficiamus. Serium autem ac minimè simulatum studium sanctitatis in hoc consistit, ut ambulemus coram Deo, cogitemusque, Deum intueri corda. Sic Deus dicebat Abrahæ: *Ambula coram me, & esto integer,* Genes.17.vers.1. Hac phrasi celebratur sincera pietas Zachariæ & Elisabethæ, Luc.1.v.6. quòd scilicet fuerint justi coram Deo, ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Pergit in instituta exhortatione ad studium pietatis, & varia vitæ Christianæ præcepta tradit, usque ad v.13. quo loco incipit inserere tertiam epistolæ partem, quæ continet institutionem de resurrectione mortuorum & adventu Domini ad judicium.

QUod superest igitur, fratres, rogamus vos & precamur per Dominum Jesum, ut sicut accepistis à nobis quomodo oporteat vos incedere & placere Deo, magis excellatis.

2 Nostis enim quæ mandata dederimus vobis per Dominum JESUM.

3 Nam hæc est voluntas Dei, *nempe* sanctificatio vestri: ut abstineatis à scortatione:

4 Ut sciatis vestrûm unusquisque suum vas possidere cum sanctificatione & honore:

5 Non cum morbo cupiditatis, sicut gentes quæ non noverunt DEUM:

6 Ut ne *quis* opprimat aut quæstui habeat in negotio fratrem suum: nam ultor est Dominus omnium istorum; sicut & antè diximus vobis, ac testificati sumus.

7 Non enim vocavit nos DEUS ad impuritatem; sed ad sanctificationem.

8 Proinde qui *hæc* rejicit, non rejicit hominem, sed DEUM; qui etiam dedit nobis spiritum suum sanctum.

9 Cæterùm de fraterna charitate non necesse habetis ut scribam vobis: ipsi namque divinitus docti estis ut diligatis alii alios.

10 Nam & facitis hoc erga cunctos fratres qui sunt in tota Macedonia: precamur autem vos, fratres, ut magis excellatis:

11 Et annitamini quieti esse, & res vestras agere, ac operari propriis manibus vestris, sicut vobis præcepimus.

12 Ut vos geratis honestè erga extraneos, & nullo vobis sit opus.

VErsu 1.& 2. in sequentem præceptionem præfatur; proponendo ipsam exhortationem, ac renovando memoriam pristinorum mandatorum. Porrò exhortationem amplificat obtestatione, rogando eos & precando per Dominum Jesum. quasi dicat, Dominum Jesum testor, me fideliter vos ad officium vestrum exhortari. Vitam comparat ambulationi ex more Scripturæ: & vitam piam describit ex proprio adjuncto, vel effecto, videl. approbatione Dei: qui enim piè vivit, placet Deo. Ipsis quoque mandatis quæ antè eis tradiderat & hîc repetere constituit, authoritatem conciliat à causâ procreante, videl. ab ipsorum authore Christo: inquiens, se mandata illa dedisse per Dominum JESUM, id est, ex mandato Domini JESU.

V.3. primò omnium tradit præceptum generale, nempe ut studeant sanctitati. Deinde generale illud præceptum per aliquod specialia declarat: quorum primo prohibet scortationem & fœdas libidines, v.3.4.& 5. Hoc præceptum confirmat à causâ procreante, videl. notitiâ veri DEI. Novistis verum Deum: Ergo fugienda est vobis omnis impuritas; quippe quam Deo sanctissimo displicere nostis. Hanc causam exponit per antithesin ignorantiæ Gentium.

Secundo præcepto prohibet injustitiam in contractibus, ne quis per avaritiam excedat modum in augendis rerum pretiis: hoc enim videtur significari verbo ὑπερβαίνειν. Hoc præceptum confirmat ab effectu pernicioso; videl. vindictâ Dei: qui quum sit justissimus, omnem injustitiam ulciscitur, v.6.

V.7. annectit aliud argumentum ad confirmandum præceptum primum: quod sumtum est ab effecto destinato, videl. vocatione qua Deus electos vocat. Vocat enim eos ad communionem sui, ac proinde ad sanctitatem: quum nemo impurus cum Deo sanctissimo communionem habere possit.

V.8. utrumque præceptum confirmat à causâ procreante, per prolepsin. OBJECTIO: Vos apostoli, qui talia mandatis, estis homines: Ergo licet impunè vestra mandata rejicere. Respondet: Etsi homines sumus: tamen hæc mandamus non ut homines seu ex placito humano, sed ex mandato Dei & instinctu Spiritus sancti. Ergo mandata hæc nostra nemo impunè poterit rejicere.

V.9.& 10. tertium præceptum exponit, quo eos hortatur ad profectum in charitate erga proximum, per prolepsin qua ipsorum charitatem quam jam tum exercebant, collaudat.

V.11. quartum præceptum tradit: quo præcipit diligentiam in faciendis officiis vocationis, & contrà vetat curiositatem in inquirendis aliorum negotiis: nominatim verò tenuioribus præcipit laborem manuum: quam præcepti partem v.12. confirmat ab effectu indecoro: quia secus futurum sit, ut egentes implorent opem extraneorum: id quod ipsos minimè deceat, quum suo ipsorum labore egestati suæ possint consulere.

13 Nolim autem vos in ignorantia versari, fratres, quod ad eos attinet qui obdormierunt; ut ne doleatis, sicut cæteri qui spem non habent.

14 Nam si credimus, Jesum mortuum esse & resurrexisse; ita etiam Deus eos qui obdormierint in Jesu, adducet cum eo.

15 Hoc enim vobis dicimus verbis Domini, fore ut nos vivi qui reliqui erimus in adventu Domini, non prævehiamus eos qui obdormierint.

16 Nam ipse Dominus cum hortationis clamore, cum voce archangeli & cum Dei tuba, descendet è

cælo:

cælo: & qui mortui fuerint in Christo, resurgent primùm.

17 Deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubibus, in occursum Domini, in aëra: & ita semper cum Domino erimus.

18 Itaq; consolamini alii alios istis sermonibus.

Hîc inseritur tertia epistolæ pars: ubi eos primùm hortatur ad moderandum luctum ob fratres defunctos. Moderationem illam describit ex adjunctâ spe beatæ resurrectionis: nempe luctum quem concipiant ex morte fratrum, hoc est, fidelium, temperandum esse spe beatæ ipsorum resurrectionis. Hanc sententiam exponit per collationem dissimilium, videl. gentium, quæ spem illam non habent, v.13. Enthymema igitur hortationis est: Moderatè lugete vestros defunctos: quia resurrecturi sunt ad vitam æternam. Hoc argumentum v.14. confirmat à pari, videl. ab exemplo Christi: in quo exemplo simul continetur vis causæ procreantis. nam resurrectio fidelium pendet à resurrectione Christi tanquam à causâ procreante: quia fideles cum Christo, tanquam membra, cum capite cohærent.

V.15. & deinceps modum resurrectionis describit. Præfatur autem, se hanc doctrinam proferre ex sermone ipsius Domini, (ex quo nimirum illum acceperat, quum raptus esset in tertium cælum, 2.Cor.12.vers.2.& 4.) ut ita fidem faciat doctrinæ suæ à testimonio divino. In descriptione primò indicat, quando mortui fideles resurrecturi sint: nempe in adventu Domini, hoc est, quum Christus venturus est ad judicium. Secundò, quo ordine transferendi sint in cælum: videl. ante eos quos dies Domini vivos deprehensurus est. Tertiò, quâ vi sint excitandi: nempe voce archangeli & tubâ Dei. Quartò, rursum, quo ordine in cælum transferendi sint. Quintò, quâ vi transferendi sint: nempe raptu quodam & quasi vehiculo nubium. Sextò & postremò, quid illam translationem sequuturum sit, nempe perpetua fruitio beatæ immortalitatis cum Christo. V. ult. exhortationem hanc concludit.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Incedere] περιπατεῖν. Ambulare, *id est, vivere. Metaphora.* Excellatis] περισσεύητε. *Ad verbum,* Abundetis: *Sic Matth.5. versu 20.*

2 Per Dominum] διὰ τοῦ κυρίου. *Id est, ex mandato Domini.*

3 Hæc est enim voluntas Dei] τοῦτο γάρ ἐστι θέλημα τοῦ Θεοῦ. *Id est, Hoc enim est illud quod Deus vult à vobis præstari ad sui cultum. Metonymia adjuncti.* Sanctificatio vestri] ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν. *Id est, ut sanctificemini seu studeatis sanctitati. Nomen generale, quod deinceps per species declaratur. Poni autem hîc sensu generali, intelligitur ex collatione v.7. cum 6. vocat enim illic ἁγιασμὸν, si quis justitiam exerceat erga proximum.*

4 Suum vas] τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος. *Id est, suum corpus, quod est animæ instrumentum: qua significatione hîc accipitur* σκεῦος, *sicut apud Hebræos* כְּלִי *chelí. Et sic Paulus à Christo dicitur* σκεῦος ἐκλογῆς, vas electionis, *id est, instrumentum selectum, Actor.9.v.15. Augustinus nomine vasis hîc intelligit conjugem. lib.1. de nupt. & concupiscentia, cap.8.* Cum sanctificatione] ἐν ἁγιασμῷ. *Id est,* μεθ' ἁγιασμοῦ. *Hîc nomen* ἁγιασμὸς *accipitur specialiter de castitate: ut liquet ex antithesi.*

5 Non cum morbo cupiditatis] μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας. *Id est, Non cum cupiditate illa scortandi, quæ est morbus animi. Sic & nos vocamus* eine sucht. *Lutherus vertit,* Lustseuche. *Dicitur ergo hîc* πάθος ἐπιθυμίας, *eâdem loquendi figurâ quâ Rom.4.v.11.* σημεῖον περιτομῆς, *signum circumcisionis.* Sicut Gentes] καθάπερ καὶ τὰ ἔθνη. *Conjunctio* καὶ *redundat, ut aliàs sæpe.* Gentes quæ non noverunt &c.] τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα *&c. Periphrasis gentium profanarum, necdum ad Deum conversarum. Quòd si significarentur illæ hîc per solum nomen* τὰ ἔθνη, *synecdochicè usurpatum, ut aliàs sæpe: tum oporteret sequi talem loquendi modum,* ἅπερ μὴ εἰδόσι τὸν Θεόν: *non autem,* τὰ μὴ εἰδότα τὸν Θεόν. *Similis periphrasis exstat Roman.2.v.14.* ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα *&c.* Quæ non noverunt Deum] *Nempe sicut se patefecit certo verbo. nam sicut se patefecit per opera creationis, aliquatenus eum noverunt & Gentes profanæ, teste Paulo Rom.1.v.19. 20. 21. Synecd. generis.*

6 Opprimat] ὑπερβαίνειν. *Ad verb.* Transscendat. *Id est, ne excedat modum in augendis rerum pretiis. Sic nos de charitate rerum (puta frumenti aut vini) loquentes dicimus,* Das korn oder der wein ist hoch gestigen. *item,* Sie haben das korn oder wein hoch gesteigert. *Videtur tamen insolentius dictum,* ὑπερβαίνειν τινά, *item,* πλεονεκτεῖν τινά. Quæstui habeat] πλεονεκτεῖν. *Græcum verbum significat, Plus habendi desiderio (id est, per avaritiam) circumvenire seu fraudare. Sic 2.Cor.7.v.2.* οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν. In negotio] ἐν τῷ πράγματι. *In emendo & vendendo.*

7 Ad impuritatem] ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ. *Pro,* εἰς ἀκαθαρσίαν. *Sic mox,* ἐν ἁγιασμῷ, *pro,* εἰς ἁγιασμόν. *Heterosis.*

8 Qui dedit nobis] τὸν δόντα εἰς ἡμᾶς. *Ad verbum,* Qui dedit in nos: *hoc est, indidit nobis. Vel,* εἰς ἡμᾶς, *ad imitationem vocis Hebraicæ* לָנוּ *lánu, dicitur pro* ἡμῖν.

10 Ut excellatis] περισσεύειν. *Ad verb.* Ut abundetis. *Sic sup. vers.1.*

11 Annitamini] φιλοτιμεῖσθαι. *Synecdoche speciei. nam* φιλοτιμεῖσθαι *propriè est, honoris consequendi gratiâ anniti.*

12 Ut vos geratis] ἵνα περιπατῆτε. *Ad verb.* Ut ambuletis. *Hebraismus.* Honestè] εὐσχημόνως. *Vel,* Decenter: *ut 1.Cor.14.v. ult. Nomen* σχῆμα *hîc gestum notat, ut Phil.2.v.8.* Erga extraneos] πρὸς τοὺς ἔξω. *Sic vocat eos qui adhuc sunt extra Ecclesiam, qui se nondum aggregarunt Ecclesiæ.* Nullo] μηδενός. *Vel genere neutro, ut intelligantur res ad hanc vitam sustentandum necessaria pertinentes ad victum & amictum: vel genere masculino, ut intelligantur extranei illi quorum modò mentionem fecit: quasi dicat, Ut non sit vobis opus implorare opem cujusquam extraneorum. Posteriori sensu favet cohærentia sententiarum.*

13 Quod ad eos attinet qui obdormierunt] περὶ τῶν κεκοιμημένων. *Id est, qui mortui sunt. Metaphora Scripturæ usitata, maximè quum loquitur de morte piorum. Ratio metaphoræ est, quia mortui à Deo excitabuntur. Vide* Johan.11.v.11.12.13.14. *Hinc veteres Christiani apud Græcos sepulchreta nominarunt* κοιμητήρια, *quasi dicas, dormitoria, eò quòd illic dormiant mortui.* Ut ne doleatis sicut &c.] *Non prohibet dolorem omnem, sed dolorem similem dolori Ethnicorum, nempe immoderatum, propterea quòd non temperatur spe beatæ resurrectionis.* Sicut cæteri] ὡς καὶ οἱ λοιποί. *Conjunctio* καὶ *redundat, ut suprà v.5.* Cæteri qui spem non habent] *Periphrasis Ethnicorum carentium verâ notitiâ Dei. qualis fuit & supr. v.5.* Spem] ἐλπίδα. *Nempe spem beatæ resurrectionis, fundatam scil. in resurrectione Christi. Synecd. gener.*

14 Resurrexisse] *Scilicet ad beatam immortalitatem.* Ita etiam Deus adducet] οὕτω καὶ ὁ Θεὸς ἄξει. *Oratio verbis* ἀνακόλουθος *est. Connexum enim institutum, aliam verborum consequentiam postulabat, nempe talem:* ἄρα καὶ πιστεύομεν ὅτι ὁ Θεὸς *&c. Hoc verò consequens quod Apostolus enuntiat, postulat tale antecedens:* ὡς γὰρ Ἰησοῦς ἀπέθανε *&c. Verùm ista orationis ἀνωμαλία nihil adimit perspicuitati sententiæ.* In Jesu] διὰ τοῦ Ἰησοῦ. *Per Jesum, id est, in fide Jesu.* Adducet] ἄξει. *Nempe in cælum ad perfruendum beatâ illâ immortalitate.*

15 Verbis Domini] ἐν λόγῳ τοῦ κυρίου. *Id est, ex sermone quem ab ipso Christo audivi, tum scilicet quum raptus fui in tertium cælum seu paradisum, & audivi verba ineffabilia, 2.Cor.12.v.2. & 4.* Fore ut nos vivi &c.] *Ex his verbis non est colligendum, Paulum pro certo statuisse, se & Thessalonicenses ad quos tunc scribebat, adhuc in vivis fore in Domini adventu: ac proinde diem illum Domini instare: quippe quum vitæ humanæ brevitas Apostolo ex quotidiana experientia satis esset cognita. Sanè nonnullos id perperam ex istis Apostoli verbis collegisse, apparet ex cap.2. epist. poster. ubi Apostolus istam opinionem refutat, & à se profectam negat. Hoc tantùm videtur significare voluisse: quum de die adventus Domini, itemq; de die suæ cujusq; mortis, nemini constet: fieri posse ut nonnulli ex ipsis victuri sint usq; ad Domini adventum: & hoc casu posito, docet quid illis sit eventurum.* In adventu] εἰς τὴν παρουσίαν. *Pro,* ἐν τῇ παρουσίᾳ.

16 Cum hortationis clamore, cum voce &c.] ἐν κελεύσματι, ἐν φωνῇ *&c. Pro,* μετὰ κελεύσματος καὶ μετὰ φωνῆς καὶ μετὰ σάλπιγγος. *Hebraismus.* In nubibus] ἐν νεφέλαις. *In nubibus, scil. tanquam vehiculis. Sicut & Dominum ascendentem nubes sustulit ac subvexit. Sic malo quàm,* In nubes: *quasi* ἐν νεφέλαις, *sit dictum pro* εἰς νεφέλας. *quia sequitur* εἰς ἀέρα: *quibus verbis notatur locus quò rapiemur.*

18 Istis sermonibus] ἐν τοῖς λόγοις τούτοις. *Pro,* διὰ τῶν λόγων τούτων. *Hebraismus.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex v.1. & 10. Non est satis, cœpisse currere in stadio pietatis; sed perpetuò pergendum est, & ad perfectionem tanquam metam contendendum. *Officium hominis Christiani.*

2 Ex v.1. & 2. Omnibus actionibus nostris huc tendere debemus, ut placeamus Deo: hoc autem consequemur, si obediamus sanctis mandatis ipsius. *Officium hominis Christiani.*

3 Ex v.3. In voluntate Dei duo potissimùm consideranda sunt: unum, quid velit à nobis fieri, id est, quomodo velit à nobis coli: alterum, quid velit de nobis facere, id est, quomodo velit nos servare seu in æternum beatos reddere. Summa est: Vult à nobis coli vero studio sanctitatis secundùm sua præcepta: & vult nos servare per Christum. De priore hîc loquitur Apostolus: de posteriore Christus Joh.6.v.39.40. *Voluntas Dei.*

4 Ex v.3.4.5.6.7. Ad studium sanctitatis commovere nos debet: 1. quòd hæc est voluntas Dei ut sanctè vivamus. 2. quòd id nobis honorificum est. 3. quòd Deus cognitione sui salvificâ nos dignatus est. 4. quòd Deus nos ad sanctificationem vocavit. *Studium sanctitatis.*

5 Ex v.5. Notitia Dei duplex est: una, qua utcunque cognoscitur ipsius æternitas, potentia, sapientia, & bonitas, ex operibus creationis: de qua ad Rom.1.v.19.20.21. Altera, qua cognoscitur præter virtutes modò commemoratas, misericordia ipsius erga nos propter Christum ex verbo ipsius: de qua hoc loco sermo est. Prior illa notitia, nisi altera hæc accesserit, ad hoc tantùm valet, ut homo coram Deo sit inexcusabilis, ἀναπολόγητος, (Rom.1.v.20.) id est, ne possit coram judicio Dei uti excusatione ignorantiæ, quasi nimirum Deum prorsus ignoraverit: quasi nescierit, esse Deum, & esse mentem æternam, omnipotentem, sapientissimam, optimam seu benignissimam: ut dicat, si hoc scivisset, se Deum quoq; conveniente cultu & honore pro- *Cognitio Dei.*

secuturum & glorificaturum fuisse. Altera verò notitia salvifica est. nam hæc est vita æterna, ut cognoscamus Deum in Christo, Joh. 17. vers. 3.

Auditores Evangelii.

6 Ex v. 8. Cavendum ne rejiciamus verbum Dei, propterea quòd nobis annuntiatur per infirmos homines. nam ministri verbi Dei etsi homines infirmi sunt, sunt tamen legati Dei: ac proinde qui ipsos rejicit & contemnit, Deum ipsum rejicit & contemnit. Sic dixit Christus ipse Apostolus, *Qui vos audit, me audit: qui vos rejicit, me rejicit*, Luc. 10. v. 16. Et Paulus ait, *Apostolos legatione fungi nomine Christi*, 2. Cor. 5. v. 20.

Charitas.

7 Ex v. 9. Ea demum vera est charitas, ad quam edocemur atque informamur à Deo per Spiritum ipsius.

Officium hominis Christiani.

8 Ex v. 11. Cavenda est curiosa inquisitio rerum alienarum, & contrà curandæ cuique res suæ, ad quas curandas divinitùs est vocatus. Sic Petrus hortatur, ne quis affligatur ut ἀλλοτριοεπίσκοπος, id est, alienarum rerum inspector: 1. Pet. 4. v. 15. Vitium hoc nominatur à Græcis πολυπραγμοσύνη: & qui eo laborant, πολυπράγμονες. Estque hoc vitium species injustitiæ: unde Plato lib. 4. de Rep. justitiam definit, τὰ αὑτοῦ πράττειν καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν, id est, *res suas agere, nec multa* (ad se scil. non pertinentia) *agere velle*. Atque hoc ipsum vitium Menedemus ille Terentianus Chremeti exprobrat, quum ait: *Tantúmne est abs re tua otii tibi, Chreme, Aliena ut cures, quæq; ad te nihil attinent?*

Labor manuum.

9 Ex eod. Peccant qui manuum laborem, ad quem exercendum divinitus vocati sunt, quoque se honestè alere possent, deserentes & ex pigritia fugiētes, ad negotiationes lucrosas & cum proximi damno conjunctas se conferunt. Nec tamen est quòd putemus, singulis hominibus laborem manuum præceptum esse: sunt enim quidam vocati ad gubernationem Ecclesiæ & Reip. quibus necesse est perpetuò cogitare ac meditari quomodo populum sibi commissum sapienter gubernent. Unde Paulus 1. Cor. 9. docet, jus ministrorum ecclesiæ esse, ut absque manuum suarum labore vivant ac sustententur ex bonis ecclesiæ. Nec verò quum Deus Adamo dixit, *In sudore vultus tui vescêris pane tuo*: præceptum dedit ut legislator, sed ut judex pœnam pronuntiavit. Alioqui singulos oporteret agricolas esse: quum ex contextu liqueat, istud de agricultura dictum esse. Præcessit enim: *Maledicta terra in opere tuo: in labore comedes ex ea &c.* Nec minor est labor ille cerebri, quo magistratus & doctores ecclesiæ perfunguntur, quàm labor manuum: quin potiùs major. Et labor manuum illis potissimùm præcipitur, quibus desunt bona ad hanc vitam tuendam necessaria: quo fit ut aut labore manuum comparanda illis sint, aut ab aliis emendicanda. Confer 2. Thess. 3. à v. 6. usque ad 13.

Resurrectio mortuorum.

10 Ex v. 13. & 14. Mortui certò resurrecturi sunt: quia Deus tam facilè eos excitabit, quàm nos excitamus dormientem. Porrò qui in fide Christi mortui fuerint, illi resurrecturi sunt, ad beatam immortalitatem cum Christo fruendam: quoniam cum illo tanquam cum capite cohærent. Vide 1. Cor. 15.

Luctus.

11 Ex v. 13. Lugere mortuos fideles licet: veruntamen luctus ille moderandus est ex spe beatæ resurrectionis.

Officium hominis Christiani.

12 Ex v. 15. Quum dies adventus Domini nos lateat, semper parati simus ad excipiendum adventurum, sobriè scil. viventes, vigilantes & orantes. Vide Luc. 2. v. 34. 35. 36. item Luc. 12. v. 35. 36. 37. 38. 39. 40. item Matth. 24. v. 42. 43. 44.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

In principio capitis pergit in instituta descriptione adventus Domini ad judicium. Deinde v. 4. redit ad exhortationes: quas pertexit usq; ad v. 23. ubi epistolam voto & privatis quibusdam admonitionibus & consuetâ salutatione concludit.

PORrò de temporibus & opportunitatibus, fratres, non est opus ut vobis scribatur.

2 Ipsi enim penitus scitis, diem illum Domini, ut fur in nocte *venit*, ita venturum esse.

3 Quum enim dicent, Pax *est*, & tuta omnia: tunc repentinum eis imminet exitium, sicuti dolor partus mulieri uterum ferenti: & nequaquam poterunt effugere.

PEr prolepsin asserit, diem adventus Domini ab hominibus ignorari: & Dominum venturum impiis ex improviso: id quod declarat exemplo furis qui noctu ex improviso in domum alienam ingruit: item exemplo mulieris gravidæ, quàm dolores partus ex improviso obruunt. Ita quum maxima regnabit in mundo securitas, judicium Domini impios incautos opprimet.

4 At vos, fratres, non estis in tenebris, ut dies ille vos tanquam fur deprehendat.

5 Omnes vos filii lucis estis, ac filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.

6 Nempe igitur ne dormiamus, ut reliqui; sed vigilemus & sobrii simus.

7 Nam qui dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriantur, noctu sunt ebrii.

8 At nos qui sumus diei, sobrii simus; induti thorace fidei & charitatis, & galeâ spe salutis.

9 Nam non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam per Dominum nostrum Jesum Christum:

10 Qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum eo vivamus.

11 Quapropter adhortamini alii alios, & ædificate singuli singulos; sicut & facitis.

12 Rogamus autem vos, fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & admonent vos:

13 Et quàm maximè charos ducatis, propter opus ipsorum. Pacem colite inter vos mutuò.

14 Precamur autem vos, fratres, monete inordinatos, consolamini eos qui pusillo animo sunt, sublevate infirmos, leni animo estote erga omnes.

15 Videte ne quis malum pro malo cuipiam reddat: sed beneficentiam semper sectamini, tum inter vos mutuò, tum erga omnes.

16 Semper gaudete.

17 Indesinenter orate.

18 In omnibus gratias agite: hæc enim est voluntas Dei per Christum Jesum erga vos.

19 Spiritum ne exstinguite.

20 Prophetias ne pro nihilo habete.

21 Omnia explorate: quod bonum fuerit, retinete.

22 Ab omni specie mali abstinete.

Redit ad exhortationes, ac primùm dehortatur ab illa cujus modò mentionem fecerat, mundi securitate, contraque hortatur ad vigilantiam & sobrietatem. Primùm autem eos consolatur contra metum improvisi adventus Domini. Dies Domini, inquit, ex improviso deprehendet eos qui sunt in tenebris, nempe in tenebris ignorantiæ DEI: veniet enim Dominus tanquam fur in nocte. At vos non estis in tenebris, sed estis filii lucis: hoc est, non ignoratis DEUM, sed nostis. Ergo dies Domini vos non deprehendet ex improviso, v. 4. & 5. Deinde eodem argumento concludit ipsam exhortationem. Qui dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriantur, noctu inebriantur: & denique qui securè suis cupiditatibus indulgent, DEUM ignorant. At nos non sumus noctis, neque tenebrarum, sed sumus diei; hoc est, nos sumus præditi cognitione DEI. Ergo ne dormiamus, hoc est, ne simus carnaliter securi: sed vigilemus & sobrii simus. Hanc exhortationem illustrat per partes, quatenus hortatur ad constantiam in fide, charitate & spe: quæ tanquam arma proponit, quibus contra insultus Diaboli munire se debeant. Hæc agit v. 6. 7. & 8.

V. 9. occasione vocabuli *salutis*, quo modò fuerat usus, annectit aliud institutæ hortationis argumentum; quod sumtum est ab utili effectu, videlicet salute seu vitâ æternâ, quam sobriè viventes & strenuè contra Diabolum pugnantes certò adeptuti sint: quia & Deus illos ad istam prædestinarit, & Christus eam ipsis suâ morte sit promeritus, v. 9. & 10.

V. 11. hortatur eos ad mutuum studium adhortandi & confirmandi in studio pietatis.

V. 12. & 13. hortatur eos ad observantiam erga suos pastores & gubernatores: item ad mutuam concordiam.

V. 14. hortatur eos ad varia officia charitatis erga proximum, prout cujusque ædificatio & salus postulat.

V. 15. dehortatur à privatâ vindictâ, & contrà hortatur ad constans studium benefaciendi omnibus.

V. 16. hortatur ad perpetuum gaudium, nempe gaudium in Spiritu sancto, quod oritur ex consideratione paterni amoris Dei erga nos in Christo.

V. 17. hortatur ad assiduas preces.

V. 18. hortatur ut Deo gratias agant in omnibus, id est, quicquid ipsis evenerit, sive bonum, sive malum. Hanc exhortationem confirmat à causâ procreante, videl. voluntate Dei benevolâ per Christum declaratâ.

V. 19. & 20. hortatur ad studium audiendi & meditandi verbum Dei, ab effectu pernicioso: quia secus exstingueretur spiritus, id est, dona Spiritus sancti ad salutem necessaria: ut sunt, fides, charitas, spes. Per prophetias intelligit propheticarum scripturarum expositiones, & inde deductas exhortationes: sicut 1. Cor. 14.

V. 21. hortatur ad examen doctrinæ, quam pastores tanquam ex verbo Dei proponunt.

V. 22. dehortatur ab omni specie mali, id est, ab omni re quæ vel speciem tantummodò mali præ se fert, etiamsi per se mala non sit.

23 Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos: & integer vester spiritus, & anima, & corpus, inculpatè in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur.

24 Fidelis

24 Fidelis est qui vocat vos; qui etiam id efficiet.
25 Fratres, orate pro nobis.
26 Salutate fratres omnes osculo sancto.
27 Adjuro vos per Dominum, ut recitetur hæc epistola omnibus sanctis fratribus.
28 Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum: Amen.

Concludit epistolam primùm voto, quo eis exoptat quotidianum incrementum sanctificationis, v.23. atque illud ipsum eis promittit, v.24. deinde privatas quasdam admonitiones subjicit, v.25.26.27. Postremò salutationem consuetam annectit, v.ult.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 De temporibus] περὶ τῶν χρόνων. *Id est, quo anno, quo mense, quo die Dominus adventurus sit. Synecdoche generis.*

2 Diem illum Domini] ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου. *Nempe diem extremi juditii.* Ut fur in nocte *venit*] ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ. *Repete* ἔρχεται*, ex fine versus. Id est, ex improviso. quod tamen mox v. sequente restringitur ad impios. nam piorum est diem illum perpetuò exspectare atque exoptare. Confer Matth.24. v.42.43.44. Luc.12.v.39.40. item Luc.21.v.34.35.*

3 Quum enim dicent] *Nempe impii: ut liquet ex sequentibus.* Et nequaquam poterunt effugere] καὶ οὐ μὴ ἐκφύγωσιν. *Gemina negatio fortiùs negat: & verbum est modi potentialis.*

4 Non est in tenebris] *Per tenebras intelligit ignorantiam Dei. Metaphora.* Dies ille] ἡ ἡμέρα. *Nempe quo Dominus venturus est ad judicium.* Tanquam fur] *Id est, ex improviso ad incautos.*

5 Filii lucis] υἱοὶ φωτὸς. *Id est, luce cognitionis Dei illustrati. Phrasis Hebræa.*

6 Ne dormiamus] *Id est, Ne indulgeamus securitati carnis. Allegoria metaphorica.* Ut reliqui] *Nempe qui in Christum non credunt: qui verâ Dei cognitione non sunt illustrati. In Græco,* ὡς καὶ οἱ λοιποὶ*, redundat conjunctio copulativa: sicut & cap. præcedente v.13.* Vigilemus] *Id est, Solicitè caveamus ne Diabolus suis tentationibus nos vincat.* Sobrii simus] *Caveamus ne corda nostra graventur crapulâ & ebrietate: ut Christus monet Luc.21.*

7 Qui dormiunt, noctu dormiunt] *Nox enim somno à Deo destinata est.* Noctu sunt ebrii] *Id est, Noctu solent inebriari.*

8 Qui sumus diei] ἡμέρας ὄντες *Pro hoc sup. v.5. dixit*, Sumus filii lucis ac filii diei. Induti thorace fidei] ἐνδυσάμενοι θώρακα πίστεως. *Id est, induti fide tanquam thorace: ut scil. armati simus contra tentationes Diaboli. Vide Eph.6.v.11. & deinceps, ubi spiritualem hanc armaturam copiosiùs describit.* Et galeâ spe salutis] καὶ περικεφαλαίαν ἐλπίδα σωτηρίας. *Appositio. Id est, Et galeâ quæ est spes salutis: hoc est spe salutis tanquam galeâ.*

9 Non constituit] οὐκ ἔθετο. *I.e. Non ordinavit, non prædestinavit. Similiter accipitur hoc verbum 1.Pet.2.8. ubi de immorigerorum damnatione loquens ait,* εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν. Ad iram] εἰς ὀργὴν. *Id est, Ad exitium seu interitum cui Deus pro justa sua ira adjudicaturus est reprobos. Metonymia efficientis.* Ad salutem obtinendam] εἰς περιποίησιν σωτηρίας. *Ad verb.* Ad acquisitionem seu adeptionem salutis.

10 Ut sive vigilemus &c.] *Elegans verborum ἀντανάκλασις: qualis illa Rom.14.v 8.* Sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur: sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus.

11 Ædificate] οἰκοδομεῖτε. *Id est, Ad bonum instruite.*

12 Ut agnoscatis] εἰδέναι. *Id est, ut debitâ reverentiâ prosequamini. Synecdoche membri metonymica.* Qui laborant] τοὺς κοπιῶντας. *Scil.* docendo vos & admonendo: *sicut sequentia declarant. Confer 1.Tim.5.v.17.* Præsunt vobis] προϊσταμένους ὑμῶν. *Intelligit presbyteros, quod nomen cum isto verbo expressè conjungit 1.Tim.5.v.17. inquiens,* οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι. In Domino] ἐν κυρίῳ. *Id est, in timore Domini.* Admonent] νουθετοῦντας. *Nempe, de vestro officio. hoc enim est munus presbyterorum.*

13 Propter opus ipsorum] διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν. *Nempe,* opus illud admonitionis.

14 Inordinatos] τοὺς ἀτάκτους. *Id est, eos qui inordinatè se gerunt. Confer 2.Thess.3.v.10.11.12.* Infirmos] τῶν ἀσθενῶν. *Scil.* in fide.

15 Beneficentiam] τὸ ἀγαθὸν. *Id est,* τὴν ἀγαθοσύνην.

16 Gaudete] *Scil.* in Spiritu sancto, *sicut loquitur Rom.14.17.*

18 In omnibus] ἐν παντὶ. *Quasi dicat, Tam in adversis, quàm in secundis rebus.* Gratias agite] *Nempe,* Deo. Hæc enim est voluntas Dei &c.] τοῦτο γὰρ θέλημα Θεοῦ &c. *Id est, Voluntas enim Dei erga vos talis est, id est, tam bona ac benigna, ut meritò semper gratias ei agere debeatis.*

19 Spiritum] τὸ πνεῦμα. *Id est, illuminationem Spiritus sancti, seu dona Spiritus sancti; nempe fidem, spem, charitatem. Metonymia efficientis.* Ne exstinguite] μὴ σβέννυτε. *Metaphora ab igne: qua monemur, dona spiritus instar ignis fovenda atque alenda esse verbo Dei tanquam oleo.*

20 Prophetias] προφητείας. *I.e. expositiones scripturæ propheticæ, profectas ex singulari Spiritus S. revelatione. Sic 1.Cor.14.*

21 Omnia] πάντα. *Quæ scil. vobis proponuntur à vestris doctoribus.*

22 Ab omni specie mali] ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ. *Id est, ab omni re quæ vel speciem mali habet, licet per se mala non sit: quantò magis abstinendum à malo ipso?*

23 Deus pacis] ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης. *Id est, qui pacem conscientiæ efficit in animis electorum suorum. De hac pace etiam loquitur Rom.5.v.1.* Et integer vester spiritus &c.] *Verbum* ὁλοτελεῖς *proximè præcedens, deinceps per partes exponit.* Spiritus & anima] τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ. *Per spiritum (ut annotavit doctissimus interpres) videtur intelligere mentem, id est, eam animæ partem, quâ sapimus atque intelligimus: per animam verò voluntatem & affectus. Sic Heb.4.v.12.* In adventum] ἐν τῇ παρουσίᾳ. *Pro,* εἰς τὴν παρουσίαν.

24 Fidelis] πιστὸς. *Id est, talis qui fidem servat, verax & constans in promissis.* Qui vocat vos] ὁ καλῶν ὑμᾶς. *Nempe,* per istud ipsum meum votum, *vel,* quotidie per Evangelii prædicationem. *Quò autem vocat? Nempe ad communionem regni sui.* Etiam] καὶ. *Scil.* sicut promisit. *Id* efficiet] ποιήσει. *Nempe,* id quod promisit. *Hoc est, Perducet vos in communionem regni sui.*

26 Osculo] φιλήματι. *Præpositio* ἐν *redundat ex Hebraismo: notat enim instrumentum vel modum agendi. Sic Rom.16.v.16.* Sancto] ἁγίῳ. *Quod proficiscatur è sancto animo, ac proinde sincerum sit; non hypocriticum, ut osculum Judæ.*

27 Adjuro vos per Dominum] ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν κύριον. *Alia phrasis exstat Matth.26.v.63. nempe,* ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ Θεοῦ. Omnibus] *Nempe, iis qui ad vestrum cœtum pertinent, qui vestræ ecclesiæ membra sunt.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

1 Ex v.1.2.3. Ex his tribus versibus idem discendum est, quod ex v.15. capitis præcedentis.

2 Ex v.4. & deinceps usque ad 11. Ad serium studium pietatis excitare nos debet consideratio maximorum Dei beneficiorum: ut quòd verâ sui cognitione mentes nostras illustravit; quòd nos ad salutem prædestinavit, quòd Christus suâ morte vitam æternam nobis est promeritus. *Studium pietatis.*

3 Ex v.8. Arma quibus contra Diabolum pugnandum est, sunt fides & spes. Fidei autem in textu adjungitur charitas: quia vera fides per charitatem est efficax, Gal.5.v.6. *Pugna cum Diabolo.*

4 Ex v.11. Officium Christianorum est, se mutuò ædificare, id est, in cognitione Dei & vera pietate confirmare tum adhortationibus, tum aliis rationibus. *Officium hominis Christiani.*

5 Ex v.12. & 13. Singulari amore ac honore prosequendi sunt ministri Verbi, nempe doctores, pastores & presbyteri. *Auditores Evangelii.*

6 Ex v.13. Mutua concordia inprimis colenda. *Concordia.*

7 Ex v.14. Varia charitatis officia erga proximum exercenda, prout cujusque ædificatio & salus postulat. *Charitas.*

8 Ex v.15. Privata vindicta cavenda, & constanter benefaciendum omnibus. *Vindicta.*

9 Ex v.16. Christianis perpetuò gaudendum in Spiritu sancto, considerando scil. paternum amorem Dei erga se in Christo. *Gaudium.*

10 Ex v.17. Preces debent esse assiduæ. *Preces.*

11 Ex v.18. Quicquid nobis evenit, sive bonum, sive malum, Deo gratias agere debemus: quippe quum & mala nobis in bonum cedant, Rom.8.v.28. Sic Job Deo gratias agebat, quum & facultatibus & liberis suis per Diabolum & vicinos Chaldæos ac Sabæos privatus esset. Sic Apostoli Act.5. circa finem, Deo gratias agebant, quum virgis propter Christum cæsi fuissent. *Officium hominis Christiani.*

12 Ex v.19. & 20. Verbum Dei studiosè audiendum & meditandum est: ne exstinguantur dona Spiritus sancti ad salutem consequendam necessaria: ut sunt fides, charitas, spes. *Officium hominis Christiani.*

13 Ex v.21. Doctrina, quam doctores & pastores ecclesiæ proponunt, diligenter ex verbo Dei examinanda est: ut si cum illo congruat, retineatur: sin ab illo discrepet, rejiciatur. Sic 1.Cor.14.v.29. præcipit, ut duo vel tres prophetæ loquantur, cæteri verò dijudicent. Sic Berœenses Act.17.v.11. laudantur, quòd scrutarentur Scripturas, an quæ ex Paulo & Sila audierant, ita se haberent. Similiter Johannes epist.1.c.4. hortatur, ut probemus spiritus an ex Deo sint. *Auditores Evangelii.*

14 Ex v.22. Christianis abstinendum est ab omni re quæ vel speciem tantummodo mali præ se fert, etiamsi per se mala non sit. Qualis erat intempestivus ille usus libertatis Christianæ in edendis idolothytis cum offensione infirmorum: quem reprehendit Apostolus 1.Cor.8. *Officium hominis Christiani.*

15 Ex v.23. Pax conscientiæ à Deo est, quatenus ille fide justificat. Confer Rom.5.v.1. *Justificatio.*

16 Ex v.eod. Ut Deo placeamus, totos nos sanctificari oportet: videl. mentem, voluntatem, affectus, denique ipsum corpus. Hinc efficitur, nos à natura totos immundos esse, & Deo displicere. *Sanctificatio.*

17 Ex v.24. Quum Deus constans sit in promissis; fidamus igitur ei, & bona ab ipso nobis promissa certâ spe exspectemus. *Officium hominis Christiani*

18 Ex v.25. Officium Christianorum est, pro se mutuò orare. *Officium hominis Christiani.*

19 Ex v.26. A salutatione & quavis externa benevolentiæ declaratione abesse debet hypocrisis. *Officium hominis Christiani.*

20 Ex v.27. Quum Paulus hanc epistolam cum omnibus Ecclesiæ membris communicari velit: peccant igitur Pontificii, qui lectione epistolarum Pauli, ac omnino sacræ scripturæ, interdicunt iis quos laicos nominant. *Lectio Scripturæ.*

FINIS.

ANALYSIS LOGICA

EPISTOLÆ PAULI ad Thessalonicenses posterioris.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

Tres sunt epistolæ hujus partes, prout etiam in tria capita distincta est. In primo capite consolatur eos contra persecutiones, quas propter Evangelii confessionem sustinebant. In secundo capite monet ne aures præbeant iis qui dicebant, adventum Christi jam instare: eâque occasione prophetat de adventu Antichristi, adventum scilicet Christi antecessuro. In tertio capite ad varia Christiani hominis officia eos cohortatur.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Consolatur eos contra persecutiones quas propter Evangelii confessionem sustinebant.

Paulus & Silvanus & Timotheus, ecclesiæ Thessalonicensium, *quæ est* in Deo patre nostro & Domino Jesu Christo:

2 Gratia *sit* vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo.

3 Gratias agere debemus Deo semper de vobis, fratres, ut par est, quòd vehementer augescat fides vestra, & abundet mutua uniuscujusque omnium vestrûm charitas:

4 Adeò ut nos ipsi de vobis gloriemur apud ecclesias Dei, *id est*, de tolerantia vestra & fide in omnibus persequutionibus vestris & afflictionibus quas toleratis.

5 *Quæ res* manifestum est indicium justi judicii Dei: ut digni habeamini regno Dei, pro quo etiam *ista* patimini.

6 Siquidem justum est apud Deum, vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem:

7 Vobis verò qui affligimini, relaxationem nobiscum, quum patefiet Dominus Jesus de cælo cum angelis suis potentibus:

8 Cum flammeo incendio; infligens ultionem iis qui Deum non noverunt, & iis qui non auscultant evangelio Domini nostri Jesu Christi:

9 Qui pœnam pendent æterni exitii, *expulsi* à facie Domini & à glorioso ipsius robore:

10 Quum venerit ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in credentibus omnibus (quòd fides habita fuerit testimonio nostro apud vos) in die illo.

11 Cujus etiam rei gratiâ precamur semper pro vobis, ut vos dignetur istâ vocatione Deus noster, & compleat omne *suæ* bonitatis beneplacitum, & opus fidei potenter.

12 Ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in eo, ex gratia Dei nostri, & Domini Jesu Christi.

Post inscriptionem, quæ continetur v.1.& 2. consolaturus eos, primùm eis gratulatur ipsorum fidem & charitatem & tolerantiam: eamque gratulationem amplificat expositione effecti; ostendens, se tanti facere spirituales illas Thessalonicensium virtutes, ut eo nomine de ipsis glorietur apud ecclesias Dei, v.3. & 4. Deinde quum persecutionum mentionem fecisset, consolationem subjungit: atque ita eos ad constantiam in persecutionibus tolerandis hortatur. Consolationis argumentum sumit ab eventis per antithesin; qua inter se opponit præmium Thessalonicensibus confessionis nomine à Deo dandum, & pœnam persecutoribus ipsorum à Deo infligendam: v.5.6.7.8.9.10. Enthymema hujus consolationis est: Deus iis qui vos affligunt, reddet afflictionem: vobis verò qui affligimini, relaxationem: Ergo constanter ac patienter afflictiones istas tolerate. Hujus enthymematis antecedens, id est, hoc consolationis argumentum, confirmat tribus rationibus: primùm à natura Dei justa, seu (ut sic per ἀνθρωποπάθειαν loqui nobis liceat) ab adjuncta Dei justitia, simulque ab adjuncta ipsius potestate. Deus est justus judex totius mundi: Ergo injustos meritis pœnis afficiet, pios autem convenientibus præmiis ornabit. Ne autem pii præmia ista suis meritis adscribant, significat, ea esse gratuita & ex dignatione Dei proficisci, dum ait, εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ: id est, *Ut digni censeamini regno* Dei. quod ipsum clarius exponit v.11. inquiens, *Precamur ut vos dignetur ista vocatione* Deus *noster, & compleat omne suæ bonitatis beneplacitum.* Porrò expositionem felicis illius persecutionum, quas Thessalonicenses sustinebant, eventus, amplificat collatione similis exempli, nempe suiipsius, inquiens, v.7. *Deus vobis qui affligimini, reddet relaxationem* NOBISCUM, id est, mecum. Quæ ipsa jam secunda ratio est, qua argumentum consolationis allatum confirmat, nempe à pari: Sicut Deus mihi pro afflictionibus meis reddet relaxationem: sic etiam vobis pro vestris. Præterea expositionem istius eventus illustrat ex adjuncto, videlicet circumstantiâ temporis: affirmans, relaxationem illam Thessalonicensium, itemque ultionem eorum qui ipsos persequebantur, eventuram in adventu Christi ad judicium: atque ita causam instrumentalem exponit, qua Deus utetur in ultione illa infligenda & relaxatione illa tribuenda, nempe per Christum. Adventum autem Christi magnificè describit, primùm à loco unde venturus est, videlicet è cælo: deinde ab adjunctis, nempe comitatu angelorum (quos ipsos describit ab adjuncto robore) & incendio quo purgabit elementa, ut Petrus declarat: v.7.& 8. Simul quoque describit tum impios ex adjunctis, videl. ignorantiâ Dei & inobedientiâ: quo ipso ultionis justitiam innuit, v.8. tum pios ex adjuncta sanctitate & fide: quam ipsam describit à subjecto occupante seu objecto, videlicet testimonio Evangelii per se annuntiato, v.10. Exitium quoque impiorum amplificat ab adjuncta æternitate, v.9. Contrà gloriam piorum amplificat ex effectis, ostendens, tantam fore, ut redundet in gloriam ipsius Christi, & summam admirationem pariat, v.10. His subjungit tertiam rationem ad confirmandum allatum consolationis argumentum, v.11. quæ ratio sumta est à causa procreante adjuvante: Ego Deum semper precor ut vos dignetur ista vocatione, id est, regno suo, ad quod vos vocare cœpit: Ergo confidite, Deum id facturum. Hîc autem inserit quartam rationem, à natura Dei constante: quæ ratio latet in verbo πληρώσῃ, *compleat*. q.d. Deus in vobis cœpit opus salutis: ergo etiam complebit: quia nimirum constans est. Simul autem monet: hanc præmii largitionem esse gratuitam, tum hoc v. tum seq. ult.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 *Quæ est* in Deo &c.] *Vide scholia in 1.Thes.1.v.1.*

4 De vobis gloriemur] ἐν ὑμῖν καυχᾶσθαι. *Id est*, ἐφ᾽ ὑμῖν. *Præpositio* ἐν *hîc notat gloriationis objectum: sicut etiam Rom.5.v.3. & 11.* De tolerantia] ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς. *Usurpatur hîc* ὑπὲρ *pro* περί. *Heterosis.* Quas toleratis] αἷς ἀνέχεσθε. *Pro*, ἐκείνας ἃς ἀνέχεσθε. *Græcismus.*

5 Pro quo] ὑπὲρ ἧς. *Id est, propter quod, seu cujus gratiâ. Non quòd existiment fideles, se felicitatem regni Dei tolerantiâ persecutionum promereri: sed quia norunt, se illam aliter consequi non posse, nisi persecutiones propter Evangelii confessionem tolerent. Præpositio* ὑπὲρ *hîc notat finem.*

6 Siquidem] εἴπερ. *Id est, quia.*

7 Quum patefiet Dominus Jesus] ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. *Id est*, ὅταν ἀποκαλυφθήσεται ὁ κύριος Ἰησοῦς. *Genitivus notat subjectum.* Cum angelis suis potentibus] *Seu*, robustis. μετ᾽ ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ. *Ad verb.* Cum angelis potentiæ suis. *Genitivus adjuncti. nam pronomen* αὐτοῦ *non pendet à nomine* δυνάμεως, *sed à nomine* ἀγγέλων. *Est Hebraismus: qualis ille Psal. 2.v.6.* Super Zijonem, הַר־קָדְשִׁי *hàr-kodschi*, montem sanctitatis (*id est sanctum*) meum.

8 Cum flammeo incendio] ἐν πυρὶ φλογός. *Ad verb.* In igne flammæ. *Hebraismus geminus: alter in præpositione, alter in genitivo.*

nitivo, Infligens] διδόντος. *Ut nimirum* διδόντος *cohareat cum nomine* κυρίου, *v. pracedente. Nam quo minùs conjungi poſſit cum proxime-pracedente voce* φλογὸς, *diverſitas generis obſtat. nam* φλὸξ *eſt generis fœminini. Eſt autem hîc enallage temporis: nam* διδόντος *dicitur pro* δώσοντος. Et iis qui non auſcultant] καὶ τοῖς μὴ ὑπακούουσι. *Sic vertendum: nō autem,* Neque auſcultant. *qua verſio reſpondet Gracis iſtis,* καὶ μὴ ὑπακούουσι: *omiſſo ſcilicet articulo. Duo enim impiorum genera hîc notantur: unum ignorantium religionem Chriſtianam; alterum ſcientium, ſed oppugnantium aut ſaltem contemnentium.*

9 Et à glorioſo ipſius robore] καὶ ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ. *Ad verb.* Et à gloria roboris ejus, *vel,* virium ejus. *Hypallage Hebraa, qualis Eph. 1. 7.*

10 In die illo] *Scil. quo patefiet è calo, ex v. 7.* Cujus rei gratiâ] εἰς ὃ. *Ad verb.* Ad quod. *Prapoſitio* εἰς *hîc uſurpatur ut prapoſitio lamed apud Hebraos in voce* לָמָּה *lamáh, qua ſonat quaſi dicas,* εἰς τί, *Ad quid: pro* τίνος ἕνεκα, *Cujus rei gratiâ.*

11 Pro vobis] περὶ ὑμῶν. *Ponitur* περὶ *pro* ὑπὲρ. Dignetur] ἀξιώσῃ. *Vel,* Dignos reddat. Iſtâ vocatione] τῆς κλήσεως. *Id eſt, Gloriâ iſtâ caleſti ad quam vocamini. Metonymia adjuncti.* Opus fidei] ἔργον πίστεως. *Hoc eſt fidem qua eſt opus gratia Dei in vobis. Talis ſyntaxis qualis illa Rom. 4. v. 11.* Accepit Abraham ſignum circumciſionis: *Id eſt, circumciſionem, qua erat ſignum federis.* Potenter] ἐν δυνάμει. *Ad verb.* In potentia: *id eſt, cum potentia. Periphraſis adverbii Hebraa.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex quatuor primis verſibus eædem obſervationes naſcuntur quæ ex tribus primis verſibus epiſtolæ prioris: ibi vide.

Conſolatio. Confeſſio fidei. Perſecutio. 2 Ex v. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Quum à mundo affligimur propter Evangelii profeſſionem; conſolari nos debet ultimum judicium. tunc enim Chriſtus perſecutores quidem noſtros æterno exitio damnabit, nos verò cæleſti gloriâ & ſempiternâ felicitate donabit. Nec eſt quod dubitemus quin hoc facturus ſit: quia juſtus eſt. Juſti autem judicis eſt, ſontes damnare: innocentes verò præmiis ornare. Hâc ſpe conſolabatur ſe Paulus 2. Tim. 4. v. 6. 7. 8.

Vita aterna. 3 Ex v. 5. Si ut regnum Dei ſeu vitam æternam conſequamur, ex gratia Dei dignos eo cenſeri oportet: ergo per nos ipſi eo indigni ſumus. Confer Luc. 21. v. 36. ubi exſtat idem verbum καταξιωθῆτε: & Matth. 24. v. 34. ubi habetur verbum κληρονομήσατε. Quòd ſi regnum Dei nobis datur ut hæreditas; non igitur datur pro noſtris meritis.

Fideles. 4 Ex eod. v. Conditio verorum Chriſtianorum in hoc ſæculo eſt, ut patiantur pro regno Dei, id eſt, propter ſpem vitæ æternæ quam credunt & profitentur ſibi partam Chriſti morte. Hinc Paulus ajebat: *Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei,* Act. 14. v. 22. & ad Timotheum, *Omnes*, inquit, *qui volunt piè vivere in Chriſto, perſecutionem patientur*, 2. Tim. 3. v. 12. Quin & Chriſtus ipſe ait, *Si quis vult poſt me venire,* (id eſt, me ut diſcipulus ſequi) *abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me:* Matth. 16. v. 24. Quare non eſt quòd offendamur quum accidit, nos propter Chriſti confeſſionem à mundo odio haberi & affligi.

Cognitio Dei. 5 Ex v. 8. Vera & ſalvifica Dei notitio non niſi ex Evangelio oritur: quare qui Evangelium repudiant, illi verâ Dei cognitione carent & ſalvi fieri non poſſunt. Hæc enim duo Paulus velut individuo nexu copulat, quum ait: *Qui Deum non noverunt, neque auſcultant Evangelio &c.*

Cognitio Dei. 6 Ex eod. v. Hæc demum eſt vera Dei notitia, qua Dei voluntas ex Evangelio non ſolùm cognoſcitur, ſed etiam qua Evangelio (id eſt, voluntati Dei in Evangelio patefactæ) obeditur. Hæc autem eſt voluntas Dei in Evangelio patefacta, ut credamus in filium, Johan. 20. v. ult. & ut ſtudeamus ſanctè vivere, 1. Theſſ. 4. v. 3. Confer etiam Tit. 2. v. 11. 12. 13.

Fideles. 7 Ex v. 10. Omnes fideles ſancti ſunt: quia Paulus duas iſtas voces hîc tanquam ſynonymas ſeu idem ſignificantes uſurpat. Sancti autem ſunt partim imputatione ſancti ſacrificii Chriſti: partim inchoatione ſanctæ vitæ per efficaciam ſpiritus Chriſti.

Evangelium. Sacramenta. 8 Ex eod. v. Evangelium eſt teſtimonium de CHRISTO. Similiter & ſacramenta, tanquam Evangelii appendices, nihil aliud quàm divina teſtimonia ſunt, quibus nimirum Deus teſtatur, ſe credentes omnes in gratiam recepiſſe propter reconciliationem factam morte Chriſti.

Officium hominis Chriſtiani. 9 Ex v. 11. Officium Chriſtianorum eſt, pro ſe mutuò precari.

Salus. 10 Ex eod. v. Salus noſtra pendet à mera Dei bonitate: qua ſcil. nos ex gratuita benevolentia ad vitam æternam elegit, & efficaciter vocat, fidemque in nobis conſervat.

Fides. 11 Ex eod. Fides eſt opus potentiæ Dei, id eſt, quod per Dei potentiam in electis efficitur. unde Paulus ad Epheſ. 1. docet, Deum quum fidem in nobis creavit, eandem potentiam exſeruiſſe quam exſeruit quum Chriſtum excitavit ex mortuis, Eph. 1. v. 19. & 20. Et Chriſtus docet apud Johannem, per vocem filii Dei in Evangelio ſonantem, excitari mortuos, nempe ſpiritualiter mortuos, id eſt, ad omnem ſpiritualem motum, ac proinde etiam ad credendum, prorſus ineptos & impotentes. Sic enim ait Joh. 5. v. 25. *Amen amen dico vobis, veniet tempus & nunc eſt, quum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent.* Ubi obſervandum, Chriſtum non loqui de mortuis corporaliter: de his enim paulò poſt ſeparatim loquitur, inquiens, *Veniet hora, qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus &c.* At in verbis paulò antè citatis loquitur de mortuis ſpiritualiter: quorum nonnulli jam tunc excitabantur: ait enim, *Veniet tempus, & nunc eſt.* Excitabantur autem & adhuc excitantur per potentiam Chriſti, quam is exſerit in Evangelii prædicatione, creans fidem in cordibus electorum qua illi vivificantur, quatenus per fidem guſtant gratiam & paternum favorem Dei.

12 Ex v. 10. & 12. Valde honorificum eſt credentibus, quòd ipſorum glorificatio ad gloriam ipſius filii Dei pertinet: nempe quatenus eſt credentium caput. ait enim Paulus, Chriſtum glorificatum iri in ſanctis ſuis, & admirandum fore in fidelibus omnibus: item nomen ejus glorificatum iri in ipſis. *Fideles.*

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continetur ſecunda, eaque pracipua, epiſtola pars, ubi Paulus Theſſalonicenſes primùm monet, ne patiantur ſe ſeduci falsâ doctrinâ, quaſi inſtet dies extremi judicii: v. 1. 2. & principio 3. Deinde pradicit eventuram ante Chriſti adventum apoſtaſiam multo-maxima partis eorum qui Evangelium fuerint profeſſi, itemque tyrannidem Antichriſti, ſeu regni Antichriſtiani, nempe Papatus Romani, à v. 3. uſque ad 13. Poſtremò conſolatur eos contra metum defectionis ac ſeductionis: ſimulque eos hortatur ad conſtantiam in doctrinâ ab ipſo acceptâ: nec non veram conſolationem atque conſtantiam à Deo eis exoptat: à v. 13. uſque ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE.

ROgamus autem vos, fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtri ad eum aggregationem,

2 Ne citò à mente dimoveamini, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam per nos *ſcriptam*; quaſi inſtet dies ille Chriſti.

3 Ne quis vos decipiat ullo modo.

ADmonitionem proponit ſub forma obſecrationis, ut eò faciliùs eis perſuadeat. ait enim, *Rogamus.* Et hanc obſecrationem amplificat obteſtatione ſeu adjuratione, inquiens: *Per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.* Quanquam alii vertunt, *De adventu &c.* quam verſionem ſi ſequamur, dicendum erit, his verbis generatim indicari eam rem, de qua admonitionem inſtituit: quaſi dicat, *Quod ad adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti attinet, rogamus &c.* Sed prior expoſitio magis videtur quadrare, quia de re maximi momenti eos admonere vult; in qua ſi falsâ doctrinâ ſeduci ſe paſſi fuiſſent, ſubverſa fuiſſet ipſorum fides, ac proinde æterna ſalus. Sententia igitur verborum hæc fuerit: Quàm certò creditis Chriſtum adventurum, & nos ad eum aggregatum iri, tam certò etiam credite huic meæ admonitioni.

V. 2. admonitionem inſtitutam confirmat ab effectis inutilibus: quia opinio iſta de inſtante die Chriſti ipſos à mente (id eſt à fide) ſit dimotura, aut ad minimum mentem ipſorum perturbatura, ut de Evangelii veritate incipiant dubitare, ſi ſcilicet viderint, eventum iſti ſuæ opinioni non reſpondere. Deinde tria teſtimoniorum genera commemorat, quibus ſeductores falſam ſuam doctrinam ſolebant falsò confirmare atque commendare: videlicet aut *per ſpiritum*, id eſt, revelationem ſibi factam à Spiritu ſancto: aut *per ſermonem*, id eſt, inſtitutionem vivæ vocis ex ore Apoſtoli profectam: aut denique *per epiſtolam* tanquam ab Apoſtolo ſcriptam. V. 3. tres illos ſeductionis modos uno verbo comprehendit.

DE SECUNDA PARTE.

Non enim *adveniet dies Chriſti*, quin venerit defectio priùs, & retectus fuerit homo ille peccati, filius, *inquam*, ille perditionis;

4 Qui ſeſe opponit & effert adverſus quicquid dicitur Deus aut numen: adeò ut in templo DEI tanquam deus conſederit, præ ſe ferens, ſe eſſe deum.

5 Annon meminiſtis, me, quum adhuc eſſem apud vos, hoc dixiſſe vobis?

6 Nunc verò quid obſtet, noſtis; ut is ſuo tempore retegatur.

7 Jam enim peragitur myſterium impietatis hujus: tantùm qui nunc obſtat, *obſtabit* uſque dum è medio ſublatus fuerit.

8 Et tunc retegetur impius ille; quem Dominus conficiet ſpiritu oris ſui, & illuſtri adventu ſuo abolebit:

9 *Illum, inquam,* cujus adventus eſt ex efficacia Satanæ, cum omni potentiâ & ſignis, ac prodigiis mendacibus:

10 Et cum omni fraude injuſtitiæ in iis qui pereunt, propterea quòd amorem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent.

11 Propterea igitur mittet illis Deus efficacem deceptionem, ut credant mendacio:

12 Ut damnentur omnes qui non crediderint veritati, ſed acquieverint in injuſtitia.

V.3. prædicit, ante Chriſti adventum eventuram apoſtaſiam, & Antichriſtum palam dominaturum. Apoſtaſiæ nomine intelligit defectionem plurimorum à fide Chriſtianâ: quam videmus accidiſſe partim per Mahometem, qui eccleſias orientales non ſolùm à Chriſtiana fide, verùm etiam à nomine Chriſtiano prorſus avertit: partim verò per Pontifices eccleſiæ Romanæ, qui eccleſias ocidentales non quidem à Chriſtiani nominis profeſſione, veruntamen ab ipſa Chriſtiana fide averterunt. Dominatum Antichriſti ſignificat verbo revelationis, dicens fore ut ille reveletur ſeu patefiat, id eſt, ut palàm dominetur, & Eccleſiam à fide avertat, averſamque in erroribus detineat. Verbo autem *revelandi* ideo utitur Apoſtolus, quia jam tum Diabolus defectionem iſtam moliebatur clàm, ſicut poſtea ſignificabit v. 7. quemadmodum & Johannes ſcribit, Antichriſtum quidem venturum, veruntamen etiam tunc Antichriſtos multos exſtitiſſe, 1. Joh. 2. v. 18. Porrò Antichriſtum deſcribit Paulus tanquam certam aliquam perſonam: verùm verba Pauli docent, & eventus ipſe teſtatus eſt, hanc deſcriptionem intelligendam eſſe de quodam regno in Eccleſia. nam v. 7. ait, myſterium iſtius impietatis jam tum fuiſſe in opere: quum tamẽ ab illo tempore ad hoc uſque tempus non ſit dominatus unus aliquis in Eccleſia. deinde quæ v. 9. & 10. commemorat de mendacibus miraculis & aliis fraudibus, quibus multi in exitiales errores ſeducendi ſint, ea per complures in Papatu adminiſtrata ſunt. Ideo autem tanquam unam perſonam deſcribit, quia ſeductoribus illis omnibus unus idemque ſcopus eſt propoſitus, nempe pro ſua libidine dominandi in Eccleſia: & præterea unis eiſdemque artibus tyrannidem illam ſuam tuentur, nempe falsâ doctrinâ & falſis miraculis. Deſcribit autem Antichriſtum primùm ab adjuncta nequitia, vocans eum *hominem peccati*, id eſt, totum peccato deditum: deinde ab eventurâ ei pœnâ ex decreto Dei, vocans eum *filium perditionis*, id eſt, perditioni ſeu exitio æterno à Deo deſtinatum. tum ab adjunctâ intolerabili impudentiâ & ſuperbiâ, v. 4. quòd ſeſe Chriſto ſit oppoſiturus, ac ſeſe elaturus ſupra ipſum Deum. Poſtremò à loco, ubi dominaturus & tyrannidem ſuam exerciturus ſit, videlicet *in templo Dei*, hoc eſt, in Eccleſia. Verſ. 5. confirmat propoſitam doctrinam teſtimonio priſtinæ ſuæ inſtitutionis, quam Theſſalonicenſibus in memoriam revocat. Verſ. 6. & 7. innuit cauſam impedientem, qua conatus ille Diaboli tunc impediebatur: videlicet Imperium Romanum, ut eventus docuit. nam quamdiu viguit Imperium Romanum, ita ut Imperator Romanus in urbe Roma ſuam ſedem haberet; nec Papatus in Occidentem, nec Alcoranus in Orientem introduci potuit. Porrò de Imperio Romano tanquam de uno quopiam homine loquitur: ſicut paulo-antè regnum Antichriſtianum ſub ſpecie unius hominis deſcripſit. Vocat autem Antichriſtianiſmum myſterium impietatis, quia Diabolus illum tunc occultè moliebatur. Verſ. 8. exponit cauſas corrumpentes, quibus Chriſtus regnum Antichriſti ſit labefacturus & tandem aboliturus. *Conficiet eum*, inquit, *ſpiritu oris ſui*, id eſt, prædicatione evangelii ſui: id quod jam inde ab indulgentiis per Lutherum oppugnatis factum eſt. deinde, *Abolebit eum illuſtri adventu ſuo*, nempe quum venturus eſt ad judicandum vivos & mortuos. V. 9. & deinceps, redit ad deſcriptionem Antichriſti, & deſcribit eum ab effectis: ac primùm quidem à factis ipſius, deinde ab eventis factorum illorum in aliis. Facta ipſius erunt miracula partim diabolica, partim fallacia: item omnis generis fraudes atque impoſturæ. Eventa illorum factorum erunt ſeductio reproborum & eorundem interitus. Simul autem ſignificat, eventa illa juſto Dei judicio gubernatum iri, & reprobis tanquam pœnas ſuæ incredulitatis à Deo inflictum iri.

De tertia parte.

13 Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit vos Deus ab initio ad ſalutem per ſanctificationem ſpiritus, & fidem habitam veritati:

14 Quò vocavit vos per evangelium noſtrum, ad obtinendum gloriam Domini noſtri Jesu Christi.

15 Nempe igitur, fratres, perſtate, & tenete traditam doctrinam quam edocti eſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.

16 Ipſe verò Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus ac pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam & ſpem bonam per gratiam,

17 Conſoletur veſtra corda, & ſtabiliat vos in omni ſermone & opere bono.

Quoniam expoſuit eventa fraudum Antichriſti, videlicet ſeductionem & interitum reproborum: ne Theſſalonicenſes metu iſtorum eventorum percellerentur, quaſi periculum ſit ne ipſis quoque eadem eventura ſint: Apoſtolus eos contra metum illum conſolatur à natura Dei conſtante, & immutabili decreto ipſos ſervandi: quippe quòd Deus ipſos elegerit, (id eſt, eligere decreverit ſeu prædeſtinaverit) ab initio, id eſt, ab æterno. Hoc autem probat à proprio effectu, videlicet efficaci vocatione: cujus effecta exponit duo, ordine inverſo, videlicet fidem & ſanctificationem ſeu ſtudium ſanctitatis. Simul etiam exponit vocationis illius cauſas efficientes duas: unam principalem, Spiritum ſanctum; alteram inſtrumentalem, prædicationem Evangelii. Atque hæc omnia proponit per gratiarum actionem: v. 13. & 14. Deinde v. 15. ex iſta conſolatione deducit cohortationem, quâ eos hortatur ad conſtantiam in doctrina ab ipſo accepta. Poſtremò v. 16. & 17. veram conſolationem, & conſtantiam tum in ſana doctrina, tum in ſancta vita, à Deo eis exoptat.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Per adventum &c.] ὑπὲρ τῆς παρουσίας &c. *Jurandi formula. Id eſt, Quàm verè exſpectatis Domini adventum &c. Sic Homerus Iliad. ω.*

Καί μιν ὑπὲρ πατρὸς καὶ μητέρος ἠϋκόμοιο
Λίσσεο καὶ τέκεος, ἵνα οἱ σὺν θυμὸν ὀρίνῃς.

Id eſt,

Et ipſi per patrem & matrem bene-comtam
Supplica & filium: ut ei animum commoveas.

Sunt autem verba Mercurii ad Priamum, quibus eum informat, quomodo ſupplicare debeat Achilli ad impetrandum cadaver Hectoris. Citatur & ex Gregorio, ὑπὲρ χριστοῦ δέομαι, Per Chriſtum peto. Ad eum] ἐπ᾽ αὐτόν. *Scilicet Dominum.* Aggregationem] ἐπισυναγωγῆς. *Hanc aggregationem deſcribit 1. Theſſ. 4. v. 14. & deinceps.*

2 Citò] ταχέως. *A circumſtantia temporis amplificat facinoris indignitatem. quaſi dicat, Cùm ſemper turpe ſit ſeduci, tum longè turpiſſimum, citò ſeduci. nam non ita pridem doctrinam Chriſtianam à Paulo didicerant. Sic Gal. 1. v. 6.* Miror vos ita citò transferri in aliud evangelium. Dimoveamini] σαλευθῆναι. *Verbum hoc propriè ſignificat jactari tempeſtate maris: à nomine* σάλος, *quod & à Latinis ſalum, hoc eſt, jactatio, nominatur, quia ſcilicet in mari navigantes à tempeſtate jactantur.* A mente] ἀπὸ τοῦ νοός. *Id eſt, à fide Evangelii, quam mente percepiſtis. Metonym. ſubjecti.* Neque terreamini] μήτε θροεῖσθαι. *Sic Matth. 24. v. 6.* Audietis bella & rumores bellorum: videte ne terreamini, μὴ θροεῖσθε. *Sic enim illic cum D. Beza legendum cenſeo, pro eo quod legitur,* ὁρᾶτε μὴ θροεῖσθε. *Porrò* θροεῖσθαι *propriè eſt clamore tumultuantium terrefieri: à nomine* θρόος, *quo clamor tumultuantis ſignificatur.* Per ſpiritum] διὰ πνεύματος. *Id eſt, per revelationem à Spiritu ſancto profectam. Metonymia efficientis, & ſynecdoche generis.* Dies ille Chriſti] ἡ ἡμέρα τοῦ χριστοῦ. *Id eſt, dies ſecundi adventus Chriſti.*

3 Ne quis vos decipiat] μή τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ. *Id eſt,* βλέπετε μή τις &c. *Videte ne quis &c. Ellipſis.* Ullo modo] κατὰ μηδένα τρόπον. *Ad verb.* Nullo modo, *ſed gemina negatio apud Græcos fortiùs negat. Non enim adveniet dies Chriſti,* quin &c.] ὅτι ἐὰν μή. *Pro,* ὅτι οὐκ ἐλεύσεται ἡ ἡμέρα τοῦ χριστοῦ ἐὰν μή. *Supplementi hujus veritas ex ſententiarum cohærentia manifeſta eſt, nempe ex collatione extremorum verborum verſiculi præcedentis.* Defectio] ἡ ἀποστασία. *Nempe univerſalis quædam defectio à fide, id eſt, à profeſſione vera fidei Chriſtianæ. Hanc defectionem prædicit quoque 1. Tim. 4. v. 1. 2. & 3. ubi inter alia ait,* Spiritus diſertè dicit, fore ut poſterioribus temporibus deficiant quidam à fide, ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως &c. Retectus fuerit] ἀποκαλυφθῇ. *I. e. palàm regnet. quia jam tum occultè ſerpebat hoc malum: ut liquet ex v. 7. Poteſt tamen intelligi de ea detectione, qua fraudes Antichriſti detecta ſunt per verbum Evangelii: ut ſignificatur verſu octavo.* Homo ille peccati] ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας. *Id eſt, peccato deditiſſimus. Genitivus adjuncti. Hebraiſmus.* Filius ille perditionis] ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. *Id eſt, homo ille perditioni deſtinatus. quod ipſum nomen eodem ſenſu tribuitur Judæ, Johan. 17. v. 12. Genitivus finis. Niſi forte* filius perditionis *hoc loco rectiùs exponitur* homo perditus: *ſicut filii contumaciæ dicuntur homines contumaces: ut ſit genitivus adjuncti.*

4 Adverſus quicquid dicitur Deus] ἐπὶ πᾶν τὸ λεγόμενον θεόν. *Sic legiſſe apparet veterem interpretem. Quidam tamen libri habent,* ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, *id eſt, adverſus omnem qui dicitur Deus,* Numen] σέβασμα. *A verbo* σεβάζεσθαι, *quod ipſum oritur à* σέβεσθαι: *quod utrumque ſignificat Colere ut Deum.* Adeò ut in templo Dei conſederit] ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ καθίσαι. *Germanica Græcis meliùs reſpondent,* Alſo daß er ſich in den tempel Gottes geſetzt hat.

6 Quid obſtet] τὸ κατέχον. *Quid detineat. ſcilic. patefactionem Antichriſti, ſeu apertam illius dominationem.* Was des Antichriſts offentliche herrſchung aufhalte. Ut is retegatur] εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτόν. *Notatur conſilium Dei iſta omnia gubernantis.*

7 Jam

7 Jam enim peragitur mysterium impietatis hujus] τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας. *Id est, Impietas ista, nempe impius iste dominatus Antichristi, in ecclesia Dei jam occultè serpit. Verba in Græco trajecta sunt.* Qui nunc obstat] ὁ κατέχων ἄρτι. *Nempe Imperator Romanus, seu Imperium Romanum. Neque enim certam personam notat, sed certum regnum: sicut & quum loquitur de Antichristo. Obstabit* usque dum] ἕως. *Supplementi hujus veritas ex cohærentia verborum liquet.* Usque dum dum è medio sublatus fuerit] ἕως ἐκ μέσου γένηται. *Id quod factum est per Odoacrum Principem Germanum: qui Augustulum Imperatorem Romanum oppressit. Post illum enim nullus amplius Romæ Imperator fuit.*

8 Retegetur] ἀποκαλυφθήσεται. *Id est, apertè dominabitur.* Impius ille] ὁ ἄνομος. *Antichristus, qui totam Dei legem, ac inprimis eam partem quæ agit de cultu Dei, pedibus conculcabit.* Dominus] ὁ κύριος. *Christus.* Conficiet] ἀναλώσει. *Consumet. Ita scil. ut suis fraudibus non possit amplius animas seducere.* Spiritu oris sui] τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ. *Id est, verbo suo, nempe verbo Evangelii: quod ex tenebris in lucem rursus prolatum est per Lutherum & alios. Est autem illa periphrasis Hebræa, ut liquet ex Psal. 33. v. 6.* Illustri adventu suo] *Nempe ad judicium.* Abolebit] καταργήσει. *Id est, in æternum exitium præcipitabit, ne scil. possit amplius occidere fidelium Christi confessorum corpora.*

9 Ex efficacia Satanæ] κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ. *Qui scil. efficax erit in edendis prodigiis per Antichristos.* Cum omni potentia & signis] ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις. *Pro,* μετὰ *πάσης δυνάμεως &c. Vel,* διὰ *πάσης, id est, per omnem potentiam. Hebraismus. Estque hic præterea* ἓν διὰ δυοῖν*: pro, Cum potentia signorum, hoc est, edendi signa. Signa autem pro miraculis, per synecdochen generis: quia miracula signa & testimonia sunt divina ad docendum vocationis & veritatis doctrinæ. Denique* omnem potentiam *intelligit omnis generis seu variam potentiam: non autem qua Satan possit omnia quæ velit. Sic enim solus Deus omnipotens est.* Prodigiis mendacibus] τέρασι ψεύδους. *Ad verb.* Prodigiis mendacii. *Hebraismus. Genitivus adjuncti.*

10 Et cum omni fraude injustitiæ] καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας. *Rursus* ἐν *pro* μετὰ *vel* διὰ*, ut v. sup. Deceptionem autem injustitiæ videtur dicere tanquam deceptionem fallacem: ut sit geminus Hebraismus: unus in significatione synecdochica vocabuli* injustitia *pro falsitate seu mendacio; (in qua significatione manifestè accipitur v. 12. ut liquet ex antithesi) alter in usu nominis ejusdem, quod quum substantivum sit, hic vim habet epitheti.* In iis qui pereunt] ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις. *Id est, in reprobis, qui perditioni seu exitio æterno destinati sunt. nam electi in errorem exitialem seduci non possunt, teste Christo Matth. 24. 24.* Propterea quòd] ἀνθ' ὧν. *Præpositione* ἀντὶ *notatur justa compensatio pœnæ pro peccato: Justa est enim reproborum damnatio, quia veritatem sibi oblatam nihil curant.* Non receperunt] οὐκ ἐδέξαντο. *Pro, Repudiarunt, seu rejecerunt.* Λιτότης.

11 Efficacem deceptionem] ἐνέργειαν πλάνης. *Pro,* πλάνην ἐνεργείας, *id est,* ἐνεργοῦσαν. *Hypallage Hebraica.*

12 Ut damnentur] ἵνα κριθῶσι. *Pro,* κατακριθῶσι. *Synecdoche generis usitata.* In injustitia] ἐν τῇ ἀδικίᾳ. *Id est, in mendacio: ut percipitur ex antithesi: opponitur enim veritati. Synecdoche generis. Sic* ἁμαρτία*, id est, peccatum, accipitur pro falsa doctrina in verbis illis Christi* Joh. 8. v. 46. Quis ex vobis arguit me de peccato? περὶ ἁμαρτίας. *tum mox subjicitur per antithesin:* Quòd si veritatem dico, *(id est, si veram doctrinam trado)* quare vos non creditis mihi?

13 Elegerit] εἵλετο. *Id est, eligere decreverit. Metonymia subjecti. nam decretum quidem electionis ab æterno factum est: sed re ipsâ tum demum electi sumus, quum in Adamo lapsi fuimus. Sic Eph. 1. v. 4.* Ab initio] ἀπ' ἀρχῆς. *Id est, ab æterno, ante jacta fundamenta mundi: ut loquitur in loco modo-citato. Vel potius sic exponendum:* Elegit vos ab initio, *scil. mundi conditi. nam paulò post mundum conditum homo lapsus est: ac tum ex lapsis electi sunt alii ad salutem, alii reprobati & in miseria sua relicti. Atque sic verbum* eligendi *hoc loco positum erit in significatione propria, ut non sit exponendum per metonymiam illam subjecti.* Per sanctificationem spiritus] ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος. *Pro,* δι' ἁγιασμοῦ. *Hebraismus. Pendent autem hæc à verbis proximè præcedentibus,* εἰς σωτηρίαν, *per quandam ellipsin: quasi dicat, Ad salutem* ad quam adducemini *per sanctificationem &c.* Spiritus] πνεύματος. *Nempe Spiritus sancti, sanctificantis corda electorum. Synecdoche generis.* Fidem habitam veritati] πίστει ἀληθείας. *Ad verb.* Fidem veritatis. *Genitivus subjecti, nempe subjecti occupantis sive objecti. Intelligitur autem veritas doctrinæ cælestis de salute nostra per Christum, per synecdochen generis, idque* κατ' ἐξοχὴν, *per excellentiam.*

14 Quò] εἰς ὅ. *Ad verbum,* Ad quod. *id est, ad quam rem, nempe* εἰς σωτηρίαν, *ad salutem, ex versu superiore.* Vocavit] ἐκάλεσεν. *Nempe efficaciter, efficiendo scil. in vobis fidem & sanctificationem, ex v. præcedente. Synecd. generis.* Per evangelium nostrum] *Id est, meum: hoc est, à me prædicatum vobis. Enallage numeri.* Ad obtinendam gloriam] εἰς περιποίησιν δόξης. *Ad verbum,* Ad acquisitionem gloriæ. *id est, ut acquiratis seu obtineatis gloriam Domini &c. hoc est, ut participes reddamini gloriæ Domini, nempe pro mensura donationis illius. Confer Rom. 8. v. 17. & 18.*

15 Perstate] στήκετε. *Scil. in fide Evangelii. Metaphora.* Traditam doctrinam] τὰς παραδόσεις. *Ad verb.* Traditiones.

16 Spem bonam] ἐλπίδα ἀγαθήν. *Nempe spem vitæ æternæ, quæ spes non confundit.* Per gratiam] ἐν χάριτι. *Pro,* διὰ χάριτος, *vel* ἐκ χάριτος. *Hebraismus.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 Ex v. 1. Adventus Christi ad judicium & nostra ad eum aggregatio, res tam certa est, ut illius exemplo uti liceat in veritate confirmanda jurejurando. *Judicium ultimum.*

2 Ex v. 2. In doctrina Evangelii ab apostolis tradita constanter perseverandum: nec cuivis spiritui aures præbendæ. Confer 1. Joh. 4. v. 1. & Eph. 4. v. 14. *Officium hominis Christiani.*

3 Ex eod. v. Falsi doctores variis fallaciis utuntur. Aut enim fictas revelationes proferunt; sicut superioribus temporibus fecerunt monachi & enthusiastæ: aut traditiones tanquam ab apostolis acceptas; quales sunt quas subinde in ore habent Pontificii: aut scripta supposititia; quale olim erat Evangelium Thomæ, item Evangelium Bartholomæi, & hujusmodi alia. *Falsi doctores.*

4 Ex v. 3. 4. &c. Quum prophetia Pauli de Antichristo eventu comprobata jam sit ex parte: quatenus nimirum Papa & apertè dominatus est in Ecclesia, & spiritu oris Christi, id est, verbo Evangelii confectus est: statuamus igitur certò, reliquam quoque partem impletum iri, nempe ut adventu Christi prorsus aboleatur & æternis suppliciis addicatur. Atque hac exspectatione justi judicii Dei contra illius tyrannidem nos sustentemus. *Antichristus. Papa.*

5 Item statuamus, similiter suo tempore impletum iri alteram illam ejusdem Pauli prophetiam de conversione Judæorum, quæ exstat Rom. 11. v. 23. & deinceps. *Conversio Judæorum.*

6 Ex v. 9. A miraculis ad veritatem doctrinæ argumentari, periculosum & fallax argumenti genus est: quum sint quædam miracula diabolica & fallacia, quæ ad confirmandum doctrinam falsam adhibentur. quemadmodum hoc loco testatur Paulus de miraculis Antichristi: de quibus Christus quoque prædixit Matth. 24. 24. surrecturos pseudochristos & pseudoprophetas, & edituros signa magna & miracula, adeò ut seducant (si fieri posset) etiam electos. Et Deut. 13. principio capitis præcipitur, ut prophetæ, licet signa fecerit, non credatur, si ad idololatriam invitet. Quare quum miracula interdum pro falsa doctrina tuenda adhibeantur: non sunt satis idonea ad fidem confirmandam. Interim verum est, vera miracula magnum habuisse usum in electis, quum suo tempore ad confirmationem doctrinæ Evangelii fuerunt adhibita: nempe partim ut eos ad doctrinam cognoscendam attentiores redderent, & ad credendum quasi viam sternerent: partim ut in fide eos confirmarent. *Miracula.*

7 Ex eod. v. Miraculorum quædam divina sunt, alia satanica seu diabolica. Divina sunt, quæ per potentiam Dei ita fiunt, ut omnem facultatem creatæ naturæ superent: ut excitatio mortuorum, sanatio ægrotorum subita &c. Diabolica sunt, quia à Diabolo per vires naturæ occultas efficiuntur: qualia fortasse fuerunt quædam quæ à magis edita sunt coram Mose & Pharaone: ut quòd aquam mutarunt in sanguinem, item quòd è flumine eduxerunt ranas, Exod. 7. & 8. Deinde miraculorum quædam vera sunt, quædam falsa. Vera miracula sunt, quæ id sunt quod videntur esse: ut serpens è baculo Mosis ortus, verè erat serpens. Falsa miracula sunt quæ videntur esse quod non sunt: ut serpentes qui ex baculis magorum orti videbantur, revera serpentes non erant, sed erant baculi inanem serpentum speciem exhibentes. *Miracula.*

8 Ex v. 10. 11. 12. Reprobi justo DEI judicio in errores exitiales inducuntur, quia veritatis amore non tanguntur, sed in falsa doctrina libenter acquiescunt. Confer 2. Tim. 4. v. 3. & 4. Item Joh. 3. v. 19. ubi Christus ait, *Hoc est autem judicium* (id est, condemnationis causa hæc est) *quòd lux venit in mundum: sed dilexerunt homines potius tenebras quàm lucem: erant enim opera eorum mala.* *Reprobi.*

9 Ex v. 13. Electi præsidio DEI tuti sunt quò minus in exitiales errores seduci queant. Quum enim ad salutem ab æterno electi sint, fit ut nullo errore ad exitium seduci possint: quippe quum æternum illud decretum Dei de ipsorum salute immutabile sit. Hoc ipsum docet & Christus Matt. 24. 24. ubi eodem argumento pios consolatur contra metum seductionis: ait enim, pseudoprophetas seducturos, si fieri posset, etiam electos. quibus verbis significat, fieri non posse ut electi in exitialem errorem seducantur. Confer 2. Tim. 2. v. 19. ubi Apostolus eodem argumento ad pios consolandum utitur. Quum enim de seductoribus quibusdam dixisset, quòd subverterent quorundam fidem: mox ostensurus, electos extra hujusmodi defectionis periculum esse, subjungit: *Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus qui sint sui &c.* *Electi.*

10 Ex eod. v. De electione quisque sui certus est ex propriis effectis, videl. fide & sanctificatione spiritus seu studio sanctitatis, cujus author atque effector est Spiritus S. nam DEUS neminem fide donat & spiritu suo sanctificat, nisi quem ad vitam æternam elegit seu prædestinavit: teste Paulo Rom. 8. v. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit:* nempe efficaciter, donando scilicet fidem & studium sanctitatis. Atque hinc est quòd fides nominatur fides electorum Dei, Tit. 1. v. 1. *Electio.*

Fides. Studium sanctitatis. 11 Ex v.13.&14. Veræ fidei & veri studii sanctitatis causa procreans principalis est Spiritus S. instrumentalis verò prædicatio Evangelii. Sic Rom.1.v.16. Evangelium dicitur potentia DEI ad salutem omni credenti, quia Spiritus S. divinâ suâ potentiâ per Evangelium fidem efficit. Item Rom.10.v.17. *Fides ex auditu est*, id est, ex sermone Evangelii qui auditu percipitur.

Officium hominis Christiani. 12 Ex vers.15. In doctrina apostolica constanter perseverandum est.

Officium hominis Christiani. 13 Ex vers.16.&17. Vera consolatio, itemque constantia tum in sana doctrina tum in sancta vita, à Deo exoptanda est. Confer Jacob.1.v.5.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continetur tertia epistolæ pars, ubi varias admonitiones de Christiani hominis officiis proponit: inter quas duæ præcipuæ sunt: una de ignavo otio vitando, altera de disciplina ecclesiastica in inobedientes exercenda.

QUod superest, orate (fratres) pro nobis, ut sermo Domini currat, & glorificetur, sicut & apud vos:

2 Et ut eripiamur à protervis ac sceleratis hominibus. non enim omnium *est* fides.

3 Sed fidelis est Dominus; qui stabiliet vos & tuebitur ab illo Malo.

4 Confidimus autem in Domino de vobis; vos, quæ præcipimus vobis, & facere & facturos esse.

5 Porrò Dominus dirigat vestra corda ad charitatem Dei, & tolerantem exspectationem Christi.

6 Præcipimus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subducatis vos ab omni fratre qui inordinatè se gerit, & non ex tradita doctrina quam accepit à nobis.

7 Nam ipsi scitis quomodo oporteat nos imitari: quoniam non inordinatè nos gessimus inter vos:

8 Neq; gratis panem edimus *acceptum* à quoquam: sed cum labore & ærumna nocte dieque operantes, ne quem vestrûm gravaremus.

9 Non quòd nobis *id* non liceat; sed ut nosmetipsos pro exemplari exhibeamus vobis ad nos imitandos.

10 Etenim quum essemus apud vos, hoc præcipiebamus vobis; Si quis nolit operari, etiam non edito.

11 Audimus enim, quosdam versari inter vos inordinatè, nihil agentes, sed inaniter satagentes.

12 Iis autem qui sunt istiusmodi, præcipimus, & eos obsecramus per Dominum nostrum Jesum Christum, ut cum quiete operantes, suo pane vescantur.

13 Vos autem, fratres, ne segnescite in benefaciendo.

14 Quòd si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate: & ne commercium habete cum eo; ut eum pudeat:

15 Neque ut inimicum ducite, sed admonete ut fratrem.

16 Ipse autem Dominus pacis semper det vobis pacem omni modo. Dominus *sit* cum omnibus vobis.

17 Salutatio, meâ manu Pauli; quod est signum in omni epistola: ita scribo.

18 Gratia Domini nostri JESU CHRISTI *sit* cum omnibus vobis, Amen.

PRimò hortatur Thessalonicenses ad preces pro felici Evangelii propagatione & sua suorumque collegarum illud annuntiantium salute: v.1.& parte secundi.

Secundò per prolepsin occurrit scandalo incredulitatis multorum & metui amittendi fidem. ac ne offendantur multorum incredulitate; significat, incredulitatem istam pendêre ab arcana Dei voluntate, in qua nimirum piis omnibus absque contradictione ac murmure est acquiescendum. hoc significat, quum ait v.2. *Non enim omnium est fides.* quasi dicat, Non omnibus datum est à Deo ut Evangelio credant: sed tantùm nonnullis, videlicet electis. Quare quum Deus nolit omnibus fidem donare: non est quòd incredulitate quorundam ita moveamur, ut propterea de veritate Evangelii dubitemus. Porrò contra metum amittendi fidem consolatur eos v.3. à natura Dei veracе & constante: inquiens, *Sed fidelis est Dominus &c.* quasi dicat, Christus promisit, se quos semel in fidem suam receperit, nunquam deserturum, sed perpetuò tueri velle. Johan.10.v.28. Ergo quum vos semel in fidem suam receperit; stabiliet vos in fide, & tuebitur à malo illo, nempe Diabolo: ne vos à fide avertat.

Tertiò hortatur eos in genere ad observationem mandatorum suorum. Hanc hortationem proponit obliquè, videl. significatione suæ spei, quam de ipsorum obedientia conceperit.

Quartò sub formula optationis hortatur eos ad dilectionem DEI & tolerantem exspectationem Christi, inquiens: DOMINUS *dirigat vestra corda ad dilectionem Dei & tolerantiam* (id est, tolerantem exspectationem) *Christi.* quorum illud bifariam potest intelligi: nempe vel de dilectione DEI quâ ipse à nobis diligitur; vel de ea dilectione qua Deus nos diligit. quem posteriorem sensum si sequamur, commodiùs videtur annecti membrum alterum: quasi dicat; Oro DEUM ut dirigat corda vestra, ut sentiatis dilectionem ipsius quâ vos complexus est in filio dilecto, ac proinde ut ex dilectionis illius sensu patienter toleretis crucem quam vobis propter Christum immittit; certâ spe, fore ut Christus in suo adventu vos ab illa liberaturus sit, & æternâ felicitate beaturus.

Quintò mandat ut se subducant à fratribus ignavis & otiosis: & illis proponit imitandum suum ipsius exemplum, ut qui labore manuum suarum sese apud ipsos aluerit; quum tamen haberet potestatem accipiendi ab ipsis stipendium, vers.6. 7. 8. 9. 10. 11.

Sextò mandat otiosis & curiosis istis ut cum quiete operantes, suo pane vescantur: v.12.

Septimò per prolepsin hortatur ad constantiam in benefaciendo: v.13.

Octavò mandat, ut inobedientes notent; videlicet notâ illa ignominiosâ excommunicationis: & ut à commercio ita notatorum, id est, excommunicatorum, abstineant. Finem quoque severæ hujus disciplinæ exponit, videlicet ut excommunicatum pudeat, hoc est, ut pudore victus resipiscat; & resipiscentiam testatus, in Ecclesiam iterum recipiatur, atque ita servetur. Tum per prolepsin monet, quo animo & quatenus vitanda sit fratrum excommunicatorum familiaritas: nempe non animo inimico, nec ita ut prorsus negligantur: sed ut opportunis ac fraternis admonitionibus in viam reducantur: non autem ut contumacia eorum foveatur familiari conversatione ac dissimulatione. Hæc agit v.14.&15.

Nonò optatione & salutatione consuetâ epistolam concludit: simulque monet, se illam salutationis formulam suam suâ manu subscribere solere in epistolis suis: ne scilicet falsæ pro veris supponerentur. Hæc agit tribus ultimis versibus.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Sermo Domini] ὁ λόγος τοῦ κυρίου. *Id est, prædicatio Evangelii, à Domino mandata.* Currat] τρέχῃ. *Id est, quàm celerrimè propagetur. Metaphora. Hinc cursus Evangelii dici consuevit.* Glorificetur] δοξάζηται. *Nempe sermo Domini. Hoc est, ut ipse Dominus glorificetur propter beneficium sermonis communicati.*

2 A protervis] ἀπὸ τῶν ἀτόπων. *Seu, ab insolentibus & importunis. Homines* ἄτοποι *dicuntur qui faciunt* τὰ ἄτοπα, *id est, ea quæ minimè conveniunt.* Sceleratis] πονηρῶν. *Vel,* Improbis. πονηροὶ *dicuntur homines nequam, qui probis atque innocentibus* πόνον, *id est, laborem atque molestiam, exhibent suâ nequitiâ. unde & Diabolus* ὁ πονηρὸς, *id est, nequam ille,* κατ᾽ ἐξοχὴν *nominatur.* Non enim omnium est fides] οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις. *Supple.* ἐστί. *Hoc est, Non enim omnibus datum est ut Evangelio credant.*

3 Fidelis] πιστὸς. *Id est, fidem servans seu constans in servandis promissis. Germanicè* Getrew. *Sic 1.Cor.10.v.13.* Ab illo malo] ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. *Id est, ab illo nequam spiritu, nempe Diabolo. Vide annotationem ad vocem* πονηρῶν *v.3.*

5 Tolerantem exspectationem Christi] ὑπομονὴν τοῦ χριστοῦ. *Ad verbum,* Tolerantiam Christi.

6 In nomine] ἐν ὀνόματι. *Id est, ex mandato.* Fratre] *Id est, fidem Christianam unà vobiscum profitente.* Qui inordinatè se gerit] ἀτάκτως περιπατοῦντος. *Nempe nihil laborando, sed ignavo otio indulgendo, & interim curiosè res alienas inquirendo: ut declaratur v.11.*

7 Nos] ἡμᾶς. *Id est, me Paulum.*

8 Operantes] ἐργαζόμενοι. *Erat autem σκηνοποιὸς; id est, opifex tabernaculorum, Act.18.v.3.* Gravaremus] *Scilicet accipiendo stipendium.*

9 Non quòd] οὐχ ὅτι. *Elliptica loquutio: pro, Non autem hoc dico quasi &c.* οὐ λέγω δὲ τοῦτο ὡς ὅτι. Si quis] ὅτι εἴ τις. *Conjunctio* ὅτι *hic servit mimesi: itaq; apud Latinos in vertendo præteritur.*

11 Audimus enim] ἀκούομεν γάρ. *Conjunctio rationalis non refertur ad sententiam proximè præcedentem, sed ad præceptionem propositam v.6. idq; per prolepsin. poterant enim quærere ex Apostolo, Quorsum hoc nobis præcipis? num ergo tales apud nos sunt? Respondet: Audivimus esse.* Nihil agentes, sed inaniter satagentes] μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους. *Elegans paronomasia: qualis etiam exstat Rom.12.v.3.* μὴ ὑπερφρονεῖν παρ᾽ ὃ δεῖ φρονεῖν: ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν.

12 Cum quiete] μετὰ ἡσυχίας. *Confer 1.Thess.4.v.11.* Suo pane] *Id est, quem suo labore acquisiverint.*

13 Ne segnescite] μὴ ἐκκακήσητε. *Ἐκκακεῖν est evadere κακὸν, id est, ignavum. nam ut ἀγαθὸς apud Homerum crebrò fortem significat: ita κακὸς ignavum.* In benefaciendo] καλοποιοῦντες.

Pro hoc

Pro hoc Galat.6. v.9. dicit τὸ καλὸν ποιοῦντες, id est, Id quod pulchrum seu honestum est faciendo: nempe exercendo liberalitatem erga egenos.

14 Quòd si quis &c.] εἰ δέ τις &c. *Alii sic distinguunt, ut post ἡμῶν notent incisum, & idem auferant post ἐπιστολῆς, ad hunc modum:* εἰ δέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν, διὰ τῆς ἐπιστολῆς τοῦτον σημειοῦσθε. *id est,* Quòd si quis non auscultat sermoni nostro, hunc per epistolam significate. *Verùm alteram distinctionem atque expositionem esse genuinam, his argumentis liquet. Primùm quia non dicit* σημαίνετε, *id est,* Significate: *sed* σημειοῦσθε, *id est,* Notate, *deinde, quia proxime-sequentia præcipiunt, quomodo se gerere debeant erga sic notatum, hoc est, excommunicatum. tertiò, quia non dicit indefinitè* δι' ἐπιστολῆς, *sed* διὰ τῆς ἐπιστολῆς, *articulo innuens epistolam certam, nempe hanc ipsam epistolam. quartò si illud* διὰ τῆς ἐπιστολῆς *cohæret cum verbo* σημειοῦσθε: *tum pronomen* τοῦτον *potiùs præcederet, ad hunc modum,* τοῦτον διὰ τῆς ἐπιστολῆς σημειοῦσθε. *Est autem hîc observanda ellipsis articuli* τῆς *ante illa verba* διὰ τῆς ἐπιστολῆς. *qualis ellipsis etiam alibi occurrit. Porrò quo sensu Paulus hîc accipit verbum* σημειοῦσθαι, *consimili sensu verbum* NOTARE *accipit Pomponius Lætus de*
» *Magistrat. Rom. cap.21. in his verbis: Asconius Pædianus ait:*
» *Censores quinto quoque anno creari solebant. Hic prorsus cives*
» *sic notabantur, ut qui senator esset, ejiceretur senatu: qui eques*
» *Romanus, equum publicum perderet: qui plebejus, in Ceritum*
» *tabulas referretur & ærarius fieret, &c. Item Valerius Max. lib.2. c.4. quum narrasset, quam ob causam Cato censor L. Flaminium è numero senatorum sustulisset, subjungit, quòd eò magis illum notandum statuerit, quòd amplissimi honoris majestatem tetro facinore inquinaverat.* Ne commercium habete] μὴ συναναμίγνυσθε. *Ad verb.* Ne commiscemini. *Hoc eodem verbo in eâdem significatione utitur 1.Cor.5. v.9. & 11.* Ut eum pudeat] ἵνα ἐντραπῇ. *Id est, ut pudore victus resipiscat, atque ita salvus fiat. Synecdoche membri metonymica: nam unà cum causa effectum intelligitur. Confer 1.Cor.5. v.5.* ἐντρέπεσθαι *est sese in seipsum convertere, id est, in seipsum (ut Horatius ait) descendere, & turpitudine suâ conspectâ pudefieri.*

15 Neque] καὶ μή. *Pro,* Nec tamen. *Cohærent enim hæc cum præcedentibus per quandam prolepsin.*

16 Omni modo] ἐν παντὶ τρόπῳ. *Vetus interpres habet,* In omni loco. *Legit igitur,* ἐν παντὶ τόπῳ. *Quæ lectio videtur genuina, & elegantiùs cohæret cum eo quod præcessit,* διὰ παντὸς, *scilicet* χρόνου.

17 Ita] οὕτω. *Scilicet sicut sequitur versu sequente.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

Officium hominis Christiani. 1 Ex vers.1. & 2. Piorum officium est ut pro Evangelii propagatione & fidorum ejus ministrorum salute preces concipiant: quia per Evangelium amplificatur regnum Dei, quatenus electi per illius prædicationem efficaciter vocantur & sanctificantur.

Ministri verbi Dei. 2 Ex v.2. Quum pii doctores Evangelii experiuntur sibi contradici & resisti à protervis & malis hominibus: consolentur se exemplo Pauli, cui idem accidit. Confer 2.Tim.3. v.8. & in Actis exempla plurima, ut cap.13. v.45. & 50. item cap.14. v.19. item c.17. v.5.6.7. & 13. item cap.18. v.12. &c.

Officium hominis Christiani. 3. Ex eod. v. Quum videmus, Evangelium multis exosum esse, non debemus offendi aut de veritate ejus dubitare, sed acquiescere debemus in arcano DEI beneplacito, ex quo ille fidem non dat omnibus, sed tantùm quibusdam, iisque paucis & ferè coram mundo contemtis. Confer Matth.11. v.25. & 26. & cap.13. v.10. ac deinceps. item 1.Cor.1. v.26. & deinceps.

Fides. 4 Ex eod. v. Quum fides (ut hoc loco Apostolus ait) non sit omnium: quæritur, quorum ergo sit? Respondeo: Fides est donum peculiare electorum: ut testantur hæc dicta: Tit.1. v.1. nominatur fides electorum Dei. Act.13.48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Johan.6. v.36. & 37. *Etiam vidistis me, nec creditis: quicquid dat mihi Pater, ad me veniet.* Et cap.8. v.47. *Qui ex Deo est, verba DEI audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et cap.10. v.26. & 27. *Sed vos non creditis: non enim estis ex ovibus meis: Oves meæ vocem meam audiunt.* Rom.8. v.30. *Quos prædestinavit, eos etiam* (intellige, Et nullos alios) *vocavit,* intellige, Efficaciter, donando scil. fidem: quia continenter sequitur, *Et quos vocavit, eos etiam justificavit.* Certum est autem, nos justificari solâ fide. Necesse est igitur, Apostolum loqui de vocatione efficaci, id est, qua efficitur in electis fides. Cæteroquin vocatio externa latiùs patet, ac reprobis quoque communis est: juxta illud Christi, *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Fides. 5 Ex vers.3. Qui verâ fide semel donati sunt, illi etiam in ea stabiliuntur & custodiuntur contra tentationes Satanæ, ne fide excidant, eámve amittant. Cujus rei causa est, quia Dominus fidelis est, ac proinde promissa certò præstat. Promisit autem credentibus, se eos non ejecturum foras, Johan.6. v.37. item se daturum illis vitam æternam, nec perituros eos unquam, neque quenquam rapturum eos è manu ipsius, Johan.10. v.28. Huc pertinet illud Pauli Rom.11. v.29. *Dona & vocatio Dei sunt* ἀμεταμέλητα. Item illud 1.Cor.10. v.13. *Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari &c.* Item promissio illa Christi Matth.16. v.18. *Portæ inferorum non prævalebunt adversus Ecclesiam.* Denique quemadmodum oravit Christus pro Petro ne deficeret fides ipsius: ita non est dubium quin oraverit hoc ipsum pro credentibus omnibus: Johan.17. v.20. Quemadmodum igitur fides Petri non defecit, propterea quòd Christus pro eo oravit: ita certum est, nullius verè credentis fidem defecturam, propter eandem causam. Errant igitur qui docent, fidem amitti posse: & hac doctrina magnam consolationem conscientiis eripiunt. Cavendum tamen est, ne quis hac doctrinâ de fidei perseverantia, abutatur ad securitatem carnalem. nam per nos quidem non stat quin singulis momentis fidem amittamus: quare non est indulgendum securitati carnis: sed salutem nostram (ut Paulus monet) operari debemus cum timore ac tremore: quum Deus is sit qui efficit in nobis & ut velimus & ut efficiamus. Quare cum discipulis orabimus, Domine, adauge nobis fidem. *Philip.2. v.12. & 13.*

Doctrina Apostolica. 6 Ex v.4. Apostolica doctrina pro vitæ regula perpetuò sequenda est. Huc pertinet illud Christi ad apostolos, *Qui vos audit.* Item illud Pauli 1.Cor.11.23. *Ego à Domino accepi quod tradidi vobis.* Item Eph.2.20. *Superstructi super fundamentum apostolorum & prophetarum.*

Dilectio Dei. 7 Ex v.5. Qui Deum diligunt & adventum Christi toleranter exspectant, illi duobus insignibus animi bonis præditi sunt. hæc enim duo Apostolus Thessalonicensibus singulariter exoptat. Porrò Deum ii demum verè diligunt, qui dilectionem ipsius erga se in Christo gustarunt, & indies magis magisque gustant; cujus quidem dilectionis sensus effunditur in corda electorum per Spiritum sanctum, ut ait Paulus Rom.5. Ac de his qui diligunt Deum, idem apostolus asseverat, omnia simul (nempe tam adversa quàm secunda) conferre eis ad bonum, id est, ad salutem; Rom.8. v.28.

Otiosi. Ignavi. 8 Ex v.6. Otiosi & ignavi in Ecclesia non sunt nutriendi, imò ne ferendi quidem.

Officium hominis Christiani. 9 Ex v.7.8.9. In Paulo habemus insigne exemplum ardentissimi studii in ædificanda Ecclesia: quippe qui manibus suis laborare & victum quærere maluit, quàm alimenta (id quod jure suo poterat) ab ecclesiis accipere: ne quem scil. gravaret & ab Evangelii doctrina ex ipso cognoscenda deterreret.

Ministri verbi Dei. 10 Ex v.9. Ministris verbi licet alimenta ab ecclesiis accipere; imò ecclesiæ ministros suos alere tenentur. qua de re vide cap.9. prioris ad Corinth.

Labor. 11 Ex v.10. & 11. Nemini licet ignavo otio indulgere: sed singuli in ea statione in qua à Domino collocati sunt, aliquid operis facere debent.

Officium hominis Christiani. 12 Ex v.11. & 12. Cavenda est curiositas in rebus alienis investigandis: contra, sua cuique diligenter curanda sunt: ut suo quisque pane vescatur, non autem alieno. Confer 1.Thess.4. v.11. & Psal.128. v.2.

Officium hominis Christiani. 13 Ex v.13. Cavendum ne quorundam indignitas nos reddat ad benefaciendum frigidiores. Confer Gal.6. v.9. & Heb.13. v.16. Item illud Christi, *Date, & dabitur vobis.*

Excommunicatio. 14 Ex vers.14. & 15. Pervicaces in ecclesia, hoc est, qui monitis presbyterorum obtemperare nolunt, excommunicationis ignominiâ notandi sunt. Huc pertinet illud Christi Matth.18. v.17. *Si quis ecclesiam audire noluerit, sit tibi velut ethnicus & publicanus.* Exemplum exstat 1.Cor.5. ubi Paulus incestuosum quendam excommunicari mandat. Porrò cum excommunicatis vitanda est familiaritas. Confer 1.Cor.5. v.11. Sic tamen vitanda est fratrum excommunicatorum familiaritas, ut eorum in viam revocandorum occasiones omnes sedulò quærantur. Finis enim excommunicationis est, non exitium, sed salus peccatoris: ut nimirum pudore victus resipiscat. Confer 1.Cor.5. v.5. & 2.Cor.2. v.7.

Preces. 15 Ex v.15. Preces sunt Christianarum exhortationum sigilla. nam frustra exhortationes omnes susciperentur, nisi Deus nobis daret gratiam obediendi. hanc igitur gratiam precibus ab eo impetrare convenit.

Scriptura sacra. 16 Ex v.17. & 18. Cavendum, ne supposititiis scriptis fallamur. Hinc factum est, ut veteres canonem scripturarum θεοπνεύστων consignaverint: quos inde libros canonicos appellamus: à quibus ἀπόκρυφα, tanquam humana scripta, secernuntur.

FINIS.

ANALYSIS LOGICA

QUINQUE POSTREMARUM EPISTOLARUM PAULI:

Videlicet

Epistolæ ad { Timotheum prioris. / Timotheum posterioris. / Titum. / Philemonem. / Hebræos. }

UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS LOCORUM DOCTRINÆ.

Nobilissimo viro

OTTONI GRYNRADIO

JOHANNES PISCATOR

Gratiam & pacem à Domino precatur

EN tibi, nobilissime Grynradi, volumen quartum analysium mearum in apostoli Pauli epistolas: ad quod in lucem edendum tu nuper hac cum illustrissimis Principibus tuis transiens, meq́ pro tua humanitate & erga me benevolentia salutans, seriò me es hortatus: laudatâ simul superiorum voluminum editione, ut in quibus bonam atque utilem operam Ecclesiæ navassem. Quæ quidem res occasionem mihi præbuit hoc ipsum volumen ad te mittendi, & clarissimo tuo nomini inscribendi. neque enim dubitare poteram quin gratum tibi munus futurum esset, quod ad publicam Ecclesiæ utilitatem (cujus te cupidissimum esse constat) pertinere putares.

Et verò ut hoc inscriptionis honore te afficerem: præter illam tuam de istis commentationibus meis honorificam opinionem, impulit atque confirmavit me excellens tua literarum sacrarum peritia ac pietas: utraq́ jampridem mihi privatim cognita, & nunc publicè compluribus à multis jam annis spectata: quarum illa facit ut de hoc scribendi genere judicare possis: hæc verò, ut aliis commendatum id esse velis. Quapropter sperare mihi licet, commentationes hasce meas eò acceptiores studiosis sacrarum literarum fore; si intellexerint, eas tibi, tantæ authoritatis viro, placere.

Verum enimverò ut ad sermonem illum tuum, quo me nuper salutans utebare, redeam: memini, quum tibi dicerem, in isto meo volumine comprehensum iri epistolam ad Hebræos, te subjicere, Doctorem Olevianum, piæ memoriæ, hanc epistolam semper in ore ac pectore habuisse. quem tanti viri morem tu nimirum ad illam epistolam commendandam commemorabas. Porrò causam, cur Olevianus hanc epistolam in tanto pretio habuerit, si quis requirat: equidem hanc esse confirmavero: quòd illa pulchrè ei serviebat ad illustrandum illud doctrinæ Christianæ caput, quod ipse præ cæteris singulari studio atque industriâ tractare solebat, (sicut adhuc scripta ejus in lucem edita testantur) videlicet de federe illo gratiæ quod Deus pater cælestis cum ecclesia sua pepigit. Etenim Apostolus hîc de sacerdotio Christi, quo fedus illud sancitum atque confirmatum est, fusissimè, atque adeò principaliter, differit. Quum enim videret, plerosque Hebræorum in sacerdotio Levitico subsistere, quasi illud perpetuò durare deberet: & quasi fedus illud gratiæ, à Deo cum populo suo initum, revera sacrificiis illis Leviticis sanciretur atque confirmaretur: Apostolus ostendit, sacrificia illa non habuisse vim expiandi peccata, atque ità impetrandi à Deo remissionem illorum, in federe promissam: sed fuisse tantùm umbras ac typos sacrificii Christi, quo uno peccata electorum perfectè expiata sint: dum ipse, tanquam sanctus pontifex per spiritum æternum (id est, deitatem suam) seipsum obtulit inculpatum Deo super altare crucis.

Etsi autem verba Apostoli de hoc doctrinæ capite, de sacerdotio inquam Christi, quàm acuratissimè ac fidelissimè in hoc commentario à me exposita sunt: tamen haud pigebit, eandem doctrinam hîc paucis repetere, & in brevi quadam synopsi ante oculos lectorum proponere.

De sacerdotio Christi. *Igitur doctrina hæc ad quatuor capita judicio meo non incommodè revocari potest: videlicet cujusmodi sit sacerdotis hujus persona, & cur talem esse oportuerit: deinde an à Deo ad hoc sacerdotium fungendum sit vocatus: tum an omnes sacerdotii sibi injuncti partes fideliter administrarit, atque etiam nunc administret: postremò quæ bona nobis, ac omnino populo Dei fideli illâ administratione impetrârit & adhuc impetret. De quibus singulis quid Paulus in epistola ad Hebræos tradat, deinceps quam brevissimè exponam.*

Principiò igitur ad personam pontificis nostri quod attinet: tradit Apostolus, eum esse non solùm verum ac sanctum hominem: sed etiam verum Deum. quorum hoc statim initio epistolæ ostendit, dum eum vocat filium Dei: *idque hoc sensu, quòd è substan-*

è substantia Dei patris sit genitus: quippe quum sit splendor *a* gloriæ & character personæ illius: *quumq; adoretur b* à sanctis angelis: *item quum expressè in* sacra scriptura *c* Deus nominetur: *quum eâdem Scripturâ teste*, cælum *d* & terram creârit: *quum* sit *e* immutabilis: *denique quum* sedeat *f* ad dexteram Dei. *a* C.1.v.3. *b* C.1.v.6. *c* C.1.v.8 9. *d* C.1.v.10.

Veritatem autem naturæ humanæ, ab hoc sacerdote, tanquam filio Dei, in unitatem personæ assumtæ, ostendit Apostolus, quum ait: eum *g* participem factum esse carnis & sanguinis, consimiliter ut pueri illi (*videlicet electi*) quos pater tanquam filios suos adoptivos in gloriam voluit per sacerdotium illius *h* adducere: *item quum ait*, eum teste *i* Scripturâ semen Abrahæ debuisse assumere, atque adeò fratribus (*nempe filiis illis Dei adoptivis*) per omnia *k* similem fieri: *denique dum affirmat*, eum ex *l* tribu Juda exortum esse. *e* C.1.v.11.12. *f* C.1.v.3.13. *g* C.2.v.14. *h* C.2.v.10. *i* C.2.v.16. *k* C.2.v.17. *l* C.7.v.14.

Porrò sanctitatem naturæ humanæ sacerdotis hujus significat, quum ait: nos habere pontificem qui possit *m* affici sensu infirmitatum nostrarum: ut qui tentatus sit in omnibus similiter, sed absque peccato. *Item quum ait*: Talis *n* nos decebat pontifex: pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. *m* C.4.v.14. *n* C.7.v.26.

Atque hæc de constitutione personæ nostri pontificis. Jam verò si quæratur, cur pontificem nostrum, talem personam esse oportuerit: responsio ex mente Apostoli in promtu est hæc: ut nimirum esset idoneus ad sacerdotium pro populo Dei seu electis fungendum. Etenim verum hominem esse oportuit, ut haberet *o* quod offerret, videlicet corpus & sanguinem. *Sanctum verò*, ut esset *p* sanctus pontifex, *qui facilem ac liberum aditum ad Deum haberet: item ut esset sancta victima. quod Apostolus significat, quum dicit*, eum *q* obtulisse se Deo inculpatum. *Quam victimæ sanctitatem divus quoque Petrus notat, quum ait*: nos redemtos esse pretioso sanguine tanquam agni inculpati & immaculati: *nomine scilicet* agni *victimam denotans, ac inprimis ad agnum paschalem, tanquam typum hujus victimæ, respiciens: de quo singulare præceptum exstabat, ut esset* integer, *hoc est, omnis vitii expers. Denique Deum esse oportuit hunc pontificem, ut victima corporis & sanguinis ejus, quam oblaturus erat, satis esset pretiosa. Nam etsi sanguis hujus agni hoc ipso pretiosus est, quòd est sanguis (ut modò ex Petro laudavimus) agni inculpati atque immaculati: tamen sanguis ille non fuisset satis pretiosus, ut esset λύτρον seu pretium redemtionis pro toto numero electorum, ad expiandum scilicet omnia illorum (quæ plurima & maxima sunt, & infinitam Dei majestatem offenderunt) peccata: nisi fuisset sanguis filii Dei, atque adeò ipsius Dei. Hanc istius victimæ pretiositatem significat Apostolus, quum ait*: necesse fuisse ut *r* res cælestes, per terrenum illud Levitarum tabernaculum sacraq; illius vasa adumbratæ, potioribus victimis quàm erant Leviticæ illæ pecudes, purificarentur: *videl. corpore & sanguine filii Dei, atq; adeò ipsius Dei. Id quod ostendit, quum ait*: Christum obtulisse seipsum per spiritum *s* æternum: *item*, aboleviſſe *t* peccatū per immolationem sui-ipsius. *Quibus verbis nimirum notat personæ sacerdotis dignitatem, quæ sacrificium illius longe pretiosissimū reddat: ita ut non solùm æquivalens sit, si cum gravitate peccatorum nostrorū penderetur: verùm etiam pondere suo quam longissimè, atque adeò in infinitum, illam superet. quid enim in tota rerum natura pretiosius esse aut fingi potest sanguine filii Dei, atq; adeò ipsius Dei? Quò nimirū idem Apostolus respexit, quum presbyteris sive episcopis ecclesiæ Ephesinæ valedicens Mileti*, Attendite igitur vobis, *inquit*, & toti gregi: in quo vos Spiritus sanctus constituit ad pascendam Ecclesiam Dei: quam proprio sanguine acquisivit: *Item quum ad Corinthios scribens*, sapientiam Evangelii, in mysterio latentem, *ex eo celebrat*, quòd nemo principum sæculi hujus eam cognoverit. nam si cognovissent, (*inquit*) nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent. *Eodem respexit & divus Johannes in prima sua epistola, ubi ait*: Sanguis Jesu Christi filii ejus (*nempe Dei*) purgat nos ab omni peccato. *En unde sanguis hujus victimæ tam pretiosus sit! Nempe ex eo, quòd est sanguis filii Dei, atque adeò ipsius Dei.* *o* C.8.v.3. *p* C.7.v.26. *q* C.9.v.14. *r* C.9.v.23. *s* C.9.v.14. *t* C.9.v.26. Act.20.28. 1.Cor.2.v 7. & 8. 1.Joh.1.7.

Atq; hæc de sacerdotis Christi persona: quòd nimirum sit verus Deus. quippe filius Dei, è substantia ejus genitus; simulq; verus & sanctus homo: quódq; talem esse personam oportuerit, ut ad munus sacerdotis pro populo Dei fungendum esset idoneus. At istud ad Deum nobis reconciliandum, salutemq; æternam nobis acquirendam non fuit satis: sed requirebatur præterea, ut idonea hæc persona ad officium sacerdotis obeundum à Deo vocaretur. De hac igitur vocatione agit Apostolus, ubi ait: Neque *u* sibiipsi quisquam sumit hunc honorem, (*videlicet summi sacerdotii*) sed qui vocatur à Deo, sicut & Aaron. Ita & Christus non sibi hunc honorem tribuit ut fieret pontifex: sed is qui dixerat ei, Filius meus es tu: ego hodie genui te. sicut & alibi dicit, Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec. *u* C.5.v.4. 5.6.

Sed neque istud fuit satis, Christum & idoneum esse ad sacerdotium fungendum, & illius fungendi potestatem (imò mandatum) accepisse per vocationem Dei: sed opus erat insuper, ut reipsa sacerdotio sibi injuncto fungeretur, & omni ex parte illud administraret. Videndum igitur, quæ sint sacerdotii Christi partes, & an illas fideliter administrârit, atque etiam nunc administret. Sunt autem partes sacerdotii Christi per sacerdotium Aaronicum præfiguratæ in summa tres: oblatio precum, oblatio victimæ expiatoriæ, & denique apparitio in sanctuario. Etenim pontifex Aaronicus seu Leviticus in festo expiationis primùm offerebat juvencum, tum & hircum: illum quidem ad seipsum & familiam suam, istum verò ad populum expiandum: deinde verò utriusq; illius victimæ sanguinem inferebat intra velum in ipsum sanctuarium: ibiq; apparens in conspectu Dei, videlicet coram arca federis, operculum illius isto sanguine aspergebat ad expiationem faciendam. Similiter pontifex noster Christus obtulit Deo victimam expiatoriam, sed Leviticis longe præstantiorem: videlicet (ut paulò antè ostensum est) seipsum, seu corpus & sanguinem suum. Atque tum paulò antè quàm illam offerret, tum verò etiam inter offerendum, obtulit Deo preces: quarum precum Paulus mentionem facit x cap.5. Johannes verò easdem recitat historiæ suæ Evangelicæ cap.17. Quam utramque oblationem, & precum, inquam, & corporis atque sanguinis sui, posteaquam in terris peregisset: ingressus est cum illa victima in sanctuarium cæleste, ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis y. Lev.16. *x* V.7. *y* C.9.v.24.

Exposui hactenus tria doctrinæ institutæ capita: videlicet de Christi pontificis nostri personâ, vocatione, & sacerdotii administratione: quartum restat, ut consideremus, quæ bona nobis hic noster sacerdos à Deo impetrârit. Nemini autem recte-judicanti dubium videri potest: quin hic sacerdos, quum & ad sacerdotium fungendum fuerit idoneus, & habuerit vocationem, & denique fideliter officium administrârit: nemini, inquam, dubium videri potest aut debet, quin quæcunque bona impetrare nobis à Deo voluerit, quam-cumulatissimè impetrârit. Sed quænam sunt illa bona? Nempe bona cælestia atque divina: videlicet peccatorum nostrorum expiatio, abolitio, sublatio, nostriq; purgatio & sanctificatio: atq; adeò nostri è Diaboli potestate redemtio æterna: denique æterna illa salus sive hæreditas, vocatis à Deo promissa. Hæc, inquam, bona omnia nobis administratione sacerdotii sui impetravit Christus: quippe quum & preces ejus quas pro nobis obtulit, exauditæ sint, & oblatio sui à Patre acceptata: quumq; illa in sanctuario cælesti apparitio Deo placeat. Quæ singula ipsis verbis Apostoli facile est demonstrare.

Ac de precum quidem exauditione testatur Apostolus c.5. ubi ait: Qui *z* in diebus carnis suæ, quum deprecationes & supplicationes apud eum qui poterat ipsum servare à morte, cum clamore valido & lacrymis obtulisset, & exauditus esset ex metu: quamvis filius esset, tamen ex iis quæ passus est, didicit obedientiam; & consecratus, factus est author salutis æternæ omnibus qui ipsi auscultant. *z* V.7.8.9.

Jam verò oblationem ejus à Deo esse acceptatam: ex eo manifestum est, quòd per eam peccata populi Dei seu electorum sunt expiata, abolita, è medio sublata: ipsiq; ab illis purgati & sanctificati: ac deniq; æterna eis redemtio parta. Quibus singulis demonstrandis sunt hæc Apostoli verba: Adveniens *a* autem Christus, pontifex futurorum bonorum, per majus & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus structuræ, neque per sanguinem hircorum & vitulo- *a* C.9.v.11.

rum, sed per proprium sanguinem, ingressus est semel in sacrarium, æternam redemtionem nactus. Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencæ, aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis puritatem; quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad serviendum Deo vivo? Itaque ob id novi Testamenti mediator est: ut morte intercedente, ad redemtionem earum prævaricationum, quæ fuerant sub priore Testamento, vocati promissionem accipiant æternæ

b V.26. illius hæreditatis. *Et paulò pòst:* Christus *b* nunc semel in consummatione sæculorum, ad abolendum peccatum per

c V.28. immolationem suiipsius, patefactus est. *Et rursus:* Christus *c* semel oblatus, ut multorum peccata tolleret: alterâ vice absque peccato conspicietur iis qui ipsum exspectant ad salutem. *Similia occurrunt cap. 10. ut quum ait:* Qua vo-

d V.10. luntate *d* sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel factam. *Et post pauca:* Unica *e* enim obla-

e V.14. tione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur. *Et rursus:* Quum *f* igitur, fratres, habeamus libertatem in-

f V.19. grediendi sacrarium per sanguinem Jesu, &c.

Quòd verò apparitio illa in sanctuario cælesti placeat Deo patri: ac proinde reconciliatio per oblationem corporis, quod illi ostendit, parta, perpetuò duret, docet Apostolus, ubi ait: Christum *g* unâ pro peccatis oblatâ victimâ in perpetuum, (*hoc*

g V.12.

h C.9. *est, æternam vim habente*) consedisse ad dexteram Dei: *item*; ingressum esse *h* in ipsum cælum, ut appareat nunc in

V.24. conspectu Dei pro nobis. *Etenim si victima illa unica, semel in terris oblata, in perpetuum valet: necesse est ut ipse pontifex qui eam obtulit, facilem ingressum habuerit in illud cæli aditum: & ut ipsius in illo apparitio Deo placeat. Nec verò Pater illum nostrum pontificem pateretur sedere ad dexteram suam, nisi in summa apud ipsum gratia esset.*

De iustificatione peccatoris. *Atq; hæc doctrina apostolicæ de sacerdotio Christi summa est, fideliter ex ipsius Apostoli verbis à me exposita: quæ doctrina singularem hodie in Ecclesia usum habere potest ad definiendum quæstionem illam de justificatione hominis coram Deo: quum quæritur, quænam sit illa res quæ nobis ad justitiam à Deo imputatur. Hanc ex doctrina Apostoli esse dico oblationem illam Christi, seu (quod idem valet) obedientiam mortis Christi: hoc est, quam Patri præstitit in gustanda pro nobis ira Dei adversus nostra peccata, ipsi ut sponsori imposita. Etenim id quo peccata nostra expiata sunt, eorumq; remissio à Deo impetrata, est idipsum quod nobis à Deo ad justitiam imputatur: seu propter quod nobis justitia à Deo imputatur, nosq; pro justis habemur. quippe quum duo*

Cap. 4. v. 6. 7. *hæc,* Justitiam imputare, *&* Peccata remittere, *in hac quæstione apud Apostolum æquipolleant, dicentem ad Romanos:* Sicut etiam David pronuntiat beatum eum hominem, cui Deus imputat justitiam absque operibus: dicens, Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. *Atqui sola obedientia passionis & mortis Christi, seu (quod idem est) oblatio Christi, est ea res quâ peccata nostra sunt expiata, remissioq; eorum nobis impetrata. quia Apostolus ex professo de peccatorum expiatione disserens, solam illam Christi oblationem, tanquam illius causam procreantem, nobis indicat, atque adeò inculcat: ut planum est ex his*

i Cap.9. V.12. *dictis:* Christus *i* per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, æternam redemtionem nactus. *Item:*

k V.14. Quanto magis *k* sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscien-

l V.22. tiam vestram à mortuis operibus? *Item:* Absque *l* sanguinis effusione non fit remissio. *Item:* Nunc semel *m* in

m V.26. *n* V.28. consummatione sæculorum, ad abolendum peccatum per immolationem suiipsius, patefactus est. *Item:* Chri-

o C.10. v.4. & deinceps. stus *n* semel oblatus est ut multorum peccata tolleret. *Et rursus:* Non enim *o* potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Quapropter ingrediens mundum, dicit: Sacrificium & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Holocautomata & hostias pro peccato non approbasti. tunc dixi: Ecce adsum (in volumine libri

p V.10. scriptum est de me) ut faciam, ô Deus, voluntatem tuam. *Et paucis interjectis:* Quâ voluntate *p* sanctificati sumus,

q V.12. per oblationem corporis Jesu Christi semel factam. *Item:* Hic verò *q* unâ pro peccatis oblatâ victimâ in perpe-

r V.14. tuum, consedit ad dextram Dei. *Item:* Unicâ enim *r* oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.

s V.19. *Item:* Quum igitur, *s* fratres, habeamus libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Jesu &c. *En quanto cum zelo Apostolus inculcet oblationem Christi, tanquam unicam peccatorum nostrorum expiationem! Quo fit, ut eadem sit unica illa res quæ nobis ad justitiam à Deo imputatur. Atq; his similia tradit idem apostolus in aliis quoq; suis epistolis, maximè verò ad Romanos & ad Galatas: quæ singula hîc enumerare nimis longum foret, neq; hujus est instituti.*

Si quis hoc loco ex me quærat: Ad quid igitur nobis conducat sanctitas naturæ & vitæ Christi, si non ipsa quoq; nobis imputetur: illa quidem ad tollendum naturæ nostræ impuritatem: ista verò ad condonandum peccata, quæ vocant, omissionis: quum scil. sancta opera, à Deo præcepta, omisimus atq; neglereximus? Respondeo; Certum est & clarum pronuntiatum illud Johannis, SANGUIS CHRISTI PURGAT NOS AB OMNI PECCATO. *Si ab omni: ergo non solùm à peccatis, quæ vocantur, commissionis, quum scil. mala facta à Deo vetita commisimus atq; perpetravimus: sed etiam à peccatis omissionis, quum bona opera à Deo mandata omisimus atq; neglexinus: nec non à peccato, quod vocatur, originis, quo fit ut & à bonis operibus abhorreamus, & ad mala proni atq; proclives simus. Sanctitas verò tum naturæ tum vitæ Christi, ad hoc nobis conducit: ut sciamus, nos habere pontificem sanctum: & victimam illius esse sanctam, ac proinde Deo placentem; & ad expiandum nostra peccata efficacem. Quanquam ad hanc efficaciam illud quoque, & quidem inprimis, requisitum fuit, ut noster pontifex simul esset verus Deus: ac proinde ut sanguis pro nobis effundendus, esset sanguis Dei: sicut suprà fusiùs est declaratum.*

De missa Pontificiorum. *Atq; hic primus doctrinæ de sacerdotio Christi expositæ singularis hoc tempore usus est. Deinde verò facit eadem doctrina ad ostendendum impietatem Missæ Pontificiorum, in qua fingunt, Christum à sacrificulo denuò Patri ut victimam offerri, eâq; oblatione peccata omnium eorum, tum viventium, tum mortuorum, pro quibus Missa celebratur, expiari. At contrà Apostolus in hac epistola iterum atq; iterum (ut abundè ostensum est) testatur, omnia electorum peccata unicâ oblatione Christi super altari crucis peractâ, perfectè expiata esse. Unde sequitur, Missam Pontificiorum in sacrificium Christi blasphemam & sacrilegam esse, ac proinde omnibus piis toto pectore detestandam.*

Hæc habui, nobilissime Grynradi, quæ de sacerdotio Christi, ex epistola illa eruditissima ad Hebræos, ad illam piis lectoribus commendandam, in medium afferrem. Quod restat, Deum patrem Domini nostri Jesu Christi oro, ut laborum tuorum, quos in instituendo illustrissimo ac potentissimo Principe FRIDERICO IV. *Comite Palatino, Electore, per aliquot annos fidelissimè insumsisti, magis ac magis appareant lætissimi fructus: ut quantum luctum piis attulit nuper, & etiam nunc adfert, mors illustrissimi Principis, & piorum patroni munificentissimi,* JOHANNIS-CASIMIRI, *tantum vicissim gaudium iisdem adferat illius in Electoratum successio & Reipublicæ gubernatio: dum scil. sanctissimarum præceptionum tuarum perpetuò memor, laudatissimis majorum, ac inprimis avi* FRIDERICI PII, *vestigiis insistet. Vale Herbornæ, 7. Februarii, 1592.*

ANALY-

ANALYSIS LOGICA

EPISTOLÆ PAULI ad Timotheum prioris.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

Epistola hæc ferè tota est νουθετικὴ, complectens nimirum multas ac varias admonitiones de officiis ministrorum ecclesiæ, atque etiam aliorum fidelium: sicut deinceps ad singula capita indicabitur. Veruntamen præter illas admonitiones Paulus asserit quoque suum apostolatum cap.1. & 2. item proponit præcipua capita Evangelii seu doctrinæ Christianæ, in fine c.3. praeterea prædicit apostasiam posterioribus temporibus per falsos doctores eventuram, in principio c.4. quæ quidem prophetia jam per aliquam-multos annos impletur in Papatu: sicut suo loco demonstrabitur.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Præter inscriptionem, quæ continetur duobus primis versibus, tres sunt hujus capitis partes. Primùm admonet Timotheum, ut coërceat perversos quosdam Legis doctores, à v.3. usque ad 12. Deinde asserit suum apostolatum, à v.12. usque ad 18. Postremò hortatur Timotheum, ut in ministerio suo fortiter adversus omnia impedimenta decertet, & cum sana doctrina bonam conscientiam conjungat; tribus ultimis cap. vers.

DE INSCRIPTIONE.

Paulus apostolus Jesu Christi, ex ordinatione Dei servatoris nostri, & Domini Jesu Christi, spei nostræ,

2 Timotheo, germano filio in fide. Gratia *sit tibi*, misericordia & pax à Deo patre nostro, & Christo Jesu domino nostro.

Inscriptio continet tres particulas. Primùm ὑπογραφὴν, subscriptionem seu nomen ejus qui scribit, v.1. deinde ἐπιγραφὴν, inscriptionem specialiter sic dictam, seu nomen ejus ad quem epistola hæc mittitur: tum ἀσπασμὸν, salutationem, v.2. In subscriptione apostolatus sui meminit, ad conciliandum epistolæ huic authoritatem: simulque summam doctrinæ apostolicæ comprehendit, nempe, quod Deus nos servet per Christum fide apprehensum, cujus salutis perfectio adhuc speratur. In inscriptione commemorat Timothei efficacem vocationem quæ contigerat per ipsius prædicationem: simulque paternum suum erga ipsum animum significat, dum eum vocat germanum filium in fide. In salutatione optat Timotheo primùm *gratiam*, id est, gratuitam benevolentiam Dei, tanquam fontem omnium bonorum, quæ nobis ab eo conferuntur: deinde *misericordiam*, id est, gratuitam remissionem peccatorum, & instaurationem imaginis Dei: postremò *pacem*, id est, tranquillitatem conscientiæ & lætitiam ex sensu favoris Dei, & denique veram felicitatem.

PRIMA PARS.

3 Sicut te sum precatus ut permaneres Ephesi, quum proficiscerer in Macedoniam, *vide* ut denunties quibusdam ne diversam doctrinam doceant.

4 Nec attendant fabulis & genealogiis infinitis, quæ potiùs quæstiones præbent, quàm ædificationem Dei quæ est per fidem.

5 Porrò finis mandati, est charitas ex puro corde, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ.

6 A quibus nonnulli ut à scopo aberrantes, diverterunt ad vaniloquentiam:

7 Volentes esse Legis doctores, nec intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus asseverant.

8 Scimus autem, bonam esse Legem, si quis eâ legitimè utatur:

9 *Nempe* sciens, Legem justo positam non esse; sed Legis contemtoribus, & iis qui subjici nolunt, impiis & peccatoribus, nefariis & profanis, patricidis & matricidis, homicidis,

10 Scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, & si quid aliud est, quod sanæ doctrinæ sit oppositum;

11 *Quæ est* secundùm gloriosum evangelium beati Dei, quod concreditum est mihi.

Admonet Timotheum, ut coërceat perversos quosdam Legis doctores, qui negotium facessebant ecclesiæ Ephesinæ: de quibus cavendis monet quoque presbyteros ecclesiæ Ephesinæ Act.20. v.28.29.30. Admonitionem hanc primùm illustrat collatione admonitionis similis jam antea ab ipso factæ, quum proficisceretur in Macedoniam. Secundò, admonitionem ipsam proponit per sententiam generalem, ut scilicet denuntiet quibusdam ne doceant doctrinam diversam, nempe diversam à doctrina apostolica. Tertiò, sententiam generalem subjectione speciei declarat, videlicet doctrinæ de genealogiis: simulque quatuor rationes commemorat, cur istiusmodi doctrina sit fugienda. Prima ratio est, quia non contineat certam veritatem. hanc rationem innuit nomine *fabularum*. Secunda ratio est, quia inani labore fatiget: hoc significat, quum istas genealogias vocat *ἀπεράντους, infinitas*, id est, tales in quibus non liceat reperire finem seu exitum. Tertia ratio est, quia pariat *quæstiones*, id est, certamina seu rixas. Quarta, quia non faciat ad ædificationem Dei quæ est per fidem, hoc est, ad incrementum cognitionis Dei seu fidei Christianæ & veræ pietatis. Harum rationum prima ex adjuncto, tres reliquæ ex effectis desumtæ sunt. Atque hoc tertium hujus contextus membrum est. Quartò, rationem postremam expolit, & syllogismo comprehendit ad hunc modum:

Qui legem Dei rectè interpretantur, referunt eam ad rectum finem seu scopum; qui est charitas ex puro corde, & conscientiâ bonâ, & fide non simulatâ, v.5.

At isti doctores non referunt Legem ad hunc finem, sed ab istis commemoratis rebus, tanquam à scopo, aberrant, v.6.

Ergo isti doctores non rectè Legem interpretantur, sed à rectâ legis interpretatione ad vaniloquentiam deflectunt, v.eod.

Assumtionem approbat v.2. à causa procreante, videlicet inscitiâ istorum, per enuntiatum discretum: Volunt quidem illi esse Legis doctores: veruntamen, nec quæ loquuntur, nec de quibus asseverant, intelligunt: hoc est, nec argumenta ex quibus, nec quæstiones de quibus disserunt, intelligunt. Atque hoc quartum hujus pericopes membrum est. Quintò occurrit objectioni: Reprehendis Legis doctores: ergo reprehendis ipsam quoque Legem. Apostolus negat consequentiam, quatenus concedit, Legem esse bonam: ac monet, se istos Legis doctores reprehendere propter Legis abusum, ut qui Legem non referrent ad rectum scopum, v.8. Deinde v.9. ostendit, non esse causam cur Legem vel ipse vel ullus fidelis oderit aut horreat: quia Lex justo non sit posita, sed Legis contemtoribus &c. hoc est, quia maledictio Legis incumbat tantùm petulantibus Legis transgressoribus: non autem justis, hoc est, iis qui justitiæ in Lege præscriptæ ex animo dant operam: id quod nimirum omnes verâ fide præditi faciunt. Cur autem his maledictio Legis non incumbat, causa est, quia per Christum ab ea sunt liberati, quatenus ille pro ipsis factus est maledictio, ut docet Apostolus Gal.3. v.13. Tum monet, doctrinam Evangelii cum doctrina Legis consentire, quantum scilicet ad vitam hominis formandam attinet; quia peccata in Lege prohibita, doctrina Evangelii æquè adversentur, v.10. & 11. Postremò occasione mentionis Evangelii, apostolatum suum asserere incipit: dum Evangelium sibi concreditum esse affirmat.

SECUNDA PARS.

12 Gratiam igitur illi habeo qui me robustum effecit, *id est*, CHRISTO JESU Domino nostro, quòd me fidum duxerit, ut qui *me* in ministerio constituerit.

13 Qui priùs eram blaſphemus & perſequutor & injurioſus: ſed mei miſertus eſt. nam ignorans id faciebam; *nempe* fidei expers.

14 Superabundavit autem gratia illa Domini noſtri cum fide & dilectione in Chriſto Jeſu.

15 Certus *eſt hic* ſermo, & dignus qui modis omnibus recipiatur, Chriſtum Jeſum veniſſe in mundum ut peccatores ſervaret: quorum primus ſum ego.

16 Verùm ideo miſertus eſt mei; ut in me primo oſtenderet Jeſus Chriſtus omnem lenitatem; ut eſſem exemplar credituris ipſi ad vitam æternam.

17 Regi autem æterno, immortali, inviſibili, ſoli ſapienti Deo, honor *ſit* & gloria in ſæcula ſæculorum; Amen.

Hic aſſerit ſuum apoſtolatum adverſus quoſdam (ut apparet) qui ſuperiorem ipſius vitam calumniabantur, quum ſcil. Eccleſiam hoſtiliter perſequutus fuit. Ac primùm gratias agit Chriſto, ut à quo & vires acceperit ad Evangelium cum fructu prædicandum, & ipſum quoque prædicandi Evangelii miniſterium, verſ.12. Deinde beneficium iſtud ſuæ ad apoſtolatum vocationis amplificat expoſitione tum cauſæ corrumpentis, tum cauſæ procreantis. Cauſa corrumpens quæ Chriſtum ab illo beneficio in Paulum conferendo meritò poterat deterrere, eſt hoſtilis illa perſequutio, quâ Paulus Eccleſiam perſequebatur: de quâ vide Actor.8.v.3.& cap.9.v.1.& 2.item cap.22.v.4.& 5. Cauſa procreans iſtius beneficii fuit miſericordia Chriſti. Cujus miſericordiæ commemorationem ne quis rapiat ad ſecuritatem peccandi, exponit illius cauſam ſine qua non, videl. ſuam ignorantiam: ut qui fidei Chriſtianæ adhuc expers, Chriſtum nondum agnoſceret. Quo ipſo ſignificat, qui Chriſtum ex prædicatione Evangelii agnitum hoſtiliter perſequuntur, eos miſericordiæ ipſius aditum præcludere: de quibus Chriſtus disertè pronuntiat, blaſphemiam eorum remiſſum non iri, eò quòd Spiritum ſanctum blaſphement, Matth. 12. v.31. 32. Præterea gratiam Chriſti in ſe convertendo amplificat ab adjunctâ magnitudine, quam ſignificat verbo ὑπερεπλεόνασε, *ſuperabundavit*; quaſi dicat, ſupra modum abundavit: ſuiq; converſionem declarat ex effectis, videl. fide & dilectione: ut qui jam in Chriſtum credat, & amore ipſius atque Eccleſiæ ardeat. Porrò illam Chriſti miſericordiam ſibi præſtitam non debere videri incredibilem, oſtendit ex fine generali adventus Chriſti in mundum: qui eſt ut peccatores ſervaret, nempe ex miſericordia. Hanc ſententiam cum aſſeveratione graviſſimâ enuntiat: deinde illam accommodat ad ſuam perſonam; & finem ſeu ſcopum Chriſti in ſe convertendo fuiſſe monet, ut alios electos exemplo Pauli alliceret ad fidendum miſericordię ipſius: quippe quam erga Paulum quantumvis maximum peccatorem exercuiſſet. Poſtremò concludit hunc locum δοξολογίᾳ, id eſt, celebratione nominis divini, magnifica quædam epitheta ſeu attributa Dei commemorans: quæ quidem δοξολογία ex collatione præcedentium ad Chriſtum ſpecialiter referenda videtur.

TERTIA PARS.

18 Hoc mandatum commendo tibi, fili Timothee; *nempe* ut ſecundùm prægreſſas de te prophetias, milites per eas bonam illam militiam:

19 Retinens fidem & bonam conſcientiam: quâ repulsâ, nonnulli naufragium fidei fecerunt.

20 Ex quibus *ſunt* Hymenæus & Alexander: quos tradidi Satanæ, ut caſtigati diſcerent non blaſphemare.

Hortatur Timotheum, ut in miniſterio ſuo fortiter adverſus omnia impedimenta decertet, & cum ſana doctrina bonam conſcientiam conjungat. Hanc hortationem confirmat primùm à causâ procreante, videl. prophetiis de Timotheo prægreſſis; quarum recordatione excitari meritò ille debuit ad fortiter militandum bonam illam militiam defenſionis Evangelii contra falſos doctores & perſequutionem mundi. Deinde adfert argumentum ab eventu pernicioſo, videl. naufragio fidei, id eſt, amiſſione doctrinæ fidei: quod argumentum duobus exemplis ſpecialibus approbat, quibus naufragium iſtud fidei evenerit: quos proinde Satanæ tradiderit, videlicet per excommunicationem; cujus ſui facti finem exponit, ut ſcilicet pœnitentiâ ducti deſinant doctrinam fidei blaſphemare, & ad illam rectè cognoſcendam revertantur.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Ex ordinatione] κατ' ἐπιταγὴν. *Vel,* Ex mandato. ἐπιταγὴ, *ab* ἐπιτάττειν: *quod eſt injungere, imperare, mandare.* Dei] Θεοῦ. *Scilicet* τοῦ πατρὸς, *patris; quia mox diſtinctè fit mentio filii.* Servatoris] σωτῆρος. *Obſerva, nomen* ſervatoris *etiam Patri attribui. Is enim ſervat nos per Filium: quippe quem ſalutis noſtræ causâ miſit, & per quem nos ſibi reconciliavit, per quem etiam Spiritum ſanctum in nos mittit.* Spei noſtræ] τῆς ἐλπίδος ἡμῶν. *Chriſtus dicitur ſpes noſtra per metonymiam materiæ. Ipſe enim eſt unde ſpes noſtra oritur: quippe ſperamus vitam æternam, freti merito Chriſti, quo nobis Deum reconciliavit: Sicut docet Paulus Rom. 5.v.1.2.5.*

2 Germano filio] γνησίῳ τέκνῳ. Γνήσιος, *quaſi* γενήσιος, *id eſt, genuinus: qui à parentibus non degenerat, ſed ingenium illorum nativâ ſimilitudine refert.* τέκνον *autem generale eſt, & filium & filiam ſignificans.* In fide] ἐν πίστει. *Id eſt, reſpectu fidei. Neq; enim Timotheus, ſimpliciter & propriè loquendo, filius erat Pauli, ſed ratione fidei, quam is ſua prædicatione in ipſo genuerat. Confer 1.Cor.4.v.14.& 15. Philem.v.10.& 1.Pet.1.v.23.*

3 Sum precatus] παρεκάλεσα. *Vel,* adhortatus. Ne diverſam doctrinam doceant] μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. *Id eſt,* μὴ ἕτερα διδάσκειν, *ne doceant diverſa, ſcil. à doctrina apoſtolorum.*

4 Infinitis] ἀπεράντοις. *Id eſt, quarum non licet reperire* πέρας, *finem ſeu exitum.* Quæſtiones] ζητήσεις. *Id eſt, certamina, rixas, contentiones de rebus ſcitu non neceſſariis.* Ædificationem Dei, quæ eſt per fidem] οἰκοδομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει. *Id eſt, incrementum in cognitione Dei, quæ poſita eſt in vera fide.*

5 Finis mandati] τὸ τέλος τῆς παραγγελίας. *Id eſt,* ὁ σκοπὸς τῶν παραγγελιῶν, *ſcopus mandatorum, ſcil. Dei: id eſt, ſcopus Legis. Enallage numeri. Hæc expoſitio confirmatur ex collatione duorum verſ. ſeqq.* Charitas] ἀγάπη. *Scil. erga proximum. Synecdoche generis, Paulo uſitata. Sic 1.Cor.13. Gal.5.v.13.14. Per charitatem autem ſeu dilectionem proximi intelligit metonymicè officia charitatis, id eſt, quæ proximo ex charitate præſtantur. Quò pertinet illud Johan.* Ne diligamus verbo, ſed opere & veritate. Ex puro corde] ἐκ καθαρᾶς καρδίας. *Id eſt, ex puro cordis affectu, ex animo ſincero.* Conſcientiâ bonâ] συνειδήσεως ἀγαθῆς. *Conſcientia bona naſcitur partim ex fide, partim ex ſerio propoſito piè vivendi atq; ita placendi Deo. Fides inprimis requiritur: quia quum nemo ſit, qui non peccatis ſuis Deum offenderit, neceſſe eſt, ut certò perſuaſi ſimus, peccata nobis propter Chriſtum eſſe remiſſa. Ad ſerium autem illud propoſitum videtur præcipuè reſpicere Paulus, quum conſeſſum ſacerdotum ſic alloquitur Act.23.v.1.* Viri fratres, ego omni conſcientiâ bonâ ſervivi Deo ad hunc uſque diem. *Item 1.Cor.4.v.4.* Nullius rei mihi conſcius ſum: ſed non per hoc juſtificatus ſum.

8 Bonam eſſe legem] ὅτι καλὸς ὁ νόμος. *Sic Rom.7.v.12.* Lex ipſa quidem ſancta &c.

9 Legem juſto poſitam non eſſe] ὅτι δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται. *Nomine* juſti *intelligit hominem pium & juſtitiæ deditum; ut liquet ex antitheſi, quā juſto opponit* ἀνόμους, ἀνυποτάκτους, ἀσεβεῖς *&c. Verè autem pius nemo eſt niſi fidelis, ac proinde fide juſtificatus. Porrò verbo* κεῖσθαι *notat onus illud maledictionis, quod incumbit Legis transgreſſoribus. Sententia igitur eſt, Legis maledictionem non incumbere piis, qui juſtitiæ in Lege præſcriptæ ex animo dant operam. Cauſa autem ejus rei eſt, quòd illi fide in Chriſtum ſunt juſtificati, & à maledictione Legis liberati. Eadem ſententia Roman.6.verſ.14 enuntiatur his verbis:* Non eſtis ſub Lege, ſed ſub gratia. *nam illic,* Eſſe ſub Lege, *eſt ſubjectum ſeu obnoxium eſſe maledictioni Legis: ut liquet ex antitheſi. Sicut hîc Lex poſita eſſe dicitur ei, cui incumbit Legis maledictio.*

10 Sanæ doctrinæ] τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ. *Sic nominatur doctrina ſalutis: vel per metaphoram; quòd nullis quaſi morbis errorum laboret: vel per metonymiam effecti, quòd veram ſanitatem animi & corporis, id eſt, veram ſalutem, adferat iis, qui doctrinam illam obſervant. Eodem ſenſu nominat* ὑγιαίνοντας λόγους, ſanos ſermones, *2.Tim.1.v.13. Sic in eadem epiſtola cap.2.v.17. doctrinam hæreticam comparat gangrænæ; eò quòd certum exitium adferat.*

11 Glorioſum evangelium] τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης. *Ad verb.* Evangelium gloriæ. *Hebraiſmus. Sic Epheſ.4.v.24.* ὁσιότης τῆς ἀληθείας, Sanctitas veritatis, *i.e. vera.* Quod concreditum eſt mihi] ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ. *Ad verb.* Quod creditus ſum ego. *Græciſmus.*

12 Fidelem] πιστόν. *Videlicet in munere commiſſo adminiſtrando. Sic 1.Cor.4.v.2. In diſpenſatoribus requiritur* ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ, *ut quis fidelis inveniatur. Sic Heb.3.v.2.& 5.* In miniſterio] εἰς διακονίαν. *Videlicet Evangelii annuntiandi.*

13 Qui priùs eram blaſphemus &c.] *Vide Act.8.v.3.& cap 9. v.1.2.& cap.22.v.4.5.* Sed mei miſertus eſt] ἀλλ' ἠλεήθην. *Scil.* ὑπὸ Θεοῦ. *Id eſt, Sed miſericordiam adeptus ſum: vel, Miſericordia mihi contigit. Scilicet à Deo; ſic paulò pòſt verſ.16.* Ignorans] ἀγνοῶν. *Ignorans videl. religionem Chriſtianam eſſe veram.* Fidei expers] ἐν ἀπιστίᾳ. *Scil.* ὢν *vel* καθεστώς. *Id eſt, in incredulitate conſtitutus. Vel, per incredulitatem: poſitâ præpoſitione* ἐν *pro* διά, *more Hebræorum: ut pendeant hæc verba à verbo* ἐποίησα.

14 Superabundavit autem] ὑπερεπλεόνασε δὲ. *Id eſt, Abundè ſe exſeruit erga me, ſeu efficax fuit in me: efficiens nimirum in me fidem & dilectionem: ut ſequentia declarant.* Dilectione in Chriſto] ἀγάπης τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Hoc eſt, quâ fideles omnes diligo propter Chriſtum.*

15 Certus eſt hic ſermo] πιστὸς ὁ λόγος. *Id eſt,* ἀξιόπιστος, *fide dignus.* Primus] πρῶτος. *Id eſt, præcipuus ſeu princeps. Id eſt, maximus omnium peccator.*

16 Miſertus eſt mei] ἠλεήθην. *Vide ſuprà ad v.13.*

17 Regi autem æterno] τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων. *Ad verb.* Regi ſæculorum. *h.e. per omnia ſæcula viventi. Hebraiſmus, pro,* τῷ αἰωνίῳ. Immortali] ἀφθάρτῳ. *Propriè,* Incorruptibili. *nam immortalis*

mortalis Græcè est ἀθάνατος. Soli sapienti] μόνῳ σοφῷ. *Id est, qui solus à seipso sapiens est, idq; perfectè & immutabiliter. Eodem sensu dicitur Matth.19.17.* Nullus est bonus, nisi unus, nempe Deus. *Sic Rom.ult.v.ult.*

18 Bonam illam militiam] τὴν καλὴν στρατείαν. *Videlicet defensionis Evangelii contra falsos doctores & persecutionem mundi. Sic 2.Tim.4. v.7.* Certamen illud præclarum decertavi &c. *Metaphora.*

19 Retinens] ἔχων. *Id est,* κατέχων. *Sic Rom.15. v.4.* ἵνα τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν, Ut spem illam retineamus. Fidem] πίστιν. *Id est, doctrinam fidei, nempe fidei salvificæ. Metonymia adjuncti, & synecdoche generis. Hæc expositio confirmatur ex collatione vers.20. ubi dicit Apostolus, se Hymenæum & Alexandrum, qui fidei naufragium fecerant, tradidisse Satanæ ut discant non blasphemare. Ubi jam vocat* blasphemare, *quod antea dixerat.* Fidei naufragium facere. *Blasphemandi autem verbo intelligit contradictionem qua illi contradicebant sanæ doctrinæ de fide salvifica.* Quâ repulsâ] ἣν ἀπωσάμενοι. *Ex his verbis non potest certò inferri, illos bonâ conscientiâ fuisse præditos. Nam potest quis repellere etiam id quod nunquam habuit: ut apparet ex verbis Lucæ & Pauli Actor.13.v.45. & 46. Nam v.45. ait Lucas, Judæos qui degebant Antiochiæ urbe Pisidiæ, contradixisse iis quæ à Paulo dicebantur (nempe de fide salvifica) Paulus autem & Barnabas v.46. hanc contradictionem nominant repulsionem sermonis Dei, dicentes, Vobis necesse fuit primùm exponi sermonem Dei: postquam autem repellitis illum &c. En Judæi isti repulerunt evangelium, cui nunquam crediderant. Deinde si maximè concederetur, illos habuisse bonam conscientiam: tamen id non posset intelligi de tali bona conscientia qua non nisi ex fide salvifica oritur: per quam fidelis sibi conscius est remissionis peccatorum & serii studii veræ pietatis: sed tantùm de conscientia bonâ particulari, quâ quis sibi conscius est innocentiæ erga proximum in certis factis. qualis bona conscientia etiam in fide salvificâ vacuos cadit: ut videre est ex verbis Pauli Act.23.v.1.& Rom.2.v.15.*

20 Quos tradidi Satanæ] οὓς παρέδωκα τῷ Σατανᾷ. *Videlicet per excommunicationem: ut 1.Cor.5.v.5.*

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINÆ EX CAPITE PRIMO.

Doctrina Pauli. 1 Ex v.1. Quum Paulus epistolæ hujus scriptor, fuerit apostolus, id est, doctor Evangelii, immediatè à Christo ad docendum vocatus: sequitur, doctrinæ ipsius tanquam veritati cælesti ac divino testimonio citra omnem dubitationem credendum esse.

Ministri verbi Dei. 2 Ex eodem v. Ad docendum in ecclesia nemo accedere debet, nisi vocatus à Deo. Hinc Paulus dicit, se esse apostolum ex ordinatione seu mandato Dei. Vocatio autem alia est immediata, qualis fuit prophetarum & apostolorum: alia mediata, qualis est cæterorum Ecclesiæ doctorum, qui vocantur ab Ecclesia.

Salus. 3 Ex v.1. & 2. De causis salutis. Salutis nostræ causa efficiens principalis est Deus pater: unde hîc ab Apostolo nominatur servator noster. Administrans causa est Dominus noster Jesus Christus: is enim est mediator inter Deum & nos, qui Deum nobis propter peccata offensum sacrificio suæ mortis placavit, & suâ intercessione in cælo perpetuò placat; ejusque favorem obedientiâ suæ mortis semel nobis conciliatum perpetuò conservat: unde hîc ab Apostolo nominatur spes nostra, id est, is quo freti vitam æternam certò speramus. Causa impulsiva antecedens in mente Dei, τὸ προηγούμενον αἴτιον, est gratia, id est, gratuitus favor. item misericordia, ex qua nimirum remittit nobis peccata; & instaurat in nobis imaginem Dei. Formalis causa est pax, id est, tranquillitas conscientiæ ex sensu favoris Dei orta, ac proinde lætitia in Deo, quæ est vera felicitas seu beatitudo.

Evangelium. 4 Ex v.2. Verbum Evangelii est semen illud unde gignuntur filii Dei ad beatam immortalitatem: quatenus nimirum per Evangelii prædicationem creatur in cordibus electorum fides, quâ apprehenditur Christus ad salutem. Hinc est, quòd Paulus Timotheum vocat germanum filium in fide. Similiter dicit in epistola ad Philemonem v.10. se genuisse Onesimum in vinculis suis. Vide 1.Pet.1.v.23.24.25.

Ministri verbi Dei. 5 Ex v.3. Fidorum episcoporum seu pastorum ecclesiæ officium est, curare ut doctrina apostolica purè in ecclesia tradatur, néve doctrina diversa admisceatur. Contrarium fecerunt theologi scholastici, qui doctrinæ apostolicæ admiscuerunt philosophiam: & monachi, qui admiscuerunt sua somnia & fabulas.

Ministri verbi Dei. 6 Ex v.4.5.6.7. Pastores doctrinam quam ecclesiæ proponunt ex verbo Dei, referre debent ad ædificationem auditorum, id est, ut illi crescant in cognitione Dei, in fide & studio pietatis. Contrà speculationes curiosæ & quæstiones inutiles fugiendæ sunt.

Lex. 7 Ex v.8. & 9. Quum lex Dei bona sit, ut hoc loco disertè affirmat Apostolus: non est igitur ex ecclesia Christiana tanquam inutilis exterminanda; sed proponenda: & opera danda, ut eâ legitimè utamur: hoc est, ut ex ea agnoscamus nostra peccata, & scientes, nos ab illius maledictione per Christum esse liberatos, gratitudinis ergò omnem nostram vitam secundùm illius præscriptum instituere studeamus.

Evangelium. 8 Ex v.10. & 11. Evangelium Legi non est contrarium: quia illam ipsam colendi Dei rationem à fidelibus requiritur, quam Deus in Lege præscripsit. Sic Christus ait, Non veni solvere Legem, sed implere. Et in Evangelio promittitur Spiritus sanctus qui legem Dei cordibus electorum inscribat.

9 Ex v.12. Exemplo Pauli gratias debemus agere Deo pro beneficiis in nos collatis. *Officium hominis Christiani.*

10 Ex eod.vers. Facultas dextrè & sapienter docendi Evangelium, & in illo docendo alacritas atque constantia, singulare donum Dei est. Vide 2.Cor.3.v.5.& 6. *Facultas docendi.*

11 Ex eod.v. In ministro Evangelii inprimis requiritur ut fidelis seu fidus sit, id est, ut fideliter Deo serviat: & ecclesiæ tanquam familiæ Dei, dispenset mysteria Dei. Vide 1.Cor.4.v.1.& 2. *Ministri verbi Dei.*

12 Ex eod.vers. Ministerium Evangelii singulare Dei beneficium est, & singularis dignitas, quippe pro quo Paulus Deo gratias agit. Confer locum modò citatum ex 1.Cor.4.v.1.& ejusdem epistolæ c.5.v.20. & 2.Cor.3.v.6.& deinceps. Usus hujus doctrinæ est, consolatio piorum Evangelii ministrorum adversus contemtum mundi. *Ministerium Evangelii.*

13 Ex v.13.14.15.16. Magna est misericordia Dei: quippe qui gravissima etiam peccata, ut blasphemiam & persecutionem piorum, ignoscit resipiscentibus, atque ipsam etiam resipiscentiam istiusmodi peccatoribus quandoque donat. Cujus rei clarissimum exemplum hîc in Paulo habemus: quem Christus ex lupo gregem suum vastante, ovem, atque etiam pastorem, effecit. Nemo igitur propter gravitatem peccatorum suorum de venia desperet, sed ad misericordiam Dei in Christo patefactam ardentibus gemitibus confugiat. Cain dicebat, *Major est mea iniquitas quàm ut remittatur.* Contrà Augustinus: *Mentiris*, inquit, *Cain; nam major est Dei misericordia, quàm omnium hominum iniquitas.* David gravissimis sceleribus admissis, adulterio videlicet & homicidio, ad misericordiam Dei confugit: sicut testatur Psalm.51. *Miserere mei, Domine, secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam &c.* Hoc exemplum nobis imitandum est. *Misericordia Dei.*

14 Ex v.13. ex verbis, *Nam ignorans id faciebam.* Multum interest, an quis veritatem cælestem blasphemet ejusque confessores persequatur ignorans; an verò petulanter & malitiosè contra conscientiam, id est, contra testimonium Spiritus sancti, quo convictus est apud animum suum, doctrinam illam quam blasphemat & persequitur, esse cælestem veritatem. Nam de illis spes est salutis: quia de eisdem spes est resipiscentiæ: sicut testatur præsens exemplum Pauli. At de istis nulla spes est salutis: quia nec resipiscentiæ. Ratio est: quia Deus non patitur se rideri, & veritatem suam petulanter ac malitiosè pedibus conculcari, ac proinde resipiscentiam talibus dare non vult: sed vult eos justissimo judicio in æternum punire. Hinc Christus Matth.12. disertè pronuntiat, blasphemiam talium remissum non iri, eò quòd Spiritum sanctum blasphement: quatenus nimirum illi testimonio interiori Spiritus sancti contradicunt, & illum qui est spiritus veritatis, petulanter mendacii arguunt. Confer Heb.6.v.4. & deinceps: & cap.10.v.26.& deinceps. *Persecutores confessorum Evangelii.*

15 Ex v.14. Ex verbis, *Cum fide & dilectione.* Vera fides dilectionem sibi adjunctam habet. Sic Gal.5.v.6. *Fides per dilectionem agens.* Jacob.2.v.18. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis.* *Fides.*

16 Ex v.15. Ex verbis, *Christum Jesum venisse in mundum &c.* Finis seu scopus adventus Christi in mundum seu incarnationis filii Dei, est; ut servaret peccatores, nempe omnes sibi datos à Patre: idque expiando ipsorum peccata; sanctissimo illo sacrificio suæ mortis: Johan.17. Sic dicitur in symbolo Athanasii: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælo, & homo factus est.* *Christus.*

17 Ex eod.vers. ex vocabulo *peccatores.* Nemo salutem suam adscribat meritis suis. Etenim omnes qui servantur, sunt peccatores. Peccatores autem non merentur salvari, sed puniri ac perdi. Quare salutem nostram in solidum adscribamus gratiæ & misericordiæ Dei, & merito Domini nostri Jesu Christi. *Salus.*

18 Ex eod.vers. ex verbis, *Quorum primus sum ego.* Nemo peccata sua extenuet, sed exemplo Pauli, ingenuè confiteatur, ad gloriam Dei: nempe ad celebrandum misericordiam ipsius, ut qui peccata etiam gravissima nobis ignoverit. Est autem in hac confessione cavenda hypocrisis, ut non solùm ore confiteamur, sed etiam corde magnitudinem nostrorum peccatorum verè agnoscamus & doleamus. *Officium hominis Christiani.*

19 Ex v.16 ex verbis, *Crediturus ipsi in vitam æternam.* Fidei finis & effectum est vita æterna. Sic Petrus 1.Pet.1.v.9. *Reportantes finem seu mercedem,* id est, præmium, (τὸ τέλος) *fidei vestræ, salutem animarum.* *Fides.*

20 Ex v.17. Notanda sunt attributa Dei seu proprietates essentiales: nempe æternitas, immutabilitas, invisibilitas, sapientia: quæ quum hoc loco peculiariter Christo attribuantur: (hujus enim erga se beneficia in præcedentibus nominatim commemoravit) vera ipsius deitas hinc evidentissimè demonstratur. Nec verò propterea ab his attributis vel Pater vel Spiritus S. excluditur: quum sint tribus illis personis communia, sicut & ipsa essentia. Etenim attributis illis ipsa essentia significatur. Si quis tamen hanc δοξολογίαν malit referre ad Patrem: nihil erit incommodi. nam etiam sic nec Filius nec Spiritus S. excluditur, quasi non *Deus.*

sint illis ista attributa communia. & sic ipse Apostolus infrà c.6. v.15.& 16. Patri talia attributa nominatim adscribit.

Sapientia Dei. 21 Ex eod. vers. ex verbis, *Soli sapienti.* Quæritur, cur Deus dicatur solus sapiens: quum certum sit, etiam creaturas rationales, puta angelos & homines, sapientiæ participes esse? Respondeo: Solus Deus sapiens est per se & suâ natura, ac per suam essentiam: atque adeò sapientia Dei ab ipsius essentia non re ipsa, sed tantùm ratione differt: At sapientia in creaturis est qualitas in ipsis creata à Deo pro bona ipsius ac libera voluntate, ac proinde est accidens in illis, quod ab eis salvâ essentiâ potest separari. Quum autem solus Deus dicitur sapiens, intelligendum est, per se, perfectè & immutabiliter, atque ita ut intelligatur esse author omnis sapientiæ, quæ reperitur in creaturis. Eâdem ratione dicitur solus habere immortalitatem, infrà cap.6.v.16. Item solus esse bonus, Matth.19.v.17.

Ministri verbi Dei. 22 Ex v.18. ex verbis, *Ut secundùm pragressas de te prophetias milites &c.* Qui sentiunt, se divinitus ad docendum Evangelium vocatos esse, eò animosiùs veritatem illius contra falsorum doctorum corruptelas asserere debent.

Ministri verbi Dei. 23 Ex eodem versu ex verbis, *Milites per eas bonam illam militiam.* Omnium quidem Christianorum vita militia quædam spiritualis est, qua contra Satanam, mundum & propriam carnem perpetuò illis decertandum est: sed inprimis doctores Ecclesiæ, tanquam antesignani quidam, in ista militia exercentur. Quare vocationis suæ memores, fortiter pro veritate Evangelii contra falsorum doctorum corruptelas decertent: idque eò magis, quòd hæc militia est bona, id est, gloriosa & salutaris, quippe cum certa spe victoriæ conjuncta. Hîc tamen sibi caveant à φιλονεικίᾳ, id est, contendendi libidine: memores verborum Pauli 2.Tim.2.v.23. & deinceps: *Stultas & ineruditas quæstiones rejice, sciens, eas gignere pugnas. Servum autem Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes: aptum ad docendum: tolerantem malos: cum lenitate erudientem eos qui contrario animo sunt affecti, ecquando det eis Deus ut resipiscentes agnoscant veritatem &c.*

Conscientia. 24 Ex v.19. ex verbis, *Retinens fidem & bonam conscientiam.* Quum singulis Christianis ac inprimis doctoribus verbi bonâ conscientiâ opus sit: scire oportet, quidnam bona conscientia sit, & quibus in rebus consistat. Bona conscientia est judicium nostræ mentis, approbantis id quod agimus, tanquam Deo placens: eò quòd ipsi placemus Deo propter Christum, quodque ei placere studemus serio proposito agendi secundùm voluntatem ipsius. Bona igitur conscientia consistit in duabus rebus, in fide & studio pietatis: nam per fidem purgatur conscientia nostra à peccatis, quatenus per fidem nobis ad justitiam imputatur sanguis Christi in cruce effusus, Heb.9.v.14. item c.10. v.1.2. & deinceps: ubi docetur, fideles sanctificari per sacrificium Christi, atque ita purgari ut nullorum peccatorum sibi ampliùs sint conscii. Item vers.19. & deinceps dicit: *Quum igitur, fratres, habeamus libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Jesu, eâ viâ quam dedicavit nobis recentem & vivam, per velum, hoc est, per carnem suam; quumq; habeamus sacerdotem magnum, præfectum domui Dei: accedamus cum vero corde, & certa persuasione fidei, puris cordibus à conscientia mala.* Similiter de bona conscientia disserit Petrus 1.Pet.3.v.21. ubi ait, nos servari per Baptismum, non quo carnis sordes abjiciuntur, sed quo fit ut bona conscientia Deum interroget per resurrectionem Jesu Christi. Quibus verbis Petrus docet, bonam conscientiam oriri ex remissione peccatorum partâ sanguine Christi, & declaratâ per resurrectionem Christi: sicut testatur Baptismus. Atque hæc de fide. De studio verò pietatis, quòd inde quoque bona conscientia oriatur, percipitur ex verbis Pauli Heb.13.v.18. ubi ait: *Orate pro nobis: confidimus enim, nos bonam conscientiam habere, ut qui in omnibus cupiamus honestè conversari.* Idipsum percipitur quoque ex verbis Petri, 1.Pet.2.v.19. & 20. ubi consolaturus servos Christianos qui habebant dominos pravos, sic ait: *Hoc enim gratum est,* (nempe Deo) *si quis propter conscientiam Dei* (id est, propterea quòd studet bonâ conscientiâ Deo servire) *suffert molestias injustè afflictus. Quæ enim est laus, si quum peccantes colaphis cædimini, toleratis? Sed, si quum benefacitis, tamen afflicti toleratis, hoc est gratum apud Deum.* Eodem respicit cap.3. v.16. ubi hortatur fideles ut bonam conscientiam habeant: *Ut pro eo,* inquit, *quod loquuntur adversum vos tanquam maleficos, pudefiant, qui incessunt vestram bonam in Christo conversationem.*

Fides. Vindicatio verborum Pauli, Quâ repulsâ nonnulli fidei naufragium fecerunt. 25 Ex eod. v. ex verbis, *Quâ repulsâ nonnulli fidei naufragium fecerunt.* Quidam ex his verbis colligunt, fidem qua credimus in Christum, quaque justificamur, posse amitti. Sed labuntur ex eo, quòd non attendunt, vocabulo *fidei* hîc metonymicè significari doctrinam fidei, illiusque professionem. Fieri enim potest, ut nonnulli doctrinam Evangelii ad tempus tanquam veram & salvificam profiteantur, postea autem eandem abnegent & blasphement. Hi nunquam verè in Christum crediderunt, ita nimirum, ut certò statuerent, peccata sua sibi à Deo propter Christum ex mera misericordia remissa esse, atque ita in misericordia illa Dei verâ fiduciâ cordis acquiescerent. Quare nec veram illam & salvificam fidem amiserunt aut amittere potuerunt: quippe qua nunquam fuerant præditi. Quòd autem vera fides donum perseverantiæ adjunctum habeat: liquet ex eo, quòd Christus pro verâ fide præditis oravit, ne fides eorum deficeret: sicut ipsemet de Petro expressè testatur Luc.22.v.32. *Ego rogavi pro te ne fides tua deficiat.* Hoc autem non est scriptum propter Petrum solum, quòd Christus pro illo rogaverit: sed etiam propter nos, quotquot vera fide donavit: ne dubitemus, quin similiter pro nobis quoque rogaverit. Et certè hoc ipsum constat ex universali promissione, id est, ad universas Christi oves seu veros fideles pertinente: de quibus pronuntiat Joh.10.v.28. *Oves meæ non peribunt in æternum,* (id est, nunquam) *neque rapiet eas quisquam è manu mea.* Idem docet Paulus Rom.8.v.38.& 39. ubi magnâ fidei πληροφορίᾳ asseverat, persuasum sibi esse, nullam rem creatam posse nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo, id est, qua Deus nos diligit propter Christum. Quòd si autem possumus amittere fidem, possemus etiam separari à dilectione Dei. Deus enim non diligit (nempe ad salutem æternam) nisi credentes in Christum. Deinde clarissimum de perseverantia sanctorum in fide testimonium, extat Rom.11.v.9. ubi ait Paulus: *Dona & vocatio Dei* (nempe vocatio efficax, qua donatur electis fides) *ejusmodi sunt, ut eorum Deum pœnitere non possit.* Huc etiam pertinet illud Johannis, 1.Joh.2.v.19. ubi de apostatis sic loquitur: *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis,* (id est, non erant verè credentes, sed erant hypocritæ.) *Nam* (inquit) *si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum.* His verbis clarè docet Johannes, eos qui sunt ex numero verè credentium, permanere cum illis perpetuò conjunctos, verâ nimirum fide fideique illius professione.

26 Ex v.20. Qui falsum aliquod dogma, & cum articulis fidei Christianæ pugnans, in Ecclesia spargunt, ac proinde veritatem celestem blasphemant: si, posteaquam aliquoties admoniti & erroris ex verbo Dei convicti fuerint, in suo instituto nihilominus pergant; (Tit.3.v.10.) excommunicandi sunt, exemplo Pauli, qui propter hanc causam excommunicavit Hymenæum & Alexandrum. Quod autem fuerit istorum dogma, indicat 2.Tim.2.v.18. nempe resurrectionem jam esse factam. Quanquam illic Alexandrum non nominat: sed Hymenæum & Philetum. *Excommunicatio.*

27 Ex eod. vers. Qui merito suo excommunicantur, traduntur Satanæ: hoc est, publicè declarantur pertinere ad regnum Satanæ: quippe qui non pertineant ad regnum Christi: quum non patiantur se regi spiritu Christi & verbo. Confer 1.Cor.5.v.5. Non igitur est contemnenda legitima excommunicatio: cùm sit judicium ecclesiæ pronuntiantis sententiam damnatoriam ex verbo Dei. *Excommunicatio.*

28 Ex eod. v. Qui excommunicantur, non simpliciter addicuntur sempiterno exitio, quasi nulla eis restet spes salutis. nam finis seu scopus ecclesiæ in excommunicando propositus, non est excommunicati interitus, sed salus: ut nimirum pudore & tristitiâ adductus resipiscat, atque ita servetur. Sicut hoc loco dicit Paulus, se istos tradidisse Satanæ, ut castigati discant non blasphemare, hoc est, ut castigatione hac adducti desinant falsum suum dogma spargere. Confer 1.Cor.5.v.5. *Excommunicatio.*

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Caput hoc in duas partes distingui potest. In prima parte hortatur ad publicas preces; & ostendit, orandum pro quibusvis, ac nominatim pro regibus & quibusvis magistratibus: in altera præcepit, quomodo se in publicis illis precibus & sacris conventibus gerere debeant tum viri, tum mulieres.

PRIMA PARS.

ADhortor igitur ante omnia ut fiant deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones pro quibusvis hominibus:

2 Pro regibus & quibusvis in eminentia constitutis: ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate.

3 Nam hoc bonum est & acceptum coram servatore nostro Deo:

4 Qui quosvis homines vult servari, & ad agnitionem veritatis venire.

5 Unus enim est Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus:

6 Qui sese ipse dedit redemtionis pretium pro quibusvis: *Christus, inquam,* testimonium illud suis temporibus *destinatum.*

7 Cujus constitutus sum ego præco & apostolus, (veritatem dico per Christum, non mentior) doctor, *inquam,* Gentium cum fide ac veritate.

POsteaquam superiore capite de doctrinâ ecclesiæ proponendâ admonuit: jam secundo loco de publicis precibus tanquam altera ministerii verbi parte disserit. Ac primùm explicans quæstionem, pro quibus orandum sit: ostendit, orandum pro quibus-

quibusvis, ac nominatim pro regibus & quibusvis magistratibus: de quibus poterat dubitari, propterea quòd reges atque etiam plerique magistratus eo tempore essent hostes Ecclesiæ. Pro istis igitur esse orandum, tribus argumentis ostendit: quorum primum sumtum est ab effectu utili: quia magistratibus salvis & in pace officium suum administrantibus, licet piis tranquillam vitam degere, cum omni pietate & honestate, v.2. Secundum argumentum item ab effectu utili sumtum est: quia ejusmodi precatio Deo placeat, v.3. Hoc argumentum confirmat à fine: nam qui vult finem, vult etiam destinata ad finem: Atqui Deus vult quosvis homines, ac proinde etiam aliquos ex regibus aliisque magistratibus, servari: Ergo vult etiam preces pro illis fieri, ut ad veritatis agnitionem perveniant, atque ita salvi fiant. v.4. Quòd autem Deus quosvis homines (id est, cujuscunque ordinis homines) salvos fieri velit, duplici ratione confirmat, v.5. & 6. Una ratio est, quia Deus unus sit, quorumvis scilicet hominum: hoc est, quia Deus in quovis hominum ordine electos suos habeat, quos favore suo complectitur: altera, quia Christus sit unus mediator Dei & hominum, quia semetipsum dedit redemtionis pretium pro quibusvis, id est, pro cujusque hominum ordinis electis. nam certum est, Christum pro iis tantùm se obtulisse Patri, pro quibus Patrem oravit: at oravit pro iis solis, qui ipsi à Patre dati sunt, id est, pro solis electis, non autem pro mundo, id est, reprobis, sicut ipsemet disertè testatur Johan. 17. v. 9. Atque hæc de secundo hortationis institutæ argumento. Tertium argumentum continetur v. 6. & 7. Illud sumtum est à destinato, videlicet prædicatione Evangelii. Hanc enim Deus esse voluit instrumentum, per quod potentiam suam exserat in creanda fide salvifica. Quum igitur ista prædicatio destinata sit etiam Gentibus, & Paulo singulariter mandatum ut Evangelium Gentibus prædicaret: sequitur, inter Gentes quoque esse electos, qui ad fidem convertendi sint, ut salvi fiant. Atque hac occasione Paulus rursum apostolatum suum asserit, & jurejurando confirmat.

SECUNDA PARS.

8 Volo igitur viros precari in quovis loco, puras manus attollentes absque irâ & disceptatione.

9 Itidem & mulieres amictu honesto, cum verecundia & modestia ornare sese: non cincinnis, vel auro, vel margaritis, vel pretioso vestitu;

10 Sed (quod decet mulieres pietatem in Deum spondentes) operibus bonis.

11 Mulier cum silentio discito, cum omni subjectione.

12 Mulieri enim docere non permitto, neque authoritatem usurpare in virum: sed *mando* ut sit in silentio.

13 Adam enim prior formatus est, deinde Eva.

14 Et Adam non fuit seductus: sed mulier seducta, causa transgressionis fuit.

15 Servabitur tamen liberos gignendo; si manserint in fide ac charitate, & sanctificatione, cum modestia.

Posteaquam ostendit, pro quibus orandum sit: monet deinceps, quomodo se in publicis illis precibus & sacris conventibus tum viri tum mulieres debeant gerere. Ac primùm v.8. viris præcipit, ut precentur in quovis loco. Quo significat, preces non ampliùs alligatas esse ad certum locum, videl. ad templum Hierosolymitanum: quod olim destinatum erat populo Dei, ut esset domus precationis; quò etiam pii adoraturi ascendebant; quumque id non concederetur, faciem tamen suam inter adorandum eò convertebant: sicut in exemplo Danielis videre est. Deinde præcipit, ut attollant manus puras, hoc est, ut attollant manus, ad significandum elevationem cordis; idque faciant corde puro, id est, libero à pravis affectibus. Quo ipso videtur innuere, purgationes istas legales qua adoraturi corpus purgabant, non ampliùs requiri. Postremò puritatem illam cordis per speciem declarat, quatenus jubet ut vacui sint irâ & disceptatione. Quo videtur perstringere conversos ex Judæis, qui ægrè ferebant, ad communionem publicarum precum admitti incircumcisos. Atque hæc de viris; quæ quidem mulieribus quoque communia sunt: viris autem peculiariter præcipi videntur, quòd illi istâ, de qua dictum est, offensione potissimùm laborarent. Jam mulieribus duo potissimùm præcipit, amictum honestum & verecundiam: atque his contraria vetat, videlicet luxum in vestitu, & munus publicè docendi. Quod postremum duobus argumentis confirmat: primum à consequente absurdo, quia hoc modo mulieres supra viros collocarentur, quorum videlicet essent magistræ: id quod repugnat ordinationi Dei. quod ipsum ostendit ex ordine creationis: quia vir prior creatus est, deinde mulier propter virum, ut scilicet esset illi auxilium. Confer similem locum 1. Cor. 11. v. 7. 8. 9. Alterum argumentum: quia Adam non fuit seductus à Diabolo, sed mulier à Diabolo seducta virum quoque seduxit: ac proinde à Deo punita est, ut viro esset subjecta. Ad extremum per prolepsin mulieres contra illam subjectionem, ac simul contra alteram pœnæ partem, videlicet molestiam & cruciatum in gignendis liberis, consolatur: quia istis pœnis non impediatur æterna ipsarum salus, dummodo in fide ac pietate permaneant.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Deprecationes, preces, postulationes] δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις. * *Δέησις propriè dici videtur quæ petimus ὧν δεῖ, id est, ea quibus nobis opus est, seu quibus egemus: unde ἐνδεὴς, egenus. προσευχὴ verò, votum ad Deum directum, quo aliquid optamus. ἔντευξις denique oratio qua pro altero intercedimus seu interpellamus. Itaque προσευχὴ videtur δέησιν & ἔντευξιν tanquam genus species complecti. Δεήσεις autem fortasse rectiùs dixeris petitiones. δέησις Germanicè* Bitt / *προσευχὴ* Gebätt / *ἔντευξις* Fürbitt. *Quibus vocabulis illa Græca Lutherus expressit. Itaque ἐντεύξεις deprecationes vel interpellationes dicendæ videntur.* Pro quibusvis hominibus] ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων. *Id est, pro omnis generis seu cujuscunque ordinis hominibus, scilicet electis. Nomen universale hîc non significat singula individua: sed singula individuorum genera. Non singula individua, nempe singulos homines: quia sic Apostolus juberet orare etiam pro reprobis: ac proinde juberet orare contra voluntatem Dei: quippe quum Deus non velit reprobos servari, ac proinde nec pro eis orari: unde Christus quoque in solenni illâ suâ precatione* Johan. 17. *reprobos disertè excepit seu exclusit, dicens:* Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi. *id est, non pro reprobis, sed pro electis. Singula autem individuorum (nempe hominum) genera, nempe singulos hominum ordines, hîc significari, clarum est à subjecto exemplo, ubi ait;* Pro regibus & omnibus in eminentia constitutis. *At, inquiet aliquis, reges & magistratus pro quibus orari tunc præcipiebat Apostolus, erant infideles: Ergo pro infidelibus quoque orandum. Rectè: sed cum hac conditione, si illi sint innumero electorum. Nostrum autem est de singulis bene sperare, nisi manifesta reprobationis signa edant: tunc verò locum habet illud Johannis:* Est peccatum ad mortem, pro quo non dico ut quis roget, *1. Joh. 5. v. 16.*

Vel: δέησις, petitio opis quâ egemus ad avertendum mala: προσευχὴ, petitio boni nobis necessarii ad felicitatem.

3 Nam hoc] τοῦτο γὰρ. *Nempe orare pro principibus.* Coram servatore] ἐνώπιον τοῦ σωτῆρος. *Hic nomen servatoris Patri tribuitur; sicut & suprà c. 1. v. 1.*

4 Quosvis] πάντας. *Id est, omnis generis seu cujuscunque ordinis homines. scil. electos, ut suprà v. 1. Nam quòd Deus nolit servare reprobos, ex plurimis Scripturæ testimoniis notum est.* Et ad agnitionem veritatis venire] καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. *Nempe veritatis illius cœlestis de salute parta per Christum. Synecdoche generis. His verbis indicatur modus, quo salus hominibus contingit.*

5 Unus enim Deus] εἷς γὰρ θεός. *Scil.* ἐστιν, *est.* Unus etiam mediator] εἷς καὶ μεσίτης. *Si quæras, Et quis est ille mediator? subjicit Apostolus,* Homo Christus Jesus: *id est, Is homo qui vocatur Christus Jesus. Apparet autem, Apostolum delectatum esse πολυπτώτῳ in vocabulis, ἀνθρώπων, ἄνθρωπος. Quare nō licet hinc colligere, vel Christum tantùm esse hominem, vel secundùm humanam naturam tantùm esse mediatorem.*

6 Pro quibusvis] ὑπὲρ πάντων. *Id est, pro cujusvis ordinis electis: ut suprà v. 1. & 4.* Testimonium illud] τὸ μαρτύριον. *Obscura est cohærentia hujus verbi cum præcedentibus. Si per appositionem referamus ad Christum: tum erit metonymia adjuncti: etenim testimonium hoc, videlicet Evangelium, in Christo occupatur. scilicet in testanda veritate cœlesti de persona, officiis, ac beneficiis illius.*

7 Cujus] εἰς ὅ. Ad quod. *scil. annuntiandum.* Per Christum] ἐν Χριστῷ. *Formula jurisjurandi. Sic Rom. 9. v. 1.*

11 Cum silentio] ἐν ἡσυχίᾳ. Cum quiete. *id est, Discito quieta.*

12 Mando ut sit in silentio] εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ. *Mādo ut sit quieta. Subaudito verbo* ἐπιτρέπω. *Ellipsis contrarii. nam quod præcessit,* Non permitto, *idem valet quod,* Veto *seu* interdico. *Simile ellipseos exemplum vide infrà c. 4. v. 3.*

14 Non fuit seductus] οὐκ ἠπατήθη. *Scil. à Diabolo immediatè. Synecdoche generis.* Causa transgressionis fuit] ἐν παραβάσει γέγονε. *Vel, in transgressionem incidit, hoc est, prima transgressa est mandatum Dei.*

15 Liberos gignendo] διὰ τῆς τεκνογονίας. *Id est, quantumvis liberos gignere & educare cogatur cum molestia: quæ res posset videri argumentum iræ Dei.* Si manserint] ἐὰν μείνωσιν. *Pro,* Si manserit. *scil. mulier. Est figura syntaxeos, qualis in illis Virgilianis,* Turba ruunt, Pars in frustra secant. *Quam vulgò synthesin, doctiores synesin nominant. Planum enim est, Apostolum loqui non de una aliqua muliere, sed de ipso mulierum genere. Atque hæc numeri variatio Apostolo est familiaris: ut suprà v. 9.* Itidem & mulieres &c. *Et mox v. 11.* Mulier cum silentio discito. *Sic Gal. 6. v. 1.* Vos qui spirituales estis, instaurate &c. considerans temetipsum, ne & tu tenteris.

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 Ex v. 1. Cùm Paulus hoc loco velit ut preces fiant pro omnibus hominibus, ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων: quæritur, quomodo hoc præceptum conveniat cum illo interdicto Johannis, 1. Johan. 5. v. 16. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget.* Respondeo: Ista tum demum pugnarent inter se, si Paulus per *omnes* intelligeret singulos. At non intelligit singulos, atque ita

Preces. Antilogiæ apparentis conciliatio.

etiam eos, quos novimus peccare ad mortem, hoc est, blasphemare in Spiritum sanctum: sed per πάντας, hoc est, *omnes*, intelligit παντοδαπούς, id est, omnis generis homines, sicut manifestè liquet ex verbis proximè sequentibus, *Pro regibus & quibusvis in eminentia constitutis.* ubi certum hominum genus seu ordinem nominat, & exempli loco subjicit: non autem certos homines singulares. Neque nova est hæc vocabuli *omnis* acceptio in sacris literis. Nam & Christus ita locutus reperitur Luc. 11. 42. ubi ait Pharisæis, eos decimare mentham & rutam & OMNE olus, πᾶν λάχανον. quod certè exponendum est, *quodvis olus*, seu *omnis generis olus*, **allerley köl**: non autem *singula olera*, nempe *singula individua*, ut vulgò dialectici appellant. Etenim cùm duo genera herbarum hortensium commemorasset, mentham & rutam: tertium adjungit, videl. olus: quumq; olerum plura sint genera, vocabulo *omne* adjecto illa notat.

Preces. Officium hominis Christiani. 2 Ex v. 2. Orare debemus pro iis quoque qui nos persequuntur: dummodo non constet nobis quòd peccent in Spiritum S. nam pro his non esse orandum, jam ex Johanne intelleximus. Quid autem si quis nobis in Spiritum S. videatur peccare, nec tamen de eo certò nobis constet? Pro tali orandum est cum hac conditione; ut si ex ignorantia persequatur veritatem cælestem, Deus ipsius misereatur, & eum ad agnitionem veritatis adducat. Hoc præcipit non solùm Paulus hoc loco, ubi jubet orare pro regibus qui tum Christianos persequebantur: sed etiam Christus ipse Matth. 5. v. 44. *Precamini pro iis qui vos infestant, & persequuntur vos.* Et sic ipse oravit pro iis qui ipsum crucifigebant, inquiens: *Pater remitte eis, nesciunt enim quid faciant*: Luc. 23. 34. Item Stephanus oravit pro iis qui ipsum lapidabant, inquiens; *Domine, ne statuas eis hoc peccatum*: Act. 7. v. ult.

Magistratus. 3 Ex eod. v. Officium regum & principum ac omnino magistratuum est, curare ut subditi tranquillam & quietam vitam degant cum omni pietate & honestate.

Salus. Antilogia apparentis conciliatio. 4 Ex v. 4. Cùm Paulus hoc loco dicat, Deum velle omnes homines, πάντας ἀνθρώπους, servari: quî fit ergo quòd non omnes servantur: cum DEUS sit omnipotens, ac proinde quicquid vult, effectum dare facilè possit? Imò verò quî convenit hoc Pauli dictum cum iis Scripturæ locis; quæ testantur, DEUM solos electos (id est, quos ipse ad vitam æternam elegit) servari velle? ut Rom. 8. v. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit; & quos vocavit, eos etiam justificavit; quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* quasi dicat, hos tantùm, non autem illos quos non prædestinavit ad vitam æternam. Joh. 10. v. 26. *Vos non creditis: non enim estis ex ovibus meis*: id est, ex electis. Et paulò pòst v. 28. *Ego vitam æternam do eis*, nempe ovibus meis. quasi dicat, non autem incredulis, qui non sunt ex ovibus meis. Respondeo: Paulus hoc loco per πάντας, id est, *omnes*, non intelligit singulos, ut liquet ex collatione versuum præcedentium: sed intelligit παντοδαπούς, id est, omnis generis homines, nempe electos: ut expositum est in observatione prima.

Salus. 5 Ex eod. v. Qui servari cupiunt; iis agnitione veritatis opus est: nempe veritatis illius cælestis, de qua Christus pro discipulis orans, ait Joh. 17. v. 17. *Sanctifica eos veritate tua; sermo tuus veritas est.* Hic autem est sermo Evangelii de Christo crucifixo propter salutem nostram.

Officium hominis Christiani. 6 Ex vers. 5. Cùm unus Deus sit omnium nationum, qui & omnes creavit, & in omnibus suos electos habet: ne igitur alii alios ob diversam nationem contemnamus aut odio habeamus; sed potiùs alii alios ad Dei nostri agnitionem adducere & eâ præditos in illa confirmare studeamus.

Christus. Mediator. 7 Ex eod. v. Quum Paulus de Christo ut mediatore loquens, expressè nominet humanam naturam, eamque solam: quæritur, an igitur Christus sit noster mediator, secundùm solam naturam humanam? Respondeo: Christus est mediator noster secundùm utramque naturam: nam ut mediatoris munere posset perfungi, utrâq; illâ naturâ opus fuit; ut nimirum esset & Deus, & homo, atq; ita utrique partium dissidentium atque inter se conciliandarum conjunctus. Quumque eum oportuerit Deum nobis reconciliare oblatione sui in cruce, id est, cruentâ morte suâ, eaq; conjunctâ cum sensu maledictionis Dei: nec sentire illam maledictionem potuisset ac mori, nisi fuisset verus homo: nec maledictionem & mortem superare, nisi fuisset verus Deus: nec sanguis ille fuisset satis pretiosus ad expianda nostra peccata, nisi fuisset sanguis filii Dei, atque adeò ipsius Dei, 1. Joh. 1. v. 7. Act. 20. v. 28. Quòd autem Paulus hoc loco humanam naturam expresè nominat, inde factum est, quòd delectatus est illo polyptoto: *Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.*

Christus. Phrasis de Christo. 8 Ex eod. vers. Non eadem est ratio loquendi qua hîc utitur Paulus, quum dicit, *Homo Christus*; cum illâ qua utuntur vulgò dicentes, *Christus homo.* nam apud Paulum vocabulum *homo* præcedens, per sequens *Christus*, tanquam genus per speciem (vulgò dicerent, tanquam species per individuum) explicatur. At quum dicitur, *Christus homo*: vocabulum *Christus* præcedens, per sequens *homo* limitatur; quasi diceretur, *Quatenus homo*, seu *Secundùm naturam humanam.* Non igitur æquipollent hæc duo enuntiata: *Homo Christus est ubiq;*: &, *Christus homo est ubiq;*. nam prius verum est, nec ullâ laborat ambiguitate. At posterius eo quidem sensu quo ab Ubiquitariis intelligitur, falsum est: nempe quasi diceretur, Christus est ubique, quatenus est homo, seu secundùm humanam naturam. Qui autem illud admittunt hoc sensu, Christus qui est verus homo, est ubique; scil. secundùm naturam divinam: illi rectè quidem sentiunt, veruntamen non rectè sic loquuntur: quia illa ratio loquendi limitationem notat, quæ in isto enuntiato falsum sensum gignit. Ac omnino ne loquendum quidem sic est, *Christus homo*: quum Scriptura nusquam sic loquatur, & hæc loquendi ratio (nisi limitativè accipiatur; quod tamen perobscurum est). duplicem Christum præsupponat; quorum unus sit homo, alter non item; quasi diceretur, ille Christus, qui est homo: non autem alter, qui non est homo.

9 Ex v. 6. Considerandum, quo sensu Christus dicatur pretium redemtionis? Respondeo: Ita dicitur, quatenus pro electis in cruce oblatus est, & sanguis ejus effusus cum sensu iræ Dei. *Christus. Redemtio.* Sic enim alibi Scriptura synecdochen hanc declarat, quum magis propriè loquens dicit, sanguinem Christi (intellige, quatenus cum sensu iræ Dei effusus est) esse pretium illud quo redemti sumus: ut Matth. 20. v. 28. Item Marc. 10. v. 45. *Filius hominis* (id est, Christus) *non venit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret, daretq; animã suam* (id est, vitam suam vel seipsum, scil. in mortem crucis) *redemtionis pretium pro multis.* Act. 20. v. 28. *Deus* (id est, filius Dei, Christus) *Ecclesiam acquisivit proprio sanguine.* Rom. 3. v. 24. & 25. *Justificantur gratis* (nempe quotquot justificantur) *per redemtionem factam in Jesu Christo: quem proposuit Deus placamentum per fidem in ipsius sanguine.* Et c. 5. v. 10. *Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.* nempe mortem illam cruentam in cruce. Gal. 3. 13. *Christus nos redemit ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio*, nempe in cruce. Eph. 1. v. 7. item Col. 1. v. 14. *In quo* (nempe Christo) *habemus redemtionem per sanguinem ipsius.* Heb. 9. v. 12. *Per proprium sanguinem* (scil. in oblatione sui corporis effusum) *ingressus est semel in sacrarium, æternam redemtionem nactus.* 1. Pet. 1. v. 18. & 19. *Redemti estis non caducis rebus, argento vel auro: sed pretioso sanguine, tanquam agni inculpati & immaculati, nempe Christi.* Porrò similis synecdoche, quali hîc utitur Paulus, exstat 1. Cor. 1. 30. ubi de Christo sic pronuntiat: *Qui factus est nobis sapientia à Deo, justitiaq;, & sanctificatio, & redemtio.*

10 Ex eod. v. Quum Paulus dicat, Christum dedisse sese pretium redemtionis pro *omnibus*: quæritur, an igitur *singuli* homines per Christum sint redemti? *Redemtio per Christum.* Respondeo: Non singuli homines, sed soli electi per Christum redemti sunt. Etenim Christus opus redemtionis peracturus, hoc est, seipsum Patri in cruce oblaturus, pro solis sibi à Patre datis (hi autem sunt electi) precatus est, mundo (id est, reprobis) excluso, Joh. 17. v. 9. & 20. Atq; hinc est quod Christus ipse dixit, se venisse ut animam suam daret redemtionis pretium *pro multis.* Non dixit, *Pro omnibus*, id est, singulis hominibus: sed, *Pro multis*, id est, pro tota multitudine electorum. Similiter in institutione sacræ cænæ dixit, sanguinem suum effusum iri *pro multis.* Quòd autem Paulus hoc loco dicit, *Pro omnibus*; non intelligit pro singulis hominibus; sed pro omnis generis & cujuscunque ordinis seu status hominibus: sicut liquet ex collatione præcedentium. Similiter interpretanda sunt omnia illa Scripturæ dicta, ubi redemtio ad totum mundum refertur: ut 1. Joh. 2. v. 2. *Ipse* (nempe Christus) *est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro* TOTIUS *mundi peccatis*, id est, pro omnium totius mundi electorum peccatis. Sic Joh. 3. *Sic Deus dilexit mundum &c.* Id est, omnes totius mundi electos, tam ex Gentibus quam ex Judæis. Vulgo usurpant illud scholasticorum: Christus est propitiatio pro peccatis *totius* mundi (id est, singulorum hominum) *sufficienter*, sed *non efficienter.* Hæc distinctio speciem habet eruditionis: sed reverâ est inepta, quia implicat contradictionem. Etenim præpositio illa *pro* notat certè *finem seu scopum Christi sese offerentis, & ex consequenti etiam effectum. Quicquid enim Christus sibi unquam efficere proposuit, id etiam reipsa effecit. Si ergo sibi proposuit offerre Patri sacrificium expiatorium pro peccatis singulorum hominum: certè illud reipsa effecit: ac proinde dicendum erit, eum esse propitiationem pro peccatis singulorum, non solùm sufficienter, sed etiam efficienter. At, inquam, Christus sibi proposuit sese offerre pro solis electis, ut antea ex 17. Johannis ostensum est: non autem pro reprobis, ac proinde nòn pro singulis hominibus. Quare nec est dicendum, Christum pro singulis quidem hominibus mortuum esse, sed non efficienter: hoc enim perinde est ac si diceretur: Mortuus quidem est pro singulis, sed tamen non est mortuus pro singulis. Quæ manifesta contradictio est.

* Quum dicimus, *Christus mortuus est pro nobis* perinde est ac si diceremus, Christus mortuus est, ut peccata nostra expiaret, ut nos è potestate Diaboli redimeret, ut nos Deo reconciliaret.

11 Ex eod. v. Evangelium est testimonium de Christo, destinatum suis temporibus, hoc est, ut mundo annuntiaretur suis temporibus, nempe temporibus novissimis, Christo jam exhibito: idque primùm per apostolos, deinde per illorum successores, id est, omnes fideles ecclesiæ Christianæ pastores. *Evangeliũ.* Confer ad Romanos cap. 1. v. 2. & cap. 16. v. 25. 26. Differunt igitur evangelium propriè dictum, & promissiones gratiæ, factæ patribus. Etenim promissiones illæ pronuntiabant Christum venturum, & vocationem Gentium Christo exhibito futuram: at Evangelium annuntiat Christum exhibitum, & ad illum gentes quasvis vocat.

12 Ex v. 7. Christianis licet jurare, id est, jurejurando, seu invocatione Dei, tanquam testis, adhibitâ, aliquid affirmare: nempe quum *Juramentũ.*

pe quum

pe quum id postulat gloria Dei & proximi salus; quemadmodum videmus, hoc loco jurare Paulum ad confirmandum suum apostolatum. nam ut ipse haberetur pro apostolo, id est, præcone Evangelii, immediatè à Christo vocato, intererat & gloriæ Dei & salutis eorum ad quos docendos mittebatur. Secus enim non fuisset fides habita ipsius prædicationi: atque ita Ecclesia non fuisset aucta; quæ res & saluti eorum, qui vocabantur, & gloriæ Dei qui suam misericordiam per illorum vocationem volebat patefacere, offecisset. Similia jurantis Pauli exempla vide Rom.1.v.9. *Testis mihi est Deus, quòd indesinenter meminerim vestri.* Et cap.9.v.1. *Veritatem dico per Christum, non mentior &c.* 1.Cor.15.v.31. *Indies morior per gloriationem vestram, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν.* 2.Cor.1.v.23. *Ego verò testem Deum invoco in animam meam &c.* & c.11.v.31. *Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, laudandus in secula, novit, me non mentiri.* Gal.1. v.20. *In iis porrò quæ scribo vobis, ecce coram Deo* (scil. loquor) *non mentior.* Philip.1.vers.8. *Testis mihi est Deus, quòd propensè amem vos.* 1.Thess.2.v.5. *Neque enim unquam sermone assentatorio usi sumus &c. Deus testis est.* Et rursus v.10. *Vos testes estis & Deus, quomodo sanctè & justè &c. vixerimus.* 2.Thess.2.v 1. *Rogamus vos per adventum Domini nostri Jesu Christi &c.* Quòd autem pro sententia contraria Anabaptistæ adferunt dictum illud Christi Matth.5. *Ne jurate omnino:* sciendum, Christum illis verbis non simpliciter interdicere, jurando, nec quodvis juramentum vetare; sed tantùm juramentum temerarium. Id quod manifestè intelligitur ex illius sermonis clausula, ubi ait: *Sed sermo vester sit, Etiam, etiam; non, non: quod autem supra hæc redundat, à malo est*, id est, à Diabolo; quippe qui delectatur profanatione nominis divini, ac proinde homines instigat, ut nomen Dei temere usurpent. Deinde idem perspicitur ex ipsa Christi expositione, quam mox annectit, inquiens, *Neq; per cælum, neque per terram &c.* quæ formulæ jurandi Judæis usitatæ erant in temerariis illis & sermone quotidiano immisceri solitis juramentis: in quibus quum ipsum nomen Dei non exprimerent, persuadebant sibi, se sic temere jurando majestatem Dei non lædere. at Christus contrarium ostendit; ac proinde à talibus juramentis temere usurpandis dehortatur: quia, inquit, cælum thronus Dei est, terra verò scabellum pedum ejus &c.

Doctrina Pauli. 13 Ex eod.v. Quum Paulus peculiariter vocatus sit, ut esset doctor Gentium: ergo nos qui ex Gentibus oriundi sumus, doctrinam ipsius, tanquam nobis singulariter destinatam, singulari cupiditate amplectamur, & singulari studio cognoscamus.

Ministri verbi Dei. 14 Ex eod.v. ex verbis, *Cum fide ac veritate.* Exemplo Pauli discant omnes Ecclesiæ doctores, requiri à se, ut in docendo Evangelio sint fideles. Confer 1.Cor.4.v.1.& 2.

Preces. 15 Ex v.8. De ratione precandi. In novo Testamento sublata est circumstantia loci, olim in Testamento veteri ad ritè precandum requisita. Tunc enim Dei mandato adorandum erat in templo Hierosolymis, aut saltem facies adorantium, quibus templum ingredi non licebat, eò tamen erat dirigenda. Sicut legimus factitasse Danielem, quum degeret in Chaldæa. Et eunuchus ille reginæ Candaces, tanquam proselytus, adorandi causâ ascenderat Hierosolymam. *Actor.8.* In novo autem Testamento licet adorare in quovis loco: sicut hîc docet Apostolus, itemque Christus Joh.4. quum ait mulieri Samaritanæ, venturum tempus, ut neque in monte Samariæ, neque Hierosolymis adoraturi sint: sed veros adoratores adoraturos Patrem in spiritu & veritate. Deinde notandum, gestum in sublime attollendi manus, naturæ precationis convenire. Significatur enim illo gestu elevatio cordis ad Deum, tanquam in cælo habitantem: Hujus gestus passim mentio fit in Scriptura. Atque adeo Christus ipse Patrem invocans, & manus & oculos in cælum tollere est solitus. Sed hîc sedulò opera danda, ut huic gestui affectus cordis respondeat. Neque interim putandum, hunc gestum semper necessariò requiri. Etenim legimus, placuisse Deo precationem illius publicani, qui unà cum Pharisæo adorans in templo, præ conscientia peccatorum non audebat oculos cælum versus attollere: sed illis in terram dejectis pectus tundebat, misericordiam Dei expetens. Idem sentiendum de ritu procumbendi in genua, cujus exemplum in seipso Paulus passim commemorat: nempe ritum illum naturæ precationis convenientem quidem esse, ad testandum scil. animi demissionem atque humiliationem: veruntamen non ita necessariò requiri: quia stantium quoque preces, dummodo ex recto animo proficiscantur, Deo placent; quemadmodum in exemplo illo publicani videre est. Tertiò, ad precandum requiritur cor purum, quod hoc loco metonymicè notatur per puras manus. Puritas autem cordis consistit partim in fide & sincero Dei timore, partim in sincera proximi dilectione. Quæ utraque puritas si absit, Deus preces non exaudit. Exemplum habemus Esa.1. Ubi Deus monet, se preces sui populi ideo non exaudire, quia manus ipsorum plenæ sint sanguine: quibus verbis metonymicè ac synecdochicè notat ipsam crudelitatem, qua per avaritiam exsugebant sanguinem tenuiorem. Huc etiam pertinet quod Apostolus hîc addit, manus attollendas absque ira. quod etsi specialem (sicut declaravimus) sensum habet: tamen nihil vetat, quin ad generalem quoque sensum transferatur, de quavis ira atque offensione animi erga proximum. De qua notum est præceptum Christi Matth.5. v.23.& 24. *Si munus, inquit, tuum attuleris ad altare,* (solebant autem oblationibus adjungere publicas preces) *& illic memineris, fratrem tuum habere aliquid contra te: omitte illic munus tuum coram altari; & abi, primùm reconciliator fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum.*

16 Ex v.9.& 10. De ornatu Christianarum mulierum. Mulieres Christianas non decet nimio studio ornare corpus, ut mundo placeant: sed animum omni studio ornare decet, ut placeant Deo & Ecclesiæ. Ornatus autem ille animi consistit in modestia seu verecundia, & mansuetudine, & denique studio bonorum operum: ut hoc loco docet Paulus: itemque Petrus 1.Pet.3.v.1.2. 3.4.5.6. Interim non est putandum, ornamenta vestitus simpliciter damnari, quasi mulier Christiana ejusmodi ornamenta gestare bonâ conscientiâ non possit. nam etiam sanctas mulieres ejusmodi ornamenta gestasse, neque id à Spiritu sancto improbatum fuisse, legimus: ut videre est in exemplo Rebeccæ, cui servus Abrahæ donavit monilia aurea & armillas: sed luxus improbatur, & nimium sese ornandi atque comendi studium. Et ornatus nuptialis regis Salomonis & sponsæ ipsius filiæ Pharaonis, commendatur Psal.45. Et Christus similiter Matth.6. gloriam amictus Salomonis commemorat, & tacitè approbat. Luxus autem & superbia in vestitu vehementer improbatur Esa.3.vers.16. & deinceps. *Mulierum Christianarum ornatus.* *Genes.24.*

17 Ex v.11.& 12. Quum mulieribus non liceat pubicè Evangelium docere: consequens est, quòd nec liceat eis baptizare. nam duo hæc Christus conjunxit, & utrumque viris mandavit: Matth. ult. v.pen. Peccant igitur hodie mulieres quæ infantes moribundos baptizant: & quidem bis peccant: partim quòd sibi usupant ministerium Ecclesiæ absque vocatione: partim quòd baptismo præcisè adscribunt salutem. Etenim baptismum illum suum vocant baptismum necessitatis, **die noottauff** / item baptismum festinationis, **die gaachtauff**: opinantes nimirum baptismum ad salutem ita præcisè necessarium esse, ut absque illo infantes servari non possint: ac proinde festinandum esse in illis baptizandis, ne morte scil. præventi damnentur. At salus infantium non à baptismo pendet, sed ab electione Dei & federe: cujus respectu etiam sancti ab Apostolo nominantur, 1.Cor.7.v.14. Ergo jam ante baptismum infantes fidelium electi in gratia Dei sunt, ac proinde certò salvabuntur: baptizantur autem, ut habeant sigillum federis, quo ab infidelibus discernantur, & suo tempore in fide confirmentur. *Baptismus.*

18 Ex v.12.13.14. Uxor maritum revereri debet, neq; sese supra illum efferre, & authoritatem in illum usurpare: memor & consilii divini in ipsa creanda, nempe ut sit marito auxilium, eiq; ministret; & primi illius lapsus qui ab Eva uxore Adami cœpit: quippe quæ & ipsa à Diabolo se decipi passa est, & maritum in eandem deceptionem induxit. *Uxor.*

19 Ex v.15. Christianæ matresfamiliâs contra molestias gestationis, partus atque educationis liberorum sese consolentur certâ spe salutis, promissæ omnibus in fide, & charitate, & studio sanctitatis permanentibus. *Consolatio.*

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hoc quoque caput in duas partes distingui potest. In prima docet, quales esse oporteat episcopos, id est, pastores ecclesiarum, itemq; diaconos, & utrorumq; uxores: in altera exponit, quo consilio ista ad Timotheum scribat, eaq; occasione præcipua doctrinæ Christianæ capita summatim commemorat.

PRIMA PARS.

CErtus *est hic* sermo, Si quis episcopatum appetit, præclarum opus desiderat.

2 Oportet igitur episcopum irreprehensum esse, unius uxoris virum, vigilantem, temperantem, compositum, hospitalem, aptum ad docendum:

3 Non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem: sed æquum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia:

4 Qui suæ domui bene præsit, qui liberos contineat in subjectione cum omni honestate:

5 (Nam si quis propriæ domui præesse nescit: quomodo ecclesiam Dei curabit?)

6 Non novitium: ne inflatus, in criminationem incidat calumniatoris.

7 Oportet autem eum etiam bonum habere testimonium ab extraneis: ne in probrum incidat & laqueum calumniatoris.

8 Diaconos itidem honestos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpem quæstum facientes:

9 Tenentes mysterium fidei in pura conscientia.

10 Atque hi etiam probentur priùs, deinde ministrent, si sint inculpati.

11 Uxores itidem *oportet esse* honestas, non calumniosas; sobrias, fidas in omnibus.

12 Diaconi sint unius uxoris mariti; qui liberis rectè præsint, & propriis domibus.

13 Nam qui bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirunt, & multam libertatem per fidem quæ *est* in Christo Jesu.

VErsu primo officium episcopi seu pastoris adhibitâ asseveratione commendat. V.2. & deinceps usque ad 8. docet, qualem esse oporteat episcopum, hoc est, quibus virtutibus ornatum, & à quibus vitiis alienum. V.5. unam ex istis virtutibus, videl. prudentem familiæ gubernationem, confirmat ab eventu inutili: quia secus non poterit gubernare familiam Dei, id est, Ecclesiam, id quod ex comparatis ostendit, ratiocinando ἀπὸ τοῦ μείζονος, id est, ab eo quod magis videtur ac probabilius est. Vers.6. & 7. duo externa episcopi adjuncta commemorat: unum, ut non sit novitius, alterum ut habeat bonum testimonium etiam ab extraneis, id est, iis qui extra Ecclesiam sunt. Cujus utriusque adjuncti rationem exponit ab eventis inutilibus desumtam: quia secus futurum sit ut Diabolus (per malos scilicet homines, tanquam organa sua) talem episcopum criminetur propter vitia quibus laborat. V.8. & deinceps monet, quales esse oporteat diaconos, id est, præfectos ærario pauperum: item v.11. uxores tum pastorum tum diaconorum. V.13. diaconos ad fidelitatem in ministerio suo cohortatur ab utili effectu: quòd eo modo bonum sibi gradum acquirant, & multam libertatem, nempe apud Deum. Verùm ne quis hîc aliquod meritum statuat, addit, illud contingere per fidem: quæ scilicet ex gratuita Dei misericordia propter Christum omnia bona à Deo exspectat.

SECUNDA PARS.

14 Hæc tibi scribo, sperans fore ut celeriùs ad te veniam:

15 Quòd si tardiùs venero, ut nôris quomodo oporteat in domo Dei versari: quæ est ecclesia Dei vivi, columna & stabilimentum veritatis.

16 Et sine controversia magnum est pietatis mysterium: Deus conspicuus factus est in carne, justificatus est per spiritum, conspectus est ab angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, sursum receptus est in gloriam.

Exponit, quo consilio ista ad Timotheum scribat, nempe ut interim dum ipse veniat, nôrit quomodo debeat gubernare Ecclesiam: cujus quidem gubernandæ curam ei commendat, partim ab adjuncto occupato, partim à subjecto occupante. Ab adjuncto occupato, dum eam vocat domum Dei: qua appellatione significat, Deum ipsum in Ecclesia, tanquam familiâ suâ, gubernandâ & curandâ, occupari. Quantò magis igitur ministros singulari curâ Ecclesiam gubernare decet? A subjecto verò occupante, dum Ecclesiam vocat columnam & stabilimentum veritatis: qua appellatione significat, Ecclesiam occupari in custodiendo thesauro longè pretiosissimo, scil. veritate cælesti, nempè doctrinâ Evangelii. Cujus quidem doctrinæ excellentiam asseveratione confirmat, & enumeratione præcipuorum capitum illustrat v.ult.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Certus est hic sermo] πιστὸς ὁ λόγος. *Puto hanc asseverationem rectiùs conjungi cum sententiâ præcedente: quippe quæ asseveratione plus indiget quàm sequens. Et similis exstat sententiarum cohærentia infrà c.4.v.8. & 9. Item 2.Tim.2.v.10. & 11. Interim verum est, quòd ista asseveratio interdum cohæreat cum sequentibus: ut suprà 1. v.15. quanquam illic quoque potest adjungi præcedentibus; si illic conjunctio ὅτι exponatur per causalem* Nam. *Et sic asseverationi huic subjicitur conjunctio γὰρ, infr.4.v.10. & 2.Tim.2.v.11. Habebit igitur ista sententia vim epiphonematis, in omnibus istis locis.* Episcopatum] ἐπισκοπῆς. *Sicut ἀποστολὴ, apostolatus, significat munus seu officium apostoli: sic ἐπισκοπὴ, episcopatus, significat munus seu officium episcopi seu pastoris Ecclesiæ. Dicta est autem ἐπισκοπὴ, παρὰ τὸ ἐπισκέπτεσθαι, ab inspiciendo, invisendo, visitando, ac proinde curam annotat: qualem Paulus indicat Act.20.v.28.*

2 Unius uxoris virum] μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. *Id est, non πολύγαμον seu plurium uxorum maritum.*

3 Non vinosum] μὴ πάροινον. *Quasi dicas, non assidentem vino, videl. ad perpotandum.* Moderatum] ἐπιεικῆ. *Ἐπιεικὴς propriè dicitur ὁ εἴκων, qui cedit, concedens nimirum de jure suo, pacis causâ. Unde statim subjungit, ἄμαχον. nam qui rigidè suum jus persequuntur, incidunt sæpe in rixas & pugnas.*

4 Domui] οἴκου. *Id est, familiæ, uxori, liberis, servis, ancillis.*

5 Præesse] προστῆναι. *Videl. sapienter gubernando & adigendo ad officium faciendum.* Ecclesiam Dei] ἐκκλησίας Θεοῦ. *Quæ nimirum est domus Dei, infrà v.15.*

6 Inflatus] τυφωθεὶς. *Scil. opinione sapientiæ.* In criminationem calumniatoris] εἰς κρίμα τοῦ διαβόλου. *Vel,* In judicium (*seu* condemnationem] Diaboli: *id est, ut propter superbiam eodem modo puniatur à Deo quo Diabolus, videl. æterno exitio.*

7 Ab extraneis] ἀπὸ τῶν ἔξωθεν. *Id est, ab iis qui adhuc extra Ecclesiam sunt.* Ne in probrum incidat & laqueum calumniatoris] ἵνα μὴ εἰς ὀνειδισμὸν ἐμπέσῃ καὶ παγίδα τοῦ διαβόλου. *Id est, ne diabolus per sua organa, maledicos homines, probris, veluti laqueis, eum involvat atque impediat, ne suo ministerio quicquam possit proficere. Metaphora & ἓν διὰ δυοῖν.* Calumniatoris] *Vel,* Diaboli.

8 Non bilingues] μὴ διλόγους. *Qui aliud stantes, aliud sedentes loquuntur: hoc est, non mendaces.*

12 Unius uxoris mariti] μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες. *ut sup. v.2.*

15 Quæ] ἥτις. *Pro,* ὅστις. *Scil.* οἶκος Θεοῦ. *Simile exemplum vide Gal.3.v.16.* Columna & stabilimentum veritatis] στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. *Id est, quæ veritatem cælestem fideliter custodit & asservat: sicut columna stabilit ædificium. Metaphora & ἓν διὰ δυοῖν.*

16 Deus] Θεὸς. *Nempe filius Dei.* In carne] ἐν σαρκὶ. *In corpore humano.* Justificatus] ἐδικαιώθη. *Justus declaratus.* Per spiritum] ἐν πνεύματι. *Id est, per deitatem suam, cujus vi nimirum se ipse ex mortuis excitavit, in cælum ascendit, & ad dextram Patris consedit.* Conspectus est ab angelis] ὤφθη ἀγγέλοις. *Videl. tum recens natus, ut Luc.2. v.13. & 14. tum à morte excitatus: tum denique in cælum receptus.* In gloriam] ἐν δόξῃ. *Pro,* εἰς δόξαν. *Vel,* In gloria, *id est, cum gloria, seu gloriosè.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v.1. & deinceps usq; ad 8. Si episcopi, qui hodie sic nominantur in Papatu, examinentur ad hanc descriptionem Pauli: comperietur, eos ab hac forma longissimè recedere, ac proinde nomine illo dignos non esse, sed potiùs pseudoepiscopos appellandos, eò quòd nomen illud sibi arrogant falsòque usurpant: quum nec virtutibus veri episcopi sint præditi, nec officium fidelis episcopi faciant. *Episcopi.*

2 Ex iisdem versibus. Quum Paulus hoc loco veri episcopi seu pastoris Ecclesiæ virtutes & officium describat: officium Ecclesiæ est, ut tales vocet: pastorum verò, ut tales esse studeant. Confer similem descriptionem Tit.1.v.6. & deinceps. *Ministri verbi Dei.*

3 Ex v.2.4.5. Interdictum Pontificium conjugii sacerdotum impium est: cùm doctrinæ Spiritus sancti per Paulum hoc loco traditæ ex diametro repugnet. Repugnat idem exemplis sanctorum apostolorum; qui uxores habuerunt, & eas circumduxerunt, ejusque rei potestatem habuerunt, sicut expressè testatur Paulus 1.Cor.9. v.5. Et istud interdictum Apostolus infrà inter doctrinas dæmoniorum refert, cap.4. v.1. & 3. Quòd autem excipiunt, cum Paulus hoc loco dicit, *Oportet episcopum unius uxoris virum esse*, per uxorem intelligendam esse ecclesiam: hæc allegorica interpretatio inane sophisma atque effugium est: ut liquet ex collatione versic. 4. & 5. ubi expressè de liberorum educatione præcipit. *Conjugium.*

4 Ex v.6. & 7. Cùm Diabolus intentus sit ad criminandum & probris afficiendum Ecclesiæ pastores: eò circumspectiores ipsos esse oportet, ut omnes calumniandi occasiones Diabolo & organis ipsius præcidant. *Ministri verbi Dei.*

5 Ex v.9. Non est satis, tenere mysterium fidei, id est, intelligere religionem Christianam; sed oportet illud tenere cum pura conscientia. Pura autem conscientia est, qua quis sibi conscius est, sibi peccata sua ex animo dolere, se remissionem eorum propter Christum credere, seque serium habere propositum piè vivendi, secundùm sancta Dei mandata. *Officium hominis Christiani. Conscientia.*

6 Ex v.13. Fidelitatis in Ecclesiæ ministerio præstitæ merces est παῤῥησία, id est, læta conscientia & intrepida fiducia: sed in fide Christi, tanquam mediatoris, fundata. Quare qui lætam ejusmodi conscientiam expetunt, (expetere autem omnes debent) fideliter ministerium suum administrent. *Ministri verbi Dei.*

7 Ex v.15. Cùm Ecclesia sit domus Dei, id est, familia Dei; ubi nimirum Deus est paterfamiliâs, singuli autem fideles sunt filiifamiliâs: cogitandum est pastoribus Ecclesiæ, se familiæ istius esse œconomos, ad hoc à Deo constitutos ut filiis Dei dispensent mysteria Dei, id est, arcanam illam & rationi humanæ ignotam, divinitus autem patefactam, doctrinam propheticam & apostolicam de ratione consequendi æternam salutem, Deumque rectè colendi. In œconomo autem requiritur fidelitas, atque etiam solicitudo & prudentia. Vide 1.Cor.4.v.1. & 2. *Sic de nobis reputet homo &c.* Item Matth.13. v.52. *Omnis scriba edoctus in regno cælorum, similis est cuipiam patrifamiliâs, qui profert è thesauro suo nova & vetera.* *Ministri verbi Dei.*

8 Ex eod.v. Cùm Pontificii verbis Pauli, quæ hîc pronuntiat de Ecclesia, abutantur ad stabiliendum tyrannidem suorum conciliorum: vindicanda sunt illa verba ab ipsorum corruptela. Paulus dicit, Ecclesiam esse columnam & stabilimentum veritatis. Hoc Pontificii ita accipiunt, ac si Paulus affirmaret, veritatem doctrinæ Christianæ pendere à judicio Ecclesiæ, ita ut id demum pro vero amplectendum Christianis sit, quod Ecclesia statuerit atque decreverit. Deinde assumunt, concilia, id est, episcopos Pontificios in conciliis congregatos, esse Ecclesiam, aut certè Ecclesiam repræsentare, tanquam nobilissima illius membra. Inde concludunt, quicquid episcopi in conciliis decreverint, sive id cum scripturis propheticis & apostolicis consentiat, sive illis adversetur, pro vero amplectendum & credendum esse. *Ecclesia. Concilia. Vindicatio verborum Pauli, Ecclesia est columna & stabilimentum veritatis.*

At isti

At isti primùm aberrant à genuina verborum Pauli sententia. Etsi enim judicium veræ Ecclesiæ meritò magni fit, cùm vera Ecclesia congregetur in nomine Christi, & à Deo petat veritatem cælestem sibi per Spiritum S. revelari: non tamen veritas doctrinæ cælestis pendet ab Ecclesiæ judicio, tanquam à causa, sed potiùs contrà. Non enim doctrina Christiana ideo vera est, quia Ecclesia sic judicat: sed contrà, quia doctrina Christiana est vera, ideo Ecclesia per Spiritum S. de illius veritate edocta, veram esse judicat. Quòd autem Apostolus dicit, Ecclesiam esse columnam & stabilimentum veritatis: hoc tantùm vult, veritatem cælestem in sola Ecclesia inter homines conservari: quemadmodum magnifica domus conservatur & stabilitur suis columnis. Quemadmodum igitur columnis subrutis domus collaberetur: ita Ecclesiâ è medio sublatâ, tolleretur è mundo cælestis veritas: quippe quæ extra Ecclesiam locum nullum habet. Atque hæc de syllogismi propositi propositione: jam ad assumtionem quod attinet, ea falsa est. Etenim plus satis notum est, quales episcopi Pontificii sint: videl. non membra Ecclesiæ, sed hostes & persecutores, hypocritæ, Epicuræi, &c. Quare vanissima est, quæ ex istis præmissis exstruitur, conclusio.

Evangeliũ. 9 Ex v. 16. Doctrina Evangelii est mysterium, id est, doctrina arcana & homini à natura ignota. Hanc enim Apostolus hoc loco intelligit, cùm nominat *mysterium pietatis*: sicut è sequentibus percipitur, ubi summam doctrinæ Evangelii per appositionem subjicit. Hujus observationis usus est: primùm, ne falsò nobis persuadeamus, nos, qui doctrinam Evangelii intelligimus & fide amplectimur, cæteris hominibus qui illam non intelligunt, nec ut veram approbant, sed potiùs ut falsam damnant, acutiori mentis acie à natura præditos esse: sed potiùs agnoscamus, mentem nostram ex singulari Dei gratiâ à Spiritu S. esse illuminatam, ut hoc mysterium intelligamus. Huc pertinent illa dicta: Matt. 16. v. 16. & 17. Cùm Petrus suo reliquorumque apostolorum nomine confessionem de Jesu edidisset; nempe ipsum esse Christum illum, filium Dei viventis: tunc respondens Jesus dixit ei, *Beatus es, Simon Barjona: quia caro & sanguis* (id est, carnalis ratio) *hac non revelavit tibi, sed pater meus, qui est in cælis.* Johan. 1. v. 18. ait Evangelista, *Deum nemo vidit unquam:* (id est, nemo unquam viribus sui ingenii cognovit, quomodo Deus erga nos sit affectus, & quomodo nos salvos faciat) *unigenitus ille filius qui est in sinu Patris*, (id est, qui novit arcana consilia Patris) *ille nobis exposuit.* Alter usus hujus observationis est, ne offendamur, néve in dubium vocemus doctrinam Evangelii, cùm videmus, illam à potentissimis in mundo, videl. Antichristo & servis illius, Pontifice inquam Romano, & Pontificiis episcopis atque principibus, tanquam hæresin repudiari atque damnari. Causa enim hujus rei non est doctrinæ Evangelii falsitas aut impietas: est enim illa veritas cælestis & mysterium pietatis: sed causa istius incredulitatis est mentis illorum cæcitas, & arcanum Dei judicium, quo non dignatur illis hoc mysterium patefacere: secundùm hoc dictum Matth. 11. 25. *In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi*, (id est, celebro te,) *pater, domine cæli & terræ, quòd absconderis hæc* (nempe hæc mysteria doctrinæ Evangelii, quæ Judæorum præcipui tum rejiciebant) *à sapientibus & intelligentibus*, (nempe qui tales sunt secundùm carnem, & à mundo tales esse judicantur) *& ea revelaveris infantibus*, (id est, simplicibus ac rudibus.) *Etiam, pater: quia ita placuit tibi.* Joh. 6. v. 36. & 37. ait Christus incredulis Judæis: *Sed dixi vobis, Etiam vidistis me, nec creditis: quicquid dat mihi Pater, ad me veniet.* Et c. 10. v. 26. *Sed vos non creditis*, (inquit) *non enim estis ex ovibus meis, sicut dixi vobis.* Item 1. Cor. 1. v. 26. & deinceps: *Videtis vocationem vestram, fratres, vos non esse multos sapientes secundùm carnem, &c.* Item 2. Cor. 4. v. 3. & 4. *Quòd si tectum est evangelium nostrum, in iis qui pereunt, tectum est, in quibus deus hujus sæculi* (id est, Diabolus) *excæcavit mentes*, nempe *infidelium, ne irradiet eos lumen Evangelii gloriæ Christi.* Tertius istius observationis usus est, ne in interpretanda Scriptura, ubi Evangelii doctrina proponitur, fidamus nostro ingenio: néve putemus, nos mentis nostræ acumine ad genuinum illius sensum posse penetrare. Ista persuasio falsa est, & iste conatus vanus. Sed orandus est Deus ut mentem nostram per Spiritum sanctum illuminet, & sensum scripturæ nobis aperiat. Huc pertinet exemplum duorum illorum discipulorum, quibus commeantibus in vicum Emmaus, Jesus post suam resurrectionem interpretabatur in omnibus scripturis, quæ de ipso scripta sunt. Et rursum Hierosolymis congregatis undecim Apostolis apparuit Christus post resurrectionem, & aperuit illorum mentem, ut intelligerent scripturas: Luc. 24. v. 27. & 45. Sic Act. 8. v. 30. & deinceps: Æthiops ille eunuchus, dynastes Candaces reginæ Æthiopum, cum Hierosolymis, ubi adoraverat, domum revertens in curru legeret prophetam Esaiam, nec intelligeret; rogavit Philippum, ut curru conscenso, locum illum sibi interpretaretur. Is autem locus continebat doctrinam Evangelii de Christo ex c. 53. *Ut ovis ad mactationem ductus est &c.* Hinc illud Petri 2. Pet. 1. v. 20. & 21. *Nulla prophetia Scripturæ est privatæ explicationis &c.* Quare oremus cum Davide Psal. 119. v. 18. *Revela oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tua.*

Evangeliũ. 10 Ex eod. v. Scopus doctrinæ Evangelii est pietas; hinc enim nominatur mysterium pietatis. Vera autem pietas consistit in fide & obedientia: ut nimirum fide amplectamur divinas promissiones gratiæ, & cum reverentia atque timore obediamus sanctis Dei mandatis. Quare doctores Evangelii repudient otiosas & curiosas speculationes, quæ ad scopum illum non tendunt nec ducunt; tanquam à doctrina Evangelii heterogeneas & alienas. Porrò talibus speculationibus redundat theologia scholastica, quæ sic usitatè nominatur, id est, commentationes doctorum Pontificiorum, qui sacræ theologiæ profanam philosophiam ita permiscuerunt, ut ex duobus integris unum corruptum fecerint.

11 Ex eod. vers. Summa doctrinæ Evangelii continet duo potissimùm capita, unum de persona Christi, alterum de officio ipsius. Apostolus hoc loco utrumque attingit, & sententiis quàm maximè sublimibus significat. *Deus*, inquit, *conspicuus factus est in carne.* Id est, Filius Dei, qui est verus ille Deus unà cum Patre & Spiritu sancto, cùm naturâ suâ invisibilis sit, effecit se visibilem assumtâ nostrâ carne, id est, verâ naturâ humanâ, in unitatem suæ personæ: ita ut jam unus & idem tum invisibilis sit, ut verus Deus; tum visibilis, ut verus homo. Atque hæc de persona. Ad officium pertinent quæ sequuntur: *Justificatus est in spiritu.* Id est, Jesus filius Dei in carne manifestatus, est quidem ille à Judæis, tanquam homo impius, blasphemus, seductor populi, seditiosus, condemnatus, & Gentibus ad supplicium traditus, atque ita cruci affixus: veruntamen in spiritu est justificatus, hoc est, vi suæ deitatis ex mortuis resurgens, justus atque innocens, & (quod plus est) author vitæ agnitus est ab illis ipsis (saltem bonâ ex parte) qui ipsum paulò antè sceleratis manibus cruci affixerant: sicut testatur Lucas Act. 2. v. 22. 23. & deinceps, item v. 37. & deinceps. Tunc enim factum est illud quod Christus fore prædixerat Johan. 16. v. 8. 9. 10. nempe fore ut Spiritus S. (videl. per prædicationem apostolorum) argueret mundum (hoc est, impios Judæos qui tum Christum persequebantur) de peccato, eò quòd in ipsum non crederent, sed ut impium damnaturi essent: & de justitia, eò quòd ipse ad Patrem esset abiturus, hoc est, ex morte resurrecturus, & in cælum ascensurus, atque ita suam innocentiam demonstraturus. Deinde justificatus quoque est per resurrectionem à Deo patre, hoc est, absolutus à peccatis electorũ quæ ut sponsor in se receperat, ut pro illis Patri satisfaceret sua morte. Resurgẽdo igitur ex morte, re ipsa demõstravit, pro peccatis electorum à se esse satisfactum, illaq; omnia sacrificio suæ mortis esse expiata. Etenim si vel unum peccatum ex iis quæ Christo fuerant imposita, impunitum atque inexpiatum permansisset, resurgere ex mortuis ad vitam æternam non potuisset. Hinc illud Pauli 1. Cor. 15. v. 17. *Si Christus non est excitatus: inanis est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris. Ergo quum Christus ex morte resurrexerit: non sumus ampliùs in peccatis nostris, sed scimus, nos esse justificatos & à peccatis absolutos: quippe Christus nostro nomine justificatus seu absolutus est.* Hinc etiam illud Rom. 4. v. ult. ubi de Christo loquens ait: *Qui traditus est propter lapsus nostros, & excitatus est propter justificationem nostri:* διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, id est, ut reipsa demonstraret, nos à peccatis nostris per ipsius mortem esse justificatos. Huc etiam pertinet illud Danielis cap. 9. v. 24. ubi angelus Gabriel Danielem de futuris à Christo peragendis erudiens, ait, illum expiaturum iniquitatem, & adducturum justitiam perpetuam. quorum illud scil. perfecit sua morte, istud verò sua resurrectione: sicut ex verbis Apostoli modò citatis planum est. Præterea *conspectus est ab angelis.* Id quòd referendum videtur primùm ad tempus Jesu recens-nati. tunc enim (ut testatur Lucas c. 2.) angelus Domini nativitatem illius pastoribus Bethleemiticis lætabundus annuntiavit, ac mox multitudo exercituum cælestium (id est, angelorum) unà cum illo angelo hymnum ob natum salvatorem Deo concinuit. Deinde referendum hoc est ad tempus quo vixit super terram: etenim posteaquam à Diabolo tentatus esset in deserto, angeli accesserunt & ministrarunt ei: Matth. 4. 11. Et in horto quum precaretur instante passione, conspectus est ab eo angelus è cælo qui ipsum corroborabat, Luc. 22. 43. Ac ibidem paulò pòst noluit à Petro defendi gladio: quippe quum, si vellet, à Patre posset impetrare, ut is sibi ad defensionem ipsius coram sisteret plures quàm duodecim legiones angelorum. Matth. 26. 53. Præterea angeli ei ministrarunt in resurrectione: etenim angelus Domini descendens è cælo, devolvit lapidem ab ostio sepulchri: Matth. 28. 2. Item Maria Magdalena in sepulchro è quo Dominus jam resurrexerat, conspexit duos angelos sedentes, unum ad caput, alterum ad pedes, ubi jacuerat corpus Jesu. Denique ascendens in cælum, haud dubiè ab angelis obviam profectis exceptus atque deductus fuit honoris causâ. Etenim sicut in fine sæculi venturus est è cælo, ita etiam profectus est in cælum: prout apud apostolos ascensionem illius spectantes testati sunt duo angeli, Act. 1. v. 11. At venturus est comitatus sanctis angelis: sicut ipse testatur Matth. 25. v. 31. itemque Paulus 2. Thess. 1. v. 7. Atque adeò angeli continenter ipsum jam in cælo ut filium Dei adorant: sicut percipitur ex verbis Apostoli Heb. 1. v. 6. ubi ex Psalm. 97. v. 7. docet, quum Deus primogenitum suum (id est, filium unigenitum & principem in familia filiorum Dei) induceret in orbem terrarum, videlicet per Evangelii prædicationem, quæ ascensionem ipsius proximè secuta est: tum divinam illius gloriam ita esse patefactam,

Evangeliũ. Christus.

ut ipsum jussi sint adorare omnes angeli Dei. Atque hæc de ministerio angelorum, quod Christo partim præstiterunt, partim præstituri sunt, partim denique jam præstant. Sequitur, *Prædicatus est in Gentibus*, (ἐν ἔθνεσιν) id est, inter Gentes, seu apud Gentes. *Fide receptus est in mundo.* Hoc quoque ad divinam Christi majestatem demonstrandam pertinet, quòd Evangelium (id est) testimonium de ipso, de ipsius videl. persona & officio ac rebus gestis) ex ipsius mandato per apostolos eorumque adjutores & successores apud varias gentes, tanta cum efficacia annuntiatum atque prædicatum est, ut passim in mundo seu orbe terrarum ipse fide receptus sit, & etiamnum recipiatur, atq; etiam recipiendus sit usque ad finem mundi. Unde hæc tanta persuadendi vis, quòd pauci homines, iique idiotæ, plebeii, obscuri, nullo externo splendore insignes, sua prædicatione magnam mundi partem à cultu idolorum cui addicti erant, ad fidem Christi & cultum veri Dei converterunt? Nempe Christus sedens ad dexteram Patris, ac potenter dominans in cælo & in terra, in die pentecostes misit Spiritum sanctum in apostolos, atq; ita eos induit virtute ex alto, ut rem tantam auderent aggredi: & per spiritum illum suum fuit efficax in prædicatione ipsorum, & adhuc efficax est, & erit in prædicatione Evangelii, donec omnes electi per illum fuerint in Ecclesiam collecti. Postremò addit, *Sursum receptus est in gloriam.* Hoc intelligendum est de ascensione Christi in cælum; ubi observanda emphasis verbi ἀνελήφθη, id est, ἀνω ἐλήφθη. qua significatione idem verbum accipitur etiam à Marco c.16. v.19. item à Luca Act.1. v.2. & ab eodem Luca declaratur affinis significationis verbo, nempe ἀναφέρεσθαι, id est, ἀνω φέρεσθαι, sursum ferri, Luc.24. v.51. ubi Christi ascensionem spectantibus discipulis factam describens, ait, *Et factum est, dum ipse benediceret eis, destitit ab eis, & sursum ferebatur in cælum: διέστη ἀπ' αὐτῶν, & ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν.* Similiter Act.1.9.10.11. graphicè ascensionem Christi idem Lucas describit. Unde perspicitur, articulum illum fidei nostræ corrumpi ab illis, qui negant Christum ascendendo in cælum, vel latum unguem à terra sublatum esse; & contra fingunt, eum disparuisse, seu ex visibili invisibilem se reddidisse. Tales corruptelas quas isti ad portentosum ubiquitatis dogma palliandum, impudenter comminiscuntur, nos hærentes claris testimoniis verbi Dei, toto pectore detestemur; & articulos fidei nostræ, quos Diabolus per istiusmodi commenta prorsus delere conatur, puros atque incorruptos retineamus.

Sessio Christi ad dexteram Patris.

12 Observandum & illud: Cum ascensione Christi in cælum, sessionem ejusdem ad dexteram Patris ab Apostolo conjungi, tanquam quæ illam continenter subsecuta sit. Ait enim, Christum sursum receptum esse in gloriam, id est, ascendisse in cęlum, atque ita exaltatum esse ad cælestem gloriam; considendo videl. ad dexteram majestatis. Confer loca similia, Marc.16.19. *Sursum receptus est in cælū, & consedit ad dexteram Dei.* Act.2.33.& 34. in concione Petri quam habuit in die pentecostes: *Itaq; ad dexteram Dei exaltatus, (τῇ δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ ὑψωθεὶς) & promissum spiritum sanctū adeptus à Patre, effudit hoc quod vos nunc spectatis & auditis. Neq; enim David ascendit in cælos: sed dicit ipse: Dixit Dominus domino meo, Conside ad dexteram meam &c.* Et rursus idem Petrus in concilio sacerdotum Act.3.30. & 31. inter alia dicit, *Deus patrum nostrorum excitavit Jesum, quem vos interfecistis suspensum in ligno. hunc Deus ducem ac servatorem exaltavit ad dexteram suam.* ὕψωσε τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ: id est, πρὸς τὴν δεξιὰν, sive, εἰς τὴν δεξιὰν. nam dicit scriptura, eum sedere ἐν τῇ δεξιᾷ. Similiter Paulus Rom.8.34. *Christus is est, qui mortuus est, imò verò qui etiam excitatus est: qui etiam est ad dexteram Dei.* Sic Eph.1.20. *Quam* (scil. efficaciam) *exseruit in Christo, quum excitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dexteram suam in cælis.* Col.3. v.1. *Si resurrexistis cum Christo: superna quærite, ubi Christus est, ad dexteram Dei sedēs.* Heb.1.3. *Filius Dei purgatione peccatorum nostrorum per seipsum factâ, consedit ad dexteram majestatis in excelsis.* Item c.10.12. *Hic* (nempe Jesus) *unâ pro peccatis oblatâ victimâ, in perpetuū sedet ad dexteram Dei.* Similiter & Petrus 1.Pet.3.21.& 22. *Per resurrectionem Jesu Christi, qui est ad dexteram Dei, profectus in cælum, πορευθεὶς εἰς οὐρανόν,* hoc est, posteaquam profectus est in cælum. Hinc perspicitur, falsum esse dogma Ubiquitariorum, qui dicunt, filium Dei consedisse ad dexteram Dei in utero matris, quum conciperetur à Spiritu sancto: quo dogmate articulos fidei diversos imperitè (nisi potiùs petulanter) confundunt. Quo loco & illud observandū, ex sessione ad dexteram non posse probari ubiquitatem corporis Christi: quia scriptura expresse dicit, Christum consedisse ad dexteram majestatis *in excelsis*, Heb.1.3. item, *in cælis*, Heb.8.1. Eph.1. v.20. Item Col.3.1. *Superna quærite, ubi* (nempe in supernis illis locis) *Christus est, ad dexteram Dei sedens.*

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Duas in partes hoc quoque caput distingui potest. In prima prædicit apostasiam eventuram posterioribus temporibus per quosdam falsos doctores, usque ad v.6. In altera Timotheum ad varias officii sui partes cohortatur.

PRIMA PARS.

Spiritus autem disertè dicit, fore ut posterioribus temporibus descíscant quidam à fide, spiritibus deceptoribus attendentes, ac doctrinis dæmoniorum:

2 Per hypocrisin falsiloquorum, quorum conscientia cauterio resecta est:

3 Prohibentium contrahere matrimonium, *jubentium* abstinere à cibis, quos Deus creavit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem.

4 Nam quicquid creavit Deus, bonum *est*, nec quicquam rejiciendum *est*, si cum gratiarum actione sumatur.

5 Sanctificatur enim per verbum Dei & preces.

Initio prophetiam quam hîc propositurus est, confirmat à causâ procreante, videlicet ab illius authore Spiritu sancto: deinde prophetiam ipsam proponit, videl. posterioribus temporibus defecturos quosdam à fide, nempe à fide Christianâ: tum defectionis istius causas procreantes exponit duas: diabolos, tanquam causam principalem; & falsos doctores, tanquam instrumentalem causam. Diabolos partim innuit, partim expresse nominat. Innuit, quum falsos doctores metonymicè vocat πνεύματα πλάνης, *spiritus impostores* seu *deceptores*: quia nimirum mali spiritus, id est, diaboli, eis inspirant omnis generis imposturas ac deceptiones. Cujus metonymiæ exemplum etiam exstat 1.Joh.4.1.2.3. Expresse nominat, quum istorum doctorum doctrinas vocat doctrinas dæmoniorum, hoc est, à dæmoniis seu diabolis inspiratas. Deinde v.2. doctores istos describit à duobus adjunctis, videlicet hypocrisi & vacuitate conscientiæ seu timoris Dei: cujusmodi homines alibi ἀπηλγηκότας nominat, id est, qui dedoluerunt, ita nimirum ut in conscientia non sentiant dolorem, quum sceleribus ac flagitiis Deum offenderunt. Tum v.3. duas falsæ istius doctrinæ species exprimit, nempe cælibatus legem & delectum ciborum. Quam posteriorem doctrinæ speciem falsam & dæmoniacam esse, probat primùm ex eo, quòd adversatur voluntati Dei. Deum enim velle, ut cibis illis, quos isti vetant, vescamur, ex eo constat, quòd eos ideo creavit, ut participemus, & pro hac beneficentia gratias ei agamus. Deinde v.4. idem ostendit ex eo, quòd interdictum istud certorum ciborum contumeliâ afficit opera Dei, quasi in illis aliquid esset non bonum, sed rejiciendum: quum tamen quicquid Deus creavit, bonum sit, nec quicquam rejiciendum. Simul autem monet, quínam sit licitus ac legitimus ciborum usus, nempe quum eos sumimus cum gratiarum actione & precibus ex fide profectis. Hoc est quod vers.5. dicit, cibos aliasque creaturas sanctificari (nempe fidelibus) per verbum Dei & preces: hoc est, fideles ex verbo Dei scire, Deum cibos condidisse ad ipsorum vitam sustentandam; ac præterea promisisse, se ipsis ex fide eum invocantibus, benedicturum ut usus ciborum ipsis salubris sit: quo fit, ut non solùm bonâ conscientiâ & sanctè, sed etiam hilari animo & bonâ spe cibis fruantur.

SECUNDA PARS.

6 Hæc si subjeceris fratribus, bonus eris minister Jesu Christi, innutritus in sermonibus fidei & præclaræ doctrinæ quam assectatus es.

7 Cæterùm profanas & aniles fabulas rejice: sed exerce teipsum ad pietatem.

8 Nam corporalis exercitatio ad pauca utilis est: at pietas ad omnia utilis est; ut quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ.

9 Certus *est* hic sermo, & dignus qui omnibus modis recipiatur.

10 Nam idcirco etiam fatigamur & probris afficimur, quòd speremus in Deo vivo: qui est conservator omnium hominum, maximè *verò* fidelium.

11 Hæc denuntia & doce.

12 Nemo tuam juventutem despiciat: sed esto exemplar fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in spiritu, in fide, in castitate.

13 Interim dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.

14 Ne negligito donum quod in te est; quod datum est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.

15 Hæc meditare, in his esto: ut tuus profectus manifestus sit inter omnes.

16 Attende tibiipsi & doctrinæ: permanere in istis. id enim si feceris; & teipsum servabis, & eos qui te audierint.

Hîc Timotheum ad varias officii sui partes cohortatur. Ac primò, ut admonitiones hactenus expositas fratribus proponat, & contrà inanes argutias rejiciat, v.6. & initio septimi. Secundo, ut se

ut se exerceat in studio pietatis, v.7. quam exhortationem v.8. confirmat ab effectu utili per distributionem; quia pietas omnis generis benedictiones Dei ex se pariat tum in hac vita, tum in futura: quod ipsum testimonio promissionum divinarum confirmat. Porrò istud ab utili effectu ductum argumentum illustrat antithesi diversorum, & collatione minorum. Exercitationi enim pietatis tanquam spirituali, opponit exercitationem corporalem, id est, quâ corpus in victus ratione austerè tractatur: quæ exercitatio paululum habet utilitatis, ut scilicet eò intentiùs possimus operam dare meditationibus sacris & precibus: veruntamen neminem per se commendat Deo, sicut exercitatio spiritualis cultus Dei, qui in pura conscientia est positus. Præterea istius argumenti expositionem confirmat asseveratione per exclamationem, v.9. Postremò v.10. argumentum illud confirmat ex effectis, nempe tolerantiâ laborum & probrorum, quæ pii sustinent: quæ tolerantia nascitur ex spe salutis piis à Deo promissæ: quam salutem amplificat collatione salutis, quam Deus etiam infidelibus præstat, tanquam minoris. Infideles enim injustè oppressos, vindicat Deus & conservat tantùm quod ad hanc vitam & hujus vitæ bona attinet: at fideles conservat ad vitam æternam, iisque veram ac solidam felicitatem communicat. Tertiò hortatur ut doctrinam de pietatis fructu modò expositam, Ecclesiæ proponat, v.11. Quartò, v.12. per prolepsin hortatur, ut quod deest ætati, gravitate morum compenset, enumerans aliquot virtutes, quibus reverentiam sibi conciliare possit. Quum enim proximè eum hortatus esset, ut ante-exposita Ecclesiæ denuntiaret: poterat excipere Timotheus, At vereor, ne quis despiciat meam juventutem, ac proinde meæ denuntiationi non det locum. Respondet: Etsi juvenis es; tamen ita te gerere per Dei gratiam potes, ne quis te jure despicere possit, sed potiùs ut te omnes revereantur. Quintò & postremò vers.13. usque ad finem capitis hortatur Timotheum, ut donum docendi à Deo sibi concessum excolat & augeat, tum diligenti lectione scripturæ, tum frequenter concionando. Hanc exhortationem confirmat v.14. primùm à causâ efficiente duplici: quia donum illud datum ei sit per prophetiam, id est, per singularem vocationem testatam ab aliquo propheta ex revelatione Spiritus sancti: qualis describitur vocatio Pauli & Barnabæ ad prædicandum Evangelium in Græcia, Act.13.v.2.3.4. Atque hæc una causa est, vocatio Spiritus sancti: altera est vocatio Ecclesiæ, obtemperantis nimirum mandato Spiritus sancti, & Timotheum ad ministerium prædicandi Evangelium ordinantis. Atque hoc est quod dicit, donum docendi Timotheo datum esse cum impositione manuum presbyterii. Presbyteri enim isto ritu ministros Ecclesiæ ordinabant. Deinde institutam exhortationem confirmat ab effectu utili, v.ult. quia sic & seipsum & auditores suos sit servaturus. Etenim scripturæ sacræ meditatio & prædicatio, instrumentum est, quo Spiritus sanctus utitur ad fidem salvificam in electis gignendam & conservandam: ut docet Paulus ad Rom.1.v.16. & cap.10.v.17.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Spiritus autem] τὸ δὲ πνεῦμα. *Nempe Spiritus sanctus: quod ipsum notat articulus.* Dicit] λέγει. *Id est, revelat mihi.* A fide] τῆς πίστεως. *Videl. fide Christianâ: id est, à doctrinâ de fide. Synecdoche generis & metonymia subjecti.*

3 *Jubentium* abstinere] ἀπέχεσθαι. *Scil. κελευόντων. Ellipsis contrarii: ut planum est ex ipsâ sententiâ. Sic sup.2.12. οὐκ ἐπιτρέπω διδάσκειν, ἀλλὰ (scil. ἐπιτρέπω) εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ.*

6 Si subjeceris] ὑποτιθέμενος. *Scil. præcipiendo ac monendo. Hinc ejusmodi præcepta ac monita ὑποθῆκαι nominantur.*

8 Corporalis exercitatio] ἡ σωματικὴ γυμνασία. *Id est, quâ quis corpus suum exercet in obeundis cærimoniis: vel, quâ corpus affligit abstinentiâ certorum ciborum & aliis modis: vel denique, quâ quis corpus exercet ad corroborandum: quod faciunt athletæ. Confer 1.Cor.9.v.25.*

10 Conservator] σωτήρ. *Nam in ipso seu per ipsum vivimus, & movemur, & sumus, Act.17.v.28.* Maximè *verò* fidelium] μάλιστα πιστῶν. *Quippe quos servat non solùm in vita hac corporali, sed etiam in illa spirituali & æterna.*

12 Nemo tuam juventutem despiciat] μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω. *Id est, ita te gerito, ut nemo justam occasionem habeat despiciendi juventutem tuam. Hunc esse sensum, liquet ex antithesi quæ sequitur. Est metonymia effecti in ipso pronuntiato.*

13 Lectioni] τῇ ἀναγνώσει. *Videl. sacrarum literarum. Synecdoche generis.*

14 Donum] χαρίσματος. *Id est, facultatem docendi verbum Dei quâ donatus es à Deo. Synecdoche generis.* Per prophetiam] διὰ προφητείας. *Vide sup.1.18.* Cum impositione manuum presbyterii] μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. *At 2.Tim.1.v.6. dicit, donum hoc in Timotheum collatum esse per impositionem manuum suarum, scilicet Pauli. Videtur ergo Paulo nomine presbyterii, id est, presbyterorum congregatorum, manus Timotheo imposuisse.* (*Antilogia apparentis conciliatio.*)

OBSERVAT. EX CAP. IV.

(*Prophetia Pauli.*) 1 Ex v.1.2. & 3. Quæritur: An hæc Pauli prophetia sit impleta, an verò restet implenda? Respondeo: Partim impleta est, partim impletur adhuc quotidie. Impleta est primùm per hæreticos illos, qui non multò post Apostoli mortem exorti sunt: videl. per Encratitas, Tatianos, Catharos, Montanistas seu Cataphrygas & Manichæos, qui ab esu carnium & conjugio abhorruerunt, & tanquam res profanas damnarunt. Deinde impleta est, & adhuc impletur per Pontificios seu Papistas: qui etsi usum conjugii & carnium non simpliciter ac omnino interdicunt; interdicunt tamen esum carnium certis diebus, & conjugium interdicunt certo hominum generi, videl. sacerdotibus & monachis & monialibus. Etsi verò isti à veteribus illis hæreticis, quo dictum est modo, differunt; tamen hæc illorum doctrina æquè doctrina dæmoniorum est, ut hoc loco à Paulo appellatur: quia non minùs quàm illi, sanctimoniam in his rebus locant: deinde falsum & adulterinum Dei cultum instituunt: postremò conscientias alligant necessitati, à qua debebant esse liberæ.

2 Ex verbis Apostoli, *Descíscent quidam à fide*, non est concludendum, veram fidem quâ donantur electi, posse amitti: (nam scriptura passim contrarium docet) sed observandum est, per *fidem* hoc loco metonymicè intelligi doctrinam fidei, id est, doctrinam Evangelii quæ proponitur fide apprehendenda. Sic autem accipi hoc loco *fidei* nomen, apparet ex antithesi, quâ fidei opponuntur doctrinæ dæmoniorum. Et sic hanc vocem accepit Apostolus etiam sup.cap.1.v.19. *Retinens fidem & bonam conscientiam.* Et Gal.1.v.23. *Qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam olim vastabat.* (*Fides.*)

3 *Spiritibus deceptoribus*] Non temere credendum cuivis doctori, qui Spiritus sancti revelationem jactat: sunt enim etiam spiritus deceptores. Itaque spiritus probandi sunt, an sint ex Deo, ut monet Johannes, 1.Joh.4.v.1. (*Officium hominis Christiani.*)

4 *Doctrinis dæmoniorum*] Omnis doctrina quæ adversatur doctrinæ fidei seu Evangelii, id est, doctrinæ verbi Dei de persona & officio Christi, est doctrina à dæmoniis, id est, malis spiritibus suggesta: itaque cavenda. (*Doctrina.*)

5 *Per hypocrisin falsiloquorum*] Falsi doctores ad fallendum adhibent hypocrisin, id est, simulationem sanctitatis. quare orandus Deus, ut hypocrisin illam detegat, ne per eam fallamur. (*Falsi doctores.*)

6 *Quorum conscientia cauterio resecta est*] Quum Diabolus nonnullos ita dementet, ut conscientiæ scelera atque flagitia damnantis sensum amittant; oremus Deum, ut nos regat suo spiritu, ut retineamus fidem & bonam conscientiam. (*Officium hominis Christiani. Conscientia.*)

7 *Prohibentium contrahere matrimonium*] Quum interdictum conjugii ab Apostolo numeretur inter doctrinas dæmoniorum: sciamus, conjugium honorabile esse inter omnes, sicut dicitur Heb.13.v.4. (*Conjugium.*)

8 *Abstinere à cibis*] Etsi Deus olim suo populo sub Lege certis cibis interdixit, ut hac notâ eum ab aliis populis discerneret: tamen Christo jam exhibito, cærimoniales illæ leges abrogatæ sunt. (*Cibi.*)

9 *Quos Deus creavit ad participandum cum gratiarum actione*] Ex cibis tam variis quos Deus creavit, nobisq; fruendos concessit, agnoscere debemus ipsius bonitatem & erga nos liberalitatem, eamque gratis animis celebrare. (*Officium hominis Christiani.*)

10 *Creavit ad participandum fidelibus*] Etsi Deus, sicut solem oriri finit tam super malos quàm super bonos, ita etiam tam illos, quàm hos alit: tamen propriè loquendo, solis filiis suis totum mundum & quicquid in mundo est, destinavit. qua ratione, etiam vocantur mundi hæredes. Nam hac conditione constitutus initiò fuerat Adam omnium dominus, ut sub Dei obedientia maneret. Proinde rebellio adversus Deum, jure, quod illi collatum fuerat, ipsum unà cum posteris spoliavit. Quoniam autem subjecta sunt Christo omnia, ejus beneficio in integrum restituimur, idque per fidem. Quare veluti alienum furantur aut prædantur infideles, quodcunque usurpant. (*Bona terrena.*)

11 *Fidelibus & qui cognoverunt veritatem*] Vera fides conjuncta est cum cognitione veritatis, nempe veritatis cælestis, certo verbo Dei per prophetas & apostolos patefactæ. Ergo quicquid ab hac veritate abhorret, eo fidendum non est. (*Fides.*)

12 *Si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per verbum Dei & preces*] Illi tantùm bonâ conscientiâ cibis perfruuntur, qui ex verbo Dei sciunt, sibi per Christum restitutum esse jus ac dominium in cæteras animantes ac terræ nascentia: quique ex hac fide Deo pro illa sua bonitate gratias agunt, eumque orant, ut dona ab ipso concessa salubria sibi esse velit, quò meliùs possint officiis vocationis suæ fungi ad gloriam Dei & proximorum ædificationem. Quare fideles decet, quoties cibum sumturi sunt, itemque quoties pasti sunt, Deo gratias agere & benedictionem ab eo petere. (*Cibi.*)

13 Ex v.6. *Bonus eris minister* Jesu *Christi*] Quid doctoribus & pastoribus Ecclesiæ in muneris sui functione spectandum sit, nempe ut operam suam probent Christo, tanquam fideles ministri. Caveant igitur ne quærant gloriam apud homines, néve studeant hominibus placere. (*Ministri verbi Dei.*)

14 *Innutritus in sermonibus fidei, bonaq; doctrina*] Ea demum doctrina in Ecclesia censenda est esse bona & utilis atque salutaris, quæ facit ad gignendum, alendum, confirmandumque fidem quâ creditur in Christum. Curiosæ autem argutiæ quæ huc nihil faciunt, sunt rejiciendæ. (*Doctrina.*)

15 Ex v.7. *Exerce te ad pietatem.* Et v.12. *Sed esto exemplar*] (*Ministri verbi Dei.*)

Non tantùm sanâ doctrinâ, sed etiam piâ & religiosâ vitâ ministro verbi opus est. nam qui bene docet & malè vivit, is quod unâ manu ædificavit, id alterâ manu rursum destruit. Atque adeò minister verbi non vulgariter sanctæ vitæ studere debet, sed eximiè: ita ut auditoribus suis bono exemplo præluceat ac præeat, seu ut sit exemplar, quod illi sibi ad imitandum proponant. Similiter Petrus hortatur pastores, ut sint exemplaria gregis, 1.Pet.5.v.3.

Pietas. 16 Ex v.8. *Corporalis exercitatio paululum habet utilitatis &c.*] Pietas in spirituali cultu posita est, ut in fide seu fiducia misericordiæ Dei propter Christum, in dilectione Dei, in timore Dei, & similibus: non autem in externæ vitæ austeritate, ut vigiliis, inediâ, humi cubatione, & similibus: quæ quidem disciplina etsi rectè usurpata aliquem usum habet, tamen nullo modo cum pietate est conferenda. Prodest enim illa corporalis exercitatio per accidens, nempe quatenus nonnihil refrenat carnis lasciviam, & quatenus sacris meditationibus ac precibus inservit, ut scilicet illis attentiùs atque ardentiùs perfungi possimus. Cavendum igitur, ne quid sanctitatis aut cultûs Dei in istiusmodi exercitiis ponamus; aut putemus, illa ad hoc utilia esse, ut nos Deo commendent, seu, ut propter illa Deo placeamus. At pietas nos Deo commendat, ut propter hanc Deo placemus: quippe propter quam se nobis benefacturum promisit, & in hac vita & in futura. Cujusmodi promissiones exstant multæ Levit 26. & Deut.28. Nec tamen putandum, nos promissa illa bona pietate nostra mereri. nam primùm pietas non est ex nobis, sed ex singulari gratiâ Dei operantis in nobis per Spiritum suum: itaque quum Deus nobis propter pietatem benefacit, sua in nobis dona coronat, quemadmodum scitè Augustinus dixit. Deinde pietas nostra est imperfecta: quum nemo Deum diligat ex toto corde, aut proximum sicut seipsum. Ergò ut possit Deo placere, opus est ut defectus nobis condonet propter Christum: si autem ex seipsâ æstimaretur, non tamen mereretur præmium propter conatum, quàm pœnam propter defectum. Postremò, si maximè perfecta esset pietas nostra, tamen præmia non mereretur: quia illam Deo debemus, & ad eam præstandam sumus Deo obligati ut nostro domino, jure ipso creationis. Sicut Christus ait discipulis: *Si feceritis omnia, dicite; Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Interim verum est, in hac largitione præmiorum, quâ Deus pietatem fidelium remuneratur, esse aliquam etiam rationem justitiæ Dei. Etenim justum est apud Deum, ut piis reddat relaxationem; quemadmodum expressè affirmat Paulus 2.Thess.1.v.7.

Promissiones divinæ. 17 Ex v.9. *Certus est hic sermo*] In promissionibus divinis firmâ fide acquiescendum est: quoniam illæ certæ atque infallibiles sunt, idq; propter autorem ipsarum, qui mentiri nequit, sed veritas ipsa est. Ac proinde pietati, quam Deus se largissimè remuneraturum promisit, toto pectore studendum.

Consolatio. 18 Ex v.10. *Nam idcirco etiam fatigamur &c.*] Pii contra ærumnas & probra quæ in hac vita pietatis nomine sustinent ac perpetiuntur, consolari ac sustentare se debent spe certâ salutis, à Deo vivo in quo sperant, quóve confidunt, sibi suo tempore præstandæ.

Consolatio. 19 Ex eod.v. *Qui est conservator omnium hominum*] Quum videamus, Deum in hac vita conservare etiam impios, multisq; beneficiis corporalibus eos afficere: confidamus, eum multò magis benefacturum nobis qui studemus pietati: & quò minora aut pauciora in nos confert beneficia corporalia, eò majora ac plura in nos collaturum bona cælestia. Sicut ait Abraham diviti illi epuloni, *Fili, memento, te bona tua recepisse in vita tua, & Lazarum similiter mala: nunc autem hic solatio fruitur, tu verò cruciaris,* Luc.16.v.25.

Auditores Evangelii. 20 Ex v.12. *Nemo tuam juventutem despiciat*] Minister verbi non est contemnendus propter juventutem: sed honorandus propter sacrum ministerium, quo ex vocatione Dei fungitur.

Ministri verbi Dei. 21 Ex eod.v. *Sed esto exemplar &c.*] Cùm omnes ministri verbi, tum inprimis juvenes, operam dare debent, ut sibi reverentiam apud auditores concilient gravitate morum, & singulari studio virtutum earum quæ hoc loco ab Apostolo recensentur.

Ministri verbi Dei. 22 Ex v.13. *Attende lectioni &c*] Pastores ecclesiæ, ac inprimis juvenes, studiosè se exercere debent tum privatim assiduâ lectione scripturæ, tùm publicè concionando: ut ita donum docendi ipsis augeatur.

Ordinatio pastorum Ecclesiæ. 23 Ex v.14. *Cum impositione manuum &c.*] Etsi de ritu impositionis manuum in ordinandis pastoribus Ecclesiæ nullum Dei præceptum habetur, ac proinde is ritus ἀδιάφορος est: tamen ad exemplum apostolorum & apostolicorum virorum rectè adhibetur. Sic Actor.13.v.3. Paulus & Barnabas impositione manuum presbyterii Antiocheni ordinati sunt ad prædicandum Evangelium gentibus in Græcia. Sic in hac epistola c.seq. v.22. ait Paulus: *Manus citò ne cui imponito.* quibus verbis Timotheum monet, ne temere aut leviter quenquam ordinet ad ministerium Ecclesiæ. Fluxit autem hic ritus ab Hebræis: qui hac cærimoniâ solebant uti partim in precibus & benedictionibus privatis, ut videre est in exemplo Jacobi patriarchæ benedicentis duobus filiis Josephi, Ephraimo & Manassi, Gen.48.v.14. partim in publicis & solennibus victimarum consecrationibus: ut præcipitur Levit.1.v.4. & c.3.v.2. Et sacram hanc manuum impositionem præcedebant jejunium & preces ecclesiæ, ut videre est Act.13.3. Quarum precum efficacia perspicitur in exemplo Timothei: de quo sic loquitur Paulus 2.Tim.1.v.6. *Suggero tibi ut exsuscites donum Dei quod est in te per impositionem manuum mearum.* ubi per synecdochen membri metonymicam intelligendæ sunt preces impositioni manuum à Paulo adjunctæ, quibus à Deo impetravit ut Timotheo donum docendi ecclesiam conferret.

24 Ex eod.v. *Presbyterii*] Ordinare ministros Ecclesiæ, pertinet ad presbyterium seu collegium presbyterorum: quo nomine intelliguntur tum episcopi seu pastores, tùm gubernatores qui censuræ morum & exercendæ disciplinæ unà cum illis præsunt. *Ordinatio ministrorum Ecclesiæ.*

25 Ex v.16. *Et teipsum servabis &c.*] Verbi Dei meditatio & prædicatio instrumentum seu medium est quo utitur Spiritus sanctus ad efficiendum salutem in electis, quatenus nimirum efficit in eis & conservat fidem in Christum. Confer Rom.1.v.16. & c.10.v.17. item 1.Cor.3.v.5.6.7. Joh.6.v.68. *Verbum Dei.*

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Tres sunt hujus capitis partes. In prima monet, quomodo se gerere debeat Timotheus in reprehensionibus privatis: in secunda, quam curam debeat gerere viduarum: in tertia, quomodo se debeat gerere erga presbyteros.

PRIMA PARS.

Seniorem ne increpato, sed hortare ut patrem: juniores, ut fratres:

2 Mulieres natu grandiores, ut matres: juniores, ut sorores, cum omni castitate.

Monet ut in reprehensionibus privatis observet mediocritatem, secundùm ætatis & sexus gradus. *Cum omni castitate*] Hoc annectit, quia Diabolus pudicitiæ juniorum cumprimis insidiatur, & occasione privati colloquii facilè ad eam lædendam abutitur.

SECUNDA PARS.

3 Viduas honora quæ verè viduæ sunt.

4 Quòd si qua vidua liberos aut nepotes habet, discant priùs *in* propriam domum pietatem exercere, & vicem rependere parentibus. hoc enim est honestum & acceptum coram Deo.

5 Porrò quæ verè vidua est ac sola, sperat in Deo, & permanet in supplicationibus & precibus nocte ac die:

6 At quæ lascivit, *ea* vivens mortua est.

7 Hæc igitur denuntiato, ut sint irreprehensæ.

8 Quòd si quis suis, & maximè domesticis, non providet; fidem abnegavit, & est infideli deterior.

9 Vidua allegitor non minor annis sexaginta; quæ fuerit unius viri uxor;

10 In operibus bonis idoneo testimonio ornata: si liberos educavit, si fuit hospitalis, si sanctorum pedes lavit, si afflictis subvênit, si omne bonum opus est assiduè sectata.

11 Porrò juniores viduas recusa: postquam enim lascivierint adversus Christum, nubere volunt:

12 Damnandæ quòd primam fidem rejecerint.

13 Simul autem etiam otiosæ *esse* discunt, circumeuntes domos: imò non solùm otiosæ, sed etiam nugaces & curiosæ, garrientes quæ non oportet.

14 Volo igitur juniores nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare adversario ad maledicendum.

15 Jam enim nonnullæ deflexerunt, sequutæ Satanam.

16 Quòd si quis fidelis, aut si qua fidelis, habet viduas, eis suppeditato quantum sufficit, & non onerator ecclesia; ut iis quæ verè viduæ sunt, sufficiat.

Monet quæ viduæ cooptandæ sint in collegium viduarum destinatarum ministerio pauperum, & maximè ægrotorum; ac proinde alendæ sumtu publico ecclesiæ: & contrà quæ non sint cooptandæ. In cooptandâ requirit quinque: primò ut sit destituta liberis aut nepotibus, quorum ope possit sustentari, v.3.4. & 16. secundò, ut dedita sit exercitiis pietatis, & aliena sit à luxu, v.5. & 6. tertiò, ut nata sit annos ad minimum sexaginta, v.9. quartò, ut fuerit unius viri (non autem plurium) uxor, vers. eod. quintò, ut habeat testimonium pietatis, re ipsa & factis declaratæ: cujusmodi factorum aliquot species commemorat, v.10. Porrò occasione primi requisiti præcipit de officio eorum qui vel matres vel avias viduas habent. Præcipit igitur ut eas alant. Rationes præcepti hujus affert tres: quarum primam sumit ab adjuncta honestate: *Hoc enim, inquit, est honestum.* item istud officium alendi, nominat *exercere pietatem.* Secundam rationem su-

nem sumit ab effectu utili: *Quia hoc acceptum est*, inquit, *coram Deo.* quo significat, Deum talem erga parentes beneficentiam remunerari: quippe quæ ei summopere placeat, ab eoque ordinata sit: v.4. Tertiam rationem petit ab adjuncta turpitudine contrarii, si scilicet officium istud negligatur: istud enim conjunctum esse cum abnegatione fidei, v.8. Hanc turpitudinem amplificat collatione minorum: quatenus affirmat, tales infidelibus deteriores esse, v.eod. Atq; hæc de viduis in collegium cooptandis & publico ecclesiæ sumtu alendis: de rejiciendis verò præcipit, ut rejiciat juniores: ejusque præcepti rationes affert quatuor. Prima est, quòd sint inconstantes, & facilè lascivientes rursus nubant, fide quâ se ecclesiæ ad ministerium obstrinxerant, rejectâ, v.11.& 12. Secunda, quòd indulgeant ignavo otio. Tertia, quòd discursent per domos, & aliena negotia curiosè inquirant. Quarta, quòd sint nugaces & garriant, quæ non oportet. Hæ tres rationes omnes comprehenduntur v.13. Quid autem junioribus viduis faciendum sit, præcipit v.14. ejusque præcepti rationem subjungit v.15. Postea v.16. repetit quod suprà v.4. præceperat de officio fidelium in viduis suis alendis.

TERTIA PARS.

17 Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentor: maximè qui laborant in sermone & doctrina.

18 Dicit enim scriptura, Bovi trituranti non obligabis os. Et, Dignus est operarius mercede sua.

19 Adversus presbyterum accusationem ne admittito, nisi sub duobus aut tribus testibus.

20 Eos qui peccant, coram omnibus argui: ut & reliqui timeant.

21 Obtestor in conspectu Dei, & Domini Jesu Christi, & electorum angelorum, ut hæc serves, absque eo ut unum alteri præferas, nihil faciens in alteram partem inclinando.

22 Manus citò ne cui imponito, neque communicato peccatis alienis: temetipsum purum serva.

23 Ne ampliùs esto abstemius: sed vino pauculo utere, propter stomachum tuum & crebras tuas infirmitates.

24 Quorundam hominum peccata antè manifesta sunt, præeuntia damnationi; quosdam verò subsequuntur.

25 Itidem & bona opera antè manifesta sunt: & ea quæ secus habent, occultari non possunt.

Hîc præcipit Apostolus Timotheo, quomodo se debeat gerere erga presbyteros. Præcepta tradit quatuor. Primum est, Unde sint alendi: videl. ex ærario ecclesiæ. Hoc præceptum primò illustrat distributione & collatione imparium. Distribuit enim presbyteros in eos qui ita præerant disciplinæ ecclesiasticæ, ut tamen publicè non docerent, & eos qui simul docebant: & hos cum illis comparat, ut majore honore dignos, ac proinde liberaliùs alendos, v.17. Deinde confirmat hoc præceptum testimonio scripturæ & sententiâ proverbiali, v.18. Secundum præceptum est, Quatenus adversus presbyterum admittenda sit accusatio: nempe non nisi sub duobus aut tribus testibus, v.19. Tertium præceptum est, Quomodo arguendi sint presbyteri qui peccant cum scandalo ecclesiæ: nempe coram cæteris omnibus, id est, coram toto presbyterio. Ratio præcepti annectitur ab effectu utili: quia ex tali reprehensione fit, ut reliqui sibi timeant, ne & ipsi similiter peccent: v.20. Hoc præceptum amplificat obtestatione gravissimâ, & remotione causæ corrumpentis, videl. προσκλήσεως, v.21. Quartum præceptum est, Quinam in collegium presbyterorum sint recipiendi, & ad ministerium ecclesiæ ordinandi, nempe ii tantùm quorum pietas antea probè fuerit explorata. Rationem præcepti inserit ab effectu inutili: quia si quis ordinet hominem impium, hoc ipso communicet illius peccatis, ac proinde communicaturus quoque sit pœnæ. Itaque hortatur ut se castum servet, hoc est, ne se polluat indulgendo alienæ nequitiæ. Atque hæc de presbyteris. Vers.23. inserit admonitionem privatam, hoc est, privatim spectantem ad Timotheum; de valetudine curanda. Duobus ultimis versibus de patefactione scelerum disserit: quæ sententia videtur cohærere cum versu 22. nempe cum quarto illo præcepto, de cavendo ne communicet peccatis alienis, si temere ordinet presbyteros. Declarat enim, nunc se de illis locutum, quorum peccata fuerint patefacta: & monet, occulta peccata suo tempore patefactum iri, ut ne impunè pium antistitem deceperint.

SCHOLIA IN CAP. V.

4 Discant] μανθανέτωσαν. *Nempe liberi illi aut nepotes.* In propriam domum] τὸν ἴδιον οἶκον. *Id est, familiam. Videlicet in matres aut avias.* Vicem rependere] ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι. *Videlicet in præbendis alimentis. Hoc Græci eleganter dicunt ἀντιπελαργεῖν, à natura* τῆ πελαργοῦ, *id est, ciconiæ, quæ parentes ætate confectos alit & humeris gestat: à qua beneficentia Hebræis nominatur* חֲסִידָה *chasidáh, id est, benefica.*

5 Sola] μεμονωμένη. *Desolata, id est, marito ac liberis grandioribus qui eam alere possent, orbata.*

6 At quæ lascivit] ἡ δὲ σπαταλῶσα. Die da gailist. *ut Jacob.5. v.5.* Vivens mortua est] ζῶσα τέθνηκε. *Vivens scil. vitam naturalem, mortua est morte spirituali. Tale est & illud:* Sine ut mortui sepeliant mortuos suos. *Videl. mortui spiritualiter, mortuos corporaliter.* ὀξύμωρον.

8 Quòd si quis] εἰ δέ τις. *Nempe si quis liberorum aut nepotum non prospicit suis viduis: ut v.4.*

9 Allegitor] καταλεγέσθω. *Id est, in catalogum seu numerum viduarum refertor.*

11 Postquam enim lascivierint adversus Christum] ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ χριστοῦ. *Idem verbum occurrit Apoc.8. v.7. & 9.* Adversus Christum] *Quippe cui fidem suam obstrinxerant, se posthac in pauperibus curandis perpetuò occupatas fore.*

12 Primam fidem] τὴν πρώτην πίστιν. *Videl. qua sese addixerunt ministerio pauperum & ægrotorum in ecclesia, & ex consequenti professæ sunt, se viduas mansuras.*

14 Juniores] νεωτέρας. *Nempe viduas: ex collatione præcedentium.* Adversario] τῷ ἀντικειμένῳ. *Id est, adversariis seu hostibus Ecclesiæ: vel Diabolo agenti per illos tanquam organa sua. Sic Diabolus à Petro nominatur* ὁ ἀντίδικος ἡμῶν, *adversarius noster, 1.Pet.5.8.*

17 Duplici honore] διπλῆς τιμῆς. *Id est, largioribus alimentis: ex collatione versus sequentis. Synecdoche generis in vocabulo* honoris, *& synecdoche speciei in epitheto* duplicis.

19 Nisi] ἐκτὸς εἰ μή. *Pleonasmus Apostolo familiaris. Sic 1.Cor.14.v.5. item 15.v.2.*

20 Eos qui peccant] τοὺς ἁμαρτάνοντας. *Nempe cum scandalo ecclesiæ: ut ex annexis liquet. Synecdoche generis.*

21 Absque eo ut unum alteri præferas] χωρὶς προκρίματος. *Videlicet per prosopolepsiam.* In alteram partem inclinando] κατὰ πρόσκλισιν. *Metaphora à bilance.*

22 Manus citò ne cui imponito] χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει. *Id est, Ne quem citò ordinato ad ministerium ecclesiæ, sed antè diligenter explorato; ut non nisi dignum ordines. Metonymia adjuncti, vel effecti destinati, & synecdoche membri. Estq; hîc tropus in ipsa phrasi.* Neque communicato peccatis alienis] μηδὲ κοινώνει ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις. *Ratio est præcepti præcedentis. quasi dicat, Nam si quem citò ac temere ordinaveris, qui indignus sit: communicabis peccatis illius, dum ille malè aut docebit aut vivet. Quanquam videri potest, contineri his verbis alteram præcepti partem, qua prohibet Apostolus Timotheo, ne consentiat aliis presbyteris, eligentibus aliquem ad ministerium ecclesiæ qui non sit dignus.* Purum] ἁγνόν. *Propriè,* Castum. *Metaphora. nam intelligit castitatem animi in judicando.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

1 Ex v.1. *Seniorem ne increpato &c.*] Senectuti debetur reverentia & honos, Levit.19.v.32. *Coram canitie assurgito, & honorem habeto faciei senis: & timeto à Deo tuo: Ego sum Jehovah.* *Senectus.*

2 Ex v.2. *Cum omni castitate*] Ministris verbi, præsertim junioribus, solicitè cavendæ insidiæ Diaboli: qui occasione colloquii, quod ex officio cum junioribus mulieribus instituunt, insidiatur pudicitiæ ipsorum. Orent igitur Deum ut suo spiritu castitatem ipsorum tueatur. *Ministri verbi Dei.*

3 Ex v.3. *Viduas honora &c.*] Piæ viduæ sese consolentur, quòd Deo curæ sunt: quippe qui hoc loco per os Apostoli mandavit ut pastores ecclesiarum rationem ipsarum habeant, ne quid illis ad sese honestè alendum desit. Sic Deus sese patrem pupillorum & defensorem viduarum nominat, Psal.63.v.6. *Consolatio pro piis viduis.*

4 Ex v.4. *Discant inprimis in propriam domum &c.*] Beneficentiæ sunt certi gradus ex diversitate objectorum. Cùm enim in omnes nostra ope indigentes benefici esse debeamus: tum inprimis in domesticos & cognatos. Sic Gal.6.v.10. beneficentiæ nostræ domesticos fidei præ cæteris commendat. *Beneficentia.*

5 Ex eod.v. *Vicem rependere parentibus*] Inter officia liberorum quæ debent parentibus, non postremum est ἀντιπελαργία, sive τὰ θρεπτήρια, id est, ut parentes ætate confectos vicissim alant, & erga eos benefici sint, more ciconiarum, quæ parentes ætate confectos & alere & humeris gestare dicuntur: à qua innata beneficentia etiam ciconia apud Hebræos חֲסִידָה *chasidáh*, id est, benefica nominata est. Sicut & apud Græcos nomen ἀντιπελαργίας deductum est à nomine πελαργὸς, quod ciconiam significat. *Officium liberorum.*

6 Ex v.5.& 13. Quomodo se gerere debeat vidua, hoc est, quibus potissimum virtutibus operam dare, & quæ vitia debeat cavere. Vide textum. *Vidua.*

7 Ex v.6. *Vivens mortua est*] Non est satis, nos vivere vitam corporalem: sed studendum ut vivamus in Deo per veram pietatem: nam impii etsi corporaliter vivant, tamen spiritualiter & coram Deo mortui sunt; quippe quos mors æterna manet, nisi per Dei gratiam fuerint conversi. De talibus mortuis loquitur Christus, quum ait: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.* Et Joh.5. *Veniet tempus, & nunc est, ut mortui audiant vocem filii Dei.* Item *Vita.*

Apoc.3. *Novi opera tua, quòd nomen habeas, quòd vivas: sed mortuus es.*

Officium hominis Christiani. 8 Ex v.8. *Fidem abnegavit*] Non est satis fidem ore profiteri: sed fides demonstranda est per suos fructus, id est, bona opera. Secus perinde est ac si fidē abnegaveris. Vide Jac.2.v.18.Gal.5.6.

Cognitio voluntatis Dei. 9 Ex v.eod. *Infideli deterior*] Quò quis voluntatem Dei certiùs novit, eò deterior est, si illi non obsequitur: ac proinde graviùs punietur quàm illi qui illam minùs norunt, juxta illud Christi: *Servus qui voluntatem Domini novit, nec facit, duplo vapulabit.*

Cælibatus. 10 Ex v.9. *Non minor annis sexaginta*] Quum Spiritus S. per os Pauli cælibatum viduarum non permittat nisi in ætate jam effœta, & quæ periculum omne incontinentiæ jam evasit: sequitur, legem perpetui cælibatus quæ in Papatu imponitur puellis, non esse à Spiritu sancto: quippe quum illæ incontinentiæ periculum nondum evaserint. Eadem est ratio cælibatus monachorum & sacerdotum. At contrà illis qui donum continentiæ non habent, servanda est lex Spiritus S. per os Pauli pronuntiata: *Ad vitandam scortationem unusquisque habeat propriam uxorem, & unaquæque habeat proprium maritum.* (1.Cor.7.v.2.) Porrò legis illius Pontificiæ impietatem auget, quòd isti cælibatui affingunt opinionem singularis cultus Dei, quasi is Deo magis placeat, quàm conjugium. Item quòd affingunt opinionem meriti, quasi sancto illo vitæ genere mererentur gratiam Dei, remissionem peccatorum & vitam æternam.

Hospitalitas. 11 Ex v.10. *Si fuit hospitalis*] Inter officia charitatis non postremum est hospitalitas: ad quam Apostolus fideles passim hortatur, ut Rom.12.v.13. Heb.13.v.2.& Petrus 1.Pet.4.v.9.

Officium hominis Christiani. 12 Ex v.14. *Nullam occasionem dare &c.*] Quum Diabolus in omnes occasiones intentus sit ut calumnietur doctrinam Christianam ex fidelium vita: solicitè singulis fidelibus cavendum, ne ullam calumniandi occasionem hostibus Ecclesiæ præbeant: sed serio studio pietatis, & sapiente gubernatione morum, omnes occasiones maledicendi illis præcidant.

Pietas. 13 Ex v.15. *Deflexerunt secuta Satanam*] Exitialis est deflexio à recto cursu pietatis: quippe quæ ex Dei filiis facit Satanæ mancipia, & à Christi gubernatione abductis Satanam ducem præficit. Etenim Satan in omnes regnum habet qui Christi non sunt. Unde & qui ex Ecclesia excluduntur, dicuntur Satanæ tradi, 1.Cor.5.v.5.& supr.cap.1.v.20.

Bona ecclesiastica. 14 Ex v.16. *Non oneratur ecclesia &c.*] Si peccant qui sibi parcentes, ecclesiam patiuntur sumtibus gravari: ergo magno sacrilegio se implicant, qui fraude aut rapinâ profanant quod semel dicatum erat ecclesiæ.

Auditores Evangelii. 15 Ex v.17.&18. Ecclesia ministris suis debet alimenta. Vide 1.Cor.9.

Auditores Evangelii. 16 Ex v.19. Fama ministrorum ecclesiæ singulis tuenda, quoad ejus fieri potest. Itaque criminationibus quibus illi à malevolis sæpe traducuntur, non temere credendum.

Ministri verbi Dei. 17 Ex v.20. Qui in ecclesia publicum scandalum dederunt, publicè à pastore arguendi sunt: ut reliqui similis reprehensionis metu à similibus scandalis sibi caveant.

Ministri verbi Dei. 18 Ex v.21. In ecclesiasticis cognitionibus summa, sine ullo præjudicio & personarum respectu, sinceritas observanda est.

Peccatum. 19 Ex v.22. Qui peccata aliorum non impediunt quantum in se est, sed illa indulgendo, aut ad ea connivendo, aut quovis modo fovent, illi peccatis alienis communicant.

Abstinentia vini. 20 Ex v.23. Etsi abstinentia vini, frænandæ carnis causâ suscepta, laudabilis est: tamen eatenus moderanda est, ne per eam valetudo lædatur.

Hypocrisis. 21 Ex v.24. Nemo hypocrita sibi persuadeat, fore ut sua hypocrisis perpetuò lateat ac fallat: tandem enim detegitur, & meritas pœnas aufert.

Consolatio contra calumnias. 22 Ex v.25. Si quis pius calumniis prematur, is sibi persuadeat, fieri non posse ut sua innocentia perpetuò occultetur: sed confidat fore, ut suo tempore in lucem erumpat.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Variæ admonitiones hoc capite continentur: ut de officio servorum, de vitandis perversis doctoribus, de servandâ æquanimitate, & fugiendâ avaritiâ, de sectandis omnis generis virtutibus Christianis, ac inprimis fortitudine in defendenda doctrina Christiana, de officio divitum, & deniq; de inani sophistices garrulitate fugienda: quas admonitiones deinceps sigillatim considerabimus.

PRIMA PARS.

QUicunq; sub jugo sunt servi, suos dominos omni honore dignos ducunto, ut ne nomen Dei & doctrina blasphemetur.

2 Qui verò fideles habent dominos, ne eos despiciunto, quòd fratres sint: sed potiùs inserviunto, quòd fideles sint ac dilecti, qui beneficentiam illam capessunt. Hæc doce, & exhortare.

SErvis præcipit ut dominos suos honorent, & fideliter eis serviant. Hoc præceptum illustrat distributione, quâ dominos distribuit in infideles & fideles: id est, in eos qui in Christum non credebant, & in eos qui credebant. Præcepti rationes affert duas: quarum priorem specialiter accommodat ad dominos infideles, posteriorem ad fideles. Prior ratio sumta est ab effectu inutili: quia nisi servi Christiani dominos suos infideles honoraverint, blasphemabunt illi nomen Dei, adscribendo servorum inobedientiam doctrinæ Evangelii, quasi hæc illius causa esset. Posterior ratio per prolepsin & inversionem exponitur. Objectio: Dominus meus est fidelis, ergo frater (omnes enim fideles fratres sunt in Christo) ac proinde non est quòd illum honorem: quippe quum pari dignitate sim præditus, ut qui tam sim filius Dei quàm ipse. Respondet per inversionem, & ita rationem præcepti exponit à causâ procreante: Dominus tuus frater est & dilectus à Deo, & unà tecum particeps beneficii Dei, nempe adoptionis & hæreditatis cælestis: Ergo eò magis abs te honorandus est. Istæ enim causæ honorem meritò conciliant.

SECUNDA PARS.

3 Si quis diversam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ;

4 Is turget, nihil sciens, sed insaniens circa quæstiones ac verborum pugnas: ex quibus nascitur invidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ,

5 Perversæ exercitationes hominum mente corruptorum, & qui privati sunt veritate, & quæstui habent pietatem. Secede ab iis qui ejusmodi sunt.

Hîc hortatur Timotheum ut vitet perversos doctores, nihilque commercii cum eis habeat. Rationem hujus exhortationis affert duplicem: unam à doctorum istorum adjunctis, alteram à doctrinæ ipsorum effectis. Loquitur autem de doctoribus, qui sub titulo doctrinæ Evangelii proponebant doctrinam profanæ philosophiæ, vel potiùs sophisticæ, comparatam ad ostentationem ingenii & eruditionis. Hos igitur vult vitari. Ratio jam est ab adjunctis: quia tales sint inflati opinione scientiæ, quum tamen nihil sciant: nempe nihil ad rectum Dei cultum & salutem animarum pertinens: sed tantùm otiosas & inutiles quæstiones disputent: item quia privati sint veritate, & pietatem quæstui habeant. Adjuncta igitur turpia hîc tria sunt: ambitio, inscitia, & avaritia. Altera ratio est ab effectis doctrinæ istorum: quippe ex qua nascatur invidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ & perversæ exercitationes: quæ omnia perniciosa effecta sunt.

TERTIA PARS.

6 Est autem quæstus magnus pietas cum animo suâ sorte contento.

7 Nihil enim intulimus in mundum; videlicet nec efferre quicquam possumus.

8 Sed habentes alimenta & quibus tegamur, hæc nobis satis erunt.

9 Qui autem volunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnosas, quæ demergunt homines in exitium & interitum.

10 Siquidem radix omnium malorum est amor pecuniæ: quem quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & seipsos transfixerunt doloribus multis.

Quoniam proximè dixerat, perversos doctores quæstui habere pietatem: nunc occasione istorum verborum hortatur Timotheum & omnes Christianos ad studium pietatis, scitè detorquendo nomen quæstus ad notandum vera illa & cælestia bona quæ studium pietatis secum adfert. Specialiter autem hortatur ad æquanimitatem in ferenda mediocritate, & contrà dehortatur ab avaritia. Ad pietatem igitur & æquanimitatem hortatur v.6. argumento ab effectu utili: *nam pietas*, inquit, *cum animo suâ sorte contento, est quæstus magnus*, id est, affert bona longè maxima, nempe solidam felicitatem. Deinde v.7. ab avaritia dehortatur ab effectu inutili: quia divitiæ nihil prosint post mortem: quippe cùm morientes nihil de nostris divitiis ex mundo efferamus. quam sententiam illustrat collatione similium: Sicut nascentes nihil divitiarum in mundum intulimus: sic morientes nihil efferemus. Tum v.8. exhortationem ad æquanimitatem proponit: ut scilicet contenti simus, habentes alimenta & quibus tegamur. V.9.& 10. alterum argumentum affert, quo ab avaritia dehortatur, quod sumtum est ab effectis perniciosis: quorum aliquot species enumerat, v.9. Deinde v.10. generalem sententiam annectit: quam ipsam exemplis specialibus, sed indefinitè, confirmat. Demum in principio v.11. sententiam ipsam dehortationis subjungit.

QUARTA PARS.

11 Tu verò, ô homo Dei, ista fuge: sectare autem justitiam, pietatem, fidem, charitatem, tolerantiam, lenitatem:

12 Decer-

12 Decerta præclarum illud certamen fidei: apprehende vitam æternam, ad quam & vocatus es, & professus præclaram illam professionē coram multis testibus.

13 Denuntio tibi coram Deo qui vivificat omnia, & Jesu Christo qui testatam fecit coram Pontio Pilato præclaram illam professionem;

14 Ut serves hæc mandata, maculæ & culpæ omnis expers, usque ad illustrem illum adventum Domini nostri Jesu Christi:

15 Quem temporibus suis ostendet ille beatus & solus princeps, rex ille regum & dominus dominorum:

16 Qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam; quem vidit nemo hominum, neque videre potest: Cui honor & robur æternum: Amen.

Postquam dehortatus est Timotheum ab avaritia, jam contrà hortatur eum ad varias virtutes Christianas, quibus pastores ecclesiarum inprimis ornatos esse decet: quas enumerat v.11. Præcipuè autem hortatur ad fortitudinem in decertando præclaro illo certamine fidei, v.12. h.e. in defendenda sana fidei Christianæ doctrina, & propter illam omnis generis ærumnis fortiter sustinendis. Hanc hortationem confirmat primùm ab effectu utili, videlicet gratuitâ illâ remuneratione vitę æternæ, qua Deus tanquam præmio fortes certatores remuneraturus est; quod argumentum exponit his verbis, *Apprehende* (ἐπιλαβοῦ, scilicet tanquam certator brabéum) *vitam æternam*. Deinde addit argumentum à destinato: quia ad vitam æternam, ac proinde etiam ad illud certamen, sit vocatus. Tertiò annectit argumentum à causa procreante, videl. professione ipsius qua sese ad istud certamen obligaverat. tale autem promissum cadit in debitum. Quam ipsam professionem confirmat testimonio multorum, nempe fidelium apud quos ordinatus fuit à presbyterio.

Postea vers.13. & 14. exhortationem hanc repetit gravissimâ obtestatione amplificatam, & plura argumenta inferit: ac initiò primum argumentum repetit, quatenus Deo tribuit epitheton *vivificantis omnia*, id est, vitam æternam tribuentis omnibus fortibus certatoribus etiamsi pro fide mortem oppetant. Deinde quartum argumentum adjungit, quod sumtum est ab exemplo Christi, qui fidem Christianam coram Pilato cum capitis periculo fortiter professus est. Tum v.14. & deinceps primum argumentum rursus repetit & confirmat: quatenus illustrem illum adventum Domini ad judicium commemorat, ubi omnibus suis fidelibus & maximè fortibus certatoribus præmia optatissima vitæ æternæ largiturus est, & Pater per illum: quatenus nimirum sese illis fruendum dabit. qua fruitione summa felicitas & gloria continetur: quum ipse sit beatus & solus princeps, rex regum &c. Quarum augustissimarum rerum commemorationem concludit δοξολογίᾳ, id est, voto quo exoptat ut gloria Dei in æternum celebretur.

QUINTA PARS.

17 Iis qui divites sunt in hoc sæculo, denuntia ne efferantur animo, neque spem ponant in divitiis incertis; sed in Deo vivo, qui præbet nobis omnia copiosè ad fruendum:

18 Ut *aliis* benefaciant, ut divites sint operibus bonis, faciles ad impertiendum, facilis convictus:

19 Recondentes sibi fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant æternam illam vitam.

Sequitur alia quædam admonitio, quæ specialiter ad divites pertinet. Hos vult moneri: Primùm ne efferantur animo, id est, ne propter divitias præ se contemnant pauperes. Deinde ne in divitiis spem ponant. Rationem adjungit ab effectu inutili: quia divitiæ sint incertæ, ac proinde spes, quæ in illis ponitur, fallax. Contrà hortatur ut spem ponant in Deo. Rationem adjungit duplicem: unam, quia Deus est vivus, id est, sicut ipse vivit, sic etiam vitam eorum conservat qui in ipso spem ponunt: alteram, quia ipse præbet nobis omnia copiosè ad fruendum. Deinde hortatur, ut benefaciant egenis, & faciles sint ad impartiendum atque communicandum. Tum ut divites sint in operibus bonis, id est, ut in omnis generis bonis operibus se exerceant: v.18. Hanc hortationem confirmat v.19. ab effectu utili; quia sic futurum sit, ut apprehendant vitam æternam: quippe quam Deus omnibus piis promisit: pietatis autem, bona opera testimonia sunt.

SEXTA PARS.

20 Timothee, depositum serva, & aversare profanos illos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falsò nominatæ scientiæ:

21 Quam nonnulli præ se ferentes, circa fidem aberrarunt à scopo. Gratia sit tecum: Amen.

Ad extremum rursus de doctrina monet: ut scilicet sanam fidei doctrinam apud se depositam fideliter servet: & contra profanas humanæ philosophiæ disputationes aversetur. Rationem adjungit ab eventu pernicioso, videl. quòd sic aberretur à sana fidei doctrina: quod ipsum exemplis specialibus indefinitè confirmat. Postremò salutatione apostolicâ concludit.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 Subjugo] ὑπὸ ζυγόν. *Nempe servitutis. Metaphora.*

2 Fideles] πιστούς. *Id est, Christianos.*

6 Est autem quæstus] ἔστι δὲ πορισμός. *Similem sententiam vide supr. 4.8.* Cum animo suâ sorte contento] μετ' αὐταρκείας. *Αὐτάρκεια, propriè est ea facultatum copia quæ sufficit ad rem gerendam, ita ut nihil quis extrà desideret: sed hîc refertur ad judicium mentis, aut certè affectum animi, quum quis putat, sibi satis esse, ac proinde sua sorte contentus nihil ampliùs desiderat. Metonymia subjecti occupantis: videl. sufficientia pro opinione sufficientiæ.*

7 Nihil enim intulimus] οὐδὲν γὰρ εἰσηνέγκαμεν. *Similis huic est illa sententia Jobi:* Nudus egressus sum ex utero matris meæ, & nudus revertar illuc: *Job 1.v.21.*

9 In tentationem & laqueum] εἰς πειρασμὸν καὶ παγίδα. *Nempe Diaboli.*

10 Quem] ἧς. *Quem, scil. amorem pecuniæ. ἧς, scil. φιλαργυρίας. Pro, quam pecuniam. Metonymia adjuncti.*

11 Homo Dei] ὦ ἄνθρωπε τοῦ θεοῦ. *Id est, serve Dei, in annuntiando scil. Dei verbo. Sic 2.Tim.3.17.*

12 Apprehende] ἐπιλαβοῦ. *Scil. veluti brabéum seu præmium certaminis. Manet in metaphora. Sic 1.Cor.9.24. Item Philip.3.13. & 14.* Coram multis testibus] ἐνώπιον πολλῶν μαρτύρων. *Nempe coram presbyteris: suprà 4.14.* Coram Pontio Pilato] ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου. *Vide Joh.18.37.*

15 Quem] ἥν. *Quem, scil. adventum. ἥν. scil. ἐπιφάνειαν. Ex v. præcedente.* Ille beatus & solus princeps &c.] ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάστης. *Periphrasis Dei patris. Ubi notandum, Christum cum Patre comparari ratione carnis, in qua manifestatus est, & in qua conspiciendum se præbebit. Secundùm deitatem verò ejusdem cum Patre essentiæ ac majestatis est, ac proinde per particulam μόνος, id est, solus, non excluditur, neque hoc, neque sequente vers. Similis est locus Joh.17.v.3.*

16 Quem vidit nemo] ὃν εἶδεν οὐδείς. *Puto hoc simpliciter intelligendum de visione oculorũ: ut conveniat hæc periphrasis cum epitheto ἀόρατος, id est, invisibilis: quo usus est Apostolus supr. 1.17. At Joh.1.18. sermo est de visione mẽtis, qua Deus ad salutẽ cognoscitur.*

20 Depositum] τὴν παραθήκην. *Id est, sanam Evangelii doctrinam, fidei tuæ commissam; ut eam in ecclesia administres.*

21 Aberrarunt à scopo] ἠστόχησαν. *Hoc declarat 2.Tim.2.18.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

1 Ex v.21. Qui fidem Christianam profitentur, & interim recusant obedientiam erga Dei præcepta: illi infidelibus occasionem præbent blasphemandi nomen Dei & doctrinam cælestem: quasi illa impietas, doctrinæ cælestis fructus esset. Sic Rom.2.24. *Nomen Dei propter vos blasphematur inter Gentes.* *Officium hominis Christiani.*

2 Ex v.1. & 2. Libertas Christiana quæ annuntiatur fidelibus in Evangelio, non tollit servitutem civilem: sed eam potiùs sancit ac moderatur. Cavendum igitur, ne quis libertate Christianâ abutatur ad excutiendum servitutis civilis jugum. *Libertas Christiana.*

3 Ex v.3.4.5. In simplici doctrina pietatis acquiescendum: vanæ autem quæstiones, id est, quæ ad pietatem nihil conferunt, cavendæ: & disputatores earum vitandi sunt. *Officium hominis Christiani.*

4 Ex v.6. Quum pietas sit quæstus magnus; quippe adferens bona longe maxima, nempe cælestia illa: ergo studeamus pietati, ut bonorum illorum compotes reddamur. Vide supr. c.4.v.8. *Pietas. Officium hominis Christiani.*

5. Ex v.eod. Is demum verè dives est, qui sorte suâ contentus est: contrà, mendicant semper avari. Et avaro tam deest quod habet, quàm quod non habet. *Dives.*

6 Ex v.7. & 8. Stulti sunt qui rebus caducis adeò cupidè inhiant, ut expleri nullo modo possint: quum tamen eo, quod supra modum est, non possint frui. *Bona terrena.*

7 Ex v.9. & 10. Quum avaritia & cupiditas divitiarum tam periculosa & perniciosa res sit, ut hîc ab Apostolo monemur: oremus igitur Deum, ut cor nostrum ab ista cupiditate avertat. *Avaritia.*

8 Ex v.11. Pastores ecclesiarum singulari studio sectentur virtutes illas Christianas, quas Apostolus hîc commemorat. *Ministri verbi Dei.*

9 Ex v.12. & deinceps. Pastori ecclesiæ pro fide Christiana decertandum est: in quo certamine eum confirmare debent hæ potissimùm tres rationes: una, quòd certamen istud est honestum ac præclarum: quippe pro cælesti ac divina veritate susceptum. Secunda, quòd idem certatori est utile: quia præmium ei propositum est vita æterna: quam Christus fortiter certantibus certò daturus est. Vide 2.Tim.4.v.7. & 8. Apoc.2.v.7. & 26. Item cap.3.v.12. & 21. Matth.19. v.28. & 29. 1.Cor.9. & 24. & deinceps. Tertia ratio est, quòd in isto certamine antesignanum habent Christum, qui coram Pilato veritatem cælestem de persona & officio suo rotundè professus est: nempe se esse regem illum Judæorum, id est, Christum Judæis promissum, ac proinde filium Dei. *Ministri verbi Dei.*

10 Ex v.15. Quum Deus sit rex regum & dominus dominantium: ergo regibus ac dominis terrenis eatenus obediamus, quatenus illi ab obedientia Dei nos nõ abducunt. Secus teneamus illud Petri Act.5. *Oportet Deo obedire potiùs quàm hominibus*: Item minis principum opponamus potentiam Dei: atque ita in nostra *Obedientia.*

stâtione fortiter permaneamus. Denique promissis illorum quibus nos à professione veritatis cælestis avocare conantur, opponamus solidam illam beatitudinem, quę reposita est apud Deum: qui ut solus verè beatus est, ita sibi fidentes beatos reddit.

Deus. 11 Ex v.16. Notentur quinque attributa Dei: videl. immortalitas, incomprehensibilitas, invisibilitas, gloria, & potentia.

Dives. 12 Ex v.17. & 18. Divites inprimis sibi caveant à superbiâ & fiduciâ divitiarum: & contrà studeant spem omnem ponere in Deo vivo, & faciles esse ad benefaciendum egenis.

Vita æterna. 13 Ex v.19. Quæritur: an divites suâ erga pauperes beneficentiâ vitam æternam à Deo promereantur? Id enim videntur innuere verba Pauli, quum ait, divites per beneficentiam sibi recondere fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant vitam æternam. Respondeo: Vitam æternam solus Christus suâ morte nobis est promeritus, ut passim scriptura testatur. Paulus autem hîc loquitur non de causâ meritoriâ vitæ æternæ, sed de viâ qua electi eò adducuntur à Deo. Illa autem est via bonorum operum.

14 Ex v.20. Singuli Ecclesiæ doctores & pastores subinde diligenter considerent, quàm pretiosus thesaurus à Deo apud se sit depositus, videl. cælestis veritas. Quare in illo thesauro asservando solicitè vigilent: contrà autem profanas de rebus inanibus disputationes aversentur. *Ministri verbi Dei.*

15 Ex v.21. Si expetimus genuinam ac sinceram fidei Christianæ doctrinam: hæreamus simplici ac puro Dei verbo; sophisticen verò & profanas argutias detestemur. *Officium hominis Christiani.*

F I N I S.

ANALYSIS LOGICA

EPISTOLÆ PAULI

Ad Timotheum posterioris.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

HÆc epistola continet exhortationes varias. Hortatur enim Paulus Timotheum ad studium proficiendi in cognitione Evangelii & facultate illius prædicandi, ad fortitudinem & prudentiam & sinceritatem in illo prædicando, ad diligentiam in aliis ad ministerium Evangelii informandis, ad tolerantiam afflictionum Evangelii causâ, ad laborum in ministerio Evangelii obeundo, ad fortitudinem in vanis doctoribus cohibendis, ad studium pacis, ad lenitatem in ignaris erudiendis, ad hypocritas veritati resistentes aversandum, ad doctrinam ab ipso acceptam constanter retinendum & assiduè prædicandum. Hisce autem exhortationibus permixtæ sunt consolationes quædam. Consolatur enim Timotheum contra scandalum è suis vinculis, contra quorundam ab Evangelii professione defectionem, contra adversationem hypocritarum, contra desertionem sui à quibusdam fratribus. Sub finem monet, fore ut brevi supplicio afficiatur, ac proinde petit, ut Timotheus quam-primùm ad se veniat, Marcum secum adducat, & res quasdam suas sibi adferat.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Præmissâ salutatione, orditur à commemoratione earum rerum quæ pertinebant ad testandum ipsius erga Timotheum amorem: deinde illum hortatur ad studium proficiendi in cognitione Evangeli, & facultate illius prædicandi, item ad fortitudinem & prudentiam in illo prædicando, nec non ad constantem Evangelii confessionem, & ad tolerantiam afflictionum illius causâ: ubi exponit per occasionem beneficium Dei erga electos in conferendâ ipsis salute seu vitâ æternâ: item annectit consolationem, quâ & seipsum & Timotheum contra sua vincula consolatur. Tum ad exhortationes redit, & Timotheum ad sinceritatem hortatur, ac prudentiam in doctrinâ Evangelii proponendâ. Postremò occurrit offendiculo, quòd ex sui à quibusdam desertione poterat exoriri: cui desertioni constantiam cujusdam Onesiphori opponit.

PAulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundùm promissionem vitæ quæ est in Christo Jesu.

2 Timotheo dilecto filio, sit gratia, misericordia, pax à Deo patre, & Christo Jesu Domino nostro.

HIs duobus versibus continetur salutatio: cujus partes sunt tres: prima, ὑπογραφὴ, subscriptio, exprimens nomen ejus qui salutat, & epistolam hanc scribebat, vers.1. Secunda, ἐπιγραφὴ, inscriptio, exprimens nomen ejus qui salutatur & ad quem epistola hæc scribebatur. Tertia, ipse ἀσπασμὸς, seu ipsa salutatio, apostolicâ loquendi formulâ constans, v.2. Nomen ejus qui hanc epistolam scripsit, est *Paulus*, de quo diximus in epistola ad Rom. Huic addit nomen officii, nominans se *apostolum Jesu Christi:* ad conciliandum huic epistolæ authoritatem. Apostolatum autem suum amplificat commemoratione *voluntatis Dei* tanquam causæ procreantis, & commemoratione *promissionis vitæ*, tanquam subjecti occupantis. Significat enim, se à Christo emissum atque legatum esse ex voluntate Dei patris ad annuntiandum hominibus promissionem illam Dei, quâ is vitam æternam promisit omnibus in Christum credentibus. Nomen ejus ad quem hæc epistola scripta est, est *Timotheus:* de quo vide in Actis cap.16.v.1.2.3. item cap.17.v.14. & 15. item cap.18.v.5. item cap.19.v.21. item cap.20.vers.4. Hunc cognominat *filium dilectum*, ad testandum paternum suum erga eum amorem: ac simul ad ipsius ætatem videtur respicere: erat enim Timotheus juvenis: ut liquet ex epistola superiore cap.4.v.12. Paulus autem jam erat senex: ut patet ex epistola ad Philemonem, vers.9. In salutatione exoptat illi tria: *gratiam, misericordiam, & pacem:* similiter ut in epistola superiore: ubi expositionem horum vide.

3 Gratiam habeo Deo, cui servio à majoribus cum pura conscientia; prout assiduam tui memoriam teneo in precibus meis nocte ac die:

4 Desiderans te videre, memor tuarum lacrymarum, ut gaudio replear:

5 Revocans in memoriam, eam quæ in te est, non simulatam fidem; quæ habitavit priùs in avia tua Loide, & matre tua Eunica: persuasus sum autem quòd in te quoque.

His verbis continetur procemium, accommodatum ad comparandum vel potiùs alendum atque fovendum Timothei erga se benevolentiam: ut nimirùm eò libentiùs admonitiones Pauli admittat, & eò studiosiùs illas observet. Ad hoc igitur consequendum testatur de singulari suo erga ipsum amore, & fidem illius collaudat. Ac amorem quidem suum significat partim ex effectis, partim ex causis. Effecta commemorat duo: videlicet assiduam Timothei memoriam, & desiderium ejus videndi. Memoriam autem Timothei per duas partes declarat: ostendit enim, se ita ejus meminisse, ut & gratias Deo agat pro ipso, nempe pro donis in illum collatis, & eundem precetur pro ipso, nempe ut illi sua dona augeat, eumque in sua gratia conservet. Atque hæc erant in Paulo amoris erga Timotheum effecta. Jam ejusdem amoris causas procreantes commemorat duas: memoriam lacrymarum illius, & memoriam sinceræ ejus fidei. Per lacrymas videtur intelligere eas quas Timotheus profundere solitus fuit propter Paulum, quum eum peregrinantem comitans, eique ministrans, videret ipsum variè ab hostibus Evangelii affligi: vel quas profudit propter seipsum, quum Paulus ab ipso discederet. Id quod erat manifestum amoris erga Paulum signum: qui amor amorem Pauli erga ipsum vicissim peperit. Porrò fidem Timothei illustrat collatione similium: comparans illi, ut in ea fide similes, tum aviam, tum matrem ipsius. Cæterùm initio istius narratiunculæ inserit testificationem de sincera sua pietate: quæ testificatio ipsa quoque huc spectat, ut Timotheus admonitiones à Paulo profectas, & lubens admittat, & studiosè observet.

6 Quam

6 Quam ob causam suggero tibi ut exsuscites donum Dei quod est in te per impositionem manuum mearum.

7 Non enim dedit nobis Deus spiritum timiditatis; sed roboris, & charitatis, & sanitatis animi.

8 Ne igitur te pudeat testimonii Domini nostri, neque te pudeat mei, qui sum captivus ipsius: sed esto particeps afflictionum Evangelii, ex potentia Dei:

9 Qui servavit nos, & vocavit vocatione sanctâ: non ex operibus nostris, sed ex suo proposito, & gratiâ; quæ data quidem est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia:

10 Sed patefacta nunc est per illustrem illum adventum servatoris nostri Jesu Christi; qui & mortem abolevit, & vitam in lucem produxit, ac immortalitatem per Evangelium.

11 Cujus causâ constitutus sum ego præco & apostolus, ac doctor Gentium.

12 Quam ob causam & hæc patior: sed non pudefio. novi enim cui crediderim; & mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem servare.

Hîc primò Timotheum exhortatur ad studium proficiendi in cognitione Evangelii, & facultate illius prædicandi, v.6. Secundò ad fortitudinem & prudentiam in Evangelii prædicatione adhibendam, v.7. Tertiò ad constantem Evangelii confessionem, & ad tolerantiam afflictionum illius causâ, v.8. Quartò, annectit postremæ illius hortationis argumentum seu rationem; sumtam ab Evangelii subjecto in quo exponendo illud occupatur: quod nimirum est potentia illa Dei, itemque gratia, quam exseruit in salute electis conferendâ: unde intelligitur, Evangelii doctrinam dignam esse propter quam aliquid patiamur, v.9.10. Quintò, addit alteram illius exhortationis rationem, petitam ab ipsius Dei judicio atque sententiâ de Evangelio: quippe quod Deus tanti momenti esse judicat, ut ad ipsum toti orbi annuntiandum constituerit Paulum apostolum, v.11. Sextò, annectit tertiam institutæ hortationis rationem, quam ducit à suo ipsius exemplo: quippe qui non recuset Evangelii causâ vincula judicio mundi probrosa pati. ubi per prolepsin addit consolationem, qua contra probrum suorum vinculorum, & terrorem instantis supplicii, tum seipsum, tum Timotheū, consolatur expositione læti exitus, videlicet salutis suæ æternæ: cujus fiduciam confirmat authoritate promissionis Dei: qui nimirum & verax & omnipotens est, v.12.

13 Expressam formam teneto sanorum sermonum, quos à me audisti, cum fide & charitate quæ *est* in Christo Jesu.

14 Præclarum illud depositum serva per Spiritum sanctum, qui inhabitat in nobis.

Pergit in exhortationibus: & hortatur hîc Timotheum tum ad sinceritatem in doctrina Evangelii tradenda, tum ad prudentiam in illa accommodanda ad usum: quem ostendit duplicem, videlicet ut auditores proficiant in fide & charitate, v.13. Deinde hortatur eum ad solicitudinem in Evangelii doctrina pura servanda, argumento ducto à causa procreante, videl. jure depositi: simulque per prolepsin ostendit causam adjuvantem, cujus ope illud jus possit præstare, videl. ope Spiritus sancti.

15 Nosti hoc, quòd se averterint à me omnes qui sunt in Asia: ex quibus est Phygellus & Hermogenes.

16 Præstet misericordiam Dominus Onesiphori familiæ: quoniam sæpe me recreavit, & catenam meam non erubuit.

17 Imò quum esset Romæ, studiosissimè quæsivit me, & invênit.

18 Det ei Dominus ut inveniat misericordiam apud Dominum in die illo. Quàm multa etiam Ephesi subministrârit, tu optimè nôsti.

Hîc occurrit offendiculo quod oboriri poterat ex sui à quibusdam desertione: quos ideò nominatim exprimit, ut intelligat Timotheus, illos sibi esse cavendos, v.15. Istis autem opponit Onesiphorum: cujus erga se fidem atque beneficentiam, & in Evangelio confitendo constantiam collaudat: eique ac domui illius remunerationem à Deo exoptat, v.16.17.18.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Secundùm promissionem &c.] κατ' ἐπαγγελίαν. *Id est, ad annuntiandum hominibus promissionem illam Dei, qua is vitam æternam promisit omnibus in Christum credentibus. Simili significatione accipitur præpositio* κατὰ, *Tit.1.v.1. nempe ut notet finem seu causam finalem: more literæ Hebræorum Lamed, quæ interdum valet* εἰς *sive* πρὸς, *interdum* κατὰ.

2 Filio] τέκνῳ. *Hæc metaphora tria notat: ætatem Timothei: nam erat junior; Paulus autem jam senex. deinde affectum animi sui ergà illum: nam diligebat eum ut filium. tum ministerii sui effectum, quo illum genuerat in fide Christi.*

3 Gratiam habeo Deo] χάριν ἔχω τῷ θεῷ. *Similis huic locus exstat Rom.1.v.8.9.10. & 11. ex cujus collatione hic præsens plenius poterit legi ad hunc modum:* χάριν ἔχω τῷ θεῷ ὑπὲρ σοῦ· μάρτυς γάρ μού ἐστιν ὁ θεὸς, ᾧ λατρεύω ἀπὸ προγόνων ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περὶ σοῦ μνείαν *&c. Id est,* Gratiam habeo Deo pro te. *testis enim mihi est Deus cui servio à majoribus cum pura conscientia, quòd assiduam tui memoriam teneam &c. Absque hoc supplemento planè non liquet, unde pendeat conjunctio* ὡς, *ubi dicitur,* ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω *&c.*

6 Ut exsuscites] ἀναζωπυρεῖν. *Metaphora à scintillâ in cineribus asservatâ, quæ molli flatu exsuscitatur ut flammam concipiat.* Donum Dei] τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ. *Videl. facultatem docendi Evangelium. Synecdoche generis.* Per impositionem manuum mearum] διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου. *At 1.Tit.4.14. ait, donum hoc in Timotheum collatum esse per impositionem manuum presbyterii. Hæc non pugnant: quia presbyterii nomine Paulus manus Timotheo imposuit; atque ita eum ad ministerium Evangelii ordinavit.* Antilogiæ apparentis conciliatio.

7 Spiritum timiditatis] πνεῦμα δειλίας. *Id est, Spiritus sanctus, quem Deus nobis dedit, non est spiritus timiditatis, sed roboris: hoc est, non operatur timiditatem, sed robur, charitatem &c. Genitivus effecti. Similis locutio exstat Rom.8.v.15.*

8 Testimonii Domini nostri] τὸ μαρτύριον τοῦ κυρίου ἡμῶν. *Id est, Evangelii: quod est testimonium de Domino nostro Jesu Christo. Sicut ipse ajebat ad apostolos,* Et eritis mihi testes, *Act.1.v.8. testantes nimirum, eum esse mortuum pro peccatis nostris, & sepultum esse & excitatum tertiâ die, & ascendisse in cælum, & inde venturum ad judicium. Periphrasis.* Captivus ipsius] τὸν δέσμιον αὐτοῦ. *Id est, ipsius causâ seu propter ipsum, videl. propterea quòd testimonium ipsi perhibeo. Genitivus efficientis.* Esto particeps afflictionum Evangelii] συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ. *Id est, sicut Evangelium patitur contradictionem à falsis doctoribus: ita tu patere persecutionem à mundo propter Evangelii confessionem & prædicationem.* Ex potentia Dei] κατὰ δύναμιν θεοῦ. *Id est, fretus potentiâ Dei. Sic 1.Tim.1.v.12. Gratiam habeo* τῷ ἐνδυναμώσαντί με.

9 Data] τὴν δοθεῖσαν. *Id est; quam decrevit nobis dare Deus. Metonymia subjecti. Etenim reipsa data est nobis isthæc gratia per efficacem vocationem in tempore, non autem ante tempora sæcularia, id est, ante mundum conditum.*

10 Per illustrem illum adventum] διὰ τῆς ἐπιφανείας. *Ad verbum, Per manifestationem. Loquitur autem hîc de adventu Christi primo, quo vênit in carnem, & in carne manifestatus est. Aliâs isto nomine ferè intelligit adventum Christi secundum, quum venturus est ad judicium; ut 2.Thess.2.v.8.* Mortem abolevit] καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον. *Nempe per mortem suam, Heb.2.v.14.* In lucem produxit] φωτίσαντος. *Scil. eâdem virtute qua olim lucem eduxit è tenebris in creatione mundi. Eò enim videtur respicere. Quò etiam videtur spectare, quòd primo die hebdomadis resurrexit ex morte: sicut scil. primo die hebdomadis lucem creavit.* Per Evangelium] διὰ τοῦ εὐαγγελίου. *Videl. tanquam per testimonium de vita parta per mortem ipsius.*

12 Novi enim cui crediderim] οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευκα. *Id est, Novi enim quàm verax ac potens sit is cui credidi. Synecdoche generis.* Depositum meum] τὴν παραθήκην μου. *Id est, vitam æternam seu felicitatem meam quam apud eum deposui per fidem ac spem. Metaphora.* In illum diem] εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν. *Nempe quo Christus venturus est ad judicium. Synecdoche generis.*

13 Expressam formam] ὑποτύπωσιν. *Vel informationem: vel delineationem. Videtur intelligere brevem ac rudem descriptionem seu consignationem: quam in conspectu habeat, & cujus ductum sequatur in docendo. Metaphora sumta à pictoribus: qui picturi imaginem, primò ruditer eam delineant; deinde vivos colores inducturi, ductum istorum lineamentorum sequuntur: ut* ὑποτύπωσις *idem hîc sit quod* σκιαγραφία. *nam aliâs illustrem orationem significat, quæ res veluti ante oculos depingitur.* Sanorum sermonum] ὑγιαινόντων λόγων. *Id est, salubrium seu salutarium, conducentium nimirum ad sanitatem animi.* Cum fide & charitate] ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ. *Vel,* In fide & charitate. *Ut significetur, sanctam doctrinam declaratione fidei & charitatis exprimendam. Præpositio* ἐν *non pendet à præcedente verbo* ἤκουσας: *sed vel à verbo* ἔχε; *& tum convenit interpretatio proposita: vel à participio subaudito,* τῶν ὄντων, *videlicet* λόγων; *& tum vertendum erit,* Qui sunt de fide & charitate. *Vel,* Qui occupantur in fide & charitate.

14 Depositum] παρακαταθήκην. *Videlicet Evangelium: ut 1.Tim.6.v.20.*

15 Quòd se averterint à me] ὅτι ἀπεστράφησάν με. *Id est, quòd me deseruerint: quippe quòd eos puderet mei propter vincula. Hanc expositionem confirmat collatio eorum quæ sequuntur de Onesiphoro. Similis querela exstat infr.cap.4.v.10. & 16.* Omnes qui sunt in Asia] πάντες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ. *Videl. ministri Evangelii.*

16 Catenam meam] τὴν ἅλυσίν μου. *Quâ scil. ego vinctus teneor Romæ sub militari custodia: cujus hic erat modus, ut capti-*

vus longiusculâ catenâ dextram haberet devinctam; cuius alterum extremum sinistra militis alligabatur, ut pariter incederent.

18 Ut inveniat] εὑρεῖν. *Id est, ut consequatur seu adipiscatur misericordiam. Hebraismus. Sed Apostolus delectatus est ἀντανακλάσει, figurâ sibi familiari. Præcessit enim,* Invênit me. In die illo] ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. *Ut vers.12.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

Evangeliũ. 1 Ex v.1. Ex verbis, *Secundùm promissionem vitæ.* Evangelium est promissio vitæ, id est, promissio Dei, qua is promittit vitam æternam omnibus in Christum credentibus. Quare Evangelio credamus, ut vitam æternam consequamur.

Vita æterna, Christus. 2 Ex eod. v. ex verbis, *Vita quæ est in Christo Jesu.* Vitæ æternæ author est Christus: idque duobus modis: merito, & efficaciâ. nam & vitam æternam nobis est promeritus suâ morte; & per Spiritum sanctum in nobis efficit fidem, qua promissionem vitæ æternæ amplectimur, atque ita illius compotes reddimur. Huc pertinet illud Act.3.v.15. ubi Petrus Christum vocat ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς, ducem seu principem vitæ, **den hertzogen des lebens.** Et Act.4.v.12. *Non est in alio quoquam salus &c.*

Beatitudo. 3 Ex v.3. Is demum verè beatus est, cui contingit gratia, misericordia & pax à Deo patre & Christo Jesu Domino nostro. Hæc enim Apostolus Timotheo exoptat, tanquam ea in quibus veræ beatitudinis summa sit posita. Quare hæc eadem nos quoque singuli nobis potissimùm exoptemus, eaque adepti (adipiscimur autem ea per fidem in Christum) in illis acquiescamus, Deoque pro tantis bonis gratias agamus; & ut ea nobis conservet, assiduè oremus.

Cultus Dei. 4 Ex v.3. ex verbis, *Cui servio à majoribus cum pura conscientia.* Verus Dei cultus cum pura conscientia conjunctus est. Pura autem conscientia est, qua quis sibi conscius est, peccata sua sibi esse remissa propter Christum, seque teneri serio studio vivendi secundùm omnia Dei præcepta, atque ita Deo placendi. Cultus igitur Dei prout obitur ab hypocritis, verus Dei cultus non est, nec Deo placet: sed eum potiùs offendit. qua de re vide 1.cap. Esa. Quare demus operam ut habeamus ac retineamus puram conscientiam: quum secus placere Deo non possimus.

Officium hominis Christiani. 5 Ex eod. v. ex verbis, *Prout assiduam tui memoriam teneo in precibus meis.* Officium Christianorum est, exemplo Pauli, assiduè orare pro fratribus, hoc est, pro aliis Christianis: ac inprimis pro ministris verbi.

Officium hominis Christiani. 6 Ex v.4. ex verbis, *Memor tuarum lacrymarum.* Exemplo Timothei decet nos lacrymari ac tristari, cùm videmus aut audimus, pios ministros verbi Dei propter Evangelium persecutionem pati. Huc pertinet illud ad Rom.12. *Flete cum flentibus.* Item ad Heb.13. *Memores estote vinctorum, tanquam unà cum illis vincti: eorum qui malis premuntur, ac si ipsi quoque corpore afflicti essetis.*

Fides. 7 Ex v.5. ex verbis, *Non simulatam fidem.* Fidem oportet esse non simulatam. Talis autem est quæ efficax est per charitatem: sicut declarat Paulus Gal.5.v.6. Huc illud Johannis 1.Joh.3. *Ne diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate.* Item illud Jacobi c.2. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis.*

Ministri verbi Dei. 8 Ex v.6. ex verbis, *Ut exsuscites donum Dei.* Ministri verbi Dei assiduè operam dare debent ut facultatem docendi, quam ex Dei dono acceperunt, exsuscitent & foveant: id quod fit assiduâ meditatione verbi Dei, & exercitatione docendi, sive privatim singulos, sive publicè universos. Huc pertinet parabola Christi de talentis quæ Dominus peregrè proficiscens servis commisit ad lucrandum. ubi notandum epiphonema Christi: *Omni habenti dabitur, ut abundet: qui verò non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo,* Matth.25.v.29. Quibus verbis significat, eum qui dona Dei sedulò exercet, auctum illis iri: qui verò ea negligit, privatum illis iri propter ignaviam.

Ordinatio ministrorum verbi Dei. 9 Ex eod. v. ex verbis, *Quod est in te per impositionem manuum mearum.* Quum Timotheus à Paulo & presbyterio ad ministerium Ecclesiæ ordinatus sit per impositionem manuum, ut liquet ex hoc loco, & illo 1.Tim.4.v.14. quæritur, an illa cærimonia etiam hodie in ordinandis Ecclesiæ ministris observanda sit? Respondeo cum distinctione: Videtur illa cærimonia etiam hodie observanda, decori causâ. Etenim in Ecclesia omnia fieri debent decenter & ordine, ut monet Apostolus 1.Cor.14.v.ult. Veruntamen observatio hæc debet esse libera, quippe ἀδιάφορος: quum nec sit à DEO præcepta, neque interdicta: sed liberè (ut apparet) ab apostolis & apostolicis viris usurpata; idque ad imitationem illorum qui sub Lege pecudes per impositionem manuum Deo consecrabant ad sacrificia. Abesse igitur debet ab hoc ritu opinio necessitatis, itemque cultus divini. Aliud exemplum vide Act.13.v.3. Ac fuisse hunc morem ordinarium ecclesiæ apostolicæ in ordinandis Ecclesiæ pastoribus, liquet ex istis verbis Pauli 1.Tim.5.v.22. *Manus citò ne cui imponito.* Quibus verbis monet Timotheum, ne facilè aut temerè quoslibet ad Ecclesiæ ministerium ordinet atque consecret.

Facultas docendi Evangelium. 10 Ex iisdem verbis: Donum seu facultas docendi augetur pastoribus Ecclesiæ per Ecclesiæ preces. nam quod hoc loco (sicut & in altero 1.Tim.4.v.14.) Paulus affirmat, donum Timothei in illo esse per impositionem manuum suarum ac presbyterii, id ad preces referendum est, quæ cum illa cærimonia conjungebantur; ut liquet ex Actor.13.v.3. & intelligendum est de facultatis docendi augmento. nam certè nisi jam antè compertus fuisset Timotheus ad docendum idoneus, nunquam illum Paulus ad docendum ordinasset. Quare consuetudo hodierna utilis est, qua ante concionem preces ab ecclesia concipiuntur ad impetrandum pastori docendi facultatem, simulque auditoribus discendi.

Ministri verbi Dei. 11 Ex vers.7. Doctor verbi fretus ope Spiritus sancti, fortiter suum debet facere officium: ac proinde seposito metu offensionis hominum, debet reprehendere errores & vitia illorum quibuscum illi res est.

Reprehensio. 12 Ex eod. Fortitudo in aliis qui reprehensione digni sunt, reprehendendis, temperanda est charitate & moderato gestu, qui animum sanum & bene compositum arguat.

Confessio Evangelii. 13 Ex v.8.9.& 10. Neminem pudere debet Evangelii, quò minùs ipsum liberè confiteatur, ac propter illius confessionem, persecutionem æquo animo patiatur: quippe cùm Evangelium sit doctrina tam præclara: nempe pertinens tum ad gloriam Domini ac servatoris nostri Jesu Christi, de quo testimonium perhibet: tum ad electorum salutem æternam: quippe adjunctam habens potentiam Dei qua is efficaciter vocat electos, cordibus eorum certò persuadens, quòd Deus pro æterno suo proposito ex mera gratia Christum exhibuerit, perq; illum & mortem æternam aboleverit, & vitam æternam beatamque immortalitatem in lucem produxerit.

Salus. Vocatio. 14 Ex v.9. Æterna salus hominis, itemque vocatio efficax quæ ad illam requiritur, utraque hæc prorsus gratuitum Dei donum est: quippe dependens non ex meritis bonorum hominis operum, sed ex libero atque æterno Dei proposito, & gratiâ vocantis. Confer Rom.9.v.11.12. item cap.11. v.5.6.7. Eph.1.v.4.5.6.7. Tit.3.v.4.5.6.7.

Evangeliũ. Christus. 15 Ex v.10. Deus per Evangelium in summa testatur, quòd Christus & motem æternam aboleverit electis, & vitam æternam beatamque immortalitatem in lucem produxerit. quorum illud nimirum præstitit, mortem pro electis gustando, Heb.2.v.9.14.15: hoc verò, ad vitam æternam resurgendo, 1.Cor.15.17. Sanè suâ morte Christus electis & mortem seu maledictionem abolevit, & vitam seu benedictionem promeritus est, ut expressè tradit Paulus Gal.3.v.13.& 14. sed resurrectione suâ testatum fecit ac reipsa demonstravit, quòd per suam mortem utrumque illud effecerit. Nisi enim suâ morte pro peccatis nostris satisfecisset, atque ita à reatu mortis nos liberasset, vitamque æternam nobis esset promeritus: resurgere ex morte ad vitam æternam non potuisset. Etenim quandiu peccatum imputatur, mors dominium, vel potiùs dominatum suum, retinet. Vide Rom.6.v.9.10.23.

Doctrina Pauli. 16 Ex v.11. Quum Paulus à Deo constitutus sit doctor Gentium: nos igitur qui ex Gentibus oriundi sumus, doctrinam Pauli vel inprimis ad nos pertinere, nobisque divinitus destinatam esse sciamus, ac proinde docilibus animis eam amplectamur.

Consolatio. Confessio Evangelii. 17 Ex v.12. Quum propter Evangelii confessionem persecutionem patimur: consolemur nos veritate & potentiâ Dei: qui ut salutem æternam nobis promisit, ita & fidelis & potens est in illa, veluti deposito, custodienda, suoque tempore reddenda: nempe in illo die quo Christus ad judicium venturus est.

Ministri verbi Dei. 18 Ex v.13. Minister verbi Dei operam dare debet, ut in promtu habeat sanas de doctrina Christiana locutiones, hoc est, utiles atque idoneas ad salvificam Dei cognitionem. Tales autem sunt locutiones sacrarum literarum, & quæ illis sunt conformes.

Ministri verbi Dei. 19 Ex eod. Minister verbi Dei conciones suas dirigere debet ad ædificationem auditorum, ac ad duos potissimùm scopos debet respicere: nempe ut proficiant in fide & charitate.

Fides. 20 Ex eod. Fides & charitas sunt individuo nexu inter se conjunctæ. Quare ubi non est charitas, ibi nec fides locum habet: & falsò fidem jactant, qui charitatem erga proximum non ostendunt. Sic Gal.5.v.6. *Fides per charitatem operatur.* Jacob.2.v.18. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis.* nempe ex operibus charitatis; sicut in eodem capite declaratur, v.1. & deinceps, de pauperibus honorandis & victu atque vestitu juvandis.

Ministri verbi Dei. 21 Ex v.14. Minister verbi Dei operam dare debet, ut doctrinam verbi Dei puram atque incorruptam custodiat, tanquam depositum pretiosissimum, à Deo ipso curæ suæ commissum. Confer 1.Cor.4.v.1.& 2. ubi ministri verbi Dei nominantur œconomi seu dispensatores mysteriorum Dei. Item 2.Cor.4.v.7. doctrina Evangelii nominatur thesaurus.

Ministri verbi Dei. 22 Ex eod. Minister verbi Dei quum experitur difficultates in asserenda & conservanda puritate doctrinæ cælestis, implorare debet opem Dei, ut is per Spiritum sanctum sibi det sapientiam & fortitudinem: & hac ope debet confidere. Huc pertinet promissio illa Christi ad discipulos sistendos coram regibus ac præsidibus, ad reddendam rationem suæ doctrinæ: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neque resistere, omnes qui se vobis opponent;* Luc.21.v.15. Item promissionis hujus præstitæ exemplum in Stephano, Act.6.v.9.& 10. ubi dicitur, Judæos altercantes cum illo, non potuisse resistere sapientiæ & spiritui per quem loquebatur.

Officium hominis Christiani. 23 Ex v.15. Quum videmus, fideles verbi Dei ministros in persecutione & periculis à viris authoritate præditis deseri: non debemus

debemus propterea committere ut in dubium apud nos veniat doctrinæ cælestis veritas: ne tum quidem, si magnus fuerit illorum numerus. Sicut hoc loco conqueritur Apostolus, se in suis vinculis desertum fuisse ab Asianis verbi ministris omnibus: quorum duos, tanquam præcipuæ authoritatis, expresse nominat.

Officium hominis Christiani. 24 Ex v.16.17. & 18. Fideles ministri verbi Dei, itemque alii fideles qui propter Evangelium persecutionem patiuntur, exemplo Onesiphori nobis consolandi omnique beneficentiæ generi juvandi atque recreandi sunt. Idque eò magis, quòd illi hac beneficentiâ moti, remunerationem nobis à Deo exoptant: quæ quidem nobis certò est exspectanda, quum certum sit, Deum fidelium preces exaudire. Huc pertinet illud Rom.12. *Flete cum flentibus.* Item illud Heb.13.v.3. *Memores estote vinctorum, tanquam unà cum illis vincti.*

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hic ad exhortationes redit, ac Timotheum primùm hortatur ad alacritatem & tolerantiam in Evangelio docendo: deinde eum consolatur contra sua vincula & imminens supplicium: tum monet ut cohibeat contentiosos & vanos doctores: postea eum consolatur contra quorundam defectionem: postremò hortatur eum ad studium pacis & lenitatis in ignaris erudiendis.

Tu igitur, fili mi, corroborare per gratiam quæ est in Christo Jesu.

2 Et quæ audisti à me inter multos testes, hæc committe fidis hominibus, qui sint idonei ad alios quoque docendos.

3 Tu igitur tolerans esto laborum, ut bonus miles Jesu Christi.

4 Nemo qui militat, implicatur vitæ negotiis: ut ei placeat à quo delectus est miles.

5 Quòd si certet etiam aliquis, non coronatur nisi legitimè certaverit.

6 Agricolam qui sedulò laborat, oportet primùm fructus percipere.

7 Considera quæ dico. Det verò tibi Dominus intelligentiam in omnibus.

Hic hortatur eum primùm ad alacritatem & solicitudinem in Evangelii doctrinâ aliis privatim tradendâ, qui ipsi illam postea publicè doceant, v.1. & 2. Deinde hortatur eum ad tolerantiam laborum ac molestiarum in ministerio Evangelii obeundo: cujus exhortationis rationes affert duas. Prima sumta est à causa procreante, videl. jure obligationis: quia nimirum Timotheus fidem suam Christo obstrinxerit ad ministerium Evangelii fideliter & alacriter atque fortiter obeundum. Hanc rationem significat similitudine seu exemplo militis, qui suam fidem certo imperatori, sacramento militari obstrinxit, ac proinde sepositis atq; omissis negotiis suis privatis, hoc unum agit ut suam operam imperatori suo probet, fideliter exsequendo imperata: v.3.& 4. Altera ratio sumta est ab effectu, videl. remuneratione divinâ & fructu laboris suavissimo. Hanc rationem significat similitudine seu exemplo duplici: uno athletæ, v.5. altero agricolæ, v.6. Sententia est: Sicut athletæ legitimè certanti ac vincenti, pro præmio datur corona: sic tibi legitimè ac strenuè obeunti ministerium Evangelii, pro præmio dabitur corona, nempe eximia gloria cælestis. Item, sicut agricola, qui sedulò laboraverit in agro suo colendo, primus, & ante omnes alios, fructus inde natos percipit: sic etiam tu, si sedulò laboraveris in agro Domini, quæ est Ecclesia, colendo; primus & ante auditores tuos percipies laboris tui fructum, videl. eximiam gloriam ac felicitatem in cælo, secundùm illud Danielis 12. *Qui alios erudierint, splendebunt quasi splendore expansi &c.* Porrò istis rationibus subjungit v.7. epiphonema, quo Timotheum hortatur ad diligentem illarum considerationem: simulque per quandam correctionem intelligentiam illi harum rerum exoptat.

8 Memento, Jesum Christum resurrexisse ex mortuis, *factum* ex semine David, secundùm evangelium meum:

9 In quo, velut facinorosus, affligor usque ad vincula: sed sermo Dei non est vinctus.

10 Ideo omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur quæ est in Christo Jesu, cum gloria æterna.

11 Certus *est hic* sermo. nam si cum *eo* mortui sumus, cum *eo* etiam vivemus:

12 Si toleramus, etiam cum *eo* regnabimus; si abnegamus, & ille abnegabit nos:

13 Si infidi sumus, ille *tamen* fidus manet; negare seipsum non potest.

Hic primùm hortatur Timotheum ad duo capita Evangelii, quæ tunc, ut videtur, oppugnabantur, defendenda, v.8. Deinde consolatur eum contra sua vincula. Argumenta consolationis duo adfert. Primum à discretione diversorum. Etsi ego sum vinctus, tamen Evangelium propterea non est vinctum, sed interim suum cursum tenet, v.9. Secundum ab effectu utili, videlicet salute tum suâ ipsius, tum electorum: quatenus nimirum illi constantiâ Pauli in fide Evangelii confirmabantur. Hunc effectum primùm exponit tanquam finem in tolerantia suorum vinculorum sibi propositum, v.11. Deinde hunc ipsum effectum confirmat asseveratione per epiphonema: in principio v.11. & argumento à pari, videl. ab exemplo Christi, tanquam capitis fidelium: qui similiter per tolerantiam variarum afflictionum & ipsius mortis, in vitam æternam & regnum cæleste ingressus est: extremâ parte vers.11. & primâ v.12. Tum collationis istius sententiam amplificat pari collatione contrariorum, exponens effectum perniciosum abnegationis Christi, ut ab illa deterreat, & contrà in constanti confessione Christi & seipsum & alios confirmet. *Si abnegamus*, inquit, *& ille abnegabit nos.* Quemadmodum etiam Christus ipse dixit Matth.10. *Quisquis negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo cælesti.* Postremò annectit collationem dissimilium qua perfidiæ hominum fidem Christi & constantiam in servandis promissis atque immutabilem veritatem opponit, v.13.

14 Hæc suggere, obtestans coram Domino, ne de verbis pugnent: quod nullam adfert utilitatem, *imò* auditores subvertit.

15 Stude teipsum probatum sistere Deo operarium, qui non erubescat, & qui rectè sermonem veritatis secet.

16 Profanos autem illos de rebus inanibus clamores cohibe: ad majorem enim procedent impietatem:

17 Et sermo eorum depascet ut gangræna. Ex quibus est Hymenæus & Philetus:

18 Qui circa veritatem aberrarunt à scopo, dicentes, resurrectionem jam esse factam: & subvertunt quorundam fidem.

Hic hortatur primùm ut cohibeat λογομαχίας, id est, pugnas de verbis. Argumenta affert duo ab effectis inutilibus. Unum, quòd tales pugnæ nullam afferant utilitatem: nempe ad ædificandum auditores in fide & charitate: qui verus est doctrinæ Christianæ usus, ut monuit supr. cap.1.v.13. Alterum, quòd tales contentiones auditores subvertant, hoc est, à vera fide atque ita à salute æternâ avertant: v.14. Deinde è contrario eum hortatur ad studium & alacritatem in ministerio suo fortiter obeundo, ac nominatim ad sermonem veritatis rectè secandum, id est, prudenter accommodandum usibus auditorum: nimirum ut ignaros erudiat, contradicentes coarguat, ignavos exstimulet, &c. v.15. Tum ad priorem hortationem redit; monens ut profanas κενοφωνίας, id est, vocum inanitates, cohibeat: quas antea nominaverat λογομαχίας. Argumentum affert ab effectu inutili, videlicet secuturâ complurium auditorum impietate, v.16. Istum autem effectum illustrat similitudine, comparans profanas istas disputationes morbo gangrænæ; qui cùm semel aliquam corporis partem invasit, non sese in illa continet, sed paulatim longiùs serpit, inque ipsa ossa penetrat, nec grassandi finem facit nisi homine exstincto, vers.17. Postremò hanc exhortationem illustrat & confirmat subjectione exemplorum specialium: commemorans tum duos ejusmodi falsos doctores, vers.17. tum falsum eorum dogma, & inde effectam quorundam defectionem, v.18.

19 Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus eos qui sunt sui: &, Abscedat ab injustitia quisquis nominat nomen Christi.

20 Cæterùm in magna domo non tantùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea ac testacea; & alia quidem ad decus, alia verò ad dedecus.

21 Si quis igitur sese ab his expurgârit, erit vas ad decus, sanctificatum & accommodatum usibus domini, & ad omne opus bonum comparatum.

Quoniam mentionem fecerat defectionis quorundam: nunc offendiculo inde exorto medetur: affirmans primò; electos extra hujusmodi defectionis periculum constitutos esse: eò quòd electio cum immutabili Dei amore sit conjuncta. Deinde monens, quo signo unusquisque Christianus electionis suæ possit esse certus, nempe si seriò studeat pietati, v.19. Tertiò monet ad gloriam Dei pertinere, quòd in ecclesia visibili reprobi electis, ac proinde hypocritæ verè credentibus, admixti sint: quo ipso significat, non esse contra hanc Ecclesiæ constitutionem Deo obmurmurandum. Hanc autem sententiam tradit sub similitudine, qua Ecclesiam comparat magnæ domui: electos vasis aureis & argenteis, reprobos vasis ligneis & testaceis: gloriam æternam electorum, usibus vasorum honestis: ignominiam

æternam reproborum, usibus vasorum turpibus. ubi simul intelligendum est, Deum comparari patrifamiliâs, qui domum suam illis duplicis generis vasis exornat, vers.20. Postremò rursum monet, quomodo unusquisque possit esse certus, se esse vas ad decus, id est, electum: nempe si sese expurgârit ab hypocritis, hoc est, si sincero studio puritatis atque sanctitatis teneatur, vers.21.

22 Juveniles autem cupiditates fuge: sed sectare justitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis qui invocant Christum ex puro corde.

23 Stultas autem & ineruditas illas quæstiones rejice, sciens, eas gignere pugnas.

24 Servum autem Domini non oportet pugnare: sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos:

25 Cum lenitate erudientem eos qui contrario animo sunt affecti: *experturum* an forte daturus sit eis Deus resipiscentiam per cognitionem veritatis;

26 Et *ipsi* ad sobrietatem redituri sint ex Diaboli laqueo, à quo capti tenentur, ad *præstandam* illius voluntatem.

Hîc eum hortatur ad studium virtutum Christianarum, ac inprimis pacis ac lenitatis in ignaris erudiendis. Primùm autem monet, ut fugiat cupiditates juveniles: quibus verbis removet causam corrumpentem pacis, ad cujus studium mox hortatur. Etenim cupiditatum juvenilium nomine intelligit hîc fervorem illum contendendi & ingenii acumen ostentandi. Huic opponit primùm justitiam, quâ fit, ut quis suum cuique tribuens, alios non ita temerè præ se contemnat, seque supra eos efferat: deinde fidem, sine qua fieri nequit, ut ullum nostrum opus Deo placeat: tum charitatem, quæ contemtum proximi impedit: postremò pacem, qua rixæ & contentiones caventur. Hanc hortationem illustrat exemplo omnium verorum Christianorum, v.22. Deinde v.23. aliam causam corrumpentem pacis, & procreantem contentionum, removet, monens ut rejiciat quæstiones stultas & ineruditas, hoc est, inutiles ad fidem & charitatem. Hanc admonitionem integro syllogismo concludit ad hunc modum:

Qui tractat quæstiones ineruditas, eum necesse est pugnare.
Servum autem Christi non oportet pugnare.
Ergo servum Christi non oportet tractare quæstiones ineruditas.

Sententia conclusionis præcedit ibi, *Stultas autem.* Annectitur sententia propositionis ibi, *Sciens eas gignere.* Postremò additur assumtio ibi, *Servum autem.*

Isti exhortationi adjungit alteram affinem, qua ipsum hortatur ad lenitatem in ignaris erudiendis. Argumentum adfert ab effectu utili, videl. illorum resipiscentia: cujus authorem statuit Deum. Simulque modum ostendit, quo Deus illam efficit, nempe per agnitionem cælestis veritatis: præterea eam definit conversione voluntatis ad obsequendum Deo. Atque ista omnia illustrat & amplificat antithesi adversorum: Deo opponens Diabolum, & resipiscentiæ gubernationem Diaboli: quam illustrat similitudine laquei, quo venator feram captivam ducit.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Fili mi] τέκνον μου. *Vide suprà cap.1.v.2.* Quæ est in Christo Jesu] τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Scil.* οὔσῃ. *Id est, qua Deus Pater nos complectitur propter Christum. Sic Rom.8.v.ult.*

2 Inter multos testes] διὰ πολλῶν μαρτύρων. *Intelligit presbyteros: quorum nomine, & in quorum conspectu eum ordinaverat ad ministerium docendi. Vide 1.Tim.4.14. & suprà 1.6.*

5 Certet] ἀθλῇ. *Puta cursu, aut id genus alio certamine. Confer 1.Cor.9.24. & deinceps.* Coronatur] στεφανοῦται. *Victoribus certaminum pro præmio dabatur corona herbacea: qua de re exstat hoc Archiæ Epigramma:*

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν᾽ Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱεροί,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ᾽ ἀθανάτων,
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο,
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Id est:

Quattuor in Græcis certamina, quattuor illa
Sacra duo superis, sunt duo sacra viris.
Sunt Jovis hæc, Phœbique, Palæmonis, Archemorique:
Præmia sunt: olea, pinea, mala, apium.

6 Agricolam qui sedulò laborat, oportet primùm fructus percipere] τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δεῖ πρῶτον τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν. *Sic omnino verti suadet ipsa verborum collocatio. Et verò ipsa sententia nihil habet incommodi: sicut explicatum est in Analysi. Quòd si vertas,* Agricolam oportet priùs laborando fructus percipere: *tum admodum insolens fuerit verborum trajectio, pro eo nimirum quod dicendum erat,* τὸν γεωργὸν δεῖ πρῶτον κοπιῶντα τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν.

7 Considera] νόει. *Ad verb. Intellige. Metonymia effecti. Sic Matth.24.15. Qui legit, animadvertat,* νοείτω. Det verò] δῴη γάρ. *Vel, Atque utinam det.* γὰρ *pro* δὲ. *Non enim notatur ratio, sed correctio.*

8 Secundùm evangelium meum] κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου. *Id est, Sicut testatur Deus per Evangelium, quod ego annuntio.*

9 Usque ad vincula] μέχρι δεσμῶν. *Inclusivè. Id est, tantopere affligor, ut etiam in vincula conjectus sim.* Sed sermo Dei non est vinctus] ἀλλ᾽ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ οὐ δέδεται. *Rursum* ἀνταναάκλασις. *Id est, liberè interim prædico Evangelium iis qui mecum versantur, quique me invisunt. Metaphora.*

10 Ut & ipsi salutem consequantur] ἵνα καὶ αὐτοὶ σωτηρίας τύχωσι. *Videlicet in fide perseverantes meo exemplo. Confer Col.1.v.24.* Quæ est in Christo Jesu] τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Scil.* οὔσης. *Vel,* Quæ per Christum Jesum parta est: *ut subaudiatur* γενομένης, *&* ἐν *idem valeat quod* διά.

11 Certus est hic sermo] πιστὸς ὁ λόγος. *Censeo hæc verba præcedentibus subjici per epiphonema. Quòd si cohærerent cum sequentibus, tum illa annecterentur per conjunctionem* ὅτι, *ad hunc modum:* πιστὸς ὁ λόγος, ὅτι εἰ συναπεθάνομεν, *&c. ut 1.Tim.1.v.15. Quanquam & illic potest esse epiphonema: si* ὅτι *exponatur per* nam.

13 Si infidi sumus] εἰ ἀπιστοῦμεν. *Vel,* Si diffidimus. *nam* ἀπιστεῖν, *pro infidum esse, reperiri vix puto. Nec refert quòd mox opponitur* πιστὸς, *id est,* fidus. *nam antanaclases nostro Apostolo sunt familiares. Similis antanaclasis in vocabulis* ἀπιστία *&* πίστις *occurrit, Rom.cap.3.v.3. Etenim illic* ἀπιστία *significat incredulitatem, qua quis non credit promissioni:* πίστις *verò illi opposita non significat fidem qua quis credit promissioni, sed constantiam qua quis præstat quod promisit.*

14 Quòd nullam adfert utilitatem &c.] εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων. *Præcisa oratio, pro eo quod integrè diceretur:* ὃ ἐστὶν εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἀλλ᾽ ἐστὶν ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων: *id est, quod ad nihil utile est, sed pertinet ad perversionem auditorum.*

15 Rectè secet] ὀρθοτομοῦντα. *Id est, prudenter distribuat & accommodet usibus auditorum. Metaphora videtur sumta à sacerdotibus certo ritu secantibus victimas.*

16 De rebus inanibus clamores] κενοφωνίας. *Vel, Vocum inanitates. ut significetur illud* λογομαχεῖν, *de quo v.14. quò etiam respicere videtur articulus, quum ait,* τὰς δὲ βεβήλους κενοφωνίας.

17 Depascet] νομὴν ἕξει. *Id est, multorum fidem subvertet, sicut ipse exponit v.18. Metaphora.*

18 Subvertunt quorundam fidem] ἀνατρέπουσι τήν τινων πίστιν. *Intellige fidem temporariam. nam vera fides subverti nequit: sicut mox docet Apostolus.* Dicentes resurrectionem jam esse factam] *Dicebant enim (si credimus Ambrosio) resurrectionem fieri in filiis. Sed probabilius est, eos per resurrectionem intellexisse regenerationem.*

19 Fundamentum] θεμέλιος. *Id est, decretum servandi electos: quo veluti fundamento salus electorum nititur. Metaphora.* Sigillum hoc] τὴν σφραγῖδα ταύτην. *Id est, duos hosce animorum affectus, qui deinceps significantur: videl. fidem, qua quis apprehendit illud,* DOMINUS novit(*id est, amat*)suos: *ac proinde me quoque. Deinde serium studium pietatis, quod cuique dictat hoc axioma, tanquam Dei voce pronuntiatum.* Discedat ab injustitia omnis qui nominat nomen Christi. *Hisce enim duobus affectibus animus cujusque quasi obsignatur, id est, certus redditur de salute sua. Metaphora.*

20 In magna domo] ἐν μεγάλῃ οἰκίᾳ. *Qualis nimirum est domus Dei, ecclesia visibilis.*

21 Ab his] ἀπὸ τούτων. *Videl. ab istis perversis doctoribus, quorum facta est mentio v.16 17.18.* Erit] ἔσται. *Id est, intelligetur esse. Sic Johan.15.v.8. Et eritis mei discipuli, id est, cognoscemini esse. Metonymia subjecti.*

22 Juveniles autem cupiditates] τὰς δὲ νεωτερικὰς ἐπιθυμίας. *Videlicet cupiditatem eminendi atque inclarescendi, & hinc oriri solitum aliorum contemtum & contentiones. Synecdoche generis & membri.*

24 Pugnare] μάχεσθαι. *Id est, de rebus nihili contendere & rixari. Metaphora.*

25 An fortè] μήποτε. *Pro,* εἴποτε, *ut Luc.3.15.* Per cognitionem veritatis] εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας. *Pro,* ἐν ἐπιγνώσει, *per heterosin Paulo usitatam.* ἐν *autem more Hebræorum notat instrumentum vel modum agendi, ac proinde valet Græcorum* διὰ *cum genitivo junctum. Hoc adeo ex re ipsa judico: quum certum sit, resipiscentiam ex cognitione veritatis evangelicæ oriri.* Sic Philem.v.6.

26 Et *ipsi* ad sobrietatem redituri sint] καὶ ἀνανήψωσιν. *Nempe ad sobrietatem animi. Metaphora.* A quo capti tenentur] ἐζωγρημένοι ὑπ᾽ αὐτοῦ. *Verbum* ζωγρεῖσθαι *propriè est,* ζῶντα ἀγρεῖσθαι *seu* ἀγρεύεσθαι, *id est, vivum capi, idque tanquam venando.* Ad *præstandam* illius voluntatem] εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα. *Illius, videlicet Dei, cujus facta mentio versu superiore: Et sic pendebunt hæc verba à verbo* ἀνανήψωσιν. *Atque huic expositioni favet pronomen* ἐκείνου: *quippe quod referri solet ad remotius. Itèm ipsa antithesis inter Deum & Diabolum. Vel,* Ad illius libitum. *Illius, videlicet Diaboli. Et sic pendebunt hæc verba à participio* ἐζωγρημένοι. *Et* ἐκείνου *positum erit pro* αὐτοῦ.

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 Ex vers.1. & 2. Qui Evangelium aliquando publicè docturi sunt, ab iis requiritur inprimis, ut sint fidi: deinde, ut sese à do- *Ministri verbi Dei.*

ctoribus & pastoribus erudiri, atque ita ad publicum docendi munus præparari patiantur.

Ministri verbi Dei. 2 Ex v.3.4.5. & 6. In ministerio Evangelii obeundo requiritur tolerantia laborum ac molestiarum: ad quam quidem præstandam commovere pios ministros debet tum recordatio suæ obligationis, tum spes atque exspectatio eximiæ utilitatis. Etenim quicunque legitimè ad verbum Dei docendum vocatus est, is fidem suam Christo, tanquam imperatori miles, obstrinxit, ad ministerium Evangelii fideliter & alacriter atque fortiter obeundum: & hanc tolerantiam Christus remunerabitur eximiâ illâ gloriâ & felicitate cælesti, quam fidis verbi doctoribus Daniel is 12. promisit, item Matth.19.28. & infr. cap.4.v.8.

Officium hominis Christiani. 3 Ex v.7. Non est satis, ut adhibeamus studium in officio nostro considerando: sed orandus etiam est Deus, ut det nobis intelligentiam: quum sine ipsius gratia officium nostrum ne intelligere quidem, nedum perficere, possimus.

Evangelium. 4 Ex vers.8. Evangelii doctrina duo summa capita continet: quorum unum est de persona, alterum de officio Christi. Ad personam pertinet, quòd hîc dicitur, Christum factum esse ex semine Davidis: ubi simul intelligendum, ipsum esse filium Dei æternum: sicut Scriptura alibi tradit. Vide Rom.1.v.3. & cap.9. v.5. Gal.4. v.4. Ad officium verò pertinet, quòd hîc dicitur resurrexisse ex mortuis: ubi simul intelligendum, ipsum mortuum esse pro nobis, ut suâ morte expiaret nostra peccata: & post resurrectionem ascendisse in cælum & consedisse ad dexteram Patris: & inde rediturum ad judicium, nosque ad se in cælum assumturum.

Tolerantia. Persecutio. Confeßio Evangelii. 5 Ex v.9.10.11. & 12. Notanda hîc sunt quinque argumenta, quibus moveri debemus ad tolerantiam crucis seu persecutionis propter confessionem Evangelii. Primò exemplum Pauli, cui idem accidit. Huc pertinent cæterorum quoque martyrum exempla, atque etiam exemplum ipsius Christi. Secundò, quòd conatus mundi nos persequentis est irritus. nam etsi tyranni vinciunt confessores Evangelii: tamen ipsum Evangelium vincire, & cursum ejus impedire non possunt. Tertiò, quòd exemplo nostræ constantiæ alii electi in fide confirmantur. quò pertinet dictum illud cujusdam veterum, quòd sanguis martyrum sit veluti aqua, quâ rigatur hortus Domini, ut plantæ eò feliciùs & majore copiâ crescant. Quartò, quòd nos certò manet vita & gloria æterna in cælo cum Christo, propter societatem cum ipso qua hîc illi conformamur in cruce. Quintò, quòd æternum exitium manet abnegantes. quò pertinet illud Christi Matth.10. v.32. & 33. *Quisquis confitebitur me &c.*

Officium hominis Christiani. 6 Ex v.13. Quum Deus fidelis sit, id est, constans in suis promissis; & verò promiserit felicitatem temporalem & æternam omnibus ipsi confidentibus; demus igitur operam ut ei fidamus: atque adeò ipsum oremus, ut det nobis hanc gratiam ut ipsi fidamus.

Omnipotentia Christi. 7 Ex eod. Errant qui putant, Christum simpliciter posse omnia, ac proinde etiam ea quæ implicant contradictionem: ut qui dicunt, eum posse efficere ut corpus suum sit in pane cænæ substantialiter, realiter, corporaliter, & tamen insensibiliter: item, ut simul sit in pluribus, imò in omnibus, locis. At Paulus hîc dicit, Christum non posse negare seipsum. Sic Tit.1.v.2. ὁ ἀψευδὴς θεὸς, *Deus ille qui mentiri non potest.*

Ministri verbi Dei. 8 Ex v.14. & 16. Ministrum verbi & ipsum vitare & in aliis cohibere oportet λογομαχίας & κενοφωνίας: ut quæ non solùm ad ædificationem auditorum non faciunt, sed etiam eos pervertunt.

Ministri verbi Dei. 9 Ex v.15. Ministro verbi non est studendum ut placeat hominibus, sed ut probatum se sistat Deo, operarium scil. fidelem qui non erubescat, sed cum honore & gaudio audiat vocem domini sui, dicentis, *Euge serve bone, fuisti fidelis super pauca: super multa constituam te; intra in gaudium domini tui.* Sic alibi dicit Paulus: *Si hominibus placere vellem, minister Christi non essem.*

Ministri verbi Dei. 10 Ex eod. In ministro verbi requiritur prudentia spiritualis in verbo Dei accommodando ad varios usus auditorum: quorum usuum præcipuos commemorat infr. c.3. v.16. Hoc enim videtur id esse, quod hîc nominat ὀρθοτομεῖν, id est, rectè secare sermonem veritatis.

Ministri verbi Dei. 11 Ex v.17. & 18. Quum falsa doctrina & articulis fidei repugnans depascat instar gangrænæ: maturè cohibenda est. Cohibendi autem modus est, primùm ut authores falsæ doctrinæ admoneantur, & ex verbo Dei convincantur: deinde ut si admoniti & convicti non resipiscant, vitentur, Tit.3.v.10. tum ut auditoribus nominatim indicentur, ut etiam ab iis possint vitari: sicut hoc loco Paulus Hymenæum & Philetum nominatim indicat.

Fides. 12 Ex v.19. Qui donantur à Deo verâ fide, donantur etiam perseverantiâ in fide: ita ut extra periculum defectionis sint constituti, fidemque penitus amittere non possint: non quòd obstet ipsorum natura, qua ad malum non minùs proclives sunt quàm reprobi: sed quòd obstet immutabile Dei decretum: de quo Paulus hoc loco dicit, *solidum fundamentum Dei stare.* Huc pertinet illud Rom.11.v.29. *Dona & vocatio Dei sunt* ἀμεταμέλητα, id est, *ejusmodi, ut eorum ipsum pœnitere non possit.* Item illud 1.Joh.2.v.19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum.* Item illud Christi Matth.24.v.24. *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula: ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos.* Item illud Johan.6.v.37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non ejiciam forâs.* Item illud Joh.10.v.28. *Oves meas nemo rapiet ex manu mea.* Item illud Matth.16.v.18. *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam.* Atque hinc orta fuit magnifica illa gloriatio Pauli Rom.8.v.38. & 39. *Mihi persuasum est: neque mortem, neque vitam, neque angelos &c. posse nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

Electio. 13 Ex eod. vers. Signa electionis duo hîc indicantur, ex quibus unusquisque de sui electione certus esse potest: videlicet vera fides, & serium studium pietatis. Vera fides ea est, qua quis certò persuasus est, se esse in numero filiorum Dei, adoptatum scilicet in Christo, ac proinde paterno amore à Deo diligi, salutemque suam Deo curæ esse. de hoc signo ait Paulus, *fundamentum illud Dei*, id est, decretum electionis, in quo salus electorum fundata est, *habere sigillum hoc, Novit Dominus eos qui sunt sui.* Deinde isti signo addit alterum, videlicet serium studium pietatis, per conjunctionem copulativam, inquiens, *Et*, scilicet fundamentum illud Dei habet hoc quoque sigillum, *Discedat ab injustitia omnis qui nominat nomen Christi.* Huc pertinent illa quoque testimonia: Joh.6.v.37. *Quicquid dat mihi Pater, venit ad me.* quibus verbis significat Christus, illos tantùm in se credere, qui sibi dati sint à Patre, videlicet dati ut ab ipso serventur per ipsius sacrificium, ut declaratur Joh.17. & quidem dati æterno decreto, ac proinde ad vitam seu salutem æternam electi. Similiter & Paulus fidem vocat fidem electorum Dei, Tit.1.v.1. hoc est, quæ donatur solis iis, qui à Deo ad vitam æternam electi sunt. Quod ipsum significat & Lucas Act.13.v.48. ubi de gentibus quæ Evangelium ex Paulo audierant, dicit, *Credidisse quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Quum igitur fides donetur solis electis, sequitur, eam certum esse electionis signum. Vera autem fides ex se parit serium studium pietatis: quippe efficax per charitatem, Gal.5.v.6. Ergo qui per Dei gratiam sentit, se teneri serio studio pietatis, is certum habet signum, quòd verè in Christum credat: ac proinde quòd in Christo ad vitam æternam sit electus.

Officium hominis Christiani. 14 Ex eod. v. Non est satis nominare nomen Christi, id est, se profiteri Christianum: sed à Christiano requiritur, ut verè in Christum credat, ac proinde discedat ab injustitia, serioque operam det pietati.

Consolatio contra hypocritas. 15 Ex v.20. Quum videmus, hypocritas verè piis admixtos esse: ne murmuremus contra Deum: sed cogitemus, rem hanc pertinere ad gloriam Dei tanquam patrisfamiliâs; qui habere vult in suâ domo non tantùm vasa aurea & argentea, item vasa comparata ad decus seu honestos usus: sed etiam lignea & testacea, item comparata ad dedecus seu usus turpes: hoc est, qui non solùm vult patefieri suam misericordiam in salute electorum, sed etiam suam justitiam & iram in exitio reproborum. Confer Rom.9.v.20.21.22. & 23. ubi Apostolus hanc ipsam doctrinam iisdem ferè verbis tradit, sed adhibitâ istius similitudinis declaratione.

Officium hominis Christiani. 16 Ex v.21. Quum fieri non possit, ut pii ab hypocritis in hac vita separentur, quin illi unà cum ipsis participes sint professionis fidei & cultus externi; studere debent, ut se indies magis ac magis ab illis separent per internam sanctificationem seu studium bonorum operum: sic enim demum eis constabit, se esse vasa ad decus comparata, id est, electos ad vitam æternam.

Ministri verbi Dei. 17 Ex v.22.23.24. & 25. Minister verbi sedulò se exerceat in illis virtutibus, quas hîc Timotheo commendat Paulus.

Pœnitentia. 18 Ex v.25. & 26. Vera pœnitentia seu resipiscentia est donum Dei. ait enim Paulus, *Num aliquando daturus sit eis Deus resipiscentiam.* Efficit autem illam Deus per agnitionem veritatis, nempe veritatis cælestis, patefactæ verbo Dei, tum de cultu Dei, tum de salute nostra. Qui enim ex verbo Legis cognovit, Deum æternis suppliciis punire velle omnes in impietate persistentes; ac tum ex verbo Evangelii, Deum in gratiam recipere velle omnes resipiscentes & in Christum credentes: is, (dummodo ex numero electorum sit) fieri nequit, quin resipiscat, & gratiam Dei fide apprehendens, posthac pietati seriò studeat: reputans nimirum, ex quantis, & quidem meritissimis suppliciis à Deo ex mera gratia liberetur, & quanto honore à Deo ipse indignissimus afficiatur, ut nimirum jam sit in numero filiorum Dei, ac proinde hæres vitæ æternæ. Porrò resipiscentia ex verbis Apostoli sic potest describi, quòd sit voluntatis antea ex spirituali quadam mentis ebrietate obsequentis Diabolo, conversio ad obsequendum Deo, mente quasi sobriâ effectâ. Hæc enim est vis verbi ἀνανήφειν.

Homo. 19 Ex v.26. Miser est naturalis hominis status: quippe quòd hominis non-renati mens ignoratione veritatis ebria est, & voluntas à Diabolo captiva tenetur. Confer 1.Cor.2.v.14. Eph.2. v.1.2.3.11.12. Rom.8.v.7. Joh.1.v.5. Joh.3.v.3. & 5. Gen.6.v.5. & cap.8.v.21. Agamus igitur gratias Deo, qui ex ista miseria nos per Christum cœpit liberare, & suo tempore plenè liberaturus est: idque exemplo Pauli Rom.7.v.ult.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hic monet de hypocritis jam tum exorientibus in Ecclesiæ sinu, & postea amplius exorituris: quos vult ut Timotheus aversetur: & contra eosdem illum consolatur à turpi illorum exitu: tum illis opponit suum ipsius exemplum tanquam fidelis doctoris: ac proinde Timotheum hortatur ad doctrinam à se acceptam constanter retinendam, simulq; sacram scripturam ei commendat.

Illud autem scito, fore, ut extremis diebus instent tempora molesta.

2 Erunt enim homines sui amantes, avari, gloriosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, profani;

3 Charitatis expertes, nescii federis, calumniatores, intemperantes, immites, minimè amantes bonorum;

4 Proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potiùs quàm amantes Dei:

5 Habentes formam pietatis, sed qui vim ejus abnegarint. Istos igitur aversare.

6 Ex his enim sunt isti qui irrepunt in familias, & captivas ducunt mulierculas, cumulatas peccatis, actas cupiditatibus variis:

7 Semper discentes, sed quæ nunquam ad cognitionem veritatis venire possint.

PRæmonet de exorituris & jam tum exorientibus in Ecclesia hypocritis, ac nominatim falsis doctoribus: ut percipitur ex v.6.& 7. Quos primùm describit ex effectu, quòd videl. piis, ac præcipuè piis doctoribus, molesti ac graves futuri sint, v.1. deinde eos graphicè depingit ex multis & variis adjunctis vitiis, v.2. 3.4.5. ubi hypocrisin eorum significat his verbis, *quòd habeant formam seu speciem pietatis, quum tamen vim ejus abnegarint.* Istos igitur jubet aversari, eod. v.5. Deinde v.6.& 7. istiusmodi hypocritarum exempla specialia (sed indefinitè) commemorat, notans eos ex effectis, nempe factis istorum, videl. astutâ seductione muliercularum malâ conscientiâ præditarum.

8 Quemadmodum autem Jannes & Jambres restiterunt Mosi, ita & hi resistunt veritati; homines mente corrupti, rejectanei circa fidem.

9 Sed non procedent ampliùs: nam amentia istorum evidens erit omnibus, ut & illorum fuit.

Hic Timotheum contra istos hypocritas & perversos doctores consolatur à turpi eorum exitu; quia futurum sit ut Deus illis larvam pietatis detrahat; & amentiam eorum omnibus evidentem reddat; nempe omnibus electis. nam ad reprobos pertinet quòd inf. v.13. dicit, quosdam ab impostoribus istis seductum iri. Hunc autem illorum exitum confirmat simili exemplo duorum magorum, qui olim restiterunt Mosi in Ægypto. quod argumentum à pari ductum est. Deus enim cùm sit justus judex, & sibi semper similis; similia peccata similibus quoque pœnis punit.

10 Tu verò assequutus es doctrinam meam, vitæ meæ rationem, propositum, fidem, lenitatem, charitatem, tolerantiam;

11 Persequutiones, perpessiones, quæ mihi acciderunt Antiochiæ, Iconii, Lystris; quas persequutiones sustinuerim: sed ex omnibus eripuit me Dominus.

12 Sed & omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur:

13 Improbi autem homines & impostores, procedent in pejus, tum seducentes, tum seducti.

14 At tu maneto in iis quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris:

15 Teque à puero sacras literas novisse, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu.

16 Tota scriptura divinitus *est* inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ *est* in justitiâ:

17 Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.

Hic opponit istis hypocritis & perversis doctoribus suum ipsius exemplum, tanquam fidelis doctoris; commemorans suas virtutes, ac inprimis tolerantiam persecutionum, divinamque ex illis liberationem: quæ omnia testimonio experientiæ Timothei confirmat; quo nomine etiam hæc illi imitanda proponit, v.10. & 11. Deinde v.12. sententiam generalem subjicit de conditione verè piorum in hoc sæculo: monens, hanc esse Dei voluntatem, ut propter Evangelium persecutionem patiantur. Quo ipso Timotheum ad tolerantiam persecutionum tacitè hortatur. Tum v.13. monet de perniciosis effectis impostorum: nempe quòd subinde deteriores reddantur, seducendo & seipsos & alios. unde intelligitur, eos esse cavendos. Postea v.14. hortatur eum ad constantiam in retinendâ doctrinâ ab ipso acceptâ. Argumenta hortationis affert duo: Primum ab authoritate suæ personæ, inquiens, *Ut qui noris, à quo didiceris.* quibus verbis innuit, se esse Apostolum, ac proinde divinâ authoritate præditum ad docendum. Alterum à consensu sacrarum literarum, arque ita à testimonio prophetarum. Cujus testimonii notitiam v.15. in Timotheo amplificat à circumstantia temporis: ut qui jam inde à puero sacras literas noverit. Atq; hac occasione sacram Scripturam, & ex consequenti doctrinam Evangelii quam Timotheo tradiderat, commendat ei ab utili effectu, videlicet verâ ac salutari sapientiâ, quæ in cognitione & fide Christi consistit. Postremò scripturam propheticam commendat partim ab authore Deo, partim ab utilitate quadruplici quam doctori Ecclesiæ, & ex consequenti etiam auditoribus, affert. qui quatuor usus ita videntur commodè distingui, si duo priores referantur ad doctrinam, duo posteriores ad vitam seu mores: ut nimirum scriptura adhibeatur tum ad vera docenda, tum ad falsa redarguenda: item ad malorum morum correctionem, & in bonis moribus institutionem: v.16. In isto autem quadruplici scripturæ usu perfectionem muneris docendi in Ecclesia consistere monet v.ult.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Tempora molesta] *καιροὶ χαλεποί. Vel,* difficilia: *id est, in quibus difficile sit, consilium capere, quomodo te geras adversus istiusmodi monstra, quæ ex medio Ecclesiæ sinu prodibunt. Et tamen & altera versio satis commoda. nam pio pectori nihil molestius accidere potest, quàm si cum istiusmodi ingeniis confligandum sit.*

4 Voluptatum amantes potiùs quàm amantes Dei] *φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι. Paronomasia.*

5 Formam] *μόρφωσιν. Id est, speciem inanem seu inane simulacrum: ut percipitur ex antithesi.*

8 Jannes & Jambres] *Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς. Philippus Mornæus refert, Numenium Pythagoræum testari, Mosen cum Janne & Mambre (sic enim habet; non, Jambre) Magis, ipsum imitari conatis, miraculis certâsse. De verit. relig. Christ. cap. 26.*

13 Tum seducentes, tum seducti] *πλανῶντες καὶ πλανώμενοι. Vel,* Dum & seducunt & seducuntur. *Polyptoton.*

14 In iis quæ didicisti] *ἐν οἷς ἔμαθες. Pro, ἐν ἐκείνοις ἃ ἔμαθες. Græcismus.* A quo didiceris] *παρὰ τίνος ἔμαθες. Videlicet à me apostolo. Synecdoche generis. Similis locutio est suprà 1. v.12.* Novi cui crediderim.

15 A puero] *ἀπὸ βρέφους. Jam tum, quum adhuc esses puer.* Sapientem reddere] *σοφίσαι. Hinc olim dicti σοφισταὶ, sapientiæ magistri: quod vocabulum postea in odium vênit, significans vanos sapientiæ professores & ostentatores, atque adeò veritatis obscuratores.*

16 Tota scriptura] *πᾶσα γραφὴ. Id est, ὅλη ἡ γραφὴ, scil. ἡ ἁγία, sive ἡ προφητικὴ, hoc est, sancta sive prophetica. Synecdoche generis: ut planum est ex collatione v. præced. Nomen autem πᾶσα, pro ὅλη, similiter positum est 1.Cor.13.2.* Si habeam *πᾶσαν τὴν πίστιν,* totam fidem, *scilicet miraculorum: hoc est, quicquid illius fidei uspiam reperitur in cunctis θαυματουργοῖς.*

17 Homo Dei] *ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος. Id est, servus Dei, legatus à Deo ad annuntiandum ipsius voluntatem. Sic 1.Tim.6.v.1.* Opus bonum] *ἔργον ἀγαθὸν. Intelligit hic opera sacri ministerii: quorum quatuor species superiore versu commemoravit. Synecd. generis.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v.1.2.3.4.5.6.7. Quum Spiritus sanctus per os Pauli prædixerit, ejusmodi fore ecclesiæ Christianæ statum, ut piis admixti sint hypocritæ; atque inter hos falsi doctores: non est quòd perturbemur, quum hodie videmus talem Ecclesiæ statum, quasi propterea de Ecclesia penitus actum sit. Conservat enim Deus ecclesiam suam inter medios hypocritas, velut triticum latens sub palea: & suo tempore paleam seperabit. *Consolatio contra hypocritas.*

2 Ex iisd. vers. Deinde admonentur hic pastores sui officii: ut pios moneant, ne se hypocritarum consuetudine & exemplo, aut falsâ seductorum doctrinâ seduci patiantur: utque eos contra hos consolentur. *Ministri verbi Dei.*

3 Ex collatione versus primi cum proxime-sequentibus. Quum Paulus difficultatem seu molestiam temporum non in calamitatibus externis, ut bello, fame, morbis, sed in pravis illorum qui fidem Christianam profitentur moribus collocet: monemur hinc, piis hominibus, Deumque verè timentibus, nihil acerbius esse quàm cernere tales morum corruptelas. Sicuti enim nihil illis prius est Dei gloriâ, ita ejus contemtu ipsos maximè cruciari par est. *Pii.*

4 Ex vers. 6. Observandæ sunt notæ quibus Paulus falsos & adulterinos doctores insignit: quæ sunt, insinuatio in familias, illecebræ captandis mulierculis, illiberalis adulatio, circumductio per varias superstitiones. Has notas, si oculos aperiemus, reperiemus in monachis, & maximè in Jesuitis. Quare illos aversemur. *Falsi doctores.*

5 Ex collatione v.6. cum 7. Quòd multi ad cognitionem veritatis non possunt pervenire, impediuntur suis cupiditatibus: unde fit ut illis explendis addicti, nihil præter corporis voluptates quæ- *Ignorantia veritatis.*

tes quæ-

tes quærant; veritatis autem cognoscendæ serio studio non teneantur. Oremus igitur Deum ut regat nos suo spiritu, ut pravis nostris cupiditatibus resistamus, & veritatem ab ipso patefactam serio studio inquiramus, ad gloriam ipsius & solidam nostram felicitatem.

Consolatio pro ministris verbi Dei. 6 Ex v. 8. & 9. Quum pii pastores certare coguntur cum falsis doctoribus qui veritati resistunt: consolentur se tum recordatione veterum sanctorum Ecclesiæ antistitum: quibus idem accidit, ut hoc loco Paulus commemorat exemplum Mosis: tum etiam spe certâ felicis eventus, quo futurum est ut divinitus detectis illorum fraudibus, ipsi quidem pudefiant, pii verò ab ipsorum seductione tuti atque illæsi permaneant.

Ministri verbi Dei. 7 Ex vers. 10. & 11. Juniores verbi ministri ad imitandum sibi proponere debent virtutes seniorum: sicut hoc loco Apostolus suas virtutes Timotheo imitandas proponit. Quinetiam singuli fideles fidem suorum ducum imitari debent: Heb. 13. 7.

Consolatio contra persecutionem. 8 Ex v. 11. & 12. Persecutiones Evangelii causâ tum omnibus Christianis, tum inprimis ministris verbi, fortiter sustinendæ sunt: tum quia sanctissimus apostolus Paulus tales persecutiones sustinuit, tum quia Deus ita ordinavit: idque ut nos Christo, tanquam capiti, conformes redderet. Huc pertinet promissio præmii, quam Christus confessoribus fecit, inquiens, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego ipsum coram patre meo cælesti.* Itemque comminatio pœnæ facta abnegatoribus: *Qui verò me negaverit, etiam ego illum negabo.*

Officium hominis Christiani. 9 Ex v. 11. Quoties persecutiones nostras, è quibus salvi evasimus, recordamur aut commemoramus: simul celebrare gratis animis debemus beneficentiam Dei qua usus fuit in nobis inde eripiendis: exemplo Apostoli hoc loco, qui commemoratis suis persecutionibus, statim subjungit, *Sed ex omnibus eripuit me Dominus*: quasi dicat, Sed gratia sit Domino: qui me ex omnibus meis persecutionibus tam potenter & tam clementer eripuit.

Pietas. Persecutio. 10 Ex v. 12. Quibus pietas cordi est, illi non debent sibi imaginari aut polliceri perpetuam in hac vita tranquillitatem: sed debent se comparare animumque suum componere ad persecutionem sustinendam Evangelii causâ. Etenim ita ordinavit Deus, ut quicunque piè vivere volunt in Christo, persecutionem patiantur, ut Apostolus hoc loco testatur. Idem expressè docuit ipse Christus, inquiens, *Qui volet esse meus discipulus, abneget seſe, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Item ad apostolos: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si patremfamiliâs Beelzebub vocarunt, idem facient domesticis ejus.*

Perversi homines. 11 Ex v. 13. Homines perversi, subinde deteriores fiunt: quippe justo Dei judicio in sensum reprobum traditi. Quare discamus maturè ambulare in timore Domini.

Ministri verbi Dei. 12 Ex v. 14. Omnibus verbi ministris in doctrina apostolica constanter permanendum est; eaque quàm diligentissimè, tanquam singularis thesaurus ipsis concreditus, custodienda.

Ministri verbi Dei. 13 Ex v. 15. 16. & 17. Pastorem Ecclesiæ ex uno scripto Dei verbo sapere oportet; quippe in quo perfectè traduntur quæcunque tum ad vera dogmata cognoscenda & stabilienda, falsa verò refellenda: tum ad malos quidem mores corrigendos, bonos autem instituendos spectant.

Traditiones. 14 Ex iisd. v. Quum sacra Scriptura, nempe scriptura prophetica & apostolica (quæ hodie nominatur scriptura utriusque Testamenti, veteris scilicet ac novi) perfecta sit; hoc est, omnia ea contineat quæ tum ad fidem tum ad mores, atque adeò ad salutem, cognitu necessaria sunt: consequens est, traditionibus non scriptis in Ecclesia non esse opus, neque illas regulam vel fidei vel vitæ statuendas esse; imò potiùs, si verbo scripto repugnent, ex Ecclesia esse repudiandas aut eliminandas: quantumvis magnificis titulis à Papisticis doctoribus ornentur, dum scil. ecclesiasticæ & apostolicæ traditiones nominantur. Certum est enim, apostolos nihil ore tradidisse, quod iis quæ scripto tradiderunt, repugnet: quum Spiritus S. ipsos sive ore sive scripto docentes, gubernaverit; qui est spiritus veritatis: ac proinde nullus in ipsius doctrina contradictioni locus sit.

Scriptura sacra. 15 In scriptura autem contineri omnia ad salutem scitu necessaria, evidenter hic docet Apostolus: quum ait primò, *sacras literas posse Timotheum sapientem reddere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu.* Secundò cùm ait, *totam scripturam* (nempe sacram, id est, propheticam & apostolicam) *esse* θεόπνευστον, *divinitus inspiratam.* Quum igitur Deus per Spiritum S. prophetis & apostolis Scripturam dictaverit, ut Ecclesia per illam ad salutem erudiretur: consequens est, doctrinam salutis, quæ in scriptura traditur, esse perfectam omnibusque numeris absolutam: nisi Deum authorem illius imperfectionis, atque etiam impotentiæ, arguere velimus: ut qui scopum suum, videl. salutem electorum, per doctrinam scripturæ non assequatur. Tertiò ait, totam scripturam esse *utilem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in justitiâ.* Etsi autem Rom. 15. 4. præter ista quatuor etiam quintum scripturæ usum commemorat, videl. παράκλησιν, id est, consolationem: tamen illa vel sub doctrina, vel sub institutione comprehendi potest. Qui enim alium consolatur, is eum edocet de sapientia Dei in gubernandis electis suis, eumque instituit de officio suo in persecutionibus tolerandis. Porrò qui tum ex doctrina & redargutione scripturæ veram fidem, tum ex ejusdem institutione atque correctione sanctam vitam hausit atque percepit, illi ad salutem nihil ampliùs est opus. nam in Christo Jesu nihil aliud valet quàm fides per charitatem agens: Gal. 5. 6. Quartò & postremò ait hoc loco Apostolus, *hominem Dei* (id est, pastorem Ecclesiæ) *è scriptura reddi perfectum*, seu omnibus numeris absolutum, ἄρτιον: *& ad omne opus bonum* (id est, ad omnes muneris sui partes) *perfectè instructum*, ἐξηρτισμένον. Jam si verbi minister omnia quæ sunt ad ipsius munus necessaria, ex scripturis hauriri potest: sequitur, & populum omnia ad salutem necessaria posse in scripturis invenire. Nihil enim necessarium est populo ad credendum, quod non sit necessarium ministro ad docendum. Et vicissim, quantum pastor debet docere, tantum populus debet scire & credere, non ampliùs. Scriptura igitur perfectam fidei & salutis doctrinam continet: ac proinde traditionibus non-scriptis nihil jam est opus.

16 Ex v. 16. Quum scriptura authorem habeat Deum, quippe à Spiritu sancto dictata prophetis & apostolis: ergo reverenter à nobis suscipienda est, eique tanquam αὐτοπίστῳ credendum. Etsi autem Ecclesia hoc ipsum agnoscit ac testatur: non tamen propterea scriptura authoritatem suam ab Ecclesia mutuatur: sed hoc Ecclesiæ testimonio rudiores ad scripturam cognoscendam adducuntur: quâ cognitâ, per revelationem Spiritus sancti, authorem ejus Deum ipsi quoque agnoscunt; dummodo ex numero electorum sint: quippe in quibus solis Spiritus sanctus ad salutem est efficax. *Scriptura sacra.*

17 Ex eod. v. Quum scriptura data sit ad usus Ecclesiæ: consequens est, eam corrumpi pravo abusu, quum Ecclesiæ ædificatio non quæritur. id quod fit ab iis qui frivolas quæstiones in medium proponunt, quas ex scriptura decidant: ut factum est in Papatu à theologis qui scholastici dicuntur. *Scriptura sacra.*

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Redit ad exhortationes, & initio gravissimâ obtestatione adhibitâ Timotheum hortatur, ut omnibus boni doctoris atq; pastoris partibus assiduè ac fideliter fungatur. Deinde de imminente suo supplicio monens, petit ut quamprimùm ad se veniat, Marcum secum adducat, & res quasdam suas sibi afferat. Monet quoq; ut caveat quendam Alexandrum: item conqueritur de desertione suî à fratribus: salutationes annectit, & voto sibi usitato concludit.

Obtestor igitur ego coram Deo & Domino Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos in illustri illo suo adventu & regno suo:

2 Prædica sermonem: insta tempestivè, intempestivè: argue, objurga, exhortare cum omni lenitate & doctrina.

3 Nam erit tempus quum sanam doctrinam non tolerabunt: sed auribus prurientes, ipsi sibi secundùm cupiditates suas coacervabunt doctores:

4 Et à veritate quidem aures avertent, ad fabulas verò divertent.

5 At tu vigila in omnibus, perfer injurias: opus perage evangelistæ, ministerii tui plenam fidem facito.

6 Nam ego jam libor, & tempus meæ migrationis instat.

7 Certamen illud præclarum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi:

8 Quod superest, reposita est mihi illa justitiæ corona; quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille judex: non solùm autem mihi, sed & omnibus qui expetiverint illustrem illum ipsius adventum.

Vers. 1. continetur obtestatio. Vers. 2. exhortatio ad fungendum munere pastoris: cujus aliquot partes commemorantur. Vers. 3. & 4. affert hortationis institutæ rationem ab adjunctâ necessitate: quòd nimirum ista Evangelium docendi diligentia pernecessaria sit. quod ipsum significat prædictione paulo-pòst futuræ multorum defectionis: unde intelligitur, utendum esse tempore & occasione. Istius autem defectionis exponit causam procreantem, videlicet tædium doctrinæ sanæ, jam sæpe multumque auditæ; & cupiditatem cognoscendi aliquid novi. Quam pravam cupiditatem amplificat primùm à numero falsorum doctorum: quòd videlicet non contenti uno atque altero falso doctore, qui aliquid novi doceat, coacervaturi sint doctores. Deinde defectionis ipsius turpitudinem amplificat per antithesin veritatis, à qua aures avertent, & fabularum ad quas sese convertent. Vers. 5. institutam exhortationem aliis verbis repetit: & mox v. 6. aliam rationem annectit, quæ & ipsa ab adjuncta necessitate sumta est; quòd nimirum ista Timothei in Evangelio prædicando diligentia ideo pernecessaria sit, quòd brevi amissurus sit fidelissimum collegam & socium, imò præceptorem, Paulum, quippe qui brevi sit afficiendus supplicio propter Evangelii professionem. Porrò contra supplicii istius terrorem, seipsum ac Timotheum simul consolatur à duplici effe-

ćto utili, ſeu duplici fructu illius. Primus fructus eſt obſignatio veritatis Evangelii: quem fructum innuit verbo metaphorico quo ſupplicium ſuum nominat, inquiens, *ſe jam libari*, (σπένδομαι) id eſt, paulò pòſt libatum iri, hoc eſt, ſanguinem ſuum profuſum iri ad ſanciendum veritatem ſuæ doctrinæ: ſicut federa ſanciebantur libaminibus, hoc eſt, effuſione vini, quod partes contrahentes priùs libaverant, hoc eſt, primoribus labris deguſtaverant. Alter fructus eſt præmium cæleſte, ipſi à Chriſto certò dandum. Quem fructum v.7. confirmat à cauſa procreante, quatenus functionem ſui muneris apoſtolici comparat certamini, & gloriatur, ſe illud certamen ſtrenuè decertaſſe. Unde mox infert v.8. præmium coronæ cæleſtis ſe certò manere, ſibíque à Domino datum iri. Quod ipſum confirmat à naturâ Domini juſtâ: ac tum propoſitum amplificat aſſumtione majoris, videlicet generis univerſi, nempe omnium vere piorum quibus Dominus coronam vitæ æternæ ſit daturus.

9 Stude venire ad me citò.

10 Nam Demas me dereliquit, amplexus præſens ſæculum, & profectus eſt Theſſalonicam: Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.

11 Lucas mecum eſt ſolus. Marcum aſſumtum adduc tecum: eſt enim mihi perutilis ad miniſterium.

12 Porrò Tychicum miſi Epheſum.

13 Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, adfer quum venies; & libros, maximè membranas.

14 Alexander faber ærarius multa mala mihi exhibuit: reddat ei Dominus ſecundùm facta ipſius.

15 Quem & tu cave: vehementer enim reſtitit ſermonibus noſtris.

16 In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me deſeruerunt: (*utinam* ne illis imputetur).

17 Sed Dominus mihi adfuit, & corroboravit me: ut per me fieret fides præconii quod audirent omnes Gentes: & ereptus fui ex ore leonis.

18 Et eripiet me Dominus ab omni opere malo, ſervabitque regno ſuo cæleſti: cui gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

19 Saluta Priſcam & Aquilam, & Oneſiphori familiam.

20 Eraſtus manſit Corinthi. Trophimum autem reliqui Mileti ægrotantem.

21 Stude venire ante hyemem. Salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.

22 Dominus Jeſus Chriſtus *ſit* cum ſpiritu tuo. Gratia *ſit* vobiſcum: Amen.

V.9. petit ut Timotheus quamprimùm ad ſe veniat. V.10. & parte 11. rationem iſtius petitionis exponit: quia videlicet à pleriſque comitibus ſuis deſertus ſit: ubi inprimis conqueritur de Dema, ut quem ad deſerendum Paulum commoverit non idonea cauſa, videlicet terrenarum commoditatum ſtudium. V.11. petit, ut Marcum ſecum adducat. V.12. ſignificat de Tychico, quòd illum miſerit Epheſum: nempe ad defectum abſentis Timothei ſupplendum: & ſic Timotheum moveat ad libentiùs ac citiùs veniendum. V.13. petit, ut res quaſdam ſuas ſibi afferat. V.14. & 15. monet, ut caveat Alexandrum fabrum, ut qui petulanter reſtiterit ſermonibus ſuis. V.16. conqueritur, ſe à fratribus in prima ſua defenſione deſertum: Deumque pro illis orat, ne hoc delictum eis imputet. V.17. prædicat bonitatem Dei in ſeſe corroborando in defenſione illâ, & fide facienda prædicationi ſuæ apud Gentes, & denique eripiendo ſeſe ex præſentiſſimo periculo. V.18. ſeſe erigit ſpe certâ ſalutis: Deumque pro ſua bonitate collaudat. V.19. petit quoſdam ſalutari. V.20. ſignificat de duorum quorundam fratrum ſtatu. V.21. rurſum hortatur ut veniat: & ſalutationes quorundam illi annuntiat. V.22. concludit voto in fine epiſtolarum uſitato: quo Timotheo & fratribus apud illum gratiam Dei exoptat.

SCHOLIA IN CAP. IV.

2 Sermonem] τὸν λόγον. *Nempe ſermonem Evangelii. quod innuit articulus. Synecdoche generis.*

3 Sanam] ὑγιαινούσης. *Vide ſuprà 1.13.*

5 Evangeliſtæ] εὐαγγελιστοῦ. *Id eſt, prædicatoris Evangelii. Hoc autem nomine ii intelliguntur quibus comitibus utebantur apoſtoli in ſuo munere fungendo. Tales præter Timotheum erãt quoq; Titus, Sylvanus, Apollos.*

6 Libor] σπένδομαι. *Id eſt, mactor ſeu immolor. Metonymia adjuncti metaphorica. nam ſacrificiis libamina adjungebantur. Sic Philip.2.17.* Migrationis] ἀναλύσεως. *Id eſt, mortis: quum ſcilicet anima migrat ex corpore. Sic Phil.1.23.*

7 Certamen illud &c.] τὸν ἀγῶνα &c. *Obſerva in hoc verſiculo floridam & quaſi triumphantem συμπλοκὴν, aſyndeto conjunctam. nam & initia ſententiarum & fines, ſimilem inter ſe ſonum habent.*

8 Illa juſtitiæ corona] ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος. *Id eſt, quæ datur pro juſtitia, tanquam præmium. Genitivus cauſæ efficientis.*

10 Præſens ſæculum] τὸν νῦν αἰῶνα. *Id eſt, commoda hujus vitæ.*

11 Ad miniſterium] εἰς διακονίαν. *Ut mihi miniſtret captivo.*

13 Penulam] τὸν φελόνην. *Probabile eſt, φελόνη corruptum eſſe ex φενόλη: & hoc formatum à penula.*

16 Defenſione] ἀπολογίᾳ. *Quâ ſcil. cauſam dixit coram Cæſare.* Nemo] οὐδείς. *Scil. eorum qui me antea comitabantur. Synecdoche generis.*

17 Leonis] λέοντος. *Neronem notat, propter crudelitatem hominis, & potentiam. Metaphora.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex v.1. & 2. Paſtor Eccleſiæ ad officium docendi excitare ſe debet conſideratione judicii extremi, in quo rationem reddere Chriſto cogetur adminiſtrationis ſuæ, repoſcente illo è manibus ipſius ſanguinem animarum quæ per ipſius incuriam perierint. Confer Ezech.3. v.17.18.19. Huc etiam pertinet parabola de ſervis quibus talenta erant credita ad negotiandum, Matt.25. v.15. & deinceps. Item illud Pauli 1.Cor.9. *Væ mihi ſi non evangelizavero; Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem invitus: diſpenſatio mihi credita eſt.* Item illa exhortatio Pauli ad epiſcopos ſeu paſtores eccleſiæ Epheſinæ, Act.20. v.28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos ad paſcendum eccleſiam Dei: quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Quum igitur tam caro pretio animas electorum redemerit Chriſtus; non ſinet eas negligentiâ paſtorum impunè perire vel in prædam exponi. *Miniſtri verbi Dei.*

2 Ex v.1. ex verbis, *In apparitione ſua, & in regno ſuo.* Regnum Chriſti in extremo demum judicio plenè manifeſtabitur. Tunc enim Chriſtus, qui nunc dominatur in medio inimicorum, (Pſalm.110.) proſtratis inimicis, & omni adverſariâ poteſtate vel ſublatâ vel in nihilum redactâ; majeſtatem ſuam in lucem proferet. Hac igitur ſpe nos ſuſtentemus, quum in hoc mundo violenter ab hoſtibus oppugnamur: quippe quum certi ſimus, nos pro noſtro gradu unà cum Chriſto regnaturos: ſuprà cap.2. v.12. *Regnum Chriſti.*

3 Ex v.2. Tametſi in paſtore Eccleſiæ requiritur prudentia ſpiritualis, in obſervandis occaſionibus proponendi ſuis auditoribus cæleſtem ſalutis doctrinam: tamen licitum illi eſt, ſi neceſſitas ita poſtulet, etiam ſanctâ quadam importunitate uti. Huc pertinet illud, *Compelle intrare*: ex parabola de cæna magna, Luc.14. v.23. *Miniſtri verbi Dei.*

4 Ex eod. v. Quum paſtorum officium ſit, auditores ſuos errantes arguere, delinquentes objurgare, ſegnes exhortari: cogitent auditores, viciſſim ſui muneris eſſe, ut hanc paſtorum erga ſe adminiſtrationem æquis animis admittant, ſeſeque dociles & obſequentes præbeant. *Auditores Evangelii.*

5 Ex eod. v. Reprehenſiones paſtorum fundatæ eſſe debent in doctrinâ; ne meritò ſpernantur, tanquam futiles. Doctrinam autem hîc intellige, quâ homines de Dei voluntate clarè edocentur ex verbo Dei. *Miniſtri verbi Dei.*

6 Ex eod. v. Paſtores acrimoniam reprehenſionum temperare debent lenitate: ne aſperitas ipſorum vel ludibrio ſit, vel populi animos irritet, ſed ut admittatur quantumvis ſevera admonitio, tanquam ex benevolo animo profecta. *Miniſtri verbi Dei.*

7 Ex v.3. Quum falſi doctores hodie in Eccleſia longè lateq; graſſentur: pii doctores & paſtores eò magis ſint ſoliciti, ut ſanam doctrinam auditoribus ſuis inculcent. *Miniſtri verbi Dei.*

8 Ex eod. v. Quum pii paſtores vident, verbum Dei & ſanam doctrinam à multis contemni ac rejici: non debent conſternari, quaſi re novâ atque inauditâ: quippe cùm ſic reipſa impleatur, quod Spiritus ſanctus futurum hîc prædixit. *Conſolatio pro miniſtris verbi Dei.*

9 Ex v.3. & 4. Cauſa errorum in Eccleſia apud maximam partem eſt, quòd homines ultrò decipi malunt quàm rectè doceri. Tanta eſt ingenii humani vanitas. *Errores.*

10 Ex v.5. Honorifico officii nomine unuſquiſque excitari debet ad officium diligenter adminiſtrandum. *Miniſtri verbi Dei.*

11 Ex v.6. ex verbis, *Ego jam libor*. Violentâ morte martyrum ſancitur veritas doctrinæ quam profitentur: ſicut federa olim ſancita fuerunt libaminibus & victimis cæſis. Itaque etſi in martyrum conſtantia non eſt propriè fundata fidei Chriſtianæ certitudo: tamen illa non parum ad confirmandum fideles facit. Hinc veterum quidam dixit, ſanguine martyrum Eccleſiam velut hortum Domini rigari. *Martyrium.*

12 Ex eod. v. ex verbis, *Tempus meæ reſolutionis* (vel migrationis) *inſtat*. Quum animæ piorum per mortem non intereant, ſed à corporibus ſolutæ, ad Chriſtum migrent: non eſt quòd tantopere cogitatione mortis conſternemur. nam etſi corpora animis vacua corrumpentur: tamen ſuo tempore per Dei potentiam integritati ſuæ reſtituta, cum animis ſuis rurſum unientur, ut æternam felicitatem unà cum illis participent. Hac igitur fide metus mortis (omnibus naturalis) vincendus eſt. *Conſolatio contra mortem.*

13 Ex v.7. Conſcientia fideliter adminiſtrati muneris ſibi à Deo impoſiti, magnum piis ſolatium præbet: adeò ut & mortem contemnere, & vitam atque felicitatem æternam & gloriam cæleſtem ſibi certò polliceri auſint. Quare fideliter ſuo quiſque *Miniſtri verbi Dei.*

quisque munere in Ecclesia fungatur, ut possit aliquando audire jucundam illam atque honorificam vocem domini sui, *Euge serve bone: fuisti fidelis super pauca: super multa constituam te: Intra in gaudium domini tui*, Matth. 25. v. 21. & 23.

Vita æterna. 14 Ex v. 8. Quum Paulus vitam æternam & gloriam illam cælestem nominet *coronam justitiæ*, & hanc sibi redditum iri dicat à Deo justo judice: quæritur, an igitur illam suis operibus sit promeritus? & omnino, an quisquam bonis operibus vitam æternam promereatur? Respondeo: Non: quia solus Christus vitam æternam est promeritus omnibus in ipsum credentibus. Itaque Deus credentibus & peccata remittit, & vitam æternam donat ex misericordia, absque ullo ipsorum merito: & tamen vitam æternam eis donando, justitiam quoque suam exercet; tum quia vitam æternam illis promisit; tum quia justum est ut bona opera remuneretur: tametsi fideles illa non ex propriis viribus, sed ex peculiari Dei gratia fecerunt. Quo fit, ut Deus sua in illis dona coronet. Confer 2. ad Thess. cap. 1. v. 5. 6. & 7.

Officium hominis Christiani. 15 Ex eod. v. Quum corona vitæ æternæ maneat omnes qui in hac vita strenuè contra Diabolum certant, ne per illius tentationes à cursu pietatis avertantur: certemus igitur strenuè, ut coronam illam adipiscamur. Confer 1. Cor. 9. v. 24. & deinceps.

Adventus Christi ad judicium. 16 Ex eod. v. Quum veræ fidei signum sit, diligere adventum Christi: consequens est, ut quibus adventus ille est formidabilis, illi aut nullâ aut certè exiguâ fide sint prædit. Oremus autem DEUM ut fidem nobis augeat, ut adventum Christi expetamus, & erectis capitibus exspectemus: certò statuentes, ipsum venturum ad redimendum nos ex omnibus hujus vitæ miseriis. Confer Luc. cap. 21. v. 28. Item Apoc. c. 22. v. 17. & 20.

Auditores Evangelii. 17 Ex v. 9. 10. 11. 12. & 13. Pii ac fideles Ecclesiæ ministri, in casu necessitatis maximè, omni officii genere adjuvandi sunt.

Consolatio pro ministris verbi Dei. 18 Ex v. 10. Quum piis Ecclesiæ pastoribus accidit, ut in persecutione ab intimis suis collegis deserantur, consolentur se exemplo Pauli; cui idem accidit à Dema.

Ministri verbi Dei. 19 Ex vers. 19. Quum Paulus etiam eo tempore quo sciebat mortem suam instare, tamen legendo & scribendo sese exercuerit: quantò magis id hodie pastoribus & doctoribus Ecclesiæ faciendum est, qui tantâ Dei cognitione non sunt illustrati?

Imprecatio. 20 Ex vers. 14. & 15. Quæritur, an rectè fecerit Paulus, quòd Alexandro isti imprecatus est æternum exitium. Respondeo: Rectè fecit: quia fecit ex zelo rectè composito: quippe quum compertum haberet, istum malitiosè & sacrilegâ audaciâ adversus Deum insurrexisse, & agnitam veritatem ex professo oppugnare. Talis zelus omnes pios decet. Sed interim tria cavenda. Primùm, ne proprias injurias persequamur: deinde, ne Dei gloriam asserendo, nostros affectus admisceamus: tertiò, ut adversus reprobos tantùm, qui suâ impietate tales se esse produnt, tali imprecatione utamur. Secus tenebimur reprehensione illa Christi, *Nescitis cujus spiritus sitis*, Luc. 9. v. 55.

Consolatio contra desertionem ab amicis. 21 Ex v. 16. & 17. Quum à fratribus in necessitate deserimur, discamus id exemplo Pauli mansuetè ferre, & Deum pro illis orare, siquidem ex infirmitate peccent. Item, confidamus, Dominum nos suo Spiritu sustentaturum, ne in tentatione succumbamus; idque ad gloriam nominis ipsius & salutem nostram æternam.

Officium hominis Christiani. 22 Ex vers. 18. Quum recordamur quomodo nos Deus tempore præterito providentiâ suâ protexerit, debemus inde spem concipere, eum posthac quoque nos protecturum; quatenus id quidem ad gloriam ipsius & salutem nostram æternam facturum est. Vide simile exemplum in Davide congressuro cum Goliatho, 1. Sam. 17. v. 37.

Salutatio. 23 Ex v. 19. 20. 21. 22. Decet Christianos ut se mutuò salutent, hoc est, gratiam Dei sibi mutuò precentur.

FINIS.

ANALYSIS LOGICA

EPISTOLÆ PAULI ad Titum.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

PAULUS *in hac epistola hortatur Titum, ut quæ ad rectam ecclesiarum in insula Creta constitutionem adhuc requirebantur, pergat constituere: nempe ut constituat oppidatim pastores: ut cohibeat vanos quosdam doctores: ut ipse doceat, & ab aliis doceri curet, utilia, id est, quæ conducant ad ædificationem in fide & vitæ novitate: unde etiam exponit omnis generis virtutes Christianas, quæ tum singulis auditorum ordinibus (putà senibus, adolescentibus, servis) tum omnibus in universum præscribendæ sint. Rationes quoque gravissimas exponit, à maximis Dei beneficiis deductas: quibus singuli debeant adduci, ut virtutes illas studiosè colant. Sub finem de rebus privatis ad ipsius necessitatem pertinentibus, familiariter quædam admonet. Ut autem Titus in illa ecclesiarum constitutione non frustra elaboret, sed auditores obsequentes habeat: Apostolus stylum ita informat, ut non tam privatim ad Titum, quàm publicè ad ipsas illas ecclesias scribere videatur.*

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Post salutationem quatuor primis versibus comprehensam monet Titum, ut in Ecclesiarum Cretensium constitutione pergat; ac primùm ut oppidatim constituat pastores: qui quales esse debeant, per partes exponit: deinde ut vanis doctoribus os obthurari curet.

PAulus servus Dei, apostolus autem Jesu Christi secundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ est secundùm pietatem:

2 Ad spem vitæ æternæ: quam promisit Deus ille mentiri nescius, ante tempora sæcularia, patefecit autem temporibus suis:

3 *Videlicet* sermonem illum suum, *qui est* in prædicatione, quæ concredita est mihi ex ordinatione servatoris nostri Dei. Tito germano filio in communi fide.

4 Gratia *sit tibi*, misericordia & pax à Deo patre, & Domino Jesu Christo servatore nostro.

HIs verbis continetur salutatio, tribus partibus pro more constans: quarum prima nominari consuevit ὑπογραφή, id est, subscriptio, eò quòd hodie nomen ejus qui epistolam mittit, soleat subscribi: secunda, ἐπιγραφή, inscriptio, inde dicta, quòd nomen ejus ad quem epistola mittitur, soleat inscribi, seu potius superscribi: tertia verò pars est ipsa salutationis formula. In subscriptione Paulus multis verbis commendat suum apostolatum, ad authoritatem sibi apud Cretenses asserendam, (nam apud Titum non erat opus) & ex consequenti, ad authoritatem conciliandam ipsi Tito: quippe cui mandat, ut ista quæ hic scribit, exsequatur, atque ita in ordinem cogat eos, qui se protervè efferebant. Primùm, se vocat *servum Dei*, id est, ministrum Dei in prædicando Evangelio. Deinde, nomen illud generale per speciale declarat, nominans se *apostolum Christi*, id est, hominem à Christo immediatè vocatum ac missum sive legatum ad prædicandum Evangelium passim apud Judæos & Gentes, & has quidem inprimis. Tertiò, finem indicat, cujus gratiâ ad prædicandum Evangelium sit missus, nempe ut electos adducat ad fidem. Ubi simul fidem describit è subjecto occupante sive objecto, & fine, & effectu. Objectum est veritas, nempe veritas illa doctrinæ cælestis de nostra salute per Christum, quæ veritas continetur verbo Evangelii; sicut ait Christus Joh. 17. *Pater, sanctifica eos in veritate tua: sermo tuus veritas est.* Finis, cujus gratiâ fide electi donantur, est pietas: ut nimirum per fidem agnitis maximis Dei erga se beneficiis, per Christum in se collatis, studeant grati animi declarandi causâ Deum colere verâ pietate. Porrò effectus fidei, est spes vitæ æternæ. Etenim qui credit promissioni de vitâ æternâ per Christum electis partâ, in illo ex ista fide gignitur vitæ æternæ a Deo promissæ spes. Quartò, Evangelium commendat à testimonio promissionum Dei: quod ipsum testimonium commendat partim à naturâ Dei veracis, quum Deum vocat ἀψευδῆ, *mentiri nescium*: tum à vetustate: quum dicit, promissiones illas factas πρὸ χρόνων αἰωνίων, ante tempora sæcularia, id est, ante multa sæcula, videlicet inde ab origine mundi; qualis nimirum est promissio illa facta primis parentibus, Se-

men mulieris conteret caput serpentis. Deinde promissiones illæ factæ Abrahamo: *In semine tuo benedicentur omnes gentes. In Isaac vocabitur tibi semen illud.* Cæterùm istis ita expositis, repetit mentionem sui apostolatus per descriptionem illius, dicens, *Prædicationem Evangelii sibi esse concréditam ex mandato servatoris nostri Dei.* Atque hæc de subscriptione. In inscriptione Titum commendat ab adjunctâ fide: quam illustrat expositione causæ procreantis & adjunctæ sinceritatis, & collatione similium. Causam procreantem, nempe instrumentalem, notat per metaphoram *filii*, quum Titum vocat *filium secundùm fidem*: significans, se illum genuisse non quidem secundùm carnem, sed secundùm fidem. Sic 1. Cor. 4. v. 15. ait, se genuisse Corinthios per Evangelium. Item in epistola ad Philemonem v. 10. Onesimum vocat filium suum quem genuerit in vinculis suis. Sinceritatem verò fidei notat per epitheton *germani*, vocãs Titum filium germanum secundùm fidem. Denique fidem Titi comparat cum sua ipsius fide ut similem, quum nominat *fidem communem*. Hæc de inscriptione. Salutatio iisdem ferè constat verbis, quibus illæ in utraque ad Timotheum: ubi vide.

5 Hujus rei gratiâ reliqui te in Creta ut reliqua corrigas, & constituas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi ordinavi.

6 Si quis est inculpatus, unius uxoris vir, liberos habens fideles; qui non sint obnoxii crimini luxus, aut fractarii.

7 Oportet enim episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem, non sibi pertinaciter placentem, non iracundum, non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem:

8 Sed hospitalem, bonorum amantem, temperantem, justum, pium, continentem;

9 Tenacem fidelis illius sermonis qui ad doctrinam facit, ut possit & exhortari doctrinâ sanâ; & contradicentes convincere.

Primùm monet, quo consilio Titum reliquerit in Creta: nempe ut pergat corrigere, id est, constituere, atque ordinare quæ ad rectum Ecclesiæ regimen pertinent. Unde intelligitur, Paulum in Creta ecclesias fundasse: sed earum exædificationem mandasse Tito tanquam evangelistæ, qualis etiam erat Timotheus: cui simili ratione commendaverat ecclesias à se plantatas in Asia, nempe Ephesi & in vicinia. Nominatim autem mandat, ut constituat oppidatim presbyteros, id est, episcopos seu pastores: sicut percipitur ex collatione versiculi septimi. Deinde describit, quales pastores deligendi atque ordinandi sint, seu quibus virtutibus præditos esse oporteat: quarum virtutum aliæ ad vitam ac mores, aliæ verò ad doctrinam pertinent: illas commemorat v. 6. 7. 8. istas verò v. 9.

10 Sunt enim multi refractarii, & vaniloqui, & mentium deceptores, maximè ii qui sunt ex circumcisione.

11 Quibus oportet os obturare: qui totas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.

12 Dixit quidam ex ipsis proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ feræ, ventres pigri.

13 Testimonium hoc est verum: quam ob causam eos redarguito præcisè, ut sani sint in fide:

14 Non attendentes Judaicas fabulas, & mandata hominum aversantium veritatem.

15 Omnia quædam pura puris: pollutis autem & infidelibus nihil est purum, sed polluta est eorum & mens & conscientia.

16 Deum profitentur se scire, sed factis negant: quum sint abominandi, & rebelles, & ad omne opus bonum rejectanei.

Occasione virtutis quam postremam commemoravit, transit ad reprehensionem vanorum doctorum. Dixit, à pastore requiri ut possit contradicentes convincere: nunc ostendit, illam facultatem esse pastori necessariam: quia tales reperiantur qui veritati contradicant, & vanam doctrinam tradant. Istos igitur reprehendit à turpibus adjunctis, quòd sint *refractarii, vaniloqui, mentium deceptores*: v. 10. Item à perniciosis effectis, quòd vanâ suâ doctrinâ *totas domos subvertant*. Item à turpi fine, videlicet *turpi lucro*: v. 11. Atque hanc illorum vanitatem confirmat testimonio poëtæ cujusdam, popularis ipsorum, videlicet Epimenidis, vel (secundùm alios) Callimachi: cujus versum de moribus Cretensium recitat v. 12. Deinde exhortationem inde deducit, de Cretensibus redarguendis, & in sanitate fidei continendis, v. 13. & contrà avocandis à vana doctrina istorum doctorum quos reprehendit, v. 14. Cujus doctrinæ exemplum proponit v. 15. de cibis secundùm legem olim immundis atque illicitis: quasi nimirum lex illa adhuc duraret. Contrà affirmat Paulus, *puris omnia esse pura*: id est, Christianis quorum conscientia purgata est à peccatis per fidem in Christum, omnes cibos esse licitos, ita ut illis bonâ & tranquillâ conscientiâ possint vesci. Quibus verbis significat, legem illam de discrimine ciborum, per Christi exhibitionem esse abrogatam, ita ut Christiani illâ non teneantur. Deinde sententiam propositam illustrat collatione parium in contrariis. nam sicut puris omnia sunt pura: ita *pollutis omnia sunt polluta*. Quibus verbis perstringit istorum doctorum perversum de religione judicium: ut qui cùm de cærimoniali puritate multùm contendant, interim de vera puritate animi non sint soliciti: atque adeò cùm ipsi impuri sint, etiam ea quæ attingunt, impura reddant: idque ex sententia Legis: qua de re vide Haggæi secundo. Postremò hypocrisin istorum doctorum admodum significantibus verbis describit v. ultimo: ut nimirum pii sibi ab illis caveant.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Secundùm fidem] κατὰ πίστιν. *Id est, ad efficiendum fidem. Similis locutio est 2. Tim. 1. v. 1.* Fidem electorum] πίστιν ἐκλεκτῶν. *Id est, qua propriè donantur electi. Genitivus subjecti.* Electorum Dei] ἐκλεκτῶν Θεοῦ. *Id est, eorum qui à Deo electi sunt ad vitam æternam. Genitivus adjuncti.* Quæ est secundùm pietatem] τῆς κατ' εὐσέβειαν. *Id est, cujus finis ac fructus est pietas. Præpositio* κατὰ *rursus finem notat, ut in membro præcedente.*

2 Quam promisit] ἣν ἐπηγγείλατο. *Pronomen relativum non est referendum ad unum è proximis, sed ad nomen remotius* ἀληθείας: *ut intelligitur ex v. seq. 3. ubi per appositionem additur,* τὸν λόγον αὐτοῦ. Ante tempora sæcularia] πρὸ χρόνων αἰωνίων. *Id est, ante multa sæcula, videl. inde ab origine mundi. Si quis autem intelligat,* Ante omnia sæcula, *id est, ante mundum conditum: tum verbum* promisit, *metonymicè accipiendum erit, pro,* promittere decrevit. *Sed prior expositio videtur simplicior: & confirmatur collatione similium locorum, videl. Rom. 1. v. 2.* ὃ *(scilicet* εὐαγγέλιον*)* προεπηγγείλατο: Quod (Evangelium) antè promisit per prophetas suos in scripturis sanctis. *Item ad Rom. 16. v. 25. & 26.* Ex revelatione mysterii, quòd à temporibus sæculorum tacitum fuit: nunc verò factum est manifestum: κατ' ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου &c. Temporibus suis] καιροῖς ἰδίοις. *Videl. ad hoc prædestinatis: quæ Gal. 4. v. 4. vocat* πλήρωμα τοῦ χρόνου, *plenitudinem seu complementum temporis.*

3 *Qui est* in prædicatione] ἐν κηρύγματι. *Pro,* τῷ ἐν κηρύγματι: *scil.* ὄντι. Filio] τέκνῳ. *Ut 2. ad Tim. 1. v. 2.*

5 Presbyteros] πρεσβυτέρους. *Id est, episcopos seu pastores: ut percipitur ex collatione v. 7.*

7 Episcopum] τὸν ἐπίσκοπον. *En hîc nominat episcopum, quem v. 5. nominaverat presbyterum.* Dei dispensatorem] Θεοῦ οἰκονόμον. *Sic 1. Cor. 4. 1.* Sic de nobis reputet homo, ut de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei. *Item 1. ad Tim. 3. v. 15.* Ut nôris quomodo oporteat in domo Dei versari. *Metaphora.*

9 Fidelis illius sermonis] πιστοῦ λόγου. *Id est, certi, & fide digni.* Qui ad doctrinam facit] τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν, *scil.* ὄντος. *Hîc rursum* κατὰ *notat finem: ut suprà v. 1.*

10 Ii qui sunt ex circumcisione] οἱ ἐκ περιτομῆς. *Scil.* ὄντες. *Id est, ex circumcisis, nempe Judæis. Metonymia adjuncti, Apostolo familiaris. Sic Rom. 3. v. 30. item 4. v. 12.*

11 Os obturare] ἐπιστομίζειν. *Idem dicitur* φιμοῦν, *Matth. 22. v. 34.* Domos] οἴκους. *Id est, familias.*

12 Proprius ipsorum propheta] ἴδιος αὐτῶν προφήτης. *Epimenidem Cretensem intelligit: qui inter fatidicos habitus est, ut D. Beza declarat. quanquam alii Callimachum intelligi affirmant.* Cretenses] Κρῆτες &c. *Græcum versum quidam Latinè reddunt sic: Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est. Veruntamen Gul. Canterus censet interpretandum.* Venter edax est. *quia* ἀργὸς *non rarò velocem & avidum significat. Nov. var. lect. lib. 1. c. 15.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex v. 1. ex verbis, *Apostolus secundùm fidem.* Quum finis ministerii ecclesiastici sit, adducere auditores ad fidem: ergo ministri Ecclesiæ in ea re efficienda sedulò elaborent, ac proinde doctrinam Evangelii assiduè populo proponant, ac diligenter declarent; suasque conciones ad illum veluti scopum dirigant, ut auditores ad fidem adducant, & adductos in ea confirment. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex eod. v. ex verbis, *Fidem electorum Dei.* Fides, qua nimirum credimus in Christum, & per quam æternum servamur, propria est electorum Dei, id est, donatur à DEO solis electis, quos scilicet ille ad vitam æternam elegit. Quod ipsum scriptura etiam alibi docet: ut Joh. c. 6. v. 36. & 37. ubi Christus ait Judæis: *Etiam vidistis me, nec creditis. Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet.* Item c. 8. v. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et rursus cap. 10. v. 26. *Sed vos non creditis: non enim estis ex ovibus meis.* Item Act. c. 13. v. 48. quum Paulus & Barnabas Antiochiæ, urbe Pisidiæ prædicassent Evangelium, ait Lucas, *credidisse quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Porrò quum fides sit propria electorum: consequens est, ut unusquisque fidelis de sua electione ac proinde de salute sua certus sit. nam quoscunque Deus elegit, eos certò servat: ut expressè testatur Paulus Rom. 8. v. 30. ubi auream illam salutis catenam nectit, inquiens: *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* *Fides.*

3 Ex eod. v.

Fides. 3 Ex eod. v. ex verbis, *Et agnitionem veritatis, quæ est secundùm pietatem, ac spem*(vel, sub spe) *vitæ æternæ.* Observanda est hîc natura & proprietas fidei. 1. Fides non est incerta opinio, sed certa agnitio & approbatio veritatis cœlestis, quam nimirum Spiritus sanctus electis per Evanglium patefacit ac certò persuadet. 2. Scopus fidei est pietas. Quare ubi nullum est studium pietatis, ibi nec fides est. 3. Fides ex se parit spem vitæ æternæ.

Evangeliũ. 4 Ex v. 2. ex verbis, *Quàm promisit Deus ante tempora secularia:* Quum Evangelii doctrina multis antè sæculis quàm patefieret, à Deo promissa sit: consequens est, rem esse præstantissimam summoque in pretio habendam; ac nos quibus illa jam patefacta est, præ veteribus, quibus tantùm fuit promissa, beatos esse. sicut ipse Christus expresse testatus est, quum diceret discipulis, *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis: & beatæ aures quæ audiunt quæ vos auditis &c.* Quare non est mirum, si Deus mundum propter Evangelii contemtum graviter puniat.

Officium hominis Christiani. 5 Ex eod. v. ex verbis, *Promisit Deus ille mentiri nescius.* Quum Deus in omnibus suis promissionibus verax sit: credamus igitur ei, & caveamus nobis à gravissimo scelere, quo Deum mendacii arguit quicunque promittenti non credit, 1. Joh. 5. v. 10. Contrà verò statuamus, perhonorificum nobis esse, quòd credendo promissionibus Dei, obsignamus veritatem ipsius, Joh. 3. v. 33.

Omnipotentia Dei. 6 Ex eod. v. ex verbis, *Deus ille mentiri nescius.* Quum Deus non possit mentiri, ut hoc loco ait Apostolus; nec seipsum negare, ut idem ait 2. Tim. 2. v. 13: attendendum nobis est ut rectè intelligamus, quum dicitur esse omnipotens: ne scil. in vocabulo simpliciter hærentes, putemus, Deum simpliciter & absque ulla exceptione posse omnia quæ vel cogitari vel dici possunt. Etenim omnipotentia Dei referenda est ad ea tantùm quæ vult; & quæ velle potest. Non autem vult, nec velle potest quæ adversantur ipsius naturæ: & quæ si vellet, aut velle ac facere posset, Deus non esset. Cujusmodi sunt omnia ea, quæ aliquam imperfectionem ac impotentiam potiùs atque imbecillitatem, quàm potentiam & virtutem significant: ut est mendacium, & omnino peccatum. Valde igitur hallucinantur, qui omnipotentiam Dei ad contradicentia extendunt: quasi Deus possit efficere, ut aliquid simul sit & non sit. ut faciunt hodie qui docent, Christum suâ omnipotentiâ efficere ut corpus suum simul sit in cælo & in pane sacræ cœnæ, imò ubique: quod perinde est ac si dicerent, Christum suâ omnipotentiâ efficere ut corpus suum sit corpus, & non sit corpus. nam certè si ubiq; est, corpus non est: quum omne corpus finitum & suis terminis circumscriptum sit.

Evangeliũ. 7 Ex eod. v. ex verb. *Patefecit autem temporibus suis.* Quum audiamus, Deum patefecisse Evangelium temporibus suis, id est, illis temporibus quæ ipse æterno suo decreto ad hanc patefactionem destinaverat: ne igitur curiosè inquiramus, cur Deus Evangelium non citiùs patefecerit, filiúmve suum citiùs in mundum miserit: sed in decreto atque consilio Dei acquiescamus, cogitantes, ipsum solum sapientem esse. Confer Gal. 4. 4. *Postquam venit plenum tempus,* (τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου) *emisit Deus filium suum &c.* Huc etiam pertinet illud Act. 1. 7. *Non est vestrum, nosse tempora sive opportunitates: quas Pater posuit in sua potestate.*

Officium hominis Christiani. 8 Ex vers. 3. ex verb. *Sermonem illum suum in prædicatione.* Quum Deus sermonem Evangelii publicè annuntiari velit: consequens est, ab omnibus quoque audiendum esse. Quare ne quis se à publicâ verbi Dei auscultatione subducat: néve sibi persuadeat, sibi illâ non esse opus. Huc pertinet adhortatio illa Pauli Heb. 10. v. 5. *Non deserentes aggregationem nostri mutuam.*

Christus. 9 Ex eod. v. ex verb. *Quæ concredita est mihi ex mandato servatoris nostri Dei.* Notandum hîc est testimonium deitatis Christi. nam Apostolum vocabulo *Dei* hoc loco intelligere Christum, ex eo planum est, quòd ex illius mandato prædicatio Evangelii ipsi est concredita: nempe primùm quum persequens Christianos, mirabiliter converteretur: ut testatur Lucas Act. 9. v. 6. & 15. & 17. Et ipsemet narrat Act. 22. v. 10. 14. 15. Deinde iterum, cùm ei extra se rapto Christus appareret in templo, ibid. v. 17. 18. 21.

Officium hominis Christiani. 10 Ex eod. v. ex verbis, *Germano filio in communi fide.* Quum per Evangelium gignatur fides: ergo Evangelium studiosè audiendum est, ut fides in nobis & gignatur, & genita alatur atque foveatur & adolescat.

Beatitudo seu felicitas. 11 Ex vers. 4. Vera beatitudo seu felicitas (quæ hîc more Hebræorum pacis vocabulo significatur) proficiscitur ex gratia atque misericordia Dei, quam illo nobis in Christo exhibuit. Quare quicunque veram felicitatem exoptant, ad thronum illum gratiæ verâ fide confugiant.

Episcopi. Presbyteri. 12 Ex vers. 5. & 7. Quum Paulus hoc loco eosdem appellet nunc presbyteros, nunc episcopos, quos ipsos alibi pastores vocat: perperam posterioribus sæculis introducta est inter illa nomina distinctio, & nomen *episcopi* iis solis attributum qui inter collegas eminerent & communis inspectionis curam gererent. Hodie autem plerique qui episcopi nominantur, nihil minùs agunt quàm ut inspectionem Ecclesiæ docendo ac monendo exerceant.

Ministri verbi Dei. 13 Ex v. 6. 7. 8. & 9. Pastorem Ecclesiæ non solùm facultate docendi instructum, sed etiam sanctâ vitâ atq; honestis moribus ornatum esse oportet. Nam qui bene docet & malè vivit, is quod una manu ædificat, alterâ rursum destruit, ac proinde absq; fructu docet. Quare fidelis Ecclesiæ pastor virtutes, quas Apostolus hoc loco, itemque 1. Tim. 3. in episcopo requirit, perpetuò sibi ante oculos ponere, inque illis sese exercere, debet.

Ministri verbi Dei. 14 Ex v. 10. 11. & 13. Pastoris Ecclesiæ officium est, falsis doctoribus, si qui ipsius gregem seducere conentur, os obthurare, & sedulò elaborare ut sui auditores sani maneant in fide.

Ministri verbi Dei. 15 Ex v. 12. Exemplo Pauli citantis hoc loco versum ex Epimenide vel Callimacho, discimus, non dedecere doctorem Ecclesiæ, aut illicitum esse, ex profanis quoq; authoribus, interdum sententias citare quæ ad propositum faciant: dummodo id fiat absque ostentatione eruditionis, & in ea re teneatur modus. Sic idem Paulus cùm orationem haberet Athenis in Areopago, citavit hemistichion ex Arato, videl. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: Act. 17. v. 28. Item in disputatione de resurrectione mortuorum reprehendens voces istas Epicureas, *Edamus & bibamus, cras enim moriemur:* adducit senarium ex Menandro, videl. φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί: 1. Cor. 15. v. 33.

Cibi. 16 Ex v. 15. Quum ciborum discrimen quod sub Lege valuit, jam sublatum sit, ut hoc loco testatur Paulus, ac proinde nullius cibi usus coram Deo sit illicitus: consequens est, Antichristianam & tyrannicam esse legem Papæ, quæ carnium esum certis temporibus prohibet; idq; ita, ut conscientias ad necessitatem abstinendi obstringat: quo ipso concessam à Deo libertatem impiè fidelibus eripit. Confer 1. Tim. 4. v. 3. Col. 2. v. 16.

Bona opera. 17 Ex eod. v. Opera externa tum demum Deo placent, quum proficiscuntur ex puro corde. Cor autem quum naturâ impurum sit, purgatur fide in Christum & sincero studio pietatis. Act. 15. v. 9. *Fide purgans corda eorum.* Rom. 14. v. 23. *Quicquid ex fide non est, peccatum est.* Heb. 11. v. 6. *Absque fide impossibile est, placere Deo.* Heb. 9. v. 14. *Sanguis Christi purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad serviendum Deo vivo.* Heb. 13. v. 18. *Confidimus, nos bonam conscientiam habere, ut qui in omnibus cupiamus honestè conversari.* Hinc Deus passim rejicit sacrificia & preces & jejunia hypocritarum: ut Esa. 1. vers. 11. & deinceps; *Quorsum mihi multitudo victimarum vestrarum? &c.* Item, *Quum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & quum multiplicaveritis orationem, non exaudiam &c.* Et cap. 66. v. 3. *Qui immolat bovem, est quasi qui interficiat virum.* Et cap. 58. v. 5. *Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam &c.*

Hypocritæ. 18 Ex v. 16. Hypocritæ dum per operosam observationem cærimoniarum profitentur, se Deum scire & colere, interim Deum contemnunt & negant, quia de verè-bonis operibus nequaquam soliciti, nequitiæ suæ indulgent. Tales erant tempore Christi Pharisæi, quibus ille istam ipsorum hypocrisin gravissimè exprobravit: Matth. 23. v. 13. & deinceps.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hîc hortatur Titum ut ecclesiæ proponat doctrinam sanam, id est, utilem: ac nominatim, ut singulis ætatibus & ordinibus officia sua præscribat, quorum aliqua exempli causâ commemorat usq; ad v. 11. Deinde rationes gravissimas maximiq; momenti exponit, quibus singuli ad officia sua studiosè obeunda debeant moveri: à v. 11. usque ad ultimum; ubi hanc exhortationem epiphonemate concludit.

AT tu loquere quæ decent sanam doctrinam;

2 Ut senes sobrii sint, venerandi, temperantes, sani fide, charitate, tolerantiâ.

3 Anus itidem, ut *sint* habitu qui sactimoniam deceat; non calumniatrices, non vino multo addictæ, honestatis magistræ;

4 Ut sapere doceant adolescentulas, ut sint maritorum ac liberorum amantes,

5 Temperantes, castæ, domi manentes, bonæ, quæ sese subjiciant suis viris: ne sermo Dei blasphemetur.

6 Adolescentes itidem adhortare ut sint temperantes;

7 Per omnia te ipsum præbens exemplar bonorum operum: in doctrina integritatem, gravitatem.

8 Sermonem sanum, qui damnari non possit: ut qui *se* ex adverso *opponit*, erubescat, nihil habens quod de vobis dicat mali.

9 Servos *hortare* ut suis dominis subjiciant sese in omnibus, ut sint *eis* accepti, non responsatores:

10 Nihil intervertentes, sed omnem bonam fidem ostendentes; ut doctrinam servatoris nostri Dei ornent in omnibus.

VErsu 1. hortatur Titum ut ecclesiæ proponat doctrinam sanam, id est, utilem ad pietatem. Hanc hortationem præcedenti vanorum doctorum reprehensioni per antithesin anne-

ctit. V.2. monet de officiis, quæ præscribenda sint senibus. V.3. de officiis anuum, & primo membro v.4. Reliquâ parte v.4. & deinceps 5. de officiis mulierum juniorum quibus ipsæ anus eas debeant instruere. Annectitur autem in fine v.5. ratio præcepti ab eventu turpi: quia secus futurum sit ut sermo Dei blasphemetur: si scilicet mores Christianorum non respondeant professioni doctrinæ. V.6. unicum officium præscribit adolescentibus. V.7. & 8. ipsi Tito officia quædam præscribit: quæ quoniam admonitioni de officio adolescentum sive juvenum continenter subjicit, probabiliter hinc conjicitur, ipsum quoque Titum adhuc juvenem fuisse: qualis etiam fuit Timotheus, qui simile officium gessit. V.9. & 10. monet de officiis servorum: & rationem annectit ab effectu utili: quia si servi officia sua fideliter obeant, futurum inde sit ut ornent doctrinam Dei.

11 Illuxit enim gratia illa Dei salutifera quibusvis hominibus:

12 Erudiens nos ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & piè vivamus in præsenti sæculo:

13 Exspectantes beatam illam spem & apparitionem gloriosam magni illius Dei ac servatoris nostri, *nempe* Jesu Christi;

14 Qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibiipsi populum peculiarem, studiosum bonorum operum.

15 Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te despiciat.

Hactenus in prima capitis parte variis ordinibus officia sua præscripsit: nunc rationes exponit gravissimas, quibus singuli ad officia sua quàm studiosissimè obeunda debeant moveri. quanquam illas rationes Apostolus accommodat ad officia omnium Christianorum communia, videl. ad studium veræ pietatis. Rationes hîc notari possunt quinque. Prima à causa procreante seu impulsivâ, videl. *gratiâ Dei salutiferâ*. nam quia Deus ex gratia salutem nobis contulit: æquum est ut gratiæ referendæ causâ operam demus, ne tam beneficum patrem offendamus, ac proinde ut impietatem omnem abnegemus: deinde ut illi placere studeamus, ac proinde ut piè vivamus, v.11. & 12. Hæc ratio confirmatur testimonio Evangelii & conscientiæ fidelium: quod utrumque notatur verbo *Illuxit*. Secunda ratio sumta est ab effectu utili, videl. remuneratione pietatis, quia Deus pietatem remunerabitur beatâ immortalitate & gloriâ cælesti in adventu Christi. Hæc ratio confirmatur testimonio promissionis Dei: quod notatur vocabulo *spei*. Spes enim fidelium, pendet à Dei promissione, v.13. Tertia ratio rursum à causa procreante seu impulsiva sumta est, videl. beneficio Christi longè maximo: quippe qui nostrâ causâ non recusavit subire mortem acerbissimam atque ignominiosissimam, ut nos ab omni iniquitate ac proinde ab iniquitatis pœnâ, videl. morte æternâ, redimeret. Ergo æquum est ut nos vicissim in gratiam Christi à peccatis abstineamus, & sanctè vivamus. Quarta ratio item à causa procreante seu impulsiva, videl. voluntate Christi: quia Christus noster redemtor vult, ut bonis operibus studeamus. hoc ostendit ex fine seu consilio redemtionis: quippe ideo nos redemit *ut purificaret sibiipsi populum peculiarem, studiosum bonorum operum*, hoc est, ut impetraret nobis Spiritum sanctum per cujus efficaciam renovaremur ad serium pietatis studium. Atque hîc latet ratio quinta, nempe ab adjuncta facilitate. nam pietatem esse fidelibus facilem, liquet ex eo quòd per Spiritum sanctum sunt renovati. Hæ tres rationes continentur v.14. Versu ult. concludit præcedentem exhortationem epiphonemate, quo Titum hortatur ad severitatem in istis admonitionibus ecclesiæ proponendis.

SCHOLIA IN CAP. II.

3 Vino multo addictæ] οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας. *Quasi dicat, à vino in servitutem redactas, & quasi mancipia ebrietatis. Metaphora.*

4 Ut sint amantes maritorum] φιλάνδρους εἶναι. Ut sint, *nimirum adolescendulæ*, αἱ νέαι. *Nam illud* εἶναι *pendet à verbo* σωφρονίζωσι: *ne quis putet, hæc dicta esse de anibus.*

5 Domi manentes] οἰκουρούς. *Sic dictæ* ἀπὸ τὸ κηρεῖν τὸν οἶκον, *id est, ex eo quòd custodiant domum, & curent rem domesticam: non autem hinc inde vagentur nugigerulæ. Confer 1.Tim.5.v.13.*

8 De vobis] περὶ ὑμῶν. *Syrus legit* περὶ ἡμῶν. *Quod videtur magis quadrare: ut referatur scil. ad præcones Evangelii.*

9 In omnibus] ἐν πᾶσιν. *Intellige quæ præstari possunt sine offensione Dei. Synecdoche generis.* Ut sint eis accepti] εὐαρέστους εἶναι. *Vel, ut sint accepti; scil. Deo.*

10 Fidem] πίστιν. *Id est, fidelitatem in rebus domesticis administrandis.* Trew.

11 Quibusvis] πᾶσιν. *Videl. tam servis, quàm dominis &c. Ex collatione præcedentium. Sic 1.Tim.2.v.1.4.6.*

12 Temperanter] σωφρόνως &c. *Hæc tria sic videntur esse distincta: ut vivamus* temperanter *erga nosmetipsos*, justè *erga proximum*, piè *erga Deum.*

Hæc tria perpetuò meditare ad verbia Pauli:
Hæc tria sint vitæ regula sancta tuæ.

13 Spem] ἐλπίδα. *I.e. vitam & gloriam cælestem: Metonymia adjuncti.* Apparitionem gloriosam] ἐπιφάνειαν τῆς δόξης. *Ad verb. Apparitionem gloriæ. Hebraism. Genitivus adjuncti.* Dei ac servatoris] Θεοῦ καὶ σωτῆρος. *Hîc nomen Dei expressè Christo tribuitur. Nam si nomen* Θεοῦ *de Patre esset intelligendum: tum dicendum fuisset,* καὶ τοῦ σωτῆρος, *articulo scil. præposito.*

14 Dedit] ἔδωκεν. *Nempe in mortem.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 Ex v.1. & deinceps usque ad 11. Non est satis, pastorem Ecclesiæ doctrinam pietatis in genere proponere: sed requiritur ut eam singulis ætatibus & ordinibus pro circumstantiarum varietate applicet. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex v.5. & 10. Christiani à malis moribus absterreri debent studio gloriæ Dei: ne scil. sermo Dei quem ipsi profitentur, propter turpem ipsorum vitam blasphemetur: sed potiùs ut per sanctam ipsorum vitam ornetur. Confer Rom.2.v.24. Matth.5.v.16. Philip.2.v.15. & 16. *Officium hominis Christiani.*

3 Ex v.7. Non est satis, pastorem Ecclesiæ bene doctum esse & bene docere: sed oportet ut seipsum exemplar bonorum operum suo gregi præbeat. Confer 1.Pet.5.v.3. ubi hortatur presbyteros, id est, pastores, ut fiant *exemplaria gregis*. Sic Paulus suum exemplum Christianis passim imitandum proponit: ut 1.Cor.4. v.16. & cap.11.v.1. Philip.3.v.17. Sic Heb.13. v.7. hortatur fideles Hebræos ut imitentur fidem ducum (id est, pastorum) suorum. *Ministri verbi Dei.*

4 Ex v.11.12.13. & 14. Christiani ad serium studium pietatis excitari atque accendi debent consideratione tum gratiæ Dei salutiferæ, quæ ipsis per Evangelium illuxit; tum mortis Christi, quam ad ipsos redimendum ultrò sustinuit: ut nimirum pro tantis beneficiis sese gratos declarent. Deinde verò commoveri quoque debent spe remunerationis, videlicet beatitudinis atque gloriæ cælestis, quam Deus omnibus pietatis studiosis promisit. Postremò calcar eis addere debet initium illud sanctificationis, quo jam donati sunt; quo fit ut mandata Dei illis gravia sive molesta non sint. *Studium pietatis.*

5 Ex v.12. Officium hominis Christiani ad tria capita revocari potest: nempe ut studeat pietati erga Deum, justitiæ erga proximum, & temperantiæ erga seipsum. De pietate præcipitur in tabula decalogi priore: de justitia & temperantia in posteriore. *Officium hominis Christiani.*

6 Ex vers.13. Notandum est illustre testimonium pro deitate Christi: quem Paulus expressè hîc nominat *magnum illum Deum & servatorem nostrum*. Ac ne quis cavilletur, nomen *Dei* intelligendum esse hîc de Patre, nomen autem *servatoris* solum referendum esse ad Christum: primò observandum est, nomen ἐπιφανείας (ut prudenter D. Beza observavit) nusquam tribui in novo Testamento nisi Filio. Deinde observandum, utrumque istud nomen, (Dei, inquam, & servatoris) in Græco uni articulo subjici, ac proinde non nisi de una persona posse intelligi: Ea autem persona expressè nominatur Jesus Christus: quæ una eademque esse dicitur magnus ille Deus & servator. Ait enim: προσδεχόμενοι τὴν ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Sicut alibi, (ut 2.Cor.1.v.3. Eph.1.v.3.) quum ait, ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ Ἰησοῦ Χριστοῦ, non nisi unam personam significat. Quòd si loqueretur Apostolus de personis duabus, videlicet Patre & Filio: tum articulum τοῦ ante σωτῆρος repeteret, ad hunc modum, τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ τοῦ σωτῆρος. *Deitas Christi.*

7 Ex vers.13. & 14. Observandum hoc loco exemplum illius tropi seu modi loquendi, qui à veteribus Ecclesiæ doctoribus nominatus est κοινωνία ἰδιωμάτων, communicatio idiomatum seu proprietatum; quum scilicet quod unius in Christo naturæ proprium est, attribuitur ipsi personæ ab altera natura denominatæ. ut hoc loco, magnus ille Deus dicitur semetipsum dedisse pro nobis, videl. in mortem. ubi mors, quæ proprietas est naturæ humanæ, attribuitur personæ Christi denominatæ à natura divina. Similia exempla sunt Act.20.28. ubi Deus (id est, filius Dei Christus) dicitur Ecclesiam acquisivisse suo sanguine. Item 1.Cor.2. v.8. ubi dicitur, Dominum gloriæ (id est, Christum, qui unà cum Patre & Spiritu S. est Jehova gloriosus seu gloriæ plenus) crucifixum esse. Vicissim eidem Christo ab humana natura denominato attribuuntur propria deitatis; ut Joh.3.v.13. *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, nempe filius hominis qui est in cælo.* Christus hæc loquens, corpore suo erat tantùm in terra, apud Nicodemum, non etiam in cælo; at interim erat quoque in cælo, ut Deus; qui cælum & terram replet. Sic Joh.6.v.62. *Quid si igitur conspiceretis filium hominis ascendentem eò ubi erat priùs?* At Christus ante ascensionem suam in cælum, non fuit in cęlo secundùm naturam humanam seu ut filius hominis, sed tantùm ut Deus, seu secundùm naturam divinam. Sic 1. Johan.1.v.1. Sermo ille vitæ (id est, filius Dei) dicitur ab Apostolis esse oculis conspectus & manibus contrectatus; quæ non nisi in corpus cadunt, cùm deitas invisibilis atque impalpabilis sit. *Communicatio idiomatum.*

8 Ex vers.14. Observandum, quòd redemtio nostri ab omni iniquitate, seu (quod idem est) expiatio omnium nostrorum peccatorum, soli morti Christi adscribitur: unde sequitur, propter solam mortem Christi peccata nobis à Deo remitti, ac proinde solam mortem Christi nobis ad justitiam coram Deo imputari: quippe *Redemtionis atq. justificationis causa meritoria.*

quippe cùm justitia qua coram Deo consistimus, nihil aliud sit quam ipsa peccatorum remissio; ut liquet ex verbis Pauli Rom. 4. v. 6. & 7. Mors autem Christi comprehendit passiones antegressas, potissimùm verò anxietatem illam qua ad mortem corporis deductus est, gustans pro nobis mortem æternam seu iram Dei adversus nostra peccata, quæ ut sponsor in se susceperat luenda. Eadem sententia passim in scriptura, & maximè in epistolis Pauli occurrit.

Bona opera. 9 Ex eodem versu. Qui non tenentur serio studio bonorum operum, illi hoc ipso significant, se non esse in numero eorum quos Christus suâ morte redemit. nam quos Christus redemit, eos ideò redemit ut eos sibi purificaret in populum peculiarem, & studiosum bonorum operum.

Ministri verbi Dei. 10 Ex v. 15. Pastor Ecclesiæ non solùm debet auditores suos de suis quemque officiis erudire, & ad illa perficienda exhortari: sed etiam refractarios arguere, & eis nomine Dei mandare: idque eâ severitate & gravitate, ut à nemine meritò possit despici.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hîc monet Titum de officiis quibusdam communibus quæ auditoribus suis debeat suggerere, ac præcipuè de humanitate erga extraneos seu alienos à fide Christiana; cujus admonitionis rationes gravissimas adfert, partim à veteri naturæ statu, partim à præsente statu gratiæ, deductas. deinde repetit admonitionem generalem de urgendo studio bonorum operum: & contrà hortatur eum ad cohibendum doctrinas inutiles, & contentiones. Ad extremum de rebus privatis quædam admonet.

SUggere ipsis ut sese subjiciant principatibus ac potestatibus, ut obtemperent, ut ad omne opus bonum sint parati:

2 Ne cui maledicant; ut sint à pugnis alieni, æqui, omnem exhibentes lenitatem erga quosvis homines.

3 Nam eramus quondam & nos amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odiosi, alii alios odio prosequentes.

4 Sed postquam bonitas & erga homines amor apparuit servatoris nostri Dei;

5 Non ex operibus justis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti:

6 Quem effudit super nos copiosè per Jesum Christum servatorem nostrum:

7 Ut justificati illius gratiâ, hæredes efficeremur, secundùm spem, vitæ æternæ.

EXhortationem generalem ad studium pietatis in fine superioris capitis propositam & confirmatam hîc declarat per partes, ac primùm de officio subditorum erga suos magistratus, vers. 1. deinde v. 2. officia quatuor charitatis erga quosvis commemorat: quorum primum ad nonum, reliqua tria ad sextum decalogi præceptum pertinent. Tum v. 3. & deinceps, quartum ex illis confirmat rationibus. Illud autem est lenitas seu mansuetudo erga quosvis homines, & maximè erga eos, qui à fide Christiana adhuc sunt alieni: ad hos enim rationes quæ adducuntur, propriè spectant. Rationes illæ duæ sunt. Prima exponitur v. 3. altera v. 4. & deinceps. Prima ratio est: Nos quoque ante conversionem tales eramus quales nunc sunt isti, nempe amentes, rebelles &c. Argumentum est à pari; quod sic plenè exponendum est: Nos cùm nondum essemus conversi, noluissemus à conversis contemni aut rigidè nobiscum agi: sed voluissemus nos tractari humaniter ac leniter: ergo pari ratione agamus cum aliis qui nondum conversi sunt: secundùm illam justitiæ regulam, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* quam regulam Christus comprehendit his verbis, *Omnia quæ vultis ut vobis faciant homines, vos illis facite similiter.* Secunda ratio: Nos è misero naturæ nostræ statu liberati sumus nullo nostro merito, nullisve nostris viribus, sed merâ Dei gratiâ atque misericordiâ, per meritum Christi & efficaciam Spiritus sancti. Ergo non habemus causam nondum-conversos præ nobis contemnendi: sed potiùs habemus causam sperandi, fore ut illis quoque quantumvis indignis & ineptis eadem Dei gratia atque misericordia contingat. Ita per occasionem Apostolus hîc rursum exponit causas salutis, sicut capite superiori vers. 11. & deinceps. Sed hîc pleniùs. Causa igitur *efficiens principalis*, est Deus Pater: unde eum nominat servatorem nostrum, vers. 4. Causa *antecedens* (προηγουμένη) qua principalis illa ad agendum movetur, est bonitas ipsius & φιλανθρωπία, eodem versu. item misericordia, v. 5. Causa *instrumentalis*, qua Deus utitur ad illam suam bonitatem & φιλανθρωπίαν nobis patefaciendam, est prædicatio Evangelii: quam Apostolus notat verbo ἐπεφάνη, id est, *illuxit.* quo verbo usus est etiam suprà capite 2. vers. 11. Porrò misericordiam DEI qua impulsus nos servat, illustrat antithesi nostrorum operum, significans, DEUM ad nos servandum non moveri operum nostrorum meritis. *Causæ ministrantes* respectu DEI patris sunt duæ, Christus, & Spiritus sanctus; nam per hos nos servat Pater; sicut expressè hîc loquitur Apostolus. de Spiritu sancto quidem v. 5. *Servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti.* de Christo verò v. 6. ubi ait: quòd *Deus Spiritum sanctum effuderit in nos per Jesum Christum servatorem nostrum. Forma* salvationis, seu modus quo Deus nos ad salutem adducit, notatur hîc per duas actiones Dei, videlicet regenerationem, v. 5. & justificationem, v. 7. Ac in commemoratione regenerationis simul videtur alludere ad *causam quandam instrumentalem*, qua Spiritus sanctus utitur ad regenerationem nobis testificandam, obsignandam atque augendam, videlicet ad baptismum, quum ait, *Deum servasse nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*: id est, per regenerationem & renovationem Spiritus sancti, tanquam per lavacrum quoddam, quo scilicet abluimur à sordibus peccati; cujus lavacri sigillum est baptismus. In commemoratione verò justificationis attingit causam προκαταρκτικὴν, id est, *impulsivam externam*, quæ Deum patrem movit ad nos justificandum, regenerandum, & denique salvandum. ea est gratia Christi, de qua dicit, *Ut justificati ipsius gratiâ &c.* Per gratiam autem Christi hîc intelligo metonymicè beneficium Christi, quod ex gratia & amore nobis præstitit, moriendo scilicet pro nobis. Etenim suâ morte Christus nobis apud Patrem impetravit remissionem peccatorum seu justificationem: ut nimirum Pater nos pro justis habeat, remissis peccatis propter mortem Christi, quâ illa sunt expiata. Si quis tamen hoc malit intelligere de gratia Dei patris; tum vocabulum *gratiæ* propriè accipiendum erit, & sic repetetur causa προηγουμένη jam antè indicata vers. 4. & 5. Quin tertia quoque Dei actio, ad formam salvandi pertinens, hîc notatur per vocabulum *hæredes*, ubi ait, *Ut efficeremur hæredes &c.* Illa actio est adoptio. Deus enim quum nobis peccata propter mortem Christi remisit, atque ita nos justificavit, ac præterea per Spiritum sanctum nos regeneravit, atque ita fide donavit: simul nos per illam ipsam fidem adoptat in filios, atque ita hæredes efficit salutis, seu vitæ æternæ, secundùm hæc dicta: Johan. 1. v. 12. *Quotquot eum* (nempe sermonem illum, Christum) *acceperunt, dedit eis hanc potestatem ut filii Dei sint, nempe iis qui credunt in nomen ejus.* Roman. 8. v. 17. *Quòd si filii, etiam hæredes.* Præterea indicat causam quandam instrumentalem in nobis, qua ad salutem adducimur, videlicet spem; ubi ait, *Secundùm spem.* Hîc autem simul intelligenda est fides; quippe ex qua spes existit ac dependet. item promissio Dei, in qua fides ut proprio objecto occupatur. Etenim fide justificamur, quatenus eâ apprehendimus & nobis applicamus promissionem Dei de remissione peccatorum & vitâ æternâ propter mortem Christi: spe autem promissam vitam æternam exspectamus. Atque hæc de salutis nostræ causis ab Apostolo divinâ prorsus & inimitabili brevitate hoc loco disseruntur. Quam quidem maximi momenti doctrinam concludit asseveratione per epiphonema, in principio vers. 8. inquiens, *Certus est hic sermo.* quæ verba ad finem versus præcedentis adjungi debent.

8 Certus est hic sermo. Et hæc volo te asseverare, ut studeant bonis operibus præesse qui crediderunt Deo. Hæc illa sunt bona & hominibus utilia.

9 Stultas autem quæstiones & genealogias & contentiones ac pugnas legales cohibe: sunt enim inutiles & vanæ.

10 Hæreticum hominem post unam & alteram commonefactionem rejice:

11 Ut qui nôris, eversum esse eum qui sit ejusmodi, & peccare; ut qui suopte judicio sit condemnatus.

Exposito in proximè-præcedentibus per occasionem mysterio salutis, nunc redit ad exhortationes: ac primò Titum hortatur ad mysterium illud salutis plenâ cum authoritate apud auditores affirmandum, & inde deducendum exhortationes ad studium bonorum operum. Atque rationem hujus hortationis annectit ab adjunctâ istarum rerum dignitate & utilitate, vers. 8. Deinde v. 9. & deinceps dehortatur Titum à doctrina vana & contentionibus quæ inde solent exoriri; quin potiùs hortatur eum ut illa mala cohibeat. Rationes adjungit: quia ejusmodi doctrina sit inutilis, videlicet ad fidem & pietatem: & quia homines contentiosi atque hæretici contra conscientiam sua dogmata propugnent: quo fit, ut sine fructu cum illis sermo conferatur: quippe quibus propositum est, pertinaciter sua tueri, nec meliora monentibus cedere. Vult tamen ut semel atque iterum admoneantur, ut nimirum à malo suo proposito desistant: id quod de admonitione publica coram presbyterio (saltem postremâ) intelligendum videtur. Finis enim est, ne possint gloriari, se neque auditos, neque convictos esse. Istis autem admonitionibus nisi locum dent, vult eos rejici, id est, excommunicari; donec scilicet resipiscant.

12 Quum misero Artemam ad te, aut Tychicum; stude venire ad me Nicopolin: nam illic decrevi hyemare.

13 Zenam legisperitum, & Apollo, studiosè deducendos curatò, ne quid illis desit.

14 Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad necessarios usus, ut non sint fructus expertes.

15 Salutant te, qui mecum sunt, omnes. Saluta eos qui diligunt nos in fide. Gratia *Dei sit* cum omnibus vobis: Amen.

Hic ad extremum de rebus privatis quædam adjicit: ac primùm petit, ut ad se veniat, simulque tempus & locum ei determinat: suumque propositum exponit de loco ubi velit hyemare, vers.12. Deinde rogat, ut duos quosdam fratres & Evangelii ministros viatico juvet, ad ipsum scilicet profecturos, v.13. Tum illius petitionis rationem exponit: quia talis beneficentia & liberalitas erga fratres egenos sit quasi fructus quidam quo vera fides ac pietas testata redditur, vers.14. Postremò, Titum verbis aliorum salutat, & verbis suis alios per ipsum salutari petit: & tandem voto sibi usitato concludit, v.ult.

SCHOLIA IN CAP. III.

4 Bonitas] χρηστότης. *Vel benignitas: ut Rom.2.v.4.*

5 Per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti] διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου. *Id est, per regenerationem & renovationem Spiritus sancti tanquam lavacrum. Similis syntaxis est in illo, Rom.4.v.11.* Et signum accepit circumcisionis, *id est, accepit circumcisionem tanquam signum.*

6 Quem] οὗ. *Scilicet* πνεύματος, ἁγίου. *Sic Act.2.v.17.18.33. Vel,* Quod: *scil. lavacrum.* οὗ, *scil.* λουτροῦ.

7 Vitæ æternæ] ζωῆς αἰωνίου. *Hi genitivi pendent non à propiore nomine* ἐλπίδα, *sed à remotiore* κληρονόμοι. *Trajectio.*

8 Bonis operibus præesse] καλῶν ἔργων προΐστασθαι. *Id est, bonorum operum singularem curam gerere, ut facere tenentur qui negotio alicui præfecti sunt. Metaphora.* Hæc illa sunt bona] ταῦτα ἐστὶ τὰ καλά. *Nempe quæ docenda sunt in Ecclesia: ut intelligitur ex antithesi sequente.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

Magistratus. 1 Ex vers.1. Quum Apostolus Christianos subjici velit principatibus ac potestatibus, satis apertè significat, politicum magistratum esse ordinem Deo placentem. Peccant igitur Anabaptistæ: qui hunc ordinem ex Ecclesia Dei sublatum cupiunt. Confer Rom.13.

Lenitas. Officium hominis Christiani. 2 Ex v.2.3.4.5.6.& 7. Ad lenitatem erga nondum-conversos exhibendam moveri debemus consideratione tum naturalis nostri status, ut qui à natura æquè miseri fuimus, peccato videlicet immersi, & iræ Dei obnoxii: tum modi quo ex misero illo nostræ naturæ statu sumus liberati, videlicet nullo nostro merito, nullisve nostris viribus, sed merâ Dei gratiâ atque misericordiâ per meritum Christi & efficaciam Spiritus sancti.

Officium hominis Christiani. 3 Ex iisd.v. Consideratione tum pristinæ nostræ miseriæ, tum divinæ ex illa liberationis, accendi debemus ad gratiam Deo referendam serio studio pietatis. Confer Ephes.2.totum caput. item Roman.12.v.1. ubi Apostolus per conjunctionem illativam, οὖν, id est, *igitur*, ex doctrina de beneficiis Dei, videlicet prædestinatione, justificatione & sanctificatione, quibus ille nos ex nostra miseria liberavit, deducit exhortationem ad serium studium pietatis.

4 Ex v.4.5.6.& 7. Quum salus nostra pendeat ex merâ Dei gratiâ atque misericordiâ, sicut Apostolus hoc loco quam-accuratissimè atque divinissimè declarat: ne igitur gloriemur de nostris meritis, sed bonitatem Dei æternis laudibus celebremus. Confer Rom.3.v.27.& c.4.v.2. item Ephes.1.à v.3. usque ad 15. & c.2.v.8.& 9. *Salus. Officium hominis Christiani.*

5 Ex vers.5. Si per lavacrum regenerationis intelligatur baptismus: tum observandum, baptismum sic appellari, non quòd per ipsum opus operatum ablutionis externæ, quæ fit per aquam, regenerentur corda: sed quòd illa ablutio sit credentibus testimonium divinum ablutionis interioris & regenerationis per Spiritum S. per quod testimonium ac veluti sigillum promissionis Evangelii Spiritus sanctus in credentibus est efficax ad fidem & studium pietatis illis augendum & confirmandum: ut nimirum certò persuasi sint, se ablutos seu purgatos esse à sordibus peccati, sanguine Christi, in cruce cum sensu iræ Dei effuso, ac proinde ad gratiam pro tanto beneficio referendam in studium pietatis magis ac magis incumbant. *Baptismus.*

6 Ex vers.8.& 9. Pastor Ecclesiæ, cum asseveratione ex testimoniis verbi Dei deductâ, tradere debet suis auditoribus doctrinam Evangelii de beneficiis Dei erga nos in Christo exhibitis, ac vicissim eos exhortari ad studium bonorum operum: quæstiones autem vanas, unde inutiles rixæ nascuntur, cohibere debet. *Ministri verbi Dei.*

7 Ex v.10.& 11. Hæretici, qui ecclesiasticis admonitionibus insanabiles, falsâ doctrinâ præfractè & factiosè perturbant Ecclesiæ pacem, excommunicandi sunt, donec resipiscant. *Excommunicatio.*

8 Ex vers.13.& 14. Fidelibus verbi ministris prospicere debet Ecclesia, ne quid illis rerum ad victum & amictum necessariarum desit. Ac inprimis ipsi ministri se mutuò juvare debent, atque ita auditoribus bono exemplo præire. Confer 1.Cor.9.à principio usque ad v.15.& ad Gal.6.v.6. *Auditores Evangelii.*

9 Ex vers.14. Quum bona opera sint fructus fidei Christianæ: ergo qui fidem Christianam profitentur, & Christiani dici atque haberi volunt, fidem suam fructibus bonorum operum demonstrent. *Officium hominis Christiani.*

10 Ex v.15.ex verbis, *Qui diligunt nos in fide.* Vera proximi dilectio ex fide nascitur. nam qui certò persuasus est, se indignum maximis à Deo beneficiis ex mera gratia atque misericordia propter Christum affectum esse: is fieri non potest quin Deum vicissim diligat, & propter Deum etiam proximos, maximè domesticos fidei. Huc pertinet illud Gal.5. vers.6. *Fides per charitatem agens.* Si quis autem illud ἐν πίστει *in fide*, accipiat pro eo quod est *fideliter*: tum admonemur his verbis, charitatem debere esse sinceram: sicut ait Johannes, *Filioli mei, ne diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate.* Joh.3.v.18. Quò pertinet etiam illud 1.Tim.1.v.5. *Finis mandati est charitas ex puro corde &c.* *Dilectio proximi.*

FINIS.

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ PAULI Ad Philemonem.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

Onesimum servum fugitivum & furem, à se in vinculis conversum, Philemoni remittens, veniam pro illo deprecatur.

PAULUS captivus Christi Jesu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto & adjutori nostro,

2 Et Apphiæ dilectæ, & Archippo commilitoni nostro, &, quæ domi tuæ est, ecclesiæ.

3 Gratia sit vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo.

Tribus primis versibus continetur salutatio, tribus partibus pro more constans. Prima pars est ἐπιγραφή, ibi, *Paulus &c.* Secunda, ἐπιγραφή, ibi, *Philemoni &c.* Tertia, ipsa salutationis formula, ibi, *Gratia sit vobis &c.* In subscriptione se vocat captivum seu vinctum Christi, id est, propter Christum, hoc est, propter confessionem & prædicationem Evangelii de illo: ut hac consideratione animum Philemonis ad benevolentiam flectat, ac proinde ut eò facilius ab eo impetret quod postea petiturus est. Atque eandem ob causam adjungit sibi Timotheum, spectatæ fidei ac pietatis hominem; ut significet, sententiam Timothei cum sua consentire. In inscriptione Philemonem vocat *dilectum &* συνεργόν, id est, cooperarium seu adjutorem suum, nempe in prædicando Evangelio: quod utrumque epitheton ad conciliandam benevolentiam spectat. Præterea adjungit illi Apphiam, quæ videtur fuisse illius uxor: quia commune utriusque negotium agebatur, nempe recuperatio servi qui aufugerat. Adjungit etiam Archippum; quem vocat suum commilitonem, id

est, so-

est, socium in prædicando Evangelio: qui quidem tum videtur fuisse minister ecclesiæ Colossensis: ut colligitur ex epistola ad Coloss. c.4.v.penult. Cui quidem hanc epistolam simul inscribere voluisse videtur, ut is Onesimi commendationem apud Philemonem præsentiâ & authoritate suâ adjuvaret: sicut ad hunc locum sapienter D. Beza observavit. Postremò, adjungit etiam familiam ejus, quam honorifico nomine vocat *ecclesiam*: quod ipsum quoque ad laudem Philemonis pertinet, ut qui in familia educanda fidelis patrisfamiliâs officio fungatur: quæ laus ipsa quoque ad benevolentiam fovendam spectat. Salutationis formula in aliis epistolis explicata est.

4 Gratias ago Deo meo, semper mentionem tui faciens in precibus meis.

5 Quòd audiam tuam charitatem, ac fidem quam habes erga Dominum Jesum, & erga omnes sanctos:

6 Ut communicatio fidei tuæ efficax fiat agnitione omnis ejus boni quod est in vobis per CHRISTUM JESUM.

7 Gaudium enim habemus multum & consolationem super dilectione tua, quòd viscera sanctorum refocillata sunt per te, frater.

Prooemium accommodatum ad benevolentiam conciliandam ac fovendam. Testatur enim de sua erga Philemonem benevolentiâ, & virtutes illius collaudat. Ac benevolentiam quidem suam testatam facit narratione suorum factorum, quæ faciat Philemonis causâ: nempe quòd & Deo gratias pro illo agat, & eundem pro ipso precetur: idque assiduè. Materiam gratiarum actionis exponit v.5. atque ita eadem operâ, Philemonis virtutes collaudat; videl. fidem in Christum & charitatem erga sanctos, nempe Christianos egenos atque afflictos. Materiam precationis exponit v.6. videl. ut Philemonis fides & charitas per communicationem officiorum atque beneficentiam augescat atque omnibus innotescat. Vers.7. charitatem & beneficentiam Philemonis amplificat ex effectis, videlicet gaudio suo & consolatione quam inde percipiat.

8 Quapropter quamvis multam in Christo libertatem habeam mandandi tibi quod officii tui est:

9 *Tamen* propter charitatem potiùs precor; quum talis sim, nempe Paulus senex, nunc autem etiam captivus Jesu Christi.

10 Precor autem pro filio meo quem genui in vinculis meis, Onesimo:

11 Quondam tibi inutili, nunc verò tibi & mihi perutili: quem remisi.

12 Tu autem eum, id est, viscera mea, excipe.

Ad petitionem transit per sententiam generalem, qua significat, se Philemonem pro re quapiam precaturum. Hanc autem sententiam amplificat antithesi diversorum per enuntiatum discretum: *Quanquam habeo potestatem mandandi, tamen precabor.* Hujus discreti utramque partem illustrat ex causis. Ac potestatem quidem mandandi se dicit habere in Christo, id est, tanquam apostolum Christi: item tanquam senem: item tanquam captivum Christi. Precari autem se dicit propter charitatem: id quod tam de charitate Philemonis quàm ipsius Pauli potest accipi. Si de illa; tum significat, se hac ratione Philemonem velle honorare, ut qui tali honore dignus sit propter charitatem quam ostenderit erga sanctos. Si verò de sua ipsius charitate loquitur: significat, se tantopere diligere Philemonem, ut malit blandè & humaniter cum eo agere, quàm rigidè & severiter. Mihi hæc posterior sententia tanquam simplicior, magis probatur. Hæc agit v.8.& 9. Deinde v.10. petitionem ipsam proponit, sed nondum plenè: significat enim tantùm, pro quo roget, nempe pro Onesimo: nondum autem, quid petat. Illud enim demum addit v.12. nempe ut illum recipiat. Interserit autem huic petitioni rationes tres. Prima est: quia eum genuerit, id est, ad fidem Christianam adduxerit per Evangelium, v.10. Secunda, à prima illa dependens: quia Onesimus nunc sit Philemoni utilis futurus, id est, fidus ac sedulus in præstandis officiis servitutis, v.11. Tertia ratio, item à prima illa dependens: quia Paulus Onesimum diligat, tanquam sua ipsius viscera, v.12.

13 Quem ego cupiebam apud me retinere, ut pro te ministraret mihi in vinculis Evangelii:

14 Sed absque tua sententia nihil volui facere; ne velut ex necessitate sit beneficium tuum, sed spontaneum.

15 Utiq; enim propterea semotus fuit abs te ad tempus, ut eum à me perpetuum recipias:

16 Non jam ut servum, sed ampliùs quàm servum, fratrem *videlicet* dilectum, maximè mihi: quanto autem magis tibi, & in carne & in Domino?

17 Itaq; si me socium habes, excipe eum tanquã me.

18 Quòd si quid læsit te, aut debet; hoc mihi imputato.

19 Ego Paulus scripsi meâ manu, ego dependam: ut ne dicam tibi, quòd teipsum etiam mihi insuper debeas.

20 Etiam, frater, *hunc* ego fructum abs te consequar in Domino: refocilla mea viscera in Domino.

Deinceps petitionis propositæ plures rationes exponit. Quarta igitur ratio est, quòd Paulus tanti faciat fidem Onesimi in ministrando, ut eum cupiverit apud se retinere, v.13. Cur autem id non fecerit, sed eum remiserit, exponit, v.14. Quinta ratio continetur v.15. Videl. consideratio providentiæ Dei, quâ fugam istam Onesimi ita gubernavit, ut per illius occasionem ita immutaretur, ut in posterum non ampliùs fugitivus sit futurus, sed perpetuò cum suo domino mansurus, eique fideliter serviturus. Sexta ratio continetur v.16. quia Onesimus ex servo factus sit frater, nempe frater in Christo: ac proinde jam duplici nomine diligendus Philemoni: videl. tum secundùm carnem, ut servus: tum secundùm spiritum, ut Christianus. Hæc dilectio amplificatur à minori: *Ego Paulus diligo Onesimum: ergo multò magis tu, Philemon, diligere illum debes.* Ratio: quia Paulo tantùm una erat dilectionis causa, videlicet communis fides: at Philemoni duplex, videlicet fides & servitus. Septima ratio continetur v.17. simulque ipsa petitio renovatur. Ratio illa est ab amore Philemonis erga Paulum, tanquam socium. Socio enim, quem amamus, non temere aliquid denegamus, præsertim si petat rem honestam & factu facilem. V.18. & 19. per prolepsin spondet, se pro Onesimo satisfacturum Philemoni: unde colligitur, illum aliquid pecuniæ, furto surripuisse. Veruntamen addit correctionem, qua significat, æquum non esse ut Philemon hoc debitum à Paulo exigat: quippe qui ipsi longè plus debeat, nempe seipsum. Quibus verbis significat, Philemonem à se in fide Christiana quàm fidelissimè institutum esse. Vers.20. petitionem repetit, sed implicitè, nempe pro petitione exprimendo novam illius rationem, quæ numero octava & postrema est, ab utili effectu: quia si Philemon Onesimum recipiat, tum ipse fructum summi gaudii inde sit adepturus.

21 Scripsi tibi, confisus fore ut auscultes; ut qui norim, te etiam ampliùs quàm dico, facturum esse.

22 Simul autem etiam para mihi hospitium: spero enim me per preces vestras donatum iri vobis.

23 Salutant te Epaphras, meus in captivitate propter Christum Jesum socius;

23 Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, adjutores mei.

25 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum spiritu vestro: Amen.

Epilogus: ubi primùm significat suam spem de Philemonis gratificatione, v.21. Deinde petit sibi parari hospitium, atque ita significat suam spem de sui è vinculis liberatione: cujus causas exponit duas, videlicet preces fratrum & gratiam Dei, vers.22. Tertiò verbis quorundam Philemonem salutat, v.23. & 24. Postremò epistolam concludit voto consueto, v.ult.

SCHOLIA.

1 Captivus] δέσμιος. *Seu*, Vinctus. Christi Jesu] Χριστοῦ Ἰησοῦ. *Id est, propter Christum. Sic Ephes.3.v.1.* Frater] ὁ ἀδελφός. *Id est, adjutor in opere Domini.* Adjutori] συνεργῷ. *Nempe in opere Domini, in prædicando Evangelio.*

2 Commilitoni] συστρατιώτῃ. *Id est, adjutori, συνεργῷ: ut modò locutus est. Metaphora.*

6 Communicatio fidei] ἡ κοινωνία τῆς πίστεως. *Id est, communicatio officiorum ex fide profecta: quæ Heb.13.v.16. declaratur adjuncto nomine εὐποιΐας, id est, beneficentiæ. Metonymia efficientis.* Efficax] ἐνεργής. *Vulgata,* Evidens: *id est, ἐναργής. Cui lectioni favent verba quæ proximè sequuntur.* Agnitione] ἐν ἐπιγνώσει. *Vel,* Per agnitionem: *hoc est, dum agnoscetur omne illud donum &c.* Per Christum] εἰς Χριστόν. *εἰς pro ἐν, & ἐν pro διά. Sic 2.Tim.2.25. Nisi potiùs vertendum,* Erga Christum. *nam beneficia quæ in sanctos fideles conferuntur, (de quibus hîc loquitur Paulus) Christus in se conferri pronuntiat, Matth.25.*

7 Gaudium] χάριν. *Pro, χαράν: ut etiam videtur accipiendum 2.Cor.1.15.* Viscera] τὰ σπλάγχνα. *Id est, cor seu animus, seu deniq; affectus. Synecdoche integri, & metonymia subjecti.*

9 Captivus Christi] δέσμιος Χριστοῦ. *Ut v.1.*

10 Quem] ὅν. *Præcessit τέκνου: quod est generis neutri, & hîc significat υἱόν. Quare constructio refertur ad sensum: Synesis.* Genui] ἐγέννησα. *Nempe per prædicationem Evangelii efficiendo fidem. Sic declaratur hæc metaphora 1.Cor.4.v.15.*

11 Perutili] εὔχρηστον. *Videtur alludere ad nomen* Ὀνήσιμος. *quod utilem significat. Estq; elegans paronomasia & epistrophe in verbis ἄχρηστον, εὔχρηστον.*

12 Viscera mea] τὰ ἐμὰ σπλάγχνα. *Cor meum. Id est, quem ex intimo corde seu intimis visceribus diligo: ut mater illa filium suum coram Salomone, 1.Reg.3.v.26. Metonymia subjecti.*

13 Pro te] ὑπὲρ σοῦ. *Id est,* ἀντὶ σοῦ, *tuo loco,* an deine ſtat. In vinculis Evangelii] ἐν τοῖς δεσμοῖς τοῦ εὐαγγελίου. *Id est, quibus vinctus ſum propter Evangelium quod doceo: Genitivus notat cauſam, ut ſuprà v.1. & 9.*

14 Nihil volui facere] οὐδὲν ἠθέλησα ποιῆσαι. *Id est, Non volui hoc facere, videlicet Oneſimum apud me retinere. Synecdoche generis.* Ne velut ex neceſſitate ſit] ἵνα μὴ ὡς κατ' ἀνάγκην ᾖ. *Id est, ne velut ab invito extortum ſit; nam hilarem datorem diligit Deus.*

15 Perpetuum] αἰώνιον. *Id est, per omnes vitæ dies.*

16 In carne] ἐν σαρκὶ. *Id est, propter ſervitutem quam tibi præſtabit ad commoditatem vitæ hujus caducæ.* In Domino] ἐν κυρίῳ. *Id est, propter fidem communem in Chriſtum.*

17 Socium] κοινωνόν. *Secundùm illud,* πάντα τὰ τῶν φίλων κοινά, *Omnia amicorum communia ſunt.*

18 Si quid læſit te] εἴ τι ἠδίκησέ σε. *Sic mitigat ſignificationem furti, verbo generali. Synecdoche generis.*

20 *Hunc* ego fructum abs te conſequar] ἐγώ σου ὀναίμην. *Alludit ad nomen Oneſimi.* Mea viſcera] μοῦ τὰ σπλάγχνα. *Ut ſuprà v.7.*

OBSERVATIONES.

Perſecutio. Confeſſio Evangelii. 1 Ex v.1. Non debet nos pudere perſecutionis qua premimur propter confeſſionem Chriſti: quia Paulus vincula in quibus propter prædicationem Evangelii detinebatur, ſibi etiam laudi ducit, adeò ut ſe inde captivum ſeu vinctum Chriſti nominet. Huc pertinet illud Chriſti, Matth.5. *Beati qui perſecutionem patiuntur juſtitiæ causâ: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*

Miniſtri verbi Dei. 2 Ex v.2. Ex eo quòd Paulus Archippum miniſtrum eccleſiæ Coloſſenſium nominat commilitonem ſuum, diſcendum eſt paſtoribus Eccleſiæ, quòd debeant ſe mutuâ benevolentiâ complecti, inſtar commilitonum, itemque ſe mutuò cohortari ad militiam illam miniſterii eccleſiaſtici fideliter obeundam; ut ſeſe imperatori ſuo Chriſto approbent, ferendo labores, & omiſſis hujus ſæculi negotiis, ſeſe totos occupando in verbi miniſterio & animarum curâ. Confer 2.ad Tim.c.2.v.3.& 4.

Paterfamiliâs. 3 Ex eodem verſu. Patrifamiliâs inprimis opera danda, ut familia ipſius mereatur nomen eccleſiæ. Hoc autem per Dei gratiam conſequetur, ſi familiam ſuam diligenter & aſſiduè, quoad ejus fieri poterit, adigat ad audiendum in concionibus ſacris verbum Dei: & illud domi quoque legi curet. Fides enim per quam eccleſia eſt quod eſt, ex auditu verbi Dei oritur, Rom.10. Huc pertinet exemplum Abrahæ, Gen.18.v.19. ubi filius Dei patefacturus Abrahæ propoſitum ſuum de excidio Sodomæ & Gomorræ: *Scio*, inquit, *quòd præcepturus ſit filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini &c.* Huc etiam pertinet mandatum illud Dei patribusfamiliâs datum, Deut.6.v.7. & deinceps, quòd debeant *præcepta Dei in filiis acuere*, (id eſt, tanto ſtudio enarrare, ut in animos eorum penetrent) item quòd debeant *de illis loqui omnibus in locis ac temporibus.*

Fides. 4 Ex v.4. Fidei ingenium eſt Deum ſtatuere eſſe deum ſuum: id eſt, promiſſionem gratiæ Dei omnibus credentibus factam, ſibi privatim applicare. Hinc Paulus ex fide dicit, *Gratias ago Deo meo.* Sic Gal.2.v.20. de Chriſto loquens ait, *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

Preces. 5 Ex eod.v. Officium fidelium eſt, pro fratribus (id eſt, aliis fidelibus) precari, ac nominatim pro iis quorum pietas nobis nota eſt; ut hoc loco Paulus teſtatur; ſe pro Philemone precari conſueviſſe.

Fides, Charitas. 6 Ex v.5.& 6. Præcipua Dei dona ſunt fides & charitas: pro his enim Philemoni collatis Paulus nominatim gratias Deo egit, & ut illi augerentur, oravit.

Beneficentia. 7 Ex verſ.6. ex verbis, εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν. Si præpoſitio εἰς hic exponatur per *erga*, tum diſcemus ex his verbis; quicquid beneficii conferimus in ſanctos, id eſt, fideles, id nos in Chriſtum ipſum conferre. Ratio eſt, quòd illi ſunt membra Chriſti. Confer Matth.25.v.35. & deinceps. Si verò εἰς accipiatur pro ἐν, & exponatur per διὰ, id eſt, *per*: tum diſcemus, quicquid boni nobis *Bonorum origo.* contingit; id nobis à Deo dari per Chriſtum tanquam mediatorem, ac proinde per eundem, ſeu fiduciâ illius, omnia à Deo petenda eſſe.

Dilectio proximi. 8 Ex verſ.7. Vera dilectio per opera miſericordiæ, maximè erga ſanctos (id eſt, fideles) egenos, & propter Chriſtum perſecutionem patientes, ſeſe oſtendit. Confer locum 1.Johan.3. v.17.& 18.

Admonendi ratio. 9 Ex v.8.& 9. In proximo officii ſui admonendo opera nobis danda eſt, ut is intelligat, admonitionem noſtram ex charitate proficiſci: quemadmodum videmus, Paulum id operam dediſſe in Philemone admonendo.

Officium hominis Chriſtiani. 10 Ex v.10.& 12. Non debet nos cujuſquam, quantumvis infirmæ ſortis, pudere, cui Deus gratiam dedit, ut in Chriſtum credat. Paulum enim tantum abeſt ut puduerit Oneſimi ad Chriſtum converſi, quantumvis ſervus eſſet, & fur ac fugitivus fuiſſet, ut eum nominet filium ſuum, item viſcera ſua: quibus verbis amorem erga illum paternum, eumque tenerrimum, indicat. Eundem affectum declarat infrà v.16.& 17.

Auditores Evangelii. 11 Ex eod.v.10. Paſtores Eccleſiæ colendi ſunt ut patres ſpirituales, quippe qui prædicatione Evangelii filios Deo gignunt; quanquam propriè loquendo Deus ipſe virtute ſpiritus ſui filios ſibi gignit: veruntamen per Evangelii prædicationem, ac miniſterium paſtorum. Confer 1.Cor.4.v.15.

Fides. 12 Ex v.11. Fides Chriſtiana ex homine inutili utilem, & ad omne opus bonum idoneum efficit: quippe quæ cum vera dilectione tum Dei tum proximi conjuncta eſt. Quare qui fidos famulos exoptant, pios ſibi deligant.

Officium hominis Chriſtiani. 13 Ex verſ.13.& 14. Non licet cuiquam ut ſervum à domino avellat prætextu religionis: nec ſtatus ſervilis per religionem Chriſtianam tollitur. Hinc Paulus paſſim in epiſtolis ſuis ſervos Chriſtianos hortatur ad fidelitatem in ſervitute præſtandam: ut ad Eph.6.v.5.& deinceps. Col.3.v.22.& deinceps. 1.Tim.6.v.1. & 2.Tit.2.v.9.10.

Electi. 14 Ex v.15. Electis omnia, atque adeò etiam peccata, per Dei providentiam cedunt in bonum. Sicut hoc loco ſignificat Apoſtolus de furto & fugâ Oneſimi: quod & ipſi & Philemoni, domino ejus, in bonum ceſſerit. Vide Rom.8.v.28. Luc.22.v.32. Hæc autem doctrina non eſt arripienda vel trahenda in ſecuritatem carnis. Nam qui petulanter peccant, caſtigationes ſibi attrahunt. Uſus autem hujus doctrinæ eſt, ut hinc perſpiciamus magnitudinem divinæ erga nos bonitatis: quippe qui malum quoque nobis in bonum convertit.

Charitas. 15 Ex v.15.& 18. ex verbis, *Seceſſit, læſit, debet.* Peccata proximi, qui reſipuit, non ſunt odioſè verbis exaggeranda, ſed ex charitate, quoad ejus fieri poteſt, diſſimulanda. Simile charitatis exemplum vide Gen.45.v.5. Videlicet Joſephi conſolantis fratres, conſcientiâ ſui ſceleris conſternatos.

Fides. 16 Ex v.16. Fides Chriſtiana etſi non tollit diſcrimen perſonarum & conditionum coram hominibus, ſed permittit ut alii ſint domini, alii verò ſervi, &c. tamen omnes exæquat coram Deo, quatenus omnes efficit fratres in Chriſto: quippe in quo Deus fideles adoptavit ad ſpem cæleſtis hæreditatis. Confer Col.3.v.11. Eph.6.v.8.& 9. item 1.Cor.7.v.21.& 22. Hæc doctrina ſervit inferioribus ad conſolationem, ne humili ſuâ conditione contriſtentur, quaſi idcirco minùs Deo accepti ſint: ſuperioribus verò ad moderationem erga inferiores, ne illos præ ſe tanquam viliores contemnant: utriſque autem, ut ſeſe fraternâ dilectione mutuò complectantur.

Communio ſanctorum. 17 Ex v.17. Apud fideles verè locum habet illud, *Amicorum omnia communia.* Communicant enim illi ſibi mutuò, & ſpiritualia & terrena bona, tanquam fratres & tanquam membra unius corporis, cujus caput eſt Chriſtus.

Communio ſanctorum. 18 Ex v.18. Communio illa fidelium ſive ſanctorum, non tollit rerum dominia; ſecus enim nemo poſſet alteri quicquam debere. At Paulus hîc ſignificat, Oneſimum aliquid debere Philemoni, nempe idipſum quòd furtò abſtulerat.

Sponſio. 19 Ex verſ.18.& 19. Spondere ſeu fidejubere pro altero, eſt res licita; alioquin enim Apoſtolus pro Oneſimo: apud Philemonem non fidejuſſiſſet. Cavendum tamen, ne quis ſpondeat temere aut ſupra facultates; qua de re exſtat admonitio Salomonis, Proverb.6. in principio cap. Item Siracidis, Eccleſiaſt.8. verſ.16.

Debitorum exactio. 20 Ex v.19. In exigendis debitis ab egenis non decet nos eſſe rigidos: maximè ſi nobis debeant ii qui de nobis optimè ſunt meriti: ita ut nos potiùs ipſis debeamus.

Officium hominis Chriſtiani. 21 Ex v.20. Gaudere nos decet, quum videmus, proximo benefieri: item quum videmus, proximum officio pietatis fungi, ſicut hoc loco Paulus ſignificat, ſe gaviſurum, ſi intellexerit, Oneſimum à Philemone receptum eſſe. Huc pertinet illud Rom.12. v.15. *Gaudete cum gaudentibus.* Item illud 1.Cor.13.v.6. *Charitas gratulatur veritati.*

Charitas. 22 Ex v.21. De proximo bene ſperandum ex charitate. Huc pertinet illud 1.Corinth.13. verſ.7. *Charitas omnia credit, omnia ſperat.*

Hoſpitalitas. 23 Ex v.22. Fideles decet hoſpitalitas, maximè erga miniſtros verbi. Vide Heb.13.v.2. Rom.12.v.13. 1.Pet.4.v.9.

Preces. 24 Ex eod. Preces fidelium à Deo exaudiuntur. Quare illis nos commendare debemus.

Salutatio. 25 Ex tribus ult.v. Chriſtianos ſeſe mutuò ſalutare, & gratiam Dei ſibi mutuò exoptare decet.

FINIS.

ANALY-

ANALYSIS LOGICA

EPISTOLÆ PAULI ad Hebræos.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

PAULUS *in hac epistola Hebræos partim exhortatur, partim docet. Exhortatur eos præcipuè ac principaliter ad constantiam in fide ac professione Evangelii, tum etiam ad varia bona opera, tanquam fidei fructus. Docet verò tum de persona, tum de officio ac beneficiis Christi. De persona: videlicet, Christum esse verum Deum, c.1. itemq; verum hominem, c.2. De officio autem Christi differit tripliti, videlicet prophetico, sacerdotali & regio. Ac de duobus quidem prioribus differit ex professo & copiosè: de prophetico quidem c.1.3.& 4. de sacerdotali verò cap.5.7.8.9.& 10. Nam cap.6. digressionem inserit de Hebræorum segnitie: quam culpat. De regio autem Christi efficio agit breviter ac incidenter: ut cap.1.v.2.3.8.13. c.2.v.9. c.7.v.2. c.8.v.1. Atque ex hac de Christo doctrina Apostolus exhortationes illas, ac potissimùm illam principalem deducit, tum passim inter docendum: ut cap.2.v.1.& 3.cap.3.v.1.6.12.& 13.c.4.v.1.11.14.& 16.c.6.v.12. tum separatim post doctrinam illam expositam, à v.19. capitis 10. usque ad v.20. capitis ultimi: ubi epistolam voto apostolico concludit, exoptans illis ea à Deo ad quæ fuerat hortatus, & de quibus docuerat.*

Præter hæc autem, quæ apertè & ex professo agit, simul innuit, Hebræis non esse ampliùs hærendum in cærimoniis legalibus sacerdotii Levitici: neque illis vim tribuendam expiationis peccatorum: quippe quòd sacerdotium illud per sacerdotium Christi sit abolitum, quodq; hoc solo peccata credentium expiata sint.

PROLEGOMENA DE EPISTOLÆ hujus tum authore, tum scriptore.

EPISTOLAM hanc esse θεόπνευστον, id est, à Deo inspiratam, seu à Spiritu S. dictatam: haud dubiè tum ex ipsa doctrina, tum ex docendi modo omnes ii, qui & Spiritu Dei præditi, & in sacris literis versati atque exercitati sunt, percipiunt & agnoscunt. Etenim doctrina, cujus duo summa capita, unum de mysterio salutis nostræ per Christum, alterum de nostro officio erga Deum servatorem gratitudinis causâ præstando: tota, inquam, hæc doctrina cum reliquis scripturis θεοπνεύστοις per omnia consentit. Modus verò docendi, tum quo ad verba, & phrases tum quo ad explicationem obscurorum quorundam scripturæ propheticæ dictorum de Christo, tum denique quò ad methodum seu ordinem, prorsus divinus est. Unde Ecclesia hanc epistolam pro canonicâ meritò semper agnovit.

Utrum verò à Paulo scripta sit, non æquè liquet: atque hac de re discrepantes fuerunt veterum Ecclesiæ doctorum sententiæ. Veruntamen Græci omnes, teste Hieronymo, eam Pauli esse affirmârunt: & Latini quoq; celebriores (nempe Augustinus, Ambrosius, Gregorius) idem senserunt. Qua de re vide Witakeri disputationem de sacra Scriptura, quæst. primæ cap.ult.

Nos etsi certis ac necessariis argumentis destituimur, quibus hanc epistolam Pauli esse demonstremus: tamen conjecturis admodum verisimilibus adducti, id prorsus opinamur. Illas igitur conjecturas primùm exponemus: deinde argumenta quæ pro contraria opinione afferuntur, diluemus.

Igitur epistolam hanc scriptam esse à Paulo, colligi primùm potest ex verbis Petri 2.Pet.3.v.14.15.&16. ubi sic legimus: *Quapropter, dilecti, hæc exspectantes, studete ut immaculati & incontaminati ab eo reperiamini cum pace: Dominiq; nostri patientiam, salutem arbitramini, sicut & charus frater noster Paulus pro sibi data sapientia scripsit vobis: ut qui in omnibus etiam epistolis loquatur de istis: inter quæ sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parùmq; stabiles detorquent, ut & reliquas scripturas, ad suum ipsorum exitium.*

Ex his Petri verbis quatuor conjecturas sumo. Prima est, quòd Petrus apertè testatur, Paulum ad Hebræos scripsisse: quum ait: *Sicut & charus frater noster Paulus scripsit vobis:* nempe Hebræis. nam ad hos scriptam esse illam Petri epistolam, liquet ex vers.1. cap.3. collato cum vers.1. cap.1. epistolæ Petri prioris. Quum igitur certum sit, Paulum ad Hebræos scripsisse: fatendum nobis erit duorum alterum, videlicet aut epistolam illam interiisse, aut hanc ipsam esse. At interiisse: nequaquam probabile est: quum Deus conservârit, & in usum Ecclesiæ exstare voluerit, epistolam ad Philemonem: in qua quum principaliter tractetur de negotio privato, quumque sit admodum brevis, videri posset jacturam illius tanti non esse. Ad Hebræos autem Paulus haud dubiè scripsit & prolixè & accuratè, idque de mysterio salutis per Christum crucifixum: quippe quum nosset quàm difficiles sese plerique Hebræi præberent ad doctrinam Evangelii de Christo crucifixo amplectendam, & constanter profitendam. Talis autem est hæc epistola, quæ ad Hebræos exstat, conditioni Hebræorum sapientissimè accommodata: quippe qui in Lege educati, sacerdotium Leviticum perpetuò duraturum opinabantur: quæ falsa opinio per hanc epistolam eis eximitur.

Secundam conjecturam sumo ex eo, quòd Petrus dicit Paulum ad Hebræos scripsisse *de illis ipsis rebus de quibus ipse in illa sua epistola ad eos scribit.* Quid igitur Petrus in illa epistola scribit? Docet, per Christum nobis donata esse omnia, quæ ad vitam & pietatem pertinent, cap.1. vers.3. 4. Deinde testatur, Jesum Christum esse filium illum Dei, per quem Pater nobis sit placatus, cap.eod. vers.16.17.& 18. item prophetas de illo loquutos esse, vers.19. Eadem tradit, & quidem prolixè, scriptor epistolæ ad Hebræos, ab initio epistolæ usque ad v.19.cap.10. Præterea Petrus hortatur Hebræos ad studium fidei & sanctitatis, cap.1. à v.5. usque ad 16. item c.3. ab initio usque ad v.15. Idem facit scriptor epistolæ ad Hebræos, tum sparsim & per occasionem, ut c.2. quatuor primis versibus, & c.3.v.1. item à v.6. usque ad finem illius capitis, & rursum c.4. per totum, item c.6.v.11. & 12. tum verò ex professo & continuatè, inde à v.19.c.10. usque ad epistolæ conclusionem, quæ incipit v.20. capitis ultimi. Adhæc Petrus monet, quantum exitium maneat eos qui deficiunt à fide, c.2. tribus versibus postremis. Idem prolixè monet scriptor epistolæ ad Hebræos, primùm c.6. à c.4. usq; ad 9. deinde rursus c.10. à v.26. usque ad v.32. Ex his jam liquet, de iisdem rebus in utraque epistola scribi.

Tertiam conjecturam sumo ex eo quòd Petrus dicit, Paulum scripsisse *pro data sibi sapientia*, hoc est, sapienter. Hæc sapientia per totam hanc epistolam tum in sententiis, tum in verbis, tum in tractationis ordine elucet.

Quartam conjecturam nobis præbet id quod Petrus dicit, *inter ea de quibus Paulus tum in epistola ad Hebræos, tum in reliquis suis epistolis scribit, esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti parumq; stabiles detorquent, ut & reliquas scripturas, ad suum ipsorum exitium.* Talia nimirum sunt, quæ in epistola hac habentur cap.6.& 10. de exitio apostatarum: & in epistola ad Romanos de prædestinatione: quæ ipsa doctrina in aliis quoque Pauli epistolis passim occurrit. Atque hoc primum nostrum argumentum est, à testimonio Petri deductum: quod ad hanc epistolam pertinere, quatuor conjecturis planum fecimus.

Secundum argumentum ducimus à sententiarum & phrasium & vocum similitudine ac pænè identitate, quæ tum in hac epistola, tum in iis quas Pauli esse constat, passim occurrunt: sicut apparebit è sequente inductione.

Heb.1 v.2.& 3.		*Col.1. v.14.15.16.17.*
Per quem (*scil. filium, ex v.1.*) etiam sæcula condit. Qui quum sit splendor gloriæ, & character personæ illius, sustineatque omnia verbo illo suo potente, purgatione peccatorum nostrorum per seipsum factâ, consedit &c.	1	In quo (*Christo*) habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum: qui est imago Dei inconspicui, primogenitus omnis creaturæ. Nam per eum condita sunt omnia &c. Estq; ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt.
Heb.5.v.12.& 13.	2	*1.Cor.3. v.1.& 2.*
Vos enim quos oportuit pro temporis ratione doctores esse, rur-		Ego porrò, fratres, non potui loqui vobis ut spiritualibus; sed lo-

No.		
	ſum opus eſt doceri, quæ ſint elementa initii eloquiorum Dei: factique eſtis ii quibus lacte ſit opus, & non ſolido cibo. Enimverò, cui cum lacte res eſt, is rudis eſt ſermonis juſtitiæ, infans enim eſt &c.	quutus ſum ut carnalibus, ut infantibus in Chriſto. Lactis potu vos alui, & non eſcâ &c.
3	*Heb.9 v.15.* Itaque ob id novi federis mediator eſt, ut morte intercedente, ad redemtionem earum prævaricationum, quæ fuerunt ſub priore teſtamento, vocati promiſſionem accipiant æternæ hæreditatis.	*Rom.3.v.25.* Quem propoſuit Deus ut eſſet placamentum per fidem in ſanguine ejus, ad declarandam juſtitiam ſuam per remiſſionem præcedentium peccatorum.
4	*Heb.10.v.34.* Etenim * de vinculis meis mecum doluiſtis. * *In hac ſyzygia obſervandum, Paulum loqui de primis ſuis vinculis, è quibus liberatus fuit: ut liquet ex duobus verſibus proximè præcedentibus, videl.32. & 33. ubi hortatur Hebræos, ut in memoriam revocent ſuperiores dies, quas ſcil. afflictiones ſuſtinuerint: inter quas poſtea hanc quoque enumerat, quòd condoluerint ei de vinculis ipſius. Item ex cap ult. v.23. ubi reſpondet, ſe cum Timotheo Hebræos viſiturum. Item Philip.1 v.25.& 26. ubi certò ſibi pollicetur, ſe pro illo tempore in vivis manſurum.*	*Philip.1.v.13.* Vincula mea in Chriſto celebria facta ſunt in toto prætorio. *Philem.v.9.& 10.* Precor, quamvis talis ſim, nempe Paulus ſenex, nunc autem etiam vinctus Jeſu Chriſti. Precor autem pro filio meo, quem genui in vinculis meis.
5	*Ibid.* Et direptionem facultatum veſtrarum cum gaudio accepiſtis.	*1.Theſſ.2.v.14.* Vos enim fratres, imitatores facti eſtis eccleſiarum Dei quæ ſunt in Judæa in Chriſto Jeſu: ut qui eadem paſſi ſitis & vos à propriis contribulibus, ſicut & ipſi à Judæis.
6	*Ibid.v.36.* Ut reportetis promiſſionem, *id eſt, vitam æternam promiſſam.*	*Galat.3.v.22.* Ut promiſſio (*id eſt vita æterna promiſſa*) ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.
7	*Heb.11.v.11.& 12.* Per fidem & ipſa Sara vim ad concipiendum ſemen accepit, ac præter ætatis rationem peperit: quòd fidelem judicavit eum qui promiſerat. Quapropter & ex uno, eoque jam emortuo, nati ſunt poſteri, quanta eſt aſtrorum cæli multitudo, & quaſi arena illa innumerabilis quæ eſt ad oram maris.	*Rom.4.v.18.& 19.* Qui (*Abraham*) contra ſpem ſub ſpe credidit, ut fieret pater multarum gentium, ſecundùm id quod ei dictum fuerat, Ita erit ſemen tuum. Ac minimè imbecillis fide, non conſideravit ſuum ipſius corpus jam emortuum, quum centum circiter natus eſſet annos: nec emortuum uterum Saræ.
8	*Hebr.12.v.1.* Conſtanter propoſitum nobis ſtadium decurramus.	*1.Cor.9.v.24.* An ignoratis, eos qui in ſtadio currunt, &c.
9	*Heb.13.v.7.* Memores eſtote ducum veſtrorum, qui loquuti ſunt vobis ſermonem Dei: quorum imitamini fidem. *Et v.17.* Obedite ducibus veſtris, & obſecundate.	*Philip 2.v.29.* Excipite igitur eum (*videlicet Epaphroditum Evangeliſtam, ex v.25.*) in Domino cum omni gaudio: & tales in pretio habete.
10	*Heb.13.v.9.* Doctrinis variis & peregrinis ne circumferimini.	*Epheſ.4.v.14.* Ut ne ſimus ampliùs pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ.
11	*Ibid.v.15.& 16.* Per ipſum igitur aſſiduè offeramus Deo ſacrificium laudis, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ verò & communicationis ne obliviſcamini: talibus enim victimis delectatur Deus.	*Rom.12.v.1.& 2.* Precor igitur vos fratres, per miſerationes Dei, ut ſiſtatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, acceptam (εὐάρεστον) Deo, rationalem illum cultum veſtrum. Et ne configuremini ſæculo iſti: ſed transformemini per renovationem mentis veſtræ: ad hoc, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei, bona illa, accepta (τὸ θέλημα εὐάρεστον) ac perfecta.
12	*Hebr.13.v.18.* Orate pro nobis. Confidimus enim, nos bonam conſcientiam habere: ut qui in omnibus cupiamus honeſtè converſari.	*2.Cor.1.v.11. & 12.* Vobis etiam unà pro nobis operam conferentibus ad deprecandum, ut donum ex multis perſonis in nos collatum, per multos celebretur gratiarum actione pro nobis. Nam gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ: quòd cum ſimplicitate & ſinceritate Dei, non cum ſapientia carnali, ſed cum gratia Dei verſati ſumus in mundo, potiſſimùm apud vos. *Sic Act.23.v.1.* Ego omni conſcientiâ bonâ ſervivi Deo ad hunc uſque diem.
13	*Ibid.v.20. & 21.* Deus verò pacis &c. perficiat vos in omni opere bono.	*1.Theſſ.5.v.23.* Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos. *Sic* *Rom.15.v.33. item c.16.v.20. 2.Cor.13. v.13. Philip.4.v.9.*
14	*Ibid.v.23.* Scitote, fratrem Timotheum ſolutum eſſe, cum quo ſi celeriùs venerit, viſam vos.	*Philip.1.v 1.* Paulus & Timotheus &c. *Philem.v.1.* Paulus vinctus Chriſti Jeſu & Timotheus frater. *Sic* *Roman.16. v.21. 1.Cor.16.v.10. & 1. 2.Cor.1.v.1. Col.1.v.1. 1 Theſſ.1. v.1. & cap.3.v.2. 2 Theſſ.1 v.1.*
15	*V.ult.* Gratia ſit cum omnibus vobis.	*Sic in fine omnium epiſtolarum Pauli.*

Atque hoc ſecundum eſt argumentum, à ſimilitudine materiæ, & partim quoque formæ, deductum: tertium argumentum item à ſimilitudine formæ, videl. methodi ſeu ordinis docendi, duco. Nam ſicut Paulus in ſuis epiſtolis primùm exponit myſterium Evangelii de ſalute noſtra per Chriſtum: deinde verò ex illa doctrina deducit exhortationes ad ſtudium pietatis & gratitudinis erga Deum: ſic etiam facit hujus epiſtolæ ſcriptor; quemadmodum ex argumento epiſtolæ manifeſtum evadet.

Quartum argumentum peto ex inſcriptione plerorumque codicum. Etenim D. Beza in ſuis ad hanc epiſtolam annotationibus teſtatur, ſe in omnibus ſuis codicibus, uno tantùm excepto, inveniſſe hanc inſcriptionem: Παύλου τοῦ ἀποστόλου ἡ πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολή, id eſt, Pauli apoſtoli ad Hebræos epiſtola.

Quintum argumentum ſumi poteſt à teſtimonio maximæ partis veterum doctorum Eccleſiæ: cujus ſuprà in principio hujus diſputationis mentionem fecimus. Ac inprimis notabilia ſunt verba Athanaſii in dialogo primo de ſancta Trinitate, ubi ait, ἀφ᾽ οὗ κατηγγέλη τὸ εὐαγγέλιον Χριστοῦ, Παύλου εἶναι πεπίστευται ἡ ἐπιστολή. id eſt, *Ex quo annuntiatum eſt Evangelium Chriſti, hanc epiſtolam Pauli eſſe creditum fuit.*

Sextum argumentum deducitur ex verbis Pauli 2.Theſſ.3.17. ubi affirmat, ſe omnes epiſtolas ſuas claudere ſubſcriptione horum verborum, Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit cum omnibus vobis, Amen: & hoc ipſo ſigno epiſtolas ſuas agnoſci vult. At iſta clauſula in fine quoque epiſtolæ hujus reperitur: ſicut & in reliquis omnibus.

ARGUMENTA PRO OPInione contrariâ.

Pro opinione contrariâ, videl. hanc epiſtolam non eſſe Pauli, afferuntur argumenta quinque. Primùm, quòd Paulus ſuis epiſtolis nomen ſuum ſolet præſcribere: id quod in hac epiſtola factum non eſt. Reſpondeo: Id factum ſapiente conſilio. Quia enim Hebræi famâ acceperant, quòd Paulus doceret homines à Lege deficere: nomen ſuum tanquam illis exoſum omiſit, ne illud abhorrentes Hebræi, aures occluderent. Hanc rationem nominis omiſſi affert Athanaſius de ſancta Trinitate dialog 1. Quòd ſi ab alio ſcripta dicatur, non poteſt idonea cauſa afferri, cur is nomen ſuum voluerit celare. At contra allatam reſponſionem excipitur: Si Paulus Hebræos ignorare voluiſſet, ſe hujus epiſtolæ ſcriptorem eſſe, non feciſſet mentionem Timothei tanquam fratris & aſſeclæ: quippe hinc facilè poterat agnoſci. At Timothei mentionem facit cap. ult. circa finem. Reſpondeo: Non voluit omninò ignorari Paulus, ſe hanc epiſtolam ſcripſiſſe: ſed voluit id iis qui eam legiſſent, innoteſcere, ſed tempeſtivè: videlicet non ſtatim ab initio, ne nominis ipſius odio ab epiſtolæ lectione vel auſcultatione reſilirent: ſed demum poſt epiſtolam jam lectam. Idcirco ſub finem ſeſe patefecit: quanquam idem antea quoque fecerat, videlicet c.10 v.34. ubi mentionem facit vinculorum ſuorum: veruntamen poſt doctrinam de Chriſto jam expoſitam.

Secundum argumentum eſt, quòd hujus epiſtolæ ſcriptor ſeſe c.2.v.3. annumerat apoſtolorum diſcipulis, ſeu auditoribus, inquiens: *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ quum primùm enarrari cœperit per ipſum Dominum, ab iis qui ipſum audierant, fuit nobis confirmata.* Reſpondeo: Hæc à ſcriptore dici per ſynecdochen integri, ejuſmodi ſcilicet tropum, quo orator aliquid propriè ad auditores pertinens commemorando, ſeſe illis annumerat. Talis ſynecdoches, & quidem longè durioris exemplum exſtat 1.Pet.4.v.3. ubi Petrus ait, *Satis enim eſt nobis, quòd ante-acto vitæ tempore libidinem Gentium patraverimus, &c.* Item Eſa.53.v.3. Porrò apoſtolatus ſui mentionem, ſicut & nominis, ad evitandam invidiam conſultò omiſit.

Tertium argumentum eſt, quòd c.6.v.1. & 2. mentio fit catechiſmi: qui mos poſt Pauli demum ætatem videtur inſtitutus. Reſpondeo: Immò catechiſandi mos tempore Pauli in Eccleſia fuit uſitatus: ut liquet ex Gal.6.v.6. ubi ſic loquitur Paulus: *Communicet qui inſtituitur* (ὁ κατηχούμενος) *in ſermone, ei qui ſe inſtituit, ex omnibus bonis.* Item Act.18.v.25.& 26. de Apollo dicitur: *Hic erat initiatus* (κατηχημένος) *viâ Domini:* id eſt, imbutus principiis doctrinæ de Chriſto. Et eidem Aquila & Priſcilla exquiſitiùs viam Dei expoſuerunt.

Quarto argumento hæc epiſtola non tantùm Paulo ſcriptori, verùm etiam Spiritui ſancto authori adimitur, ex eo quòd c.6. & 10. lapſis videtur negari pœnitentia ac venia. Reſpondeo: Illa loca (ut ſuo tempore demonſtrabimus) non loquuntur de lapſis qui ex infirmitate carnis & metu ſuppliciorum fidem Chriſtianam abnegarunt: qualibus Novatiani, prætextu iſtorum locorum, pœnitentiam ac veniam negabant: ſed loquuntur de apoſtatis,

statis, qui petulanter à fide defecerunt: qui quum in Spiritum sanctum peccent, peccatum eorum, ipso Christo teste, irremissibile est; ac proinde non est mirum, si per pœnitentiam (ut Apostolus ait) renovari non possunt. si enim illis contingeret pœnitentia, contingeret etiam remissio peccatorum.

Quintum argumentum sumitur à qualitate stili. putant enim, stilum hujus epistolę stilo Paulino dissimilem esse. At contrarium potest colligi ex inductione phrasium Paulinarum suprà recitatâ.

QUA LINGUA INITIO SCRI-
pta fuerit hæc epistola.

Sunt qui putent, à Paulo scriptam Hebraicè: ac deinde in Græcum sermonem conversam à Luca vel à Clemente Romano. Alii contrà non Hebraicè, sed Græcè initio scriptam esse colligunt ex nomine διαθήκης: quo hic scriptor utitur * ad significandum tum fedus, tum testamentum: quum vox Hebræa *Berith* quæ in Græcam illam διαθήκην translata est, non nisi *fedus* significet. Ad hoc argumentum * alii infirmum judicant, eò quòd vox Hebræa Berith non semper fedus significet, sed interdum quamvis declarationem voluntatis; sive unius sponsione purâ, sive mutuâ inter diversas partes responsione & restipulatione. Ad quod demostrandum adferunt hæc scripturæ loca; Gen. 6. v. 19. *Stabilo fedus meum tecum, te ingressurum in arcam.* Item Gen. 9. v. 9. Sic Levit. 24. v. 8. Deus panes propositionis & thus unoquoque die sabbathi coram se imponi jubet sacræ mensæ à filiis Israëlis *federe perpetuo.* Et Num. 18. vers. 19. postquam omnes oblationes rerum sanctarum Deus adjudicavit Aaroni & liberis ejus, in statutum perpetuum: adjicit, hoc esse *fedus salis*, id est, dispositionem perpetuam. Veruntamen quicquid de illo argumento statuatur: nos eorum sententiam probamus, qui judicant, hanc epistolam non Hebraicè, sed Græcè scriptam esse: idque propter has rationes. * Nam si Paulus Hebraicè ad Hebræos scribere voluisset: neque potuisset ipse cum animo suo statuere per illud tempus, qua sibi dialecto literæ fuissent exarandæ, quas ad Hebræos daret; neque si quâ dialecto scripsisset, Hebræi omnes fuissent, intellecturi. nam erat purus Hebræus sermo in scriptura quidem, sed non in usu populari: erant dialecti in populo, Chaldaica, Syra, Hierosolymitana, Samaritana & aliæ: quæ etiam pro ratione locorum quò Judæi erant dissiti, jam eo tempore mutationes & corruptiones plurimas induerant. quibus rebus jam tum effectum erat, ut nec lingua Hebræa à plurimis, nec dialectus hæc aut illa ab his aut illis intelligeretur. Deinde si Hebraicè scripsisset Paulus: suam solùm gentem docturus fuisset: at vocatus fuerat ut & Judæos & Græcos doceret. Græcè autem scribere potiùs voluit: quia Hebræi, maximè qui in minore Asia degebant, linguam Græcam, tanquam in illa regione popularem intelligebant; & quia cæteris quoque gentibus, apud quas lingua Græca tum usitata erat, simul consultum voluit. hinc enim factum est, quòd ad Romanos quoque Græcè, non autem Latinè scripsit. Nam etsi tum imperium penes Romanos erat, plerasque tamen orbis terrarum partes Græcorum sermo obtinebat.

* *Cap. 9. v. 15. & 16.*

* *Fr. Junius Parallel. lib. 3. in cap. 9. hujus epistolæ, pag. 479. & deinceps.*

* *Fr. Junius loco paulò antè citato pag. 484. & deinceps.*

ANALYSIS CAP. I.
ARGUMENTUM.

Apostolus exhortaturus Hebræos ad perseverantiam in fide Evangelii (id quod facere incipit in principio capitis sequentis) præmittit illius exhortationis primum argumentum, quod sumtum est à causis efficientibus Evangelii: videl. ab authore Deo, & administro præcipuo Jesu Christo: cujus propterea excellentiam in hoc capite variis rationibus declarat & confirmat; ut ostendat, eum talem esse, cui meritò fides sit habenda.

Multis vicibus multisq; modis olim Deus loquutus patribus per prophetas, ultimis diebus hisce loquutus est nobis per Filium.

2 Quem constituit hæredem omnium: per quem etiam mundum condidit.

3 Qui quum sit effulgentia gloriæ, & character personæ illius, sustineatque omnia verbo illo suo potente: purgatione peccatorum nostrorum per seipsum factâ consedit ad dextram majestatis in excelsis.

Orditur à reipsa, videlicet à descriptione excellentiæ Christi, unde capite sequente argumentum ducet exhortationis. Ac primò omnium affirmat, vers. 1. Evangelii authorem esse Deum, primarium verò ministrum, filium Dei, nempe Christum: cujus ministerium docendi, seu officium propheticum declarat adjuncto seu circumstantiâ temporis, per antithesin temporis præteriti, videlicet veteris Testamenti: innuens, conditionem novi Testamenti potiorem esse conditione veteris: quippe quòd tunc loquutus sit Deus patribus per prophetas, nudos videlicet homines & peccato obnoxios; nunc verò loquatur nobis per filium, nempe per filium illum suum unigenitum in carne manifestatum, Dominum nostrum Jesum Christum: qui non est nudus homo, sed simul verus Deus: nec peccato obnoxius, sed sanctus atque impollutus. Etsi autem solo *filii* vocabulo satis declaratur Jesu Christi, primarii Evangelii præconis, excellentia: tamen Apostolus plenioris doctrinæ causâ excellentiam ipsius mox pluribus rationibus declarat. Ac primùm quidem ab adjunctâ dignitate regiâ, v. 2. affirmans, eum à Patre constitutum esse hæredem omnium, id est, dominum totius mundi. Deinde à divino effecto, affirmans, mundum per ipsum esse conditum, videlicet per ipsum cooperantem Patri, tanquam substantialem ejus sapientiam, ibid. Tertiò, v. 3. ab adjunctâ divinâ ipsius gloriâ ac majestate, quæ in ipso tum docente tum miracula edente eluxit; quaque ipse Patrem, veluti effulgens splendor & expressa imago, ad vivum retulit atque repræsentavit. Quartò, ab altero effecto divino, videlicet mundi ab ipso conditi conservatione per solum nutum omnipotentiæ suæ, ibid. Quintò, à tertio effecto divino, eodemque beneficio erga nos maximo, videl. purgatione sive expiatione peccatorum nostrorum, quam is fecit atque peregit per seipsum, offerens nimirum se Patri pro nobis in sacrificium per Spiritum æternum, hoc est, deitatem suam: ut infrà cap. 9. v. 14. Apostolus declarat. quo ipso officium ejus sacerdotale innuit: quod infrà cap. 7. & deinceps copiosè enarraturus est. Sextò, à quarto effecto divino, videl. sessione ad dextram Dei: ubi simul intelligendæ sunt actiones hanc necessariò præcedentes, videlicet resurrectio ex mortuis, & in cælum ascensio. Porrò effectum illud partim ad sacerdotale, partim verò ad regium Christi officium & dignitatem pertinet. Etenim sic ad dextram Dei sedet, tanquam rex Ecclesiæ & dominus universorum, ut simul in cælo tanquam sanctuario, coram facie Patris pro nobis appareat, tanquam sacerdos: sicut infrà Apostolus declarat. Quare hic beneficii illius, purgationis videlicet peccatorum nostrorum, continuatio notatur.

4 Tantò præstantior factus angelis, quantò excellentius præ illis sortitus est nomen.

5 Nam cui dixit unquam angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rursum, Ego ero ei pater, ipse erit mihi filius?

Hactenus excellentiam Christi simpliciter declaravit: deinceps eandem declarat per comparationem cum angelis, nempe cum beatis illis & excellentissimis spiritibus, quorum robur & sanctitas in Scriptura passim celebratur. Christum autem angelis longè præstantiorem esse, variis argumentis confirmat: quæ ipsa testimoniis Scripturæ approbat. Primum argumentum ductum est à nomine, quòd nimirum à Deo ipso nominatur filius ipsius, vers. 4. Hoc argumentum vers. 5. confirmat duobus testimoniis Scripturæ: quorum prius ex Psalmo 2. posterius ex 2. Sam. 7. & 1. Chron. 22. desumtum est. Concluditur autem hoc syllogismo:

Si Christus multò excellentius nomen præ angelis sortitus est, multò illis factus est præstantior.
At Christus multò excellentius præ angelis sortitus est nomen, v. 4.
Ergo Christus angelis multò factus est præstantior, v. eod.

Assumtio partim declaratur expositione consequentis, sive prædicati; quatenus significatur, Christum accepisse à Deo nomen filii: partim verò confirmatur duobus illis Scripturæ testimoniis, v. 5. Si quis contra assumtionem excipiat, angelos quoque in Scriptura filios Dei nominari, ut Job 1. v. 6. observandum est, illos ita nominari non quòd à Deo sint geniti, id est, è substantia ipsius producti: sed propter majestatem imperii, quod nomine Dei exercent; qua ratione Scriptura etiam homines magistratum gerentes filios Excelsi appellat, Psal. 82. v. 6. At Christus nominatur filius Dei, quia à Deo est genitus: sicut verba Psalmi secundi expressè declarant.

Cæterùm ut testimonia hic citata, & ad approbationem assumtionis spectantia, plenius intelligantur: utrumque accuratiùs considerandum est.

Igitur prius testimonium sumtum est ex Psalmo secundo: qui totus propheticus est, continens prophetiam de exhibitione Christi & ordinatione in regem & prophetam & summum sacerdotem Ecclesiæ; ac potest commodè distribui in tres partes. Primùm enim propheta in spiritu admiratur conatus hostium Ecclesiæ, tumultuantium contra Evangelii (quo sceptro Christus Ecclesiam regit) prædicationem, & conantium illa veluti vincula disrumpere: tribus primis versibus. Deinde monet, conatus illos esse inanes & frustraneos: quia Deus immutabili decreto Christum, regem Ecclesiæ & prophetam & summum sacerdotem instituerit; id quod declarat verbis tum ipsius Dei patris, tum deinde & filii: quem utrumque per prosopopœiam loquentem introducit: patrem quidem v. 6. his verbis: *Atqui ego inunxi regem meum, super Zijonem montem sanctum meum.* Filium verò v. 7. 8. & 9. qui rursum ipsum patrem loquentem inducit, recitans per mimesin verba illius ad se pronuntiata de illo decreto & ordinatione sui, inquiens: *Narrabo ad decretum* (sive ex decreto) *Jehova, Dixit ad me, Filius meus es: ego hodie genui te. Pete à me, & dabo gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam fines terræ. Confringes istos virgâ ferreâ: ut vas figuli dissipabis eos.* Quibus verbis primò notatur officiũ Christi propheticũ, ubi ait: *Narrabo ex decreto.* Secundò, sacerdotale: ubi Pater ad eum dicit, *Pete*

à me. Sicut declarat Apostolus infr. c.5. v.5. Tertiò officium regium: ubi ait, *Confringes istos virgâ ferreâ.* In tertia & postrema Psalmi parte propheta ex illa de Christi ordinatione doctrina exhortationem deducit ad reges & principes, ne se regi Christo opponant; sed potiùs ut illi, tanquam Jehovæ & filio Jehovæ, se subjiciant, atque ad eundem felicitatis causâ se recipiant; tribus postremis versibus. Ex hac secundi Psalmi summariâ expositione liquet, verba quæ inde huc citantur, nempe, *Filius meus es tu: ego hodie genui te:* esse verba Dei patris ad Christum: quibus illi apertè tribuit nomen *filii.* deinde liquet & hoc: nomine *filii* hîc intelligi filium naturalem, hoc est, à Patre genitum & ex essentia ipsius productum. nam declaraturus Pater, cujusmodi filius suus sit Christus, subjungit: *Ego genui te.* Sed quæritur, quid sibi velit adverbium illud *Hodie:* hoc est, quisnam sit ille dies quo Christus à Deo patre est genitus. Quidam exponunt, *Hodie,* id est, ab æterno. quæ expositio etsi veram per se sententiam continet: non videtur tamen hujus loci genuina: quia hîc sermo est de Christo, quatenus est Deus in carne manifestatus & mundo exhibitus; sicut liquet tum ex Psalmi illius argumento, tum ex verbis illis versiculi sequentis, *Quum autem rursum inducit primogenitum in orbem terrarum.* Quibus verbis significat Apostolus; sicut Spiritus S. in duobus illis locis Scripturæ, quæ citantur v.6. inducit primogenitum illum Dei in orbem terrarum, hoc est, prophetat de illius in carne adventu, sic facere quoq; in illo tertio loco quem ibi Apostolus subjungit. Quare illud *Hodie* referendum est ad tempus exhibitionis Christi; cujus temporis primus gradus est in die nativitatis quo filius Dei homo natus est. Etsi enim non tunc primùm genitus est à Deo, quippe qui jam genitus erat ante omnia sæcula, tamen tunc statim patefactum est à Deo hominibus, hunc ipsum filium hominis, recens ex Maria virgine natum, esse filium illum Altissimi; sicut jam antè testatus fuerat angelus, quum ipsius conceptionem & nativitatem Mariæ virgini annuntiaret, Luc.1.v.31. & deinceps. Etenim Christo recens nato, mox angelus Domini pastoribus Bethleemiticis nativitatem ejus annuntiavit, eumque esse servatorem & Christum Dominum apertè pronuntiavit, Luc.2.11. Imò quum adhuc Maria mater Domini uterum ferret, & Joseph, cui illa desponsa erat, sinistrâ suspicione conceptâ clam deserere eâ cogitaret: angelus Domini in somnio illi apparens, de authore arcanæ illius conceptionis eum edocet: ac præterea indicat, Mariam parituram filium; jubetque ut illum vocet Jesum, hoc est, servatorem: additâ istius nominis ratione, quòd nimirum servaturus sit populum suum ex peccatis: Matt.1. v.20. & 21. Et Evangelista mox subjungit, *Totum istud factum esse ut impleretur prophetia quæ exstat Esa.7. his verbis: Ecce virgo illa uterum feret, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel: quod est, si interpreteris, Nobiscum Deus.* Deinde pleniùs & clariùs patefactus filius Dei, quum in baptismo ordinatus est expressè in prophetam seu doctorem populi Dei: tunc enim nomen filii expressè illi à Patre tributum est, spectante & audiente populo: Matth.3.v.ult. Id quod iterum accidit in monte, quum transfiguraretur coram tribus discipulis, Matth.17.5. Atque in hunc sensum, videl. de manifestatione filii Dei in carne, verba illa Psalmi interpretatur Paulus Act.13.v.23.32.& 33. Verba illic facit Paulus in synagoga Antiochiæ Pisidiæ: & commemoratis initio plurimis & maximis Dei erga populum Israëliticum beneficiis, tandem v.23. subjungit illud quod reliqua omnia longissimè antecellit, videlicet exhibitionem promissi servatoris, inquiens: *Hujus* (videl. Davidis) *è semine secundùm promissionem excitavit Israëli servatorem Jesum.* Deinde ubi hoc ipsum testimonio Johannis Baptistæ confirmasset, ac præterea commemorasset quomodo Jesus Hierosolymis sit crucifixus, sepultus & à mortuis excitatus: confirmaturus deinceps duo præcipua capita ex iis quæ de Jesu illo crucifixo pronuntiaverat, nempe illum esse Israëli à Deo excitatum secundùm promissionem, & esse à mortuis excitatum ad vitam æternam: sic loquitur v.32. & deinceps: *Nos igitur vobis evangelizamus, eam promissionem quæ patribus facta est, Deum explevisse filiis illorum, excitato nobis Jesu: ut etiam in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus tu es, ego hodie genui te.* Hæc dicta esse de exhibitione Christi, percipitur ex collatione versiculi 23. Nam etsi illic exstat verbum ἤγειρεν, hîc autem ἀναστήσας: tamen idem utroque significatur, nempe productio Christi in orbem terrarum: sicut planè liquet, si tota sententia cum tota conferatur. Et verbum ἀναστήσας hîc non esse accipiendum de excitatione Christi à mortuis: planum est ex v. seq. 34. ubi excitationem Christi à mortuis confirmaturus testimoniis scripturæ, se ad aliud doctrinæ caput transire apertè significat, his verbis, *Quòd autem excitaverit eum à mortuis, non ampliùs reversurum in sepulchrum, ita dixit: Dabo vobis &c.* quasi dicat: Quòd Deus nobis excitaverit (hoc est, exhibuerit) Jesum servatorem secundùm promissionem, jam demonstravi testimonio Davidis ex Psalmo secundo: quòd autem eundem excitaverit quoq; à mortuis, nunc aliis scripturæ testimoniis probabo. Ex dictis jam colligi potest, sensum illorum verborum Psal.2. *Ego hodie genui te,* hunc esse: Hodie cùm te mundo exhibui per nativitatem ex virgine & publicam initiationem ad munus propheticum, patefeci meo populo, te esse filium illum meum quem ego ab æterno genui.

Jam ad alterum testimonium quod attinet, videl. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium:* hæc verba continent promissionem pronuntiatam nomine Dei per Nathanem ad Davidem de filio quodam nascituro ex ipso. Est autem illa promissio intelligenda partim de Salomone tanquam typo Christi, partim verò ac principaliter de Christo ipso. Quod ut meliùs intelligatur, totus ille sermo Nathanis considerandus est. Is autem exstat tribus locis, videl. 2.Sam.7. 1.Chron.17. & rursum 22. Ex quo sermone recitabimus eam duntaxat partem, quæ ad intelligentiam propositorum verborum consequendam necessaria est. Sic ergo legitur 2.Sam.7.12. & deinceps: *Quando completis diebus tuis, cubaveris cum patribus tuis: excitabo semen tuum post te, quod prodierit è visceribus tuis: & stabiliam regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo: & stabiliam solium regni ejus usq; in sæculum. Ergo ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui cùm perversè egerit, corripiam eum virgâ hominum, id est, plagis humanis: ac benignitas mea non amovebitur ab eo, quemadmodum amovi à Saule, quem amovi à facie tua. Sed firma erit domus tua; & regnum tuum usque in sæculum erit coram te: solium tuum erit stabile usque in sæculum.* Primo autem Chron.17. à v.11. & deinceps sic habetur: *Et erit completis diebus tuis, ut abeas cum patribus tuis: tum excitabo semen tuum post te, quod erit è filiis tuis: & stabiliam regnum ejus. Ipse ædificabit mihi domum: & stabiliam solium ejus usq; in sæculum. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium: benignitatem verò meam non amovebo ab illo, quemadmodum amovi ab eo qui fuit ante te. Sed constituam eum in domo mea & in regno meo usque in sæculum, & solium ejus erit stabile usq; in sæculum.* Jam ejusdem libri c.22. v.12. & 13. sic exstat: *Ecce filius qui fuerit genitus tibi, is futurus est vir quietis: nam quietem dabo ei ab omnibus inimicis ejus circumquaq;: & Salomo erit nomen ejus: nam pacem & tranquillitatem dabo in Israële diebus ejus. Is ædificaturus est domum nomini meo: idemq; mihi futurus in filium, & ego ei in patrem: & firmabo solium regni ejus super Israëlem usq; in sæculum.* Hactenus verba scripturæ ex tribus illis locis depromta: ex quorum postremo loco clarum est, sermonem hîc esse de filio Davidis Salomone, quippe cujus nomen exprimitur. Veruntamen sermonem quoq; esse de Christo, tanquam Salomone (id est, pacis authore) spirituali, ex ipsâ citatione Apostoli manifestum est: quippe qui verba illa de Salomone nominatim pronuntiata, ad Christum accommodat. Quam quidem accommodationem veram & ex mente Spiritus sancti esse, ex eo potest intelligi, quòd tota illa promissio Davidi per Nathanem facta, partim de Salomone, partim de Christo intelligenda est: idque ita ut quædam illius promissionis partes utrique illi, quanquam diverso modo, conveniant: quædam verò alterutri tantùm. Ac utrique convenit promissio de pace sub utroque futura: sed quæ in Salomone intelligatur de pace corporali atque externâ, in Christo autem illo principe pacis ac rege pacis (Esa.9. v.6. infr.7. v.2.) de pace spirituali atque internâ, videl. de reconciliatione nostri cum Deo, & inde nascente pace conscientiæ, Rom.5. v.1. Deinde utriq; convenit ædificatio domus seu templi: nam & Salomon Deo ædificavit domum corporalem seu templum materiatum; & Christus architectus est domus spiritualis, id est, Ecclesiæ: infr. c.3. v.3.4. & 6. Tertiò utriq; convenit nomen filii, respectu Davidis: nam & Salomon proximè sive immediatè ex Davide est genitus, & Christus mediantibus posteris Davidis: unde receptum erat in populo Dei, ut Christus filius Davidis nominaretur; quemadmodum ex historia evangelica liquet. Quartò convenit quoque utrique idem nomen filii, respectu Dei: sed ita ut Salomo intelligatur filius adoptivus, quem Deus ex gratia paterno amore prosequatur; Christus autem filius naturalis, ex Dei essentia genitus. Atque hæc sunt quæ utrique, & Salomoni, inquam, & Christo conveniunt. Soli autem Salomoni convenit, quòd Deus illum peccantem correcturus sit virgâ: quippe in Christum peccare non cadit. Soli verò Christo convenit, quòd Deus regnum ipsius stabiliturus sit in æternum. Etenim à filio Salomonis Rechabeamo pars regni maxima abscissa fuit, deficientibus ab illo ad Jeroboamum decem tribubus, & peculiare regnum condentibus. Christi autem regnum æternum est: sicut angelus, Mariæ virgini conceptionem illius annuntians, expressè meminit, idque ad hanc ipsam promissionem respiciens, Luc.1. v.32. & 33. inquiens, *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ipsius: regnabitq; super domum Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.*

6 Quum autem rursum inducit primogenitũ in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes angeli Dei.

Hactenus expositum est argumentum primum, quo Apostolus ostendit, Christum angelis excellentiorem esse, quia scil. excellentius præ illis sortitus est nomen: sequitur v.6. argumentum excellentiæ secundum, quod sumtum est ab adjunctâ adoratione: ac potest concludi hoc syllogismo:

Qui ab altero adorandus est, is illo est excellentior.
At Christus ab angelis adorandus est.
Ergo illis est excellentior.

Assumptio probatur testimonio scripturæ ex Psal.97. in quo Psalmo Spiritus S. (ut hîc præfatur Apostolus) primogenitum illum in orbem terrarum inducit, hoc est, de illo introducendo prophetat. Exstat autem hoc testimonium illius Psalmi v.7. qui versus integer sic habet: *Pudefiant omnes qui colunt, sculptile, qui glorian-*

gloriantur in idolis: adorate eum omnes dii. Quibus verbis Propheta primùm dehortatur idololatras à cultu idolorum, tanquam falſorum deorum, & contrà tacitè eos hortatur ad cultum Chriſti tanquam veri Dei & Jehovæ, ſicut eum in principio Pſalmi nominaverat: deinde ad ejuſdem adorationem expreſsè hortatur ipſos angelos, quos ex more ſcripturæ nominat Elohím, ſicut idola appellaverat Elilím: unde videtur, Spiritum ſanctum in iſta antitheſi paronomaſiâ delectatum fuiſſe.

7 Et de angelis quidem dicit *ſcriptura*, Qui angelos ſuos facit ſpiritus; & miniſtros ſuos, ignis flammam.

8 De Filio autem; Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi: virga recta, virga regni tui.

9 Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo exultationis, ultra conſortes tuos.

10 Et, Tu in initio, Domine, terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli:

11 Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ut veſtimentum veteraſcent:

12 Ac velut amictum circumvolves eos, & mutabuntur: tu autem idem es, & anni tui non deficient.

Deinceps à v.7. uſque ad 13. ſequuntur tertium, quartum & quintum excellentiæ argumentum conjunctim & promiſcuè. Ex quibus tertium ſumtum eſt ab adjunctâ conditione ſeu ſtatu, quartum verò & quintum ab ipſâ natura ſive eſſentia. Ac conditione quidem ſeu ſtatu angeli ſunt miniſtri Dei, Chriſtus verò eſt rex æternus. Naturâ verò ſeu eſſentiâ angeli ſunt creaturæ Dei, nobiliſſimæ illæ quidem, cæteriſque præſtantes ſimplicitate, puritate ac robore: at Chriſtus eſt creator & immutabilis. Hæc duo argumenta ita tractat Apoſtolus, ut inſtituat plenam antitheſin: cujus protaſis eſt de angelis, v.7. apodoſis de Chriſto, verſibus reliquis. Ac protaſis quidem confirmatur teſtimonio Pſalmi 104. apodoſis verò teſtimonio Pſalmi 45. & Pſalmi 102. Quæ ſingula teſtimonia accuratiùs conſideranda ſunt; ut appareat, rectè & ex mente Spiritus ſancti citata eſſe. Igitur Pſalmo 104. deſcribitur magnificentia Dei ex operibus creationis, gubernationis & conſervationis rerum: ac in principio expoſitis operibus illis & partibus mundi, quæ in ſuperiori regione viſuntur, ut luce, cælis, v.2. nubibus & ventis, v.3. antequam deſcendat ad partes mundi inferiores, nempe terram & aquas & quæ in illis continentur, id quod facit v.5. & deinceps: interſerit mentionem creaturarum inviſibilium, videl. angelorum: qui naturâ quidem ſuâ cæleſtes ſunt, veruntamen in terras à Deo emitti ſolent: ut ita quodammodo cum utriſque, cæleſtibus, inquam, & terreſtribus Dei operibus communicent. De his igitur verſ.4. ſic pronuntiat: *Qui* (nempe Jehovah, ex v.1.) *facit angelos ſuos, ſpiritus; miniſtros ſuos, ignem flammantem.* Quæ verba vulgò ſic exponuntur, quaſi dicatur, Deum ſpiritibus (id eſt, ventis) uti pro angelis ſeu nuntiis ſuis: itemque igne flammante, id eſt, fulguribus, uti pro miniſtris ſuis. Quam expoſitionem etſi verba Hebræa nudè & per ſe ſpectata admittunt, propter ambiguitatem ſyntaxis ex omiſſione articuli: tamen verſio Græca, quam hoc loco adhibet Apoſtolus, expoſitioni iſti repugnat: noſtram verò paulo-antè allatam confirmat. Etenim ambiguitas ſyntaxis tollitur per appoſitionem articuli τοὺς ante nomina ἀγγέλους & λειτουργοὺς: dicitur enim, ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ, πνεύματα: καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ, πυρὸς φλόγα. Unde clarè perſpicitur, ſermonem hîc eſſe de angelis, (id quod ipſe quoque Apoſtolus expreſsè hîc affirmat) & naturam eorum duobus iſtis enuntiatis deſcribi. Nec eſt quòd quis moveatur verbo temporis præſentis, quòd Græcè eſt ὁ ποιῶν, Hebraicè Oſéh: ac putet, prophetam, ſi de angelorum creatione loqueretur, uti debuiſſe verbo temporis præteriti. nam verbo illo non voluit ſignificare, Deum adhuc in angelis creandis occupari: ſed quaſi in rem præſentem, in ipſam creationem olim peractam, ducere nos voluit. id quod ex principio ſtatim illius narrationis liquet: ubi commemorans creationem lucis & cælorum, itidem participiis temporis præſentis utitur, verſ.2. inquiens: *Qui amicit ſe luce tanquam panno: qui extendit calos tanquam aulaum.* Ubi in Hebræo exſtant participia præſentis temporis, Otéh & Notéh: quum tamen lucis & cælorum creatio jam olim perfecta ſit. Tenendum eſt igitur quod diximus, ſermonem hîc eſſe de creatione angelorum. Dicitur autem primò, Deum angelos feciſſe ſpiritus; ſicut & infrà v.ult. huc reſpiciens, dicit, angelos eſſe ſpiritus: hoc eſt, ſubſtantias incorporeas, ſimplices, & à concretione materiæ puras. Deinde dicitur, angelos eſſe ignem flammantem, id eſt, eſſe naturæ robuſtæ, velocis & actuoſæ, ac citò penetrantis, & hoſtes conſumentis: qualis in rebus corporeis eſt ignis. Atque hinc eſt quòd in forma igneorum equorum & curruum apparuerunt Eliſæo & famulo illius, 2.Reg.6.verſ.17. item quòd nominantur Seraphim, hoc eſt, urentes, Eſa.6.v.2.

Atque hæc de primo teſtimonio dicta ſufficiant: jam ad ſecundum quod attinet, illud ſumtum eſt ex Pſalmo 45. in quo Pſaltes adhibito paſſim typo connubii Salomonis cum filia Pharaonis, nuptias Chriſti cum Eccleſia prædicat, & inter alia ſponſum Chriſtum iis verbis affatur, quæ hoc loco recitat Apoſtolus: Quibus verbis expreſsè Deum ipſum nominans, regnum illi tribuit æternum, & regni adminiſtrationem juſtam, & abundantiam donorum Spiritus ſancti ad regni adminiſtrationem neceſſariorum. Ex quibus tria priora ad Salomonem non pertinent, ſed ſolius Chriſti propria ſunt: quartum verò ita Salomoni cum Chriſto commune fuit, ut in illo ex parte tantùm factum ſit, in hoc autem plenè completum. Etenim Chriſtus plenitudinem ſpiritus accepit, & ex plenitudine illius nos omnes accipimus, gratiam pro gratia, Joh.1.v.16. & c.3.v.34.

Tertium teſtimonium ſumtum eſt ex Pſalmo 102. ubi Chriſto opus creationis, & immutabilitas naturæ ſive eſſentiæ attribuitur. Et immutabilitas naturæ Chriſti illuſtratur antitheſi mutabilitatis atque interitus rerum creatarum: quæ ipſa illuſtrantur ſimilitudine veſtimenti. Sunt autem verba, quæ hîc recitantur, verba veteris Eccleſiæ alloquentis Chriſtum: quem verſu proximè præcedente expreſsè nominat Elohím, id eſt, Deum. De Chriſto autem ſermonem illic eſſe, percipitur ex præcedentibus, & maximè ex verſ.23. ubi commemoratur vocatio Gentium ad colendum Jehovam.

13 Ad quem autem angelorum dixit unquam, Sede ad dextram meam, uſquedum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?

14 Nónne omnes ſunt miniſtratores ſpiritus, qui miniſterii causâ emittuntur propter eos qui hæredes erunt ſalutis?

Verſibus duobus ultimis continetur ſextum excellentiæ argumentum; à ſingulari atque divinâ gloriâ, quam Deus pater Chriſto dedit, exaltando eum ad dexteram ſuam, hoc eſt, committendo illi regnum ac dominationem in omnes creaturas, ac promittendo ei victoriam in omnes hoſtes ipſius: quam ſententiam exponit, atque adeò confirmat, Apoſtolus verbis Pſal.110. ubi Deus pater Chriſtum ſic alloquitur, *Sede ad dextram meam &c.* Quòd autem Deus pater iis verbis alloquatur Chriſtum, ipſe David indicat hac præfatione, *Dixit Jehováh domino meo:* Ubi nomine *Jehovæ* intelligit Deum patrem; nomine autem *Adón*, id eſt, domini, ipſum Chriſtum: quod poſterius Chriſtus ipſe affirmat, quum reſponſo accepto à Phariſæis de Chriſto, quòd is ſit filius Davidis, excipit, *Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum dominum, dicens, Dixit Dominus domino meo &c.* Matth 22. circa finem. Hanc igitur gloriam Apoſtolus Chriſto ita tribuit, ut eam de angelis neget, v.13. tum deinde conditionem angelorum tanquam inferiorem opponit, v.14. quòd videl. angeli vocatione ſive ordinatione Dei, ſint ſpiritus miniſtratores; quodque miniſterium eorum non ſolùm Deo & gloriæ illius, ſed etiam hominibus & ſaluti ipſorum deſtinatum ſit.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Deus] ὁ Θεὸς. *Videl. Pater: quia mox fit mentio Filii.* Patribus] τοῖς πατράσιν. *Majoribus noſtris.* Per prophetas] ἐν τοῖς προφήταις. *Pro,* διὰ τῶν προφητῶν. *Hebraiſmus. quanquam modus ille loquendi ſingularem emphaſin videtur habere, ad notandum ſcil. inhabitationem Dei in ſervis ſuis: quomodo & Chriſtus apoſtolis dicebat: Non enim vos eſtis qui loquimini: ſed ſpiritus patris veſtri, is eſt qui loquitur in vobis,* ἐν ὑμῖν: *Matth.10.v.20. Sic Petrus de prophetis ait, quòd acti à Spiritu ſancto locuti ſint: 2.Pet.1.v.21.* Ultimis diebus hiſce] ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων. *Sic nominantur in ſcriptura dies Chriſti exhibiti uſque ad mundi finem. Sic Act.2. v.17. ex Joël.2.* ἔσται ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις. Per Filium] ἐν υἱῷ. *Ad verb.* In Filio. *ubi notatur non ſolùm inhabitatio Dei per operationem Spiritus ſancti gratioſiſſimam: ſed etiam eſſentialis inhabitatio illa totius plenitudinis deitatis, Col.2.v.9.*

2 Hæredem omnium] κληρονόμον πάντων. *Id eſt, hæredem ac dominum omnium rerum creatarum.* Mundum] τοὺς αἰῶνας. *Ad verb.* Sæcula. *Metonymia adjuncti: nam mundus per ſacula durat. Sic infrà 11.v.3.*

3 Effulgentia] ἀπαύγασμα. *Hinc illud in ſymbolo Niceno,* Lumen de lumine. Character perſonæ illius] χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. *Id eſt, perſona qua perſonam Patris ad amuſſim refert: ſicut imago cera impreſſa, ad amuſſim refert imaginem inſculptam ſigillo. Metaphora.* Perſonę] τῆς ὑποστάσεως. *Ad verb.* Subſtantiæ. *Sed conſulendum fuit perſpicuitati: quia ſubſtantia vocabulo interdum ſignificatur id quod à Gracis nominatur* οὐσία, *hoc eſt, eſſentia: qua una eſt in tribus* ὑποστάσεσιν, *id eſt, perſonis, videlicet Patre, Filio & Spiritu ſancto.* Illius) αὐτοῦ. *Videlicet* τοῦ Θεοῦ, *v.1. id eſt. Dei patris. Hoc autem pronomen pendet non ſolùm à proximè-præcedente nomine* τῆς ὑποστάσεως: *verùm etiam à remotiore* τῆς δόξης. Suſtineatque] φέρων τε. *Seu,* ferat, portet, geſtet: *ne ſcil. collabantur & intereant.* Verbo illo ſuo potente] τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. *Id eſt, mandato ſeu nutu ſuo potente.* Verbum *pro mandato, per ſynecdochen generis.* Verbum potentiæ, *id eſt, potens: per Hebraiſmum. Genitivus adjuncti.* Per ſeipſum] δι' ἑαυτοῦ *Videl. per oblationem ſuiipſius: infrà 9.v.14.* Purgatione peccatorum noſtrorum] καθαρισμὸν τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. *Id eſt, purgatione noſtri à peccatis noſtris.* Conſedit ad dextram majeſtatis] ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης. *Id eſt, Conſedit* (er hat ſich geſetzt) *ad*

dextram Dei, atque ita evectus est in summam majestatem. Vocabulo majestatis, metaphora sessionis ad dextram Dei declaratur. Sic infr. 8.1. Similis est phrasis, Incedere vestigiis fidei Abrahæ, Rom. 4. v. 12. pro eo quod est, Imitari fidem Abrahæ, atque ita quasi vestigiis ejus incere. In excelsis] ἐν ὑψηλοῖς. Scil. τόποις, id est, locis. Videl. in cælis, ut declaratur infr. 8.1. item Eph. 1.20. Sic Luc. 2. v. 14. δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ

4 Excellentius] διαφορώτερον. Ad verb. Differentius. Synecdoche generis. Sic Rom. 2.18. δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, Probas eximia. Nomen] ὄνομα. Videl. nomen Filii: ut mox declaratur.

5 Filius meus es] υἱός μου εἶ. Sunt verba Dei patris ad Christum, Psal. 2. v. 7. Hodie] σήμερον. Scilicet, cùm te induxi in orbem terrarum, ex vers. seq. Genui te] γεγέννηκά σε Patefeci mundo, me genuisse te. Ego ero &c.] ἐγὼ ἔσομαι &c. Sunt verba Dei ad Davidem, partim de Salomone, partim de Christo per Salomonem præfigurato.

6 Quum autem rursum inducit] ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ. His verbis significat Apostolus, in duobus præcedentibus locis contineri prophetias de inducendo Christo in orbem terrarum, id est, de Christo (ut vulgò loquimur) exhibendo. Omnino enim ordinem verborum, ut in Græco habetur, conservandum puto: nec statuendam trajectionem particulæ πάλιν. Primogenitum] τὸν πρωτότοκον. Videl. primogenitum illum inter multos fratres, qui in omnibus primas tenet: Rom. 8.29. Col. 1.18. Et adorent eum] καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ. In Psalm. habetur, Adorate eum; eodem sensu. Omnes angeli Dei] πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. In Psal. habetur: Omnes dii. Nomine autem Elohím, intelliguntur hîc angeli: quibus in Psalmo opponuntur Elilim, id est, idola.

7 De angelis quidem] πρὸς μὲν τοὺς ἀγγέλους. Pro, περὶ τῶν ἀγγέλων: ut liquet ex reipsa. Est Hebraismus: Sic enim Hebræi præpositione ל quæ propriè significat ad, Græcè πρὸς, interdum utuntur ad significandum de, id est, περὶ, ut Esa. 41. v. 7. Dicens de glutine seu ferrumine, (לַדֶּבֶק laddébek: ad verbum, ad gluten seu ferrumen) Bonum est. Similiter usurpatur præpositio אֶל él, ex qua illa altera est desumta, ut Gen. 20. v. 2. Et dixit Abraham de Sarah, (אֶל שָׂרָה él Saráh, ad Saram) Soror mea est. Dicit scriptura] λέγει. Scilicet ἡ γραφή. Similem ellipsin vide Eph. 5.14. Jac. 4.6. Spiritus] πνεύματα. Id est, substantias incorporeas seu invisibiles: ut infrà v. 14. Ministros suos] τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ. Id est, angelos: ut modò nominavit. Et sic infrà v. 14. nominat λειτουργικὰ πνεύματα. Ignis flammam] πυρὸς φλόγα. Id est, præditos naturâ robustâ, veloci & actuosâ: qualis est flamma ignis.

8 De filio autem] πρὸς δὲ τὸν υἱόν. Id est, περὶ δὲ τοῦ υἱοῦ: ut v. 7. Etsi interim verum est, hæc verba ad ipsum Filium dicta esse. Sed in versione servanda est ratio ἀντιθέσεως. Thronus tuus] ὁ θρόνος σου. Sunt verba Psaltæ ad Salomonem spiritualem, id est, Christum sponsum Ecclesiæ. Deus] ὁ θεός. Id est, ô Deus. Hebr. Elohim: In vocativo: ut planum est ex ipsa sententia. Virga recta, virga regni tui] ῥάβδος εὐθύτητος, ἡ ῥάβδος τῆς βασιλείας σου. Syntaxis: Virga regni tui (id est, qua tu regnum tuum moderaris) est virga rectitudinis: hoc est, recta. Hebraismus. Hoc exponitur per ea quæ sequuntur.

9 Unxit te ô Deus] ἔχρισέ σε ὁ θεός. In vocativo, sicut v. sup. Deus tuus] ὁ θεός σου. Videl. Pater. Oleo exsultationis] ἔλαιον ἀγαλλιάσεως. Id est, Spiritu sancto: qui efficit ut corda filiorum Dei exsultent ex sensu paterni favoris Dei erga se: sicut oleo ungebantur sacerdotes ac reges, & per spiritum Dei idonei & alacres reddebantur ad obeundum munus suum. Metaphora, & genitivus effecti. Ultra consortes tuos] παρὰ τοὺς μετόχους σου. Id est, ultra reliquos Dei filios, qui unà tecum participes fiunt Spiritus sancti.

11 Omnes] πάντες. Videl. ipsi, nempe cæli: ex membro præcedente. Et hoc in Hebræo expressum est, ubi habetur וְכֻלָּם vechullám, & cuncti ipsi.

14 Omnes] πάντες. Nempe angeli: ex v. præcedente. Emittuntur] ἀποστελλόμενα. Nempe ὑπὸ θεοῦ, à Deo.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINÆ EX CAP. I.

Discrimen V. & N. T. 1 Ex v. 1. Melior est hodie conditio Christianorum, quàm fuit olim Israëlitarum, quod ad patefactionem Dei attinet: quia Israëlitis se patefecit Deus pro prophetas, nudos scilicet homines: at Christianis per ipsum filium in carne manifestatum. Hinc Christus beatos prædicat discipulos, quòd ea videant & audiant, quæ piis Regibus & Prophetis nec videre nec audire contigit. Usus hujus observationis est, ut doctrinam Christi summo studio discamus, credamus ac profiteamur.

Christus. 2 Ex v. 1. 2. & 3. Christus est verus Deus & verus homo. Verus Deus: quia filius Dei, vers. 1. nempe filius Dei unigenitus, & proinde Patri ὁμοούσιος, coëssentialis. Item, quia per eum omnia sunt condita, v. 2. & quia ipse omnia sustentat, v. 3. Verus homo: quia constitutus est hæres mundi, v. 2. & quia corpus & animam suam pro nobis obtulit ad impetrandum purgationem peccatorum nostrorum, v. 3. Præterea quia consedit ad dextram Dei, hoc est, exaltatus est ad regiam majestatem super omnia, eodem versu. denique quia secundùm naturam humanam nunc est in excelsis, id est, in cælo, eod. v.

3 Ex v. 3. Deus pater & filius sunt distinctæ ὑποστάσεις, id est, personæ: eadem autem est ratio Spiritus sancti, ut ex aliis scripturæ locis apparet.

4 Ex v. 1. 2. & 3. Christus est nobis à Deo ordinatus in Prophetam, Sacerdotem & Regem. In Prophetam: quia per eum nobis eloquutus est Evangelium, v. 1. In Sacerdotem: quia purgavit nos à peccatis suo sacrificio, v. 3. In Regem: quia constitutus est hæres omnium, & consedit ad dextram majestatis. *Deus.*

5 Ex v. 3. Non rectè è sessione Christi ad dextram Dei concluditur, corpus Christi ubique esse. Quia, teste Apostolo, sic sedet ad dextram majestatis, ut tamen interim sit in excelsis, hoc est, in cælo: sicut ipse exponit infr. cap. 8. v. 1. Id quod necessariò de humana ipsius natura intelligitur: quum secundùm deitatem cælum & terram repleat. *Christus.*

6 Ex eod. v. Quum dicit Scriptura, Christum consedisse seu collocatum esse ad dextram Dei: intelligit, Christum exaltatum seu evectum esse in summam majestatem & gloriam in suo regno, ita ut non solùm secundùm humanam naturam summâ gloriâ ornatus sit, & summâ beatitudine fruatur; sed etiam ut vi suæ deitatis, consciâ mente & consentiente voluntate humanitatis, omnia in cælo & in terra gubernet; & ut agnoscatur ab omni rationali creatura non solùm verus & sanctissimus homo, sed etiam verus Deus, tanquam filius Dei unigenitus, ac proinde ut ab illis pro domino agnoscatur & adoretur: quorum hoc tum demum plenè fiet, quum omnes inimici Christi positi fuerint scabellum pedum ipsius. Vide Psalm. 110. v. 1. Philip. 2. v. 9. 10. & 11. Eph. 1. v. 20. 21. & 22. 1. Cor. 15. v. 24. 25. *Sessio Christi ad dexteram Dei.*

7 Ex v. 4. & deinceps notanda sunt plura argumenta deitatis Christi: nam aliquot jam antè notavimus ex tribus primis versibus. Primum argumentum est, quòd est filius Dei unigenitus, v. 4. & 5. Secundum, quòd adorandus est, idque etiam ab ipsis angelis, v. 6. Tertium, quòd expressè nominatur Elohim, id est, Deus, v. 8. Nam quoties hoc nomen in scriptura uni personæ attribuitur, verum Deum significat: quum autem intelligitur de creaturis, ut angelis, vel hominibus gerentibus magistratum, tum attribuitur pluribus simul. Sic de angelis dicitur Psal. 97.7. Adorate eum omnes elohim. Item de magistratib. dicitur Psal. 22. v. 6. Ego dixi, dii estis. Quartum argumentum, quòd creavit cælum & terram, v. 10. Quintum, quòd semper idem est, hoc est, immutabilis, seu incorruptibilis, v. 12. Sextum, quòd pari majestate cum Patre regnat ac dominatur in mundo. *Deitas Christi.*

8 Ex v. 6. 7. & 14. Angelorum officium est adorare Deum, eique ministrare in procuranda salute electorum. *Angeli.*

9 Ex vers. 7. & 14. Tametsi angeli in corporibus, maximè humanis, apparere sunt soliti: tamen naturâ suâ corporei non sunt: quippe quum sint spiritus, id est, substantiæ incorporeæ atque invisibiles. *Angeli.*

10 Ex iisdem versibus. Quum in periculis constituti sumus, consolemur nos custodiâ & protectione angelorum: quippe qui à Deo emittuntur salutis nostræ procurandæ causâ, & instar ignis consumere valent hostes nostros. *Consolatio in periculis.*

11 Ex v. 8. & 9. Regnum Christi est regnum æternum & justum. Quare quum in hac vita ab hostibus Evangelii iniquè premimur: consolemur nos, quòd Christus pro sua justitia hostes nostros deleturus est, nosque pro suo erga nos amore in consortium æterni sui regni assumturus. *Regnum Christi.*

12 Ex v. 9. Dona Spiritus sancti nobis cum Christo communia sunt: sed in illo longè sunt majora: quippe quem Deus unxit oleo exultationis ultra consortes suos. Confer Joh. 1. v. 16. Ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Item c. 3. v. 34. Non enim huic admetitur Deus spiritum. Quare cùm sentimus donorum spiritualium defectum, ex immenso hoc gratiarum fonte hauriamus: id quod fit per pias preces: sicut docetur Jacob. 1. v. 5. Si cui vestrum deest sapientia, postulet à Deo, &c. *Dona spiritus sancti. Communio fidelium cum Christo.*

13 Ex v. 10. Mundus non fuit ab æterno: quia in initio à Deo creatus est. *Mundi ortus.*

14 Ex v. 11. & 12. mundus interiturus est ille quidem, non tamen in nihilum: sed ita ut immutetur, vel novam formam vel certè novas qualitates suscipiendo. Confer 2. Pet. 3. v. 10. & deinceps. Item Rom. 9. v. 19. & deinceps. *Mundi interitus.*

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Ex doctrina superiore capite exposita de excellentia personæ Christi, deducit nunc exhortationem ad attentam & assiduam meditationem Evangelii, eamque exhortationem pluribus argumentis confirmat: in quorum expositione per occasionem de futura credentium gloria, (quæ nimirum per Evangelium annuntiatur) itemque de incarnatione ac morte Christi (quæ scilicet utraque propter gloriam illam credentibus acquirendam fuit suscepta) disserit.

PRopterea oportet nos eò magis attendere iis quæ audivimus, ne quando perfluamus.

2 Etenim si per angelos dictos sermo, fuit firmus, omnisque transgressio & contumacia justam mercedis retributionem retulit:

3 Quomo-

3 Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ quum primùm enarrari cœperit per ipsum Dominum; ab iis qui ipsum audierant, fuit nobis confirmata.

4 Testimonium unà cum *illis* præbente Deo & signis & prodigiis, variisque virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus, pro sua voluntate.

VErs. 1. exhortationem illam quam diximus, è supra-dictis infert, inquiens: *Propterea*, quia scil. tanta est excellentia personæ Christi, *oportet nos eò magis attendere iis quæ audivimus*, id est, doctrinæ Christi, nempe Evangelio, quod audivimus ex discipulis ipsius: *ne quando perfluamus*, hoc est, ne doctrina semel audita nobis rursum è memoria effluat: sed potiùs ut illam fideli memoriâ custodientes, studiosè meditemur, & in fide atque obedientiâ illius nos exerceamus & confirmemus. V. 2. & deinceps exhortationi institutæ alia argumenta annectit, numero tria: quorum duo priora ab effectis, tertium ab adjuncto sumtum est. Primum enim sumtum est à pœna Dei, contemtum Evangelii certò sequuturâ: secundum, à salute æterna, quæ certò manet credentes: tertium, ab adjunctis testimoniis divinis, quibus doctrina Evangelii est approbata, videlicet miraculis per illius præcones editis. Duo priora conjunctim enuntiantur in principio v. 3. ubi ait, *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Tertium verò argumentum exponitur v. 4. Cæterùm primum illud argumentum ab Apostolo confirmatur à comparatis per ratiocinationem à minori, ad hunc modum:

Si contemtus Legis fuit à Deo vindicatus, multò magis vindicabitur contemtus Evangelii.

Sed prius factus est, v. 2.

Ergo multò magis fiet posterius, v. 3.

Connexum approbatur partim ab adjunctis ministris, partim ab effectis. A ministris: quia *sermo legis dictus fuit*, id est, ad populum in monte Sinai pronuntiatus, *per angelos*, v. 2. at sermo Evangelii dictus atque *enarratus est per ipsum Dominum*, nempe per Christum, v. 3. qui scilicet angelis multò est præstantior, ut superiore capite est demonstratum. Ab effectis: quia sermo Evangelii est sermo *salutis*, seu potentia Dei ad salutem omni credenti: unde hoc loco per metonymiam effecti *salus* nominatur, v. 3. Hìc subaudienda est antithesis de effectu Legis: quæ (ut alibi Apostolus ait) iram operatur & occidit. Unde præstantia Evangelii supra Legem facilè perspicitur. Atq; hoc ipsum secundum argumentum est ad institutam exhortationem confirmandam pertinens: quod paulo-pòst pleniùs exponetur. Porrò prior illa connexi approbatio augetur prolepsi. Poterant enim objicere Hebræi illi provinciales ad quos hæc epistola præcipuè directa est: Etsi sermo Evangelii per ipsum Dominum sit enarratus, se tamen illum ex ipso non audivisse. Respondet: At audivistis ex iis qui ipsum audiverunt, videlicet ex apostolis, v. 3. Hanc responsionem amplificat alterâ prolepsi. Poterant enim excipere, non tantam fidem mereri discipulos, quantam ipse præceptor. Respondet: Imò apostolorum testimonium est omni exceptione majus, quia ipsius Dei testimonio confirmatum est per miracula, v. 4. Atque hoc jam tertium argumentum est ad institutam exhortationem pertinens.

5 Non enim angelis subjecit mundum illum futurum, de quo loquimur.

6 Testatus est autem quidam alicubi, dicens, Quid est homo, quòd memor es ejus: aut filius hominis, quòd visitas eum?

7 Fecisti eum paulò inferiorem angelis: gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum:

8 Omnia subjecisti sub pedes ejus. Enimverò per hoc quòd ei subjecit omnia, nihil omisit quod non sit ei subjectum. at nunc nondum videmus, ei omnia esse subjecta:

9 Sed Jesum illum cernimus gloriâ & honore coronatum: qui paulò fuit inferior angelis factus, propter mortis perpessionem: ut beneficio Dei pro omnibus mortem gustaret.

Deinceps declarat, quænam sit magna illa salus, cujus paulo-antè fecerat mentionem, inquiens, *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* v. 3. Docet igitur, hanc salutem esse gloriam illam cælestem, qua potituri sunt credentes, quum Deus mundum illum futurum eis subjecturus est: quam gloriam cum ipso Christo communem sunt habituri; id quod ne sanctis quidem angelis continget. Ait igitur: *Non enim angelis subjecit* (nempe Deus) *mundum illum futurum, de quo loquimur:* id est, de quo paulo-antè loquebar, cùm maximæ salutis mentionem facerem. *Testatus est autem quidam &c.* Hìc apodosis institutæ antitheseos omissa est, & intelligenda relicta ex ipsius approbatione. Plena enim oratio sic esset, *Subjecit autem illum homini, sicuti testatus est David Psal. 8.* Igitur salutem illam seu gloriam cælestem credentes certò manere, probat testimonio Davidis ex Psal. 8. ubi David celebrat potentiam, sapientiam & bonitatem Dei, lucentem in creaturis tum cælestibus, tum terrenis; inprimis verò benignitatem ipsius erga homines in Christum credentes; quippe quos præter omnem ipsorum dignitatem amantissimè respiciat ac visitet; adeò ut quanquam paulò inferiores angelis eos fecerit, quod ad ipsam naturæ originem ac substantiam attinet; tamen eâ gloriâ & honore coronaturus sit, cujus participes angeli non erunt, videlicet dominatione in omnes creaturas ipsis subjiciendas; v. 6. 7. 8. Cæterùm quoniam David utitur verbo temporis præteriti, inquiens; *Omnia subjecisti* (schattah) *sub pedibus ejus:* hinc nascitur objectio, quam Apostolus in fine versus octavi proponit his verbis; *At nunc nondum videmus ei omnia esse subjecta.* Ad hanc objectionem respondet v. sequente, *Sed Jesum illum cernimus gloriâ & honore coronatum.* quasi dicat, Etsi ipsis credentibus dum hìc in terris militant, nondum sunt omnia subjecta; tamen omnia subjecta sunt ipsorum principi & capiti Christo; quippe qui jam in cælis gloriâ & honore coronatus est, exaltatus nimirum ad dextram illam majestatis, ac potenter dominans in medio inimicorum suorum. Hujus autem dominationis & gloriæ credentes quoque pro suo quisque gradu participes erunt suo tempore, videlicet quum inimici Christi & ipsorum prorsus fuerint debellati, & effecti scabellum pedum illius. Porrò quoniam Christus per mortem in gloriam illam suam ingressus est; Apostolus verba ex Psalmo citata huc accommodat, & hac occasione de morte Christi disserit; ut ostendat, per hanc nobis salutem illam & gloriam esse partam. Ait igitur, *Christum paulò inferiorem esse factum angelis, propter mortis perpessionem:* id est, quatenus mortem perpessus est: quam sancti angeli non perpetiuntur. Causam autem mortis Christi mox addit, inquiens: *Ut gratiâ* (seu beneficio) *Dei mortem gustaret pro omnibus.* Quibus verbis docet, Deum ex gratuitâ misericordiâ Christum electis ordinasse in sacerdotem, qui sacrificio suæ mortis expiaret omnium illorum peccata, gustando pro illis mortem æternam, seu iram Dei adversus peccata illorum, quæ ipse ut sponsor in sese receperat.

10 Decebat enim eum propter quem *sunt* omnia, & per quem *sunt* omnia, ut multos filios in gloriam adducturus, principem salutis ipsorum per afflictiones consecraret.

11 Nam & qui sanctificat & qui sanctificantur, ex uno *sunt* omnes: quam ob causam non erubescit fratres eos vocare;

12 Dicens, Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ tibi hymnos canam.

13 Et rursum, Ego fretus ero ipso. Et iterum, Ecce, ego & pueri quos mihi dedit Deus.

14 Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem; ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet, hoc est, Diabolum.

15 Et liberos redderet quotquot metu mortis, per omnem vitam obnoxii erant servituti.

16 Non enim uspiam angelos assumit; sed semen Abrahæ assumit.

17 Unde debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset & fidelis pontifex in iis quæ apud Deum *agenda forent*, ad expiandum peccata populi.

18 Nam ex eo quod perpessus fuit, quum tentatus est, potest & iis qui tentantur, succurrere.

Sequitur prolepsis. Quum enim dixerit, Jesum beneficio Dei pro omnibus gustasse mortem: poterant cogitare Hebræi, cur Deus hac viâ electos in gloriam illam adducere voluerit: quum videatur potuisse aliâ commodiore uti, ut interim filio suo unigenito parceret. Respondet Apostolus, oportuisse ita fieri; quia sic agere Deum decuerit: quippe quòd hæc res faciat ad illustrandum gloriam ipsius: cui tanquam fini meritò omnia debeant servire, quum omnia ab ipso ortum habeant. Quo loco considerandum, quomodo mors filii Dei serviat illustrandæ gloriæ Dei. Servit autem duobus modis: uno, quòd inde elucet immensa Dei misericordia erga electos, propter quorum salutem ne unigenito quidem filio pepercit, sed pro illis in mortem eum tradidit: altero, quòd inde elucet quoque perfecta Dei justitia, quippe qui nullum peccatum impunitum dimittit, sed ut peccata reproborum in ipsismet punit, atque in æternum puniturus est, ita peccata electorum semel punivit in filio, quum is pro illis mortem æternam gustavit.

Deinde vers. 11. sequitur altera prolepsis. Quum enim electos quos Deus per mortem filii unigeniti in gloriam adducit, appellaverit filios Dei: quærere poterant Hebræi, num hoc nomen illis competat. Apostolus igitur competere ostendit duobus argumentis: quorum prius à pari seu simili, posterius à testi-

monio ipsius Christi dictum est. A pari ratiocinatur his verbis, *Nam & qui sanctificat & qui sanctificantur, ex uno sunt omnes.* quorum verborum hæc videtur esse sententia: Sicut summus sacerdos, qui à Deo constitutus est ad sanctificandum populum sacrificio, & ipse populus qui per summum sacerdotem sanctificatur, sunt orti ex uno communi parente, videlicet Israële, ac proinde cuncti inter se fratres sunt: sic & Christus, filius ille Dei unigenitus, qui à Patre constitutus est summus sacerdos ad sanctificandum sacrificio suo electos; & ipsi electi, qui per illum sanctificantur, omnes orti sunt ex uno, nempe Deo, ac proinde omnes sunt filii Dei, & inter se mutuò fratres; quanquam diversâ ratione; Christus quidem per naturam & substantialem generationem; electi verò per gratiam & spiritualem regenerationem. Atque hoc prius argumentum est, à pari ductum. Jam alterum argumentum, ab ipsius Christi testimonio & confessione sumtum, enuntiat his verbis, *Quam ob causam non erubescit fratres ipsos vocare.* quibus verbis in recitationem testimoniorum, quæ mox v.12. & 13. subjungit, præfatur, admonens de adoptionis illius excellente dignitate; quippe quòd filius Dei unigenitus non erubescat fratres vocare eos, qui ex gratia tantùm adoptati sunt. Porrò in hanc rem testimonia scripturæ citat tria. Primum sumtum est ex Psal.22. qui totus continet prophetiam de Christo; & quidem Christus ipse loquens introducitur, partim exponens gravissimas illas perpessiones suas; quas ad redimendum Ecclesiam sustinuit, partim profitens suam in Deum fiduciam, partim precans eum ut se ex perpessionibus illis liberet, partim promittens celebrationem illius ubi fuerit liberatus, partim denique spe effectorum salutarium, videlicet salutis electorum & celebrationis Dei, se consolans. Pertinere autem hunc Psalmum ad Christum, ex re ipsa seu argumento ejus liquet, quo ea ipsa de perpessionibus ejus qui loquitur, exponuntur, quæ historia Evangelica in Christo impleta esse testatur; maximè autem ex versu (si inscriptionem excipias) primo, videlicet *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me?* & 18. *Partiuntur vestimenta &c.* qui uterque versus in historia Evangelica de Christo citatur. Christus igitur quum liberationem ex perpessionibus suis petivisset, v.19. 20. & 21. subjungit v.22. promissionem gratæ celebrationis nominis Dei, inquiens; *Enarrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te.* ubi fratres vocat fideles, quippe membra Ecclesiæ Dei; sicut alterâ parte versus ἐπεξηγητικῶς declaratur. Secundum testimonium, *Ego fretus ero ipso*, sumtum est ex Psal.18.v.3. qui Psalmus etsi maximâ sui parte ad Davidem pertinet, quippe quo gratias Deo agit sub vitæ finem pro collatis in se beneficiis: tamen una atque altera sui parte ad Christum quoque, ut cujus typum gessit David, pertinere, liquet tum ex præsente citatione, tum ex illa Rom.15.v.9. ubi citatur versus istius Psalmi quinquagesimus, videl. *Propterea confitebor tibi inter gentes, & nomini tuo psallam*: tanquam à Christo pronuntiatus. Significat autem Christus illis verbis, *Ego fretus ero ipso*: se filiali fiduciâ ad opem Dei confugere; sicut nimirum ad eandem fideles confugiunt: ac proinde se fratrem illorum factum, assumtâ naturâ ipsorum. Tertium testimonium sumtum est ex Esa.8. v.18. his verbis, *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Deus.* Quæ verba ut intelligatur quòd in persona Christi à propheta dicta sint, & quo sensu dicta sint: res paulò altiùs est repetenda. Tenendum igitur, prophetam expositâ contumaciâ Israëlitarum, nolentium credere promissionibus Dei, exponere v.16. mandatum Dei sibi datum de ligandâ contestatione & doctrina consignanda inter discipulos Dei, (id est, electos) ut nimirum contumacibus istis obtecta maneat, ne eam pergant ludificari. Mandatum illud propheta enuntiat his verbis, v.16. *Liga contestationem; consigna doctrinam inter discipulos meos.* Hoc autem mandato ita se perculsum fuisse propheta narrat, videns abscondisse Deum faciem suam à domo Jacobi, ut attonitus hæserit, & observare statuerit, si qua forte spes lucis & gratiæ à Deo emicatura esset. Hunc suum affectum enuntiat propheta his verbis, v.17. *Et præstolatus sum Jehovam, qui abscondit faciem suam à domo Jacobi: & exspectavi eum.* Tum addit, ipsi exspectanti & erecto capite observanti respondisse Jehovam, v.18. *Ecce ego & nati, quos dedit mihi Jehova, in signa & in ostenta apud Israëlitas sumus.* quasi dicat, Non est, mi Esaia, quòd nimiùm perturberis contumaciâ atque incredulitate Israëlitarum; quum illam ipse quoque experiar, videlicet dominus & magister tuus. Neque enim est discipulus supra magistrum, aut servus supra dominum. Hæc mutuati sumus ex Parallelis clarissimi doctissimique viri D. Francisci Junii, lib.3. in præsentis loci expositione. Apostolus autem non totum versiculum citandum duxit, contentus primâ illius parte; ut quæ sola ad ipsius propositum faciat: videl. ad probandum, electos esse filios Dei. quippe qui à Christo ipso vocantur nati (id est, filii Dei) sibi dati à Patre, videl. ut eos sacrificio suo sanctificet: sicut ipse docet Joh.17.

V.14. post illam digressiunculam, qua demonstravit, electos rectè ac jure à se vocatos esse filios Dei, redit ad doctrinam paulò antè v.9. institutam de causa incarnationis & mortis filii Dei: eamque rursus statuit salutem electorum. Huc autem commodè transit occasione dicti ex Esaia proximè citati, inquiens: *Quoniam igitur pueri illi, (τὰ παιδία) videlicet quos Christus apud Esaiam sibi à Patre datos dicit, participes sunt carnis & sanguinis: ipse quoque* (nempe Christus) *consimiliter particeps factus est eorundem* (videlicet carnis & sanguinis) *ut per mortem* (videlicet suam) *aboleret eum qui mortis imperium habet, hoc est, diabolum*: id est, ut diabolum vinceret expiando suâ morte peccata electorum, propter quæ ille potestatem habebat in illos ad morte æternâ excruciandum eos: *& liberaret* (nempe à diaboli potestate) *quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti*: id est, omnes electos, qui propter conscientiam peccati metuebant, ne à diabolo, tanquam crudeli domino, afficerentur morte æternâ: sicut servi sibi malè conscii, sibi timent à dominis suis, maximè si nôrint illos esse crudeles. His igitur verbis Apostolus docet, causam propter quam mortuus est filius Dei, esse liberationem electorum: ut nimirum illos è potestate diaboli ereptos assereret in libertatem filiorum Dei. Quod quidem Christi erga electos beneficium v.15. amplificat expositione miseriæ unde illos eripuit. quid enim miserius est aut fingi potest, quàm metu mortis perpetuò trepidare?

V.16. quod dixit de incarnatione filii Dei, videlicet eum participem factum esse carnis & sanguinis, confirmat testimonio Scripturæ generali & indefinitè enuntiato: simulque beneficium hoc Christi erga electos amplificat antithesi disparatorum; negans, tantum honorem angelis habitum esse. Ait igitur, *Non enim videlicet angelos assumit*, (nempe Christus in Scriptura, id est, Scriptura nusquam hoc testatur) *sed semen Abrahæ assumit*, hoc est, sed Scriptura testatur passim, Christum assumturum semen Abrahæ, id est, naturam humanam, seu (ut paulò antè locutus est) carnem & sanguinem ex posteris Abrahæ: non autem naturam angelicam: quippe qui suâ morte homines, non autem angelos illos qui à Deo defecerunt, in gloriam cælestem adducere volebat.

V.17. & 18. redit ad exponendum causas mortis Christi: & sicut antea commemoravit fines superiores, nempe Christum mortuum esse ut electos è potestate Diaboli liberaret, v.14. & 15. & in gloriam eos adduceret; principesque salutis eorum esset, v.10. ita hoc loco commemorat fines inferiores, & illis subordinatos, videlicet ut fieret fratribus per omnia similis; hoc est, ut simili naturâ similibusq; affectibus (peccato semper excepto) præditus, similes à Satana & mundo experiretur tentationes, ac proinde ut esset misericors & fidelis pontifex ad expiandum eorum peccata.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Propterea] διὰ τοῦτο. *Scil. quia tanta est præstantia Christi, ut superiore capite est ostensum.* Iis quæ audivimus] τοῖς ἀκουσθεῖσι. *Videl. à Christo & Apostolis ipsius.* Ne quando perfluamus] μήποτε παραῤῥυῶμεν. *Ne illa ex memoria nostra effluant.*

2 Per angelos dictus sermo] ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος. *Periphrasis Legis à causa instrumentali per quam ipsa est promulgata. Similiter dicitur Gal.3.19. Legem ordinatam esse per angelos: Item Act.7.53.* Dictus] λαληθεὶς. *Id est, pronuntiatus ad populum in monte Sina.* Fuit firmus] ἐγένετο βέβαιος. *Id est, firmiter assertus fuit à Deo: sicut declarant sequentia.* Justum mercedis retributionem retulit] ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν. *Id est, justam pœnam retulit. Synecdoche generis. Exempla autem istarum pœnarum recitat Apostolus 1.Cor.10.v.5.8.9.10.*

3 Quomodo nos effugiemus] πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα; *Id est, Nullo modo nos effugiemus pœnam Dei. Interrogatio habet vim negandi.* Si tantam neglexerimus salutem] τηλικαύτης ἀμελήσαντες σωτηρίας. *Id est, si neglexerimus doctrinam Evangelii, quæ nobis salutem annuntiat, & credentibus confert: Metonymia subjecti. nam in salute annuntianda & conferenda Evangelium occupatur.* Per ipsum Dominum] διὰ τοῦ κυρίου. *Videlicet Christum: ut testatur Matthæus cap.4.v.17. & 23.* Ab iis qui ipsum audierant] ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων. *Id est, ab apostolis.* Fuit nobis confirmata] εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη. *Dicitur εἰς ἡμᾶς pro ἡμῖν, more Hebræorum, qui dicunt* לָנוּ *lánu. Se autem ipsis tanquam auditoribus apostolorum annumerat per ἀνακοίνωσιν: cujus figuræ exempla vide 1.Cor.10.v.8.9. & 1.Pet.4.v.3.*

4 Testimonium unà cum illis præbente &c.] συνεπιμαρτυροῦντος. *Quasi dicas,* coattestante: *id est, unà cum illis (scil. apostolis: qui ipsum audierunt) testante. nempe de illa salute cujus modò facta mentio. Confer Marci 16.v.20. Act.5.v.12.* Signis] σημείοις. *Id est, miraculis. quibus doctrina obsignatur. Synecdoche generis:* Virtutibus] δυνάμεσι: *Vel,* Facultatibus. Distributionibus] μερισμοῖς. *Id est, donis: Metonymia efficientis. Vide 1.Cor.12.v.4. & deinceps.*

5 Non enim &c.] οὐ γὰρ. *Hæc sententia cohæret cum sententia prima v.3. nempe illâ:* Quomodo effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? *Nunc enim declarat, quænam & quanta sit illa salus. Cætera autem quæ v.3. & 4. interjecta sunt, docent quomodo salus ista credentibus innotuerit.* Mundum illum futurum] τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν. *Ad verbum,* Orbem illum futurum. *Nempe qualis erit post renovationem. Confer 2.Pet.3.v.13.* De quo loquimur] περὶ ἧς λαλοῦμεν. *Id est, de quo paulò antè loquebar, quum mentionem facerem magnæ illius salutis: in principio v.3.*

6 Testatus est autem quidam] διεμαρτύρατο δέ πού τις. *Vel,* Sed testatus est quidam. *Nam conjunctio* δὲ *hoc loco est nota ἀποδόσεως in antithesi, cujus protasis præcessit versu superiore. Quanquam sententia ἀποδόσεως per ellipsin reticetur, & illius loco ponitur approba-*

probatio. nam integra oratio sic esset: Sed subjecit illum (*nempe mundum futurum*) homini: sicuti testatus est quidam. *Similis ellipsis exstat Rom.8.v.12.* Quidam] τὶς. *Videl. David, Psal.8.* Quid est homo] τί ἐστιν ἄνθρωπος. *Exclamatio admirantis. Admiratur enim propheta bonitatem Dei erga credentes.* Quod memor es ejus] ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ. *Id est, quòd benefacis ei. Metonymia effecti destinati, & synecdoche generis. nam memores sumus alicujus, vel benefaciendi vel lædendi causâ.* Quòd visitas eum] ὅτι ἐπισκέπτῃ αὐτόν. *Videl. gratiosè. Synecd. generis. nam interdum visitat Deus in ira.*

7 Fecisti eum paulò inferiorem angelis] ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους &c. *Id est, Quanquam eum paulò inferiorem angelis fecisti: tamen gloriâ & honore coronasti eum: quippe quum constitueris eum supra opera manuum tuarum.*

8 Enimverò per hoc &c.] ἐν γὰρ τῷ ὑποτάξαι &c. *Hactenus verba Davidis: sequuntur verba Apostoli, continentia ἐπίχειρον & expositionem illorum.* At nunc nondum videmus] νῦν δὲ οὔπω ὁρῶμεν. *Objectio quæ recitatur in persona adversarii.*

9 Sed Jesum illum cernimus &c.] τὸν δὲ βραχύ τι &c. *Responsio Apostoli ad allatam objectionem.* Propter mortis perpessionem] διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου. *Id est, quatenus mortem perpessus est: quam angeli non perpetiuntur.* Gloriâ & honore coronatum] δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον. *Nempe exaltatum ad dexteram illam majestatis, ad regnum illud cæleste.* Ut beneficio Dei &c.] ὅπως χάριτι θεοῦ &c. *Hæc verba pendent non à proximo participio ἐστεφανωμένον, sed à remotiore ἠλαττωμένον.* Pro omnibus] ὑπὲρ παντός. *Nempe pro omnibus filiis Dei seu electis: ut declaratur versu sequente.* Mortem gustaret] γεύσηται θανάτου. *Videl. mortem æternam, sive iram Dei adversus peccata electorum.*

10 Decebat enim] ἔπρεπε γάρ. *Prolepsis: quâ respondetur tacitæ quæstioni, nempe cur oportuerit filium Dei mortem gustare pro electis.* Eum, propter quem sunt omnia &c.] αὐτῷ δι' ὃν τὰ πάντα &c. *Periphrasis Dei patris. Confer Rom.11.v.ult.* Multos filios] πολλοὺς υἱούς. *Intelligit electos, quos sibi Deus in filios adoptavit.* Adducturus] ἀγαγόντα. *Id est, ἀχθησόμενον vel ἄξοντα. Enallage temporis.* Principem salutis ipsorum] τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν. *Sic Petrus Christum vocat τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς, principem seu ducem vitæ, Act.3.15.* Per afflictiones] διὰ παθημάτων. *In hanc sententiam ait Christus ipse Luc.24.26. Nónne hæc oportuit pati Christum; & introire in gloriam suam?* Consecraret] τελειῶσαι. *Hanc expositionem confirmat sententia proxime-sequens. Et in hac significatione accipitur verbum τελειοῦν Exod.29.10.*

11 Nam & qui sanctificat &c.] ὅ, τε γὰρ ἁγιάζων &c. *Id est, Sicut summus sacerdos Leviticus & populus orti sunt ex uno parente Israële: ita Christus & electi orti sunt ex uno parente Deo. Est autem hæc alia prolepsis, quâ ostendit Apostolus, se electis jure attribuisse nomen filiorum Dei: quippe cùm sint fratres filii illius unigeniti, ex eodem parente orti, licet diverso modo.* Non erubescit] οὐκ ἐπαισχύνεται. *Nempe filius Dei, Christus.*

12 Annuntiabo &c.] ἀπαγγελῶ &c. *Sunt verba Christi ad Deum patrem, Psal.22.v.22.*

13 Ego fretus ero] ἐγὼ ἔσομαι πεποιθώς. *Sunt verba Christi de Deo patre, Psal.18.v.3.* Ecce, ego & pueri] ἰδοὺ ἐγὼ καὶ τὰ παιδία &c. *Sunt verba Christi consolantis Esaiam contra incredulitatem Israëlitarum, Esa.8.18.* Pueri] τὰ παιδία. *Hebr.* הילדים *hajeladim: id est, nati illi: nempe nati seu filii Dei.* Quos mihi dedit Deus] ἅ μοι ἔδωκεν ὁ Θεός. *Videlicet ut me pro eis sanctificem: Johan.17. v.6.7.9.19.* Pueri] τὰ παιδία. *Videlicet pueri illi quorum modò facta est mentio, qui Christo dati sunt à patre. Articulus vim habet ἀναφορικήν.*

14 Per mortem] διὰ τοῦ θανάτου. *Nempe suam.* Aboleret] καταργήσῃ. *Sic Johannes ait, filium Dei ad hoc patefactum esse ut dissolvat opera Diaboli; 1.Joh.3.8.* Eum qui mortis imperium habet] τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου. *Id est, qui habet potestatem hominibus imperandi (hoc est, eos instigandi) ut peccent, atque ita mortem æternam sibi accersant. Metaphora in vocabulo* imperii, *& metonymia effecti in vocabulo* mortis. *Potest etiam verti,* Qui mortis robur habet. *Id est, qui potentiâ suâ homines incitat ad peccandum, ut ita mortem æternam incurrant.*

16 Angelos] ἀγγέλων. *Id est, angelicam naturam.* Assumit] ἐπιλαμβάνεται. *Scil. in scriptura. Id est, Scriptura nusquam testatur, filium Dei assumturum naturam angelicam.* Semen Abrahæ] σπέρματος Ἀβραάμ. *Id est, naturam humanam ex posteris Abrahæ. Metonymia materiæ.*

17 Misericors] ἐλεήμων. *Confer infrà 4. v.15. & 16.* Populi] τοῦ λαοῦ. *Videl. populi Dei: id est, electorum. Synecdoche generis.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

Officium hominis Christiani. 1 Ex v.1. Non satis est, doctrinam Evangelii semel cognovisse: sed perpetuâ meditatione memoria ejus confirmanda est, atque ita in fide & obedientia ejus proficiendum. Confer Gal.3.v.1. & cap.5.v.7. item Luc.9.v.ult.

Lex. 2 Ex v.2. Quum Deus contemtum suæ Legis in populo suo graviter ultus sit: consequens est, Legem esse sanctam, ac proinde sanctè ac reverenter à nobis observandam: ne Deum offendamus, nobisque pœnas ejus attrahamus. Confer 1.Cor.10.v.5. & deinceps.

Evangelium. 3 Ex vers.2. & 3. Tametsi Lex sancta est & cælestis, quippe à Deo ipso profecta: tamen Evangelium longè antecellit: quippe quod est potentia Dei ad salutem omni credenti: quum Lex salutis viam quandam solùm ostendat, non autem adjunctam habeat operationem Spiritus sancti, qui vires homini conferat ad viam illam ingrediendam, hoc est, ad perfectam Legi obedientiam præstandam. Confer 2.Cor.3.v.6. & deinceps. Gal.4.v.21. & deinceps. Rom.7.v.12. & deinceps.

4 Ex v.3. Tametsi nobis Christum ipsum docentem audire non contigit: tamen hoc sufficere nobis debet, quòd doctrinam sancto ipsius ore traditam, & per apostolos propagatam, ex fidis doctoribus & pastoribus audire nobis datur: quippe qui eandem doctrinam ex apostolorum scriptis fideliter depromunt. Confer Luc.10.v.16. 2.Cor.5.v.20. Gal.4.v.14. Eph.4.v.11. *Doctrina Christi.*

5 Ex v.4. Miraculorum quæ Deus per apostolos edidit, finis atque usus fuit, ut Deus per illa testificaretur atque obsignaret veritatem doctrinæ Evangelii quam ipsi tradebant, quamque postea literis mandarunt. Quæ doctrina quum abundè jam miraculis confirmata sit, & à nostris doctoribus atque pastoribus ex scriptis apostolorum Ecclesiæ proponatur: iniquè faciunt Papistæ, qui ab illis postulant ut doctrinam suam miraculis confirment. *Miracula apostolorum.*

6 Ex eod. vers. Quum Deus dona Spiritus sancti in fideles, & maximè in ministros Ecclesiæ distribuat pro sua voluntate: singulis in hac Dei voluntate, tanquam sapiente, justâ & bonâ, acquiescendum est: ac proinde singuli suis donis contenti esse debent, nec aliis sua invidere: nec suis superbire, seseque supra alios efferre: sed potiùs illa ad mutuam ædificationem conferre. Vide Rom.12.v.3. & deinceps. 1.Cor.11.v.4. & deinceps. Ephes.4. v.11. & 12. *Dona Spiritus sancti.*

7 Ex v.5.6.7.8.9. Quum à mundo persecutionem patimur, & ignominiosè atque contumeliosè tractamur: consolemur nos spe certâ maximæ illius salutis & gloriæ cælestis, quam suo tempore cum Christo communem habebimus, quum totus mundus nobis subjectus erit. Quæ nostra spes tam certa est, quàm certum est, Christum caput nostrum per afflictiones in illam gloriam intrasse. *Consolatio contra persecutionem.*

8 Ex v.9. Causa incarnationis filii Dei fuit, ut pro electis pateretur ac moreretur. *Christus.*

9 Ex eod. v. Quum Christus mortem æternam gustaverit pro omnibus electis: consolationem habent omnes credentes, (quippe hi omnes, electi) sese nunquam iram Dei adversus sua peccata sensuros: quippe pro quibus jam morte Christi satisfactum est. *Consolatio pro credentibus.*

10 Ex v.10. Quum ratio quam Deus in procuranda salute electorum observavit, videl. per mortem filii unigeniti, decôra illi fuerit; quippe accommodata ad illustrandum gloriam ipsius: consequens est, perversum esse judicium rationis humanæ, putantis, illam agendi rationem stultam esse. unde nata est vox illa blasphema in distichis Catonis; *Stultitia est, morte alterius sperare salutem.* quod etsi Cato retulit ad mortem pecudum sacrificatarum: tamen Diabolus ei inspiravit ut sententiâ hanc enuntiaret generaliter, atque ita mors Christi quoque comprehenderetur. Id quod satis innuitur nomine illo ALTERIUS: quo homo notari solet. Confer 1.Cor.1.v.23.24.& 25. *Mors Christi.*

11 Ex eod. vers. Sicut omnia à Deo ortum habent, ita etiam omnia ad gloriam ipsius tanquam ultimum finem sunt condita. Confer Prov.16.v.4. Rom.11.v.36. *Finis creationis.*

12 Ex eod. v. Nihil valet argumentum veterum Arianorum quo ex præpositione διὰ colligebant, Filium esse Patre minorem: quia scil. in scriptura dicitur, omnia esse condita per filium, διὰ τοῦ υἱοῦ: Joh.1.3. Etenim illa ipsa præpositio hoc loco attribuitur Patri, ubi dicitur, διὰ οὗ τὰ πάντα. *Deitas Christi.*

13 Ex v.10.11.12. & 13. Magna dignitas est fidelium, quòd nominantur filii Dei & fratres filii Dei unigeniti. Non est autem hoc inane nomen seu inanis titulus; quia verè in filios à Deo adoptati sunt, & filiali fiduciâ, amore ac timore Dei per Spiritum sanctum donati: item quia Deus ipsos verè paterno amore diligit in filio illo dilecto: denique quia eos certò manet cælestis illa hæreditas, quâ unà cum filio Dei unigenito in æternum fruentur. Vide Joh.1.v.12. Eph.1.v.5. Rom.5.v.5. & 8. item cap.8. v.14. & deinceps usque ad finem. *Fidelium dignitas.*

14 Ex v.10. Tametsi electi cum reprobis collati, pauci sunt: ut percipitur ex his locis, Matth.7.v.13. & 14. & cap.20. v.16. item cap.22. v.14. Luc.12.v.23. tamen per se spectati, sunt multi: sicut hoc loco nominantur filii multi. Sic Matth.26.v.28. Rom.5.v.19. *Electorum multitudo.*

15 Ex eod. v. Quum Christus princeps salutis nostræ per afflictiones consecratus sit sacerdotio & regno suo, atque ita in gloriam suam intraverit: ne pigeat nos, qui & ipsi regale sacerdotium sumus, (1.Pet.2.9.) consimiliter per afflictiones consecrari, & ad gloriam illam cælestem unà cum Christo in æternum fruendam præparari. Decet enim ut membra conformia reddantur suo capiti: nec decet ut discipulus meliore conditione sit quàm magister, aut servus quàm dominus. Vide Rom.8.v.17. 2.Tim.2.v.11. & 12. Joh.15.v.20. *Officium hominis Christiani.*

16 Ex v.14.16. & 17. Christus est verus homo, nobis & naturâ & affectibus similis per omnia, solo peccato excepto. Hinc autem sequitur, corpus ejus non esse ubique: sicut hodie quidam falsò docent. Nam si corpus Christi esset ubique, tum Christus *Christi persona.*

non esset nobis similis per omnia secundùm naturam humanam. Etsi verò corpus Christi unà cum anima ipsius personaliter seu hypostaticè unitum est filio Dei, qui ubique est, non tamen inde efficitur, corpus ipsius esse ubique: quia unio personalis duarum in Christo naturarum non tollit earum distinctionem: quippe quæ facta est salvis illarum proprietatibus: ut piè & orthodoxè veteres patres tradiderunt. Vide Confess. fidei editam in Synodo Chalcedonensi.

Fidelium beatitudo.

17 Ex v.14. & 15. Quùm Christus mortem æternam pro fidelibus gustaverit, atque ita eos à Diaboli potestate, qui propter peccatum imperium mortis in illos habebat, liberaverit; consequens est, eos à metu mortis æternæ liberatos esse, & contrà spe vitæ æternæ frui. Confer 1. Cor. 15. v. 54. 55. 56. & 57.

Christi persona.

18 Ex vers. 16. Filius Dei factus est homo assumendo semen Abrahæ, hoc est, naturam humanam ex filia Abrahæ, virgine Maria. Mansit igitur quod erat, nempe Deus: & factus est, quod non erat, nempe homo: ac proinde jam simul Deus & homo est in una eademque persona. Atque huc respiciens sanctus Athanasius in symbolo suo sic scripsit de Christo: Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen, sed unus est Christus: unus autem, non conversione deitatis in carnem; sed assumtione humanitatis in Deum.

Diabolorum misera conditio.

19 Ex eod. v. Angeli qui à Deo defecerunt, atq; ita in exitium sese præcipitarunt, relinquentur in illo in æternum. nam si Deus illis reconciliari, atque ita eos ab exitio liberare voluisset: misisset filium ad assumendum naturam eorum, ut in illa judicio Dei satisfaceret. at hoc non fecit: quin potiùs Diabolo & angelis ejus ignem æternum paravit, matth. 25. v. 41. Erravit igitur Origines, qui malos quoque spiritus olim salvandos tradidit.

Officium hominis Christiani.

20 Ex v. 17. & 18. Quùm tentamur, & variè vexamur à Diabolo & mundo, imploremus opem Christi, tanquam pontificis nostri: certò confisi, eum nobis opitulaturum, nosque in fide confirmaturum, qua tentationes illas superemus: quippe quum & frater noster sit; & eadem, atque adeò longè graviora, sit expertus: denique quùm sit pontifex misericors & fidelis. Confer infrà c. 4. v. 15. & 16.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hic rursus ex doctrina superioribus duobus capitibus tradita de Christo, videl. de officio ejus prophetico & sacerdotali, deducit exhortationem ad ipsum attentè audiendum & doctrinæ ejus credendum atq; obediendum: & hanc exhortationem pluribus deinceps argumentis confirmat; quæ per totum hoc caput affert numero sex. Primum sumtum est à fidelitate Christi in officio suo prophetico administrando, v. 2. Secundum ab exemplo Mosis, cui Hebræi promtè credebant, quem Christus multis modis antecellit, v. 2. 3. 4. 5. & 6. Tertium ab utili effectu, videl. inhabitatione Dei in credentibus tanquam in domo sua, v. 6. ubi simul renovatur ipsa exhortatio. Quartum ab authoritate Spiritus sancti, qui suo testimonio doctrinam Christi tanquam veram & salutarem approbat, dum populum Dei ad vocem illius audiendam exhortatur, ubi simul semina sparguntur cæterorum argumentorum: v. 7. 8. 9. 10. & 11. Postea v. 12. & 13. iterum renovatur ipsa exhortatio. Quintum ab alio effectu utili, videl. à societate cum Christo in hæreditate illa cælesti, ubi rursum renovatur exhortatio, & accommodatur testimonium illud Spiritus sancti antea citatum; v. 14. & 15. Tum v. 16. per prolepsin inseritur declaratio exempli patrum, cujus in illo testimonio facta est mentio. Sextum ab effecto pernicioso, videl. pœnis Dei temporalibus & æternis, quæ contemtoribus Evangelii eventuræ sunt; quod argumentum exemplo patrum confirmatur, tribus ultimis versibus.

UNde, fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate apostolum & pontificem professionis nostræ Christum Jesum:

2 Fidelem ei qui ipsum constituit: ut & Moses *fidelis fuit* in tota domo ipsius.

3 *Tantò* namque ampliore gloriâ præ Mose hic dignus est habitus, quantò majorem habet honorem is qui construxit domum, quàm domus ipsa.

4 Omnis enim domus construitur ab aliquo: qui verò condidit hæc omnia, *est* Deus.

5 Et Moses quidem fidus fuit in tota domo ipsius, ut famulus, in testimonium eorum quæ pòst dicenda erant:

6 At Christus, ut filius, domui suæ præest: cujus domus sumus nos, si modò fiduciam & gloriationem spei ad finem usque firmam retinuerimus.

VErs. 1. doctrinam hactenus per duo capita à se traditam de Christo, summatim repetit, duobus verbis eam complectens, quum Christum nominat apostolum & pontificem professionis nostræ. quibus verbis significat, eum nobis à Deo ordinatum esse in prophetam seu doctorem, qui nos de ipso colendo & æterna salute consequenda erudiat: itemque in pontificem, qui sacrificio suæ mortis peccata nostra expiet, nobisque salutem æternam acquirat. Simulque ex hac doctrina exhortationem deducit, qua Hebræos, ut jam sanctificatos per Christum, & vocationis cælestis participes effectos, hortatur ad constantiam in fide ac professione illius. Dum enim jubet considerare apostolum & pontificem professionis nostræ Christum Jesum: significat, eum esse audiendum, & in fide atque obedientia doctrinæ illius perseverandum: quum ipse nobis à Deo in apostolum & pontificem ordinatus sit. Etenim legati non minori cum reverentia audiendi sunt, quàm si domini eorum coràm adessent & ipsi loquerentur: & pontificem seu summum sacerdotem à populo audiri, expressè Deus præcepерat Deut. 17. v. 12.

Vers. 2. primum è sex illis exhortationis argumentis exponit his verbis: *fidelem ei qui ipsum constituit.* quasi dicat, Jesus Christus apostolus noster fideliter apostolatu suo apud nos functus est, ita ut fidelitatem suam Deo à quo constitutus est, approbârit: Ergo doctrinæ illius credendum atque obediendum. Tum statim annectit argumentum secundum his verbis: *ut & Moses fidelis fuit in tota domo ipsius.* Quibus verbis fidelitatem Christi illustrat simili exemplo Mosis: atque ita ab istius exempli comparatione ad credendum atque obediendum Christo hortatur. quasi dicat: Vos Hebræi magni facitis Mosen. promtique estis ad illi credendum: ac meritò quidem, quum ille fuerit fidelis minister Dei in administranda illius domo: Ergo pari ratione credite Christo, quum & ipse fidelis sit in domo Dei administranda.

Vers. 3. & deinceps secundum argumentum amplificat per collationem imparium, ratiocinando à minori, in hanc sententiam: Si magni facitis Mosen, multò pluris facere debetis Christum; quia Christus Mosen longè antecellit. Ait igitur: *Tantò namque ampliore gloriâ præ Mose hic dignus est habitus &c.* Ubi observandum, conjunctionem causalem γὰρ respicere non ad sententiam proximam v. 2. expositam, sed ad remotiorem, videlicet ad sententiam ipsius exhortationis, propositam v. 1. ut hæc sit sententiarum cohærentia atque consecutio: Considerate apostolum Jesum: (id est, consideratâ illius præstantiâ, fidem ei habete & obedite) etenim is præ ipso Mose ampliore gloriâ dignus est habitus. Porrò amplitudinem illius gloriæ demonstrat deinceps tribus argumentis. Primum concluditur hoc syllogismo, cujus sententia continetur v. 3.

Is qui domum construxit, majorem habet honorem quàm domus ipsa.
Atqui Christus construxit domum Dei, id est, Ecclesiam.
Ergo Christus majorem habet honorem, quàm domus Dei: & per consequens, majorem quoq; habet honorem, quàm Moses: quippe qui domus Dei pars est.

Secundum argumentum continetur v. 4. cujus syllogismus hic est:

Is qui condidit domum Dei, est Deus.
Atqui Christus condidit domum Dei.
Ergo Christus est Deus: & per consequens, major est Mose qui non est Deus, sed tantùm creatura.

Hujus syllogismi propositio illustratur sententiâ generali, nempe hac, *Omnis domus construitur ab aliquo.* Quâ sententiâ generali videntur innui duæ speciales, quæ inter se certâ proportione comparantur: quasi dicat: Omnis domus, sive terrena sit sive cælestis, construitur ab aliquo conditore, qui cum ipsa domo certam habeat convenientiam: ita nimirum ut conditor domus terrenæ, ipse quoque terrenus sit, videlicet homo quispiam mortalis: conditor verò domus cælestis (qualis nimirum est domus Dei) sit ipse quoque cælestis, videl. ipse Deus. Unde jam perspicitur, sententiam illam generalem ad approbationem propositionis pertinere.

Tertium argumentum continetur v. 5. & principio sexti: cujus syllogismus hic est:

Si Christus est filiusfamiliâs in domo Dei, Moses autem famulus: ergo Christus Mose est major. Etenim omnis filiusfamiliâs famulo major est.
Atqui Christus est filiusfamiliâs in domo Dei, Moses autem famulus.
Christus igitur Mose est major.

Assumtionis pars prior continetur v. 6. posterior quinto. Partem autem illam assumtionis posteriorem, de famulatu Mosis, amplificat ab adjuncta illius fidelitate, itemque à fine cujus gratiâ Deus illi testimonium fidelitatis dederit, videlicet Num. 12. v. 7. ubi quùm Maria soror Mosis, itemque frater Aaron, murmurassent contra illum, seseq; ei in revelationibus divinis æquiparassent, dicentes: *Num per solum Mosen loquutus est Dominus? nónne & nobis similiter est loquutus?* tum Dominus illis iratus, testimonium dedit Mosi, affatus eos his verbis: *Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini; in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non sic servus meus Moses, qui est in tota domo fidelis; ore enim ad os loquor ei &c.* Hujus igitur testimonii divini finem hic indicat Apostolus: monens, Mosen fidelitatis testimonium à Deo accepisse εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων, in testimonium eorum quæ postea dicenda erant, videlicet per Mosen ad populum Israëliticum. Videtur au-

tur autem Apostolus respicere ad promissionem illam de Christo pronuntiatam à Mose sub finem administrationis illius, Deut. 18. ubi promittit fore ut Deus populo suo excitet propheram similem ipsi: illumque prophetam esse audiendum, Deumque ultorem fore, si quis eum audire noluerit.

Hactenus exposuimus tria argumenta, quibus Apostolus Christum Mose majorem atque honoratiorem esse ostendit: ut hac ratione Hebræos moveat ad fidem illi non minùs quàm Mosi, imò etiam magis habendam.

Deinceps reliquâ parte v. 6. annectit Apostolus argumentum institutæ exhortationis tertium, simulque exhortationem ipsam aliis verbis repetit clariusque exponit. Ait igitur; *Cujus domus sumus nos, si fiduciam illam & gloriationem spei ad finem usque firmam retinuerimus.* quasi dicat:

> *Si cupimus esse ac manere domus Christi, id est, inhabitari & regi à Christo: tùm oportet nos perseverare in fide ipsius. Sic enim, & non aliter, sumus Christi domus.*
> *At cupimus illud.*
> *Ergo hoc debemus facere.*

7 Quapropter sicut dicit Spiritus ille sanctus, Hodie si vocem ejus audieritis,

8 Ne obdurate corda vestra, sicut in exacerbatione, in die tentationis illius in deserto:

9 Ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, & viderunt opera mea, quadraginta annis:

10 Quapropter infensus fui nationi isti: & dixi, Semper errant corde, neque cognoverunt vias meas:

11 Itaque juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam:

12 Videte, fratres, ne quando sit in ullo vestrûm cor malum, non credens, deficiendo à Deo vivo:

13 Sed exhortamini alii alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus: ne quis ex vobis induretur seductione peccati.

Sequitur institutæ exhortationis argumentum quartum, quod sumtum est ab authoritate Spiritus sancti; qui suo testimonio doctrinam Christi tanquam veram ac salutarem approbat, dum populum Dei ad vocem illius audiendam hortatur per os Davidis Psalm. 95. Istud argumentum concludi potest hoc syllogismo:

> *Si Spiritus sanctus vos hortatur ad credendum atque obediendum voci Christi, debetis illud facere.*
> *At Spiritus sanctus vos hortatur:*
> *Ergo.*

Assumtionem probat testimonio Davidis Psal. 95. nam Psalmum illum esse Davidis, testatur Apostolus infr. cap. 4. v. 7. Porrò testimonio illo Davidis simul continentur semina reliquorum duorum argumentorum, quæ deinceps separatim exponit: dum commemorat, patres propter contemtam Christi vocem exclusos esse à requie Dei. Est autem hic observandum, versiculum duodecimum cum tota illa sententia testimonii Davidis, quæ præcedentibus quinque versibus comprehenditur, cohærere per enuntiatum relatum comparationis ad hunc modum: Quapropter sicut Spiritus sanctus vos hortatur ad credendum & obediendum voci Christi: ita videte, ut illi credatis & obediatis. Unde jam perspicitur, conjunctionem illativam διὸ, id est, *quapropter*, in principio versus septimi, propriè pertinere ad verbum βλέπετε, id est, *videte*, in principio versus 12. Inter has autem duas voces interseritur protasis comparationis seu antecedens enuntiati comparativi: quod quidem connexo à à nobis proposito æquipollet. Cæterùm ne Hebræi contra assumtionis probationem possent excipere, sententiam illam à Spiritu sancto per os Davidis pronuntiatam esse non ad se, sed ad patres sive majores suos, ac proinde assumtionem per illam non probari: Apostolus huic exceptioni occurrens, ait v. 13. *Exhortamini alii alios quotidie* (nempe ad fidem & obedientiam Christi) *quoad appellatur dies hodiernus.* Quibus verbis significat, diem illum hodiernum cujus in illâ exhortatione mentionem facit Spiritus sanctus, etiamnum durare, quamdiu scilicet vox filii Dei, nempe Evangelium, apud ipsos sonat, ac proinde exhortationem illam ad ipsos non minùs quàm ad patres pertinere. Porrò in illo testimonio Psalmi, Spiritus sanctus per os Davidis primùm exhortatur Israelitas illius sæculi, atque etiam posteros ipsorum, ut voci Christi eos per prophetas alloquentis attendant, credant, & obediant: inquiens, *Hodie si vocem ejus audieritis, ne obdurate corda vestra.* Deinde obedientiam illam illustrat exemplo contrariæ inobedientiæ patrum, inquiens; *Sicut in exacerbatione, in die tentationis illius in deserto: ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me: & viderunt opera mea quadraginta annis.* Ubi inobedientiam patrum declarat quinq; modis: primùm per effectum, dum eam vocat exacerbationem, significans, Deum illâ inobedientiâ fuisse exacerbatum: deinde per formam, quum vocat tentationem: tertiò per locum, videlicet desertum: quartò per causam corrumpentem, seu efficientem contrarii, quum ait, *Et viderunt opera mea,* nempe opera illa mirabilis liberationis ex Ægypto, & protectionis in mari rubro, & sustentationis in deserto: quorum operum conspectu meritò inobedientia corrumpi atque interire, obedientia autem effici et gigni debuit. Quintò & postremò per tempus: quòd nimirum totis quadraginta annis bonitas Dei cum malitia patrum certaverit. Porrò inobedientiâ patrum sic declaratâ, tertio loco exponit effecta illius, inquiens: *Quapropter infensus fui nationi isti, & dixi: Semper errant corde, neque cognoverunt vias meas: neque juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.* Hic exponuntur illius inobedientiæ effecta duo: Prius, offensio Dei; cujus offensionis justitia significatur expositione causæ, videlicet quòd populus semper erret corde, &c. Posterius, comminatio exclusionis à requie, confirmata jurejurando. Ubi observandum, exclusionem illam non solùm intelligendam esse de exclusione à terra Canaan, à qua immorigeros istos exclusos esse sacra historia testatur: etenim conciderunt corpora eorum in deserto, sicut paulò pòst dicet Apostolus v. 17. sed etiam, & quidem principaliter, de exclusione à vita æterna; cujus symbolum terra Canaan populo Dei fuit: sicut declarat Apostolus infra cap. 4. v. 6. & deinceps. Cæterùm in isto exemplo patrum latent duo argumenta ab effectis, quæ Apostolus deinceps separatim & expressè tractabit: unum ab effectu utili; dum significat, eos qui voci Christi obediunt, introire in requiem Dei: alterum contrà ab effectu pernicioso; dum significat, inobedientes, à requie illâ excludi. Ex his prius attingit quoque in ipsa exhortatione, quum monet v. 12. *ne quis ipsorum deficiat à Deo vivo,* id est, vitæ æternæ authore. Quibus verbis significat, eos qui fide adhærent Deo, participes esse vitæ æternæ: quam paulò antè vocabulo *requiei* notavit.

14 Consortes enim Christi facti sumus, si modò principium illud substantiæ firmum retinuerimus ad finem usque:

15 Interim dum dicitur, Hodie si vocem ejus audieritis, ne obdurate corda vestra, ut in exacerbatione.

16 Nam quidam quum audissent, exacerbarunt *Dominum*: non omnes tamen ii qui exierant ex Ægypto per Mosen.

17 Quibus autem infensus fuit quadraginta annis? nonne iis qui peccaverant, quorum corpora conciderunt in deserto?

18 Quibus autem juravit, non ingressuros in requiem suam, nisi iis qui non obedierant?

19 Et videmus, non potuisse ingredi propter incredulitatem.

Sequuntur adhuc duo institutæ exhortationis argumẽta, quintum videlicet & sextum. Quintum sumtum est ab effectu utili, videlicet à societate cum Christo in hæreditate illa cælesti: quod exponit his verbis, *Consortes enim facti sumus Christi.* Quo argumento exposito, annectit renovationem ipsius exhortationis, inquiens; *Si modò principium substantiæ ad finem usque firmum retinuerimus.* Ubi vocabulo τῆς ὑποστάσεως, id est, substantiæ, vel (si mavis) subsistentiæ, videtur intelligere fidem: ut liquet ex collatione descriptionis fidei quam affert infr. cap. 11. v. 1. Sententia igitur hujus loci hæc est:

> *Si cupitis socii esse Christi in fruendâ illâ requie Dei: oportet vos constanti fide illi adhærere.*
> *Atqui illud cupitis.*
> *Hoc igitur vobis faciendum.*

Vers. 15. quartum argumentum repetit, inquiens, *Dum dicitur,* (scilicet à Spiritu sancto, ut suprà v. 7.) *Hodie si vocem &c.* Deinde v. 16. per quandam prolepsin narrationem exempli patrum declarat. Etenim ne quis putet, patres ad unum omnes inobedientiæ à Spiritu sancto damnari, ait; *Nam quidam quum audissent, exacerbarunt &c.* Quibus verbis videtur innuere, Hebræos non exemplum illud inobedientiæ quorundam patrum, sed potiùs exemplum obedientiæ reliquorum imitari debere. Postea vers. 17. & deinceps exponit argumentum sextum, quod sumtum est ab effectu pernicioso, videlicet pœnis Dei temporalibus & æternis, quas in patribus illis inobedientibus spectandas proponit, atque adeò illorum exemplo argumentum hoc confirmat. Temporales pœnas commemorat v. 17. dicens, corpora seu membra illorum inobedientium concidisse in deserto. Æternas verò pœnas commemorat v. 18. significans, eos à requie Dei exclusos esse; cujus pœnæ causam principalem per epiphonema indicat v. ult. videl. incredulitatem. Nam inobedientia, ex incredulitate velut ex fonte manat. Sicut enim qui credunt Dei promissionibus, ex illa fide obediunt quoque madatis ipsius: (ut Abraham, quia credebat promissionibus de semine excitando per Isaacum, obediebat quoque mandato Dei de Isaaco immolando:) sic contrà qui promissionibus Dei non credunt, ex illa incredulitate nec mandatis Dei obediunt.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Considerate apostolum &c.] κατανοήσατε τὸν ἀπόστολον. Id est, *Consideratâ ejus præstantiâ & erga vos amore, fidem habete.*

Metonymia effecti destinati & synecdoche membri. Apostolum] τ̀ ἀπόστολον. *Legatum scil. à Patre ad fungendum munere prophetico.* Professionis nostræ] τ̃ ὁμολογίας ἡμῶν. *Id est, religionis nostræ seu fidei quam profitemur.*

3 Tantò namque &c.] πλείον☉- γ̃. &c. *Conjunctio causalis cohæret cum sententia exhortationis, proposità vers.1.*

5 In testimonium eorum quæ pòst dicenda erant] εἰς μαρτύριον τ̃ λαληθησομένων. *Videl. per Mosen ad populum Israëliticum de Christo: nempe illud Deut.18.* Prophetam excitabit tibi, &c.

6 Gloriationem spei] τὸ καύχημα τ̃ ἐλπίδ☉-. *Id est, spem vitæ æternæ cum gloriatione conjunctam propter certitudinem ipsius. Vide Rom.5.v.2.3.4.& 5.* Ad finem usque] μέχρι τέλους. *Videl. ad finem usque vitæ nostræ mortalis. Nam is demum (teste Christo) salvus erit, qui ad finem usq; perseveraverit.*

7 Quapropter] διὸ. *Cum hac conjunctione cohæret verbum* βλέπετε, *in principio v.12. sicut declaratum est in analysi.* Dicit spiritus ille sanctus] λέγει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Scilicet per os Davidis, Psal.95.* Ejus] αὐτοῦ. *Nempe Christi, alloquentis vos per prophetas.*

8 Sicut in exacerbatione] ὡς ἐν τῷ παραπικρασμῷ. *Scil.* γέγονε, *accidit.* In die tentationis illius] κτ̀ τὴν ἡμέραν τ̃ πειρασμοῦ. *Epexegesis: qua declarat Spiritus sanctus, de qua exacerbatione loquatur. Exstat autem historia Exod.c.17. Nisi malimus referre hanc exacerbationem ac tentationem ad totum tempus commorationis Israëlitarum in deserto: id quod videtur postulare mentio quadraginta annorum qua sequitur.*

9 Et viderunt] ἐ εἶδον. *Id est, etsi viderunt. In Hebr.* גַּם־רָאוּ *gam-râû,* Etiam viderunt, *id est, etiamsi viderunt. Pertinet igitur hoc ad amplificandum querelam institutam. Si quis autem per opera Dei, quorum hic fit mentio, intelligat pœnas quibus Israëlitas affecit in deserto: tum* Et valebit, idcirco etiam. *Sed speciem expositionis videntur postulare verba qua proximè sequuntur,* Quapropter infensus fui &c. Quadraginta annis] τεσσαράκοντα ἔτη. *Hæc verba cohærent non cum proxime præcedente,* viderunt: *sed cum remotiore,* probaverunt. *Ideo ante illa ponendum est signum incisi. Cæterùm in psalmo illa adjuncta sunt versui sequenti, sic:* Quadraginta annis fui infensus &c. *Sed Apostoli distinctio in sensu nihil mutat: Etenim quibus annis Israëlitæ Deum tentaverunt atq; probaverunt, iisdem illum exacerbarunt infensumq; sibi reddiderūt.* Infensus fui nationi isti] προσώχθισα τῇ γενεᾷ ἐκείνῃ. *Fr. Jun.* Offendi ad nationem istam. *Hebr.* Fastidium habui in generatione ista.

11 Si introibunt] εἰ εἰσελεύσονται. *Formula jurandi ἐλλειπτική. Subaudiendum enim est consequens enuntiati, quo contineatur imprecatio, ut Gen.14.v.23. Cùm autem Deus non habeat quenquam se majorem à quo sibi possit mali quippiam imprecari: liquet, eum hac loquendi formulà uti per ἀνθρωποπάθειαν, ad significandum negationem vehementem ac certam: qua concluditur syllogismo connexo secundi modi: quasi plenè sic dicatur:*

Si introibunt in requiem meam, non ero Deus.
At ero Deus.
Non igitur introibunt in requiem meam.

In requiem meam] εἰς τὴν κατάπαυσίν μου. *Videlicet in terram Canaan, & in vitam æternam quæ per terram Canaan figurabatur.*

12 Videte] βλέπετε. *Præcessit* καθὼς, sicut, *v.7. Ergo hic subaudiendum* οὕτω, sic. *Sententia est: Quapropter sicut Spiritus sanctus exhortatus est patres vestros ad obedientiam sub pœna exclusionis à requie illa Dei: sic videte & vos ut præstetis obedientiam, ne à requie illa excludamini.* Cor malum non credens] καρδία πονηρὰ ἀπιστίας. *Ad verbum,* Cor malum incredulitatis. *Hebraismus.*

14 Consortes enim] μέτοχοι γ̃. *Vel, socii: ut suprà c.1.v.9. Pro,* συμμέτοχοι: *Videl. in hæreditate illa cælesti: Quod Rom.8.17. dicitur,* συγκληρονόμοι Χριστοῦ, *cohæredes Christi.* Substantiæ] τ̃ ὑποστάσεως. *Id est, fidei: quæ est* ὑπόστασις τ̃ ἐλπιζομένων, *substantia eorum quæ sperantur: infr.11.v.1.*

15 Dum dicitur] ἐν τῷ λέγεσθ. *Scil. à Spiritu sancto per apostolos aliosq; Evangelii ministros.*

16 Per Mosen] διὰ Μωσέως. *Id est, ministerio Mosis, duce Mose.*

17 Corpora] τὰ κῶλα. *Ad verbum,* Membra. *Synecdoche membri.*

19 Et videmus] ἐ βλέπομεν. *Pro,* βλέπομεν οὖν, Videmus igitur.

OBSERVAT. EX CAP. III.

Sancti. 1 Ex v.1. Illi demùm verè sancti sunt in hac vita, qui participes sunt vocationis illius cælestis: quâ nimirum Deus in prædicatione Evangelii efficax est per Spiritum sanctum creans fidem in cordibus electorum. Non igitur ad sanctitatem sufficit vocatio externa.

Fides. 2 Ex eod.2. Vera fides conjuncta est cum confessione: unde hic per metonymiam adjuncti, ὁμολογία, id est, confessio, nominatur. Huc pertinet illud Rom.10.v.10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.*

Ministri verbi Dei. 3 Ex v.2.& 5. In doctore Ecclesiæ requiritur fidelitas, exemplo Mosis & Christi. Vide 1.Cor.4.vers.1.& 2. item Actor.20. v.27.& 31.

Ecclesia. 4 Ex v.2.3.4.5.& 6. Ecclesia est domus Dei: in qua Deus habitat per Spiritum sanctum. Vide Joh.14.v.23. Eph.2.v.19.20.21.& 22. 1.Tim.3.v.15.

5 Ex v.6. Fides ex se parit fiduciam & libertatem accedendi ad Deum, item spem gloriantem de hæreditate cælesti credentibus promissâ. Vide Rom.5.v.2.3.4.& 5. Eph.3.v.12. Fides.

6 Ex eod.v. Non est satis cœpisse credere, sed ad finem usque in fide perseverandum est. Officium hominis Christiani.

7 Ex v.7. Apostolus recitans verba Davidis ex Psalm.95. ait, Spiritum sanctum illa dixisse. Hinc colligimus, Psalmorum ac omnino scripturæ sacræ authorem esse Spiritum sanctum. Confer 2.Tim.3.v.16. Usus hujus doctrinæ est, ut sacram scripturam cum humillima reverentia legamus, audiamus, meditemur & amplectamur. Scriptura sacra.

8 Ex eod v. David Psal 95. v.8. commemorans vocem prophetarum, qui nomine Dei allocuti sunt populum Israëliticum, eam nominat vocem Christi. Hinc sequitur, prophetas à Christo missos esse ad docendum: ac proinde Christum esse verum Deum, ut qui habeat potestatem mittendi doctores Ecclesiæ. Confer Esa.6. ubi describitur, quomodo Christus miserit prophetam Esaiam. nam Dominum illum Jehovam à quo se missum Esaias narrat, esse Christum, testatur Joh.c.12. v.41. Porrò idem ille qui misit olim prophetas, in plenitudine temporis homo factus, ipse Evangelium prædicavit, & apostolos ad illud prædicandum in totum terrarum orbem misit: quin etiam hodie pastores & doctores per Ecclesiam ad docendum vocat. Confer Johan.5.v.25. Matth. ult. v. penult. Eph.4.v.11. Cæterùm deitas Christi ex iisdem verbis etiam aliter probatur, nempe ad hunc modum: Deitas Christi.

Is ad cujus vocem audiendam David Psal.95.v.8. hortatur, est Jehováh, verus ille & æternus Deus: ut liquet ex illorum verborum cohærentia cum præcedentibus.

Atqui Christus est is, ad cujus vocem audiendam David loco citato hortatur: ut hoc loco testatur Apostolus.

Ergo Christus est Jehováh, verus ille & æternus Deus.

9 Ex v.8.9.10.& 11. David dehortans populum suæ ætatis ab incredulitate & contumacia erga verbum Dei, proponit exemplum patrum illo nomine à Deo punitorum. Hinc discimus, exempla pœnarum ideo in verbo Dei proponi, ut nos earum consideratione emendemur: ne similiter peccantes, similes hobis pœnas attrahamus. Deus enim sibi semper similis est: ac proinde hodie non minùs quàm olim judicia sua exercet. Confer 1.Cor.10.v.6.& deinceps. Exempla pœnarum in scriptura.

10 Ex v.9. Apostolus recitans verba illa Psalmi 95. *Ubi tentaverunt me patres vestri &c.* tribuit illa Spiritui S. ut planum est ex cohærentia hujus versiculi cum septimo. Hinc concluditur deitas Spiritus sancti ad hunc modum: Deitas Spiritus sancti.

Is qui Psal.95. conqueritur, se tentatum esse à patribus, est Jehováh: ut liquet ex cohærentia illorum verborum cum præcedentibus.

Atqui Spiritus sanctus est is qui Psal.95. conqueritur, se tentatum esse à patribus: ut hoc loco testatur Apostolus.

Ergo Spiritus sanctus est Jehováh, ac proinde verus ille & æternus Deus.

11 Ex eod. vers. Deus contumeciam Israëlitarum amplificat commemoratione operum suorum, quibus eos mirabiliter conservaverat in exitu ex Ægypto, & deinceps in deserto per 40. annos. Hinc discimus, opera Dei quibus Ecclesiam suam mirabiliter protegit, sustentat & conservat, non esse clausis oculis prætereunda, sed aspicienda & consideranda: ut nimirum discamus Deo fidere, eundemque timere: quippe qui sibi fidentes mirabiliter conservat, rebellantes autem potenter prosternit ac perdit. Opera gubernationis Dei. Officium hominis Christiani.

12 Ex v.11. Tametsi Deus interdum adimendo sacramenta, hoc ipso significat, se gratiam quoque per sacramenta promissam adimere; sicuti incredulos Israëlitas excludendo à terra Canaan, significavit, se illos à vita quoque æterna excludere: tamen non est putandum, sacramenta & gratiam per sacramenta promissam indissolubili quasi vinculo ita cohærere, ut nunquam possint à se mutuò separari: nam & fieri potest ut infideles sacramenta quidem gratiæ percipiant, ipsam verò gratiam non item, id quod exemplo Patrum demonstrat Apostolus 1.Cor.10.& fieri quoque potest ut fideles sacramentis priventur, qui tamen gratiâ Dei nunquam privantur. Quare ne fidamus sacramentis per sese, quasi eorum perceptio salutem nobis conferat: sed oremus Deum, ut fidem nobis conservet, per quam solam salutis compotes reddimur: atque interim sacramentis, quum eorum copia datur, tanquam testimoniis gratiæ Dei, reverenter & cum gratiarum actione utamur. Sacramenta.

13 Ex v.12. & 13. Ad perseverantiam in fide utiles sunt mutuæ exhortationes. Quapropter illæ & studiosè adhibendæ sunt fratribus, & libenter admittendæ. Atque illæ exhortationes debent esse quotidianæ. Non igitur est quod putemus, nos officio nostro perfunctos, si exhortationem semel atque iterum fratri qui eâ opus habet, adhibuerimus: sed nulla exhortandi occasio omittenda est. Exhortationum utilitas.

14 Ex v.14. Ne pigeat nos, socios esse Christi in cruce: quum sciamus, nos ejusdem fore socios in requie illa cælesti. Confer Rom.8.v.17. 2.Tim.2.v.11.& 12. Joh.17.v.24. Consolatio in persecutione.

15 Ex eod.

Fides. 15 Ex eod. v. Vera fides res à Deo promissas tam certò intuetur & amplectitur, ac si coram oculis exstarent. Hinc enim est, quòd appellatur ὑπόστασις, id est, substantia, videlicet earum rerum quæ ex promissione Dei sperantur; sicut Apostolus declarat infrà cap. 11. v. 1.

Auditores Evangelii. 16 Ex vers. 15. Quum occasio datur audiendi vocem filii Dei, (datur autem quum prædicatur Evangelium) non est illa occasio negligenda. Verendum enim, ne si illam neglexerimus, Deus eam nobis propter ingratitudinem auferat. Confer Joh. 12. v. 35. Matth. 21. v. 43. Eph. 5. v. 16. 2. Cor. 6. v. 2.

Ecclesia. 17 Ex vers. 16. In Ecclesia visibili boni malis permixti sunt: & quanquam sæpe maxima pars malorum est, qui verbo Dei non obediunt; tamen quamdiu Deus cœtum aliquem prædicatione verbi sui dignatur, conservat illic electos suos, qui verbo prædicato obediunt. Confer Matth. 13. parabolam de semine, quod quadrifariam cecidit, & parabolam de zizaniis inter tritici satis: item parabolam de sagena complectente bonos ac putres pisces.

Gubernatio Dei. Castigationes divinæ. 18 Ex vers. 16. & 17. Quum constet ex Num. 14. v. 30. neminem Israëlitarum qui ex Ægypto per Mosen educti fuerunt, in terram Canaan ingressum esse præter Calebum & Josuam; cæterorum autem corpora in deserto concidisse; & tamen Apostolus hoc loco testetur, non omnes illos Deum exacerbasse; quibus verbis non solos illos duos, sed complures videtur notare: colligitur hinc, pios quoque impiorum pœnis corporalibus sæpe involvi. Quòd quum fit: sunt illis castigationes paternæ, quibus ad resipiscentiam adducti, in æternum conserventur. Vide 1. Cor. 11. v. 32.

Inobedientia. Incredulitas. 19 Ex v. 18. & 19. Apostolus quum causam exclusionis Israëlitarum à requie Dei affirmasset esse inobedientiam, τὴν ἀπείθειαν: mox infert; illos non potuisse in quietem Dei ingredi propter incredulitatem, δι' ἀπιστίαν. Hinc colligitur, inobedientiam & incredulitatem cohærere. Cohærent autem ut causa & effectum: etenim ex incredulitate inobedientia nascitur: sicut contrà obedientia nascitur ex fide: ut videre est in exemplo Abrahami; qui quum credidisset promissioni Dei de semine sibi vocando in Isaaco: obedivit quoque ex illa fide mandato Dei jubentis illum sibi immolare. Vide infr. c. 11. v. 17.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Deinceps duo postrema instituta exhortationis argumenta, superiore capite exposita, expolit & ampliùs declarat: disserens de illa requie Dei, à qua patres Hebræorum propter incredulitatem atque inobedientiam exclusi sunt: usque ad v. 12. Deinde alia duo instituta exhortationis argumenta adjungit: unum ab efficacia sermonis Evangelii, v. 12. alterum ab omniscientia Christi, v. 13. Postremò addit adhuc aliud instituta exhortationis argumentum, à dignitate Christi pontificia seu sacerdotali, v. 14. eâq; occasione transit ad doctrinam de sacerdotio Christi, quam per sex capita sequentia fusè exponit.

Metuamus igitur ne quando relicta promissione introëundi in requiem ejus, videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus.

2 Etenim nobis evangelizatum est, sicut & illis: at non profuit illis auditus sermo, ut qui fide contemperatus non fuerit apud illos qui audierant.

3 (Introimus enim in requiem nos qui credidimus.) Sicut dixit, Itaque juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam: licet operibus à jactis fundamentis mundi perfectis.

4 Ita enim dixit quodam in loco de septimo die, Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis.

5 Et hîc rursum, Si introibunt in requiem meam.

6 Quia igitur reliquum est ut aliqui introëant in eam, & quibus priùs evangelizatum fuit, non introierunt propter contumaciam:

7 Rursus quendam præfinit diem, Hodie, apud Davidem dicens, tanto pòst tempore; prout dictum est, Hodie si vocem ejus audieritis, ne obdurate corda vestra.

8 Nam si eos Jesus in requie collocasset, nequaquam de alio posthac die loquutus fuisset.

9 Itaque reliquus est aliquis sabbatismus populo Dei.

10 Nam qui ingressus est in requiem ipsius, requievit & ipse ab operibus suis, quemadmodum à suis Deus.

11 Studeamus igitur ingredi in illam requiem, ne quis eodem inobedientiæ exemplo cadat.

Vers. 1. exhortationem institutam ex supradictis rursus infert, repetitis postremis duobus argumentis, quorum utrumque à requie illa Dei sumtum est; alterum videlicet ab illius adeptione, tanquam utili effectu fidei atque obedientiæ: alterum verò ab ejusdem privatione, tanquam effectu pernicioso incredulitatis & inobedientiæ. Hanc exhortationis repetitionem sic enuntiat: *Metuamus igitur, ne quando relictâ promissione introëundi in requiem ejus, videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus.* quasi dicat: Quum igitur credentibus atque obedientibus voci Christi, relicta sit à Deo promissio quietis, per os Davidis Psalm. 95. pronuntiata: caveamus igitur, ne per incredulitatem atq; inobedientiam vocem Christi contemnamus; sic enim ab illa requie excluderemur: sed potiùs operam demus, ut vocem Christi fide ac obedientiâ honoremus: sic enim fiet ut in requiem illam introëamus. quod posterius confirmat testimonio promissionis Dei: quia nimirum Deus promissionem introëundi in requiem suam credentibus reliquit, videl. in supra citato Davidis loco. At quæret fortasse aliquis, Ubi hæc promissio in illis verbis contineatur? Resp. Ex natura contrariorum continetur ipsis verbis comminationis. Quum enim Dominus minatur, istos patres non introituros in requiem suam propter incredulitatem atque inobedientiam: hoc ipso promittit, omnes credentes atque obedientes introituros. Contrariorum enim contraria consequentia sunt. V. 2. & 3. argumentum exhortationis superiore v. repetitum confirmat ab exemplo patrum, per ratiocinationem à pari. Sententia est: Si vocem Christi contemnamus, frustrabimur requie Dei. Ratio ab exemplo. Quia patres vocem Christi contemnentes, nec fide illam contemperantes, requie Dei frustrati sunt. Ratio consequentiæ: Quia patrum & nostri par est ratio: propterea quòd tam nobis, quam illis evangelizatum est. Simul autem per prolepsin significat, non esse satis, sermonem Evangelii audire, sed oportere quoque fide illum contemperare; secus illum non prodesse: quum soli credentes in requiem Dei ingrediantur. Cæterùm sub finem v. 3. annectit aliam prolepsin. Quum enim dixisset, sermonem Evangelii patribus illis non profuisse, quippe qui non sint ingressi in requiem Dei: poterant excipere Hebræi: Non igitur Deus requiem illam suam inde à mundi origine frustra paravit? Resp. Apostolus: Quanquam Deus statim à mundo condito requiem suo populo paravit, v. 3. de qua requie & Moses & David testantur, v. 4. & 5. tamen increduli illi patres in requiem illam non sunt ingressi: nec propterea sequitur, requiem illam frustra à Deo paratam esse: quin potiùs quia illam paravit & populo suo promisit, necesse est ut aliqui in eam introëant, nempe omnes credentes: quippe quum patres illi non introierint propter incredulitatem: v. 6. & 7.

V. 8. alia prolepsis sequitur. Quum enim dixerit, patres illos incredulos non esse ingressos in requiem Dei: poterant objicere Hebræi historiam sacram, quæ testatur, Josuam collocasse patres in illâ promissâ requie, Videl. in terrâ Canaan. Apostolus negat, terram Canaan esse promissam illam requiem: & hanc negationem probat ex promissione requiei per Davidem factâ loco antè citato. Sic autem concludit:

> *Si Jesus (id est, Josua) patres in requie collocasset, quum scilicet eos collocavit in terra Canaan: nequaquam de alio posthac die locutus fuisset Deus: v. 8.*
>
> *Atqui Deus post illam populi in terra Canaan collocationem de alio die locutus est, dicens nimirum per Davidem, Hodie si vocem ejus audieritis, ne obdurate corda vestra, v. 7. ne scilicet ex requie mea excludamini: sed contrà obedite, ut in eam introëatis.*
>
> *Ergo Jesus seu Josua non collocavit patres in requie, quum eos in terra Canaan collocavit: Et per consequens, terra Canaan non est promissa illa requies.*

V. 9. per πόρισμα seu corollarium infert, populo Dei reliquam esse requiem: quam ipsam v. 10. definit, cessatione ab operibus nostris, id est, peccatis: & hanc definitionem illustrat collatione exempli Dei: qui requievisse dicitur, quum cessavit ab operibus suis, videl. ab operibus creationis.

V. 11. rursus infert principalem exhortationem, duplici illo argumento repetito, inquiens; *Studeamus igitur ingredi in illam requiem, ut ne quis eodem inobedientiæ exemplo cadat.* Id est, studeamus igitur credere & obedire voci Christi. nam si hoc fecerimus, ingrediemur in illam requiem: sin minus, cademus æterno exitio: sicut patres illi qui propter inobedientiam in deserto ceciderunt.

12 Vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti: & pertingit usque ad divisionem animæ simul ac spiritus, compagumq; & medullarum: & dijudicat cogitationes & conceptiones cordis.

13 Nec est ulla res creata quæ non manifesta sit in conspectu ejus; imò omnia *sunt* nuda & patentia oculis ejus de quo nobis est sermo.

Deinceps alia duo institutæ exhortationis argumenta adjungit, unum ab efficacia sermonis Evangelii, alterum ab omniscientia Christi. Sententia prioris argumenti est: Sermo Evangelii tam est efficax ut penetret cor, & mentem convincat de ve-

ritate doctrinæ cælestis, ita ut nemo possit tranquillâ conscientiâ fidem illi derogare. Quare ut tranquillas conscientias habeatis, cavete, ne fidem sermoni Evangelii derogetis: sed potiùs firmâ fide illum amplectimini. Porrò efficaciam istam Evangelii illustrat eleganti similitudine, quâ Evangelium comparat gladio ancipiti acuto. nam ut ejusmodi gladius, corpori animalis impactus atque inflictus, penetrat in ossa & medullas: ita Evangelium, hominibus annuntiatum, penetrat in animos eorum, illosque ita afficit, ut velint nolint cogantur agnoscere veritatem ipsius, propriasque superstitiones ac hypocrisin: quæ per concionem pœnitentiæ Evangelio adjunctam damnantur. Atque hæc comparatio in qualitate est: quam ipsam amplificat comparatione quantitatis, quatenus efficaciam Evangelii cum efficacia gladii ancipitis ut majorem confert. ait enim, sermonem Dei esse τομώτερον, &c. Efficaciæ autem hujus exempla vide Act. 2. v. 37. & cap. 7. v. 54.

Cæterùm sunt qui hunc locum exponant de sermone illo substantiali, videlicet filio Dei. Sed quoniam Paulus filium Dei hoc nomine appellare non solet, contrà autem usitatissimum ei est, ut per sermonem Dei intelligat sermonem Evangelii: nobis usitata illa significatio etiam hoc loco ex mente Apostoli videtur esse, præsertim quum res ipsa conveniat. Nec verò alteram illam expositionem evincit cohærentia versiculi sequentis: quum pronomen αὐτοῦ in illo bis positum, non sit necesse referri ad illum sermonem cujus hîc fit mentio: quippe quum habeat in fine illius versus quò referatur, videl. illa verba, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος. Similis syntaxeos exemplum habetur supr. cap. 2. v. 10. ubi dicitur, ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ δι' ὃν τὰ πάντα, &c.

Jam posterioris argumenti hæc videtur esse sententia: Is de quo nobis hîc sermo institutus est, vel (ut alii vertunt) qui cum nobis est negotium, videl. filius Dei, introspicit intima cordium; ac proinde videt malitiam eorum qui per sermonem Evangelii de veritate cælesti convicti, credere tamen illi nolunt, sed in superstitionibus suis hærere malunt. Quare incredulis illis vindicta filii Dei metuenda est. Abjiciant igitur incredulitatem, & sincero corde in Christum credant. Apostolus quidem utitur sententiâ generali, dicens, omnia esse nuda & patentia oculis filii Dei: sed ex hac sententia generali vult intelligi atque inferri specialem illam quæ ad propositum propriè pertinet, nimirum quòd corda quoque hominum oculis ejus pateant; ne quis putet, se occultâ suâ malitiâ & incredulitate posse eum fallere.

14 **Habentes igitur pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jesum filium illum Dei, teneamus *hanc* professionem.**

15 **Non enim habemus pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum; sed tentatum in omnibus similiter, absque *tamen* peccato.**

16 **Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.**

Adjungit adhuc unum institutæ exhortationis argumentum, quod sumtum est à dignitate Christi pontificiâ seu sacerdotali: & hac occasione ab officio ejus prophetico, de quo hactenus disseruit, transit ad officium sacerdotale, de quo deinceps per sex capita copiosè disserit. Porrò dignitatem Christi pontificis ostendit hîc tribus modis. Primùm, ab adjuncta magnitudine sive amplitudine & excellentiâ, quum eum vocat ἀρχιερέα μέγαν, summum sacerdotem magnum, einen grossen hohenpriester: innuens, eum à terrenis illis summis sacerdotibus longè differre, longeque illis excellentiorem esse: quippe quòd illi fuerunt terreni, mortales, temporarii; hic autem, cælestis, immortalis, æternus. Deinde dignitatem hujus pontificis ostendit ex præstantia sanctuarii in quod ingressus est, quum dicit, eum penetrasse cælos, hoc est, penetrando cælos hos aspectabiles ingressum esse in sanctuarium illud cæleste, videlicet cælum summum, sedem beatorum. Tertiò dignitatem ejus ostendit à præstantia naturæ, quum illum vocat Filium illum Dei, videlicet unigenitum.

Dignitate igitur hujus nostri pontificis sic ostensâ, hortatur ut teneamus hanc professionem, hoc est, ut & in illum credamus; & hanc nostram fidem ad illius gloriam nostramque salutem cônstanter profiteamur. Sed ne quis putet, pontificem hunc, quum tam excellens sit, nos suâ misericordiâ curáve dedignari; Apostolus v. 15. per prolepsin monet, illum affici sensu infirmitatum nostrarum; ut qui & ipse in omnibus similiter tentatus sit, veruntamen absque peccato. Ex qua sententia vers. ult. exhortationem deducit ad invocandum cum fiducia Deum patrem; quam exhortationem confirmat duobus argumentis; primùm, à causa procreante, videlicet gratiâ Dei nobis per hunc nostrum pontificem conciliatâ; deinde ab utili effectu, quatenus promittit, fore ut precibus nostris consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium. Hanc exhortationem illustrat typo pontificis Levitici; qui Deum pro populo invocaturus, accedebat ad arcam federis: cujus operculo veluti throno insidens Deus, exaudiebat preces populi per pontificem oblatas; quod operculum ut apud Mosen propitiatorium, ita ab Apostolo thronus gratiæ nominatur.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Relictâ promissione] καταλειπομένης ἐπαγγελίας. *Aut pendent hi genitivi à verbo ὑστερηκέναι in fine versus: aut accipiendi sunt absolutè, quasi dicatur, Quum relicta nobis sit promissio. Atque hoc magis placet: quum illa rectio requirat articulum, ut scilicet dicatur, τῆς καταλειπομένης ἐπαγγελίας. Alii,* Derelictâ promissione: *quasi dicatur, Si dereliquerimus promissionem: id est, non crediderimus promissioni. Sed tum Græcè oporteret esse, μήποτε καταλειπόντων ἡμῶν τὴν ἐπαγγελίαν: vel potiùs, μήποτε καταλείπωμεν ἐπαγγελίαν &c. δοκῇ τις.* Introeundi] εἰσελθεῖν. *Pro, τοῦ εἰσελθεῖν.* Fuisse frustratus] ὑστερηκέναι. *Videlicet καταλειπομένης ἐπαγγελίας: quæ voces præcesserunt. Vel, τῆς καταπαύσεως: si genitivi illi accipiantur absolutè.*

2 Auditus sermo] ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς. *Ad verb.* Sermo auditionis. *Hebrais. Genitivus adjuncti.*

3 Sicut dixit] καθὼς εἴρηκεν. *Hæc verba cohærent cum sententia v. 2. Declarat enim nunc quod dixerat,* At non profuit illis auditus sermo. *Idcirco sententiam proxime-præcedentem notis παρενθέσεως inclusimus.* Licet operibus à jactis fundamentis mundi perfectis] καίτοι τῶν ἔργων ἀπὸ καταβολῆς κόσμου γενηθέντων. *Id est, licet requies statim à creatione mundi parata sit. Metalepsis: quæ ex antecedente intelligitur consequens. Hunc esse sensum, percipitur ex collatione vers. seq.*

7 Apud Davidem] ἐν Δαβίδ. *Vel,* Per Davidem. *Sic Rom. 9. v. 25. ἐν τῷ Ὡσηὲ λέγει.*

8 Nam si] εἰ γάρ. *Conjunctio causalis respicit sententiam omissam quâ negatur objectio Judæorum. Objectio: At Josua collocavit patres nostros in requie. Responsio: Non est ita. Probatio responsionis: Nam si eos Josua in requie collocasset &c.* Jesus] Ἰησοῦς. *Qui vulgo Josua.* Loquutus fuisset] ἐλάλει ἄν. *Scil. Spiritus sanctus: suprà c. 3. v. 7.*

9 Sabbatismus] σαββατισμός. *Id est, requies, vel, quasi dicas, requietio.*

10 Ab operibus suis] ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ. *Id est, à peccatis: atque etiam (ut habetur Apoc. 14. v. 13.) ἐκ τῶν κόπων αὐτοῦ, à laboribus suis: hoc est, à miseriis, quibus in hac vita obnoxius fuit.*

11 Studeamus igitur ingredi &c.] σπουδάσωμεν οὖν εἰσελθεῖν &c. *Id est, Studeamus igitur obedire voci Christi seu Evangelio: sic enim fiet ut ingrediamur &c. Metonymia effecti synecdochica.* Ut ne quis eodem inobedientiæ exemplo cadat] ἵνα μὴ ἐν τῷ αὐτῷ τις ὑποδείγματι πέσῃ τῆς ἀπειθείας. *Id est, ne si quis imitetur patrum inobedientiam, cadat quoque seu pereat, ut illi. ἐν hîc valet κατά.*

12 Sermo Dei] ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. *Videl. sermo Evangelii. Confer Psal. 49. v. 6. Quidam interpretantur de filio Dei. Vide suprà in analysi hujus loci.* Penetrantior] τομώτερος. *Exempla vide Act. 2. v. 27. & 7. 54.* Ancipiti] δίστομον. *Gladius δίστομος, hoc est, duplicis oris, dicitur, qui quasi utrinque mordet, quum utrinque sit acutus. Germanicè* zwäischneidig. *Syrè,* duorum orium, *id est, acierum. Heb. nominatur* חֶרֶב פִּיפִיּוֹת *hhéreb pipióth, gladius duorum orium, Psal. 49. 6.* Animæ simul ac spiritus] ψυχῆς τε καὶ πνεύματος. *Per spiritum videtur intelligere mentem: per animam verò voluntatem & affectus: ut 1. Thess 5. 23.*

13 In conspectu ejus] ἐνώπιον αὐτοῦ *Videl. (ut in fine versus sequitur) πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος, de quo nobis est sermo: hoc est, Christi. Similis syntaxeos exemplum habetur suprà c. 2. v. 10. ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ δι' ὃν τὰ πάντα &c. Quod observandum est, ne quis putet, pronomen αὐτοῦ referendum ad τὸν λόγον, cujus præcessit mentio.* Patentia] τετραχηλισμένα. *Ad verb.* Resupinata. *Metaphora sumta ab iis, quorum facies resupinata oculis exponitur.* De quo] πρὸς ὅν. *Ut suprà cap. 1. v. 7. & 8.*

14 Cælos] τοὺς οὐρανούς. *Nempe hos aspectabiles: per quos penetrans ac transiens, ingressus est in sanctuarium illud, id est, cælum supremum: infrà 9. 24. Synecd. gen.* Filium illum Dei] τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ. *Scil. τὸν μονογενῆ, unigenitum. Hoc innuit articulus.*

16 Ad thronum gratiæ] τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος. *Id est, ad Deum patrem, suâ gratiâ nos complectentem propter Christum, ac propter eundem exaudientem nostras preces: sicut olim exaudiebat preces, residens inter Cherubinos in propitiatorio, seu operculo arcæ federis; quâ Christus præfigurabatur. Confer Rom. 3. v. 25.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex v. 1. Ad fovendum fidem, pio quodam metu atque solicitudine opus est: ne per securitatem amissâ fide, frustremur promissâ illa requie, id est, vitâ æternâ. Vide Philip. 2. v. 12. 1. Cor. 10. v. 12. 2. Pet. 1. v. 10. Etsi autem per nos non stat quin fidem amittamus: tamen certò statuere debemus, freti promissione Dei, fieri non posse ut fides nostra deficiat. Vide Luc. 22. v. 32. Johan. 10. v. 28. Rom. 11. v. 29. 1. Cor. 10. v. 13. In summa, cavenda est securitas carnis: retinenda verò securitas Spiritus. *Solicitudo pia.*

2 Ex v. 2. Doctrina salutis eadem est in vetere & novo Testamento, quippe quum testetur Apostolus, & patribus & nobis evangelizatum esse, id est, annuntiatam esse doctrinam salutis per Christum. Huc pertinet illud infr. c. 13. v. 8. *Jesus Christus, heri & hodie idem est, & in secula.* Item illud Christi, Joh. 5. v. 39. *Scrutamini scripturas: nam vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere:* *Convenientia V. & N. T.*

habere: & illa sunt quæ testificantur de me: nec vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Et v. 46. *Si crederetis Mosi, crederetis mihi: de me enim ille scripsit.* Et Joh. 8. v. 56. *Abraham pater vester gestivit ut videret diem meum: & vidit, ac gavisus est.*

Auditores Evangelii. 3 Ex eod. v. Non est satis, verbum Dei audire; sed ut illud nobis ad æternam salutem prosit, opus est ut ipsum fide contemperemus & cordibus nostris penitus misceamus, ita ut inde avelli aut separari non possit. Huc pertinet illud Christi Luc. 11. v. 29. *Beati qui audiunt sermonem Dei & eum observant.* Vide item Jacob. 1. v. 22. & deinceps.

Vita æterna. 4 Ex v. 3. item 5. 6. & 7. Via, quâ introitus patet in requiem illam Dei, videl. vitam æternã, est fides. Confer Joh. 14. 6. ubi Christus ait, *Ego* (nempe fide apprehensus) *sum via, veritas & vita.*

Cælum. 5 Ex eod. v. 3. Etsi Deus inde à mundo condito requiem paraverit suo populo; non tamen est consequens, singulos homines in requiem illam ingressuros; quia non nisi credentes in illam ingressuri sunt. Quare seipsos decipiunt securi isti, qui concupiscentiis carnis indulgentes, interim dicunt, cælum non esse conditum pro anseribus. quibus verbis innuunt, illud esse conditum pro hominibus in universum omnibus; atque ita etiam pro se, qualesquales sint ac permaneant. Sed errant; nam etsi cælum non est conditum pro anseribus, sed pro hominibus; tamen conditum est pro solis credentibus ac piis: pro incredulis verò & impiis condita est gehenna.

Antilogia apparentis conciliatio. 6 Ex v. 4. Quum Apostolus post Mosen dicat, Deum septimo die requievisse ab omnibus operibus suis; quæritur, qui possit cum hac sententia consistere dictum illud Christi, Joh. 5. v. 17. *Pater meus usq; adhuc operatur; & ego operor.* Respondeo: Non pugnant inter se hæc dicta. nam dictum Mosis loquitur de novis creaturarum speciebus: dictum verò Christi de specierum sex illis diebus conditarum conservatione & propagatione. Utrumque autem verum est: & Deum septimo illo die desiisse condere novas rerum species, & ab illo tempore hucusque species semel conditas conservare ac propagare.

Sacramenta. 7 Ex v. 8. 9. 10. & 11. Non quicunque sacramenta percipiunt, percipiunt quoque bona cælestia, quæ Deus per sacramenta promittit. quia Israelitæ qui per Josuam in terra Canaam collocati sunt, perceperunt quidem sacramentum vitæ æternæ seu requietis illius quam Deus populo suo paravit: at non propterea perceperunt ipsam illam requiem. Illam enim perceperunt soli credentes ac pii: increduli verò & impii ab ea exclusi sunt. Errant igitur hodie qui putant, se ipsâ perceptione sacræ cænæ remissionem peccatorum percipere; sive promissioni Evangelii credant, sive non credant. Sacra enim cæna instituta est, non ut virtute hujus operis remissionem peccatorum consequamur (sic enim non opus fuisset Christum mori) sed instituta est sacra cæna ut per eam tanquam divinum testimonium obsignetur nobis promissio Evangelii, & virtute Spiritus S. confirmetur nostra fides, quâ sola remissionem peccatorum percipimus.

Vita æterna. 8 Ex v. 10. Requietis illius cælestis duplex est ratio, hoc est, vita æterna appellatur requies propter duas causas: una est, quòd ibi requiescamus à nostris operibus, id est, à peccatis: ut hoc loco docet Apostolus. Altera, quòd ibi requiescemus ab ærumnis hujus vitæ, ut docet apostolus Johannes Apoc. 14. v. 13. Atque huc pertinet, quòd locus ille quietis appellatur à Christo sinus Abrahæ, Luc. 16. vers. 22. & 23. eò quòd Abraham, ac omnino omnes credentes & filii Dei, ibi suaviter requiescunt, velut infans in sinu matris.

Officium hominis Christiani. 9 Ex v. 12. Caveamus nobis, ne verbo Dei tacti, id est, convicti hypocriseos ac superstitionum, reluctemur & veritati cælesti contradicamus. Qui enim hoc faciunt, conscientiâ tranquillâ frui non possunt.

Hypocrisis. 10 Ex v. 13. Ne putemus, nos nostrâ hypocrisi posse Deum fallere. Ejus enim oculis intimi cordium nostrorum recessus patent: ut qui sit καρδιογνώστης ac omniscius. Quin potiùs oremus Deum, ut timorem sui cordibus nostris indat: ut illo præditi, ausimus ipsum tanquam καρδιογνώστην, testem nostræ sinceritatis invocare.

Christus. 11 Ex v. 14. Christus solus est pontifex ille magnus, insignis & excellens: cum quo cæteri pontifices comparati, nihil sunt: quippe qui tantummodo typi seu figuræ hujus magni pontificis fuere. Sic idem à Petro nominatur ὁ ἀρχιποίμην, id est, ille pastorum princeps, 1. Pet. 5. v. 4. quippe cui cæteri Ecclesiæ pastores famulantur.

Christi corpus. 12 Ex eod. v. Cùm Christus penetraverit cælos hos aspectabiles, atque ita ingressus sit in summum illud cælum, illic mansurus donec redeat ad judicandum vivos & mortuos: consequens est, corpus ipsius jam non esse in terris, ac proinde nec in pane sacræ cænæ, multò minùs ubique. Nam quòd Eph. 4. 10. dicitur ascendisse supra omnes cælos, ut impleret omnia: non hunc habet sensum, quòd corpore suo impleat omnia mundi loca: sed quòd Spiritu sancto impleat omnia Ecclesiæ in terra militantis membra per ministerium Evangelii. unde statim subjungit: *Et dedit ipse alios quidem Apostolos, &c.*

Consolatio pro fidelibus. 13 Ex v. 15. Magna nobis consolatio est, quòd scimus, nos habere pontificem (videl. Christum) qui afficiatur sensu infirmitatum nostrarum; ita nimirum ut ærumnas nostras, & cognitas habeat, & ex illis nos velit liberare. Hinc illa vox: *Saul, Saul, quid me persequeris?* Act. 9. Item, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi ejus,* Zachar. 2.

Christi natura humana. 14 Ex eod. v. 15. Christus quum in hoc mundo omnis generis ærumnas perpessus fuit, verè cùm corporis tum animi dolores sensit, sed absque peccato; ita videl. ut patienter omnes ærumnas tulerit, nec unquam vel minimum contra Deum murmurarit. Veris igitur affectibus humanis præditus fuit, & verè commotus fuit ejus animus: sed absque vitiosa perturbatione: ut si aqua pura ac limpida vitro puro inclusa commoveatur. Noster verò animus quum affectibus commovetur, similis est aquæ sub qua cœnum latet; quæ ex commotione turbida redditur.

Invocatio. Preces. 15 Ex v. 16. Invocatio Dei fieri debet cum fiducia acquiescente in gratia Dei; conciliata nobis per Christum pontificem nostrum. Confer Jacob. 1. v. 6. & 7.

Typus Christi. 16 Ex eod. v. Propitiatorium, id est, operculum arcæ fœderis, fuit typus Christi: ut qui sacrificio sui corporis Deum nobis propitium reddidit, gratiamque ejus nobis conciliavit: ita ut paratus sit ad exaudiendum nostras preces ex fiducia hujus pontificis profectas. Hinc est quòd Apostolus operculum illud nominat thronum gratiæ, nosque cum fiducia ad illum thronum gratiæ accedere jubet.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Aggreditur doctrinam de sacerdotio Christi: ac primum Christum pontificem comparat cum pontifice Levitico, usque ad v. 11. Deinde transitu facto ad comparationem alteram qua Christum comparabit cum pontifice Melchisedeco, prius digreditur in objurgationem segnitiei Hebræorum, ut eos ad attentam considerationem futuræ illius divinissimæ comparationis excitet ac preparet, reliquâ parte capitis.

NAm omnis pontifex ex hominibus assumitur, & pro hominibus cõstituitur in iis quæ apud Deum *agenda sunt:* ut offerat munera & victimas pro peccatis.

2 Qui, quantum satis est, possit misereri vicem ignorantium & aberrantium: quòd & ipse circumdatus sit infirmitate:

3 Et propter hanc debeat, sicut pro populo, ita & pro seipso offerre *victimam* pro peccatis.

4 Neque sibipsi quisquam sumit hunc honorem; sed qui vocatur à Deo, sicut & Aaron.

5 Ita & Christus non ipse sibi hunc honorem tribuit ut fieret pontifex; sed is qui dixit ei, Filius meus es tu, ego hodie genui te:

6 Sicut & in alio psalmo dicit, Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec.

7 Qui in diebus carnis suæ, deprecationibus & supplicationibus oblatis cum clamore valido & lacrymis, apud eum qui poterat ipsum servare à morte, & exauditus ex metu;

8 Quamvis filius esset, tamen ex iis quæ passus est, didicit obedientiam:

9 Et consecratus, factus est author salutis æternæ omnibus qui ipsi auscultant:

10 Cognominatus à Deo pontifex secundùm ordinem Melchisedec.

COmparat hîc Christum pontificem cum pontifice Levitico, idque partim ut similem, partim ut dissimilem. Protasis comparationis continetur quatuor primis versibus: apodosis verò sex sequentibus.

Similia utrique sunt hæc:

1 Cognatio cum iis pro quibus uterque constituitur, v. 1. & 7.
2 Oblatio donariorum & victimarum pro peccatis, v. 1. & 7.
3 Συμπάθεια cum iis pro quibus offert, v. 2. & 7.
4 Vocatio Dei, v. 4. & 5.

Dissimila verò sunt ista:

1 Leviticus pontifex circũdatus est peccato, ac proinde offert etiam pro seipso, v. 2, & 3.	Contrà	Christus non est circumdatus peccato, quippe quum sit filius Dei, v. 8. ac proinde non obtulit pro se ipso, sed pro iis qui ipsi auscultant, v. 9.
2 Leviticus pontifex suis oblationibus non expiat peccata.	Contrà	Christus suâ oblatione peccata expiavit, quippe author salutis æternæ factus, v. 9.
3 Leviticus pontifex ad tempus tantùm duravit.	Contrà	Christus est sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec, v. 6. & 10.

Nunc verba Apostoli consideremus. *Nam omnis pontifex &c.*

Conjunctio causalis respicit sententiam antepenultimo & penultimo versu præcedentis capitis enuntiatam, ubi Christum nominavit pontificem: quod ipsum significat se deinceps probaturum. Probat autem id primò ex collatione cum pontifice Levitico: de quo commemorat quinque. quorum primum est, quòd cognatus sit iis pro quibus constituitur, v.1. Secundum, quòd offerat donaria & victimas pro peccatis, eod.v. Tertium, quòd possit iis pro quibus offert, συμπαθεῖν, v.2. Quartum, quòd debeat offerre etiam pro se ipso: quum & ipse circumdatus sit infirmitate, v.3. Quintum, quòd debeat esse à Deo vocatus, v.4. Atque hæc habentur in institutæ comparationis protasi: apodosis deinde sequitur, v.5. & deinceps, de pontifice Christo, de quo commemorat ista: Primò, quòd à Deo ad pontificatum vocatus sit, v.5. Secundò, quòd sit sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec, v.6. Tertiò, quòd sit cognatus iis pro quibus obtulit, quodque illis potuerit συμπαθεῖν: quod utrumque significat quum dicit: Eum fuisse in diebus carnis suæ, v.7. Quartò, quòd obtulerit preces & seipsum, v.7. & 8. Quintò, quòd non sit circumdatus infirmitate, quippe quum sit filius Dei, vers.8. Sextò, quòd suo sacrificio expiârit peccata, factus author salutis æternæ, v.9. Septimò, quòd se obtulerit non pro se ipso, sed pro iis qui ipsi auscultant, eod.v. Ex his primum membrum ut simile comparatur cum ultimo membro in protasi: secundum ut dissimile cum mortalitate pontificis Levitici, cujus in protasi nulla fit expressa mentio: tertium (quod geminum est) ut simile respondet primo & tertio: quartum ut simile respondet secundo: quanquam hîc etiam aliquid dissimilitudinis est: quatenus nimirum pontifex Leviticus obtulit pecudes, Christus verò seipsum. Quintum membrum, itemque septimum, ut dissimile respondet quarto: denique sextum membrum, ut dissimile respondet ei quod in protasi non est expressum, quòd videl. Leviticus pontifex suis sacrificiis non expiârit peccata: quippe quæ sanguine pecudum expiari non possunt, sicut monebit Apostolus infrà c.10.v.4.& 11. Cæterùm primum illud membrum de vocatione Christi, qua pontificatus illius præcipuè asseritur, confirmat Apostolus duobus scripturæ testimoniis, v.5.& 6. quorum prius ex psalmo 2. posterius ex 110. sumtum est. De priore mirari quis possit, quomodo id faciat ad probandum pontificatum Christi. Sciendum igitur, verba illa, *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* per synecdochen membri huc citari: ac proinde simul intelligenda esse verba illis proximè annexa, videl. *Pete à me.* nam petere à Deo ea quæ ad salutem populi Dei pertinent; pontificis est. Et hanc quoque observationem D.Fr. Junio debemus. Posterius autem testimonium ad probandum Christi pontificatum longè clarissimum est; quippe ubi Deus pater ad filium expressè dicit, *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* quod testimonium Apostolus ipse infr. cap.7. & deinceps enarrabit. Porrò tertium membrum quod est de oblatione Christi, amplificat variè, v.7. & 8. Primùm ab objecto in quo offerens preces fuit occupatus, seu ad quod preces suas direxit: quum ait, cum deprecationes & supplicationes obtulisse *apud eum qui poterat ipsum servare à morte.* qua periphrasi argumentosè notat Deum patrem: innuens, ad hunc meritò preces in necessitatibus dirigendas esse, quum ipse solus possit servare. Deinde oblationem illam precum amplificat ab adjunctis, dicens, eum obtulisse preces *cum clamore valido & lacrymis.* Tertiò ab effecto, dicens, *eum esse exauditum.* Quartò ex alio adjuncto, videl. metu mortis æternæ, dicens, *eum exauditum esse ex metu.* Quintò à conditione seu adjuncta dignitate personæ, dicens, *Quamvis filius esset, tamen ex iis qua passus est didicit obedientiam:* quasi dicat, Quamvis Christus patri sit charissimus, tanquam filius unigenitus: tamen huncamorem sibi obstare non est passus Pater, quò minùs illum pro nobis daret in mortem, mandans ei ut sacrificio suo expiaret nostra peccata: quòd cùm ille præstitit, re ipsâ didicit obedientiam, hoc est, expertus est quàm difficilis res esset hoc modo obedire Deo, videl. gustando mortem æternam.

V.9. fructum seu effectum illius obedientiæ Christi exponit, videl. salutem æternam credentium: quorum scil. peccata sacrificio suæ mortis expianda ille susceperat.

V.10. repetit mentionem vocationis Christi ad sacerdotium, ut transitum sibi paret ad alteram comparationem qua Christum comparabit cum Melchisedeco.

11 De quo nobis multa sunt dicenda, eaque difficilia explicatu: quandoquidem segnes facti estis auribus.

12 Vos enim quos oportuit pro temporis ratione doctores esse, rursus opus est doceri quæ sint elementa initii eloquiorum Dei: factique estis ii quibus lacte sit opus, & non solido cibo.

13 Enimverò cui cum lacte res est, is rudis est sermonis justitiæ: (infans enim est)

14 Sed adultorum est solidus cibus, eorum *videlicet* qui propter habitum sensus habent exercitatos ad discretionem boni ac mali.

Antequam aggrediatur comparationem Christi cum Melchisedeco, interserit objurgationem segnitiei Hebræorum, ut eos ad attentionem excitet. Ac primùm doctrinam illam de sacerdotio Christi, simili sacerdotio Melchisedeci, proponit seu promittit, inquiens, *de quo seu qua de re* (videl. quòd Christus sit sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, ex v. præcedente) *multa nobis dicenda sunt*, nempe omnia illa quę dicit infr. cap.7.8.9.& 10. Hanc doctrinæ propositionem amplificat ab adjuncta difficultate, inquiens, ea quæ sibi de sacerdotio Christi dicenda restant, *difficilia esse explicatu.* Hujus autem difficultatis causam procreantem mox indicat, videl. Hebræorum segnitiem: quam hoc ipso culpat, inquiens: *Quandoquidem segnes facti estis auribus.* Segnitiem porrò istam amplificat v.12. ex turpi ac pudendo effectu, videl. inscitiâ seu ruditate: quam ipsam amplificat, ac turpitudinem ejus ostendit, expositione causæ corrumpentis, videl. longi temporis quod in audiendo Evangelio consumserant: unde meritò debuit inscitia ac ruditas ex mentibus ipsorum fugari, & solida doctrinæ Christianæ scientia in illis gigni. Ista sic enuntiat, *Vos enim quos oportuit pro temporis ratione doctores esse, rursum opus est doceri quæ sint elementa initii eloquiorum Dei.* Præterea ruditatem eorum illustrat & amplificat collatione similium: qua ipsos respectu ruditatis comparat infantibus: doctrinam verò cum cibo: rudimentariam quidem seu elementarem cum lacte: accuratam verò & perfectam cum cibo solido, cujus capaces sunt adulti: definiens simul spiritualiter adultos, qui perfectioris doctrinæ capaces sunt: reliqua parte v.12. & deinceps usque ad finem capitis.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 Nam omnis] πᾶς γάρ. *Conjunctio causalis respicit sententiam enuntiatam v.14. & 15. capitis præcedentis, ubi Christum nominavit pontificem: quod deinceps se probaturum significat.* Assumitur] λαμβανόμενος. *Videl. secundùm legem Dei in libris Mosis descriptam.* In iis quæ apud Deum *agenda sunt*] τὰ πρὸς τὸν Θεόν. *Id est, κατὰ τὰ πρὸς τὸν Θεὸν πρακτέα.* Ut offerat] ἵνα προσφέρῃ. *Id est, videlicet ut offerat. Declaratur enim nunc, quæ sint illa τὰ πρὸς τὸν Θεόν. Appositio.* Munera] δῶρα. *Hebr.* מִנְחוֹת *minhhóth. Germ.* Speisopfer. Victimas] θυσίας. *Germanicè,* Schlachtopfer.

2 Qui quantum satis est, possit miserari &c.] μετριοπαθεῖν δυνάμενος τοῖς ἀγνοοῦσι. *E syntaxi videtur μετριοπαθεῖν simpliciter positum pro συμπαθεῖν: unde vetus interpres reddidit* condolere.

4 Hunc honorem] τὴν τιμήν. *Videl. pontificatus, seu summi sacerdotii.* Sed] ἀλλά. *Scilicet honorem hunc gerit, id est, pontificatu fungitur.*

5 Filius meus es tu, ego hodie genui te] υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. *Hîc comprehendendum quod in illo loco Psalmi continenter sequitur:* Pete à me &c. *sicut declaratum est in analysi.*

7 Qui] ὅς. *Scil. Christus, ex versu quinto.* In diebus carnis suæ] ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. *Id est, vita hujus mortalis, quum adhuc obnoxius fuit infirmitatibus carnis, excepto peccato.* Cum clamore valido] μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς. *Nempe cùm oraret in horto sudans grumos sanguinis. Item quum clamaret in cruce, Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me?* Exauditus ex metu] εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας. *Videl. mortis. Id est, Exauditis precibus liberatus ex metu. Vide annotationes Bezæ.*

8 Didicit obedientiam] ἔμαθε τὴν ὑπακοήν. *Id est, reipsâ expertus est quàm difficile sit talem obedientiam Deo præstare. Synecdoche generis.*

9 Consecratus] τελειωθείς. *Vide suprà schol. cap.2. v.10.*

11 De quo] περὶ οὗ. *Scil. Melchisedeco. vel,* Qua de re: *videlicet, quòd Christus sit sacerdos secundùm ordinem Melchisedec.*

12 Lacte] γάλακτος. *Eâdem metaphorâ utitur Apostolus 1.Cor.3.v.1.& 2.*

14 Adultorum] τελείων. *Ad verb.* Perfectorum: *id est, qui perfectam ætatem adepti sunt. Sic 1 Cor.14.20. & Eph.4.13.* Sensus] τὰ αἰσθητήρια. *Ad verb.* Sensoria, *id est, organa sensuum: ut sunt oculi, aures &c. Sed hîc per metonymiam intelliguntur sensus, & maximè interni.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

1 Ex vers.4. Ministerio Ecclesiæ nemo debet fungi nisi qui à Deo ad illud fungendum est vocatus. Vocatio autem hæc aut immediata est, aut mediata. Immediatè vocati fuerunt sacerdotes, prophetæ & apostoli, ac inprimis prophetarum & apostolorum princeps Christus. Mediatè vocati sunt olim evangelistæ: nec non, qui etiamnum hodie mediatè vocantur, doctores & pastores, item gubernatores & diaconi: Quorum omnium vocatio fit per Ecclesiam. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex v.7. Christus, ut pontifex, pro nobis obtulit Deo tum deprecationes & supplicationes, tum seipsum in mortem. Supplicatio ejus descripta exstat Johan.17. qua rogavit non solùm pro discipulis jam tum in ipsum credentibus, verùm etiam pro omnibus per verbum eorum in ipsum credituris: ut nimirum Pater eis velit esse propitius propter oblationem ipsius. *Christi sacerdotium.*

3 Ex eod. vers. Mirari quis possit, qui factum sit ut Christus quum supplicio crucis afficeretur, clamorem validum ediderit & lacrymas profuderit; quum tot martyres supplicia sua sustinuerint absque clamore & lacrymis, imò cum gaudio & hilari cantu. Causa discriminis est, quòd Christus in animo pariter & corpore sensit tales dolores, quales damnati sensuri sunt in inferno, ut ita satisfaceret pro nostris peccatis quæ ut sponsor in se susce- *Christi in cruce clamor.*

se susceperat: at martyres non senserunt tales dolores, quippe quos Christus pro illis sensit: sed senserunt tantùm dolores aliquos corporis: atque interim simul senserunt gratiam Dei complectentis ipsos propter Christum; qui sensus gratiæ sensum illum dolorum corporis longè superavit. Quinetiam verisimile est, dolores illos corporis arcanâ potentiâ Dei mirabiliter in illis lenitos ac mitigatos esse: ita ut gaudium illud spirituale non impedirent.

Justificationis causa meritoria. 4 Ex v.8.& 9. Quum Christus per obedientiam passionis suæ factus sit nobis author salutis æternæ: consequens est, obedientiam hanc esse eam ipsam rem quæ nobis ad justitiam coram Deo imputatur. Etenim qua re servati sumus à peccatis & morte æternâ; eâdem re coram Deo justificamur.

Quorum servator sit Christus. 5 Ex v.9. Christus factus est author salutis æternæ non omnibus in universum hominibus: sed tantùm omnibus iis qui ipsi auscultant: hoc est, qui promissis ejus credunt & mandatis obediunt.

Doctrina cælestis. 6 Ex v.11. Causa, cur doctrina cælestis sæpe sit difficilis explicatû, est segnities auditorum. Quare non segnitie istâ excusâ, imitemur diligentiam ac studium Berœensium: qui audita ex Paulo & Sila doctrinâ cælesti, non solùm alacriter eam exceperunt, sed etiam quotidiè scrutati sunt scripturas, an hæc ita se haberent, Act.17.v.11.

Ministri verbi Dei. 7 Ex v.12.13.& 14. In doctore Ecclesiæ requiritur prudētia in discernendis auditoribus, ut sese accommodet eorum captui: rudioribus scilicet proponendo doctrinæ Christianæ rudimenta: peritioribus verò mysteria Scripturæ explicando.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Primùm renovat promissionem doctrinæ de sacerdotio Christi, jam antea propositam superioris cap. v.11. usque ad v.4. Deinde significat, doctrinæ illius fructum non perventurum ad apostatas; quippe quos justo Dei judicio certum maneat exitium, usque ad v.9. Tum asperam illam admonitionem lenit, significatione bonæ suæ spei de perseverantia ipsorum: quâ occasione ipsos tum contra apostasiæ metum consolatur, tum ad perseverantiam in fide exhortatur: idq; partim ab exemplo sanctorum patrum, ac nominatim Abrahæ, partim verò à promissione Dei, jurejurando confirmatâ, usque ad v.19. ubi artificiosè regressionem ad propositum instituit, usque ad fin. cap.

QUapropter omisso qui in Christo rudes inchoat sermone, ad perfectionem feramur: non jacientes rursum fundamentum resipiscentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum:

2 Baptismatum doctrinæ ac manuum impositionis, & resurrectionis mortuorum, & judicii æterni.

3 Atque id faciemus, si modò permiserit Deus.

REnovationem propositionis doctrinæ de sacerdotio Christi infert ex sententia pronuntiata capitis superioris vers.12. in principio, ubi dixit, *Hebræos oportere pro temporis ratione doctores esse*, Hoc est, tanto jam tempore audivisse doctrinam Evangelii de Christo, ut non deceat eis ampliùs rudimenta illius doctrinæ proponere: quippe qui tantum jam debeant profecisse ut ipsi alios docere possint. Inde jam infert, inquiens, *Quapropter omisso sermone de initiis Christi, ad perfectionem* (scil. doctrinæ de Christo) *feramur.* Sic igitur propositionem renovat, & à contrario illustrat. Propositio est, Tradam deinceps doctrinam de Christo perfectam & accuratam atque sublimem. Illustratio: Omittam verò doctrinæ Christianæ initia seu rudimenta. Hanc porrò sententiam declarat appositione exemplorum, commemorans aliquot capita illorum rudimentorum, inquiens: *Non jacientes rursum fundamentum resipiscentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, baptismatum doctrinæ ac manuum impositionis, & resurrectionis mortuorum ac judicii æterni.* Ubi primâ fronte videntur enumerari capita sex: verùm si quis accuratiùs perpendet, videbit illa revocanda esse ad quatuor vel ad tria. Etenim tertium & quartum, videl. de baptismate & impositione manuum, non videntur hîc proponi ut peculiaria doctrinæ capita: sed interponi cæteris declarandi causâ, ad declarandum scil. circumstantiam temporis quo rudimentariis fundamenta illa doctrinæ Christianæ solebant proponi, videlicet eo tempore quo ad baptismum admittebantur adulti, itemque eo, quo pueri in infantia baptizati & in pueritia instituti, coram Ecclesiæ solebant per impositionem manuum in fide Christiana confirmari. Ac de adultis quidem notum est ex Evangelica historia, non fuisse illos priùs baptizatos quàm profiterentur resipiscentiam & fidem. Sic enim Johannes Baptista dicitur prædicasse baptismum resipiscentiæ. Quippe ante baptismum dicebat, *Resipiscite: appropinquavit enim regnum cælorum: & baptizabantur ab eo, confitentes peccata sua*, Matth.3.v.1.2.& 6. Item in Actis cap.8. Philippus Evangelista non priùs baptizat eunuchum illum dynastem reginæ Æthiopum, quàm eum instituisset de Christo, & ille suam in Christum fidem professus esset, à v.27. & deinceps. Porrò tertium & quartum caput, videlicet de resurrectione mortuorum & judicio æterno, ita inter se cohærent, ut ad unum revocari possint; nempe omnes homines, tam impios quàm pios, resurrecturos à mortuis, ut sistantur coram tribunali Christi, & ab eo judicati vel detrudantur in infernum ad sempiternos cruciatus, vel recipiantur in cælum ad sempiterna gaudia.

V.3. propositionem iterum renovat, sed verbo tantùm generali, inquiens: *Atque id faciemus*, hoc est, ad perfectionem feremur, ut dixit v.1. seu perfectam doctrinam de sacerdotio Christi trademus. Deinde hanc sententiam amplificat expositionē causæ corrumpentis, significans, se vereri ne hoc suum propositum impediatur à Deo, inquiens: *Si modò permiserit Deus.* Quod quidem non tam ad ipsam doctrinæ traditionem, quàm ad illius fructum in auditoribus, referendum videtur: quem fructum cùm doctor non consequitur, perinde videtur esse ac si doctrinam ipsam non tradidisset. Innuit autem his verbis apostatas, sicut ex sequentibus apparebit.

4 Impossibile est enim, eos qui semel fuerint illustrati, gustaverintque donum illud cæleste, & participes facti fuerint Spiritus sancti,

5 Gustaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri sæculi:

6 Si prolabantur, denuò renovari ad resipiscentiam; ut qui rursum crucifigant sibi filium Dei, & ad ignominiam exponant.

7 Nam terra quæ imbrem sæpius in se venientem combiberit, & progenuerit herbam accommodam iis per quos excolitur, recipit benedictionem à Deo:

8 At quæ profert spinas & tribulos, rejectanea *est*, & maledictioni proxima: cujus exitus *tendit* ad exustionem.

Deinceps declarat & confirmat id quod superiore versu significavit se vereri eventurum, nempe ne doctrinæ suæ fructus non sit ad omnes perventurus. Declarat igitur, quinam illi sint, videlicet apostatæ, id est, qui à fide ac professione Christi petulanter defecerunt. Quos quidem certò perituros, ac proinde doctrinam suam fructu apud illos cariturum, confirmat à natura Dei immutabiliter justa, qua fieri non potest quin apostatas æterno exitio damnet: quippe Deus non irridetur, hoc est, irrideri se impunè non patitur. Porrò apostatas illos certò perituros, significat remotione causæ corrumpentis, videlicet renovationis ad resipiscentiam. Nam si illis Deus daret ut resipiscerent: non perirent, sed servarentur. Quoniam verò resipiscentiam illis non dat, certò perituri sunt. Quòd autem justo Dei judicio fieri non possit ut illi ad resipiscentiam renoventur: Apostolus ostendit expositione maximi beneficii Dei erga ipsos, & contrà summæ illorum erga Deum ingratitudinis. Beneficium Dei exponit v.4. & 5. ingratitudinem apostatarum, v.6. Beneficium exponit geminum: unum est illustratio mentis, quòd videlicet Deus mentem apostatarum illustraverat cognitione sui, nempe Dei, & inde dependentis suæ ipsorum salutis. Alterum est gustus quidam favoris Dei ac vitæ æternæ, quem illis Deus præbuerat. Utrumque hoc beneficium declarat & amplificat Apostolus expositione causarum adjuvantium duarum: quarum una, est causa cooperans, videl. Spiritus sanctus, per quem Deus & mentes apostatarum illustraverat, & corda eorum aliquo gratiæ Dei ac vitæ æternæ gustu affecerat. Altera verò, est causa instrumentalis, videl. bonum Dei verbum, id est, verbum gratiæ seu verbum Evangelii, quo Spiritus sanctus ut instrumento usus fuerat ad illa effecta in apostatis producenda. Atque hæc de beneficio Dei erga apostatas illos.

Jam ingratitudo apostatarum significatur verbo *prolabendi*, ubi ait v.6. παραπεσόντας. Quo verbo significat, illos petulanter à professione fidei Christianæ defecisse, & gustum illum gratiæ Dei in Christo petulanter excussisse. Atque hæc una est causa quâ demonstrat Apostolus certitudinem exitii apostatarum, videlicet justum judicium Dei quo ingratitudinem illorum punit. Huic addit causam alteram, videlicet inviolabilem majestatem Dei. Deus enim se irrideri, ac majestatem suam violari non patitur. Violaretur autem majestas Dei, si Deus apostatas illos ad resipiscentiam renovaret, ac proinde servaret. Quippe hoc perinde esset ac si illi rursum sibi crucifigerent filium Dei, & ad ignominiam exponerent. Etenim in cruce filii Dei in qua olim salutem se quærere professi fuerunt, eandem verò nunc irrident & contemnunt, denuò profiterentur salutem se quærere: quod quid aliud esset quàm filium Dei ad ignominiam exponere, quasi ipsius gratia petulantibus contemtoribus exposita esset.

Porrò hanc doctrinam de justo Dei judicio in punienda ingratitudine apostatarum, ac proinde de certitudine exitii ipsorum, deinceps v.7.& 8. illustrat similitudine, quâ apostatas comparat terræ reprobræ quæ non respondet laboribus agricolarum; & contrà, eos qui in fide perseverant ac fidei fructus proferunt, comparat terræ bonæ quæ laboribus agricolarum respondet. Cujus utriusque eventum indicat: videlicet terræ bonæ ampliorem benedictionem, reprobæ verò maledictionem atque exustionem.

9 Sed persuasimus nobis de vobis, dilecti, istis meliora, & cum salute conjuncta, etiamsi ita loquamur.

10 Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & laboriosæ charitatis quam demonstrastis erga ipsius nomen, *ut* qui ministraveritis sanctis, & ministretis.

11 Cupimus autem ut unusquisque vestrum idem studium ad finem usque ostendat, ad plenam spei certiorationem:

12 Ut ne sitis segnes, sed imitatores eorum qui per fidem ac patientiam obtinent promissiones.

13 Deus enim, pollicitus Abrahæ, quum non posset per quenquam majorem jurare, juravit per seipsum,

14 Dicens, Certè benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te.

15 Atque ita quum patienter exspectasset, assequutus est promissionem.

16 Nam homines quidem per eum jurant qui sit major: atque iisdem omnis controversiæ finis est jusjurandum ad confirmationem *adhibitum.*

17 Qua in re Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilii sui, fidejussit jurejurando.

18 Ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest ut mentitus sit Deus, validam consolationem habeamus *nos* qui cursum *eò* corripuimus, ut spem propositam obtineamus.

Hîc per prolepsin, precedentis admonitionis asperitatem quasi corrigit ac lenit, significans, se bonam spem concepisse de ipsorum perseverantia in fide & inde consequente salute, versu 9. Deinde hanc sententiam confirmat à causa procreante, videlicet justitiâ Dei; Deus enim quum justus sit, serium studium pietatis non remunerari non potest. Tale autem studium in Hebræis superiore tempore fuisse, & etiamnum esse, ex ipsis eorum factis confirmat, v.10. Quæ quidem laudabilia eorum facta commemorat, non ut eis aduletur aut palpum obtrudat: sed ut ipsos contra metum defectionis consoletur & erigat. Tum sic remotâ causâ falsâ illius suæ admonitionis, videlicet sinistrâ de Hebræis suspicione: exponit causam veram, affirmans v.11. se ideo de apostatarum exitio admonuisse, ut Hebræos illorum exemplo ad perseverantiam & alacritatem in fide excitet. atque sic ipsam principalem exhortationem renovat. Cui mox v.12. nova argumenta duo annectit: unum ab exemplo sanctorum patrum, quorum fidem ac patientiam Hebræis imitandam proponit: alterum ab effectu utili seu læto eventu, videl. adeptione hæreditatis illius cælestis. Quod posterius argumentum confirmat testimonio promissionis divinæ. Postea v.13. & deinceps utrumque illud argumentum illustrat exemplo speciali Abrahæ ac promissionis illi à Deo factæ: quam ipsam promissionem amplificat & confirmat expositione adjuncti jurisjurandi. Quod autem v.15. dicit, Abrahamum assecutum esse promissionem, videl. promissam illam seminis sui multiplicationem: referendum est ad nativitatem Isaaci, in quo semen illud Abrahamo vocandum erat: atque etiam ad adeptionem vitæ æternæ, per Christum semen illud benedictum ex Isaaco nasciturum acquirendæ. Postea v.16. illud jusjurandum Dei illustrat collatione duplici: unâ dissimilium, alterâ imparium. Dissimilium collatio est, quòd homines jurant per majorem, videlicet per Deum: at Deus non jurat per majorem, quippe quum majorem se non habeat: sed jurat per seipsum, tanquam ipsam veritatem ac omnis veritatis fontem. Imparium collatio est, quòd jurisjurandi etiam humani, seu ab homine jurati, tanta vis atque authoritas est, ut ei fides habeatur, atque ita controversiæ finiantur: quantò igitur magis fides habenda est juranti Deo? quippe quum omnis homo mendax sit, Deus autem mentiri non possit. Postremò v.17. & 18. illius jurisjurandi Dei finem exponit, videlicet ut fideles habeant validam consolationem: atque ita propositam exhortationem concludit, nempe perseverandum esse in fide, atque patienter exspectandam hæreditatem illam cælestem: quippe quum illa fidelibus à Deo mentiri nescio cum jurejurando promissa sit.

19 Quam velut animæ anchoram habemus tutam ac firmam, & ingredientem usque in ea quæ sunt intra velum:

20 Quò præcursor pro nobis ingressus est Jesus, factus secundùm ordinem Melchisedec pontifex in æternum.

Quoniam in fine præcedentis exhortationis mentionem fecit spei, nunc illâ occasione artificiosissimè regreditur ad propositum, videl. ad promissionem doctrinæ de sacerdotio Christi, & comparatione illius cum Melchisedeco, propositam superioris capitis vers.11. ex quo loco hucusque digressio fuit, qua segnitiem Hebræorum objurgando & ad alacritatem eos excitando, ad doctrinam sequentem eos præparavit. Spem igitur anchoræ comparat. nam quemadmodum anchora in profundum maris projecta, navim firmat & à submersione tutam reddit, nautasque conservat, ut tandem cessante tempestate salvi in portum perveniant: sic spes in ipsum cælum penetrans atque illic in Christo fixa, firmat corda credentium, & ab exitio æterno tutos eos reddit, denique in tempestate persecutionum eos conservat, ut tandem salvi in portum patriæ cælestis perveniant. Porrò Apostolus cælum singulari consilio atque artificio significat periphrasi sanctuarii; in quod pro nobis ingressus sit Jesus: ut nimirum ita redeat ad sacerdotium Christi: quippe summus sacerdos quotannis semel pro populo in sanctuarium tabernaculi, ac postea templi, ingrediebatur. Quo consilio etiam repetit verba illa Psal.110. à Deo ipso de sacerdotio Christi pronuntiata: quæ verba seq.cap. explicaturus est.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 Quapropter] διὸ. *Scil. quia vos pro temporis ratione oportet doctores esse: suprà 5. v.12.* Ad perfectionem] ἐπὶ τὴν τελειότητα. *Scil. doctrinæ de Christo.* Ab operibus mortuis] ἀπὸ νεκρῶν ἔργων. *Id est, à peccatis: quæ mortem adferunt. Metonymia effecti: & periphrasis ex effecto.*

2 Baptismatum doctrinæ, ac manuum impositionis] βαπτισμῶν διδαχῆς, ἐπιθέσεώς τε χειρῶν. *Hæc præcedentibus incisis annectuntur per appositionem: quasi dicat, Quæ doctrina solet catechumenis tradi antequam baptizentur, vel manuum impositione in fide Christiana confirmentur.*

3 Atque id faciemus] καὶ τοῦτο ποιήσομεν. *Id est, ad perfectionem feremur: ex versu primo.* Si modò permiserit Deus] ἐάνπερ ἐπιτρέπῃ ὁ θεός. *Innuit, se diffidere de doctrina suæ fructu apud omnes, eò quòd nonnulli à fide Christiana petulanter defecerint.*

4 Illustrati] φωτισθέντες. *Videl. verâ cognitione Dei.* Gustaverintque donum illud cæleste] γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου. *Id est, gustum aliquem perceperint vitæ æternæ, quæ est donum Dei, & quæ plenè gustabitur in cælo.* Et participes facti fuerint Spiritus sancti] καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου. *Id est, participes facti fuerint fidei per operationem Spiritus sancti. Metonymia efficientis. Intelligendum est autem hoc de fide temporaria.*

5 Bonum Dei verbum] καλὸν θεοῦ ῥῆμα. *Videl. verbum Evangelii. Periphrasis ex adjuncto. Bonum: id est, jucundum. Synecdoche generis.*

6 Si prolabantur] καὶ παραπεσόντας. *Id est, si à professione fidei Christianæ deficiant. Hunc esse sensum, percipitur ex antithesi.* Denuò renovari] πάλιν ἀνακαινίζειν. *Ad verb.* Denuò renovare. *Hæc pendent à nomine ἀδύνατον, in principio v.4. Est autem Græcismus, ἀδύνατον ἀνακαινίζειν, scil. τινά: Fieri non potest, ut quis renovet. Sic sup.5. v.12. χρείαν ἔχετε τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς, id est, ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς.* Et ad ignominiam exponant] καὶ παραδειγματίζοντας. *Eodem verbo utitur Matthæus c.1. v.19.*

12 Promissiones] τὰς ἐπαγγελίας. *Id est, promissam illam hæreditatem. Metonymia adjuncti, & synecdoche generis. Sic mox.*

13 Assequutus est promissionem] ἐπέτυχε τῆς ἐπαγγελίας. *Id est, res promissas. Videl. Isaacum: in quo semen illud Abrahamo promissum vocandum erat: & ex consequente etiam vitam æternam per semen illud benedictum acquirendam.*

17 Fidejussit] ἐμεσίτευσεν. *Vel,* Intervênit: *sicut* Ulpianus *(referente Bezâ) interventorem vocat eum qui fidejubet.*

18 Spem] ἐλπίδος. *Id est, vitam æternam, quam speramus. Metonymia adjuncti.*

19 Quam] ἣν. *Scil. spem. Hîc autem vocabulum* spei *accipitur propriè. Est igitur tacita ἀντανάκλασις.* Usque in ea quæ sunt intra velum] εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος. *Ad verbum,* In interius *(hoc est, interiorem partem)* veli. *Id est, usque in cælum, quod per sanctuarium tabernaculi & templi fuit præfiguratum. Periphrasis, & metonymia adjuncti.*

20 Pro nobis] ὑπὲρ ἡμῶν. *Id est, nostrâ causâ: ut nimirum illic pro nobis apud Deum appareat & interpellet. Infrà 9.24.* Ingressus est] εἰσῆλθεν. *Nempe sicut Leviticus pontifex quotannis semel ingrediebatur in sanctuarium ad orandum pro populo.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

1. Ex v.1. Recurrit hîc eadem observatio, quam annotavimus in fine capitis præcedentis, de doctrina accommodanda captui auditorum.

2 Ex eod. v. Quum peccata nominentur opera mortua, eò quòd illis perpetrandis mortem æternam commereamur, caveamus igitur ab illis. Huc pertinet illud Rom.6. v.ult. *Stipendia peccati, mors.* *Officium hominis Christiani.*

3 Ex v.2. Quum adultus quispiam baptizatur: proponenda est illi prius doctrina resipiscentiæ & fidei, confessioque hujus ab eo requirenda. Vide exempla Matth.3. v.1.2. & 6. Act.8. v.27. & deinceps. *Baptismus.*

4 Ex eod. vers. Qui in infantia baptizati sunt: illi quum primùm doctrinæ sunt capaces, instituendi sunt de resipiscentia & fide: quumque hanc doctrinam perceperunt, confessio ejusdem ab illis requirenda est coram ecclesia, ipsique adhibitâ impositione manuum in illa sunt confirmandi. Quanquam ipsam manuum impositionem putamus liberæ observationis esse; ut *Officium parentum.*

cujus

cujus exemplum quidem apostolicum exstet, non autem præceptum Christi.

Officium hominis Christiani.

5 Ex verſ. 4.5.6.7. & 8. Quum apoſtatas certum maneat exitium: oremus Deum ut gubernet nos Spiritu ſancto, & in fide atque reſipiſcentia nos confirmet.

Perſeverantia ſanctorũ. Antilogia apparentis conciliatio.

6 Ex verſ. 4.5.& 6. Quum Apoſtolus hoc loco tradat, amitti poſſe Spiritum ſanctum: quæritur, quomodo hæc doctrina conveniat cum doctrina ſcripturæ de perſeverantia ſanctorum, quæ traditur in his locis: Johan. 10. v. 28. ait Chriſtus de ovibus ſuis, (hoc eſt, de electis in ſe credentibus) *non perituras in æternum, nec rapturum eas quenquam è manu ſua.* Si autem amittere poſſent Spiritum ſanctum, poſſent etiam rapi è manu Chriſti perire. Luc. 22. v. 32. Chriſtus ait Petro, *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Ergo Petrus, quamvis Chriſtum ore negavit, tamen fidem in corde retinuit. 1. Cor. 10. v. 13. *Tentatio vos non cepit niſi humana. Fidelis autem eſt Deus, qui non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed præſtabit unà cum tentatione etiam evaſionem, ut poſſitis ſufferre.* His verbis conſolatur Apoſtolus verè credentes, promittens fore ut in nulla unquam tentatione ita ſuccumbant, ut fidem amittant & gratiâ Dei excidant: ſed potiùs ex tentatione evadant, & in fide firmi perſiſtant. Matth. 24. v. 24. ait Chriſtus: *Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & edent ſigna magna & miracula: ita ut ſeducant (ſi fieri poſſit) etiam electos.* His verbis ſignificat Chriſtus, fieri non poſſe ut electi ſeducantur, & à verâ fide avertantur. Cum his & ſimilibus ſcripturæ locis non videtur conſentire quod hoc loco traditur, videl. Spiritum ſanctum poſſe amitti. Reſpondeo: Hic locus intelligendus eſt de tali fide & cognitione ſalutis æternę quę conjuncta quidem eſt cum levi ſeu tenui quodam guſtu ſuavitatis vitæ æternæ, veruntamen non habet adjunctam immutationem voluntatis ad diligendum Deum pro tanto beneficio. De quali fide loquitur & Chriſtus Luc. 8. v. 13. ubi ait, *quoſdam excipere ſermonem cum gaudio & credere ad tempus: ſed non habere radices,* ac proinde tempore tentationis deficere. At loca paulo-antè citata loquuntur de fide vera, quæ adjunctam habet dilectionem Dei.

De reſipiſcētia lapſorũ.

7 Ex iiſdem verſibus. Quum Apoſtolus hoc loco neget, fieri poſſe ut lapſi renoventur ad reſipiſcentiam: quæritur, quomodo hæc doctrina conveniat cum exemplo Petri; qui lapſus quidem fuit, Chriſtumque ter abnegavit, veruntamen mox converſus reſipuit. Reſpondeo: Petrus lapſus fuit ex infirmitate ac metu perſecutionis, Chriſtum autem quem ore negavit, corde conſtanter dilexit: at hoc loco ſermo eſt de iis, qui petulanter à Chriſto deficiunt, eumque odio proſequuntur: & contemnunt. Quare Novatiani non rectè ex hoc loco veniam negarunt iis, qui quum ex infirmitate lapſi eſſent, Chriſtumque negaſſent, poſtea pœnitentiâ ducti in Eccleſiam iterum recipi petiverunt.

Officium hominis Chriſtiani.

8 Ex v. 7. Demus operam ut imbre verbi Dei ac Spiritus ſancti perfuſi, proferamus herbas bonorum operum, placentes Deo. Sic enim futurum eſt, ut benedictionem à Deo recipiamus.

Miniſtri verbi Dei.

9 Ex v. 9. Exemplo Pauli paſtori in docendo adhibenda eſt hæc prudentia: ut ſi quid aſperum dixit in impios, aſperitatem illam mitiget ſignificatione bonæ ſuæ ſpei de piis.

Bona opera. Vita æterna.

10 Ex v. 9. & 10. Quum Apoſtolus hoc loco ſalutis communicationem adſcribat juſtitiæ Dei & bonis operibus Hebræorum: quæritur, an igitur bonis operibus ſalutem ſeu vitam æternam promereamur? Reſpondeo: Vitam æternam ſolus Chriſtus ſuâ morte nobis eſt promeritus, ut paſſim ſcriptura docet: interim tamen ordo juſtitiæ Dei poſtulat, ut fidelium pietatem remuneretur, tametſi id facit ex gratia. Vide ſimilem locum 2. Theſſ. 1. v. 5. 6. & 7.

Charitas.

11 Ex verſ. 10. Vera charitas non conſiſtit in ſola humanitate verborum, ſed inprimis in opere & labore, adeò ut in gratiam fratrum egenorum non recuſemus etiam moleſtias ſuſcipere. Confer 1. Joh. 3. v. 18. Jacob. 2. v. 15. & 16.

Beneficentia.

12 Ex eod. v. Quum benefacimus fratribus egenis, maximè iis qui propter confeſſionem veritatis evangelicæ perſecutionem patiuntur, inprimis ſpectare debemus nomen Dei, ut ſcil. ideo promtè & ſtudioſè eis benefaciamus, quia Deus id nobis præcepit: ut ita nomen ipſius per nos glorificetur.

Perſeverantia in fide.

13 Ex v. 11. Non eſt ſatis cœpiſſe in Chriſtum credere & pietati ſtudere: ſed in fide ac ſtudio pietatis ad finem uſque perſeverandum eſt. nam (ut Chriſtus ait) *qui perſeveraverit uſque ad finem, ſalvus erit.*

Scriptura. Exempla.

14 Ex v. 12. Exempla fidei & patientiæ ſanctorum in ſcriptura nobis proponuntur, ut ea imitemur.

Fides.

15 Ex eod. verſ. & ex 15. Vera fides cum patientia conjuncta eſt, qua patienter exſpectatur hæreditas à Deo promiſſa. Vide Rom. 5. v. 3.

Bonitas Dei.

16 Ex v. 13.14.15.16.17. & 18. Magna eſt Dei bonitas erga nos: qui habitâ ratione infirmitatis noſtræ, non contentus nudè promittere nobis vitam æternam propter Chriſtum, (in quali nuda promiſſione meritò debebamus acquieſcere: quum Deus mentiri non poſſit) inſuper ad promiſſionem adjungit jusjurandum. Huc etiam pertinet, quod promiſſionem gratiæ viſibilibus ſignis (quæ ſacramenta uſitatè nominantur) nobis obſignavit.

Juramentũ.

17 Ex v. 16. Quum Spiritus ſanctus hoc loco per os Pauli jusjurandum legitimum (quale eſt quod magiſtratus litigantibus in foro injungit) approbet; conſequens eſt, errare Anabaptiſtas, qui jurare homini Chriſtiano ſimpliciter fas non eſſe putant. Quod autem pro ſuo errore confirmando adferunt dictum Chriſti Matthæi 5. *Ne jurate omnino:* ſciendum eſt, non niſi temeritatem jurandi illis verbis à Chriſto vetari: ut liquet ex antitheſi, quum dicit: *Sermo autem veſter ſit, Etiam, etiam: Non, non &c.*

Salus.

18 Ex verſ. 17. & 18. Deus ſuum de noſtra ſalute conſilium patefecit nobis verbo promiſſionis & jurisjurandi: quale eſt illud Chriſti, 1. Johan. 5. v. 24. *Amen amen dico vobis, qui ſermonem meum audit & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam &c.* Quare quum per Dei gratiam credimus verbo Dei, & ad Deum converſi ſumus: certò ſtatuamus, nos vitam æternam ex immutabili Dei conſilio obtenturos.

Officium hominis Chriſtiani.

19 Ex v. 19. Quum in tempeſtate ac procellis perſecutionum opus habeamus anchorâ ſpei: oremus Deum ut augeat nobis fidem. Quantum enim augetur fides, tantum etiam augetur ſpes: ut quæ fidem neceſſariò comitatur.

Conſolatio pro fidelibus.

20 Ex v. 20. Quum Chriſtus in cælum ingreſſus ſit tanquam noſter præcurſor: conſequens eſt, nos quoque ſuo tempore illò ingreſſuros. Idcirco enim ingreſſus ille eſt, ut nobis pararet locum: ſicut ipſemet teſtatur Joh. c. 14.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Deinceps ampliùs ac fuſiùs diſputaturus de ſacerdotio Chriſti, in hoc capite primùm eum comparat cum Melchiſedeco, oſtendens per typum illius, qualis & quantus ſit: eaq; occaſione redit ad comparationem ipſius cum pontifice Levitico, quam inſtituit ſuprà in principio cap. 5. Oſtendit autem aliquot argumentis, Chriſtum pontificem pontifice Levitico longè præſtantiorem, itemq; ſacerdotium ipſius ſacerdotio iſtius multò præſtantiùs eſſe.

NAm hic Melchiſedec rex *erat* Salem, pontifex Dei altiſſimi; qui occurrit Abrahæ revertenti à cæde regum, & benedixit ei:

2 Cui & decimas ex omnibus impartitus eſt Abraham. Qui primùm quidem ex interpretatione dicitur rex juſtitiæ, deinde verò etiam rex Salem; quod eſt rex pacis.

3 Sine patre, ſine matre, ſine genere: nec initium dierum, neque vitæ finem habens: ſed aſſimilatus filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum.

CHriſtum cum Melchiſedeco comparat ut ſimilem: cujus comparationis protaſin per partes enuntiat & exponit v. 1. & 2. & maximâ parte 3. ἀπόδοσιν verò notat uno verbo generali, dicens: *Melchiſedecum aſſimilatum eſſe filio Dei*, ſub finem v. 3. In protaſi primùm narrat, quis & qualis fuerit Melchiſedec, item quomodo ſe geſſerit erga Abrahamum, ac viciſſim quomodo ſe Abraham geſſerit erga ipſum, v. 1. & primo membro v. 2. Deinde narrata illa typicè exponit: quæ expoſitio ipſius ἀποδόσεως ſententiam innuit: reliquâ parte v. 2. & v. 3. toto. Porrò comparatio iſta ſi integrè ſuis membris explicetur, ſic erit:

Sicut Melchiſedec	Sicut Chriſtus
1 Fuit ſimul rex & ſacerdos:	Simul eſt rex & ſacerdos.
2 Ratione nominis, fuit rex juſtitiæ:	Eſt verus rex juſtitię: quippe qui populo ſuo juſtitiam ſempiternam adduxit, Daniele teſte.
3 Fuit rex Salem, id eſt, pacis.	Eſt verus rex pacis: quippe qui reconciliavit nobis Deum.
4 Fuit ſacerdos Dei altiſſimi:	Eſt verus ſacerdos: quippe qui ſacrificio ſuo verè expiavit peccata populi ſui.
5 Introducitur in ſcriptura ſine patre, ſine matre, ſine genere, tanquam non habens initium dierum:	Eſt verè ἀπάτωρ, ſecundùm humanam naturam; & verè ἀμήτωρ, ſecundùm naturam divinam.
6 Introducitur tanquam non habens vitæ finem, ſed perpetuo ſacerdotio fungens:	Verè æternus ſacerdos eſt: quippe cujus ſacrificium ſemel oblatum æternam vim habet, quiq; nũc ſanctuario cęleſti perpetuò pro nobis intercedit.

4 Spectate verò quantus hic *fuerit*, cui etiam decimas ſpoliorum dederit Abraham patriarcha.

5 Et ii quidem qui ſunt ex filiis Levi, ſacerdotio fungentes, præceptum habent decimarum accipiendarum à populo ſecundùm Legem; hoc eſt, à fratribus ſuis, licet egreſſis ex lumbis Abrahæ.

6 Is verò cujus genus ad illos non refertur, deci-

mas accepit ab Abraham, & habenti promissiones benedixit.

7 Porrò sine ulla controversia, id quod minus est, ab eo quod majus est benedicitur.

8 Atque hîc quidem homines qui moriuntur, decimas accipiunt: illic autem is de quo testatum est quòd vivat.

9 Et (ut ita loquar) in Abraham decimatus est etiam ipse Levi, qui decimas solet accipere.

10 Nam is adhuc in lumbis patris erat, quum occurreret Abrahæ Melchisedec.

Jam occasione typi Melchisedeci redit ad comparationem sacerdotii Christi cum sacerdotio Levitico: quam hîc instituit ratione quantitatis, ostendens, Christum pontificem pontifici Levitico itemque sacerdotium Christi sacerdotio Levitico longè præstare. Cujus præstantiæ sex argumenta in hoc capite afferet: ex quibus primum in verbis propositis continetur. Id sumtum est à pari. Summa ejus hæc est:

Si Melchisedec præstantior fuit sacerdotibus Leviticis: ergo & Christus eisdem præstantior est. Ratio consequentiæ; *quia Christus Melchisedeco similis est*, ut jam est ostensum. Vel à minori; *quia Melchisedec fuit typus Christi.*

Atqui Melchisedec præstantior fuit sacerdotibus Leviticis.

Ergo multò magis Christus, per Melchisedecum præfiguratus, sacerdotibus Leviticis præstantior est.

Hic syllogismus principalis est: cujus assumtionem Apostolus approbat primùm sic:

Melchisedec fuit major Abrahamo.

Ergo etiam sacerdotib. Leviticis, quippe ex Abrahamo ortis.

Hujus enthymematis antecedens probat ex facto, videlicet decimatione. nam

Major est qui decimas accipit, quàm is qui dat.

Atqui Melchisedec ab Abrahamo decimas accepit, Abraham verò illi dedit.

Ergò major Abrahamo Melchisedec.

Propositionem hujus syllogismi Apostolus omittit, ut notam Hebræis & confessam: assumtionem verò cum conclusione sic enuntiat: *Spectate verò quantus hic* (nempe Melchisedec) *fuerit.* hæc est sententia conclusionis, nempe Melchisedecum summâ dignitate præditum, atque adeò Abrahamo majorem fuisse. tum annectitur assumtio his verbis: *Cui etiam decimas spoliorum dederit Abraham patriarcha.* Assumtio (ut apparet) amplificata est ab adjuncta Abrahami dignitate: quum exprimitur, eum fuisse patriarcham, id est, unum ex sanctis illis patribus qui populi Dei principes seu primi patresfamiliâs fuerunt, à quibus proinde populus Dei tanquam à stirpis suæ origine seu radice denominari in scriptura solet; ut nimirum dicantur filii Abrahæ, item filii Israël &c. Præterea assumtionem amplificat & illustrat collatione Melchisedeci cum sacerdotibus Leviticis, quæ collatio est imparium. Summa hæc est: Sacerdotes Levitici decimas accipiunt à filiis Abrahæ, quæ quidem magna est dignitas, vers. 5. at Melchisedec decimas accepit ab ipso Abraham: quæ dignitas longè major est, v. 6. Deinde annectit alteram probationem, ad ostendendum, Melchisedecum majorem fuisse Abrahamo: id quod ipsum quoque ex facto probat, videl. benedictione. Syllogismus hic est:

Qui alteri benedicit, is illo major est, v. 7.

Melchisedec benedixit Abrahamo, v. 6.

Melchisedec igitur Abrahamo major est.

Assumtionem amplificat Apostolus ab adjuncto quodam quasi privilegio Abrahæ, videl. singulari quadam dignitate Dei: quippe qui Abrahamo dignatus est apparere, eique amplissimas promissiones dare. De hoc ait Apostolus, *& habenti promissiones benedixit.* Propositionem verò confirmat testimonio communis omnium confessionis, inquiens; *Sine ulla autem controversia &c.* Atque sic probavit Apostolus, Melchisedecum præstantiorem fuisse Abrahamo, & per consequens etiam sacerdotibus Leviticis. Deinceps duo alia argumenta affert, quibus assumtionem syllogismi principalis approbat. Illorum prius continetur v. 8. posterius, v. 9. & 10. Prioris sententia hæc est:

Sacerdos immortalis præstat mortali.

Atqui Melchisedec est sacerdos immortalis: Levitæ verò mortales.

Ergo Melchisedec sacerdotibus Leviticis præstat.

Propositio, ut nota, omittitur. Assumtionis pars prior testimonio scripturæ confirmatur; ubi dicitur, *de quo testatum est, quòd vivat.* quibus verbis Apostolus respicit ad formam historiæ, quam in principio capitis summatim recitavit ex Genes. 14. ubi Melchisedeci sacerdotis ita fit mentio, ut tamen nulla fiat mentio vel ortus, vel mortis ipsius, non secus ac si nec initium nec finem vitæ habuisset. Altera autem probationis pars per se nota est, & ex successione Leviticorum sacerdotum facilè demonstratur. Posterioris argumenti sententia est hæc:

Qui decimas accipit, major est eo à quo accipit.

Melchisedec decimas accepit à sacerdotibus Leviticis, v. 9.

Ergo Melchisedec sacerdotibus Leviticis major est.

Propositio, ut nota, omittitur. Assumtio amplificatur primùm correctione quadam, quâ significatur, non simpliciter, sed secundùm quid intelligendam esse. Deinde amplificatur expositione adjunctæ dignitatis sacerdotum Leviticorum, quod nimirum decimas soleant accipere. Probatur verò sic:

Si Levitici sacerdotes fuerunt in lumbis Abrahæ, quum is à Melchisedeco decimatus est; ergo ipsi quoque à Melchisedeco decimati sunt.

Sed Levitici sacerdotes fuerunt tum in lumbis Abrahæ, vers. 10.

Ergo Levitici sacerdotes à Melchisedeco decimati sunt, v. 9.

11 Porrò, si consummatio per Leviticum sacerdotium erat, (nam populus super hoc leges accepit) quid ampliùs erat opus alium exoriri sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec, nec secundùm ordinem Aaronis dici?

12 Quum enim transfertur sacerdotium, necesse est ut legis quoque translatio fiat.

13 Nam *is* de quo hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinet, de qua nullus attendit altari.

14 Palàm est enim, è tribu Juda exortum esse Dominum nostrum: cui tribui nihil de sacerdotio loquutus est Moses.

15 *Idq́*, etiam magis patet *ex eo*, quòd ad instar Melchisedec exoritur sacerdos alius:

16 Qui non ex Lege, cujus mandatum sit carnale, factus est *sacerdos*, sed ex vi indissolubilis vitæ.

17 Testificatur enim ad hunc modum, Tu *es* sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec.

18 Nam mandatum præcedens abrogatur propter ipsius imbecillitatem & inutilitatem.

19 Nihil enim sanctificavit lex; sed superinductio spei melioris, per quam appropinquamus Deo.

Hîc sequitur secundum præstantiæ argumentum, quòd scil. sacerdotium Christi sacerdotio Levitico præstet. Id sumtum est ex effectis. Sententia hæc est:

Sacerdotium quo populus sanctificatur, præstantius est sacerdotio quo nihil sanctificatur.

Atqui sacerdotio Christi populus sanctificatus est, sacerdotio autem Levitico nihil est sanctificatum.

Ergo sacerdotiū Christi sacerdotio Levitico præstantius est.

Propositio, ut nota, omittitur. Assumtionis pars prior confirmabitur infrà cap. 9. Posterior verò confirmatur hîc ex facto Dei, videlicet constitutione sive ordinatione novi sacerdotis: quod argumentum concluditur syllogismo connexo, ad hunc modum:

Si sanctificatio per Leviticum sacerdotium erat, nihil erat opus alium exoriri sacerdotem: v. 11.

Atqui erat opus alium exoriri sacerdotem.

Ergo sanctificatio non contigit per Leviticum sacerdotium.

Apostolus primùm conclusionem amplificat prolepsi, ubi per parenthesin dicit; *Populus enim super hoc* (videlicet sacerdotio Levitico) *leges accepit.* quasi dicat; Quum Deus certas leges populo præscripserit de sacerdotio Levitico observando: videri possit, illud vim habere ad sanctificandum. Deinde assumtionem probat ex ipso Dei facto, qui quum sapientissimus sit, nihil temere aut frustra facit; is autem durantibus sacerdotibus Leviticis instituit alium sacerdotem, videlicet secundùm ordinem Melchisedec, non autem secundùm ordinem Aaronis, versu 11. in fine. Hanc sententiam amplificat prolepsi. Poterat enim quis excipere; Esto, constituerit Deus sacerdotem alium, id est, ex alia tribu quàm ex Levitica; num propterea necesse est ut ipsa sacerdotii lex sive ordo immutetur; ita ut non maneat ampliùs ordo Aaronis, sed instituatur ordo sacerdotii novus? Omnino, inquit Apostolus, versu 12. *Quum enim transfertur sacerdotium,* videlicet ex una tribu in aliam *) ex necessitate etiam legis translatio* (hoc est, immutatio) *fit.* Per legem autem hîc intelligit legem sacerdotii, quam superiore versu *ordinem* appellaverat. Porrò quòd sacerdos quem Deus Psalm. 110. instituit, sit alius à sacerdotibus Leviticis, probat v. 13. & 14. ex re ipsa, ad hunc modum:

Is de quo ista in Psalmo dicuntur, Tu es sacerdos &c. (*videlicet Dominus noster Jesus Christus*) *est ex tribu Juda: v. 13. & 14.*

Ergo non est ex tribu Levi: & per consequens, alius est à sacerdotibus Leviticis.

Antecedens Apostolus probat testimonio publici consensus, ubi ait, *Palàm est.* Quod ipsum confirmatur quoque ex loco illo Psalmi. nam Davidem illic de Christo loqui, certum est ex testimonio Christi, Matth. 22. vers. 42. 43. & 44. Christus autem ex Davide, ac proinde ex tribu Juda oriturus erat; ut

notum

notum est. Item sacerdotium Christi diversi ordinis esse à Levitico, sic probat:

Nullus de tribu Juda constitutus est ut attendat altari, & sacerdotio illo Levitico fungatur, v.13. & 14.

At quidam de tribu Juda (videl. Jesus Dominus noster) constitutus est à Deo sacerdos: quippe de quo illa in Psal.110. dicuntur, v.4.

Ergo quidam à Deo constitutus sacerdos (videl. Jesus Dominus noster) non est constitutus ut serviat altari, & sacerdotio illo Levitico fungatur. Et per consequens, alterius ordinis sacerdos est.

Deinde idipsum probat v.15. ex verbis Psalmi 110. ubi Deus pater ad Christum dicit, *Tu es sacerdos secundùm ordinem Melchisedec.* quibus verbis per tacitam antithesin significatur, Christum non esse sacerdotem secundùm ordinem Aaronis seu Leviticum. Postea v.16. & deinceps diversitatem utriusque sacerdotii expressè declarat, atque ita ad principale illud argumentum ab effectis ductum redit; dum sacerdotium Leviticum nominat *carnale*, id est, in cærimoniis positum, v.16. item *infirmum & inutile*, nempe ad populum sanctificandum, v.18. denique *tale quo nihil sanctificatū sit*, v.19. Contrà verò sacerdotio Christi tribuit vim indissolubilis vitæ, v.16. quam sententiam v.17. testimonio Psalmi 110. confirmat: item vocat illud *superinductionem* (ἐπεισαγωγὴ) *spei melioris per quam appropinquamus Deo*, v.19.

20 Et quatenus non absque jurejurando,

21 (Nam illi quidem, citra jusjurandum sacerdotes facti sunt: hic verò cum jurejurando, per eum qui dixit ei, Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melschisedec.)

22 Eatenus potioris federis sponsor factus est Jesus.

Sequitur tertium argumentum præstantiæ sacerdotii Christi supra Leviticum, quod sumtum est à subjecto occupante, sive objecto, nempe federe, in quo sanciendo tum Christus, tum Levitici sacerdotes occupantur. Sententia hæc est:

Sacerdos qui præstantioris federis sponsor est, præstantior est sacerdote qui sponsor est federis minùs præstantis.

Atqui Jesus præstantioris federis sponsor est, quàm sacerdotes Levitici: v.22.

Ergo Jesus Leviticis sacerdotibus præstantior est.

Assumtionem probat ab effectu, videl. jurejurando Dei, ad quod illum in Jesu sacerdote ordinando movit illa præstantia federis, ad quod sanciendum eum ordinavit. Syllogismus ita est:

Sacerdos qui cum jurejurando à Deo ordinatus est, præstantioris federis sponsor est quàm sacerdotes qui ordinati sunt absq; jurejurando.

Atqui sacerdotes Levitici absq; jurejurando ordinati sunt, Jesus autem cùm jurejurando, v.21.

Ergo Jesus præstantioris federis sponsor est quàm sacerdotes Levitici.

Hujus syllogismi assumtionem probat testimonio Psal.110. *Juravit Dominus &c.*

23 Et illi quidem, plures facti sunt sacerdotes, quòd mors prohiberet eos permanere:

24 At iste, propterea quòd in æternum manet, perpetuum habet sacerdotium.

25 Unde & servare perfectè potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpellet pro eis.

Quartum hîc sequitur præstantiæ argumentum: quod sumtum est ab adjunctis, videlicet mortalitate & immortalitate. Sententia hæc est:

Sacerdos immortalis & perpetuo sacerdotio fungens, præstantior est mortali & qui perpetuo sacerdotio non fungitur.

At Christus est sacerdos immortalis & perpetuo sacerdotio fungens, v.24. Levitici verò sacerdotes sunt mortales, nec perpetuò sacerdotio funguntur, v.23.

Christus igitur sacerdotibus Leviticis præstantior est.

Ex hoc adjuncto sacerdotii Christi infert v.25. corollarium seu πόρισμα de effectu illius, videlicet salute perfectâ & æternâ credentium. nam sicut sacerdotium Christi æternum est & intercessio perpetua: sic etiam effectus illius æternus est, videlicet salus credentium.

26 Talis enim nos decebat pontifex, sanctus, innocens, impollutus segregatus à peccatoribus, & sublimior cælis factus:

27 Cui non sit certo die necesse, quemadmodum illis pontificibus, priùs pro peccatis propriis victimas offerre, deinde *pro peccatis* populi: id enim fecit semel quum semetipsum obtulit.

28 Lex enim homines constituit pontifices, infirmitate laborantes: at sermo jurisjurandi post Legem *concepti*, Filium *constituit* qui in æternum est sanctificatus.

Hîc quintum & sextum præstantiæ argumentum conjunctim proponuntur. Quintum est ab adjunctis, videlicet sanctitate & peccato:

Sanctus pontifex præstat pontifici peccatori.

Christus est sanctus pontifex, v.26. at pontifices Levitici sunt peccatores, v.27.

Christus igitur pontificibus Leviticis præstat.

Assumtionis partem utramque probat ex effectis, v.27. nempe quòd Christo non fuit opus pro peccatis propriis victimas offerre, quemadmodum pontificibus Leviticis.

Sextum argumentum sumtum est ab adjuncta gloria regia:

Christus est sublimior cælis factus, id est, ad gloriam regiam exaltatus: ad qualem scil. gloriam nemo pontificum Leviticorum exaltatus est.

Est igitur Christus pontificibus Leviticis præstantior.

Ad extremum repetit argumentum præstantiæ secundum in fine v.27. ibi, *Id enim fecit &c.* & v.ult. Sententia est:

Sacerdos qui tam potens est ut unico sacrificio in æternum sanctificet eos qui ipso confidunt, præstat sacerdoti infirmo, qui quantumvis crebrò repetitis sacrificiis neminem tamen sanctificare potest.

At illiusmodi est Christus: istiusmodi verò sacerdotes Levitici.

Ergo Christus sacerdotibus Leviticis præstat.

Assumtionis prior pars confirmatur testimonio jurisjurandi Dei, ex Psal.110.

SCHOLIA IN CAP. VII.

3 Sine patre &c.] ἀπάτωρ &c. *Id est, cujus nec pater, nec mater, nec genus, nec ortus, nec exitus vitæ in scriptura indicatur.* Sine genere] ἀγενεαλόγητος. *Vel, sine recensione generis: id est, majorum è quibus fuit ortus.*

9 In Abraham] διὰ Ἀβραὰμ, *Vel, per Abrahamum, tanquam personam intermediam.*

11 Consummatio] τελείωσις. *Vel, sanctificatio: scil. populi Dei.* Super hoc leges accepit] ἐπ' αὐτῇ νενομοθέτητο. *Id est, de sacerdotio Levitico observando certas leges à Deo accepit: unde illud videri possit vim habere ad sanctificandum.* ἐπ' αὐτῇ, *scil.* ἱερωσύνῃ. *Pro,* περὶ αὐτῆς. *Præpositio* ἐπὶ *respondet præpositioni Hebraicæ* על *hál. Sic iterum paulò pòst v.13. quanquam diversâ syntaxi.*

12 Quum enim transfertur sacerdotium] μετατιθεμένης γὰρ τῆς ἱερωσύνης. *Intellige, quum transfertur sacerdotium ex una tribu in aliam, puta ex tribu Levi in tribum Juda: ut declaratur per sequentia.* Legis] νόμου. *Intelligit legem sacerdotii: quam superiore v. ordinem appellaverat.* Translatio] μετάθεσις. *Hoc est, immutatio.*

13 De quo] ἐφ' ὃν. *Id est,* περὶ οὗ. Dicuntur hæc] λέγεται ταῦτα. *Videl. paulò antè recitata ex Psal.110.* Tu es sacerdos &c.

16 Carnale] σαρκικῆς. *Nempe in cærimoniis positum.*

18 Inutile] ἀνωφελές. *Videl. ad populum sanctificandum. Sicut mox declaratur. Nam alioquin utile fuit ad erudiendum. Synecdoche generis.*

19 Sed superinductio spei melioris] ἐπεισαγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος. *Id est, Sed sacerdotium Christi sanctificavit populum Dei: quod sacerdotio Levitico superinductum est, & in spem meliorem populum Dei erexit. Periphrasis ex adjuncto & effectu.* Per quam] δι' ἧς. *Scil. superinductionem, id est, per quod sacerdotium.*

20 Et quatenus] καθ' ὅσον. *Enuntiati hujus consequens incipit in principio v.22. Respondent enim inter se particulæ* καθ' ὅσον, *&* τοσοῦτον. *Quare vers.21. per parenthesin interpositus est.* Quatenus non absque jurejurando] καθ' ὅσον οὐ χωρὶς ὁρκωμοσίας. *Scil. sacerdos factus est Christus: ut declaratur versu sequente: atque etiam percipitur ex collatione v.16.*

21 Illi quidem] οἱ μὲν. *Scil. Levitici sacerdotes.* Hic verò] ὁ δὲ. *Scil. Christus.*

26 Sanctus] ὅσιος. *Hæc sanctitas præfigurata fuit in Lege per hoc, quòd pontificem oportuit purum esse ab omni corporis vitio, Lev.21. v.18. & deinceps. Item per pretiosum illum vestitum summi sacerdotis, Exod.28. & 29.* Sublimior cælis factus] ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος. *Id est, ad summam gloriam in cælis exaltatus. Vel, supra hos cælos aspectabiles evectus; ut Eph.4. v.10. atq; adeò ingressus in supremum illud cælum, tanquam in sanctuarium: infrà c.9. v.12. & 14.*

27 Certo die] καθ' ἡμέραν. *Scil.* ὡρισμένην, *sive* τεταγμένην. *Sic omnino videtur vertendum; non autem, quotidie: intelligitur enim certus dies anni, nempe dies festi expiationis. nam certum est, sacrificium de quo hîc loquitur Apostolus, non fuisse quotidie oblatum, sed tantùm die illo festo. Et infrà de hoc ipso sacrificio loquens Apostolus, ait, easdem hostias oblatas fuisse* κατ' ἐνιαυτὸν, *quotannis, nempe in die illo expiationis: infrà cap.10. v.1.*

OBSERVAT. EX CAP. VII.

1 Ex v.1. & 2. Exemplo Abrahæ discant viri principes ac belli duces, quomodo se gerere debeant partâ victoriâ, & spoliis hosti detractis: nempe quòd debeant victoriam acceptam ferre Deo, ac proinde publicè ac solenniter coram Ecclesia gratias illi pro victoria agere: suamque gratitudinem ipso facto declarare, videlicet partem spoliorum conferendo ad cultum Dei, id est, ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, qui publicum Dei cultum administrant. *Victoria.*

Missa Pontificia. 2 Ex v.1.2. & 3. Quum Apostolus hoc loco instituat accuratam collationem inter Melchisedecum tanquam typum, & Christum tanquam illius typi veritatem; nec tamen ullam faciat mentionem oblationis: hinc perspicitur, temerarios esse Papistas, qui audent affirmare, per id quòd Melchisedec obtulerit panem & vinum, præfiguratam fuisse Missam: quippe in qua Christus sub speciebus panis & vini obtulerit Patri corpus & sanguinem suum: quod ipsum hodieque præstent sacerdotes. At ista collatio primùm caret authoritate Scripturæ: deinde nititur falsâ versione & expositione verborum Mosis. neque enim ille dicit, Melchisedecum obtulisse Deo panem & vinum: sed dicit protulisse panem & vinum: nempe ad reficiendum Abrahamum & servos illius, qui à cæde regum reversi, defatigati & famelici erant. Etenim verbum Hebræum *Hotsi*, quo illic utitur Moses, perinde sonat ac si dicas, exire fecit, hoc est, eduxit, seu protulit. unde & Græci verterunt ἐξήνεγκε. Tertiò nititur ista doctrina Papistarum falsâ hypothesi; quasi nimirum panis sacræ Cœnæ in corpus Christi, itemque vinum in sanguinem Christi sit transsubstantiatum: & quasi Christus illa tunc obtulerit Patri: quæ tamen non nisi semel obtulit, idque postridie in cruce. Quartò non consentit ista collatio cum opinione Papistarum: oporteret enim in sacra quoque Cœna offerri Deo panem & vinum, sicut isti dicunt oblata esse à Melchisedeco: at ipsi fingunt, panem & vinum interire, ac nudas illorum species remanere.

Fides. 3 Ex vers.4. Qui honorificum in Ecclesia nomen expetunt, orent Deum ut sibi augeat fidem. Etenim honorificum illud Patriarchæ nomen adeptus est Abraham fide; dum scil. jam grandævus credidit Deo, se fore patrem multarum gentium, procreando scil. Isaacum ex grandæva & sterili uxore Sara: ex quo Isaaco tum multitudo illa Israëlitarum, tum Christus ipse oriturus erat: cui Christo per fidem insitæ etiam reliquæ gentes, hoc modo etiam ipsæ filiis Abrahæ accensendæ erant. Sic martyres honorificum illud nomen per fidem adepti sunt: dum ita firmi in fide Christi perstiterunt, ut propter illius confessionem acerbissima supplicia fortiter sustinuerint, proprioque sanguine veritatem doctrinæ Christianæ obsignarint.

Auditores Evangelii. 4 Ex v.5. Sicut Deus olim ordinavit decimas ad sustentationem sacerdotum: sic statuendum est, eum hodie quoque velle ut Ecclesia ministros verbi sumtu suo alat. Vide 1.Cor.9. ubi Paulus hoc jus ministrorum multis argumentis asserit. Huc etiam pertinet illud Gal.6.v.6. *Communicet is qui instituitur in sermone, ei qui se instituit, omnia bona.*

Ministerium verbi Dei. 5 Ex vers.7. Ministerium ecclesiasticum in majore pretio est coram Deo, quàm potestas dignitásve politica. Affirmat enim Apostolus, sine ulla controversia id quod minus est, benedici ab eo quod majus est. Atqui certum est, tam reges ac principes populi Dei, quàm populum ipsum, à sacerdotibus benedictos esse: cujus benedictionis formula à Deo ipso præscripta, exstat Num.6. vers.23. Quare reges ac principes ministris verbi officio suo fungentibus æquo animo sese subjiciant, exemplo imperatoris Theodosii, quum is pro suo merito ab episcopo Ambrosio excommunicaretur: quam historiam vide apud Theodoret.lib.5.c.16. & 17.

Peccatum originis. 6 Ex vers.9. & 10. Sicut Levi dicitur decimatus esse in Abrahamo, qui erat in lumbis Abrahami quum is decimaretur: sic omnes homines dicuntur peccasse in Adamo, quia omnes erant in lumbis Adami quum is peccaret. Vide Rom.5.vers.12. & 18. & 1.Cor.15.v.22.

Missa Pontificia. 7 Ex v.11.16.18. & 19. Quum sacrificia à Deo ipso præcepta, non potuerint populum Dei sanctificare Deoque acceptum reddere: multò minus id poterit commentitium sacrificium Missæ Pontificiæ, quod homines è cerebro suo confinxerunt.

Sacramenta. 8 Ex iisd.v. Sicut cærimoniæ veteris testamenti non habuerunt vim sanctificandi, Deoq; acceptum reddendi populum Dei: ita nec cærimoniæ novi testamenti (puta baptismus & cœna Domini) vim illam habent: sed hæc vis tota penes sacrificium Christi est: de quo sacramenta omnia testantur.

Bonitas Dei. 9 Ex v.20. & 21. Magna est Dei bonitas & misericordia ergà nos: quippe qui non contentus nudis verbis promittere nobis vitam æternam per & propter summum nostrum sacerdotem Christum: ad fidem nostram pleniùs confirmandam jusjurandum adhibuit, & sacerdotium Christi jurejurando sancivit. Quare caveamus nobis ne Deo juranti fidem derogemus: sed firmiter ei credentes, vitam æternam certâ spe exspectemus.

Fœdus Dei. 10 Ex v.22. Quum Apostolus dicat, Jesum potioris seu præstantioris fœderis sponsorem esse factum, quàm scil. fuerunt sacerdotes Levitici: haud abs re quæritur, quam ob causam hoc fœdus illo (nempe fœdus gratiæ fœdere legali) sit præstantius. Hanc causam exponit Apostolus cap. sequente 8.v.6. & deinceps: videlicet quòd patres non perstiterint in illo fœdere, hoc est, quòd non præstiterint Deo illam obedientiam, sub cujus conditione fœdus illud erat pactum: quo factum est ut fœdus illud redditum sit irritum. At fœdus gratiæ ratum est, propterea quòd non fundatum est in obedientia ex nostris viribus præstandâ, sed in gratuito favore Dei: unde Deus & peccata nobis remittit propter satisfactionem Christi, & per Spiritum suum nos donat cognitione sui ac fide, qua satisfactionem Christi nobis applicemus: nec non serio proposito obediendi ipsi secundùm omnia mandata ipsius.

Consolatio contra conscientiam peccatorum. 11 Ex v.24. & 25. Quum sentimus, nos peccatis nostris Deum offendisse: accedamus ad eum per summum nostrum sacerdotem Christum, & peccatorum nostrorum remissionem petamus propter sacrificium atque intercessionem illius; certò confisi, Deum nobis sacrificio & intercessione illius propitium esse redditum, idque in æternum, ac proinde nos salutem æternam certò adepturos. Vide 1.Joh.2.v.1. & 3.

Christi sanctitas. 12 Ex v.26.27. & 28. Causa, cur Christum oportuit esse sanctum, id est, & sanctè conceptum esse, & sanctè semper vixisse, fuit, ut esset idoneus pontifex pro nobis. Etenim qui Deum nobis reconciliare nosque in gratiam ejus restituere debebat, eum necesse erat ipsum esse in gratia Dei, ac proinde nullo unquam peccato eum offendisse. Nec verò ad Deum qui sanctus est, aditum Christus habuisset ad interpellandum pro nobis, nisi & ipse sanctus fuisset. quæ etiam causa fuit cur pontificem Leviticum oportuerit priùs pro suis ipsius peccatis offerre, quàm pro peccatis populi. nisi enim ipse priùs pro sancto fuisset habitus, non potuisset pro peccatoribus sacrificare atque intercedere.

ANALYSIS CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

Pergit in demonstranda præstantia sacerdotii Christi supra Leviticum, primùm repetens ac pleniùs exponens argumentum præstantiæ sextum, superiore capite vers.26. uno verbo propositum de gloria regia. Deinde adjungens alia argumenta tria: septimum quidem à gloria sanctuarii, vers.1. & 2. octavum verò à præstantia victimæ, vers.2. & 3. nonum denique à præstantia fœderis, à v.6. usque ad finem capitis.

QUod autem caput est in his quæ dicuntur, Talem habemus pontificem, qui consedit ad dextram throni majestatis in cælis:

2 Sanctuarii minister, ac veri illius tabernaculi quod fixit Dominus, & non homo.

3 Omnis enim pontifex ad offeranda dona & victimas constituitur: unde necesse fuit, hunc quoque habere quod offerret.

4 Nam si esset in terra: ne sacerdos quidem esset, manentibus illis sacerdotibus qui secundùm Legem offerunt dona:

5 Ut qui exemplari & umbræ deserviant rerum cælestium, sicut divinitus dictum est Mosi, quum esset absoluturus tabernaculum. Vide enim, inquit, *ut* facias omnia ad exemplar quod ostensum est tibi in monte.

VErsu 1. & initio 3. repetit argumentum illud præstantiæ sextum: adhibitâ amplificatione à comparatis, quâ ipsum cum ceteris comparat ut caput, id est, princeps seu præcipuum. Ait igitur, *Quod autem caput est in his quæ dicuntur*, (à nobis de nostro pontifice, videl. Domino nostro Jesu Christo) *Talem habemus pontificem qui consedit in dextra throni majestatis.* id est, qui exaltatus est ad gloriã regiam, eamq; summam: ita nimirum ut sit rex regum & dominus dominantium: quippe qui consedit ad dextram Dei, in throno majestatis Dei. Hucusque repetitio sexti argumenti. illi mox adjungit septimum, ubi addit, *in cælis*; quo vocabulo indicat sanctuarium quod hic noster pontifex ingressus est, videl. supremum illud cælum in quod Christus ascendit. quod Apostolus, mox seipsum exponens in principio v.2. appellat *sanctuarium:* sicut adhuc apertiùs exponit infrà c.9.v.24. Septimum igitur præstantiæ argumentum est:

Christus ingressus est præstantius sanctuarium quàm pontifex Leviticus. hic enim ingressus est sanctuarium terrenum, Christus verò cæleste:

Est igitur Christus pontifice Levitico præstantior.

Istud argumentum uno tantùm verbo hîc attingit, ubi ait, *sanctuarii minister*: eidemque ex occasione affinitatis rerum, mox annectit octavum. Sanctuarium enim & tabernaculum erant res affines: per tabernaculum enim pontifex in sanctuarium ingrediebatur. Quum igitur *sanctuarii* mentionem fecisset; mox facit mentionem *tabernaculi*, inquiens: *Et* (minister est) *veri illius tabernaculi, quod fixit Dominus, & non homo.* Ubi nomine *veri tabernaculi* intelligit corpus Christi, in quo tanquam tabernaculo & templo Dei habitat omnis plenitudo deitatis. Sic enim (videl. de corpore Christi) exponit hanc vocem Apostolus ipse infrà c.9.v.11. & 12. Et hanc expositionem confirmat, atque adeò postulat, versus sequens: ut mox apparebit. Octavum igitur argumentum est hoc:

Christus est minister veri tabernaculi quod fixit Deus, & non homo. At pontifex Leviticus minister est tabernaculi umbratilis ac terreni, quod manibus hominum constructum fuit.

Ergo Christus pontifice Levitico præstantior est.

Cæterùm cum Apostolus nomine veri tabernaculi (ut dictum est) intelligat corpus Christi: & Christum illius tabernaculi ministrum esse dicat; innuit, Christum ita in hoc tabernaculo ministrasse,

nistrasse, ut ipsummet tabernaculum tanquam victimam Deo obtulerit, atque ita per illud in sanctuarium ingressus sit: sicut loquitur infrà c.9.v.11.& 12. Hanc autem sententiam confirmat v.3.à genere, inquiens: *Omnis enim pontifex ad offerenda dona & victimas constituitur: unde necesse fuit, hunc quoque habere quod offerret.* Quibus verbis innuit, corpus (quod verum tabernaculum appellaverat) aptatum ei esse, ut ipsum offerret: sicut expressè docet infrà c.10.v.5.& 10. Quare idem argumentum, si metaphorâ remotâ verbis propriis enuntietur, sic erit:

Christus suum ipsius corpus Deo obtulit: At pontifex Leviticus obtulit corpora pecudum.

Ergo tantò præstantior est pontifex Christus, quantò præstantior est ejus victima.

Etenim extra controversiam est, corpus filii Dei infinitis modis præstantius esse corporibus pecudum.

Porrò v.4. redit ad argumentum septimum, & illud confirmat à consequente absurdo, per syllogismum connexum secundi modi, sic:

Si Christus non esset in cælis, sed adhuc in terra: tum sequeretur, eum ne sacerdotem quidem esse.

At consequens hoc absurdum est & falsum: ut patet ex antè demonstratis.

Ergo falsum quoq; est illud antecedens: ac proinde contrarium illius verum: quum contradictio in enuntiatis singularibus seu propriis semper dividat verum à falso.

Hujus syllogismi connexum confirmat sic:

Quamdiu manent seu vigent sacerdotes Levitici, tamdiu non est locus sacerdotio Christi, ut nimirum actu seu reipsa eo fungatur.

At quamdiu Christus vixit in terra, tamdiu manere seu vigere debuerunt sacerdotes Levitici: quippe quorum sacerdotium aboleri demum debuit per sacrificium Christi, id est, per mortem illius.

Ergo quamdiu Christus vixit in terra, tamdiu non fuit locus functioni sacerdotii ipsius: & per consequens, si Christus adhuc esset in terra, ne sacerdos quidem esset.

Assumtionem hujus syllogismi confirmat Apostolus v.5. à fine seu scopo ministerii sacerdotum Leviticorum, videl. adumbratione rerum cælestium.

Umbra rerum cælestium durant, donec res ipsæ cælestes exhibeantur.

Atqui ritus sacerdotii Levitici fuerunt umbra rerum cælestium, per sacerdotium (id est, sacrificium atq; intercessionem Christi) exhibendarum.

Ergo ritus sacerdotii Levitici debuerunt durare, donec res ipsæ cælestes exhiberentur, id est, donec Christus moreretur.

Hujus syllogismi assumtionem Apostolus enuntiat his verbis, ut dicat in principio v.5. *Sacerdotes Leviticos deservivisse exemplari & umbræ rerum cælestium.* Deinde sententiam hanc confirmat testimonio oraculi, quod recitat Moses Exod.25.v.ult. ubi à Deo jussus est totam tabernaculi structuram conformare exemplari quod ei ostensum fuerat in monte. Ubi nomine τύπου seu exemplaris intelligendus est archetypus seu primarium illud exemplar rerum cælestium sive spiritualium, quæ per tabernaculum & cærimonias illi annexas atque in eo celebrari solitas, fuerunt tanquam per ἀντίτυπα adumbratæ. Eæ autem res sunt ipsa mors Christi super altare crucis, & ingressus ipsius in sanctuarium cæli: quæ res, ut ex præsente loco apparet, Mosi divinitus in spiritu ostensæ fuerunt. Cæterùm illa vocabuli τύπου hoc loco expositio, ex ipsa sententiarum cohærentia evincitur: secus enim citatio testimonii illius nihil ad rem faceret.

6 At nunc eò excellentius ministerium nactus est, quò præstantioris est federis intercessor; quod præstantioribus promissis sancitum est.

7 Nam si prius illud tale fuisset ut nihil in eo posset desiderari, haudquaquam fuisset secundo quæsitus locus.

8 *In eo* enim aliquid desiderans, dicit eis, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, quum pangam cum domo Israël & cum domo Juda fedus novum:

9 Non secundùm fedus quod feci patribus ipsorum, quo die prehendi manum ipsorum ut educerem eos ex Ægypto: quia ipsi non permanserunt in illo meo federe, & ego neglexi eos, dicit Dominus.

10 Nam hoc est fedus quod paciscar domui Israël post dies illos, dicit Dominus: Indam leges meas menti eorum, & cordi eorum inscribam eas: & ero ipsis Deus, & ipsi erunt mihi populus.

11 Et nequaquam docebunt proximum quisque suum, & fratrem quisque suum, dicens, Cognosce Dominum: nam omnes cognoscent me, tum parvus eorum, tum magnus eorum.

12 Ero enim propitius injustis factis eorum: & peccata ipsorum, iniquitatesque ipsorum, non recordabor ampliùs.

13 Dum novum dicit, antiquavit prius: porrò quod antiquatur ac senescit, propè est ut deleatur.

Hîc addit nonum præstantiæ argumentum, quod sumtum est à præstantia federis; quod respectu sacerdotis habet rationem subjecti occupantis sive objecti, quippe quum sacerdos in illo sanciendo & confirmando occupetur. Argumentum istud sic concluditur: Christus præstantioris federis mediator est, quàm pontifex Leviticus: Ergo excellentius quoque ministerium sive sacerdotium sortitus est, quàm ille. Enthymema hoc integrum, sed ordine inverso, proponit initio versus sexti: deinde annectit antecedentis probationem à forma promissionum in federe evangelico comprehensarum, dicens, fedus illud sancitum esse sub promissionibus præstantioribus; quàm scil. sancitum sit fedus legale, in quo sanciendo occupabatur pontifex Leviticus. Porrò illas evangelici federis promissiones recitabit paulò pòst v.10.11. & 12. Priùs enim præstantiam federis evangelici demonstrat ex reipsâ, videl. ex illius pactione, v.7. inquiens: *Nam si prius illud* (fedus, nempe fedus legale) *tale fuisset, ut in eo nihil posset desiderari, haudquaquam secundo fuisset quæsitus locus.* Hic supplenda est assumtio, nempe: *At secundo federi fuit quæsitus locus:* id est, Deus cum suo populo pepigit fedus alterum, à primo illo legali diversum. Hanc sententiam, simulque sententiam conclusionis, nempe quòd in primo illo federe aliquid fuerit desideratum, ita ut non fuerit satis præstans, confirmat testimonio prophetæ Jeremiæ, v.28. & deinceps usque ad ultimum. In quo loco Dominus primùm promittit, se pacturum cum suo populo fedus novum, v.8. Deinde huic novo federi tanquam dissimile seu diversum opponit fedus antiquum: quod describit partim à personis cum quibus illud fuit pactum, videl. cum patribus, id est, Israëlitis, qui exierunt ex Ægypto: partim à tempore quo fuit contractum, videl. tempore exitus ipsorum ex Ægypto: quem exitum amplificat ab authore & modo agendi, dicens, se illos quasi manu prehensâ eduxisse. Tertiò, causam exponit, qua adductus novum fedus pacisci cum suo populo velit, nempe quòd patres in veteri illo non permanserint seu perstiterint: hoc est, quòd non præstiterint Deo obedientiam, quam in federe contrahendo promiserant. Atque sic Deus fedus antiquum culpat, (ut Apostolus loquitur) id est, in eo aliquid desiderat. Quartò, commemorat illius inobedientiæ patrum eventum: nempe quòd ipse eos neglexerit, seu (ut in Hebræo habetur) quòd non manserit eis junctus conjugio, hoc est, quòd eos abjecerit ac puniverit. Atque hæc omnia habentur vers.9. Quintò, enuntiaturus novum illud fedus, præfatur de circumstantia temporis, quo illud pacisci velit, nempe post dies illos, hoc est, post dies veteris testamenti, seu in diebus novissimis, Christo nimirum exhibito. Deinde federis novi promissiones enuntiat tres. Promittit enim primùm revocationem voluntatis ad obedientiam erga leges ipsius, vers.10. Deinde illuminationem mentis ad ipsum cognoscendum, vers.11. Hanc amplificat hyperbolicâ remotione institutionis humanæ; & distributione ex ætate; vel certè ex statu sive conditione, illuminatorum. Tertiò, promittit remissionem peccatorum gratuitam, vers.12. V.ult. Apostolus ex epitheto *novi*, quum scilicet Deus in loco exposito promittit *fedus novum*; deducit consectarium de veteris federis antiquatione atque abrogatione.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

1 Caput] κεφάλαιον. *Id est, principale seu præcipuum.* In his quæ dicuntur] ἐπὶ τοῖς λεγομένοις. *Nempe quæ dicuntur à nobis de nostro pontifice Christo.* ἐπὶ *pro* ἐν, *ut Matth.13.v.14.* πληροῦται ἐπ' αὐτοῖς. Qui consedit ad dextram throni majestatis] ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης. *Id est, qui exaltatus est ad majestatem regiam, eamq; summam.* In cælis] ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Nempe in supremo illo cælo: quod mox nominat* τὰ ἅγια, *id est, sanctuarium. Synecdoche generis.*

2 Veri illius tabernaculi] τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς. *Sic nominat corpus Christi, in quo, tanquam tabernaculo & templo Dei, habitat omnis plenitudo deitatis. Confer infrà cap.9.v.11.& 12. Verum autem nominat respectu tabernaculi Levitici, tanquam typi. Simili sensu accipitur nomen* veritatis *in illo dicto Johannis:* Lex per Mosen data est: gratia & veritas per Jesum Christum exstitit.

3 Omnis enim &c.] πᾶς γὰρ &c. *His verbis declarat, se nomine* tabernaculi *modò intellexisse corpus Christi.*

4 Nam si esset in terra] εἰ μὲν γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς. *Hæc verba cohærent cum fine v.1. ubi dixit, pontificem nostrum Christum esse in cælis. Illud enim nunc probat.* Manentibus &c.] ὄντων &c. *His verbis continetur approbatio connexi præcedentis.*

5 Exemplari & umbræ rerum cælestium] ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων. *Videlicet cærimoniis legalibus.* Inquit] φησί. *Scilicet Deus.* Ad exemplar] κατὰ τὸν τύπον. *Nomine* τύπου *hoc loco intelligendus est archetypus seu primarium illud exemplar rerum cælestium sive spiritualium, quæ per tabernaculum & cærimonias illi annexas atque in eo celebrari solitas, fuerunt tanquam per* ἀντίτυπα *adumbratæ.*

6 Excellentius] διαφορωτέρας. *Ad verb.* Differentius: *ut su-*

prà 1.v.4. Nactus est] τέτυχε. *Scilicet noster ille pontifex: ex collatione v.1.*

8 *In eo* enim aliquid desiderans] μεμφόμενος γὰρ. *Scil.* αὐτὴν, *nempe* τὴν πρώτην ἐκείνην διαθήκην*: ex collatione v. praced. Ad eandem enim rem referri oportet pracedens nomen* ἄμεμπτος, *& hoc participium* μεμφόμενος*: quum ad hoc illud proculdubio respiciat, ut eruditè Fr. Junius observavit.* Dicit eis] αὐτοῖς λέγει. *Nempe Deus Israëlitis, apud* Jeremiam *cap.13.* Veniunt] ἔρχονται. *Id est, Venient. Enallage.* Quum pangam cum domo &c.] καὶ συντελέσω ἐπὶ τὸν οἶκον *&c. Vel,* Quum perficiam erga domum &c. *Fr. Junius:* Quando consummabo in domo &c.

9 Non secundùm fedus] οὐ κατὰ τὴν διαθήκην. *Id est, non tale quale est fedus, sed illi dissimile.* Quod feci] ἣν ἐποίησα. *Videl. in deserto ad montem Sinai, ut declaratur per sequentia.* Et ego neglexi eos] κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν. *Hebraicè* וְאָנֹכִי בָּעַלְתִּי בָם *veanochí bahálthi bám: qua verba Tremellius & Junius verterunt,* Et ego conjugio junctus mansissem eis? *ut sint (quemadmodum ibi annotant) verba indignantis. quasi dicat: Nequaquam volui eis conjugio junctus manere, sed despexi ac repudiavi eos. Apostolus igitur non verba reddidit: sed mentem expressit. Sed mihi verba illa accipienda videtur discretivè, at proinde vertenda sic:* Et tamen conjugio junctus eram eis. *vel,* Quanquam conjugio junctus eram eis: *ut sint verba Dei indignantis & amplificantis indignitatem defectionis Judaorum à magnitudine amoris sui ac beneficentia erga illos: quippe qui eos dilexit tanquam sponsam. Eadem verba in eadem sententia habentur Jerem.3. v.14. vel 9.*

10 Indam leges] διδοὺς νόμους. *Videtur legendum,* διδοὺς δώσω νόμους, *ut habetur in versione Graca apud Jeremiã. Alioquin oratio erit tum imperfecta, tum inconsequens. Sequitur enim* καὶ ἐπιγράψω. *Conjunctio autem copulativa connectit similes modos. quare pracedere debuit* δώσω. *Videtur autem istud expunctum ab aliquo, qui offendebatur illâ geminatione: qua quidem manavit ab Hebrais, qui dicunt, Dando dabo: id est, Certissimè dabo. Quanquam hîc in Hebrao anadiplosis ista non habetur.* Ero ipsis Deus] ἔσομαι αὐτοῖς εἰς θεὸν. *Ad verb.* in Deum. *Id est, gratiâ meâ ipsos complectar.* Et ipsi erunt mihi populus] καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μοι εἰς λαὸν. *Ad verb.* in populum. *Id est, me ut Deum suum colent.*

11 Et nequaquam docebunt &c.] καὶ οὐ μὴ διδάξωσιν *&c. Id est, Docebuntur à Spiritu sancto, ut non opus sint habituri institutione humanâ. Metonymia effecti hyperbolica.* Omnes] πάντες *Nempe omnes ad quos pertinet illud fedus, id est, omnes electi. Huic simile est illud,* Et erunt omnes docti à Deo, *Joh.6.v.45.* Tum parvus eorum, tum magnus eorum] ἀπὸ μικροῦ αὐτῶν ἕως μεγάλου αὐτῶν. *Ad verb.* A parvo eorum ad magnum usq; eorum. *Phrasis Hebraa, notans distributionem. Sic Gen.14.* Non accipiam à filo usque ad corrigiam calceamenti: *Id est, vel filum vel corrigiam. Et c.19. v.11.* Percusserunt eos subito scotomate à parvo usque ad magnum: *id est, tum parvum, tum magnum,* Baides klain vnd grooß. *Si distributio hac intelligatur de atate: tum similis est illi qua ex Joële citatur, Act.2.17. Potest autem intelligi de statu seu conditione.*

13 Dum novum dicit] ἐν τῷ λέγειν καινὴν. *Verba Apostoli, continentia* ἐπιχείρημα. Novum] καινὴν. *Scil. fedus,* διαθήκην.

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

Sessio Christi ad dextram Dei. 1 Ex vers.1. Per sessionem Christi ad dextram Dei nihil aliud significatur quàm regia ipsius majestas: unde quod aliâs simpliciter dicitur, Christum consedisse ad dextram Dei, id hoc loco sic pronuntiatur, ut dicatur Christus consedisse ad dextram throni majestatis. Metaphora sumta à rege qui filio potestatem regnandi tribuens, collocat eum ad dextram suam in throno regali, ut illius majestas suditis reddatur conspicua. Ad eundem modum (videlicet de potestate regnandi) exponitur hæc phrasis 1.Cor.15.v.25. ubi Apostolus citans sententiam Psal.110.vers.1. *Dixit Dominus domino meo, Sede ad dextram meam, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum:* pro verbis illis, *Sede ad dextram meam,* substituit verbum *regnandi,* inquiens: *Nam oportet eum regnare, usq; quò omnes inimicos subjecerit pedibus ejus.* Hanc ipsam regiam majestatem Christi pluribus verbis describit Apostolus Eph.1.v.20.21. & 22. Philip.2.v.9.10.& 11. De eadem majestate loquitur Christus, quum ait ad discipulos, *Mihi data est omnis potestas* (πᾶσα ἐξουσία) *in calo & in terra: Profecti ergo docete omnes gentes &c.* Matth.ult.

Christi corpus. 2 Ex v.1.2. & 4. E sessione Christi ad dexteram Dei non rectè colligitur, eum corpore suo esse ubique. Etenim Apostolus clarè docet, eum sic sedere ad dextram throni majestatis, ut tamen interim sit *in calis,* non autem in terra: id quod necessariò ad corpus ejus refertur: quum, quatenus Deus, cælum & terram repleat. Sic Stephanus vidit gloriam Dei, & Jesum stantem ad dextram Dei in cælo, Act.7.v.55.&56.

Typi. 3 Ex vers.2. Sanctuarium (id est, adytum tabernaculi, quod aliâs sancta sanctorum nominatur) fuit typus cæli: tabernaculum verò seu tabernaculi pars media quæ nominatur τὰ ἅγια, id est, sancta, fuit typus corporis Christi. nam quemadmodum pontifex per tabernaculum ingrediebatur in sanctuarium cum sanguine oblatarum victimarum: ita Christus per corpus suum in cruce oblatum ingressus est in cælum.

Corpus Christi. 4 Ex v.2. & 3. Corpus Christi diverso respectu, & tabernaculi & victimæ rationem habet. Tabernaculi quidem, quatenus plenitudo deitatis in eo habitat: victimæ verò, quatenus ipsum Patri obtulit.

Christus. 5 Ex v.4.& 5. Quum sacerdotio Levitico adumbratum sit sacerdotium Christi, & proinde sacerdotes Levitici tamdiu debuerint durare, donec Christus exhiberetur, & sacerdotio suo hîc in terris fungeretur: & verò illi jam pridem cessaverint: consequens est, Christum jam pridem esse exhibitum, suoque sacerdotio in terra quidem perfunctum. Quare vana est spes Judæorum exspectantium Christum, tanquam adhuc nasciturum.

Fedus Dei. 6 Ex v.6. & deinceps úsque ad finem capitis. In scriptura duplex Dei fedus cum suo populo pactum proponitur: unum legale, alterum evangelicum: quorum hoc fedus gratiæ usitatè nominatur. Fedus legale est, quo Deus populo suo promisit omnis generis benedictiones corporales, atque ipsam vitam æternam, sub conditione perfectæ obedientiæ, legi suæ ex propriis ipsorum viribus præstandæ: & contrà maledictiones varias ipsamque mortem æternam minatus est omnibus iis qui vel unum Legis mandatum transgrederentur. Hoc fedus pepigit Deus cum filiis Israël in deserto Sinai, quum eos recens eduxisset ex Ægypto: atque istud nominatur vetus fedus. Quanquam illo nomine interdum intelligitur fedus gratiæ, quatenus cum Abrahamo pactum fuit. Porrò federis legalis pactionem describit Moses Exod.19. & 24. Benedictiones autem & maledictiones illo federe comprehensæ, recitantur Levit.26. Deut.27. & 28. Vitæ autem æternæ promissio legalis exstat Levit.18. v.5. ubi Dominus populum alloquitur his verbis: *Si observabitis statuta mea & judicia mea: homo qui fecerit ea, vivet in eis.* Quam sententiam Paulus repetit Gal.3.v.12. Et Christus ad eandem respiciens Matth.19.v.17. quum interrogatus esset à quodam, quid boni sibi faciendum sit, ut habeat vitam æternam, respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* vel, ut Lucas commemorat: *Hoc fac,* (id est, Dilige Deum ex toto corde, & proximum sicut teipsum) *& vives,* Luc.10. v.28. Mortis verò æternæ comminatio legalis exstat Deut.27.v.26. *Maledictus qui non præstiterit verba legis hujus, faciendo ea:* quam sententiam repetit Paulus, & de morte æterna interpretatur, Gal.3. v.10. Fedus Evangelicum seu fedus gratiæ est, quo Deus gratuitum suum favorem in æternum duraturum promisit omnibus in Christum credentibus, sub conditione quidem illius fidei, & cum ea conjunctæ sinceræ pietatis seu novæ obedientiæ, veruntamen neutrius tanquam ex propriis credentium viribus præstandæ, sed tanquam ex gratuito illo favore ab ipso donandæ. Hoc fedus pepigit Deus olim cum Abrahamo, Gen.17. Deinde per Jeremiam promisit illius renovationem, futuram in regno Christi, Jerem.31.v.31. & deinceps: quem locum Apostolus hîc citat. Promittit autem in hoc federe tria, ex gratuito favore præstanda electis: videl. remissionem peccatorum gratuitam propter Christum, illuminationem mentis ad cognoscendum Deum, & renovationem voluntatis ad obediendum Legibus Dei: quæ tria in loco Jeremiæ satis clarè ac distinctè proponuntur. Observandum tamen, illa tria apud Prophetam proponi ordine inverso. Naturalis autem ordo hic est, quòd primò omnium Deus electis remittit peccata propter satisfactionem Christi: deinde donat eis Spiritum sanctum: qui primùm illuminat mentes eorum cognitione gratiæ Dei per satisfactionem Christi acquisitæ: deinde verò renovat voluntatem ad studium gratitudinis pro beneficio liberationis seu redemtionis per Christum. Et sanè hîc ordo ex parte notatur ipsis Prophetæ verbis. Etsi enim remissionem peccatorum postremo loco commemorat: tamen illam præcedentibus annectit per conjunctionem causalem, inquiens: *Ero enim propitius &c.* ὅτι ἵλεως ἔσομαι: כִּי אֶסְלַח *ki esláhh.*

ANALYSIS CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Pergit Apostolus in exponenda comparatione sacerdotii Christi cum Levitico, ac in ostendenda præstantia illius supra istud: & primùm commemorat tum structuram tabernaculi, in quo sacerdotes Levitici ministerium suum obibant, tum ipsius ministerii pracipuas partes, usque ad v.8. Deinde ministerii illius infirmitatem seu impotentiam, & (ut ita dicam) inefficaciam ostendit, usq; ad v.11. Tum è regione comparat atque opponit efficaciam sacerdotii Christi, atque eo nomine illud sacerdotio Levitico tanquam præstantius anteponit; simul exponens causas cur Christum oportuerit sacrificare seipsum, seu offerre seipsum morte cruentâ, usq; ad finem capitis.

ET habebat quidem etiam prius *fedus* statuta cultus, & sanctuarium mundanum.

2 Tabernaculum enim constructum fuit: prius *quidem* in quo *erat* candelabrum, & mensa, & propositi tii panes; quod dicitur sancta.

3 Post secundum autem velum *erat* tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum:

4 Aureum

4 Aureum habens thymiaterium, & arcam federis undique circumtectam auro: in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ germinavit, & tabulæ federis.

5 Supra hanc autem Cherubim gloriæ, obumbrantes propitiatorium: de quibus non licet nunc dicere singulatim.

6 His verò ita ordinatis, in prius quidem tabernaculum quovis *tempore* ingrediuntur sacerdotes, ritus obeuntes:

7 In secundum autem, semel quotannis solus pontifex, non sine sanguine: quem offert pro *sui* ipsius & populi erratis.

VErsu primo duo veteris federis adjuncta proponit, videlicet sacros ritus & locum ubi illi ritus fuerunt peracti. Quæ duo deinceps ordine inverso exponit; locum quidem v.2.3.4. & 5. ritus verò v.6. & 7. Igitur locum, videlicet tabernaculum sub Mose exstructum, distribuit in partes duas: quarum prior *sanctum*, posterior *sanctum sanctorum* appellabatur. Tertiam partem, videlicet atrium populi, hîc omittit: quia propositum illi est ea duntaxat recensere quæ ad sacerdotalem functionem pertinebant, idque quatenus Christus per ea adumbrabatur. Porrò utramque illam tabernaculi partem describit ex adjunctis vasis sacris, itemque rebus sacris quæ in illis vasis erant repositæ. Ac in priore quidem tabernaculi parte, nempe in sancto, duo instrumenta sacra collocat, candelabrum & mensam: è quibus illud ad latus meridionale, videlicet ingredienti ad sinistram: hæc verò ad latus septentrionale, id est, ingredienti ad dextram, collocata erat. Porrò mensæ adjungit rem sacram, videlicet panes propositionis: v.2. qui quidem panes dispositi fuerunt seni, duobus ordinibus, Levit.24.v.6. Posteriorem verò partem tabernaculi, nempe sanctum sanctorum, à priore parte distinguit velo: quod nominat secundum, respectu primi quo ipsum sanctum distinguebatur ab atrio populi: v.3. Vide Exod.26.v.33.& 36. Atque huic parti tria instrumenta sacra attribuit: altare suffitus, arcam, & urnam: è quibus arca unà cum urna intra velum fuit: altare autem suffitus extra velum coram arca, ut liquet ex Exod.30.v.6. & deinceps. Etenim illic expressè dicitur, thymiaterium ponendum esse ante velum: deinde præcipitur ut supra illud quotidie suffitus adoleatur: id quod fieri non potuisset, si intra velum fuisset collocatum: quippe intra quod semel tantùm in anno ingredi licebat. Porrò arcam describit partim ex adjuncto ornatu, partim ex adjunctis rebus sacris: item urnam quoque ex adjuncta re sacra describit. Arcæ ornatus fuit partim in tectorio aureo, partim in affixis Cherubis: qui operculo arcæ in duabus oris è regione insistentes, alis ad se invicem conversis ipsum obumbrabant. Res sacræ in arca repositæ, enumerantur tres; manna, virga Aaronis, & tabulæ federis: è quibus tabulæ federis propriè loquendo in arca seu intra arcam reconditæ fuerunt: virga autem Aaronis, itemque manna in urna reconditum, coram arca reposita fuerunt: ut liquet ex 1.Reg.8.v.9. Exod.16.v.34.& 35. Num.17. v.25. Hisce ita expositis v.4.& 5. annectit ἀπόδειξιν accuratioris singulorum istorum expositionis, sub finem v.5.

Deinde initio v.6. à structura tabernaculi transit ad sacrum ministerium seu sacros ritus qui illic à sacerdotibus fuerunt peracti. Ac primùm indicat, quæ sacræ actiones obiri solitæ fuerint in parte tabernaculi priore, videlicet sancto: & à quibus & quando. Actiones illas sacras generali nomine vocat λατρείας, id est, cultus religiosos seu sacros ritus: intelligens oblationes omnis generis & preces. Has actiones dicit fuisse administratas à sacerdotibus, idque quovis tempore, id est, quotidie, v.6. Deinde monet quæ sacræ actiones obiri solitæ fuerint in posteriore tabernaculi parte, videl. sancto sanctorum: & à quo, & quando, & cur, seu in quem finem. Sacra actio indicatur unica, videl. oblatio sanguinis: nempe sanguinis vituli, itemque sanguinis hirci: quorum illum pro suis, istum pro populi peccatis sacrificaverat. Hanc sanguinis oblationem administrabat solus pontifex seu summus sacerdos: idque semel tantùm quotannis. Finis autem erat expiatio (nempe cærimonialis) erratorum tum ipsiusmet, tum etiam populi.

8 Hoc declarante Spiritu sancto, nondum patefactam fuisse viam ad sacrarium, priore tabernaculo adhuc consistente.

9 Quod *erat* exemplar pro tempore illo præsenti, quo dona sacrificiaque offeruntur, quæ non possunt in conscientia sanctificare cultorem:

10 In cibis duntaxat & potionibus, & diversis ablutionibus ac ritibus carnalibus, usque ad tempus correctionis imposita.

Hîc jam ostendit sacerdotii Levitici infirmitatem: ac primùm negat, per illud patefactam esse viam in cælum, vers.8. Deinde verò negat, per illud sanctificatas seu mundatas esse conscientias, vers.9. Horum prius colligit ex eo, quòd sanctuarium (quo cælum scilicet adumbrabatur) velo erat occlusum, nec ingressus in illud cuiquam patebat nisi soli summo sacerdoti, idque semel tantùm in anno. Hæc collectio percipitur ex cohærentia versiculi octavi cum proxime præcedente. Posterius verò concludit ex eo, quòd ritus isti fuerint carnales, id est, ad carnem tantùm seu corpus, non etiam ad animam, pertigerint. Hanc ministerii Levitici expositionem confirmat initiò testimonio Spiritus sancti, ut qui hoc ipsum per illos ritus voluerit declarare. Posteriorem partim priori annectit per prolepsin. Quum enim negasset, per tabernaculum illud prius (id est, Leviticum) patefactam esse viam in cælum: quærere poterant Hebræi: Quis igitur fuerit illius usus? Respondet Apostolus: Tabernaculum illud fuisse παραβολὴν, similitudinem, hoc est, exemplar seu typum, videlicet alterius tabernaculi, quòd nimirum est ipsum Christi corpus: sicut Apostolus ipse exponet paulò pòst vers.11. Servire igitur debuit cultus ille tabernaculi populo illius temporis usque ad tempus correctionis, id est, usque ad tempus exhibitionis Christi, per cujus sacrificium & cælum apertum fuit, & conscientiæ credentium sanctificatæ sunt: sicut deinceps in tertia cap. parte ostendetur.

11 Adveniens autem Christus pontifex futurorum bonorum, per majus & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus structuræ;

12 Neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem, ingressus est semel in sacrarium, æternam redemtionem nactus.

13 Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencæ aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis puritatem:

14 Quantò magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad serviendum Deo vivo?

Hîc jam pontifici Levitico pontificem Christum è regione comparat, & tanquam præstantiorem anteponit. Istius collationis hæ partes ordine notandæ sunt.

1 Pontifex Leviticus fuit pontifex rituum carnalium: at Christus, est pontifex futurorum bonorum, id est, bonorum spiritualium quæ tempore pontificatus Levitici erant futura & exspectabantur, per Christum videlicet administranda. Ea bona sunt, expiatio peccatorum & acquisitio vitæ æternæ: ut ex sequentibus manifestum evadet.

2 Pontifex Leviticus functus est suo munere in tabernaculo terreno & manufacto: at Christus sacerdotio suo functus est in tabernaculo majore ac perfectiore, hoc est, præstantiore ac sanctiore, videl. corpore suo: quod non est à structura humana, sed creatione divinâ.

3 Pontifex Leviticus obtulit sanguinem hircorum & vitulorum: at Christus obtulit sanguinem proprium.

4 Pontifex Leviticus ingressus est in sacrarium terrenum: at Christus ingressus est in sacrarium cæleste.

5 Pontifex Leviticus semel quotannis in sacrarium ingressus est: at Christus in cælum ingressus est semel omnino.

6 Pontifex Leviticus acquisivit redemtionem seu reconciliationem temporalem: at Christus acquisivit redemtionem æternam.

7 Sanguis pecudum per pontificem Leviticum aspersus, sanctificavit ad carnis puritatem: at sanguis Christi purgat conscientiam à mortuis operibus, id est, à peccatis; quæ suâ naturâ mortem merentur. Hanc collationis partem tractat per ratiocinationem à minori, & amplificat tribus modis. Primùm expositione causæ agentis: admonens, Christum obtulisse seipsum per spiritum æternum, id est, per animam suam immortalem: quasi dicat, scientem ac volentem. Deinde expositione qualitatis adjunctæ atque inhærentis, videl. sanctitatis humanæ naturæ, cujus sanguis effusus atque oblatus fuit: quatenus dicit, quòd Christus obtulerit seipsum ἄμωμον, inculpatum. Postremò expositione finis: admonens, Christum suo sanguine conscientiam nostram à peccatis purgare, ad serviendum Deo vivo: hoc est, ut deinceps non ampliùs serviamus peccato vel Diabolo, sed Deo, per serium scil. studium pietatis.

15 Itaque ob id novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, ad redemtionem earum prævaricationum quæ fuerant sub priore testamento, qui vocati erant, promissam æternam hæreditatem acciperent.

16 Nam ubi testamentum est, mors intercedat necesse est testatoris.

17 Testamentum enim in mortuis ratum est: quandoquidem nondum valet quum vivit testator.

18 Unde ne prius quidem illud absque sanguine dedicatum fuit.

19 Quum enim recitatum esset totum mandatum secundùm Legem à Mose toti populo: sumto sanguine vitulorum & hircorum, cum aquâ & lanâ coccinâ & hyssopo, simul & ipsum librum & totum populum aspersit:

20 Dicens, Hic est sanguis testamenti quod mandavit vobis Deus.

21 Insuper autem & tabernaculum, & omnia vasa sacri ministerii, sanguine similiter aspersit.

22 Et omnia ferè secundùm Legem sanguine purificantur: & absque sanguinis effusione non fit remissio.

23 Itaq; necesse fuit exemplaria quidem eorum quæ sunt in cælis, hisce rebus purificari; ipsa verò cælestia potioribus, quàm hæ sint, victimis.

Quoniam affirmavit, Christum oblatione suiipsius, hoc est, suâ morte, acquisivisse remissionem peccatorum & vitam æternam, nunc deinceps causas exponit, cur ita fieri oportuerit: ac omnino causas duas affert. Una est, quòd hoc modo necesse erat ratum fieri testamentum Dei, cujus mediator ipse fuerat constitutus. Hanc causam exponit v.15.16.&17. Altera causa est, quòd hoc modo præstare eum reipsa oportebat quod per veteris testamenti ritum fuerat præfiguratum: quippe quod sanguine pecudum effuso atque asperso sanciebatur. Hanc causam exponit à vers.18. usque ad 24. Prioris causæ expositio comprehenditur hoc syllogismo:

Qui constitutus est mediator alicujus testamenti, ejus mortem intercedere necesse est, ut testamentum ratum fiat ac valeat, v.16.& 17.

Atqui Christus constitutus est mediator alicujus testamenti; videl. novi testamenti: in principio v.15.

Ergo Christi mortem intercedere necesse fuit ad testamenti illius ratificationem, videl. ad acquirendum vocatis (seu credentibus) remissionem peccatorum & vitam æternam: reliquâ parte v.15.

Posterioris causæ expositio comprehenditur syllogismo isto:

Si vetus testamentum sanguine pecudum dedicatum atq; sancitum fuit: oportuit novum testamentum sanciri sanguine ipsius Christi, tanquam per pecudes illas præfigurati.

Atqui vetus testamentum sanguine pecudum sancitum fuit: v.18.19.20.21.22. & priore parte v.23.

Ergo novum testamentum oportuit ipsius Christi sanguine sanciri: posteriore parte v.23.

24 Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero *sacrario* respondens: sed in ipsum cælum, ut compareat nunc faciei Dei pro nobis.

25 Nec ut sæpe offerat semetipsum, sicut pontifex ingreditur in sacrarium quotannis cum sanguine alieno:

26 Alioquin oportuisset eum sæpe passum fuisse à condito mundo. sed nunc semel in consummatione sæculorum, ad abolendum peccatum per immolationem suiipsius patefactus est.

27 Et sicut illud statutum est hominibus ut semel moriantur, postea verò judicium:

28 Ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret; secundò absque peccato conspicietur iis qui ipsum exspectant, ad salutem.

Hîc redit ad collationem Christi cum pontifice Levitico: & quasdam collationis partes, quas suprà uno verbo attigerat, hîc fusiùs exponit. Ac primùm repetit vers.24. de sacrario quòd scil. pontifex Leviticus ingressus sit in sacrarium manufactum, quod erat exemplar vero sacrario respondens: at Christus ingressus est in ipsum cælum. Porrò hunc ingressum amplificat expositione finis: admonens, ideo ingressum esse, ut illic in conspectu Dei pro nobis appareat: hoc est, ut faciei Patris perpetuò ostendat suum corpus quod pro nobis obtulit, atque ita expiationem peccatorum oblatione illius corporis semel peractam in perpetua quasi memoria Patris conservet. Deinde versu 25. repetit partim de victimis, partim de numero offerendi. Sententia est: Pontifex Leviticus obtulit sanguinem alienum, videlicet pecudum, ut hircorum & vitulorum: at Christus obtulit seipsum ac suum ipsius sanguinem. Deinde, Pontifex Leviticus obtulit sæpe, videlicet quotannis semel: at Christus non debuit sæpe offerre, sed semel tantùm. Hanc sententiam v.26.& deinceps confirmat hoc syllogismo:

Si Christum oportuisset offerre sæpe: oportuisset eum sæpe passum atque mortuum fuisse à condito mundo: in principio v.26.

Atqui non oportuit Christum sæpiùs pati ac mori: quia hominibus statutum est ut semel moriantur, v.27.

Ergo non oportuit Christum sæpe offerre, sed semel tantùm: posteriore parte v.26. & v.28. toto.

Porrò sententiam conclusionis amplificat expositione finis: qui est abolitio peccati, & acquisitio salutis æternæ: v.26.& 28.

SCHOLIA IN CAP. IX.

1 Et habebat quidem] εἶχε μὲν οὖν. *Conjunctioni* μὲν, *notanti protasin antitheseos, è regione respondet conjunctio* δὲ, *infrà v 11.* χριστὸς δὲ παραγενόμενος: *ubi incipit instituta antitheseos, apodosis. Etiam prius* *fedus*] καὶ ἡ πρώτη. *Scil.* διαθήκη. *Ex vers.7. capitis præcedentis ac deinceps.* Statuta cultus] δικαιώματα λατρείας. *Apostolus usitatâ apud Græcos Bibliorum interpretes voce* δικαιώματα *nominat, quæ apud Mosen dicuntur* חֻקִּים *hhukkim: quod Latinè sonat statuta seu constitutiones, ac per synecd generis sæpe significat constitutiones de ritibus seu cærimoniis.* Et sanctuarium mundanum] τό, τε ἅγιον κοσμικόν. *Apostolus* τὸ ἅγιον *vocat quod à Mose nominatur* מִקְדָּשׁ *mikdásch, Exod.25. v.8. quo nomine significatur ædificium Deo sacrum, quod Latinè sacrarium dicatur. Et intelligitur eo nomine tabernaculum. Mundanum autem vocat ratione materiæ, quia ex materiâ mundanâ, nempe terrenâ; confectum atque constructum fuit: quæ materia in capite allegato enumeratur varia.*

2 Tabernaculum enim] σκηνὴ γάρ. *Nunc vocat* σκηνὴν, *quod modò nominaverat* τὸ ἅγιον. Constructum fuit] κατεσκευάσθη. *De structura tabernaculi vide Exod. cap.25.26.36. & 37.* Prius quidem] ἡ πρώτη. *Scil.* σκηνή. *Id est, prior tabernaculi pars: non connumerato atrio.* Proposititii panes] ἡ πρόθεσις τῶν ἄρτων. *Ad verb.* Propositio panum. *Hypallage: pro,* οἱ ἄρτοι τῆς προθέσεως, *panes propositionis: id est, præposititii: qui scil. solebant in mensa proponi coram Domino. De his panibus vide Lev. .24. vers.5. & deinceps.* Quod] ἥτις. *Scilicet* σκηνὴ ἡ πρώτη, *tabernaculum prius.* Sancta] ἅγια. *Numero plurali: ut liquet ex collatione v. seq. ubi altera tabernaculi pars similiter nominatur* ἅγια ἁγίων, *sancta sanctorum. Nisi forte imperitus quispiam utrobiq; mutaverit* ἅγιον *in* ἅγια, *idq; propter genitivum* ἁγίων. *In Græca quidem Bibliorum versione non habetur* ἅγια, *sed* ἅγιον: *quomodo etiam in Hebræo exstat. Sic enim legitur Exod 36. v.33.* καὶ διοριεῖ τὸ καταπέτασμα ὑμῖν ἀνὰ μέσον τοῦ ἁγίου καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ ἁγίου τῶν ἁγίων. *Id est, & distinguet velum vobis inter sanctum & inter sanctum sanctorum.*

3 Post secundum autem velum] μετὰ δὲ τὸ δεύτερον καταπέτασμα. *Sic nominat hoc velum respectu primi, quod à Mose nominatur tegumentum portæ tentorii, Exod.26. 36.* Sancta sanctorum] ἅγια ἁγίων. *A Mose quidem Exod.26.33. nominatur* קֹדֶשׁ הַקֳּדָשִׁים *kádesch hakkodaschim: id est, sanctum sanctorum: quo modo & Græci reddiderunt* τὸ ἅγιον τῶν ἁγίων: *ut patet ex verbis paulò antè citatis. Unde videri potest, numerum singularem* ἅγιον *pluralê* ἅγια *hîc esse ab aliquo imperito commutatum.*

4 Thymiaterium] θυμιατήριον. *Id est, altare suffitus. De hoc vide Exod.30.* Habens] ἔχουσα. *Thymiaterium quidem proximè ante velum: arcam verò intra velum. Vide Exod.30. v.6. & deinceps.* In qua] ἐν ᾗ. *Scil.* κιβωτῷ. *id est, arcâ. Nam ut huc referatur, evincit antithesis in principio v.5. ubi ait,* ὑπεράνω δὲ αὐτῆς. *Quasi dicat: Dixi quid fuerit in arcâ: nunc dicam, quid fuerit supra eam. Quare coactum puto, si quis referat ad nomen remotius* σκηνὴν, *id est, tabernaculum: de quo si adhuc loqueretur, continuasset sermonem ex participio præcedente* ἔχουσα, *ad hunc modum:* καὶ τὴν χρυσῆν στάμνον, ἐν ᾗ τὸ μάννα, καὶ τὴν ῥάβδον, καὶ τὰς πλάκας. *Quòd autem in arca fuisse dicit non solùm tabulas federis, sed etiam urnam & virgam Aharonis: id commodè interpretandum est. nam solæ tabulæ intra arcam reconditæ fuerunt: urna autem & virga coram arca. Vide 1.Reg.8. v.9. Exod.16. v.34. & 35. Num.17. v.25. Itaq; præpositio* ἐν *hîc ambigua est, significans partim Juxta, partim In: idq; ex usu Hebræorum.*

5 Supra hanc autem] ὑπεράνω δὲ αὐτῆς. *Nempe arcam,* τῆς κιβωτοῦ. Cherubim gloriæ] χερουβὶμ δόξης. *Id est, duæ imagines alatæ, quæ operculo arcæ in duabus oris è regione insistentes, alis ad se invicem conversis ipsum obumbrabant: inter quas gloria Jehovæ, id est, Jehova gloriosus, residebat & consulentibus responsa dabat. Vide Exod.25. v.18. & deinceps. item Num.7. v.89. Genitivus adjuncti.* Obumbrantes] κατασκιάζοντα. *Nempe alis suis.* Propitiatorium] τὸ ἱλαστήριον. *Id est, operculum arcæ: quod à Mose nominatur* כַּפֹּרֶת *cappóreth: à verbo* כָּפַר *caphár, quod & operire & expiare significat. Fuit autem hoc operculum typus Christi: quem Paulus idcirco* ἱλαστήριον *vocat Rom.3. v.25.* Non licet dicere] οὐκ ἔστι λέγειν. *Capitur* ἐστὶ *pro* ἔξεστι, *per Hellenismum.*

6 In prius quidem tabernaculum] εἰς μὲν τὴν πρώτην σκηνήν. *Id est, in priorem tabernaculi partem quæ vocabatur Sanctum.* Quovis *tempore*] διαπαντός. *Id est,* διὰ παντὸς χρόνου.

7 In secundum autem] εἰς δὲ τὴν δευτέραν. *Scil.* σκηνήν. *Id est, in posteriorem tabernaculi partem, quæ vocabatur Sanctum sanctorum.* Non sine sanguine] οὐ χωρὶς αἵματος. *Id est, cum sanguine vituli, itemq; hirci, in pelvim excepto. Vide Levit.16.* Pro *suis* ipsius & populi erratis] ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων. *Pro,* ὑπὲρ τῶν ἑαυτοῦ *&c. Confer suprà cap.7. v.27.*

8 Viam ad sacrarium] τὴν τῶν ἁγίων ὁδόν. *Hîc jam per* τὰ ἅγια *intelligit sanctum sanctorum: sicut & infrà v.12.* Priore tabernaculo] τῆς πρώτης σκηνῆς. *Hîc videtur intelligere totum tabernaculum,*

culum, secus quàm suprà v.2.& 6. Vocat autem τὴν πρώτην, respectu corporis Christi, tanquam posterioris & per illud adumbrati, ut percipitur ex v.11. Quanquam nihil vetat accipi, ut antea, de priore tabernaculi parte.

10 Ritibus] δικαιώμασι. Metonymia adjuncti: nam δικαιώματα aliàs appellantur præcepta de ritibus. Vide suprà ad vers.1. Carnalibus] σαρκὸς. Id est, qui suâ naturâ non nisi carnem seu corpus attingunt.

11 Pontifex futurorum bonorum] ἀρχιερεὺς τῶν μελλόντων ἀγαθῶν. Id est, bonorum spiritualium quæ tempore pontificatus Levitici tanquan futura exspectabantur: videl. expiationis peccatorum & acquisitionis vitæ æternæ. Sic infr.10. vers.1. Per majus & perfectius] διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειοτέρας. Scil. quàm erat Leviticum illud. Subaudi: Ingressus est in sacrarium, ex vers.seq. Tabernaculum] σκηνῆς. Videl. per corpus suum. Vide suprà 8.v.2.

12 Hircorum & vitulorum] τράγων καὶ μόσχων. Sicut scil. pontifex Leviticus in festo expiationis offerebat primò quidem vitulum pro suis ipsius peccatis, deinde verò hircum pro peccatis populi; ac tum sanguinem utriusque pelvi exceptum; inferebat in sanctum sanctorum. Vide Levit.16. Per proprium sanguinem] διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος. Scil. in cruce effusum, ubi corpus suum obtulit. Semel] ἐφάπαξ. Non autem sæpius: sicut Leviticus pontifex quotannis semel ingrediebatur in sanctum sanctorum. In sacrarium] εἰς τὰ ἅγια. Id est, in cœlum: infrà v.24.

13 Cinis juvencæ] σποδὸς δαμάλεως. Vide Num.19. Inquinatos] τοὺς κεκοινωμένους. Verbum κοινοῦσθαι apud scriptores sacros peculiari significatione accipitur pro pollui seu inquinari: quatenus τὸ κοινὸν, id est, commune, & omnium usibus expositum, opponitur sancto & ad cultum Dei destinato. Confer Act.10. v.14. & 15. item Matth.15. v.11. & Marc.7.v.15. Ad carnis puritatem] πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα. Id est, ad puritatem externam atque cærimonialem.

14 Per spiritum æternum] διὰ πνεύματος αἰωνίου. Id est, per animam immortalem: quibus verbis significatur, quòd Christus obtulerit se sciens ac volens, atque ita commendatur ejus erga mandatum patris obedientia. Quò minùs autem per hæc verba videatur intelligenda deitas, vel Spiritus sanctus: ratio est, quia deitatis non est offerre sacrificium, sed ipsa est cui offertur sacrificium ab homine, quatenus homo. A mortuis operibus] ἀπὸ νεκρῶν ἔργων. Id est, à peccatis, quæ mortem afferunt. Metonymia effecti.

15 Promissionem æternæ hæreditatis] τὴν ἐπαγγελίαν τῆς αἰωνίου κληρονομίας. Id est, æternam hæreditatem ipsis promissam.

18 Dedicatum fuit] ἐγκεκαίνισται. Id est, sancitum, seu sanctum firmumque à Deo declaratum.

19 Quum enim recitatum esset totum mandatum secundùm Legem à Mose toti populo] λαληθείσης γὰρ πάσης ἐντολῆς κατὰ νόμον ὑπὸ Μωϋσέως παντὶ τῷ λαῷ. Id est, Quum Moses recitasset populo librum federis: ut habetur Exod.24. v.7. Ergo ἐντολὴ κατὰ νόμον hoc loco idem valet atque ἐντολὴ περὶ νόμου, mandatum de Lege, hoc est, de conditionibus federis cum populo ineundi. Vitulorum & hircorum] μόσχων καὶ τράγων. Vitulorum quidem expressa fit mentio Exod. 24.v.5. hircorum verò implicita, ubi dicuntur obtulisse holocausta, nempe expiatoria seu pro peccato: qua de re vide Lev.4.& 9. & 16. cum aqua & lana coccina & hyssopo] μετὰ ὕδατος καὶ ἐρίου κοκκίνου καὶ ὑσσώπου. Harum rerum etsi non fit expressa mentio Exod.24. unde hæc recitantur: tamen istas tanquam ordinarias adhibitas tum quoque fuisse, colligitur ex aliis locis, ubi ista disertè præcipiuntur. Simul & ipsum librum] αὐτό τε τὸ βιβλίον. Videl. librum federis.

Antilogia apparentis conciliatio.

Exod.24.6 habetur, Mosen sparsisse sanguinem super altare. Quare intelligendum est, librum federis altari fuisse impositum: quippe quem postea demum accepisse & legisse dicitur. Totum populum] πάντα τὸν λαὸν. Id est, duodecim statuas quas illic erexerat ad repræsentandum duodecim tribus Israëlis: sicut per altare repræsentabatur Deus, fedus cum illis contrahens. Metonymia subjecti.

20 Hic est sanguis] τοῦτο τὸ αἷμα. Post τοῦτο supple ἐστί. Refertur autem pronomen τοῦτο ad sanguinem quem Moses habebat in crateribus, quoque populum aspergebat: ut planum est ex narratione Mosis Exod.24. Integra igitur oratio hîc esset, τοῦτο τὸ αἷμα ἐστὶ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, &c. Id est, Hic sanguis est sanguis ille federis.

22 Remissio] ἄφεσις. Scil. peccatorum.

23 Exemplaria] ὑποδείγματα. Id est, typos, seu figuras. Potioribus victimis] κρείττοσι θυσίαις. Victimam Christi unicam impropriè nominat θυσίας, quia eam cum victimis veteris Testamenti comparat: & quia hæc istis omnibus è regione respondet, tanquam per illas præfigurata. Similis enallage est Ruth.1.v.10. ubi ambæ nurus Noomi dicebant illi, Tecum revertemur (נָשׁוּב naschúb) ad populum tuum: pro eo quod est, Te comitabimur revertentem: neque enim ipsæ reverti poterant, unde non fuerant egressæ. Sicut eruditè annotavit Drusius ad illum locum. Sic collatio in eodem libro cap.2.v.20. peperit enallagen generum: ubi Noomi, socrus Ruthæ, beneficentiam Boozi erga se commendat his verbis: Benedictus sit à Jehova, ut qui non destitit exercere benignitatem suam erga vivos & erga mortuos ubi per vivos intelligit se & nurum; per mortuos verò maritum utriusque. Sic infr.11.v.4. collatio peperit catachresin nominis θυσία.

24 Vero] τῶν ἀληθινῶν. Scil ἁγίων Vide sup.8.v.2.

25 Nec ut sæpe offerat] οὐδ᾽ ἵνα πολλάκις προσφέρῃ. Post Nec subaudi, Ingressus est in sacrarium: ex collatione præcedentium & sequentium. Pontifex] ὁ ἀρχιερεὺς. Scil. Leviticus. In sacrarium] εἰς τὰ ἅγια. In sanctum sanctorum. Quotannis] κατ᾽ ἐνιαυτὸν. Videl. in festo expiationis, Levit.16. Alieno] ἀλλοτρίῳ. Nempe vituli & hirci.

26 Alioquin] ἐπεί. Vel, quoniã. Nempe si oporteret Christũ sæpe se offerre, ex v. præcedente. Sed nunc semel &c.] νυνὶ δὲ ἅπαξ &c. Sic construo: Sed nunc semel patefactus est in consummatione sæculorum, ad abolendum peccatum per immolationem suiipsius.

27 Et sicut &c.] καὶ καθ᾽ ὅσον &c. Hanc sententiam sic enuntiavit Isocrates, τὸ μὲν γὰρ τελευτῆσαι, πάντων ἡ πεπρωμένη κατέκρινεν. Id est, Moriendi necessitate Fatum omnes condemnavit. Et sic Seneca quoque dicit, Genus humanum damnatum mortalitate.

28 Multorum] πολλῶν. Videl. omnium electorum. Synecd. generis. Tolleret] ἀνενεγκεῖν. Vel attolleret: nempe super lignum: ut habetur 1.Pet.2.v.24. ut nimirum illic expiaret. Iis qui ipsum exspectant] τοῖς αὐτὸν ἀπεκδεχομένοις. Periphrasis piorum à spe adventus Christi. Ad salutem] εἰς σωτηρίαν. Hæc verba reguntur ac pendent non à proxime præcedente participio ἀπεκδεχομένοις, sed à verbo remotiore ὀφθήσεται. Similis syntaxis erat modò in v. præcedente.

OBSERVAT. EX CAP. IX.

Sacramenta.

1 Ex v.9.10.11.12.13. & 14. Sicut cærimoniæ V. Testamenti non potuerunt cultorem sanctificare in conscientia: sic etiam cærimoniæ novi Testamenti quæ sacramenta usitatè nominantur. Etenim id quod conscientiam purgat à peccatis, est sanguis Christi in cruce cum sensu iræ Dei effusus, & fide in promissione Evangelii apprehensus. Cærimoniæ autem, sive veteris, sive novi Testamenti, suâ naturâ sunt res carnales, quæ carnem tantùm seu corpus, non etiam animam attingunt. Interim tamen cærimoniæ illæ divinitus institutæ, sunt organa seu media quibus Deus utitur ad promissionem gratiæ illustrandam; & in cordibus electorum obsignandam.

Sanguis Christi.

2 Ex v.14. Sanguis Christi vim habet expiandi peccata, quatenus effusus est cum sensu iræ Dei. hoc significat Apostolus cùm dicit; Sanguis Christi, qui seipsum obtulit Deo, purgabit &c. Hæc autem vis sanguinis Christi pendet à duabus causis: ab excellentia divinæ naturæ Christi, & à sanctitate naturæ humanæ. quarum illam (secundùm communem expositionem) notat Apostolus quum dicit, quòd Christus sese obtulerit per spiritum æternum: hanc verò significat quum dicit, quòd sese obtulerit inculpatum. Sic illam sanguinis effusionem commemorat Christus, quum de poculo sacræ cænæ dicit, Hoc poculum est novum illud Testamentum seu fedus in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Sic excellentiam divinæ naturæ notat Paulus quum dicit Act.20. v.28. Deum acquisivisse Ecclesiam proprio sanguine. Sic denique sanctitatem naturæ humanæ significat Petrus, quum dicit, nos esse redemtos pretioso sanguine Christi tanquam agni inculpati & incontaminati: 1.Pet.1.v.19.

Officium hominis Christiani.

3 Ex eod.v. Quum peccata sint opera mortua, hoc est, quibus mortem æternam meremur: agamus gratias Christo, qui pro peccatis nostris satisfaciendo nos ab æterna morte liberavit: simulque oremus Deum ut nos regat Spiritu sancto, ut à peccatis possimus cavere.

Securitas carnalis.

4 Ex eod.v. Quum ideo simus à peccatis per Christum liberati, ut serviamus Deo: errant igitur qui quum Deo non serviant, piè scilicet vivendo; sed contrà serviant diabolo, peccatis nimirum indulgendo: interim tamen sibi persuadent, se per Christum à peccatis & morte æterna esse liberatos, quia scil. in Christum credant. At si verè crederent, se tanto beneficio à Deo per Christum affectos esse: certè studerent etiam Deo placere, ac proinde Deo servirent.

Vita æternæ causa meritoria.

5 Ex v.15. Quum Christus suâ morte nobis acquisiverit non solùm redemtionem transgressionum, (ut hîc loquitur Apostolus) hoc est, remissionem peccatorum: sed etiam vitam æternam, quam hîc Apostolus hæreditatem illam æternam nominat: errant igitur qui meritum vitæ æternæ non in morte Christi collocant, sed in sancta ejus vita: quasi nimirum Christus sanctâ suâ vitâ vitam æternam nobis sit promeritus. At Apostolus hîc affirmat, oportuisse intercedere mortem Christi, ut hæreditatem illam æternam nobis promissam acciperemus. Similiter Gal.3. v.13.& 14. benedictionem Abrahæ promissam (id est, vitam æternam) ex morte Christi deducit. Quod autem ad sanctam Christi vitam attinet: illius finis non fuit ut Christus per ipsam nobis vitam æternam promereretur, sed ut fieret idoneus pontifex & idonea victima pro nobis. Etenim pontificem nostrum oportebat esse sanctum; suprà cap.7.v.26. itemque victimam oportebat esse sanctam. unde suprà v.14. ait Apostolus, quòd Christus obtulerit se Deo ἄμωμον, inculpatum. qua de causa & Petrus dicit, nos esse redemtos sanguine Christi tanquam agni ἀμώμου, id est, inculpati.

Fedus Dei.

6 Ex v.15.16. & 17. Fedus Dei quod cum populo suo pepigit, habet ex parte rationem testamenti: eò quòd non nisi morte unius ex paciscentibus sanciri atque confirmari potuit, videlicet morte filii Dei, qui unà cum Patre & Spiritu sancto fedus illud gratiæ cum populo suo pepigit.

Vindicatio verborum Christi, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου.

7 Ex v.20. Fallunt qui tradunt, prorsus similem loquendi rationem esse in his verbis Mosis: prout hîc citantur ab Apostolo ex Exod.24.8. nempe, Hic est sanguis testamenti seu federis, &c. & in verbis illis Christi Matth.26. v.28. Hic est sanguis meus N.

Testamenti seu federis, &c. Duo ista enuntiata etsi verbis magnam inter se similitudinem habent, tamen sensu multum differunt. quod ut possit intelligi, primò observandum, verba illa Christi non rectè ad eum modum Latinè reddi. In Græco habetur sic, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. quæ verba sic sunt reddenda, ut dicatur, *Hoc est sanguis meus &c.* nempe hoc poculum. Sic enim pronomen illud τοῦτο declaratur Luc. 22.20. & 1. Cor. 11. v.25. ubi habetur, τοῦτο τὸ ποτήριον. Quod si reddatur, *Hic est sanguis meus*: id ex consuetudine Latinæ linguæ perinde valebit ac si diceretur, *Hic sanguis est sanguis meus.* at Christum per pronomen τοῦτο non demonstrasse suum sanguinem, sed poculum: jam ex Lucæ & Pauli expositione est ostensum. Quum autem Moses diceret; *Hic est sanguis federis*: idem valet ac si dixisset, *Hic sanguis est sanguis federis.* Ostendebat enim sanguinem holocaustorum quo populum aspergebat. Hinc jam perspicitur, enuntiatum Mosis propriâ phrasi constare, quatenus sanguinem ostendens, sanguinem eum esse pronuntiat: at enuntiatum Christi phrasi metonymicâ constat, quatenus ostendens sanguinis sui signum, videl. poculum seu vinum poculo contentum, pronuntiat illud esse ipsum suum sanguinem.

Justificationis causa meritoria.

8 Ex v.22. Sicut absque effusione sanguinis pecudum nulla contigit peccatorum remissio cærimonialis: sic absque effusione sanguinis Christi nulla contingit peccatorum remissio realis. Non est igitur putandum, peccatum originis remitti per sanctam Christi conceptionem: item peccata quæ vocantur omissionis, remitti per sanctam Christi vitam. Nam si ita res haberet: tum fieret peccatorum quorundam remissio absque effusione sanguinis, id quod Apostolus disertè negat.

Vindicatio verborum Pauli, Ipsa verò cælestia potioribus, quàm hæ sunt, victimis.

9 Ex v.23. Sophisticantur Pontificii quum ex numero plurali θυσίαις, quo hîc Apostolus victimam Christi significat, argutantur, sacrificium Christi esse iterandum in Missa. Quasi verò non sit perspicuum, Apostolum numero plurali de victima Christi uti impropriè, ex eo quòd ipsam cum victimis veteris Testamenti comparat. Et quasi æquum sit, unam voculam arripere & torquere contra perspicuum plurium aliorum dictorum consensum: cujusmodi occurrunt tum in hoc ipso capite paulò pòst, tum in capit. seq. ut infrà v.25. *Neque* (ingressus est sacrarium) *ut sæpe offerat semetipsum.* Et v.26. *Sed nunc semel per immolationem sui patefactus est.* Et vers. 28. *Ita & Christus semel oblatus.* Sic cap.10. v.10. *Qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.* Et v.12. *Hic verò unâ pro peccatis oblatâ victimâ: in perpetuum sedet ad dextram Dei.* Et v.14. *Unicâ enim oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.*

Missa Pontificia.

10 Ex vers. 25.26.27. & 28. Quum sacrificium Christi non sit iterandum, ut hîc clarè docet Apostolus: peccant igitur Papistæ, quum illud in suâ Missâ iterare conantur. Imò gravissimâ ignominiâ Christum afficiunt, quum expiationem peccatorum sacrificio Missæ adscribunt: quippe quæ solius sacrificii Christi nunquam iterandi effectum est.

Mors hominis. Antilogiæ apparentis conciliatio.

11 Ex v.27. Quum Apostolus hîc dicat, statutum esse hominibus ut semel moriantur: quærat aliquis, quomodo cum hoc dicto conveniat illa sententia 1. Cor. 15.51. *Non omnes quidem obdormiemus, sed omnes mutabimur*; quam eandem sententiam tradit 1. Thess. 4. v.15. & 17. ubi tradit, Dominum in suo adventu aliquos deprehensurum in vivis? Respondeo: Mutatio illa subitanea, qua, qui tunc in vivis erunt, immutabuntur, erit illis instar mortis. Et Apostolus videtur hoc loco respicere ad cursum mundi qualis quotidie cernitur, nihil interim derogans privilegio eorum qui ad diem usque judicii victuri sunt: nec etiam extraordinariis exemplis paucorum quorundam qui à mortuis excitati, iterum mortui sunt.

Mors Christi.

12 Ex v.28. Notandum quod dicit Apostolus, Christum oblatum esse ut tolleret peccata multorum, πολλῶν. Id quod intelligendum est de electis atque credentibus. Similiter loquitur Christus quum dicit, *sanguinem suum effusum iri* περὶ πολλῶν, *pro multis*, Matth. 26. v.28. Item Paulus, Rom. 5. v.19. ubi dicit, *per unius* (nempe Christi) *obedientiam justi constituentur* οἱ πολλοὶ, *multi illi*: nempe omnes qui Christo tanquam stirpi fuerint insiti. Quare dicta scripturæ quæ videntur tradere, Christum mortuum esse simpliciter pro omnibus, hoc est, singulis hominibus: per synecdochen generis accipienda sunt, & restringenda ad electos: pro quibus solis sese obtulit: quippe pro quibus solis oravit, reprobis exclusis, Joh. 17. v.9. & 20.

Christus.

13 Ex eod. vers. Quum Apostolus dicat, Christum alterâ vice conspectum iri absque peccato: quærat aliquis, an igitur primâ vice, id est, in primo suo adventu conspectus sit cum peccato? Respondeo: Conspectus fuit cum peccato mundi sibi imputato: Esa. 53. v.6. 2. Cor. 5. v.21. at non fuit conspectus cum peccato proprio. Sanctè enim conceptus est, & sanctè semper vixit.

ANALYSIS CAP. X.

ARGUMENTUM.

Quod superiore capite docuit de infirmitate sacerdotii Levitici, & contrà sacerdotii Christi efficaciâ: idipsum hîc confirmat usq; ad v.19. Deinde ex tota doctrina in superioribus traditâ deducit exhortationem ad constantiam in fide, usq; ad finem capitis. Ita sunt dua principales hujus capitis partes.

LEx enim umbram obtinens eorum bonorum quæ futura erant, non ipsam imaginem rerum, iisdem hostiis anniversariis quas offerunt, nunquam in perpetuum potest accedentes sanctificare.

2 Alioquin nónne desiissent offerri? propterea quòd sacrificantes semel purgati, nullorum peccatorum ampliùs essent sibi conscii.

3 At in istis *fit* repetita mentio peccatorū quotannis.

4 Non enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata.

IN prima capitis parte primùm ostendit, sacrificia legalia seu Levitica non sanctificasse cultores, videlicet secundum conscientiam: ut superiore capite v.9. declaravit. Hoc ostendit quatuor primis versibus. Deinde ex illa demonstratione infert, ad sanctificandum electos opus fuisse longè pretiosiore sacrificio, videlicet sacrificio corporis Christi, à v.5. usq; ad 11. Tertiò ostendit, corpus Christi semel tantùm esse oblatum, nec iterum esse offerendum, à v.11. usque ad 19.

Igitur sacrificia legalia non sanctificasse cultores, seu non abstulisse aut expiasse eorum peccata, tribus argumentis ostendit: quorum primum sumtum est ab adjuncta eorum iteratione: quod concluditur syllogismo connexo ad hunc modum:

Si sacrificia illa legalia anniversaria expiationis sanctificassent accedentes, desiissent offerri, v.2.

At non desierunt offerri (nempe durante politiâ Mosaicâ) sed quotannis iterum fuerunt oblata, v.1.

Ergo sacrificia illa non sanctificarunt accedentes, v.1.

Huic argumento præmittit προθεραπείας ἕνεκα expositionem causæ, exponens videl. causam illius infirmitatis sacrificiorum legalium, ne Hebræi hac doctrina offenderentur. Ait igitur, *Legem habuisse umbram* tantùm *bonorum illorum quæ erant futura, non autem ipsam imaginem rerum.* quasi dicat: Quemadmodum se habet rudis adumbratio seu delineatio animalis depingendi, ad ipsam illius imaginem, quæ vivis coloribus ipsum exprimit atque exhibet: ita se habent sacrificia legalia ad sacrificium Christi. nam sacrificia legalia non exhibuerunt, nec populo Dei contulerunt, res ipsas seu futura illa bona, videl. sanctificationem seu purgationem conscientiarum, ablationem seu expiationem peccatorum, jus hæreditatis cælestis: at sacrificium Christi hæc bona populo Dei exhibet & confert. Deinde huic argumento annectit approbationem connexi, inquiens: *Propterea quòd qui sacrificassent ac semel purgati essent, nullorum peccatorum ampliùs sibi essent conscii.* Prosyllogismus iste sic erit:

Qui sibi non sunt conscii peccati, non opus habent offerre sacrificium pro peccato.

Atqui si sacrificia legalia sanctificassent cultores, tum illi non fuissent sibi ampliùs conscii peccati.

Ergo si sacrificia legalia sanctificassent, tum qui illa obtulerunt, non opus habuissent iterum offerre: & per consequens offerre desiissent.

Secundum argumentum sumtum est ab adjuncta confessione peccatorum, v.3. Syllogismus sic erit:

Si sacrificia legalia sanctificassent, tum non fuisset opus quotannis apud illa repetere peccatorum confessionem.

At hoc fuit opus ex præscripto Legis, Levit. 16. v.21.

Ergo sacrificia legalia non sanctificarunt.

Tertium argumentum sumtum est à naturali vilitate illorum sacrificiorum, v.4.

Sanguis taurorum & hircorum non potest auferre peccata, nempe propter naturalem vilitatem.

At sacrificia legalia fuerunt sanguis taurorum & hircorum.

Ergo sacrificia legalia non potuerunt auferre peccata.

5 Quapropter ingrediens in mundum, dicit, Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi.

6 Holocautomata & *hostias* pro peccato non approbasti.

7 Tunc dixi, Ecce adsum (in volumine libri scriptum est de me) ut faciam, ô Deus, voluntatem tuam.

8 Quum superiùs dixisset, Sacrificium & oblationem & holocautomata & hostias pro peccato noluisti, neque approbasti: (quæ juxta Legem efferuntur)

9 Tunc dixit, Ecce adsum ut faciam, ô Deus, voluntatem tuam. Tollit prius, ut posterius statuat.

10 Qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.

Sequitur secunda particula primæ partis capitis: ubi ex demonstratione allatâ, & maximè ex postremo argumento, infert, (per tacitam ratiocinationem à contrario) ad expiationem peccatorum opus fuisse longe pretiosiore sacrificio, videl. sacrificio corporis filii Dei. Hujus sententiæ illationem significat conjunctione ratiocinativâ διὸ, id est, *Quapropter.* Ipsam verò sententiam confirmat testimonio prophetico Davidis ex Psal. 40. Hoc testimo-

testimonium Apostolus primùm recitat v.5.6.& 7. Deinde idem exponit v.8.9.10. Porrò in illis verbis quæ hîc ex Psal.40. recitantur, Christus loquens introducitur, tanquam sacerdos à Deo designatus. Commemorat autem duo de sacerdotio suo: primùm vocationem sui à Patre, v.5. & 6. deinde promtum suum obsequium in vocatione illa administranda, v.7. Vocationem significat his verbis, ad Deum patrem directis: *Corpus aptasti mihi.* nempe ut illud tibi offeram, & illius oblatione sanctificem populum tuum. Porrò hanc sententiam illustrat & amplificat antithesi oblationum legalium: quas negat Deo approbari, nempe hactenus ut sanctificetur per ipsas populus. Porrò obsequium suum in sacerdotio administrando profitetur his verbis, v.7. *Tunc dixi, Ecce adsum ut faciam, ô Deus, voluntatem tuam.* Huic obsequii sui professioni inserit expositionem causæ impulsivæ, inquiens: *In volumine libri scriptum est de me.* quasi dicat: Quoniam in libro Legis per Mosen scribi curasti promissiones de me, tanquam futuro sacerdote, qui suo sacerdotio te sit populo suo reconciliaturus: idcirco ut scriptura ista impleatur, promtus atque paratus sum ad fungendum illo meo sacerdotio, ad quod tu me vocasti. Sic quum in horto caperetur, promtè obsecutus est: & hujus obsequii causam eandem exposuit, prohibens Petrum à sui vindicatione, eò quòd secus non possit impleri scriptura, Matth.26. v.54. Cæterùm Apostolus non contentus verba Psalmi simpliciter recitasse, addit eorum expositionem: & admonet de antithesi qua sanctificatio oblationibus quidem legalibus adimitur, contrà verò oblationi Christi attribuitur: atque ita exponit primùm, quæ oblationes in verbis Psalmi intelligantur, videl. legales seu quæ secundùm Legem offeruntur, v.8. deinde quo sensu dicatur Deus oblationes illas nolle nec approbare, & contrà quæ sit illa voluntas Dei quam fecit Christus; nempe quòd non sit per illas oblationes populo suo reconciliatus, quippe quòd nemo per illas sit sanctificatus: id quod significat per tacitam antithesin, in principio v.10. quum ait, *Qua voluntate sanctificati sumus.* quasi dicat: non autem illis oblationibus. Etenim hæc duo expressè inter se in verbis Psalmi opponuntur. Porrò voluntas Dei quam fecit Christus, est oblatio corporis Christi: ut expressè declarat Apostolus eod. v.10. Unde jam perspicitur, quem sensum habeant verba illa, *Corpus aptasti mihi.* Significatur enim, Deum filio suo ideo aptasse corpus, ut illud ipsi offerret ad sanctificandum electos, atque ita reconciliandum illis Deum.

11 Ac omnis quidem sacerdos adstat *certo* die operans, & easdem sæpius offerens hostias, quæ nunquam possint auferre peccata:

12 Hic verò unâ pro peccatis oblatâ victimâ, in perpetuum *durante*, consedit ad dextram Dei:

13 De cætero exspectans, donec inimici ipsius pro scabello pedum ejus ponantur.

14 Unicâ enim oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.

15 Testificatur autem *hoc* nobis & ipse Spiritus sanctus. nam posteaquam priùs dixisset,

16 Hoc est fedus quod paciscar cum eis post dies illos, dicit Dominus, Indam leges meas cordibus eorum, & eorum mentibus eas inscribam;

17 *Tunc dixit,* Et peccatorum atq; iniquitatem ipsorum non recordabor ampliùs.

18 Porrò ubi est horum remissio, non *est* ampliùs oblatio pro peccato.

Sequitur tertia particula primæ partis, continens expolitionem, qua doctrina modò exposita de sanctificatione effecta per oblationem Christi, amplificatur ab adjuncto numero: quòd nimirum oblatio illa fuerit unica, nec ampliùs sit repetenda. Hanc sententiam primùm proponit illustratam antithesi oblationum legalium: ut quæ fuerint sæpiùs oblatæ, nec abstulerint peccata, v.11. Quum oblatio Christi fuerit unica, eâque peccata sint expiata, vers.12. Deinde hanc sententiam, quòd peccata expiata sint, & populus Dei sanctificatus, unicâ illâ oblatione Christi, probat duobus argumentis: primùm ab effecto, videl. sessione ad dextram Dei, v.12. Deinde à testimonio scripturæ, v.15. & deinceps. Argumentum illud à sessione ad dextram Dei hanc habet rationem: quòd nisi Christus peccata quæ ut sponsor in se susceperat, expiasset illâ sui oblatione, non potuisset ei aditus ad cælestem illam gloriam: quum qui peccato pollutus est quovis modo, locum in cælo habere non possit, nedum ut exaltetur ad Dei dextram & in summa gloria regnet. Deinde verò & hoc considerandum, quòd exaltatio illa Christi ad dextram Dei, præmium & humiliationis ipsius, ut liquet ex verbis Pauli, Philip.2.v.9. & ex verbis Christi, Luc.24.v.26. Nemo autem coronatur, nisi legitimè certaverit, ut ait Paulus 2.Tim.2.5. Quare ut Christus præmium illud & gloriam sibi propositam adipisceretur, necesse fuit ut priùs perficeret voluntatem Dei, offerendo sese ad electos sanctificandos. Porrò sessionem illam Christi ad dextram Dei amplificat vers.13. ab adjuncto tempore, quo ille regnandi modus duraturus est, nempe donec inimici ipsius scabellum pedum ipsius fiant. Id quod futurum est in fine mundi, quum ipse adventurus est ad judicandum vivos & mortuos, ac proinde mortuos excitaturus. Etenim ultimus inimicus qui est abolendus, est mors: ut docet Paulus 1.Cor.15.v.26. Hoc argumento sic exposito, conclusionem ipsam repetit v.14. eamque argumento annectit per conjunctionem causalem γὰρ: significans, illum effectum ex hac causa dependere. Jam ad testimonium scripturæ quod attinet, illi primùm conciliat authoritatem, admonens, authorem illius esse Spiritum sanctum, v.15. Quippe (ut Petrus ait 2.Pet.1. v.21.) non voluntate hominis allata est olim prophetia: sed acti à Spiritu sancto loquuti sunt sancti Dei homines. Deinde v.16. & 17. recitat verba quæ exstant Jer.31. v.33.& 34. ubi observandum, vim argumenti positam esse potissimùm in illis verbis quæ hîc recitantur v.17. Priora autem ideo simul recitantur, quia in illis mentio fit federis Dei cum suo populo, quod per Christum tanquam mediatorem fuit confirmandum. Non autem haberi hîc rationem illorum verborum, *Indam leges meas &c.* sed illa tantùm propter cohærentiam sententiarum esse adducta, ut videlicet posterior illa sententia de remissione peccatorum verbis illis de paciscendo federe, commodiùs posset annecti: hoc vel ex eo liquere potest, quòd complura verba quæ illis in loco Jeremiæ cohærent, hîc omittuntur. Cæterùm ex hoc testimonio sic argumentatur Apostolus:

> *Ubi peccatorum est remissio, ibi non est ampliùs oblatio pro peccato, v.18.*
>
> *Atqui per oblationem Christi* (ut qui mediator est novi federis) *est remissio peccatorum*, teste Spiritu sancto apud Jeremiam: v.16.& 17.
>
> *Ergo ubi est oblatio Christi, ibi non est ampliùs oblatio pro peccato.* Et per consequens oblatione Christi unicâ, peccata expiata sunt: nec illa oblatio unquam iteranda est, v.14.

19 Quum igitur, fratres, habeamus libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Jesu;

20 (Quam viam dedicavit nobis recentem & vivam per velum, hoc est, carnem suam:)

21 Et sacerdotem magnum, præfectum domui Dei:

22 Accedamus cum vero corde, & certâ persuasione fidei, aspersi *in* cordibus *&* *purgati* à conscientia mala:

23 Et abluti *in* corpore aquâ purâ, teneamus confessionem spei non vacillantem: (fidelis enim *est* qui promisit:)

24 Et observemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera:

25 Non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicuti mos *est* quibusdam; sed adhortantes *alii alios*: idq; eò magis quòd videtis illum diem appropinquare.

Sequitur altera pars capitis, quæ meritò peculiari capite distingui debuit: quum hîc incipiat totius epistolæ altera pars. Hactenus enim fuit epistolæ pars prior, continens doctrinam de persona & officiis atque beneficiis Christi: sequitur deinceps pars altera, quæ est exhortatio ad Christianos Hebræos, ut in doctrina illa constanter credenda atque confitenda, & vitâ secundùm illam instituendâ, perseverent. Primùm autem exhortationem proponit quadrimembrem, annexis passim argumentis, ad singula exhortationis membra specialiter accommodatis, usque ad v.26. Deinde argumentum affert ad totam illam exhortationem pertinens, ab effectu pernicioso, usque ad vers.32. Tum interserit consolationem contra metum defectionis, usque ad v.35. Postremò addit argumentum exhortationis alterum, quod sumtum est ab effectu utili, usque ad finem capitis. Atque ita ista capitis pars in quatuor particulas subdividitur. Ad quarum primam, in proposito textu comprehensam, quod attinet: exhortatur ad quatuor, videlicet ad constantiam in fide, v.22. ad constantiam in spe, v.23. ad charitatem fraternam, v.24. & ad exercitia pietatis, v.25. Hanc quadrimembrem exhortationem initiò deducit ex doctrinâ antè expositâ de beneficiis in nos collatis per sacerdotium Christi, v.19.20.& 21. Beneficia autem illa synecdochicè comprehendit sub libertate ingrediendi sacrarium, id est, cælum; quippe hæc libertas præsupponit expiationem peccatorum & sanctificationem nostri. Simul etiam causam instrumentalem exponit, per quam Christus hanc libertatem nobis comparavit, nempe per sanguinis sui effusionem, in fine v.19. Quam ipsam v.20. illustrat metaphorâ duplici: unâ à viâ, alterâ à velo sacrarii Levitici: quæ metaphora utraq; accommodata est institutæ hortationi qua hortatur ad ingrediendum in sacrarium, id est, cælum. Viam autem illam commendat ab adjunctis, quòd sit recens & viva: hoc est, quòd omnibus temporibus vim suam obtineat, quodque vivificet eos qui per ipsam ambulant. Item velum declarat epexegesi, exponens illud de carne Christi, nempe quatenus oblata est in cruce. quam ipsam oblationem significavit mentione sanguinis Jesu, in fine vers.19. Cæterùm ex hujus beneficii commemoratione commodè deducit exhortationem ad invocationem Dei ex fide, inquiens: *Quum igitur habeamus liberta-*

tem ingrediendi ſacrarium, accedamus cum vero corde &c. Verbo *accedendi* ſignificat invocationem Dei: quippe per quam ad Deum accedimus, & opem ejus implotamus. Similem exhortationem vide ſupr. c.4.v.14. & 16. Cæterùm in invocatione Dei requirit duo: unum, ut proficiſcatur ex *corde vero*, id eſt, ſincero & ab hypocriſi alieno, quòd ſcil. verè tangatur inopiæ ſuæ ſenſu, & ſeriò opem Dei expetat: alerum, ut proficiſcatur *ex certa perſuaſione fidei*; id eſt, ex fiduciâ filiali & certâ perſuaſione de paterno Dei ergo nos favore. Hanc autem fidem ſeu fiduciam declarat expoſitione cauſæ procreantis, quòd ſcil. per fidem corda noſtra aſperſa ſint ſanguine Chriſti, atque ita abluta & purgata à conſcientia mala, ut ſcil. non ampliùs nobis conſcii ſimus peccatorum; quippe quæ per remiſſionem Dei è medio ſublata ſunt, propter ſatisfactionem Chriſti. Atque hoc eſt primum exhortationis inſtitutæ membrum, videl. ad fidem: ad ſpem verò hortatur v.23. inquiens: *Et abluti in corpore aquâ purâ, teneamus confeſſionem ſpei &c.* Quibus verbis hortatur tum ad confeſſionem ſpei, tum ad ſpem ipſam. Ad confeſſionem quidem argumento à causâ procreante, videl. beneficio remiſſionis peccatorum; quam ſignificat phraſi ſacramentali, petitâ ex vetere teſtamento, quum ait: λελουμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ: id eſt, *Quum habeamus corpus ablutum aquâ purâ.* Nam ſicut olim ad cultum Dei externum acceſſuri, abluebant corpus aquâ purâ, ex labro in hunc uſum ante tabernaculum collocato; ita, ut fideles ad cultum Dei ſpiritualem rectè accedant, neceſſe eſt ut habeant corda abluta ſanguine Chriſti, id eſt, ut habeant remiſſionem peccatorum per ſanguinem illius. Atque ſic hortatur ad confeſſionem ſpei: ad ipſam verò ſpem hortatur à certitudine eventus, quòd nimirum certò futurum ſit ut vita æterna quam ſperamus, nobis contingat, id quod probat teſtimonio promiſſionis Dei: quod ipſum confirmat ab adjunctâ Dei veracitate, ſeu à natura Dei verace, inquiens: *Fidelis enim eſt qui promiſit.* Atque hoc eſt ſecundum inſtitutæ exhortationis membrum. Tertium continetur v.24. *Et obſervemus alii alios &c.* Ubi hortatur ad charitatem fraternam & bona opera: ac nominatim, ut alii alios fraterno animo obſervent; ut nimirum animadverſis fratrum vitiis, acuant ſeſe ad illos amanter & fraternè corrigendum: item ut animadverſâ eorum egeſtate, acuant ſeſe ad illis benefaciendum. Atque hoc eſt membrum exhortationis tertium. Quartum continetur v.25. *Non deſerentes aggregationem noſtri &c.* Ubi hortatur ad exercitia pietatis, quibus fides, ſpes & charitas aluntur ac foventur. Hæc exercitia ſunt: auſcultatio verbi Dei, perceptio ſacramentorum, collatio eleemoſynæ & preces: quæ omnia ſignificat nomine ἐπισυναγωγῆς, id eſt, aggregationis, quia in congregatione fidelium ſolent peragi. Simul autem quoſdam qui congregationes illas deſerebant, reprehendit: quo ipſo ſignificat, ſe non ſine cauſa illos exhortari. Huic exhortationi annectit argumentum à brevitate temporis, quod concedatur ad ejuſmodi exercitia peragenda: quippe quòd dies ille judicii, id eſt, finis mundi, appropinquet. Eodem argumento utitur 1.Cor.7.v.29.

26 Nam ſi ultro peccaverimus poſt acceptam cognitionem veritatis, non ampliùs pro peccatis reliqua eſt hoſtia:

27 Sed horrenda quædam exſpectatio judicii, & ignis fervor, qui devoraturus eſt adverſarios.

28 Qui abrogârit Moſis legem, abſque miſericordia ex duorum aut trium teſtimonio moritur:

29 Quanto (putatis) acerbiore ſupplicio dignus cenſebitur qui filium Dei conculcârit, & ſanguinem federis per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & ſpiritum gratiæ contumeliâ affecerit?

30 Novimus enim eum qui dixit, Meum eſt ulciſci; ego rependam, dicit Dominus. Et rurſum, Dominus judicabit populum ſuum.

31 Horrendum eſt, incidere in manus Dei viventis.

Hæc eſt ſecunda particula ſecundæ partis capitis, ubi ad conſtantiam in fide hortatur, ſeu (quod eòdem redit) à defectione ſive apoſtaſiâ dehortatur, argumento ab effectu pernicioſo, videlicet exitio æterno, quod manet eos qui à fide Chriſtiana deficiunt. Hoc argumentum primùm proponit v.26. & 27. Deinde confirmat verſibus reliquis. Argumentum proponit per enuntiatum connexum, cujus ſumma eſt: Si à Chriſto defecerimus, certò peribimus. Defectionem ſeu apoſtaſiam Apoſtolus ſignificat his verbis, *Si ultrò peccaverimus poſt acceptam cognitionem veritatis.* Ubi verbo *peccandi* κατ᾽ ἐξοχὴν intelligit defectionem ſeu apoſtaſiam à fide Chriſtiana: itemque nomine *veritatis* intelligit veritatem Evangelii ſeu doctrinæ cæleſtis de Chriſto. Id quod percipitur ex antitheſi, quam mox v.28. & 29. inſtituit inter contemtorem Legis & contemtorem Evangelii. Præterea apoſtatas illos nominat *adverſarios*, videlicet adverſarios Chriſti & veritatis cæleſtis de illo. Interitum verò ſeu exitium apoſtatarum exponit his verbis, *Non ampliùs pro peccatis reliqua eſt hoſtia, ſed horrenda quædam exſpectatio judicii, & ignis fervor, qui devoraturus eſt adverſarios.* Quibus verbis certitudinem exitii apoſtatarum oſtendit per remotionem cauſæ corrumpentis, cùm negat, apoſtatis reliquam eſſe hoſtiam expiatoriam, qua nimirum petulans illa defectio expietur. Exitium verò ipſum ſignificat primùm nomine *judicii* per ſynecd. generis in ſcriptura uſitatam: deinde per metaphoram *ignis devorantis*, qui cruciatus in ſupplicio corporis maximus habetur. Præterea exitium illud amplificat ab effectu, dum vocat *horrendum*, id eſt, quod horrorem incutiat cogitanti. Hactenus de argumenti propoſitione: confirmatio ejus ſequitur v.28. & deinceps. Confirmatio hæc ſeu approbatio argumenti principalis conſtat argumentis duobus: quorum prius ductum eſt à comparatione minoris, v.28. & 29. poſterius à teſtimonio ſcripturæ gemino, verſ.30. Summa prioris argumenti eſt: Qui abrogârit, id eſt, violârit atque contemſerit legem Moſis, eum Deus affici vult ſupplicio: Ergo acerbiore ſupplicio (videlicet æterno) vult affici eum qui contemſerit doctrinam Chriſti. Ratio conſequentiæ: Nam qui doctrinam Chriſti (nempe à ſe cognitam) contemnit, & ab ea ultrò deficit, is *conculcat* (nempe quantum in ipſo eſt) *filium Dei, & ſanguinem federis* (videl. ſanguinem Chriſti, quo fedus gratiæ eſt confirmatum) *per quem fuerat ſanctificatus, profanum ducit: & ſpiritum gratiæ* (id eſt, Spiritum ſanctum de gratia Dei teſtificātem) *contumeliâ afficit*, dum videl. illud ejus teſtimonium mendacii arguit. In hujus enthymematis antecedente obſervandum; non eſſe hîc ſermonem de quavis transgreſſione Legis, ſed de ea tantùm quæ fit cum contemtu & (ut Moſes loquitur) elatâ manu. Reſpicit enim Apoſtolus hoc loco ad legem Dei quæ exſtat Num.15.v.30. & 31. his verbis: *Anima illa quæ commiſerit elatâ manu, ſive ex indigenis, ſive ex peregrinis, Jehovam afficit iſto probro; omnino exſcindetur anima illa è medio populi ſui. Quia verbum Jehovæ ſprevit, & mandatum ejus irritum fecit. omnino exſcinditor anima illa: iniquitas ejus in ea eſt.* Ex cujus loci collatione apparet; quod illic dicitur, *Omnino exſcinditor*, ſeu (ut in Hebræo habetur) *Exſcindendo exſcinditor*: pro eo Apoſtolum hîc dicere, *Abſque miſericordia moritur.* Quod autem adjicitur de duorum aut trium teſtimonio, ſumtum eſt ex Deut.19. v.15. Atque hæc de argumento confirmationis priore: Poſterius continetur v.30. ubi recitat duo teſtimonia de vindicta Dei qua perſecuturus eſt impios: quæ ambo teſtimonia exſtant Deut.32. v.35. & 36. Horum teſtimoniorum veritatem confirmat à teſtimonio conſcientiæ fidelium: ut qui certò nôrint, hanc Dei naturam & conſuetudinem eſſe, ſicut illic de ſe teſtatur. Tandem v.31. illorum teſtimoniorum recitationem, ac totius hujus argumenti diſputationem, exornat epiphonemate: quo admonet de judicii divini horrenda ſeveritate: ut Hebræos ab apoſtaſia eò efficaciùs deterreat.

32 Revocate verò in memoriam ſuperiores dies, quibus poſtquam illuſtrati fuiſtis, ingens certamen afflictionum ſuſtinuiſtis:

33 Partim quidem, dum & cum probris & cum afflictionibus in theatrum eſtis producti: partim verò, dum ſocii facti eſtis eorum qui in eodem ſtatu verſantur.

34 Etenim de vinculis meis mecum doluiſtis, & direptionem facultatum veſtrarum cum gaudio excepiſtis; ut qui ſciretis, *vos* habere apud vos potiorem ſubſtantiam in cælis, & permanentem.

Quia mentionem fecerat horrendi exitii apoſtatarum, nunc per quandam prolepſin contra apoſtaſiæ metum fideles Hebræos conſolatur. Igitur ipſos non defecturos, ſed in fide perſeveraturos, probat exemplo anteactæ experientiæ, videlicet perſeverantiæ, quam ſuperioribus diebus per Dei gratiam adhibuerant ſub perſecutione propter Chriſtianæ fidei confeſſionem. Illam perſeverantiam primùm illuſtrat elegante ſimili, quum eam vocat ἄθλησιν παθημάτων, *certamen perpeſſionum.* Qua appellatione ſignificat: quemadmodum qui in ſtadio currunt, aut luctando plagas accipiunt, illi certant ad conſequendum brabéum ſeu coronam: ſic ipſos etiam ſpe conſequendæ coronæ illius immarceſcibilis, gloriæ nimirum ac felicitatis cæleſtis, ſtrenuè quaſi certaſſe, tolerando perpeſſiones propter fidei Chriſtianæ confeſſionem. Deinde illas ipſorum perpeſſiones amplificat diſtributione è ſubjectis, quòd nimirum eas experti ſint, partim in ſeipſis, partim in fratribus. Item illas, quas in ſeipſis experti ſint, ſubdiſtinguit in probra & afflictiones: & utraſque, maximè verò probra illa, illuſtrat ſimilitudine, ſumtâ ab iis quorum vitia aut ſcelera in theatris & ſpectaculis publicis probri causâ traducuntur. Tum utrumque membrum principalis diſtributionis declarat ſubjectione exemplorum, ſed ordine inverſo. Primùm enim perpeſſiones quas in fratribus experti ſint, declarat exemplo ſpeciali ſuorum vinculorum: deinde verò afflictiones quas in ſeipſis experti erant, declarat exemplo generali direptionis facultatum. Atque hujus afflictionis tolerantiam amplificat ab adjuncto gaudio: quod ipſum gaudium illuſtrat expoſitione cauſæ procreantis, videl. fidei ac ſpei vitæ æternæ: ubi ait, *ut qui ſciretis,* (nempe per fidem in promiſſiones Dei) *vos habere apud vos* (nempe per illam ipſam fidem ac inde manantem ſpem) *potiorem ſubſtantiam in cælis, & permanentem*; id eſt, vitam æternam & glo-

riam

riam illam cælestem. Quibus verbis simul eorum sapientiam collaudat: ut qui majoris boni consequendi causâ, æquo animo jacturam fecerint minoris. Etenim bona cælestia terrenis longè potiora sunt, tum propter alias causas, tum quòd sunt μένοντα, manentia, id est, constantia & æterna: quum terrena bona, fluxa atque caduca sint.

35 Ne igitur abjicite fiduciam vestram, quę magnam habet præmii retributionem.

36 Nam tolerantiâ vobis est opus; ut ubi voluntatem Dei feceritis, reportetis promissionem.

37 Adhuc enim paululum, pauxillum: & qui venturus est, veniet; neque tardabit.

38 Justus autem ex fide vivet: at si *quis* se subduxerit, non delectatur eo anima mea.

39 At nos non ii sumus qui nos subducamus ad exitium, sed qui credamus ad animæ acquisitionem.

Hîc proponit alterum institutæ exhortationis argumentum, quod sumtum est ab effectu utili, videlicet retributione præmii, quod est vita æterna seu salus animæ. Initio autem exhortationem ipsam repetit, eamque ex proximè præcedentibus deducit, inquiens: *Ne igitur abjicite fiduciam vestram.* quasi dicat, Quum igitur omnes in fide perseverantes, eamque constanter confitentes, maneat substantia illa pretiosissima atque optatissima in cælis: ergo ut hanc consequamini, in fide perseverate, eamque constanter confitemini. Deinde argumentum ipsum annectit, inquiens: *quæ* (nemp[e fi]ducia) *magnam habet præmii retributionem.* Deinde v.36. exhortationem format specialiùs, exhortans ad patientiam seu tolerantiam persecutionis, propter fidei confessionem: simulque exhortationis argumentum repetit, & à testimonio promissionis Dei confirmat, inquiens: *Nam tolerantiâ vobis opus est, ut reportetis promissionem*, hoc est, rem à Deo promissam, videlicet illam præmii retributionem. Simul autem inserit aliud quoque exhortationis argumentum; quod sumtum est à causa procreante, videlicet consideratione voluntatis Dei, quum dicit: *ubi voluntatem Dei feceritis.* quasi dicat: Quum hæc sit voluntas Dei, ut propter fidei confessionem toleremus persecutionem mundi: agite, considerantes hoc, constanter fidem confitemini, & persecutionem tolerate. Postea v.37. initio argumentum propositum à præmii retributione, amplificat ab adjuncta brevitate temporis quod intercessurum sit inter certaminis laborem & præmii retributionem, inquiens: *Adhuc enim paululum, pauxillum &c.* Deinde reliquâ parte v.37. & v.38. argumenti illius confirmationem à promissione Dei, exponit iis verbis quæ exstant Habacuc.2.v.3. & 4. Quibus verbis etsi Deus propriè erudiebat populum illius temporis, & pios qui per fidem ab ipso solo pendebant, consolabatur contra hostes, promittendo eis tum temporalem tum æternam salutem: tamen Apostolus consideratâ constante naturâ Dei: ut qui sibi semper similis sit, rectè illam promissionem per tacitam ratiocinationem à pari, accommodat ad fidelem populum novi testamenti, ut qui & ipse persecutionem hostium perpetiatur. Observandum autem, verba illa, ἐὰν ὑποστείληται &c. desumta esse ex versione Græcorum. nam in Hebræo aliter habetur, nempe, (ut recentiores quidem verterunt). *Ecce ebullat in quo non est rectus animus ipsius.* Sed Apostolo satis fuit, versionem tunc receptam, quatenus videbat, illâ sententiam veram, quæque per se nihil incommodi haberet, contineri, ad suum propositum accommodare. Postremò vers.39. verbis ex Propheta recitatis subjicit prolepsin, qua occurrit sinistræ suspicioni, ne videatur malè ominari Hebræis, aut sinistrè de illis suspicari; quasi scilicet metueret, ne qui ex illis se essent subducturi, & confessionem fidei Christianæ deserturi. Hanc igitur suspicionem anteoccupans, ait: *Nos autem non ii sumus qui nos subducamus ad exitium &c.* ubi, ut apparet, ipsa duo principalia exhortationis institutæ argumenta simul repetit: videlicet alterum ab effectu pernicioso apostasiæ, nempe exitio: alterum verò ab effectu utili perseverantiæ, nempe æternâ salute.

SCHOLIA IN CAP. X.

1 Umbram] σκιάν. *Quum mox opponatur εἰκὼν, id est, imago: apparet, nomine σκιᾶς hoc loco significari σκιαγραφίαν, id est, adumbrationem seu rudem delineationem: qualem carbone facere solent pictores imaginem aliquam picturi. Aliter accipitur hæc vox Col.2.v.17. nam illic opponitur corpus.* Eorum bonorum quæ futura erant] τῶν μελλόντων ἀγαθῶν. *Id est, quæ per Christum comparanda erant; videlicet expiatio peccatorum, sanctificatio conscientiarum, jus hæreditatis cælestis. Sic suprà 9.11.* Non ipsam imaginem rerum] οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων. *Id est, non ipsas res: quæ ad legales cærimonias se habent, ut imago ad umbram. Similis syntaxis, ut in illo Rom.cap.4. Accepit Abraham signum circumcisionis: id est, circumcisionem, tanquam signum.* Iisdem hostiis anniversariis] κατ' ἐνιαυτὸν ταῖς αὐταῖς θυσίαις. *Trajectio verborum. Pro, ταῖς κατ' ἐνιαυτὸν αὐταῖς θυσίαις.* Nunquam in perpetuum potest] εἰς τὸ διηνεκὲς οὐδέποτε δύναται. *Alii ista verba, εἰς τὸ διηνεκὲς, referunt ad verbum præcedens προσφέρουσιν. Non rectè. Nam si illud εἰς τὸ διηνεκὲς, accipiatur simpliciter (videlicet pro continenter & absque interruptione) tum sententia illa fuerit falsa, & laborabit contradictione; quum dicatur, hostias illas oblatas fuisse κατ' ἐνιαυτὸν, id est, quotannis: non igitur continenter & absq; interruptione. Si verò illud, εἰς τὸ διηνεκὲς, accipiatur κατά τι, secundùm aliquid, respectu videl. annorum; ut significetur, singulis annis absq; interruptione (id est, ita ut nullus annus præteriretur) hostias illas oblatas fuisse: tum enuntiatum laborabit pleonasmo: quum hoc ipsum significetur verbis illis, κατ' ἐνιαυτὸν. Deniq; verba hæc, εἰς τὸ διηνεκὲς, ad sequentia pertinere, ex re ipsa planum est: quatenus per tacitam antithesin innuitur sacrificium Christi, quo solo populus Dei sanctificatus est εἰς τὸ διηνεκὲς: sicut infrà v.14. affirmat Apostolus. Hinc jam manifestum evadit, verba hîc esse trajecta.*

2 Alioqui nonne desiissent offerri?] ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι; *Interrogatio innuens affirmationem: quasi dicat, Certè desiissent offerri. Alii sine interrogatione legunt, ac proinde adverbium οὐκ expungunt. Sed collocationis verborum apud Græcos consuetudo istud videtur respuere. nam voce οὐκ expunctâ, dicendum esset ἐπεὶ ἐπαύσαντο ἄν: non autem, ἐπεὶ ἂν ἐπαύσαντο.*

3 Repetita mentio peccatorum] ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν. *Vide Levit.16.21.*

4 Taurorum & hircorum] ταύρων καὶ τράγων. *Qui scil. offerebantur in festo expiationis: Levit.16. Tauri autem hîc nominantur pro juvencis seu vitulis: à quibus non nisi ætate differunt.*

5 Ingrediens in mundum] εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον. *Nempe Christus. Id est, cùm in scriptura introducitur tanquam in mundum ingrediens. Similis phrasis fuit suprà 1.6. item 2.16.* Dicit] λέγει. *Psal.40.* Sacrificium &c.] θυσίαν &c. *Sunt verba Christi ad Deum patrem.* Corpus autem adaptasti mihi] σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. *Ad verbum, Coagmentasti seu concinnasti mihi. Notatur isto verbo creatio, sicut & Rom.9.v.22. ubi vasa iræ dicuntur κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν. Metaphora sumta est ab opificib. mechanicis. Cæterùm pro his verbis in Psalmo habetur* אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִּי *osnájim caritha lí: id est,* Aures perfodisti mihi. *Quibus verbis significat, se in perpertuam servitutem Patri addictum esse: sicut olim servi, quorum auris subulâ affigebatur januæ heri; ut habetur Exod.cap.21.v.5. Fieri autem potest ut Græci interpretes (quorum versionem Apostolus hoc loco retinet) pro* אָזְנַיִם *osnájim, id est, aures, legerint* עֶצֶם *hétzem, id est, corpus. Nam etsi illud nomen propriè significat os: tamen solitariè positum, accipitur etiam pro corpore; ut Thren.cap.4.v.7. Naziræi rubebant corpore. Et verbum* כָּרָה *caráh significat non solùm fodere: sed etiam aptare seu parare.*

6 *Hostias* pro peccato] περὶ ἁμαρτίας. *Subaudi, θυσίας. Ellipsis qualis Rom.8.v.3. καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν. Pro, καὶ θυσίᾳ περὶ ἁμαρτίας &c. Id est, & hostiâ pro peccato condemnavit peccatum. Eadem ellipsis usurpata est ab interpretibus Græcis in loco illo Psalmi qui hîc citatur.* Non approbasti] οὐκ εὐδόκησας. *In Græca versione habetur, οὐκ ἐζήτησας. Id est, Non postulavisti: quomodo etiam habetur in Hebræo. Pro quo illud εὐδόκησας forte irrepsit: quippe quod insolentem hoc loco syntaxin parit.*

9 In volumine libri] ἐν κεφαλίδι βιβλίου. *His verbis videtur respicere ad illum locum Exod.21. de servo qui auris pertusione hero addicebatur: ut significet, illos servos gessisse typum sui. Quanquam potest intelligi generaliter de promissionibus quæ passim in libris Mosis exstant. Porrò κεφαλὶς (ut rectè tradit Franciscus Junius) volumen dictum est metaphoricè à specie, eò quòd convolutum & complicatum libri corpus (ut libri quidem fuerunt veteres) quasi opus capitatum est. Hanc expositionem confirmo ex traditione Suidæ: à quo κεφαλὶς βιβλίου dicitur esse id quod εἴλημα (id est, volumen) vocant.*

11 *Certò* die] καθ' ἡμέραν. *Vide supr.cap.7.v.27.*

12 Hic vero &c.] αὐτὸς δὲ &c. *Post διηνεκὲς distinguo, sic: αὐτὸς δὲ μίαν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν προσενέγκας θυσίαν εἰς τὸ διηνεκὲς, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ. Et sic interpretor:* Obtulit victimam *manentem* in perpetuum, *id est, quæ eam vim facultatemq; obtinet, ut nulla ampliùs repetitione sit opus. Quam distinctionem atq; sententiam confirmat collatio versiculi 14. ubi ait,* Unicâ oblatione consecravit in perpetuum, εἰς τὸ διηνεκὲς, eos qui sanctificantur. *Porrò distinctionem receptam, qua dicitur Christus ad dexteram Dei consedisse εἰς τὸ διηνεκὲς, in perpetuum: repudiare videtur id quod mox additur:* id quod superest exspectans, donec inimici &c. *His enim verbis significatur, illam sessionem (hoc est, illum regnandi modum) non fore perpetuam. Et sanè idipsum testatur quoque in priore ad Corinth. quum dicit, eum traditurum regnum Deo ac patri, quum aboleverit omne imperium &c. 1.Cor.15.v.24. Præterea distinctionem allatam confirmat verbum ἐκάθισεν, id est, Consedit,* Er hat sich gesetzt; *quo verbo significatur actio comparantis sese ad sessionem, non autem ipsa sessio seu actus sedendi. Usitata autem distinctio postularet verbum κάθηται, id est,* Sedet.

15 Nam postquam priùs dixisset] μετὰ γὰρ τὸ προειρηκέναι. *Videlicet apud Jer.c.31. Potest reddi verbum ex verbo,* prædixisset: *sic enim loquitur Paterculus.*

17 *Tunc dixit*, Et peccatorum &c.] καὶ τῶν ἁμαρτιῶν &c. *Suppleo, τότε εἴρηκε: ex collatione similis loci supr. hoc cap.v.8. & 9 quia tale supplementũ omnino postulant verba illa v.15. μετὰ γὰρ τὸ προειρηκέναι. Quinetiam idem postulat ipse hujus loci scopus. Propo-*

situm enim est Apostolo, confirmare sententiam propositam v.14. ad cujus confirmationem verba illa quæ proximè sequuntur post illa, λέγει κύριος, non faciunt: sed tantùm ista, ἐ τῶν ἁμαρτιῶν &c. Quò minùs autem dici possit, cum illis verbis cohærere ista, λέγει κύριος, quæ habentur v.16. illud quoque obstat, quod planum est, hæc esse verba Prophetæ, per parenthesin ex more inserta: ut liquet ex collatione v.10. cap.8. suprà, & ex v.33. cap.31. apud Jeremiam.

19 Libertatem] παῤῥησίαν. *Seu.*fiduciam: *ut suprà 4.16.*

20 Per sanguinem Jesu] ἐν τῷ αἵματι Ἰησοῦ. *Scilicet quatenus est effusus in cruce.* Quam viam dedicavit nobis] ἣν ἐνεκαίνισεν ἡμῖν ὁδὸν. *Pro,* ἣν ὁδὸν ἐνεκαίνισεν ἡμῖν. *Trajectio. Id est,* ὅπερ αἷμα ἐνεκαίνισεν ἡμῖν ὡς ὁδὸν: *quem sanguinem dedicavit nobis tanquam viam. Alii,* viam quam dedicavit: *ut accusativus* ὁδὸν *pendeat à participio* ἔχοντες, *in principio versus præcedentis. Sed tum fuerit insolentius* ἀσύνδετον. *Quare alteram syntaxin præfero. Inclusi autem hunc versum parenthesi, ut dilucidior esset cohærentia sententiarum.* Recentem] πρόσφατον. *Græcâ voce significatur propriè recens mactatum,* τὸ πρὸ ὀλίγου σφαττόμενον: *quare viæ hoc epitheton tribuitur per metaphoram κατάχρησικήν. Interim tamen quum per* viam *hîc intelligatur corpus Christi in cruce mactatũ: de industria videtur Apostolus hoc epitheton delegisse, ut quod ipsi rei pulchrè convenit.* Recentem *autem* viam *nominat: quia nunquam vetustescit, sed omnibus temporibus vim suam obtinet.* Vivam *verò, id est, vivificam: per metonymiam effecti. ut Joh.6.51.* ὁ ἄρτος ὁ ζῶν. *id est,* ζωοποιῶν. Per velum &c.] διὰ τοῦ καταπετάσματος. *Respicit ad velum tabernaculi: per quod pontifex Leviticus ingrediebatur in sacrarium.* Velo *autem comparat corpus* CHRISTI: *quia in illo latuit deitas: sicut velo tabernaculi obtecta fuit arca federis, in qua residebat Jehováh. Per hoc autem velum paravit nobis viam in sacrarium, hoc est, cælum, quatenus carnem suam pro nobis obtulit.*

21 Et] καὶ. *Scil.* ἔχοντες: *quum habeamus. Ex v.19.*

22 Accedamus] προσερχώμεθα. *Scilicet ad Deum: hoc est, invocemus Deum. Confer supr.4.16.* Cum vero corde] μετὰ ἀληθινῆς καρδίας. *Id est, cum vero cordis affectu. Metonymia subjecti.* Aspersi *in* cordibus, *& purgati* à conscientia mala] ἐῤῥαντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς. *Ad verb.* aspersi corda à conscientia mala. *Id est, ut qui simus aspersi. Pro,* κατὰ τὰς καρδίας, *ellipsi Græcâ: item pro,* ἐῤῥαντισμένοι, καὶ κεκαθαρισμένοι, *ellipsi Hebraicâ: quam innuit syntaxis præpositionis* ἀπὸ, *& Syrus rectè supplevit.*

23 Abluti *in* corpore] λελουμένοι τὸ σῶμα. *Id est, quum simus abluti. Pro,* κατὰ τὸ σῶμα. *Ellipsis Græca qualis modò.* Aquâ purâ] ὕδατι καθαρῷ. *Id est, sanguine Christi: cujus typus fuit aqua, qua cultores in Lege sese abluebant. Metaphora.*

27 Adversarios] τοὺς ὑπεναντίους. *Nempe eos qui resistunt Spiritui sancto: ut Stephanus loquitur Act.7.v.51.*

28 Qui abrogarit] ἀθετήσας τις. *Id est, qui petulanter contrà venerit, non secus ac si illa esset abrogata aut nunquam lata, ac proinde ipse in illâ non teneretur. Metonymia efficientis* καταχρηστική. *Vide plura analysi.*

29 Per quem fuerat sanctificatus] ἐν ᾧ ἡγιάσθη. *Id est, per quem videbatur esse sanctificatus, quamdiu scilicet Christum confitebatur. Dictum* κατὰ δόξαν. *Metonymia subjecti.* Spiritum gratiæ] τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος. *Id est, Spiritum sanctum, qui cordibus electorum de gratia Dei erga ipsos testificatur. Genitivus objecti.* Contumeliâ affecerit] ἐνυβρίσας. *Nempe arguendo illum mendacii, quatenus negat veritatem Evangelii, de qua Spiritus sanctus in corde ejus testatur.*

32 Postquam illustrati fuistis] φωτισθέντες. *Videl. cognitione Dei per Evangelium. Ex collatione versus 26. Quæ illustratio sive illuminatio quoniam cœperat sub id tempus quo illi erant baptizati: inde factum reor, ut hoc verbum à nonnullis veterum ad baptismum sit translatum. Sic suprà 6.4.*

33 In theatrum estis producti] θεατριζόμενοι. *Confer 1.Cor.4.v.9. Potest hoc & propriè & metaphoricè intelligi. nam utrumque Christianis accidebat.* Qui in eodem statu versantur] τῶν οὕτως ἀναστρεφομένων. *Ad verb.* Qui sic versantur: *nempe in probris & afflictionibus.*

34 Direptionem] ἁρπαγὴν. *Confer 1.Thess.2.14.* Cum gaudio] μετὰ χαρᾶς. *Confer Act.5.41.*

36 Promissionem] τὴν ἐπαγγελίαν. *Id est, hæreditatem illam cælestem, credentibus promissam. Metonymia adjuncti, & synecdoche generis.*

38 At si *quis* se subduxerit] καὶ ἐὰν ὑποστείληται. *Conjunctio copulativa hic valet adversativam: quum sit manifesta antithesis. Sunt autem hæc verba desumta ex versione Græca. nam in Hebræo habetur:* Ecce ebullat in quo non est rectus animus ipsius.

39 Non ii sumus qui nos subducamus &c.] οὐκ ἐσμὲν ὑποστολῆς, ἀλλὰ πίστεως. *Ad verb.* Non sumus subductionis, sed fidei. *Subaudi* τέκνα, *id est, filii. Hebraismus: qualis Ephes.2.* τέκνα ὀργῆς, *filii iræ, id est, iræ Dei obnoxii.* Ad animæ acquisitionem] εἰς περιποίησιν ψυχῆς. *Id est, ad salutem, ut percipitur ex antithesi. Metaphora à negotiatione, qua quis vel acquirit amplius & lucratur, vel perdit quod habebat. Simili ratione loquendi utitur Christus Matth.10.v.39.* Qui invenerit animam suam, perdet eam &c.

OBSERVAT. EX CAP. X.

Sacramenta. Vindicatio verborum Pauli, Lex umbrâ obtinens futurorum bonorum &c.

1 Ex vers.1. Abutuntur hoc loco qui ex eo conantur stabilire discrimen, quod ipsi tradunt inter sacramenta utriusque testamenti: quasi nimirum sola vetera Christum significarint: nova autem illum non ampliùs significent, sed in se contineant & substantialiter conferant accipientibus. At, inquam, Apostolus hoc loco de discrimine sacramentorum utriusque testamenti nihil agit: sed agit de discrimine inter sacrificia veteris testamenti & sacrificium novi testamenti, videlicet sacrificium Christi: sicut in analysi est demonstratum. Quod autem ad sacramenta utriusque testamenti attinet: utraque significant Christum, tam nova quàm vetera: (secus enim ne sacramenta quidem essent) sed discrimen in hoc est positum, quòd vetera Christum significarunt ut venturum: nova verò eundem significant ut exhibitum. item quòd nova veteribus clariora sunt: eò quòd rem gestam & clarè per Evangelium prædicatam repræsentant. Similiter abutuntur loco Col.2.v.17. *Quæ sunt umbra rerum futurarum: at corpus est Christi.* ubi similiter cærimoniæ veteris testamenti cùm ipso Christo comparantur: non autem utriusque testamenti cærimoniæ seu sacramenta inter se.

Sacramenta.

2 Ex vers.4. Sicut sanguis taurorum & hircorum in vetere testamento non potuit auferre peccata, propter naturalem scilicet vilitatem: sic etiam in novo testamento aqua baptismi, & panis ac vinum Cænæ Domini, non possunt auferre peccata, propter eandem causam. Interim quemadmodum sanguis taurorum & hircorum in vetere testamento à summo sacerdote inter sacrificandum effusus, divinum testimonium fuit credentibus, quòd haberent remissionem peccatorum per sanguinem Christi, per illum pecudum sanguinem significatum, & suo tempore in sacrificio Christi effundendum: sic aqua baptismi, itemque panis ac vinum cænæ Domini in novo testamento divina testimonia sunt credentibus, quòd habeant remissionem peccatorum per eundem sanguinem Christi, jam in cruce cum sensu iræ Dei effusum.

Scriptura sacra.

3 Ex v.7. Scopus sacræ scripturæ est Christus: de hoc enim omnes prophetæ prophetarunt. sicut Christus ipse hoc loco profitetur, inquiens, *In volumine libri scriptum est de me.* Similiter Johan.5.v.39. *Scrutamini scripturas: & illæ sunt quæ testificantur de me.* Item v.46. *Si crederetis Mosi, crederetis mihi: de me enim ille scripsit.* Item Luc.24.v.27. *Exorsus à Mose & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso scripta erant.* Sic Petrus, Act.10.v.43. *Huic omnes prophetæ testimonium dant &c.* Sic Paulus Rom.1.v.2. ait, *Deum evangelium suum de Christo jam olim promisisse per prophetas suos in scripturis sanctis.* Quem autem prophetæ in suis scriptis prænuntiant exhibendum, eundem apostoli in suis scriptis annuntiant exhibitum. Et hunc sui libri scopum expressè indicat Johannes c.20. v.ult. Quare in legendis scripturis Christum potissimùm quæramus, omissâ rerum ad salutem non necessariarum anxiâ & otiosâ inquisitione.

Justificationis causa meritoria.

4 Ex v.10. Quum Apostolus testetur, nos sanctificatos esse (imputatâ scilicet nobis sanctitate, ut à Deo pro sanctis habeamur) per oblationem corporis Jesu Christi: non est igitur putandum, nos sanctificari per imputatam sanctam Christi vitam. nam si sancta Christi vita nobis imputaretur: oblatione corporis Christi non fuisset opus ad nos sanctificandum: quippe qui jam antea sanctificati fuissemus. Huc pertinet vox illa Christi Johan.17. v.19. *Ego pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati verè,* ἐν ἀληθείᾳ. ubi significat, se consecrare seipsum in sanctam victimam, cujus oblatione electi sanctificentur.

Missa Pontificia.

5 Ex v.10.12.14.18. Quum oblatio Christi semel tantùm fieri debuerit, ut hîc identidem repetit Apostolus: peccant igitur Pontificii, qui Christum in sua Missa quotidie offerre conantur. Nec eos juvat, quòd dicunt, se offerre Christum modo incruento: etenim scriptura illum modum ignorat: & contrà, unicam eamque cruentam Christi oblationem tradit.

Scriptura sacra.

6 Ex v.15. Quum author scripturæ propheticæ sit Spiritus sanctus; qui est Spiritus veritatis, atque adeò Deus ipse, qui mentiri nequit: officii nostri est, absque ulla hæsitatione fidem illi scripturæ habere. Id quod tamen non nisi illi facere possunt, quorum cordibus Spiritus sanctus veritatem sui verbi obsignat. Errant igitur Pontificii, qui fidem scripturæ ab authoritate hominum, quos augusto Ecclesiæ titulo commendant, suspendunt. Confer 2.Pet.1. v.20.& 21.

Vita æterna causa meritoria.

7 Ex vers.19. & 20. Quum Christus vitam æternam nobis promeruerit suâ morte; sicut hoc loco docet Apostolus, quum ait, nos per sanguinem Jesu (item per carnem ejus) habere libertatem ingrediendi sacrarium: consequens est, eum non promeruisse nobis vitam æternam (ut quidam putant) sanctâ suâ vitâ. Etenim si per hanc id esset effectum: tum illâ non fuisset opus. Interim sancta Christi vita ad hoc fuit necessaria, ut Christus esset sanctus pontifex & sancta victima, ac proinde ut sacrificium ejus esset idoneum atque efficax ad vitam nobis promerendam.

Ecclesia.

8 Ex vers.21. Ecclesia est domus Dei, cui Christus præest tanquam filiusfamiliâs, suprà cap.3.v.6. Qui quum sit infinitæ sapientiæ ac potentiæ: non est dubium, quin domum suam & sapienter gubernet, & potenter necessaria ad salutem ei suppeditet.

Quare

Quare demus singuli operam, ut simus ex hac domo; ac proinde præfecto illius Christo confidamus.

Preces. 9 Ex v.22. Ad legitimam precationem atque invocationem Dei inter alia requiruntur etiam hæc duo: ut proficiscatur ex vero corde, & ex certa persuasione fidei. Confer Rom.10.v.14. Jacob.1.v.6. Vide quoque exempla contraria Pharisæi & publicani, Luc.18.v.9.& deinceps.

Conscientia. 10 Ex vers.22.23. Conscientia à peccatis purgatur sanguine Christi, quatenus per fidem scimus, sanguinem Christi pro nobis fusum esse in remissionem peccatorum. Confer supr.c.9.v.14. Ergo qui expetit puram ac tranquillam conscientiam, credat in Christum. Ea autem fides ex se parit studium vitandi peccata, ne conscientia temere lædatur aut gravetur.

Fideles. Sacramenta. 11 Ex iisdem duobus vers. Fideles percipiunt non solùm sacramenta, sed etiam rem per sacramenta significatam ac promissam: illa quidem externè seu corpore, hanc verò internè seu corde. Etenim Apostolus testatur, fideles Hebræos & aspersa atque purgata habere corda à conscientia mala, & ablutum habere corpus aquâ purâ. Ita Apostolus fideles Corinthios alloquens, ait, *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini Jesu & per spiritum Dei nostri*, 1.Cor.6.v.11. Item fideles Galatas alloquens, ait: *Quicunq; in Christum baptizati estis. Christum induistis*, Gal.3.v.27. Sic Paulo recens ad fidem in Christum converso dicebat Ananias, *Surge, baptizare & ablue peccata tua, invocato nomine Domini*: Act.22.v.16.

Confessio fidei. 12 Ex v.23. Non est satis in Christum credere, si illam fidem intus contineamus: sed oportet nos fidem & spem nostram confiteri ad gloriam nominis Dei. Sic Rom.10.v.10. ait Apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Et Christus ipse dicit, Matth.10. v.32.33. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo cælesti. Qui verò me negaverit, illum & ego negabo.* Oremus igitur Deum, ut largiatur nobis constantiam intrepidè fidem nostram confitendi. Huc pertinet & illud Petri, 1.Pet.3.v.15. *Estote semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus spei quæ in vobis est, cum lenitate & reverentiâ.* Damnantur igitur pseudo-Nicodemi: qui quoties periculosum putant, confessionem omittunt: imitantes scil. Nicodemum in eo quod ad Christum venit noctu propter metum Judæorum: quum tamen potiùs imitari illum deberent in eo, quòd Christi crucifixi corpus publicè de cruce unà cum Josepho deposuit, & pretiosis aromatibus funeravit, atque sepelivit.

Spes. 13 Ex eod vers. Spes Christianorum qua sperant vitam æternam, non fallit, sed certa est; quia nititur naturâ verace Dei; qui illam ipsis promisit. Quicquid enim Deus promittit, illud certò præstat; quia fidelis seu verax est. Vide infrà cap.11.v.11. Sic dicitur Rom.5.v.5. *Spes non pudefacit.* Dissimilis est spes mundi, quæ pendet à promissis hominum; de qua dici solet, **Hoffen vnd harren macht manchen zum narren.** Ratio est, quia omnis homo mendax.

Officium hominis Christiani. 14 Ex v.24. Non est satis, ut homo Christianus seipsum observet, ne peccet: sed debet etiam observare fratres, ut si eos peccare videat, fraternâ admonitione corrigat. Vide Matth.18.v.15. & deinceps.

Exhortationes. 15 Ex eod.v. Quum charitas & studium beneficentiæ plerumque in nobis frigeat: opus est ut mutuis exhortationibus nos eò acuamus atque accendamus.

Congregationes ecclesiasticæ. 16 Ex v.25. Peccant qui congregationes ecclesiasticas deserunt, atque ita exercitia pietatis in illis celebrari solita omittunt. Neque enim quisquam tantam vel cognitionem rerum divinarum vel pietatem adeptus est in hac vita, quin possit per illa exercitia proficere. Deinde qui plus cæteris profecerunt, suo exemplo fratres rudiores atque infirmos debent ad profectum excitare.

Judicium ultimum. 17 Ex eod.vers. Quum dies ille judicii extremi jam tempore Pauli appropinquarit: consequens est, illum hodie non procul abesse. Quare unusquisque solicitè sese comparet, ut coram tribunali Christi intrepidè possit consistere: id quod illis tantùm continget, qui eum ex fide sanctè coluerint. Vide Luc.21.v.34. & deinceps.

Peccatum in Spiritum sanctum. 18 Ex v.26. & deinceps usque ad 32. Observanda hîc est doctrina de peccato in Spiritum S. quidnam illud sit, & cur sic nominetur, & cur sit irremissibile. Definitio ex hoc loco potest colligi his verbis, ut dicatur peccare in Spiritum S. is, qui post acceptam cognitionem veritatis Evangelii, ultrò peccat, id est, veritatem illam sibi cognitam nullo periculo cogente abnegat, & illius confessoribus atque adeò Deo ipsi adversatur. Nominatur peccatum in Spiritum sanctum, item blasphemia in Spiritum sanctum: quoniam, qui sic peccat, is spiritum gratiæ, hoc est, Spiritum sanctum de gratia Dei in Christo testificantem, contumeliâ afficit, quatenus illud Spiritus sancti testimonium mendacii arguit. Est autem hoc peccatum, teste Christo, irremissibile: nec ad illud expiandum reliqua est (ut hoc loco dicitur) ulla hostia. Etenim hostia Christi non nisi resipiscentibus parata est: at petulantibus illis apostatis & agnitæ veritatis persecutoribus Deus non dat gratiam ut resipiscant: idque justo judicio: quippe quum non patiatur se impunè irrideri, (Gal.6.v.7.) & filium suum conculcari, & spiritum suum contumeliâ affici, (hîc v.29.) sed istos suos adversarios æterno exitio justissimè ulciscitur, hîc vers.30. Quam etiam ob causam peccatum istud à Johanne vocatur peccatum ad mortem, 1.Joh.5.v.16. eò quòd mortem æternam certò secum adfert. Hoc peccatum Christus exprobravit Pharisæis Matth.12.v.31.& 32.

Vindicatio verborum Pauli, Nam si ultrò peccaverimus &c. Novatianorum error. 19 Ex iisd.v. Quum hoc loco sermo sit de peccato in Spiritum sanctum, ut modò est declaratum: consequens est, Novatianos hoc loco fuisse abusos, quum eum traherent ad negandam veniam illis, qui lapsi fuerant, & fidem Christianam negaverant, ex infirmitate & metu supplicioium. At Christus Petro sic lapso ignovit, eumque in Apostolatu confirmavit, Joh.ult.v.15. & deinceps. Nec justam causam habuerunt patres occidentales epistolam hanc propterea ex canone ejiciendi.

Vindicatio verborum Pauli, an sanguinem federis per quem fuerat sanctificatus. 20 Ex v.29. Quod dicit Apostolus, talem apostatam, de quo hîc verba facit, sanctificatum fuisse per sanguinem federis: id ad vocationem Dei referendum est, quâ illi sanctificatio per sanguinem Christi fuerat oblata: sed cum conditione fidei, quâ is meritum illius sanguinis sibi applicaret: quod tamen ille non fecit, ac proinde verè sanctificatus nunquam fuit: sed tantùm talis visus est fratribus ex charitate judicantibus, quamdiu fidem Christianam fuit professus. Nam qui verè sanctificati sunt, id est, qui verâ fide sunt præditi, ac proinde verè sunt ex numero fidelium, illi à fide non deficiunt: sed eam constanter profitentur, aut certè non nisi ex infirmitate humana negant, & mox resipiscunt, atque ita cum fidelibus manent: sicut testatur Joh.1.Joh.2. v.19. Similiter interpretandus est locus Petri, 2.Pet.2.v.1. ubi prophetat de falsis doctoribus, *qui subintroducent* (inquit) *hæreses exitiales, etiam Dominum qui illos mercatus est, abnegantes: accersentes sibi velox exitium.*

Spes. 21 Ex v.32. A recordatione temporis præteriti quo gratiam Dei experti sumus, debemus argumentum ducere ad confirmandum spem de gratia Dei futura. Quod quidem argumentum fundatum est in natura Dei constante, ut qui semper sibi similis sit: & bonum opus fidei quod in nobis inchoavit, etiam perficiat. Hoc argumenti genere usus fuit David 1.Sam.17.37. *Dominus qui eripuit me* (inquit) *de manu leonis & de manu ursi, liberabit me de manu quoq; Philistæi hujus.* Item Paulus 2.Tim.4. v.18. *Ereptus fui* (inquit) *ex ore leonis: & eripiet me Dominus ab omni opere malo, servabitq; regno suo cælesti.*

Confessio fidei. 22 Ex eod.vers. Qui coronam illam immarcescibilem gloriæ cælestis expetunt, illi comparare sese debent ad sustinendum certamen afflictionum propter confessionem veritatis cælestis. Nemo enim coronatur, nisi legitimè certaverit. Vide 1.Cor.9.v.24. & deinceps: 1.Tim.6.v.12. 2.Tim.4.v.7.& 8.

Officium hominis Christiani. 23 Ex v.33. Officium Christianorum est, ut afflictionibus fratrum non secus afficiantur, ac si ipsi illas in seipsis experirentur. Vide infrà cap.13.v.3. Huc pertinet illud quoque Rom.12. *Flete cum flentibus.*

Electi. Confessio fidei. 24 Ex v.34. Mira est efficacia Spiritus sancti in electis, quòd persecutionem propter confessionem veritatis non solùm æquo animo tolerant, vindictam Deo committentes: sed etiam quòd admittunt ac perpetiuntur eam cum gaudio, ex spe nimirum felicitatis cælestis suo tempore certò ipsis communicandæ. Exemplum habemus hîc in Hebræis, & Act.5.v.41. in apostolis: qui propter confessionem Christi virgis cæsi, à conspectu concilii abierunt, gaudentes, quòd digni habiti essent qui pro nomine Jesu contumeliâ afficerentur. Atque hoc ipsum gaudium Christus discipulis suis præcepit Matth.5.v.11.& 12.

Sapientia. 25 Ex eod.v. Sapientiæ Christianæ est, bonorum cælestium consequendorum causâ jacturam facere terrenorum: quippe quum illa his longè potiora sint. Contrà stulti sunt, qui ut terrena retineant, cælestia interim amittunt. *Quid enim prodest homini;* (ait Christus) *si vel totum mundum lucratus fuerit, in anima verò sua damnum patiatur?* Matth.16.v.26.

Vita æterna. 26 Ex v.35. Ex eo quòd vita æterna nominatur merces, non est colligendum, quòd nobis detur pro nostris meritis. Etenim propter solum Christi meritum illa nobis datur. Sed *merces* item *præmium*, nominatur vita æterna, quia ut illam consequamur, necesse est, nos priùs in vinea Domini strenuè laborare, & in stadio pietatis fortiter certare contra omnis generis persecutiones. Quare sicut spe mercedis strenuè laborat mercenarius, & spe præmii fortiter certat cursor aut luctator: sic nos quoque spe vitæ æternæ strenuè in Deo colendo laboremus, & fortiter in veritate ipsius confitenda certemus.

Tolerantia crucis. 27 Ex v.36.& 37. Ad tolerantiam crucis propter confessionem Christi excitare nos debet, quòd hæc est voluntas Dei, & quòd hac via reportaturi sumus vitam æternam, & quòd crux non diu durabit.

Promissiones Dei. 28 Ex v.37.& 38. Promissionum Dei veritas æstimanda nobis est non ex sensu, sed ex fide. nam etsi Deus res promissas nobis videatur differre, tamen suo tempore illas certò exhibebit.

Vita æterna. 29 Ex v.38. Vita æterna nascitur ex fide: nempe tum initium illud vitæ æternæ, quo corda electorum imbuuntur in hac vita, dum gustant paternum Dei erga se favorem: tum verò plena illa fruitio, communicanda illis post hanc vitam in cælo.

Ministri verbi Dei. 30 Ex v.39. Pastorem Ecclesiæ decet, exemplo Pauli, prudenter occurrere sinistris suspicionibus auditorum, ne videatur illis malè ominari.

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Quoniam superiore capite exhortatus fuit ad perseverantiam in fide, hic per digressionem declarat fidei naturam: id quod facit descriptione ex effectis: quam exemplis patrum ex historia sacra petitis illustrat.

EST autem fides, substantia rerum quæ sperantur, index *rerum* quæ non cernuntur.

2 Ob eam enim testimonio sunt ornati majores.

3 Per fidem intelligimus, constructum fuisse mundum verbo Dei, ita ut quæ cernimus, non sint ex apparentibus facta.

HIc fidem describit ex tribus effectis: quorum primum est, quòd fides ex se parit certam spem rerum à Deo promissarum, vers. 1. Secundum, quòd propter fidem homines Deo placent, v. 2. Tertium, quòd per fidem intelligimus res rationi humanæ incredibiles, v. 3. Primum effectum exponit his verbis, *Est autem fides substantia rerum quæ sperantur, index rerum quæ non cernuntur.* Id est, Fides ex se parit certam spem rerum à Deo promissarum, adeò ut res illæ quæ ex Dei promissione sperantur necdum cernuntur, jam reipsâ subsistere sive exstare & coram cerni videantur. Secundum effectum exponit his verbis, *Propter hanc enim testimonio ornati sunt antiqui*, nempe quòd placuerint Deo: ex fine v. 5. Quod autem hîc dicitur de antiquis seu majoribus, id postea specialibus exemplis declarabitur, & in universum de omnibus fidelibus intelligendum est, quòd scil. propter fidem Deo placeant: quippe sine qua nemo ei placere potest, infr. v. 6. Tertium effectum exponit his verbis, *Fide intelligimus, constructum fuisse mundum verbo* (id est, mandato) *Dei: ita ut quæ cernuntur, non sint ex apparentibus facta*; subintellige, *sed ex nihilo.* Hic unum exemplum rei rationi humanæ incredibilis proponit; quæ tamen fide ad Dei omnipotentiam respicjente intelligitur; sed idem in universum de similibus quoque rebus intelligendum est, quarum exempla postea adferentur.

4 Abel per fidem, majoris pretii sacrificium obtulit Deo quàm Cain: per quam testimonium obtinuit quòd esset justus, testimonium perhibente Deo de donis ejus: & per hanc mortuus adhuc loquitur.

5 Per fidem Enoch fuit translatus, ne videret mortem: nec fuit inventus, propterea quòd transtulerat eum Deus. priusquam enim transferretur, testimonium obtinuerat quòd placuisset Deo.

6 Atqui fieri non potest, ut sine fidé quisquam *ei* placeat. nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet, esse *Deum*, & præmia largiri iis qui ipsum requirunt.

7 Per fidem divinitus admonitus Noë de iis quæ nondum cernebantur, veritus, apparavit arcam ad servandam domum suam: per quam *arcam* condemnavit mundum, & ejus, quæ ex fide est, justitiæ factus est hæres.

Deinceps effecta fidei proposita, exemplis è sacra historia ordine desumtis illustrat: è quibus tria prima (videlicet Abelis, Enochi, & Noachi) acciderunt primo illo mundi sæculo ante diluvium. Ac Abelis quidem & Enochi exempla pertinent ad illustrandum effectum secundum: quippe de quibus expressè affirmat Apostolus, eos testimonium obtinuisse quòd Deo placuerint. Noachi verò exemplum pertinet ad illustrandum effectum primum: commendatur enim spes Noachi, qua ex fide exspectabat ea quæ nondum cernebantur, videlicet conservationem sui ac suorum in diluvio, & præterea hæreditatem illam æternam. Porrò Abelis fidem colligit ex eo quòd sacrificium ejus placuit Deo: non placuisset autem, nisi Abel per fidem justus fuisset. Quòd autem sacrificium Abelis Deo placuerit, probat testimonio Dei duplici: uno facti, altero dicti. Testimonium facti est, quòd Deus sacrificium Abelis (ut è similium exemplorum collatione probabile est) igne cælitus demisso consumsit: id quod Apostolus significat verbo generali, inquiens: *testimonium perhibente Deo de donis ejus.* Dicti verò testimonium est, quòd Deus Abeli occiso testimonium innocentiæ dedit, quum Cajinum eo nomine objurgans ait, *Vocem sanguinum Abelis clamare ad se è terra*; quibus verbis significat, Abelem mortuum vindictam à se postulare: seque illam in Cajino fratricidâ velle exercere: sicut etiam mox pœnam ei infligit, expellens eum ex Ecclesiæ cœtu. Hoc testimonium innuit Apostolus his verbis, *Et per hanc mortuus adhuc loquitur.* Quanquam hoc quoque testimonium simul testimonium facti est: etenim Deus cædem Abelis ulciscendo, reipsâ testatum fecit, se sacrificium illius propter quòd à fratre occisus fuit, gratum habuisse. Vide Gen. 4. in principio. Atque hæc de Abele: sequitur de Enocho: cujus fidem colligit ex eo, quòd Deus ipsum vivum transtulit in cælum: cujus rei causa fuit, quòd Enoch Deo placeret. Hoc argumentum concludit Apostolus syllogismo ad hunc modum:

Quicunq; Deo placet, eum necesse est præditum esse fide.
At Enoch Deo placuit.
Necesse igitur est, Enochum præditum fuisse fide.

Conclusio præcedit ibi, *Per fidem Enoch fuit translatus.* quod perinde est ac si diceretur, Enoch fuit fide præditus, & propterea translatus est. Succedit assumtio ibi, *Priusquam enim transferretur.* Propositio additur ibi, *Atqui fieri non potest.* Assumtio approbatur testimonio ecclesiæ illius sæculi: quippe quæ testata fuit, Enochum indesinenter ambulasse secundum Deum. His enim verbis Moses testimonium illud recitat. Ex quo efficitur, Enochum Deo placuisse. Propositio approbatur ibi, *Nam qui accedit ad Deum &c.* Ista approbatio concludenda videtur hoc syllogismo:

Qui ad Deum accedit, hunc oportet præditum esse fide.
At qui Deo placet, ad Deum accedit.
Ergo qui Deo placet, hunc fide præditum esse oportet.

Terminum majorem Apostolus amplificat distributione bimembri, quum ait: *Hunc credere oportet & esse Deum, & præmia largiri iis, qui ipsum* (ex filiali fiducia) *requirunt & invocant.* Atque hæc de Enocho: sequitur de Noacho: cujus fidem colligit ex ipsius facto, quòd scil. apparavit arcam ad servandum se & domum suam à diluvio: id quod non fecisset, nisi credidisset verbo Dei, quo de diluvio post annos centum viginti eventuro fuerat admonitus. Hanc fidem amplificat Apostolus partim antithesi incredulitatis mundi, partim expositione effectus cujusdã præstantioris, & per corporalem illam conservationem adumbrati, videl. salutis æternæ. Hunc effectum significat, quum ait: *Noachum factum esse hæredem ejus justitiæ quæ est ex fide.* quòd si justitiæ, ergo & vitæ: nam justus ex fide sua vivit.

8 Per fidem, vocatus Abraham auscultavit *Deo*, ut abiret in locum quem accepturus erat in hæreditatem: & exivit, nesciens quò esset venturus.

9 Per fidem commoratus est in terrâ promissâ ut alienâ, commoratus in tabernaculis cum Isaac & Jacob, cohæredibus ejusdem promissionis.

10 Exspectabat enim civitatem illam quæ habet fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus.

11 Per fidem & ipsa Sara vim ad concipiendum semen accepit, ac præter tempus ætatis peperit: quòd fidelem *esse* duxerit eum qui promiserat.

12 Quapropter & ex uno, eoque jam emortuo, nati sunt *posteri*, quantà est astrorum cæli multitudo, & quasi arena illa innumerabilis quæ est ad oram maris.

13 Secundùm fidem mortui sunt isti omnes, non adepti promissa, sed eminus ea conspicati; postquam ipsis fuissent persuasa, & ea amplexi fuissent, ac professi, se hospites & advenas esse in terra.

14 Nam qui hæc dicunt, palàm ostendunt, se patriam quærere.

15 Quòd si illius memores fuissent ex qua exierant, habere poterant tempus ad revertendum.

16 Nunc autem meliorem expetunt, hoc est, cælestem. Quapropter Deum non pudet eorum, quin vocetur deus ipsorum. paraverat enim eis urbem.

17 Abraham quum tentaretur, obtulit Isaac per fidem; unigenitum, inquam, illum obtulit is qui promissiones exceperat:

18 Ad quem dictum fuerat, In Isaac vocabitur tibi semen:

19 Ratiocinatus, Deum potentiâ præditum esse etiam excitandi à mortuis: unde etiam illum similitudine *quadam* recepit.

20 Per fidem, de futuris benedixit Isaac Jacobo & Esavo.

21 Per fidem, Jacob moriens, singulis filiis Joseph benedixit: & adoravit, summo baculo suo nixus.

22 Per fidem, Joseph moriens de egressione filiorum Israël meminit, deq; ossibus suis mandavit.

Sequitur secunda quasi classis exemplorum: qua continentur sancti patres qui vixerunt inde à diluvio usque ad exitum filiorum Israël ex Ægypto: ut sunt Abraham, Isaac, Jacob & Joseph. Abrahamo autem additur uxor Sara. Ac Abrahæ quidem fidem ostendit primùm ex ipsius obedientia erga vocationem Dei; quum eum Deus vocavit ex patria ipsius, videlicet Ur Chaldæorum, promittens, se daturum illi terram quandam à posteris ipsius hæreditario jure possidendam. Hanc obedientiam amplificat ex eo, quòd ex patria exivit, quum nondum sciret, quò esset

esset venturus, id est, quænam esset illa terra quam unà cum posteris esset possessurus. Deinde fidem Abrahæ ostendit ex eo, quòd commoratus est in terra promissa (videlicet in terra Canaan) ut alienâ. Atque hoc fidei opus primùm illustrat simili exemplo Isaaci & Jacobi: Deinde causam exponit, cur æquo animo in terra promissa tanquam alienâ commoratus sit; nempe quòd fides ejus non acquiesceret in terra illa, quasi ex illius possessione beatus futurus esset: sed quòd altiùs prospiceret, videlicet ad cælum: quod per illam terram præfigurabatur, ac proinde principaliter promissum ei fuerat. Cælum autem significat Apostolus descriptione quadam ad propositum accommodatâ, inquiens: *exspectabat enim urbem habentem fundamenta &c.* Porrò hoc exemplum pertinet ad illustrandum effectum fidei primum, quòd nimirum fides ex se parit certam spem rerum à Deo promissarum. Huic Abrahæ exemplo adjungit exemplum Saræ, quod quidem illa cum isto habuit commune: quippe quòd fides Saræ in eâdem re credenda fuit occupata, eodem fundamento subnixa, ejusdemque effectus causa. His enim tribus rationibus fides Saræ hoc loco declaratur. Objectum illius fidei fuit promissio Jehovæ de procreando Isaaco: hoc significat, quum ait: *Per fidem & ipsa Sara vim ad concipiendum semen accepit.* Item: *Quòd fidelem judicârit eum qui promiserat.* Item promissio de multiplicando semine Abrahæ: quam Apostolus significat his verbis: *Nati sunt posteri, quanta est astrorum cæli multitudo, & quasi arena illa innumerabilis quæ est ad oram maris.* Etenim his verbis Deus Abrahamo multiplicationem seminis ipsius promiserat. Fundamentum verò hujus fidei, fuit illa Dei fides seu veritas: judicavit enim Sara, Deum esse fidelem seu fidum, id est, veracem & constantem in promissis. Effectus denique fuit, quòd Isaacum peperit præter ætatis rationem. Item, quòd ex uno (videlicet Abrahamo) nati sunt posteri, quanta est astrorum cæli multitudo &c. Hoc exemplum pertinet ad illustrandum effectum tertium. Etenim Sara & Abrahami crediderunt hìc rem rationi humanæ incredibilem, quippe naturæ impossibilem: quòd ipsum significat Apostolus, quum ait, Saram peperisse *præter ætatis rationem.* Item, natos esse posteros ex Abrahamo *jam emortuo.* Confer Rom. 4. v. 17. & deinceps.

Hisce quatuor exemplis, Abrahami inquam, Isaaci, Jacobi & Saræ, ita expositis, addit amplificationem, v. 13. & deinceps: ubi fidem illorum amplificat à certa spe & constanti exspectatione rerum promissarum, videlicet terræ Canaan & vitæ æternæ per illam adumbratæ. Constantiam autem illam fidei ac spei declarat ex eo, quòd secundùm fidem mortui sunt, quum terram Canaan nondum essent adepti: crediderunt igitur ac sperarunt, se illam aliquando adepturos in posteris. nam quod ad ipsorum personas attinet, professi sunt, se esse hospites & advenas in terra. qua de re vide responsum Jacobi ad Pharaonem regem Ægypti, quum ab illo de ætate rogatus esset, Gen. 47. v. 9. Hinc autem colligit Apostolus, patres illos ex fide potissimùm exspectasse vitam æternam, in cælo tanquam patriâ seu urbe cælesti fruendam. Quam sententiam confirmat duabus rationibus. Prior est: Patres illi quæsiverunt patriam aut terrenam, aut cælestem. Non autem terrenam: habuerunt enim tempus in illam revertendi, nec tamen reversi sunt, v. 15. Cælestem igitur patriam quæsiverunt, v. 16. Posterior ratio sumta est à testimonio Dei: ut qui non erubuit vocari Deus eorum: quo ipso nimirum significavit, se paravisse illis urbem ubi sese illis ad plenam beatitudinem communicaret; ista autem urbs est cælum. Porrò ex ista amplificatione ampliùs liquet, exemplum illud fidei Abrahæ, Isaaci, & Jacobi, pertinere ad illustrandum effectum primum. ait enim, illos per fidem res promissas eminus conspicatos, item amplexos esse; item patriam quæsivisse seu expetivisse: videlicet patriam illam cælestem. Atque hoc effectum fidei fuit patribus illis commune: jam v. 17. ac deinceps sequuntur effecta fidei singulis ipsis propria. nam Abrahamo proprium fuit, quòd ex fide obtulit Isaacum: Isaaco, quòd filiis, Jacobo & Esau, de futuris benedixit: Jacobo, quòd benedixit filiis Josephi: Josepho, quòd fratres confirmavit in spe egressionis ex Ægypto. Cæterùm illud Abrahæ factum primùm amplificat expositione caussarum corrumpentium, hoc est, quæ poterant eum impedire atque absterrere ne Isaacum offerret, ut à Deo jussus erat. Caussas ejusmodi exponit duas. nam partim obstare ei poterat naturalis amor, seu φιλοστοργία erga unigenitum: partim ipsa fides erga promissionem Dei, qua multiplicatio illa seminis disertè promissa ei fuerat in Isaaco; illo autem jugulato, videri poterat, promissionem illam non posse impleri. Deinde v. 19. declarat, quomodo Abraham obstacula illa per fidem superârit; nempe quòd secum perpenderit, Deum vel à mortuis excitare posse. Quibus verbis significat, Abrahamum credidisse, promissionem Dei impletum iri, etiam Isaaco à se jugulato atque cremato: quippe quem per suam potentiam è cineribus (si in illos tanquam holocaustum redactus fuisset) excitaturus esset. Postremò illam Abrahæ fidem amplificat à mirabili ac læto eventu, quòd nimirum Isaacum velut ex mortuis redivivum receperit. Hic observandum, exemplum hoc pertinere ad illustrandum effectum tertium. Etenim Abraham hìc credidit rem rationi humanæ incredibilem, quippe naturæ impossibilem: quòd nimirum Deus Isaacum è cineribus excitaturus esset, si in illos fuisset redactus.

Reliqua tria exempla factorum ex fide profectorum, pertinent ad illustrandum effectum primum: nam vaticiniis illis ac mandatis testati sunt illi patres, se certò sperare, posteros suos terram Canaan ipsis promissam olim possessuros. Et quorsum Joseph mandasset (sicut & antea Jacob) ossa sua in terram Canaan transferri, atque illic cum Abrahamo & Isaaco sepeliri, nisi credidisset, filios Israël illò introductum iri, illamque terram ut propriam possessuros?

23 Per fidem, Moses quum natus esset, occultatus est menses tres à parentibus suis, quòd viderent, venustum esse puerulum: & non timuerunt edictum regis.

24 Per fidem, Moses jam grandis renuit vocari filius filiæ Pharaonis:

25 Potiùs eligens simul malis affici cum populo Dei, quàm temporariam retinere peccati fruitionem:

26 Majores arbitratus divitias probrum Christi, quàm Ægyptiorum thesauros. Intuebatur enim in illam præmii retributionem.

27 Per fidem reliquit Ægyptum, nihil timens iram regis: nam ut qui videret invisibilem illum, *ita* forti animo fuit.

28 Per fidem fecit pascha & effusionem illam sanguinis: ne, qui perimebat primogenita, ipsos tangeret.

29 Per fidem transierunt rubrum mare, veluti per siccum: cujus periculo facto Ægyptii absorpti sunt.

30 Per fidem mœnia Jericho conciderunt, quum circumdata fuissent ad dies septem.

31 Per fidem, Rahab meretrix illa non periit unà cum iis qui non obedierant, quum pacificè excepisset hospitio exploratores.

Sequitur tertia classis exemplorum, videl. ab exitu ex Ægypto usque ad terræ Canaan possessionem, seu usque ad tempora Judicum. Comprehendimus autem hic etiam illa exempla quæ paulò ante exitum ex Ægypto evenerunt. Exempla hæc sunt numero septem. Primum est parentum Mosis, per quem populus ex Ægypto eductus fuit. Hi Mosen infantulum contra regis edictum conservârunt vivum, eò quòd ex venusta pueruli facie colligerent generosam atque heroicam indolem; ac proinde spem conciperent, per illum adultum liberatum iri populum Dei ex servitute Ægypti. Secundum exemplum est Mosis: qui jam grandis renuit vocari filius filiæ Pharaonis, à qua fuerat educatus & adoptatus, sed conjunxit se cum populo Dei. Hoc Mosis factum amplificat expositione caussarum tum corrumpentium tum conservantium. Etenim istud factum poterant impedire, unâ ex parte, commoda & thesauri Ægypti, quibus poterat frui, si se pro filio filiæ regis gessisset: alterâ verò ex parte, mala & probra, qui illi erant subeunda ac perpetienda, si cum populo Dei se conjungeret. Utrumque hoc obstaculum superavit Moses contemplatione præmii: intuebatur enim in illam præmii retributionem, videlicet à Deo promissam suo populo: atque hæc fuit fidei ipsius caussa conservans. Porrò utrumque istud fidei exemplum, videlicet & parentum Mosis, & ipsius Mosis, pertinet ad illustrandum effectum primum: etenim ex fide certò sperârunt illi promissam à Deo populi ipsius ex Ægypto liberationem. Tertium exemplum rursus est Mosis: qui per fidem reliquit Ægyptum, id est, fretus promissione Dei, Pharaoni denuntiavit, se vel invito ipso populum Israëliticum ex Ægypto ducturum, Exod. 11. v. 4. & deinceps. Hoc Mosis factum amplificat Apostolus expositione caussæ corrumpentis & caussæ conservantis. Caussa corrumpens fuit ira regis, quæ illum ab ista denuntiatione poterat deterrere. Nam rex repellebat eum à se: & mortem ei minabatur, si denuò in conspectum ipsius veniret. Exod. 10. v. 28. Caussa conservans fuit contemplatio Dei, cujus nimirum & veritatem & potentiam considerabat, tum in populo suo secundùm promissionem liberando, tum in se contra iratum regem protegendo. Hinc illa animi fortitudo, qua iram regis, quantumvis potentissimi, contemsit. Quartum exemplum est Mosis simul & filiorum Israël, qui per fidem immolarunt pascha in Ægypto, sanguine agni aspergentes superliminare & utrumque postem in januis domuum suarum: crediderunt enim Deo qui promiserat, se illâ nocte percussurum primogenita Ægyptiorum, atque eâ occasione ipsos ex Ægypto educturum. Quintum exemplum eorundem est: qui per fidem transierunt mare rubrum, atque ita impressionem Ægyptiorum à tergo instantium evaserunt, illis mari absorptis. Crediderunt enim Deo, qui hanc insignem ac prorsus admirandam victoriam ipsis promiserat. Sextum exemplum rursum eorundem est, & est quinto simile, videlicet admirabilis illa occupatio urbis Jerichuntis. Crediderunt enim Deo, qui promiserat, se illam urbem ipsis traditurum, posteaquam eam circuivissent, clangentes buccinis per septem dies. Atque hæc quatuor exempla, tertium inquam, quartum, quintum & sextum, pertinent ad illustrandum effectum tertium. Etenim Moses & Israëlitæ, freti pro-

missionibus Dei, crediderunt res rationi humanæ incredibiles: puta quòd essent à tyrannide Ægyptiorum liberandi, quòd salvi essent transituri mare, quòd absque vi occupaturi essent urbem Jerichuntem. Septimum exemplum est Rahabæ, meretricis Jerichuntinæ; quæ per fidem pacificè excepit ac clàm dimisit exploratores Israëliticos: quia credidit, Deum, ut promiserat, terram illam populo Israëlitico traditurum. Hoc exemplum pertinet ad illustrandum effectum secundum: nam propter hanc fidem Rahab placuit Deo; quippe qui ei pepercit, ne periret unà cum civibus Jerichuntinis, qui ex incredulitate se dedere Israëlitis nolebant.

32 Et quid præterea loquor? Deficiet enim me tempus commemorantem de Gedeone, de Barac, & Samsone, & Jephthe, & Davide, & Samuele, ac prophetis:

33 Qui per fidem debellarunt regna, exercuerunt justitiam, consequuti sunt promissa, occluserunt ora leonum:

34 Exstinxerunt vim ignis, effugerunt acies gladii, corroborati sunt ab infirmitate, effecti sunt robusti in bello, exercitus exterorum in fugam verterunt:

35 *Per quos* mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos.

Sequitur quarta classis exemplorum, videlicet à temporibus Judicum, quum filii Israël terram promissam jam possiderent, usque ad tempora Machabæorum. Hîc primùm nomina personarum per præteritionem conglobantur, v.32. Deinde earundem facta heroica & miraculosa, versibus reliquis. E personis quæ nominantur, quatuor fuerunt Judices; Gedeon, Barac, Samson & Jephthe: quinta, rex; nempe David: sexta, propheta; nempe Samuel: quanquam hic Judicibus quoque annumerari potest. His additur nomen generale prophetarum: quo nomine (ut ex sequentibus factis colligi potest) intelliguntur hîc potissimùm Elias, Elisæus & Daniel. Porrò facta enumerantur decem. 1. *Debellarunt regna:* hoc fecerunt Judices illi & Rex David: qui debellarunt regna Cananæorum, Philistæorum, Idumæorum, Ammonitarum, Moabitarum. 2. *Exercuerunt justitiam:* id quod cum primis fecit David, qui Sauli sese hostiliter persequenti bis pepercit, quum eum posset interficere. 3. *Assecuti sunt promissiones:* nempe specialiter sibi factas. ut idem David, qui regnum sibi promissum, tandem multis obstaculis superatis adeptus est. 4. *Occluserunt ora leonum:* ut Samson, Jud.14. David, 1.Sam.17. Daniel in foveam leonum conjectus, Dan.6. 5. *Exstinxerunt vim ignis:* ut tres socii Danielis, conjecti in fornacem ignis, Dan.3. 6. *Effugerunt acies gladii:* ut Elias fugiens minas Jesabelis, 1.Reg.19. 7. *Corroborati sunt ab infirmitate:* seu, *Convaluerunt ex ægrotatione:* ut rex Ezechias, 2.Reg.20. Quanquam intelligendum hoc potius videtur de robore animi quo induti fuerunt complures populi Dei duces, quum res ipsorum infirmæ essent. Hoc adeò magis mihi videtur propter verbum ἐνδυναμώθησαν: quod similiter de robore animi usurpat Apostolus noster, Philip.4.13. πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ. Item Rom.4.20. de Abrahamo, ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει: pro quo paulò antè dixerat, μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει. Opponens scil. τὸ ἀσθενεῖν & τὸ ἐνδυναμοῦσθαι; sicut & hoc loco. 8. *Effecti sunt robusti in bello,* ut Samson: qui maxillâ asini percussit mille Philisteos, Judic.15. item David: qui lapide fundæ prostravit Goliathum, & suo ipsius gladio jugulavit. 9. *Exercitus exterorum in fugam verterunt:* ut Gedeon clangore buccinarum & collisione hydriarum in fugam agens Midianitas, Judic.7. 10. *Mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos:* ut vidua Sareptana, hospita Eliæ, per preces illius recepit filium ex mortuis, 1.Reg.17. Item Sunamitis hospita Elisæi, per preces illius ex mortuis recepit filiolum, quem per ejusdem preces genuerat, 2.Reg.4.

Cæterùm hæc exempla omnia pertinent ad illustrandum effectum tertium: etenim illi ista efficientes, crediderunt ea quæ rationi humanæ incredibilia videbantur.

Alii verò distenti sunt, non accipientes liberationem, ut meliorem resurrectionem assequerentur.

36 Alii rursus ludibria & flagella sunt experti; insuper & vincula & carcerem.

37 Lapidati sunt, serrâ dissecti sunt, * tentati sunt, gladio cæsi occubuerunt: oberraverunt cum ovillis & caprinis pellibus: destituti, pressi, malè habiti:

* Vel, cremati sunt.

38 Quibus indignus erat mundus: in desertis errantes, & montibus ac speluncis, & cavernis terræ.

39 Atque omnes hi testimonium adepti per fidem, non *tamen* obtinuerunt promissum illud:

40 Propterea quòd Deus de nobis melius quiddam providerat, ne absque nobis consummarentur.

Sequitur quinta classis exemplorum, videlicet eorum quæ fidelibus acciderunt temporibus Machabæorum, quum Antiochus Epiphanes & alii vicini reges in populum Dei sævierunt, Hîc non proponuntur exempla specialia: sed in genere commemorantur cruciatus & miseriæ quas illis temporibus complures propter fidei confessionem sunt perpessi. Qua de re consulenda est historia Machabæorum, inprimis caput sextum libri secundi, de Eleazaro sene propter esum carnis suillæ recusatum plagis exanimato. Item caput septimum ejusdem libri de septem fratribus, unà cum matre: qui propter eandem causam exquisitissimis atque crudelissimis suppliciis excarnificati sunt. Cæterùm istæ calamitates (ut eruditè Franciscus Junius observavit) distribui possunt in tria genera: primum est tentationum mortem antecedentium & pios ad defectionem solicitantium, v.35. & 36. secundum, mortis ipsius omne genus acerbissimæ, v.37. tertium, fugæ miserrimæ, v.37. & 38. Pertinent autem ista exempla ad illustrationem effecti primi. Etenim confessores illi ac martyres, tantos cruciatus ac miserias ideo fortiter pertulerunt, quòd certò sperarent vitam æternam ipsis à Deo promissam.

Porrò expositione istâ exemplorum absolutâ, Apostolus fidem illorum omnium v.39. & 40. amplificat ab eventu: quòd scil. illi non obtinuerunt promissionem illam, hoc est, non viderunt Christum exhibitum: quippe qui ante illius exhibitionem sunt mortui. Cujus rei causam indicat, quòd Deo placuerit novissimis demum hisce temporibus Christum exhibere, ne patres illi absque nobis consecrarentur. Quippe Christo exhibito, & consecratione seu sanctificatione electorum per sacrificium illius peractâ, nihil aliud quàm finis mundi exspectari potest.

SCHOLIA IN CAP. XI.

1 Substantia rerum quæ sperantur] ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων. *Nomen* πραγμάτων *conjungendum est cum participio* ἐλπιζομένων: *& post participium* βλεπομένων, ἀπὸ κοινοῦ *repetendum. Quare textus distinguendus est ad hunc modum:* ἔστι δὲ πίστις, ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. *Rerum* quæ non cernuntur] οὐ βλεπομένων. *Id est,* μηδέπω βλεπομένων, *quæ nondum cernuntur: ut loquitur infrà v.7. Nam per τὰ* ἐλπιζόμενα *& τὰ οὐ βλεπόμενα idem significari puto. Quidam per τὰ οὐ βλεπόμενα, intelligunt res suâ naturâ invisibiles, puta essentiam & attributa Dei: verùm si de his loqueretur, appellaret potiùs τὰ ἀόρατα: ut Rom.1.v.20*

2 Ob eam] ἐν ταύτῃ. *Pro,* διὰ ταύτην. *Sicut apud Hebræos præpositio* ב *accipitur pro* בַּעֲבוּר *bahabur.*

5 Mundum] τοὺς αἰῶνας. *Ad verbum,* sæcula: *ut suprà 1.2.* Verbo] ῥήματι. *Id est, mandato seu nutu.* Ita ut non sint facta] εἰς τὸ μὴ γεγονέναι. *Pro,* ὥστε μὴ γεγονέναι. *Non enim indicatur finis, sed modus.* Non sint ex apparentibus facta] μὴ ἐκ φαινομένων γεγονέναι. *Subaudiendum* ἀντίθετον: sed ex nihilo. *Talis ellipsis exstat Rom.8.12.*

4 Sacrificium] θυσίαν. *Vox Græca propriè significat hostiam seu victimam, id est, pecudem ad sacrificium mactatam. Et sanè Abel pecudes obtulit: veruntamen Cain obtulit diversi generis munus, videl. fruges. Et tamen si proprietatem vocis urgeas: vi comparationis dicendus erit Cain quoq; pecudes obtulisse. Simile catachreseos exemplum fuit suprà 9.23. in voce* θυσίαις. Testimonium perhibente] μαρτυροῦντος. *Videl. quatenus sacrificium illius igne cælitus demisso consumsit: ut probabile est ex collatione similium exemplorum: ut Aaronis, Levit.9.29. Eliæ, 1.Reg.18.38. Davidis, 1.Paralip.21.26. Salomonis, 2.Paralip.7.1.* Adhuc loquitur] ἔτι λαλεῖται. *Nempe in scriptura: id est, Scriptura testatur, eum jam mortuum adhuc fuisse locutum, nempe quum sanguis ejus vindictam à Deo posceret: Genes.4. v.10. Similis phrasis fuit suprà 2.16. Non enim videlicet angelos assumit,* ἐπιλαμβάνεται. *Metonymia subjecti.*

5 Fuit translatus] μετετέθη. *Videl. ex terra in cælum.* Ne videret mortem] τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον. *Subaudi,* ἕνεκα. Videret, *pro sentiret seu experiretur: synecdoche speciei Hebraica* καταχρηστική. Nec fuit inventus] καὶ οὐχ εὑρίσκετο. *Scil. inter homines.* Quòd placuisset Deo] εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ. *Hoc Apostolus tanquam effectum colligit ex eo quòd dicit Moses, Enochum continenter ambulasse secundùm Deum.*

7 De iis quæ nondum cernebantur] περὶ τῶν μηδέπω βλεπομένων. *Videl. de diluvio & ipsius in illo conservatione. Synecdoche generis.* Veritus] εὐλαβηθείς. *Videl. diluvium futurū ex denuntiatione Dei.* Condemnavit] κατέκρινε. *Nempe ipso facto seu exemplo suo. Confer Matth.12. v.41. & 42.* Mundum] τὸν κόσμον. *Id est, impios homines, præter quos vix pauci erant in mundo homines.* Justitiæ] δικαιοσύνης. *Et vitæ æternæ ex justitia illa fluentis: Synecdoche membri metonymica.*

8 Vocatus] καλούμενος. *Quum vocaretur, scil. ex Ur Chaldæorum. Confer Act.7.v.2. & deinceps.* In locum] εἰς τὸν τόπον. *Videl. in terram Canaan.*

9 In terra] εἰς τὴν γῆν. *Pro,* ἐν τῇ γῇ. Terra promissâ] τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας. *Ad verb. Terra promissionis, Hebraismus. Genitivus adjuncti.* Ejusdem promissionis] τῆς ἐπαγγελίας τῆς αὐτῆς. *Id est, rei promissæ, videl. terræ Canaan. Metonymia adjuncti.*

10 Civitatem illam &c.] τὴν τοὺς θεμελίους ἔχουσαν πόλιν. *Id est, cælum. Periphrasis.*

11 Ad concipiendum semen] εἰς καταβολὴν σπέρματος. *Ad verb.* Ad dejectionem seminis, *vel,* ad fundationem seminis: *sicut sæpe in scriptura dicitur* καταβολὴ κόσμου: *ut sit metaphora ab* archi-

architectis, qui domum exstructuri, primò omnium fundamenta jaciunt. Quidam, Ad ejiciendum semen: ut intelligatur de exsecratione seminis Saræ è lumbis in uterum. Cui expositioni accommodatius esset nomen ἐκβολὴ. nisi dicamus, ἐμφατικώτερον esse illud καταβολὴ: ut quo defluxus notetur. Præter tempus ætatis] παρὰ καιρὸν ἡλικίας. Quippe quum jam nata esset annos nonaginta: quum tempus concipiendi per naturam desinat anno ætatis quadragesimo, aut ad summum quinquagesimo; teste Aristotele lib. 7. de hist. animal. cap. 5. Fidelem] πιστὸν. Id est, veracem, constantem in promissis.

12 Ex uno] ἀφ' ἑνὸς. Videl. Abrahamo. Emortuo] νενεκρωμένου. Id est, vigore naturali destituto, quum humidum radicale & calor nativus jam penè defecissent: denique inepto ad generandum. nam viri ad generandum idonei esse desinunt anno ætatis sexagesimo, vel ad summum septuagesimo: teste Aristot. lib. 7. de hist. animal. cap. 6. Ad oram] παρὰ τὸ χεῖλος. Sive, Ad littus. Ad verb. Ad labium. Metaphora Hebraica.

13 Promissa] τὰς ἐπαγγελίας. Ad verb. Promissiones: id est, res promissas. Metonymia adjuncti.

17 Promissiones] τὰς ἐπαγγελίας. Nempe de semine vocando in Isaaco, & de benedicendis omnibus gentibus in illo semine; sicut ipse Apostolus mox declarat.

18 In Isaac vocabitur tibi semen] ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα. Id est, semen illud in quo promisi benedictum iri omnes Gentes, orietur ex Isaaco.

19 Deum vel à mortuis &c.] ὅτι καὶ ἐκ νεκρῶν &c. Id est, Deum pro sua potentia Isaacum in cineres redactum excitaturum, ut ex illo posset oriri Christus. Synecdoche generis. Unde] ὅθεν. Nempe ex morte. Quippe cui jam erat destinatus, & cui afferendæ Abraham jam manus adhibuerat. Similitudine quadam] ἐν παραβολῇ. Quia propriè loquendo non recepit eum ex morte, quum non fuerit mortuus.

21 Singulis filiis] ἕκαστον τῶν υἱῶν. Pro, ἄμφω τὼ υἱὼ, vel, ἑκάτερον τῶν υἱῶν. nam duo tantum erant, Ephraim & Manasse. Summo baculo suo nixus] ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ. Scil κεκλιμένος. Gen. 47. v. 31. ita habetur: Et incurvavit se Israël ad caput lecti. Id est, adorans inclinavit sese versus cervical lecti sui. Pro quo in Græca versione habetur ut hic. Unde videtur, illos interpretes habuisse Biblia sine punctis: & vocem Hebræam המטה legisse non ut nunc habetur, הַמִּטָּה hammittáh, id est, lecti: sed הַמַּטֶּה hammatéh, id est, baculi. Ac fieri potuit utrumque: ut & baculo suo niteretur, & versus cervical lecti sese inclinaret. Est autem hic positum αὐτοῦ cum spiritu tenui, pro αὑτοῦ cum denso, vel ἑαυτοῦ: ut aliàs frequenter: quod observandum, ne quis putet, pronomen αὐτοῦ hîc referri ad Josephum. Quanquam in Hebræo pronomen istud non habetur: sed tantùm innuitur per articulum ה hé, quem Hebræi vocant He hajediháh.

22 De egressione] περὶ τῆς ἐξόδου. Scil. ex Ægypto, futurâ ex promissione Dei. Deque ossibus suis] περὶ τῶν ὀστέων αὐτοῦ. Scil. transferendis in terram Canaan, & illic sepeliendis.

23 A parentibus suis] ὑπὸ τῶν πατέρων αὐτοῦ. Pro, ὑπὸ τῶν γονέων αὐτοῦ. Catachresis ex parte. nam mater propriè loquendo non venit nomine τῶν πατέρων. Non timuerunt edictum regis] οὐκ ἐφοβήθησαν τὸ διάταγμα τοῦ βασιλέως. Id est, non passi sunt timorem edicti sibi obstare, quò minus vivum conservarent Mosen. nam rex edixerat, ut Hebræorum pueri mares recens-nati, in profluentem abjicerentur. Metonymia efficientis, in phrasi.

24 Filius filiæ Pharaonis] υἱὸς θυγατρὸς Φαραώ. Hac enim illum sibi adoptaverat, mirabiliter inventum in alga Nili.

25 Peccati] ἁμαρτίας. Si scil. dissimulasset, se esse Hebræum, & se gessisset pro Ægyptio: aut certè si cum Ægyptiis sese contra populares suos consociasset.

26 Probrum Christi] τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ. Id est, quo populus Dei afficiebatur propter Christum, nempe quòd profiteretur, se illum ex Dei promissione exspectare. Genitivus notat causam efficientem; ut in illo, Paulus vinctus Christi, Eph. 3. 1. Philem. v. 1. & 9. In illam præmii retributionem] εἰς τὴν μισθαποδοσίαν. Videl. à Deo promissam suo populo. Hoc notat articulus.

27 Reliquit Ægyptum] κατέλιπεν Αἴγυπτον. Id est, Denuntiavit regi, se vel invito ipso populum Israëliticum ex Ægypto educturum. Exod. 11. v. 4. & deinceps. Metonymia subjecti. Nihil timens iram regis] μὴ φοβηθεὶς τὸν θυμὸν τοῦ βασιλέως. Quum scilicet rex ei mortem minatus esset, si denuò ad se rediret, dimissionem populi petiturus, Exod. 10. v. 28. Synecdoche generis. Ut qui videret] ὡς ὁρῶν. Nempe oculis mentis. Invisibilem illum] τὸν ἀόρατον. Id est, Deum. Elegans species contradictionis; quam rhetores ὀξύμωρον vocant.

28 Fecit pascha] πεποίηκε τὸ πάσχα. Seu, Celebravit pascha: id est, solennitatem illam seu festum cui nomen erat pascha, hoc est, transitus seu transsilitio, propterea quòd tunc edebant agnum assatum, in memoriam illius transitus angeli in Ægypto; qui dum interficeret primogenita Ægyptiorum, transsiliit domos Israëlitarum: quo ipso tempore Israëlita ex Ægypto sunt educti, & à tyrannide Ægyptiorum liberati. Nominatur igitur festum illud pascha, per metonymiam subjecti, videl. rei significata pro adjuncto signo. Aliàs per eundem tropum nomine pesach intelligitur ille agnus quem in illo festo edebant. Affusionem] τὴν πρόσχυσιν.

Nempe ad limina & postes. Primogenita] τὰ πρωτότοκα. Videlicet Ægyptiorum, tam in jumentis quàm in hominibus. Tangeret] θίγῃ. Id est, occideret. Synecdoche membri.

29 Per siccum] διὰ ξηρᾶς. In Græco subauditur γῆς vel γαίας: in Latino solum. Utuntur autem istâ ellipsi non minus Latini quàm Græci: ut Virgil Georg. 1.

——Cumque marinæ
In sicco ludunt fulicæ.

Plin. lib. 9. cap. 8. ubi ait, Delphinum quendam propter letum pueri quem gestabat, non reversum in maria, atque in sicco exspirasse.

Cujus] ἧς. Scilicet θαλάσσης, maris.

33 Qui] οἳ. Videl. partim complures eorum, partim ex eis singuli aliqui, ut declaratum est in Analysi. Consecuti sunt promissa] ἐπέτυχον ἐπαγγελιῶν. Ad verb. promissiones: hoc est, res sibi promissas. Hoc autem intelligendum est de promissionibus quibusdam specialibus: ut quòd Davidi promissum fuit regnum. Quare cum hac sententia non pugnat illa quæ habetur infrà v. 39. ubi negatur, patres istos obtinuisse promissum. nam illic sermo est de promissione generali & omnibus illis communi, videl. Christi, qui illis exhibitus non fuit. Antilogiæ apparentis conciliatio.

34 Effugerunt] ἔφυγον, pro ἐξέφυγον. Acies] στόματα. Ad verb. ora. Metaphora Hebraica. Pari ratione nominatur μάχαιρα δίστομος, suprà 4. 12. Corroborati sunt ab infirmitate] ἐνεδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας. Dubium est, sitne hoc intelligendum de valetudine recuperata, an potius de robore animi. Posteriori sententiæ favet collatio locorum Philip. 4. 13. & Rom. 4. 20. Exercitus] παρεμβολάς. Propriè castra. Metonymia subjecti.

35 Per quos mulieres acceperunt] ἔλαβον γυναῖκες. Pro, δι' ὧν ἔλαβον. Sermonis ἀνακόλουθον, inconsequentia. nam cœperat à recto, in principio v. 33. οἳ διὰ πίστεως κατηγωνίσαντο &c. at hic delabitur in obliquum. Pertinet autem hoc exemplum ad ultimum membrum ex propositis v. 32. videlicet usque ad prophetas: sicut & ipsum est ultimum in hac classe. Itaque hæc sententia incommodè est à præcedentibus divulsa & sequentibus adjecta. Distenti sunt] ἐτυμπανίσθησαν. Vel, tormentis affecti sunt: vel, fustuario mulctati sunt: sind gefoltert worden. Ut verbum τυμπανίζεσθαι sit deductum à nomine τύμπανον, quatenus eo significatur non instrumentum illud quod pulsatur, quod Germani vocant ein pauke oder dromme; sed instrumentum quo pulsatur, videlicet fustis, quo carnifices pulsabant corpora reorum per machinam tractoriam distenta. Quod genus tormenti non solùm ad quæstionem, sed etiam ad necem adhibitum fuisse, docet exemplum Eleazari illius senis, Machab. 6. quo in loco nomen τύμπανον videtur significare ipsam illam machinam qua distenti fustibus percutiebantur. Vide Fr. Jun. in hunc locum. Non accipientes liberationem] οὐ προσδεξάμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν. Id est, Non acceperunt conditionem illam sibi promissam, fore ut dimitterentur, & libertatem suam reciperet, si quidē vellent agere contra religionē suam. Hoc pulchrè docet exemplum illud Eleazari 2. Machab. 6. Ut meliorem resurrectionem assequerentur] ἵνα κρείττονος ἀναστάσεως τύχωσιν. His verbis exponit Apostolus, quo consilio sancti illi homines liberationem, sibi cum impia conditione oblatam, neglexerint ac repudiarint: nempe quòd (ut bene explicat Fr. Jun.) mallent sententiâ Dei in futuro judicio resurgere ex mortuis ad vitam æternam, quàm sententiâ hominum carnificum in judicio isto perituro resurgere à præsentissima morte, cum veritatis divinæ & salutis æternæ ipsorum dispendio. Vide exemplum Eleazari 2. Machab. 6. v. 26. & 30. Latet igitur hic antanaclasis in vocubulo ἀναστάσεως, quatenus illud partim propriè accipitur de resurrectione gloriosa à mortuis; partim metaphoricè de liberatione à præsente supplicio. Has enim duas ἀναστάσεις Apostolus inter se comparat, & illam hac meliorem esse affirmat.

37 Serrâ dissecti sunt] ἐπρίσθησαν. Ut de Esaia traditur. Tentati sunt] ἐπειράσθησαν. Quum utrinq; circumstent verba certum aliquod genus mortis significantia: probabile est, hic legendum, ἐπυρώθησαν, id est, cremati sunt: quo verbo Homerum usum esse refert doctissimus Fr. Junius. Est autem in illis verbis, ἐπρίσθησαν, ἐπυρώθησαν, paronomasia apostolo huic familiaris. Sic Rom. 1. v. 29. conjungit πορνείᾳ, πονηρίᾳ: & paulò pòst φθόνου, φόνου. item v. 31. ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους. item 1. Tim. 9. v. 9. πατραλῴαις καὶ μητραλῴαις. Tit. 1. 8. φιλόξενον, φιλάγαθον. item cap. 2. v. 4. φιλάνδρους εἶναι, φιλοτέκνους. Gladio cæsi occubuerunt] ἐν φόνῳ μαχαίρας ἀπέθανον. Ad verb. In cæde (seu per cædem sive occisionem) gladii mortui sunt. Cum ovillis pellibus] ἐν μηλωταῖς. Vel, induti ovillis pellibus. Est autem μηλωτὴ nomen substantivum, deductum à nomine μῆλον, quo significatur ovis.

39 Testimonium adepti] μαρτυρηθέντες. Nempe quòd placuerint Deo: ut suprà v. 5. Non tamen obtinuerunt] οὐκ ἐκομίσαντο. Supplevimus conjunctionem discretivam perspicuitatis causâ. Continetur enim his verbis enuntiatum discretivum; quasi dicat: Quanquam hi omnes testimonium adepti sunt, tamen non obtinuerunt &c. Promissum illud] τὴν ἐπαγγελίαν. Videl. Christum exhibitum.

40 Melius quiddam] κρεῖττόν τι. Eodem sensu Christus apostolos præ sanctis patribus beatos prædicabat: Luc. 10. v. 23. & 24. Ut ne absque nobis consecrarentur] ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι. Nam si Christus patribus illis exhibitus fuisset, & jam tum sa-

crificio suo peccata ipsorum expiasset: tum ex hypothesi (nimirum vi decreti divini) nos fuissemus neglecti: quia Christo exhibito, nihil aliud quàm finis mundi exspectari potest: atq; sic finis mundi venisset, antequam nos essemus nati.

OBSERVAT. EX CAP. XI.

Fides. 1 Ex v.1. Fides freta testimonio verbi Dei, res futuras & adhuc in spe positas, non secus intuetur ac si jam exstarent atque subsisterent, & ante oculos positæ essent. Sic Abraham vidit diem Domini, Joh. 8. Sic Noë vidit diluvium, quum exstrueret arcam, infrà v.7. Sic Abraham, Isaac & Jacob conspicati sunt posteros suos possidentes terram Canaan: infrà v.13. Eadem est vis fidei respectu rerum præteritarum, item locorum intervallo longè distantium. Sic nos in sacra cæna fide intuemur Christum pendentem in cruce & in cælo regnantem.

Fides. 2 Ex vers. 2.4. & 5. Qui verâ ac solidâ laude coram Ecclesia à Deo ipso ornari expetit, is Deum oret ut sibi donet & augeat fidem. Propter hanc enim testimonio ornati sunt antiqui. Deus autem sibi semper similis est. Quare nos similiter ornabit, si simili fide simus prædití. Huc pertinet exemplum Abelis & Enochi.

Fides. 3 Ex v.3.11.12.19.27.28.29.30.33.34.35. Fides freta testimonio verbi Dei, res naturæ impossibiles, ac proinde rationi humanæ incredibiles, percipit ac firmiter credit, consideratâ nimirum Dei testantis veritate & potentiâ. Sic fide intelligimus, mundum esse conditum ex nihilo. Sic Sara credidit, se naturâ sterilem & ætate vetulam, nempe nonaginta annos natam, concepturam ex Abrahamo jam emortuo, quippe centum annos nato, ac parituram filium. Sic Abraham credidit, Deum è cineribus excitaturum Isaacum, si is ab ipso fuisset in holocausto concrematus. Sic Moses credidit, se filios Israël liberaturum à tyrannide potentissimi regis Ægypti. Sic filii Israël crediderunt, se salvos transituros mare rubrum, item mœnia urbis Jericho ultrò casura, & aditum sibi patefactura. Sic Daniel in foveam leonum conjectus, credidit, Deum illis posse ora concludere ne ipsum læderent. Sic tres illi socii Danielis crediderunt, Deum posse vim ignis cohibere, ac velut exstinguere, ne ab illo læderentur in fornacem ardentem conjecti. Sic denique Sunamitis illa credidit, filiolum suum mortuum, per Elisæum prophetam in vitam revocari posse.

Bonum opus. 4 Ex v.4. Ad bonum ac Deo placens opus requiritur, ut proficiscatur ex fide: secus non placet, etiamsi à Deo præceptum sit. Etenim sacrificia à Deo erant præcepta, & tamen sacrificium Caini Deo non placuit, placuit autem sacrificium Abelis; quia hoc profectum erat ex fide, illud non item. Sic Esaiæ 1. Deus Judæorum sacrificia, solennitates omnes & cultum externum Lege institutum, rejicit, propter ipsorum hypocrisin & apostasiam; ut qui fide vacui, meritis externorum istorum operum confidebant.

Sacrificia. 5 Ex eod. v. Sacrificia jam inde à mundo condito addita fuerunt promissioni gratiæ, tanquam sacramenta ad illam credentibus obsignandam. Hoc enim sensu Abel dicitur sacrificium Deo obtulisse per fidem: quia nimirum credidit, promissionem illam, *Semen mulieris conteret caput serpentis*, per Christum victimam futurum impletum iri: quam victimam sacrificia illa præfigurabant.

Sacrificia. 6 Ex eod. v. Sacrificia illa Patrum inde à mundo condito non ab ipsismet inventa aut excogitata, sed à Deo præcepta atque instituta fuisse, ex ipso eventu perspicuum est: quia Deus illa grata habuit, dummodo proficiscerentur ex fide. Etenim de sacrificio Abelis, quod ille ex fide obtulit, expresse hîc dicitur, Deum de donis illius testimonium perhibuisse, quòd nimirum illa sibi placerent. Deo autem non placent ἐθελοθρησκεία, juxta illud: *Frustra me colunt, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum:* Matth. 15. v. 9.

Homicidiū. 7 Ex eod. v. Sanguis innocenter effusus, vindictam à Deo postulat: cujus vocem ille, ut justus judex, exaudit. Exemplo est sanguis Abelis effusus à Caino.

Vita æterna. 8 Ex vers. 5. In Enocho proposuit Deus Ecclesiæ illustre testimonium vitæ æternæ, seu beatæ illius immortalitatis: quippe quem vivum in cælum transtulit, atq; ita ad se recepit, ad fruendum beatâ illâ immortalitate. Alterum huic simile exemplum edidit postea in propheta Elia, quem curru igneo abreptum in cælum transtulit. Sic in fine mundi quum Christus ad judicium venturus est, omnes fideles in nubibus in occursum ipsius rapientur in aërem; & in cælum translati, semper cum Domino erunt, 1. Thess. 4. v. 17.

Sanctitatis studium. 9 Ex eod. v. Qui singulari atque eximio præmio à Deo ornari cupit: is exemplo Enochi det operam ut indesinenter ambulet cum Deo, id est, sanctam Deoque placentem vitam perpetuo tenore agat.

Fides. Vindicatio verborum Pauli, Sine fide impossibile est placere Deo. 10 Ex v.6. Quòd hîc dicitur, neminem sine fide placere posse Deo, intelligendum est de adultis, ut qui per ætatem capaces sint auditus verbi Dei, ex quo fides oritur, Rom. 10. Quare hoc dictum non est trahendum ad infantes fidelium: quos nihilominus Deo placere statuendum est, ut qui pertineant ad fœdus illud gratiæ quod Deus cum fidelibus pepigit; dicens: *Ero Deus tuus & seminis tui.* atque hinc infantes illi dicuntur sancti, 1. Cor. 7. v. 14.

Fides. 11 Ex eod. vers. Non est satis, credere Deum esse: sed oportet etiam credere, eum præmia largiri iis qui ipsum requirunt: hoc est, qui eum ut optimum maximum reverentur, adorant, timent, ei fidunt, eum invocant, gratias ei agunt, denique qui sanctis ipsius mandatis promtè & alacriter obediunt. quod qui verè credunt, fieri non potest quin hoc modo Deum colere studeant, ut nimirum præmia ab ipso consequantur. In quibus verò ejusmodi studium rectè colendi Deum non est, in illis consequens est nec veram fidem esse.

Fides. 12 Ex v.7. 8. 17. 28. 29. 30. Ex fide nascitur obedientia. nam qui promissionibus & comminationibus Dei credunt, illi etiam præceptis Dei obediunt; licet illa à ratione humanâ abhorreant, sive ut ridicula, sive ut naturæ contraria. Sic Noë obedivit Deo, in apparanda arca: quantumvis ea res mundo videretur ridicula. Sic Abraham obedivit Deo in offerendo Isaaco: quod naturæ prorsus erat contrarium. Sic filii Israël obediverunt Deo in aspergendis sanguine agni postibus, ut ita tuti essent ab exterminatore: sic iidem obediverunt Deo, ingrediendo in mare rubrum, item circumeundo mœnia urbis Jerichuntis per septem dies, ut hoc modo illa dejicerent.

Salus. 13 Ex v.7. Nemo fit hæres salutis æternæ, nisi priùs fit justus ex fide. hinc illa metonymia causæ efficientis in verbis Apostoli, quum de Noacho dicit, ipsum factum hæredem ejus justitiæ quæ est ex fide: pro eo quod propriè dixisset factum esse hæredem salutis æternæ.

Consolatio in persecutione. 14 Ex v.8.9.10.13, 14. 15. 16. Si nobis propter confessionem doctrinæ cælestis sit exsulandum, & incertis sedibus vagandum: consolemur nos exemplo sanctorum patrum, Abrahami, Isaaci, & Jacobi; quibus idem accidit. Potissimùm autem consolemur nos spe beatæ illius sedis & quietis, quam Deus servis suis paravit in urbe illa seu patria cælesti.

Fides. 15 Ex v.11. & 19. Fides qua assentimur promissionibus Dei, nititur duobus quasi fulcris, videlicet Dei veritate & omnipotentiâ. Hinc Apostolus ait, Saram judicasse, eum qui promiserat, esse fidelem: item Abrahamum ratiocinatum esse, Deum vel à mortuis excitare posse. Confer Rom. 4. v. 18. 19. 20. 21.

Bonitas Dei. 16 Ex vers. 16. Magna est φιλανθρωπία Dei erga fideles, quòd dignatur se cognominare Deum ipsorum: unde Apostolus dicit; *Quapropter non erubescit Deus cognominari deus eorum.* Et vicissim magna est dignitas cognominari filium Dei: quam dignitatem commendat Johannes, quum ait; *Quotquot eum* (videl. filium Dei, λόγον illum æternum) *acceperunt, dedit eis hanc dignitatem seu jus* (ἐξουσίαν) *ut filii Dei essent, iis qui credunt in nomen ejus,* Joh. 1. v. 12.

Fides. 17 Ex v.17.18.19. Si quando mandatum Dei cum promissione ipsius videtur pugnare: tum fides illa pulchrè conciliare novit; ut videre est in exemplo Abrahami. Illi promiserat Deus, ex Isaaco oriturum promissum illud semen; deinde eidem mandat, ut Isaacum sibi immolet. hoc mandatum cum illa promissione videbatur pugnare. quî enim fieri poterat, ut ex Isaaco jugulato & concremato quisquam nasceretur? Hunc nodum ratio humana non potuit solvere: sed fides potuit. Fides enim Abrahæ considerabat omnipotentiam Dei, quâ is Isaacum ex cineribus excitare & in vitam revocare potuit.

Sacramenta. 18 Ex v.22. Pii ad fidem suam tum apud se ipsos confirmandam, tum apud alios profitendam, studiosè uti debent sacramentis. Idcirco enim Joseph de ossibus suis mandavit, ut transferrentur in terram Canaan, & illic sepelirentur; quia sciebat, terram Canaan typum & sacramentum esse vitæ æternæ, à Deo omnibus piis Israëlitis promissæ. Idem ante eum fecit Jacob Gen. 47. 29.

Pulchritudo. 19 Ex v.23. Pulchritudo corporis, singulare donum Dei est: quo ferè ornantur quos Deus inter homines eminere vult. hinc à Spiritu S. commendatur venustas pueruli Mosis: quem Stephanus (Act. 7. 20.) dicit fuisse ἀστεῖον τῷ θεῷ, venustum Deo, hoc est, divinitus seu singulari dono Dei. Sic in scriptura commendatur proceritas Saulis, quum eligeretur in regem, 1. Sam. 10. 23. item pulchritudo Davidis, 1. Sam. 16. 19. Et rursus c. 17. v. 42. Sic profanæ quoque gentes in creandis regibus habuerunt rationem pulchritudinis. unde illud; ἄξιον εἶδος τυραννίδος. item, *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.* Et Persæ expetebant reges naso aquilino, quòd putarent, id esse signum animi celsi atque regii. Veruntamen pulchri non omnes Deo placent: cùm nonnulli intus deformes sint, vacui scilicet pietate & sapientiâ. Exemplo sit Eliab, maximus frater Davidis, 1. Sam. 16. 6. Item Absolon, filius Davidis, 2. Sam. 14. v. 25.

Obedientia. 20 Ex eod. v. Cùm magistratus mandat impia, non est illi obediendum. Hinc à Spiritu sancto laudantur parentes Mosis, quòd contra regis edictum in vita conservarunt filiolum Mosen. Sic laudantur & obstetrices Ægyptiæ, quòd mares Hebræorum contra regis edictum vivos conservarunt, Exod. 1. v. 17.

Pietas. 21 Ex vers. 25. 26. Beatiores ac sapientiores sunt, qui exemplo Mosis potiùs eligunt simul malis affici cum populo Dei, quam qui temporariis commodis peccati fruuntur. Etenim illorum pietatem Deus præmiis æternis remunerabitur: istorum verò impietatem exitio æterno puniet. Vide Matth. 5. 4. 10. 11. 12. item Luc. 6. 24. 25. 26.

Consolatio in persecutione. 22 Ex v.26. Probra quibus impii afficiunt populum Dei, redundant in ipsum Christum. hinc enim est quòd Apostolus probrum

brum quo Ægyptii afficiebant Israëlitas, vocat probrum Christi. Sic Christus ipse Sauli persequenti Christianos dicebat, *Saul, Saul, quid me persequeris?* Hinc consolationem habent pii: quippe Christus non patietur sed impunè probris affici.

Convenientia V. & N. Testamenti.

23 Ex iisdem verbis. Veteres non minùs in Christum crediderunt quàm nos; quippe quum propter fidei illius confessionem probris affecti sint. Sic Abel dicitur sacrificasse ex fide, suprà v.4. Sic Abraham dicitur vidisse diem Christi, Johan.8. Atque huc pertinet quod dicitur infrà cap.13. v.8. *Jesus Christus heri & hodie idem est, & in secula.* Hinc autem efficitur, veteres non aliâ ratione salutem æternam adeptos, quàm nos, nempe per fidem.

Fides.

24 Ex v.27. Deus qui naturâ suâ invisibilis est, per fidem quasi videtur: quatenus nimirum per fidem percipitur ipsius potentia, sapientia, bonitas, &c. Confer Rom.1.v.20.

Deus. Error Anthropomorphitarum.

25 Ex eod. epitheto. Quum Deus naturâ invisibilis sit, errarunt igitur Anthropomorphitæ, qui affinxerunt ei formam hominis. qui error ex ignorantia tropi ortus fuit; etenim membra corporis humani, itemque affectus humanos scriptura Deo attribuit per metaphoram, quam peculiari vocabulo ἀνθρωποπάθειαν nominamus: quæ tanquam propriè dicta Anthropomorphitæ acceperunt.

Sacramentalis locutio.

26 Ex v.28. Observanda hîc est metonymia sacramentalis, id est, scripturæ usitata quum loquitur de sacramentis. De Mose hîc dicitur, πεποίηκε τὸ πάσχα, *Fecit pascha*: Id est, Celebravit festum quod nominabatur pascha, id est, transitus: qui celebrabatur in memoriam transitus angeli in Ægypto, ut fusiùs declaratum est in scholiis. Aliâs nomine *pascha* intelligitur ipse ille agnus, eâdem loquendi ratione: ut quum apud evangelistas creberrimè dicitur, ἑτοιμάζειν τὸ πάσχα, *parare pascha*: item φαγεῖν τὸ πάσχα, *edere pascha*: item, θύειν τὸ πάσχα, *mactare* seu *sacrificare* seu *immolare pascha*. Etenim agnum illum parabant jugulando, sacrificando & assando, ac sic paratum edebant: transitum illum Jehovæ nec jugulare, nec sacrificare, nec assare, nec edere poterant. Porrò quemadmodum ex nomine *pascha* in scriptura agnus ille intelligitur: sic etiam explicitè agnus ille pascha esse dicitur: ut Exod.12.v.11. ubi de agno illo sic inter alia præcipit Jehova: *Et comedetis illum cum festinatione: Pascha ipse est Jehovæ:* פֶּסַח הוּא לַיהוָה *pésahh hú lajehováh.* ubi observandum, pronomen הוּא *hú*, id est, *ipse*, referri ad agnum seu parvam illam pecudem (sive agnus esset, sive hœdus) quæ in præcedentibus nominatur שֶׂה *séh.* quæ vox generis masculini est: ut manifestè percipitur ex v.5. ubi dicitur שֶׂה תָמִים *séh thamím.* Quo autem sensu iste agnus dicatur esse pascha seu transitus Jehovæ: declarat ipse Moses in eod.cap.27. nempe quòd iste agnus sit victima transitus Jehovæ, hoc est, victima quæ solenniter mactatur & editur in memoriam trasitus Jehovæ: sicut ampliùs declaratur cap.13.v.9. ubi finem seu scopum illius festi indicat his verbis: *Ut sit tibi in signum ad manum tuam, & in monumentum inter oculos tuos &c.* Ex his perspicitur, falsam esse expositionem eorum qui ad effugiendum tropum, verba illa Exod.12.v.11. *Phase est Jehovæ*, sic exponunt, quasi dicatur, Celebratur festum paschæ. at inquam illic non ita absolutè dicitur, *Est phase*: sed dicitur הוּא *hú*, *ille* (nempe agnus) *est phase*. Quod autem ad verba attinet quæ ibidem habentur v.27. etsi ex sententiarum consecutione videri posset, in illis subjecti seu antecedentis loco esse *cultum*, de quo in verbis præcedentibus interrogant pueri Judæorum: tamen ex Hebræo apparet, subjecti seu antecedentis loco esse *agnum* qui solenni illo cultu edebatur. Verba enim Hebræa sic sonant, זֶבַח פֶּסַח הוּא לַיהוָה *Sébahh pésahh hú lajehováh:* id est, *Victima transitus ipse* est *Jehovæ.* ubi rursus pronomen הוּא *hú* referendum est ad nomen שֶׂה *séh* paulò superius positum: quippe quum pronomen illud הוּא *hú* genere discrepet à nomine עֲבוֹדָה *abodáh*, quo illic cultus significatur. ad quod nomen si relatio illic fieret, diceretur הִיא *hi*, non autem הוּא *hú*. Sententia igitur est, Hic agnus quem solenni isto cultu edimus, est victima transitus Jehovæ, hoc est, victima qua transitus Jehovæ nobis in memoriam revocatur. Et sanè ipsum nomen זֶבַח *sébahh*, quo victima significatur; id est, pecus in sacrificium mactata, postulat ut per pronomen הוּא *hú*, intelligatur ipse agnus, non autem cultus seu cærimonia. Porrò quâ ratione & quo sensu dictum fuit de agno illo, ipsum esse pascha seu transitum illum Jehovæ, eâdem ratione & eodem sensu Christus in institutione sacræ cænæ de pane dixit, ipsum esse corpus suum. item de poculo seu vino, ipsum esse sanguinem suum: nempe signum memoriale, quo nobis in memoriam revocatur, corpus ipsius pro nobis esse crucifixum, & sanguinem ipsius pro nobis esse fusum: ut ita ipsius recordantes, mortem ejus annuntiemus, ac in fide confirmemur. Cæterùm putavi antehac, *facere pascha*, hîc idem significare quod *jugulare* atq; *immolare pascha*: sicut *facere peccatum*, Lev.14.v.19. & cap.15.v.15. est *jugulare pecudem in sacrificium pro peccato*: Sed postea observavi, duo hæc, *facere pascha*, &, *jugulare pascha*, distingui: nempe 2.Chron.35.v.1. Et jugulationem paschatis, hoc est, agni paschalis, tribui propriè sacerdotibus & Levitis, in eod. cap. celebrationem verò, quæ significatur verbo *faciendi*, tribui omnibus Israëlitis.

Sanguis Christi.

27 Ex eod. vers. Sicut per affusionem seu aspersionem illam sanguinis agni ad superliminare & postes, tuti reddebantur filii Israël in Ægypto, ne is qui perimebat primogenita, ipsos tangeret: sic per aspersionem sanguinis Christi, quum corda illo aspergimur per fidem (hoc est, quum credimus, sanguinem Christi pro nobis fusum esse) tuti reddimur, ne diabolus nos tangat, & æternâ morte afficiat. Etenim Christus per agnum illum fuit significatus: ut colligere licet ex verbis Johan.cap.19. v.33. & 36. item ex verbis Pauli 1.Cor.5.v.7. nec non ex verbis illis celebratissimis Johannis Baptistæ, qui Christum digito demonstrans, dictitabat: *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.* Porrò hanc aspersionem sanguinis Christi quæ fit per fidem, commemorat & Petrus, 1.Pet.1.v.2. & Act.15.v.9. item Paulus infrà c.12.v.24.

Officium hominis Christiani.

28 Ex v.29. Si in extremis angustiis positi simus, ita ut nusquam effugium pateat: commendemus nos Deo, cui facile est viam per invia patefacere, quâ evadamus: si id conducat ad gloriam ipsius & salutem nostram. Sic enim filiis Israël viam per mare rubrum patefecit, quâ hostes Ægyptios à tergo imminentes evaserunt. Sic liberavit Davidem, Saule (qui illum jam exercitu cinxerat) per rumorem ingruentium Philistæorum mirabiliter retracto: 1.Sam.23.v.26. Sic Josaphatum unà cum populo mirabiliter defendit, contra ingentem ac formidabilem exercitum Moabitarum & Ammonitarum, 2.Chron.20.

Reprobi. Gubernatio Dei.

29 Ex eod. v. Quum Deus perdere vult reprobos, excæcat eos & indurat corda ipsorum, ut sponte in exitium ruant: sicut videmus accidisse Ægyptiis, qui filios Israel in alveum usque maris persequentes, absorpti sunt.

Fiducia in mœnibus.

30 Ex v.30. Vanum est confidere mœnibus. nam si Deum adversarium habeamus, efficiet ut illa sponte concidant, & hostibus aditum præbeant.

Misericordia Dei.

31 Ex v.31. In Rahab meretrice proponitur nobis exemplum misericordiæ Dei erga peccatores resipiscentes. Etenim Rahabæ meretrici, posteaquam resipuisset, & promissiones populo Dei factas fide amplexa esset, seque illi populo aggregasset: non solùm parcitum est, ne unà cum popularibus suis in expugnatione urbis Jericho occideretur: sed etiam postea avia Christi effecta est. Ex ipsa enim natus est Booz, qui inter proavos Christi recensetur. Vide Matth.1.v.5.

Fides.

32 Ex v.35.36.37.38. Per fidem acerbissimi cruciatus corporis, gravissimæque molestiæ ac ærumnæ, sustineri atque superari possunt: id quod exempla hîc proposita demonstrant. Et nostrum hoc sæculum exemplis martyrum in Gallia maximè & Belgio, abundat.

Discrimen V. & N. Testamenti.

33 Ex v.39. & 40. Melior est nostra conditio in novo testamento quàm fuit fidelium in veteri: quippe quòd nobis annuntiatur Christus jam exhibitus, quem illi exhibendum ex Dei promissione exspectabant. Hoc significat Apostolus, quum ait: *Deum de nobis melius quiddam providisse.* Hanc doctrinam confirmat Christus ipse, quum ad discipulos ait: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis &c.* Luc.10.v.23. & 24.

Convenientia V. & N. Testamenti.

34 Ex iisdem versibus. Fideles in vetere testamento seu ante Christum exhibitum, non minùs quàm nos, consecrati, & per consequens in æternum servati sunt: nec aliâ ratione quàm nos, videl. per sacrificium Christi, fide apprehensum. Etenim Christus *unicâ oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur*: suprà cap.10.v.14. Errant igitur Anabaptistæ, qui veterum illorum felicitatem bonis hujus vitæ terminant: quasi beneficium Christi nihil ad ipsos attineret.

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Redit ad exhortationem institutam cap.10. qua videl. hortatur ad constantiam in fide, fidei confessione & tolerantiâ crucis. Deinde v.12. & deinceps addit exhortationem ad studium ædificandi fratres, item ad castitatem & pietatem.

PRoinde nos quoque, quum tanta nos circumstet testium nubes, abjecto omni pondere, & peccato ad nos circumcingendos proclivi, constanter propositum nobis stadium decurramus:

2 Intuentes in fidei ducem ac perfectorem Jesum; qui pro sibi proposito gaudio pertulit crucem, ignominiâ contemtâ, & ad dexteram throni Dei consedit.

3 Nam reputate animo eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversus sese contradictionem; ne vestris animis remissi, fatiscatis.

4 Nondum ad sanguinem usque restitistis, adversus peccatum decertando.

5 Et obliti estis adhortationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur? *dicendo*, Fili mi, ne negligito castigationem Domini; neq; remissus esto quum ab eo argueris.

6 Quem enim diligit Dominus, castigat; & flagellat quemcunque filium recipit.

7 Si castigationem sustinetis, Deus sese vobis offert ut filiis: quis enim est filius quem non castiget pater?

8 Quòd si estis absque castigatione, cujus participes sunt omnes: nempe nothi estis, & non filii.

9 Deinde carnis nostræ patres habuimus castigatores, & *eos* reveriti sumus: an non multò magis subjiciemur patri spirituum, & vivemus?

10 Nam illi ad paucos dies, prout ipsis videbatur, nos castigabant: hic autem ad commodum nostrum, ut participes simus sanctitatis ipsius.

11 Omnis autem castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii, sed tristitiæ: at postea fructum tranquillum justitiæ reddit iis, qui per eam fuerint exercitati.

HActenus toto cap. 11. per digressionem declarata est natura fidei: nunc redit ad exhortationem c. 10. institutam, qua nimirum hortatur ad constantiam in fide, fidei confessione & tolerantiâ crucis. Hanc exhortationem hîc initio cap. deducit ex commemoratis superiore cap. fidei exemplis: atque hoc primum est in hac capite institutæ exhortationis argumentum, quod proponitur v. 1. cujus sententia est: Sancti illi patres in fide constantes fuerunt: ergo & nos constantes simus. Antecedens amplificat ab adjuncta magnitudine numeri: quam ipsam exornat metaphorâ nubis, inquiens: *Proinde quum tanta nos circumstet testium nubes.* Consequens amplificat antithesi causæ corrumpentis, videlicet peccati nobis inhærentis, ac nos gravantis & ad defectionem solicitantis: *abjecto*, inquit, *omni pondere & peccato ad nos circumcingendos proclivi.* deinde idem consequens illustrat similitudine stadii, inquiens: *constanter propositum nobis stadium decurramus.*

Vers. 2. addit argumentum secundum & tertium. Secundum sumtum est ab exemplo Christi, quod exponit his verbis: *intuentes in fidei ducem ac perfectorem Jesum, qui pro sibi proposito gaudio pertulit crucem, ignominiâ contemtâ.* Tertium argumentum sumtum est ab effectu utili, seu læto eventu; quem quidem considerandum proponit in exemplo Christi, inquiens: *& ad dexteram throni Dei consedit.* Nam quemadmodum Christus per crucem pervênit ad gloriam: ita & fideles per crucem ad gloriam perveniunt: quippe qui Christo, tanquam capiti membra, conformantur. Etsi enim fideles non exaltabuntur ad dexteram throni Dei, quæ gloria Christo propria est: tamen gloriæ Christi pro suo quisque gradu participes erunt, & unà cum eo regnabunt.

Vers. 3. & 4. argumentum secundum expolit, & comparatione minoris amplificat: qua comparatione inter se conferuntur tum personæ crucem sustinentes, tum crux ipsa: & hæc quidem duplex; una ad ignominiam pertinens, videlicet vehementissima contradictio à peccatoribus profecta: altera ad cruciatum corporis, videlicet crucifixio. De personis ait: *Reputate igitur quis ille sit &c.* id est, Personam Christi cum vestris personis comparate; tum videbitis, illum vobis longè antecellere: ut qui sit æternus Dei filius, & homo sanctissimus, quum vos sitis mortales & peccatis contaminati. De ignominia contradictionis dicit: *qui talem sustinuit à peccatoribus adversus se contradictionem.* Denique crucifixionem Christi innuit, quum ait: *Nondum ad sanguinem usque restitistis, adversus peccatum* (id est, peccatores, videlicet persecutores) *decertantes*; nempe sicut Christus restitit persecutoribus suis, contra illos confitendo atque asseverando veritatem cælestem, etiam tunc quum illi propter hanc causam sanguinem ejus funderent.

V. 5. & 6. addit argumentum quartum & quintum. Quartum argumentum sumtum est ab adjuncto jure, quòd nimirum crucem sint meriti suis peccatis. hoc significat quum crucem nominat castigationem. Quintum argumentum sumtum est ab adjuncta significatione: quippe quod illa castigatio sit signum paterni amoris Dei erga ipsos. Utrumque hoc argumentum confirmat testimonio scripturæ, ex Prov. 3. v. 11. & 12. Hoc testimonium v. 7. & 8. ad Hebræos applicat, & à contrario amplificat; affirmans, spurios esse & non genuinos filios, si absque castigatione sint.

V. 9. addit argumentum sextum & septimum. Sextum sumtum est ab exemplo castigationis patrum corporalium, per ratiocinationem à minori. Sustinuimus æquo animo castigationem patrum, qui genuerunt nostra corpora: ergo multò magis sustinere debemus castigationem patris qui creavit nostros spiritus seu animas: vel, qui spiritus nostros regeneravit per Spiritum sanctum: id est, Dei. Septimum argumentum sumtum est ab effectu utili, videlicet vitâ æternâ, ubi dicit: *Annon multò magis subjiciemur patri spirituum, & vivemus?* id est, ut participes simus vitæ æternæ.

V. 10. addit octavum & nonum argumentum. Octavum est à brevitate durationis, quòd nimirum castigatio illa duret ad paucos dies. Nonum ab effectu utili, videlicet sanctitate. hoc amplificat collatione castigationis patrum corporalium: ut qui castigârint nos prout ipsis videbatur, id est, pro suo arbitrio, non semper satis justo aut ad nostri emendationem accommodato. Deus autem nos castigat ad verum nostrum commodum, videl. ut participes simus sanctitatis ipsius, hoc est, veræ sanctitatis qua ipse delectatur, quamque in nobis per castigationem efficit, atque ita sibi (qui est ipsa sanctitas) quodammodo similes reddit, & ad vitam æternam idoneos.

V. 11. prius illud effectum declarat quadam descriptione, vitam æternam vocans fructum tranquillum justitiæ reddendum iis, qui per castigationem fuerint exercitati. Hanc descriptionem superioribus annectit per prolepsin, qua effectui isti castigationis futuro opponit effectum præsentem, concedens, castigationem in præsens non videri esse gaudii, sed tristitiæ.

12 Quapropter manus remissas & genua soluta surrigite.

13 Et rectas orbitas facite pedibus vestris; ne, quod claudum *est*, luxetur ampliùs; sed ut sanetur potiùs.

14 Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam; sine qua nemo videbit Dominum:

15 Prospicientes, ne quis deficiat à gratia Dei: ne qua radix amaritudinis suppullulans obturbet, & per hanc inquinentur multi.

16 Ne quis sit scortator, aut profanus, velut Esau; qui unico edulio vendidit suum jus primogenitorum.

17 Scitis enim, eum etiam postea, quum vellet hæreditario jure benedictionem assequi, reprobatum fuisse. non enim reperit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis illam exquisîsset.

18 Non enim accessistis ad contrectabilem montem, & incensum igne, & caliginem, & tenebras, & procellam,

19 Tubæque sonitum & vocem verborum; quam qui audierant, deprecati sunt ne ampliùs sibi fieret sermo.

20 Non enim ferebant quod imperabatur; Si vel bestia tetigerit montem, lapidabitur, aut jaculo configetur.

21 Et Moses (adeò terribile erat visum quod apparebat) dixit, Expavefactus sum ac tremebundus.

22 Sed accessistis ad montem Sion, & civitatem Dei vivi, Hierusalem cælestem, & myriadas angelorum,

23 Conventum universalem & ecclesiam primogenitorum qui conscripti sunt in cælis, & judicem universorum Deum, & spiritus justorum consummatorum;

24 Et ad novi fœderis mediatorem Jesum, & sanguinem aspersionis, præstantiora loquentem quàm Abel.

25 Videte ne recusetis eum qui loquitur. nam si illi non effugerunt qui recusârunt eum qui loquebatur Dei nomine in terra: multò magis nos, qui eum qui de cælis *loquitur* aversaremur.

26 Cujus vox tunc concussit terram: nunc autem promisit, dicens, Adhuc semel ego concutiam non solùm terram, sed etiam cælum.

27 Porrò illud, Adhuc semel, declarat instabilium rerum, utpote factitiarum, amotionem: ut maneant ea quæ concuti non possunt.

28 Quapropter regnum assumentes quod concuti non potest, teneamus gratiam; per quam ita serviamus Deo ut ei placeamus, cum verecundia & reverentia.

29 Etenim Deus noster *est* ignis consumens.

Ex argumentis hactenus expositis rursus infert exhortationem ad constantiam in fide: cui mox alias exhortationes annectit. Illatio illa continetur his verbis: *Quapropter manus remissas & genua soluta surrigite.* ubi per allegoriam metonymicam hortatur ad animum confirmandum in fide: ne scilicet animis deficientes fathiscant: quemadmodum dixit supr. v. 3. in fine.

V. 13. & duobus seqq. hortatur ad studium ædificandi fratres, & ad castitatem. Fratres ædificari præcipit tribus modis: Primò, ut præeant illis bono exemplo vitæ, v. 13. Secundò, ut pacem sectentur cum omnibus, v. 14. Tertiò, ut observent ne quis deficiat à gratia Dei &c. v. 15. E quibus primum illud per allegoriam

goriam metaphoricam significatur, ubi ait, *Et rectas orbitas facite &c.* Ad castitatem verò hortatur posteriore parte v.14. ubi præcipit ut sectentur sanctimoniam, seu sanctificationem, τὸν ἁγιασμόν. quo nomine hic intelligi castitatem, planum fit ex initio v.16. ubi à contrario vitio dehortans ait, *Ne quis sit scortator.* Similiter accipitur ista vox 1.Thess.4.v.4. Cæterùm isti præcepto addit argumentum ab effectu utili, visione scilicet Dei, id est, æternâ illâ beatitudine, fruendâ in cælo. Simile huic est dictum illud Christi Matth.5.8. *Beati qui puri sunt corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Ad quod Domini dictum fortasse Apostolus hoc loco respexit: sicut alibi recitat dictum illud Domini, *Beatius est dare quàm accipere.*

V.16. dehortatur à scortatione & profanitate: quarum dehortationum prior opposita est præcedenti hortationi ad sanctificationem: posteriori autem opponetur infr. v. penult. exhortatio ad reverentiam Dei & religiosum metum. Hanc posteriorem dehortationem illustrat exemplo Esau: in quo exemplo narrando simul innuit argumentum dehortationis ab effectu inutili. Etenim primùm commemorat profanum Esavi factum, v.16. deinde pœnam divinitus ei inflictam, v.17. quo ipso significat, eos qui profanitatem Esavi imitantur, similiter à Deo punitum iri.

V.18. & deinceps exponit aliud argumentum quo à profanitate dehortatur, & contrà hortatur ad verbi Dei reverentiam ac religiosum Dei metum. Illud argumentum sumtum est à maximo Dei erga ipsos beneficio, videlicet vocatione ipsorum in ecclesiam novi testamenti, & communionem Christi. Hoc Dei beneficium amplificat antithesi veteris testamenti; cujus promulgationem ostendit fuisse terribilem, v.18.19.20.& 21. quum contrà in novo testamento omnia sint læta & jucunda, v.22.23. & 24. In protasi hujus antithesis describit primùm formam qua Lex fuit promulgata, v.18. & initio 19. deinde formæ illius effectum, videlicet horrorem incussum tum populo v.19. & 20. tum ipsi Mosi, v.21. In apodosi verò primùm describit ecclesiam novi testamenti variis, iisque suavissimis, appellationibus, v.22. deinde indicatione variarum, earumque præstantissimarum, personarum; in fine vers. 22. item v.23. & initio 24. Huic descriptioni per occasionem annectit commemorationem beneficii per Christum præstiti fidelibus, nimirum reconciliationis Dei per sanguinem ipsius: quem sanguinis Christi effectum illustrat antithesi sanguinis Abel: qui sanguis à Caino effusus, vindictam Dei adversus illum postulabat: quum sanguis Christi pro fidelibus postulet veniam & gratiam. V.25. ex argumento proximè exposito ipsam dehortationem infert, inquiens: *Videte igitur ne aspernemini eum qui loquitur:* nempe Jesum novi testamenti mediatorem, ex v. præcedente. Deinde aliud argumentum annectit, quod sumtum est ab effectu pernicioso, videlicet pœnâ Dei: quod argumentum confirmat ab exemplo Israëlitarum veterum per ratiocinationem à minori. Rationem etiam minoris exponit: quòd scilicet minus probabile sit, puniri eos qui contemnunt servum Dei (qualis erat Moses) quàm qui contemnunt filium Dei, nempe Christum. Deinde v.26. alteram minoris rationem annectit, quòd scilicet minore cum majestate promulgata sit Lex quàm Evangelium: quippe quòd Christus in promulganda Lege tantùm concussit terram, id est, admiratione suæ majestatis affecit homines in terra positos: at in promulgando Evangelio concussit non solùm terram, (id est, homines) sed etiam cælum, id est, angelos qui degunt in cælo. hi enim, teste Petro, in mysteria Evangelii desiderant introspicere: 1.Pet.1.v.12. Concussionis autem hominum exemplum habemus Act.2.v.7. & deinceps, in variis illis nationibus Hierosolymæ congregatis in festo pentecostes, quum Christus misit Spiritum sanctum in apostolos, cujus vi illi subitò Evangelium variis linguis prædicabant, cum summa populi admiratione. Hanc sententiam de promulgationis Evangelii majestate confirmat testimonio scripturæ ex Hagg. cap.2.v.7. Ex hoc testimonio deducit v.27. πόρισμα de Legis abrogatione, & æternitate rerum per cærimonias Legis & politiam illam Mosaicam significatarum, videlicet sacerdotii & regni Christi. Tum v.28. infert exhortationem principalem ad constantiam in fide & studium pietatis, admixto per occasionem argumento ab effectu utili, videl. possessione regni illius æterni, quod superiori versu innuerat.

V.ult. addit argumentum ab effectu pernicioso, videlicet exitio æterno impiorum: quippe quos Deus instar ignis consumturus sit: quo argumento Moses quoque populum Israëliticum ad pietatem hortatus est, Deut.4.24.

SCHOLIA IN CAP. XII.

1 Tanta testium nubes] τοσοῦτον νέφος μαρτύρων. *Id est, tot testes, tantum agmen testium, quod est veluti densa nubes. Metaphora. Intelligit autem testes religionis Christianæ, quales superiore capite commemoravit. Synecdoche generis.*

2 Pro sibi proposito gaudio] ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς. *Id est, propter propositum sibi gaudium, ad illud videlicet consequendum. Etenim jamjam passurus, pro hoc gaudio patrem oravit, Johan.17. v.1.* Ad dextram throni Dei consedit] ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ κεκάθικεν. *Id est, consedit ad dextram Dei, idque in throno Dei. quâ utraque metaphorâ significatur regia illa gloria & summa majestas, ad quam Christus post mortem suam exaltatus est.*

3 A peccatoribus] ὑπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. *Id est, ab impiis: qui κατ' ἐξοχὴν in scriptura nominari solent peccatores.*

4 Adversus peccatum] πρὸς τὴν ἁμαρτίαν. *Potest intelligi vel de peccato inhabitante, & in periculum ad defectionem solicitante: vel de peccato hostium Evangelii ad defectionem solicitantium: vel etiam de ipsis illis peccatoribus.*

5 Et obliti estis] καὶ ἐκλέλησθε. *Legenda hæc sunt cum interrogatione, quæ vim habet amicè reprehendendi: quasi dicat, Minimè vos decet oblivisci illius tam paternæ exhortationis.* Fili mi] υἱέ μου. *Sunt verba Salomonis, vel potius Spiritus sancti loquentis in Salomone, Prov.3.v.11.& 12.*

8 Omnes] πάντες. *Nempe omnes filii: ex collatione præcedentium.*

9 Carnis nostræ] τῆς σαρκὸς ἡμῶν. *Id est, corporis nostri. Mox enim opponuntur τὰ πνεύματα, spiritus, id est, animæ. Sic ista duo opponuntur 1.Cor.cap.5.v.5. Et sic alibi opponuntur σῶμα καὶ πνεῦμα, corpus & spiritus: ut 1.Cor.7.v.34.* Patri spirituum] τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων. *Id est, creatori animarum nostrarum. Periphrasis Dei.* Et vivemus] καὶ ζήσομεν. *Id est, quum per hanc subjectionem futurum sit ut vivamus.*

10 Prout ipsis videbatur] κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς. *Id est, pro suo arbitrio, non semper satis justo, aut ad nostri emendationem accommodato. Hanc expositionem postulat antithesis.* Ut participes simus] εἰς τὸ μεταλαβεῖν. *His verbis declarat illud τὸ συμφέρον, cujus modò mentionem fecit.* Sanctitatis ipsius] τῆς ἁγιότητος αὐτοῦ. *Id est, veræ sanctitatis qua ipse delectatur, quamque in nobis per castigationem efficit; atque ita sibi (qui est ipsa sanctitas) quodammodo similes reddit, & ad vitam æternam idoneos. Genitivus effecti.*

11 Fructum tranquillum justitiæ] καρπὸν εἰρηνικὸν δικαιοσύνης. *Periphrasis vitæ æternæ. Sic eadem nominatur justitiæ corona, 2.Tim.4.v.8.*

12 Manus remissas & genua soluta surrigite] τὰς παρειμένας χεῖρας καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα ἀνορθώσατε. *Id est, animum in fide confirmate. Metonymia effecti.*

13 Rectas orbitas facite] τροχιὰς ὀρθὰς ποιήσατε. *Id est, bono vitæ exemplo aliis præite.* Luxetur amplius] ἐκτραπῇ. *Scil. τοὺς πόδας. In hanc sententiam verbum ἐκτρέπεσθαι hoc loco accipit Fr. Junius, pro eo quod est luxari, vel diverti à justo acetabulo atque commissura ossium. Ac si dicat Apostolus, Ne fortè si quis jâ claudus est ex pedum infirmitate, amplius novo offendiculo periclitetur, ut salutis jacturam faciat. Huic expositioni favet antithesis: quia mox sequitur,* sed ut sanetur potius.

14 Cum omnibus] μετὰ πάντων. *Confer Rom.12.v.18.* Et sanctimoniam] καὶ τὸν ἁγιασμόν. *Id est, castitatem: ut 1.Thess.4.4. Synecdoche generis.* Sine qua &c.] οὗ χωρίς, *Confer Matth.5.v.8.*

15 Ne quis deficiat] μή τις ὑστερῶν. *Scil. ᾖ. Pro, μή τις ὑστερῇ. Hebraismus.* Radix amaritudinis] ῥίζα πικρίας. *Id est, amaritudo animi (puta invidia, odium, iracũdia, ambitio) veluti radix malorum. Metaphora. Alii,* radix amara: *puta hæresis, vel aliud scandalum: ut Deut.29.v.18. Metaphora.*

16 Jus primogenitorum] τὰ πρωτοτόκια. *Hoc jus positum erat in duabus prærogativis: unâ dignitatis, quâ primogenitus fratres sibi habebat subjectos: alterâ roboris ex dupla hæreditate. Vide Gen.49.3. Item 2.Paral.21.3.& Deut.21.17.*

17 Benedictionem] τὴν εὐλογίαν. *Nempe solennem illam, à patre Isaaco pronuntiandam paulò ante mortem illius.* Reprobatum fuisse] ἀπεδοκιμάσθη. *Id est, repulsam tulisse.* Pœnitentiæ] μετανοίας. *Scilicet Isaaci: pro, μεταμελείας. hoc est, non potuit efficere ut Isaacum pœniteret facti sui, quantumvis ex errore profecti, videlicet benedictionis collatæ in Jacobum.* Illam] αὐτήν. *Nempe pœnitentiam patris, & ex consequenti benedictionem. Ita non est necesse pronomen αὐτὴν referri ad nomen εὐλογίαν, quod paulò antè præcessit.*

21 Expavefactus sum] ἔκφοβός εἰμι &c. *Quum hæc verba in historia Mosis non legantur: existimandum, Paulum ea habuisse ex traditione: sicut etiam nomina Jannes & Jambres, 2.Tim.3.v.8. Veruntamen Exod.19.v.19. narratur de Mose, quod cum hoc loco consentit: videlicet quum sonus ille tubæ valde invalesceret: locutum fuisse Mosen, & Deum illi respondisse voce. ubi è cohærentia sententiarum colligitur, Mosen sono illo tubæ territum, de suo terrore conquestum esse, & blandâ voce à Deo erectum.*

23 Conventum universalem &c.] πανηγύρει &c. *Hæc proximè præcedenti membro annectuntur per appositionem. Itaque de sanctis angelis sunt accipienda, non autem de electis hominibus; de quibus demum loquitur in fine versus.* Primogenitorum] πρωτοτόκων. *Id est, filiorum Dei charissimorum. Metaphora. Sic & alibi sancti angeli nominantur filii Dei, ut Job.1.6. & 2.1.* Qui conscripti sunt in cælis] ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων. *Id est, qui à Deo electi sunt ad vitam æternam. Sic Luc.10.v.20. Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis. Philip.4.3. Quorum nomina sunt in libro vitæ.* Spiritus] πνεύμασι. *Id est, animis: ut suprà v.9. Intelligit autem hìc animas à corporibus separatas & in cælum receptas.* Justorum] δικαίων. *Piorum credentium.* Consummatorum] τετελειωμένων. *Id est, plenè sanctificatorum.*

24 Sanguinem aspersionis] αἵματι ῥαντισμοῦ. *Id est, quo asper-*

guntur per fidem corda credentium, atque ita à sordibus peccati abluuntur. Quàm Abel] παρὰ τὸν Ἄβελ. *Qui mortuus adhuc loquutus est, suprà 11. v.4. petens nimirum vindictam, exercendam à Deo in Cainum fratricidam. Quanquam videri potest irrepsisse τὸν pro τό: ut subaudiendum sit αἷμα, ex membr antitheto. Et sanè quod suprà 11. v.4. de Abele dicitur, id Moses sanguini ejus tribuit, Gen.4.v.10. inquiens, Vox sanguinum fratris tui, clamantium ad me.*

25 Nam si illi] εἰ γὰρ ἐκεῖνοι. *Scilicet patres. Confer suprà cap.2. v.2. & 3. & cap.10.v.28. & 29.* Non effugerunt] οὐκ ἔφυγον. *Pro, οὐκ ἐξέφυγον. Scil. pœnas Dei.* Eum qui loquebatur Dei nomine] τὸν χρηματίζοντα. *Videl. Mosen.* Eum qui de cælis loquitur] τὸν ἀπ' οὐρανῶν. *Id est, Christum. Hic ἀπὸ κοινοῦ repetendum participium χρηματίζοντα.*

26 Cujus] οὗ. *Nempe Christi.* Tunc] τότε. *Quum promulgaret Legem: ex collatione præcedentium.* Terram] τὴν γῆν. *Id est, populum consistentem in castris ex adverso montis, Exod.19. v.16. Metonymia subjecti.* Nunc autem] νῦν δὲ. *Id est, de hoc autem tempore quo promulgavit Evangelium.* Promisit] ἐπήγγελται. *Scilicet Hagg.2.v.7.* Concutiam] σείω. *Id est, admiratione percellam.* Terram] τὴν γῆν. *Id est, homines. Metonymia subjecti.* Cælum] τὸν οὐρανόν. *Id est, angelos. Metonymia subjecti.*

27 Rerum quæ concutiuntur] τῶν σαλευομένων. *Puta instrumentorum servientium carimoniis legalibus, atque adeò ipsarum carimoniarum legalium.* Utputa factitiarum] ὡς πεποιημένων. *Id est, effectarum manibus hominum ex caducis materiis. Sic suprà 4.v.1. nominat ἅγιον κοσμικόν, sanctuarium mundanum.* Ea quæ concuti non possunt] τὰ μὴ σαλευόμενα. *Id est, quæ æterna sunt: videlicet bona per Christum parta, & per Evangelium oblata; puta remissio peccatorum, sanctificatio & hæreditas illa cælestis.*

28 Regnum] βασιλείαν. *Nempe regnum illud cæleste. Synecdoche generis.* Teneamus] ἔχωμεν. *Pro, κατέχωμεν. Eodem sensu accipiendum est hoc verbum Rom.15. v.4. ἵνα τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν, ut spem illam teneamus.* Gratiam] χάριν. *Id est, fidem ex gratia Dei profectam. Metonymia efficientis.*

29 Ignis] πῦρ. *Id est, quasi ignis. Metaphora.*

OBSERVAT. EX CAP. XII.

Tolerantia crucis. 1 Ex v.1. & deinceps usque ad 12. Notandæ sunt aliquot causæ, quibus moveri debemus ad tolerantiam crucis: videlicet primò exemplum veterum sanctorum, v.1. Deinde exemplum Christi, v.2.3.& 4. Tum quòd crucem peccatis nostris sumus meriti, tanquam castigationem, vers.5. Quartò, quòd hæc castigatio signum est paternæ Dei erga nos benevolentiæ, vers.5.6.7.& 8. Quintò, quòd castigatio hæc durat ad paucos dies, v.10. Postremò, quòd crux nobis utilis est ad consequendum sanctitatem & vitam æternam, v.8.9.10 & 11.

Doctrina Christiana. 2 Ex v.1. Quum doctrina Christiana tot testes habeat, eosque tam sanctos viros, & quorum nonnulli illam suo sanguine obsignarunt: non est igitur nobis de veritate illius dubitandum.

Peccatum originis. 3 Ex eod. vers. Quò minùs expeditè in stadio pietatis currere possimus, impedimur, tanquam pondere & obstaculo, peccato originali. Errant igitur qui sibi in hac vita imaginantur perfectionem. Vide lamentationem Pauli Roman.7. vers.14. & deinceps.

Peccatum originis. 4 Ex eod. v. Peccatum originis comparatur ponderi & obstaculo nos circumcingenti: Ergo significatur, ipsum esse rem distinctam ac diversam à nostra natura. Errant igitur qui docent, peccatum esse de hominis substantia.

Crux. 5 Ex v.2. Si Christo conformari cupimus in gloriâ: oportet nos eidem priùs conformari in cruce. Vide Rom.8. v.29. item 2.Tim.2.v.11.& 12.

Consolatio contra contradictionem mundi. 6 Ex v.3. Si nobis confitentibus doctrinam Christi, à mundo contradicitur: consolemur nos exemplo Christi, qui longè vehementissimam adversus se contradictionem à peccatoribus sustinuit: ac præterea cogitemus, ipsum arcano Dei decreto positum esse in signum cui contradicatur: sicut Spiritus sanctus pronuntiavit per os Simeonis, Luc.2.v.34.

Clementia Dei. 7 Ex v.4. Quum Deus non permittit hostibus Evangelii, ut nos propter illius confessionem ad sanguinem usque persequantur: acceptum hoc feramus ipsius clementiæ, qua nobis parcit; quum tamen charissimo filio non pepercerit. Confer 1.Cor.10. v.13. *Tentatio vos non cepit nisi humana &c.*

Parentum officium. 8 Ex v.7. & 20. Ad parentum officium pertinet, castigare seu virgis cædere liberos peccantes: sed moderatè & adhibitâ institutione ex verbo Dei. Vide Prov.13.v.24. item cap.22.v.15. item cap.23.v.13. Eph.6.v.14.

Animæ origo. 9 Ex v.9. Ex eo quòd Apostolus genitores nostros vocat patres carnis nostræ, Deum autem patrem spirituum: rectè colligitur, animam hominis non oriri ex traduce (ut loquuntur) id est, non generari à parentibus unà cum corpore, sed à Deo creari. Etsi enim Deus corporis quoque creator est: tamen illud creat ex semine parentum: animam verò immediatè: unde κατ' ἐξοχὴν vocatur pater spirituum, hoc est, animarum. nam *spirituum* nomine hic intelligi animas hominum, percipitur ex antithesi, qua *spiritus* opponitur *carni*, id est corpori. Similis antithesis inter carnem & spiritum exstat 1.Cor.5.v.5. Similis verò antithesis inter originem corporis & originem animæ, exstat Eccles.12.v.7. ubi mors hominis describitur his verbis: *Redibit pulvis in terram, sicut fuerat: spiritus autem redibit ad Deum, qui dederat illum.* Hîc similiter Deus dicitur homini spiritum, id est, animam dedisse, videlicet immediatè: ut percipitur ex antithesi. nam certè etiam corpus ei dedit, sed mediante pulvere seu ex pulvere terræ, tanquam ex materia. Etenim in prima creatione Deus non produxit simul ex materia animam & corpus hominis, sicut produxit animam & corpus brutorum: sed solum hominis corpus ex materia produxit, videl. pulvere terræ: animam verò ei inflavit, immediatè scil. creando.

Vita æterna. 10 Ex v.11. Vita æterna nominatur fructus justitiæ, non quòd nos eam justitiâ nostrâ mereamur: sed quia justum est apud Deum, iis qui propter nomen ipsius affliguntur, reddere relaxationem: ut ait Paulus 2.Thess.1.v.6.& 7.

Officium hominis Christiani. 11 Ex v.13. & 15. Ad officium nostrum pertinet, ut soliciti simus de salute fratrum infirmorum, qui claudicant vel in fide & doctrinâ, vel in vita ac moribus. Debemus autem operam dare ut isti sanentur: tum præeundo illis bono exemplo confessionis & vitæ, tum ex verbo Dei eos instituendo & admonendo.

Pax. 12 Ex v.14. Pax colenda est cum omnibus: nempe quoad ejus fieri potest bonâ conscientiâ, ut declarat Paulus Rom.8.v.18. ne scilicet pacis causâ & in gratiam hominum offendamus Deum, agendo aliquid contra mandata ipsius.

Castitas. 13 Ex v.14. & 16. Sanctimonia seu castitas summo studio colenda: scortatio autem & omnis impuritas fugienda. Confer Matth.5.v.8. & infrà 13.v.4.

Disciplina ecclesiastica. 14 Ex v.15. Suppullulantibus scandalis, maturè per ecclesiasticam disciplinam occurrendum est: ne ubi illa prorsus enata fuerint, multi inquinentur. Confer 1.Cor.5.

Profanitas. 15 Ex v.16. Cavenda profanitas qua testimonia gratiæ Dei contemnuntur: sicut profanus Esau contempsit suum jus primogeniti.

Impiorum ingenium. 16 Ex v.16.& 17. Impii terrena tantùm & corporalia bona desiderant; cælestia verò & spiritualia non curant. Ut impius Esau desiderabat edulium fratris ad explendum famem: item benedictionem patris ex qua amplum & pingue solum possideret: interim de vita æterna per Christum comparanda nihil solicitus. Nobis autem regnum Dei ante omnia quærendum est: tum terrena illa nobis adjicientur: ut monet Christus Matth.6.

Fœdus Dei. 17 Ex vers.18.19.20.21. & 24. Notandum hîc est discrimen quoddam inter fœdus legale & evangelicum. Fœdus legale gignit horrorem: quia scilicet promittit vitam sub conditione perfectæ obedientiæ ex nostris viribus: & contrà minatur maledictionem transgredienti vel unum mandatum. Quum autem perfectam illam obedientiam præstare nemo possit; & contra non unum tantùm, sed omnia Legis mandata singuli transgrediantur: fieri non potest, quin ex conscientia Legis violatæ exsistat horror ac metus maledictionis. Hunc horrorem Deus significavit horribili illâ formâ promulgationis Legis in monte Sinai, quam Apostolus hoc loco ex lib.2. Mosis commemorat. Contrà evangelicum fœdus parit in cordibus electorum lætitiam: quia annuntiat eis remissionem peccatorum & vitam æternam per sanguinem mediatoris Christi.

Sanctorum imperfectio. 18 Ex v.21. Exemplo Mosis (qui viso illo in promulganda lege adhibito expavefactus est) monemur, etiam in sanctis dum hic vivunt, manere reliquias peccati.

Ecclesia. 19 Ex v.22. & 23. Notanda est hic illustris descriptio Ecclesiæ. Nominatur primò *mons Sion*, propterea quòd colligitur per vocem Evangelii, quæ è Sione in reliquum terrarum orbem exivit, juxta vaticinium illud Esa.2. v.3. *De Sion exibit Lex*, (vel potiùs * doctrina, nempe doctrina Evangelii) *& verbum Domini de Jerusalem.* Secundò, vocatur *civitas Dei vivi*: quia singuli fideles sunt cives Ecclesiæ (Eph.2.v.19.) viventes ex præscripto legum Dei. Tertiò nominatur *Jerusalem cælestis*: quia per terrestrem urbem Jerusalem fuit præfigurata. Quanta autem sit gloria hujus cælestis Hierusalem, & quantum in ea futurum sit gaudium: describit copiosè Johannes in Apoc. ultimis duob. capp. Quartò ecclesiæ adjunguntur *sancti & beati illi angeli*, tanquam conservi: ut apud Johan. professus fuit Angelus ille, Apoc.22.v.9. Quintò fideles nominantur *primogeniti qui conscripti sunt in cælis*: tum quia fideles sunt filii Dei per adoptionem, sed non minus ei chari, imò magis, quàm hominibus chari esse solent filii primogeniti: tum quia ad vitam æternam electi sunt, & scripti in libro vitæ, ut illâ olim perfruantur in cælo. Sextò, adjungitur Ecclesiæ *Deus* tanquam *judex*: qui scilicet pro justo suo judicio afflictionem reddet iis qui fideles affligunt; fidelibus autem relaxationem: ut ait Apostolus 2.Thess.1. v.5.6.7. Septimò, commemorantur *spiritus justorum consummatorum*, id est, animæ fidelium defunctorum, jam in cælum receptæ: quæ nominari solet ecclesia triumphans: quanquam plenus triumphus, in anima simul & corpore celebrandus, reservatur usque ad diem judicii. Octavò commemoratur Ecclesiæ caput & rex, qui idem ut mediator eam in gratiam Dei reduxit suo sanguine, videlicet Dominus *Jesus.*

* Nam Hebraica vox תורה propriè *doctrinam* significat.

Evangelium. 20 Ex vers.25. Doctrina Evangelii summa cum reverentiâ amplectenda est: quum sit nobis patefacta per ipsum filium Dei, qui eam protulit quasi è sinu patris: sicut ipse loquitur Johan.1.

Johan.1.v.18. Quem qui aspernatur, haud impunè feret, sed æterno exitio damnabitur: ut qui non crediderit unigenito filio Dei, Joh.3.v.18.

Deitas Christi. 21 Ex v.26. Qum vox Christi in promulgatione Legis concusserit terram: consequens est, ipsum esse verum Deum: qui scilicet in promulganda Lege dixit; *Ego sum Jehováh Deus tuus &c.*

Evangelii. 22 Ex eod.v. Doctrina Evangelii doctrinam Legis antecellit: quippe quæ non solùm terram, id est, homines, ut illa; sed etiam cælum, id est, angelos, concutit, percellit & in admirationem rapit. Exemplum de hominibus vide Act.2.v.7. & deinceps. De angelis vide 1.Pet.1.v.12.

Politia Mosaica. 23 Ex v.27. Cultus Mosaicus & politia non fuerunt hoc consilio à Deo instituta, ut durarent perpetuò: sed ut abolerentur per exhibitionem Christi.

Christus. 24 Ex eod. vers. Sacerdotium & regnum Christi concuti non possunt, sed æterna sunt. Quare etiam salus nostra, utpote in illis fundata, æterna est.

Officium hominis Christiani. 25 Ex v.28. & 29. Qui cupit in æternum regnare cum Christo, & evitare ignem illum consumentem iræ Dei: illi necesse est, ut perseveret in fide & studio pietatis.

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

Exhortatur eos ad omnis generis bona opera, maximè ea quæ præcipiuntur in secunda Legis tabula, & ad dilectionem proximi pertinent: tum etiam exoptat illis à Deo facultatem bona illa opera faciendi.

FRaterna charitas maneat.

2 Hospitalitatis ne estote immemores: per hanc enim quidam inscii exceperunt angelos hospitio.

3 Memores estote vinctorum, tanquam unà cum illis vincti: eorum qui malis premuntur, ut qui etiam ipsi estis in corpore.

4 Honorabile est conjugium inter quosvis, & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros judicabit Deus.

5 Sint mores *vestri* alieni ab avaritia: *sitis* contenti præsentibus. Dixit enim ipse, Nequaquam te deseram, neque unquam te derelinquam.

6 Adeò ut confidenti animo dicamus; Dominus *est* mihi auxiliator, nec timebo; quid faciat mihi homo?

7 Memores estote ducum vestrorum, qui loquuti sunt vobis sermonem Dei: quorum imitamini fidem, considerantes qui fuerit exitus conversationis ipsorum.

8 Jesus Christus heri & hodie idem *est*, & in sæcula.

9 Doctrinis variis & peregrinis ne circumferimini. Bonum enim est gratiâ constabiliri cor, non cibis; unde nullam perceperunt utilitatem qui in ipsis versati sunt.

10 Habemus altare ex quo non habent jus edendi qui tabernaculo deserviunt.

11 Quorum enim animalium sanguis infertur pro peccato in sacrarium per pontificem, horum corpora exuruntur extra castra.

12 Quapropter & Jesus, ut sanctificaret populum per proprium sanguinem, passus est extra portam.

13 Exeamus igitur ad eum extra castra, probrum ejus portantes.

14 Non enim habemus hîc stabilem civitatem, sed futuram illam inquirimus.

15 Per ipsum igitur assiduè offeramus Deo sacrificium laudis, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.

16 Beneficentiæ verò & communicationis ne obliviscimini: talibus enim victimis delectatur Deus.

17 Obedite ducibus vestris, & obsecundate. Vigilant enim ipsi pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Id enim est vobis inutile.

18 Orate pro nobis: confidimus enim, nos bonam conscientiam habere, ut qui in omnibus cupiamus honestè conversari.

19 Ampliùs autem obsecro vos ut id faciatis, ut celeriùs restituar vobis.

VErsu 1. in genere hortatur ad fraternam charitatem. Vers.2. & deinceps, generalem illam exhortationem per species declarat: ac primùm hortatur ad officia charitatis erga fratres peregrinos seu hospites: addito argumento ab eventu utili, quòd nimirum illis officiis concilietur nobis singularis favor Dei: id quod significat exemplo veterum, ut Abrahami & Lothi, quos Deus propter hospitalitatem singulari honore affecit, ita ut sub specie hospitum angelos ad eos mitteret, imò quod plus est, ut ipse filius Dei sub tali specie eos inviseret. Etenim unus ex illis tribus viris, quos hospitio excepit Abraham, Gen.18.cap. fuit ipse Jehováh: ut liquet ex v.13.14.17.20.22.&c. Deinde v.3. hortatur ad officia charitatis erga fratres qui persecutionem patiuntur propter confessionem Evangelii. Erga hos requirit συμπάθειαν, & ex consequenti opitulationem, saltem per preces, si alio legitimo modo non possimus. Rationem annectit à communione naturæ, quòd nimirum ipsi quoque simus in corpore, ac proinde eisdem afflictionibus obnoxii: quæ si nobis acciderent, optaremus certè ut fratres nostri miserti, opem nobis ferrent. Atq; hæc duo præcepta, unum de hospitalitate; alterum de sympathia, pertinent ad præceptum decalogi sextum: quod sequitur v.4. pertinet ad septimum. Hortatur enim ad castum conjugium, nempe eos quibus extra conjugium castè vivere non est datum: & contrà dehortatur à scortatione & adulterio. Ad conjugium hortatur ab adjuncta sanctitate. Ac ne quis putet, conjugium aliquibus esse dedecori, putà ministris verbi, qui præ cæteris sanctitati studere debent: expresè affirmat, conjugium honorabile seu pretiosum esse ἐν πᾶσι, *in omnibus*, id est, inter omnes, cujuscunque scil. sint ordinis aut conditionis in Ecclesia. Dehortationem verò confirmat ab effectu pernicioso, videl. ab æterno exitio, cui Deus scortatores & adulteros adjudicaturus est. V.5. dehortatur ab avaritia; & contrà hortatur ad αὐτάρκειαν, hoc est, animum suâ sorte contentum, item ad fiduciam erga Deum. Quæ hortatio partim ad præceptum decalogi octavum, partim ad primum pertinet. Hortationem hanc confirmat à causâ procreante, videlicet ope Dei; quòd nimirum Deus sibi fidentes non sit deserturus, sed eis auxiliaturus. Quod ipsum partim confirmat à promissione Dei ex Josuæ 1. v.5. partim illustrat exemplo Davidis: qui opem illam claris verbis profitetur, & de illa ex fide gloriatur, Psal.118.v.6. Etsi autem promissio illa ad Josuam specialiter pronuntiata fuit, tamen ideo in scriptura proponitur, ut singuli fideles illam ad sese applicent. Deus enim erga similes similiter se gerit: & quicquid antè scriptum est in sacris literis, ad nostram doctrinam scriptum est, ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem illam teneamus: Rom.c.15. V.7. hortatur eos ad imitandum fidem ducum suorum, qui ipsis locuti fuerant sermonem Dei: videl. pastorum, doctorum & gubernatorum: quæ hortatio videri possit pertinere ad præceptum decalogi quintum de honorandis parentibus: sed puto eam potiùs pertinere ad præceptum primum de fiducia erga DEUM, atque ita cum proximè-præcedentibus cohærere. Confirmat enim jam exhortationem præcedentem ab exemplo ducum illorum: quo exemplo continetur argumentum ab effectu utili, videl. à læto & glorioso exitu, sive eventu: quod argumentum v.8. confirmat à causâ efficiente, quæ est Christus: quippe qui heri & hodie idem est, & in sæcula: ac proinde sicut tempore præterito salutarem exitum dedit confessioni ducum, ita etiam hodie & posthac salutarem exitum dabit imitatoribus illorum. V.9. quia mentionem fecerat ducum, id est, doctorum: eâ occasione dehortatur à falsâ doctrinâ, ac specialiter perstringit eos qui externum Legis cultum, ac præsertim discrimen ciborum, cum Evangelio permiscebant: quasi illa præter fidem ad salutem essent necessaria. Hanc doctrinam rejicit ac damnat ab effectu inutili, quòd videlicet non conducat ad constabiliendum cor, hoc est, ad solidam cordis consolationem. Atque hoc argumentum illustrat antithesi disparatorum, quòd videl. cor constabiliatur non cibis, sed gratiâ, id est, non doctrinâ illâ de discrimine ciborum legali observando: sed doctrinâ Evangelii de gratiâ Dei nobis per sacrificium Christi conciliatâ. Deinde confirmat hoc argumentum testimonio experientiæ, quòd nimirum qui in cibis discriminandis versati atque occupati fuerunt, non sint eâ re adjuti. V.10.11. & 12. aliud argumentum adfert contra doctrinam illam de observatione cærimoniarum Legis cum fide Christi conjungenda: quod argumentum sumtum est à pari, videlicet a comparatione typi cum re per typum significata. Istud argumentum concludi potest syllogismo connexo ad hunc modum: Si illi qui tabernaculo deserviunt, non habent jus edendi ex animalibus quorum sanguis infertur in sacrarium per pontificem: ergo pari ratione qui per cærimonias Legis servari volunt, non habent jus edendi ex Christo. At verum est antecedens, v.11. Verum igitur & consequens, vers.16. Consequentia connexi nititur analogiâ quæ est inter typum & rem typo adumbratam. Etenim sicut in anniversario sacrificio expiationis, sanguis juvenci & hirci per pontificem inferebatur in sacrarium ad expiationem faciendam: ita in sacrificio illo verè expiatorio Christi, sanguis Christi in cruce oblati per ipsummet Christum illatus est in cælum. Et sicut corpora illorum ani-

malium exurebantur extra castra: ita corpus Christi, crucifixum est extra portam urbis Hierusalem, v.12. Antecedens probatur ex hoc ipso, quòd corpora illorum animalium secundùm Legem exurebantur, v.11. Hinc enim efficitur, non fuisse sacerdotibus jus ex illis corporibus edendi. Vide Levit.16.v.27.

V.13. & 14. ex eo quòd dixerat, Jesum passum esse extra portam, per occasionem deducit exhortationem ad tolerantiam persecutionis propter fidei confessionem: quam exhortationem confirmat partim à Christi exemplo, v.13. partim à læto eventu: videl. possessione urbis illius futuræ, nempe cæli, v.14. Cujus urbis suprà quoque mentionem fecit cap.11.v.10.& 16.

V.15.& 16. aliud πόρισμα seu corollarium annectit. nam ex eo quòd proximè mentionem fecerat Christi, tanquam nostri pontificis, deducit exhortationem ad sacrificia spiritualia etiamnum quotidie à nobis offerenda: quorum facit duo genera: unum, sacrificium laudis, v.15. ut scil. Deum assiduè laudemus, & gratias ei agamus pro beneficio redemtionis per Christum nobis præstito: alterum, beneficentiam seu communicationem, v.16. id est, ut benefaciamus fratribus egenis, & communicemus nostras facultates. Hanc exhortationem confirmat ab effectu utili, quòd scil. Deus talibus victimis delectetur: quo nimirum fit, ut perpetuo favore nos complectatur: qui favor nobis non potest non esse utilissimus. Atque ita redit Apostolus per occasionem ad præcepta tabulæ secundæ: quippe postrema illa exhortatio ad sextum decalogi præceptum pertinet. Huic subjungit deinceps exhortationem pertinentem ad præceptum decalogi quintum. nam v.17. hortatur Hebræos ad obedientiam erga ipsorum duces sive ductores, id est, pastores, doctores, & gubernatores. Versu autem 18. ad preces concipiendas pro sese Paulo, tanquam fideli scil. ipsorum apostolo. Priorem exhortationem confirmat partim ab adjunctâ honestate, partim ab eventu utili. Adjunctam honestatem innuit, quum ait: *Vigilant enim ipsi pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri.* Honestum enim & æquum est, ut talibus obediamus: ut scilicet hoc modo aliquam eis gratiam pro tanto ipsorum beneficio referamus. Eventum utilem notat, ubi dicit: *ut cum gaudio hoc faciant & non gementes: id enim est vobis inutile.* quasi dicat, Si obediveritis ductoribus vestris, tum illi cum gaudio & alacritate pro vestra salute vigilabunt, eamque vobis impetrabunt: contrà verò si fueritis refractarii, ingemiscent illi ad Deum propter vestram ingratitudinem: qui gemitus vestræ saluti officient.

Vers.18. petit ut pro se orent: argumentum petitionis affert à causâ efficiente, videlicet bonâ suâ conscientiâ; ut qui conscius sibi sit, quòd officio suo fideliter erga ipsos sit functus: ut meritò reciproca officia benevolentiæ & charitatis ab ipsis polliceri sibi ausit.

V.19. petitionem repetit, & alterum argumentum addit, quod sumtum est ab effectu utili; quia sic futurum sit, ut Paulus ipsis restituatur, hoc est, ut diutiùs in vivis conservatus, ipsos invisat, ac præsens in fide eos confirmet.

20 Deus verò pacis, qui reduxit à mortuis pastorem illum ovium magnum, *instructum* sanguine federis æterni, dominum nostrum Jesum;

21 Perficiat vos in omni opere bono, ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in vobis quod acceptum sit in conspectu suo, per Jesum Christum; cui *sit* gloria in sæcula sæculorum. Amen.

22 Precor autem vos, fratres, sufferte sermonem exhortationis hujus. etenim brevibus scripsi vobis.

23 Scitote, fratrem *nostrum* Timotheum solutum esse; cum quo (si celeriùs venerit) visum vos.

24 Salutate omnes duces vestros, & omnes sanctos. Salutant vos Italici.

25 Gratia *sit* cum omnibus vobis. Amen.

Sequitur conclusio epistolæ: ubi primùm eis exoptat à Deo vires ad præstandum ea, ad quæ hactenus per totam epistolam fuit exhortatus: v.20.& 21. Deinde rogat, ut hanc suam exhortationem æquo animo ferant, v.22. Tertiò facit eos certiores de Timotheo soluto, suumque unà cum illo adventum pollicetur, vers.23. Postremò annectit salutationes & votum Apostolicum, duobus ultimis versibus. In priore illo voto, initio commemorat causas voti, & simul summatim comprehendit doctrinam hactenus per totam epistolam fusè expositam; de triplici nimirum Christi officio, v.20. Deinde exponit votum ipsum, vers.21. Causas voti commemorat duas: videlicet Dei tum voluntatem, tum facultatem. quasi dicat: Deus & vult & potest vobis dare illas vires; ergo jure illas vobis à Deo precor. Voluntatem Dei significat, quum eum vocat Deum pacis, hoc est, qui cum ipsis & omnibus fidelibus fecerit pacem per Christum, ac proinde eos paternâ benevolentiâ complectatur. Facultatem verò ostendit, quum dicit quòd Deus Jesum reduxit à mortuis. potest igitur etiam Hebræorum corda in peccatis mortua vivificare, & viribus ad officium præstandum necessariis instruere. Porrò triplex illud Christi officium notat: Propheticum quidem, quum eum nominat *pastorem illum ovium magnum*, qui scilicet gregem suum (id est, electos) pascit salutari doctrinâ Evangelii. Sacerdotium verò significat, quum dicit, *eum esse instructum sanguine federis aterni*: etenim Christus fedus illud gratiæ æternum effusione sanguinis sui ut sacerdos stabilivit. Denique regiam Christi dignitatem notat, quum eum vocat *dominum nostrum*. Votum ipsum exponit primùm verbo generali, precans ut Deus eos perficiat in *omni opere bono*: per opus bonum intelligens tum fidem, tum fidei opera, ac potissimùm confessionem & tolerantiam crucis. Deinde addit boni operis definitionem, partim à forma, quæ est consensio operis cum voluntate Dei in verbo patefacta: hanc significat, ubi ait: *Ad præstandam ipsius voluntatem*: partim ab effectu, videlicet approbatione Dei, ubi dicit: *efficiens in vobis quod acceptum sit in conspectu suo*. Tertiò addit istius efficientiæ Dei ac virium suppeditationis causam administram, ubi ait: *Per Jesum Christum*. Postremò annectit δοξολογίαν: quæ vel ad Christum, vel ad Deum patrem referri potest. Reliqua plana sunt ex dictis: nec ampliorem analysin desiderant.

SCHOLIA IN CAP. XIII.

2 Quidam] τινές. *Ut Abraham Gen.18. & Lot Gen.19.*

3 Ut qui etiam ipsi estis in corpore] ὡς καὶ αὐτοὶ ὄντες ἐν σώματι. *Id est, ut qui ipsi quoque afflictionibus ejusmodi obnoxii estis. Metonymia subjecti. Quidam hic intelligunt corpus Christi mysticum, in quo tanquam membra sunt omnes fideles: sed de illo quum loquitur Paulus, solet simul mentionem facere Christi, tanquam capitis: ut Eph.5.v.23. item 1.Cor.12.v.27. Rom.12.v.5.*

4 Inter quosvis] ἐν πᾶσι. *Ad verb. In omnibus: hoc est, inter omnes: cujuscunque scil. sint ordinis aut conditionis in Ecclesia. Sic Col.1.v.18. 1.Tim.4.v.15.* Et cubile impollutum] καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος. *Hæc verba bifariam construi possunt. Vel, ut ἀπὸ κοινοῦ repetatur totum illud*, τίμιος ἐστι: *sic*, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος τίμιός ἐστι, Et cubile illud impollutum honorabile est: *ut nimirum his verbis*, ἡ κοίτη ἀμίαντος, *contineatur periphrasis conjugii. Vel, ut ἀπὸ κοινοῦ repetatur solum verbum substantivum* ἐστι: *sic*, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντός ἐστι, Et cubile illud impollutum est: *ut nimirum articulus* ἡ *sit* ἀναφορικός, *& referatur ad præcedens nomen* ὁ γάμος: *quasi dicatur*, καὶ ἡ τοῦ γάμου κοίτη ἀμίαντός ἐστι, Et *conjugii* cubile impollutum est: *hoc est, suâ naturâ purum est & licitum atque concessum, ita ut legitimo ejus usu non polluatur conscientia.* Judicabit] κρινεῖ. *Id est, puniet: nempe vel temporalibus pœnis, si isti egerint pœnitentiam; vel æternis, si non egerint.*

5 Sitis contenti præsentibus] ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν. *Confer 1.Tim.6.v.6. & Philip.4.v.11.* Dixit] εἴρηκεν. *Nempe Jos.1.v.5.*

6 Dicamus] λέγειν. *Scil. cum Davide, Psal.118.v.6.*

7 Ducum] τῶν ἡγουμένων. *Id est, pastorum, doctorum, gubernatorum.*

8 Idem *est*] ὁ αὐτός. *Ac proinde eodem animo affectus erga omnes confessores nominis sui: sive sint doctores sive discipuli.*

9 Ne circumferimini] μὴ περιφέρεσθε. *Confer Eph.4.14.* Gratiâ] χάριτι. *Nempe Dei.*

10 Altare] θυσιαστήριον. *Id est, victimam. Metonymia subjecti: ut percipitur ex sequentibus. Intelligit autem Christum: qui est pascha nostrum pro nobis immolatum, 1.Cor.5.v.12.*

13 Probrum ejus] τὸν ὀνειδισμὸν αὐτοῦ. *ut suprà c.11.v.26.* Portantes] φέροντες. *Videtur respicere ad id quod accidit Simoni Cyrenæo, qui coactus est portare crucem Domini, quum is extra portam educeretur ad supplicium.*

14 Stabilem] μένουσαν. *Participium* μένουσαν *more Hebræorum positum est pro nomine participiali* μόνιμον. Futuram illam] τὴν μέλλουσαν. *Nempe quam Deus nobis promisit. Confer suprà 11. v.10. & 16.*

15 Confitentium nomini ejus] ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. *Id est, laudantium nomen ejus. Synecdoche generis Hebraica. Intelligitur enim confessio acceptorum beneficiorum, cum gratiarum actione conjuncta.*

16 Communicationis] κοινωνίας. *Intelligit communicationem facultatum: ut planum est ex conjuncto nomine* εὐποιΐας, *beneficentiæ. Confer Act.2.v.42. Gal.6.v.6.* Victimis] θυσίαις. *Elegans metaphora.*

17 Ducibus] τοῖς ἡγουμένοις. *Ut suprà v.7.* Inutile] ἀλυσιτελές. *Id est, perniciosum.* λιτότης.

18 Pro nobis] περὶ ἡμῶν. *Id est, pro me Paulo: ut percipitur ex collatione v.seq. quanquam nihil vetat hic simul comprehendi fratres, qui cum Paulo tum versabantur.* Confidimus enim] πεποίθαμεν γάρ. *Confer Act.23.v.4.*

19 Restituar vobis] ἀποκατασταθῶ. *Videlicet è vinculis dimissus. Isto enim verbo omnino videtur significari, Paulum tunc fuisse in aliena potestate. Cùm autem bis fuerit in vinculis: primò quum scripsit epistolam ad Philipp. ut liquet ex illius epistolæ c.1. ex collatione v.13. & 25. deinde iterum, quum scripsit posteriorem ad Timotheum, ut patet ex illius epistolâ cap.4.v.6. quæritur, de utris vinculis hic locus sit intelligendus. quod quidem definire, difficile videtur. nam si dicamus, Paulum epistolam hanc scripsisse in vinculis illis prioribus è quibus liberatus fuit: videtur obstare quod habetur suprà cap.10. v.34. ubi vinculorum illorum tanquam jam tum præteritorum mentionem facit, ut percipitur ex collatione v.32. ubi ait,* Revocate in memoriam superiores dies &c. *Si verò dicamus, epistolam hanc scriptam esse in vinculis posterioribus:*

ribus: repugnat quod dicit paulo-post v.23. se unà cum Timotheo eos visurum, si ille celeriùs venerit: cùm tamen 2.Tim.4.v.6. significet, se tunc nullam liberationis spem habuisse. ait enim, Ego jam libor &c. *Ego puto, Paulum hanc epistolam scripsisse in vinculis posterioribus, propter locum qui habetur suprà cap.10.v.34. sed scripsisse, antequam scriberet posteriorem illam ad Timotheum, idq; eo tempore quo adhuc spem habebat liberationis: postea verò quum scripsit illam ad Timotheum, spem illam amiserat. Et sanè non scriptam esse hanc epistolam in prioribus vinculis, è quibus scripsit ad Philippenses, ex eo planum est, quòd tunc Timotheum secum habebat, ut patet ex illius epistolæ principio: at quum hanc scripsit ad Hebræos, Timotheus aberat: ut liquet ex v.23. hujus capitis. Item quòd scripserit hanc epistolam in vinculis illis postremis, in quibus etiam ad Timoth. scripsit: ex hoc quoq; colligitur, quòd sicut hîc significat, se Timotheum exspectare: ita illic eundem hortatur, ut ad se veniat, 2.Tim.4.v.11. & 13.*

20 Deus verò pacis] ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης. *Hæc phrasis Paulo familiaris est: qua significatur, Deum esse pacis authorem. Genitivus effecti. Sic alibi nominat Deum omnis consolationis, 2.Cor.1. v.3. Instructum* sanguine] ἐν αἵματι. *Participium rectè meo judicio supplevit Franciscus Junius: ut in Græco sit ellipsis articuli* τὸν. *quasi dicatur,* τὸν ἐν αἵματι. *Scil.* ὄντα: *seu* ἔχοντα: *ut loquitur Johannes 1.Joh.5.v.6. Cæterùm* ἐν αἵματι *hîc valet* μετ' αἵματος, *sive,* δι' αἵματος, *phrasi Hebraicâ.*

21 Cuî *sit* gloria] ᾧ ἡ δόξα. *Tales doxologiæ exstant Rom.9.v.5. 1.Tim.1.v.17.*

22 Exhortationis hujus] τῆς παρακλήσεως. *Hoc vocabulo totius epistolæ scopus principalis indicatur: qui est, exhortari Hebræos ad perseverantiam in fide.*

23 Fratrem] τὸν ἀδελφὸν. *Sic passim nominare solet Paulus collegas suos in ministerio Evangelii. Quòd autem ad illum scribens, filium nominat: facit partim respectu ætatis, partim quòd ipsius ministerio esset genitus in fide.* Solutum esse] ἀπολελυμένον. *Ergo alicubi fuerat in vinculis.*

24 Duces] τοὺς ἡγουμένους. *Ut suprà v.7. & 17.* Italici] οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας. *Id est, fideles qui ex Italia Deo in Ecclesiam collecti sunt: videlicet non solùm Romani, sed alii quoq; ex reliqua Italia, qui Paulum salutaturi Romam veniebant.*

25 Gratia] ἡ χάρις. *Nempe Dei.*

OBSERVAT. EX CAP. XIII.

Officium hominis Christiani.

1 Ex toto cap. Quæ Apostolus toto hôc cap. præcipit Hebræis de fraterna charitate & officiis illius, item de sanctimonia seu castitate & pietate: eadem nobis quoque dicta esse putemus.

Sympathia.

2 Ex v.3. Cùm Spiritus sanctus per os Pauli præcipiat Hebræis συμπάθειαν erga fratres afflictos; displicet igitur illi ἀπάθεια, quam in vero sapiente requirunt Stoici. Ad sympathiam verò unumquemque nostrûm movere debet conscientia propriæ infirmitatis. Quum enim nos quoque infirmo corpore præditi simus: facilè ex nobis ipsis conjecturam possumus facere, qualem cruciatum sentiant fratres, quum corpore affliguntur.

Conjugium.

3 Ex vers.4. Quum Spiritus sanctus disertè affirmet, conjugium esse honorabile seu pretiosum (τίμιον) in omnibus seu inter omnes, cujuscunque scil. sint ordinis; item cubile ejus esse impollutum; ita scil. ut omnes eo possint uti purâ conscientiâ: necesse est ut interdictum Pontificium, quo conjugium interdicitur sacerdotibus & clericis quos vocant, ortum suum habeat ab impuro illo spiritu: qui hac occasione istos homines in scortationes & adulteria & nefandas libidines præcipitavit, & etiam nunc præcipitat: unde Apostolus istud interdictum inter doctrinas dæmoniorum, & notas Antichristi recenset, 1.Tim.4. v.3. Contrà autem omnibus (nemine excepto, nisi qui singulari illo continentiæ dono præditus est) conjugium per eundem apostolum præcipitur 1.Cor.7.v.2. *Propter scortationes* (scilicet evitandas) *suam unusquisq; (ἕκαστος) uxorem habeat: & proprium unaquæq; (ἑκάστη) virum habeat.* Imò Christus ipse idem præcipit Matth.19. v.10.& 11. quum discipulis dicentibus, *Si tale est negotium hominis cum uxore,* (videlicet ut non liceat ei pro arbitrio uxorem sibi molestam dimittere; ex præcedentibus) *non expedit igitur contrahere matrimonium:* respondit: *Non omnes capiunt hunc sermonem, sed quibus datum est.* quibus verbis significat, non omnes posse bonâ conscientiâ extra conjugium vivere; sed tantùm eos qui à Deo acceperunt continentiæ donum: ac proinde reliquos quibus hoc datum non est, teneri matrimonium contrahere. nam omnibus studendum esse ut conscientiam illæsam retineant, impudens sit necesse est qui negaverit.

Scriptura sacra.

4 Ex vers.5. & 6. Scriptura sacra ita à nobis cognoscenda est, ut exempla promissionum piis à Deo factarum, item exempla piæ confessionis, transferamus ad nostrum usum. Sicut videmus hoc loco facere Apostolum de exemplo promissionis factæ duci Josuæ, & de exemplo piæ confessionis factæ à Davide. Vide Rom.15.v.4.

Deitas Christi.

5 Ex v.8. Quum Jesus Christus sit idem (ὁ αὐτὸς) heri & hodie & in sæcula: consequens est, ipsum esse verum Deum: quippe quum sit immutabilis & æternus. hæ enim sunt proprietates essentiales Dei. Confer supr.c.1.v.10.11.12. Item Apoc.1.v.8.

Res externæ.

6 Ex v.9. Erant qui salutem in rebus externis quærunt. Cor enim constabilitur non rebus externis, ut cibis: sed gratiâ, hoc est, sensu gratiæ Dei per Christum nobis conciliatæ. Confer Col.2.v.16. & 17. item v.20. & deinceps usque ad finem cap.

Christus quatenus noster cibus.

7 Ex v.10. Christus est noster cibus, quatenus pro nobis oblatus est super altare, videl. crucem, in qua pendens gustavit pro nobis mortem æternam, sentiens nimirum iram Dei adversus nostra peccata, quæ in sese susceperat: quippe ex hoc sensu iræ Dei erupit in illam vocem, *Deus mi, Deus mi, quare me deseruisti?* Atque sic Christus ipse hanc cibi rationem declarat Joh.6.v.51. ubi ait, *Ego sum panis ille vivus qui de cælo descendit: Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est: quam ego dabo pro mundi vita.* Id est, quatenus eam dabo in mortem super altare crucis, ad promerendam vitam æternam omnibus totius mundi electis. Ergo edere ex hoc altari, id est, ex hac victima super altare crucis oblatâ, nempe ex ipso Christo, est credere quòd Christus suâ morte nobis vitam æternam sit promeritus: quod qui verè credit, is Christo suavissimè pascitur: quatenus nimirum acquiescit in paterno favore Dei, per mortem Christi nobis conciliato.

Typus sacrificii Christi.

8 Ex v.11. & 12. Sacrificium illud expiatorium anniversarium (de quo Levit.16.) fuit typus sacrificii Christi: quod unicum verè expiatorium est. unde quemadmodum corpora illorum animalium, videl. juvenci & hirci, (quorum illo ipse summus sacerdos, isto autem populus expiabatur) exurebantur extra castra: sic etiam corpus Christi passum est extra portam urbis Jerusalem. Et quemadmodum sanguis illorum animalium per pontificem illatus fuit in sacrarium: ita sanguis Christi per ipsum, ut eundem & victimam & pontificem, illatus est in cælum. Vide supr.9.v.12. & cap.10.v.12.19.

Confessio fidei.

9 Ex v.13. Sicut Christus per portam urbis Jerusalem exiens, portavit crucem, in qua maximo cum probro erat suspendendus: ita nos quoque animis affectos esse oportet, ut promti atque parati simus propter confessionem fidei Christianæ portare crucem, id est, probra, contumelias, atque etiam acerbissima supplicia.

Consolatio in persecutione.

10 Ex vers.14. Quum propter confessionem fidei Christianæ hinc illinc expellimur atque in exilium agimur: veniat nobis in mentem, quod hîc pronuntiat Apostolus, nos non habere hîc manentem (μένουσαν, id est, fixam & stabilem) civitatem; sed inquirere futuram illam: videl. patriam illam cælestem. Vide suprà cap.11.v.10.& 16.

Sacrificia N.T.

11 Ex v.15. & 16. In novo testamento non sunt ampliùs à nobis offerenda sacrificia corporalia atque cærimonialia, ut in veteri: sed tantùm spiritualia atque rationalia, eaque eucharistica: videlicet confessio nominis Dei, seu gratiarum actio pro immensis ipsius erga nos beneficiis per Christum præstitis, & beneficentia erga proximos, maximè erga domesticos fidei. Confer Rom.12. v.1. item 1.Pet.2.v.6. Atque hæc est oblatio illa munda, de qua prophetavit Malachias cap.1.v.11. Quem locum Pontificii perperam de idololatrica sua Missa exponunt.

Gubernatores ecclesiæ.

12 Ex vers.17. Officium gubernatorum Ecclesiæ (qui aliâs presbyteri ac seniores nominantur) est, ac inprimis pastorum, ut vigilent pro animabus gregis sibi commissi, tanquam rationem de illis reddituri. Confer 1.Pet.5.vers.2. Item Ezech.3.vers.17. & deinceps.

Conscientia.

13 Ex v.18. Studendum est singulis, exemplo Pauli, ut bonam conscientiam habeant. Confer Act.23.v.1. & 2.Cor.1.v.12. item 1.Tim.1.v.19.& 1.Pet.3.v.16.

Consolatio fidelium.

14 Ex vers.20. Summa nostra consolatio est, quòd Deus fedus gratiæ æternum nobiscum pepigit. Quum enim fedus hoc æternum sit (ut hîc expresè ait Apostolus) consequens est, ut qui semel in hoc fedus à Deo sunt recepti (id quod fit per veram fidem) gratiâ Dei nunquam excidant, ac proinde nec fidem amittant.

Bonum opus.

15 Ex v.21. Opus verè bonum Deoq; acceptum est, quod præstatur secundùm ipsius voluntatem in verbo patefactam, quodq; ipsemet per spiritum suum efficit in credentibus.

FINIS.

ANALYSIS LOGICA

SEPTEM EPISTOLARUM APOSTOLICARUM,

Quæ catholicæ appellari ſolent:

Videlicet { *Jacobi I. Petri II. Johannis III. Judæ I.*

UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS LOCORUM DOCTRINÆ.

ILLUSTRISSIMO POTENTISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO,

DN. FRIDERICO IV. COMITI PALATINO AD RHENUM: UTRIUSQUE BAVARIÆ DUCI, SACRI

Rom. Imperii dapifero & Electori; domino ſuo clementiſſimo,

GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE PER DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM.

ILLUSTRISSIME *ac potentiſſime Princeps Elector, domine clementiſſime. Non puto, Celſitudinem tuam admodum mirari, quid cauſæ ſit, quòd præſens opuſculum C.T. offerre atque inſcribere non vereor. Etenim meminiſſe poteſt C.T. quàm clementer ipſa me ſuperiore anno amicos veteres Heidelbergæ inviſentem, ad prandium invitârit; & quàm humaniter exceperit comparentem. Hujus tanti honoris, quo C.T. me eſt dignata, oblivisci me non decet; ſed potiùs humanitatem C.T. grato animo prædicare.*

Quam quidem humanitatem nuper ampliùs confirmavit, & ſingularis benevolentiæ erga me & favoris erga ſcholam Herbornenſem ſignificatione auxit C.T. quum tam facilem ſeſe præbuit in donandis illi ſcholæ ad petitionem meam, pretioſis illis ac magnificis BIBLIIS REGIIS: *quod tam ſplendidum opus bibliothecam ſcholæ noſtræ tanquam lucidiſſima aliqua ſtella exornabit, & de C.T. munificentia, & literarum atq; literatorum amore perpetuò teſtabitur. Pro quibus equidem beneficiis aliquam grati animi ſignificationem præſente inſcriptione C.T. à me præbendam eſſe duxi.*

Et verò ſi rem omnem diligentiùs perpendo attentiusq; conſidero: video, officii mei eſſe, ut in prædicanda C.T. benignitate mihi declaratâ, non ſubſiſtam: ſed memoriam temporis præteriti repetens, ad commemoranda beneficia ab illuſtriſſ. Principp. C.T. avo & patruo in me collata aſcendam. Nam quum ante annos circiter viginti Heidelbergam, purioris religionis gratiâ me contuliſſem, & beatiſſ. memoriæ illuſtriſſ. principi Electori FRIDERICHO III. *C.T. avo adventus mei cauſa innotuiſſet: factum eſt ut per Celſitudinis ipſius apud ampliſſimum Univerſitatis ſenatum commendationem, profeſſionem Phyſicam tum vacantem (quam ego à ſpectabili Facultate artium petiveram) facilè impetrarim. Cui beneficio non ita multò pòſt acceſſit alterum. nam quum operam meam ſenatui eccleſiaſtico ad ſuſcipiendam gubernationem pædagogii Heidelbergenſis tum vacantem obtuliſſem: illa meæ fidei ab iſtis Celſitudinis ipſius miniſtris promtè fuit commiſſa.*

Atque hæc ſunt beneficia quæ à ſanctiſſ. memoriæ C.T. avo in me ſunt profecta. Jam ad illuſtriſſimum Principem ac laudatiſſimum Ducem JOHANNEM CASIMIRUM, *C.T. patruum, quod attinet: quum ille ſtatim poſt illuſtriſſimi parentis mortem ſcholam novam Neoſtadii apperuiſſet: mihi quoque in illa locus aliquis datus, & tenuitati meæ à munifica Celſitudinis ipſius liberalitate nonnihil ſubventum fuit: nec non ſpes amplioris promotionis facta.*

Quæ quum ita ſint: ego meritò Palatinatum tanquam alteram patriam, atque adeò nonnullorum ex liberis meis natale ſolum, amo: eidemq; benedictiones Dei, tum corporales, tum ſpirituales, exopto: ut ſub clementiſſima C.T. gubernatione floreat, & puro Dei cultu in pace fruatur.

Verùm enimverò etſi nec ab illuſtriſſimis illis Principibus, C.T. propinquis, nec ab ipſa C.T. quicquam privati in me beneficii exſtaret: tamen ſatis juſtam atque idoneam habere mihi cauſam viderer honorandi hac inſcriptione Celſ. tuam: quòd Deo placuit, ſanctam eccleſiam ſuam per Celſ. veſtras maximis beneficiis afficere. Quis enim ignorat, quanto zelo illuſtriſſimus C.T. avus, FRIDERICHUS *ille* PIUS, *elaborârit, ut in eccleſiis Palatinatus tum doctrina de ſacramentis à falſis dogmati-*

dogmatibus, tum administratio illorum à superstitiosis cærimoniis repurgaretur? Quis nescit, quanto studio tum scholas ab antecessore acceptas conservârit & meliùs constituerit; Universitatem dico Heidelbergensem, domum Sapientiæ & pædagogium: tum verò novas aperuerit, Neuhusianam, Ambergensem, & Seltzanam? ut jam taceam de scholis minoribus passim per oppida & pagos institutis. Intellexit nimirum Celsitudo ipsius, scholas Christianas veluti seminaria sive plantaria esse, ubi plantulæ educantur quæ suo tempore in vineam ecclesiastici ministerii transplantatæ, suavissimos doctrinæ cælestis fructus ferunt.

Quod ipsum intellexit quoque illustrissimus C. T. *patruus, laudatissimus Dux* JOHAN. CASIMIRUS: *qui patre defuncto, scholam Neostadii aperuit: eiq; clarissimos viros, ac præcipuè theologos doctissimos, quos patri defuncto charissimos fuisse noverat, præfecit. Adhæc quanti ille studia literarum faceret, luculenter demonstravit insigni illo Principalis munificentiæ exemplo: quòd veteri ac ruinoso domus Dionysianæ ædificio diruto, novam ibi ad studiosorum illorum habitationem domum, splendidissimam sanè, ædificavit: quæ meritò ab illius nomine* CASIMIRIANA *dicitur. Sed hanc munificentiam longè superat fortitudo ipsius bellica: quam pro defensione ecclesiarum Gallicarum aliquoties demonstravit, & persecutores illarum ad pacem eis promittendam coëgit. Quin etiam suum in ecclesia Heidelbergensi quam-optimè constituenda zelum in eo evidenter ostendit illustrissimus ille heros: quòd adhibitâ Celsitudine tuâ amicum examen cum civibus illis instituit, quibus restituta per ipsum ecclesiastici status reformatio displicebat. In quo examine tuæ quoque Celsitudinis pietatem cum singulari humanitate conjunctam emicuisse, famâ accepi.*

Macte igitur virtute illustrissime Princeps, sic pergat C. T. *insistere laudatissimis propinquorum vestigiis: sic pergat imitari divina illa sanctissimorum Principum, qui olim populum Dei rexerunt, exempla: Davidis inquam, Salomonis, Ezechiæ, Josiæ. Etenim quantopere desiderârit David, bellis Domini confectis & hostibus populi Dei circumquaq; subjugatis, ædificare Deo templum: legimus 2.Sam.7. & 1.Chron.27.& 28. Quantâ item alacritate atque industriâ filius illius Salomon templum illud ædificârit, traditur primo Regum quinto, & secundo Chronicorum secundo. Quantâ etiam cum devotione hic idem Salomon templum illud consecrârit, habetur primo Regum octavo, & secundo Chronicorum sexto. Quanto verò zelo cultum Dei collapsum restituerint, & ab idololatria repurgârint sanctissimi illi reges, Ezechias & Josias: copiosè in libro 2.Reg. necnon in secundo Chronicorum narratur. Et in historia Ezechiæ illud cum primis memorabile est, quòd ex obsidione & minis blasphemis regis Assyriæ in maximas angustias redactus, templum ingressus est, opemq; Domini ardentissimis precibus effusis, contra impium illum hostem imploravit. Quod ipsum in gravissimis negotiis illustrissimum Electorem,* C.T. *avum,* FRIDERICHUM *illum* PIUM, *facere solitum, à fide dignis accepi.*

Hæc igitur exempla tum veterum illorum sanctissimorum regum, tum propinquorum Cels. tuæ, illustrissimorum Principum, C. T. *semper ob oculos proposita sibi habeat: eaq; sicut præclarè & cum plurimorum piorum gaudio & gratulatione cœpit, imitari pergat. Hinc enim fiet ut omnes pii intelligant,* C.T. *in numero illorum Principum esse, quos ecclesiæ novi testamenti Dominus jam olim promisit, quum per prophetam Esaiam cap.49. sic eam est affatus:* Et erunt reges nutritii tui. *Quæ principis laus sanè maxima est. Et pietas illa præmia à Deo tum in hac vitâ, tum in futura, teste Apostolo, adipiscitur.*

Cæterùm ut de operis hujus ratione ac modo nonnihil dicam: continentur illo ea quæ proximo biennio auditoribus meis in schola Herbornensi, ad explicandum septem epistolas quatuor Apostolorum, Jacobi, Petri, Johannis & Judæ (quæ à veteribus catholicæ appellatæ sunt) proposui. Quam quidem explicationem (ut ante hoc tempus epistolarum Pauli) in lucem edere volui, ut inprimis prodessem studiosæ sacrarum literarum juventuti: quæ brevibus hujusmodi notis magis quàm prolixis, quales non pauci exstant, commentariis videtur adjuvari.

Ordinem in explicando observavi eum, ad quem ipsa docendi praxis me duxit: & quem veræ methodo quam maximè congruere arbitror. Etenim præmissâ generali cujusq; libri analysi, qua breviter totius summæ membra ante oculos ponuntur, specialem deinde singulorum capitum analysin persequor. Et quum ex ipsarum sententiarum intelligentia, quam logica ejusmodi analysis aperit, dependeat explicatio obscuriorum verborum & loquendi formularum: idcirco analysi proximè subjungo scholia ad textum exponendum atque explanandum. Postremò, quum, teste Paulo, omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam præscripta sint, ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem illam teneamus: quumq; ut idem Apostolus alibi dicit, omnis scriptura divinitus sit inspirata, sitq; utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem que est in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus: idcirco post illam tum rerum tum verborum explicationem annotavi locos doctrinæ, quos quidem observare mihi datum fuit. Quæ locorum annotatio sic demum concionatori utilis esse poterit; si pro ratione temporis & gregis suæ fidei commissi, delectum in illis habeat, & singulos aliis scripturæ testimoniis atque exemplis confirmet ac illustret.

Ex his paucis intelligere potest C. T. *quæ utilitas ad Ecclesiam ex hoc meo opusculo per Dei gratiam ac benedictionem videatur perventura. Quo nomine ipsum Cels. tuæ gratum atque acceptum fore confido: ita ut bona me spes teneat,* C.T. *eâdem vultus serenitate libellum hunc accepturam, quâ me ipsum nuper excepit.*

Quod restat: Deum patrem D.N. JESU CHRISTI *oro, ut Cels. tuæ diuturnam vitam, felicem gubernationem ac perpetuam pacem largiatur: ut (quod nomen Cels. tuæ sonat)* DIVES PACIS *esse ac dici possis.* HERBORNÆ, *X.Martii, anno Domini M. D. XCIII.*

Illustriss. Cels. tuæ

subjectissimus

Johan. Piscator Argentinens.
sacrar. literarum professor
in schola Herbornensi.

ANALYSIS LOGICA EPISTOLÆ JACOBI.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

Ex quatuor illis scripturæ utilitatibus, quas commemorat Paulus 2.Tim.3.16. hîc regnant duæ posteriores, videlicet ἐπανόρθωσις & παιδεία.

EPISTOLA *hæc ferè tota est* νυθετικὴ, *continens admonitiones varias: quibus Apostolus & vitia, quibus Hebræi, ad quos scribit, laborabant, corrigit: & eos in contrariis virtutibus instituit. Vitia quæ corrigit, sunt ferè ista: Cap.1. impatientia sub cruce, blasphemia in culpa transferenda in Deum, seu in Deo constituendo authore peccati, iracundia, malitia, morositas in admittenda institutione verbi Dei, falsa opinio pietatis ex nudo verbi Dei auditu, falsa species religionis seu potiùs religiositatis: cap.2. prosopolepsia injustè adulans divitibus impiis, & contumeliâ afficiens pauperes pios, vana jactantia fidei & falsa opinio de fide justificante: cap.3. arrogantia in proximis reprehendendis, maledicentia, invidia, irritatio & rixæ: cap.4. securitas carnis indulgens voluptatibus, obtrectationes, confidentia in statuendo de eventis negotiorum institutorum: cap.5. avaritia, crudelitas in deneganda operariis mercede, luxus, oppressio piorum, impatientia in tolerandis injuriis fratrum, levitas seu temeritas jurandi. Atque hæc sunt vitia quæ corrigit: Virtutes verò in quibus eos instituit, ferè sunt hæ: Cap.1. patientia sub cruce, preces ex fide, agnitio propriæ corruptionis & bonitatis Dei, modestia & lenitas in admittenda institutione ex verbo Dei, assidua meditatio verbi Dei & studium instituendi vitam ex illius præscripto, studium frænandi linguam, beneficentia erga afflictos, circumspectio in cavenda inquinatione mundi: cap.2. justitia in proximo honorando & commiserando, studium ostendendi fidem per bona opera: cap.3. moderatio linguæ, mansuetudo & studium pacis: cap.4. studium obediendi Deo & resistendi Diabolo, luctus ob admissa peccata, modestia: cap.5. patientia sub cruce iterum, exercitia pietatis in utroque rerum statu, preces pro ægrotis, denique studium convertendi fratrem errantem.*

Igitur loci præcipui admonitionum hac epistola contentarum, sunt isti octodecim: 1. de patientia præstanda sub cruce, & de patientiæ dono petendo à Deo: 2. de cavenda blasphemia in constituendo Deo authore peccati: 3. de verbo Dei reverenter audiendo ac meditando: 4. de religiositatis vana specie cavenda: 5. de justitia adhibenda in honorandis proximis: 6. de cavenda inani jactantia fidei, & fide ex operibus demonstranda: 7. de cavenda arrogantia in corripiendis fratribus: 8. de lingua frænanda: 9. de cavenda invidia & rixis: 10. de cavenda avaritia, intemperantia & superbia: 11. de cavendis obtrectationibus: 12. de cavenda inani confidentia in negotiis instituendis: 13. de cavendo abusu divitiarum: 14. rursus de patientia præstanda sub cruce: 15. de cavenda temeritate jurandi: 16. de suscipiendis exercitiis pietatis in utroque rerum statu: 17. de orando pro ægrotis: 18. de fratre errante in viam reducendo.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΟΝ DE EPISTOLÆ hujus authoritate & scriptore.

a Eusebius lib.2. cap.23. hanc epistolam & epist. Judæ, adulterinas vocat. Item lib.3. c.22. inter libros scripturæ quib. contradicitur, præter has duas enumerat etiam posteriorem Petri. Veruntamen Augustinus de doctrina Christ. lib.2. c.8. omnes has epistolas inter scripturas canonicas enumerat.

b Lutherus in sua in hanc epistolam præfatione non habet eam pro apostolica.

TAmetsi & *a* jam olim, & *b* nostrâ quoque ætate dubitatum à doctoribus nonnullis fuit, an hæc epistola inter canonicas scripturas numeranda sit, quæ nimirum in Ecclesia authenticæ sunt, tanquam θεόπνευστοι ac proinde αὐτόπιστοι: cui quidem dubitationi occasionem præcipuè præbuit locus ille de justificatione fidei: de quâ hic scriptor doctrinam doctrinæ Pauli è diametro repugnantem videatur tradere: tamen quum ille locus, si rectè & ex mente scriptoris exponatur, nihil doctrinæ Pauli adversari, sed potiùs cum ea consentire intelligatur; consequens est, non fuisse hanc justam atque idoneam causam hujus epistolæ repudiandæ aut è canone ejiciendæ. Nam quòd quibusdam non videtur prædicare Christum, eò quòd nihil tradat de ratione consequendi salutem per Christum crucifixum: sciendum, etsi id non facit ita copiosè & disertè & ex professo, ut Paulus: tamen id facere, ubi docet, hominem justificari non inani fidei simulacro, nec fide illa qua in genere creditur, vera esse quæ tradit verbum Dei sacris literis comprehensum: sed fide illâ vivâ quæ ex se parit bona opera. hæc enim est illa ipsa fides, quæ promissionem gratiæ propter Christum promissam sibi privatim applicat: quippe ex tantæ gratiæ vera ac viva agnitione, gratam sese Deo exhibere studens, ac proinde bona opera ex se producens. Nec verò æquum est, ut singulis temporibus idem argumentum ab apostolis tractari flagitetur: sed potiùs, eos justè ac sapienter fecisse, statuendum, quatenus doctrinam suam ad necessitatem auditorum accommodarunt. Licet autem ex ipsis hujus epistolæ variis admonitionibus colligere, Jacobum hunc scripsisse ad eos, qui de ratione consequendi salutem per Christum jam erant instituti: sed illâ doctrinâ abutebantur ad licentiam carnis, aut certè non edebant fructus illius doctrinæ cognitione dignos. Quare totus in hoc est Jacobus, ut Hebræos jam ad fidem Christianam conversos ad vitam illâ fide dignam exhortetur, & varia in illis vitia veræ fidei repugnantia reprehendat & corrigat. Et sanè Johannes quoque in prima sua epistola (quæ semper pro canonica habita fuit) non hoc ex professo ac principaliter agit, ut Christum crucifixum prædicet; id enim abundè jam fecerat in suo Evangelio: sed ut Christianis charitatem commendet, ac omnino studium piè, sanctè, justeque vivendi. Quæ quum ita sint: nos rationibus illis, quæ contra hanc epistolam adferri solent, non movemur. Quin potiùs, quum non solùm nihil apostolo indignum contineat, sed etiam gravitatem ac zelum apostolicum per omnia præ se ferat, libenter eam pro canonica atque authentica recipimus. Porrò scriptor ejus videtur omnino fuisse Jacobus cognomento Alphæi. nam * Jacobus Zebedæi, frater Johannis, statim sub initia prædicati Evangelii è medio sublatus fuit per Herodem, ut legimus Actor.12. Hæc autem epistola aliquanto pòst tempore videtur scripta esse, quum Evangelium jam inter Græcos quoque prædicatum esset: inter hos enim Hebræi isti Christiani, ad quos hæc epistola directa est, erant dispersi: ut liquet ex principio. Quo minùs autem tribuenda videatur hæc epistola Jacobo illi cui cognomen erat Obliæ, quique unus fuit ex discipulis Domini, & postea episcopus ecclesiæ Hierosolymitanæ, id obstat, quòd catholicam epistolam scribere, id est, pluribus simul ecclesiis communem, non autem uni certæ propriam, videtur Apostolici muneris proprium fuisse.

** Huic eam falsò attribuit Syrus Interpres: apud quem reperitur hæc trium epistolarum (videl. hujus, & primæ Petri & primæ Johannis) inscriptio: Tres epistolæ trium apostolorum, ante quorum oculos Dominus noster sese transformavit: id est, Jacobi & Petri & Johannis. nam certum est, Jacobum quì transformationi interfuit, fuisse fratrem Johannis, Matthæi 17.v.1.*

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Primo capite quatuor præcipuè loci admonitionum continentur. Primùm enim consolatur eos sub cruce, & ad illam patienter ferendam exhortatur: ac simul monet, patientiam, tanquam singulare Dei donum, à Deo cum fide esse postulandam, usque ad v.13. Deinde dehortatur eos à blasphemia, qua nonnulli peccata sua transscribunt Deo, usque ad v.19. Tum hortatur ad reverentiam in audiendo verbo Dei, & ad studium in eo meditando, faciendoque exprimendo, usque ad v.20. Postremò monet, ne quis se decipiat vanâ opinione religiositatis: sed potiùs ut moderatione linguæ, beneficentiâ erga afflictos, & studio sanctitatis sese verè religiosos ostendant.

PRIMA PARS.

Consolatur eos sub cruce, & ad illam patienter ferendam exhortatur: ac simul monet, patientiam à Deo postulandam.

JAcobus Dei ac Domini Jesu Christi servus, duodecim tribubus dispersis, salutem.
2 Pro summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis:
3 *Illud* scientes, explorationem fidei vestræ parere tolerantiam.
4 Cæterùm tolerantia opus perfectum habeat: ut sitis perfecti & integri, ita ut nihil vobis desit.
5 Quòd si cui vestrûm deest sapientia, postulet à Deo, qui dat *eam* omnibus benignè, nec exprobrat: & dabitur ei.

6 Sed po-

6 Sed postulet cum fide, nihil disceptans: nam qui
disceptat, similis est fluctui maris, qui ventis agitatur
& jactatur.
7 Non enim existimet homo ille, se quicquam ac-
cepturum à Domino:
8 *Ut qui sit* vir animo duplici, & inconstans in omni-
bus viis suis.
9 Porrò frater, qui est humilis, glorietur in subli-
mitate sua:
10 Contrà, qui dives *est*, in demissione sui: quo-
niam veluti flos herbæ præteribit.
11 Nam *ut* exortus est sol cum æstu, arefecit herbam,
& flos illius decidit, & spectabilis decor ipsius periit: Ita
& dives in viis suis marcescet.
12 Beatus *est* vir, qui tolerat tentationem: quoniam
quum probatus erit, accipiet coronam vitæ; quam pro-
misit Dominus iis, qui diligunt eum.

VErs.1. continetur subscriptio, inscriptio, & salutatio. Vers.2. orditur à re ipsâ, & incipit eos consolari contra tentationes, id est, persecutionem quâ affligebantur ab hostibus Evangelii, ut colligitur ex vers.3. ubi vocat explorationem fidei. Propositio exhortationis continetur v.2. amplificata comparatione majoris, ubi ait, *Pro summo gaudio ducite.* quasi dicat: Non solùm persecutionem patienter ferte, sed etiam ducite pro gaudio, eoque summo; hoc est, vehementer propter illam exsultate. Vers.3. duo argumenta hortationis continentur: quorum utrumque sumtum est ab utili effectu: prius, quod persecutione probetur seu exploretur & in lucem proferatur ipsorum fides: posterius, quòd persecutio pariat patientiam, nempe per gratiam & operationem Spiritus sancti, 2.Cor.1, v.5. Vers.4. propositionem hortationis repetit, & amplificat ex adjuncta constantia, quatenus hortatur, ut patientia ipsorum sit perfecta & integra. Vers.5. per prolepsin docet, unde illam patientiæ perfectionem atque costantiam possint adipisci, videlicet à Deo: ac proinde hortatur, ut eam à Deo postulent. quam ipsam exhortationem confirmat tribus argumentis. 1. ab adjuncta consuetudine seu more Dei; *qui dat* omnis generis bona *omnibus* petentibus. 2. ab adjuncta promtitudine seu alacritate: dat enim benignè. 3. à molesto adjuncto negato: nam *non exprobrat*, si quid beneficii in nos contulit. Ex his argumentis infert, sapientiam illam patienter ferendi persecutionem à Deo datum iri petentibus. Vers.6. hortationem proximam amplificat à causa procreante, videlicet fide, ubi ait, *Sed postulet cum fide*, id est, cum certa persuasione de Dei erga se gratia, ac proinde cum certa spe exauditionis. Hanc fidem declarat per contrarium, quatenus à precatione abesse jubet διακρίνειν, id est, disceptationem sive hæsitationem. Deinde hujus hortationis argumentum adfert ab adjuncta istius disceptationis turpitudine: quam turpitudinem significat similitudine maris fluctuantis & ventis agitati: turpe est enim à Deo contumeliosum, mentem illius qui aliquid à Deo petit, ita fluctuare. Vers.7. ex allata ratione alteram deducit, quæ sumta est ab eventu inutili: quia is qui cum ejusmodi animi fluctuatione petit, nihil à Deo impetret. Vers.8. rationem priorem repetit, & tanquam posterioris causam annectit. nam quòd Deus fluctuantibus istis nihil dat, facit eorum inconstanstantia ac diffidentia: quæ in contumeliam Dei redundat. V.9. consolatur eos, qui abjectæ erant conditionis in hoc mundo: jubens eos gloriari in sublimitate sua: intelligens hauddubiè illam sublimitatem qua omnes in Christum credentes evecti sunt in honorem filiorum Dei, quo honore nihil homini potest accidere sublimius. V.10. per antithesin divites, ac omnino quotquot sublimioris conditionis sunt in hoc mundo, hortatur ad modestiam; cujus hortationis argumentum adfert ab adjuncta divitiarum, ac omnino gloriæ mundanæ, instabilitate: quam instabilitatem illustrat similitudine florum, hoc versu & sequente. Vers.12. redit ad exhortationem initio institutam de præstanda patientia in persecutione, & adfert aliud argumentum ab eventu utili, videlicet donatione coronæ vitæ, hoc est, vitæ seu beatitudinis æternæ, qua Deus veluti coronabit eos, qui strenuè certaverint in cruce propter gloriam ipsius perferendâ. Hoc argumentum confirmat testimonio generali promissionis Dei, neque enim citat certum scripturæ locum, ubi illa promissio exstet: sed in genere indicat, illam in scriptura exstare; vel potiùs intelligit promissiones à Christo identidem pronuntiatas; quales exstant Matth.10.vers.22. & cap.19.v.28. & 29. item Johan.16. v.22. Præterea idem argumentum confirmat à causa procreante seu impulsiva, ubi ait, Dominum promisisse coronam vitæ *iis qui ipsum diligunt.* quibus verbis innuit, Deum impelli atque moveri illâ dilectione strenuè pro ipsius gloria certantium, ut eos vicissim diligat, ac proinde ipsorum certamina coronâ vitæ compenset. Nec tamen propterea putandum, nos nostrâ dilectione quicquam à Deo promereri. nam quòd ipsum diligimus, hoc quoque gratuitum ejus donum est.

SECUNDA PARS.

Dehortatur eos à blasphemia, qua nonnulli peccata sua transscribunt Deo.

13 Nemo quum tentatur, dicat, A Deo tentor. nam
Deus tentari malis non potest, nec quenquam tentat.
14 Sed unusquisque tentatur, dum à propria cupidi-
tate abstrahitur & inescatur.
15 Deinde cupiditas, posteaquam concepit, parit
peccatum: peccatum verò peractum parit mortem.
16 Ne errate, fratres mei dilecti.
17 Omnis donatio bona, & omne donum perfe-
ctum, è supernis descendit à patre luminum; apud
quem non inest transmutatio; aut conversionis ob-
umbratio.
18 *Is* quia voluit, progenuit nos sermone veritatis;
ut essemus primitiæ quædam suarum creaturarum.

Hìc reprehendit blasphemiam eorum, qui peccatorum suorum causam transferebant in Deum, ut sese hoc modo excusarent. Docet igitur, Deum non esse peccati causam: & contrà veras peccati causas, & quo ordine, seu quibus gradibus ipsum generetur, exponit. Igitur initio vers.13. à blasphemia illa dehortatur, inquiens: *Nemo quum tentatur* (id est, ad peccandum solicitatur) *dicat, A Deo tentor.* Deinde Deum neminem tentare seu ad peccandum solicitare, probat ex immutabili ipsius sanctitate: *nam Deus tentari malis* (id est, peccatis) *non potest.* Vers.14. & 15. peccati (videlicet actualis) causas procreantes veras exponit, itemque illius procreandi modum. Causæ exponuntur duæ: una in ipso homine, videlicet propria ejus cupiditas: altera extra hominem, videlicet voluptas, quæ peccato adhæret. hanc utramque significat, ubi ait: *unumquemque à propria cupiditate abstrahi & inescari:* pro quo propriè dixisset, uniuscujusque cupiditatem abstrahi & inescari ab objecta voluptate: quippe quæ esca malorum est, ut rectè Plato pronuntiavit. Modus peccati procreandi consistit in illa ipsa cupiditatis per voluptatem abstractione atque inescatione; quam Apostolus nominat conceptionem. Concipit enim innata cupiditas propositum peccandi, quum à voluptate quam peccato adhærere sentit, inescatur & abstrahitur: quo fit, ut absque mora peccatum vix conceptum pariat, nisi vel vi exteriùs, vel interiùs virtute Spiritus sancti, vel etiam judicio rectæ rationis aut metu pœnæ, cohibeatur. Huic expositioni procreationis peccati, veluti per gradationem annectit perniciosum peccati effectum, videlicet mortem, nempe mortem æternam: ut hoc argumento à peccando deterreat. V.16. institutam reprehensionem repetit, blasphemiam illam vocans errorem. V.17. probat esse errorem, si quis Deo adscribat causam peccati. hoc probat à repugnantibus, ad hunc modum: Deus est immutabiliter bonus & sanctus: Ergo author est tantùm actionum bonarum & sanctarum, ac omnino donorum bonorum. Non igitur est author peccati. nam si esset author peccati, oporteret ipsum esse malum: saltem ad tempus: ac proinde non esset immutabiliter bonus. V.18. sententiam præcedentem de bonis Dei donis declarat exemplo regenerationis atque sanctificationis Hebræorum ad quos scribit: commemorans simul regenerationis illius instrumentum, sermonem veritatis, id est, Evangelium. Sanctificationem verò illustrat similitudine primitiarum: quæ olim in Lege Deo sacræ erant, & in templo offerebantur. Ita fideles Deo sacri sunt.

TERTIA PARS.

Hortatur ad reverentiam in audiendo verbo Dei, & ad studium in eo meditando, factisque exprimendo.

19 Itaque, fratres mei dilecti, sit omnis homo velox
ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram.
20 Nam ira viri, justitiam Dei non exsequitur.
21 Quapropter abjectis omnibus sordibus & excre-
mento malitiæ, cum lenitate recipite insititium illum
sermonem, qui potest servare animas vestras.
22 Reipsa verò præstate sermonem: nec estote au-
ditores solùm; falsò ratiocinando fallentes vosmet-
ipsos.
23 Nam si quis audit sermonem, & eum non præ-
stat; is similis est viro consideranti faciem suam nati-
vam in speculo.
24 Nam simulatque consideravit se; abiit, & statim
oblitus est qualis esset.
25 At qui introspexerit in perfectam illam legem
libertatis, & *in ea* permanserit; is quia non fuerit audi-
tor obliviosus, sed effector operis, is, *inquam*, beatus erit
in opere suo.

Quoniam proximè mentionem fecit sermonis veritatis, id est, verbi Dei: addit hic exhortationem, qua partim hortatur ad docilitatem in illo audiendo, usque ad vers. 22. partim ad vitam ex illius præscripto instituendam, versibus reliquis. Ad docilitatem hortatur his verbis: *Itaque, fratres mei dilecti sit omnis homo velox ad audiendum:* videlicet sermonem illum veritatis, de quo dictum est versu præcedente. Hanc hortationem amplificat dehortatione à vitiis contrariis, quæ sunt illius docilitatis causæ corrumpentes seu impedientes. Ea vitia hic commemorantur tria: præsumtio in aliis docendis, iracundia in monitis aliorum admittendis, & malitia. Præsumtionem illam vetat, ubi ait: *tardus ad loquendum.* Iracundiam verò, ubi ait: *tardus ad iram.* Et hujus dehortationis argumentum inserit v. 20. ab effectu pernicioso: quia irâ homines impediantur, quò minùs exsequantur justitiam Dei, hoc est, quam Deus à nobis requirit. Porrò malitiam commemorat pluribus verbis initio vers. 21. ubi ait: *Quapropter abjectis* (nempe tanquam onere impediente cursum rectè agendi) *omnibus sordibus & excremento malitiæ.* Reliquâ parte versus hortationem institutam renovat, inquiens: *cum lenitate recipite insititium illum sermonem*; videlicet sermonem illum veritatis, quem Spiritus sanctus serere solet in animis electorum. In fine versus addit argumentum ab effectu utili, dicens: *quòd ille sermo possit servare animas ipsorum.* nempe si fuerit animis penitus insitus & fide contemperatus, ut Paulus ad Hebræos loquitur. Atque hæc prima institutæ hortationis pars est. Vers. 22. & deinceps, hortatur ad vitam ex præscripto verbi Dei instituendam, inquiens: *Reipsa verò præstate sermonem.* nempe tum credendo promissionibus Dei, tum obediendo mandatis ejus. Hanc hortationem amplificat antithesi diversorum, per comparationem imparium, ubi ait: *Nec sitis auditores solùm.* Atque hanc sententiam confirmat ab effectu pernicioso: quia qui putant se Deo placere, si sermonem ejus solùm audiant, non autem reipsa quoque præstent, illi *seipsos fallunt*: quippe qui scopum suum non assequuntur, nempe ut Deo placeant. Cujus fallaciæ rationem seu modum vers. 23. & 24. declarat similitudine hominis obliviosi, considerantis in speculo maculas faciei, ut nimirum illas à speculo sibi monstratas abstergat: quod tamen per oblivionem facere negligit: quo fit ut frustra in speculum introspexerit. V. 25. hortationem institutam repetit: & ab effectu utili, videlicet beatitudine, confirmat. Continuat autem similitudinem institutam à speculo: cui comparat *legem* Dei, quam vocat *legem libertatis*, propterea quòd liberè & absque respectu personarum damnat transgressores quosvis, nemini parcens. Hanc expositionem peto ex capite sequente, ex collatione v. 12. & 13. cum præcedentibus.

QUARTA PARS.

Monet, ne quis se decipiat vanâ opinione religiositatis: sed potiùs, ut sese veros religiosos ostendant.

26 Si quis videtur religiosus esse inter vos, non frænans linguam suam, sed suum ipsius cor seducens, hujus vana est religio.

27 Religio pura & immaculata apud Deum & patrem, hæc est; invisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum: & immaculatum sese servare à mundo.

Monet, ne quis seipsum seducat falsâ persuasione religiositatis: & vitium indicat, quo qui laborat, verè religiosus non sit: videlicet si quis laboret incontinentiâ linguæ: quod vitium pluribus reprehendet infrà cap. 3. Contrà suggerit, quænam virtutes cum vera religiositate necessariò cohæreant, videlicet beneficentia erga afflictos, ac nominatim erga orphanos & viduas: & studium sanctitatis, ac temperantiæ.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Servus] δοῦλος. *Videl. in annuntiando Evangelio. Sic Rom. 1. v. 1.* Duodecim tribubus] ταῖς δώδεκα φυλαῖς. *Videlicet populi Israëlitici.* Dispersis] *Scilicet per provincias Romanorum.* ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ *scil.* οὔσαις. *Id est, quæ in dispersione sunt. Petrus istos nominat* παρεπιδήμους διασπορᾶς, *advenas dispersionis, hoc est, dispersos. Hanc dispersionem sustinebant propter transgressiones legis Dei, secundùm comminationem quæ exstat Levit. 26. v. 33. & Deut. 28. v. 64.* Salutem] χαίρειν. *Ad verb.* gaudere. *Formula salutandi Græca: quam retinuit Horatius in epistola quæ incipit,* Celso gaudere.

2 Pro summo gaudio ducite] πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε. *Ad verb.* omne gaudium ducite; *id est, nil nisi gaudium ducite, scilicet esse. nam subaudiendum verbum* εἶναι: *Sic Philip. 2. v. 6.* οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο. *scil.* εἶναι. *Similes sententias confer ex Matth. 5. v. 12. Rom. 5. v. 2. & 3. 1. Pet. 1. v. 6.* In tentationes] πειρασμοῖς. *Intelligit persecutiones ab hostibus Evangelii: ut percipitur ex collatione vers. seq. ubi istas tentationes nominat* τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως, *explorationem fidei. Tentationes autem vocat, quia Deus per ipsas tentat filios suos, id est, fidem eorum explorat ac in lucem profert: quo modo dicitur & tentasse Abrahamum, Gen. 22. v. 1. Similem locum vide 1. Pet. 1. v. 5. & 6.*

3 Explorationem fidei vestræ] τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως. *Sic vocat tentationes, quas modò dixit, per metonymiam effecti. Eâdem phrasi utitur & Petrus loco modo citato. Paulus verò Rom. 5. v. 3.* δοκιμὴν *vocat.* Parere tolerantiam] κατεργάζεται ὑπομονήν. *Contrarium huic videtur tradere Paulus Rom. 5. v. 3. & 4 ubi ait,* εἰδότες ὅτι ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμήν: *id est, scientes quòd afflictio patientiam parit, patientia verò probationem. Sed ista sententia præsenti non repugnat. nam quæ à Paulo nominatur* θλῖψις *propriè, ea à Jacobo vocatur* τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως, *per metonymiam effecti. Æquipollent igitur hæc duo enuntiata: illud Pauli,* ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται *& hoc Jacobi,* τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως κατεργάζεται ὑπομονήν. *Deinde nec ista pugnant: Patientia parit* δοκιμὴν *propriè dictam, ut ait Paulus: &* τὸ δοκίμιον *impropriè dictum, parit patientiam, ut ait Jacobus. Parit autem afflictio patientiam non per se & suâ naturâ, sed per accidens: videlicet per accedentem operationem Spiritus S. qui mentes eorum, qui propter Evangelium affliguntur, illuminat, ut intelligant, se ita conformari capiti suo Christo, ac præparari ad cælestem illam gloriam cum eodem fruendam.* — Antilogia apparentis conciliatio

4 Opus perfectum habeat] ἔργον τέλειον ἐχέτω. *Id est, duret* εἰς τέλος, *ad finem usque. Sicut dicitur Matth. 10. v. 22.* ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος, *qui sustinuerit ad finem usque.*

5 Sapientia] σοφίας. *Videtur potissimùm intelligere sapientiam in ferenda persecutione, ex collatione præcedentium. Et sic dicitur,* Qui placidè sortem ferre scit, ille sapit. Omnibus] πᾶσιν. *Videl. rectè petentibus, ut percipitur ex iis quæ subjungit.* Benignè] ἁπλῶς. *Ad verb.* simpliciter. *Metonymia efficientis. nam simplicitas animi ex se parit benignitatem. In eâdem significatione reperitur nomen* ἁπλότητος *apud Paulum Rom. 12. v. 8. Qui distribuit, distribuat* ἐν ἁπλότητι. *& 2. Cor. 8. v. 2. Profunda eorum paupertas, redundavit* εἰς τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος αὐτῶν.

6 Nihil disceptans] μηδὲν διακρινόμενος. *Videl. ex incredulitate. Sicut plenè loquitur Paulus de fide Abrahami, Rom. 4. v. 20. ubi ait,* Adversus promissionem Dei non disceptavit incredulitate, οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ.

8 Ut *qui sit* vir animo duplici] ἀνὴρ δίψυχος. *Pendent hi nominativi à præcedente verbo* λήψεται: *& notant causam efficientem: id quod supplemento adhibito declaramus.* Et inconstans] ἀκατάστατος. *Deest in Græco conjunctio copulativa.*

9 Humilis] ὁ ταπεινός. *Statum hic notat seu conditionem externam; non autem animi affectionem. Intelligitur enim pauper & contemtus: quippe cui mox opponitur* ὁ πλούσιος, *id est, dives.* In sublimitate suâ] ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ. *Seu,* in altitudine suâ. *Sic vocat conditionem illam, in qua sunt credentes apud Deum: quippe quibus dedit* ἐξουσίαν *(potestatem seu jus) ut sint filii Dei, Joh. 1. v. 12. ac proinde hæredes Dei, cohæredes autem Christi, Rom. 8. v. 17. Est autem hîc* ὀξύμωρον *propter speciem contradictionis.*

10 In demissione sui] ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ. *Seu,* in humiliatione sui. *Repete* καυχάσθω, *glorietur. Hîc intelligit* ἐνέργειαν *virtutis quam Græci vocant* ταπεινοφροσύνην, *quum quis modestè de se sentit; nec inferiores præ se contemnit. Habet autem ista antithesis elegantiam ex apparente contradictione, quæ uni eidemque videntur attribui repugnantia: puta, humilitas & sublimitas, item divitiæ & humilitas. Sed in priore enuntiato tollitur contradictio ex diverso respectu: nihil enim vetat, quò minùs unus & idem sit humilis apud homines, sublimis apud Deum: in posteriore verò ex vera expositione nominis* ταπεινώσεως, *quòd hîc non statum, sed animi affectum notat, & ad mores refertur.* ὀξύμωρον, *ut versu præcedente.*

11 Nam *ut* exortus est sol &c.] ἀνέτειλε γὰρ ὁ ἥλιος *&c. Ad verbum sic sonant Græca:* Exortus est enim sol cum æstu, & arefecit gramen, & flos ejus decidit, & decor faciei ejus periit. *Quod genus loquendi Hebraicum est, & sic resolvendum: Quum enim sol exoritur cum æstu, arefacit gramen: unde flos ejus decidit, & decor faciei ejus perit. Hebraismus geminus est: unus in enallage temporis præteriti, loco præsentis significantis actum consuetum: alter in sententiarum compositione per enuntiatum copulativum, vim habens connexivi talis, quod est relativum temporis. Mutuatus est autem Apostolus hæc verba ab Esaia cap. 40. v. 6.* Ita & dives] οὕτω καὶ ὁ πλούσιος. *Apodosis hæc similitudinis annectitur protasi per* ἐπισυνάψιν: *quippe quum protasis careat similitudinis notâ. Simile exemplum occurrit infrà capite 2. v. 17.* In viis suis] ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ. *Ad verb.* in profectionibus suis. *Suprà v. 8. dixit,* ἐν ταῖς ὁδοῖς. *Significat autem actiones humanas, per metaphoram: quia per illas homo tendit ad certum finem, veluti metam.* Marcescet] μαρανθήσεται. *Id est, peribit æterno exitio: intellige, si divitiis suis confidat, non autem spem suam reponat in Deo. Rursum metaphora.*

12 Tentationem] πειρασμόν. *Id est, afflictionem seu persecutionem, ut suprà v. 2.* Quum probatus erit] δόκιμος γενόμενος. *Id est, quum cognitum fuerit quòd sit probatus. Metonymia subjecti. Sic 1. Cor. 9. v. ult.* μήπως ἀδόκιμος γένωμαι, ne quo modo reprobus fiam: *id est, declarer & cognoscar esse reprobus. Sic Johan. 15. v. 8.* καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταί, & eritis mihi discipuli: *id est, cognoscemini esse.* Coronam vitæ] τὸν στέφανον τῆς ζωῆς. *Coronam illam vitæ. Id est, vitam æternam, tanquam coronam: qualis scil. dabatur victoribus certaminum apud Græcos. Confer 1. Cor. 9. v. 24. & deinceps. ubi ista similitudo fusè explicatur. Est autem sensus qualis in illo,* vestigia fidei, *Rom. 4. v. 12. ubi genitivus notat speciem. At 2. Tim. 4. v. 8. diversus sensus est in illo,* ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος,

justitiæ

justitiæ corona: hoc est, quæ propter justitiam cultam datur. ubi genitivus notat causam efficientem. Promisit] ἐπηγγείλατο. Tales promissiones exstant Matth.10. vers.22. & c.19. vers.28.29. Joh.16.v.22.

13 Quum tentatur] πειραζόμενος. Id est, solicitatur ad peccandum. quo sensu Diabolus nominatur ὁ πειράζων, Matth.4.v.3. quo item sensu dicitur πειρασμὸς in ultima petitione orationis Dominicæ. Dicat, A Deo tentor] λεγέτω, ὅτι ἀπὸ τοῦ Θεοῦ πειράζομαι. Conjunctio ὅτι servit mimesi. Tentari malis non potest] Malis, id est, peccatis. Synecdoche generis. Nec quenquam tentat] Scil. ad malum: id est, neminem solicitat ad peccandum. Iterum synecdoche generis. nam quòd dicitur tentasse Abrahamum, Gen.22.1. alium sensum habet, nempe quòd exploraverit ejus fidem per mandatum de occidendo Isaaco, in quo promiserat illi semen.

14 Inescatur] δελεαζόμενος. Scil. suavitate voluptatis peccato inhærentis: quæ voluptas propterea nominatur δέλεαρ τῶν κακῶν, esca malorum. Metaphora.

15 Parit peccatum] τίκτει ἁμαρτίαν. At Paulus dicit, Peccatum effecit in me omnem cupiditatem, Rom.7.v.8. Quomodo hæc dicta sint concilianda, vide in scholiis in locum citatum. Parit mortem] ἀποκύει θάνατον. Idem quod τίκτει. ἀποκύειν est ἀπαλλάττεσθαι τοῦ κυήματος, liberari eo quod conceptum fuit, id est, fœtu. Parit mortem] Id est, promeretur mortem, Deumque movet ad illam peccatori infligendam. Manet in metaphora. Intelligit autem mortem æternam per synecdochen generis. Sicut & Paulus in sententia simili Rom.6.v.ult. ubi ait; Stipendia peccati, mors.

16 Donum perfectum] δώρημα τέλειον. Id est, ad hominis perfectionem pertinens. Metonymia effecti.

17 E supernis est] ἄνωθέν ἐστι. Alii vertunt, supernè. Sed id Latinis idem significat quod, In loco superno. At ἄνωθεν significat è loco superno. E supernis autem: id est, è cælo: sicut exponitur hæc vox Joh.3.v.31. E cælo autem, id est, à Deo: sicut mox exponitur. ut in illo; Pater peccavi in cælum, id est, contra Deum, Luc.15. v.21. Metonymia subjecti: quia cælum in scriptura nominatur sedes Dei, & Deus dicitur esse atque habitare in cælo, tanquam templo aut palatio. Descendit] ἐστὶ καταβαῖνον. Ad verb. Est descendens. Græcismus, qualis Marc.1.v.4. A patre luminum] ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. Id est, ab authore notitiarum in creaturis rationalibus: ut sit Periphrasis Dei metaphorica. Vel, à patre illo cælesti luminosissimo, hoc est, gloriosissimo: Sicut alibi appellatur ὁ Θεὸς τῆς δόξης, Deus gloriæ, id est, gloriosus, Act.7.v.2. Sic fuerit Hebraismus geminus: unus, quòd genitivus habet vim epitheti: alter, quòd numerus pluralis habet vim superlativi. Aut conversionis obumbratio] ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. Videtur esse metaphora ab occasu solis: tunc enim sol ad oppositum hemisphærium se convertens, obumbrat hemisphærium quod relinquit.

18 Is quia voluit] βουληθεὶς. Deest αὐτὸς. Progenuit] ἀπεκύησεν. Propriè, peperit. Petrus de eâdem re loquens, utitur verbo ἀναγεννᾶσθαι, quod est, regigni. Sermone veritatis] λόγῳ ἀληθείας. Id est, vero ac certo. Intelligitur autem Evangelium, κατ᾽ ἐξοχὴν. Periphrasis. Primitiæ quædam] ἀπαρχήν τινα. Id est, Deo consecrati: ut olim ei consecrabantur atque offerebantur primitiæ. Metaphora.

19 Ad audiendum] Scil. sermonem veritatis, ex versu præcedente. Ad loquendum] Id est, ad sumendum sibi authoritatem ac magisterium in aliis docendis; tanquam supra cæteros saperet. Sinecd. generis. Sic infrà 3.v.1. Ne sitis multi magistri.

20 Justitiam Dei] Id est, quæ Deo probatur. Genitivus adjuncti. Hoc sensu dicuntur opera Dei & opus Dei, Joh.6.v.28.& 29.

21 Insititium illum sermonem] τὸν ἔμφυτον λόγον. Id est, sermonem tum Evangelii tum Legis, quem Deus in pectoribus electorum solet serere ac plantare, ut ibi radices agat & fructus Deo gratos proferat. Periphrasis metaphorica. Animas vestras] Id est, vos. Synecdoche mẽbri Hebraica. Aut animabus tribuit salutem per excellentiam: sicut Petrus, ubi nominat salutem animarum, 1.Pet.1. vers.9. Sic Christus animæ damnum appellat, quum quis damnatur æternâ morte, Matth.16.25. Quibus loquendi formis corpus non excluditur.

22 Reipsa verò præstate sermonem] γίνεσθε δὲ ποιηταὶ λόγου. Ad verb. Fitote autem factores sermonis, Werdet thäter des worts. Credendo scilicet Evangelio, & obediendo Legi. Talem sensum habet & illa sententia Christi, Beati qui audiunt sermonem Dei & eum custodiunt, Luc.11.28. Nec estote auditores solùm] Similiter Paulus inter se opponit Legis ἀκροατὰς & ποιητὰς, Rom.2.v.13.

23 Faciem suam nativam] τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως αὐτοῦ. Ad verb. faciem generationis (id est, nativitatis) suam. Nam pronomen αὐτοῦ non regitur à nomine γενέσεως, sed unà cum illo à nomine πρόσωπον: sed diversâ ratione: illud quidem more Hebræorum, ad notandum epitheton: istud verò more aliis quoque linguis usitato, ad notandum possessorem. Dicitur enim facies nativitatis, id est, nativa, quam quis nascens secum attulit. Sic Psal.2.v.6. Unxi regem meum super montem sanctitatis meum, id est, super montem sanctum meum.

24 Nam simul atque consideravit se, abiit] κατενόησε γὰρ ἑαυτὸν καὶ ἀπελήλυθε. Ad verb. Consideravit enim se & abiit. Genus loquendi quale suprà v.11.

25 Legem libertatis] νόμον τῆς ἐλευθερίας. Id est, Legem Dei quæ liberè & absque respectu personarum damnat transgressores quosvis, nemini parcens. Periphrasis. Et genitivus adjuncti. Confer infrà c.2.v.12. & 13. Is quia non fuerit] οὗτος οὐκ γενόμενος. Hîc incipit consequens (prædicatum appellant) sententiæ inchoatæ: ubi antecedens resumitur per pronomen οὗτος: quod genus ἐπαναλήψεως familiare est Johanni in ipsius Evangelio. Amplificatur autem hoc enuntiati consequens interjectâ expositione causæ: unde exsistit enuntiatum connexivum causale, nempe hoc: Quia non fuerit auditor obliviosus, beatus erit. Quanquam in Græco mentio causæ ingenuina syntaxi succedit, ad hunc modum: οὗτος μακάριος ἔσται, οὐκ γενόμενος &c. Id est; Is beatus erit, ut qui non fuerit &c. Auditor obliviosus] ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς. Ad verb. Auditor oblivionis. Hebraismus. Genitivus adjuncti. Is, inquam, beatus erit] οὗτος μακάριος ἔσται. Altera epanalepsis ejusdem antecedentis, per idem pronomen οὗτος facta.

27 A mundo] ἀπὸ τοῦ κόσμου. Id est, ab impiis quorum plenus est mundus seu orbis terrarum. Vel, à mundanis voluptatibus, quibus homines mundani sunt dediti. Confer 1.Joh.2.v.15. & 16.

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex v.1. Epistolæ hujus doctrina est nobis pro vera atque cælesti recipienda, tanquam profecta ab Apostolo Christi. *Doctrina apostolica.*

2 Ex eod.v. Exemplo duodecim tribuum dispersarum admonemur de Dei justitia & veritate & misericordia. Dei justitia: quia filios suos propter peccata castigat. De veritate: quia castigationes, quas peccaturis comminatur, ubi illi peccaverint, reipsa infert. sicuti Judæos dispersit inter gentes: quod jam olim fuerat minatus Levit.26.v.33.& Deut.28.v.64. Denique de misericordia: quia castigatos consolatur per Evangelium. *Dei justitia, veritas, & misericordia.*

3 Ex v.2.3.5.9.& 12. Indicantur hîc aliquot causæ quibus adduci debemus ad tolerantiam crucis seu persecutionis propter confessionem Evangelii: nempe quòd Deus illam nobis immittit: id quod significat Jacobus, quum persecutiones vocat tentationes, v.2. quia nimirum Deus persecutione nos tentat; quomodo dicitur tentasse Abrahamum. Quicquid autem Deus agit, justè agit & nostro bono. Deinde, quia Deus persecutione nos tentans, explorat nostram fidem: quod significat Jacobus, quum persecutionem nominat explorationem nostræ fidei, v.3. Dicitur autem Deus explorare nostram fidem, non quòd ipse ignoret quid sit in nobis, sed per ἀνθρωποπάθειαν: ac præcipuè, quia fidem nostram in lucem producit, ut innotescat & nobis ipsis ad consolationem, & Ecclesiæ ad exemplum. Tertiò, quia tolerantia persecutionis est argumentum veræ ac cælestis sapientiæ; quippe inde profecta. quod significat Jacobus, quum tolerantiam nominat sapientiam, illamque sapientiam à Deo dari affirmat, v.5. Quartò, quia etsi filii Dei persecutione premuntur, & à mundo contemnuntur: tamen interim sublimes sunt coram Deo: quippe qui eos adoptavit in filios, & cohæredes fecit filii sui unigeniti: quo honore nullus sublimior homini potest contingere, v.9. Confer Joh.1.v.12. Rom.8.v.17. Eph.1.v.5. Quintò, quia qui tolerat tentationem, id est, persecutionem, est beatus: quoniam quum probatus compertus fuerit, accipiet coronam illam vitæ æternæ, v.12. Confer Matth.5.v.10.& 11. *Tolerantia crucis.*

4 Ex v.4. Non est satis cœpisse patienter tolerare persecutionem Evangelii causâ: sed oportet perseverare usque ad finem, ut patientia habeat opus perfectum. nam is demum, teste Christo, salvus erit, qui ad finem usque perseveraverit. Huc pertinet & illud ejusdem: Qui manum admoverit aratro & retrospexerit: non est idoneus ad regnum Dei. *Tolerantia crucis.* *Matt.10.22. Luc.9.v.ult.*

5 Ex v.5.6.7.& 8. Indicantur hîc duo requisita legitimæ precationis. unum est, ut dirigatur ad Deum, nempe ad verum Deum, conditorem, redemtorem & sanctificatorem nostrum: v.5. postulet à Deo. Sic Psalmo 50. ait Deus; Invoca me. Alterum est, ut proficiscatur ex fide, hoc est, certâ persuasione de paterno Dei erga nos favore, ac proinde spe certâ exauditionis. hinc ait Apostolus: Sed postulet cum fide &c. v.6. & deinceps. Confer infrà c.5.v.14. & deinceps. *Preces.*

6 Ex vers.10. & 11. Divitibus cavendus est abusus divitiarum: ne scilicet divitiis suis confidant aut glorientur: sed cogitent, quod res est, divitias esse bona fluxa atque caduca, instar florentis herbæ. Confer 1.Timoth.6.v.17.18.19. item Luc.12.v.16. & deinceps. *Divitiæ.*

7 Ex v.13.14.15.16.17. De causis peccati. Deus non est causa seu author peccati, id est, ullius actionis malæ, quatenus mala est: quia est immutabiliter bonus & sanctus. Si autem esset author peccati: oporteret eum esse malum, saltem ad tempus: & sic non esset immutabiliter bonus ac sanctus. Si quis objiciat, Deum esse authorem benedictionum simul & maledictionum, Deut.28. item Esa.45.v.7. Formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: ergo pari ratione posse statui authorem bonarum simul & malarum actionum: neganda est consequentia, quia dissimilitudo est in exemplo. Etenim quòd Deus tam maledictionum quàm benedictionum, id est, tam pœnarum quàm præmiorum, author est, id nihil derogat immutabili ejus bonitati atque sanctitati: utriusque enim author est, tanquam immutabiliter sanctus & justus: ac proinde benedictionibus remunerat pietatem, maledictionibus verò punit peccata. At malarum actionum seu peccatorum author esse non potest salvâ im- *Peccatum.*

mutabili suâ bonitate atq; sanctitate. Porrò causæ peccati (nempe post lapsum) hîc indicantur duæ: una προηγουμένη seu antecedens, prava hominis concupiscentia: altera προκαταρκτικὴ seu irritatrix, nempe voluptas apparens quæ peccato adhæret; hæc enim concupiscentiam instar escæ illicit.

Dei natura. 8 Ex vers. 17. De natura Dei. Deus est immutabilis: ac proinde immutabiliter bonus, sanctus, justus, misericors. nam quòd interdum in scriptura Deo tribuitur pœnitentia, id fit per ἀνθρωποπάθειαν, id est, metaphoram à natura hominis deductam. nam propriè loquendo Deum non pœnitet: sed decreta ejus immutabilia sunt. Secundùm hæc dicta: *Ego Deus & non mutor*, Malach. 3. v. 6. *Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet*, Esa. 46. v. 10. *Dona & vocatio Dei sunt* ἀμεταμέλητα, id est, *ejusmodi ut Deum illorum non pœniteat*, Rom. 11. v. 29.

Regeneratio. 9 Ex v. 18. Regeneratio spiritualis, qua illuminantur mentes nostræ verâ cognitione Dei, & voluntates flectuntur in obsequium voluntatis Dei, perficitur à Deo sermone veritatis, id est, prædicatione Evangelii. Sic 1. Pet. 1. v. 23. & 25.

Officium hominis Christiani. 10 Ex vers. 19. 20. & 21. Quum officii admonemur ex verbo Dei, maximè à pastoribus & presbyteris; dociles nos præbere debemus, & admonitiones mansuetè admittere; certò persuasi, illas nobis salutares fore. Confer infrà c. 5. v. 10. & 20. item Matth. 18. v. 15.

Verbum Dei. 11 Ex v. 21. 22. 23. 24. & 25. Verbum Dei tum demum nobis salutare est, quum animis nostris per virtutem Spiritus sancti insitum est, & in eis radices egit, ita ut ipsum & rectè intelligamus, & perpetuò meditemur, & in illius fide atque obedientiâ nos exerceamus. Confer Heb. 14. v. 2. item 1. Pet. 2. v. 2.

Verbum Dei. 12 Ex vers. 23. Verbum Dei est quasi speculum, in quo licet nobis intueri tum naturæ, tum vitæ nostræ maculas, ac præterea aquam illam quâ istæ maculæ eluuntur. Maculæ sunt peccata, quæ ostendit Lex: aqua est sanguis Christi, quem ostendit Evangelium.

Lex Dei. 13 Ex v. 25. Quum lex Dei sit lex libertatis, id est, liberè & absque respectu personarum damnans transgressores quosvis: non est quòd quisquam sibi in Lege transgredienda indulgeat, ac putet sibi parsum iri propterea quòd alios authoritate aut opibus ac potentiâ antecellat.

Religio. 14 Ex v. 26. & 27. Qui verè religiosus est, hoc est, qui verè Deum colit ac diligit, is necessariò diligit proximum propter Deum, id est, in honorem Dei; ut qui hanc dilectionem præcepit. qui autem proximum verè diligit, is non traducit eum linguâ suâ, nec ei maledicit, sed potiùs ei benefacit. Item qui Deum verè colit, cavet ne eum offendat impurâ vitâ, qualis mundo usitata est. Hæc igitur qui non præstat, & tamen religiosus haberi vult, is non religiosus, sed hypocrita est. Confer 1. Johan. 2. v. 9. 10. 11. item cap. 3. v. 17. & 18. item cap. 4. v. 20.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hoc capite duo admonitionum loci continentur, quintus & sextus: quorum prior est de justitia in honorandis proximis adhibenda, usque ad v. 14. Posterior de cavenda inani fidei jactantia, & fide ex operibus ostendenda.

PRIMA PARS.

De justitia in honorandis proximis adhibenda.

FRatres mei, ne cum respectu personarum habete fidem Domini nostri Jesu Christi gloriosi.

2 Nam si in cœtum vestrum ingrediatur vir aureum gestans annulum, in veste splendidâ; ingrediatur autem & pauper in sordida veste:

3 Et respexeritis ad eum, qui vestem gestat splendidam; & dixeritis ei, Tu sede hîc pulchrè; pauperi verò dicatis, Tu sta illic, aut sede hîc subter scabellum meum:

4 Nónne discrimen feceritis apud vos, & facti fueritis judices perversè diliberantes?

5 Audite, fratres mei dilecti, nónne Deus elegit pauperes mundi hujus *ut fierent* divites fide, & hæredes regni, quod promisit iis qui ipsum diligunt?

6 At vos contumeliâ affecistis pauperem. Nónne divites per tyrannidem opprimunt vos, & trahunt vos ad tribunalia?

7 Nónne blasphemant præclarum illud nomen, à quo estis cognominati?

8 Sanè si legem regiam præstatis secundùm scripturam, Diliges proximum tuum ut teipsum, benefacitis:

9 Sin verò personam respicitis, peccatum committitis, & redarguimini à Lege veluti transgressores.

10 Quisquis enim totam Legem servaverit, offenderit autem in uno; omnibus tenetur.

11 Nam qui dixit, Ne mœcheris; dixit etiam, Ne occîdas. Quod si non fueris mœchatus, occideris autem, factus es transgressor Legis.

12 Ita loquimini & ita facite ut per legem libertatis judicandi.

13 Nam damnatio absque misericordia erit ei qui non præstiterit misericordiam: & gloriatur misericordia adversus damnationem.

VErsu 1. dehortatur à prosopolepsia, id est, specie illâ injustitiæ, qua homines æstimantur, ac proinde honorantur, vel contemnuntur, non ex meritis, sed ex rebus adventitiis: in quarum numero etiam sunt divitiæ & paupertas: quas hîc commemorat v. 2. & 3. Reprehendit enim eos, quòd divites impios honorarent in congregationibus ecclesiasticis, & pauperes pios contumeliâ efficerent, nimirùm cedendo illis locum honestiorem, istos verò repellendo: cujus illorum facti expositionem ὑποτυπώσει & προσωποποιΐᾳ exornat. Argumenta verò dehortationis affert septem. Primum, quòd hæc prosopolepsia adversetur fidei, ac proinde periculum sit ne hanc per illam amittant. Est igitur hoc argumentum ab effectu pernicioso. hoc significat, quum ait: *Ne cum respectu personarum habete fidem Domini nostri Jesu Christi.* Secundum argumentum notatur epitheto *gloriosi.* quo innuit, pauperes fideles in honore habendos tanquam membra Christi gloriosi. Est igitur hoc argumentum à causa procreante contrarii. Tertium argumentum ducitur ab adjuncta istius prosopolepsiæ turpitudine: quippe quòd sic discrimen facientes inter divites & pauperes, sint *judices perversarum cogitationum*, id est, perversis cogitationibus prædîti, seu perversa cogitantes ac molientes, in fine v. 4. Quartum argumentum sumitur à judicio seu testimonio Dei, qui pauperes fideles dignos judicat, quos maximo honore afficiat, videlicet constituendo eos hæredes regni sui, v. 5. Quintum argumentum ducitur ab impiis divitum factis, quibus nimirum sese indignos reddunt ut honorentur, vers. 6. Sextum à factorum illorum eventu, videl. blasphemiâ nominis Christiani, v. 7. Septimum à mandato Dei de dilectione proximi: cui mandato prosopolepsia ista adversatur, v. 8. & 9. His subjungit per prolepsin confirmationem sententiæ quam in postremo argumento commemorando pronuntiaverat, videlicet ipsos per prosopolepsian fieri transgressores Legis. nam contra hoc poterant excipere, se non propterea habendos pro transgressoribus Legis: quia interim cæteras Legis partes observent. Respondet Apostolus: Si quis vel in una parte legem Dei violet, eum totius Legis violatæ reum esse; quippe qui contemnat Legis authorem, videlicet Deum: quem qui contemnere audet in una aliqua Legis parte, cur non etiam in reliquis? quum ipse omnium pariter sit author. V. 12. exhortationem institutam concludit sententiâ generali, ut & verbis & factis justitiam erga proximos exerceant: addito argumento ab eventu pernicioso, videlicet certâ injustorum damnatione per legem Dei: quod argumentum confirmat ab adjunctâ Legis libertate: quippe quæ liberè damnat transgressores quosvis, nemini parcens. Deinde v. 13. specialiter exhortatur ad misericordiam erga pauperes & afflictos: ibique argumentum modò allatum repetit & per antithesin amplificat: nam immisericordes quidem manere significat certum exitium à Deo: misericordes verò exitium evasuros.

SECUNDA PARS.

De cavenda inani fidei jactantia, & fide ex operibus ostendenda.

14 Quæ utilitas, fratres mei, si fidem dicat aliquis habere se, opera verò non habeat? num potest fides illa eum servare?

15 Quòd si frater aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu;

16 Dicat autem eis aliquis vestrum, Abite cum pace, calescite & saturamini: non tamen dederitis eis quæ sunt apta corpori: quæ *erit* utilitas?

17 Ita quoque fides, si opera non habeat, mortua est per se.

18 Quinimò dicet aliquis, Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.

19 Tu credis, Deum unum esse; Rectè facis. *At* etiam dæmonia *id* credunt, sed *tamen* horrescunt.

20 Vis verò nosse, homo vane, fidem absque operibus mortuam esse?

21 Abraham pater ille noster nónne ex operibus justificatus est, quum obtulisset Isaac filium suum super altare?

22 Viden',

22 Viden', fidem administram fuisse operum ipsius, & ex operibus fidem perfectam fuisse?

23 Itaque impleta est scriptura, quæ dicit, Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam: & amicus Dei vocatus est.

24 Videtis igitur, ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantùm.

25 Similiter autem etiam Rahab illa meretrix annon ex operibus justificata est, quum excepisset nuntios illos, & aliâ viâ emisisset?

26 Nam sicut corpus absque spiritu mortuum est, ita & fides absque operibus mortua est.

Hîc reprehendit vanam jactantiam fidei, & contrà hortatur ad fidem ex operibus ostendendam. Est autem ante omnia diligenter notandum, quæstionem hujus loci non esse, quomodo homo justificetur: quam quæstionem tractat Paulus ad Rom. & Galatas: sed extra controversiam posito, hominem justificari solâ fide: quæritur, quæ qualisve sit illa fides: seu (quod eodem recidit) ex quali fide homo justificetur, nempe ex tali quæ ex se parit bona opera. Cæterùm summa hujus loci est: Non est satis, si quis dicat, se fidem habere, quum interim non habeat bona opera: sed fidem oportet ex operibus ostendere. nam fides quæ sine operibus est, justificare aut servare neminem potest: quippe quæ non sit vera ac viva fides, sed fides mortua & inane fidei simulacrum. Hanc sententiam primùm proponit vers. 14. exornatam communicatione, cujus interrogatio vim habet negandi. *Quæ utilitas?* quasi dicat, Nulla. Item: *Num potest?* quasi dicat, Non potest. Innuit autem ipsorum in hac negatione consensum: atque ita ab ipsorum confessione sententiam propositam confirmat. Deinde sententiam propositam illustrat similitudine, cujus protasis continetur vers. 15. & 16. apodosis v. 17. Sententia est: Sicut verba sine ope non juvant egenum: sic fides sine operibus non juvat credentem. Etenim sicut illa non est vera charitas, sermone tantùm & linguâ (ut Johannes loquitur) diligere, non etiam opere & veritate: sic ista non est vera fides, sed mortua, quæ nulla bona opera ex se parit. V. 18. hortatur ad fidem ex operibus ostendendam: eamque hortationem exornat prosopopœiâ, quæ rursum exornatur communicatione. Introducit enim loquentem aliquem verâ fide præditum, qui alloquitur illum vanum fidei jactatorem, eumque urget postulatione bonorum operum, quibus ille tanquam certis effectis ostendat, se verâ fide (quam jactat) esse præditum. V. 19. ostendit, non solùm non esse satis si quis fidem jactet: sed ne quidem si quis verè præditus sit fide illa generali, quam historicam vocant: qua quis in genere de Deo credit ea omnia quæ in sacris literis sunt tradita. Hanc fidem primùm significat exemplo, inquiens: *Tu credis, Deum unum esse.* deinde ostendit, eam non sufficere ad salutem: id quod probat exemplo dæmoniorum, inquiens: *Rectè facis: sed & dæmonia id credunt, & tamen horrescunt.* Quasi dicat: Rectè quidem facis, quòd credis Deum unum esse; nam hoc verum est & in sacris literis traditum: sed hoc non est satis ad salutem. nam si hæc fides sufficeret ad salutem consequendam: sequeretur, etiam dæmonia salutem adeptura; quippe quæ ipsa quoque illud credunt. At dæmonia spem salutis non habent: id quod probat ab effectu contrarii, videl. horrore illo quo concutiuntur ex metu atque exspectatione æternæ damnationis. Paralogismus igitur vani istius jactatoris est:

Si credo, Deum unum esse, servabor.
Atqui id credo.
Servabor igitur.

(1. Joh 3. v. 18.)

Apostolus concedit assumtionem: propositionem verò, id est, consequentiam illius connexi negat: eamq; exemplo dæmoniorum refutat ad hunc modum:

Si quis ideo servaretur, quia credit, Deum unum esse: servarentur & dæmonia: quippe quæ id credunt.
At dæmonia non servabuntur; quia horrescunt damnationem, quam norunt sibi certò esse paratam.
Ergo non servatur aliquis ideo, quia credit, Deum unum esse, id est, quia præditus est fide historicâ.

V. 20. & deinceps pergit in proposito; & fidem quæ destituta est bonis operibus, esse mortuam, ac proinde neminem posse justificare aut servare, probat duobus illustribus exemplis scripturæ; uno Abrahami patris credentium, altero Rahabæ meretricis. Ipsam igitur sententiam demonstrandam primùm repetit v. 20. exornatam communicatione & asperâ objurgatione adversarii, deinde exemplum Abrahæ affert: q. d.

Si Abraham justificatus est non ex fide quæ bonis operibus esset destituta, sed ex fide quæ bona opera ex se peperit: consequens est, omnes in universum ex tali fide justificari.
Sed Abraham justificatus est ex fide quæ bona opera ex se peperit.
Ergo omnes in universum ex tali fide justificantur.

Propositio ut per se nota omittitur, quum non sit, nisi una justificationis ratio. Assumtio probatur duobus scripturæ testimoniis, quorum uno (quod exstat Gen. 22.) commemoratur opus fidei Abrahæ, videl. oblatio filii Isaaci: de quo testatur & Paulus Heb. 11. v. 17. 18. & 19. altero verò (quod habetur Gen. 15.) affirmatur ipsa fidei justificatio. Assumtio recitatur hic in principio v. 21. his verbis: *Abraham pater ille noster nonne ex operibus justificatus est?* id est, ex fide quæ ex se peperit bona opera. Metonymia effecti. Hanc expositionem postulat cohærentia sententiarum. Etenim v. sup. proposuit demonstrandam hanc sententiam, quòd fides sine operibus sit mortua, hoc est, quòd fides illa quæ non ex se parit bona opera, sit inutilis atque inefficax ad justificandum & servandum. hoc enim est, quod Apostolus statim initio hujus loci proposuit v. 14. & postea similitudine declaravit, tribus versibus seqq. Nunc verò ad illam sententiam probandam affert exemplum Abrahæ. quare necesse est, ut quod de illo dicit, eundem habeat sensum, secus nihil faceret exemplum ad demonstrandum propositum. Atque hæc mihi videtur simplex ac genuina hujus loci expositio: quâ observatâ, non est necesse ut dicamus, *justificandi* verbum hîc aliter accipi quàm apud Paulum, nempe ut *justificari* hîc idem sit quod *justificatum esse declarari apud homines.* Etenim Jacobum loqui de justificatione Abrahæ coram Deo: planum est tum ex quæstione proposita, quam exemplo Abrahæ confirmat: tum ex loco illo Gen. 15. quem de justificatione Abrahæ citat: is enim locus citra controversiam intelligendus est de justificatione coram Deo, ut liquet ex epistola ad Romanos. Atque hæc dicere necesse fuit de verbis assumtionis. Probatio assumtionis continenter annectitur reliquâ parte v. 21. saltem quo ad unam partem, ubi dicit: *Quum obtulisset Isaacum filium suum super altare.* quod opus quomodo ex fide profectum sit, declarat Paulus Heb. 11. v. 17. 18. & 19. quia nimirum credidit Abraham, Deum ad promissionem suam de Christo ex Isaac orituro implendam, Isaacum pro suâ potentiâ è cineribus excitaturum, si in illos redactus fuisset. Vers. 22. per quandam exclamationem & communicationem in consideratione propositi exempli commoratur. ubi rursus verba ex mente scriptoris commodè exponenda sunt: nihil enim aliud vult dicere, quàm Abrahami fidem bona opera ex se peperisse, & ex illis cognitum esse quòd esset perfecta, hoc est, vera & viva, non autem mortua aut inane simulacrum, aut etiam nuda notitia naturæ Dei: sed fides verè agnoscens Dei erga se dilectionem, ac proinde Deum vicissim diligens, eique ex dilectione obediens. Vers. 23. alteram partem probationis annectit; ubi quod dicit, scripturam illam, *Credidit Abraham Deo &c.* tunc esse impletam, quum ille Isaacum obtulit: id sic est intelligendum, quòd tum cognitum sit in Ecclesia, Abrahamum verâ fide esse præditum, ac proinde fide esse justificatum: sicut Moses illo dicto Gen. 15. jam ante illius oblationis narrationem fuerat testatus. Vers. 24. infert syllogismi propositi conclusionem: ubi rursus verba ex mente scriptoris, & ex collatione cum quæstione antea proposita, sunt interpretanda. nihil enim aliud dicere vult, quàm hominem justificari ex tali fide quæ bona opera ex se pariat: non autem quæ sola sit & bonis operibus destituta. Ubi si quis verbum *justificari* interpretetur, justificatum declarari apud homines: sequetur, declarationem illam fieri non solùm per opera, sed etiam per ipsam fidem: id quod verè dici non potest: quum nemo alterius fidem videat, nempe in se & per se: nam per opera videre eam licet aliquo modo. Vers. 25. alterum exemplum ad propositum confirmandum affert: cujus verba similiter exponenda sunt, ut suprà v. 21. verba de Abrahamo. nam quum dicit, Rahabam justificatam ex operibus: metonymicè loquens intelligit, eam justificatam esse ex tali fide, quæ bona opera ex sese pepererit, videlicet illam protectionem exploratorum qui ad ipsam diverterant. nam nisi credidisset promissionibus Dei, populo Israelitico factis, de Cananæa illi tradenda, ac omnino de suo erga hunc populum favore, itemque erga eos qui se huic populo aggregarent, ipsiusque religionem susciperent: non protexisset hujus populi exploratores, nec pacta ab illis esset conservationem sui suæque familiæ. quin illa fidem suam apertè professa est, inquiens: *Novi, Jehovam dedisse vobis terram hanc.* item, *Jehova Deus vester, est Deus in cælis suprà, & in terra infrà.* V. ult. explicat illam metaphoram, qua in præcedentibus semel atque iterum usus erat, dicens: Fidem, si sit sine operibus, esse mortuam. Sententia est: Sicut corpus hominis absque spiritu (id est, animâ) mortuum est, ac proinde non est amplius verum corpus, quum non sit amplius instrumentum animæ: ita fides, si sit sine bonis operibus, mortua est, hoc est, non est vera fides, quia non exserit suam vim in pariendis bonis operibus. Summa igitur hujus disputationis est, hominem justificari ac servari non inani fidei jactantiâ, nec nudâ notitiâ & approbatione historiæ sacræ: sed fide verâ ac vivâ, quæ per bona opera sese ostendit: ac proinde inanem illam fidei jactantiam cavendam, fidem verò ex bonis operibus ostendendam esse.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Cum respectu personarum] ἐν προσωποληψίαις. *Ad verb.* in faciei acceptionibus. ἐν *pro* μετὰ *per Hebraismum. Cæterùm de nomine* προσωποληψία, *itemq; de phrasi cognata,* πρόσωπον λαμβάνειν, *quantum satis est, dixi in scholiis ad v. 11. cap. 2. epistolæ ad Romanos: ubi (si placet) vide.* Fidem Domini nostri Jesu Christi gloriosi] τὴν πίστιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ τῆς δόξης. *Nomen*

δόξης secundùm hanc versionem valet epitheton more Hebræorum; & sic acceptum, pendet à nomine appellativo κυρίου potiùs quàm à propriis illis, Ἰησοῦ χριστοῦ. Et sic à Paulo quoque Christus nominatur ὁ κύριος τῆς δόξης, Dominus gloriæ, id est, Jehova gloriosus, 1.Cor.2.v.8. Similiter à Stephano dicitur ὁ Θεὸς τῆς δόξης, Deus ille [illegible]iæ, hoc est, gloriosus, Act.7.v.2. Potest tamen hic locus etiam aliter exponi: videlicet ut nomen δόξης regatur à nomine πίστιν, & ab ipso per trajectionem regantur genitivi illi τοῦ κυρίου &c. Et tum sic erit vertendum: Ne cum respectu personarum habete fidem gloriæ Domini nostri Jesu Christi. quæ syntaxis mollior ac simplicior est, & satis commodum sensum gignit: ut nimirum intelligamus fidem gloriæ Christi, fidem qua credimus gloriam Christi, quòd scil. Christus, posteaquam pro nobis passus est, introierit in gloriam suam, ut ipsemet loquitur Luc.24.v.26. Atq; ita per synecdochen membri comprehenditur quicquid nobis de Christo credendum est. Etenim gloria illa cælestis, qua Christus nunc fruitur & in æternum fruetur, cætera omnia de Christo credenda, tanquam extrema clausula operis redemtionis, præsupponit. Et certè quo minùs nomen δόξης commodè regi possit à nomine κυρίου, obstat pronomen ἡμῶν, ab illo dependens. Trajectio autem ista huic scriptoribus satis usitata est.

2 In cœtum vestrum] εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν. Videlicet cœtum sacrum seu ecclesiasticum, quum convenitis ad audiendum verbum Dei. Aureum gestans annulum] χρυσοδακτύλιος. Vel etiam, aureos gestans annulos. nam vox Græca utramq; significationem admittit.

3 Respexeritis] ἐπιβλέψητε. Nempe cum reverentia & veneratione. Pulchrè] καλῶς. Vel, commodè, gemächlich. Subter scabellum meum] ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου. Græca vox majorem emphasin habet, notans scil. scabellum, quod pedibus sedentium subjicitur ad illos sustentandum. Germanica vox adhuc ἐμφατικωτέρα est, videlicet fußschemel: item Gallica, marchepied.

4 Nónne discrimen feceritis] καὶ οὐ διεκρίθητε; Interrogatio vim habet affirmandi vehementer: qua innuitur, quòd non possint negare crimen quod objicitur. Conjunctio καὶ redundat more Hebræorum, serviens annectendo consequenti enuntiati connexivi. Continetur enim hîc tribus versibus, 2 3. & 4. enuntiatum unum connexivum: cujus antecedens duo principalia membra continet; prius v.2. posterius v.3. & utrumq; iterum bimembre est, secundùm antithesin divitis & pauperis. Porrò διακρίνεσθαι per synecdochen generis hîc significat discernere, ita ut aliud alii præferatur, quod propriè est προκρίνεσθαι: quo sensu nomine πρόκριμα utitur Paulus 1.Tim.5.v.21. Atque in eundem sensum videtur dici sapientia ἀδιάκριτος, quæ non discernit homines per προσωποληψίαν, ex rebus scilicet externis. At Judas epistola sua v.22. verbo διακρίνεσθαι utitur in significatione generali, pro discernere ac delectum habere, consideratâ ipsâ rerum naturâ diversâ. Judices perversè deliberantes] κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν. Ad verb. judices perversarum ratiocinationum seu cogitationum: id est, perversis cogitationibus præditi seu affecti. Hebraismus. Genitivus adjuncti.

5 Nónne Deus &c.] οὐχ ὁ Θεὸς &c. Interrogatio similis præcedenti. Elegit] ἐξελέξατο. Scilicet ex genere humano ad vitam æternam: ut passim in scriptura. Pauperes] τοὺς πτωχοὺς. Scilicet plures quàm divites: atque ita plures, ut si divites cum illis conferantur, solos pauperes elegisse videri queat. tam paucos divites electos esse apparet. Huic sententiæ affinis est illa Pauli, 1.Cor.1.v.26. & deinceps: Videtis vocationem vestram, frates: vos non esse multos sapientes secundùm carnem &c. Pauperes mundi hujus] τοὺς πτωχοὺς τοῦ κόσμου τούτου. Id est, quod ad bona mundana sive terrena attinet. Ut fierent divites] πλουσίους. Hic accusativus regitur à verbo ἐξελέξατο, non per se, sed mediante infinitivo subintellecto τοῦ γενέσθαι vel τοῦ εἶναι. Similis est syntaxis Rom.8.v.29. προώρισε συμμόρφους, pro eo quod est, προώρισε τοῦ γενέσθαι συμμόρφους. Et ista ellipsis hoc loco eò diligentiùs notanda est, ne quis ex istis verbis colligat, electos credere antequam eligantur, atque adeò eligi quia credant. quæ sententia repugnat scripturæ: quæ passim tradit, fidem pendere ab electione, tanquam effectum à causâ: non contrà, ut Rom.8.v.30. Quos prædestinavit, eos etiam vocavit. scilicet efficaciter, id est, fide donavit. Ephes.1.v.5. Prædestinavit nos εἰς υἱοθεσίαν, ad adoptionem: adoptio autem fit per fidem secundùm illud Johan.1.v.12. Potestatem dedit, ut sint filii Dei, quotquot credunt &c. Regni] τῆς βασιλείας. Nempe regni illius cælestis. Quod promisit] ἧς ἐπηγγείλατο: Pro, ἐκείνης ἣν ἐπηγγείλατο. Hellenismus.

Vindicatio verborum, Deus elegit pauperes mundi hujus divites in fide.

6 Contumeliâ affecistis] [illegible]ητιμάσατε. Quasi dicas, inhonorastis vel dehonorastis, ut Germani dicunt, vnehren/ item entehren. Pauperem] τὸν πτωχόν. Non significatur hic species individua, seu certa persona: sed universum pauperum genus. Nónne] οὐχ. Interrogatio, quales præcedentes. Divites per tyrannidem opprimunt vos] οἱ πλούσιοι καταδυναστεύουσιν ὑμῶν. Intelligendum hoc de plerisque, nam etiam pii quidam divites, licet pauci, inter ipsos erant. Synecdoche integri. Et trahunt] καὶ αὐτοὶ ἕλκουσι. Pleonasmus Hebraicus, in pronomine αὐτοὶ. Trahunt vos ad tribunalia] ἕλκουσιν ὑμᾶς εἰς κριτήρια. Scil. ut litigando vos spolient vestris facultatibus sub specie juris.

7 Blasphemant] βλασφημοῦσι. Id est, factis suis occasionem blasphemandi præbent hostibus Evangelii. Loquitur enim de iis qui sunt in Ecclesia. Metonymia effecti. similis exstat sententia Rom.2.v.24. Nomen Dei propter vos blasphematur inter Gentes. A quo estis cognominati] τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς. Ad verb. Quod invocatum est super vos. Phrasis Hebræa: cujus exempla vide Gen.48.v.16. Esa.4.v.1

8 Legem regiam] νόμον βασιλικὸν. Id est, legem illam Dei de diligendo proximo: quæ est veluti via regia: qua qui ingrediuntur, non aberrant à recto. quanquam doctissimo Fr. Junio placet, legem regiam sive regalem eò appellari, quòd regio ferme spiritu, id est, forti & constanti animo à piis omnibus præstari debeat, tanquam lex digna regalibus ingeniis. nam tali animo hominem oportet instructum esse, qui ἀπροσωπολήπτως in hac senescentis mundi colluvie ambulare velit.

9 Personam respicitis] προσωποληπτεῖτε. Faciem accipitis, faciei acceptores agitis. Verbum enim προσωποληπτεῖν deductum est à nomine προσωπολήπτης.

10 Offenderit] πταίσῃ. Vel, impegerit. Metaphora ab iis, qui inter ambulandum aut currendum, ad obstaculum aliquod offendunt, ac pedem impingunt.

11 Nam qui dixit] ὁ γὰρ εἰπών. Videl. Deus.

12 Per legem libertatis] διὰ νόμου ἐλευθερίας. Id est, per legem Dei liberè damnantem quosvis transgressores. Sic expono ex collatione v. seq. atq; adeò ex reipsâ. nam monet, ne quis putet, sibi parsum iri à Deo propter potentiam humanam, etiamsi Legem fuerit transgressus.

13 Et gloriatur misericordia adversus damnationem] καὶ κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως. Genitivus κρίσεως regitur à verbo κατακαυχᾶται, vi præpositionis κατὰ, ex qua illud est compositum. Græcismus. Sententia videtur esse hæc: Contrà verò misericordiam erga proximum exercet, ei non erit damnatio: sed is poterit gloriari & gaudere, ut qui damnationem evaserit. Hanc expositionem peto ex ipsâ sententiarum antithesi: ubi more Hebræorum & ponitur pro at.

14 Dicat habere se] λέγῃ ἔχειν. Scilicet ἑαυτόν. Ellipsis Græca. Notanda est autem emphasis verbi dicat. neque enim ait, si quis fidem habeat; sed, si quis dicat, se habere: id est, jactet fidem, jactet, se fide justum esse, ac proinde se opera nil curare. Innuit igitur, se disputare contra eos qui non habent veram fidem, sed illam falsò jactant: [illegible] vera fides necessariò [illegible]ducat bona opera. Opera] ἔργα. S[illegible]cet καλὰ, id est, bona. Sy[illegible]oche generis. Fides illa] ἡ πίστις. Nempe quam quis dicit se habere, quum interim non habeat bona opera, tanquam fidei fructus. Articulus est ἀναφορικὸς. Perinde est ac si diceret, Num potest inanis illa fidei professio quenquam servare? Servare] σῶσαι. Et per consequens, justificare coram Deo. Loquitur ergo deinceps Jacobus de justificatione hominis coram Deo.

15 Frater aut soror] ἀδελφὸς ἢ ἀδελφὴ. Id est, vir Christianus, aut mulier Christiana. Nudi] γυμνοὶ. Destituti necessario vestitu.

16 Quæ erit utilitas] τί τὸ ὄφελος; Scilicet ἔσται. Videlicet illius humani alloquii, non accedente ope. quasi dicat: non propterea poteritis laudari ut humani ac benefici. Sic exponi hæc verba postulat instituta similitudo. Nam sicut ista falsa charitas nihil prodest eam habenti: ita falsa fides nihil prodest eam habenti. Alioquin primâ fronte videri possit hoc dici; humanum istud alloquium, sine ope, non prodesse egenti. quod quidem verum est: sed ad scopum Apostoli hic non facit. Ergo quum ait; quæ erit utilitas? perinde est ac si dicat, quæ erit laus illi dicenti? quæve remuneratio à Deo?

17 Ita quoque] οὕτω καὶ. Apodosis comparationis, cujus protasis antecessit v.15. & 16. Annectitur autem per ἐπισυναγωγήν. Mortua est per se] νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν. Id est, non est efficax ad justificandum & servandum: quippe quæ non est fides vera, sed tantùm inanis fidei professio.

18 Quinimò dicet aliquis] ἀλλ' ἐρεῖ τις. Quasi dicat: Imò tantùm abest, ut inanis illa fidei professio utilis sit ad justificandum & servandum, ut potiùs obnoxia sit justæ reprehensioni hypocriseos: quum non possit istiusmodi homo ostendere ex operibus, se verâ fide, quam profitetur & jactat, esse præditum. Dicet aliquis] ἐρεῖ τις. Nempe tibi qui fidem dicis te habere, & interim opera non habes. Tu fidem habes] σὺ πίστιν ἔχεις. Hoc dicitur per concessionem. quasi diceret; Esto, sit ita ut dicis, te scil. fidem habere. Et ego] κἀγὼ. Id est, Contrà ego: vel, Vicissim ego. Opera habeo] ἔργα ἔχω. Scilicet καλὰ, bona. Synecdoche generis. Ostende mihi] δεῖξόν μοι. Quasi dicat: Age, si verè dicis, te fidem habere: ostende eam mihi è propriis suis effectis, videl. bonis operibus. quod nî feceris: apparebit, te fidem falsò profiteri. Et ego ostendam &c.] κἀγὼ δείξω. Quasi dicat, Et ne possis conqueri, me conditionem iniquam tibi proponere, aut rem iniquam abs te postulare: en ego meam fidem eidem examini subjicio, paratus illam ostendere è fructibus suis, videl. bonis operibus.

19 Deum unum esse] ὅτι ὁ Θεὸς εἷς ἐστι. Sicut scilicet se patefecit certo verbo: ac proinde negas πολυθεΐαν illam commentitiam Ethnicorum. Rectè facis] καλῶς ποιεῖς. Responsio ad præcedentem objectionem. quasi dicat: Rectè quidem facis, quòd istud credis: quia scilicet verum est: sed erras, si hinc colligis, te vi illius fidei salvum fore. quippe quum fides illa possit esse sine bonis operibus; ac proinde cadat etiam in dæmonia seu malos spiritus,

qui idem

qui idem credunt; & tamen interim horrescunt, metu scil. justi judicii Dei ipsis imminentis: quum non confidant ejus gratiâ, neque eum ut patrem sanctè colant. At etiam dæmonia &c.] καὶ τὰ δαιμόνια &c. *Hic perspicuitatis gratiâ aliquot particulas supplevimus.*

20 Vis verò nosse &c.] θέλεις δὲ γνῶναι &c. *Interrogatio docturientis, (ut sic loquar) id est, cupientis docere. quasi dicat, Si cupis nosse: age attende, docebo te. Sic apud Ciceronem in Paradoxis:* Vultis incipiam à Romulo? *Sic Rom.13.v.3.* Vis non timere potestatem? *Id est, Si cupis scire, quomodo id consequi possis, docebo te. Id quod ibidem facit. Sic Johan.13.v.12.* Intelligitis quid fecerim vobis? *quasi dicat, Si nondum intelligitis, docebo vos. quod & facit.* Homo vane] ὦ ἄνθρωπε κενέ. *Hic videmus manifestè, contra quos Apostolus hic disputet, videl. contra vanos fidei jactatores.* Fidem sine operibus mortuam esse] ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστι. *Sic verto, & sic construo: ut hæc verba, χωρὶς τῶν ἔργων, pendeant ab illis, νεκρά ἐστι: subintellectis verbis, ἐὰν ᾖ, id est, si sit: ex collatione v.17. ubi sic habetur, ἡ πίστις ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ, νεκρά ἐστι: Fides, si opera non habeat, mortua est. Hoc autem perinde est atque quum dicitur: ἡ πίστις ἐὰν ᾖ χωρὶς τῶν ἔργων, νεκρά ἐστι: Fides, si sit sine operibus, mortua est. Eodem tamen recidit interpretatio eorum qui vertunt,* Fidem illam *quæ est* absque operibus, mortuam esse: *Supplentes nimirum articulum ἡ ante χωρὶς. quæ ellipsis alioquin est frequens, etsi huc eam accersere non est opus.*

21 Abraham pater &c.] Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ &c. *Subjectio ad præcedentem interrogationem: docet enim nunc, quod illâ interrogatione fuerat pollicitus: quasi dicat, Audi igitur quod dicam: Abraham pater &c.* Ex operibus] ἐξ ἔργων. *Id est, ex tali fide, quæ conjuncta fuit cum bonis operibus, pariendo scilicet illa ex se tanquam nativos fructus. Metonymia effecti, quippe quæ ex effecto significatur causa procreans.* Quum obtulisset &c.] ἀνενέγκας. *Nempe ad mandatum Dei: cui paruit ex fide, sicut docet Paulus Heb.11.v.17. & deinceps.*

22 Viden'] βλέπεις. *Sic visum est meliùs exprimere interrogationem: quæ vim habet affirmandi. quasi dicat: Certè puto, te videre. Quanquam potest etiam legi absque interrogatione, eodem manente sensu.* Administram fuisse operum ipsius] ὅτι συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. *Ad verbum,* Cooperatam esse operibus ipsius. *Id est, produxisse ex se opera ipsius. Etenim per fidem (πίστει, ut ait Paulus, Heb.11.v.17.) obtulit Abraham Isaacum. Impropria igitur hic est locutio.* Perfectam fuisse] ἐτελειώθη. *Id est, cognitum fuit quòd esset perfecta, id est, vera ac sincera: secundùm illam vocem Domini:* Nunc cognovi, timentem Dei esse te &c. *Gen.22. v.12. Phrasis qualis suprà cap.1.v.12. in illo, δόκιμος γενόμενος. Metonymia subjecti.*

23 Itaque impleta est scriptura] καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφή. *Id est, Et ita patefactum fuit, Abrahamum verâ fide esse præditum, ac proinde à Deo justificatum: sicut testatur scriptura. Gen.15.* Et amicus Dei vocatus est] καὶ φίλος Θεοῦ ἐκλήθη. *Hic incipit nova sententia: neque enim ista verba cum præcedentibus conjuncta reperiuntur apud Mosen. Imò nec alibi usquiam (quod sciam) in scriptura de Abrahamo hæc verba leguntur: sed tamen (id quod satis est ad veritatem) leguntur verba in hanc sententiam: id est, talia, ex quibus firmiter colligitur, Abrahamum à Deo pro amico esse habitum. Hoc enim ostendunt tot ac tam familiares apparitiones ac collocutiones, ac promissiones repetitæ. Inter quas amicitiam maximè præ se fert illa Gen.12.* Benedicam iis qui benedicent tibi: & qui maledixerit tibi, eum exsecrabor. *Etenim amici, communes habent amicos & inimicos. Et quid familiarius atque amicius fieri potuit illo colloquio Jehovæ cum Abrahamo prandentis? Gen.18.*

24 Videtis igitur] ὁρᾶτε τοίνυν. *Alii legunt interrogativè. Puto, rectiùs legi absque interrogatione. Parum interest: quia idem utrobique sensu.* Ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantùm] ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον. *Id est, hominem justificari ex tali fide quæ conjuncta sit cum operibus, non autem ex fide quæ operibus caret. Hunc esse sensum, evincit collatio antecedentium, ut consideranti patet. Quare rursus hic est impropria locutio. neque enim sentit Jacobus, fidem & opera, tanquam duas diversas causas, concurrere ad effectum justificationis producendum: quum nihil aliud propositum habeat, quàm reprehendere eos qui se fide salvos fore jactabant, quum interim verâ & justificante fide essent destituti: quippe destituti bonis operibus, quæ vera & justificans illa atque salvifica fides necessariò ex se gignit. Denique certum est, Spiritum sanctum qui hic loquitur per Jacobum, non contradicere sibiipsi loquenti per Paulum: qui multis argumentis in epistola ad Romanos, itemque in ea quæ ad Galatas, demonstrat, hominem justificari fide absque operibus Legis. Quare frustra hinc Papistæ argumentum sui erroris petunt.*

Vindicatio verborum, Videtis, ex operibus justificari hominem &c.

25 Ex operibus] ἐξ ἔργων. *Id est, ex fide tali, quæ ex se peperit bona opera: sicut paulo-antè v.21. Metonymia effecti.* Nuntios illos] τοὺς ἀγγέλους. *Exploratores Israëlitarum. Articulus innuit rem notam, è sacra scil. historia.*

26 Corpus] τὸ σῶμα. *Videlicet hominis, atque etiam cujusvis animalis. Synecdoche generis.* Absque spiritu] χωρὶς πνεύματος. *Id est, absque anima, quâ præsente corpus spirat. Metonymia effecti. Potest tamen hic locus etiam paulò aliter exponi, nempe sic: Quemadmodum percipitur corpus esse mortuum, quum caret spiritu, seu quum exspiravit: sic fidem percipitur esse mortuam, quum destituitur operibus. nam sicut anima quamdiu est in animali, efficit spiritum seu respirationem: sic fides, quamdiu est in homine, efficit bona opera.* Ita & fides absque operibus &c.] οὕτω καὶ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων &c. *Verto & construo ut suprà v.20. ubi vide.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 E sex primis vers. Nemo pius contemnendus est propter paupertatem: nec quisquam impius honorandus propter divitias. Sed pii omnes, quantumvis pauperes, honorandi sunt, tanquam membra Christi gloriosi, & tanquam à Deo electi ad hæreditatem regni cælestis. Impii verò, quantumvis divites, contemnendi ac pro nihilo putandi sunt: ut qui tyrannidem in pios exerceant, & occasionem præbeant exteris blasphemandi nomen Christianum. Hinc Psalm.15. in descriptione verè pii habetur & hoc: *In oculis ejus contemtus est reprobus, timentes verò Jehovæ honorat.* — *Pietas. Paupertas. Impietas. Divitiæ.*

2 Ex v.1.& 5. Pauperes pii contra molestiam paupertatis & contemtum mundi sese consolentur, quòd sunt membra gloriosi capitis Christi; quodque à Deo electi sunt, ut sint divites fide & hæredes regni cælestis. Confer suprà c.1.v.9. item 1.Cor.1. v.26.27. & 28. — *Consolatio.*

3 Ex v.5. Quum fides pendeat ab electione, (ut intelligitur ex verbis, *Deus elegit pauperes ut fierent divites in fide*) falluntur ergo qui putant, fidem esse electionis causam; ut qui dicunt Deum elegisse aliquos propter prævisam ipsorum fidem. Confer Rom. 8.v.30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit*, id est, fide donavit. Sic Eph.1.5. *Prædestinavit nos* εἰς υἱοθεσίαν, *in adoptionem filiorum.* Adoptamur autem in filios per fidem, Joh.1.12. — *Fides. Electio.*

4 Ex v.6. Etsi divitiæ consistere possunt cum vera pietate; ut docent exempla divitum vere-piorum, Abrahami, Davidis & aliorum: tamen quum plerique divitiis abutantur ad contemtum & oppressionem pauperum, solicitè hic abusus cavendus est. — *Divitiæ.*

5 Ex v.7. Qui sese Christianos & filios Dei profitentur, & interim impiè vivunt: illi nomen Dei blasphemant; id est, blasphemandi illud occasionem aliis præbent. Confer Rom.2.vers.24. Quare ne nomen Dei propter nos blasphemetur, studeamus piè vivere. — *Pietas.*

6 Ex v.8. Quum lex de diligendo proximo sit lex regia, id est, eximia & latè patens, omniaque alia de officiis proximo præstandis præcepta comprehendens: inprimis nobis commendata esse debet. — *Lex de diligendo proximo.*

7 Ex v.9.10.& 11. Vera pietas, est propositum & studium vivendi secundùm omnes Dei leges, seu secundùm omnia legis divinæ præcepta. nam qui sibi indulget vel in uno præcepto transgrediendo, is Deum legislatorem contemnit, ac proinde verepius non est, sed legis violatæ reus. — *Pietas.*

8 Ex v.12.& 13. Hic recurrit eadem doctrina, quam proposuimus cap.sup.v.25. Illic vide.

9 Ex v.14. & reliquis usque ad finem capitis. Ut sis verus Christianus, id est, per fidem in Christum verè coram Deo justus, Deoque placens, non est satis, te fidem jactare, aut fide illâ generali, quam etiam dæmonia habent, præditum esse: sed oportet te bonis operibus demonstrare, quòd verâ illâ fide sis præditus. Etenim vera fides bona opera necessariò ex se parit, tanquam bona arbor bonos fructus. quoniam qui verâ fide præditus est, agnoscit, se vitâ æternâ indignum, imò mortem æternam commeritum, ex mera Dei gratia atque misericordia per Christum à morte ereptum, & in vitam translatum esse: quod maximum Dei beneficium qui verè agnoscit, fieri nequit, quin toto animi affectu gratum sese Deo exhibere eique placere studeat: hoc autem fit per studium bonorum operum à Deo mandatorum. — *Officium hominis Christiani.*

10 Ex v.19. Quum ad justitiam coram Deo & salutem æternam consequendam non sit satis, credere ea, quæ verbum Dei de Deo tradit; verbi gratiâ, Deum esse unum, esse conditorem & gubernatorem cæli & terræ & omnium rerum in illis comprehensarum, esse judicem universorum, quin etiam esse redemtorem & sanctificatorem Ecclesiæ; quippe quum dæmonia quoque hæc omnia credant, & tamen Deum judicem horrescant: quæritur, quidnam igitur ampliùs credere oporteat? Respondeo, Oportet te præter illa omnia credere, Deum donasse Christum TIBI non minùs ac aliis salvandis; & Christum dilexisse TE, seque ipsum tradidisse pro TE in mortem, TUAQUE peccata suâ morte expiasse, favorem Dei patris, vitamque æternam TIBI promeritum esse. Hæc demum est fides illa justifica & salvifica, quam scriptura, & maximè Paulus, celebrat. Id liquet ex his, & aliis similibus dictis: Rom.4.v.23.24.& 25. *Non scriptum est autem propter eum solum, quòd hoc imputatum fuerit ei: sed etiam propter* NOS, *quibus futurum est ut imputetur, iis nimirum, qui credunt in eum, qui excitavit Jesum Dominum nostrum à mortuis, traditum propter offensas* NOSTRAS, *& excitatum propter justificationem* NOSTRI. Et c.5.v.5. *Charitas Dei* (id est, sensus charitatis, qua Deus nos propter Christum complectitur) *effusa est in cordibus* NOSTRIS *per Spiritum sanctum: qui datus est* NOBIS. Et v.8. *Commendat autem suam* — *Fides.*

charitatem erga NOS *Deus, quòd quum adhuc essemus peccatores, Christus pro* NOBIS *mortuus sit*. Item cap. 8. v. 16. *Ipse Spiritus testatur unà cum spiritu nostro*, NOS *esse filios Dei*. Et v. 31. ac deinceps usq; ad finem capitis. *Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro* NOBIS: *quis contra* NOS? *Qui sanè proprio filio non pepercit, sed pro* NOBIS *omnibus tradidit eum &c.* Sic Gal. 2. v. 20. Paulus fidem suam declarat his verbis: *Vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filii Dei: qui dilexit* ME, *& tradidit semetipsum pro* ME.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continentur tres admonitionum loci, videlicet septimus, octavus & nonus. Quorum primus est de cavenda arrogantia in corripiendis fratribus, v. 1. & primo membro 2. Secundus, de lingua frænanda, v. 2. ibi, Si quis in sermone: *usque ad v. 13. Tertius de mansuetudine præstanda, & cavenda invidia ac rixis, à v. 13. usque ad finem capitis.*

PRIMA PARS.

Cavenda arrogantia in corripiendis fratribus.

NE estote multi doctores, fratres mei; scientes, fore ut gravius judicium auferamus.

2 In multis enim offendimus omnes.

REprehendit eos qui quum ad docendum vocati non sint, tamen munus illud privato ausu affectant, ac proinde ex ambitione jus rigidæ censuræ sibi in proximos arrogant & usurpant. Hos igitur ab ista arrogantia & isto rigore in fratrum vitiis arguendis ac damnandis dehortatur argumento ab effectu pernicioso: quia sic futurum sit, ut isti censores gravius judicium à Deo auferant. quod argumentum confirmat à pari, quòd nimirum ipsi non minùs labantur in multis, quàm illi quos tam rigidè arguunt ac damnant. hoc significat per gnomam, id est, sententiam generalem de hominis natura atque conditione, inquiens, *In multis enim labimur omnes.* Quòd autem dicit, istos censores gravius judicium ablaturos: significat, eos graviùs peccare, quippe qui non peccent ex ignorantia, ut illi quos damnant: sed contra conscientiam, ut qui se profiteantur aliorum doctores. Similis est illa reprehensio, quâ Paulus reprehendit hypocritas Judæos, Rom. 2. v. 21. ubi ait, *Qui igitur doces alium, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? &c.*

SECUNDA PARS.

Lingua frænanda.

Si quis in sermone non offendit, hic perfectus *est* vir; ut qui possit fræno moderari totum etiam corpus.

3 Ecce, equis fræna in ora immittimus, ut obediant nobis; & totum corpus eorum circumagimus.

4 Ecce, naves quoque, quum tantæ sint, & à ventis sævis agitentur, circumaguntur à minimo gubernaculo, quocunque impulsus gubernatoris voluerit.

5 Ita & lingua, pusillum membrum est; & sese effert magnificè. Ecce, exiguus ignis quantam materiam incendit!

6 Etiam lingua ignis *est, &* mundus iniquitatis: ita, *inquam,* lingua constituta est inter membra nostra, maculans totum corpus, inflammans rotam nativitatis nostræ, & inflammata à gehenna.

7 Omnis enim natura & ferarum, & volucrum, serpentiumque & marinorum, domatur & domata est à natura humana.

8 Linguam autem nullus hominum domare potest. malum *est* quod coërcere non possis: plena *est* veneno mortifero.

9 Per ipsam benedicimus Deo & Patri; & per ipsam maledicimus hominibus; qui ad similitudinem Dei conditi sunt.

10 Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.

11 Num fons ex eodem foramine fundit dulcem & amaram *aquam.*

12 Nunquid potest, fratres mei, ficus oleas edere, aut vitis ficus? Ita nullus fons falsam & dulcem aquam *potest* edere.

Occasione illius verbi, *Labimur*, quo in sententia proximè præcedente usus est, transit nunc ad admonitionem de lapsu linguæ cavendo. Primùm autem moderationem linguæ ac omnino rectum linguæ usum commendat, v. 2. 3. 4. & principio quinti: deinde linguæ intemperantiam ac omnino abusum vituperat, versibus reliquis. Rectum linguæ usum commendat primùm à causa efficiente, deinde ex effectis. Causam efficientem recti usus linguæ statuit prudentiam, ubi dicit, *Si quis in sermone non labitur, hic perfectus est vir*; hoc est, Si quis linguâ rectè noverit uti, cognoscitur inde verè prudens esse, seu verâ ac perfectâ sapientiâ præditus. Quòd autem vocabulo *perfecti* prudentem hìc intelligat, percipitur ex verbis sequentibus, ubi dicit, quòd talis possit moderari totum corpus. hæc enim moderatio, propria prudentiæ atque temperantiæ actio est. Effecta recti usus linguæ notat uno verbo, ubi dicit in principio versus quinti, linguam μεγαλαυχεῖν: id est, magna jactare, seu de magnis se jactare. Quo significat, linguam si quis eâ rectè utatur, efficere res magnas, pertinentes nimirum ad gloriam Dei & hominum salutem: adeò ut de illis per ipsam effectis jure possit gloriari, seseque jactare. Est igitur in verbo μεγαλαυχεῖν, gemminus tropus, videlicet metonymia effecti καυχησικὴ, & metaphora ὑπερβολικὴ. Esse autem hoc verbum sic exponendum, de effectis scilicet bonis: percipitur ex utraque similitudine, qua Apostolus sententiam propositam illustrat. Etenim utraque illa effectum quoddam bonum commemorat: prior quidem obedientiam equi ad sessoris usum, posterior verò gubernationem navis ad usum vectorum. Igitur sententiam illam de magnis atque utilibus linguæ effectis illustrat duabus similitudinibus: quarum priore linguam comparat fræno, v. 3. posteriore verò gubernaculo, seu clavo, v. 4. Similitudo autem hìc spectatur partim in agentium pusillitate, partim in effectorum magnitudine, atque etiam in magnitudine objectorum. Agentia pusilla sunt; frænum, gubernaculum, lingua: objecta magna; equus respectu fræni, navis respectu gubernaculi, Deus & homo respectu linguæ. Magna item effecta sunt; obedientia equi per frænum, gubernatio navis per clavum, gloria Dei & salus hominum per linguam. Atque sic rectum linguæ usum commendavit: jam pravum illius usum vituperat primùm in genere, v. 5. 6. 7. & 8. deinde vituperat in specie maledicentiam, versibus reliquis. Generalis vituperatio sumitur partim ex effectis, partim ex causa efficiente, partim ex quodam adjuncto. Effecta mala malæ linguæ significantur duobus similibus: primum enim pravitas linguæ comparatur igni consumenti res utiles, v. 5. & 6 deinde veneno letali, v. 8. Et amplificantur hæc effecta ab adjuncto numero: ubi dicit, *Quantam materiam incendit?* item, ubi dicit, linquam pravam esse *mundum iniquitatis*. item, *inflammare rotam nativitatis nostræ*, hoc est, totius vitæ curriculum. Causa efficiens pravitatis linguæ statuitur Diabulus: ubi dicit, linguam *inflammari à gehenna*, id est, à Diabolo cui sedes destinata est gehenna. Porrò adjunctum pravæ linguæ statuit ἀδυναμίαν naturalem emendationis: quòd scil. lingua non possit domari aut coërceri. Quam sententiam amplificat dissimilitudine: cujus protasis continetur v. 7. apodosis initio versus octavi. Atque in hac dissimilitudine latet amplificatio à collatione imparium: quatenus significat, linguam feris bestiis efferatiorem esse: quippe quum hæ possint domari atque cicurari, illa non item. Quod tamen utrumque intelligendum est per synecdochen de maxima solùm parte. nam & feræ quædam reperiuntur incicurabiles, & linguæ quædam cicurantur: inprimis eorum, qui spiritu Dei regenerati sunt. Hactenus fuit vituperatio pravi usus linguæ generalis: sequitur v. 9. & deinceps specialis vituperatio maledicentiæ, ac nominatim in iis, qui haberi volunt religiosi, ut qui in cœtibus fidelium linguâ suâ Deo benedicant hymnos canendo aut preces recitando. Horum maledicentiam, qua lædunt homines, reprehendit primùm à pari, deinde à contrariis. A pari sic:

> *Si per linguam Deo benedicis, debes quoq; per eandem benedicere hominibus.*
>
> *At illud facis.*
>
> *Quare hoc quoq; facere debes: ac proinde vitare debes contrarium, ne scil. proximo maledicas.*

Connexum probatur à pari: quia homines ad similitudinem Dei conditi sunt. Simul autem significat, maledicentiam, qua homo læditur, in Deum ipsum redundare, tanquam illius opificem: quæ jam manifesta est impietas. A contrariis verò sic:

> *Quod repugnat naturæ, id non oportet fieri.*
>
> *At naturæ repugnat ut contraria effecta (cujusmodi sunt benedictio & maledictio) oriantur ex eadem causa procreante, ut ex eodem ore.*
>
> *Ergo hoc non oportet fieri. Et per consequens, quum extra controversiam sit, quòd ex ore prodire debeat benedictio, non ergo debet ex eo audiri maledictio.*

Propositio, ut nota, omittitur. Assumtio significatur tribus exemplis: fontis, ficus, & vitis. Fons non producit simul aquam dulcem & amaram: nec ficus simul fert ficus & oleas: nec vitis simul gignit uvas & ficus. In primo exemplo oppositio est adversorum: in secundo disparatorum, sed adversis qualitatibus præditorum: etenim ficus quidem dulces sunt, oleæ verò subamaræ. In tertio exemplo oppositio est disparatorum, quæ tamen qualitates similes habent: nam & uvæ & ficus dulces sunt. Conclusio præcedit v. 10. Assumtio sequitur v. 11. & 12.

TERTIA PARS.

Mansuetudo commendatur: invidia & rixa damnantur.

13 Quis sapiens & scientiâ præditus *est* inter vos? Demon-

Demonſtret ex bona converſatione opera ſua, cum manſuetudine ſapientiæ.

14 Quòd ſi invidiam amaram habetis, & irritationem in corde veſtro; ne gloriamini, & ne mendaces eſtote adverſus veritatem.

15 Non eſt *enim* iſta ſapientia è ſupernis deſcendens; ſed terrena, animalis, dæmoniaca.

16 Ubi enim invidia eſt & rixa, ibi tumultuatio & omne corpus pravum.

17 Quæ autem è ſupernis *eſt* ſapientia, primùm quidem pura eſt; deinde pacifica, moderata, obſequens, plena miſericordiæ & fructuum bonorum, absque disceptatione, ſine ſimulatione.

18 Fructus autem juſtitiæ *ſitus* in pace, ſeritur iis qui dant operam paci.

Commendat manſuetudinem & ſtudium pacis: & contrà reprehendit invidiam, iracundiam & libidinem rixandi. Manſuetudinem & ſtudium pacis commendat primùm à cauſa efficiente; ſignificans, virtutes illas oriri ex verâ atque cæleſti ſapientia, v.13. & 17. Deinde ab effecto, videlicet pace, id eſt, verâ felicitate, quam vocat *fructum juſtitiæ*: quia ex juſtitia veluti naſcitur, & illi tanquam præmium rependitur, v.ult. Similiter à cauſa efficiente reprehendit invidiam, iracundiam & libidinem rixandi: ſignificans, iſta vitia naſci ex hypocriſi; ubi ait, *Ne mendaces eſtote adverſus veritatem; non eſt enim iſta ſapientia è ſupernis deſcendens*, v.14. & 15. Imò autorem illorum vitiorum ſignificat eſſe Diabolum, ubi ſapientiam hanc dicit eſſe *dæmoniacam*. Deinde reprehendit quoque hæc vitia ab effectis: quæ ſunt *tumultuatio & omne opus pravum*, v.16.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Ne eſtote multi doctores] μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε. *Id eſt, Ne uſurpate vobis magiſterium & authoritatem in aliis judicandis & reprehendendis. Similis eſt ſententia illa Chriſti*, Nolite judicare, ne judicemini: *Matth.7.v.1.* Fore ut gravius judicium auferamus] ὅτι μεῖζον κρίμα ληψόμεθα. *Si ſcil. alios peccantes nimis rigidè damnaverimus: ex collatione ſententiæ præcedentis.* Judicium] κρίμα. *Id eſt, pœnam. Metonymia efficientis. Sic 1.Cor.11.v.31. & 32.* Si nos ipſi dijudicaremus, non judicaremur: ſed quum judicamur, à Domino caſtigamur. *Id eſt, non puniremur: Item, quum punimur.*

2 In multis] πολλά. *Subaudiendum* κατά. Offendimus] πταίομεν. *Vel, Impingimus. Metaphora. Vide ſuprà ad v.10. cap.2. Paulus hujusmodi* πταῖσμα *nominat* παράπτωμα *in ſimili hortatione, Gal.6.v.1.* Perfectus] τέλειος. *Verâ prudentiâ præditus. Synecdoche generis.*

3 Equis fræna &c.] τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς &c. *In Græco verba trajecta ſunt. Ordo enim naturalis hic eſt:* βάλλομεν τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ ſτόματα τῶν ἵππων, *immittimus fræna in ora equorum.* Immittimus & circumagimus] βάλλομεν καὶ μετάγομεν. *Id eſt, immittentes circumagimus: vel immittimus & ita circumagimus.* καὶ *pro* καὶ οὕτως.

4 A ventis ſævis] ὑπὸ σκληρῶν ἀνέμων. *Propriè duris. Metaphora. Simili metaphorâ Germani appellant* ein rauhen wind.

5 Ita &c.] οὕτω καὶ. *Apodoſis ſimilitudinis per* ἐπισυναψιν *annexa: ut ſuprà 1.11. & 2.17.* Et ſeſe effert magnificè] καὶ μεγαλαυχεῖ. *Vel, Et de magnis ſe jactat; hoc eſt, res magnas efficit. Vide pleniorem hujus verbi expoſitionem in analyſi. Porrò in verbo* μεγαλαυχεῖν *eſt metaphora ab equo, qui effert τὸν αὐχένα, id eſt, cervicem.* Materiam] ὕλην. *Materiam hîc intellige ligna, ex quibus ignis accenditur: quæ vocabuli Græci ſignificatio antiquiſſima eſt, ac proinde propria videtur. Eſſe autem antiquiſſimam, Henricus Stephanus in ſuo Theſauro multis exemplis ex Homero prolatis oſtendit. Quin & Latini vocabulo materiæ ad ſignificandum ligna crebrò utuntur. Sunt autem hoc loco verſus non ſatis commodè diſtincti. nam ſententia iſta,* ἰδοὺ, ὀλίγον πῦρ *&c. pertinet ad verſum ſequentem: quippe ubi continetur ejus apodoſis.*

6 Lingua etiam] καὶ ἡ γλῶσσα. *Pro,* οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα. *Ita & lingua. Continetur enim hîc apodoſis ſimilitudinis, cujus protaſis proximè præceſſit.* Ignis eſt] πῦρ. *Scil.* ἐστί. *Id eſt, quaſi ignis, ſeu ſimilis igni. Enuntiatum metaphoricum, id eſt, in cujus prædicato metaphora eſt.* Et mundus iniquitatis] ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας. *Id eſt, res pleniſſima iniquitatis: mundus enim plurimis rebus repletus eſt. Sic dicitur,* ἰλιὰς κακῶν, *&, mare malorum. Metaphora.* Rotam nativitatis noſtræ] τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως. *In Græco addendum* ἡμῶν, *ex veteri interprete. Sic autem appellat totius vitæ noſtræ curriculum inde à nativitate uſque. Rota pro curriculo dicitur per metonyiam efficientis: (niſi potiùs legendum* τρόχον, *id eſt, curſum) & curriculum pro actionibus, per quas vita noſtra quaſi decurrit, per metaphoram. Nativitas autem pro tota vita; per ſynecdochen membri: cujus reſpectu ſententiæ huic ineſt* ὑπερβολή. *neque enim ſtatim à nativitate linguâ abutimur: ſed annis demum qui vocantur diſcretionis.* A gehenna] ὑπὸ τῆς γεέννης. *Id eſt, à Diabolo. Metonymia ſubjecti. Sicut contrà* cælum *ponitur ad ſignificandum Deum. ut,* Peccavi in cælum, *Luc.15. Ceterùm* γέεννα *dicitur corruptè ex Hebræo* גֵּיא־הִנֹּם *gehinnóm, id eſt, vallis Hinnomi. Sic autem tempore Chriſti & apoſtolorum appellatus fuit locus damnatorum, qui vulgò dicitur infernus, à profanis orcus: propterea quòd illic damnati excruciabuntur igne, ſicut olim in valle Hinnomi excruciati fuerunt igne pueri, quos idolo Moloch offerentes, per ignem traducebant. Vide Matth.5.v.22.29.30 & c.10. v.28. & cap.18.v.9. & cap.23.v.15. & 33. Joſ.15.v.8. 2.Reg.23. v.10. Jerem.7.v.31.*

7 Domita eſt à natura humana] δεδάμασται τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ. *Id eſt,* ὑπὸ τῆς φύσεως ἀνθρωπίνης. *Helleniſmus.*

9 Per ipſam] ἐν αὐτῇ. *Pro,* αὐτῇ, *vel* δι' αὐτῆς. *Hebraiſmus.* Benedicimus Deo] εὐλογοῦμεν τὸν Θεὸν. *Ad verb. Benedicimus Deum. Phraſis Hebræa, Id eſt, laudamus Deum.* Deum & patrem] Θεὸν καὶ πατέρα. *Id eſt, Deum, qui eſt pater noſter. Conjunctio* Et *poſita* ἐπεξηγητικῶς. Maledicimus hominibus] καταρώμεθα τοὺς ἀνθρώπους. *Ad verbum, Maledicimus homines, id eſt, exſecramur.*

11 Dulcem & amaram *aquam*] τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρὸν. *Supple* ὕδωρ.

13 Quis ſapiens &c.] τίς σοφὸς &c. *Interrogatio docturientis. quaſi dicat: Eſtne inter vos qui cupiat haberi ſapiens? Ego docebo eum, quid ipſi ſit agendum, ut ſe ſapientem eſſe demonſtret, ac proinde pro ſapiente meritò habeatur. Talis interrogatio fuit ſuprà cap.2.v.20. Atque adeò interrogatio hujusmodi & ſubjectio vim habent enuntiati connexivi: quaſi dicatur, Si quis ſapiens & ſcientiâ præditus eſt inter vos, is demonſtret &c. Similia exempla vide Johan.14.v.1.* Creditis in Deum? etiam in me credite. *1.Cor.7.v.18.* Circumciſus aliquis vocatus eſt? ne attrahat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt? ne circumcidatur. *Et v.21.* Servus vocatus es? ne ſit tibi curæ. *Et v.27.* Alligatus es uxori? ne quære diſſolutionem. Solutus es ab uxore? ne quære uxorem. *Sic 1.Cor.11.v.22.* Hebræi ſunt? & ego &c.

14 Ne gloriamini] μὴ κατακαυχᾶσθε. *Per zeugma cohæret cum eo quod ſequitur,* Adverſus veritatem. *Hoc in Græco percipitur ex præpoſitione* κατά. *Intelligit autem gloriationem qua quis gloriatur, ſe eſſe ſapientem & ſcientiâ Dei præditum.*

15 E ſupernis] ἄνωθεν. *Id eſt, è cælo, ut ſuprà cap.1.v.17. Et hoc ipſum percipitur ex eo quod ſubjicitur per antitheſin,* ἀλλ' ἐπίγειος. Animalis] ψυχική. *Id eſt, concepta vi animæ, qualis illa eſt à natura, nondum regenerata per Spiritum ſanctum. Eodem ſenſu Paulus* ψυχικὸν ἄνθρωπον *appellat 1.Cor.2.v.14. cui ibidem opponit* τὸν πνευματικόν. Dæmoniaca] δαιμονιώδης. *Id eſt, à dæmoniis ſeu malis ſpiritibus inſpirata.*

17 Pura] ἁγνή. *Caſta.* Moderata] ἐπιεικής. *Cedens de ſuo jure, pacis causâ. Sic Phil.4.v.5.* τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν *&c.* Obſequens] εὐπειθής. *Quæ facilè paret recta monenti.* Fructuum bonorum] καρπῶν ἀγαθῶν. *Id eſt, operum bonorum: quæ ſunt quaſi fructus veræ ſapientiæ. Metaphora.* Abſque disceptatione] ἀδιάκριτος. *Talis quæ non diſcernit inter proximos ex proſopolepſia. Confer ſuprà c.2.v.4.*

18 Fructus autem juſtitiæ *ſitus* in pace] καρπὸς δὲ τῆς δικαιοσύνης ἐν εἰρήνῃ. *Subaudio articulum* ὁ *ante* ἐν εἰρήνῃ: *quaſi ſcriptum ſit,* ὁ ἐν εἰρήνῃ. *ſcilicet* κείμενος. *Ut ſenſus ſit: Pax (hoc eſt, vera felicitas) quæ quaſi fructus è juſtitia naſcitur, ſeritur iis qui operam dant paci. Ubi ſimul notanda eſt ſuavis* ἀντανάκλασις *in nomine* pacis *diverſâ ſignificatione repetito.* Iis qui operam dant paci] τοῖς ποιοῦσι εἰρήνην. *Ad verb. qui faciunt (hoc eſt, exercent) pacem. Hebraiſmus, qualis in illo, Facere judicium & juſtitiam. Item, Operarii iniquitatis.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v.1. & 2. Cavenda eſt arrogantia & rigor in fratrum vitiis *Correctio* arguendis ac damnandis: ſingulis autem rigidè in ſua ipſorum *proximi.* vitia inquirendum: proximus verò, ſi res poſtulet, corrigendus eſt fraternè. Etenim qui in propriis vitiis cæci, in vitiis proximi cernendis acuti & reprehendendis rigidi fuerint, eò gravius judicium à Deo auferent. Huc pertinet illud Chriſti, Nolite judicare, ut ne judicemini, Matth.7.v.1. Quam doctrinam ibid. illuſtrat ſimilitudine trabis & feſtucæ in oculo. Eandem doctrinam tradit Paulus, Rom.2.v.1.2.3. item v.17. & deinceps.

2 Ex v.2. & deinceps uſque ad 13. Quum magna ſit linguæ vis *Linguæ uſus.* in utramque partem: id eſt, ſive eâ utamur rectè, ſive abutamur: eò majore ſolicitudine opera nobis danda eſt, ut eâ utamur rectè, abuſum verò illius caveamus. Quumque ad linguæ abuſum à natura proclives ſimus, atque adeò quum à natura impoſſibile nobis ſit rectè linguâ uti: orandus nobis eſt Deus, ut per Spiritum ſanctum & mentes & linguas noſtras gubernet: ut & abuſum cavere, & rectum uſum conſequi poſſimus. Conſiſtit autem rectus linguæ uſus in prædicandis virtutibus ac beneficiis Dei, in proximo erudiendo de Deo & aliis rebus utilibus, item in ſuadendo illi ſalutaria, in corrigendo delinquente &c. Abuſus verò eſt, ſi quis Deum blaſphemet, aut proximo convicietur, aut falſa doceat, aut noxia ſuadeat &c.

3 Ex v.13. & ſeqq. Vera ac cæleſtis ſapientia conjuncta eſt cum *Sapientia.* vitæ honeſtate, caſtitate, manſuetudine, ſtudio pacis, miſericordia atque beneficentia erga afflictos, candore ac ſimplicitate. Quare ubi hæ virtutes non ſunt, ibi nec vera ſapientia eſt.

4 Ex v.14.15. & 16. Ab invidia & irritatione deterrere nos debet, quòd iſti affectus oriuntur à corrupta noſtra natura, quód- *Invidia. Irritatio.*

que inflammantur à Diabolo: tum verò etiam quòd ex se pariunt tumultuationem & omne opus pravum.

Justitia. Pax. 5 Ex v.18. Ad studium justitiæ & pacis excitare nos debet fructus pulcherrimus atque suavissimus, videlicet pax illa seu felicitas cælestis. Confer Rom.2.v.7.

ANALYSIS CAP. IV.

Argumentum.

Hoc capite continentur tres admonitionum loci: decimus, undecimus & duodecimus. Quorum primus est de cavenda avaritia, intemperantia, & superbia, usque ad v.11. secundus de cavendis obtrectationibus, v.11. & 12. tertius de cavenda inani confidentia in negotiis instituendis, à v.13. usque ad finem capitis.

Prima Pars.

Avaritia, intemperantia & superbia damnantur.

Unde bella & pugnæ inter vos? nónne hinc, *nimirum* ex voluptatibus vestris, quæ militant in membris vestris?

2 Concupiscitis, & non habetis: invidetis & ambitis, nec potestis assequi: pugnatis & bellatis, nec tamen obtinetis; propterea quòd non petitis.

3 Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petitis: *nempe*, ut in voluptates vestras insumatis.

4 Adulteri & adulteræ, nescitis, amicitiam mundi inimicitiam esse adversus Deum? Quicunque ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.

5 An putatis, scripturam inaniter dicere, Ad invidiam *ne* fertur spiritus qui habitat in nobis?

6 Imò majorem dat gratiam: quia dicit, Deus superbis resistit, demissis autem dat gratiam.

7 Subjicite igitur vos Deo: resistite Diabolo, & fugiet à vobis.

8 Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo.

9 Affligimini & lugete, & flete: risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.

10 Demittite vos in conspectu Domini, & extollet vos.

A reprehensione rixarum transit ad reprehensionem avaritiæ, intemperantiæ & superbiæ; tanquam causarum ex quibus rixæ solent oriri. quod ipsum affirmat v.1. ubi per voluptates intelligit illa ipsa vitia, ut quorum scopus sit perfruitio voluptatum. Unde Syrus vertit *concupiscentias*. Reprehensio igitur generalis continetur vers.1. cujus summa est, Non esse indulgendum illis vitiis ac pravis cupiditatibus, unde contentiones & rixæ nascuntur. Deinde v.2. subjicitur reprehensio specialis prima, quæ est avaritiæ: ubi ait, *Concupiscitis, invidetis & studiosè affectatis, pugnatis & bellatis.* Ab hoc vitio deterret per argumentum à molesto eventu, videlicet frustratione: quòd nimirum Deus avaritiam ipsorum frustretur. hunc eventum significat his verbis: *Non habetis, non potestis assequi, non obtinetis.* Simul autem per occasionem reprehendit omissionem precum, quibus tanquam causa instrumentali omnis generis bona à Deo possint impetrari: ubi ait, *Non obtinetis, propterea quòd non petitis.* V.3. reprehensionem proximam per prolepsin corrigit, & eâ occasione aliud vitium reprehendit, videlicet vitiosum precandi modum propter malum finem. quasi dicat: Sed esto, sint aliqui inter vos, qui hujus vitæ bona à Deo petunt: at ne illi quidem ea impetrant; eò quòd malè petunt, id est, propter malum finem, nempe ut ea insumant in suas voluptates. Atque sic simul reprehendit intemperantiam: quæ jam altera est ex tribus propositis reprehensio specialis, quam v.4. prosequitur: ubi sub exemplo adulterii ab intemperantia ac fœda libidine deterret per argumentum ab effectu noxio: quòd videlicet qui per intemperantiam amicitiam colunt cum mundo, id est, hominibus non renatis, hoc ipso inimici Dei constituantur: id quod perniciosum est. Deus enim inimicos suos pro sua potentia & justitia gravissimè ulciscetur. V.5. sequitur reprehensio specialis tertia, quæ est superbiæ: quam hic significat vocabulo *invidiæ*, eò quòd superbi aliis invident eminentiam, quum ipsi soli eminere velint. Ab hac deterret expositione causæ corrumpentis, quæ est Spiritus sanctus habitans in nobis: ut qui non sit author invidiæ & superbiæ, sed potiùs modestiæ. Ubi observandum, sententiam illam, *Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in nobis*, legendam esse cum interrogatione, quæ vim habet negandi. Et videtur citari hæc sententia ex responso Mosis ad Josuam, Num.11.v.29. *An invides meâ causâ? ô si daretur totum populum prophetas* Jehovæ *esse &c.* sicut doctissimus Fr. Junius observavit. Deinde v.6. à superbia deterret, & contrà ad modestiam hortatur ab effectis: quòd nimirum superbis Deus resistat, modestis autem det gratiam. Vers.7. & deinceps ex argumentis expositis hortationes ipsas colligit ac deducit, rursúmque argumenta ab effectis insérit. Ac primùm quidem hortatur ad modestiam, inquiens: *Subjicite igitur vos Deo.* deinde ad preces, addens argumenta ab effectis, ubi ait: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis: appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* tertiò ad justitiam & sinceritatem, ubi ait: *Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo &c.* quartò, ad luctum propter peccata ex intemperantia admissa, ubi ait, *Affligimini & lugete &c.* quintò, rursus ad modestiam, addito argumento ab effectu, nempe glorioso ac læto eventu, ubi ait: *Summittite vos in conspectu Domini, & extollet vos.*

Secunda Pars.

Obtrectationes damnantur.

11 Ne alii aliis detrahite, fratres: qui detrahit fratri, quique damnat fratrem suum, detrahit Legi, & judicat Legem. Quòd si judicas Legem, non es observator Legis, sed judex.

12 Unus est legislator, qui potest servare & perdere: tu quis es, qui judicas alium?

Obtrectandi libidinem reprehendit, & ab obtrectationibus deterret duobus argumentis, quorum utrumque sumtum est ab effectu indecoro ac periculoso. Primum effectum est, quòd qui obtrectando damnat fratrem, nimirum ex privato arbitrio & pravo animi affectu, illum certò impium ac proinde exitio dignum pronuntiando: is hoc ipso damnat legem Dei: quippe quæ obtrectationes istiusmodi vetuit, quas obtrectator ille sibi tanquam licitas indulget & usurpat: quum tamen officii nostri sit, non judicare Legem: sed per omnia observare: v.11. Alterum effectum est, quod obtrectator ille invadit, sibique usurpat, jus Dei proprium. Etenim judicare, & judicando damnare vel absolvere, perdere vel servare, Dei proprium est: ut qui solus est legislator, ac proinde solus potestatem habet secundùm Legem judicandi.

Tertia Pars.

Confidentia inanis vitanda.

13 Age nunc qui dicitis, Hodie vel cras proficiscemur in illam urbem, & agemus ibi annum unum, & mercabimur, & lucrabimur.

14 Qui ignoratis quid *futurum sit* postero die. quæ est enim vita vestra? Vapor enim est, qui ad exiguum *tempus* apparet, & deinde evanescit.

15 Pro eo quod dicere debuistis: Si Dominus voluerit, & vivamus; faciemus hoc aut illud.

16 Nunc autem gloriamini de arrogantia vestra. Omnis ejusmodi gloriatio, mala est.

17 Igitur qui noverit rectè facere, nec facit, hic peccato tenetur.

Confidentiam illam inanem, qua homines sibi certò pollicentur successum negotiorum, quæ suscipiunt atque instituunt, reprehendit duobus argumentis, quorum utrumque sumtum est ab adjuncto quodam: prius quidem ab adjuncta rerum futurarum incertitudine, ut quæ homini per naturam certò innotescere non possint: posterius verò ab adjuncta vitæ humanæ fragilitate; quâ fit ut nemo sibi possit certò crastinum polliceri. Primò autem confidentiam istorum exponit per prosopopœïam, v.13. Deinde argumenta reprehensionis subjungit v.14. quorum prius amplificat à comparatis: Non scitis quid vel postero die futurum sit: Ergo multò minùs scitis, quid futurum sit per totum annum. Posterius verò illustrat similitudine vaporis. Tertiò hortatur eos (v.15.) ad virtutem isti vitio contrariam; videlicet ad fiduciam collocandam in providentia & paterna voluntate Dei: ut à quâ & vita nostra & omnes nostræ actiones, actionumque eventus dependet. ubi formulâ pii sermonis præscribit, quâ fiduciam illam suam testentur: non quòd præcisè requirat, ut eam perpetuò verbis exprimant: veruntamen ut ad illam se assuefaciant. Præcipuum enim quod requirit, est illa fiducia: quâ quis à voluntate Dei perpetuò dependet, illiusque providentiæ se suaque omnia committit. Quartò, confidentiam illam, & ex ea natam arrogantem gloriationem expressè reprehendit, v.16. Quintò, per prolepsin monet, non esse satis, si quis nórit, quid facto sit opus, (hoc enim poterant nonnulli objicere, se scire, omnia esse committenda providentiæ Dei) sed quod quis rectum esse novit, factis præstandum esse. Secus judicium Dei ipsi ut peccatori incumbere.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Unde] πόθεν. *Scil.* γίνονται, *oriuntur, exsistunt. Communicatio theoretica.* Pugnæ] μάχαι. *Intelligit lites & contentiones: quippe quas opponit studio pacis, ad quod hortatus fuit versu ultimo capitis præcedentis. Vocat autem pugnas & bella, amplificandi causâ.* Et voluptatibus vestris] ἐκ τῶν ἡδονῶν ὑμῶν. *Id est, ex concu-*

concupiscentiis vestris: sicut reddidit interpres Syrus. Metonymia finis. Etenim concupiscentiarum finis seu scopus est voluptatibus frui. Et hanc expositionem confirmant verba quæ sequuntur, nempe: Quæ militant in membris vestris. *Ad quem modum & Paulus de peccato inhabitante loquitur Rom.7.v.23. ubi ait,* Video aliam legem in membris meis, rebellantem (ἀντιστρατευόμενον) legi mentis meæ &c.

2 Et non habetis] καὶ οὐκ ἔχετε. *Id est, sed non habetis,* ἀλλ' οὐκ ἔχετε: *vel,* οὐκ ἔχετε δὲ: *sicut mox loquitur in fine versus. Sic in membro proximè sequente,* καὶ οὐ δύνασθε, *Sed non potestis.* Invidetis] φονεύετε. *Haud dubiè legendum* φθονεῖτε *Id enim planè postulat tum verbum synonymum* ζηλοῦτε: *tum sententia ipsa illa,* Sed non potestis assequi. *nempe illa bona, quæ proximo invidetis. Quomodo autem mendum istud irrepserit, monet D. Beza: videlicet quòd pro* φθονεῖτε *primò scriptum fuit* φονεῖτε *deinde ex hoc factum* φονεύετε. Pugnatis & bellatis] μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε. *Id est, acriter & hostiliter litigatis cum proximis de bonis illorum obtinendis. Sunt metaphoræ hyperbolicæ, ut in principio capitis.* Propterea quòd non petitis] διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς. *Scilicet à Deo.*

Antilogiæ apparentis conciliatio. 3 Petitis] αἰτεῖτε. *At hoc ipsum modò negavit. Sed accipienda sunt ista distributivè, ac proinde sermo est* περὶ ἄλλων καὶ ἄλλων. *quasi dicat: Alii vestrûm planè non petunt: alii petunt quidem, sed malè. Nempe, ut]* ἵνα. *Appositio &* ἐπεξήγησις *adverbii* κακῶς. In voluptates] ἐν ταῖς ἡδοναῖς. *Pro,* εἰς τὰς ἡδονάς. *Heterosis Hebræa. Planum est enim, notari hoc loco finem seu causam finalem.*

4 Adulteri &c.] μοιχοί. *Hæc dicuntur per vocativum casum.* Amicitiam mundi] ἡ φιλία τοῦ κόσμου. *Id est, quæ intercedit alicui cum mundo, hoc est, impiis. Genitivus objecti. Sic mox,* ἔχθρα τοῦ θεοῦ, *inimicitia Dei: id est, adversus Deum,* εἰς θεόν: *ut loquitur Paulus ad Rom.8.v.7. Sententia est: Qui amat mundum, is odit Deum. Similis est sententia illa Johannis,* Si quis diligit mundum, non est dilectio Patris in eo: *1.Joh.2.v.15.* Quicunque ergo &c.] ὃς ἂν οὖν. *Infert* πόρισμα *vi conjugatorum.*

5 Inaniter] κενῶς. *Id est, frustra, ac non potiùs ad nostram doctrinam. nam quæcunque præscripta sunt, ad nostram doctrinam præscripta sunt, ut ait Paulus Rom.15.* Ad invidiam fertur] πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ. *Subaudiendum* ἢ *vel* μὴ, *id est, an: ut integrum sit, An ad invidiam fertur? quasi dicat, Minimè. Sed quæritur, ubi Scriptura hoc dicat? Sunt qui putent, Jacobum respicere ad locum illum Gen.8. ubi dicitur, figmentum cordis hominis malum esse à pueritia ipsius. Sed sic sententia proposita non esset legenda per interrogationem. Deinde per Spiritum qui habitat seu sedem posuit in nobis, esset intelligendum cor seu animus hominis. At Scriptura (quod sciam) non solet ita loqui de animo nostro, sed de Spiritu sancto ita loquitur frequenter. Quare puto sic potiùs exponendum: Spiritus sanctus qui habitat in nobis, non impellit quenquam ad invidiam. quare quum gloriemur, Spiritum sanctum in nobis habitare: ne invideamus proximo. Sed nondum constat, ubi sententia ista scripta sit, in vetere scilicet instrumento. Sanè his ipsis verbis scripta non exstat: sed exstat tamen sententia, unde hæc per* πόρισμα *videtur deducta: videlicet Num.11. v.29. ubi Moses ait Josuæ,* An invides meâ causâ? *quasi dicat: Non debebas prophetantibus illis, Eldad & Medad, invidere; quippe quum idem Spiritus in nobis habitet, cujus afflatu illi prophetant. Hinc jam deducitur sententia generalis, quam hoc loco proponit Jacobus. Atque in hanc ferè sententiam istum locum exponit doctissimus Fr. Junius.* Fertur] ἐπιποθεῖ. *Concupiscit. Id est, facit ut quis concupiscat seu feratur. Metonymia effecti: qualis Rom.8.v.26. Spiritus interpellat suspiriis. Id est, excitat suspiria in nobis.*

6 Imò majorem dat gratiam] μείζονα δὲ δίδωσι χάριν. *Ponitur* δὲ *in antithesi, pro* ἀλλὰ *vel* οὐ μὴν ἀλλὰ. *Sententia est: Spiritus ille qui habitat in nobis, non solùm non impellit ad invidiam, quasi eâ delectetur: sed potiùs delectatur modestiâ, ac proinde modestis majorem dat gratiam, hoc est, majora dona ac beneficia: per metonymiam efficientis.* Quia dicit] διὸ λέγει. *Scilicet* ἡ γραφὴ *Scriptura. Ellipsis: qualis Ephes.5.v.14.* Deus superbis &c.] ὁ θεὸς ὑπερηφάνοις &c. *Hic locus citatur ex Prov.3.v.34. idque secundum versionem* τῶν LXX, *ut quæ tum in Ecclesia erat recepta. In Hebræo verba paulùm diversa habentur, sed eodem sensu. nempe,* Derisores Jehova deridet: humilibus autem (*sive mansuetis*) dat gratiam. Demissis] ταπεινοῖς. *Id est,* ταπεινόφροσι. *Neque enim vitæ conditio hic notatur, sed animi virtus, ut planum est ex antithesi.*

7 Subjicite igitur vos] ὑποτάγητε οὖν. *Græcum verbum vocis passivæ est, sed habet hic significationem reciprocam, ut interdum Niphál Hebræorum.* Resistite Diabolo] ἀντίστητε τῷ διαβόλῳ. *Scil. fide: ut docet Petrus 1.Pet.5.v.9.* Et fugiet] καὶ φεύξεται. *Pro,* τότε φεύξεται, *tunc fugiet. Id est, Nam si restiteritis, fugiet.*

8 Et appropinquabit] καὶ ἐγγιεῖ. *Pro,* τότε ἐγγιεῖ, *tunc appropinquabit. Id est, Nam si appropinquaveritis, appropinquabit: ut modò.* Emundate manus] καθαρίσατε χεῖρας. *Sic Esa.1.v.15. & 16.* Manus vestræ sanguinibus plenæ sunt: lavate vos, purificate vos. Purificate] ἁγνίσατε. *Q.d. Castificate.*

9 Affligimini] ταλαιπωρήσατε. *Significat hic non externum hominis statum, sed internum animi affectum. Id est, Ita animis affecti estote, ac si affligeremini. Metonymia efficientis.* Mœrorem] κατήφειαν. *Propriè* κατήφεια *dicitur demissio vultus, sive ex mœrore, sive ex pudore:* ἀκατηφὴς, *id est, mœstus vel pudibundus: qui sic dicitur quasi* κάτω βάλλων τὰ φάη, *qui demittit lumina seu oculos,* der die augen vnder sich schlegt.

10 Demittite vos] ταπεινώθητε. *Ad verb. Humiliamini. Vox passiva habet hîc significationem reciprocam, more Hebræorum.*

11 Ne alii aliis detrahite] μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων. *Ad verb. Ne alii adversus alios loquimini. Sic mox iterum bis. Sed Latini hîc utuntur verbo detrahendi vel obtrectandi.* Judicat] κρίνων. *Id est, damnat, ut Matth.7.v.1.* Judicat Legem] κρίνει νόμον. *Id est, damnat Legem, quippe quæ ejusmodi detractiones seu obtrectationes vetuit: ut Lev.19.16.* Ne ambulato cum detractione populo tuo.

13 Agemus ibi annum unum] ποιήσομεν ἐκεῖ ἐνιαυτὸν ἕνα. *Simili syntaxi & significatione usurpatur verbum* ποιεῖν *in his locis: Actor.18.23.* καὶ ποιήσας χρόνον τινά, *Et quum peregisset illic aliquantum temporis. Et cap.20.v.3.* ποιήσας τε μῆνας τρεῖς, *Et ibi peractis mensibus tribus. Et 2.Cor.11.25.* νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, *noctem ac diem in profundo egi. Germani dicunt* die zeit zubringen.

14 Quid futurum sit postero die] τὸ τῆς αὔριον. *Ellipsis geminæ Integrum esset,* τὸ ἐκβὰν τῆς αὔριον ἡμέρας: *Eventum crastinæ (id est, posteræ) diei.* Quæ] ποία. *Ad verb. qualis. q.d. quàm incerta & fugax?* Vapor enim est] ἀτμὶς γάρ ἐστιν. *Id est, quasi vapor. Enuntiatum metaphoricum.* Ad exiguum tempus] πρὸς ὀλίγον. *Supple,* χρόνον.

15 Faciemus] καὶ ποιήσωμεν *Legendum,* ποιήσομεν, *per futurum indicativi. Cæterùm conjunctio* καὶ *redundat more Hebræorum, serviens tantùm annectendo consequenti enuntiati connexi.*

17 Hic peccato tenetur] ἁμαρτία αὐτῷ ἐστίν. *In Græco* πλεονάζει *pronomen* αὐτῷ *ex idiotismo Hebræorum: quia præcessit* εἰδότι.

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex v.1.& 2. Avaritia fugienda est: quoniam ex ea nascuntur contentiones & rixæ. item quia Deus immodicas avarorum cupiditates frustratur, ut sese frustra macerent atque excrucient invidiâ, ita ut quicquid etiam ad divitias acquirendas per injuriam moliantur, nihil tamen assequantur, nihilque obtineant. Hinc Christus sollicitudinem avarorum in divitiis congerendis comparat spinis: Matth.13.v.22. quòd nimirum sollicitudo illa animum miserè compungat. Item Paulus ait, quosdam dum appeterent pecuniam, doloribus multis sese transfixisse, 1.Tim.6.19. His addatur & tertium argumentum ex loco Pauli modò citato, quòd videl. avaritia homines in exitium & interitum demergat. Vide loco citato v.9.& 10. *Avaritia.*

2 Ex v.2.& 3. Qui bona ad hanc vitam sustentandam & commodè degendam necessaria desiderant, petant ea à Deo: sed caveant ne petant malè, id est, in malum finem, nempe ut ea insumant in suas voluptates: sed vetant rectè & in finem bonum, videlicet ut habeant materiam prædicandi bonitatem Dei, ac benefaciendi proximo egenti. *Bona terrena.*

3 Ex vers.4. Intemperantia fugienda est: quia qui per intemperantiam amicitiam colunt cum mundo, hoc ipso inimici Dei constituuntur. *Intemperantia.*

4 Ex v.5. Cor hominis naturâ suâ fertur ad invidiam, ac omnino ad omne vitium. Quare orandus est Deus, ut hanc naturalem cordis malitiam atque pravitatem per Spiritum S. emendet. *Homo.*

5 Ex v.6.7.&10. Superbia fugienda est, & contrà modestiæ studendum: quia Deus superbis resistit, modestis autem dat gratiam. Hæc doctrina illustretur exemplis: cujusmodi sunt, Confusio linguarum, qua Deus impedivit superbum conatum ædificandi turrim Babylonicam, cujus fastigium ad cælum usque pertingeret, Gen.11. Mirjam (aliàs Maria) soror Mosis percussa divinitus leprâ, eò quòd superbè jactasset revelationes sibi factas, seseque Mosi æquiparasset, Num.12. Korach Levita, qui sacerdotii ambitu seditionem movens contra Mosen & Aharonem, divinitus cum suis conjuratis & omnibus eorum facultatibus, partim igne, partim hiatu terræ periit, Num.16. Goliath Philistæus superbè probro afficiens acies Dei, Davidem singulari certamine congredientem spernens, ac gloriosè ante victoriam triumphum canens, lapide fundæ à Davide percussus uno ictu prosternitur, & suo ipsius gladio caput amputatur, 1.Sam.17. Nabal stultus ille dives, famulos Davidis commeatum petentes superbè atque contumeliosè repellens, pòst intellectâ Davidis adversum se irâ ac proposito ipsum interficiendi, adeò consternatus fuit, ut decimo pòst die exspirârit, 1.Reg.25. v 25.& 26. David ex superbia populum numerari jubens, Dei iram in se & populum concitavit; ita ut peste (quam ex tribus plagis optione sibi datâ elegerat) intra triduum occubuerint de populo septuaginta millia virorum, 2.Sam.24. Item quum Rabsaces legatus regis Assyriorum Sennacheribi ad Ezechiam regem Juda, superbè contempsisset Jehovam Deum Israelis, deque Judæis expugnandis gloriatus esset: angelus Jehovæ unâ nocte in castris Assyriorum percussit centum octoginta quinque millia: quâ strage editâ Sennacherib domum rediit re infectâ, & domi à propriis filiis gladio percussus est, 2.Reg.19. Ezechias (aliàs Hiskias) rex Juda, quum à le- *Superbia. Modestia.*

gatis Babyloniis salutatus, superbè illis suos thesauros ostentasset, graviter per Esaiam objurgatus est, & opum direptio suorumque captivitas ei denuntiata, 2.Reg.20. Osias rex Juda superbè sacrum sacerdotium invadens, atque adeò templum ingressus, ut adoleret super altare suffitus, leprâ percussus est, & hominum consortio exclusus, 2.Chron.26. Haman aulicus regis Assueri, quum regis jussu ab omnibus adoraretur præterquam à Mardochæo Judæo, cognato reginæ Estheræ, infensus in illum obtinuit à rege mandatum de toto Judæorum populo tollendo: sed tandem tum superbiæ, tum crudelitatis suæ justas pœnas luit, quum regis jussu suspensus fuit è patibulo, quod Mardochæo paraverat, Esth.3.&7. Nebucadnezar (aliàs Nabuchodonosor) rex Babyloniæ, quum insolenter jactaret suam potentiam in ædificanda urbe illa magna Babylone: mox voce è cælo admonitus est tum de regni amissione, tum de sui ab hominibus ad bestias depulsione, & bestiali ingenio ac vivendi modo: id quod etiam eâdem horâ in eo completum est, Dan.4. Item Belsatzar Nebucadnezaris filius & in regno successor, quum proceres magnificentissimo epulo excipiens, vasa domus Dei in ostentationem traduceret: Deus immissâ manu in palatium, judicium illi impendens ante oculos omnium in pariete descripsit, quod fuit proximâ nocte consecutum, quum à satrapis Cyri interfectus est, Dan.5. Contra exempla modestorum ad honores divinitus evectorum notentur ista. Joseph castus & pius, ac proinde etiam modestus juvenis, evectus est mirabiliter ad gubernationem regni Ægypti, ita ut esset secundus à rege, & pater patriæ salutaretur, Gen.41. Saul filius Kis regnum à Samuele oblatum modestè recusans, in regem ab illo ungitur primò privatim, deinde publicè: quum jamjam ungendus latitaret ad impedimenta, 1.Sam.9.&10. David item vir verè modestus, ad regnum evectus est: modestia autem ejus apparet ex verbis ad servos regis Saulis, nomine regis offerentes illi in matrimonium filiam regis: An leve (inquiebat) est in oculis vestris, affinitate jungi cum rege, quum ego sim vir pauper & vilis? 1.Sam.19.22. Item ex verbis quibus uxori Michal, increpanti eum quòd publicè saltasset ante arcam fœderis, respondens inter alia dicebat: Quin abjiciam me adhuc ampliùs, & humilis ero in oculis meis: atque ita cum ancillis quas dixisti, gloriosus reddar, 2.Sam.6.v.22. Item ex verbis quibus acceptâ per Nathanem promissione de filio Salomone simulque de Christo, cujus Salomon erat typus, gratias Deo acturus sic incipiebat: Quis sum ego, Domine Jehova, & quæ est familia mea, quòd deducis me eò usque, 2.Sam.7.18. Item Maria virgo mater Domini canens Deo hymnum, inter alia dicit: Respexit humilitatem ancillæ suæ. item, Dissipavit superbos cogitatione cordis ipsorum: detraxit potentes è thronis, & extulit humiles, Luc.1.v.48.51.52.

Diabolus. 6 Ex v.7. Diabolus fugatur, non si te munias signo crucis, aut alia ejusmodi superstitiosa agas, quæ in more sunt apud Papistas: sed si ei resistas. Resistitur autem ei fide & precibus ex fide profectis. Vide 1.Pet.5.v.9. Ephes.6.v.10. & deinceps. Matth.4. exemplum Christi tentati à Diabolo in deserto.

Officium hominis Christiani. 7 Ex vers.8. Si cupis ut Deus tibi appropinquet suâ gratiâ & ope: da operam ut & tu illi appropinques quotidianis precibus ex fide profectis: item ut attollas puras manus, & puro corde eum invoces, id est, cum vera resipiscentia. nam impœnitentes Deus non exaudit, Joh.9. Vide item Esa.1. ubi Deus repellit preces Judæorum, eò quòd manus haberent plenas sanguine, id est, quòd crudeliter per avaritiam opprimerent tenuiores.

Gaudium. 8 Ex vers.9. Graviter errant filii hujus sæculi, quum sibi beati videntur in profano suo risu & gaudio. nam ne à vera beatitudine aberrent, necesse est ut iste eorum risus in luctum, & gaudium in mœrorem convertatur: id est, ut seriò resipiscentes de carnalibus suis voluptatibus lugeant, & culpam apud Deum deprecentur.

Detractio. Obtrectationes. 9 Ex v.11.&12. Obtrectationes sive detractiones fugiendæ sunt: tum quia à Deo vetitæ: tum quia invadunt jus Dei proprium, Lev.19.v.16. Ne ambulato cum detractione per populos tuos. Psalm.15.v.3. inter notas verè pii enumeratur & hæc; Non obtrectat linguâ suâ. Prov.4.24. Remove abs te perversitatem oris, & pravitatem labiorum procul amove abs te. Rom.1.30. inter peccata ethnicorum commemoratur etiam obtrectatio. Huc addatur tertia causa, pœna talionis, quam obtrectatoribus minatur Christus, Matth.7.v.1.2.&3. Etsi autem vetantur obtrectationes ac damnationes proximi privatæ, ex pravo affectu ortæ: tamen interim à Deo instituta sunt judicia publica, tum politica, tum ecclesiastica.

Confidentia. 10 Ex v.13.14.15.16. In negotiis suscipiendis atque instituendis fugienda est inanis confidentia, ne scilicet successum nobis certò polliceamur: quum & eventus rerum nos lateant, & vita nostra fragilis sit. Quicquid autem suscipiamus aut instituamus, fiduciam omnem collocare debemus in providentia & paterna voluntate Dei: ut à quâ & vita nostra & omnes nostræ actiones, actionumque eventus dependent. Prov.16 v.9. Cor hominis excogitat viam suam: sed Jehova statuit gressum ejus. Item cap.20. v.24. A Jehova sunt gressus viri.

Officium hominis Christiani. 11 Ex v.17. Non est satis, si quis nôrit rectè facere, sed & faciendum est. Secus pœna aggravatur, Luc.12.47. Servus qui novit voluntatem domini, nec fecit, cædetur multis plagis. Joh.13. v.17. Si hæc noveritis: beati eritis, si ea feceritis.

ANALYSIS CAP. V.

Argumentum.

Hoc capite continentur sex reliqui admonitionum loci: videlicet decimustertius, decimusquartus, decimusquintus, decimussextus, decimusseptimus, & decimusoctavus. Quorum primus est de cavendo abusu divitiarum, usque ad v.7. secundus de patienter ferendis injuriis, quæ inferuntur à fratribus seu domesticis fidei, à v.7. usque ad 12. tertius de cavenda temeritate jurandi, v.12. quartus de suscipiendis exercitiis pietatis in utroque rerum statu, vers.13. quintus de orando pro ægrotis, à v.14. usque ad vers 19. sextus de fratre errante in viam reducendo, duobus vers. ult.

Prima Pars.

Divitiarum abusus cavendus.

AGe nunc divites, flete, ejulantes super miseriis vestris superventuris.

2 Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra à tineis vorata sunt:

3 Aurum & argentum vestrum ærugine vitiatum est: & ærugo eorum testabitur adversum vos, & exedet carnes vestras velut ignis: thesaurum congessistis in ultimos dies.

4 Ecce, merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, per vos interversa, clamat: & vociferationes eorum qui messuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt.

5 In deliciis vixistis super terram, & lascivistis: enutristis corda vestra ut in die epuli.

6 Condemnastis, occidistis justum: non resistit vobis.

REprehendit divites propter abusum divitiarum: & ab illo abusu deterret. Reprehensio constat quinque partibus. Primùm enim reprehendit, quòd divitias suas potiùs passi sint vetustate corrumpi, quàm ut eas communicarent pauperibus. Hanc reprehensionem enuntiat primùm sententiâ generali, *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt*, v.2. deinde per partes, *Vestimenta vestra &c.* v.2.&3. Deinde reprehendit, quòd nimio studio divitias congesserint, suamque in illis fiduciam posuerint: ubi ait, v.3. *Thesaurum congessistis in ultimos dies.* intelligens (meo judicio) dies ultimos ætatis, id est, senectutem: atque ita notans fiduciam quæ in divitiis collocatur, quum quis sibi persuadet, se jam satis instructum esse in multos annos: cujus fiduciæ exemplum nobis proponitur à Christo, Luc.12.v.19. Tertiò reprehendit injustitiam in detinenda mercede operariorum, vers.4. Quartò reprehendit delicias & luxum: illumque luxum amplificat collatione similium, videlicet solennium conviviorum, quæ populus Dei celebrare solebat in eucharisticis sacrificiis, vers.5. Quintò reprehendit oppressionem innocentum, illamque oppressionem amplificat expositione causæ corrumpentis, videlicet patientiæ justorum, qua fit ut non resistant opprimentibus: unde illi debebant commoveri ut ab eis opprimendis desisterent, v.6. Cæterùm ab omni isto divitiarum abusu deterret per argumentum ab effectu pernicioso, denuntians illis (nisi scilicet resipuerint) certum exitium. Hoc exitium proponit statim initio per apostrophen, deinde v.3. ubi dicit: *Ærugo eorum testabitur adversum vos* (id est, testabitur in judicio Dei de vestra avaritia & immisericordia erga pauperes) *& exedet carnes vestras velut ignis.* Postea rursum v.4. ubi commemorat clamores operariorum, postulantium scilicet à Deo vindictam, propter interversam sibi à divitibus mercedem. Cæterùm *clamorum* nomine videtur hyperbolicè significare gemitus operariorum: qui coram Deo instar clamorum sunt, in vindicta postulanda. Respicit autem Apostolus ad legem quæ exstat Deut.24.v.14.&15. Porrò hîc argumentum illud dehortationis confirmat ab adjuncta Dei judicis potentia, ubi eum nominat Dominum Sabaoth, id est, Jehovam, æternum illum Deum, cui omnes creaturæ, instar exercituum, tanquam summo imperatori, militant ac præstò sunt ad judicia ejus exsequenda.

Secunda Pars.

Patientia præcipitur.

7 Patientes igitur estote, fratres, usque ad Domini adventum. Ecce, agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter eum exspectans, dum accipiat pluviam maturam & serotinam.

8 Patientes estote & vos, & stabilite corda vestra; quoniam adventus Domini appropinquat.

9 Ne in-

9 Ne ingemiſcite alius adverſus alium, fratres: ut ne condemnemini: ecce, judex ante januam adſtat.

10 Sumite, fratres mei, pro exemplari afflictionis ac patientiæ, prophetas qui loquuti ſunt *in* nomine Domini.

11 Ecce, beatos pronuntiamus eos qui *afflictionem* tolerant. Tolerantiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis: nam valde miſericors eſt Dominus ac commiſerator.

Hortatur hîc ad patientiam in ferendis injuriis quæ inferuntur à fratribus ſeu ſociis religionis. Atque hoc differt hæc conſolatio ab illa quæ habetur in epiſtolæ principio. Illic enim locutus eſt de perſecutione qua affligebantur ab hoſtibus Evangelii. Hanc hortationem præcedenti divitum reprehenſioni annectit his verbis, *Patientes igitur eſtote, fratres, uſque ad Domini adventum.* Quaſi dicat: Quum igitur inter vos nonnulli divites reperiantur, qui pauperes, ita ut dictum eſt, opprimunt: agite vos qui ita opprimimini, patienter injurias iſtas ferte. Argumentum hortationis primum ſumit à læto eventu, ubi ait, *Uſque ad Domini adventum.* quibus verbis ſignificat, fore ut Dominus in ſuo ad judicium adventu oppreſſores illos meritis ſuppliciis afficiat, niſi reſipuerint: ipſos verò ab omni oppreſſione liberatos in æterna gaudia recipiat. Hoc argumentum per prolepſin illuſtrat exemplo agricolarum: qui tempora fructibus terræ deſtinata patienter exſpectant: ſimiliter exſpectandum eſſe adventum Domini: maxime quum is appropinquet: v.7.& 8. Secundum argumentum ſumit ab eventu triſti: nam ſi ingemiſcant adverſus fratres, atque vindictam adverſum eos à Deo poſtulent, fore ut & ipſi condemnentur: quippe qui & ipſi peccatis non careant. Hoc argumentum amplificat à celeritate adventus judicii divini, ubi ait, *Ecce judex ante januam adſtat:* v.9. Tertium argumentum ſumit ab exemplo prophetarum, ac nominatim Jobi: quorum patientiam commendat, atque ita argumentum illud confirmat ex effectis, videl. tum laude quam apud omnes pios ſunt adepti, ubi ait, *Ecce beatos pronuntiamus &c.* tum læto fine ſeu exitu, ex miſericordia Dei, v.10.& 11.

TERTIA PARS.

Juramentum temerarium vetatur.

12 Ante omnia verò, fratres mei, ne jurate: neque per cælum, neque per terram, neque aliud ullum jusjurandum. Sit autem veſtrum Eſt, Eſt; & Non, Non; ut ne in condemnationem incidatis.

Dehortatur à temeritate jurandi, eodem modo atque adeò iiſdem penè verbis, ut Chriſtus fecit Matth.5. commemorando ſcilicet obliquas jurandi formulas, quas dum temere uſurpabant, perſuadebant interim ſibi, ſe majeſtatem Dei non lædere, eò quod nomen Dei non exprimerent. Argumentum addit à triſti eventu, videlicet condemnatione divina. nam ut habetur in tertio præcepto, Deus non habebit innocentem, hoc eſt, non dimittet impunitum, eum qui nomen ipſius in vanum ſumſerit.

QUARTA PARS.

Exercitia pietatis.

13 Affligitur aliquis inter vos? oret. Bono animo eſt aliquis? pſallat.

Præſcribit exercitia pietatis, in utroque rerum ſtatu, triſti videlicet & læto, adhibenda ad gloriam Dei & noſtram ſalutem. Sententia verborum per ſe patet.

QUINTA PARS.

Ægrotis quid agendum, & quid pro illis.

14 Ægrotat aliquis inter vos? accerſat presbyteros eccleſiæ, & orent pro eo, ungentes eum oleo in nomine Domini:

15 Et oratio fidei ſervabit laborantem, erigetque eum Dominus: quòd ſi peccata commiſerit, remittentur ei.

16 Confitemini alii aliis lapſus, & orate alii pro aliis, ut ſanemini. multum *enim* valet deprecatio juſti ardens.

17 Elias homo erat iiſdem quibus nos affectionibus obnoxius, & ardenter precatus eſt ne plueret: & non pluit ſuper terram annos tres & ſex menſes.

18 Et rurſum precatus eſt; & cælum dedit pluviam, & terra produxit fructum ſuum.

Præcipit quid agendum ſit ægrotis, & pro ægrotis. Ægrotis duo præcipit: unum, ut accerſant presbyteros eccleſiæ, & petant pro ſua valetudine orari, verſ.14. Alterum, ut ſi conſcii ſibi ſint ſingularium peccatorum quibus iſtum morbum ſibi videantur attraxiſſe, confiteantur illa presbyteris vel etiam aliis fidelibus, petantque orari pro illorum remiſſione, v.15.& 16. Presbyteris, itemque aliis fidelibus qui ægrotos inviſunt, item duo præcipit: unum, ut pro ægroto orent, verſ.14. & 16. alterum, ut eum ungant oleo in nomine Domini, hoc eſt, invocato Domino, vel ex mandato Domini. id quod reſtringendum eſt ad illos qui à Domino tum acceperant donum miraculosè ſanandi, adhibitâ unctione tanquam ſacramento ſeu ſacro ſigno: cujus ſanationis exempla generali indicatione narrantur Marc.6. verſ.13. Cæterùm orationem ſeu preces pro ægrotis commendat ab effectu, videlicet impetratione tum ſanationis, tum remiſſionis peccatorum, verſ.15. & 16. Hanc autem commendationem precum confirmat exemplo Eliæ, verſ.17. & 18. Exemplum autem illud amplificat prolepſi: qua occurrit opinioni diſſimilitudinis, quòd nimirum Elias fuerit vir ſanctus, ac proinde mirum non ſit, ſi precibus ſuis, quæ voluit, à Deo impetravit: quum nos ſimus miſeri peccatores. Reſpondet, Eliam quoque hominem fuiſſe nobis ὁμοιοπαθῆ, id eſt, iiſdem infirmitatibus à natura obnoxium, quibus nos. Porrò hiſtoria exempli Eliæ habetur 1.Reg.17. v.1, & cap.18. v.42. & deinceps.

SEXTA PARS.

Errans frater in viam reducendus.

19 Fratres, ſi quis inter vos aberrârit à veritate, & converterit eum quiſpiam:

20 Sciat, eum qui averterit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſervaturum animam à morte, & obtecturum multitudinem peccatorum.

Ad extremum hortatur ad ſolicitudinem in frate errante in viam reducendo & lucrifaciendo. Argumentum affert ab effectu utili; quia qui hoc facit, ſervaturus ſit animam illius à morte æterna, impetratâ à Deo remiſſione peccatorum quantumvis multorum. Deus enim reſipiſcentibus ignoſcit, etiamſi plurima graviſſimaque peccata admiſerint.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 Divites] οἱ πλούσιοι. *Pro,* ὦ πλούσιοι. Superventuris] ταῖς ἐπερχομέναις. *Ad verb.* Supervenientibus. *Enallage temporis. Niſi potius eſt ut dicamus, deſcribi miſerias tanquam jam adventantes & cervicibus imminentes.*

2 Divitiæ veſtræ] ὁ πλοῦτος ὑμῶν. *Deeſt conjunctio rationalis* γὰρ, *id eſt, nam.*

3 Teſtabitur adverſum vos] εἰς μαρτύριον ὑμῖν ἔσται. *Ad verb.* In teſtimonium erit vobis: *id eſt, contra vos,* καθ' ὑμῶν. *Sic Matt.8. v.4.* Offer donum &c. εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. *Et c.10. v.18.* Ad præſides ac reges ducemini meâ causâ εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσι. *Sic c.23. v.31.* ὥστε μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς: Itaque teſtamini adverſus voſmetipſos. *Et c.24. v.14.* Prædicabitur iſtud Evangelium εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι. *Sed ubi & quando teſtabitur ærugo adverſum divites? Nempe in die judicii. Eſt metaphora* ἐναργὴς, *illuſtris, qua rei inanimæ ſenſus ac ſermo tribuitur: quam nonnulli idcirco* προσωποποιΐαν *vocant.* Exedet] φάγεται. *Pro,* φαγεῖται. *Enallage temporis.* In ultimos dies] ἐν ἐσχάταις ἡμέραις. *Pro,* εἰς ἐσχάτας ἡμέρας. *Heteroſis Hebraica. Intelligit autem meo judicio dies ætatis ſeu vitæ hominis. Huic ſententiæ illuſtrandæ & confirmandæ eſt ſermo ille ſtulti divitis, Luc.12. v.19.* Dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona, repoſita in annos multos, εἰς ἔτη πολλά.

4 Regiones] τὰς χώρας. *Id eſt, agros,* τὰ χωρία. Per vos interverſa] ὁ ἀπεστερημένος ἀφ' ὑμῶν. *Ad verb. Privata à vobis, id eſt, quæ privati ſunt à vobis, ſeu quâ vos privaſtis eos. Cæterùm* ἀπὸ *hîc idem valet quod* ὑπὸ. Clamat] κράζει. *Simili ratione ſanguis Abeli clamare dicitur, vindictam ſcilicet à Deo poſtulans.* Vociferationes] αἱ βοαὶ. *Id eſt, gemitus. Metaphora hyperbolica. Poteſt tamen propriè accipi.* In aures Domini] εἰς τὰ ὦτα Κυρίου. Ἀνθρωποπάθεια. Domini Sabaoth] Κυρίου σαβαώθ. *His vocabulis exprimuntur illa Hebræa,* יְהוָה צְבָאוֹת Jehovâh Zebaóth: *id eſt,* Jehova *exercituum: hoc eſt, Deus ille æternus cui militant omnes creaturæ, ac inprimis exercitus illi cæleſtes ſanctorum angelorum.*

5 Laſciviſtis] ἐσπαταλήσατε. *Hoc verbo uſus eſt & Paulus loquens de vidua:* ἡ δὲ σπαταλῶσα, ζῶσα τέθνηκε, *1.Tim.5. v.6. Cæterùm verba temporis præteriti hoc loco non notant actum certum, ſed continuum. q.d. In deliciis vivitis, laſcivitis, &c.* Enutriſtis corda veſtra] ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν. *Id eſt, Enutriendo corpora veſtra, exhilaraſtis veſtra corda ſeu animos. Synecdoche metonymica:* Ut in die epuli] ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς. *Ad verb.* Ut *in die mactationis: Id eſt, quo ſolent mactari animalia ad lætum convivium celebrandum. Videtur reſpicere ad ſolennia convivia quæ populus Dei celebrare ſolebat in ſacrificiis euchariſticis. quò facit locus Prov.7. v.4. ubi mulier impudica adoleſcentem ad convivium invitans, ait:* Sacrificia euchariſtica apud me ſunt, hodie reddidi vota mea. *Poteſt tamen fieri ut reſpexerit ad quodvis lætum ac lautum convivium. Sanè Hebræum* זָבַח *sébahh, cui* σφαγὴ *reſpondet, interdum in genere mactationem, interdum in ſpecie victimam ſeu pecudem ad ſacrificium mactatam ſignificat.*

Generalis illius significationis exemplum occurrit Ezech.39.v.17. ubi Jehováh invitat aves & bestias ad devorandum cadavera hostium populi sui quæ in montibus fuerint occisa: Colligite vos, *inquit*, circumquaque ad mactationem meam quam ego mactaturus sum vobis, mactationem magnam &c. *Alterius significationis exempla passim sunt obvia.*

6 Occidistis] ἐφονεύσατε. *Non quidem manu, sed fraude. Sic Esa.1.15.* Manus vestræ sanguinibus *(id est, cædibus)* plenæ sunt. *quibus verbis Propheta nihil aliud quàm fraudulentam oppressionem notat.*

7 Patientes igitur estote] μακροθυμήσατε οὖν. *Verbum μακροθυμεῖν deductum est à nomine μακρόθυμος: qui sic dicitur quasi μακρύνων θυμὸν, prolongans seu differens vel potiùs longè summovens iram, non facilè irascens.* Pluviam maturam & serotinam] ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον: *Sic eruditè exponit Henricus Stephanus in suo Thesauro, & hanc expositionem ex Theophrasto & Plinio illustrat. Possumus, inquit, per πρώϊμον ὑετὸν intelligere ὡραῖα ὕδατα, ut Theophrastus appellat: itidemq; per ὄψιμον ὑετὸν, ea quæ ipse vocat ὀψιαίτερα ὕδατα. Plinius serotinas aquas. Similiter apud Theophrastum (ut ibidem docetur) opponuntur τόποι πρώϊοι καὶ ὄψιοι, id est, loci præcoces & serotini, ut Plinius illa Græca reddidit. Cæterùm πρώϊμον ὑετὸν malo reddi pluviam maturam, quam tempestivam: nam tempestivæ epitheton etiam serotinæ pluviæ competere videtur. Germanicè Lutherus optimè expressit Deut.11.v.14. vocabulis* frůrågen vnd spaatrågen. *nam hîc minùs convenienter vertit,* morgenrågen vnd abendrågen.. *Etenim Jacobus istas voces videtur mutuatus ex versione Græca loci ex Deuteronomio citati: ubi habetur,* δώσει τὸν ὑετὸν τῇ γῇ σου καθ᾽ ὥραν πρώϊμον καὶ ὄψιμον. *Id est,* Dabit pluviam terræ tuæ, suo tempore, maturam & serotinam. *Ubi observandum, in Hebræo haberi* מְטַר יוֹרֶה וּמַלְקוֹשׁ *metár joréh umalkósch quod est ad verbum,* pluvia jacientis & collectionis. *Pluvia jacientis nominatur quæ cadit post semen jactum & humo mandatum: collectionis verò pluvia dicitur, quæ cadit sub tempus messis, quum fruges metuntur & in horrea colliguntur.*

8 Patientes estote] μακροθυμήσατε. *Pro,* μακροθυμήσατε οὖν: *Patientes igitur estote. Etenim hanc sententiam ex allato exemplo agricolæ infert.* Adventus] παρουσία. *Scilicet ad judicium. Synecdoche generis.*

10 Prophetas] τοὺς προφήτας. *Eodem exemplo consolatur discipulos Dominus Matth.5.v.12.* In nomine Domini] τῷ ὀνόματι Κυρίου. *Id est, ex mandato Domini. Videtur autem in Græco ex incuria scribarum omissa præpositio ἐν: quum illa phrasis usitatissima sit, & vetus interpres ita legisse videatur.*

11 Beatos pronuntiamus] μακαρίζομεν. *Ad verb. Beatificamus. Hebraismus. Sic Luc.1.v.48. in cantico Mariæ matris Domini,* μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί. *Beatam prædicabunt me omnes ætates.* Finem Domini] τὸ τέλος Κυρίου. *Exitum quem dedit Dominus afflictionibus illius, videlicet lætum: de quo vide Job.ult. v.10. & deinceps. Genitivus efficientis, & synecdoche generis.* Valde misericors] πολύσπλαγχνος. *Quasi dicas, multorum viscerum: nam σπλάγχνα viscera significat: ut cor, jecur &c. Per metonymiam verò subjecti significat misericordiam quæ in visceribus, ac præcipuè in corde, se exserit.*

12 Ne jurate: neque per cælum &c.] μὴ ὀμνύετε· μήτε τὸν οὐρανὸν &c. *In Græco subauditur νὴ. quanquam Græci utrâque formulâ utuntur. dicunt enim, ὀμνύναι νὴ τὸν Δία, & ὀμνύναι τὸν Δία. Matth.5.v.34. & deinceps, habetur alia phrasis, videlicet ὀμόσαι ἐν τῷ οὐρανῷ, ἐν τῇ γῇ: pro κατὰ τοῦ οὐρανοῦ, κατὰ τῆς γῆς.* Neque aliud ullum jusjurandum] μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον. *Hic accusativus aliâ ratione regitur à verbo ὀμνύναι, quàm præcedentes.* Sit autem vestrum Est, Est: & Non, Non] ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ, ναί· καὶ τὸ οὒ, οὔ. *Id est, Si quid vobis est affirmandum, dicite,* Est: *si quid verò negandum, dicite,* Non. *Antanaclasis in vocibus ναὶ & οὒ, paulùm diverso sensu repetitis. Pro hoc dicitur Matth.5.v.37.* ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν ναὶ ναί, οὒ οὔ. In condemnationem] ὑπὸ κρίσιν. *Pro κατάκρισιν.*

13 Affligitur aliquis &c.] κακοπαθεῖ τις &c. *Id est, Si quis affligitur inter vos, ac proinde tristis est, is oret: contrà si quis rebus secundis utitur, ac proinde bono animo est, psallat. Similis ratio loquendi ut suprà c.3 v.13. ubi plura exempla notavimus. Est autem antithesis non adversorum, sed repugnantium: qualis crebrò occurrit in Proverbiis Salomonis.*

15 Oratio fidei] ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως. *Id est, ex fide profecta. Genitivus efficientis.* Laborantem] τὸν κάμνοντα. *Id est, ægrotantem.* Remittentur ei] ἀφεθήσονται αὐτῷ. *Nempe si unà vobiscum ex fide oraverit. Sic Christus dicitur vidisse fidem illorum qui offerebant in lecto paralyticum: nempe & illorum & ipsius paralytici: ac proinde dixisse paralytico:* Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua, *Matth.9.v.2.*

16 Justi] δικαίου. *Scilicet ἀνθρώπου, id est, hominis.* Ardens] ἐνεργουμένη. *Ad verb. Operosa seu actuosa. Germanicè,* Ernbrůnstig/ *vel* Emsig.

17 Iisdem, quibus nos, affectionibus obnoxius] ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν. *Sic Act.14.v.15. Barnabas & Paulus dicebant Lystrensibus:* καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι. Et ardenter precatus est] καὶ προσευχῇ προσηύξατο. *Ad verb. Precatione precatus est. Geminatio habet vim augendi: Estq; Hebraismus. Sic,* Morte morieris: *id est, certò morieris. Est autem hoc loco simplicissima connexio sententiarum per conjunctiones copulativas ex consuetudine Hebræorum. Latini sic potiùs loquerentur: Elias homo erat iisdem quibus nos affectionibus obnoxius: & tamen quum ardenter precatus esset, ne plueret, non pluit super terram &c. Et quum precatus esset, cælum dedit pluviam &c.* Ne plueret] τοῦ μὴ βρέξαι. *Scilicet ἕνεκα.*

18 Produxit] ἐβλάστησε. *Ad verbum, Germinavit, quo verbo & Latini interdum in transitiva significatione utuntur: ut Plin. lib.7. cap.6.* Sed plurimum languoris in utroque sexu, capillum germinante partu &c.

20 Animam] ψυχὴν. *Sic & Petrus nominat σωτηρίαν ψυχῶν, salutem animarum, per synecdochen, κατ᾽ ἐξοχὴν. neque enim à salute excluditur corpus. Intelligit autem (meo judicio) animam ejus qui ab errore revocatus est.* A morte] ἐκ θανάτου. *Scilicet αἰωνίου, æterna.* Obtecturum multitudinem peccatorum] καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν. *Id est, effecturum ut Deus tegat peccata illius conversi, quantumvis multa. Metonymia effecti.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

1 Ex v.1. & deinceps usque ad 7. Divites solicitè sibi caveant, ne divitiis suis abutantur. abusus autem divitiarum hîc varius indicatur: ut quum ex illis non succurritur egestati pauperum: quum fiducia in illis ponitur: quum ex illis non statim persolvitur merces operariis: quum adhibentur ad delicias & luxum: item ad oppressionem innocentum. Ab omni isto abusu deterrere divites debet certum exitium quod ipsos manet, nisi resipuerint. Porrò resipiscentia nemini est differenda: quum non sit in hominis manu: sed hodie quum audieris vocem Dei, noli obthurare cor. *Divitiæ.*

2 Ex v.7.8.9.10.11. Notandæ sunt hîc aliquot causæ quibus moveri debemus ad patienter ferendum injurias: videlicet quòd Dominus illas suo tempore ulciscetur: quòd nos ab illis liberabit & in æterna gaudia recipiet: quòd per vindictæ cupiditatem nobis accersimus vindictam Dei adversus nostra peccata: quòd patientia injuriarum & laudem meretur apud omnes pios, & tandem lætum exitum sortitur. *Injuriæ.*

3 Ex vers.12. Juramentum temerarium cavendum est: quia à Deo punitur. *Juramentū.*

4 Ex vers.13. Nullum tempus vacuum esse debet à cultu Dei. nam in rebus adversis colendus est imploratione opis: in secundis, prædicatione bonitatis. *Officium hominis Christiani.*

5 Ex v.14.15.& 16. De officio ægrotorum. Si quis in morbum incidat: debet omnium primò diligenter apud se reminisci, nunquid illum morbum singularibus peccatis sibi attraxerit: quo comperto, debet peccata illa sua confiteri inprimis apud Deum, tum etiam apud homines, maximè apud ministros Ecclesiæ: si modò sentiet, hoc facere ad gloriam Dei, & sibi necessarium esse ad plenam consolationem, quam à fratre ex verbo Dei possit percipere ad tranquillandum conscientiam. Debet etiam à Deo petere peccatorum suorum veniam: & Ecclesiam quoque rogare ut pro se oret. Postremò remediis quoque, quorum copia datur, uti debet. Ad hanc doctrinam illustrandam facit locus Ecclesiastici cap.38. *Honora medicum &c.* *Ægroti.*

6 Ex iisdem vers. De officio Ecclesiæ erga ægrotos. Officium nostrum est, ægrotos, qui sunt ejusdem ecclesiæ membra, invisere & ex verbo Dei consolari, & pro eis Deum orare. Sic Joseph invisit ægrotantem patrem Jacobum, Gen.48. Sic Joas rex Israëlis invisit ægrotantem Elisæum, 2.Reg.13. Sic Jobum ægrotantem ac miserè afflictum invisunt amici, Job.2. Sic David Psal.41. beatos prædicat eos qui misericordiam de afflictis & ægrotantibus capiunt. Sic Christus Matth.25. docet, beneficium hoc visitationis sibi ipsi præstari quum præstatur cultoribus ipsius: proque illo & aliis misericordiæ operibus remunerationem vitæ æternæ promittit. *Ægroti.*

7 Ex v.15.16.17.18. De efficacia precum. Preces ex fide profectæ impetrant à Deo quod petunt: dummodo id faciat ad gloriam Dei & salutem electorum. *Preces.*

8 Ex v.19. & 20. De officio Ecclesiæ erga fratrem errantem. Officium nostrum est sedulò operam dare, ut fratrem in doctrina salutis errantem ab errore revocemus & Christo lucrifaciamus. Vide exemplum Pauli 1.Cor.9.v.19.20.21.22. *Officium hominis Christiani.*

F I N I S.

ANALY-

ANALYSIS LOGICA
EPISTOLÆ PETRI
prioris.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

SCOPUM *& argumentum hujus epistolæ Petrus ipse indicat sub finem, ubi ait:* Per Silvanum vobis fidelem fratrem (ut existimo) paucis scripsi, adhortans vos, & testificans, hanc esse veram gratiam Dei in qua statis. *Duo igitur potissimùm in hac epistola Petrus agit: partim enim testificatur Judæis Christianis ad quos scribit, doctrinam de gratia Dei per Christum, quam doctrinam ipsi erant amplexi, & in cujus fide atque professione persistebant, esse veram illam atque unicam æternæ salutis doctrinam; partim verò adhortatur eos, ut nimirum & in hac fide ejusq́ professione perseverent, & vitam illâ professione dignam Deoq́ placentem agant. Hæc summa est. Potest autem tota epistola, exceptâ inscriptione, distribui in octo partes. Primò enim ut eis de veritate doctrinæ Christianæ testificetur, eosq́ in illius fide confirmet; commemorat beneficia Dei spiritualia in ipsos collata & etiamnum conferenda: videlicet fidem, spem, dilectionem Christi, gaudium ex fide, & denique salutem seu vitam æternam: à v.3. capitis primi usque ad v.13. Secundò ex illa beneficiorum commemoratione deducit adhortationem ad studium pietatis: à v.13. capitis primi usque ad v.13. c. secundi. Tertiò à generali illa adhortatione transit ad speciales, præcipiens de officiis subditorum erga præfectos sibi magistratus, famulorum erga suos dominos, uxorum erga suos viros, & vicissim virorum erga suas uxores, à v.13. c. secundi usque ad v.8. capitis tertii. Quartò redit ad exhortationes generales; ac universos hortatur ad dilectionem fratrum, ad tolerantiam injuriarum, ad temperantiam, & rursus ad dilectionem fratrum solicitamq́ functionis impositæ administrationem: à v.8. capitis tertii usque ad 12. Quintò peculiariter hortatur ad tolerantiam persecutionis propter confessionem Christi: à v.12. capitis tertii usque ad capitis illius finem. Sextò redit ad exhortationes speciales: ac primùm presbyteros hortatur ad curam gregis sibi commissi, deinde juniores ad modestiam: à principio capitis quinti usque ad v.8. Septimò iterum redit ad exhortationes generales: & paucis verbis hortatur ad sobrietatem, vigilantiam, constantiam in fide & tolerantia persecutionum, v.8. & 9. Octavò epistolam concludit primùm voto, deinde doxologiâ seu celebratione nominis Dei, tum brevi præcipuorum capitum in epistola tractatorum indicatione, postremò salutationibus: à v.10. usque ad finem.*

[Margin: Scopus geminus. — Partes octo. — 1. — 2. — 3. — 4. — 5. — 6. — 7. — 8.]

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Præmissâ inscriptione, commemorat primùm spiritualia Dei in eos ad quos scribit, collata & adhuc conferenda beneficia, usque ad v.13. Deinde ex illa commemoratione deducit exhortationem ad studium pietatis, usque ad finem capitis.

INSCRIPTIO.

PETRUS Apostolus Jesu Christi, advenis dispersis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam:

2 Electis ex prænotione Dei patris per sanctificationem spiritus, ad obedientiam & aspersionem sanguinis Jesu Christi: gratia vobis & pax multiplicetur.

[Margin: Partes inscriptionis tres. 1. Subscriptio. 2. Inscriptio.]

INscriptionis partes pro more sunt tres: subscriptio, v.1. inscriptio specialiter dicta, & salutatio, v.1. & 2. Subscriptione continetur primò nomen scriptoris proprium, vel potiùs cognomen loco nominis proprii usurpari solitum: videlicet *Petrus*. Secundò additur nomen officii, nempe *Apostolus Jesu Christi*. Inscriptio specialiter dicta indicat, ad quos hæc epistola sit scripta ac missa, videlicet ad Judæos provinciales fidem Christianam amplexos: quos vocat *advenas dispersos per Pontum, Galatiam &c.* Fidem autem illorum significat descriptione, quæ sumta est partim à caussis, partim ex effectu. Causas commemorat duorum generum, efficientes duas & formam. Efficientes sunt, æternum decretum seu propositum Dei, & vocatio efficax. Decretum illud seu propositum Dei nominat *προγνώσει, prænotionem.* Vocationem efficacem notat his verbis: *Electis per sanctificationem spiritus ad obedientiam.* quorum verborum hæc est sententia, quòd Deus miserit Spiritum sanctum in corda ipsorum, qui illa sanctificaverit, hoc est, illuminando ac renovando per Evangelii prædicationem è mundo segregaverit atque elegerit, in hunc finem ut obediant Deo, credentes nimirum in Christum servatorem, qui per Evangelium ipsis fuerat oblatus. Atque hæc de causis fidei efficientibus. Forma significatur ipso vocabulo *obedientia*. Intelligitur enim (ut modò diximus) obedientia fidei. Porrò effectus fidei est remissio peccatorum, quæ notatur his verbis, *Et aspersionem sanguinis Jesu Christi:* quibus verbis significatur, per obedientiam illam fidei seu per ipsam fidem aspergi corda sanguine Christi, atque ita purificari: ut idem Petrus loquitur Actor.15.v.9. quod nihil aliud est, quàm adipisci remissionem peccatorum propter imputatum à Deo gratis meritum mortis Christi: quippe qui effusione sui sanguinis cum sensu iræ Dei, peccata nostra expiavit: proque illis judicio Dei satisfecit. Atque hæc de inscriptione specialiter dicta. In salutatione optat eis *multiplicari* seu *augeri gratiam*, id est, favorem paternum Dei, hoc est, favoris illius effecta: ac nominatim pacem, hoc est, veram felicitatem: quæ in hac vita inprimis in tranquillitate conscientiæ consistit. [Margin: 3. Salutatio.]

PRIMA PARS CAPITIS.

Gratias Deo agit pro beneficiis spiritualibus.

3 Benedictus sit Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos ad spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis:

4 Ad hæreditatem quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in cælis servatam:

5 Qui virtute Dei tanquam præsidio custodimur per fidem; ad salutem paratam patefieri tempore ultimo.

Petrus testificaturus Judæis ad quos scribit, hanc esse veram gratiam Dei, in qua stabant, (id quod sibi in hac epistola propositum fuisse, ipse declarat c.ult.v.12.) commemorat varia Dei beneficia spiritualia in ipsos partim collata, partim adhuc conferenda, videlicet fidem, spem, gaudium ex fide, perseverantiam in fide, dilectionem Christi, & denique salutem seu vitam æternam. Hanc beneficiorum commemorationem incipit à gratiarum actione seu laudatinone Dei benefactoris: & tria beneficia, fidem, spem & gaudium ex fide, comprehendit duobus verbis, ubi nominat *ἐλπίδα ζῶσαν*, *spem vivam*. nam vocabulo spei comprehendit & fidem, unde spes manat: vivam autem appellat; id est, vivificam; quippe quòd illa fides atque spes vivificat cor, videlicet gaudio illo quod cor per fidem percipit ex gustu paterni favoris Dei. Hæc autem beneficia omnia declarat & amplificat expositione causarum efficientium: indicans primò causam *προκαταρκτικὴν*, quæ Deum movit ad illa dona in nos conferenda, videlicet meritum Christi: quod innuit, quum Deum vocat *patrem domini nostri Jesu Christi*. quibus verbis significat, Christum nos sibi pretioso suo sanguine emisse, ac patris favorem nobis promeritum esse. Deinde exprimit causam *προηγουμένην*, ubi ait, *Ex multa sua misericordia.* Tertiò significat causam adjuvantem seu potiùs cooperantem, videlicet Spiritum sanctum, quatenus regenerat, ubi ait, *Regenuit nos*, nempe per Spiritum sanctum. Hanc autem Spiritus sancti operationem declarat ex forma seu modo agendi, ubi ait, *Per resur-*

rectionem Jesu Christi ex mortuis. quibus verbis innuit, Spiritum sanctum regenerare corda electorum & fidem atque spem vivam in eis efficere, dum ipsis persuadet resurrectionem Christi, eosque erudit de illius vi ac ratione: quòd nimirum resurrectio Christi sit certum argumentum expiatorum nostrorum peccatorum, & vitæ æternæ nobis partæ per mortem ipsius. V.4. commemorat beneficium quod Deus certò in credentes collaturus est, videlicet vitam æternam seu plenam fruitionem vitæ æternæ in cælis. Hanc nominat *hæreditatem*; ut significet, nos eam adepturos jure adoptionis: per fidem enim adoptati sumus in filios Dei, Johan. 1.12. Et commendat eam ab adjuncta *incorruptibilitate*: quam ipsam amplificat copiâ verborum idem significantium, vocans eam ἄφθαρτον *incorruptibilem*, καὶ ἀμίαντον *& incontaminabilem*, καὶ ἀμάραντον *& immarcescibilem*: in quarum vocum penultima videtur esse metaphora à pudicitia virginis, in ultima verò est metaphora ab herba semper virente. Item commendat eam à loco ubi servatur & ubi eâ perfruemur, videlicet *in cælis*. V.5. addit aliud beneficium, videlicet perseverantiam in fide; & proximè commemoratum repetit & declarat ex adjuncto tempore, quo in illam hæreditatem mittemur, videlicet *tempore ultimo*, id est, die ultimi judicii, quum Christus ad judicium adveniens, nos ad se assumet. Porrò perseverantiam in fide significat illustri metaphorâ à præsidio quo munitur aliquis locus contra impressionem hostium: ubi ait, *nos potentia Dei per fidem* φρουρεῖσθαι, hoc est, *velut præsidio muniri*: nempe contra tentationes Diaboli, quibus ille nos conatur à fide ac spe dejicere, atque ita vitam æternam nobis intervertere.

6 Quâ in re exsultatis, paululum nunc (si opus est) tristitiâ affecti in variis tentationibus:

7 Ut exploratio fidei vestræ multò pretiosior *exploratione* auri, quod perit, & tamen per ignem exploratur, comperiatur *vobis esse* laudi & honori & gloriæ, quum patefiet Jesus Christus.

Addit aliud Dei beneficium, videlicet *exsultationem* seu lætitiam spiritualem, quæ ex fide & spe nascitur. Hanc lætitiam amplificat antithesi *tristitiæ*, quæ nascitur ex afflictionibus: quam extenuat ab adjuncta brevitate temporis, ut ita eos consoletur: item ab adjuncta intermissione, ubi ait, *Si opus est*. quibus verbis videtur significare, non semper esse opus illâ tristitiâ: quia afflictiones non sint perpetuæ, sed interdum intermittantur. V.7. in instituta consolatione pergit, & aliud consolationis argumentum adfert: quod sumtum est à fine simul & effectu: quia Deus ipsis immittat afflictiones, non ut perdat, sed *ut exploret ipsorum fidem*: quæ res cedat ipsis *in laudem & gloriam & honorem*. Hanc explorationem amplificat collatione minoris, videlicet *explorationis auri, quod perit*: quum fides non pereat: nam etsi fides abolebitur, teste Paulo 1.Cor.13. tamen ejus fructus in æternum durabit, videlicet salus & gloria cælestis. Porrò eventum illius explorationis fidei declarat indicatione temporis, nempe *quum patefiet Jesus Christus*, in adventu scilicet ad judicium.

8 Quem etsi non videritis, diligitis: in quem nunc, *eum* non cernentes, tamen credentes, exsultatis gaudio ineffabili & glorioso:

9 Reportantes mercedem fidei vestræ, salutem animarum.

Redit ad commemorationem beneficiorum Dei: & commemorat tria: *dilectionem Christi, fidem, & gaudium ex fide*. quorum duo priora amplificat expositione causæ corrumpentis, quum ait, *eos Christum non vidisse, ac ne nunc quidem cernere*. nam hæc res poterat eos impedire quò minùs in eum crederent eúmve diligerent. Gaudium verò illud amplificat ab adjuncta magnitudine, vocans ipsum *ineffabile & gloriosum*. V.9. repetit illius gaudii causam procreantem, videl. spem certam vitæ æternæ: quòd nimirum certò sperent, *se reportaturos salutem animarum tanquam mercedem fidei* ac tolerantiæ suæ. ubi est similitudo ab operario, qui laborem tolerat spe mercedis, quam labore peracto sit reportaturus.

10 De qua salute inquisierunt, & *quam* scrutati sunt prophetæ, qui de *ventura* in vos gratia prophetarunt:

11 Scrutantes, in quem aut cujusmodi temporis articulum spiritus ille Christi, qui in ipsis *erat*, antè testificans *venturas* in Christum perpessiones & gloriam illas consequuturam, declararet *illas casuras*.

12 Quibus patefactum est, eos non sibi, sed nobis, ea administrare quæ nunc annuntiata sunt vobis per eos qui vobis prædicarunt Evangelium, per emissum è cælo Spiritum sanctum: in quæ desiderant angeli introspicere.

Hic exponit aliud Dei beneficium, videlicet *patefactionem illustrem mysterii salutis per Christum partæ, quæ patefactio fit per prædicationem Evangelii.* Hoc beneficium amplificat ab adjuncto studio prophetarum, hominum scilicet sanctissimorum & à Spiritu Dei illuminatorum: qui magno studio fuerunt occupati in hoc mysterio scrutando, ac nominatim in scrutando tempore quo Christus fuit exhibendus ut opus redemtionis atque salutis nostræ perageret, v.10.&11. Deinde amplificat hoc beneficium antithesi dissimilium: quòd nimirum mysterium hoc salutis *patefactum sit non illis, sed nobis*: initio versus duodecimi. Tertiò amplificat hoc beneficium ab adjuncta authoritate eorum, per quos hoc salutis mysterium ipsis erat patefactum, videlicet *per Apostolos à Spiritu sancto edoctos*. Postremò amplificat hoc beneficium ab effectu, videlicet desiderio angelorum: quòd nimirum hujus mysterii de salute per Christum partâ, tanta sit excellentia, sublimitas, pulchritudo, suavitas, *ut angeli quoque desiderent in illud introspicere*, ac penitiùs ipsum nosse. Videtur autem iis verbis respicere Petrus ad typum veteris testamenti, videlicet ad duos illos Cherubim, qui arcæ federis (quæ typus erat Christi) insistentes, facies suas versus operculum illius demittebant, tanquam introspicere desiderantes.

SECUNDA PARTE.

Exhortatur ad studium pietatis.

13 Quapropter succincti lumbis mentis vestræ, sobrii, integrè sperate in eam, quæ vobis deferetur, gratiam, quum patefiet Jesus Christus:

14 Ut filii obedientes, qui vos non configuretis pristinis, quæ in ignorantia vestra *viguerunt*, cupiditatibus:

15 Sed sicut is qui vos vocavit, sanctus est, ipsi quoque sancti in omni conversatione reddamini:

16 Propterea quòd scriptum est, Sancti estote: nam ego sanctus sum.

17 Et si patrem cognominatis eum qui citra personarum respectum judicat ex cujusque opere, cum timore versamini commorationis vestræ tempore:

18 Ut qui sciatis, vos non caducis *rebus*, argento vel auro, fuisse redemtos ex vana illa vestra conversatione, à patribus tradita:

19 Sed pretioso sanguine, utpote agni immaculati & incontaminati, *nempe* Christi:

20 Præordinati quidem ante jacta mundi fundamenta, patefacti verò ultimis temporibus propter vos:

21 Qui per eum creditis in Deum, qui excitavit eum à mortuis, & gloriam ei dedit; ut fides ac spes vestra in Deo esset.

Ex commemoratione beneficiorum Dei erga credentes, deducit nunc exhortationem: qua exhortatur eos ad vigilantiam & sobrietatem, ad spem vitæ æternæ, ad obedientiam erga mandata Dei, ad constantiam in fide, & denique ad charitatem erga fratres. Et has exhortationes argumentis annexis confirmat. Porrò obedientiam ponit partim in fuga operum malorum, ad quæ instigant innatæ cupiditates, partim in studio operum bonorum seu sanctitatis, v.14.&15. Exhortationem verò qua ad illam obedientiam exhortatur, confirmat primùm ab adjuncta notitia voluntatis Dei: quam notitiam significat negatione pristinæ ignorantiæ, v.14. Deinde ab exemplo Dei tanquam patris à quo vocati & adoptati sint, v.15. quod argumentum approbat testimonio scripturæ, vers.16. Tum idem argumentum repetit in principio v.17. & tertium annectit ab eventis, videlicet bonorum operum præmiis & malorum pœnis: quod argumentum innuit à proprio adjuncto Dei, quod est judicare homines citra personarum respectum ex cujusque opere, reliquâ parte v.17. Infert quoque argumentum quartum, quod sumtum est ab adjuncta præsentis vitæ conditione, quòd videlicet fideles in hac vita sint advenæ seu hospites: ac proinde non deceat ipsos voluptatibus hujus vitæ addictos esse, sed per studium sanctitatis festinare in patriam cælestem. hoc argumentum innuit, ubi vitam eorum nominat παροικίαν, id est, incolatum seu commorationem. Postea annectit argumentum quintum, à beneficio redemtionis, ac proinde ab officio redemtorum, id est, eorum qui sunt redemti: quod nimirum est, servire atque obedire redemtori, & illi omnes suas actiones approbare, v.18. Intelligit autem redemtionem è potestate Diaboli, factam per Christum. Et hanc redemtionem amplificat à magnitudine pretii quo Christus nos redemit, videlicet suo sanguine pro nobis effuso cum sensu iræ Dei. Atque hoc ipsum pretium partim amplificat collatione minorum, videlicet argenti & auri, v.18. partim declarat expositione causæ: quòd sanguis iste sit sanguis personæ innocentis ac sanctæ: quod ipsum significat & illustrat similitudine agni omni vitio carentis, qualis sub Lege ex Dei mandato fuit oblatus ad Christum præfigurandum, v.19. Præterea redemtionem illam amplificat ab æterno Dei decreto, & patefactione tunc facta per Evangelium, v.20. Postea annectit argumentum sextum, à dono fidei ac spei:

Hic incipit secunda epistolæ pars.

ac spei: quòd scilicet per Christum persuasi sint de gratia Dei sibi per mortem ipsius parta, ac proinde sperent vitam æternam. Illam autem Dei gratiam significat ex effectis duobus: videl. quòd Christum excitavit à mortuis, quodque gloriam ei dedit, nempe exaltando eum ad regnum illud cæleste, v.21.

22 Quum *igitur* animas vestras purificaveritis, auscultando veritati per spiritum, ad charitatem fraternam simulationis expertem; ex puro corde alii alios diligite intensè.

23 Quippe regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, *videlicet* per sermonem Dei vivum & manentem in æternum.

24 Nam omnis caro *est* ut gramen, & omnis gloria hominis ut flos graminis. Exaruit gramen, & flos ejus decidit:

25 Sed verbum Domini manet in æternum. hoc autem est verbum illud quod evangelizatum est vobis.

Redit ad exhortationem, & porrò hortatur partim ad constantiam in fide, partim ad charitatem erga fratres, v.22. Constantiam in fide vocat *obedientiam* seu *auscultationem veritatis*. Et hanc declarat partim ex effectu, qui est *castitas animæ*, abhorrentis nimirum ab omni falsa doctrina & idololatria: partim ab efficiente, qui est *Spiritus sanctus*. Charitatem verò erga fratres amplificat ab adjuncta *sinceritate* & vehementia seu *ardore*. Hanc exhortationem confirmat ab adjuncta facultate: quam ipsam significat expositione causæ efficientis, quæ est *regeneratio Spiritus sancti*. hæc enim homini confert facultatem faciendi quod rectum est ac Deo placens. Regenerationem autem illam spiritualem declarat ex causa instrumentali, videlicet *semine* ex quo seu per quod regenerantur electi: quod est *sermo Evangelii*. Hujus sermonis præstantiam significat partim ab adjuncta durabilitate, dum eum vocat *semen incorruptibile*, ἀφθαρτον, & *sermonem manentem in æternum*: partim verò ab effectu, dum eum nominat *sermonem vivum*, λόγον ζῶντα, id est, vivificum; quo scilicet vivificatur cor, dum per ipsum persuadetur de constante favore Dei erga se propter Christum: v.23. Tum hanc sententiam de durabilitate sermonis Dei confirmat testimonio scripturæ, v.24. & 25. Quod testimonium sumtum est ex Esa.40. v.6. ubi sententia illa illustratur antithesi *vanitatis naturæ humanæ*, quæ significatur similitudine *graminis & floris*. Ad extremum annectit illius testimonii declarationem, monens, intelligendum esse de verbo *Evangelii*: atque ita testimonium illud ad institutum suum accommodat, in fine versus ultimi.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Petrus] Πέτρος. *Proprium scriptoris nomen fuit Simeon seu Simon: quod exprimitur in principio epistolæ posterioris. Petrus verò cognominatus fuit ex eventu, videlicet propter confessionem petræ super quam ædificata est Ecclesia, id est, Christi: qua de re vide Matth.16.v.13. & deinceps. Porrò qui Græcè dicitur* πέτρος, *is Hebraicè vel potius Syriacè nominatur* κεφᾶς, *id est*, Kephas: *qua tamen vox Syriacè scribitur per vocalem non secundam, sed tertiam, nempe Kipha.* Apostolus Jesu Christi] Ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Quomodo Petrus à Christo primò quidem ad discipulatum, deinde verò ad apostolatum sit vocatus, vide* Johan.1.v.43. *Matth.4.v.18. & deinceps. Item quomodo in pristinum gradum, unde ternâ abnegatione exciderat, sit restitutus, vide* Johan.ult. *v.15. & deinceps.* Advenis] ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις. *In Græco verba trajecta sunt. nam nomen* ἐκλεκτοῖς *cohæret cum illis verbis,* κατὰ πρόγνωσιν &c. *in principio versus sequentis. Quare cum illis in versione conjunctum est perspicuitatis gratiâ.* Advenis dispersis per Pontum &c.] παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου &c. *Ad verb. Advenis dispersionis Ponti.* παρεπίδημοι διασπορᾶς *per Hebraismum dicuntur, pro* οἱ ἐν τῇ διασπορᾷ, *scil.* ὄντες: *ut loquitur Jacobus c.1. v.1. Genitivus adjuncti.*

2 Electis] ἐκλεκτοῖς. *Id est, efficaciter vocatis, atque adeò re ipsa segregatis. Metonymia efficientis: qualis in illis verbis Christi,* Ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus, Joh.15. *v.19.* Ex prænotione Dei] κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ. *Vel, Secundum prænotionem Dei. Sic nominat æternum illud decretum Dei de servandis electis; quemadmodum & Paulus Rom.8.v.29. & c.11. v.2.* Per sanctificationem spiritus] ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος. *Id est,* δι' ἁγιασμοῦ. *Hebraismus. Hoc est, qua Spiritus sanctus sanctificat corda electorum, illuminando ac renovando ea per Evangelii prædicationem. Sic Johan 17. v.17.* Sanctifica eos per veritatem tuam; sermo tuus veritas est. Ad obedientiam] εἰς ὑπακοὴν. *Id est, ad fidem in Christum: qua nimirum obeditur mandato Dei,* Hunc audite. *item,* Resipiscite & credite Evangelio. *Sic Roman.1.v.5.* Per quem accepimus gratiam & apostolatum εἰς ὑπακοὴν πίστεως, ad obedientiam fidei. *Item infr.v.22.* Animabus vestris purificatis ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας, per obedientiam veritatis, *id est, per fidem qua obeditur veritati.* Ad obedientiam & aspersionem &c.] εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν &c. *Id est, ad fidem qua asperguntur corda sanguine Christi.* ἓν διὰ δυοῖν. *Confer Act.15.v.9. ubi Petrus ait, fide purgari corda. Item Heb.9.v.18. & deinceps.*

3 Benedictus &c.] εὐλογητὸς &c. *Iisdem verbis epistolam ad Ephesios orditur Paulus, Ephes.1.v.3.* Regenuit] ἀναγεννήσας. *Videlicet per Spiritum sanctum.* Ad spem vivam] εἰς ἐλπίδα ζῶσαν. *Id est, vivificam, quæ scilicet vivificat seu lætificat cor. Metonymia effecti: qualis Joh.6.v.51. in verbis Christi,* Ego sum ὁ ἄρτος ὁ ζῶν, panis ille vivus; *id est, vivificus.* Per resurrectionem &c.] δι' ἀναστάσεως. *Id est, persuadendo cordibus nostris quòd Christus resurrexerit propter justificationem nostri, Roman.4. vers.ult. Affinis huic est sententia illa infrà cap.3. v.penult.* Servat nos bonæ conscientiæ interrogatio apud DEUM per resurrectionem Jesu Christi.

4 Nobis] εἰς ἡμᾶς. *Pro* ἡμῖν. *Hebr.* לָנוּ *lánu. Sic infrà v.25.* Verbum quod evangelizatum est εἰς ὑμᾶς, *pro* ὑμῖν. *Sic Heb.2. v.3.* Salus confirmata fuit εἰς ἡμᾶς, *pro* ἡμῖν.

5 Tanquam præsidio custodimur] φρουρουμένους. *Hoc verbo usus est Paulus Gal.3.v.23. ubi ait,* ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα, *sub Legis præsidio tenebamur.*

6 Qua in re] ἐν ᾧ. *Pronomen* ᾧ *non refertur ad nomen* καιρῷ *proximè præcedens, sed ad totum illum orationis complexum quo exposuit beneficia Dei erga ipsos.* Tentationibus] πειρασμοῖς. *Sic vocat persecutiones: quemadmodum & Jacobus c.1.v.2.*

7 Exploratio fidei vestræ] τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως. *Eadem phrasi utitur & Jacobus cap.1.v.3. Est autem pronomen* ὑμῶν *trajectum, quippe quod regitur à nomine sequenti,* πίστεως. Pretiosior exploratione auri] πολυτιμότερον χρυσίου. *Ellipsis, qualis* 1.Johan.2.v.2. *Vel potius* πολυτιμότερον *positum est pro* πολυτιμοτέρας, *ut referatur ad nomen* πίστεως: *& intelligatur, fidem cum auro conferri tanquam pretiosiorem.* Quum patefiet Jesus Christus] ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Ad verb. In patefactione Jesu Christi.*

8 Etsi non videritis] οὐκ εἰδότες. *Id est,* καίπερ οὐκ εἰδότες. *Ad amorem multum facit aspectus. quo argumento utitur & Johannes* 1.Joh.4.v.20.

9 Reportantes] κομιζόμενοι. *Id est, quippe certò reportaturi. Enallage temporis Hebraica.* Mercedem] τὸ τέλος. *Ad verb.* Finem. *Metonymia adjuncti Hebraica: nam merces datur in fine operis, seu opere peracto & ad finem perducto. unde Hebræi mercedem appellant* אַחֲרִית *ahharith, id est, finem: ut Prov.23.v.18.* Quum enim sit אַחֲרִית merces, utique exspectatio tua non succidetur. *Item metaphoricè vocant* עֵקֶב *hékeb, id est, calcaneum: quia ut calcaneus est extremum in corpore hominis, ita merces extremum est in opere. Psal.19.v.12.* In custodiendo ea, est עֵקֶב רָב *hékeb ráb,* merces multa.

11 Temporis articulum] καιρὸν. *Similiter accipitur hæc vox Act.1.v.7. Non est vestrûm, nosse tempora aut articulos temporum,* χρόνους ἢ καιρούς. Scrutantes, in quem &c.] ἐρευνῶντες, εἰς τίνα &c. *Syntaxis obscura. Censeo autem verba sic ordinanda,* ἐρευνῶντες εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ, προμαρτυρόμενον τὰ εἰς Χριστὸν (ἐλθεῖν μέλλοντα) παθήματα καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, ἐδήλου. *Scilicet* πρὸς ἐλθεῖν αὐτά. Perpessiones & gloriam] παθήματα καὶ τὰς &c. *Similiter ista duo conjungit Christus Luca 24. v.26.*

12 Per emissum &c.] ἐν πνεύματι &c. *Historia istius missionis exstat Actor 2.* Introspicere] παρακύψαι. *Videtur respicere ad Cherubim super arcam fœderis, tanquam ad typum. Vide Exod.25. v.18.19.20.*

13 Succincti lumbis mentis vestræ] ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν. *Ante* τὰς ὀσφύας *subaudiendum* ὡς. *Est autem phrasis qualis illa Rom.4. v.12.* Incedere vestigiis fidei Abrahæ, *pro eo quod est,* Incedere in fide Abrahæ, *veluti in vestigiis. Ita hîc,* Succincti lumbis mentis: *pro eo quod est,* Succincti mente, *veluti lumbis. Similis est illa exhortatio Christi Luc.12. v.35.* Sint lumbi vestri præcincti &c. Sobrii] νήφοντες. *Similis est exhortatio illa Pauli 1.Thess.5. v.6. & deinceps.* Vigilemus & sobrii simus &c. Deferetur] φερομένην. *Præsens pro futuro, ut apparet ex eo quod sequitur,* Quum patefiet Jesus Christus. *Item ex verbo* Sperate, *quod præcedit.* Gratiam] χάριν. *Id est, cælestem felicitatem & gloriam quam Deus vobis ex gratia daturus est. Metonymia efficientis.* Quum patefiet] ἐν ἀποκαλύψει. *Ut suprà v.7.*

14 Ut filii obedientes] ὡς τέκνα ὑπακοῆς. *Ad verb.* Ut filii obedientiæ. *Hebraismus, qualis in illo Col.1. v.13.* Transtulit nos in regnum τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, filii dilectionis (*id est, dilecti*) sui. *Et sic nomen Filii tacitè refertur ad Deum: quasi dicatur,* Ut filii Dei obedientes. *Potest tamen & paulò aliter exponi, videl.* Ut homines obedientes. *qui & ipse Hebraismus est, sed à priori diversus; qualis videlicet est in illa phrasi Paulina, ubi nominat* υἱοὺς τῆς ἀπειθείας, *filios inobedientiæ seu contumaciæ, id est, homines inobedientes seu contumaces: Eph.2.v.2. & cap.5.v.6. item Col.3.v.6. In priore Hebraismo genitivus notat adjunctum inhærens: in posteriore causam procreantem, idque per metaphoram.* Qui vos non configuretis] μὴ συσχηματιζόμενοι. *Hoc verbo utitur & Paulus Rom.12.v.2. ubi ait,* καὶ μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ. Quæ in ignorantia vestra viguerunt] ταῖς ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ὑμῶν. *Supple* ἐπιθυμίαις.

16 Scriptum est] γέγραπται. *Vide Levit.19. v.2.*

17 Tempore] τὸν χρόνον. *Subaudi* κατά.

18 A patribus tradita] πατροπαραδότου. *Nempè per mala exempla: à vobis autem accepta per imitationem impietatis illorum: sicut declarat Stephanus Act.7.v.51.52.*

19 Pretioso sanguine] τιμίῳ αἵματι. *Sic 1.Cor.6.v.20.* Emti estis pretio. Utpote] ὡς. *Hic notat causam. Syntaxis enim est, sanguine Christi ut agni: id est, ut qui sit agnus: videlicet agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi, Johan.1.v.21. Agnus autem nominatur Christus per metaphoram sumtam ab agnis illis veteris Testamenti, qua eum præfigurabant, quatenus Deo immolabantur: quales erant tum agnus paschalis, qui offerebatur semel quotannis, tum agni jugis sacrificii, qui offerebantur quotidie manè & vesperi. Similiter de Christo loquitur & Paulus 1.Cor.5.v.7. ubi ait,* Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus. Immaculati] ἀμώμου. *Seu* inculpati: *vel potiùs* vitio carentis. *Etenim nomen* ἄμωμος *bifariam explicari potest: ut nimirum deducatur vel à verbo* μωμᾶν, *quod est culpare; vel à nomine* μῶμος, *quatenus significat maculam vel dedecus; quod ipsum nomen ortum videtur ex Hebræo* מוּם *múm, quo propriè significatur vitium aliquod corporis; ut quum quis est cæcus aut claudus, &c. quemadmodum hæc vox declaratur Levit.21.v.18. & deinceps. Et sic præcipitur Levit.22.20. ne offeratur pecus in quo sit* מוּם *múm, id est, corporis vitium. Opponitur autem illi pecus* תָּמִים *thamím, id est, integrum, ibid.v.19. Et sic Exod.12. v.5. præcipitur de agno paschali, ut sit* תָּמִים *thamím, id est, integer, omnis scilicet vitii expers: verbi gratiâ, non cæcus, non claudus, non scabiosus &c. Idem præcipitur de agnis jugis sacrificii, Num.28.3. Quo ipso nimirum sanctitas Christi, tanquam victimæ, præfigurata fuit. Sic dicitur de Christo Heb.9.14. quòd obtulerit seipsum Deo* ἄμωμον, *inculpatum seu vitii expertem.* Incontaminati] ἀσπίλου. *Seu,* immaculati. *Nàm* ἄσπιλος, *ὁ μὴ ἔχων σπίλον, qui non habet maculam: ut loquitur Paulus de Ecclesia, Eph.5. v.27. Videtur ergo hic locus sic vertendus:* Utpote agni vitio carentis & immaculati.

20 Præordinati quidem] προεγνωσμένου μὲν. *Id est, æterno Dei decreto ordinati in agnum seu victimam offerendam suo tempore pro Ecclesia. Hanc esse istius verbi hoc loco significationem: percipitur ex collatione tum sententiæ præcedentis, ubi Christus nominatus est agnus, cujus sanguine Ecclesia sit redemta: tum sententiæ sequentis, ubi dicitur, Christum patefactum esse ultimis temporibus. Similiter & Paulus verbo* προγινώσκειν *æternum Dei decretum notat Rom.8.v.29. & cap.11.v.2. Item Petrus nomine* προγνώσεως, *suprà v.2.* Ante jacta mundi fundamenta] πρὸ καταβολῆς κόσμου. *Seu, ante fundationem mundi. Ad verb. Ante dejectionem (scilicet fundamentorum) mundi, hoc est, ab æterno.* Patefacti verò] φανερωθέντος δὲ. *Seu manifestati: scilicet in carne: ut loquitur Paulus 1.Tim.3.v.16.* Ultimis temporibus] ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν χρόνων. *Scilicet mundi; nam mundus hic habebit finem.*

21 Gloriam] δόξαν. *Confer Philip.2.v.9.10.11.*

22 Auscultando veritati] ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας. *Seu, per obedientiam veritatis.* ἐν *pro* διὰ, *more Hebræorum. Est autem hæc periphrasis fidei, quippe qua obeditur veritati Evangelii. Genitivus objecti, & synecd. generis. Et sic idem Petrus Act.15.9. ait, fide purificari corda. Porrò vocabulum* ὑπακοῆς *similiter interpretati sumus suprà v.2.* Per spiritum] διὰ πνεύματος. *Id est, per operationem Spiritus sancti.*

23 *Videlicet* per sermonem] διὰ λόγου. *Hæc præcedentibus annectuntur per appositionem & per ἐπεξήγησιν, mutatâ parumper phrasi. Appositionis enim forma postulabat dici* ἐκ λόγου: *sicut dictum fuit* ἐκ σπορᾶς. Per sermonem Dei vivum & manentem in æternum] διὰ λόγου ζῶντος Θεοῦ καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα. *Alii:* Per sermonem Dei vivi & manentis in æternum. *Sed nostram versionem confirmat, ac planè postulat, testimonium quod mox affertur ex Esaia, ubi habetur:* Verbum Domini manet in æternum. *Participia igitur illa,* ζῶντος *&* μένοντος, *conveniunt hîc non cum nomine* Θεοῦ, *sed cum nomine* λόγου. *Quòd si participium* ζῶντος *conveniret cum nomine* Θεοῦ, *sic potiùs verba ordinasset Petrus,* διὰ λόγου Θεοῦ ζῶντος *&c. Tremellius quoque è Syro ad eundem modum convertit. Vocat autem* λόγον ζῶντα, *sermonem vivum: vel per metaphoram, ut significet sermonem efficacem, quemadmodum Hebr.4.versu 12. vel per metonymiam effecti, ut significet sermonem vivificum, qui scilicet vivificat corda credentium: quo sensu Christus nominatur panis ille vivus, Joh.6.v.51.*

25 Vobis] εἰς ὑμᾶς. *Ad verbum, Ad vos. Hebraism. qualis suprà vers.4.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

Fides. 1 Ex v.1.& 2. Ex verbis: *Electis secundùm prænotionem Dei patris, in sanctificatione spiritus, ad obedientiam.* Fides qua obeditur Evangelio, ac proinde creditur in Christum, dependet à prænotione seu prædestinatione Dei patris, tanquam causâ primâ seu summâ, antecedente in mente illius: & à sanctificatione spiritus, id est, operatione spiritus sancti, tanquam causâ agente proximâ. Illa autem operatio gemina est: videlicet mentis illustratio ad cognoscendum doctrinam salutis, & voluntatis inflexio sive inclinatio ad acquiescendum in sancta Dei voluntate per doctrinam verbi Dei patefactâ. Porrò fidem pendere à prædestinatione, etiam alibi tradit scriptura: ut Johan.6.v.37. *Quicquid dat mihi pater, ad me veniet.* Actor.13.v.48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Rom.8.v.30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit,* scilicet efficaciter: id est, fide donavit, ut percipitur ex verbis sequentibus, *Et quos vocavit, eos etiam justificavit.* Tit.1.v.1. fidem salvificam Apostolus nominat *fidem electorum Dei*: quo significat, esse electorum propriam, ac ab electione atque prædestinatione Dei dependere. Deinde fidem effici à Spiritu sancto, docent hæc quoque scripturæ testimonia. Matth.16.v.17. Christus ait Petro: *Caro & sanguis non revelavit tibi,* (nempe id quod de me confessus es, me scilicet esse Christum, filium illum Dei viventis) *sed pater meus qui est in cælis.* Pater autem revelat mysteria regni cælorum per Spiritum sanctum. Johan.6.vers.44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Trahit autem Pater corda electorum, per Spiritum sanctum, flectendo illa in obedientiam Evangelii. Ibid.vers.45. *Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Docet autem Pater electos intus per Spiritum sanctum, & per hujus illuminationem illi à Patre discunt. Actor.16. vers.14. *Dominus adaperuit cor Lydiæ ut attenderet ea quæ dicebantur à Paulo.* Adaperuit autem per Spiritum sanctum. Si ipsa quoque attenta auscultatio Evangelii ac studium discendi doctrinam salutis, efficitur à Spiritu sancto: quantò magis doctrinæ illius fides?

2 Ex iisdem verbis: *Electis secundùm prænotionem.* Cavendum, ne his verbis abutamur ad stabiliendam errorem de causa electionis divinæ, quasi scil. causa illius sit præscientia seu prævisio nostræ fidei, aut bonorum operum, aut denique boni usus liberi arbitrii. Etenim vocabulo προγνώσεως id non significare vult Petrus: sed significat decretum Dei, à libera ejus potestate dependens; ut percipitur ex collatione cum vers.20. infrà, ubi Christum dicit προεγνωσμένον πρὸ καταβολῆς κόσμου, prædestinatum seu præordinatum (id est, æterno decreto ordinatum, ut scil. esset agnus seu victima pro nobis, ad nos redimendum, ex v. præcedente) ante jacta fundamenta mundi. Huc facit etiam collatio aliorum locorum, ubi vocabulum istud πρόγνωσις habetur; ut Act 2.v.23. Rom.8.v.29.& cap.11.v.2. *Electio. Vindicatio verborum, Electis secundùm prænotionem.*

3 Ex v.2. ex verbis: *Ad obedientiam.* Fidei forma est, obedientia erga mandatum Dei quo jubet credere in Christum, ac proinde promissionem Evangelii privatim sibi applicare. Cujus rei exemplum charissimum habemus in Apostolo Paulo, dicente Gal.2.20. *Christus dilexit* ME, *ac tradidit semetipsum* PRO ME. *Fides.*

4 Ex eod.v.ex verbis: *Ad obedientiam & aspersionem sanguinis Jesu Christi.* Per fidem corda asperguntur sanguine Jesu Christi: ac proinde sanguis Jesu Christi, quatenus nimirum effusus est cum sensu iræ Dei ad expiandum nostra peccata, est illa res quæ nobis per fidem ad justitiam coram Deo imputatur; ut loquitur Paulus Rom.4.v.3.5.6.9.10.11.22.23.24. Etenim aspersio seu purgatio cordium est ipsa peccatorum remissio: hæc autem est illa ipsa justitia qua consistimus coram Deo; ut liquet ex verbis Pauli Rom.4.v.6.& 7. si duo illi versus inter se conferantur. nam quod v.6. vocat *imputare justitiam*, idipsum v.7. nominat *remittere iniquitates.* Idem colligitur ex verbis Christi Luc.18.v.13. & 14. si item inter se duo illi versus conferantur. Etenim quod v.13. dicitur, *Deum propitium esse peccatori,* (quod nihil aliud est, quàm remittere illi peccata) id ipsum v.14. nominatur *justificari,* nempe à Deo. Justificare autem dicitur Deus, quando homini justitiam imputat, ac proinde justum pronuntiat: ut notum est ex epistola ad Romanos. *Justificationis causa meritoria.*

5 Ex iisd.verbis: *Aspersionem sanguinis &c.* Aspersio cærimonialis & sacra sanguinis victimarum in veteri testamento, fuit sacramentum seu sacrum signum ac divinum testimonium aspersionis cordium spiritualis per sanguinem Christi, id est, remissionis peccatorum, tanquam sanguine Christi expiandorum. Sic Paulus Heb.9. v.13.& 14. *Si sanguis taurorum & hircorum & cinis juvencæ, aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis puritatem: quantò magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum, seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad serviendum Deo vivo?* *Sanguis Christi.*

6 Ex eod.v.ex verbis: *Gratia & pax vobis multiplicetur.* Non est satis, gratiam Dei & pacem semel percepisse; sed opus est perpetuo incremento, quod quidem à Deo quotidianis precibus petendum, & perpetuo verbi Dei studio comparandum. *Officium hominis Christiani.*

7 Ex v.3. ex verbis: *Benedictus Deus &c.* Quoties recordamur (recordari autem subinde debemus) beneficiorum Dei, maximè verò spiritualium & ad æternam salutem pertinentium, collatorum, sive in nos, sive in fratres, hoc est, fidei Christianæ socios; debemus erumpere in laudes Dei; idque exemplo apostoli Petri hoc loco, itemque Pauli in principiis omnium ferè epistolarum. *Officium hominis Christiani.*

8 Ex eod.v.ex verbis: *Qui ex multa sua misericordia &c.* Spes vitæ æternæ, sicut & ipsa fides, est donum Dei gratuitum, quod efficitur in nobis per regenerationem Spiritus sancti, illuminantis mentes nostras cognitione mysterii salutis, & flectentis corda ad assensum promissionis gratiæ, atq; inde manantem fiduciam in gratia Dei per Christi mortem partâ acquiescentem. Idem tradit Paulus Eph.2. ubi fidem ait esse donum Dei. *Spes.*

9 Ex eod.

Spes. 9 Ex eod. v. ex verbis: *In spem vivam.* Spes vitæ æternæ ex fide manans, vivificat cor: id est, afficit cor gaudio spirituali: quod gaudium vitæ æternæ initium est. De hoc gaudio ait Paulus Rom. 14. v. 17. *Regnum Dei non est esca & potus: sed justitia & pax & gaudium per Spiritum S.* Et de hac vita cordis, id est, lætitiâ spirituali, loquitur etiam Christus Joh. 6. v. 51. 53. 54. 57. 58. ubi docet, carnem suam, quatenus pro mundi vitâ data est, esse panem vivum, hoc est, vivificum: quem qui non ederit, non habeat vitam in se: qui verò eum ederit, illum habere jam vitam æternam. Et c. 5. v. 25. *Veniet tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent.* ubi loquitur de mortuis spiritualiter, & de voce Evangelii, & de vita cordis spirituali.

Spes. Resurrectio Christi. 10 Ex eod. v. ex verbis: *Per resurrectionem Jesu Christi.* Ex fide resurrectionis Christi nascitur spes vitæ æternæ, quatenus credimus, Christum resurrexisse ad justificationem nostri, Rom. 4. v. ult. & ipsum esse caput nostrum, 1. Cor. 15. v. 22. Nam si resurrexit ad justificationem nostri: resurrectione sua demonstravit, se nobis suâ morte promeritum esse justitiam qua coram Deo justificamur, & ex consequenti adoptionem ac jus vitæ æternæ. Si verò Christus est caput nostrum: ergo nos sua membra ad se assumet; ut simus ubi ipse est, & videamus gloriam ejus, & æternis gaudiis unà cum ipso in cælis perfruamur.

Vita æterna. 11 Ex v. 4. *In hæreditatem &c.* Quum vita æterna nominetur hæreditas: consequens est, eam nobis dari non propter nostra merita, sed ex gratia Dei adoptantis nos sibi in filios. Sic Matt. 25. v. 34. κληρονομήσατε, *hereditario jure possidete, regnum vobis paratum &c.*

Consolatio. 12 Ex eodem verbo. Si contingat nos privari hæreditate terrenâ, ac omnino bonis terrenis; maximè si id fiat propter confessionem Evangelii: consolemur nos spe certâ hæreditate cælestis. Hoc consolationis argumento utitur & Christus Matth. 5. v. 10. ubi ait, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* item cap. 19. v. 29. *Quisquis reliquerit domos aut fratres &c. causâ nominis mei: centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis jure possidebit.*

Cælum. 13 Ex eodem v. ex verbis: *Servatam in cælis.* Quum cælum à Petro nominetur tanquam certus locus, ubi credentibus asservatur hæreditas illa vitæ æternæ: consequens est, falsum esse dogma eorum qui tradunt, cælum esse ubique. Confer Johan. 14. v. 2. & c. 17. v. 24. 2. Cor. 12. v. 2. Col. 3. v. 1.

Fides. 14 Ex v. 5. *Qui potentiâ Dei custodimur per fidem.* Vera fides adjunctum habet perseverantiæ donum: quæ res magnam piis consolationem affert: ut qui sibi conscii sint suæ imbecillitatis. Confer Luc. 22. v. 32. Joh. 10. v. 28. Rom. 8. v. 38. & 39. 1. Cor. 10. v. 13. Phil. 1. v. 6. 2. Tim. 2. v. 19. Cavendum autem ne hac doctrina abutamur ad securitatem carnis. nam per nos non stat quin fidem amittamus. Contra quam securitatem in conspectu habenda illa exhortatio Pauli: *Qui sibi videtur stare, videat ne cadat,* 1. Cor. 10. v. 12. item illa: *Ne effertor animo, sed time,* Rom. 11. v. 20.

Consolatio. 15 Ex v. 6. *Qua in re exsultatis &c.* item ex v. 7. *Ut exploratio fidei &c.* Contra crucem cui in hac vita subjecti sumus, consolemur nos spe certâ salutis æternæ. Confer Matt. 5. v. 10. 11. Rom. 5. v. 3. 4. 5. Item consolemur nos à brevi duratione crucis: quam considerandam proponit & Paulus 2. Cor. 5. v. 17. ubi ait, *Momentanea levitas afflictionis nostra excellentissimè æternum pondus gloriæ conficit nobis.* Item Rom. 8. v. 18. *Statuo non esse paria quæ præsenti tempore perpetimur, futuræ gloriæ in nobis retegendæ.* Præterea consolemur nos à crucis utilitate: quippe quòd per eam fides nostra exploratur: quæ ubi proba & constans fuerit reperta, res illa nobis cedit in laudem & gloriam & honorem.

Fides. 16 Ex v. 8. *Quem quum non videritis &c.* Homo Christianus, nitens verbo Dei, credit in Christum; etiamsi illum videre nondum contigit: quia certò persuasus est, se illum aliquando visurum, & æternis gaudiis unà cum ipso fruiturum Confer 1. Joh. 3. v. 2. Joh. 17. v. 24. & cap. 20. v. 29. Heb. 11. v. 1. ubi fides dicitur esse ἔλεγχος ὐ βλεπομένων.

Fides. 17 Ex eod. v. ex verbis: *Quem diligitis.* Qui verè in Christum credit, is eundem diligit. Qui autem Christum diligit, is servat mandata ipsius, ac proinde diligit & fratres: Joh. 13. v. 34. Quare qui fratres non diligit, is verâ fide caret.

Fides. 18 Ex eod. v. *Credentes exsultatis gaudio.* Vera fides ex se parit gaudium spirituale. de quo plura diximus ad vers. 3. ad verba, *Spem vivam.*

Vita æterna. 19 Ex v. 9. *Reportantes mercedem fidei &c.* Cavendum ne his verbis abutamur ad concipiendum vel confirmandum errorem de nostris meritis, quasi scil. vitam æternam nostrâ fide aut operibus mereamur. Nam vita æterna nominatur merces fidei non propriè loquendo, quippe quum fides sit donum Dei: sed per metaphoram; quia plena possessio ac fruitio vitæ æternæ dabitur credentibus in vespera hujus mundi, postquam in vinea Domini sedulò laboraverint, & crucem patienter toleraverint: sicut merces operariis dari solet vesperi post labores peractos: quemadmodum monet Dominus per parabolam de operariis in vineam conductis, Matth. 20. Dabitur autem hæc merces ex gratia: sicut eâdem parabolâ docet Christus, quum narrat, ultimis æquè datum esse denarium ac primis, & patremfamiliàs dixisse murmurantibus primis, *Annon licet mihi, quod volo, facere in meis? an oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?*

Evangelii. 20 Ex v. 10. & deinceps, *De qua salute &c.* Non est præstantior doctrina sub cælo, quàm doctrina Evangelii: idque propter has rationes, quas hoc loco indicat Petrus. Nempe primò, quia est doctrina de salute animarum. Secundò, quia de illa salute, cujus rationem Evangelium tradit, magno studio inquisiverunt & scrutati sunt sancti prophetæ, & ad illam pertinentia per Spiritum Christi prædixerunt. Tertiò, quia sancti apostoli magno studio Evangelium prædicarunt: & hanc ad rem instructi fuerunt singularibus donis Spiritus sancti: ut dono linguarum, dono miraculorum, intelligentiâ scripturarum propheticarum, libertate loquendi, & alacritate adeundi pericula; atque perpetiendi supplicia propter hanc doctrinam. Quartò, quia tanta est hujus doctrinæ sublimitas ac pulchritudo & suavitas, ut ipsi quoq; sancti angeli desiderent in mysteria illa introspicere, ac penitiùs ea cognoscere. Admirantur enim haud dubiè summam illam Dei sapientiam quæ per Evangelium revelatur: sapientiam, inquam, Dei in procuranda salute electorum per Christum. Cujus quidem sapientiæ multiplex est ratio: ut quòd genus humanum tale condidit, ut posset labi in peccatum: quòd lapsum permisit, ut haberet materiam exercendæ tum justitiæ in puniendis reprobis, tum misericordiæ in salvandis electis: quòd ad salvandum electos hominem fieri voluit filium unigenitum, ut ita frater illorum ac sponsor pro illis factus satisfaceret pro eis justo judicio ipsius, perpetiendo pœnam illis debitam: quòd in persona Filii voluit pati Deum, impatibili tamen permanente deitate: quòd in persona ejusdem voluit adorari hominem absque idololatria, salvo scil. honore deitatis. Hæc & similia Evangelii mysteria meritò etiam sanctos angelos in admirationem rapiunt. Atque hinc est quòd Evangelii doctrina passim mysterium regni Dei appellatur, quodque hæc Dei sapientia valde extollitur: ut Marc. 4. ait Christus Apostolis: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* Matth. 11. v. 25. Christus de doctrina Evangelii loquens, ait: *Celebro te Pater, domine cæli & terra, quòd absconderis hæc à sapientibus &c.* Rom. 16. v. 25. Paulus Evangelium nominat *revelationem mysterii temporibus sæcularibus taciti.* Sic 1. Cor. 2. v. 7. Evangelium commendat his verbis: *Loquimur sapientiam Dei in mysterio, occultam illam, quâ prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram &c.* Et ejusdem epistolæ c. 4. v. 1. *Sic de nobis reputet homo, ut de ministris Christi & dispensatoribus mysteriorum Dei.* Sic Eph. 3. v. 4. commemorat suam intelligentiam in mysterio Christi. Et ejusdem epistolæ c. 6. v. 19. vult pro se orari, *ut detur sibi sermo ad apertionem oris sui cum libertate, ut notum faciat mysterium Evangelii.* Sic Col. 1. v. 26. sermonem Dei (id est, Evangelium) vocat *mysterium absconditum à sæculis &c.* Et c. 2. v. 2. doctrinam Evangelii vocat *Mysterium Dei & patris & Christi.* Et cap. 4. v. 3. vult pro se orari, *ut Deus aperiat sibi ostium sermonis, ut loquatur mysterium Christi.*

Novi testamenti tempus. 21 Ex iisdem versibus. Melior est conditio nostra in novo testamento, quàm fuit illorum qui vixerunt sub testamento veteri. Illi enim Christum venturum & opus redemtionis peracturum, & vaticiniis prophetarum cum desiderio exspectarunt: nos verò eundem venisse & opus redemtionis peregisse, ex apostolica Evangelii prædicatione scimus. Atque hoc nomine Christus ipse beatos prædicat Apostolos Matth. 13. v. 16. & 17. item Luc. 10. v. 23. & 24.

Spiritus S. 22 Ex vers. 11. Quum Spiritus sanctus appelletur hîc spiritus Christi: consequens est, eum non minùs à Filio quàm à Patre procedere seu emanare, ἐκπορεύεσθαι.

Spiritus S. 23 Ex eod. vers. Quum Spiritus sanctus prophetis revelaverit longe-post-futura: consequens est, ipsum esse verum Deum.

Evangelii. 24 Ex v. 11. & 12. Evangelium duo potissimùm de Christo annuntiat, perpessiones & consecutam gloriam. quarum illas sustinuit ut populi Dei sacerdos: hanc adeptus est ut populi Dei rex. Hæc duo ipse quoque Christus conjungit Luc. 24. v. 26. quum duobus discipulis Emmauntē euntibus dicebat: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam?*

Vigilantia. Studium sanctitatis. 25 Ex v. 13. & deinceps notandæ sunt aliquot causæ quibus fideles moveri debent, tum ut perpetuò vigilent & adventum Christi cupidè exspectent: tum ut Deo, tanquam patri, obediant & sanctitati studeant. Nempe primùm, quia acceperunt à Deo promissionem salutis atque gloriæ cælestis ex gratia propter Christum donandæ. hæc causa notatur conjunctione syllogisticâ διὸ, id est, *Quapropter,* in principio v. 13. quasi dicat: Quia igitur (ut monui) servatur vobis hæreditas in cælis, sup. v. 4. & salus parata est patefieri tempore ultimo, v. 5: & salus animarum vobis reposita est tanquam merces fidei, v. 9: idcirco succincti lumbis mentis vestræ, sobrii, integrè sperate &c. Deinde quia præditi sunt cognitione voluntatis Dei. hæc causa notatur v. 14. ubi ait, Ne conformetis vos pristinis quæ in ignorantia vestra viguerunt, cupiditatibus. Confer Rom. 13. v. 12. & 13. Eph. 5. v. 8. & deinceps. 1. Thess. 5. v. 4. & deinceps. 1. Joh. 2. v. 8. & 9. Tertiò, quia Deus, pater ipsorum, sanctus est. hæc causa indicatur vers. 15. 16. & 17. Quartò, quia Deus pios præmiis æternis donabit, impios verò æterno exitio puniet, hæc causa notatur v. 17. ubi ait, Deum citra personarum respectum judicare ex cujusque opere. Quintò, quia fideles in hoc mundo sunt advenæ seu hospites, peregrinantes à Domino, ac tendentes in cælum tanquam patriam. hæc causa significatur vers. 17. ubi præsens vita fidelium nominatur

παροικία. Sextò, quia redemti sunt ex potestate Diaboli, pretioso sanguine Christi, idque ex merâ Dei gratia, citra omne suum meritum: quippe quum Christus ad hoc sit præordinatus ante jacta fundamenta mundi. hæc causa exprimitur v.18.19. & 20. Septimò, quia per Christum donati sunt fide ac spe vitæ æternæ. hæc causa indicatur v.21.

Redemtio. Justificationis causa meritoria. 26 Ex v.18. & 19. Pretium redemtionis quo redemti sumus è potestate Diaboli, & vindicati in libertatem filiorum Dei, est sanguis Christi, quatenus cum sensu iræ Dei adversus nostra peccata effusus est, quum Christus tanquam agnus jugularetur, id est, crucifigeretur. Hinc efficitur, per illam sanguinis illius effusionem expiata esse nostra peccata, remissionemque eorum (quæ est justitia qua consistimus coram Deo) nobis partam. unde porrò efficitur, passionem illam Christi esse eam rem quæ nobis ad justitiam à Deo imputatur. Confer Rom.3. v.24. & 25. & & cap.4.v.25.& c.5.v.9.& 10. Gal.3.v.13.& 14. Eph.1.v.7. Heb.9. v.11.& deinceps.& c.10.v.5.& deinceps.

Redemtio. Sanguis Christi. 27 Ex iisdem versibus. Pretiositas sanguinis Christi in nobis redimendis pendet à dignitate personæ: quæ est sancta, omnisque peccati expers. quam sanctitatem hîc significat Petrus, quatenus Christum comparat agno legali, qui Christum præfigurabat, quemque oportebat omnis vitii esse expertem. qua de re vide Exod.12.v.5. Sed insuper sciendum, vim pretii sanguinis illius pendêre inprimis à sanctitate naturæ divinæ in Christo: quia nimirum sanguis ille, est sanguis non tantùm sancti atque innocentis hominis, sed sanguis ipsius Dei: sicut nominatur à Paulo Act.20. vers.28. ubi ait, *Deum proprio sanguine Ecclesiam acquisivisse.*

Agnus paschalis. Typus Christi. 28 Ex v.19. ex verbis: *Tanquam agni immaculati &c.* Agnus paschalis fuit typus Christi, ac proinde sacramentum seu testimonium divinum remissionis peccatorum comparandæ per mortem Christi. Idem significabat & Johannes Baptista, quum Christum digito demonstrans diceret, *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.* Item Johannes Apostolus, quum evangelicæ suæ historiæ c.19. ait, in Christo impletam esse scripturam illam, *Ne frangatis ei os.* Nec non Paulus 1.Cor.5. ubi ait, *Nos quoq; habere pascha nostrum pro nobis immolatum, nempe Christum.* Eandem rationem habebant solennes illæ victimæ quas in festo expiationis offerebat summus sacerdos: sicut docet Apostolus Heb.9.& 10.

Salus. Prædestinatio. 29 Ex v.20. Quemadmodum ipsa salus, ita etiam media ad illam nobis comparandam necessaria, à prædestinatione Dei pendent. Sicut hoc loco expresse dicitur, Christum prædestinatum esse ante jacta fundamenta mundi, videlicet ad fungendum officio mediatoris, & salutem æternam nobis acquirendam. Et sic intelligenda quoque sunt verba Pauli Eph.1.v.4. ubi ait, *Deum elegisse nos in Christo ante jacta fundamenta mundi.* id est, (ut ipse mox declarans loquitur v.5.) *prædestinasse nos in adoptionem filiorum per Christum*: ut nimirum per hunc tanquam mediatorem, adoptionem illam ac inde dependentem hæreditatem seu salutem æternam nobis conferret. Quare gratuitam Dei bonitatem, exclusis nostris meritis, in toto salutis nostræ negotio agnoscamus ac prædicemus.

Christus. 30 Ex eod.v. ex verbis: *Patefacti verò ultimis temporibus.* Si quis quærat, cur Christus non citiùs patefactus sit, sed ultimis demum mundi temporibus: respondendum, id factum esse, quia Deus ita decreverat: id quod significat Paulus Gal.4.v.4. ubi ait, *Quum venisset τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου*, id est, *complementum temporis*, (à Deo scil. prædestinati) *Deum emisisse filium suum &c.* Cur autem ita decreverit, non decet nos inquirere: quum non sit patefactum in scriptura.

Christus. 31 Ex v.21. ex verbis: *Qui per eum creditis Deo.* Christus, servator noster est non solùm suo merito, de quo supr. v.18. & 19. sed etiam efficaciâ: quia per eum credimus: id est, quia ipse in nobis efficit fidem, qua meritum in verbo Evangelii oblatum amplectimur, nobisque applicamus.

Fides. 32 Ex eod.v. ex verbis: *Qui excitavit eum &c.* Fides remissionis peccatorum per mortem Christi partæ, confirmatur ex fide resurrectionis ejus: quippe quæ evidens argumentum est placationis Dei. Nisi enim Deus Christo ac propter illum nobis fuisset placatus, in quem pro nobis morientem effuderat omnes fluctus iræ suæ adversus nostra peccata: non excitasset eum ex morte ad vitam & gloriam æternam. Hunc sensum habet quod ait Paulus Rom.4. v.ult. *Christum excitatum esse ad justificationem nostri*, videl. testificandam. Huc etiam pertinet illud 1.Cor.15. *Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris.*

Fides. 33 Ex v.22. ex verbis: ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας. Fides est obedientia veritatis: id est, qua obeditur veritati, videlicet Evangelii: quatenus nimirum obeditur mandato Dei, quo jubet credere in Christum, & quatenus creditur testimonio Evangelii, quo testatum fit, quòd Deus credentibus in Christum remittat peccata, eosque paterno favore complectatur.

Fides. 34 Ex eod.v. ex verbis: *Animabus vestris castificatis per obedientiam veritatis ad amorem fratrum.* Ex fide nascitur dilectio tum Dei, tum proximorum, ac inprimis filiorum Dei. Quarum illa hic notatur per castificationem animarum, ista verò per φιλαδελφίαν. Nam qui Deum verè diligit, is animo suo castè illi adhæret, eumque solum ex ipsius præscripto colit; contraque omnem idololatriam, tanquam spiritualem scortationem, fugit. Item qui Deum verè diligit, is etiam propter Deum diligit proximum, ac inprimis fratres, id est, domesticos fidei & filios Dei: ut nimirum Deum honoret, qui hanc dilectionem præcepit.

35 Ex eod.v. ex verbis: *Ad amorem fratrum simulationis expertem &c.* Dilectio proximi, ac inprimis fratrum, id est, filiorum Dei seu fidelium, debet esse expers simulationis seu fictionis, debet proficisci ex puro corde, denique debet esse intensa. Confer 1.Joh.3.v.18. *Ne diligamus verbo &c.* Item Jacob.2.v.15.& 16. *Si frater aut soror nudi fuerint &c.* *Dilectio proximi.*

36 Ex v.23. & 25. Evangelium est instrumentum, quo Deus regenerat electos, & corda eorum vivificat. Regenerat autem quatenus & mentes illustrat cognitione voluntatis Dei de salute nostra per Christum, & voluntates flectit ad assensum testimonii gratiæ, & fiduciam in gratia Dei propter Christum acquiescentem, & denique corda accendit dilectione Dei & serio studio ei placendi, ac proinde obsequendi illi secundùm omnia ipsius mandata. Vivificat autem corda, quatenus eis gustandum præbet favorem paternum Dei, quo ipsos in Christo complectitur. Quare Evangelium magnifaciamus, ac studiosè audiamus: ut ita in novo homine, ad quem regeniti sumus, crescamus atque adolescamus usque ad plenam mensuram adulti Christi, Eph.4.v.13. *Evangelium.*

37 Ex eod.v. ex verbis: *Non ex semine corruptibili &c.* Semen verbi gratiæ seu Evangelii, quum semel in corda receptum est & radices egit, non interit, sed manet in æternum. unde efficitur, veram fidem nunquam amitti aut penitus exstingui. Etsi autem interdum languescat, & vel sub cineribus securitatis carnalis sepeliatur, vel mole tentationum spiritualium supprimatur: tandem tamen rursus emergit ac in flammam erumpit: ut perspicere est in exemplo Davidis, Psal.51.& 73. Huc pertinet illa promissio: *Linum fumans non exstinguet, & calamum quassatum non confringet*, Esa.42.v.3. *Fides.*

38 Ex v.24. Homo à natura est caro & gramen: id est, infirmus ad comparandum sibi veram ac solidam felicitatem. Et gloria ejus est ut flos graminis. nam ratio qua cæteras animantes antecellit, excogitat quidem varias felicitatis vias, iisque ad tempus sibi placet: sed tandem prorsus evanescit. Quare hanc naturæ nostræ infirmitatem agnoscentes humiliemus nos coram majestate Dei, ejusque gratiam imploremus. *Homo.*

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

In hoc capite primùm pergit in instituta exhortatione generali seu communi & ad omnes credentes pertinente, ad studium scilicet sanctè vivendi, usq; ad v.13. Deinde subjungit exhortationes speciales ad obedientiam erga superiores, reliquâ parte capitis.

PARS PRIOR.

Pergit in instituta exhortatione ad studium pietatis.

PRoinde depositâ omni malitiâ, & omni dolo & simulationibus & invidentiis, & omnibus obtrectationibus:

2 Ut modò nati infantes, lac illud sermonis sincerum expetite, ut per illud adolescatis:

3 Si quidem gustastis quòd bonus sit Dominus.

4 Ad quem accedentes, qui est lapis vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus ac pretiosus:

5 Ipsi quoque veluti vivi lapides, ædificati, fiatis domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per Jesum Christum.

6 Quapropter etiam continetur in scriptura, Ecce pono in Sion lapidem in imo angulo, electum, pretiosum: in quem qui credit, nequaquam pudefiet.

7 Vobis igitur *est* pretium, qui creditis: immorigeris verò, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est caput anguli, & lapis ad quem impingitur, & petra offendiculi:

8 *Nempe* iis, qui impingunt ad sermonem immorigeri: ad quod etiam positi fuerunt.

9 Vos autem *estis* genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem *sibi Deus* ut proprium vendicat; ut virtutes prædicetis illius, qui vos vocavit è tenebris in admirabilem suam lucem.

10 Qui quondam *eratis* non populus, nunc autem *estis* populus Dei: qui eratis non consequuti misericordiam, nunc autem estis misericordiam consequuti.

11 Dilecti, precor ut tanquam inquilini & advenæ absti-

abstineatis à carnalibus cupiditatibus, quæ militant adversus animam:

12 Et conversationem vestram habeatis honestam inter gentes: ut pro eo quòd obtrectant vobis velut maleficis, ex bonis operibus *vos* considerantes, glorificent Deum die visitationis.

PRimùm quidem dehortatur à vitiis charitati fraternæ (ad quam sub finem capitis præcedentis hortatus fuerat) contrariis, v. 1. Deinde hortatur ad studium proficiendi è sermone Evangelii in fide & sancta vita, v. 2. 3. 4. & 5. Hanc autem hortationem primùm illustrat similitudine, qua sermonem Evangelii comparat lacti materno, ipsos verò infantibus recens-natis, studium autem proficiendi comparat desiderio lactis materni, quale conspicitur in infantibus; denique ipsum profectum comparat incremento, quo infantes lacte alti crescunt atque adolescunt. Sententia igitur est: Quemadmodum infantes recens-nati magno desiderio expetunt lac matris, eoq; lacte alti crescunt atq; adolescunt: ita vos magno desiderio expetite sermonem Evangelii, (quippe ex quo non ita pridem estis regeniti, suprà 1. v. 23.) ut per illum crescatis atq; adolescatis in fide & sancta vita. Simul autem istam hortationem confirmat à sermonis Evangelii tum præstantia, tum suavitate. Præstantiam significat, dum eum vocat lac ἄδολον, *sincerum*, unverfelscht/ac proinde salubre. Suavitatem verò indicat, quum ait: *Si quidem gustastis quòd benignus sit Dominus.* quibus verbis significat, sermonem Evangelii esse longè suavissimum, ut qui [illegible] de Domini nostri Jesu Christi erga nos gratiâ, eamque nobis gustandam præbeat. Deinde hortationem institutam illustrat duabus aliis similitudinibus: quarum prior pertinet ad partem illius priorem, quæ est de profectu in fide: posterior ad posteriorem, quæ est de profectu in sancta vita. Priore similitudine Christum comparat lapidi fundamentali: ipsos verò lapidibus, qui lapidi fundamentali superstruuntur, v. 4. & 5. Hortatur autem ut super hunc lapidem magis magisque ædificentur: id est, ut per fidem magis magisque cum eo conglutinentur atque coalescant. Et hanc hortationem simul confirmat argumentis duobus: quorum unum est à p[illegible]ri, videlicet à vocationis initio, quod significat quum ait, *eos jam ad Dominum accessisse*, id est, fide eum recepisse, atque ita super eum ædificari cœpisse. quo ipso innuit, pari ratione deinceps in cœpta vocatione pergendum. Alterum argumentum est à Christo, quem fide receperant, præstantiâ: ut qui sit *lapis vivus, apud Deum electus ac pretiosus.* quam sententiam amplificat prolepsi falsi judicii incredulorum Judæorum, à quibus ille lapis reprobabatur. Posteriore similitudine comparat eos sacerdotibus, sancta verò opera hostiis, ubi ait, *Sacerdotium sanctum &c.* Sententia est: Sicut sacerdotum officium fuit, offerre Deo hostias corporales in lege præscriptas: ita vos offerte Deo hostias spirituales, id est, sancta opera in Lege præcepta. Et hanc quoque exhortationem simul confirmat duobus argumentis. Primum est similiter, ut in exhortatione præcedenti, à pari, videl. initio vocationis: quod innuit quum eos nominat *sacerdotium sanctum*: qua appellatione significat, eos à Deo vocatos esse, & per Spiritum S. consecratos ad ipsum sanctè colendum. Alterum argumentum est ab utili effectu, ubi ait, *Spirituales illas hostias esse Deo acceptas*: quo innuit, Deum sancta opera remuneraturum. Simul autem occurrit opinioni proprii meriti, quum ait, hostias illas Deo acceptas esse *per Jesum Christum*, hoc est, propter Jesum Christum, quatenus nimirum ex fide in illum proficiscuntur. Porrò quod dixerat de Christo, eum esse lapidem fundamentalem Ecclesiæ, cui credentes superstruantur ut fiant domus spiritualis: deinceps versu 6. & 7. confirmat testimoniis duobus scripturæ: quorum prius habetur Esa. 28. versu 16. posterius Psalm. 118. versu 22. Ac apud Esaiam Deus incredulitati Judæorum nolentium pendere à promissionibus ipsius, & vanæ fiduciæ qua confidebant præsidiis humanis, opponit immotum suum decretum de conservatione Ecclesiæ per solum Christum, ut in quo tanquam lapide angulari pretiosissimo Ecclesiam fundaverit. Simul autem in verbis quæ ex Propheta citantur, continetur argumentum pertinens ad confirmandum propositam exhortationem: quod sumtum est ab utili eventu: ubi scil. Deus promittit, *non pudefactum iri qui Christo crediderit.* Hoc testimonio recitato, accommodat ipsum ad Judæos credentes, in principio v. septimi, ubi ait, *Vobis igitur pretium* (id est, pretiosus est ille lapis, nempe Christus) *qui creditis.* Deinde occurrit scandalo quod nascebatur ex incredulitate reliquorum, atq; eâ occasione recitat alterum testimonium ad confirmandam sententiam de Christo propositam, reliquâ parte versus septimi. Testimonium illud sumtum est ex Psal. 118. v. 22. ubi exponitur decretum Dei tum de Davide constituendo rege populi Dei externo; tum de Christo, per Davidem præfigurato, constituendo rege Ecclesiæ spirituali. Illud decretum exponitur his verbis, *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est caput anguli*: ubi & David & Christus comparatur lapidi angulari ac fundamentali: regnum Davidis, itemque regnum Christi: ædificio: hostes Davidis in aula Saulis, itemque hostes Christi, scribæ & Pharisæi, comparantur stru[illegible]bus. Porrò hujus testimonii recitatione duo agit Petrus: partim enim confirmat sententiam antea vers. 4. pronuntiatam de Christo, quòd is sit lapis vivus &c. partim verò occurrit scandalo, quod oriebatur ex incredulitate maximæ partis Judæorum, ac inprimis scribarum & Pharisæorum. Istud igitur scandalum hic tollit commemoratione prophetiæ Davidis, ut significet non debere ipsos istâ incredulitate Judæorum offendi tanquam re inopinatâ: quum jam olim per Davidem ex afflatu Spiritus S. sit prædicta. Ad quod ipsum confirmandum annectit & alterum vaticinium ex Esa. 8. v. 14. Deinde idem illud scandalum tollit commemoratione voluntatis Dei: in qua nimirum, tanquam justâ & sanctâ, omnibus piis est acquiescendum. hoc significat v. 8. ubi ait, incredulos illos, *qui ad sermonem Evangelii offendunt, ad hoc ipsum esse positos*, id est, à Deo prædestinatos. Tum v. 9. per antithesin redit ad Judæos credentes, ad quos scribit: eosque ad studium sanctæ vitæ, ac nominatim ad laudationem Dei, hortatur commemoratione duorum maximorum beneficiorum Dei, electionis ad vitam æternam & vocationis efficacis. Electionem indicat his verbis: *Vos autem estis genus electum.* Vocationem verò illis, *Regale sacerdotium, gens sancta &c.* quæ quidem verba mutuatur Petrus ex Exod. 19. v. 5. & 6. Porrò vocationem describit è duobus terminis inter se oppositis: ubi ait, *Qui vos vocavit è tenebris in admirabilem suam lucem.* Terminus igitur à quo, sunt tenebræ: id est, ignoratio Dei & mysterii salutis. Terminus ad quem, est lux illa Dei admirabilis, hoc est, cognitio Dei & mysterii salutis. Præterea vocationem illam Judæorum illustrat & simul confirmat v. 10. verbis prophetæ Hoseæ: ubi Deus promittit, se populi Israelitici, propter idololatriam ad tempus rejecti, tandem iterum misersturum. His ita expositis, exhortationem institutam renovat: ac primùm dehortatur ab operibus malis, v. 11. deinde hortatur ad opera bona, v. 12. Opera mala significat ex causâ procreante, quæ sunt *cupiditates carnis*, id est, quæ ex carnali generatione singulis sunt insitæ, & in carne seu corpore sese exserunt. Ab his dehortatur duplici argumento. Primum, quòd ipsi in hoc mundo sint *inquilini & advenæ seu peregrini*: quo significat, eos patriam habere in cælo: ac proinde rerum cælestium desiderio teneri eos oportere. Alterum argumentum sumitur ab effectu pernicioso, ubi ait, quòd *cupiditates illæ militent adversus animam.* quibus verbis innuit, eos qui cupiditatibus carnis indulgent, periclitari de salute animarum. Porrò hortationem ad bona opera & conversationem seu vitam honestam confirmat duobus item argumentis, quod utrumque ab effectu utili ductum est. Prius est, ut ita redarguant falsa crimina Gentilium, bonamque famam apud illos tueantur: posterius, ut illi (exemplo videl. ipsorum ad religionem Christianam conversi) *Deum glorificent.* Ne autem hunc effectum adscribant propriæ virtuti, monet, illum principaliter oriri ex *visitatione Dei*, videlicet gratiosâ illâ qua suo tempore electos suos efficaciter vocat.

PARS POSTERIOR.

Hortatur subditos ad obedientiam erga magistratus.

13 Proinde subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum: sive regi, ut qui superemineat:

14 Sive præsidibus, ut qui per eum mittantur tum ad ultionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentium.

15 Quoniam ita est voluntas Dei, ut bene agendo os obstruatis amentium hominum ignorantiæ:

16 Ut liberi, ac non veluti malitiæ velamen habentes libertatem, sed ut servi Dei.

17 Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: regem honorate.

Deinceps instituit exhortationes speciales: ac primùm hortatur subditos ad obedientiam erga magistratus, usque ad v. 18. deinde hortatur famulos ad obedientiam erga heros: usque ad finem capitis. Priorem hortationem proponit his verbis: *Subjecti estote cuivis humanæ ordinationi.* Deinde sententiam hanc illustrat distributione, inquiens, *Sive regi &c.* ubi distribuit magistratus in superiores & inferiores; & simul causas exponit, cur utrisque parendum sit. Porrò hortationem hanc confirmat quatuor argumentis. Primum ab authore magistratuum, qui est Dominus sive Deus, ubi ait, *Propter Dominum.* Deinde ab effectu inutili inobedientiæ, ubi ait, *Præsides per regem mitti ad ultionem maleficorum.* Tertiò, ab effectu utili obedientiæ, ubi ait, *Eosdem mitti ad laudem rectè agentium.* Quartò, ab alio effectu utili obedientiæ ac omnino sanctæ atque honestæ vitæ, qui effectus est redargutio maledicorum, ubi ait, *Quoniam ita est voluntas Dei, ut benè agendo capistretis amentium hominum ignorantiam.* Postea occurrit objectioni: quæ est; Sumus liberi, videlicet liberati per Christum: Non igitur tenemur servire hominibus, sed licet nobis agere quòd libet. Petrus negat consequentiam: quatenus concedit, eos esse quidem liberos: veruntamen negat, libertate illâ abutendum pro velamine malitiæ: item quatenus affirmat, eos esse servos Dei. quo significat, & sanctè eis vivendum, & magistratui obediendum: quoniam utrumque Deus

Hic incipit tertia epistolæ pars.

præcepit. Postremò, hortationem hanc conclusurus, interspergit hortationes quasdam alias, ut in textu patet, v.17. Atque hæc de exhortatione speciali prima.

Hortatur famulos ad obedientiam erga heros.

18 Famuli, subditi estote cum omni timore heris, non solùm bonis & æquis, sed etiam pravis.

19 Hoc enim gratiosum *est*, si quis propter conscientiam Dei, suffert molestias injustè afflictus.

20 Quæ enim est gloria, si quum peccantes colaphis cædimini, toleratis? sed si quum benefacitis, tamen afflicti toleratis; hoc est gratiosum apud Deum.

21 Nam ad hoc etiam vocati estis: quoniam & Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplar, ut insequeremini vestigia ipsius.

22 Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius.

23 Qui conviciis affectus, non vicissim conviciabatur: quum malis afficeretur, non minabatur: sed committebat *causam suam* ei qui justè judicat.

24 Qui peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ viveremus: cujus vibicibus sanati estis.

25 Nam eratis velut oves errantes: sed conversi nunc estis ad pastorem illum, & curatorem animarum vestrarum.

Sequitur exhortatio specialis secunda, qua hortatur famulos ad obedientiam erga heros: ac nominatim ab illis requirit timorem, ut scilicet solicitè caveant, ne præter officium agendo heros offendant. Hanc hortationem amplificat distributione per collationem imparium, idque per prolepsin falsæ opinionis, quasi obedientia non debeatur heris pravis. Præcipit igitur, *ut subditi sint heris non solùm bonis & æquis, sed etiam pravis:* v.18. Deinde institutam hortationem confirmat, eâdemque operâ eos contra injurias herorum consolatur, v.19. & deinceps. Idque primùm ab effectu utili, quia tolerantia illa injuriarum quibus afficiantur propter conscientiam Dei, (id est, propterea quòd Deo bonâ conscientiâ servire student, ac proinde fidem Christianam profitentur) Deo grata sit: quo innuit, Deum tolerantiam illam remuneraturum, vers. 19. Hoc argumentum repetit illustratum à contrario, vers. 20. ubi injuriis, id est, plagis immeritis, opponit plagas meritas: quarum tolerantiam laudi esse negat. Deinde addit argumentum consolationis secundum: quod sumtum est à primario illarum injuriarum authore: non quidem quatenus injuriæ sunt, sed quatenus exercitia fidei seu probationes: ubi ait: *Nam ad hoc vocati estis.* quibus verbis significat, Deum vocasse Christianos omnes ad tolerantiam injuriarum, ac proinde has illis immittere, fidei ipsorum exercendæ ac probandæ causâ. Tum annectit argumentum tertium, quod sumtum est ab exemplo Christi, ubi ait, *Quoniam & Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplar &c.* Hoc exemplum amplificat primùm à fine seu scopo patientis, ubi ait, *Passus est pro vobis*: id est, injurias sibi illatas patienter sustinuit: idq; propter vos: nimirum *ut relinqueret vobis exemplar:* sicut sequentibus verbis declaratur. Deinde idem exemplum amplificat collatione dissimilium & imparium, ubi ait vers. 22. *Qui peccatum non fecit &c.* quasi dicat, Christus planè innocens fuit, & tamen injurias inimicorum patienter tulit: ergo multò magis vobis, qui non prorsus innocentes estis, injuriæ herorum patienter tolerandæ sunt. Tum vers. 23. injurias quas Christus pertulit, distributione quadam declarat, qua eas distribuit in injurias verborum & factorum: inquiens, *Qui conviciis affectus &c.* Ipsam verò injuriarum illarum tolerantiam declarat partim negatione vindictæ privatæ: ubi ait, *Non vicissim conviciabatur*: item, *Non minabatur*: partim affirmatione exspectationis vindictæ divinæ: ubi ait, *Sed committebat* causam suam *ei qui justè judicat.* Quibus postremis verbis continetur quartum consolationis argumentum, quod sumtum est à læto eventu: quia tandem futurum sit, ut Deus, tanquam justus judex, innocentiam eorum, qui injustè affliguntur, asserat, eorundemq; tolerantiam remuneretur: impios verò qui illos injustè afflixerunt, puniat. Hisce ita expositis, per occasionem digreditur vers. 24. in expositionem principalium finium passionis Christi: quos duos commemorat, expiationem peccatorum nostrorum: ubi ait, *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum:* & vitæ nostræ sanctitatem: ubi ait, *Ut peccatis mortui, justitiæ viveremus:* videl. virtute Spiritus sancti, quem Christus suâ passione nobis impetravit. Porrò utrumque hunc finem, tanquam effectum accommodat specialiter ad servos quos consolatur: inquiens: *cujus vibicibus sanati estis.* quasi dicat, per passionem Christi illos utrumque adeptos, videlicet & remissionem peccatorum, & naturæ instaurationem ad sanctè vivendum. Vibices autem nominatim commemorat, ut exemplum Christi specialiter accommodet ad servos qui à dominis flagellabantur: unde vibices reportabant. Monet igitur ut vibices exemplo Christi, patienter tolerent. Versu ultimo effectum passionis Christi repetit, videlicet salutem per Christum: quam amplificat antithesi pristini status miseri; quum veluti oves errabant, exitio scil. æterno obnoxii.

SCHOLIA IN CAP. II.

2 Lac illud sermonis] τὸ λογικὸν γάλα. *Pro eo quod est,* τὸ γάλα τοῦ λόγου. *sicut supr. c.1. v.13. dixit* τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας. *Respicit enim ad* λόγον, *id est, sermonem, cujus mentionem fecit paulò antè, videl. c. præced. v.23. ubi illum comparaverat semini, unde electi regenerantur: hîc autem eundem comparat lacti quo iidem regeniti aluntur. Quare* τὸ λογικὸν *hîc non est vertendum rationale: sicut Rom. 12. v.1. ubi dicitur* λογικὴ λατρεία, *rationalis cultus. Neque notat qualitatem adjunctam, sed subjectum, id est, rem ipsam quæ lacti comparatur. Simile exemplum vide infrà v.13. & c.3. v.7.* Sincerum] ἄδολον Unverfelscht. *in quo adulterando nullus intercessit dolus: sicut qui vendunt lac, interdum illud adulterant admixtâ aquâ.* Per illud] ἐν αὐτῷ. *Id est,* δι᾽ αὐτοῦ *Hebraismus.* Bonus] χρηστὸς Freundlich.

5 Ædificati fiatis domus] οἰκοδομεῖσθε οἶκος. *Ad verb. Ædificemini domus; i. e. ita ut fiatis domus, vel tanquam domus. Ellipsis.*

6 Continetur] περιέχει. *Pro* περιέχεται. *Vel,* περιέχει, *continet, scilicet* ὁ Θεὸς, *Deus. quæ quidem phrasis est insolens.* Lapidem in imo angulo] λίθον ἀκρογωνιαῖον. *q. d. Lapidem extremangularem.* In quem qui credit] καὶ ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ. *Vel, Et qui confidit in eo.*

7 Vobis igitur *est* pretium] ὑμῖν οὖν ἡ τιμή. *Id est: Ille igitur lapis, de quo loquor, nempe Christus, vobis est pretiosus.* τιμὴ *pro* ἔντιμος, *per auxesin. Metonymia adjuncti.* Immorigeris verò] ἀπειθοῦσι δέ. *Scilicet dictum est id quod sequitur, & alibi de hoc lapide est scriptum: videl. Psal. 118. v.22.* Factus est caput] ἐγενήθη εἰς κεφαλήν. *Ad verb. Factus est in caput; pro quo Latini dicerent, Evasit in caput.*

8 Ad sermonem] τῷ λόγῳ. *Scil. Evangelii.* Positi fuerunt] ἐτέθησαν. *Id est, constituti & ordinati, nempe decreto Dei. Sic passim usurpatur verbum* τιθέναι. *ut Joh. 15. v.16.* Ego elegi vos, & constitui vos &c.] ἔθηκα ὑμᾶς. *Act. 13. v.47.* Constitui te, ut sis lux gentium, τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν. *1. Thess. 5. v.9* Nam non constituit nos Deus (οὐκ ἔθετο ἡμᾶς) ad iram, sed ad salutem &c. *Alibi utitur Scriptura aliis vocibus, idem aut affine quid significantibus. ut in epistola Judæ v.4. de hypocritis dicitur,* οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα, jam olim antè descripti ad hoc judicium. *Rom. 9. v.17. de Pharaone dicitur,* Ad hoc ipsum excitavi te (ἐξήγειρά σε) ut ostendam in te potentiam meam &c. *Et v.22. reprobi nominantur* vasa iræ coagmentata (κατηρτισμένα) ad interitum.

9 Populus quem *sibi Deus* ut proprium vendicat] λαὸς εἰς περιποίησιν. *Ad verb. Populus in acquisitionem, id est, qui cedit Deo in acquisitionem seu possessionem.* Virtutes] τὰς ἀρετάς. *Ut misericordiam, sapientiam, potentiam.* Prædicetis] ἐξαγγείλητε. *Ad verb. Annuntietis. In eâdem significatione verbo* καταγγέλλειν *usus est Paulus 1. Cor. 11. v.26. in illo,* Mortem Domini καταγγέλλετε. E tenebris] ἐκ σκότους. *Videl. ignorantiæ & nequitiæ. Metaphora.* In lucem] εἰς τὸ φῶς. *Videl. cognitionis Dei & sanctitatis. Confer similem locum Act. 26. v.18.*

11 Quæ militant adversus animam] αἵτινες στρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς. *Metaphora. Similis huic est illa sententia Pauli Rom. 7. v.23.* Video aliam legem in membris meis, rebellantem (ἀντιστρατευόμενον) legi mentis meæ. *Item illa Jacobi c.4. v.1.* Unde bella & pugnæ inter vos? nónne hinc, ex voluptatibus vestris quæ militant (τῶν στρατευομένων) in membris vestris?

12 In die visitationis] ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς. *Intelligit visitationem Dei gratiosam, quum scilicet electos suos efficaciter vocat per Evangelium. De tali visitatione loquitur & Zacharias, pater Johannis Baptistæ, quum ait:* Benedictus sit Dominus Deus Israël, quòd inviserit & redemerit populum suum, *Luc. 1. v.68. Item Christus quum exprobrat urbi Hierosolymæ,* quòd non agnoverit tempus visitationis suæ, *Luc. 19. v.44.*

13 Cuivis humanæ ordinationi] πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει. *Id est, cuivis magistratui: ut declarat sequens distributio. Vocat autem magistratum* κτίσιν, *id est, creaturam: quomodo Latini dicunt, creare consulem. Humanam verò appellat, non quòd magistratus homines authores habeat: sed quòd homines eum gerant. Itaq; nomen* ἀνθρωπίνη, *non notat hîc efficientem causam, sed subjectum, id est, rem ipsam quæ à Deo ordinata est, videl. homines ipsos. Simile exemplum vide suprà v.1. & infr. c.3. v.7.* Propter Dominum] διὰ τὸν Κύριον. *Id est, Ut honoretis Deum qui subjectionem istam vobis præcepit.* Regi] βασιλεῖ. *Intelligit Cæsarem. huic enim tanquam summo magistratui provinciæ illæ in quibus isti degebant, erant subjectæ. Et hoc nomine Græci Cæsarem seu Imperatorem Rom. appellare solebant. Theodoretus:* ἡ πέμπτη δὲ ἔκδοσις ἐν πίθοις εὑρέθη ἐπὶ Καρακάλλου τοῦ βασιλέως ἐν Ἱεριχῷ. *Id est, Quinta editio (scil. Græca, Bibliorum) in doliis reperta est sub Caracalla Imperatore in urbe Hiericho. Refert Drusius epist. 42.*

15 Os obstruatis] φιμοῦν. *Verbum Græcum significat propriè os fiscellâ aut capistro obligare: ut quum dicitur,* οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα, Non obligabis os bovi trituranti; *1. Cor. 9. v.9. Hîc per metaphoram significat ad silentium adigere. quâ metaphorâ usus est & Matth. c.22. v.34. quum ait de Christo,* ὅτι ἐφίμωσε τοὺς Σαδδουκαίους, quòd os occluserit Sadducæis. *Hinc* φιμοῦσθαι, *est obmutescere.*

tescere: ut in eodem cap.v.12.de eo qui rogatus fuit cur non haberet vestem nuptialem, dicitur, ἐφιμώθη, obmutuit. Os obstruatis amentium hominum ignorantiæ] *Id est, amentibus hominibus, qui ex ignorantia Evangelii vobis obtrectant, velut maleficis. Hypallage quadam.*

17 Fraternitatem] τὴν ἀδελφότητα. Die brüderschaft. *Id est, totam multitudinem fratrum. Sic infrà 5.v.9. Ad eundem modum Latini nominant nobilitatem pro nobilibus. Et Germani dicunt similiter,* Der adel / die ritterschaft. Regem] τὸν βασιλέα. *Id est, Cæsarem. ut suprà v.13.*

19 Gratiosum] χάρις. *Ad verb.* Gratia. Est gratia: *id est, conciliat gratiam, videl. apud Deum: ut ait v.seq. Est metonymia effecti: qualis in illo, Rom.7.v.7.* Lex peccatum est? *id est, Num Lex efficit peccatum?* Propter conscientiam Dei] διὰ συνείδησιν Θεοῦ. *Id est, propter cultum Dei ex pura conscientia profectum. Metonymia efficientis. Genitivus objecti.*

20 Quæ enim est gloria?] ποῖον γὰρ κλέος; *Quasi dicat, Nulla.* Gratiosum] χάρις. *Ut versu superiore.*

21 Pro vobis] ὑπὲρ ὑμῶν. *Alii legendum censent,* ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis: *& mox pro* ὑμῖν, vobis, *legendum judicant* ἡμῖν, nobis. *Parum refert, utro modo legatur; veruntamen persona secunda magis convenit ei quod sequitur,* ἵνα ἐπακολουθήσητε, ut insequeremini. *Et sic paulo-pòst duobus vers. ult. quod omnibus fidelibus commune est, ac proinde ad ipsum quoque Petrum pertinebat, accommodat tamen ad personam eorum ad quos scribit, ubi ait,* Cujus vibicibus sanati estis: nam eratis velut oves &c.

24 Sursum tulit] ἀνήνεγκεν. *Id est,* ἄνω ἤνεγκεν. Er hat unsere sünden hinauff getragen aufs holtz. *Respicit ad verba Esaia,* Morbos nostros ipse portavit, & dolores nostros bajulavit, *c.53. v.4. Sic & Johannes Baptista dicebat,* Ecce agnus Dei qui tollit *(seu portat; μετωνυμικῶς)* peccatum mundi. In corpore suo] ἐν τῷ σώματι. *Atque etiam in anima, & quidem in hac præcipuè, atque adeò in natura sua humana tota. Synecd. membri. Corporis autem expressè fit mentio, quia fit mentio ligni, id est, crucis, cui illud affixum fuit.* Super lignum] ἐπὶ τὸ ξύλον. Auf das holtz: *super lignum illud, videlicet crucem illam cui affixus est; ubi propter nostra peccata plenissimè sensit iram Dei, atque ita illa expiavit. Articulus habet vim demonstrandi, & lignum pro cruce lignea dicitur per metonymiam materiæ.* Peccatis] ταῖς ἁμαρτίαις. *Dativo casu: quo hîc notatur res cui aliquid adimitur: ut quum dicitur, Abstulit mihi.* Mortui] ἀπογενόμενοι. *Id est,* ἀποθανόντες. *ut loquitur Paulus Rom.6.v.10.* ἀπογίνεσθαι *hîc est è medio tolli; quasi dicas, defieri, significatione eâ qua hoc verbum opponitur verbo Fieri, sicut nimirum* ἀπογίνεσθαι *opponitur* τῷ γίνεσθαι: *& è regione respondet Germanico verbo* Abthun / *è medio tollere; quod usurpari solet de facinorosis, quum supplicio capitis afficiuntur.* Justitiæ viveremus] τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν. *Pro hoc dicit Paulus Rom.6.v.11.* Deo vivere. Cujus vibicibus] οὗ τῷ μώλωπι αὐτοῦ. *Ad verb.* Cujus vibice ejus. *Pleonasmus Hebraicus, & enallage numeri.* Sanati estis] ἰάθητε. *Esa.53.v.5. unde hæc sententia depromta est; legitur in persona prima,* Curatio facta est nobis. *Sed Petrus generalem sententiam specialiter applicat iis ad quos scribit. Singulari autem dexteritate istud accommodat ad servos, ut eos consoletur contra vibices quas ex flagellationibus iniquorum herorum reportabant.*

25 Nam eratis velut oves errantes] *Apud Esaiam cap.53.v.6.* Omnes nos ut ovis erravimus. *Sed Petrus (ut dictum) applicat.* Curatorem] ἐπίσκοπον. *Ad verb.* Inspectorem. *A verbo* ἐπισκέπτεσθαι, *quod est, cum cura inspicere ac visitare. Et sic quos Latini vocant præfectos seu curatores, apud Hebræos nominantur* פְּקִידִים *pekidim, id est, visitatores.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

Studium pietatis. 1 Ex prima parte capitis, videlicet ab initio usque ad vers.13. notandæ sunt aliquot causæ quibus fideles moveri atque impelli debent ad serium studium justitiæ, pietatis, sanctitatis & honestatis; videlicet istæ: I. quia regeniti sunt ex verbo Evangelii, ac proinde ad illud studium facultate instructi. hæc causa notatur v.1. per conjunctionem syllogisticam οὖν, id est, igitur: ubi ait, ἀποθέμενοι οὖν. quasi dicat, Quum igitur sitis regeniti ex verbo Evangelii, quemadmodum modò admonui, superioris capitis tribus versibus ultimis; ergo deponite omnem malitiam &c. II. quia ex verbo Evangelii gustârunt quòd Dominus noster Jesus Christus sit benignus; debent igitur operam dare ut per serium verbi studium in fide proficiant, atque ita benignitatem Domini magis magisque gustent. hæc causa indicatur v.2.&3. III. quia cœperunt ædificari super Christum tanquam lapidem fundamentalem Ecclesiæ, nempe per fidem; ergo debent operam dare ut in fide proficiant, atque ita indies firmiùs cum Christo coalescant: atque ita sint domus spiritualis, in qua Deus habitet suo spiritu. hæc causa indicatur v.4.& initio quinti. IV. quia à Deo electi & vocati sunt è tenebris ignorantiæ in lucem cognitionis Dei, ut tanquam sacerdotes Deo offerant hostias spirituales, id est, bona opera: item ut tanquam reges imperent peccato: item ut tanquam populus quem sibi Deus ut proprium vendicat, quippe quem pretioso sanguine filii unigeniti redemit, Deo serviant & virtutes illius prædicent. hæc causa exponitur v.5.9.&10. V. quia bona opera fidelium Deo accepta sunt per Christum, ac proinde illorum remunerationem à Deo sperare debent. hæc causa indicatur in fine versus quinti. VI. quia fideles in hoc mundo sunt inquilini & advenæ, peregrinantes scilicet à Domino: quare non debent voluptatibus hujus mundi addicti esse, sed potiùs à carnis cupiditatibus abstinere, ac per serium studium sanctitatis in cælum, tanquam patriam, festinare. hæc causa indicatur v.11. VII. quia cupiditates carnis militant adversus animam: cavendum igitur, ne ab illis superati, salutem animæ perdamus. hæc causa indicatur in fine v. undecimi. VIII. quia honestâ conversatione ora obthurantur maledicis, redarguunturque falsæ eorum criminationes, quibus pios impetunt & traducunt. hæc causa significatur in principio v.12. IX. quia bonis operibus fidelium, nonnulli adducuntur ut sese convertant ad Deum, eumque glorificent. hæc causa indicatur in fine v.12.

2 Ex v.2. ex verbis: *Ut per illud adolescatis.* Non est satis semel esse ex verbo Evangelii regenitum, & fidem esse adeptum: sed oportet per idem verbum, tanquam lac sincerum, in fide ali atque adolescere, id est, proficere. Atque in hac re imitandi sunt infantes recens nati, qui lac matris avidè expetunt. *Studium pietatis.*

3 Ex v.4.6.7.& 8. Judicio mundi rejicientis Christum, opponendum est judicium Dei eundem approbantis, atque etiam reprobos ad hanc ipsam incredulitatem ordinantis. quod illius decretum quin justissimum sit, dubitare nefas est: licet nos illius justitiæ ratio lateat. *Consolatio.*

4 Ex v.12. ex verbis: *Die visitationis.* Ut homo ad Deum convertatur, opus est gratiosâ visitatione Dei: ut scil. Deus virtute spiritus sui per verbum Evangelii in eo sit efficax, illuminando mentem cognitione sanctæ voluntatis suæ, & cor flectendo ad obedientiam illius. Absque hac Dei visitatione nos ad proximum convertendum neque honestæ vitæ exemplo, neque fideli ex verbo institutione, quicquam profecerimus. Quare quicunque ad Deum conversi sunt, gratiosam illam ipsius visitationem gratis animis agnoscant ac celebrent: & pro proximis orent, ut similiter visitentur. *Conversio.*

5 Ex v.13.14. & 15. Notanda sunt quatuor argumenta, quibus adduci debemus ad obedientiam præstandam magistratui, ac proinde ad colendum justitiam civilem. Videlicet 1. *propter Dominum:* id est, ut honoremus Deum, qui hanc obedientiam nobis præcepit. 2. Ut evitemus pœnas violatæ justitiæ civilis: quia magistratus constituti sunt *ad ultionem maleficorum.* 3. Ut à magistratu adipiscamur laudem justitiæ, ac proinde protectionem contra injustos: etenim magistratus constitutus quoque est *ad laudem rectè agentium.* 4. Ut redarguamus maledicta malevolorum & adhuc versantium in ignorantia veritatis cælestis: id quod consequemur *bene agendo.* Idem argumentum habetur suprà v.12. Porrò tria priora argumenta proponuntur etiam à Paulo Rom 13.v.1.& deinceps. *Obedientia erga magistratum.*

6 Ex v.13. ex verbis, *Propter Dominum.* Magistratui eatenus obediendum quatenus ea præcipit, quibus agendis non offenditur Deus. Etenim obediendum est magistratui propter Deum, id est, ut honoremus Deum. Si quid autem ageremus quo Deus offenditur, cujusmodi sunt omnia quæ ipse vetuit: tum eum non honoraremus, sed contumeliâ afficeremus. Huc pertinet illud Petri Actor.5. *Magis obediendum est Deo quàm hominibus.* & illud Christi Matth.22. *Date Cæsari quæ Cæsaris sunt: & Deo quæ Dei sunt.* *Obedientia erga magistratum.*

7 Ex v.16. Libertas Christiana non huc se extendit, ut præstet nos liberos ab obedientia erga magistratum, ac proinde ab oneribus civilibus quæ magistratus imponit: quia sic liberati sumus per Christum à potestate Diaboli, ut interim simus servi Dei: ac proinde tenemur obedire magistratui: quia Deus hoc nobis præcepit. *Libertas Christiana.*

8 Ex v.18. Obediendum est dominis etiam iniqua imperantibus: dummodo non mandent, quæ impia sunt. *Obedientia erga heros.*

9 Ex vers.19. & deinceps. Notanda sunt aliquot argumenta consolationis contra injurias hominum iniquorum. Injuriæ igitur patienter sunt tolerandæ: 1. quia ista tolerantia grata est Deo: idque inprimis si injuriis afficiamur propter conscientiam Dei, hoc est, propterea quòd bonâ conscientiâ studemus Deo servire, confitentes doctrinam salutis nobis ab ipso patefactam. hoc argumentum continetur v.19.& 20. 2. quia ad hoc sumus vocati, in principio v.21. id est, quia tolerantia injuriarum pars est officii nobis à Deo injuncti: ut nimirum ita conformemur capiti nostro Christo. 3. quoniam & Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut insequemur vestigia ipsius: reliquâ parte v.21. 4. quia non prorsus sumus innocentes. nam etsi innocentes simus coram mundo, nec meriti simus apud homines ut nos oderint, & malis nos afficiant: tamen non sumus innocentes coram Deo: quippe apud quem meriti sumus non solùm odium & persecutionem hominum impiorum, sed etiam æternam mortem. hoc argumentum innuitur vers.22. à dissimili conditione Christi. 5. quia Deus justè judicat: ac proinde suo tempore innocentiam nostram asseret, tolerantiamque injuriarum remunerabitur: injustos verò, nisi maturè resipuerint, æternis pœnis ulturus est. *Consolatio contra injurias.*

10 Ex v.24. Notandum, quænam sit illa res qua Christus expiavit nostra peccata. Illa (ut Petrus hîc docet) est passio Christi in *Peccatorum nostrorum expiatio.*

cruce: quum scil. Christus in cruce pendens sensit iram Dei adversus nostra peccata, quæ in se susceperat tanquam sponsor, ut pro illis judicio Dei satisfaceret. Huc verò etiam pertinent vibices quibus corpus Christi affectum fuit: istis enim (ut Petrus ait) nos sanati sumus, id est, salutem æternam adepti sumus. Interim tamen tenendum, principalem partem passionis Christi ad expiandum nostra peccata susceptæ, fuisse sensum illum iræ Dei, seu perpessionem cruciatuum infernalium: quam cognoscimus ex illa voce, *Deus mi, Deus mi, quare me deseruisti?*

Homo. Conversio. 11 Ex vers. 25. Status electorum ante conversionem ipsorum miser est. Sunt enim velut oves errantes: videlicet stolidi, ut oves, propter ignorantiam doctrinæ salutis: & expositi insidiis lupi infernalis, id est, Diaboli. At post conversionem status eorum beatus est: quum habeant pastorem & curatorem animarum suarum Christum: qui ipsos pascit salubri pabulo verbi sui, atque etiam ducit ac regit spiritu suo: denique curam salutis ipsorum ita gerit, ut nō patiatur eos sibi eripi è manibus suis ullâ tentatione Diaboli aut mundi. Quare huic pastori fidamus, ac nos ab eo regi patiamur.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

In hoc capite continentur adhuc duæ exhortationes speciales: quarum prior pertinet ad uxores, posterior ad maritos, usq; ad v. 8. Deinde redit ad exhortationes generales & omnibus communes: quas varias proponit usq; ad v. 19. ubi digreditur in doctrinam de beneficiis Christi erga Ecclesiam tam veterem tam novam, usq; ad finem capitis. Ita caput distingui potest in quatuor partes.

PRIMA PARS.

Uxores quomodo se gerere debeant.

Similiter uxores subjiciant sese suis viris; ut etiam si qui non obediunt sermoni, per uxorum conversationem absque sermone lucrifiant:

2 Ubi spectârint cum reverentiâ *conjunctam* castam conversationem vestram.

3 Quarum ornatus non sit externus ille in nodis capillorum, & circumposito auro, vel palliorum amictu:

4 Sed occultus ille cordis homo, *situs* in incorruptione lenis ac quieti spiritus; qui est coram Deo pretiosus.

5 Ita enim olim & sanctæ illæ mulieres quæ sperabant in Deum, ornabant sese, subjectæ suis viris.

6 Sicut Sara obedivit Abrahæ, dominum eum vocans: cujus factæ estis filiæ, si benefaciatis, nec terreamini ullâ consternatione.

Hic primum hortatur uxores ad obedientiam ârga maritos, v. 1. deinde dehortatur eas à luxu in vestitu, v. 3. postremò hortatur eas ad animi lenitatem ac tranquillitatem, v. 4. Primam hortationem confirmat ab eventu utili: quia sic futurum sit ut nonnulli mariti Christo lucrifiant, amplectendo scil. religionem Christianam, moti sanctis moribus uxorum, v. 1. & 2. Secundam hortationem illustrat enumeratione aliquot partium: ut sunt *nodi capillorum, aurum &c.* Tertiam hortationem præcedenti annectit per antithesin, virtutes illas appellans *occultum hominem cordis*: quem externo illi corporis ornatui opponit. Confirmat autem hortationem illam primùm à virtutum illarum, videl. lenitatis ac tranquillitatis durabilitate, ubi ait, *hominem illum occultum situm esse in incorruptione lenis ac quieti spiritus.* ubi simul per tacitam antithesin innuit, externum illum corporis ornatum non esse durabilem, sed corruptibilem & caducum: atque ita hoc ipso argumento ab illo luxu dehortatur. Deinde hortationem hanc confirmat à virtutum illarum pretiositate seu præstantiâ: ubi ait, *spiritum illum lenem ac quietum, esse pretiosum.* Hoc autem argumentum confirmat testimonio æstimationis divinæ, ubi ait, *spiritum illum lenem ac quietum, esse pretiosum coram Deo.* quod ipsum per prolepsin (ut videtur) opponit judicio mundi. quasi dicat, Etsi mundus secus judicat, nec in pretio habet illam animi lenitatem ac tranquillitatem: tamen vobis satis esse debet, quòd virtutes illæ pretiosæ sunt coram Deo: qui nimirum rectè de rebus omnibus judicat. Tum eandem hortationem, ac simul etiam primam, confirmat exemplo sanctarum mulierum, de quibus sacra testatur historia, v. 5. ac nominatim exemplo Saræ, v. 6. Cujus erga Abrahamum obedientiam probat ex effectu, videlicet honorificâ appellatione quam illi tribuit, *vocans* scil. *eum dominum*: qua re satis declaravit, quanti illum faceret, quamque promta esset ad illi obediendum. Hoc exemplum accommodat ad mulieres ad quas scribit, ubi ait: *Cujus factæ estis filiæ, si benefaciatis, nec terreamini ullâ consternatione.* ubi eas ad duo hortatur: ad studium bonorum operum, & ad fortitudinem animi, acquiescentis in protectione Dei, ac proinde non expavescentis iniquas maritorum objurgationes ac minas.

SECUNDA PARS.

Mariti quomodo se gerere debeant.

7 Viri similiter cohabitate *uxoribus*, ut scientes decet, vasi muliebri, ut infirmiori, tribuentes honorem; utpote quum unà etiam hæredes *sitis* gratiæ vitæ; ne interrumpantur preces vestræ.

Hîc maritos hortatur ut uxores tractent sapienter atque humaniter, tribuantque illis convenientem honorem. Argumenta hortationis affert hæc: 1. quia viri à natura præditi sint majore intelligendi facultate. hoc argumentum latet in ipsis verbis hortationis, ubi ait, κατὰ γνῶσιν, id est, secundùm scientiam, eam scilicet quâ viri mulieres naturæ beneficio excellunt. 2. quia uxores sint vasa, id est, instrumenta apta ad bonos usus: puta ad generationem liberorum, ad eorundem educationem, ad rei familiaris administrationem. 3. quia sexus muliebris sit infirmior. unde intelligitur, mulieres teneriter & clementer esse tractandas: ne duriore tractatione instar vasis infirmi frangantur ac perdantur. 4. quia par sit earum dignitas, quoad jus adoptionis divinæ: quippe quum sint *cohæredes vitæ æternæ.* 5. ab effectu inutili: quia si mariti duriùs tractent uxores, futurum inde sit ut interrumpantur ipsorum preces, quas scilicet quotidie unà debent concipere ad impetrandum à Deo omnis generis bona.

TERTIA PARS.

Officia omnium Christianorum communia.

8 Denique omnes *estote* concordes, mutuo molestiarum sensu affecti, fraternâ præditi charitate, ad misericordiam propensi, comes:

9 Non reddentes malum pro malo, aut convicium pro convicio; sed contrà, benedicentes: ut qui sciatis, vos ad hoc vocatos esse, ut benedictionis hæreditatem possideatis.

10 Nam qui vult vitam diligere, & videre dies bonos, coërceat linguam suam à malo; & labia sua, ne loquantur dolum:

11 Declinet à malo, & faciat bonum: quærat pacem, & persequatur eam.

12 Nam oculi Domini *sunt intenti* in justos, & aures ejus in deprecationem eorum: vultus verò Domini adversum eos qui faciunt mala.

13 Et quis *est* qui affligat vos, si bonitatis æmulatores fueritis?

14 Sed & si patiamini propter justitiam, beati *tamen estis.* Cæterùm timorem eorum ne timete, neque turbamini:

15 Sed Dominum Deum sanctificate in cordibus vestris. *Estote* autem semper parati ad respondendum cuilibet petenti à vobis rationem ejus spei quæ in vobis est, cum lenitate & timore.

16 Conscientiam habentes bonam; ut in eo quod obtrectant vobis, tanquam maleficis, pudefiant qui incessunt vestram bonam in Christo conversationem.

17 Melius enim *est* ut bene agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quàm malè agentes.

18 Nam & Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis: ut nos ad Deum adduceret, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.

Redit ad exhortationes generales seu communes: & hortatur primùm ad varias virtutes pertinentes ad sextum decalogi præceptum; v. 8. & 9. ac inprimis ad tolerantiam injuriarum, allato argumento primùm à voluntate Dei ut qui ipsos ad hoc vocârit: deinde ab eventu utili, videlicet benedictione divinâ, vers. 9. quod posterius argumentum v. 10. 11. & 12. confirmat testimonio promissionis divinæ ex Psal. 34. v. 13. & deinceps: atque ita simul in genere hortatur ad studium justitiæ: quatenus promissio illa facta est non solùm iis qui patienter tolerant injurias, sed in genere qui justitiæ student. Deinde v. 13. affert tertium argumentum, quod item ab effectu utili sumtum est: quòd videlicet si bonitatis æmulatores fuerint, hoc est, si bonis operibus studuerint, futurum sit ut non facilè vexentur à malis hominibus. Tum v. 14. sententiam hanc per prolepsin corrigit: affirmans, etiamsi propter justitiam affligantur, tamen beatos esse. Postea monet, ne minis aut injuriis malorum hominum perturbentur: sed ut Deum sanctificent in cordibus suis: id est, ut filiali fiduciâ in ipsius bonitatem atque omnipotentiam recumbant: certò persuasi, ipsum sinceros sui cultores contra malorum hominum injurias tueri & velle & posse: ac si quando illas permittat, facere id suis in bonum: videlicet ad æternam ipsorum salutem. Postea hortatur eos ad confessionem fidei Christianæ, v. 15. & ad studium bonæ conscientiæ, v. 16. annexo argumento ab effectu utili, ut videl. ita pude-

pudefiant qui incessunt ipsorum vitam. Deinde v.17. occurrit objectioni: quòd etiamsi bene agant, nihilominus à malis hominibus vexentur. Petrus contra afflictiones eos consolatur primùm à comparatis, affirmans, melius esse ut benè agentes vexentur, quàm malè agentes. deinde ab illarum afflictionum authore, Deo, ubi ait: *Si ita velit Dei voluntas.* tum ab exemplo Christi, v.18. qui scilicet multas & magnas injurias à malis hominibus perpessus est. Hanc Christi passionem amplificat primùm à fine seu scopo patientis: affirmans, eum *passum esse pro peccatis*, id est, ad expiandum nostra peccata, quæ ut sponsor in se susceperat: item, *ut nos ad Deum adduceret*, hoc est, ut nos Deo reconciliaret & in vitam æternam in cælo fruendam adduceret. unde intelligitur, æquum esse, ut & nos ad gloriam ipsius patiamur injurias à malis hominibus. Deinde passionem Christi amplificat ab adjunctâ patientis innocentiâ, ubi ait, *passum esse justum pro injustis*: quo innuit, nos non esse prorsus innocentes, ac proinde eò magis nobis injurias hominum tolerandas. Tertiò passionem Christi amplificat à læto eventu: ubi ait, *Mortificatum quidem esse carne, vivificatum autem spiritu*: id est, per potentiam suæ deitatis seipsum ex morte excitasse ad vitam beatam ac gloriosam. qua sententia jam continetur argumentum consolationis quartum: quòd videlicet futurum sit, ut posteaquam propter confessionem Christi injurias mundi, atque adeò supplicium capitis, patienter pertulerint, in vitam æternam transferantur & unà cum Christo glorificentur.

QUARTA PARS.

Digressio in doctrinam de beneficiis Christi in priscum mundum.

19 Per quem etiam spiritibus qui *sunt* in carcere, profectus prædicavit;

20 Olim immorigeris, quum semel exspectabat Dei lenitas in diebus Noë, quum appararetur arca: in qua paucæ (id est octo) animæ servatæ sunt in aqua.

21 Cui rei nunc cor respondens typus Baptisma, nos quoque servat: non carnis sordium depositio, sed bonæ conscientiæ interrogatio apud Deum, per resurrectionem Jesu Christi:

22 Qui est ad dexteram Dei, profectus in cælum, subjectis ipsi angelis & potestatibus ac virtutibus.

Hîc occasione vocabuli *Spiritus*, in quod desinit præcedens sententia, digreditur in historiam de spiritibus hominum qui vixerunt in prisco mundo, in diebus Noachi: eâque occasione commemorat beneficia Christi duo in priscum illum mundum collata: quorum unum est, quòd illis prædicavit, videl. per Noachum præconem illum justitiæ: sicut eum appellat epistolæ posterioris c.2.v.5. Unde jam intelligitur, quid Noachus prisco illi mundo ex Christi mandato prædicaverit, videlicet justitiam seu resipiscentiam. Sed præterea notandum, prædicasse quoque illis Evangelium: hoc est, remissionem peccatorum annuntiasse illis qui resipiscerent, in Christum promissum crederent, & animum ad justitiæ studium adjicerent. id enim Petrus expressè affirmat infrà cap.4.v.6. ubi ait, *mortuis quoque prædicatum esse Evangelium: ut judicarentur quidem secundùm homines carne, viverent autem secundùm Deum spiritu.* quibus verbis Petrus docet, quid illa Noachi prædicatio in impiis illis hominibus, saltem in nonnullis, profecerit: nempe ut pœnâ illâ corporali diluvii admoniti, gratiam sibi antè prædicatam vel serò amplecterentur, atque ita salutem animarum reportarent. Atque hoc primum est beneficium in priscum illum mundum à Christo collatum. Alterum est, conservatio Noachi cum familia ab aquis diluvii. ubi notandum: sicut ex corporali illa conservatione non potest concludi, totam familiam Noachi donatam esse salute æterna: quippe quum in illa fuerit impius ille Cham, qui postea patrem irrisit & ab eo maledictus est: ita nec ex corporali illa pœna post se concludi, totam illam hominum multitudinem quæ aquis diluvii exstincta est, damnatam esse morte æternâ: quippe quum Deus inter illos habuerit nonnullos, in quibus Evangelii prædicatio antea à Noacho audita, per illam ipsam castigationem reddita est efficax ad salutem ipsorum: sicut ex verbis paulò antè citatis colligitur. Atque hæc sunt beneficia Christi collata in mundum illum priscum. Porrò mentione factâ aquarum diluvii & Noachi in arca servati, quæ nimirum conservatio fuit typus conservationis spiritualis electorum à diluvio iræ Dei: hac occasione transit ad typum novum ejusdem conservationis, veteri illi typo è regione respondentem, quem idcirco vocat *ἀντίτυπον*, videlicet Baptismum: per quem dicit nos servari, videlicet salute æternâ. Ac ne quis putet, Baptismum id præstare per se & ex opere (ut loquuntur) operato: mox per correctionem monet, salutem, propriè loquendo, pendere à remissione peccatorum partâ per mortem Christi: atque ita innuit, Baptismum eatenus nos servare, quatenus nobis de illa peccatorum remissione testificatur. Remissionem autem peccatorum significat partim per tacitam antithesin, ubi ait, *Non depositio sordium carnis*: quasi dicat: Sed depositio sordium animæ, hoc est, remissio peccatorum: partim verò expositione effecti, videlicet hilaritatis conscientiæ asseverantis de illis beneficiis (videlicet remissione peccatorum & salute æternâ) tanquam ad se pertinentibus: adeò ut conscientia Deum confidenter de illis beneficiis interroget: videlicet, an non Christus illa nobis suâ morte acquisiverit? Hujus autem confidentiæ fulcrum simul commemorat, ubi ait, *quòd bona conscientia Deum interroget per resurrectionem Jesu Christi*: id est, freta resurrectione Christi, tanquam evidente argumento remissionis peccatorum per mortem Christi partæ: quippe quòd Christus ex morte ad vitam æternam excitatus non fuisset, nisi pro omnibus electorum peccatis suâ morte judicio Dei satisfecisset. Porrò isti fulcro bonæ conscientiæ fidelium addit & alterum, videlicet sessionem ad dexteram Dei, & exaltationem supra angelos. id quod summæ Dei erga Christum gratiæ argumentum est: & ex consequenti argumentum quoque satisfactionis per mortem ipsius pro peccatis omnium electorum.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Sese subjiciant] ὑποτασσόμεναι. *Scil.* ἔστωσαν. *Verbi vox media hic notat actionem reciprocam.* Sermoni] τῷ λόγῳ. *Scil. Dei: videlicet Evangelio. Synecdoche generis.* Lucrifiant] κερδηθήσωνται. *Scil. Christo. Id est, ad fidem Christianam adducantur, idque lucro Christi, facti nimirum cives regni ipsius. Metaphora à servis qui negotiantur in pecunia sibi credita ab hero: qua de re exstat parabola Matth.25.v.14. & deinceps. Nam omnes Christiani, ac præcipuè ministri verbi, sunt servi Christi: ac proinde operam dare debent, ut Christo multos lucrifaciant. Hoc studium de se prædicat Paulus multis verbis 1.Cor.9. v.19. & deinceps. Eâdem metaphorâ usus est & Christus Matth.18. v.15. ubi docet, quomodo fratres peccantes sint in viam pietatis revocandi.*

2 Cum reverentia *conjunctam*] τὴν ἐν φόβῳ. *Pro*, τὴν μετὰ φόβου. *Scil.* οὖσαν.

4 Occultus ille cordis homo] ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος. *Simili ratione & Paulus duplicem hominem facit, unum eundemque hominem in duos distinguens: videlicet veterem & novum, Rom.6. v.6. vel interiorem & exteriorem, Rom.7. v.22. item 2.Cor.4. v.16.* Situs in incorruptione] ἐν τῷ ἀφθάρτῳ. *Pro*, ὁ ἐν τῷ ἀφθάρτῳ. *Scilicet* κείμενος. *Ellipsis gemina.* Spiritus] πνεύματος. *Id est, animi.*

5 Subjectæ] ὑποτασσόμεναι. *Vel,* subjicientes sese: *ut v.1.*

6 Dominum eum vocans] κύριον αὐτὸν καλοῦσα. *Historia exstat Gen.18. ubi Sara quum ex Jehova apud Abrahamum prandente audisset, se post annum habituram filium: quum res illi incredibilis videretur, ridens dicebat apud se:* Postquam vetula facta sum, foret mihi voluptas? deinde dominus meus senex est. Factæ estis] ἐγενήθητε. *Id est, vos factas esse declaratis. Metonymia subjecti: qualis in illo Joh.15.v.8.* καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταί: Et fietis mihi discipuli; *seu*, eritis mei discipuli: *id est, declarabitis vos esse meos discipulos.* Nec terreamini ullâ consternatione] καὶ μὴ φοβούμεναι μηδεμίαν πτόησιν. *Vel,* ullo pavore. *Ante* μηδεμίαν *subauditur* κατά: *& gemina negatio fortiùs negat, more Græcis usitato. Nomen* πτόησις *deductum est à verbo* πτοεῖσθαι, *quod est consternari seu patefieri, ut Luc.21.v.9.* Quum verò audieritis bella & seditiones, μὴ πτοηθῆτε. *Et cap.24.v.37.* πτοηθέντες δὲ καὶ ἔμφοβοι γενόμενοι *&c. de discipulis quum Jesus ex improviso stetisset in medio ipsorum, & illi putarent, se videre spectrum. Lutherus vertit* schüchter/*pro quo aliâs dicitur* scheuh. *Atque hæc istius verbi nativa est significatio: ut liquet ex his exemplis, quæ in suo Thesauro recitat Henr. Stephanus. Plutarchus in Alcibiade,* πτοηθέντος καὶ διαφυγόντος τοῦ ὄρτυγος, *expavefactâ & exterritâ coturnice, quam in sinu gerebat: expavefactâ, inquam,* τοῦ δήμου κροτοῦντος καὶ βοῶντος. Als die wachtel scheuh worden war/ *vel*, verschäicht worden war. *Item in Publicola,* ἵπποι πτοηθέντες ἀπ' οὐδεμιᾶς ἐμφανοῦς προφάσεως, Die pferd waren scheuh worden. U*nde in Geopon. lib.16. c.1. inter boni equi notas hæc est una,* ἐὰν ᾖ μὴ ἐπτοημένος, μηδὲ ὑπὸ τῶν αἰφνιδίως φαινομένων ἐκταραττόμενος, *si non facilè consternetur & pavefiat:* wann das pferd nicht scheuh ist/ oder nicht leichtlich scheuhet.

7 Viri] οἱ ἄνδρες. *Id est,* ὦ ἄνδρες. *Enallage casus. Alloquitur enim viros, ut liquet ex fine versus.* Cohabitate *uxorib.* συνοικοῦντες. *Scil.* ταῖς γυναιξίν. *Ad verb.* Cohabitantes. *Scil* ἔστε, *estote.* Ut scientes decet] κατὰ γνῶσιν. *Vel, scienter,* weislich/vernünftiglich. *Ad verb. Secundùm cognitionem seu scientiam.* Vasi muliebri] ὡς ἀσθενεστέρῳ σκεύει τῷ γυναικείῳ. *Hîc nomen adjectivum rursus notat subjectum; nempe mulierem ipsam quæ vasi comparatur. Similia exempla vide suprà c.2, v.2 & 13.* Utpote quum unà etiam hæredes *sitis*] ὡς καὶ συγκληρονόμοι. *Scil* ὄντες. *quanquam commodiùs legeretur,* συγκληρονόμοις. *Scil.* ταῖς γυναιξί: *quod nomen subintelligitur ad participium* συνοικοῦντες. Gratiæ vitæ] χάριτος ζωῆς. *Id est, vitæ æternæ ex Dei gratia dandæ. Hypallage, & synecdoche generis.*

8 Omnes *estote* concordes] πάντες ὁμόφρονες. *Scil.* ἔστε. Mutuo molestiarum sensu affecti] συμπαθεῖς. Mitleidig. Ad misericordiam propensi] εὔσπλαγχνοι. *Vox composita ex adverb.* εὖ, *notante facilitatem, & nomine* σπλάγχνα, *quo significantur viscera, & per synecdochen cor; & ampliùs per metonymiam subjecti, motus cordis: quum scil. cor movetur ad miserendum.* Comes] φιλόφρονες. Freundlich. *Dictus videtur* φιλόφρων, *tanquam ὁ τὰ φίλα*

φρονῶν, qui sapit amica, hoc est, studet facere ea quæ alteri amica & grata sint. sicut ὑψηλόφρων, ὁ τὰ ὑψηλὰ φρονῶν.

9 Benedicentes] εὐλογοῦντες. Id est, bene precantes iis qui vobis maledixerint. Etenim τὸ εὐλογεῖν opponitur hîc τῷ κακολογεῖν, seu τῇ λοιδορίᾳ. ut & Matth 5. v.44. εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς: Benedicite iis qui devovent vos. Ad hoc] εἰς τοῦτο. Scilicet ut benedicatis iis, qui vobis conviciantur, ac omnino ut patienter injurias feratis. Et sic illud ἵνα quod sequitur, pendebit à participiis illis ἀποδιδόντες, εὐλογοῦντες. Et annectetur illa sententia per ἐπισυνάψιν. Potest tamen istud (sed alio sensu) conjungi cum sequentibus per appositionem, sic, εἰς τοῦτο ἵνα κληρονομήσητε: id est, εἰς τὸ κληρονομεῖν. Ut benedictionis hæreditatis possideatis] ἵνα εὐλογίαν κληρονομήσητε. Vel, ut benedictionem hæreditario jure consequamini. Nomine εὐλογίας intelligit hîc felicitatem (& quidem illam æternam) more Hebræorum, ut Gen.12.v.2. ubi Deus ait Abrahamo, Esto benedictio: id est, summè benedictus seu felix. Per elegantem autem ἀντανάκλασιν hoc nomen participio εὐλογοῦντες subjungit.

10 Nam qui vult &c.] ὁ γὰρ θέλων &c. Quod proximè dixit, confirmat testimonio Psal.34. v.13. in quo citando sententia quidem ipsa, atque etiam propemodum verba, retinentur: sed tamen mutatur sententiæ schema seu figura. nam quod in Psalmo dicitur per apostrophen ad lectorem & communicationem, id hîc dicitur simpliciter. Verba Psalmi in Græco sunt: τίς ἐστιν ἄνθρωπος ὁ θέλων ζωὴν, ἀγαπῶν ἡμέρας ἰδεῖν ἀγαθάς; παῦσον τὴν γλῶσσάν σου &c. Ex quorum verborum collatione videtur hoc loco sic legendum, ὁ γὰρ θέλων ζωὴν, ἀγαπῶν ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθὰς &c. Pro quibus ex non animadverso asyndeto videtur sciolus quispiam reposuisse ista, ὁ γὰρ θέλων ζωὴν ἀγαπᾶν, καὶ ἰδεῖν &c. mutando scil. ἀγαπῶν in ἀγαπᾶν, atque ita efficiendo pleonasmum minus commodum. Ne loquantur] τοῦ μὴ λαλῆσαι. Scil. ἕνεκα.

12 Oculi] οἱ ὀφθαλμοὶ. Scil. blandi & faventes. Synecdoche generis. Vultus verò] πρόσωπον δὲ. Seu facies scil. irata. Itidem synecdoche generis.

13 Quis est qui affligat] τίς ὁ κακώσων. Pro, τίς ἐστιν ὁ κακώσων. κακοῦν est malis afficere seu vexare.

14 Si patiamini] εἰ πάσχοιτε. Id est, si affligamini. Verbum πάσχειν hîc ponitur tanquam absolutè: sicut & infrà v.17. & cap.4. v.1. Timorem eorum] τὸν φόβον αὐτῶν. Videl. impiorum qui vos affligunt. Id est, minas eorum, quibus timorem vobis conantur incutere. Metonymia effecti. Alii vertunt, Timorem eorum ne timete: ut ante τὸν φόβον subaudiatur κατὰ. & timor eorum (videl. impiorum) dicatur quo illi timent: non autem quem aliis incutiunt. Et sanè is sensus est in verbis Esaiæ c.8.v.12. Sed Petro visum fuit illa verba ad suum propositum accommodare.

15 Sanctificate] ἁγιάσατε. Scil. firmâ fiduciâ acquiescendo in promissa ipsius ope ac tutela. Synecdoche generis: nam variis modis sanctificatur Deus; id est, glorificatur à nobis. In cordibus vestris] ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Scil. per cordium fiduciam, ut modò est dictum. Estote autem semper parati] ἕτοιμοι δὲ ἀεί. Scil. ἔστε. Ad respondendum] πρὸς ἀπολογίαν. Ad defensionem doctrinæ Christianæ: defensionem, inquam, sermone & argumentis constantem. Petenti à vobis] αἰτοῦντι ὑμᾶς. Vel petenti vos rationem. qualis syntaxis est in illo Virgiliano: Pacem te poscimus omnes. Cum timore] μετὰ φόβου. Videl. cum timore Dei: ne in gratiam hominum aut metu persecutionis dissimulantes veritatem, offendatis Deum: quippe qui à vobis postulat doctrinæ cælestis vobis traditæ confessionem. Synecdoche generis.

16 Conscientiam habentes bonam] συνείδησιν ἔχοντες ἀγαθήν. Id est, vitantes scelera & flagitia. Metonymia effecti.

17 Malis afficiamini] πάσχειν. Vel, patiamini. Absolutè, ut suprà v.14.

18 Pro peccatis] περὶ ἁμαρτιῶν. Id est, ὑπὲρ ἁμαρτιῶν. hoc est, propter peccata, scilicet nostra. Seu, pro nobis peccatoribus. Carne] σαρκὶ. Pro, ἐν σαρκὶ, (ut loquitur infrà cap.4.v.1.) id est, in carne: hoc est, corpore. Vivificatus autem] ζωοποιηθεὶς δὲ. Id est, ex morte in vitam revocatus. Spiritu] τῷ πνεύματι. Id est, διὰ πνεύματος, per spiritum, hoc est, deitatem suam. Ubi notanda ἀνωμαλία τῆς ἀντιθέσεως, id est, irregularis ratio oppositionis. Etenim dativus σαρκὶ notat hîc subjectum recipiens: at oppositus dativus τῷ πνεύματι, non notat subjectum recipiens, sed causam efficientem. Cæterùm spiritus carni oppositus deitatem hîc significat, sicut & Rom.1. v.3. & 4. item 1.Tim.3.v.ult.

19 Per quem] ἐν ᾧ. Scilicet Spiritum. Sive secundùm quem, seu cujus respectu. Limitatio, qua quod de persona Christi affirmatur, (videlicet quòd prædicarit olim spiritibus) restringitur ad certam illius partem, videlicet deitatem. Christus enim tum nondum erat homo, quum per Noachum spiritibus illis prædicavit. Spiritibus] τοῖς πνεύμασι. Id est, animabus. Sed Apostolus de industria nominavit πνεύματα propter ἀντανάκλασιν. Sic Hebr.12. v.23. nominantur πνεύματα δικαίων, spiritus justorum: id est, animæ à corporibus suis separatæ. Qui sunt in carcere] τοῖς ἐν φυλακῇ. Scilicet οὖσι. Id est, quorum pars nunc est in inferno, nempe quotquot non resipuerunt, quum castigarentur in corpore per diluvium. nam aliquos ex illis adeptos vitam, ac proinde castigatione illâ ad resipiscentiam adductos fuisse, percipitur ex verbis Petri infrà cap.4.v.6. Cæterùm nomen φυλακῆς, pro carcere, id est, inferno, similiter reperitur Apoc.20.v.7. Profectus] πορευθεὶς. Videlicet per Noachum, præconem justitiæ, ut appellatur 2.Pet.2.v.5. Historia exstat Gen.6. Prædicavit] ἐκήρυξεν. Scilicet justitiam seu resipiscentiam vitæve emendationem, & Evangelium. de quorum priore testatur Petrus 2.Pet.2.v.5. de posteriore verò infr.c.4.v.16.

20 Exspectabat] ἐξεδέχετο. Scilicet pœnitentiam atque emendationem istorum. Dei lenitas] ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία. Id est, Deus pro sua lenitate. Hypallage. Arca] κιβωτοῦ. Navigium istud habens formam arcæ. Metaphora. In qua] εἰς ἣν. Pro, ἐν ᾗ. Animæ] ψυχαί. Id est, homines. Synecdoche membri Hebraica. Sic Act.2.v.41. Addita sunt capita quasi ter mille, ψυχαὶ ὡσεὶ τρισχίλιαι. Et c.7.v.14. Joseph accersivit cognationem suam capitum septuaginta quinque, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε. In aqua] δι' ὕδατος. Ad verb. Per aquam. Id est, dum arca ferebatur per aquam. Reperitur διὰ pro ἐν etiam Rom.4.v.11. sed diversâ significatione, videl. non ad notandum locum, ut hîc: sed tempus: ubi dicitur, Ut esset pater omnium credentium δι' ἀκροβυστίας, in præputio; id est, in eo tempore, sive per id tempus, quo habent præputium.

21 Cui rei nunc correspondens typus baptisma, nos quoque servat] ᾧ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. In Græco subobscura est verborum trajectio, qualis etiam reperitur 2.Pet.1.v.19. in istis verbis, ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες. Clarior collocatio esset hæc: ᾧ ἀντίτυπον βάπτισμα καὶ ἡμᾶς σώζει νῦν. Cæterùm pronomen ᾧ referendum est ad totam sententiam proximè præcedentem de servatis in arca octo animabus. Isti enim conservationi, tanquam typo conservationis spiritualis credentium, è regione respondet Baptismus, tanquam typus seu imago ejusdem conservationis. Quò minus autem pronomen ᾧ referatur ad proximè præcedens nomen ὕδατος, res ipsa obstat: quia aqua diluvii non servavit quenquam, sed plurimos perdidit: hîc autem sermo est de conservatione. Correspondens typus] ἀντίτυπον. Sive, è regione respondens typus. Hîc præpositio ἀντὶ refertur ad typum appositum sive è regione respondentem: aliàs refertur ad rem typo adumbratam, & tum ἀντίτυπον usurpatur pro simplici τύπος. ut Heb.9.v.24. οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν. Id est, τύπους τῶν ἀληθινῶν. Correspondens typus Baptisma] ἀντίτυπον βάπτισμα. Hæc verba construuntur per appositionem. Servat] σώζει. Videlicet salute æternâ: ut percipitur è sequentibus. Sed quomodo id præstet Baptismus, ibidem declaratur: nempe non vi externæ illius ablutionis, qua corporis sordes deponuntur: sed vi Spiritus sancti confirmantis in cordibus electorum fidem remissionis peccatorum, partæ per mortem Christi, & testatæ per ejusdem resurrectionem: atque ita efficientis in illis bonam conscientiam. Non carnis sordium depositio] οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου. Trajectio verborũ, Petro familiaris: Pro, οὐκ ἀπόθεσις ῥύπου σαρκὸς. Dicuntur autem hæc per prolepsin: nec includenda sunt parenthesi. Sed bonæ conscientiæ interrogatio apud Deum] ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν. Id est, Sed depositio sordium animæ seu remissio peccatorum, ex cujus fide nascitur bona conscientia, quâ fretus fidelis audacter Deum interrogat de ipsius ergà se favore per Christi mortem sibi conciliato, ac per ejusdem resurrectionem testato: dicens nimirum, Annon Christus suâ morte favorem tuum nobis conciliavit in æternum duraturum? Certè. nam id ipsum testatur resurrectio illius. Etenim nisi Christus morte suâ peccata nostra perfectè expiasset, atque ita favorem tuum plenè nobis conciliasset: resurgere ex mortuis ad vitam & gloriam illam cælestem non potuisset. Per resurrectionem] δι' ἀναστάσεως. Hæc verba non pendent à verbo σώζει in principio versus: cum quo necessariò jungerentur, si proximè antè clauderetur parenthesis: sed pendent à verbo γινόμενον, subintellecto ad nomen proximè præcedens, ἐπερώτημα. Vult enim dicere Petrus, quòd interrogatio illa bonæ conscientiæ apud Deum, fiat per resurrectionem Christi: id est, per fidem illius: seu quòd illâ, tanquam fulcro & evidente testimonio remissionis peccatorum per Christi mortem partæ, nitatur.

22 Ad dexteram Dei] ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ. Ad verb. In dextera. I.e. in eo loco qui est ad dexteram Dei. ἀνθρωποπάθεια, id est, metaphora à consuetudine hominum, videlicet regum ac principum: qui ad dexteram suam collocare solent quos maximè honoratos volunt, quibúsve proximum à se locum & honorem tribuunt & à subditis tribui volunt. Virtutibus] δυνάμεων. Seu potentiis. Sic nominantur angeli ab excellente robore.

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v.1. & deinceps usque ad 7. Notanda sunt hîc aliquot officia uxorum erga maritos. Nempe 1. Ut illis sint subjectæ, v.1. id est, obediant: scil. in Domino; ex analogia præcepti quod præscribitur liberis, Ephes.6.1. In Domino autem, id est, in timore Dei, ne scil. in gratiam maritorum faciant quo offenditur Deus, nempe quod vetuit Deus. Semper enim tenenda illa regula Petri Act.5. Magis obediendum Deo quàm hominibus. 2. Ut maritos revereantur, vers.2. solicitè scil. cavendo ne illos offendant. 3. Ut sit casta earum conversatio, eodem v. id est, casti mores, casta verba, casti gestus. 4. Ne nimium studeant ornatui corporis, v.3. 5. Ut præditæ sint spiritu leni seu mansueto, v.4. ac proinde ne obmurmurent vel responsent, quum à maritis objurgantur: item ne sæviant in liberos aut famulos aut ancillas. 6. Ut præditæ sint spiritu quieto, vers. eodem: ac proinde ne sint curiosæ rerum alienarum, ne discursent ad inquirendum res alienas, denique

Uxor.

nique ne sint garrulæ aut nugigerulæ. 7. Ut maritos honorent verbis, sicut Sara honoravit Abrahamum, vocans eum dominum, v. 6. 8. Ut benefaciant & rem domesticam rectè administrent sponte, non à maritis adactæ terrore minarum aut metu plagarum, v. 6.

Fides. 2 Ex vers. 1. ex verbis: *Si qui non obediunt sermoni.* Sicut incredulitas definitur per inobedientiam erga sermonem Evangelii: sic contra fides definienda est per obedientiam erga eandem. Et sic sanè definivit Petrus suprà cap. 1. vers. 2. & 22. & Paulus Rom. 1. v. 5.

Vindicatio verborum Petri, Sine sermone lucrifiant. 3 Ex eod. vers. ex verbis: *Sine sermone lucrifiant.* Cavendum ne istis verbis abutamur ad extenuandum ministerium verbi, quasi scilicet non sit organum ex ordinatione Dei necessarium ad fidem tum concipiendum tum alendum atque augendum. Nam quod ait Petrus, nonnullos absque sermone Christo lucrifieri posse: id non est intelligendum simpliciter, sed tantùm de occasione qua quis primò adducitur ad fidem. Etenim vir non Christianus conspectâ uxoris pietate, ex quo illa fidem Christianam fuerat amplexa, poterat adduci ad doctrinam Christianam cognoscendam; atque ita fidem ex illa concipiendam. Ita etiamnum hodie vir in religione errans, pietate uxoris rectè sentientis potest adduci ad orthodoxam doctrinam cognoscendam ac errorem deponendum.

Vestitus. 4 Ex vers. 3. Quum Petrus improbet in mulieribus ornatum corporis; considerandum, quatenus improbet: ac omnino quid in hac parte concessum sit, & contrà quid vitiosum ac fugiendum. Sciendum igitur, non simpliciter à Petro in mulieribus improbari ornatum corporis: quippe qui alibi in Scriptura permittitur; sed improbat tantùm nimium sese ornandi studium & nimiam ex ornatu voluptatem. Id quod percipitur ex antithesi, qua monet ut potius studeant ornatui spiritus seu animi, & ex illo ornatu voluptatem capiant, ut qui pretiosus sit coram Deo. Quòd autem diximus, ornatum corporis in Scriptura permitti: colligi potest ex his locis. Genes. 24. vers. 22. ubi servus Abrahæ monili aureo & armillis ornat Rebeccam. Psal. 45. vers. 10. 14. 15. ubi commendatur ornatus sponsæ Salomonis, videlicet filiæ Pharaonis: quatenus per illum ornatum adumbratur ornatus Ecclesiæ, tanquam sponsæ Christi. Sic Matth. 6. versu 29. commendat ipse Christus regium vestitum Salomonis. Cæterùm de ornatu corporis muliebri hæ quasi leges tenendæ sunt. 1. Ne studium illius nimium sit. Ratio: Ne dum mulieres nimis occupatæ sunt in ornando corpore, interim negligant ornare animum, sapientiâ scilicet & virtute: hanc rationem hîc proponit Petrus. Atque huc pertinet, ut in vestitu caveant studium novitatis. 2. Ne nimiùm ornatu suo delectentur, tanquam re eximiè pretiosâ. Ratio: Ne sic illis intercipiatur vera illa & sincera voluptas, quæ percipitur ex ornatu animi, verâ scilicet sapientiâ & virtute, tanquam re pretiosa coram Deo. hanc quoque rationem Petrus hoc loco tradit. 3. Ne propter ornatum superbiant. quo nomine ab Esaia multis verbis reprehenduntur mulieres ac puellæ Hierosolymitanæ, Esa. 3. vers. 16. & deinceps. 4. Ne ornatus ille adhibeatur intempestivè, & ex consequenti ne sit quotidianus: id quod reprehenditur in divite illo epulone, Luc. 16. vers. 19. Neve adhibeatur quum lugendum est, vel quum luget proximus. Tenendum est enim illud Pauli Roman. 12. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* Et sic David in seipso commendat, quòd cernens proximi mala, induerit vestem lugubrem, Psal. 35. vers. 13. In luctu igitur proximi nos quoque decet uti veste lugubri, aut certè minùs splendidâ, ad testandum nostram συμπάθειαν. Sic contrà in proximi gaudio nos quoque decet gaudium nostrum testari veste splendidiore; ut in nuptiis aut aliis solennitatibus. Et certè nisi in nuptiis splendidiùs vestiri liceret: Christus quum interesset nuptiis, morem illum reprehendisset; sicut reprehendit morem Pharisæorum eligentium τὰς πρωτοκλισίας, quum id cerneret, ad convivium à quodam Pharisæo invitatus. Nam tempore Christi moris fuisse ut in nuptiis splendidiùs vestirentur, patet ex parabola de nuptiis filii regis, ubi repertus fuit qui careret veste nuptiali. 5. Illud quoque cavendum, ne mulieres corpus ornando studeant placere viris alienis; sed tantùm suis. Item ne in tantum se ornent, ut occasionem viris alienis ad adulterium præbeant, saltem cordis. Etenim, teste Christo, qui aspexerit uxorem proximi ad concupiscendum eam, jam mœchatus est cum ea in corde suo. At ista concupiscentia splendidiore vestitu magis excitatur. Et sicut auro insidiantur avari, capti illius pulchritudine; ita libidinosi insidiantur pudicitiæ fœminarum, capti earum formâ & ornatu corporis. Testimonio est historia Abrahæ, qui uxoris Saræ pudicitiæ metuit, nec temere, propter illius formam: ut videre est Gen. 12. v. 8. & deinceps. item historia Isaaci, eandem ob causam metuentis pudicitiæ uxoris Rebeccæ. Gen. 26. v. 7. & deinceps. Atque hoc ipsum docere quoque voluit author fabulæ de Susanna.

Maritus. 5 Ex vers. 7. Quomodo mariti se gerere debeant erga uxores. Debent cum eis cohabitare scienter, id est, prudenter, tribuendo scilicet eis honorem convenientem, ut quæ sint dominæ familiæ, sicut ipsi sunt domini. quem honoris gradum videtur significasse Deus, quum primam mulierem non ex pedibus viri, sed ex latere condidit. Item debent habere rationem infirmitatis rationalis: ac proinde tractare eas humaniter ac leniter: ut si cui tractandum sit pretiosum aliquod vitrum, aut saltem quo succus pretiosus continetur. Ad istam autem humanitatem inprimis moveri debent consideratione dignationis divinæ erga illas; quippe quòd Deus illas dignatus est sibi adoptare in filias atque hæredes vitæ æternæ.

Paterfamilias. 6 Ex eod. v. ex verbis: *Ne interrumpantur preces vestræ.* Unusquisque paterfamilias instituere atque observare debet exercitium precum domesticarum, ut videl. collectâ in unum locum familiâ cum illa oret: idque statis temporibus, videl. mane quum cubitu surrexerunt, tum capturi cibum & cibo capto, postremò cubitum ituri. Atque in hunc usum olim institutum erat juge sacrificium matutinum ac vespertinum. unde legimus, viros sanctos illas orandi horas observasse: ut videre est in Davide Psal. 55. v. 18. & in Daniele, Dan. 6. v. 11.

Vita æterna. 7 Ex v. 9. Quum vita æterna à Petro nominetur benedictio & hæreditas; consequens est, eam dari non ex cujusquam merito; sed ex Dei gratia propter Christum, in quo Deus sibi in filios adoptavit, quibus hæreditatem illam cælestem dare constituit. Confer Matth. 25. v. 34.

Officium hominis Christiani. 8 Ex v. 11. Ut placeamus Deo, nostramque vitam ei approbemus: non est satis vitare malum seu peccatum, sed oportet etiam studere bono seu virtuti. Confer Esa. 1. v. 16. & 17.

Consolatio contra injurias. 9 Ex v. 12. & 14. Pii contra injurias impiorum consolentur sese, tum quòd habent Deum sibi faventem, & curam ipsorum gerentem: tum quòd habent bonam causam.

Confessio fidei. 10 Ex v. 15. Confessio fidei edenda est, quoties gloria Dei id postulat; idque adhibitâ lenitate: ne adversus illos qui fidei confessionem à nobis petunt, stomachemur: & præterea reverentiâ; eâque tum erga Deum, ne leviter aut negligenter in fide nostra exponenda versemur; tum erga superiores, maximè principes ac magistratus, qui fidei confessionem à nobis postulant, ne illos contemnere videamur; sed debitum illis honorem deferamus. Exempla vide Stephani, Act. 7. v. 2. Pauli, Act. 22. v. 1 & cap. 26. vers. 2. & 3.

Officium hominis Christiani. 11 Ex v. 16. Ad refutandum maledicta malevolorum non est commodior ratio, quàm studere bonæ conscientiæ & bonæ conversationi, id est, vitæ honestæ.

Consolatio contra persecutiones. 12 Ex vers. 18. Notanda sunt tria argumenta consolationis, quum nobis aliquid patiendum est propter Christum. 1. quia ipse quoque Christus passus est: cui nimirum taquam capiti nos oportet conformari. 2. quia Christus passus est justus ac prorsus innocens: nos autem etsi simus innocentes coram mundo, tamen non sumus innocentes coram Deo. 3. quia Christus passus est pro nobis; ut nimirum nos à morte æterna liberaret & ad Deum adduceret. Ergo æquum est ut & nos patiamur pro illo, id est, ad gloriam illius, confitendo ipsius doctrinam tanquam veritatem cælestem.

Christus. 13 Ex eod. v. ex verbis: *Mortificatus quidem carne &c.* Passiones & actiones quæ Christo in Scriptura attribuuntur, diligenter distinguendæ sunt ex diversitate naturarum ex quibus persona Christi constat. quippe quum alia ei conveniant secundùm carnem seu naturam humanam; alia secundùm spiritum seu naturam divinam. Confer Rom. 1. v. 3. & 4. & c. 9. v. 5. 1. Tim. 3. v. 16. infrà c. 4. v. 1.

Christus. 14 Ex vers. 19. Notandum est argumentum pro deitate Christi: quippe qui in spiritu, id est, deitate sua, prædicavit prisco mundo per Noachum.

Limbus patrum. 15 Ex v. 19. & 20. Errarunt veteres qui ex verbis Petri non rectè intellectis commenti sunt limbum (quem vocant) patrum, & ex illo liberationem ipsorum per localem descensum animæ Christi ad inferos. quippe quum nihil horum ex verbis Petri rectè intellectis possit colligi.

Baptismus. 16 Ex vers. 21. Baptismus duplex est: exterior, quo carnis sordes abjiciuntur: & interior, quo fit ut bona conscientia interroget Deum per resurrectionem Jesu Christi. quorum hic servat: ille propriè loquendo non servat, sed tamen testimonium est salutis per Christi mortem partæ, ac per ejusdem resurrectionem testatæ. Dicitur autem servare, quatenus Spiritus sanctus per hoc testimonium est efficax, confirmando scil. fidem in Christum. Sic Ephes. 5. v. 26. Christus dicitur *Ecclesiam purgasse lavacro aquæ per verbum.* Item Tit. 3. v. 5. dicitur Deus *nos servasse per lavacrum regenerationis.* quanquam illic propriè videtur loqui de ipsa regeneratione Spiritus sancti, ac simul ad Baptismi testimonium respicere.

Christus. 17 Ex v. 22. Christus ad dexteram Dei consedit tum demum quum profectus est in cælum. Falsum igitur tradunt qui dicunt, consedisse ad dexteram Dei in utero matris. Confer Act. 2. v. 32. 33. 34. Rom. 8. v. 34. Eph. 1. v. 20. Heb. 1. v. 3.

Christus. 18 Ex eodem vers. Sessio ad dexteram DEI nihil aliud est quàm dominatus in omnes creaturas. Ad hunc autem dominatum non est necesse ut corpus CHRISTI sit ubique. Quare ubiquitas corporis CHRISTI malè concluditur è sessione CHRISTI ad dexteram Dei. Confer 1. Cor. 15. v. 25. Eph. 1. v. 20. & deinceps. Phil. 2. v. 9. 10. 11. Heb. 1. v. 13.

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Hic primum redit ad intermissam exhortationem, qua hortatur ad studium sanctè vivendi, usque ad v.12. Deinde consolatur eos contra persecutiones quas patiebantur propter confessionem fidei Christianæ, usq; ad finem capitis. Ita duæ sunt partes.

PRIMA PARS.

Iterum hortatur ad studium sanctè vivendi.

QUum igitur Christus passus sit pro nobis carne; vos quoque eâdem cogitatione armamini, *nempe* quòd qui passus est in carne, destitit à peccato;

2 Ut non ampliùs cupiditatibus hominum, sed voluntate Dei, quod in carne reliquum est temporis, vivat.

3 Satis enim est nobis quòd anteacto vitæ tempore libidinem Gentium patravimus: quum incessimus in lasciviis, cupiditatibus, vinolentiis, comessationibus, compotationibus, & nefariis simulacrorum cultibus.

4 Quamobrem *illi*, non concurrentibus vobis ad eandem luxus profusionem, peregrinari sibi videntur, blasphemantes:

5 Qui reddituri sunt rationem ei qui paratus est ad judicandum vivos & mortuos.

6 Nam idcirco mortuis quoque prædicatum est Evangelium, ut judicarentur quidem secundùm homines carne, viverent autem secundùm Deum spiritu.

7 Omnium autem finis imminet. Estote igitur sobrii & vigilantes ad orandum.

8 Ante omnia verò charitatem alii in alios intensam habentes: nam charitas operiet multitudinem peccatorum.

9 Hospitales *estote* alii erga alios, sine murmurationibus:

10 Ut quisque accepit donum, *ita* alius in alium illud subministrantes, ut boni dispensatores variæ gratiæ Dei.

11 Si quis loquitur, *loquatur* ut eloquia Dei: si quis ministrat, *ministret* tanquam ex viribus quas suppeditat Deus: ut in omnibus glorificetur Deus per Jesum Christum; cui est gloria & robur in sæcula sæculorum, Amen.

ABsolutâ digressione, quæ continetur quatuor ultimis versibus capitis præcedentis, redit ad institutam exhortationem; ac primùm repetit argumentum proximè ante illam digressionem propositum, superioris capitis versu 18. videlicet ab exemplo Christi: quod hîc ad fideles Judæos ita accommodat, ut adhibeat allegoricam seu spiritualem expositionem: qua *pati in carne* definit per *desistere à peccato, & non ampliùs vivere cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei*: v.1. & 2. Vel certè comparat fideles cum iis, qui propter sua scelera supplicio capitis affecti sunt, ac proinde scelera illa committere ampliùs non possunt. Comparatione autem illâ utitur, quatenus eos considerat in Christo, qui propter ipsorum scelera supplicio capitis affectus est: quòd perinde est, ac si ipsimet supplicium illud pertulissent. Deinde affert aliud exhortationis argumentum, quod sumtum est à circumstantia temporis, per antithesin, ubi ait, v.3. *Satis enim est nobis, quòd anteacto vitæ tempore libidinem Gentium patravimus &c.* q. d. Hoc tempus alios mores postulat. Anteacto tempore, quum adhuc versaremur in ignorantia Dei, perpetravimus varia peccata: nunc verò cognitione Dei illustrati, debemus mores immutare, ac Deum sanctè colere. V.4. per prolepsin amplificat illam morum mutationem ex eventis duobus, offensione eorum à quorum moribus recesserant; & eorundem blasphemiis: quo nomine intelligi possunt, tum blasphemiæ, quibus isti afficiebant religionem Christianam; tum maledicta, quibus proscindebant famam Christianorum. Tum v.5. contra istas blasphemias eos consolatur ab eventu, videlicet futuro judicio Dei: in quo blasphemos istos, nisi resipuerint, puniturus est. Porrò quoniam judicium illud commemorans, mentionem fecerat mortuorum: eâ occasione repetit historiam de illis mortuis qui puniti fuerunt diluvio, atque ita illius judicii exemplo sententiam propositam per ratiocinationem à pari confirmat: simulque monet, ad quid pœna illa corporalis nonnullis profuerit: nempe ut per eam efficax in eis redderetur prædicatio Evangelii, quam ex Noacho auditam contempserant; ac proinde ut carne quidem, id est, in corpore, sint judicati seu puniti, nempe per aquas diluvii: idque secundùm homines, id est, ita ut homines in illis cernere possint manifestum exemplum judicii divini in contemtores verbi sui; veruntamen ut vivant spiritu: id est, vitam æternam seu salutem animæ adepti sint, propter resipiscentiam scilicet ac fidem qua crediderunt Evangelio sibi antea prædicato: idque secundùm Deum, id est, ex gratia Dei miserentis ipsorum, & ipso solo conscio. Solus enim Deus novit qui sint sui: & ut solus καρδιογνώστης, gemitus ex fide profectos exaudit. V.7. per prolepsin occurrit cogitationi de mora, qua dies ille judicii videtur differri. Monet igitur, diem illum non procul abesse, ubi ait: *Omnium autem finis imminet.* Atque ex hac ipsa sententia mox deducit alias exhortationes: videlicet ad sobrietatem & preces, eodem versu: ad charitatem, vers. 8. ad hospitalitatem, v.9. ad communicationem donorum spiritualium, v.10. denique ad eorundem donorum rectum usum, v.11. Istis autem hortationibus aspergit sua argumenta. Ac hortationi quidem ad charitatem annectit argumentum ab effectu utili, videl. pace ac tranquillitate. quem effectum significat verbis Salomonis, Prov.10. v.12. dicentis, quòd charitas operiat multitudinem peccatorum, hoc est, quòd conniveat ad injurias proximi, easque pacis causâ dissimulet, nec odiosè exagitet, ac propterea cum proximo rixetur: sicut contrà odium (ut ibidem habetur) contentiones seu rixas excitat. Hortationi verò ad communicationem donorum spiritualium adjungit argumentum ab illorum donorum fine propter quem nobis à Deo data sunt, nempe ut ea in proximos dispensemus. quod ipsum confirmat ab adjuncta donorum illorum varietate: quòd scilicet dona illa varia sint, nec uni omnia, sed alia aliis data; ut nimirum singuli suâ cum aliis communicent. hoc exprimit Petrus his verbis: *ut boni dispensatores variæ gratiæ Dei*, v.10. Porrò v.11. hortationem qua hortatur ad reverentiam Dei in tractando ipsius verbo, confirmat ab ipsius verbi authore, quatenus vocat *eloquia Dei*, id est, profecta à Deo, & sancto Dei ore ad nostram salutem pronunciata. Hortationem verò, qua hortatur ad fidelitatem in ministrando, quum scilicet ministratur fratribus ægrotis aut pauperibus, confirmat à fine virium quas nobis Deus suppeditat: nempe ut ex illis fideliter proximo ministremus. Postremò utramque illam hortationem confirmat ab effectu utili, videlicet glorificatione Dei per Christum. Atque huic argumento annectit δοξολογίαν: ibi, *Cui est gloria &c.*

POSTERIOR PARS.

Consolatur contra persecutiones.

12 Charissimi, ne tanquam hospites exploratione illa per ignem, quæ fit in nobis ad vestri experimentum, percellimini, ut si peregrinum aliquid vobis accideret;

13 Imò in eo quòd consortes estis afflictionum Christi, gaudete; ut & quum patefiet ejus gloria, gaudeatis exultantes.

14 Si probris afficimini ob nomen Christi, beati *estis*: quoniam ille gloriæ & ille Dei spiritus super vos requiescit. Quod ad illos quidem attinet, maledicta *in vos* jaciuntur: quod ad vos autem, gloria *vobis* contingit.

15 Ne quis enim vestrûm affligatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut ut alienarum rerum inspector:

16 Sed si ut Christianus, ne pudefiat; imò glorificet Deum hac in parte.

17 Nam tempus *est* ut incipiat judicium à domo Dei: quòd si primùm *incipit* à nobis, quis erit finis eorum qui non parent Dei Evangelio?

18 Et, si justus vix servatur; impius & peccator ubi comparebit?

19 Itaque qui affliguntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas benefaciendo.

Hic continetur quinta pars epistolæ, ubi Petrus Judæos fideles hortatur ad tolerantiam persecutionis propter confessionem Christi. Ac primùm v.12. monet, ne persecutione offendantur aut perturbentur tanquam re novâ & insolitâ: inserto argumento à fine quo Deus persecutionem immittit; qui est probatio fidei seu laus ex probatione fidei. Porrò persecutionem comparat igni quo exploratur aurum vel argentum. Deinde v.13. monet ut persecutione non solùm non contristentur, sed etiam gaudeant. Argumentum addit geminum: unum, quòd afflictiones illas communes habeant cum Christo: nempe quia ipse quoque propter confessionem veritatis cælestis tales afflictiones ab inimicis sustinuit. Alterum, quòd communem quoq; gloriam cum Christo habituri sint, communiaque gaudia in cælo percepturi. Tum v.14. consolatur eos ab utili eventu, videlicet gloriâ quæ comitatur eos qui probra immerita patienter sustinent, per Spiritum Dei su-

Dei super ipsos requiescentem. Hoc argumentum amplificat antithesi per prolepsin: qua malo proposito maledicentium opponit gloriosum eventum maledictorum, inquiens: *Quod ad illos quidem attinet, βλασφημεῖται, id est, maledicta in vos jaciuntur: quod ad vos autem, δοξάζεται, id est, gloria vobis contingit.* V.15. argumentum modò expositum declarat, monens, se loqui de afflictionibus immeritis: quam sententiam proponit sub forma dehortationis, inquiens; *Ne quis enim vestrûm affligatur ut homicida &c.* Cui dehortationi mox v.16. opponit cohortationem ad tolerantiam afflictionum immeritarum, inserto argumento ab utili eventu, videlicet glorificatione Dei, id est, qua Deus glorificatur. V.17. aliud argumentum subjungit, quod sumtum est à voluntate Dei, cui visum sit in hoc sæculo castigare filios suos. id quod Petrus significat his verbis: *Nam tempus est quo incipiat judicium à domo Dei.* Tum adjungit aliud consolationis argumentum, à pœna quæ manet persecutores: quod argumentum confirmatur à minori: Filii Dei in hac vita acriter à Deo castigantur: Ergo impii persecutores filiorum Dei longè graviùs à Deo punientur, vers.17. & 18. Postremò v.19. hortationem hanc concludit, & argumentum illud à voluntate Dei repetit; simulq; aliud geminum admiscet, videlicet à constantia promissionum Dei, & ab ejusdem omnipotentia, ubi Deum vocat *fidelem conditorem.* quasi dicat: Deus potest vobis animas vestras in persecutionibus conservare, quia est omnipotens earum conditor: & vult quoque, quia fidelis est & constans in suis promissis.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Carne] σαρκὶ. *Id est, ἐν σαρκὶ, in carne: ut mox loquitur:* **Am flaisch**: *hoc est, in humana natura, corpore & anima. Synecdoche membri.* Eâdem] τὴν αὐτὴν. *Subaudi* κτ. Qui passus est in carne] ὁ παθὼν ἐν σαρκὶ. *Id est, qui supplicio affectus est in corpore. vel, qui mortificavit desideria carnalia. In vocabulo* carnis *ἀναδίπλωσις est: repetitur enim diversâ significatione.*

2 In carne] ἐν σαρκὶ. *Id est, in corpore.*

3 Libidinem Gentium] τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν. *Id est, qualis dominatur in gentibus non regenitis spiritu Dei.* Nobis] ἡμῖν. *Id est, vobis: saltem plerisq;. Neque enim Petrus scelera quæ mox commemorat, videtur admisisse. Synecd. integri: qualis Hebr.2.v.3. Nisi forte hic legendum ὑμῖν, vobis: cui lectioni favet collatio versiculi sequentis, ubi habetur, μὴ συντρεχόντων ὑμῶν, non concurrentibus vobis.*

4 Quamobrem] ἐν ᾧ. *Ad verb. in quo. id est, qua in re: seu, quam ob rem.* διὸ. Peregrinari sibi videntur] ξενίζονται. *Ad verb. Peregrinantur, id est, tanquam rem peregrinam ac novam admirantur, atque inde offenduntur,* **Es befrembdet sie / es duncket sie frembd.**

6 Idcirco] εἰς τοῦτο. *Ad hoc: in hunc finem.* Mortuis quoque] καὶ νεκροῖς. *Id est, iis qui nunc sunt mortui: vixerunt autem temporibus Noë: de quibus suprà cap.3. v 19. & 20.* Prædicatum est evangelium] εὐηγγελίσθη. *Scilicet per Noachum: ut expressit suprà cap.3.v.20. quem idcirco nominat præconem justitiæ, 2.Pet.2.v.5.* Ut judicarentur quidem] ἵνα κριθῶσι μὲ. *Id est, punirentur, videlicet aquis diluvii, propter prædicationem Noachi contemtam. Sic accipitur verbum κρίνεσθαι, 1.Cor.11.v.31. & 32. de pœnis seu castigationibus corporalibus.* Secundùm homines] κτ ἀνθρώπους. *Quo ad notitiam hominum.* Carne] σαρκὶ *Id est, in carne seu corpore:* **Am flaisch/ oder am leib.** Viverent autem] ζῶσι δὲ. *Id est, vitam æternam adipiscerentur aliqui ex illis, pœnâ illâ diluvii ad resipiscentiam adducti; & prædicatione Noachi, quantumvis serò, fidem habentes.* Secundum Deum] κτ Θεὸν. *Id est, quo ad notitiam Dei: qui solus, tanquam καρδιογνώστης, novit eos qui ex illis resipiscebant.* Spiritu] πνεύματι. *Id est, in anima. Sic enim animæ tribuitur salus æterna κατ' ἐξοχὴν, suprà c.1.v 9. Et sic spiritus carni opponitur 1.Cor.5.v.5.*

7 Imminet] ἤγγικε. *Ad verb. Appropinquavit.*

10 Accepit] ἔλαβε. *Scilicet à Deo.* Variæ gratiæ] ποικίλης χάριτος. *Id est, ποικίλων χαρισμάτων, variorum donorum. Metonymia efficientis.*

11 Si quis loquitur] εἴ τις λαλεῖ. *Si quis prædicat verbum Dei in Ecclesia, interpretando Scripturam, aut doctrinam proferendo è Scriptura. Synecdoche generis.* Ut eloquia Dei] ὡς λόγια Θεοῦ. *Id est, ita ut decet pronuntiare eloquia Dei, adhibitâ scil. singulari reverentiâ. Subauditur autem hic verbum conjugatum, sicut Rom.12.v.8.* Si quis ministrat] εἴ τις διακονεῖ. *Videtur intelligere ministerium in curandis ægrotis aut pauperibus: quia hoc ministerium à ministerio verbi distinguit. Synecdoche generis.* Cui] ᾧ. *Sive Deo, sive Christo.*

12 Ne tanquam hostes percellimini] μὴ ξενίζεσθε. *Vel, Ne tanquam re peregrinâ offendimini.* **Laßts euch nicht befremden/ oder fremd duncken.** *Sic suprà v.4.*

13 Afflictionum Christi] τοῖς τοῦ Χριστοῦ παθήμασι. *Id est, afflictionum, quales Christus à mundo perpessus est propter professionem veritatis cælestis.* Gaudete] χαίρετε. *Sic Matth 5.v.12. Gaudete & exsultate &c.*

14 Ob nomen] ἐν ὀνόματι. *Id est, διὰ τὸ ὄνομα. hoc est, propter confessionem Christi, quia profitemini vos Christianos.* Maledicta in vos jaciuntur] βλασφημεῖται *Sic puto accipiendas esse hoc loco istas voces, βλασφημεῖται, & δοξάζεται: scilicet impersonaliter: Alii referunt ad Spiritum sanctum; cujus factâ mentio in sententiâ præcedente.*

15 Ne quis enim] μὴ γάρ τις. *Conjunctio γὰρ favet expositioni verbi δοξάζεται, à nobis allatæ. quasi dicat: Nam quod dixi, gloriam vobis contingere ex hostium Evangelii maledictis: ideo dixi, quia statuo, vos pati illa maledicta, ac omnino quævis mala, non propter scelera, sed immerentes, propter confessionem scil. nominis Christiani. Quòd si quis vestrûm affligeretur ut maleficus, id gloriam ei non afferret.*

16 Sed si ut Christianus] εἰ δὲ ὡς χριστιανὸς. *Scil.* πάσχει, *patitur seu affligitur.*

17 Judicium] τὸ κρίμα. *Pœna, castigatio.* A domo Dei] ἀπὸ τοῦ οἴκου τοῦ Θεοῦ. *A domesticis Dei, à filiis & servis Dei. Metonymia subjecti metaphorica.* Quis erit finis?] τί τὸ τέλος. *Quàm miserabilis erit exitus? Synecdoche generis.*

18 Justus] ὁ δίκαιος. *Pius: qui justitiâ delectatur, eiq; studet.* Ubi] ποῦ. *Quasi dicat, Nusquam, videlicet in domo Dei, id est, in cælo. Synecdoche generis.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex vers.1.2. & 3. Notentur hîc tria argumenta, quibus moveri atque impelli debemus ad studium sanctè vivendi: quorum primum sumitur ab exemplo Christi, ad hunc modum: Christus passus est pro nobis carne: Ergo & nos debemus pati carne. hoc autem fiet, si desistentes à peccato, non ampliùs cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod in carne reliquum est temporis, vivamus. Secundum argumentum petitur ab effectu passionis Christi, quod innuitur verbis *Pro nobis*: quibus nimirum finis seu scopus, qui Christo patienti fuit propositus, ac proinde & passionis Christi effectus, significatur. Vis autem hujus argumenti est hæc: Christus passus est pro nobis, id est, ut pro nostris peccatis satisfaceret judicio Dei, atque ita Deum nobis placaret, iramque ejus à nobis averteret, & contrà gratiam ipsius nobis conciliaret. Remotâ autem à nobis irâ Dei, desinit in nobis dominatus peccati: quippe qui ab ira Dei, tanquam pœnâ primi illius peccati, quod in lumbis primorum parentum admisimus, dependet. Item conciliatâ nobis gratiâ Dei, datur nobis à Deo Spiritus sanctus, qui peccatum inhabitans coërcet; reprimit, retundit, denique vires illius imminuit, ne possit nobis ampliùs dominari: & contrà nobis ingenerat studium justitiæ, ut toto pectore cupiamus deinceps vivere voluntati Dei. Hæc naturæ instauratio, quum in nobis effecta sit per passionem Christi: consequens est, nos jam ex gratia Dei habere aliquas vires ad sanctè vivendum: ac proinde adhibendum nobis esse studium, Deumque rogandum ut illas vires nobis indies augeat, donec ad perfectionem nos adducat: præsertim quum promiserit, se tales nostras preces (quippe secundùm voluntatem ipsius institutas) exauditurum, & sanctos nostros conatus adjuturum. Ad hujus argumenti explicationem atque confirmationem pertinent, quæ tradit Paulus Rom.6. Tertium argumentum sumitur à recordatione pristini nostri status ante conversionem, & collatione illius cum statu præsenti gratiæ. Sententia hæc est: Ante conversionem nostram patravimus, & securè ac petulanter commisimus omnis generis flagitia & scelera: Ergo jam conversi, debemus ab illis desistere, eaque fugere ac vitare. Ratio consequentiæ hîc intelligenda est ista: quod contrariorum efficientium contraria sunt effecta. Sicut igitur ex naturali vitiositate olim orta est securitas peccandi: ita nunc ex naturæ emendatione nasci debet studium sanctè vivendi. Idem argumentum propositum fuit suprà cap.2.v.ult. Porrò ad hujus argumenti illustrationem faciunt, quæ tradit Paulus Rom.6.v.19. & deinceps. 1.Cor.6. v.11. 1.Thess.5.v.4. & deinceps. Etsi autem istud argumentum non videtur pertinere ad omnes; quum nonnullis contingat spiritus regenerationis in pueritia: tamen satis est pertinere ad multos. Et quibus spiritus regenerationis maturè contingit, hoc ipso Dei beneficio magis obstringuntur ad sanctitatis studium: præsertim si cogitent, se à natura ad omnis generis scelera atque flagitia non minùs pronos fuisse, quàm illos qui ea admiserunt: quòd autem non ipsi quoque eadem admiserint, ex gratia Dei per spiritum ipsius retentos fuisse. *Studium sanctitatis.*

2 Ex vers.2. Ex eo, quòd Petrus cupiditatibus hominum opponit voluntatem Dei, monemur, naturam humanam penitus esse corruptam seu depravatam: quippe cujus cupiditates repugnant sanctæ voluntati Dei. De hac naturæ corruptione passim testatur scriptura. *Homo.*

3 Ex eodem v. Quòd Petrus ad studium sanctæ vitæ exhortans, monet ut vivamus voluntati Dei: hinc monemur, voluntatem Dei, videl. in Lege & Evangelio patefactam, esse sanctæ vitæ regulam. *Vita sancta.*

4 Ex eod.v. Vita sancta duas partes continet: fugam actionum turpium, ad quas instigant innatæ cupiditates; & studium actionum sanctarum, quas à nobis requirit Deus. Confer Eph.4. v.22. & deinceps. Col.3.v.9. & 10. Sup.3.v.11. *Vita sancta.*

5 Ex v.4. & 5. Quum videmus, homines mundanos & carnales, id est, voluptatibus mundi & carnis deditos, moribus nostris sobriis & ad gravitatem Christianam compositis, tanquam peregrinis offendi, nosque eo nomine blasphemare: non debe- *Officium hominis Christiani.*

mus eâ re moveri, ut propterea concurramus cum eis ad eandem luxus profusionem: sed cogitare debemus, illos à Deo punitum iri. Hujus admonitionis usus hodie est adversus blasphemiam eorum, qui quum vident, nos improbare ac reprehendere compotationes & saltationes illas, in nuptiis aliisve conviviis aut solennitatibus usitatas: dicunt, Spiritum Zwinglianum seu Calvinisticum esse spiritum melancholicum, quo nimirum innuunt diabolicum. Huc pertinet admonitio Pauli, Rom.12.v.2. *Ne conformate vos seculo huic.*

Judicium de proximo. 6 Ex v.6. Quum videmus, proximum temporalibus pœnis à Deo affici; non debemus inde colligere, eum esse Deo exosum, ac proinde æternâ quoque morte punitum iri. Etenim Deus temporales pœnas in nonnullis adhibet tanquam paternas castigationes, quibus illos ad resipiscentiam, atque ita ad vitam æternam seu salutem animarum, adducit: Sicut Petrus hoc loco de diluvio illo universali affirmat. Huc pertinet illud Pauli 1.Cor.11. Quum judicamur (id est, punimur) à Domino castigamur, ne cum mundo condemnemur.

De fine mundi. 7 Ex v.7. Quum Petrus hoc loco affirmet, omnium finem imminere: & tamen ex illo tempore quo hæc scripsit, aliquot sæcula effluxerint: quærat aliquis, qui veritas hujus affirmationis constet? Respondeo primùm: *Apud Deum mille anni perinde sunt ut unus dies*, 2.Pet.3.v.8. Deinde tempus illud mundi quòd cœpit à promulgatione Evangelii, in scriptura vocatur tempus ultimum: idque propterea quòd nulla ampliùs illustris & catholica Dei patefactio in hoc mundo exspectanda est præter adventum filii Dei ad judicium. ubi obiter notandum, illustres & catholicas Dei patefactiones jam præteriisse tres. Eæ sunt, prædicatio Evangelii & resipiscentiæ per Noachum, ejusdemque prædicationis obsignatio per diluvium: deinde promulgatio Legis in monte Sinai, ejusdemque obsignatio per pœnas Israëlitarum in deserto, & introductio in terram promissam: tum promulgatio Evangelii per missionem Spiritus sancti, in die Pentecostes, ejusdemque obsignatio per subsecuta miracula. Nunc quarta, eademque ultima, Dei patefactio restat, qua filius Dei conspiciendum se præbebit in nubibus, & judicium universale exercebit. Adhæc apostoli ideo de adventu illo Domini tanquam instante loquuti sunt: quia quum scirent, se versari in tempore mundi ultimo, diem tamen & horam finis mundi, seu aduentus Domini ignorabant, (quippe quem etiam angeli ignorant, Marc.13.v.32.) ac proinde ita de eo loquebantur, ut qui in singula momenta parati essent, ad Dominum adventantem excipiendum. Interim tenendum est, sicut Paulus secum ipse non pugnat, quum uno in *a* loco affirmat, se in fines ætatum incidisse: *b* alibi verò negat, diem Domini venturum, nisi priùs venerit defectio: ita etiam non pugnare cum illa Pauli & hac Petri affirmatione, quòd exspectamus adhuc conversionem Judæorum, saltem bonæ partis, ante Domini adventum: idque ex prophetia Pauli, Rom.11.v.23.& deinceps.

a 1.Cor.10. v.11. *b* 2.Thess.2. v.3.

Officium hominis Christiani. 8 Ex eod.v. Ad Domini adventum præparare nos debemus per sobrietatem & vigilantiam, quotidianamq; invocationem. Confer Luc.12.v.35.& deinceps: item cap.21.v.34. & deinceps. item 2.Pet.3.v.11.& deinceps.

Vindicatio verborum Petri, Charitas operiet multitudinem peccatorum. Justificatio. 9 Ex v.8. Cavendum, ne verbis Petri quæ hîc pronuntiat de charitate, abutamur (ut Papistæ faciunt) ad oppugnandum doctrinam verbi Dei de justificatione fidei: quasi scilicet non justificaremur per solam fidem: sed remissionem peccatorum mereremur, saltem ex parte, per charitatem: id est, per hoc quòd diligimus Deum & proximum. Etenim verborum Petri non hic est sensus, quòd charitas nostra operiat peccata nostra coram Deo, ne scilicet veniant in illius conspectum, sed ut ea nobis propter charitatem nostram ignoscat: Sed sensus est, quòd charitas, qua diligimus proximum, tegat peccata proximi in nos admissa, idq; coram nobis: id est, ne veniant in conspectum nostrum, sed ut ea proximo ignoscamus: nec illum propterea odio habeamus, aut cum eo rixemur. Quam esse sententiam verborum, planum est ex sententia, quæ istrapud Salomonem, unde hæc verba desumta sunt, opponitur. præcedunt enim illic hæc verba, *Odium excitat rixas*, Prov.10.11.

Hospitalitas. 10 Ex v.9. Christiani debent esse hospitales, hoc est, faciles ad præbendum hospitium fratribus, qui propter Evangelii confessionem coguntur exsulare, & incertis vagari sedibus. Et hoc officium illis præstandum est sine murmurationibus: ne scil. adversus ipsos murmuremus, si paulò diutiùs nobis oneri sunt, maximè si id fiat citra ipsorum culpam. Confer Heb.13.v.2.

Officium hominis Christiani. 11 Ex v.10. Facultatem juvandi proximi, quam singuli ex Dei dono accepimus, fideliter conferre debemus ad proximum juvandum: cogitantes, illam nobis à Deo concreditam esse tanquam œconomis: ac proinde dispensationis nostræ rationem illi aliquando reddendam fore.

Verbum Dei. Ministri verbi Dei. 12. Ex v.11. Verbum Dei tractandum est cum summa reverentia & modestia: idque consideratione majestatis Dei, à quo illud profectum est: ut ipse ita glorificetur. Peccant igitur qui verbo Dei tractando, eruditionem suam aut eloquentiam ostendant; earumque rerum laudem apud auditores lectorésve quærunt. Confer 1.Cor.1.17.& deinceps: item c.2.à principio & deinceps.

Officium hominis Christiani. 13 Ex eodem v. ex verbis: *Si quis ministrat &c.* Qui instructi sunt facultate ministrandi proximo, sive sublevando inopiam pauperum, sive consolando curandóve ægrotos: facultatem illam ad juvandum proximos fideliter debent conferre, cogitantes, illam sibi ob hanc ipsam causam à Deo esse suppeditatam.

Consolatio contra persecutionem. 14 Ex v.12. & deinceps usque ad finem capitis. Notanda hîc sunt aliquot argumenta consolationis contra scandalum persecutionis, quam patimur propter confessionem Evangelii. Eorum primum est: Quia Deus ita nos explorat, ut experiatur an in fide simus sinceri & constantes: quæ fidei sinceritas atque constantia, ubi ita fuerit comperta tum nobis ipsis, tum aliis; ea res & gaudium nobis adfert & laudem. Idem tradit Paulus Rom.5. v.3.4.& 5. Secundum argumentum: Quia quum patimur propter confessionem Evangelii, consortes sumus afflictionum Christi: quippe qui propter eandem causam mundi odium & persecutionem passus est. Id autem nobis est honestum, conformari Christo tanquam nostro capiti, magistro ac domino. Hoc argumento Christus ipse apostolos consolatus fuit Joh.15. v.18. 19.& 20. Tertium argumentum: Quia si constanter pertulerimus persecutionem istam, atque ita communicaverimus cum perpessionibus Christi: consortes quoque futuri sumus gloriæ Christi, & gaudiorum cælestium. Idem tradit Paulus Rom.8.17. item 2.Tim.2.11.& 12. Quartum argumentum: Quia quum patienter ferimus probra mundi propter nomen Christi: ea res nobis cedit in gloriam: ut quæ indicio sit, quòd requiescat super nos spiritus Dei. Etenim homo carnalis pronus est ad probra non ferendum, sed regerendum. Quintum argumentum: Quia hæc nostra patientia cedit ad glorificandum Deum: quippe propter quem injurias istas æquo animo ferimus: ut nimirum obediamus sancto ipsius mandato, quo nobis præcepit veritatis suæ confessionem. Hoc argumentum significat & Johannes Joh. ult. v.19. ubi ait, Jesum verbis ad Petrum pronuntiatis de ipso olim cingendo per alium, significasse, qua morte is glorificaturus esset Deum. Sextum argumentum: Quia Deus persecutiones nobis immittit, justo ac sapiente judicio, & præterea animo paterno, tanquam suis domesticis atque adeò filiis: videlicet ne cum mundo condemnemur. Idem tradit Paulus 1.Cor.11.32. Ubi observandum, unam eandemque afflictionem habere posse rationem & explorationis, aut etiam martyrii, & castigationis. Martyrii quidem & explorationis, quatenus infertur ac sustinetur propter Evangelii confessionem: castigationis verò, quatenus eam meriti sumus nostris peccatis coram Deo. Coram Deo, inquam. nam coram mundo ea in parte sumus innocentes. Septimum argumentum: Quia Deus, tanquam justus judex, innocentiam nostram suo tempore asserturus est: quum scilicet puniet nostros persecutores æterno exitio. Idem tradit Paulus 2.Thess.1.5. & deinceps. Atque idem significabat quoque Christus, quum diceret; *Sic hoc faciunt in ligno viridi, in arido quid fiet?* Octavum argumentum: Quia Deus qui persecutiones nobis immittit, est fidelis noster conditor: quare & potest, & vult nos in persecutionibus conservare. Etsi autem non semper tuta præstat corpora, sed ea sæpe à tyrannis affligi atque occidi sinit: tamen satis nobis esse debet, quòd semper confirmat fidelium suorum confessorum animos, ut intrepidè ac fortiter cruciatus corporis perferant & vincant; id quod martyrum exempla abundè demonstrant.

Ecclesia. 15 Ex v.17. Ecclesia est domus Dei: quia Deus in fidelibus inhabitat per Spiritum sanctum. Confer 1.Tim.3.v.15. Heb.3.v.2. & deinceps.

Evangelii. 16 Ex eod.v. ex verbis, *Dei Evangelio.* Quum Evangelium authorem habeat Deum: sequitur, summâ cum reverentiâ audiendum atque amplectendum esse.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Hic redit primùm ad exhortationes speciales, ac officii admonet tum presbyteros, tum juniores, usque ad v.8. Deinde adjungit exhortationem generalem seu communem, v.8.& 9. Postremò epistolam concludit. Ita sunt quatuor hujus capitis partes.

PRIMA PARS.

Presbyterorum officia.

PResbyteros qui inter vos sunt, precor ego una presbyter ac testis perpessionum Christi, atque idem gloriæ patefaciendæ consors;

2 Pascite Dei gregem, qui penes vos est, curam illius agentes non coactè, sed libenter: non turpiter affectantes lucrum, sed promto animo:

3 Neque ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis.

4 Et quum apparuerit ille pastorum princeps, reportabitis immarcescibilem illam gloriæ coronam.

PResbyteros (id est, eos qui Ecclesiam gubernant verbo) hortatur ad curam gregis sibi commissi. Idque primùm à suo exemplo, ut qui eodem officio fideliter fungatur, suæque fidelitatis præmium exspectet, gloriam illam cælestem: quo jam secundum argumentum innuitur, ab eventu utili, v.1. Deinde v.2. & 3. il-

& 3. illam curam pro grege gerendam, illamque gregis gubernationem, describit è sua forma, illustrata contrariis; quatenus præcipit, ut gregis sibi commissi curam agant *non coactè, sed libenter; non turpiter affectando lucrum, sed promto animo; non velut dominando cleris, sed præbendo sese exemplaria gregis.* Tum v.4. argumentum illud ab utili eventu, videlicet gloriâ cælesti pro præmio ipsis tribuendâ, repetit.

Secunda Pars.

Juniorum officia.

5 Similiter juniores subjecti estote senioribus; & omnes vicissim subjicimini. Modestiâ estote intus ornati. nam Deus superbis resistit, demissis autem dat gratiam.

6 Demittite igitur vos sub potentem illam manum Dei, ut vos extollat suo tempore:

7 Omni curâ vestrâ in eum conjectâ: nam illi cura est de vobis.

Hic juniores hortatur primùm ad subjectionem erga seniores: deinde ad modestiam, tanquam illius subjectionis causam procreantem. Ac priorem quidem hortationem amplificat correctione, qua illam extendit ad omnes. Posteriorem verò hortationem confirmat primùm ab adjunctâ modestiæ pulchritudine, quam significat verbo ἐγκομβώσασθε, id est, intus ornatum esse. Deinde ab eventis tum superbiæ, tum modestiæ: ubi ait, *Nam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Tum hortationem ipsam repetit, simulque argumentum illud ab eventis confirmat ab adjuncta potentia causæ efficientis, unde illa eventa proficiscuntur, ubi ait, v.6. *Humiliamini igitur sub potentem illam manum Dei, ut vos exaltet in tempore.* quasi dicat, Deus satis potens est & ad resistendum superbis, & ad exaltandum humiles. quare superbiam fugite, humilitati verò studete. Huic sententiæ subjungit quasi πόρισμα seu corollarium, hortationem ad fiduciam in Deum, monens, *ut omnem suam curam in Deum conjiciant:* consideratâ nimirum potentiâ ipsius, cujus fecerat mentionem: nec non paternâ voluntate, de qua subjungit, inquiens, *Nam illi cura est de vobis.*

Tertia Pars.

Officia Christianorum omnium communia.

8 Sobrii estote: vigilate. nam adversarius vester, Diabolus, tanquam leo rugiens obambulat; quærens quem devoret.

9 Cui resistite firmi per fidem: scientes, easdem perpessiones à vestra, quæ in mundo est, fraternitate impleri.

Hic hortatur universos ad sobrietatem, vigilantiam, & constantiam in fide ac tolerantia persecutionum. Ad sobrietatem & vigilantiam hortatur ab objecto periculo, videlicet insidiis Diaboli perpetuis: quas insidias amplificat ab adjuncto Diaboli robore, quatenus eum comparat leoni. Ipsam verò nocendi cupiditatem, quæ Diabolum ad nocendum filiis Dei impellit, declarat tribus similibus: primò vocans illum nostrum adversarium, ἀντίδικον: deinde comparans eum leoni rugienti: postremò tribuens illi cupiditatem devorandi. His Diaboli insidiis quomodo sit resistendum, mox subjungit in principio v.9. videlicet per constantiam in fide: atque ita illos ad constantiam in fide hortatur, simulque spe victoriæ consolatur. Postremò annectit quoque consolationem contra persecutiones mundi, à pari conditione fratrum, id est, fidei Christianæ sociorum in toto mundo. Neque enim quisquam debet meliore conditione esse velle quàm fratres.

Quarta Pars.

Conclusio epistolæ.

10 Cæterùm Deus omnis gratiæ *autor*, qui vocavit nos ad æternam suam gloriam in Christo Jesu, paulisper afflictos; is, *inquam*, integros vos reddat, stabiliat, roboret, fundet.

11 Ipsi *sit* gloria & robur in sæcula sæculorum, Amen.

12 Per Silvanum, vobis fidum fratrem, (ut existimo) paucis scripsi; adhortans *vos*, & testificans, hanc esse veram gratiam Dei in qua statis.

13 Salutat vos ea quæ est in Babylone vobiscum electa *ecclesia*, & Marcus filius meus.

14 Salutate alii alios charitatis osculo. Pax *sit* vobis omnibus qui estis in Christo Jesu, Amen.

Epistolam concludit primùm voto, v.10. deinde doxologiâ, v.11. tum ἀνακεφαλαιώσει, id est, brevi præcipuorum capitum, in epistola tractatorum indicatione, vers.12. postea salutationibus, v.13. Postremò hortatione ad declarandã mutuam charitatem, ac rursus voto, v.ult. Primo illo voto optat eis primùm καταρτισμὸν, consummationem seu perfectionem, id est, plenam cognitionem voluntatis Dei, itemque plenam facultatem agendi quæ Deo placent. deinde constantiam in fide: quam significat tribus verbis, ubi ait: *Stabiliat, roboret, fundet.* In ἀνακεφαλαιώσει significat, se in hac epistola egisse duo: videlicet eos ad quos scribit, esse adhortatum, & testificatum eis esse de veritate doctrinæ Evangelii, quam erant amplexi; quam μετωνυμικῶς vocat *gratiam Dei*, quia testimonium est de gratia Dei per Christum in omnes credentes. In salutationibus simul significat locum, ubi hanc epistolam scripsit, videlicet in Babylone. quod nomen propriè de urbe Chaldææ, non autem allegoricè seu metaphoricè de urbe Roma intelligendum esse, rectè (meo judicio) à recentioribus traditur. quia illud quadrat cum apostolatu Petri, ut qui peculiariter destinatus fuit Judæis: quorum scilicet magna copia in orientalibus istis regionibus degebat. Sanè si Romæ hanc epistolam scripsisset Petrus: non videtur idonea afferri posse causa, cur nomen illius voluerit dissimulare.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Presbyteros] πρεσβυτέρους. *Id est, pastores & gubernatores morum.*

2 Dei gregem] τὸ ποίμνιον τοῦ Θεοῦ. *Id est, cœtum fidelium. Metaphora.*

3 Cleris] τῶν κλήρων. *κλήρους vocat singulos cœtus fideliũ, quòd sint Deo chari instar hæreditatis quæ alicui sorte contigit. nam κλῆρος propriè* sortem *significat. Concurrunt igitur hic metonymia & metaphora: metonymia scilicet causæ procreantis, quatenus per sortem significatur hæreditas quæ sorte contigit: metaphora verò, quatenus nomine* hæreditatis *intelligitur res chara instar hæreditatis.*

4 Et quum apparuerit] καὶ φανερωθέντος. *Videlicet in suo adventu ad judicium.* Ille pastorum princeps] τοῦ ἀρχιποίμενος. *Id est, Christus.* Gloriæ coronam] τὸν τῆς δόξης στέφανον. *Id est, gloriam, velutì coronam. Genitivus speciei. Syntaxis qualis in illo Rom.4.v.11.* Qui incedunt vestigiis fidei: *id est, fide, quasi vestigiis. Paulus 2.Tim.4.v.8. nominat* coronam justitiæ: *quia pro justitia datur, tanquam præmium. Metaphora à certaminibus. Confer 1.Cor.9. v.24. & deinceps.*

5 Demissis] ταπεινοῖς. *Ad verb.* Humilibus. *Id est,* τοῖς ταπεινόφροσι.

9 Fraternitate] ἀδελφότητι. *Sic nominat multitudinem fratrum, ut suprà cap.2.v.17.*

12 Ut existimo] ὡς λογίζομαι. *Referendum puto ad epitheton* fidi.

OBSERVAT. EX CAP. V.

1 Ex v.1.2. & 3. Presbyteri debent gregem Dei sibi commissum pascere: id quod fit docendo, exhortando, consolando, redarguendo, corripiendo, prout necessitas postulat. Deinde debent gregis sibi commissi curam gerere fidelem: id quod fit diligenter observando singulorum vitam ac mores; idque promto animo, non propter lucrum. Tertiò, non debent sibi in cleros (id est, cœtus fidelium) usurpare dominatum. Quartò, debent se gregi suo præbere exemplaria; id est, præire illis debent bono exemplo honestæ ac sanctæ vitæ. Hæc quum non præstent presbyteri & pastores in Papatu: sequitur, eos honorificis istis titulis indignos esse. *Ministri verbi Dei.*

2 Ex v.1. Quum Petrus se nominet συμπρεσβύτερον: constat hinc, non gessisse eum se pro capite Ecclesiæ in terris, & vicario Christi. Ac proinde Papa falsò se jactat Petri in illa dignitate successorem: quippe quum nemo plus juris in alium possit conferre, quàm ipse habeat. *Papa.*

3 Ex v.3. Quum nomen cleri à Petro tribuatur totis cœtibus fidelium: sequitur, illud in Papatu sacrilegè solis rasis & unctis atque officia ecclesiastica administrantibus attribui, exclusis, quos superbè nominant laicos. *Clerus.*

4 Ex v.4. Pastores ac presbyteri ad officium suum studiosè administrandum acuere se debent spe præmii illis apud principem pastorum Christum repositi; quod est corona illa immarcescibilis gloriæ cælestis. Eodem argumento se confirmavit Paulus, 2.Tim.4.v.8. *Ministri verbi Dei.*

5 Ex v.5. & 6. Juniores debent revereri seniores, eorumque sanctis monitis parêre. deinde omni conatu studere modestiæ, ac fugere superbiam; idque adducti tum modestiæ pulchritudine, & remuneratione illius divinâ; tum superbiæ fœditate & divinis pœnis. Exemplum modestiæ proponitur nobis in Davide *a* & Salomone *b* superbiæ verò in Pharaone *c* & Nebucadnezare *d*. *Juniorum officium.*

a 1.Sam.18. v.17. *b* 1.Reg.3. v.7. *c* Exod.5.2. *d* Dan.4.30.

6 Ex v.6. & 7. Omnem nostram curam conjicere debemus in Deum: tum quia opem nobis ferre potest ut omnipotens Deus; tum quia curam nostri gerit ut fidelis pater. Confer Matth.6.v.25. & deinceps. Idem præcipit David Psal.55.v.23. *Rejice in Jehovam quicquid dat tibi, & ipse sustentabit te: non permittet unquam justo ut dimoveatur.* Item Psal.37.v.5. *Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo: nam ipse efficiet: proferens tanquam lucem justitiam tuam &c.* *Cura.*

7 Ex v.8. Ad sobrietatem & vigilantiam commovere nos debet periculum perpetuò nos circumstans; videlicet insidiæ Dia- *Sobrietas. Vigilantia.*

boli, qui perpetuò intentus est, ut nos ad securitatem carnalem & omnis generis scelera atque flagitia adducat, & per ea in æternum exitium præcipitet. Idem argumentum proponitur à Paulo, Eph. 6. v. 11. & 12. Eodem argumento usus quoque fuit Christus apud discipulos in horto, Matth. 26. v. 41.

Tentationes spirituales. 8 Ex vers. 9. Tentationibus Diaboli resistendum est per fidem. Fides autem nititur verbo Dei. Confer instructionem Pauli, Eph. 6. v. 10. & deinceps: item exemplum Christi, Matth. 4. v. 1. & deinceps.

Consolatio. 9 Ex eod. v. Notandum argumentum consolationis contra persecutiones propter Evangelium; quod est societas aliorum fidelium: qui quum fratres nostri sint, non debemus meliore conditione esse velle.

Consolatio. 10 Ex v. 10. Notandum hîc aliud argumentum consolationis contra persecutiones propter Evangelium: videlicet quòd illæ durant paulisper, id est, brevi tempore; vel etiam quòd sint exiguæ, si scil. comparentur cum gloria quæ constantes Evangelii confessores manet. Confer supr. cap. 1. v. 6. & Rom. 8 v. 18.

11 Ex eod. v. Quum Petrus fidelibus exoptet καταρτισμὸν, id est, absolutionem seu perfectionem, ut scil. cognitio Dei & pietas in eis absolvatur atq; perficiatur; sequitur hinc, fideles in hac vita non esse perfectos; sed continenter eis proficiendum esse. *Imperfectio fidelium.*

12 Ex v. 11. Quoties beneficiorum Dei mentionem facimus, in glorificationem illius seu prædicationem erumpere debemus. Simile exemplum vide supr. cap. 4. v. 11. item Rom. 9. v. 5. & c. ult. v. ult. 1. Tim. 1. v. 17. *Officium hominis Christiani.*

13 Ex v. 13. Quum Petrus habuerit filium, haud dubiè ex legitimo conjugio natum: quippe qui & *a* socrum habuit, & uxorem *b* cicumduxit; perperam igitur Papa sacerdotibus & clericis (quos vocant) conjugio interdicit. *Conjugium.* *a* Matt. 8. 14. *b* 1. Cor. 9. 5.

FINIS.

ANALYSIS LOGICA

POSTERIORIS EPISTOLÆ S. PETRI.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

a Cap. 1. v. 12. & deinceps. item c. 3. v. 1. 17. 18.
b Cap. 1. v. 3. & 4.
c Cap. 1. v. 5. & deinceps.
d Cap. 1. v. 12. & deinceps.
e Cap. 1. v. 6. & deinceps.
f C. 2. toto.
g Cap. 3. v. 3. & deinceps.

SCOPUS *apostoli Petri in hac epistola est, fideles Judæos ad quos scribit,* a *commonefacere de rebus pertinentibus ad salutem ipsorum æternam. Principio igitur, posteaquam eos paucis confirmavit* b *in spe augmenti donorum Dei spiritualium jam in ipsos collatorum,* c *hortatur eos primùm ad studium proficiendi in fide aliisq; virtutibus Christianis; simulq;* d *causam exponit, cur eos de his rebus tam studiosè commonefaciat. Deinde hortatur eos ad* e *constantiam in fide & confessione doctrinæ ipsis ab apostolis traditæ: & contrà monet de doctoribus* f *falsis in Ecclesia exorituris & jam tum ex parte exorientibus, monens ut ab illis sibi caveant, ne ab eis in errores exitiales seducantur: simul etiam illorum mores describit, unde veluti ex notis quibusdam queant agnosci. Postremò monet etiam, ut sibi caveant à seductione* g *irrisorum seu illusorum, (quos hodie vulgò Epicureos appellitant) qui scilicet negant adventum Christi ad judicium universale, & mundi hujus interitum. Itaque Apostolus adventum illum certò asseverat atque confirmat: simulq; formam interitus mundi graphicè describit.*

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Præmissâ inscriptione, v. 1. & 2. confirmat eos in spe augmenti donorum spiritualium, v. 3. & 4. deinde hortatur eos ad studium proficiendi in fide, aliisq; virtutibus Christianis, à v. 5. usq; ad 12. Tum causas exponit hujusce suæ commonefactionis, usq; ad v. 16. Postremò eos hortatur ad constantiam in fide & confessione doctrinæ ipsis ab apostolis traditæ, usque ad finem Capitis. Ita caput distingui potest in quinque particulas.

PARTICULA PRIMA.

Inscriptio epistolæ.

SYmeon Petrus, servus & apostolus Jesu Christi; iis qui æquè pretiosam fidem nobiscum sortiti sunt per justitiam Dei nostri & servatoris Jesu Christi:

2 Gratia vobis & pax multiplicetur per agnitionem Dei, & Jesu domini nostri.

INscriptio continet tria membra: subscriptionem, ibi, *Symeon &c.* inscriptionem specialiter dictam, ibi, *Iis qui æque pretiosam &c.* & salutationem, ibi, *Gratia vobis &c.* Subscriptio continet nomina scriptoris quatuor: nomen proprium, in circumcisione scilicet ei impositum, quod est *Simeon:* deinde cognomen ei impositum illi à Christo, quod est *Petrus:* tum nomina officii duo; unum generale, quod est *servus Jesu Christi*, alterum speciale, quod est *apostolus Jesu Christi.* Inscriptio specialiter dicta constat periphrasi fidelium Judæorum in provinciis Imperii Romani tum degentium: ut colligitur ex collatione versus primi capitis tertii cum versu primo capitis primi epistolæ prioris. Illos autem describit ab adjuncta fide per collationem parium. Fidem autem amplificat ab adjuncta præstantia, & à causa procreante atque impulsiva, quarum illam statuit Christum: quem commendat à præstantia tum personæ, quatenus eum nominat *Deum:* tum officii, quatenus eum vocat *servatorem* nostrum. Impulsivam verò statuit *justitiam illius;* quo nomine videtur intelligere veritatem ejus seu fidem in servandis promissis; quippe quòd jam olim patribus promiserat, se in suo adventu aliquos ex Israelitis ad agnitionem sui vocaturum. Salutatio comprehendit votum, quo exoptat eis augmentum trium maximorum bonorum; primùm *gratiæ*, id est, favoris Dei: deinde *pacis*, id est, tranquillitatis animi è sensu illius favoris Dei; tum *agnitionis Dei & Jesu domini nostri.* Hæc tria inter se comparata sunt. Gratia ad pacem & agnitionem se habet ut causa procreans. nam quem Deus favore prosequitur, favore scilicet paterno propter Christum, eum donat agnitione sui & Christi; & per hanc ipsam agnitionem in eo efficit pacem, id est, tranquillitatem animi suaviter in agnita Dei gratia acquiescentis. unde jam intelligitur, quòd agnitio quoque ad pacem se habeat ut causa procreans, saltem instrumentalis; quippe qua Deus utitur ad pacem in nobis efficiendam. quod ipsum quoque verba Petri innuunt, ubi ait, ἐν ἐπιγνώσει: pro eo quod est, δι' ἐπιγνώσεως, id est, per agnitionem.

PARTICULA SECUNDA.

Confirmat eos in spe augmenti donorum spiritualium.

3 Prout divina potentia ipsius omnia nobis donavit quæ ad vitam & pietatem *pertinent*, per agnitionem illius qui vocavit nos ad gloriam ac virtutem:

4 Propterea quòd maxima illa nobis ac pretiosa promissa donavit, ut per hæc efficeremini divinæ consortes naturæ, elapsi ex interitu qui est in mundo per cupiditatem.

Voto annectit consolationem, confirmando eos in spe illius augmenti donorum spiritualium quod eis exoptaverat. Hoc igitur augmentum eis promittit ratiocinando à pari, in hanc sententiam: Deus jam donavit nobis quæ ad vitam & pietatem pertinent; Ergo dona illa nobis augebit, donec perfectionem vitæ ac pietatis adipiscamur. Consequentiæ ratio est, quia apud Deum par est ratio initii & progressus sive augmenti, & denique perfectionis; quippe quum Deus sit constans, & quum dona & vocatio ipsius sint ἀμεταμέλητα. quare opus bonum quod in electis suis inchoavit, perficiet quoque suo tempore. Cæterùm donationem hanc Dei primùm amplificat ab adjuncta donantis potentia, ubi ait: *Prout divina potentia nobis donavit &c.* Deinde à donorum numero, ubi ait, *Donavit nobis omnia &c.* Tum dona illa declarat exemplo, inquiens: *Per agnitionem illius &c.* quo nomine intelligit fidem, tanquam donum principale, ac cæterorum fundamentum. Præterea indicat donationis modum seu formam, ubi ait, *Qui vocavit nos &c.* ubi loquitur de vocatione efficaci, qua mens illuminatur fide seu agnitione gratiæ Dei. Ad hæc ipsam hanc vocationem declarat expositione causę instrumentalis: quæ sunt promissiones gratiæ: de quibus ait: *Ex eo quòd maxima nobis ac pretiosa promissa donata sint.* quas promissiones (ut apparet) amplificat à præstantia rerum promissarum, quatenus nominat promissa maxima ac pretiosa, intelligens videlicet *vitam & pietatem*, seu *gloriam & virtutem:* quæ bo-

quæ bona paulo-antè commemoravit. Postremò horum bonorum mentionem repetit nomine generali; simulque eorum præstantiam significat collatione similium, quatenus vocat *communionem naturæ divinæ*. Etenim Deus perfectè sapiens, sanctus & beatus est: itaque electi, quum & ipsi cælesti sapientiâ, sanctitate ac beatitate donantur, hoc ipso divinæ naturæ suo modo & gradu consortes fiunt: quatenus illæ qualitates naturam Dei similitudine quadam referunt. Hanc autem communionem divinæ naturæ illustrat & amplificat à contrario: beatitati quidem (quam superiore versu vocavit vitam, & gloriam) opponens φθοράν, id est, interitum: sanctitati verò ἐπιθυμίαν, id est, cupiditatem seu concupiscentiam: ubi ait, *Elapsi ex interitu qui est in mundo per cupiditatem.*

PARTICULA TERTIA.

Hortatur ad studium proficiendi.

5 Ad hoc ipsum verò *vos* omni præterea collato studio, adjicite fidei vestræ virtutem, virtuti verò scientiam:

6 Scientiæ verò continentiam, continentiæ verò tolerantiam, tolerantiæ verò pietatem:

7 Pietati verò animum in fratres propensum, animo verò in fratres propenso charitatem.

8 Hæc enim si vobis adsunt & exuberant, non inertes *vos* nec infructuosos efficiunt ad Domini nostri Jesu Christi cognitionem.

9 Nam cui hæc non adsunt; is cæcus est, lusciosus, oblitus sese à veteribus peccatis suis fuisse purgatum.

10 Quapropter, fratres, potiùs studete vocationem & electionem vestram firmam efficere: hæc enim si feceritis, nunquam impingetis.

11 Ita enim copiosè subministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & servatoris Jesu Christi.

A consolatione transit ad exhortationem, ac hortatur ad studium proficiendi in fide & aliis virtutibus Christianis, quas varias enumerat, vers. 6. & 7. eamque enumerationem gradatione rhetoricâ exornat. Etsi autem in hac gradatione non apparet gradatio logica, seu certus ordo, quo istæ virtutes aliæ post alias enumerentur: tamen fides primo loco idcirco videtur statui, quòd sit reliquarum virtutum Christianarum veluti fons aut radix; atque adeò causa procreans. Etenim sine fide cæteræ virtutes Deo non placerent, ac proinde veræ virtutes non essent: quippe sine fide fieri non potest ut quisquam Deo placeat, Heb. 11. v. 6. Cæterùm fidei proximè adjungit virtutem, τὴν ἀρετήν: quo nomine videtur intelligere justitiam erga proximum: qua qui præditi sunt, viri boni nominatur. Huic adjungit scientiam, τὴν γνῶσιν. quo vocabulo videtur significare peritiam lucrifaciendi proximum, quatenus prudenter ac circumspectè versamur cum iis, qui adhuc à fide Christiana alieni sunt, aut nondum satis de illa edocti: ac proinde studemus eos Christo lucrifacere, solicitè caventes, ne qua ratione illos offendamus. Porrò scientiæ adjungit continentiam, τὴν ἐγκράτειαν: quâ virtute frænantur libidines & luxus, ac proinde caventur adulteria & scortationes; item vinolentia, commessationes & compotationes. Huic adjungit tolerantiam, τὴν ὑπομονήν: qua patienter & æquo animo sustinemus ac ferimus res adversas, ac inprimis persecutiones propter confessionem Evangelii. Tolerantiæ adjungit pietatem, τὴν εὐσέβειαν: qua virtute colimus Deum immediatè: cujus cultus præcipuæ partes sunt, adoratio, fiducia, invocatio, & gratiarum actio. Pietati adjungit animum in fratres propensum, seu amorem fratrum, τὴν φιλαδελφίαν: id est, amorem erga fideles, qui eandem nobiscum profitentur fidem, & per illam fidem sunt filii Dei, ac proinde nostri fratres in Christo: quippe in quo, tanquam filio Dei unigenito, adoptati sunt non minùs quàm nos. Ad extremum adjungit charitatem, τὴν ἀγάπην: quæ scilicet latiùs patet quàm φιλαδελφία: quippe quæ ad universos, atque adeò ad inimicos quoque, sese extendit. Atque hæ sunt virtutes, ad quarum profectum Apostolus Judæos exhortatur. Cæterùm istam exhortationem deinceps confirmat quinque argumentis: quorum primùm à fine cognitionis Christi sumtum, continetur v. 8. ibi, *Hæc enim si vobis adsunt &c.* Potest autem concludi hoc modo:

Si debetis esse actuosi ac fructuosi, debetis operam dare, ut enumeratæ virtutes vobis adsint & exuberent.

Sed debetis esse actuosi ac fructuosi. Ergo &c.

Loco propositionis ponitur ejus ratio his verbis; *Hæc enim si vobis adsunt & exuberant, non inertes nec infructuosos vos efficiunt.* Assumtionis loco ponitur item ejus ratio, his verbis, *Ad Domini nostri Jesu Christi cognitionem.* Hæc ratio sic potest formari:

Si idcirco donati à Deo estis cognitione Christi, ut essetis actuosi ac fructuosi, certè debetis studere ut tales sitis.

At verum antecedens. Ergo & consequens.

Propositio confirmatur ab adjuncta turpitudine contrarii, quam innuit Petrus his verbis, *Non inertes nec infructuosos vos efficiunt.* quasi dicat, Turpe vobis esset, si adepti à Deo cognitionem Christi, atque adeò maximo beneficio affecti, non studeretis vos exhibere Deo gratos per bona opera, tanquam fructus fidei, Deo acceptos. Atque adeò turpe esset, si quantum in vobis est, consilium Dei in cognitione Christi vobis donanda impediretis aut irritum redderetis. Porrò antecedens seu assumtionis sententia continetur istis verbis, *Non inertes nec infructuosos vos efficiunt ad Domini nostri Jesu Christi cognitionem.* Atque hoc est primum hortationis argumentum. Secundum argumentum à consequente absurdo seu effectu turpi contrarii, continetur in principio v. 9, ubi ait, *Nam cui hæc non adsunt, is cæcus est, nihil procul cernens.* Hoc argumentum sic potest concludi:

Cui virtutes illæ Christianæ non adsunt, is cæcus est.

At vos non vultis haberi pro cæcis, sed pro iis qui adepti sint salvificam cognitionem Dei.

Ergo studete, ut virtutes illæ vobis adsint.

Propositio ponitur sola: Assumtio ex instituto Apostoli subintelligitur.

Tertium argumentum ejusdem generis continetur in fine v. 9. ubi ait, *Oblitus sese à veteribus peccatis suis fuisse purgatum,* sic concludi potest:

Qui se Christianum nominat, & tamen virtutibus illis Christianis præditus non est: is oblitus est maximi beneficii Dei, videlicet sese à veteribus peccatis suis fuisse purgatum.

At vos non debetis tanti beneficii oblivisci.

Ergo debetis operam dare, ut quum Christianos vos nominetis, virtutibus quoq; illis Christianis præditi sitis.

Propositionis veritas manifesta est ex ipsa natura gratitudinis. nam qui beneficiorum acceptorum memor est, is studet benefactori vicissim gratificari ac placere. Deo autem illi demum gratum faciunt ac placent, qui student virtutibus Christianis. Assumtio patet ex adjuncta ingratitudinis turpitudine.

Quartum argumentum ab effectu utili, continetur in principio v. 10. ubi ait: *Quapropter fratres, potiùs studete vocationem & electionem vestram firmam efficere.* Hoc argumentum (ut apparet) implicitum est ipsi hortationi. Verba enim ista sic resolvenda sunt, ac si diceret Petrus: Quapropter, fratres, studete illis virtutibus. nam ita firmam efficietis vestram vocationem & electionem. Sic autem potest concludi:

Si debetis studere, ut firmam in vobis efficiatis vestram vocationem & electionem: debetis studere virtutibus illis enumeratis.

At illud facere debetis. Ergo & istud.

Connexi consequentia pendet ab effectione propriorum effectorum ad suas causas, quòd nimirum ex propriis effectis causæ ipsorum firmiter concluduntur. Virtutes autem illæ Christianæ sunt propria effecta electionis & vocationis efficacis. Id quod ubi de fide, tanquam cæterarum virtutum fonte, fuerit demonstratum, de cæteris quoque illis virtutibus demonstratum fuerit. Nam quod est causa causæ, id etiam est causa causati. At fidem esse proprium effectum electionis, docet Paulus quum fidem nominat *fidem electorum Dei,* Tit. 1. vers. 1. & Lucas Actor. 13. v. 48. ubi ait, sermoni Pauli apud Antiochenos habito credidisse *quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Deinde fidem esse quoque proprium effectum vocationis efficacis, percipitur ex verbis Pauli, Eph. 2. ubi fidem dicit esse *donum Dei:* & ex verbis Christi, Joh. 6. ubi ait, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater eum traxerit.* Et rursus ex verbis Pauli, Eph. 1. v. 19. ubi fidem acceptam fert *excellenti illi magnitudini potentiæ Dei & efficacitatis fortis roboris ipsius.* Assumtio patet ex ipsa rei utilitate. quis enim non intelligat, utile nobis esse ut confirmemur de nostri electione & efficaci vocatione? quippe qui de his certò persuasi sunt, illi certam quoque spem habent vitæ æternæ.

Quintum argumentum ejusdem generis continetur in fine versus 10. & versu 11. toto: ubi ait, *Hæc enim si feceritis, nunquam impingetis: Ita enim copiosè subministrabitur &c.* Hoc argumentum sic potest formari:

Quæ via inoffenso gradu introducit in æternum illud regnum domini nostri & servatoris Jesu Christi, eâ viâ vobis est incedendum.

Atqui via virtutum enumeratarum vos inoffenso gradu introducet in regnum illud Christi.

Ergo illâ viâ vobis est incedendum.

Propositio ut per se nota omittitur. Assumtio verò verbis Petri continetur.

PARTICULA QUARTA.

Causas exponit præcedentis commonefactionis.

12 Quapropter non negligam vos de istis semper commonefacere, quamvis peritos & confirmatos in præsenti veritate.

13 Sed & justum arbitror, quam diu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonefactionem.

14 Quum sciam, brevi futurum ut deponam hoc ta-

bernaculum meum, sicut dominus noster JESUS Christus declaravit mihi.

15 Studebo igitur identidem ut vos post exitum meum possitis horum mentionem facere.

Hortationi annectit expositionem causarum, cur eos de his rebus tam studiosè commonefaciat. Cæterùm causas exponit quatuor. quarum prima innuitur conjunctione syllogisticâ διὸ, id est, *quapropter*: scilicet, quia hæc mea commonefactio vobis utilis est ad consequendum æternum illud regnum Christi: ex collatione proxime præcedentium. Hujus causæ expositionem vel potiùs ipsum factum commonefactionis amplificat prolepsi opinionis ipsorum, quasi ista commonefactio sit superflua, ubi ait: *Tametsi periti & confirmati sitis in præsenti veritate*. Secundam causam exponit v.13. ubi ait, *Justum enim arbitror &c.* quibus verbis significat, se moveri consideratione officii sui: erat enim apostolus designatus inprimis circumcisionis, id est, Judæorum. Tertiam causam primùm attingit in expositione causæ secundæ, ubi ait, *Quamdiu sum in hoc tabernaculo*: deinde plenè eam exponit v.14. ubi ait, *Quum sciam, brevi futurum &c.* Hæc causa sumta est à circumstantiis temporis, & pertinet ad secundæ causæ amplificationem. Significat enim, eò studiosiùs officium apostoli apud ipsos fungendum sibi esse, quo minùs sibi restet temporis ad id peragendum: quippe quum brevi futurum sit ut è medio tollatur, & supplicio capitis afficiatur propter Evangelium: quod ipsum testimonio Christi confirmat; quod testimonium seu prædictio mortis Petri narratur à Johanne in historia Evangelica c.21. v.27. Porrò contra supplicii istius metum Petrus se simul consolatur, dum mortem suam vocat *depositionem tabernaculi*. qua periphrasi significat, se paratum esse ad moriendum: quippe qui quum per mortem non sit interiturus, sed è corpore, tanquam tabernaculo, exiturus, & ad Christum migraturus. Quartam denique causam exponit v.15. videlicet ut Judæi illi fideles etiam post mortem ipsius (quam exitum suum nominat) habeant summam doctrinæ Christianæ, videlicet tum in hac, tum in superiore epistola comprehensæ; unde se ipsi possint commonefacere officii sui: quum id jam novis literis aut sermone fieri non poterit ab ipso Apostolo.

PARTICULA QUINTA.

Hortatur eos ad constantiam in fide & confessione.

16 Non enim arte compositas fabulas sequuti, notam vobis fecimus Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum: sed ut qui oculis nostris aspeximus illius majestatem.

17 Acceperat enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce ad eum delatâ hujusmodi à magnificâ illâ gloriâ; Hic est filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco.

18 Et hanc vocem nos audivimus è cælo delatam, quum essemus unà cum eo in monte illo sancto.

19 Et habemus firmissimum sermonem propheticum: cui rectè facitis quòd attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usquedum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris.

20 Si illud primùm noveritis, nullam prophetiam scripturæ esse propriæ explicationis.

21 Non enim libitu hominis allata est olim prophetia; sed acti à Spiritu sancto, loquuti sunt sancti illi Dei homines.

Deinceps hortatur eos ad constantiam in fide & confessione doctrinæ eis traditæ ab apostolis. Argumenta hortationis affert duo: Primùm à præstantia subjecti in quo doctrina apostolorum occupatur; quod subjectum hîc à Petro nominatur *potentia & adventus Domini nostri Jesu Christi*. Hæc enim sese cæterosque apostolos & Evangelii ministros nota eis fecisse affirmat. Intelligit autem adventum filii Dei in mundum, seu manifestationem in carne, ad potentiam suam exserendam in redimendis electis. Secundum argumentum petit ab adjuncta doctrinæ apostolicæ certitudine. hanc autem significat ab authoritate magistri seu præceptoris, à quo illam didicerant, videl. Christi: illamq; sententiam amplificat antithesi fabularum ingeniosè confictarum à philosophis profanis, de summo scilicet hominis bono: vel potiùs à pseudoapostolis & falsis doctoribus: ubi ait, *Non enim arte compositas fabulas sequuti.* Authoritatem verò Christi significat, quum ait, *Sed ut qui oculis nostris aspeximus illius majestatem.* Confirmat igitur authoritatem Christi ab honore singulari quo fuit à Deo patre affectus, atque adeò in doctorem Ecclesiæ principem atque universalem mandato illius institutus atque ordinatus quod ipsum confirmat à sua aliorumque apostolorum (videlicet Johannis & Jacobi) experientia: ut qui majestatem illam Christi oculis suis aspexerint, & vocem Dei patris de illo audiendo è cælo delatam audierint, v.17. & 18. Deinde certitudinem doctrinæ apostolicæ confirmat à consensu doctrinæ propheticæ, initio v.19. ubi primò studium Judæorum collaudat, quòd *sermoni prophetico attendant*. deinde sermoni prophetico sermonem apostolicum, seu Evangelii prædicationem, anteponit propter majorem doctrinæ claritatem: illum quidem comparans lucernæ splendenti in obscuro loco: hanc verò lucifero, atque ipsi soli plenum diei lumen afferenti. Tertiò monet de rectâ scripturæ propheticæ explicatione: eam scilicet pendêre non ex proprio legentis ingenio, sed ex gratiosa revelatione Spiritus sancti. Id quod confirmat à pari: quia scilicet prophetiæ allatæ sint, non ex ingenio hominum, sed ex revelatione Spiritus sancti. Idem igitur erit idoneus prophetiarum interpres; quum unusquisque sit maximè idoneus interpres suorum verborum.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Symeon] Συμεὼν. *Videtur rectiùs scribi per jota, sic*, Σιμεὼν. *In Hebræo enim non est kybbútz, cui respondet Græcorum* υ; *sed est, chirick, sic,* שִׁמְעוֹן *Schimhón. Aliter scribitur* Σίμων: *ut Matthæi 16. v.17. Johan.1. v.43.* Petrus] Πέτρος. *Vide 1. Pet.1. v.1.* Servus & apostolus] δοῦλος καὶ ἀπόστολος. *Sic Rom.1. v.1.* Sortiti sunt] λαχοῦσι. *Quasi sorte adepti sunt: id est, ex ordinatione Dei. Sic Luc.1 v.9. dicitur de Zacharia,* ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι, *sortitus est munus suffimenti faciendi. Etenim ex ordinatione Dei sacerdotes illo munere per vices fungebantur: ut ex eodem loco percipitur.* Per justitiam] ἐν δικαιοσύνῃ. *Id est,* διὰ δικαιοσύνης. *Hebraismus.* Justitiæ *autem nomine per synecdochen generis hîc (ut videtur) intelligit fidem in servandis promissis. promiserat enim patribus, se in suo adventu aliquos ex Israëlitis ad agnitionem sui vocaturum. In eâdem significatione vocabulum* justitiæ *videtur accipi Rom.3. v.25. & 26.* Dei nostri & servatoris nostri] τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος ἡμῶν. *Ex Græco apparet, hæc duo de uno & eodem dici, non autem de duobus diversis. Ita scilicet, ut vocabulum* Dei *intelligendum sit de Patre,* servatoris *verò de Christo; sed utrumque de Christo dicitur: quoniam ante nomen* σωτῆρος *abest articulus* τοῦ *Sic Tit.2. v.13. Nec obstat quòd repetitur pronomen* ἡμῶν: *id enim Hebræis familiare est. Sic Johan.20. v.28. ajebat Thomas, Christum adorans:* Ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου, *id est,* O domine mi & ô deus mi. *Infrà tamen v.11. itemque cap.3. v.18. ubi eadem duo nomina Christo tribuuntur, pronomen* ἡμῶν *repetitum non est. Ex quorum quidem locorum collatione expositio hujus modò allata confirmatur.*

2 Multiplicetur] πληθυνθείη. *Sic 1. Pet.1. v.2. Item in epist. Judæ, v.2.* Per agnitionem] ἐν ἐπιγνώσει. *Id est,* δι' ἐπιγνώσεως. *Heterosis Hebræa, qualis modò v.1. in verbis,* ἐν δικαιοσύνῃ. Dei] Θεοῦ. *Scilicet patris. quia ab hoc mox distinguitur* Jesus, *tanquam diversa persona. Conjungitur autem hîc cognitio Dei patris & filii* Jesu *Christi, sicut* Joh.17. v.3.

3 Divina potentia] τῆς θείας δυνάμεως. *Similiter Paulus potentiam Dei in creanda in electis fide celebrat Eph.1. v.19. & 20.* Ad vitam] πρὸς ζωὴν. *Scil.* τὴν αἰώνιον, *æternam. Synecdoche generis.* Donavit] δεδωρημένης. *Sic solent Græci præteritis passivis interdum uti in significatione activa. Sic Heb.12. v.26.* νῦν δὲ ἐπήγγελται, λέγων: Nunc autem denuntiavit, dicens. Illius qui vocavit nos &c.] τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς &c. *Periphrasis Dei.* Ad gloriam ac virtutem] διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς. *Pro,* πρὸς δόξαν καὶ ἀρετὴν: *sicut modò dixit,* πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν. *nam quam illic nominavit* ζωὴν, *hîc vocat* δόξαν: *itemq; quam illic vocavit* εὐσέβειαν, *hîc nominat* ἀρετὴν. *Similis heterosis præpositionis* διὰ *pro* πρὸς, *reperitur Rom.5. v.4. in illis verbis: Sicut excitatus est Christus ex mortuis* διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς: *id est,* πρὸς τὴν δόξαν τοῦ πατρὸς, *ad gloriam patris. Ista heterosis accidit ex homonymia Hebraicæ præpositionis Béh: quæ valet* ἐν, εἰς, πρὸς, διὰ, περί.

4 Donavit] δεδώρηται. *Vox formæ passivæ, significationis activæ; ut vers. superiore,* δεδωρημένης. *Sic Heb.12. v.26.* ἐπήγγελται, denuntiavit, seu promisit. Divinæ naturæ] θείας φύσεως. *Id est, divinarum qualitatem animi, referentium naturam Dei: videlicet cælestis sapientiæ & sanctitatis.* Ex interitu] τῆς φθορᾶς. *Alii vertunt* corruptionem, *referentes (ut videtur) ad corruptionem seu pravitatem naturæ humanæ. Sed puto* φθορὰν *hîc valere interitum sive exitium. Etenim videtur Apostolus bina binis voluisse opponere: nempe* φθορὰν *vitæ & gloriæ:* ἐπιθυμίαν *verò pietati & virtuti. Atque isto sensu nomen* φθορὰ *planè accipitur infrà c.2. v.21.* In mundo] ἐν κόσμῳ. *Id est, in hominibus huic mundo addictis.*

5 *Ad* hoc ipsum verò vos omni præterea collato studio] καὶ αὐτὸ τοῦτο δὲ σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες. *Videtur* καὶ *irrepsisse pro* κατ'. *Secus fuerit dura ellipsis præpositionis vel* κατὰ, *vel* πρὸς, *vel* περὶ. *nam ex Chrysostomo affertur tale exemplum,* εἰσφέρω πολλὴν περὶ ταῦτα σπουδὴν, *id est,* Magnum ad ista confero studium. *Cæterùm præpositio* παρὰ *in participio* παρεισενέγκαντες, *videtur respicere ad illam donationem Dei, cujus fecit mentionem v.3. & 4. quasi dicat; præter illam donationem Dei, vos quoque omne studium conferte ad donorum illorum conservationem atque augmentationem.* Adjicite fidei] ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ πίστει. *Pro,* εἰς τὴν πίστιν. *Subministrate seu adjicite ad fidem. Sic deinceps.* Adjicite fidei vestræ virtutem] ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ πίστει ὑμῶν τὴν ἀρετήν. *Omnes istas virtutes Christianas Paulus ad tres revocat: pietatem, justitiam & temperantiam, Tit.2. vers.12.*

Sub pie-

Sub pietate continentur fides & tolerantia; sub justitiâ, virtus, scientia, φιλαδελφία & charitas: temperantiæ denique continentia respondet. Similis enumeratio virtutum Christianarum exstat Philip.4.v.8.

8 Infructuosos] ἀκάρπους. *Elegans metaphora, quâ bona opera comparantur fructibus: qui ut suâ suavitate gustatum hominis, sic illa Deum delectant. Sic Paulus Gal.5.v.22. bona opera nominat* fructus Spiritus, *videl. Spiritus sancti: quoniam ille ea in electis efficit.* Ad cognitionem &c.] εἰς τὴν ἐπίγνωσιν &c. *Præpositio* εἰς *hic notat collationem: quasi dicat, Si vita vestra comparetur ad cognitionem Christi, quâ præditi estis. Et sic accipitur præpositio* πρὸς *Rom.8.v.18. ubi dicitur, afflictiones præsentis temporis non esse pares* πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν &c. *id est, si comparentur ad illam gloriam.*

9 Lusciosus] μυωπάζων. *Sic verto: quia* μυωπάζειν *nihil aliud est quam pati affectum* τοῦ μύωπος, *hoc est, lusciosi: videlicet* μύειν τὰς ὦπας, *claudere oculos, non tamen penitus, sed parumper: quod Latini dicunt connivere oculis: Germani,* blintzelen/ *id est, cæcutire: à nomine* blind/ *quo significatur cæcus. Videtur autem hæc vox præcedenti nomini* τυφλὸς *subjici per quandam correctionem: quasi dicat Petrus: Cæcus est; aut certè, si non prorsus cæcus est, cæcutit tamen instar lusciosi; ut qui non rectè aspiciat æstimétve beneficium illud maximum purgationis suæ à peccatis: quæ quidem sententia mox subjicitur ad præcedentium metaphorarum declarationem.* Oblitus] λήθην λαβών. *Ad verb.* Ut qui oblivionem ceperit: *pro quo Latinè diceretur,* Ut quem oblivio ceperit. A veteribus peccatis] τῶν πάλαι ἁμαρτιῶν. *Ad* τῶν πάλαι, *subaudi* πεπραγμένων. *Id est, à peccatis jam olim commissis.*

Antilogiæ apparentis conciliatio. 10 Firmam efficere] βεβαίαν ποιεῖσθαι. *Scilicet in mentibus vestris: ut nimirum vos nullo pacto dubitetis, quin & à Deo electi sitis ad vitam æternam, & ad eandem seriò vocati. nam in mente Dei electio, id est, decretum servandi suos electos, firmum atque immotum est. Solidum enim stat fundamentum Dei, habens sigillum hoc, Novit Dominus qui sint sui, 2.Tim.2.v 19. Itemque vocatio Dei est* ἀμεταμέλητος, *Rom.11.v.29. Cæterùm in vulgata editione hic insertum est,* Per bona opera. *Et sic D. Beza testatur, se reperisse in duobus manuscriptis codicibus Græcis,* διὰ καλῶν ἔργων. *Et sanè hæc ipsa ratio est, quâ electio atque vocatio in mentibus fidelium firma efficitur, dum scilicet illæ ratiocinantur ex propriis effectis ad suam causam procreantem. Etenim bona opera non nisi ab electis & efficaciter vocatis proficisci possunt: quippe hypocritarum opera, quantumvis speciosa, revera tamen bona non sunt; quia nec proficiscuntur ex fide, nec referuntur ad gloriam Dei.* Nunquam impingetis] οὐ μὴ πταίσητέ ποτε. *Seu,* nunquam offendetis. *Metaphora ab iis, qui inter ambulandum currendúmve pedem offendunt seu impingunt. Etenim vita Christiana comparatur stadio, in quo decurrendum est continuo atque inoffenso cursu, ad obtinendum brabēum vitæ atque gloriæ cælestis. Vide 1.Cor.9. v.24. & deinceps. Hac metaphorâ utitur & Judas epistola sua v. penult. ubi ait,* τῷ δὲ δυναμένῳ φυλάξαι ὑμᾶς ἀπταίστους &c.

13 Quamdiu] ἐφ' ὅσον. *Subaudi,* χρόνον. In hoc tabernaculo] ἐν τούτῳ τῷ σκηνώματι. *Id est, in hoc corpore, videl. meo. Metaphorâ: quâ utitur & Paulus 2.Cor.5.v.1. Et ad eandem respicit Phil.1. v.23. ubi ait, se teneri desiderio* εἰς τὸ ἀναλῦσαι, *ad migrandum, videlicet è tabernaculo corporis sui in tabernaculum, vel potiùs palatium, illud caleste, ubi Christus degit.* Excitare vos] διεγείρειν ὑμᾶς. *Id est, mentes vestras. Synecdoche integri: item metaphora ab iis qui dormiunt.* Per commonefactionem] ἐν ὑπομνήσει. *Pro,* δι' ὑπομνήσεως. *Hebraismus.*

14 Quum sciam] εἰδώς. *Ex peculiari (ut videtur) revelatione. Sic & Paulus sciebat instare tempus supplicii sui, 2.Tim.4. v.6. quanquam illud fortasse ex sermonibus hominum, quibus sententia in Paulum ferenda innotuerat.* Brevi futurum ut deponam hoc tabernaculum meum] ὅτι ταχινή ἐστιν ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου. *Ad verb.* quòd cita *(seu velox)* sit depositio tabernaculi mei. *Id est, mors mea. Periphrasis. Manet autem in metaphora instituta.* Declaravit mihi] ἐδήλωσέ μοι. *Videl. Joh.21.v.17.*

15 Studebo igitur] σπουδάσω δέ. Δὲ *pro* οὖν. *Infert enim conclusionem è causis expositis.* Identidem] ἑκάστοτε. *Vel, subinde. Id est, quavis oblatâ occasione. Videtur enim hoc adverbium adjungendum verbo* σπουδάσω, *potiùs quàm verbo* ἔχειν. Exitum] ἔξοδον. *Videlicet ex hoc tabernaculo. id est, mortem. Manet in metaphora. Hoc nomine utitur & Lucas, loquens de morte Christi, cap.9. v.31.*

16 Potentiam & adventum] δύναμιν καὶ παρουσίαν. *Id est, adventum susceptum ad potentiam exserendam.* ἓν διὰ δυοῖν. *Exseruit autem Christus potentiam suam in primo illo suo adventu, tum efficaciter persuadendo quæ docebat, tum doctrinam suam confirmando miraculis, ac inprimis resurrectione à mortuis. Confer Matth.7.v.28.29. & c.8.v.27. Luc.24.v.19.32. Rom.1.v.4.* Sed ut qui oculis nostris aspeximus] ἀλλ' ἐπόπται γενηθέντες. *Confer Luc.1. v.2.1. Joh.1.v.1.* Majestatis] μεγαλειότητος. *Hac voce utitur & Paulus Heb.1.v.3. & cap.8.v.1.*

17 Acceperat enim] λαβὼν γάρ. *Scil.* ἐτύγχανε. *Id est,* ἔλαβε. *Ellipsis Hebræa.* Ad eum] αὐτῷ. *Ad verb.* Ei. quale est illud, It clamor cælo. *Hoc est, ad cælum, seu cælum versus.* In quo] εἰς ὅν. *Pro,* ἐν ᾧ, *sicut habetur Matth.17.v.5.*

18 In monte illo sancto] ἐν τῷ ὄρει τῷ ἁγίῳ. *Putatur fuisse mons Thabor.*

19 Firmissimum] βεβαιότερον. *Pro,* βεβαιότατον. *Comparativus pro superlativo, ut 1.Cor.13.13.* μείζων *pro* μεγίστη. Cui rectè facitis quòd attendatis] ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες. *Similis verborum trajectio exstat 1.Pet.3.v.21. in illis verbis,* ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. Dies] ἡμέρα. *Id est, fulgor Evangelii. Metaphora.* Lucifer] φωσφόρος. *Ille ipse fulgor Evangelii.*

20 Nullam prophetiam esse &c.] ὅτι πᾶσα προφητεία οὐ γίνεται. *Ad verb.* Omnem prophetiam non esse. *Phrasis Hebræa: qualis Rom.3.v.20.* διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ.

21 Sancti illi Dei homines] οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι. *Id est, prophetæ. Periphrasis: quâ utitur & Paulus ad significandum ministrum verbi, 2.Tim.3.v.ult. nec-non 1.Tim.6.v.11.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex v.1. ex verbis, *Æquè pretiosam fidem.* Christiani qui egent bonis terrenis, ut auro, argento, & similibus, consolentur sese, quòd possident bonum cæleste longè pretiosissimum, videlicet fidem. Sic David sese solabatur, quum ex fide erumperet in hæc verba: *Malo in atriis Domini esse janitor, quàm sedere inter primos in aulis impiorum.* Sic Moses *maluit malis affici cum populo Dei, quàm in Ægypto opibus peccati frui:* Heb.11.v.25.26. *Consolatio contra egestatem.* *Psal.84.v.11.*

2 Ex iisdem verb. Quum omnes Christiani æquè pretiosam fidem habeant: æquum est, ut propter hanc fidem sese mutuò honorent, nec quisquam alium contemnat, si ipse aliis donis spiritualibus excellat. Vide 1.Cor.12. *Officium hominis Christiani.*

3 Ex verbis, *Fidem sortiti sunt per justitiam Dei &c.* Fides est donum Dei; quod homini contingit singulari Dei providentiâ, non secus ac in divisione bonorum per sortes, cuique contingit ea pars, quam Deus suâ providentiâ ei attribuit, Prov.16.v.ult. Non igitur proficiscitur fides ex hominis voluntate ac viribus liberi arbitrii. Confer Joh.1.v.12. & 13. *Fides.*

4 Ex verbis, *Per justitiam Dei &c.* Quum Deus sit constans in promissis suis: officii nostri est, ut promittenti credamus. Confer Luc.1.v.72. & 73. *Officium hominis Christiani.*

5 Ex verbis, *Dei nostri & servatoris Jesu Christi.* Notandum est hoc testimonium de deitate Christi. Etenim Petrus hoc loco Christum disertè Deum nostrum nominat. nam quò minùs hîc vocabulo *Dei* intelligendus sit Pater: obstat quòd nomen σωτῆρος nomini Θεοῦ per conjunctionem annectitur sine articulo, hoc modo: τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος. Nam si de diversis personis esset sermo, diceretur, τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ τοῦ σωτῆρος. Nec impedit, quòd post σωτῆρος repetitur pronomen ἡμῶν. Iste enim pleonasmus apud Hebræos usitatus est. *Christus.*

6 Ex v.2. Is demum verè in hoc mundo beatus est, qui paternum Dei erga se favorem in Christo agnoscit, ac in illo, pacato & tranquillo animo acquiescit. Hæc enim Petrus tanquam causas veræ beatitatis exoptat iis ad quos scribit. Huc pertinet illud Joh.17. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant &c.* *Beatitudo.*

7 Ex eod. v. ex verbo, *Multiplicetur seu augeatur.* Fides, & ex consequente dilectio, in hoc mundo nunquam ita perfecta redditur, quin possit augeri. Quare falluntur, qui jactant perfectionem. *Fides.* *Dilectio.*

8 Ex v.3. Quicunque in se sentiunt fidem, statuere debent, illam sibi à Deo auctum iri, ita ut per eam tandem consequantur vitam & gloriam. Interim autem studendum eis est, ut fidem suam demonstrent virtute ac pietate: nec non orandus Dominus, ut fidem ipsis augeat. *Officium hominis Christiani.*

9 Ex eod. v. Fides est donum Dei, & efficitur in electis per divinam potentiam & efficacem vocationem. Non ergo proficiscitur vel à meritis, vel à viribus hominis. Confer Eph.1.v.19. *Fides.*

10 Ex eodem v. Fides est agnitio Dei, qua agnoscimus, nos ab illo vocatos esse ad gloriam ac virtutem, seu ad vitam ac pietatem: ac proinde virtuti atque pietati studentes, ad vitam atque gloriam tendimus. *Fides.*

11 Ex v.4. Fides & studium sanctitatis efficiuntur in nobis per promissiones Dei, dum videl. illæ nobis annuntiantur, & à nobis considerantur. *Fides.* *Studium sanctitatis.*

12 Ex eod. vers. Qui verâ sanctitate præditi sunt, illi suo modo & gradu participes sunt naturæ divinæ. Quare veræ sanctitati toto pectore studendum, ut naturæ divinæ participes reddamur. *Sanctitas.*

13 Ex eod. v. Prava concupiscentia fons est & corruptionis morum & interitus seu exitii æterni. Quare illi omni conatu resistendum. *Concupiscentia.*

14 Ex v.5. 6. & 7. Christiani omne studium adhibere debent ad virtutes, quæ hîc à Petro enumerantur. *Officium hominis Christiani.*

15 Ex v.8. 9. 10. & 11. Notanda sunt quinque argumenta, quibus moveri debemus ad studium proficiendi in fide & omnibus virtutibus Christianis. Videl. ut non simus inertes nec infructuosi: ut ne habeamur pro cæcis: ut ne habeamur pro iis qui obliti sint acceptæ à Deo remissionis peccatorum: ut confirmemur de nostri electione: denique ut inoffenso gradu introducamur in regnum illud Christi æternum. *Studium pietatis.*

16 Ex v.12. & deinceps. Exemplo Petri discant ministri verbi, officii sui esse, ut nullam occasionem negligant commonefaciendi fideles curæ suæ commissos. *Ministri verbi Dei.*

Proficiendi studium. 17 Ex v.12. Nemo adeò peritus & confirmatus videri sibi debet in veritate doctrinæ Christianæ, ut putet, se non egere commonefactione atque ampliore institutione. quippe ex parte cognoscimus, ut ait Paulus 1. Cor. 13. Et eadem subinde à doctoribus verbi audire, tutos nos præstat, teste eodem apostolo Phil. 3. v. 1.

Consolatio contra mortem. 18 Ex v.13.14. & 15. Contra mortis metum consolari nos debemus consideratione hac, quòd anima nostra per mortem nec interibit, nec in locum tormenti deturbabitur: sed è corpore veluti tabernaculo exibit, & ad Christum migrabit. Confer Philip. 1. v. 23. 2. Cor. 5. v. 1. & deinceps.

Lectio Scripturæ. 19 Ex vers. 15. Non est satis, semel aliquem Scripturæ librum perlegisse: sed identidem relegere ac meditari oportet. In hunc enim usum Apostoli & Prophetæ libros suos apud Ecclesiam deposuerunt. Confer Johan. 5. v. 39. Rom. 15. v. 4. 1. Tim. 4. v. 13. 2. Tim. 3. v. 16.

Confessio fidei. 20 Ex v. 16. & deinceps. Notanda sunt duo argumenta quibus moveri debemus ad constantiam in fide & confessione doctrinæ Apostolicæ. Eorum unum est præstantia ipsarum rerum, de quibus Apostoli doctrinam tradunt: videl. adventus filii Dei in mundum, seu manifestatio Dei in carne, & redemtio electorum per ipsius mortem ac divinam potentiam. Confer 1. Tim. 3. v. ult. Alterum est doctrinæ certitudo: quippe quam ab ipso filio Dei didicerunt, & quæ consensum habet Prophetarum.

Vetus testamentum. 21 Ex vers. 19. Quum Petrus sermonem propheticum commendet à certitudine doctrinæ & consensu cum doctrina Evangelii: perversè igitur & imperitè faciunt, qui libros veteris Testamenti ex Ecclesia exterminandos putant.

Discrimen inter V. & N. T. 22 Ex eod. Etsi eandem salutis viam tradiderunt Prophetæ & Apostoli: tamen doctrina Apostolorum claritate antecellit. undè conditio nostra melior est quàm fuit patrum sub Lege seu veteri Testamento, videl. ante Christi adventum. Confer Matth. 13. v. 16. & 17. item c. 11. v. 11.

Ministri verbi Dei. Scripturæ interpretatio. 23 Ex v. 20. & 21. Qui vocati sunt ad explicandum Scripturas: non debent confidere acumine ingenii, sed orare Deum, ut mentem ad intelligendum Scripturas sibi aperiat per Spiritum sanctum, adhibitâ interim studiosâ meditatione & scrutatione, similiumque locorum collatione. Confer Johan. 5. v. 39. Luc. 24. v. 45. Psal. 119. v. 18.

Scripturæ authoritas. 24 Ex vers. 21. Quum sacra Scriptura authorem habeat Spiritum sanctum: sequitur, esse authenticam regulam tum fidei tum vitæ nostræ. Item sequitur, falsum esse dogma Papistarum, quòd authoritas Scripturæ pendeat ab authoritate Ecclesiæ.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Posteaquam hortatus est ut constanter retineant doctrinam veram ac salutarem Apostolorum, nunc contrà monet ut sibi caveant à doctoribus falsis in Ecclesia exorituris, & jam tum exorientibus; ne ab illis in hæreses exitiales seducantur: simulq; mores illorum describit, unde veluti ex notis quibusdam queant agnosci, ac proinde caveri.

FUerunt autem & pseudoprophetæ in populo: ut etiam inter vos erunt falsi doctores, qui subintroducent hæreses exitiales, etiam dominum qui ipsos mercatus est, abnegantes, accersentes sibi velox exitium.

2 Et multi sequentur eorum exitia: per quos via veritatis blasphemabitur.

3 Et per avaritiam fictis sermonibus vos negotiabuntur. quibus damnatio jam olim non otiatur, & quorum exitium non dormitat.

4 Nam si Deus angelis qui peccaverunt non pepercit, sed in tartarum detrusos, catenis caliginis tradidit, damnationi servatos;

5 Et prisco mundo non pepercit, sed octavum Noë justitiæ præconem servavit, diluvio in mundum impiorum inducto:

6 Et civitates Sodomorum ac Gomorrhæ in cinerem redactas subversione damnavit, fecitque ut essent exemplar impiè victuris:

7 Et justum Lot libidinosâ nefariorum conversatione fatigatum eripuit.

8 Justus enim ille, quum habitaret inter eos, indies animam justam iniquis *illorum* factis, & videndo & audiendo excruciabat.

9 Novit Dominus pios è tentatione eripere, injustos autem in diem judicii pœnas dantes servare.

10 Maximè verò eos qui per impuram cupiditatem carnem sectantur, & dominatum despiciunt: *qui, inquam, ut sunt* audaces & sibi placentes, non horrent dignitates conviciis incessere.

11 Quum ipsi angeli, qui sunt robore ac potentiâ majores, non ferant adversus eas apud Dominum judicium maledicum.

12 At isti, veluti animantia rationis expertia, quæ naturali impetu feruntur, nata ad eum finem ut capta intereant, ea vituperantes quæ ignorant, suo interitu interibunt:

13 Reportaturi mercedem injustitiæ, ut qui pro voluptate ducant quotidianas delicias; labes ac maculæ, qui deliciantur in fraudibus suis, epulando vobiscum;

14 Oculos habentes plenos adulterii, & qui à peccando cessare nesciant, inescantes animas instabiles; cor habentes ad avaritiam exercitatum; exsecrandi homines:

15 Qui relictâ rectâ viâ, aberrarunt, sequuti viam Balaam *filii* Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit:

16 Sed redargutionem suæ transgressionis sustinuit, nam subjugis asina muta, humanâ voce loquuta, prohibuit prophetæ dementiam.

17 Isti, sunt fontes aquâ carentes, nebulæ à turbine agitatæ: quibus caligo tenebrarum in æternum servata est.

18 Nam prætumidam vanitatem loquendo per carnis cupiditates, perq; lascivias, inescant illos qui verè effugerant eos qui in errore versantur:

19 Libertatem eis pollicendo, quum ipsi servi sint corruptelæ. siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est addictus.

20 Nam si postquam inquinamenta mundi, per agnitionem Domini & servatoris Jesu Christi effugerint, his rursum implicati superentur, facta est ultima eorum conditio deterior priore.

21 Satius enim fuisset eis non cognovisse viam justitiæ, quàm cognitâ *illâ* regredi à sancto mandato ipsis tradito.

22 Sed accidit eis quod vero proverbio dici solet, Canis reversus ad suum vomitum: &, Sus lota, ad volutabrum cœni.

PRimò omnium prophetiam suam de exorituris in Ecclesia falsis doctoribus proponit: eamque illustrat collatione similis exempli pseudoprophetarum qui olim fuerunt in populo Dei. Deinde monet, ab illis esse cavendum: quippe quòd *subintroducturi sint hæreses exitiales*. Tum impietatem istarum hæresium amplificat, quippe per quas illi *abnegaturi sint Dominum* (id est, Christum) *qui ipsos mercatus erat*. id quod referendũ est partim ad fidem ipsorum temporariam, partim ad ipsorum professionem, partim denique ad judicium charitatis in fratribus. Etenim quamdiu quis fidem Christianam amplectitur ac profitetur, tamdiu statuatur oportet, illum à Christo esse redemtum. Abnegant autem Dominum Christum tum illi qui negant ejus personam, tum qui officium. Quartò prædicit illis certum exitium. Atque hæc v. 1. V. 2. monet de hæresium illarum successu, videlicet multos fore earum sectatores: quorum impietatem amplificat ex factis, quòd scil. *viam veritatis sint blasphematuri*. V. 3. primam istorum hæreticorum notam indicat, videlicet avaritiam: quam ostendit ex ipsorum factis, ubi ait, *Et per avaritiam fictis sermonibus vos negotiabuntur*. Deinde repetit prædictionem exitii illorum, ubi ait, *Quibus damnatio jam olim non otiatur &c.* Quam sententiam deinceps confirmat ab exemplis tribus: quorum primum est angelorum qui peccaverunt, v. 4. secundum prisci mundi qui fuit temporibus Noachi, vers. 5. tertium Sodomitarum & Gomorrhæorum, vers. 6. Cui exemplo ad consolationem piorum, v. 7. adjungit per occassionem ipsius historiæ, exemplum contrarium conservati pii Loti: sicut & secundo exemplo adjunxerat exemplum conservati pii Noachi. Tum v. 8. pietatem Loti quam commemoraverat, pleniùs enarrat. Postea v. 9. ex illis exemplis generalem doctrinam deducit tum de conservatione piorum, tum de exitio impiorum: atque ita deinceps redit ad impiorum illorum hæreticorum descriptionem. V. igitur 10. duas alias notas istorum indicat, nempe duo alia vitia: videlicet libidinositatem & superbiam. De libidinositate ait, *Maximè verò eos qui per impuram cupiditatem carnem sectantur*. De superbia addit: *Et dominatum despiciunt: audaces & sibi placentes non horrent dignitates conviciis incessere*. Porrò istius superbiæ indignitatem amplificat primùm à contraria modestia angelorum, v. 11. Deinde ab adjuncto stupore atque cæcitate: quam declarat exemplo simili animalium brutorum: ubi simul in-

mul interitum eis prædicit ejusdem exempli collatione, verſ.12. Tum illius interitus, hoc eſt, pœnæ divinæ, juſtitiam ſignificat, initio v.13. Poſtea alia duo iſtorum vitia indicat, videlicet intemperantiam in cibo ac potu, & fraudes ſeu hypocriſin: reliquâ parte verſ.13. V.14. vitia antè commemorata repetit per congeriem, videlicet libidinoſitatem, fraudes, & avaritiam. Porrò avaritiam iſtorum illuſtrat deinceps v.15. & 16. exemplo Balaami, cujus hiſtoriam paucis recitat ex Num.22. V.17. & 18. aliam iſtorum notam indicat, videlicet vaniloquentiam cum faſtu conjunctam: quod vitium illuſtrat duobus ſimilibus: comparans eos primùm *fontibus aquâ carentibus:* deinde *nubibus à turbine agitatis* ac diſſipatis; ita ut pluviam quam promittere videbantur non dent. Atque ibi rurſus mentionem exitii ipſorum admiſcet. Cæterùm vaniloquentiam iſtam amplificat è pernicioſo effectu, quippe quòd per eam homines *ineſcent:* id eſt, dulcia & ſalutaria promittendo in perniciem adducant: dum ſcilicet hominibus faciunt poteſtatem indulgendi *cupiditatibus carnis, pollicendo eis libertatem,* quaſi ſcilicet liberi ſint ab obedientia legum. Hunc pernicioſum effectum amplificat antitheſi priſtini ſtatus illorum quos iſti ita ineſcant: quippe *qui verè effugerant eos qui in errore verſantur,* amplexi ſcilicet fidem Chriſtianam. Deinde monet, libertatem quam iſti pollicentur, non eſſe veram libertatem, ſed potiùs eſſe ſervitutem, videlicet ſervitutem peccati, v.19. id quod probat à ſervitutis causâ procreante, ubi ait: *Siquidem à quo quis ſuperatus eſt, huic etiam in ſervitutem eſt addictus.* V.20. & deinceps effectum illum pernicioſum falſæ doctrinæ pluribus verbis exponit: & indignitatem relapſionis iſtorum qui falsâ doctrinâ ſeduci ſe patiuntur, amplificat per collationem minoris, videlicet minoris exitii illorum *qui viam juſtitiæ non cognoverunt,* verſ.20. & 21. tum & illuſtrat collatione duorum ſimilium, videlicet *canis redeuntis ad vomitum,* &, *ſuis lotæ redeuntis ad volutabrum cœni.* quorum ſimilium accommodationem teſtimonio *proverbii* confirmat, v.ult.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Et pſeudoprophetæ] καὶ ψευδοπροφῆται. *Quaſi dicat, Non ſolùm veri prophetæ: de quibus modò dictum in fine capitis præcedentis.* In populo] ἐν τῷ λαῷ. *Videlicet in populo Dei: id quod notat articulus. Sic Germanicè,* im volck. Inter vos] ἐν ὑμῖν. *Ad verb. In vobis. ſicut apud Ciceronem dicitur, Amicitiam non niſi in bonis eſſe poſſe: id eſt, inter bonos.* Subintroducent] παρεισάξουσι. *Videlicet præter ſanam doctrinam Evangelii: id quod notat præpoſitio* παρὰ. Hæreſes exitiales] αἱρέσεις ἀπωλείας. *Vel, exitiabiles. Ad verb. hæreſes exitii. Hebraiſmus.* Dominum qui ipſos mercatus eſt] τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην. *Periphraſis Chriſti argumentoſa. quaſi dicat, Chriſtus illos eſt mercatus: ergo non debebant eum negare.* Mercatus eſt] ἀγοράσαντα. *Videlicet pretioſo ſuo ſanguine. Confer Act.20.28. 1.Cor.6 v.20. Intelligendum eſt autem quod hîc dicitur, non κατ' ἀλήθειαν, ſed κατὰ δόξαν: quia pii ex charitate opinati fuerunt, illos eſſe vere fideles, eò quòd fidem profiterentur. nam certum eſt, Chriſtum ſolam Eccleſiam mercatum eſſe ſeu acquiſiviſſe: Act.20.28. Eph.5.25.26.27. Similia dicta vide Joh.15.v.2. Apoc.22.v.19.* Accerſentes] ἐπάγοντες. *Inducentes vel adducentes.*

2 Exitia] ἀπωλείας. *Id eſt, exitialia dogmata. Metonymia effecti emphatica.* Via veritatis] ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας. *Id eſt, veritas illa cæleſtis ſeu cælitus patefacta, quæ eſt via quædam ad veram felicitatem. Syntaxis qualis in illo Rom.4.v.12.* veſtigia fidei.

3 Per avaritiam] ἐν πλεονεξίᾳ. *Pro,* διὰ πλεονεξίας. *Hebraiſmus.* Damnatio] τὸ κρίμα. *Ad verb. Judicium. Synecdoche generis.*

4 Nam ſi Deus angelis &c.] εἰ γὰρ ὁ Θεὸς ἀγγέλων &c. *Confer Judæ epiſt.v.6. Eſt autem in hoc verſu* ἀνανταπόδοτον, *ſeu ellipſis conſequentis in enuntiato connexo. Subaudiendum enim eſt,* οὐδ' ἐκείνοις φείσεται: *id eſt,* nec illis parcet. *Niſi fortaſſe* εἰ *irrepſit per* καὶ. *Nam ſi in principio verſus pro* εἰ γὰρ, *legatur* καὶ γὰρ: *tum nullum* ἀνανταπόδοτον *erit. Reperitur tamen ſimile* ἀνανταπόδοτον *Rom.9. v.22. & 23.* Sed in tartarum detruſos, catenis caliginis tradidit] ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν. *In Græco verba ſunt trajecta. nam planum eſt, illum dativum* σειραῖς *regi non à participio* ταρταρώσας, *cui proximè conjungitur: ſed à verbo* παρέδωκεν, *à quo longiùs abeſt. Verbum* ταρταροῦν *deductum eſt à nomine* τάρταρος, *quo ſignificatur locus damnatorum: qui aliâs appellatur ὁ ᾅδης, Luc.16.v.23. & locus tormenti, ibid.v 28. & abyſſus, Luc.8. v.31. item carcer, Apoc.20.v.7. 1.Pet.3.v.18. Eſt autem* ταρταροῦν, εἰς τάρταρον ῥίπτειν: *quâ phraſi utitur Homerus Iliad.θ. non procul à principio, ubi Jupiter minatur cæteris diis, ſi quis auſit decretum ipſius reſcindere. ait autem inter alia:*

Ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα &c. *Id eſt:*

Aut eum correptum projiciam in tartarum obſcurum. Damnationi] εἰς κρίσιν. *Ad verb. ad judicium. Synecdoche generis.*

5 Priſco mundo] ἀρχαίου κόσμου. *Id eſt, priſcis hominibus. Metonymia ſubjecti.* Octavum Noë] ὄγδοον Νῶε. Selbacht. *Id eſt, tum ipſum Noë, tum unà cum ipſo ſeptem alios, videl. uxorem, tres filios & tres nurus.* Juſtitiæ præconem] δικαιοσύνης κήρυκα. *Qui prædicavit hominibus ſui ſæculi pœnam eis eventuram propter vitam ſceleratam, niſi reſipiſcerent: ac proinde ad ſtudium juſtitiæ eos hortatus eſt. Sed præterea prædicavit quoque Evangelium, id eſt, gratiam Dei, iis qui reſipiſcerent. Confer 1.Pet.4. v.6. & cap.3.v.19.* In mundum impiorum] κόσμῳ ἀσεβῶν. *Id eſt, in maximam illam multitudinem impiorum, quorum mundus plenus erat. Simili ferè ſignificatione accipitur vocabulum* mundi, *Jacob.3.6. ubi de prava lingua dicitur, quòd ſit ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας, mundus injuſtitiæ.*

6 Sodomorum ac Gomorrhæ] Σοδόμων καὶ Γομόῤῥας. *Nec non Adamæ & Zebojimorum: quæ duo oppida unà cum illis commemorantur Deut.29.23. Nam quinto oppidulo, quod à ſermone Loti, quo illius conſervationem ab angelo impetravit, dictum fuit Zoar, parſum fuit: ut percipitur ex Gen.19.21.*

9 E tentatione] ἐκ πειρασμοῦ. *Sic vocat afflictiones externas: ſicut & epiſtola ſuperiore, cap.1.v.6.* Pœnas dantes] κολαζομένους. *Scilicet jam nunc ſecundùm animam apud inferos. Vel potiùs,* punitos: *ut ſit enallage temporis. id eſt, è medio ſublatos per horribile aliquod ſupplicium. quæ expoſitio exemplis recitatis maximè convenit. Cui etiam favet nativa ſignificatio verbi* κολάζειν, *quod ſignificat pœnis compeſcere atque cohibere petulantiam alicujus: unde* ἀκόλαστος, *qui nullis pœnis petulantiam ſuam compeſci patitur.*

10 Qui carnem ſectantur] τοὺς ὀπίσω σαρκὸς πορευομένους. *Ad verb. Qui poſt carnem proficiſcuntur. Hebraiſmus. Sic Judæ v.7.* ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας. *In iſtis vocabulo* carnis *per verecundam ſynecdochen ſignificatur genitale, ac metonymicè coitus. Iſtius ſynecdoches exempla paſſim occurrunt: ut Levit.6.v.3. & c.15.v.3. Ezech.16.v.26. & cap.23. v.20.* Per impuram cupiditatem] ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ. *Pro,* δι' ἐπιθυμίας μιασμοῦ. *Ad verb.* In cupiditate pollutionis, *id eſt, qua polluuntur. Hebraiſmus. Sic autem verto: quia ſtatuo, à participio* πορευομένους *primò regi illa verba,* ὀπίσω σαρκὸς: *deinde demum illa,* ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ. *Atque hanc ſyntaxin confirmat collatio loci citati ex epiſtola Judæ. Sic autem præpoſitio* ἐν *non notabit viam ſeu locum ubi ambuletur: quemadmodum fieret, ſi iſta verba,* ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ, *proximè atque immediatè conjungerentur cum participio* πορευομένους: *ſed notabit cauſam procreantem, à qua ambulatio proficiſcitur, ſeu quæ ad ambulandum impellit. Qui, inquam, ut ſunt* audaces & ſibi placentes] τολμηταὶ, αὐθάδεις. *Pro,* οἵτινες τολμηταὶ ὄντες καὶ αὐθάδεις. *Ellipſis triplex: prima pronominis relati, ſecunda participii verbi ſubſtantivi, tertia conjunctionis copulativæ. Quanquam ſimpliciùs videtur, hæc accipere per exclamationem* σχετλιαστικὴν *ſive* ἀγανακτητικὴν, *id eſt, quæ vim habet conquerendi de indignitate rei: ita ut hæc ſententia ſuperiori annectatur ex abrupto propter* πάθος: *ac proinde ſimpliciter vertendum ſit:* Audaces, & ſibi placentes, non horrent dignitates conviciis inceſſere. *Similem exclamationem vide Gen.49. v.4. in ſermone patriarchæ Jacobi, ubi de Rubene filio ait,* Stratum meum aſcendit. Dignitates] δόξας. *Ad verb. Glorias. Sic per metonymiam adjuncti* ἐμφατικῶς *nominat ipſos principes, ſummâ in mundo gloria ac majeſtate præditos atque circumfulgentes.* Non horrent conviciis inceſſere] οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες. *Pro,* βλασφημεῖν. *Græciſmus.*

12 Ea vituperantes quæ ignorant] ἐν οἷς ἀγνοοῦσι βλασφημοῦντες. *Pro,* ἐν ἐκείνοις ἃ ἀγνοοῦσι. *Græciſmus. Videtur autem in illa phraſi,* βλασφημεῖν ἔν τινι πράγματι, *eſſe Hebraiſmus in præpoſitione* ἐν *uſurpatâ pro* περὶ. *Sic enim loquuntur Græci,* βλασφημεῖν περί τινος πράγματος. *Cujus phraſis exemplum affertur hoc ex Iſocrate,* ἐνίους τῶν σοφιστῶν βλασφημεῖν περὶ τῆς ἐμῆς διατριβῆς. Suo interitu interibunt] ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται. *Præpoſitio* ἐν *redundat ex Hebraiſmo. Nomen autem* φθορὰν *alii reddunt* corruptelam, *intelligentes (ut videtur) de corruptis moribus. Sed inſtituta comparatio poſtulat, ut intelligatur de interitu ſpirituali, ſicut in protaſi intelligebatur de interitu corporali. Alii autem,* Interitu ſuo, *id eſt, ſibi deſtinato à Deo: ſicut dixerat, animalia bruta nata eſſe* εἰς ἅλωσιν καὶ φθορὰν.

13 Qui deliciantur in fraudibus ſuis] ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν. *Ex collatione Judæ v.12. videtur pro* ἀπάταις αὐτῶν, *legendum* ἀγάπαις ὑμῶν: *ac proinde vertendum,* Qui deliciantur in agapis veſtris.

14 Oculos &c.] ὀφθαλμοὺς &c. *Confer illud Chriſti, Matth.5. v.28.* Exſecrandi homines] κατάρας τέκνα. *Ad verb. Exſecrationis filii. Hebraiſmus: cujus exempla vide Epheſ.2.v.2. Col.3.v.6. 1.Pet.1.v.14.*

15 Filii Boſor] τοῦ Βοσόρ. *Supple,* υἱοῦ. *Id eſt, qui Balaam fuit filius Boſoris.*

16 Subjugis aſina] ὑποζύγιον. *Ad Græcum nomen ſubauditur* ζῶον *vel* κτῆνος: *ut integrum ſit, ſubjuge animal vel jumentum. Et intelligitur generaliter, de equis, bobus, aſinis, mulis. Eſt igitur hîc ſynecdoche generis.* Humanâ voce] ἐν ἀνθρώπου φωνῇ. *Præpoſitio* ἐν *redundat ex Hebraiſmo.*

17 Caligo tenebrarum] ὁ ζόφος τοῦ σκότους. *Id eſt, tenebroſiſſima. Hebraiſmus.*

18 Prætumidam vanitatem] ὑπέρογκα ματαιότητος. *Ad verb. prætumida vanitatis. Hypallage.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 Ex v.1. & 2. Quum videmus in Eccleſia exoriri falſos doctores, & multos ſequi atque amplecti eorum exitialia dogmata, non debemus eâ re tanquam novâ offendi, ut propterea du- *Conſolatio contra falſos doctores.*

bitemus de veritate doctrinæ Christianæ. nam & olim in populo Dei exstiterunt falsi prophetæ: & falsos doctores in Ecclesia exorituros, prædictum est ab apostolis, atque etiam ab ipso Christo. Confer Act.20.v.29.& 30. 1.Cor.11.v.19. 2.Thess.2.v.3. & deinceps. 1.Tim.4.v.1. deinceps. Matth.24.v.24.

Falsi doctores. 2 Ex iisd.v. Quum simus præmoniti de exorituris falsis doctoribus & apostatis: officii nostri est, ut solicitè nobis ab illorum seductione caveamus, constanter scil. adhærendo sanæ doctrinæ ab Apostolis traditæ. Confer Matth.24.v.25.

Redemtio. Vindicatio verborum Petri, Etiam Dominum qui ipsos mercatus est, abnegantes. 3 Ex v.1. ex verbis, *Etiam Dominum qui ipsos mercatus est, abnegantes.* Cavendum ne his verbis Petri abutamur ad oppugnandum doctrinam Scripturæ de redemtione electorum, quòd nimirum soli electi per mortem Christi redemti sint; quippe pro quibus solis oravit moriturus, Johan.17. mundo disertè excluso. Nam quod Petrus ait, Christum mercatum esse etiam eos qui ipsum abnegant, & exitium sibi accersunt: intelligendum est de opinione tum ipsorum tum aliorum, quo tempore illi Christum confitebantur. nam etiam hypocritæ ad tempus opinantur, se per Christum esse redemtos: (unde Christus illis fidem tribuit, sed temporariam, Matth.13.21. itemque Paulus tribuit illis gustum doni cælestis, Heb.6.4.) & quicunque Christum confitentur, pro credentibus & ex consequente pro redemtis, ex charitate ab aliis habentur & habendi sunt. Interim semper verum manet illud Pauli Actor.20.v.28. quòd *Deus* (hoc est, filius Dei, Christus) *sanguine suo acquisiverit Ecclesiam:* Ecclesiam, inquam, cujus certè membra hypocritæ & apostatæ non sunt; etiamsi dum in Ecclesiæ sinu degunt, pro membris ex charitate habentur. Hinc de talibus ait Johannes: *Exiverunt ex nobis, sed non erant ex nobis. nam si fuissent ex nobis, mansissent nobiscum,* 1.Joh.2.v.19.

Hæretici. 4 Ex v.2. Hæretici & sectarii quum veritatem Evangelii non possint refutare, blasphemant eam & doctores atque confessores illius. Sed recipient illi suo tempore meritam damnationem, nisi resipuerint.

Falsi doctores. 5 Ex v.3.10.12.13.14.15.17.18.19. Diligenter observandæ sunt notæ, quibus Petrus falsos doctores depingit: ut illis animadversis, à talibus nobis caveamus. Eæ notæ sunt: negotiatio seu mercatura animarum, v.3.14.& 15. luxuria & libidines, v.10.13.14. contemtus dominatuum, id est, regum ac principum, v.10. cæcus furor in vituperanda doctrina sana, v.12. prætumida vaniloquentia, v.17.& 18. pollicitatio libertatis seu indulgentiæ ac permissio peccandi, v.19.

Consolatio contra falsos doctores. 6 Ex v.3. & deinceps usque ad 10. Notanda sunt duo argumenta consolationis contra detrimentum quod Ecclesiæ afferunt falsi doctores. Unum est, quòd Deus illos suo tempore ex Ecclesia exterminaturus, & æterno exitio punitur us est: alterum quòd constantiam cultorum suorum in vera religione ac pietate est remuneraturus, eripiendo illos è catholicis mundi pœnis & πανωλεθρίαις. His addo, quòd Christus electos suos custodit, ne in errores exitiabiles seducantur, Matth.24. vers.24. 2.Tim.2. v.19. Item quòd eorum pietatem remuneraturus est præmiis æternis, videlicet gloriâ & gaudiis cælestibus, 2.Thess.1. v.5.& deinceps. Matth.13.v.43. 1.Cor.15.v.41.& 42. Phil.3.v.ult. Denique in Apocalypsi promissio illa identidem iteratur, *Victori dabo edere ex arbore vitæ,* & similia: ut c.2.v.7.11.17.26. c.3.v.5. 12.21. c.21.v.7.

Peccatum angelorum. 7 Ex v.4. Quum S. Petrus hoc loco mentionem faciat peccati angelorum, propter quod in tartarum à Deo detrusi sunt: quæri potest, quodnam illud peccatum fuerit. Respond. Etsi hoc in Scriptura nunquam (quod sciam) est expressum; tamen è duobus locis colligi potest, fuisse rebellionem contra Deum ex superbia, quâ sese cum Deo comparare ausi sunt tanquam æquè sapientes & justi. Prior locus est Gen.3. ubi narratur, quomodo Diabolus effecerit, ut de statu suo deturbarentur primi nostri parentes, videlicet afflando illis hoc ipsum venenum superbiæ, ut auderent affectare æqualitatem cum Deo in sapientia: quatenus ajebat, *Si ederitis de fructu vetito, eritis sicut Elohim,* (id est, Deus Pater, Filius, & SS.) *scientes bonum & malum.* Probabile est autem, Diabolum eâdem viâ ac ratione tentasse hominem dejicere de felici statu, qua noverat se è suo felici statu dejecisse seipsum, Sciebat enim Deum sui perpetuò esse similem: ac proinde similia peccata similiter puniturum. Alter locus exstat Job.4. v.17.18.19. ubi Eliphas Jobum arguens, quòd ausus esset cum Deo contendere, quasi ab illo præter meritum tantopere affligeretur, inter alia sic loquitur: *An mortalis Deo justior esset? num opifice suo mundior esset vir? En servis suis non creditur us esset* firmitatem: *angelis, inquam, suis appositurus lucem. Quantò minùs inhabitantibus domos argillaceas?* Quibus verbis Eliphas contra Jobum argumentatur in hanc sententiam; quasi dicat: Hæc est communis omnium hominum sors, ut nullâ ex parte cum Deo justitiâ & puritate comparari possint, ac proinde multis calamitatibus justè à Deo affligantur: quid ergo te misero fiet, si pergas cum Deo contendere? Hoc autem argumentum confirmat ab exemplo angelorum per πλάσιν, id est, fictionem: quatenus fingit & casum (uti loquuntur) ponit, angelos illos qui jam in bono confirmati sunt, idem facere quod Jobus fecerat: aut saltem facere visus fuerat: id est, contendere cum Deo, seque cum illo in puritate & justitia comparare. Ex hac porrò hypothesi ratiocinatur ducendo argumentum à majore ad hunc modum: Si angeli sese Deo in sanctitate exæquarent, seu tanquam æquales cum Deo compararent: Deus non parceret illis, id est, non relinqueret eos in sua firmitate & luce, sed inde eos deturbaret: Ergo multò minùs parcet hominibus, si id fecerint: quippe qui inhabitant domos luteas, id est, quorum spiritus seu animæ inhabitant corpora caduca & infirma, atque adeò primitus ex luto à Deo creata: ita ut sint naturæ minùs excellentis quàm angeli. Hinc jam colligo à pari: Si Deus angelis qui jam in bono confirmati sunt, non parceret, si illi sese Deo in sanctitate exæquare auderent, sed deturbaret eos de sua firmitate & luce: Ergo angelos illos quos de suo statu deturbavit, & ex luce in tartarum detrusit, propter illam ipsam superbiam detrusisse videtur. Etenim ut parium causarum paria sunt effecta: ita vicissim parium effectorum pares sunt causæ.

Adventus Christi ad judicium. 8 Ex eod.v. ex verbis, *Sed in tartarum detrusos &c.* Notandum est hoc testimonium ad confirmandum articulum fidei de adventu Christi ad judicandum vivos ac mortuos; quo nimirum judicio electos suos ad se in cælum assumet: reprobos verò unà cum Diabolo & angelis illius abire jubebit in infernum, atque etiam eò ire compellet per sanctos angelos suos, ut illic igne æterno crucientur. Confer Matth.13.v.40.& deinceps: item c.25. v.31.& deinceps. Luc.8.v.31. & c.16.v.23.& 28. 1.Thess.4.v.16. & 17. 2.Thess.1.v.5. & deinceps. Judæ v.6. Apoc.20.v.10. & deinceps, & c.21.v.18.

Diabolus. Antilogiæ apparentis conciliatio. 9 Ex iisd. verbis. Considerandum, quomodo consentiat hoc pronuntiatum Petri, itemque simile pronuntiatum Judæ v.16. cum aliis Scripturæ locis, ubi traditur, Diabolum & angelos ejus vagari per orbem terrarum & in sublimi seu aëre, homines que variis modis tentare & affligere; ut Job.1.v.7. & cap.2.v.2. ubi Satan Deo respondens ait, se peragrasse terram, & ex permissu Dei Jobum variè affligit: ut narratur c.1. & 2. Sic in historia regis Achabi narratur, quomodo malus spiritus à Jehova emissus deceperit Achabum, per falsos prophetas, promittendo illi victoriam in eo prælio quo percussus arcu occubuit, & Israëlitæ fugati sunt. Sic in novo Testamento occurrunt hi loci, Matth.4.v.1. & deinceps, ubi describitur, quomodo Diabolus tentaverit Christum: item historiæ apud Evangelistas passim occurrentes de dæmoniacis seu obsessis à dæmoniis: ac inprimis illa Luc.8. v.31. ubi legio dæmoniorum Dominum rogat, ne sibi imperet ut abeant in abyssum. Item loca Pauli: ut Rom. ult. vers.20. *Deus conteret Satanam sub pedes vestros citò.* 2.Cor.12. v.7.& 8. ubi narrat, *sibi datum esse angelum Satanæ, à quo colaphis cadatur: seq; super hoc ter Dominum rogasse ut absce deret à se.* Eph.2.v.2. ubi Satanam vocat *principem cui sit potestas aëris, & spiritum qui nunc agat in hominibus contumacibus.* item c.6.v.11.& deinceps, ubi describit luctam fidelium cum malis spiritibus; de qua lucta monet & Petrus 1.epist.c.5. v.8. & 9. Cum his igitur & similibus locis quomodo consentit hoc pronuntiatum Petri, quo affirmat, Deum angelos qui peccaverunt, detrusisse in tartarum, & catenis caliginis traditos servare ad judicium? Si enim sunt in tartaro, idque catenis caliginis, & quidem vinculis æternis; (ut Judas ait) alligati: quomodo igitur dicuntur vagari in aëre & per terram? quippe quum tartarus sit sub terra; unde & infernus nominatur: & Petrus idem confirmat, dum utitur verbo ταρταρώσας, quod valet εἰς τάρταρον ῥίπτειν, sicut Homerus loquitur, Iliad. θ. non procul à principio, ubi ait:

ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα
τῆλε μάλ᾽, ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον·
ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός.
τόσον ἔνερθ᾽ ἀΐδεω ὅσον οὐρανός ἐστ᾽ ἀπὸ γαίης.

Quibus verbis Jupiter in concione cæteris diis minatur, si quis eorum auxilium laturus sit vel Trojanis vel Græcis, se illum correptum projecturum in tartarum obscurum, procul valde, ubi profundissimum sit sub terra barathrum, ubi item sint ferreæ portæ, & æreum pavimentum; idque tanto intervallo sub inferno, quanto distat cælum à terra. Hanc de tartaro sententiam eatenus saltem confirmat Petrus verbo illo utens, quatenus traditur esse locus apud inferos, ubi suppliciis afficiantur qui Deum offenderunt, nec reconciliationem adepti sunt. Respondeo: Ad loca illa concilianda videtur statuendum: Deum initio quidem, statim scilicet à commisso angelorum peccato & rebellione, detrusisse eos in tartarum seu infernum: sed ita tamen ut quoties ei visum est, ante ultimum judicium, eos inde exire permittat in terram & liberum hunc aërem, rursusque ad tempus, saltem aliquam eorum partem, in tartarum includat, ne hominibus super terram possint nocere. Id quod confirmo his duobus Scripturæ locis. Apoc.9.v.1.& deinceps narratur, angelo cuidam datam fuisse clavem putei abyssi; quem quum ille aperuisset, exierint locustæ vastatrices, id est, spiritus infernales seu tartarei; quippe qui impositum sibi habebant regem, angelum abyssi, cui nomen Hebraicè Abaddón, Græcè verò Apollyon, id est, perdens: illisque datum fuisse ut cruciarent homines certo tempore. Deinde rursus c.20.v.1.& deinceps, narratur, descendisse à cælo angelum qui habebat clavem abyssi, (id est, inferni seu tartari) itemque catenam magnam in manu sua, qua vinxerit Satanam ad annos mille, conjectum in abyssum, ut

non se-

non seduceret ampliùs gentes, donec complerentur anni mille. nam postea oportere eum solvi ad exiguum tempus. Ex his duobus locis clarè apparet, spiritus tartareos ita inclusos esse carceri suo, qui nominatur abyssus & tartarus, ut interdum ad tempus inde emittantur in terram, ac tum rursus includantur & vinciantur, unde & legio illa cacodæmonum Luc. 8. Dominum rogabat, ne sibi imperaret ut irent in abyssum. Quòd autem Judas vincula illa quibus mali angeli sub caligine ligati atque constricti sunt, nominat æterna: id referendum est ad perpetuum ipsorum horrorem, quo veluti constricti, instar maleficorum in carcere inclusorum, judicium illud ultimum exspectant: ut percipitur ex verbis illorum cacodæmonum, qui Christo ad duos obsessos accedente, exclamabant: *Quid nobis tecum, Jesu fili Dei? Venisti huc ad torquendum nos ante tempus?* Matth. 8. v. 29. Item ex verbis Jacobi, ubi ait, *dæmonia credere, Deum esse unum, & horrescere*, Jacob. 2. v. 19.

Exempla. 10 Ex vers. 4. 5. 6. 7. 8. Exempla pœnarum, quibus Deus, teste scripturâ, affecit impios, itemque liberationis atque conservationis piorum, transferenda sunt ad nostrum usum; ut scilicet illis moniti, discamus fugere impietatem, & contrà pietati studere. Confer 1. Cor. 10. vers. 5. & deinceps, Heb. 12. v. 1. Rom. 15. v. 4.

Conversatio cum flagitiosis. 11 Ex vers. 8. Si contingat, nos habitare aut versari inter homines corruptis ac flagitiosis moribus præditos: non debemus illorum exemplum imitari, aut verbis gestúve approbare; sed potiùs, quoad tempestivè poterimus, ad studium sanctitatis eos amicis monitis revocare; aut certè si flagitiosa eorum facta videre & audire cogamur, debemus animam nostram excruciare, Deumque rogare, ut & illos corrigat, & nos ab eorum conversatione liberet, exemplo Loti. Huc pertinet illud præceptum Pauli Rom. 12. v. 2. *Ne configuremini sæculo isti.* **Stellet euch nit diser welt gleich.** Damnandum igitur proverbium, quo dicunt, cum lupis ululandum esse.

Reges. Principes. 12 Ex v. 10. & 11. Reges & principes non sunt vel despiciendi propter officium quod gerunt: vel conviciis incessendi, si malis moribus sunt præditi: sed mandatis eorum (dummodo nihil quod verbo Dei repugnet, præcipiant) obediendum: ipsi verò judicio Dei committendi. Confer Rom 13. v. 1. & deinceps.

Angeli. 13 Ex v. 11. Robur angelorum facit ad nostrum solatium: si adjungamus promissiones Dei de nostri per illos in periculis protectione. Quum enim robustissimi sint, ac regibus principibusque potentiores: poterunt igitur nos contra tyrannorum persecutionem, atque adeò contra omnem vim, quæ ab hominibus nobis infertur, facilè defendere: atque etiam defensuri sunt, si modò id conducat ad salutem nostram æternam, ac inprimis ad gloriam Dei. Hinc Elisæus præsidio angelorum adversus Syrorum exercitum septus, dicebat ministro suo trepidanti, *Plures sunt à nobis quàm ab illis*: 2. Reg. 6. Item Christus ingruentibus in horto ad eum capiendum ministris sacerdotum, Petrum defendere conantem revocat his verbis: *An putas me non posse nunc precari patrem meum, qui huc sistat mihi plures quàm duodecim legiones angelorum?* Matth. 26. v. 53.

Voluptas. 14 Ex v. 12. Cavendum, ne more bestiarum feramur ad voluptates corporis: sed bestiales illæ cupiditates judicio rectæ rationis, ac inprimis meditatione verbi Dei, frænandæ sunt.

Judicandi ratio. 15 Ex eod. v. Cavendum, ne vituperemus quæ ignoramus: sed antequam judicemus, causa probè cognoscenda est.

Seductio. Antilogiæ apparentis conciliatio. 16 Ex v. 18. ex verbis: *Eos inescant qui verè effugerant eos qui in errore versantur.* Considerandum, quomodo hoc dictum conveniat cum dicto Christi Matth. 24. v. 24. *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula, ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos.* Hic Christus docet, fieri non posse, ut electi seducantur, videl. in errorem exitiabilem; at Petrus videtur docere contrarium, dum ait, inescari (hoc est, in exitiabilem errorem seduci) eos qui verè effugerant illos qui in errore versantur. quod quid aliud est, quàm qui verè in Christum crediderant? id quod non contingit, nisi electis. Sed sciendum, inter ista dicta non esse repugnantiam. Etenim dictum Christi intelligendum est simpliciter: quia scriptura plurimis in locis tradit certitudinem salutis electorum, ac perseverantiam eorundem in vera fide. At dictum Petri intelligendum est κατά τι, secundùm quid, videlicet quoad judicium charitatis: quæ quamdiu videt proximum à turba errantium se segregare, & cœtui credentium ac verorum Dei cultorum se aggregare, eandemque cum illis religionem profiteri atque exercere: habet illum pro vere-credente: etiamsi interim multi, qui pro talibus habentur, tales revera non sint.

Libertas. 17 Ex v. 19. Vera libertas non est, putare se liberum esse à bonis legibus, ac proinde agere quod naturæ corruptæ libet. nam qui cupiditatibus suis indulgent, revera servi sunt. Vera autem libertas est: quum liberati à potestate Diaboli per Christi mortem, & à dominatu peccati inhabitantis, per ejusdem spiritum, promptè & alacriter servimus Deo ex præscripto verbi ipsius. Confer Joh. 8. v. 32. & deinceps. Rom. 6. v. 14. & deinceps. Gal. 5. v. 13.

Apostasia. 18 Ex v. 20. 21. & 22. Qui à professione fidei Christianæ deficiunt graviùs à Deo punientur, quam qui illam nunquam receperunt. Quare Deum oremus, ut per Spiritum S. à nobis tantum malum apostasiæ clementer prohibeat: atque ad illam præcavendam exercitiis pietatis (ut auscultatione & lectione, & sanctâ meditatione verbi Dei, item precibus) assiduè utamur. Confer Heb. 6. v. 4. & deinceps. item cap. 10. v. 26. & deinceps. Matth. 12. v. 43. & deinceps.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hic transit ad aliam commonefactionem, qua monet, ut sibi caveant à seductione irrisorum seu illusorum, qui negant adventum Christi ad judicium universale, & mundi hujus interitum. Itaque Apostolus adventum illum certò asseverat atque confirmat: deinde formam interitus mundi graphicè describit. Sic duæ sunt præcipuæ capitis partes.

PRIMA PARS.

Adventus Christi ad judicium contra irrisores asseritur.

Hasce jam alteras vobis literas scribo, dilecti, quibus sinceram mentem vestram per commonefactionem excito:

2 Ut memores sitis verborum, quæ prædicta sunt à sanctis prophetis, & mandati illius nostri, qui sumus apostoli Domini & servatoris.

3 Illud primùm scientes, venturos extremis diebus irrisores, secundùm suas ipsorum cupiditates incedentes:

4 Et dicentes, Ubi est pollicitatio adventus ejus? nam ex quo *die* patres obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis.

5 Illud enim sponte ipsos latet, cælos jam olim exstitisse, *creatos* per Dei sermonem, & terram ex aquà, & in aqua, consistentem.

6 Quamobrem is, qui tum erat mundus, aquâ inundatus periit.

7 Qui verò nunc *sunt* cæli ac terra, eodem sermone repositi, servantur igni in diem judicii & exitii impiorum hominum.

8 Unum autem hoc ne vos lateat, dilecti, Unum diem apud Dominum *perinde esse*, ut mille annos; & mille annos, ut diem unum.

9 Non tardat Dominus promissum, (ut nonnulli tarditatem *hanc esse* ducunt) sed patiens est erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.

Vers. 1. & 2. transitionem facit, qua scriptionis suæ scopum denuò indicat, atque ita eos rursum ad constantiam in retinenda Evangelii doctrina exhortatur; ut quæ tum prophetarum, tum apostolorum testimonio comprobata sit. Vers. 3. & 4. proponit prophetiam de venturis irrisoribus, eorumque recitat argumentationem, qua disputant contra alterum Christi adventum. Sententia argumentationis est hæc:

Si mundus jam per multa sæcula duravit; durabit semper: & ex consequenti nunquam veniet Christus ad mundum destruendum & judicium exercendum: at proinde promissio illius adventus vana est.

Sed verum est antecedens.

Verum igitur & consequens.

Conclusio præcedit ibi: *Ubi est pollicitatio &c.* Assumptio sequitur ibi, *Nam ex quo die &c.* Propositio omittitur. Vers. 5 & deinceps Petrus argumentationem istam refutat & contrarium asseverat. Ac primùm refutat tacitam hypothesin, qua connexum istius argumentationis nititur: quasi scilicet tam diuturna mundi duratio arguat, impossibile esse, ut mundus unquam dissolvatur. Hoc igitur Deo esse possibile, ostendit Petrus à mundi creatione, per ratiocinationem à pari: Deus potuit suo sermone, id est, mandato, mundum creare: Ergo poterit eundem sermone suo destruere. Antecedens confirmat testimonio conscientiæ adversariorum, quod commemorat per reprehensionem dissimulationis eorum, ubi ait, *illud enim sponte ipsos latet.* quasi dicat; Nôrunt quidem aut certè facilè ex sacris literis nosse possunt: sed dissimulant. Deinde vers. 6. negat assumtionem, saltem ex parte: quatenus affirmat, mundum illum priscum aquâ inundatum periisse, id est, orbem terrarum vastatum atque corruptum esse. unde apparet, non per omnia esse verum, quod isti dicunt, *Omnia ita permanere ab initio creationis.* Tum vers. 7. ex allato exemplo diluvii deducit asseverationem futuri interitus mundi per ignem. Postea vers. 8. per prolepsin monet, non debere cuiquam videri, quòd interitus mundi & damnatio impiorum nimis diu differatur, aut quasi Dominus tardet. Rationem affert ex Psalmo 90, quia apud Deum mille anni sint ut unus dies: quam sententiam Petrus sententiâ reciprocâ amplificat. quasi dicat: Etiam-

si nobis mille anni videantur diuturnum tempus: ac proinde mundus nobis videatur valde diu durasse, ut qui jam duràrit per aliquot annorum millia: tamen alia est ratio apud Deum: quippe cui nullum tempus longum videtur. Ad extremum v.9. causam exponit, cur Dominus nondum adveniat ad judicium: nempe quia concedat electis spacium resipiscendi, ut serventur. Hanc causæ expositionem amplificat antithesi causæ falsæ, quam negat, quasi scilicet Dominus adventum suum differat ex tarditate. Simul etiam asseverationis præcedentis fundamentum attingit, quod est Domini promissio.

SECUNDA PARS.

Interitus mundi describitur.

10 Veniet autem, sicut fur in nocte, dies ille Domini: quo cæli cum stridore præteribunt; elementa verò æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera, exurentur.

11 Quum igitur hæc omnia solvenda sint: quales oportet esse vos in sanctis conversationibus & pietatis officiis?

12 Exspectantes & properantes *ad* adventum diei Dei; in quo cæli conflagrantes solventur, & elementa æstuantia liquescent.

13 Sed cælos novos ac terram novam secundùm promissum ejus exspectamus; in quibus justitia inhabitat.

14 Quapropter, dilecti, quum hæc exspectetis, studete ut immaculati & incontaminati ab eo reperiamini cum pace:

15 Dominique nostri patientiam, salutem ducite, sicut & charus frater noster Paulus, pro sibi data sapientia scripsit vobis.

16 Sicut etiam in omnibus epistolis, loquens, in eis de istis: in quibus sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque stabiles detorquent, ut & reliquas scripturas, suo ipsorum exitio.

17 Vos igitur, dilecti, *istorum* præscii quum sitis: cavete ne illorum nefariorum errore cum illis abducti, excidatis à propria stabilitate:

18 Sed crescite in gratia & agnitione Domini nostri & servatoris Jesu Christi. Ipsi *sit* gloria & nunc & in tempus sempiternum, Amen.

Deinceps formam adventus Domini ad judicium & destructionis mundi describit, atque inde exhortationem deducit ad studium sanctitatis: annectens doctrinæ hujus confirmationem à consensu doctrinæ Pauli: de cujus scriptorum difficultate, saltem in parte, simul monet: ac postremò ad constantiam in hac doctrina, & profectum, hortando epistolam concludit. Igitur vers.10. adventum Domini describit partim ab adjuncto temporis, quòd venturus sit sicut fur in nocte, id est, ex improviso: partim ex modo interitus mundi, idque per partes, ubi ait, *Cæli cum stridore præteribunt &c.* V.11.& 12. ex hac forma (tam terribili scilicet) interitus mundi deducit exhortationem ad studium sanctitatis & fiduciæ; simulque sententiam de mundi interitu repetit. V.13. affirmat, creatum iri mundum novum: idque testimonio Esaiæ confirmat: simulque novi illius mundi felicem statum indicat, quòd scilicet justitia in eo inhabitatura sit: remotis scilicet impiis, & in gehennam conjectis. Tum vers.14. & initio 15. exhortationem illam repetit. V.15. doctrinam hanc suam testimonio Pauli confirmat, ejusque scripta à singulari sapientia commendat. Veruntamen vers.16. de eorundem in aliquibus partibus difficultate admonet: & scandalo occurrit quod oriebatur à levitate quorundam, qui difficilia illa loca Paulina detorquebant ad suum exitium. Monet igitur, idem accidere reliquis scripturis: de quarum tamen veritate & utilitate pii nequaquam dubitant. Postremò v.17. & 18. epistolam concludit repetitione commonefactionis principalis, & doxologiâ seu celebratione nominis Christi.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Quibus] ἐν αἷς. *Subaudi,* ἐπιστολαῖς. *Id est, quâ utrâque epistolâ. Præpositio* ἐν *redundat ex more Hebræorum. Potest tamen verti,* In quibus. Per commonefactionem] ἐν ὑπομνήσει. *Id est,* δι' ὑπομνήσεως. *Hebraismus.*

2 Mandati nostri qui sumus apostoli Domini &c.] τῆς τῶν ἀποστόλων ἡμῶν ἐντολῆς τοῦ Κυρίου *&c. Verborum trajectio, Petro familiaris. Legitimus ordo est,* τῆς ἐντολῆς ἡμῶν τῶν ἀποστόλων τοῦ Κυρίου *&c. Ubi cavendum, ne quis* ἡμῶν *accipiat pro* ἡμετέρων, *tanquam regeretur à nomine* ἀποστόλων. *At cohæret cum illo nomine, non per syntaxin rectionis, sed convenientiæ: convenit enim cum illo per appositionem.*

3 Extremis diebus] ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν. *Ad verb. In extremo dierum. Hebraismus: ut Gen.49.v.1. Beahharith hajamim.* Secundùm cupiditates] κατὰ τὰς ἐπιθυμίας. *Id est, prout eos ducunt vel agunt cupiditates.*

4 Ubi est] ποῦ ἐστιν. *Quasi dicant: Nusquam est, evanuit: denique vana est & mendax.* Ex quo die] ἀφ' ἧς. *Supple,* ἡμέρας. Obdormierunt] ἐκοιμήθησαν. *Id est, mortui sunt. Metaphora.*

5 Cælos jam olim exstitisse *creatos* per Dei sermonem] ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, *Supple,* κτισθέντες. *Verba autem illa,* τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ, *in textu Græco trajecta sunt ad finem. Similem trajectionem vide Apoc.13.v.8. Est autem hoc loco sermo de cælo infimo, nempe aëre: quippe qui per diluvium ad tempus interiit: ut mox dicet.* Jam olim] *Scil. tempore Noë: ut percipitur ex collatione versus sequentis, ubi dicitur,* ὁ τότε κόσμος, *qui tum (nempe tempore Noë) erat mundus.* Per Dei sermonem] τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ. *Id est, per Dei jussum seu imperium, ut planum est ex narratione Mosis. quò pertinet & illud, Psal.33.v.9.* Dixit, & facta sunt: mandavit, & steterunt. *Synecd. generis.* Et terram] *Scil. exstitisse.* καὶ γῆ. *Scil.* ἦν. Ex aqua] *Scil. tanquam ex parte sui, in alveis ipsius inclusâ. Sicut annulus aureus qui gemmam inclusam habet, constat ex auro & gemma.* In aqua] δι' ὕδατος. *Pro,* ἐν ὕδατι: *ut 1.Pet.3.v.20. Scil. tanquam natans in illa. Vel,* Per aquam: *scil. tanquam per fundamentum cui incumbit. Vide Psal.24.v.2. Gen.7.v.11.*

6 Quamobrem] δι' ὧν. *Eâdem significatione usus fuit istis particulis suprà cap.1.v.4.* Qui tum *erat* mundus] ὁ τότε κόσμος. *Post* τότε, *subaudi* γεγονώς. Mundi *autem vocabulo intelligitur hîc tum superficies orbis terrarum, tum homines & bestiæ super illam degentes: item aër in quo degebant.*

7 Qui verò nunc *sunt* cæli] οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ. *Post* νῦν *subaudi* ὄντες. Eodem sermone] τῷ αὐτῷ λόγῳ. *Id est, vi ejusdem sermonis seu mandati divini.* Servantur igni] πυρὶ τηρούμενοι. *Scil. ut igne crementur, sicut paulo pòst declarabit.* In diem judicii] εἰς ἡμέραν κρίσεως. *Usque in diem judicii illius universalis. Alii,* damnationis: *conjungentes nimirum per zeugma cum hoc nomine illa quæ sequuntur,* τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων. *Parum refert.*

9 Non tardat Dominus promissum] οὐ βραδύνει ὁ Κύριος τῆς ἐπαγγελίας. *Post* ἐπαγγελίας *subaudi* ἕνεκα. *quasi dicat: Non tardat quod ad promissionem attinet: id est, non differt promissum.* Ullos] τινάς. *Id est, aliquos. Scilicet ex nobis, qui credimus in Christum, ac proinde in numero electorum sumus.* Omnes] πάντας. *Nempe omnes nos qui credimus in Christum &c.* Tendere] χωρῆσαι. *Vel,* concedere.

10 Sicut fur] ὡς κλέπτης. *Confer Matth.24.v.43. Luc.21.v.35.* Præteribunt] παρελεύσονται. *Non quidem in nihilum redacta, sed in novam formam transmutata. Confer Psalm.102. v.27. Rom.8.v.19.*

11 In sanctis conversationibus] ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς. *Confer Matth.24.v.42. Luc.21.v.34.36.* Pietatis officiis] εὐσεβείαις. *Ad verb.* pietatibus.

12 Properantes] σπεύδοντας. *Confer Luc.21. v.28. Apoc. ult. v.17.* Dei] τοῦ Θεοῦ. *Id est, Christi, vel Dei Patris: ut qui judicaturus est per Christum, Act.17.v.31.* In quo] δι' ἣν. *Scil.* ἡμέραν. *Pro,* ἐν ᾗ. *Vel potiùs* δι' ἣν, *scil.* παρουσίαν, *per quem adventum diei Dei.* Liquescent] τήκεται. *Pro,* τακήσεται. *Enallage temporis.*

13 Secundùm promissum] κατὰ τὸ ἐπάγγελμα. *Quod exstat Esa.65.v.17. & c.66.v.22.* Justitia] δικαιοσύνη. *Id est, homines justi & sancti. Metonymia formæ.*

14 Cum pace] ἐν εἰρήνῃ. *Id est,* μετ' εἰρήνης. *Hebraismus.*

15 Salutem arbitramini] σωτηρίαν ἡγεῖσθε. *Scil.* εἶναι, *esse: hoc est, ad salutem vobis conducere. Hîc in prædicato enuntiati est metonymia effecti, sicut in illo Rom.7.v.7.* Lex peccatum est. Sicut etiam in omnibus epistolis] ὡς καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς. *Scil.* γράφει, *scribit: ex membro præcedente.* In quibus] ἐν οἷς. *Videtur potiùs legendum,* ἐν αἷς, *scil.* ἐπιστολαῖς. *quam lectionem D. Beza testatur reperiri in tribus manuscriptis codicibus.* Nonnulla difficilia intellectu] δυσνόητά τινα. *Ut sunt, quæ disputat de rejectione Judæorum, ac omnino de prædestinatione, Rom.9.10.& 11. item de impossibilitate resipiscentiæ apostatarum, Heb.6.& 10.*

18 In tempus sempiternum] εἰς ἡμέραν αἰῶνος. *Ad verb. In diem sæculi. Hebraismus.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v.1. & 2. Adversus sanæ doctrinæ & sanctæ vitæ hostes, remedium ex jugi meditatione propheticorum & apostolicorum scriptorum petendum est: ut rectè hîc notavit D.Beza. *Scripturâ.*

2 Ex v.3. & deinceps. Contra irrisores, qui negant adventum Christi ad judicium, muniamus fidem nostram recordatione prædictionis apostolorum, & ipsius Christi: qui tales irrisores venturos prædixerunt. Confer 1.Tim.4.v.1.& deinceps. 2.Tim.3. vers.1. & deinceps. Judæ v.17. & deinceps. Matth.24.v.24.25. 37.38.39. *Adventus Christi ad judicium.*

3 Ex v.7.10.11.12.13. Deus mundum suo tempore (videlicet in adventu Christi ad judicium) concrematurus est, ac tum ex illis cineribus novum mundum creaturus. Ita tamen, ut nec sedes beatorum, summum videlicet sive tertium cælum; nec locus damnatorum, videl. infernus seu tartarus, destruatur. Illa enim sedes utraq; inde ab origine seu fundatione mundi parata est recipiendis suo tempore tum illis, tum istis: teste Christo Matth.25. vers.34. & 41. Quòd autem mundus non sit redigendus in nihilum, *Mundi interitus.*

hilum, sed immutandus atq; renovandus, traditur Psal.102.v.23. ubi de cælo & terra dicitur: *Ista peritura sunt: tu autem (ô Jehova) permanes: ista, inquam, omnia ut vestimentum veterascent: ut indumentum mutabis ea, atque mutabuntur.* Ad idem confirmandum facit spes illa instaurationis, quam rebus creatis tribuit Paulus Rom.8.v.19.& deinceps.

Adventus Christi ad judicium.

4 Ex v.8.9.& 15. Quum adventus Christi ad judicium diu nobis videtur differri: cogitemus, mille annos apud Dominum esse, ut diem unum; ac proinde illum non tardare, sed definito tempore venturum. Cogitemus quoque, id temporis spacium concedi nobis ad resipiscentiam, & ex consequenti ad salutem: ac proinde tempore utamur.

Electio. Vindicatio verborum Petri, Nolens ullos perire &c.

5 Ex v.9. ex verbis: *Nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.* Cavendum, ne his verbis abutamur ad oppugnandum doctrinam in plurimis scripturæ locis traditam de electione particulari, hoc est, qua Deus non omnes in universum homines, sed aliquos tantùm pro suo beneplacito elegit ad salutem: quos etiam solos resipiscentiâ donat, & per hanc ad salutem adducit. Etenim Petrus non loquitur hîc de omnibus in universum hominibus, sed tantùm de omnibus electis. Scribit enim ad fideles Judæos, quos ex charitate pro electis habebat. Ideo ait, Patiens est erga *nos*, videlicet quos per Evangelium vocavit, & etiamnum vocat: nolens ullos) videlicet *ex nobis*) perire: sed omnes (videlicet *nos*, quos vocat) ad resipiscentiam tendere. Charitatis enim est, quos Deus dignatur vocare suo verbo, illos habere pro electis.

Officium hominis Christiani.

6 Ex v.10.& deinceps. Quum Christus ad judicium venturus sit ex improviso: quippe quum diem illum & horam omnes ignorent: officii nostri est, perpetuò vigilare, & perpetuo studio sanctitatis nos ad ipsius adventum comparare. Confer Matth.24. v.42.& deinceps. Luc.21.v.34.& deinceps.

Consolatio.

7 Ex v.13. Contra miserias hujus mundi consolemur nos spe novi mundi, in quo justitia inhabitabit, & in quo fruemur gaudio æterno & gloriâ æternâ: sicut copiosè describitur in Apocalypsi, duobus capitibus postremis.

Ministri verbi Dei.

8 Ex v.15. ex verbis, *Sicut & charus frater noster Paulus &c.* Fidos verbi doctores decet, ut sese mutuo testimonio ornent, & alii alios Ecclesiæ Dei commendent, ac præsertim eos, de quorum doctrina possit oboriri sinistra suspicio. Ita enim videmus hîc Judæis à Petro commendari doctrinam Pauli: de quo apud nonnullos suspicio erat, calumniis pseudoapostolorum excitata, quasi doceret defectionem à Mose & lege Dei.

Epistola ad Hebræos.

9 Ex iisdem verbis probabiliter colligitur, epistolam quæ extat ad Hebræos, scriptam esse à Paulo: sicut in illius Analyseos prolegomenis fusiùs demonstravimus.

Epistolæ Pauli.

10 Ex v.16. *Ut & reliquas scripturas.* His verbis Petrus epistolas Pauli inter scripturas canonicas refert. Idem autem sentiendum de epistolis cæterorum apostolorum: quia omnium par fuit authoritas.

Scripturæ interpretatio.

11 Ex tribus versibus ultimis. Cavendum, ne quæ difficilia intellectu occurrunt in scripturis, detorqueamus, vel detorquentibus aures præbeamus: sed potiùs opera danda, ut adorantes occulta & justa judicia Dei, de quibus scripturæ testantur, in gratia & agnitione Domini nostri & servatoris Jesu Christi stabiliamur & crescamus. Quam gratiam largiatur nobis Deus Pater per Christum & Spiritum sanctum, Amen.

FINIS.

ANALYSIS LOGICA

EPISTOLÆ PRIMÆ APOSTOLI JOHANNIS.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

PROPOSITUM *est apostolo Johanni in hac epistola, fideles ad quos scribit, confirmare tùm in* a *fide Christiana, tum in studio* b *pietatis, ac nominatim dilectione* c *proximi: idq; in eum finem, ut illi solido fruantur* d *gaudio ex* e *communione cum* f *vero Deo & certâ* g *spe vitæ æternæ. Cæterùm duo illa doctrinæ capita, fidem, inquam, & dilectionem, tractat promiscuè & alternatim, subinde ab uno ad alterum transiens atque rediens. Atque hæc utraque amplificat & illustrat à contrario: quatenus monet ut à* h *seductoribus (quos antichristos nominat) nec non ab* i *idolis sibi caveant: item quatenus à dilectione* k *mundi &* l *odio fratrum dehortatur.*

a cap.5.v.15. b cap.2.v.1. c cap.3.v.23. d cap.1.v.4. e cap.1.v.3. f cap.3.v.20. g cap.3.v.2. h cap.2.v.18. & deinceps. item cap.4. v.1. & deinceps. i cap.5.v.ult. k cap.2.v.15. l cap.2.v.9. item c.3. v.12.15 item cap.4.v.20.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Orditur à doctrina fidei, describens personam Christi, & indicans præcipuum illius in fideles collatum beneficium, videlicet vitam æternam: quam definit communione cum Deo, & solido gaudio. Deinde annectit præceptum sanctitatis, in eoq; exponendo ad doctrinam fidei redit, exponens aliud Christi erga fideles beneficium, videlicet remissionem peccatorum: ubi simul reprehendit eos, qui se peccatum habere negant.

PRIMA PARS.

Summam Evangelii proponit.

QUod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectârunt, de sermone vitæ:

2 (Nam vita patefacta est: & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam illam æternam, quæ erat apud patrem, & patefacta est nobis.)

3 Quod, *inquam*, vidimus & audivimus, id annuntiamus vobis, ut & vos communionem habeatis nobiscum: & communio nostra *sit* cum patre, & cum filio ejus Jesu Christo.

4 Et hæc scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.

QUatuor primis versibus proponit summam Evangelii seu doctrinæ de Christo; eamque confirmat testimonio experientiæ, tum suæ ipsius, tum cæterorum apostolorum. Indicat autem duo de Christo: nempe quis sit, & quid boni credentibus attulerit. Atque ita doctrinam Evangelii tum à præstantiâ subjecti, tum ab utilitate, tum denique à certitudine commendat. Si igitur quæratur, quis sit Christus: significat, esse verum Deum & verum hominem. Deitatem ejus significat, ubi ait: *Quod erat à principio.* Si enim Christus à principio mundi, seu quum mundus inciperet, jam erat: erat igitur ab æterno: quia tempus cum mundo cœpit. item ubi eum nominat *sermonem vitæ*: nec-non *vitam æternam quæ erat apud patrem.* Sermo enim nominatur, quia est æterna illa sapientia, per quam Deus Pater mundum condidit, & genus humanum inde à mundi principio allocutus est. Denique vita nominatur, itemque vita æterna: quia est author vitæ in omnibus creaturis quocunque illæ vitæ genere vivant. Humanam verò ejus naturam demonstrat, ubi ait: *Quod audivimus, quod vidimus &c.* item ubi ait, *Vitam esse patefactam seu manifestatam*, scil. in carne: ut loquitur Paulus 1.Tim.3. v.ult. Jam si quæratur, quid boni credentibus Christus attulerit: significat, attulisse eis vitam æternam; quatenus eum nominat *sermonem vitæ* & *vitam* & denique *vitam æternam.* Porrò testimonium experientiæ suæ cæterorumque apostolorum significat, ubi ait, *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectârunt.* Cæterùm vitam æternam, quam Christus credentibus attulit, definit *communione cum vero Deo & gaudio solido*, quod nimirum ex communione illa manat, in fine versus tertii: & vers.4. Atque hunc ipsum scriptionis suæ finem seu scopum esse, significat, ut in ista communione & gaudio, id est, vitâ æternâ confirmentur fideles, ad quos scribit. ait enim, se illis Christum annuntiare, *ut communionem habeant cum apostolis, atque adeò cum patre, & cum filio ejus* Jesu *Christo.* item se hæc eis scribere, *ut gaudium ipsorum sit plenum.*

SECUNDA PARTE.

Sanctè vivendum: remissio peccatorum credenda: peccata confitenda.

5 Hæc igitur est denuntiatio quam audivimus ex ipso, & renuntiamus vobis; Deum lucem esse, nec tenebras in eo esse ullas.

6 Si dixerimus, nos societatem habere cum eo, & in tenebris incedimus; mentimur, nec sincerè agimus.

7 Quòd si in luce incedimus, sicut ipse est in luce; communionem habemus cum eo mutuam, & sanguis Jesu Christi filii ejus purgat nos ab omni peccato.

8 Si dixerimus, nos peccatum non habere; nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est.

9 Si confiteamur peccata nostra; fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate.

10 Si dixerimus, nos non peccasse; mendacem facimus eum, & sermo ejus non est in nobis.

Hactenus proposuit summam Evangelii, ut eos confirmaret in fide: nunc accedit ad alteram propositi sui partem, præcipiens studium sanctitatis, ut absque quo professio fidei sit mendax. Hanc autem partem è superiore deducit, tanquam proprium effectum è sua causa procreante, sic ratiocinando:

Si communionem habemus cum Deo, necesse est ut ambulemus in luce, id est, operam demus sanctitati: quia Deus lux est.

Atqui communionem habemus cum Deo: id quidem certè dicimus ac profitemur, quatenus scilicet nos profitemur Christianos seu fideles.

Ergo necesse est, ut ambulemus in luce, id est, operam demus sanctitati.

Prosyllogismus propositionis præcedit, confirmatus testimonio doctrinæ Christi, quam apostoli ex ipso audiverant: item amplificatus negatione contrarii. Propositionis sententia succedit v.6. amplificata absurdo consequente contrarii. nam pro eo quòd simplex erat, *Si communionem habemus cum Deo, necesse est ut ambulemus in luce:* ait, *Si dixerimus, nos communionem habere cum eo, & in tenebris ambulamus: mentimur, nec sincerè agimus.* Simul etiam innuitur prosyllogismus assumtionis, ubi ait, *Si dixerimus:* quasi addat, *Sicut dicimus:* dum scilicet nos Christianos profitemur. Deinde vers. 7. annectitur propositionis amplificatio per enuntiatum reciprocum, ubi ait: *Quòd si in luce incedimus, sicut ipse est in luce: communionem habemus cum eo mutuam.* Cæterùm assumtio intelligenda relinquitur. Porrò ratiocinatio ista apostoli vim habet exhortandi ad studiū sanctitatis, ab effectis duobus; quorum unum est laus veritatis in profitenda fide Christiana; alterum confirmatio fidei de communione nostra cum Deo. Prius significatur à contrario mendacio, v.6. Posterius significatur v.7. ex collatione cum sententia præcedente. nam quum dicit, *Communionem habemus cum eo mutuam:* perinde est, ac si diceret, *tum demum verè dicimus ac certò scimus, nos habere communionem cum Deo.* Cæterùm huic posteriori effectui annectit alterum illi affinem, videlicet confirmationem fidei de remissione peccatorum per Christi sanguinem partâ: atque ita redit ad doctrinam fidei, exponendo aliud Christi erga fideles beneficium: quod quidem altero illo antea exposito: videlicet vitâ æternâ, ordine naturæ prius est: quia ad communionem cum Deo & vitam æternam accessus nemini patet, nisi qui priùs cum eo fuerit reconciliatus. hanc autem reconciliationem effecit Christus suo sanguine, quatenus illius effusionem cum sensu iræ Dei propter nostra peccata passus, peccata nostra expiavit, nobisque remissionem eorum à Deo promeritus est, suisque precibus impetravit. Id significat Johannes his verbis, *Et sanguis Jesu Christi filii ejus purgat nos ab omni peccato.* Id est, Si in luce ambulemus sanctitatique studeamus, tum confirmabimur quoque in fide remissionis peccatorum per sanguinem Christi partæ. Cæterùm hoc Christi beneficium amplificat Johannes partim ab adjuncta agentis facultate, partim ab adjuncta effecti amplitudine. Facultatem agentis notat, quum Christum vocat *Filium Dei*; hac enim appellatione innuit, sanguinem illius satis pretiosum fuisse ad peccata electorum expianda. Amplitudinem effecti significat expressione particulæ universalis: quum ait, sanguinem Christi purgare nos ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, ab OMNI peccato: quasi dicat, nullo excepto. V.8. sententiam propositam amplificat prolepsi, quâ occurrit iis, qui negant se peccatum habere. quod si verum esset: tum sententia Apostoli de peccatorum nostrorum per sanguinem Christi perpetuâ purgatione esset falsa. Quippe qui peccatum nullum habet; de eo verè dici non potest, quòd ab omni peccato purgetur. Johannes negationem illam simpliciter ut falsam & hypocriticam reprehendit, deinde vers. 9. per antithesin sententiam propositam repetit, & ad consolationem fidelium sub onere peccatorum gementium accommodat; tum v.10. ipsam reprehensionem illorum repetit, illamque negationem non solùm ut hypocriticam, sed etiam tanquam sacrilegam reprehendit, quippe quæ Deum mendacem faciat. quo ipso falsitatem istius negationis evincit à testimonio Dei: ut qui in suo verbo omnes homines peccati arguat.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 A principio] ἀπ' ἀρχῆς. *Scilicet mundi. Pro hoc Johan.1.v.1. dicitur,* ἐν ἀρχῇ, *in principio.* Audivimus] ἀκηκόαμεν. *Nempe nos Apostoli.* Oculis nostris] τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. *Pleonasmus emphaticus. A Luca nominantur* αὐτόπται, *Luc.1.v.2.* Quod spectavimus] ὃ ἐθεασάμεθα. *Hoc non otiosè adjicitur, sed refertur propriè ad miracula Christi, tanquam spectacula divinæ potentiæ ipsius: sicut ait in historia sua Evangelica c.1.v.14.* Spectavimus (ἐθεασάμεθα) gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti egressi à Patre. Contrectârunt] ἐψηλάφησαν. *Scil. tum ante mortem atque resurrectionem ejus, tum post. Vide Luc.24.v.39. Joh.20.v.27.* De sermone] περὶ τοῦ λόγου. *Pro,* τὸν λόγον. *Anomalia appositionis.* Sermonis *autem vocabulo intelligit filium Dei, ut Joh.1.v.1. & 14.* De sermone vitæ] περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς. *Id est, qui est author vitæ. Confer Joh.1.v.4. Genitivus effecti.*

2 Patefacta est] ἐφανερώθη. *Scil. in carne, ut loquitur Paulus 1.Tim.3.v.16.* Vitam illam æternam] τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον. *Id est, authorem vitæ æternæ. Metonymia effecti.* Apud Patrem] πρὸς τὸν πατέρα. *Sic Joh.1.v.1.*

5 Denuntiatio] ἡ ἐπαγγελία. *Infr.cap.3.v.11. nominatur* ἡ ἀγγελία. Lux] φῶς. *Id est, plenus sapientiæ & sanctitatis. Metaphora.*

6 In tenebris] ἐν τῷ σκότει. *Scil. ignorantiæ & peccati. Metaphora.* Nec sincerè agimus] καὶ οὐ ποιοῦμεν τὴν ἀλήθειαν. *Ad verb. Nec facimus veritatem. Sic Joh.3.v.21. Hebraismus.*

7 Si in luce incedimus] ἐὰν ἐν τῷ φωτὶ περιπατῶμεν. *Id est, si sapienter & sanctè vivimus. Metaphora.* Cum eo mutuam] μετ' ἀλλήλων. *Seu, inter nos. Communionem, inquit, habemus (nempe Deus & nos) inter nos mutuam.* Filii ejus] τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. *Hoc exprimit ad significandum illius sanguinis pretiositatem. Sic Act.20. v.28. à Paulo nominatur sanguis Dei.* Ab omni peccato] ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας. *Sic Tit.2.v.14.*

8 Veritas] ἡ ἀλήθεια. *Potest intelligi vel simpliciter: vel per synecdochen generis de verbo Dei: quod dicitur in nobis esse, quum à nobis & rectè intelligitur & firmiter creditur. Huic posteriori expositioni favet collatio versus ultimi: & ad eandem firmandam facit dictum Christi Johan.17.v.17. ubi ait:* Sermo tuus veritas est.

9 Fidelis est & justus] πιστός ἐστι καὶ δίκαιος. *Id est, constans in servandis promissis. Promisit autem remissionem peccatorum resipiscentibus & veniam ex fide petentibus.* Facimus] ποιοῦμεν. *Nempe quantum in nobis est, id est, mendacii, vel potiùs mendacitatis, arguimus. Sed alterum* ἐμφατικώτερον *est. Metonymia subjecti.*

OBSERVAT. EX CAP. I.

1 Ex v.1. & 2. De persona Christi. Christus est verus Deus, & verus homo. Quomodo utrumque probetur ex textu, dictum est in Analysi. *Christus.*

2 Ex iisdem versibus. Observandum exemplum communicationis idiomatum. Etenim sermo vitæ qui erat à principio, id est, filius Dei, idemque Deus æternus, dicitur ab Apostolis esse visus oculis, & manibus contrectatus: utiq; non secundùm deitatem, sed secundùm carnem personaliter assumtam. *Communicatio idiomatum.*

3 Ex iisdem versibus. Vitæ æternæ author est Christus, iis nimirum qui in ipsum credunt. hæc enim causa est cur à Johanne nominetur sermo vitæ, item vita, & vita æterna: nempe non solùm quòd ipse vivat vitam æternam & beatam, sed etiam quòd vitæ æternæ & beatæ author sit aliis. Vide infrà c.5.v.11. & 12. *Vita æterna.*

4 Ex vers. 3. & 4. Vita æterna consistit in communione cum Deo, cujus communionis pars una est gaudium, cujus hîc mentionem facit Johannes: altera verò pars quæ alibi in Scriptura traditur, est gloria. Interim tamen servandum est discrimen inter Deum & electos. Sicut enim Dei natura infinita seu immensa est: sic etiam ejus gaudium infinitum & gloria infinita est. Contrà sicut natura hominis finita est: sic etiam ejus gaudium finitum & gloria finita est; quin etiam certi erunt gradus tum gaudii electorum, tum gloriæ. quorum prius percipitur ex verbis Christi, ubi pronuntiat, tolerabilius fore Sodomitis in die judicii, quàm Capernaitis incredulis; posterius verò traditur à Paulo Cor.15. ubi docet, in resurrectione mortuorum tale fore discrimen gloriæ, corporum quidem certè, quale est discrimen claritatis in corporibus stellarum. *Vita æterna.*

5 Ex v.5.6.7. Fides, per quam in hac vita communionem habemus cum Deo, necessariò ex se parit studium sanctè vivendi. Quare ubi nullum est studium sanctitatis, ibi falsa est fidei professio. *Fides.*

6 Ex vers. 7. Qui cupiunt habere communionem cum Deo, eos necesse est habere remissionem peccatorum: quia quum Deus sanctus ac purus sit, cum impuris & peccato pollutis nihil commune habet. *Remissio peccatorum.*

7 Ex eod.v. Quum sanguis Christi nos purget ab omni peccato, id est, quùm omnia peccata nobis remittantur à Deo propter sanguinem Christi, cum sensu iræ Dei effusum in cruce ad illa expian- *Justificationis causa meritoria.*

expianda; consequens est, ut sola obedientia mortis Christi nobis ad justitiam à Deo imputetur. Etenim justitia, quâ coram Deo justificamur, nihil aliud est quam peccatorum remissio: id quod manifestè docet Paulus Rom.4.v.6.&7. ubi probaturus testimonio Davidis, eum hominem beatum esse, cui Deus imputat justitiam, adducit verba hæc Psalm.32. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates &c.* Unde liquet, has duas locutiones Apostolo æquipollere, *Homini à Deo imputari justitiam.*&, *Homini à Deo remitti peccata.* Errant igitur, qui putant, ad justitiam nobis à Deo imputari obedientiam vitæ Christi, quâ Legem perfectè præstitit, nec non sanctificationem naturæ humanæ in ipso. Nam quòd dicunt, non esse satis, non peccasse, sed præterea requiri perfectam Legis præstationem; pro diversis accipiunt, quæ reipsâ idem sunt. Etenim quum de homine dicitur, quòd non peccârit, (videl. planè non) id perinde est, ac si diceretur, quòd perfectè Legem præstiterit, & vicissim. Item quòd tradunt, etiamsi quis per Christi mortem satisfecerit judicio Dei, luendo pœnam quam ejus peccata merebantur, tamen propter naturæ pravitatem non audere comparere coram Dei majestate, nisi præter mortem Christi habeat aliud remedium, quo efficiatur, ut illa corruptio naturæ seu peccatum inhabitans, non veniat in rationem coram Deo: contradictionem implicat. Etenim peccatorum nomine, pro quibus Christus suâ morte satisfecit, continetur quoque peccatum illud inhabitans. non igitur contra illud peccati genus alio remedio opus est, ne veniat in rationem coram Deo, hoc est, ne nobis imputetur ad damnationem. Interim verum est, ad illud infringendum atque imminuendum opus esse remedio sanctificationis Spiritus sancti, qui illud mortificet & justitiæ studium in nobis creet. Denique sanguis Christi (ut manifestum est ex propositis verbis Johannis) est remedium unicum & veluti *panaces, ad sanandum omnes nostros morbos; id est, ad expiandum omnia nostra peccata, nosque ab illis purgandum: sive sint peccata, quæ vocantur *Commissionis*, quum commisimus scilicet quæ Deus vetuit: sive *Omissionis*, quum omisimus quæ Deus imperavit: seu denique peccatum, quod nominatur *Originale*, cujus pars est illa naturæ corruptio. Non igitur opus est, contra diversas peccati species diversa remedia comminisci.

* *De hac herba tradit Plin.lib.25. natur. hist. cap.4.*

Sanguis Christi.

8 Ex eod.v. ex verbis: *Filii ejus.* Quòd sanguis Christi tam pretiosus est coram Deo, ut judicio illius satisfaciat pro omnibus omnium electorum peccatis, quæ nimirum & plurima, & gravissima sunt: facit dignitas personæ; quippe quæ est filius Dei, atque adeò Deus. Confer Actor.20. v.28. Huc etiam facit sanctitas naturæ humanæ & vitæ Christi: ut percipitur ex verbis Petri, 1.Pet.1.v.19.

Imperfectio fidelium.

9 Ex v.8. & 10. Cavendum, ne videamur nobis sancti & ab omni peccato puri in nobis ipsis: quia contrarium testatur Deus in suo verbo: & præterea ipsa cujusque conscientia.

Conscientia.

10 Ex v.9. Quum conscientia nos angit recordatione admissorum peccatorum, confiteamur peccata nostra Deo, remissionemque eorum petamus propter satisfactionem Christi: eamque nos impetraturos certò confidamus, freti naturâ Dei justâ ac fideli, & promissionibus ipsius. Promisit enim, se peccata remissurum omnibus resipiscentibus, & in Christum credentibus.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hic quoque partim doctrinam fidei, partim præceptum sanctitatis, ac nominatim dilectionis proximi, tradit: simulque monet, ut sibi caveant à seductoribus: contraque illorum tum apostasiam, tum seductionem, fidem ipsorum confirmat.

Consolatur contra lapsus.

Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis. Quòd si quis peccârit, advocatum apud Patrem habemus, Jesum Christum justum.

2 Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi *peccatis.*

INitio ad institutam exhortationem redit, eamque concludit. Deinde per prolepsin contra lapsus quotidianos, ex infirmitate oriri solitos, ipsos consolatur à patrocinio Christi: cujus patrocinii vim confirmat ab antegressâ ejusdem satisfactione: quam amplificat à subjecti occupantis amplitudine, per distributionem & imparium collationem: qua electos distribuit in fideles eos, ad quos scribebat, & in reliquos per totum mundum dispersos: atque ita illos cum istis tanquam pauciores comparat.

Sanctitati studendum.

3 Et per hoc scimus, quòd eum novimus, si mandata ipsius observamus.

4 Qui dicit, Novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est, & in eo veritas non est.

5 Qui autem servat sermonem ejus, verè in hoc charitas Dei adimpleta est: per hoc scimus, nos in ipso esse.

6 Qui dicit, se in eo habitare; debet, sicut ille ambulavit, ita & ipse ambulare.

Redit ad præceptum sanctitatis, illudque rursus eo argumento, quo suprà cap.1.v.5. & deinceps usus fuit, confirmat: nempe quòd studium sanctitatis cum communione Dei (quam hîc *cognitionem Dei*, item *dilectionem Dei*, necnon *mansionem in Deo* nominat) tanquam necessarium effectum cohæreat. unde porrò sequitur, fideles per studium sanctitatis (quod hîc vocat, *observare mandata Dei*, item *observare sermonem Dei*, item *ambulare sicut ille*, videlicet Christus, *ambulavit*) tum apud alios consequi laudem veritatis in profitenda religione Christiana, tum apud animos suos de fidei suæ veritate confirmari. quod utrumque quum utile & expetendum sit: sequitur, sanctitati studendum esse.

Sanctitatis præceptum, & vetus & novum est.

7 Fratres, non novum mandatum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod *videl.* habuistis *jam inde* à principio. Vetus hoc mandatum, sermo ille est quem audistis *jam inde* à principio.

8 E contrario mandatum novum scribo vobis, quod verum est in ipso, *sit* & in vobis: quia tenebræ prætereunt, & vera illa lux jam lucet.

Præceptum modò traditum de imitandâ vitâ Christi, seu de observandis mandatis Dei, amplificat prolepsi; qua occurrit opinioni novitatis. negat igitur hoc præceptum esse novum: & contrà affirmat esse vetus: id quod confirmat testimonio conscientiæ ipsorum, ut qui nôrint, se præceptum hoc habuisse & audivisse, inde à principio suæ per Evangelium vocationis. Deinde vers.8. sententiam hanc amplificat correctione, qua præceptum istud novum esse concedit quadam ratione, videlicet quatenus præcipiatur verus Dei cultus, ex vera voluntatis divinæ cognitione promanans, qui pristinis ignorantiæ & impietatis tenebris sit oppositus. Atque hoc sensu Paulus veteri homini novum opponere solet.

Frater diligendus.

9 Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.

10 Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & offendiculum in eo non est.

11 Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat: quia tenebræ oculos ipsius obcæcarunt.

Redit ad præceptum sanctitatis, illudque revocat ad certam speciem, videlicet dilectionem proximi. Commodè autem illud annectit sententiæ modò allatæ, de verâ illâ luce quæ jam lucet: admonens, cum luce illâ cognitionis Dei in Christo cohærere dilectionem proximi, tanquam necessarium scilicet effectum, quod ab illâ luce non possit divelli. Simul etiam phrasin illam, *In luce esse seu manere*, accommodat ad significandum utilem quendam dilectionis fraternæ effectum: qui est, quòd scimus, nos inoffenso gradu ambulare in vitam æternam; quippe quum ambulemus in luce, non autem in tenebris. Atque ita ad dilectionem fraternam ab utili effectu hortatur: contraque ab odio fratrum à contrario effectu noxio deterret.

Cur tam studiosè ad dilectionem fratrum hortetur.

12 Scribo vobis, filioli; quoniam remissa sunt vobis peccata propter nomen ejus.

13 Scribo vobis, patres; quoniam nostis eum qui à principio est. Scribo vobis, adolescentes; quoniam malum illum vicistis. Scribo vobis, pueruli; quoniam nostis patrem.

14 Scripsi vobis, patres; quoniam nostis eum qui est à principio. Scripsi vobis, adolescentes; quia fortes estis, & verbum Dei habitat in vobis, & illum malum vicistis.

Hîc per quandam prolepsin opinionis aliquorum de operâ hujus scriptionis supervacaneâ, exponit causas, cur ista scribat, ac tam studiosè ipsos ad dilectionem fratrum exhortetur. Ac primò exponit causam generalem, & omnibus ad quos scribit, communem; videlicet beneficium divinum longè maximum gratuitæ remissionis peccatorum per Christum. Deinde exponit causas quasdam speciales; & diversis ætatibus accommodatas. Distribuit autem fideles ad quos scribit, secundùm ætates in tres classes: patres, adolescentes, & puerulos: quibus singulis specialem aliquam scriptionis suæ causam attribuit. Patribus, id est, senioribus; quoniam nôrint eum, qui est à principio, id est, Christum; ex collatione cap.1.v.1. Adolescentibus, id est, mediæ ætatis hominibus: quoniam vicerint illum malum, hoc est, Diabolum: non cedendo scilicet illius tentationibus seu solicitationibus ad peccandum. Puerulis denique, id est, infimæ ætatis

(quæ quidem institutionis capax est) hominibus; quoniam norint patrem, videlicet Deum, favore paterno ipsos complectentem in Christo. Quæ bona omnia quum illi habeant à Deo ex singulari gratiâ per operationem Spiritus sancti, (id quod Johannes tacitè innuit) innuit hoc ipso, æquum esse, ut gratiæ Deo referendæ causâ studeant sanctè vivere, & proximos diligere. Cæterùm duo priora distributionis membra vers. 14. repetit, & eorum alterum, quod est de victoria adolescentum, pleniùs exponit, indicando victoriæ illius causas procreantes duas; unam internam, robur ipsorum, videlicet animi, quod suppeditat Spiritus sanctus; alteram externam, videlicet verbum Dei, quod est gladius ille spiritus, quo Diabolus abigitur. Hic autem notandum, etsi causæ illæ certis ætatibus eleganti quadam ratione ab apostolo sunt accommodatæ; interim tamen ipsas quoque singulas omnibus illis ætatibus communes esse: ut patet. Elegantia autem illius specialis accommodationis consistit in hoc, quòd senes delectantur commemoratione rerum antiquarum; adolescentes jactant suum robur; pueruli verò gaudent conspectu patrum.

Mundi amor cavendus.

15 Ne diligite mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.

16 Quoniam quicquid est in mundo, *videlicet* cupiditas carnis, & libido oculorum, & fastus vitæ, non est ex patre, sed ex mundo est.

17 Porrò mundus præterit, & cupiditas ipsius; qui verò præstat voluntatem Dei, manet in æternum.

Antequam puerulos iterum alloquatur, (sicut bis allocutus fuit seniores & adolescentes) interserit admonitionem de cavendo amore mundi. quæ admonitio licet revera ad omnes ætates, ratione quidem utentes, pertinet; tamen hîc (ut videtur) specialiter ad seniores & adolescêtes dirigitur; ut qui præ cæteris illâ opus habeant. Atque hæc est causa repetitionis interruptæ. Etenim hac admonitione absolutâ, ad institutam repetitionem redibit, iterum scilicet alloquendo puerulos, infrà v. 18. Porrò ista admonitio pertinet ad præceptum sanctitatis. Dehortatur igitur ab amore mundi & rerum mundanarum, ut qui consistere non queat cum amore Dei: quippe illi contrarius. Et hanc admonitionem illustrat enumeratione partium trimembri, vers. 16. ubi res, quibus capiuntur homines mundo addicti, & spiritu Dei non regeniti, ad tria summa genera revocat: concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & fastum vitæ. Per concupiscentiam carnis videtur intelligere libidines & comessationes, quibus inprimis dediti sunt adolescentes; unde hanc per ὑστέρωσιν, id est, ordinis inversionem, primo loco commemorat; quia proximè allocutus fuerat adolescentes. Per concupiscentiam verò oculorum videtur intelligere voluptatem, quam capiunt homines avari ex aspectu suarum divitiarum atq; opum; quod vitium familiare est senibus. Porrò fastus vitæ, qui ex possessione bonorum corporis & externorum exsistere solet, communis est adolescentibus & senibus: quippe quorum illi præcipuè superbiunt bonis corporis; ut pulchritudine, robore, agilitate: isti verò bonis externis; nempe pecuniâ, agris, ædibus magnificis, vestibus splendidis. Ab istarum igitur rerum amore eos dehortatur primùm (ut diximus) à contrario, quia ille amor non possit consistere cum amore Dei, qui scilicet omnino in ipsis esse debeat, quóve ipsi sese præditos esse videri velint. Deinde vers. 17. addit argumentum ab effectu inutili; quia res illæ prætereant, id est, obnoxiæ sint interitui, ac proinde neminem beare possint. Contrà hortatur ad præstationem voluntatis Dei, id est studium sanctitatis, ab effectu utili, videlicet beatâ immortalitate: non quòd hanc sanctè vivendo quisquam promereatur: sed quòd non nisi hac viâ ad eam possit perveniri.

Seductores cavendi: verè pii tuti sunt à seductione: quid doceant seductores seu Antichristi: in vera fide perseverandum, itemq; in studio sanctitatis.

18 Pueruli, ultimum tempus adest: & sicut audivistis, antichristum venturum, etiam nunc antichristi multi exorti sunt: unde scimus ultimum tempus adesse.

19 E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. sed *egressi sunt ex nobis*, ut patefieret non omnes esse ex nobis.

20 At vos unctionem habetis à sancto illo *profectam*, & nostis omnia.

21 Non scripsi vobis *idcirco* quòd veritatem ignoretis; sed quia eam nostis, & nullum mendacium ex veritate esse.

22 Quis est mendax, nisi qui negat Jesum esse Christum? hic est antichristus, qui negat Patrem & Filium.

23 Quisquis negat Filium, nec Patrem habet.

24 Quod igitur audivistis à principio, in vobis maneat. Si in vobis manserit quod audivistis à principio; vos quoque in Filio & Patre manebitis.

25 Hæc autem illa est promissio, quam ipse pollicitus est nobis, *nempe* vita illa æterna.

26 Hæc scripsi vobis de iis qui seducunt vos.

27 Sed ad vos quod attinet; unctio quam accepistis ab eo, manet in vobis; nec necesse habetis ut quisquam doceat vos: verùm sicut eadem unctio docet vos de omnibus; *quæ* & verax est, & non mendax: & sicut docuit vos, manebitis in eo.

28 Nunc igitur, filioli, manete in eo: ut quum patefactus fuerit, habeamus fiduciam; neque pudefiamus coram eo in ipsius adventu.

29 Si scitis eum justum esse: nostis, quicunque exercet justitiam, ex ipso natum esse.

Hîc jam ad interruptam distributionis repetitionem redit: & sicut suprà senes atque adolescentes secundò affatus fuit, ita nunc puerulos quoque secundò affatur. Non tamen repetit sententiam antea de illis pronuntiatam; sed novam admonitionem, illorum ætati singulariter accommodatam, affert: videlicet ut sibi caveant à seductoribus. Etenim puerilis ætas præ cæteris obnoxia est seductioni. Pertinet autem hæc admonitio ad doctrinam fidei. Monet igitur ut sibi caveant à seductoribus, quos vocat antichristos, eò quòd sub professione nominis Christiani Christo adversarentur, & insignis illius antichristi, qui tum adhuc erat venturus, & in Ecclesia regnaturus, veluti prodromi seu præcursores essent. Ne autem mirum illis videatur, tales antichristos jam tum in Ecclesia exortos esse, confirmat illud à testimonio apostolorum in Ecclesia tum noto ac recepto, quòd videlicet ultimo tempore venturus sit antichristus. Deinde contra illorum seductorum apostasiam fidem eorum confirmat: partim negando, quòd isti seductores & apostatæ ex ipsis, nempe verè credentibus, fuerint, vers. 19. partim affirmando, quòd ipsi habeant unctionem (hoc est, Spiritum sanctum) à sancto illo, id est, Christo: ac proinde nôrint omnia, quæ ad salutem scilicet necessaria sunt, vers. 20. Tum vers. 21. sententiam postremò allatam amplificat prolepsi, quâ causam exponit hujus suæ scriptionis & admonitionis: nempe ut eos in veritatis notitiâ confirmet, non autem ut tanquam planè rudes doceat. Postea vers. 22. falsam atque antichristianam seductorum istorum doctrinam commemorat, quòd scilicet negent, Jesum esse Christum. id quod facere intelligendi sunt, tum qui personam Christi, tum qui ejusdem officium oppugnant. Ac personam quidem tum oppugnabat Cerinthus, negando Christi deitatem. quod idem non longè pòst fecerunt alii complures, ut Arius, Paulus Samosatenus, & alii. Humanam verò naturam negavit Marcion & alii. Officium denique oppugnarunt Pelagiani, & adhuc oppugnat insignis ille antichristus, Papa seu Pontifex Romanus. Porrò ex illo dogmate deducit consequens vers. 22. & 23. quòd iidem negent & Patrem, id est, illum solum verum Deum: quippe quum extra Christum nullus sit verus Deus. Pater enim est in filio, & filius in patre. Postea vers. 24. hortatur eos ad constantiam in fide doctrinæ de Christo quam acceperant ab Apostolis: & hanc hortationem vers. 25. confirmat ab effectu utili, quòd vi illius doctrinæ ac fidei adepturi sint vitam æternam. Postea admonitionem hanc v. 26. epilogo, & quasi epiphonemate concludit. Tum v. 27. admonitionem eandem amplificat correctione, quòd eâ non admodum necesse habeant: eò quòd à Spiritu sancto edoceantur: eâque occasione eos consolatur à perseverantia in fide, quam eis promittit. Vers. 28. annectit exhortationem, quâ eos ad perseverantiam in fide hortatur, addito argumento ab effectu utili, videlicet fiduciâ (id est, lætâ conscientiâ) in adventu Domini. V. ult. annectit alteram exhortationem, quâ eos hortatur ad studium justitiæ seu sanctitatis, argumento ab utili effecto, ut nimirum hinc patefiat, ipsos ex Deo natos esse: ut qui igenium patris, qui justus est, referant.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Filioli mei] τεκνία μου. *Vox blandientis. Respicit autem non solùm ad spiritualem illam generationem, quâ eos per Evangelium genuerat, gignendo in eis fidem: sed etiam ad ætatem suam, ut qui jam grandævus esset. Metaphora.* Advocatum] παράκλητον. *Eodem nomine appellatur & Spiritus sanctus, Johan. 14. v. 26. & cap. 15. v. 26.* Apud patrem] πρὸς τὸν πατέρα. *Confer Heb. 9. v. 24. Rom. 8. vers. 34.* Justum] δίκαιον. *Ac proinde idoneum ad agendum apud Deum nostram causam. Confer Heb. 7. v. 26. 1. Pet. 3. v. 18.*

2 Propitiatio] ἱλασμός. *Id est, victima expiatoria, θυσία ἱλαστική. Metonymia effecti. Paulus eodem sensu illum vocat ἱλαστήριον. Rom. 3. 25.* Pro] περί. *Id est,* ὑπέρ. Pro totius mundi *peccatis*] περὶ ὅλου τοῦ κόσμου. *Prò,* περὶ τοῦ ὅλου τοῦ κόσμου. *Scil.* ἁμαρτιῶν. *Ellipsis articuli: ut percipitur ex antithesi. Nomine autem* mundi *per metonymiam synecdochicam intelligit, non omnes totius mundi homines, sed tantùm omnes totius mundi credentes atq; electos: quod ipsum liquet ex antithesi, ubi ait,* Nec pro nostris solùm: *pro* nostris *scil. qui in Christum credimus: scribit enim credens ad credentes.*

3 Nosse] ἐγνώκαμεν. *Id est, agnoscere pro nostro servatore, ac proinde eum diligere: ex collatione versus quinti. Synecdoche membri Hebraica. nam apud Hebræos verba notitiæ interdum connotant, aut πρακτικῶς significant, consequentes affectus: ut Psal.1. v.ult.* Deus novit iter piorum. *Matth.25.v.12.* Non novi vos.

5 Nos in ipso esse] ὅτι ἐν αὐτῷ ἐσμέν. *Id est, nos communionem cum ipso habere: ut locutus est suprà cap.1.v.6.& 7. Idipsum mox vers.6. vocat,* In eo manere seu habitare. *quo modo etiam loquitur Christus Joh.6.v.56.& cap.15.v.5.*

6 Ambulavit] περιεπάτησε. *Id est, vixit. Trita metaphora.*

7 *Jam inde* à principio] ἀπ᾽ ἀρχῆς. *Videl. à principio vocationis vestræ per Evangelium.*

8 Mandatum novum] ἐντολὴν καινήν. *Confer Joh.13.v.34.* Sit & in vobis] ὃ ἐν ὑμῖν. *Scil.* ἔστω *vel* ἐστίν. *Id est, Sicut in Christo est vera atque sincera dilectio, similiter sit etiam in vobis. Atque hactenus præceptum dilectionis est novum, quatenus requirit renovationem animi per Spiritum sanctum, ut possimus Christum verè imitari.* Tenebræ] ἡ σκοτία. *Id est, ignorantia Dei.* Lux] τὸ φῶς. *Id est, cognitio Dei.* Lucet] φαίνει. *Nempe in Evangelio.*

12 Filioli] τεκνία. *Ut suprà v.1. Nondum enim incipit distributio in certas ætates: quæ continetur demum v.seq. Sed ista appellatio cunctas ætates complectitur.* Propter nomen ejus] διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. *Nempe Christi. Id est, propter ipsum. Metonymia adjuncti. Sic Act.4.v.12.* Non est aliud nomen sub cælo &c. *Item Act.10.v.43.* Remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus &c. *Sic Joh.3.v.18.* Quia non credidit in nomen unigeniti filii.

13 Eum qui à principio est] τὸν ἀπ᾽ ἀρχῆς. *Scil.* ὄντα. *Id est, ab æterno: ut suprà v.1.* Malum illum] τὸν πονηρόν: *Seu nequam illum: id est, Diabolum. Sic Matth.6.v.13.* Libera nos ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, ab illo nequam, *videl. Diabolo. Synecdoche generis, & articulus emphaticus.*

14 Fortes] ἰσχυροί. *Propriè, robusti,* starck. *ut Matth.12.v.29.*

15 Mundum] τὸν κόσμον. *Id est, voluptates mundanas, quas mox per epexegesin synecdochicam vocat ea quæ in mundo sunt.* Non est charitas patris in eo] οὐκ ἔστιν ἡ ἀγάπη τοῦ πατρὸς ἐν αὐτῷ. *Id est, Is non diligit patrem seu Deum.*

16 Quicquid est in mundo] πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ. *Scil.* ὄν. *Id est, omnes voluptates mundi. Synecdoche generis, ut paulo-antè. Videlicet* cupiditas] ἡ ἐπιθυμία. *Particulam* videl. *supplevi, ut perspicua redderetur syntaxis. Nam deinceps per appositionem trium specierum declaratur, quænam sint illa quæ sunt in mundo.*

18 Sicut audivistis] καθὼς ἠκούσατε. *Fortasse respicit ad prædictiones Pauli, quæ exstant Act.20.v.29.30. 2.Thess.2.v.3.& deinceps. 1.Tim.4.v.1.& deinceps.*

19 Egressi sunt] ἐξῆλθον. *Nempe antichristi illi.* Ut pateferet] ἵνα φανερωθῶσιν &c. *Confer 1.Cor.11.v.19.*

20 Unctionem] χρίσμα. *Id est, Spiritum sanctum, qui appellatur oleum exsultationis, Psal.45.v.7. Heb.1.9. Metaphora.* A sancto illo] ἀπὸ τοῦ ἁγίου. *Videl. Christo. Confer Joh.1.v.16.* Omnia] πάντα. *Nempe quæ ad salutem necessaria sunt.*

21 Nullum mendacium ex veritate esse] ὅτι πᾶν ψεῦδος ἐκ τῆς ἀληθείας οὐκ ἔστι. *Ad verb. Quòd omne mendacium ex veritate non est. Hebraismus: qualis 2.Pet.1.v.20.*

22 Qui negat Jesum esse &c.] ὁ ἀρνούμενος ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν. *Ad verb. Qui negat, Jesum non esse. Gemina negatio ex consuetudine Græcorum.*

23 Nec patrem habet] οὐδὲ τὸν πατέρα ἔχει. *Confer dictum Christi, Joh.5.v.23.*

25 *Nempe* vita illa æterna] τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον. *Appositio ἀνάμαλος, orta ex verbo proximè præcedente,* ἐπηγγείλατο.

27 Sed ad vos quod attinet] καὶ ὑμεῖς. *Nominativus absolutè positus ex consuetudine Hebræorum. Nam statuere hîc trajectionem verborum (quasi scil. dicatur,* καὶ τὸ χρίσμα ὃ ὑμεῖς ἐλάβετε) *mihi quidem postulatum nimis magnum videtur.* Ut quis doceat vos] ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς. *Id est, ut in vobis docendis & de veritate cælesti persuadendis magnopere elaboret. Synecdoche generis. Similem locutionem vide Joh.16.v.26.* De omnibus] περὶ πάντων. *Scilicet ad salutem necessariis.* Manebitis] μενεῖτε. *Est promissio. Itaque verbum* μενεῖτε *positum est modo indicativo, ut in fine versus 24.*

28 Quum patefactus fuerit] ὅταν φανερωθῇ. *Scil. Christus in adventu suo ad judicium.* Fiduciam] παῤῥησίαν. *Hoc verbo in eâdem significatione passim utitur & Paulus. Significat autem propriè fiduciam in loquendo, quum quis dicit liberè quicquid sentit, non veritus offensionem ejus qui audit. Sed hîc accipitur generaliùs.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

Evangelii scopus.

1 Ex v.1.& 2. Evangelii scopus duplex hîc notandus est. Unus, ut consideratis maximis Dei erga nos per Christum beneficiis, quæ in Evangelio nobis annuntiantur, studeamus Deo placere, fugiendo peccata, & observando mandata ipsius. Alter, ut si ex infirmitate peccaverimus, non desperemus de gratia Dei: sed nos consolemur fidem in Christum, tanquam peccatorum nostrorum expiatorum, nostrumque advocatum apud patrem. De priore scopo ait Paulus 1.Thess.4.v.3. *Hæc est voluntas Dei,* (videlicet patefacta in Evangelio) *sanctificatio vestra.* De posteriore ait Christus Joh.6.v.40. *Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* Item Paulus Rom.15.v.4. *Quæ præscripta sunt, ad nostram doctrinam præscripta sunt: ut per patientiam & consolationem scripturarum spem illam teneamus.* Utrumque verò conjungit Tit.2.v.11. 12.13. ubi ait, *Illuxit enim* (videl. per Evangelium) *gratia Dei salutifera omnibus hominibus: erudiens nos, ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & piè vivamus in præsenti sæculo, exspectantes beatam illam spem & apparitionem gloriosam magni illius Dei ac servatoris nostri Jesu Christi.* Hinc intelligitur, Pontificios calumniari, quum de doctoribus Evangelii dicunt, eos vetare bona opera.

2 Ex iisdem versibus. Quoties conscientia peccatorum nos angit, confugiamus ad nostrum advocatum Christum, qui in cælo pro nobis apud patrem perpetuò intercedit, quatenus perpetuâ ostensione sui corporis in perpeteâ memoriâ conservat expiationem peccatorum nostrorum in illo corpore peractam, quando nimirum in terrâ illud obtulit patri victimam pro nobis. Confer Rom.8.v.33.& 34. Heb.9.v.24.& deinceps. *Conscientia peccatorum.*

3 Ex v.1. Quum solus Christus nobis ab Apostolo proponatur, tanquam advocatus noster apud Deum: peccant igitur Pontificii, qui fingunt alios advocatos, (quos etiam idcirco invocandos tradunt) videl. sanctos angelos, & sanctos homines defunctos. Confer Rom.7.v.32. 2.Tim.2.v.5. *Advocatus noster apud Deum.*

4 Ex v.1. ex epitheto *Justum.* Justum seu sanctum esse oportuit Christum, ut posset pro nobis fungi officio advocati atque pontificis. Secus enim ad Deum; ut qui sanctus, imò ipsa sanctitas est; neque accessum habuisset ullum, neque locum apud eum permanendi. Confer Heb.7.v.26. *Talis non decebat pontifex &c.* 1.Pet.1.v.18.& 19. *Redemti estis pretioso sanguine, tanquam agni immaculati &c.* Item c.3.v.18. *Nam & Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis.* Atque hic est verus finis, cur oportuerit Christum mediatorem nostrum, esse justum seu sanctum: non autem ille quem nonnulli fingunt, ut scil. justitia seu sanctitas ipsius nobis ad justitiam coram Deo imputetur. nam si hæc nobis imputaretur: non fuisset opus, Christum fieri victimam ad nos sanctificandum & justificandum. *Sanctitas Christi.*

5 Ex v.2. ex verbis: *Sed etiam pro totius mundi peccatis.* Cavendum, ne his verbis utamur contrà doctrinam scripturæ de fine seu scopo passionis Christi: quasi nimirum Christus propositum habuerit, passione suâ expiare peccata omnium seu singulorum hominum, qui unquam in mundo vixerunt, vivunt ac victuri sunt. Neque enim Johannes hîc loquitur de singulis mundi hominibus, sed tantùm de singulis electis. loquitur enim tanquam credens ad credentes, quum ait, *Jesus Christus est propitiatio pro peccatis nostris.* nostris, inquam, qui in ipsum credimus: unde nimirum constat, nos esse ex numero electorum. Tum addit: *Nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis:* id est, (ut ipsa comparatio arguit) pro peccatis credentium in toto mundo. Sanè passio Christi sufficiens fuit ad expiandum peccata non solùm electorum, sed etiam reproborum, atque adeò singulorum hominum totius mundi: sed non fuit voluntas Dei, ut pro singulis susciperetur ac perageretur, sed tantùm pro electis: id quod clarissimè liquet ex eo, quòd Christus passionem illam suam jamjam aditurus, seseque patri in cruce victimam expiatoriam oblaturus, disertè oravit pro solis sibi datis à patre, id est, electis: mundo (quo nomine illic reprobi intelliguntur) excluso. Vide Joh.17.v.9.& 20. Vide item (si placet) observationes meas in 2.Tim.2.v.6. *Fructus mortis Christi. Vindicatio verborum Johannis, Christus est propitiatio pro totius mundi peccatis.*

6 Ex v.3.4.5.& 6. Vera cognitio ac dilectio Dei, studium observandi mandata ipsius semper conjunctum habet. Quare in quibus studium hoc non est, illi falsò de cognitione ac dilectione Dei gloriantur. *Cognitio Dei.*

7 Ex v.7. Præceptum de diligendo proximo eò magis commendatum nobis esse debet, quòd est vetus: videl. jam olim traditum per Mosen, ac postea in principio prædicationis Evangelii per Christum ipsum repetitum atque renovatum. Vide Levit.19. v.18. Joh.13.v.34.& 35. *Dilectio proximi.*

8 Ex v.8. Qui veram cum Christo communionem habent, in illis accenditur vera lux cognitionis Dei, ac proinde dilectio tum Dei, tum proximi, pulsis tenebris ignorantiæ. *Communio cum Christo.*

9 Ex v.9.10.& 11. Qui proximum odit, falsò gloriatur de luce cognitionis Dei. Etenim qui Deum verè cognoscit, is eundem diligit: qui autem eum diligit, is propter ipsum diligit quoque proximum: quia scilicet ipse mandavit. *Cognitio Dei.*

10 Ex v.10.& 11. Ad diligendum proximum moveri quoque debemus nostrâ ipsorum utilitate: ut nimirum ambulantes in luce cognitionis Dei; perveniamus ad lucem illam gloriæ cælestis & beatæ immortalitatis. Etenim is demum in luce cognitionis Dei ambulat, qui proximum diligit: qui autem illum odit, is ambulat in tenebris ignorantiæ, ac proinde ad exitium pergit. *Dilectio proximi.*

11 Ex v.12.13.& 14. Ad proximum diligendum moveri debemus consideratione maximorum Dei erga nos beneficiorum: ut quòd peccata nobis remisit propter Christum, quòd nos donavit cognitione Christi ac suiipsius, quòd suppeditavit nobis vires ad vincendum Diabolum. *Dilectio proximi.*

12 Ex v.15.& 16. Falluntur qui putant, se simul posse diligere mundum & Deum: quia voluptates mundanæ Deo adversantur. Sic Matt.6.v.24. *Non potestis Deo servire & mammonæ.* Rom.12. v.22. *Ne configurate vos sæculo isti.* *Voluptas.*

Peccatum. 13 Ex v.16. Deus non est author peccati.

Voluptas. 14 Ex vers.15.16.&17. Ab amore mundi deterreri debemus, tum quòd voluptates mundanæ Deo adversantur, tum quòd non afferunt veram beatitudinem: quum res mundanæ, fluxæ & caducæ sint. quin potiùs afferunt æternum exitium illis, qui sese istis rebus addicunt, atque immergunt. Confer Matth.13.v.22.

Officium hominis Christiani. 15 Ex vers.17. Qui beatam immortalitatem desiderat, in præstanda Dei voluntate sedulò elaboret. Etsi enim illam hoc studio non promeremur: tamen non nisi hac viâ ad eam pervenire licet. Voluntas autem Dei est, tum ut credamus in Christum, Johan.6.vers.40. tum ut studeamus sanctificationi nostri, 1.Thess.4.v.3.

Antichristus. 16 Ex v.18.& 22. Ex verbis Johannis colligitur, antichristum quem apostoli venturum prædixerunt, non esse hominem quempiam unicum: sed multitudinem quandam pseudodoctorum in Ecclesia, qui sub professione doctrinæ Christianæ doctrinam de Christo veram ac salutarem sint negaturi. Etenim Johannes hoc loco talem syllogismum facit:

Quum venturus est antichristus, erit tempus ultimum.
At nunc multi antichristi venerunt.
Ergo nunc est tempus ultimum.

Hic syllogismus nihil concluderet, nisi nomen illud *Antichristus*, in propositione notaret multitudinem antichristorum. Esset enim τὸ μέσον δισσὸν, medium duplex seu argumentum geminum: unde exsisterent quatuor termini, ex quibus nihil concluditur. Præterea idem colligitur ex doctrina Pauli, si inter se conferantur duo hæc loca, 2.Thess.2.v.2. ac deinceps, & 1.Tim.4.v.1. ac deinceps. Nam quum in utroque loco de antichristi adventu admoneat, tamen in priore loco de eo loquitur numero singulari, appellans eum *hominem peccati, filium perditionis &c.* at in posteriore loco utitur numero plurali, appellans *spiritus deceptores seu impostores (πλάνας) falsiloquos.* Interim tamen tenendum, numero singulari notari aliquod regnum, in quo subinde unus quispiam præsideat: cui regno viam straverunt antichristi illi seu hæretici, qui jam tum, temporibus apostolorum, exstiterunt. id quod tum Johannes significat hoc loco, quum ait, *multos antichristos jam tunc exortos esse:* & Paulus 2.Thess.2.v.7. ubi dicit, *mysterium illud iniquitatis jam tum ἐνεργεῖσθαι*, id est, *in aliquibus operari sese, exserere.* Quæ quum ita sint: falsò igitur Pontificii tradunt, antichristum fore hominem unicum & singularem, è tribu Dan oriundum & circumcidendum: qui à Judæis pro Messia susceptus, tribus duntaxat annis ac sex mensibus Hierosolymæ sit regnaturus ac sæviturus; & quem tandem in monte Oliveti ascensum in cælum parantem, Christus sit interfecturus.

Calumnia contra orthodoxos de Arianismo. 17 Ex v.19. ex verbis, *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis.* Calumniantur hodie qui sinceros atque orthodoxos Evangelii doctores Arianismi insimulant, propterea quòd ex illis egressi sunt quidam Ariani. nam pari ratione insimulari possent apostoli illarum hæresium, quas tempore ipsorum spargebant Cerinthus & alii. at hanc consequentiam negat Johannes: dum fatetur quidem, istos ex apostolis aliisque sinceris Evangelii doctoribus egressos; at interim negat, fuisse ex ipsis: id est, ipsorum doctrinam sincerè amplexos fuisse.

Fides. 18 Ex eod.v. ex verbis, *Nam si fuissent ex nobis &c.* Qui verè sunt ex numero credentium, illi cum credentibus manent, id est, fidem non amittunt; nec à fidei professione deficiunt, saltem extra metum supplicii, & finaliter. Etenim Petrus metu supplicii negavit quidem Christum: sed interim tamen fides ejus non defecit, nec ille in ista negatione diu perstitit: quin potiùs statim eum pœnituit, & postea Christum constanter, etiam in supplicio capitis, confessus fuit.

Ecclesia. 19 Ex eod.v. ex verbis: *Sed hoc factum est &c.* In Ecclesia visibili in terra, semper vere-credentibus hypocritæ admixti sunt. quapropter quum illi à professione fidei deficiunt, non est quod eâ re magnopere perturbemur: quasi nimirum eidem periculo expositi simus. nam vere-credentes sustentantur gratiâ Dei, ut & fidem retineant, nec temere ab illius professione deficiant, seducti scilicet in errorem exitialem. nam id fieri non posse, Christus expressè pronuntiavit Matth.24.v.24.

Fideles. 20 Ex v.20. Vere-credentes habent Spiritum sanctum, & illius virtute in fide perseverant.

Communio fidelium cum Christo. 21 Ex eod.v. Spiritum sanctum habent credentes à Christo, tanquam membra à capite, & tanquam palmites à vite. Idem testatur Apostolus noster Evangelii sui c.1.v.16. inquiens, *Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

Dona Spiritus sancti. 22 Ex eod.v. Unctio sacerdotum ac regum in vetere Testamento fuit symbolum donorum Spiritus sancti. hæc enim causa est, cur Spiritus sanctus nominetur χρίσμα, unctio seu potiùs unguentum.

Chrisma Dei. 23 Ex eod.v. Blasphemè accipiunt nomen Dei in vanum, qui proximo malum imprecantur per chrisma Dei: quippe quum chrisma Dei sit Spiritus sanctus. Caveamus igitur à tanta blasphemia, & alios ab ea dehortemur.

Fideles. 24 Ex eod.v. ex verbis: *Et nostis omnia.* Vere-credentes nôrunt omnia, quæ ad salutem scitu necessaria sunt. quæ quidem notitia sufficere illis debet, etiamsi multa alia ignorent. unde ortum pium illud distichon:

Si Christum benè scis, satis est, si cætera nescis,
Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.

Officium hominis Christiani. 25 Ex v.21. Etiam illi qui veritatem cognoverunt, doctorum admonitiones audire debent; ut nimirum in veritate confirmentur. Sic Paulus Phil.3.v.1. *Eadem scribere vobis, me quidem haud piget: vobis autem tutum est.* Peccant igitur qui deserunt congregationes ecclesiasticas, eò quòd videntur sibi veritatem satis cognovisse. At interim necesse habent confirmari; ac præterea infirmioribus præire debent bono exemplo. unde Paulus Heb.10. v.25. *Non deserentes aggregationem nostri mutuam &c.*

Antichristus. 26 Ex v.22. Quicunque negant, Jesum esse Christum, sunt antichristi, ac proinde cavendi. Negant autem omnes illi, qui vel de persona, vel de officio Christi, doctrinam verbo Dei contrariam tradunt ac propugnant: ut hodie faciunt Papistæ, Anabaptistæ, Schwenckfeldiani, Ubiquitarii, Ariani.

Deus. Cultus Dei. 27 Ex v.23. Falsò gloriantur Judæi, Turcæ & Ariani, se colere verum illum Deum, conditorem mundi. nam ille est pater Christi. at hunc ipsi negant. quare simul negant & Patrem. Huc pertinet illud Christi Johan.5.v.23. *Qui non honorat filium, non honorat Patrem qui misit eum.* Item illud Johan.17.v.3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.*

Officium hominis Christiani. 28 Ex v.24. & 25. In doctrina de Christo quæ inde à principio Evangelii in Ecclesia sonuit, constanter perseverandum est: quia sic demum cum vero Deo conjuncti permanebimus, & vitâ æternâ ab illo promissâ fruemur.

Ministerium verbi. 29 Ex v.27. ex verbis, *Unctio docet vos.* Spiritus sanctus efficax est per prædicationem Evangelii, illuminando mentes electorum cognitione veritatis salvificæ. Quare ministerium verbi in pretio habendum est. Confer Roman.1.vers.16.& cap.10.v.17. 1.Cor.3.v.5.&c.

Fideles. 30 Ex eod.v. Spiritus sanctus in credentibus manens, docet eos, certoque eis persuadet, quòd & ipsi mansuri sint in Christo. unde sequitur, eos fidem nunquam amissuros. Huc facit illud Pauli, Rom.8.v.16.&17. *Ipse spiritus testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei: quòd si filii, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Fideles. 31 Ex v.28. Qui constanter manserint in Christo, (id quod fit per veram fidem) habebunt fiduciam, neque pudefient coram eo, in ipsius adventu. Quare Deum rogemus ut nos in fide confirmet.

Filii Dei. 32 Ex v.26. Qui verè est filius Dei, renatus scilicet per Spiritum sanctum, is justitiæ dat operam, consideratâ naturâ Dei sanctâ & justâ. Huc pertinet illud, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum,* Levit.19.v.2.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Pergit fideles exhortari partim in genere ad studium sanctitatis, partim in specie ad dilectionem fratrum.

PARS PRIMA.

Sanctitati studendum.

Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, *nempe* ut filii Dei vocemur. Propterea mundus non novit nos, quia non novit eum.

2 Charissimi, nunc filii Dei sumus; sed nondum patefactum est, quod erimus. Scimus autem, fore ut quum patefactum fuerit, similes ei simus: quoniam videbimus eum sicuti est.

3 Et quisquis habet hanc spem in eo *sitam*, purificat se, sicut & ille purus est.

4 Quisquis dat operam peccato, etiam operam dat discrepantiæ à lege; nam peccatum est ipsa discrepantia à lege.

5 Et scitis, illum patefactum esse ut peccata nostra tolleret. Et peccatum in eo non est.

6 Quisquis *igitur* in eo manet, non peccat: quisquis *verò* peccat, non vidit eum, neque novit eum.

7 Filioli, nemo vos seducat: qui dat operam justitiæ, justus est: sicut ille justus est.

8 Qui dat operam peccato, ex Diabolo est: quoniam à principio Diabolus peccat. Ad hoc patefactus est filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.

9 Quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam: quoniam semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, eò quòd ex Deo natus est.

10 Per hoc manifesti sunt filii Dei & filii Diaboli. Quisquis non dat operam justitiæ, non est ex Deo; & qui non diligit fratrem suum.

Versu 1. argumentum hortationis proximè allatum amplificat, admonens, rem maximi momenti esse, ex Deo esse hanc

natum; ac proinde nominari filium DEI. Deinde sententiam hanc amplificat prolepsi, quâ occurrit judicio tum mundi seu infidelium, tum ipsorum fidelium. Ac judicium quidem mundi significat contemnendum esse, ut quod oriatur ex ignorantia Dei, in fine versus primi. Judicio verò fidelium, quod faciunt ex experientia miseriarum, quibus in hac vita sunt subjecti, opponit v.2. felicitatem & gloriam certò ipsis eventuram post hanc vitam. Felicitatem autem illam definit similitudine cum Christo, & visione illius. V.3. ex spe illius felicitatis, cujus mentionem proximè fecerat, deducit exhortationem ad studium sanctitatis: proposito exemplo Dei, (sive Patris, sive Filii) cujus nimirum consuetudine suo tempore in cælo sint fruituri. V.4. hortatur ad fugam peccati ab adjuncta turpitudine, quæ est in legis divinæ transgressione. quasi dicat:

Qui legem Dei transgreditur, rem turpem & Deo exosam facit.

At qui peccatum facit, (id est, peccato indulget aut operam dat) is legem Dei transgreditur.

Ergo qui peccatum facit, rem turpem & Deo exosam facit.

Assumtionem confirmat à peccati definitione: quippe quod nihil aliud sit quàm ἡ ἀνομία, id est, ipsa legis transgressio, seu à lege discrepantia.

V.5. & 6. alia duo argumenta affert: quorum prius sumtum est à fine seu scopo primi adventus Christi: quem dicit patefactum esse, ut peccata nostra tolleret, videlicet tum expiando illa sacrificio suæ mortis, tum ingenerando nobis illorum odium ac fugam per Spiritum S. Ex quorum illo percipitur, quàm detestanda res sit peccatum; ut quod non potuerit aliter expiari, nisi morte filii Dei: ex isto autem intelligitur, quàm perversè agant, qui sese Christianos, ac proinde spiritu Christi præditos profitentur, nec tamen peccatum oderunt aut fugiunt. Posterius argumentum sumtum est à communione fidelium cum Christo. Illud sic concluditur:

Quisquis in Christo manet, non peccat: quia in Christo peccatum non est.

At omnes fideles in Christo manent.

Nulli ergo fideles peccant.

Prosyllogismus propositionis præcedit in fine versus quinti. Sequitur propositio ipsa, amplificata antithesi, v.6. V.7. occurrit falsæ opinioni, quasi quis possit esse justus, etsi non det operam justitiæ. Apostolus monet, ut ab isto errore sibi caveant; & contrarium demonstrat exemplo Christi. V.8. affert aliud argumentum, quod sumtum est à peccati authore Diabolo: à cujus communione qui abhorrent (abhorrent autem omnes fideles) abhorrere quoque debent ab operibus illius. Hoc argumento recitato, repetit illud paulo antè allatum, à fine primi adventus Christi: cui repetitioni occasionem præbuit nomen Diaboli, cujus opera sunt peccata, propter quæ tollenda ac destruenda Christus advenit. Vers.9. aliud affert argumentum, quod sumtum est à causâ procreante sanctitatis, videlicet regeneratione fidelium per Spiritum sanctum. Hoc argumentum repetit v.10. amplificatum à contrario: ac simul annectit exhortationem specialem, quâ hortatur ad dilectionem fratrum.

SECUNDA PARS.

Frater diligendus.

11 Quoniam hæc est denuntiatio quam audivistis à principio, ut diligamus alii alios.

12 Non sicut Cain, *qui* ex illo malo erat, & jugulavit fratrem suum. Cujus autem rei gratiâ jugulavit eum? Quia opera ejus mala erant, fratris autem ejus justa.

13 Ne miremini, fratres mei, si odit vos mundus.

14 Nos scimus, nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres: qui non diligit fratrem, manet in morte.

15 Quisquis odit fratrem suum, homicida est: & nostis, nullum homicidam habere vitam æternam in se manentem.

16 Per hoc cognovimus charitatem, quòd ille animam suam pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere.

17 Qui verò habuerit mundanas facultates, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua, *avertens se* ab eo: quomodo charitas Deo manet in eo?

18 Filioli mei, ne diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate.

19 Et per hoc cognoscimus, nos ex veritate esse, & coram ipso secura reddemus corda nostra.

20 Nam si nos condemnet cor nostrum; nempe potentior est Deus corde nostro, & novit omnia.

21 Charissimi, si cor nostrum nos non condemnet, fiduciam habemus apud Deum:

22 Et quicquid petierimus, accipimus ab eo: quoniam mandata ejus servamus, & ea quæ ipsi placent, facimus.

23 Hoc est igitur mandatum, ut credamus nomini filii ejus Jesu Christi; & diligamus alii alios; sicut dedit mandatum nobis.

24 Nam qui servat ejus mandata, in eo habitat, & ipse in eo: & per hoc novimus eum habitare in nobis, *nempe* ex spiritu quem nobis dedit.

Præceptum dilectionis modò propositum deinceps confirmat argumentis: quorum primum sumtum est à mandato Dei: quod amplificat à circumstantiâ temporis, dicens, *Quòd audiverint illud à principio.* Vers.12. præceptum propositum amplificat contrario exemplo Cajini: cujus fratricidium amplificat expositione causæ: quam ostendit fuisse hypocrisin ipsius & invidiam erga fratrem. Tum v.13. ex isto exemplo corollarium deducit ad consolandum pios contra odium mundi: quippe quòd hoc non sit aliquid novum aut insolitum. V.14. aliud argumentum affert, quod sumtum est ab utili effectu, videlicet tranquillitate animi ex conscientia felicis status in quem fideles translati sunt, nempe ex morte in vitam. Hoc argumentum amplificat à contrario; quæ ipsa amplificatio tertium argumentum continet, quod sumtum est ab effectu pernicioso. Cæterùm istud argumentum mox v.15. confirmat argumento generis, videlicet homicidii, cujus speciem statuit odium fratris. Concludit autem integro syllogismo, ad hunc modum:

Nullus homicida habet vitam æternam in se manentem; sed manet in morte.

Quisquis odit fratrem suum, homicida est.

Ergo qui odit fratrem, non habet vitam æternam in se manentem, sed manet in morte.

Conclusio præcedit in fine v.14. Assumtio sequitur in principio v.15. cui annectitur propositio in eodem versu. Est autem hîc notandum, Johannem hæc duo accipere pro uno atque eodem: *Non diligere fratrem*, &, *Odisse fratrem*: uti liquet ex collatione conclusionis cum assumtione. Versu 16. monet, quousque se extendere debeat charitas, nempe eò usque ut parati simus etiam mori pro fratribus; id quod exemplo Christi confirmat. Vers.17. per corollarium mendacii arguit hypocritas, qui jactant charitatem Dei: quum interim destituti sint charitate proximi: quippe cui egenti nihil de suis copiis suppeditant, nedum ut parati sint vitam pro illo relinquere. V.18. ex præcedente reprehensione hypocritarum deducit regulam charitatis: ut scil. non contenti professione verborum, charitatem erga proximum ipsis factis demonstremus. V.19. & deinceps tria argumenta affert ab effectis: quorum primum est, quòd ex charitate intelligimus, nos verè esse Dei filios. Hoc argumentum superioribus annectit occasione vocabuli *veritatis*, quo proximè usus fuerat. hîc autem illud repetit per ἀντανάκλασιν, in diversa significatione: intelligens scilicet ipsum Deum: id quod percipitur tum ex ipsa phrasi, tum ex sequente pronomine αὐτοῦ. Secundum effectum est pacata conscientia, seu fiducia apud Deum, quatenus nimirum ex charitate colligimus, nos verâ fide esse præditos, ac proinde Deo placere. Hanc fiduciam & tranquillitatem conscientiæ vers.20. commendat à contraria cordis trepidatione, qua nimirum inquietantur ii, qui sibi malè conscii sunt. Porrò hanc ipsam trepidationem, qua nos condemnat cor nostrum, amplificat collatione majoris, videlicet judicii Dei: quod ipsum amplificat ab adjuncta illius omniscientia. Vers.21. repetit secundum effectum: eique mox v.22. tertium annectit, quod ipsum proximè ex fiducia illa manat: videl. impetratio bonorum, quæ à Deo petimus. Vers.23. exhortationem ipsam repetit, itemque primum argumentum suprà allatum. Inserit autem hîc exhortationem alteram, quâ hortatur ad constantiam & profectum in fide. Versu ultimo annectit aliud argumentum ab effectu, videlicet notitiâ communionis nostræ cum Deo; quippe qui nobis dedit ex suo spiritu: id quod ex studio sanctitatis, quod ille nobis ingenerat, percipimus.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Qualem] ποταπὴν. *Qualem & quantam. Sic Matth.8.v.27.* ποταπός ἐστιν οὗτος; *Qualis & quantus est iste?* Charitatem] ἀγάπην. *Id est,* ἐξουσίαν, *potestatem: ut loquitur Joh.1.v.12. Metonymia efficientis.* Mundus] ὁ κόσμος. *Id est, impii.* Non novit nos] οὐ γινώσκει ἡμᾶς. *Id est, non agnoscit nos pro filiis Dei, ac proinde nec amat nos: sed potiùs odit. Synecdoche generis metonymica.*

2 Quòd erimus] τί ἐσόμεθα. *Id est, gloria qua ornabimur. Synecdoche generis.* Quum patefactum fuerit] ἐὰν φανερωθῇ. *Scil. id quod erimus: ex membro antecedente. Quanquam potest quoque exponi.* Quum ipse patefactus fuerit, *videl. Christus: ex collatione vers.28. capitis præcedentis.* Similes ei erimus] ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα. *Confer Philip.3.v.ult.* Videbimus eum] ὀψόμεθα αὐτὸν. *Confer Joh.17.v.24.*

4 Quisquis dat operam peccato] πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν. *Ad verb.* Omnis qui facit peccatum. *Significatur autem hac phrasi non simplex actio, sed cum studio & voluptate conjuncta.*

Synecdoche generis. Etiam operam dat discrepantiæ à Lege] καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ. *Ἀνομία sonat privationem Legis, hoc est, conformitatis cum Lege. quæ conformitas si natura & vita nostra insit, justi sumus: sin absit, injusti & peccatores.* Ipsa discrepantia à Lege] ἡ ἀνομία. *Per pronomen* Ipsa *puto rectè exprimi vim articuli ἡ. ut quum Græci dicunt, ἡ ἡδονή ἐστι τὸ ἀγαθόν. Voluptas est ipsum bonum: hoc est, Voluptas nihil aliud est, quàm bonum. Sic dicitur hoc loco, Peccatum nihil aliud est quàm discrepantia à Lege. Ubi obiter observandum, integram definitionem hic unicâ voce contineri: sed quæ vim habet duarum, propter compositionem.*

5 Patefactum esse] ἐφανερώθη. *Scil. in carne: ut suprà cap.1.v.2.* Tolleret] ἄρῃ. *Nempe sacrificio suæ mortis.*

6 Non peccat] οὐχ ἁμαρτάνει. *Id est, non dat operam peccato: ex collatione versus quarti. Synecdoche generis.* Non vidit eum] οὐχ ἑώρακεν αὐτόν. *Id est, non cognovit eum: sicut ipse mox exponit. Sic Joh.1.v.18. Metaphora.*

8 A principio] ἀπ' ἀρχῆς. *Scil. mundi.* Peccat] ἁμαρτάνει. *Quasi dicat, indesinenter & continuo actu.* Ut dissolvat opera Diaboli] ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ Διαβόλου. *Id est, ut tollat peccata nostra: sicut dixit suprà v.5.*

9 Semen ipsius] σπέρμα αὐτοῦ. *Id est, Spiritus sanctus, cujus vi regenitus est. Metaphora.* Nec potest peccare] καὶ οὐ δύναται ἁμαρτάνειν. *Id est, peccato operam dare: ut suprà vers.6. Synecdoche generis.*

12 Non sicut Caïn] οὐ καθὼς Καΐν. *Id est, Non autem agamus, sicut Caïn egit.* Qui ex illo &c.] ἐκ τοῦ &c. *Ellipsis pronominis relativi Hebraïca.* Ex illo malo] ἐκ τοῦ πονηροῦ. *Id est, ex Diabolo.* Jugulavit] ἔσφαξε. *Si propria verbi significatio retineatur, statuendum erit, quòd Cajin fratrem occiderit ferro in jugulum adacto. Et credibile est, ferrea instrumenta jam tum inventa fuisse; ut sine quibus terra, ex quo maledicta fuit, non potuit coli. Nam quod postea demum de Thubal-Cajino narratur, quòd acuerit (id est, erudiverit) omnem fabrum ærarium & ferrarium, de artis jam inventa excultione intelligendum videtur, sicut Tremellius & Junius annotarunt ad Gen.4.v.22. Potest tamen istud verbum per synecdochen speciei accipi generaliter: sicut ipse Moses generali verbo occidendi seu interficiendi usus est, Gen.4.v.8.*

13 Ne miremini] μὴ θαυμάζετε. *Id est, Ne offendimini tanquam re absurdâ. Synecdoche metonymica.* Mundus] ὁ κόσμος. *Id est, impii, seu non renati per Spiritum sanctum.*

14 Transivimus &c.] μεταβεβήκαμεν &c. *Scilicet per fidem in Christum, teste ipso Christo, Johan.5.v.24.* Quia diligimus &c.] ὅτι ἀγαπῶμεν &c. *Non indicatur meritum dilectionis: sed effectum fidei, per quam solam ex morte in vitam transimus: ut modò demonstratum est.* Manet in morte] μένει ἐν τῷ θανάτῳ. *Id est, obnoxius morti æternæ seu iræ Dei, quia scilicet caret verâ fide in Christum: quâ si præditus esset, præditus quoq; esset charitate. Synecdoche generis.*

15 Nullum homicidam habere &c.] ὅτι πᾶς ἀνθρωποκτόνος οὐκ ἔχει &c. *Ad verb.* quòd omnis homicida non habet. *Hebraismus: qualis ad Rom.3.v.20.*

16 Charitatem] τὴν ἀγάπην. *Id est, vim charitatis, seu quænam sit vera charitas.* Ille] ἐκεῖνος. *Christus.* Animam suam pro nobis posuit] ὑπὲρ ἡμῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἔθηκε. *Id est, pro nobis mortuus est. Periphrasis. Sic Joh.10.v.15. Similis est phrasis,* Quærere animam alicujus: *id est, quærere aliquem ad necem. sicut Elias conquerebatur accidere sibi, 1.Reg.19.v.10. & 14. & angelus monuit Josephum, mortuos esse qui quærebant animam pueruli, Matth.2.v.20.*

17 Mundanas facultates] τὸν βίον τοῦ κόσμου. *Ad verb. Victum mundi: id est, cui acquirendo mundus est deditus. Genitivus adjuncti. Confer Jacob.2.v.15.* Fratrem suum] τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. *Id est, proximum, maximè domesticum fidei.* Et clauserit viscera sua, avertens se ab eo] καὶ κλείσῃ τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ ἀπ' αὐτοῦ. *Ante* ἀπ' αὐτοῦ, *subaudio* ἀποστρεφόμενος. *Quod genus ellipsis Hebræis usitatum est. Porrò claudere viscera, phrasi Hebræâ, est cohibere affectum misericordiæ: quippe in quo affectu viscera dilatantur, seséq; explicant & quasi aperiunt. Sic de Josepho dicitur,* quòd æstuaverint viscera ipsius erga fratrem suum, *Gen.43.v.30. Similiter de altera mulierum litigantium coram Salomone dicitur,* quòd æstuaverint viscera ejus erga filium suum, *1.Reg.3.vers.26. Et de Christo commiserante turbam dicitur,* ἐσπλαγχνίσθη περὶ αὐτῶν, *Matth.9.v.36. Et alibi passim istud verbum de Christo prædicatur. Et Zacharias, pater Johannis Baptistæ, prædicat* σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ. *id est,* viscera misericordiæ Dei, *Luc.1.v.78.* Quomodo &c.] πῶς &c. *Quasi dicat, Nullo modo id fieri potest, ut talis diligat Deum: quicquid etiam verbis profiteatur & jactet.*

18 Ne diligamus verbo neque linguâ] μὴ ἀγαπῶμεν λόγῳ μηδὲ γλώσσῃ. *Scil. solùm. Syneed. generis. Vult dicere, non esse satis ad veram charitatem, ut humaniter tantùm proximum alloquamur, & verbis charitatem præ nobis feramus: sed charitatem ipsis factis, hoc est, beneficiis, esse demonstrandam.*

19 Ex veritate] ἐκ τῆς ἀληθείας. *Id est, ex Deo, ut locutus est suprà v.10. & loquetur infrà c.4.v.4. & 6. Ἀντανάκλασις est in vocabulo* veritatis, *diversâ significatione repetito. Hæc autem expositio confirmatur ex eo quod continenter subjicitur,* Et coram ipso (*scil. Deo*) secura reddemus corda nostra. Secura reddemus] πείσομεν. *Ad verb. Persuadebimus. Metonymia efficientis.*

20 Si nos condemnet cor nostrum, potentior est Deus &c.] ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία, ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ Θεὸς &c. *Conjunctio* ὅτι *aut posita est pro* δηλονότι: *aut scripta pro* ἔτι, *id est,* adhuc. *hanc enim particulam Græci comparativis solent præponere. Est autem in istius connexi consequente synecdoche metonymica. nam ex causa significatur effectum, nempe ex argumento conclusio. Integra enim ratiocinatio est hæc: Si nos condemnet cor nostrum, multò magis condemnabit nos Deus: quia Deus est potentior corde nostro. Simile exemplū occurrit infrà cap.5.v.9.* Potentior] μείζων. *Ad verb. major. Synecdoche generis. Sic Joh.10.v.29.* Pater meus major omnibus est: *id est, potentior.*

21 Fiduciam] παῤῥησίαν. *Confer Heb.4.v.6.*

22 Ea quæ ipsi placent] τὰ ἀρεστὰ ἐνώπιον αὐτοῦ. *Ad verb.* Ea quæ placent coram ipso. *Hebraismus: qualis Matth 11.v.26.* ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου: quia ita fuit beneplacitum coram te: *id est, quia ita placuit tibi.*

23 Hoc] αὕτη. αὕτη. *scil.* ἡ ἐντολή: hoc, *scil. mandatum.* Ut credamus] ἵνα πιστεύσωμεν. *Hæc verba cohærent cum præcedente pronomine* αὕτη, *id est,* hoc: *scil.* ἐντολή, *mandatum, per appositionem: subauditis verbis,* ἣ ἐντέλλεται, *id est,* quo mandatur. *ut integra oratio sit: Hoc est igitur ejus mandatum, nempe quo mandatur ut credamus &c.* Nomine] τῷ ὀνόματι. *Vide suprà cap.2.v.12.*

24 Quem] οὗ. *Pro,* ἐκείνου ὅν. *Græcismus.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v.1.2.&3. Contra perversum judicium mundi, habentis nos pro hominibus vilissimis & nequissimis, ac proinde hostiliter nos persequentis: consolari nos debemus tum consideratione summæ dignitatis quam Deus ipse nobis contulit, adoptando nos sibi in filios, ac regenerando per spiritum suum: tum spe gloriæ ac beatitudinis cælestis, quam certò nobis communicaturus est post hanc vitam. Confer Matth.19.v.28.&29. Joh.14.v.3.&cap.16.v.20.21.22.&cap.17.v.24. Rom.8.v.16.& deinceps. 2.Thess.1.v.4.& deinceps. *Consolatio contra persecutionem.*

2 Ex v.3.& deinceps notanda sunt aliquot argumenta, quibus moveri debemus ad studium sanctitatis & fugam peccati. nempe 1.exemplum Dei. Deus enim, pater noster, purus & sanctus est: v.3. 2.turpitudo peccati: quippe quod est transgressio legis Dei: vers.4. 3.quia Christus venit, ut peccata nostra tolleret. Sustulit autem, dum ea expiavit morte suâ. unde percipitur, quàm detestanda res sit peccatum, quod non potuerit aliter expiari nisi morte filii Dei. Deinde tollit adhuc quotidie per renovationem Spiritus sancti: unde intelligitur, quàm perversè agant, qui sese Christianos, ac proinde Spiritu sancto præditos, profitentur, nec tamen peccatum oderunt aut fugiunt, vitæve novitati student: v.5.&8. 4.quia fideles manent in Christo, in quo peccatum non est, quare qui peccato indulgent, falsò jactant, sibive persuadent, se in Christo manere: v.6. 5.quia qui indulget operámve dat peccato, ex Diabolo est: à cujus communione omnes pii meritò abhorrent: v.8. 6.quia qui peccato indulgent, falsò se jactant filios Dei: quum in filiis Dei maneat Spiritus sanctus, veluti semen, cujus virtute à peccato abhorrent, & justitiæ studio delectantur: v.9.&10. *Studium sanctitatis.*

3 Ex vers.4. Notanda est peccati definitio, quòd nimirum sit ἡ ἀνομία, id est, nihil aliud quàm discrepantia à Lege. Ubi primò notanda vis articuli, notantis ὅπερ αὐτό: id est, monentis, eandem prorsus rem significari per enuntiati consequens seu prædicatum, quæ significatur per ipsius antecedens sive subjectum. ut quum Græci dicunt, ἡ ἡδονή ἐστι τὸ ἀγαθόν. Voluptas est ipsum bonum: significant, voluptatem nihil aliud esse quàm bonum, atque adeò esse perfectissimum ac summum bonum. Deinde notanda est figura (ut Grammatici appellant) nominis ἀνομία: quod compositum est ex particula privativa α, & ex nomine νόμος: ita ut eo significetur privatio Legis, hoc est conformitatis cum Lege. Privatio autem illa conformitatis, uno nomine est discrepantia. Quare unico isto vocabulo notatur & genus & differentia, ut ex dictis patet. Porrò discrepantia illa inhæret aut actioni hominis, aut ipsi naturæ: unde jam existit peccati distributio in originale & actuale. nam & natura hominis inde ab origine seu conceptione in utero matris ita est vitiata, ut à lege Dei discrepet atque abhorreat: & actiones ex tali natura promanantes, qualis enim est causa procreans, talia sunt & effecta procreata: qualis arbor, talis & fructus. *Peccatum quid sit.*

4 Ex v.5. Finis seu scopus incarnationis filii Dei fuit, ut peccata nostra tolleret. Tollit autem bifariam: meritò scil. & efficaciâ. Meritò quidem suæ passionis, quâ illa expiavit. Efficaciâ verò Spiritus sancti, per quem nos renovat. *Christus.*

5 Ex v.6.& 9. Cavendum ne verbis Johannis abutamur ad stabiliendum opinionem eorum qui somniant, Christianos tantam sanctitatis perfectionem habere in hac vita, ut prorsus non peccent. neque enim hæc mens est verborum Johannis: sed hoc tantùm vult, sanctos in hac vita non permittere peccato regnum, non indulgere illi, operámve dare, denique non peccare securè ac petulanter. nam quòd interdum peccent, ex infirmitate scil. ac proinde peccatum adhuc habeant: ipsemet tradidit suprà c.1.v.8.9.10.&c.2.v.1. *Imperfectio fidelium.*

6 Ex v.7. Non est satis, profiteri sese justum & Christianum: sed hæc professio factis demonstranda est. *Officium hominis Christiani.*

7 Ex v.8.

7 Ex v.8. De peccato Diaboli diximus in 2.Pet.2.v.4.

Fides. 8 Ex verf.9. Quum Spiritus fanctus in renatis veluti femen maneat: confequens eft, illos fidem & amorem fanctitatis nunquam penitus amittere. Hoc facit ad piorum confolationem. Interim autem cavendum, ne hac doctrina abutamur ad fecuritatem carnis.

Dilectio proximi. 9 Ex v.11. & deinceps. Notanda funt aliquot argumenta, quibus moveri debemus ad diligendum proximum. nempe 1. mandatum Dei, v.11. & 23. 2. quia qui proximum diligunt, fciunt (videlicet tanquam ex neceffario effecto fidei) fe translatos effe ex morte in vitam, verf.14. 3. quia ex dilectione proximi cognofcimus, nos effe ex veritate, id eft, ex Deo: hoc eft, nos effe Dei filios: quippe cujus naturam imitamur: v.19. 4. quia ex dilectione proximi colligimus, nos præditos effe verâ fide, ac proinde confirmamur in filiali fiducia erga Deum, v.eod. & 21. 5. quia qui proximum diligunt, accipiunt à Deo quæ petunt, v.22.

Bona opera. 10 Ex v.12. Non eft fatis, opera hominis externè refpondere mandatis Dei: fed ut verè bona fint Deóque placeant, neceffe eft ut proficifcantur ex vera dilectione Dei, & proximi propter Deum. Etenim facrificia Cajini nominantur hîc à Johanne opera mala, etfi habebant mandatum Dei, non minùs quàm Abelis: fed non proficifcebantur ex dilectione Dei; quia fi Cajin dilexiffet Deum, dilexiffet etiam fratrem propter Deum. at illum odio habuit: quippe quem ex odio occidit. Confer Efa.1.v.11. & deinceps; & c.58.v.3. & deinceps.

Confolatio. 11 Ex v.12. & 13. Quum mundus nos odit ac perfequitur propter religionem, confolemur nos exemplis fanctorum inde ab origine mundi, quibus idem accidit. Confer Gal.4.v.29. Matth.5. v.12. Joh.15.v.18. & 20.

Dilectio proximi. 12 Ex v.14. Dilectio proximi, eft fignum infallibile veræ fidei: quia eft fignum proprii effectus fidei, videl. tranfitus ex morte in vitam. quippe nullus effectus poteft effe fine fua caufa. Effe autem hunc effectum fidei, apertè affirmat Chriftus Joh.5.v.24. ubi ait, *Amen amen dico vobis, qui fermonem meum audit & credit ei qui mifit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: fed tranfivit ex morte in vitam.*

Dilectio proximi. Vindicatio verborum Johannis, Scimus, nos translatos ex morte in vitam, quia diligimus fratres. 13 Ex eodem verfu. Cavendum ne hoc loco abutamur ad ftabiliendum opinionem de merito noftræ dilectionis: quafi fcilicet dilectione noftrâ mereamur vitam æternam: eò quòd Johannes dicat, *Scimus, nos translatos effe ex morte in vitam, quia diligimus fratres.* Etenim conjunctio ὅτι, id eft, *quia*, etfi caufalis à Grammaticis nominatur: tamen non femper eft nota caufæ, fed fæpe alterius cujusvis argumenti. Atque hoc quidem loco fervit notando effectui: quum certum fit ex verbis Chrifti (Joh.5.v.24.) paulò antè allatis, tranfitum illum ex morte in vitam, effe effectum fidei: porrò fides nō eft effectum dilectionis, fed caufa efficiens: tefte Paulo Gal.5.v.6. ubi ait, *Fidem per charitatem operari feu agere, ἐνεργεῖσθαι.* Eâdem fignificatione accipitur conjunctio ὅτι, in loco fimili Luc.7.v.47. ubi Chriftus apud Simonem Pharifæum de muliere peccatrice fic pronuntiat: *Dico tibi; remiffa funt peccata ejus multa: quia dilexit multum.*

Felicitas. 14 Ex v.14. & 15. Felicitas fidelium confiftit in eo, quòd tranfierunt ex morte in vitam, quodque vitam æternam habent in fe manentem. id quod fit per fidem: quippe quâ nôrunt, fe per Chriftum à peccatis, ac proinde ab æterna morte effe liberatos, & viciffim remiffionem peccatorum & vitam æternam ipfis effe partam: unde fit, ut & in præfenti feculo aliquatenus guftent paternum favorem Dei, & fpem certam foveant plenè fruendi favore illo in feculo futuro. Porrò guftus ille eft initium vitæ æternæ: quo nimirum vivificantur corda per lætitiam in Deo, creatam voce Evangelii. id quod fignificat Chriftus Johan.5.v.25. ubi ait, *Amen amen dico vobis: veniet hora, & nunc eft, quum mortui audient vocem filii Dei; & qui audierint, vivent.* De plena autem fruitione ibidem fubjungit paulo-pòft v.28. & 29. ubi ait, *Veniet hora, qua omnes qui in monumentis funt, audient vocem ejus,* (nempe filii Dei) *& prodibunt qui bona fecerunt, in refurrectionem vitæ &c.*

Homicidium. Lex Dei. 15 Ex v.15. Homicida coram Deo eft non folùm, qui manu vitam proximo adimit, fed etiam qui illum odit. Quare quum Deus homicidium vetat, fimul vetat odium proximi, tanquam homicidii caufam impulfivam, videlicet προηγουμένην. Atque eadem eft ratio aliorum præceptorum. Errant igitur qui putant fatis effe, fi præftetur legi Dei obedientia externa. Confer Matth.5. verf.21. & deinceps. Hinc Paulus Legem dicit effe fpiritualem. Rom.7.v.14.

Charitas. 16 Ex verf.16. Perfecta charitas impellit etiam ad vitam pro proximo relinquendam. Et talis fuit in Chrifto erga fuos. Petrus verò talem charitatem erga Chriftum profeffus quidem eft, fed non præftitit. In Paulo verò admirabilis fuit charitas erga gentem fuam, pro qua optavit etiam vitam æternam amittere, Rom.9.v.3. Qualis & ante eum fuit in Mofe, Exod.32.v.32. Cæterùm exemplum Pyladæ & Oreftis, quorum uterque pro altero mori paratus fuiffe * narratur, & fi qua funt fimilia: non funt hujus loci. Etenim hominum non-renatorum amor erga proximum (quantuscunque etiam appareat) fincerus effe non poteft, quum non oriatur ex dilectione Dei & fide: fed ex vana cupiditate laudis humanæ.

* Cic.lib.2. de Finib.

Dilectio Dei. 17 Ex v.17. Quicunque Deum diligit, is diligit etiam proximum: videlicet propter Deum, qui dilectionem proximi præcepit. Quare qui proximum non diligit, is nec Deum diligit: ac proinde, fi fe Deum diligere & Chriftianum effe profitetur, mentitur.

18 Ex v.17. & 18. Dilectio proximi non confiftit in blanditie verborum, fed in affectu mifericordiæ & beneficentia, maximè erga egentes. Confer Jacob.2.v.15.16. Heb.13.v.3. & 16. Rom.12. v.9.10.15. Gal.4.v.15. *Dilectio proximi.*

19 Ex v.19. & 22. Cavendum ne hoc loco abutamur ad ftabiliendum opinionem de meritis noftræ dilectionis noftrorúmve bonorum operum: quafi nimirum dilectione noftrâ noftrifve bonis operibus mereamur, nobífve conciliemus gratiam Dei, atque impetremus bona quæ à Deo petimus. neque enim hæc mens eft verborum Johannis: fed fentit, nos ex dilectione & obfervatione mandatorum Dei, tanquam proprio effecto, certò poffe colligere, nos præditos effe verâ fide, ac proinde effe filios Dei: ex qua notitia neceffariò exfiftit fiducia illa filialis, qua de paterno Dei erga nos favore certò perfuafi, fperamus ab illo omnis generis bona, atque etiam petentes impetramus. *Vindicatio verborum Johannis, Et per hoc (videlicet finceram dilectionem) coram ipfo fecura reddemus corda noftra. Item, Quicquid petierimus, accipimus ab eo; quoniam mandata ejus fervamus.*

20 Ex v.20. & 21. Judicium confcientiæ eft imago quædam judicii divini. Etenim quem confcientia fua condemnat, illum in die judicii damnabit Deus: quem verò confcientia fua abfolvit, illum Deus quoque abfolvet. Abfolvit autem confcientia eos tantùm, qui credunt, pro fuis peccatis judicio Dei effe fatisfactum per Chriftum, ac proinde Deo ftudent placere fanctè vivendo: reliquos verò omnes confcientia fua neceffariò condemnat. Studeamus ergo retinere bonam confcientiam. Confer Roman.2. verf.15. & 16. Heb.10. verf.2. & 22. & cap.13. v.18. 1.Tim.1.v.19. *Confcientia.*

21 Ex v.22. Quicquid credentes à Deo petunt, impetrant: fi fcil. petant rectè, nempe fecundùm Dei voluntatem: ficut declarat Johannes infrà c.5.v.14. Vult autem Deus fimpliciter credentibus dare quæcunque illis neceffaria fuerint ad vitam æternam: quæ verò ad vitæ hujus mortalis commoditates pertinent, eatenus dare vult, quatenus vitam æternam non impediunt, fed potiùs ad eam confequendam conducunt. Confer Marc.10. v.29. & 30. *Preces.*

22 Ex v.23. Evangelium duo infignia mandata Dei continet: unum fidei, alterum dilectionis. Oremus igitur Deum, ut per Spiritum fuum in utriusque obedientia nos confirmet. *Evangelium.*

23 Ex verf.24. Argumentum five fignum noftræ cum Deo communionis, funt effecta Spiritus fancti in nobis: videlicet fides & dilectio, quibus quafi vinculis cum Deo colligamur. Confer Johan.15. 1.Cor.12.v.13. *Communio noftra cum Deo.*

ANALYSIS CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Hîc primò monet ut fibi caveant à feductoribus: deinde iterum hortatur ad charitatem feu dilectionem fratrum.

PRIMA PARS.

Seductores cavendi.

Dilecti, ne cuivis fpiritui credite, fed probate fpiritus an ex Deo fint: nam multi pfeudoprophetæ venerunt in mundum.

2 Ex hoc cognofcite Dei fpiritum: Quicunque fpiritus confitetur, Jefum Chriftum in carnem veniffe, ex Deo eft.

3 At quicunq; fpiritus non confitetur, Jefum Chriftum in carnem veniffe, ex Deo non eft: fed hic eft ille *fpiritus* Antichrifti, quem audiftis venturum fuiffe; & jam nunc in mundo eft.

4 Vos ex Deo eftis, filioli, & viciftis eos; quoniam potentior eft qui *eft* in vobis, quàm qui in mundo *eft*.

5 Ipfi è mundo funt; ideo mundana loquuntur; & mundus eos audit.

6 Nos ex Deo fumus: qui novit Deum, audit nos: qui non eft ex Deo, non audit nos: ex hoc cognofcimus fpiritum veritatis & fpiritum erroris.

Admonitionem de cavendis feductoribus annectit occafione vocabuli *fpiritus*: quo ufus fuit in fine capitis præcedentis. Monet igitur, ne cuivis fpiritus (id eft, doctori revelationem fpiritus jactanti) credant: fed ut fpiritus (id eft, doctores vel dogmata illorum) probent an ex Deo fint. Rationem admonitionis fubjungit: quia multi pfeudoprophetæ (id eft, falfi doctores atq; heretici) jam venerint in mundum. V.2. & 3. per prolepfin docet, quâ notâ fpiritus probandi fint, videl. ex fumma Evangelii, quæ eft, *quòd Jefus Chriftus venerit in carnem.* quâ brevi fententiâ continetur falvifica doctrina tum de perfona, tum de officio Chrifti. De perfona, quòd fit Deus & homo. Deus: quippe qui venit in carnem. Fuit igitur antequam veniret in carnem: quid autem fuit, nifi Deus, nempe æternus Dei filius? Deinde homo: quia venit in carnem: id eft, veniendo in mundum affumfit car-

nem, & homo factus est. De officio verò, quòd nimirum venerit in carnem propter nos & nostram salutem: ut noster frater factus, in carne pro nobis pateretur, & suâ passione ac morte expiaret nostra peccata, ac aboleret eum qui mortis habebat imperium, id est, Diabolum, nosque ab illius potestate liberaret; quæ omnia ipsis nominibus JESU & CHRISTI notantur. Vers. 4. contra periculum ac metum seductionis consolatur eos spe certâ victoriæ: quam confirmat à causa procreante, videlicet potentiâ Spiritus sancti in ipsis inhabitantis, per collationem cum potentia spiritus mali, qui est in mundo, hoc est, impiis ac reprobis. Vers. 5. & 6. aliam consolationem annectit, qua solatur eos contra scandalum quod oritur ex applausu mundi, seductorum istorum dogmata approbantis, & contrà doctrinam Apostolorum improbantis. Monet igitur, id non debere mirum videri: quia seductores illi ingenio mundi sese accommodent: Apostoli verò studeant placere Deo, tanquàm filii ejus: unde etiam infert, doctrinam eorum à filiis Dei approbari. Ad extremum, admonitionem hanc velut epiphonemate concludit, ubi ait, *Ex hoc cognoscimus &c.* Intelligit autem notam illam, quam paulò antè proposuit, videlicet doctrinam de Christo.

SECUNDA PARS.

Iterum hortatur ad dilectionem fratrum.

7 Dilecti, diligamus alii alios: nam charitas ex Deo est: quisquis diligit, ex Deo natus est, & novit Deum.

8 Qui non diligit, non novit Deum: nam Deus est charitas.

9 Per hoc patefacta est charitas Dei erga nos, quòd filium illum suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

10 In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit filium suum ut esset propitiatio pro peccatis nostris.

11 Dilecti, si Deus nos ita dilexit; debemus & nos alii alios diligere.

12 Deum nemo spectavit unquam. Si diligamus alii alios: Deus in nobis habitat, & charitas ejus perfecta est in nobis.

13 Per hoc cognoscimus, nos in eo habitare, & ipsum in nobis; quòd de spiritu suo dedit nobis.

14 Nos verò spectavimus, & testamur, Patrem misisse Filium qui esset servator mundi.

15 Quisquis confessus fuerit, Jesum esse filium illum Dei; Deus in eo habitat, & ipse in Deo.

16 Et nos cognovimus & credimus charitatē quam habet Deus erga nos. Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

17 Per hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii; quia *scilicet* qualis ille est, *tales* & nos sumus in hoc mundo.

18 Metus non est in charitate: perfecta charitas foràs ejicit metum: quoniam metus cruciatum habet. qui ergo metuit, non est perfectus in charitate.

19 Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos.

20 Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit; mendax est. qui enim non diligit fratrem suum, quem vidit; Deum quem non vidit, quomodo potest diligere?

21 Et hoc mandatum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

Redit ad præceptum charitatis seu dilectionis proximi: illudque variis argumentis confirmat, quorum primùm est, quòd charitas authorem habet Deum. Secundum, quòd indicio est, nos esse ex Deo natos: id est, nos esse filios Dei, per fidem scilicet adoptatos, & per spiritum adoptionis regenitos. Tertium, quòd dilectio proximi testimonium est, quòd Deum noverimus. Hæc tria argumenta continentur v. 7. Porrò tertium illorum illustrat vers. 8. à contrario, & confirmat ex eo, quòd Deus sit charitas: id est, fons charitatis, & summâ charitate nos prosequens. Quod ipsum vers. 9. & 10. probat ex facto Dei, videlicet missione Filii; quam ipsam amplificat ex mittentis fine seu scopo: item ex remotione causæ impulsivæ, quatenus negat, nos priores dilexisse Deum, atque ita nimirum prometitos ut ipse vicissim nos diligeret, Filiumque nobis mitteret. Vers. 11. ex illo Dei facto, tanquam exemplo argumentatur: quod jam quartum institutæ præceptionis sive hortationis argumentum est. Vers. 12. & 13. affert quintum argumentum, quod sumtum est ab effectu utili, videlicet contemplatione Dei: quam significat proximè oriri ex inhabitatione Dei in nobis, & vicissim nostri in illo per Spiritum sanctum. Ex illa autem ipsa contemplatione Dei significat oriri perfectam (id est, veram atque sinceram) charitatem Dei. Fieri enim non potest, quin Deum verè diligat, qui per inhabitantem ejus Spiritum contemplatur pulchritudinem ipsius. Pulchritudo autem Dei consistit in virtutibus illius: ut sanctitate, bonitate, justitiâ, misericordiâ, &c. V. 14. & deinceps usque ad medium v. 16. ex occasione vocabuli θεᾶσθαι, id est, *contemplari seu spectare*, quo in præcedente argumento usus fuit, interserit doctrinam fidei, seu summam Evangelii, confirmatam testimonio Apostolorum: ut qui Christum à Patre missum spectaverint, atque ex illius missione charitatem Dei erga nos cognoverint. In medio vers. 16. redit ad præceptum charitatis, & addit argumentum sextum, quod sumtum est ab effectu utili: nempe quòd ex charitate proximi certiores reddimur, nos manere in Deo, & Deum in nobis: quod ipsum confirmat à natura Dei, ut qui sit ipsa charitas. unde percipitur nimirum, eos qui charitate præditi sunt, communionem cum Deo habere. Vers. 17. addit argumentum septimum, quod etiam ab effectu utili sumtum est, videlicet fiduciâ in die judicii. Hanc autem ex dilectione proximi ita nasci significat: quatenus inde colligimus, nos esse Deo similes, seu ingenium nostrum (intellige quod habemus ex regeneratione) conforme esse naturæ Dei, qui est charitas. hoc significat, ubi ait; *Quoniam qualis ille est, tales & nos sumus in hoc mundo.* Hoc argumentum vers. 18. amplificat & illustrat à contrario metu atque cruciatu animi; quem vera charitas eo, quo dictum est, modò expellit; & quo afficiuntur qui charitatis sunt expertes. Vers. 19. inserit præceptum de dilectione Dei cui addit suam rationem à causa procreante. Vers. 20. redit ad præceptum de dilectione proximi: & mendacii arguit eos qui jactant dilectionem Dei, quum interim destituti sint dilectione proximi. Ratiocinatur autem à majori, ad hunc modum: Si quis non diligit fratrem, multò minùs diliget Deum. Ratio à majori: quia fratrem videt; Deum non videt, sed tantùm de illo audit testimonium verbi. Magis autem ad amandum movemur aspectu rei amandæ, quàm auditu. Vers. ultimo hypocritas illos alio argumento mendacii convincit, quod sumtum est à pari: quòd scilicet dilectio proximi non minùs à Deo mandata sit quàm dilectio Dei. unde sequitur, si quis obtemperet mandato dilectionis Dei; illum pari ratione obtemperaturum mandato dilectionis proximi: Ac proinde si quis huic mandato non obtemperet, eum nec obtemperare illi priori: & per consequens falsò jactare obedientiam erga illud, id est, dilectionem Dei.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Spiritui] πνεύματι. *Id est, doctori revelationem spiritus jactanti. Metonymia adjuncti.* Probate] δοκιμάζετε. *Seu, explorate. Sic 1. Thess. 5. v. 21.* πάντα δοκιμάζετε. Spiritus] τὰ πνεύματα. *Id est, doctores vel dogmata.* An ex Deo sint] εἰ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστιν. *An Deum authorem habeant illa dogmata, an sint θεόπνευστα, divinitus inspirata.* Pseudoprophetæ] ψευδοπροφῆται. *Id est,* ψευδοδιδάσκαλοι, *falsi doctores. Synecdoche speciei.*

2 Dei spiritum] τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. *Id est, doctrinam profectam à Dei spiritu: vel, doctorem qui agitur Dei spiritu. Metonymia efficientis, vel adjuncti.* Spiritus] πνεῦμα. *Id est, doctor Ecclesiæ. Metonymia adjuncti.* In carnem] ἐν σαρκὶ. *Pro,* εἰς σάρκα. *sicut infrà v. 9. dicitur missus esse* εἰς τὸν κόσμον, *in mundum. Neque enim venit è cælo filius Dei cum carne, quasi carnem inde secum attulerit: sed venit in carnem, i. e. veniens in mundum induit carnem, eâque indutus manifestavit sese.* Carnis *autem vocabulo synecdochicè intelligitur humana natura, ut Johan. 1. v. 14. ubi dicitur,* Sermo caro factus est.

3 Ille *spiritus* antichristi] τὸ τοῦ ἀντιχρίστου. *Subaudi* πνεῦμα, *ex membro præcedenti.* De quo] ὃ. *Articulus Græcus refertur ad* πνεῦμα, *id est, spiritum antichristi. Sed verbum* ἔρχεται *videtur postulare ut legatur* ὃν, *& referatur ad antichristum. de hoc enim usitatè tum dicebatur,* ὅτι ἔρχεται: *ut suprà 2. v. 18.*

4 Potentior] μείζων. *Ut suprà c. 3. v. 20.* Qui est in vobis] ὁ ἐν ὑμῖν. *Scil.* ὤν. *Periphrasis Dei.* Qui in mundo est] ὁ ἐν τῷ κόσμῳ. *Subaudi* ὤν. *Periphrasis Diaboli.*

5 Mundana loquuntur] ἐκ τοῦ κόσμου λαλοῦσι. *Sic Johan. 3. v. 31.* ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, terrena loquitur. Eos audit] αὐτῶν ἀκούει. *Id est, eis credit & obêdit. Synecdoche.*

9 Erga nos] ἐν ἡμῖν. *Id est,* εἰς ἡμᾶς. *Sic infrà v. 6.* Quòd filium &c.] ὅτι τὸν υἱὸν *&c. Confer Joh. 3. v. 16.* Misit] ἀπέσταλκεν. *Confer Joh. 3. v. 17. Gal. 4. v. 4. Rom. 8. v. 3.*

10 In hoc est] ἐν τούτῳ ἐστιν. *In hac re sita seu posita est.* Dilexerimus] ἠγαπήσαμεν. *Scil. priores.* Dilexerit] ἠγάπησεν. *Scil. prior, ut expressè dicit infrà v. 19.* Et miserit filium suum ut esset propitiatio] καὶ ἀπέστειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἱλασμὸν. *Pro,* εἰς ἱλασμὸν. *Id est,* τοῦ εἶναι ἱλασμὸν. *Similis ἐλλείψεως exempla sunt ista: Rom. 3. v. 25.* ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον. *Id est,* εἰς ἱλαστήριον, *seu* τοῦ εἶναι ἱλαστήριον. *Rom. 4. v. 11.* καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως. *Id est,* εἰς σφραγῖδα, *seu* τοῦ εἶναι σφραγῖδα. *Occurrit idem exemplum infrà hoc capite v. 14.* Pro] περὶ. *Id est,* ὑπὲρ. *Sic suprà c. 2. v. 2. Item Rom. 8. v. 3.* καὶ περὶ ἁμαρτίας, *scil.* θυσίαν. *Heb. 5. v. 3. & c. 10. v. 8. 18. 26.*

11 Ita] οὕτως. *Id est, tantopere,* (dermaassen) *nempe ut unigenitum*

genitum filium dederit pro nobis. Sic Johan.3. verſ.16. Confer Rom.5.v.8.

12 Spectavit] τεθέαται. *Nempe pulchritudinem illius: quæ nimirum conſiſtit in ipſius virtutibus, ac inprimis in ſublimi illâ & arcanâ ſapientiâ, juſtitiâ & miſericordiâ, quas declaravit in nobis, per Chriſtum ſervandis. Intelligenda eſt autem hæc ſententia non ſimpliciter, ſed ſecundum quid; videlicet de naturalibus viribus ingenii humani: ſicut percipitur ex antitheſi quæ habetur* Johan.1.v.18. *ubi dicitur,* Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille filius qui eſt in ſinu Patris, ille *nobis* expoſuit. *Ubi pro verbo* τεθέαται, *poſitum eſt verbum* ἑώρακε. *Verbum autem* τεθέαται, *quamvis formâ paſſiva, ſignificationem tamen hîc habet activam: ut liquet ex ipſa ſyntaxi & ſententiâ.* Perfecta] τετελειωμένη. *Id eſt,* τελεία: *ſicut loquitur infrà v.18. Perfectam autem intellige, non omnibus numeris abſolutam, in qua nihil prorſus poſſit deſiderari, (talis enim in hac vita ne in ſanctiſſimos quidem cadit) ſed veram atque ſinceram, & quæ ad perfectionem omni ſtudio atque conatu tendit.*

13 De ſpiritu ſuo] ἐκ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ. *Id eſt, de donis Spiritus ſui. nam ipſe Spiritus ſanctus in ſua eſſentia impartibilis eſt, quum ſit infinitus ille Jehova, unà cum Patre & Filio. Eſt igitur metonymia efficientis uſitata.*

14 Spectavimus] τεθεάμεθα. *Scilicet Deum, ex collatione v.12. Id eſt, ſpectavimus illas Dei virtutes, ac inprimis charitatem erga nos. quomodo autem ipſe & cæteri Apoſtoli illam charitatem ſpectarint, mox oſtendit: videlicet in miſſione filii.* Miſiſſe filium qui eſſet ſervator] ἀπέσταλκε τὸν υἱὸν σωτῆρα. *Pro,* εἰς σωτῆρα. *hoc eſt,* τοῦ εἶναι σωτῆρα. *Vide ſuprà ad v.10.* Mundi] τοῦ κόσμου. *Id eſt, hominum electorum, paſſim in toto mundo degentium. Confer ſuprà cap.2. v.2.*

15 Jeſum eſſe filium illum Dei] ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *Subaudi,* Et ſibi à Patre eſſe miſſum in ſervatorem: *ex v. præcedente. Synecd. membri. Nam alioquin & cacodæmones confitentur, Jeſum eſſe filium illum Dei: ſed non propterea Deus in eis habitat, nec ipſi in Deo: id eſt, nullam cum Deo communionem habent: quia ſcil. non credunt, illum ſibi eſſe miſſum in ſervatorem.*

16 Erga nos] ἐν ἡμῖν. *Pro,* εἰς ἡμᾶς: *ut ſup. v.9.* Et qui manet] καὶ ὁ μένων. Et, *id eſt,* Idcirco.

17 Perfecta eſt] τετελείωται. *Vide ſup. ad v.12.* Nobiſcum] μεθ' ἡμῶν. *Perinde eſt, ac ſi diceret:* Per hoc perfecti ſumus in charitate: *quemadmodum loquitur paulo-pòſt in fine v.18. Dicere vult: Per hoc cognoſcimus, charitatem in nobis perfectam (id eſt, ſinceram) eſſe, ſi ita ſumus comparati, ut habeamus fiduciam &c. Ergo,* Perfecta eſt: *id eſt,* cognoſcitur perfecta eſſe. *Eſt metonymia ſubjecti: qualis illa Joh.15.v.8.* Et eritis mei diſcipuli: *id eſt, cognoſcemini eſſe mei diſcipuli: nempe ex fructu illo quem fertis.* Ut fiduciam habeamus] ἵνα παῤῥησίαν ἔχωμεν. *Hæc præcedentibus annectuntur tanquam per appoſitionem, quaſi dicatur,* ὅταν παῤῥησίαν ἔχωμεν: *ad declarandum illa verba* ἐν τούτῳ. *Et ſanè* ἵνα *pro* ὅταν *uſurpatum videtur à claſſico linguæ Græcæ authore Ariſtophane: ex quo affertur hoc exemplum* πῶς ἂν ἐθελήσαις ὀμόσαι μοι τοὺς θεούς, ἵν' αὖ κελεύσω ἐγώ σε. *quorum verborum hæc videtur eſſe ſententia:* Iſta tu mihi voles negare, jurando per deos, quum ego te juſſero. *Aut certè ante* ἵνα *per ellipſin ſupplendum* tale quid, Si ita comparati ſeu affecti ſumus: *Vel,* ſi illa (*nēpe charitas*) talis eſt. *Similis appoſitio & ellipſis fuit ſuprà c 3.v.23 Simile quoq; exemplum occurrit infrà c.5.v.3.* Quia ſcilicet ὅτι. *Per hanc* ἐπιφώνησιν *confirmatur illa ellipſis, de qua modò admonui.* Qualis ille eſt] καθὼς ἐκεῖνός ἐστι. *Ille, videl. Chriſtus. Id eſt, Sicut ille nos dilexit, & etiamnum diligit, videl. ſincerè.*

18 Metus non eſt in charitate] φόβος οὐκ ἔστιν ἐν τῇ ἀγάπῃ. *Id eſt, Qui Deum & proximum verè diligit, is non metuit ſibi à judicio Dei: quia nimirum novit, ſe eſſe præditum ſpiritu Dei, ac proinde eſſe filium Dei per fidem in Chriſtum.* Perfecta] τελεία. *Id eſt, ſincera. Vide ſuprà ad v.12.* Qui ergo metuit] ὁ δὲ φοβούμενος. Δὲ *pro* οὖν: *ut liquet ex ipſa conſequentia ſententiarum. Sic enim ratiocinatur: Ubi metus, ibi cruciatus: At in charitate perfectâ non eſt cruciatus: Ergo in charitate perfectâ non eſt metus. pro quo jam dicit, Qui metuit, non eſt perfectus in charitate.*

20 Quomodo] πῶς: *Quaſi dicat, nullo modo id fieri poteſt.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

Auditores Evangelii.

1 Ex v.1. Non cuivis doctori credendum: ſed doctrina probanda eſt, an ſit ex Deo. Hujus autem probationis Lydius (ut vocant) lapis, eſt verbum Dei: cujus ſumma in articulis fidei Chriſtianæ ſeu ſymbolo Apoſtolico, & in decem præceptis Dei ſeu decalogo comprehenſa eſt: Legis quidem in hoc, Evangelii verò in illo. Confer Eph.4.v.14. *Ne circumferamur quovis vento doctrinæ &c.* Item 1.Theſſ.5.v.21. *Omnia explorate: quod bonum fuerit, retinete.* Item Matth.7. verſ.15. *Cavete vobis à pſeudoprophetis.*

Doctrina religionis.

2 Ex eod.v. Probatio doctrinæ religionis pertinet etiam ad Laicos quos vocant, id eſt, eos Chriſtianos qui non funguntur munere docendi in Eccleſia. quia Spiritus ſanctus tam illis, quàm ipſis doctoribus, probationem hanc mandat. Quare falſum eſt dogma Papiſtarum, quòd Laicis ſufficiat fides implicita: ut ſcil. credant quòd credit Eccleſia: quo nomine illi intelligunt cœtum cardinalium & epiſcoporum Pontificiorum, hoc eſt, Antichriſtianorum.

Conſolatio contra falſos doctores.

3 Ex eod. v. Quum videmus, hodie multos falſos doctores in Eccleſia regnare: non eſt quòd ea re, tanquam novâ atque inſolente, nimium perturbemur: quia jam olim ipſo tempore Apoſtolorum conſimilis Eccleſiæ ſtatus fuit. Confer 2.Pet.2. Act.20. v.29.& 30.

Fides ſeu religio Chriſtiana.

4 Ex v.2. & 3. Fundamentum fidei Chriſtianæ eſt hoc axioma, quòd Jeſus Chriſtus venerit in carnem: id eſt, quòd Jeſus ille Nazarenus, virginis Mariæ filius, ſit æternus & unigenitus filius Dei, qui conſtituto tempore aſſumſerit carnem, ſeu naturam humanam è ſubſtantia Mariæ virginis: & ſecundùm illam carnem unctus ſit in Chriſtum, hoc eſt, regem Eccleſiæ: nec non quòd per illam carnem, tanquam ſummus ſacerdos, Eccleſiam Deo reconciliarit, oblatione ſcilicet illius in cruce: adhæc quòd carnem illam in ſanctuarium cæleſte peracta in terris ſacrificio intulerit, & in illa perpetuò illic appareat coram facie patris, atque ita ſalutem ſacrificio ſuo ſemel Eccleſiæ partam perpetuò conſervet: denique quòd in illa carne ſit è cælo rediturus ad judicandum vivos & mortuos, ſuoſque ad ſeſe aſſumturus, ut in cælo cum ipſo perpetuâ beatitudine fruantur. Hoc fundamentum qui retinent, & doctrinam illi conſentaneam ſuperſtruunt, pro veris doctoribus habendi ſunt: pro falſis autem & Antichriſtis, qui fundamentum hoc evertunt. Evertere autem ſtatuendi ſunt, non ſolùm qui axioma illud expreſsè negant aut oppugnant: verùm etiam qui illud profitentes, interim dogmata propugnant, quæ cum illo fundamento non poſſunt conſiſtere, ſed illi repugnant. id quod hodie faciunt Papiſtæ & Ubiquitarii: quorum hi perſonam, illi officium Chriſti ſacerdotale inprimis evertunt. Confer 1.Cor.3.v.11.& deinceps.

Conſolatio contra ſeductionem.

5 Ex v.4. Contra periculum ac metum ſeductionis conſolari ſe debent pii ſpe certâ victoriæ. nam etſi Deus permittit, ut falſi doctores in Eccleſia exoriantur, & multos ſeducant: tamen per potentiam Spiritus ſancti in piis inhabitantis cuſtodit eos ac tuetur, ne in errorem exitialem inducantur.

Conſolatio contra ſeductores.

6 Ex v.5. & 6. Quum videmus, mundum applaudere ſeductoribus, & falſa eorum dogmata approbare, contra verò doctrinam Apoſtolorum improbare: non debet id nobis mirum videri: quia ſeductores mundi ingenio ſeſe accommodant. Verbi gratiâ, remiſſionem peccatorum homini contingere per Miſſam Pontificiam, vel etiam per ſacram Domini cœnam: dogma eſt accommodatum ingenio mundi. Etenim opinione iſtâ freti homines dediti voluptatibus mundanis, per totum annum ſecurè peccant: tum ſemel vel Miſſam audiunt, vel ſacram Domini cœnam percipiunt, ut tali velut potione medicâ ab omnibus peccatis purgentur: tum ad ingenium redeunt, & cupiditatibus ſuis iterum indulgent.

Dilectio proximi.

7 Ex v.7. & deinceps notanda ſunt argumenta, quibus moveri debemus ad diligendum proximum: quæ ſunt in Analyſi indicata atque expoſita.

Incarnatio filii Dei.

8 Ex verſ.9. & 10. Notandi ſunt duo fines incarnationis filii Dei: unus principalis, ut electis vitam æternam, quam per peccatum amiſerant, reſtitueret ſeu recuperaret: alter principali iſti ſubordinatus, ut peccata electorum expiaret ſuâ morte, atque ita Deum illis propitium ac faventem redderet. Eſſe autem hunc finem illi ſubordinatum, colligere eſt ex verbis Pauli Gal.3. v.13. & 14. ubi affirmat, *Chriſtum redemiſſe nos ab exſecratione Legis, dum pro nobis factus eſt exſecratio in cruce:* (quibus nimirum verbis ſignificat, Chriſtum peccata noſtra expiaſſe ſuâ morte in cruce. Sed cur? addit) *Ut in Gentibus benedictio Abrahæ exſtet in Chriſto Jeſu.* quibus verbis docet, Chriſtum ideo peccata noſtra expiaſſe, ut vitam æternam nobis acquireret. Etenim benedictio illa, Abrahæ promiſſa, vitam æternam, & quidem potiori ex parte, continet. Idem colligi poteſt ex ejuſdem epiſtolæ cap.4. v.4. & 5. ubi dicitur, *Deum emiſiſſe filium ſuum factum ex muliere, & factum Legi obnoxium, ut eos qui Legi erant obnoxii, redimeret:* nempe factus pro illis exſecratio in cruce, ſicut expreſsè affirmavit ſuprà cap.3. verſ.13. Atque ecce hic eſt finis incarnationis prior. Cui tanquam ſubordinato mox annectit alterum, inquiens, *ut adoptionem acciperemus:* id eſt, ut Deo per mortem Filii ipſius reconciliati, adoptaremur in filios, ac proinde hæredes vitæ æternæ. Atque hunc ſenſum quoque habet, quòd Paulus Rom.5.v.18. juſtificationem nominat *juſtificationem vitæ.* Etenim juſtificationem Paulus definit juſtitiæ imputatione: hanc autem prorſus eandem facit cum remiſſione peccatorum: Rom.4.v.5.6.7. Unde ſequitur, ſi Chriſtus nobis ſuâ morte acquiſivit remiſſionem peccatorum, quòd eâdem acquiſiverit quoque nobis vitam.

Vita æterna.

Errant igitur qui tradunt, vitam æternam nobis partam eſſe per ſanctam Chriſti vitam, ſeu obedientiam illam qua perfectiſſimè ſervavit Legem. Hoc enim ſi ita eſt: quid igitur opus fuit Chriſtum mori ut vitam nobis acquireret? quippe quam (ex illorum opinione) jam ante ſuam mortem nobis acquiſiverat ſanctè vivendo. At Chriſtum mori oportuit, ut vitam nobis acquireret: ſicut ex ſupradictis planum eſt. Non igitur per ſanctam Chriſti vitam vita nobis parta eſt. Quis igitur, inquiat aliquis, ſanctæ vitæ Chriſti uſus eſt? Hic nimirum, ut poſſet fieri ſanctus ſacerdos & ſancta victima ad expiandum noſtra peccata, atque ita ad vitam nobis recuperandam. Id teſtatur Paulus Heb.7. v.26. &

Petrus 1.Pet.1.v.19. Cæterùm error iste videtur natus partim ex fallaci quadam analogia causarum & effectorum, partim ex eo quòd non attendunt, quid sit vita illa æterna quam Christus nobis acquisivit. Etenim analogiam instituunt talem: Sicut per mortem Christi liberati sumus ab æterna morte: sic per vitam Christi adepti sumus æternam vitam. At, inquam, collatio ista falsa est: quia Scriptura utrumque illum effectum morti Christi attribuit, ut patet ex ante-dictis. Putant nimirum, effectum oportere similem esse causæ procreanti, ac proinde vitam nostram ex vita Christi deducunt. Sed hallucinantur ex homonymia. nam per vitam Christi intelliguntur sanctæ ejus actiones: at per vitam nostram non intelliguntur in hac quæstione sanctæ nostræ actiones, sed lætitia illa cordis quæ nascitur ex sensu paterni favoris Dei, per mortem Christi nobis conciliati. Atque hæc ipsa altera quam dicebamus, erroris causa est: quòd non attendunt illi ad propositam modò vitæ æternæ definitionem. Hoc enim si facerent: vitam æternam non aliunde nisi ex morte Christi deducendam viderent: quippe quâ solâ favor ille Dei paternus nobis partus est, expiatis scilicet nostris peccatis. Porrò illa vitæ æternæ definitio colligitur ex his Scripturæ dictis: Psalm.16.v.11. *Satietas lætitiarum apud faciem tuam: jucunditates in dextra tua semper.* Psal.17.v.15. *Satiabor specie tuâ.* Rom.14.v.17. *Regnum Dei non est esca & potus: sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Johan.5.v.27. *Amen amen dico vobis, veniet tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent.* Johan.6.v.53.& 54. *Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Dogma de merito congrui.

9 Ex v.10. Quum Apostolus testetur, quòd nos non priores dilexerimus Deum: falsum igitur est dogma Pontificiorum de merito congrui, quasi scilicet nos bonis operibus ante fidem & justificationem ex viribus liberi arbitrii factis mereamur de congruo favorem Dei. Nam si ex nobis ipsis non possumus Deum diligere, non etiam poterimus ullum bonum opus facere quod Deo placeat, quóve favorem ejus nobis conciliemus.

Quorum servator sit Christus. Vindicatio verborum Johannis, Pater misit Filium qui esset servator mundi.

10 Ex v.14. Cavendum ne verbis Apostoli abutamur ad stabiliendum dogma eorum, qui tradunt, Christum venisse ut servaret singulos homines. nam servator mundi à Johanne dicitur non hoc sensu: sed respectu electorum in omnibus populis seu nationibus totius mundi. Etenim *Mundi* vocabulum in talibus dictis opponitur falsæ opinioni Judæorum, putantium, Christum fore servatorem solius populi Judaici. Similis est locus Johan.3.v.16. Item supra cap.2.v.2. Cæterùm dogmatis illius falsitatem ostendo his duobus argumentis. 1. Quia Scriptura salutem à Christo afferendam, atque etiam ex parte jam allatam, generi humano, restringit in plurimis locis ad electos. ut Psal.22. v.23. *Enarrabo nomen tuum* FRATRIBUS *meis &c.* Et v.27. *Comedent* MANSUETI, *& saturabuntur: laudabunt Jehovam,* QUI QUÆRUNT EUM: *vivet animus* VESTER *in sempiternum.* Esa.53.v.11. *Cognitione sui justificabit justus servus meus* MULTOS: *& iniquitates ipsorum bajulabit.* Matth.1.v.21. *Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim servabit* POPULUM SUUM *à peccatis eorum.* Matth.26.v.28. *Hoc enim est sanguis meus, ille novi Testamenti, qui* PRO MULTIS *effunditur in remissionem peccatorum.* Eadem verba repetuntur Marc.14. vers.24. Johan.10.v.11. *Ego sum pastor ille bonus. Bonus pastor animam suam dat* PRO OVIBUS. Et c.11.v.51.& 52. *Prophetavit* (Cajaphas) *fore ut Jesus pro illa gente moreretur: nec tantùm pro illa gente, sed ut etiam* FILIOS DEI *dispersos cogeret in unum.* Et cap.17.v.2. *Sicut dedisti ei authoritatem in omnem carnem, ut* QUOTQUOT DEDISTI EI, *det eis vitam æternam.* Et v.9. *Ego* PRO EIS *rogo:* NON PRO MUNDO *rogo; sed* PRO IIS QUOS DEDISTI MIHI, *quia tui sunt.* Et v.24. *Pater,* QUOS DEDISTI MIHI, *velim ut ubi sum ego, & illi sint mecum &c.* Act.20.v.28. QUAM (scilicet Ecclesiam Dei) *proprio sanguine acquisivit.* Rom.5.v.19. *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam, justi constituentur* MULTI. Eph.5.v.25. *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit* ECCLESIAM, *& semetipsum exposuit pro ea &c.* Heb.2.v.14. *Quoniam igitur* PUERI ILLI *participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet, hoc est, Diabolum &c.* Et cap.9.v.28. *Ita & Christus semel oblatus, ut* MULTORUM *peccata tolleret &c.* Et c.10. v.14. *Unicâ enim oblatione consecravit in perpetuum* EOS QUI SANCTIFICANTUR.

2 Quia Scriptura salutem à Christo afferendam restringit ad credentes. ut Johan.3.v.16. *Sic Deus dilexit mundum. ut filium suum unigenitum dederit, ut* OMNIS QUI CREDIT IN EUM, *non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et cap.5.v.24.& 25. *Amen amen dico vobis,* QUI SERMONEM MEUM AUDIT, ET CREDIT *ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transivit à morte in vitam. Amen amen dico vobis, veniet tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei: &* QUI AUDIERINT, *vivent.* Et cap.6. v.35. QUI VENIT *ad me, nequaquam esuriet: &* QUI CREDIT *in me, non sitiet unquam.* Item v.54. QUI EDIT *carnem meam,* ET BIBIT *meum sanguinem, habet vitam æternam.* Et cap.12.v.46. *Ego lux in mundum veni, ut* OMNIS QUI CREDIT IN ME, *in tenebris non maneat.* Et cap.17.v.20. *Non pro eis autẽ rogo tantùm, sed &* PRO IIS QUI PER SERMONEM EORUM CREDITURI SUNT IN ME. Act.10.v.43. *Huic omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus, omnem* QUI CREDIDERIT IN EUM. Et cap.13.v.39. *Per hunc omnis* QUI CREDIT, *justificatur.* Rom.1.v.16. *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni* CREDENTI. Et cap.3.v.25. *Quem* (Christum) *proposuit Deus ut esset placamentum* PER FIDEM *in sanguine ipsius.* Et c.4. v.23.& 24. *Non scriptum est autem propter eum solum, quòd imputatum fuerit ei: sed etiam propter nos, quibus futurum est ut imputetur,* IIS QUI CREDUNT *in eum &c.* Et cap.8. vers.1. *Nulla igitur nunc est condemnatio* IIS QUI SUNT IN CHRISTO JESU. 1.Cor.1.v.23.& 24. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam: ipsis autem* VOCATIS (nempe efficaciter: quippe quos elegit, ex collatione v.27.& 28.) *Christum, Dei potentiam ac Dei sapientiam.* Heb.5.v.9. *Et consecratus factus est author salutis omnibus* QUI IPSI AUSCULTANT.

Veruntamen in contrarium afferri solent quædam Scripturæ loca, quæ paucis declaranda sunt: ut appareat, illa modò commemoratis non repugnare. Matth.11.28. *Venite ad me* OMNES *qui laboratis & onerati estis: & ego refocillabo vos.* Respondeo: Christus hìc promittit, se refocillaturum eos qui ad ipsum venerint: hoc est, qui sub onere peccati gementes, gratiam ipsius expetiverint ac fide amplexi fuerint. non ergo omnes simpliciter. Johan.1.v.29. *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum* MUNDI. Resp. Vocabulo MUNDI hìc non intelliguntur singuli homines, sed omnes electi totius mundi. Johan.3.v.16. *Sic Deus dilexit* MUNDUM, *ut filium suum unigenitum dederit, ut* OMNIS *qui credit in eum, non pereat &c.* Resp. Hìc salus per Christum afferenda, disertè restringitur ad credentes. non ergo statuitur communis omnium hominum. Joh.12.32. *Et ego, si sublatus fuero è terra,* OMNES *traham ad me.* Respondeo: Intelligit omnes eos, qui ipsi dati erant à Patre: sicut percipitur ex ipsius verbis cap.17. v.19. Rom.5.v.18. *Sicut per unius lapsum reatus venit in omnes homines ad condemnationem: ita per unius justitiam justificatio venit in* OMNES HOMINES *ad justificationem vitæ.* Respondeo: Nempe in omnes qui Christo, tanquam alteri Adamo, per fidem inseruntur. Nam quòd non intelligatur de singulis hominibus, ipse mox versu sequente declarat: ubi eandem sententiam repetens, pro vocabulo OMNES substituit vocabulum MULTI. 2.Tim.2.v.4. *Qui* (Deus) OMNES HOMINES *vult servari, & ad agnitionem veritatis venire.* Et mox vers.6. *Qui* (Christus) *sese dedit redemtionis pretium* PRO OMNIBUS. Respondeo: Vocabulum OMNES hìc significat non singulos, sed omnis ordinis homines: ut liquet ex collatione v.1.& 2. Tit.2. v.11. *Illuxit gratia Dei salutifera* OMNIBUS HOMINIBUS. Respondeo: Hìc quoq; vocabulum OMNES notat omnis ordinis homines: ex collatione loci modò citati ex 1.Tim.2. 2.Pet.3. v.9. *Patiens est Dominus erga nos,* NON VOLENS ALIQUOS PERIRE, *sed* OMNES *ad resipiscentiam tendere.* Resp. Petrus loquitur non de singulis hominibus, sed de solis electis. ait enim, *Erga* NOS: nempe qui per Evangelium sumus vocati, & adhuc vocamur, ac proinde habendi in numero electorum. 1.Joh.2.v.2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam* PRO TOTIUS MUNDI PECCATIS. Resp. Vocabulo MUNDI non intelligit Johannes singulos homines in mundo, sed tantùm omnes credentes. ait enim, *Pro peccatis nostris.* Scil. qui credimus in Christum. Usus hujus doctrinæ est, ut eò majores gratias Deo agamus, quòd præteritis multis aliis, nobis Christum in servatorem donavit: quum tamen æternam damnationem non minùs, ac alii, meriti simus.

Vindicatio verborum, Per hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus &c.

11 Ex vers.17. & 18. Cavendum ne verbis Apostoli abutamur ad stabiliendum dogma Pontificiorum de merito charitatis, quasi scilicet charitate promereamur favorem Dei, ac proinde ex conscientia illius meriti fiduciam habeamus in die judicii. Non enim hæc est mens verborum Johannis: sed sentit, fiduciam illam manare ex fide. quippe per quam efficimur filii Dei: at nos verâ fide esse præditos, colligimus ex charitate, tanquam proprio effecto.

Vindicatio verborum, Perfecta charitas foras ejicit metum.

12 Ex iisdem versibus. Cavendum ne verbis Apostoli abutamur ad stabiliendum dogma de perfectione sanctitatis: quasi scilicet ita perfectè in hac vita possimus Deum & proximum diligere, ut nihil prorsus in illa dilectione possit desiderari. Non enim ista est mens verborum Johannis: sed *perfectionis* vocabulo intelligit sinceritatem & serium studium atque conatum diligendi Deum & proximum. nam quòd perfectio illa qua omne peccatum excluditur, non cadat in renatos in hac vita, expressè docuit suprà c.1.v.8.& 10.

13 Ex v.19. Recurrit hìc eadem observatio quam annotavimus suprà ad v.10.

Dilectio

14 Ex v.20.& 21. Dilectio Dei & proximi individuo nexu inter se cohærent. Quare qui proximum non diligit, is dilectionem Dei falsò sibi tribuit.

ANALY-

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Initio monet, dilectionem proximi fidelis individuo nexu cohærere cum dilectione Dei: deinde docet, unde habeamus vires ad servandum mandata Dei: tum testimoniis divinis confirmat, Jesum esse Christum, authorem vitæ æternæ omnibus in eum credentibus: præterea hortatur ad fidem testimoniis illis habendam: adhæc commendat fidelibus preces, concipiendas tum pro seipsis, tum pro fratre peccante non ad mortem: præterea fideles contra metum peccati ad mortem consolatur, eâq; occasione amplissimum Domino Jesu testimonium reddit: postremò monet ut sibi caveant ab idolis. Ita sunt septem hujus capitis particulæ.

PARTICULA PRIMA.

Dilectio proximi cum dilectione Dei cohæret.

Quisquis credit Jesum esse Christum, ex Deo genitus est: & quisquis diligit eum qui genuit, diligit etiam eum qui ex eo genitus est.

2 Per hoc cognoscimus, nos diligere filios Dei; quum Deum diligimus, & mandata ejus servamus.

Dilectionem proximi fidelis non posse à dilectione Dei divelli, hoc syllogismo demonstrat:

> *Quisquis diligit genitorem, diligit etiam eum qui ex eo genitus est.*
>
> *Atqui Deus est genitor fidelium, & vicissim fideles ex Deo geniti sunt.*
>
> *Ergo qui diligit Deum, diligit etiam fideles.*

Assumtio præcedit, ibi: *Quisquis credit &c.* Propositio annectitur, ibi: *Et quisquis diligit &c.* Deinde monet quænam sit vera dilectio proximi, nempe quæ à dilectione Dei, tanquam causâ, dependet. hoc significat quum ait v. 2. *Per hoc cognoscimus, nos diligere* (scilicet verè) *filios Dei, quum Deum diligimus.* Tum ostendit, quánam in re dilectio Dei consistat, videlicet in observatione mandatorum ejus. Hoc significat, quum per epexegesin præcedenti sententiæ annectit hæc verba, *Et mandata ejus servamus.* Quod ipsum mox v. 3. disertè exprimit, inquiens: *Hæc est enim charitas Dei,* (id est, hac in re consistit charitas quâ diligimus Deum) *ut mandata ejus servemus:* id est, quum ita animis affecti sumus, ut studeamus servare mandata ejus.

PARTICULA SECUNDA.

Unde fidelibus suppetant vires ad servandum mandata Dei.

3 Hæc est enim charitas Dei, *qua fit* ut mandata ejus servemus: & mandata ejus gravia non sunt.

4 Quoniam quicquid genitum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum, *nempe* fides nostra.

5 Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, Jesum esse filium illum Dei?

Proximam sententiam de observatione mandatorum Dei, amplificat prolepsi: quâ occurrit opinioni difficultatis, quasi scilicet ita difficile sit servare mandata Dei, ut fideles id præstare nullo modo possint. Hoc igitur Apostolus negat, inquiens: *Et mandata ejus gravia non sunt.* id est, non sunt ita difficilia fidelibus, ut eos nimiùm gravent, ut cogantur sub onere succumbere. Et hanc sententiam mox probat, exponens, unde fidelibus suppetant vires ad præcepta Dei servandum, videlicet à spiritu adoptionis, atque adeò ab ipsa fide, per quam à Deo in filios sunt adoptati. Id exponit v. 4. inquiens: *Quoniam quicquid natum est ex Deo, vincit mundum:* & ex consequenti servare potest mandata Dei: quum non impediatur in illis servandis à mundo, id est, à cupiditatibus mundanis. tum addit, *Et hæc est victoria quæ vicit mundum, fides nostra.* nam qui certò credit, se indignum paternè à Deo diligi propter Christum: is per hanc fidem accenditur dilectione Dei, & per consequens studio servandi mandata ejus. Præterea v. 5. sententiam illam de fide repetit, & clariùs exponit, inquiens: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, Jesum esse filium Dei?* Subaudi: *& esse credentibus in ipsum, authorem adoptionis ac vitæ æternæ.*

PARTICULA TERTIA.

Jesum esse Christum.

6 Hic ille est qui vênit per aquam & sanguinem, *nempe* Jesus Christus: non per aquam solùm, sed per aquam & sanguinem. Et spiritus is est qui testificatur, spiritum veritatem esse.

7 Nam tres sunt qui testificantur in cælo; Pater, Sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.

8 Et tres sunt qui testificantur in terra; spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres in unum consentiunt.

Sententiam proximè pronunciatam de Jesu, quòd sit filius Dei, author scil. vitæ æternæ credentibus in ipsum; deinceps confirmat testimoniis divinis. Ac primùm affert cærimonias legales ablutionum & sacrificiorum expiatoriorum, ubi ait: *Hic ille est qui venit per aquam & sanguinem.* quasi dicat:

> *Ille qui vênit per aquam & sanguinem, est filius Dei, Christus.*
>
> *At Jesus vênit per aquam & sanguinem.*
>
> *Ergo Jesus est filius Dei, Christus.*

Propositio omissa est. Nititur autem ejus veritas testimonio divino legalium ablutionum & sacrificiorum expiatoriorum: quippe per quas cærimonias Deus testatus est, Christum venturum cum sacrificio expiatorio, seu fore ut sanguis Christi fundatur ad abluendum credentes à peccatis: id quod Johannes hîc vocat, *Venire per aquam & sanguinem.* Assumtio exprimitur ibi: *Hic ille est &c.* & mox per commorationem repetitur, ibi: *Non per aquam solùm.* Quâ repetitione Johannes videtur innuere miraculosum illud πάθος, quod in Christo jam in cruce mortuo accidit, quum latere ejus lanceâ aperto, inde effluxit sanguis & aqua: quam historiam Johannes solus in suo Evangelio commemorat, idque cum singulari asseveratione, Johan. 19. vers. 34. & 35. unde percipitur, miraculum illud mysterium esse magnæ rei: videlicet testimonium divinum de Christo & morte illius: quòd nimirum sanguine ejus: cum sensu iræ Dei adversus nostra peccata in cruce effuso, abluti sint credentes ab omnibus peccatis. Ex his jam intelligitur, assumtionem syllogismi propositi miraculo illo tanquam testimonio divino comprobari. Cæterùm conclusio præcessit v. 5. Porrò huic testimonio quod sumtum est ex veteri Testamento, adjungit alterum, quod est Testamenti novi, videlicet Evangelium: quod Johannes hîc vocat *spiritum*, sicut & Paulus 2. Cor. 3. v. 6. idque propterea, quia est ministerium spiritus, sicut ibidem vers. 9. à Paulo declaratur. Ministerium autem spiritus dicitur, quia Spiritus sanctus per ipsum vivificat, sicut ibidem tradit Paulus v. 6. Quò etiam facit, quòd Paulus Evangelium nominat testimonium Christi, hoc est, de Christo. Hujus testimonii veritatem confirmat Johannes testimonio interiore Spiritus sancti, ut qui veritatem Evangelii cordibus electorum persuadet & obsignat. Istud totum significatur his verbis: *Et Spiritus* (scilicet sanctus) *is est qui testificatur,* (scilicet cordibus electorum) *spiritum* (id est, Evangelium) *esse veritatem:* hoc est, verum testimonium de Christo. Hanc testimoniorum recitationem Johannes deinceps vers. 7. & 8. expolit expressione numeri, & additione testimoniorum aliorum per collationem parium, & distributionem è subjecto loco. Ait igitur: *Nam tres sunt qui testificantur in cælo* (scilicet de Jesu, quòd ipsi sit filius Dei, Christus) *Pater, Sermo, & Spiritus sanctus.* Ac patris quidem testimonium cælitus pronuntiatum fuit in baptismo Christi, ejusque transfiguratione in monte, Matth. 3. v. ult. & cap. 17. v. 5. Sermo autem, id est, Filius de seipso testatus est tum docendo, tum doctrinam suam miraculis confirmando. Vide Johan. 4. v. 26. & cap. 5. v. 17. & deinceps: & c. 6. v. 29. & deinceps: & cap. 7. v. 46. & cap. 8. v. 12. & deinceps: & cap. 10. v. 24. & deinceps. Porrò Spiritus sanctus testificatus est de Christo, primò quum Christus baptizaretur; tunc enim in specie columbæ è sublimi descendit, ac super Christo requievit, Matth. 3. v. 16. Johan. 1. v. 33. & 34. deinde quum in die Pentecostes missus est super Apostolos, secundùm promissionem Christi: unde illi virtute ex alto induti, intrepido animo ac plenis buccis prædicarunt, Jesum esse Christum, authorem remissionis peccatorum & vitæ æternę omnibus in ipsum credentibus. Vide Act. 1. v. 5. & 8. & cap. 2. v. 1. ac deinceps. Atque hi sunt tres testes qui testificantur in cælo: quorum testimonium confirmat à mutuo illorum consensu, inquiens, *Et hi tres unum sunt,* videlicet una essentia, ac proinde in unum consentiunt. Deinde v. 8. eodem modo confirmat testimonium trium testium qui testificantur in terra: ubi per spiritum intelligo; ut antea, Evangelium: per aquam verò & sanguinem, aquam illam & sanguinem illum quæ fluxerunt ex latere Christi: quatenus iis adumbrata fuit vis atque efficacia mortis Christi, per ablutiones & expiationes legales olim præfigurata. Nec tamen fuerit absurdum, si quis hoc loco per ἀνάκλασιν nomine *aquæ* intelligat Baptismum; nomine verò *sanguinis* cænam Dominicam: dummodo vocabulum *sanguinis* accipiatur non propriè, quasi sanguis Christi jam sit in terra: sed metonymicè & synecdochicè pro sacra cæna; quæ corporis & sanguinis Christi sacramentum est. Etenim & Baptismus & Cæna de Jesu testificantur, quòd ipse sit Christus: cujus sanguis nos purget ab omni peccato; item cujus corpus & sanguis in cruce per passionem Christi effecta sint credentibus cibus ac potus vitæ æternæ. Si quis tamen aquam & sanguinem hîc eadem significatione accipienda censeat quâ paulo-antè: tum Baptismi & Cænæ Dominicæ testimonium per synecdochen contineri dicendum erit vocabulo *Spiritus*, eò quòd Evangelii appendices sint, tanquam imagines scilicet & sigilla, ad illud ampliùs declarandum atque obsignandum adhibita.

PARTICULA QUARTA.

Testimoniis illis de Christo credendum.

9 Si testimonium hominum accipimus; testimo-

lium Dei majus est. nam hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo.

10 Qui credit in filium Dei, habet testimonium illud in seipso: qui non credit Deo, mendacem eum fecit; quia non credidit testimonio quod testificatus est Deus de filio suo.

11 Est autem hoc testimonium, *nempe* quòd vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in filio ejus est.

12 Qui habet filium, habet vitam: qui non habet filium Dei, vitam non habet.

13 Hæc scripsi vobis qui creditis in nomen filii Dei: ut sciatis vos vitam æternam habere, & credatis in nomen filii Dei.

Hîc hortatur ad fidem testimoniis illis habendam. Ac primùm v.9. testimonium Dei patris commendat per comparationem minoris, videlicet testimonii hominum. Deinde v.10. & deinceps commendat fidem quæ testimonio illi habetur, & contrà incredulitatem damnat. Ac fidem quidem commendat ab effectu utili, videlicet vitâ æternâ: incredulitatem verò damnat partim ab adjuncta impietate, quia Deum facit mendacem: partim ab effectu inutili, quia hominem excludit à vita. Postremò vers.13. doctrinam hanc de utili effectu fidei, specialiter applicat iis ad quos scribit; atque hunc ipsum fuisse scriptionis suæ scopum affirmat.

PARTICULA QUINTA.

Precandum.

14 Et hæc est fiducia quam apud eum habemus; ipsum, si quid petierimus secundùm voluntatem ejus, nos audire.

15 Quòd si scimus, eum audire nos; quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones quas ab eo petivimus.

16 Si quis viderit fratrem suum peccare peccato *quod* non *tendit* ad mortem, petet, & dabit ei vitam: peccantibus, *dico*, non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget.

17 Omnis injustitia peccatum est: sed est peccatum *quod* non *tendit* ad mortem.

Hîc commendat fidelibus preces, idque (ut videtur) per prolepsin. nam contra illud de effectu fidei pronuntiatum, poterant excipere, se vitam æternam nondum habere: ut qui adhuc peccatum circumferant, & variis miseriis subjecti sint. Respondet Apostolus, interim habere ipsos fiduciam petendi, atque impetrandi à Deo quicquid adhuc ad perfectionem vitæ æternæ deest: dummodo petant secundùm ejus voluntatem. Significat igitur, credentes habere initium vitæ æternæ: quod autem adhuc deest, precibus impetrari ut addatur, donec suo tempore sequatur perfectio, videlicet post hanc vitam. Vers.16. alium usum precum ostendit ac præcipit, videlicet ut adhibeantur pro fratribus quos viderimus peccare non ad mortem, id est, ejusmodi peccato, quod non certam mortem sive exitium secum trahit. Matth.12. v.31.32. Itaq; peccatum ad mortem disertè excipit. Est autem illud quod aliàs nominatur peccatum & blasphemia in Spiritum sanctum: quippe quod Christus remitti posse negat. nempe quum quis veritatem Evangelii per illuminationem ac testificationem Spiritus sancti à se intellectam & creditam, ex Diabolica malitia negat & blasphemat, illiusque confessores odit ac persequitur. Vers.17. declarat, quid intelligat per peccatum non ad mortem, videlicet omnem ἀδικίαν, id est injustitiam. quo vocabulo videtur significare omnis generis peccata quæ admittuntur contra utramque Legis tabulam, ita ut nec Deo nec proximo suum tribuatur.

PARTICULA SEXTA.

Fideles non peccant ad mortem.

18 Scimus, quòd quisquis genitus est ex Deo, non peccat: sed qui genitus est ex Deo, conservat seipsum, & malus ille non tangit eum.

19 Scimus, nos ex Deo esse; at mundus totus in malo illo jacet.

20 Sed scimus, filium Dei venisse, & dedisse nobis mentem ut cognoscamus verum illum: & sumus in vero illo, *&* in filio ejus Jesu Christo. hic est verus ille Deus, & vita illa æterna.

Quoniam mentionem fecit peccati ad mortem, nunc fideles consolatur: ne metuant fore ut in illud incidant, atque ita in æternum pereant. Hoc igitur Apostolus fieri posse negat, propterea quòd ex Deo geniti sint. Contrà, reprobos isti peccato obnoxios esse, ut qui toti jaceant in maligno illo, id est, Diabolo. Vere-credentes autem esse in vero illo, id est, in Deo, tum patre tum filio: ac proinde habere ac retinere vitam æternam.

PARTICULA SEPTIMA.

Idola fugienda.

21 Filioli, cavete vobis ab idolis. Amen.

Ad extremum monet, ut sibi caveant ab idolis: quippe quæ fidei Christianæ ex diametro adversentur.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 Ex Deo genitus est] ἐκ Θεοῦ γεγέννηται. *Confer* Johan.1.v.12. 13. Eum qui genuit] τὸν γεννήσαντα. *Seu genitorem, id est, patrem cujuspiam. Est enim sententia hæc generalis, ex medio petita.*

3 Charitas Dei] ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ. *Qua scil. diligimus Deum: ut patet ex ipsa sententia. Qua fit* ut mandata &c.] ἵνα τὰς ἐντολὰς *&c. Similis appositio ἐπεξηγητικὴ fuit suprà cap.4.v.17. & cap.3. v.23.* Gravia non sunt] βαρεῖαι οὐκ εἰσίν. *Intellige, credentibus in Christum. Etenim jugum Christi illis suave est, & onus ejus leve: Matth.11.v.ult. Facilitatis autem hujus causa efficiens exponitur versu sequente.*

4 Quicquid genitum est ex Deo] πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Θεοῦ. *Id est, Quicunque geniti sunt ex Deo. nam de solis hominibus loquitur. Synecdoche generis.* Vincit mundum] νικᾷ τὸν κόσμον. *Id est, Cupiditates mundi, quibus scil. mundus indulget.* Fides] ἡ πίστις. *Nam ubi fides, ibi etiam nova obedientia. Fieri enim nequit, quin qui certò persuasus est, sibi indigno missum esse à Deo filium unigenitum in servatorem: is studeat Deo placere, & gratiam pro tanto beneficio referre per obedientiam erga mandata ipsius.*

5 Jesum esse filium illum Dei] ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *Intellige ut suprà v.15.*

6 Per aquam & sanguinem] δι' ὕδατος καὶ αἵματος. *Confer Johan.19. v.34. & 35.* Non per aquam solùm] οὐκ ἐν τῷ ὕδατι μόνον. Ἐν *pro* διὰ, *ut patet ex membro præcedente.* Et Spiritus] καὶ τὸ πνεῦμα. *Nempe Spiritus sanctus. Synecdoche generis.* Is qui testificatur] τὸ μαρτυροῦν. *Scilicet cordibus nostris.* Spiritum esse &c.] ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστι. *Id est, Evangelium: ut 2.Cor.3.v.6. Metonymia adjuncti: quia Spiritus Evangelio adjunctus est suâ efficaciâ in electis.*

7 Tres sunt &c.] τρεῖς εἰσιν. *Syntaxis est.* Tres sunt in cælo qui testificantur. *Scilicet de Christo: eum esse Filium illum Dei. Neque enim hoc dicitur: tres illos testari in cælo seu apud cælites: sed significatur, esse testes cælestes, qui quidem de Christo testificati sunt in terra apud homines.* Unum sunt] ἕν εἰσι. *Videlicet essentiâ, ac proinde etiam voluntate. Sic Johan.10.v.30. ait Christus,* Ego & Pater unum sumus. *Scil. essentiâ, ac proinde etiam potentiâ.*

8 Et tres sunt] καὶ τρεῖς εἰσιν. *Similis syntaxis ut v.7.* Spiritus] τὸ πνεῦμα. *Id est, Evangelium: ut in fine versus sexti.* Et aqua & sanguis] καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα. *Sive aqua illa & sanguis ille qui effluxit è latere Christi mortui in cruce: sive aqua Baptismi & poculum Domini, quod sanguinis ipsius symbolum est.* In unum consentiunt] εἰς τὸ ἕν εἰσιν. *Ad verb. in unum sunt. scil directa: hoc est, in unum tendunt: eundem scopum atque finem propositum sibi habent, videl. testari de Christo.*

9 Testimonium Dei majus est] ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ μείζων ἐστί. *Id est, multò magis accipere debemus testimonium Dei: quippe quod est majus seu fide dignius. Synecdoche metonymica: qualis suprà cap.3.v.20.*

10 Testimonium illud] τὴν μαρτυρίαν. *Videl. testimonium illud Dei, cujus modò facta mentio. Non igitur negligenda hoc loco vis articuli ἀναφορικὴ.* Mendacem eum fecit] ψεύστην πεποίηκεν αὐτόν. *Ut suprà cap.1.v.ult.*

11 In filio ejus est] ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐστιν. *Scilicet tanquam in fonte, unde in credentes manat. Etenim ex plenitudine ejus accepimus omnes, Joh.1.v.16.*

12 Qui habet filium] ὁ ἔχων τὸν υἱόν. *Habetur is autem per fidem: quippe per quam habitat in cordibus nostris, Eph.3.v.17.*

13 Qui creditis in nomen filii Dei] τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. *Id est, qui fiduciam salutis repositam habetis in filio Dei.* Ut sciatis &c.] ἵνα εἰδῆτε *&c. Confer Joh.20.v.31. ubi hæ ipsæ duæ sententiæ continentur, sed ordine inverso, & quidem naturali. nam fides vitam antecedit, ut causa efficiens effectum.*

14 Apud eum] πρὸς αὐτόν. *Videlicet Deum.* Nos audire] ἀκούει ἡμῶν. *Id est, exaudire, & dare quæ petimus. Metonymia effecti destinati synecdochica.*

15 Nos habere petitiones] ὅτι ἔχομεν τὰ αἰτήματα. *Id est, ea quæ petierimus. Habere, id est, impetrare ab ipso. Metonymia effecti.*

16 Peccare] ἁμαρτάνοντα. *Pro,* ἁμαρτάνειν. *Græcismus.* Peccare peccato] ἁμαρτάνοντα ἁμαρτίαν. *Ad verb. Peccare peccatum. Græcismus. Quod* non *tendit* ad mortem] μὴ πρὸς θάνατον. *Scilicet τείνουσαν, vel φέρουσαν. Id est, quod non necessariò parit mortem. Præpositio* πρὸς *hic non notat finem, id est, causam finalem: sed eventum: ut Matth.5.v.28. Qui aspicit uxorem proximi* πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι. Petet] αἰτήσει. *Id est, rogabit Deum pro illo fratre ut ei ignoscat, datâ resipiscentiâ.* Et dabit] καὶ δώσει. *Nempe Deus rogatus.* Ei] αὐτῷ. *Fratri illi.* Fratris *autem nomine intelligit proximum, qui eandem nobiscum fidem, ac proinde eundem in cælis patrem profitetur.* Vitam] ζωήν. *Videlicet vitam æternam: remissis scilicet illi*

cat illi peccatis propter Christum. Synecdoche generis. Pro illo] *περὶ ἐκείνης. Pro, ὑπὲρ ἐκείνης.* Ut roget] *ἵνα ἐρωτήσῃ. Scilicet τις, Aliquis.*

18 Non peccat] *οὐχ ἁμαρτάνει. Scilicet ad mortem: ex collatione praecedentium. Synecd.gen.* Conservat seipsum] *τηρεῖ ἑαυτὸν. Solicitè sibi cavet ab illa blasphemia in Spiritum sanctum, quæ est peccatum ad mortem rectà tendens ac certò ferens. Synecd.gen.* Malus ille] *ὁ πονηρὸς. Id est, Diabolus. Synecd.gen.* Non tangit eum] *οὐχ ἅπτεται αὐτοῦ. Non potest illum inducere in istam blasphemiam, atq; ita letaliter tangere. Synecd. metaphorica.*

19 Mundus totus] *ὁ κόσμος ὅλος. Id est, omnes non-renati. Observa, vocabulum* mundi *hic aliter accipi quàm suprà cap.2.v.2. Illic enim Apostolus sese & Christianos ad quos scribit, fecit partem mundi: at hic se & illos mundo opponit tanquam ab illo separatos.* In malo illo] *ἐν τῷ πονηρῷ. Id est, Diabolo: ut versu praecedente.* Jacet] *κεῖται. Id est, illi addictus est.*

20 Venisse] *ὅτι ἥκει. Aut legendum ἧκε, in aoristo primo: aut fuerit enallage temporis.* Verum illum] *τὸν ἀληθινὸν. Videlicet verum illum Deum: ut mox ipse declarat in fine versus: & cui versu ultimo opponit idola, tanquam deos falsos atque fictitios. Ellipsis. Confer* Johan.17. v.3. Et sumus in vero illo] *καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ. Videlicet Deo patre.* Et in filio ejus] *ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ. Deesse hîc conjunctionem copulativam, ex reipsa planum est. Etenim absque illa fuerit appositio, quâ unus & idem dicetur suiipsius filius: id quod simpliciter impossibile est.* Vita illa æterna] *ἡ ζωὴ αἰώνιος. Id est, vitæ æternæ author omnibus in eum credentibus. Metonymia effecti.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

1 Ex v.1. & 2. Recurrit observatio annotata ad finem capitis præcedentis.

Fides. 2 Ex v.1. Fidei justificantis principale objectum est Christus, videl. qualis proponitur in Evangelio.

Fides. 3 Ex eod. vers. Fides justificans originem suam habet à Deo, quatenus is hominem regenerat suo spiritu, per prædicationem scil. Evangelii. Confer Joh.1.v.12.& 13.

Dilectio proximi. 4 Ex v.2. Ea demum vera est proximi dilectio, quæ à dilectione Dei manat.

Mandatorum Dei observatio. 5 Ex v.2. & 3. Is demum mandata Dei verè servat, qui Deum diligit, ac proinde qui eum pro patre in Christo agnoscit.

Dilectio Dei. 6 Ex iisdem versib. Is demum Deum diligere putandus est, qui mandata ejus servare studet.

Lex Dei. Antilogiæ apparentis conciliatio. 7 Ex v.3. Quum Johannes hoc loco dicat, mandata Dei non esse gravia, id est, difficilia observatu: considerandum venit, quomodo hoc dictum consentiat cum iis scripturæ locis, ubi traditur, *Legem esse jugum importabile,* Act.15. v.10. item, *impossibile fuisse Legi, hominem justificare, eò quòd infirmabatur per carnem,* Rom.8.v.3. item *Legem esse spiritualem, hominem verò carnalem,* Rom.7. v.14. Tenendum igitur, Legem esse observatu impossibilem, tum non-renatis, tum etiam renatis, quo ad observationem perfectam, & omnibus numeris absolutam, qualis requiritur in iis, qui per Legem volunt justificari & vitam æternam consequi: Veruntamen non esse impossibilem observatu renatis, quoad inchoationem. De hoc posteriore modo observandi Legem loquitur hoc loco Johannes: de priore verò illo loquuntur loca allegata. Unde jam perspicitur, loca illa cum hoc non pugnare.

Fides. 8 Ex v.4.& 5. Fides Christiana non est res otiosa, sed exercet perpetuum certamen cum mundo, id est, concupiscentiis pravis, quibus indulget mundus: illasque per gratiam Spiritus sancti vincit, ita nimirum ut illis non permittat regnum aut dominatum, sed eas subigat & cohibeat.

Quòd Jesus sit Christus. 9 Ex 6. & deinceps. Notanda sunt testimonia divina, quibus confirmatur, Jesum Mariæ virginis filium, esse filium Dei, & Christum seu servatorem mundi.

Cærimoniæ legales. 10 Ex v.6. ex verbis, *Qui venit per aquam & sanguinem.* Cærimoniæ legales (ut ablutionum & sacrificiorum expiatoriorum) institutæ fuerunt, ut populum erudirent de Christo venturo, ac in fide illius confirmarent. Confer Gal.3.v.23.& 24. Heb.8.v.5.& cap.9.v.9.23.24. & cap.10.v.1.& deinceps.

Sanguis Christi. 11 Ex iisdem verbis. Sanguis Christi (quatenus nimirum effusus est in cruce cum sensu iræ Dei) vim habet purgandi à peccatis omnes eos qui in ipsum credunt.

Ministerium Evangelii. 12 Ex eod. v. ex verbis: *Spiritus est is qui testificatur, spiritum veritatem esse.* Ministerium Evangelii adjunctam habet efficaciam Spiritus sancti, obsignantis illud cordibus electorum. Quare ministerio illo reverenter est utendum.

Deus. 13 Ex vers.7. Tres personæ S. Trinitatis sunt una essentia seu unus Jehova. Confer Deut.6.v.4. Joh.10.v.30.

Baptismus. Cœna Dominica. 14 Ex v.8. Unus & idem scopus atque usus est baptismi & cœnæ Dominicæ, qui est ipsius Evangelii: videl. testificari de Christo, & per consequens fidem nostram confirmare. Quare illis abutuntur, qui utuntur in alium finem: ut qui in illis quærunt remissionem peccatorum. Hæc observatio nititur illâ expositione, qua per aquam & sanguinem hîc intelligitur baptismus & cœna Dominica: per spiritum verò, Evangelium.

Cœna Dominica. 15 Ex eod.v. Cavendum hîc est sophisma eorum, qui hoc loco abutuntur ad stabiliendum falsum dogma de præsentia corporali corporis & sanguinis Christi in terra, videlicet in pane & vino cœnæ Dominicæ. Nam etsi illis concedatur, (quod tamen concedi non est necesse) per sanguinem hîc debere intelligi cœnam Dominicam: non tamen hinc sequitur, sanguinem Christi jam esse in terra: quia cœna Dominica appellabitur sanguis (videlicet sanguis Christi) non propriè loquendo: sed per tropum metonymiam, eò quòd sanguinis illius sacramentum est, testificans nimirum, quòd sanguis ille sit effusus pro nobis in remissionem peccatorum. Quare sophisma istud nititur falsâ hypothesi, quasi scil. vocabulum *sanguinis* de cœna Dominicâ hoc loco intellectum, necessariò intelligendum sit propriè: non autem possit ac debeat intelligi per tropum, scripturis sacris & articulis fidei consentaneum. *Vindicatio verborum. Tres sunt qui testificantur in terra: spiritus, & aqua, & sanguis.*

16 Ex v.9. & 10. Fidei Christianæ proprium objectum est testimonium Dei seu Evangelium. *Fides.*

17 Ex v.9.10. & 11. Evangelium est testimonium Dei de Jesu Christo, quòd is sit filius Dei & author vitæ æternæ omnibus in ipsum credentibus. *Evangelium.*

18 Ex v.11.12.13. Vita æterna in solo Christo quærenda est. quare qui eam alibi quærunt, (ut in suis operibus) non invenient. *Vita æterna.*

19 Ex v.13. ex verbis, *Ut sciatis.* Fides Christiana non est opinio seu persuasio incerta, sed est certa notitia, qua quis scit se vitam æternam per Christum habere. Confer supr.3.v.3. Rom.8. v.38.& 39. *Fides.*

20 Ex v.14. Recta precandi ratio est, ut precemur secundùm voluntatem Dei. *Preces.*

21 Ex v.14. & 15. Preces fidelium à Deo exaudiuntur, si fiant secundùm voluntatem Dei. *Preces.*

22 Ex v.16. Precandum est pro fratribus peccantibus ex ignorantia aut infirmitate, ut ad resipiscentiam adducti serventur. *Preces.*

23 Ex eod.v. Si quos animadvertamus veritatem cœlestem agnitam petulanter blasphemare, illos justo Dei judicio relinquere debemus. *Officium hominis Christiani.*

24 Ex v.17. Peccatorum sunt certi gradus: quorum summus est peccatum, quod hîc vocatur ad mortem: id est, quod certam mortem secum trahit: videlicet blasphemia in Spiritum sanctum, ut nominatur à Christo: quod peccatum nequaquam remissum iri, idem Christus disertè pronuntiat Matth.12.vers.31 & 32. Etsi enim Deus sit summè misericors, ac proinde gravissima quoque scelera remittat: tamen remittit iis tantùm, qui ad misericordiam ipsius & satisfactionem Christi confugiunt: id quod non faciunt, qui peccant in Spiritum sanctum. Nec verò id facere possunt, obstante justo judicio Dei: qui se non patitur irrideri, & spiritum suum mendacii petulanter argui. Vide Heb.6.v.4.& deinceps, & cap.10.v.26.& deinceps. *Peccatorum gradus.*

25 Ex v.18. Qui verâ fide præditus est, is tutus est à peccato in Spiritum sanctum. Interim verò opera danda ut in fide confirmemur, per serium & continuum studium pietatis. *Fides.*

26 Ex eod. v. Etsi Diabolus filiis Dei insidiatur, non tamen eos potest tangere letaliter, & per consequens non potest eis eripere fidem. *Diabolus.*

27 Ex v.19. Cùm mundus in malo (id est, Diabolo) jaceat: ergo voluptates mundi cavendæ sunt, ne in potestatem Diaboli veniamus. *Voluptas.*

28 Ex v.20. Cognitio salvifica Dei, est singulare donum Dei. Confer Matt.16.v.17.& cap.13.v.11. Joh.6.v.44.& 45. Eph.2.v.8. *Cognitio Dei.*

29 Ex eod.v. Christus est noster servator non solùm suo merito, quatenus nimirum suâ morte nobis meritus & remissionem peccatorum & vitam æternam; sed etiam suâ efficaciâ: quatenus nimirum per verbum & Spiritum sanctum dat mentem, ut rectè cognoscamus Deum. *Christus.*

30 Ex eod. versu. Notandum est expressum testimonium deitatis Christi. *Christus.*

31 Ex v. ult. Sincerus Dei cultus cum cultu simulachrorum consistere non potest. Quare Papistæ, quum simulachra colant, Deum rectè colere non possunt. *Cultus Dei.*

PARAPHRASIS

PRIMÆ EPISTOLÆ S. JOHANNIS.

Cap. I. Charissimi Christiani: Doctrina Evangelii quam ego aliique apostoli vobis annuntiarunt, & de qua nunc ad vos scribere institui, merito à vobis maximi fieri debet. Est enim præstantissima, utilissima, certissimaque. quippe differit de Jesu Christo, homine scilicet non vulgari: sed qui idem est filius Dei unigenitus, & sermo patris æternus, ac proinde verus Deus: ut qui à principio creationis mundi jam fuerit apud Deum patrem, fruens perfectissimè vitâ æternâ. Porrò ad hujus vitæ communionem pro sua bonitate, unà cum Patre & Spiritu S. initio nos creavit: ex qua quum per inobedientiam nostram excidissemus, ex ingenti misericordia à patre in hunc mundum missus, & populo suo patefactus fuit in assumta carne: ut vitam amissam recuperaret omnibus, qui in ipsum credituri essent. Cæterum de hujus doctrinæ certitudine non est quòd quicquam dubitetis: quum nos apostoli eam ex ipsius Jesu ore audiveri-

mus; ac præterea tum ipsum, tum ea quæ salutis nostræ causâ egit & perpessus est, oculis nostris conspextrimus; atque ita gloriam illam & majestatem cælestem, tanquam filii unigeniti, à Deo patre egressi, contemplati simus: nec non sanctissimum ipsius corpus, tum ante, tum post resurrectionem ejus, manibus nostris contrectaverimus. Quæ quum ita sint: propositum mihi est, sublimem hanc & salutarem, eandemque certissimam doctrinam, scripto comprehendere, & ad vos mittere: ut in fide illius confirmari, communionem habeatis nobiscum, qui Jesu Christi sumus apostoli ac testes ab ipsomet delecti: atque adeò ut unà nobiscum communionem habeatis in vita æterna, cum ipso Deo patre & cum filio ejus Jesu Christo, atque ex hac communione gaudio solido & perfecto fruamini.

Ut igitur gaudio isto frui possitis, ac certi sitis, vos communionem Deo habere: necesse est vos ambulare in luce sanctè vivendo. quod ni feceritis: mendax fuerit vestra professio, qua vos communionem cum Deo habere profitemini, dum vos profitemini Christianos. Necesse est, inquam, vos ambulare in luce sanctè vivendo: eò quòd Deus lux sit & perfectè sanctus, ita ut nullæ tenebræ nulláve impuritas locum in eo habeant. Quòd si igitur vos quoque sanctitati studeatis, atque ita in luce ambuletis: duplicem hunc fructum inde consequimini: laudem veritatis in profitenda fide Christianâ, & confirmationem fidei de communione vestra cum Deo, ac proinde etiam de remissione peccatorum, per Christi sanguinem omnibus in illum credentibus partâ. Etenim communionem cum Deo habere non potest, qui non priùs à peccatis suis fuerit purgatus. Hanc autem purgationem omnibus credentibus impetravit Christus suo sanguine: quum illum propter peccata ipsorum effundi passus est in cruce, cum sensu iræ Dei: quippe qui se sponsorem ac mediatorem inter Deum & nos interposuerat, ut justo illius judicio pro nobis satisfaceret, peccatis nostris in sese susceptis. Nec verò dubitandum, quin ad hanc satisfactionem præstandam fuerit idoneus: quippe qui fuit (sicut etiamnum est, & in æternum permanebit) verus & sanctus homo, atq; insuper filius Dei unigenitus, ac proinde verus Deus. Necesse est igitur sanguinem ejus, pro nobis redimendis effusum, fuisse longè pretiosissimum: ut qui fuerit sanguis filii Dei, atque adeò sanguis Dei. Quumque ira Dei immensa sit, & veluti ignis consumens, sub cujus onere etiam sanctissimis creaturis succumbendum esset: Christus potentiâ suæ deitatis naturam suam humanam in iræ illius sensu sustentavit, ut eam superaret, & ex morte æterna evaderet. Ne dubitemus igitur, quin Christus sanctissimâ passione suâ pro nobis perfectissimè judicio Dei satisfecerit, nobisque sanguine suo remissionem peccatorum omnium impetrârit. Caveamus autem nobis per nos ipsos sancti & ab omni peccato puri videamur. Etenim qui hac opinione tenetur, is seipsum fallit, (& quod pessimum est) sacrilego ausu Deum mendacii arguit: quippe qui in verbo suo, tum Legis, tum Evangelii, homines universos peccati arguit atque convincit. Si verò peccata nostra, quantumvis magna, sincerè Deo confiteamur, eorumque remissionem propter Christi satisfactionem ab eo petamus: non est quòd dubitemus, quin ille nobis peccata nostra remittat, nosque ab omni iniquitate purget. id enim se facturum promisit: & in promissis suis servandis semper fidelis ac justus compertus est.

CAP. II. Exhortor igitur vos, charissimi filioli, ut tanti beneficii perpetuò memores, à peccando vobis solicitè caveatis. Si quis tamen (ut fit) ex infirmitate peccârit: is ne propterea de gratiâ Dei desperet, sed sese erigat hac certissimâ fide, quòd Deus noster pater est, ut qui nos sibi per fidem genuerit, ac in filios adoptârit: quodque apud hunc totius mundi judicem, habemus advocatum fidelissimum, eundemque illi gratissimum, videlicet Jesum Christum justum. Qui quidem non solùm continenter pro nobis interpellat, sed etiam ipsemet judicio Dei pro nostris peccatis satisfecit, eumque nobis propitium reddidit sacrificio mortis suæ: nec verò nobis solùm, sed omnino credentibus & electis omnibus, qui unquam in toto mundo vixerunt, vivunt, aut victuri sunt. Quare non est quòd dubitemus, quin Deus paterno amore nos prosequatur, & quin vicissim à nobis sit diligendus.

Si autem Deum verè diligimus, fieri non poterit, quin mandata ejus servare studeamus. Etenim qui se verâ notitiâ & dilectione Dei præditum esse gloriatur, nec tamen ad mandata ejus servanda omni studio atque conatu incumbit: is mendax est, & veritas in eo non est. Qui autem sermoni ejus servando studet: is demum certum atque evidens testimonium apud se habet, quòd Deum verè diligat, & in eo habitet, & denique communionem cum eo habeat.

Nec verò est quòd quisquam putet, me dum de dilectione Dei & proximi præcipio, afferre præceptum novum, & ante hunc diem inauditum. Etenim hoc ipsum præceptum vos audivistis ab apostolis, aliísve Evangelii ministris, jam inde à principio vestræ vocationis: & hoc præceptum Christus ipse apostolis singulariter commendavit. Et quanquam ipsum appellavit novum: tamen non ita novum est, quasi non idem jam olim in Lege quoque fuerit traditum: sed quòd eo præcipiatur verus Dei cultus, ex verâ voluntatis divinæ cognitione promanans, qui nimirum pristinis ignorantiæ ac impietatis tenebris adversatur. Qui quidem verus Dei cultus, ut fuit in Christo, ita in vobis quoque esse debet: quippe qui in luce cognitionis Dei vos esse dicitis. Nam si dum hoc dicitis, interim proximos odio haberetis: certè aliud de vobis sentiri atque pronuntiari non posset, quàm vos adhuc in tenebris ignorantiæ Dei versari. Qui autem in tenebris ambulat, exitio proximus est: sicut contrà, qui ambulat in luce, inoffenso gradu pergit quò vult. Quapropter ut & exitium evitetis, & inoffenso gradu in cælum tendentes, tandem eò perveniatis: necesse est, ut odio fratrum ex animis expulso, fraterno eos amore prosequamini.

Nec verò est, charissimi filioli, quòd quisquam vestrûm putet, scriptioni atque exhortationi huic supervacaneam operam apud vos à me impendi, quasi ad vos non pertineat. Pertinet enim certè ad vos universos & singulos ad quos scribo, cujuscunque etiam sitis ætatis.

Primò enim ad universos quod attinet: remissa sunt vobis à Deo peccata propter nomen Christi. An non igitur æquum est, ut Deum patrem & Christum pro tanto beneficio vicissim diligatis, & proximum propter illos? Deinde verò, si diversæ vestræ ætatis rationem considerare velitis: etiam sic maxima Dei erga vos beneficia reperietis, quæ vos ad dilectionem Dei & proximi obstringunt. Nam sive patres, & ætate jam provectâ sitis; ac proinde recordatione rerum antiquarum gaudetis: cogitandum est vobis, vos per gratiam Dei cognovisse illum, qui apud Deum patrem erat à principio mundi. Si verò sitis adolescentes ac ætatis mediæ, quæ viribus inprimis ac robore gaudere solet: cogitabitis, vos per Spiritum Dei tantis viribus, tatoque robore animi instructos esse, ut malum illum, malignum, inquam, illum spiritum, Diabolum, per verbum Dei in vobis habitantem, viceritis. Denique si sitis pueruli, ætatis scil. infimæ, inter eas quæ discendi capaces sunt: considerabitis, vos jam per Spiritum Dei adeptos, ut noscatis patrem illum cælestem, paternumque illius erga vos amorem certis signis percipiatis. Quæ quum ita sint; inprimis vos senes & adolescentes moneo, ut memores, quanta beneficia à Deo acceperitis, eum verè diligatis, ac proinde ab amore mundi vobis caveatis. Etenim vobis præcipuè à mundo periculum imminere video. At amor mundi ac rerum mundanarum cum amore Dei, qui à vobis (ut intellexistis) requiritur, consistere non potest: quippe illi contrarius. Nam quæcunque sunt studia & voluptates mundi, ut libidines atque comessationes, quibus plerumque adolescentia abripi solet: item voluptas oculorum in contemplandis divitiis atque opibus, quâ voluptate plerumque irretitur senectus: denique superbia & fastus, qui tum adolescentes corripere solet propter corporis præcipuè bona; ut pulchritudinem, robur, agilitatem: tum verò etiam senes, propter bona externa, divitias ac opes: omnia hæc, inquam, non sunt ex Patre, sed ex mundo. Non potest igitur istarum rerum amor cum amore Dei consistere. Et quid quæso utilitatis ex amore mundi reportaretis: quum mundus interiturus sit, & quicquid ipse concupiscit? Contrà verò, si præstetis voluntatem Dei, sanctè vivendo secundùm mandata ipsius, ac proinde tum ipsum tum proximum diligendo: certum est, vos mansuros in æternum, & beatâ immortalitate unà cum ipso fruituros.

Cæterùm, ut ad vos puerulos revertar, moneo vos inprimis, ut caveatis vobis à seductoribus. Audivistis enim, venturum antichristum tempore ultimo. At nunc est tempus ultimum: quippe quod inde à patefacto Evangelio cœpit: quo fit, ut jam multi antichristi & seductores in Ecclesia exorti sint, qui sunt insignis illius antichristi suo tempore patefaciendi, & in Ecclesia dominaturi, veluti præcursores quidam. quid enim? an non antichristus est Cerinthus & sectatores illius, qui negant Christi deitatem? Atque illi è nobis quidem egressi sunt, quippe fidem Christianam ad tempus una nobiscum professi: veruntamen ex nobis non erant. nam si ex nobis fuissent, fide scil. Christianâ verè præditi; permansissent utique nobiscum, nec à veræ fidei professione defecissent. Sed providentiâ Dei accidit, ut deficerent: ut ita nobis patefieret, non omnes esse ex nobis, qui se ex nobis esse profitentur. quippe quamdiu Ecclesia in his terris deget: semper paleæ tritico, zizania bono semini, hirci ovibus; hoc est, hypocritæ verè credentibus, admixti erunt. Quare non est, charissimi pueruli, quòd seductorum illorum apostasiâ nimiùm perturbemini. Vos enim unctionem habetis, sanctum scil. Spiritum, à sancto illo, Domino nostro Jesu Christo: ac proinde nostis omnia, quæ ad salutem æternam necessaria sunt. Nec verò scripsi hæc vobis, tanquam veritatem ignoretis: sed potiùs ut in veritatis notitia vos confirmem, & ut mendacium eò diligentiùs caveatis. Est autem mendacium manifestarium seductorum istorum, qui negant, Jesum esse Christum & filium Dei; quod dum negant, Patrem simul negant: quippe quum Pater sit in Filio, & Filius in Patre. Quare non est, quòd illis aures præbeatis, quum dicunt, se credere in verum Deum. Verus enim Deus, est pater ille æternus, unà cum Filio & Spiritu S. Itaque quisquis Filium negat, is nec Patrem habet; ac proinde falsò de vero Deo gloriatur. Vos autem, charissimi pueruli, retinete firmiter doctrinam apostolorum, quam audivistis à principio. Sic fiet, ut in Filio & Patre maneatis, & vitam æternam ex illius promissione adipiscamini. Porrò de his vos admonere volui; etsi non ignorabam, vos Spiritum S. à Christo accepisse, ac proinde non necesse habere, ut quisquam vos, tanquam istarum rerum rudes, doceat.

Veruntamen utile est, vos de his rebus admoneri, confidereque Spiritum S. qui magister est veritatis, sicut hactenus de omnibus ad salutem necessariis vos docuit, & etiam nunc docet: ita deinceps quoque docturum, vosque in omnem veritatem inducturum.

Nunc igitur, filioli: omnes, inquam, vos, sive pueruli, sive adolescentes, sive senes: manete in Christo constanti fide: ut quum is patefactus fuerit in secundo suo adventu, quum scil. venturus est ad judicandum vivos & mortuos: non pudefiamus coram eò instar perfidorum apostatarum, sed cum fiducia & læta conscientia eum excipiamus, & ab eo in cælum recipiamur. Et quoniam nostis, Deum, qui ad cæleste filii sui regnum vos vocavit, & in filios vos adoptavit, esse justum: id quoque cogitandum vobis est, in studium justitiæ incumbendum vobis esse, ut ita vos ex Deo natos esse comprobetis.

CAP. III. Et certè diligenter vobis perpendendum judico, quanta hæc sit dignitas, & quantum amoris Dei erga nos argumentum, quòd ex ipso nati, nominamur ac sumus filii Dei. Etsi autem mundus pro talibus nos non agnoscit, quin potiùs pro deterrimis habet: id tamen offendere nos non debet. quippe quum in causa sit ignorantia Dei, quâ mundus laborat. Etenim si Deum nossent, agnoscerent quoque filios ejus: ut qui patris ingenium referant. Neque etiam est quòd vos moveant miseriæ, quibus in hac vita subjecti sumus. Satis enim nobis esse debet, quòd scimus, nos esse filios Dei, ac proinde hæreditatem felicitatis atque gloriæ ineffabilis repositam nobis esse in cælis: quæ certò patefiet post hanc vitam, quando fiet, ut Deum perfectè cognoscentes, similes ei evadamus. Hanc igitur spem quum habeamus in eo sitam: fieri non potest, quin in hac quoque vita per sanctitatem similes ei evadere studeamus: ac proinde peccatum fugiamus. Et certè peccati odium ac fugam ingenerare nobis meritò debet turpitudo illius: quippe quum peccatum sit Legis divinæ transgressio. Et quis pius peccatum non meritò detestetur; quum sciat, Christum ad hoc ipsum patefactum esse, ut peccata nostra tolleret; idque tum expiando illo sacrificio suæ mortis, tum ingenerando nobis illorum odium ac fugam per Spiritum sanctum? Ex quorum illo percipimus, quàm detestanda res sit peccatum, ut quod non potuerit aliter expiari, nisi morte filii Dei: ex isto autem intelligimus, prorsus perversè agere eos, qui sese Christianos, ac proinde spiritu Christi præditos, profitentur, nec tamen peccatum oderunt aut fugiunt. Adhæc quum peccatum in Christo non sit: consequens est, ut & fideles, qui in Christo manent, à peccato abhorreant. Quare qui peccato indulgent, & fræna laxant, illi cognitionem Christi, & communionem cum ipso falsò jactant. Cavete igitur, filioli mei, ne quis vos seducat: quasi quis possit esse justus, qui justitiæ operam non dat. Imò is demum justi nomen meretur, qui justitiam exercet: idq; exemplo Domini nostri Jesu Christi. Præterea considerate quæso, unde peccatum suam habeat originem, quisve primus illius sit author. Is autem citra cõtroversiam est Diabolus: quippe qui inde à principio mundi, posteaquam per superbam rebellionem semel cum sociis suis defecit, peccare non desinit: sed tum ipse continenter peccat, tum eos qui ei auscultant, ad peccandum instigat atque impellit. Intelligitis igitur, peccata esse opera Diaboli, ad quæ destruenda quum filius Dei patefactus sit, ut paulo-antè dicebamus: perversissimè certè ageremus, si operibus istis adhuc operam dare, atque ita quæ servator noster destruit, nos iterum extruere vellemus. Porrò Christus peccata nostra destruit (ut dixi) non solùm impetrando nobis eorum remissionem propter ipsius pro nobis satisfactionem, sed etiam regenerando nos per Spiritum S. qui quum sit semen Dei in nobis manens, fieri non potest, ut peccato regnum in nobis permittamus. Quare qui peccato indulgent & operam dant, filii Diaboli sunt: filii Dei autem ii demum, qui sanctitati & justitiæ student, & qui fratres diligunt. Ad quam quidem dilectionem exstimulare vos vel inprimis debet, quòd meministis, hanc vobis nomine Christi præceptam esse jam inde à principio vocationis vestræ. Diligamus igitur fratres, non autem imitemur exemplum impii illius Cajini: qui fratrem suum instinctu mali illius spiritus occidit. Quanam autem re impulsus illum occidit, nisi iniquo odio & invidiâ, eò quòd fratris opera justa Deo probari videret, sua verò mala atque hypocritica opera improbari? Ne miremini igitur, fratres mei, si vos quoque mundus odit: quum videatis, hoc nihil esse novi aut insoliti: sed inde ab origine mundi ita accidisse, ut impii piis infesti essent. Quin potiùs contra metum mortis, quam mundus nobis machinatur, id nos soletur; quòd scimus, nos ex morte illa æterna translatos esse in vitam: cujus rei argumento nobis est, quòd fratres diligimus. Qui verò fratrem non diligit, sed odit, is in morte æterna manet; quippe quum quisquis fratrem suum odit, homicida sit: nullus autem homicida vitam æternam in se manentem habeat. Porrò tantùm abest, ut fratres odisse & occidere debeamus, ut potiùs tantò eos amore debeamus amplecti, ut etiam mori pro illis parati simus. hæc enim demum perfecta est charitas: cujus exemplum Christus nobis præbuit: quippe qui animam suam pro nobis posuit. Quid ergo de illis sentiendum putamus, qui quum charitate Dei præditi videri velint, interim fratri, cujus egestatem oculis cernunt, de copiis suis nihil suppeditant; sed viscera sua coram eo claudunt; nullâque illius miseratione tanguntur? an statuere possumus, in talibus esse charitatem Dei? Et quomodo illi parati essent ad animas pro fratribus ponendum, qui ne de bonis quidem illis fluxis atque caducis fratri egenti erogare quicquam volunt? Solent quidem illi fratres egentes blandis verbis permulcere, atque ita benevolum erga illos affectum mentiri. At nos, filioli mei, sincerè agamus: nec verbo solùm aut linguâ, sed ipso opere ac facto testemur, quòd verè fratres diligamus. Et certè tum demum verè nos filios Dei esse intelligemus, quum fratres verè dilexerimus: tum, inquam, cordibus nostris certò persuadere poterimus, Deum nos paterno amore complecti: quæ res nobis veram animi tranquillitatem præstat. Quòd si verò nos condemnet cor nostrum: quid boni sperare poterimus à Deo, qui corde nostro longè potentior est, & omnia novit, etiam intimos cordis motus? Contrà, si cor nostrum nos non condemnet, sed bene nobis conscii simus, ut qui voluntati Dei in fratribus diligendis studiosè simus obsecuti: tum fiduciam habemus apud Deum impetrandi ab eo quicquid petiverimus. Etenim Deus promisit, se exauditurum preces eorum, qui præcepta ejus custodiunt, & ea quæ ipsi placent, faciunt. Hoc est autem præceptum ejus, ut credamus in filium ejus Jesum Christum, & alii alios diligamus. Cui præcepto si obediverimus; tum constabit nobis, nos in eo, & ipsum in nobis habitare: ut qui sentiamus in nobis effecta Spiritus S. quem ille nobis dedit.

CAP. IV. Et quoniam Spiritus S. mentionem feci; admonitos vos velim, dilecti, ne cuivis spiritui credatis, sed potiùs probetis spiritus, an ex Deo sint. nam multi pseudoprophetæ in mundum venerunt: qui jactant quidem, se afferre ea, quæ ipsis revelata sint à Spiritu S. sed interim ea afferunt, quæ spiritus Antichristi eis inspiravit. Cæterùm ut istos cognoscere, & à veris doctoribus discernere possitis, hoc axioma firmiter tenete: Quicunque spiritus confitetur, Jesum Christum in carnem venisse, is ex Deo est: at quicunque spiritus hoc negat, is ex Deo non est, sed ex Diabolo: qui nimirum est spiritus Antichristi. Quod quum ita sit: intelligitis, cavendum vobis esse à Cerintho & sectatoribus illius: qui dum negant, Jesum esse Deum, filium scil. Dei unigenitũ & æternum, negant hoc ipso, eum venisse in carnem. nam quomodo in carnem venire carnémve assumere potuit, si non jam antea erat? quid autem antea erat, si non erat filius Dei unigenitus? Sed non est, filioli mei, quòd periculo seductionis nimiùm percellamini. Vos enim ex Deo estis, & spiritum Dei in vobis habitantem habetis: qui longè est potentior quàm spiritus ille malus qui in mundo est. Non igitur est quòd dubitetis, vos Spiritus S. virtute tentationes seductorum istorum superaturos. Nec verò est quòd vos moveat, quum videtis seductores istos frui applausu mundi. quid enim mirum, si mundus audit eos, qui è mundo sunt, ac proinde loquuntur quæ mundo placent? Nos verò apostoli ex Deo sumus, ac proinde loquimur ea quæ Deo placent. quo fit, ut qui ex Deo sunt, Deumque diligunt, seductoribus illis spretis, nos audiant. Audite igitur nos, dilecti: &, sicut præcepimus vobis, alii alios diligite. Etenim dilectio authorem habet Deum: & hoc indicio nosse potestis, vos esse ex Deo natos, & Deum verè nosse atq; diligere. nam qui proximum non diligit, is Deum non novit: quippe quum Deus fons sit charitatis, & summo amore nos prosequatur. Quem suum erga nos amorem abundè declaravit in eo, quòd filium suum unigenitum in mundum misit, ut expiatis nostris peccatis morte sua, vitam æternam nobis recuperaret. Et hoc fecit Deus, nullo nostro merito provocatus: quippe quum, nos illum non priores dilexerimus. Porrò quum Deus tantopere nos dilexerit: debemus & nos alii alios diligere; idque eò magis, quòd per fraternam dilectionem deducimur in contemplationem Dei. Etenim si diligamus alii alios, comperimur, Deum in nobis habitare per Spiritum suum, & nos vicissim in ipso: quo fit, ut cognoscamus bonitatem ipsius, ac proinde toto eum pectore diligamus. Ac nos quidem apostoli bonitatem Dei abundè contemplati sumus in Christo, ac proinde hoc ipsum testamur: Patrem scil. misisse filium qui esset servator mundi. Et sanè quisquis hunc cognoverit: in eo Deus habitat, & ipse in Deo. Nos, inquam, apostoli charitatem quam Deus erga nos habet, ex missione Filii abundè cognovimus, & credidimus. Et quoniam hinc liquet, Deum esse ipsam charitatem: consequens est, ut qui manet in charitate, is hinc certior reddatur, se manere in Deo, veramque cum eo communionem habere. Atque hinc etiam fit, ut habeamus fiduciam in die judicii. nam quum proximum sincerè diligimus; colligimus inde, ingenium nostrum (quod nimirum habemus ex regeneratione) conforme esse naturæ Dei. Scimus autem, Deum non damnaturum nos, si qualis ille est, tales & nos sumus in hoc mundo. Quare si proximum sincerè diligamus: hoc inde boni consequemur, ut ne animi nostri metu damnationis crucientur. Cæterùm quoniam Deus nos prior dilexit, & filium suum unigenitum ad nos servandos misit: æquum certè est, ut illum vicissim diligamus. Si verò Deum diligimus: fieri non potest, quin & proximum diligamus. Nam si quis dixerit, se diligere Deum, & interim proximum oderit, is mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt: Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et certè Deus tam mandavit dilectionem proximi, quàm ipsius. Quare qui mandatum de diligendo proximo contemnit: is pari ratione &

alterum de Deo diligendo contemnere, ac proinde dilectionem Dei falsò jactare putandus est.

Cap. V. Inprimis autem individuo nexu inter se cohærent dilectio Dei & filiorum Dei. Sunt autem filii Dei, quicunque per spiritum Dei regenerati, & verâ in Christum fide donati sunt. Qui igitur verè diligit genitorem, is diliget etiam eum qui ex eo genitus est: & vicissim, qui verè diligit filios Dei, is Deum quoque diliget, ac proinde mandata ejus servare studebit. Hæc est enim dilectio Dei, quum ita erga eum affecti sumus, ut mandata ipsius servemus. Nec verò ab iis servandis deterreri quisquam debet opinione difficultatis. Etsi enim mandata Dei homini mundano & non-regenerato nimis gravia atque adeò factu impossibilia sunt: nobis tamen gravia non sunt. quoniam quicunque nati sunt ex Deo, & verâ in Christum fide donati, ii mundum vincunt: nec sese ab illo in servandis Dei mandatis impediri patiuntur. Fides igitur nostra, victoria nostra est quæ mundum vicit. Est autem vera fides, qua creditur, Jesum esse filium Dei, servatorem mundi, seu authorem vitæ æternæ omnibus in ipsum credentibus. Quod quidem ut firmiter de Domino Jesu credamus, movere nos debent divina testimonia, quibus toti mundo comprobatus est, & adhuc comprobatur. Ac primùm testimonii vim singularem habet miraculum illud quod in ipso accidit, quum penderet in cruce mortuus. tunc enim (id quod ipse oculis meis vidi) quidam ex militibus qui eum crucifixerant, lanceâ latus ejus fodit, & statim exivit sanguis & aqua. quo nimirum significatum fuit, sanguinem crucifixi hujus, cum sensu iræ Dei paulo-antè effusum, vim habere purgandi: videlicet purgandi à sordibus peccatorum omnes eos, quorum peccata sacrificio illo suæ mortis expiaverat. Atqui talem venturum Christum, jam olim suo populo testatus est Deus. quid enim aliud sibi voluerunt ablutiones illæ & sacrificia expiatoria, quæ in Lege ex mandato Dei peragebantur? Porrò cum hoc testimonio Legis consentit testimonium Evangelii. Etenim Spiritus sanctus tum externè per Evangelium testatur, Jesum illum crucifixum esse filium Dei, servatorem mundi: tum internè idipsum testimonium cordibus electorum obsignat, ejusque veritatem illis persuadet. Atque ita si numerum subducamus, tres testes in terra externè testantes reperiemus: videlicet Evangelium, aquam, & sanguinem. Nec verò solùm illa aqua & ille sanguis, quæ de latere Christi fluxerunt, in terra de Christo semel testata sunt: sed adhuc testantur, & ad finem usque mundi testabuntur, aqua baptismi & cæna Dominica; quæ sanguinis Christi in cruce effusi sacramenta sunt. Porrò sicut tres sunt testes qui testificantur in terra; Evangelium, Baptismus & cæna Dominica: ita tres quoque sunt qui testificantur in cælo: Pater, Sermo & Spiritus sanctus. Ac Pater quidem suâ voce cælitus delatâ, bis de Jesu testificatus est; disertè pronuntians, illum esse filium suum dilectum, in quo ipse acquiescat: primùm quidem, quum Jesus à Johanne baptizaretur in Jordane: Deinde quum sese transfiguraret in monte coram tribus discipulis, Petro, Jacobo, & me. Ipse verò Sermo seu Filius de sese testificatus est, quoties occasio tulit: & hoc suum testimonium miraculis propriâ virtute editis abundè confirmavit. Cujus rei exempla non pauca in historia evangelica à me descripta reperietis. Et ut nonnulla inde depromam; apud mulierem illam Samaritanam, à qua potum petierat, post multa verba ultrò citroque commutata, disertè professus est, se esse Christum; suamque hanc doctrinam divino miraculo confirmavit, quatenus mulieri illi indicavit ipsius arcana. Deinde quum in sabbatho sanasset ægrotum quendam: factum istud suum contra Judæos ita defendit, ut se filium Dei disertè profiteretur, & ex illo ipso miraculo hanc suam doctrinam confirmaret. Idipsum multis verbis professus est apud Capernaitas illos qui eum regem mundanum sibi facere studebant, eò quòd quinque millia ipsorum quinque panibus in deserto per divinam ipsius benedictionem pasti atque saturati fuerant. Præterea docens aliquando in Gazophylacio templi, lucem se mundi professus est, & testimonium hoc suum de seipso contra Pharisæorum contradictionem gravissimè asseruit. Tum rursus quum ambularet in templo in porticu Salomonis, & Judæi eum cingentes, ab ipso peterent ut si Christus esset, apertè eis confiteretur: rursum id asseruit, & illorum incredulitatem reprehendit. Ita videtis, Filium ipsum de sese creberrimè testatum esse. Jam ad Spiritum sanctum quod attinet, is præterquam quòd arcano modo per Evangelium (uti diximus) de Jesu testatur, testatus est quoque de illo per signa externa, primùm quidem quum in specie columbæ super ipsum in Jordane à Johanne baptizatum descendit; deinde verò quum ab ipso missus in linguis igneis descendit super apostolos in die Pentecostes, suoque afflatu illos subitò mysteriorum cælestium intelligentes, & ad testimonium Christo reddendum animosos atque intrepidos, reddidit. Inprimis autem sonare in auribus nostris perpetuò debet vox illa Dei patris, bis (ut diximus) de Jesu pronuntiata. nam si testimonium hominum accipimus, multò magis accipere debemus testimonium Dei: quippe quod omni testimonio humano longè majus est. Qui igitur credit in filium Dei, is testimonium illud Dei in seipso habet: qui verò non credit, is crimen longè maximum committit: quippe qui mendacem facit Deum, idque in testimonio omnium gravissimo, nempe quod cælitus clarâ voce testificatus est de filio suo. Adhæc incredulitas ista, præterquam quòd contumeliam facit Deo, homini perniciem affert: quippe quem excludit à vita æterna, quam Deus in filio illo suo reposuit. De vobis autem, dilecti, persuasum mihi est, vos credere in nomen filii Dei: ac proinde hæc ipsa ad vos scripsi, ut sciatis, vos vitam æternam habere, & ut in fide hac perseveretis atque crescatis. Etsi autem nondum habetis vitæ æternæ plenitudinem; quippe qui adhuc peccatum circumfertis, & variis miseriis subjecti estis: interim tamen sufficere vobis debet, quòd habetis vitæ æternæ initium: simulque fiduciam à Deo impetrandi, quod adhuc deest. hæc enim est voluntas Dei, certo ipsius verbo testata. quapropter quod secundùm hanc petiveritis, non poteritis non impetrare. Nec verò pro vobis solùm ipsis orare debetis, ut vitæ æternæ plenitudinem consequamini: sed orare quoque debetis pro fratribus quos videritis peccare: dummodo illi non committant gravissimum illud peccatum, quod certam mortem secum affert: quippe quod Dominus ipse neque in hoc, neque in futuro sæculo, remissum iri pronuntiavit. Illud autem est blasphemia illa in Spiritum S. quum quis veritatem Evangelii per illuminationem ac testificationem Spiritus sancti à se intellectam & creditam, ex diabolica malitia negat & blasphemat, illiusque confessores odit ac persequitur. Cætera verò peccata, quæ contra utramvis Legis tabulam admittuntur, injustitiæ quidem nomine tenentur, ac mortem naturâ suâ merentur: veruntamen veniam à Deo consequi possunt, quatenus viam resipiscentiæ non præcludunt. nam quòd blasphemia illa veniam nunquam consequitur: causa est, quòd qui illam admittunt, justo Dei judicio (qui se rideri, & veritatem suam mendacii argui non patitur) per resipiscentiam renovari non possunt. Nos autem, dilecti mei, à gravissimo isto peccato nos tutos esse confidimus: ut qui scimus, nos ex Deo esse genitos, ac proinde solicitè nos ipsos sub timore Dei continemus, ita ut malus ille spiritus nos tangere, ac letaliter vulnerare non possit. Mundus verò peccato isti obnoxius est; ut qui totus in malo illo jaceat, eique penitus sit addictus. Nos autem addicti sumus vero illi Deo, & filio ejus Jesu Christo; qui & ipse verus Deus est. Cui unà cum Patre & Spiritu sancto sit laus & honor in omnia sæcula. Quod restat, charissimi filioli: cavete vobis ab idolis: quippe quæ fidei Christianæ ex diametro adversantur. Dominus sit vobiscum, Amen.

Joh. 19. v. 34. — Matth. 3. — Matth. 17. — Johan. 4. — Johan. 5. — Johan. 6. — Johan. 8. — Johan. 10. — Matth. 3. — Actor. 2.

FINIS.

ANALYSIS LOGICA
EPISTOLÆ SECUNDÆ APOSTOLI JOHANNIS.

ARGUMENTUM.

In hac epistola Johannes hortatur matronam quandam, unà cum ipsius liberis, ad constantiam in charitate & fide Christiana: ac proinde monet, ut sibi caveant à seductoribus antichristis.

Senior electæ dominæ, & liberis ejus; quos ego sincerè diligo; nec ego solus, sed & omnes qui norunt veritatem:

2 Propter veritatem quæ manet in nobis, & nobiscum erit in æternum.

3 Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo patre, & Domino Jesu Christo, filio Patris; cum veritate & charitate.

Tribus primis versibus continetur salutatio: quæ continet tres principales partes: nomen scriptoris, nomen eorum ad quos epistola hæc scribebatur, & ipsum votum seu exoptationem bonorum. Nomen scriptoris est ὁ πρεσβύτερος. quo nomine etsi sæpe significatur officium ecclesiasticum gubernationis spiritualis per admonitiones ex verbo Dei: hîc tamen videtur notari ætas, eò quòd traditur, Johannem præ cæteris apostolis ad gran-

ad grandem ætatem pervenisse. Nomen eorum ad quos scribitur, est electa domina & liberi ejus: quibus verbis notatur matrona quædam Christiana, eaque dives & honorata. Etenim dominam appellat respectu divitiarum & honoris: electam verò, respectu fidei Christianæ, quam illa profitebatur & factis demonstrabat. Cæterùm antequam votum ipsum adjungat, interserit testificationem sui erga illos amoris; quem ipsum amplificat ab adjuncta sinceritate, inquiens, *Quos ego diligo in veritate*, id est, verè seu sincerè. Deinde amorem illum suum amplificat à comparatis; comparans sibi ut similes & in amore illo socios, cæteros fideles, quibus scilicet isti erant noti. id exprimit his verbis: *Nec ego solus, sed & omnes qui nôrunt veritatem*, videlicet veritatem illam cælestem de salute per Christum. Atque hæc habentur v. 1. Præterea amorem illum utrumque amplificat v. 2. expositione causæ procreantis, quam significat esse communem ipsorum cum illis fidem ac religionem, inquiens: *Propter veritatem quæ manet in nobis.* Quam ipsam fidem amplificat ab adjuncta perseverantia, dum addit: *Et nobiscum erit in æternum.* Istis amplificationibus ita insertis, tandem vers. 3. adjungit ipsum votum, quo exoptat illis bona *à Deo patre, & à Domino Jesu Christo, filio illius patris.* Bona autem illa bifariam possunt distingui. Primò enim alia eorum sunt adjuncta Dei: ut *gratia, misericordia & pax*, si scilicet *pacis* nomine intelligatur reconciliatio facta per Christum: alia verò sunt adjuncta illorum quibus exoptantur, nempe *veritas* (id est, vera fides) *& charitas*: nec non *pax*, si hoc vocabulo intelligatur tranquillitas conscientiæ. Atque hæc prior distinctio. Deinde eadem bona ita sunt inter se distincta, ut posteriora priorum sint effecta. nam fides & charitas, & tranquillitas conscientiæ in electis, ex Dei gratiâ, misericordiâ & reconciliatione promanant.

4 Gavisus sum valde quòd invenerim ex filiis tuis, qui sincerè incedant, sicut mandatum accepimus à Patre.

Hortaturus illos ad constantiam in fide & charitate, primùm laudat talem constantiam in quibusdam illius dominæ filiis: quam laudationem confirmat testimonio suæ experientiæ, ipsamque illam constantiam amplificat ab effectu: videl. gaudio quod inde perceperit, & hoc ipsum gaudium amplificat ab adjuncta magnitudine. Atque ita obliquè à duobus effectis illos ad similem constantiam hortatur: videl. quòd per illam sint gaudium allaturi sancto apostolo, & laudem ab eo adepturi. Ista omnia significat his verbis, *Gavisus sum valde, quòd invenerim ex filiis tuis, qui ambulent in veritate* (id est, in vera fide, & per consequens in charitate) *sicut mandatum accepimus à Patre.* quibus postremis verbis declarat, quænam sit illa veritas, in qua isti ambulent, videlicet fides in Christum, & charitas, seu dilectio proximi. nam utramque mandavit filiis suis cælestis ille pater: illam, quum cælitus proclamavit, Hunc audite: istam, quum per filium præcepit apostolis, & in illorum persona omnibus fidelibus deinceps victuris, ut sese mutuò diligant. Adhæc causa quoque impulsiva illius constantiæ istis verbis notatur; quæ nimirum est ipsum Dei mandatum.

5 Et nunc rogo te, domina, non ut mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus à principio, ut diligamus alii alios.

6 Hæc autem est dilectio, *qua fit* ut incedamus secundùm mandata ejus. Hoc est mandatum illud, sicut audivistis à principio, ut in eo ambuletis.

7 Nam multi impostores ingressi sunt in mundum, qui non confitentur, Jesum Christum venisse in carnem. Hic est impostor ille & antichristus.

Hîc jam apertè eos hortatur, primùm quidem ad constantiam in charitate, v. 5. deinde verò ad constantiam in fide, vers. 6. & 7. Ad constantiam in charitate hortatur eos à mandato Dei: quod amplificat ab adjuncta vetustate: quam ipsam vetustatem amplificat negatione contrarii. Huic hortationi alteram annectit initio v. 6: quam quidem enuntiat verbo generali: monens ambulandum esse secundùm mandata Dei: quo nomine (ut ex præcedentibus & sequentibus apparet) intelligit mandatum de credendo in Christum, & de proximo diligendo. Hoc mandatum rursus amplificat ab adjuncta vetustate. Deinde v. 7. hortationem hanc confirmat ab adjuncto periculo, quod immineat à seductoribus qui doctrinam fidei negabant.

8 Cavete vobis, ne perdamus quæ operati sumus, sed ut mercedem plenam recipiamus.

9 Quisquis transgreditur, nec manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui manet in doctrina Christi, hic & patrem & filium habet.

Ex argumento proxime-allato infert admonitionem, ut sibi à seductoribus istis caveant. quam admonitionem confirmat ex eventu duplici: uno tristi, nisi sibi caverint, videlicet amissione vitæ æternæ: altero læto, si sibi caverint, nimirum vitæ æternæ adeptione. Porrò vitam æternam hîc nominat mercedem impropriè, videlicet per metaphoram ab operariis, quibus merces dari solet post laborem peractum. Sic vita æterna (videlicet plena illius fruitio) dabitur fidelibus demum post hujus vitæ labores & certamina, quæ cum mundo & Diabolo & propriâ carne sustinent. Deinde v. 9. admonitionem istam confirmat partim à seductorum istorum turpibus factis & tristi effectu, partim à constantiæ effectu salutari, per antithesin. Turpia facta istorum seductorum indicat duo: unum, quòd transgrediantur, videlicet mandatum Dei de audiendo Christo, ac proinde Deum contumeliâ afficiant: alterum, ex priore promanans, quòd non maneant in doctrina Christi, videlicet unici illius magistri Ecclesiæ & magni prophetæ atque apostoli: ac proinde Christum quoque contumeliâ afficiant. Tristis effectus qui turpia ista facta consequitur, est, quòd illi non habent Deum: id est, quòd ignorant verum Deum, ac proinde expertes sunt vitæ æternæ: quippe quæ in veri Dei cognitione consistit, teste Christo, Joh. 17. v. 3. Contrà constantiæ effectus salutaris est: quòd qui manet in doctrina Christi, is & Patrem & Filium habet: id est, verum Deum novit, ac proinde vitæ æternæ particeps est.

10 Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert; ne recipite eum domum, nec Ave ei dicite.

11 Qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malis.

Nunc ulteriùs progreditur, & omni commercio atque consuetudine istorum seductorum interdicit; adhibito argumento ab effectu noxio, videl. societate peccatorum, & ex consequenti etiam pœnarum.

12 Quia multa haberem vobis scribenda, nolui per chartam & atramentum: sed spero *me* venturum ad vos, & præsentem præsentibus loquuturum; ut gaudium nostrum sit completum.

13 Salutant te filii sororis tuæ electæ: Amen.

Abrumpit epistolam ἀποδιώξει, id est, rejectione cæterarum rerum quas habebat scribendas, & pollicitatione sui ad ipsos adventus: quem amplificat primùm à causa procreante, videlicet providentiâ Dei, quum ait, *Spero*: deinde à forma seu modo collocutionis, ubi ait, *στόμα πρὸς στόμα, os ad os*, id est, cum mutuo aspectu: tum ab effectu, ubi ait: *Ut gaudium nostrum sit completum.* Postremo nuntiat illi dominæ salutem à filiis sororis ipsius.

SCHOLIA IN EPIST. II. JOH.

1 Senior] ὁ πρεσβύτερος. *Sic puto Johannem tunc appellatum ab ætate, eò quòd esset grandævus.* Electæ] ἐκλεκτῇ. *Videlicet à Deo electæ ad vitam æternam. Hoc autem æstimabat Johannes pro judicio charitatis ex piis illius factis.* Dominæ] κυρίᾳ. *Id est, matronæ honoratæ propter opes ac beneficentiam erga pauperes.* Quos] οὓς. *Scilicet tum matrem, tum liberos. Ad* οὓς, *subaudiendum* ἀνθρώπους. *Synesis.* Sincerè] ἐν ἀληθείᾳ. *Ad verb. In veritate. Hebraismus.* Omnes &c.] πάντες *&c. Intelligit utique non omnes simpliciter qui tum nôrant veritatem: sed omnes qui in istis locis degebant, & quibus matrona illa erat nota. Est igitur synecd. gen.* Veritatem] τὴν ἀλήθειαν. *Nempe cælestem illam, quæ aliâs dicitur Evangelium. Synecdoche generis.*

2 Manet] μένει. *Seu habitat.*

3 Sit] ἔσται. *Ad verb. Erit. Hebraismus.* Vobiscum] μεθ' ὑμῶν. *Quidam libri habent,* μεθ' ἡμῶν, *id est, nobiscum. Sed alteram lectionem postulat ipsa sententia, quippe salutatio.* Cum veritate] ἐν ἀληθείᾳ *Id est,* μετ' ἀληθείας. *Hebraismus.*

4 Sincerè] ἐν ἀληθείᾳ. *Ut v. 1.*

5 A principio] ἀπ' ἀρχῆς. *Scil. vocationis nostræ, seu prædicati nobis Evangelii.*

6 Hæc autem est dilectio] καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ ἀγάπη. *Id est, hæc in re consistit dilectio tum Dei, tum proximi: seu tum demum verè diligimus Deum & proximum, si ambulemus secundùm mandata ejus. Quâ fit* ut incedamus &c.] ἵνα περιπατῶμεν. *Similem ellipsin vide 1. Johan. 5. v. 3.* Sicut audivistis] καθὼς ἠκούσατε. *Id est, quod audivistis.*

7 In carnem] ἐν σαρκί. *Pro,* εἰς σάρκα: *ut 1. Johan. 4. v. 2.* Hic] οὗτος. *Videl. quicunque istud negat.* Impostor ille] ὁ πλάνος. *Id est, unus ex illis impostoribus quos modò dixi ingressos esse in mundum. Articulus vim habet ἀναφορικήν.* Et antichristus] καὶ ὁ ἀντίχριστος. *Id est, unus ex antichristis. nam jam tum antichristi multi exorti erant, 1. Joh. 2 v. 18.*

8 Cavete vobis] βλέπετε ἑαυτούς. *Ad verb. Videte vos ipsos.* Sehet euch für. Ne perdamus] ἵνα μὴ ἀπολέσωμεν. *Pro,* ἵνα μὴ ἀπολέσητε· *ne perdatis. Enallage personæ per ἀνακοίνωσιν, quam nonnulli vocant.* Quæ operati sumus] ἃ εἰργασάμεθα. *Id est, mercedem quam operando meriti sumus. sicut percipitur ex antithesi. Metonymia efficientis. Est autem oratio impropria, nempe metaphorica. nam propriè loquendo vitam æternam non meremur nostris operibus: sed adipiscimur illam ex gratia Dei propter Christi meritum. comparatur autem plena illa vitæ æternæ fruitio mercedi: quia dabitur credentibus demum in vespera mundi, posteaquam in vinea Domini fideliter laboraverint: ut percipitur ex parabola Matth. 20.*

9 Quisquis transgreditur] *πᾶς ὁ παραβαίνων. Scilicet mandatum Dei audiendo Christo.*

10 Hanc doctrinam] *ταύτην τὴν διδαχήν. Videlicet puram doctrinam Evangelii de persona & officio Christi.* Ave] *χαίρειν. Ad verb. Gaudere. Utuntur autem Græci hoc verbo in salutationibus: quod genus salutandi & Horatius in epistola quadam retinuit, quæ incipit:* Celso gaudere & bene rem gerere Albinovano. *nam Græci in salutando utrumque verbum usurpant, χαίρειν & τὸ πράττειν.*

11 Et atramentum] *καὶ μέλανος. Græci atramentum vocant μέλαν, subaudiendo χρῶμα: quasi dicant, atrum colorem.* Me venturum] *ἐλθεῖν. Pro, ἐλεύσεσθαι. Scilicet ἐμέ. Enallage temporis, & ellipsis pronominis.* Præsentem præsentibus] *στόμα πρὸς στόμα. Puto subaudiendum, στρέφοντα: quod est Latinè, ore ad os converso. Sic 1.Cor.13. v. penult. dicitur, βλέπειν πρόσωπον πρὸς πρόσωπον: scilicet στρέφοντα. Videre facie ad faciem* conversâ. *Sunt phrases Hebraicæ.* Locuturum] *λαλῆσαι. Pro, λαλήσεσθαι: ut modò, ἐλθεῖν.* Gaudium nostrum] *ἡ χαρὰ ἡμῶν. Quidam libri habent ὑμῶν: quod convenientius puto.*

OBSERVATIONES.

Judicium de proximo. 1 Ex v.1. ex vocabulo *electa*. In quibus conspicimus signa electionis, videl. professionem fidei Christianæ, & alia bona opera, eos meritò pro electis habemus ac electos nominamus. Confer 1.Pet.1.v.1. Phil.4.v.3.

Discrimen personarum. 2 Ex eod.v. ex vocabulo *domina*. Societas fidei Christianæ non tollit discrimen personarum civile: nec impedit, quò minùs ditiores præ cæteris honorentur: dummodo illi factis ostendant, se esse pios.

Dilectio. 3 Ex eod.v. ex verb. *Quos ego sincerè diligo.* Dilectio debet esse sincera. Confer 1.Tim.1.v.5. 1.Joh.3.v.18.

Evangelii. 4 Ex eod.v. ex verbis, *Qui nôrunt veritatem.* Doctrina Evangelii de salute per Christum, fide amplectenda est: quum sit cælestis veritas.

Fides 5 Ex vers.2. Qui semel verâ fide donati sunt, nunquam eam amittunt, eáve excidunt. Interim fides alenda est mediis ad id destinatis, videl. perpetuâ meditatione verbi Dei, & frequente usu Sacramentorum.

Beatitudo. 6 Ex v.3. Is demum beatus est, qui per fidem gustat Dei erga se gratiam & misericordiam in Christo: ac proinde Deum, ut benevolum patrem, diligit, ac proximum (præsertim domesticum fidei) ut fratrem, propter Deum.

Officium hominis Christiani. 7 Ex v.4. Quum videmus, proximum piè vivere, debemus eo nomine gaudere, illíque gratulari.

Consolatio contra pravos filios. 8 Ex eod. vers. Si contingat, non omnes nostros liberos esse pios, sed tantùm aliquos: agamus Deo gratias de pietate horum, reliquorum verò impietatem patienter feramus: consolantes nos exemplis sanctorum, quibus idem accidit. Sic Adam habuit suum Cajin, Noah suum Cham, Abraham suum Ismaelem, Isaac suum Esavum &c.

9 Ex v.4.5.& 6. Pietatis regula est mandatum Dei. *Pietas.*

10 Ex v.7. Quum videmus, subinde novos impostores oriri in Ecclesia, ne miremur tanquam rem novam: quoniam idem temporibus apostolorum accidit. *Consolatio contra falsos doctores.*

11 Ex eod.v. Qui doctrinâ suâ evertunt vel æternitatem personæ Christi, ac proinde veram ejus deitatem, vel veritatem carnis humanæve naturæ personaliter ab illo assumtæ, vel denique ejus officium sacerdotale, cujus gratiâ carnem assumsit: illi sunt impostores & antichristi, ac proinde cavendi. *Antichristi.*

12 Ex vers.8. Etsi qui verè in Christum credunt, fidem illam amittere non possunt, obstante videl. decreto Dei: tamen officium eorum est, ut de fide retinenda sint soliciti, ac proinde sibi caveant ab impostoribus, ne in errorem seducantur. *Officium hominis Christiani.*

13 Ex eod.v. Cavendum, ne verbis Apostoli abutamur ad subscribendum dogmati Papistarum de meritis nostrorum operum, quasi scilicet vitam æternam bonis nostris operibus mereamur. Nam vitæ æternæ plena fruitio ab Apostolo *merces* nominatur, non propriè loquendo, quasi nos illam mereamur; quippe quum ex doctrina apostolica constet, solum Christum suâ morte vitam æternam nobis esse promeritum: sed sic nominatur per metaphoram, propterea quòd credentibus demum dabitur in vespera mundi, post exantlatos multos ac varios hujus vitæ labores in vinea Domini. quod ipsum Christus per parabolam docuit, Matth.20. *Vita æterna. Vindicatio verborum,* Ut mercedem plenâ recipiamus.

14 Ex v.9. Qui non credit in Christum, is à vero Deo aberrat. Confer Joh.5.v.23. *Cultus Dei.*

15 Ex v.10. Cum impostoribus, qui doctrinam Evangelii de Christo oppugnant, commercium nobis esse non debet. Hinc apostolus Johannes (ut narratur in historia Eccles.) quum balneum ingressurus, conspicatus illic esset Cerinthum, qui oppugnabat deitatem Christi, mox ad comites suos conversus, *Exeamus*, inquit, *ne balneo collapso, unà cum impio isto opprimamur.* Sic Polycarpus, Johannis discipulus, quum aliquando obviam ei factus Marcion, diceret; Num agnoscis nos? respondisse traditur, *Agnosco te primogenitum Satanæ:* atque ita illum à suo colloquio rejecit. *Falsi doctores.* Euseb. eccl. hist. lib 3. cap.25. Ibid. lib.4. cap.14.

16 Ex v.11. Qui ad mala proximi opera connivent, eáve dissimulant, nec illos eo nomine (ut par est) reprehendunt, reos se constituunt ejusdem impietatis, ac proinde easdem in se pœnas attrahunt. Huc pertinet præceptum de non dissimulanda blasphemia, Levit.5.v.1. *Officium hominis Christiani.*

17 Ex v.12. Piorum officium est, mutuis colloquiis sese ædificare in Domino. *Officium hominis Christiani.*

ANALYSIS LOGICA

EPISTOLÆ TERTIÆ APOSTOLI JOHANNIS.

ARGUMENTUM.

Gajo cuidam, collaudatâ ejus hospitalitate, commendat quosdam Evangelii ministros, per quos hanc ad illum epistolam misit: simulq; conqueritur de Diotrephe, pastore illius ecclesiæ, cujus membrum Gajus erat.

Senior Gajo dilecto, quem ego sincerè diligo.

2 Dilecte, inprimis opto ut prosperè agas & valeas, sicut prosperè agit anima tua.

3 Gavisus sum enim valde, quum venirent fratres, & testimonio suo commendarent sinceritatem tuam, prout tu in sinceritate ambulas.

4 Majus istis gaudium non habeo, quum *videlicet* audio, filios meos in sinceritate ambulare.

5 Dilecte, fideliter agis, quicquid facis erga fratres & erga peregrinos.

6 Qui testimonio suo commendarunt charitatem tuam in conspectu ecclesiæ: quos rectè facies si prosequutus fueris ut dignum est Deo.

7 Nam pro nomine ejus exiverunt, nihil accipientes à Gentibus.

8 Nos ergo debemus recipere hujusmodi, ut administri simus veritati.

Vers.1. continetur salutatio: ubi nomine *πρεσβυτέρου*, id est, senioris, intelligitur Johannes apostolus à ratione ætatis: sicut in epistola proxime-præcedente. Gajus verò, cui hæc epistola inscribitur, fuit natione Judæus, ut percipitur ex v.7.& 8. hujus epistolæ: fide autem seu religione Christianus, ut liquet ex v.2. & deinceps. Cæterùm salutationi admiscet apostolus testificationem sui erga illum, ad quem scribit, amoris. V.2. salutationem, quam ellipticâ loquendi formâ innuerat, expressis verbis enuntiat: optans Gajo prosperam valetudinem seu sanitatem corporis. Et huic voto commodè annectit laudationem Gaji, per collationem similium, ubi ait: *Sicut prosperè agit anima tua.* quibus verbis laudat Gaji pietatem, vocans illam prosperitatem animæ. V.3. pietatem Gaji, quam periphrasi metaphoricâ significaverat, propriis verbis declarat, vocans eam *ἀλήθειαν, veritatem seu integritatem:* item, *ambulare in veritate*, id est, integrè & sincerè se gerere erga Deum & proximum. Præterea laudationem institutam confirmat testimonio fratrum (id est ministrorum Evangelii) qui à Gajo venerant. Adhæc testimonium illud, atque adeò ipsam Gaji pietatem, amplificat ab effectu, videl. suo gaudio quod inde perceperit. V.4. gaudium illud suum amplificat collatione minorum, & revocatione ὑποθέσεως ad θέσιν, id est, exempli specialis ad genus universum: ubi Gajum & alios per ipsius prædicationem ad fidem Christianam adductos nominat suos filios: quos nimirum prædicatione Evangelii genuerit Deo. V.5.& 6. laudationem Gaji repetit, & specialius pietatem ejus declarat commemoratione hospitalitatis illius: nec-non testimonium fratrum, quo illam confirmat, amplificat à dignitate eorum, apud quos illi testimonium illud suum enuntiarint, videlicet apud ecclesiam, id est, cœtum piorum. Tum laudationi commodè annectit ipsam commendationem illorum fratrum; per quos (ut apparet) hanc epistolam ad Gajum misit. Rogat igitur, ut

tur, ut eos prosequatur, id est, per illum locum, ubi Gajus degebat, transituros, hospitio benignè excipiat, & perrecturos amanter deducat & adjuvet. Petitionis argumentum inserit ab adjuncta istius facti pulchritudine seu honestate, ubi ait: καλῶς ποιήσεις, pulchrè seu honestè facies. Pulchritudinem autem illius beneficentiæ describit à sua forma, quæ consistit in harmonia seu consensione factorum cum verbis, ubi ait: ἀξίως τοῦ Θεοῦ, ut dignum est Deo. quasi dicat: Tu, Gai, profiteris, te Deum rectè nosse & colere: ergo exerce beneficentiam erga pios: sic enim facta verbis respondebunt: quæ harmonia valde pulchra est. V. 7. alia duo argumenta institutæ petitionis sive commendationis affert: quæ sumta sunt à factis illorum quos commendat: ut quòd profecti sint pro nomine Dei, id est, ad prædicandum Evangelium, atque ita ad illustrandum nomen seu gloriam Dei. Deinde, quòd pro illo suo labore nihil accipiant à Gentibus, sed Evangelium eis prædicent gratis. unde innuit, illos & dignos esse beneficentiâ Gaji aliorumque fratrum, & verò etiam illa opus habere. V. 8. petitionem institutam concludit: & adhuc unum argumentum annectit, quod sumtum est ab effectu utili: quia hac ratione promoturus sit veritatem.

9 Scripsi ecclesiæ: sed qui primatum inter eos ambit Diotrephes, non recipit nos.

10 Propterea, si venero, suggeram ipsius facinora quæ facit, verbis improbis garriens in nos: quique etiam his non contentus, neque ipse recipit fratres, & qui volunt *recipere* prohibet, & ex ecclesia ejicit.

V. 9. per prolepsin digreditur in querimoniam de Diotrephe. Objectio est: Cur non potiùs scripsisti ecclesiæ ad fratres istos commendandum. Respondet: Scripsi ecclesiæ: sed quòd tibi quoque separatim scripsi, causa est quòd vereor, ne illâ apud ecclesiam commendatione parum aut nihil profecturus sim: idque propter Diotrephem, qui me & mihi conjunctos aspernatur ac rejicit. Hanc quærimoniam amplificat primùm expositione causæ, quam affirmat esse φιλοπρωτείαν, id est, ambitionem primatus: quem scil. pii fratres ei nolebant tribuere. Deinde v. 10. facta illius mala specialiter exponit tria, per incrementum seu gradationem à minoribus ad majora. Primum est: *Verbis improbis garrit in nos*. Secundum: *Non recipit fratres*. Tertium: *Eos qui volunt recipere, prohibet & ex ecclesia ejicit*. Hanc factorum expositionem amplificat comminatione: qua minatur, se aliquando coràm cum illo de istis factis expostulaturum.

11 Dilecte, ne imitare quod malum est, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est: qui autem malè facit, non vidit Deum.

12 Demetrio testimonium redditum est ab omnibus, & ab ipsa veritate: sed & nos testimonium perhibemus; & nostis, testimonium nostrum verum esse.

13 Multa haberem scribenda, sed nolo per atramentum & calamum tibi scribere:

14 Spero autem fore ut statim te videam; tunc coràm loquemur.

15 Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

Redit ad propositum: & dehortatur eum ab imitanda inhumanitate atque crudelitate Diotrephis, & contrà hortatur ad beneficentiam: argumento allato ab utili eventu, ut scil. appareat, ipsum esse ex Deo, hoc est, filium Dei, verâ Dei notitiâ ac dilectione præditum. Deinde v. 12. specialiter commendat Demetrium quendam, qui hauddubiè unus ex illis fratribus fuit, per quos epistolam misit. V. 13. epistolam abrumpit per ἀπόλυξιν rerum scribendarum. V. 14. causam illius ἀπολύξεως exponit, videl. quòd speret fore ut brevi coràm colloquantur. V. ult. epistolam concludit salutationibus: tum ipse eum salutans, tum aliorum salutationem ei nuntians, tum denique amicos suis verbis salutari petens.

SCHOLIA IN EPIST. III. JOH.

1 Senior] πρεσβύτερος. *Ut epist. sup. v. 1.* Gajo dilecto] Γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ. *Scil. χαίρειν. Salutem: ut loquitur Jacobus cap. 1. v. 1.* Sincerè] ἐν ἀληθείᾳ. *Ut epist. sup. v. 1.*

2 In primis] περὶ πάντων. *Fortasse legendum πρὸ πάντων.* Ut prosperè agas] εὐοδοῦσθαι. *Verbum Græcum significat commodâ viâ uti. Vita autem hominis passim in Scriptura comparatur viæ. Et sic εὐοδοῦσθαι hoc loco est prosperè seu commodè vivere. Paulus Rom. 1. v. 10. hoc verbo utitur in significatione nativa.* Σὲ. *Id est, corpus tuum: ut percipitur ex antithesi. Synecdoche integri.* Prosperè agit] εὐοδοῦται. *Videl. fruens pace Dei, seu tranquillitate conscientiæ ex fide.*

3 Testimonio suo commendarent sinceritatem tuam] μαρτυρούντων σου τῇ ἀληθείᾳ. *Ad verb. Testarentur (id est, testimonium darent) tuæ veritati.* In sinceritate ambulas] ἐν ἀληθείᾳ περιπατεῖς. *Sic puto potiùs reddendum, quàm,* Sincerè ambulas: *quoniam verbum περιπατεῖν usitatè regit præpositionem ἐν alicui nomini præpositum, quo nimirum significatur quasi via in qua ambulatur.*

5 Quicquid facis] ὃ ἐὰν ἐργάσῃ. ἐὰν *pro* ἂν. *Id est, quicquid beneficii confers in fratres, excipiendo illos & prosequendo; ut percipitur ex versu sequente. Synecdoche generis.*

6 In conspectu ecclesiæ] ἐνώπιον ἐκκλησίας. *Nempe illius apud quam ego nunc dego.* Si prosecutus fueris] προπέμψας. *Vel, si deduxeris, nempe ulteriùs profecturos.* Ut dignum est Deo] ἀξίως τοῦ Θεοῦ. *Id est, professione nominis Dei. Metonymia subjecti.*

7 Pro nomine ejus] ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ. *Id est, ad nomen ejus prædicandum.* Nihil] μηδὲν. *Id est, nullam mercedem. Synecdoche generis.* A Gentibus] ἀπὸ τῶν ἐθνῶν *quibus nimirum prædicaverint Evangelium.*

8 Nos ergo] ἡμεῖς οὖν. *Nempe nos Judæi.* Veritati] τῇ ἀληθείᾳ. *Id est, Evangelio. Synecd gen.*

9 Scripsi] ἔγραψα. *Nempe ad commendandum hos fratres.* Ecclesiæ] τῇ ἐκκλησίᾳ. *Nempe apud quam tu degis, & cujus membrum es.* Sed qui primatum inter eos ambit &c.] ἀλλ' ὁ φιλοπρωτεύων &c. *Id est, Sed vereor, ne illis literis parum aut nihil sim profecturus: quia Diotrephes non recipit nos. Synecdoche metonymica. Johanni familiaris. Vide 1 Joh. 3. v. 20 & cap. 5. v. 9.* Nos] ἡμᾶς. *Id est, me Johannem. Synecdoche: qualis 1 Cor. 4. 9. & deinceps.*

10 Ex Ecclesia ejicit] ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλει. *Id est, excommunicat: ut hodie loquimur.* (phora.

11 Non vidit] οὐχ ἑώρακε. *Id est, non cognovit: ut Joh. 1. 18. Meta-*

12 Ab omnibus] ὑπὸ πάντων. *Videl. fratribus qui hîc sunt. Synecdoche generis,* Et ab ipsa veritate] καὶ ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας. *Id est, ab ipsis ejus factis.* Nos] ἡμεῖς. *Id est, ego Johannes: ut paulò antè v. 9.*

14 Statim] εὐθέως. *Id est, brevi.* Coràm] στόμα πρὸς στόμα. *Vide epist. superiore, v. penult.*

15 Pax tibi] εἰρήνη σοι. *Scil.* ἔστω, *sit. Formula salutandi Hebraica: qua & Christus post resurrectionem suam apud Apostolos usus legitur.* Amici] οἱ φίλοι. *Scilicet qui hîc sunt.* Amicos] τοὺς φίλους *scilicet qui isthîc sunt.*

OBSERVATIONES.

1 Ex v. 1. Dilectio proximi debet esse sincera. *Dilectio.*

2 Ex v. 2. Non est satis valere corpore: sed inprimis curandum, ut rectè valeat animus. *Valetudo.*

3 Ex v. 2. & 3. Animus tum rectè valet, quum præditus est verâ fide & dilectione. *Valetudo animi.*

4 Ex v. 3. & 4. Officii nostri est, pietate proximi gaudere, illique eo nomine gratulari. Confer Rom. 1. v. 8. *Officium hominis Christiani.*

5 Ex v. 4. Pastorum est, fideles curæ suæ commissos ut filios complecti. *Ministri verbi Dei.*

6 Ex v. 5. 6. 7. 8. Peregrini fideles, ac inprimis ministri Verbi, omni operâ atque ope fideliter adjuvandi sunt. *Officium hominis Christiani.*

7 Ex v. 6. Qui charitatem alicujus experti sunt, beneficiis scil. ab eo affecti, debent eum apud alios commendare. *Officium hominis Christiani.*

8 Ex v. 9. Si piis Verbi ministris accidat, ut ab ambitiosis collegis contemnantur, æquo animo id ferant, cogitantes, idem accidisse Apostolo Johanni à Diotrephe. *Consolatio.*

9 Ex v. 10. Piorum ministrorum Verbi est, collegas ambitiosos, quum fert occasio, reprehendere. *Ministri verbi Dei.*

10 Ex eod. v. De excommunicatione duo hîc notanda sunt: 1. quòd tempore Apostolorum fuerit in usu. 2. quòd Apostolis fuerit probata: quia Johannes reprehendit Diotrephem propter illius abusum. quòd scil. eâ uteretur adversus innocentes, idque privatâ authoritate, absque presbyterii consensu. *Excommunicatio.*

11 Ex v. 11. Non est satis, Deum in ore habere; sed benefactis demonstrandum est, nos Deum habere in corde. *Officium hominis Christiani.*

12 Ex v. 12. Qui probè officio suo funguntur, iis testimonium reddendum est suæ probitatis. *Officium hominis Christiani.*

13 Ex v. 14. Pios decet mutuis colloquiis sese in Domino oblectare. *Colloquia.*

ANALYSIS LOGICA

EPISTOLÆ JUDÆ.

ARGUMENTUM.

Hortatur Christianos, ad quos scribit, ad constantiam in fide Evangelii, & monet ut sibi caveant à seductoribus: quos à suis moribus copiosè describit, & æternum exitium eis denuntiat.

Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, vocatis, per Deum Patrem sanctificatis, & Jesu Christo asservatis:

2 Misericordia vobis & pax & charitas multiplicetur.

SAlutatio: cujus membra tria: ὑπογραφὴ seu nomen scriptoris, ἐπιγραφὴ seu nomen eorum ad quos scribitur, & ipse ἀσπασμὸς seu ἀρχὴ, salutatio & votum quo maxima bona exoptantur. Nomen scriptoris est *Judas*. Hic describitur à duobus adjunctis: quorum prius est, *Servus Jesu Christi*: posterius, *frater Jacobi*. Utroque significatur, eum esse unum ex duodecim Apostolis Christi. Nomen eorum ad quos scribitur, non exprimitur: sed describuntur illi descriptione quadam generali & omnibus Christianis communi: videlicet quòd sint *vocati* ad communionem Christi per Evangelium, (quæ est vocatio externa) & *sanctificati per Deum patrem*, id est, per Spiritum Dei illuminati ac fide Evangeli donati, (quæ est vocatio interna) & denique *observati Jesu Christo*, ut scilicet illi suo tempore adducantur ad fruendum unà cum ipso gaudiis & gloriâ cælesti in æternum. Cæterùm videtur hæc epistola scripta esse ad Judæos provinciales, id est, in provinciis Romanorum dispersos: quia apparet, scriptam esse ad eosdem, ad quos scripta est posterior epistola Petri: quam ad provinciales illos Judæos scriptam esse, liquet ex collatione versus primi, capitis tertii, cum principio epistolæ prioris. Esse autem hanc Judæ epistolam scriptam ad eosdem, ad quos scripta est posterior Petri: apparet ex identitate sententiarum & verborum, si tota hæc epistola conferatur cum illius epistolæ capite secundo toto. Votò exoptatur eis incrementum trium bonorum: primùm *misericordia*, id est, effectorum misericordiæ Dei: deinde *pacis*, id est, sive pacati animi Dei & per Christum placati, ac proinde ipsis faventis; sive pacis conscientiæ in ipsis, seu tranquillitatis animi ex favoris illius gustu: tum *charitatis*, sive Dei erga ipsos, sive ipsorum erga Deum & proximum.

3 Dilecti, quum omne studium adhibeam, ut scribam ad vos de communi salute, necesse habui vobis scribere, ad vos hortandos, ut decertetis pro fide quæ semel tradita est sanctis.

4 Nam subrepserunt quidam homines, priùs jam olim descripti ad hoc judicium: impii, qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam; & solum illum herum, Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, negant.

V.3. indicat susceptæ scriptionis partim scopum seu finem, partim summam, seu medium ad illum finem destinatum. Finis est, ut eos confirmet in doctrina salutis: hunc significat istis verbis, *Quum omne studium adhibeam, ut scribam ad vos de communi salute.* Summa est, hortatio ad decertandum pro fide seu doctrinâ sibi per apostolos traditâ. hanc summam exponit his verbis: *Necesse habui vobis scribere ad vos hortandos, ut decertetis pro fide quæ semel tradita est sanctis.* V.4. per prolepsin ostendit hortationis institutæ necessitatem. nam poterant illi, ad quos scribit, cogitare: Quid opus est hac hortatione? Respondet, opus illâ esse propter periculum, quod eis immineat à seductoribus, qui in ipsorum medio versentur, & quos quasi anguem in sinu foveant. quos ut detestabiles reddat, non solùm impios nominat, sed etiam impium eorum dogma exponit, ubi ait: *Qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam.* quibus verbis significat, seductores istos ex doctrina Evangelii de gratia Dei erga credentes in Christum, intulisse licentiam carnalem: quasi scilicet Christianis liceat agere quod carni ipsorum libet, nec necesse sit, ut sint soliciti de studio sanctitatis. Hoc impium istorum dogma amplificat partim ab adjuncta calumnia, partim ab effectu blasphemo ac pernicioso. Calumniam notat verbo μεταθεῖναι, id est, transponendi seu transferendi. q. d. Isti doctrinam de gratia Dei à suo fine transferunt ad finem alienum. Finis enim illius doctrinæ est, ut gratiâ Dei cognitâ & gustatâ, studeamus ei gratiam referre, obediendo sanctæ ipsius voluntati in Lege expressæ. At isti doctrinam de gratia Dei transferunt ad finem illi contrarium, videlicet ad lasciviam: quasi Deus ideo nobis de gratia sua testetur, ut nos lasciviamus, neque soliciti simus de cavenda ipsius offensa. Jam effectum blasphemum atque noxium illius dogmatis significat, quum ait: *istos negare solum illum herum, Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum*. non quòd isti apertè & expressè id facerent: sic enim Christiani illos secum non tulissent: sed quòd hoc ex illorum dogmate efficiatur & sequatur. qui enim se profitetur Christianum, & interim docet, Christianis concessam esse licentiam peccandi: is hoc ipso Christum negat: quia negat vim & mortis ejus & spiritus ejus. Vim mortis: quia Christus suâ morte electis suis impetravit non solùm peccatorum remissionem, sed etiam donationem Spiritus sancti, ad illos regenerandum & sanctificandum. Vim spiritus: quia Christus per spiritum suum regenerat & sanctificat, quos morte suâ redemit. Cæterùm, ne pii hac de seductoribus admonitione perturbarentur, quasi isti fortuito casu subrepsissent; revocat eos, consolationis causâ, ad considerationem summæ causæ, videl. decreti Dei, inquiens: *illos jam olim præscriptos esse ad hoc judicium*: id est, æterno Dei decreto destinatos esse ad istam impietatem, quâ sibi judicium seu damnationem æternam attrahunt. Præsupponit autem Apostolus, in decretis Dei, tanquam justissimis (licet nos illius justitiæ ratio lateat) omnibus piis esse acquiescendum.

5 Volo autem vos *istorum* commonefacere, ut qui semel hoc sciatis; Dominum, quum populum ex Ægypto liberasset, rursus eos qui non credebant, perdidisse:

6 Et angelos eos qui non servarunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, judicio magni illius diei *vinciendos* vinculis æternis sub caligine reservasse.

7 Sicut Sodoma & Gomorrha, & his finitimæ civitates, simili modo atque illi scortatæ, & carnem alienam sectatæ, propositæ sunt exemplo, ignis æterni pœnam sustinentes.

Deinceps argumenta affert institutæ hortationis, ut videlicet decertent pro fide, ac proinde sibi caveant ab istis seductoribus. Argumentum principale (quòd è prosyllogismis tantùm innuitur) ductum est ab effectu pernicioso, si patiantur se seduci: videlicet æterno exitio. Prosyllogismus adhibetur duplex. Prioris argumentum sumtum est à pari seu simili: posterioris, à testimoniis: infrà v.14. & 17. Ad priorem prosyllogismum quod attinet: profert tria exempla exitii à Deo inflicti suis creaturis, propter libidinem peccandi. Primum exemplum est Israëlitarum, quos Deus liberaverat ex Ægypto: quos in deserto propter incredulitatem prostravit, ac insuper æterno exitio perdidit, vers. 5. Secundum exemplum est angelorum, qui non contenti suo statu, sed altiorem gloriam affectantes, à Deo deturbati sunt in infernum, ubi post diem judicii universalis æternis cruciatibus torquebuntur, v.6. Tertium exemplum est Sodomitarum & vicinarum civitatum, quas Deus propter nefandas scortationes subvertit, & igne æterno punivit, v.7.

8 Similiter tamen & isti somniantes, carnem quidem polluunt, dominatum verò rejiciunt, & dignitates conviciis incessunt.

9 At Michaël archangelus, quum adversus Diabolum certans diceptaret de corpore Mosis, non ausus est *illi* inferre judicium maledicum, sed dixit, Increpet te Dominus.

10 At isti, quæ non noverunt, conviciis incessunt: quæ verò naturaliter, ut animantia rationis expertia, sciunt, per ea sese corrumpunt.

11 Væ ipsis: nam viam Cajin ingressi sunt; & deceptione mercedis, quâ deceptus fuit Balaam, effusi sunt; & contradictione Core perierunt.

12 Hi sunt in agapis vestris maculæ, dum vobiscum convivantur, absque ullius metu seipsos pascentes: nubes aquâ carentes, ventis circumactæ, arbores emarcidæ, infructuosæ, bis emortuæ, eradicatæ:

13 Undæ maris efferatæ, despumantes sua ipsorum dedecora, stellæ erraticæ, quibus caligo tenebrarum in æternum servata est.

V.8. Exemplum proxime-allatum ad seductores istos applicat; quoad exitii causam, videl. libidinosam corporis pollutionem: atque ita seductores istos ab impiis suis moribus describere incipit. Ac proinde statim annectit aliud illorum scelus, videlicet contemtum magistratus: quod scelus amplificat ab adjuncta magistratus dignitate seu gloriâ, quatenus ipsos principes δόξας, id est, glorias, appellat. Deinde v.9. fedus illud amplificat collatione majoris: Ne Michaël quidem archangelus ausus fuit maledicere Diabolo: ergo multò minùs isti debebant maledicere principibus hominibus. Ratio majoris est duplex; una, quia magis probabile est, archangelum potestatem habere maledicendi alicui, qui maledictionem sit meritus, quàm hominem: altera, quia magis probabile est, licere ut quis maledicat Diabolo, de cujus nimirum emendatione ac salute nulla spes est, quàm ut maledicat homini principi, quantumvis impio, de cujus tamen emendatione & salute quamdiu hìc vivit, non est desperandum, nisi peccare animadvertatur in Spiritum sanctum. Hanc amplificationem illustrat narratione disceptationis, quæ Michaëli archangelo cum Diabolo intercessit, videlicet de corpore Mosis. quod quum à Domino in valle montis Nebuntis sepultum esset, & Israëlitæ sepulchrum illud ignorarent: Deut.ult.v.9. videtur Diabolus illis voluisse patefacere, eò quòd sperabat fore, ut cultum illi instituerent: Michaël autem archangelus illum prohibuit. V.10. per antithesin geminam alia duo istorum seductorum vitia annectit, quæ ordine sunt tertium & quartum: videlicet impudentiam in vituperandis rebus quas non intelligunt, & intemperantiam in percipiendis voluptatibus corporis: in qua significanda eos ut similes comparat animalibus brutis. V.11. & deinceps pergit indicare vitiosos istorum mores: ut sunt, odium fratrum, quod significat comparatione illorum cum Caino: maledica insectatio piorum ex turpi avaritia, quod declarat exemplo Balaami: seditiosa contradictio, qua isti sese opponebant piis Dei servis ac verbi ministris, quam illustrat exemplo Core: intemperantia in cibo & potu, quam confirmat exem-

plo aga-

plo agaparum, id est, conviviorum quæ Christiani peractâ sacrâ Domini cœnâ agitabant ad testificandum mutuam dilectionem. Præterea hypocrisis, quam significat similitudine nubium aquâ carentium: instabilitas animi, quam significat circumactione nubium à ventis: ineptitudo ad bona opera, quam significat similitudine arborum emarcidarum, sterilium &c. Adhæc vehemens sive iracundia, sive libido: quarum alterutram significat similitudine undarum maris. Videtur autem potiùs notare libidinem; id enim videntur innuere ista verba, *Despumantes sua ipsorum dedecora.* Iracundiam tamen videtur notare epitheton ἄγρια. Postremò iterum notat in illis animi instabilitatem, quatenus eos nominat stellas erraticas. Atque huic vitiorum enumerationi annectit comminationem exitii æterni, quam etiam inseruerat in principio versus undecimi: ad notandum scil. principale argumentum institutæ hortationis.

14 Prophetavit autem etiam de istis septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce, venit Dominus cum sanctis myriadibus suis;

15 Ut exerceat judicium de omnibus, & redarguat quicunque ex ipsis sunt impii, de omnibus eorum factis impiis quæ patrarint, deque omnibus duris quæ loquuti fuerint adversus ipsum peccatores impii.

Sequitur alter prosyllogismus, quo continentur testimonia. ac primùm prophetia Enochi de futuro judicio: deinde prophetia Apostolorum de venturis irrisoribus, vers. 17. Ad prophetiam Enochi quod attinet, quum illa non exstet in libris Scripturæ canonicis, statuendum est, Judam illam ex indubitata traditione majorum accepisse. Cæterùm in hac futuri judicii descriptione indicantur tum personæ tum processus judicialis. Personæ trium sunt generum; judex, ministri judicis, & rei judicio sistendi. Judex est *Dominus*, nempe Christus: ministri judicis, sunt sancti angeli, quos propter copiam vocat *sanctas myriades*: rei judicio sistendi, sunt *omnes homines*. Processus judicialis est *convictio reorum damnandorum:* quorum peccata amplificantur distributione è subjectis recipientibus, *in impia facta & dicta*.

16 Hi sunt murmuratores, queruli, secundùm cupiditates suas incedentes: & quorum os loquitur prætumida, admirantes personas utilitatis gratiâ.

Interposito testimonio prophetiæ Enochi, redit ad descriptionem istorum seductorum: de quibus hîc quatuor vitia commemorat, ut per se planum est. nisi quòd observandum, duobus primis epithetis unum idemque vitium notari. Etenim isti dum de sorte sua conquerebantur, unde dicuntur μεμψίμοιροι: hoc ipso contra Deum & fratres murmurabant, unde appellantur γογγυσαί.

17 Vos autem, dilecti, memores estote verborum quæ prædicta fuerunt ab apostolis Domini nostri Jesu Christi:

18 Quòd *videlicet* dixerunt vobis, in extremo tempore futuros irrisores, qui secundùm impias suas cupiditates incederent.

Hîc interserit alterum testimonium, videlicet prophetiam Apostolorum: qui prædixerunt, tales seductores in Ecclesia exorituros: ut nimirum Christiani ab illis sibi caverent, ne per eos seducti, & illorum scelera imitantes, eodem exitio sese involvant. Reperitur autem ista Apostolorum prophetia 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. 2. Pet. 2.

19 Hi sunt qui seipsos segregant, animales, spiritum non habentes.

Redit ad descriptionem istorum seductorum; & duo insuper in eis culpat: unum, quòd se segregent à piis, quum scil. illi conveniunt ad audiendum verbum Dei & percipiendum Sacramenta: alterum, quòd careant spiritu Dei: quæ nimirum res cæterorum omnium vitiorum fons est, & malorum summa.

20 Vos autem, dilecti, sanctissimæ vestræ fidei superstruentes vos ipsos, per Spiritum sanctum, orantes:

21 Vos ipsos in charitate Dei conservate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.

22 Et alios quidem, habito delectu, commiseramini:

23 Alios verò terrore servate, ex igne rapientes: odio habentes vel eam tunicam quæ à carne sit maculata.

Hîc redit ad ipsam exhortationem, & hortatur eos ad constantiam & profectum in fide, charitate & spe: simul indicans media, quibus possint ista bona consequi, videlicet operationem Spiritus sancti, & preces: inserens etiam hortationis argumentum ab effectu utili, videlicet vitâ æternâ, vers. 20. & 21. Deinde annectit hortationem alteram, ut nimirum soliciti sint de fratribus quoque ex ista seductione eripiendis & ad salutem adducendis: quam hortationem illustrat distributione ex forma seu modo agendi: ut nimirum alios tractent misericorditer & blandè; alios verò terreant, minando scilicet judicium Dei, vers. 22. & 23. Ad extremum annectit hortationem ad castitatem, illamque hortationem amplificat collatione imparium: *Odio habete*, inquit, *vel eam tunicam quæ à carnis contactu sit maculata*. Quasi dicat, Quanto magis ipsam carnis libidinem & libidinosos istos aversari debetis?

24 Cæterùm ei qui potest vos custodire ab offensione immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ inculpatos cum exsultatione:

25 *Id est*, soli sapienti Deo, servatori nostro, *sit* gloria & majestas, robur & potestas, & nunc & in omnia sæcula, Amen.

Concludit epistolam δοξολογίᾳ, id est, celebratione nominis Dei: & eâ occasione simul eis promittit Dei opem ad præstandum ea ad quæ fuerat hortatus.

SCHOLIA IN EPIST. JUDÆ.

1 Jesu Christi servus] Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος. *Sic Rom. 1. v. 1.* Frater autem Jacobi] ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου. *Qui idem dicitur filius Jacobi, sed alterius cujusdam. Vide scholia ad Luc. 6. 16 & Act. 1. 13.* Jacobi] Ἰακώβου. *Scilicet Apostoli, dicti minoris: qui fuit filius Alphæi: ut liquet ex eo, quòd cum hoc conjungitur, Matth. 10. v. 3. ubi hic* Judas *nominatus Lebbæus, cognomento Thaddæus.* Per Deum Patrem] ἐν Θεῷ πατρί. *Ἐν pro διά.* Jesu Christo] Ἰησοῦ Χριστῷ. *Accipiendum casu dativo. Vult enim dicere, fideles servari à Deo ad hoc, ut suo tempore sistantur Christo, tanquam sponsa sancta: ut loquitur Paulus Eph. 5. v. 27.* Vocatis] κλητοῖς. *Nempe ad nuptias illas cælestes, Matth. 22. v. 2. & deinceps: per prædicationem scilicet Evangelii.*

3 De communi salute] περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας. *Id est, quæ mihi vobiscum & cum omnibus fidelibus communis est.* Pro fide] τῇ πίστει. *Id est, doctrinâ fidei, videl. Evangelio. Metonymia adjuncti: qualis 1. Tim. 4. v. 1.*

4 Prius jam olim descripti] οἱ πάλαι προγεγραμμένοι. *Id est, ab æterno prædestinati.* Die schon vorlangst verzaichnet sind. *Metaphora ab iis qui memoriæ causâ in codicillis describunt & consignant quæ sibi proposuerunt agere.* Ad hoc judicium] εἰς τοῦτο τὸ κρίμα. *Id est, ad hanc impietatem, quam deinceps multis verbis descripturus est: quâ impietate commerentur, sibiq; accersunt judicium Dei, id est, æternam damnationem. Metonymia effecti.* Qui transferunt] μετατιθέντες. *Scil. à suo fine ad alienum. Est autem legitimus finis doctrinæ de gratia Dei, ut declaremus nos ergà Deum gratos per serium studium pietatis.* Gratiam Dei nostri] τὴν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν χάριν. *Id est, doctrinam de gratia Dei nostri. Metonymiam subjecti.*

5 Semel] ἅπαξ. *Id est, certò, immutabiliter.* Populum] λαόν. *Nempe Israëliticum.* Ex Ægypto] ἐκ γῆς Αἰγύπτου. *Ad verb. Ex terra Ægypti: vel, ex terra Ægypto.* Perdidisse] ἀπώλεσεν. *Videlicet in deserto.*

6 Suam originem] τὴν ἑαυτῶν ἀρχήν. *Id est, conditionem seu statum in quo fuerant initio conditi. Sic Johan. 8. dicitur Diabolus non stetisse in veritate.* Sed reliquerunt suum domicilium] ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον. *Id est, sed Deo rebellantes, altiorem gloriam atque adeò æqualitatem cum Deo, affectârunt: ac proinde propter hoc crimen læsæ majestatis, domicilium suum cæleste coacti sunt relinquere, atque inde deturbati sunt ad inferos. Synecdoche metonymica, quâ unà cum effectu intelligitur efficiens.* Magni illius diei] μεγάλης ἡμέρας. *Quo scilicet cuncti homines, quotquot unquam vixerint, comparebunt coram tribunali Christi. quæ nimirum erit omnium maxima & maximè solennis πανηγύρεις.* Vinciendos] *Quòd Græcè diceretur,* δεδησομένους. *Ellipsis verbi conjugati, necessaria ad conciliandum hunc locum cum iis ubi mali angeli narrantur in terra homines tentasse & vexasse. Id quod facere non potuissent, si jam inde postquam è cælo in tartarum dejecti sunt, æternis vinculis detinerentur.* Vinculis æternis] δεσμοῖς ἀϊδίοις. *Nempe vinculis suæ voluntatis ac potentiæ. Metaphora.* Sub caligine] ὑπὸ ζόφον. *Id est, in loco caliginoso, nempe in inferno.*

7 Et his finitimæ civitates] καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις. *Videl. duæ istæ, Adamáh & Zebójim, ut nominantur Deut. 29. v. 23. Nam quinta quæ dicta fuit Zóar, parsum fuit ad intercessionem Loti: ut habetur Gen. 19. v. 21.* Consimili modo atque illi] τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον. *Pronomen τούτοις refertur ad dictarum civitatum incolas. Etenim civitatibus hic tribuitur scortatio, per metonymiam subjecti: id est, incolis civitatum.* Scortatæ] ἐκπορνεύσασαι. *Quasi dicas, scortando effervefactæ, seu in scortationem effusæ. hæc enim videtur esse vis atque emphasis præpositionis ἐκ in isto verbo composito. Simili quadam ratione Germanicè diceretur,* Er hat sich zerhüret / *id est, ad defatigationem usque scortationi operam dedit.* Et carnem alienam sectatæ] καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας. *Ad verbum,* Et quum abiissent post carnem diversam. *Sic verecundè notatur flagitium Sodomitarum ἀρσενοκοιτῶν, quod describitur à Mose Genes. 19. Carnis igitur vocabulo per synecdochen integri intelligit partes corporis pudendas. Diversam autem carnem, intelligit eam quæ non in hunc finem, sed in finem diversum à Deo condita est.* Pœnam] δίκην. *Propriè, jus. Metonymia efficientis.*

8 Somniantes] ἐνυπνιαζόμενοι. Id est, inter somniandum. Hic nominativus regitur à verbo Græco μιαίνουσι. Alii reddunt sopiti, quod respondet verbo Græco ὑπνωθέντες: & accipiunt μεταφορικῶς de sensibus animi, suavitate voluptatum quasi delinitis atque sopitis. Sed ἐνυπνιάζεσθαι deductum à nomine ἐνύπνιον, quo somnium significatur, significat somniare: nec usquam (quod sciam) pro sopiri reperitur. Videtur autem istud participium adjectum ad amplificandum libidinem istorum: ut quæ sese in illis etiam dormientibus exserat. Carnem] σάρκα. Id est, corpus suum. Sic ait Paulus 1.Cor.6.v.18. Qui scortatur, in proprium corpus peccat. Rejiciunt] ἀθετοῦσι. Quasi dicat, deponunt. Scilicet de suo throno. Id est, rejiciunt, repudiant, spernunt. Sic Luc.10.v.16. ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς, ἐμὲ ἀθετεῖ: qui rejicit vos, me rejicit. Item Joh.12.v.48. ὁ ἀθετῶν ἐμὲ, καὶ μὴ λαμβάνων τὰ ῥήματά μου: qui rejicit me, nec recipit verba mea. Dignitates] δόξας. Ad verb. glorias, seu majestates. Sic vocat ipsos Principes, per metonymiam adjuncti.

9 Michaël] Μιχαὴλ. Nomen proprium angeli, ut patet ex hoc loco. Est autem Hebraicum, & sonat Latinè, Quis sicut Deus? id est, quis est similis aut æqualis Deo? quasi dicatur, Nemo. Sunt qui exponant, Is qui est par Deo. Reperitur hoc nomen & Dan.10. v.13. item c.12.v.1. nec-non Apoc.12.v.7. in quibus quidem locis nonnulli per Michaëlem intelligunt filium Dei. Sed nihil videtur obstare, quin illic quoque intelligatur hic ipse archangelus. Imò textus videtur postulare, ut non filius Dei, sed angelus quispiam intelligatur. Etenim ille Michaël unus principum primariorum (id est, angelorum) esse dicitur: id quod in filium Dei non competit. Ne tum quidem, si illud unus per primus exponas: quia sic quoque in ordinem angelorum, Michaël iste refertur. nam si est primus illorum, certè est etiam unus ex illorum numero. Ne quis autem hic quoque filium Dei intelligendum putet, eumq; nominari sentiat ἀρχάγγελον, tanquam diceres principem angelorum: sciendum, scripturam inter Christum & archangelum manifestè discernere 1.Thess.4. v.16. ubi dicitur Dominum descensurum è cælo cum hortationis clamore & voce archangeli. Archangelus] ὁ ἀρχάγγελος. Potest hoc bifariam accipi: vel quasi significetur, hunc unicum esse archangelum, tanquam cæterorum principem: vel quasi hic Michaël sit unus ex archangelorum numero. Sanè scriptura (quod sciam) nusquam nominat archangelos numero plurali: sed ut hic, ita etiam 1.Thess.4.v.16. archangeli, numero singulari, meminit: nec (quod sciam) uspiam alibi istud nomen in scriptura reperitur. Veruntamen si locum Dan.10.v.13. non de filio Dei, sed de angelo interpretemur: apparebit, Michaëlem non unicum esse archangelum, sed unum ex illorum numero. Etenim ibi angelus Danielem alloquens, inter alia sic ait: Sed princeps regni Persici stetit coram me (vel, contra me) uno & viginti diebus: & ecce Michaël unus principum primariorum venit ad juvandum me. Ubi qui nominantur principes primarii, (Hebraicè, sarim harischonim) illi Græcè videntur rectè dici posse ἀρχάγγελοι. De corpore Mosis] περὶ τοῦ Μωσέως σώματος. Construe, περὶ τοῦ σώματος Μωσέως. Quod nimirum à Domino in valle clàm sepultum, (Deut.34. v.6.) Diabolus conabatur filiis Israël patefacere, ad occasionem præbendum idololatriæ. Sic sanè illi progressu temporis abusi fuerunt serpente illo æneo quem fecerat Moses in deserto: quippe cui adoleverunt, 2.Reg.18. v.4. Non ausus est illi inferre judicium maledicum] οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας. Ad verb. ἐπενεγκεῖν res ipsa loquitur subaudiendum pronomen αὐτῷ. Sic autem hæc verba interpretor ex collatione verborum Petri 2.Pet.3.v.11. ex quo capite plerasq; hujus epistolæ sententias sumtas esse apparet. Verba Petri sunt: οὐ φέρουσι (οἱ ἄγγελοι) κατ' αὐτῶν (τῶν δοξῶν) παρὰ Κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν. Id est, Non ferunt (angeli) adversus illas (dignitates) apud Dominum judicium maledicum. Ergo, ut dixit Petrus, φέρειν κρίσιν κατὰ τῶν δοξῶν: simili sensu dicit Judas, ἐπενεγκεῖν κρίσιν τῷ διαβόλῳ. Et κρίσις βλασφημίας per Hebraismum idem valet apud Judam, quod apud Petrum κρίσις βλάσφημος. Increpet te Dominus] ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος. Hæc eadem verba leguntur apud Zachariam cap.3.v.2. sed pronuntiata ab angelo Jehovæ, eodemq; ipso Jehova (videl. Christo) ad Satanam stantem à dextra Jehosuæ summi sacerdotis.

10 Per ea] ἐν τούτοις. Id est, διὰ τούτων. nam notatur causa instrumentalis corruptionis. Sese corrumpunt] φθείρονται. Sic apud Hebræos conjugatio passiva quæ dicitur Niphál, interdum reciprocam significationem habet. Potest etiam verti: Sese perdunt.

11 Væ ipsis] οὐαὶ αὐτοῖς. Exclamatio commiserantis. q.d. Heu quàm doleo, quum cogito quale & quantum exitium isti sibi accersant. Oratio est elliptica. q.d. Væ (id est, dolor & cruciatus) erit seu accidet ipsis. Core] τοῦ Κορὲ. Iste solus nominatur, tanquam conjurationis adversus Mosen & Aharonem princeps: veruntamen socios habuit Dathanem, Abiramum & Onem, Num.16.v.1.

12 In agapis] ἐν ταῖς ἀγάπαις. Id est, conviviis institutis ad testandum & fovendum fraternam charitatem. Metonymia finis. Maculæ] σπιλάδες. Id est, quasi maculæ, seu instar macularum. Metaphora. Confer 2.Pet.2.v.13. Absque ullius metu] ἀφόβως. q.d. Nec Deum, nec homines verentur. Arbores emarcidæ] δένδρα φθινοπωρινὰ. Id est, ὧν φθίνει ἡ ὀπώρα, quarum marcescit fructus. Insurgit autem hic oratio: ut eruditè observavit Henricus Stephanus in suo Thesauro, in explicatione istius vocis, quem (si placet) adi. Bis] δίς. Hyperbole adhibita ad amplificandum. Videtur autem (ut eruditè D. Beza observavit) notari duplex mortis genus: unum, cui isti (sicut alii omnes) obnoxii sunt à natura: alterum, quod sibi suâ nequitiâ sponte attraxerunt.

13 Caligo tenebrarum] ὁ ζόφος τοῦ σκότους. Id est, tenebrosissima. Hebraismus. Sic 2.Pet.2.v.17.

14 De istis] τούτοις. Hebraicè לָהֶם lahém. quod potest etiam reddi, περὶ αὐτῶν. Etenim lámed interdum valet περὶ: ut Deut.12. v.30. Et ne exquiras de iis earum, scilicet gentium. In Heb. לֵאלֹהֵיהֶם leelohehém. Sic Deut.33.v.7. Et de Levi dixit, Heb. וּלְלֵוִי ulelevi. Septimus ab Adam] ἕβδομος ἀπὸ Ἀδὰμ. Scilicet inclusivè, seu Adamo connumerato. Etenim Gen 5. enumerantur isti septem hoc ordine: Adam, Seth, Enos, Kenan, Mahalaleël, Jered, Henoch. Dicens] λέγων. Hoc dictum nusquam reperitur in scriptura. Statuendum igitur, Judam illud habuisse ex indubitatâ majorum traditione, sicut Paulus nomina magorum Jannes & Jambres, 2.Tim.3. v.8. aut certè librum in quo dictum hoc continebatur, intercidisse. Cum sanctis myriadibus] ἐν μυριάσιν ἁγίαις. Id est, μετὰ μυριάδων ἁγίων. Hebraismus. Intelligit autem myriades angelorum, ut liquet ex epitheto. Porrò myriadum nomine infinita millia intelligit, per synecdochen speciei. Confer Dan.7. v.10. Apoc.5.v.11.

15 De omnibus] κατὰ πάντων. Pro, περὶ πάντων. Sic expono: non autem, Adversus omnes: quia ex sequentibus apparet, sermonem hîc esse de omnibus in universum hominibus, quos mox distinguit in pios & impios. ubi ait, τοὺς ἀσεβεῖς αὐτῶν, id est, eos qui ex ipsis sunt impii. Certum est autem, Dominum exerciturum judicium non adversos pios, sed pro illis. Quòd si reddatur, Adversus omnes: tum per zeugma subaudiendum erit τῶν ἀσεβῶν: & pronomen αὐτῶν post τοὺς ἀσεβεῖς, expungendum. Redarguat de &c.] ἐξελέγξαι περὶ &c. Similis syntaxis est in verbis illis Domini de Spiritu S. ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας &c. Joh.16. v.8. De omnibus eorum factis impiis] περὶ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας αὐτῶν. Nota, ἔργα ἀσεβείας, pro ἀσεβῆ, dicuntur per Hebraismum. deinde pronomen αὐτῶν, item per Hebraismum, non regitur à proxime-præcedente, ἀσεβείας: sed à remotiore, τῶν ἔργων: ut nimirum intelligas τὰ ἀσεβῆ αὐτῶν ἔργα. Utriusque Hebraismi ita concurrentis exemplum est Psal.2.v.6. At ego inunxi regem meum super montem sanctum meum. Ibi in Hebræo habetur: הַר קָדְשִׁי har kodschi, quod vertendum est, non: montem sanctitatis meæ: sed, montem sanctitatis (id est, sanctum) meum. Quæ patrârint] ὧν ἠσέβησαν. Pro, ἐκείνων οἷς ἠσέβησαν. Id est, quibus impiè egerint. Græcismus. Quæ loquuti fuerint] ὧν ἐλάλησαν. Pro, ἐκείνων ἃ ἐλάλησαν. Græcismus similis proxime-præcedenti.

16 Murmuratores, queruli] γογγυσταὶ, μεμψίμοιροι. Puto duo hæc nomina conjungenda absq; interveniente distinctione: quippe quòd unicum vitium utroque notetur, ut declaratum est in Analysi. Secundum cupiditates] κατὰ τὰς ἐπιθυμίας. Id est, prout ducuntur à cupiditatibus. Admirantes personas] θαυμάζοντες πρόσωπα. Vel, facies. quo modo dicitur, λαμβάνειν πρόσωπον, accipere faciem: de qua phrasi diximus, quantum satis est, in scholiis ad Rom.2.v.11. Vult dicere, istos adulari potentioribus, ut qui ducantur admiratione potentiæ & authoritatis illorum: quas res Hebræi faciem appellant, eò quòd in oculos incurrunt. Utilitatis gratiâ] ὠφελείας χάριν. Nempe suæ.

17 Memores estote] μνήσθητε. Confer 2.Pet.3.v.2.

18 Secundum &c.] κατὰ &c. Ut paulò antè v.16. Extremè impias cupiditates] ἐπιθυμίας τῶν ἀσεβειῶν. Ad verb. Cupiditates impietatum: id est, (si ita loqui liceat) impiissimas. Etenim genitivus pluralis hoc modo usurpatus apud Hebræos, vim habet superlativi. Sic Daniel nominatur vir desideriorum, id est, desideratissimus, seu quàm maximè desiderabilis, Dan.10.v.11. & 19.

19 Animales] ψυχικοὶ. Id est, nihil eximium habentes præter animam rationis participem, non autem renati à spiritu Dei. Confer 1.Cor.2.v.14. ubi similis exstat antithesis inter hominem ψυχικὸν & πνευματικόν. Spiritum] πνεῦμα. Videl. Spiritum sanctum: id est, regenerationem ab illo profectam. Synecd. generis, & metonymia efficientis.

20 Per Spiritum sanctum] ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Pro, διὰ πνεύματος ἁγίου. Hebraismus. Hoc est, ope Spiritus sancti. Puto autem hæc verba regi potiùs à præcedente verbo, ἐποικοδομοῦντες: quàm à sequente, προσευχόμενοι. quanquam parum refert.

21 Vos ipsos] ἑαυτοὺς. Puto hoc referendum ad singulos erga sese: quos nimirum hortatur, ut perseverent ac proficere studeant in fide, charitate & spe. In charitate Dei] ἐν ἀγάπῃ Θεοῦ. Intellige quâ diligitis Deum, seu quâ diligitur à vobis Deus. Exspectantes misericordiam] προσδεχόμενοι τὸ ἔλεος. Id est, misericordem illam sententiam, quam judicium exercens pronuntiaturus est, dicens: Venite benedicti patris mei &c. Matth.25.v.34. Metonymia efficientis. In vitam æternam] εἰς ζωὴν αἰώνιον. Id est, quâ misericordia vobis cedet ad consequendam vitam æternam.

22 Alios quidem] οὓς μὲν. Sic loquuntur Græci, ὃς μὲν, ὃς δὲ: pro, ἔνιοι μὲν, ἔνιοι δὲ. Commiseramini] ἐλεεῖτε. Id est, ex misericordia reprehendite, & officii admonete humaniter. Metonymia efficientis. Terrore] ἐν φόβῳ. Id est, διὰ φόβου. hoc est, terrendo eos per denuntiationem judicii Dei, nisi resipuerint.

23 Servate] σώζετε. Id est, servare studete per istas gravissimas admonitiones. Metonymia effecti. nam illæ admonitiones destinatæ

ſtinatæ ſunt & ſuſcipiuntur ad ſervandum proximum. Ex igne rapientes] ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες. *Id eſt, veluti ex incendio rapientes. Metaphora: qua quidem innuitur ignis ille æternus atque inexſtinguibilis.* Vel eam tunicam] καὶ τὸν χιτῶνα. *q.d.* οὐ μόνον αὐτὸν τὸν τῆς σαρκὸς μιασμὸν, ἀλλὰ καὶ χιτῶνα *&c. Id eſt, non ſolùm ipſammet carnis pollutionem, ſed etiam tunicam &c.* A carne] ἀπὸ τῆς σαρκὸς. *Sic per verecundam ſynecdochen vocat membrum genitale.* Maculata] ἐσπιλωμένον. *Videl. per libidinoſam pollutionem.*

24 Ab offenſione immunes] ἀπταίστους. *Id eſt, ne pedem offendatis decurrentes in ſtadio pietatis. Metaphora ab iis, qui in ſtadio currunt. Confer 1. Cor. 9. v. 24. & deinceps. Nomen compoſitum eſt ex privante particula* α *& inuſitato nomine* πταιστὸς: *quod oritur à verbo* πταίω, *id eſt, offendo, impingo: unde* πταῖσμα, *offenſio, quum quis offendit, ſive in curſu, ſive in vita.* In conſpectu gloriæ ſuæ] κατ' ἐνώπιον τῆς δόξης αὐτοῦ. *Id eſt, in conſpectu ſuo, gloriâ ſeu majeſtate excellente præditi. Metonymia adjuncti ſynecdochica.* Cum exſultatione] ἐν ἀγαλλιάσει. *Id eſt,* μετ' ἀγαλλιάσεως.

25 Majeſtas] μεγαλωσύνη. *Ut Heb. 1. v. 3. & cap. 8. v. 1. Petrus vocat* μεγαλειότητα, *2. Pet. 1. v. 16.*

OBSERVATIONES.

Officium hominis Chriſtiani. 1 Ex v. 3. Non eſt ſatis, doctrinam Chriſtianam ſemel amplecti: ſed pro ea decertandum eſt: id quod fit conſtanti confeſſione & tolerantiâ perſecutionis, & vitatione ſeductorum atque irriſorum.

Eccleſia. 2 Ex v. 4. Ex hominibus, etiam iis qui in ſinu Eccleſiæ degunt, quidam ſunt reprobi: qui æterno Dei decreto ad æternam damnationem deſtinati ſunt. Quare quum videmus, impios in Eccleſia regnare; conſolemur nos conſideratione voluntatis Dei, cui placuit pios per iſtos exercere. Confer 1. Pet. 2. v. 8. 1. Cor. 11. v. 19. Joh. 8. v. 47. & cap. 6. v. 37.

Securitas carnalis. 3 Ex eod. v. Cavendum, ne gratiam Dei transferamus ad laſciviam: hoc eſt, ne freti gratiâ Dei erga nos, indulgeamus pravis cupiditatibus, & ſecurè peccemus. Confer Rom. 6. v. 15. Gal. 5. v. 13. & cap. 6. v. 7. Eph. 1. v. 4. & c. 2. v. 10. Luc. 1. v. 74. & 75.

Chriſtus. 4 Ex eod. v. Notandum eſt expreſſum teſtimonium de deitate Chriſti.

Securitas carnalis. 5 Ex eod. v. Qui ſe Chriſtianos profitentur, atque interim laſciviunt, & ſecurè peccatis indulgent: illi ipſis factis Chriſtum negant: quia nimirum negant vim mortis ac ſpiritus Chriſti: ſicut in analyſi pluribus verbis eſt declaratum. Quare non eſt ſatis, ut nos Chriſtianos profiteamur: ſed requiritur, ut factis nos verè Chriſtianos demonſtremus; Chriſto hero, Deo ac Domino noſtro fideliter ſervientes.

Officium hominis Chriſtiani. 6 Ex v. 5. 6. & 7. Exemplis judiciorum Dei in nonnullos editis, teſte Scripturâ, moveri debemus ad ſerium ſtudium pietatis. Confer 1. Cor. 10.

Angeli. 7 Ex verſ. 6. De angelis ex præſente loco obſervanda iſta: 1. Quòd ſint angeli: quia Judas hîc commemorat, quid nonnulli eorum fecerint, quídve eis evenerit, ac porrò eventurum ſit. 2. Quòd ſint à Deo creati: quia Judas teſtatur, quòd nonnulli eorum non ſervarint ſuam originem, id eſt, ſuum ſtatum, in quo fuerant à Deo conditi. 3. Quòd creati ſint in excellente gloriâ, ac proinde ſapientiâ & ſanctitate: quia Judas teſtatur, quòd nonnulli eorum non ſervarint ſuam originem, id eſt, excellentem illum ſtatum, in quo erant conditi: ſed reliquerint ſuum domicilium, videlicet locum cæleſtem, lucis & gloriæ plenum. 4. Quòd nonnulli eorum in ſuo ſtatu perſtiterint, ac proinde quòd nunc angelorum alii boni ſint, alii mali. hoc ſignificat Judas, quatenus de nonnullis tantùm commemorat, quòd originem ſuam non ſervarint: quo ipſo innuit, alios ſervaſſe. 5. Quòd angeli boni ordinariè degant in domicilio lucis pleno, videlicet in cælo: hoc ſignificat Judas, quum de malis angelis ait, quòd domicilium ſuum reliquerint: cui domicilio opponit caliginem, id eſt, locum caliginoſum, qui alibi in ſcriptura nominatur infernus, abyſſus, tartarus, carcer. 6. Quòd angeli mali ordinariè detineantur in infernos uſque ad diem judicii. hoc ſignificat Judas, quum ait, illos vinculis æternis à Deo reſervari ſub caligine, judicio magni illius diei. Id quod intelligendum eſt de domicilio eorum ordinario. nam extra ordinem interdum vinculis illis ad tempus ſolvuntur, & è carcere illo emittuntur in orbem terrarum ad vexandum homines: ſicut videre eſt Apoc. 20. v. 7. item c. 9. ubi ex abyſſo emiſſæ dicuntur locuſtæ, quæ cruciarent homines per menſes quinque. 7. Quòd angeli mali in die judicii univerſalis à Chriſto adjudicabuntur atque addicentur cruciatibus ſempiternis. Uſus hujus doctrinæ eſt, ut perpetuò vigilemus, ac oremus Deum, ut nos contra inſidias malorum angelorum tueatur, ne ab illis vel in corpore lædamur: vel in anima ſeducti, æternas pœnas nobis attrahamus.

Judicium ultimum. 8 Ex v. 6. & 7. Notandum eſt teſtimonium de judicio univerſali, in quo Chriſtus omnes rationales creaturas, videl. angelos & homines, judicaturus eſt: bonis quidem decernendo præmia ſempiterna, malis verò ſempiternas pœnas.

Homo. 9 Ex verſ. 8. Tanta eſt naturæ noſtræ corruptio, ut contingat nos peccare etiam in ſomno. teſtatur enim hoc loco Judas de falſis illius ſæculi doctoribus, quòd carnem polluant ſomniantes. Sic Lot inceſtum cum filiabus commiſit in ſomno. Etenim diſertè ſcriptum habetur, quòd non agnoverit dum filiæ cubarent, aut dum exſurgerent, Gen. 19. v. 33. & 35. Hinc Deus legem tulit de immunditia viri laborantis gonorrhœâ, Lev. 15. Quare cubitum ituri, aut ad ſomnum nos compoſituri, oremus Deum, ut nos animâ & corpore impollutos conſervet.

Magiſtratus. 10 Ex eod. v. Magiſtratus in honore habendi ſunt, quia Judas reprehendit eos qui dominatum rejiciunt, & dignitates conviciis inceſſunt. Confer Rom. 13. & 1. Pet. 2. v. 13. & 14.

Angeli. 11 Ex verſ. 9. Eſſe inter angelos dignitatis gradus, ex eo liquet, quòd Michaël hoc loco nominatur archangelus, id eſt, primarius angelus. ſicut apud Danielem vocatur unus ex principibus primariis: Dan. 10. v. 13. item princeps magnus: Dan. 12. v. 1.

Angeli. 12 Ex eod. v. Angeli boni cum malis certant pro defenſione piorum. Confer Apoc. 12. v. 7.

Diabolus. 13 Ex eod. v. Diabolus intentus eſt in omnes occaſiones idololatriæ inſtituendæ. hæc enim cauſa fuit, cur patefacere Iſraëlitis conatus ſit corpus Moſis, quòd clam à Domino fuerat ſepultum: ut ſcil. Iſraëlitæ honores divinos illi haberent, ſicut poſtea fecerunt ſerpenti æneo: quem idcirco pius rex Hiskias contudit 2. Reg 18. v. 4. Cujuſmodi idololatriam eum obtinuiſſe quoque videmus in Papatu, ubi homines ſuperſtitioſi venerantur reliquias (quas vocant) ſanctorum.

Judicandi ratio. 14 Ex v. 10. Cavendum, ne damnemus res incognitas. id quod hodie faciunt plurimi, qui ſub calumnioſo atque odioſo nomine Calviniſmi & Zwingliani ſmi damnant doctrinam, quam nunquam cognoverunt; & illius confeſſores rabioſè conviciis inceſſunt.

Voluptas. 15 Ex eod. v. Cavendum, ne animantibus rationis expertibus ſimiles evadamus, indulgendo ſcil. voluptatibus corporis.

Studium pietatis. 16 Ex v. 11. Exemplis impiorum divinitus punitorum moveri debemus ad fugam ſcelerum & ſtudium ſanctitatis. nam qui impiorum mores imitantur, æterno exitio (ſicut illi) peribunt.

Convivia. 17 Ex v. 12. Convivari Chriſtianis licitum eſt: dummodo caveant luxum, & pauperum habeant rationem. nam ad hosce recreandum veteres Chriſtiani ſuas agapas celebrabant.

Hypocriſis. 18 Ex eod. v. Cavenda hypocriſis: ne ſimiles nubibus aquâ carentibus, aut arboribus emarcidis &c.

Affectus vitioſi. 19 Ex v. 13. Cavenda iracundia, libido, inſtabilitas animi.

Judicium ultimum. 20 Ex verſ. 14. & 15. Notandum eſt teſtimonium de judicio univerſali, quod Chriſtus celebraturus eſt in fine mundi. Confer Matth. 25. v. 31. & deinceps.

Vitia. 21 Ex v. 16. Cavendum murmur contra Deum & proximum, item indulgentia cupiditatum: nec-non grandiloquentia & adulatio.

Conſolatio contra irriſores. 22 Ex v. 17. & 18. Quum videmus, in Eccleſia ſubinde exoriri irriſores, non debemus nimiùm offendi: quia apoſtoli id futurum prædixerunt.

Congregationes eccleſiaſticæ. 23 Ex v. 19. Cavendum, ne nos ſegregemus à piis, quum conveniunt ad cultum Dei externum.

Preces. 24 Ex eod. v. Orandus eſt Deus, ut nos indies magis ac magis regeneret ſuo ſpiritu.

Proficiendi ſtudium. 25 Ex v. 20. & 21. Studendum ut proficiamus in fide, charitate & ſpe: Deuſque pro iſto profectu quotidie orandus.

Ratio commonefaciendi proximi. 26 Ex verſ. 22. & 23. Prudentia Chriſtiana adhibenda eſt in proximo commonefaciendo officii ſui. Alii enim, ut qui ex ignorantia peccant; tractandi ſunt blandiùs: alii verò, ut qui peccant contra conſcientiam; duris minis à malo propoſito deterrendi ſunt.

Spurcities. 27 Ex v. 23. Chriſtiani omnem ſpurcitiem abominari debent.

Preces. 28 Ex v. 24. Quum ſentimus noſtram infirmitatem in conſequenda ſanctitate, quantumvis ſeriò in ejus ſtudium incumbamus: confugiamus per preces ad potentiam Dei, qui poteſt nos ſervare à peccato immunes: & verò etiam vult: quia promiſit, ſe daturum Spiritum ſanctum petentibus.

Officium hominis Chriſtiani. 29 Ex v. ult. Deus ſubinde à nobis pro maximis ſuis erga nos beneficiis celebrandus eſt.

FINIS.

IN APOCALYPSIN JOHANNIS COMMENTARIUS.

In quo continentur

I. Analyſis logica ſingulorum capitum.
II. Scholia in ſingula capita.
III. Obſervationes locorum doctrinæ è ſingulis capitibus.
IV. Conſideratio discrepantium quarundam expoſitionum.

AMPLISSIMIS CONSULTISSIMISQUE VIRIS:

BERNHARDO von Höfel/ viro nobili:

&

JOHANNI MAGNO, Juris Doctori;
Utrique Conſiliario Haſſiaco Caſſellano: dominis & amicis ſuis honorandis:

Gratiam & pacem à Deo patre, per D. N. Jeſum Chriſtum precatur

JOHAN. PISCATOR, Profeſſor ſacr. litt. in illuſtri ſchola Naſſ. Herborn.

AMPLISSIMI *conſultiſſimiq́ viri, domini ac amici honorandi. Quum hunc meum in Apocalypſin commentarium, multorum tandem amicorum hortatu adductus, in lucem edere cogitarem: putavi me rectè & ex officio facturum, ſi illum utriusque veſtrûm ampliſſimo nomini inſcriberem. Nam in recente adhuc teneo memoriâ veſtram erga me beneficentiam, veſtræ erga me benevolentiæ locupletem teſtem. Nec me latet, hoc genus ſcriptorum meorum vobis cumprimis probatum hactenus eſſe. Unde & bonam ſpem concipio, vos laborem hunc meum contra malevolorum morſus tueri & velle & poſſe. Preſſi equidem commentarium hunc meum plus quàm in nonum annum: & cur premerem, licet multis amicis ad editionem hortantibus, inter alias hanc quoque cauſam habui; quòd mihi ipſe in quibusdam non ſatisfacerem. Et quanquam ne nunc quidem mihi ſatisfacio in omnibus: tamen rectiùs me facturum putavi, ſi cogitationes meas cum omnibus qui cognoſcere eas cuperent; benignè communicarem: quàm ſi etiam illa, quæ libro huic lucem aliquam allatura ſpero, diutiùs occultarem. Cæterùm quum probè memor ſim dicti illius apoſtolici;* Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus; *1.Cor.13.v.9. nec-non illius,* Spiritus prophetarum prophetis ſubjiciuntur; *1.Cor.14.v.32: ſubjicio hoc meum ſcriptum judicio omnium candidorum lectorum, qui de his rebus judicare poſſunt: facileq́ patior ut in illis à me diſſentiant, de quibus certior atque ſolidior notitia eis contigit. Mihi ſatis erit, ſi intellexero, librum hunc perdifficilem aliquâ ſaltem ex parte illuſtratum à me eſſe videri. Quod reſtat: vos, honorandi amici ac fautores, paternæ tutelæ atque gubernationi Dei commendo. Scripſi Herbornæ 16. Maji, anno Domini 1613. ætatis meæ 68.*

TABU-

TABULA ARGUMENTI APOCALYPSEOS JOHANNIS.

PARS

- I.
  - Prooemium.
  - Præparatio ad ſeptem epiſtolas, nempe viſio ſeptem candelabrorum aureorum — Cap.1.
- II. Narratio prophetica de ſtatu Eccleſiæ
  - Militantis
    - Tunc præſentis. Epiſtola
      - Prima. Secunda. Tertia. Quarta. — Cap.2.
      - Quinta. Sexta. Septima. — Cap.3.
    - Poſt ſequentis.
      - Præparatio ad ſeptem ſigilla, nempe viſio
        - Dei ſedentis in throno. Cap.4.
        - Agni ſtantis ante thronum. Cap.5.
      - Sigillum
        - Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. — Cap.6.
        - *Hic inſeritur præparatio ad ſequentia.* Cap.7.
        - Septimum. Sub quo tuba
          - Prima. Secunda. Tertia. Quarta. — Cap.8.
          - Quinta. Sexta. — Cap.9.
          - *Hic inſeritur*
            - *Præparatio ad tubam ſeptimam.* Cap.10.
            - *Amplior declaratio tubæ quintæ.* Cap.11. uſque ad v.14.
          - Septima, à v.14.c.11. uſq; ad finem.
            - Amplior declaratio præcedentis prophetiæ utriuſque, videlicet tum ſigillorum, tum tubarum. Cap.12.13.14.
            - Præparatio ad phialas. C.15. Sub quâ
              - Phiala
                - Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. — Cap.16.
              - Illuſtratio phialæ ſeptimæ.
                - Cap.17.18.19.
                - In principio cap.20. additur prophetia ſpecialis triplex, videlicet de
                  - Singulari felicitate fidelium, qui poſt ruinam Papatus in terra victuri ſunt, v.1.2.3.
                  - Singulari felicitate martyrum Chriſti, qui ante illud tempus fuerint ſupplicio affecti, v.4.5.6.
                  - Miraculosâ liberatione piorum à perſecutione gentium ultimâ, v.7.8.9.10.
  - Triumphantis. Ratione
    - Initii. Judicium ultimum atque univerſale. Cap.20.v.11. & deinceps.
    - Continuationis. Felicitas piorum æterna. Cap.21.& 22. uſque ad v.6.
- III. Concluſio libri, à v.6.cap.22. uſque ad finem.

ARGUMENTUM APOCALYPSEOS JOHANNIS.

Hoc libro continentur partim admonitiones Christi ad ecclesias illius temporis, tribus primis capitibus: partim prophetia tum de statu mundi & ecclesiæ militantis deinceps futuro usque ad diem judicii universalis, ab initio capitis quarti usque ad vers.11. capitis vigesimi: tum de ipso illo judicio, inde usque ad finem illius capitis: tum denique de secutura piorum æternâ felicitate, capitibus duobus ultimis. Hisce autem omnibus præmittitur proœmium; quo prophetia hæc commendatur, octo primis versibus capitis primi: itemq; subjungitur conclusio, quâ eadem prophetia confirmatur, à vers.6. capitis ultimi usque ad finem.

ARGUMENTA BREVIA CAPITUM APOCALYPSEOS.

Cap.1. *I. Proœmium. II. Visio hominis ambulantis inter septem candelabra aurea, v.9 &c.*

Cap.2. *Epistolæ Christi quatuor ad quatuor episcopos Asiæ. I. Ad episcopum Ecclesiæ Ephesinæ, v.1. &c. II. Ad episcopum ecclesiæ Smyrnæorum, v.8. &c. III. Ad episcopum ecclesiæ Pergamensis, vers.12. &c. IV. Ad episcopum ecclesiæ Thyatirensis, v.18. &c.*

Cap.3. *Tres aliæ epistolæ Christi ad tres alios Asiæ episcopos. I. Quinta, ad episcopum ecclesiæ Sardensis, v.1. &c. II Sexta, ad episcopum ecclesiæ Philadelphiensis, v.7. &c. III. Septima, ad episcopum ecclesiæ Laodicensis, v.14. &c.*

Cap.4. *Visio Dei sedentis in throno.*

Cap.5. *Visio agni stantis ante thronum Dei.*

Cap.6. *Apertio sex sigillorum. I. Primi, v.1. &c. II. Secundi, v.3. &c. III. Tertii, v.5. &c. IV. Quarti, v.7. &c. V. Quinti, v.9. &c. VI. Sexti, v 12. &c.*

Cap.7. *I. Quatuor angeli tenentes ventum, v.2. II. Obsignatio servorum Dei, v.2. &c. III. Turba amictorum stolis albis, v.9 &c.*

Cap.8. *I. Apertio sigilli septimi, v.1. &c. II. Clangor quatuor tubarum, v.7. &c.*

Cap.9. *I. Clangor tubæ quintæ, v.1. &c. II. Sextæq; v.13. &c.*

Cap.10. *I. Voces septem tonitruum, v.1. &c. II. Sermo Christi denuntiantis vindictam ultimam, v.5. &c. III. Mandatum Dei patris & Christi de libello, v.8. &c.*

Cap.11. *I. Persecutio duorum testium Christi, v.1. &c. II. Clangor tubæ septimæ, v.14. &c.*

Cap.12. *I. Mulier amicta sole, v.1. &c. II. Prælium Michaëlis cum dracone, v.7. &c. III. Mulieris à dracone ereptio, v.13. &c. IV. Draconis ira, v.17. &c.*

Cap.13. *I. Bestia ascendens è mari, v.1. &c. II. Alia bestia, ascendens è terra, v.11. &c.*

Cap.14. *I. Agnus stans super montem Sion, v.1. &c. II. Messor insidens nubi, v 14. &c.*

Cap.15. *Septem angeli cum septem phialis.*

Cap.16. *Effusio septem phialarum. I. Prima, v.2. II. Secunda, v.3. III. Tertia, v 4. IV. Quarta, v.8. &c. V. Quinta, v.10. &c. VI. Sexta, v.12. &c. VII. Septima, v.17. &c.*

Cap.17. *I. Mulier insidens bestiæ, vers.1. &c. II. Mysterium utriusq; v.7. &c.*

Cap.18. *Vaticinia tria de ruina urbis Romæ atque incolarum ejus. I. v.1. &c. II. v.4. &c. III. v.21. &c.*

Cap.19. *Quatuor alia vaticinia: quorum tria (videlicet primum, secundum & quartum) de ruina Romani Papatus, unum (videl. tertium) de beatitudine fidelium. I. v.1. &c. II. v.5. &c. III. v.9. &c. IV. v.11. &c.*

Cap.20. *I. Felicitas singularis fidelium qui post ruinam Papatus in terra victuri sunt, v.1. &c. II. Singularis item felicitas martyrũ Christi qui ante illud tempus, & usq; ad illud, fuerint supplicio capitis affecti, v.4. &c. III. Miraculosa piorum liberatio à persecutione gentium ultima, v.7. &c. IV. Judicium ultimum, v.11. &c.*

Cap.21. *I. Felicitas piorum post hanc vitam, v.1. &c. II. Hierusalem cælestis, v.9. &c.*

Cap.22. *I. Amplior descriptio felicitatis æternæ piorum & Hierosolymæ cælestis, v.1. II. Conclusio libri, continens prophetiæ hujus confirmationem multiplicem, v.6. &c.*

APOCALYPSEOS JOHANNIS
CAPUT I.

Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit ei Deus, ut indicaret servis suis, quæ oportet fieri citò: *is* verò missam per angelum suum, servo suo Johanni significavit.

2 Qui testificatus est sermonem Dei, & testimonium Jesu Christi, & quæcunque vidit.

3 Beatus *est* qui legit, & *beati sunt* qui audiunt verba prophetiæ hujus: & servant ea, quæ in ea scripta sunt. tempus enim propè *est*.

4 Johannes septem ecclesiis, quæ sunt in Asia: Gratia *sit* vobis & pax à Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est: & à septem spiritibus qui coram throno ejus sunt:

5 Et à Jesu Christo, *qui est* fidus ille testis, primogenitus ille ex mortuis, ac princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris, per sanguinem suum.

6 Et *qui* fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo: ei *sit* gloria & robur in sæcula sæculorum, Amen. oculus, etiam qui eum transfixerunt, & plangent propter eum omnes tribus terræ. etiam, amen.

7 Ecce, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt, & plangent propter eum omnes tribus terræ. etiam, amen.

8 Ego sum A & Ω, *id est*, principium & finis, dicit Dominus, Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est, ille, *inquam*, omnipotens.

9 Ego Johannes, *qui* & frater vester *sum*, & socius in afflictione & regno & tolerantiâ Jesu Christi, eram in insula quæ vocatur Patmos, propter sermonem Dei & testimonium Jesu Christi.

10 Constitutus *autem* fui in spiritu die Dominico, & audivi à tergo vocem magnam tanquam tubæ:

11 Dicentis, Ego sum A & Ω, primus ille & ultimus: &, Quod vides, scribe in libro, & mitte septem ecclesiis quæ *sunt* in Asia, *nempe* Ephesum, & Smyrnam, & Pergamum, & Thyatiram, & Sardes, & Philadelphiam, & Laodiceam.

12 Converti me igitur, ut viderem vocem quæ loquuta erat mecum. Quumque *me* convertissem, vidi septem candelabra aurea.

13 Et in medio septem illorum candelabrorum *quendam* similem filio hominis, indutum talari *veste*, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ.

14 Caput autem ejus, & capilli, *erant* albi ut lana alba, tanquam nix: & oculi ejus, ut flamma ignis.

15 Pedes autem ejus *erant* similes chalcolibano, veluti in fornace ardentes: & vox illius *erat* tanquam vox aquarum multarum.

16 Habebat autem in dextra sua stellas septem: & ex ore ejus romphæa anceps & acuta prodibat: & facies ejus *erat*, qualis sol lucet in vigore suo.

17 Quum autem vidissem eum, cecidi ad pedes ejus, veluti mortuus. tum imposuit mihi dextram suam, dicens mihi, Ne metue: ego sum primus ille & ultimus,

18 Et vivens ille. Nam fui *quidem* mortuus, sed ecce vivo in sæcula sæculorum. amen. & habeo claves inferorum & mortis.

19 Scribe, quæ vides: *videlicet* tum quæ sunt, tum quæ sunt futura postea:

20 Mysterium septem stellarum, quas vidisti in dextra mea, & septem illa candelabra aurea. Septem illæ stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum: & candelabra illa septem quæ vidisti, septem ecclesiæ sunt.

ANALY-

ANALYSIS CAP. I.

Capitis primi partes principales sunt duæ: Prooemium, usque ad v. 9. & narratio visionis primæ, quæ est hominis ambulantis inter septem candelabra aurea, à v. 9. usque ad finem.

De prima parte.

In prooemio continentur tria: (1) Propositio sive indicatio rerum tractandarum, v. 1. & 2. (2) Exhortatio ad libri lectionem & auscultationem, rerumque in illo contentarum meditationem, v. 3. (3) Salutatio, v. 4. & deinceps.

Propositio est, hoc libro descriptum iri apocalypsin, id est, patefactionem rerum arcanarum, quæ deinceps eventuræ sint. Ista apocalypsis illustratur è causis procreantibus, tum principalibus, tum ministris. Principales sunt duæ: Deus pater & Jesus Christus, v. 1. Ministræ item duæ: Angelus Christi, & Johannes Apostolus, v. 1. & 2.

Exhortatio confirmatur ab effectu utili, videl. beatitate. Deinde amplificatur prolepsi negligentiæ fidelium illius temporis. Objectio: Si hoc libro continetur prophetia, id est, prædictio atq; narratio rerum futurarum; non est opus me in illis cognoscendis & meditandis occupari: quippe ad quem res illæ non attinent. Respondet: etsi hic narrantur res futuræ, tamen illarum cognitio ad te quoque pertinet: quia tempus propè est, id est, brevi res illæ fieri incipient: ac proinde fieri potest, ut te quoque attingant.

Salutatio tribus membris constat, secundùm triplex genus personarum: quæ sunt, (1) Persona salutans, sive librum hunc tanquam epistolam scribens. Ea est Johannes, v. 4. nempe apostolus: ut patet ex v. 9. (2) Personæ quæ salutantur, sive ad quas hic liber tanquam epistola scribitur & mittitur. Eæ sunt ecclesiæ septem Asiæ, ibid. quæ enumerantur v. 11. (3) Personæ à quibus salus exoptatur. Eæ sunt tres; Deus Pater, qui significatur descriptione ab adjuncta æternitate, v. 4. Spiritus sanctus, qui significatur ex effectis, videlicet donis multis ac variis, ibid. Et Jesus Christus, v. 5. qui tertio demum loco commemoratur eam (ut videtur) ob causam, quòd descriptio ejus copiosior futura erat. Cæterùm descriptio ista Christi constat partim ex effectis ad naturam ejus, tum humanam, tum divinam attinentibus, partim ex adjuncto proprio naturæ divinæ. Effecta sunt tum præterita, tum futura. Præterita effecta enumerantur quinque: administratio muneris prophetici, resurrectio ex mortuis, sessio ad dextram Dei, redemtio electorum, & sanctificatio eorundem, v. 5. & 6. Futurum effectum narratur unicum, adventus ad judicium: qui illustratur ex adjuncta gloria, ex adjunctis spectatoribus, ex effectu in impiis, videl. lamentatione, & ex adjuncta optatione scribentis, v. 7. Adjunctum naturæ divinæ proprium est æternitas: quæ partim significatur descriptione metaphoricâ, partim verbis propriis indicatur, v. 8.

De Secunda Parte.

In narratione visionis primæ habentur sex, videlicet hæc.

I. Locus ubi Johanni hæc visio, itemque sequentes, oblatæ sunt, adeoque facta tota ista apocalypsis seu revelatio, v. 9. Hic Johannes seipsum describit ab adjunctis; causamque exponit, unde factum ut in loco illo degeret: quod ipsum quoque ad descriptionem ejus ex adjunctis pertinet.

II. Modus patefactionis, nempe per ἔκστασιν, v. 10.

III. Tempus, nempe dies Dominicus, ibid.

IV. Præparatio ad visionem, videl. auditio vocis Christi, qua Johanni mandatur, ut quæ visurus est, scribat & ecclesiis mittat, v. 10. & 11. Porrò vox Christi amplificatur ab adjuncta magnitudine, quæ ipsa illustratur simili.

V. Visio ipsa: cujus partes sunt duæ, septem candelabra aurea, v. 12. & homo inter illa ambulans, v. 13. & deinceps. Homo ille describitur ex adjunctis compluribus & effectu uno. Adjuncta sunt septem.

1. Vestitus, v. 13. 2. Color capillorum, v. 14. 3. Color oculorum, ibid. 4. Color pedum, v. 15. 5. Stellæ in dextera, v. 16. 6. Gladius in ore, ibid. 7. Color faciei, ibid.

Homo autem ille est imago Christi, cujus adjuncta & effecta sub istis septem symbolicis adjunctis indicantur hæc: 1. Sacerdotium. 2. Æternitas. 3. Omniscientia. 4. Ira in adversarios. 5. Protectio piorum doctorum. 6. Vindicta. 7. Glorificatio corporis.

Effectus est vox: cujus qualitas significatur simili, v. 15.

VI. Eventa visionis duo; consternatio Johannis, v. 17. & confirmatio ejusdem à Christo. Quæ constat partim facto, impositione scilicet dexteræ, ibid. partim sermone. Sermo autem ille ex quinque partibus constat: quarum quatuor habentur in hoc capite, quinta in duobus sequentibus. Quatuor illæ partes sunt istæ:

1. Consolatio Johannis, v. 17.
2. Descriptio loquentis, v. 17. & 18.
3. Mandatum de visione scribenda: ubi annectitur distributio rerum per visiones istas omnes significatarum, v. 19.
4. Patefactio mysterii septem candelabrorum & septem stellarum in manu Christi, v. ultimo.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 Apocalypsis] ἀποκάλυψις. *Id est, revelatio seu patefactio, scilicet casuum variorum, qui ex illo tempore eventuri erant in ecclesia & mundo, usque ad mundi finem.* Jesu Christi] *Quam Jesus Christus indicavit servis suis. Genitivus adjuncti.* Dedit ei] *Scilicet ut homini. nam quatenus Deus est, non opus habet, ut sibi arcana revelentur: quia per se illa novit.* Ut indicaret] δεῖξαι. *Pro* τοῦ δεῖξαι, *scil.* ἕνεκα. Servis suis] *Christianis, ac inprimis doctoribus atque pastoribus ecclesiarum.* Citò] ἐν τάχει. *Ad verb. In celeritate; pro, cum celeritate, id est, celeriter. Hebraismus: qualis Rom. 1. v. 4.* ἐν δυνάμει. Johanni] *Nempe apostolo, ut liquet ex v. 9. In titulo autem cognominatur theologus, quia præ cæteris apostolis & evangelistis deitatem Christi asseruit: ut videre est in historia ejus evangelica.*

2 Qui testificatus est &c.] *Id est, qui officio fidelis servi Christi functus est in hac apocalypsi cum ecclesia communicanda.* ἐμαρτύρησε. Sermonem Dei] *Id est, evangelium: sicut declaratur per verba sequentia. Synecd. generis.* Testimonium Jesu Christi] *Id est, de Jesu Christo. Genitivus objecti.* Et quæcunque vidit] *Scilicet in visione hac, quæ libro isto describitur.*

3 Servant] τηροῦντες. *Scil. in memoria, ita nimirum ut ea crebrò meditentur, fidem eis habeant, & vitam suam secundùm illa instituant. Synecd. membri.* Tempus] ὁ καιρὸς. *Quo ista incipient fieri.* Propè est] *Ac proinde fieri potest ut ista aliquos nunc (tempore Johannis) viventes attingant.*

4 Septem ecclesiis] *Quarum nomina recitantur v. 11.* A Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est] ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. *Ad verb. Ab Ens, & Erat & Veniens. Id est, à Deo æterno, cujus nomen est apud Hebræos* יְהוָה *Jehováh, propter essentiæ æternitatem atque immutabilitatem. Quæ immutabilitas etiam hoc insolente loquendi genere innui videtur, quo nomina illa tria quamvis à præpositione regantur, non tamen flectuntur ex usu linguæ Græcæ; sed recta atque immota manent. Etsi autem nomina ista, sive ista ex tribus nominibus descriptio, tribus personis Deitatis communis est: tamen hic solum patrem notat, propter originis principatum: ut liquet ex collatione sequentium.* Qui venturus est] ὁ ἐρχόμενος. *Pro,* ὁ ἐλευσόμενος. *Hebraismus: qualis Matth. 11. v. 3. Sic infr. v. 7.* A septem spiritibus] *Id est, à Spiritu sancto authore septem spirituum, hoc est, omnium spiritualium donorum in electis. Metonymia efficientis & effecti: nec non synecdoche speciei. Hanc expositionem esse genuinam; patet ex eo, quòd Johannes ab his septem spiritibus optat ecclesiis gratiam & pacem: quam apostoli non nisi à Deo optare solent. Nec verò pax seu felicitas, cuiquam aliunde quàm à Deo, tanquam fonte omnium bonorum, contingit.* Qui coram throno ejus sunt] *Confer infr. c. 4. v. 5.*

5 Qui est fidus ille testis] ὁ μάρτυς *&c. Præcessit* Χριστοῦ. *Ergo dicendum erat,* τοῦ μάρτυρος, *& sic deinceps. Anomalia casus; qualis & alibi in scriptura: in quâ sententia potiùs quàm verborum aut sermonis elegantia quærenda.* Testis] *Qui Judæis testatus est de voluntate Dei.* Primogenitus ille ex mortuis] *Vide scholia Col. 1. 18.* Qui dilexit] τῷ ἀγαπήσαντι. *Pro,* τοῦ ἀγαπήσαντος. *Altera anomalia casus. Confer Ephes. 5. 25. 26.* Lavit] *Confer 1. Johan. 1. 7.* Lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum] *Id est, effusione sui sanguinis in cruce factâ meruit nobis remissionem peccatorum nostrorum.* Per sanguinem] ἐν τῷ αἵματι. *Ad verb. In sanguine: Hebraismus.*

6 Fecit] *Nempe renovando nos per Spiritum sanctum.* Reges] *Spirituales scilicet & cælestes: qui dominentur in Diabolum & ministros atque servos illius.* Sacerdotes] *Scilicet spirituales: qui sistant corpora sua hostiam vivam &c. Rom. 12. v. 1. & assiduè Deo offerant sacrificium laudis &c. Heb. 13. v. 15.* Deo & patri suo] *Id est, Deo qui est pater ipsius. Copula ponitur* ἐξηγητικῶς. *Sic 1. Cor. 15. v. 24.* Gloria & robur] ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος. *Id est, gloria roboris seu potentiæ.* ἓν διὰ δυοῖν.

7. Venit] ἔρχεται. *Pro* ἐλεύσεται. *Venturus est: Enallage temporis.* Cum nubibus] μετὰ τῶν νεφελῶν. *Id est,* ἐπὶ τῶν νεφελῶν, *super nubibus, sive in nubibus, scilicet sedens, tanquam in throno. Confer Matth. 24. v. 30. & 25. v. 31.* Oculus] *Scilicet humanus, sive hominum. Synecd. generis.* Transfixerunt] *Confer Joh. 19. v. 37.* Propter eum] *Id est, propterea quòd eum hostiliter fuerint persecuti. Gr.* ἐπ' αὐτὸν, *super eum. Hebraismus.* Tribus] αἱ φυλαί. *Nationes seu populi. Id est, impii ex omnibus populis: Synecdoche integri.* Etiam] *Q. d. Utinam ita fiat. Vel, Certissimum est quod dixi.*

8 Ego sum] *Verba Christi: per quæ suprà v. 4. descriptus fuit Deus pater. Eadem autem Christo quoque tribui, planum est ex v. 11. & seqq. Item ex c. 22. v. 13.* A & Ω] *Epexegesis mox annectitur. Metaphora ab ordine literarum alphabeti, in quibus A primo loco ponitur, Ω ultimo.* Principium & finis] *Id est; Ego is sum ante quem nihil est; imò per quem factum est, quicquid factum est; quiq; ut omnia intereant, superstes illis omnibus maneo. Hinc dicitur eodem sensu, primus ille & ultimus, infrà v. 17.* Dominus] ὁ κύριος. *Nempe Christus.*

9 Tolerantia Jesu Christi] *Qua tolero afflictiones propter Christum. Metonymia efficientis & genitivus objecti.* In insula] *eò relegatus à Cæsare Domitiano. Euseb. hist. eccles. lib. 3. cap. 16.* Patmos] *Quæ est una ex insulis maris Ægæi, quæ Sporades nominantur.* Propter sermonem Dei] *Id est, propter prædicationem sermonis Dei: seu propterea quod prædicabam sermonem Dei, (nempe Evangelium) & testimonium perhibebam Jesu Christo, illum scil. esse unicum servatorem mundi, qui electos redemerit sanguine suo.*

Conclusionis membrum prius est exhortatio ad omnes pios, ut istam epistolam meditentur: posterius est promissio vitæ æternæ facta constantibus in fide: ubi vita æterna significatur simili, vers. 7.

II. Analysis Epistolæ II.

In exordio describitur Christus partim ut Deus, ab adjuncta æternitate: partim ut homo, ex adjuncto uno, videlicet morte: & effectu uno, videl. resurrectione, v. 8.

Narratio consumitur partim laude, partim vituperatione. Laudatur enim episcopus propter tolerantiam in ferendis injuriis quorundam ecclesiæ illius membrorum, & in ferenda paupertate: item propter pietatem, cujus respectu dives esse dicitur. Vituperantur autem quædam ecclesiæ illius membra, nempe quidam Judæi, propter impiam doctrinam: cujus respectu dicuntur esse synagoga Satanæ, v. 9.

Exhortatio est ad constantiam in profitenda fide, & ferenda propter illam professionem persecutione: quam ipsam prædicit, & declarat quatuor modis; videlicet indicatione (1) authoris seu causæ procreantis principalis, (2) formæ, (3) finis, (4) temporis seu durationis. Diabolum hic voco causam principalem respectu ministrorum ejus, impiorum scil. hominum. nam aliàs respectu Dei, omnia gubernantis, ipse quoque causa instrumentalis atque ministra est. Ipsam verò exhortationem confirmat ab effectu utili, nempe promissione vitæ æternæ; quam amplificat & illustrat simili, v. 10.

Conclusio constat iisdem duobus membris, quibus epistola prima. In posteriore autem membro vita æterna alio modo significatur, nempe per negationem contrarii, v. 11.

III. Analysis Epistolæ III.

In exordio describitur Christus ex una particula visionis præcedentis, videl. ab adjuncta romphæa: qua significatur, eum paratum esse ad ulciscendum se de adversariis suis, v. 12.

In narratione episcopus primùm laudatur, deinde reprehenditur. Laudatur à constantia in confessione fidei. Eaque constantia amplificatur à constantia in confessione fidei. Eaque constantia amplificatur à causa corrumpente sive à causa contrarii, videlicet præsente periculo; quod ipsum illustratur exemplo speciali, v. 13. Reprehenditur verò propter conniventiam in ferendis Nicolaitis; quorum doctrina perniciosa declaratur simili exemplo, v. 14. & 15.

Exhortatio est ad resipiscentiam: confirmata ab effectu inutili seu pernicioso, seu comminatione pœnæ, v. 16.

Conclusio iisdem duobus membris constat, quibus epistolæ superiores. Sed hîc vita æterna rursus aliter significatur, & quidem duobus similibus: uno à manna, pane illo cælesti; altero à calculis judicum, v. 17.

IV. Analysis Epistolæ IV.

In exordio describitur Christus ex duabus particulis visionis præcedentis, videlicet colore oculorum & colore pedum, v. 18. Quorum illo significatur Christi omniscientia, isto autem ira ejus in adversarios.

In narratione episcopus primùm laudatur, deinde vituperatur. Laudatur propter opera charitatis & fidei; quæ ipsa amplificantur ab adjuncto numero per collationem imparium, v. 19. Vituperatur propter conniventiam in ferenda muliere quadam quæ alios seducebat, v. 20. Porrò mulieris illius impietatem amplificat duobus modis: commemoratione impœnitentiæ, v. 21: & comminatione pœnæ, tum ipsius, tum illorum qui se patiantur ab ea seduci, vers. 22. ac nominatim filiorum ejus, vers. 23. Illamque pœnam amplificat duobus modis: primùm ab eventu videlicet fructu inde redituro ad pios: deinde ab adjuncta justitia, v. eodem.

Exhortatio directa est ad omnes illius ecclesiæ pios: quos describit negatione contrarii, nempe impiorum in illa ecclesia, v. 24. Primùm autem eos consolatur promissione, ibid. Deinde hortatur ad constantiam in fide & confessione illius, v. 25. Eamque hortationem confirmat ab effectu utili, seu promissione vitæ æternæ; quam significat duobus modis: primùm per potestatem potentiamque regiam, amplificatam simili exemplo, v. 26. & 27. deinde per possessionem stellæ matutinæ, v. 28.

Conclusio unico membro constat, videlicet hortatione generali ad meditandum epistolam, v. 29. Alterum autem membrum, quod in superioribus epistolis fuit, nempe promissio vitæ æternæ facta constantibus in fide, ideo hîc omittitur: quia promissio illa exhortationi speciali annexa fuit.

SCHOLIA IN CAP. II.

1 Angelo] *Id est, episcopo: nec-non ecclesiæ ipsi: ut percipitur ex verbis v. 7.* Ei qui vicerit &c.] *Synecdoche membri. Sic deinceps hoc capite & sequente.* Qui tenet septem illas stellas] *Periphrasis Christi ex adjunctis. Vide c. 1. v. 16.* Illas] *Quarum facta mentio cap. præcedente. Articulus τὰς hoc loco est ἀναφορικὸς.* Qui ambulat] *Vide c. 1. v. 13.*

2 Laborem tuum] τὸν κόπον σου. *Vox Græca respondet Hebraicæ* עָמָל *hhamal: significans laborem cum sensu molestiæ conjunctum. Sic Matth. 11. v. 28. οἱ κοπιῶντες.* Ferre] βαστάσαι. *Portare, tragen. id est, æquo animo ferre. Metaphora.* Nam explorasti] καὶ ἐπείρασω. *Ad verb. Et tentavisti. Copulativa pro rationali.*

3 Sustines] ὑπομονὴν ἔχεις. *Ad verb. Tolerantiam habes.*

5 Veniam] ἔρχομαι. *Pro, ἐλεύσομαι. Enallage temporis.* Adversum te] σοὶ. *Ad verb. Tibi.*

6 Hoc] *Scil. boni. Synecdoche generis.* Nicolaitarum] *Quorum hæresiarcha (ut testatur Eusebius hist. eccles. lib. 3. c. 26.) fuit Nicolaus ille qui fuit unus è septem diaconis ecclesiæ Hierosolymitanæ, Act. 6. v. 5. Confer infrà v. 14. & 15.*

7 Spiritus] τὸ πνεῦμα. *Nempe Spiritus sanctus.* Dicat] *Nempe, per me in hac epistola.* Ei qui vicerit] *Nempe in certamine illo spirituali cum carne, mundo, & Diabolo. Incipit autem hic nova periodus, neque cohærent hæc verba cum præcedentibus per appositionem, quasi scil. nunc subjiciatur sententia illa, quam spiritus dicat ecclesiis. Distinctio autem illa confirmatur ex eo, quòd infrà hæc sententia alteri præponitur. Vide infrà v. 26. & deinceps. Et cap. 3. v. 5. & 6. item v. 12 & 13. item v. 21. & 22.* Arbore vitæ] *De qua infrà c. ult. v. 2.* Paradisi] *Id est, cæli tertii, nempe sedis beatorum. Confer 2. Cor. 12. v. 2. & 4.*

8 Angelo verò] καὶ τῷ ἀγγέλῳ. *Copulativa pro transitiva. Sic v. 12. & 18.* Primus ille &c.] *Periphrasis Christi. Vide suprà cap. 1. v. 17.* Sed revixit] καὶ ἔζησεν. *Vide suprà cap. 1. v. 18. Copulativa pro adversativa: & simplex verbum pro composito, ἀνέζησεν: ut infrà cap. 20. v. 4.*

9 Dives] *Scilicet in Deo: ut loquitur Christus Luc. 12. v. 21.* Blasphemiam] *In qua refellenda tu laboras non sine periculo. Quænam autem illa blasphemia fuerit, videtur significari verbis continenter annexis, quòd scil. sacrosanctum Dei nomen profanæ suæ nequitiæ prætexebant. Significat quidem hoc nomen etiam maledictum, quo homo aliquis læditur, ut Matth. 15. v. 19. Sed si istam significationem haberet hîc, diceretur numero plurali, καὶ τὰς βλασφημίας, Et maledicta: quibus scil. te impetunt.*

10 Eorum quæ] ἃ. *Pro, ἐκείνων ἃ. Ellipsis antecedentis.* Aliquos ex vobis] ἐξ ὑμῶν. *Scilicet τινὰς.* Diabolus] *Per ministros suos, malos homines. Metonymia subjecti synecdochica, quia cum agente principali intelliguntur ministri, quos assumit.* Ut exploremini] *Id est, Id quod fiet ut exploremini. Refertur enim hoc ad gubernationem Dei: quum certum sit, Diabolum & homines, quorum operâ ille in persequendis piis utitur, alium scopum propositum sibi habere, nempe ut illos à fide Christiana avertant.* Exploremini] πειρασθῆτε. *Ad verbum, Tentemini. An scil. sitis constantes in fide.* Dierum decem] *Id est, annorum decem. Videl. inde ab anno decimo imperii Trajani, usq; dum ei successit Adrianus. Vide notas Fr. Junii.* Fidelis] *Constans in servandis promissis, ac proinde in fide Christiana confitenda.* Usq; ad mortem] *Ita ut paratus sis etiam mortem perferre propter confessionem fidei Christianæ.* Et dabo] καὶ δώσω. *Id est, tum dabo. Si scil. ita fueris fidelis.* Coronam vitæ] *Id est, vitam (scil. æternam) tanquam coronam. Genitivus speciei, & synecdoche generis.*

11 Spiritus] *Vide supr. vers. 7.* Qui vicerit] *Vide ibid.* Nequaquam] οὐ μὴ. *Gemina negatio apud Græcos fortiùs negat.* A morte secunda] *Quæ aliàs dicitur mors æterna. Vide infrà cap. 20. v. 14.*

12 Pergamensis] τῆς ἐν Περγάμῳ. *Scilicet οὔσης. Ejus quæ est Pergami.* Qui habet romphæam &c.] *Periphrasis Christi. Vide suprà cap. 1. v. 16.*

13 Ubi thronus est Satanæ] *Id est, ubi residentiam habet prætor Romanus, qui minister est Satanæ, quatenus idololatriam tuetur homicidiis, videl. cæde confessorum meorum. Synecd. metonymica. nam unà cum causâ principali intelligitur causa ministra.* Nam tenes] καὶ κρατεῖς. *Copulativa pro rationali.* Fidem meam] τὴν πίστιν μου. *Quæ creditur in me. Sive doctrinam fidei, quam ego tradidi. Secundùm priorem expositionem genitivus μου notat objectum: secundùm posteriorem verò notat causam efficientem, vel adjunctum occupatum. Et fides pro doctrina de fide dicitur per meton. subjecti.* Testis] ὁ μάρτυς. *Aliâs μάρτυρ. Quod nomen à Latinis usurpatum est ad significandum testes illos eximios, qui sanguine suo testimonium suum de Jesu Christo obsignarunt: qualis etiam hoc loco intelligitur, ut sequentia verba declarant. Synecdoche generis.*

14 Balaam] *Vide Num. 24. v. 14. & cap. 25. v. 1.* Immolata] *Nempe à mulieribus Moabiticis & Midjaniticis.* Scortarentur] *Cum dictis mulieribus.*

15 Nicolaitarum] *Vide suprà v. 6.*

16 Veniam adversum te] ἔρχομαί σοι. *Ad verb. Venio tibi.* Romphæâ illâ] ἐν τῇ ῥομφαίᾳ. *Præpositio ἐν redundat ex Hebraismo.* Oris mei] *Quæ prodit ex ore meo. Vide suprà cap. 1. v. 16. Genitivus subjecti.*

17 Spiritus] *Vide suprà v. 7.* Ei qui vicerit] *Vide ibid.* Dabo] δώσω αὐτῷ. *Ad verb. Dabo ei. Pleonasmus Hebraicus.* Manna] *Symbolum gratiæ Dei partæ per mortem Christi. Vide Johan. 6. v. 32. & deinceps.* Calculum album] *Symbolum sententiæ absolutoriæ judicii Christi, nempe illius, Venite benedicti patris mei &c. Matth. 25. v. 34. Dictum ex more veterum in ferenda sententia calculis in urnam conjectis: de quo more sic ait Ovidius in Metam. lib. 15.*

Mos erat antiquis, niveis atrisque lapillis:
His damnare reos, illis absolvere culpâ.

In calculo] ἐπὶ τὴν ψῆφον. *Vel, super calculum.* Nomen novum]

Nempe

Nempe ut dicatur filius Dei. Quod nemo novit, nisi qui accipit] *Nam fides, per quam nomen illud electis contingit,* (*Johan.1.v.12.*) *non potest ab aliis videri. Nemo enim novit quid sit in homine, nisi Deus & spiritus hominis, qui est in ipso, 1.Cor.2.v.11.* Nemo] *Scil. hominum. nam Deus omnia novit. Synecdoche generis.*

18 Thyatirensis] τῆς ἐν Θυατείροις. *Scil.* ἐκκλησίας. *Ejus ecclesiæ quæ est Thyatiris.* Tanquam flammam] *Vide suprà c.1.v.14.* Chalcolibano] *Vide ib. v.15.*

19 Subministrationem] τὴν διακονίαν. *Id est, officia quæ præstas sanctis. Quo sensu Phœbe dicitur* διάκονος, *id est, ministra, ecclesiæ Cenchreensis. Rom 16.v.1.*

20 Jesabel] *Aliquam impiæ illi Jesabeli, Achabi uxori, similem. Metaphora.* Ut scortentur &c.] *Confer suprà v.14. & 15.*

21 Sed non resipuit] καὶ οὐ μετενόησεν. *Copulativa pro adversativa.*

22 Conjiciam] βάλλω. *Pro,* βαλῶ. *Enallage temporis.*

23 Interficiam morte] ἀποκτενῶ ἐν θανάτῳ. *Ad verb. Interficiam in morte. Præpositio redundat ex Hebraismo: quin & ipsum nomen.* Me esse illum qui scrutatur renes & corda] *Hoc est, verum Deum. nam hoc sibi Deus passim in scriptura tanquam proprium attribuit, ut 1.Chron. 28. v.9. Psal.7. v.10. Jerem.11. v.20. & 17. v.10. &c. Periphrasis ex effectu.*

24 Thyatirensibus] τοῖς ἐν Θυατείροις. *Scilicet* οὖσι. *Iis qui sunt Thyatiris.* Hanc] *Nempe pseudoprophetissæ Jesabelis, v.20.* Approbarunt] ἔγνωσαν. *Ad verb. Cognoverunt. Meton. efficientis Hebraica. Sic Matth.25. v.11.* Profunditates] τὰ βάθη. *Profunda mysteria religionis & veræ felicitatis. Synecdoche generis metaphorica.* Ut ajunt] ὡς λέγουσιν. *Ut isti vocant suam doctrinam, non quidem Satanæ profunditates, ut revera erant: sed tamen profunditates.* Aliud onus] *Id est, alias vivendi leges, quàm quæ vobis per apostolos traditæ sunt. Metaphora: qualis Act.15.v.28.*

25 Id quod habetis] *Doctrinam sanam, & ab apostolis traditam, quam habetis. Synecd. generis.* Donec] ἄχρις οὗ. *Id est,* ἄχρις τοῦ χρόνου ἐν ᾧ: *usque ad tempus illud quo. Sic 1.Cor.11.v.26.*

26 Nam] καί. *Copulativa pro causali.* Quod attinet ad eum qui vicerit] ὁ νικῶν. *Participium præsens absolutè positum ex consuetudine Hebræorum. De verbo vincendi autem vide suprà v.7.* Servaverit] *Scilicet in mente sua, subinde illa meditando: vitamq́; suam secundùm illa instituendo.* Opera mea] *Id est, à me mandata.* τὰ ἔργα μου. *Genitivus adjuncti.*

27 Reget] ποιμανεῖ. *Ad verb. Pascet. Metaphora à pastoribus.* Virgâ] ἐν ῥάβδῳ. *Præpositio redundat ex Hebraismo.* Ferreâ] *Confer Psal.2.v.9.*

28 Stellam matutinam] *Symbolum claritatis cælestis, qua induentur corpora piorum in resurrectione. Vide 1.Cor.15.v.41.*

29 Spiritus] *Vide suprà v.7.*

OBSERVAT. EX CAP. II.

1 Ex v.1. ex verbis, *Qui tenet septem illas stellas.* Vide cap.1. observ.8.

2 Ex verbis, *Qui ambulat inter septem illa candelabra aurea.* Vide cap.1. observationem 22.

Ministri ecclesiæ virtutes. 3 Ex v.2.3.4. & 6. In episcopo ecclesiæ Ephesinæ notentur quædam virtutes, quæ requiruntur in ministris ecclesiæ: videlicet tolerantia odii atque persecutionis propter professionem Christi, studium atque diligentia in explorandis falsis doctoribus, zelus in veritate cælesti contra illos asserendâ, charitas, & odium illorum qui se Christianos profitentur, & interim turpiter vivunt.

Falsi doctores. 4 Ex v.2. & 6. Nihil novi est, si in ecclesia aliqua surgunt falsi doctores. Quare non est, quòd eâ re nimis offendamur.

Sanctorum imperfectio. 5 Ex v.4. In episcopo ecclesiæ Ephesinæ proponitur exemplum imperfectionis sanctorum.

Officium hominis Christiani. 6 Ex v.5. Moniti de nostris peccatis, resipiscere debemus.

Officium hominis Christiani. 7 Ex v.7. ex verbis, *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.* Ad officium piorum pertinet, ut admonitiones speciales, quæ in sacra scriptura proponuntur, sibi prout res postulat, applicent. Conf. Rom.15.4. Huc pertinet & illud Christi ad discipulos, Quod vobis dico, omnibus dico.

Confessio doctrinæ Christianæ. 8 Ex eod. v. ex verbis, *Ei qui vicerit, dabo edere ex arbore vitæ &c.* Ad perseverantiam in confessione doctrinæ Christianæ & studio pietatis moveri debemus consideratione istius promissionis Christi qua perseverantibus promittit vitam æternam.

Arbor vitæ. 9 Ex iisd. verbis. Arbor vitæ, quæ fuit in paradiso, symbolum seu sacramentum fuit vitæ æternæ.

10 Ex v.8. ex verbis, *Primus ille & ultimus.* Vide cap.1. obs.33.

11 Ex verbis, *Sed revixit.* Vide cap.1. observ.35.

Consolatio in cruce. 12 Ex v.9. *Novi opera tua &c.* Quum propter professionem doctrinæ Christianæ affligimur & paupertate premimur; solatium petere debemus ex hac testificatione Christi, qua testatur, se novisse statum rerum nostrarum. Ita enim novit, ut curam pro nobis gerat. Vide 1.Pet.5.v.7.

Consolatio contra paupertatem. 13 Ex eod. v. ex verbis, *Sed dives es.* Quum pii premuntur paupertate, consolari se debent consideratione divitiarum spiritualium, quibus à Deo donati sunt: videlicet salvificæ cognitionis, fiduciæ ac timoris Dei.

Confessio doctrinæ Christianæ. 14 Ex v.10. & 11. Ad constantiam in fide Christiana confitenda, & afflictionibus propter illam confessionem tolerandis, moveri debemus consideratione, tum consilii divini, quo nos ita affligi permittit, videlicet non ut pereamus, sed ut instar auri exploremur: tum decreti divini, quo afflictionibus illis certum tempus, & illud quidem breve, determinavit: tum denique promissionis Christi, qua constantibus suis confessoribus promittit vitam æternam. Confer 1.Pet.1.v.6.7.8.9. 2.Cor.4.v.17. Matth.10.v.32.

Vita æterna. 15 Ex v.10. ex verbis, *Dabo tibi coronam vitæ.* Vitæ æternæ pars est honor sive gloria, quæ significatur vocabulo coronæ. Confer 2.Tim.4.v.8. 1.Cor.9.v.24. & 25.

Regnum Satanæ. 16 Ex v.13. ex verbis, *Ubi thronus est Satanæ.* Ubi viget idololatria & persecutio fidelium, ibi regnat Satanas. Id quod hodie fit in Papatu. Quare Papatum detestemur.

Officium pastoris ecclesiæ. 17 Ex eod. v. ex verbis, *Tenes nomen meum &c.* Ad officium pastoris ecclesiæ, atque etiam cujuslibet Christiani pertinet, ut confiteatur nomen Christi etiam cum capitis periculo.

Martyrum conditio. 18 Ex eod. vers. ex verbis, *In quibus vixit Antipas, testis ille meus fidelis &c.* Martyres Christo singulariter chari sunt: quippe quorum fidem atque constantiam laudat. Facit ad solatium martyrum.

Officium pastoris ecclesiæ. 19 Ex v.14. & 15. ex verbis, *Quòd habes istic qui tenent doctrinam Balaam &c.* Ad officium pastoris ecclesiæ pertinet, ut si qui in ecclesia fidei ipsius commissa reliquis impiâ ac turpi suâ vitâ scandalum dent, eos adhibitâ ope seniorum excommunicet. Confer 1.Cor.5. per totum.

Officium hominis Christiani. 20 Ex v.16. *Resipisce &c.* Moniti de nostris peccatis, absque mora resipiscere debemus: idque tum quia Christus ita mandat, tum, quia non resipiscentibus pœnam minatur.

21 Ex v.17. ex verbis, *Qui habet aurem &c.* Vide suprà observationem quintam.

22 Ex eod. v. ex verbis, *Ei qui vicerit, dabo edere ex Manna &c.* Vide suprà observationem sextam.

Manna. 23 Ex iisdem verbis. Manna illud quo Deus Israëlitas aluit in deserto, fuit typus vitæ æternæ, quatenus illa consistit in sensu gratiæ Dei, electis morte Christi conciliatæ atque promeritæ. Vide Joh.6.v.47. & deinceps.

Perseverantia in fide. 24 Ex verbis, *Dabo ei calculum album &c.* Qui in fide Christi perseveraverit, is in ultimo illo judicio absolvetur, tanquam unus ex filiis Dei adoptivis. Confer Joh.1.v.12.

Fides. 25 Ex verbis, *Nomen novum, quod nemo novit, nisi qui accipit.* Fides, per quam adipiscimur nomen filiorum Dei, nemini hominum præter ipsum credentem, nota est. Itaque non est mirum, quòd fideles à mundo non agnoscuntur pro filiis Dei. Interim contra falsum mundi de ipsis judicium consolari sese fideles debent conscientiâ fidei suæ.

26 Ex v.18. ex verbis, *Qui habet oculos tanquam flammam ignis.* Vide cap.1. observ.25.

27 Ex verbis, *Et cujus pedes sunt similes chalcolibano.* Vide c.1. observ.26.

Virtutes ministri ecclesiæ. 28 Ex v.19. *Novi opera tua, & charitatem &c.* Notentur quædam virtutes, quæ requiruntur in ministro ecclesiæ. Confer suprà observationem tertiam.

Sanctorum imperfectio. 29 Ex v.20. *Sed habeo adversus te pauca.* Exemplum imperfectionis sanctorum. Confer suprà observationem quintam.

Officium pastoris ecclesiæ. 30 Ex verbis, *Quòd permittis mulierem Jesabel &c.* Ad officium pastoris ecclesiæ pertinet, ne in cœtu suo permittat doceri doctrinam falsam. Confer suprà observ.19. Item ne permittat mulieribus docere in ecclesia. Confer 1.Cor.14. vers.34. & 1.Tim.2.v.12.

Christi bonitas. 31 Ex v.21. ex verbis, *Dedi illi tempus, ut resipisceret.* Exemplum bonitatis seu benignitatis Christi. Confer Rom.2.v.4.

Impœnitentia. 32 Ex vers.22. & 23. ex verbis, *Conjiciam eam in lectum, &c.* Item; *Filios ejus interficiam.* Qui moniti de peccatis suis non resipiscunt, illis pœna à Deo certo exspectanda est.

Christi omniscientia. 33 Ex verbis, *Me esse illum, qui scrutatur renes & corda.* Notetur testimonium de Christi omniscientia, ac proinde deitate.

Judicium ultimum. 34 Ex verbis, *Dabo unicuiq; vestrûm secundùm opera vestra.* Christus in ultimo judicio sententiam de singulis pronuntiabit secundùm opera ipsorum, tanquam effecta fidei vel incredulitatis. Ubi interim tenenda hæc dissimilitudo, quòd increduli quidem malis suis operibus mortem æternam merentur: fideles verò vitam æternam bonis suis operibus non merentur: quippe quam eis Christus morte suâ meritus est. Confer Rom.2.v.6. & seqq.

Dogmata falsa. 35 Ex v.24. ex verbis, *Profunditates Satanæ.* Utut falsi doctores doctrinam suam cum religione Christiana pugnantem, tanquam ex profunda sapientia profectam commendent, & hominibus obtrudant: tamen tenendum est, illam revera ex inspiratione Satanæ profectam esse, ac proinde summopere cavendam ac detestandam.

Leges quæ imponuntur ecclesiæ. 36 Ex verbis, *Non imponam vobis aliud onus.* Quicunque ecclesiam novis legibus, tanquam ad vitam æternam necessariis, onerant: illi adversantur Christo, ac proinde antichristi sunt. Hoc autem faciunt Papæ, seu pontifices Romani.

Doctrina apostolica. 37 Ex v.25. *Id quod habetis, tenete &c.* Doctrina ab apostolis tradita ecclesiæ, constanter tenenda est: ac proinde nihil amplectendum, quod cum illa pugnat.

Judicium ultimum. 38 Ex verbis, *Donec venero,* notetur testimonium de adventu Christi ad judicium.

Confessio fidei Christianæ. 39 Ex vers.26.27. & 28. Ad constantem confessionem fidei Christianæ; & perseverantiam in studio pietatis, moveri debe-

mus promissione hac Christi, qua constantibus suis confessoribus promittit vitam æternam.

Vita æterna 40 Ex iisdem versibus, ex verbis, *Dabo ei potestatem in gentes &c.* Item, *Dabo ei stellam matutinam.* Vita æterna ex parte consistit in dominatu super impios, & in claritate corporum.

41 Ex v.29. *Qui habet aurem &c.* Vide suprà observ.7.

CAPUT III.

Angelo autem ecclesiæ, quæ est Sardibus, scribe, Hæc dicit qui habet septem illos spiritus Dei, & septem illas stellas, Novi opera tua, *nempe* quòd dicaris vivere, sed mortuus sis.

2 Esto vigilans, & confirma reliqua moribunda: non enim invêni opera tua plena coram Deo.

3 Memento igitur quæ acceperis & audieris: & serva *illa*, & resipisce. Quòd si non vigilaveris, superveniam tibi tanquam fur, neque cognosces, quâ horâ superventurus sim tibi.

4 Habes *tamen* pauca *quædam* capita etiam Sardibus, quæ non inquinarunt vestimenta sua; ideoque incedent mecum albati: quia digni sunt.

5 Qui vicerit, is amicietur vestimentis albis: neque delebo nomen ejus ex libro vitæ, sed profitebor nomen ejus coram patre meo, & coram angelis ejus.

6 Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

7 Angelo verò Philadelphiensis ecclesiæ scribe; Hæc dicit sanctus & verax ille, qui habet clavem Davidis: quo aperiente nemo claudit: quoque claudente, nemo aperit:

8 Novi opera tua. Ecce, proposui tibi ostium apertum, nec quisquam potest claudere illud: quia nonnullam habes virtutem, & servasti sermonem meum, neque abnegasti nomen meum.

9 Ecce, præbebo *aliquos qui sunt* ex synagoga Satanæ: *ex* iis qui dicunt, se Judæos esse, nec sunt, sed mentiuntur: ecce, *inquam*, faciam ut veniant & adorent ante pedes tuos, & sciant quòd ego dilexi te.

10 *Et* quoniam servasti meum sermonem tolerantiæ, ego quoque te servabo horâ tentationis, quæ ventura est in orbem universum, ad tentandos incolas terræ.

11 Ecce, venio citò: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

12 Quod attinet ad eum qui vicerit, faciam ut is sit columna in templo Dei mei, nec foras egredietur ampliùs: & inscribam ei nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, *id est*, novæ Hierusalem, quæ descendit è cælo à Deo meo, & nomen meum novum.

13 Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

14 Angelo verò Laodicensium ecclesiæ scribe, Hæc dicit Amen, testis ille fidelis & verax, principium opificii Dei:

15 Novi opera tua, *nempe* te neque frigidum esse, neque fervidum. Utinam frigidus esses aut fervidus!

16 Itaque quoniam tepidus es, id est, nec frigidus nec fervidus, futurum est, ut te evomam ex ore meo.

17 Nam dicis, Dives sum, & ditatus sum, & nullius egeo. Neque nosti, te esse ærumnosum, & miserabilem, & pauperem, & cæcum, & nudum.

18 Consulo tibi ut emas à me aurum igni exploratum, ut dives fias: & vestimenta alba, ut induaris, nec appareat dedecus nuditatis tuæ: & collyrio inungas oculos tuos, ut videas.

19 Ego quoscunque amo, arguo, & castigo: Ferve igitur ac resipisce.

20 Ecce, sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, & cænabo cum eo, & ipse quoque mecum.

21 Quod attinet ad eum qui vicerit, dabo ei ut considat mecum in throno meo: sicut & ego vici, & consedi cum patre meo in throno ejus.

22 Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis.

ANALYSIS CAP. III.

Adhuc continuatur sermo Christi ad Johannem, videlicet mandata de scribendis epistolis tribus reliquis: secundùm quas sunt tres hujus capitis partes. Est autem quinta epistola ad episcopum ecclesiæ Sardensis: sexta ad episcopum ecclesiæ Philadelphiensis, v.7. &c. septima ad episcopum ecclesiæ Laodicensis, v.14. &c.

I. Analysis Epistolæ V.

In exordio describitur Christus à duobus adjunctis, videlicet possessione septem spirituum Dei & septem stellarum, v.1. quorum prius sumtum est ex salutatione huic libro, tanquam epistolæ, præmissâ: suprà cap.1.v.4. Alterum verò ex visione præcedente, c.1.v.16.

Narratio & exhortatio promiscuè enuntiantur: ac in narratione quidem episcopus primò reprehenditur propter defectum bonorum operum, ac inprimis propter negligentiam in auditoribus suis ædificandis, v.1. & 2.

Deinde laudatur, quòd aliquot (quamvis paucos) habeat pios in suo cœtu: quæ laus ad illos ipsos inprimis accommodatur, & promissione confirmatur, v.4. Quæ ipsa promissio vim exhortationis habet, ut illi in sancta vita constantes maneant. Ipsum verò episcopum hortatur Christus ad vigilantiam & fidelem muneris sibi commissi functionem, v.2. & 3. Eamque hortationem confirmat ab effectu inutili, seu comminatione pœnæ, in fine versus tertii.

Conclusio constat iisdem duobus membris, quibus tres primæ epistolæ, sed ordine inverso: quod idem observatur in duabus sequentibus. Priore membro vita æterna significatur duobus modis: negatione causæ corrumpentis, & affirmatione causæ adjuvantis, v.5. Alterum autem membrum habetur v.6.

II. Analysis Epistolæ VI.

In exordio describitur Christus à tribus adjunctis: sanctitate, veracitate, & possessione clavis Davidis: id est, potestate in vitam æternam, v.7.

Narratio constat laudatione, qua laudatur episcopus propter constantiam in confessione Evangelii, v.8. Eaque constantia amplificatur ex effectis tribus, videl. triplici remuneratione: quarum remunerationum prima est rei præsentis, reliquæ duæ rerum futurarum. Præsens remuneratio constantiæ illius, est occasio & facultas plurimos per Evangelii prædicationem ad fidem Christi adducendi, atque ita in ecclesiam cælumque ipsum introducendi: quæ occasio & facultas amplificatur expositione alterius causæ adjuvantis, nempe exiguarum virium episcopi, v.8. Futura remuneratio, quam ei promittit, est duplex: honor ab ipsis adversariis ei habendus, v.9. & liberatio à ventura persecutione, v.10.

Exhortatio est ad constantiam: confirmata argumento ab eventu inutili, v.11.

Conclusionis membrum prius enuntiatur v.12. ubi vita æterna describitur à subjecto loco & à causa impulsiva. Locus significatur similitudine templi Salomonici. Causa impulsiva est adoptio, quæ significatur similitudine nominis duplicis homini pio inscribendi. Posterius membrum enuntiatur v.13.

III. Analysis Epistolæ VII.

In exordio describitur Christus partim ut homo, ab adjuncta veracitate, & nominatim eâ quam demonstravit in prædicando Evangelio: partim ut Deus, à proprio effectu, videl. creatione mundi, v.14.

Narratio consumitur vituperatione: qua episcopus vituperatur propter defectum zeli, & voluptatem ex divitiis. Defectum zeli significat similitudine aquæ tepidæ: & amplificat primùm antithesi contrariorum, exornatâ exclamatione optantis, v.15. Deinde ab eventu pernicioso, quem ei comminatur, v.16. Voluptatem ex divitiis amplificat antithesi contrariæ miseriæ, videl. paupertatis spiritualis, v.17.

Hortatio concepta est primùm per formulam suasionis: quâ suadet ei studium acquirendi veras divitias & verum ornatum, verumque medicamentum visus, v.18. Deinde subjungit prolepsin, qua occurrit suspicioni sinistræ de causa procreante tam gravis reprehensionis, quasi scil. reprehensio illa proficiscatur ex odio. Hoc refellit affirmatione contrarii, nempe amoris: & significatione finis seu scopi, qui est παιδεία, castigatio paterna, directa ad emendationem, in principio, v.19. Tum expressè eum hortatur ad zelum, ibid. Et hortationem confirmat ab effectu utili, promittendo suavissimum convictum, v.20.

Conclusionis membrum prius enuntiatur v.21. ubi vita æterna describitur ex parte una, videlicet regia dignitate: quæ ipsa significatur similitudine à rebus humanis, & illustratur exemplo Christi. Alterum membrum enuntiatur v.22.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 Angelo] *Vide c.2. v.1.* Qui habet &c.] *Periphrasis Christi.* Septem illos spiritus Dei] τὰ ἑπτὰ πνεύματα τοῦ Θεοῦ. *Nempe quorum mentio est facta suprà c.1.v.4. Id est, qui à Patre mittit Spiritum sanctum electis, eosq; per illum donis spiritualibus implet. Confer Johan.14.v.26.* Et septem illas stellas] καὶ τοὺς ἑπτὰ ἀστέρας. *Nempe*

Nempe de quibus suprà c.1.v.16.& 20. Quòd dicaris vivere] ὄνομα ἔχεις ὅτι ζῇς. *Ad verb. Quòd nomen habes quòd vivas.* Sed mortuus sis] καὶ νεκρὸς εἶ. *Vel,* Sed mortuus es. *Secundùm priorem interpretationem verbum* εἶ *regitur à verbis* οἶδα ὅτι. *Secundùm posteriorem verò regitur à subintellecto pronomine* σύ. *Copulativa pro adversativa. Intelligit autem mortem spiritualem, videl. vacuitatem pietatis. Sic 1.Tim.5.v.6.*

2 Moribunda] *Sic vocat Christianos infirmos, similes ovibus moribundis. Confer Ezech.34.v.16.* Plena coram Deo] *Gr.* πεπληρωμένα. *Completa. Id est, Ex sincero animo & justo zelo profecta. Sic Luc.1.v.6.*

3 Quæ] πῶς. *Ad verb. Quomodo.* Serva] *Vide sup.c.1.v.3.* Superveniam tibi] ἥξω ἐπὶ σέ. *Adverb. Veniam super te.* **So wil ich über dich kommen.** *Sic mox iterum.* Tanquam fur] *Id est, ex improviso.* Neque cognosces] *Epexegesis.* Quâ horâ] ποίαν ὥραν. *Subaud.* κατά.

4 Pauca *quædam* capita] ὀλίγα ὀνόματα. *Ad verb. Pauca nomina. Id est, membra cœtus tui, homines scilicet profitentes religionem Christianam. Meton. adj. in Græco, in Latino autem synecd. membri.* Non inquinarunt vestimenta sua] *Id est, non sunt scortati more Nicolaitarum. Synecd. gen. & meton. effecti. Confer c.2.v.14.15. Et Judæ v.23.* Ideoque] καί. *Copulativa pro illativa.* Albati] ἐν λευκοῖς. *Scilicet* ἱματίοις. *In albis vestimentis. Symbolum dignitatis regiæ, sed cælestis. Confer Matth.17.v.2.* Digni] *Nempe ex gratia Dei digni effecti per justificationem gratuitam fidei & sanctificationem spiritus.*

5 Qui vicerit, is &c.] ὁ νικῶν, οὗτος &c. *Vincens, hic &c. Pleonasmus familiaris Johanni: quum scilicet nomen vel participium præcedens repetit per pronomen.* Vicerit] *Vide sup.2.v.7.* Amicietur vestimentis albis] *Id est, donabitur majestate regiâ. Metaph. & meton. adj.* Vestimentis] ἐν ἱματίοις. *Ad verb. In vestimentis. Præpositio redundat ex more Hebræorum.* Libro vitæ] *Id est, in quo scripta sunt nomina eorum qui electi sunt ad vitam æternam. Metaphora. Sic infr.20.12. & 21.27. Phil.4.4.* Sed] καί. *Copulativa pro adversativa.* Profitebor nomen ejus] *Confer Matth.10.32.*

6 Spiritus] *Vide suprà cap.2.v.7.*

7 Philadelphiensis ecclesiæ] τῷ ἐν Φιλαδελφείᾳ (*scil.* οὔσης) ἐκκλησίας. *Ad verb. Ecclesiæ quæ est Philadelphia.* Clavem Davidis] *Id est, clavem domus Davidis. Metonym. subj. Per domum autem Davidis significatur ecclesia. Confer Esa.22.22.* Quo aperiente, nemo claudit: quoque claudente, nemo aperit] *Id est, qui plenam habet ecclesiæ gubernandæ potestatem, quam nulla creatura impedire potest. Periphr. synecd. Videtur autem in specie significare, Christum aperire cælum electis, claudere reprobis.* ὁ ἀνοίγων, καὶ οὐδεὶς κλείει, καὶ κλείει, καὶ οὐδεὶς ἀνοίγει. *Ad verb. Is qui aperit, & nemo claudit: & claudit, & nemo aperit.*

8 Proposui tibi] δέδωκα ἐνώπιόν σου. *Ad verb. Dedi coram te. Hebraism.* Ostium] *Occasionem prædicandi evangelii. Synecd. gen. metaphorica: ut 1.Cor.16.9. & 2.Cor.2.12. Col.4.3.* Nonnullam] μικράν. *Ad verb. parvam.* Virtutem] δύναμιν. *Ad verb. potentiam. Videtur autem hîc significare robur animi, seu fortitudinem,* **dapferkeit.**

9 Præbebo] δίδωμι. *Do. Enallage temporis, & Hebraism. Aliquos qui sunt* ex synagoga] ἐκ τῆς συναγωγῆς. *Pro,* τινὰς ἐκ τῆς συναγωγῆς ὄντας. *Ellipsis gemina.* Synagoga Satanæ] *Confer sup.2.9.* Ex iis qui dicunt] τῶν λεγόντων. *Præpositio* ἐκ *repetenda* ἀπὸ κοινοῦ. *Nam hoc participium cum nomine* συναγωγῆς *cohæret per appositionem.* Ecce inquam faciam &c.] ἰδοὺ ποιήσω αὐτοὺς &c. *Epanalepsis verbi* δίδωμι, *quo ad sensum, nempe constans verbo idem significante.* Adorent] *Nempe civiliter, honorem habentes tibi.*

10 Meum sermonem tolerantiæ] τὸν λόγον τῆς ὑπομονῆς μου. *Pronomen* μου *regitur non à nomine proximo* ὑπομονῆς, *sed à remotiore* λόγον. *Sermonem autem suum intelligit doctrinam evangelii: & vocat sermonem tolerantiæ, quia tolerantiam postulat in confitendo. Genitivus subjecti. Istud autem syntaxeos genus frequens est apud Hebræos. ut Coloss.1.13. Transtulit in regnum filii sui dilecti,* τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ. Servabo] *Repetitur idem verbum eleganter* κατ' ἀνάκλασιν, *significatione scilicet mutatâ.* Ex hora] *Id est, ex tempore. Synecd. membri vel speciei.* Tentationis] *Id est, persecutionis. Sic 1.Pet.1.6.* Ad tentandos] πειράσαι. *Pro,* τοῦ πειράσαι. *Scilicet* ἕνεκα. *Tentandos autem, an scil. sint constantes mansuri in confessione fidei Christianæ.*

11 Venio] *Id est, veniam. Enallage temporis.* Quod habes] *Doctrinam quam habes. Synecd. gen. ut sup.2.25.* Accipiat] *Præripiat, intervertat.* Coronam tuam] *Quæ tibi destinata est: & ad quam consequendam opus est ut legitimè certes & vincas. Intelligit autem coronam vitæ æternæ. Confer suprà cap.2.v.10. Item 1.Cor.9.v.24. & seqq.*

12 Quod attinet ad eum qui vicerit] ὁ νικῶν. *Ut sup.2.26.* Faciam ut is sit columna] ποιήσω αὐτὸν στύλον. *Ad verb. Faciam eum columnam.* **Ich wil in zur seulen machen.** Columna] *Symbolum stabilitatis electorum in gratia Dei. Confer 1.Reg.7.21.* Templo] ναῷ. *Quidam codices habent* λαοῦ. *Sed non est dubium quin legendum sit* ναοῦ. *Hoc manifestè postulat nomen columnæ quod præcessit.* Dei mei] *Confer Johan.20.17.* Inscribam ei nomen Dei mei] *Ut scil. nominetur filius Dei.* Inscribam ei] γράψω ἐπ' αὐτόν. *Ad verb. Scribam super eum: Nempe super frontem ejus. Confer inf.22.v.4.* Et nomen civitatis &c.] *Ut scil. nominetur civis ecclesiæ & cali.* Novæ Hierusalem] *Conf. inf.c.21.v.10.* Et nomen meum novum] *Ut scilicet nominetur rex cælestis. quod nomen ego adeptus sum per passiones meas, Luc.24.v.26. Phil.2.v.9.10.11.*

13 Spiritus] *Vide suprà 2.v.7.*

14 Amen] ὁ Ἀμήν. **Der Amen.** *hoc est, ille cui nomen est Amen. Hoc autem nomen mox per epexegesin declaratur.* Principium] ἀρχή. *Id est, author. Metonymia effecti.* Opificii] τῆς κτίσεως. *Creaturæ, id est, rerum creatarum. Confer Joh.1.v.3.*

15 Neque frigidum esse &c.] *Id est, destitui zelo gloriæ Dei. Metaphora.*

16 Id est, nec] καὶ ὅτι. *Copulativa ponitur* ἐξηγητικῶς. Evomam] *Id est, abjiciam, seu perdam.*

17 Dives sum] ὅτι πλούσιός εἰμι. *Conjunctio* ὅτι *redundat ex Hebraismo, servitq; tantummodo mimesi.* Pauperem] *Spiritualiter. Sic deinceps. Destitutum scil. pietate, sapientiâ cælesti, & sanctitate morum.*

18 Emas] *Id est, acquiras per preces, & gratis oblatum accipias. Metaphora* καταχρηστική. *Confer Johan.7.v.37.* Aurum] *Symbolum sapientiæ, & pietatis, ex verbo Dei percepta. Confer Psal.12.v.7. Psal.19. v.11.* Igni exploratum] πεπυρωμένον ἐκ πυρός. *Ad verb. Ignitum ex igni.* Alba] *Symbolum sanctitatis & majestatis.* Collyrio] *Doctrina cælestis.* κολλύριον *in genere significat medicamentum oblongum & teres, ad varios usus compositum, sed præcipuè oculorum vitiis adhiberi solitum. Dictum (ut nonnullis placet) quasi* κολοβὸν τὴν οὐρὰν, *quòd sit simile mutilatæ caudæ.* Oculos] *Nempe oculos mentis.* Videas] *Intelligas doctrinam cælestem.*

19 Ferve] ζήλωσον. *Sive, fervidus esto. Ad verb. zelato.* **Hab ein eifer/sey eiferig.** *Confer v.15. & 16.*

20 Sto] ἕστηκα. *Præteritum pro præsenti, ex usu Hebræorum.* Cænabo cum eo] *Symbolum familiaritatis & gaudii spiritualis. Confer Matth.8.v.11.*

21 Quod attinet ad eum qui vicerit] ὁ νικῶν. *Ut suprà cap.2. v.26.* Ut considat mecum in throno meo] *Confer 2.Tim.2.v.12.* Ut considat] καθίσαι. *Id est,* ἵνα καθίσῃ. *Symbolum regiæ dignitatis.* Consedi] ἐκάθισα. **Hab mich gesetzt.**

22 Spiritus] *Vide suprà c.2.v.7.*

OBSERVAT. EX CAP. III.

1 Ex v.1. ex verbis, *Qui habet septem illos spiritus Dei &c.* notetur testimonium de deitate Christi: quippe qui Spiritum sanctum electis mittit à Patre. Confer Joh.14.26. *Christi deitas.*

2 Ex verbis, *Quòd dicaris vivere, sed mortuus sis.* Cujus vita non est integra coram Deo: is etsi corporaliter vivit, tamen spiritualiter mortuus est. Confer 1.Tim.5.v.6. *Vita hominis.*

3 Ex v.2. *Esto vigilans &c.* In pastore ecclesiæ inter alia requiritur vigilantia & zelus in fidelibus infirmis curæ suæ commissis confirmandis, nimirum tum in fide Christi, tum in studio pietatis. *Officium pastoris ecclesiæ.*

4 Ex verbis, *Non enim inveni opera tua plena coram Deo.* Quum Christus hoc loco à pastore ecclesiæ Sardensis postulet opera plena coram Deo: videtur hinc sequi, fideles in hac vita assequi posse sanctitatem perfectam. Id quod pugnat cum experientia quotidiana, cum exemplo apostoli Pauli Rom.7.14. & deinceps, denique cum mandato Christi de petenda à Deo (inter alia) remissione peccatorum, videl. in quinta petitione orationis Dominicæ. Sed sciendum, Christum hoc loco non postulare ab isto pastore sanctitatem perfectam & omnibus numeris absolutam, sed studium pietatis sincerum, & pium zelum in fungendo ministerio verbi, & curandis fidelibus curæ illius commissis. Similem phrasin vide Luc.1.v.6. de parentibus Johannis Baptistæ. *Sanctitas perfecta an cadat in fideles in hac vita.*

5 Ex v.3. *Memento igitur &c.* Moniti de nostris peccatis, absque mora resipiscere debemus: idque moti tum mandato Christi, tum comminatione pœnæ, ac illius quidem subitaneæ atque improvisæ. *Officium hominis Christiani.*

6 Ex v.4. *Habes tamen pauca quædam capita &c.* In cœtu vocatorum semper aliqui pii sunt, qui sibi ab impuritate reliquorum cavent. Id quod facit ad solatium ministrorum verbi contra impuros quos in cœtu suo habent. *Ecclesia visibilis.*

7 Ex verbis, *Ideoq; incedent mecum albati.* Ad studium sanctitatis moveri debemus promissione hac Christi, qua fidelibus sanctitati studentibus promittit dignitatem atque majestatem regiam in cælo, similem majestati ipsius. *Studium sanctitatis.*

8 Ex verbis, *Quia digni sunt.* Cùm hac sententia pugnare videtur dictum Esaiæ, Sumus sicut immundus omnes nos, & sicut panniculus abjectissimus omnes justitiæ nostræ, Esa. 64.v.6. Sed non pugnat: quia Esaias loquitur de sanctis quales sunt à natura corrupti, quæ corruptio per regenerationem non prorsus in hac vita tollitur: Christus verò de sanctis hic loquitur quales sunt ex gratia Dei, nempe tum perfectè sancti per justificationem, tum ex parte sancti & sincero sanctitatis studio prædíti per regenerationem: quo respectu digni sunt vitâ æternâ. *Antilogiæ apparentis conciliatio.*

9 Ex v.5. *Qui vicerit, is amicietur &c.* Ad perseverantiam in confitenda fide Christi moveri debemus hac illius promissione, qua constantibus suis confessoribus promittit vitam æternam. *Confessio fidei.*

10 Ex verbis, *Is amicietur vestimentis albis &c.* Vita æterna ex parte consistit in majestate regia atque splendore cælesti, & in securitate salutis nunquam eripiendæ, & in laude constantiæ à Christo tribuenda. *Vita æterna*

An deleantur nomina aliquorum ex libro vitæ.

11 Ex verbis, *Neque delebo nomen ejus ex libro vitæ.* Hæc verba videntur innuere, quòd quorundam nomina deleantur è libro vitæ: id est, quòd quidam electi ad vitam æternam reprobentur. Quæ sententia pugnat cum illis scripturæ dictis, quæ testantur, decreta Dei esse immutabilia, & fieri non posse ut electi pereant: ut videre est Esa.46.v.10.Mal.3.v.6.Matth.24.v.24.Joh.10.v.28. 2.Tim.2.v.19. Sed sciendum, hoc loco nihil aliud innui quàm quòd illi qui à fide Christiana deficiunt, ac proinde pereunt, videantur deleri è libro vitæ, propterea quòd videbantur in illo scripti esse, quamdiu fidem profitebantur: quum tamen revera scripti in illo non essent.

12 Ex v.6. *Qui habet aurem &c.* Vide cap.2.observ.7.

Christi attributa quædam.

13 Ex v.7.ex verbis, *Hæc dicit sanctus & verax ille &c.* Notetur testimonium de Christi sanctitate, veracitate & divina potestate salvandi ac damnandi.

Evangelii cursus.

14 Ex v.8. ex verbis, *Proposui tibi ostium apertum, nec quisquam potest claudere illud.* Quum Christus piis verbi divini ministris occasionem præbet prædicandi evangelium, nemo potest illam avertere aut institutum illorum impedire. Hoc facit ad piorum tùm doctorum, tùm auditorum consolationem. Confer 1.Cor.16.v.9.

Remuneratio piorum doctorum.

15 Ex verbis, *Quia nonnullam habes virtutem &c.* Item ex v.9. *Ecce præbebo &c.* Item, *Dilexi te.* Item ex v.10. ex verbis, *Ego quoque te servabo &c.* Christus piorum verbi divini ministrorum in fungendo ministerio suo alacritatem, & in fide Christiana profitenda constantiam, remunerari solet præbitione occasionis prædicandi evangelium, & conciliatione authoritatis apud adversarios ipsorum, hypocritas. Cujus remunerationis spe moveri illi debent ad fidelem ministerii sui functionem, & in fide Christiana profitenda constantiam: nec non consideratione testificationis Christi, quòd ipsos diligat; quodque ipsos in periculo vitæ conservare velit.

Officium hominis Christiani.

16 Ex v.9. ex verbis, *Faciam ut veniant & adorent ante pedes tuos.* Piis verbi Dei ministris debetur reverentia & honor. Confer Heb.13.v.17.

Evangelii professio.

17 Ex v.10. ex verbis, *Meum sermonem tolerantiæ.* Evangelii professio requirit tolerantiam: quia comitem habet persecutionem. Confer Matth.16.v.24.

Persecutio confessorum Evangelii.

18 Ex verbis, *Ex hora tentationis &c.* Persecutionem ob evangelii professionem fidelibus immittit Deus ut eos tentet, hoc est, exploret an constantes in fidei professione permansuri sint. Hanc autem constantiam ipsemet eis largitur. Confer 1.Pet.1. v.6.& 7. 1.Cor.10.v.13. Phil.1.v.29.

Perseverantia in fide.

19 Ex v.11.& 12. *Tene quod habes &c.* Item, *Quod attinet ad eum qui vicerit &c.* Ad consequendum coronam vitæ æternæ opus est perseverantiâ in fide Christiana, ac professione illius.

Vita æterna an possit amitti.

20 Ex verbis, *Ut nemo accipiat coronam tuam.* Hæc verba videntur innuere, quòd fieri possit ut aliquis amittat vitam æternam sibi à Deo destinatam. Id quod pugnat cum illis scripturæ dictis, quæ testantur, fieri non posse ut electi pereant. Sed sciendum, hoc loco nihil innui, quàm quòd per naturam hominis credentis fieri possit ut vitam æternam sibi à Deo destinatam amittat, quatenus per naturam ejusdem fieri potest ut amittat fidem: quorum neutrum tamen fieri potest per decretum Dei. Deinde observandum & hoc, quod hîc dicitur, non dici simpliciter, sed ex hypothesi: nempe futurum ut illi episcopo corona sua auferatur, si is non tenuerit quod habebat, nempe fidem Christi. Confer suprà observ.11.

Confessio fidei.

21 Ex v.12. *Quod attinet ad eum qui vicerit, faciam &c.* Ad perseverantiam in fide & constantem Christi confessionem moveri debemus hac illius promissione, quâ constantibus suis confessoribus promittit vitam æternam.

Vita æterna.

22 Ex verbis, *Faciam ut sit columna &c.* Notentur quatuor proprietates vitæ æternæ: videlicet (1) stabilitas beatorum in gratia Dei, (2) honor adoptionis per quam beati sunt filii Dei, (3) honor civitatis qua sunt cives ecclesiæ & cæli, (4) honor regiæ majestatis in cælo.

23 Ex v.13. *Qui habet aurem &c.* Vide cap.2.observ.7.

Christi attributa quædam.

24 Ex v.14. Notetur testimonium de Christi veracitate, munere prophetico, & deitate.

Christi bonitas.

25 Ex v.15. & seqq. Notetur testimonium de bonitate seu benignitate Christi erga fideles qui destituti sunt sancto zelo in religione Christiana: quippe quos ad talem zelum excitare studet variis modis, videlicet (1) denuntiatione interitus, v.16. (2) monitione de misero ipsorum statu, v.17. (3) salutari consilio, v.18. (4) testificatione sui erga ipsos amoris, v.19. (5) hortatione ad resipiscentiam, ibid. (6) promissione maximorum beficiorum, v.20 & 21.

Officium hominis Christiani.

26 Ex v.15.&16. ex verbis, *Te neque frigidum esse, neque fervidum &c.* Ad officium hominis Christiani pertinet, ut in religione Christiana sit fervidus, id est, sancto zelo præditus. Ad quem zelum moveri debemus consideratione periculi, ne scilicet æterno exitio pereamus.

Divitiæ.

27 Ex v.17. *Dicis, Dives sum, &c.* Magna stultitia est, acquiescere in divitiis externis atque corporalibus, deque illis gloriari: & interim non considerare egestatem suam internam atque spiritualem, videl. vacuitatem salvificæ cognitionis Dei & studii pietatis, nec de divitiis illis spiritualibus acquirendis & conservandis solicitum esse.

Divitiæ spirituales.

28 Ex v.18. *Consulo tibi ut emas &c.* Is demum verè sapit, qui salutari huic consilio Christi locum dat: qui scil. sibi ab ipso acquirat tum divitias spirituales, videl. veram sapientiam & sanctitatem: tum medicinam spiritualem, videl. doctrinam cælestem.

Verbum Dei.

29 Ex verbis, *Aurum igni exploratum, ut dives fias.* Verbum Dei purum est ab omni falsitate, estque res longè pretiosissima, cujus possessione (possidetur autem illud per fidem & obedientiam) verè divites sumus.

Sanctitas fidelium.

30 Ex verbis, *Et vestimenta alba &c.* Sanctitas quam credentes habent à Christo, est veluti vestis splendida & regia, qua non solùm tegitur ipsorum nuditas spiritualis, (videl. vacuitas sanctitatis) sed etiam eis conciliatur cælestis majestas. Est autem illa sanctitas duplex: una perfecta, eaque imputata per justificationem: altera imperfecta, eaque effecta per regenerationem.

Doctrina cælestis.

31 Ex verbis, *Et collyrio inungas oculos tuos.* Doctrina cælestis in verbo Dei tradita præter alia utilis est ad sanandum cæcitatem nostri intellectus, ut videre atque intelligere possimus mysteria regni cælorum.

Officium hominis Christiani.

32 Ex v.19. *Ego quoscunq; amo, arguo & castigo.* Quum ex verbo Dei arguimur & castigamur: officii nostri est, tales monitiones habere pro signis amoris Christi erga nos, ac proinde illis locum dare: nequaquam verò contra tales monitores murmurare, aut odio eos prosequi.

Officium hominis Christiani.

33 Ex v.20. ex verbis, *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Quum ex verbo Dei admonemur officii nostri, cogitare debemus, Christum stare ad ostium & pulsare: ac proinde debemus ei aperire, id est, sanctis monitis locum dare.

Officium hominis Christiani.

34 Ex verbis, *Si quis audierit vocem meam &c.* Ad obedientiam erga verbum Dei moveri debemus hac promissione Christi, qua obedientibus promittit convictum cum ipso suavissimum.

Confessio fidei.

35 Ex v.21. Ad constantem fidei Christianæ confessionem moveri debemus hac promissione Christi, qua constantibus confessoribus promittit majestatem regiam in cælo.

Christi deitas.

36 Ex verbis, *Dabo ei &c.* Notetur testimonium de deitate Christi: quippe qui martyribus dat vitam æternam.

Vita æterna.

37 Ex verbis, *Ut considat mecum &c.* Vita æterna ex parte consistit in regia majestate ac dominatu in alias creaturas. Confer 2.Tim.2.v.12. Matth.19.v.28.

Martyrum gloria.

38 Ex verbis, *Ut considat mecum in throno meo.* Hæc verba videntur innuere, gloriam martyrum in cælo fore æqualem gloriæ Christi. Id quod pugnat cum illis scripturæ dictis quæ Christo primatum tribuunt: Verbi gratiâ, Col.1.v.18. Ut inter omnes (ἐν πᾶσιν) primas teneat. Rom.8.v.29. Ut is sit primogenitus inter multos fratres. Sed sciendum, non significari hoc loco honoris æqualitatem, sed tantùm societatem pro certo gradu seu mensurâ: ut percipitur ex verbis Christi Matth.19.v.28. ubi ait discipulis, Vos qui sequuti estis me, in regeneratione quum sederit filius hominis in throno gloriæ suæ, sedebitis etiam vos super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.

Christi majestas.

39 Ex verbis, *Consedi cum patre meo in throno ejus.* Hæc verba videntur innuere, Christum secundùm humanam naturam adeptum esse honorem æqualem honori Dei patris; id quod pugnat cum naturæ humanæ veritate, secundùm quam creatura est, ac proinde majestatis Deo propriæ non capax. Sed sciendum, verbis illis non significari honoris æqualitatem, sed tantùm societatem, idque pro certo gradu: ut percipitur ex collatione membri præcedentis. Gradus autem ille honoris est, quòd Christus inter omnes beatos homines primas tenet.

40 Ex v.22. *Qui habet aurem &c.* Vide c.2.observ.7.

CAPUT IV.

POst hæc vidi, & ecce, *erat* ostium apertum in cælo: & vox prima quam audiveram tanquam tubæ loquentis mecum, dicebat, Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.

2 Statim igitur constitutus fui in spiritu: & ecce, thronus positus erat in cælo: & *quidam* super throno sedebat.

3 Porrò is qui sedebat, aspectu similis erat lapidi jaspidi & sardio: & in circuitu throni *erat* iris, aspectu similis smaragdo.

4 Item in circuitu throni, *erant* throni vigintiquatuor: super thronos autem illos vidi vigintiquatuor senes sedentes, amictos vestibus albis: qui habebant super capita sua coronas aureas.

5 Prodibant autem ex illo throno fulgura & tonitrua & sonitus: item *erant* septem lampades igneæ ardentes ante thronum, quæ sunt septem illi spiritus Dei.

6 *Erat* etiam ante thronum mare vitreum, simile crystallo: in medio autem throni, & in circuitu throni, *erant* quatuor animalia, plena oculis antè & retrò.

7 Animal

7 Animal autem primum *erat* simile leoni, secundum verò animal simile *erat* vitulo, tertium verò animal habebat faciem velut homo, quartum denique animal simile *erat* aquilæ volanti.

8 Præterea quatuor illa animalia, singula per se habebant alas sex in circuitu, intus verò plena erant oculis: nec requiem habebant die vel nocte, dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, ille Erat, & Est, & Venturus.

9 Porrò quum tribuebant illa animalia gloriam & honorem & gratiarum actionem ei qui super throno sedebat, illi, *inquam* viventi in secula seculorum:

10 Procidebant illi vigintiquatuor senes ante illum qui sedebat super throno, & adorabant illum viventem in secula seculorum, & abjiciebant coronas suas ante thronum, dicentes,

11 Dignus es Domine qui accipias gloriam & honorem & potentiam: quia tu creasti omnia, & per voluntatem tuam sunt, & creata sunt.

ANALYSIS CAP. IV.

Descriptio Dei patris (principalis authoris prophetiæ sequentis) magnifica, ad conciliandum illi prophetiæ authoritatem instituta.

Descriptioni huic præmittitur vocatio Johannis, ad hanc prophetiam percipiendam, v.1. & perceptionis modus, in principio v. secundi. Vocatio illustratur à subjecto loco, ubi prophetia patefacienda fuit, & ab adjuncta qualitate vocis, quæ in vocando fuit adhibita.

Descriptio Dei constat ex octo membris; quæ sunt:

1 Subjectus thronus, cui insedit, itemque subjectus locus, ubi thronus ille erat positus, v.2.

2 Adjunctus color, qui significatur simili duplici, v.3.

3 Adjuncta iris; quæ declaratur ex adjuncto colore, qui ipse significatur simili, v.eod.

4 Adjuncti assessores: qui ipsi declarantur è subjectis thronis, & adjuncto vestitu, itemque ornatu, v.4.

5 Effecta horribilia & magnifica, v.5.

6 Adjunctum mare vitreum, quod illustratur simili, v.6.

7 Adjuncta quatuor animalia: quæ ipsa describuntur ex adjunctis oculis, v.eod. Deinde ex forma seu figura, per similia, v.7. Tum ex adjunctis alis: & rursum ex adjunctis oculis, nec non ex actione honorificâ, videl. doxologiâ, v.8.

8 Adjuncta adoratio & doxologia assessorum: ad quam utramque transitur per collationem exempli similis quatuor animalium, v.9. Adoratio verò narratur, amplificata ab adjuncto gestu & actione demissâ, v.10. Ipsa denique doxologia amplificatur expositione causæ, v.11.

SCHOLIA IN CAP. IV.

1 Audiveram] *Scil. suprà cap.1.v.10.* Dicebat] λέγουσα. *Ad verb. Dicens. scil. erat. Hebraismus.* Et ostendam] *Id est, Tum ostendam. Vel, Nam ostendam.* Post hæc] *Q.d. hactenus tibi ostendi, quinam sit status ecclesiæ in tempore præsenti: nunc ostendam, quinam status ecclesiæ sit futurus. Confer suprà c.1.v.19.*

2 Statim igitur] καὶ εὐθέως, *Copulativa pro transitiva.* Constitutus fui in spiritu] ἐγενόμην ἐν πνεύματι. *Vide suprà c.1.v.10. Hinc autem videtur colligi posse, post visionem illam primam, quæ hactenus per tria capita descripta est, Johannem sibi restitutum fuisse, ut in ἐκστάσει esse desineret. Quo ipso innuitur distinctio rerum, quæ dictæ fuerunt & dicendæ restant. Itaq; à scopo aberrant, qui tradunt, eadem significari per septem candelabra, septem sigilla, septem tubas, & septem phialas. Confer suprà cap.1.v.19.* Quidam] *Similis viro, ut liquet ex capitis 5.v.1. Fuit autem hoc symbolum Dei patris, ut patet ex v.8.10.11. & c.22.v.1.* Sedebat] καθήμενος. *Scil. ἦν. Sedens erat. Hebraismus.*

3 Porrò] καί. *Copulativa pro transitiva.* In circuitu throni] *Scil. supernè.* Aspectu] ὁράσει. *Id est, colore. Metonymia adjuncti. Sic mox iterum.* Smaragdo] σμαραγδίνῳ. *Scil. λίθῳ. Ad verbum, Smaragdino lapidi.*

4 In circuitu throni] *Scil. ex utroq; latere.* Vigintiquatuor senes] *Symbolum duodecim patriarcharum, & duodecim apostolorum: id est, omnium fidelium utriusq; testamenti, ut percipitur ex collatione verborum cap.5.v.9. & 10.* Sedentes] *Nempe duodecim ex utraq; parte circa thronum Dei. Confer Matth.19.v.28.* Vestibus] ἐν ἱματίοις. *Præpositio redundat ex Hebraismo.* Albis] *Symbolum sanctitatis & dignitatis regiæ.* Qui habebant] καὶ ἔσχον. *Subauditur, ἐκεῖνοι. Ad verb. Et habebant* illi. Coronas] *Aliud symbolum dignitatis regiæ.*

5 Prodibant] ἐκπορεύονται. *Pro, ἐξεπορεύοντο. Enallage temporis, in hoc libro frequens.* Sonitus] φωναί. *Ad verb. Voces. Synecdoche speciei Hebraica. Sic passim in hoc libro istud nomen conjungitur cum nomine βροντῶν, id est, tonitruum: idq; (ut videtur) per ἓν διὰ δυοῖν. Tonitrua & sonitus: id est, sonitus tonitruorum.* Lampadas igneæ] λαμπάδες πυρός. *Ad verb. Lampades ignis. Genitivus materiæ.* Thronum] *Scil. Dei.* Septem illi spiritus Dei] τὰ ἑπτὰ πνεύματα τοῦ Θεοῦ. *Hoc est, imagines seu symbola illorum septem spirituum Dei. illis autem spiritibus vide suprà c.1.v.4. Est autem in lampadibus igneis symbolum illuminationis mentium ad Deum rectè cognoscendum, & inflammationis cordium ad diligendum tum Deum, tum proximum. Confer Act.2.v.3. & 4.*

6 Mare] *Symbolum mundi, id est, generis humani, irrequietæ naturâ.* Vitreum] *Symbolum fragilitatis humanæ: vel certè conditionis illius, quâ etiam intima cordium humanorum Deo sunt perspicua. Et hanc expositionem postulare videntur verba sequentia,* simile crystallo: *quæ videntur annecti per epexegesin.* In medio autem throni, & in circuitu throni &c.] *Hæc verba puto sic accipienda, ut intelligatur, quatuor illa animalia ita fuisse disposita, ut duo steterint è regione medii throni; idq; ante illum (& hoc est quod Johannes dicit,* In medio throni] *reliqua verò duo ex utroq; throni latere, alterum ad dextram, alterum ad sinistram. Et hoc est quod Johannes dicit,* κύκλῳ τοῦ θρόνου, in circuitu throni. *Quo sensu suprà v.4. dixit,* κυκλόθεν τοῦ θρόνου. Quatuor animalia] *Symbola angelorum in quatuor mundi plagis Deo ministrantium. Confer Ezech.1.* Oculis] *Symbolum vigilantiæ.*

7 Leoni] *Symbolum roboris.* Vitulo] *Symbolum laboriositatis.* Habebat] ἔχον. *Scilicet ἦν. Hebraismus, pro εἶχεν. Ad verb. Habens erat.* Homo] *Symbolum prudentiæ.* Aquilæ] *Symbolum perspicaciæ.*

8 In circuitu] κυκλόθεν. *Hoc vocabulum videtur similiter hîc accipiendum, ut paulò antè nomen κύκλῳ, v.6. nempe quasi dicatur, ab utroq; latere: idq; ita ut duæ alæ essent in humeris, duæ supra faciem, & duæ supra pedes: qualis fuit dispositio alarum senarum in Seraphis, Esa.6.v.2. Ad quem locum hîc respici, intelligitur ex eo quòd sequitur de angelorum istorum doxologia quâ celebrarunt Deum, dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus &c. Quæ verba etiam Seraphis illis tribuuntur ibid.v.3.* Intus] ἔσωθεν. *Id est, Sub alis.* Oculus] *Vide v.6.* Habebant] ἔχουσιν. *Pro εἶχον. Enallage in hoc libro usitata.* Vel nocte] καὶ νυκτός. *Copulativa pro disjunctiva.* Sanctus, sanctus &c.] *Confer Esa.6.v.3. Subaudi, ἐστὶν, est. Terna iteratio nominis* Sanctus, *videtur notare mysterium S. Trinitatis.* Dominus] κύριος. *Qui à prophetis nominatur* יְהוָה *Jehovah.* Ille erat] ὁ ἦν. *Vide suprà c.1.v.4.*

9 Tribuebant] δώσουσι. *Ad verb. Dabunt: pro dabant. Enallage temporis Hebraica.*

10 Procidebant] πεσοῦνται. *Pro, ἔπιπτον. Enallage qualis modò. Sic deinceps in verbis προσκυνήσουσι, βαλοῦσι.* Illi] *Quorum scil. facta fuit mentio v.4. Gr. οἱ εἴκοσι &c. Articulus habet vim ἀναφορικὴν &c.*

11 Dignus qui accipias] ἄξιος λαβεῖν. *Vel, ut accipias. Pro, τοῦ λαβεῖν: sive, ἵνα λάβῃς.* Potentiam] *Id est, potentiæ laudem. Metonymia subjecti.* Per voluntatem tuam] διὰ τὸ θέλημά σου. *Pro, διὰ τοῦ θελήματός σου. Atticismus. Sic infrà cap.12, v.11.*

OBSERVAT. EX CAP. IV.

1 Ex v.1. *Erat ostium apertum in cælo &c.* Quoniam prophetia quæ deinceps narrabitur, Johanni patefacta fuit in cælo: colligitur hinc, illam & divinam esse & de rebus maximi momenti. Quò diligentiùs illam cognoscere ac meditari debemus. *Apocalypseos authoritas.*

2 Ex v.2. & seqq. usque ad finem capitis. Notetur testimonium de majestate Dei: quæ hîc significatur & describitur ex variis argumentis, ut in analysi declaratum est. Hujus doctrinæ usus est, ut Deum revereamur, & humillima adoratione atque approbatione judiciorum ejus honoremus. *Dei majestas.*

3 Ex v.4. ex verbis, *Super thronos autem vidi vigintiquatuor senes &c.* Notetur testimonium de futura gloria cælesti credentium. *Fidelium gloria cælestis.*

4 Ex v.5. *Prodibant autem ex illo throno fulgura &c.* Judicia Dei in impios terribilia sunt. Quare ab impietate cavendum. *Impii.*

5 Ex verbis, *Item erant septem lampades igneæ &c.* Notetur testimonium de operatione duplici Spiritus sancti in electis: videl. illuminatione mentis, & inflammatione cordis ad diligendum Deum ac proximum. *Spiritus sancti operationes.*

6 Ex v.6. *Erat etiam antè thronum mare vitreum.* Notetur testimonium de fragilitate generis humani. *Hominis fragilitas.*

7 Ex verbis, *Simile crystallo.* Generis humani actiones & cogitationes omnes Deo conspicuæ sunt. Ergo coram facie Dei solicitè ambulemus. *Hominum actiones.*

8 Ex v.6.7.8.& 9. *Quatuor animalia plena oculis &c.* Sancti angeli sunt vigilantes in hominibus suæ curæ commissis observandis: unde dicuntur esse pleni oculis, vers.6.& 8. Quò etiam pertinet quòd à Daniele nominantur vigiles, Dan.4. vers.13.17. & 23. Item sunt robusti: unde comparantur leonibus, v.7. Et sic Psalm.103.vers.20. dicuntur valentes robore. Item sunt laboriosi: unde comparantur vitulis, eodem versu. Confer Dan.10.v.13. ubi angelus Gabriel narrat; quanto cum labore restiterit regi Persiæ. Item sunt intellectu præditi: unde comparantur hominibus, v.eod. Item præditi sunt mentis acumine: unde comparantur aquilis, vers.eodem. Item alacres & expediti sunt ad exsequendum mandata Dei: unde tribuuntur eis alæ, v.8. Confer Psalm.103.v.20. & 21. ubi dicuntur efficere verbum Dei, auscultare voci verbi ejus, & facere placitum ejus. Confer etiam oratio- *Angeli.*

nis Dominicæ petitionem tertiam, ubi commemoratur eorum promtitudo in facienda voluntate Dei. Item assidui sunt in laudando Deo, v.8 & 9. Confer Esa.6.v.3.

Officium fidelium. 9 Ex v.10.& 11. Ad officium fidelium pertinet, ut Deum humilimè adorent, & summis laudibus celebrent.

CAPUT V.

DEinde vidi in dextera ejus qui sedebat super throno, librum scriptum intus & à tergo, obsignatum sigillis septem.

2 Et vidi angelum robustum, prædicantem voce magnâ, Quis est dignus qui aperiat illum librum, & solvat ejus sigilla?

3 Nemo autem poterat *neque eorum qui sunt* in cælo, neque *eorum qui* in terra, neque *eorum qui* subter terram, aperire librum illum, neque eum inspicere.

4 Flebam igitur ego multum, quòd nemo dignus inventus esset qui aperiret & legeret librum illum, nec qui eum inspiceret.

5 Tum unus ex senibus illis dicit mihi, Ne fleto: ecce, vicit leo ille qui est ex tribu Juda, radix illa Davidis, ut aperiat librum illum, & solvat septem ejus sigilla.

6 Aspexi igitur, & ecce *aderat* inter thronum & quatuor illa animalia, & inter illos senes, agnus stans tanquam jugulatus, habens cornua septem, & oculos septem; qui sunt septem illi spiritus Dei, emissi in omnem terram.

7 Is venit, & accepit librum illum ex dextra ejus qui sedebat super throno.

8 Quumque accepisset librum, quatuor illa animalia, & vigintiquatuor illi senes, ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas, plenas suffimentorum; quæ sunt preces sanctorum.

9 Et cecinerunt canticum novum, dicentes, Dignus es qui accipias librum illum, & aperias ejus sigilla: quoniam jugulatus es, & emisti nos Deo sanguine tuo; ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione:

10 Et fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes: itaque regnabimus super terram.

11 Tum vidi, & audivi, in circuitu throni & animalium & senum, vocem angelorum multorum. (Erat autem numerus eorum millies centena millia; & decies centena millia:

12 Dicebantque voce magnâ, Dignus est agnus ille jugulatus qui accipiat potentiam, & divitias, & sapientiam, & robur, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

13 Sed & omnem creaturam quæ in cælo est, & in terra, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eis *sunt* omnia, audivi dicentia, Ei qui sedet super throno, & agno, *sit* benedictio, & honor, & gloria, & robur, in secula seculorum.

14 Quatuor autem animalia illa dicebant, Amen: & vigintiquatuor senes illi ceciderunt in facies suas, & adorarunt eum qui vivit in secula seculorum.

ANALYSIS CAP. V.

DEscriptio magnifica Christi; tanquam secundarii authoris prophetiæ hujus, ad eundem cum superiore finem instituta. Secundarii dico, ut qui à Deo patre acceperit prophetiæ hujus revelationem. Quæ acceptio etiam hîc principaliter narratur: ipseque Christus sub imagine agni describitur. Huic autem descriptioni præmittitur præparatio Johannis ad attentè considerandum hunc prophetiæ authorem. Ita sunt duæ principales capitis partes, quarum posterior incipit v.6.

DE PRIMA PARTE.

Præparationis primum membrum est adjunctum quoddam Dei patris in throno sedentis, quod ad perfectionem præcedentis descriptionis pertinet, videlicet liber in dextera ejus manu, septem sigillis obsignatus, vers.1. Quo libro significatur, Deum ab æterno decreta fecisse de gubernatione mundi, eaque decreta hominibus à natura ignota esse. Secundùm membrum est antithesis diversorum subjectorum, qua Christo opponuntur (quos ad apertionem sigillorum, id est, acceptionem hujus prophetiæ à Deo patre) omnes aliæ creaturæ rationales, v.2.& 3. Hæc antithesis illustratur primum provocatione per angelum, v.2. Deinde amplificatur distributione trimembri, v.3. Postremò amplificatur etiam ex eventis duobus inter se contrariis, fletu tristitiaque Johannis, v.4. & verbis consolatoriis unius ex assessoribus, quæ contra fletum illum sunt adhibita, v.5. Et ibidem incipit ipsa Christi descriptio ab adjuncto leonino robore atque fortitudine, & à causa procreante seu progenitoribus.

DE SECUNDA PARTE.

Hîc proponuntur duo: descriptio Christi, & actio ejus. Descriptio Christi fit sub imagine agni, v.6. & constat ex adjunctis sex. quorum primum est patientia: quæ significatur ipso nomine agni. Secundum dignitas summa secundùm humanam naturam: quæ dignitas significatur ex statione agni propiore apud thronum Dei. Tertium est intercessio sacerdotalis: quæ significatur per agni stationem inter Deum & animalia atque senes. Quartum est passio pro electis: quæ significatur per agni jugulationem. Atque hæc ad naturam pertinent humanam: reliqua duo ad divinam. Quintum, scilicet potentia perfecta, significata per septem cornua. Sextum, providentia atque omniscientia, significata per septem oculos. Atque sic se habet Christi descriptio. Deinde narratur actio Christi, videl. ipsa libri (id est, prophetiæ hujus) acceptio, v.7. Acceptio autem illa libri illustratur ex eventis, videl. quadruplici doxologia: primùm assessorum, id est, piorum doctorum omniumque fidelium, v.8.9.& 10. Deinde totius multitudinis angelorum inferiorum, v.11.& 12. Tum cæterarum creaturarum omnium, vers.13. Postremò quatuor animalium, id est, archangelorum, vers.14. Doxologia assessorum illustratur ex adjuncto gestu, itemque ex adjunctis instrumentis, v.8. Deinde ex causis procreantibus, nẽpe beneficiis agni erga ipsos, vers.9. & 10. Angelorum inferiorum doxologia illustratur primùm ex adjuncto illorum numero maximo, v.11. Deinde ex adjuncta vocis magnitudine, v.12. Cæterarum creaturarum doxologia amplificatur distributione illarum quadrimembri è subjectis locis, vers.13. Quatuor animalium doxologia continetur voce unicâ, quæ est approbantis: ac proinde ad superiores doxologias refertur. Ad finem autem annectitur repetitio gestus assessorum, quem in sua doxologia adhibuerunt, vers. ult.

SCHOLIA IN CAP. V.

1 Deinde] &c. *Copulativa pro transitiva.* In dextera] ἐπὶ τὴν δεξιάν. *Ad verb. Super dexteram. Hebraismus. Hæc interpretatio confirmatur ex v.7. ubi agnus dicitur librum accepisse ex dextera illius.* Librum] βιβλίον. *Nempe volumen: ut intelligitur ex sequentibus. Est autem hic liber symbolum decretorum Dei: ut intelligitur ex iis quæ narrãtur post apertionem sigillorum.* Obsignatum] *Symbolum conditionis decretorum Dei, quòd scil. sint occulta & homini à naturâ ignota.* Septem] *Symbolum perfectionis.*

2 Prædicantem] κηρύσσοντα. *Proclamantem*, außruffende. Dignus qui aperiat] ἄξιος ἀνοῖξαι: *Vel, ut aperiat. Pro,* τοῦ ἀνοῖξαι. *Symbolum patefactionis decretorum Dei.* Librum illum] τὸ βιβλίον. Das buch. *Articulus est ἀναφορικός.*

3 Nemo autem] καὶ οὐδείς: *Copulativa pro discretiva.* Neque *eorum qui sunt* in cælo] ἐν τῷ οὐρανῷ. *Pro,* τῶν ἐν τῷ οὐρανῷ. *Scil.* ὄντων. *Sic deinceps. Ellipsis articuli. Sic suprà cap.3.v.9. Notantur enim tria genera personarum seu creaturarum rationalium, amplificandi causâ: videl angelorum, hominum, & dæmoniorum. Confer infrà v.13. Item Phil.2.v.10.*

4 Flebam igitur ego] καὶ ἐγὼ ἔκλαιον. *Copulativa pro transitiva. Sic v.5. & 6.*

5 Ex senibus illis] *De quibus suprà cap.4.v.4* Dicit] λέγει. *Pro,* ἔλεγε, *dixit.* Ecce] ἰδού. *Pro.* ἰδοὺ ἰδοὺ γάρ. *Nam ecce. Ellipsis conjunctionis causalis, serviens πάθει.* Vicit] ἐνίκησεν. *Id est, obtinuit à Patre meritis suis. Metaphora.* Leo] *Symbolum roboris seu potentiæ divinæ. Est autem hic descriptio Christi.* Ex tribu Juda] *Confer Gen.49.v.9.& 10.* Radix illa Davidis] *Id est, ortus secundùm promissionem ex Davide. Metonymia efficientis, & genitivus speciei. Confer infrà cap.22.v.16. & Esa 11.v.1.*

6 Inter thronum & quatuor illa animalia] ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου καὶ τῶν τεσσάρων ζώων. *Ad verb. In medio throni & quatuor illorum animalium.* Inter senes illos] *Ex utroque throni latere sedentes. Vide suprà cap.4.v.4. & 6.* Agnus] *Imago Christi, notans patientiam illius in ferendo supplicio. Vide Esa.53.v 7.* Jugulatus] *Symbolum supplicii crucis.* Cornua septem] *Symbolum perfecti roboris; id est, potentiæ divinæ.* Oculos septem] *Symbolum perfectæ providentiæ: ut percipitur ex addita epexegesi.* Septem illi spiritus Dei] *Id est, symbola septem spirituum Dei. Metonymia subjecti. Per septem autem spiritus Dei intelliguntur omnia spiritualia dona, quæ Christus per Spiritum sanctum providentiâ suâ in electis efficit.*

8 Citharas] *Symbolum gratiarum actionis & laudis cum summo gaudio conjunctæ.* Quæ] αἵ. *Pro,* ἅ: *scilicet* θυμιάματα. *Anomalia generis, elegans: qualis infrà cap.20. v.14. Confer infrà cap.8.v.3.* Sanctorum] *Fidelium, sanctificatorum sanguine & spiritu Christi.*

9 Cecinerunt] ᾄδουσιν. *Præsens pro præterito.* Canticum novum] *Id est, insigne seu eximium, & cum singulari lætitia conjunctum: qualia esse solent cantica quæ componuntur atque canuntur propter beneficium aliquod novum Sic Psal.33.v.3 & in aliis Psalmis passim.* Emisti] *Sic 1.Cor.6.v.20.* Erkauft. Sanguine]

ἐν τῷ

ἐν τῷ αἵματι. *Scil. tanquam pretio. Præpositio* ἐν *redundat ex Hebraismo.* Linguâ] γλώσσης. *Dialecto, formâ sermonis.* Spraach. *Metonymia efficientis.*

10 Reges & sacerdotes] *Vide suprà cap.1.v.6.* Itaque regnabimus] καὶ βασιλεύσομεν. *Copulativa pro illativa.* Super terram] *Vel in terra,* ἐπὶ τῆς γῆς, auf der erd.

11 Vidi & audivi] *Id est, in visione audivi.* ἐν ἰδὼν. Angelorum] *Nempe inferioris ordinis. nam primarii significantur per quatuor animalia: ut quæ propiùs coram Deo stabant. Vide suprà c.4.v.6.* Millies centena millia & decies centena millia] μυριάδες μυριάδων καὶ χιλιάδες χιλιάδων. *His verbis non exprimitur certus numerus, sed infinitæ classes maximorum numerorum. Alii, Millies centies millia & decies centies millia: quæ versio notat numerum certum, & respondet hisce Græcis,* Μυριὰς μυριάδων, καὶ χιλιὰς χιλιάδων. *Confer Dan 7.v.10.*

12 Dicebantque] λέγοντες. *Ad verb. Dicentes.* Qui accipiat] λαβεῖν. *Ut accipiat.* Potentiam] *Id est, potentiæ laudem. Metonymia subjecti. Sic deinceps in consequentibus nominibus tribus.* Benedictionem] εὐλογίαν. *Id est, laudem sive gratiarum actionem.*

13 Dicentia] λέγοντας. *Ad verb.* Dicentes. *Quia creaturæ illæ, tum rationales, tum irrationales, introducuntur hîc tanquam personæ. Sic Psal.148.v.3. & seqq.* Robur] τὸ κράτος. *Id est, laus roboris: ut v.12.*

14 Dicebant, Amen] *Id est, approbabant prægressas doxologias.*

OBSERVAT. EX CAP. V.

Decreta Dei. 1 Ex v.1.2.3. & 4. Decreta Dei hominibus sunt tanquam liber obsignatus: id est, à natura eis ignota sunt.

Christus. 2 Ex v.5. & seqq. Notetur testimonium de persona, officio, & beneficiis Christi erga ecclesiam: quæ singula in analysi & scholiis explicata sunt.

Laudes Dei. 3 Ex v.8. & 9. ex verbis, *Habentes singuli citharas.* Item, *Et cecinerunt &c.* Laudes Dei quas fideles pronuntiant, Deo gratæ sunt: sicut homini gratus est citharæ cantus, seu sonus citharæ artificiosus à citharœdo effectus.

Fides. Preces. 4 Ex verbis, *Habentes phialas aureas, plenas suffimentorum: quæ sunt preces sanctorum.* Fides in Christum, unde preces fidelium manant, est pretiosa instar auri: ipsæ autem illæ preces Deo gratæ sunt, sicut homini gratus est odor aromaticorum suffimentorum.

Sancti. 5 Ex verbis, *Quæ sunt preces sanctorum.* Pro sanctis habendi, & sancti nominandi sunt, non solùm qui in fide Christi defuncti jam in cælo degunt: sed etiam fideles qui adhuc vivunt in terra: quippe qui sanctificati sunt sanguine Christi, & Spiritu sancto.

Officium fidelium. 6 Ex v.9. *Et cecinerunt &c.* Ad officium fidelium pertinet, ut pro revelatione mysteriorum, quæ hoc libro proponitur, gratias Deo agant.

Obedientia mortis Christi. 7 Ex verbis, *Dignus es, qui accipias librum &c. quoniam jugulatus es &c.* Christus obedientiâ mortis suæ meritus est sibi singularem hanc dignitatem, ut ecclesiæ militanti revelet arcana Dei decreta de statu ipsius, inde ab initio prædicati in mundo evangelii usque ad mundi finem. Confer Phil.2.v.8. & 9.

Sanguis Christi. 8 Ex verbis, *Quoniam jugulatus es, & emisti nos Deo sanguine tuo.* Sanguis Christi, quatenus in cruce effusus est, rationem habet pretii, quo electi emti sunt Deo, qui à natura erant sub potestate Diaboli, quippe venditi sub peccatum, Actor.26.v.18. Rom.7.v.14.

Mors Christi. 9 Ex verbis, *Emisti nos ex omni tribu &c.* Hinc discimus, Christum non esse mortuum pro omnibus (id est, singulis) hominibus: sed tantùm pro aliquibus, videl. pro electis. Confer Joh.10. v.11. Matth.26.v.28. Eph.5.v.23. & seqq.

Ecclesia. 10 Ex verbis, *Ex omni tribu &c.* Ecclesia novi testamenti est catholica, quia colligitur ex omnibus populis.

Officium fidelium. 11 Ex v.10. *Et fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes.* Ad officium fidelium pertinet, ut tanquam reges spirituales dominentur peccato, & tanquam sacerdotes spirituales corpora sua Deo offerant hostiam vivam, & vitulos labiorum, id est sacrificium laudis. Confer Rom.6.v.12. Rom.12.v.1. Ose.14.v.3. Heb.13.v.15.

Angeli. 12 Ex v.11. ex verbis, *Erat autem numerus eorum, millies &c.* Notetur testimonium de sanctorum angelorum multitudine. Confer Dan.7.v.10. Matth.26.v.53. Heb.12.v.22.

Christi majestas. 13 Ex v.12.13. & 14. Notetur testimonium de majestate Christi: quippe quem non solùm angeli, sed etiam creaturæ reliquæ omnes honorant.

Obedientia mortis Christi. 14 Ex v.12. *Dignus est agnus ille jugulatus, qui accipiat &c.* Christus obedientiâ mortis suæ, non solùm electis meritus est remissionem peccatorum & vitam æternam: sed etiam sibiipsi meritus est summum honorem, ut scil. agnoscatur ac celebretur pro vero Deo. Confer Phil.2.v.5. & seqq.

Creatura irrationales quomodo laudent Christum. 15 Ex vers.13. *Sed & omnem creaturam &c.* Quæritur hîc, quomodo creaturæ irrationales laudent Christum: quum nec intelligere, nec loqui possint? Respondeo, Laudant Christum quatenus hominibus præbent argumentum laudandi illum: quippe quæ ab illo & creatæ sunt & conservantur: unde perspicitur illius tum potentia, tum sapientia, tum bonitas. Sic Psal.19.v.2. cæli dicuntur enarrare gloriam Dei.

Adoratio. 16 Ex v.14. ex verbis, *Et adorarunt eum qui vivit in secula seculorum.* Solus Deus adorandus est.

CAPUT VI.

POstea vidi, quum aperuisset agnus primum ex sigillis, & audivi primum ex quatuor animalibus dicens, tanquam sonitum tonitrui, Veni & vide.

2 Vidi igitur, & ecce *aderat* equus albus: qui verò sedebat super eo, habebat arcum: & data est ei corona, & exivit vincens, & ut vinceret.

3 Quumque aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal dicens, Veni & vide.

4 Et prodiit alius equus, *qui erat* rufus: ei verò qui sedebat super eo, datum est ut tolleret pacem è terra, & ut alii alios mactarent: datusque est ei gladius magnus.

5 Et quum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal dicens, Veni & vide. Vidi igitur; & ecce, equus niger *aderat:* qui verò insidebat ei, habebat stateram in manu sua.

6 Et audivi vocem in medio quatuor animalium dicentem, Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario: at vinum & oleum ne læseris.

7 Quumque aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentem, Veni & vide.

8 Tum vidi, & ecce *aderat* equus pallidus. Quod verò attinet ad illum, qui sedebat supra eum, nomen ei *erat* Mors: & Infernus sequebatur illum: dataque est eis in quartam *partem* terræ potestas trucidandi gladio, & fame, & morte, perque terrestres feras.

9 Quum verò aperuisset sigillum quintum, vidi sub altari animas eorum qui jugulati fuerant propter sermonem Dei, & propter testimonium quod tuebantur.

10 Clamabant autem voce magnâ, dicentes, Usque quò domine, qui sanctus es & verax, non judicas ac vindicas sanguinem nostrum, *reposcendo eum* ab iis qui habitant in terra?

11 Tum datæ sunt singulis stolæ albæ; & dictum est est eis ut requiescerent adhuc paululum temporis, donec complerentur etiam conservi eorum, & fratres eorum, qui trucidandi sunt sicut & ipsi.

12 Deinde vidi, quum aperuisset sigillum sextum; & ecce terræmotus magnus factus est: & sol factus est niger ut saccus cilicinus, & luna tota facta est ut sanguis:

13 Et stellæ cæli ceciderunt in terram, sicut ficus abjicit grossos suos quum à vento magno concutitur.

14 Et cælum abscessit, sicut liber qui convolvitur: & omnis mons & insula è suis locis mota sunt.

15 Et reges terræ, & proceres, & divites, & tribuni, & potentes, omnisque servus & omnis liber, absconderunt se in speluncas & in petras montium:

16 Et dixerunt montibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie ejus qui sedet super throno, & ab ira agni:

17 Nam venit dies ille magnus iræ illius: & quis poterit stare?

ANALYSIS CAP. VI.

SEquentibus quatuor capitibus (videlicet sexto, septimo, octavo & nono) continetur prophetia de statu ecclesiæ & mundi, inde ab initio prædicati per orbem Evangelii usque ad finem mundi. Ac primùm prophetia illa summatim proponitur hoc capite: deinde membra illius copiosiùs enarrantur, tribus capitibus sequentibus.

In hoc igitur capite narratur apertio sigillorum sex: quorum primo aperto, prodiit eques cum equo albo, v.1. & 2. Ad cujus visionem invitatus est Johannes per animal primum. Eques autem ille describitur tribus modis: (1) ex adjunctis duobus, videl. arcu & corona. (2) ex effectu, videl. victoriâ. (3) ex fine, videl. eâdem victoriâ. Cæterùm per hunc equitem significatus fuit Christus, & efficacia illius quam exseruit in evangelii prædicatione, sagittis nimirum Legis & Evangelii penetrans corda electorum, & ad agnitionem peccatorum fidemque gratiæ Dei, illa convertens, atque ita ea vincens.

Secundo sigillo aperto, prodiit eques cum equo rufo, v.3. & 4. Ad cujus visionem invitatus est Johannes per animal secundum.

Eques autem ille describitur ex adjunctis duobus, videl. potestate & instrumento. Cæterùm per istum equitem significati fuerunt angeli, sive boni, sive mali, qui in mundo excitarunt bella, nimirum propter Evangelii contemtum.

Tertio sigillo aperto, prodiit eques cum equo nigro, v.5.& 6. Ad cujus visionem invitatus est Johannes per animal tertium. Eques autem ille describitur ex adjuncta statera. Cujus mysterium declaratur per vocem sonantem in medio quatuor animalium. Unde percipitur, per istum equitem significatos fuisse angelos, sive bonos, sive malos, qui mundo attulerunt caritatem annonæ & famem, propter eundem Evangelii contemtum.

Quarto sigillo aperto, prodiit eques cum equo pallido, v.7. & 8. Ad cujus visionem invitatus fuit Johannes per animal quartum. Eques autem ille describitur ex suo nomine, & ex adjuncto comite: & uterque ex adjuncta potestate; ubi ipsum hujus imaginis mysterium aperitur: quòd videl. per illos equites significati sint angeli, sive boni, sive mali, qui mundum afflixerunt vario mortis genere, propter causam jam antè dictam. Enumerantur autem mortis genera quatuor.

Quinto sigillo aperto, animæ martyrum postularunt à Deo vindictam, v.9.& 10. Unde intelligitur, per hoc sigillum significari persecutionem confessorum Evangelii: cui nimirum occasionem præbuerunt plagæ illæ mundi, per tria præcedentia sigilla significatæ: quòd scil. homines impii plagarum illarum causam asscriberent doctrinæ Evangelii, & confessoribus illius. Sicut illis ipsis plagis causam præbuit contemtus Evangelii; cujus efficacia significata fuit per sigillum primum. Cæterùm postulatio illa martyrum illustratur ex eventis duobus, v.11.

Sexto sigillo aperto, exstitit horrenda rerum naturalium mutatio, v.12.13.14. hominumque formido, v.15.16.17. Per hanc rerum horribilem faciem significatur illa ipsa rerum perturbatio quæ proximè antecedet diem judicii extremi: ut percipitur ex verbis v.17. & ex collatione hujus loci cum sermone Christi Matth.24.v.29. Luc.21.v.25.& 26.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 Postea] καὶ. *Copulativa pro transitiva.* Primum] μίαν. *Ad verb.* Unum. *Synecd. generis Hebraica. Sic mox iterum. Item Matthæi 28.v.1. Confirmatur autem hæc expositio ex collatione sequentium, ubi sigilla suo ordine commemorantur, v.3.5.&c.* Primum] ἑνὸς. *Ad verbum,* Unum. *Illud autem animal erat simile leoni, suprà cap.4.v.7.* Sonitum] φωνῆς. *Ad verbum, Vocem. Synecdoche speciei Hebraica.*

2 Albus] *Signum triumphi. Nam Romani triumphantes vehebantur equis albis. Confer infrà c.19.v.11.* Habebat] ἔχων. *Scil.* ἦν. *Habens erat. Hebraismus.* Arcum] *Symbolum efficaciæ verbi Dei, penetrantis corda electorum instar sagittæ. Confer Hebr.4.v.12.* Data] *A patre. Continetur enim hîc descriptio Christi.* Corona] *Signum victoriæ.* Exivit] *Scil. in orbem terrarum.* Vincens] *Corda electorum & conscientias reproborum, per prædicationem Evangelii. Confer 2.Cor.10.v.3.4.5.6.*

3 Secundum animal] *Quod simile erat vitulo, suprà cap.4. vers.7.*

4 Rufus] πυῤῥός. **Feürroht.** *Symbolum belli, in quo animi quasi ignescunt, id est, igne iræ accensi sunt & exardescunt, sanguisque rubens effunditur.* Datum est] ἐδόθη αὐτῷ. *Ad verbum, Datum est ei. Pleonasmus pronominis relativi Hebraicus.* Ut tolleret] λαβεῖν. *Seu,* ut auferret. *Ad verb.* Ut *acciperet. Synecdoche membri Hebraica.* Et ut] *Conjunctio copulativa posita* ἐξηγητικῶς.

5 Tertium animal] *Quod habebat faciem sicut homo, suprà cap.4.v.7.* Niger] *Symbolum famis, quæ hominum cutem nigram reddit. Vide Thren.4.v.7.& 8.* Stateram] *Symbolum caritatis annonæ: quum annona propter penuriam non modiis venditur: sed staterâ, quâ vendi solent aromata.*

6 Denario] *Scil. Vendetur.* At oleum] καὶ τὸ ἔλαιον. *Copulativa pro adversativa. nam videtur esse exceptio.* Ne læseris] μὴ ἀδικήσῃς. *In hac significatione accipitur istud verbum etiam infrà c.9. v.4.* ἀδικεῖν *propriè est injuriâ afficere. Hîc igitur accipitur per metaphoram* καταχρηστικῶς.

7 Quarti animalis] *Quod simile erat aquilæ volanti, suprà c.4.v.7.*

8 Pallidus] *Symbolum mortis: quæ inde à profanis poëtis nominatur pallida, id est, quæ pallidum reddit mortuum.* Quod verò attinet ad illum qui sedebat &c.] καὶ ὁ καθήμενος &c. *Nominativus absolutè positus more Hebræorum. Sic suprà cap.3.v.12.* Infernus] ὁ ᾅδης. *Vel sepulchrum.* Illum] αὐτοῦ. *Scil. qui sedebat super equum istum pallidum* In quartam *partem*] εἰς τὸ τέταρτον. *Scil.* μέρος. *Ellipsis in hoc libro usitata.* Terræ] *Id est, incolarum terræ, nempe hominum. Metonymia subjecti.* Gladio] ἐν ῥομφαίᾳ. *Præpositio redundat ex Hebraismo. Ex hoc autem loco apparet, nomine* ῥομφαία *gladium significari. Solet enim in scriptura gladius cæteris hîc commemoratis Dei flagellis adjungi. Vide Ezech.14. v.21. Item cap.6.v.11. Jerem.14.v.12.* Morte] *Puta peste, aut aliis morbis. Metonymia effecti, & synecdoche generis.* Perque terrestres feras] καὶ ὑπὸ τῶν θηρίων τῆς γῆς. *Ad verb. Et à bestiis terræ. Genitivus subjecti.*

9 Propter sermonem Dei] *Propter confessionem sermonis Dei, id est, Evangelii. Metonymia subjecti, & synecd. generis.* Testimonium] *Nempe de Jesu. Synecdoche generis. Confer infr. cap 19.v.10.* Tuebantur] εἶχον. *tenebant.* **Darüber sie hielten.**

10 Domine] ὁ δεσπότης. *Pro,* ὦ δέσποτα. *Hebraismus, & Atticismus. Reposcendo eum* ab iis &c.] *Phrasis scripturæ usitata: cujus ellipsin hîc innuere videtur præpositio* ἀπὸ. *Sic Luc.18. vers.3. Quanquam videtur etiam citra istam ellipsin idem sensus huic phrasi,* ἐκδικεῖν τινα ἀπό τινος, *constare. Nec minùs phrasi Latinæ, Vindicare aliquem ab aliquo:* **Einen an einem rächen.** Ab iis qui habitant in terra] *Nempe ab impiis illis ethnicis qui sanguinem nostrum fuderunt. Synecdoche generis.*

11 Stolæ albæ] *Symbolum sanctitatis.* Conservi] *Id est, numerus conservorum.* Qui trucidandi sunt] οἱ μέλλοντες ἀποκτείνεσθαι. *Ad verb. Qui futuri sunt trucidari. Id est, de quibus futurum est, seu quibus eventurum est, ut trucidentur.* **Die da werden umbgebracht werden.** *Scilicet à bestia bicorni, id est, Papâ. Confer infrà cap.20.v.4.*

12 Terræmotus] *Symbolum iræ Dei, sicut & sequentia.* Ut sanguis] *Id est, coloris sanguinei. Confer Act.2.v.20.*

14 Liber] *Id est, volumen: nempe folium unicum grande, quod in formam cylindri convolvi potest: ut solent convolvi literæ testamentariæ in membrana scriptæ.*

15 Tribuni] οἱ χιλίαρχοι. *Propriè, qui imperant mille militibus.*

16 Dixerunt] λέγουσιν. *Pro,* ἔλεγον. *Enallage in hoc libro frequens.*

17 Dies iræ] *Quo demonstrabit iram suam in adversarios.* Illius] αὐτοῦ. *Scil. agni: id est, Christi.* Magnus] *Nempe propter judicium universale totius generis humani.* Et quis] *Id est, Quis igitur. Quasi dicant, Nemo.* Stare] *Consistere atque evadere.*

OBSERVAT. EX CAP. VI.

1 Ex v.2. Notetur testimonium de efficacia Christi in prædicatione evangelii. *Evangelii prædicatio.*

2 Ex v.4.6.8. Evangelii contemtus punitur à Deo immissione bellorum, & famis, & aliarum plagarum. Quare contemtum hunc fugiamus. *Evangelii contemtus.*

3 Ex v.9. collato cum præcedentibus. Tanta est perversitas impiorum, ut publicarum calamitatum culpam tribuant confessoribus veritatis cælestis, ac proinde illos ad necem usque persequantur. *Impii.*

4 Ex vers.10. & 11. Sanguis martyrum vindictam à Deo postulat: quam ille de persecutoribus eorum suo tempore certò sumturus est. *Sanguis martyrum.*

5 Ex v.11. ex verbis, *Data sunt singulis stolæ albæ.* Animæ martyrum in cælo fruuntur solatio bonæ conscientiæ, quòd scilicet à Deo pro sanctis habeantur. *Animæ martyrum.*

6 Ex eod. v. ex verbis, *Usque quo compleantur etiam conservi eorum.* Notetur testimonium de providentia & gubernatione Dei: cujus pars est, quòd decrevit certum numerum martyrum. *Animæ martyrum.*

7 Ex v.12. & seqq. notetur testimonium de horribili rerum naturalium facie sub adventum judicii ultimi. *Gubernatio Dei.*

CAPUT VII.

POSTEA autem vidi quatuor angelos insistentes quatuor angulis terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus super terram, neque super mare, neque super ullam arborem.

2 Deinde vidi alium angelum ascendentem ab ortu solis, habentem sigillum Dei vivi: qui acclamavit voce magnâ quatuor illis angelis, quibus datum erat lædere terram & mare.

3 Dicens, Ne lædite terram, neque mare, neque arbores, donec obsignaverimus servos Dei nostri in frontibus ipsorum.

4 Et audivi numerum obsignatorum. Centies quadragies quater mille erant obsignati ex omnibus tribubus filiorum Israël.

5 Ex tribu Juda, duodecies mille obsignati: ex tribu Ruben, duodecies mille obsignati: ex tribu Gad, duodecies mille obsignati:

6 Ex tribu Aser, duodecies mille obsignati: ex tribu Nephthalim, duodecies mille obsignati: ex tribu Manasse, duodecies mille obsignati:

7 Ex tribu Simeon, duodecies mille obsignati: ex tribu Levi, duodecies mille obsignati: ex tribu Issachar, duodecies mille obsignati:

8 Ex tribu Zabulon, duodecies mille obsignati: ex tribu Joseph, duodecies mille obsignati: ex tribu Benjamin, duodecies mille obsignati.

9 Postea vidi, & ecce turba multa, quam numerare nemo potuisset, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis, stabant ante thronum & ante agnum,

agnum, amicti stolis albis; & palmæ *erant* in manibus eorum.

10 Et clamabant voce magnâ, dicentes, Salus Deo nostro *sit*, sedenti super throno, & agno.

11 Omnes autem angeli stabant in circuitu throni & senum & quatuor animalium illorum: & ceciderunt ante thronum in faciem suam, & adorarunt Deum,

12 Dicentes, Amen: benedictio, & gloria, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & potentia, & robur *sit* Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.

13 *Tum* exorsus est loqui unus ex senibus illis, dicens mihi, Isti qui amicti sunt stolis albis, quínam sunt, & unde *venerunt?*

14 Et dixi ei, Domine, tu nosti. Et dixit mihi, Hi sunt qui venerunt ex afflictione illâ magnâ: & laverunt stolas suas, ac dealbarunt eas in sanguine agni:

15 Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui insidet throno, obumbrabit eos.

16 Non esurient ampliùs, neque sitient ampliùs, nec in eos incidet sol, neque æstus.

17 Quoniam agnus, qui in medio throni *est*, pascet eos, & deducet eos ad vivos fontes aquarum: & abstersurus est DEUS omnem lacrymam ab oculis eorum.

ANALYSIS CAP. VII.

HOc capite continetur præparatio ad capita sequentia, videlicet consolatio piorum contra futuram seductionem & persecutionem. Itaque duplex hîc proponitur promissio: una tutelæ divinæ contra seductionem hæreticorum & Antichristi, usque ad v.9: altera victoriæ contra persecutionem propter confessionem Christi. Tutela illa divina contra seductionem significatur duobus modis, videlicet per causam corrumpentem, & per causam impulsivam antecedentem. Causa corrumpens est cupiditas malorum spirituum qua cupiunt & conantur impedire efficaciam evangelii in omnibus quibus illud annuntiatur. Hæc cupiditas significatur per detentionem ventorum, v.1. Causa impulsiva antecedens illius tutelæ divinæ est electio Dei, qua ex genere humano aliquos elegit ad vitam æternam. Hæc electio significatur per obsignationem certi numeri Israëlitarum, v.2. & seqq. Obsignatio autem illa declaratur partim ex causa ministra, & duplici actione illius: partim distributione obsignatorum, & numero speciali. Causa ministra fuit angelus quidam bonus, v.2. Actio illius prima, fuit interdictum quo vetuit malis spiritibus, ne quem detentione sua ventorum læderent ante tempus, v.3. Altera actio fuit obsignatio electorum, v.4. & seqq. Atque sic tractatur promissio prima.

Jam ad alteram promissionem quod attinet, victoria credentium contra persecutionem propter confessionem Christi primùm declaratur, deinde comprobatur. Declaratur duobus modis: videlicet partim ab adjuncto symbolo, nempe palmis, v.9. partim ex effectu, videlicet doxologiâ quâ Deo gratias agunt pro data sibi illa victoria, v.10. Quæ ipsa doxologia amplificatur ab adjuncta doxologiâ angelorum, v.11. & 12. Atque sic victoria illa declaratur. Comprobatur autem testimonio cujusdam è 24. illis senioribus, hoc est, beatis animabus in cælo degentibus, v.13. & seqq. Quod testimonium illustratur ex occasione, videlicet quòd senior iste animadvertisset, Johannem scire cupere quínam essent illi in stolis albis, tenentes palmas: quos videbat stare ante thronum, v.13. & 14. Deinde victoria illorum ab eodem sene amplificatur ex effectu, videlicet præmio cælesti, quod per partes indicat, v.15. & seqq. Porrò duplicem istam consolationem esse scopum visionis hoc capite contentæ: percipitur, quod ad priorem attinet, ex c.9.v.4. ubi locustis illis per quas falsi doctores in Papatu significantur, præcipitur ut neminem lædant, nisi eos tantùm homines, qui non habent sigillum illud Dei in frontibus suis: quibus verbis manifestè ad priorem hujus visionis partem respicitur. Quod verò ad posteriorem consolationem, quæ est de credentium victoria contra persecutionem; illa victoria denuò commemoratur cap.14.v.1. ubi post narratam cap.13. persecutionem, tum ab ethnicis Imperatoribus, tum à Papis institutam; Johannes vidit Christum stantem super montem Sion, & cum eo obsignatos illos de quibus in hac visione agitur. Illa autem statio signum victoriæ fuit.

SCHOLIA IN CAP. VII.

1 Angelos] *Bonósne an malos? Quòd fuerint mali, videtur liquere ex ipsorum actione, quòd scil. tenebant ventos ne flarent, id est, quòd prohibuerunt operationem prædicationis Evangelii in cordibus hominum, ne scil. per illam vivificarentur. Contrà, quòd fuerint boni, videtur colligi posse primùm ex v.2. ubi dicitur,* Et vidi alium angelum. *Utique bonum: ut patet ex sequentibus. At hîc angelus dicitur* alius *respectu illorum quatuor, de quibus v.1. Istâ autem voce,* ALIUS, *omnino videtur notari alia species ejusdem generis, cum iis quarum fuit facta mentio. Deinde idem confirmari posse videtur ex istius angeli verbis: ubi alloquens quatuor illos, ait:* Ne lædite terram &c. donec obsignaverimus servos Dei NOSTRI. *ubi illud* NOSTRI *significat, Quem nos colimus, quem diligimus &c. Quæ in malos angelos non quadrant. Sed videtur responderi posse ad rationem priorem, nomine* ALIUS *notari quidem diversam speciem, sed consideratam sub genere remoto, non autem propinquo: nempe sub genere angelorum, non autem sub angelorum bonorum. Ad posteriorem verò sic: illud pronomen* NOSTRI, *non referri ad quatuor illos angelos, quos ille bonus angelus alloquitur, sed ad angelos illos quos secum habebat, ut se adjuvarent in obsignandis servis Dei; quorum etsi non fiat expressa mentio: significantur tamen per verbum numeri pluralis,* obsignaverimus. *Cæterùm quatuor illos angelos fuisse malos, etiam ex hoc confirmari posse videtur, quòd dicitur v.2.* Quibus datum est (*id est, permissum à Deo*) lædere terram &c. *Hoc enim verbo videtur notari illorum cupiditas mala ad nocendum hominibus. Confer infr. cap.9.v.1.3.5.15. & cap.13.v.5.7.15.*

2 Ab ortu solis] *Symbolum rei lætæ, nempe protectionis electorum, ne lædantur à malis angelis.* Sigillum] *Symbolum electionis. Confer 2.Tim.2.v.19. Erat autem isti sigillo insculptum nomen Dei. Vide infrà cap.14.v.1.* Lædere] ἀδικῆσαι. *Sic accipitur ista vox passim in hoc libro. Intelligitur autem hîc subductio reproborum per falsam doctrinam, & inde orta conscientiarum carnificina. Confer infrà cap.9.v.4.* Terram] *Id est, incolas terræ. Metonymia subjecti. Sic mox iterum.* Arbores] *Homines authoritate eminentes, puta magistratus, reges & principes, item Ecclesiæ doctores. Metaphora.* Obsignaverimus] *Sigillo illo Dei, cujus modò facta mentio.*

4 Centies quadragies quater mille] *Nempe ex duodecim tribuum singulis duodecies mille, ut sequentibus versibus declaratur. Supputatio sic habet:*

Ex tribu	*Juda*	*12000*
	Ruben	*12000*
	Gad	*12000*
	Aser	*12000*
	Nephthalim	*12000*
	Manasse	*12000*
	Simeon	*12000*
	Levi	*12000*
	Isaschar	*12000*
	Zabulon	*12000*
	Joseph	*12000*
	Benjamin	*12000*
		144000

Cæterùm an præcisè ac propriè iste numerus hîc sit intelligendus, an verò per synecdochen speciei numerus magnus notetur, non satis liquet. Hoc tamen posterius potiùs statuendum videtur ex vers.9. ubi narratur, quòd turba multa quam numerare nemo potuisset, steterit ante thronum, & hymnum Deo cecinerit pro salute sua. Id quod omnino videtur intelligendum de illis ipsis obsignatis: quippe quum ad hoc ipsum obsignati fuerint, ut ne salus eorum interverteretur ab angelis illis, qui lædebant terram &c. Ex omnibus tribubus filiorum Israël] *Id est, ex omnibus populis: ut declaratur vers.9. ubi fructus istius obsignationis narratur, nempe multorum è gentilibus fidelium martyrum. Idem confirmatur ex eo, quòd hæc prophetia tota ecclesiæ gentium data est: id quod patet ex eo, quòd ecclesiis Asiæ minoris peculiariter tradita fuit. Item ex reipsa. nam certum est, martyres illos (saltem plerosque) ex gentibus fuisse. Nam quo minùs hoc propriè intelligendum sit de Israëlitis sive Judæis, ex eo judicari potest, quòd certum est, Deum non in solis Judæis electos suos habuisse & adhuc habere, eosdemq; à læsione illa angelorum malorum per obsignationem suam conservasse & adhuc conservare: sed etiam in cæteris gentibus: atq; adeò per ista tempora plures in his, quàm in illis. Confer infrà cap.14.v.1.*

5 Ex tribu Juda] *Ordinis quo tribus populi Israëlitici hoc loco recensentur, ratio non apparet. nisi fortè per istam ordinis confusionem significare voluit Spiritus sanctus, in negotio salutis æternæ nullam à Deo rationem haberi carnalium prærogativarum. qua de re vide Galat.5.v.6. Quòd autem omittitur tribus Dan: affertur ratio hæc, quòd Danitæ jam olim omisso Dei cultu, à sorte populi Dei ad sortem gentium transierant. Sed ista ratio videtur infirma: quum dubium nullum sit, quin ex gentibus quoque multi electi & obsignati sint.*

8 Joseph] *Id est, Ephraim. Synecdoche integri. nam tribus Joseph erat gemina, Manasse scil. & Ephraim. Tribus autem Manasse enumerata fuit v.6.*

9 Nemo] *Scilicet hominum. nam Deo numerus ille notus est.* Potuisset] ἠδύνατο. *Pro,* ἠδύνατο ἄν. *Modus potentialis.* Stabant] ἑστῶτες. *Scilicet* ἦσαν. *Pro,* ἑστήκεσαν. *Hebraismus. Convenit autem hoc verbum cum nomine* ὄχλος, *id est, turba, per synesin: quam vulgò synthesin vocant. qualis in illo, Turba ruunt.* Stolis] *Tanquam sacerdotes. Vide suprà cap.5.v.10.* Albis] *Lotis ac dealbatis sanguine agni, infrà vers.14. Symbolum sanctitatis.* Palmæ]

Symbolum victoriæ quam reportarunt ex afflictione illa magna, infrà verſ.24.

10 Salus] *Id eſt, Laus ſalutis. Metonymia ſubjecti. Sic infrà cap.19.v.1.*

11 Omnes] *Nempe inferioris ordinis. nam archangeli ſub nomine quatuor animalium ab his diſtinguuntur.*

12 Benedictio] *Id eſt, laus.* Sapientia] *Id eſt, laus ſapientiæ. Metonymia ſubjecti. Sic mox, potentia, robur.* Sit] *Vel,* detur.

13 Exorſus eſt loqui] ἀπεκρίθη. *Ad verb. reſpondit, id eſt, cœpit fari. Hebraiſmus.*

14 Domine] *Verbum honoris, tributum illi ut homini ſancto.* Noſti] *Vel, noveris.* **Du wirſts wiſſen**: *vel,* **Du magſts wiſſen.** *q.d. Ego quidem fateor me ignorare: ex te autem cognoſcere cupio. Emphaſis eſt in voce σὺ, tu. Q.d. Tu, non ego.* Ex afflictione illa magna] ἐκ τῆς θλίψεως τῆς μεγάλης. *Articulus notat aliquid certi; nimirum afflictionem illam, quæ eventura erat ſub Antichriſto.* Eas] *Gr.* στολὰς αὐτῶν, *ſtolas ſuas. Repetitio nominis antecedentis ex conſuetudine Hebræorum.* In ſanguine] ἐν τῷ αἵματι. *Vel,* ſanguine, **mit dem Blůt.** *Ut redundet præpoſitio ex conſuetudine Hebræorum. Mira vis ſanguinis, non rubefacientis, inquinantisve, ſed dealbantis atque purgantis. Purgat autem ſanguis Chriſti à peccato eos qui credunt, illum pro ipſis fuſum eſſe in cruce.*

15 Templo] *Nempe cælo.* Obumbrabit eos] σκηνώσει ἐπ' αὐτούς. *Id eſt, Veluti umbraculo proteget eos, nempe contra æſtum ſolis, de quo verſ. ſequente.* Sol] *Solis æſtus. Symbolum perſecutionis.*

17 Paſcet] *velut paſtor oves.* Vivos] *Scaturientes & manantes. Metaphora.* Lacrymam] *Confer infrà cap.21.v.4.*

OBSERVAT. EX CAP. VII.

Mali ſpiritus. 1 Ex v.1.2. & 3. notetur teſtimonium de cupiditate & ſtudio malorum ſpirituum in impedienda prædicatione evangelii, & efficaciâ illius. Confer 1.Pet.5.v.8.

Evangelii doctrina. 2 Ex v.1. ex verbis, *Ne flaret ventus &c.* Doctrina evangelii eſt quaſi ventus, quo corda electorum afflata vivificantur: nempe per efficaciam Spiritus ſancti. Confer Joh.3.v.8.

Gubernatio divina. 3 Ex verſ.2.& ſeqq. notetur teſtimonium de gubernatione divina electorum, quâ impediuntur mali ſpiritus, ne illos poſſint lædere, id eſt, in errorem exitialem inducere. Confer 1.Tim.2. verſ.19.

Martyres. Confeſſores. 4 Ex v.9. & ſeqq. notetur teſtimonium de martyrum atque confeſſorum ſanctitate, victoria, & felicitate cæleſti. Sanctitas eorum ſignificatur per ſtolas albas: & conſiſtit in remiſſione peccatorum propter ſanguinem Chriſti pro ipſis effuſum, v.14. Victoria ſignificatur per palmas, v.9. Felicitas cæleſtis declaratur variis modis, v.15. & ſeqq.

CAPUT VIII.

Porrò quum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cælo, ferme per ſemihoram.

2 Et vidi ſeptem illos angelos, qui adſtant coram Deo: & datæ ſunt eis ſeptem tubæ.

3 Tum alius angelus venit, & conſtitit apud altare, habens thuribulum aureum: & data ſunt ei ſuffimenta multa, ut poneret *ea cum* precibus ſanctorum omnium, ſuper altare aureum quod *erat* ante thronum.

4 Aſcendit autem fumus ſuffimentorum illorum *cum* precibus ſanctorum, è manu angeli illius, ad conſpectum Dei.

5 Deinde accepit angelus ille thuribulum, & implevit illud ex igne altaris, abjecitque in terram: & exſtiterunt ſonitus, & tonitrua, & fulgura, & terræmotus.

6 Et ſeptem illi angeli, tenentes ſeptem illas tubas, præparaverunt ſe ut clangerent.

7 Primus igitur angelus clanxit, & exſtitit grando & ignis, miſta ſanguine; projectaque ſunt in terram: & tertia *pars* arborum exuſta eſt, itemque omne gramen viride exuſtum eſt.

8 Deinde ſecundus angelus clanxit; & quaſi mons magnus, igne ardens, projectus eſt in mare: factaque eſt tertia *pars* maris, ſanguis.

9 Et mortua eſt tertia *pars* creaturarum, quæ *erant* in mari, animantia *dico*: itemque tertia pars navium periit.

10 Tum angelus tertius clanxit; & cecedit è cælo ſtella magna, ardens velut fax; cecidit autem in tertiam *partem* fluminum, & in fontes aquarum.

11 Nomen autem ſtellæ illius dicitur Abſinthium. Verſa eſt igitur tertia *pars* aquarum in abſinthium: & multi homines mortui ſunt ex aquis, quòd amaræ factæ eſſent.

12 Deinde quartus angelus clanxit; & percuſſa eſt tertia *pars* ſolis, & tertia *pars* lunæ, & tertia *pars* ſtellarum: ità ut obſcuraretur tertia *pars* eorum, & dies non luceret tertiâ ſui *parte*, noxque ſimiliter.

13 Et vidi, & audivi unum angelum volantem per medium cæli, dicentem voce magnâ, Væ, væ, væ incolis terræ, à reliquis ſonis tubæ trium illorum angelorum, qui clangent.

ANALYSIS CAP. VIII.

Duobus ſequentibus capitibus continetur prophetia ſex tubarum: quatuor quidem hoc capite; duarum verò ſequente. Huic autem prophetiæ præmittitur præparatio Johannis ad eam percipiendam, ſex primis verſibus. Deinde prophetia quatuor tubarum proponitur: primæ v.7. ſecundæ v.8. & 9. tertiæ v.10.& 11. quartæ v.12. Verſu autem 13. id eſt, ultimo, continetur tranſitio ad tubas ſequentes. Ita ſunt duæ principales capitis partes: præparatio ad percipiendum prophetiam tubarum, & ipſa quatuor tubarum prophetia.

Cæterùm ſumma prophetiæ eſt vindicta divina in perſecutores confeſſorum Evangelii.

I. Præparatio Johannis quatuor membra continet: primò ſilentium in cælo, v.1. deinde conſpectum ſeptem angelorum cum tubis, v.2. tum alterius angeli actiones duas, videlicet oblationem ſuffituum, & dejectionem ignis in terram, v.3.4.& 5. Poſtremò expeditionem angelorum ad clangendum, v.6. Hæc autem omnia (ſicut & quæ ſequuntur de clangore tubarum) facta ſunt poſt apertionem ſigilli ſeptimi, in principio capitis. Porrò ſilentium illud declaratur ex adjuncta duratione, v.1. Septem verò illi angeli deſcribuntur partim ex facto, nempe miniſterio ſuo apud Deum: partim ex adjuncto, videlicet datione tubarum, v.2. Alterius verò illius angeli (per quem repræſentatus fuit Chriſtus) actio prima, videlicet oblatio, declaratur primùm è ſubjecto loco, ubi ſtetit oblaturus: deinde ex inſtrumento ſeu vaſe, in quo obtulit: tum ex materia, quam obtulit: quæ indicatur duplex, corporalis & ſpiritualis: præterea è ſubjecto altari, ſuper quod obtulit. Atque hæc omnia v.3. Poſtremò ex effectu, v.4. Altera hujus angeli actio, verſ.5. dejectio ignis in terram, declaratur primùm ex inſtrumento ſeu vaſe, quo ignem illum excepit: deinde ex ſubjecto loco, unde ignem illum accepit: poſtremò ex effectu. Atque hæc omnia v.5. Expeditio angelorum ad clangendum ſimpliciter indicatur v.6.

Atque hæc de præparatione Johannis: quæ ad argumentum tubarum ita facit, quòd per eam Johanni inſinuatæ ſunt cauſæ procreantes illius vindictæ in perſecutores fidelium, quæ poſtea in clangore tubarum enarrabitur: nempe primùm miniſtri ſecundarii, videlicet ſancti angeli, v.2. & 6. Deinde miniſter primarius, videlicet Chriſtus, v.3.4. & 5. Tum efficiens principalis, videlicet Deus, v.4. Poſtremò cauſa impulſiva, quæ Deum impulit ad vindictam illam exercendam, videlicet preces piorum, ac inprimis interceſſio Chriſti, v.3.& 4.

II. Primæ tubæ prophetia continet primam partem vindictæ illius, videlicet exitiales hæreſes degentium in terra continente, v.7.

Secundæ tubæ prophetia continet ſecundam vindictæ partem, videlicet exitiales hæreſes degentium in mari ſive in inſulis, v.8.& 9.

Tertiæ tubæ prophetia continet tertiam partem vindictæ, videlicet exitiales hæreſes degentium ad flumina, v.10 & 11.

Quartæ tubæ prophetia continet quartam vindictæ partem, videlicet magnam ignorantiam rerum divinarum ad ſalutem pertinentium, in hominibus paſſim per orbem terrarum: quæ accidit in Papatu, v.12.

Tranſitio ad reliquas tubas conſtat præparatione Johannis ad percipiendum prophetiam illarum. Illa autem præparatio fit per vocem angeli volantis ac præmonentis de vindictæ per illas tubas annuntiandæ gravitate, v.ult.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

1 Factum eſt ſilentium] *Hoc ſilentio videtur ſignificari, poſt præcedentem prophetiam, quæ generalis fuit, novam attentionem animo concipiendam eſſe, mentemque præparandam ad diligentem conſiderationem prophetiæ ſecuturæ, quæ erit ſpecialis & temporibus ſuis diſtincta.*

2 Septem illos angelos &c.] *Per ſeptenarium, tanquam numerum perfectum, videntur ſignificari omnes. Id quod confirmari videtur ex verbis ſequentibus, nempe,* Qui adſtant coram Deo. *hoc enim alibi in ſcriptura angelis, tanquam commune officium tribuitur.* Datæ] *Hauddubiè ab eo qui ſedebat in throno, (ſuprà c.4.v.2.) id eſt, à Deo.* Septem tubæ] *Singulis ſingulæ.*

3 Alius angelus] *Nempe Chriſtus. nam quod mox de illo narratur,*

vatur, Christi mediatoris proprium munus est. Nec verò novum est, Christum nominari angelum: nec absurdum, eum in unâ eâdemq́ visione sub variis imaginibus introduci, pro diversitate actionum perpessionumq́ ipsius. ut in hac visione introducitur tanquam agnus, quia pro electis jugulatus est: & tanquam angelus offerens electorum preces, quia eorum summus sacerdos est. Constitit] ἐστάθη. **Hat sich gestellet.** Apud altare] ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον: *Vel, ad altare.* **An den altar.** *Ad verb. Super altare. Hebraismus. Articulus autem notat aliquid certi, nempe altare suffitus, ut declaratur verbis sequentibus: Nisi potiùs hîc retinenda est significatio propria præpositionis* ἐπὶ; *& intelligendum altare holocausti: quippe quod in scriptura* κατ᾽ ἐξοχὴν *ita absolutè, sed tamen cum articulo nominari solet;* הַמִּזְבֵּחַ *hammisbéahh,* τὸ θυσιαστήριον, **der altar.** *Cujus rei mox exemplum occurret v.5. Quæ expositio si recipitur, tum per illam stationem super altare significatum fuerit, Christum sacerdotem simul & victimam esse, qui scilicet seipsum obtulerit super altare crucis. Sed prior expositio genuina videtur: quia dicitur stetisse cum thuribulo, tanquam scil. suffitum oblaturus. Similem acceptionem præpositionis* ἐπὶ *vide infrà cap.15.v.2.* Thuribulum] λιβανωτόν. *Sive acerram;* **Ein rauchpfann.** Data] *Utique ab eo qui sedebat super thronum.* Suffimenta] *Confer suprà cap.5.v.8.* Poneret] δώσῃ. *Daret. Hebraismus.* Cum precibus] ταῖς προσευχαῖς. *Id est;* ἅμα ταῖς προσευχαῖς. *Ellipsis. Sic vers. seq.* Sanctorum] *Fidelium confessorum Evangelii, sanctificatorum sanguine & spiritu Christi.* Quod erat ante thronum] τὸ ἐνώπιον τοῦ θρόνου. *Scil.* ὄν. Erat] *Scilicet in illa visione.* Ante thronum] ἐνώπιον τοῦ θρόνου. **Für dem thron / oder stul.** *Græcum expressius propter articulum, qui est ἀναφορικὸς: refertur enim ad narrationem capitis quarti, ubi thronus hic descriptus est, v.2. & deinceps.*

4 Angeli illius] τοῦ ἀγγέλου. **Des Engels.** *Articulus ἀναφορικὸς. Sic v.seq.*

5 Thuribulum] τὸν λιβανωτόν. **Die rauchpfann.** *Articulus iterum ἀναφορικὸς.* Ex igne] ἐκ τοῦ πυρὸς. *Id est, parte ex illo desumtâ.* Altaris] τοῦ θυσιαστηρίου. *Nempe holocausti. nam in illo ignis perpetuus alebatur, in altero nullus.* Sonitus & tonitrua] φωναὶ καὶ βρονταί. *Ad verbum, Voces & tonitrua. ubi prius per posterius declaratur. nam voces hîc valent sonitus, ex usu Hebræorum. Vide Psal 29.v.3. & deinceps.*

6 Septem illi] *Quorum scilicet facta mentio v.2.* Tenentes septem illas tubas] *Nempe quarum facta mentio loco modò citato. Participium* ἔχοντες, *regitur à verbo* ἡτοίμασαν: *estq́ nominativus post verbum; significans modum agendi.* Clangerent] σαλπίσωσι. *Tubis canerent.*

7 Grando & ignis, mista sanguine] *Tria symbola dogmatis hæretici, quo seges doctrinæ orthodoxæ in cordibus auditorum nata, prosternitur, exuritur & fœdatur.* Mista] *Scilicet ambo illa, grando & ignis.* μεμιγμένα. *Syllepsis.* Tertia pars] τὸ τρίτον. *Scilicet* μέρος. *Sic deinceps.* Arborum] *Id est, totius numeri seu multitudinis arborum. Sic v.9.10.11.12. Cæterùm per arbores videntur notari homines illustres ac potentes: per gramen verò humiles ac plebeji.*

8 Mons magnus ille ardens] *Symbolum insignis alicujus hæretici.* Sanguis] *Symbolum hæretici dogmatis: ut declaratur vers. sequente: quòd scil. homines, qui hæreticum dogma penitus imbiberunt, id est, didicerunt & approbarunt, inde moriantur, morte scil. æternâ: sicut animantia quæ in mari degunt, morerentur hausto mari sanguineo. Id quod olim accidit piscibus in rivis Ægypti, Exod.7.v.24.*

10 Stella magna] *Symbolum insignis alicujus doctoris. Vide suprà cap.1.vers.ult.* Fax] λαμπάς. *Symbolum (ut videtur) dogmatis perniciosi, veruntamen speciosi.*

11 Stellæ illius] *Scilicet cujus facta mentio v.præcedente.* Absinthium] *Ab effectu, ut sequentia declarant.* Aquarum] *Scilicet dulcium, nempe fluviatilium & fontanarum: ex collatione versus præcedentis.* Versa est] γίνεται. *Pro,* γέγονε. *Enallage temporis, in hoc libro usitata. Estq́ phrasis Hebræa.* In absinthium] *Id est, amara est reddita, ut amarum est absinthium. Est autem hoc symbolum dogmatis pestiferi, ut sequentia declarant.* Multi homines] πολλοὶ ἀνθρώπων. *Ad verb. Multi hominum. id est, ex hominibus. Genitivus partitivè positus, more Græcorum.* Mortui sunt] *Scilicet morte æternâ.*

12 Stellarum] *An singularum? an verò totius numeri seu multitudinis stellarum? Non liquet.* Ita ut obscuraretur] ἵνα σκοτισθῇ. *Pro,* ὥστε σκοτισθῆναι. *Neque enim de fine sermo est, sed de effectu. Sic Johan.5.v.20. 2.Cor.1.v.17. 2.Cor.7.v.9. Infrà cap.9.v.20.* Obscuraretur] σκοτισθῇ. *Obtenebraretur, tenebris obtegeretur.* Eorum] αὐτῶν. *Scil. solis, lunæ & stellarum.* Et dies non luceret tertiâ sui parte, noxque similiter] καὶ ἡ ἡμέρα μὴ φαίνῃ τὸ τρίτον αὐτῆς, καὶ ἡ νὺξ ὁμοίως. *Ante τὸ τρίτον, subauditur præpositio* κατὰ: *pòst verò, nomen* μέρος. *Quòd autem hîc dicitur de luce noctis, referendum est ad lucem lunæ & stellarum. Per hanc autem lucis privationem notatur ignorantia rerum divinarum, pertinentium ad cultum Dei, & salutem hominum.*

13 Væ, væ, væ] *Quasi dicat, Heu quanta mala evenient incolis terræ! Ter autem ingeminatur adverbium dolentis, ad significandum tria plagarum genera: ut percipitur ex v.12.cap.seq. & v.14.cap.11. Metonymia effecti. nam plagæ exprimunt hominibus pronuntiationem istius voculæ.* Incolis terræ] τοῖς κατοικοῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς. *Ad verb. habitantibus super terram.* Sonis] φωνῶν. *Vocibus. Synecdoche speciei Hebraica.*

OBSERVAT. EX CAP. VIII.

1 Ex vers.3. & 4. Preces fidelium à Deo exaudiuntur propter Christum, in quem credunt. *Preces.*

2 Ex v.5. Christus impios suo tempore velut igne consumet. *Impii.*

3 Ex v.8.9.10.11. Dogmata hæretica pestifera atque exitialia sunt. Quare summo studio fugienda. *Dogmata hæretica.*

4 Ex vers.12. notetur testimonium de ignorantia rerum divinarum, quæ regnavit in Papatu: Cujus observationis usus est, ut Deo gratias agamus pro restituta Evangelii luce. *Ignorantia rerum divinarum.*

CAPUT IX.

TUM quintus angelus clanxit; & vidi stellam è cælo
cecidisse in terram; & data est ei clavis putei abyssi.
2 Aperuit igitur puteum abyssi: & ascendit fumus
ex puteo, ut fumus fornacis magnæ: & obscuratus est
sol & aër à fumo putei.
3 Ex fumo autem illo exierunt locustæ in terram:
dataque est illis potestas, qualem habent potestatem
terrestres scorpii.
4 Sed dictum est eis, ne læderent gramen terræ, neque
viride quicquam, neque ullam arborem: sed eos
tantùm homines qui non haberent sigillum illud Dei
in frontibus suis.
5 Data autem est eis *potestas*, non ut occidant eos,
sed ut crucientur *illi* menses quinque. *Erat* autem cruciatus
eorum, ut cruciatus scorpii, quum percusserit
hominem.
6 Itaque per illos dies homines quærent mortem,
sed non invenient eam: & desiderabunt mori, sed fugiet
mors ab eis.
7 Figuræ autem locustarum illarum similes *erant*
equis paratis ad prælium: *erantq́* super capita earum
tanquam coronæ similes auro, & facies earum *erat* ut
facies hominum.
8 Et habebant capillos, ut capillos mulierum: dentes
verò earum, ut leonum erant.
9 Habebant etiam thoraces, ut thoraces ferreos: &
sonitus alarum earum *erat* ut sonitus curruum, equis
multis currentibus ad prælium.
10 Sed & habebant caudas similes scorpiis, erantque
aculei in caudis earum: & earum potestas *erat* lædere homines
per menses quinque.
11 Habebant autem sibi impositum regem, angelum
illum abyssi, cui nomen *est* Hebraicè Abaddon: in
Græcâ autem *linguâ* nomen habet Apollyon.
12 Væ primum abiit, & ecce veniunt adhuc duo
væ posteà.
13 Tum sextus angelus clanxit; & audivi vocem
quandam prodeuntem ex quatuor cornibus altaris aurei,
quod *erat* coram Deo:
14 Dicentem sexto angelo, qui tenebat tubam, Solve
quatuor illos angelos, qui vincti sunt ad magnum illum
fluvium Euphratem.
15 Soluti sunt igitur quatuor illi angeli, qui parati
erant ad horam, & diem, & mensem, & annum; ut occiderent
tertiam *partem* hominum.
16 *Erat*que numerus exercituum equitatus bis millies
centena millia: nam audivi numerum eorum.
17 Sic autem *constitutos* vidi equos illos in visione:
nempe sessores ipsorum habere thoraces igneos & hyacinthinos
& sulphureos. Erant autem capita equorum,
ut capita leonum: & ex ore ipsorum prodibat ignis, &
fumus, & sulphur.
18 Ab his tribus occisi sunt tertia *pars* hominum,
per ignem, & fumum, & sulphur, quod prodibat ex ore
ipsorum.
19 Potestates enim eorum in ore eorum sunt, & in
caudis eorum. nam caudæ eorum similes *sunt* serpentibus,
habentes capita, per quæ lædunt.
20 Porrò reliqui homines, qui non sunt occisi his

plagis, non resipuerunt ab operibus manuum suarum, ut ne adorarent dæmonia, & simulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea; quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare.

21 Non etiam resipuerunt ab homicidiis suis, neque à veneficiis suis, neque à scortatione sua, neque à furtis suis.

ANALYSIS CAP. IX.

Hic continuatur prophetia tubarum, quæ est de vindicta divina in persecutores confessorum Evangelii. Sunt autem duæ capitis partes, secundùm duas tubas.

I. Quintæ igitur tubæ prophetia continet quintam vindictæ illius partem, videlicet cruciatum conscientiarum, versibus duodecim. Ac primùm indicatur cruciatus illius author propinquus, videlicet episcopus Romanus, qui significatur nomine stellæ, vers. 1. Deinde author remotus, videlicet Diabolus, qui significatur mentione abyssi, v. eod. Tertiò causa instrumentalis, nimirum falsa doctrina: puta decreta Paparum, quæ doctrina significatur symbolo fumi, v. 2. Quartò indicantur ministri, videlicet clerus Romanus: ut monachi, sacrificuli, doctores juris Canonici, Theologi scholastici: qui ministri Papæ significantur symbolo locustarum, vers. 3. Quintò indicatur forma seu modus nocendi illâ doctrinâ, nempe per compunctionem conscientiarum, conjunctam cum periculo desperationis, ibid. Sextò potestas illa nocendi limitatur tripliciter: primùm ratione subjecti occupantis sive objecti, ut scilicet lædant solos reprobos, vers. 4. Deinde ratione effecti, vers. 5. Postremò ratione durationis, ibid. Septimò cruciatus ille amplificatur ex effectu, vers. 6. Octavò instituitur descriptio ministrorum illorum Papæ, partim ex adjunctis, partim ex effectis, vers. 7. & deinceps. Adjuncta indicantur octo: (1) Alacritas, quæ significatur per equos paratos ad prælium, v. 7. (2) Vertex rasus, qui significatur per coronam, ibid. (3) Species seu larva sanctitatis, quæ significatur per coronas similes auro, ibid. (4) Simulata humanitas, quæ significatur per facies hominum, ibid. (5) Coma, sive capilli penduli: qui significantur per capillos mulierum, v. 8. (6) Crudelitas, quæ significatur per dentes leonum, ibid. (7) Vestes nigræ, quæ indicantur per thoraces ferreos, v. 9. Atque hæc sunt adjuncta, partim inhærentia, partim adhærentia. (8) Circumstans verò vel occupatum adjunctum est rex illorum, videlicet episcopus Rom. seu Papa, qui significatum per angelum abyssi, v. 11. dupliciquе nomine, uno Hebraico, altero Græco, insignitur; quæ ambo eandem significationem habent, & ab effectu sumta sunt, qui est pernicies sive exitium hominum. Effecta autem illorum Papæ ministrorum indicantur duo. (1) terribilis tumultuatio, quæ significatur per sonitum alarum, & cursum equorum bellicorum, v. 9: & (2) doctrina exitialis, conscientias pungens: quæ doctrina significatur per caudas aculeatas, v. 10. Versu autem 12. continetur transitio ad tubam sextam.

II. Sextæ igitur tubæ prophetia continet sextam vindictæ illius partem, quæ est cædes multorum Papistarum. Hujus vindictæ indicantur primùm causæ, à v. 13. usque ad 20. deinde eventus, duobus versibus ultimis. Causæ indicantur tum efficientes agentes, à v. 13. usque ad membrum extremum versus decimiseptimi: tum instrumentales, v. 17. 18. & 19. Causæ efficientes agentes indicantur tum bonæ, tum malæ. Bonæ duæ; una principalis, nempe Christus mandans angelo, v. 13. & 14. altera ministra, videlicet ille ipse angelus, v. 14. Malæ causæ sunt & ipsæ ministræ, eæque duplices: videlicet spiritus mali, v. 14. & 15. & mali homines, v. 16. & deinceps. Spiritus mali significantur per quatuor angelos vinctos ad Euphratem, vers. 14. Et describuntur ab adjuncta cupiditate lædendi homines: quæ cupiditas significatur ex causâ corrumpente, per quam inhibetur, videlicet decreto Dei, per quod ad tempus quasi vincti tenebantur; quod ipsum significatur symbolo ligationis illorum angelorum ad Euphratem, v. eodem. Postea narratur executio mandati Christi, sive actio ministri illius boni: simulque apertè indicatur malorum illorum spirituum perversa cupiditas: tum etiam additur limitatio potestatis, quæ illis fuit concessa, quaque cupiditas illorum fuit gubernata, v. 15. Jam ad alterum ministrorum malorum genus quod attinet, videlicet malos homines: illi videntur esse Mahometistæ; puta Sarraceni, Turcæ & Tartari, qui describuntur ex variis adjunctis. Adjuncta commemorantur quinque: quorum primum est alacritas ad pugnandum & nocendum, quæ significatur per equos bellicos, v. 16. & 17. Secundum multitudo, quæ significatur nomine exercituum, v. 16. certoque numero exprimitur, ibid. Tertium adjunctum sunt thoraces diversis coloribus numero tribus distincti, vers. 17. Per quos videntur significari tres illæ paulo antè dictæ gentes orientales. Quartum adjunctum est crudelitas: quæ significatur per capita leonum, ibid. Quintum adjunctum sunt caudæ equorum serpentinæ & capitatæ, v. 19. Per quas quid hic significetur, me latet. Hactenus vindictæ atque cædis illius causæ efficientes agentes. Instrumentales causæ indicantur duplices, externæ & internæ. Externæ indicantur tres: ignis, fumus, & sulphur, v. 17. & 18. Internæ, id est, ipsis efficientibus agnatæ, indicantur duæ: os & caudæ equorum, v. 19. Porrò eventus illius vindictæ fuit neglectus resipiscentiæ in hominibus reliquis, nempe Papistis reprobis, v. 20. & 21. Resipiscentia autem illa declaratur ex objecto duplici, id est, duobus peccatorum generibus, à quibus isti resipiscere debebant: quorum unum pugnat cum tabula Decalogi prima, sive recto Dei cultu, videlicet adoratio dæmoniorum & simulacrorum, v. 20. alterum cum tabula secunda, sive dilectione proximi, cujus quatuor species commemorantur v. ultimo. Cæterùm simulacrorum adoratio amplificatur ex illorum causâ efficiente, materiâ, & adjunctâ impotentiâ naturali: quæ omnia rationem habent causæ corrumpentis, respectu adorationis, quatenus illorum considratione idololatræ ab adoratione idolorum deterreri debebant.

SCHOLIA IN CAP. IX.

1 Stellam] *Symbolum doctoris sive episcopi. Vide suprà cap. 1. v. ult.* E cælo cecidisse in terram] *Symbolum abjectionis curæ rerum cælestium, & susceptionis curæ rerum terrenarum.* Data est] *Scil. à Deo.* Ei] *Scil. stellæ.* Clavis putei abyssi] *Potestas aperiendi abyssum, id est, infernum.* Putei abyssi] *Id est, putei illius qui vocatur abyssus. Sic v. seq. Genitivus speciei: ut dormitio somni, Job. 11. v. 13. item signum circumcisionis, Rom. 4. v. 11.*

2 Fumus] *Symbolum falsæ doctrinæ.* Obscuratus est] *ἐσκοτίσθη. Obtenebratus, tenebris obductus.* Sol & aër] *Id est, solis splendor in aëre. ἐν διάδύε. Hoc est, cælestis doctrina in ecclesia.*

3 Locustæ] *Falsi doctores.* Terrestres scorpii] *οἱ σκορπίοι τῆς γῆς. Ad verbum, Scorpii terræ. Hebraismus. Id est, qui degunt in terra. Genitivus subjecti.*

4 Sed dictum est] *καὶ ἐῤῥέθη. Copulativa pro adversativa.* Gramen] *Plebejos: ut suprà cap. 8. v. 7.* Viride] *Herbas. Homines mediocris sive humilis conditionis.* Ullam] *πᾶν. Ad verbum, Omnem. Hebraismus.* Arborem] *Hominem illustrem, ut suprà cap. 8. v. 7.* Sed tantùm] *εἰ μὴ. Ad verbum, Nisi. Quod potest retineri, si sensum spectes. Sensus est, ut non læderent ullum hominem, sive parvum sive magnum: nisi eos tantùm qui &c. De hoc loquendi genere vide scholia epistolam ad Gal. cap. 2. v. 16.* Sigillum illud Dei] *Scilicet de quo dictum suprà cap. 7. v. 3. Et simile exemplum vide infrà cap. 21. v. 27.* In frontibus] *ἐπὶ τῶν μετώπων. Super frontes.* **Auf den stirnen.**

5 Datum est] *Permissum est à Deo.* Eis] *αὐταῖς. Locustis illis.* Non ut occidant] *ἵνα μὴ ἀποκτείνωσιν. Ut non occidant. Scilicet morte corporis: ut percipitur ex collatione v. seq.* Crucientur] *βασανισθῶσι. Nempe in conscientiis.* Menses quinque] *μῆνας πέντε.* **Fünf monat lang.** *Id est, (ut exponit Fr. Junius) annos centum quinquaginta: quot nimirum dies continentur mensibus quinque, si singulis more veterum Ægyptiorum, tribuantur dies triginta. Dies autem in hac prophetia significat annum, sicut in prophetia Danielis. Vide suprà cap. 2. v. 10. Cæterùm annos istos 150. idem Junius incipit à pontificatu Gregorii VII. & terminat in pontificatu Gregorii IX. De qua temporis circumscriptione adhuc ἐπέχω.*

6 Itaque] *καὶ. Copulativa pro illativa.* Sed] *καὶ. Copulativa pro adversativa. Sic mox iterum.*

7 Figuræ] *τὰ ὁμοιώματα. Ad verb. Similitudines, id est, species,* **die gestalten.** Locustarum illarum] *Quarum ante facta mentio.* Equis paratis] *Symbolum contentiositatis scholasticorum.* Ad prælium] *εἰς πόλεμον. Ad verb. Ad bellum. Synecdoche integri Hebraica.* Tanquam coronæ] *Nimirum vertex rasus.* **Blatten.** Similes auro] *Id est, coronis aureis. Metonymia materiæ. Symbolum hypocrisis. nam clerici rasuram illam suam præ se ferunt, ut symbolum sanctitatis, quasi sint sacerdotes Deo consecrati.* Ut facies hominum] *Symbolum blanditiarum.*

8 Ut capillos mulierum] *Id est, promissos. Vel notatur mollities & mulierositas.* Dentes ut leonum] *Symbolum crudelitatis.*

9 Thoraces] *Symbolum vestium sive togarum: Confer infrà v. 17.* Ferreos] *Ferrei coloris, id est, nigros. Quo sensu infrà v. 17. dicuntur thoraces ignei, hyacinthini & sulphurei.* Sonitus] *ἡ φωνή. Vox. Synecdoche speciei Hebraica.* Earum] *Scilicet locustarum.* Equis multis currentibus] *ἵππων πολλῶν τρεχόντων. Vel,* Equorúmve currentium. *Ita ut desit conjunctio disjunctiva ἢ, & novum adhibeatur simile.* Ad prælium] *εἰς πόλεμον. Ad verb. Ad bellum: ut v. 7.*

10 Habebant] *ἔχουσι. Præsens pro imperfecto. Sic vers. sequente.* Similes scorpiis] *Id est, Caudis scorpiorum. Synecdoche integri.* Erantque aculei] *Epexegesis. Per caudas videntur notari blanditiæ. nam caudis animalia quædam blandiuntur: ut canes, feles.* Lædere homines] *Nempe punctione falsæ suæ doctrinæ.* Per menses quinque] *Ut suprà v. 5.*

11 Sibi impositum] *ἐφ᾽ ἑαυτῶν. Super se.* Angelum illum abyssi] *Scil. cujus facta mentio v. 1. Ibi autem nominatus fuit hic angelus stella. Sed per utrumque nomen rem eandem hîc significari, cognosci potest ex vers. ult. c. 1. Intelligitur ergo hîc episcopus ille cui data fuit clavis putei abyssi, suprà v. 1.* Abaddon] *Id est, perditio. Nominatur autem sic in scriptura (per metonymiam causæ finalis) ipse locus qui perditioni impiorum destinatus est, nempe infernus, sive gehenna, seu denique abyssus: ut percipitur ex Prov. 15. v. 11. & cap. 27. v. 20. Hîc autem Papa sic nominatur ab effectu: quia deducit homines in perditionem & perditionis locum.* In

Græca

Græcâ autem lingua] καὶ ἐν τῇ ἑλληνικῇ. Scil. γλώττῃ, vel διαλέκτῳ. Apollyon] Id est, Perdens.

12 Væ primum] ἡ οὐαὶ ἡ μία. Das erste wee. Scilicet ex tribus antea pronuntiatis vers. ult. cap. præcedentis. nam ἡ μία hic valet ἡ πρώτη, per synecdochen generis Hebraicam. Sic suprà cap. 6. v. 1.

13 Vocem] Nempe vocem Christi: quippe quæ prodiit ex altari, quod symbolum fuit Christi. Quandam] μίαν. Unam. Hebraismus. Ex quatuor cornibus] Videtur hoc ita exponendum, Ex superficie quatuor cornibus (in quatuor scil. angulis) terminata: ut sit metonymia adjuncti. Altaris aurei] τοῦ θυσιαστηρίου τοῦ χρυσοῦ. Ad verb. Altaris auri. Hebraismus. Genitivus materiæ. Quod erat coram Deo] τοῦ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Scil. ὄντος. Erat] Nempe in hac visione.

14 Tenebat] Scil. Paratus ad clangendum, quum primùm jussus esset: quia ordo jam ad illum pervenerat. Sic suprà cap. 8. v. 6. Quatuor] Per hoc notantur omnes mali spiritus in quatuor plagis orbis terrarum. Ad magnum illum fluvium Euphratem] Ubi degunt populi orientales.

15 Soluti sunt igitur] καὶ ἐλύθησαν. Copulativa pro illativa. Soluti autem sunt, nempe ab angelo illo cui id erat imperatum. Parati] Nempe ad occidendum homines: ut percipitur ex fine versus. Notatur mala cupiditas. Fuerunt igitur angeli isti mali: quales illi suprà cap. 7. v. 1. Ut occiderent] ἵνα ἀποκτείνωσι. Pendent hæc verba à verbo ἐλύθησαν, soluti sunt. Tertiam partem] τὸ τρίτον. Scilicet μέρος.

16 Exercituum] Nempe collectorum è populis orientalibus, puta Mahometistis. Quibus exercitibus utebantur isti quatuor angeli ad occidendum homines. Exercituum equitatus] στρατευμάτων τοῦ ἱππικοῦ. Id est, ex quibus constabat equitatus. Genitivus totius. Bis millies centena millia] δύο μυριάδες μυριάδων. Ad verb. Duæ myriades myriadum. Vetus interpres, Vicies millies dena millia. Nomina diversa, res eadem: tantundem enim sunt, Vicies dena, & bis centena. Posterior loquendi ratio vicinior atque affinior est locutioni Græcæ. nam μυριάς sunt decies mille. Ergo δύο μυριάδες sunt vicies mille. Verùm ille loquendi modus insolens est. Videtur autem per speciem grandis istius numeri significari numerus grandis indefinitè. Nam] καὶ. Copulativa pro causali.

17 Sic autem constitutos vidi &c.] καὶ οὕτως εἶδον. Adverbium οὕτως hic ponitur per ellipsin participii καθεστηκότας, vel ἔχοντας. Vel certè ponitur loco pronominis τοιούτους, id est, tales. Sicut suprà v. 3. adverbium ὡς ponitur loco pronominis οἵαν, qualem. Item ponitur copulativa pro transitiva. Equos illos] τοὺς ἵππους. quorum facta mentio vers. præced. In visione] ἐν τῇ ὁράσει. In cujusmodi illa mea & visione cælesti. Nempe] καὶ. Copulativa pro declarativa. Sessores ipsorum] τοὺς καθημένους ἐπ' αὐτῶν. Eos qui sedebant super ipsos, vel, qui insidebant ipsis. Habere] ἔχοντας. Participium pro infinitivo, per Græcismum. Thoraces igneos, & hyacinthinos, & sulphureos] Per triplicem istum colorem thoracum videntur significari triplices diversorum populorum exercitus, puta Saraceni, Turcæ, & Tartari. Igneos] Id est, coloris ignei. Sic deinceps. Hyacinthinos] Id est, cærulei coloris: ut percipitur ex fine versus, ubi loco nominis ὑάκινθος ponitur καπνός, id est, fumus. Ex ore] ἐκ τῶν στομάτων. Ad verb. Ex oribus, auß den meulern. Sic vers. sequent. Prodibat] ἐκπορεύεται. Præsens pro imperfecto, ut suprà vers. 19. & 11. Ignis & fumus & sulphur] His verbis notari instrumenta cædis, percipitur ex versu sequente: ubi dicitur, tertiam partem hominum per ista occisam esse. Sed quænam hic subsit ratio symbolica, me latet.

18 Ab his tribus] Nempe ordinibus sive exercitibus equorum. Occisi sunt tertia pars hominum] ἀπεκτάνθησαν τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων. Synesis: quæ vulgò synthesis. qualis in illo, Turba ruunt. Per ignem] ἐκ τοῦ πυρὸς &c. Sic versu: non autem, Nempe ab igne. Non enim est appositio: quia dicendum fuisset, ὑπὸ τοῦ πυρὸς: sicut præcedit, ὑπὸ τῶν τριῶν &c. Sed indicatis causis agentibus, nunc indicantur instrumentales. Itaque ἐκ hic valet διά. Quod prodibat] τοῦ ἐκπορευομένου. Quod scilicet sulphur. Sed hoc ipsum referendum ad duo quoque præcedentia nomina, per ὑπόζευγμα: ut patet ex versu præcedente.

19 Potestates enim eorum in ore eorum sunt] αἱ γὰρ ἐξουσίαι αὐτῶν ἐν τῷ στόματι αὐτῶν εἰσιν. Numero plurali utitur, quia loquitur de duabus potestatibus: quarum una fuit in ore, altera in caudis. Et illam quidem declaravit vers. præcedente: hanc verò declarat hoc versu. Quid autem ista sibi velint, quámve symbolicam rationem habeant, fateor me ignorare: interim non ignorans, quid alii hic commententur. Per quæ] καὶ ἐν αὐταῖς. Scil. ταῖς κεφαλαῖς. Et ἐν pro διά, per Hebraismum. Lædunt] ἀδικοῦσι. Ad verb. Injuriâ afficiunt. Sic passim in hoc libro.

20 Reliqui homines] οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων. Ad verb. Reliqui hominum. Genitivus partitivè positus per Græcismum. His plagis] ἐν ταῖς πληγαῖς ταύταις. Præpositio ἐν additur per Hebraismum. Intelligit autem igneum fumum & sulphur: de quibus v. 17. & 18. Non resipuerunt] οὔτε μετενόησαν. Pro, οὐ μετενόησαν. Aut certè infrà pro καὶ οὐ, dicendum fuit οὔτε. Incipit enim hic consequens pronuntiati, quod consequens constat duobus membris principalibus: quorum prius habetur hoc versu; posterius sequente. Sensus est: Nec resipuerunt ab idololatria, nec ab aliis sceleribus. Ab operibus manuum suarum] Id est, ab idolis. Vide Psalm. 115. v. 4. Synecdoche generis. Et, ab idolis; id est, ab adoratione idolorum: ut mox per ἐξήγησιν declaratur. Metonymia subjecti. Dæmonia] Scilicet per idola, ut percipitur è sequentibus. Nam ut quæ idolis immolantur, dæmoniis immolantur, 1. Cor. 10. v. 20: sic qui idola adorant, dæmonia adorant. Quæ neque videre possunt &c.] Descriptio sumpta ex Psal. 115. v. 5. 6. 7.

OBSERVAT. EX CAP. IX.

1 Ex undecim primis versibus notetur descriptio Papatus. Cujus descriptionis usus est, ut nobis à dogmatibus Papisticis, tanquam pestiferis atque exitialibus, caveamus. *Papatus.*

2 Ex v. 15. & seqq. Notetur causa cædium, quæ superioribus temporibus à Mahometistis in Papistas perpetratæ sunt. Ea est tum idololatria, v. 20. tum alia scelera, v. 21. *Cædes Papistarum.*

CAPUT X.

1 TUM vidi alium angelum robustum descendere è cælo, amictum nube; supra cujus caput *erat* iris: facies autem ejus *erat* ut sol, & pedes ejus ut columnæ igneæ.

2 Habebatque in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum verò super terram.

3 Clamavitque voce magnâ, sicut leo rugit: & quum clamasset, loquuta sunt septem tonitrua voces suas.

4 Et quum loquuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: sed audivi vocem è cælo dicentem mihi, Obsigna quæ loquuta sunt septem tonitrua, & ne ea scribas.

5 Et angelus quem vidi stantem super mare & super terram, sustulit manum suam ad cælum;

6 Et juravit per eum qui vivit in sæcula sæculorum, qui creavit cælum, & ea quæ *sunt* in eo, & terram & ea quæ in ea *sunt*, & mare & ea quæ in eo *sunt*, tempus non fore ampliùs:

7 Sed in diebus sonitus septimi angeli, quum cœperit clangere, consummatum iri mysterium Dei, sicut annuntiavit servis suis prophetis.

8 Et vox quam audieram è cælo, rursum loquuta est mecum; & dixit, Abi, accipe libellum illum apertum, qui *est* in manu angeli illius, qui stat super mare & super terram.

9 Abii igitur ad angelum illum, dicens ei, Da mihi libellum istum. Et dixit mihi, Accipe & devora eum; & amarum reddet ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulcis tanquam mel.

10 Accepi igitur libellum è manu angeli, & devoravi eum: eratque in ore meo dulcis tanquam mel; sed quum devorassem eum, amarus redditus est venter meus.

11 Tum dixit mihi, Oportet te iterum prophetare contra populos, gentes, linguas, & reges multos.

ANALYSIS CAP. X.

HOc capite continetur præparatio Johannis ad prophetiam tubæ septimæ. Ea constat tribus partibus. (1) Vocibus septem tonitruum, quatuor primis versibus: (2) Sermone Christi denuntiantis vindictam ultimam, v. 5. 6. 7. (3) Et mandato Dei patris de libello accipiendo è manu Christi, v. 8. nec-non mandato Christi de eodem libello devorando, & iterum prophetando, v. 9. & deinceps. Ita sunt tres hujus capitis partes.

I. Voces septem tonitruum declarantur ex causa impellente & eventu. Causa impellens fuit clamor Christi: qui amplificatur ab adjuncta magnitudine: quæ ipsa declaratur simili, v. 3. Ipse autem Christus significatur symbolo angeli robusti è cælo descendentis: qui describitur ex adjunctis & factis. Adjuncta sunt quatuor: (1) nubes qua fuit amictus: (2) iris supra caput: (3) faciei & pedum splendor, v. 1. Quibus omnibus majestas Christi judicis denotatur. Istis autem additur adhuc unum adjunctum, videlicet (4) libellus apertus in manu, vers. 2. Quod fuit symbolum prophetiæ in clangore tubæ septimæ patefaciendæ. Facta sunt duo: primum positio pedis unius super mare, & alterius super terram: quo facto fuit significatum, prophetiam sequentem pertinere ad eos qui degunt tum in insulis, tum in terra continente, v. eod. Alterum factum fuit iste clamor, de quo dictum est: qui fuit symbolum horribilium plagarum, quæ per sequentem prophetiam denuntiabuntur, v. 3. Atque hac de causa. Eventus fuit propositum scribendi in Johanne, v. 4. Quod ipsum declaratur è suo eventu, videlicet prohibitione divina, ibidem. Quæ prohibitio,

& inde profecta occultatio, symbolum fuit occultationis horribilium cruciatuum, quos damnati post plagas in septima tuba patefaciendas, sentient in gehenna.

II. Atque hæc de prima præparationis parte. Jam ad secundam quod attinet, sermo Christi denuntiantis vindictam ultimam amplificatur ab adjuncto juramento, v. 5. & 6. Ipsa autem vindicta ultima significatur partim ex adjuncta circumstantia temporis, tunc scilicet futuram quum tempus esse desinet, in fine versus sexti: partim ex adjuncta beatificatione electorum, quæ hic nominatur mysterium Dei, sicut annuntiavit servis suis prophetis, vers. 7. Quod mysterium idem Johannes significat 1. Johan. 3. v. 2. ubi ait: Charissimi, nunc filii Dei sumus: sed nondum patefactum est quòd erimus &c. Atque hæc de parte præparationis secunda.

III. Ad tertiam partem quod attinet: mandatum Dei patris de libello recitatur vers. 8. Exsequutio verò mandati illius, in principio v. 9. Mandatum autem Christi de libello devorando, recitatur reliquâ illius versus parte, amplificatum denuntiatione effectorum duorum inter se contrariorum: quæ sunt dolor ventris & voluptas oris. Ex quibus hæc symbolum fuit voluptatis, quam pii percipiunt ex revelatione mysteriorum divinorum: ille verò fuit symbolum doloris, quem iidem percipiunt ex consideratione persecutionis piorum, quæ in sequente prophetia describetur. Porrò mandati posterioris exsequutio, factæque denuntiationis eventus, narrantur v. 10. Postremò annectitur alterum Christi mandatum, tanquam priorum interpretatio, vers. 11.

SCHOLIA IN CAP. X.

1 Alium angelum] *Nempe Christum. Huic enim descriptio illius angeli optimè quadrat. Et idem angelus cap. 11. v. 3. dicit,* Dabo potestatem duobus testibus meis: *id quod in solum Christum competit.* Robustum] *Symbolum potentiæ.* Descendere] καταβαίνοντα. *Participium pro infinitivo per Græcismum.* Supra cujus caput erat iris] καὶ ἶρις ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Ad verb. Et iris super caput. Subaudiuntur duæ voces, pronomen αὐτοῦ, & verbum ἦν.* Ut sol] *Scil. splendens. Sic Matth. 17. v. 2.* Columnæ igneæ] στῦλοι πυρός. *Ad verb. Columnæ ignis. Hebraismus. Genitivus materiæ. Confer suprà cap. 1. v. 15.*

2 Libellum apertum] *Symbolum patefactionis prophetiæ sequentis. Confer v. ult.* Super mare] *Quo fuit significatum, prophetiam hanc pertinere ad eos qui degunt in mari sive insulis.* Super terram] *Significatio membro præcedenti ἀνάλογος.*

3 Sicut leo rugit] *Symbolum horribilium plagarum, quæ per istam prophetiam patefient.* Septem tonitrua] αἱ ἑπτὰ βρονταί. Die siben donder. *Cujus verò rei symbolum ista? Nempe horribilium cruciatuum, quos sentient damnati in gehenna post ultimum judicium: qui cruciatus in sequente prophetia non exponuntur: quia hîc jubentur obsignari.*

4 Obsigna] σφράγισον. *Id est, occulta, occlude. nam quæ occlusa manere volumus, obsignamus. Metonymia effecti destinati* κεκλεισμένην. *Confer infrà cap. 22. v. 10.*

6 Per eum qui vivit] ἐν τῷ ζῶντι. ἐν *pro* διὰ, *per Hebraismum.* Tempus non fore ampliùs. *Id est, mundum hunc interiturum. Scil. Et tunc impios æternis pœnis, pios verò æternis præmiis affectum iri. Synecdoche membri. Confirmatur autem hæc expositio ex v. seq. Item ex v. 15. capitis undecimi.*

7 Sonitus] τῆς φωνῆς. *Id est, clangoris: ut sequentia declarant. Ad verb. Vocis. Synecdoche speciei Hebraica.* Consummatum iri] καὶ τελεσθῇ. *Pro,* τότε τελεσθήσεται. *Conjunctio copulativa more Hebræorum notat consequens pronuntiati: & quoniam præcessit* ὅταν, *hîc idem valet quod* τότε. *Est enim pronuntiatum relativum temporis. Deinde aoristus primus ponitur pro futuro primo.* Mysterium Dei] *Id est, perfectam beatitudinem electorum, quæ ipsis solis patefacta est, mundum verò latet. Synecd. generis.* Sicut annuntiavit] *Scil. mysterium illud. Pro, Quod annuntiavit.* ὡς *pro* ὃ. *Sicut suprà cap. 9. v. 3.* ὡς *pro* οἷαν. Annuntiavit] εὐηγγέλισε. *Græcum* ἐμφατικώτερον, *significat enim bonum sive lætum nuntium annuntiare.*

8 Audieram] *Suprà v. 4.* Loquuta est] *vel, loquebatur* λαλοῦσα, *scil.* ἦν. *pro,* ἐλάλει. *Hebraismus. qualis suprà c. 9. v. 19. Sic mox,* λέγουσα, *pro,* ἔλεγε. Abi, accipe] ὕπαγε λάβε. *Asyndeton, ad innuendam festinationem.* Qui est] *In Græco subaudiendus articulus* τὸ, *vel pronomen relativum* ὃ, *more Hebræorum.*

9 Abii igitur] καὶ ἀπῆλθον. *Copulativa pro illativa. Sic v. 10.* Libellum istum] τὸ βιβλαρίδιον, *Articulus est ἀναφορικός.* Das büchlin. Et dixit] *Nempe angelus.* Amarum reddet ventrem tuum] πικρανεῖ σου τὴν κοιλίαν. *Ad verb. Amarificabit tuum ventrem. Pronomen* σου *trajectum est more Græcorum.*

10 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.* Amarus redditus est] ἐπικράνθη. *Ad verb. Amarificatus est. Dulcedo in ore symbolum fuit voluptatis quam sancti percipiunt ex revelatione mysteriorum divinorum: amaritudo verò in ventre significavit tristitiam quam percepturus erat Johannes ex consideratione persecutionis piorum: quæ ei per sequentem prophetiam clare fuit patefacta.*

11 Dixit] λέγει. *Pro,* ἔλεγε, *dicebat.* Oportet te iterùm prophetare] *His verbis indicatur mysterium libelli aperti.* Contra populos] ἐπὶ λαοῖς. *Hoc sensu accipitur Hebræorum vocula* על *hhal, quæ hîc redditur per* ἐπὶ. *Atque in hac significatione præpositio* ἐπὶ *cum dativo, etiam apud optimos linguæ Græcæ authores reperitur. Non autem vertendum,* coram populis &c. *quia non coram illis, sed contra illos coram ecclesia Johannes prophetavit. Hunc enim librum solis ecclesiis communicavit, ut patet ex cap. 1. v. 4.*

OBSERVAT. EX CAP. X.

1 Ex v. 1. 2. 3. notetur descriptio Christi. *Christus.*

2 Ex v. 3. & 4. Cruciatus damnatorum, quos post diem ultimi judicii sentient in gehenna, perquàm horribiles erunt. Id quod hîc significatum fuit partim per vocem Christi similem rugitui leonis, partim per voces tonitruorum. *Cruciatus damnatorum.*

3 Ex v. 6. Juramenta fieri debent per Deum vivum, creatorem mundi. *Juramentũ.*

4 Ex v. 6. & 7. notetur testimonium de fine hujus mundi. *Mundus.*

5 Ex vers. 9. & 10. Revelatio mysteriorum divinorum piis jucunda est: sed consideratio persecutionis piorum, quæ in numero illorum continetur, tristitiâ eos afficit. *Mysteria divina.*

CAPUT XI.

Datus est autem mihi calamus similis virgæ: adstitque angelus, dicens, Surge, & metire templum Dei, & altare, & eos qui adorant in eo.

2 Sed atrium, quod extra templum est, exclude, & ne metiaris illud: nam datum est gentibus: & urbem sanctam calcabunt *per* menses quadragintaduos.

3 Sed dabo *potestatem* duobus testibus meis; & prophetabunt *per* dies mille ducentos sexaginta, amicti saccis.

4 Hi sunt duæ illæ oleæ, & duo candelabra in conspectu Dei terræ stantia.

5 Quòd si quis velit eos lædere, ignis prodit ex ore ipsorum, qui devoret inimicos eorum: nam si quis velit eos lædere, ita oportet eum occidi.

6 Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas, convertendi eas in sanguinem: & percutiendi terram omni plagâ, quotiescunque voluerint.

7 Porrò quum finierint suum testimonium, bestia illa quæ ascensura est ex abysso, geret adversus eos bellum, & vincet eos, & occidet eos.

8 Et cadavera eorum *jacebunt* in platea urbis illius magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & dominus noster crucifixus est.

9 Et videbunt *homines* ex populis & tribubus, & linguis, & gentibus, cadavera eorum, *per* tres dies & dimidium; & cadavera eorum non sinent poni in monumentis.

10 Et incolæ terræ gaudebunt super illis, & lætabuntur, & munera mittent alii aliis: quòd hi duo prophetæ cruciarint terræ incolas.

11 Sed post dies illos tres & dimidium spiritus vitæ à Deo *prodiens*, ingressus est in illos; steteruntque *erecti* in pedes suos; & timor magnus cecidit super eos qui ipsos spectabant.

12 Deinde audierunt vocem magnam è cælo, dicentem ipsis, Ascendite huc. Ascenderuntque in cælum in nube: & spectarunt illos inimici eorum.

13 Factusque est in illâ horâ terræmotus magnus, & decima *pars* urbis cecidit, & occisa sunt in terræmotu illo capita hominum septies mille: & reliqui terrore repleti sunt, & dederunt gloriam Deo cæli.

14 Væ secundum abiit: & ecce, væ tertium veniet citò.

15 Septimus igitur angelus clanxit, & exstiterunt voces magnæ in cælo: dicentes, Regna mundi facta sunt domini nostri, & Christi ejus: Itaque regnabit *ille* in sæcula sæculorum.

16 Tum vigintiquatuor illi senes, qui in conspectu Dei sedebant in thronis suis, ceciderunt in facie suas, & adorarunt Deum:

17 Dicentes, Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est, quòd accepisti potentiam illam tuam magnam, & regem te declaravisti.

18 Et

18 Et iratæ sunt gentes, & advênit ira tua: & tempus mortuorum, ut judicentur, & des mercedem servis tuis prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum, parvis & magnis: & perdas eos qui perdunt terram.

19 Et tunc apertum est templum Dei in cælo, & conspecta est arca federis ejus in templo ejus: & exstiterunt fulgura & sonitus, & tonitrua, & terræmotus, & grando magna.

ANALYSIS CAP. XI.

Antequam proponatur prophetia tubæ septimæ, ad quam Johannes capite præcedente fuit præparatus, inseritur hic per digressionem amplior declaratio tubæ quintæ, cujus prophetia proposita fuit cap.9. undecim primis versib. Hæc declaratio extenditur usque ad vers.14. Ubi demum proponitur tubæ septimæ prophetia, usque ad finem capitis. Ita sunt duæ hujus capitis partes.

I. Istius autem declarationis duo sunt membra principalia. Primùm enim indicatur piorum illius ætatis paucitas, contraque impiorum multitudo, vers.1. & 2. Paucitas piorum significatur per mensionem templi & adorantium in eo, v.1. Multitudo impiorum significatur per exclusionem atrii, & gentium in illo atque ipsa urbe conversationem, v.2. Quæ conversatio illustratur ex adjuncta duratione, ibidem. Atque hoc primum declarationis membrum est. Alterum est de persecutione præconum evangelii, qui contra locustas illas (de quibus cap.9.) pugnant. Istius persecutionis narratio tria membra continet. Ea sunt: (1) descriptio illorum evangelii præconum, v.3.4.5.6. (2) Descriptio persecutionis illorum, vers.7.8.9.10. Et (3) narratio eventorum istius persecutionis, v.11.12. & 13. Præcones illi describuntur ex quinque argumentis; primùm è subjecto loco ubi prophetant. Is locus est ecclesia: quæ significatur per urbem sanctam, Hierosolymam, v.3. Deinde ex adjuncta paucitate: quæ significatur per numerum minimum, binarium, ibidem. Tertiò ex adjuncta prophetationis seu prædicationis duratione, ibidem. Quartò ex adjuncta mœstitia, quæ significatur per amictum saccorum, vers.eodem. Quintò ex effectis. Effecta autem narrantur duplicia, pro duplici genere auditorum: quorum alii sunt electi, alii reprobi. Effecta quæ efficiunt præcones illi in electis, indicantur duo; consolatio, & illuminatio, v.4. Quarum illa significatur nomine olearum: ista verò nomine candelabrorum. Effecta verò quæ iidem efficiunt in reprobis, narrantur quatuor, v.5. & 6. quorum tria priora sunt specialia, videlicet certæ plagæ: postremum verò generale, nempe omnis generis plagæ. Significantur autem istæ plagæ, symbolo plagarum miraculosarum quas olim adversariis suis intulerunt Elias & Moses. Medium etiam indicatur sive instrumentum, quo plagas istas adversariis suis intulerunt, nempe preces: quæ significantur per egressionem ignis ex ore. Atque hæc de præconum evangelii descriptione.

Persequutio præconum evangelii declaratur ex causis duabus: videlicet efficiente principali & formâ. Efficiens principalis est Papa seu Pontifex Romanus, qui significatur nomine bestiæ ex abysso ascensuræ, v.7. de qua infrà cap.13.v.10. Forma persecutionis significatur per actiones persecutorum hostiles tres: quæ sunt (1) supplicium capitis, v.7. (2) ignominiosa tractatio cadaverum, v.8.& 9.& (3) gaudium super illis, v.10. Istud autem gaudium amplificatur ex effectu, videlicet mutuâ missione munerum: itemque ex causa procreante, videlicet liberatione à cruciatu ab illis præconibus eis allato. Atque hæc est descriptio ipsius persecutionis.

Eventa persecutionis istius narrantur sex. Primum est, illorum præconum evangelii revocatio in vitam, v.11. Secundum ex præcedente ortum, timor adversariorum spectantium illos, ibid. Tertium receptio illorum in cælum, v.12. Quartum ex præcedente ortum, dolor inimicorum spectantium illos, ibid. Quintum vindicta divina de illorum inimicis, v.13. Sextum ex præcedente ortum, terror reliquorum vindictam illam spectantium, ibidem.

II. Hactenus prima capitis pars. In altera parte narratur prophetia tubæ septimæ: ad quam fit transitio, vers.14. Prophetiæ hujus summa est, fore ut Deus per Christi adventum omnes hostes suos & ecclesiæ suæ planè subigat, suos verò servos & sanctos æternis præmiis ornet, idque in die judicii universalis. Membra istius prophetiæ distinctè proponuntur tria. Primùm voces in cælo testificantes de victoria illa Christi, vers.15. Deinde gratulatio vigintiquatuor senum de illa victoria, vers.16.17. & 18. Postremò apertio templi in cælo, cum horribili tempestate conjuncta, vers.ultimo.

SCHOLIA IN CAP. XI.

1 Datus est] *Nempe ab angelo, cujus mox fit mentio.* Angelus] ὁ ἄγγελος. *Nempe ille ipse è cujus manu Johannes libellum acceperat, suprà cap.10.v.10. id est, Christus: ut percipitur ex v.3. ubi ait, Dabo* potestatem *testibus meis. Articulus igitur vim habet ἀναφορικήν.* Templum Dei] *Hierosolymitanum: quod typus fuit ecclesiæ.* Altare] τὸ θυσιαστήριον. *Nempe altare holocausti: id quod innuit articulus. Synecdoche generis.* In eo] ἐν αὐτῷ. *Scilicet τῷ ναῷ, templo, id est, in ea templi parte ubi adorabant sacerdotes. Synecdoche integri. Est igitur periphrasis sacerdotum: estque hoc symbolum paucitatis fidelium, tanquam sacerdotum spiritualium. Vide suprà c.1.v.6.*

2 Sed] καί. *Copulativa pro adversativâ.* Exclude] *A dimensione: ut mox per ἐπεξήγησιν declaratur. Gr. ἔκβαλε ἔξω, ejice foràs. Symbolum exclusionis impiorum è cælo.* Gentibus] τοῖς ἔθνεσι. *Scilicet incircumcisis. Symbolum impiorum.* Urbem sanctam] *Hierosolymam: typum ecclesiæ.* Calcabunt] *Versabuntur in ecclesia, adeoque se pro ecclesia venditabunt. Per* menses] μῆνας. *Subauditur κατά.* Per menses quadraginta duos] *Sive per dies mille ducentos sexaginta, ut dicitur vers.seq. Intelligitur autem mensis Ægyptius, constans ex diebus triginta. Dies autem hîc significant annos, ut suprà cap.9.v.5. Hi anni videntur incipiendi ab initio Papatus: quia versu præcedente per gentes intelliguntur falsi Christiani.*

3 Sed] καί. *Copulativa pro adversativa. Quasi dicat; Etsi gentes (id est, pseudochristiani) urbem sanctam, hoc est, ecclesiam, seu locum in quo degit ecclesia, calcabunt: tamen dabo* potestatem *&c.* Potestatem] *Hæc vox inserta est ad explendum sermonem. Talis ellipsis fuit suprà cap.9.vers.5.* Duobus] *Id est, paucis. nam binarius est prima, adeoque minima, multitudo. Synecdoche speciei hyperbolica. Duo tamen, non unus tantùm, erunt: ut intelligatur, & idoneum fore testimonium ipsorum, & mutuum inter illos fore auxiliũ.* Testibus meis] *Quos ego excitabo & mittam, ut meo jussu testentur de veritate cælesti. Per testes enim intelligit sinceros doctores ecclesiæ, per synecdochen generis: ut percipitur ex adjuncta epexegesi. Confer Act.1.v.8.* Qui prophetabunt] καὶ προφητεύσουσιν. *Scil. ἐκεῖνοι.* Per dies &c.] *Vide versu præced.* Saccis] *Vestibus lugubribus. Symbolum luctus, quo afficientur illi testes tum propter impietatem pseudochristianorum, tum propter persecutionem piorum.*

4 Duæ illæ oleæ] *Confer Zach.4. vers.ult. ubi ita legitur, Hi sunt duo filii olei, qui stant apud dominum totius terræ. Et ejusdem capitis vers.2. fit mentio candelabri aurei, itemque v.4. duarum olearum super illud positarum. Oleæ videntur esse symbolum consolationis quam efficit Spiritus S. in cordibus electorum per prædicationem Evangelii. Candelabra verò, illuminationis quam idem Spiritus S. per prædicationem tum Evangelii tum Legis efficit, ut Deum & voluntatem ejus rectè cognoscant, & secundùm illam sanctè vivant.*

5 Ignis prodit ex ore ipsorum] *Id est, Precibus suis à Deo impetrant, ut hanc vel illam plagam in adversarios immittat, sicut olim ignem in adversantes demisit Elias. Hanc expositionem confirmat collatio versus sequentis, & maximè membri extremi, ubi plagis enumeratis subjicitur omne genus plagarum.* Nam] καί. *Copulativa pro causali.* Ita] *Scil. per ignem.*

6 Claudendi] κλεῖσαι. *Pro, τοῦ κλεῖσαι.* Ne pluat] *Qualem potestatem olim exercuit Elias, 1.Reg.17.v.1.* Prophetiæ ipsorum] αὐτῶν τῆς προφητείας. *Trajectio pronominis Græca. Prophetia autem hîc significat, tanquam si dicas prophetationem, id est, functionem prophetandi, hoc est, docendi evangelii.* Super aquas] *Id est, in aquas.* Convertendi eas in sanguinem] *Ut olim fecit Moses apud Ægyptios. Vide Exod.7.v.20.* Omni] *Id est, omnis generis.* Plaga] *Ut olim Moses fecit in Ægypto. Videntur hoc modo significari plagæ quibus Deus afflicturus fuit mundum propter contemtum evangelii: quæ narrabuntur infrà in effusione phialarum.*

7 Bestia] *Nempe posterior bestia: de qua infrà cap.13.v.11.* Quæ ascensura est] τὸ ἀναβαῖνον. *Participium præsens hîc vim habet futuri, per Hebraismum. Nam prior bestia ascenderat jam, saltem ex parte. Hîc autem intelligendum esse bestiam posteriorem, judicari potest ex eo quod narratur vers.10. Quod in Papis impletum fuit, & adhuc impletur.* Ex abysso] *Id est, ex inferno. Neque obstat quòd infrà dicitur hæc bestia ascendisse ex terra. nam istud dicitur alio respectu, & ad discrimen bestiæ primæ, ut quæ ascenderat ex mari.* Geret adversus eos bellum] *Persequetur eos.* Vincet] *Quoad corpus: ut exponitur per verbum sequens.*

8 Jacebunt] *Deest in Græco: & excidisse videtur per incuriam librariorum. Vel fortasse subaudiendum ἔσονται, erunt, ellipsi usitatâ.* In platea] ἐπὶ τῆς πλατείας. *In foro: ut infrà cap.22.v.2.* Urbis illius magnæ] πόλεως τῆς μεγάλης. *Videlicet Roma, ut sequentia declarant.* Spiritualiter] *Per metaphoram mysticam. Consimili ratione 1.Cor.10.v.3. & 4. dicitur esca spiritualis, & potus spiritualis, item petra spiritualis: id est, esca habens mysticam significationem: & sic de cæteris.* Sodoma] *Propter scortationem tum carnalem, tum inprimis spiritualem, hoc est, idololatriam. Confer infrà cap.17.v.5. & cap.18. v.9.* Ægyptus] *Propter tyrannidem quam exercuit & etiamnum exercet in populum Dei.* Ubi] *Id est; sub cujus imperio ac dominatu. nam propriè loquendo Dominus crucifixus est Hierosolymis, sed sub Pontio Pilato præside Rom. Quòd si adverbium istud accipiatur propriè de urbe Roma, tum verbum crucifigendi accipiendum erit per tropum, videlicet metonymiam subjecti, pro eo quod est, Crucifixus esse prædicatus est: quo sensu accipitur Gal.3.v.1. Nisi quis malit, crucifixus est, scilicet in membris suis, confessoribus scilicet evangelii. Et sic tropus erit in vocabulo,* Dominus: *id est, confessores Domini: quæ & ipsa est*

metonymia subjecti. Fr. Junius & hoc postremo modo interpretatur, & insuper alio, videl. quòd Papa de crucifixo Christo, id est, de religione Christiana glorietur. Sed expositio prima videtur cæteris præferenda.

9 *Per* tres dies & dimidium] *Id est, (ait Fr. Junius) tres annos cum dimidio. Dies pro anno, ut suprà aliquoties. Hos autem annos Fr. Junius refert ad totidem annos, quibus supervixit Bonifacius VIII. jubileo à se instituto. De qua explicatione ἐπέχω.*

10 Quòd hi duo prophetæ cruciarint &c.] *Intellige simul, & ipsi nunc ab illis liberati sint. Synecdoche membri.* Cruciarint] *Nempe prædicatione evangelii. hanc enim impii ferre non possunt.*

11 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.* Post dies illos tres] μετὰ τὰς τρεῖς ἡμέρας. *Illos videl. de quibus dictum v. 9.* Spiritus vitæ] *Id est, anima cujusque, quæ vitam dant corpori. Genitivus effecti.* A Deo] ἐκ τοῦ Θεοῦ. *Pro,* ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. *vel,* ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. Ingressus est] εἰσῆλθεν. *Narrat à se visa.*

12 In nube] ἐν τῇ νεφέλῃ. *Pro,* νεφέλῃ τινι. *Articulus indefinitè positus.*

13 Terræmotus] *Confer infrà cap. 16. v. 18.* Decima *pars*] τὸ δέκατον. *Scil.* μέρος. Urbis] τῆς πόλεως. *Nempe Romæ: cujus facta mentio v. 8. ad quem respicit articulus.* Capita] ὀνόματα. *Ad verbum, Nomina hominum, id est, homines. Sic suprà cap. 3. v. 4. Item Act. 1. v. 15.* Dederunt gloriam] *Confitendo omnipotentem ac justam vindictam.*

14 Veniet] ἔρχεται. *Præsens pro futuro.*

15 Septimus igitur] καὶ ὁ ἕβδομος. *Copulativa pro transitiva.* Regna mundi facta sunt domini nostri] *Id est, cesserunt ei, venerunt in ejus possessionem.* Domini nostri] *Dei.* Christi ejus] *Quem is nobis misit ac donavit.* Itaque regnabit *ille*] καὶ βασιλεύσει. *Scil.* ἐκεῖνος. *Et copulativa ponitur pro illativa.*

16 Illi] *De quibus dictum cap. 4.*

17 Qui est &c.] *Confer suprà cap. 1. v. 4.* Quòd accepisti potentiam illam tuam magnam] *Id est, quòd exercuisti ac demonstrasti eam. Metonymia effecti destinati, & metaphora καταχρηστική. Deus enim potentiam suam nunquam & à nemine accepit, propriè loquendo: sed habuit eam ab æterno, idque à seipso.* Regem te declaravisti] ἐβασίλευσας. *Ad verb. Regnavisti. id est, regiam tuam potentiam declarasti in puniendis rebellibus. Sic infrà cap. 16. v. 6.*

18 Ira tua] *Dies destinatus exercendæ iræ tuæ. Metonymia finis, vel adjuncti.* Ut judicentur] κριθῆναι. *Pro,* τοῦ κριθῆναι. *Scil.* ἕνεκα. *Sic mox* δοῦναι, *pro* τοῦ δοῦναι, *scil.* ἕνεκα: *ubi ampliùs subauditur nomen* σέ. *Item* διαφθεῖραι. Mercedem] *Id est, præmium. Metaphora καταχρηστική.* Perdes eos qui perdunt] *Polyptoton & ἀντανάκλασις. nam parumper mutatur verbi significatio.*

19 Sonitus] φωναί. *Ut suprà cap. 8. v. 5.*

OBSERVAT. EX CAP. XI.

Papatus. 1 Ex v. 1. & 2. In Papatu superiorum sæculorum ante restitutam Evangelii lucem numerus verorum Christianorum fuit exiguus: falsorum verò magnus,

Papatus. 2 Ex v. 3. Deus in Papatu subinde pios aliquos doctores excitavit, qui de veritate Evangelii testarentur, & de falsitate dogmatum Papisticorum Ecclesiam commonefacerent.

Evangelii doctrina. 3 Ex v. 4. Doctrina Evangelii præbet credentibus partim veram consolationem, instar olei lenientis vulnera: partim lucem salvificæ cognitionis Dei, instar lampadum in candelabris templi Salomonici olim accensarum.

Doctores Evangelii. 4 Ex v. 5. & 6. Pii doctores Evangelii precibus suis impetrant à Deo vindictam de adversariis.

Persecutio doctorum Evangelii à Papistis. 5 Ex v. 7. 8. 9. & 10. Quòd Papistæ pios Evangelii doctores ad necem usque jam multis sæculis persequuti sunt, & etiamnum hodie, quantum possunt, persequuntur: non debet nos offendere, ut propterea de veritate doctrinæ Evangelii dubitemus: quia Deus ita futurum prædixit.

Roma. 6 Ex v. 8. notetur testimonium de urbe Roma, quatenus est sedes Antichristi, nempe Papæ: quòd scil. sit Sodoma & Ægyptus: id est, dedita luxui, itemque scortationi tum corporali tum spirituali: & persecutioni piorum.

Evangelii doctrina. 7 Ex vers. 10. Filii hujus sæculi per doctrinam Evangelii cruciantur: quæ tamen credentibus veram felicitatem indicat. Confer 2. Cor. 2. v. 16.

Evangelii doctores. 8 Ex v. 11. & 12. Suo tempore pii Evangelii doctores, qui ab antichristis fuerunt interfecti, assumentur in cælum.

Judicium ultimum. 9 Ex vers. 15. & seqq. notetur testimonium de adventu Christi ad judicium universale: in quo præmiis afficiet pios, impios verò perdet.

CAPUT XII.

DEINDE signum magnum conspectum est in cælo. Mulier *aderat* amicta sole: & luna *erat* sub pedibus ejus, & in capite ejus corona *erat* stellarum duodecim.

2 Illa uterum ferens, clamabat parturiens, & cruciabatur ut pareret.

3 Deinde conspectum est aliud signum in cælo. nam ecce, *adfuit* draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus suis diademata septem.

4 Et cauda ejus trahebat tertiam *partem* stellarum cæli, quas abjecit in terram. Stetit autem is draco ante mulierem parituram: ut quum peperisset, filium ejus devoraret.

5 Peperit autem filium masculum, qui recturus erat omnes gentes virgâ ferreâ: & raptus est filius ejus ad Deum & *ad* thronum ejus,

6 Mulier verò fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut illic alerent eam *per* dies mille ducentos sexaginta.

7 Deinde ortum est prælium in cælo: Michaël & angeli ejus præliati sunt cum dracone illo, itemque draco pugnavit & angeli ejus,

8 Sed non prævaluerunt, neque locus eorum ampliùs inventus est in cælo.

9 Et projectus est draco ille magnus, serpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem: projectus, *inquam*, est in terram, & angeli ejus cum eo projecti sunt.

10 Tum audivi vocem magnam dicentem in cælo, Nunc facta est salus, & potentia, & regnum, Dei nostri; & potestas Christi ejus: quia dejectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos coram Deo nostro die ac nocte.

11 Sed ipsi vicerunt eum per sanguinem agni, & per sermonem testimonii sui: & neglexerunt animam suam usque ad mortem.

12 Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Væ incolis terræ & maris: quia descendit Diabolus ad vos, iræ magnæ plenus, ut qui sciat se paululum temporis habere.

13 Quum igitur vidisset draco, se projectum esse in terram, persequutus est mulierem quæ pepererat masculum.

14 Sed datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret à facie serpentis in desertum, in locum suum, ubi aleretur *per* tempus, & tempora, & dimidium temporis.

15 Ejecit autem serpens post mulierem, ex ore suo, aquam tanquam flumen, & eam faceret rapi à flumine.

16 Sed succurrit terra mulieri. nam aperuit terra os suum, & absorpsit flumen quod ejecerat draco ex ore suo.

17 Iratus est igitur draco adversus mulierem: & abiit ut gereret bellum cum reliquis ex semine ejus, observantibus mandata Dei, & habentibus testimonium Jesu Christi:

18 Et constitit super arenam maris.

ANALYSIS CAP. XII.

ANtequam prophetia septimæ tubæ plenius enarretur, (id quod fiet cap. 15. & deinceps.) inseritur tribus sequentibus capitibus illustratio & amplior enarratio præcedentis prophetiæ utriusque, tum sigillorum scilicet tum tubarum: quomodo scilicet Diabolus Ecclesiam Christianam inde ab initio persecutus sit, & quomodo Christus eam defenderit, Diabolumque cum organis ipsius vicerit.

Atque in hoc quidem capite narrantur persecutiones tres: prima ipsius Christi, tanquam capitis ecclesiæ, quinque primis versibus: secunda ecclesiæ Christianæ primitivæ, quæ maximam partem constitit ex Judæis, à v. 6. usq; ad 17: tertia ecclesiæ Christianæ proximè subsequutæ & ex gentibus collectæ, v. 17. & 18. Ita sunt tres capitis partes.

I. Persequutio Christi declaratur ex circumstantia temporis formâ, & eventu. Tempus quo Diabolus Christum persequi cœpit, fuit tempus quo ille recens natus fuit, v. 4. Nativitas autem Christi declaratur ex causâ procreante, nempe ecclesia Judaica, quæ fuit sub tempus Christi nasciturí. Illa significatur symbolo mulieris uterum ferentis & parturientis, v. 2. quæ è suis adjunctis & effectis magnificè describitur, v. 1. Tum è regione describitur etiam ipse Diabolus sub imagine draconis, similiter ex adjunctis & effectis, v. 3. & 4. Forma autem persecutionis indicatur in

fine ejus-

fine ejusdem versus quarti: videlicet conatus devorandi Christum: hoc est, è medio tollendi. quod quomodo conatus sit effectum dare per Herodem, notum est ex Matth.2. Similiter quomodo idipsum tandem effectum dederit per sacerdotes, scribas & Pharisæos, notum est ex historia passionis Domini apud omnes evangelistas. Eventus istius persecutionis fuit exaltatio Christi: quum scil. tertio die resurrexit à mortuis; quadragesimo post die ascendit in cælum, conseditque ad dextram Dei patris omnipotentis, v.5. Ubi etiam continetur descriptio Christi ab adjuncto magnifico, videlicet dignitate seu majestate regiâ summâ. Atque hæc de prima capitis parte.

II. Persecutio primitivæ ecclesiæ Christianæ declaratur ex eventu, causâ impulsivâ, & formâ. Eventus fuit fuga ex Judæa, & conservatio divina extra illam; quæ conservatio illustratur ab adjuncta duratione, v.6. & iterum v.14. Rursumque ipsa per sese significatur v.16. sub symbolo ereptionis ab inundatione. Causa impulsiva fuit prohibitio Diaboli à seducendis electis Judæis, & in æternam damnationem adducendis frequentiâ accusationum suarum, vers.9.&10. Hinc enim plenus iræ magnæ evasit, v.12. & mulierem illam persecutus est, v.13. Illa autem prohibitio Diaboli significatur symbolo projectionis è cælo in terram, v.9. Quæ ipsa illustratur ex modo agendi, videlicet prælio commisso in cælo à Michaële (id est, Christo) & angelis ejus cum ipso dracone (id est, Diabolo) & angelis illius, v.7.8.9. Deinde illa draconis dejectio amplificatur ex eventu, videlicet gratulatione sanctorum angelorum, v.10.11.12. in qua commemoratur dejectionis illius effectum, videlicet victoria electorum de Diabolo per martyrium: cujus victoriæ causa efficiens per se indicatur, videlicet fides in sanguinem agni, (id est, Christi) eaque cum confessione conjuncta, v.11. Præterea in eâdem gratulatione prænuntiatur illa Diaboli persecutio, v.12. Forma persecutionis istius indicatur v.15. sub symbolo mundationis. Atque hæc de secunda capitis parte.

III. In tertia parte narratur uno verbo persecutio ecclesiæ ex gentibus collectæ, vel potiùs propositum persequendi & conatus, v.17.& 18. Nam ipsa persecutio narrabitur deinceps c.13. & 14. Ad quam historiam istis duobus versibus transitio fit.

SCHOLIA IN CAP. XII.

1 Signum] *Imago.* Magnum] *Illustre.* Mulier] *Imago ecclesiæ quæ fuit sub primum adventum Christi.* Amicta sole] *Symbolum gloriæ cælestis, quâ suo tempore induetur ecclesia.* Sub cujus pedibus erat luna] *Symbolum magnanimitatis fidelium qua calcant & contemnunt delicias hujus mundi: qui instar lunæ varium atque inconstantem se exhibet.* In capite corona] *Alterum symbolum gloriæ, quam ecclesia habet à Christo capite suo gloriosissimo.* Corona stellarum duodecim] *Constans è stellis duodecim. Genitivus materiæ. Per numerum autem stellarum duodenarium videntur significari duodecim apostoli, per quorum doctrinam fideles ad gloriam cælestem adducuntur.*

2 Illa uterum ferens] καὶ ἐν γαστρὶ ἔχουσα. *Pro,* καὶ *subaudiendum* ἐκείνη. *Ad verbum, In ventre habens. Scilicet fœtum. Synecdoche generis Græca. Est autem hic symbolum adventantis temporis quo nasci debuit Christus: item desiderii piorum quo adventum illum desiderarunt.* Clamabat] κράζει. *Pro,* ἔκραζε. *Præsens pro imperfecto: ut suprà cap.9.v.10. & 11.* Cruciabatur] βασανιζομένη. *Scilicet* ἦν. *Id est,* ἐβασανίζετο. *Hebraismus.* Ut pareret] τεκεῖν. *Pro,* τοῦ τεκεῖν. *Scil.* ἕνεκα.

3 Signum] *Ut vers.1.* Draco] *Symbolum Diaboli. Confer infrà v.9.* Rufus] *Symbolum crudelitatis Diaboli: qui quasi rubet ex hausto sanguine piorum.* Capita septem] *Symbolum perfectæ (in suo scilicet genere) sapientiæ.* Cornua decem] *Signum perfecti roboris.* Diademata] *Symbolum authoritatis ac potestatis, sive dominatus.*

4 Trahebat] σύρει. *Pro,* ἔσυρε. *Præsens pro imperfecto. Enallage frequens in hoc libro.* Tertiam partem] τὸ τρίτον. *Scil.* μέρος. *Ellipsis usitata in hoc libro.* Stellarum cæli] *Hominum vocatorum ad cælestes illas nuptias, quorum nomina videntur esse scripta in cælo.* Abjecit in terram] *Mentem illorum hominum à studio rerum cælestium traduxit ad amorem rerum terrenarum.* Filium ejus] *Nempe Christum: ut percipitur ex v.seq.*

5 Filium masculum] υἱὸν ἄρρενα. *Id est, prolem masculam. In nomine* υἱὸς *est synecdoche speciei. Secus fuerit pleonasmus.* Recturus erat] ὃς μέλλει ποιμαίνειν. *Pro,* ἔμελλε. ποιμαίνειν *autem, id est, pascere, pro regere, dicitur per metaphoram à pastoribus ovium.* Virgâ ferreâ] ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. *Præpositio redundat ex Hebraismo. Sunt autem hæc verba desumta ex Psalm.2.v.9.* Ad Deum &c.] *Id est, ascendit in cælum, peracto in terris suo munere, consedit q; ad dexteram majestatis Dei.*

6 Mulier] ἡ γυνή. **Das weib.** *Mulier illa cujus præcessit mentio: Articulus est ἀναφορικός.* Fugit] *Hoc intelligendum est de fuga Christianorum ex urbe Hierosolyma in oppidum Pellam, ut apparebit ex declaratione versus decimiquarti.* Habebat] ἔχει. *Pro,* εἶχε. A Deo] ἀπὸ τοῦ θεοῦ. *Pro,* ὑπὸ τοῦ θεοῦ. Alerent] *Impersonaliter. Id est, ut aleretur: sicut loquitur infrà v.14.* Per dies mille ducentos sexaginta] *Id est, per annos tres cum dimidio: ut liquet ex collatione v.14. ubi hæc ipsa sententia aliis verbis repetitur. Cæterùm intelligendi hîc sunt anni Ægyptii: quorum unusquisque constabat ex diebus trecentis sexaginta: quia singuli menses constabant ex diebus triginta.*

7 Deinde ortum est] καὶ ἐγένετο. *Copulativa pro transitiva.* Prælium] πόλεμος. *Bellum. Hebraismus.* Michaël] *Christus: qui est sicut Deus, id est, par Deo. hoc enim illo nomine significatur* מִיכָאֵל *Michaël.* Præliati sunt cum dracone] ἐπολέμησαν κατὰ τοῦ δράκοντος. *Ad verbum Bellaverunt contra draconem illum.* Illo] *Scilicet de quo dictum v.3. Articulus enim est ἀναφορικός.* Angeli ejus] *Confer Matth.25.v.41.*

8 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.* Prævaluerunt] ἴσχυσαν. *Ad verb. Valuerunt. Hebraismus.* Locus eorum] *Pro, ipsi. Metonymia subjecti.*

9 Serpens ille antiquus] *De quo narratur Gen 3.* Diabolus] Διάβολος. *Id est, calumniator.* Satanas] Σατανᾶς. *Vel,* σατάν. *id est, adversarius.* Totum terrarum orbem] *Totius orbis incolas. Metonymia subjecti.*

10 Facta est Dei] *Id est, cessit Deo. Ut suprà cap.11.vers.15. Et* potestas] *Repete ἀπὸ κοινοῦ, facta est. Id est, Cessit Christo.* Die ac nocte] ἡμέρας καὶ νυκτός. *Ad verbum, Diei & noctis. Supple, tempore,* χρόνῳ.

11 Per sanguinem] διὰ τὸ αἷμα. *Pro,* διὰ τοῦ αἵματος. *Sic deinceps. Atticismus.* Agni] τοῦ ἀρνίου. *De quo suprà cap.5.v.6.& deinceps. Nam articulus est ἀναφορικός.* Testimonii sui] *Quod dederunt agno.* Neglexerunt] οὐκ ἠγάπησαν. *Ad verb. Non dilexerunt.*

12 Væ] *Id est, dolor magnus. Scil. erit seu eveniet. Metonymia effecti.* Iræ magnæ plenus] ἔχων θυμὸν μέγαν. *Ad verbum, Habens iram magnam.* Paululum temporis] *Ad exsaturandum odium suum erga homines in hac vita.*

13 Quum igitur] καὶ ὅτε. *Copulativa pro transitiva.*

14 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.* Aquilæ magnæ] τοῦ ἀετοῦ τοῦ μεγάλου. *Id est, quales sunt alæ aquilæ alicujus magnæ. Metaphora, & articulus positus indefinitè.* A facie serpentis] ἀπὸ προσώπου τοῦ ὄφεως. *Seu, metu serpentis: per Hebraismum: nempe serpentis illius cujus modò facta mentio sub nomine draconis: id quod innuit articulus. Sunt autem hæc verba ad finem versus trajecta, aliis compluribus interpositis. Simile trajectionis exemplum vide infrà cap.13.v.8.* In desertum] *Symbolum (ut videtur) humilis ac miseræ conditionis piorum.* In locum suum] εἰς τὸν τόπον αὐτῆς. *Id est, in locum sibi destinatum à Deo.* Ubi aleretur] ὅπου τρέφεται ἐκεῖ. *Ad verbum, Ubi alitur illic. Pleonasmus Hebraicus. Quidam codices legunt,* ὅπως τρέφηται ἐκεῖ: *Ut aleretur illic. Quæ lectio commodior est.* Per tempus] καιρόν. *Pro,* κατὰ καιρόν. Per tempus & tempora & dimidium temporis] *Id est, (ait Franciscus Junius) per annos tres & dimidium: Sicut accipitur eadem locutio Dan.7.v.25. Hæc ille. Ergo nomen plurale* καιροὺς *hîc positum est pro duali* καιρώ: *Sicut & apud Danielem nomen plurale habetur. Tempus autem annum significat per synecdochen generis: qualis synecdoche etiam est in nomine* καιροὺς, *tempora, pro,* δύο καιροὺς, *duo tempora: nempe numerus pluralis indefinitè pro duali. Cæterùm intelligendi hîc sunt anni Ægyptii, ut suprà indicatum ad vers. sextum. Apparet enim, hic illam ipsam sententiam repeti. Anni tres cum dimidio, resoluti in suos dies.*

360.
360.
360.
180.
1260.

Hoc autem spatium videtur inchoandum à profectione piorum Judæorum ex urbe Hierosolyma in oppidum Pellam. quæ profectio, authore Funccio, accidit anno Domini 69. Neronis verò decimotertio. Post tres autem annos & dimidium, nempe anno Domini 72. die 8. Septemb. Hierosolyma eversa est, eodem authore.

15 Ejecit &c.] *Id est, excitavit Romanos ad persequendum ecclesiam illam primitivam in media turba impiorum, sive in ipsa Judæa, degentem.* Rapi à flumine] *Eò, submergi. Synecdoche membri. Id est, ut deleret ecclesiam.*

16 Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.* Succurrit] ἐβοήθησεν. *Opem tulit.* Nam aperuit] καὶ ἤνοιξεν. *Copulativa pro causali. Continetur enim his verbis declaratio verbi præcedentis.* Os suum] *Metaphora* κατὰ προσωποποιΐαν *(?)*: *pro eo quod est, disrupta fuit, & hiatum fecit. Hoc videtur referendum ad conservationem piorum Judæorum, tempore obsidionis Hierosolymorum, in oppido Pella trans Jordanem sito.*

17 Iratus est igitur] καὶ ὠργίσθη. *Copulativa pro transitiva.* Ut gereret bellum] ποιῆσαι πόλεμον. *Pro,* τοῦ ποιῆσαι. *Scilicet* ἕνεκα. *Ad verbum, Ut faceret bellum.* Cum reliquis ex semine ejus] *Cum fidelibus gentibus ex ecclesia illa primitiva per prædicationem evangelii natis.*

18 Constitit] *Nempe draco.* ἐστάθη. **Er hat sich gestellet.** *Omnino autem legendum videtur* ἐστάθη *non* ἐστάθην: *nam hoc non ad Johannem esse referendum, judicari potest ex tota sequente narratione; ubi continuat visiones quas sibi visus est videre in ipso cælo. Non igitur tum stetit super arenam maris, id est, in terra. Nec fecit in hac visione Johannes quicquam nisi ex jussu Dei: quod jussum si hîc intercessisset, non fuisset id Johannes silentio præteriturus. Referendum autem esse ad draconem, liquet tum*

ex connexione sententiarum per conjunctionem copulativam, omissâ expressione nominis Johannis: tum ex principio capitis sequentis: ubi narratur, bestiam è mari ascendisse. quibus verbis significatur effectus illius conatus draconis, qui hic proponitur, quòd scilicet steterit super arenam maris, ut nimirum inde educeret bestiam per quam persequeretur ecclesiam. Et sic legisse videtur vetus interpres: ut qui verterit, Et stetit. *Si tamen genuinam esse putemus lectionem* ἐστάθην *in persona prima: tum vertendum erit,* statutus fui: *sententia autem sic erit declaranda, quòd Johannes in spiritu translatus fuerit super arenam maris, ut ibi videret è mari ascendere bestiam: sicut infrà cap.17.vers.3. dicit, se in spiritu translatum fuisse in desertum, & ibi vidisse mulierem insidentem bestiæ &c. Item cap.21.vers.10. ubi dicit, angelum quendam sustulisse se in spiritu in montem magnum, & sublimem.*

OBSERVAT. EX CAP. XII.

Ecclesia. 1 Ex v.1. notetur descriptio Ecclesiæ, à gloria cælesti & contemtu rerum mundanarum.

Diabolus. 2 Ex v.3. & 4. notetur descriptio Diaboli, à crudelitate, astutiâ, robore, potestate, & cupiditate opprimendi Christum & Ecclesiam.

Christus. 3 Ex v.5. notetur testimonium de exaltatione Christi.

Ecclesia. 4 Ex v.6. & 14. Deus Ecclesiæ suæ sub persecutione de necessariis prospicit.

Christus. 5 Ex v.7.& seqq. notetur testimonium de victoria Christi contra Diabolum.

Diabolus. 6 Ex v.10.11.12.13.15.17. notetur testimonium de odio Diaboli adversus fideles.

Fideles. 7 Ex v.11. notetur testimonium de victoria fidelium contra Diabolum.

Fideles. 8 Ex v.16. Deus fideles è mediis periculis eripit.

CAPUT XIII.

TUm vidi bestiam è mari ascendere, quæ habebat capita septem & cornua decem: & super cornua ejus *erant* decem diademata, & super capita ejus nomen blasphemiæ.

2 Eratque hæc bestia quam vidi, similis pardo; pedes verò ejus *erant* ut pedes ursi, os verò ejus ut os leonis. Nam dederat ei draco potentiam suam, & thronum suum, & potestatem magnam.

3 Et vidi unum ex capitibus ejus quasi letaliter cæsum: sed ipsius plaga letalis curata est: itaque admirans universa terra, sequuta est bestiam.

4 Et adorarunt draconem qui dederat potestatem bestiæ: itemque adorarunt bestiam, dicentes, Quis similis est huic bestiæ? quis poterit belligerari cum ea?

5 Datumque est ei os loquens magna & blasphemias: & data est ei potestas agendi *per* menses quadragintaduos.

6 Aperuit igitur os suum ad blasphemiam adversus Deum, ut blasphemaret nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cælo habitant.

7 *Sed* & datum est ei bellum gerere cum sanctis, & eos vincere: & data est ei potestas in omnem tribum, & linguam & gentem.

8 Itaque adorabant eam omnes incolæ terræ, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni illius jugulati, *jam inde* à jactis mundi fundamentis.

9 Si quis habet aurem, audiat.

10 Si quis in captivitatem ducet, in captivitatem abibit: si quis gladio occidet, oportet eum gladio occidi. hîc est patientia & fides sanctorum.

11 Deinde vidi aliam bestiam ascendere è terra, quæ habebat cornua duo similia agno: sed loquebatur ut draco.

12 Ea verò potestatem prioris bestiæ omnem exercebat in conspectu ejus, & faciebat ut terra & ipsius incolæ adorarent bestiam illam primam, cujus curata fuerat plaga letalis.

13 Edebatque signa magna, adeò ut etiam ignem faceret è cælo descendere in terram, in conspectu hominum.

14 Et seducebat incolas terræ, per signa quæ datum erat ei ut ederet in conspectu bestiæ: dicens incolis terræ ut facerent imaginem bestiæ illi quæ gladio vulnerata fuerat, sed revixerat.

15 Datumque est ei ut spiritum inderet imagini bestiæ, adeò ut etiam loqueretur imago bestiæ, & faceret ut quicunque non adorarent imaginem bestiæ, occiderentur.

16 *Sed* & faciebat ut omnis generis *homines*, parvi & magni, divites & pauperes, liberi & servi, acciperent characterem in manu sua dextra, aut in frontibus suis:

17 Et ne quis posset emere aut vendere, nisi qui habebat characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.

18 Hîc sapientia est. Qui intelligentiâ præditus est, computet numerum bestiæ. numerus enim hominis est. *Est* autem numerus ejus, sexcenta sexaginta sex.

ANALYSIS CAP. XIII.

HIc jam narratur persecutio ecclesiæ ex gentibus collectæ, cujus persecutionis propositum atque conatus indicatus fuit in fine capitis præcedentis. Indicantur autem duo draconis organa, sive duo Diaboli ministri, per quos ille ecclesiam persecutus fuit & etiam nunc persequitur. Primum organum fuerunt Imperatores Romani veteres qui in gentilismo vixerunt: alterum pontifices Romani, professi religionem Christianam, sive Papæ. Quorum organorum prius significatur per symbolum bestiæ quæ ascendit è mari, cujus historia sive prophetia narratur usque ad v.11. posterius verò per symbolum bestiæ quæ ascendit è terra, cujus historia narratur reliquâ capitis parte. Ita sunt duæ capitis partes.

DE PRIMA PARTE.

Hîc primùm describuntur ipsi persecutores, nempe Imperatores Romani, sub typo bestiæ, ex origine seu causa procreante & variis adjunctis, quinque primis versibus. Deinde narrantur facta eorum hostilia in ecclesiam, v.6.7.8. Postremò annectitur admonitio ad pios, v.9.& 10.

Origo fuit ex subjugatis variis in mundo populis: quod significatur per ascensum è mari. Etenim C. Julius Cæsar subjugatis Gallis, Germanis, Hispanis, Africanis, Ægyptiis, adeoque ipsis Italis, imperium perpetuum sibi usurpavit.

Adjuncta verò illa sunt: Perfecta in suo genere sapientia, quæ significatur per septem capita: perfecta potentia, quæ significatur per decem cornua: perfecta item auctoritas atque dominatus, qui significatur per decem diademata: usurpatio potestatis divinæ, atque etiam arrogatio nominis divini, quæ significatur per nomen blasphemiæ inscriptum capitibus bestiæ. Atque hæc omnia v.1. Versu autem 2. adduntur hæc: Celeritas in rebus gerendis, quæ significatur per similitudinem pardi: robur sive potentia, quæ significatur per pedes ursi: crudelitas, quæ significatur per os leonis. Ibidem potentia & authoritas Imperatorum illorum declaratur ex causa procreante: qui est Diabolus, significatus per draconem. Vers.3. adduntur alia adjuncta quatuor: primum interitus Neronis, in quo stirps illa Cæsarum de Imperio decidit: qui interitus significatur per vulnus letale uni ex capitibus bestiæ inflictum. Secundum confirmatio Imperii per successores Neronis: quæ significatur per vulneris illius letalis curationem. Tertium, quod è secundo ortum fuit, admiratio quâ maxima pars hominum admirata est imperium Romanum. Quartum è tertio ortum, obsequium quod homines imperio illi præstiterunt, v.4. Obsequium illud declaratur sub symbolo adorationis bestiæ: & amplificatur ex effectis duobus, adoratione draconis, id est, Diaboli, & celebratione majestatis atque potentiæ imperii Romani. V.5. adduntur adhuc duo adjuncta: permissio divina loquendi blasphema, & permissio sæviendi in fideles: quæ quidem certo temporis spatio circumscribitur. Atque hæc de adjunctis.

Effecta sive facta narrantur duo: primum maledicta adversus Deum, cultum Dei & sanctos cælites, v.6. Alterum cædes sanctorum, id est, fidelium, v.7. Quæ cædes amplificatur primùm distributione è subjectis, ibid. Deinde ex eventu, videl. adoratione reproborum, qua videl. illi imperium Romanum adorarunt, v.8. Atque hæc de effectis.

Admonitio ad pios tria membra continet: (1) hortationem ad serium studium res istas cognoscendi atque meditandi, v.9. (2) consolationem hortationemve ad patientiam atque in fide constantiam, argumento ducto ex eventu jucundo, videlicet vindictâ divinâ de persecutoribus: quæ vindicta per duas species illustratur, vers.10. & (3) hortationem ad constantiam in fide & patientia, ibidem.

DE ALTERA PARTE.

Papæ Romani similiter describuntur sub typo bestiæ, ex origine seu causa procreante, adjunctis & effectis; quibus effectis sive fa-

sive factis persecutio qua ecclesiam persecuti sunt, & adhuc persequuntur, declaratur.

Origo indicatur ubi dicitur, quòd ascenderit è terra, id est, ex abysso seu gehenna: ut declaratur in scholiis: quia Papæ ex instinctu atque inspiratione Diaboli dominatum occuparunt.

Adjuncta indicantur tria: unum, potentia ecclesiastica seu spiritualis; alterum, pontentia politica seu civilis. Arrogat enim sibi Papa utrumque (quem vocant) gladium. Hæc duo significantur sub imagine duorum cornuum, vers. 11. Tertium adjunctum est hypocrisis seu simulatio innocentiæ atque humilitatis: quæ notatur per hoc, quòd cornua hujus bestiæ dicuntur similia cornibus agni, id est, Christi, ibidem. Nominat enim se Papa servum servorum, quum interim agat dominum dominantium.

Effecta seu facta narrantur octo. Primum est doctrina diabolica: quæ significatur his verbis: *Loquebatur ut draco*, in fine v. 11. Secundum est usurpatio potestatis alienæ, videl. potestatis politicæ Imperatoribus ereptæ: ubi dicitur, quòd bestia *exercuerit potestatem omnem prioris bestiæ*, v. 12. Hæc usurpatio amplificatur ab adjuncta impudentia, ubi dicitur, *In conspectu ejus*. Tertium est quòd conferunt potestatem Imperatoribus. Sic Carolum Magnum Imperatorem ordinavit Papa Leo III. sic postea alii alios. Hoc significatur, ubi dicitur, bestiam hanc *fecisse ut incolæ terræ adorarent bestiam illam primam &c.* v. eod. Quartum effectum est, quòd nonnulli Papę fecerunt stupenda miracula: quorum species una commemoratur, videl. detractio ignis è cælo; quâ videntur per synecdochen speciei significari stupenda miracula quæcunque, allusione factâ ad exemplum prophetæ Eliæ, v. 13. Quintum effectum est, quòd per miracula illa seduxerunt homines, v. 14. Sextum, quòd persuaserunt hominibus, & adhuc persuadent, ut Imperatores Romanos nominent, proque iis colant, principes eos qui in urbem Romam territoriúmve Romanum nihil habent juris: in quo numero primus fuit Carolus Magnus. Hoc significatur, ubi dicitur, bestiam hanc *incolis terræ dixisse*, (id est, præcepisse seu mandasse) *ut facerent imaginem bestiæ illi quæ gladio vulnerata fuerat, sed revixerat*, v. eod. Septimum, quòd Papa Imperatorem electum confirmat, qui aliàs pro mortuo (id est, nullo) haberetur. Hoc significatur ubi dicitur, bestiam hanc *spiritum indere imagini bestiæ*, seu animare eam, *ut loquatur &c.* v. 15. Octavum, quòd Papæ coëgerunt, & adhuc cogunt, homines ad professionem religionis Papisticæ, id est, ab ipsis excogitatæ & in jure, quod canonicum vocant, propositæ. Hoc significatur, ubi dicitur, quòd hæc bestia *fecerit ut homines acciperent ab ipsa characterem &c.* v. 16. Hæc tyrannis primùm amplificatur distributione duplici: unâ è subjectis personis, in quas illam exercent, ibi, *Parvi & magni &c.* alterâ ex forma seu modo acceptionis: quòd scilicet religionem Papisticam alii profitentur adhibito jurejurando quo se addicunt Papæ; alii sine illo, quorum illi dicuntur *accipere characterem in manu dextera, hi in frontibus*. Deinde eadem tyrannis declaratur ex modo agendi, quòd scilicet Papæ ad hanc professionem homines adigant proscriptione seu excommunicatione: quæ significatur, ubi dicitur, bestiam hanc *fecisse ne quis posset emere aut vendere, nisi qui haberet characterem &c.* v. 17. Postremò symbolicæ istæ locutiones de professione Papisticæ religionis, amplificantur adjectâ admonitione de mysterio quod in illis lateat, & hortatione ad mysterium illud indagandum, & denique indicatione modi quo inveniri possit, versu ultimo.

SCHOLIA IN CAP. XIII.

1 Tum] καὶ. *Scil. dum draco staret super arenam maris, versu ultimo capitis præcedentis.* Bestiam] *Per bestiam figuratur regnum mundanum, sicut apud Danielem: propter regum mundanorum ferociam, nempe profanorum.* Ascendere] ἀναβαῖνον. *Ad verb. Ascendentem. Participium pro infinitivo, per Græcismum.* Capita] *Vide suprà cap. 12. v. 3.* Decem] *Nempe singula super singula.* Nomen blasphemiæ] *Usurpatio nominis divini, vel certè authoritatis divinæ. quorum hoc commune fuit omnium Imperatorum Romanorum: illud verò peculiare quorundam, ut Caligulæ & Domitiani.*

2 Pardo] *Symbolum velocitatis.* Ut pedes ursi] *Symbolum roboris.* Os leonis] *Symbolum crudelitatis.* Nam dederat] καὶ ἔδωκεν. *Copulativa pro causali. Etenim his verbis continetur* αἰτιολογία. Dederat ei draco potentiam suam] *Nempe quatenus Imperatores Romanos instigabat ad cædes populorum, quibus augebant potentiam suam & majestatem. Interim verum manet, quòd omnis potestas sit à Deo, Rom. 13. v. 1.*

3 Unum] *Videl. Nero. Vide notas Fr. Junii.* Ex capitibus] τῶν κεφαλῶν. *Genitivus partitivus.* Letaliter] εἰς θάνατον. *Ad verbum, Ad mortem.* Cæsum] ἐσφαγμένην. *Ad verb. Mactatum seu jugulatum. unde σφαγὴ, jugulum. Synecdoche speciei καταχρηστική.* Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.* Plaga letalis] ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου. *Ad verb. Plaga mortis. Genitivus effecti. Sic v. 12.* Curata est] *Per successores Neronis.* Itaque admirans universa terra sequuta est bestiam] καὶ ἐθαύμασεν ὅλη ἡ γῆ ὀπίσω τοῦ θηρίου. *Ad verb. Et admirata est tota terra post bestiam. Ante ὀπίσω subauditur πορευομένη, q. d. vadens post bestiam. Hebraismus. Et conjunctio copulativa ponitur hîc pro rationali seu illativa.*

4 Adorarunt draconem] *Quatenus scil. adorarunt idola. Confer 1. Cor. 10. v. 20.* Itemque adorarunt bestiam] *Quatenus nimirum paruerunt edictis Imperatorum de adorandis idolis.* Quis similis &c.] *Q. d. Quum tanta sit Imperatorum potentia: quis ausit edicta eorum transgredi?*

5 Datum est ei] *Nempe à Deo.* Magna] *Superba.* Et blasphemias] *Epexegesis.* Agendi] ποιῆσαι. *Pro, τοῦ ποιῆσαι. Scilicet actiones suas.* Per menses] μῆνας. *Subauditur κατὰ.* Menses quadraginta duos] *Id est, annos mille ducentos sexaginta. Ut suprà cap. 11. vers. 2.*

6 Aperuit igitur] καὶ ἤνοιξε. *Copulativa pro declarativa.* Tabernaculum ejus] *Id est, ecclesiam. Metonymia adjuncti, nempe typi pro re significata.* Eos qui in cælo habitant] *Id est, sanctos martyres. Periphrasis.* Habitant] σκηνοῦντας. *Quasi dicas, Tabernaculantur, id est, tanquam in tabernaculo habitant.*

7 Sanctis] *Fidelibus.*

8 Itaque] καὶ. *Copulativa pro illativa.* Adorabant] προσκυνήσουσιν. *Ad verb. Adorabunt. Pro, προσεκύνουν, adorabant. Scil. in visione. Enallage temporis apud Hebræos in narrando usitata.* Jam inde à jactis mundi fundamentis] ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. *Ad verb. A fundatione mundi. Hæc verba cohærent non cum verbo propiore ἐσφαγμένου, (ut plerisq́ visum est) sed (ut eruditè observavit Fr. Junius) cum verbo γέγραπται. id quod planum evadit ex collatione v. 8. cap. 17. Similis trajectio habetur Luc. 4. v. 5.*

9 Si quis habet aurem &c.] *Epiphonema.*

10 Si quis in captivitatem ducet &c.] *Id est, Deus pœnâ talionis afficiet persecutores fidelium.* Ducet, abibit] συνάγει, ὑπάγει. *In Græco est paronomasia. Et tempus præsens ponitur pro futuro: ut percipitur tum ex re ipsa, tum è verbis sequentibus.* Hîc] *In hac parte prophetiæ.* Patientia & fides] *Id est, res quæ postulat patientiam & fidem. nam in ferenda persecutione propter confessionem evangelii occupatur & exercetur patientia & fides.* Sanctorum] *Fidelium.*

11 Deinde] καὶ. *Copulativa pro transitiva.* Ascendere] ἀναβαῖνον. *Participium pro infinitivo: ut suprà v. 1.* Et terra] *Id est, ex abysso, quæ est sub terra: hoc est, ex orco seu gehenna. Synecdoche membri. Confirmatur autem hæc expositio ex collatione cap. 11. vers. 7.* Quæ habebat] καὶ εἶχε. *In Græco subauditur ὃ εἶχεν.* Cornua duo] *Symbolum duplicis potestatis, quam sibi arrogat Papa, civilis scilicet & ecclesiasticæ: quò detorquet illud,* Ecce duo gladii hîc. Similia agno] ὅμοια ἀρνίῳ. *Id est, cornibus agni. Synecdoche integri. Cujus simile exemplum vide Heb. 12. v. 24. Symbolum hypocrisis quâ Papa videri vult Christi vicarius.* Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.* Loquebatur ut draco] *Docebat doctrinas dæmoniorum, 1. Tim. 4. v. 1.*

12 Exercebat] ποιεῖ. *Ad verb. Facit. Pro, ἐποίει. Sic deinceps per totum caput: si hæc referantur ad ipsam visionem. Si verò ad historiam, tum omnia reddenda erunt per futurum. Sed prius videtur convenientius præcedentibus, & Johannis in hoc libro consuetudini accommodatius.* In conspectu ejus] *Ipsa spectante. Notatur insolentia Papæ.* Terra] *Incolæ terræ. Metonymia subjecti.* Et ipsius incolæ] *Epexegesis.* Cujus curata fuerat plaga letalis] οὗ ἐθεραπεύθη ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου αὐτοῦ. *Ad verbum, Cujus curata fuerat plaga mortis ejus. Pleonasmus Hebraicus in repetitione pronominis: & phrasis Hebraica in usurpatione genitivi pro epitheto. πληγὴ τοῦ θανάτου, pro πληγὴ θανάσιμος, vel θανατηφόρος.*

13 Signa] *Miracula. Synecdoche generis. Confer 2. Thess. 2. v. 9.* Per signa] διὰ τὰ σημεῖα. *Pro, διὰ τῶν σημείων. Sic suprà cap. 4. v. 11. & cap. 12. v. 11.* Adeò ut faceret] ἵνα ποιῇ. *Pro, ὥστε ποιεῖν.* Ignem è cælo descendere] *Id est, miras ac stupendas res fieri. Synecdoche speciei. Respicit ad factum Eliæ, 2. Reg. 1. v. 10. & 12.*

14 Seducebat] *Confer 2. Thess. 2. v. 9. & deinceps.* Ut facerent imaginem bestiæ] *Ut Imperatores Romanos nominarent, & pro iis colerent, principes eos qui in urbem Romam territoriúmve Romanum nihil juris habebant, qualis fuit Carolus Magnus, & reliqui deinceps.* Quæ gladio vulnerata fuerat] ὃ ἔχει τὴν πληγὴν τῆς μαχαίρας. *Ad verb. Quæ habet plagam gladii, id est, gladio effectam. Genitivus efficientis. Vide suprà v. 3.* Sed] καὶ. *Copulativa pro adversativa.* Revixerat] ἔζησε. *Pro, ἀνέζησε. Sic infrà cap. 20. v. 4. Revixerat autem hîc, id est, sanitatem recuperaverat. Metaphora καταχρηστικὴ, Hebræis usitata.*

15 Ut spiritum inderet imagini] δοῦναι πνεῦμα τῇ εἰκόνι. *Ad verb. Dare spiritum imagini. Id est, ut animam ei inderet, sive ut eam animaret. Nam nisi Papa Imperatorem Rom. electum confirmet, pro mortuo, id est, nullo habetur: saltem ab asseclis Pontificis Romani.* Adeò ut etiam loqueretur] ἵνα καὶ λαλήσῃ. *Pro, ὥστε καὶ λαλῆσαι. Nam effectum significatur istius animationis imaginis bestiæ.* Loqueretur] *Per edicta seu mandata.* Et faceret] *Scil. ipsa imago bestiæ.* Imaginem bestiæ] *Id est, Ipsammet. Antecedens pro relativo positum ἐμφατικῶς, more Hebræorum.*

16 Faciebat ut omnis generis homines acciperent] ποιεῖ πάντας ἵνα δῶσιν αὐτοῖς. *Ad verb. Facit omnes ut det eis. Nomen πάντες, id est,* Omnes, *hîc non significat homines singulos, sed omnes generis seu conditionis: ut liquet partim ex re ipsa, partim è sequente distributione. Sic Luc. 11. v. 42. Act. 2. v. 17. Eph. 1. v. 3. 2. Tim. 2. v. 4.* Characterem] *Unde agnoscantur subjecti esse huic bestiæ, nempe Papæ.* In manu suâ dexterâ] *Jurando scil. in verba Papæ. His verbis notatur totus (qui vocatur) clerus.* Aut in frontibus suis] *Profi-*

tendo subjectionem qua subjecti sint Papæ, etiam citra jusjurandum. His verbis notatur vulgus Papisticum, Laici ab ipsis dicti.

17 Aut nomen] *Id est, Sive nomen. Sic mox,* Aut numerum, *id est, sive numerum. Nam tribus illis nominibus una eademque res significari videtur, videl. professio religionis Papisticæ, sive subjectionis erga Papam. Igitur habere characterem bestiæ, sive nomen bestiæ, sive numerum nominis bestiæ, est profiteri religionem Papisticam, seu nominari Papistam. Confer infrà cap.14.v.11.* Numerum nominis] *Id est, numerum qui continetur literis ex quibus nomen constat. nam Græci numeros notant per literas: sicut & Hebræi.*

18 Hîc] *In hac parte prophetiæ.* Sapientia] *Id est, res quæ postulat sapientiam: videl. numerus bestiæ, sive nomen quo continetur numerus bestiæ: in quo supputando atque inveniendo occupatur mens sapiens. Metonymia adjuncti, ut suprà v.10.* Qui intelligentiâ præditus est] [illegible]. *Q.d. Ergo qui &c.* Supputet] *ψηφισάτω. Ad verb. Calculet.* Numerum bestiæ] *Id est, numerum nominis bestiæ: ut nominavit vers. præced.* Numerus enim] *Prolepsis contra opinionem impossibilitatis.* Hominis] *Qui ab homine possit reperiri & computari. Cohæret enim hæc sententia cum præcedente per prolepsin. Metonymia adjuncti. Sic infrà cap.21.17. dicitur mensura hominis, quæ apud homines usitata est, quáve homines in metiendo uti solent.* Est autem numerus] *καὶ ὁ ἀριθμὸς. Scil. ἐστί.* Sexcenta sexaginta sex] *Qui numerus continetur in duabus his vocibus, ἐκκλησία ἰταλικά: in quibus observatur pronuntiatio usitata Latinis, quia de Latinis sermo est. Alioqui dicendum fuerit ἐκκλησία ἰταλική. Idem numerus continetur etiam voce Hebraicâ* רומיית *Romijith: ad quam subauditur nomen* קהלה *kehilláh, id est, ecclesia: ut significetur ecclesia Romana. Idem numerus continetur etiam nomine λατεῖνος, ut monuit Irenæus. Computatio ex sequenti tabella patet.*

ε	5	ר	200	λ	30
κ	20	ו	6	α	1
κ	20	מ	40	τ	300
λ	30	י	10	ε	5
η	8	י	10	ι	10
σ	200	ת	400	ν	50
ι	10		666	ο	70
α	1			ς	200
ι	10				666
τ	300				
α	1				
λ	30				
ι	10				
κ	20				
α	1				
	666				

Nec tamen hinc sequitur, quodlibet nomen in quo numerus iste reperitur, nomen illius bestiæ esse: quia bestia illa non tantùm ex isto nomine, sed ex compluribus argumentis describitur, è quorum numero & hoc est.

OBSERVAT. EX CAP. XIII.

Imperium Rom. vetus.
1 E sex primis versibus notetur descriptio imperii Romani veteris.

Persecutiones Christianorum.
2 Ex vers.7. Persecutiones Christianorum ab imperatoribus Romanis, non acciderunt temere: sed Deo ita gubernante.

Liber vitæ. Prædestinatio.
3 Ex v.8. notetur testimonium de libro vitæ: id est, de divina prædestinatione certorum hominum ad vitam æternam. In quo libro scripti sunt omnes qui credunt in agnum illum mactatum, id est, in Christum: cujus mactatione (id est, crucifixione) vita æterna omnibus electis parta est.

Talionis pœna.
4 Ex v.10. notetur testimonium de divina pœna talionis: unde justitia ejus cognoscitur.

Antichristus.
5 Ex v.11. & seqq. notetur descriptio Antichristi, nempe Papæ Romani: ut caveatur communio cum illo: quippe quum loquatur ut draco, & seducat incolas terræ, v.14.

Miracula in Papatu.
6 Ex vers.13. Non est quòd miraculis in Papatu editis moveamur: quia interim verum manet quòd Papa loquatur ut draco, & seducat incolas terræ. Confer 2.Thess.2.v.9.

CAPUT XIV.

1 TUm vidi, & ecce, *aderat* agnus stans super montem Sion, & cum eo centum quadragintaquatuor millia, habentia nomen patris ejus scriptum in frontibus suis.

2 Et audivi sonum è cælo, tanquam sonum aquarum multarum, & tanquam sonum tonitrui magni: item sonum audivi citharœdorum pulsantium citharas suas.

3 Canebant autem quasi canticum novum ante thronum, & ante quatuor animalia, & senes: neque quisquam poterat discere canticum illud, nisi illa centum quadragintaquatuor millia, ii *videlicet* qui emti sunt è terra.

4 Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati: virgines enim sunt: hi sequuntur agnum quocunque ierit: hi emti sunt ex hominibus, primitiæ Deo & agno *sacræ*.

5 Et in ore eorum non est inventus dolus: sunt enim inculpati ante thronum Dei.

6 Deinde vidi alium angelum volare per medium cæli, qui habebat evangelium æternum, ut evangelizaret incolis terræ, & omni genti, & tribui, & linguæ, & populo:

7 Dicebatque magnâ voce, Timete Deum, & tribuite ei gloriam: nam vênit hora judicii ejus: & adorate eum, qui fecit cælum & terram & mare & fontes aquarum.

8 Et alius angelus sequutus est, dicens, Cecidit, cecidit Babylon, urbs illa magna; quia ex vino fervente scortationis suæ potandum præbuit omnibus gentibus.

9 Et tertius angelus sequutus est illos, dicens, voce magnâ, Si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte suâ, aut in manu suâ;

10 Is bibet ex vino fervente Dei, quod infusum est merum in poculum iræ ipsius: & cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum, & in conspectu agni.

11 Et fumus cruciatus eorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habebunt requiem die aut nocte, qui adorant bestiam & imaginem ejus, & si quis acceperit characterem nominis ejus.

12 Hîc tolerantia sanctorum est: hîc *sunt* qui observant mandata Dei, & fidem Jesu.

13 Tunc audivi vocem è cælo, dicentem mihi, Scribe, Beati mortui, qui propter Dominum moriuntur, ab hoc tempore. Etiam, dicit spiritus: ut requiescant à laboribus suis. opera enim eorum sequuntur eos.

14 Deinde vidi, & ecce, *aderat* nubes candida: & super nubem sedebat *quidam* similis filio hominis, habens super caput suum coronam auream, & in manu sua falcem acutam.

15 Et alius angelus prodiit è templo, clamans voce magnâ ad eum qui sedebat super nubem, Mitte falcem tuam, & mete: quia vênit tibi hora metendi. nam aruit messis terræ.

16 Misit igitur is qui sedebat super nubem, falcem suam in terram: & demessa est terra.

17 Tum alius angelus prodiit è templo quod *erat* in cælo, habens & ipse falcem acutam.

18 Et alius angelus prodiit ex altari, habens potestatem in ignem: & clamavit voce magnâ ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens, Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: nam maturæ sunt ejus uvæ.

19 Misit igitur angelus ille falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & conjecit *botros* in magnum illum lacum iræ Dei.

20 Et calcatus est lacus extra civitatem: exivitque sanguis è lacu usque ad frænos equorum, per stadia mille sexcenta.

ANALYSIS CAP. XIV.

PRæcedente capite narrata fuit persecutio ecclesiæ per duplicia Diaboli organa, Imperatores scil. ethnicos & Papas Romanos: nunc indicatur persecutionis illius eventus, videlicet victoria fidelium: quæ consistit in constante religionis veræ professione & martyrio, seu supplicii capitalis propter illam voluntariâ perpessione. Victoria hæc declaratur partim ex causis, partim ex effectis. Causæ indicantur triplices: procreans principalis, impulsivæ quæ principalem moverunt, & instrumentales variæ. Principalis causa procreans hujus victoriæ indicatur v.1. nempe Christus, qui significatur per agnum stantem super montem Sion. Impulsivæ indicantur in universum quatuor: prima, cura Christi pro veris ecclesiæ civibus: quæ significatur per stationem agni super montem Sion, ibid. Secunda, electio divina illorum qui vincunt: quæ significatur per nomen patris agni inscriptum fronti-

frontibus illorum, ibid. Tertia, emptio illorum per sanguinem Christi, in fine versus tertii, & rursum in fine versus quarti. Quarta, variæ virtutes illorum: ut castitas animi in colendo Deo, imitatio Christi, consecratio sui ad cultum Dei, veracitas sive sinceritas, & denique puritas vitæ sive sanctitas, v. 4. & 5. Atque hæ sunt causæ impulsivæ quæ Christum ad victoriam illis dandam commoverunt. Jam instrumentales causæ indicantur variæ: quarum una ad persecutores victos pertinet, reliquæ ad victores, nempe martyres. Ad persecutores pertinet horribilis convictio conscientiæ ex confessione martyrum fundata in verbo Dei. Hæc convictio notatur per sonum illum, quem audivit Johannes è cælo, tanquam sonum aquarum multarum, & tanquam sonum tonitrui magni, v. 2. Ad martyres pertinent hæc: Primò, hortatio ministrorum evangelii ad constantiam in vero cultu Dei, confirmata promissione felicitatis æternæ, v. 6. & 7. Secundò, vaticinium de ruina seu interitu Papatus, v. 8. Tertiò, comminatio cruciatuum æternorum, si quis à vera religione ad Papatum defecerit, vers. 9. 10. & 11. Hæc comminatio amplificatur corollario: quod Johannes per epiphonema annectit, quo de necessitate tolerantiæ & constantiæ monet, v. 12. Quarta causa instrumentalis istius victoriæ, ad martyres pertinens, est testimonium divinum scriptum de beatitudine martyrum, v. 13. Hoc testimonium amplificatur corollario, videlicet approbatione Spiritus sancti in Johanne, itemque ipsius beatitudinis declaratione per privationem contrariorum & causam efficientem, ibidem. Quinta, eaque postrema causa instrumentalis, ad martyres pertinens, est testimonium divinum de vindicta Christi in persecutores, v. 14. & deinceps. Hoc autem testimonium est symbolicum, id est, in certa imagine positum: eâque duplici: videlicet homine magnifico metente fruges terræ, v. 14. 15. & 16. & angelo prodeunte è templo cælesti vindemiante botros terræ, versibus quatuor ultimis. Messio illa illustratur duobus modis: descriptione messoris, & causâ impulsivâ ad metendum. Messor describitur è subjecta sede, ex adjuncto ornamento capitis, & adjuncto instrumento messorio, vers. 14. Causa impulsiva quæ illum impulit ad metendum, fuit hortatio angeli, confirmata à proprietate temporis, vers. 15. Vindemiatio verò illustratur & amplificatur tribus modis: causâ impulsivâ, subjecto receptaculo botrorum vindemiatorum, & eventis. Causa impulsiva fuit hortatio angeli, confirmata similiter à proprietate temporis, v. 18. Receptaculum botrorum nominatur magnus ille lacus iræ Dei, v. 20. Eventa fuerunt duo, calcatio botrorum, & effluxio sanguinis copiosissima, v. 20. Atque hæc de victoriæ martyrum variis causis. Effectum verò inseritur vers. 2. & 3. videlicet testificatio lætitiæ per carmen triumphale. Cujus decantatio illustratur à loco ubi facta est, in principio v. 3. Ipsum verò carmen ab adjuncta singularitate, ejusdem versus membro posteriore.

SCHOLIA IN CAP. XIV.

1 Agnus] *Imago Christi.* Sion] *Imago Ecclesiæ.* Centum quadragintaquatuor millia] *Confer suprà cap. 7. v. 4.*

2 Sonum] φωνὴν. *Ad verb. Vocem. Sic deinceps. Synecdoche speciei Hebraica.* Pulsantium citharas] κιθαρῳδῶν κιθαριζόντων ἐν ταῖς κιθάραις. *q. d. Citharizantium in citharis. ut nos dicimus,* Auf der harfen schlagen.

3 Canebant autem] καὶ ᾄδουσιν. *Præsens pro imperfecto, ut passim in hoc libro. Et copulativa pro transitiva.* Quasi canticum novum] *Ut suprà c. 5. v. 9.* Neque quisquam poterat discere &c.] *Quia soli electi ex verbo Dei discunt, se ad vitam æternam electos esse: item ipsis solis revelantur mysteria regni cælorum, Matthæi 13. v. 11.* Emti] *Sanguine Christi.* E terra] *Ex genere humano degente in terra: ut declaratur v. seq. Metonymia subjecti.*

4 Qui cum mulieribus non sunt inquinati] *Qui se non polluerunt scortatione spirituali: quæ est idololatria. Intelligitur autem hîc idololatria Papatus.* Virgines] *Id est, castè Deum colentes. Loquitur enim de electis confessoribus evangelii omnibus: ut liquet ex c. 7. Inter illos autem multi conjugati fuerunt, & adhuc sunt, & posthac erunt.* Sequuntur agnum] *Id est, Christo adhærent fide & charitate: ac proinde mandatis ejus obediunt, & sanctam ejus vitam imitantur.*

5 Et in ore eorum non est inventus dolus] *Id est, sincerè Deum coluerunt, absque hypocrisi. Confer Luc. 1. v. 6.*

6 Deinde] καὶ. *Copulativa pro transitiva.* Volare] πετώμενον. *Participium pro infinitivo.* Qui habebat evangelium] *Symbolum ministrorum evangelii.* Æternum] *Quo annuntiatur salus æterna.*

7 Voce] ἐν φωνῇ. *Præpositio ἐν additur ex more Hebræorum. Sic v. 9.* Venit] ἦλθεν. *Id est, certò ventura est.* Eum qui fecit cælum &c.] *Q. d. Non autem bestiam, aut idola.*

8 Cecidit, cecidit] *Id est, certò casura est.* Babylon] *Roma mater confusionis: quod notatur voce Hebraica.* Ex vino fervente] ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ. *Vel, Ex vino venenato seu virulento. Nam nomen θυμὸς respondit hîc Hebr.* חֵמָה *hhemáh: quod à Græcis Bibliorum interpretibus voce istâ θυμὸς reddi solet. Significat autem interdum venenum, ut Psalm. 58. v. 4. ubi dicitur,* Venenum est illis, simile veneno serpentis. *Et deductum est illud nomen à verbo* יָחַם *jahhám, quod significat incalescere seu fervere; quæ etiam ratio est, cur venenum eo nomine appelletur, quia vi illius caro intumescit ac fervet. Vinum igitur ferboris, pro fervente seu fervido, dicitur phrasi Hebraicâ, ubi genitivus notat adjunctum rei inhærens.* Scortationis suæ] *Id est, idololatriæ. Metaphora. Id est, quod incitat ad scortandum cum ipsa. Genitivus effecti. Similitudo sumta à meretrice quæ p[h]iltro dementat amasium. Confer infrà cap. 17. v. 2. & cap. 18. v. 3.*

9 Bestiam] *Scilicet. Secundam: de qua suprà cap. 13. v. 11. ut percipitur ex verbis sequentibus.* Imaginem ejus] *Id est, ab ea factam priori bestiæ, suprà cap. 13. vers. 14.* In fronte] *vide suprà cap. 13. v. 16.*

10 Is bibet] καὶ αὐτὸς πίεται. *Conjunctio καὶ hîc nota est consequentis in pronuntiato connexo, ex usu Hebræorum.* Ex vino fervente] ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ. *Ut suprà v. 8. Id est, ex ira Dei: ut mox declaratur.* Quod infusum est merum] *Id est, sine aqua admixta: Unde liquet verbum κεράννυσθαι, quod significat miscere, hîc usurpari pro infundi, per synecdochen speciei κεκερασμένου: quia moris erat vinum infusum miscere atque diluere. Merum Græcè ἄκρατον q. d. immistum, id est, non mistum,* ungemischt oder ungemengt. Igne] ἐν πυρὶ. *Præpositio redundat ex Hebraismo.*

11 Fumus cruciatus] *Id est, fumus ignis quo cruciabuntur. Metonymia effecti: Itemque genitivus effecti.* Ascendet] ἀναβαίνει. *Ad verb. Ascendit. Enallage temporis. Sic mox ἔχουσιν pro ἕξουσι.* Die aut nocte] ἡμέρας καὶ νυκτὸς. *Copulativa pro disjunctiva. Subauditur autem ad illos genitivos dativus χρόνῳ.* Bestiam] *Vide suprà v. 9.* Characterem nominis] *Ex hac illarum vocum copulatione planum evadit, suprà cap. 13. v. 17. per characterem bestiæ, & nomen bestiæ, unam eandemque rem significari.*

12 Hîc] *Id est, in hac parte prophetiæ.* Tolerantia sanctorum] *Id est, res quæ postulat tolerantiam sanctorum. Sic consequenter. Ut suprà cap. 13. v. 10. & 18.* Qui observant mandata Dei] *Ac proinde sibi cavent ne adorent bestiam &c.* Fidem Jesu] *Qua creditur in Jesum. Genitivus subjecti: nempe subjecti occupantis, sive objecti.*

13 Tunc] καὶ. *Copulativa pro transitiva.* Scribe] *Scil. Verba quæ continenter sequuntur.* Beati] *Scilicet sunt.* Ab hoc tempore] ἀπάρτι. *Hoc adverbium putant quidam per trajectionem construendum cum nomine* Beati, *scilicet sunt. Sed videtur potiùs construendum cum verbo,* Moriuntur, *cui subjunctum est. Significat enim Deus his verbis, supplicia Christianorum paulò pòst incæptura, & deinceps continuatum iri.* Propter Dominum] ἐν κυρίῳ. *Id est,* διὰ τὸν κύριον. *Videl. propter confessionem Domini nostri Jesu Christi. Hebrais. & metonymia subjecti. Hanc autem expositionem postulat collatio versus præcedentis: item verborum proximè sequentium.* Ut requiescant] *Sermo imperfectus & ἀνώμαλος. Fortasse subaudiendum, γενήσεται. id est, fiet.* Laboribus] *Quos sustinuerunt certando confessione suâ pro veritate evangelii.* Opera] *Id est, merces operum. Metonymia efficientis. Quæ tamen merces dabitur ex gratia.* Enim] δὲ. *pro,* γὰρ. *Declaratur enim sententia antecedens.*

14 Nubes candida] *Symbolum puritatis sive sanctitatis, vel majestatis. nam reges olim veste candidâ induebantur.* Filio hominis] *Id est, homini. Hebraismus. Imago seu typus Christi.* Coronam auream] *Signum regiæ majestatis.* Falcem] *Cujus usus mox indicabitur. Symbolum judicii divini, ac nominatim cædium, quibus homines quasi metuntur.*

15 Voce] ἐν φωνῇ. *Præpositio redundat ex Hebraismo.* Aruit messis terræ] *Impii maturi sunt pœnis.* Messis] ὁ θερισμός. *Id est, seges. Metonymia adjuncti.*

16 Misit igitur] καὶ ἔβαλεν. *Copulativa pro transitiva. Sic mox in principio versus sequentis. Item v. 19.*

17 Quod erat &c.] *Nempe in illa visione Johannis.* τοῦ ἐν οὐρανῷ. *scilicet ὄντος.*

18 Ex altari] ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου. *Hoc videtur intelligendum de summitate altaris, unde prodierit. Confer supr. cap. 9. v. 13.* Habens potestatem in ignem] *Symbolum vindictæ Dei. Vide Psal. 11. v. 6. Psal. 21. v. 10. Psal. 50. v. 3. Psal. 97. v. 3.* Clamavit voce magnâ] ἐφώνησε κραυγῇ μεγάλῃ. *Ad verb. Vocavit clamore magno.* Er rieff mit groossem geschrai. Maturæ sunt] *Id est, maturi sunt impii pœnis.* In terram] *Id est, in impios, piorum persecutores, quorum plena est terra. Metonymia subjecti, & synecdoche integri.* Lacum iræ Dei] *Id est, locum aliquem terræ, ubi in prælio occumbent Pontificii. Hæc expositio confirmatur ex collatione versus sequentis. Confer Joël. 3. v. 2. Lacus autem vocabulo hîc non intelligitur aqua stagnans, littoribus suis inclusa, quæ Græcè dicitur λίμνη: sed lacus preli torcularii, ubi uvæ prelo exprimuntur, qui in textu Græco nominatur ληνός: Germanicè* ein kelter/oder trott: *non autem,* ein see.

20 Extra civitatem] *Id est, extra ecclesiam, quæ est civitas Dei.* Sanguis] *Hinc percipitur, quinam fuerint isti botri, nempe homines.* Usque ad frænos] *Hinc percipitur, quid intelligendum sit per illum, nempe prælium. Confer Joël. 3. per totum.*

OBSERVAT. EX CAP. XIV.

1 Ex quinque primis versibus. Electi in Papatu divinitus conservati sunt, ne seducerentur: sed constanti professione evangelicæ veritatis victoriam contra adversarios & persecutores suos obtinerent: unde tandem in cælum translati, canticum gratiarum actionis Deo canunt. Papatus.

Gratiarum actio erga Deum. 2 Ex vers. 2. Gratiarum actio qua pii Deo pro beneficiis acceptis gratias agunt, grata & accepta ei est: sicut homini gratus & jucundus est sonus citharæ artificiosè pulsatæ.

Redemtio. 3 Ex vers. 3. & 4. ex verbis, *Is qui emti sunt è terra*: Item, *Hi emti sunt ex hominibus*, collatis cum versu primo. Soli electi à Christo redemti sunt.

Fideles. 4 Ex versu 4. & 5. Electi & veri fideles student bonis operibus.

Evangelii prædicatio. 5 Ex vers. 6. & 7. Evangelii prædicatio conjuncta esse debet cum exhortatione ad cultum veri Dei.

Roma. Papatus. 6 Ex vers. 8. notetur testimonium de ruina urbis Romæ & Papatus.

Papistæ. 7 Ex vers. 9. 10. 11. notetur testimonium de exitio æterno Papistarum.

Martyres in Papatu. 8 Ex v. 12. & 13. notetur testimonium de singulari beatitate eorum qui persecutionem Papistarum propter evangelicæ doctrinæ confessionem patienter toleraverint.

Persecutores confessorum. 9 Ex vers. 14. & seqq. notetur testimonium de vindicta Dei, quam exercebit in persecutores confessorum Evangelii.

CAPUT XV.

Deinde vidi aliud signum in cælo, magnum & admirabile; *videlicet* angelos septem, qui habebant plagas septem ultimas, quoniam per illas consummabitur ira Dei.

2 Præterea vidi tanquam mare vitreum mixtum igni: & eos qui victoriam reportarant ex bestia & imagine ejus & charactere ejus, *nempe* ex numero nominis ejus, & stantes apud mare vitreum, *&* habentes citharas Dei:

3 Qui etiam cantabant canticum Mosis servi Dei, & canticum agni, dicentes, Magna & mirabilia *sunt* opera tua, Domine Deus omnipotens: justæ & veræ *sunt* viæ tuæ, ô rex sanctorum.

4 Quis non timeret te, Domine, & glorificaret nomen tuum? nam solus sanctus *es*. Nam omnes gentes venient & adorabunt coram te: nam judicia tua patefacta sunt.

5 Et post hæc vidi; & ecce, apertum est templum tabernaculi testimonii in cælo.

6 Et prodierunt è templo septem illi angeli, qui habebant septem illas plagas, induti lino puro & splendido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

7 Et unum ex quatuor animalibus dedit septem illis angelis phialas aureas, plenas iræ Dei viventis in sæcula sæculorum.

8 Et impletum est templum fumo *prodeunte* à majestate Dei, & à potentia ejus: nec quisquam poterat ingredi in templum, donec consummatæ essent septem illæ plagæ septem angelorum.

ANALYSIS CAP. XV.

Hactenus per tria capita fuit digressio, per quam abrupta fuit prophetia tubæ septimæ, proposita c. 11. v. 15. & deinceps, de ultimo scilicet væ, id est, de ultimis mundi plagis, quarum extremam excipiet damnatio æterna ibidem proposita. Hic ad propositum reditur, & prophetia de ultimo væ, sive ultimis mundi plagis, deinceps per sex capita distinctè & copiosè in effusione septem phialarum enarratur. Præmittitur autem ad illam effusionis phialarum prophetiam (sicut & suprà ante apertionem sigillorum & clangorem tubarum factum fuit) præparatio Johannis, toto hoc capite, & vers. 1. capitis sequentis. Deinde ipsa phialarum effusio narratur cap. 16. Tum septimæ (id est, ultimæ) phialæ effusio illustratur cap. 17. 18. 19. & 20.

Vers. 1. continetur præparationis istius propositio, qua indicantur breviter præcipuæ illius partes, videlicet (1) ministri illarum plagarum, nempe angeli: (2) causa procreans principalis, nempe Deus: & (3) causa impulsiva respectu efficientis principalis, nempe ira Dei.

Vers. 2. & deinceps partes istius præparationis distinctè & ordine narrantur: eæ sunt, (1) subjectum recipiens, (2) effectum, (3) efficiens principalis, (4) efficientis ministræ, (5) efficientes impulsivæ. Ita exceptâ propositione, sunt quinque hujus capitis particulæ.

I. Subjectum recipiens istarum plagarum est mundus, seu multitudo hominum impiorum, significata per mare vitreum, mixtum igni, in principio versus secundi. Ubi simul notari videtur causa impulsiva procatarctica respectu efficientis principalis, si per ignem intelligatur persecutio, qua impii pios persequuntur.

II. Effectum istarum plagarum est carmen triumphale piorum, ac inprimis martyrum, v. 2. 3. & 4.

III. Efficiens principalis est Deus, è cælo emittens angelos suos ad effundendum illas plagas in mundum. Hoc significatur per apertionem intimæ partis templi, nempe sancti sanctorum, v. 4.

IV. Efficientes ministræ indicantur duplices: primùm angeli inferioris ordinis, deinde unus ex archangelis. Angeli inferioris ordinis describuntur ex adjuncta dignitate regia: quæ significatur per magnificum vestitum, vers. 6. Archangelus significatur per unum ex quatuor illis animalibus, quæ propè astabant circa thronum Dei. Ministerium verò ejus indicatur hoc, quòd cæteris illis angelis retulerit propositum Dei de plagis per ipsos effundendis: id quod significatur per porrectionem phialarum, v. 17.

V. Efficientes impulsivæ narrantur duæ: una respectu efficientis principalis, altera respectu efficientium ministrarum. Efficiens impulsiva respectu efficientis principalis est, ira Dei, sive decretum puniendi; quod significatur per fumum prodeuntem à majestate Dei: & amplificatur ab adjuncta firmitudine seu immutabilitate, quæ significatur per fumi illius effectum, quòd scilicet tamdiu templum replevit, & omnes ab ingressu illius arcuit, donec septem illæ plagæ essent effusæ, vers. 8. Impulsiva respectu efficientium ministrarum, est mandatum Dei, quod narratur vers. 1. capitis sequentis: qui versus propterea fuit cum hoc capite conjungendus.

SCHOLIA IN CAP. XV.

1 Deinde] καὶ. *Copulativa pro transitiva.* Signum] *Imaginem.* Habebant] *Scil. in phialis, infrà vers. 7.* Septem] *Singuli singulas.* Per illas] ἐν αὐτοῖς. *Ad verb. In illis. Hebraismus.* Consummabitur] ἐτελέσθη. *Pro,* τελεσθήσεται.

2 Mare] *Symbolum mundi, scil. generis humani. Ut suprà c. 4. vers. 6.* Vitreum] *Sybolum fragilitatis seu impotentiæ.* Mixtum igni] *Cujus autem rei symbolum est hic ignis? Num persecutionum quibus mundus persequitur pios, eosque exurere conatur? an verò iræ Dei qua ipsum mundum consumturus est? Prius magis arridet, quoniam iræ Dei jam antè facta fuit mentio, vers. 1. & iterum fiet v. ult. Atque ita Christus quoque ignis vocabulo utitur, ubi ait, se venisse ut ignem mitteret in terram, Luc. 12. v. 49.* Ex bestia] ἐκ τοῦ θηρίου. *Scilicet posteriore, nempe bicorni illâ suprà cap. 13. v. 11. Huic enim propriè conveniunt, quæ continenter adduntur.* Imagine ejus] *Id est, quam ipsa fecit alteri bestiæ, suprà cap. 13. v. 14. Genitivus efficientis. Sic autem exponi postulat membrum proximè sequens.* Charactere ejus] *Id est, quem ipsa dat subjectis suis, suprà cap. 13. v. 16. Genitivus adjuncti.* Nempe ex numero nominis ejus] *Hoc membrum præcedenti adjungitur per appositionem: unde rursum liquet, ista æquipollere. Vide suprà c. 13. v. 17. & cap. 14. v. 9. & 11.* Citharas Dei] *A Deo sibi datas. Genitivus adjuncti.*

3 Cantabant] *Vel, canebant.* ᾄδουσι. *Præsens pro imperfecto, ut passim in hoc libro.* Canticum Mosis] *Quod habetur Exod. 15. Symbolum liberationis fidelium à tyrannide Diaboli & organorum ejus.* Canticum agni] τοῦ ἀρνίου. *Agni illius de quo suprà cap. 5. vers. 6. Nempe Christi: id est, quod ipsos docuit Christus. Genitivus adjuncti.*

4 Judicia] δικαιώματα. *Ad verb. Justificationes. Id est, justa facta. Synecdoche generis.*

5 Templum tabernaculi] *Templum illud quod est & nominatur tabernaculum. Genitivus speciei.* Tabernaculi testimonii] *In quo repositum est testimonium, id est, tabulæ Legis reconditæ in arca: quæ Lex testimonium est voluntatis Dei, quomodo scil. velit à suis coli. Periphrasis sancti sanctorum, sive adyti.*

6 Septem illas plagas] *Nempe de quibus dictum v. 1.* Lino] *Lineis stolis. Metonymia materiæ.* Splendido] *Symbolum puritatis sive sanctitatis angelorum, & gloriæ.* Præcincti] *Symbolum alacritatis, quòd expediti sint angeli ad ministrandum Deo.*

7 Animalibus] *De quibus supr. cap. 4. v. 6. & deinceps.* Septem phialas] *Singuli singulas.*

8 Majestate] δόξης. *Ad verb. Gloria.*

OBSERVAT. EX CAP. XV.

1 Ex v. 1. 6. & 7. notetur testimonium de ministerio angelorum quæ præstant Deo in inferendis plagis impio mundo. *Angeli.*

2 Ex v. 2. Impius mundus est tanquam mare vitreum mixtum igni. Tanquam mare: quia magna est impiorum multitudo. Tanquam matre vitreum: quia intima impiorum consilia Deo perspicua sunt. Tanquam mare mixtum igni: quia ardente odio prosequuntur pios. *Mundus.*

3 Ex vers. 2. 3. & 4. Qui fidem Christianam sub persecutione Antichristi constanter fuerint confessi, illi in cælo lætum canticum Deo canent. *Confessores.*

4 Ex v. 6. notetur angelorum descriptio à sanctitate, majestate, & alacritate in exsequendis judiciis Dei. *Angeli.*

5 Ex v. 7. notetur testimonium de ordine inter angelos. Sunt enim alii superiores, alii inferiores: per quorum illos Deus hisce mandata dat. *Angeli.*

6 Ex v. 8. Plagæ quibus impius mundus afficitur, proficiscuntur à Deo irato; cujus ira hîc per fumum significatur. *Calamitates publicæ.*

CAPUT

CAPUT XVI.

TUnc audivi vocem magnam è templo, dicentem ſeptem illis angelis, Ite, & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram.

22 Abiit igitur primus *angelus*, & effudit phialam ſuam in terram: ortumque eſt ulcus malum ac noxium in hominibus, qui habebant characterem beſtiæ, & iis qui adorabant imaginem ejus.

3 Deinde ſecundus angelus effudit phialam ſuam in mare, verſumque eſt *illud* in ſanguinem quaſi cadaveris: & quodcunque animal vivebat in mari, mortuum eſt.

4 Tum tertius angelus effudit phialam ſuam in flumina & in fontes aquarum: verſæque ſunt in ſanguinem.

5 Et audivi angelum aquarum dicentem, Juſtus es, Domine, ô ille Ens & ille Erat & ille Sanctus, quòd hæc judicaſti.

6 Quia *enim* ſanguinem ſanctorum & prophetarum effuderunt, idcirco ſanguinem eis dediſti ad bibendum: digni enim ſunt.

7 Et audivi alium ex altari dicentem, Etiam Domine Deus omnipotens, vera & juſta *ſunt* judicia tua.

8 Poſtea quartus angelus effudit phialam ſuam in ſolem: & datum eſt ei æſtu affligere homines per ignem.

9 Itaque æſtuaverunt homines æſtu magno, & blaſphemarunt nomen Dei habentis poteſtatem in has plagas: neque reſipuerunt, ut darent ei gloriam.

10 Tum quintus angelus effudit phialam ſuam ſuper thronum beſtiæ: & factum eſt regnum ejus tenebroſum: unde mandebant linguas ſuas præ dolore:

11 Et blaſphemarunt Deum cæli præ doloribus ſuis & præ ulceribus ſuis: nec reſipuerunt ab operibus ſuis.

12 Tum ſextus angelus effudit phialam ſuam in fluvium illum magnum, *nempe* Euphratem: & ſiccata eſt aqua ejus, ut pararetur via regum ab ortu ſolis *adventantium.*

13 Et vidi ex ore draconis, & ex ore beſtiæ, & ex ore pſeudoprophetæ illius, tres impuros ſpiritus ſimiles ranis *prodeuntes.*

14 Sunt enim ſpiritus dæmonum edentes ſigna, quique abeunt ad reges terræ, & *quidem* totius orbis habitabilis, ut congregent eos ad prælium magni illius diei Dei omnipotentis.

15 Ecce venio ut fur. Beatus qui vigilat & ſervat veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videantur verenda ipſius.

16 Congregarunt igitur eos in locum qui vocatur Hebraicè Harmageddon.

17 Tum ſeptimus angelus effudit phialam ſuam in aërem: & prodiit vox magna è templo cæli à throno, dicens, Factum eſt.

18 Et exſtiterunt ſonitus, & fulgura, & tonitrua: & terræmotus factus eſt magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt ſuper terram, talis terræmotus, adeò magnus.

19 Et dirupta eſt urbs illa magna in tres partes, & civitates gentium ceciderunt, & Babylon illa magna venit in memoriam coram Deo, ut præberet ei poculum vini fervidi iræ ſuæ.

20 Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inventi.

21 Et grando magna, quaſi talentaria, deſcendit è cælo in homines: & blaſphemarunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna fuit plaga ejus vehementer.

ANALYSIS CAP. XVI.

HOc capite narratur effuſio ſeptem phialarum, id eſt, prophetia de ſeptem ultimis plagis quæ in Papam & aſſeclas illius partim jam effuſæ ſunt, partim adhuc quotidie effunduntur, partim deinceps effundentur. Sunt autem illarum plagarum aliæ ſpirituales, aliæ corporales: quarum illæ effuſione quatuor phialarum primarum, iſtæ verò trium poſtremarum ſignificantur.

Prima plaga eſt vexatio animi ex mala conſcientia, ſignificata per ulcus.

Secunda plaga eſt horror conſcientiæ ex corruptela verbi Dei, ſignificatus per mutationem maris in ſanguinem, v.3.

Tertia plaga eadem eſt cum ſecundâ, reipsâ, differt autem ſubjecto recipiente: quod illic eſt mare, id eſt, homines degentes in inſulis: hîc verò flumina & fontes, id eſt, homines degentes in terra continente, v.4. Hæc plaga illuſtratur ex adjuncta juſtitiæ quam pronuntiant duo angeli cum doxologia ſeu laudatione Dei. Primùm angelus aquarum, v.5. & 6. deinde alius angelus, loquens ex altari, v.7.

Quarta plaga eſt æſtus anxiæ & deſperabundæ conſcientiæ, ob admiſſa flagitia atque ſcelera: ſignificatus per æſtum ſolis, & amplificatus ex effectis duobus, blaſphemia & impœnitentia, v.8. & 9.

Quinta plaga eſt contemtus Papatus: qui contemtus ſignificatur per tenebras regni beſtiæ, verſ.10. Amplificatur autem ex effectis quatuor, dolore maximo, manducatione linguarum, blaſphemiâ, & impœnitentiâ, v.10. & 11.

Sexta plaga eſt imminutio pœnitentiæ Papalis, ſignificata per exſiccationem Euphratis ad patefaciendum viam regibus Babylonem bello aggreſſuris, v.12. Hæc plaga illuſtratur ex eventu duplici, videlicet conſultatione Diaboli & Imperatoris alicujus & Papæ de adornando bello contra principes illos qui potentiam Papæ minuerunt. Hæc conſultatio ſignificatur per egreſſionem trium impurorum ſpirituum ex ore draconis, & ex ore beſtiæ, & ex ore pſeudoprophetæ, v.13. Atque hic primus eventus eſt: alter eſt ipſa belli adornatio, quæ declaratur per actionem miniſtrorum ab illis emiſſorum, & reges ad iſtud bellum inſtigantium, atque ſuſceptionem illius perſuadentium: cujus perſuaſionis cauſa adjuvans indicatur, videl. miracula diabolica: item belli iſtius eventus inſperatus, nempe clades: quæ ſignificatur per hoc quòd prælium ab illis committendum nominatur prælium magni illius diei Dei omnipotentis, v.14.

Verſu 15. inferitur admonitio Chriſti ad pios de cavenda ſecuritate carnali, & adhibenda vigilantia atque ſolicitudine ſpirituali. Verſu autem 16. actio illa miniſtrorum Papæ declaratur ex effectu, videlicet congregatione regum ad bellum contra Chriſtianos principes gerendum: ſimulque belli eventus ille inſperatus iterum ſignificatur, per nomen myſticum loci, ubi prælium ſit committendum, v.16.

Septima plaga eſt ruina ſeu interitus Papatus. Hic interitus primùm annuutiâtur voce ipſius Dei, v.17. Deinde ſignificatur ſymbolo horribilis tempeſtatis ac terræmotus, v.18. Tum declaratur per duas ſpecies, amiſſionem regni ſeu dominationis, & damnationem ad æternos cruciatus: quarum illa ſignificatur per diruptionem urbis in tres partes, & ruinam urbium; hæc per præbitionem poculi iræ Dei, & fugam inſularum ac montium, v.19. & 20. Poſtremò ſymbolum horribilis illius tempeſtatis repetitur, & ex effectu amplificatur, v. ultimo.

SCHOLIA IN CAP. XVI.

1 Tunc audivi] *Hic verſus conjungi debuit cum cap. præcedente: quia ejusdem eſt argumenti, pertinens ſcilicet ad præparationem.* E templo] *Quod erat in cælo, ſuprà cap.15. v.5.* Septem illis angelis] τοῖς ἑπτὰ ἀγγέλοις. *Quorum facta mentio cap.15. v.1.* Phialas iræ] *Id eſt, plenas iræ, ſuprà cap.15. v.7. Genitivus adjuncti. Iræ autem, id eſt, plagarum, ſuprà cap.15. v.1. Metonymia efficientis.*

2 Ulcus] ἕλκος. *Id eſt, Vexatio animi malè ſibi conſcii. Metaphora.* In hominibus] εἰς τοὺς ἀνθρώπους. *Pro,* ἐν τοῖς ἀνθρώποις. *Enallage Hebraica.* Qui habebant characterem beſtiæ] *Vide ſuprà cap.13. v.16. & 17.* Qui adorabant imaginem ejus] *Vide eod. cap. v.15.* Imaginem ejus] *Id eſt, quam ipſa fecit alteri beſtiæ. Vide ſuprà cap.13. v.14. Genitivus efficientis.*

3 Verſumque eſt illud in ſanguinem] καὶ ἐγένετο αἷμα. *Poſt* ἐγένετο *ſubauditur* ἐκείνη, *ſcilicet* ἡ θάλασσα. *Ad verb. Et factum eſt mare ſanguis. Sic v.4.* Quaſi cadaveris] *Id eſt, talem qualis eſt cadaveris. Notatur corruptela verbi Dei letifera, id eſt, horrorem conſcientiæ pariens, & ad deſperationem adigens bibentes, hoc eſt, fidem ei habentes.* Et quodcunque animal vivebat in m[…] mortuum eſt] καὶ πᾶσα ψυχὴ ζῶσα ἀπέθανεν ἐν τῇ θαλάσσῃ. *Ad verb. Et omnis anima vivens mortua eſt in mari. Trajectio, & ſynecdoche Hebraica, anima vivens pro animali. Item ellipſis articuli, pro,* ἡ ἐν τῇ θαλάσσῃ, *ſcil.* οὖσα.

4 Verſæ ſunt in ſanguinem] ἐγένετο αἷμα. *Ad verb. Facta ſunt ſanguis. Subauditur,* ἐκεῖνα, *nempe* τὰ ὕδατα. *Rurſum autem corruptela verbi Dei notatur.*

5 Angelum aquarum] *Sive angelum illum tertium qui phialam ſuam effuderat in fontes aquarum: ſive alium aliquem angelum cuſtodiæ aquarum præfectum.* Ille Ens, & ille Erat, & ille Sanctus] ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ὅσιος. *Pro,* ὅσιος *omnino legendum videtur* ἐσόμενος, *id eſt, Futurus: ſi quis conſideret rem ipſam, & deſcriptiones Dei ſimiles ſuprà cap.1. v.4. & 8. item cap.4. v.8 & cap.11. verſ.17. ubi pro* ἐσόμενος *habetur* ἐρχόμενος. *Cujus rei ratio probabilis affertur hæc, quòd illic ſermo ſit de Deo ut judice venturo, hic autem ut de exſequente judicia ſua, idque in æternum.* Quòd

hæc judicasti] *Quòd has plagas, sive hanc plagam (nempe tertiam) hominibus istis immisisti.*

6 Idcirco sanguinem &c.] καὶ αἷμα &c. *Copulativa pro relativa effecti per Hebraism.* Digni] *Istâ plagâ. Videtur autem hac plaga respici ad plagam Ægyptiorum, quum non possent bibere aquam à Mose in sanguinem conversam. Sicut per plagam ulceris in phiala prima videtur respici ad ulcera quibus Moses percussit Ægyptios.*

7 Alium] *Scil. angelum.* Ex altari] *Confer suprà cap. 9. v. 13.* Judicia tua] *Pœna tua. Metonymia efficientis.*

8 Ei] *Sive angelo, sive soli.* Per ignem] ἐν πυρί. Ἐν *pro* διὰ *per Hebraism.*

9 Itaque] καὶ. *Copulativa pro rationali seu illativa.* Æstu] καύματι. *Subauditur* ἐν. *Significatur autem æstus anxia ac desperabunda conscientia ob admissa flagitia atque scelera.* Ut darent] δοῦναι. *Pro,* τοῦ δοῦναι. *Scil.* ἕνεκα.

10 Bestiæ] *Nempe posterioris, cujus etiam mentio fuit facta v. 2. Ea autem bestia est Papa Rom.* Tenebrosum] ἐσκοτωμένη, *obtenebratum*, verfinstert. *Symbolum contemtus.* Unde mandebant] καὶ ἐμασσῶντο. *Copulativa pro illativa.* Præ dolore] ἐκ τοῦ πόνου. *Ex dolore. Notatur causa efficiens. Sic v. seq.*

12 Euphratem] *Symbolum opum quibus munitur Babylon spiritualis, id est, Roma: sicut olim Babylon illa orientalis munita fuit Euphrate.* Siccata est] *Respicit ad historiam occupatæ Babylonis à Cyro.* Ab ortu solis *adventantium*] τῶν ἀπὸ τῶν ἀνατολῶν ἡλίου. *Scil.* προσερχομένων. *Id est, regum hostilium: quales olim fuerunt Babylonis rex Medorum Darius, & rex Persarum Cyrus. Synecdoche generis, & metaphora.*

13 Bestiæ] *Scil. prioris, quia distinguitur à pseudopropheta: qui idem est cum bestia posteriore.* Tres] *Id est, mediocri numero. Synecdoche speciei.* Impuros spiritus] *Id est, homines ab impuris spiritibus actos. Metonymia adjuncti.* Similes ranis] *Obstreperos, & garritu suo molestos. Mirum ni isti sunt Jesuitæ.*

14 Edentes] ποιοῦντα. *Facientes.* Signa] *Id est, miracula.* Ut congregent] συναγαγεῖν. *Pro,* τοῦ συναγαγεῖν. *Scilicet,* ἕνεκα. Ad prælium] εἰς πόλεμον. *Ad verbum, Ad bellum. Synecdoche generis Hebraica.* Diei Dei] *Quem Deus huic prælio destinavit, ut in eo vincat hostes suos.*

15 Ecce venio] *Sunt verba Christi.* Venio] *Ad judicium.* Ut fur] *Ex improviso. Synecdoche generis.* Beatus] *Scil. est.* Vestimenta sua] *Fidem & charitatem.* Et videantur] καὶ βλέπωσι. *Ad verb. Et videant. Scil. homines. Loqutio impersonalis, Hebræis usitata.* Verenda] *Sive pudenda.* τὴν ἀσχημοσύνην. *Ad verb. Turpitudinem. Metonymia adjuncti Hebraica.*

16 Congregarunt igitur] καὶ συνήγαγεν. *Scil.* τὰ τρία πνεύματα, *tres illi spiritus, vers. 13. Neutrum plurale cum verbo singulari per Hellenismum.* Eos] *Reges terræ, vers. 14.* Harmageddon] Ἀρμαγεδδών. *Scribendum cum spiritu aspero.* ἁρμαγεδδών, *harmageddon. Est enim vox composita è duabus Hebraicis* הַר־מְגִדּוֹ *Harmegiddó: mons Megiddonis sive Megidduntis. qui locus lugubri Josiæ regis clade celebratus est. Vide 2. Reg. 23. vers. 29. & 30. Item 2. Chron. 35. v. 22. & Zach. 12. v. 11. Ex quorum locorum consideratione percipitur, hîc significari eventum istius prælii valde luctuosum regibus illis.*

17 A throno] ἀπὸ τοῦ θρόνου. *Id est, (ut videtur exponendum ex collatione membri præcedentis) ab operculo arcæ federis. nam in illo tanquam throno residebat Deus inter Cherubimos.* Factum est] γέγονε. *Scil. quod fieri debuit de Babylone, id est, Româ. Confer v. 19. Hoc est, certissimè futurum est.*

18 Terræmotus] *Confer suprà cap. 11. v. 13.*

19 Dirupta est] ἐγένετο. *Ad verb. Facta est. Phrasis Hebræa.* Babylon illa magna] Βαβυλὼν ἡ μεγάλη. *Id est, Roma.* Vênit in memoriam] Ἀνθρωποπάθεια. Ut præberet] δοῦναι. *Pro,* τοῦ δοῦναι. *Scil.* ἕνεκα. Poculum vini fervidi iræ suæ] τὸ ποτήριον τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ. *Ad verb. Poculum vini fervoris iræ suæ. Vide suprà c. 14. v. 8. Itaque à nomine* οἴνου *reguntur duo genitivi: prior* θυμοῦ, *notans adjunctum, Phrasi Hebraicâ: alter* ὀργῆς, *notans speciem, & declarans metaphoram: q.d. Poculum non vini, quale exprimitur ex botris; sed quod est & nominatur iræ Dei. Atque hoc suprà nominatur poculum iræ Dei, c. 14. v. 10.*

21 Descendit] καταβαίνει. *Pro,* κατέβαινε, *descendebat.* Propter plagam] ἐκ τῆς πληγῆς. *Ad verb. Ex plaga. Hebraismus.* Fuit] ἐστίν. *Pro,* ἦν, *erat.* Ejus] αὐτῆς. *Scil.* τῆς χαλάζης, *grandinis.*

OBSERVAT. EX CAP. XVI.

Papistæ. 1 Ex toto capite. Quum Deus asseclas Papæ ante hoc tempus gravibus plagis affecerit, & posthac affecturus sit: caveamus igitur nobis à communione cum illis.

Judicia Dei. 2 Ex versu 5. 6. 7. notetur testimonium de justitia judiciorum Dei.

Impii. 3 Ex vers. 9. 10. 11. Homines impii quum à Deo castigantur propter sua scelera: non resipiscunt, sed Deum blasphemant.

Judicium ultimum. 4 Ex vers. 15. notetur testimonium de adventu Christi ad judicium. Quumque adventus ille ex improviso futurus sit: officii nostri est, semper vigilare, & cavere nobis à securitate carnali.

CAPUT XVII.

Tunc vênit unus ex septem illis angelis qui habebant septem illas phialas, & loquutus est mecum,
dicens mihi, Huc *ades*, ostendam tibi pœnam meretricis
illius magnæ, quæ sedet super aquas multas:
2 Cum qua scortati sunt reges terræ, & cujus scortationis vino inebriati sunt incolæ terræ.
3 Quumque me in spiritu transtulisset in desertum,
vidi mulierem insidentem bestiæ coccinæ, plenæ nominibus blasphemiæ, habenti capita septem, & cornua decem.
4 Erat autem mulier illa amicta purpurâ & coccino,
& inaurata auro & lapidibus pretiosis & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominationibus & immunditiâ scortationis suæ.
5 Et in fronte sua nomen scriptum, Mysterium, Babylon illa magna, mater scortationum & abominationum terræ.
6 Et vidi mulierem illam ebriam sanguine sanctorum & sanguine martyrum Jesu: & miratus sum, quum viderem illam, admiratione magnâ.
7 Tunc dixit mihi angelus, Quare miraris? ego dicam tibi mysterium istius mulieris, & bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem & cornua decem.
8 Bestia quam vidisti, erat, & non est: & ascensura est ex abysso, & in exitium abitura: & mirabuntur incolæ terræ, (quorum nomina scripta non sunt in libro vitæ à jactis mundi fundamentis) videntes bestiam quæ erat, & non est, & tamen est.
9 Hîc *est* mens quæ habet sapientiam. Septem illa capita, septem montes sunt super quos mulier sedet.
10 Itemque reges septem sunt: quorum quinque ceciderunt, unus est, & alius nondum vênit: & quum venerit, oportet illum breve *tempus* manere.
11 Bestia autem quæ erat, & non est, is inquam octavus est, & è septem illis est, & in exitium abit.
12 Decem autem cornua quæ vidisti, decem reges sunt qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges unâ horâ accipient cum bestia.
13 Hi unum consilium habent, & vires ac potestatem suam bestiæ tradent.
14 Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet eos: quoniam dominus dominorum est, & rex regum: & qui cum eo *sunt*, vocati, & electi, & fideles.
15 Deinde dixit mihi, Aquæ quas vidisti, ubi meretrix ista sedet, populi sunt, & turbæ, & gentes, & linguæ.
16 Et decem cornua quæ vidisti in bestia, hi odio persequentur meretricem, & desolatam reddent illam & nudam, & carnes ejus comedent, & ipsam igne exurent.
17 Deus enim indidit cordibus eorum ut faciant quod placitum est ei, & ut consentiant, dentque regnum suum bestiæ donec consummata fuerint verba Dei.
18 Et mulier quam vidisti, est urbs illa magna quæ habet regnum super reges terræ.

ANALYSIS CAP. XVII.

Tribus sequentibus capitibus sequitur illustratio plagæ indicatæ per effusionem phialæ septimæ, videlicet ruinæ Papatus. Ac primùm ipse Papa describitur, simulque causæ ministræ indicantur, quibus utetur Deus in ruina illa procuranda atque efficienda, hoc capite. Deinde testimonia divina seu vaticinia afferuntur, tum de ruina urbis Romæ, quæ est sedes Papæ, c. 18. tum de æterna felicitate piorum quos Papa persequitur, & de strage asseclarum Papæ, cap. 19. Describitur autem Papa sub imagine mulieris meretricis insidentis bestiæ, maximâ hujus capitis parte. Cui descriptioni præmittitur propositio totius sequentis illustrationis, quatenus angelus Johanni promittit, se ostensurum ei judicium (id est, pœnam) meretricis: quam simul è subjecto recipiente ad se & effectis describit, v. 1. & 2. Describitur autem Papa à subjecto occupante, ab adjunctis duobus, & ab effectis duobus. Ejusque descriptionis membra principalia duo sunt, symbolum & symboli explicatio. Secundùm quæ duo mem-

membra caput distingui potest in duas partes. Symbolum, nempe mulier insidens bestiæ proponitur, v.3. 4. 5. & 6. Explicatio symboli, v.7. & deinceps usque ad finem.

De Prima Parte.

Mulieris ostensio illustratur duobus modis: primùm è subjecto loco, ubi facta fuit, videlicet in deserto, in principio v.3. deinde ex eventu, videl. admiratione Johannis, in fine versus sexti.

Subjectum occupans Papæ sunt personæ illi subditæ, in quibus regendis occupatur, videlicet imperatores Romani & reges. Hæ personæ significantur per bestiam coccinam, &c. v.3. Earumque rectio sive gubernatio; significatur per sessionem mulieris super illam bestiam, ibid. Adjunctum primum est majestas regia: quæ significatur per splendidum & magnificum amictum, in principio versus quarti. Adjunctum secundum est studium seducendi per falsam doctrinam ad idololatriam: quod studium significatur per porrectionem poculi aurei, pleni abominationibus & immunditiâ scortationis, membro posteriore versus ejusdem. Effectum primum est seductio hominum ad idololatriam: quæ significatur per nomen mysticum, fronti mulieris inscriptum, nempe *Babylon &c.* vers.5. Effectum secundum est persecutio confessorum Christi: quæ significatur per hoc, quòd mulier fuit ebria sanguine illorum, v.6.

De Altera Parte.

Atque hæc de symbolo: sequitur symboli explicatio. Huic præmittitur indicatio occasionis, & propositio. Occasionem explicationi huic præbuit admiratio Johannis, qua admiratus fuit istam mulierem, vers. 7. Propositio constat duobus membris, ibidem: quanquam in explicatione ipsa tertium (nempe mysterium aquarum) inseritur. Porrò ipsa explicatio symboli quatuor principalia membra continet: (1) mysterium bestiæ cui mulier insidebat, à v. 8. usque ad 15. (2) mysterium aquarum super quas eadem sedebat, vers. 15. (3) prophetiam de ministris quibus utetur Deus ad ruinam Papatus, v.16. & 17. & (4) mysterium ipsius mulieris, v.ult.

Mysterium bestiæ, id est, res per bestiam illam significata, est Imperium Romanum. Hoc imperium declaratur ex adjuncta mutatione paulò pòst futura, è subjecto recipiente, ex adjuncto numero certorum Imperatorum, & ex adjuncta mutatione longè pòst futura.

Mutatio paulò pòst futura est, quòd Imperium Roman. paulò pòst futurum sit in potestate hominis alienigenæ, quippe Hispani, nempe Trajani: hoc significatur istis verbis, *Bestia quam vidisti, erat, & non est*, v. 8. Id est, Imperium Rom. erat penes homines Romanos; sed translatum ad Trajanum, jam non est penes hominem Romanum, sed penes alienigenam. Item quòd Imperator ille futurus sit crudelis in persequendis Christianis: hoc significatur, quum dicitur, quòd *bestia ascensura sit* (nempe in Trajano) *ex abysso, & in exitium abitura*, ibidem. quibus verbis significatur, Trajanum à Diabolo excitatum iri ad persequendos Christianos, & propter istam persecutionem exitio æterno damnatum iri. Hæc Imperii mutatio illustratur & amplificatur ex eventu, videlicet hominum reproborum admiratione, ibidem. Deinde pars ista explicationis amplificatur corollario, videlicet admonitione de difficultate intelligendi ista verba, *Bestia erat, & non est, & tamen est.*

Subjectum recipiens est locus sive sedes Imperii, videl. urbs Roma: quæ indicatur periphrasi septem montium super quos mulier sedet. qui ipsi montes significati fuerunt per septem capita bestiæ, v.9.

Numerus certorum Imperatorum est octonarius: quorum septem significati fuerunt per septem capita bestiæ, v.10.

Qui ipsi distribuuntur ex adjuncto tempore in tres classes: quòd scilicet eorum quinque ceciderint, id est, mortui sint, nempe Servius Sulpitius Galba, Marcus Salvius Otho, Aulus Vitellius, Titus Flavius Vespasianus, Titus Titi filius Vespasianus. Unus verò (nempe sextus) jam tempore Johannis sit, nempe Flavius Domitianus, Vespasiani prioris filius: quippe cujus temporibus ultimis Johannes hæc scribebat, teste Irenæo libr.5. adversus hæreses. Alius verò, (nempe septimus) nondum venerit, quodque cùm venerit, brevi tempore mansurus sit. Is est Nerva: qui imperavit solùm annum unum, menses quatuor & dies novem. Cæterùm octavus qui his septem additur, & septimo successit, est ipse Ulpius Trajanus: qui describitur ex tribus adjunctis, videlicet diversitate nationis à præcedentibus Imperatoribus, ubi dicitur, ipsum esse *bestiam quæ erat & non est*, v.11. deinde societate Imperii cum uno ex illis septem, videl. cum ultimo, nempe Nerva, cum quo functus est consulatu, & potestatem Imperii obtinuit. hoc significatur illis verbis, *Et è septem illis est*, ibidem. Et denique ex pœna illi eventura, nempe exitio æterno: ubi dicitur, *Et in exitium abit*, ibidem.

Mutatio longè pòst futura, est, quòd imperium Roman. seu monarchia imperatoris Rom. mutabitur in decem regna civilia & in regnum Papæ è civili & spirituali mistum. Hæc regna significata fuerunt per decem bestiæ cornua, v.12. Ipse verò Papa eodem v.12. significatur nomine bestiæ: quo intelligitur bestia illa secunda, de qua suprà cap.13. v.11. & deinceps. Cæterùm istorum regnorum civilium reges describuntur ex effectis inter se contrariis, quòd scilicet primùm submissuri se sint Papæ, eumque adjuturi in persequendis piis, v.13. & 14. deinde verò ipsummet persecuturi ac deleturi, v.16. & 17. Persecutio prior illustratur ex eventu, videl. strage ipsorum, v.14. Posterior verò persecutio illustratur ex causa efficiente, videl. arcanâ inspiratione Dei, v.17. Atque hîc per occasionem indicantur causæ ministræ quorum operâ Deus usurus est in ruina Papatus efficienda.

Hactenus de mysterio bestiæ. Mysterium aquarum super quas mulier illa sedebat, indicatur v.15.

Postremò mysterium ipsius mulieris indicatur v.ultimo.

SCHOLIA IN CAP. XVII.

1 Pœnam] τὸ κρῖμα. *Ad verb.* Judicium. *Synecdoche generis, & metonymia efficientis. Verto autem pœnam potius quam damnationem; ne quis putet, hîc agi de sola damnatione æterna, de qua vocabulum illud in scriptura intelligi consuevit. nam indicabuntur etiam pœnæ temporales. Hæc autem pœna ostenditur demum cap.18. v.2. & deinceps. Est qui putet, hoc accipiendum per hypallagen:* damnationem meretricis, *id est, damnandam meretricem. Verùm ista hypallage duriuscula videtur: nempe* judicium meretricis, *pro meretrix judicii; (hæc enim ipsa hypallage est) & meretrix judicii, pro meretrix judicanda: ubi est alter Hebraismus. Non puto genitivum* judicii *uspiam hoc significatu reperiri.* Meretricis] *Id est, Papæ Romani: ut percipitur è sequente descriptione.* Aquas] *Id est, populos. Infrà v.15.*

2 Scortati] *Per idololatriam. Metaphora.* Vino] *Doctrinâ falsâ.*

3 In spiritu] ἐν πνεύματι. *Id est, in visione mentis meæ: corpore interim manente in suo loco.* Bestiæ coccinæ] *Imperio Romano. Vide sup. c.13. v.1.*

4 Lapidibus pretiosis] λίθῳ τιμίῳ. *Ad verb. Lapide pretioso. Synecdoche membri.* Poculum aureum] *Symbolum aureorum calicum in quos infundunt commentitium illum sanguinem Christi.* Abominationibus] *Superstitionibus abominabilibus.* Scortationis] *Idololatriæ.* Babylon illa magna] *Hæc videntur nomini* mysterii *subjici per appositionem: ut significetur, nomen Babylonis hîc intelligendum mysticè, non propriè.* Scortationum & abominationum] *Ut v.præced.* Terræ] *Id est, incolarum terræ. Metonymia subjecti.*

6 Sanguine] ἐκ τοῦ αἵματος. **Vom blut.** Et sanguine] *Et, pro, id est.* Martyrum Jesu] τῶν μαρτύρων Ἰησοῦ. *Sive, testium Jesu: id est, eorum qui testati sunt (idque non solùm verbis, sed etiam sanguine suo) de Jesu, eum solum esse servatorem electorum: Genitivus subjecti, & synecdoche generis duplex.* Admiratione] θαῦμα. *Subauditur* κατὰ.

7 Miraris] ἐθαύμασας. *Ad verb. Miratus es. Hebraismus.* Mysterium istius mulieris &c.] *Id est, quid significetur per istam mulierem &c.*

8 Vidisti] εἶδες. *Vel, Vides. ut sit enallage Hebraica: qualis v. præced. in verbo* ἐθαύμασας. Fuit] ἦν. *Erat. Scilicet penes homines Romanos.* Non est] *Id est, non est amplius penes hominem Rom. sed penes alienigenam, nempe Ulpium Trajanum, natione Hispanum.* Ex abysso] *Id est, ex inferno. ut hæc vox accipitur passim in hoc libro, & ampliùs percipitur ex collatione membri sequentis.* Et in exitium abitura] *Quasi dicat, Sicut proditura est ex loco exitii, videlicet inferno: ita in eundem abitura est.* **Der Teufel wird den Trajanum erwecken vnd bestellen die Christen zu verfolgen / vnd wirdt jhm auch den lohn geben.** Quorum nomina scripta non sunt in libro vitæ] *Id est, qui non sunt electi seu prædestinati à Deo ad vitam æternam.* Erat] *Scilicet penes homines Rom.* Non est] *Scilicet penes hominem Rom. sed alienigenam. Vide analysin.* Tamen est] *Scilicet Imperium Romanum, quia Romæ sedem habet.*

9 Hîc] *In hac parte prophetiæ.* Mens &c.] *Id est, res postulans mentem sapientiâ præditam. Sic suprà cap.13. v.14. & cap.14. v.12.* Septem illa capita] αἱ ἑπτὰ κεφαλαί. *Scil. bestiæ.* Septem montes] *Id est, symbola seu imagines septem montium. Metonymia subjecti.* Super quos mulier sedet] ὅπου ἡ γυνὴ κάθηται ἐπ᾽ αὐτῶν. *Ad verb. Ubi mulier sedet super eos. Pleonasmus Hebraicus. Porrò septem illorum montium nomina sunt hæc: Palatinus, Capitolinus, Aventinus, Exquilinus, Cælius, Viminalis, & Quirinalis. Hos montes Roma tempore Johannis complexa fuit, & ab illis dicta est* ἑπτάλοφος, *& septemcollis: item septiceps.*

10 Itemque] *Supple ex versu præced. Septem illa capita.* Septem reges] *Id est, septem regum symbola. Per reges autem intelliguntur Imperatores Romani, sive Cæsares.* Quorum quinque] οἱ πέντε. *Scil.* ἐξ αὐτῶν: *ex istis septem regibus. De his dictum in analysi.* Unus] ὁ εἷς. *Nempe sextus.* Alius] ὁ ἄλλος. *Nempe septimus.* Breve *tempus*] ὀλίγον. *Supple* χρόνον.

11 Erat & non est] *Vide suprà vers.8.* Is inquam] καὶ αὐτὸς. *Ad verb. Et is. Conjunctio* καὶ *hîc servit epanalepsi, ex consuetudine Hebræorum. Et epanalepsis fit per pronomen relativum: quod hîc refertur non ad vocem, sed ad sensum* Octavus] *Id est, Symbolum octavi regis sive Imperatoris, nempe Trajani.* E septem illis] ἐκ τῶν ἑπτά. *Nempe quatenus collega fuit septimi, videl. Nervæ.* In exitium abiit] *Ut suprà v.8.*

12 Decem reges] *Symbola decem regum, id est, regnorum: ex*

quorum numero hodie ſunt regnum Angliæ, Daniæ, Suetiæ. Unâ horâ] *Id eſt, brevi tempore.* Cum beſtia] *Nempe cum beſtia ſecunda, de qua ſuprà c.13. v.11.*

13 Unum conſilium] *μίαν γνώμην. Unam ſententiam.* Vires] *τὴν δύναμιν. Potentiam ſuam.* Beſtiæ] *Papæ Rom.*

14 Cum agno] *Id eſt, cum Chriſto. Confer ſuprà v.6. & deinceps.* Et qui cum eo ſunt] *Supple νικήσουσι. Vincent. Πρόζευγμα.*

15 Populi] *Id eſt, Symbolum populorum. Metonymia ſubjecti.* Linguæ] *Id eſt, diverſarum linguarum nationes. Metonymia adjuncti.*

16 Decem cornua] *Id eſt, illi qui ſignificantur per decem illa cornua. Metonymia adjuncti.* Hi] *οὗτοι. Epanalepſis, qualis ſuprà v.11. Cæterùm hi, id eſt, aliqui ex his. nam aliquos cum beſtia conjunctos manſuros, proq; illa pugnaturos: judicari poteſt primùm ex cap.18. verſ.9. ubi reges terræ, qui cum meretrice Babylonica fuerunt ſcortati, caſum ſive ruinam illius lugent: deinde ex cap.16. v.14. ubi reges terræ congregantur ad prælium pro beſtia & pſeudopropheta ſuſcipiendum.* Carnes ejus comedent] *Crudeliter in eam ſævient. Metaphora à leonibus diſcerpentibus feram.* Ipſam] *Id eſt, urbem ejus. Metonymia adjuncti.* Igne] *ἐν πυρί. Ἐν redundat ex Hebraiſmo.*

17 Indidit cordibus] *ἔδωκεν εἰς τὰς καρδίας. Ad verb. Dedit in corda.* Ut faciant quod placitum eſt ei] *Id eſt, Ut exerceant illam vindictam de qua modò dictum. Synecdoche generis.* Quod placitum eſt ei] *τὴν γνώμην αὐτοῦ. Sententiam ejus. Metonymia adjuncti.* Et ut conſentiant] *καὶ ποιῆσαι μίαν γνώμην. Ad verb. Ut faciant ſententiam unam.* Dentque] *καὶ δοῦναι. Epexegeſis. Eſt autem hîc ὕστερον πρότερον, ut patet ex v.13.* Verba Dei] *Ea quæ dixit & decrevit Deus.*

18 Urbs] *Nempe Roma, ut planum eſt ex adjecta deſcriptione. Id eſt, dominus illius, videl. Papa. Metonymia ſubjecti.*

OBSERVAT. EX CAP. XVII.

Papa. 1 Ex quinque primis verſibus notetur deſcriptio Papæ à poteſtate in reges, majeſtate, ſeductione regum ad idololatriam, & perſecutione confeſſorum evangelii.

Liber vitæ. 2 Ex v.8. notetur teſtimonium de libro vitæ: id eſt, de divina prædeſtinatione certorum hominum ad vitam æternam.

Victoria Chriſtianorum de Papiſtis. 3 Ex v.14. notetur teſtimonium de victoria quam veri Chriſtiani reportaturi ſunt de Papa & aſſeclis illius.

Papatus. 4 Ex verſu 16. & 17. notetur teſtimonium de futura ruina Papatus.

CAPUT XVIII.

ET poſthæc vidi alium angelum deſcendere è cælo, qui habebat poteſtatem magnam: & terra illuminata eſt à gloria ejus.

2 Exclamavit autem vehementer voce magnâ, dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta eſt domicilium dæmonum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & exoſæ:

3 Quia ex vino fervente ſcortationis ejus biberunt omnes gentes, & reges terræ cum ea ſcortati ſunt, & mercatores terræ ex vehemente luxu ejus divites facti ſunt.

4 Deinde audivi aliam vocem è cælo, dicentem, Exite ex ea, popule mi, ut ne participes ſitis peccatorum ejus, & ut ne accipiatis ex plagis ejus.

5 Nam accumulata peccata ejus pertigerunt uſq; in cælum: & recordatus eſt Deus ſcelerum ejus.

6 Reddite ei ſicut & ipſa reddidit vobis: & duplicate ei dupla ſecundùm opera ejus: in poculum in quod infudit *vobis*, infundite ei duplum.

7 Quantum glorificavit ſeſe & luxuriata eſt, tantum inferte ei cruciatum & luctum: quia in corde ſuo dicit, Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum nequaquam videbo.

8 Ideo uno die venient plagæ ejus, mors & luctus & fames; & igne exuretur: quia potens eſt Dominus Deus, qui puniet eam.

9 Tum flebunt eam, & plangent propter eam reges terræ, qui cum ipſa ſcortati & luxuriati ſunt, quum viderint fumum incendii ejus:

10 Procul ſtantes propter timorem cruciatus ejus, & dicentes, Vah, vah, urbs illa magna, Babylon, urbs illa potens: nam unâ horâ venit pœna tua.

11 Sed & mercatores terræ flebunt & lugebunt propter eam: quoniam merces eorum nemo emit ampliùs:

12 Merces auri, & argenti, & lapidum pretioſorum, & margaritarum, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & coccini; & omne lignum thyinum, & omne vas eburneum, & omne vas ex ligno pretioſiſſimo, & ære, & ferro, & marmore;

13 Et cinnamomum, & ſuffimenta, & unguentum, & thus, & vinum, & oleum, & ſimilam, & triticum, & jumenta, & oves, & equos, & rhedas, & mancipia, & animas hominum.

14 Et fructus deſiderati ab anima tua, abierunt à te: & omnia pinguia & nitida abierunt à te: nec unquam ampliùs ea invenies.

15 Harum, *inquam*, rerum mercatores qui divites ab ea facti fuerint, procul ſtabunt propter timorem cruciatus ejus, flentes ac lugentes:

16 Et dicentes, Vah, vah, urbs illa magna, quæ amicta erat byſſino, & purpurâ, & coccino; & deaurata erat auro, & lapidibus pretioſis, & margaritis! nam unâ horâ vaſtatæ ſunt tantæ divitiæ.

17 Sed & omnes gubernatores, & omnis in navibus *verſantium* turba, & nautæ, & quotquot in mari negotiantur, procul ſtabunt.

18 Et clamabunt, videntes fumum incendii ejus, & dicent, Quæ ſimilis *erat* urbi iſti magnæ?

19 Et injecto capitibus pulvere, clamabunt flentes ac lugentes, & dicentes, Vah, vah, urbs illa magna, in qua divites facti ſunt omnes qui habebant naves in mari, ex magnificentia ejus! nam unâ horâ deſolata eſt.

20 Exſulta ſuper eam cælum, & ſancti apoſtoli, & prophetæ. nam ſumſit pœnas Deus veſtræ ultionis cauſâ de illa.

21 Tum ſuſtulit quidam angelus robuſtus lapidem inſtar molæ magnæ, & projecit *eum* in mare, dicens, Ita *cum* impetu projicietur Babylon urbs illa magna, nec unquam ampliùs invenietur.

22 Tum ſonus citharœdorum, & muſicorum, & tibicinum, ac tubicinum nunquam audietur in te ampliùs: nec ullus artifex cujuſcunque artis invenietur in te ampliùs: & ſonus molæ nunquam audietur in te ampliùs:

23 Et lux lucernæ nunquam lucebit in te ampliùs: & vox ſponſi & ſponſæ nunquam audietur in te ampliùs. nam mercatores tui erant proceres terræ, & veneficiis tuis ſeductæ ſunt omnes gentes.

24 Et in ea ſanguis prophetarum & ſanctorum inventus eſt, & omnium qui jugulati ſunt in terra.

ANALYSIS CAP. XVIII.

SUperiore capite fuit deſcriptio Papæ: hoc capite continentur teſtimonia divina ſeu vaticinia de ruina urbis Romæ. atque incolarum ejus, quorum princeps eſt Papa. Sunt autem vaticinia tria: primum continetur tribus primis verſibus, ſecundum à v.4. uſque ad 21. tertium inde uſque ad finem capitis. Atque ita caput diſtingui poteſt in tres partes.

DE PRIMA PARTE.

Primum vaticinium pronuntiatum eſt per angelum deſcendentem è cœlo: qui deſcribitur ab adjunctâ poteſtate & gloriâ ſeu ſplendore, ad conciliandum teſtimonio ipſius authoritatem, v.1. Pronuntiatio vaticinii hujus amplificatur ab adjunctâ vocis intentione, verſ.2. Vaticinium ipſum tria membra continet: annuntiationem ruinæ, annuntiationem miſerabilis atque abominabilis ſtatus ruinam ſecuturi, & indicationem cauſarum impulſivarum, quæ *Deum* movebunt ad illa mala Papæ & cæteris Romæ incolis immittenda. Ruinæ annuntiatio exornatur epizeuxi, & verbo temporis præteriti: quo utroque innuitur vaticinii hujus certitudo, v.2. Miſerabilis & abominabilis Romæ ſtatus, ruinam illius ſecuturus, ſignificatur ex adjunctis incolis, qui Romam vaſtatam ſunt occupaturi, v. eod. Cauſæ impulſivæ indicantur duæ: ſeductio gentium ad idololatriam & luxuriam, v.3.

DE SECUNDA PARTE.

Secundum vaticinium pronuntiatum eſt per vocem ipſius Dei è cœlo ſonantem. Hoc vaticinium quatuor membris conſtat: (1) hortatione ad populum Dei in Papatu degentem, (2) hortatione ad hoſtes Papæ, (3) narratione luctus amicorum Papæ ob Romæ ruinam, & (4) hortatione ad ſanctos cælites.

Hortatio ad populum Dei ſeu fideles eſt, ut exeant ex urbe

Roma,

Roma, id est, omnino ex Papatu, v.4. Hæc hortatio confirmatur ex effectis malis duobus, quæ eventura sint illis, nisi exierint, ibid. Eaque confirmatio expolitur v.5.

Hortatio ad hostes Papæ est, ut strenuè exerceant vindictam Dei: ubi iterum causæ impulsivæ illius vindictæ inferuntur, videl. luxuria, superbia & securitas carnalis, v.6.& 7. Tum modus ruinæ repentinus ac sævus prædicitur, v.8. Eaque prædictio per prolepsin confirmatur à potentia Dei, ibidem.

Luctus amicorum Papæ amplificatur distributione illorum ex adjunctis vitæ civilis ordinibus in tres classes sive gradus: quorum graduum primus est regum, secundus mercatorum, tertius gubernatorum & nautarum. Luctus regum illustratur primùm ex causâ impulsivâ, v.9: deinde ex adjuncto situ, v.10: tum mimesi seu recitatione verborum lamentationis, ibid. Mercatorum luctus similiter tribus dictis modis illustratur: ex causâ impulsivâ, vers.11. & deinceps: ex adjuncto situ, v.15: & mimesi verborum lamentationis, v.16. Causa autem impulsiva amplificatur enumeratione mercium, quas mercatores illi incolis Romæ (Papæ & assectis illius) vendiderunt, vers.12.13. & 14. Gubernatorum & nautarum luctus amplificatur quatuor modis, quorum tres communes eis sunt cum præcedentibus, unus proprius. Modi illi sunt: (1) adjunctus situs, v.7. (2) causa impulsiva, v.18. (3) injectio pulveris in capita, v.19. & (4) mimesis seu recitatio verborum lamentationis, ibidem. Atque hæc de luctu amicorum Papæ, ob ruinam urbis Romæ. Hortatio ad sanctos cælites continetur vers.20. ubi Christus propter ruinam Romæ ad gaudium illos hortatur à causâ impulsivâ, videlicet vindictâ divinâ. Sanctæ autem illæ animæ distribuuntur in tres classes: videlicet fideles laicos, apostolos & prophetas.

De Tertia Parte.

Tertium vaticinium pronuntiatum est per angelum robustum: continet autem tria membra: quæ sunt, indicatio (1) modi quo Roma peritura sit, (2) status miserabilis interitum secuturi, (3) causarum impulsivarum, quæ Deum ad illam ita delendam movebunt.

Modus ruinæ est, quòd fiet cum impetu & cum πανολεθρίᾳ, id est, deletione perfectâ, v.21. Hic modus illustratur, eâdemque operâ indicatio seu prædicatio ejus confirmatur, symbolo visibili, nempe projectione lapidis molaris in mare, ibidem.

Status miserabilis ruinam secuturus significatur negatione contrariæ felicitatis pristinæ, quæ felicitas amplificandi gratiâ per partes narratur, v.22.& 23.

Causæ impulsivæ, quæ Deum movebunt ad Papam cum suis eo modo puniendum, indicantur tres: luxuria, seductio gentium & persecutio piorum, posteriore membro versus 23.& 24.

SCHOLIA IN CAP. XVIII.

1 Descendere] καταβαίνοντα. *Ad verb. Descendentem. Hellenismus.* Illuminata est] ἐφωτίσθη. *Sive illustrata est, hoc est, lumine completa.* A gloria ejus] ἐκ τῆς δόξης αὐτοῦ. *Ponitur* ἐκ *pro* ὑπὸ *vel* διὰ: *ad notandum scil. causam efficientem, sicut Rom.11.v.ult. Gloria autem hic significat claritatem seu splendorem, ut 1.Cor.15. v.40.& 41.*

2 Vehementer] ἐν ἰσχύϊ. *Ad verb. In robore: id est, cum robore,* μετ' ἰσχύος. *Hebraismus. Hoc est, robustè, fortiter, vehementer.* Cecidit, cecidit] *Id est, paulò-post casura est, idq; certissimè & gravissimè. Hoc innuit geminatio.* Babylon illa] *Confer suprà c.14.v.8.* Custodia] φυλακή. *Sive, carcer.*

3 Ex vino fervente] ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ. *Ad verb. Ex vino fervoris. Vide suprà cap.14.v.8.* Ex vehemente luxu ejus] ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνους αὐτῆς. *Vel, Ex vehemente lasciviâ ejus. Ad verb. Ex potentia lasciviæ (sive luxus) ejus. Hypallage Hebraica. Cæterùm illud,* Ex lascivia, sive luxu, *idem valet quod, Ex pecunia quam nacti sunt ab ea, emente merces lasciviæ sive luxui ipsius inservientes. Metonymia efficientis.*

4 Aliam vocem] *Nempe vocem ipsius Dei: ut percipitur ex verbis,* populi mei. Ex ea] *Scil. Babylone, v.2.* Exite popule mi] ἐξέλθετε ὁ λαός μου. *Pro,* ὦ λαέ μου. *Enallage casus Hebraica. Id est, vos pii qui estis populus meus. Item synesis: quam vulgò vocant synthesin: qualis in illo, Turba ruunt.*

5 Nam accumulata peccata ejus pertigerunt usque in cælum] ὅτι ἠκολούθησαν αὐτῆς αἱ ἁμαρτίαι ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ. *Ad verb. Nam sequuta sunt ejus peccata usque ad cælum. Id est, peccata ejus tanto numero unum post aliud sequuta sunt, & unum alii veluti impositum fuit, ut quasi ingens mons inde ortus sit qui ad cælum usque summum, ubi Deus residet, pertigit. Hoc est, venerunt in conspectum Dei. Metaphora* κατάχρηστική. Et recordatus est] *Epexegesis. Et rursum metaphora, quæ speciali vocabulo* ἀνθρωποπάθεια *dicitur.*

6 Reddite] *Apostrophe ad hostes Babylonis, hoc est, Romæ. Sententia est, Afficite eam malis, sicut ipsa vos affecit malis. Synecdoche speciei: & catachresis Hebraica in verbo* ἀπόδοτε: *quod hic intelligitur non de injuria relata, sed ultrò illata.* Duplicate ei dupla] διπλώσατε αὐτῇ διπλᾶ. *Id est, Reddite ei duplicatam mensuram malorum: id est, Abundè eam ulciscimini. Synecdoche speciei Hebraica, itemq; phrasis Hebraica.* Secundùm opera ejus] *Prout merita est.* In poculum &c.] *Eadem sententia tertiò iteratur, amplificandi causâ. Estq; in hac phrasi metaphora Hebraica, à patribusfamiliâs sumta: qui domesticis suis singulis suum demensum infundunt.* In poculum, in quod infudit vobis, infundite ei duplum] ἐν τῷ ποτηρίῳ ᾧ ἐκέρασε, κεράσατε αὐτῇ διπλοῦν. *Ad verbum, In poculo quod miscuit, miscete ei duplum. Phrasis Græca est in verbis* ᾧ ἐκέρασε, *pro* ὃ ἐκέρασε. *Item in verbo* κεράω, *miscere, pro infundere: quia infuso vino solebant miscere pauxillum aquæ ad temperandum vinum. Nisi potiùs dicendum,* ᾧ *positum esse pro* ἐν ᾧ. *Nam* κεράω ποτήριον, *miscere poculum, pro miscere vinum in poculo, durior metonymia videtur. Sic igitur fuerit ellipsis præpositionis* ἐν *ante pronomen* ᾧ: *& ad verbum sic sonabit litera, In poculo in quo miscuit, (scil. vinum) miscete ei duplum.*

7 Quantum] ὅσα. *Id est,* καθ' ὅσα, *sive* καθ' ὅσον. Glorificavit se se] *Id est, superbivit, gloriam & majestatem sibi arrogavit atque usurpavit.* Luxuriata est] ἐστρηνίασε. *Vel, Lascivit.* Tantum] τοσοῦτον. *Pro,* κατὰ τοσοῦτον. *Id est, tantundem, sive tantâ mensurâ.* Inferte] δότε. *Vel, Afferte. Ad verb. Date.* Quia] *Hic jam exponitur verbum* δοξάζειν. Sedeo regina] *Id est, tanquam regina. Ut apud Virgil.* Divûm] *ait Juno,* incedo regina. *Æneid.1.* Videbo] *Id est, sentiam seu experiar. Synecdoche speciei Hebraica.*

8 Uno die] ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ. *Ad verb. In uno die. Hebraism.* Igne] ἐν πυρί. Redandat ἐν ex Hebraismo. Potens] ἰσχυρός. *Propriè, robustus.* Qui puniet] ὁ κρίνων. *Ad verb. Qui judicat. Enallage temporis Hebraica, & synecdoche generis metonymica, sive metonymia efficientis synecdochica.*

9 Flebunt] *Deflebunt, deplorabunt.* Propter eam] ἐπ' αὐτῇ. *Ad verb. Super eâ. hoc est, propter ruinam ejus.* Luxuriati sunt] στρηνιάσαντες. *Vel, Lascivierunt.*

10 Urbs illa magna] ἡ πόλις ἡ μεγάλη. *Id est, ô magna illa urbs. Sicut v.4. Hæc expositio confirmatur ex membro sequente.* ὅτι ἐν μιᾷ *&c.* Potens] ἰσχυρά. *Ad verb. Robusta.* Pœna tua] ἡ κρίσις σοῦ. *Ad verb. judicium tuum. Metonymia efficientis.*

11 Flebunt & lugebunt] κλαίουσι καὶ πενθοῦσιν. *Ad verb. Flent & lugent. Enallage temporis.* Propter eam] ἐπ' αὐτῇ. *Ad verb. Super eâ. Ut v.9.* Merces] γόμον. *Propriè merces quibus repletur navis: à verbo* γέμω, *id est, plenus sum.*

12 Auri & argenti] *Aureorum & argenteorum vasorum aut ornamentorum. Metonymia materiæ.* Lapidum pretiosorum & margaritarum] λίθου τιμίου καὶ μαργαρίτου. *Ad verb. Lapidis pretiosi & margaritæ. Synecdoche membri.* Coccini] *Scil. panni.* Omne lignum] πᾶν ξύλον. *Id est, omnis generis lignum. Sic deinceps.* Allerlei.

13 Suffimenta] *Id est, res odoriferas (ut thus & aromata) ex quibus fiunt suffitus.* Et equos & rhedas & mancipia] καὶ ἵππων, καὶ ῥεδῶν, καὶ σωμάτων. *Ad verb. Et equorum & rhedarum & corporum. Anomalia casuum.* Mancipia] σωμάτων. *Ad verb. Corpora. Potest etiam reddi,* famulos. *Synecdoche membri, simulq; synecdoche generis.* Animas hominum] *Id est, homines. Synecdoche Hebraica. Ut autem hoc membrum à proximè præcedente distinguatur, videtur intelligendum esse de hominibus liberis in quibus committitur plagium. Nam exponere per locum 2.Pet.2.v.3. de nundinatione spirituali animarum, ab hoc loco alienum est: quum hic enumerentur merces quas mercatores vendiderunt Pontificiis istis magnatibus.*

14 Fructus desiderati ab anima tua] ἡ ὀπώρα τῆς ἐπιθυμίας τῆς ψυχῆς σου. *Ad verb. Fructus concupiscentiæ animæ tuæ. Id est, fructus concupiscibilis animæ tuæ. Hebraismus & apostrophe. Intelliguntur autem fructus arborũ & vitium, qui sub autumnum colliguntur.* Obs. *Estq; metonymia subjecti. nam* ὀπώρα *propriè autumnum significat.* Nitida] τὰ λαμπρά. *Ut sunt nitidi juvenci. De hoc enim genere hic sermo est. Ad verb. splendida.* Nec unquam amplius] καὶ οὐκέτι οὐ μή: *Græcum adhuc* ἐμφατικώτερον *propter triplicem negationem.*

15 Divites ab ea facti, procul stabunt] οἱ πλουτήσαντες ἀπ' αὐτῆς, ἀπὸ μακρόθεν στήσονται. *Sic judico textum distinguendum, ita scilicet ut comma auferatur à participio* πλουτήσαντες, *& postponatur pronomini* αὐτῆς. *Reguntur enim verba* ἀπ' αὐτῆς *à participio* πλουτήσαντες.

16 Urbs] ἡ πόλις. *Id est, ô urbs: ut v.10.* Deaurata] κεχρυσωμένη. *Quidam codices legunt* κεχρυσωμένοι. *Sed series sermonis ostendit, legendum,* κεχρυσωμένη. *Quæ autem hic urbi tribuuntur, conveniunt propriè incolis ejus. Est igitur metonymia subjecti.* Lapidibus pretiosis] λίθῳ τιμίῳ. *Ad verb. Lapide pretioso. Synecdoche membri.* Vastatæ] ἠρημώθη. *Ad verb. Desolata.*

17 Omnes gubernatores] πᾶς κυβερνήτης. *Ad verb. Omnis gubernator. id est, nauclerus.* In mari negotiantur] τὴν θάλασσαν ἐργάζονται. *Ante nomen* θάλασσαν *subaudienda præpositio* κατά. *Quòd si ellipsis hæc durius cula videtur, vertendum erit,* Quotquot mare sulcant: *ut sit metaphora* κατάχρηστική, *ab agricultura. Dicunt enim Græci* ἐργάζεσθαι τὴν γῆν, *operari terram, id est, sulcare. Et sic usurpat hoc verbum Hesiodus in Theogonia: ubi loquens de Hecate, laudesq; illius percensens, inter alia sic ait:*

Ἐσθλὴ δ' ἱππῆεσσι παραστάμεν, οἷς κ' ἐθέλῃσι,
Καὶ τοῖς οἳ γλαυκὴν δυσπέμφελον ἐργάζονται.

Id est,

Bona etiam est ad assistendum equitibus quibus voluerit,
Et iis qui mare transmissu difficile sulcant.

Stabunt] ἔστησαν. *Steterunt. Enallage temporis Hebraica. Sic deinceps v.18. & 19. Ex collatione v.9.*

19 Ex magnificentia ejus] ἐκ τῆς τιμιότητος αὐτῆς. *Ad verb. Ex pretiositate seu honorabilitate ejus.* **Von jhrem pracht.**

20 Exsulta &c.] *Hæc loquitur Christus: ut percipitur ex collatione versus quarti & sequentium. Estque apostrophe. nam antea affatus est fideles in terra degentes.* Cælum] *Id est, cælites. Nempe animæ sanctorum: ut declarant sequentia. Metonymia subjecti: qualis Johan. 15. v. 15. Intelliguntur autem hîc animæ fidelium laicorum, per synecdochen generis: ut percipitur ex collatione sequentium.* Prophetæ] *Id est, ministri evangelii, apostolorum successores. Synecdoche generis. nam nomine prophetæ aliàs in genere intelligitur doctor ecclesiæ.* Sumsit pœnas Deus vestræ ultionis causâ de illa] ἔκρινεν ὁ θεὸς τὸ κρίμα ὑμῶν ἐξ αὐτῆς. *Ad verb. Judicavit Deus judicium vestrum ex illa. Id est, ultus est vos de illa.* **Er hat euch an jhr gerochen.** *Metonymia efficientis & synecdoche generis. nam ex judicio quo quis propter injuriam damnatur, nascitur ultio.*

21 Quidam] εἷς. *Ad verb.* Unus. *Hebraismus.* Cum impetu] ὁρμήματι. *Id est,* μεθ' ὁρμήματος: *vel,* δι' ὁρμήματος.

22 Sonus] φωνή. *Ad verb. Vox. Synecdoche speciei Hebraica. Sic iterum in fine versus.* In ea] ἐν αὐτῇ. *Pro, in te,* ἐν σοί. *Mutatio personæ, Hebræis familiaris.*

OBSERVAT. EX CAP. XVIII.

Roma. Papatus. 1 Ex toto capite notetur testimonium multiplex de excidio urbis Romæ, & ruina Papatus. Cujus observationis usus est, ut religionem Papisticam omni studio fugiamus.

CAPUT XIX.

POsthæc audivi vocem magnam turbæ multæ in cælo, dicentis, Halleluja: salus, & gloria, & honor, & potentia Domino Deo nostro *sit*:

2 Quia vera & justa *sunt* judicia ejus: quia punivit meretricem illam magnam quæ corrupit terram scortatione suâ, & vindicavit sanguinem servorum suorum ex manu ejus.

3 Deinde secundò dixerunt, Halleluja: qui fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum.

4 Et prociderunt vigintiquatuor illi senes, & quatuor illa animalia; & adoraverunt Deum insidentem throno, dicentes, Amen, Halleluja.

5 Tum vox è throno prodiit, dicens, Laudate Deum nostrum, omnes servi ejus, & qui timetis eum, cùm parvi tum magni.

6 Et audivi tanquam vocem turbæ multæ, & tanquam sonitum aquarum multarum, & tanquam sonitum tonitruorum vehementium, dicentium, Halleluja: quoniam regem se declaravit Dominus Deus ille omnipotens.

7 Gaudeamus, & exsultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus paravit se.

8 Et datum est ei ut amiciatur *veste* byssina munda & splendida. *Vestis* enim byssina justificationes sunt sanctorum.

9 Tum dixit mihi, Scribe, Beati qui ad cænam nuptiarum agni vocati sunt. Præterea dixit mihi, Hæc verba Dei vera sunt.

10 Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum: sed dixit mihi, Vide ne *feceris*: conservus tuus sum, & fratrum tuorum qui habent testimonium Jesu. Deum adora. testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.

11 Deinde vidi cælum apertum, & ecce *affuit* equus albus: & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis & Verax, & *Qui* justè judicat & pugnat.

12 Oculi autem ejus *erant* tanquam flamma ignis: & in capite ejus diademata multa: habebatque nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse:

13 Et amictus erat veste tinctâ sanguine: vocaturque nomen ejus Sermo Dei.

14 Exercitus autem *qui sunt* in cælo, sequebantur eum super equis albis, vestiti *veste* byssinâ albâ & mundâ.

15 Et ex ore ejus prodibat romphæa acuta, ut eâ percuteret gentes. Ipse enim reget eos virgâ ferreâ: & ipse calcabit lacum vini fervidi iræ Dei omnipotentis.

16 Habebatque in vestimento & in femore suo nomen scriptum, Rex regum, & Dominus dominorum.

17 Tunc vidi quendam angelum stantem in sole, qui clamavit voce magnâ, dicens omnibus avibus quæ volabant per medium cæli, Adeste & congregamini ad cænam magni Dei;

18 Ut edatis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes robustorum, & carnes equorum, & eorum qui ipsis insident, & carnes omnium cùm liberorum tum servorum, cùm parvorum tum magnorum.

19 Deinde vidi bestiam illam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad gerendum bellum cum eo qui insidebat equo, & cum exercitu ejus.

20 Sed apprehensa est bestia; & cum eâ pseudopropheta ille qui ediderat signa coram eâ, quibus seduxit eos qui acceperant characterem bestiæ, & qui adorarunt imaginem ejus: vivique conjecti sunt hi duo in stagnum ignis ardens sulphure.

21 Reliqui verò occisi sunt romphæâ ejus qui insidebat equo, prodeunte ex ore ipsius: & omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.

ANALYSIS CAP. XIX.

CApite præcedente tria vaticinia fuerunt de ruina Romæ, regnique Papalis: hîc tria alia de re eâdem adduntur, eisque aliud inseritur de cælesti beatitudine piorum quos Papa persequitur. Ita quatuor hoc capite vaticinia continentur: secundùm quæ caput in quatuor partes distribui potest.

De Prima Parte.

Primum vaticinium est gratulatio tum piarum animarum in cælo propter vindictam Dei de Papa & asseclis ejus sumtam, vers. 1. 2. 3. tum etiam fidelium in terra, & sanctorum angelorum, vers. 4.

De Secunda Parte.

Secundum vaticinium est vox Christi ad cælites, quâ hortatur eos ad laudandum Deum, vers. 5. nempe tum propter deletum Antichristum cum suis, tum propter approqinquationem nuptiarum agni, id est, gaudiorum & gloriæ piis tribuendæ: sicut percipitur ex ipsa quæ subjicitur, laudatione Dei, vers. 6. & 7. Cujus laudationis extremum membrum de ornatu nuptiali uxoris agni, sive sponsæ, per digressiunculam à Johanne declaratur vers. 8.

De Tertia Parte.

Tertium vaticinium est mandatum angeli ad Johannem de scribenda sententia, quâ beati pronuntiantur fideles, vers. 9. Hoc mandatum illustratur ex eventu, videlicet adoratione qua Johannes angelum adorabat, vers. 10. Quæ adoratio ipsa quoque è suo eventu declaratur, nempe prohibitione angeli: quæ confirmatur à paribus adjunctis, & illustratur à præceptione contraria, vers. eod.

De Quarta Parte.

Quartum vaticinium est narratio prælii à turba Antichristianorum, id est, à Papa & asseclis illius gesti cum Christo, & fidelibus ejus confessoribus, à v. 11. usque ad finem capitis. Constat autem hæc narratio tribus membris: (1) descriptione Christi, à vers. 11. usque ad 17. (2) invitatione avium ad edendum cadavera interficiendorum, v. 17. & 18. & (3) ipsâ prælii gestione, v. 19. & seqq.

Christus describitur sub imagine equitis ex undecim adjunctis. Quorum primum est potentia vincendi ac triumphandi: quæ significatur per equum album, cui eques ille insidebat, vers. 11. Secundum est fidelitas seu veracitas, ibid. Tertium est justitia in judicando & pugnando, eod. versu. Quartum est omniscientia, significata per oculos flammantes instar ignis, vers. 12. Quintum est maxima dignitas atque potestas, significata per multa illa diademata quæ eques ille habebat in capite, ibid. Sextum est singularitas formæ sive personæ, nulli creaturæ præter ipsum perfectè cognita; quæ significatur per nomen equiti illi inscriptum, quod nemo noverat nisi ipse, eod. vers. Septimum adjunctum est perpessio mortis cruentæ: quæ significatur per vestem sanguine tinctam quâ eques ille amictus fuit, vers. 13. Octavum est majestas personæ, secundùm quam est filius Dei: quod significatur per nomen illud *Sermo Dei*, ibid. Nonum est agglutinatio seu communio fidelium illi adhærentium; quæ significatur per exercitum equitum qui equitem illum insignem tanquam ducem sequebantur: ubi ipsi quoque fideles describuntur ex adjunctis duobus: potentiâ vincendi ac triumphandi, significatâ per equos albos: & sanctitate significatâ per vestes ex bysso alba & munda, vers. 14. Decimum adjunctum est voluntas ulciscendi adversarios, significata per gladium acutum ex ore illius equitis prodeuntem: item per virgam ferream qua gentes dicitur recturus: & denique per calcationem la-

nem lacus sive torcularis iræ Dei, verſ.15. Undecimum adjunctum est summa majestas, significata per nomen hoc, *Rex regum, & dominus dominorum*, inscriptum vestimento & femori equitis illius, verſ.16. Atque hoc primum istius narrationis membrum est.

Secundum membrum, invitatio avium ad edenda cadavera interficiendorũ, illustratur primùm ex causa efficiente seu agente. Is fuit angelus quidam, verſ.17. Deinde è subjecto loco unde invitatio illa facta est. Is fuit sol: quippe in quo angelus ille stetit, ibid. Tertiò ab adjuncta vocis intentione, ibid. Quartò ab adjunctâ avium multitudine, ibid. Quintò ab authore illius cænæ, ibid. Sextò à distributione cadaverum: quæ sumitur partim à forma, quòd scilicet alia erunt hominum, alia equorum: partim ab adjuncta personarum conditione: quòd scilicet alia erunt regum, alia tribunorum &c. Atque hoc est membrum narrationis istius secundum.

Tertium membrum, ipsa prælii gestio, primùm illustratur commemoratione personarum utrinque bellantium, verſ.19. Deinde narratione eventus, nempe cladis quam hostes Christi acceperunt: itemque pœnæ singularis quâ principes eorum affecti sunt: & denique devorationis cadaverum, versibus duobus ultimis.

SCHOLIA IN CAP. XIX.

1 Halleluja] *ἀλληλȣϊα. Id est, laudate Jah, hoc est, Deum: cui nomen est Jah, sive Jehováh.* Salus] *Id est, gloria salutis, hoc est, propter salutem electis partam. Metonymia subjecti.* Potentia] *Id est, gloria potentiæ. Metonymia qualis modò.* Sit] *Vel, Detur.*

2 Quia punivit] *ὅτι ἔκρινε. Repetitur ὅτι per ἀσύνδετον: ut suprà c.18.v.23. Et judicare pro punire accipitur per metonymiam efficientis.* Terram] *Incolas terræ. Metonymia subjecti.* Scortatione] *ἐν τῇ πορνείᾳ. Præpositio ἐν redundat ex Hebraismo.*

3 Quia fumus] *καὶ ὁ καπνὸς. Copulativa pro causale: ut liquet ex cohærentia sententiarum, & collatione versus præcedentis: item versus sexti.* In sæcula sæculorum] *Id est, infinita sæcula.*

4 Viginti quatuor illi senes &c.] *Confer cap.4.v.4.* Animalia] *Confer cap.4.v.6. & seqq.* Insidentem throno] *Vide cap.4.v.2. 3.4.* Amen] *Id est, Fiat.*

5 Vox] *Nempe Christi. quod intelligitur ex eo, quòd dicitur hæc vox prodiisse è throno, quodq; dixit,* Deum nostrum. *quæ duo in neminem præterquam in Christum competunt: illud quidem secundum naturam divinam, hoc verò secundum humanam.*

6 Sonitum aquarum] *φωνὴν ὑδάτων. Vocem aquarum. Synecdoche speciei καθ᾽ ἐξήγησιν, Hebræis usitata. Sic mox, φωνὴν βροντῶν.* Vehementium] *ἰσχυρῶν. Ad verb. Robustorum, seu validorum.* Regem se declaravit] *ἐβασίλευσε. Ad verb. Regnavit. Sic suprà c.11.v.17.*

7 Nuptiæ agni] *Id est, tempus gaudiorum cælestium quæ Christus electis promeritus est morte suâ. Metaphora duplex, & metonymia adjuncti, quatenus tempori gaudia illa accidunt.* Agni] *Id est, Christi. Confer cap.5.* Uxor ejus] *Ecclesia. Vide Eph.5.v.23. & deinceps. Item 2.Cor.11.v.2.*

8 Et datum est] *Verba Johannis, quibus declarat quod dixit de apparatu sponsæ.* Ei] *αὐτῇ. Uxori agni.* Veste byssinâ] *βύσσινον. Supple, ἔνδυμα.* Justificationes] *τὰ δικαιώματα. Id est, justa facta, seu bona opera.*

9 Dixit] *λέγει. Dicit. Enallage temporis. Sic mox iterum: & v.10. Dixit autem, scil. angelus qui loquebatur cum Johanne; ut liquet ex v.seq.* Beati] *Supple, sunt.*

10 Ut adorarem] *προσκυνῆσαι. Pro, τοῦ προσκυνῆσαι. Scil. ἕνεκα.* Conservus] *σύνδουλος. Deest conjunctio γὰρ, id est, enim: quæ in eâdem sententiâ exprimitur infrà cap.22.v.9.* Fratrum tuorum qui habent testimonium Jesu] *Id est, qui habent mandatum testificandi de Jesu, illum scil. esse unicum servatorem electorum. Periphrasis prophetarum sive doctorum ecclesiæ.* Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ] *Hæc sententia cohæret non cum proximè præcedente, sed cum illa periphrasi prophetarum, cujus hic ratio affertur à conjugatis, tali enthymemate. Spiritus prophetiæ est testimonium Jesu: ergo prophetæ sunt qui habent testimonium Jesu. Unde jam liquet, verba hæc construenda esse ordine inverso. Sententia est: Donum prophetandi præcipuè est donum testificandi de Jesu. Locus hic esset planior, si sententiæ justo ordine essent dispositæ ad hunc modum:* Vide ne feceris: sed Deum adora. Conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum, qui habent testimonium Jesu. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ. *Cæterùm ratio illa sive αἰτιολογία annectitur per prolepsin: quasi Johannes quum audisset prophetas sive doctores ecclesiæ describi his verbis,* Qui habent testimonium Jesu: *quæsivisset, cur illos angelus iis verbis descripserit.*

11 Albus] *Confer suprà cap.6.v.2.* Vocabatur] *καλούμενος. Scil. ἦν. Pro, ἐκαλεῖτο. Phrasis Hebræa.* Fidelis & verax] *Epitheta Christi.* Qui] *Supplementum Hebraicum.* Justè] *ἐν δικαιοσύνῃ. Ad verb. In justitia: id est, cum justitia, μετὰ δικαιοσύνης. Hebraiſ. Hoc est, justè. Sic Rom.1.v.4. ἐν δυνάμει, potenter.*

12 Diademata multa] *Symbolum dignitatis amplissimæ.* Quod nemo novit] *Scil. perfectè. Symbolum mysterii de persona & officio Christi.* Veste tinctâ sanguine] *Confer Esa.63.v.1.* Sermo Dei] *ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Confer Joh.1.v.1. & 1.Joh.5.v.7.*

14 Qui sunt in cælo] *ἐν τῷ οὐρανῷ. Pro, τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ. Scilicet ὄντα. Id est, homines electi quorum nomina scripta sunt in cælis. Confer suprà cap.17.verſ.14.* Super equis albis] *Scilicet sedentes,* Auf weissen pferden. Veste byssinâ] *βύσσινον. Supple, ἔνδυμα; ut suprà v.8. Symbolum dignitatis.* Alba] *Symbolum sanctitatis. Confer suprà v.8.*

15 Prodibat] *ἐκπορεύεται. Ad verbum, Prodit. Enallage temporis in hoc libro frequens.* Romphæa] *Confer suprà cap.1. v.16.* Eâ] *ἐν αὐτῇ. Præpositio ἐν redundat ex Hebraismo.* Ipse enim] *καὶ αὐτὸς. Copulativa pro causali.* Reget] *ποιμανεῖ. Ad verb. Pascet. Metaphora.* Eos] *αὐτοὺς. Præcessit autem τὰ ἔθνη. Ergo syntaxis refertur non ad vocem, sed ad sensum. Quæ figura à Grammaticis nominatur synthesis, quum nominanda sit synesis.* Virgâ] *ἐν ῥάβδῳ. Præpositio redundat ex Hebraiſ. Confer Psalm.2.v.9.* Calcabit] *πατεῖ. Ad verb. Calcat. Enallage temporis: quia præcessit ποιμανεῖ.* Lacum] *Confer suprà cap.14.v.19. & 20.* Vini fervidi iræ Dei] *τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ καὶ τῆς ὀργῆς τοῦ θεοῦ. Videtur legendum omissâ particulâ καὶ: ut judicari potest partim ex versione vulgari, partim ex collatione verſ.19.cap.16. Conjunctio autem καὶ inserta videtur ab aliquo qui non intellexit phrasin Hebræam, & durum esse judicavit concursum tot genitivorum.*

16 Habebatque] *καὶ ἔχει. Præsens pro imperfecto, ut suprà v.15.* Rex regum] *Id est, summus rex. Confer suprà c.17.v.14.*

17 Quendam] *ἕνα. Ad verb. Unum. Hebraismus.* In sole] *Ut inde posset longè lateq; circumspicere.* Per medium cæli] *ἐν μεσουρανήματι. Id est, in aëre.* Cænam] *Parandam ex cadaveribus interfectorum. Sic deinceps. Confer suprà c.16.v.14. & 16.*

19 Bestiam illam] *De qua suprà c.17.v.3. & 7.* Ad gerendum] *ποιῆσαι. Pro, πρὸς τὸ ποιῆσαι. Vel, τοῦ ποιῆσαι. Scil. ἕνεκα.* Cum eo qui insidebat equo] *Suprà v.11.*

20 Sed] *καὶ. Copulativa pro adversativa.* Pseudopropheta] *Vide suprà cap.16.v.13.* Qui ediderat signa] *Confer suprà cap.13. v.12. & 13.* Quibus] *ἐν οἷς. Id est, δι᾽ ὧν. Hebraismus.* Qui acceperunt characterem bestiæ] *Vide suprà cap.13.v.16.* Adorarunt imaginem ejus] *Suprà cap.13.v.15.* Stagnum ignis] *Quæ est mors secunda, infrà c.20.v.14.* Sulphure] *ἐν τῷ θείῳ. Præpositio redundat ex Hebraismo.*

21 Reliqui verò] *καὶ οἱ λοιποὶ. Copulativa pro transitiva. Reliqui, qui scilicet bestiæ & pseudoprophetæ adfuerunt in prælio contra Christum.* Romphæâ] *ἐν τῇ ῥομφαίᾳ. Præpositio redundat ex Hebraismo.* Equo] *Nempe albo. Suprà v.11.*

OBSERVAT. EX CAP. XIX.

1 Ex verſ.2. & 3. rursum notetur testimonium de ruina regni Papalis. *Papatus.*

2 Ex v.7.8.9. notetur testimonium de vita æterna, quâ fruentur fideles cum Christo. *Vita æterna.*

3 Ex verſ.10. notetur testimonium de adoratione religiosâ, quòd soli Deo tribuenda sit. *Adoratio.*

4 Ex v.11.12.13.14.15.16. notetur descriptio Christi. *Christus.*

5 Ex v.17. & seqq. notetur testimonium de clade quam Papistæ accepturi sunt à veris Christianis. *Papistæ.*

CAPUT XX.

Deinde vidi angelum descendere è cælo, qui habebat clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua.

2 Et apprehendit draconem, serpentem, *inquam*, illum antiquum, qui est Diabolus & Satanas: & vinxit eum *ad* annos mille.

3 Conjecitq; eum in abyssum, & clausit eum, & obsignavit supra eum, ut ne seduceret ampliùs gentes, donec consummati essent mille illi anni: nam postea oportet eum solvi *ad* exiguum tempus.

4 Deinde vidi thronos, & consederunt super eos, & judicium datum est eis: & animas eorum qui securi percussi fuerant propter testimonium Jesu, & propter sermonem Dei, itemque *illorum* qui non adorarant bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperant characterem *ejus* in frontibus suis, aut in manibus suis: & revixerunt *illi*, & regnarunt cum Christo per mille illos annos.

5 Reliqui verò mortuorum non revixerunt, donec consummati essent mille illi anni. Hæc est resurrectio prima.

6 Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. in hos *enim* mors secunda non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annos.

7 Quum verò consummati fuerint mille illi anni, solvetur Satanas è carcere suo:

8 Et exibit ut seducat gentes quæ *erunt* in quatuor angulis terræ, Gogum & Magogum, ut congreget eos in prælium: quorum numerus *erit* sicut arena maris.

9 Ascenderunt igitur super latitudinem terræ, & obsidione cinxerunt castra sanctorum, & urbem dilectam: sed descendit ignis à Deo è cælo, qui devoravit eos.

10 Et Diabolus qui seducebat eos, conjectus est in illud stagnum ignis & sulphuris, ubi *erat* bestia & pseudopropheta: & cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.

11 Tum vidi thronum album magnum, & quendam ei insidentem, à cujus conspectu fugit terra & cælum, locusque eis non est inventus.

12 Præterea vidi mortuos, parvos & magnos, stantes in conspectu Dei; & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est *liber* vitæ: judicatique sunt mortui ex iis quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum.

13 Nam reddiderat mare mortuos qui in ipso fuerant: itemque mors & sepulchrum reddiderant mortuos qui in ipsis fuerant: & judicati sunt singuli secundùm opera ipsorum.

14 Mors autem & sepulchrum conjecti sunt in illud stagnum ignis: quæ est mors secunda.

15 Nempe si quis non inventus est in libro vitæ scriptus, conjectus est in illud stagnum ignis.

ANALYSIS CAP. XX.

HOc capite continentur tres prophetiæ speciales, de tribus maximi momenti rebus, quæ inter ruinam Papatus & judicium universale intercedent: quarum prima est de singulari quadam felicitate fidelium, qui per id tempus in terra victuri sunt: secunda de singulari felicitate martyrum Christi, qui ante illud tempus & usque ad illud fuerint supplicio capitis affecti; tertia de liberatione miraculosâ piorum à persecutione gentium ultimâ. Isti autem triplici prophetiæ subjicitur descriptio judicii universalis, in quo est initium triumphi ecclesiæ. Ita sunt quatuor capitis partes: quarum secunda incipit v.4: tertia v.7: quarta v.11.

De Prima Parte.

Felicitas fidelium qui post ruinam Papatus in terra victuri sunt, est securitas ab hostili incursu impiorum per mille annos: quæ significatur vers.3. ubi dicitur, *Ut non seduceret amplius gentes &c.* Hæc securitas declaratur ex causâ procreante: quæ est cohibitio Diaboli, significata per ligationem draconis, v.2. itemque per conjectionem illius in abyssum, vers.3. Illa autem cohibitio Diaboli è suis quoque procreantibus causis declaratur, tum principali, tum instrumentali. Principalis est Christus, significatus per angelum descendentem è cælo, v.1. Instrumentalis, est potestas ei data à Patre, significata per clavem abyssi, & catenam magnam, quam angelus ille habebat in manu sua, ibid. Atque hæc de singulari felicitate fidelium, qui post ruinam Papatus victuri sunt.

De Secunda Parte.

Felicitas singularis martyrum Christi, qui ante illos mille annos fuerint supplicio affecti, est resurrectio ante universalem resurrectionem futura, & regnatio cum Christo in cælo per mille annos ante resurrectionem reliquorum. Hæc felicitas expressis verbis indicatur in fine versus quarti. Declaratur autem ex causis procreantibus impulsivis duabus, quæ Deum movebunt ad illam felicitatem eis conferendam. Prior est antecedens, Græcis dicta ἀκριβοδικαιοσύνη, videlicet justitia Dei, quæ significatur per judicium cælitum, quod Johannes celebrari vidit, v.4. Posterior est petitio animarum martyrum: quæ innuitur mentione illarum post mentionem judicii, ibid. quasi dicat Johannes, se vidisse animas illas coram judicibus stantes, & id petentes quod mox narratur eis contigisse. Describuntur autem ibid. martyres ex causâ supplicii procreante duplici, videlicet confessione Christi & recusatione idololatriæ. hæ enim causæ persecutores impulerunt, ut martyres supplicio afficerent. Deinde illustratur illa martyrum felicitas antithesi dissimilium, videlicet dissimilis conditionis reliquorum mortuorum, v.5. Tertiò amplificatur eadem felicitas ab adjunctis tribus: videlicet à singularitate seu prærogativâ, à sanctâ securitate, & à dignitate sacerdotali, v.6.

De Tertia Parte.

Liberatio miraculosa piorum à persecutione impiorum ultimâ, est deletio impiorum repentina, quum instante die judicii bello aggredientur pios. Hæc significatur per descensum ignis à Deo è cælo, qui devoravit gentes obsidione cingentes castra sanctorum & urbem dilectam, v.9. Cæterùm belli istius susceptio declaratur ex causâ procreante, quæ est seductio Diaboli, v.8. Ubi etiam gentes bellum illud suscepturæ, describuntur partim è locis subjectis, unde sunt egressuræ, videlicet ex quatuor angulis terræ: partim collatione similium, quatenus nominantur Gog & Magog: partim ex adjunctâ multitudine, quæ significatur & illustratur simili. Deinde narratur istius piorum liberationis & impiorum deletionis eventum, videlicet damnatio Diaboli ad æternos cruciatus: quæ significatur per conjectionem ejus in stagnum ignis, vers.10. Et illustratur indicatione causæ impulsivæ, quæ Deum movebit ad eum ita damnandum, nempe quia seduxerat gentes ad bellum piis inferendum.

De Quarta Parte.

Descriptio judicii universalis constat quatuor membris, videlicet (1) descriptione judicis, (2) descriptione reorum, (3) indicatione normæ seu regulæ, secundùm quam sententia pronuntiata est, & (4) sententiæ pronuntiatæ exsecutione.

Judex Christus describitur partim è subjecto recipiente, partim ex adjuncto inhærente. Subjectum recipiens, est sedes judicialis, videlicet nubes, significata per thronum album magnum, v.11. Adjunctum inhærens, est terribilis majestas, quæ significatur ex effectu, videl. fuga terræ & cæli, ibid.

Rei judicandi & coram tribunali Christi constituendi, sunt mortui, v.12. hoc est, omnes homines ex mortuis excitati: quorum mentio illustratur distributione duplici: unâ bimembri, ex adjuncto statu, v.12: alterâ trimembri, è subjectis locis, unde sunt prodituri, v.13.

Norma seu regula judicii, sunt opera judicandorum, vers.12. & 13. Hæc regula declaratur ab adjuncta infallibilitate: quæ ipsa infallibilitas significatur ex causis duabus, unde dependet, videl. omniscientia Dei & electione. Omniscientia Dei significatur per libros, in quibus opera singulorum scripta sunt, vers.12. Electio verò per librum vitæ, id est, in quo scripta sunt nomina eorum quos Deus elegit ad vitam æternam, ibid. Omniscientia communiter occupatur in omnibus judicandis: quia singulorum opera Deus novit, & de singulis secundùm opera ipsorum judicabit, vers.13. Electio verò occupatur in certo judicandorum numero, videlicet iis qui inventi fuerint scripti in libro vitæ, v. ultimo.

Exsecutio sententiæ pronuntiatæ est conjectio impiorum in stagnum ignis, vers.14. & 15. Quæ quidem una exsecutionis pars est: alterius verò partis (nempe receptionis piorum in cælum) exsecutio narratur capite sequente.

SCHOLIA IN CAP. XX.

1 Deinde] καὶ. *Copulativa pro transitiva.* Descendere] καταβαίνοντα. *Ad verb. Descendentem. Hellenismus.* Clavem abyssi] *Quâ aperiebatur & claudebatur abyssus.* **Der schlüssel zum abgrund.** *Genitivus subjecti.* Abyssi] τῆς ἀβύσσου. *Id est, inferni sive orci: ut Luc.8.v.31.*

2 Draconem] *Socium scilicet bestiæ & pseudoprophetæ, qui unà bellum gesserunt contra agnum & asseclas illius: suprà cap.16. v.13. & 14. & cap.19. v.19. & 20. Quum igitur narrasset, quid ex illo bello evenerit bestiæ & pseudoprophetæ, suprà cap.19. v.20. restabat ut etiam narraret, quid evenerit ipsi draconi: id quod facit in hoc capite: ubi duo quæ ei evenerint, narrat: unum, quòd vinctus fuerit & abysso inclusus per annos mille, hoc versu: alterum, quòd postquam iterum solutus fuisset, novumque bellum contra ecclesiam excitasset, conjectus sit in stagnum ignis, vers.7. & deinceps.* Antiquum] *Qui mox ab origine mundi primos nostros parentes decepit, Gen.3.* Diabolus] διάβολος. *Id est, calumniator. Vide Jobi 1. v.9. & deinceps.* Satanas] Σατανᾶς. *Id est, adversarius. Vide Matth.16. vers.23. Ad* annos mille] χίλια ἔτη. *Subauditur κατὰ.*

3 Clausit] ἔκλεισεν. *Conclusit, occlusit.* **Er hat jhn verschlossen.** Supra eum] ἐπάνω αὐτοῦ. *Id est, supra operculum putei abyssi, in quam eum conjecerat. Metonymia subjecti.* Seduceret] *Scil. persuadendo ut suscipiant bellum contra pios: quemadmodum declaratur vers.8.* Nam] καὶ. *Copulativa pro causali.* Postea] *Elapsis illis mille annis.* Ad exiguum tempus] μικρὸν χρόνον. *Subauditur κατὰ.* Exiguum] *Quia statim solutus congregabit gentes in prælium contra sanctos, illoque prælio gliscente conjicietur in stagnum ignis; ut narratur v.7. & deinceps.*

4 Deinde] καὶ. *Ut vers.1.* Consederunt] ἐκάθισαν. *Scilicet ii quibus judicium datum est de animabus illis quarum statim fit mentio.* Judicium] *Potestas judicandi.* Datum est] *Nempe à Deo.* Et animas] *Repetendum ἀπὸ κοινοῦ verbum* vidi. *Hîc autem subjicitur mentio animarum illarum; ut significetur, ipsas esse quæ judicium istud fieri petiverint. Confer suprà cap.6. v.9. & 10.* Securi percussi] *Nempe ab Imperatoribus Romanis ethnicis. Apud hos enim istud supplicii genus usitatum erat. Interim tamen intelligitur hîc per synecdochen speciei quodlibet supplicii genus.* Propter testimonium Jesu] *Id est, propterea quòd testificati essent de Jesu, eum scil. esse unicum servatorem electorum. Genitivus subjecti.* Et propter sermonem Dei] καὶ διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. *Id est, propter confessionem evangelii. Itaque his verbis notantur confessores qui non erant prophetæ seu doctores: præcedentibus autem significantur illi qui erant doctores. Vide suprà cap.19. v.10.* Itemque *illorum* qui] καὶ οἵτινες. *Post conjunctionem* καὶ, *ἀπὸ κοινοῦ repetenda ista*

dicta verba, τὰς ψυχάς: & supplenda vox εἶδον. Nam planum est, hic aliud genus animarum indicari: nempe confessorum qui supplicio affecti fuerunt non ab Imperatoribus ethnicis, id est, à bestia prima: sed à Papis, id est, à bestia secunda. De hac autem duplici bestia vide suprà cap.13. Etsi autem hic supplicii nulla fiat mentio, tamen id per synecdochen membri cum causa illius impulsiva simul intelligitur: ut planum est ex collatione tum sententiæ præcedentis de securi percussis, tum sequentis de resurrectione illorum omnium, & regnatione tum Christo per mille annos. Bestiam] Scilicet secundam. Vide suprà cap.13. vers.11. Imaginem ejus] Id est, ab ipsa factam alteri bestiæ. Vide ibid.14. & 15. Characterem ejus] τὸ χάραγμα. Scilicet αὐτοῦ. Id est, quem ipsa dedit. Vide ibid. vers.16. & 17. In frontibus suis aut in manibus suis] ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτῶν. Ad verbum, super frontem suam, & super manum suam. Intellige, singuli super suam. Est autem copulativa hic posita pro disjunctiva, ex consuetudine Hebræorum. Vide cap.13. vers.16. Revixerunt] ἔζησαν. Ad verbum, Vixerunt. Pro, ἀνέζησαν: ut planum est ex antithesi vers. seq. ubi dicitur, οἱ δὲ λοιποὶ τῶν νεκρῶν οὐκ ἀνέζησαν, Reliqui verò mortuorum non revixerunt. Sic suprà cap.2. vers.8. Significat ergo hic Johannes, corpora animarum illarum quas videbat in cælo, resurrexisse & revixisse, nimirum cum animabus suis unita: atque cum Christo in cælo regnavisse totis illis mille annis. Atque ita indicat prærogativam istius fidelium multitudinis, quam habituri sunt præ cæteris. Nec verò hæc expositio putanda est adversari articulo fidei de resurrectione mortuorum universali quæ futura est demum in fine mundi; non magis quàm resurrectio sanctorum illorum, de quibus narrat Matthæus cap.27. v.52. Regnarunt] Nempe in cælo.

5 Resurrectio] ἀνάστασις. Nempe corporum mortuorum, τῶν νεκρῶν. ut patet ex verbis præcedentibus. Prima] Cui opponitur secunda: quæ fiet in die judicii ultimi.

6 Et sanctus] Q.d. Non tantùm beatus, (quales erunt etiam illi pii qui resurgent in resurrectione secunda) sed etiam sanctus, id est, à Deo ex singulari gratia ad prærogativam illam diuturnioris beatitudinis segregatus. Qui habet partem in resurrectione prima] Id est, qui est in numero eorum qui resurgent in resurrectione primâ: videl. in numero martyrum. Mors secunda] Id est, mors æterna. Vide vers.14. Cum eo] Nempe Christo. Mille annos] Scil. præ cæteris fidelibus, & ante illos.

7 Quum verò] καὶ ὅταν. Copulativa pro transitiva. E carcere suo] ἐκ τῆς φυλακῆς αὐτοῦ. Sive, E custodia sua. id est, ex abysso ubi fuit custoditus, suprà v.3.

8 Quæ erunt in quatuor angulis terræ] τὰ ἐν ταῖς τέσσαρσι γωνίαις τῆς γῆς. Scilicet ἐσόμενα. Sic suppleo, quia sermo est de rebus futuris. Ut seducat] πλανῆσαι. Pro, τοῦ πλανῆσαι. Scilicet ἕνεκα. Nempe promittendo victoriam. Gogum & Magogum] Id est, quales olim fuerunt Gentes Gog & Magog, quæ bellum gesserunt contra populum Judaicum: ut narratur Ezech.38. & 39. Nam hic non propriè intelligendas illas ipsas gentes; planum est ex eo quod præcessit, Gentes in quatuor angulis terræ: in quarum numero hauddubiè etiam erunt posteri Gogi & Magogi. quare de illis propriè loquendo jam dictum est per vocabulum generale τὰ ἔθνη, id est, gentes. Hic autem expressè nominantur, ut significetur, persecutionem ecclesiæ Judaicæ à Gogo & Magogo, quæ accidit temporibus Machabæorum, fuisse typum persecutionis ecclesiæ Christianæ, quæ futura est sub secundum adventum Christi: sicut illa facta fuit sub adventum ejus primum. Nomine igitur istarum gentium intelligendi sunt omnes hostes ecclesiæ qui sub secundum Christi adventum victuri sunt, sive à religione Christiana alieni, ut Turcæ: sive illam profitentes, ut Papistæ. nam etsi Papatus corruet per cladem quam accepturi sunt Papistæ in prælio quod cum evangelicis commissuri sunt, ut narratur cap.19. v.20. tamen per illos mille annos resumet vires, ut tandem homo ille peccati aboleatur per illustrem illum adventum Christi, 2.Thess.2. v.8. In prælium] εἰς πόλεμον. In bellum, nempe cum ecclesia, ut declaratur vers. seq.

9 Ascenderunt igitur] καὶ ἀνέβησαν. Copulativa pro transitiva, vel illativa. Porrò verbum præteriti temporis hic & deinceps hoc vers. & seq. aut referendum est ad ipsam visionem, aut interpretandum de certitudine rei gerendæ. Sanctorum] Christianorum. Urbem dilectam] Id est, ecclesiam. Quanquam fieri potest ut certa urbs significetur, in qua religio Christiana eximiè florebit. Sed] καὶ. Copulativa pro adversativa: ut sæpe in hoc libro. Qui] Scilicet ignis. Gr. καὶ. Loquendi genus Hebraicum. In illud stagnum ignis] Vide v.14. Ubi erat bestia] Jam antè eò conjecta. Vide suprà cap.19. vers.20. Bestia & pseudopropheta] Nempe duo illi socii Diaboli sive draconis. Vide suprà c.16. v.13. & 14. Cruciabuntur] Nempe tres illi.

11 Tum] καὶ. Copulativa pro transitiva. Album] Symbolum nubis serenæ. Confer Matth.24. v.30. Quendam insidentem] τὸν καθήμενον. Articulus indefinitè positus. Quendam] Nempe Christum: ut percipitur è sequentibus.

12 Mortuos] τοὺς νεκρούς. Id est, eos qui fuerant mortui, tunc autem vitæ restituti. Sic paulò pòst. Libri] Nempe in quibus scriptæ erant opera singulorum: ut percipitur ex fine tum hujus versus, tum sequentis. Symbolum omniscientiæ Dei. Isti autem libri sunt ipsa hominum conscientia. Liber vitæ] Id est, in quo scripti erant illi quos Deus elegit ad vitam æternam. Symbolum electionis.

13 Qui in ipso fuerant. Item, Qui in ipsis fuerant] τοὺς ἐν αὐτῇ. Scilicet ὄντας. Item τοὺς ἐν αὐτοῖς. Scilicet ὄντας. In quibusdam exemplaribus mendosè legitur αὑτῇ & αὑτοῖς, cum aspiratione. Nam ad pronomina illa aspirata nihil possis supplere, quod rectum sermonem pariat. Continetur autem his verbis ratio ejus quod dixerat, se vidisse mortuos stantes coram Deo. nam promtum erat quærere. Et quomodo illos vidisti stantes coram Deo, quum jaceant in mari aut sepulchris? &c. Mors] Videntur hic cadavera mortuorum distribui in tres classes: unam eorum quæ in mari submersa sunt; alteram eorum quæ extra mare mortua sunt, sed non sepulta: ut quæ in cineres redacta sunt, aut à bestiis devorata &c. tertiam eorum quæ in sepulcris recondita sunt. Sepulcrum] ὁ ᾅδης. Sic puto hic vertendum, ex consuetudine Hebræorum, apud quos nomen שְׁאוֹל scheól, utrumq; significat, & infernum scilicet sive orcum, & sepulcrum. Sic Actor.2. v.27. ex Psal.16. v.8.

14 Mors autem & sepulcrum] Id est, Illi quos mors & sepulcrum reddiderant, vers. præced. Metonymia subjecti. Nempe aliqui, & quidem pleriq; Quinam autem illi sint, declaratur vers. seq. Quæ] Pro, Quod, scil. stagnum: ὅτος, pro αὕτη, scil. λίμνη. Anomalia generis in pronomine relativo: quod quum regulariter convenire debeat genere cum nomine antecedente, hic convenit cum consequente. Sic apud Cicer. Carcer, quod Tullianum vocant. Confer infrà cap.21. vers.8. ubi sermo ἀνάλογος est. Mors secunda] Id est, symbolum mortis secundæ, hoc est, æternæ: sive cruciatuum infernalium.

15 Nempe si quis] καὶ εἴ τις &c. Copulativa pro declarativa. Declaratur enim hic, quinam illi sint qui vers. præced. intellecti fuerunt vocabulo mortis & sepulchri: ut patet ex pronunciati hujus consequente, quod cum illo priore prorsus idem est.

OBSERVAT. EX CAP. XX.

1 Ex v.3. notetur prophetia de cessatione bellorum per mille annos. *Bellorum cessatio.*

2 Ex v.4.5. & 6. notetur prophetia de resurrectione martyrum diem ultimi judicii mille annis antecessura. *Resurrectio martyrum.*

3 Ex v.7.8.9. notetur prophetia de divina deletione exercitus infidelium, qui fideles paulò ante diem ultimum hostiliter aggredietur. *Ultima deletio exercitus infidelium.*

4 Ex v.10. notetur testimonium de supplicio Diaboli. *Diabolus.*

5 Ex v.11. & seqq. notetur descriptio judicii ultimi. *Judicium ult.*

6 Ex vers.12. & 15. notetur testimonium de libro vitæ: id est, de divina prædestinatione certorum hominum ad vitam æternam. *Liber vitæ.*

CAPUT XXI.

DEinde vidi cælum novum & terram novam. Primum enim cælum & prima terra abierat: & mare non ampliùs exstabat.

2 Et ego Johannes vidi sanctam urbem Hierusalem novam, descendentem à Deo è cælo, paratam ut sponsam ornatam viro suo.

3 Et audivi vocem magnam è cælo, dicentem, Ecce, tabernaculum Dei *est* cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi, populus ejus erunt, & ipse Deus erit cum eis, deus ipsorum.

4 Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ampliùs non exstabit; neque luctus, neque clamor, neque dolor exstabit ampliùs: quia prima abierunt.

5 Et dixit is qui insidebat throno, Ecce, nova facio omnia. Deinde dixit mihi, Scribe: nam hæc verba vera & fidelia sunt.

6 Præterea dixit mihi, Factum est. Ego sum A & Ω, initium & finis. Ego sitienti dabo ex fonte aquæ vivæ, gratis.

7 Qui vicerit, possidebit omnia: & ero ei deus, & ipse erit mihi filius.

8 Timidis autem, & incredulis, & exsecrabilibus, & homicidis, & scortatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars ipsorum *erit* in stagno ardenti igne & sulphure; quod est mors secunda.

9 Tum venit ad me unus ex septem illis angelis qui habebant septem illas phialas quæ plenæ fuerant septem plagis ultimis: & loquutus est mecum, dicens. Huc *ades*, ostendam tibi sponsam, uxorem agni.

10 Et sustulit me in spiritu in montem magnum & sublimem, & ostendit mihi urbem illam magnam,

ſanctam illam Hieruſalem, deſcendentem è cælo à Deo:

11 Quæ habebat gloriam Dei. nam luminare ejus *erat* ſimile lapidi jaſpidi pretioſiſſimo, tanquam lapidi jaſpidi inſtar cryſtalli ſplendenti.

12 Habebat item murum magnum & ſublimem: habebat *etiam* portas duodecim, & in portis angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël.

13 Ab Oriente *erant* portæ tres: ab Aquilone, portæ tres: ab Auſtro, portæ tres: ab Occaſu, portæ ttes.

14 Murus autem urbis habebat fundamenta duodecim, in quibus *erant* duodecim nomina apoſtolorum agni.

15 Porrò is qui loquebatur mecum, habebat calamum aureum, ut metiretur urbem, & portas ejus, & murum ejus.

16 Urbs ipſa verò in quadro poſita erat: nam longitudo ejus tanta erat quanta & latitudo. Menſusque eſt urbem calamo, ad ſtadiorum duodecim millia: erantque longitudo & latitudo & altitudo ejus æquales.

17 Deinde menſus eſt murum ejus centum quadragintaquatuor cubitorum, menſurâ hominis, qualis *etiam* erat angeli.

18 Erat autem ſtructura muri ejus ex jaſpide: ipſa verò urbs aurum purum, & ſimilis vitro puro.

19 Fundamenta verò muri urbis *erant* omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum *erat* jaſpis: ſecundum, ſapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, ſmaragdus:

20 Quintum, ſardonyx: ſextum, ſardius: ſeptimum: chryſolithus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chryſopraſus: undecimum, hyacinthus: duodecimum, amethyſtus.

21 Duodecim autem portæ, duodecim margaritæ *erant*, *nempe* ſingulæ portæ ex ſingulis margaritis erant: forum autem urbis, *erat* aurum purum, tanquam vitrum perlucidum.

22 Porrò templum non vidi in ea: Dominus enim, Deus omnipotens, templum illius eſt, & agnus.

23 Neque urbs iſta eget ſole vel lunâ, ut luceant in ea: nam gloria Dei illuſtravit eam, & lucerna ejus eſt agnus.

24 Porrò turbæ eorum, qui ſervabuntur, ambulabunt in luce ejus: & reges terræ gloriam ſuam & honorem ſuum ad eam adferent.

25 Nec portæ ejus claudentur interdiu: nox enim non erit illic.

26 Adferent, inquam, gloriam & honorem gentium ad eam.

27 Nequaquam verò intrabit in eam quicquam quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, vel mendacium *loquitur*: ſed tantùm qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.

ANALYSIS CAP. XXI.

HActenus propoſita eſt & enarrata prophetia de ſtatu eccleſiæ Chriſtianæ militantis & triumphare incipientis: ſequentibus duobus ultimis capitibus proponitur & enarratur ſtatus eccleſiæ totius triumphare pergentis in æternum. Hic autem ſtatus deſcribitur in hoc capite, partim ex adjunctis & actionibus: partim è ſubjecto loco. Atque ita caput diſtribui poteſt in duas partes. Cui utrique parti præmittitur verſ.1. cauſa ſine qua non: videlicet creatio novi mundi, quam Deus ſtatui illi felici eccleſiæ præmittere conſtituit. Omnia autem illa eò ſpectant, ut declaretur eccleſiæ triumphantis maxima felicitas è ſuis cauſis.

De Prima Parte.

Adjuncta & actiones eccleſiæ triumphantis commemorantur in deſcriptione novæ Hieroſolymæ duplici: quarum deſcriptionum prior (quæ brevis eſt) continetur v.2.3.& 4: poſterior (quæ copioſior eſt) continetur v.11. & deinceps. Prioris deſcriptionis partes ſunt quatuor. Eæ ſunt: (1) cohabitatio Dei, v.3. (2) cultus Dei, ibid. (3) favor Dei, ibid. (4) vacuitas priſtinæ miſeriæ, v.4. Iſtarum autem rerum prophetia confirmatur teſtimonio divino, nempe Dei patris, v.5.6.7.& 8. Quod teſtimonium octo conſtat membris: quorum primum eſt promiſſio renovationis mundi, v.5. Secundum, mandatum de promiſſione illa ſcribenda, ibid. Tertium, annuntiatio interitus impiorum, v.6. Quartum, profeſſio æternitatis, ibid. Quintum, promiſſio recreationis piorum, ibid. Sextum, promiſſio divitiarum, v.7. Septimum, promiſſio favoris æterni, ibid. Octavum, annunciatio cruciatuum æternorum, quibus afficientur impii, v.8. Reliqua adjuncta eccleſiæ triumphantis continentur in deſcriptione novæ Hieroſolymæ poſteriore, quæ ſubjicitur verſ.12. & deinceps. Ad illam autem deſcriptionem tranſitio fit v.9.& 10. ubi indicat Johannes primò, quis ſibi novam Hieroſolymam oſtenderit, nempe angelus, v.9: deinde quomodo oſtenderit, nempe in ſpiritu, & è monte ſublimi, v.10. Porrò adjuncta ex quibus nova Hieroſolyma, id eſt, eccleſia triumphans ampliùs deſcribitur, ſunt hæc: Primum, civium illius multitudo: quæ ſignificatur per urbis magnitudinem, v.10. Secundum, ſanctitas, ibidem. Tertium, claritas ſeu ſplendor corporum, ſignificata nomine gloriæ Dei, v.11. Quartum, cognitio Dei clariſſima, ſignificata per luminare urbis, ibid. Quintum, ſecuritas ex omni parte, ſignificata per murum & angelos portarum cuſtodes, v.12. & 13. Item per fundamenta, v.14. Sextum, pulchritudo ex proportionata diſtributione donorum ſpiritualium: quæ ſignificatur per ſymmetriam partium urbis, v.15.16.& 17. Septimum, excellentia: quæ ſignificatur per pretioſiſſimas materias, ex quibus urbs fuit exſtructa, v.18.19.20.& 21. Porrò, octava deſcriptionis illius pars eſt actio quædam beatorum in illa urbe degentium, videlicet cultus Dei immediatus, id eſt, liber ab omni cærimonia: qui cultus ſignificatur per defectum templi, v.22. Nona pars ſimiliter actio beatorum eſt, videl. immediata contemplatio Dei: quæ ſignificatur per privationem ſolis & lunæ, v.23. Hæc actio illuſtratur indicatione perſonarum agentium, v.24. Et amplificatur ex eventu, quòd ſcilicet pii reges præ illa contemplatione gloriam ſuam & honorem ultrò ſint depoſituri, & acquieturi in illa beata contemplatione omnibus ſanctis communi, ibid.& v.26. Decima deſcriptionis illius pars rurſus eſt adjunctum, nempe ſecuritas: ſignificata per apertionem portarum perpetuam, v.25. Undecima deſcriptionis pars eſt vacuitas hominum impiorum, v.ult.

De Altera Parte.

Atq; ſic eſt deſcriptio ipſius eccleſiæ triumphantis. Jam quod attinet ad ſubjectum locum, ſive habitaculum illius, illud erit ſummum cælum: (ut alibi ſcriptura docet) quod hîc ſub eâdem imagine novæ Hieroſolymæ commendatur (verſ.10. & deinceps) ex adjunctis jucundiſſimis, videlicet amplitudine, pulchritudine, amœnitate & ſalubritate. Amplitudo indicatur verſ.10. & 16. Pulchritudo ſignificatur ex urbis illius tum adjunctâ luce, v.11. & 23. tum materiâ pretioſiſſimâ & ſplendidiſſimâ, verſ.18. 19.20. & 21. tum etiam formâ ſeu ſymmetriâ partium, verſ.12. & deinceps. Amœnitas ſignificatur ex iiſdem rebus, ac præterea ex fluvio & arboribus, cap.ſeq. verſ.1.& 2. Denique ſalubritas ex his ipſis duabus rebus ſignificatur. Porrò abſurdum videri non debet, ſub typo urbis Hieroſolymæ res duas diverſas hîc ſignificari. Nam etſi per illam potiſſimùm hîc ſignificatur ipſa eccleſia triumphans, ut manifeſtum eſt ex declaratione addita, verſ.2. & v.9: tamen id non obſtat quò minùs per eandem etiam ſignificetur eccleſiæ illius habitaculum, id quod patet ex verbis verſus ultimi. Talis (nempe duplex typi ratio fuit ſuprà c.17.v.9. & 10. in ſeptem capitibus beſtiæ.

SCHOLIA IN CAP. XXI.

1 Deinde] καὶ. *Copulativa pro tranſitiva.* Cælum novum &c.] *Confer 2.Pet.2. v.13.* Exſtabat] ἐστιν. *Pro,* ἦν. *Enallage in hoc libro frequens.*

2 Hieruſalem] *Symbolum tum ipſius eccleſiæ, ut percipitur ex membro annexo: tum cæli tertii, ſive paradiſi cæleſtis, ubi eccleſia habitabit, ut percipitur ex deſcriptione, quæ habetur infrà v.11. & deinceps.*

3 Populus] λαός. *Omnino legendum* λαὸς, *populus: & ita in quibusdam exemplaribus legitur: phraſi ſcripturæ uſitatiſſimâ, quam imperitus aliquis librarius non attendens pro* λαὸς *ſcripſit* λαοὶ, *quia vox pluralis numeri & præcedit & ſequitur.*

4 Abſterget] ἐξαλείψει. *Delebit.*

5 Is qui inſidebat throno] *Deus pater. Vide ſuprà cap.4.* Dixit] λέγει. *Pro,* ἔλεγε.

6 Factum eſt] γέγονε. *Id eſt, certiſſimè perficientur ea quæ ſequuntur hoc verſu, & ſeptimo, & octavo.* A & Ω] *Vide ſuprà cap.1. v.8.* Sitienti] *Nempe gratiam meam.* Aquæ vivæ] τοῦ ὕδατος τῆς ζωῆς. *Ad verb. Aquæ vitæ. Genitivus adjuncti per Hebraiſmum uſurpatus. Vide ſcholia mea ad* Johan.4. *v.10.* Gratis] *Confer Eſa.55.v.1.*

7 Qui vicerit] *Scilicet hoſtes ſpirituales, Diabolum, carnem & mundum.*

8 Timidis] δειλοῖς. *Qui metu mortis & cruciatuum corporis veritatem cæleſtem abnegaverint. Synecdoche metonymica.* Incredulis] ἀπίστοις. *Qui non crediderint evangelio.* Pars ipſorum *erit* in ſtagno &c.] *Confer infrà v.ult.& cap.22.v.15.*

9 Tum] καὶ. *Copulativa pro tranſitiva.* Qui habebant ſeptem illas phialas] τῶν ἐχόντων τὰς ἑπτὰ φιάλας *&c. Sic malo quàm,* Qui habuerant &c. *Nam quòd phialas effuderint, narratum eſt: quòd autem ipſas depoſuerint è manibus, narratum non eſt.*

10 In ſpi-

10 In ſpiritu] ἐν πνεύματι. Id eſt, in ecſtaſi: ita ut ſpiritui meo ſive animæ videretur res geri.

11 Gloriam Dei] Id eſt, claritatem ſeu ſplendorem inditum à Deo. Genitivus efficientis. Sic autem accipitur nomen gloriæ etiam 1.Cor.15.v.40. & 41. Nam luminare] καὶ ὁ φωστὴρ. Copulativa pro cauſali. Porrò nomen φωστὴρ ſonat, q.d. illuminator: ut ſunt ſol, luna, cæteraq́ʒ ſtellæ.

12 In portis] ἐπὶ τοῖς πυλῶσιν. Vel. Juxta portas. Angelos] Tanquam cuſtodes. Duodecim tribuum] Symbolum omnium civium populi Dei. Vide ſuprà cap.7.v.4.

14 Habebat] ἔχον. Scil. ἦν. Habens erat. Hebraiſmus.

15 Porrò] καὶ. Copulativa pro tranſitiva. Is qui loquebatur mecum] Videl. angelus. Vide infrà cap.22.v.6. & 8.

16 Urbs ipſa verò] καὶ ἡ πόλις. Copulativa pro tranſitiva. In quadro poſita erat] Sic eruditè & eleganter vetus interpres. In Græco, τετράγωνος κεῖται. Ad verb. Quadrangula ſita eſt, id eſt, ad figuram quadranguli ſeu quadri ſita eſt. Eſt autem quadrangulum ſive quadrum, Græcè τετράγωνον, quod rectas atque æquales lineas quatuor, & quatuor rectos angulos habet. Porrò ponuntur hîc verba temporis præſentis pro præterito imperfecto: quia narrat Johannes quæ tum viderat. Nam longitudo] καὶ τὸ μῆκος. Epexegeſis. Itaque copulativa poſita eſt pro cauſali. Menſus eſt urbem] Scil. in longitudinem, ſive latitudinem. Nam illæ erant inter ſe æquales: ut mox dicitur.

17 Murum] Id eſt, latitudinem muri. nam longitudo & altitudo illius, erant longitudo & altitudo ipſius urbis: quam jam fuerat menſus. Menſurâ] Ablativo caſu. Gr. μέτρον. Accuſativo caſu, ſubauditâ præpoſitione κατὰ. Hominis] Id eſt, quales cubiti ſunt uſitati apud homines. Qualis etiam erat angeli] Nempe angeli illius qui cum Johanne in forma viri loquebatur. Gr. ὅ ἐστιν. Enallage temporis in hoc libro uſitata.

18 Ejus] αὐτῆς. Nempe urbis. Ex jaſpide] ἴασπις. Ad verb. Jaſpis. Metonymia materiæ. Ipſa verò urbs] Id eſt, ſolum ſeu pavimentum urbis. Synecdoche integri. Aurum purum] Id eſt, ex auro puro. Metonymia materiæ.

19 Omni] παντὶ. Id eſt, omnis generis; ut declarat ſequens enumeratio.

21 Forum] ἡ πλατεῖα. Platea. Der plahn. Aurum] Id eſt, ex auro. Metonymia materiæ.

24 Porrò] καὶ. Copulativa pro tranſitiva. Turbæ eorum qui ſervabuntur] τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων. Ad verb. Gentes eorum qui ſervantur. Ad eam] εἰς αὐτήν. Vel, In eam. Sic v.26. Adferent] φέρουσι. Præſens pro futuro.

25 Non enim] Ratio annexa per prolepſin. nam quia dixerat, portas non clauſum iri interdiu: poterat quæri ratio dicti, tanquam inſolentis: quia moris non eſt ut portæ claudantur interdiu. unde videri poterat, non fuiſſe opus id exprimere. Reddit igitur dicti hujus rationem, cur ſcil. dixerit, interdiu, non autem, noctu: quum alioqui noctu portæ claudi ſoleant. Nox non erit] Ac proinde nec poterunt noctu portæ claudi. Negato enim ſubjecto, neceſſe eſt negari & adjunctum. Et vulgo dici ſolet. Non entis nulla ſunt accidentia.

26 Adferent inquam gloriam] καὶ οἴσουσι τὴν δόξαν. Nempe reges, v.24. Itaque conjunctio copulativa hîc ſervit epanalepſi.

27 Nequaquam verò intrabit] καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃ. Gemina negatio apud Græcos fortiùs negat. Quicquam quod inquinat] πᾶν κοινοῦν. Ad verb. Omne quod facit communem: id eſt, immundum ſive impurum. Hebraiſmus. Vide ſcholia Matth.15.v.11. Et omne pro ullum. Sed tantùm] εἰ μὴ. Ad verb. Niſi. Subauditur, τουτέστι, & repetendum οὐ μὴ εἰσέλθῃ: ut integer ſermo ſit, Hoc eſt, non intrabit niſi qui ſcripti ſunt &c. id eſt, electi. Similem ellipſin vide Gal.2. v.16. & ſuprà cap.9.v.4.

OBSERVAT. EX CAP. XXI.

Mundus. 1 Ex v.1. notetur teſtimonium de renovatione mundi.

Eccleſia triumphans. 2 Ex v.2. & ſeqq. uſque ad fin. cap. notetur deſcriptio felicitatis eccleſiæ triumphaturæ in cælo.

Cruciatus infernales. 3 Ex verſ.8. Notetur teſtimonium de æternis cruciatibus impiorum.

Mors æterna. 4 Ex eod. v. notetur deſcriptio mortis æternæ.

CAPUT XXII.

Deinde oſtendit mihi purum fluvium aquæ vivæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem ex throno Dei & agni.

2 In medio autem foro ejus, & ex utrâque parte fluvii, *erat* arbor vitæ, ferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum. Folia autem arboris illius ad ſanitatem gentium *conducunt*.

3 Nec ullum devotum erit ampliùs: ſed thronus Dei & agni in ea erit: & ſervi ejus ſervient ei.

4 Et videbunt faciem ejus: & nomen ejus in frontibus ipſorum erit.

5 Et nox non erit illic: neque opus habebunt lucernâ, aut lumine ſolis: quoniam Dominus Deus illuſtrat eos: & regnabunt in ſæcula ſæculorum.

6 Tum dixit mihi, Hæc verba fidelia *ſunt* & vera: & Dominus deus ſanctorum prophetarum miſit angelum ſuum ut indicet ſervis ſuis quæ oporteat fieri citò.

7 Ecce, venio citò. Beatus qui ſervat verba prophetiæ libri hujus.

8 Ego verò Johannes *is ſum* qui hæc vidit & audivit. Et quum audiſſem & vidiſſem, procidi ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc oſtendebat.

9 *Is* verò dixit mihi, Vide ne *feceris*: conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum qui ſervant verba libri hujus. Deum adora.

10 Deinde dixit mihi, Ne obſignes verba prophetiæ libri hujus: tempus enim propè eſt.

11 Qui injuſtè agit, injuſtè agat ampliùs; & qui ſordeſcit, ſordeſcat ampliùs. Contrà juſtus, juſtificetur ampliùs; & ſanctus ſanctificetur ampliùs.

12 Ecce, venio citò: & merces mea mecum eſt, ut reddam unicuique prout opus ipſius erit.

13 Ego ſum Α & Ω, principium & finis, primus ille & ultimus.

14 Beati qui præſtant ejus mandata: ut ſit eis jus in arborem vitæ, & per portas ingrediantur in urbem illam.

15 Foris autem *erunt* canes, & venefici, & ſcortatores, & homicidæ, & idololatræ, & quiſquis amat ac committit mendacium.

16 Ego Jeſus miſi angelum meum, ut hæc vobis teſtificaretur in eccleſiis. Ego ſum radix & progenies illa Davidis, ſtella illa ſplendida & matutina.

17 Et ſpiritus & ſponſa dicunt, Veni. Et qui audit, dicat, Veni: & qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vivam gratis.

18 Enimverò una teſtor cuivis audienti verba prophetiæ libri hujus; Si quis adjecerit *aliquid* ad hæc, adjiciet Deus ſuper eum plagas ſcriptas in libro iſto:

19 Si quis verò abſtulerit *aliquid* ex verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è libro vitæ, & ex urbe illa ſancta, & *ex* iis quæ ſcripta ſunt in libro iſto.

20 Dicit qui teſtatur iſta, Etiam. Venio citò. Amen, Etiam, veni domine Jeſu.

21 Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti *ſit* cum omnibus vobis. Amen.

ANALYSIS CAP. XXII.

Continuatur hîc primùm deſcriptio eccleſiæ triumphantis, & habitaculi ipſius, uſque ad verſ.6. Deinde ſequitur concluſio libri.

De Prima Parte.

Conſtat autem reliqua hæc deſcriptionis pars membris octo. Primum, eſt gaudium ſpirituale: quod ſignificatur ſymbolo duplici; videlicet fluvio limpidiſſimo, verſ.1. & fructibus arboris vitæ, verſ.2. Secundum, eſt immortalitas; quæ ſignificatur per ſanitatem ex foliis arboris vitæ, in fine verſus ſecundi. Tertium, eſt vacuitas impiorum, verſ.3. Quartum, præſentia Dei patris & Chriſti, ibid. Quintum, cultus Dei, ibid. Sextum, contemplatio Dei, verſ.4. Septimum, honorifica appellatio, ibid. Octavum, contemplatio Dei immediata, verſ.5. Nonum, regnatio æterna, ibidem. Hactenus deſcriptio eccleſiæ triumphantis, unde ſumma ejus felicitas perſpici poteſt.

De Secunda Parte.

Concluſio libri continet totius prophetiæ, hoc libro propoſitæ atque enarratæ, confirmationem. Confirmatio illa conſtat teſtimoniis ſeptem. Quorum primum eſt angeli qui Johanni oſtendebat cæleſtem illam Hieruſalem, verſ.6. Secundum Chriſti, verſ.7. Tertium Johannis, verſ.8. & 9. Quartum rurſus Chriſti, verſ.10. & deinceps. Quintum totius eccleſiæ, verſ.17. Sextum rurſus Johannis, verſ.18. & 19. Septimum denique rurſus Chriſti, v.20.

Primum teſtimonium quatuor membris conſtat: (1) aſſeveratione, v.6. (2) indicatione cauſæ miniſtræ, ibid. (3) promiſſione ſui adventus, v.7. & (4) hortatione ad hanc prophetiam in memoria ſervandam, ibid.

Secundum testimonium tribus membris constat: (1) asseveratione, v.8. (2) effectu fidei Johannis, quam angelo prophetiam indicanti habuit, nempe facto quadam nimis honorifico, ibid. & (3) facti illius cohibitione, v.9.

Tertium testimonium novem membris constat: quorum primum est mandatum Christi ad Johannem de prophetia hac communicanda cum ecclesia, vers. 10. Quod mandatum ratione suâ confirmatur, ibid. Secundum membrum, est hortatio ad pios, ut pergant constanter in cursu pietatis, vers. 11. Quæ hortatio illustratur oppositâ permissione continuandæ impietatis impiorum, ibid. Tertium membrum, est promissio sui adventus, v.12. Quartum, promissio mercedis pro cujusque operibus, ibidem. Quintum, confirmatio illius promissionis ab authoritate promittentis, vers.13. Sextum, hortatio ad servandum mandata Dei, v.14. Septimum, testificatio de pœna eventura impiis, v.15. Octavum, testificatio de ministro hujus prophetiæ, v.16. Nonum, confirmatio hujus testimonii ab authoritate loquentis, ibid. Atque hæc de testimonio tertio.

Quartum testimonium constat optatione adventus Christi, vers.17. Quæ optatio amplificatur corollario duplici, videlicet hortatione Johannis ad omnes pios, ut optationem illam imitentur, & invitatione Christi ad gratiam suam percipiendam, ibid.

Quintum testimonium est contestatio gravissima Johannis ad lectores, ne prophetiam hanc falsent: quæ quidem falsatio declaratur distributione bimembri ex falsandi modis: cui utrique conveniens pœna denuntiatur, v.18. & 19.

Sextum testimonium constat promissione adventus sui, quæ amplificatur corollario, nempe voto ac precibus Johannis, vers.20.

Atque hæc est libri hujus conclusio principalis. Ei adjicitur tanquam accessoria, salutatio apostolica, ad fideles, ad quos hunc librum misit, directa, vers. ult.

SCHOLIA IN CAP. XXII.

1 Deinde] καὶ. *Copulativa pro transitiva.* Ostendit mihi] *Nempe angelus ille cujus facta mentio cap.21. v.9. ut percipitur è serie atque cohærentia textus.* Purum] *Symbolum sanctitatis.* Fluvium] *Symbolum Spiritus sancti. Confer Joh.7. v.38. & 39.* Aquæ vivæ] ὕδατος ζωῆς. Ut *suprà c.21. v.6.* Ex throno] *Vide cap.4.*

2 In medio fori] ἐν μέσῳ τῆς πλατείας. *In medio platea.* **Mitten auf dem plahn.** Ex utraque parte] ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν. *Ad verb. Hinc & hinc. Hebraismus.* Arbor vitæ] *Symbolum vita aterna. Confer Gen.2. v.9.* Ferens] ποιοῦν. *Faciens. Hebraismus.* Fructus] καρποὺς. *Id est, fructuum genera. Vel certè*, fructus duodecim, *id est, generum duodecim:* **zwelferlâi frucht.** Per menses singulos] κατὰ μῆνα ἕνα ἕκαστον. *Ad verb. Secundùm mensem unumquemque.* Fructum suum] *Id est, mensi illi peculiarem.* Sanitatem] *Vel, curationem,* θεραπείαν. Conducunt] *Subauditur in Graco verbum* συμφέρει, *vel simile. Ellipsis verbi relati.*

3 Nec ullum devotum erit ampliùs] καὶ πᾶν κατανάθεμα οὐκ ἔσται ἔτι. *Ad verb. Et omne devotum non erit ampliùs. id est, ullum devotum non erit, seu nullum devotum erit. Phrasis Hebraica. Per devotum autem, id est,* κατανάθεμα, *intelligitur homo exsecrabilis & exitio devotus. Talis non erit, nempe in ecclesia illa cælesti. Synecdoche generis.* Thronus] *Symbolum regia majestatis.*

4 Videbunt faciem ejus] *Symbolum familiaris & jucunda cognitionis.* Nomen ejus in frontibus ipsorum erit] *Symbolum paterna cura Dei erga electos.*

5 Habebunt] ἔχουσι. *Pro,* ἕξουσι. Aut lumine] καὶ φωτὸς. *Pro,* ἢ φωτὸς. *Copulativa pro disjunctiva.*

6 Tum] καὶ. *Copulativa pro transitiva.* Dixit] *Nempe idem ille angelus cujus facta mentio cap.21. v.9. ut percipitur è cohærentia textus.* Ut indicet] δεῖξαι. *Pro,* τοῦ δεῖξαι. *Scil.* ἕνεκα. *Scil. per illum angelum.* Servis suis] *Omnibus piis.*

7 Ecce, Venio] *Verba Christi: ut liquet ex v.20.* Beatus] μακάριος. *Scil.* ἐστὶν, *est.* Qui servat] ὁ τηρῶν. *Qui servat scil. in memoria, & subinde meditatur.* Prophetiæ libri hujus] *Qua continetur in hoc libro. Genitivus subjecti.*

8 Ego verò] καὶ ἐγὼ. *Copulativa pro transitiva.* Qui hæc vidit & audivit] ὁ βλέπων ταῦτα καὶ ἀκούων. *Ad verb. Qui videt hac & audit. Enallage temporis.* Procidi] *Confer suprà cap.19. v.10.* Ostendebat] δεικνύοντος. *Vel, indicabat: ut v.6.*

9 Dixit] λέγει. *Dicit. Enallage temporis.*

10 Deinde] καὶ. *Copulativa pro transitiva.* Ne obsignes] *Ne occultes, sed communica cum ecclesia.* Tempus] *Quo incipient ista fieri.* Propè est] *Ac proinde interest piorum ut illa sciant: ut se praparent ad futuras persecutiones & tentationes.*

11 Qui injustè agit] *Verba Christi: ut percipitur ex cohærentia versus sequentis.* Contrà justus] καὶ ὁ δίκαιος. *Ad verb. Et justus. Copulativa pro adversativa. Est enim antithesis qua duo pronuntiata duobus ordine opponuntur ratione utriusq; partis, nimirum antecedentis & consequentis.* Justificetur] δικαιωθήτω. *Id est, justè agat. hunc enim sensum postulat antithesis.* Sanctus] ὁ ἅγιος. *Hic opponitur τῷ ῥυπῶντι, id est, sordescenti.* Sanctificetur] ἁγιασθήτω. *Id est, sanctitati studeat.*

12 Venio] ἔρχομαι. *Id est, venturus sum. Enallage temporis.* Merces mea] *Quam ego dabo aliis.* ὁ μισθός μου. *Genitivus adjuncti.* Ut reddam] ἀποδοῦναι. *Pro,* τοῦ ἀποδοῦναι. *Scil.* ἕνεκα.

13 Ego sum A & Ω] *Confer suprà c.1. v.8.*

14 Beati] μακάριοι. *Scil.* εἰσὶ, *sunt.* Qui præstant] οἱ ποιοῦντες. *Ad verb. Qui faciunt.* Ejus] *Dei.* Jus] ἐξουσία. *Potestas.* In arborem vitæ] *Ut vescantur fructibus ejus. Suprà v.2.* In urbem illam] εἰς τὴν πόλιν. *Hierusalem illam sanctam, suprà c.21. v.10. & deinceps. Articulus est* ἀναφορικός.

15 Foris autem] *Confer suprà c.21. v.8. & 27.* Canes] οἱ κύνες. *Id est, impuri illi qui patiuntur muliebria. Metaphora. Confer Deut.23. v.17. & 18.* Committit] ποιῶν. *Vel, exercet.*

16 Vobis] *Tibi & aliis piis.* Radix Davidis] ἡ ῥίζα τοῦ Δαβίδ. *Id est, is qui ex Davide velut radice natus est. Metonymia efficientis, & metaphora.* Progenies Davidis] τὸ γένος τοῦ Δαβίδ. Genus Davidis. *Id est, ex genere seu gente familiáve Davidis ortus. Iterum metonymia efficientis.* Stella illa splendida & matutina] *Periphrasis luciferi seu stella Veneris. Comparat autem se lucifero, ad innuendum cælestem suam gloriam. Confer Esa.14. v.12.*

17 Spiritus & sponsa] *Id est, Spiritus sanctus in sponsa loquens: Vel, sponsa ex instinctu Spiritus sancti loquens.* ἓν διὰ δυοῖν. Veni] *Scil. domine Jesu, v.20.* Qui sitit] *Qui expetit gratiam Dei. Metaphora: qualis Johan.7. vers.37.* Aquam vivam] τὸ ὕδωρ ζωῆς. *Ad verb. Aquam vita: ut suprà c.21. v.6.* Gratis] *Sic Esa.55. v.1.*

18 Unà testor] *Scil. cum domino Jesu, ex collatione v.20. Sunt enim hac verba Johannis.* Adjiciet] ἐπιθήσει. *Id est, non simpliciter imponet, sed in magna copia. Idem verbum repetitur eleganter in paulùm diversa significatione per* ἀντανάκλασιν.

19 Partem ejus] *Quam habere videbatur, quamdiu habebatur pro vero Christiano. Dictum* κατὰ δόξαν. *Similia dicta vide Joh.15. v.2. 2.Pet.2. v.1.* Urbe illa sancta] *Hierusalem cælesti, sive cælo beatorum.* Et ex iis quæ scripta sunt in libro isto] καὶ τῶν γεγραμμένων &c. *Pro,* καὶ ἐκ τῶν γεγρ. *Repetitâ præpositione* ἐκ *è pracedenti membro. Per scripta autem in hoc libro intelliguntur hîc bona illa cælestia qua promittuntur iis qui in spirituali illo certamine victores evaserint, ut percipitur ex collatione duorum membrorum præcedentium. Synecdoche generis.*

20 Qui testatur ista] *Nempe Christus: ut liquet ex verbis sequentibus.* Amen] *Id est, Fiat ita. Sunt enim verba Johannis: ut planum evadit è sequentibus.* Etiam, Veni] ναὶ, ἔρχου. *Alii libri habent* καὶ ἔρχου, *Et veni. Id est, Veni igitur. Sed magis placet* ναὶ. *nam videtur vocem Hebraicam* ἀμὴν *velle exponere. Simul expositionis exemplum vide Rom.8. v.15.*

21 Vobis] *Apostrophe ad fideles in ecclesiis Asia, ad quos hunc librum nominatim scripsit, suprà cap.1. v.4.*

OBSERVAT. EX CAP. XXII.

1 Ex quinque primis versibus notetur descriptio vitæ æternæ. *Vita aterna.*

2 Ex vers.6,7,16.18.19. notetur testimonium de authoritate hujus libri. *Authoritas Apocalypseos.*

3 Ex v.8. & 9. notetur testimonium de adoratione religiosa, quòd tribuenda sit soli Deo. *Adoratio.*

4 Ex v.11.12.14.15. notetur testimonium de præmiis piorum & pœnis impiorum. *Præmia & pœna.*

5 Ex v.13. & 16. notetur descriptio Christi. *Christus.*

6 Ex v.17. & 20. Pii, considerantes promissiones vitæ æternæ à Deo ipsis factas, desiderant adventum Christi ad judicium. *Adventus Christi ad judicium.*

FINIS.

CONSI-

CONSIDERATIO DISCREPANTIUM EXPOSITIONUM QUORUNDAM locorum Apocalypsis.

DISCREPANTIA PRIMA, QUÆ EST GENERALIS.

QUIDAM scribit, Spiritum sanctum distribuere totum illud temporis intervallum quod ab exordio hujus apocalypseos ad finem usque mundi fluit (hoc est, quod ab eo die Dominico quo hæc arcana & cælestia mysteria beato Johanni revelata sunt, usque ad diem novissimum extenditur) in septem distincta sæcula sive ætates: easque ætates quatuor diversis picturis seu imaginibus proponi: primùm septem candelabris vel epistolis, deinde septem sigillis, tertiò septem tubis, quartò septem phialis. Et hanc suam sententiam subinde iterat & inculcat: sed nusquam ullo idoneo argumento confirmat. Nam etsi duo ad confirmandum argumenta in singulis ætatibus à se propositis adhibet, videlicet collationem quatuor illarum revelationum, & complementum uniuscujusque ætatis: tamen utrumq; illud valde contortum multisque modis incertum esse, attentus lector facilè intelliget. Adversatur autem isti expositioni primùm distributio expresse posita cap.1.v.19. ubi Christus ait ad Johannem: *Scribe quæ vidisti, & quæ* SUNT, *& quæ* FUTURA *sunt postea.* Quibus verbis totum istarum visionum argumentum distribuitur in duo capita, unum de iis rebus quæ tum erant, alterum de iis quæ postea futura erant. Quorum capitum prius continetur visione septem candelabrorum aureorum, per quæ significatæ fuerunt septem ecclesiæ Asiæ: quarum quidem status præsens, id est, qualis tum erat, in septem illis epistolis expresse narratur. Posterius verò caput continetur visionibus reliquis: idque primùm generaliter, & sine temporum distinctione, in apertione sex sigillorum: deinde specialiter & per distincta tempora, in apertione sigilli septimi, & clangore septem tubarum illam secuto; nec non in effusione septem phialarum.

Deinde adversatur isti expositioni ipsum epistolarum illarum septem argumentum, quod in singulis est status rerum tantummodo præsens, præsens, inquam, respectu illius temporis quo epistolæ Johanni à Christo sunt dictatæ: nisi quòd in nonnullis (ut epistolâ 2.c.2.v.10.item epist.4.ibid.v.22.& 23.item epist.6. c.3.v.9.) prædicitur, quid illis ad quos epistolæ illæ mittebantur, paulò pòst sit eventurum. Sed hoc nihil attinet ad septem illas secuturas ætates. Atque sic ostensum est, septem illas epistolas non esse ejusdem argumenti cum septem sigillis & septem tubis, & denique cum septem phialis: quia nimirum illæ sunt de rebus illius temporis, ista verò de rebus temporis futuri. Nunc restat ut ostendam, nec tres illas prophetias ita inter se comparatas esse, ut argumento inter se conveniant sigillum primum, tuba prima & phiala prima: itemque sigillum secundum, tuba secunda, & phiala secunda, & sic deinceps. Idque eò magis quòd hæc opinio præter illum cujus sententiam modò refutavi, etiam alteri cuidam docto viro arrisit: à quo fortasse ille mutuatus est: quippe cùm hujus Methodus ante illius Clavem in lucem exierit. Conantur illi quidem opinionem hanc suam confirmare per ipsam trium illarum revelationum collationem: dum conferunt inter se sigillum primum, tubam primam & phialam primam: item sigillum secundum, tubam secundam & phialam secundam: atque ita deinceps. Sed etsi illa collatio nonnullis in locis speciem aliquam unius ejusdemque argumenti præbet: tamen multis in locis contorta est, & textum à sua simplicitate ad illorum propositum detorquet: ut prudens lector facilè poterit judicare.

Falsam autem esse collationem illam, ostendam primùm de septem sigillis & septem tubis, deinde de septem tubis & septem phialis, postremò de septem sigillis & septem phialis. In quibus singulis si ostendero collationem illam falsam esse: utique ostendero, totam esse falsam. Nam si tribus propositis, primum secundo inæquale aut dissimile est, & secundum tertio, itemque primum tertio: apparet utique, omnia inter se inæqualia aut dissimilia esse.

Primùm igitur quòd septem tubæ non respondeant ex ordine septem sigillis: manifestum est ex eo, quòd post apertionem sigilli septimi nulla alia prophetia proximè proponitur quàm ipsarum septem tubarum: unde sequitur, sigillum illud aut prophetiæ vacuum esse, aut prophetiam illius esse ipsam prophetiam septem tubarum. Non autem illud: quia singulorum par est ratio: quare ut priora sex singula prophetiam proximè post ipsorum apertionem subjectam habent, ita etiam septimum: ac proinde septimi sigilli prophetia est ipsa septem tubarum prophetia. Quum igitur septem tubæ propriè pertineant ad sigillum septimum: non sunt communes ulli ex reliquis sigillis: ac proinde nec prima tuba argumento convenit cum sigillo primo, nec secunda cum secundo, & ita deinceps.

Deinde quòd septem phialæ non conveniant argumento cum septem tubis, simili ratione ostendo: quia nimirum septem phialæ unum & idem argumentum habent cum tuba septima. Argumentum enim tubæ septimæ est Væ tertium, ut patet ex c.11. v.14. & 15. inter se collatis. Argumentum autem septem phialarum sunt septem plagæ ultimæ, cap.15.v.1. & 7. inter se collatis. Hæ autem plagæ ultimæ reipsa nihil aliud sunt quàm tertium illud Væ: quippe quod & ipsum est ultimum, ut patet ex c.8.v.13. & cap.9.v.12. Discrimen tantùm est in hoc, quòd Væ illud ultimum post clangorem septimæ tubæ breviter ac summatim proponitur c.11.v.15.& deinceps: post effusionem verò septem phialarum per partes declaratur, nempe per septem plagas, quarum singulæ post singularum phialarum effusionem proponuntur c.16. Quum septem phialæ propriè pertineant ad tubam septimam; non sunt communes tubis reliquis: ac proinde falsum est, primam phialam respondere tubæ primæ, secundam secundæ, & ita deinceps.

Postremò quòd nec cum septem sigillis phialæ septem ex ordine conveniant, patet ex jam demonstratis. Nam si septem phialæ propriè pertinent ad septimam tubam, tuba verò septima ad septimum sigillum: sequitur etiam, septem phialas propriè pertinere ad septimum sigillum. Unde porrò sequitur, septem illas phialas non esse communes sigillis reliquis; ac proinde falsum est, phialam primam respondere sigillo primo, secundam secundo, & ita deinceps.

DISCREPANTIA SECUNDA, QUÆ EST DE QUATUOR ANIMALIBUS, cap.4. vers.6.7.& 8.

QUidam scribit, se per hæc quatuor animalia non intelligere alios, quàm Christianos reges, principes ac magistratus. Sed hanc sententiam esse falsam, tribus argumentis ostendo: quorum primum est hoc:

Quatuor illa animalia de quibus habetur Ezechielis primo, sunt angeli.

Atqui quatuor animalia de quibus habetur in hoc loco Apocalypsis, sunt illa ipsa de quibus Ezech.1.

Ergo quatuor hæc animalia sunt angeli: & per consequens non sunt Christiani reges.

Propositio hujus syllogismi probatur ex eo, quòd animalia illa apud Ezechielem, nominantur Cherubi, cap.10. singulis penè versibus. At nomen hoc proprium esse angelorum, constat tum ex eo, quòd angelis per Cherubos tabernaculi & templi fuerunt figurati, tum ex eo quòd hoc nomine à Mose intelliguntur, Gen.3. versu ultimo.

Assumtio syllogismi probatur ex ipsa animalium descriptione, quæ utrobique una & eadem est; hoc uno excepto, quòd quatuor diversæ facies hic singulis animalibus singulæ atque unicæ tribuuntur, apud Ezechielem verò tribuuntur singulis animalibus facies illæ quatuor omnes. Sed hoc discrimen summæ rei nihil adimit.

Secundum argumentum:

Qui in cælo dicere solent, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, illi sunt angeli.

At quatuor hæc animalia in cælo ita dicere solent.

Sunt igitur angeli: ac proinde non sunt reges &c.

Propositio probatur ex Esa.6. vers.2. & 3. ubi ista doxologia tanquam propria tribuitur Seraphis, id est, angelis. Assumtio patet ex vers.8.

Tertium argumentum:

Homines non ministrant Deo apud angelos.

Atqui unum ex quatuor illis animalibus ministravit Deo apud angelos.

Ergo animal illud non fuit homo. Et per consequens nec reliqua tria: quum omnia quatuor unius sint generis.

Propositio per se est manifesta: & qui contrarium affirmaverit, tenebitur id probare è sacris literis: id quod nunquam poterit; quia sacræ literæ docent contrarium, nempe Deum uti mini-

sterio angelorum apud homines. Assumtio patet ex c.15.v.7. ubi dicitur, unum ex quatuor illis animalibus dedisse septem angelis septem phialas aureas, plenas iræ Dei. Illas autem phialas dedit, ex mandato Dei: ut qui voluerit eas effundi in terram, ut percipitur ex cap.16.v.1.

Porrò hac eâdem demonstratione refellitur expositio eorum, qui dixerunt, quatuor hæc animalia, non malè ad quatuor mysteria fidei nostræ trahi: nempe incarnationis, passionis, resurrectionis & ascensionis Domini.

Item expositio eorum qui dixerunt, per quatuor illa animalia intelligi omnes creaturas. Id quod ex eo quoque refellitur, quòd cap.5.v.13.14. creaturæ reliquæ & quatuor illa animalia expresse distinguuntur.

DISCREPANTIA TERTIA, QUÆ EST DE IMAGINE BESTIÆ, cap.13. vers.14. & 15.

Eruditus quidam interpres imaginem bestiæ, cujus hîc fit mentio, interpretatur de imaginibus quæ coluntur in Papatu, qui cultus inde à concilio Niceno secundo in ecclesia institutus est. Sed primùm nulla idonea ratio videtur afferri posse istius enallages numeri: id est, cur Johannes numero singulari imaginem dixerit, quum tamen imagines plures, imò maximam imaginum multitudinem intellexerit. Deinde imaginem de quâ hîc sermo est, bestia secunda curavit fieri ipsi bestiæ primæ, v.14: id est, in honorem imperii Romani. At Papæ imagines fieri curant in ecclesia, non in honorem imperii Romani, sed in honorem Christi & sanctorum. Præterea imagini huic bestia, (id est, Papa) spiritum indit, atque ita efficit ut loquatur, v.15: hoc autem de imaginibus quæ adorantur in Papatu, dici non potest, saltem κῶ παντὸς. Quin etiamsi aliquæ imagines sive statuæ miraculosè locutæ sint: tamen spiritus qui per illas locutus est, non fuit eis inditus à Papa, (quum non sit in illius potestate) sed ultrò in illas invasit, ad superstitionem atque idololatriam stabiliendam.

DISCREPANTIA QUARTA, QUÆ EST DE NUMERO NOMINIS BESTIÆ, cap.13. v.17. & 18.

Hunc numerum idem eruditus interpres interpretatur de sex libris voluminis decretalium. Cui interpretationi oppono hæc argumenta:

Numerus bestiæ est sexcenta sexaginta sex, v.18.
Sex libri voluminis decretalium non sunt 666.
Ergo sex illi libri non sunt ille numerus bestiæ.
Deinde,
Numerus bestiæ est numerus nominis ejus, id est, numerus certis literis expressus, quibus constat nomen ejus, v.17.
At sex libri decretalium non sunt talis numerus.
Non igitur sunt numerus bestiæ.

Alius exponit sic: *Numerus hominis, id est, hominum: numerosa quippe multitudo hominum est.* Ac primùm coacta est ista enallage numeri. Deinde si numerus hominis hîc idem valet quod numerus hominum: sequetur, non esse plures Papistas quàm sexcentos sexaginta sex: quia Johannes, quum dixisset, numerum bestiæ esse numerum hominis: continenter annectit, quis ille numerus sit, dicens: *Et numerus ejus, sexcenta sexaginta sex.* At *per numerum 666.* (ait ille) *simpliciter intelligere oportet maximam Papistarum multitudinem.* Verùm si ita esset, numerus bestiæ non posset computari. quod enim computari potest, id necesse est sit non indefinita, sed definita ac certa multitudo. Atqui numerus ille potest computari. Jubet enim eum computare Johannes, v.18.

Præterea ait idem, *notandum hic esse phrasin Hebraicam, Numerus hominis, &c. homines numeri: hypallage, pro numerus hominum.* Quæ quidem valde confusè atque inconstanter dicuntur. Nam nec *Numerus hominis* per hypallagen idem valere potest quod *Homines numeri*: nec *Homines numeri*, phrasi Hebræâ idem valet quod *Numerus hominum*: sed idem valet quod, Homines facilè numerabiles, id est, pauci: ut liquet ex Genes.34. vers.30. Denique clarum & non controversum Scripturæ locum proferri postulo, ubi numerus hominis idem valeat quod numerus hominum, idque ita ut pro multis capiatur: quemadmodum ille affirmat.

Adhæc ait idem, *Huic Antichristianorum numero 666. Johanem cap.14. v.1. opponere numerum electorum 144000.* Quo nimirum innuit, sicut Johannes per illum certum numerum electorum intelligat indefinitè numerum eorum maximum: sic etiam per numerum istum certum Antichristianorum intelligere numerum maximum indefinitè. Sed primùm falsum est, Johannem facere talem oppositionem: quippe quum hîc non loquatur de numero hominum, sed de numero bestiæ, sive nominis bestiæ: quem dicit esse numerum hominis, hoc est, talem qui ab homine possit computari. Quum enim jussisset computare: ne quis posset excipere, computationem illam homini esse impossibilem, mox annectit; *numerus enim hominis est.* Deinde oppositio ista parit hoc absurdum, quòd major sit numerus electorum, qui vixerunt ac vivunt in Papatu, quàm ipsorum Papistarum sive Antichristianorum, id quod manifestæ experientiæ reclamat.

Præterea ait idem, *bonam Romanæ ecclesiæ partem* (prælatorum scilicet sacrificulorum & monachorum) *nil esse aliud nisi numerum fruges consumere natum.* At numerus bestiæ non est numerus partis tantùm ecclesiæ Rom. sed totius. Est enim character, quem bestia illa (nempe Papa) omnibus suis subditis dat atque imprimit, vers.16. & 17. Etenim per characterem idem significari quod per nomen aut numerum bestiæ, patet ex c.14. vers.11.

Postremò dicit idem, *Quemadmodum scriptura 1.Reg.10. v.14. præcisè monstrat per numerum 666. tempus florentissimi regni Solomonis, typi Christi: ita hoc loco in apocalypsi Johannis spiritus per eundem numerum indicat præcisè tempus summæ gloriæ regni Antichristi. Ostendit enim scriptura, tum temporis Solomonem in regno suo ad summum gloriæ suæ fastigium evectum fuisse, & in solio regalis suæ magnificentiæ ac majestatis super omnes reges terræ exaltatum fuisse, quum obveniret ei per singulos annos pondus sexcentorum & sexaginta sex talentorum auri. Nam hic certus numerus pro incerto, & finitus pro infinito ponitur: quod etiam consequenter in ipso scripturæ contextu satis declaratur &c. Ita quoque spiritus in apocalypsi Johannis significaturus tempus, quo agnoscetur Antichristus Romanus ad summum gloriæ suæ culmen ascendisse, aperit annum per eundem numerum 666. quòd nimirum tunc & ipse gloriabitur de regni sui potentia: non modò de 666. auri talentis, sed maximè de 666. myriadibus hominum &c.* Hæc ille.

Sed primùm aberrat à scopo seu à quæstione propositâ, fingens, id agi hoc loco quod non agitur, nempe indicari hîc tempus summæ gloriæ Antichristi, qua de re nullum prorsus in textu verbum habetur. Sed agitur de nota quadam, ex qua piis cognoscendi sint subditi Antichristi, atque adeò Antichristus: quæ nota nihil aliud est, quàm professio religionis Papisticæ: vocaturque *character bestiæ*, & *nomen bestiæ*, & *numerus nominis bestiæ*, item *numerus bestiæ*. Deinde si typus quæritur in exemplo Solomonis, cum eo conferendus erit Christus, non autem Antichristus. Tertiò falsum est, in historia illa Solomonis per 666. talenta auri, intelligendam esse infinitam vim auri. Neque id probatur ex consequentibus, sed potiùs contrarium. Statim enim sequitur, *Præter id quod obveniebat ei à publicanis negotiatorum &c.* Quibus verbis significatur, à publicanis & regibus obvenisse ei vectigalia nullo certo numero definita: sed præter illa obvenisse ei à subditis certum numerum redituum, nempe 666. talenta auri. Quare si quis exemplum illud Solomonis ad hunc locum tanquam typum accommodare velit, hîc quoque numerum illum 666. pro certo atque definito numero interpretari oportebit.

Alius quidam interpres per numerum nominis bestiæ intelligit ipsam computationem, per quam ad nomen ejus pervenitur. Sed hæc expositio pugnat cum textu, ubi ipse numerus & computatio numeri distinguuntur, ubi ait Johannes, *Qui intelligentiâ præditus est, computet numerum bestiæ.* Et certè duo illa distingui res ipsa postulat. Aliud quippe est numerus qui computatur, & aliud ipsa numeri computatio.

Idem per numerum bestiæ intelligit numerum annorum, quibus elapsis Antichristus sive Papa debuerit exoriri. Sed Johannes non loquitur de numero annorum: sed de numero nominis bestiæ, hoc est, qui in nomine bestiæ continetur, videlicet in literis quibus nomen bestiæ constat.

DISCREPANTIA QUINTA, QUÆ EST DE SEPTEM REGIBUS, cap.17. v.10. & 11.

Et (septem illa capita bestiæ) *reges septem sunt. Quinque ceciderunt: unus est: alius nondum venit: & quum venerit, oportet illum breve tempus manere. Bestia autem quæ erat & non est, is octavus est: & è septem illis est: & in exitium abit.*

Hunc locum quidam interpretatur de Imperii Rom. formis, ex quibus quinque (ut ait) jam elapsæ erant: videl. administratio reipub. per reges, consules, decemviros, dictatores, triumviros: sexta autem tum erat, videl. monarchia. Septima verò nondum venerat, nempe per Imperatores externos. Tum addit: *Post hunc statum, inquit,* (scil. Johannes) *octavus exspectabitur modus gubernationis, qui & ipse est de septem, hoc est, in quo Imperium ad Germanos devolvetur: qui modus & ipse durabilis non est: incidet autem in tempora dominantis illius & superbæ meretricis.* Hactenus ille.

Sed per reges hîc non esse intelligenda regna sive gubernationes reipublicæ, manifestum est ex eo, quòd reges & regna expresse distinguuntur v.12. ubi dicitur, *Decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt qui regnum nondum acceperunt.* Par autem ratio est decem cornuum ad decem reges, & septem capitum ad septem reges. Deinde sexta forma & septima sunt una eademque forma gubernandi. Sive enim respub. gubernetur per unum aliquem ejusdem gentis, sive per unum gentis externæ: semper monarchia est. Quin etiam octavus gubernationis modus commenti-

mentitius est. Etenim gubernatio imperii Rom. per Germanos nulla unquam fuit: quia neque Carolus Magnus, qui primus è Germanis Imperator Rom. dictus est, neque successores illius rempub. Romanam gubernarunt. Præterea falsò tribuitur Johanni, quòd dicat, post statum illum septimum exspectandum esse octavum gubernationis modum. Postremò, Johannes ait, septimum illum regem brevi tempore mansurum. At gubernatio Imperii Romani per externos duravit 676. annos. nam inde à Trajano usque ad Constantinum VI. inclusivè tot anni numerantur à Carione. Funccius autem à Trajano usque ad Anthemium inclusivè, cum quo Imperium occidentale occidisse dicit, numerat annos 367. nempe ab anno Christi 99. usque ad annum 475.

DISCREPANTIA SEXTA, QUÆ EST DE MILLE ANNIS, cap. 20. v. 2. & deinceps.

IN hujus textus expositione complures discrepantiæ occurrunt: quæ ut faciliùs possint judicari, ordine eas considerabimus. Ac primùm considerandum est, quænam sit illa seductio gentium, quâ Diabolus dicitur eas seduxisse, v. 3. item qualis sit Diaboli alligatio, & in abyssum conclusio: & denique solutio ejusdem, v. 2. 3. & 7. Vulgus interpretum seductionem illam interpretatur de seductione, quâ Diabolus gentes seduxit in idololatriam, ante publicam & universalem Evangelii prædicationem: ac proinde alligationem conclusionemque Diaboli intelligunt de illius cohibitione, quâ primis illis temporibus prædicati Evangelii cohibitus fuit, ne ampliùs ut antea, gentes tanto numero in idololatriam seduceret: & denique solutionem Diaboli interpretantur de permissione divinâ, quâ Diabolus sub Papatu permissus est gentes iterum in idololatriam magno numero seducere. Sed sciendum, Johannem hîc de alia quadam seductione loqui, videl. de eâ quâ Diabolus seducturus est tum pseudochristianos sive antichristianos; ut sese congregent ad prælium contra veros Christianos, cujus prælii narratio præcessit cap. 19. v. 19. & deinceps: tum etiam gentes non Christianas, de quibus narratur in hoc capite, v. 8. & deinceps: ubi expresse dicitur, Satanam è carcere suo solutum, seducturum gentes ut congreget eas in prælium contra sanctos. Unde jam suâ sponte planum evadit, alligationem illam Satanæ de cohibitione ab ista seductione, id est, à persuadendis gentibus, ut ejusmodi bellum suscipiant, itemque solutionem de permissione divinâ istius persuasionis efficiendæ intelligendam esse.

Deinde considerandum venit, quomodo mille illi anni intelligendi sint, propriéne an per tropum. Est quidam ex neotericis, qui eos interpretatur per synecd. speciei, quasi per mille illos annos intelligendi sint anni multi indefinitè, nempe vel ipsa æternitas, qua in cælo regnabunt sancti post diem judicii universalis: vel tota sæculorum series inde ab origine mundi usque ad finem ejus. Quarum expositionum prior refutari potest hoc modo: Si per mille illos annos intelligenda est æternitas illa quæ incipiet post diem judicii; sequitur, Diabolum qui per mille illos annos vinctus, & in abysso conclusus tenebitur, in æternum ita vinctum & conclusum detentum iri. Dicitur enim, eum ita vinctum & conclusum mansurum per mille illos annos, v. 2. & 3. At hoc non fiet: quia Johannes expresse dicit v. 3. & 7. eum completis mille illis annis solutum iri. Altera verò expositio refutari potest hoc modo: Si mille illi anni intelligendi sunt de tota sæculorum serie, sive de toto tempore, quo hic mundus duraturus est: sequitur, hoc libro non contineri solummodò historiam de statu ecclesiæ illius temporis quo hic liber scriptus fuit, & prophetiam de statu ecclesiæ ex illo tempore deinceps futuro. Atqui hoc libro nihil ampliùs, quàm duo illa continentur: ut patet ex cap. 1. v. 19. ubi Christus ait ad Johannem: *Scribe quæ vidisti, & ea quæ sunt, & quæ futura sunt postea.* Quibus verbis totum hujus libri argumentum in duo capita generalia distribuitur, videl. narrationem status ecclesiæ illo tempore præsentis, (qui status deinceps narratur c. 2. & 3. in septem epistolis) & prophetiam de statu ecclesiæ postea futuro: quæ prophetia continetur reliquâ libri parte. Deinde expositio illa refutari potest ex hoc ipso loco. Etenim qui hîc regnaturi dicuntur cum Christo per mille annos, declarantur esse non omnes sancti, qui omnibus sæculis vixerunt, vivunt & victuri sunt; sed tantùm martyres, qui partim in gentilismo, partim in Papatu, occisi sunt, adhuc occiduntur & posthac occidentur.

Tertiò, considerandum, unde mille illi anni incipiendi. Is cujus expositionem duplicem modò attuli, incipit eos vel à principio mundi hujus, vel à principio mundi futuri. Sed cùm jam ostensum sit, utramque illam expositionem esse falsam: facile intelligitur, principia quoq; illa istorum annorum falsò statui. Alii verò qui mille illos annos propriè (idque rectè) intelligunt, incipiunt eos vel à Domini nativitate, vel ab ejusdem resurrectione, ascensionéve, vel à captivitate Pauli Romæ, vel à tempore hujus visionis, vel denique ab eversione Hierosolymæ. Sed hæ omnes opiniones refutari possunt ex ipsa serie narrationis, quâ hîc utitur Johannes: ex qua liquet, mille illos annos incipiendos esse ab eo demum tempore quo Papatus corruet, sive quo bestia illa & pseudopropheta in stagnum ignis conjicientur. Etenim cùm cap. præced. v. penult. narrasset, bestiam & pseudoprophetam, qui præter draconem duces fuerant istius belli, (ut percipitur ex c. 16. v. 13.) commisso prælio vivos conjectos esse in stagnum ignis: in hoc capite pergit narrare, quid evenerit duci tertio, videlicet ipsi draconi, id est, Diabolo: & de hoc tria narrat. Primùm, eum per mille annos conjectum esse in abyssum, ne ampliùs seduceret gentes, persuadendo scilicet eis, ut bellum susciperent contra fideles, vers. 2. & 3: deinde completis illis mille annis solutum esse è carcere suo, atque tunc iterum seduxisse gentes, id est, persuasisse eis, ut bellum contra sanctos susciperent, v. 7. 8. & 9. Postremò, hostili illâ invasione susceptâ, conjectum & ipsum esse in stagnum ignis, ubi jam erant bestia & pseudopropheta, v. 9. & 10. Deinde eadem opinio refutari potest hoc argumento: Si mille illi anni incipiendi sunt ab aliquo ex primis illis annis ecclesiæ Christianæ: sequetur, tempus illud quod elapsis illis secutum est, quóque Satanas iterum solutus fuit, exiguum dicendum esse. hoc enim expresse affirmatur vers. 3. At tempus illud exiguum dici non potest. quia continet annos plus quàm quingentos, imò circiter sexcentos. qui certè respectu mille annorum non possunt dici tempus exiguum. Præterea in numero eorum qui mille illis annis cum Christo regnaturi sunt, continentur etiam ii qui non acceperunt characterem bestiæ, hoc est, qui recusarunt amplecti ac profiteri religionem Papisticam, vers. 4. At isti non vixerunt illis mille annis, qui elapsi sunt inde à Christi nativitate, vel resurrectione ascensionéve, vel eversione Hierosolymæ. Ergo illi mille anni non sunt ii, de quibus hîc habetur sermo. Adhæc, mille illis annis, de quibus hîc est sermo, Diabolus erit vinctus, ne seducat ampliùs gentes ad persequendum sanctos. Sed illis mille annis qui incipiunt à Christi nativitate, resurrectione, ascensione, eversione Hierosolymæ, Diabolus non ita fuit vinctus. Ergo illi mille anni non sunt isti, de quibus hoc loco.

Quartò, considerandum quænam sit illa resurrectio prima, cujus mentio fit v. 5. Vulgus interpretum interpretatur de resurrectione spirituali, qua animæ electorum per veram pœnitentiam excitantur ad novam vitam. Sed hîc sermonem non esse de resurrectione spirituali, planum est ex verbis Johannis, ubi sic loquitur, v. 4. & 5. *Et vixerunt* (id est, revixerunt, sic postulante antithesi) *& regnaverunt cum Christo per mille illos annos: reliqui verò mortuorum non revixerunt, donec consummati essent mille illi anni.* Unde fit argumento: Si verbo vivendi in priori membro hujus antitheseos intelligere oportet resurrectionem spiritualem: tum pari ratione in membro posteriore, verbo reviviscendi spiritualem illam resurrectionem intelligere oportebit. At hoc fieri non potest. Sequeretur enim, mille illis annis neminem spiritualiter resurrexisse (id est, conversum esse) præter solos martyres. Deinde etiam hoc absurdum sequeretur, quòd statuendum esset, exactis illis mille annis omnes spiritualiter mortuos, spiritualiter etiam resurrexisse aut resurrecturos: id quod manifestæ experientiæ reclamat.

Atque sic ostensum est, per resurrectionem primam non esse intelligendam resurrectionem spiritualem: nunc ostendam, intelligendam esse resurrectionem corporalem. Animæ illæ martyrum quæ dicuntur vixisse, id est, revixisse, (quæ ipsorum reviviscentia postea nominatur resurrectio prima) revixerunt aut ratione suiipsarum, aut ratione corporum suorum, aut ratione aliorum hominum, qui eandem doctrinam professi sunt. Non autem revixerunt ratione suiipsarum, quia ipsæ nunquam fuerant mortuæ. Nec revixerunt ratione aliorum hominum eandem doctrinam profitentium: quia vi distributionis sequeretur, reliquos mortuos similiter revicturos: id quod apertè falsum est: quum constet, plerosque ex reliquis mortuis doctrinam martyrum professos non fuisse. Quomodo igitur resurrecturi sunt illi in aliis doctrinam illam profitentibus? Relinquitur, ut revixerint ratione suorum corporum: & per consequens, quum dicuntur vixisse, id est, revixisse: id idem valet ac si diceretur, corpora earum resurrexisse. Deinde in omni legitima distributione membra inter se opponuntur sub eodem genere. Atqui hoc loco continetur legitima distributio. Quis enim ἀλογίας arguat Spiritum sanctum? Ergo membra istius distributionis sub eodem genere opponuntur. Genus autem illud est resurrectio mortuorum: & membrum posterius loquitur de resurrectione corporum, ubi dicitur, *Reliqui verò mortuorum non revixerunt, donec consummati essent mille illi anni.* Ergo etiam membrum prius de resurrectione corporum loquitur, ubi dicitur de animabus martyrum, *Et vixerunt &c.* Id est, revixerunt. De qua ipsa reviviscentia postea dicitur, *Hæc est resurrectio prima.* Tertiò, Qui ita reviviscunt, sive resurgunt, ut incipiant regnare cum Christo, id est, apud Christum in cælo: illi certè resurgunt corporibus suis. Atqui animæ illæ martyrum in principio illorum mille annorum ita sunt revicturæ sive resurrecturæ, ut incepturæ sint regnare cum Christo, id est, apud Christum in cælo. Ait enim Johannes, *Vixerunt & regnaverunt cum Christo.* Ergo animæ martyrum in principio illorum mille annorum resurrecturæ sunt corporibus suis: & per consequens, resurrectio prima cujus hîc fit mentio, intelligenda est de resurrectione corporali.

Quintò, considerandum, qualenam sit regnum illud, in quo

per mille illos annos sancti quidam cum Christo regnaturi sunt. Veteres quidam, Chiliastæ dicti, ut in historia ecclesiastica narratur, & in libris illorum reperitur, putarunt, regnum hoc fore terrenum, & in perceptione corporalium atque naturalium voluptatum positum. Sed hæc opinio toti scripturæ repugnat: quippe quæ Christo nullum tale regnum attribuit, sed tantùm regnum gratiæ sive spirituale, quo regit corda electorum etiam in hac vita; & regnum gloriæ sive cæleste, in quo cum ipso regnabunt sancti in altera vita. Et de hoc ipso celesti & gloriæ regno hic locus intelligendus est: id quod ex sequenti consideratione patebit. Nam quò minùs de regno gratiæ intelligendus sit, obstat quòd regnum hoc solis martyribus tribuitur, qui supplicio fuerint affecti & revixerint: de quibus dici non potest, quod resurrecturi sint ad regnum illud gratiæ, quale in hac vita administratur. Et regnum illud gratiæ non est proprium martyrum, sed omnibus fidelibus commune.

Sextò igitur considerandum, quínam illi sint, qui in illo regno cum Christo regnaturi sunt. Qui hunc locum interpretantur de regno gratiæ, in illo numero habent omnes ac solos electos, qui per mille illos annos ad Deum fuerint conversi. Qui verò mille illos annos interpretantur per dictum tropum, simpliciter omnes sanctos in hoc numero collocant. Sed hic locus neque de omnibus sanctis loquitur, neque de omnibus iis qui spatio certorum mille annorum ad Deum fuerint conversi; sed loquitur expresse de solis martyribus, qui partim in gentilismo, partim in Papatu propter confessionem religionis Christianæ fuerint occisi, v.4. Nec verò absurdum videri debet, quòd illi ante reliquos fideles defunctos à mortuis excitandi sint, ut totis mille annis ante illos regno cælesti fruantur: quia justitiæ Dei consentaneum est, ut qui propter confessionem Christi plura mala quàm alii pertulerunt, diuturniore etiam gaudio & gloriâ fruantur. Neque pugnat hoc cum articulo de resurrectione corporum universali, quæ demum fiet in fine mundi: non magis, quàm articulum illum evertit resurrectio sanctorum illorum qui cum Christo resurrexisse leguntur, Matth. 27.v.52.

Sed contra allatam expositionem objiciat aliquis locum Pauli 2.Thess.2.v.8. ubi de homine illo peccati, filioque perditionis (id est, de Antichristo illo magno, nempe Papa: quem Johannes pseudoprophetam nominat) loquens, ait; *Quem Dominus conficiet spiritu oris sui, & abolebit apparitione præsentiæ suæ*, (τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ) sive, *illustri adventu suo*. Quibus verbis Paulus docet, aut certè docere videtur, regnum Papæ in fine demum mundi, quum Christus veniet ad judicium illud universale, abolendum esse. At secundùm allatam & ex textu demonstratam expositionem, Papæ regnum abolebitur mille annis ante ultimum illum hujus mundi diem.

Objici etiam potest locus 2.Tim.4.v.8. ubi ait: *Reposita est mihi illa justitiæ corona: quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille judex &c.* Item 2.Thess.1.v.6. & 7. ubi dicit; *Justum est apud Deum, vicissim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem: vobis verò qui affligimini; relaxationem nobiscum: quum patefiet Dominus Jesus de cœlo cum angelis potentiæ suæ, &c.* In quo utroq; loco Paulus affirmat, se illius gloriæ cælestis & relaxationis, sive gaudii, compotem demũ fore in die illo judicii universalis. At secundùm allatam & ex textu demonstratam expositionem Paulus, tanquam unus ex numero martyrum, mille annis ante illum judicii diem cum Christo in gloria cælesti regnaturus est.

Præter has objectiones quæ mihi ultrò in mentem venerunt, objectum est mihi à fratribus quibusdam dictum Christi Joh.14. v.3. *Quum profectus fuero & paravero vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad meipsum: ut ubi sum ego, & vos sitis.* Ubi Christus apostolis (qui postea omnes, excepto Johanne, martyres evaserunt) assumtionem in cælum promittit, aut certè promittere videtur, in ultimo demum die futuram.

Respondeo.

Ad objectionem primam: Etsi futurum est ut regnum Papæ mille ante Christi adventum annis aboleatur: tamen per illos mille annos paulatim resumturum vires: & elapsis illis, Papam sese cum ethnicis regibus conjuncturum ad bellum Christianis inferendum, de quo Apoc.20.v.8.& 9.

Ad secundam & tertiam: Paulus ita loquutus est ex communi fide Christianorum, & ordinariâ Dei gubernatione: quia hoc mysterium ei non fuit patefactum. Ergo verba ejus intelligenda sunt cum hac exceptione, Nisi Deus ante diem judicii nonnullos, & inter illos me quoque coronare velit.

Ad objectionem quartam: Nihil vetat quò minùs dicamus, Christum hìc loqui de adventu quodam suo speciali: id est, de actione quadam sua speciali circa apostolos, videlicet excitatione illorum unà cum cæteris martyribus, mille annis ante adventum suum ad judicium. Nam de tali aliqua actione speciali loquens Christus, eodem verbo utitur in hoc lib.c.2.v.5. & 16. Item cap.3.v.3.

DISCREPANTIA SEPTIMA, QUÆ EST DE GOG ET MAGOG, cap.20.vers.8.& 9.

Hunc locum de bello quod gentes, & inter illas Gog & Magog, ex seductione Satanæ suscepturi contra sanctos atque gesturi sunt, quidam interpretantur de bello (ut vocant) sacro: id est, de bello illo quod ante multos annos ex instinctu Romani pontificis susceptum atque gestum fuit contra gentes orientales ad recuperandum Hierosolymam, terramque (ut nominant) sanctam: quod bellum adhuc hodie durare dicunt, inter Turcas scilicet & Christianos. Huic interpretationi adversatur primùm, quòd gentes de quibus hìc habetur sermo, dicuntur circumituri sive obsidione cincturi castra sanctorum & urbem dilectam, id est, Ecclesiam. At neque Christiani qui istud bellum susceperunt, vocabulo gentium: neque gentes illæ orientales contra quas susceptum illud fuit, nomine sanctorum urbísve dilectæ intelligi possunt. Deinde bellum de quo prophetica narratio continetur hoc loco, suscipietur demum post expletos illos de quibus præcessit mentio, mille annos: ut ex serie narrationis liquet. At mille illi anni ne cœperunt quidem; ut in consideratione superiore est ostensum. Tertiò bellum de quo hìc narratur, geretur exiguo temporis spatio: ut intelligitur ex eo quod dicitur v.3. Satanam post expletos illos mille annos solutum iri ad exiguum tempus: versu autem 7.& 8. dicitur, illum quum solutus fuerit, exiturum ad seducendum gentes, ut congreget eas in prælium &c. Atqui bellum istud sacrum non exiguum tempus, sed jam ferè quinque sæcula duravit.

Alii per Gog & Magog putant designari Turcas. Rursum alii per Magog quidem Turcas, per Gog verò Pontificios intelligunt: nixi hoc argumento, quòd Gog significet tectum, Magog verò detectum sive revelatum: quódque Pontificii sint Antichristus tectus, ut qui se tegant nomine ecclesiæ catholicæ: Turci verò sint Antichristus detectus; ut qui sint aperti atq; professi Christiani nominis hostes. Ad quas expositiones ut ὕστερον πρότερον respondeam: sciendum est, posteriorem hanc expositionem niti infirmo fundamento, videl. falsâ istorum nominum interpretatione. Tectum enim apud Hebræos nos dicitur Gog, sed Gag: nec syllaba Ma in voce Magog particula privativa est quæ respondeat Græcorum literæ α, Latinorumque præpositioni In vel De. Quod si excipiant, literam Mem vocibus præfixam, valere præpositionem à vel ex: itaque in significatione præpositionis à, posse æquipollere particulæ privativæ, quasi dicatur, à tecto remotus sive separatus, quod nihil aliud est uno verbo quàm detectus: sciendum, literam Mem in voce Magog non esse ex præpositione Min, quæ valet à, & vocibus præfigitur. Oporteret enim dici, non Magog: sed Miggog, vel certè Mehaggog: ut periti linguæ Hebraicæ intelligunt. Denique etymon fictitium esse, vel ex eo patet, quòd planum est, per Magog hìc intelligi posteros Magogi illius qui fuit filius Japheti, Genes.10. v.2. ubi nulla prorsus ejusmodi mystici nominis suspicio. Nunc everso istius expositionis fundamento, ipsam quoque collabi necesse est. Sed nec illud rectè fit, quòd nomina Gog & Magog restringuntur ad Turcos: quia posteri Magogi sunt omnes Scythæ sive Sarmatæ: ut ostendit Fr. Junius annotatione in Gen.10.v.2.

Videntur autem vocabulis Gog & Magog simpliciter significari omnes ecclesiæ hostes, ac præcipuè Papistæ: quippe quos post ruinam Papatus, de quo narratur capite decimonono, vires recuperare oportet, ut deleantur tandem per illustrem adventum Christi, juxta prophetiam Pauli 2.Thess.2.vers.8.

FINIS DISCREPANTIUM EXPOSITIONUM.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM IN HOC VOLUMINE CONTENTORUM;

Ubi litera *A*, notat analysin; litera *S*, scholia; litera verò *O*, observationes locorum doctrinæ.

A B

Abelis fides celebratur, Heb.11.v.4.
Abia, Matth.1.v.7.S.
Abiud, Matth.1.v.13.S.
Abnegare sese, Matth.16.v.24.S.
Aboleo, 1.Cor.1.v.16.S.
Abraham, Abram, Matth.1.v.2.S.
Abrahæ sinus, Luc.16.v.22.S.
Abraham amicus Dei, Jac.2.v.23.S.
Abrahæ fides celebratur, Heb.11. v.8. & seqq. Item v.17.& seqq.
Abstinentia, Col.2. O.35.
Abyssus, locus cruciatuum, Luc.8.v.31. Vide ibi S.Rom.10.v.7.

A C

Accusativus interdum ponitur absolutè. Vide Matth.21.v.42.S. Act.10.v.36.S.& v.38.
Achaz, Matth.1.v.9.S.
Achim, Matth.1.v.14.S.

A D

Adamus & Christus inter se comparantur ut duæ stirpes, Rom.5.v.14.S.
Adiaphora. *De adiaphoris vide Act.15. O.11.15. Act.16. O.2.3. Act.21.O.4. Rom.14. v.1. &c. & O.1. 1.Cor.6.O.5.1.Cor.8.O.1.1.Cor.11.O.7. Gal.2.O.3.*
Admonendi ratio, Philem.O.9.
Adoratio religiosa. *Quisnam sit adorandus, Matth.4. O.17. Actor.10. O.6. Apoc.5. O.16. Apoc.19.O.3. Apoc.22.O.3. An caro Christi sit adoranda, Matth.4. O.18. Angeli & sancti defuncti non sunt adorandi, Col.2.O.25.*
Adoratio spiritualis qua acquiescimus in gubernatione Dei. Vide Matth.26. O.34.
Adoratio civilis. *Exempla vide Matth.9.v.18. Matth.20.v.20. Act.10.v.25. Apoc.3.v.9.*
Adulatio. *Noxa adulationis, Act.12.O.9.*
Adulterium. *Pharisæi adducebant ad dominum adulteram, Johan.8.v.1.&c. An historia illa scripta sit à Johanne, necne, ibid.1.*
Adversa. *Res adversæ unde originem ducant, Joh.5.O.7. Joh.9. O.4. Joh.14.O.7. ¶ Res adversæ sunt patienter ferendæ, Joh.18.O.7. ¶ Ex rebus adversis non est judicandus proximus, Act.28.O.3.*
Advocare, Luc.7.v.18.
Advocatus noster apud Deum, 1.Pet.2.O.3.

Æ

Ædificari pro institui vel incitari, 1.Cor.8.v.9. ¶ Ædificare, id est, ad bonum instruere, 1.Thess.5.v.11.
Ægroti. *De officio ægrotorum, Jac.5.O.5. Quomodo nos gerere debeamus erga ægrotos, Matt.14. O.21. Jac.5.O.6.*
Æneas. *Æneæ Lyddani sanatio miraculosa, Act. 9.v.32.&c.*
Æquanimitas. Vide 1.Tim.6.v.6.&c.
Æternitas. *In æternũ, id est, unquam, Joh.8.v.51.*
Æthiops. *De Æthiope eunucho ad fidem Christi converso vide Act.8.v.26.&c.*

A F

Affectus. *Affectibus pravis resistendum, Matt.5. O.31. Matt.18.v.8.9.& O.4. Epist.Judæ, O.19. De affectuum gubernatione, Actor.20. O.11. Actor.21.O.2. Affectus in Christo quales fuerint, Joh.11. v.33.S.*
Afflictio. *Quomodo afflictio efficiat tolerantiam, Rom.5.v.2.S.*

A G

Agapæ, Act.20.v.11.S.
Agnus. *Quo sensu Christus dicatur agnus Dei, Joh.1.v.29.S. 1.Pet.1.v.19.S.*
Agnus paschalis fuit typus Christi, Joh.19.v.36. S. & O.23. 1.Cor.5.O.5. 1.Pet.1.O.28.
Agricola. *Parabola de agricolis ingratis, Marc. 14.v.1.&c. ¶ Agricolæ comparatur Deus pater, Joh.15.v.1. ¶ Agricolis comparantur ministri Evangelii. 1.Cor.3. v.6.& seqq.*
Agro comparatur mundus, id est, genus humanum, Matth.13.v.38.
Agrippa. De rege Agrippa vide Act.25.v.13.&c. Act.26. v.1.&c.

A K

Akeldama, Act.1.v.19.S.

A L

Alabastrum, Matth.26.v.7.S.
Alexander, faber ærarius, vexabat Paulum, 2.Tim.4.v.14.
Alimenta. *Consolatio contra defectum alimentorum. Matth.16.O.5. Matth.17.O.17.*
Allegoria. *Exempla vide in scholiis, Matth.9. v.37. Matth.20.v.22. Luc.23.v.31. Joh.4.v.35. Joh.9.v.4. Joh.12.v.24. Joh.13.v.10. Rom.13. v.12. 1.Cor.3.v.6.12. 1.Cor.5.v.6.9. 1.Thess.5. v.4.5.6.7.8. 2.Pet.1.v.13.14.15.*
Alloquium, 1.Cor.14.v.3.S.
Altare. *Unde dictum, Matth.5.v.23.S.*
Altare pro victima, Heb.13.v.10.
Altercatio Christi cum Judæis, Joh.10.v.22.&c.
Altissimus. *Id est, Deus, Luc.1.35. Luc.6.35.*

A M

Ambiguitas. *Exempla vide Luc.1. v.45.S. & v.55.S. Luc.4.v.5.S. & v.16.S. Luc.23.v.2.S. Joh.5.v.39. Joh.12. v.32.S. Joh.13.v.8. Joh.15. v.9.11.18. Joh.16.v.23. Joh.17.v.19. Joh.20. v.8. Act.3. v.21.26. Act.4.v.9. Actor.8.v.29. Actor.9.v.12. Actor.10.v.36. Actor.18. v.27. Act.20.v.32. Act.22.v.16. Act.23.v.5. Act.26. v.23. Roman.1. v.7.17. Rom.4. v.15. Rom.5. v.7. Rom.7.v.24. Rom.8.v.2.3.21.23. 1.Cor.1. v.7.8.26. 1.Cor.2. v.6. 1.Cor.3.v.13. 1.Cor.7. v.35. 1.Cor.9.v.3.19. 1.Cor.10.v.17. 1.Cor.11. v.2.10.16.26.32. 1.Cor.12.v.13. 2.Cor.1.v.19. Gal.5. v.23. Eph.1. v.13. vide ibi S. Ephes.4. v.27. Eph.5.v.13. Eph.6.v.18. Phil.1.v.13.21. Phil.2.v.10. Col.1.v.3. Col.2.v.3. Col.3. v.8. 1.Thess.2.v.6.13. 1.Thess.3.v.13. 1.Thess.4.v.12. 1.Tim.1. v.12. & c.5.v.14.22. 2.Tim.1. v.13. & c.2.v.26. & c.3.v.1. Tit.1.v.2. Tit.2.v.4. Tit.3. v.6. Heb.4. v.1.13. Heb.5. v.11. Heb.9. v.4.8.18.28. Hebr.10.v.1. Hebr.11.v.21.34.S. Heb.12. v.4.17.23. Heb.13.4. Jac.2. v.24.26. Jac.4.5. 1.Pet.1. v.6.19.23. & c.3. v.9.14. & c.4.v.11.14. 2.Pet.1.v.4.5.10.12. & c.3.v.7.12. 1.Joh.1.v.8. & c.3.2. & c.5.v.7.8. Epist. Judæ v.8.9.15.20.*
Ambitio. *Exempla vide Matt.18.O.1. Matt.20. v.21.24. Luc.9. v.46. Luc.10.v.17. Luc.22. v.24. 1.Cor.4 v.7.&c. 2.Cor.11 v.5 6. Ambitionis noxa, Joh.5.O.16. Joh.12.O.25 Act.4. O.6. Ab ambitione dehortatio, Matth.20. v.24.&c. Matt.23.O.6. Luc.9.v.48. Luc.14. v.7.&c. Luc.22.v.25.&c. Act.11 O.7.*
Ambulare. *Id est, vivere, Rom.6.v.4. 1.Thess.4. v.1.12. 1.Joh.2 v 6. 3.Joh v.3.*
Amen. *Notat asseverationem, Matth.5.v.18. Matth.6.v.13. Vide ibi S. Solebat à populo acclamari in fine precum, quum celebraretur Cæna Domini, 1.Cor.14.v.16.S.*
Amictus. *Vide*, Vestitus.
Amicitia, amicus. *De delectu amicorum vide Matth 26.O.31. De desertione ab amicis vide Joh.16.O.5. Abraham amicus Dei vocatus est, Jac.2.v.23. Vide ibi S.*
Aminadab, *Matth.1.v.4.S.*
Amon, *Matth.1.v.10.S.*
Amphora, *Joh.2.v.6.S.*
Amplus homo, *2.Cor.2.v.6.S.*

A N

Anabaptistæ, *Luc.3. O.8. 1.Cor.1.O.3. Hebr.6. O.17.*
Analogia fidei quid significet, Rom.12.v.6. Vide ibi S.
Ananiæ, discipuli in Ecclesia Hierosolymitana, hypocrysis à Deo per Petrum subitanea morte punita fuit, Act.5.1.&c.
Ananias, discipulus in urbe Damasco, mittebatur à Domino ad Paulum, ut eum baptizaret, Act.9.10.&c. Act.22.12.&c.
Ananias, pontifex maximus, à Paulo propter injuriam graviter reprehendebatur, Act.23. v.1.&c.
Anathema, *Rom.9.v.3.S.*
Andreas, *Matth.4.v.18.S.*
Angariare, *Matth.5.v.41.S.*
Angelus. *Appellationes angelorum, Rom.8.v.38. S.Heb.1.v.6.S. Heb.12.v.23. 1.Pet.3.22 Natura angelorum, Hebr.1. O.9. Apoc.4. O.8. Apoc.15.O.4. Ministerium atque officium angelorum, Matt.4.O.20. Matt.18.O 5. Matth. 28. O.5. Luc.1.19.S. Luc.16.O.13. Joh.20.O.2. Actor.5.O.5. Act.12.O.5. Heb.1.O.8. Apoc.15. O.1. Multitudo angelorum, Matth.26.O.42. Apoc.5.O 12. Habitatio angelorum, Matt.18. O.5. Ordo in angelis, Apoc.15. O.5. Præsentia angelorum in sacris conventibus fidelium, 1.Cor.11.v.10.S.& O.5. Gloria cælestis sanctorum angelorum, Matth.28.O.6. Apparitiones angelorum, Matth.28.v.2. Marc.16.v.5. Luc.22.v.43. Joh.20.v.12. Act.1.v.10. Linguæ angelorum, 1.Cor.13.1.S. An angeli conentur nos separare à dilectione Dei, Rom.8.38.S. Angelus lucis, 2.Cor.11.v.14.S. Peccatum angelorum, 2.Pet.2. O.7. ¶ Archangelus Michaël, Epist.Jud.v.9.S. Facies angeli, Act.6. v.15.S. Robur angelorum, 2.Pet.2.O.13. An-*

geli non sunt adorandi, Col.2.O.14.25. De angelis vide amplius Epist. Jud. O.7 u.12.

Anima. De anima hominis vide Matth.10.O.24. Matth.14.O.1. Luc.16.O 12. 2.Cor.5.O.1. Heb.12.O.9. Origo animæ, Heb.12. O.9. Animarum status post hanc vitã, Act.7.O.9. Apoc.6. O.5. Quærere animam alicujus, Matt.2.v.20. S. Rom.11. v.3. S. Ponere animam suam pro aliquo, Joh.10.v.15. 1.Joh.3.v.16. ¶ Anima, id est, homines. Act.2.v.41. Act.7.v.14. 1.Pet.3. v.20. ¶ Anima pro voluntate & affectu. 1.Thess.5.v.23. Heb.4.v.12. ¶ Anima pro corpore, Marc.3.v.4.S. Luc.6.v.9. Animalis homo, 1.Cor.2.v.14.S. Animale corpus, 1.Cor.15. v.44.S.

Anni 46. quibus ædificatum esse templum Hierosolymitanum dicebant Judæi quomodo supputandi sint, Joh.2.20.S.

Annunciare pro celebrare, 1.Cor.11. v.26. Vide ibi S.

Anomalia. Sermonis anomali exempla vide Marc.3.16. Marc.4.31. Luc.1.55.73. Luc.2.13. Luc.8.14. Luc.22.20. Johan.2.28. Act.23.24. Rom.5.12.13.14. Gal.2.6. Eph 2.1. Col.3.v.16. 1.Thess.4.v.14. 1.Pet.3.v.18. 1.Johan.1.v.1.& c.2.v.25.

Anthropomorphitarum error, Heb.11.O.25.

Antichristus, Tyrannis Antichristi. 2.Thess.2. v.3.&c.& O 4. Papa est antichristus, Matt.8. O.5. Apoc.1.O.36. Apoc.13.O.5. De Antichristo vide amplius 1.Joh.2. O.16.26. 2.Joh.O.11.

Anticipatio historica. Vide, Prolepsis historica.

Antilogia. Vide titulum, Scriptura sacra.

Antiochia Syriæ. De ecclesia Antiochena vide Act.11.20.&c. Act.14. v.26. &c. Antiochia Pisidiæ. Quid ibi egerint Paulus & Barnabas, Act.13. v.13. &c. ¶ De vocabulo Antiochia, Act.18.22. S.

Antiptosis. Eph.2.v.2. Eph.4.v.15.

Antistœchon. 1.Cor.10.v.10.S.

Antithesis interdum vim habet comparationis imparium, Luc.21.v.33.S. Antithesis obliqua, 1.Cor.9. v.17.S. Antithesis tacita, Johan.6. v.20. S.

A O.

Aoristus in significatione præteriti plusquamperfecti, Marc.16.v.1.

A P.

Aperire ad loquendum Matth.5.2.S.

Apocalypseos autoritas, Apoc.1. O.1.5. Apoc.4. O.1. Apoc.22. O.2. Utilitas, Apoc.1.O.5.

Apollos. Vide 2.Thess.2.v.3.&c. 1.Tim.4.v.1.&c. 2.Pet.2.O.18.

Apologia. Exempla vide Marc.2.18. &c. Item v.23. &c. Marc.3.23. &c. Marc.11.27. &c. Luc.5.29. &c. & v.33. &c. Luc.6.1. &c. & v.9. &c. Luc.11.v.17. &c. Johan.5.v.17. &c. Act.2.14. &c. Act.7.2. &c. Actor.11.v.1. &c. Actor.22.1. &c. 2.Cor.1.v.8. &c. Item cap.2. 3.4. & 5.

Aposiopesis. Exempla vide Luc.19.v.42. Luc. 22. v.42.

Apostasia. Vide 2.Thess.2.v.3.&c. 1.Tim.4.v.1. &c. 2.Pet.2.O.18.

Apostolus. Vocatio quatuor apostolorum, Matthæi 4.18.&c. Marc.1.14. &c. Apostoli quomodo reliquerint omnia, Matth.9.9.S. Duodecim apostoli à Christo designati, Matth.16. v.1.&c. Marc.3.13. Luc.6.13. Iidem missi in Judæam, Matth.10.5.&c. Marc.6.7.&c. Luc.9.1. &c. Spiritus S. in illos missus, Act.2.1.&c. Hierosolymis quid experti sint inde ab accepto Spiritu S. in die pentecostes, Act.4.1.&c. Act.5. v.17.&c. Nomina illorum, Matth.10.v.2.&c. Marc.3.v.16.&c. Confessio eorum de Christo, Matth.16.v.13.&c. Legatio eorum in orbem terrarum, Matth.28.16.&c. Marc.16.15.&c. ¶ Professionis nostræ apostolus Christus, Heb.3. v.1. ¶ Matthiæ cooptatio in numerum apostolorum, Act.1.v.15.&c. Doctrina apostolorum, Act.1.O.8. Act.3.O.2. Act.20.O.7. Acta eorum, Actor.18.O.11. 2.Thess.3.O.6. Jac.1.O.1. Preces ecclesiæ Hierosolymitanæ pro illis, Act.4.24. &c. ¶ Pauli apostolatus, Actor.9. v.1. &c. Act.22.v.1. Gal.1.v.1.15. & seqq. Apostolicum jus in accipienda mercede ab ecclesiis, 1.Cor.9. v.1.&c.

Apostrophe. Rom.11.v.13.17.

Applicatio. Petrus dictum Esaiæ c.53.v.5. applicat ad servos Christianos, 1.Pet.2.v.24.25.

Appositio. Appositionis Grammaticæ, ejusque variæ, exempla vide Matth.3.v.4. Marc.16. v.14. Luc.1. v.73.77. Luc.7. v.11. Luc.10. v.1. Luc.22. v.30. Luc.23. v.32.54. Johan.5.v.19. Vide ibi S. Joh.6.v.29. Vide ibi S. Johan.15.v.8. Joh.17. v.3. Act.3. v.23. Act.17. v.29. Rom.9. v.24. 1.Cor.5.v.7. 1.Cor.11.v.10. Eph.1. v.18. 23. Ephes.4. v.14.18. Phil.4. v.18. Col.2.v.2. 1.Thess.5. v.8. Heb.5.v.1. Heb.6.v.2. Heb.12. 23. Jac.4. v.3. 1.Pet.1. v.23. & cap.3. v.9.21. 2.Pet.3.v.1. 1.Johan.2.v.16.25.& c.3.v.23. & c.4.v.17. & c.5.v.3.

A Q.

Aquila, maritus Priscæ sive Priscillæ, 2.Tim.4. v.19.

Aqua. Aqua in vinum conversa, Joh.2.v.1. &c. ¶ Aqua pura: id est, sanguis Christi, Heb.10. v.23. Aqua comparatur Spiritus S. Johan.3. v.5. Johan.4.v.10. Johan.7.v.38. Rationem illius comparationis vide Joh.3.v.5.S. Johan.4. v.10.S. Aqua viva, quo sensu dicatur Joh.4. v.10. Vide ibi S. Item Johan.7. v.38. Vide ibi S.

A R.

Aram, Matth.1.v.3.S.

Arati hemistichium, Act.17.v.28.

Arbor vitæ, Apoc.2.O.9.

Archangelus. Vide in epist. Judæ v.9. S.

Archiæ epigramma de corona victorum in certaminibus Græcorum, 2.Tim.2.v.5. S.

Arefactio subita ficus arboris, Matth.21.v.19. Marc.11.v.14.20.

Areopagus. Vide Act.17.v.19.S.

Ariani. Arianorum recentium corruptelæ quadam sacræ scripturæ refutantur. Joh.8.v.58. S. Rom.9.v.5.S. Calumnia contra orthodoxos de Arianismo refutatur, 1.Joh.2.O.17.

Arida manus à Christo sanata, Matth.12.v.9. Marc.3.v.1. Luc.6.v.6.

Arimathæa, Matth.27.v.57.S.

Arma pro habitu, Rom.13.v.12.

Arrhabo Spiritus, 2.Cor.1.v.22.S. 2.Cor.5.v.5.S. Arrhabo sive arra quid sit, 2.Cor.1.v.22.S.

Arrogantia, 1.Cor.4.v.7.

Articulus. De articulo Græcorum præpositivo & postpositivo vide in indice Græcarum vocum sub litera O.

A S.

Asa, Matth.1.v.7.S.

Asia. Paulus prohibebatur à Sp.S. ne prædicaret Evangelium in Asia, Act.16.v.6.

Aspergillum Hebræorum, Joh.19.v.29.S.

Assarium, Matth.10.v.29.S.

Asyndeton, Rom.11.v.2.

A T.

Athenæ. Quid Athenis egerit ac perpessus sit Paulus, Act.17.v.16.&c.

Atticismus. Exempla vide Marc.15.v.34. Luc.6. v.20.25. Luc.8.v.54. Luc.18.v.11. Luc.19.v.48. Joh.19.v.2.

A U.

Audire. Audire pro intelligere, Marc.4. v.33. 1.Cor.14. v.2. ¶ Audire pro exaudire, Joh.9. v.31. Joh.11. v.40. 1.Joh.5. v.14. Audire à Patre, quid sit in verbis Christi, Joh.6.v.45. Vide ibi S. Audire sermones salutares non est satis, sed oportet etiam præstare, Matth.7. v.24.&c.& O.15.

Auditionis verbi Dei sedulæ utilitas, Matth.15. O.14.

Auditorum Evangelii gubernatio divina dispar, Matth.11.O.28. 2.Cor.2.v.15.16. Auditorum Evangelii officium vide Matth.10.O.10. Matth.11. O.13.19. Matth.13. O.1.6. Matth.14. O.10.12. Matth.23. O.1. Marc.1. O.7.9. Luc.8. O.2. Luc.20. O.10. Luc.21. O.7. Johan.6. O.1. Johan.12. O.1. Joh.20. O.5. Act.10.O.5. Act.17. O.11. 1.Cor.3. O.3. 1.Cor.4. O.1.10. 1.Cor.16. O.4. 2.Cor.4. O.6.7. 2.Cor.5. O.14. Gal.2. O.6. Ephes.3. O.5. Philip.2. O.19. Phil.4. O.9. 14. 1.Thess.1. O.8. 1.Thess.2.O.5. 1.Thess.4. O.6. 1.Thess.5. O.5.13. 1.Tim.4.O.20. & cap.5. O.15. 16. 2.Tim.4. O.4.17. Tit.3. O.8. Philem. O.11. Heb.3. O.16. Heb.4. O.3. Heb.7. O.4. 1.Joh.4. O.1.

Auditus (ἀκοὴ) interdum idem valet quod sermo, item fama. Exempla vide Matth.4.v.24. Matth.14.v.1. Rom.10.v.17.

Augustinus. Augustini dictum de peccato originali, Rom.6. v.12. S. Item de gratia, Rom.11. v.6. S. Item expositio verborum Salomonis, Carbones ignis coacervabis super caput ejus, Rom.12.v.20.S.

Aures ad audiendum quinam habeant, Matthæi 11. O.18.

Auricula idem quod auris, Marc.14. v.47. Luc.22.v.61. Vide ibi S.

Auxesis. Exemplum vide 1.Pet.1.v.7.

A V.

Avaritia. Avaritiæ exemplum vide 2.Cor.11. v.20. Avaritia noxa, Act.4. O.6. Avaritia fugienda, Matt.6.v.19.&c. & O.20. Matt.26. O.10. Luc.12. O.7. 1.Tim.6.v.6. &c. & O.7. Jac.4.O.1.

A Z.

Azyma, Matth.26.v.17.S. Azymorum dies primus, Marc.14.v.12.S.

Azor, Matth.1.v.13.S.

Azotus, Act.8.v.40.

B A.

Baptismus, Definitio baptismi, Matth.28. O.17. Marc.1. O.4. Luc.3. O.2. Act.2. O.9. Rom.6. O 3 4. Gal.3. O.15. Col.2. O.18. Scopus baptismi, 1.Joh.5.O.14. Quid Deus per baptismum testetur credentibus, 1.Cor.12.O.8. In mortem Christi baptizari quid sit, Rom.6.v.3.S. In resipiscentiam baptizari quid sit, Matt.3. v.11. S. Marc.1. v.4.S. In remissionem peccatorum baptizari quid sit, Marc.1.v.4.S. Act.2.v.39. S. In nomen alicujus baptizari quid sit, Matt. 28.O.17. Act.8.v.16.S. 1.Cor.1 O.10. Baptizari ὑπὲρ τῶν νεκρῶν quid sit, 1.Cor.15. v.29. S. Lavacrum regenerationis quo sensu appelletur baptismus, Tit.3.O.5. Ad regenerationem quid faciat baptismus, Joh.3.v.5.S. Pædobaptismus, Matth.19. O.10. 1.Cor.7. O.13. Col.2. O.17. Adultus quispiam si baptizandus sit, quid requiratur, Matth.3. O.6. Act.8. O.17. Actor.10. O.12.15. Heb.6.O.3. Johannis baptismus fuit idem cum baptismo Christi, Matt.3. O.14. Marc.1. O.4. Unde fuerit baptismus Johannis, Luc.20. v.1.&c. Quo ritu Johannes baptizarit, Joh.3.v.23.S. Item Philippus, ibid. Vide etiam O.13. De rebaptizatione vide Act. 19. O.2. Discipuli quidam qui baptizati fuerant in nomen Johannis, rebaptizati sunt à Paulo, Act.19.v.5. Mulieribus baptizare non licet, 1.Cor.14. O.6. 1.Tim.2. O.17. Christus Joh.3.v.5. non loquitur de baptismo, Johan.3. v.5.S. Ritus baptizandi vetus, Rom.6. v.4.S. An Christus pastoribus ecclesiæ præceperit, ut inter baptizandum pronuntient hæc verba, Ego baptizo te in nomen Patris, & Filii, & S. S. Matth.28. v.19.S. Cur baptismo tribuatur quod proprium est sanguinis Christi, Eph.5. O.23. An baptismus conferat remissionem peccatorum ex opere operato, Marc.1. O.5. Duplex est baptismus, Matth.3.O.12.& 21. Col.2. O.15. Baptismus non est præcisè ad salutem necessarius, Marc.16.v.6.S.

Barabbas, Matth.27.v.16.S.

Barachi fides celebratur, Heb.11.v.32.

Barbarus, 1 Cor.14.v.11.S.

Bar.Jona, Matth.16.v.6.S.

Barnabas. Vide Act.9. v.27. Actor.11. v.22.25. Act.12.v.25. Act.13.v.1.&c. Act.14. per totum. Act.15.v.35.&c.

Bartimæo cæco visus datus, Marc.10.v.46.

B E.

Beatitudo. Causa beatitudinis, Matth.5. O.3.4. 5. Luc.11. O.7. 2.Tim.1. O.3. Tit.1.O.11. De beatitudine Christianorum vide amplius Luc.1. O.18. Luc.10. v.23. & O.7. 1.Corinth.1. O.5. 1.Corinth.3.O.8.9. Galat.1.O.6. 2.Petr.1. O.6. 2.Joh.O.6.

Beelzebub, Matth.10.v.25.S.

Belial, 2.Cor.6.v.15.S.

Bellare pro litigare, Jac.4.v.2.

Bellarmini sophismata varia, quibus sacras literas corrumpit, refutantur: Matth.16.O.9. Matth.19. O.9.14.17.20.21. Matth.20. O.29. Matth.21.O.10. Matth.26.O.23. Marc.1.O.6. Luc.1.O.19. Act.9.O.10.

Bellorum cessatio. Apoc.20.O.1.

Benedi-

Benedicere. De hac voce vide Matth.14.v.19.S. Matth.25. v.34.S. Matth.26. v.26.S. Luc.1. v.28.S. & v.64.S. Luc.2. v.28.S. & v.34.S. Luc.24. v.30.S. & v.50.S. & v.53.S. Eph.1. 3.S. Christus benedixit puerulis, Matth.19. v.15. Marc.10.v.16.
Benedictio, 2.Cor.9.v.5.& 6.S.1.Pet.3.v.9.S.
Beneficentia. Beneficentiæ sunt certi gradus, 1.Tim.5.O.4. In quosnam beneficentia exercenda sit, Matt.5.O 42. Matth.6.O.4. Matt. 25.O.17. Matth 26. O.6. 1.Tim.5. O.4. Unde æstimetur beneficentia à Deo, Marc.12. O.1. 2.Cor.8.O.3.Heb.6.O.12.Quid movere nos debeat ad beneficentiam, 2.Cor.8. O.2. 2.Cor.9. O 1.Phil.4.O.15.16. Philem.O.7.
Bernice, Agrippæ regis soror, Act.25.v.23.
Berœa. Quid Berœæ egerit ac perpessus sit Paulus Act.17.v.10.&c.
Bestiarii apud Romanos, 1.Cor.15.v.32.S.
Bethabara, Joh.1.v.28.S.
Bethania, Matth.21.v.17.S.Johan 11.v.1.S. & v.18. Act.1.v.12.S. Bethaniæ cœnabat Christus, Joh.12.v.1.&c.
Bethleem. Duplex fuit Bethleem, Matth.2.v.1. S. Infantes Bethleemitici occisi, Matth.2. v.16.&c.
Bethphage, Matth.21.v.1.S.
Bethphage, Matth.21.v.1.S.

BI.

Bibere. Sanguinem Christi bibere quid sit, Joh.6. v.53.S. Et quorsum conducat, Joh.6. v.60.S. Spiritualia bona bibere, Joh.7.v.37.S.
Binomiorum exempla vide Marc.2. v.14.S. & v.26.S.
Bithynia, Paulus prohibebatur prædicare Evangelium in Bithynia, Act.16.v.7.

BL.

Blasphemia. Vide Matth.26.O.50.

BO.

Boanerges, Marc.3.v.17.S.
Bonus. An liceat quenquam hominem appellare bonum, Matth.19.O.13.
Bonum pro utili, 1.Cor.7.v.8.
Bonorum origo, Joh.1.v.1.O.10.11. Philem.O.7.
Bona terrena, Luc.12.O.7.8. Luc.16.O.16. Rom. 13. O.7. 1.Cor.7. O.18. 1.Tim.4. O.10. & c.6. O.6. Jac.4.O.2.
Bona cœlestia perpetuo meditanda & quærenda sunt, Matth.6.O.21.
Bonorum spiritualiũ cura potior esse debet, quã corporalium, Matth.6.O.11. Luc.16.O.16.
Bona Ecclesiastica, Vide tit. Ecclesia.
Bona opera. Descriptio bonorum operum, Phil.1. O.19. Jac.3. v.17.S. origo bonorum operum, Matth.20. O.3. Joh.13. O.10. Johan.15. v.5.S. Act.21.O.3. 1.Cor.13.O.3. Phil.1.O.19. Heb.11. O.4. Forma seu ratio boni operis, Marc.1. O. 40. Luc.18.O.9. Phil.1.O.19. Tit.1.O.17. Heb. 13. O.15. Finis seu scopus bonorum operum, Matth.5.O.10. Matt.6.O.1. Phil.1.O.19. Gradus bonorum operum, Matt.23.O.15.16. Fructus bonorum operum, Actor.10.O.2. Rom.2. O.3. Rom.8.O.7. Gal.5. O.13. Gal.6.O.7. Necessitas bonorum operum, Matth.5. O.17. Matth.20.O.2. Matt.21.O.26. Matt.22.O.8. Rom.8. O.7. Præfat. analyseos sex epistolarum, Tit.2.O.9. Christus hortabatur discipulos ad studium bonorum operum, Joh.15.v.8. &c. Matth.5.v.16.& seqq. An bonis operibus mereamur vitam æternam, Matth.6. O.2. Matth.25. O.16. Rom.2. O.4. Rom.4. O.7. 2.Cor.5. O.9. De bonis operibus agit Paulus Rom.12.13.14.& 15. Heb.13.v.1.&c.
Boaz, Matth.1. v.5.S.

BR.

Brachium pro potentia, Joh.12.v.38.
Brachylogia. Exempla vide Joh.10.v.25. Joh.18. v.28.36.

BU.

Buccina & tuba differunt, Matth.6.v.2.S.

BY.

Byssus, Luc.16.v.19.S.

CA.

Cæcus, cæcitas. Cæcis quibusdam visus redditus fuit. Vide Matth.9.v.27. Matth.12.v.22. Matt.20.v.29. Marc.8.v.22. Marc.10.v.46. Luc.18.v.35. Joh.9.v.1. ¶ Cæcitas spiritualis, Joh.9.v.39.40.41.
Cælibatus. Vide Matt.19.v.12.S.& O.8.1.Cor.7. v.1.&c. & O.S 23. 1.Tim.5.O.10.
Cælum. Cœli vocabulo quid significetur in scriptura. Matth.6 v 26.S. Marc.16.v.19.S. Triplex cœlum, 2.Cor.12.O.1. Cœlorum vocabulo quid significetur in prooemio orationis Dominicæ, Matth.6.v.9.S. Cælum pro supremo cœlo Heb.8.v.1. Cœli summi periphrasis, Luc.16.9. Vide ibi S. & v.22.S Luc.19. v.38.S. Heb.11. v.10. Cœli summi descriptio, Luc.16. O 14. Joh.14.v.2.& O.2. Cœlum tertium, 2.Cor.12, v.2.S. ¶ Cœlum non est ubiq; Phil.3. O.24. Cœlum pro Deo Luc.15.v.18. Luc.20.4. Joh.3. v.27. ¶ Cœlum pro aëre, Act.10. v.12. In cœlo scriptum esse, quid significet, Heb.12. v.23.S. Cœleste regnum quibus paratum sit, Matt.20. O.26 Luc.17.O.19. Heb.4.O.5. Via in cœlum, & ad gloriam cœlestem, Matth 16.O.16.
Cœna. Qui nam sint vocandi ad cœnam, Luc.14. v.12. &c. Parabola de cœna magna, Luc.14. v.15 &c.
Cœna Domini. Institutio cœnæ Domini, Matth. 26.v.26.&c. Marc.12.v.22.&c. Luc.22.v.19. &c. 1.Cor.11. v.23.&c. Finis seu scopus cœnæ Domini, 1.Cor.11. O.14.1 Joh.5 O.14. An Judas proditor cœnæ Domini interfuerit, Matt. 26. v.26.S. Definitio cœnæ Domini, Matt.26. O.23. Refutatio multiplicium errorum & corruptelarum circa cœnam Domini, Matth.26. O.23. 1.Cor.10.O.18.21.24. 1.Cor.11. O.25.27. 28.31.33.34. 1.Cor 14 O.2. 2.Cor.6.O.6.1.Joh. 5.O.15. Sermo tropicus in verbis institutionis cœnæ Domini, Joh 3.O.2. 1.Cor.10.O.17.19. An corpus Christi in pane sacræ cœnæ sit præsens, Joh.1. O 17. Qua ratione seu quo sensu panis sacræ cœnæ dicatur esse corpus Christi, Joh.1. O.18. De poculo in cœna Domini vide 1 Cor. 10. O.16. 1.Cor 11. O.21. De fractione panis in cœna Domini vide 1.Cor.10. O.20. 1.Cor.11. O.12.15. Vide etiam titulum, Frangere. De unitate panis in cœna Domini vide 1.Cor.10. O.25. De administratione cœnæ Domini vide 1.Cor.10.O.29.30. 1.Cor.11.v.17.&c. & O.11. De mensa in cœna Domini vide 1.Cor.10. O. 30. De pane in cœna Domini vide 1.Cor.11. O. 13.18.20. De consecratione panis & vini in cœna Domini, vide 1.Cor.11.O.14. De perceptione cœnæ Domini, vide 1.Cor.11. O.16.17. 22.23.29. De mysterio cœnæ Domini vide 1.Cor.12.O.9.
Cærimoniæ. De cærimoniis legalibus vide Act. 7.O.2. Col.2.O.10.21.23. 1.Joh.5.O.10.
Cæsarea. De duplici Cæsarea vide Matth.16. v.13.S. Quid Cæsareæ egerit Paulus, Act.18. v.22. Quid ibi cum Paulo actum sit apud præsidem Felicem. Act.24. per totum. Item coràm Festo & Agrippa. Act.25.& 26.
Cain dicitur jugulasse Abelem, 1.Joh.2. v.12. Vide ibi S.
Calix. De calice in cœna Domini. vide Matt.26. O.23.
Callimachus. Versus Callimachi à Paulo recitatur Tit.1.v.12.
Calumnia. Definitio calumniæ, Rom.3. v.8. S. Quomodo consolari nos debeamus, quum hostes veritatis nostra rectè facta calumniantur, Matt.9.O.26. Joh.11.O.19. 1.Tim.5.O.22. ¶ Calumnia contra orthodoxos, de Aridnismo, 1.Pet 2. O.17. Calumniæ veritatis cœlestis non sunt dissimulandæ, Matth.12. O.23. ¶ Pseudapostolorum calumnia, qua gravabant Paulum apud Corinthios, 2.Cor.10.v.1. &c. & c.12.v.16.&c.
Calx. Calcem adversus aliquem tollere, Joh.13. v.18.S.
Cananites. Simon Cananites unde sic dictus sit, Matth.10. v.4.S.
Canere gallis tribuitur, Matth.26.v.34.S.
Cantus. De cantu ecclesiastico vide Eph.5.O.9. Col.3.O.12.
Capere. Act.3.v.21.S.
Capernaitæ offendebantur sermone Christi de esu carnis ejus, Joh.6. v.52.60. De Capernaitarum. Quomodo, Joh.6.v.52.S.
Caput. Sanguis super caput, Act.18.v.6.S.¶ Caput interdum præeminentiam notat, 1.Cor.11. v.3.S.¶. Caput pro summa, Act.22.v.28. vide ibi S.¶ Caput pro principali, Heb.8.v.1.
Carbo. Carbones ignis coacervare super caput inimici, quid sit: vide Rom.12.v.20.S.
Carcer. Johannes Baptista conjectus fuit in carcerem ab Herode tetrarcha, Matt.14.v.3. Petrus & Johannes conjecti fuerunt in carcerem à magistratibus Hierosolymitanis, Act.4. v.3. Item Apostoli universi, Actor.5. v.18. Item Petrus solus, Act.12.v.4.
Caro. Quo sensu ὁ λόγος (id est, filius Dei) dicatur esse factus caro, vide Joh.1.v.14.S. De carnis Christi esu vide Joh.6. v.51.&c. ¶ Caro pro homine, Rom.3.v.19. ¶ Caro pro carnali intellectu, Rom.6. v.19. In carne esse quid sit, Rom.7. v.5.S. Item, Secundùm carnem esse, Rom.8. v.5.S. ¶ Caro pro vitiositate naturæ. Rom.7.v.24 Rom.8.v.3. Gal.5.v.12.24. Col.2. v.13.¶ Caro pro pudendis, 2. Pet.2.v.10 Epist. Judæ v.7. Vide ibi S.& v.23. ¶ Caro pro corpore, Joh.6.v.51.&c. Rom.9.v.3. Rom.13.v.14. 1.Cor.5.v.5. 2.Cor.7.v.1.5. Gal.2.v.20. Col.2. v.23. 1.Tim.3.v.16. Heb.9.v.10. Heb.12.v.9. 1.Pet.3. v.18. 1.Pet.4. v.2.6. Epist. Judæ v.8. ¶ Caro pro consanguineis, Rom.11.v.14.¶ Caro pro mundo seu conditione humana, 1.Cor.1. v.26. ¶ Caro pro externis hominis dotibus, 2 Cor.10.v.2. Caro pro viribus carnalibus seu naturalibus hominis, Gal.3.v.3. ¶ Caro pro conditione corporis, seu externo hominis statu, Gal 4.v.13. Philem.v.16. Heb.5.v.7. ¶ Caro pro viribus corporis naturalibus, Gal.4. v.23. ¶ Caro pro carnalibus cupiditatibus, Gal.6.v.8. ¶ Carnis puritas pro puritate cærimoniali, Heb.9.v.13.
Carnalis. Vox hæc variè accipitur, 1.Cor.3.v.1. S. 1.Cor.10.v.18 S.
Carpus. Troade apud Carpum reliquerat Paulus penulam, 2 Tim.4.v.13.
Castigatio. Castigationum divinarum usus, Joh.5.O.9. 1.Cor 11.O.32. Heb.3.O.18.
Castitas. Castitatis exemplum proponitur in Josepho, marito matris Domini, Matth.1.O.16. Item in Anna prophetissa, Luc.2.v.36.& 37. De castitate vide Rom.13. v.13. Heb.12.O.13.
Casus. Vide Luc.10.v.31.S.
Catachresis. Exempla vide Matt.5. v.12.39.46. Matth.6.v.1.6. Matth.9.v.16. Matt.10.v.41. Matth.11.v.5.25. Matth.12.v.21. Matth.14. v.7.14.24. Matt.15. v.7.30.33. Matt.21.v.5. 14. Matt.26.v.12. Marc.1.v.15. Marc.4.v.29. 39. Marc.6.v.5. Marc.7.v.6. Marc.12.v.35. Luc.1.v.13 14. Luc.2.v.27. Luc.4.40. Luc.5. v.16.18. Luc.7.v.21. Luc.9.v.12.45. Luc.10.9. Luc.12.v.55. Luc.16.1. Luc.21.v.3.4. Luc.22. v.44. Luc.23.v.54. Joh.2.v.18.23. Joh.5.v.10. Joh.6.v.60. Joh.8.4. Act.2.v.6. Act.5.v.16. Act.7.v.35.41. Act 8.v.7.29. Act.10.41. Act.17. v.4. Rom.13 v.3.12. Rom.15.27. 1.Cor.7.v.9. 13.1.Cor.8.9.1.Cor.9.v.17.1.Cor.10.v.6.1.Cor. 14.v.7. 1.Cor.15.v.5. Gal.2.v.2. Gal.4.v.9. Phil.2.v.30. Heb.10.v.20.28. Heb.11.v.4.5.23.
Catechismus. Vide Matth.19.O.10. Heb.6.v.1.2.
Catena. Quomodo Paulus catenâ vinctus fuerit Romæ, 2.Tim.1.v.16.S.
Cathari. Vide 1.Cor.1.O.3.
Caula. Parabola de ostio caulæ, Joh.10.v.1.&c.

CE.

Cedron, Joh.18.v.1.S.
Cenchreæ, Quid Cenchreis egerit Paulus, Vide Act.18.v.18.
Cephas. Vide 1.Cor.1.v.12.S.
Ceremoniæ. Vide Cerimoniæ.

CH.

Charitas. Charitas Dei, item Christi, duobus modis dicitur, Rom.5.v.5.S. Rom.8.v.35.S. ¶ Charitas pro potestate data ex charitate Dei, 1.Joh.3.v.1. De charitate erga proximum vide Rom.13.v.8.&c. 1.Cor.13.per totum. & O.1.4.6. Phil.4. O.2. Col.1. O.8.12. 1.Thess.1. O.6.1.Thess.5.O.7. Philem.O.6.8.15.22. Heb.6. O.11. 1.Pet.4. O.9. Papistarum falsa ratiocinatio, quòd charitate justificemur, Col.3. O.11. 1.Pet.4. O 9. De charitate Christiana vide Act.15.O.15. Act.16.O.2.3. 1.Cor.4.O.14. 1.Cor.5.O.3. 1.Thess.2.O 11. 1.Thess.4.O.7. Vide etiam titulum, Dilectio.
Cherubim. Vide Heb.9. v.5.S.
Choreæ. Vide titulum, Saltatio.
Chrisma Dei. Vide 1.Joh.2.O.23.

Christus. *Quo sensu Christus dicatur Ναζωραῖος: quodq; non fuerit Nazareus, Matt.2. v.23.S. Quòd Christus jam venerit, Luc.21. O.3. Quòd Jesus ille Nazarenus, qui Hierosolymis crucifixus fuit, sit Christus seu Messias, id est, servator mundi, demonstratur in argumento Analyseos Evangelii secundùm Matthæum. Vide etiam Matth.1. O 13. Matth.2. O.1.2.3.26 31. Matt.3. O.1. Matt.4. O.24.37. Matth.11.O.6.11. Matth.12 O.14.18.29. Matt.20. O.38. Matth.21. O.2.12. Matth.26. O.25. Matth.27. O.6.17.28. Vide præterea in argumento Analyseos Evangelii secundùm Marcum. Item Marc.1.O.2.18. Luc.2.O.1 28. Luc.3. O.3. Luc.4. O.2. Luc.18. O.15.17. Luc.19. O.10. 12. Luc.24. O.2. Joh.13. O.14. Joh.17. O 9. Joh.18. O.16. Joh.19. O.15.18.20. Act.2. O.3. Actor.13. O.6. 1.Cor.15. O.5. Eph.3. O.6. 1.Joh.5. v.6.7.8. & O.9. Progenitores Christi Jesu recensentur Matt.1.v.1. & deinceps. Item Luc.3.v.23. & deinceps. Genealogia Christi, quam describit Matthæus, declaratur Matth.1. v.1. &c. Eadem confertur cum ea quam describit Lucas, ibidem & S.v.13. ¶ Conceptio Christi narratur Matth.1.v.20. & 23. Luc.1.v.26.&c. ¶ Nativitas Christi narratur Matth.1. v.18. & deinceps Luc.2.v.1. & deinceps. Quæstio, cujus filius sit Christus disceptatur Matt.22. v.41.&c. Circumcisio Christi narratur Luc.2.v.21. Cur oportuerit circumcidi Christum, Luc.2. O.19. Luc.3. O.12. Præsentatio Christi infantis in templo narratur, Luc.2.v.22. & seqq. De vita Christi vide Matth.26. O.13. Marc.1.O.38. Rom.15. O.2. Quomodo Christus fuerit baptizatus, narratur Matth.3. v.13. &c. Marc.1.v 9.&c. Luc.3.v.21.&c. Johan.1. v.32. Cur fuerit baptizatus, vide Luc.3.O.12. De Christi communione cum fidelibus, vide Matth.3. O.20. Matth.21. O.27. Marc.1. O 11. Col.1.O.39. An Christus fuerit Nazaræus, vide Matth.2.v.23.S. Christus infans educatus est in Ægypto, Matth.2. v.13.14.15. Puer verò educatus est Nazaretha, ibid. v.19.&c. Quomodo fuerit transformatus in monte, narratur Matth.17. v.1.&c. Quomodo solverit tributum narratur Matth.17. v.24. Dilectio Christi quâ diligit electos, Johan.13. O.1. Homines in Christo offenduntur multis modis, Matt.11.O.7. Christus est medicus animarum, Matt.4.O.39. Matth.8.O.14. Matt.9. O.9. Matth.14. O.22. Marc.1.O.30.36. Luc.17. O.8. De Christi cura pro suis vide Matth.8. O.19. Apoc.1.O.21.22. Quo jure Christus porcos Gergesenorum à malis spiritibus perdi permiserit, Matth.8.O.26. Quo sensu Christus dicatur descendisse de cælo, Johan.6. v.33.S. ¶ Summa capita doctrinæ de Christo, Matth.16.O.6. De Christi persona & officio, Matt.17. O.5.* Persona Christi, *Christus est Deus & homo, Matth.1.O.14. Matth.17. O.5. Matth.22. O.26. Marc.12.v.15. &c. Luc.1.O.25. Luc.20. v.41.&c. & O.9. Joh.1.v.1.&c. & O.2. Joh.3. O.9. Roman.1. O.4.5. Gal.4. O.2. Phil.2. O.3. 1.Tim.3.O.11. Hebr.1. O.2. Heb.2.O.18. 1.Joh.1. O.1. Apoc.10.O.1. Apoc.19. O.4. Apoc.22. O.4. ¶ Loquutiones scripturæ de Christo, Rom.9. O.6. 1.Cor.2. v.8.S. 1.Cor.10. v.9.S. & O.7. 1.Tim.2. O.8.9. Tit.2. O.7. 1.Petr.3. v.19. & O.13. 1.Joh.1 O.2. Vide etiam titulum,* Communicatio idiomatum. *Caro Christi non est orta è substantia Spiritus sancti, sed è semine matris, Matth.1. O.9. An corpus Christi fuerit dissimile nostro, Matth.14. O.18. De corpore Christi vide plura Matth.28. O.8. 14.18. Joh.17. O.7.10. Hebr.1.O.5. Hebr.2.O.16. Heb.4. O.12. Heb.8.v.2.S. & O.2.3.4. Incarnationis filii Dei causa formalis, Matth.20. O.32. Ejusdem causa finalis, Hebr.2. O.8. 1.Johan.3.O.4. & cap.4. O.8. De humana natura Christi vide Matth.21. O.14. Matth.26. O.33.35. Matth.27.O.22. Marc.1 O.33. Marc.9. O.2. Luc.1. O.25. Luc.2. O.39.49. Joh.4. O.2. Johan.11.v.33.S. & v.35.S. & O.7.17. Rom.1. O.6. Hebr.1.O.5. Hebr.2. O.16. Hebr.4. O.14. Apoc.1. O.2.34. De divina natura Christi, vide Matth.3.O.25. Matth.4.O.38. Matth.8. O 4. 9.20.22. Matth.9. O.3.18.21.25. Matthæi 12.O.5. Matth.21.O.1.8.11.16. Matth.22. O.13. Marc.1.O.8.22. Luc.1. O.10.17.25. Luc.3. O.9.15. Luc.7. O.4. Luc.10. v.18.S. Luc.18. O.17. In præfatione Analyseos Evangelii secundùm Johannem. Item Joh.2.O.16. Joh.4. O.21. Johan.5. O.11. Johan.6. O.10. Johan.8. O.19. Johan.10. O.22. 25.26. Johan.11. O.4. Johan.12. O.24.26. Johan.13. v.18.S. & O.12. Johan.14. O.1. Johan.16. O.3. Johan.17. O.2. Johan.21. O.2. Actor.16. O.11. Roman.1. O.7. Roman.8. O.20. Roman.9. O.7. 1.Corinth.1. O.4. Galat.1. O.3.13. Coloss.1. O.5.24.25. Tit.1. O.9. Tit.2. O.6. Heb.1. O.7. Hebr.2. O.12. Hebr.3.O.8. Hebr.12.O.21. Hebr.13.O.5. 1.Pet.3. O.14. 2.Petr.1. v.1. ibi S. & O.5. 1.Johan.5. v.20. Epist.Judæ v.4. Apocal.1. O.3.11. 13.16. 24.25.33. Apocal.3. O.1.13. 24.36. Vocabulum hoc,* CHRISTUS, *declaratur Matth.1. v.16.S. Nomen* Christi *cur tributum nostro Servatori, Matth.1. O.7. Christus nominabatur filius Davidis, Matth.9. v.27. Christus nominatur donum* DEI, *Johan.4.v.10. 2.Corinth.9. v.15. De Christi gratia vide Matth.1. O.4.5.6. Matth.11. O.32. Matth.18. O.6. De Christi cognitione vide Matth.2. O.11.12. Johan.8. O.12. De Christi exhibitione vide Johan.9. O.6. 1.Petr.1. O.30. De Christi contemtu vide Johan.8. O.12. Christus lux mundi, Johan.8. v.12. Johan.9. v.5. Item Apostolus nostræ professionis Hebr.3. vers.1. Item Pastor electorum, Johan.10. v.11. Vide ibi O.8. Item puer* DEI, *Actor.3.v.13. Vide ibi S. ¶ Typi Christi. Johan.18. O.1. Joh.19. v.36.S. & O.23. Hebr.4. O.16. Hebr.7. v.1. &c. & v.26.S. Hebr.8.v.2.S. & O.3. Hebr.9. v.5.S. Hebr.10. v.20.S. Hebr.13. O.8. 1.Petr.1. O.28.* Adoratio Christi. *Christus in infantia adoratus est à magis, Matth.2. v.1. &c. De Christi adoratione qua ipse adoratur, vide Matth.2. O.13. Matth.14. O.20. Matthæi 28.O.9. Marc.7.O.4. Luc.5.O.2. Luc.24. O.12. Johan.11. O.16. ¶ Nomen* CHRISTUS *interdum accipitur indefinitè. Vide Matth.22. v.42. Luc.24. v.26. Actor.17. v.3. De Christi voluntate vide Matth.23. O.24. Matth.26. O.35. De ignorantia Christi vide Johan.18. vers.34.S. De ira Christi, Apocal.1. O.26. 29. De innocentia & sanctitate Christi, vide Matth.26. O.46. Matthæi 27. O.9.12.23. Actor.3. O.7. 1.Johan.2. v.20. & O.4. Apocal.3. O.13. De mansuetudine ac bonitate Christi, vide Matth.3.O.24. Matth.11.v.29. Marc.1. O.13. Johan.20. O.8. De dilectione Christi quâ nos diligit, vide Johan.14. O.10. Johan.15. v.9. & O.5. De benignitate Christi & φιλανθρωπίᾳ, vide Matth.8. O.9.25. Matth.14. O.11. Matth.15. O.13. Matth.17. O.7. Luc.7. O.3.6.9. Johan.1. v.38.S. Johan.9. O.2. Apocal.1. O.32. Apoc.2. O.31. Apoc.3. O.25. Meritum mortis Christi unde pendeat, Joh.6. v.57.S. De merito & efficacia Christi, Actor.3. O.8. Timoth.1. O.2. Philip.2.O.5. Quòd Christus sit noster mediator secundùm utramque naturam, 1.Tim.2. O.7. De carnis Christi esu, & sanguinis ejus potu, vide Johan.6. v.60.S. & O.21. Hebr.13. O.7. De beneficiis Christi, Johan.6. O.17. Johan.14. O.12. 2.Timoth.1. O.15. Apocal.5. v.5. & sequentibus. De præsentia Christi spirituali, Johan.14. O.8. Johan.20. O.3. Quo sensu dicatur Christus factus spiritus vivificus, 1.Corinth.15. v.45.S. Christus & Adamus inter se comparantur ut duæ stirpes, Roman.5. v.14.S. Christus Ecclesiam diligit, Matth.9. O.12. Johan.13. vers.1. Ephes.5. v.25. De Christi unione cum Ecclesia, Eph.5. O.12. De præsentia corporis Christi unde judicandum, Luc.24. O.8. De Christi absentia corporali, Luc.24. O.11. Johan.7.33. Johan.14. O.13. Johan.16. 28.S. & O.2. Johan 20. O.3. Actor.3. O.14. Phil.1. O.30. Phil.3.O.25. Col.3. O.2. Quo sensu Christus dicatur agnus, 1.Petr.1. 19.S. Quo sensu Christus dicatur fuisse plenus gratiâ & veritate, Johan.1.14. S. Corpus Christi est verum Corpus, Coloss.1. O.31. Est jam glorificatum, Phil.3. vers.21. Apocal.1. v.16. An corpus Christi sit præsens in pane sacræ cænæ, Johan.1. O.17. Corpus Christi non est ubique, Johan.11.O.7. Coloss.3. O.2. Cur Christus sese legi subjecerit, Joh.2. O 11. Johan.5. O.1. Cur Christum oportuerit esse sanctum, Hebr.7. O.12. Christo imputatum fuit peccatum mundi, Hebr.9. O.13. 2.Corinth.5. 21. Quis finis sit testimoniorum divinorum de Christo, Johan.5. O.13. Joh.12. O.15. De abnegatione Christi, Johan.9. O.12. Christi rejectio quid ex se pariat, Johan.5. O.17. Christus credentibus omnium bonorum author est, 1.Corinth.1. O.22. Propter Christum Deus nobis benefacit, Phil.3. O.19. Quot modis Christus sit imago* DEI *invisibilis, Coloss.1. O.23. Christus pro Ecclesia, 1.Cor.12. v.12. Galat.3. vers.16.* Officium Christi *triplex declaratur Matth.1. O.7.14. Apocal.1. O.12. De officio Christi, vide plura Luc.1. O.25. Luc.2. O 22. Luc.3. O.16. Luc.13. O.3. Johan.1. v.15.&c. Johan.4. O.6.20. 1.Tim.3. O.11. Hebr.1. O.4.* De officio Christi prophetico *vide Matth.4. v.12.&c. Marc.1. v.14. &c. Luc.4. vers.14.&c. Johan.4. v.43.&c. Matth.4. vers.23.&c. Matth.5.6.& 7. Matthæi 13. Marc.1. O.19. Actor.3. O.15. Apoc.3. vers 14. Responsum quod dedit nuntiis missis à Johanne, Matth.11. vers.2.&c. Luc.7. v 18. &c. Responsum quod dedit Pharisæis petentibus signum, Matth.16. vers.1.&c. Admonitio ad discipulos de cavendo fermento Pharisæorum & Sadducæorum Matth 16. vers.5. &c. Quomodo prædixerit suas perpessiones & consecuturam gloriam, Matthæi 16. vers.21. &c. Matth.17 vers 22.23. Matth.20. vers.18.19. Marc.9. v.31. Marc.10. vers.33 34. Luc.18. vers.31. &c. Quomodo concionatus fuerit de Johanne Baptista, Matth.11. vers.7. &c. Luc.7. vers.24. &c. Quomodo invectus fuerit in impœnitentiam Judæorum, Matth.11. vers.16.&c. Luc.7. v.31. &c. Quomodo ad se invitârit consternatos peccatores Matth.11. vers.28. Quomodo celebraverit patrem, Matth.11. v.25. Luc.10. vers.21. Quomodo disceptârit cum Scribis & Pharisæis de cultu* DEI, *Matth.15. v.1. &c. Quomodo prohibuerit duobus cæcis ne patefacerent, se ab ipso sanatos esse, Matth.9. vers.30. Vide ibi O.23. Quomodo remiserit peccata mulieri peccatrici, Luc.7. vers.35. Quomodo puer disputaverit cum doctoribus, Luc.1. vers.46.&c. Quomodo objurgaverit parentes, Luc.1. vers.49. Quomodo tentatus fuerit à diabolo Matth.4. vers.1. &c. Marc.1. vers.12.13. Luc.4. vers.1. &c. Corpus ejus portatum fuit à diabolo, Luc.4. vers.5.S. Christus est audiendus, Matth.3. O.26. Matth.4. O.40. Matth.13. O.21. ¶ De itineribus Christi, vide Matth.4. vers.12. 13.S.* De miraculis Christi. *Vide sub tit.* Miracula. *Quis finis sit miraculorum Christi, Johan.5. O.14. De sermonibus Christi gratiosis, Luc.4. vers.22.* Exempla sermonum Christi. *Vide sub titulo,* Sermo. *Sermonis Christi effecta diversa, Johan.6. O.13. De prudentia Christi in docendo, vide Matth.16. vers.6.S. De authoritate Christi in docendo vide Matth.7. vers.28.29. Luc.4. vers.32. De doctrina Christi vide Luc.3.O.14. Luc.21. O.2. Johan.3.O.7. Johan.7. vers.46. & O.17. Johan.14.O.5. 1.Timoth.2. O 7. De modo docendi quo usus est Christus, Johan.7. vers.14. S. & vers.36.S. & vers.46. Quot modis nos servet Christus, Matth.1. O.7. Johan.6. v.27. S. & O.23. Johan.11. O.11. Johan.17. O.17. Coloss.2. O.16. 2.Timoth.1. O.2. 1.Petr.1. O.31. 1.Johan.3. O.4. & cap.5. O.29. A quibus inimicis nos liberaverit Christus, Luc.1. O.39. Quorum servator sit Christus, Luc.2. O.30. Johan.11. O.11. 1.Cor.15. O.11. 1.Tim.2. O.10. Hebr.5. O.5. 1.Johan.4. O.10.* De sacerdotio Christi. *Vide Matth.21. v.26.27. Roman.8. O.23. Præfat. in Analysin Epist. ad Hebræos. Item Hebr.4. O.11.16. Hebr.5.6. 7.8.9. & 10. Heb.5. O.2. Hebr.8. O.5. Hebr.12. O.24. Preces Christi sacerdotales. Johan.17. ¶ De Christi passione, vide Matth.26. & 27. capp. Item Matth.26. O.1.2.3.26.32.45. Matthæi 27. O.16.20.21. Marc.14. & 15. Luc.22. & 23. Joh.12.13.18. & 19. De Christi obedientia in passionibus & morte, vide Matth.26. O.17,*

O.17. Matth.20. O.14.15.33. Matth.26.O.2. 14.38. Joh.12. O.7. Joh.14. O.14. Joh.18. O.3. Apoc.1. O.23. Apoc.5. O.7.14. De passionis & mortis Christi fructu, vide Matth.26. v.26. &c. & O.2.Marc.14.v.22.&c. Joh.12.O.12. 26. 18. Johan.18. O.20. Johan.19. O.13. 22. Rom.6.v.6.S.Rom.7.O.1.Rom.8.O.2.1.Cor.2. O.4. Gal.1. O.7. Gal.2.O.15. Gal.3.O.7. Col.1. O.32. Coloss.2. O.22. 1.Johan.2. O.5. De modo crucifixionis Christi, vide Matth.27. v.35. S. Quot horis in cruce pependerit Marc.15. v.25.S. de tempore passionis Christi vide Roman.5.O.3. De humiliatione Christi vide Matth.4. O.10. De traditione Christi, vide Roman.8. v.32.S. ¶ De morte Christi vide Matth.27. O.26.29. Johan.12. O.12.16.18. Joh.19. v.34.S. Pro quibus mortuus sit Christus, Johan.11. O.28. Johan.17. O.6. 1.Tim.2. O.10.2. Cor.5. O.11. Hebr.9. O.12 1.Johan.2. O.5. & cap.4. O.10. Apoc.5. O.9. De sacrificio Christi vide Matth.27. O.24. Johan.19. O.3. Hebr.4. O.16. Hebr.13. O.8. 1.Petr.1. v.19.S. De sanguine Christi vide Actor.10.O.8.Col.1. O.22. Hebr.9. O.2. Hebr.10. v.23.S. Hebr.11. O.27. Hebr.12. vers.24. S. 1.Petr.1. O.5.27. 1.Johan.1. O.8. & cap.5. O.11. Apoc.5. O.8. De supplicio Christi, vide Matth.16. O.15 Matth.26.& 27.Marc.14.& 15.Luc.4.O.17. Hebr.2. O.10. De clamore Christi in cruce, vide Hebr.5.O.3. ¶ De sepultura Christi, vide Matth.27.v.57.&c. Marc.15. v.42.&c. Luc.23. v.50.&c. Johan.19. v.38. &c. ¶ De descensu Christi ad inferos, vide Actor.20. O.3. De regno Christi & actionibus atque operationibus regiis, vide Matth.2. O.10.19. Matth.20. O.25. Matth.21. O.3. Matth.28. O.15.Marc.1.O.26.Marc.7.O.5.Marc.11.v.1. &c.Luc.2.O.7.26.Luc.19.v.28.&c. Johan.7. v.4.S. Johan.12. O.9. Johan.18. vers.37.&c. O.17. Act.8.O.6. 1.Cor.15.v.24.S. 2.Tim.4. O.2. Hebr.1. O.10. Hebr.12.O.24. Quomodo Christus miserit duodecim Apostolos in Judæam ad prædicandum Evangelium, Matthæi 10.v.7.&c. Marc.6. v.7.&c. Luc.9.v.1. &c. Item discipulos septuaginta, Luc.10. v.1. Item Apostolos undecim in orbem terrarum, Matth.28.v.18. &c. Operatio Christi in electis, Matth.12 O.10.17. Luc.18.O.18. Actor.1. O.2. ¶ De resurrectione Christi, vide Matthæi 26.O.27.Matth.27.O.32.Matth.28.v.1. &c.Marc.16.v.1.&c.Luc.24.v.1.&c.Joh.20. v.1.&c. Matth.28. O.1.2.3.4. Johan.20. O.1. Act.1.O.1.Rom.4.v.24.25.S.& O.15.1.Cor.15. O.8. 2.Cor.4. O.13. Gal.1.O.4. 1.Petr.1.O.10. & cap.3. v.21.S. ¶ De ascensione Christi in cœlum, vide Marc.16.v.19.Luc.24.v.50.&c. Johan.6.v.33.S.Act.1.v.4.&c. & O.4. ¶ De sessione Christi ad dextram Dei sive majestate, vide Marc.16.v.19. Actor.2. v.34.S. & O.6. 1.Cor.15.O.12.Eph.1.O.12. 1.Tim.3.O.12. Heb.1.v.3.S.& O.6.Heb.8. O.1. 1.Pet.3. O.17. 18. Apoc.3.O.39. Apoc.5. O.13. ¶ De adventu Christi ad judicium vide Luc.17. O.13.15.18. 19. Luc.18.O.2. Joh.5.v.27.S.2.2.Cor.5. O.4. 2.Tim.4. O.16. 2.Pet.2. O.8.&c.3. v.1.&c. & O.2.4.

Christianus. *Christiani veri nota*, Matth.16. O.20. Matth.25. O.5. Johan.8. O.13. Rom.8. O.12. Cum professione nominis Christiani conjungendum est studium pietatis, Matt.7. v.21. & seqq. & O.14. De Christiani hominis officio, vide Matth.8. O.1.2.3.9.17. Matthæi 9. O.5.8.11.15. 16.26. 32. Matth.11. O.17. Matth.12. O.16.20.23.26.27.31.33.34. Matthæi 13. O.5.6.7.8.21.Matth.14.O.19.21. Matthæi 17.O.16.Matth.18.O.7.8.12.14.Matth.19. O.25. Matth.20. O.4.15.40. Matth.21.O.4.5. 6.7.17.18.21. Matth.22.O.6. Matth.24.O.16. Matth.25. O.1.2.3.12.17. Matth.26. O.6.15. 16.24.28. 29. 30. 48. 49. 50.53. Marc.1. O.12. 23.25.28.34.Marc.2.O.1.Marc.3.O.1.Marc.4. v.24.25.& O.1.2. Marc.7. O.7.Marc.8. O.1. 2.4. Marc.9. O.1. 6.7.9. Luc.1. O.14. 28.32. 37.39. Luc.2. O.16.17.18. 33.34.45. Luc.3. O.4.7. Luc.5.O.4. Luc.16. O.3. 4.5.7.9.10. Luc.9. O.3.4. Luc.10. O.9.10. Luc.11. O.8.9. Luc.12. O.1.13. 18.19. Luc.13. O.6. 7.8.11. Luc.15. O.2. Luc.24. O.7.13. Johan.1. O.1. 19. Johan.4. O.5.12. Johan.5. O.4.5.6.8.9. Johan.6. O.14. Johan.7. O.3.7. Johan.9. O.5. Johan.10.O.3.Johan.12.O.1.5.8.13.29. Joh.12. O.6. Johan.13. O.2.4.6.8.15.20.22. Joh.14. O.7. Johan.19. O.11.16.24.25. Actor.2. O.2. Actor.3. O.4.5. Actor.4. O.2.11. Actor.8. O.5. 12. Actor.9. O.3. Actor.11.O.8. Actor.15. O.3. 12. Actor.17.O.13. Actor.18. O.10. Actor.22. O.1. Actor.23. O.12. Roman.1. O.9.13.16.18. 21.26. Roman.2. O.2.3.11. Roman.3. O.2.3. 4.5.7.13. Roman.4. O.8.10. Roman.6. O.1.5. Roman.8. v.33.S. Roman.9. O.2. Roman.10. O.1.2.3.5. Roman.14. O.1.5. Roman.15. O.1.8. 9. 1.Cor.11. O.6. 1.Cor.2. O.3.8. 1.Cor.3. O.2. 13.17.18. 1.Cor.4. O.3.12. 1.Corinth.5. O.3.4. 1.Cor.6. O.1. 8.12. 1.Cor.7. O.7.20.22.24. 1.Cor.9. O.8. 1.Cor.10. O.1.6. 8.9.14.31.32. 33.34. 1.Cor.13. O.1. 1.Cor.15. O.3.6.13.20. 1.Cor.16. O.1.2. 2.Corinth.1. O.1.3.5.6.7.10. 2.Cor.4. O.2. 2.Cor.6. O.2.4.5.7. 2.Cor.8. O.1.7. 2.Cor.9. O.1.Galat.1. O.8.18. Galat.3. O.3. Gal.4. O.13. Gal.5. v.13. &c. & O.9.12. Gal.6. O.1.2.3.5.8. Eph.1. O.10. Ephes.3. O.3. 7.11.16.17.18. Ephes.4. 5. & 6. Eph.4. O.1.2. 3.5.6.7.8.9.10.11.13.14.15. Ephes.5. O.3.6.8. 9.10.11. Phil.1. O 9.11.14.24.26.32.35. Phil.2. O.14.16. Phil.3. O.15.18.20.21. Phil.4. O.5. 6.8.9.10.11.12.14.18. Col.1. O.4.6.8.12.14. 15.19.28.29.34. Coloss.2. O.8.27. Col.3. O.5 6. 7.10.12 13.14. Coloss.4. O.3.4. 1.Thess.1. O.4. 8.11. 1.Thess.2. O.7.11 1.Thess.3. O.2.3.5.6. 7. 1.Thessal.4. O.1.2. 4.6.8. 9.11.12. 1.Thess.5. O.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.17.18.19. 2.Thessal.1. O.9. 2.Thessal.2. O.1.12.13. 2.Thessal.3. v.1.&c. & O.1.3.6.8. 9.11.12.13. 1.Tim.1. O.9.18. 1.Tim 2. O.2.6.16. 1.Tim.3. O.5. 1.Tim.4. O.3.6.9.12.17. 1.Tim.5. O.8. 11. 12. 20. 1.Timoth.6. O.1.3. 4.7.10.12.15. 2.Tim.1. O.5.6 13.23.24. 2 Tim.2. O.3.6.14. 16. 2.Tim.4. O.15.20.21.22.23. Tit.1. O.5.8. 10. Tit.2. O.2.4.5. Tit.3. O.2.3.4.9. Philem. O.5.9.10.11.13.15.17.21.22.23.25. Hebr.2. O.1.2.4.6.15.20. Hebr.3. O.6.9.11 13.14.16. Hebr.4. O.9.15. Hebr.6. O.1.4.5.8.9.12.13.19. Hebr.9. O.3. Hebr.10. O.6.12.14.15.16.17.21. 22.23.25.27. Hebr.11. O.28. Hebr.12. O.5. 11.13.15.25. Hebr.13. O.1.2.4.9.10.13. Jac.1. O.10. Jac.2. O.9. Jac.3. O.1.2.4.5. Jac.4. O.7. 9.10.11. Jac.5. O.4.5.6.8. 1.Petr.1. O.6.7.25. 35. 1.Petr.3. O.8.11. 1.Petr.4. O.5.6.8.10.11. 13. 1.Petr.5. v.8.9. 2.Petr 1. O.2.4.8.14.15. 17.19.20. 2.Petr.2. O.10.11.12.14.15. 2.Petr.3. O.6. 1.Johan.2. O.10.11.12.14.15.23.25.28. 1.Johan.3.O.6.9.10.1.Johan.5.O.23.27. 2.Joh. O.1.3.5.7.8.10.12.15.16.17. 3.Johan. O.4.6. 7.11.12.13. Epist. Judæ O.1.5.6.7.9.10.14.15. 16.18.19.21.22.23.24.25.26.27.28.29. Apoc.1. O.14.17. Apoc.2.O.6.7.20. Apoc.3. O.5.16.26. 32.33.34. Apoc.4. O.9. Apoc.5. O.6.11.

Chronologia annorum 46. quibus ædificatum esse templum Hierosolymitanum dicebant Judæi, Joh.20. v 20. Vide ibi S.

CI.

Cibus. *De κακοζηλίᾳ Anabaptistarum & Monachorum in usu cibi vilis*, Matth.3. O.5. *Quivis cibi concessi sunt Christianis*, Col.1. O.23.31. 1.Tim.4. O.8. Tit.1. O.16. *Cibi reliquiæ asservandæ sunt*, Matth.14.O.13. Joh.6. O.5. *Cibi sumendi ratio*, Joh.6.O.4. 1.Tim.4. O.12. *Cibi efficacia unde pendeat*, Matth.15. O.15. Joh.6. O.6. *Pro cibo divinitus suppeditato gratiæ Deo agendæ sunt*, Matt.26.O.24. ¶ *Cibationis miraculosæ exempla*, vide Matthæi 14. v.13. Marc.6. v.35. Matth.15. v.32. Marc.8.v.1. Joh.6.v.5.

Cicero. *Ciceronis locus quidam explicatus*, Lucæ 22.v.61.S.

Ciconiæ natura, 1.Tim.5.v.4.S.

Cingere. *De Judæorū cinctu* vide Joh.21.v.18.S.

Circumcisio. Vide 1.Cor.7. O.17. *Circumcisionis abolitio*, Phil.3.O.7. *Circumcisio cordis*, Phil.3.O.6. ¶ *Circumcisio: id est, circumcisi, nempe Judæi*, Rom.3.30. Rom.4.v.12. Rom.15. v.8.Gal.2.v.7.8.Tit.1.v.10.

CL.

Clamare: pro, alta voce loqui: Johan.7. v.28. Rom.9.v.27.

Clamor pro gemitibus, Rom.8. v.15.S.

Claudia, 2.Tim.4.v.21.

Claudus quidam sanatus per Petrum & Johannem, Actor.3. vers.1. &c. *Alius per Paulum*, Act.14. v.8.9.10.

Claudius Cæsar, Act.11.v.28. & cap.18.v.2.

Claudius Lysias, Act.23.v.26.

Claves regni cœlorum, Matth.16.v.19.S.

Clavis cognitionis, Luc.11.v.52.S.

Clerus: id est, cœtus fidelium, 1.Petr.5. v.3. Vide ibi S.

Clerici subjecti esse debent Cæsari, Rom.13.O.1.

CO.

Cœmeteria. Vide Matth.27.v.52.S.

Cognoscere. *Cognoscere mulierem: id est, rem cum ea habere seu concumbere*, Matt.1.v.24. *Cognoscere virum: id est, rem habere seu concumbere cum viro*, Luc.1.v.34.

Cognitio Dei. *Quænam sit cognitio Dei vera & salutifera*, Matth.11. O.29. Luc.10. O.8. Joh.8. O.7. Joh.12. O.27. Joh.17. v.3. Joh.14. O.4. 1.Cor.8. O.2.2.Cor.4.O.3. 2.Thess.1.O.5. 6. 1.Tim.5. O.9. 1.Johan.2. O.6.9. *cognitionis Dei salvificæ origo*, Matth.11. O.30. Luc.10. v.22. Joh.1. O.13. Joh.6. O.20. Rom.10. O.12. 1.Joh.5. O.28. *Cognitionis Dei ex verbo adjunctum*, Luc.10. O.11. *Cognitionis Dei & rerum divinarum in sanctis imperfectio*, Act.10. O.3. 1.Cor.13. O.5. Col.1. O.15. *Notitia de Deo naturales*, Rom.1. O.23. *Cognitio Dei activa, id est, qua Deus cognoscit*, Rom.11. v.33. Vide ibi S. *Cognitio Dei duplex*, 1.Cor.1. O.15.16. 1.Thess.4. O.5.

Collecta. Vide 1.Cor.16.v.1.&c.& O.1. 2.Cor.8. v.1.&c.& O.1. 2.Cor.9.v.1.&c.

Colloquium. Vide Luc.24. O.1. Rom.15. O.7. *Colloquium Christi cum Nicodemo narratur* Joh.3. v.1.&c. *item cum Samaritide*, Joh.4. v.4.&c.

Colonus. *Parabola de colonis ingratis* Marc.12. v.1.&c.

Columba. *De columba quæ descendit è cœlo super Christum, quum is baptizaretur*, Joh.1. v.32.

Coma. *De more alendi, itemq; tondendi comam*: vide 1.Cor.11.v.14.S.

Commonefacere. *Ratio commonefaciendi proximum*, Epist. Judæ O.20.

Commune *interdum significat impurum seu immundum vel profanum*. Vide Matth.15. v.11. Marc.7.v.15.S. Act.10.v.14.15.28.

Communio bonorum. Vide Act.2. O.14. Act.4. O.11. Philem. O.17.18. *Communio fidelium cum Christo*, Johan.15.O.1. 1.Johan.2.O.8.21. *Communio fidelium inter sese*, 1.Cor.1.O.21. 22.Philip.4.O.13.Philem.O.17.18. *Communio cum Deo*, 1.Joh.1.O.6. 1.Joh.3.O.23.

Communicatio idiomatum. *Exempla vide*, Matth.12.O.7.Joh.3.v.13.S. Johan.6.v.62.S. Rom.1.v.3.S.& O.5. 1.Cor.2. v.8. Tit.2.O.7. 1.Johan.1. O.2. *Communicatio facultatum*, Actor.2. v.42. Gal.6.v.6. Heb.13.v.16. *Communicatio Rhetorica. Vide in indice Græco tit: ἀνακοίνωσις.*

Concessio. Joh.5.v.29. 1.Cor.1.v.25. Gal.1.v.6. S.Jac.2.v.18.

Concilium. *De concilio Apostolorum celebrato Hierosolymis* vide Act.15.v.1. &c. ¶ *De conciliis Pontificiis* vide 1.Tim.3.O.8.

Concordia. Vide Matth.5.O.25.Matth.12.O.21. Phil.2.O.1. *De concordia malorum* vide Act. 23. O.6. *De concordia Christianorum* vide Rom.15.v.5.6.Phil.2.v.1.& seqq.1.Thess.5.O.6.

Concupiscentia. Vide Rom.7.v.7. & seqq. Jac.1. v.13.14.15. 2.Pet.1.O.13.

Condemnatio. *Causa condemnationis*, Joh.3. O.12.

Condemnare pro abolere, Rom.8. v.3.

Confessio. *De confessione fidei Christianæ vide* Matth.8.O.6. Matt.10.O.20.30.31. Matth.16. O.21. Matth.19. O.22. Matth.21. O.7. Matthæi 24. O.4. Matth.26. O.49.51. Matth.7. O.7.14.30. Marc.8. v.34. & seqq. Marc.10. v.28.& seqq. Luc.12.O.5.Luc.17.O.17.Luc.18. v.28.& seqq. & O.14.Luc.21.O.4.Johan.12. O.13.25. Johan.18. O.8. Johan.19. O.2.24. Actor.4.O.3.Act.5.O.11. Act.26.O.1.Rom.14. O.4. 2.Cor.11.O.5. Gal.3. O.3. Phil.3. O.14. Coloss.1. O.19. 1.Thess.1. O.9. 2.Thessal.1. O.1.

2.Tim.1.O.13. 2.Timoth.2.O.5. 2.Tim.3. O.8. Philem.O.1. Hebr.10. O.12.22.24.27. Heb.13. O.9.10. 1.Pet.3. O.10. 2.Pet.1. O.20. Apoc.2. O.8.19. Apoc.3. O.9.17.21.33. Apoc.7. O.4. Apoc.15.O.3. De confessione auriculari, vide Marc.1. O.6. De confessione peccatorum, vide Actor.22. O.1. 1.Cor.15. O.6. Gal.1. O.14. 1.Joh.1.v.9.10.

Confiteri, pro laudare, Luc.2. v.38. vide ibi S. Luc.10. v.21. Vide ibi S. Rom.15.v.9. Heb.13. v.15. ¶ Confiteri & profiteri quid differant, Joh.1.v.20.S.

Confidentia carnalis cavenda, Johan.13.O.22. De confidentia vide etiam Jac.4.O.10.

Confirmatio. De fictitio sacramento confirmationis vide Act.8.O.9.

Conjugata. Ratiocinatio à conjugatis, Jac.4. vers.4.

Conjugium. Conjugium est genus vitæ honorabile & sanctum, Matth.1.O.8. Matth.19.O.1. Johan.2. O.6. 1.Tim.4.O.7. Heb.13. O.3. De conjugio cum conjuge non pio piáve, vide 1.Cor.7. O.11. Conjugii forma quæ in re consistat, Matth.5. v.32.S. ¶ De polygamia vide 1.Cor.7.O.3. De conjugii necessitate, vide Matth.19.v.11. 1.Cor.7.v.2. & O.2.8. De conjugii vinculo, vide Matth.19. O.3. Luc.16. O.9. 1.Cor.7.O.10. Conjugium concessum est ministris verbi Dei, Marc.1.O.31.1.Corinth.7. v.25.1.Cor.9.O.4. 1.Tim.3. O.3. Heb.13.O 3. 1.Pet.5. O.13. De conjugum officio vide 1.Cor. 7.v.3.4.5. De conjugii bono vide 1.Cor.7.O.1. De conjugii finibus vide 1.Cor.7. O.2. An conjugium sit sacramentum, Eph.5.O.14.

Conjunctio copulativa. Vide voculam καὶ in indice vocum Græcarum.

Conscientia. Conscientia bona unde nascatur, 1.Tim.1.v.5.S. 1.Tim.3.O.5. Heb.10.O.10. Bonæ conscientiæ vis, Matth.28. O.7. 1.Cor.4. O.4. 2.Cor.1. O.8. Bona conscientia studendum, Actor.23.O.1. Heb.13.O.13. Conscientia judicium, 1.Johan.3.O.20. Conscientia dubitans, 1.Corinth.8.O.7. Conscientiæ malæ vis, Matth.27. O.33. Matth.28. O.7. Consolatio contra malam conscientiam, Hebr.7. O.11. 1.Joh.1. O.10. 1.Joh.2.O 2. Quomodo Christus afflictis conscientiis requiem præstet, Matt.11 O.31. Joh.17. O.17.18.22.

Consilium. Consilium Dei: id est, prædicatio verbi Dei, Luc.7.v.30. Vide ibi S. Consilium pro judicibus, Act.25.v.12.S.

Consolatio. De consolandi officio & ratione vide Joh.11. O.9. Consolationes unde petendæ, Coloss.2. O.13. Quomodo Christus consolatus fuerit discipulos suos contra discessum suum, Joh.16.v.5. & seqq. Quomodo seipsum consolatus fuerit Christus contra fugam discipulorum atque desertionem sui, Joh 16.v.29. & seqq. Quomodo Christus seipsum consolatus fuerit contra incredulitatem Judæorum, Joh. 6.v.37. Consolationes varias vide Matth.5. O.5.Matth.9.O.26.Matth.10.O.22. Matt.11. O.12.21.22.Matth.12. O.15.19.Matt.14.O.2. Matt.15.O.7.Matth.16.O.1.5.Matt.19.O.2.4. Matth.20. O.18. Matth.21. O 6.19.24.25.29. Matth.22. O.16. Matth.23. O.21. Matth.24. O.4.15. Matth.25. O.18. Matth.26. O.17.18. 36.39.42.43.51.Matth 27.O.14 18.Matth.28. O.10.Marc.1.O.11.13.15.Marc.3.O.6.Marc.9. O.3.7. Luc.2. O.26.33.35. Luc.4.O.5 Luc.6. O.2.Luc.11. O.10.11. Luc.12. O.3.11.15. Luc.13. O 12. Luc.16. O.11. Luc.17. O.3.4.5. Luc.20. O.2.4.Luc.21.O.4.5. Joh.7.O.2.4.5.11.Joh.9. O.11.Joh.11.O.19.Joh.12. O.11.14.17.19. Joh.13. O.3.13.19. Joh.15. v.18. & seqq. & O.5.10.11. Johan.16.O.1.O.5. Johan.17.O.13.14.17.19.21. 22. Johan.18. O.2.8.9.14.23. Johan.19. O 2.3. 4.5. Act.2.O.2. Act.4. O.1.3.8.9. Act.5 O.1.4. A.6.O.1. Act.8.O.1.3. Act 9.O.5.8. Actor.11. O.3. Actor.13. O.4.8.16. Rom 2. O.9. Rom.4. O.5. Rom 5. O.1. 1.Cor 1.O.20. 1.Cor.3.O.20. 1.Cor.7. O.19. 1.Cor.15. O.10. 18.21. 2.Cor.3. O.3. 2.Cor.4. O.12. 2.Cor.5. O.2. 2.Cor.13. O.2.3.Gal.4.O.16.Phil.1 O.23.33. Phil.3.O.1. 14. Col 1. O.19.29. Coloss.3. O.3. Col.4. O.4. 1.Thess.1. O.10. 2.Thess 1.v.3. & seqq. & O.1. 2.Thessal.2. v.13. & seqq. 1.Timoth.2. O.19. 1.Tim.4. O.18.19. 1.Tim.5. O.3.22. 2.Tim.1. O.17.2.Tim.2.O.15.2.Tim.3.O.1.6.8.2.Tim.4. O.8.12.18.21. Hebr.1. O.10. Hebr.2. O.7.9. Hebr.3. O 14. Hebr.4. O.13. Hebr.6. O.20. Hebr.13. O.10.14. Jac.2.O.2. 1.Petr.2. O.3.9. 1.Pet.3. O.9.12. 1.Pet.4.v.12.& seqq.& O.14. 1.Petr.5.O.9.10. 2.Pet.1.O.1.18. 2.Petr.2.O.1. 6. 2.Petr.3.O.7. 1.Joh.2. v.1.2. 1.Joh.3.O.1.11. 1.Joh.4.O.3.5.2 Joh.O.8.10.3.Joh.O.8. Epist. Jud.O.22.

Constantia. Exhortatio ad constantiam in fide & confessione, 2.Pet.1.v.16.&c.

Constitutio rerum legitima unde æstimanda sit, Matth.19.O.5.

Contemtus verbi Dei. Verbum Dei non est proponendum contemtoribus illius, Matth.7. O.6. Contemtus verbi Dei fugiendus est, Matth.10. O.14. Matth.11. O.25. Matth.24. O.3.6.Luc.19.O.11.Luc.21.O.3. Joh 12.O.20. Joh.15. O.12. 1.Cor.14. O.3. Consolatio contra contemtum verbi Dei, Matth.11.O.22. Matthæi 13. O.22. Act.13. O.8.

Continentia. Continentia donum rarum est, Matth.19.O.7.1.Cor.7.v.7.S. Exemplum singulare continentiæ conjugum vide 1.Cor.7. v.6.S. Errores de continentia Papistici tres refutantur, Matth.19.O.9. Sophismata Bellarmini de continentia sacerdotum & religiosorum, ac omnino clericorum refutantur, Matth.19. O.21.

Contingere quid sit, Joh.3. O.9. Rom.1. v.10.S.

Contradictio. De duplici contradictione, seu de duplici modo contradicendi, vide Rom 3.v.19. S. Contradictio apparens, Rom.8.v.24.Rom.9. v.6. Rom.11.v.6. Jac.1.v.9.10.

Controversia de religione. Vide Act.15.O.5.16.

Contumelia. Consolatio contra contumelias propter confessionem fidei Christianæ, Joh.19.O.2.

Conventus sanctorum. Vide Matth.18. O.13. Conventus ecclesiastici, Act.15. O.12. 1.Cor. 11. O.3.

Conversio. Vide Luc.19. O.1.2. 1.Petr.2. O.11. Origo conversionis, Joh.4. O.4. 1.Pet.2. O.4. De conversione hominis ad Deum, vide Rom.13.v.11.S. 1.Thess.1. O.13.14.

Convivium. De modestia accumbendi in convivio, Luc.14. v.7.&c. Quinam sint vocandi ad prandium aut cœnam, Luc.14.v.12. & seqq. Convivia cum incredulis, 1.Corinth.10. O.33. Quænam in conviviis vitanda sint, Luc.14. O.5. Epist.Jud. O.17. Convivia nuptialia esse licita, Joh.2. O.1. Bethaniæ faciebant cœnam Christo Joh.12.v.2.

Copia verborum idem significantium, 1.Thess.2. vers.3.

Cor. Cor hominis quale sit à natura, Matth.13. O.9. Vide titul. Homo. De puritate cordis vide Rom.2. O.10. ¶ Cor pro affectu cordis, Heb.10. v.22.

Corbana. Matth.27.v.6.S.

Corinthus. Quid Corinthi egerit ac perpessus sit Paulus, Act.18.v.1 & seqq.

Cornelius. De Cornelii centurionis pietate & adductione ad fidem Christianam vide Act. 10.per totum. De fide ejus antequam Petrum concionantem audivisset, Act.10.O.2.

Corona. Cujusmodi corona victoribus certaminum dari solita fuerit apud Græcos, 2.Tim.2. v.5.S. Corona Justitiæ, 2.Tim.4.v.8. Corona gloriæ, 1.Pet.5.v.4.

Corpus. An corpus possit esse alicubi & non occupare locum, Matth.19.O.20. Corporis cura habenda, Marc.3.O.4. Contra corporis invaletudinem consolatio, Luc.16.O.11.¶ Corpus: id est, cadaver, Luc.17.v.37. Corporalis exercitatio, 1.Tim.4. vers.8.S. ¶ Corpus peccati, Rom.6.v.6.S.¶ Corpus mortis, Rom.7.v.24 S. ¶ Corpus pro vitiositate naturæ, Rom.8.v.10. 13. Quæ ratione vivificatio ad corpus pertineat, Rom.8.v.11.S. De corporis nostri fragilitate, 2.Cor.5. O.1. De corporum nostrorum glorificatione, 2.Cor.5.O.2.

Correctio. Correctionis rhetoricæ exempla vide Johan.12. v.27. Johan.14.v.24. Joh.16.v.32. 1.Cor.7. v.15.21. 1.Cor.8. v.5. 1.Cor.11. v.11. 1.Cor.16.v.18. 2.Cor.2.v.7. Gal.1.v.7. Gal.4. v.17.Phil.3.v.12. 2.Pet.1.v.9.¶ Correctio fraterna. Vide Matth.18.O.8.Luc.17.O.2.

Corruptela. Paulus monebat fideles Colossenses ut sibi caverent à corruptelis doctrinæ Christianæ, Col.2.v.8.&c.

CR.

Creatio. Finis seu scopus creationis, Heb.2.O.11. ¶ Creatio nova: id est, regeneratio, Gal.6. vers.15.

Creatura. pro gentibus, Col.1.v.23. Vide ibi S.

Credere. Credere in Evangelio, seu in Evangelium, Marc.1. v.15.S. Credere: id est, in fide confirmari, Joh.2.v.11.S. Joh.14.v.29. Credere: id est, fidem profiteri, Joh.2.v.23.S. Act.8. v.13. Credere in aliquem pro, credere alicui, Joh.2.v.23. Vide ibi S. Credere in filium Dei quid sit, Joh.3. v.15.S. Credere in nomen filii Dei quid sit, Joh.3.v.20.S.1.Joh.5.v.13.S. Credere in Christum quid sit, Joh.6.v.29.S. Joh.7. v.31.S. Phil.1.v.29.S.

Creta, Cretenses. De ecclesiis in insula Creta, vide tit.1.v.5. Cretensium ingenium versu quodam expressum, Tit.1.v.12.

Crucifixio. De modo crucifixionis Christi vide Matth.27.v.35.S.

Crux. Crux Christi, vide tit. CHRISTUS. Quid vocabulum crucis apud Evangelistas significet, Matth.10. v.38.S. De cruce vide Matth.16.O.18.19.Matth.17.O.14.Matt.20. O.21.23.24. Matth.26. O.36. Marc.9. O.8. Luc.14. O.9. Roman.8. O.16. 2.Cor.2. O.4. Phil.1. O.17.20.21.23.Heb.12.O.5.Vide etiam tit. Persecutio: item tit. Tolerantia. De crucis bajulatione vide Joh.19. v.17.S.

Cruciatus infernales, Apoc.21. v.8.

CU.

Cultus Dei. Vide Matth.5. O.23. 24. Matth.9. O.10. Matth.15. O.2.3.4.5. Marc.7. v.1 & seqq.Luc.2. O 24. Luc.19.O.4. Johan.5.O.12. Johan.7. O.13. Actor.7.O.1.2. Actor.14. O.11. 1.Cor.10. O.26.28.29. 2.Cor.1. O.2. 2.Cor.4. O.14.Col.2.O.27.33.34. 2.Tim.1.O.4.1.Joh.2. O.26.1.Joh.5.O.31. 2.Joh.O.14.

Cura. Quænam esse debeat cura nostra Principalis, Matth.6. O.9.21. In quem conjicere debeamus curas nostras, 1.Pet.5. O.6. Cura bonorum spiritualium potior esse debet quam corporalium Matth.6.O.10. A curis hujus sæculi cavendum, Matth.13.O.8.

Curiositas cavenda, Luc.17. O.16.Joh.21. O.6. Act.1. O.3.

Cursus. Cursus ministerii, Act.13. v.25. Act.20. v.24. Gal.2.v.2.S. 2.Thess.3.v.1. Cursus pietatis, Gal.5.v.7.

CY.

Cyprus. In Cypro Insula prædicatum fuit evangelium, Act 11.v.19.

Cyrenius, Luc.2.v 2.S.

DA.

Dæmonium. Ejectionis dæmoniorum exempla, vide Matth.8.v.28. Matth.9.v.32. Matt.12. v.22.Matth.15.21.Marc.5.v.1. Marc.7.v.24. Marc.9.v.14.Luc.9.v.37. Quæ virtute Christus dæmonia ejecerit, Matth.12. v.25. &c. Marc.3.v.23.&c.Luc.11.v.17.&c.

Dalmatia. Titus à Paulo profectus fuit in Dalmatiam, 2.Tim.4.v.10.

Dare pro permittere, Act.13.v.36.S.

Dativus. Dativus interdum notat contrarietatem. Vide Matth.8. v.4.S. Matth.10. v.18. S. Matth.23. v.31. Matth.24. v.14. Marc.6. v.11. Marc.15.v.9. Luc.5.v.14. Luc.10. vers.11. Jac.5.v.3. Interdum notat motum ad locum. Vide Actor.2.v.33.S. Actor.5.v.31.S. 2.Petr.1. v.17. Interdum notat causam efficientem. Vide Actor.7.v.20. 2.Cor.10.v.4. Interdum notat objectum. Vide Act.22.v.10. Rom.6. v.10. Rom.14.v 6.

David. Vocabulum hoc declaratur Matth.1.v.6. S. Davidis fides celebratur, Heb.11.v.32.

DE.

Debitorum exactio, Philem.O.20.

Decalogus. Præcepta decalogi quomodo exponenda, Matth.5.O.19.29.34. Quomodo distribuenda, Rom.7.O.4.

Decapolis. Vide Matth.4.v.25.S. Marc.5.v.20.S.

Deducere navem, Luc.5. v.11.S.

Defunctus. Quære, Mortuus.

Demas dereliquit Paulum, 2.Tim.4.v.10.

Demetrius quidam Ephesi tumultum excitavit contra Paulum, Act.19.v.23.&c.

Dena-

Denarius. Joh.6.v.7.S. Joh.12.v.5.S.

Derbe. *Quid Derbæ egerint Paulus & Barnabas, Act.14.v.21. &c.*

Descendere. *Quo sensu Christus dicatur descendisse de cœlo, Joh.6.v.33.S.* ¶ *De descensu Christi ad inferos, vide Act.2.O.5.*

Deseri, desertio. *Consolatio contra desertionem ab amicis, Joh.16.O.5. 2.Tim.4.O.21.*

Desiderare. *Rom.1.v.11.S.*

Detractio. *Vide Jac.4.O.9.*

DEUS. *De essentia Dei unitate, vide Joh.1.O.3. Johan.17.O.4. Actor.14.O.8. 1.Cor.8.O.5.6. 1.Joh.5.O.13. De personarum divinarum trinitate, vide Matth.3.O.23. Marc.1.O.14. Luc.3.O.13. Joh.1.O.3. Joh.10.O.21. Johan.17.v.3.S. & O.4. 1.Cor.8.O.6. Heb.1.O.3. 1.Joh.5.O.13. Apoc.1.v.4. & 5. De invisibilitate Dei, vide 1.Tim.6.v.16. Heb.11.O.25. De immutabilitate Dei vide Jac.1.O.8. Apoc.1.O.7. De incomprehensibilitate Dei, vide 1.Tim.6.v.16. de immortalitate Dei vide 1.Tim.6.v.16. De æternitate Dei, Apoc.1.O.7. De sapientia Dei, vide 1.Cor.2.v.7.S. De omnipotentia Dei, vide Luc.1.O.21. Luc.18.O.13. 1.Tim.6.vers.16. Tit.1.O.6. de majestate Dei, Apoc.4.O.2. de* decretis Dei, *vide Matt.26.O.3. Apoc.5.O.1. vide etiam titulum, Prædestinatio. de voluntate Dei, vide Matth.6.O.13. Matth.23.O.24. 1.Thessal.4.O.3. de libera Dei potestate, vide Matth.20.O.12. Rom.9.O.10. de Justitia Dei, vide Rom.9.O.10.11. Jac.1.O.2. de veracitate Dei, vide Matth.1.O.1. Matth.3.O.10. Luc.1.O.36. Jac.1.O.2. de Dei amore erga homines, vide Act.10.O.10. de dilectione Dei erga credentes, vide Rom.5.O.4. Rom.8.v.35.S. item v.38.S. Col.1.O.21. de gratia Dei vide Luc.4.O.6. Luc.15.O.5. Luc.17.v.7.&c. Joh.1.v.14.S. & v.17.S. & O.12. Joh.7.O.26. Actor.7.O.3. Act.15.v.11. Vide ibi S. Rom.5.v.2.S. Rom.6.O.1. Rom.9.O.10. de misericordia Dei, vide Act.9.O.1. Act.16.O.17. 1.Tim.1.O.13. Hebr.11.O.31. Jac.1.O.2. de clementia Dei, vide Heb.12.O.7. de bonitate Dei, vide Matth.1.O.11. Matthæi 2.O.4.30. Matth.3.O.4. Luc.1.O.21. Act.27.O.8. 2.Cor.1.O.4. Heb.6.O.16. Heb.7.O.9. Hebr.11.O.16. de gloria Dei, vide Matth.8.O.17. Luc.2.O.13. 1.Tim.6.v.16. de providentia & gubernatione Dei, vide Matth.2.O.15.16.17.20.21.22.25.27. Matth.4.O.22. Matth.10.O.26. Matth.20.O.12. Matth.22.O.5. Matth.26.O.19. Matth.27.O.1.5.19.27.32. Marc.1.O.7.39. Luc.2.O.2.3.43. Luc.6.O.6. Luc.10.O.4. Luc.19.O.3. Luc.20.O.3.6. Johan.5.O.3.10. Joh.17.O.18.23.25.27. Joh.8.O.1.8. Johan.9.O.8.13.14. Johan.11.O.15.26.27. Johan.12.v.7.S. & O.3. Joh.18.O.5.10. Joh.19.O.14.26. Actor.2.O.4. Act.3.O.12. Actor.5.O.2.16. Act.13.O.3. Actor.16.O.7. Actor.17.O.10.18. Act.18.O.6. Act.20.O.6. Act.21.O.6. Actor.23.O.8.9.12. Actor.24.O.3. Actor.25.O.1.2.3. Act.27.O.1.3.7. Rom.1.O.25. 1.Cor.15.O.16. 1.Thess.2.O.10. Hebr.3.O.11.18. Hebr.11.O.29. Apoc.6.O.6. Apoc.7.O.3. Apoc.12.O.5. Apoc.13.O.2. Apocal.15.O.6. de operibus Dei, vide 1.Corinth.12.O.4. de habitatione Dei in Christo & in sanctis, vide Col.2.O.12. de Dei præsentia apud Ecclesiā, vide Joh.5.O.2. Quomodo Deus dicatur habitare in templo. item sedere super cœlum. vide Matth.23.O.14. Item esse in cœlo: Marc.7.O.3. de imaginibus Dei, vide Actor.17.O.20. 1.Cor.8.O.4. Dei laudes, Apoc.5.O.3. Apoc.14.O.2.* ¶ *Deus: pro Deo patre 1.Cor.1.v.1. 1.Cor.3.v.23. 1.Cor.6.v.14. 1.Cor.11.v.3. 1.Cor.12.v.6. 1.Corinth.15.v.15. 1.Tim.1.v.1. Heb.1.v.1. 2.Pet.2.v.2.* ¶ *Deus, id est, Filius Dei, Act.20.v.28. 1.Tim.3.v.16. Tit.2.v.13. Esse alicui in Deum, Heb.8.v.10.S.*

Dextera. *Sedere ad dexteram Dei, quid sit, vide Act.2.v.34.S.*

DI.

Diabolus. *Diabolus nominatur tentator, Matthæi 4.v.3. 1.Thess.3.v.5. Item ὁ πονηρὸς, Matt.6.v.13. 1.Joh.2.v.13. 1.Joh.3.v.12. Diaboli descriptio, Joh.12.v.31. Apoc.12.O.2. Studium diaboli, Matth.4.O.8. Epist.Jud.O.13. Odium erga fideles, Apocal.12.v.10. & seqq. Supplicium, Apocal.20.v.10. Tentationum diaboli diversitas, 2.Matth.4.O.11. Tentationum diaboli origo, Matt.4.O.3. Quomodo tentationibus diaboli resistendum sit, Matth.4.O.1.2.9.15. Ephes.6.O.6. 1.Pet.5.O.8. Diabolo scripturas alleganti quomodo occurrendum, Matthæi 4.O.13. Cum diabolo fortiter pugnandum, Matth.4.O.19. diabolus non est audiendus, Act.16.O.10. Quomodo diabolus fugetur, Jac.4.O.6. diaboli compescuntur à Deo, Matthæi 8.O.24. Act.14.O.13. Act.16.O.11. 1.Joh.5.O.26. diaboli potestas in corpora sanctorum, Matth.4.v.5.S. Apparitiones diaboli, Matthæi 4.O.7.* ¶ *diabolorum multitudo, Luc.8.v.30. vide ib.O.3. Ubi diaboli degant, 2.Pet.2.O.9. Misera diabolorum conditio, Heb.2.O.19. Cupiditas, Apoc.7.O.1.*

Diaconus. *Creatio diaconorum, Act.6.v.1.&c. de electione & ordinatione diaconorum, vide Actor.6.O.3.4. de officio diaconorum, vide Act.6.O.2. 1.Tim.4.v.12. Consolatio pro diaconis, Act.6.O.1.*

Dicere: *Id est, cogitare, Luc.5.v.21. Luc.7.v.49.*

Didrachma. *Vide Matth.17.v.24.S.*

Dies. *Diei civilis initium diversum fuit apud Hebræos & Romanos, Marc.14.v.30.S. Diei horas quomodo numerarint Judæi, Marc.15.v.25.S. Act.10.v.3.S. de initio diei naturalis & civilis, Luc.23.v.54.S. Diem quomodo distribuerint Judæi, Joh.4.v.6.S. Joh.11.v.9.S. Act.10.v.3.S.* ¶ *Dies metaphoricè, Joh.9.v.4. Dies ultimi quinam dicantur in scriptura, Hebr.1.v.1.S.* ¶ *Dies magnus pro die judicii universalis, Epist.Jud.v.6.* ¶ *Diei Dominici sanctitus, Apoc.1.O.19.*

Diffidentia. *Vide Joh.6.O.3.*

Digitus Dei. *Luc.11.v.20.S.*

Dilectio. *Dilectio* DEI *duobus modis dicitur, Rom.5.v.5.S. dilectio Dei qua diligit nos, vide titulum* DEUS. *de dilectione Dei qua diligitur à nobis, vide 1.Cor.8.O.3. 2.Thess.3.O.7. 1.Johan.3.O.17. 1.Joh.4.O.14. 1.Johan.5.O.6.* ¶ *Exemplum dilectionis tum Dei, tum proximi in Josepho, marito matris Domini, Matth.1.O.10. dilectio proximi cedere debet dilectioni Dei, Matth.10.O.28. dilectio proximi à dilectione Dei pendet, Matth.19.O.15. Matth.22.O.24. Galat.5.O.8. Christus hortabatur discipulos ad mutuam dilectionem, Johan.15.v.12.17. Inimici quoque diligendi sunt, Matth.5.O.43. dilectio proximi vera quæ, Luc.10.O.9. Tit.3.O.10. dilectionis proximi gradus, Johan.13.O.16. de dilectione proximi, vide amplius Rom.9.O.3.4. Coloss.3.O.10. Jac.2.O.6. 1.Petr.1.O.35. 1.Johan.2.O.7.10.11. 1.Johan.3.O.9.12.13.16.17.18.19. 1.Joh.4.O.7.14. 1.Johan.5.v.1.2. & O.4.3. Johan.O.1. de dilectione Christiana, vide plura Joh.13.O.20. Johan.15.O.8. Eph.5.O.1. 1.Pet.1.O.35. 2.Pet.1.O.7. 1.Johan.2.v.9.&c. 1.Johan.3.v.11.&c. 1.Johan.4.v.7.&c. 2.Johan.O.3.* ¶ *de dilectione Christi qua ipse nos diligit, vide sub titulo,* CHRISTUS.

Dilemma. *Exempla vide Luc.6.v.3.S. Luc.20.v.5. Joh.8.v.3. Vide ibi S. Joh.18.v.23.*

Diræ. *Rom.3.v.14.S.*

Discere, discipulus. *De discendi studio vide Act.18.O.13. Quidam ex discipulis Christi jubebatur illum sequi absque mora, Matth.8.v.21. officium discipuli, Luc.6.O.8.* ¶ *Officium discipuli Christi, Luc.9.23. Luc.14.21.&c. & O.9. Luc.17.v.3.4. Johan.15.O.4. Act.11.O.8.* ¶ *de duodecim discipulis rudib. Ephesi, Act.19.v.1. & seqq.*

Dispensator. *Parabola de dispensatore injusto, Luc.16.v.1.&c. dispensatores mysteriorum Dei, 1.Cor.4.v.1.*

Dissidium. *de dissidio inter Paulum & Barnabam, vide Actor.15.v.35.&c. de dissidiorum in religione causa, Actor.28.O.14. dissidiorum authores declinandi sunt, Rom.16.O.3.*

Dissolutioris *vitæ homines. Quomodo nos erga illos gerere debeamus, Matth.19.O.25. Luc.13.O.12.*

Distinctionum correctarum *exempla, vide sub tit.* Scriptura sacra.

Distributiva oratio. *Exempla vide Marc.6.v.7.39.*

Divina natura *pro divinis qualitatibus animi, 2.Pet.1.v.4.*

Divitiæ. *de periculo divitiarum, vide Matth.19.vers.23.&c. & O.18.19. Marc.10.vers.23.&c. Luc.14.O.6. Luc.10.O.2. Luc.18.v.24.&c. divitiæ cur dicantur injustæ, Luc.16.v.9.S. de officio divitum, vide Luc.12.O.12. Luc.16.O.1. 1.Tim.6.vers.17.&c. & O.12. Jac.1.O.6. Jac.5.O.1.* ¶ *Historia de divite epulone narratur, Luc.16.v.19.&c. divitem esse in Deo, quid sit: vide Luc.12.v.21.S. Quis verè dives, 1.Timoth.6.O.5. de divitiis, vide plura Luc.18.O.11.12. Jac.2.O.1.4. Apocal.3.O.27.28.*

Divortium. *de causis divortii vide Matth.5.O.33. Matth.19.vers.3.&c. & O.3.6. Marc.10.vers.2.&c. 1.Cor.7.O.14. de permissione divina divortii, vide Matth.19.O.4. Marc.10.v.5.*

DO.

Docere. *Modus docendi res cœlestes, Joh.3.O.8. docendi ratio in Ecclesia, Act.13.O.5. Quo docendi modo usus sit Christus, Joh.7.v.14.S.*

Docilitas. *Docilitatis laus, Johan.4.O.17. docilitatis utilitas, Joh.4.O.18. docilitatis exemplum, Phil.1.O.14.*

Doctor. *An non liceat quenquam appellare doctorem, Matth.23.O.5.* de doctoribus ecclesiæ, *vide tit.* Ministri verbi.

Doctrina. *doctrina cœlestis non quibusvis proponenda est, Joh.19.O.7. Quid faciendum sit iis, qui in doctrina cœlesti aliquid non assequuntur, Philip.3.O.10. doctrina cœlestis quæ & qualis sit, Matth.21.O.21. Ephes.6.O.9. doctrina Christiana capita principalia, Luc.24.O.10. Actor.17.O.2. Doctrina religionis Christianæ unde æstimanda sit, Joh.3.O.1. 1.Tim.4.O.4.14. Quid differant doctrina Prophetarum & Apostolorum, Johan.4.O.16. de doctrina cœlestis authoritate, Johan.4.O.23. de doctrina Christiana probatione, Actor.17.O.1.19. Hebr.12.O.2. Doctrina religionis probatio pertinet etiam ad Laicos, 1.Joh.4.O.2. Judicium de doctrina Christiana, 1.Cor.10.O.15. Cur doctrina cœlestis sæpè sit difficilis explicatu, Heb.5.O.6. de doctrina cœlesti, vide plura Joh.6.O.24. Apoc.2.O.37. Apoc.3.O.31. Apoc.7.O.2.*

Dogma. *de dogmatum antiquitate, vide Matthæi 5.O.18. Falsorum dogmatum author est diabolus, Matth.13.O.13. Apoc.2.O.35.*

Dominatus. *Christus dehortabatur discipulos à cupiditate dominandi, Matth.20.v.25.&c. Marc.10.v.42.&c. Luc.22.v.25.&c.*

Domus. *domus pro familia, Act.10.v.2. Act.16.v.15.31. 1.Cor.1.v.16. 1.Tim.3.v.4. 1.Tim.5.v.4. Tit.1.v.11.* domus Dei. *Per domum Dei interdum intelligitur sacrum tabernaculum, vide Matth.12.v.4.S.*

Donum Dei. *Christus nominatur donum Dei, Johan.4.vers.10. Vide ibi S. 2.Cor.9.vers.15.* ¶ *donum cœleste: id est, vita æterna, Heb.6.vers.4.* Dona Dei. *de spiritualibus donis Dei, vide Matt.25.O.13. Marc.8.O.2. Luc.19.O.8. Johan.3.O.17. Roman.12.O.3. 1.Corinth.12.13.14. per totum. 1.Cor.12.O.1. Ephes.4.O.3. 1.Johan.2.O.22. Vide etiam titulum,* Spiritus sanctus.

DR.

Drachma. *Parabola de drachma perdita, Luc.15.v.8.&c.*

DU.

Dubitatio. *de dubitatione Papistica, vide Act.2.O.15. Rom.8.O.15.*

Dux. *Duces Ecclesiæ, Heb.13.v.7.17.24.*

EB.

Ebrietas. *Ebrietas numeratur inter opera carnis, Gal.5.v.21. Excusatio quædam ebrietatis refellitur, Joh.2.O.7. Dehortationes ab ebrietate, Luc.21.v.34. Rom.13.v.13. Eph.5.v.18. Hominis ebriosi, qui se Christianum profitetur, familiaritas Christianis interdicitur, 1.Cor.5.v.11.*

EC.

Ecce. *Adverbium hoc quid notet, Matth.1.v.22.S. Matth.2.v.1.9.S. Luc.13.v.16.S. Joh.19.v.5.26.27.S.*

Ecclesia. *Descriptio Ecclesiæ, Heb.3.O.4. Heb.10.O.8. Heb.12.O.19. 1.Petr.4.O.15. Author ecclesiæ, 1.Thess.1.O.1. Fundamentum ecclesiæ, Matt.16.O.9. Act.4.O.4. Quàm latè ecclesia*

patent, Luc.13. O.10. *Signa seu notæ ecclesiæ, Act.2. O.12. Apoc.1. O.39. De ecclesia visibili & invisibili vide Luc.13. O.8. Apoc.3. O.6. De ecclesia novi testamenti, vide Act.10. O.1. Apoc.5. O.10. De duratione ecclesiæ, vide 1.Cor.11. O.26. De ecclesiæ unione cum Christo, vide Eph.5. O.12. Conditio ecclesiæ in hoc mundo, Matt.2. O.25. Matth.3. O.17. Matt.13. O.12.29. Matth.22. O.7. Matth.25. O.3. Matthæi 26. O.15. Joh.6. O.9. Joh.7. O.19.22.24. Act.7. O.4. Act.9. O.9. Actor.12. O.1. 1.Cor.1. O.2. 1.Cor.11. O.9. Eph.1. O.14. Heb.3. O.17. 1.Joh.2. O.19. Epist. Judæ O.2. Apoc.1. O.21. Ecclesia Deo curæ est, Matth.12. O.4. Act.2. O.13. Act.11. O.9. Act.18. O.12. Rom.11. O.2. Apoc.1. O.22. Apoc.12. O.4. ¶ Ecclesiæ vocabulo interdum intelligitur presbyterium, sive senatus presbyterorum. Vide Matth.18. v.17. De ecclesiæ authoritate, vide Ephes.2. O.15. 1.Tim.3. O.8. De judiciis ecclesiasticis, vide Matt.18. O.9.11. De officiis ecclesiasticis, vide Act.6. O.2. Eph.4. O.4. De officio seniorum ecclesiæ, vide Matt.18. O.10. Heb.13. O.12. De ecclesiæ disciplina, vide Matth.13. O.14. Heb.12. O.14. De* excommunicatione *ab ecclesia, vide Matth.18. O.11. Vide etiam tit.* Excommunicatio. *De congregationibus ecclesiasticis, vide Heb.10. O.16. Epist. Jud. O.23. De decoro in conventibus ecclesiasticis, vide 1.Cor.11. v.1. &c. & O.3. Col.2. O.5. De conventibus ecclesiasticis nocturnis, vide Act.12. O.4. Actor.20. O.3. De cantu ecclesiastico, vide Coloss.3. O.12. De bonis ecclesiasticis, vide 2.Cor.8. O.6. 1.Tim.5. O.14. Ecclesiæ alicujus particularis officium, Act.11. O.10. ¶ De ecclesia Hierosolymitana, quæ cœpit in die pentecostes, vide Act.2. v.42. &c. Actor.4. v.4. 24. &c. Act.5. v.12. &c. Act.11. v.2. S. Act.12. v.24. ¶ De ecclesia Samaritana, vide Act.8. v.1. &c. ¶ De ecclesiis Judææ, Galilææ & Samariæ, vide Act.9. v.31. ¶ De ecclesiis Phœnicie, Cypri, Antiochiæ, vide Actor.11. v.19. ¶ De ecclesiis Asiæ, Apoc.2. & 3. De confusione quæ est hodie in ecclesia, vide Joh.7. O.5. Utilitas utriusque epistolæ ad Corinthios ad præsentem ecclesiæ statum. Vide in præfatione Analyseos utriusq; illius epistolæ. De hostibus ecclesiæ, vide Act.12. O.8. ¶ Ecclesia pro cœtu sacro. 1.Cor.11. v.18. 1.Cor.14. v.35. ¶ Ecclesia pro cœtu fidelium in aliqua familia, Col.4. v.15. ¶ De ecclesiastica hierarchia in Papatu, vide Col.2. O.26. Ecclesia Christiana non est ritibus oneranda, Col.2. O.30. Apoc.2. O.36.*

Eclipsis. *Qualis fuerit eclipsis illa quæ accidit, quum in cruce pendebat Christus, Matth.27. v.45. S.*

ED.

Edere. *Quomodo Christus sese edendum det, Joh.6. v.51. Edere carnem Christi quid sit, Joh.6. v.53. S. Item quid sit, Edere Christum, ibid. v.57. S. quorsum conducat edere carnem Christi, ibid. v.60. S.*

EG.

Egestas. *Vide tit. Paupertas.*

EL.

Eleazar. *Vocabulum hoc declaratur Matth.1. v.15. S.*

Electi, Electio. *Electio divina asseritur Act.13. O.9. Act.18. O.5. 2.Pet.3. O.5. Electionis causa impulsiva, Rom.11. O.3. Eph.1. O.2. Jac.2. O.3. 1.Petr.1. O.2. ¶ Electio pro decreto eligendi, Eph.1. v.4. 2.Thess.2. v.13. Electionis signa, Matth.3. O.19. Rom.9. O.12. 1.Cor.1. O.19. 2.Thess.2. O.10. 2.Tim.2. O.13. ¶ Electi nominantur populus Dei, vide Matth.1. v.21. S. Item vocantur homines beneplaciti, Luc.2. v.14. vide ibi S. Electorum descriptio, Joh.17. v.9. Electorum salus unde pendeat, Matt.10. O.3. Electorum prærogativa seu proprietates, Matth.11. O.24. Matth.13. O.3. Matt.20. v.1. &c. A. Matt.24. O.18.19. Luc.19. O.1. Luc.24. O.6. Joh.10. O.6. Joh.13. O.21. Johan.18. O.18. Act.2. O.7. 2.Thess.2. O.9. Phil. O.14. Heb.10. O.24. Electorum multitudo, Hebr.2. O.14. Electorum numerus, Luc.12. O.9. Phil.4. O.3. Electorum conditio varia, Joh.4. O.22. Act.8. O.16. Quo sensu dicantur fideles electionem suam firmam efficere, 2.Pet.1. v.10. S. ¶ Electi, id est, efficaciter vocati, 1.Pet.1. v.2. ¶ Abusus doctrinæ de electione, Eph.1. O.3.*

Eleemosyna. *De eleemosyna vide Matt.2. O.14. Matth.6. v.1. &c. & ibid. S. & O.3. Luc.21. O.1. Joh.13. O.18. Act.4. O.11. Actor.11. O.10. 2.Cor.8. O.3.4.*

Elias. *De adventu Eliæ, vide Matth.10. v.10. &c. Marc.9. v.11. &c.*

Elisabetha. *Prophetatio ejus de Christo, Luc.1. v.39. &c. Quomodo dicatur cognata Mariæ, matris Domini, Luc.1. v.36. S.*

Eliud. *Vocabulum hoc declaratur Matth.1.14. S.*

Eliakim. *Vocabulum hoc declaratur Matth.1. v.11. S. & v.13. S.*

Ellipsis. *In narrationibus historiæ Evangelicæ interdum deficiunt hæc verba, τοῦτο δὲ γέγονε, Hoc autem factum est. Exempla vide Matth.2. v.15. ibi, ἵνα πληρωθῇ. Et v.23. ibi, ὅπως πληρωθῇ. Sic Matth.12. vers.15. Joh.18. v.9.32. Joh.19. v.24. Similem ellipsin, vide Matth.8. v.4. S. Matt.26. v.23. Marc.9. v.12. Marc.14. v.49. Joh.13. v.18. Johan.14. v.31. Johan.1. v.25. 2.Cor.3. v.8. Interdum ἐλλείπει particula μόνον, tantùm. Vide Matth.5. v.46. S. Interdum particula ἵνα, ut. Vide Matth.8. v.4. Interdum per ellipsin subaudire oportet has duas voces, τοῦτ' ἔστι. Exempla vide Joh.15. v.4. Actor.27. v.22. Roman.8. v.23. Rom.14. v.14. Gal.2. v.16. Interdum per ellipsin supplere oportet vocem è sententia sequente, ut Actor.2. v.3. ἐκάθισέ τε. Scilicet πνεῦμα ἅγιον: cujus demum mentio fit vers.4. Interdum ἐλλείπει articulus. Exempla vide Rom.3. v.22. 25. Rom.8. v.1.2. 1.Cor.2. v.7. 1.Cor.10. v.18. 1.Corinth.11. v.25. 2.Thess.3. v.14. Tit.1. v.3. Heb.9. v.5. Hebr.13. v.20. Jac.3. v.18. 1.Joh.2. v.2. Interdum post articulum ἐλλείπει participium verbi substantivi, ut Rom.1. v.28.29. Matth.6. v.9. Aliarum ellipsium exempla vide Matth.1. v.11.18.19. Matth.2. v.1.2.3. Matthæi 8. v.16.18.25. S. Matth.9. v.18. S. Matthæi 10. v.20.42. S. Matth.15. v.5.14.16.22. S. Matth.16. v.2.11.23. Matt.17. v.20. Matt.18. v.8.9.19.23. Matth.19. vers.8.17. Matth.20. v.8.9.12.23.32. Matth.21. v.18.30.32. Matthæi 22. v.3.32. Matth.23. v.14.15.25. Matthæi 24. v.17.20. Matth.25. v.3.9.14. Matthæi 26. v.3.11.17.18.33.39.40.47.51.54.55. 58.60.62.64. Matth.27. v.1.8.19.25.31.57. 62. Matth.28. v.1. Marc.1. v.2. Marc.2. v.4. Marc.3. vers.8.13.20.21. Marc.4. vers.5.15. 22.41. Marc.5. vers.1.8.23.35.36.39.40. Marc.6. vers.2.8.17.25.34.37.39.45.50. Marc.8. vers.20. Marc.9. v.11.12.23.26.28. 34.37.41.43. Marc.10. vers.1.49.3. Marc.11. vers.12. Marc.12. vers.6.17.36. Marc.13. v.6. 19.29. Marc.14. vers.3.36.39.43.44.49.60. 62.64.71.72. Marc.15. vers.6.9.12.32.43. Marc.16. vers.2.7.9. Luc.1. vers.24.25.31.38. 39.42.48.54.65.77. Luc.2. vers.1.9.14.21.22. 23.24.37.39.49. Luc.3. v.3.5.7.8.23. Luc.4. vers.2.5.7.14.16.18.23.25.37. Luc.5. vers.1.3. 4.7.10.11.14.16.17.19.24.30.32.34.36.39. Luc.6. vers.2.16.32.34. Luc.7. vers.11.17.24. 25.26.29.42.45. Luc.8. vers.1.15.52. Luc.9. vers.1.2.3.39.45.61. Luc.10. vers.1.5.13.19.29. 35. Luc.11. vers.9.39. Luc.12. v.6.7.25.28.33. 46.47.51.52. Luc.13. v.1.7.8.9.24.25. Luc.14. vers.1.18.22.28.32.34. Luc.15. vers.7.12.13. 29. Luc.16. vers.2.8.9.15.16.21.24. Luc.17. vers.1.2.3.24.37. Luc.18. v.4.10.14.19. Luc.19. vers.4.8.19.26.38.42.43. Luc.20. vers.38.41. Luc.21. v.8.13.14.23.37. Luc.22. v.4.16.20. 34.46. Luc.23. vers.5. Vide ibi S. & v.8.41.51. 56. Luc.24. vers.1.10.16.25.26.28.31.37.44. 45.53. Joh.1. v.14.18.23.29.40.46. Johan.2. v.10.11.13.18. Joh.3. v.13.25.27. Johan.4. v.7. 31. Joh.5. v.2.10.19.22. Johan.6. v.1.17.21.22. 29.31.32.46.50.52.62.63.66.69.70. Johan.7. v.19.22.23.36. Joh.8. v.21.22.23.24.25. 33.53.57. Joh.10. v.14.20. Johan.11. v.1.4.54. 55. Joh.12. v.7.12.16.30.37.47. Johan.13. v.9. 18.19. Joh.14. v.31. Joh.15. v.5.9.20.24. Joh.16. v.2.5.30. Joh.17. v.5.9.24.26. Johan.18. v.16. 31.39. Joh.19. v.12.31. Joh.20. v.1.12.17.18.22. Joh.21. v.21. Act.1. v.3.8.12.25. Actor.2. v.5. 14.23.29.30.37.39.41. Actor.3. vers.21.24.25. Act.4. v.3.4.5.24.28. Act.5. v.31.34.39. Act.8. v.10. Act.9. v.1. Actor.10. v.2.3.9.23.24.30. 33. Actor.11. v.2. Actor.12. v.20.22. Actor.13. v.14.16.35.38.39.47. Act.14. v.3.6. Actor.15. v.10.11.16.19.21.23.24.28.33.35. Act.16. v.11. 12.33.40. Act.17. v.18.23.25. Actor.18. v.3.5. 6.10.25. Act.19. v.4.22.40. Actor.20. v.6.7. 11.15.16.24. Actor.21. vers.8.16.25.27.32.40. Act.22. v.16.30. Act.23. v.12.13.30.32. Act.24. v.1.4.5.8.11.16.23. Actor.25. v.1.10.11.17.18.20. Act.26. v.12.16.22. Act.27. v.3.18.19.40.44. Act.28. v.6. Rom.1. v.15.18.21.28.32. Rom.2. v.8.19.20.21.22.28.29. Rom.3. v.3.5.6.7.8.9. 13.19.22.25.29. Roman.4. v.2.6.7.8.9.11.13. 14.16.17. Rom.5. v.16. Roman.6. v.17.21.23. Rom.7. v.5.6.10. Rom.8. v.3.5.6.10.17.26.29. 31.36. Rom.9. v.3.6.10.16.17.19.22.25.28.32. Rom.10. v.7.8.14.18. Rom.11. v.6.7.8.10.11. 13.18.25.27.28.29.36. Roman.12. v.3.5.8.19. Rom.13. v.7.11.14. Rom.14. v.2.4.5.11.13.18. 20.21.22. Rom.15. v.3.17.18.19. Rom.6. v.10. 1.Cor.1. v.5.8.9.17.31. 1.Cor.3. v.23. 1.Cor.4. v.5.10. 1.Cor.5. v.2.12. 1.Cor.6. v.19. 1.Cor.7. v.4.5.10.11.14.17.23.29.39. 1.Cor.8. vers.4. 1.Cor.9. v.4.12.13.25. 1.Cor.10. v.1.5.6.11.26. 32. 1.Cor.11. v.2.6.10.18. 1.Cor.12. v.1.7.19. 24.30. 1.Cor.14. v.1.7.10.16.21. 1.Cor.15. v.5. 10.21.23.45.52. 1.Cor.16. v.1.2. 2.Cor.1. v.6. 10.17. 2.Cor.2. vers.6.14. 2.Cor.4. v.6.13.14. 2.Cor.5. v.2.6.16.21. 2.Cor.6. v.1. 2.Cor.7. v.1.2.14. 2.Cor.8. v.6.13. 2.Cor.10. vers.8. 2.Cor.11. v.1.22.23. 2.Cor.12. v.5.11.13.17.19. 21. 2.Cor.13. v.11. Gal.1. v.1.4.8.9.15.20. Gal.2. v.2.3.6. Gal.3. v.6.19. Gal.4. v.8.12.24.25.26. Gal.5. v.4. Gal.6. v.7. Eph.1. v.3.4.8.13. Eph.2. v.11. Eph.4. v.5.22. Eph.5. v.14.32. Ephes.6. v.12. Phil.1. v.29. Phil.2. v.3.6.11.13.15.23. Philip.3. v.5.14.16.20. Phil.4. v.3.5.10.18.21. 23. Col.2. v.2.14.19.20.23. Coloss.3. v.4.8.9. Col.4. v.2. 1.Thess.1. v.9. 1.Thess.2. v.3.5.13.16. 1.Thess.3. v.1.13. 1.Thess.5. v.2. 2.Thess.2. v.3. 7.13. 2.Thess.3. v.2.9. 1.Tim.1. v.12. 1.Tim.2. v.5.12. 1.Tim.4. v.3. 2.Tim.1. v.3. 2.Tim.2. v.1.10.14. Tit.1. v.3.9.10. Tit.2. v.9. Hebr.1. v.3.7. Heb.2. v.6. Heb.3. v.8.11.12. Heb.4. v.1. Heb.5. v.1.4. Heb.6. v.6. Hebr.7. v.20. Heb.8. v.5.6.8.13. Hebr.9. v.1.6.7.11.20.25. Hebr.10. v.6.12.17.21.22.23.39. Jac.2. vers.5.14.16.20. Jac.3. v.2.6.11.18. Jac.4. v.1.5.6.14. Jac.5. v.2. 8.12.16.17. 1.Pet.1. v.7.8.11.13.14.17. 1.Pet.2. v.5.6.7.9. 1.Pet.3. vers.1.2.4.6.7.8.10.13.15. 18.19.20.21. 1.Pet.4. v.1.11.16. 2.Pet.1. v.5.9. 13.17. 2.Pet.2. v.4.10.15.16. 2.Pet.3. v.4.6.7. 9.15. 1.Johan.2. v.2.8.13.16. 1.Johan.3. v.12.17. 23. 1.Johan.4. v.3.4.10.14.17. 1.Joh.5. v.3.8. 16.20. 2.Joh. v.1.6.12. 3.Joh. v.1.15. Epist. Jud. v.6.9.11.*

EM.

Emmanuel. *Vocabulum hoc declaratur Matt.1. v.23.*

EN.

Enallage. *Enallage temporis. Exempla vide Matth.2. v.4. Matth.11. v.3. Matth.16. v.5. Matth.17. v.11. Matt.18. v.1. Matth.23. v.34. Matth.24. v.40. Matth.25. v.14. Matth.26. v.2.11.18.29. Matth.27. v.63. Marc.2. v.4. Marc.3. v.13.20. Marc.8. v.3. Marc.9. v.31. 35. Marc.10. v.30.38.43. Marc.11. vers.28. Marc.12. v.26. Marc.14. v.7.41. Luc.1. v.34. 35. Luc.6. v.32. Luc.9. v.36. Luc.12. vers.54. Luc.13. vers.32. Luc.14. vers.15. Luc.16. v.23. Luc.17. v.30. Luc.20. v.8.37. Luc.22. v.10.37. Luc.23. v.29. Luc.24. v.12.49. Johan.1. v.15. Johan.3. v.33. Joh.4. v.7. Joh.6. v.33. Joh.8. v.3. Johan.9. v.8. Johan.12. v.20. Johan.13. v.11. Johan.15. v.6.27. Johan.16. vers.16.22. Johan.17. v.24. Joh.18. v.4. Johan.20. v.17. Act.1. v.6. Act.7. v.25. Act.8. v.32. Actor.10. v.11.27. Act.16. v.2. Act.24. v.10. Actor.25. v.3.11. Act.26. v.2.6.31. Rom.4. v.13. Rom.11. v.20. 1.Cor.3. v.13. 1.Cor.11. v.24. 1.Cor.15. v.29.32.50. 2.Cor.9. v.13. 1.Thessal.1. v.10. 1.Thess.2. v.8. 2.Thess.1. v.8. Hebr.2. v.5.10. 16. Hebr.8. v.8. Jac.5. v.1.3. 1.Petr.1. v.9.13. 2.Petr.2. v.9. 2.Petr.3. vers.12. 2.Johan. v.12. Enallage numeri. Exempla vide Marc.4. v.5. S. Luc.4. v.16. S. Luc.5. v.17. Luc.8. v.1.4. Luc.13. v.10. Luc.18. v.2. Luc.24. v.1. Act.13. v.14. Actor.16. v.13. Actor.20. v.7. Rom.8. vers.23. 1.Cor.1. v.22. Phile. v.6. 2.Thess.2. v.14. 2.Thess.3. v.7. 1.Tim.1. v.5. Heb.9. v.24.*

1.Pet.2.

1.Pet.2.v.24. Enallage casus. Exempla vide Marc.15.v.34. Joh.13.v.13. Joh.19.v.3. Joh.20. v.28. Phil.3.v.4. 1.Pet.3.v.7. Enallage generis. Phil.2.v.6. Enallage modi Luc.2.v.23. Luc.4. v.8.12. Luc.12.v.34. Luc.17.v.4. Act.3.v.22. Actor.7.v.37. Phil.3.v.4. Enallage gradus. Luc.9.v.46.48. Luc.10.v.42. Vide ibi S. Luc. 22.v.24.26. Joh.1.v.15. Johan.2.v.10. Act.17. v.21. Act.24.v.22. Act.25.v.10. 1.Cor.13.13. 1.Cor.14.v.1. ¶ Huc pertinet quum comparativus ponitur pro superlativo. Vide in voce Comparativus. Enallage personæ. Act.1.v.4. Act.15.v.5. Act.17.v.3. Act.23.v.22. Rom.8. v.2.9.15.2. Joh.v.8.

Encænia. Joh.10.v.22. Vide ibi S.

Enochi fides celebratur Heb.11,v.5.

Enuntiatum. Copulatum enuntiatum interdum vim habet connexi. Vide Luc.14.v.5. Jac.1.v.11.24. interdum discreti. Vide Luc.15. v.32. Johan.6.v.36.49. Johan.7.v.19.21.26. Joh.8.v.54.55. Johan.9.v.34. Johan.10.v.25. Joh.15.v.24. Joh.20.v.29. Interdum relativi comparatorum, Joh.11.v.50. ¶ Per enuntiatum discretum interdum contradicitur connexo. Vide Johan.8.v.14.S. ¶ Indefinita enuntiata æquipollent universalibus. 1.Cor. 15.v.25.S.

EP.

Epanalepsis. Exempla. Vide Joh.1.v.18. Johan.3. v.31. Joh.15.v.5. Rom.15.v.14. Rom.8.v.23. 1.Cor.5.v.5. 2.Cor.5.v.8. Gal.2.v.6.14. Eph.2. v.4. Eph.3.v.14.21.

Epaphras. Vide Col.1.v.7. Col.4.v.12.

Epaphroditus. Vide Phil.2.v.25. & seqq.

Epexegesis. Exempla vide Marc.12.23. Marc.13. v.19.v.24. Marc.14.v.30. Luc.1.v.6.35. Luc.2. v.40. Luc.7.v.21. Luc.21.v.23. Luc.24.v.29. Joh.4.v.10.48. Joh.5.v.19. Joh.6.v.66. Joh.11. v.1.4.42. Joh.12.v.46. Joh.13.v.15. Johan.17. v.19. Act.1.v.25. Actor.8.v.27. Act.10.v.4. Act.14.v.3. Act.17.v.29. Actor.20.v.24.30. Actor.23.v.9. Rom.1.v.14. Vide ibi S. Rom.2. v.20.21. Rom.3.v.19. Rom.11.v.33. 1.Cor.10. v.6.13.28. 2.Cor.5.v.4. Col.1.v.18. Heb.3.v.8. Jac.4.v.3. 1.Pet.1.v.23. 1.Joh.2.v.15.

Ephesus. Quid Ephesi egerit ac perpessus sit Paulus, Act.18.v.19. per totum. Quid Ephesi docuerit Apollos, Act.18.v.24.&c.

Ephatha. Vocabulum hoc declaratur Marc.7. v.34.S.

Epimenidis versus à Paulo recitatur Tit.1.v.12.

Epiphonema. 2.Tit.2.v.11.

Episcopus. Quid hoc vocabulum apud Paulum significet, Phil.1.O.8. ¶ Episcopus & presbyter pro eodem accipiuntur Tit.1.v.5. & 7. Vide ibi O.12. ¶ De Episcopis Pontificiis vide 2.Tim.3.O.1.

Epistrophe. Philem.v.11.

Epizeuxis. Exempla vide Luc.10.v.41. Luc.22. v.31. Luc.23.v.21. Rom.8.v.23.

ER.

Erastus. Vide 2.Tim.4.v.20.

Errorum origo. 2.Tim.4.O.9. Error non excusatur vetustate, Act.17.O.21.

ES.

Esrom. Vocabulum hoc declaratur Matth.1.3.S.

Esse. Esse interdum idem valet quod agnosci. Vide Matth.5.v.45. Luc.6.v.35. Johan.15.v.8. 1.Tim.2.v.21. interdum idem significat quod accidere, contingere, evenire, fieri. Vide Luc.1. v.14.34.S. Luc.3.v.5.S. Rom.9.v.26. Rom.10. v.1. Interdum idem significat quod manere. Vide Heb.8.v.4.

Esseni sive Essæi. Vide Joh.3.v.1.S.

Est, pro videtur esse, 1.Cor.1.v.18.

Esurire metaphoricè usurpatum, Matth.5.v.6. Joh.6.v.35. Vide ibi S.

ET.

Ethnicus. Ethnici quinam dicantur in scriptura, Matth.6.v.7.32.S. Matth.18.v.17.

EU.

Eubulus. 2.Tim.4.v.21.

Eunuchus. Tria Eunuchorum genera, Matt.19. v.12. ¶ De Æthiope Eunucho ad fidem Christi converso, vide Act.8.v.26.&c. Eunuchi qui dicantur in scriptura, Act.8.v.27.S.

EV.

Evangelium. Cur Evangelium nominetur Evangelium regni, Matth.4.v.23.S. Evangelium nominatur bonum DEI verbum, Heb. 6.v.5. Evangelii fulgor nominatur dies & lucifer, 2.Petr.1.vers.19. Evangelii definitio, Marc.1. O.1.20. Johan.1. O.5.14. Johan.17. O.15. 1.Cor.2.O.2. 2.Thess.1.O.8. 1.Timoth.2. O.11. 1.Tim.3. O.9. 2.Tim.1. O.1. Jac.1. v.18. 1.Johan.5. O.17. Evangelii summa, Marc.1. O.1. Johan.12. O.22. Rom.10. v.9.10. 1.Cor.9. v.11.S. 2.Corinth.4. v.19.20.21. Coloss.1. O.11. Coloss.2.O.7. 1.Tim.3. O.11. 2.Timoth.1.O.15. 2.Tim.2.O.4. 1.Johan.1. v.1. &c. Evangelii capita præcipua. Act.10.O.11. Evangelii mandata duo, 1.Joh.3. O.22. Evangelii objectum, Matth.4.O.35. Rom.1.O.20. 1.Cor.2.O.2. Scopus Evangelii, Johan.17. O.11. Actor.26. O.2. 1.Cor.1.v.9. 1.Tim.3.O 10. 1.Joh.2.O.1. 1.Joh.5. O.14. Evangelii mysterium, Luc.2.O.32. Col. 4. O.2. 1.Tim.3.O.9. prædicationis Evangelii effecta & eventa vide Matth.3.v.12.S. & O 3.18. Matth.4. O.25.30. Matth.9. O.32. Matth.10.O.13. Matth.13. O.15.16. Matth.27. O.25. Luc.1.O.9. Luc.3.O.10. Luc.4.O.3. Luc.5. O.3. Luc.12. O.15. Luc.16. vers.16. & O.6. Johan.6.O.25. Johan.9. O.27. Johan.17. O 19. Johan.18. O.4. Johan.20. O.5. Actor.2. O.11. Actor.5.O.6. Actor.10. O.14. Actor.13. O.12. Actor.14. O.6.27. Actor.17.O.8. Act.28. O 11. Rom.1. O.19. 1.Cor.1.O.14. 1.Corinth.4. O.8. 1.Cor.15.O.2. 2.Cor 3.O.1. Gal.2.O.7. Gal.3. O.3. Ephes.1.O.8. Phil.2. O.10. 1.Thess.2.O.6. 1.Timoth. 1.O.4. 1.Petr.1. O.36. Apoc.7. O.2. Apocal 11.O.3. Doctrina Evangelii est vera, Act.5.O.14. Actor.14.O.3. Gal.1.O.11. Col.1. O.9.10.37.41. Item αὐτόπιςος, Johan.17.O.16. Johan.20. O.4. 2.Johan. O.4. Item perfecta, Johan.15. O.9. Evangelii cum Lege convenientia indicatur Matth.5.O.11. Matth 22. O.25. Actor.26.O.3. Act.28. O.10. Discrimen inter Legem & Evangelium, Matth.11.O 36. Evangelium Legem antecellit, Heb.12 O.22. Præstantia Evangelii, Roman.1.O.3. 1.Cor.2. O.6. Tit.1.O.4. Hebr.2. O.3. Discrimen inter Evangelium & promissiones Prophetarum Rom.1. O.2. Discrimen inter prædicationem Evangelii & usum sacramentorum, 1.Cor.1. O.12. Qualem sapientiam doctrina Evangelii contineat, 1.Cor.2.v.6.&c. Cur doctrina Evangelii à paucis intelligatur, 1.Cor.2.14. Participatio in Evangelio, Phil.1.O.13. Evangelium propriè ad electos pertinet, Matth.10. O.4. Evangelio quinam digni sint, Vide Matthæi 10. O.11. Rationis carnalis judicium de doctrina Evangelii, Joh.18.O.19. 1.Cor.2 O.6. 8. Aditores Evangelii. Vide, Auditor. Quid requiratur ad doctrinam Evangelii intelligendam, Joh.7.O.8. 1.Cor.3.O.6. 1.Thes.1.O.7. Prædicatio Evangelii studiosè audienda est, Rom.10. O 8. 1.Cor.1.O.12.14. 1.Cor.2. O.10. Item reverenter, 1.Thess.2.O.5. Conjuncta esse debet cum exhortatione, Apoc.14.O.5. Prædicationis Evangelii tempora à Deo ordinata, Matth.10.O.3. Luc.12.O.16. Cur Evangelio tribuatur quod proprium est sanguinis Christi, Eph.5.O.13. Quomodo nos gerere debeamus erga Evangelii doctores & confessores, Matth.10. O.30. Evangelio constanter adhærendum est, Matt.12.O.16. Col.2.O.2.4. Heb.12. O.20. De ingratitudine mundi erga Evangelium, vide Matth.2. O.6. Matth.24. O.6. Contemptus Evangelii cavendus est, Luc.13.O.5. Joh.9.O.18. Joh.15.O.4.12. Rom.10. O.13. 1.Pet.4.O.16. Apoc.6.O 2. Qui fiat quòd Evangelii prædicationem sequuntur dissidia, Matt.10.O.27. Act.14.O.4. De hostibus Evangelii vide Joh.12.O.5. Joh.19.O.4. Act.4.O.6. 8.9. Actor.5.O.7.15. Act.6.O.7. Act.9. O.5.6. Act.14. O.2. Actor.17. O.5.6.7. Erga hostes Evangelii quomodo nos gerere debeamus, Matt.10. O.18. Commendatio Evangelii & propagatio, Act.19.O.1. Patefactio Evangelii, Tit.1.O.7. Evangelium non est Legi contrarium, 1.Tim.1.O.8. Evangelii docendi facultas singulare DEI donum est, 1.Tim.1. O.10. 2.Tim.1.2. O.10. Ministerium Evangelii. Vide titulum, Ministri verbi Dei. Ministerii Evangelici commendatio, 2.Cor.3.6.&c. 2.Cor.4. v.18.&c. Ejusdem duratio, Eph.2.O.3. Evangelistæ nomine quis intelligatur apud Paulum, 2.Tim.4.v.5.S. Evangelii cursus, Apoc.3. O.14. Professio, Apoc.3.O.17.

EX.

Ex. De varia significatione præpositionis Ex vide in Indice vocum Græcarum voculam ἐκ.

Ex Deo esse. 1.Cor.1.v.30.S.

Excitare, pro exhibere, seu mittere ad munus publicum, Act.3.v.26. Act.5.v.39. Act.13.v.32. Vide ibi S.

Exclamatio. Exempla vide Matth.15.vers.28. Luc.10.v.42. Luc.24.v.25. Roman.7.v.24. Rom.11.v.33. Gal.3.v.1. Heb.2.v.6. 2.Pet.2. v.10. Epist. Jud.v.11.

Excommunicatio. Vide Matth.18. O.11. Joh.9. v.22.S. & O.16. Johan.12.v.42. 1.Cor.5.O.1. 2.Cor.2.O.1.2. 2.Thess.3. O.14. 1.Tim.1.O.26. 27.28. Tit.3.O.7. 3.Joh.v.10. & O.10.

Exemplum. De cavendis exemplis mundi, Matthæi 7.v.13.14. & O.11. Exemplum vitæ non est petendum à multitudine, Matth.7.O.10. Aliquem aliquámve exemplum facere, quid sit, vide Matth.1.v.19.S. Exempla pœnarum cur proponantur in verbo Dei, Hebr.3.O.9. 2.Pet.2.O.10. Exempla fidei & patientiæ sanctorum, cur proponantur in scriptura, Heb.6. O.14.

Exhortationum utilitas, Hebr.3.O.13. Hebr.10. O.15.

Exponere. Joh.1.v.18.

Externa. De usu rerum externarum vide 1.Cor. 7.O.16. Col.2.O.32. Col.3.O.9. ¶ Externus homo, 2.Cor.4.v.16.S.

FA.

Facetiæ. Phil.3.O.5.

Facie ad Faciem, 1.Cor.13.v.12.S.

Facies pro rebus externis, 2.Cor.5.v.10.

Fælix vide Felix.

Fames. De fame spirituali vide Joh.6.v.35.S.

Fatuus. An liceat proximum appellare fatuum, Matth.23.O.23.

FE.

Febris. Unde dicta sit, Matth.8.v.14.S. ¶ Febricitans socrus Petri subitò sanata fuit, Matthæi 8.v.14.

Fedus Dei. De duplici fœdere Dei vide Matt.26. O.5. Heb.8.O.6. Heb.12. O.7. De fœdere gratiæ vide Rom.3.O.15. Heb.7.O.10. Heb.9. O.6. Sanguis Christi quo sensu dicatur sanguis novi fœderis, Matth.26.v.26.S.

Felicitari. Rom.1.v.10.S. Felicitas vera quænam sit, Phil.3. O.16. Col.2. O.11. 1.Thessal.1. O.3. Tit.1.O.11.

Felix. De Felice præside Judææ, Act.24.

Fermentum. Cur fermento comparetur falsa doctrina, Matth.16.v.6.S. Christus monebat discipulos de cavendo fermento Pharisæorum & Sadducæorum & Herodis, Matth.16.v.6. Marc.8.v.15. Item proponebat parabolam de fermento, Luc.13.v.20.&c. Fermentum vetus, 1.Cor.5.v.7.S.

Festum. Judæi studebant cavere ne Jesum crucifigerent in festo, Matth.26.v.5. Marc.14.v.2. In festo dimittebat Pilatus Judæis unum ex vinctis, Marc.15.v.6. Luc.23.v.17. Jesus ascendebat Hierosolymam ad festum, Luc.2.v.42. Joh.5.v.1. Quum Jesus esset Hierosolymis in festo Paschæ, multi crediderunt in eum, Joh. 2.v.23. Galilæi excipiebant Jesum, quum vidissent quæ fecerat Hierosolymis in festo, Joh. 4.v.45. Cognati Jesu hortabantur eum ut iret ad festum scenopegiæ, Joh.7.v.1.&c. In festo encæniorum altercabantur Judæi cum Christo, Joh.10.v.22.&c. In novo testamento non sunt festa propriè loquendo, Gal.4.O.10.

Festus. De Festo præside Judææ, Act.25.v.1.&c.

FI.

Ficus arbor subitò arefacta, Matth.21.vers.19. Marc.11.v.14.20.

Fides, Fidelis. Quid sit fides, Col.2.O.6. Tit.1.O.3. Heb.11.v.1. 1.Pet.1.O.33. 1.Pet.3.O.2. 2.Pet.1. O.20. 1.Johan.5. O.19. Fides nominatur opus Dei, Johan.6.v.29. Vide ibi S. Rom.14.v.20. Vide ibi S. Item nominatur obedientia, 1.Pet. 1.v.2. Vide ibi S. Item obedientia veritatis, 1.Pet.1.v.22. Species fidei quatuor, 1.Cor.13. O.2. Forma fidei, 1.Pet.1.O.3.16.33. Discrimen inter fidem & spem, Phil.1.O.25. Col.1.O.36.

De fidei Christianæ origine, vide Matth.16. O.8. Johan.1.v.13.S. & O.8. Joh.2.O.15. Joh.6. v.65.S. & O.18. Joh.20. O.10. Actor.13. O.15. Rom.14. v.20.S. 1.Cor.2. O.5. 1.Cor 3. v 9.S. & O.4. 1.Cor 9. O.3. Gal.4. O.14. Ephes.1. O.11. Eph.2. O.4. Eph.3. O.13.15. Phil.1. O.16. 34. 2 Thess.1. O.11. 2.Thess 2. O.11. 1.Petr.1. O.1. 2.Pet.1.v.3.S. & O 3.9.11. 1.Petr.5. O.3. De fidei Christianæ subjecto recipiente, vide Joh 6 O.18. Joh.12. O.21. 2.Thess.3. O.4. Tit.1. O.2. Heb.11. O.10. De fidei Christianæ objecto vide Matth.2. O.8. Matth.14. O.17. Rom.4. O.11. Heb.11. O.15. Jac.2. O.10. 1.Petr.1. O.32. 1. Johan.5. O.2.16. De fidei actione propria, 1.Cor.1.v.4. 1.Cor.14.v.18. Gal 2. O.14. Phil 3. O.11. 1.Thess.2. O.3. Philem.O.4. Heb.3.O.15. Hebr.11. O.1.3.17.24. Jac.2. O.10. De fidei Christianæ vi seu efficacia atque effectis vide Matth.9.O.17. Matth.14.O.17. Matth.16. O.7. Matth.17. O.11. Matth.21.O.18. Matth. 27. O.30. Marc 9. O.4. Marc.11. v 23. &c. Luc.17. v.6. & O.6.11. Joh.1. O.7. Johan.17. O.20. Actor.3.O.9. Act.8. O.19. Actor.15.O.6. Act.16. O.9.18. Actor.19. O.6. Rom.6. O.2.6. 7. Rom.8. O.1. Rom.10. O.5.6 7. 1.Cor.1. O.8. 1.Cor.2. O.17. 1.Cor.4. O.9. 1.Cor.5. O.6. 2.Cor.4. O.11. Præfat. Analys. sex epistolarum, Gal.3. O.14. Gal.4. O.5.7. Gal.5. O.3. Eph.2.O.13 17. Eph.3.O.9.12.14. Phil.3.O 12. Coloss.1. O.7.36. 1.Thess.1. O.5 15. 1.Thess.3. O.4. 1.Tim.1. O.15.19. 2.Timoth.1. O.7.20. Philem.O.12.16. Heb.3. O.2.5. Hebr.6. O.15. Hebr.7. O.3. Hebr.11. O.2.11.12.32. 1.Pet.1. O.17.18.34. 1.Joh.1. O.5. 1.Johan.5. v.4 S. & O.8.25. De fidei Christianæ necessitate, vide Matth.10. O.6. Act.8. O 18. Præfat. Analys. sex Epistolarum. Philem.O 6. De fidei Christianæ proprio adjuncto, videl perseverantiâ, Matth 16 O.10. Johan.6.O.19. Rom.8. O.24. Rom.11. O.8. 1.Cor.1. O.7. 1.Cor.10. O.10.12. 1.Cor.15. O.4. 2.Cor.1. O.14. 2.Cor.4.O.5.10. 2.Cor.5. O.13. 2.Cor.13. O.3. Coloss.2. O.19. 1.Tim.4.O.11. Apoc.2.O.24. Fidei encomium, Johan.3.O.16. Christus hortabatur discipulos ad constantiam in fide, Joh.15. v.1.&c. Vide etiam 1.Cor.15.O.3. Eph.1.v.15.&c. Quomodo nos contra fidei pusillitatem debeamus consolari, Matth.12 O.15. Fides sua habet incrementa, Matt.13.O.4.& 10. Matt.27.O.30. Fides quò magis premitur, eò magis se erigit. Matth.20. O.37. De fidei abnegatione, vide Matth 13. O.7. Quomodo fides se habeat ad pœnitentiam, Marc.1. O.21. Qualis fides ad salutem requiratur, Marc.1. O.27. Fides justificans adjunctam habet perseverantiam, Col.2.O 35. 2.Thessal.3. O.5.5. 1.Tim.1. O.25. 1.Timot.4.O.2. 2.Tim.2.O.12. 1.Petr.1.O.14. 37. 1.Joh.2. O.18. 1.Johan.3 O.8. 2.Joh. O 5. Paulus hortabatur fideles Colossenses ad constantiam in fide doctrinæ Christianæ, Col.1. v.23.& seqq. Col 2 v.1.& seqq. Fidei exempla, vide Joh.19. O.16. Rom.1. v 8.S. Rom.11. v.1. Phil.1.O.12. Heb.11.v.4.& seqq. Quomodo fides fovenda atq; excitanda sit, Matt.17. O.12. Joh.11. O.20. Rom.9.O.15. Fides nemini hominum præter credentem nota, Apoc.2. O.25. An infantes credentium præditi sint fide Matth.19. O.11. ¶ Fides pro constantia in servandis promissis, Matth.23.v.23. ¶ Fidelis: id est, constans in promissis, 1.Cor.4.v.2. 1.Tim 1. v.12. Hebr.3. v.2.5. ¶ Fides pro cognitione Dei ac rerum divinarum, Rom.12.v.6. Vide ibi S. ¶ Fides pro persuasione de usu rerum indifferentium. Rom.14. v.1.23. ¶ Fides: id est, Evangelium, Actor.6. v.7. Rom.1.v.5. Epist. Jud. vers.3. De fidei seu religionis Christianæ certitudine, Luc.1. O.2. Joh.4 O.19. Joh.21. O.8. De fidei seu religionis Christianæ summa, Joh.6.O.26. Joh.11.O.12. Joh.20.O.9. ¶ Fides pro doctrina de fide, Gal.3.v.2. 2.Tim.4.v.1. Fidei Christianæ fundamentum, 1.Johan.4. O.4. Pretiositas, Apoc.5.O.4 ¶ Fides pro tempore Evangelii, Gal.3.v.23.25. Fidei inanis jactantia cavenda, Jac.2.v.14.&c. Fides non est electionis causa, Jac.2.O.3. ¶ Fides pro fide miraculorum seu dono edendi miracula, 1.Cor.12.v.9. 1.Cor.13.v.2. ¶ Fides pro fidelitate, Tit.2. v.10. Fidelium prærogativæ & proprietates, Marc.1.O.21. Joh.15.O.8. Act.27. O.5. Rom.11.v.1.S. & O.8. 2.Cor.5. O.6.7.13. 2.Cor.6.O.7. Eph.1.O.9. Eph.2. O.14. Eph.3. O.15. Phil.4. O.17. Col.1. O.16.20.27. Col.2. O.28 29. Col.3. O 1. 2 Thess.1. O.12. 1.Joh.2. O.20. 21. 24. 30. 31. 32. 1. Johan.5. v.18.19. Hebr.2.O 9 17. Hebr.10. O.11. Hebr.13.O.14. De fidelium imperfectione, Coloss 3. O.7. 1.Pet.5. O.11. 2 Petr.1.O.7.17. 1.Johan.1.O.8. 1.Johan.3. O.5. Apoc.1, O.31. Apoc.2. O.5.30. Apoc.3.O.4. Consolatia pro fidelibus, Heb.4. O.13. Heb.6. O.20. De fidelium infirmitate, Joh.11.O.20. Ὀλιγοπιστίας exemplum, Matth. 14.O.19. De fidelium dignitate, 1.Cor.3.O.19. 20. 1.Cor.6.O.2.3. 2.Thessal.1.O.12. Hebr.2. O.13. De fidelium communione atque unione cum Christo, Joh.15.O.1. Rom.8.O.2. 1.Cor.1. v.30.S. 1.Cor.6. O.9.10. 1.Cor.12. O.7. Col.1. O.39. Col.2.O.29. Coloss.3.O.1.2. Thess 1.O.12. Hebr.1. O.12. De communione fidelium inter se, 1.Cor.10. O.22. Phil.4. O.13. De salute fidelium V.T. 2.Cor.4. O.9. Apoc.4. O 3. Fideles sunt sancti, Ephes.2. O.14. Phil.1. v.1. 2.Thess.1.O.7. Apoc.3. O.30. Apoc.5.O.5. Student bonis operibus, Apoc.14. O.14. Conditio fidelium in hoc sæculo, 2.Thess 1.O.4. Apoc.1. O.18. Apoc.12.O 8.

Fieri. *pro, factum esse declarari, 1.Pet.3.v.6. Vide ibi S.*

Filia: *id est, chara mulier, Matth.9.v.22. ¶ Filia: id est, nurus, Luc.3. v.23.S. Filia Sion, Joh.12.v.15.S. Filia Abrahæ. Luc.13.v.16.*

Filius. *Filius: id est, charus instar filii, 1.Cor.4. v 17. ¶ Filius: id est, gener, Luc.3.v.23. Filius perditionis, Johan 17.v.12. Act.1.v.25.S. 2.Thess.2. v.3. Filius pacis, Luc.10. v.6.S. Filii sapientiæ: id est, discipuli sapientiæ, Luc.7. v.35.S Filius Abrahæ, Luc.19.v.9.S. ¶ Parabola de filio perdito, Luc.15. v.11. &c. Filiorum Dei ingenium, Luc.15.O.3. Filiorum Dei nota, Rom 8 O.14. 1.Joh.2.O.32. Filii Dei ex gratia, Luc.20. v.36. Filii Ecclesiæ, Johan.6. v.45.S. Flii lucis, Luc.16. v.8.S. Joh.12. v.36. S. Ephes.5. v.8.S. 1.Thess.5. v.5.S. Quo sensu Abraham epulonem in inferno positum nominarit filium, Luc.16. v.25.S. Filii contumaciæ, Eph 2.v.2. Eph.5.v.6. Filii iræ, Eph.2. v.3.S. Filii exsecrationis, 2.Pet.2.v.14.*

Finis. *Finis pro mercede, 2.Cor.11. v.15. 1.Pet.1. v.9. Pro exitu seu eventu, Jac.5 v.11. 1.Pet. 4.v.17. Pro scopo, Rom.10.v.4. 1.Tim.1.v.5.*

FL.

Flagellum. *Flagella: id est, morbi, aliave vitia aut defectus corporis, aut denique dæmonia hominem obsidentia, Marc.3. v.10. Marc.5. v.29. Luc.7.v.21. Vide ibi S.*

Fletus. *Exempla vide: Petri, Matth 26. v.75. Judæorum congregatorum ad funus filiæ Jairi, Marc.5. v.38. Viduæ in Nain, Luc.7. v.13. Christi, Luc.19. v.41. Johan.11. v 35. Mulierum Hierosolymitanarum, Luc.23.v.28. Mariæ Magdalenæ, Luc.7.v.38. Joh.20.v.11. Discipulorum Christi, Marc.16.v.10. Viduarum Joppensium, Act.9. v.39. Presbyterorum Ecclesiæ Ephesinæ, Act.20. v.37. Discipulorum Cæsariensium & comitum Pauli, Actor.21. v 13. Corinthiorum, 2.Cor.7. v.7. Johannis Apostoli, Apoc.5. v.4. ¶ Judæi solebant flere ad monumenta cognatorum recens sepultorum, Joh.11.v 31.*

FO.

Fœdus. *Vide Fedus.*

Forma. *Quo sensu dicat Paulus de Christo, quòd fuerit in forma Dei, quodq; assumserit formam servi, Phil.2.v.6.S.*

Forte, *à Fors. Vide Marc.14.v.2.S. Luc.3 v.15.S. Luc.14.v.29.S.*

Fortitudo. *De fortitudine in defendenda doctrina Christiana, 1.Tim.6.v.12.&c.*

Forsitan. *Rom.5.v.7.S.*

FR.

Frangere. *De fractione panis in cæna Domini, vide Matth.26.v.26.S.& O.23. Act.20.O.4. ¶ Fractio panis pro cæna Domini, Actor.2. v.42. Act.20. v.7. ¶ Frangere panem pro distribuere, Act.2.v.46.*

Frater. *Frater interdum significat cognatum in genere. Vide Matth.13. v.55.S. Johan.2.v.12. Johan 6.v.3. Rom.9. v.3. Gal.1.v.19. Fideles sunt fratres Christi, Matth.28.O.10. Fratres vocantur fideles seu Christiani inter se, Act.14.v.2. Vide ibi S. 1.Cor.5.v.11. 1.Cor.6. v.5. 1.Cor.7. v.12. 2.Thess.3.v.9. Jac 2 v.15. 1.Joh.3. v.17. 1.Joh.5. v.16. Per fratres Paulus interdum intelligit ministros verbi: ut 1 Cor.1.v.1. 2.Cor 11.v.9 Philem.v 1. Heb.13. v.23. ¶ Frater: id est, fraterno amore conjunctus, 1 Thess.3.v.2.*

Fraternitas: *pro multitudine seu cœtu fratrum, id est, fidelium seu Christianorum, 1.Petr.2. v.17. 1.Pet.5.v.9.*

Fructus justitiæ. *Phil.1.v.11.S.*

FU.

Fuga. *De fuga periculorum, vide Matth.2. O 18. Matth.24.O 8. Act.14.O 5. Actor.20. O 1. ¶ De fuga discipulorum Christi, vide Matth.26.v.56.*

Fugere *pro effugere, Heb.11.v.34. Heb.12.v.25.*

Funus. *De more funerum Judaico, vide Matt 9. O.13. Luc.7.O.2.*

Funerare *quid sit, Joh.12.v.7.S. De funeratione Christi, vide Marc.14.v.8.*

Futuri temporis verbum interdum notat actum continuum seu consuetum. Exemplum vide Luc.19.v.26.

GA.

Gabbatha. *Joh 19. v.13.S.*

Gadara, & Gergessa *fuerunt oppida vicina, Matth.8. v.28 S. ¶ Cur Gadareni aluerint porcos, ibid.v.30 S.*

Gaji cujusdam hospitalitas laudatur, 3.Johan. v.5.& 6.

Galatæ reprehenduntur à Paulo propter levitatem per quam à doctrina ab ipso accepta citò defecerant, doctrinam pseudapostolorum quorundam amplexi, Gal.1. v.6. & seqq.

Galaticam regionem peragravit Paulus, Act. 18.v.23.

Galilæa gentium quænam dicatur, Matth.4. v.15.S.

Galilæi quomodo Christum exceperint, Johan.4. v.43. & seqq.

Galli gallinacei canere dicuntur, Matth.26. v.34.S.

Gamalielis consilium vide Act.5.O.17.

Gaudium. *Quam ob rem sit gaudendum, Luc.10. v.20. Gaudii solidi origo. Luc.10.O.5. Joh.15. O.7. Joh.17.O.12. Gaudium verum quodnam sit, Joh.15. O.7. Act.13. O.14. 1.Thess.5.O.9. De gaudio mundano vide Jac.4.O.8.*

Gazophylacium. *Luc.21.v.1.S. Joh.8.v.20.S.*

GE.

Gedeonis fides celebratur Heb.11. v 32. &c.

Gehenna. *Vocabulum hoc declaratur Matth.5. v.22.S. Jac.3.v.6.S Quòd gehenna sit, Matthæi 5. O.22. Matth.8.O.23. Matth.10.O.25. Luc.8.O.4. Luc.16.O.15. Gehennæ cruciatus, Matth 26.O.29. Luc.13. O.9. Luc.16.O.8.*

Gehennæ periphrasis, Matth 11. v 22. Luc.16. v.23.S. & v.28. Gehennæ descriptio, Luc.16. v.23.S.

Gemitus. *De gemitibus piorum vide Matth.5. O.26. Rom 8.v.26. Gal.4.O.6.*

Genealogia Christi. *Vide sub titulo* CHRISTUS.

Generatio. *Liber generationis, id est, genealogia, Matth.1.v.1.S. ¶ Generatio, id est, ii qui generarunt, vel qui generati sunt Matth.1 v 1. S. Vocabulum generatio, Græcè γενεὰ, quàm variè accipiatur, vide Matth.1.v.17.S.*

Genesareth. *De lacu Genesareth vide Johan.6. v.1.19.S.*

Genitivus. *Interdum notat objectum seu subjectum occupans, ut Matt.13.v.19 36. Matt.14. v.1. Marc.6.v.7. Marc.11. v.22. Luc.6.v.12. Luc.21.v.4. Joh.2. v.17. Joh.7.v.13. Joh.17. v.2. Joh.19.v.38. Joh.20.v.19. Actor.13.v.31. Act.14.v.3. Act.18.v.25. Act.19.v.10. Act.20. v.24.32. Actor.22.v.20. Rom.1.v.16. Rom.3. v.17. Rom.15. v.16. 1.Cor.2.v.6.18. 1.Cor.9. v.12. 1.Cor.15. v.15. Gal.3. v.14. Col.2. v.2. 1.Thess.1. v.8. 2.Thess.1. v.7. 2.Thess.2. v.13. 1.Tim.1. v.7. Tit.1. v.1. Heb.10. v.29. Jac.4. v.4. 1.Pet.1.v.22. 1.Pet.2.v.19. Interdum notat adjunctum, sive inhærens, sive adhærens, sive occupatum: ut Matt.13.v.42.50. Marc.1. v.24.*

v.24. Marc.11.v.30. Luc.4.v.22. Luc.9.v.20. Luc.16.v.8. Luc.18.v.6. Joh.1.v.29. Johan.4. v.34. Johan 6.v.28.29. Act.7.v.2.8. Act.28. v.28. Rom.1.v.17. Rom.5.v.2. Rom.8.v.3.33. Rom.10. v.8. Rom.12.v.20. Roman.15.v.7. 1.Cor.2.v.4. 2.Cor.4.v.4. Gal.6.v.1. Eph.2. v.20. Ephes.3.v.7. Eph.4.v.24. Col.3.v.12. 1.Thess.2. v 5.13. 2.Thess.1.v.7.8. 2.Thess.2. v.3.9.10. 1.Tim.1.v.11. Tit.1.v.1. Tit.2.v.13. Heb.1.v.3.8. Heb.4.v.2. Heb.9.v.5. Heb.11. v.9. Jac.1.v.20.25. Jac.2.v.1.4.1.Pet.1.v.1.14. 1.Joh.3.v.17. Interdum speciem: ut Matth.24. v.30.S. Marc.14.v.62. Luc.4.v.33. Johan.2. v.21. Joh.11.v.13. Act.1. v.17. Act.2.v.33.39. Act.7.v.36. Act.8.v.5. Act.16.v.16. Rom.1.v.5. Rom.4. v.11.12. Rom.7. v.24. Rom.8. v.21. 2.Cor.5.v.5. Ephes.6.v.14.16.17. Col.3.v.24. 1.Thess.4. v.5. 1.Thess.5. v.8. 2.Thess.1. v.11. Tit.3.v.5. Heb.10.v.1. Jac.1.v.12.1.Pet.1.v.13. 1.Pet.5.v.4. 2.Pet.2. v.2. Interdum causam efficientem: ut Matth.25.v.34. Marc.1.v.24. Luc.7.v.28. Joh.12.v.43. Act.15.v.11.20. Vide ibi S. Act.17.v.29. Actor.28.v 28. Rom.1. v.25. Rom 7.v.6. Rom.11.v.5. 1.Cor.2. v.7. 1.Cor.15. v.58. Gal.5.v.5. 1.Thessal.1. v.6.8. 1.Thess.2.v.2.13. 2.Tim.1. v.8. 2.Tim.4.v.8. Philem.v.1.9.13. Heb.11. v.26. Jac.5. v 11.15. 1.Pet.1. v.14. Interdum effectum: ut Luc.1. v.69.79. Luc.13.v.11. Joh.6.v.68. Joh.8.v.12. Rom.5.v.18. Rom.15.v.5.13.16. Phil.2.v.16. 1.Thess.5.v.23.2.Tim.1.v.7. Heb.1.v.9. Heb.12. v.10. Heb.13.v.20.1. Johan.1.v.1 Interdum finem seu causam finalem: ut Joh.17.v.12. Vide ibi S. Rom.8.v.36. 2.Thess.2.v.3. Interdum materiam: ut Actor.2.v.3 Interdum ponitur partitivè: id est, notat distributionem, seu totum quod distribuitur: ut Rom.15.v.26. ¶ Genitivus pluralis habet vim superlativi, in Epist.Jud.v.13.& 18.

Gentes. *De vocatione gentium vide Matth.2. O.3. Matth.8.O.10. Act.13.O.13. Rom.3.O.15. Rom.4. O.9. Rom.10.v.12.& seqq. Rom.15. O.4. Gentium profanarum periphrasis, Rom.1. v.18. Vide ibi S. De gentium damnatione vide Rom.2. O.6.*

Gergessa. *Vide* Gadara.

Germinare *transitivè positum, Jac.5.v.18.S.*

Gethsemane. *Vide Matth.26. v.36.S.*

GI

Gignere: *id est, ad fidem Christianam adducere, 1.Cor.4 v.15. Phil.v.10. ¶ Gigni ex Deo, quid sit, Joh.1.v.13.S.*

GL

Gloria. *Gloriæ vocabulo in scriptura interdum significatur majestas: ut Matth.6.v.29. vide ibi S. Joh.2.v.11. Joh.12.v.41. De gloria vide Luc.5.O.5. Gal.6.O.4. ¶ Interdum gloriæ vocabulo significatur felicitas cælestis seu vita æterna: ut Joh.17.v.22. Rom.3.v.23. Rom.5. v.2. Rom.9.v.23. Rom.15.v.7. ¶ Interdum arca fœderis: ut Rom.9. v.4. Gloriæ cælestis in sanctis erunt gradus, 1.Cor.15.O.17. per quem adipiscamur gloriam illam cælestem, Col.1. O.42. Gloriam Deo dare, pro, confiteri veritatem, Joh 9.v.24 Vide ibi S. Gloria Dei deficit, quid sit, vide Rom.3.v.23.S.*

Gloriatio. *De gloriatione vide Rom.8. v.38.S. Rom.15.O.6.1.Cor.9.O.2. De glorianti ratione, vide Joh.4. O.8. 2.Cor.1.O.11. 2.Cor.10. O.3. Phil.3.O.9.*

Gloriatio Pauli *Rom.11. v.13. S. vide titulum,* Paulus. *Gloriatio pseudapostolorum, 2.Cor. 10.v.1.& seqq.*

Glorificatio electorum. *vide Matth.17. O.1. Rom.8.v.30.S. 1.Cor.6.O.6. Phil.3.O.26.*

GO

Golgotha. *vide Matt.27.v.33.S. Joh.19.v.17.S.*

Gottestracht/ Götzentracht. *1.Cor.8.v.9.S.*

GR

Grabatus *Joh.5.v.10.S.*

Gradatio. *Logica gradationis exempla vide Rom.8.v.34.1.Cor.9.v.1. ¶ Rethorica gradationis exemplum vide Rom.10.v.14.15.*

Græcanici, ἑλληνισταί. *Act.6.v.1.S. Actor.9.v.29. Act.11.v.20.S.*

Græci *pro proselytis, Joh.12.v.20. Græci pro gentibus incircumcisis, Rom.2.v.9. Vide ibi S.*

Græcismus. *Exempla vide Matth.1.v.18. Matthæi 11.v.1. Matth.22.v.16. Marc.1.v.4.44. Marc.5. v.3.36.37. Marc.6.v.6.48. Marc.7. v.2. Marc.9.v.44. Marc.14.v.8.67. Marc 15. v.12.34. Marc.16. v.8. Luc.1. v.11. Luc.2. v.9. Luc.3.v.13.19. Luc.4.v.2.18. Luc.5.v.4. 9.10.33. Luc.6. v.8.10.34.41. Luc.7. v.11. 21.29. Luc.8. v.1.43. Luc.9. v.3.36.43.46. Luc.13. v.12.28. Luc.14. v.1.3. Luc.15. v.2. 7.16. Luc.16. v.24. Luc.19. v.3.37. Luc.20. v.40. Luc.21.v.2.20 Luc.22.v.18.26. Luc.23. v.2.15.41. Luc.24. v.25.28.37.38. Johan.2. v.22. Joh.6.v.29.63. Joh.7.v.14.24. Johan.9. v.33. Joh.1.v.1.19. Joh.13.v.23. Joh.15. v.20. Johan.17 v.5.9. Joh.21.v.10. Act.1.v.1.2.22. Act.3.v.21.25. Act.4.v.7. Act.5.v.42. Act.6. v.13. Act.7. v.17.24 45. Act.8.v.1.16.23.24. Actor.9. v.23.28.36.43. Actor.13.v.2.10.39. Act.14.v.3.7.21. Act.15.v.19.23.35. Actor.16. v.3.9.12.22. Act.17.v.31 Act.18.v.10. Act.20. v.6.13.37. Act.21.v.19.24.32. Actor.22.v.10. 15.20.25. Act 23.v.29. Act.24. v.19. Act.25. v.11.20. Act.26. v.11.22.26 Roman.1. v 28. Roman.2. v.21.22. Rom.4.v.21. Rom.8.v.15. Roman.14. v.13. Rom.15.v.26. 1.Cor.4.v.15. 1.Cor.7.v.10.11. 1.Cor.9.v.17. 1.Cor.13. v.13. Gal.4.v.12. Ephes.2.v 4.10. Ephes.4. v.1.22. Phil.3. v.16. Coloss.1. v 9.18. 2.Thess.1. v.4. 2.Thess.2. v 3. 1.Tim.1. v.11. 2.Tim.3. v 14. Heb.6.v.6. Heb.9.v.5. Heb.10.v.22.23. Jac.1. v.1.17. Jac.2.v.5.13.14. Jac.3.v.7. 2.Pet.1.v.3. 4. 2.Pet.2.v.10.12. 1.Joh.2.v.22. 1.Johan.3. v.24. 1.Joh.5.v.16. Epist.Jud.v.15.*

Gratia Dei. *Vide*, Deus. *Augustini dictum de gratia Dei, vide Rom.11.v 6.S. ¶ Gratia, id est, præmium, Luc.6.v.32. Vide ibi S. ¶ Gratia Dei pro facultate docendi à Deo accepta, 1.Cor.3.v.10.*

Gratificari, *Luc.7.v.21.S.*

Gratiosus. *Luc.4.v.22 S.*

Gratitudo. *De gratitudine erga Deum vide Matth.20.O.40. Luc.17.O.9. 2.Cor.1.O.7.*

Grex Dei *pro cœtu fidelium, 1.Pet.5.v.2.*

GU

Gubernatio Dei. *Vide*, Deus.

Gustare *pro cibum capere, Act.10.v.10.*

HA

Hæresis. *Heresis pro religione, Act.28.22. ¶ Heresis Nazarenorum, Actor.24. v.5.S. Consolatio contra hæreses, Matt.22.O.16.1. Cor.11. O.10. Consolatio confessorum veritatis cœlestis contra crimen hæreseos, Joh.19.O.5.*

Hæreticorum mos, *2.Pet.2.O.4.*

HE

Hebdomas Hebraicè, *1.Cor.16.v.2.S.*

Hebræi. *Quòd epistola ad Hebræos sit θεόπνευστος, id est, à Deo inspirata. Vide prolegomena in analysin illius epistolæ. Quòd eadem epistola scripta sit à Paulo, vide ibid. & 2.Pet.3.O.9. Quòd Græcè à Paulo scripta sit, vide ibid.*

Hebraismus. *Exempla Hebraismorum vide Matt.1.v.1.11.21. Matt.2.v.1.2. Matt.5.v.13. Matth.6.v.25.34. Matth.7.v.2.6. Matth.11. v.8.25. Matth.21. v.23.42. Matth.22. v.1. 15.29.51. Matth.25.v.31. Matth.26.v.52.53. 62. Matth.27. v.19. Marc.1. v.23.24.45. Marc.3. v.4. Marc.4. v.29.33. Marc.5. v.2. 34. Marc.7. v.25. Marc.8. v.12.34. Marc.9. v.10.12.13.29.35. Marc.10. v.16. Marc.12. v.35.36.38. Marc.13. v.24. Marc.14. v.60. Marc.16 v.2. Luc.1. v.6.7.14.17.20.28.30. 31.36 42.44.48.54.64.65.75. Luc.2. v.15. 16.21.23.26.27.28.34.36.38.50.51. Luc.3.v.5. 16.19. Luc.4. v.1.2.21.22.26.32.36. Luc.5. v.2.8.11.12. Luc.6. v.38. Luc.7. v.1.7.11.12. 18.29. Luc.8.v.19. Luc.9.v.5.27. Luc.10.v.5. 21. Luc.11.v.38. Luc.12.v.20.48. Luc.13.v.4. 9. Luc.14.v.1.55.27. Luc.16.v.2.9.21. Luc.17. v.4.11.14.24. Luc.18. v.6. Luc.19. v.10.15. 42. Luc.20. v.2.3.11.17.34.36. Luc.21. v.8. 19.34. Luc.22. v.15.34.36.41.44.49.59.68. Luc.23.v.28.31.42.47. Luc.24.v.1.11.25.31. 38.53. Johan.1. v.15 20.26.27. Johan.2. v.4. 12.18. Joh.3.v.1.3.23.29.36. Johan.4. v.1.14. Joh.5.v.4. Joh.6.v.60. Joh.7.v.3.24.38. Joh 8. v.21.26.51. Joh.10.v.28. Joh.11. v.22. Joh.12. v.14.16.19.36.38.46. Joh.15.v.2.25. Johan.16. v.30 Joh.17.v.2.3.19. Joh.18.v.11. Joh.20.v.2. Joh.21.v.6. Act.1.v.3.5.21. Act.2. v.6.17.26. 29.41. Act.3. v.13.16.22.23. Act.4.v.7.11.17. 24.25. Act.5. v.4.20.23.32.37.38.39. Act.6. v.5. Act.7. v.6.21.23.29.30.34.37.40.43.46. Act.8. v.6.21.23.27. Actor.9. v.2.5.15.23.27. Actor.10.v.4.5.29.30.31.34.37.41.49. Act.11. v.14.27. Actor.12. v.3. Actor.13. v.11.34.36. 39. Actor.15. v.6.17.23. Actor.16. v.7.10.18. Act.17. v.2.16.31 34. Act.18.v.21.25. Act.19. v.21.38. Act.20.v.7.19. Actor.22.v.4.16.28. Actor.23. v.14.27. Actor.26. v.7.11.20.25. Act.27.v.6.22.44. Rom.1.v.4.10.18.20.24.25. 26.27. Rom.2.v.3. Rom.3.v.7. Rom.7. v.15. Rom.8.v.6.15. Rom.9. v.3.17.22.28. Rom.10. v.5.16. Rom.11. v.2.14.33.35. Rom.12.v.8.20. Rom.15.v.6.9.13.1.Cor.1.v.17.21.29.1.Cor.4.6. 21. 1.Cor.5.v.1.1.Cor.9.9.1.Cor.11.25.1.Cor.14. v.2. 1.Cor.15. v.19.45.54. 1.Corinth.16. v.2. 2.Corinth.4. v.4. 2.Cor.5. v.6. 2.Cor.6.v.1. 2.Cor.7.v.6. 2.Cor.8. v.2.4. 2.Cor.9. v.6.13. 2.Cor.10. v.15. 2.Cor.11. v.15. 2.Cor.13. v.1.11. Gal.1. v.6.16. Gal.2. v.10.16.17. Gal.3. v.14. Gal.6.v.1. Ephes.1. v.3.6.11. Ephes.2.v.2.3.15. Eph.3.v.7.18. Eph.4.v.2.12.21.24. Ephes.5.v.5. 6.8.18.23. Phil.1.v.18. Phil.2. v.10.13. Coloss.1. v.13.28. Col.2.v.20.1.Thess.1.v.1.3.6.1.Thess.2. v.2.3.5.11.17. 1.Thess.3. v.3. 1.Thess.4. v.4.5. 12.16.18. 1.Thess.5. v.5.26. 2.Thess.1. v.7.8.9. 11. 2.Thess.2. v.3.8.9.10.13.16. 1.Tim.1. v.11. 12.17. 2.Tim.1.v.18. Tit.2.v.13. Heb.1.v.1.3. 7.8. Hebr.2. v.3.21. Heb.3. v.12. Hebr.4. v.2. Heb.8. v.11. Heb.10. v.22.39. Heb.11. v.5.9.12. 34. Heb.12. v.15. Heb.13. v.14.15. Jac.1. v.11. 21.23.25. Jac.2. v.1.4.6.7. Jac.3. v.9.18. Jac.4.v.17. Jac.5.v.11.17. 1.Petr.1. v.1.2.4.9. 14.22. 1.Petr.2.v.2.24. 1.Pet.3.v.20. 2.Pet.1. v.1.2.13.17.20. 2.Petr.2. v.1.3.10.12.14.16. 17. 2.Pet.3. v.1.5.14.18. 1.Johan.1. v.6. 1.Joh.2. v.3.21.27. 1.Johan.3. v.12.15.17.22. 2.Johan. v.1.3.12.3. Johan. v.15. Epist.Jud.v.9.13.14.15. 16.18.20.*

Hellenismus. *Vide* Græcismus.

Helvidius. *Vitiosa ejus argumentatio de virgine Maria, matre Domini, Matth.1.v.24.S.*

Hendiadys. *Exempla vide Matth.4. v.16. S. Matth.9. v.34.S. Matth.17. v.21. Matth.20. v.20. S. Matth.21. v.5. S. Marc.6. v.26. S. Luc.1.v.17. Luc.2.v.47. Luc.21.v.34.S. Luc.23. v.2. Johan.3.v.5.S. Joh.4.v.23. Johan.6.v.63. Act.14.v.13.17. Act.15.v.28. Rom.1.v.5. Rom.2. v.20.27. Rom.5. v.17. Rom.8. v.2. Rom.11.17. Rom.15. v.4.13. 1.Cor.2. v.4. 1.Corinth.11. 7. 1.Thess.1.v.5.2.Thess.2.v.9.1.Tim.3.7.15.1.Pet.1. 2. 2.Pet.1.v.10.*

Herodes. *Herodes magnus à quibus creatus fuerit rex Judææ, Matth.2. v.1.S. ¶ Herodis tetrarchæ judicium de Jesu, Marc.6. v.14. Quomodo Herodes tetrarcha decollaverit Johannem, Matth.14.3. &c. Marc.6.v.16. &c. Herodis fermentum, Marc.8.v.15. Herodes nominabatur à Christo vulpes, Luc.13. v.32. Studebat videre Jesum, Luc.9.9. ¶ Herodes cognomento Agrippa Jacobum, fratrem Johannis, interemit gladio, Act.12. v.1.2. Petrum in carcerem conjecit, ibidem v.3. &c. Percussus fuit ab angelo, & à vermibus erosus, ibid.v.23.*

Herodiani quinam dicantur, *Matth.22. v.16. vide ibi S. Tentabant Christum quæstione de censu, Marc.12.13.*

Herus. *De officio herorum, Eph.6.O.5.*

Heterosis. *Exempla vide Marc.13. v.16. 24. Marc.14. v.2.9. Marc.15. v.14. Luc.1.v.17.20. Luc.5.23. Luc.6.v.2.46. Luc.7.50. Luc.8.v.48. Luc.9. v.43. Luc.10. v.3. Luc.13. v.9. Luc.14. v.1. Luc.17. v.8.34. Luc.18.v.1. Luc.20.v.2.4. 17.36. Luc.22.v.27.49. Luc.23.v.42. Luc.24. v.25. Joh.1.v.18. Joh.2.23. Joh.5.v.20. Joh.6. v.45.65. Johan.7. v.17.22.26.28. Joh.8. v.2. 9. Joh.12.v.16. Act.1.v.11. Act.4.v 5.7.9. Act.7. 45. Act.8.v.23.27. Act.10.v.4.49. Act.18.v.21. Act.19.22. Act.25.v.20. Act.26.v.20. Act.27. v.20. Roman.1.v.21. Rom.2.v.16. Rom.6.v.4. Rom.8.v.6.8.11. Roman.9. v.20. Rom.10.v.18. Rom.11.36.1.Cor.9.v.15.2.Cor.1.v.17.2.Cor.7. v.9. Gal.1.6. Gal.2.11. Eph.4.v.2.12. Phil.1.29. Phil.2.16. Phil.3.v.5.15.1.Thess.4.v.7.2.Thess.1. v.4. 2.Tim.2.25. Heb.9.v.2. Jac.4.v.3. Jac.5. v.3. 2.Pet.1.v.2.3.*

HI

Hierarchia Ecclesiastica in Papatu, Col. 2. O. 26.

Hieronymi expositio verborum Salomonis, Carbones ignis coacervabis super caput ejus, Rom. 12. v. 20. S. ejusdem expositio verborum Pauli, 1. Cor. 7. v. 36. Erga virginem suam. Vide ibi S.

Hierosolyma. Vocabulum hoc declaratur, Matthæi 2. v. 1. S. Urbs Hierosolyma fuit ἡ πόλις, Matth. 2. v. 1. S. Cur nominetur Urbs sancta, Matth. 4. v. 5. S. Obsidio ejus per Romanos, Matth. 24. v. 15. Marc. 13. v. 14. Luc. 21. v. 5. &c. Ingressus Christi regius in illam, Luc. 19. v. 28. &c. Fletus Christi super illius excidio, Luc. 19. v. 41. &c. ¶ Ecclesia Hierosolymitana, Act 2. v. 41. Actor. 4. v. 4. Item v. 24. & seqq. Act. 11. v. 2. S. Act. 12. v. 24. Act. 15. v. 1. &c. Quid Hierosolymæ egerit ac perpessus sit Paulus, Act. 9. v. 26. &c. Actor. 18. v. 22. 23. Act. 21. v. 17. &c. Act. 21. v. 1. &c. Act. 23. per totum. ¶ Concilium Hierosolymæ celebratum, Act. 15. v. 1. &c.

HO

Homo. De statu integritatis in homine ante lapsum, Marc. 1. O. 17. De corrupta hominis natura, Matth. 8. O. 18. 27. Matth. 13. O. 9. Matthæi 15. O. 9. Matth. 19. O. 16. Matth. 20. O. 19. 23. 27. Matth. 26. v. 37. Marc. 9. O. 5. Luc. 10. O. 2. Luc. 18. O. 12. Joh. 1. O. 4. 9. Joh. 4 v. 14. S. & O. 3. 7. 13. Joh. 7. O. 15. 16. 20. Joh. 18. O. 19. 21. 22. Johan. 19. O. 8. Actor. 14. O. 7. Rom. 7. O. 5. Rom. 8. O. 8. 1. Cor. 2. v. 14. S. & O. 16. 1. Cor. 5. v. 7. S. Gal. 1. O. 9. Phil. 3. O. 3. Col. 1. O. 17. 30. 2. Tim. 2. O. 19. Jac. 4. O. 4. 1. Pet. 4. O. 2. Epist. Jud. O. 9. De hominis mortalitate, Luc. 7. O. 1. De misera hominis conditione, Matth 8. O. 21. Rom. 3. O. 6. Eph. 2. O. 1. 8. Eph. 4. v. 8. Eph. 5. O. 7. Col. 1. O. 17. 30. 2. Tim. 2. O. 19. 1. Petr. 2. O. 11. De hominis infirmitate, Matth. 17. O. 6. 1. Petr. 1. O. 38. Apocal. 4. O. 6. Homo duplex, 1. Pet. 3. v. 4. S. Hominis status post hanc vitam, Luc. 1. 6. O. 18. ¶ Homo Dei pro ministro verbi Dei, 1. Tim. 6. v. 11. 2. Tim. 3. v. 17. Hominum profanorum mos, Act. 24. O. 4. 5. Act. 25. O. 4. 5. Act. 26. O. 4. Act. 27. O. 2.

Homicidium, Heb. 11. O. 7.

Honor pro alimentis, 1. Tim. 5. v. 17.

Hora. Quomodo horas numerarint Judæi, Matth. 20. 3. S. Matth. 27. v. 4. S. Act. 3. v. 1. S. ¶ Hora Christi, Joh. 7. v. 30. S.

Hosanna. Vocabulum hoc explicatur Matth. 21. v. 9. S.

Hospitalitas. Vide 1. Tim. 5. O. 11. Philem. O. 23. Heb. 13. v. 2. 1. Pet. 4. O. 10. Exempla hospitalitatis, Act. 10. O. 4. 3. Joh. v. 5. 6.

Hostes Evangelii, Matth. 22. O. 10. 22. 29. Matthæi 23. O. 20. Matth. 28. O. 11.

Hozias. Vocabulũ hoc declaratur Matt. 1. v. 8. S.

HU

Humanitas. Exemplum humanitatis vide Act. 28. O. 1. ¶ De humanitate erga rudiores Christianos vide Rom. 15. v. 1. &c.

Humilitas. Quid sit humilitas, Phil. 2. O. 2. Exempla humilitatis, Phil. 1. O 1. Phil. 2. v. 5. & seqq. Necessitas humilitatis, Matt. 11. O. 35. Matt. 18. v. 3. & O. 2. Matt. 20. O 31. Marc. 9. v. 33. &c. Utilitas humilitatis, Matth. 20. O. 30.

HY

Hydria. Quid per hydrias Joh. 2. v. 6. intelligendum, vide ibi S.

Hydropicus. Quidam hydropicus subitò sanatus fuit à Christo, Luc. 14. 1. &c.

Hymnus. De hymnorum decantatione in esu agni paschalis vide Matth. 26. v. 30. S.

Hypallage. Exempla vide Matt. 8. v. 3. Matt. 18. 9. Matth. 24. 29. Luc. 3. v. 23. Luc. 13. v. 11. 15. Act. 2. 24. Act. 7. v. 30. Act. 19. v. 12. Actor. 21. v. 3. Actor. 27. 27. Rom. 4. v. 2. Rom. 5. v. 17. Rom. 6. v. 17. Roman. 8. v. 19. 26. Rom. 9. v. 31. Roman. 11. v. 33. 1. Cor. 1. v. 21. 2. Cor. 4. v. 13. 2. Cor. 5. v. 1. 2 Cor. 8. v. 2. 2. Cor 9. v. 13. Gal. 3. v. 14. Gal. 5. v. 4. Ephes. 1. v. 6. 7. Eph. 2. v 14. Col. 2. v. 2. 1. Thess. 1. v. 3. 2. Thess. 1. v. 9. 1. Pet. 2. v. 15. 1. Pet. 3. v. 7. 20. 2. Pet. 2. v. 18.

Hyperbaton. Exempla vide Eph. 2. 1. Eph. 3. v. 1.

Hyperbole Exempla vide Matt. 5. v. 39. Matt. 6. v. 3. 17. Matt. 10. v. 22. Matt. 13. v. 57. Matt. 17. v. 20. Matt. 18. v. 22. Matt. 23. v. 24. Marc. 13. v. 13. Marc. 16. v. 35. Luc. 2. v. 1. Luc. 8. v. 41. Luc. 10. v. 4. Luc. 11. v. 46. Luc. 21. v. 4. Joh. 7. v. 38. Joh. 12. v. 19. Joh. 21. v. 25. Act. 2. v. 20. Act. 24. v. 5. Rom. 1. v. 8. 1. Cor. 2. v. 8. 1. Cor. 4. v. 15. 1. Cor. 7. v. 1. 1. Cor. 8. v. 1. 1. Cor. 9. v. 15. 1. Cor. 13. v. 1. 1. Cor. 14. v. 19. 1. Cor. 15. v. 31. 2. Cor. 11. v. 23. Gal. 4. v. 15. Col. 1. v. 23. Heb. 8. v. 11. Jac. 3. v. 6. Jac. 4. v. 2. Jac. 5. v. 4. Epist. Jud. v. 12.

Hypocrisis, hypocrita. Periphrasis hypocritæ Syriaca, Luc. 13. v. 15. S. Scribarum & Pharisæorum hypocrisis, Matth. 23. v. 1. &c. Ingenium & mores hypocritarum, Matt. 5. O. 14. Matt. 12. O. 6. Matth. 20. O. 11. Matt. 21. O. 22. 23. Matth. 23. O. 2. 3. 7. Matt. 25. O. 4. Matt. 26. O. 5. 21. Matth. 27. O. 4. Marc. 11. O. 1. Luc. 7. O. 8. Joh. 4. 12. S. Joh. 8. O. 2. Joh. 9. O. 15. Joh. 12. O. 1. Joh. 13. O. 17. Johan. 18. O. 12. Joh. 19. O. 21. Act 7. O. 7. Actor. 24. O. 1. Hypocrisis homini innata est, Matth. 7. O. 5. Hypocritarum conditio, Joh. 13. O. 7. Johan. 15. O. 2. Act. 8. O. 10. Act. 23. O. 2. Rom. 2. O. 1. Tit. 1. O 18. Heb. 4. O. 10. Exitus hypocritarum, Matth. 19. O. 24. Matth. 21. O. 15. Matth. 22. O. 15. Matth. 23. O. 19. Matth. 25. O. 8. 11. Luc. 13. O. 12. Joh. 8. O. 15. Actor. 5 1. &c. 1. Tim. 5. O. 21. Hypocrisis fugienda est, Matt. 23. O. 18. Luc. 16. O. 3. Act. 5. O. 1. Epist. Jud. O. 18. Familiaris hypocritarum conversatio fugienda est, Matth. 26. O. 5. Reprehenduntur hypocritæ, Roman. 1. v. 1. &c. 2. Cor. 11. v. 13. &c. Consolatio contra hypocritas, Joh. 9. O. 11. 14. Act. 5. O. 1. 2. Tim. 2. O. 15. 2. Tim 3. O. 1.

Hyssopus, Matth. 27. v. 48. S.

IC

Iconium. Quid Iconii egerint ac perpessi sint Paulus & Barnabas, Act. 14. v. 1. &c.

ID

Idololatria. Quid sit, Col 3. O. 4. Duplex est idololatria, Eph. 5. O. 5. Ingenium idololatrarum. Luc. 9. O. 1. Act. 19. O. 11. 1. Cor. 12. O. 2. De idololatris vide plura Actor. 14. O. 10. 11. Act. 19. O. 9. 1. Cor. 10. O. 13. 27.

Idolothyta, 1. Cor. 8. 9. & 10. capitibus.

Idolum, 1. Cor. 8. v. 4. S. & O. 4. 1. Cor. 10. O. 27. Idola fugienda sunt, 1. Joh. 5. v. 21.

IG

Ignavia, Act. 13. O. 4. 2. Thess. 3. O. 2.

Ignis. Spiritus S. comparatur igni. Vide Joh. 3. 5. S. Item veritas cælestis, 1. Cor. 3. 13. Angeli nominantur ignis flamma, Heb. 1. v. 7. Vide ibi S.

Ignominia. Quomodo nos consolari debeamus, quum propter Christum ignominia afficimur, Joh. 15. O. 17.

Ignorantia Dei. Vide Eph. 4. O. 8. 2. Timoth. 3. O. 5. Ignorantia rerum divinarum in Papatu, Apoc. 8. O. 4.

IL

Illuminandi verbum quomodo intelligendum, Joh. 1. v. 9. Vide ibi S. Illuminatio mentis fit per gradus, Marc. 8. O. 4.

IM

Imago. De imaginibus seu figuris quibus repræsentatur Deus, vide Joh. 4. O. 11. Act. 17. O. 20. Rom. 1. O. 24. 1. Cor. 8. O. 4. ¶ Imago Dei invisibilis quo sensu dicatur Christus, Col. 1. v. 15. Vide ibi S. De imagine Dei in homine vide Eph 4. O. 2. Col. 3. O. 8.

Immisericordia erga pauperes fugienda est, Luc. 16. O. 10.

Imperfectio fidelium. Rom. 7. O. 6. Phil 3. O. 17. Col. 1. O. 33. Plura vide sub titulo, Fideles.

Impersonales loquutiones. Luc. 6. v. 38. Luc. 12. v. 20. 48. Luc. 13. v. 29. Luc. 16. v. 4. 9. Luc. 21. v. 12. Luc. 22. v. 55. Joh. 12. v. 16. Joh. 15. v. 6. Joh. 20. v. 2. Act. 13. v. 29. Act. 15. v. 2. Act. 16. v. 23. Act. 19. v. 33. Rom. 9. v. 17. Rom. 10. v. 10.

Impietas, impii. Vide Matth. 13. O. 13. Matth. 14. O. 6. Matth. 24. O. 7. Act. 16. O. 14. 21. Act. 18. O. 6. Rom. 1. 18. S. Heb. 12. O. 16. Jac. 2. O. 1. Apocal. 4. O. 4. Apoc. 6. O. 3. Apocal. 8. O. 2. Apoc. 16. O. 3.

Implere legem quid sit, Matt. 5. v. 17. Vide ibi S. Rom. 13. v. 8. 10. S.

Impœnitentia. Exempla vide Matth. 11. v. 16. &c. Apoc. 9. v. 20. 21. Impœnitentiæ merces, Apoc. 2. O. 32.

Imprecatio. Exempla vide Matt. 27. 25. Act. 18. v. 6. Gal. 5. v. 12. Vide ibi O. 6. 2. Tim. 4. v. 14. Vide ibi O. 20.

Impuritas. Consolatio contra conscientiam impuritatis spiritualis, Joh. 17. O. 17.

IN

Inanis: id est, sine fructu, 1. Cor. 15. v. 10. 14. Quo sensu rectè dicatur, panem & vinum sacræ Cœnæ non esse inania signa, 1. Thess. 2. v. 1. S.

Incestus exemplum vide 1. Cor. 5. v. 1.

Inconstantiæ exempla vide Matth 27. O. 11.

Incredulitas. De causa incredulitatis vide Joh. 8. v. 47. Act. 28. O. 12. De ingenio incredulorum vide Act. 27. O. 6. De eventu incredulitatis vide Matt. 13. O. 23. Matth. 21. O. 28. Matt. 22. O. 4. Luc. 1. O. 12. Luc. 13. 34. 35. Luc. 19. O. 9. Joh. 11. O. 21. Joh. 12. O. 28. Act. 28. O. 13.

Incuriæ exemplum in parentibus Christi, vide Luc. 2. v. 43.

Indigentia. Quid nobis faciendum, quum sentimus nos egere aliquo bono, Matth 7. O. 7.

Infans. In infantibus electis operatur Spiritus S. Luc. 1. O. 8. 26. De sanctitate infantium Christianorum vide 1. Cor. 7. O. 12.

Infernus. Vide Gehenna.

Infideles. Eph. 2. O. 9.

Infinitivus pro imperativo, 1. Cor. 7. v. 10. 11.

Infirmitas. Infirmitatis humanæ in sanctis exempla vide Matth. 26. v. 40. & seqq. & O. 52. Matth. 28. O 13. Luc. 1. v. 12. 18. Vide ibi O. 5. & 11. Johan. 6. v. 20. Vide ibi O. 12. Joh. 11. v. 39. Vide ibi O. 20. ¶ Infirmitas pro humili & abjecta conditione, 1. Cor. 2. v. 3. ¶ Infirmi: id est, rudes in doctrina Christiana, 1. Cor. 8. v. 9. 1. Cor. 9. v. 22.

Infructuosus, 2. Pet. 1. v. 8. 5.

Ingratitudo. De ingratitudine erga Deum vide Matth. 23. O. 23. Luc. 17. O. 10. Luc. 21. O. 3. ¶ Parabola de colonis ingratis, Marc. 12. v. 1 &c.

Ingredi & egredi, Act. 1. v. 21. S.

Inimici diligendi sunt, Matth. 5. O. 42.

Injuria. Injuriæ avertendæ sunt legitimis mediis, Act. 16. O. 20. Act. 22. O. 4. Act. 23. O. 3. Patienter ferendæ sunt, Matth. 5. O. 41. Matt. 26. O. 18. Matth. 27. O. 18. Jac. 5. O. 2. Condonandæ sunt, Matth. 18 21. &c. & O. 14. Marc. 11. 25. 26. Luc. 17. v. 3. 4. Consolatio contra injurias, Joh. 17. O. 21. 1. Pet. 2. O. 9. 1. Pet. 3. O. 9.

Injustitia. Rom. 1. v. 18. S. Injustitia pro falsitate seu mendacio, 2. Thess. 2. v. 10. 12. ¶ Injustitia pro perfidia, Rom. 3. v. 5.

Innocentia nostra contra calumnias adversariorum nobis est asserenda Matth. 12. O. 20.

Inobedientia & incredulitas cohærent, Heb. 3. O. 19.

Insidiæ. Quomodo Paulus ex insidiis Judæorum ereptus sit, Act. 23. v. 11. &c. Insidias vitare licet, Act. 9. O. 6. Consolatio contra insidias, Joh. 13. O. 19.

Intemperantia. Jac. 4. O. 3.

Internus homo, 2. Cor. 4. v. 16. S.

Interrogatio variam vim habet. Interdum habet vim reprehendendi: ut Matth. 9. v. 4. 11. 14. Matth. 12. v. 3. Matth. 15. v. 16. Matth. 16. v. 8. 9. 11. Matt. 19. v. 4. Matt. 21. v. 16. Matth. 26. v. 10. Marc. 4. v. 38. 40. Marc. 13. 2. Luc. 2. v. 49. Luc. 6. 3. Luc. 16. v. 2. Joh. 6. 61. Joh. 7. 23. Joh. 8. v. 46. Joh. 16. v. 31. Rom. 2. v. 21. Gal. 4. v. 21. Heb. 12. v. 5. Interdum indignandi: ut Matth. 12. v. 48. Matth. 15. v. 16. Joh. 7. v. 45. 47. Johan. 8. v. 46. 52. Joh. 9. v. 34. 40. Act. 16. v. 37. Interdum desiderii sciendi: ut Johan. 7. v. 36. vide ibi S. Interdum desiderii docendi: ut Johan. 13. v. 12. Rom. 13. v. 3. Jac. 2. v. 20. Jac. 3. v. 13. Interdum admirandi: ut Matt. 15. v. 16. Marc. 4. v. 41. Marc. 13. v. 1. Luc. 4. v. 22. Luc. 8. v. 45. Luc. 17. v. 18. Joh. 1. v. 51. Johan. 6. v. 61. Gal. 4. v. 15. Interdum miserendi: ut Joh. 16. v. 31. Interdum affirmandi: ut Luc. 12. v. 6. Joh. 7. v. 26. Heb. 10. v. 2. Jac. 2. v. 4. Interdum negandi: ut Luc. 5. v. 34. Luc. 18. v. 7. Johan. 1. v. 47. Johan. 6. v. 68. Joh. 8. v. 57. Joh. 13. v. 38. 1. Cor. 6. v. 2. 1. Cor. 9. v. 11. 1. Cor. 10. v. 19. Gal. 4. v. 16. Heb. 2. v. 3. Interdum irridendi: ut Joh. 8. v. 52. Joh. 13. v. 38. Interdum dehortandi: ut Joh. 11. v. 8. Johan. 13. v. 6. Interdum servit constituendo antecedenti enuntiati discreti: ut Joh. 6. v. 70. Joh. 7. v. 19. 25. Interdum ser-

Inobedientia & incredulitas cohaerent, Hebr.3.O.19.

Insidiae. Quomodo Paulus ex insidijs Iudaeorum ereptus sit, Actor.23.v.11.&c. Insidias vitare licet, Actor.9.O.6. Consolatio contra insidias, Ioh.13.O.19.

Intemperantia. Iac.4.O.3.

Internus homo, 2.Cor.4.v.16.S.

Interrogatio variam vim habet. Interdum habet vim reprehendendi: ut Matth. 9.v.4,11,14. Matth.12 v.3. Matth.15.v 16. Matth.16 v.8,9,11. Matt.19 v.4. Matt.21.v.16. Matt. 26.v.10. Marc.4.v 38,40. Marc. 13.2. Luc. 2.49. Luc.6.3. Luc.16. v.2. Ioh.6.61. Ioh.7, 23 Ioh.8.v.46. Ioh.16.v.31. Rō.2.v.21. Gal. 4.v.21. Hebr.12.v.5. Interdum indignandi: ut Matth.12.v 48. Matth. 15.v.16. Ioh.7.v. 45,47. Io.8.v.46,52. Ioh.9.v.24,40. Act 16 v.37. Interdum desiderij sciendi: ut Ioh 7.v. 36. Vide ibi S. Interdum desiderij docendi: ut Iohā.13.v.12. Rom. 13.v.3. Iac.2.v.20. Iac.3. v.13. Interdum admirandi: ut Matt.15.v.16. Marc.4.v.41. Marc.13.v.1. Luc 4. vers.22. Luc.8.v.45. Luc.17.v 18. Ioh.1.v.51. Iohā.6. v.61. Gal.4.v.15. Interdum miserendi: ut Ioh 16.v.31. Interdum affirmandi: ut Luc.12.v.6 Ioh.7.v.26. Hebr.10.v.2. Iac.2. v.4. Interdum negandi: ut Luc.5.v.34. Luc 18.v.7. Ioh 17.v.47. Ioh 6.v.68. Ioh.8.v.57. Ioh.13.v.38. 1.Cor.6.vers.2. 1.Cor. 9.v.11. 1 Cor.10.v.19. Gal.4.v 16. Heb.2.v.3. Interdum irridendi: ut Ioh.8.v.52. Ioh 13. v.38. Interdum dehortandi: ut Ioh.11.vers. 8. Ioh.13.v.6. Interdum servit constituendo antecedenti enuntiati discreti: ut Ioh.6 v.70. Ioh.7 vers.19.25. Interdum servit constituendo antecedenti enuntiati connexi: ut Ioh 14.v.1. Actor. 25.v.12.S. 1. Cor.7.v.18 21,27. 1.Cor.11.v.22. Iac.3.v.13 Iac.5.v.13. Interdum servit prolepsi: ut Rom. 14.v.22.2. Cor.11.v.22.23.

Invaletudo corporis patienter toleranda est pijs, Luc.16.O.11.

Invenire phrasi Hebraicâ idem valet quod nansci sei seu adipisci Exempla vide Luc.1 30.S. Ioh 12.v 14.2. Tim.1.v.18.

Inversio, τὸ βίαιον. Huiusce argumentationis exempla vide Matth. 9.v.12.S. Luc.11.vers. 48.S.

Invidia. De invidia cavenda vide Matth.26.v. 22,23.& O 22. Iac.2.O.4.

Invocatio De invocatione Dei & Christi vide Matth 9.O.16. Luc. 6. v.12.S. Caetera vide in titulo, Preces.

IP

Ipse. Pronomen hoc emphaticè usurpari solet, Rom 1.20.S.

IR

Ira. Quaedam ira licita & iusta est, Marc.3.O.2. Ira pro poena. Rom. 3.v.5.Rom.4.15. Rom.5.v.8. Rom.13.v.4.5. 1.Thess.5.9. De ira vide plura Eph.4.O.11.

Ironia. Exempla vide Matth.26 v.45. Marc.7. v.9. Ioh.8.v.56. 1.Cor.1.v.25. 1.Cor. 4. v.8. 2.Cor.10.v.12. 2.Cor.11.vers.5.19. 2.Cor.12.

Irritatio, Iac.3. O. 4.

IS (v.13.

Isaac. Vocabulum hoc declaratur Matt.1.2.S. Isaaci fides celebrat. Heb.11.20.

Iscariotes. Unde. Iudas Iscariotes sic dictus sit. Matt.10.v.4.S.

Isocratis sententia de morte, Heb.9.27.S.

Israëlitici populi praerogativa, Luc.2.O.31. Rom 9.v.4.5.

Israëlitarum fides celebratur, Heb.11.v.29.30.

Israël duplex: Corporalis & spiritualis, Rom.9. v.6.S

IT

Iter. De itineribus Christi vide Matth.4.v.12, 13.S. De itineribus Pauli vide Act 9.v.23,26, 30. Act.11.v.19. Act.12 v.25. Act.13 v.4.& deinceps. Act.14.v.6. Item v.24 & seqq. Act. 15.v.2,30,40,41 Act. 16. v.1,6,7,8,11,12, 40. Act 17.v.1,10,15. Act. 18. v.1,18, 9,21, 22,23. Act.19.v.1,21,22 Act.20.v.1,3,4,5, 6.13,14,15. Act 21.v.1 & deinceps. Act.23.v. 31,33. Act.27.v.1.& seqq. Act.28.v.11 &c.

IA

Iacob. Vocabulum hoc declaratur Matth.1.v.2 S. § Iacobus cognomento parvus, Marc.15.v. 40.S. § Iacobus frater Iohannis, ab Herode interemtus fuit gladio, Act.12.v.1,2. § Iacobi patriarchae fides celebratur Heb.11.v.21. § De Epistolae Iacobi authoritate & scriptore vide prolegomena in analysin illius.

Iairus. De filia Iairi vitae restituta vide Matth. 9.v.18. Marc.5.v.21 Luc.8.41.

Iakim. Vocabulum hoc declaratur Matth.1.v. 11.S.

IE

Iechonias. Vocabulum hoc declaratur Matth.1. v.11.S.

Iejunium. De modo ieiunandi vide Matth.6.v. 16.&c.& O.19. De ieiunio quadragesimali vide Matt.9.O.14. De recto ieiunij usu vide Matth.17.O.13. Act.10.O.7.1. Cor 7.O 5.6. Quomodo Christus defenderit discipulos suos contra criminationem discipulorum Iohannis propter omissionem ieiunij, Matt.9.14. Marc. 2.18. Luc 5.v.33. § Ieiunium pro festo expiationis, Act 27.9 vide ibi S.

Iephthae fides celebratur Heb.11.v.32.

Iesse. Vocabulum hoc declaratur Matt.1.5.S.

Iesus. Vocabulum hoc declaratur Matth.1.v.16. S. Cur servator noster appellatus sit Iesus, Matth.1.O.7. De caerimonia genuflexionis. quum pronuntiatur nomen Iesu, Phil.2.O.6. § Iesus pro Iosua, Heb 4.v.8.

Iesuitae. Vide Matt.23.O.9.10. Luc.11.O.11.

IO (9.S.

Ioatham. Vocabulum hoc declaratur Matt.1.v.

Iohannes. Vocabulum declaratur Matth.3.v.1. S. § De Iohannis Baptistae conceptione, Luc.1. v.5.&c. De nomine eius Luc.1.O.7. De nativitate & circumcisione eius, Luc.1.v.57.&c De ministerio eius, Matt.3.v.1 &c. Marc.1.v 1 &c. Luc.3.v.1.&c. Iohan.1.v.6,7,8,15,19, &c Act.19.v.4. Testamentum eius de Christo, Ioh.1.29.&c. Hoc testimonium quanti faciendum sit, Luc.3.O.1.1. Ioh.3.O.7. Baptismus eius unde fuerit. Luc.20.1.&c. Quomodo miserit duos discipulos ad Iesum. Matth.11.2. Laudatio eius, Matt 11.7 &c. Decollatio eius Matt.14.1.&c. Marc.6.v.17.&c. Iohannes Apostolus. Quid habeat singulare prae caeteris Evangelistis, vide in argumento analyseos Evangelij secundum Iohannem. Vide etiam Ioh. 18.v.15.S. Quando & qua occasione Evangelium suum scripserit, vide ib. Loquutio pleonastica ei familiaris, Ioh.3.26.S. Modus narrandi ei familiaris, Ioh.4.7.S. Iohā. 8.v.3.S. Quibus verbis se ipso describat, Ioh.19 26.S. Ioh.20.2. Iohā.21.v. 7,20,24. Per ipsum & Petrum sanatus fuit quidam claudus, Act.3. 1.&c. Coniectus fuit unà cum Petro in carcerem, Actor 4.3. Adstitit Petro causam dicenti corā senatus Hierosolymitano de sanato claudo, ibid.v.7. Nominatur ὁ πρεσβύτερος 2.Ioh v.3. 3.Ioh v.1.

Ioram. Vocabulum hoc declaratur Mat.1.v.8.S

Iosaphat Vocabulum hoc declaratur Matt.1.v.8.S.

Ioseph. Declaratur vocabulum Matt.1.v.16.S. § Iosephi patriarchae fides celebratur Hebr.11. v.22.

Iosias Vocabulum declaratur Matth.1.10.S.

Ioppe. Quid Ioppae egerit Petrus quidq; ei ibi acciderit, Act.9.v.26.&c. Act 10.v.9.&c.

IU

Iuda. Vocabulum declaratur Matth.1.v.2.S.§ De Iuda apostolo, filio Iacobi, Act.1.v.13.S.

Iudaea singulari ratione dicebatur esse Dei, Ioh. 1.v.10.S.

Iudaei. Opinio Iudaeorum de reditu defunctorum in hanc vitam, Matth. 14.O.1. Iudaeis non est insultandum tanquam reiectis à Deo: sed studendum eorum saluti, Matt 22.O.6. Rom.9. O.5. Roman.11.O 7. Iudaeorum qui hodie vivunt miseria, Matt.27.O.3. De Iudaeorum calamitatibus quae excidium templi antecesserunt, Matth 24.4. &c. Marc.13.3.&c. De Iudaeorum futura conversione, Rom.11.23 &c 2 Thess.2.O.5. Iudaeis permittebatur sua religio à Romanis, Act.18.13.S. Gloriatio Iudaeorum. Rom.2.17. S. Praerogativa Iudaeorum, Rom 9.v.4,5 De Iudaeorum reiectione, obdurationeatq; incredulitate vide Matt. 8.O.12. Roman.9. O.13. Rom. 11.1.&c. De Iudaeorum cinctu, Ioh.21.18.S.

Iudas. De Iuda proditore Domini vide Matt.26. 6.&c. Marc.14 10.&c. Ioh.13.18.&c. An interfuerit cenae Domini vide Matt.26.v.26. S. De eius poenitentia & interitu, Matth.27. v.1.&c.

Iudex. Parabola de iudice iniusto, Luc.18.v.1. &c. Officium iudicis, Ioh.18.O.13. Act.18.O. 7,8,9.

Iudicium, Iudicari: id est, temere damnare proximum, Matt.7.1. Iac.4.11.§ Iudicari: id est, puniri. 1.Cor.11.vers.31,32. 1.Pet.4.6.§ Iudicium pro damnatione, Iohā 3.19. Ioh.5.24.2. Petr.2.3.§ Iudicium pro poena, Iac.3 1.1. Petr. 4.17.§ Iudicium pro impietate. Epist. Iud.v. 4. Vide ibi S. Iudicia publica sunt licita, Matt. 7.O 2. Iudicia Dei: id est, rationes agendi, Rō. 11.33. Iudicium de doctrina Christiana, 1.Cor 10.O.15. 2.Petr.2.O.15. Epist. Iud. O.14. De iudicijs ecclesiasticis vide Matt.18.O.9 Iudicia de proximo, Matt.7 O.1. Matth.26.O.4. Luc.13.O.1. Ioh 5 O.6. Ioh.7.O.14. Ioh.9.O. 3. Act 28.O.3.1. Cor.4.v.3.4.5. Phil.4.O 2.1. Thess.1.O 6.1. Pet.4.O.8.2. Ioh. O.1. Iudicia sincera de dictis & factis proximi sunt licita, Matt.7.O.3. Unde proximus aestimandus sit, 2.Cor.5.O.12. De iudicio ultimo vide Matth. 5.O.27. Matth 10.O.17.19. Matth.11.O.5. Matt 13.O.17. Matt. 16.O.22. Matth.19.O. 23. Matt 23.v.29.&c. Matth.24.O.14,16, 19,21,24. Matt 25.31. &c. & O.1,7,10,14. Marc.13. v.14. &c. Luc.17.O.13,15,18,19. Luc.18.O.2. Luc.21.1. &c. Act. 3.21.S. Act. 17.O.22.1. Thess.4. v.16 17.1. Thess.5.1.&c. 2.Thess. 2.1.&c & O.1. Heb.10.O.17. Epist. Iud O.8.20. Apoc. v.7. Apoc.2.v.25. Apoc, 6.v.12. & seqq. Apoc.11. v.15. & seqq. Apoc. 16.v.15. Apoc.20.v.1. & seqq.

Iugum. Iugum Christi ferendum, Matth.11.O. 34. Iugum legis, Act 15.v.10.

Iuniores. Officia iuniorum vide 1.Petr.4.v.5. &c.& O.5.

Iupiter pro statua Iovis, Act.14 v.13.

Iuramentum. Iurandi formula, Matt.5.v.34. S.Matth.23.O.11. Marc. 8. v.12.2. Cor.11.v. 10,1,31. Gal.1.v.20. Col.3.O.11.1. Thess. 2.5 2.Thess.2 v 1.1. Tim.2.v.7. Hebr.3.v.1. Iac. 5 v.12.S. Apoc.10.v.6. Iuramentum esse rem licitam, Matt 5.O.35. Rom.9.O.2.2. Cor.1. O 15. Gal.1.O.17. Phil.1.O.18.1. Thess.2.O.4. 1.Tim.2.O.12. Heb.6.O.17.

Ius. Iuris summa praecepta, Rom.13 v.3.S. Iuris administratio Christianis est licita, Matth.5. O.40. Interdum de iure nostro cedere debemus, Matth.17.O.16.

Iustificare, Iustificatio. Iustificare: id est, ut iustum celebrare, Luc.7.v 29 § Iustificari, pro, iustum declarari, 1.Tim.3.v.16. § Iustificari, pro, iustum pronuntiari à Deo. Exempla huius significationis vide in indice Graeco, in voce δικαιόω. § Iustificari pro iustum pronuntiari, Matth.12 v.37. Quibus operibus vim iustificandi adimat Paulus, Rom.3.O.9. Quomodo iustificati sint fideles in V.T Rom.3.O.11 De varijs iustificationis causis vide Rom.3.O 12. Dogma Papistarum de iustificatione refellitur, Rom.3. O.14 Quomodo doctrina de iustificatione fidei stabiliat legem, Roman 3.O. 16. Quomodo ad iustificationem nostri faciat resurrectio Christi, Rom.4.O.15. Rom 5.v.1.S An iustificemur charitate, 1. Cor.13.O.6.1. Petr.4.O.9 De iustificatione agit Paulus Rō. 1.v.16. & deinceps usq; ad c.6. Item Gal.2.v. 15. & deinceps usque ad c.5. De iustificationis causa meritoria vide Ioh.1.O 6 Rom.4.O.13 Rom.5.v.19.S.& O.5. Rom 8.O.22. Ephes.1. O.4. Praefat. in analys. Epist. ad Hebraeos. Tit. 2.O.8. Heb 5.O.4. Heb.9.O.8. Heb.10.O.4. 1.Pet.1.O.4.1. Ioh.1. O.7. De iustificatione hominis coram Deo vide plura Luc.18.O.5. Ioh. 6.O.16. Act.13.O.7. Rom.4.O.5. Rom.8.O.3 5,6,21,22. Romā 1.O.4.5. Romā.13.O.5.2. Cor.5.O.17. Praefat. in analysin sex Epistolarum, Gal.2.O.11,12. Gal.3.O.4.6. Gal.5.O. 2. Ephes.2.O.5.6.1. Thessal.5.O 15.1. Petr.4. O.9.

Iustitia. Iustitiam esurire & sitire quinam dicantur, Matt.5.v.6,S. De iustitia Pharisaica

vide Matth.5.O.16. De duplici iustitia, altera legis, altera Evangelij, vide Rom.1.O.22. Rom.3.O.10.Rom 9.O.14.Rom.10.v.3.&c. & O.3.Phil.3.O.10.De iustitia legis, Rom.2. O.7. De iustitia imputativa phrases aequipollentes, Rom 4.O.2.¶ Iustitia Dei, pro iustitia quam Deus homini donat & imputat, Rom. 3.v.21.22.25. Rom.10.v.3. Iustitia regula generalis, Matth.7.v.12. De iustitia coram Deo vide Luc.1.O.29.Rõ.4.O.1.Rom 9.O.14 ¶ Iustitia pro beneficentia vel eleemosyna, 2. Cor.9.S. Iustitiae studendum, Iac.3.O.5.¶ De ingenio iustitiariorum, Matth. 20. O.11. Luc.15.O.6.¶ Iustus propio.1.Pet.4.18.¶ Iustitia pro fide seu constantia in promissis, Rom. 3.v.5.25.2.Pet.1.v.1. De iustitia in honorandis proximis adhibenda, Iac.2.v.1.&c.

K

Kedron.Ioh.18.v.1.S.

LA

Labor.Ephes.4.O.12.1.Thess.4.O.9.2.Thess.3. O.1.

Lac sermonis.1.Pet.2.v.2.vide ibi S.

Lachrymari. Iudaei solebant lachrymari ad monumenta recens-sepultorum, Ioh.11.v.31.Lachrymari verum Christianum non dedecet, Ioh.11.O.8.¶ Lachryma patris pueri habentis spiritum mutum, Marc.9.v.24. Lachryma mulieris peccatricis, Luc.7.v.38. Lachryma Pauli, Act.20.v.19.31. Lachryma Christi ad monumentum Lazari, Iohan.11.v.35. Item in cruce, Hebr.5.v.7. Lachryma Esavi, Heb.12.v.17. Lachryma abstergentur ab oculis martyrum, Apoc.7.v.17.& omnium fidelium, Apoc.20.v.4.

Lapsus. Quaere, Peccatum.

Laqueus conscientiae.1.Cor.7 v 35.S.

Latrina. Unde dicta sit, vide Matth.15 17.S.

Laudatio proximi.Rom.9.v.4.

Laus Dei.Luc.18.O.20.

Lavare. Christus lavabat pedes discipulorum, Iohã.13.v.1.&c ¶ Lavare alteri pedes: id est, servilia officia praestare, Ioh.13.v 14. Quidam caecus à nativitate lavans in piscina Siloam visum recuperavit, Ioh.9.v 7. Tabitha, discipula Ioppensis, cadaver lotum fuit, Act 9. v.37.Pauli & Silae plagae lotae sunt à commentariensi Philippensi, Act.16.v 33. Lavare pedes sanctorum enumeratur inter bona opera, 1.Cor.5.v.10.Christus lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum, Apoc.1.vers.5.De martyribus dicitur, quòd laverint stolas suas in sanguine agni, Apoc 7.v.14.

Lavacrum. Christus purgavit ecclesiam lavacro aquae per verbum, Eph.5.v.26. Deus servavit nos per lavacrum regenerationis, Tit. 3.v.5.

Lazarus. De Lazaro mendico vide Luc.16.v.19 &c. ¶ De Lazaro Bethaniensi vide Ioh.11.v. 1.&c.Ioh.12.v.2.&c.

LE

Lebbaeus unde dictus, Matth 10.v.3.S.

Leges civiles. Non statim innocens est coram Deo, cui aliquid indulgetur ac permittitur à legibus civilibus, Matth.5.O.32.

Legio. Quod milites continuerit legio, vide Matth.26 v 53.Marc.5.v.9.S.

Lenitas.Tit.3.O.2.

Leo Leo pro Nerone, 2.Tim.4 v.17.Leonum ora occlusa à fidelibus V.T.Hebr.11.v.33.Leoni rugienti comparatur Diabolus, 1.Petr.5.v.8. Inter quatuor animalia quae in visione oblata fuerunt Iohanni, primum erat simile leoni, Apoc.4.v.7. Christus nominatur leo ille ex tribu Iuda, Apoc.5.v.5. Iohanni in visione oblatae sunt locustae, quarum dentes erant, ut leonum, Apoc.9 v.8. Item equi quorum capita erant ut leonum, ib.v.17. Angelus quidam Iohanni in visione conspectus, clamavit voce magna, sicut leo rugit, Apoc.10.v.3.Iohanni in visione apparuit bestia similis pardo, pedes verò eius erant ut pedes ursi, & os eius ut os leonis Apoc.13.v.2.

Leo, lere, verbum obsoletum, 1.Cor.1.v 19.S.

Lepos, sive lepor.Phil.3.O.5.

Lepra, Leprosus. De leprosis à Christo mundatis vide Matt.8.v.1 &c. Matt.11.v.5.Marc. 1.v.40. &c. Luc.5.v.12. &c. Luc.17.v.11. &c. Christus duodecim apostolis recens designatis potestatem dabat mundandi leprosos, Matt.10 v.8. De Simone leproso, vide Matt. 26.v.6.Marc.14.v.3.

Letum.1.Cor.1.v.19.S.

Levis, alias Matthaeus. Vide, Matthaeus.

Levitas.2.Cor.1.v.8.&c.

Lex Dei Legis Dei descriptio.Heb.1.v.2.Vide ibi S. Summa legis, Mat.2 O.23.Finis seu scopus Legis, Rõ.10 v.4.vide ibi S & A. Maximum legis mandatum, Mat 22.v.36.Marc. 14.v.38. Ad mentem legis Dei intelligendam opus est gratia Spiritus S.Matth.19.O.16. An praecepta legis sibi mutuò sint contraria, Matt. 12.O.2. Decalogi praecepta quaedam exponuntur à Christo, Matth.5.vers.21.&c.Item lex de poena talionis, ib.v.38.&c.Item lex de dilectione proximi, ibid.v.43.&c. Praeceptis legis mandatis quaedam specialia videntur adversarij, Mat.6 O.13.Impletio legis per Christum varia indicatur, Matth.5.O.12. Quibus lex Dei sit servatu impossibilis, & quibus possibilis 1.Ioh 5.O.7. Legis cum evangelio convenientia indicatur Matth 5.O.12.Discrimen inter Legem & Evangelium, Matth 11.O.36.Lex caerimonialis cedit morali, Mat.12.O.9.Mat. 24.O.10.Luc.14.O 1. De legis caerimonialis abrogatione vide Luc.16.O.4.Gal.3.v.23.A Gal.4.v.1.&c.Eph 2.O.11.Quomodo & quatenus fideles liberati sint à lege, Romã.6.O.7. Rõ.7 v.6.S.Gal.4.O. 3. Lex Mosis nominatur iugum, Act.15.v.10, Qua ratione lex Mosis opponatur gratiae & veritati, Ioh.1.v.14.S. ¶ Legis vocabulo interdum intelliguntur libri Mosis.Vide Mat.12.v.5.S.Rom.3.v.21. ¶ Interdum libri V. T. in genere: ut Iohã.12.v.34. Ioh.15.v.25 Rom.3.v.19.1.Cor.14.v.21.¶ Interdum politia Mosaica: ut Rom.3.v.19. Vide ibi S. ¶ Interdum doctrina: ut Rom.3.27. Quo sensu lex dicatur spiritualis, Rom 7.14.S Legis Dei sanctitas, Rom.8.O.9.Heb 2 O.2.Dignitas.Gal.3.O.10.Necessitas, Romã.7.O.3. Authoritas, Matth.5.v.17.18.19.Luc.16.17. Iac.1.O.13.Impotẽtia ad sanctificãdum, Gal. 3.O 12.Usus, Rom.3.O.8.Gal.2.O.13.Gal.3. O.9.10.11.13.1.Tim.1.O.7.Lex Dei nominatur litera, 2.Cor.3.v.6.vide ibi S Legalis ministerij collatio cum Evangelico, 2.Cor.3.v 6. &c. Lex Dei quo sensu dicatur lex libertatis, Iac.1.v.25.S.Iac.2.v. 12. S. It.rex regia, Iac. 2.v.8.S.Implere legem, quid sit, Mat 5.v.17. Vide ibi S.Rom. 13.v.8.10.S. De legis impletione vide Rom.13.O.5. Quo sensu dicatur legem non esse positam iusto, 1.Tim 1.v.9.Vide ibi S. Lex non est ex ecclesia Christiana exterminanda, 1.Tim.1.O.7.Sophismata Bellarmini de observatione legis refutantur Ma.19 O.14.Sub lege esse, vario sensu dicitur, vide Rom.6.14.S.1.Cor 9.20.S.Galat.4.5.S Quo sensu finis legis dicatur Christus, Rom.10.4. Vide ibi S.

LI

Libanotis.Ioh.19.v.29.S.

Liber, libri. Liber generationis pro genealogia, Matth.1.v.1.¶ Liber pro censione, ib.Vide ibi S.Libri Hebraeorum quam formã habuerint, Lu.4.v.17.S.Heb 10.v.7. S.Liber vitae, Phil 4.v.3.S. Apoc.3.v.5. Apoc 13 v.8. Apoc.17.v 8. Apoc.20.v.12. Libri perniciosi, Act.19.O. 7. Paulus mandabat Timotheo ut secum adferret libros, 2.Tim.4.v.13.Liber legis sanguine vitulorum & hircorũ aspersus fuit à Mose Heb.9.v.19.¶ Liber pro libris Mosis, Heb.10. v.7. Quum Iohanni offerentur visiones, iussus est scribere in libro quod videbat, Apoc.1.v.11 It.vidit librum scriptum intus & à tergo obsignatum sigillis septem, Apoc.5.v.1. It vidit quod caelum abscederet sicut liber qui convolvitur, Apoc.6.v.14. Item accepit libellum ex manu angeli, & devoravit eum, Apoc.10.10. Item vidit, quum mortui starent in conspectu Dei, apertos esse libros ac praeter alios librum vitae, Apoc.20.12.¶ Liberi. Officium liberorum erga parentes, Iohã.2.O.2.Eph.6.O.1.2. 1.Tim.5.O.5 ¶ Libertas Christiana. Gal 2. O.5.Gal.5.v.1 &c.& O.1.7.1.Tim.6 O.2. 1.Pet.2.O.7.2.Pet.2.O.17.Libertatis lex, Iac 1.25.S.¶ Libertini. Actor 6.v.9.Vide ibi S.¶ Liberum arbitrium. An homo praeditus sit libero arbitrio in rebus divinis seu negotio salutis Matt 11 O.35. Matt. 20.O.9. Act.3.O.3. 1.Cor.5.O.7.

Linguae usus.Iac 3.O.2.¶ Linus, nomen proprium viri.2. Tim.4.v.21.

Liptote. Vide λιτότης, in Indice vocum Graecarũ.

Litera pro re externa, Rom.2.v 27.Vide ibi S.¶ Pro lege, 2.Cor.3.v.6.vide ibi S.

Lites. Paulus reprehendebat Corinthios Christianos qui litigabant apud magistratus ethnicos, 1.Cor.6.v.1.&c. ¶ Lithostroton.Ioh. 19.v.13.S.

LO

Locus. Quid sit locus, Eph.4.v.9.S.¶ Locusta. Locustae in oriente fuerunt cibo, Mat 3.v.4.S. Unde dictae sint ἀκρίδες, ib. Locustae mirabiles visae Iohanni, Apoc.9.v.7.& seqq.

Lotio. De lotione spirituali vide Ioh 13.v.10.S.

LU

Lucas. Lucae Evangelistae laus: praefat.analys.Evangelij Lucae. Evangelij Lucae authoritas, ib. & Luc.1.v.3.S.& O.1. Narrationes Lucae quaedam à caeteris Evangelistis omissa, ibid.in dicta praefat. Qua ratione ductus Lucas librũ Evangelij certo homini inscripserit, Luc.1.v. 3.S. De Luca vide plura Col.4.v.14.2.Tim.4 v.11. Lucas in Actis quaedam gesta Pauli praeterit, vide 1.Thess.1.v.1.S.& cap.3.v 1.S.

Lucrifacere.1.Cor.9.v.19.1.Pet.3.v.1.S.

Luctus. De luctu moderando, Iohan.11.O.14.1. Thess.4.O.11.

Lumen. Pater luminum quo sensu dicatur Deus Iac.1.v 17.S.

Lunaticus. De lunatico miraculosè sanato, vide Matth.17.v.14.Marc.9.v.17. Luc.9.v.37.

Lux. Filij lucis, Luc.16.v.8. Angelus lucis 2.Cor. 11.v.14.S.¶ Lux pro laetitia, Matth.4.v.16. Matth.6.v.22.Vide ibi S.Vide etiam Luc.1.v. 79.S Ioh 12.v.36.Lux mundi quo sensu dicatur Christus, Ioh.8.v.12.S. Lux mundi quo sensu dicti sint Apostoli Matt.5.v.14.S.¶ Lux pro cognitione Dei, 1.Petr.2.v.9.1.Ioh.2.v.8. Filius Dei nominatur lux hominum, Iohã 1. v.4. Vide ibi S.Item lux mundi, Iohã.8.v.12. Vide ibi S. Ioh.9.v.5.Vide ibi S. In luce incedere seu ambulare, Ioh.1.v.7.Vide ibi S.

Luxus fugiendus est, Luc.16.O.10.

LY

Lydda. Quid Lyddae memorabile acciderit, Act. 9.v.32.&c.

Lystra. Quid Lystrae egerint ac perpessi sint Paulus & Barnabas, Actor.14.v.17.&c.& v 21. &c. Quid Paulus Lystram reversus, ibi egerit Act.16.v.1.&c.

MA

Magi. Vocabulum hoc declaratur Matt.2.v.1.S. An Magi qui Christum infantem adorarunt, fuerint reges, & quidem numero tres, ib. De muneribus eorum quae obtulerunt Christo, ib. v.11.S.

Magistratus. De officio magistratus vide Matt. 4.O.34.Matt.12.O.32. Matt.21.O.9.Matt. 26.v.41.50.Ioh 2.O.12 Ioh.10.O.23. Ioh.19 O.9.Rom.13.O.4.1.Tim.2.O.3. Quòd homo Christianus bonâ conscientia magistratum gerere possit, Rom.13.O.3.Tit.3.O.1. De iure magistratus vide Matt.17.O.15. Iniquus magistratus, Act.16.O.17.22.Magistratus nominatur κτίσις ἀνθρωπίνη.1.Petr.2.v.13. Vide ibi S.

Magnanima oratio.Rom 8.38.1.Cor.3.32.

Major: id est, beatior, Ioh.14.v.28 Ioh.15.v.20. ¶ Major: id est, potentior. Ioh 10.v.29.1.Ioh. 3.v.20.1.Ioh.4.v.4.

Maiores. De imitatione impiorum maiorum vide Matth.23.O.22.

Maledicta. Consolatio contra maledicta hostium Evangelij Ioh.18.O.23.

Malum. De regula, Inter duo mala eligẽdum minus, vide 1.Cor.7.O.9.¶ Malus. Oculus malus seu malignus: id est, invidus, Matth. 6.v. 23. Vide ibi S.Matth 20.v.15.

Mammonas. Vocabulum hoc declaratur Matt. 6.v 24.S.¶ Man, mãna. Ioh.6.v 31.S.1.Cor. 10.v.3.S. Apoc.2.O.23.

Manasses. Vocabulum hoc declaratur Matth.1. v.10.S.

Mandata

Mandata Dei. *Unde fidelibus suppetant vires ad servandum mandata Dei, 1.Ioh.5 v.3.4.5.*
Manere. *Manere in Christo, quid sit, Io.6.v.56. S. Quomodo Christus maneat in nobis, ibid.* ¶ *Manere pro vivere. Iohan.21.v.22.1.Cor 15. v.6.*
Mansuetudo. *De mansuetudinis necessitate vide Matth.11.O.35.*
Manus. *Manus arida subitò sanata, Luc.6.v.6.* ¶ *Manus pro potentia, Act.11.v.21. Manuum impositio Vide Matth.19. O.12. Luc.18.O.4. Act.18.v.6.S.*
Maranatha. 1.Cor.16.v.22.S.
Marcus *De authoritate Evangelij secundùm Marcum vide in Præfatione Analys. Marci. Marcus comes Barnabæ & Pauli, Act.12.v.25. Actor.15.v.37 39. Col.4.v.10. Marcus filius Petri, 1.Pet.5.13.*
Mare. *Maris vocabulo Hebræi etiam lacus & fluvios comprehendunt, Matth.4.v.18.S. Ioh.6.v.1. Ambulatio super mare, Matth.14.v.22. Marc.6.v.48. Ioh.6.v.19. Vide ibi S.*
Maria. *Vocabulum hoc declaratur Matth.1.v.16 S. An Maria, mater Domini, pepererit illum clauso utero, vide Matth.1.v.24. S. Maria, mater Domini, rectè dicitur Θεοτόκος, Luc.1. O.25. An perpetuò manserit virgo, vide Mat.1 O.17. Matth.13.O.55.S. Prophetatio eius de Christo, Luc.1.v.46. &c. Cur oportuerit eam observare legem de purgatione puerperarum, Luc.2.O.23. Quòd peperit modo naturali, Luc.2.O.25. Maria non rectè à Papistis anteponitur Christo, Ioh.2.O.3. Item non rectè pingitur in medio Apostolorum accipientium Spiritu S. in die pentecostes, Act.2.v.4.S.* ¶ *Maria soror Lazari, Luc.10.v.39.42. Ioh.11.v.1. & deinceps. Ioh.12.v.3.* ¶ *Maria Magdalena, Matt 27 v.56. Ioh.20.v.1. & deinceps.* ¶ *Maria Iacobi & Iose mater, ibidem,* ¶ *Maria mater Iohannis qui cognominabatur Marcus, Act.12.v 12.* ¶ *Maria discipula in Ecclesia Romana, Rom 16.v.6.*
Maritus. *De officio mariti vide Matth.19.O.2. 1.Cor.11.O.6.1.Petr.3.O.5.*
Martha, *soror Lazari, Luc.10.v.38.&c. Ioh.11. v.1. & deinceps, Ioh.12.v.2.*
Martyr, martyrium. *De conditione martyrum, Ioh.21.O 4 Phil.1.O.13. De fructu martyrij, Ioh 21.O.5.2.Tim.4.O.1. de vocabulo martyris vide Act.22.v.20.S. De martyribus vide plura, Acto.6.O.8. Act.7.O.6. Apoc.2.O.18. Apoc.3 O.38. Apoc.6.O.5. Apocal.7.O.4. Apoc.10.O.5. Apoc.13.O.2. Apoc.14.O 8. Apoc.20.O.2.*
Materia *pro lignis, Iac.3.v.5.S.*
Matthæus. *Vocabulum declaratur Matth 9.v.9.S. De vocatione Matthæi ad apostolatum, vide Matth. 9.v.9.&c. De Evangelij secundum Matthæum præstantia vide in Præfat. analys. Matthæi.*
Matthan *Vocabulum declaratur Mat.1.v.15.S.*
Matthias. *Cooptatio eius in numerum apostolorum narratur Act.1.v.15.& seqq.*

ME

Media. *De medijs utendis vide Matth.2.O.22. Matth.4.O 14. Act.27.O.4.* ¶ *Mediæ vocis apud Græcos verba interdum habet significationem reciprocam: ut Ioh.18.v.18. Vide ibi S.*
Mediator. *Requisita mediatoris inter Deum & homines electos, Romā.8.O.4 Quòd Christus mediator noster sit secundùm utramq; naturam, 1.Tim.2.O.7.*
Mel. *Mellis sylvestris descriptio, Matth.3.v.4.S.*
Melchisedek. *Vide Heb.7.v 1.& seqq.*
Melite. *De insula Melite vide Act.28.1.S.*
Menda. *Exempla mendorum quæ irrepserunt in scripturam sacram, vide sub tit.* Scriptura.
Mendicatio. *De mendicatione monachorum vide Matth.19.O.21. Bartimæus mendicabat Marc.10.v.46. De mendico Lazaro vide Luc.16.v.19.&c.*
Mens *pro consilio, Rom.11.v.34.*
Merces. *Merces significat interdum præmium gratuitum: ut Matth.5.v.12.46. Matt.6.v 1. Matth.10.O.11.1.Cor.9 vers.17. Quo sensu vita æterna nominetur merces, Col.3.O 15.*
Mereri. *Homines nihil boni à Deo merentur, Luc.17.O.7.*
Meritum *De merito congrui, 1.Ioh.4.O.9 De merito Christi vide sub tit.* Christus.
Messias. *Periphrasis Messiæ, Luc.2.v.25. Vide ibi S.*
Metalepsis. *Heb.4.v.3.*
Metaphora. *Exempla vide in textu & scholijs Matth.1.v.12. Matth.3.v.3.12. Matth.4.v.5.16. Matth.5.vers.13.6.12.13.22 29.34.46. Matth.6.v.3.12.22.33. Matth.7.v.6. Matt.8.v.11. Matth.9.v.12.37 Matth.10.v.41. Matth.11 v.14.25.28 Matt.12.v.20. Matt.14.v.24.32. Matth.15.v.7.13. Matth.16.v.3.6.19. Matth.19.v.12. Matth.20.v.12.15. Matth.24.v.30 Matth.25.v.33. Matth.26.v.39. Matth.27.vers.32.52. Marc.3.v.10. Marc.4.v.29.39. Marc.5.v.9.29. Marc.7.v.3.5.6. Marc.12.v.13. Marc.13.v.9. Marc.6.v.5. Luc.1.v.19.25.32.64.66.69.78.79. Luc.2.v.13.25 35. Luc.4.v.29.35. Luc.6.v.23. Luc.9.v.45. Luc.10.v.20. Luc.11.v.20. Luc.12.v.7.36.49. Luc.13.v.4.7.32. Luc.16.v.22,23. Luc.21.v.24. Luc.22.vers.30,44. Luc.23.v.3,43,46 Luc.24 v.11. Ioh.1.v.1,18,29. Iohan.4.v.10,34. Iohan.5.v.19,25. Iohan.6.v.27,35,36,40,44.46,55,60,70. Iohan.7.v.38. Iohan.8.v.12,15,31,58. Ioha.14.v.6. Iohan.19.v.26,27,37. Actor.2.vers.34. Actor.3.v.15,19. Actor.4.v.27,31. Acto.7.v.42,60. Actor.8.v.23,29. Actor.9.v.5. Actor.10.v.41. Actor.11.v.21. Actor.12 v.24. Actor.13.v.10,11,25. Act.14.v.27. Act.15.v.10. Actor.17.v.3,13,18. Actor.18.v.25. Actor.20.v.18,29. Actor.21.v.13. Actor.22.v.4. Actor 23.v.3. Actor.24.v.5. Actor.27.v.14. Roman.1.v.13. Roman.2.v.14 19,20,23,26,29. Roman 3 v.5,19. Roman.4.v.12,15,16. Roman.5.v.8,14,15,17. Rom.6.v.6. Rom.7.v.24. Roman 8.v 3,9,10,20,23,26,27,35,37. Rom.9.v.22. Rom.10.v.21. Rom.11.v.7,8,9,10,17,22,25,32,33. Rom.12.v.5,19. Rom.13.v.3,11,12. Rom.14.v.10. Rom.15.v.2,12,16,27.2. Cor.1.v.5.1. Cor.2.v.6.1. Cor.3.v.6,10,12,13.1. Cor.4.vers.6,15,17,21.1. Cor.5.v.5.9.1. Cor.6.v.11,17.1. Cor.7.v.35.1 Cor.8.v.12.1. Cor.9.v.2,13,17,19,27.1. Cor 10.v.6,12,17,22,23.1. Cor 11.v.3,24.1. Cor.13.v 1.1. Cor.14.v.3.1. Cor.15.v.24,32.42.1. Cor.16.v.2,9,15.2. Cor.1.v.22.2. Cor.4.v.7.2. Cor.11.v.8.2. Cor.12.v.5. Galat.1.v.13,23. Gal.2.v 2,9,14. Gal 3.v 1,23. Gal.4.v.17,19. Galat.5.v.7,9,22. Galat.6.v.2,7. Eph.1.v.14. Eph.4 v.14,29. Eph.5.v.16,23. Phil.1.v.11. Phil.2.v.6,10,17. Phil.4.v.1.3. Col.2.v.17,18. Col.3 v.5. Col.4.v.3.1. Thess.4.v.1,13.1. Thess.5.v.4,5,6,7,8,19.2. Thess.2.v.15.1. Tim.1.v.10,18.1. Tim.3.v.7,15.1. Tim.5 v.21,22.1. Tim.6.v.1,12.2. Tim.1.v.2,6,12,13.2. Tim.2.v.9,15,17,19,24,26.2. Tim.4.v.6,17. Tit.1.v.7. Tit.2.v.3. Tit 3.v.8. Philem.v.2,10,12. Hebr.1.v.3,9. Heb 4.v.13. Heb.5.v.12. Heb.10.v.5,20,23,39. Hebr.11.v.11,12,34,35. Heb.12.vers.1,2,15,23,29. Heb.13.v.16. Iac.1.v.11,14,15,17,18,21. Iac.2 v.10. Iac.3.v.2,4,5,6. Iac.4.v.2,14. Iac.5.vers.3,4.1. Pet.1.v 14,23.1. Pet.2.v.9,11,15.1. Pet.3.v.1,20,22.1. Pet.4.v.17.1. Pet.5.v.2,3,4.2. Pet.1.v.8 9,10,13,14,15,19.2. Petr.3.v.4.1. Ioh.1.v.5,6,7.1. Ioh.2.v.1,6,20.1. Ioh.3.v.5,9.2. Ioh.v.8.3. Ioh.v.11. Epist. Iud.v.4 12,23,24.*
Meticulositas. *Ioh.6.O.12.*
Metonymia. *Exempla vide Matt.1.v.18. Matt.2.v.10,20. Matth 3.v.5,9. Matth.4.v.6,23. Matt.5.v.16,29,30,31 33,39,45. Matt.6.v.2,5,12,17. Matt.7.v.22,24 Matt.8.v.6,7,11,17. Matt.9.v.36. Matt.10.v.9,12,13,21,34,37,38. Matt.11.v.16,20,24. Matth.12.v.15,18,20,21,27,36,41. Matt.13.v.30,33,38. Matth.14.v.1,5,14,25,36. Matth.15.v.22. Matth.16.v.3,5,17,18. Matt.17.v.16. Matt.18.v.6. Matt 21.v.5,10,26,46. Matt.22 v.10,24,30. Matt.23.v.2,14,25,30,35. Matt.24 v.15,17.20,32,37. Matt.25.v.12,18,21,35,46. Matt.26.v.5,17,23,26,27,47. Mat.27.v.20,25,32,62. Marc.1.v.43. Marc.3.v.29. Marc.4.v.33. Marc.5.v.35. Marc.6.v.2,5,8,48,56. Marc.7.v.30,35. Marc.8.v.25. Marc.9.v.17.39. Marc.11.v.14. Marc.12.v.19.27 41.44. Marc.13.v.2.12,19,27. Marc.14.v.11,24,35,56,61. Marc.15.v.11.15. Luc.1.v 4,5,8,14,17,25,32,41,48,51,54,55,64,66,67,69,72,78. Luc.2.v.1,15,21,25,30.32.34 51. Luc.3.v.5.7.14. Luc.4.v.6,23.25.35 40. Luc.5.v.3,9,16,19. Luc.6.v.32,35. Luc.7.v.1,5,9,21. Luc.8.v.9,11,23,41,49,55. Luc.9.v.3,9,12,44,45,53,55,62. Luc.10.v.9,13,19,20. Luc.11,v.4,14,20,38,52.53. Luc.12.v.7,49. Luc.15 v.12,18.26. Luc.16.v.19,29. Luc.17.v.20. Luc.18.v.1,9,34. Luc.19.v.9,15,37. Luc 20.v.4,19,31,35. Luc.21.v.4,12,15,23,28. Luc 22.v.5,7,20,26,52,56. Luc.23 v.7,24,31.40. Lu 24.v 12,21.37,44.49. Ioh 1.v.14,18,29 31,33,50. Ioh.2.v.11,13,18,23. Iohā.3 v.17,19,22,27.34 Ioh.4.v.34.53. Ioh.6.v.17 19,26,27,45,51,59. Ioh.7.v.20,39.49. Ioh.8.v.20,33. Ioh.9.v.10.24. Iohā.10.v.6.15. Ioh.11.v.19.25.29.40 Iohā 12 v.25 27,31,38,50. Iohan.14.v.6,19,29. Iohan.15.v.8,15. Ioh.17.v.3,11,24,26. Ioh.18.v.28,39. Ioh.19.v.1,27. Iohā.20.v.1.10,12,22,23. Act 1 v.4,6,15,17,18,22. Act.2.v.3,10,22,26,30,33,36,39. Act.3.v.7. Act.4 v.12. Act.5 v.3,4,16,28,30.32. Act.6.v.7. Act.7.v.6,17,43.45. Act.8.v 7,13,14,15,20,21. Act.10.v.2 10,17,37,44. Act.11 v.2,21. Act.13.v.34,44 Act 14.v.13. Act.15.v.6,16,21. Actor.16.v.15,24,31,33. Act.17.v.4,25. Act.18.v.6,8.11,25. Act.19.v.2 3. Act.20.v.5,24. Act.21.v.2,4,14,21. Act.23.v.27 Act.24.v 5,11. Act.25.v.12 Act.26.v.7. Act.27.v.9,10,11,21. Act.28.v.6,9,14.20 Rom.1.v.5,25,28. Rom.2.v.7,19,26,27 Rom.3.v.4,5,6,9,19. Rom.4.v.13 15,16 Rom.5.v.1,3,8,13,14,16,18,19,21. Rō.6.v.12,16,23 Rom.7.v.6,7,15,24. Rom.8.v.3,6,7,10,17,19,20,23,24,26,27,33,35. Rō.9.v.4,10,12,15,17,25 31,33. Rom.10.v.10,15,16,21. Rom.11.v.4,6,7,9,13,14,15,17,18 22,25,26,28,30,31,34. Rom.12.v.2,3,6,19. Roman 13.v.1,2,3,4,11. Roman.14.v.15,16. Roman.15. vers.1,12,15,16,17,26,28,29,31. Roman.16.v.19 1.Cor.1.v.16,17,21,22.24,30.1.Cor.3.v.1,10,11.1.Cor.4.v.2,6 9,14,20,21.1.Cor.5.v.3,7,1.Cor.6.v.4,7.11,13,17 1.Corinth.7.vers.3,30,36.1.Corinth.8.v.12. 1.Corinth.9.vers.1,10,13,14,16,18,23,27.1. Corinth.10.v.4,6,11,16.21,30.1.Cor.11. vers.10,29,31.1.Corint.12.vers.7,28.1.Corinth.13.vers.4.1.Corinth.14.vers.2,15,20,33.1.Corinth.15.vers.5,31,54.1.Corinth.16.vers.3.2.Corinth.3.v.6,7,14,17.2.Corinth.4.v.7.2.Corinth.5.v.10,21.2.Corinth.8.v.2,4,23 Galat.2.v.3,7,9,12. Galat.3.v.2,8,13,22,23,25. Galat.4.v.6,21. Galat.5.v.5. Ephes.1.v.4. Ephes.2.v.14,16. Ephes.4.v.8,20,21. Ephes.5.v.13.26. Phil.1.v.21. Phil.2.v.10 Phil.3.v.4. Phil.4.v.1. Coloss.3.v.5,25. Coloss.4.v 11.1.Thessal.1 v.5,8.1.Thessal.2.v.8,19,20.1.Thessal.3.vers.7.1 Thessal.4.vers.3.1.Thessal.5.versu 9,12.19.2.Thessal.1.vers.11.2.Thessal.2.versu 2,13.2.Thessal.3.versu 14.1.Timoth.1.vers.1.5.10.1.Timoth.2.vers.6.1.Timoth.4.versu 1,12.1.Timoth 5.versu 2.1.Timoth.6.versu 6,10.2 Timoth.1.versu 9.2.Timoth.2.versu 7,21.2.Timoth.4.vers.6. Tit.1.versu 10. Tit.2.versu 13. Philem.v.6,7. Hebr.1.versu 2. Hebr.2.versu 3,4.6,16. Hebr.3.v.1. Hebr.4.v.11. Hebr.5.v.14 Hebr.6 v.1,4,12,18,19. Hebr.8.v.11. Hebr.9.v.10,14,19 Hebr.10.v.20,12,28,29,36. Hebr.11.v.4,7.9,13,17,23,27,28,34. Hebr 12.v.12,26,28 Hebr.13.v.3,10. Iac.1.v.3,5,12,16,17. Iac.4.v.1,5,6,9. Iac.5.v.5,11,20.1. Petr.1.v.2,3,9,13,23.1. Pet.2.v.7,19,24.1. Pet.3.v.6,14,15.1 Petr.4.v 10,17.1. Petr.5.v.3.2. Petr.2.v 2,5,10.2 Petr 3 v.13,15.1. Ioh.1.v.2,9. 1. Ioh.2.v.2,12.1 Ioh.3.v.1,13,19,20.1. Ioh.4.v.1,2,13,17.1. Iohā.5.versu 6.,9,14,15,20.2. Ioh.2.v.8.3. Ioh.v.6,9. Epist. Iud.v.3,4.6,7,8,12,19,21,22.24.*

MI

Michael. *Epist. Iud.v.9.S.*
Miletum. *Quid Mileti egerit Paulus, Actor.20.v.17.&c.*
Milites. *Matth.28.O.12.*

Mimesis) id est, modus loquendi, quo recitantur verba alterius) in historia Euangelistarum, & in actis Apostolorum, itemq; in Apocalypsi perpetua est: in Epistolis verò apostolorum(exceptâ Epistolâ ad Hebraeos) rarior. Exempla vide Rom.3.v.8.Rom.9.v.19.20.Rom.10.v.6.7.8.Rom.11.v.19.1.Cor.1.v.12.1.Cor.3.v.4.1.Cor.6.v.12.1.Cor.10.v.23.28.1.Cor.12.v.21.1.Cor.15.v.32.35.54.55.2.Cor.10.v.10 Gal.2.v.14.Col.2.v.21.1.Thessa.5.v.3.Iac.1.v.13.Iac.2.v.3 16.2.Pet.3.v.4.1.Ioh.2.v.4.1.Ioh.4.v.20.Epist.Iud.v.9.14.15. (&c.

Mina. Parabola de decem minis, Luc.19.vers.11.

Ministri verbi Dei. De illorum electione & vocatione vide Luc.6.O.1.Luc.10.O.1.Iohã.2.O.13.Act.11.O.4.6.Act.14.O.17.Act.16.O.1.Rõ.10.O.9.1.Cor 1.O.1.Gal.1.O.2.16.Eph.4.O.4.Col.1.O.1.1.Tim.1.O 2.1.Tim.3.O.2.Heb.5 O.1. De ordinatione eorum vide Act.13.O.2.1.Tim.4.O.23.24.2.Tim.1.O.9 De iure eorum vide 1.Cor.9.O.5. De dignitate eorum vide Phil.1.O.4. De officio eorum vide Matth.3.O.7 15. Matth.4.O.21.23.27.33. Matth.5.O.2.7.15. Matth.8.O.16.Matth.9.O.27.Matth.10 O.2.9.21.Matth.11.O.1.8.9.11.21.22.Matt.12.O.12.13.19.32 Matt.13.O.20 22.Matth.14.O.2.3 15.Matth.15.O.10.Matth.16.O.11 14.Matth.20.O 16.20.28.Matth.22.O.11.Matth.23.O.4.8.17.Matth.26.O 11.Marc.1 O.3.24.32.35.37.Marc.7 O.6.Luc.4.O.4.9.Luc.5.O.6.Luc.8.O.1.Luc.11.O.1.Luc.12.O.6.Luc.13.O.5.13.Luc.14.O.3.Luc.19.O.6.7.Luc.20.O.1.Luc.21.O.6.Ioh.3.O.15.Iohã.4.O.14.Ioh.7.O.6.9 Ioh 8.O.3 Ioh 10.O.2.9.10.Iohã.17.O 5.Ioh.20.O.7.Ioh.21.O.3.Act.6.O.5.Act.8.O.8.13.Act.9.O.4.Act.11.O.15.Act.12.O.6.Act.14.15.O 5.Act.18.O.1.2.3.12.Act.19.O.3.8.10.Act.20.O.6.9.Act.28.O.9.Rom.1.O.1.15.17.Roman.12.O.5.1.Cor.1.O.2 11.13.1.Cor.2.O.1.14.1 Corint.3.O.1.5.7.11.14.15.1.Cor.4 v.2.& O.2.5.6.7.11.13.1.Cor.9.O.1.1.Cor.11.O.1.8.1.Cor.15.O.1.1.Cor.16.O.3.2.Cor.1.O.1.2.3.4 2.Cor.3.O.2 2 Cor.4.O.1.4.8.2.Cor.5.O.8.10.2.Cor.6.O.3.2.Corinth 7.O 4.5.6.2.Cor.8.O.5.2.Cor.10.O.1.2.Cor.11.O.1.2.3.4.Galat.1.O.1.5.10.12.16.Gal.2.O 1.2.3.8.9.Gal.3.O.1.Gal.4.O.11.15 Gal.5.O.4.5.Eph.3.O.5.Eph.4.O.5 Eph.6.O.7.8 10.11 12.Philip.1.O.1.2.5.Phil.2.O.11.12.15 17.18. Phil.3.O.2.21. Phil.4.O.1.11.Col.1.O.38.44.Col.2.O.1.1.Thess.2.O.2.13.1.Thess.3.O.1.2.Thess 3.O.14.1.Tim.1.O.5.6.11.22.23.26.1.Tim.2.O.14.1.Tim 3.v.2.& seqq.& O 2.4.6 7.1.Tim.4.O.13.15.21.22.1 Tim.5.O.2.17.18. 1.Tim.6 O.8.9.14. 2.Tim.1.O.8.11.18.19.21 22.2.Tim.2 O.1.2.8.9.10.11.17.2.Tim.3.O.2 7.12.13.2.Tim.4.O.1 3.5.6.7 10.13.19.Tit.1.O.1.13.14.Tit.2.O.1.3.10.Tit.3.O.6.7.Philem.O.2.Heb 3 O.3.Heb.5.O.7.Heb.6.O.9 Heb.10.O.30.Heb.12.O.14.1.Pet.4.O.11.1.Pet.5.O.1.4.2.Pet.1 O.16.23 2.Pet.3.O.8.3.Ioh.O.5.9.10.Apoc.2.O.3.Apocal 2.O.17.19.28.30.Apoc.3.O.3. Ministri Ecclesiæ nominantur duces auditorij suorum, Heb.13.v 7.17.24. Quid requiratur in pastore Ecclesiæ, Matth.21.O.20. Fidelium doctorum nota, Ioh.7.O.9.Act.7.O.8. De defectibus pastorum Ecclesiæ, Act.15.O.9. Ministris verbi Dei concessum est coniugium, Marc.1.O.31. Ministris verbi benefacere oportet, Act.28.O.5. Quid de doctoribus Ecclesiæ sentiendum sit, 1.Cor.3.v.5.&c.1.Cor.4.v.1. Fideles pastores Ecclesiæ in pretio habendi sunt Matth.9.O.30. De bonis ministrorum, Matt.7.O.17. Pij doctores à Deo proteguntur, Luc.4.O.8. Quomodo pij doctores consolari se debeant contra contemptum imperitorum, Luc.4.O 5. Ad ministerium verbi homines naturâ segnes & refractarij sunt, Matth.9.O.33. An liceat ministris verbi accipere stipendia, vide Matt.10 O.8.10.11. Cõsolationes pro ministris verbi Dei.Ioh.15.O.10.Act.9 O 8.Act.18.O.4.2.Cor.3 O.3.2.Cor.4.O.12.2.Cor.6.O.1.2.Thess.3.O.2.2.Tim.3 O.6.2.Tim.4.O.18. De falsis doctoribus & pastoribus vide Matt.2.O.8.11.Matt.7.O.12.13.Matth.9.O.29.Matt 25.O.7.8.Matth.16.O.2.3.Ioh.7.O.24.Ioh.10.O.5.Act.2.O.20.Act.15.O.12.Phil.3.O 4.2.Thess.2.O.3.1.Tim.4.O.5.1.Tim.6.v.3.& seqq.2.Tim.3.O.4.2.Petr.2.v.1.& seqq.& O.2.4.5.6.1.Iohan.4.O.3.5.2.Iohan.O.10.Epist.Iud.v.4. Item v.8.& seqq Apoc.2.O.4. ¶ Ministerij Ecclesiastici ordines & gradus, Rom.12.v.6.7.8. Vide ibi A.& S.Romã.16.v.1.S.1.Cor.12.O.10.Phil.1.O.22. De ministerij verbi Dei efficacia vide Matth.16.O.12.Ioh.1.O.6.Act.15.O.4.Act.16.O.5.2 Cor.10.O 2.1.Thess.2.O.1.6.1.Ioh.2.O.29.1.Ioh.5.O.12. Ministerij Euangelici & legalis inter sese comparatio, 2.Cor.3.v.6.& seqq. Vide ibi A. De ministerij verbi necessitate, Phil.1.O.31 De eiusdem praestabilitate, Act 9.O.2.Rom 1.O.8.1.Cor.3.O.12.1.Cor.9.O.3.7.Eph.3.O.2.4.1.Tim.1.O.12.Heb.7.O.5. Ministerium Euangelicum cõmendatur 2.Cor.5.v.18.& deinceps.1.Tim.1.O.12. Ministerio verbi non licet fungi mulieribus, Rom.10.O.1.

Miracula. Miracula nominãtur virtutes δυνάμεις Matth.7.v.22. Matth.11.v.20.Matth.13.v 54.58.Luc.10.v.13.Act.8.v.13.Act.19 v.11. Miracula Christi. Miraculum sanati leprosi, Matth.8.v.1.& seqq.Marc.1.v.40.& seqq.Luc.5.v.12.& seqq. Sanati paralytici, Matth.8.v.5. Sanatæ socrus Petri, Matth.8.v.14. Sedatæ tempestatis, Matth.8.v.23. Eiectorum dæmoniorum, Matth.8.v.28 Sanati paralytici, Matth.9.v.1. Marc.2.v.1.Luc.5.v.17. Sanatæ mulieris profluuio sanguinis laborãtis, Matt.9.v 18. Excitatæ puellæ mortuæ, Matt.9.v.23. Sanatorum cæcorum, Matth.9.vers.27 Eiecti dæmonij muti, Matth.9.v.32 Sanatæ manus aridæ, Mat.12 vers.9 Sanati dæmoniaci cæci simul & muti, Matth.12.v 22 Cibationis quinquies mille & amplius hominum è quinq; panibus, Matt.14.v.13. Marc.6.v.35.Ioh.6.v.1. Ambulationis Christi & Petri super mare, Mat.14 v.22.Marc.6.v.48.Ioh 6.v.16. Sanationis ægrotorum in terra Genesareth, Mat.14.v.34.Marc.6.v.54. Sanationis puellæ dæmoniacæ Chananææ, Matt.15.v.21.Marc 7 v.24. Sanationis multorum ac variorum ægrotorum apud mare Galilææ, Mat.15.v.29. Cibationis quater mille virorum per septem panes, Matt.15.vers.32. Marc.8.v.1. Sanationis lunatici, Matt.17.v.14.Marc.9.v.17. Visus dati duobus cæcis, Mat 20.v.19.Marc.10.v.46.Luc.18.v.35. Arefactæ ficus arboris, Mat.21.v.17. Sanationis surdi difficulter loquentis, Marc 7 v.31. Sanationis cuiusdam cæci Marc.8.v 22 Capturæ inopinatæ piscium Luc.5 v.1. Sanati moribundi serui centurionis, Luc.7.v.1. Excitati à morte filij viduæ in Nain, Luc 7 v.11 Sanatæ mulieris incurvæ, Luc.13.v.10 Sanati hydropici, Luc.14.v.1 Sanatorũ decem leprosorum, Luc.17.v.11. Sanati cæci, Luc.18.v.35. Aqua in vinum versa, Ioh.2.v.1. Sanati eius qui decubuerat annos triginta octo, Ioh.5.v.1. Sanati cæci à natiuitate, Ioh.9 v.1. Excitati à morte Lazari, Iohã 11.v.14. Cohortis prostratæ verbo, Ioh.18.v.6. Sanatæ auriculæ abscissæ, Luc 22.51. Miracula edita per Apostolos. Sanatio Claudi per Petrum & Iohannem, Act.3.v.1. Subita internecio Ananiæ & Sapphiræ per increpationem Petri, Act.5 v.1. Ægroti sanati per umbram Petri, Act 5.v.15. Sanati per apostolos illi qui vexabantur à malis spiritibus, Act.5.v.16. Per Philippum, unum è diaconis Ecclesiæ Hierosolymitanæ edebãtur signa & virtutes magnæ, Act.8.v.13. Per impositionem manuum Petri & Iohãnis discipuli Samaritani accipiebant S.S. Act.8.v.17. Per impositionem manuum Ananiæ Saulus à cæcitate liberatus est, Act.9.v.18. Per Petrum sanatus fuit quidam paralyticus, Act.9.v.32. Per eundum excitata à morte fuit Tabitha, discipula Ioppensis, Act.9.v.36. Concionante Petro illapsus est S.S. in Cornelium & reliquos auditores, Act.10.v.44. Per Paulum & Barnabam edebantur miracula Iconij, Act.14.v.3. Itẽ pro Paulum sanatus fuit quidam Claudius, Act.14.v.8. Paulo & Silâ hymnos canẽtibus in carcere, terræ motu carcer apertus fuit Act.16.v.25.26. Per impositionem manuum Pauli Spiritus S. venit in duodecim discipulos Ephesi, Act.19.v.6. Item virtutes non vulgares edebantur per eum Ephesi, Act.19.v.10.11 per eundem excitatus fuit à morte adolescens Eutychus, Act.20.v 9. Idem illæsus mansit à vipera quæ invaserat manum eius Act.24.v.3.4.5. Idem sanauit Publium primarium Insulæ Melitæ, qui detinebatur febribus ac dysenteria, Actor.28.v.8. Item sanauit reliquos qui in Insula Melite morbis tenebantur, ib.v.9. Miracula apostolorum unde fuerint profecta, Act.3.O.6. Phil.2.O.20. Miraculorum Christi & apostolorum finis seu scopus, Ioh.11.O.2.Heb 2.O.5. Miraculorum per primos Euangelij præcones editorum usus, Act.8 v.4. Quinam proficiant ex miraculis, Ioh.11.O.25 Pontificij nullo Iure postulant miracula ab Euangelicis Matth.10.O.1.7. Matth.12.O.28 An rectè fecerint duo illi cæci quibus Christus visum dederat, quòd miraculum illud deuulgarunt, Matth.9.O.24. Miracula cur dicantur signa, vide Matth 12.v 38.S. Marc.16.v.17.S.Ioh 6.v.2.S. De usu atq; efficacia miraculorum apud electos, Luc.1.O.38 Ioh.1.v.52.S.& O.20. Ioh.2.O.8.10. Miracula Christi quid differat à miraculis aliorum Ecclesiæ doctorum.Iohan.2.O.9. De miraculis pseudoprophetarum vide Matth.24.O.12.Apoc.13.O.6. De miraculis vide plura 2.Thess.2.O.6.7.

Missa. De missa Papistica vide Matth.26.O.23.2.Cor.7.O 1. Præfat.in analysin Epist.ad Hebræos, sub finem Hebr.7.O.2.7.Heb.9.O.10.Heb.10.O.5.

MO

Modestia. Qua re excitari debeamus ad modestiam, Matth.23.O.6.Ioh.1.O.4.1.Cor.1.O.21. de modestia accumbendi in conuiuio Luc.14.v.7.& deinceps. Exempla modestiæ vide Rom.1.O.17.1.Cor.1.O.2.1.Cor.4.v.6.Phil.1.O.1.Phil.2.v.5.&c.1.Thess.1.O.1. Ad modestiam hortatur Paulus Philippenses, Phil.2.v.1.& deinceps. De modestia vide etiam Iac.4.O.5. (O.30.

Mœnia. Mœnibus non est confidendum, Heb.11.

Molere. Molendi consuetudo seu modus apud veteres, Luc.17.v.35.S.

Moletrina. Vide Matth.24.v.41.S.

Monachus. De obedientia monachali vide Matth.19.O.17. De monachorum mendicatione vide Matth.19.O.21.

Monita, monitiones De omittendis sanctis monitis apud contemptores, Matth.7.v.6. De monitionibus fraternis vide Rom.15.O.5.

Monumentum: id est, sepulchrum. Iudæorum monumenta quomodo fuerint constructa, Ioh.11.v.31.S.

Morbus. Morbi nominantur flagella: vide Flagellum. In morbo constituti, quid facere debeamus, Matth.9.O.2.Iac.5.v.14. Morborum origo, Marc.3.O.5. Morbus cupiditatis, 1.Thess 4 v.5.

Mori, pro mortis pericula adire, 1.Cor.15.v.31.¶ Moribũdorum officium, Ioh.19.O.19.¶ Mors De morte corporis vide 1.Cor.15.O.19.2.Cor.5.O.3.Philip.1.O.29.Hebr.9.O.11. de morte æterna vide Ioh.6.v.49.S.Apo.21.O.4. Mortis subitaneæ exempla vide Act.5.v.5.& 10. Consolationes contra mortem vide Ioh.12.O.11.14.2.Tim.4.O.12.2.Pet.1.O.18. De morte Christi vide sub tit. CHRISTUS. Mortalitas de hominis mortalitate vide Luc.7.O.1. Mortificatio carnis, Rom.7.v.4.S. Mortua opera: id est, peccata, Hebr.6.v.1. ¶ Mortui à Christo excitati, Matth.9.v.18.Marc.5.v.21 Luc.7.v.11. Luc.8.v.41. Ioh.11.v.43.44. A Petro, Act.9.v.40. A Paulo, Act.20.v.10 de cura defunctorum, Act 8.O.2.

Moses. Fides Mosis celebratur Hebr.11.v.23.& seqq. de Mose vide plura Act.7.v.20.& deinceps ¶ Politia Mosaica duratio, Heb.12.O.23 ¶ Moses pro libris Mosis, Act.15.v.21.¶ Moses pro doctrina Mosis, Act.21.v.21.

MU

Mulier. Mulierum Christianarum ornatus, 1.Tim.2.O.16. Mulieribus non licet docere in Ecclesia, 1.Cor.14.v.34.1.Tim.2.v.11.12.

Multi pro electis, Heb.9.v.28.

Mundities. Mundi corde quinam dicantur, Matth.5.v.8.S.

Mundus

Mundus. *Vocabulum mundi variè accipitur, vide Ioh.1.v.10 Ioh.3.v.15.17.Ioh.6.v.33.S. & v.51.Ioh.7.v.4.6.Ioh.8.v.26.Ioh.12.v.19.Ioh.14.v.19.Ioh.15.v.18.Iohan.16.v.20. Ioh.17.v.6.9.11.Ioh.18.v.20.Roman.3.v.19 Rom.4 v.13.Rom.5.v 11.Rom.11.v.15.1.Cor.1.v.21.1.Cor.4.v.9.1.Cor.5.v.10.1.Cor.6.v 2.1.Cor.11.v.32.2.Cor 5.v.19. Hebr.11.v.7. Iac.1.v.27 Iac.4.v.4.2.Pet.1.v.4.2.Pet.2.v.5.2.Pet.3.v.6.1.Ioh.2.v.2.15.2.Iohã.3.v.1. 13.17.2.Ioh.4.v.14.2.Ioh.5.v.4.19.de mundi origine, Act.14.O.9 Heb.1.O.13.De mundi fundatione, Matt.25 .v.34.S.De mundi unitate, Rõ.8 v.19. De fine mundi, 1.Cor.10.O. 8.1.Petr 4.O.7.Apoc.10.v.6 7. De interitu mundi, Matth.24.O.20.Luc.16.O.7.Heb.1. O.14.2 Petr.3.v.10.& deinceps, & O.3. De incendio mundi, Matth.24.O.16.De renovatione mundi, Rom.8.O.17. Apoc.21.v.1. ¶ Mundus: id est, multitudo impiorum. Quòd pÿ bonâ conscientiâ vivere possint in mũdo, Phil. 2.O.9. Mundi amor cavendus, 1.Iohã.2.v.15. & deinceps. Mundanum sanctuarium, Hebr. 9.v.1.S.*

Munitiones. *Munitionibus non est confidendum Matth.24.O.1.*

Mutus. *Mutis quibusdam facultas loquendi data. Vide Matth.9.v.32.Matt.12.v.22.Marc. 7.v.31.Marc 9 v.14.&c.*

MY.

Mysterium. *Vocabulum hoc declaratur Rom.11. v.25. Mysteria Dei, 1.Cor.4.v.1.S. Apoc.10. O.5.*

NA.

Naasson. *Vocabulum hoc declaratur Matth.1. v.4 S.*

Naphthali *seu* Nephthalim. *Vocabulum hoc declaratur Matth.4.v.13.S.*

Natalis. *Die natali Romani abstinebant à cæde, Matth.14.v.10.S.*

Nathanael *quomodo pervenerit in cognitionem Christi, Ioh.1.v.35.&c.*

Natura. *Naturalium corporum motus unde dependeat, Matth.5.O.44. De rerum naturalium contemplatione vide Matth.24.O.18. ¶ Natura pro naturali indicio rectæ rationis, 1. Cor.11 vers.14. Natura non operatur per se, 1. Cor.15.O.16.*

Nazareus *sive* Nazireus. *Unde dicti sint Nazaræi, vide Matth 2.v.23.S. De Nazaræis vide plura Luc 1.v.15.S.*

Nazareth. *Vocabulum hoc declaratur Matth.2. v.23.S. Nazarethæ docuit Christus, Marc.6. v.1.& c Luc.4.v.16. Nazaretha nominatur patria Christi, Marc.6.v.1.*

Nazarenorum hæresis, *Act.24.v.5.S.*

NE.

Necessitas *pro angustia, Luc.21.v.23.S.*

Negatio. *Exempla negationis triplicis, id est, vocum negativarum trium in una sententia, vide Matth.24.v.21. Marc.14.v.25.Luc.10. v.19.Luc.22.v.16.Luc.23.vers.53.Exempla negationis duplicis vide Luc.4.v.2.Luc.8.v. 43.Luc.10.v.40. Luc.22.v.17.Ioh.3.v.27. Ioh.6.v.63.Ioh.9.v 33.Act.26.v.26.Rom.4 v.8.1.Thess.5.v.3.2.Thess.2.v.3.1.Pet 3.v.6. 1.Iohan.2.v.22.* Negatio sive abnegatio Christi. *Quid maneat eos qui Christum negaverint, Matth.10.v.33.Luc.12.v.9.Petrus Christum negavit, Matt.26.v.70 72.Marc. 14.v.68 70.Luc.22.v.57.Iohã.18.v.15.27. Item Iudæi Act.3.v.13 14.*

Nemo *pro, Fere nemo. Ioh.3.v.32.1.Cor.2.v.8. Phil.2.v 20. ¶ Nemo intellectum de certo genere, 2.Tim.4.v.16.*

Nephthalim. *Vide* Naphthali.

Nero *nominatur Leo, 2.Tim.4.v.19.*

NI.

Nicodemus. *Ioh.3 v. &c.*

Nisi, εἰ μὴ, *interdum valet* Sed. *Vide Matth. 12.v.4.S. ¶ Nisi si, 1.Cor.14.v.3.S.*

NO.

Noë *sive* Noachi *fides celebratur Hebr.11.v.7. Prædicatio eius, 2.Pet.2 v 5.S.*

Nomen. *De nominis impositione vide Luc.1.O. 34.Luc.2.O.20. In nomine: id est, ex madato. Luc.24.v.47.Act.3.v.6.Act.16.v.18.1.Cor 5.v.4.S.2.Thess.3.v.9.Iac.5.v.10. ¶ Nomen pro cognitione, Iohan.17.v.11.1.Cor.6.v.11. ¶ Nomen pro gloria, Philip.2.vers.9.10. ¶ Nomen pro persona, Actor 4.v.12.* Nomen divinum. *De nominis divini profanatione & abusu vide Matth.5.O.37.Act 19.O.5.Sanctificare nomen Dei, quid sit, vide Matth.6.O 11. Exempla eorum qui nomen Dei sanctificarunt, ibid. In nomine Christi edere miracula, quid sit, Marc.16.v 17.S. In nomen Christi credere, quid sit, Ioh.1.v.12.S. In nomen alicuius baptizari, quid sit, Matt.28.O.17.Act. 8.v.16. S.1.Cor.1.v.13.S.*

Nos: *pro ego.1.Cor.4 v 9.& seqq.3.Ioh.v.9.12.*

Nominativus. *Interdum ponitur absolutè: ut Marc.1.v.10.Vide ibi S.Luc 21.v.6.Vide ibi S.Act.7.v.40.2.Cor.9.v.11.13.Eph.3.v.18. 1.Ioh.2.v.27. ¶ Interdum ponitur pro vocativo: ut Luc.6.v.20.25.Luc.8.v.54.Luc.18. v.11.Col.3.v.18.19.20.21.22.Heb.1.v.8.9. Iac.5.v.1.1.Pet.3.v.7. ¶ Nominativus post verbum interdum significat causam procreãtem: ut Luc.8 v.53 Rom.3.v.24 Rõ.7.v.13. ¶ Interdum causam corrumpentem, ut Iohã. 15.v.14.*

Nosse: *id est, pro suo agnoscere. Matth.7.v.23. Nosse peccatum: pro, conscium sibi esse peccati, 2.Cor.5.v.21.*

Notare: *pro excommunicare, 2.Thess.3 v.14.Vide ibi S.*

Notitiæ de Deo naturales, *Rom.1.O.23.*

Nova. *De studio dicendi & audiendi nova, Act. 17.O.15. Nova creatio: id est, regeneratio, Gal. 6.v.15 Dilectionis præceptum qua ratione dicatur novum, 1.Ioh.2.v.8.S.*

Novatianorum error, *Heb.10.C.19.*

Novercæ descriptio, *1.Cor.5.v.1.S.*

Nox. *Quomodo nox apud Hebræos fuerit distributa, Luc.1.v.8.S. ¶ De nocturnis cœtibus fidelium vide Act.12.O.4.Act.20.O.3.*

NU.

Numnan. *Luc.3.v.15.S.*

Num. *Interdum est coniunctio adversativa, ut 1.Cor.5.v.11. Interdum servit assumtioni syllogismi: ut 1.Cor.7.v.14.1.Cor.15.v.20.*

Nuptiæ. *Parabola de vocatis ad nuptias, Matt. 22.v.1.&c. Nuptiæ agni, Apoc.19.vers.7.9. Nuptiæ celebratæ in Cana Galilææ, Iohan.2. vers.1. Convivia nuptialia esse licita, Iohan. 2.O.1.*

OB.

Obdormire *pro mori, Act.7.v.60.2.Pet.3.v.4*

Obed. *Matth.1.v.5.S.*

Obedientia. *Exempla vide Matth.1.O.15.Mat. 2.O.28.Luc.2.O.15.21. Iohan.19.v.27.De obedientia erga Deum, vide Matth.6.O.14. Matth 7.O.16. Matth.14.O.14. Matth 19. v.27.&c. Matth.21.O.4 Luc.1.O.35 Actor. 16.O.6. Obedientia nostra erga legem Dei est imperfecta, Luc.18.O.10. De obedientia erga homines, vide Act.4.O.7. Act.5.O.10. Eph.5. O.11.Eph.6.O.1.2.Col.3.O.14.1.Tim.6.O. 10.Hebr.H.O.20.1.Petr.2.O.5.6.8. An obedientia monachalis sit à Domino consulta, Matth.19.O.17. De obedientia Christi vide sub tit.* CHRISTUS.

Oblatio. *Viduæ pauperis oblatio laudatur à Christo, Marc.12.v.43.Luc.21.v.1.*

Obsignatio spiritualis, *2.Cor.1.v.22.*

Obtrectatio, *Iac.4.O.9.*

Obtundere. *Luc.18 v.5 S.*

Occulta. *Peccata occulta Deus producit in apertum, Matth.10.O.23.*

Odium. *Odij iniqui vis, Matt.27.O.34.Iohan. 19.O.12. Consolatio fidelium contra odium mundi, Iohan.15.v.18.& seqq.& O.11.Iohã. 17.O.13.*

Officium. *De cura officij, vide Matth.3 O.12. De officij faciendi ratione, vide Ioh.4.O.1.*

Olearum mons ubi situs, *Ioh.8.v.1.S. Distantia eius ab urbe Hierosolyma, Act.1.v.12 S.*

Oleitas. *Matth.26.v.36.S.*

Oleum. *Spiritus S.vocatur oleum exsultationis, Heb.1.v.9.Vide ibi S.*

Omnis, omne. *Hæc vocabula interdum idem valent quod* totus, tota, totum: *ut Matth. 2.v.3. Matth.3.v.5. Matth.13.v.2. Matth. 21.v.10.1.Cor.13.v 2. ¶ Interdum idem valent quod* Perfectus, Perfecta, Perfectum: *ut Rom.15.v.13.14. ¶ Interdum idem valent quod* omnis generis: *ut Matth.4.vers.23.& O.36. Matth.5.v.11. Matth.9.v.35.Matth. 12.v.31.Marc.13 v.10.Luc.12.v 42.Luc.18 v.12.Actor.10.v.12.35.43 Roman.7.vers.8. Roman.10.v.12.Roman.14.vers.2.1.Cor.9. v.12.Ephes.1.vers.3.8.2 Thess.2.v.9.1.Tim. 2.v.1.4.6.Tit.2.v.11. ¶ Omnes pro ferè omnes Matth.10.v.22. Marc.1.vers.5. Vide ibi S. Marc.13.v.13.1.Cor.8.v.1* Omnes, omnia. *Istæ voces interdum restringendæ sunt ad hypothesin seu rem de qua in textu agitur: ut Luc.20 vers.38. Ephes.1.v.11. Iohan.1.vers. 7.16.Iohan.4.v.15.Iohan 12.v.32.Iohan.14 vers.26.Iohan.15.vers.15.Iohan.19.vers.29. Actor.2.vers.1.4.Actor.4.v 30 Actor 8 v.1. Actor.9 v.32.Actor.15.v.12. Actor 20.vers. 27.Roman.5.v.12.18.Roman.8.v.32.Romã. 15.v.14.1.Cor.1.v.2.1.Cor.2.v.14.1.Cor.9. v.19.1.Cor.10.v.23.25.27 1.Cor.11.vers.2. 1.Cor.1 v.6.7.11.1.Cor.15 v.22.28.2.Cor. 5.v 15.Galat.3 v.22 Ephes.1.v.10.11.Ephes. 3.v.9.Ephes.4 v.10. Phil.2.v.21 Coloss.1.v. 18.20.1.Thess.5 v.18.21.27. Hebr.2.vers.9. Hebr.8.v 11.Hebr 12.v 8.Iac.1.v.5.1.Iohan. 2.v.20.27.1.Ioh.5.v.4.2.Ioh.v.1.3. Iohã.v. 12. Quid sit, Deum esse omnia in omnibus, 1. Cor.15.v.28 S.*

Onesimus. *Vide Col.4.v.9. Item argumentum epistolæ ad Philemonem.*

Onesiphorus à Paulo laudatur, 2.Tim.1.v.16. 17.18.

Opsonium. *Ioh.6.v.6.S.*

Opus, *Opera Dei admirari debemus, Matth.21. O.17. Opus Dei: id est, Deo placens. Iohã.6.v. 29. Vide ibi S. Bona opera, vide sub litera B. Quomodo intelligendum sit dictum Pauli, Deus reddet unicuique secundum opera eius, Rom.2.v.6.S.*

Oraculum. *Rom.3.v 2.S.*

Oratio pro precatione, *vide* Preces.

Ordo. *Exempla non observati ordinis in narrãdo, vide Luc.22.v.21.S.*

Osculum sanctum. *1.Cor.16.v.20 Vide ibi S.*

Ostium *Parabola de ostio caulæ, Ioh.10.v.1.&c Ostium pro occasione ampla agendi, Act.14.v. 27.1 Cor.16.v.9.2 Cor.2 v.12 Col.4.v.3.*

Otiosi non sunt nutriendi in ecclesia, *2.Thessal.3. O.8.*

Ovis. *Parabola de ove perdita, Luc.15.v.1.&c. Item de pastore ovium, Ioh 10.v.1.&c.*

PA.

Pædagogus *pro doctore mercenario, 1.Cor.4.v.15.*

Pædobaptismus. *Vide* Baptismus.

Pago, Pango. *Ioh.7.v.1.S.*

Palmæ arboris natura, *Ioh.12.v.13.S.*

Panis. *Panem edere, pro, cibum capere: Matth.15. v.2. Marc.3.v.20. Marc.7.v.2.5.Luc.14.v. 1.15. De pane cælesti, vide Ioh.6.v.26.&c. Panis vitæ, id est, vivificus, Ioh.6.v.35.*

Papa, *seu pontifex Romanus. Quòd Papa sit filius diaboli, probatur Matth.4.O.16. Item quòd sit Antichristus, Matth.8.O.15. Apoc.1.O.36. Apoc.13.O.5. Quòd Papa non sit successor Petri & Pauli, Phil.1.O.3. Quòd Papa non sit caput Ecclesiæ, Col.1.O.26. Papa subiectus esse debet Cæsari, Rom.13.O.1. Quòd Papa sit sacrilegus, Matth.9.O.4. Item quòd sit impius, 1.Cor.9.O.4. Sophismata Bellarmini de primatu Papæ refutantur, Matt.16 O.9.Matt. 19.O.21.Act.9 O.10 Item de dominatu Papæ, Matth.20.O.29.2 Cor.1 O.16.1.Petr.5. O.2. ¶ De Papatu Romano vide 2.Thess.2.v. 3.& seqq.& O.4. Papatus descriptio, Apoc. 9. v.1.& seqq. Ruina, Apoc.17.v 16.17. Apoc.18 per totum. Apoc.19 v.2.3.*

Paphus. *Quid in Insula Papho egerint Paulus & Barnabas, Act.13.v.6.&c*

Papistæ. *Papistarum errores & falsa dogmata. Item vitiosi ritus, indicantur & refutantur, Iohan.2.O.3.5.Actor.2.v 4.S.& O.5.Act. 6.O.2.Actor.8.O.9.14.15. Roman.3 O.14. 1.Cor.13.O.6.1.Cor.14.O.1.2.Præfat.analys. sex epistolarum. Phil.1.O.6 8.Coloss.2.O.24. 25.26.Col.3.O.11.15.1.Thess.5.O.2.Præfat.*

in analysin Epist. ad Hebr. sub finem.1.Tim 3. O.3.8.1.Tim.5.O 10 Tit.1.O.16. Hebr.7.O. 2. Hebr.10.O.16. Hebr.13.O.3. Iac.2.v.24. S.1.Petr.5.O.2.3.1.Iohan.2.O.3.1.Iohan.4. O.9.2.Iohan.O.13 Vide etiam tit. Bellarminus. *Evangelicorum contra Papistas defensio, Matth.21.O.19. Victoria, Apoc 17.v.14. Mos Papisticorum Prælatorum, Iohan.18.O. 14.Iohan.19.O.6. Distinctio quadam Papistarum frivola refellitur, Luc.11.v 4.S.Consolationes contra illos, Matth.21.O.19.24.25. Luc.11.O.10. Luc.20.O.2.4.Ioh.7.O.11.Ioh 16.O.1.Ioh.18.O.9.14*

Parabola. *Parabola proposita à Christo, recitantur Matth.13.20.22.25. Marc.4.12. Luc.13. 14 15.16.18.19. Iohan.10. ¶ Parabola pro sapienter & subobscurè dicto, Matth.15.v.15. Vide ibi S.*

Paradisus. *Luc.23.v.43 S.*

Paragoge. *Rom.11.v.18.S.*

Paragramma. *Vide in Indice Græco vocem ἀνακεφαλαίωσις.*

Paralyticus. *De miraculosè sanatis paralyticis, vide Matth.8.v.5.&c. Matth 9.vers.1.&c. Marc.2.v.1.&c. Luc.5.v.17.&c. Act.9.v.32.&c.*

Parasceve. *Matth.27.v.62.S.Luc.23.v.54.S. Iohan.19.v.14.S.*

Parentes. *De ortu è sanctis Parentibus, vide Matth.3.O. . de officio parentum, vide Luc. 2.O.41.42.1.Cor.7.O 26.2.Cor.12.O 5.Ephes.6.O.3.Hebr.6.O 4.Hebr 12.O.8.2.Ioh. 0.8.¶ De patria potestate, vide 1.Corinth.7. O 26.*

Paronomasia. *Exempla vide Iohan.3.vers 21. Roman.1.v.28.29.31.Rom.2 v.1.Rom.3.v. 26.Rom.11.v.11.19.Rom.12.v.3.1.Cor.11.v. 31.1.Cor.12.v.6.26.1.Cor.13 v.6.2.Cor.5. v.8.2.Cor.10.v.6.Ephes.1.v.6 Ephes.5.v.2. 2.Thess.3.v.11.2.Tim.3.v.1.Philem.v.11.20. Hebr.11.v.37.*

Parvi, *pro plebeijs, Luc.17 v.2. Vide ibi S.*

Pascere, *interdum idem significat quod regere seu gubernare: ut Matth.2.vers.6. Actor.20. v.28.*

Pascha. *Vocabulum* Pascha *declaratur Matth. 26.v 17.S. Paschatis edendi ratio, Matth.26. O.13. Quo die Christus celebraverit ultimum Pascha, Matth.26 v.17.S.Marc.14.v. 12 S.¶ Pascha pro agno paschali, Iohan.18.v. 28.1.Cor.5.v.7. Vide ibi S.¶ Pascha pro festo Paschatis, Hebr.11.v.28. de hymnorum decantatione in cœna paschali, vide Matth.26. v.30.S. de consuetudine Iudæorum in mutãdo die Paschatis, Marc.14.v.12.S.*

Passio Christi. *Vide*, CHRISTUS.

Passiva vox apud Apostolos interdum habet significationem reciprocam: ut Iohan.12.v.36. Vide ibi S & v.40.1 Cor.7 v.11. Iac.4.v.7. 10.Epist.Jud v.10.¶ Interdum activam: ut 1.Ioh 4.v.12.

Pastor. *Parabola de Pastore ovium, Ioh.10.v.1. &c.* Pastores Ecclesiæ. *Vide titul.* Ministri verbi Dei.

Patefactio. *Patefactiones divinæ suos habent gradus suaque momenta, Matth 11.O.10. Matth.12.O.30. Matth 13 O.5.Matth.16. O.13.Matth.17.O.8. Marc.4.v.21. &c.& O.:.Act.14.O.12.Act.16.O.4. Non omnia quibusvis patefacienda sunt, Matth.20.O. 17.*

Pater luminum quo sensu dicatur Deus. Iac.1.v. 17.S.

Paterculus quomodo usurpet verba Prædicere & Præscribere, *Rom.15.v.4.S.*

Paterfamilias. *de officio patris familias, vide Iohan.4.O.25. Actor.16.O.19. Philem.O.3. 1.Petr 3.O.6.*

Patientia. *de patientia necessitate atq; utilitate, Matth.24.O.5 Luc.6.O.17.Iohan.5.O.4. Quomodo afflictio patientiam efficiat, Rom.5. v.2.S.Iac 1 v. .S. de patientia in tolerandis rudioribus Christianis, Rom.15.v.1.&c.*

Patres. *Patres: id est, maiores seu progenitores, Luc.1.v.55.Luc.3.v.23.26.Luc 1.v.47.48 Iohan.4.v.10 Iohan.6.v.31 49.58. Actor.3. v.13.25 Actor.5.v 30.Actor.7.v.11.15.19.32 38.39.44.45 51.52. Act.13 v.17.32.36. Act. 15.v.10. Act.22.v.14. Act.26.v.6. Act.28. v.5.1.Cor.10.v.1.Galat.1.v.14.Hebr.1.v.1. Heb.3.v.9.Heb.8.v.9.1.Pet.3.v.4. ¶ Patres pro sanctis illis patribus, Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, Iohã.7.v.22.Rom.9.v.5 Rom.11. v.28.Rom.15 v.8.*

Paulus. *Pauli (antea Sauli dicti) conversio & vocatio ad apostolatum, narratur Act.9.v.1. & deinceps: item Act.22.vers.6.& deinceps Quomodo cœperit nominari Paulus Act.13. 9.S.1.Cor.1.v.1.de doctrina Pauli. Act.13 O. 1. Act.19.O.4.Coll.1.O.2.40.1.Tim.1.O.1. 1.Tim.2.O.13.2.Tim.1.O.16. Profectio eius unà cum Barnaba ad gentes, narratur Actor. 13.v.1.& seqq. Quid ambo illi egerint Salamine, Actor.13.v.5. Quid egerint in Insula Papho, ibid.v.6.&c. Quid egerint Antiochiæ in Pisidia, ibid.v.13.&c. Quid egerint ac perpessi sint Iconij, act.14 v 1.&c. Quid egerint ac perpessi sint Lystris, ibid.v.7.&c. Quid egerint Derbe, & Iterum Lystris, ibid.vers.21.&c. Quid egerint Perga, ibid.v.24.25. Quid egerint Antiochiæ in Syria, quum eò essent reversi, ibid.vers 26.&c. de dissidio Pauli cum Barnaba, Actor.15.v.35 &c. Quid Paulus in Græciam reversus egerit Lystris, & in cæteris urbibus illius regionis, Actor.16.vers.1.&c. Quid ei acciderit volenti prædicare Evangelium in Asia & Bithynia, Act.16.vers.6.7. Quid ei acciderit Troade, ibid.v.8. &c. Quid Paulus & Silas egerint Philippis, quidq; ibi sint perpessi, ibid.v.13.&c. Quid egerit ac perpessus sit Thessalonicæ, Actor.17.vers.1.&c. Quid BerϾ, ibid.v.10.&c. Quid Athenis, ibid.v.16 &c. Quid Corinthi, Actor.18.v.1. &c. Quid egerit in itinere quum rediret Antiochiam Syriæ, ibid.v.18. &c. Quid egerit ac perpessus sit Ephesi, quum eò è Syria reversus esset, Actor.19.per totum. Quibus itineribus Epheso venerit Troadem, Act.20.vers.1. &c. Quid egerit Troade, ibid.vers.7.&c Quibus itineribus Troade venerit Miletum, ibid v. 13.&c. Quid egerit Mileti, ibid.vers.17.&c. Quibus itineribus Mileto venerit Hierosolymam, & quid in illo itinere memorabile ei acciderit, actor 21.v 1.&c. Quid ex Asia Hierosolymam reversus, illic egerit ac perpessus sit, ibid.v.17.&c. Sermo eius ad populum Hierosolymitanum, actor 22.v.1.&c. Quid ei acciderit coram synedrio, quid ve ille ibi egerit, a. ctor 23.v.1.&c. Quomodo ex insidijs Iudæorum ereptus sit, ibid. v.11 &c. Quid cum eo actum sit Cæsareæ apud præsidem Felicem, act. 24.per totum. Item coram præside Festo. actor. 25.v.1.&c. Item coram rege Agrippa, actor. 25.v.13.actor.26.v.1.&c. Quomodo è naufragio salvus evaserit, actor.27. Quid egerit in Insula Melite, actor.28.v.1.&c. Item Romæ, actor.28 17.&c. Gloriationes eius, Rom. 11.13.S Quo genere sermonis usus sit in docendo Evangelio, 1.Cor.2.1 &c. Item v.13. Qua conditione vixerit apud Corinthios, 1.Cor.2, v.3. Quas contumelias & miserias sustinuerit, 1.Cor 4.9.&c.2.Cor.11.23.&c.2.Cor.12. 7.&c. Narrat, se in gratiam infirmorum fratrum nõ usum esse Iure suo in accipienda mercede ab Ecclesiis, aut certè victu & amictu, 1. Cor.9.1. &c. de gloriatione eius apud Corinthios, 1.Cor.9.O.2.2. Cor.7 2. Commemorat pericula sua, 1 Cor.15 31.3 .2.Cor.11.23.26. An peccarit dicendo, Demens 1.Cor.15.O.15. Diluit apud Corinthios crimen levitatis in promittendo suum adventum.2.Cor.1.8.&c. Removet à se crimen nimiæ severitatis, 2.Cor 2.1 &c. Refutat crimen cauponationis seu adulterationis doctrinæ Evangelij, 2.Cor.2.12. &c.2.Cor.3.4.&5. Commendat ministerium suum, 2.Cor.3. Gloriatur de sua sedulitate & sinceritate in prædicando Evangelio, 2.Cor.4.v.1.2. Occurrit suspicioni arrogantiæ, ibid.v.5.6. Exponit suam spem ac desiderium gloriæ cælestis, 2.Cor.5.1.&c. Cõmemorat suum studium ac sinceritatem in fungendo munere apostoli ibid.v.9.&c. Pergit declarare rationem sui ministerij, & eã occasione suas virtutes ac miserias commemorat, 2.Cor.6. v.1.&c. Exponit tum fidelitatis suæ, tum perpetuæ erga Corinthios benevolentiæ argumenta, 2.Cor.7.v.2.&c. Defendit se contra calumniam pseudapostolorum, quam arripuerant ex obiurgationibus eius, dicentes, Paulum in Epistolis affectare aliquam gravitatem, qui tamen coràm sit humilis & abiectus, 2.Cor.10.v.1.&c. Asserit efficaciam ministerij sui, ibid.v.12.&c. Pergit in instituta gloriatione & narrat eximiam quandam visionem, quondam à Domino sibi oblatam, 2.Cor. 12.v.1.&c. Item commemorat singularem quandam tentationem, quã subinde à Satana vexabatur, ibid.v.7.&c. Item gloriationem factam excusat: ac rursum de suã erga Corinthios liberalitate & amore ardentissimo gloriatur, ibid.v.1: &c. Item refellit calumniam avaritiæ occultæ & astutæ, ibid.v.16.&c. Item minatur Corinthijs præsentiæ suæ severitatem, ibid.v.20 21. Repetit comminationem suæ severitatis, 2.Cor.13.v.1.&c. Narrat, quomodo doctrinam suam ab ipso filio Dei acceperit, & ad eam inter gentes annuntiandam vocatus ac missus sit: item quomodo hoc suo apostolatu functus sit, Gal.1.v.10.& deinceps usq; ad cap.3. De facto Pauli circumcidentis Timotheum, Titum verò circumcidere recusantis, Gal.2.O.4. Item an rectè fecerit, quòd pseudapostolis imprecatus est æternum exitium, Gal.5.O.6. Epistolas longiores scripsit manu alienã, Gal 6.v.11.S. Asserit apostolatum suum contra scandalum vinculorum, in quibus tum Romæ detinebatur. Eph. 3.v.1.&c. Narrat de suis vinculis, & de animi sui affectu tum ad moriendum, tum ad diutiùs vivendum, Phil 1.v.12.&c. Laudat functionem ministerij sui apud Thessalonicenses.1.Thess.1.v.5 1.Thess.2.vers.1.&c. Asserit suum apostolatum, 1.Tim.1.v.12.&c. Paulo familiaris est numeri variatio, 1.Tim.2.v.15 S. Prophetia Pauli de conversione Iudæorum, Rom.11.v.25.&c. item de apostasia, 2.Thess.2 v.3.&c.1.Tim.4.v.1.&c. Vide ibi S. Quæritur, se in vinculis suis desertum fuisse à quibusdam, 2.Tim.1.v.15.2.Tim.4.v.16. Quomodo Paulus catenã fuerit vinctus Romæ, 2. Tim.1 v.16.S Monebat Timotheum de imminente suo supplicio, 2.Tim.4.v.6. Petebat sibi afferri penulam, libros, & membranas, 2.Tim.4.v.13. Quo tempore scripserit Epistolam ad Hebræos, Heb.13.v.19.S. De vinculis Pauli, vide Hebr 13.v.19. S D. Epistolæ Pauli, 2.Pet.3.O.10.*

Pauper, paupertas. *Vidua pauperis oblatio laudabatur à Christo, Marc 12.v.43. Spiritu pauperes prædicantur beati, Matth.5.v.3. Iesus inter alia argumenta, quibus probabat se esse Christum, afferebat & hoc, quòd pauperibus evangelizaret, Matth.11.v.5. Vide etiam Luc 4.v.18. Christus dicebat cuidam adolescenti, Si vis perfectus esse, abi, vende quæ habes, & da pauperibus, Matth.19.v.21. Marc. 10.v.21. De unguento super caput Iesu à muliere quadam effuso, dicebant discipuli, Potuit istud unguentum venundari magnò, & dari pauperibus, Matth.26.v.9. Quibus inter alia respondebat Iesus, Semper pauperes habebitis vobiscum, ibid.v.11. Vide etiam Marc.14.v. 5.7.Iohan.12.v.8. Pauperes sancti iuvandi sunt, Rom.15.O.8. Propter paupertatem nemo pius contemnendus est, Iac.2.O.1. Paupertas patienter toleranda est, Luc.16.O.11.Luc.18. O.11. Consolatio contra paupertatem, Luc.2. O.16. Iac 2.O.2.2.Petr.1.O.1. Immisericordia erga pauperes fugienda est, Luc.16. O.10.*

Paupertas spiritu quinam dicantur, Matth.5.v. 3.S. Refutatio sophismatis Bellarmini de merito voluntariæ paupertatis, Matth.19.O.17. Item de voto illius, ibid.

Pax. *Pacis vocabulum variè accipitur, Rom.1. v.7.S.Rom.5.v.2.S.Rom.8.v.6.S. De studio pacis, Hebr.12.O.12. Iac 3.O.5. ¶ Pax pro felicitate, 1.Thess.1.v.1. Pax Dei ad quos pertineat, Luc.2.O.14.*

P E

Peccator. *Peccatores interdum intelliguntur, quã*

qui securè peccatis indulgent, ut Matth.9.v.10. Matth.11.v.19. Luc.6.v.32. Vide ibi S. Rom.5.v.8. Hebr.12.v.3. De conversatione cum talibus vide Matth. 9.O.8 Luc 15.O.1. 2.Petr.2.O.11. De affectu erga peccatores, Actor.8.O.12. ¶ Per peccatores interdum intelliguntur ethnici: ut Matth.26.v.45. Matth.27.O.28. Marc.14.v.41. Luc.6.v.32. Vide ibi S.

Peccatrix, pro meretrice, Luc.7.v.36.

Peccatum. *Definitio peccati, 1.Iohan.3.vers.4. Vide ibi S. & O.3. Peccati vocabulum variè accipitur. Vide Rom.5.vers.12.S. Peccatum mundi, Iohan.1.v.29. Vide ibi S. Peccatum originale. Rom.5.O.6. Romã.7.v.6. & seqq. & O 2.8.9. Heb.12.O.3.4. Peccatum in Spiritum sanctum, Hebr.10.O.18. Peccatum ad mortem, 1.Iohan.5.v.16. &c. & O.24. Peccatum facere quinam dicantur, 1.Iohan.3.v.4.S. de peccati causis, Iac.1.O.7.1.Iohan.2.O.13. de peccatorum gradibus, Ephes 4.O.8. 1.Iohan 5.O.24. de peccatis occultis, Rom 2.O.8. Homo peccati, 2.Thess.2.v.3.S. Peccata non sunt excusanda, 1.Cor.10.O.31. Scelera pendent à decreto Dei, Ap.2.O.4. de peccatorum confessione, 1.Cor.15.O.6. Gal.1.O.14. 1.Iohan.1.v.9.10. de peccatorum expiatione, Ephes 5.O.2.1.Petr.O.10. de peccatorum remissione, vide,* Remissio. *Consolatio contra conscientiam peccatorum, Iohan.17.O.17.18.22. Facere peccatum; ποιεῖν τὴν ἁμαρτίαν, quid sit: Iohan.8. vers.34.S. Quomodo omnes peccarint in Adamo, Roman.5.v.12.S. Hebr.7.O.6. ¶ Peccatum pro vitiositate naturæ, Rom.6.v.1.12. Rom.7.8.9.11.13.17.20 23.25 ¶ Peccatum pro falsa doctrina. Iohan 8.v.46. Peccatis alienis quinam communicẽt, 1.Tim.5.O.19. Consolatio contra lapsus, id est, peccata ex infirmitate commissa, 1.Iohan.2.v 1.2. & O.2. Quòd peccata sint inæqualia, Matth.5.O.20.21. Matth.10.O.15. Matth.11.O.26. Matth.12.O.24. Luc.12. O.4. Iohan.19.O.10. Cur peccata dicantur debita, Matth.6.v.12.S. Luc.11.v.4. Item cur dicantur lapsus, Matth.6.v.14.S. Scelera fiunt Deo voluntariè permittente, non tamen approbante. Matt.6 O.13. Quid faciendum iis qui sentiunt peccatorum onus, Matth.11.O.31. Sceleratorum operâ utitur Deus in exsequendis suis iudiciis, Matth.22.O.5. Matth.26.O.19. de peccato angelorum, vide 2.Pet.2.O.7.*

Pentecoste. *Die pentecostes missus fuit Spirit.S. in apostolos, Act.2.v.1. de festo pentecostes, vide Act.2.v.1.S.*

Penula. *Paulus petebat sibi adferri penulã quam reliquerat Troade, 2.Tim.4.v.13.*

Perdere. *Parabola de ove perditâ, drachmâ perditâ, & filio perdito, Luc.15.v.1.&c.*

Perditio. *Filius perditionis. Iohan.17.v.12.1.Thess.2.v.3.*

Perfectio. *Perfecti pro adultis in Christianismo, Phil.3.v.15. Vide ibi S. ¶ perfectus pro prudente, Iac.3.v.2. Charitas perfecta: id est, sincera, 1.Iohan.4.v.12.18. perfectioni studendum, Matth.5.O.45. Refutatio sophismatum Bellarmini de consilio perfectionis, Matth.19.O.17.*

Perfidia. *Vide Matth.26.O.17. Iohã.15.O.3.13. Ioh.18.O.2.*

Perga. *Quid Pergæ egerint Paulus & Barnabas Act.14.v.24.25.*

Periculum. *de periculis vitandis, vide Matth.2.O 18.22.29. Matth.14.O.9. Matth.21.O.13. Matth.24.O.8. Ioh.7.O.1. Ioh.10.O.27. Iohan.12.O.6. Actor.16 O.23. Act.20.O.1. Consolatio contra pericula, Act.9.O.8. Hebr.1.O.10.*

Periphrasis. *Exempla vide Matth.6.v.9. Matt.7.v.6. Matth.8.v.20. Matth.10.v.28. Mat.11.v.1. Matth.12.v.23.32.40. Matth.21.v.9. Matth.26.v.29. Matth.27.vers.53.62. Marc.1.v.24. Marc.14.v.41. Marc 16.v.14 Luc.1.v.2.15.19.35.42.78. Luc.2.v.14.23.25.26. Luc.5.v.24. Luc.9.v.22. Luc.10.v.29. Luc.12 v.8. Luc.13.v.15. Luc.16.vers.9. Luc.22.v.59. Iohan. v.46. Iohan.3.v.13.31. Iohan.6.v.27.29.46. Iohan.11.v.3. Iohan.12 v.31. Iohan.13.v.23. Iohan.14.v.2.30. Iohã.17.v.9. Iohan.18.v.1.16. Iohã.19.v.26. Ioh.20.v.2. Ioh.21.v.7. Act.2.v.30.39. actor.3.v.21. actor.7.41.56. actor.10.v.34 actor.14.v.3. actor.15.v.28. actor.17 v.31. actor.18.v.7. actor.20.v.32 actor.23.v.3 actor.26.v.7. Roman.1.v.4.18. Rom.2.v.12.14. Rom.7.v.6. Roman.8.v 11.25.27.28.37. Rom.9.v.22. Rom.10.v.8 18. Rom.11.v.1.7.25. Rom.13.v.12.1.Cor.1.v.2.6.1.Cor.2.v.1.12.1.Cor.5.v.1.1.Cor.14.v.7 2.Cor.5.v.15.2.Cor.7.v.12. Phil.2.v.16. Coloss.1.v 23.1.Thess.4.v.5.13. 2.Thess.1.v.11.2 Thess.2.v.8.1 Tim.6.v.15. 2.Tim.1.v.8. Hebr 2.v.2.10. Hebr.6.v.15.19. Hebr.7.v.19. Hebr 9.v.18. Hebr.11.v.10. Hebr.12.v.9 11. Iac.1.v 17 21.25.1.Petr 1 v.22.2.Petr.1.v.3.14.21.2.Petr.2.v.1.1.Ioh.3.v.16.1.Ioh.4 v.4.*

Pernavigare. *Luc.8.v.26.S.*

Persecutio. *de persecutione propter confessionem Christi, vide Matth.5.O.5. Matth.10.O.22.29. Matth.14.O.2. Matth.16.O.18.19.20.21. Matth.20.O.18.21.22.24. Matth.23.O.21. Matth.25.O.18 Luc.21.O.4. Iohan.15.v.18.& seqq. Iohan.17.O.14. Iohã.18.O.8.9. Actor.4.O.1.8.9. actor.5.v.17.& seqq. & O.4.7.15. actor.6.v.8.& seqq. actor.8.O.1.3. actor.13.O.16.17. actor.14.O.16. actor.16.O.12.13. Rom.5 O.1 Rom.8.O.16. Ephes.3.O.1.10. Phil.1.O.33. Phil 3.O.14. Coloss.1.O.19.1 Thess 1.O.19.10.1.Thessal.2.O 8.1.Thess.3.O.2.2.Thessal.1.v.3.& seqq. & O.2.1.Tim.1.O.4.2.Tim.1.O.17 2.Tim.2.O.5.2.Tim.3.O.8.10. Philem.O.1. Hebr.1.O.7 Hebr.3.O.14. Hebr.11.O.14.21. Hebr.13.O.9.10.1.Petr.3.O.1.11.*

Perseverantia. *de perseverantia in fide, vide Actor.13.O.10. Phil 1.O.14. Hebr 6.O.6.13.*

Personarum discrimen nõ tollitur per fidei Christianæ societatem, 2.Ioh.O.2.

Pervidere. *Rom.1.v.20.S.*

Pes. *Pedum lavandorum mos, Luc.7.v.44.S.*

Petrus. *Cur hoc nomen impositum sit Apostolo Petro, Matth.4.v.18.S.1.Petr.1.v.1.S. Petri socrus à Christo fuit sanata, Matth.8.v.14. Petrus Christum abnegavit, Matth.26.vers.69.&c. Marc 14.v.66.&c. Iohan.13.v.38. Quomodo Petrus pervenerit in cognitionem Christi, Iohan.1.v.35.&c. Petrus fuit quasi os apostolorum, Iohan.6.v.68.S. de primatu Petri, vide Matth.16.O.9. Actor.1 O.7. actor.9.O.10. Sermo Petri quem habuit ad discipulos de cooptando aliquo in numerum apostolorum, in locum Iudæ proditoris, Actor.1.v.15.&c. Sermo eius ad populum Hierosolymitanum in die Pentecostes, Actor.2.v.14.&c. Secundus eius sermo ad eundem, actor.3.v.12.&c. Claudius quidam per eum fuit sanatus, actor.3.v.1.&c. Coniectus fuit, unà cum Iohanne, in carcerem, actor.4.v.3. Causam dixit coram senatu Hierosolymitano de sanato claudo. actor.4.v.5.&c. Umbra eius captabatur ab ægrotis, actor.5.v.15. Sanavit paralyticum quendam, actor.9.v.23.&c. Excitavit è morte mulierem quandam, actor.9.v.36 &c. Accersebatur à Cornelio. actor.10.v.1.&c. Sermonem apud illum habuit, ibid.v.34.&c. de hoc facto rationem reddidit fratribus, actor.11.v.1.&c. Liberatus fuit è carcere per angelum, actor.5.v.19. actor.12.v.3.&c. de doctrina Petri, vide actor.9.O.11.*

PH

Pharaonis induratio, *Rom.9.v 18.S.*

Phares. *Vocabulum hoc declaratur, Matth.1.v.3.S.*

Pharisæi. *Unde dicti, Iohan.3.v.1.S. Multi ex Pharisæis veniebant ad baptismum Iohannis, Matth 3 v.7. Pharisæorum iustitia damnabatur à Christo, Matth.5.v.20.& deinceps per caput 5.& 6. Pharisæi offendebantur familiari conversatione Christi cum publicanis & peccatoribus, Matth 9.v.11. Marc.2.v.16 Luc.5.v 30. Pharisæi multum ieiunabant, Matth.9.v.14. Marc.2.vers.18. Luc.5.v.33. Pharisæi reprehendebant discipulos Domini, quòd in sabbatho spicas vellerent, Matth.12.v.2. Marc.2 v.24. Luc.6.v.2. Capiebant consilium adversus Iesum, ut eum perderent, Matth.12.v.14. Dicebant Iesum eiicere dæmonia per principem dæmoniorum, Matth.9.v.34. Matth.12.v.24. Marc.3.v.22 Luc.11.v.15. Petebant signum à Iesu, Matth.12.v.38 Offendebantur sermone Domini, dicentis, Non quod ingreditur in os, communem reddit hominem Matth.15.v.12. Rogabant Iesum, ut signum è cælo ipsis ostenderet, Matth.16.v.1. Marc.8.v.11. Christus monebat discipulos, ut caverent à fermento Pharisæorum, Matth.16.v.6. Marc.8.v.15. Pharisæi quærebant ex Christo, an liceret homini dimittere uxorem suam quavis ex causâ, Matth.19.v.3. Marc.10.v.2. Item an liceret censum dare Cæsari, Matth.22.v.17. Marc.12.v 14. Luc.20.v.22. Quidam ex Pharisæis quærebat è Christo, quodnam sit maximum mandatum in lege, Matth.22.v.36. Marc.12.v.28. Iesus interrogabat Pharisæos, cuius filius sit Christus, Matth.22.v.42. Marc.12.v.35. Luc.20.v.41. Iesus monebat turbam & discipulos de cavenda hypocrisi Pharisæorum, Matth.23.v.2.&c. Deinde ipsosmet hoc nomine reprehendebat, ibid.v.13.&c. Pharisæi petebant à Pilato, ut sepulchrum Iesu muniret usq; in diem tertium, Matth.27.v.64.*

Philippus. *Philippus apostolus quomodo pervenerit in cognitionem Christi Iohã.1.v.35.&c. ¶ de Philippo diacono vide Act.6.v.5.& Act.8.v.5.& deinceps. Act.21.v.8.9.*

Philippi, *nomen urbis. de hac urbe vide Act.16.v 12.& seqq.*

Philosophia. *de philosophia profanorum authorum vide Coloss.2.O.3.9. de profanis humanæ philosophiæ disputationibus, vide 1.Tim.6.v.20.21.*

Phœbe. *de hac muliere vide Rom.16.v.1.*

Phœnicia. *In Phœnicia prædicatum fuit Evangelium, Act.11.v.19.*

Phrases inusitatæ, *Galat.1.v.10.S.1.Thess.3.v.12.1.Thess.4.v.6.*

Phrygia. *Phrygiam peragravit Paulus. Act.18.v.23.*

Phylacteria. *Matth.23.v.5.S.*

PI

Pietas. *de pietate vide Matth.12.O.33.34. Matth.13.O.10. Luc.1.O.33. Luc.7.O.2.5.1.Thess.4.v.1 &c 1.Thess.5.O.2.1.Tim 4.O.16.1.Tim.5.O 13.1.Tim.6.O.4. Hebr.11.O.21. Iac.2.O.1.5.7.2.Iohan.O.9. de studio pietatis, vide Matth.7.v.21.&c. Iohan.15.O.6.1.Cor.5.O.4. Phil.1.v.27.&c. Phil.3.O.13. Tit.2.O.4.1.Petr.2.O.1.2.2.Petr.1.O.15. Epist.Iud.O.16. de piis factis, vide Matth.26.O.9. de morte piorum, vide Luc.2 O.29. de conditione piorum, Phil.4.O.4.2.Tim.3.O.10. Exempla pietatis, vide Luc.2.v.37 in Anna: & v.41.42. in parentibus Domini: & v.51. in ipso Domino, itemq; in Maria matre Domini. Item Luc.7.vers.11.& seqq. in civibus oppidi Nain. Vide ibid.O.2.5. Iohan.19.O.17. Pietatis ratio, Coloss.2.O.35. Summa pietatis, Iohã.6.O.15. Piorum protectio divina, Ioh.18.O.5. Act.28.O.2.8. Piorum ingenium, Roman.15.O.7.2.Tim.3.O.3. Piorum utilitas, Actor.28.O.6.*

Pilatus. *An rectè fecerit, quòd Iesum comparavit cum latrone, ut eum hoc modo dimitteret, Matth.27.O 10.*

Piscatores. *Piscatores hominum, Matth.4.v.19 Marc.1.v.17.*

Pisces. *Piscium captura miraculosa, Luc.5.v.1.&c. Piscium caro, 1.Cor.15.v.39.*

Piscina. *de miraculo tempore Christi quotannis edi solito in piscina quadam Hierosolymitana Ioh.5.v.4. Vide ibi S.*

PL

Platea. *Nomen hoc declaratur Matth.6.v.5.S.*

Plebs. *de plebis inconstantia, vide Matth.27.O.11.*

Plectere. *Coronam plectere, Matth.27.v.29.S.*

Plenitudo. *Quid Iohãnes intelligat per plenitudinem (τὸ πλήρωμα) Christi, Ioh.1.v.16. vide ibi S.*

Pleonasmus. *Exempla vide Matth.3.v.4.11. Matt.5.v.13. Marc.1.v.32. Marc 2.v.6.29.*

Marc.5.v.42. Marc.7.v.13. Marc.12.v.25. Marc.13.v.19.20. Marc.14.v.21. Marc.16. v.14. Luc.5.v.35. Luc.12.v.24.51. Luc.20. v.27. Luc.22.v.15. Iohan.1.v.18.27. Iohan. 3.v.26. Iohan.4.v.54. Iohan.11.v.22. Iohan. 15.v.2.5. Actor.4.v.17. Actor.10.v.28. Act. 11.v.19. Rom.1.v.27. Rom.4.v.12. Romã.8. v.21. Rom.12.v.3.1.Cor.6.v.20.1.Cor.14.v. 3. Gal.2.v.10. Gal.4.v.12. Eph.2.v.5. Eph.6. v.8.1.Theſſ.4.v.5 1.Tim.5.v.19. Iac.2.v.6. Iac.4.v.17.1.Pet.2.v.24.1.Ioh.1.v.1.

Pluere. Luc.17.v.29.S.

Pluvia matura & ſerotina, Iac.5.v.7.

PO.

Pœna. Iuſtum eſt ut pœna ſit ſimilis delicto, Mat. 5.O.38. De iuſtitia in pœnis obſervanda vide Matth.10.O.16. De pœnis divinis, vide 1.Corinth.10.O.6.

Pœnitentia. Origo pœnitentiæ, Act.5.O.14. Partes pœnitentiæ, Matth.3.O.2. Eph.4.O.9. Requiſita pœnitentiæ ſalutaris, Matth.27.O.3. Luc.15.O.4. Neceſſitas pœnitentiæ, Matth.3. O.4. Act.5.O.12. Fructus pœnitentiæ, Matth. 3.O.8. Luc.15.O.5. Act 3.O.13. Exempla pœnitentium, vide Matth.26.O.53 Matth.27. v.3. Luc.7.v.36. & ſeqq. Procraſtinatio pœnitentiæ, Matth.3.O.11 Matth.20.O.6. Luc. 13.O 2. Lapſorum pœnitentia, Heb.6.O.7. ¶ Sacramentum fictitium pœnitentiæ, Actor.8. O.14.

Politia. De politicis ordinibus vide Luc.3.O.8. De politicorum profanorum more, vide Act. 19.O.12.

Pollicere. Ioh.19.v.40.S.

Pollutio cæremonialis. Ioh.18.v.28.S.

Polyptoton. Exempla vide Matth.18.verſ.22. 1.Theſſ.1.v.5.2.Tim.3.v.13.

Populus. Quo ſenſu dicatur populus Dei, Matt. 1.v 21.S. Quàm latè pateat populus Dei, Luc. 13.O.10 De duplici populo Dei, Rom.11.v.2. S.& O.1.

Potare, Potari, 1.Cor.12.v.13.S.

Poteſtas pro velamine muliebri, 1 Cor.11.v.10. ¶ poteſtates pro magiſtratibus, Rom.13.v.1.S.

Potionare, 1.Cor.12.v.13.S.

PR.

Præ. Hæc propoſitio interdum notat cauſam corrumpentem Vide Matth.13.v.44.S.

Præceptor. De officio præceptoris vide Matt 24. O.2. De obſervantia ergà præceptores, vide Ioh.3.O.4.

Præciſio, figura ſermonis. Exempla vide Rom.2 v.23.1.Cor.9.v.22.

Prædeſtinatio, De prædeſtinatione divina agit Paulus Rom.9.10.& 11. De cauſa eius impulſiva vide Rom.9.O.9 Eph.1.v.5.& O.1. Obiecta prædeſtinationis, 1.Pet.1.O.29. Sublimitas illius. Rom.11.O.10.

Prædicare. De ſignificatione huius verbi vide Rom.10.v.21.S.

Prædicere apud Paterculum, Rom.15.v.4.S.

Præputium. De præputij appellatione Græca vide Rom 2.v.25.S De attractione præputij vide 1.Cor.7.v.18.S.

Præſcribere apud Paterculum, Rom.15.v.4.S.

Præſumtio. Præſumtio de noſtris viribus cavenda, Matth.26 O.28

Prandium. Quinam ſint vocandi ad prandium, Luc.14.v 12.&c.

Preces. An preces ſint ſuperfluæ, Matth.6.O.6. Quibus rebus ad precandum moveri debeamus, Luc.11.O 3.1.Cor.7.O.5. De petendis à Deo bonis neceſſarijs, Matt 7.v.7.&c. Matt. 17.O.10.11.12. Matth.18.O.12. Matth.20. O.36. Matth.26.O.29. Luc.11.O.5, Luc.24. O.4. Rom.15.O 9.2.Cor 1.O.6. Col.1 O.28. Coloſſ.4.O.1.5 1.Theſſ.1.O.7.2.Theſſ.3.O.15. Epiſt.Jud.O.24.28. ¶ Precationis Dominicæ analyſis, Luc.11.v. A. De modo precandi, vide Matth.5.v.5.&c & O.5.8. Matth.6. O.17. Luc 11.v.2.&c. Iohan.14.O.6.1.Tim. 2 O.15.1.Ioh.5.O 20. An ad formulam precum à Chriſto traditam ſimus adſtricti, Mat. 6.O.7. Quænam ad preces requirantur. Mat. 6.O.8. Luc.11 O 2. Rom.10.O.7. Col.4 O.5. Hebr.4 O.15 Hebr.10.O.9. Iac.1.O.5. Bona corporalia qua ratione à Deo petenda ſint, Matth.8.O.3. Matth.15.O.11. In precibus perſeverandum, Matth.15.O.11. Luc.11.O 2. Luc.18 O 1.19. Iohan.4.O.24.1.Theſſal.5.O. 10. De loco orandi vide Matth.21.O.10. De tempore orandi, vide Actor.3.O.1. Actor.10. v.3.S. De geſtu precandi, vide Marc.7.O.2. Marc.11.v.25.S. Iohan.11.O.22. Iohan.17.O. 1.¶ Parabola de Phariſæo & publicano orantibus in templo, Luc.18.verſ.9.&c. ¶ Preces Chriſti, Iohan.17.v.1.& ſeqq. ¶ Preces Eccleſiæ Hieroſolymitanæ pro Apoſtolis captivis, Actor.4.v.24.& ſeqq. Paulus hortatur ad publicas preces: & oſtendit, pro quibus orandum ſit: Item præcipit quomodo ſe in publicis precibus gerere debeant tum viri tum mulieres, 1.Tim.2.v 1.&c. pro quibus orandum ſit, 1.Tim.2.O.1.2. Philem.O.5.1.Iohan.5.O.22 De precum exauditione, vide Luc.1.O.4.6. Luc.11.v.5.&c.& O.4. Iohan 11.O.3.10.23 Act.4.O.10. Act.10.O.8. Act.11.O.3. Actor. 16.O.16. Gal.4 O.6. Phil 1.O.24. Philem. O.24. Iac.5.O.7.1.Ioh 3.O.21.1.Ioh.5.v.14 &c.& O.21. Apoc.5.O.4. Apoc.8.O.1.

Presbyteri. Id eſt, Epiſcopi ſeu paſtores, Tit.1.v.5 Officia presbyterorum, Iac.5.v.1 &c. ¶ Presbyterium: id eſt, congregatio presbyterorum, 1. Tim.4.v.14.

Primitiæ. De primitijs vide 1.Cor.15.v.20.23. S.1.Cor.16.v.15.S.

Primogenitus. Quo ſenſu hoc nomen accipiatur in ſcriptura, vide Matth.1.24.S. Luc.2.v.7. S. Primogenitus omnis rei creatæ quo ſenſu dicatur Chriſtus, Col.1.v.15.S. Primogenitorum ius Rom.8.v.29.S. Hebr.12.v.16.S.

Priſca, Priſcilla. 2.Tim.4.v.19.

Pro. Quem ſenſum habeat præpoſitio PRO in his dictis, Pro eis ſanctifico me, Ioh.17.v.19. Hoc poculum eſt novum illud fœdus per ſanguinem meum, qui pro vobis effunditur, Luc.22.v.20 Panis quem dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Ioh.6.v.51. Vide Ioh.17.v.19. S ¶ Pro: i.e propter Gal.1.v.4.

Proditio, Proditor. Conſolatio contra proditionem, Matth.26.O.39. Matth.27.O.2. Proditionis noxa, Matth.27.O.2. ¶ De proditore Chriſti vide Ioh.13.v 18.&c.

Profanitas. Vide Hebr.12 O.15.

Profectus. Petrus hortatur ad ſtudium proficiendi, 2.Petr.1.v.5.&c. Vide etiam O.17. Epiſt. Jud.O.25.

Prolepſis hiſtorica. Exemplum vide Ioh.11.v. 2.S.

Promiſſio. Interdum idem valet quod res promiſſa: ut Heb.6.v.12.13. Heb.9.v.15. Heb.10. v.36. Heb.11.v.9.17.33 39.

Promiſſiones Dei. Fundamentum promiſſionum Dei, 2.Cor.1.O.13. Galat.3.O.8. De promiſſione gratiæ, vide Rom.9.O 8. Promiſſiones divinæ ſunt certæ & infallibiles, Matth.1. O.1 Luc.1.O.13.27.30.31.36. 1.Tim.4.O.1 17. Unde ſint æſtimandæ, Heb.10.O.28. Promiſſiones Evangelij pertinent ad ſolos electos, Matth.1.O.2.

Pronomen interdum præcedit nomen à quo regitur, Matth.7.v.24.S.

Pronuntiatio. Pronuntiationem literarum Hebr.n & v, quæ hodie obtinet vitioſam eſſe, Luc.16.v.26.S.

Propheta, prophetare, prophetia. Prophetæ dicuntur ſancti homines Dei, 2.Petr. 1.verſ.21. Quali veſte prophetæ uſi fuerint, vide Matt. 3.v.4.S. ¶ Prophetæ pro liberis prophetarum, Iohan.6.v.45. ¶ Propheta pro doctore eximio, extra ordinem à Deo miſſo, Act.3.v.22. Prophetæ nomen tributum poëtæ ethnico, Tit.1.v. 12. Prophetæ minores in uno volumine erant deſcripti, Actor.7.v.42.S. Actor.13.v.40.S. Prophetarum V.T. fides celebratur Heb.11.v 32. Prophetæ novi teſtamenti, Actor.13.v.1.S. Actor.15.v.32.S Actor.19.v.6.1.Cor.12.v. 28. ¶ Propheta pro interprete ſcripturæ propheticæ, 1.Cor.12.v.28 ¶ Prophetia pro facultate interpretandi prophetica ſcripta, Rom.12. v.6.1 Cor.13.v.2.1.Cor.14.v.22.1.Theſſ.5. v.20. Prophetare: id eſt, prophetica ſcripta interpretari, 1 Cor.13.v.9. De ratione prophetandi (id eſt, ſcripturas interpretandi) vide 1.Cor.17. per totum. ¶ Prophetia pro interpretatione ſcripturæ propheticæ, 1.Cor.13.v.8.

Propitiatorium. Heb.9.v.5 S.

Proſelytus. Quinam dicti proſelyti, & unde, Matth.23.v.15.S. Act 2.v.10.S.

Proſeucha. Act.16.v.13.16.S.

Proſopopœia. Exemplum vide Romã.10.verſ. 6.7.8.

Providentia Dei. Vide tit. Deus.

Proximus. Vocabulum hoc declaratur Matth.5. v.43 S. Quiſnam ſit proximus noſter, Luc. 10.v.29.&c. De ædificatione proximi vide Matth.5.O.1

Prudentia. De prudentia carnis vide Ioh.19.O. 1. Actor.22.O.3. De prudentia pia, vide Act. 9.O.7.

PS.

Pſalmi Davidis. De authoritate illorum, Matt. 22.O.27.

Pſeudapoſtoli. Paulus refellit calumniam quandam pſeudapoſtolorum, eorumq; vanam gloriationem, obliquè reprehendit, 2.Cor.10.v.1. & deinceps. Item reprehendit Corinthiorum pravum iudicium in honorandis pſeudapoſtolis ambitioſè gloriantibus: item deſcribit pſeudapoſtolorum hypocriſin & avaritiam, 2. Cor.11.v.1.&c. Pſeudapoſtolorum doctrina de iuſtificatione recitatur in argumento Epiſtolæ ad Galatas. Pſeudapoſtoli iuſtitiam legis cum iuſtitia fidei miſcebant, Phil.3.v.1.& deinceps.

Pſeudoprophetæ, 1.Ioh.4.v.1.

PT.

Ptyas. Rom.3.v.13.S.

PU

Pudens, nomen proprium viri, 2.Tim.4.v.21.

Puer. Interdum idem ſignificat quod miniſter vel ſervus: ut Matth.14.verſ.2. Luc.1.v.54. 69. Luc.7.v.7. Actor.3.v.13.26. Actor.4.v. 25.27.30.

Puerulus. Chriſtus iubebat ſibi adduci puerulos, Luc.18.v.15.& ſeqq. De puerulorum ſalute æterna, Luc.18.v.16.S.

Pugil. 1.Cor 9.v.26.S.

Pugna. Quibus armis pugnandum ſit contra diabolum, 1.Theſſ.5.O.3. ¶ Pugnæ: id eſt, lites ſeu contentiones, Iac.4.v.1.

Pulchritudo. Hebr.11.O.19.

Pulvis. De pulvere excutiendo vide Matth.10. v.14.S.

Purgatorium. De purgatorio Papiſtico vide Matth.5.O.28. Matth.12.O.25.

Purificandi ritus apud Judæos, Ioh.2.v.6.S.

Purus: id eſt, innocens. Act.18.v.6.

PY.

Python, Act.16.v.16.S.

Q

Quadrans. Quid iſto nomine ſignificetur, Matth. 5.v.26.S.

Quinque: id eſt, pauciſſima, 1.Cor.14.v.19.

Quirinus. Luc.2.v.2.S.

Quomodo. Diſcrimen inter Quomodo Capernaitarum & Quomodo virginis Mariæ, Ioh.6 v.52.S.

RA

Rabbi. Matth.23.v.7.S. Matth.26.v.25.S. Ioh. 3.v.1.S. Ioh.6.v.25.S.

Rachab. Vocabulum hoc declaratur Matth.1.v. 5.S. Rachabæ, meretricis Jerichuntinæ, fides celebratur Heb.11 v.31.

Raka. Vocabulum hoc declaratur Matth.5.verſ. 22.S.

Ratio humana. Iohan.6.O.3. Rationis carnalis iudicium de doctrina Evangelij, Ioh.18.O.19. Eiuſdem perverſum iudicium de rebus agendis, Ioh.18.O 22.

RE.

Reconciliatio hominis cum Deo, Epheſ.2.O. 10.16. Eph.5.O.2.

Recriminatio. Exempla vide Matth.9.verſ.13. Matth.15.v.3.

Redemptio electorum. Quo pretio electi redemti ſint, Matth.20.O.34.1.Corint.7.O.11. Col.1.O.22.1.Tim.2.O.9. Tit.2.O.8. Partes redemtionis, Col 1.O.20. Quinam per Chriſtum redemti ſint, Matth.20.O 35.1.Tim.2. O.10.2.Petr.2.O.3.¶ Redemtio pro liberatione à

ne à supplicio, Heb.11.v.35. Dies redemtionis, Eph.4 v.30.S.

Regeneratio. *Quid sit, Ioh.1.v.13.S.Ioh.3.v.3. S.& O 4. Causa procreantes illius, Ioh.3.v 3. S & O.2. Ephes 2.O.7.Iac.1.O.9. Modus illius, Ioh.3 O.6. Imperfectio illius, Rom 6.v.6. S.Rom.7 v 18.S.Gal.5.O 10 Conditio renatorum, Rom.7.O.7. ¶ Exitus non renatorum, Matth.8.O 13.*

Regnum cælorum, regnum Dei. *Quid per regnum calorum in scriptura intelligatur, Mat. 3.v.2.S Luc.17.O.12.Luc.23.v.51.S. Per regnum Dei in petitione secunda orationis Dominica intelligitur regnum gloria, Matth.6. v.10.S ¶ Regnum Dei pro administratione Ecclesia. 1.Cor.4.v.20 Regnum Dei triplex, Matth.6.O 12. Prastantia regni calestis, Mat. 13.O.18. Matth 26.v.29. S. Adventus regni Dei, Luc.17.v 20 &c. Quibus in rebus consistat regnum Dei, Rom.14.v.17.*

Regula vitæ. *Generalis regula vita de officijs erga proximum, Matth.7.v.12.& O.8 Totius vita, seu actionum nostrarum omnium, regula generalis, Matth.7.O.9.Matth.8.O.7. ¶ De regula, Inter duo ma a eligendum est minus, 1.Cor.7.O.9.*

Relativum pronomen. *Sine antecedente, 1.Cor. 14.v.10 Genere conveniens cum consequente, Gal 3.v.16.Eph.6.v.17. Relativum antecedens, Matth.17.v.1. Matth.26.v.24.*

Religio. *Ioh 4.O.10. Ioh.7. O.2.4 Ioh.9 O.10. Ioh.11.O.12. Prafat.analys. Actorum, Act.15. O.5 Act.17.O.14.16.17. Act 18 O.4.1.Cor 3.O.14. 1.Cor.10.O.29. Iac.1.O.14. Christiana religionis fundamentum, 1.Ioh 4.O.4.*

Reliquiæ. *De reliquijs sanctorum, vide Actor.5. O.5.*

Remissio peccatorum. *An nostra remissio qua remittimus proximo, causa sit remissionis Dei qua remittit nobis, Matth.6.O.18. Luc 11. vers.4.S. Cuius proprium sit, remittere peccata, Matth.9.O.4. Ioh.20.v.23.S. Qua ratione ministri verbi dicantur remittere peccata, Matth.9.O.4.Ioh.20.v.23.S De remissione qua remittimus proximo, Matth.18.v.21.& seqq. De distinctione Papistica inter remissionem culpa & pœna Luc.11.v.4.S De causis procreantibus remissionis peccatorum, Act.2. O.3.Actor.5.O 12. Quibus peccatis contingat remissio, quibus non, Act 3.11. 3. De remissione peccatorum quotidiana vide Rom.3.v.5. S. De necessitate remissionis peccatorum vide 1.Ioh.1 O.6.*

Repetitio. *Emphatica eiusdem sententia alijs verbis repetitio, Ioh.1.v.20.S.*

Reprehensio. *De cavendis peruersis reprehensionibus, Matth 7.v. &c.& O.4. Improbos reprehendere licet, Matt.26.O.44. Vide etiam Luc.11.v.37. & seqq. De recta reprehendendi ratione vide 2.Tim O.12.Iac.3.O.1.*

Reprobi. *Descriptio reproborum, Rom.9.v.22. S. Ingenium eorum, Ioh.12.O.10.2.Tim.3.O. 11. Excæcatio & induratio eorum, Ioh. 2.O. 23. Heb.11 O.29. Damnatio eorum, Matth.8. O.8.Rom.9.O.11.2.Thess.1.O.8. Pradestinatio eorum, Ioh. 7.O 8.Act.1 O.6. Fides eorum, Act.8.O.7. Reprobatio unde pendeat, 1.Cor.9. O.9.*

Requies Dei. *Heb.3 v.11.S.*

Resipiscere, resipiscentia. *Vocabulum declaratur Matth.3.v.1.S. Partes resipiscentia, Mat. 3.O.2. Necessitas eius Matth 3.O.2.Luc.13. v.23.&c. Reliqua vide sub.tit.* pœnitentia.

Respondere *interdum idem valet quod sermonem ordiri: ut Matth 11 v.25 Marc 9.v.5. Marc.12.v 35 Ioh.2.v.18.*

Respublica, *civitas. Verum decus alicuius reipubl.qua in re consistat, Matth.2.O.9. Matt. 11.O.27.*

Resurrectio mortuorum. *Quòd mortui resurrecturi sint, Matth 9.O 20 Matth.17.O.3. Matth.22.O.18. Luc 20.vers.27.& seqq. & O.7.Ioh.11.O.24. Ioh.19.O.25. Act.7.O. 10. Act.17.O.23.1.Cor.6.O.7 1.Cor.15.v.1. & seqq.Col.1.O.27.1.Thessal.4.v.13.&c.& O.10. Apoc.20.vers.1. Quali corpore mortui resurrecturi sint, 1.Cor.15.v.35 &c.2.Cor.4. O.13. Quomodo resurrectio beata nominetur à Syris, Ioh.11.v.24.S. Exempla eorum qui à mortuis excitati fuerunt, Matth.9.v.23.Luc. 7.v.11.Ioh.11.v.14. Act. 9.v.40. Act.20.v. 10. ¶ De resurrectione spirituali vid. Ioh.11. O.24. ¶ Resurrectio pro liberatione à supplicio Heb. 1.v.35.*

Retinere peccata, *quo sensu dicantur ministri verbi Dei, Ioh.20.v.23.S.*

Rex. *Regis nomine intelligitur Imperator Romanus, 1.Pet.1.v.13.17.*

RI

Risus hominum mundanorum, *Luc.6.v.25. Iac.4.v.9.*

RO

Roboare. *Vocabulum hoc declaratur Matth 1. v.7.S.*

Roma. *Quid Roma egerit Paulus, Act.28.v 17. &c. Roma est sedes Antichristi, Apoc.11.O.1. Roma excidium, Apoc.14.vers 8. Apoc.18.per totum.*

Romani. *Epistola Pauli ad Romanos commendatio, prafat.in analysin illius. Eiusdem brevis analysis, in principio illius analyseos. Methodus & summa eiusdem, ibidem. More Romanorum crucem suam baiulabant malefici, Ioh.19.v.17.S. Romanum imperium vetus Apoc.13.v 1.& seqq.*

Rosmarinus. *Ioh.19.v.29.S.*

Rota nativitatis, *Iac.3.v.6. Vide ibi S.*

RU

Rudis. *De duodecim rudibus discipulis Ephesi, Act.19 v.1.&c.*

Ruo. *1.Thess.1.v.10.S.*

Ruth. *Vocabulum hoc declaratur Matth.1.vers. 5.S.*

SA

Sabbathum. *Vide Matth.12.v.1 S.Luc.6.v.1.S. Luc.14.O.2. Iter sabbathi, Act 1.v.12.S.*

Sacerdos. *De principibus sacerdotum vide Matth.2.v 4 S. Sacerdotes distributi erant in classes, Luc.1.v.5.S. ¶ De sacerdotio Christi vide sub tit.* Christus.

Sacra. *De rerum sacrarum emtione venditione vide Act 8.O.11.*

Sacramenta *Quid sint, 2.Thess.1.O.8. de ratione & essentia sacramentorum vide Matth. 23 O.12. Rom.4.O.3.1.Cor.10.O.4.23. de analogia qua est in sacramentis, Matth.3.O.16. 1.Cor.10.O.23 Gal.3.O.22 de fine & usu sacramentorum, Ioh.9.O.7. Rom 4 O.4.1.Cor. 10.O.2. Phil.3 O.8. Heb.11 O.18. Loquutionum sacramentalium exempla vide Matth. 26.O.12. Ioh.20.O.6.1.Cor.10.O.5. Heb.11. O.26. Discrimen inter sacramenta V.& N. T.1.Cor.10.O.3. Heb.10.O.1. Discrimen inter sacramenta & evangelium. 1.Cor.1.O.12 de administratione sacramentorum, Marc 1. O.10. In sacramentis distinguendum est inter actionem ministri & actionem Christi, Ioh.1. O.15. de perceptione sacramentorum, Heb.10. O.11. de sacramentorum cognitione, 1.Cor.10. O.14 de efficacia & operatione sacramentorum vide Matth.3.O.13.Marc.7.O.1.Marc. 8.O.3. Heb 3.O.1. Hebr.4.O.7. Hebr.7.O 8. Heb.9.O.1.Heb.10.O.2. ¶ De fictitijs Pontificiorum sacramentis, Act.8.O.9.14.*

Sacrificia *Antiquitas eorum, Hebr.11.O.5. Patrum ante legem sacrificia Heb.11.O.6.*

Sadducæi. *Unde dicti, Matth.22.v.23.S.Ioh.3. vers.1.S. Dogmata eorum Matth.22.v.23. Marc.12.v.18.Luc.20 vers.27. Ioh.3.v.1.S. Act.23.v.8.& O.7.*

Sal. *Quo sensu apostoli dicti sint sal terra, Matth. 5.v.13.A.*

Salamin. *Quid Salamine egerint Paulus & Barnabas, Act.13.v.5. Urbs illa ubi fuerit sita, ibid.S.*

Salathiel *Vocabulum hoc declaratur Matth.1. v.12.S. Quo iure Salathiel successerit Iechonica, ibid.*

Salim. *Ioh.3.v.23.S.*

Salomon. *Vocabulum hoc declaratur Matth.1. v.4 S.*

Saltatio. *De saltationibus sive choreis vide Matth.11.O.20. Matth 14.O.4.*

Salum. *2.Thess.2.v.2.S.*

Salus. *De causis salutis vide Luc.1.O. 40.41. Luc.19.O.4.Ioh.3.O.10.Ioh.7.O.21.Act.15. O.7.8.Rom.8.O.18.Rom 9.v.16.S.Rom.15. O.4.1.Cor.7.O.15.2. Cor.5.O 15 Eph.1.v 3. & seqq.& O.1.6.7.Phil. 2.O.7.8.Phil.4.O. 19.2.Thess.1.O.10.1.Tim.1.O.3.1.Tim.2.O. 5.2.Tim.1 O.14.Tit.3.v.4.& deinceps. Vide ibi A. & O.4.Heb.11.O.13.1 Pet.1.O.29. De certitudine salutis fidelium, Eph 2.O.1. Eph. 3.O.8.Heb.6.O.18. Salus non est omnium, 1. Tim.2 O.4.*

Salutatio. *Vide Romã.16.v.3 & deinceps: item v.20.& deinceps: & O.2. 2.Tim.4.v.19.21. & O.13.3 Ioh.v 15.S.*

Samaria. *De Ecclesia Samaritana vide Act.8. v.1.& deinceps.*

Samaritanus. *De Samaritano qui curavit Iudæum vulneratum à latronibus, Luc 10 v. 30.&c.¶ De Samaritano quem Iesus sanavit à lepra Luc.17.v.15.&c.*

Samaritis. *Colloquium Christi cum Samaritide, Ioh.4.v.4.&c.*

Samosateniani *cuiusdam (is autem est Faustus Socinus) falsa expositio verborum Christi,* Antequam Abraham fieret ego sum: *Ioh.8.v. 58.S.*

Samsonis *fides celebratur, Heb.11.v.32.*

Samuelis *fides celebratur ibidem.*

Sanatio. *Sanationum miraculosarum exempla vide sub tit.* Miracula.

Sanus, a, um. *Sana doctrina 1 Tim.1.v.10.S. Sic 2 Tim.4.v.3. Sani sermones, 2.Tim.1.vers. 13.S.*

Sanctificare, sanctificatio. *Nomen Dei sanctificare quid sit, Matth.6.O.11. Quo sensu Christus Ioh.17.v.19.dixerit,* Sanctifico me pro eis: *vide ibi S. Quo sensu dicantur per Christum sanctificati electi, Iohã.17.v.19 vide ibi S. de coniugum sanctificatione vide 1.Cor.7. v.14.S. ¶ Sanctificatio pro studio sanctitatis, 1.Thess.4.v.3. ¶ Sanctificatio, seu sanctimonia pro castitate 1.Thess.4.v.4.Heb.12.v.14 de sanctificationis necessitate, vide 1.Thess.5. O.16. de sanctificatione agit Paulus Romã.6. 7.& 8.*

Sanctitas. *Sanctitatis fidelium author, Phil.1. O.7. de studio sanctitatis vide 2.Cor.7.O.3. 1.Thess 4.O. 4. 2.Thess.2. O.11.Heb 11.O.9. 1.Petr 4 v.1.&c.& O.1.2 Petr.1 O.11.12. 1.Ioh.1.v.5.&c.1.Ioh.2.v.3.&c.1.Ioh.3.v.1. &c.& O.2.*

Sanctus, sancti, sancta. *Verè sancti quinam sint, Hebr.3.O.1. Credentes dicuntur sancti, Rom 8.v.27.Rom.15.v.31.1.Cor.1.vers.2.1. Cor.10.v.1.Phil 1.vers.1.Col.1.v.4. de factis sanctorum qua narrantur in scriptura, Mat. 12.O.3. de sanctorum imperfectione, Luc.1.O. 5.11. Ioh.18 O.1.2.Cor.7 O.2.Col.1.O.33. Hebr.12.O.18. ¶ Sancti pro sanctis angelis, 1. Thess.3.v.13. Sancti defuncti non sunt adorandi, Col.2.O.25. ¶ Sanctus ille: id est, Christus, 1.Iohan.2.v.20 ¶ Sancta, numero plurali id est, prior sacri tabernaculi pars. Hebr.9.v.2. ¶ Sancta sanctorum, posterior sacri tabernaculi pars, Heb.9.v.3.*

Sandalium. *Marc 6.v.9.S.*

Sanguis. *Mulier sanguinis fluxione laborans, subitò sanata, Matth.19.v.20. Marc.5.v.25 Luc.8.vers.43. Quo sensu dicatur sanguis requiri vel reposci, Luc.11.v.50 S. Sanguis innocenter effusus, Hebr.11.O 7. Sanguis super caput, Acto.18.v.6.S. Sanguis Christi: vide* Christus.

Sanhedrin. *Matth.5.v.22.S.Matth.10. vers 17.S.*

Sapiens, sapientia. *Vera & salutaris sapientia quanam sit, Matth 11.O.13.Rom 10.O.11. 1.Cor.1.O.17.1.Cor.2. O.3.1.Cor.3.O.18. Eph.1.O.5.Col.1.O.13.43 Col.2.v 5.S.Hebr. 10.O.25.Iac.3.O ¶ Sapientia Dei pro filio Dei, Luc.11.v.49.¶ Pro opificio mundi, 1 Cor. 1.v.21. Sapientem esse apud seipsum, Rom.11. v.25.S. Quo sensu solus Deus dicatur sapiens, 1.Tim.1.v.17.S.*

Sapphira, *discipula in ecclesia Hierosolymitana, propter hypocrisin à Deo per Petrum subitaneà morte punita fuit, Act.5.v.1.& deinceps.*

Sara. *Fides eius celebratur Heb.11.v.11.*

Sarcasmus. *Exempla vide Marc.14.v.65. Marc 15.v.31. Ioh.11.v.37.*

Satanas. *Vocabulum hoc interdum significat quodvis dæmonium: ut Matth.12.v.26. Mar. 3.v.23. Quo sensu Petrus à Christo nominatus fuerit Satanas, Matth.16.v.23. Vide ibi S. De more Satanæ. Act.7.O.5.1. Thess.2.O.12. De damnatione eius, Luc.10.O.3. Tradere Satanæ, quid sit, 1.Tim.1.v.20.S.*

Satum, *σάτον. Matth.13.v.33.S.*

Saturitas *unde pendeat, Matth.15.O.15.*

Saulus. *Vide Paulus.*

SC

Scandalum. *De scandalo vide Matth.12.O.1. Matth.18.v.6.7.10.&c.& O.3. Marc.9.v. 42.&c. Luc.17.v.1.&c.& O.1. Iohã.9.O.9. Rom.14.v.13.S.*

Scenopegia. *Ioh.7.v.2.S.*

Schisma. *Quid sit, 1.Cor.1. in argumento. De schismate vide plura 1.Cor.1.v.10.&c.& O. 9.1.Cor.11.O.10.*

Scindi. *Act.14.v.4.S.*

Scribæ. *Scribæ interrogabantur ab Herode, ubi Christus seu Messias esset nasciturus, Matth. 2.v.4. Vocabulo scribarum quinam intelligantur in historia Evangelica, ibid. Iustitia eorum à Christo reijciebatur, Matth.5.v.20. Eorum docendi modus comparatur cum eo quo utebatur Christus, Matt.7.v.29. Marc. 1.v.22. Quidnam scriba quum vellet Iesum tanquam discipulus sequi, reiectus ab eo fuit, Matth.8 v.19. Quidam è scribis dicebant Iesum blasphemare, quum is dixisset cuidam paralytico, Remissa sunt tibi peccata tua, Matt.9 v.3. Marc.2.v.7. Quidam è scribis petebant signum à Iesu, Matth.12.v.38. Iesus dicebat, Omnis scribis edoctus in regno cælorum similis est cuipiam patrifamilias, qui profert è thesauro suo nova & vetera, Matth.13.v.52. Hierosolymitani quidam scribæ reprehendebant Iesum, quòd discipulis suis permitteret transgredi traditiones seniorum, Matth.15.v. 1.2. Marc.7.v.2.5. Iesus prædicebat discipulis suis se multa passurum, & occisum iri, à scribis, Matth.16.v.21.& deinceps, &c.20.v. 18. Marc.10.v.31. & cap.10.v.33. Scribæ dicebant, oportere ut Elias veniat antequam veniret Christus seu Messias, Matth.17.v.10. Marc.9.v.11. Reprehendebant Iesum, quod permitteret pueros sibi acclamare his verbis, Hosianna filio David, &c. Matth.21.v.15. Sedebant in cathedra Mosis, Matth.23.v.2. Hypocrisis eorum & ambitio, & avaritia, & inscitia, damnabatur à Christo, Matth.23. v.3.& deinceps. Marc.12.v.38.&c. Luc.11. v.46.&c. Iesus dicebat ad eos, ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas: & ex ipsis nonnullos trucidabitis, &c. Matth.23.v. 34. Quum Iesus prehensus duceretur ad Caiapham, congregati apud illum erant & scribæ, Matth.26.v.57. Reprehendebant Iesum, quòd cum publicanis & peccatoribus ederet ac biberet, Marc.2.v.16. Dicebant Iesum eijcere dæmonia per principem dæmoniorum, Marc.3.v.22. Altercabantur cum discipulis Christi, Marc.9.v.14. Quærebant, quo modo Iesum perderent, Marc.11.v.18. Quærebant è Christo, qua authoritate repurgasset templum, Marc.11.v.28. Quidam è scribis interrogabat Christum, quodnam esset primum omnium mandatum, Marc.12.v.28. Idemque responsum Christi collaudabat, ibid. vers.32. Scribæ docebant, Christum seu Messiam fore solummodo filium Davidis, Marc.12.v.35. Mores scribarum commemorantur, Luc.20. v.46.47.*

Scribere. *Iesus digito scribebat in terra, Iohan. 8.v.6.*

Scriptura sacra. *De illius authoritate vide Mat. 5.O.13. Matth.26.O.43. Luc.24.O.9. Iohã. 10.O.24. Ephes.2.O.15.2. Timoth.3.O.16. Hebr.3.O.7. Hebr.10.O.6.2 Petr.1.O.24. De scopo & usu eius, Ioh.5.O.15 Rom.4.O.12 Rom.15.O. Hebr.3.O.9. Heb.6.O.14. Heb. 10.O.3. Hebr.13.O.4.2. Petr.3.O. Quid in scriptura sacra præcipuè quærendum, Ephes. 2.O.16. De sufficientia & perfectione eius, Ioh.21.O.9.2.Tim.3.O.15. De lectione eius, Matth.22.O.20. Actio.8.O.16.1.Thess.5.O. 20. Hebr.13.O.4.2.Petr.1.O.19. Sacra Biblia tempore Christi notata fuerant punctis, Matth.5.v.18.S. Luc.16.v.17.S. Loca scripturæ ubi cohærentia sententiarum obscura est, Rom.2.v.1. Romã.4.v.13. Romã.5.v.12. Romã.8.v.1.3. Romã.9.v.23. Romã.13.v.11. 1.Cor.6.v.12.1.Cor.7.vers.6.16.22.29.37. 1.Cor.8.v.7.1.Cor.11.v.7.9.2.Cor.7.vers.8. Gal.1.v.16. Ephes.1.v.4.5. Ephes.2.v.1. Eph. 4.v.29. Phil.1.v.5.19. Coloss.1.v.3.1. Thessal. 1.v.4.5.1. Thessal.2.v.16.2. Thess.3.vers.11. 1.Tim.2.v.6.1.Tim.3.v.1.2.Tim.1.vers.3. 2.Tim.2.v.11. Hebr.2.v.5.9. Hebr.3.v.3.7. 9. Hebr.4.v.3.8. Hebr.5.v.1. Hebr.6.v.1.6. Hebr.7.v.20. Hebr.8.v.4. Hebr.9.v.1. Heb. 10.v.17.20.21. Lectionum variarum exempla vide Matth.2.v.6. Matth.21.v.5. Luc.2. v.14. Act.13.v.20.41. Roma.5.v.15.1.Cor.9. v.12.22.1.Cor.15.v.51.2. Cor.1.v.18.2.Cor. 12.v.1. Gal.4.v.17. Phil.4.v.11.1. Thess.2.v. 7.2. Thessal.2.v.4.2. Thessal.3.v.16. Tit.2.v. 8. Philem.v.6. Hebr.10.v.2.1. Petr.2.v.21 2. Iohan.vers.3.12. Loca N.T. quæ aliquam mutili suspicionem præbent: Luc.1.v.73. Luc. 2.v.14.38. Luc.4.v.18. Luc.5.v.35. Luc.7. v.31. Luc.11.v.11. Luc.13.v.34. Luc.15.v.5. Luc.22.v.20. Iohan.8.v.9. Iohan.9.v.8.27. Iohan.13.v.2. Iohan.15.v.17. Iohan.18.v.1. Actor.3.v.25. Actor.7.v.16. Actor.13.v.41. 42.43. Actor.16.v.40. Actor.17.v.11. Actio. 19.v.38. Actor.22.vers.28. Actor.23.vers.8. Rom.3.v.25.26.1. Cor.2.v.9.1. Cor.6.v.4.11. 1.Cor.9.v.1.20.1. Cor.10.v.28.1. Cor.12.v. 15.1. Cor.13.v.7.1. Cor.14.v.7.12.1. Cor.15.v 5.45.1. Cor.16.v.2.2. Cor.3.v.14.2. Cor.8.v. 19. Gal.1.v.9. Galat.2.v.10. Gal.4.vers.17. Ephes.1.v.17.18. Ephes.6.v.12. Phil.3.vers.5. Phil.4.v.11. Col.1.v.24.2. Thessal.3.vers.16. Hebr.8.v.10. Hebr.9.vers.2.3. Hebr.10.v.6. Hebr.11.v.35. Hebr.12.v.24. Iac.3.v.6. Iac. 4.v.2.14. Iac.5.v.10.1. Petr.3.v.7.10.1. Petr. 4.v.3.2. Petr.1.v.5.2. Petr.2.v.4.13.2. Pet.3. v.15.1. Iohan.3.v.20.1. Iohan.4.v.3.1. Iohã. 5.v.20.2. Ioh.v.3.12.3. Ioh.v.2. Distinctionum mendosarum aut saltem mendi suspectarum exempla, Luc.13.v.34. Luc.15.vers.5.8. Luc.16.v.23. Luc.17.v.3. Luc.19.v.22.23. 46. Luc.21.v.6. Iohan.1.v.19. Iohan.14.v.1. 3. Rom.2.v.7. Rom.3.v.9.26. Roman.7.v.8. Roman.8.v.21. Romã.9.v.5.1. Cor.14.v.12. 1.Cor.15.v.29.32.42.1. Cor.16.v.3.2. Cor.9. v.10.2. Cor.11.v.7. Ephes.5.v.13.2. Thess.3. v.14. Hebr.10.v.12. Hebr.11.v.1.35. Hebr.12. v.5. Epist. Iud.v.19. De intelligentia scripturæ, Luc.18.O.16. Iohan.6.O.7. Iohan.20.O. 10. De interpretatione seu expositione eius, Matth.12.O.2.3. Matth.13.O.4. Matth.17. O.9. Matth.22.O.17. Iohan.6.O.22. Galat. 4.O.15.1. Cor.14. per totum, & O.5.2. Petr.1. O.25. De probationibus è scriptura ductis, Matth.22.O.21. De abusu eius, Iohan.2.O. 19.2. Tim.3.O.17. De citatione eius, Matth. 4.O.12. Antilogiarum apparentium conciliationes, Matth.10.v.10.S. Matth.15.O.12. Matth.19.O.3.23. Matth.20.O.10.13. Matt. 22.O.28. Matth.24.O.23. Matth.26.v.20. 34.71.S.& O.7. Marc.1.v.2.10.S. Marc.4. v.33.S. Marc.9.v.34.S. Marc.15.vers.33.S. Marc.16.v.2.S. Luc.1.O.3. Luc.2.O.7. Luc. 19.O.5. Iohan.1.v.15.S. in fine. Ioh.5.v.29.S. Iohan.6.v.17.26.S. Iohan.8.v.56.S. Iohan. 12.v.4. Iohan.13.O.11. Iohan.17.O.6.1. Iohan. 20.v.1.S. Actor.1.v.12.S. Actor.3.O.10. Act. 9.v.7.S. Actor.10.O.10. Act.21.v.4.S. Rom. 5.v.8.S. Rom.7.v.8.S. Rom.8.O.17.19. Rom. 13.O.6. Roma.14.O.3. Roma.16.O.4.1. Cor.1. v.21.S.& O.16.1. Cor.1.O.7.1. Cor.3.O.10. 1.Cor.6.v.5.S.1. Cor.7.O.1.12.14.17.1. Cor. 9.O.6.1. Cor.10.v.8.S.1. Cor.11.v.5.S.& O. 19.1. Cor.15.O.19. Galat.2.O.10. Galat.4.O. 8. Philip.2.O.7.15. Phil.3.O.5. Philip.4.O.3. 1.Tim.2.O.1.4.1. Tim.4.v.14.S.2. Tim.1.v. 6.S. Hebr.4.O.6. Hebr.6.O.6. Hebr.9.v.19. S.& O.11. Iac.4.v.3.S.2. Petr.1.vers.10.S. 2.Petr.2.O.9.16.1. Iohan.5.O.7. Apoc.3.O. 8. Loca V.T. quæ in his commentarijs explicantur:* Genes.25.v.23. Duæ gentes sunt in ventre tuo, &c. *Romã.9.v.12.S.* Genes.49. v.10. Non auferetur sceptrum à Iuda, &c. *Matth.2.O.1.* Exod.9.v.16. Ad hoc ipsum excitavi te, &c. *Rom.9.v.17.S.* Exod.12.v. 11. Pascha ipsa est Iehovæ, *Hebr.11.O.26.* Exod.21.v.17. Qui maledixerit patri & matri, &c. *Matth.15.v.4.S.* Levit.20.v.2. Populus terræ obruunto eum lapidibus, *Iohan.8.v.5.S.* Deut.8.v.3. Non in solo pane, &c. *Matth.4.v.4.S.* 2.Sam.7.v.14. & 1. Chron.17.v.13. Ego ero ei pater, *Hebr.1.v. 5.A.& S. Item v.6.S.* 1.Reg.19.v.10. Domine, prophetas tuas occiderunt, &c. *Rom.11. v.3.S.* Psal.2.v.7. Filius meus es; hodie genui te, *Hebr.1.v.5.A.& S. Hebr.5.vers.5.A.* Psal.8.v.5. Quid est homo, &c. *Hebr.2.v.6. 7.8.9.A.& S.* Psal.14.v.3. Simul inutiles facti sunt, *Rom.3.v.12.S.* Psal.16.v.8. Posui Iehovam coram me, &c. *Act.2.v.25.26. 27.31.S.* Psal.18.v.6. Dolores inferni circumdederunt me: *Actor.2.v.24.S.* Psal.22. v.13. Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, *Hebr.2.v.12.A.* Psal.40.v.7. Sacrificium & oblationem noluisti, &c. *Hebr.10. v.5.6.7.A.& S.* Psal.41.v.10. Qui edit panem meum, sustulit adversus me calcem suum, *Iohan.13.v.18.S.* Psal.45.v.7. Thronus tuus, Deus, &c. *Hebr.1.v.8.A.& S.* Ps. 51.v.6. Ut iustificeris in sermonibus tuis, &c. *Rom.3.v.4.S.* Ps.61.v.26. Sit castellum eorum desolatum, &c. *Actor.1.v.20.S.* Ps. 69.v.23. Fiat ipsis mensa eorum, &c. *Rom. 11.vers.9.S.* Psal.72.v.10. Reges Schebæ & Sebæ donarium offerent, *Matth.2.v.1.S.* Psal.78.v.24. Frumentum cælorum dedit eis, &c. *Iohan.6.v.31.S.* Psal.86.v.19. Accepimus dona, &c. *Ephes.4.v.8.S.* Psal.95.v. 2. Hodie si vocem eius audiveritis, &c. *Hebr.3.v.7.A.* Psal.97.v.7. Et adorent eum omnes angeli, *Hebr.1.v.8.A.* Psal.102.v.6. Tu in initio, Domine, terram fundasti &c. *Hebr.1.v.10.A.* Psal.104.v.7. Qui angelos suos facit spiritus, &c. *Heb.1.v.7.A.* Ps.110. v.1. Dixit Dominus domino meo, *Luc.20. v.42.S. Actor.2.v.34.S. Hebr.1.vers.13.A.* Psal.116.v.10. Credidi, ideo locutus sum, *2.Cor.4.v.13.S.* Psal.118.v.25. Obsecro Iehova, serva nunc, &c. *Matth.21.vers.9.S.* Proverb.25.v.22. Carbones ignis coacervabis super caput eius, *Rom.12.vers.20.S.* Proverb.30.v.19. Tria ista sunt occulta, &c. *Matth.1.v.23.S.* Esa.v.9. Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, &c. *Rom.9.v.27.S.* Esa.6.v.9. Audite audiendo, &c. *Matth.13.v.14.15.S.* Esa.7.v.14. Ecce virgo, &c. *Matth.1.v.23.S. Luc.1.v.25.S.* Esa.8.v.18. Ecce ego & pueri, &c. *Hebr.2. v.13.A.& S.* Esa.9.v.1. Sed non obscurabitur, &c. *Matth.4.v.14.15.S.* Esa.10.v.22. Si fuerit numerus filiorum Israël ut arena maris, &c. *Rom.9.v.27.S.* Esa.11.v.1. Prodibit virga, &c. *Matth.2.23.S.* Esa.25.v.8. Absorbebit mortem in victoriam, *1.Cor.15. v.54.S.* Esa.29.v.10. Dedit eis spiritum soporis, &c. *Rom.11.v.8.S.* Esa.40.v.3. Vox clamantis, &c. *Matth.3.v.3.S.* Esa.40.v.13. Quis enim cognovit mentem Domini? &c. *Rom.11.v.34.S.* Esa.42.v.1. Ecce servus meus, &c. *Matth.12.v.18.& seqq.S.* Esa.49. v.8. In tempore beneplaciti (seu accepto) exaudivi te. *2.Cor.6.v.2.S.* Es.52.v.7. Quã speciosi pedes, &c. *Romã.10.v.15.S.* Esa.53. vers.4. Veruntamen morbos nostros, &c. *Matth.8.v.17.S.* Esa.53.vers.8. Generationem eius quis enarrabit? *Iohan.7.v.25.A.* Esa.54.v.1. Lætare sterilis, &c. *Gal.4.v.27.* Esa.54.v.13. Et omnes filij tui edocti erunt à Iehova, *Iohan.6.v.43.S.* Esa.55.v.1. Si quis sitit, veniat ad me, *Iohan.7.v.37.S.* Esa.56. v.7. Domus mea domus orationis vocabitur, *Matth.21.O.10.* Esa.60.v.21. Populares tui, &c. *Matth.2.v.23.S.* Esa.61.v.1. Spiritus Domini super me, &c. *Luc.4.vers.18.S.* Ier.31.v.31. &c. Ecce dies venient, &c. *Heb. 8.v.8.9.10.11.12.A.& S.* Ose.1.v.1. Ex Ægypto

gypto vocavi, &c. *Matth.2 v.15.S.Ose.2.* v.23. Vocabo populum qui meus non erat, populum meum, *Rom.9.v.25.S.* Ose.6.v.6 Misericordiam volo, &c. *Matth.9.v.13.S. Matth.12 v.7.S.* Mich.5.v.2. Et tu Bethlehem &c. *Matth.2.v.6 S.* Habac.2.v.4. Iustus ex fide vivet, *Rom.1.v.17.S.* Zachar.6. v.11. Ecce virum cuius nomen est Germen &c. *Matth.1.v.23.S* Zach.9.v.9. Dicite filiæ Sion &c. *Matth.21.v.5.S.* Zach.11.v.12. & 13. Dixeram enim illis, Si bonum videtur &c. *Matth.27.v 9.S.* Malach.3.v.1. Ecce ego mitto nuntium meum &c. *Marc.1. vers.2.S.* Malach.4.vers.5 Ecce ego missurus sum, &c. *Matth.11.vers.14.S.* ¶ *Vindicatio scripturarum à falsis expositionibus:* Psalm.16. vers.10. Non derelinques animam meam in inferno: *Act.2.O.5.* Ps.72.v.10. Reges Schebæ & Sebæ donarium offerent: *Matth.2.v.1.S.* Ezeh.18.vers.23. Nolo mortem peccatoris, *Rom.9.O.10.* Matth.11 v.28. Venite ad me omnes &c. O.32.33.*ib.* Matt.12.v.32. Nō remittetur ei neq; in hoc sæculo neq; in futuro, O.23.*ibid.* Matth. v.23. Alius quidem centena &c. O.11,*ibid.* Matth 13.v.30. Sinite simul crescere &c. O 14.*ibid.* Matth.16 v.18. Tu es Petrus, & super hanc petram &c. O.9.*ibid.* Mat.19.v. 12. Sunt eunuchi qui seipsos castrarunt &c O.9.*ibid.* Item v.17. Si vis ad vitam ingredi &c. O.14. Item v.21. Si vis perfectus esse, &c. O.17. Item v.24. Facilius est camelum per foramen acus transire &c. O.20. Item v.27. Tunc respondens Petrus &c. O.21. Matth.20.v.8. Voca operarios. O.9. Matt. 20.vers.25. Scitis principes gentium in eas dominari &c. O,29, Matth.25.v.35. Esurivi enim &c. O.16. Matth.26.v.28. τοῦτό ἐστι ... *Heb.9.O.7.* Matth.28.v 18. Data est mihi omnis potestas &c. O 14 Item v.ult. Ego vobiscum sum &c. O.18. & *Iohā.* 8.O.20 Marc.1.v.5. Et baptizabantur omnes ab eo in Jordane, confitentes peccata sua, O.6. Luc.1.v.28 Ave κεχαριτωμένη &c. O.36, Et v.32. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, O.7. Et v.34. Quomodo fiet istud &c. O.19. Et v.37. Apud Deum non erit impossibilis ulla res. O.22. Et v.38 Fiat mihi secundum verbum tuum. O.24. Luc.2.vers. 49. Quid est quòd quærebatis me? &c. O.46. Luc.7.v.47. Remissa sunt peccata eius multa, quia dilexit multum. O 10. *Ioh.16.v.32.S.* Luc.24.v.31. ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, O.5. Luc.24.v.50, & 51. Eduxit autem eos foras Bethaniam usque &c. *Act.1.v.12.S.* Ioh 3.v.16. Sic Deus dilexit mundum &c. O 11. *Item Rom.* 9.O.10. Ioh.6.v.19. Conspiciunt Jesum ambulantem super mare, O.11. Ioh.6.v.29. Hoc est opus Dei ut credatis &c. O 16. Ioh.8.v.58. Antequam Abraham fieret ego sum, *ibid.S* Act.1.v.12. Tunc reversi sunt Hierusalem à monte qui vocatur Oliveti. *Ibid S.* Act.1. vers.21. Oportet igitur ex ijs viris &c, O.7. Actor.2.v.1. Erant omnes concorditer eodem loci, *Vide ibi v.4.S.* Act.5.v.15. Ut venientis Petri vel umbra inumbraret aliquem eorum, O.3. Act.8.v.15,16,17. Peccati sunt pro eis ut acciperent Spiritum S. &c. O.9. Act.9 v.32. Factum est autem ut Petrus, dum illas omnes peragraret &c. O. 10. Act. 10. vers. 34. In veritate comperio, Deum non accipere personam. O.9. Rom. 2.v.11. Non est προσωποληψία apud Deum O.5. Rom.4.v.15. Ubi non est lex, ibi non est transgressio. O.6. Rom.5.v.19. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi &c. *Ibid S.* Rom.6.v. 14. Non estis sub lege, O 7. Rom.7.v.7. Concupiscentiam non nossem &c. *Vide ibi v.8.S.* Rom.8.v.8. Qui in carne sunt, placere Deo non possunt. O.10. & *Matth.19.O.* 1. Rom. 9.v 5. Qui est supra omnes Deus. *Vide ibi S.* & O.7. Rom.11.v.12. Deus conclusit omnes sub inobedientiam, ut omnium misereretur. O.9. & c.9.O.10. Rom. 11.v.36. Ex eo, & in eum sunt omnia. *Vide*

ibi S. Rom.12.v.6. Sive prophetiam, prophetemus pro proportione fidei κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, *Vide ibi S.* Rom.14.v.23. Quicquid non fit ex fide, peccatum est. *Vide ibi S.* 1. Cor.3.v.13. Cuiuscunque opus quale sit, ignis probabit, O.16.1.Cor.8.v. 11. Et peribit infirmus frater &c. O.8.1.Cor 10.v.4. Petra verò erat Christus, *Vide ibi S.* 1.Cor.10.v.12. Qui stat, videat ne cadat, O.10.1.Cor.10.vers 17 Vnus panis, unum corpus nos multi sumus. O.24.1.Cor.11.v. 2. Laudo vos quòd traditiones retinetis, O.2.1.Cor.11.v.25. Hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine. *Vide ibi* S.1.Cor.11.v.27. Quisquis ederit panem hunc &c. indignè, reus erit corporis &c O. 28.1.Cor,11.v.28. Homo probet seipsum, O 30.1.Cor.11.v.29. Qui edit & bibit indignè, iudicium sibi edit & bibit, O 31.1. Cor.12.v,6. Qui operatur omnia in omnibus, O.5.1.Cor.13.v.13. Maxima harum est charitas. O.6.1.Cor.14 vers.19. In Ecclesia malim quinq; verba loqui &c. O.2.1.Cor. 15.vers.2 Nisi si frustrà credidistis, O.4.1. Cor 15.v 10. Sed gratia Dei quæ mecum est, O.7.2.Cor.5.v.15. Unus pro omnibus mortuus est, O.11.2.Cor.5 v.19. Deus erat in Christo, O.16.2.Cor.6.v.14. Nolite jugum trahere cum infidelibus, O.6. Eph 4. v.10. Ut impleret omnia: Vide ibi S. Eph. 5.vers.32. τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν, O.14. Phil.2.v.7. ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος. O.4. Phil.2.v.10. Ut in nomine Jesu omne genu se flectat, O.6. Col.3.v.14. Charitas est vinculum perfectionis, O.11. 1.Tim.1. v.16. Qua repulsa, nonnulli fidei naufragium fecerunt, O.25.1.Tim.2.v.4. Deus vult omnes homines salvos fieri. *Vide et iam Matt.4.O.36.* Et v.6. Qui semetipsum dedit pretium redemtionis pro omnibus, *Vide Roman.9.O.10.1,* Tim.3.v 15. Ecclesia est columna & stabilimentum veritatis O. 8. Hebr.9.v.23. Ipsa vero cœlestia potioribus quàm hæ sunt, victimis: O.9. Hebr.10. v.1. Lex umbram obtinens futurorum bonorum &c. O 1. Heb.10.v.26. & seqq. Nam si ultro peccaverimus &c. O.19. Heb.10.v. 29. Sanguinem federis per quem fuerat sanctificatus: O.20. Hebr.11.v.6. Sine fide impossibile est placere Deo, O.10. Iac.2.v. 5. Deus elegit pauperes mundi hujus, divites fide: *vide ibi S.* Iac.2.v.24. Videtis ex operibus justificari hominem &c. *Vide ibi S.* 1.Petr.1.v.1.& 2. Electis secundùm præno-tionem: O 2.1.Pet.3.v.1. Sine sermone lucrifiant: O.3.1.Petr.4.v.8. Charitas operiet multitudinem peccatorum. O.9.2.Petr.2. v.1. Etiam dominum qui ipsos mercatus est, abnegantes: O.3.2.Petr.3.v.9. Nolens ullos perire &c. O.5. *Item Roman* 9.O.10.1. Iohā.2.vers.2. Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi, O.5. *Item Rom.*9.O. 10.1.Ioh.3.v.19 Et per hoc (*videl sinceram dilectionē*) corā ipso secura reddemus corda nostra Et v.22. Quicquid petierimus, accipimus ab eo: quoniam mandata eius servamus. O.19.1. Ioh. 4.v.14. Pater misit filium, qui esset servator mundi: O. O.1. Ioh.4.v.17.& 18. Per hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus: O. 11. Ibid. Perfecta charitas foras eijcit metum: O.12.1. Ioh.5.v.8. Tres sunt qui testificantur in terra: spiritus, & aqua & sanguis: O.15. 2. Ioh.vers.8. Ut mercedem plenam recipiamus: O.13. ¶ *Suppositijs scriptis ne fallamur, cavendum; 2.Thess.3.O.16.*
Scortatio. *Vide Actor.15.v.28.S.1.Cor.5.v.1.S. & O.2.1.Cor.6.v.12.&c. & v.13.S,*

SE

Secta. *Tempore Christi erant Hierosolymæ tres sectæ doctorum, Ioh.3 v.1.S. Act.26.v.5.S. De sectis vide plura Matth.22.O.16.1.Cor.11.O. 10.*
Securitas. *De securitate carnali vide Matth.12. O 31. Matth.24.O.22.23. Matth.25.O.6. Matth.26.O.37. Luc.11. O.6.1.Cor.15.O.14.*
Sedere ad dexteram Dei, quid sit; *Act.2.v.34.S.*
Seductio. *Vide 2.Petr.2 O.16.1.Ioh.2.v.18 & deinceps: & c.4.v.1. & seqq & O.5,6, Epist. Iud.v.4 & seqq.*
Semen. *Parabola de semine: Matth.13.v 3. & deinceps & v 24. & seqq. Marc.4.vers.1. & seqq Item v.26. & deinceps.* ¶ *Semen: id est, posteri: Ioh 8.v.33.* ¶ *Semen pro homine unico, Marc.12.v.19. Vide ibi S. Verbum Evangelij nominatur semen immortale. 1 Pet.1.v.23.*
Senecæ *sententia de morte, Heb.9.v.27.S,*
Senectus *Senectuti debetur reverentia & honor, 1.Tim.5.O.1.*
Septem *pro multis, Matt.18.v.22 Rom 11.v.4.*
Sepulchrum. *Iudæorum sepulchra quomodo fuerint constructa, Iohan.11.v.31.S, Sepulchrum nominatur* ... *Act 13.*
Sepultura. *Vide Matth 14 O.8. Matt.27.O.31.*
Sequi. *De multitudine qua Jesum sequuta fuit Marc.3.v.7.* ¶. *Sequi aliquem, significatione speciali: Ioh. .v.15 27.30. Vide ibi v.15.S.*
Sermo. *Qualis esse debeat sermo noster; Matth. 12.O,27. Matth 26. O.48. Ioh.7.O.12. Eph. 4.O.13; Eph.5.O.4. Pravi sermones fugiendi sunt, 1.Cor.15.v 33. & O.3. Eph 5.O.6. Christi sermones narrantur Mat.5,6,7, Matt.22. v 23 & deinceps. Luc. 6. v.20. & seqq. Luc. 11.v.29. & seqq. Luc. 12.v.1. & seqq. Luc.13. v.1. & deinceps. Item v.18. & deinceps. Item v.23. & deinceps. Luc.14. v.15. & seqq. Item v 25 & seqq. Luc 17. v.1. & deinceps. Ioh.3. v.1. & seqq Ioh. 4.v.7. & seqq. Iohā.5.v.17. &c. Ioh.6.v.26. &c.* ... *v.14. &c. Item v. 37. &c. Ioh.8. v.12. &c. Ioh.10.v.1. &c. Ioh. 11.v.25. &c. Ioh.12,v.20. &c. Iohā.14.15. & 16. per totum. Ioh.21.v.15. &c. Petri sermones narrantur. Act.1.v.16. &c. Act 2.v.14. &c, Act.3.v.12. &c. Act.* ... *v. 8, &c. Act.5.v,29. &c. Stephani sermo narratur Act.7.v.1. &c. Prophetarum & Apostolorum sermo interdum adiunctum habet lepôrem & facetias, Phil.3 O.5.*
Servare. *Interdum idem significat quod sanare: ut Matth.14.v 36. Marc.5.v.28. Marc.6.v. 56. Luc.7.v.3 Luc.8.v.36. Act 4.v.9.* ¶ *Interdum idem valet quod servare in vita: ut Matth.8.v.25. Matth. 24. v.22. Matth 27. v.40. Marc 5.v.23. Ioh.11.v.12.* ¶ *Interdum idem valet quod servare salute æterna: ut Matth.18.v.11. Marc 16. v.16. Luc 9.v.16. Luc.13.v.23. Ioh.3.v.17. Iohā.10.v.9, Act.2. v.40. Act.15.v.1, 11.1.Cor.15.v.2. Eph.2.v. 5,8. Et sic passim atq; ordinariè in Epistolis Apostolorum.*
Servatoris *nomen (quod usitatè tribuitur Christo) interdum tribuitur Deo patri: ut 1.Tim.1. v.1.1.Tim.2.v.3,*
Servire, servitium, servitus, servus. *Christus hortabatur discipulos ad studium serviendi, Matth 20.v.25. &c. Marc.10. vers.42. &c. Luc.22.v.25. &c.* ¶ *Servitus pro obligatione vinculi coniugalis, 1.Cor.7.v.11.* ¶ *De officio servorum vide Eph.6. O.4.v.1,2. Consolatio pro servis Christianis qui serviebant dominis ethnicis, 1.Cor.7.v.21,22. & O,19.*
Sessio Christi ad dexteram Dei. *Vide titulum* CHRISTUS,
Severitas. *Paulus minabatur Corinthijs præsentia sua severitatem, 2.Cor.12 v.20,21. & c. 13.v.2. De severitate Dei vide Rom.11.v.22.*

SI

Sicera. *Luc.1.v.15.S.*
Siclus. *Matth.26.v.15.S.*
Sidera *pro stellis, Luc.21.v.25.S.*
Signum. *Interdum significat miraculum; ut Matth.12.v.38. Marc. 8. v.11 Marc.16.v. 17,20, Luc. 11. v.29. Luc 21,v, 25. Luc.23. v.8. Ioh.2.v.11,18,23. Ioh.6,v.2. Act.4.v.22. Act.8.v.6,1.Cor.1.v.22.2. Thess 2.v.9. Heb. 3. v.4.* ¶ *Interdum significat prodigium; ut Luc 21.v.11.*
Silas. *De Sila, comite Pauli, vide Act.15.v.40. Act.16.v.4. &c. 1.Thess.1 v.1.S.*
Siloam, *Ioh.9.v.7.S.*
Silvanus, *cuius mentio fit, 1.Thess.1 v.1. videtur idem fuisse cum Sila: vide ibi S.*
Simeon, *Vocabulum hoc declaratur Matt.4.v. 18.S.* ¶ *De Simeone qui Christum recens na-*

tum in ulnas accepit, vide Luc.2.v.25.& deinceps.

Similitudo. *Similitudines proposita à Christo, vide sub tit.* Parabola.

Simon. *Vocabulum hoc declaratur Matth.4.v.18.S.*

Simplicitas. *Luc.18.O.6.*

Simulatio *Quòd non omnis simulatio peccatum sit, Luc.24.O.3.*

Sinapi *Parabola de incremento inopinato grani sinapis, Marc.4.v.30. & seqq. Luc.13.vers.18.19.*

Sinus. *In sinum dare, Luc 6.v.38.S. Sinus Abraha, Luc.16.v.22.S. In sinu Patris quo sensu dicatur esse filius Dei, Ioh.1.v. 8 S.*

Sitire *metaphoricè usurpatum. Matt.5.v.6.Ioh.6.v.35.Vide ibi S.Ioh.7.v.37.S. ¶ De siti spirituali vide Ioh.6.v.35.S.*

SO

Sobrietas. *Luc.21.v.34. Rom.13.v.13.1. Petr.5.O.7.*

Socius. *Luc.5.v.10.S.*

Sodoma. *Oppida quæ unà cum Sodoma incendio cælesti consumta sunt, indicantur Rom 9.v.29.S. ¶ Flagitij Sodomitici verecunda descriptio, Epist.Iud.v.7.*

Sol. *Ortus, itemq; occasus, solis statuitur triplex, Matt.2.v.1.S. Matt.8.v.11 S. Matt.24.v.7. S.Luc.13.v.29.S.*

Solatium. *Quærendi solatij ratio, Matth.26.O.30.*

Solicitudo. *De cavenda solicitudine pro victu & amictu vide Matth.6.v 24 & seqq. & O.23. De pia solicitudine vide Matth.12.O.31. Luc.11 O.6.Heb 1.O.1.Heb.4.O. Paterna ac materna solicitudinis exemplum vide Luc.2.v.44,45,& 46.*

Solomon *Vocabulum hoc declaratur Matth.1.v.6.S.*

Soror, *pro muliere Christiana, 1.Cor.7.v.15.1.Cor 9.v 5.Iac.2.v.15.*

Sortes. *Vide Act. 1.O.9.*

Sosthenes. *Vide Act 18.v.17.1.Cor.1.v.1.*

SP

Spectra. *Matth.14.O.16.*

Spes. *De spe Christianorum vide Luc 6.O.17. Act.20.O.1c.Rom.5.O.2.2.Cor.1.O.5.Phil.1.O.25.Hebr.10.O 13 21.1.Pet.1.O.8,9,10. 2.Pet.1.v.3,4. Spes pro re sperata, Gal.5.v 5. Tit 2.v.13.Heb.6.v.18. Spes de proximo, Phil.1.O 1.*

Spiculator. *Matth.2.v.16 S.Matth.14.v.10.S.*

Spiritus. *Pro anima hominis, Matth.9.vers.25. Marc.8.v 12.Luc.1.v.47.Luc.2.v.40.Luc 8.v.55.Luc.10.v.11.Luc.23.v.46.Ioh.19.v 30.Act.7.v.59.Actor.23.v.8.Rom.8.v.15.1.Cor.5.v.5.Heb.12.v.9,23.Iac.2.v.26.1.Petri 3.v.19.& c.4.v.6.§ Pro mente, Iohã.4.v.24.1.Cor.2.v.11.1.Thess.5.v.23.Heb.4 v.12 § Pro affectu animi, Luc.9.v.55.Ioh 4.v.23. Ioh.11.v.33.Act.17.v.16.Act.18.vers.5,25. Rom.2 v.27.Rom.11.v.8.1 Cor.4.v.21.Col 2.v.5.1.Pet.3.v.4. § Pro spectro, Luc 24.v. 37 § Pro habitu, Iac.2.v.26.§ Pro angelo, Act 23.v.9. § Pro deitate, 1.Tim.3.v 16.1.Petr.3.v.18.§ Pro substantia invisibili Hebr.1.v.7.14.§ Pro Evangelio, 2.Cor.3 v.6,8.Vide ibi S § Spiritus oris pro verbo, 2.Thess.2 v.8. Spiritus fidei, 2.Cor.4.v.13.S. Secundum spiritum esse: item, In spiritu esse, quid sit, Rom.8.v.5.S. Arrhabo spiritus, 2.Cor.5.v 5.S. Spiritus vivificus quo sensu nominetur Christus, 1.Cor.15.v.45.S. Quo sensu dicatur Christus se obtulisse per spiritum æternum, Heb.9.v.14.S.*

Spiritualis, spirituale. *Homo spiritualis, 1 Cor.2 v.14.S 1.Cor.3.v.1.S. § Spiritualis: id est, præditus donis spiritualibus, 1.Cor.14.vers.37.§ Spiritualia 1.Cor.9.v.11.S. § Spirituale: id est, significativum rei spiritualis 1.Cor.10.v.3. Corpus spirituale, 1.Cor.15.v.44.S.*

Spiritus S. *Deitas illius, Luc.1.O.20.Iohan.15.O.13.Ioh.16.O.4.1.Cor.6. O.11.Heb.3.O.10 Quòd sit persona, Ioh.14.v.26.S.1.Cor.12.O 6. Processio eius, Rom 8 O.11.Gal.4.O.4. Nominatur virtus altissimi, Luc.1.vers.35. Item virtus ex alto, Luc.24.vers 49. Item spiritus Dei, 1.Cor.12.v.3. Item spiritus sanctificationis, Rom.1.v.4 Item spiritus gratiæ. Heb.10.v.29. Item arrhabo hæreditatis nostræ, Eph 1.v.14. Item oleum exsultationis, Hebr.1.v.9. Vide ibi S.Item χρῖσμα, 1.Iohã.2.v.20. Item semen Dei, 1.Ioh.3 v.9. Item spiritus adoptionis. Rom.8.v.15. Item spiritus servitutis, ibid. De missione Spiritus sancti in apostolos, Act.2.v.1.&c. & O.1. Operatio eius in servis Dei, Marc.1.O.16. Item in electis adultis, Ioh.3.v.5.S.Ioh.4.v.10.S.& O.9.Ioh.6 v.63,64.S. Ioh.14.O.11 Gal.5.O.11.1.Ioh.2.O 21,22. Item in electis infantibus, Luc.1.O.8,16. Qua ratione dicatur spiritus servitutis, Rom.8.v.15 S. Item spiritus adoptionis, ibid. Comparatur arrhaboni sive arræ, 2.Cor.1.v 22.vide ibi S Item aquæ, Ioh.3.vers 5.vide ibi S Item igni. vide ibid. Functus est vice patris in generatione Christi secundum carnem; Luc.1 v.32.S. De donis S.S. vide Heb.1.O.12.Hebr.2.O.6 Rom.12.v.3.& seqq.1.Cor.12.per totum. Gratia S.S. à Deo petenda est, Actor.1.O.5. ¶ Spiritus sanctus pro donis eius, Iohan.3.v.34. Act.8 v.15,17,18,19 Act.10.v.44.1.Thess.5 v.19.1.Ioh 4.v.13. ¶ Pro Evangelio, 2.Cor.3.v.6.1.Ioh.5.v.6 8.*

Sponsa. *Sponsa pro uxore habebatur, Matth.1.v.20 S. Ecclesia comparatur sponsæ, Ioh.3.v.29 Apoc.21.v.2,9. Apoc.22.v 17.*

Sponsus. *Christus comparatur sponso, Matth.9.v.15.Matth 25.v.1.Iohã.3.v 29. Apoc.21.v.2,9.*

Sponsio. *Philem.O.19.*

Spurcities. *Epist.Iud.O.27.*

ST

Stadium. *Ioh.6 v.19.S.*

Stella. *Stella quæ magis in Oriente apparuit tempore nati Christi, fuit nova, Matt.2.v 2.S.*

Stephanus. *De Stephano diacono Ecclesiæ Hierosolymitanæ Act.6.v.8.&c.&c.7.v.1.&c.*

Sterilitas *in populo Israëlitico erat probrosa, Luc.1.v 25.S.*

Stoicorum *dogmata quædam falsa notantur, Matth.10.O.15 Marc.3 O.*

Studiosorum *Theologiæ officium, Luc.1.O.2.*

Stultitia *Dei quo sensu dicatur, 1.Cor.1.v.25.S.*

Stupor *ingenij humani, Ioh.7.O.15.*

SU

Subditi. *De officio subditorum vide Matt.22.O.12,14.Luc.20.O.5.Act.23.O.4.Rom.13.v.1.&c.& O.2.Epist.Iud.O.10.*

Subducere navem, *Luc.5.v.11.S.* Successio. *De successione ordinaria pastorum Ecclesiæ vide Matth.21.O.10.*

Superbia. *Fugienda est, Luc.16.O.3.Iac.4.O.5. Noxa eius, Ioh.19.O 8.Act.21.O.10.Act.22.O 2.*

Superstitio. *Act.7.O.7.*

Surdus. *Surdis quibusdam auditus subitò datus: Matt.11.v.5.&c.Marc.7.v.31 &c.Marc.9.v.15.&c.Luc.7.v.21.*

Suspicere. *Luc.9.v 5.S. Act.22.v.13.S.*

Suspicio. *Matth.26.O 16.*

SY

Sycomorus *Luc.19.v.4.S.*

Syllepsis, *figura syntaxis. Exempla vide Luc.19.v 37.Ioh.7 v.49.*

Syllogismus. *Admonitio de syllogismo quodam qui falsò refertur ad tertiam figuram, Matth.22.v.32.S.Vide etiam Marc.12.v.27 A. De syllogismo quodam qui videtur peccare in forma, Rom.5.v 13.S. Exemplum syllogismi pleni in tertia figura; Rom.7.v.13.S.*

Sympathia. *Heb.13.O.2.*

Symplote, *figura dictionis. Exempla vide Rom.14.v.8. Phil.4.v.8,9.1.Tim.4.v.7.*

Synagoga, *Quid hoc nomine apud Evangelistas intelligatur, Matth.10.v.17 S.Luc.7.v.5.S. Ioh.6.v.59.S.*

Synchysis, *figura Grammatica. Exemplum vide Eph.2.v.1.*

Synecdoche. *Exempla vide Matt.1.v.18,20,21 Matth.2.v.19. Matth.3.v.4,9,11.Matth.4.v.23.Matth. 5. v.5,16,17,23,25,26 28,39. Matt. 6.v.1,2,3,6,9,11,15,16,22,26. Matt 9.v 6,22. Matth.10. v. 13,17,21,3,35,37. Matth.11.v.5,15,16,19.Matth.12. v.5,12,15 16,18 20,31,36,38,40,46. Matth.13 v.30, 47,48,52,55. Matth.14.v.2,7.Matth.15.v.2,22,33.Matth.16.v.17,18,26.Matt.17 12,26 Matt.18 v.3,11,17,22.Matt.19.v. Matth 20 v.21,28. Matth 21.v.2,24,4 Matt.22 v.24. Mat 23.v.3,14 23,39.M 24.v.3,14,17,22,30,32,51. Matt.25 v.1 Matt.26 v.5,8,15,45,52.66. Matt.27.v.37,44,52. Matth.28.v.1.Marc.1.ver. 4 Marc.3.v.4,29.Marc.5.v.9.Marc.6.v.2, Marc.7.v.2.Marc.8.v.25.Marc.9.vers.1 Marc.10.v 51.Marc.11.v.13.Marc.12.v.1 27,41 Marc.13.v.2,11. Marc.14 v.14,41 65.Marc.15.v.12,32.Marc.16.v.8,9,15,17 Luc.1.v.6,15,17,22,25,32,33,34,38,48,55 64.Luc.2.v.1,10,21,23,24,25,26,27,29. 48.Luc.3.v.2,6,7,13,14.Luc 4 v.16,25,37 39.Luc.5 v.6.Luc.6.v.9,11,32.Luc.7.v.3, 6,7,36.Luc.8.v.9,19,23. Luc.9.v.3,12,39, 53.Luc.10.v.4,13,20,21.Luc.11.v.8,10,21, 29,38,53. Luc 12 v.1,20 Luc.13.v.16,32. Luc.14.v.1,4. Luc.16.v.22,24. Luc.17.v.37.Luc.18.v.12.Luc.19.v.10,23. Luc.20.v.19 35,36,47.Luc.21 v.4,11,23,28,3 .Luc.23.v.4,8,31,4 ,43,46,47,54.Luc.24.v.1,14,20,37.Ioh.1.v.1,10,14,18,29,45.Iohã.2.v.3,1 ,12,13.Ioh.3.v.3,13,17,27,36.Ioh.5 v.45.Iohã.6.v 1,9,17,21,26,28,30,35,37, 39,45,46,54.Ioh.7.v.3,6,18,26,39. Ioh.8.v.4,7,9,10,46. Ioh.9 v.4 .Iohã.10.v.8,33, 35.Ioh.11.v.15,39.Ioh.12.vers.25,31,34,46. Ioh.13.v.2,12,14,23.Iohã.14.v.12,19,24. 26,28,30.Ioh.15 v.5,15,22,25 Ioh.16.v.25. Ioh.17.v.11.13.Ioh.18.v.28,31.Iohã.19.v.7. Ioh.20.v 13,22. Act.1.v.14,15,18,21,22. Act.2.v.6,17,26,30,34,37,41,42,43.Act. 3 v.1,15,19,22,23. Actor.4.v 9,21,25,33. Act.5.v.3,9.Act 6.v.1.Act.7.v.7,16,23,24 25,35,41,43. Actor.8.v 2,4,6,5,16,35,36. Act.9.v 7,23,32. Act.10.v.12,19,30.Act. 11.v.2 Act.12.v.7,25.Act.13.v.8,10,29,34 40.Act.14.v.9.Act.16.v.24,33.Act.17.v.4,15,34.Act.18.v.25. Actor.20.v.7,27,28. Act.21.v.8,21,25.Act.22.v 20.Actor.25.v.15,26.Act.26.v.5.Act.27.v.22,37.Rom.1.v.3,8,18,26.Rom.2 v.12,22,27 Rom.3.v.5,7,8,19,25,27,29 Rom.4.v 13,Rom.5.v.13.18.Rom.6.v.6,7,21.Rom.8.v.3,6,14, 20,23,25,26,27,28.33. Rom 9.v.3,4,5,12, 15,17.23,24.Rom.10.v.12,17,18.Rom.11.v.4,9,11,15,17.18,20.28,29,30.31.Rom.12.v 3,11.Rom.13.v.8,12.Rom.14.vers.3,9,10,13 20,22.Rom.15.v.2,9,1 ,26.1.Cor.1.v.2,5, 7,17,21,22,24,30.1.Cor.2.v 6,8,10.1.Cor 3.v.7.1 Cor.4.v.4,5,7,9,15.1.Cor.5.v.1,5, 7.1.Cor.6.v.3,18,20.1.Cor.7.v.1,2,13,19, 30,34,36.1.Cor.8.v.4.1.Cor.9 v.9.12,19, 22,27 1.Cor.10.v.6,9,22,25.1.Cor.11.v.3, 8,9,21,22,29,32,33.1.Cor.12.v.12.1.Cor.13 v.1.1.Cor 14.v.2,7,10,19,21,33.1.Cor.15.v 14,20,32,45,47,51.1.Cor.16.v.2.2.Cor.3.v.5.2.Cor.4.v.6.2.Cor.5.v.21.2.Cor.9.v. 9.2.Cor.11.v 15,16.Gal.1.v.1,16.Gal.2.v.3. 16.Gal.4.v.5,15.Gal.5.v.2.Eph.1.v.5.Eph. 2.v.12.Col.1.v.19,23,28.Col.2.v.16,Col.3.v.24.1.Thess.1.vers.6,8.1.Thess.2.vers.16.1. Thess 3.v.5.1.Thess.4.v.5,11,13.1.Thess 5.v.1,12 2.Thess.2.v.2,9,10,12,13,14.2.Thess.3.v 14.1.Tim.1.v.5.1Tim.2.v.4,14.1.Tim. 4.v.1.13,14.1.Tim.5.v.17,20,22.2.Tim.1.v.6 12.2.Tim.2.v.22.2.Tim 3.v.14,16,17 2.Tim.4.v.2 Tit.2 v.9. Philem.v.7,14,18. Heb.1.v.3,4.Heb.2.v.2,4,6,17.Heb.3.v 1, 17.Heb.4.v.11,14.Heb.5.v 8.Heb.6.v.5,12. Heb.7.v.18 Heb.8.v.1.Heb.9.v.8.Hebr 10.v.36.Heb.11.v.5,7,19,27,28.Heb.12.v.1,3, 14,28.Heb.13.v.15.Iac.1.v.13,15,19,21.Iac. 2.v.1,4,6,14,18,26.Iac 3 v.6.Iac.5 v.5,8, 11,20.1.Pet.1.v.22.1.Pet.2.v.24.1.Pet 3.v.1.7,12,15,20.1.Pet.4.v.3,11,17,18.2.Petr.1.v.1.3.13.2.Pet.2.v.1,4,10,16 2.Pet.3.v.5.1. Ioh.1.v 8.1.Ioh.2 v 2,3,13,15,16,27.1.Ioh.3.5,15.1.Ioh.5.v.4,6,9.14,16,18 2.Ioh.v.1.3.Ioh.v.2,5,7,8,9,12.Epist.Iud.v.6,7,14,19 23,24.*

Synedrium. *Matth.5.v.22.S. Matth.10.v.17.S. Quid coram synedrio acciderit Paulo, Act.23.v.1.&c.*

Synergia

Synergia. *De συνεργείᾳ liberi arbitrij in hominis conversione,* 1.Cor.15.O 7.

Synesis *quæ vulgo Synthesis: figura syntaxis. Exempla vide Ioh.*14.v.26. *Act* 3.v.11. *Act.* 5.v.16. *Act* 6.v.7. *Act*.15.v 36. *Act*.26.v.17 *Rom.*2 v.14.26. *Rom* 9.v.24.32. *Rom*.11.v. 14.2.*Cor*.5.v.19 *Gal*.4.v.19. *Ephes.*1.v.14. *Eph*.4.v.18. *Phil*.2 v 15. *Col*.2.v 15.1.*Tim* 2.v.15. *Philem* v.10.2.*Ioh*.v.1.

Synodus. *De synodis vide Act.* 15.O.9.10.13.14.

Syntaxis. *Inversa syntaxis. Exempla vide Act.* 3.v.21. *Gal*.4.v.24.1.*Pet* 3.v.21. *Iac*.4.v.13. *Inusitatæ Syntaxis exempla vide Luc*.23.v.14 S. *Act*.19.v.12. *Act*.21.v.3.6.19. *Rom* 5.v 12 13.14. *Rom*.6.v.17.1.*Cor*.1.v 29.1.*Thess*.4.v 6.*Hebr*.5.v.7. *Obscuræ syntaxis exempla vide Rom*.2.v.7. *Rom* 5.v.15. *Rom*.9.23.1.*Thess*.2. v.13.1.*Thess*.3. 13.1.*Pet*.1.v.11.1.*Petr*.3.v.21. *Ambiguæ syntaxis exempla, vide*, Ambiguitas.

Synthesis. *Vide* Synesis.

Syri. *Syrorum scribendi modus, Ioh*.8.v.6.S. ¶ *Lingua Syriaca tempore Christi in usu fuit apud Iudæos.ibid.*

Syrtis *quid sit, Act*.27.v.17.S.

TA

Tabernaculum festum. *Ioh*.7.v.2.14 S. ¶ *Tabernaculum pro corpore hominis*, 2.*Pet*.1.v.13. *Vide ibi S.*

Tabitha, *discipula Ioppensis, per Petrum è morte excitata fuit. Act*.9.v.36.*&c.*

Talaria. *Marc*.6.v.9.S.

Talentum. *Matth*.18.v.24.S. *Parabola de talentis, Matth*.25.v.14.*&c.*

Tam. *Quid vocula ista notet, Matth*.5.v.45.S.

TE

Tectum *Iudæorum tecta erant plena. Marc* 2. v.4.S.

Temeritas *in verbis alterius interpretandis cavenda est, Ioh*.21.O.7.

Tempestas *in mari seu lacu Genesaret coorta, sedabatur à Christo, Matth*.8.v.23 *Marc*.4. v.35.

Templum. *Hierosolymitanum Templum quod fuit tempore Christi, à quo fuerit ædificatum, Iohan* 2.v.20.S. *De annis 46 quibus ædificatum esse illud dicebant Iudæi, Ioh*.2.v.20.S. *Situs eius, Iohan*.7.v.14.S. *Repurgatio eius à Christo facta, Matth*.24.1.*&c.Marc*.13.v.1. *&c.Luc*.19.45.*Ioh*.2.v.12. *Excidium illius, Matth*.24.3. *&c.Marc*.13.v.1.*&c.Luc*.19.v. 41.*&c.Luc*.21.5.*&c.*

Tempus *interdum rationem subiecti habet: ut Ioh*.12.v.27.

Tenebræ: *Mens hominis nominatur tenebræ, Ioh* 1.v.5. *Vide ibi S.* ¶ *Tenebræ pro ignorantia Dei*, 1 *Thess*.5.v.4. ¶ *Pro calamitatibus, Matth*.4.16.*Luc*.1.79. *Quid portenderint tenebræ quæ exstiterunt Christo pendente in cruce, Matt*.27 O.20.

Tentare, tentatio, tentator. *Verbum tentandi variè accipitur, Iac*.1.v.13.S. ¶ *Tentationes pro persecutionibus, Iac* 1.v.2.12.1.*Pet*.1.6. ¶ *Tentator pro diabolo, Matth*.4.3.*Marc*.4.35. *Tentationis vocabulo quid intelligatur* 1.*Cor* 10.13. *Vide ibi S. Tentatio alia humana, alia diabolica, ibid.&* O.11. *Tentatio qua vexabatur Paulus*, 2.*Cor*.12.v.7.*&c. Tentationum diaboli origo, Matth*.4.O.3. *Earundem diversitas, ibid* O. 1. *Quo sensu tentare nos dicatur diabolus, Matth*.6.v.13.S. *An Deus aliquos inducat in tentationem, Matth*.6.O. 16. *Christus aliquoties tentatus fuit à Scribis & Pharisæis & Sadducæis: ut videre est Mat.* 16.1.*Matt*.19.3.*Matt*.22.v.18.35.*Marc*.8.11 *Marc*.10.2.*Marc*.12 15.*Luc*.10.25.*Luc*.11.v. 16.*Luc*.20.v.23.*Ioh*.8.v 6.

Tertulli *oratio ad præsidem Iudææ Felicem contra Paulum, Act*.24.v.3.*&c.*

Testamentum. *De discrimine V. & N. testamenti vide Luc* 16.O.5.*Gal*.4.O.1.*Hebr*.1.O. 1.*Heb* 1.O.33.2.*Pet*.1.O.22. *De utriusq; convenientia, Heb*.4.O.2.*Heb*.11 O 23.34. *De salute patrum in V. testamento, Luc*.2.O.27. *Act*.10.O.13. *Act* 15.O.8.2.*Cor*.4 O.9. *Vetus testamentum non est ex Ecclesia exterminandum*, 2.*Pet*.1.O.21.

Testis *Duobus testibus fide dignis non est temere fides deroganda, Matth*.11.O.4. *Falsus testis quis, Matth*.26.O.47.

TH

Thamar *Vocabulum hoc declaratur Matt*.1.v. 3.S. *Thamar nurus Iudæ exspectatione Christi commota incestum commisit, ibid*.O.3.

Theologiæ *studiosorum officium, Luc*.1.O.2.

Thessalonica. *Situs eius*, 1.*Thess*.1.v.1.S. *Quid ibi egerit ac perpessus sit Paulus, Actor*.17.v.1. *&c.* ¶ *Ecclesiæ Thessalonicensis origo*, 1.*Thess*.1 v.1.S. ¶ *Thessalonicenses fideles à Paulo laudantur*, 1.*Thess*.1.v.6.*& seqq. cap*.2.v.13.*& seqq* 2.*Thess*.1.v.3.*&c.*

Thronus gratiæ. *Heb*.4.v.16.S.

TI

Tiberias. *Ioh*.6.v.1.S. *Mare Tiberianis, ibid.*

Timotheus. *Act*.16.v.1.

Titus. 2.*Cor*.8.v.16.2.*Tim*.4.v.10.*Tit*.1.v.5.

TO

Tolerantia. *De Christianorum tolerantia vide Matth*.5.O.6.*Roman*.5.v.2.S. *Phil*.1.O.34.1. *Thess*.3.v.3.*&c*.2 *Tim*.2.O.5.*Heb*.10.O.34. 27.*Heb*.11.O.1.5.*Iac*.1.O.3.4. *Vide etiam titulum*. Patientia.

Tollere. *Ioh*.12.v.32.S.

Totus *pro maxima parte, Rom*.11.v.26. *Vide ibi S.*

TR

Traditio. *De traditione apud Hebræos vide Heb*.12.v.21.S.*Epist.Iud*.v.14.S. *Traditiones Pauli*, 1.*Cor*.11.v.2.S.2.*Thess*.2.v.15. *De traditionibus humanis, vide Matt*.15.O.1.1.*Cor*. 11.O.2.2.*Tim*.3 O.14.

Trahere *Quo sensu dicatur à Christo patrem aliquos trahere, Ioh*.6.v.44.S. *Item quo sensu dixerit Christus, se omnes tracturum ad se, Ioh* 12.v.32.S.

Traiectio. *Exempla traiectionis vocum & sententiarum vide Matth*.17.v.18.*Matt*.24.v. 39.*Matth* 26.v.24.*Marc*.2.v.6.12.26.27. *Marc*.14.v 3.*Marc*.15.v.47. *Marc*.16.v.4. *Luc*.19.v.5.*Luc*.22.v.21 36.*Luc*.23.v.40. *Ioh*.1.v.27.*Ioh*.4.v.24.*Ioh*.5.v.18.*Iohā*.7.v. 38.*Ioh*.8.v.25.*Ioh*.10.v.14.*Ioh*.12.v.4.*Ioh*.17 v.5.24.*Ioh*.18.v.5.11.*Ioh*.19.v.29. *Act*.1.v 5. *Act*.3.v.21. *Vide ibi S. Act*.8.v.37. *Act*.16.v. 3. *Act*.23.v.32.*Act*.26.v.22.*Rō*.2.v.14.*Rom* 3.v.9.*Rō*.8.v.18.1.*Cor*.10 v.5.1.*Cor*.15 v 51. *Gal* 3.v.23 *Gal*.4.v.8.*Eph*.2.v.3.15.1.*Thess*. 1.v.3.8 1.*Thess*.2.v.13.2.*Thess* 2.v.7.2.*Tim*. 2.v.26.*Tit*.3.v.7.*Hebr*.9.v.16.*Hebr*.10.v.1. 20.*Iac*.2.v 1.*Iac*.3.v.3.1.*Pet*.1.v.1.7.1.*Pet*.3. v.21.2.*Pet*.1.v.19.2.*Pet*.2.v.4.2.*Petr*.3.v.2. *Epist.Iud*.v.9.

Tranquillitas animi. *Phil* 4.O.7.

Transformatio. *De transformatione Christi in monte vide Matth*.17.v.1. *&c Marc*.9.v.2. *&c. Luc*.9.v.28.*&c. De transformatione corporum nostrorum vide Phil*.3.v.ult.

Transsubstantiatio. *De Papistica transsubstantiatione vide Matt*.26.O.23.*Ioh*.2.O.5.

Tria *adverbia Pauli, quæ regulam vitæ Christianæ complectuntur. Tit*.2.v.12. *Vide ibi S.*

Tributum. *Christus solvit tributum, Matth*.17 v.24.*&c. Tributum magistratui solvendum est, Rom*.13 v.6.7.

Trinitas. *De sancta trinitate vide sub titulo*, Deus.

Tristitia. *Vide* 2.*Cor*.7.O.8.

Trituratio. *Mos triturādi vetus*, 1.*Cor*.9.v.9.S

Triumphare aliquem. *Col*.2.v.15 S.

Troas. *De Troade vide Act*.16.v.8.*&c. Quid ibi egerit Paulus, vide Act* 20.7.

Trophimus. *Vide* 2.*Tim*.4.v.20.

Tropus. *Interdum tropus est in ipsa phrasi: ut Matth*.3.v.9.11. *Matth*.8.v.3.*Matth*.23 v. 24. *Marc*.11.v.14.*Marc*.15. v.12.*Luc*.23. v.40.1.*Tim*.5.v.22. *Hebr* 11.v.23. ¶ *Interdum in enuntiati consequente seu prædicato: ut Matth*.13.v.18.*Luc*.8.v.11.*Iohan*.3.v.19. *Ioh*.11.v.25.*Ioh*.15 v.1.5.*Ioh* 17.3.*Rom*.6.v. 23.*Rom* 7.v.7.*Rom*.8.v.6.1.*Cor*.10.v.4.17. *Phil*.1.v.21 1.*Thess*.2.v.19.20.*Iac*.3.v.6.*Iac*. 4.v.14.2.*Pet*.3.v.15. ¶ *Interdum in verbo: ut Marc*.15.v.11. *Vide ibi S.Marc* 15.v.1. ¶ *Interdum in toto enuntiato: ut Marc*.12.v.27. *Marc*.13.v.2.*Luc*.1.v.58 1.*Tim*.4.v.12. ¶ *Interdum plures tropi concurrunt in una voce: ut Matth*.3.v.9. *Matth*.10.v.34.37.*Matth*. 12.v.36.*Matth*.15.v.22.*Matth*.24.v.22.32. *Matth*.25.v.12.*Matth*.26.v.5.17.*Matth*.27 v.25.32.*Marc*.1.v.44. *Marc*.2.vers.4.29. *Marc*.5.v.9.*Marc*.6.v.2.8. *Marc*.12.v.19. 27.41.*Marc*.13.v.2.*Marc*.16.v.8.*Luc*.1.v. 55.64.66.69.*Luc*.1.v.25.*Luc* 3.v.7.14.*Luc*. 4.v.35.*Luc*.8.v.23 *Luc*.9.v.3. *Luc* 10.v.13. *Luc*.11.v.20.38.53.*Luc*.12.v.7.49.*Luc*.19. v.10.*Luc*.20.v.19.*Luc*.21.v.23.*Luc*.23.v. 46.*Luc*.24.v.14 37.*Ioh*.1.v.18.29.*Ioh*.2.v. 13.*Ioh*.4.v.10.*Ioh*.6.v.26.27.35.45.*Iohā*.11. v.40.*Ioh*.12.v.25.31.38.*Ioh*.14.v.19.*Ioh*.18. v.28.39.*Ioh*.20.v.22.*Act*.1.v.18.22.*Act*.2. 26.*Act*.5.v.3 *Actor*.7.43.*Act* 8.v.15.*Act*.11. v 2.21.*Act*.16 v.24.33.*Act*.17.15.*Act*.18.v. 25.*Rom*.2.19.*Rom* 3.5.*Roman*.4.v.13.15 16. *Rom*.5.v.8.14.*Rom*.8.v.3.27.*Rom*.9.v.12.15 *Rom*.10 v.21.*Rom*.11.v.4.9.15.18.22.28.30 31.*Rom*.12.v.19 *Romā* 15.v.12.1.*Cor*.1.v.22. 1.*Cor* 2.6.1.*Cor*.4 v.9.1.*Cor*.5.v.7.1.*Cor*.6. v.11.1 *Cor*.7.v.30.1.*Cor*.8.v.12.1.*Cor*.9.v. 27.1.*Cor*.11.v.29.32.1.*Cor*.12.v.28.1.*Cor*. 14.v.2 21 33.2.*Cor*.5.v.10 *Galat*.1.v.16.23. *Gal*.2.v.3.7.*Phil*.2 v.10.1.*Thessal*.5 v.12 2. *Thess* 2 v.2.2.*Thess* 3.v.14.1.*Tim*.5.v.7.22. 2.*Tim*.4.v.6.*Heb*.2.v.6.*Heb*.3.v.1.*Hebr*.4. v.11.*Heb*.6.v.12.*Hebr* 10.v.36.*Hebr*.11 v 7. *Iac* 5.v.5.1.*Pet* 4.v.17. 1.*Pet*.5.v.3.2.*Pet*.1.v. 13.2.*Pet*.2.v.10.1.*Ioh*.2.v.2.1.*Iohā* 3.v.1.13. 20.1.*Ioh* 5.v.9.14.3.*Iohā* v 9.*Epist.Iud*.v.6 19.24.

TU

Turbari. *Christus turbavit seipsum, Iohā* 11.v. 33. *Item anima eius turbata fuit, Ioh*.12.v.27

TY

Tychicus. *Col*.4.v.7.2.*Tim*.4.v.12.

Tyrannus *De ingenio & more tyrannorum vide Matth*.2.O.5.7.24.*Act*.5.O.8.9.*Act*.12. O.2.7. *Exempla tyrannorum vide in Herode Ascalonita, necante pueros Bethlehemiticos, Matth* 2.v 16. *In Herode Antipa, decollante Iohannem Baptistam, Matth*.14 v.3.*& seqq. Item in Herode Agrippa, alterius Agrippæ patre, decollante* Iacobum, *& Petrum quoque supplicio afficere volente, Act*.12.v.2.*& seqq. Item in Nerone*, 2.*Tim*.4.v.17. Tyrannus. *nomen proprium. Tyranni cuiusdam schola Ephesi, Act*.19.v.9.

UN

Unctio. *De ungendi more apud Hebræos vide Matth*.6.v.17.S. *De more ungendi cadavera vide* Matth.26.O.8. *Christi unctio corporalis Marc*.14.v.8.*Marc*.16.v.1.*Luc* 7.v.38.46. *Ioh*.11.v.2.*Ioh* 12.v.3. *Eiusdem unctio spiritualis, Luc*.4.v.18. *Act*.4 v.27.*Hebr*.1.v.9. *Unctio Dei*, 2.*Cor*.1.v.21.S.

Unio *fidelium cum Christo*, 1.*Cor*.1.v.30.S.

UR

Urbs *pro civibus, Act*.13.v.44.

Urias. *Vocabulum hoc declaratur Matt*.1.v.6.S.

US

Usque. *Vocula hæc variè usurpatur, vide Matt*. 1.v.24.S. ¶ *Interdum inclusivè: ut Matth*.1. v.17. *in verbis*, Usque ad Davidem. *Item in verbis*, Usque ad Christum *Phil*.1.v.8 2. *Tim* 2.v.9. ¶ *Interdum inclusivè: ut Matth*. 1.v.17. *in verbis, Usq; ad deportationem Babylonicam.*

UT

Uterum ferre. *Matth*.24.O 9.

Uterus & vulva *quid differant, Rom*.4.v.19.S

UX

Uxor *Sponsa pro uxore habebatur, vide Matth*. 1.v.20.S. *Quæstio de uxore septem fratrum, Matth*.22.v.23.*&c. De officio uxoris vide* 1. *Cor*.11. O.4.1.*Tim*.2.O.18.1.*Pet*.3.O.1.

VA

Valetudo. 3.*Ioh*.O.2.3.

Vas *pro instrumento, Act*.9.v.15. ¶ *Vas hominis pro corpore hominis*, 1.*Thess*.4.v 4.

VE

Venire *interdum idem valet, quod proficisci: ut Matt*.16.v.5. ἐλθόντες. *Vide ibi S Venire ad Christū quid sit, Ioh*.6.v.35.S.*It*.v.37.44.45.

Venter pro usu ventris, 1.Cor.6.v.13.
Venus. *Corinthi templum erat Veneri sacrum: adeoq; locupletarum, ut plus mille puellas haberet, quas Corinthij Veneri consecrarant, ut in eius honorem prostarent*, 1.Cor.6.v.13 S.
Verbum (ῥῆμα vel λόγος) pro re. Matth.5.v.11. Matth.18.v 16. Matth.19.v.11. Matt.21.v.24. Luc.1.v.36.65. Luc.2.v.51. Luc.4.v.36. Luc.18.v.34.2. Cor.13.v.1. ¶ *Pro mandato*, Rom.10.v.17. Hebr.1.v.3. Hebr.11 v.3. Verbum Dei. *Nominatur* λόγος ἔμφυτος, Iac.1.v.21. *Vide ibi* S. *De efficacia illius vide* Matt.5.O.8.9. Matth.9.O.7. Matt.4.O.3.4. Act.5.v.20.S. Act.6.O 6. Act.13.O.9. Act.17.O.3.24. 1.Cor.14.O.4. 1.Tim.4.O.25. Iac.1.O.11. *De eventis eius varijs vide* Matt 13.O.2. *De authoritate eius*, Luc 16.O.19. *De scopo atq; usu eius*, Luc.16.O.20. Iac.1.O.12. *De praestantia eius*, Roman.3.O.1. *De veritate eius*, Luc.16.O.8. *De intelligentia eius*. Matth.13.O.3. Ioh.2.O.14. Ioh.6.O.7. Act.16.O.8. *De convenientia Evangelij cum Lege*, Matth.5.O.11. *De studio cognoscendi illud*, Ioh.6.O.2. *De necessitate obsequendi ei*, Ioh.7.O.10. *De contemtu eius*, Luc.19.O.11. Actor.13.O.8.1.Cor.14.O.3 *De oppugnatione eius*, Act.17.O.4. Act.28.O.15. ¶ *Verba vitae pro Evangelio*, Act.5.v.20. *Item verbum Dei bonum*, Hebr.6.v.5.
Veritas. *De inquisitione eius*, Actor.11.O.2. *De confessione eius*, Matth.15.O.6. Act.24.O.2. *Vide plura sub titulo* Confessio. *Quò magis premitur, eò magis emergit*, Marc.3.O.3. ¶ *Interdum opponitur typis: ut* Iohan.1.v.14.17. Ioh.6.v.32.55. Ioh.1 .v.6. Heb.8.v.2. ¶ *Interdum notat excellentiam: ut* Ioh.1.v.9. Ioh.6.v.32.55. Iohā.15.v.1. *Vis veritatis caelestis*, Act.12.O.11 Act.24.O.3. *Oppugnatio illius avertenda*. Actor.23.O.5.11. *Veritas pro veris notitijs de cultu Dei*, Rom.1.v.18.26. ¶ *Pro Evangelio*, 3.Iohan v.8. Jac.1.v.18. *Veritatis caelestis patefactio*, Act.16.O.4. *Eiusdem demonstratio*, Act.15.O.9. *Ex veritate esse*, Joh.18.v.37.S. *Facere veritatem*, 1.Johan.5.v.6. *Vide ibi* S.
Vestitus, amictus. *De* κακοζηλία *Anabaptistarum & Monachorum in usu vestitus vilis ac rudis*, Matth.3.O.5. *De cavenda solicitudine amictus vide* Matt.6.v.24.&c. & O.23. *De vestitu ministrorum verbi*, Matth.11.O.9. *Mulierum Christianarum*, 1.Tim.2.O 16.1.Pet.3.O.4. *Orientalium*, Luc.6.v.38.S. *De more scindendi vestem*, Matth.26.v.65.S.
Vetus testamentum. Vide: Testamentum.

VI.

Via *pro ratione agendi*, 1.Cor.4.v.17. ¶ *Pro doctrina, vel religione, sive secta*: Act.9.vers.2. Act.18.v.25,26. Act.19.v.9,23. Act.22.v.4 Act.24.v.14.
Victor. *De officio victoris*, Heb.7.O.1.
Victus. *Solicitudo de victu cavenda*, Matt.6.v.24.&c.&23.
Videre *pro experiri*, Iohan.3.v.3. Hebr.11.v.5. ¶ *Pro, tanquam certò futurum considerare*. Ioh.8.v.56. ¶ *Pro salutare seu alloqui*, Ioh.12.v.21. ¶ *Pro cognoscere* Ioh.1.v.18. Ioh.19.v.37.
Vidua viduitas. *De viduitate vide* 1.Cor.7.O.23. *Officium viduae*, 1.Tim.5.O.6. *consolatio pro pijs viduis*, 1.Tim.5.O.3. *Oblatio viduae pauperis laudabatur à Christo*, Marc 12.v.43. Luc.21.v.1.&c. ¶ *Parabola de vidua instante apud Judicem iniustum*, Luc.18.vers.1.&c.
Vigilantia. *Exhortationes ad vigilātiam*, Matt.24.v.42.& O.25. Marc.13.v.33. 1.Cor.16.v 13. 1.Pet.5.v.8.
Vigilia. *De vigilijs noctis vide* Matth 24.v.43.S Luc.2.v.8.S.
Vindicta. *Privata vindicta est illicita* Matth.5.O.39. Matth.26.O.40. Luc.9.v.51.&c. Ioh.18.O.6.
Vinea. *Parabola Christi de vinea*, Luc.20.v.9.&c.
Vinum *ex aqua ortum*, Ioh.2.v.1.&c. *Abstinentia à vino*, 1.Tim.5.O.20.
Vipera. *Descriptio illius*, Matth.3.v.7 S.
Vir. *Viri pro angelis*, Act.1.v.10.
Virga *pro severitate reprehensionum*, 1.Cor.4.v 21.
Virgo, virginitas. *Parabola de decem virginibus*, Matth.25 v.1.&c. *De virginitate vide* 1.Cor.7.O.23.
Virtus. *Virtutes* (δυνάμεις) *pro miraculis*, Matt.7.v.22. Matth.11.v.20. Matth.13.v.54.58. Marc.6.v 2.5. Luc.10.v.13. Luc.19.v.37. ¶ *Pro* δυνάμεις, 1.Cor 1.12.v.28. *Virtus seu vis* (δύναμις) *quo sensu dicatur exivisse è Christo, quum eum attingeret mulier, quae sanguinis profluvio laborabat*, Marc.5.v.30.S. ¶ *Virtus pro efficacia spirituali*, 1.Cor.4.v.19. *De virtutibus Christianis vide* Eph 4,5,&6. 1.Tim.6.v.11. 2.Petr.1.v.5. *Vide ibi* S. *Virtutes* (ἀρεταὶ) *tribuuntur Deo*, 1.Pet.2.v.9.
Viscera *pro affectu*, Philem.v.7.20. 1 Ioh.3.v.17 ¶ *Pro homine charissimo*, Philem.v.12. *Claudere viscera sua*, 1.Ioh.3.v.17. *Vide ibi* S.
Visio. *Visio oblata Petro*, Act.10.v.9.& *deinceps Paulo*, 2.Cor.11.v.1.&c. *Visiones variae oblatae Johanni, in Apocalypsi tota*.
Visitatio Dei. Luc 19.v.44.S. 1.Pet.2.v.12.
Vita. *Quo sensu dicatur, vitam fuisse in* λόγῳ, *id est, filio Dei*: Ioh.1.v.4.S. *Panis vitae, quo sensu dicatur Christus*, Ioh.6.v.35.S. ¶ *De vita spirituali vide* Ioh.6.v.35.53.63.S. 1.Tim.5.O.7. *Vitae nostrae scopus*, Ioh.15 O 3. 1 Cor.10.vers.31.& O. Phil 1.O.26. Phil.3.O.23. *Paulus hortatur Philippenses ad vitam inculpatam*, Phil.2.v.15.& seqq. *De vita Christiana vide plura*, Eph.4,5,&6. Col.3 & 4, 1.Thess.4.v.1.&c. 1.Pet.4.O.3.4. Vita aeterna *Vitae aeternae descriptio*, Apoc.2.v.7,10,17.26,27,28. Apoc.3.v.5,11,12 21. Apoc.19.v.7,8,9. Apoc.22 v.1.& seqq. *Quae in re consistat*, 1.Ioh.1.O.4 *Quòd sancti in vita aeterna sese mutuò agnituri sint*, Matth.17.O.2. *De gaudio vitae aeternae*, Matth.17.O.4. Matt.22 O.1. *De gloria vitae aeternae*, Matth.22.O.1. Luc 20.O.8. *De gradibus illius gloriae*, Matt.20.O.10. *De vitae aeternae gradibus in uno eodemq; homine*, Ioh.6.v.40.S. *Quibus parata sit vita aeterna*, Matth.20.O.26. *Certitudo eius*, Luc.16.O.8. Heb.11 O.8. *Verba vitae aeternae*, Ioh.6.v.68 S. *Qua ratione vita aeterna comparetur mercedi*, Ioh.4.O.15. Rom.6 v.21 S. Heb.10.O.26. 2.Ioh.v.8.S. *Quo sensu dicatur requies*, Heb.4.O.8. *Item donum caeleste*, Heb.6.v.4.S.
Vitia *cavenda sunt*, Epist Jud.O.21.
Vivere *pro laetum esse*, 1.Thess.3.v.8. ¶ *Pro securum esse*, Rom.7.v.9.
Vivificatio *Quomodo Spiritus S. vivificet*, Ioh.6.v.63.S.
Vivus. *Aqua viva, quo sensu dicatur* Iohā.4.v.10. *Vide ibi* S. ¶ *Vivus pro vivifico*, Ioh.6.v.51. Heb.10.v.20. 1.Pet.1.v.3.23.

VO

Vocula Graeca è *Latinis mutuò sumta*. Κῆνσος, Matth.17.v.25. Matth.22.v.17,9. Κουστωδία, Matth.27.v.65,66. Κράββατος, Ioh.5.v.10 Λέντιον, Ioh.13 v.5. Πραιτώριον, Marc.15.v.16. Σουδάριον, Iohan.11.v 44. Σπεκουλάτωρ. Marc.6.v.27. Στάδιοι, Luc.24.v.13. Iohā.6.v.19. Στάδιον, 1.Cor.9.v.24. Φελόνη, pro φαιλόνη, 2.Tim.4.vers.13. Φραγέλλιον, Ioh 2 v.15. Φραγελλώσας, Matt.27.v.26. Marc.15.v 15.
Vocari *pro cognosci*, Luc.1.v 32,35.
Vocatio *pro genere vitae*, 1.Cor 7.v.20. *De officijs vocationis vide* Matth.25.O.12,13. Act.14.O.14. Act.21.O.1. *Vocatio ad nuptias caelestes duplex*, Matth.20.O.13. Rom.8.v 30.S. Roman.9.v.24.S. *Efficacis vocationis origo*, Matth.9.O.6. Matth.20.O.39. Matth.22.O.9 2.Tim.1.O.14. *Eiusdem fructus*, Matth.8.O.11. *Subiectum recipiens*, Matt.20.v.1.&c. A.1.Cor 1.O.18. ¶ *Vocatio pro gloria caelesti*, 2.Thess 1.v.11. *De vocatione ad nuptias caelestes vide plura* Matth.22.O.2,3 Luc.14.O.8. Rom.10.O 10.
Voluntas *Vocabulum hoc aliter accipitur in verbis Christi dicentis in horto, Fiat voluntas tua: quàm in petitione secunda orationis Dominicae*, Matth.6.v.10.S. *Voluntas Dei simplex est, sed nobis revelatur bifariam*, Matth.6.v.13. ¶ *Voluntas Dei: id est, id quod vult Deus*, Matth.6.v.10. Matt 7.v.21. Matt.12.v.50. Matt.26.v.42. Ioh.4.v.34. Iohā.5.v.30. Ioh.6.v.38,39,40. Ioh.7.v.14. Ioh.9.v.31. Act.21.v.14. 1.Thess.4.v.3. Hebr.10.v.7,9,36. Heb.13.v.1. 1.Ioh.2.v.17.
Voluptas. *Voluptatibus non est indulgendum*, Luc.14.O.6. 2.Pet.2.O.14. 1 Ioh.2.O.12,14. 1.Ioh.5.O.27. Epist.Jud.O.15. *Voluptates pro concupiscentijs*, Iac.4.v.1. *Vide ibi* S.
Votum. *Pij voti seu piae optationis formula*, Phil.1.O.10.
Vox. 1.Cor.4.v.7.S.
Vulpes. *Herodes à Christo nominabatur vulpes*, Luc.13.v.32. *Vide ibi* S.
Vulva & *uterus quid differant*, Rom.4.v.19.S.

ZA

Zabulon. Matth.4.v.13.S.
Zacchaeus. *De conversione Zacchaei publicani, vide* Luc.19.v.1.&c.
Zacharias. *Zachariae, patris Johannis Baptistae, prophetatio de Christo & Johanne*, Luc.1.v.67.&c.
Zadoc. Matth.1 v.14.
Zara, Matth.1.v.3.S.

ZE

Zebedaeus, Matth.4.v.21.S. *Petitio matris filiorum Zebedaei, atq; etiam ipsorummet*, Mat.20.v.20,21. Marc.10.v.35.
Zelus. *Perversi zeli exempla vide* Luc.9.O.2. Ioh.3.v.26.S. Act.17.O.9. Act.29.O.2. Act.21.O.5. Actor.23.O.10. *Zelus gloriae Christi Christianis retinendus*, Luc.14.O.10 *Zelus Dei*, Rom.10.v 2.S. Phil.3.O.22. *De zelo vide plura*, Act.17.O.12. Act.19.O.8. Rom.10.O.2.
Zeugma, *figura syntaxis. Exempla vide* Luc.1.v.79. Luc 2.v.34. Luc.6.v.17. Luc.7.v.29. Luc.24.v.53 Act.4.v.32. Act.17.v.12. Rom 1.v.25. Eph.4.v.6. Iac.3.v.14.

ZO

Zorobabel. *Vocabulum hoc declaratur* Matth.1.v.12.S. *Quo sensu genuisse eum dicatur Salathiel, ibid.*

Indicem locorum V.T. in hisce commentarijs explicatorum reperiet lector sub titulo SCRIPTURA SACRA.

FINIS INDICIS RERVM ET VERBORVM.

INDEX VOCUM GRÆCARUM.

AB

Ἄβυσσος, locus cruciatuum, Luc.8.vers.31. Rom.10.v.7.

ΑΓ

Ἀγαθὸς, fortis, 2.Thess.3.v.13 S.
Ἀγάπαι. Epist.Iud.v.12.S.
Ἄγειν pro ὑπάγειν. Ioh.11.v.15.16.
Ἅγια, prior tabernaculi sacri pars, Hebr.9.v.2. Item posterior pars, Heb.9.v.8.12.
Ἅγια ἁγίων, posterior tabernaculi sacri pars, Heb. 9.v.3.
Ἅγιον pro tabernaculo sacro, Heb.9.v.1.
Ἁγνὸς.1.Tim.5.v.22.S.
Ἀγρεύειν. Marc.12.v.13.

ΑΔ

Ἀδελφότης.1.Pet.2.v.17.S & c.3.v.9.
Ἀδημονεῖν. Matth.26.v.37.S.
Ἀδόκιμος. Rom.1.v.28.S.

AZ

Ἄζυμα. Matth.26.v.17 S.

ΑΘ

Ἀθετεῖν. Epist.Iud.v.8.S.

ΑΙ

Ἅιδης. Luc.16.v.23.S.
Αἴρειν. Ioh.1.v.29 S.Ioh.5.v.10.S.Ioh.12.v.32. S.Act.21.v 36.S.
Αἰσθητήρια pro sensibus, Heb.5 v.14.
Αἰτία pro crimine, Act.28 v.18.
Αἰτιᾶσθαι. Rom.3.v.9.S.
Αἴτιον pro crimine, Luc 23.v.4.
Αἰών. Luc.1.v.70.S. Ἐκ τοῦ αἰῶνος, pro unquam, Ioh.9.v.32.Ioh.10.v.28.S.Io.11.v.26.Ioh.13 v 8. Pro semper, Ioh.14.v 16.¶ Ἀπ' αἰῶνος, pro, Ab origine mundi, Ioh.9.v 32, Act.3.v. 21.¶ Αἰῶνες pro mundo, Heb.1.v.2 Heb.11 v. 3.¶ Αἰώνιος de vita temporali, Philem.v.15.

AK

Ἄκαρπος.2.Pet.1.v 8.S.
Ἀκαταστασία.2.Cor.12 v.20.S.
Ἀκέραιος. Matth.10.v.16.S.
Ἀκοὴ pro sermone vel prædicatione, Ioh.12.v 38. Rom.10.v.16 Gal.3.v 2.1.Thess.2.v 13.
Ἀκούειν pro intelligere, Act.22.v.9 1.Cor.14.v. 2.
Ἀκρασία.1.Cor 7.v.5.S.
Ἀκρὶς, ἀκρίδες. Matth.3.v.4 S.
Ἀκροβυστία. Rom.2.v.25.S.
Ἀκυρία τοῦ λόγου seu ἀκυρολογία. Exempla vide Matth.16.v.1.in verbo ἐπερωτᾶν. Vide ibid.S. 1.Cor.7.v.13.

ΑΛ

Ἀλήθεια, sinceritas 2.Ioh.v.1.3.Ioh.v.1.3.
Ἀληθὴς, sincerus. Ioh.7.v.18.
Ἀληθινὸς. Ioh.1.v.9.S.Ioh.8.v.32.S.Ioh.7.v.28 S.Ioh.15.v.1.S.
Ἀλλά. Vox hæc unde orta, Gal 2.v.16.S.¶ Pro εἰ μὴ, Marc.9.v.8.¶ Pro οὖν, Gal.2.v.14.¶ Interdum servit epanalepsi: ut Roman.5.v.14. Gal.2.v.14.
Ἀλοᾶν.1.Cor.9.v 9.S.

AM

Ἁμαρτωλοὶ pro ethnicis, Marc.14.v.41.
Ἄμωμος. Eph.5.v.27.S.1.Pet.1.v.19.S.

AN

Ἀνά. Interdum notat distributionem: ut Matth. 20.v.9. Luc.9 v.3.14.¶ Interdum in compositione valet ἄνω: ut Marc.16.v 4.19.Luc.7. v.22. Luc.14.v.5. Luc.24.v.51. Rom.7.v.9.
Ἀναβάλλειν. Act.24.v.22.S.
Ἀναβλέπειν pro videre vel suspicere. Matth.11.v. 5. Matth.20.v.34. Marc.10.v.51. Marc.16. v.4. Luc.7.v.22. Luc.9.v.16. Luc.18.v 41, Luc.19.v 5.Ioh.9.v.11. Act.22.v.13. Vide scholia in Matt.11.v.5. Marc.10 v.51. Marc. 16.v.4. Act.22.v.13.
Ἀνάβλεψις. Luc.4.v.18.S.
Ἀνάγειν pro προσφέρειν. Act.7.v.41.
Ἀνάγκη angustia, afflictio. Luc.21.v.23.
Ἀναζωπυρεῖν.2.Tim.1.v.6.S.
Ἀναθάλλειν Phil.4.v.10.S.
Ἀνάθεμα Rom.9.v.3.S.
Ἀναθήματα Luc.21.v.5.S.
Ἀνακεφαλαιοῦσθαι. Rom.13.v.9.S.Eph.1.v.10.S.
Ἀνακλίνειν Luc.9.v.15.S.
Ἀνακοίνωσις, figura Rhetorica. Exempla vide Rom.8.v.31.Rom 9.v.30. Rom.10.v.8.Rom 11.v.19 Rom 13.v.3.1.Cor 10.v.8.9.Gal.4. v.21.Hebr.2.v.3.1.Petr.4.v.3.Iac.4.v.1.2. Ioh.v.8.
Ἀνακόλουθον, figura sermonis. Exempla vide Matth.10.v.14. Matth 13.v.19. Marc.8.v. 38. Luc.9.v.1.5 Luc.11.v.11.1.Cor.12.v.28. 1.Thess.4.v.14.Heb.11.v.35
Ἀνακρίνειν.1.Cor.10.v.25.S.
Ἀνακύπτειν Ioh.20.v.5.S.
Ἀναλαμβάνεσθαι, pro ἄνω λαμβάνεσθαι. Marc.16. v.19.1.Tim.3.v.16.
Ἀνάληψις, ascensio Domini, Luc.9.v.51. Vide ibi S.
Ἀναλύειν pro migrare, Phil 1.v.23.A.¶ Pro reverti, Luc 12.v.36. Vide ibi S.
Ἀνάλυσις, migratio 2.Tim.4.v.6.
Ἀνανταπόδοτον, figura Grammatica. Exempla vide Matth.9.v.6. Matth.10.v.2. Matt.25. v.14. Ioh.4.v.22. Act.19.v.4.S. Rom.1.v.8 Rom 3 v.2. Rom.5.v.12. Rom 9.v.22.1.Cor. 14.v.10. Gal.2.v.6. Eph.2.v.1 2.Pet.2.v.4.
Ἀναστατοῦν. Act.17.v.6.S
Ἀνατίθεσθαι. Gal.2.v.2.S.
Ἀνατάξασθαι. Luc.1 v.1.S.
Ἀνατέλλειν, interdum capitur transitivè ut Mat. 5.v.45.
Ἀνατολή. Luc.1.v.78.S.
Ἀναφέρειν pro, ἄνω φέρειν.1.Pet.2.v.24.
Ἀνένδεκτον. Luc.17.v.1.S.
Ἀνὴρ pro marito, Rom 7.v.2.
Ἄνθρωπος pro τις Ioh 3.v.1.
Ἀνθρωποπάθεια, species metaphoræ. Exempla vide Matth.5.v 34.35 Matth.18.v.10. Luc 10. v.20 Luc.12.v.6. Ioh.1.v 18 Rom.14.v.11. Phil.4.v.3. Hebr.3.v.11. Iac.5.v 4.1.Petr.3. v.28.
Ἀνθύπατος. Act.13.v.7.S.
Ἀνθ' ὧν. 2.Thess.2.v.10 S.
Ἀνιστάναι. Act.3.v.26 S. Act 13.v.32.
Ἀνομία. 1Ioh 3.v.4.S.
Ἄνομος pro scelerato Luc.22.v.37. Vide ibi S. Act.2 v.23.¶ Pro ex lege, 1.Cor.9 v.21.¶ Pro Antichristo, 2.Thess.2.v.8 Vide ibi S.
Ἀντανάκλασις, figura dictionis. Exempla vide Matth.1.v.21. Matth 5.v.19. Matth.8.v.22 Matth.10.v.39. Matth.12.v.38.49. Matth. 15.v.3. Matth.16.v.4.18. Matth.26.v.12. Luc.9.v.26.60. Luc.12.v.8. Ioh.1.v.10. Ioh. 2.v 42. Ioh.3.v.6.13.17.31. Ioh.12.v.44 Ioh. 13.v.8 Ioh.19 v.22. Ioh.21.v.18. Romã.2.v. 21.28. Rom.3.v.19.21.27. Rom.4.v.18. Rom. 8.v.24 Rom.9.v.6. Rom.11.v.6.7.1.Cor.1. v 21.1.Cor.7.v 20.22.1.Cor.8.v 3.2.Cor.10 v.3. Gal 4.v.29. Eph.1.v.3.23. Phil.3.v.12. 1.Thess.5.v.10.2.Tim.1.v.18.2.Tim.2.v.9. 13. Heb.6.v.19. Heb.11.v.35. Iac.3.v.18. Iac.5 v.12.1.Pet.3.v.9.19.1.Petr.4.v 1.1.Ioh.3.v. 19.
Ἀνταπόδοσις pro mercede, Col.3.v.24.
Ἀντέγκλημα. Vide in indice Latino titulum, Recriminatio.
Ἀντί. Quid valeat hæc præpositio in verbis Ioh.1. v.16. Accepimus χάριν ἀντὶ χάριτος, vide ibi S.¶ Interdum valet propter, ita ut notet finem seu causam finalem: ut Heb.12.v.2.
Ἀντιβάλλειν Luc.24.v.17.S.
Ἀντικατάλλαξις. Rom.11.v 20 S.
Ἀντιλαμβάνεσθαι. Luc.1.v.54 S.
Ἀντιλέγομαι passivè. Luc.2.v.34. Act.28.v.22.
Ἀντιπελαργεῖν.1.Tim.5.v.4.S.
Ἀντιπίπτειν, Act.7.v.51.S.
Ἀντίπτωσις.1.Cor.10.v.16.in verbis, τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν &c
Ἀντίτυπον, correspondens typus, 1.Petr.3.vers.21. Idem quod typus, Heb.9.v.24.
Ἄνωθεν, è cælo. Iac.1.v.17 S.Iac.3.v.15.

ΑΞ

Ἄξιος, α, ον Conveniens, Act.26.v.20.¶ Par, Rom.8.v.18.
Ἀξιοῦν, dignum reddere, 2.Thess.1.v.11.

ΑΠ

Ἀπάτη. Matth.13 v.22.S.
Ἀπειθεῖν. Act.14.v.2.S.
Ἀπελεγμός. Act.19.v.27.S.
Ἀπερισπάστως. 1.Cor.7.v.35.S.
Ἀπέχειν. Luc.6.v.24.S.
Ἀπιστεῖν, fidem derogare, Luc.24.v.11.¶ Fidem non servare, Rom.3.v.3.¶ Diffidere, 2.Tim.2. v.13.
Ἀπιστία, perfidia, Rom.3.v.3.S.
Ἁπλῶς, benignè: Iac 1.v.5. Vide ibi S.
Ἀπὸ pro ἐκ vel ἐξ: Matth.27.v.21. Luc.8.v 2.¶ Pro μετὰ, post: Luc.2.v.36 Rom.1.v.20.¶ In una periodo triplicem significationem habens, Luc.11.v.50.51.¶ Pro διὰ, Luc.19.v.3. Luc.21.v.26. Iohã.21.v.6.¶ Interdum notat locum: ut Luc.19.v.39.¶ Interdum obiectum ut 2.Cor.7.v.13.¶ Interdum causam efficientem; ut 2.Cor 7.v.13. Gal.1.v.1. Iac.5.v.4.¶ Interdum terminum temporis à quo: ut Roman.1.v.20. Eph.3.v.9.
Ἀπογίνεσθαι. 1 Petr.2.v.24.S.
Ἀπογράφεσθαι. Luc.2.v.1.S.
Ἀποδεικνύειν. 1.Cor.4.9.S.
Ἀποδεκατοῦν. Luc.18.v 12.S.
Ἀποθλίβειν. Luc.8.v.46.S.
Ἀπολογεῖσθαι. Luc.21.v.14.S.
Ἀπολογία, Act.22.v.1.S.1.Cor.9.v.3.S.1.Pet.3. v.15.S.
Ἀποκαραδοκία, Rom.8.v.19.S. Phil.1.v.20. A.
Ἀπὸ κοινοῦ τοῦ προσώπου. Matth.9.v.6.Luc.5.v.24. Eph.2.v.1.
Ἀποκυεῖν. Iac.1.v.15 S.
Ἀποπληξία. Luc.5 v.18.S.
Ἀπορεῖσθαι. Ioh.13.v 22.S.
Ἀπόστολος. legatus, Phil.2.v.25.A.
Ἀποσυνάγωγος. Ioh 9.v.22.S.Ioh.12.v.42.S.
Ἀποτομία. Rom.11.v.22.S.
Ἄπταιστος, Epist Iud.v.24 S.

ΑΡ

Ἀργὸς, edax. Tit.1.v.12.S.
Ἀρεταὶ tribuuntur Deo, 1.Pet.2.v.9.
Ἄρειος πάγος. Act.17.v.19.S.
Ἄξιος ἀριθμός. 1.Thess.3.v.10.S.

ΑΣ

Ἀσθενεῖν. Rom.8.v.3.S.
Ἀσπάζεσθαι. Matth.5.v.47.S.
Ἄσπιλος. 1.Pet.1.v.19.S.
Ἀστὴρ pro stella, Luc 21.v.25. Vide ibi S.
Ἀσύνδετον, figura Grammatica. Exempla vide Matth.1.v.1. Matth.8.v.25. Marc.10.v.49. Ioh.20.v.26. Gal.5.v.4. Phil.4.v.8.2.Tim.4 v.7.
Ἀσύνθετος. Rom.1.v.31.S.
Ἀσφάλεια. Luc.1.v.4.S.
Ἀσφαλίζεσθαι. Act.16 v.24.S.
Ἀσωτία. Eph.5.v.18.S.
Ἄσωτος. Luc.15.v.13.S.

AT

Ἄτακτοι. 1.Thess.5.v.14.S.
Ἀτενίζειν. 2.Cor.3.v 7.S.
Ἄτοποι. 2.Thess.3 v.2 S.
Ἄτοπον. Luc.23.v.41.S.

ΑΥ

Αὔριον Ioh.6.v.22.S.
Αὐτάρκεια. Quid vocabulum hoc significet, vide 1.Tim.6.v.6. De re ipsa vide Matth.6.O.15.
Αὕτη pro τοῦτο. Ioh.17.v.3. Vide ibi S.
Αὐτὸς interdum emphaticè accipitur: ut Rom.1. v.20. Vide ibi S.
Αὐτοῦ pro ἑαυτοῦ; Luc.1.v.8. Luc.7.v.36. Luc.8. v.41. Ioh.13.v.1. Heb.11 v.21.
Αὐτῷ pro ἑαυτῷ: Luc.20.v.10. Act.10.v.3.

ΑΦ

Ἄφαντος, ἀφανίζεσθαι. Luc.24.v.31.S.
Ἀφεδρών. Matth.15.v.17 S.

Ἀφορίζεσθαι Luc.6.v.22.S.

AX

Ἄχρι. Act.22.v.4.S.Item v.22.

BA

BAΐα.Ioh.12.v.13.S.

Βάπτειν cum genitivo obiecti, Luc.16.v.24.

Βαπτίζεσθαι se abluere: Luc.11.v.38.Se baptizandum præbere, Ioh.3.v.23.

Βάρβαρος.1.Cor.14.v.11.S.

Βάρος.1.Thess.2.v.6.S.

Βάσεις pro pedibus.Act.3.v 7.

Βασιλεύς pro Cæsare seu Imperatore Romano,1.Pet.2.v.13.17.

Βασκαίνειν.Gal.3.v.1.S.

BE

Βεβλημένος, iacens.Luc.16.v.20.Vide ibi S.

BH

Βηθεσδά.Ioh.5.v.2.S,

BI

Βίος.Marc.12.v.44.S.1.Ioh.3.v.17.

Βίωσις.Act.26.v.4.S.

Βιωτικός.Luc.21.v 34.Vide ibi S.1.Cor.6.v.3.S.

BΛ

Βλασφημεῖν.Rom.3.v.8.S.

Βλασφημία.Matth.12.v.31.S.Matt 15.v.19.S.

BP

Βραβεῖον.1.Cor 9.v.24 S.Phil.3.v.14.S.

Βραβεύειν.Col.3.v.15.S.

Βρέφος, pro παιδίον. Luc.18.v.15.Vide ibi S.]

Βρέχειν.Luc.17.v.29.S.

ΓA

ΓΆζα.Act.8.v.27.S.

Γαζοφυλάκιον. Luc.21.v.1. Iohan. 8.vers.20.S.

Γαλήνη.Matth.8 v.26.S.

Γαμβρὸς, γαμβρεύειν. Matth.22.v.24.S.

Γάρ. Interdum servit declarationi;ut 1.Thess.2.v.14.¶ Interdum est transitiva : ut 1.Cor.9.v.19.1.Cor.11.v. 9. ¶ Interdum ponitur pro μὲν γάρ:ut 1.Cor.4.v.4. ¶ Interdum servit epanalepsi : ut Gal.2.v.6. ¶ Interdum ponitur pro οὖν: ut Marc.15.v.14. ¶ Interdum servit prolepsi ut Rom.4.v.2.Rom.5.v.7.13.1 Cor.1.v.11.Gal.2.v.21.Gal.4.v.22. ¶ Interdum ponitur pro δέ: ut Romã.8.v.6.1.Cor.9.v.17.Eph 5.v.9.Phil.3.v.20.2.Tim 2.v.7.

Γαστήρ, Ἐν γαστρὶ ἔχειν.Matth.1.v.18.S.

ΓE

Γέεννα.Matth.5.v.22 S.Iac.3.v.6.S.

Γενεά.Matth.1.v.17.S. Matth 24.v 34.S.¶ Pro duratione vitæ, Act.8.v.33.

Γίνεσθαι pro esse. Ioh.1.v. 12.Vide ibi S.

Γεννᾶν, γεννᾶσθαι, γέννησις, dicuntur nunc de conceptione, nunc de partu & nativitate: ut videre est Matth.1.v.18.20. Matth. 2.v 1 Luc.1.v.13.14.35.57. Luc.7.v.28.Luc.23.v.29.Ioh.16.v.21.Rom.9.v.11.

Γέννημα pro fructu. Luc.12.v.18.

Γεωργὸς, pro ἀμπελουργός.Ioh.15.v.1.

ΓI

Γίνεσθαι, fieri, non simpliciter, sed aliquo modo, Ioh.1.v.15.Vide ibi S. ¶ Pro παραγίνεσθαι.Ioh.6.v.25.Act.21.v.17.35.¶ Pro μεταβάλλεσθαι.Iohã.16.v.20.

Γινώσκειν. Pro συνιέναι, Ioh 10.v.6.Ioh.12.v.16.Ioh.13.v 12 ¶ Pro approbare, Rom.7.v.15. ¶ Pro decernere, Rom 8.v.29.Vide ibi S.

Γινώσκεσθαι an apud Paulum significet, cognitione donatus est : seu scire factus est, vide 1.Cor.8.v.3.S.

ΓN

Γνήσιος.1.Tim.1.v.2.S.

ΓO

Γογγύζειν, γογγυσμός.Ioh 7.v.12.32.S.

Γόμος.Act.21.v 3.S.

Γονυπετεῖν.Marc.1.v.40.S.

Γοργότης, idea sermonis. Exempla vide Matth.8.v 25.Marc.5.v.23 Marc 10 v.49.Marc.14 v.44.Gal.5.v.4 Gal.6.v.7.Phil.4.v.8.

ΔE

ΔΈ pro οὖν; Matt.1.v.19.Matt.2.v.1.Luc.9 v.43.Rom 8.v.8.25.2. Cor.1.v.6 2.Pet.1.v.15.1.Ioh.4.v.18.¶ Pro tamen : 1.Cor.14.v.1 ¶ Pro δή: Gal.4.v.20. ¶ Pro γάρ; Rom.8.v.11.1.Cor.10.v 11.1.Thess. 2.v.16. ¶ Pro ἀλλά; Iac. 4.v 6. ¶ Interdum servit epanalepsi; ut 2.Cor.5.v.8.¶ Interdum apodosi αὐλήπτως; ut Heb.2.v.6.

Δέησις. Actor.1.v.14.S.Rom.10.v.1.S.1.Tim.2.v.1.S.

Δεῖ pro ἀνάγκη ἐστί.1 Cor.11. v.19.Vide ibi S.

Δεῖνα. Matth.26 v.18.S.

Δεινότης, figura orationis. Exempla vide 1.Cor.11 v.22.Gal.6.v.17.

Δέρειν. Act.5.v.40.S.

Δεισιδαίμων. Act.17.v.22.S.

Δέχεσθαι. Act.19.v.7. Act.12.v.11.

Δεξιός. Ἐκ δεξιῶν: Ioh.21.v.6.S.

Δεξιολάβος. Act.23.v.23.S.

Δεσμωτήριον.Matth.11.v.2.S.

Δεσμωτήριον.Matth.11.v.2.S.

Δεσμώτης. Act.27.v.1.S.

Δευτερόπρωτον. σάββατον. Luc.6.v.1 S.

Δέχεσθαι. Act.3.v.21.S.Cor.2.v 14.S.

ΔI

Διὰ variè usurpatur; ut videre est Matth.15.v.3 S.Marc.21.Luc.1.78.S. Act. 3.v.16.S.Rom.6.4.S.Rõ.8.10.S.Rom.11.36.S.1.Cor.12.8 S.1.Cor.13.12.S.1.Cor.16.v.3.S.Galat.2.1.S.¶ Cum accusativo reperitur in significatione per, Eph.4.18. ¶ Reperitur & pro πρός: Rom.5.v.4.2.Petr.1.v.3. § Item pro ἐν: 2.Pet.3.v.5.12.

Διαβάλλεσθαι, deferri.Luc.16.1.Vide ibi S.

Διαγγέλλειν Rom.9.v.17.S.

Διαδέχεσθαι. Act.7.v.45 S.

Διαθήκη. Matth.26.v.26.S.

Διαθῆκαι.Rom.9.v.4.S.

Διακρίνεσθαι Act.10.v.20.S.Iac.2.v.4.S.

Διαλογίζεσθαι pro διαλογεῖσθαι. Luc 20.14.

Διαμαρτύρεσθαι. Act.18.v.5.S.

διανύειν Act.21.v.7 S.

Διαπραγματεύεσθαι.Luc.19.v.15.S.

Διασπορὰ τῶν ἑλλήνων.Ioh.7.v.35.S.

Διατάξεις. Act.18.v.2.S.

Διατηρεῖν.Luc.2.v 51 S.

Διατρίβειν, Ioh.3.v.22.S.Ioh.11.v.54.S.

Διαφέρεσθαι. Act 27.v.27.S.Rom.2.v.18.S.

Διαφημίζειν, Matth.9.v.31.S.

Διαφθορὰ pro sepulchro, Act.13.v.34.

Διάφορον, excellens.Heb.1.v.4.Heb.8.v.6.

Δίδυμος.Ioh.20 v.24.S.

Δι᾽ ἡμερῶν. Quid in hac phrasi notet præpositio διὰ, vide Marc.2.v.1.S.

Δικαιοῦν, ut iustum celebrare ; Matth.11.v.19.Luc.7 v 29.35.Luc 16.v.15.

Δικαιοῦσθαι, liberari. Rom.6.v.7.S.§ Iustum declarari.Luc.10.v.29.1.Tim.3.v.16.§ Iustum pronuntiari seu absolvi in iudicio Dei. Matt.12.37.Luc.18.14. Act. 13.39.Rom.2.13.Rom.3.v.4,20,24,26,28,30. Rom.4.v.2.5.Rom.5.v.1.9 Romã 8.v.30.33.1.Cor.4.v.4.1.Cor.6.11 Gal.2.v.16,17.Gal. 3.v.8.11.24.Gal.5.v.4.Tit 3.v.7.Iac.2.v.21,24,25. § Iustum fieri, Apoc.22.v.11.

Δικαίωμα. Luc.1.v.6.S.Rom.2.v.26.S.Hebr.9.v.1.S.& v.10.S.

Δίκη pro καταδίκη. Actor.25.v.15.Rom.3.v.19. § Pro pœna, Epist.Iud.v.7.

Διστάζειν.Matth.14.v.31.S.

Δίστομος gladius. Heb.4.v.12 S.

Διὸ, quamobrem. 2.Pet.1.v.14.2.Pet.3.v.6.

ΔO

Δόγμα. Act.16.v.4.S.

Δοκιμάζειν. Rom.14.v.23.S.

δοκιμή.Rom.5.v.4 S.

Δόξα pro maiestate, Act.7.v.2. Roman.1.v.23.1.Cor.12.v.8.§ Pro splendore, Luc.2.v.9: Vide ibi S.Luc.9.v.31.Luc.12.v.27.Actor.7.v 55.Act.22.v.11.§ Pro gloria. Galat.2.v.2.Vide ibi S.

Δοξάζειν, ad gloriam seu maiestatem evehere, Act.3.v.13.Vide ibi S.

Δόξαι pro principibus , 2.Petr.1.v.10.Epist.Iud.v.8.

Δουλεία & λατρεία Gal.4.v.9.

Δοχή.Luc.5.v.29.S.Luc.14.v.13.S.

ΔY

Δύναμαι.Ioh.8.v.43.S.

Δυνάμεις miracula. Marc.6.v 2.5.Luc.10.v.13 Luc.19.v.37.Act.8.v.13.Actor.19.v.11.§ Pro θαυματουργίαις, 1.Cor.12 v.28.

δύναμις, miraculum. Marc.9.v.39.§ Robur animi , Luc.24.v.49. Vide ibi S. δύναμις & ἐξουσία differunt, 1.Cor.5.v.4.S.

Δυναστεύειν.Rom.15.v.1.S.

Δυνατὸν pro δύναμις.Rom.9.v.22.

ΔΩ

Δῶμα, Matth.10.v.27.S.

δωρεάν. Pro immeritò, Ioh.15.v.25.Gal.2.v.21.Vide ibi S.

EA

EΆν. Pro ἄν: Matth.15.v.5. Vide ibi S Matth.18.v.5. Matth. 20.v.26.Gal.6.v.7.Eph 6.v.8.3.Ioh.v.5.§ Ἐὰν μή, pro ἀλλά, Gal.2.v.16.Vide ibi S.

EΓ

Ἐγείρεσθαι.Luc.7.v.16.S.

Ἐγκαίνια.Ioh.10.v.22.S.

Ἐγκαλεῖν.Rom.8.v.33 S.

Ἐγκεντρίζειν.Rom.11.v.17.S.

Ἔγκλισις Voces encliticæ interdum non patiantur ἔγκλισιν : ut videre est Marc 14.v.62.Luc.4.v.34.Luc.10.v.25. Act.7.v.42.Act.10.v.4.1.Cor.5.v.12.1.Cor.10.v.19.

EI

Εἰ pro μῶν, vel ἄρα: id est, Num, vel An.Luc.22 v.49.Act.21.v.37.Actor. 22.v 25.Act.25.v.20.Act.26.v.23.§ Pro ἐπεί, Act.4.v.9.§ Pro εἰ καί, 2.Cor.2.v.5.§ Pro quia: Rom.8.v.31.

Εἰδέναι, pro συνιέναι, Ioh.3.v.7.S.

Εἰδωλεῖον: 1.Cor.8.v.9.S.

Εἰκῆ.Rom.13.v.4.S. Gal.3.v.4.S.Gal.4.v.11.S.

Εἰ μή.Matth.24.36.S.1.Cor.7.v.17.S.

Εἶναι pro γίνεσθαι. Act.2.v.17.Act.3.v.23.

Εἴπερ quia 2 Thess.1.v.6.

Εἰς pro ἐν.Matth.2.v.23.Matth.4.v.15.Matth.5.v.35.Matt.10.v.9.41. Matt.13.v.52.Matt.18.v.20.Marc.1.v.39.Marc.5.v.34.Marc.6 v.8.Marc. 13.v.16.Marc.14.v.9.Luc.7.v.50. Luc. 8.v.48.Luc. 9.v.61.Luc.12.v.21.Luc.13.v.9.Luc.21.v.37.Luc.24.v.47.Ioh.1.v 18.Ioh.8.v.2.26.Iohã. 9.v.7.Actor.2.v.25.26.Act.8.v.23.40.Actor.18.v.21.Act.19.v.22.Act.Act.20.v.16. Act.21.v.13 Act.23.v.11.Act.25.v.15.20.Act.26.v.20 Romã.8.v 18.Rom.15 v.16. Rom.16.v.19.1.Cor.8 v.6.1.Cor.10.v.2.2.Cor.8.v.34.2.Cor.11.v.10 Ephes.1.v.10.19.Phil.2.v.16.1.Thess.4.v.15.2.Tim.2.v.25.Hebr.11.v.2.1.Petr.3.v.20.2.Pet.1.v.17. ¶ Interdum notat causam finalem:ut Matth.24.v.14.2.Thess.1.v.10.1.Pet.4.v.6. ¶ Interdum notat dativum:ut Col.1.v.20.1.Thess.4.v.8.Hebr.2.v.3.1.Petr.1.v.4.25. ¶ Interdum valet πρός ut Matth.15.v.24 Luc.13 v.4.Iohã.6.v.17.Iohã.11.v.31,32,38.Ioh.20.v.3.Act.16.v.16,40.Actor.20.v.13.Actor.22.v.30. ¶ Interdum notat eventum: ut Luc.7.v.30.Rom.1.v.20.Roman.4.v.18.1.Cor.11.v.34.Eph.2.v.21. ¶ Interdum ponitur pro διὰ significante per: ut Actor.7.v.53.1.Cor.10 2.Ephes.4.v.12.2.Tim.2.v.25.Philem.v.6. ¶ Cum infinitivo ponitur interdum pro ὥστε; ut Heb.11.v.3. ¶ Interdum notat collationem: ut 1.Pet.1.v.8. ¶ Interdum ponitur pro περὶ significante de: ut Eph 5.v.32. ¶ Interdum valet erga: ut Philem.v.6.

Εἰς ἑαυτὸν ἔρχεσθαι.Luc.15.v.17.S.

Εἰς τέλος, pro indesinenter.Luc.18.5.

Εἷς pro τίς. Matth.8.v.19. Marc.9.v.17.pro μόνος.Marc.2.v.7.

EK

Ἐκ vel ἐξ pro ἀπό: Matth.1.v.18.20.Matt.5.37.Luc.20.v.4.Ioh.1.v. 13.Ioh.6.v.65.Ioh.7.v.17,22.Act.19.v.34. Rom.11.v.36.1.Cor.8.v.6.1.Cor.11.v.12.1.Thessal.2.v.6. ¶ Pro ὑπό: Ioh.17.v.15.Ioh.18.v.3. ¶ Pro διά.Apoc.9.v.18.Cætera vide in vocula ἐξ.

Ἐκκακεῖν.Luc.18.v.1.S.

Ἐκκλησία pro congregatione, Act.7.v.38. § Pro ecclesia, 1.Thess.1.v.S.

Ἐκμυκτηρίζειν.Luc.16.v.14.S.

Ἐκπνεῖν Luc.23.v.46.S.

Ἐκπορνεύεσθαι.Epist.Iud.v.7.S.

Ἐκνεύειν. Ioh.5.v.13.S.

Ἐκτὸς εἰ μή.1.Cor.14.v.5.S.1.Cor.15.v.2.

Ἐκτρέπεσθαι , luxari.Heb.12.v.13 S.

Ἐκφύειν Matth 24.v.32.S.

EΛ

Ἐλέγχειν.Ioh.16.v.8.S.

Ἐλπίζειν. Act.6.v.1.S.Act.9.v.29.Act.11.v.20.

Ἐλογεῖσθαι Rom.5.v.13.S.

EM

EM

Ἐμβριμᾶσθαι, Marc.1.v.43.S.

Ἔμβρυον, Matth.1.v.20.S.

Ἔμφυτος λόγος, Iac.1.v.21.S.

EN

Ἐν præpositio interdum redundat ex Hebraismo: ut Matth.5.v.13. Matth.7.v.26. Matth.11.v.8. Matth.21.v.23. Matth.22.v.15. Luc.3.16. Luc.20.v.2. Luc.21.v.34. Luc.22.v.49. Ioh.1.v.26,31,33. Iohan.5.v.43. Act.4.v.7. Rom.1.v.9,27. Roman.15.v.6.1.Cor.1.v.5.1.Cor 5.v.8. Ephes.1.v.3,8 Ephes.5.v.18.1.Thess.5 v 26 2.Thess.3.v 16.2.Petr.2.v 12,16.2.Pet.3.v.1. § Interdum valet μετὰ post: ut Luc.14 v.1. § Interdum notat subiectum: ut Rom.15.v.13. § Interdum notat obiectum: ut Roman.1.v.9. Phil.1.v.26.2.Thess.1.v.4.1.Tim.1.v.2.2.Tim.1.v.13. § Interdum valet Inter: vel Apud: ut Luc.16 v.15. Luc.22.v.26. Act.2.v.29. Act 4.v.8. Vide ibi S. Actor.18.v.11. Rom.8.v.29. Rom.12.v.3.1.Cor.1.v.6.1.Cor.2.v.6.1.Cor.5.v.1. Phil.2.v.15. Col.1.v.18,23. Hebr.13.v.4.2.Petr.2.v.1. § Interdum valet propter, ex Hebraismo: ut Matth.6.v.7. Matth.13.v.57. Matth.26.v.31. Luc.10.v.20. Iohā.8.v.21. Act.7.v.29 Act.20.v.19. Rom.5.v.2,11 Rom.8.v.39.1 Cor.7.v.14.1.Cor.15.v.19. Gal.1.v.24. Eph.3.v.13. Phil.2.v.10.1.Thess.3.v.3.2.Tim.2.v.1. Hebr.11.v.2.1.Pet.4.v.4,14. § Interdum notat tempus ut Luc.24.v.32. Vide ibi S. Act.24.v.18. Act.26.v.12. § Interdum notat instrumentum: ut Romā.1.v.9. § Interdum servit periphrasi adverbij: ut Iohan.17.v.19. Vide ibi S. Act.17.v.31. Actor.26.v.7 Rom.1.v.4,18.2.Thess.5.v.11.2.Iohā.v.1.4.3.Ioh.v.1. § Interdum valet διὰ, id est, per: ut Matth.7.v.22. Matth.12.v.23,27,28. Matth 13.v.3. Matth.17.v.21. Matth.26.v.52. Marc.9.v.29. Marc.12.v.36. Luc 1.v.77. Luc 2.v.27. Luc.4.v.1. Luc.11.v.20,32. Luc.21.v.19 Luc.22.v.20. Luc.23.v.9. Ioh.13.v.35. Ioh.16.v.25,30 Ioh.17.v.11,19. Act.1.v.3,5. Act.4.v.10,12. Act.7.v.35. Act.11.v.14. Act.13.v.39 Act.16.v.18 Act.17 v.28,31. Act.20.v 25. Rom 1.v.10. Rom.3.v.7. Rom.5.v.8,15. Rom.8.v.15 Roman.9.v.25. Rom.10.v.5. Romā.14.v.18. Roman.15.v.13.1.Cor 1.v.2,4.1.Cor.6.v.11.1.Cor.9.v.1.1.Cor.11.v.25.1.Cor.14.v.21.1.Cor.15.v.51.2.Cor.1.v.6 2.Cor.7.v.6. Gal.1.v.16. Gal 2.v.17. Eph.1.v.4,6,11,13. Eph.4.14. Col.1.v.16,17.1.Thessal.4.18.2 Thess.2.v.9,10 13,16.1.Tim.1.v.12.1.Tim.3.16.2.Tim.2.10. Philem v.6. Heb 1,v.1. Heb.4.v.7. Heb.10.v.20,29. Iac.3.v.9.1.Petr.1.v.2,12,22.1.Petr.2.v.2.2.Pet.1.v.1,2,13.2.Pet.2.v.3,10.2.Pet.3.v.1.1.Ioh.5.v.6. Epist.Iud.v 1,10,20. Apoc 9.v.19. Apocal 10.v.6. ¶ Interdum valet περὶ, id est, de: ut Matth.10.v.32. Matth.17.v.12. Act.9.v.27,29. Romā.11.v.2. Galat.1.v.24. Ephes.4.v.21. Ephes.6.v.20. Phil.1.v.18,26. Col.1.v.28 2.Tim.1.v.13.2.Pet.2.v.12. § Interdum valet εἰς: ut Marc.1.v.15. Luc.1.v.17. Luc.8.v.7. Luc.10.v.3. Luc.23.v.42. Luc.24.v.36,38. Ioh.5.v.4. Ioh.13.v.35. Act 7.v.45. Act.8 v.27. Act.10.v.49. Romā.1.v.24,25. Roman.3.v.25. Roman.5.v.2. Roman.8.v.3.1.Cor.7.v.15. Galat.1.v.6. Ephes.1.v.17. Ephes.4.v.2.1 Thess.4.v.7.1.Thessal.5.v.23.1.Timot.3.v.16 Iac.4.v.3. Iac.5.v.3.2.Petr.1.v.5.1.Iohan.4.v.2,9,16.2.Iohan.v.7. § Interdum valet cum: Marc.1.v.23. Marc.12.v.38. Luc.1.v.17,44,75. Luc.4.v.14,32,36. Act.5.v.23 Actor.26.v.7. Roman.1.v.4,18. Roman.9.v.22. Roman.12.v.8. Roman.15.v.29.1.Cor.1.17.1.Cor.2.v.3.1.Cor.15.v.43. Galat.6.v.1. Ephes.4.v.24 Ephes.6 v.4.24. Col. [illegible] 1.Thess.1.6.1.Thessal 2.v.2,3,17.1.Thess. [illegible] v.4,5,16.2.Thess.1.v.8,11.2.Thess.2.v.9,10.1.Tim.2.v.11.1.Tim.3.v.16 Hebr.13.v.20. Iac.2.v.1.1.Petr.3.v.2.2.Petr.3.v.14.2.Iohan.v.3. Epist.Iud.v.14,24. ¶ Interdum ponitur pro ἐπὶ, ut Roman.8.34. ¶ interdum pro κατὰ ut Hebr.4.versu 11. ¶ Interdum valet juxta vel coram: ut Hebr.9.v.4. Vide ibi S. ¶ Interdum valet ad vel juxta: atque sic usurpatur quum de Christo dicitur quòd sedeat ἐν δεξιᾷ DEI: ut Rom.8 v.34. Ephes.1.v.20. Coloss.3 v.1. Hebr.1.v.3. Hebr.8.v.1. Hebr.10.v.12. Hebr.12.v.2.1.Petr.3.v.22. § Interdum servit iuramento: ut Matt.v.5.34,35,36. Roman.9.v.1.1 Cor.2.v.2.2.Cor.12.v.2.1.Tim.2 v.7.

Ἐν ᾧ, pro ἐφ᾽ ᾧ, Rom 8.v.3.

Ἐν διὰ δυοῖν. Vide in indice Latino Hendiadys.

Ἐναγκαλίζεσθαι, Marc.9.v.36.S.

Ἕνεκα, vel οὕνεκεν, interdum notat causam procreantem: ut Matth.5.v.10,11. Matth.10.v.39. Luc.6.v.22. Luc.21.v.12. ¶ Interdum eventum: ut Luc.21.v.16,45.

Ἐνταφιάζειν, Matth.26.v.12.S. Ioh.12.v.7.S.

Ἐνδύξις, 1.Tim.1.v.1.S.

Ἐντὸς, Luc.17.v.21.S.

Ἐνυπνιάζεσθαι, Epist.Iud.v.7.S.

Ἐντρέπεσθαι 2.Thess.3 v.14.S.

Ἐνωτίζεσθαι, Act.2.v.14.S.

EΞ

Ἐξ præpositio interdum notat causam impulsivam: ut Rom.9.v.11. ¶ Interdum instrumentalem: ut Rom.9.v.30. Vide ibi S. Cætera vide in vocula ἐκ.

Ἐξαγγέλλειν, prædicare, 1.Pet.2.v.9.

Ἐξαυτῆς, Phil.2.v.23.S.

Ἐξηγεῖσθαι, exponere, enarrare, Ioh.1.v.18.S.

Ἐξίστασθαι, ἔκστασις, Luc.8.v.56.S. Act.10.v.10.

Ἔξοδος, pro morte, Luc.9.v.31.2.Pet.1.v.14.S.

Ἐξομολογεῖσθαι, pro δοξάζειν, Luc.10.v.21.

Ἐξέθνεον, Luc.18.v.9.S.

Ἐξουσία, Ioh.1.v.12.S.

Ἐξουσιάζεσθαι, 1.Cor.6.v.12.S.

Ἐξουσίαι, magistratus, Rom.13.v.1.

EΠ

Ἐπάνοδος, figura Rhetorica. Exempla vide Matth.10.v.39. Luc.12.v.53. Rom.2.v.21.1.Cor.6.v 13.

Ἐπαύριον, Ioh 6.v.22.S.

Ἐπαισχύνεσθαι, Ioh.8.v 4.S.

Ἐπεὶ, alioquin, Rom.11.v.6. Vide ibi S. Item v.22.1.Cor.7.v.14.1.Cor.15.v.29. Hebr.9.v.26.

Ἐπιβολὴ, figura sermonis. Exempla vide Rom.3.v.8. Eph.2.v.1.

Ἐπενδύτης, Ioh.20.v 7.S.

Ἐπερωτᾶν, vide ἐρωτᾶν.

Ἐπιβιβάζειν, Luc.19.v.34.S. Actor.23.v.24.S. Act.27.v.6.

Ἐπιγαμβρεύειν, Matth.22.v.24.S.

Ἐπιδιδόναι pro διδόναι, Luc 11.v.11.

Ἐπιεικὴς. ἐπιείκεια, Phil.4.v.5.S.1.Tim 3.v.3. S. Iac.3.v.17.S.

Ἐπικεῖσθαι, Luc.23.v.23.S.

Ἐπικρίνειν, Luc.23.v.24.S.

Ἐπιμονὴ seu ἐπεξεργασία, figura sermonis. Exempla vide Rom.9.v.21.1.Cor.15.v.16,49.

Ἐπιούσιος, Matth.6.v.11.S. Act.16.v.11.S.

Ἐπισιτισμὸς, Luc.9 v.12.S.

Ἐπισκοπὴ, Act.1.v 20.S.1.Tim.3.v.1,S.

Ἐπίσκοπος 1.Pet.2.v.25.S.

Ἐπιστῆναι, Luc.2.v.9.S Luc.20.v 1.S. Luc.21.v.34. Luc.24.v.4.

Ἐπιστάτης. Luc 5.5.v.S.

Ἐπισώρευσις, figura serminis. Exempla vide Matth.1.v.18. Act.28.v.28.1.Cor.1.v.17.2.Cor.2.v.2. Col.1.v.23. Iac.1.v.11. Iac.2.v.17 Iac 3.v.5.1.Pet.3.v.9.1.Ioh.4.v.17.

Ἐπιταγὴ, 1.Tim.1.v.1.S.

Ἐπιτιμία mulcta, 2.Cor.2.v.6. vide ibi S.

Ἐπιφάνεια, pro adventu Christi primo, 2.Tim.1.v.10. § Pro secundo, 2.Thess.2.v.8.

Ἐπιφώσκειν, Luc.23.v.54.S.

EP

Ἔρχεσθαι pro περιέρχεσθαι, Matth.16.v.5.S.

Ἐρωτᾶν, item ἐπερωτᾶν, apud Evangelistas usitatè valet orare seu petere: ut Matth.16.v.1. Luc.5.v.3. Ioh.14.v.16. Ioh.16.v.26. Ioh.17.v.9.15.

EΣ

Ἐσπροσέξεσι, Heb.9.v.5.

ET

Ἑταῖρος, Matth.26.v.50.S.

Ἑτερόγλωσσος, 1.Cor.14.v.21.S.

Ἑτεροζυγεῖν, 2.Cor.6.v.14.S.

Ἔτι, Rom.11.v.6.S.

EY

Εὐαγγελίζεσθαι, Rom.10.v.15.S.

Εὐαγγέλιον. Vide in argumento analys. Evangelij secundum Johannem.

Εὐαγγελιστὴς, Act.21.v.8.S.

Εὐδία, Matth.16.v.2.S.

Εὐδοκεῖν, 1.Thess.2.v.8.S.

Εὐδοκία, Eph.1.v.5.S.

Εὐλάβεια, pro metu, Heb.5.v.7.

Εὐλαβὴς, Luc.2.v.25.S.

Εὐλογεῖν, Matth.26.v.26.S.1.Pet.3.v.9. Iac.3.v.9.

Εὐλογία, 2 Cor.9.v.5,6.S.1.Pet.3.v.9.

Εὐνοῦχος, Matth.19.v.12.S. Act.8.v.27.S.

Εὐοδοῦσθαι, 1.Cor.16.v.2.S.

Εὐπρόσεδρος, 1.Cor.7.v.35.S.

Εὑρίσκειν, nancisci, Luc.1.v.30. Act.27.v.6.

Εὐσέβεια, 2.Pet.3.v.1.

Εὔσπλαγχνος, 1.Pet 3.v.8.S.

Εὐσχημόνως, 1.Thess.4 v.12.S.

Εὐτόνως, Luc.23.v.10.S.

Εὐφημισμὸς, figura sermonis. Exemplum vide 1.Cor.15.v.32. Vide ibi S.

EΦ

Ἐφημερία, Luc.1.v.5.S.

Ἐφ᾽ ᾧ, eò quòd, 2.Cor.5.v.4.

EX

Ἔχειν posse: Marc 14.v.6. Luc.7.v.42. ¶ Pro ἀπέχειν, distare: Act.1.v.12. ¶ Pro κατέχειν, Rō.15.v.4,14.1.Tim.1.v.19. Heb.12.v.28.

Ἐχομένη ἡμέρα, Act.21.v.26.

ZH

Ζῆλος, ζηλόω, ζηλωτὴς, Gal.1.v.14.S.
Ζηλοῦν pro studere seu cupere, Luc.5.vers.18. Luc.6.v.19. Luc.9.v.9. Act.16.v.10. Act 17.v.5. Act.11.v.31.

Ζωγρεῖν. Luc.5.v.10 S.2.Tim.2.v.26.S.

Ζῶν pro ζωοποιῶν, Ioh.6.v.51,57.

Ζῶντα λόγια, Act.7.v.38. Vide ibi S.

H

Ἡλικία, Gal.1.v.14.S.
Ἥττημα, 1.Cor.6.v.7.S.

Θ

Θεατρίζεσθαι, Heb.10.v.33.S.
Θέατρον, 1.Cor.4.v.9.S.

Θειότης Rom.1 v.20.S.

Θέλειν pro cupere, Ioh.5.v.6. Ioh.17.v.24.

Θέλημα libido, 1.Pet 4.v.3.

Θεραπεύειν. Quid propriè significet, vide Luc.9.v.1.S. Exemplum significationis propriæ vide Luc.13.v.14. ¶ Interdum valet sanare subitò & miraculosè: ut Matth.8.v.7,16. Et hanc significationem habet perpetuò in historia Evangelica de miraculosis sanationibus Christi. Item apostolorum: ut Act.5.v.16. Act.8.v.7. Act 28.v.9.

Θερμαίνεσθαι, significatione reciprocâ, Marc.14.v.54,67.

Θεομαχεῖν, Act.23.v.9.

Θήρα, pro tendicula, Rom.11.v.9. Vide ibi S.

Θησαυρὸς, θησαυρίζειν, Matth.6.v.19.S. Matth.13.v.52.S.

Θλίψις, θλίβειν, Ioh.16.v.21.S. Rom.8.v.35.S.

Θορυβεῖν transitivè usurpatum, Act.17.v.5.

Θριαμβεύειν, Col.2.v.15. Vide ibi S.

Θροεῖσθαι, θρόος, 2.Thess.2.v.2.S.

Θυμιατήριον, Heb.9.v.4.S.

Θυσία, Luc.2.v.24.S. Heb.11.v.4.S.

I

Litera jota in voce Ἰουδαίων, in carmine Sibyllino, usurpatur pro consonante jod. Vide Luc.5.v.27.S.

Ἴδε, Rom.2.v.17 S.

Ἱεροσόλυμα, Matth.2.v.1,3.S.

Ἱεροσυλεῖν, Rom.2.v.22.S.

Ἱερουργεῖν Rom.15.v.16.S.

Ἠσαΐας, Rom.15.v.12.S.

Ἰησοῦς, Matth 1 v.21.S.

Ἱκανοὶ, pro mediocriter multis, Act.14.v.21. Act.18.v.18. Act.19.v.26. Act.20.v.8,11,37. Act.22.v.6.1.Cor.11.v.30.

Ἱκανὸς dignus, Matth.3.v.11.1.Cor.15.v.9.

Ἱλαστήριον, Rom.3.v.25.S. Heb 9.v.5.S.

Ἱμάτιον, Ioh.13.v.4.S. Ioh.19.v.23.S.

Ἵνα. Hæc vocula interdum ἐλλείπει; ut Matth.8.v.4. Iohan.18.v.39. ¶ Interdum ponitur αἰτιολογικῶς per appositionem: ut Iohan.15.v.12,13,17 Iohan.16 v.2. Iohā.17.v.3. ¶ Interdum usurpatur pro ὥστε: ut Iohan.5.v.20.2.Cor.1.v.17.

2.Cor.7.v.9. Apocal.8.v 12. Apoc.9.v.20.¶ Interdum ponitur pro ὅτι; ut 1.Iohā.4.v.17. Vide ibi S.

Ἵνα τί, Act.4.v.25. Vide ibi S.

Ἰουδαία γῆ, Ioh.3 v 22. Vide ibi S.

Ἴσα. Quid intelligendum per τὰ ἴσα, Luc.6.v. 34. Vide ibi S.

Ἰσάγγελος, Luc.20.v.36.S.

Ἴσος pro ὅμοιος, Ibidem.

Ἱστάναι pro appendere, Matth.26.v.15.S. ¶ Pro subsistere, Luc.6.v.17.S. Luc 7.v.12. Luc.8. v.44.

Ἴσως, forsitan, Luc.20.v.13.S.

K

Καθηγητής, Matth.23.v.9.S.

Κάθημαι, pro καθίζομαι, Luc.22.v.55.

Καθίζειν, Marc.16.v.29. Ioh.8.v.2.

Καθορᾶται, Rom.1.v.20.

Καί. Coniunctio copulativa καὶ interdum valet causalem γάρ, i.e. Nam: ut videre est Mat.1.v. 24. Mat.4.v.19 Mat.11.v.28,29. Mat.12.v. 20. Mat 28 v.10. Luc.1.v.17. Ioh.3.v.13. Ioh 7.v.28. Act.26.v.10. Rom.1.v.23. Eph 5.v. 23. Col.3.v 25. ¶ Interdum habet vim distributivam: ut Act.13.v.27. Act.22.v.17 Rom 11 v.33. ¶ Interdum habet vim ἐξηγητικὴν seu ἐπεξηγητικὴν, id est, interpretativam seu expositivam: ut Luc.1.v.17. Roma.15.v.6.1. Cor.10.v.28.1.Cor 11.v 22.1.Cor.15.v.24. 2.Cor.1.v.3. Gal.1 v 4. Gal. 4. v.18 Phil.4. v.10 Col.2.v.2 Iac.3 v.9. ¶ Interdum valet adversativam vel disiunctivam. Sed, vel At: ut Matth.1.v.24. Matth 11.v 17. Matt. 12 v.16, 38,43. Matt.13.v 22. Matth.16.v. 4. Matth.17. v.12,16,23. Matth. 20. v.19. Matth.21.v.19,32. Matth. 23. v.37. Matth. 26.v.60. Marc.9.v.18,31.32. Marc 12.v.4, 12. Marc.14.v.55,56. Luc. 2.v.50. Luc.4.v. 2,26. Luc. 7.v 35. Luc.9.v.40,51. Luc.13.v. 6. Luc.15. v 16. Luc.17. v. 22 Luc.18.v.33. Luc.19 v.3. Luc.20.v.19, 42. Luc.21.v.18. Luc 23.v.14. Ioh 1.v 10. Ioh.3.v.31 Iohā 7. v.26. Ioh.8.v.55. Act.5.v.28 Actor. 6 v 10. Act.7.v.7,8,43. Act.[illegible].v.26. Act 16.v.7.2. Cor.4.v.7.2.Cor.12 v.9. Heb.10.v.38. Iac.1 v.13. Iac.4 v.2.1. Iohan.2.v.27. ¶ Interdum valet transitivam vel illativam, Itaq; vel Igitur: ut Matth 2.v.4. Matth. 8. v.3. Marc. 4 v.7,13. Marc.9.v.5,10. Marc.10. vers 26. Marc.11.v 29. Marc.12. v.12,30,37. Marc. 16.v 2. Luc.2.v.16. Luc 4.v 44. Luc.10.v. 29. Luc. 2.v.19. Luc.18 v 26. Luc 19.v.23 Luc.20.v.3,7,20,44 Luc. 22 vers 29,32. Act.5.v.38 Actor.22. v 10.1.Cor.6.v.2. 2. Cor.2.v.2. Eph 4.v.11. Heb.3.v.19 ¶ Interdum valet τότε, id est, tunc; ut Matth.6.v.33. Matth.8 v.4,34. Matth.26.v.2,31. Marc.5. v.23 Marc 11.v 29. Marc.1[illegible].v.7. Luc.2.v. 15,21,28. Luc.5.v.1,12. Luc.6.v.35. Luc.7.v. 12. Luc 8.v.50. Luc 11.v.7,41. Luc.12.v.31. Luc.13.v. 29. Luc. 14. v.1. Luc 19. v.15,25. Luc.20.v 8. Luc. 21. v. 25. Luc. 24. v.4,15. Ioh.1.v.20 Act.8.v.36. Act.10.v.5. Act.13.v. 11. Actor.25.v.23 2.Cor.6.v.17, Iac 4 v.7,8. Apoc 10 v 7. ¶ Interdum est nota paris; ut Luc.1.v 35. Ioh.5.v.17. Ioh 11.v.37. Ioh 14.v. 19. Roman.8.v.17.2.Cor.8.v.6. ¶ Interdum maioris: ut Matth.10.v.18. Matth.15.v.16. Marc.15.v.32.1.Cor.11.v.19. Epist. Iud.v.23. ¶ Interdum minoris: ut Luc.12.v.7. Eph.5.v. 12. ¶ Interdum valet deniq; ut Marc.12.v.22 Marc.15.v 1. Interdum valet καίπερ: ut Luc. 18.v.7. Ioh.14.v 24,30. Heb.3.v.9. Interdum valet Etiam: ut Ioh.5.v.17, Ioh 15.v.20. ¶ Interdum valet Quando: ut Marc. 5 v.25. ¶ Interdum valet Idcirco: ut 1.Ioh.4.v.16. § Interdum valet ὥστε: ut Ioh 15.v.6. ¶ Interdum valet μετὰ τοῦτο: ut Marc.16.v.4. ¶ Interdum valet καὶ οὕτως: ut Luc. 24. v.26. Act.4. v.4. Iac.2.v.23 Iac.3.v.3. ¶ Interdum valet καὶ μάλιστα: ut Marc.16.v.7. ¶ Interdum valet καὶ τοῦτο: ut 2 Cor.5.v.6. § Interdum valet ἀλλὰ: ut Marc.15.v.32. § Interdum valet τότε δὴ, vel ἔπειτα δὴ: ut Luc.6.v.37. Luc.19 v. 23. § Interdum redundat: ut Luc.8.v.1.1.Cor. 13.v.12.1.Cor.15.v.29. Gal 4.v.12.1.Thess.4. v.5,13.1 Thess.5.v. 6. Iac.2.v.4. § Interdum ponitur pro δὲ: ut Luc.18.v.13,34 Luc.24 v. 52. Ioh.1.v.19. § Interdum pro μᾶλλον δὲ: ut Ioh 5.v.25. Ioh.16.v.32. § Interdum connectit diversas personas: ut Act.6.v.6. Act.[illegible].v.17,26. § Interdum valet Et quidem ut Iohā 1 v.16. § Interdum valet Et certè: ut Ioh 3.v.13 Interdum valet καὶ γὰρ: ut 2.Cor 1 v.6. § Interdum servit annectando consequenti enuntiati connexivi: ut Iac.2.v.4. Iac.4.v. 4. § Interdum servit conclusioni ut Rom.1.v.24.

Καιρός, Luc.20.v.10.S 1.Pet.1.v.11.S.

Κακόν, Act.14 v.2.S.1.Pet.3.v.13.S.

Κακός, pro ignavo, 2.Thess.3.v.13.

Καλοποιεῖν, 2.Thess.3.v.13.S.

Κάμνειν, pro ægrotare, Iac.5.v.15.

Κανδάκη, Act.18.v.27.S.

Κατά. Hæc præpositio interdum habet vim distributivam: ut Luc.8.v.1. Luc.21.v.11. Act.8.v 3 1.Cor.16.v.2. § Interdum notat obiectum ut Rō.9.v.11.1.Cor 15.v.15.2.Cor.11.v.21. Epist. Iud.v.15. § Interdum finem seu causam finalem: ut 2.Tim.1.v.1. Tit.1.v.19.

Καταβολὴ σπέρματος, Heb.11.v.11.S.

Καταγγέλλειν, Rom.1.v 8.S.

Κατακαυχᾶσθαι, Rom.11.v.18.S.

Καταλαλεῖν, Iac.4.v 11.S.

Καταλύειν, Luc.9 v.12.S.

Καταμανθάνειν, interdum significat considerare: ut Matth.6 v.28. Vide ibi S.

Κατάνυξις, Rom.11.v.8.S.

Καταργεῖν, Rom.3.v.3.S.

Καταργεῖσθαι, pro liberari: Rom.7.v.1,6.

Καταρτίζειν, 1.Thess.3.v.10 S. Heb.10.v.5.S.

Κατασείειν τῇ χειρὶ & τῷ χεῖρε, Act.12.v.12 S.

Κατεγνωσμένος, Gal.2.v.11 S.

Κατήφεια, Iac.4.v.9.S.

Κατηχεῖν, κατηχεῖσθαι, Luc.1.v.4.S. Act.18.v.25. S. Act.21.v.21,24. Rom.2.v.18, S.1.Cor.14.v. 19.S. Gal.6.v.6.S.

Καυχᾶσθαι, Rom.2.v.17.S.

KE

Κεδρών, Ioh.18 v.1.S. 1.Cor.16.v.2.S.

Κεῖσθαι, Luc.2.v.32.S. 1.Thess.3.v.3.S.

Κενοδοξία. Exempla vide in indice Latino sub tit. Ambitio.

Κενόν, 2.Cor 6 v.1.S. Gal.2 v.2.S.1.Thess.2.v.1. S.1.Thess.3.v.5.S.

Κενοφωνίας, 2.Tim.2.v.16.S.

Κεντρίζειν, Rom.11.v.17 S.

Κενῶς, Iac.4.v.5.S.

Κεφαλαιοῦν, caput cædere & vulnerare, Marc.12 (12.v.4.

Κεφαλίς, Heb.10.v.7.S.

KH

Κηρύσσειν, Rom.2.v.21.S.

Κηφᾶς, 1.Cor.1.v.12.S.

KΛ

Κλάδος, Rom.11.v.19.S.

Κλῆροι, cœtus fidelium, 1 Pet 5.v.3.

Κλῆρος 1.Pet.5.v 3 S.

Κλίμα, Rom.15.v.23.S. Gal 1.v.21.S.

KO

Κοιμᾶσθαι, Ioh.11.v.11.S. Act.7.v.60.S.1.Thess.4 v.13.S.2.Pet 1.v.4.

Κοιμώμενοι, 1.Thess.4.v.13.S.

Κοινοῦν, κοινοῦσθαι, Act 10.v.15.S. Act.11.v.9. Act. 21.v.28. Heb.9.v.13.S.

Κοινωνία ἰδιωμάτων. Vide in indice Latino titul. Communicatio idiomatum.

Κοινωνός, Luc.5.v.10.S.

Κολάζειν, 2.Pet.2.v 9.S.

Κολλᾶσθαι, Luc.15.v.15.S. Act.8.v.29.S.

Κόλποι Luc.16.v.23 S.

Κοπάζειν, Matth.14.v.32.S.

Κόφινος, Ioh.6.v.13.S.

KP

Κράβαττος, Ioh.5.v.10.S.

Κραιπάλη, Luc.21.v.34.S.

Κρίμα pro impietate. Epist. Iud.v.4. Vide ibi S. ¶ Pro damnatione sive supplicio, Luc.20.v. 47 Luc 23.v. 40. Luc.24.v.20. Rom.3.v.8. 1.Tim.3.v.6.2.Petr 2.v.3. ¶ Pro pœna, Rom 13.v.2.1.Cor 11.v.29,34. Gal.5.v.10. Iac.3.v 1.1.Pet.4.v.17. ¶ Pro vindicta, Ioh.9.v.39. ¶ Vel, pro gubernatione divina, ibidem.

Κρίματα, pro controversiis forensibus, 1.Cor.6.v.7

Κρίνειν pro decernere, 1.Cor 3.v.3 ¶ Pro punire, 1.Cor.5. v.12. 1.Cor. 11.v.31,32.1.Petr.4.v.6. Heb.13.v.4. Pro κατακρίνειν, Iohā.3.v.17. Ioh. 12.v.46. Ioh. 18.v.31. Act 13.v.27. Rom.3.v. 7. Rom.14.v.3,13. Col.2.v.16 2.Thess.2.v.12 Iac.4.v.11.

Κρίσις pro κατάκρισις Iac.5.v.12.2.Pet.2.v.4.

KT

Κτίσις pro mundo Rom.8.v.19. § Pro ordine seu certi ordinis hominibus, Marc.16.v 15.1.Pet. 2.v.13. § Pro rebus creatis, Roman.1.v 35. § Κτίσις ἀνθρωπίνη, 1 Pet.2.v.13.S.

KY

Κύλιξ, Marc.14.v.23.S.

Κυρεῖν, Luc 10.v.31 S.

Κυρία, domina, 2.Ioh.v.1.

Κύριος, vocabulum honoris, Marc.9.v.9. Act. 9.v.5. Act.10.v.4,14. Act.22.v.8. § Pro Cæsare, Act 25.v.26.

ΛA

Λαγχάνειν, Luc.1.v.9.S.2 Pet.1.v.1.S.

Λαξευτόν, Luc.23.v.53 S.

Λατομεῖν, Matth.27.v.60.S.

Λατρεία & δουλεία, Gal 4.v.9.

ΛE

Λέγειν pro ὀνομάζειν, Luc. 20.v.37.

Λεῖος, Luc 3.v.5.S.

Λειτουργεῖν, Rom.15.v.27.S.

Λειτουργία, Phil.2.v.30.S.

Λειτουργός, Rom.15.v.16.S.

Λευὶ vox quomodo legenda sit, Luc.5.v.27.S.

ΛI

Λιθόστρωτον Ioh.19.v.13.S.

Λιτότης, quæ vulgo liptote. Exempla vide Matth. 12.v.20. Ioh.6.v 37. Act.14.v.28. Act 15.v.2 Act.17.v.4 Act.19.v.23. Act.20.v.12. Hebr. 13.v.17.

ΛO

Λόγια, Rom.3.v.2.S.

Λογίζεσθαι pro συλλογίζεσθαι, Rom 3.v.28.

Λογικὴ λατρεία, Rom.12.v.1.S. § Λογικὸν γάλα. 1 Petr.2.v.2.S.

Λόγος pro filio Dei unigenito, Luc.1.v 2. Vide ibi S. Ioh.1.v 14. 1.Iohan.1.v.1. Vide ibi S. § Pro ῥῆμα, Luc.4.v.36. § Pro sententia seu enuntiatione 1.Cor.14 v.19. § Pro iussu, 2.Pet.3.v. 5,7. § Pro re vel negotio Luc.9.v.44. Luc.12. v.10. Luc.20.v.3, Luc.24.v.44. Act.8.v.21. Act.10.v.29. Act.15.v. 6. Act.19.v.38. Rom. 9.v.28.

Λοιπὸν pro alioquin, 1.Cor.1.v.16.

MA

Μαθητεύειν, Mat.27.v 57.S. Act.14.v.21.S

Μακαρίζειν, Luc.1.v 48.S.

Μακαρισμὸς pro μακαριότης, Gal.4.v.15.

Μακαρίζειν, beatum prædicare: Luc.1.v.48. Iac. 5.v.11.

Μακροθυμεῖν, 1.Cor.13.v.4.S.

Μακρόθυμος, Rom.2.v.4.S. Rom.9 v.22.S.

Μᾶλλον pro μάλιστα, 1.Cor.14.v.1.

Μαριάμ, Matth.1 v 20.S.

Μαρτυρεῖσθαι passivè, Act.16.v.2.

Ματαιότης, Rom.8.v.20.S.

Μάχαι, lites, contentiones, Iac.4.v.1.

Μάχεσθαι pro διαλογίζεσθαι, Ioh 6.v 52. § Pro litigare, Iac.4.v.2. Pro rixari, 2.Tim.2.v.24.

ME

Μεγαλαυχεῖν, 2.Pet.1.v.9.S.

Μεγαλειότης, Heb.1.v.3. Heb.8.v.1.1.Pet.1.v.16.

Μεγαλύνειν Luc.1.v.46.S.

Μεθύσκεσθαι, Ioh.2.v.10.S.

Μείζων, pro μέγιστος 1.Cor.13.v.13.

Μείωσις, figura sermonis. Exemplum vide 1. Thess 2.v.10.

Μέλαν, atramentum, 2.Ioh.v.12.

Μένειν, habitare, Act.28.v.17.

Μεσιτεύειν, Heb.6.v.17.S.

Μεσοῦν, Ioh.7.v.14. Vide ibi S.

Μετὰ pro inter vel apud, Luc.24.v.5. Pro διὰ, Act.14.v.27. Vide ibi S. Act.15.v.4.

Μετανοεῖν, Matth.3 v.2.S.

Μετάνοια, Rom.2 v.4.S. § Pro μεταμέλεια, Hebr. 12.v.17.

Μεταξύ, Rom.2.v 15.S.

Μετεωρίζεσθαι, Luc.12.v.29.S.

Μετοικεσία, Matth.1.v.11.S.

Μετρητής, Ioh.2.v.6.S.

Μετριοπαθεῖν, Heb.5.v.2 S.

Μέχρι inclusivè, 2.Tim.2.v.9.

MH

MH

Μὴ pro ἵνα μὴ 2.Cor.11.v.16.§ Μὴ γένοιτο, Rom. 3.v.4.S.§ Μή ποτε, Matt.27.v.64.S.Marc. 14.v.3.S.Luc.3.v.15.S Luc.4.v.11.2.Tim.2 v.25.

Μηλωτή, Heb.11.v.37.S.

MI

Μία pro πρώτη Marc.16.v.2 Ioh.20.v.1.1.Cor. 16.v.2.

MN

Μνημεῖον, Matth.27.v.52.S.

MO

Μονή, habitatio, Ioh.14.v.2.

Μορφή, Pro vestitu, Marc.16.v.12.§ Pro conditione seu statu, Phil.2.v.6.

Μόρφωσις, Rom 2.v.20.S.

Μοσχοποιεῖν, Act.7.v.41.

MY

Μυκτηρίζειν, Gal.6.v 7.S.

Μυστήριον, Rom.11.v.25. S.1.Cor.4.v.1.A.

Μυωπάζειν, 2.Pet.1.v.9 S.

MΩ

Μωραίνεσθαι, Matth.5.v.13.S.

Μωρός, Matth.5.v.22 S.

NA

Ναί, Luc.12.v.5.

NE

Νεκρός, 1.Cor.15.v.29.

NH

Νηνεμία, Matth.8 v.26.S.

NO

Νοεῖν, pro considerare, Matth.24.v.15. 2.Tim.2 v.7.

Νομίζεσθαι, pro solere, Act.16.v.13. Vide ibi S.

Νόμος pro doctrina Rom 3.v.27.

Νοῦς pro iudicio mentis, Rom.14.v.5.

NY

Νύμφη, Matth.10.v.35.S.

Νῦν, νυνί. Interdum servit assumtioni syllogismi: ut 1.Cor.7.v.14.1.Cor.15.v.20.

Ξ

Ξενίζεσθαι, 1.Pet.4.v.4.12.S.

O

Ὁ, ἃ, ὅς, Isti articuli interdum usurpatur loco nominum ἄλλο & ἄλλα & ἄλλος: ut videre est Matth.13.v.5,8,23, Marc 4.v.4.Luc. 8 v.5.Rom.9.v.21.Rom.14.v.2,5.§ Ὃς μὲν, ὃς δὲ pro οἱ μὲν, ἕνοι δὲ: Epist.Jud.v.22,23.§ Ὅς, ἥ interdum accipiuntur limitativè: ut Ioh.8.v.51.Vide ibi S.§ Ὃς μὲν, ὃς δὲ.Rom.14. v.5.§ Ὅς interdum convenit cum nomine sequente: ut Gal.3.v.16.Eph.6.v.17.1.Tim.3. v.15.

Ὁ, ἡ, οἱ, αἱ. Isti articuli interdum ponuntur loco pronominum relativorum αὐτὸς, αὐτὴ, αὐτοὶ, αὐταί: ut videre est Matth.2.v.5.Matth.4.v. 20.Luc.5 v.33.Luc.6.v.8,10.Ioh 8.v.9.Act 4.v 24.Act.8.v.25.§ Interdum redundant: ut 1.Cor.9 vers.19. § Interdum vim habent ἀναφορικὴν, ut Matth.1.v 24.Matth.2 v.8, 9,11.Matth.4.v.16.Matth.5.v.1.Matth.6. v.24. Matth 8.v.1,12. Matth.9.v.1,22,23. 24,35.Matth.11 v.7. Matth.12.v.9.Matth. 26.v.26,72.Matth.27.v.3. Marc.5,12.36. Marc.9.v.20.Marc 10.v.8. Marc.11.v.20. Marc.12.v.23. Marc.14 v.23.Marc.16.v.2 Luc.1.v.21 Luc.2.v 13,16,43.Luc.4.v.1.17 Luc.5.v.16,17.Luc.7.v.6,38,41.Luc.8.v.11 47,51.Luc.9.v.1 6,32. Luc.16.v.8 Luc.19. v.5,33.Luc.22.v.11,56.Ioh.1.v.7,19.Ioh.4. v.43.Ioh.6.v.3,16,17,18,23,24,42,63.Ioh, 7.v.17.Ioh.11.v 30,31,51.Ioh.15.v.5.Ioh.19. v.5,40 Ioh.20.v.1,4,10.Ioh.21.v.3,13.Act 4.v.4.Act.7.v.41.Act.10.v.19.Actor.11.v. 32.Act.12.v.25.Act.13.v.6.Act.15. v.12,38. Act.19.v.32.Act.20.v.12.Act.23 v.22,30. Act.25.v.17.Roman.3.v.5.Rom.5.v.15,19. Rom.8.v.3.Rom 11.v.32 Rom.12.v.5.1.Cor. 7.v.14.1.Cor.8.v.7.1.Cor.10.v 4,17.1.Cor. 12.v.6 1.Cor.14.v.16,29.2.Cor.5.v.15.Gal. 3.v 14.Ehp.2.v.8.Eph.5 v.13. Hebr.2.v.13. Heb.13.4.Iac.2.v.14.1.Iohã.5.v 10.2.Iohã. v.7.§ Interdum isti articuli habent vim ἀόριστον: ut Matth.5.v.1.Matth.13.v.2,3.Luc. 8.v.5.Luc.10.v 6. Luc.12.v.54. Luc.13.v. 10 Act.17.v.1. Act.21.v.4. Actor 27.v.16 § Interdum usurpantur emphaticè, ad notandum rem quampiam excellentem & omnibus notam aut saltem notam iis ad quos habetur sermo: ut Matth.1.v.23.Matth.5.v.17,18,35, 37 Matth.17.v.23,38,41.Matt 26.v.10,18, 31, Matth.27.v.7 Marc.9.v.33,43.Marc.12 v.26.Marc.14.v.35,41 Marc.16.v.20.Luc 2.v.26,30,37. Luc.3.v.2.Luc.4.v.14,41. Luc.8.v.1.Luc.10.v 14,19. Luc.12.vers.32. Luc.16.v.25.Luc.18.v.10.Luc.19.vers.41. Luc.22 v.10,11.Luc.22.v.20, Luc.23 v.3, Ioh.1.v.17,21,29,42, Ioh.6.v.14,26,39.Ioh 7.v.26,40.Ioh.8.v.12, Ioh.11 v.24, Iohã.15. v.1 Ioh.17.v.15.Ioh.18.v.15.Ioh.20.v.7,20 Act.1.v.6, Act.2.v.20,39.Act.3.v.6.Act.7. v.52,53.Act.8.v.4.Act.11.v.19.Act.13.v.8. Act.14 v.25.Act.17.v.11.Act.27.v.9, Rom. 2.v 18,20,22.Rom.4.v.14. Rom.5.v.8,15, 19.Rom.11.v.1 Romã 15.v.13.1.Cor.10.v 9. 16.Eph.2.v 8.Eph 3.v.3.1.Thessal.1.v.10.2. Thess.2.v 2.1.Tim.4 v.1.2.Tim.4.v.2.Heb. 4.v.14.Heb.11.v.16.Iac.1.v.12 Iac.2.v.25. 1.Pet.2.v.24.2.Pet.2.v.1.1.Ioh 2.v.13.§ Interdum isti articuli habent vim δεικτικήν: ut Marc.5.v.12.§ Interdum articulus praepositivus indicat enuntiati partem antecedentẽ, quam subiectum vocant: ut Ioh.1.v.1. Ioh.4. v.24.Ioh.5.v.18.Act.8.v.37.Rom.3.v. 3,30 Romã.6.v.25 § Articulus ἡ notat ὅπερ αὐτό, 1.Ioh.3.v.4.Vide ibi S.§ Ὁ μὲν, ὁ δὲ; pro ἐκεῖνος μὲν, οὗτος δὲ, Heb.7.v.21.§ Οἱ μὲν, οἱ δὲ: pro τινὲς μὲν, τινὲς δὲ: Phil.1.v.16.§ Interdum articulus praepositivus ponitur pro pronomine demonstrativo, videl. τὸ pro τοῦτο: ut Marc.9. v.23.

OΔ

Ὁδηγεῖν Luc.6.v.39.S.

Ὁδηγός. Matth.23.v.16.S.

Ὀδυνώμεθαι, Luc.2.v.48.S.

OI

Οἰκουμένη, Luc.2.v 1.S Rom.10.v.18.S.

Οἰκουρός. Tit 2.v 5.S.

Οἷον, pro quasi, Rom.9 v.6.S.

OΛ

Ὅλως, 1.Cor.5.v.1.S.

OM

Ὁμιλεῖν, Luc 24.v.14.S.

Ὁμῆλιξ, Gal.1 v.14.S.

Ὁμοιάζει, Marc.14.v.70.

Ὁμολογεῖν, Ioh.1.v.20.S.

ON

Ὄνομα pro persona, Act.1.v 15.Act.4.v.12.

OΞ

Ὀξύμωρον seu ὀξυμωρολογία, Matth.10.v.39.1. Tim.5.v.6.Heb.11.v.27.Jac.1.v.9.10.

OΠ

Ὅπλα pro habitu, Rom.13.v.12.

Ὀπτασία & ὅραμα quid differant, Matth.17.v.9. S.Luc.1.v.22.S.2.Cor.12.v.1.S.

Ὅπως ἂν, pro ἐπειδὰν, Act.3.v.19.

OP

Ὀρθοποδεῖν, Gal.2.v.14.

Ὀρθοτομεῖν, 2.Tim.2.v.15.S.

Ὀρθρίζειν, Luc.21.v.38 S.

OT

Ὅτι coniunctio causalis non semper notat argumentum à causa: ut videre est Luc.7.v.47. Ioh.8.v.44.Ioh.16.v.32.1.Iohã.5.v.14.§ Interdum idem valet quod διὰ ὅτι: ut 1.Ioh.3.v. 20.Vide ibi S.§ Interdum valet Quamvis, ut Luc.23.v.40 Ioh 8.v.45.§ Interdum valet Quando: ut Ioh.9.v.8.§ Interdum servit mimesi: ut Matth.4.v.6.Matth 5.v.20 Matth. 9.v.18.Matth.20.v.7.Matth.26.v.65,72. Mat.28.v.7.Mar.1.v.15.Mar.3.v.21.Marc. 14.v.58,69,71. Luc.4.v.11,21,43 Luc.5.v. 26.Luc.6.v.5. Luc.7.v.4,16.Luc.12.v.55. Luc.19.v.7,9,40,42. Luc.20.v.5. Luc 21. v.8.Luc.24.v.7.Ioh.1.v.20. Act 3.v.22.Ro. 3.v.8,10 Rom.10.v.5,9.Rom 14.v.11.Gal.1 v.23.2.Thess.3.v.9 Jac 1.v.13.

Οὐ in interrogando positum, quid valeat, vide 1. Cor.12.v.15 S.

Οὗ, quo significans motum ad locum; Luc.17.v. 37.Luc.24.v.28.

Οὖν interdum servit epanalepsi: ut Iohan.8.v.14. Gal.3.v.5.§ Interdum transitioni: ut Iohã.9. v.18.1.Cor.14.v.23.§ Interdum ponitur pro δὲ: ut Matth.12.v.12.

Οὗτος, interdum redundat; ut Ioh.1.v.18, Ioh.3 v.26, Ioh.15.v.5.

Οὕτως pro tantopere: Ioh.3.v.16.1.Ioh.4.v.11.

OΦ

Ὀφείλομαι, debetur mihi, Rom.13.v.7.

OΨ

Ὀψάριον, Ioh.6.v.9.S.

Ὄψιμος ὑετὸς, Jac.5.v.7.S.

Ὄψις, Ioh 7 v.24.v.

Ὀψώνια, Luc.3.v.14.S.1.Cor.9.v.5.S.

ΠA

Πάθος ἐπιθυμίας, 1.Thess.4.v.5.S.

Παιδεία, Eph 6.v 4.S.

Παιδεύεσθαι pro castigari, 1.Cor.11.v.32.

Παιδευτής. Rom.2.v.20.S.

Παλιγγενεσία, Matth.19.v.28.S.

Πάλιν pro ἀνάπαλιν, Gal.4.v.9.

Παμπληθεὶ Luc 23.v.18. Vide ibi S.

Πάντες, πάντα. Istae voces interdum restringendae sunt ad hypothesin de qua agitur in textu: ut Luc.20.v.38 2.Pet.3 v.9. Vide plura in indice Latino, in voce Omnis.

Παρὰ, praeter; Gal.2.v.4.S.

Παράβασις, Rom.2.v.23.S.

Παραβιάζεσθαι, Luc.24.v.29.S.

Παραβολὴ Luc.4.v 23 S.

Παραγίνεσθαι Luc.19.v.16.S.

Παραδειγματίζειν Matth.1.v.19.S. Heb.6.v.6.

Παράδεισος, Luc.23.v.43.S.

Παραδόσεις, 1.Cor.11.v.2.S.

Παραζηλοῦν, 1.Cor.10.v.22.S.

Παραθεωρεῖσθαι Act.6.v.1.S.

Παρακαλεῖσθαι significatione passivâ, pro consolatione affici, Luc.16.v.25.Act.20.v.12.Rom. 1.v.12.

Παράκλητος, Ioh.14.v.16.S.

Παρακολουθεῖν, Luc.1.v.3.S.

Παρακύπτειν, Luc 24.v.12.S.Ioh.20.v.5.S.

Παράλυσις, Luc.5.v.18.S.

Παραμυθία, 1.Cor.14.v 3.S.

Παράπτωμα, Marc.11.v 25 S.Rom.5.v.15.S.

Παρασκευή, nomen certi diei; Luc.23.v.15.S.

Παρεστήκασι, Act.24.v.13.S.

Παρεισάκτοι, Gal.2.v 4.S.

Παρελθεῖν, interire, Matth.5.v.18.

Παρήχησις, Vide in indice Latino titul. Paronomasia.

Παροιμία, Luc 4.v.23 S Joh.16.v.25.S.

Πάροινος, 1.Tim.3.v.3.S.

Παροξυσμὸς, Act.15.v.39.1.Cor.13 v.5.

Παῤῥησία quid sit, & unde dicta, 1 Thess.2.v.2.S Vide etiam Johã. 7.v.4,13,26. Johã. 11.v.54. Vide ibi S.Joh.16.v.25.1.Joh.2.v.28.S § Pro evidentia: 2.Cor.3.v.12. Vide ibi S. § Pro libertate in agendo, Phil.1.v.20.A.

Παῤῥησιάζεσθαι, libertate in agendo uti 1.Thess.2. v.2.

Πᾶς, πᾶσα, πᾶν, pro, ullus, ulla ullum, Luc.1.v. 36.Act.10.v.14.Romã.3.v.19.1.Cor.1.v.29. Gal.2.v.16.§ Pro, omnis generis, Luc.11.v.42 Luc.18.v.12. Act.2.v.17.Act.10.v 12,35,43. Romã.10.v.12 Romã.14.v.2.1.Cor.1.v.5.2. Thessal.2.v 9.1.Tim.2.v.1,4.6.Tit.2.v.11.§ Pro, totus, tota, totum. Matth.3.v.5.Rom.10. v.18.Roman.11.v.26, 1.Cor.13.v.2.2.Tim.3. v.16.

Πάσχα, Matth.26.v.17.S.Luc.22.v.7.S.Joh.2. v.13 S.

Πάσχειν, absolutè positum, 1.Pet 3.v.14,17.1.Pet. 4.v.1.

Πατέρες, pro γονεῖς, Heb.13.v.23.

Πατριὰ pro familia, Luc.2.v.4.Eph.3.v.15.

ΠE

Πειθοῖ λόγοις, 1.Cor.2.v.4.

Πειράζεσθαι, solicitari ad peccandum, Jac 1.v.13.

Πειρασμὸς, Act.20.v.19.S Jac.1.v.2.1.Pet.1.v. 6.2.Pet.2.v.9.

Πεντηκοστή, Act.2.v.1.S.

Πέραν, Joh.1.v.28.S.

Περθεῖν, Gal.1 v.13.S.

Περὶ in compositione significationem intendit. Vide Matth.26.vers 38.S § Interdum valet ὑπὲρ, ut Matth.26.v.28 Marc.14.v.24.Luc. 4.v.38.Luc.22.v.32.Iohã.16 v.26.Ioh.17.v. 19,20.Act.8.v.15.Rom.8.v.3.2.Thess.1.v.11. Heb.5.v.3.Heb.10.v.8,18,26.1.Pet.3.v.18.1. Ioh.2.v.2.1.Ioh.4.v.10.1.Ioh.5.v.16.§ Interdum valet Propter, ut Luc.19.v.37.Ioh.6.v.

41,61.Ioh.10.v.33.¶ Interdum valet Contra ut Ioh.6.v.41.
Περιέχῃ pro περιέχεται. 1.Pet.2.v.6.
Περικάθαρμα,1 Cor.4.v.13.
Περὶ γὰρ Act.8.v.29.S.
Περισσεύειν transitivè,Eph.1.v 8.S 1.Thess.3.v.12. Pro excellere,1 Thess.4.v 1,10.
Περισσόν,Rom.3.v.1.S.
Περίψημα,1.Cor.4.v.13.
ΠΙ
Πίμπρασθαι.Act.28 v.6.S.
Πιστεύειν pro πείθεσθαι,Rom.10 v.10.
Πιστεύομαι τοῦτο, Rom.3.v.2.S.1.Cor.9.v.17.S.1. Galat.2.v.7.1 Thessal.2.v.4.1.Tim.1.v.11.
Πιστικὴ νάρδος, Marc.14.v.3.S.
Πίστις,Rom.3 v.3.S.
Πιστὸς,constans in promissis: 1 Cor.4.v.2.1.Thess.5.v.24.2.Thess.3.v.3.1.Tim.1 v.12.Heb.3.v.2.5,Heb.11.v.11.1.Ioh.1.v.9.¶ Pro ἀξιόπιστος, 1.Tim.1.v.15.Tit.1.v.9. ¶ Pro Christiano,1. Tim.6.v.2.
ΠΛ
Πλανᾶσθαι,Luc.21.v 8.
Πλείονες,ampliores: 2.Cor.2.v.6.Vide ibi S.
Πλεονάζειν transitivè,1.Thess.3.v.12.
Πλεονεκτεῖν 2.Cor.7.v.2.S.1.Thess.4.v.6.
Πλεονεξία,2 Cor.9 v.5.S.
Πληροφορεῖσθαι, Luc.1.v.1.S.Roman.4.v.21.S. Rom.14.v.5.S.
Πληροφορία,Col.2.v 2 A.
Πλήρωμα,Col.1.v.19 S.
ΠΝ
Πνεῦμα,Ioh.3.v.8.S.
Πνευματικὸν σῶμα,1.Cor.15.v.44.S.
ΠΟ
Ποιεῖν pro lucrifacere, Luc.19.v.18.Cum nomine temporis,Iac.4.v.13.Vide ibi S.
Ποιήματα,res condita,Rom.1.v.20.
Ποιηταὶ λόγου,Iac.1.v.22.S.
Ποιμήν,ποίμνη.1.Cor.9.v.7.S.
Πολιτεία Ius civitatis, Act.22.v.28.
Πολιτεύεσθαι, Phil.1.v.27.A.
Πολίτευμα,Phil.3 v.20.S.
Πολύτροπον. Exemplum vide 1.Tim.2.v.5.
Πολυσπλαγχνον. Exemplum vide Phil.4.v.9.
Πονηραί 2.Thess.13.v.2.8.
Πονηρὸς pro diabolo, Matth.6.v 13.S.Ioh.17.v.15 2.Thess.3.v.3.1.Ioh.2.v.13.1.Ioh.3.v.12.1.Ioh.5.v.18,19.
Πορθεῖν,Gal.1.v.13 S.
Πορνεία,1.Cor 5.v.1.S.
Ποταπὸς, ποταπή, Matth.8.v.27.Luc.1.v.29.1. Ioh.3.v.1.Vide ibi S.
Ποτὲ. Quid notet hæc vox in voce μή ποτε, vide Matth.13.v 29.S.Marc.14.v.3.S.Luc.3.v.15 S.Luc 14.v.29.S.
Ποτήριον,Marc.14.v.23.S.
ΠΡ
Πραιτώριον, Marc.15.v.16.
Πρεσβυτέριον, Luc.22.v.66.S.Act.22.v.5.S.
Πρὸ in compositione interdum notat tempus, interdum ordinem. Vide Rom.16.v.4.S.
Προαύλιον, Matth.26.v.71.S.
Προγινώσκειν, πρόγνωσις Act.2.v.23 S 1.Pet.1.v.2. S.Rom.8.v.29.S Romã. 11.v.2 S.1.Petr.1.v.20.S.
Προγράφειν,Gal.3.v.1.S.
Προγράφεσθαι.Epist Iud.v.4.
Προείρηκα,Heb.10.v.15.
Πρόθεσις,Rom.8.v.28.S.Rom.9.v.11.S.
Πρὸς interdum notat eventum: ut Matth.5.v.28 1.Ioh.5.v.16 Marc.13.v.22.1.Iohan.5.v.16.¶ Interdum comparationem: ut Roman.8.v.18. Gal.2.v.14.¶ Interdum finem seu scopum; ut Matth.6.v.1.Ioh.11.v.4.¶ Interdum valet Contra: ut Luc.20.v 19.Hebr.12.v.4.¶ Interdum valet περὶ: ut Hebr. 1.v.7,8.Heb.4.v.13.
Προσαναπίθεσθαι,Gal.1.v.16.S.
Προσεργάζεσθαι,Luc.19.v.16.S.
Προσεύχεσθαι Matth.6.v.5.S.
Προσευχή,1.Tim.2.v.1.S. ¶ Pro domo precationis, Act.16.v.13,16.Vide ibi S.
Προσήλυτοι, Act.2.v.10 S.Act.13.v.43.S.
Πρόσκομμα, Rom 14.v.13.S.
Προσφάγιον,Joh.21.v.5.S.
Πρόσφατον, Heb.10.v.20.S.
Προσφέρειν, adducere,Luc.18.v.15.Vide ibi S.
Πρόσωπα θαυμάζειν. Epist.Iud.v.16.S.
Προσωποληπτεῖν,Iac.2 v.9.S.
Προσωπολήπτης. Act 10.v 34.S.
Προσωποληψία, Rom.2.v.11.S.& O.5.
Πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, 1.Cor.13.v.12.S.
Προτείνειν pro διατείνειν. Act.22.v.25.Vide ibi S.
Πρόφασις,Joh.15.v.22.S.
Προφητεία pro interpretatione scripturæ, 1.Thess.5.v.20.
Πρώϊμος ὑετὸς,Iac.5.v.7.S.
Πρωτότοκος, Matth.1.v.25.S. Luc.2.vers.7.S. Col.1.v.15.S.
Πρῶτον pro πρότερον, Johã.15.v.18.¶ Πρῶτος pro πρότερος,Joh.20.v.4.
Πρωτοστάτης,Act.24 v.5 S.
ΠΤ
Πτόησις,1.Pet.3 v.6.S.
Πτύρεσθαι,Phil.1.v.28.A.
Πτῶσις Luc.2.v.34.S.
Πτωχὸς,pro πενιχρός,Luc.21.v.3.
ΠΥ
Πύθων,Act.16.v.16.S.
Πυρετὸς, Matth 8.v.14.S.
Πυροῦσθαι,1.Cor 7.v.9.S.
ΠΩ
Πῶρος,πωρόω Joh.12.v.40.S.Rom.11.v.7.S.
Ρ
Litera ρ geminari solet à Græcis.Vide Rom.4.v.19.S.
ΡΑ
Ραβδίζειν,Act.16.v.22.
Ραβδοῦχοι Act.16.v 35.S.
Ραδιουργία,Act.13.v.10.S.
Ραπίζειν, Matth.5.v. 39.S.Matth.26.v.67.S. Joh.19.v.3.S.
Ράπισμα,Joh.19.v.3.S.
ΡΗ
Ρῆμα,pro re vel negotio; Luc.18.v.34.Act.5.v.32 Act.10.v.37.2.Cor.13.v.1.
ΡΙ
Ριπή,1.Cor 15.v.51.S.
ΡΟ
Ρομφαία,Luc.2.v.35.S.
ΡΥ
Ρύμη,Matth.6.v.2.S.
Ρύομαι,1.Thess.1.v.10.S.
ΣΑ
Σάββατον, item σάββατα, pro hebdomade, Marc.16.v.9 Luc.18.v.12.Joh.20.v.1,19.¶ Σαββατισμὸς,1.Cor.16.v.2.S.
Σαίνειν,1.Thess.3.v.3.S.
Σαλεύεσθαι,σάλος,2.Thess.2.v.2.S.
Σαλπίζειν,Matth.6.v.2.S.
Σανδάλια, Matth.10.v.10.S.Marc.6.v.9.S.
Σάρξ.Κατὰ τὴν σάρκα κρίνειν,Joh.8.v.15.S.
ΣΕ
Σεβαστὸς.Act.25.v.21 S.
Σεβάζεσθαι,σέβεσθαι,2.Thess.2.v.4.S.
Σεβόμενοι.Act.13.v.43,50.S.
Σεισμὸς,terræ motus: Luc.21.v.11.
Σεμνότης,idea sermonis. Exempla vide Rom.1.v.26.S.Gal.6.v.17.
ΣΗ
Σημεῖον,Luc.2.v.34.S.
Σημειοῦσθαι,2.Thess 3.v.14 S.
ΣΙ
Σίκερα,Luc.1.v.15.S.
Σιλωάμ,Luc.13.v.4.S.
ΣΚ
Σκανδαλίζειν,1.Cor.8.v.13.S.
Σκάνδαλον, Matth.5.v.29.S.Matth.15.v.12.S. Matth 18.v.6.S.Rom.11.v.9.S.
Σκεῦος,Act.9.v.15.S.
Σκηνοπηγία,Ioh.7.v.2.S.
Σκηνοῦν,Ioh.1.v.14.S.
Σκιὰ,pro σκιαγραφία, Heb.10.v.1.
Σκιρτᾶν,Luc.6.v.23 S.
Σκυθρωπὸς.Matth.6.v 16.S.
ΣΟ
Σουδάριον, Ioh.11.v.44.S.
Σοφία,1.Cor.3.v.10.S.
Σοφίζειν,σοφιστής,2.Tim.3 v.15.S.
ΣΠ
Σπεκουλάτωρ, Marc.6 v.17.S.
Σπένδεσθαι,2.Tim 4.v.6.S.
Σπερμολόγος, Act.17.v.18.S.
Σπλάγχνα,Iac.5.v.11.S.
Σπλαγχνίζεσθαι, Matth.9.v.36.S.Matth.14.v.14.S.
ΣΤ
Στειρα; Luc.18.v.11.S.Luc.19.v.8.S.
Στάσις pro ἀντίστασις, Act.15 v.2.
Στενοχωρία,Rom.8.v 35.S
Στόμα πρὸς στόμα, 2.Ioh.v.12.S.3.Ioh v.14.
Στρατηγὸς,Luc.22.v.4.S.Act 16.v.20.S.
ΣΥ
Συγκυρεῖν,συγκυρία, Luc.10.v.31.S.
Συγκοινωνὸς Rom.11.v.17.S.
Συζητεῖν,Act.6.v.9.S.
Σύζυγος,Phil.4.v.3.S.
Συκομορέα,Luc.19 v.4.S.
Συκοφαντεῖν, Luc.3.v.14.S.Luc 19.v.8.
Συλλαμβάνειν,Luc.1.v.24.S. Συλλαμβάνειν ἐν γαστρί,Luc.1.v.31.S.
Συμβάλλειν,Luc 2.v.19.S.
Συμβιβάζειν,1.Cor.2.v 16.S.
Συμβούλιοι pro iudicibus, Act 25.v.12.
Συμεών,2.Pet 1.v.1.S.
Συμπάθεια. Exemplum vide Ioh.11.v.35.
Συμπαθὴς,1.Pet.3.v.8.S.
Συνεζωοποίησεν εἶναι,Act.14.v.4.S.
Συναγωγή,Ioh.6.v.59.S.
Συναντιλαμβάνεσθαι,Luc.10.v. 40.S.Rom.8.v.26.S.
Συνείδεσις,Act.22.v.30.
Συνεργοί.1.Cor.3.v.9.S.
Συνευδοκεῖν.Rom.1.v.32.S.
Συνηλικιώτης,Gal.1.v.14.S.
Συνθῆκαι Rom.1.v.31.S.
Συνθρύπτειν,Act 21.v.13.S.
Συνιέναι,pro attendere, Mat 13.v.19 Vide ibi S.
Συνοχὴ pro angustia, Luc.21.v.25.
Σύρειν,Ioh 21.v.8 S.Act.14.v.19.S.
Σύρμα ibidem.
σύρτις,Act.27.v.17.S.
συστροφὴ,Act.23.v.12.
ΣΦ
σφαγὴ,pro epulo; Jac.5.v.5.
ΣΧ
σχίζεσθαι,Act.14.v.4.S.
σχῆμα,pro gestu, 1.Thess.4.v.12 Phil.2.v.8.
ΣΩ
σώζεσθαι, interdum idem valet quod servari in vita: ut Matth.24.v.22.Marc.5.v.23.¶ Interdum idem quod sanari vel convalescere: ut Matth.14.v.36. Marc.5.v.28.Iohã.11.v.12. Act.14.v.9.
σῶμα pro πτῶμα,Luc.17.v.35.
σωτὴρ omnium hominũ quo sensu dicatur Deus, 1.Tim.4 v.10.Vide ibi S.σωτῆρος nomen Deo patri tributum, 1.Tim.1.v.1.1.Tim.2.v.3.
σωτηρία pro conservatione corporis Act.27.v.34
σωτήριον,Luc.2.v.30.S.Luc.3.v.6 Act.28.v.18
ΤΑ
Ταμιεῖον,Matth.6.v.6 S.
Ταπεινὸς,Luc.1.v.48.S.¶ Interdum opponitur τῷ πλουσίῳ: ut Jac.1.v.9.¶ Interdum τῷ ὑπερηφάνῳ; ut Jac.4.v.6.1.Pet.5.v.5.
Ταρταροῦν,2.Pet.2.v.4.S.
Τάχα,Rom.5.v.7.S.
ΤΕ
Τὲ & καὶ inter se referuntur, Act.10.v.2.Rom.1.v.20,26.Heb.2.v.11.Heb.4.v.12.
Τεκμήριον,Act.1.v.3.S.
Τέκνον.Luc.1.v.7.S.
Τέλειος, pro adulto, 1.Cor.2.v.6. Vide ibi S.1. Cor.14.v.20.Heb.5.v.14.¶ Pro prudente, Jac.2.v.2.
Τελειοῦν pro consecrare, Hebr.2.v.10.Hebr.11.v.40 ¶ Τελειοῦσθαι,Luc.13.v.32.S.
Τέλος pro mercede, Rom 6.v.21 2.Cor.11.v.15. 1.Pet.1.v.9.¶ Pro scopo actionis, Rom.10.v.4. 1.Tim.1.v.5. ¶ Pro exitu seu eventu,Jac.5.v.11.1.Pet 4.v.17.
Τελώνης,Matth.9.v.9.S.
Τετραρχεῖν, Luc.3.v 1.S.
ΤΗ
Τηλαυγῶς,Marc.8.v.25.S.
ΤΙ
Τιθέναι pro κατατίθεσθαι,Ioh.13.v.4.Vide ibi S. Τιθέναι, τίθεσθαι, pro prædestinare,Ioh.15.v.16.Act.13.v.47.1.Thess.1.v.9.
ΤΟ
Τὸ articulus interdum redundat; ut Luc.1.v.62.Luc.19.v.48.

Τολμᾶν Rom.5.v.7.S.

ΤΡ

Τράπεζα, τραπεζίτης, Luc.19.v.23.S.

ΤΥ

Τυμπανίζεσθαι, τύμπανον Heb.11.v.35.S.
Τυπογραφία. Ioh.20.v.25 S.
Τύπος pro vestigio, Ioh.20.v.25. Vide ibi S. § Pro exemplari, 1.Thess.1.v.7. Heb.8.v.5.
Τυρβάζεσθαι, τύρβη. Luc.10.v.41.S.

Υ

Litera υ in voce Λευϊ vim habet consonantis Vau, Luc 5.vers.27. Vide ibi S Sic in voce Νινευίται, Luc.11.v.30.
Ὑδρία. Ioh.2.v.6.S.
Ὕδωρ pro fluvio Ioh.3.v.23. Vide ibi S. Act.8.v.36,38,39.
Ὕλη pro lignis, Iac.3.v 5. Vide ibi S.
Ὕμνος, Matth.26.v.30.S.
Ὑπὲρ interdum valet Propter: ut Iohan.6.v.51. Eph.3.v.13. § Interdum valet Pro, ad notãdum finem seu scopum: ut Ioh.11.v.4.1.Cor.15.v.3. Eph.3.v.13.2.Thess.1.v.5.Heb.6.v.20. § Interdum valet Super vel Supra, ad notandum locum: ut 1. Cor.15.v.29. Vide ibi S. § Interdum ponitur pro περὶ: ut 2.Cor.1.v.6. Phil.1. 1.v.29.2. Thess.1.v.4. § Interdum pro κατὰ; ut Phil.2.v.13. § Interdum pro ἀντὶ: ut Philem.v.13 Interdum servit iurijurando, ut 2. Thessal.2.v.1.
Ὑπέρακμος. 1.Cor.7.v.36.S.
Ὑπερεῖδεν, Act.17.v.10.S.
Ὑπηρέτης, Matth 5.v.25.S.
Ὑπόδειγμα, Heb.9.v.23.
Ὑπόδημα, Act.7.v.39.S.
Ὑπόδικος, Rom.3.v.19.S.
Ὑποκριτής, Luc.13.v.15.S.
Ὑπολαμβάνειν pro respondere, Luc.10.v.30.
Ὑπόστασις pro persona, Heb.1.v.3. Vide ibi S. § Pro fide, Heb.3.v 14. Heb.11.v.1.
Ὑποτίθεσθαι, ὑποθήκη, 1.Tim.4.v.6.S.
Ὑποτύπωσις, 2.Tim.1.v.13.S.
Ὑπωπιάζειν. Luc.18.v.5.S.
Ὕσσωπος, Matth.27.v.48.S.
Ὑστέρημα, penuria, Luc.21.v.4.
Ὑστέρωσις, figura sermonis. Exempla vide Matth. 11.v.5.1.Cor.9.v.1.
Ὑψοῦσθαι Ioh.12.v.32.S.

Φ

Φαίνεσθαι, pro δοκεῖν, id est, videri. Luc.24.v.11 Vide ibi S.
Φαντασία, Gepränge: Act.25.v.23.
Φάραγξ. Luc.3.v.5.S.
Φέρειν pro adducere, Marc.7.v.32.
Φεύγειν pro ἐκφεύγειν, Hebr.11.v.34. Hebr.12.v.25.
Φθάνω pro pervenio: Matth.12.v.28. Vide ibi S.
Φθινοπωρινὰ δένδρα, Epist Iud v.12.S.
Φιλάργυρος, Luc.16.v.14.S.
Φιλοπρωτεύειν 3 Ioh.v 9.
Φιλοσοφία, Col 2.v 8.S.
Φιλοτιμεῖσθαι, 1.Thess 4.v.11 S.
Φιλόφρων, 1.Pet.3.v.8.S.
Φιμός, φίμος, Marc.1.v.25.S.1.Cor.9.v 9.
Φιμοῦσθαι, ibid. & Marc.4.v.39.S.1.Cor.9.v.9.1. Pet.2 v.15.
Φονεύειν de fraude usurpatum, Iac.5.v.6.
Φόρος, Rom.13.v.6.S.
Φορτίον, Act.21.[illegible] S.
Φραγέλλιον. Ioh.2.[illegible] S.
Φραγελλοῦν, Marc.15.v.15.
Φράττειν, φραγμὸς, φράγμα, Rom.3.v.19.S.
Φρένες, 1.Cor.14.v.20.S.
Φρονεῖν pro desiderare, Roman.8 v.5. Vide ibi S. ¶ Pro iudicare, vel statuere: Phil.1.v.7. Phil.2.v 2.
Φρόνημα pro desiderio, Rom.8.v.6,27.
Φρουρεῖσθαι, Gal.3.v.23.S.
Φυλακίζειν, Act.22.v.19.
Φυλακὴ pro carcere, 1.Pet 3.v.19. Apoc.20.v.7.
Φυλακτήρια, Matth.23.v.5.S.
Φύραμα. Rom 9.v.21.S.
Φωνεῖν pro ὀνομάζειν, Ioh.13.v.13.
Φωνὴ, 1.Cor.14.v.7.S.
Φῶς pro igne, Luc.22.v.56.
Φωτίζειν, Ioh 1 v.9 S.
Φωτίζεσθαι, Heb.6.v.4 S. Heb.10.v.32.S.

Χ

Χαίρειν vox salutantis, Iac.1.v 1.2. Iohan.v.10.
Χαλᾶσθαι, 2.Cor.11.v.37.S.
Χαλεπός. 2.Tim.3.v.1.S.
Χαρίζεσθαι, donare vel donari: Luc.7.v.21. Vide ibi S. Act.3.v.14. Act.27.v.24. ¶ Pro concedere, Act.25.v.16.
Χάρις pro gratiarum actione, 1.Cor.10.vers.30. Vide ibi S. Χάριν ἀντὶ χάριτος, Ioh.1.v.16.S. Χάρις pro χαρᾷ, 2.Cor.1 v.15. Philem.v.7.
Χαριτοῦν, Luc.1.v.28.S. Eph.1.v.6.S.

ΧΕ

Χειμών. Matth.16.v.3.S.
Χειροτονεῖσθαι Act.10 v.41.S.

ΧΙ

Χιτών, Ioh.13.v.4.S. Ioh.19 v.23.S.

ΧΟ

Χολᾶν, Ioh.7.v.23.S.

ΧΡ

Χρηματίζειν, Heb.12.v.25.S.
Χρηματίζεσθαι, Luc.2.v.26 S.
Χρηστός, 1.Cor.13.v.4.S. Οἶνος χρηστός, Luc.5.v.39.
Χρίσμα pro spiritu sancto, 1.Ioh.2.v.20.

ΧΩ

Χῶραι pro agris, Iac.5.v.4.
Χωρεῖν, Ioh.21.v.25.S.
Χωρὶς, Ioh.15.v.5 S.
Χωρίζεσθαι, Act.1.v.4.S.

Ψ

Ψεῦσμα, Rom.3 v.7.S.
Ψηφίζειν, Luc.14.v.28.S.
Ψυχικὸς ἄνθρωπος, 1.Cor.2.v 14.S. Epist.Iud.v.19.
Ψυχικὴ σοφία Iac.3.v.15.S.
Ψυχικὸν σῶμα, 1.Cor.15.v.44 S.
Ψωμίζειν, 1.Cor.13.v.3.S.

Ω

Ὠδῖνες, Matth.24 v 8, Marc.13.v.9.S.
Ὡς interdum est nota temporis: ut Luc.4.v.25. Vide ibi S.
Interdum veritatis seu certitudinis, ut Iohã.1.v.14.
Interdum notat causam: ut 1. Pet.1.v.19.
Interdum significat Circiter: ut Ioh.1.v.40.
Ὥστε pro εἰς, Romã.7.v.6. ¶ Pro καὶ γὰρ, 2.Cor.5.v.17.
Ὠτίον idem quod οὖς, Marc.14.v.47. Luc.22.v.61 Vide ibi S.

***

FINIS INDICIS GRÆCIS.

INDEX IN APOCALYPSIN.

A

Abaddon, cap.9.v.11.
Absinthium, nomen cuiusdam stellæ, cap. 8.v.11.
Abyssi puteus apertus fuit à stella quadam, c.9. v.10. Abyssi angelus, c.9.v.11. In abysso conclusus fuit draco, c.20.v.1.2.3.
Accusator piorum, c.12.v.10.
Adorare volens Johannes angelum, prohibitus ab eo fuit, c.19.v.10.c.22.v.8.
Ægyptus spiritualiter vocata, c.11.v.8.
Æstus ortus ex effusione phialæ quartæ, cap.16. v.8.9.
Agnus mactatus, cap.5.v.6.cap.1[3.v.]8. Agnus stans ante thronum cælestem, cap.5 v.6. Agnus stans super montem Sion, cap.14.v.1. Agni nuptiæ, cap.19.v 7 9. Uxor, ibid. Sponsa, c.21.v.9.
Alleluja cantatum propter casum urbis Romæ, cap.19.
Altare iussus est metiri Johannes, c.11.v.1.
Angeli circa thronum cælestem, cap 5.v.11.c.7. v.11. Angeli quatuor insistentes quatuor angulis terræ, tenentes quatuor ventos, cap 7.v. 1. angelus ascendens ab ortu solis, habens sigillum Dei, cap.7.v.2. angeli septem cum septem tubis, cap.8.v.2 angelus offerens suffitus super altare aureum in cælo, cap.8.v.3.4. angelus volans per medium cæli, dicens voce magnâ, Væ, væ, væ, &c c.8.v.13. angelus abyssi, cap.9.v.11. angeli quatuor vincti ad Euphratem, soluti sunt, cap.9.v.14. angelus robustus è cælo descendens, amictus nube &c.cap.10.v. 1. angelus volans per medium cæli, habens Evangelium æternum, c.14.v.6. angelus quidam dixit, Cecidit, cecidit, Babylon, cap.14. v.8. angelus prodiens è templo, inclamabat eum qui insidebat nubi candidæ, cap.14.v.15. angelus quidam prodijt è templo, habens falcem acutam, c 14.v.17. angelus quidam prodijt ab altari, habens potestatem in ignem, cap.14.v.18. angeli septem, habentes plagas septem ultimas, cap.15.v.1.6.7. angelus descendens è cælo, exclamavit, Cecidit, cecidit, Babylon, cap.18.v.1.2. angelus quidam robustus lapidem molarem proiecit in mare, dicens, Ita cum impetu proijcietur Babylon &c. cap.18.v.21. angelus stans in sole cap.19.v.17. angelus quidam draconem conclusit in abyssum, c.20.v.1.2.3.
Animæ martyrum à Johanne conspectæ in cælo sub altari, c 6.v.9.
Animalia quatuor, plena oculis, circa thronum cælestem, cap 4.v.6.& seqq Vide, Considerationem secundam.
Annus Ad annos mille vinctus fuit Diabolus in abysso, cap.20.v.2.3. Per mille illos annos regnarunt martyres cum Christo, ibidem.vers. 4.6. De his annis vide Considerationem sextam.
Antipas martyr, c 2.v.13.
Apocalypsis. Quem habeat authorem, cap.1.v. 1. Ad quas Ecclesias sit missa, ibidem v.4.11. Ubi fuerit Johanni patefacta ibidem.vers.9 Quomodo fuerit ei patefacta ibid.v.10.& c 4 v.2. Per quem fuerit ei patefacta, c.1.v.1. Quo die, c.1.v.10.
Apollyon.c.9.v 11.
Aquam eiecit serpens post mulierem quæ amicta erat sole, c.12.v.15.
Arbor vitæ in nova Hierusalem, c.22.v.2.
Armageddon, c 16.v.16.
Aves ab angelo invitantur ad edendum carnes cæsorum Antichristianorum, cap.19. versu 17.18.

B

Babylon, id est, Roma: cap.14.v.8.c.16.v.19. c.17.v.5.c.18.v.2.
Balaami doctrina, c.2.v.14.
Beati mortui, qui propter Dominum moriuntur, c.14.v.13.
Bestia ascendens ex abysso, c.11.v.7. Bestia ascendens è mari, c.13.v.1. Bestia ascens è terra, ibidem v.11. Bestiæ character, c.13.v.16.17. Numerus hominis, ibidem v.17.18. Bestiæ thronus perfusus ex phiala quarta; unde regnum eius factum est tenebrosum, c.16.v.10. Bestia cui insidet meretrix Babylonica, describitur c.17 v.8. Bestia prælatura cum agno, coniecta est in stagnum ignis, c.19.v.20. Blasphemiæ bestiæ quæ ascenderat è mari, c.13. v.5.6. 6. Item asseclarum bestiæ quæ ascenderat è terra, c.16.v.11.21.
Bysso amicta uxor agni, c.19.v.8. Bysso albo & puro vestiti erant comites agni, ib.v.14.

C

Cælum novum, c.21.v.1.
Cœna magni Dei, c.19.v.17.
Calamus mensorius Johanni datus, c.11.v.1.
Candelabra aurea septem. c[.1.v.]12.20.
Canticum novum, c.14 v[.3].
Caudæ æquorum similes serpentibus, habentes capita, c.9.v.19.
Character bestiæ, c.13.v 16 17.c.14.v.9.
Christi descriptio, c.1.v.5 & seqq.c.5.v.6.c.19. v.11.& seqq.c.22.v.16.
Citharœdorum vox, pulsantium citharas suas, audita à Johanne in cælo, c.14.v.2.
Clamavit angelus quidam voce magnâ, sicut Leo rugit, c.10.v 3. Clamarunt animæ martyrum c.6.v.10.
Corona data equiti, qui insidebat equo albo c.6. v.2. Corona stellarum duodecim erat in capite mulieris quæ amicta erat sole, c.12.v.1.

D

Dei patris descriptio, cap.1.v.4.c.4.v.3.& seqq.
Diabolus nominatur draco magnus, & serpens antiquus, c.12.v.9. Item accusator piorum, ibidem v 10. Descendit ad incolas terræ plenus iræ magnæ: ut qui sciat, se paululum temporis habere, ibidem v.12. Coniectus est in stagnum ignis, c.20.v.10.
Dominus dominorum, c.19.v.16.
Draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, &c.cap.12.v.3 4. Præliatus est cum Michaële, ibidem v.7. Persequutus est mulierem quæ amicta erat sole, ibidem v.13. Abijt ut bellum gereret cum reliquis ex semine mulieris, ibid v.17. Constitit super arenam maris, c 12.v 18.

E

Ecclesiæ septem quæ in Asia fuerunt tempore Johannis, nominatim recensentur. c.1.v.11.
Ephesinæ ecclesiæ status tempore Iohannis, c.2. v.1.& seqq.
Epistolæ Christi septem ad septem Ecclesias Asiæ, c.2.& 3.
Equi quatuor, diverso colore præditi, conspecti à Iohanne in cælo, unus post alterum, c.6.
Equestris exercitus numerosissimus à Iohanne conspectus in cælo, c.9.v.16.
Equites habentes thoraces igneos, & hyacinthinos & sulphureos: c.9.v.17.
Equi habentes capita Leonum, & caudas similes serpentibus, easq; capitatas, cap.9.v.17 19. Ex ore illorum prodibat ignis, & fumus, & sulphur, ib.v.17.
Equus albus cui insidebat Christus, c.19.v.11.
Equis albis insidebant qui sequebantur Christum, ibid.v.14
Euphrates. Ad Euphratem vincti fuerunt quatuor angeli, c.9.v.14. Aqua eius siccata est ex effusione phialæ sextæ, c.16.v.12.
Evangelium æternum ab angelo quodam evangelizatum, c.14 v.6.

F

Fluvius in nova Hierusalem, c.22.v.1.
Fumus ascendit è puteo abyssi, c.9.v.2.3. Prodijt ex ore equorum, ibid.v.17.18.

G

Gentes calcabunt urbem sanctam, c.11.v.2.
Gladius anceps & acutus prodibat ex ore Christi, c.1.v 16.c.19.v.15.
Gog & Magog, c.20.v.8. Vide considerationem septimam.
Grando & ignis, mista sanguine, proiecta sunt in terram, c.8.v.5.
Grando quasi talentaria descendit è cælo in homines, c.16.v.21.
Gubernatores lugent super casu Babylonis, id est, urbis Romæ: c.18.v.17.& seqq.

H

Halleluia cantatum in cælo propter casum urbis Romæ, c.19.
Harmageddon, c.16.v.16.
Hierusalem nova, c.21.v.2.10.& seqq.

I

Ignis altaris in cælo ab angelo abiectus in terram, c.8.v.5.
Ignis prodibat ex ore equorum, c.9.v 17.18.
Ignis prodibat ex ore duorum testium prophetantium, c.11.v.5.
Ignem è cælo in terram descendere fecit bestia quæ ascenderat è terra, c.13.v 13.
Imago bestiæ, c.13 v.14.15.c.14.v.9. Vide Considerationem tertiam.

J

Jerusalem. Vide Hierusalem.
Jesabel pseudoprophetissa, c.2.v.20.
Johannes prohibitus fuit ab angelo, ne eum adoraret, c.19.v 10.c.22.v.8.
Judicij ultimi descriptio, c.20.v.11.& seqq.
Juravit angelus quidam, c.10.v.6.

L

Lacus iræ Dei, c.14.v 19.20.c.19.v.15.
Lampades igneæ ardentes septem ante thronum cælestem, c.4.v.5.
Laodicensis Ecclesiæ status tempore Iohannis, c. 3.v.14.& seqq.
Lapis molaris in mare proiectus ab angelo adrepræsentandum casum urbis Romæ, c.18.v.21.
Libellus in manu angeli cuiusdam, datus Iohāni ad deglutiendum, c.10.v.2.& seqq.
Liber in dextra eius qui insidebat throno cælesti, c.5.v.1.
Liber vitæ, c.13.v.8.c.17.v.8.c.20.v.12.15.c.21. v.27.c.22.v.19.
Libri aperientur in ultimo iudicio, c.20.v.10.
Linguas suas mandebant præ dolore asseclæ bestiæ, c.16.v.10.
Locustæ exibant è fumo qui ascendebat è puteo abyssi, c.9.v.3. Locustæ illæ describuntur, ibid. v.3.& seqq.
Lunæ pars tertia percussa, c.8.v.12.
Luna nulla in nova Hierusalem, c.21.v.23.
Luna sub pedibus mulieris quæ amicta erat sole, c.12.v.1.

M

Mare vitreum ante thronum cælestem, c.4. v.6. ¶ Mare reddet mortuos suos, c.20.v. 13.
Martyrum animæ sub altari in cælo c.6.v 9.
Mensorius calamus Iohanni datus metiendum templum Dei, c.11.v 1.
Mercatores lugent super casu Babylonis, id est, urbis Romæ c.18.v 11.
Merces importari solitæ in urbe Romam, c.18.v. 12.& seqq.
Meretrix Babylonica describitur. c.17.
Michaël præliatus est cum dracone, c.12.v.7.
Mille anni. Vide, Annus.
Mons magnus, igne ardens, proiectus est in mare, c 8.v.8.
Mulier amicta sole, c.12.v.1.
Mysterium Dei, c.10.v.7.

N

Nautæ lugent super casu Babylonis, id est, urbis Romæ, c.18.v.17.& seqq.
Nicolaitæ, c.2.v.6.15.
Nox non erit in nova Hierusalem, c.21.v.25.c. 22.v.5.
Nubi candidæ insidens quidam similis homini, c. 14.v.14.
Nuptiæ agni, c.19.v.7.9.
Numerus nominis bestiæ, c.13.v.17. Vide Considerationem quartam.

O

Obsignatio servorum Dei in frontibus, c.7. v.3. & seqq.

P

Pergamensis Ecclesiæ status tempore Johannis c.2.v.12. & seqq.
Phialæ plenæ iræ Dei datæ septem angelis, c.15.v.7. Effusæ sunt ab illis ordine, c 16.
Philadelphiensis Ecclesiæ status tempore Johānnis, c.3.v.7. & seqq.
Plagæ septem ultimæ. c.15.v.1.
Pseudopropheta præliaturus cum agno, coniectus est in stagnum ignis, c.19.v.20.
Puteus abyssi apertus fuit à stella quadam, c.9. v.2.

Q

Quatuor animalia, plena oculis, circa thronum cælestem, c.4.v.6. & seqq.
Quatuor angeli insistentes quatuor angulis terræ, tenentes quatuor ventos, cap.7.v.1. Vincti ad Euphratem, & soluti, c.9.v.14.

R

Ranis similes spiritus impuri tres prodierunt ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore pseudoprophetæ, c.16.v.13.
Reges septem, c.17.v.10.11. Vide Considerationem quintam.
Reges decem, c.17.v.12.
Reges terræ plangunt super casu Babylonis, id est, urbis Romæ: c 18.v.9.10.
Regibus ab ortu solis via parata fuit per Euphratem exsiccatum, c.16 v.12.
Reges terræ & totius mundi à tribus spiritibus dæmoniorum incitantur ad prælium contra pios, c.16.v.14.
Rex locustarum quæ prodierant è puteo abyssi, c. 9.v.11.
Rex regum, c.19.v.16.
Resurrectio prima & secunda, c.20.v.5,6.
Roma spiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus, c.11.v.8. Item Babylon, c.14.v.8.c.16.v.19.c.17.v.5.
Roma terræ motu dirupta in tres partes, c.16.v 18,19.

S

Saccis amicti duo testes prophetantes, c.11.v.3.
Sanguis cadaveris ortus in mari ex effusione phialæ secundæ, c.16.v.3.
Sanguis ortus in fluminibus & fontibus ex effusione phialæ tertiæ, c.16.v.4.
Sardensis Ecclesiæ status tempore Johannis, c.3. v 1. & seqq.
Satanæ Synagoga, c.3 v 9.
Satanæ thronus, c.2.v.13.
Senes vigintiquatuor sedentes circa thronum cælestem, c.4.v.4.
Septem ecclesiæ Asiæ, c.1.v.11.
Septem candelabra aurea, c.1.v.12,20.
Septem stellæ in dextra Christi, c.1.v.16,20.
Septem lampades igneæ ardentes ante thronum cælestem, c.4.v.5.
Septem sigilla in libro quem tenebat is qui insidebat throno cælesti, c.5.v.1.
Septem angeli cum septem tubis, c.8.v.2.
Septem plagæ ultimæ, c.15.v.1,6,8.
Septem phialæ aureæ, plenæ iræ Dei, datæ septē angelis, c.15.v.7.c.16 v.1.
Serpens antiquus, c 12.v.9.
Sigilla septem in libro eius qui insidebat throno, c.5 v.1.
Sigillorum sex apertio, c.6.
Sigilli septimi apertio, c 8.
Signum magnum in cælo visum à Johanne, c.12 v.1.
Signa magna eduntur à bestia quæ ascendit è terra, c 13.v.13.
Signa magna edebantur à tribus spiritibus qui similes erant ranis, c.16.v.14.
Silentium factum in cælo, c.8.v.1.
Smyrnensis Ecclesiæ status tempore Johannis, c.2 v 8. & seqq.
Sodoma spiritualiter vocata, c.11.v.8.
Sol perfusus ex phiala quarta, c.16.v.8. In sole stabat angelus quidam, c.19.v.17.
Solis pars tertia percussa, c 8.v.12.
Sole amicta mulier, c.12.v.1.
Sol nullus in nova Hierusalem, c.21.v.23.
Spiritus sancti descriptio c.1.v.4.c.4.v.5.
Spiritus impuri tres, similes ranis, prodierunt ex ore draconis & c.c.16.v.13.
Sponsa agni, c.21.v.9.
Stagnum ignis, c.19.v.20.c.20.v.10,14,15.c. 21.v.8.
Stella magna, ardens velut fax, cecidit è cælo in flumina & fontes, c.8.v.10. Nominatur autem illa stella Absinthium, ibid.v.11.
Stellæ septem in dextra Christi, c.1.v.16,20.
Stellarum pars tertia percussa, c.8.v.12.
Stella è cælo cecidit in terram, cui data est clavis putei abyssi, c.9.v.1.
Stellæ duodecim in capite mulieris quæ amicta erat sole, c.12.v.1.
Stolæ albæ datæ animabus martyrum, c.6.v.11.
Suffitus cum precibus sanctorum oblati ab angelo in cælo, c.8.v.3,4.
Sulphur prodibat ex ore equorum, c.9.v.17,18.
Synagoga Satanæ, c.3.v.9.

T

Templum Dei iussus est metiri Johannes, c. 11.v.1.
Templum nullum in nova Hierusalem, cap.21. v.22.
Tempus & tempora & dimidium temporis, c.12 v.14.
Tenebrosum factum est regnum bestiæ ex effusione phialæ quintæ, c 16.v.10.
Terra nova, c.21.v.1.
Terræmotus maximus, c.16.v.18. Quo dirupta est urbs Roma, ibid.v.19.
Terræmotu occisa sunt in urbe Roma capita hominum septies mille, c.11 v.13.
Testes duo prophetantes, amicti saccis, c.11.v.3.
Thronus Satanæ, c.2.v.13.
Thronus in cælo, c.4 v 2. & seqq.
Thronus bestiæ c.16.v.10.
Thyatirensis Ecclesiæ status tempore Johannis, c.1.v.18. & seqq.
Tubæ septem datæ septem angelis, c.8.v.2.
Tubarum quatuor primarum clangor, c.8.v.7. & seqq.
Tubæ quintæ & sextæ clangor, c.9.
Tubæ septimæ clangor, c.11.v.15. & seqq.

U

Ulcus ortum ex effusione phialæ primæ, c.16. v.2.
Urbem sanctam calcabunt gentes, c.11.v.2.
Urbis (Romæ) pars decima cecidit, c.11.v.13.
Urbs sancta Hierusalem nova, cap.21.v.2,10. & seqq.
Uxor agni, c.19.v.7,8.c.21.v.9.

V

Væ, væ, væ, proclamatur ab angelo quodam, c.8.v.13.
Væ primi descriptio, c.9.v.1. & seqq. Secundi, ibi. v.13. & seqq. Tertij, c.11.v.15 & seqq.
Vitæ æternæ descriptio, c.2.v.7,10,11,17,26,27 28.c.3.v.5,12,20,21 c.7.v.16,17.c.21.v.6,7 c.22.v.17.
Voce magnâ clamabant animæ martyrum, c.1. v.10.c.4.v.1.
Voce magnâ clamabat angelus quidam, sicut Leo rugit, c.10.v.3.
Voces suas loquuta sunt septem tonitrua, c.10. v.3.
Vox magna, tanquam tubæ, audita à Johanne c.1.v.10.c.4.v.1.
Vox primi ex quatuor animalibus audita à Johanne, tanquam vox tonitrui, c.6.v.1.
Vox quædam à Johanne audita ex quatuor cornibus altaris aurei in cælo, c.9.v.13.
Vox è cælo audita à Johanne, tanquam vox aquarum multarum, & tanquam sonus tonitrui magni, c.14.v.2.

FINIS.

VOCUM HEBRAICARUM.

א
אביה *Abijah. Matth.1.v.7.S.*
אביהוד *Abihud Matth.1.v.13.S.*
אבים *Abijam. Matth.1.v.7.S.*
אברהם *Abraham. Matth.1.v.2.S.*
אברם *Abram. Ibidem.*
אדון *Adon. Act.2.v.34.S.*
אדני *Adoni. Matth.26.v.25.S.*
אהל מועד *Ohel mohhed. Act.7.v.44.S.*
אוריה *Vrijah. Matth.1.v.6.S.*
אזוב *Esob. Ioh.19.v.29.S.*
אזור *Asor. Matth.1.v.13.S.*
אחז *Ahhas. Matth.1.v.9.S.*
אחים *Ahhim. Matth.1.v.14.S.*
איש *Isch, vir pro, quidam. Ioh.3.v.1.S.*
אישי *Ischai. Matth.1.v.5.S.*
אל *El, De, περί. Hebr.1.v.7.S.*
אלהי *Elahi. Marc.15.v.34.S.*
אלוהי *Elohi. Ibidem.*
אלוהים *Elohim. Marc.12.v.29.S.*
אליהוד *Elihud. Matth.1.v.14.S.*
אליקים *Eljakim. Matth.1.v.13.S.*
אלעזר *Elhhasar. Matth.1.v.15.S.*
אמון *Amon. Matth.1.v.10.S.*
אסא *Asa. Matth.1.v.7.S.*
אתפתח *Ephpathahh. Marc.7.v.34.S.*
ב
בית חסדה *Beth hhesdah. Ioh.5.v.2.S.*
בית קורבנא *Beth-kurbana. Mat.27.v.6.S*
בליעל *Beljahhal. 2.Cor.6.v.15.S.*
בני רגשי *Benai-regeschi. Marc.3.v.17.S*
בעז *Bohhas. Matth.1.v.5.S.*
ג
גביא *Gabbaja. Matth.5.v.25.S.*
גוי *Goi. Matth.4.v.15.S.*
גיהנם *Gehinnom. Matth.5.v.22.S.*
גלגלת *Gylgoleth. Ioh.19.v.17.S.*
ד
גנב *Ganab, Matth.5.v.27.S.*
דויד *David, Matth.1.v.6.S.*
ה
הושיעה נא *Hoschihha-na. Matth.21.v.9.S.*
השכים *Hischkim, Luc.21.v.38.S.*
השתחוה *Hischtahhaveh. Matt.2.v.1.S.*
ז
זבדי *Sabdai. Matt.4.v.21.S*
זבח *Sebahh. Iac.5.v.5.S.*
זדקתא *Sedketha. Matt.6.v.1.S.*
זוללות *Soleluth. Luc.21.v.34.S.*
זנה *Sanah. Matt.5.v.27.S.*
זרבבל *Serubabel. Matt.1.v.12.S.*
זרח *Serahh.*
ח
Litera ח *in proprijs nominibus apud novi testamenti scriptores omitti solet. Matt.1.v.2.4.7. Ioh 5.v.2. Vide ibi S. Act.1.v.19.*
חג הסכות *Hhag hassuccoth. Ioh.7.v.2.S.*
חזקיהו *Hhiskijahu. Matt.1.v.9.S.*
חמור *Hhamor. Matt.21.v.5.S.*
חנם *Hhinnam. Ioh.15.v.25.S.*
חנפא *Hhanphe, Matt.6.v.7.S.*
חסד *Hhesed. Matt.9.v.13.S.*
חסדים *Hhasadim. Act.13.v.34.S.*
חסיד *Hhasid. Actor.2.v.27.S. Act.13.v.34.S.*
חסידה *Hhasidah. 1.Tim.5.v.4.S.*
חצוצרות *Hhatsotseroth. Mat.6.v.2.S.*
חצרון *Hhetsron. Matt.1.v.3.S.*
חקים *Hhukkim. Luc.1.v.6.S. Rom.2.v.26.S. Hebr.9.v.1.S.*
חקלדמא *Hhakal dema. Matth.27.v.S. Act.1.v.19.S.*
ט
טלרי *Telare. Marc.6.v.9.S.*
י
יאסף *Ioseph. Matt.16.S.*
יאשיהו *Ioschijahu. Matt.1.v.10.S.*
יהודה *Iehudah. Matt.1.v.2.S.*
יהוה *Jehovah. Marc.12.v.29 S.*
יהויקים *Iehojakim. Matt.1.v.11.S.*
יהורם *Ieboram. Matt.1.v.8.S.*
יורם *Ioram. Ibidem.*
יותם *Iotham. Matt.1.v.9.S.*
יכניה *Iechonjah. Matt.1.v.11.S.*
ילד *Ialad. Matt.2.v.1.S. Luc.1.v.13.S.*
ים *Iam. Matt.4.v.18.S.*
יעקוב *Iahhakob, Matt.1.v.2.S.*
יצחק *Iishhak. Matt.1.v.2.S.*
ישוע *Ieschuahh. Matt.1.v.16.S.*
ישי *Ischai. Matt.1.v.5.S.*
כ
כאא *Kea. Matt.12.v.16.S.*
כותינה *Cutineth Ioh.19.v.23.S.*
כיפא *Kipha. Matt.16.v.18.S.*
כלי *Keli. Act.9.v.15.S.*
כמירא *Kemire. Matt.6.v.16.S.*
כמרים *Kemarim. Ibidem.*
כנושתא *Kenuschta. Matt.5.v.22.S.*
כפורת *Capporeth. Rom.3.v.25.S. Hebr.9.v.5.S.*
כפר נחום *Kephar-nahhum. Mat.4.v.13.S*
כתנת *Cutineth. Ioh.19.v.23.S.*
ל
Litera ל *præfixa, interdum valet De, περί. Vide Hebr.1.v.7.S. Epist. Iud.v.14.S.*
לחמא דסונקן *Lahhma desunkanan. mat.6.v.11.S.*
לעג *Lahhag. 1.Cor.14.v.21.S.*
מ
מדנה *Madnahh. Matt.5.v.45.S.*
מועד *Mohhed. Act.7.v.44.S.*
מזבח *Misbeahh. Matt.5.v.23.S.*
מחבלין *Mehhabbelin. Matt.6.v.16.S.*
מטר יורה ומלקוש *Metar jorehu malkosch Iac.5.v.7.S.*
ממונא *Mamuna. Matt.6.v.24.S.*
מן *Man. Ioh 6.v.31.S.*
מנשה *Menasscheh. Matt.1.v.10.S.*
מעתה *Mehhattah. Matt.26.v.29.S.*
מרי *Mari. Matt.26.v.25.S.*
מרים *Mirjam. Matt.1.v.16.S.*
משל *Maschal. Matt.15.v.15.S. Ioh.16.v.25.S.*
מתי *Matthai. Matt.9.v.9.S.*
מתן *Matthan. Matt.1.v.15.S.*
נ
נאף *Naaph. Matt.5.v.27.S.*
נוחמא *Nuhhama. Ioh.11.v.24.S.*
נזירים *Nesirim. Matt.2.v.23.S.*
נחשון *Nahhschon. Matt.1.v.4.S.*
נצרת *Notsrath. Matt.2.v.23.S.*
ס
סופרים *Sopherim. Matt.2.v.4.S.*
סנהדרין *Sanhedrin. Matt.5.v.22.S.*
ספר כריתות *Sepher kerithuth. Matt.5.v.31.S.*
ע
עבר *Hheber Ioh.1.v.28.S.*
עובד *Hhobed. Matt.1.v.5.S.*
עושים *Hhosim. Ioh.3.v.1.S.*
עזיהו *Hhussijahu. Matt.1.v.8.S.*
עזריה *Hhasarjah. Ibid.*
עכשוב *Hhachschub. Rom.3.v.13.S.*
על *Hhal. Luc.9.v.5.S. Ioh.1.v.16.S.*
עלמה *Hhalmah. Matt.1.v.23.S.*
עם *Hham. Matt.4.v.15.S.*
עמינדב *Hhamminadab. Matt.1.v.4.S.*
עמנואל *Hhimmanuel. Matt.1.v.23.S.*
ענו *Hhanau. Matt.21.v.5.S.*
עני *Hhani. Matt.21.v.5.S.*
עקב *Hhekeb. 1.Pet.1.v.9 S.*
ערבון *Hherabon. 2.Cor.1.v.22.S.*
פ
פלוני *Peloni. Matt.26.v.18.S.*
פסח *Pesahh. Mat.26.v.17.S. Ioh.2.v.13.S*
פצחא *Petshha. Matt.26.v.17.S.*
פקודה *Pekudah. Act.1.v.20.S.*
פקידים *Pekidim. 1.Pet.2.v.25.S.*
פרץ *Pherets. Matt.1.v.3.S.*
צ
צבאות *Tsebaoth Rom.9.v.29.S. Iac.5.v.4.S.*
צדוק *Tsadok. Matt.1.v.14.S.*
ק
קנא *Kana. Matt 10.v.4.S.*
קרן *Keren. Matt.10.v.4.S.*
ר
רבב *Rabab. Matt.23.v.7.S.*
רבי *Rabbi. Matt.26.v.25.S.*
רוח *Ruahh Ioh.3.v.8.S.*
רום *Rom. Ioh.12.v.32.S.*
רות *Ruth. Matt.1.v.5.S.*
רחב *Rahhab. Matt.1.v.5.S.*
רחבעם *Rehhabham. Matt.1.v.7.S.*
רחמים *Rahhamim. Rom.12.v.1.S.*
ריקא *Reka. Matt.5.v.22.S.*
רם *Ram. Matt.1.v.3.S.*
רע *Reahh. Matt.5.v.43 S.*
רעה *Rahhah. Matt.6.v.34.S.*
רשים *Raschim. Matt.2.v.4.S.*
ש
שאול *Scheol. Matt.11.v.22.S. Actor.2.v.26.S.*
שאלתיאל *Schealtiel. Matt.1.v.12.S.*
שבתון *Schabbathon. 1.Cor.16.v.2.S.*
שופרות *Schopharoth. Matt.6.v.2.S.*
שבת *Schabbath. Act.2.v.27.S. Act.13.v.34.S.*
שילה *Schiloh. Matt.1.v.23.S.*
שחר *Schachar. Ioh.2.v.10.S.*
שילוח *Schilloahh. Luc.13.v.4.S. Ioh.9.v.7.S.*
שלח *Schalahh. Marc.4.v.29.S.*
שלמה *Schalmah. Matt.1.v.4.S.*
שלמה *Schlomoh. Matt.1.v.6.S.*
שמונא *Schammuna. Matt.5.v.26.S.*
שמים *Schamajim. Matt.6.v.7.S.*
שמעון *Schimhhon. Matt.4.v.18.S.*
שער הצאן *Schahhar hattson. Ioh.5.v.2.S.*
שקל *Schekel. Matt.26.v.15.S.*
ת
תאמים *Theomim. Ioh.20.v.24.S.*
תמר *Thamar. Matt.1.v.3.S.*
תרדמה *Thardemah. Rom.11.v.8.S.*

FINIS.

Piscator was an Erastian — page 315, b.